KA

THEO'L SEMINARY.

REC'D FROM THE

AS. REF. SYNOD.

John

NEWBURGH COLLECTION

THEORETICO-PRACTICA

THEOLOGIA,

QUA,

Per ſingula capita Theologica, pars exegetica, dogmatica, elenchtica & practica, perpetua ſucceſſione conjugantur.

EDITIO NOVA.

ACCEDUNT:

Hiſtoria Eccleſiaſtica plena fere, quanquam compendioſa: Idea Theologiæ Moralis: Hypotypoſis Theologiæ Aſceticæ &c.

AUCTORE

PETRO VAN MASTRICHT,

SS. Theol. in Academia Ultraj. Doctore & Profeſſore.

TOMUS PRIMUS.

TRAJECTI AD RHENUM.

Apud { W. VAN DE WATER, J. v. POOLSUM, J. WAGENS, G. v. PADDENBURG.

M D CC XXIV.

NEWBURGH COLLECTION

VIRO

AMPLISSIMO CONSULTISSIMOQUE,

D. GERHARDO van MASTRICHT,

JCto, OLIM JURIUM ET HISTORIARUM

PROFESSORI;

NUNC

REIPUBLICÆ BREMANÆ SYNDICO,

POLIHISTORI, ἐνμαθεσάτῳ,

FRATRI UNICO

S. P. D.

PETRUS van MASTRICHT,

ides, FRATER UNICE, nomen tuum proſtare, in hoc frontiſpicio; quorſum; exiſtimas? Num, ut te obſcurum & latitantem, tuis Bremenſibus, aut Orbi etiam univerſo patefacerem? Ut tuas virtutes: pietatem, juſtitiam, æquitatem, prudentiam, in apricum producerem? Ut tuam eruditionem & polymathiam, in quovis ſtudiorum genere, in Theologicis, Juridicis, Hiſtoricis, Criticis aliiſque, erudito noſtro ſeculo ſiſterem? Si te novi, & novi ſane, iſtis vanitatibus parum caperis: & ſi tu me noſti, mihi iſta parum conveniunt. Faciant iſtud alii, & fecerunt pridem, viri etiam magni, & tu ipſe feciſti, non equidem dictis; ſed, quod potius, factis: neque enim hoc loquuntur, tantum quæ dudum publico præſtiti, de *Suſceptore*, de *Jure Eccleſiaſtico & Pontificio* in

notis ad Anton. Auguſtinum & Gratianum, aliiſque, & faceres magis etiam, in his, quæ ad *varias* Novi Teſtamenti *lectiones*, ad *Bibliothecam univerſalem*, & imprimis ad *Antiquitates Eccleſiaſticas*, & ejus generis alia, affecta habes, quæ hiſce meis oculis olim hauſi, ſi modo, divina Fata, otium indulgerent, affectis efficiendis. Quorſum igitur tuum nomen hic proſtat? Ut cum noſtra ἀδελφίζει, meam φιλαδελφίαν conteſtarer: ut & poſteritas, communionem noſtram, ut in ſanguine; ita & in animis & ſtudiis agnoſceret: ut deſiderium meum, videndi in publico, ἀνέκδοτα tua quæ dixi, patefacerem: non addam, quod exploratum habeam, te inſtituto huic, quantum ſaltem ad theoriæ & praxeos conjugationem, plane applaudere, ejuſque ἐργοδιώκτην exſtitiſſe. Utinam inter Politicos & Jureconſultos, tales paſſim occurrerent; haberent ſane, & Eccleſia & Reſpublica, de quibus ſibi gratularentur. Accipe igitur, MI FRATER, quod offero, & eo animo quo offero, ut Orbis agnoſcat, nos Fratres eſſe, & nomine, & omine. Vale, & hoc age, ut tua videamus, ſicut mea tu hic vides.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Non multis; sed tamen & non nullis, te detinebo in hoc limine, Lector benevole, ut indolem, iteratæ hujus editionis perspicias.

Si mireris, *typos* exiliores huic editioni adhibitos fuisse, quam priori; cogitabis, hoc eo factum, ut prioris duo volumina, in unam pellem redigerem, eoque tuis sumptibus parcerem; etsi hoc fefellit, per tota additamenta; hoc saltem te habiturum, ut duobus voluminibus, jam habeas, quæ tribus alias necessariis, fuisses habiturus: &, si hoc officiat oculorum perspicaciæ, cogitabam hoc facili negotio compensaturum, juvenum quidem oculorum acumen; senilium vero perspicillos.

Interim hac editione, habebis id omne, quod habebas præcedenti; nec tantum multo emaculatius; sed etiam, tertia parte saltem, locupletius:

Etenim in *Exegeticis*, Scripturæ textus, capitibus Theologiæ, pro fundamento substructi, ad compendium spatii, priori editioni, non paulo aridius præfixi; hic non nihil explicatius, ex philologia, præmissi comparent, ad hoc ut Naziræi nostri, superstruendis capitibus Theologicis, Scripturæ fundamentis adsuescerent. In his, quantum fieri potuit, nos à terminis artis logicæ; qui publicis non adeo conveniunt, cohibuimus, & ex natura textus diduximus; ut & hic rerum naturæ adsuescerent.

In *Elenchticis*, omnes conversias, ad quæstiones redegimus, ut singularum historiam commodius tangeremus, eorum πρώτον Ψεῦδος, sententiarum divortia, & medium orthodoxiæ locum, inter declinantes ab utraque parte, sententias heterodoxas, facilius assequeretur lector, & ab hoc utriusque exorbitantis extremitatis difficultatibus, facilius ac solidius occurreret. Existimabam enim maximum esse, in determinandis controversiis compendium, si utriusque partis exorbitationes, habeas perspectas.

In *Practicis* rarior accidit amplificatio, ne in nimiam molem degeneraret Theologia nostra, ne in plura volumina se diffunderet, & ex eo scopo brevitatis frustrarer; cum præsertim lector attentus, amplificationes, ex congestis Scripturæ testimoniis, paulo attentius expensis, non magno negotio adornare possit, si cumprimis observet, non omnia, demonstrationi; sed nonnulla illustrationi tantum fuisse adjecta.

Adſperſa eſt libro *octavo*, de *diſpenſatione fœderis gratiæ* per omnia Eccleſiæ ſecula, *hiſtoria Eccleſiaſtica*, plena quidem; aſt compendioſa, in qua ſingularum Eccleſiæ ætatum προεςῶτας, tam politicos quam Eccleſiaſticos: Patriarchas, Judices, Reges, utriuſque Regni, tam Judaici, quam Iſraelitici, & ſingulorum maxime memorabilia, habebis, quoad *Vetus* Teſtamentum; quoad *Novum*: Imperatores & Pontifices Romani, ſinguli, in ſuis memorabilioribus, tibi occurrent: tum *Theologiæ* ſtatus, & ab ea deviantes paſſim hæreſes erroreſque; tum *Eccleſiæ* ſtatus, ejuſque propagatores, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, quorum ſingulatim hiſtoria pertexitur: propagationis adminicula, nim: Scriptores Eccleſiaſtici, Synodi, Scholæ, Regiminis forma, Perſecutiones, Martyria & id genus alia, ad Eccleſiam ſpectantia, quibus exhauriri credo, quicquid ad plenam hiſtoriam Eccleſiaſticam deſiderari queat: ſed compendioſe tamen, quod alias mihi excurrendum fuiſſet in complura, eaque vaſta volumina. Occeperam dudum quaſi pro commentario, in breviorem prioris editionis epitomen, opus ſatis copioſum de *Fatis Eccleſiæ*, illudque ad hiſtoriam Iſaaci Patriarchæ perduxeram; aſt cum iſtud in nimiam molem abire, animadverterem; facta collatione cum ætate mea provectiore, & quod alia Eccleſiæ magis proficua, excluſurum eſſet; quaſi deſperabundus, ad hoc quod vides compendium, ſepoſui. Quod ſi interim, integrum aveas habere Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſyntagma; ſatisfaciet, ſcio, præ multis aliis, ὁ πανὺ *Spanhemius*, in ſuis operibus hiſtoricis, quæ jam ſub prelo Lugdunenſi-Batavo, ſudant feliciter, quibus Deus adſpiret ſua benedictione, ut brevi luce publica fruantur. Interim quo noſtrorum ſynopticorum, ordinem & cohærentiam, in paragraphis pluſculum longis, dexterius aſſequaris; ſuccurrere tibi conabor, præfixo *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* juxta librum octavum, peculiari Sceleto. Chronologorum contentionibus infinitis, me admiſcere nolui, contentus ſequi receptiorem ſententiam.

Accedit hac editione ad ſyſtematis Theologici integritatem, Idea *Theologiæ moralis*, circa virtutes Chriſtianas ſimplices occupata, ubi earum naturam, ſigna, bona & adminicula, ſingulis ſubjeci, ſtylo quam maxime laconico, ut attentum requirant Lectorem. Methodum ſectatus ſum, Cl. Ameſii, in *Medulla* & *Caſibus conſcientiæ*, quæ mihi viſa eſt, adeo commoda, ut aliam ei ſubſtituere, nec voluerim, nec debuerim. In his primo quidem propoſitum habui, ut diffuſior eſſem, uti patet è tribus diſputationibus, de ſola *Obedientia fidei* habitis; poſtea ætati diffiſus, in alterum extremum prolapſus, nimium concinſus exſtiti, ut tres illas diſputationes, in pauculas lineas contraxerim, tandem in pro-

greſſu

greſſu, ad mediocritatem pertigi, ne nimium arida eſſent, nec Lectorem parum juvarent.

Etiam adjeci Hypotypoſin *Theologiæ Aſceticæ*, de virtutibus complexis, ſeu de exercitiis pietatis, per omnem vitæ caſum, per quatuor omnino libros, qui articulatius, per plura capita, jam in unum contracta, fuiſſent repræſentata, ni prolixitudinis metus cohibuiſſet; habebis tamen potiora, quæ in plura, ſi res exigat, abſque negotio dilatari poſſint. Via mihi hic calcanda fuit, Proteſtantibus parum trita, quod cum Adverſariis veritatis, ipſis in acie continuo ſtandum fuerit. Britanni ſparſim, plura præſtiterunt, quos conferendos omnino ſuadeo.

In *Moralibus* pariter & *Aſceticis*, explicatior eſſe debuiſſem; aſt vero, cum hoc per ætatem fere ſeptuagenariam, & ne nimium protraheretur hæc editio, non detur: non magis eſt in votis; quam ut Viri docti, quos noſtra ætas, tanta copia alit, ſpiritus ſuos, quos jam, in minus neceſſariis & inutilibus exhauriunt, in hæc πρακτικώτερα impenderent, reperturi tantum difficultatis, pariter & utilitatis, ut non minus gloriæ, hinc ſibi polliceri queant, quam ex otioſis ſuis præſentibus, & cum multo ampliore, gloriæ divinæ & ædificationis eccleſiaſticæ emolumento.

Quantum denique ad *Indices*, illum qui Scripturæ loca, è magna eorum copia excerpit, Ornatiſſimi, & eruditiſſimi viri Juvenis D. *Guilielmi Mulleri*, SS. Miniſterio eccleſiaſtico propediem Candidandi, fidei plane commiſi, reliquos ipſe adornavi, ejus colludente opera.

Tandem, ut & uſum noſtrorum, in homileticis pro concione habeas, id unum moneo, ut caute obſerves, prædominans argumentum textus tui; tum noſtra, per ſua capita conferas, ea quæ in rem tuam erunt commodiſſima, arrectis tantum animi viribus, ut Scripturæ locorum vim & efficaciam, cum ad amplificandum; tum ad demonſtrandum, aſſequaris quantum ſatis. His prælibatis, jam ad ipſum opus; te dimitto.

IN-

H. PONTANI

ORATIO

IN OBITUM

PETRI VAN MASTRICHT.

TEllurem cœlo nuptam, rerum omnium, atque ipsorum Deorum matrem Ægyptii, Phryges, Græci & tandem Romani ingenti studio coluerunt; postquam Scipio Nasica illius imaginem ex Phrygia in Tyberim adportatam, à nautis accepisset, eamque primariis matronis tradidisset, ut in ædem Victoriæ transferretur: Quas inter quandoquidem Claudia Quinta Appii Cæci filia eminuit, in vestibulo ejusdem Templi statuam merita est, quam fingunt intactam mansisse, tametsi Sacrarium bis conflagraverit. Si vero miseris hominibus cæca & fæda superstitione adreptis tanta veneratio fuerit illius Matris, ex qua corporis alimenta prognasci opinabantur; longe rectius omnes boni tam civitatis, quam urbis Trajectinæ cives & incolæ almam matrem Academiam amant & reverentur, quam Patriæ Patres intra hæc mœnia receperunt, non modo corporis, sed mentis fructiferam efformatricem, divinis humanisque rebus utilem & necessariam, quin imo Urbi & Orbi salutarem. Quanto autem major communis omnium Matris nos tenet & incessit amor & religio; tanto vehementius jure merito dolemus, cum illius ærumnas & clades, experimur, vel ultima etiam fata sive audimus sive præsentiscimus. Ille sanequam affectus mihi firmissime adhæsit ab eo tempore, quo pars aliqua factus sum doctorum publicorum, quos Procerum cura & benevolentia erudiendæ juventuti præfecit, ne vitam sine literis transigat, quæ nihil est, præterquam vivi hominis sepultura. Si quæ læta & fortunata nostris Musis acciderunt, exquisitæ mihi deliciæ fuerunt, & pluris, quam ulla corporis oblectamenta; sin adversa, illis non aliter, quam malis & doloribus propriæ matris ingemui. Posterioris eheu generis his annis tam multa & gravia nobis incubuerunt, ut eorum sine lachrymis vix possim recordari. Non equidem benignitate supremi Numinis ita sunt afflictæ res Academicæ, & speciatim Theologicæ, non eousque nostra processit calamitas, uti mendax calumnia, procul & prope, omnibus compitis disseminavit; quasi antiqua Scholarum nostrarum frequentia iviſſet in meram solitudinem. Hujusmodi obtrectationes pudefaciunt frequentissima aliorum subsellia, quibus pace vestra liceat mea subjungere, quæ præterito semestri quinquaginta admodum ornatissimi juvenes non tantum ex his oris, sed ex Anglia, Scotia, Hibernia, Germania, Silesia, Borussia, Hungaria, occuparunt: interea vulnera nobis inflicta & intentatas mortes inficiari nequeo. Ne rem altius deducam, tribus abhinc annis occidit incomparabilis Grævius, in cujus morte quantam

&

& quam irreparabilem cum universo Orbe jacturam fecerimus, ne invidia quidem negaverit. Veriſſime Cl. Burmannus ipſi juſta ſoluturus, cum Metello Macedonico exclamabat: concurrite Cives, Urbis & Academiæ noſtræ mœnia ſunt everſa, & quamvis vana fore vatum carmina ſperemus, quæ in Jubilæo noſtro præcinuerunt, illuſtrem hanc Academiam cum Illuſtri Grævio morituram, hæc tamen ſunt tempora, ut non immerito ad ejuſmodi omnia & auguria exhorreſcamus. Ante triennium Grævius, ante trimeſtre obiit Gerhardus Vriſius: veſtram fidem! quantum ordinis noſtri ornamentum? Teſtamento caverat, ne quiſpiam collegarum ei parentaret; ſed abſit à me longiſſime, ut tam commodam oc caſionem nactus, maxima Viri merita, quibus noſtram Academiam ſibi obſtrinxit, ingrato ſilentio transmittam. Habuit ille deceſſores egregios, Reinerium, Schotanum, Goorium, Senguerdium, Berkringerum, Paulum & Danielem Voetios, Ravenſpergerum, Bruinium, Mansveldium, quos inter invenias, qui fama & meritis excelluerunt. Non ibo in laudes eorum, ne honoratiſſimis viris turpi aſſentatione blandiri videar, qui plures ex illis proximo ſanguinis & cognationis vinculo attingunt, ſuiſque majoribus in hac urbe ſupervivunt. Unius Ravenſpergeri meminiſſe libet, qui in prima juventa parentem Steinfurtenſem & Groninganum Theologum longe ſupergreſſus, fama ingenii magnitudine inclaruit, imprimis, cum Spinoſam aggrederetur, tametſi pleraque ejus ſcripta perierint, quo caſu, neſcio, certe inſigni detrimento boni publici & poſteritatis. Hinc etiam cum viri immortales Biſterveldius & Alſtedius Albæ Juliæ in Tranſilvania auſpicio Principis Racoci novam Academiam molirentur, ipſe ad Philoſophiam docendam eo vocatus eſt tam lautis conditionibus, ut neſciam, an ullus ex Profeſſoribus noſtræ Belgicæ fruatur tanto ſtipendio. Sive autem ſtationem oblatam recuſaverit, quod à pulcherrimo Trajecto ægre avelleretur, ſive fato præventus, accipere non potuerit, dicere non auſim; reliqua vero mihi perſpecta ſunt; nam cum Meppelæ in agro Drentino prima miniſterii mei Eccleſiaſtici tyrocinia ponerem, cujus ſuaviſſimi temporis nulla me unquam oblivio capiet, apud Prætorem Sciccardum eruditum ſenem noſtri Ravenſpergeri avunculum tabulas vocationis inveni & non abſque admiratione avidiſſime perlegi. Tantis viris ſucceſſit Vriſius; at vehementer fallor, vel omnes nominis celebritate, docendi facilitate, laboris aſſiduitate & pertinacia, etiam cum diuturni morbi doloribus affligeretur, denique auditorum frequentia, aut æquavit, aut exceſſit. Tantus amor Patriæ & Academiæ Patriæ eum ſtimulabat, ut, cum difficillimis temporibus, Gallis vix urbe egreſſis, afflictoque miſerabiliter ærario publico, non admodum lauta mercede ex Collegio Leidenſi ad hoc Athenæum vocaretur, neque auro, neque ordinariæ Profeſſionis Philoſophicæ oblatione, neque ullis aliis pollicitationibus Lugduni Batavorum retineri potuerit. Poſtea cum hic floreret, & Trajectinam cathedram ornaret, iterum honorifico ſtipendio ad Leidenſem Academiam invitatus eſt, cumque ampliſſimus Senatus noſter abitum civis tantopere ſibi dilecti & dediti metueret, quaſcunque conditiones hic manendi illius arbitrio & ſententiæ permiſit; Ipſe vero æquis & mediocribus contentus in perpetuum ſe chariſſimæ Patriæ addixit. Cum poſtremo ſexennio veluti exanime cadaver circumambularet, cathedram tamen deſerere non poterat, alliciente Præceptorem ſuum diſcipulorum caterva. Quamvis enim prava conſuetudo etiam ad nos pervaſerit, ut cives Academiæ maximo ſuo damno ſcholas

domeſticas ſectando, publicas aſpernentur, ille tamen ad poſtremam uſque prælectionem frequentiſſimo auditorio gaudebat, poteratque aures & animos audientium velut incantatione quadam, laudabili tamen & utiliſſima, ita demulcere & excitare, ut ſibi coſtantiſſime adhærerent, quod in Juſto Lipſio prolixe laudat Boxhornius. Quotusquiſque almæ matris academiæ cultor & amator ſupereſt, qui illius vices non doleat & hæc fata non deploret, præeuntibus nobiliſſimis urbis magiſtratibus, qui ægerrime tulerunt, & difficulter conſenſerunt, ut tanti Viri laudatio funebris intermitteretur, neque expugnata fuiſſet eorum ſententia, niſi tandem reverentia erga ultimam defuncti voluntatem prævaluiſſet, quod novum eſt honoris & amoris argumentum; quibus ſpero me quadantenus ſatisfacturum opportuno hoc elogio; tribuo etenim patriæ & academiæ Patribus illam filiorum Pomponii Romanorum ducis laudabilem generoſitatem, qui cum parenti victori tres columnas poſuiſſent; unam pugnatori; alteram victori; tertiam triumphatori; & parentis modeſtia hunc honorem detrectaret, illi quartam Pomponio contemptori ſuperaddiderunt. Cum adhuc ſanus & incolumis Grævius inter nos verſaretur, & Vriſii valetudo labaſceret, ſæpe triſtis auribus meis ingeminavit, erat enim, uti non ignoratis, mihi amiciſſimus, adverſa quæque Athenæo noſtro inſtare, ſi ægrotus moreretur. Dum hæc memori mente jam repeto, atque cogito utrumque, & Grævium, cujus ſatis vatum carmina Academiæ fata connexuerunt, & Vrieſium, in cujus fatis Grævius Academiæ vices prætimeſcebat & deplorabat, non accuſabitis vecordiam meam, ſi parem metum & pavorem in me comperiar, dum enim perpendo, non venturos eſſe ad Theologorum, Juriſconſultorum & Medicorum ſcholas, quiad illas rite adeundas ab utroque tanto numero parabantur, totus contremiſco. Si contra hæc omnia, quorum minimus apex à veritate non aberrat, hiſcere audeat invidia, quod vix crediderim, ſibi nocebit, non mortuo heroi, qui omnem invidiam ſupergreſſus eſt. Ergo in vicina æde jam ſilet Vriſius; ex contiguo atrio diſceſſit ſapientia, & luctui noſtro neque modus neque finis imponeretur, niſi ſupereſſent viri doctiſſimi & diligentiſſimi, qui hoc agent fortiter & viriliter, ut abeuntem & fugientem ſapientiam morentur, & ad priſtinas ſedes reducant.

Dum lugemus ademptum nobis Vrieſium, ecce moritur longævus ſenex Petrus Maſtrigtius, cujus caducas exuvias heri eodem tumulo cum Vrieſio recondidimus, ut animis conjunctiſſimi etiam in ſepulchro corporibus copularentur, & junctis manibus reſurgentes Servatori ad judicium redeunti occurrerent: At vero, ut piæ & eruditæ mentis dotes & res geſtas contemplemur, jam convenimus. Id ſuis Heroibus, id viris & feminis, pace & bello claris, maxime eruditis, præſtitit antiquitas; Id Martyribus Eccleſia; à quibus laudabilis illa conſuetudo in hæc uſque tempora perennavit, ut ſuperſtites inſpicerent in vitas defunctorum tanquam in ſpeculum, & diſcerent ad illorum exemplar dicta, facta & cogitata ſtudioſe conformare. Hanc provinciam propter non unius ſonticæ rationis pondus maluiſſem deprecari; poſteaquam vero comperi ultimam voluntatem morientis & Senatus noſtri arbitrium in eo conſpirare, ut mihi honorificum hoc onus imponeretur, ſolam obſequii gloriam mihi relictam eſſe conſiderans, illud non invitus ſuſcepi. Cum vero me operi accingo, Petrum laudaturus, diem ſuum obit aliud noſtri ordinis decus Paulus Bauldri, cujus oſſa & cineres

nudius

nudius tertius terræ mandavimus, quique mihi fuit chariſſimus & familiariſſimus. Is vero uti eruditione ſua principibus in Italia & Gallia viris, nominatim Cardinali Noriſio & Huetio Epiſcopo innotuit & placuit, atque victima Gallicæ crudelitatis Crœſi divitias, quas poſſidebat, veræ religionis amore, in pauper exilium commutavit, & eximia vitæ ſanctitate popularibus ſuis & nobis omnibus, mihique ſingulariſſime præluxit, ut maximo ſuo merito in numerum Martyrum & Confeſſorum ſit referendus; ita clariſſimi mihique amiciſſimi collegæ Relandi laudatione brevi inſtituenda eſt digniſſimus. Hoc ergo miſſo, ad meum Petrum revertor, eumque celebraturus, à patria incipio, quæ ipſum nobilitavit, erat enim domo Colonienſis. Si animus eſſet ad veteres Ubios excurrere, ſi ad Neronis matrem inter illos natam, cujus auſpiciis poſtea in illas oras Romanorum colonia eſt traducta, quæ urbi nomen dedit, atque Ubios in Agrippinenſes mutavit, ſi omnia florentiſſimæ urbis vera & ficta decora enarrarem, ſi, ad Hermannum Archiepiſcopum Reformatorem; ſi ad viros doctos; ſi ad Theologos deſcenderem, quos illa fœcundo ſinu peperit, non illos nugatores & ſophiſtas priſcis temporibus, qui ſcholaſtica barbarie & inutilibus præceptiunculis juventutem detinuerunt & perdiderunt; ſed ad meliores, qui bonis literis & explanandis Græcis & Latinis ſcriptoribus feliciter incubuerunt, quos inter eminet Mauritius Comes Spilenbergius, in maxima Baſilica Colonienſi Canonicus, qui cum Rudolpho Agricola & Langenio equite Monaſterienſi, Franciſco Philelpho, & Theodoro Gazæ aliiſque utriuſque linguæ inſtauratoribus in Italia operam dedit, ſi, inquam, hæc & ſimilia perſequi vellem, quis tandem dicendi finis foret? Neque etiam in patria tantum laudis argumentum eſt: ſi bonos genuit Colonia, etiam malos produxit. Talis erat Theodoricus, Doctor Theologus, qui Conciliabulo Conſtantienſi interfuit, & ſeſſione XIII. ad Patres verba fecit; quique innocentiſſimum Martyrem Johannem Huſſum impie vexavit: talis erat Conradus Vorſtius, quem ex duobus maximis diſcipulis Piſcator peſſimum appellare ſolebat, uti Henricum Altingium optimum, quique elegantiſſimo ingenio & multiplici doctrina abuſus, ſcholam Steinfurtenſem mihi patriam & totum orbem reformatum miſerabiliter afflixit, magiſque afflixiſſet, ſi Leidenſem cathedram obtinuiſſet, & peſſimis quorundam conſiliis tam ampliſſimi magiſtratus Amſtelodamenſes, omneſque in tota Belgarum republica veritatis catholicæ tenaces, quam exteri etiam orthodoxi Principes & Reges fortiter & viriliter non interceſſiſſent. Libentius ignoſcerem erroribus tametſi fœdis viri doctiſſimi, ſi ingenue faſſus eſſet, quod clauſum pectore retinebat: Sed quis non iraſcatur ſimulationibus ejus, quibus tota vita incautis impoſuit. Scilicet ille ſemel atque iterum Heidelbergæ ſacramento recepit ſe catecheſi Palatinæ immoriturum; ille ore & ſcripto, verbis & lachrymis toties Ordinibus Hollandiæ teſtatus eſt, ſe tantum diſcrepare à quibuſdam eccleſiis reformatis in doctrina de prædeſtinatione annexiſque capitibus; reliquis omnibus ex animi ſententia conſentire; ſcilicet Illi Bertius apoſtata epitaphium ſcripſit, cujus ſumma erat: Eccleſiam Reformatam Vorſtio iniquiſſimam & tamen dilectiſſimam fuiſſe & manſiſſe; ſcilicet ille toties Trinitatem unius Dei eſt confeſſus, damnato pariter Ario & Socino, Ille ſynodo Dordracenæ ante latam ſententiam offerebat ſingulari libro Socinum confutare, & tamen jam nemo niſi malevolus dubitat ipſum fuiſſe Trinæ Numinis Hypoſtaſeos adverſarium, quod Sandius vir

 doctus

doctus & ingenuus, uti vidit, ita non dissimulavit. Hujus farinæ erat Theologus ille Colonienſis, quod operæ pretium putavi hoc excurſu indicare, ut rubore ſuffundantur & dediſcant maledicere, qui hodie adhuc ejus cauſam tuentur, atque acriter increpant fortiſſimos & laudatiſſimos viros, qui in Republica & Eccleſia hoc egerunt, ne Leidenſi Academiæ imponeretur. Propterea cum exiguum ſit, quod ad ſui civis præſtantiam confert patria, hoc potius de noſtro Colonienſi dicam, ipſius majores incolas & hoſpites, nequaquam cives natos eſſe Coloniæ, fuerunt enim, uti hodie Bauldrius, ita ipſi olim glorioſiſſimi Confeſſores, qui Coloniam confugerant, ut conſcientiæ & religionis libertate fruerentur, quam in eorum patria Romanæ perſecutionis carnifices crudeliter perſequebantur. Nimirum præſtabat peregrinari & hoſpitari Coloniæ cum Sacris Chriſtianis, quam jure civitatis gaudere & conſulari dignitate fulgere in patria.

Nempe proavus ipſius & proavia, inter primos Orientis Euangelii lumine ſunt illuſtrati, quorum ille Anno cIↃ cILXXVII. in prima & crudeliſſima obſidione Moſæ Trajectina, quia non ſat cito manibus Hiſpanorum à liberis eripiebatur, præterlabentibus Moſæ aquis ſuffocatus eſt. Avus autem Cornelius, qui cum avia eundem annum LXXXIII. intraverat, tempore Albanææ perſecutionis cum unica ſorore, poſtquam abeundi licentiam auro redemiſſet, Moſa Trajecto ſe Coloniam recepit: inde factum eſt, quod ipſe cum poſteritate cognomen Maſtrigtiorum vel *van Maſtricht* adoptaverit, cum alias Gente Sconingia ſint oriundi, quæ illis temporibus Moſæ Trajecti fuit honoratiſſima. Pater Thomas avitis veſtigiis inſiſtens dudum Presbyterii Colonienſis Aſſeſſor cum Paſtoribus gregem illo loco clanculum coactum fideliſſime pavit & gubernavit. Avus maternus erat Plancius vulgo le Planq Conſul Athenſis, cujus avia ibidem in æde majori eodem tumulo, cum XXII. liberis condita eſt, hodieque monachæ habitu, quæ totidem liberos ſacra veſte contegit in ſepulchri ſaxo ænea lamina inducto, depicta conſpicitur. Ipſe vero pertæſus ſuperſtitionem Romanenſem, quod nuper fecerunt innumera Gallicæ crudelitatis exempla, non modo relicto conſulatu, ſed uxore & liberis, quod abeuntem ſequi nollent, Antverpiam ſe contulit, quæ illa ætate profugorum erat aſylum. Poſtea ſimulato morbo conjugem ad ſe pellexit, invitamque & flentem cum quatuor liberis Coloniam tranſtulit, quibus, tametſi fertile matrimonium quinque addiderit, facta feliciter mercatura, Deus per quam abundanter proſpexit, ut neceſſe non fuerit amiſſas opes avitas dolere & concupiſcere. Ex hoc noveno liberorum populo Johanna Thomæ Maſtrigtio nupſit, eumque numeroſa prole beavit, ex quibus noſtro Petro denato, tantum ſupereſt Gerhardus, qui tametſi illo ſit decennio junior, neutiquam tamen ipſi pietate & eruditione minor eſt, nam utriuſque non tralatitia ſpecimina dedit, ante Teutoburgi, ubi in cathedra Juriſconſultorum eminuit, jam Bremæ, cujus Reipublicæ eſt Conſiliarius & Orator, variis legationibus & perennaturis ſcriptis illuſtris; Plura addere non audeo, ne gravis ſim verecundiæ præſentis. Ex his liquet, quo ſanguine cretus ſit noſter Petrus, quibuſque majorum imaginibus gloriari poſſit. Natus autem eſt menſe Novembri An. cIↃ cIↃXXX. ex quo conſtat, verum eſſe quod mihi lecto ejus aſſiſtenti dixit, ſe longius abeſſe à ſeptuageſimo quam ab octuageſimo. Ita ultimam ordinariæ ætatis metam contigit, ita albentem & micantem ſenectutis coronam meruit. Miraculi inſtar

ſtat eſt, quod in illa naturæ humanæ fragilitate tam multis præſtantibus Theologis longior ætas obtigerit, tametſi perpetua cura & indefeſſo labore viribus & vigore corpus exhauriant, & hujus vitæ lampadem nimio uſu extinguant, Petrus, Paulus, Johannes, Titus, Polycarpus, Epiphanius, Athanaſius, Hieronymus, aliique infiniti veterum; venerabilis Beza, Molinæus, Paræus, uterque Rivetus, Mareſius, Heidanus, Spanhemius, & cujus obliviſci nefas foret, Gisbertus Voetius, immortale hujus Academiæ columen, tametſi quotidie ſtupendis oneribus frangerentur, nihilominus vel octuaginta annos impleverunt, vel ad hunc primæ altitudinis gradum appropinquarunt. Uti divina providentia peccata Eccleſiæ caſtigat, illi ſæpe ſummos viros eripiendo, qui necdum florem juventæ detriverant, ita ſingularia præbet bonitatis & potentiæ ſuæ documenta, quoties antiſtitum ætatem ad tantum faſtigium producit. Senex in domo bonum ſignum eſt, dixerunt Hebræorum ſapientes; quia labantes domos nonnunquam ſua prudentia & pietate confirmant. Quid ni propter eaſdem rationes ſenem in domo Dei bonum ſignum eſſe dicamus, cujus præfecti Presbyteri Senes vocantur, & eorum ſenatus Presbyterium, non quod ſolis ſenibus Eccleſiarum præfecturæ debeant committi, ſed illis tantum, qui ſimili gravitate, prudentia & pietate ſunt conſpicui. Si vero bonum ſignum eſt in domo Dei ſenex; malum ſit oportet, quoties ſenibus & eorum conſilio orbatur. Alii ex iiſdem magiſtris ſenes familiarum ſcipiones appellarunt; ſi hoc iterum ac Eccleſiam Dei transferimus, quis non fractis baculis illius caſum & ruinam extimeſcat? Sunt quidem uti omnis ætatis, ita etiam ſenectutis dedecora quoque inter Eccleſiaſticos, quorum malitia cum annis accreſcit, hos uti non moramur, ita illi, qui lauream ſenectutis adipiſcuntur, dum ambulant in ſemita juſtitiæ, & operi ſupremi ſui Domini fideles immoriuntur, ſicuti noſter, multiplici honore ſunt digniſſimi, & quaſi Numina adorandi, qui noſtri cauſa abitum in cœleſte ſolum comperendinant.

Verum cum non ſuo, nec parentum ſanguine, ſed propria virtute noſter nitatur, genuſque & proavos & quæcunque ipſe non fecerat, pro ſuis non habuerit, agedum, illa, quæ ipſi tantum propria ſunt, accurate contemplemur. Pueritiam in ludo Teutoburgenſi tranſegit, ubi egregium condiſcipulum nactus eſt Theodorum Undereikium, inſignem poſtea Dei ſervum miniſterio Caſſellano, Bremenſi, & utiliſſimis ſcriptis celebrem. Poſtquam exceſſit ex ephebis, & poſt egregios profectus in Græcis & Latinis literis ad Academias eſſet mittendus, præ aliis Ultrajectina placuit, non tantum propter doctorum celebritatem, ſed etiam Scotti famoſiſſimi chirurgi cauſa, cujus opem implorabant parentes, ad ſanandum pedis & lumborum vitium, quod nullo naturæ defectu, ſed ſolius famulæ incuria filio in infantia acciderat; etſi vero ſpes fefellerit medicum, neque potuerit corpori claudicationem tollere, doctores, formandæ menti erant præfecti, Voetius, Hoornbekius, Dematius æterna memoria digni, ita ejus animum formarunt, ut præ omnibus inter Academiæ alumnos excelluerit. Salutavit etiam Leidenſem Academiam, nec non Heidelbergenſem; ſemel quoque in Angliam transfretavit, addiſcendæ linguæ & excolendæ ſacræ praxeos gratia, ſed iteratis vicibus ad veteres præceptores Trajectum recurrit, ita, ut ſi menſium & dierum rationes ineantur, hic fere quinque annis integris & ſi non continuis ſubſtiterit. Anno LII. præcedentis ſeculi à veneranda Claſſe Ultrajectina in cenſum Candidatorum ſacri Miniſte-

rii relatus est, & ampliſſimis teſtimoniis Academicis & Eccleſiaſticis ornatus ad patrios lares remeavit, & paulo poſt Xantenſi Eccleſiæ prope Veſaliam aliquamdiu vicariam operam præſtitit. Deinde Tychopoli Evangelium annuntiavit, quod eo tempore Reformatis tota Dania nullo alio loco permittebatur; verum cum eximia pietate maximæ Reginæ Charlottæ Ameliæ, quæ nupera æſtate hæc mœnia ſubiit, in regia metropoli Reformatæ religioni templum aperiretur, in aula Danica conſilia agebantur, ut ex vicinia Coppenhagam vocaretur; ſed illis interceſſit ſereniſſimus & potentiſſimus Elector Brandenburgicus, Fridericus Wilhelmus Magnus, nullis titulis & tropæis major quam veræ religionis & pietatis amore, qui fama viri excitatus illum doctoribus Theologis in Academia ſua Francofurtenſi ad Viadrum inſeruit, & præterea ad docendam Hebraicam Linguam adhibuit, imo rariſſimo exemplo Profeſſorem Theologiæ Practicæ creavit, ampliſſimis mandatis, quæ uti meram pietatem ſpirant, ita avide & cum oblectatione percurri. Cogitatum eſt ſæpe in his oris, non modo à viris piis & doctis, ſed integris etiam Claſſibus, Synodis, atque ipſa Dordracena, an non uni Theologorum in Academiis utiliter poſſet mandari Theologiam Practicam docere, qui de vitiis & virtutibus Chriſtianis diſſereret, & in caſibus conſcientiæ quos vocant, licita ab illicitis, laudabilia à vituperandis diſtingueret, quique juvenes Deo & Eccleſiæ ſacros non bene diſputare ſed bene vivere doceret, & methodum reverenter & fructuoſe ad Dei populum dicendi, aliaſque partes futuri muneris rite obeundi præformaret; ſed hæc conſilia exoptatiſſima hic terrarum jam dudum evanuerunt. Maſtrigtius tamen in Marchia hanc ſpartam nactus eſt, cumque in illa ornanda & amplificanda jam altero anno verſaretur, non potuit carere titulis & honoribus Doctoris. Ideo in Clivos excurrit Teutoburgum, pueritiæ ſuæ domicilium & hoſpitium, atque diſputatione publica Theoretico Practica de natura Theologiæ ſtrenue & feliciter defenſa, habitaque oratione de nomine & omine doctoris Theologi Anno cIↃ cIↃ cLXIX. ſolenniter & more majorum in auditorio maximo & frequentiſſima panegyri à elariſſimo Crellio ſimul Theologiæ & Philoſophiæ Doctor renuntiatus eſt, quas phaleras fortean uſque ad ſuprema fata ſpreviſſet, ſi ſalvo ordine & legibus Academicis illis potuiſſet abſtinere. Ergo Francofurti parabatur Maſtrigtius, ut nobis tandem tanto felicius inſerviret. Eripuit illa olim Groningæ Martinum Schookkium Ultrajectinum, & nobis nuper illuſtrem Coccejum, ſed reſtituit Maſtrigtium; nam hæc ſunt fata & vices Academiarum, ut mutuis damnis & compendiis creſcant & decreſcant. Non tamen rediit Trajectum ad docendum, ubi ante didicerat, niſi poſtquam ſuperato ſtadio Francofurtenſi, in Academia Duisbergenſi ſeptennium tranſegiſſet. Fato functus erat egregius Theologus & facundiſſimus divini verbi præco Martinus Hundius, qui me ſacro Baptiſmate tinxit, cum gregem Steinfurtenſem paſceret. Hic ex celeberrimi Cocceji libello de Fœdere dedicerat Amiraldi methodum in ordinandis divinis conſiliis, quam in Gallia imbiberat, & tam felix erat in his aliiſque quibuſdam ejus cogitatis, quæ tunc à pauciſſimis intelligebantur, & capiendis, & explicandis, ut obitum ſui Hundii non aliter luxerit, quam chariſſimi fratris vel filii: nam acceſſit præter amabilem docilitatem aliqua etiam cognatio aut affinitas, qua ipſum contingebat: Qui cum novam Clivorum Academiam valde illuſtraverat, & ipſi ſucceſſor eſſet quærendus, ſolus Maſtrigtius dignus viſus eſt Principi

cipi Electori, qui posset amissum Hundium referre & repræsentare. Quamvis enim gloria Francofurtensis Athenæi non cedat Duisburgensi, ipse tamen amore patriæ pellectus, maluit Duisburgi docere, ubi adoleverat, & nuper summos in Theologia & Philosophia honores obtinuerat, denique charissimum fratrem inveniebat florentem in Academico ordine Jurisconsultorum; quod etiam non inficiatur in oratione de religione jurisjurandi Academici, quam recitavit Anno LXX. cum ibi Professor Theologiæ & Hebraicæ Linguæ inauguraretur. Verum elapso hoc septennio ex Theologis nostris unicus supererat Burmannus, qui etsi fama nominis sui orbem impleverat, & meis laudibus sit sublimior, solus tamen non poterat sustinere rem Theologicam. Ideo cum post Gallicam captivitatem Academia esset instauranda; & de successore Magni Voetii ageretur, ille discipulus & auditor ejus placuit, qui prope & procul in ore & oculis omnium tanta dederat eruditionis & pietatis documenta, ut spes esset grandævum senem in illo renaturum. Accessit paulo post duobus, qui supervivit, Melchior Leidekkerus tertius, conjunctissimus noster collega, quem etsi vereor in os laudare; quia tamen tot alios jam veris & meritis elogiis exorno, nefas esset tacere, eum hanc Academiam multorum annorum labore admodum sibi devinxisse, atque varia eruditione & multarum linguarum, artium & scientiarum complexione ita abundare & clarere, ut nulli nostrum sit secundus, plurimos etiam, si non omnes antecedat. Quam fortunatum erat Lyceum horum trium ductu & præfectura? sane quam Mastrigtius, qui hic sex fere lustra absolvit, cum Anno LXXXII. fasces Academiæ teneret, tam numerosam vidit pubem Academicam, uti nullus unquam ante, quod vel inde patet, quia eodem anno plures quam LX. in numerum doctorum sunt relati. Si novissimis temporibus tantum docendo non potuerit conferre in usum publicum; cogitemus corpusculi debilitatem & adversam valetudinem, quæ, indicantibus medicis, ipsi à longo tempore apoplexiam est minata; cogitemus ætatem, & quid æqua lege poscamus à sene octuagenario? qui in Ecclesia & Schola tam vasto temporis spatio vires animi & corporis confregit. Præsertim si inspiciamus duo ingentia volumina, quibus Theologiam practicam comprehendit, quæque in hac urbe nuper non tantum recensuit, sed plus quam tertia parte locupletavit, fatebemur, quod scribendo Academiam condecoraverit, cum eundi, loquendi & docendi vires collaberentur. Profecto si totam vitam impendisset pulcherrimo huic fœtui gignendo, parturiendo, edendo, lambendo, fovendo & exornando, plus satis feciisset, & vixisset ecclesiæ, Academiæ & posteritati. Non incidi unquam in ullos alios libros ipsius, quorum nonnulli, ut jam intelligo, non modo typis sed etiam manu sunt descripti; verum de hoc corpore confidenter affirmo, quod eo ordine sit digestum, tanto rerum pondere prægnans & tumidum, tanta & tam varia eruditione refertum, ut nesciam, an in illo genere usquam gentium exstet aliquid magis accuratum & elaboratum. Quod si quis negare sustineat, o quam ille miser vacuum & jejunum caput scaberet, ungueſque roderet, si ipsi mandaretur simile aliquid, vel majus audere & suis numeris sarcinam tam injustam imponere. Sed quid ego verba profundo, ut honorem & auctoritatem libri tuear, cujus pretium jam dudum constituerunt tot eruditissimorum Theologorum æquissima præjudicia; quique tam avide emitur ubique, ut non immerito consilia ineant bibliopolæ de tertia editione adornanda; cujus denique honos & gloria manebunt, cum nomina Zoilorum æterna caligine sepulta ab omnibus

igno-

ignorabuntur, & eorum scriptiunculæ thuris & piperis amicula erunt, si non vilioribus officiis adhibeantur. Jam me dicendi ardor in laudes unius libri ita abripuit, ut non sit necessarium quippiam superaddere de eruditione. Latitare quosdam in obscuro, sordida veste obtectos, quorum tamen doctrina in fastigio collocari debebat & ab omnibus adorari, nemo, ut opinor, ibit inficias: contra multi ad summos honores & honorum præmia grassantur, tametsi minimo illorum gradu sint indigniſſimi; sed nostro uti magni honores obtigerunt in tot Academiis & Ecclesiis, ita improbo labore, sudore & eximia scientia illos sibi peperit & acquisivit. Hoc etiam inter ejus laudes non est reticendum, quod morti intentus, à partium studio & factionibus fuerit alieniſſimus, perosus omnes, qui per causam veritatis Christianæ charitatis obliviscuntur.

Vitio quidem ipsi vertitur, quod rationi nimis fuerit infestus, eamque prætextu religionis de throno dejecerit: verum multa in certamina de phrasibus & vocabulis abeunt & degenerant, quæ hodie in hac causa tam fervide disputantur. Pulcherrimum libellum his annis decus Academiæ Basilienſis Werenfelsius de logomachiis publicavit, quibus si adjiceretur, quicquid ubique locorum in eo genere peccatur, in quantæ molis volumen excresceret? Si quis omnem usum humanæ rationis in Theologia vituperaret, ex humana societate ad belluarum consortia esset relegandus; quippe hominibus non bestiis scriptæ sunt Sacræ Literæ, aliud sensit Reformata Ecclesia ab incunabulis, & innumeris documentis ostendit, quantum sobriæ & modestæ Philosophiæ adminiculo profecerit; proinde omnibus scholis suis tam Philosophos quam Theologos constituit, gnara quantopere domina ministerio ancillæ adjuvetur. Ex infinitis clariſſimus Maresius, quem etiam inter hostes rationis numerare solent, gravem & concinnam orationem de usu rationis in Theologia habuit, quum à magno Riveto Doctoris laurea ornaretur. Ergo si in his non est dissensus, ubi invenietur? In eo forsitan quod alii fallacem velint, alii contra ab hoc nævo absolvant. Verum enim vero, cum omnes non modo rationem finitam agnoscant, sed primi parentis flagitio vitiatam, corruptam, excæcatam, quod nuper in splendida panegyri diligentiſſime ex hoc loco est inculcatum, quis cæcam rationem ab erroris periculo liberet? Si dixeris, ratio quousque ratio est, non decipit, conscientia quousque conscientia est, neque fallit neque falli potest; nam quoties errat & imponit, non ratio est & conscientia, sed delirium, temeritas & præjudicium: ego non sum ita morosus circa verborum apices, & malo ex divinis oraculis dicere; omnes homines post naturam corruptam desipere, non sapere; densa caligine obsitos, meras tenebras esse, non primævam lucem; cor fallax habere, non integrum, impurum, non purum, conscientiam sordidam, non intaminatam; imo religionem & conscientiam idolorum. Si contra disputes: quatenus sapimus non desipimus, intellectus, quatenus vitiata est conscientia non est conscientia, & quæ sunt ejus generis. O lepidam, inquam ego, subtilitatem! scilicet oculus non est oculus, quatenus est cæcus; auris non est surda, quatenus est auris; anima non est anima, quatenus peccat & impingit; Angelus non est malus quatenus est Angelus; ergo neque cæci oculi, neque surdæ aures, neque peccantes animæ, neque mali Angeli reperiuntur. Sanequam recta ratio, illa lampas & imago Dei non fallit, quis hoc neget? nisi fatuus, sed quoties fallit, à rectitudine sua declinat: deinde ubi est illa recta ratio nisi in Deo & cœle-

cœleſtibus? at ratio corrupta perquam fallax eſt; ſi vero rationem appellare nolis, ſed rationis vitium aut defectum, per me licet. Ergo quandoquidem etiam in eo conſentimus, ubi latet diſcordiæ nucleus & medulla? Cum Socino acriter contendimus, ne finita & corrupta ratio fiat credendorum regula, vel quod idem eſt, ne rationi fidamus, ſi illi contradicant Sacræ paginæ. Tam fœdum errorem abominamur omnes, attamen multi, ex noſtris, partim ſcienter, partim incaute & incogitanter Socini veſtigia preſſerunt; quamvis ex hoc fonte ſit omnis religionis depravatio; quod miſer homuncio ſibi plus fidat, quam Deo. Docent Divina Oracula principio rerum omnia ex nihilo eſſe condita; hoc quia finita & vitiata ratio non capit, prodierunt ex noſtris, qui materiam non tantum cum Socino ante mundum fuiſſe docuerunt, ſed etiam quod ex illa juxta naturales leges motus hoc univerſum coaluerit, ad quod ipſe Socinus expaveſceret, & cum urgebantur, id naturaliter ſex dierum ſpatio non potuiſſe accidere, prompte reſponderunt, ſex dies eſſe ſex tempora, ſecula fortean vel ſeculorum myriades, obliti quod divinus Moſes de diebus loquatur per veſperi & mane noctibus contra diſtinctis, & quod dies reliqui ſeptimo Sabbati non fuerint longiores. Quia hiſtoria Moſis de Paradiſo & Cherubinis, flammeo enſe primos parentes noſtros amœniſſimo horto expellentibus, non eſt ad palatum & ingenium ejuſmodi rationalium, Paradiſum in Arabiam felicem, & Cherubinos in Cananitas converterunt. Quia diſplicet, ſingulis animalibus ab Adamo ſua nomina eſſe indita, comminiſcuntur, non in hunc finem omnia bruta eſſe convocata, ſed ut diſpiceret an ullum eſſet inter ea, quod in thalami conſortium poſſet recipere & nomine ſuo appellare, cumque nullum omnino inveniretur, ipſi à Deo Evam eſſe formatam & conjunctam. Quia transformatio uxoris Lothi legibus ſuæ phyſicæ non reſpondet, fingunt, quod terrefacta inſtar lapidis diriguerit, vel quod ſulphureo fumo in itinere ſit ſuffocata, vel quod Sodomam redeundo cum urbe conflagraverit, & poſteritas ad æternam rei memoriam ſtatuam erexerit, quæ propter bitumen interſtratum columna ſalis appelletur. Eadem audacia & ex iiſdem principiis columnam nubis & ignis in aram portatilem ardentem tranſmutarunt, quæ exercitui Iſraelis prælata, die nubem fumi, nocte ignem evomuerit; tranſitum Iſraelitarum per Mare rubrum beneficio fluxus & refluxus attribuerunt; ſtupenda mannæ miracula ita extenuarunt, ut nihil præter rorem naturalem ſupermanſerit. Si quippiam alta voce clamat Sacer Codex, id facit cum variorum Angelorum & Dæmonum hiſtoriam & operationes recenſet; hanc quia Sacra Ratio, ut & operationes mentium in corpora non percipit, in ordinem redigitur Divina Veritas, & parum abeſt, vel more Saducæo omnes Angeli & Dæmones negantur, & ſive Deus, ſive Jeſus Chriſtus, ſive Prophetæ & Apoſtoli aliquid loquantur, eſt craſſa quædam rerum cœleſtium adumbratio, & humana Dei aliqua accommodatio, qua Numen terreno Regi aſſimulatur, ac ſi throno inſideret, & ſtiparetur numeroſo ſatellitio. Dæmones non circumambulant, pelliciunt, vexant & perdunt homines, non ejiciuntur ex obſeſſis, ſed homines miſeri morbo comitiali aliove liberantur, & viri divinitus inſpirati, atque ipſe Dominus noſter Jeſus falſum cum vulgo loquuntur, phantaſiæ conſulunt, non rectæ rationi, quoties hæc peracta eſſe teſtantur; ſcilicet noluit Deus ejuſque Filius & Spiritus, noluerunt divini Vates hæc errorum portenta Eccleſiam docere, verum laus hæc manebat noviſſimo hoc tempore naturales

les Theologos, ut humanum genus erudirent. Nihil clarius videt Catholica Ecclesia in libris divinis, quam Deum, uti unicum ita eundem trinum numero, quodque Pater Filius & Spiritus Sanctus non tantum sint unum, sed unus & unicus; & quod homo hostis Deo factus, & propter scelera exosus ad sanctam & dignam Deo communionem non potuerit redire, nisi per cruentam Filii mortem, quæque nulli salutaris esse potest, nisi afflatu Sancti Spiritus donetur & impleatur. Hoc nullo modo exedere & concoquere vult aut potest Diva Ratio: mysterium Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & quod illi innititur mysterium liberationis sive Christi irridet tanquam stultitiam, estque ipsi perpetua quædam offensatio. Hinc sanniones hæretici Deum Triunum & divinæ vindictæ expiationem exsibilant, quasi Deum triplicem, qui homini legem dedit, quam præstare non poterat, eique transgredienti ita implacabiliter fuit iratus, ut eum cum tota posteritate æternis flammis addixerit; ad se tamen reversum, ut reo parcere posset, in proprium filium ob alienam culpam desæviisse, eumque ad mortem usque contudisse, eo fine ut quisquis crederet ita actum esse, pœnæ relaxationem obtineret, uti totidem fere verbis Wissowatius Socini ex unica filia Agnese nepos Amstelodami pio seni J. Amoso Commenio, injecto manibus ejus pittacio, exprobrabat. Hinc in gremio matris Ecclesiæ Reformatæ, pulchre sibi visi sunt sanctam Triadem explicuisse, cum nudam nominis triplicitatem, hoc est meram Trinitatem Sabellianam traderent, ac Servatoris satisfactionem credere & defendere, cum docerent, ipsum æterno consilio vel æterno rerum ordini satis feciisse, quo pacto & Judas proditor & carnifices ejus Deo satisfecerunt. Hac methodo vernaculus quidam Philosophus nostras delectatur; alium Mattiacum vidi in omnia alia euntem, & in castra Johannis Philoponi transeuntem, & metu Sabelliani erroris aperte ad Tritheitas dilapsum; eodem modo, uti primo Reformationis diluculo Servetus & Gentilis, uterque ut corruptæ rationi obsecundarent, ille Sabellii, hic vero Philoponi deliramenta amplexus est. Sed quis finis tandem foret, si his aliisque recensendis pergerem; ut paucis multa complectar, ita suam rationem depereunt ejusmodi homines, ut nulla miracula, nulla mysteria admittant, quæ suis rationibus non conveniunt, quasi legibus naturæ ita semetipsum adstrinxisset naturæ conditor, ut sine illa, & contra illam nihil velit aut possit, etsi absque illa omnia ex nihilo produxerit. Quod si verum est, nulla omnino dantur miracula, & nihil unquam in mundo fit aut factum est à causis naturalibus alienum, quo pacto pro veritate Christianæ Religionis non major vis est in Christi & Apostolorum miraculis quam in ortu & occasu solis, nihilque fuerint nisi credulorum hominum decipulæ. Hoc est Naturam Matrem adorare & Deum Patrem oblivioni tradere, vel tandem, si non impio conatu naturam cum Deo confundere, imprudenter tamen ejusmodi conatibus ancillari. Si omnes usum rationis laudemus & execrabilem hanc abusionem detestemur, iterum rogo vos, quodnam est, in quo dissentimus? Unicum hoc adjicio, cum Pelagius accusaretur, quod gloriam Deo per sacrilegium eriperet & in hominem conferret, ille conquestus de injuria, respondit, se omnia Deo attribuere & divino auxilio, à quo & in quo sumus, vivimus & movemur: sed Augustinus diligentissime cavit, ne beneficium naturæ cum dono gratiæ confunderetur. Equidem quicquid homo habet, à Deo accepit per creationem, sed hoc lapso homini non sufficit, ut ad Deum redeat, Spiritu Sancto indiget & gratia Redemptoris, peritque in æternum

cum

cum beneficio naturæ, si illa distituatur. Quicunque animam habet, illam certe à Deo habet; si tamen illam tantum habet & non spiritum Dei, ψυχικὸς homo est, non πνευματικὸς, & felicior esset, si nunquam exstitisset; si tandem etiam in eo sincere conspiramus & vires gratiæ à viribus naturæ, spiritum Dei ab anima nostra distinguimus, quæ ergo, iterum exclamo, supereſt litis materia? nulla equidem, nisi sterilis & minus momentosa, certe non major, quam si universalis dubitatio, tot contentionum occasio, nihil sit præterquam quæstio instituta super rebus verissimis, certissimis & compertis ad majorem earum confirmationem, & ut etiam pervicacissimis scepticis satisfiat, quemadmodum nuper magna animi delectatione videbam virum summum differere in Oratione, qua honestissima missione obtenta labores Academicos valere jussit. Ex adverso, si quis suam rationem & sapientiam divinæ opponat, si quis Deum loquentem corrigat, & ipsius oracula ad sua ratiocinia detorqueat; si quis ita ratiocinetur, uti modo corruptores Christianæ religionis facere videbamus; illis si restiterit Petrus Mastrigtius in juventa & senecta, absit à nobis longissime, ut hoc ipsius erroribus & vitiis annumeremus. Ego palam inter ejus laudes pono, & spero me cum illo in illa secta moriturum, & coram Deo verbi sui & Christianæ religionis auctore compariturum. A Christo nato nulla unquam Philosophiæ methodus obtinuit, cujus abusus non nocuerit sacris Christianis. De Platonica nemo dubitat, qui non plane hospes est in antiquitate Ecclesiastica; sequens Aristotelis scholastica barbarie horrida, tam apposita Theologiæ vocabula, quam res ipsas miserabiliter corrupit; novissima nobilis Philosophi Cartesii si magnopere quasdam artes & scientias illustraverit, quicunque tamen negat se videre, quod audacia quædam ingenia illa sint abusi in perniciem Christianæ religionis, ille vel ingenuus non est, & quod oculis cernit suis, se videre negat, vel talpam cæcitate prævertit. Vidit Heidanus, vidit Coccejus, vicinæ Academiæ quondam grandia lumina & interceſſerunt consilio suo anno LXVI; vidit Heideggerus, vidit Suicerus, Tigurini Theologi, sed quales & quanti viri? Ille post tot Synopses, hortante Fabricio, Theologo & Philosopho Palatino eximio, in fine vitæ Medullam Theologiæ composuit, quæ postea in magnum corpus exivit, absque ulla Philosophiæ tam veteris, quam novæ mixtura, in hunc finem, quemadmodum ait: ut surgentia in Ecclesia monstra configeret, quæ ipsi Deo & Verbo ejus cladem minantur; Hic vero, proh dolor, nuper Palatinis Ecclesiis ereptus, quibus gubernandis & instaurandis erat præfectus, in Oratione de intimis, Reformatæ Ecclesiæ terroribus; viderunt omnes præceptores mei, juventæ meæ formatores, in quibus viri maximi Jacobus Altingius & Reinoldus Pauli excelluerunt; viderunt Illustres Hollandiæ Ordines, qui effrænes sophistas sanctissimis legibus non semel coercuerunt; viderunt Præpotentes hujus Civitatis Ordines, Magistratus nobis summe venerabiles, qui laudabili decreto anno quinto nonagesimo sanciverunt, ne quis religionis capita divinæ revelationis ad rationis suæ amussim exigat & componat; vidit totus orbis Christianus, pius sane, & ingemuit.

Sat laudibus defuncti datum esse quis existimet, postquam ejus patriam, genus, ætatem, honores & eruditionem celebravimus; at hæc mera sunt dedecora & splendida vitia nisi accesserit infucatus amor Dei & proximi. Quid prodest de occultis obscurisque rebus arguta disceptatio, quarum ignorantia nobis fraudi non erit in

divino judicio? Quid prodeſt diligentiſſimum eſſe in quæſtionibus movendis & decidendis, ſed in vitiis exſtirpandis & in virtutibus ſerendis negligentiſſimum? Quid prodeſt ardua de Trinitate diſputatio, ſi ſubmiſſione careamus & Trinitati diſpliceamus? Coram tribunali divino aliquando non tam rogabitur doctor Theologus quid legerit, & quam eleganter & concinne dixerit & ſcripſerit, ſed quid egerit & quomodo vixerit. O quantum præſtabit in tremendo illo die peccatorum pœnitentiam ſenſiſſe, quam accuratiſſimam illius definitionem tenuiſſe. Quicunque ſcientiæ vanitate turgent, & Doctorum, Magiſtrorum, Magnorum, Clariſſimorum & Celeberrimorum nomina ambiunt, Chriſtiana charitate vacui, omnium mortalium ſunt ſtultiſſimi & à Deo & cœlitibus explodentur & irridebuntur. Ille demum magnus eſt, qui ſecum habitat, & ſibi parvus eſt, magnamque habet charitatem; ille vere doctus eſt, qui Dei voluntatem exſequitur & negligit ſuam. Jeſum Chriſtum eumque crucifixum noſſe & æſtimare, terrenaque omnia inſtar damnorum & ſtercorum contemnere ſolum amabilis ſcientia eſt. Jehovam revereri hoc demum eſt ſapere, & à malo diſcedere, hoc unum eſt intelligere. Si igitur noſtri defuncti pietatem non vindicavero, omnis laus mea vituperium eſt; contra ſi illam ipſi aſſeruero, jam ultimam gloriæ lineam abſolvit. Unicus eſt inter Reformatos Doctores, quos novi, qui nomine & titulo Profeſſoris Theologiæ Practicæ eſt inſignitus; unus ille Corpus Theologiæ Practicæ edidit, in hoc genere ſcribendi omnibus anteferendum: Verum quam formam Chriſtianorum moribus formandis fabricavit, ad illam ipſe ſemetipſum tota vita compoſuit. Non prædico omnimodam ejus perfectionem, quæ in hoc ſeculo à piis deſideratur, in futuro poſſidetur, in multis impingimus omnes: homo erat, à quo nihil humani erat alienum; ſed ſi optimus eſt, qui minimis urgetur; ſi vere pius eſt, qui integer coram Deo ambulat & aſſiduo ſtudio conſtanter pius eſſe cupit, illi abſque ulla hæſitatione pietas aſſcribenda eſt, qui ei à puero ad ultima fata fuit intentus. Teſtor pios omnes, qui ipſum norunt, teſtor impios, uti ejus & pietatis, ita ipſius Dei hoſtes, an non inter pios eminuerit? Quam caſte ſemper & ubique cælibem vitam tranſegerit, non modo ſine crimine, ſed criminis ſuſpicione; quam ſancte & inculpate domi ſuæ vixerit, quam religioſe attenderit ad quotidiana pietatis exercitia, eaque minus neglexerit quam nocturnam quietem, prandium & frugaliſſimam cœnulam, comperti ſunt illius familiares: Quo zelo cultui publico interfuerit, vidimus omnes: Cum poſtremo hoc anno propter virium decrementum publicas prælectiones intermitteret, & in Senatu Academico non compareret, privatis denique officiis omnibus abſtineret, conſtantiſſime tamen ſacris templis adhæſit. Ubicunque fuit & vixit magno animo, contemtis præmiis & pœnis, quæ oſtendebantur, tam acrem vitiorum hoſtem ſe præſtitit, quam errorum domitorem. Legi multa de ipſo magnifica teſtimonia Doctorum, Paſtorum, Claſſium, Synodorum, Eccleſiarum, Academiarum à prima lanugine ad hanc ſenectam, ſed nullum omnino, in quo ſingularis ejus pietas ad exemplum non commendetur: ubi rerum teſtimonia adſunt quid verbis opus eſt? Uti autem vitæ exordio medium, ita medio finis reſpondit: hoc mecum intelligetis, ſi pace veſtra paucis adhuc verbis liceat poſtrema ejus fata depingere. Jam dudum gravis annis, variis morbis multoque labore fractus, horam ultimam exſpectabat; tandem die Veneris III. Kal. Februarii, cum veſpertino tempore per gradus lapideos in culinam deſcenderet, repentino

tino casu in pavimentum decidit, sive cerebri vertigine detrusus, cujusmodi debilitatem ante sæpius fuerat expertus, sive claudicantis pedis vitio, sive alia causa, procul dubio divina providentia. Inflixerat autem vulnus eidem pedi debiliori & eodem loco, ubi illum cataplasmate, unguento Noribergensi illito, confirmare & fovere solebat; sed hoc uti ipse non sensit, ita sero indicavit. Cum ad se rediret, corpusculum febris & pedem gangræna invasit: etsi vero doctissimi & expertissimi medici Leusdenus collega noster cum doctore Wagtendorpio, atque ipse Zypensteinius, vir Consularis, qui in arte medica consenuit, Principibus etiam atque Regibus adhibitus est, omnem operam impenderent, ut convalesceret, & feliciter non modo febriculam & dolores sinistri lateris superassent, sed etiam gangrænam vulneris stitissent, ne latius serperet; attamen pedetentim, deficiente vitæ fomite, die Martis IV. Id. Februarii hora nona vespertina placide extinctus est. Longum esset omnia pietatis documenta narrare, quæ durante ultimo morbo prodidit, dicam tantum, quid me præsente contigerit, sive cum officii causa accederem, sive semel atque iterum rogatus cum aliis, quibus juxta mecum ultimæ voluntatis exsequendæ tabulas crediderat. Memorabile est, cum die Dominico Petrus Eindhovius non tantum canitie, sed doctrina & sanctitate venerabilis, aliquot annis defuncto major, cognominem & coætaneum animam agentem cum universa Ecclesia fervidissimis precibus Deo commendaret, atque dimisso cœtu præter Cl. Collegas Leidekkerum & Luitsium ego ad moribundi lectum accederem flexisque genibus ipsi aliisque præsentibus precando præirem, quod voce, gestu & ingeminato amen, amen, orationem comprobaverit. Peractis sacris palam professus est, se immori doctrinæ quam docuisset, & jam ad supremi judicis tribunal tendere, ut de eadem ipsi rationem reddat; porro & hoc altissima voce addidit, se nullo loco & numero habere veritatis defensionem, quam sincera pietas & vitæ sanctitas individuo nexu non comitetur. Eodem tempore divinam providentiam laudabat in præterito casu, & promptissimum voluntatis suæ obsequium significabat statim abeundi, vel etiam manendi, adjecitque, se iterum velle cadere & omnia alia mala, quæ unquam fuerat perpessus, subire, si ita cœlesti Patri summo rerum suarum & aliarum arbitro placeret, absque ullo gemitu & doloris vel mæroris indicio: Cujusmodi constantiam etiam ostendit, cum anno LXXXII. iliaca passione torqueretur, & metus esset, ne intestina evomeret, (quo morbo Rivetus periit, nunquam absque laude memorandus, quantumvis viscerum vomitum divina manus prohibuerit, ne os purissimum, ex quo manassent suavissima orationum & verborum eloquia proprio stercore inquinaretur, prout Crucius medicus tametsi religione Romanensis testatur) nam toto ejusdem morbi tempore neque conquestus est neque ingemuit, donec alvum laxam divino beneficio recuperaret illo ipso momento, quo ecclesia publice Deo supplicabat pro ipsius salute; cumque paulo post quadantenus convalesceret, & vix cubiculo exeunti fasces Academiæ traderentur, in gratiarum actione ampliissimis Consulibus facta, quam vidi, utriusque inexspectati divini beneficii majoris & minoris mentionem facit, & superaddit ad laudem optimi & maximi Triunius Dei, quod in maximo tam dolorifici morbi impetu tanto gaudio sit perfusus, tantoque divinæ communionis lumine & solatio, ut ne minimæ quidem febriculæ aculeos senserit; cujusmodi pauciissimorum hominum privilegia in martyribus solemus admirari. Denique cum quique

Non Germanorum pubes, non Franca juventus,
Incola longinqui non utriuſque poli
Trajectum veniet, facundi ut pulpita Vrieſi
Cingat, & à tanti pendeat ore viri!
Doctrina ſi forte pares viditque priores,
Huic dabit aſſiduo nemo labore parem.
Quis Doctor virtutis erat ſtudioſior ipſo?
Et tanta coluit quis pietate Deum?
Quem non à ſancti deflexit tramite verbi
Naturæ Ratio deſipientis opus:
Nunquam aberat ſacris templis, inſtructa domique
Semper erat fumans ara focuſque Dei.
Criminis ullius celebrata lege Catonis
Non aliis veniam, non dabat ille ſibi.
Uni parcus erat ſibi, nullis parcus amicis,
Inque loco nummos ſpernere doctus erat.
Si quid erat miſeris dandum, manus ampla ſupremis
Principibus patriæ noluit eſſe minor.
Adde quod ornarit cælebs caſtiſſimus ultro
Perpetua vacuum virginitate thorum.
Sed collare meo brevius, breviorque capillus,
Inquis, & hæc facies, vox quoque fucus erat.
Ille dolorifico conſtans patientia morbo,
Ille Dei conſtans fervidus ignis amor,
Et lachrymis mixtæ lachrymæ prope tempora mortis
Ad Chriſtum calidis votaque mixta meis
Sinceræ & puræ mentis ſunt pignora certa:
Fallere pigmentis vox moribunda nequit.
Verum præclaris aliquid ſi dotibus aufers,
Si famæ & meritis noxius eſſe cupis;
I procul, invidiam ridendo doctior orbis
Arguet iratus, vindiciaſque dabit:
Arguet auditor gratus, ſeu longius abſit,
Seu noſtro vivat proximus ille ſolo:
Arguet Illuſtris tota cum plebe Senatus,
Laude vehit civem qui ſuper aſtra ſuum.
Ergo quid impingo metuam ſi fata Licei,
Poſt alios Vrieſium cum ſua fata vocent.
At ſocii radians lux, & ſpes urbis & orbis,
Doctores calamo nec minus ore graves,

Pergite difficili ſtudio duroque labore,
Et fatis longas injicitote moras.
Defunctique locum quia ſupples docte Serari
Felix ingenii pande talenta tui.
Fatorum imprimis Moderator & arbiter omen
Aufer, & afflictis ocius adfer opem:
Cunctorum ſenſim pereuntes ſuffice vires,
Suffice tam juvenum, quam Deus alme ſenum.
Sæpe renaſcatur Trajecti Grævius Heros,
Læta fluant Grævi tempora ſæpe, precor.
Et Trajectinam tua Vrieſi lingua cathedram
Impleat, & redeant tempora ſæpe tua.

IN
EFFIGIEM
OPERI PRÆFIXAM.

Cernere ſi MAGNI, multa gravitate *decora*,
Ora VIRI, cupias, *hæc* tibi *Charta* dabit.
Quam ſtudio *veri*, ſimul & *virtutis* amore,
Ardeat: hoc *ſcripti pagina* quæque docet.
En tibi ſic *animo*, pariter ſic *corpore* notus,
VIR qui communi vovit *utrumque* bono,

In utrumque carmen Præceptori meritisſimo accinui lubens,

GUILIELMUS MULLER.
SS. Theol. Stud.

INDEX CAPITUM.

Liber Primus, de præcognitis Theologiæ.

1. De Theologia. Text. 1 Tim. cap. VI. verſ. 2. 3. pag. 1
2. De Scriptura. Text. 2 Tim. III. 16. 17. 17
3. De diſtributione Theologiæ. Text. 1 Tim. X. 13. 47

Liber Secundus, de fide in Deum triunum.

1. De fide ſalvifica. Text. Joh. I. 12. 50
2. De exiſtentia & cognitione Dei. Heb. XI. 6. 65
3. De eſſentia & independentia Dei. Exod. III. 13. 14. 76
4. De nominibus Dei. Exod. III. 15. 85
5. De attributis Dei in genere. Exod. XXXIII. 18. 23. 92
6. De ſpiritualitate & ſimplicitate Dei. Joh. IV. 24. 98
7. De immutabilitate Dei. Jacob. I. 17. 107
8. De unitate Dei. Deut. VI. 4. 111
9. De infinitate & magnitudine Dei. Pſal. CXLV. 3. 117
10. De immenſitate & omnipræſentia Dei. Pſal. CXXXIX. 7--11. 121
11. De æternitate Dei. Pſal. XC. 1. 2. 127
12. De vita & immortalitate Dei. Joh. V. 26. 134
13. De intellectu, ſcientia & ſapientia Dei. Rom. XI. 33. 34. 142
14. De veracitate & fide Dei. Rom. III. 3. 4. 152
15. De voluntate & affectibus Dei. Pſal. CXV. 3. 157
16. De bonitate Dei. Matth. XIX. 17. 170
17. De amore, gratia, miſericordia, longanimitate & clementia Dei. Exod. XXXIV. 6. 177
18. De juſtitia Dei. Pſal. CXIX. 137. 192
19. De ſanctitate Dei. Levit. XIX. 2. 201
20. De poteſtate & potentia Dei. Eph. III. 20. 21. 208
21. De omniſufficientia & perfectione Dei. Gen. XVII. 1. 219
22. De majeſtate & gloria Dei. Jeſ. XLII. 8. 225
23. De beatitudine Dei. Pſal. XVI. 11. 231
24. De SS. Trinitate. 2 Cor. XIII. 13. 235
25. De Deo Patre. Eph. III. 14. 15. 246
26. De Deo Filio. Pſal. II. 7. 8. 250
27. De Deo Spiritu S. Joh. XIV. 26. 261

Liber Tertius; de operationibus Dei.

1. De actionibus & decretis Dei. Eph. I. II. 272
2. De prædeſtinatione. Rom. IX. 22. 23. 281

3. *De Electione. Eph.* 1. 4. 5. 6. 290
4. *De reprobatione. Jud. vſ.* 4. 301
5. *De creatione in genere. Gen.* 1. 1. 311
6. *De mundo & opere ſex dierum. Exod.* XX. 11. 319
7. *De Angelis bonis. Heb.* 7. 7. 339
8. *De malis Angelis. Jud. vſ.* 6. 352
9. *De homine & imagine Dei. Gen.* 1. 26. 27. 28. 29. 365
10. *De providentia Dei generali. Rom.* XI. 36. 388
11. *De providentia ſpeciali. Deut.* XXX. 16. 17. 18. 404
12. *De fœdere naturæ. Gen.* II. 16. 17. 413

LIBER QUARTUS, de hominis apoſtaſia á Deo.

1. *De violatione fœderis naturæ. Gen.* III. 1--7. 427
2. *De peccato originali. Rom.* V. 12. 441
3. *De peccato actuali. Jac.* 1. 13, 14, 15. 458
4. *De pœna & ſtatu peccati. Rom.* VII. 24, 25. 472

LIBER QUINTUS, de redemptione Chriſti.

1. *De fœdere gratiæ. Gen.* III. 15. 489
2. *De Mediatore fœderis gratiæ. Heb.* IX. 15. 522
3. *De nominibus Mediatoris. Act.* XV. 26. *ibid.*
4. *De perſona Mediatoris. Joh.* 1. 14. 535
5. *De Trinitate officii Mediatorii. Heb.* III. 1. 550
6. *De Mediatore Propheta. Deut.* XVIII. 15. 554
6. *De Mediatore Pontifice. Pſal.* CX. 4. 562
8. *De Mediatore Rege. Pſal.* II. 6. 575
9. *De Mediatoris humiliatione. Phil.* II. 6. 7. 8. 587
10. *De Mediatoris incarnatione. Luc.* 1. 35. 596
11. *De Mediatoris vita. 2 Cor.* IV. 10. 615
12. *De Mediatoris morte. Matth.* XXVII. 29--51. 635
13. *De Mediatoris deſcenſu. Pſal.* XVI. 9. 10. 658
14. *De Mediatoris exaltatione in genere. Phil.* II. 9. 10. 11. 668
15. *De Mediatoris reſurrectione. Marc.* XVI. 9. 676
16. *De Mediatoris aſcenſione. Act.* I. 11. 691
17. *De Mediatoris ſeſſione ad dextram Dei. Eph.* 1. 20. 21. 22. 702
18. *De ipſa Mediatoris redemtione. Matth.* XX. 28. 710

LIBER SEXTUS, de redemptionis applicatione.

1. *De natura applicationis. 1 Pet.* 1. 2. 737
2. *De redimendorum vocatione. 1 Pet.* II. 9. 747
3. *De redimendorum regeneratione. Joh.* III. 5. 757
4. *De redimendorum converſione. Jer.* XXXI. 18. 19. 774
5. *De redimendorum unione cum Chriſto. 1 Cor.* 1. 30. 789

6. *De redimendorum justificatione. Rom.* III. 22--27. 799
7. *De redimendorum adoptione.* I *Joh.* III. I. 823
8. *De redimendorum sanctificatione.* I *Thess.* V. 23. 832
9. *De redimendorum glorificatione. Rom.* VIII. 39. 855

LIBER SEPTIMUS, de Ecclesia & ecclesiasticalibus.

1. *De natura Ecclesiæ. Eph.* V. 25. 866
2. *De Ecclesiæ Ministris. Eph.* IV. II. 12. 885
3. *De Ecclesiæ Sacramentis in Genere. Gen.* XVII. II. 907
4. *De Sacramentis regenerationis. Col.* II. 12. 915
4. *De Sacramentis nutritionis. Marc.* XIV. 22. 23. 24. 928
6. *De Ecclesiæ disciplina. Matth.* XVI. 19. 945
7. *De Ecclesiæ gubernatione.* I *Tim.* V. 17. 955

LIBER OCTAVUS, de dispensatione fœderis gratiæ.

1. *De dispensatione sub Patriarchis. Eph.* I. 9, 10. 963
2. *De dispensatione sub Mose. Deut.* V. 2. 992
3. *De dispensatione sub Christo. Jer.* XXXI. 31---35. 1039
4. *De dispensatione sub æternitate. Apoc.* VII. I. *usque ad cap.* XI. 1101

Idea Theologiæ Moralis.

LIBER PRIMUS, de Observantia fidei in genere.

1. *De obedientia fidei, & obedientia.* 1103
2. *De studio & neglectu legis.* 1203
3. *De cura & neglectu conscientiæ.* 1204
4. *De scientia & ignorantia.* 1205
5. *De humilitate & superbia erga Deum.* 1205
6. *De timore & vilipendio Dei.* 1206
7. *De zelo & tepiditate.* 1207
8. *De sinceritate & hypocrisi.* 1208
9. *De virtute & vitio.* 1209
10. *De prudentia & imprudentia.* 1210
11. *De vigilantia & somnolentia.* 1211
12. *De fortitudine & infirmitate.* 1212
13. *De confidentia & timiditate.* 1213
14. *De constantia & levitate.* 1214
15. *De patientia & impatientia.* 1215
16. *De temperantia & intemperantia.* 1216
17. *De actione bona & mala.* 1217

INDEX CAPITUM.

Liber Secundus de Religione.

1. *De pietate & impietate.* 1219
2. *De fide & incredulitate.* 1221
3. *De professione & abnegatione fidei.* 1222
4. *De spe & desperatione.* 1223
5. *De charitate & odio Dei.* 1224
6. *De auditione & neglectu verbi divini.* 1226
7. *De precationis exercitio & neglectu.* 1228
8. *De confessione & suppressione peccatorum.* 1230
9. *De votorum usu & abusu.* 1232
10. *De juramento & perjurio.* 1235
11. *De communione cum Deo, & alienatione ab eo.* 1236
12. *De cultu instituto, & superstitione.* 1238
13. *De Sabbathi sanctificatione & prophanatione.* 1240

Liber Tertius de justitia & injuria versus proximum.

1. *De justitia versus proximum in genere, & injuria.* 1243
2. *De charitate & malevolentia versus proximum.* 1245
3. *De honore & vilipendio proximi.* 1247
4. *De humanitate & homicidio.* 1249
5. *De castitate & luxuria.* 1251
6. *De justitia commutativa, & furto.* 1253
7. *De veracitate & mendacio.* 1255
8. *De contentatione & concupiscentia.* 1257

Hypotyposis Theologiæ Ascetica, de exercitio pietatis.

Liber Primus, de praxi pietatis in genere.

1. *De natura praxeos pietatis, & inertia spirituali.* 1260
2. *De progressu in praxi pietatis, & satietate.* 1261
3. *De praxi impietatis ejusque abnegatione.* 1263

Liber Secundus, de praxi pietatis erga Deum.

1. *De agnitione & rejectione Dei.* 1264
2. *De quæsitione & fuga Dei.* 1265
3. *De complacentia & displicentia in Deo.* 1266
4. *De ambulatione, & aberratione à Deo.* 1268
5. *De benevolentia, & malevolentia versus Deum.* 1271
6. *De cultu Dei privato in glorificatione ejus & blasphematione ejus.* 1272
7. *De cultu Dei publico & ecclesiastico.* 1272
8. *De cultu domestico, ejusque neglectu.* 1274
9. *De cultu quotidiano, ejusque neglectu.* 1275

* *

10. *De*

10. *De cultu Dei in jejunio.* 1277
11. *De cultu eucharistico.* 1278
12. *De examinatione sui ipsius, ejusque neglectu.* 1279

LIBER TERTIUS; de praxi pietatis versus proximum.

1. *De solitudinis usu, & abusu.* 1281
2. *De conversatione cum proximo, pia & impia in genere.* 1282
3. *De conviviorum usu, & abusu.* 1285
4. *De commercio justo & injusto.* 1286
5. *De conversatione cum afflictis, per consolationem, ejusque neglectu.* 1288
6. *De reprehensione lapsi, & communione cum peccatis ejus.* 1290
7. *De conversatione cum bonis, per amorem & amicitiam.* 1293
8. *De conversatione cum malis & inimicis.* 1294
9. *De conversatione inter superiores, inferiores & aequales.* 1296

LIBER QUARTUS, de praxi pietatis versus semetipsum.

1. *De certa vitæ occupatione, & otio.* 1300
2. *De alimentorum usu & abusu.* 1302
3. *De vestitus usu & abusu.* 1304
4. *De recreationum usu, & abusu.* 1305
5. *De prosperitatis usu & abusu.* 1307
6. *De mundi & mundanorum usu & abusu.* 1308
7. *De rerum humanarum varietate.* 1310
8. *De crucis tolerantia & abusu.* 1312
9. *De tentationum usu, & abusu.* 1314
10. *De cruce corporali, ejusque solatio.* 1317
11. *De confusis & melancholicis terroribus.* 1318
12. *De suggestionibus blasphemicis.* 1319
13. *De desertionibus spiritualibus.* 1320
14. *De dubitationibus varii generis.* 1322
15. *De officiis pietatis circa mortem.* *ibid.*

METHODICA DISPOSITIO

Totius operis

Indicis analytici, quem priori editioni ſubjunximus, neceſſitatem excludit, Index rerum & verborum hujus editionis, utpote in quo, ejus contenta, facilius occurrent quærenti, pro eo habes methodicam hanc totius operis diſpoſitionem.

Abſolvitur Theologia univerſa.
I. *Procognitis* tribus, de:
A. *Natura* Theologiæ. lib. prim. cap. 1.
B. *Principio* ejuſdem, ſeu Scripturâ. 2.
C. *Diſtributione* in partes ſuas. 3.
II. *Syſtemate*, quo explicatur:
A. *Fides*, quoad ejus:
1. Naturam. lib. ſecund. cap. 1.
2. Objectum primarium, Deum, quoad ejus:
א. *Exiſtentiam* & cognitionem. 2.
ב. *Eſſentiam* imperceptibilem, in independentiâ, quæ innoteſcit: 3.
1. *Nominibus* divinis. 4.
2. *Attributis*, de quibus agitur:
A. In *genere*, 5.
B. In *ſpecie*, quoad attributa:
α. *Primitiva*, quibus repræſentatur:
1. *Quid* ſit Deus, nim. Spiritus à ſe, hîc de: 6.
a. *Spiritualitate* & ſimplicitate Dei, 7.
b. *Immutabilitate*.
2. *Quantus* ſit. Quantitate: 8.
1. *Diſcretâ*, Hîc *unitas* Dei.
2. *Continuâ*, quæ conſideratur:
a. *Abſolutè*, in *infinitate*. 9.
b. *Relativè*, ad:
1. *Ubi*, ſeu præſentiam, dicitur *immenſitas*. 10.
2. *Durationem*, dicitur *æternitas*. 11.
3. *Qualis* ſit Deus. Hîc explicatur:
A. *Vita* & *immortalitas* Dei. 12.
B. *Intellectus* ejus. Ibique *Omniſcientia*. 13.
C. *Voluntas*. Hujus explicatur:
α. *Actus*, in quibus ſunt *affectus* ejus. 15.
β. *Virtutes*, per quas conſideratur, ut:
1. *Appetibilis* in ſe. Hîc *bonitas*. 16.
2. *Communicativus* ſui, per quam eſt.
a. *Propenſus* in ſuos, in gratiâ, miſericordiâ, patientiâ &c. 17.
b. *Agens* ſecundum *regulam*: *juſtitiâ*. 18.
c. *Purus* in ſe, hæc eſt *ſanctitas*. 19.
D. *Poteſtas* & *potentia*, ſeu omnipotentia. 20.
β. *Derivativa*: nim. 1. *Omniſufficientia* & perfectio. 21.
2. *Majeſtas* & gloria. 22.
3. *Beatitudo*. 23.
ב. *Subſiſtentiam*. Ubi agitur:
א. De *Trinitate* perſonarum in genere. 24.

ב. De *personis* Trinitatis: 1. *Patre*, 25.
2. *Filio*, 26.
3. *Spiritu S.* 27.

ג. *Efficientiam*, de qua agitur:
1. In *genere*,
2. In *specie*, de operationibus Dei:
א. *Internis* seu *decretis*. Horum repræsentatur:
a. *Natura* generalis. lib. tert. cap. 1.
b. *Partes* seu species, puta:
Prædestinatio in genere. 2.
1. *Electio*, 3.
2. *Reprobatio*. 4.
β. *Externis*, in quibus est:
A. *Creatio*, Hujus notantur:
1. *Productio* generalis, seu natura. 5.
2. *Producta* seu creaturæ: cum
a. *Irrationales*. 1. Mundus,
2. Cœli,
3. Terra. 6.
b. *Rationales:* nim.
א. *Angeli*: 1. *Boni*, 7.
2. *Mali*. 8.
ב. *Homines*, eorumque: 1. *Creatio*.
2. *Præstantia*, in imagine Dei. 9.
B. *Providentia* duplex:
1. *Physica*, seu generalis: 10.
2. *Ethica*, seu specialis, circa hominem in triplici ejus statu:
א. *Naturæ*, ubi *fœdus operum*: 11.
β. *Peccati*. ubi notatur:
a. *Violatio* fœderis operum, lib. quart. cap. 1.
b. *Consectaria* violationis, scil.
1. *Peccatum*: א. *Originale*. 2.
β. *Actuale*. 3.
2. *Pœna* & *status* peccati. 4.
ג. *Gratia*, ubi agitur:
A. De *redemptione*, ejusque:
1. *Normâ*, in fœdere *gratiæ*. lib. quint. cap. 1.
2. *Procuratore* Christo, quoad ejus:
a. *Nomina*, 2.
b. *Personam*, 3.
c. *Munus*, cujus tenendâ:
א. *Trinitas*, 4.
ב. *Functio* triplex: 1. *Prophetica*. 5.
2. *Sacerdotalis*, 6.
d. *Status* duplex: 3. *Regia*. 7.
א. *Humiliationis*, cujus traduntur:
1. *Natura* generalis, 8.
2. *Gradus* quatuor: A. *Incarnatio*, 9.
B. *Vita*, 10.
C. *Mors*, 11.
D. *Descensus*. 12.
β. *Exaltationis*, hujus traditur:
א. *Natura* in genere: 13.
ב. *Gradus*: 1. *Resurrectio*, 14.
2. *Ascensio*, 15.
3. *Sessio ad dextram*. 16.
3. *Procuratione* seu *redemtione*. 17.

B. De *applicatione* redemtionis, ejusque:
1. *Naturâ* in genere. lib. sext. cap. 1.
2. *Actibus* α. *Vocatione*, 2.
β. *Regeneratione*, 3.
γ. *Conversione.* 4.
3. *Fundamento*, *unione* cum Christo, 5.
4. *Beneficiis* applicatis: a. *Justificatione.* 6.
b. *Adoptione*, 7.
c. *Sanctificatione*, 8.
d. *Glorificatione.* 9.
5. *Subjecto*, Ecclesiâ, lib. sept. cap. 1.
6. *Instrumentis* applicationis, puta:
A. *Ministerio* verbi, 2.
B. *Sacramentis*,
1. *Generationis* spiritualis, 3.
2. *Nutritionis.* 4.
C. *Disciplinâ* Ecclesiastica, 5.
D. *Gubernatione* Ecclesiæ. 6.
7. *Dispensatione* variâ nim.
α. Sub *Patriarchis*, lib. octav. cap. 1.
β. Sub *Mose*, 2.
γ. Sub *Christo.* 3.
δ. Sub *æternitate.* 4.

B. *Observantia*, quæ occupatur, circa:
✱. *Moralia*, de virtutibus, eisque oppositis vitiis, per libros tres, nim.
α. *Generaliter* de observantiâ fidei, cujus explicatur.
1. *Natura*, quoad:
A. *Obedientiam*, ejusque: a. *definitionem.* b. *distributionem.* c. *affectiones.* d. *notas.* e. *studium*, ubi tenenda ejus: origo, bona, adminicula.
B. *Inobedientiam*, ejusque: a. Naturam & actus. b. mala. c. sanationem, quæ habet; d. causas, & e. remedia. lib. prim. cap. 1.
2. *Norma* duplex:
✱. *Primaria*, lex Dei, ejusque:
1. *Usus*, & hîc ejus: a. Natura. b. Distributio. c. Obligatio. d. Studium, ejusque. e. Actus. f. Bona. & g. Affectiones.
2. Neglectus, ejusque: a. Natura. b. Mala. c. Causæ. d. Remedia. 2.
3. *Secundaria*, conscientia, ejusque:
α. *Cura*, hujusque: a. Natura. b. Species. c. Cura. d. Actus curandi. e. Bona. f. Adminicula.
β. *Neglectus*, ejusque: a. Vitia. b. Mala. c. Causæ. d. Remedia. 3.
3. *Affectiones*, respectu:
A. *Intellectus.* Ubi:
α. De *scientiâ*, ejusque: a. Natura. b Distributione. c. Notis. d. Bonis. e. Studio.
β. *Ignorantiâ*, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 4.
B. *Voluntatis*, in quâ est:
1. *Humilitas* erga Deum, ejusque: a. Natura. b. Distributio. c. Notæ. d. Bona. e. Adminicula.
2. *Superbia*, ejusque; a. Natura. b. Causæ. c. Mala. d. Remedia. 5.
C. *Affectuum*, ubi agitur, de:
✱. *Timore* & *vilipendio* Dei, peculiariter de:
1. Timore, ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
2. *Vilipendio* Dei, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 6.
2. *Zelo* & *tepiditate.* Hîc agitur, de:

α. *Zelo*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
β. *Tepiditate*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis.

D. Totius *hominis*, *sinceritate* & *hypocrisi*. 7.
1. *Sinceritatis* traditur: a. Natura. b. Distributio. c. Notæ. d. Bona. e. Media.
2. *Hypocriseos*: a. Natura. b. Mala. c. Causæ. d. Cura: 8.

4. *Partes*, nim.
α. *Virtus* & *vitium*. Hîc occurrit:
1. *Virtus*, ejusque: a. Natura. b. Distributio. c. Notæ. d. Bona. e. Media.
2. *Vitium*, ejusque: a. Natura. b. Mala. c. Causæ. d. Remedia. 9.
β. Virtutis *affectiones*, nim.
א. *Prudentia* & *imprudentia*. Hîc explicatur;
1. *Prudentia*: a. Natura. b. Distributio. c. Bona. d. Media.
2. *Imprudentia*: a. Natura. b. Notæ. c. Mala. d. Causæ. e. Remedia. 10.
ב. *Vigilantia* & *somnolentia*. Peculiariter:
1. *Vigilantia*, ejusque: a. Natura. b. Distributio. c. Bona. d. Adminicula.
2. *Somnolentia*, ejusque: a. Natura. b. Mala. c. Causæ. d. Remedia. 11.
ג. Fortitudo; de quâ agitur:
1. In *genere*. Ibique:
α. De *fortitudine*, ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
β. *Infirmitate*: ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 12.
2. In *specie*, nim. de:
A. *Confidentiâ* & *timiditate*. Hîc de:
1. *Constantiâ*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Bonis. d. Mediis.
2. *Timiditate*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 13.
B. *Constantiâ*, & *levitate*. Singulatim de:
1. *Constantiâ*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Bonis. d. Mediis.
2. *Levitate*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 14.
C. *Patientia* & *impatientia*. Nominatim de:
1. *Patientia*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
2. *Impatientia*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 15.
ד. *Temperantia* & *intemperantia*. Singulatim, de:
1. *Temperantia*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
2. *Intemperantia*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 16.
ה. *Actio bona* & *mala*. Nominatim:
1. *Bona*, ejusque: a. Natura. b. Distributio. c. Bona. d. Modus operandi.
2. *Mala*. seu peccatum, ejusque: a. Natura. b. Mala. c. Causæ. d. Remedia. 17.
β. *Specialiter*, nim. de:
1. *Religione*. Nominatim de:
א. *Pietate* & *impietate*. Singulatim de:
α. *Pietate*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Bonis. d. Mediis.

β. *Im-*

β. *Impietate*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. lib. ſecund. c. 1.
ב. *Fide* & *incredulitate*. Nominatim de:
A. *Fide*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
B. *Incredulitate*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 2.
ג. *Profeſſione* & *abnegatione* fidei. Nominatim de:
1. *Profeſſione*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis. d. Affectionibus.
2. *Abnegatione*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 3.
ד. *Spe* & *deſperatione*. Nominatim de:
α. *Spe*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
β. *Deſperatione*, ejuſque. a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 4.
ה. *Charitate* & *Odio* Dei. Singulatim:
1. *Charitate*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
2. *Odio*, ejuſque, a. Natura. b. Malis c. Cauſis. d. Remediis. 5.
ו. *Auditione* & *neglectu* verbi divini. Nominatim de:
α. *Auditione*: ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
β. *Neglectu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 6.
ז. *Precatione*, ejuſque *neglectu*. Singulatim:
1. *Precatione*; ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis. d. Modo. e. Adminiculis.
2. *Neglectu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 7.
ח. *Confeſſione* & *ſuppreſſione* peccatorum. Nominatim:
α. *Confeſſione*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis. d. Affectionibus. e. Adminiculis.
β. *Suppreſſione* peccatorum, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 8.
ט. *Votorum*, uſu & abuſu. Singulatim:
1. *Uſu*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis. d. Modo.
2. *Abuſu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 9.
י. *Juramento* & *perjurio*. Nominatim:
α. *Juramento*, ejuſque; a. Natura. b. Diſtributione. c. Uſu.
β. *Perjurio*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 10.
כ. *Sortis* uſu & abuſu. Nominatim de:
1. *Sorte*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Uſu.
2. *Abuſu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 11.
ל. *Communione* cum Deo, & *alienatione* ab eo. Singulatim:
A. *Communione*. ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Notis. d. Bonis e. Mediis.
B. *Alienatione*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 12.
מ. *Cultu* Dei *inſtituto*, & *ſuperſtitione*. Singulatim:
1. *Cultu*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis. d. Exercitio.
2. *Superſtitione*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 13.
נ. Cultus inſtituti *uſu* & *abuſu*. Nominatim:
α. *Uſu*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis.
β. *Abuſu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 14.
ס. *Sabbathi Sanctificatione* & *profanatione*. Singulatim:
1. *Sanctificatione*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Sanctificatione, d. Bonis.
2. *Profanatione*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 15.
2. *Juſtitia* & *injuria* verſus proximum. Nominatim:
A. *Juſtitia* & *injuria* in genere. Singulatim:
α. *Juſtitia*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis.
β. *Injuria*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. lib. tert. cap. 1.
B. *Charitate* & *malevolentia* verſus proximum. Nominatim de:
1. *Charitate*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Notis. d. Bonis. e. Mediis.
2. *Malevolentia*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 2.
C. *Honore* & *vilipendio* proximi. Singulatim:
α. *Honore*, ejuſque: a. Natura. b. Diſtributione. c. Bonis. d. Adminiculis.
β. *Vilipendio*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 3.
D. *Humanitate* & *homicidio*. Nominatim:

1. *Humanitate*, ejusque: a. Naturâ. b. Distributione. c. Bonis. d. Adminiculis.
2. *Homicidio*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis.

E. *Castitate & luxuria.* Singulatim de:
α. *Castitate* ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Bonis. d. Adminiculis.
β. *Luxuria*, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis.

F. *Justitia commutativa & furto.* Nominatim.
1. *Justitia*, ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Bonis. d. Adminiculis.
2. *Furto*, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis.

G. *Veracitate & mendacio.* Singulatim:
α. *Veracitate*, ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Bonis. d. Mediis.
β. *Mendacio*, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis.

H: *Contentatione & concupiscentia.* Nominatim:
1. *Contentatione*, ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Bonis. d. Mediis.
2. *Concupiscentia*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Causis. d. Remediis.

3. *Ascetica*, de exercitio virtutum, seu praxi pietatis & impietatis, per libros quatuor. Nim.

A. *Generaliter*, Nominatim:
1. De *natura praxeos* pietatis & *inertia.* Singulatim:
α. *Pietatis praxi*, ejusque: a. Naturâ. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Impietatis*, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. lib. prim. cap. 1.
2. *Progressu* in praxi pietatis & *satietate.* Singulatim:
1. *Progressu*, ejusque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis
2. *Satietate* spirituali, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 2.
3. *Praxi impietatis*, ejusque *abnegatione.* Singulatim:
α. *Praxi impietatis*, ejusque a. Natura. b. Malis. c. Causis.
β. *Abnegatione* impietatis. 3.

B. *Spiritualiter:* de praxi pietatis:
א. Versus *Deum.* Ubi agitur de:
1. *Agnitione & rejectione* Dei. Singulatim:
α. *Agnitione*, ejusque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Rejectione* Dei, ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. lib. secund. cap. 1.
2. *Quæsitione & fuga* Dei. Singulatim de:
1. *Quæsitione*, ejusque: a. Natura. b. Distributione. c. Bonis. d. Modo & mediis.
2. *Fuga* Dei ejusque: a. Natura. b. Malis. c. Causis. d. Remediis. 2.
3. *Complacentia & displicentia* in Deo. Singulatim:
α. *Complacentia*: ejusque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Displicentia*, ejusque: a. Natura. Malis. c. Causis. d. Remediis. 3.
4. *Ambulatione* cum Deo, & *aberratione* ab eo. Singulatim:
1. *Ambulatione* ejusque: a. Natura. b. Notis. c. Bonis. d. Modo. e. Adminiculis. 2. A-

2. *Aberratione* à Deo, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 4.
5. *Benevolentia* & *malevolentia*, verſus Deum. Nominatim de:
α. *Benevolentia*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Malevolentia*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 5.
6. *Cultu privato*, in glorificatione Dei. 6.
7. *Cultu publico* ſeu eccleſiaſtico:
1. *Generaliter*, ejuſque ingredientibus:
2. *Specialiter*, quoad omnia ejus officia:
3. *Specialiſſime*, quoad: a. Auditionem verbi divini. b. Preces c. Pſalmodiam. d. Sacramenta in genere: e. Baptiſmum. f. Cœnam dominicam. g. Eleëmoſynas. 7.
8. Cultu *domeſtico*, ejuſque *neglectu*. Singulatim.
α. *Cultu domeſtico*, ejuſque: a. Natura & ingredientibus. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Neglectu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 8.
9. *Cultu quotidiano*, ejuſque *neglectu*. Singulatim.
1. *Cultu*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
2. *Neglectu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 9.
10. Cultu Dei in *Jejunio*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Modo. 10.
11. Cultu *euchariſtico*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis. 11.
12. *Examinatione* ſui ipſius, ejuſque *neglectu*. Singulatim de:
α. *Examinatione*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Neglectu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 12.
ב. *Verſus proximum*: Ubi de:
α. *Solitudinis uſu* & *abuſu*. Nominatim de:
1. *Uſu*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Modo.
2. *Abuſu*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. lib. tert. cap. 1.
β. *Converſatione* cum proximo, *pia* & *impia*, in *genere*. Singulatim de:
א. *Pia*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
ב. *Impia*, ejuſque. a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 2.
γ. In *ſpecie*, de converſatione, in:
I. *Conviviis*, eorumque:
α. *Uſu*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Abuſu*: Quoad: a. Naturam. b. Mala. c. Cauſas. d. Remedia. 3.
II. *Commercio*;
α. *Juſto*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Injuſto*, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 4.
III. Cum *afflictis*, per conſolationem, cujus conſolationis dicitur:
1. *Exercitium*, quoad ejus: a. Naturam. b. Bona. c. Adminicula.
2. *Neglectus*, ejusque: a. Natura. b. Mala. c. Cauſæ. d. Remedia. 5.
IV. Cum *lapſis*, eorumque *reprehenſione* & *communione* cum eorum peccatis. Singulatim:
α. *Reprehenſione*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Communione* cum peccatis, ejuſque: a. Natura. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. 6.
V. Cum *bonis*, per *amorem* & *amicitiam*. Cujus traditur: a. Natura. b. Bona. c. Adminicula. 7.
VI. Cum *malis* & *inimicis*, ejuſque; a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis. 8.
VII. Cum *ſuperioribus*, *inferioribus* & *æqualibus*. Singulatim, inter:
1. *Æquales*.
2. *Inæquales*. In ſtatu:
א. *Oeconomico*, ubi de officiis:
1. *Mariti*, verſus uxorem,
2. *Uxoris* verſus maritum,
3. *Parentum* verſus liberos,
4. *Liberorum* verſus Parentes,
5. *Dominorum* verſus ſervos,
6. *Servorum* verſus Dominos.
ב. *Politico*. Hîc agitur de officiis:

***

α. *Magiſtratus* verſus ſubditos,
β. *Subditorum* verſus magiſtratus.
2. *Eccleſiaſtico*, nim:
A. *Paſtorum* verſus Auditores,
B. *Presbyterorum* gubernantium,
C. *Auditorum*, & ſubjectorum. Quibus ſubjiciuntur: a. Bona hujus converſationis. b. Adminicula. 9.

II. *Verſus nos ipſos*, idque:
α. In *vita*. De cujus officiis agitur:
A. *Generalius*, quoad ejus:
1. *Occupationem* & otium. Singulatim, de:
α. *Occupatione* vitæ, ejusque: a. Naturâ. b. Bonis. c. Adminiculis.
β. *Otio*, ejusque: a. Naturâ. b. Malis. c. Cauſis. d. Remediis. lib. quart. cap. 1.
2. *Suſtentationem*, ſeu alimentorum:
α. *Uſum*, ejusque: a. Naturam. b. Bona. c. Adminicula.
β. *Abuſum*, ejuſque: a. Naturam. b. Mala. c. Cauſas. d. Remedia. 2.
3. *Defenſionem*, per veſtimentorum:
1. *Uſum*, ejuſque: a. Naturam. b. Bona. c. Adminicula.
2. *Abuſum*, ejusque: a. Naturam. b. Mala. c. Cauſas. d. Remedia. 3.
4. *Refocillationem*: ſeu recreationum:
α. *Uſum*, ejusque: a. Naturam. b. Bona.
β. *Abuſum*, ejuſque: a. Naturam. b. Mala. c. Cauſas. d. Remedia. 4.
B. *Specialius*, quoad ſtatum:
α. *Proſperum*. Ubi de proſperitate:
A. In *genere*, quoad ejus:
1. *Uſum*, ejuſque: a Naturam. b. Bona. c. Adminicula.
2. *Abuſum*, ejuſque: a. Naturam. b. Mala. c. Cauſas. d. Remedia. 5.
B. In *ſpecie*, quoad *mundi* & mundanorum:
α. *Uſum* & *Abuſum*. Singulatim mundi:
1. *Uſum*, ejusque: a. Naturam. b. Bona. c. Adminicula.
2. *Abuſum*, ejusque: a. Naturam. b. Mala. c. Cauſas. d. Remedia. 6.
β. *Vanitatem* rerum humanarum, ejusque: a. Naturam. b. Uſum. 7.
β. *Adverſum*, ejuſque:
A. *Naturam*, ubi de *crucis tolerantia*, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis. 8.
B. *Ortum*, a *tentationibus*, quarum explicatur:
1. *Uſus*, ejuſque: a. Natura. b. Solatium. c. Adminicula.
2. *Abuſus*, ejuſque: a. Natura. b. Mala. c. Cauſæ. d. Remedia. 9.
C. *Species*, ubi de *cruce*:
1. *Corporali*, ejuſque: a. Natura. b. Argumentis conſolatoriis. c. Adminiculis. 10.
2. *Spirituali*, nim. de:
α. *Confuſis* & melancholicis *terroribus*, eorumque: a. Natura. b. Cauſis. c. Remediis. 11.
β. *Suggeſtionibus blaſphemicis*, earumque: a. Natura. b. Conſolatoriis. c. Cura ſeu adminiculis. 12.
γ. *Deſertionibus ſpiritualibus*, earumque: a. Natura. b. Cura. c. Solatio. 13.
δ. *Dubitationibus*, varii generis. Iſtarum: a. Remedia generalia. b. ſpecies. 14.
β. In *morte*, ubi de arte bene moriendi, ejuſque: a. Natura. b. Bonis. c. Adminiculis. 15.

DIATYPOSIS

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

juxta librum octavum.

Quandoquidem intra præcedentis Methodicæ Diſpoſitionis ſeriem, quoad hiſtoriam Eccleſiaſticam, non tantum, lineæ breviores accidebant, quam ut ulteriores ſubdiviſiones neceſſarias ferrent, atque inſuper, hiatus intra præcedentia & conſequentia, major futurus fuiſſet, quam ut conveniret ſymmetriæ: viſum, quo diſtinctiorem haberes hiſtoriæ filum & cohærentiam; hunc librum, paulo diſtinctius proſequi, eoque magis, quod paragraphi, certis rationibus, hic prolixiores pateant. Conſideretur ergo diſpenſatio fœderis gratiæ, juxta quatuor periodos, nim.

I. *Sub Patriarchis.* Ubi occurrit, pars:
- א. *Exegetica*, ad text. Eph. 1. 9. 10. lib. octavo cap. 1. §. 1. & 2. &c.
- ב. *Dogmatica*, caute diſtinguens, inter electionem, fœdus gratiæ, ejus promulgationem per Euangelium, & diſpenſationem, juxta Teſtamentum duplex: *Vetus & Novum*, & in priore duas ætates, ſub *Patriarchis*, & ſub *Moſe*, ſub utroque rurſus, tria curricula. Nim.
  1. Ab *Adamo*, uſque ad *Noachum* & diluvium. Ubi traditur:
     - A. *Fœderis naturæ:*
       - α. *Theologia*, quoad: a. Generalia: b. Credenda: c. Facienda. 12.
       - β. *Eccleſia* ejusque ſtatus. 13.
     - B. *Fœderis gratiæ*, quoad ejus:
       1. *Diſpenſationem* & promulgationem. 14.
       2. *Curricula* tria, nim.
          - א. Ab *Adamo* ad Noachum. Ubi explicatur:
            - α. *Series* & hiſtoria *Patriarcharum* undecim. 15.
            - β. *Theologia*, ejusque capita: a. Theoretica. b. Practica. 16.
            - γ. *Hæreſes* & ſchiſmata duo: a. Inter ſemen mulieris & ſerpentis. b. Inter Sethitas & Cainitas. Cujus origo & capita, itemque perſecutiones narrantur. §. 17.
          - ב. A *Noacho* ad Abrahamum. Ubi:
            - α. *Confœderatio*, ejusque ratio, quod ſpiritualis fuerit, ante diluvium pariter & poſt, probatur & vindicatur. 18. 19.
            - β. *Propagatio* ſub decem Patriarchis, quorum hiſtoria traditur. 20.
            - γ. *Theologia:* a. Teſtamentaria. b. Syſtematica, per capita theoretica & practica, quoad Religionem verſus Deum, & juſtitiam verſus proximum. 21.
            - δ. *Eccleſia*, quoad propagationem triplicis ſchiſmatis: ſerpentis, Cainitici & Chamitici. 22.
          - ג. Ab *Abrahamo* ad Moſen. Ubi:
            - A. *Confœderationes* variæ cum Abrahamo, quarum ratio explicatur. 23--27.
            - B. *Propagatio*, ſub Patriarchis ſex, quorum hiſtoria traditur. 28--31.
            - C. *Theologia:* a. Teſtamentaria. b. Syſtematica, quoad theoretica, & practica, juxta Religionem & juſtitiam. c. Symbolica ſeu ceremonialis. 32.
            - D. *Eccleſia*, ſub duobus ſchiſmatibus: Iſmaëlitico, & Eſavitico, cum perſecutionibus. 33.
- ג. *Elenchtica*, habet controverſias ſex.
- ד. *Practica*, habet uſus quinque. 34--39.

II. Sub *Moſe.* Hîc occurrit, pars: Cap. Secund. §. 1. 2.
- א. *Exegetica* ad textum Deut. v. 1.
- ב. *Dogmatica*, & penes eam:
  - A. *Promulgatio legis:* a. Moralis: b. Ceremonialis, quoad ejus quatuor claſſes, interpretationem & relationes duas. c. Forenſis. 3--14.
  - B. *Renovatio fœderis:* a. Nationalis. b. Operum. c. Gratiæ, e quibus naſcitur unum fœdus Sinaicum, cujus natura explicatur. 15--20.

C. *Curricula* tria. Nim. 21.
α. A Mose ad Davidem. Ubi explicatur:
1. *Series Judicum* sedecim, eorumque historia. 22--23.
2. *Theologia:* a. Testamentaria. b. Systematica, cum theoretica, tum practica. c. Symbolica seu ceremonialis. 24.
3. *Ecclesia*, ejusque: a. status & gubernatio. b. Schismata, serpentinum, Chamiticum, Coraiticum. c. Idololatria varia: vitulina, Baal-Peor, Gideonis in Ephod, Michæ Ephraimitæ. d. Persecutiones sub Regibus Cananæis sex. 25.
β. A *Davide* ad captivitatem Babylonicam. Ubi:
A. *Fœderis renovatio*, ejusque. a. Ingredientia. b. Causa. c. Argumentum, in promissionibus & stipulationibus reciprocis. d. Forma. e. Incrementum. 26--31.
B. *Series Regum Judah* viginti duorum, cum coætaneis Israëlis. Singulorum historia. 32.
C. *Theologia.* Ubi: a. Theologia. testamentaria & systematica. b. Origo librorum, Canonicorum & apocryphorum. c. Historia Prophetarum. 33.
D. *Ecclesia*, ejusque: a. status. b. schismata: Israëliticum seu vitulinum Jeroboami, Baaliticum, propagatum sub Gentilibus eorumque idololatria varia. c. Persecutiones. d. Reformationes in utroque regno. e. Judicia divina. f. Samaritanismus. 34.
γ. A. *Captivitate Babylonica* ad Christum. Ubi:
1. *Babilon* triplex. 35.
2. *Renovatio fœderis*, cujus explicatur: a. Natura. b. Argumentum, quoad promissiones & stipulationes reciprocas & incrementa. 36- 39.
3. *Præfecti*, nim. a. Reges Babylonici quinque. b. Persici decem. c. Duces Israëlitici quindecim. d. Assamonæi undecim. e. Herodes. 40--44.
4. *Theologia:* a. Testamentaria. b. Systematica probata testimoniis Prophetarum. c. Synagoga Magna. d. Versiones S. Scripturæ. e. Symbolica in festis novis, visionibus variis observata. 45.
5. *Ecclesia*, sub ejus:
A. *Ingressu* in Babylonem, ubi variæ notantur Ecclesiæ corruptiones in moribus.
B. *Progressu* Ubi: a. De septuaginta septimanis Danielis, earumque terminis. b. Hæresibus & schismatibus, nim. Samaritanismo, sub templis, in Garizim & Heliopoli; Phariseismo, ejusque origine & sectis; Sadducæismo, ejusque origine & placitis; Essæismo, ejusque origine & placitis Karræismo, ejusque origine & placitis: Dissidio inter R. Hillel, & R. Schammai; Herodianismo ejusque placitis. c. Persecutionibus duabus, sub Esthera & Machabæis. d. Reformationibus duabus sub Prophetis, sub Machabæis.
C. *Egressu.* Ubi status Theologiæ ante Christum, apud Judæos corruptissimus narratur. 46.
6. *Elenchtica* hujus capitis, octo controversias habet. 47--54.
7. *Practica*, constat septem usibus. *Cap. Secund.* §. 55--
III. *Sub Christo.* Est hîc rursus pars:
א. *Exegetica* ad text. Jer. xxxi. 31--35. *Cap. Tert.* §. 1, 2.
ב. *Dogmatica*, & apud eam:
A. *Renovatio fœderis gratia* perfectissima, ejusque:
a. Natura. b. Causæ. c. Partes. d. Argumentum. 3--7.
B. *Testamenti Novi:* a. Differentia à Veteri. b. Initium. c. Duratio. 8--10.
C. *Septem* N. T. *ætates.* pro septem sigillis Apocalypticis:
I. *Prima* ætas N. T. sub sigillo *primo* ad text. Apoc. vi. 1, 2. Penes hanc explicantur: 11.
α. *Fundatio.* Est hîc: a. Æræ christianæ ortus. b. Christi nativitas. c. Fœderis gratiæ septima promulgatio. d. Judæorum rejectio. 12.
β. *Præfecti*, in:
1. *Republica*, nim. Imperatores Romani duodecim, & singulorum historia. 13.
2. *Ecclesia*, nim. Pontifices Romani, quatuor, & singulorum historia, cum observatione generali. 14.
γ. *Theologia* ratio, ubi notatur: a. Triplex Theologia; testamentaria, symbolica, systematica. b. Origo N. T. c. Scriptores ecclesiastici. d. Corruptio, per Gentilismum:

lismum: Judaismum duplicem: hæreses septem.

δ. *Ecclesia.* Hîc narrantur: 15.

A. *Fundatores* Ecclesiæ: a. Joannes Bapt. b. Apostoli. c. Euangelistæ. d. Septuaginta discipuli. Singulorum historia.

B. *Adminicula* fundationis, nim. a. Annunciatio Euangelii, & dispersio Apostolorum. b. Regimen Ecclesiæ. c. Disciplina ecclesiastica. d. Synodi sex. e. Fundatio præcipuarum quarundam Ecclesiarum. f. Persecutiones; cum intra Judæam quatuor: tum per universum Imperium R. duæ, usque ad Trajanum. g. Martyres primæ ætatis N. T.

II. *Secunda* ætas N. T. sub sigillo secundo, ad text. Apoc. VI. 3. 4. Hic explicantur: 16.

1. *Prafecti* in: 17.

α. *Republica*, nim. Imperatores R. viginti, singulorum historia tangitur. 18.

β. *Ecclesia*, nim. Pontifices Rom. viginti novem, & singulorum historia. 19.

2. *Theologia*, ejusque: status, idem cum præcedentis ætatis. b. Propagatio, cum per varias scripturæ versiones, v. g. Aquilæ, Theodotionis, Origenis in suis Tetraplis, Hexaplis, Octaplis: tum per scripta ecclesiastica, symbolum Apostolorum, scripta Patrum hujus ætatis. Vitiatio ejus, per: a. Gentiles. b. Judæos. c. Hæreses tredecim, sub seculo secundo: & quinque potissimum, sub seculo tertio. d. Ipsos Christianos. 20.

3. *Ecclesia*, ejusque: a. Propagatio ampliſſima. b. Doctores Ecclesiarum præcipuarum. c. Scriptores Ecclesiastici seu Patres. d. Adminicula propagationis: α. Sacra publica. β. Gubernatio Ecclesiæ. γ. Concilia. δ. Disciplina Ecclesiastica. ε. Scholæ. e. Obstacula propagationis, nim. Schismata quinque, persecutiones octo, potissimum sub Imperatoribus Ethnicis. Hinc. f. Martyria innumera. g. His subjiciuntur mores Christianorum.

III. *Tertia* ætas N. T. sub sigillo tertio, ad text. Apoc. VI. 5. 6. cujus exegesis traditur. Hujus. 22.

1. *Prafecti:*

α. *Politici*, seu Imperatores R. novendecim. Singulorum historia tangitur. 23.

β. *Ecclesiastici*, seu Pontifices R. triginta tres. Singulorum historia tangitur. 24.

2. *Theologia* tertiæ ætatis, sub:

A. *Seculo quarto*, ejusque: a. statu. b. corruptione, per Gentilismum, Judaismum, hæreses septem, errores intra Ecclesiam.

B. Seculo *quinto*, ejusque: a. Statu. b. Corruptione, per: Gentilismum, Judaismum, Hæreses potissimum quatuor, & errores intra Ecclesiam natos.

C. Seculo *Sexto*, ejusque: a. Statu, b. Corruptione, per: hæreses duas, & errores intra Ecclesiam. 25.

3. *Ecclesia*, sub seculo:

R. *Quarto*, cujus:

1. *Propagatio*, per: a. Constantinum M. b. Patres potissimum quindecim, singulatim narratos. c. Sacra Christianorum. d. Regimen ecclesiasticum. e. Synodos varias. f. Scholas.

2. *Obstructio*, per: a. Monachatus ortum. b. Schismata. c. Persecutiones sex.

2. *Quinto* ejusque, propagatione quoad ejus:

1. *Terminos.* scil. per varias orbis partes.

2. *Adminicula*, nim. a. Doctores præcipuarum Ecclesiarum, b. Regimen ecclesiasticum. c. Concilia, cum generalia; tum particularia. c. Henoticum Zenonis Imp.

3. *Remoras*, nim. a. Turbas Eutychianas. b. Persecutiones, per varias orbis partes. c. Martyria varia. d. Mores Ecclesiæ.

3. *Sexto*, ubi:

A. *Propagatio*, per: a. Varias orbis partes. b. Propagatores, seu scriptores ecclesiasticos varios, quorum historia. c. Regimen ecclesiasticum deficiens. d. Monachatus incrementa per varios ordines. e. Concilia cum generalia; tum particularia.

B. *Remora* per: a. Schismata. b. Persecutiones. 26.

IV. *Quarta* ætas N. T. Sub ſigillo quarto, ad Text. Apoc. VI. 7. 8. cujus exegeſis traditur. Hujus: 27.
1. *Breviarium* dicitur. 28.
2. *Præfecti* in:
α. *Republica*, ſcil. Imperatores Rom. cum Orientales triginta duo; tum Occidentales ſeptendecim. Singulorum hiſtoria. 29.
β. *Eccleſia*, ſeu Pontifices nonaginta tres. Singulorum hiſtoria. 30.
3. *Theologia*, ejusque:
1. *Status*, cum purior, tum corruptior, juxta ſigillum quintum apocalypticum.
2. *Corruptio* per: a. Gentiliſmum. b. Judaiſmum. c. Muhammedaniſmum, hic exortum. d. Hæreſes ſeptem. e. Originem controverſiæ euchariſticæ. f. Incrementa Antichriſtianiſmi. g. Errores intra Eccleſiam. 31.
4. *Eccleſia*, ſub ætate quarta N. T. ejusque:
α. *Propagatio*, per varias orbis partes.
β. *Propagatores*, nim. a. Scriptores eccleſiaſtici varii. b. Aſſertores veritatis contra Antichriſtianiſmum varii. c. Synodi variæ. d. Reformationes. e. Scholæ.
γ. *Remoræ*, per: a. Schiſmata. b. Perſecutiones. c. Quibus ſubjicitur facies Eccleſiæ, ſub ætate quarta N. T. 32. 33.
V. *Quinta* ætas N. T. Sub ſigillo quinto, ad text. Apoc. VI. 9. 10. 11. cujus exegeſis traditur. Hujus: 34.
1. *Præfecti*, in:
α. *Republica*, nim. Imperatores Rom. viginti & unus. Singulorum hiſtoria. 35.
β. *Eccleſia*; ſeu Pontifices Rom. ſexaginta duo. Singulorum hiſtoria. 36.
2. *Theologia*, ejusque:
A. *ſtatus*:
1. *Publicus* ſub Antichriſtianiſmo papali, jam ad ſuam ἀκμὴν perducto.
2. *Clandeſtinus*, ſub Aſſertoribus veritatis, varii ordinis: *politici*, Imperatorum, Regum &c. *Eccleſiaſtici*, Conciliorum, privatorum, v. g. Wiclephi, Huſſi, Bohemorum &c.
B. *Corruptio*, per: a. Gentiliſmum. b. Judaiſmum. c. Muhammedaniſmum. d. Antichriſtianiſmum. e. Hæreſes, per ſua ſecula: ſubinde veræ, ſæpius fictitiæ aut ψευδονύμοι. 37.
3. *Eccleſia*, ejusque:
α. *Propagatio*, per ſua ſecula.
β. *Scriptores* eccleſiaſtici per ſua ſecula.
γ. *Regimen* eccleſiaſticum per ſua ſecula, potiſſimum in variis Monachorum ordinibus narratum.
δ. *Concilia* per ſua ſecula.
ε. *Scholæ* quadraginta & una.
ζ. *Bellum* ſacrum continuatum per ſua ſecula.
η. *Schiſmata* per ſua ſecula, imprimis Gallicanum ſeu Avenionenſe, quinquaginta annorum.
θ. *Perſecutiones*, in quibus præter Huſſitarum, præcipuum locum habet, bellum Bohemicum. 38.
VI. *Sexta* ætas N. T. ſub ſigillo ſexto, ad text. Apoc. VI. 12. cujus exegeſis habetur. Hujus: 39.
1. *Facies* Eccleſiæ ſub exordio reformationis, ſummatim: 40.
2. *Præfecti*. in:
A. *Republica*, ubi Imperatores Rom. octo. Singulorum hiſtoria. 41.
B. *Eccleſia*, nim. Pontifices viginti ſex. Singulorum hiſtoria. 42.
3. *Theologia*, cum reformanda, tum reformata. Hujusque:
α. *Reformatio*, per *Zuinglium*, Lutherum aliosque.
β. *Corruptio*, per hæreſes: a. Anabaptiſtas. b. Enthuſiaſtas. c. Socinianos. d. Jeſuitas. e. Lutheranos. f. Arminianos. Singulorum hiſtoria. 43.
4. *Eccleſia*, ejusque:
A. *Propagatio*, ad: a. Indianos. b. Danos. c. Suecos. d. Bohemos. e. Polonos. f. Lithuanos. g. Belgas. h. Anglos. i. Scotos. k. Gallos. l. Germanos. Singularum hiſtoria brevis.

B. *Pro-*

B. *Propagatores:* a. Reformatos quadraginta quinque & plures. b. Lutheranos viginti octo. c. Pontificios. d. Fanaticos. Singulorum hiſtoria.
C. *Regimen* Eccleſiæ. ſub: a. Pontificiis. b. Lutheranis. c. Reformatis.
D. *Synodi*: a. Pontificiorum. v. g. Tridentinum. b. Proteſtantium ſexaginta ſex. Singularum hiſtoria.
E. *Confeſſiones* Fidei, viginti. Singularum hiſtoria.
F. *Scholæ*, quadraginta quatuor. Singularum hiſtoria.
G. *Expeditio* Gulielmi tertii, Principis Araufiaci in Angliam.
H. *Schiſmata.* a. Sacramentarium. b. Arminianum. c. Eccleſiaſticum in Anglia. d. Labadiſticum. e. Antinomianum. f. Univerſaliſticum. g. Carteſianum. h. Coccejanum. i. Lutheranorum ſeptendecim. k. Pontificiorum ſex. l. Fanaticorum. Singulorum hiſtoria.
I. *Perſecutiones:* a. Germanicæ in quibus bella quatuor. b. Belgicæ, in quibus bella tria. c. Anglicanæ tres. d. Gallicanæ quatuor. e. Pedemontanæ variæ. f. Hungaricæ. g. Lutheranorum in Reformatos. h. Reformatorum Hierarchicorum in Anglia, i. Indianorum. Singulorum hiſtoria. Subjicitur Epilogus ad hiſtoriam eccleſiaſticam. 44--45.
3. *Elenchtica* habet controverſias quatuor. 46--49.
4. *Practica* habet uſus tres. 50--53.

VII. *Septima ætas* N. T. Eſt hîc. pars:
1. *Exegetica* ad text. Apoc. VII. 1. uſque ad cap. XI. Cap. quarto §. 1, 2.
2. *Dogmatica.* Explicat ſeptem æternitatis quaſi paſſus: a. Adventum Chriſti. b. Abolitionem Antichriſti c. Suſcitationem mortuorum. d. Extremum judicium. e. Conſummationem ſeculi. f. Traditionem regni. g. Vitam æternam. 3--10.
3. *Elenchtica* notat controverſias undecim. 11--21.
4. *Practica* habet uſus tres. 22-.

FINIS.

In Theologiam Theoretico-practicam

D. PETRI VAN MASTRICHT,

Professoris Theologi apud Ultrajectum.

EPIGRAMMA.

Conjugio stabili, conjuncta *scientia praxi*,
Viribus unitis, est tibi tuta salus.
Scire tuum sterile est, si non gradiatur eodem
Tramite, cum *facere*; fertile si coëat.
Fac igitur facias, quo congrediatur utrumque.
Pronuba conjugio, pagina docta fiet.

Sic Fratri unico applaudebat

GERARDUS VAN MASTRICHT,

Syndicus Bremensis.

AD EUNDEM.

כי האיש ההפץ חיים
כי קרוא קראו בספרים
ידע את אלו רב חכמה
חכמת צדיקים יורוכם
מי האיש האוהב ימים
קראו מקשיבים בדברים
יעבוד אלו בבלי מרמה
מוסר תושיה יהיוכם

דעה וצדק נפגשון
סור הכתוב פתדו לנו
בבני הברית למודי יה
השכילו תורת עקדים
בינה משמעת נשקון
גלו את שקר שוטנינו
אם תורת אל בלב תהיה
למדו ליראה רק לאלוהים

מי חכם בם יה מזכירים
ברך האיש שכל כוחו
יבן הזאת גם כן יורה
כלה בפעלה הברורה
שיהיו על בית אל צופים
הודה ליחוה שרוחו
שננו זאת לעם לא מורה
שפך על עכדו יתירה



PET. VAN MASTRICT.
PHILOSOPH. ET THEOL. DOCT. ET PROFESSOR,
in Academiis: Francofurt. ad Oderam, Duisburg. et Ultraiectinâ.

SYMBOL
Ὅταν ἀσθενῶ; τότε. δυναλός
εἰμι.

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

LIBER PRIMUS,

DE PRÆCOGNITIS.

CAPUT PRIMUM,

DE

NATURA THEOLOGIÆ.

Ad Text. 1. Tim. VI. 2. 3.

Ista doce & exhortare. Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus, Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ; is turget nihil sciens &c.

Primum Theologiæ prægnitum, de natura Theologiæ.

I. Theologiam *Theoretico-Practicam*, pro natura cujusvis disciplinæ, duobus concludemus: *Præcognitis* & *Systemate*. Sic ut *Præcognita*; libro *primo*, tria repræsentent: ejus *naturam*, *regulam* & *distributionem*. Et cum *natura*, rei cujusvis, non aliundè nobis clarius innotescat, quam accurata ejus *definitione*, cui præsupponitur *definitum*; hoc capite, post præliminare de *methodo*. Theologiæ tradendæ, contemplabimur *definitum*, quod præstat *Theologia Christiana Theoretico-Practica*, ejusque *definitionem*, quâ, *doctrina* est *vivendi Deo per Christum*. Omnibus, pro fundamento struemus, exegesin textus præmissi 1. Tim. VI. 2. 3.

Superstruitur textui.

II. *Quo, colophonem impositurus huic Epistolæ, gravissimum quoddam, Timotheo Apostolus suppeditat* monitorium, de vera & falsa Theologia, *illâ urgendâ; hac fugienda. In quo prostant*

I. *Adhortatio quædam*, de bono *prosequendo*: ταῦτα δίδασκε, καὶ παρακάλει. *Qua exhibetur:*

א. Subjectum παραινετικὸν: ταῦτα; ista. *Scil. quæ ego docui, non verbis modo immediate præcedentibus; sed per universam hanc Epistolam, quin &, per universum ministerii mei cursum: dum, quà viva voce; quà scripto, universam expedivi sacram* Theologiam Act. XX. 27. *Ut tota hic Timotheo commendetur* Theologia Christiana, *indicante, non tantum antithesi commatis sequentis:* εἰ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, si quis aliter doceat; *sed etiam parallelismo* 2. Tim. I. 13.

ב. Officium παραινέσεως, *circa Theologiam peragendum, duplex; eam scil.*

A. Doceat. δίδασκε, doce. Id est, *informet intellectum: partim expositione dogmatum* verorum; *partim refutatione* falsorum.

B. Exhortetur. Παρακάλει, exhortare. *Nim. voluntatem movendo, ut, quod intellectus percepit, traducat* ad praxin, *quippe quæ, præcipuus est Theologiæ finis, & summus apex.* Est enim παρακαλεῖν, advocare, *scil. ad officium.* Et quia, potissimum alium advoco, ut me, vel torpentem excitet, vel tardum impellat, blandis verbis ducat, vel mœstum soletur &c. hinc adeo notat frequenter, *hortor, rogo, consolor*, & παράκλητος est, qui hæc omnia præstat Joh. XIV. 16. *Inquit Tarnov.* in Exercit. Bibl. *Quæ omnia praxin spirant. Hic tamen, & id venit notandum, quod geminum istud officium, Apostolus peragi velit, circa idem objectum, in plurali numero:* ταῦτα, ista. *Scil. indigitaturus, non in universo tantum Theologiæ corpore, theoriam & praxin conjungendam esse, ita ut duas velut partes es-*

sentiales

ſentiales Theologiæ, duo iſta conſtituant: ſed &, in ſingulis ejus partibus integralibus; ita ut quilibet ejus articulus, ſuam habeat theoriam, ſuam item praxin.

II. *Admonitio* de malo *fugiendo, falſis ſcil.* Doctoribus ac doctrinis. *Ubi tria notat Apoſtolus:*

א. Falſam doctrinam, *cujus quatuor potiſſimum, tradit κριτήρια, quibus dignoſcatur à vera:* puta

1. Quod aliter doceat. ἑτεροδιδασκαλεῖ. *Scil. vel* aliud, *vel* aliter; *quam quidem ipſe, cum aliis Apoſtolis docuerit. Hoc eſt, quod ſit contrarium Prophetis & Apoſtolis* Eph. II. 20. Gal. I. 8. 9. Jeſ. VIII. 20. Gal. VI. 16.
2. Quod non maneat *in eis.* Μὴ προσέρχηται; *Vulg.* non acquieſcat. *Scil. ſive* addendo; ſive detrahendo; mutando Deut. IV. 1. 2. & XII. 31. Apoc. XXII. 18. 19.
3. Quod non tradat, ſanos ſermones Chriſti, *ſeu de Chriſto. Quod fit, vel* plane non *docendo Chriſtum*, potentiam & ſapientiam Dei 1. Cor. I. 14. *vel ſi doceat, non* ſane *tamen; ſed* cauponando ſermonem 2. Cor. II. 17. *vel de* perſona, *vel de* officiis, *vel de* beneficiis Chriſti.
4. Quod non tradat doctrinam, quæ eſt ſecundum pietatem. *Quibus κατ' ἀντίθεσιν, vera Theologia, accuratam tradit definitionem*, cujus
   A. Genus *eſt*, doctrina, *quod, per appropriationem*, doceri *debeat* Joh. VI. 45. *dum non alia tantum, quævis ſcientia; ſed Theologia etiam* naturalis, diſcantur *potius.* Doceri, *inquam, debeat non tantum ab hominibus; ſed & a Deo: Nec extus tantum, verbo; ſed intus etiam, Spiritu. Ut hinc audiamus.* למודי יהוה Jeſ. LIV. 13. edocti a Domino.
   B. Differentia, *in vocibus:* κατ' ἐυσέβειαν, ſecundum pietatem. *Quaſi doctrinam dicas*, recte colendi, *ſcil. Deum. Quod alibi συνωνύμως exprimitur, per τὸ* vivere Deo, per Chriſtum Rom. VI. 11. *à quo Theologia*, verbum vitæ *audit* Act. V. 20. *Ut hinc emergat, Theologiam Chriſtianam, optime definiri:* Doctrinam vivendi Deo, per Chriſtum. *De quo plura ſuo loco.*

ב. Falſos Doctores, Is inflatus eſt, nihil ſciens &c.

ג. Utriuſque, falſæ doctrinæ, & falſorum Doctorum, fructus & effectus: ex quo fit invidia, contentio &c. *De quibus hoc loco plura non attinet dicere.*

THEOREMA PRIMUM.

De Methodo Theologiæ.

Pars dogmatica.

Theologia certo ordine tradenda.

III. Jam è dictis, præliminariter emergit, quod *Theologia, certa ſit tradenda methodo, & tali quidem, qua theoria cum praxi, pari paſſu ſemper ambulent; quin ita ambulent, ut præcedat theoria, ſequatur praxis, idque in ſingulis ejus articulis.* Jubet enim (1) Apoſtolus Timotheum, omnia Theologiæ capita, *doceat* pariter, & *exhortetur:* & *primo* quidem doceat, *tum* exhortetur. Hinc (2) 2. Sam. XXIII. 5. *Fœdus ordinatum in omnibus*, ברית ערוכה בכל, appellatur, non eo tantum nomine, quod ipſum gratiæ fœdus, ſit ἐυτακτότατον, *ordinatiſſimum*; ſed quod ejus etiam inſtrumenta, quibus Theologia continetur, methodo commodiſſima, proſtent exarata. Unde (3) probatum ἐργάτην, Apoſtolus appellat ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *qui dextre ſecat verbum veritatis* 2. Tim. II. 15. Recte autem dividi nequit, quod non recte eſt conſtructum. Et (4) cultus, quem Theologia tradit, λογικὸς, *rationalis* audit Rom. XII. 1. quod ad leges rectæ rationis ſit compoſitus. Et hoc etiam (5) arguunt, non tot modo, & tam illuſtria, methodicæ diſpoſitionis, ſingularia exempla, paſſim in Scripturis obvia. Si enim *facienda* ſpectes; habebis Decalogum, methodo miranda conſpicuum; ſi *petenda*, Orationem Dominicam; ſi *credenda*, habebis quaſi *Catecheſin* nitidiſſimam Hebr. VI. 1. 2. ſed integra etiam Theologiæ ſyſtemata, in pleriſque epiſtolis Paulinis. Addam (6) univerſum Inſtrumentum *Biblicum*, ut non ambigas, eſſe *fœdus ordinatum in omnibus.* Et (7) cum ſingula Theologiæ capita ſparſim, per univerſum corpus Scripturæ, diſjecta proſtent; neceſſum utique eſt, ut congerantur, & in commodum ordinem, methodumque digerantur. Hinc (8) a primis ſtatim, Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis, cum hæreſes doctrinæ inciperent obrepere, in ſyſtemata, methodice digeri cœpit Theologia Chriſtiana. Prout apparet, non tantum in illuſtrioribus Symbolis: Apoſtolico, Niceno, Epheſino, Chalcedonenſi, aliisque: ſed & in privatis, primorum Patrum ſcriptis, V. G. in Clementis Alexandrini, στρωμάτων libris octo; Origenis περὶ ἀρχῶν libris quatuor; Lactantii, *Inſtitutionum divinarum*, libris ſeptem; Gregorii Nazianzeni, *de Theologia*, libris quinque; Auguſtini, in libris *de doctrina Chriſtiana*, & in *Encheiridio ad Laurentium*; Ruffini, in *expoſitione Symboli*; Theodoreti, in *Epitome divinorum dogmatum*; Proſperi, in libello *Sententiarum*; Damaſceni, de *Orthodoxa fide* libris quatuor; Petri Lombardi, *ſententiarum* libris quatuor, & quæ in hos libros com-

commentati sunt: Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Scotus, Bonaventura aliique: Thomæ Aquinatis *Summa Theologiæ*: Theologorum denique è Papatu emergentium, Zuinglii, Lutheri, Melanchtonis, Calvini, Bullingeri, Musculi, Aretii, Martyris, Ursini, Zanchii & mille aliorum, redigendis in Systemata, capitibus Theologicis, occupatissimorum.

Confirmatur rationibus tribus.

IV. Sed præter Scripturam, Methodum in Theologicis flagitant: 1. *Natura Dei*, qui, ut non est ἀκαταστασίας θεὸς, *confusionis Deus*, atque omnia sua peregit, peragitque ordinatissime: ita omnia fieri amat, *εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, ordine & decenter* 1. Cor. XIV. 33. 34. Quin ad hoc, ordinis ac methodi principia, creaturis rationalibus contulit; ut se omnis, ordinis ac methodi auctorem ostenderet, ac nobis ordinem & methodum, passim quidem: sed vel maxime, in rebus tanti momenti, qualia, citra dubium, sunt Theologica, servandam præscriberet. In quam rem, etiam Scripturas suas, ordine quidem arbitrario; sed certo tamen ac logico, Amanuensibus consignandas inspiravit. Id quod analysi logica, in utrumque Instrumentum, á Doctis adornata, Sole clarius est. 2. *Natura* ipsius Theologiæ. Quæ, cum varia complectatur dogmata, sibi invicem homogenea, subordinata, & eodem collimantia, per vastum Scripturæ corpus, dispersa; procul dubio requirit, ut illa congerantur, & apte sibi invicem construantur. In quo methodus consistit. 3. Ipsius *methodi* beneficia, quæ, si ulli competunt scientiæ; saltem omnium præstantissimæ. Quid enim methodus? *Rebus* docendis *perspicuitatem* conciliat, & intelligentiam: quando, per cognitionem subsequentium: *memoriæ* retinendi *facilitatem*, conciliat, quatenus materias, velut catena quadam constringit, qua, si quid forte exciderit, facile possis retrahere: *argumento* denique *nitorem* & elegantiam; existit enim, juxta Philonem, citra methodum, ἐπιστήμη ἀνεπιστημόνως, *scientia absque scientia*. Hæccine beneficia ullo jure negaveris θεολογεμένοις?

1.

2.

3.

Exponetur qualis Methodus adhibenda.

V. Quæres, qua tandem methodo, Theologia commodissime traditur? Cum methodus non sit, nisi apta rerum variarum, inter se dispositio, secundum dependentiam quam habent, tum respectu *sui*, invicem; in *coëxistendo*; tum respectu *nostri*, in *intelligendo*: ac saltem necessum est, ut methodus Theologiæ congruat, non modo *rebus tradendis*, qua v. g. generaliora præmittantur specialibus; simpliciora compositis: sed & *captui*, juxta & usui discentium. Ad hoc, variam varii sectantur, á nobis non exagitandam: nobis, ex omnibus, ea maxime probatur, quam Apostolus, non tantum in textu commendat Thimotheo, quando theologemata, primo *doceri* vult, tum *ἐλέγχειν*; qua praxis perpetuo construatur theoriæ: sed & ipse passim utitur, per suas Epistolas, eas comprimis, quas ad Romanos scripsit, Ephesios, Hebræos &c. Qua praxis, inquam, theoriæ construatur, non tantum in universo corpore Theologiæ, ita ut *credendis* primus, & *agendis* secundus relinquatur locus peculiaris; sed in singulis quoque Theologiæ membris, perpetua συμβάσει, praxis cum theoria, pari passu ambulent. Articulatius dicam quod optem, ac sectabor ξὺν θεῷ, pro virili. Nempe ut capita theologica 1. *positivè* probentur Scripturis, confirmentur rationibus, explicentur per membra: quod sit pro fundamento solido, universæ structuræ. 2. *elenchtice* vindicentur, á strophis quorumvis obloquentium, sine quo fundamentum, structum, nec satis subsistit in se, nec satis radicatur in animis θεολογόντων. Denique 3. *practicè* applicentur, sine quo priora, prorsus & plane erunt ἄχρηστα, *inutilia*. Ut enim praxis sine theoria, nulla est; ita theoria sine praxi, cassa est & vana. Quamobrem, sapientissimo consilio, Servator utramque conjungit Joh. XIII. 17. *Si hæc noveritis, beati si feceritis.*

Pars elenchtica.

An Theologia tradenda sit certa methodo?

VI. Quæritur, an Theologia tradenda sit certâ methodo? In *excessu*, Scholastici, pro ingenio Theologiæ suæ Philosophicæ, methodum Philosophicam Aristotelis, seu analyticam, seu syntheticam, nimium depereunt: In *defectu*, Anabaptistæ, Enthusiastæ, Fanatici, ignorantia & odio Philosophiæ, omnem methodum, à Theologicis eliminandam censent: quibus unus, forte & alter è Reformatis Theologis, suis hypothesibus inserviens, accedit: Reformati *methodum* exigunt, adversus Anabaptistas & Enthusiastas, sed non præcise Philosophicam; verum *naturalem*: h. e. & rebus Theologicis, & juvando judicio, & roborandæ memoriæ, convenientem, quamvis ceterum sit arbitraria. Talem methodum, jam ante demonstravimus §. III. IV. V. & in ea confirmamur, perpetua praxi Scriptorum θεοπνεύστων, quæ diversis methodis, pro rebus sibi natis, insistunt. Causantur in contrarium: quod 1. *rationis captum, eoque methodum logicam, excedat Theologia.* Resp. Excedit quidem captum rationis *corruptæ*, non autem, per verbum ac Spiritum *illuminatæ*, quæ spiritualiter *dijudicat*, eoque ordinat etiam ac disponit spiritualia. 1. Cor. II. 10. 12. 13. 15. Quod 2. *Transcendat omnes scientias, transcendat quoque methodi leges.* Resp. Transcendat scientias naturales; ergone & *ordinem* omnem transcendit? Imo excludit? Quod 3. *Simplicitati Theologiæ deroget methodus, & artificii logici subtilitas.* Resp. 1. Expugnat hoc quidem *excessum* Scholasticorum; non autem, methodum, θεολογεμένοις naturalem. Tum 2. Falsum est: neque enim or-

do rem ordinatam variat, aut ejus perfectioni quicquam detrahit. Et si theologiæ deroget: non vitio methodi derogat; sed imperitia artificis, Theologiam torquentis, ad perversas suas regulas; nec methodum, Theologiæ prudenter adaptantis.

Pars practica.

Usus Primus reprehensionis. Ubi 1. Reprehendi notantur.

VII. Quantum ad *praxim*. *Primo* hic exorbitant 1. qui θεολογοῦμενα, seu pro cathedra; seu pro suggestu, tradunt *absque omni methodo*. Aut 2. methodum, si quam habent, datâ opera *occultant*, eoque perinde agunt, acsi non haberent. Aut 3. si, quam produnt, non sit *rebus commoda*. Aut 4. si sit etiam rebus: non tamen *discenti*. Aut denique 5. si discenti quoque; attamen soli ejus *intellectui*, ad speculandum; non autem *voluntati* ad agendum. Isti (1.) natam ἀταξίας & confusionis, Deo exosæ 1. Cor. xiv. 33. 40. incurrunt. (2.) suis theologematis, gratiam ac nitorem adimunt. (3.) auditoribus ἀκάρπους, *inutiles*, sese præstant, quando intellectum pariter & memoriam, sua ἀμεθοδεία obstruunt.

1. Argumenta, reprehensionis.

Usus secundus adhortationis. Ubi 1. Officium.

VIII. *Secundo*. Rectius *Timothei*, h. e. Doctores & Ecclesiastæ, hortatu Apostoli, methodum sectantur, quâ Religionis capita, *doceant* pariter & *moneant*; & prius quidem *doceant*; tum *moneant*. Hoc pacto: 1. Se filios Dei probant, quippe ejus imitatores, qui *ordinis est Deus*, non confusionis; dum contrarii, Satanæ pararios, qui confusionis auctor est ac fautor. 2. Δοκίμους item καὶ ἀνεπαισχύντους ἐργάτας, *probatos & non pudefaciendos operarios*, se demonstrant, quippe qui possint sermonem veritatis, ὀρθοτομεῖν, *dextre secare* 2. Tim. ii. 15. 3. methodi nitore & elegantia, gratam auditoribus reddunt, doctrinam Dei. Ὅτι οὐκ ὀπόνος κατ' αὐτὸν, ἀλλὰ μετὰ τέχνης, ἀγαθὸς, *quoniam non labor, secundum se; sed secundum artem adornatus, bonus est*. Inquit Philo, in Tract. *Quod deterius potiori insidietur*. 4. Nec gratam tantum & acceptam præstabunt; sed *utilem* quoque & *frugiferam*. Juvabunt enim, methodi ἀκριβείᾳ, auditorum *intellectum*, firmabunt *memoriam*, accendent *studium* &c. *Magnum enim locum meretur inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad cognitionem lineis, animus annitatur*. Juxta Fulgentium lib. 1. c. 3. Et quo methodum rectius sectentur; tria suaserim observanda, ut methodus congruat 1. cum *re tractanda*. 2. cum *captu* auditorum; ut nim. Aliter agatur cum *incipientibus*, methodo catechetica; aliter cum *provectioribus*, methodo systematica: nim. *partim* κατασκευαστικῶς, per definitiones, divisiones, canones, argumenta; *partim* ἀνασκευαστικῶς, per redargutionem objectorum; aliter cum *adultis*, methodo exegetica ac textuali, qua catechetica & systematica, ad perquirendum Scripturæ sensum applicentur, aliter cum *incipientibus*, catechetice, agatur. 3. Cum *utilitate*, ac pietate, qua cuncta traducantur ad *praxin*, & in ea subsistatur. 2. Tim. iii. 16.

2 Motivæ.

3. Modus.

Theorema Secundum.

De Definito Theologiæ.

Pars dogmatica.

Theologia Christiana theoretico practica sola urgenda.

IX. Ista methodo, *primo* naturam & ingenium Theologiæ, investigabimus, accurata ejus *definitione*, cui tamen præmittendum, ejus *definitum*, quod est. *Theologia Christiana, theoretico-practica*, sola *penes Christianos tradenda*. Jubet enim Apostolus, docere ταῦτα ἰδία nim. quæ ipse cum Christo docuerit, cum Prophetis & Apostolis; utique *Theologiam Christianam*, & quæ *doceri* possit pariter & *moneri*, quæque sit doctrina κατ' ἐυσέβειαν; *secundum pietatem* h. e. *theoretico-practica*: prohibet etiam ἑτεροδιδασκαλεῖν, *aliter docere*.

Probatur Scripturis.

X. Idem passim urgent Scripturæ. Quando, secundum *hunc canonem* incedendum, commendant Gal. vi. 16. *aliud Euangelium* vetant Cap. i. 6. 7. 8. 9. ab eo, nec *dextram*, nec *sinistram* versus, exorbitandum, seu *addendo*, seu *detrahendo*, inculcant. Deut. iv. 1. 2. & xii. 32. Apoc. xxii. 18. 19. 2. Tim. i. 13. cæterà *frustra Deum coli* Matth. xv. 9. nec aliter, *auroram* gratiæ obtineri posse Jes. viii. 20.

Confirmatur rationibus tribus

XI. Ejus enim 1. sola Theologia, Christianis merito propinatur, qui solus est caput suæ communionis Eph. i. 22. 23. qui è *cœlo* detulit eam, è *sinu Patris* Joh. i. 18. qui Deum colendi rationem perfecte, callet. *Ibid.* qui potestatem habet vitæ æternæ Apoc. i. 18. quam, Theologiâ quærunt. Rursus 2. Alia, aut alius quam Christi, cujuscunque, non *auditur*, non agnoscitur à Christianis Joh. x. 5. 8. 9. 10. 11. 12. Singulatim, non *rationis*, quæ cæca est, 1. Cor. ii. 14. nec *hominum* quorumvis Matth. xxiii. 8. 1. Cor. iii. 5. 6. 7. qui *mendaces* sunt Rom. iii. 4. Denique 3. ejus solius Theologia urgenda, in quem solum baptizantur Christiani 1. Cor. i. 13. a quo *Christiani* audiunt Act. xi. 26. eorumque Ecclesia ac Religio, *secta Nazarænorum* Act. xxiv. 5. Qui proinde solus est, Christianorum *Doctor* αὐτόπιστος & ἀσφαλὴς. Matth. xxiii. 7. 8.

Dari Theologiam.

XII. *Dari* autem quandam Theologiam. 1. clamat, non tantum universalis omnium nationum *consensus* Rom. ii. 15. sed ipsa etiam 2. natura *docet*, Deum *esse*, eumque glorificandum. Psalm. xix. 1. Rom. i. 19. 20. 21. viciſſim μισθαποδότην futurum, his qui eum quærunt Hebr. xi. 6. cujus cultus rationem, Theologiâ indigitamus; 3. docet animam esse immortalem, immortali beatitudi-

tudinis perpetuæ desiderio flagrantem, quod satiari possit, cujus viam aperire creditur, Theologia. 4. docet, creaturam rationalem, *à Deo* conditam, *ad Deum* contendere, ut Deo solo satietur, quo eam ducit Theologia. Quippe quæ nobis non est, nisi *sermo de Deo*, de cultu divino, de animæ immortalis immortali beatitudine, & ad Deum perveniendi, eique vivendi, ratione.

Nomen ejus. XIII. Quantum ad vocis originem, ea procul dubio Ethnicis debetur. His enim, Pherecydes Syrus, qui vixit tempore Cyri, primus Theologica tractasse fertur, hunc exceperunt Pythagoras, ejus discipulus, ejusque sequaces, qui Pherecydem, *Theologum* ἐξόχως salutarunt. Vid. Plin. *Hist. nat.* lib. VII. cap. & Diog. Laert. in vita Pherecydis. Alii ad Musæum Eumolphi filium referunt, quem Platonici, τὸν θεολόγον, emphatice dixerunt. Etiam de Homero, Philostratus *in Heroïcis*, testatur, quod ipsum Orpheum, in multis ad Theologiam pertinentibus, superaverit. Hi Gentiles, hos qui de Deo differebant, θεολόγους, appellabant; quæ differebant, θεολογούμενα; & scientiam eorum, θεολογίαν. Fuerunt autem hi Theologi, poetæ, teste Aristotele *Metaphys.* lib. 3. Clemente Alexandr. Stromat. lib. 3. Scribebant fere συμβολικῶς, αἰνιγματικῶς seu cryptice, de genitura Deorum suorum: nam Deos suos genitos autumabant. Quicquid sit, vox saltem Scripturis ἄγραφος est, nec ἀντολεξεί, nec κατ' ἀναλογίαν, ibidem exstans. Quo tempore civitatem Christianam consecuta sit, incertum est. Equidem in inscriptione Apocalypseos prostat; sed, præterquam quod dubitetur, num illa inscriptio, auctoritatis sit canonicæ, alia etiam causa, alio sensu, titulus iste Johanni tribuitur, nim. quod ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ θεοῦ Apoc. 1. 2. seu deitatem Christi. Dionysius Areopagita, adeo familiariter utitur hac voce, ac si suo tempore fuisset frequentatissima. Sed ὑπερβολιμαίον esse hunc Scriptorem, omnes fere consentiunt. Apud Originem primo occurrit. Nec tamen, quod ἄγραφος sit, a rebus Christianis, statim est eliminanda, ut nonnullis placet, quia significatum suum, satis nervosè refert, atque ab ipsis rei Christianæ incunabulis obtinet. Cum præsertim ejus παρώνυμον, *Theologus*, Johanni tribuatur in Apocalypseos inscriptione, procul dubio à Theologiâ. Et ejus ingredientia, θεὸς & λόγος, etiam conjunctim, in Scripturis occurrant Apoc. XIX. 13. 1. Pet. IV. 11. Rom. III. 2. Ita autem dicitur, quod sermo sit, non tantum *de Deo*; sed etiam *à Deo* profectus. 2. Pet. 1. 20. Conf. *Owenus, de natur.* Theol. lib. 1. Cap. 1.

Synonyma. XIV. Ejus synonyma, *Hebræis* sunt: חכמה האלהים, *Sapientia Dei*; הידיעה התורית, *Scientia legalis*; תלמוד תורה, *studium legis:* Patribus θεοσοφία, θεοσέβεια, quandoque θεουργία: Scripturis V. Testamenti עבדה, *servitus, cultus*, scil. Dei Exod. XII. 26. Novi. T. λόγια τοῦ θεοῦ. Rom. III. 2. 1. Pet. IV. 11. Hebr. V. 12. ἐυσέβεια 1. Tim. III. 16. ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων 2. Tim. 1. 13. ὑγιαίνοντες λόγοι τοῦ Χριστοῦ 1. Tim. VI. 3. Utrique Testamento, דרך ὁδὸς, *via Dei* Psal. XXV. 4. 12. Matth. XXII. 16. Act. XXIV. 14. Latinis *Religio*, seu à *relegendo*, seu à *religando*.

Homonyma. XV. Interim *Theologiæ* vox, non uni subest homonymiæ, quatenus jam *archetypam* notat, Dei ipsius, de seipso cognitionem; jam *ectypam*, prioris qualecunque apographum. Hanc rursus dispescunt, in *comprehensorum*, qui sunt in patria, in cœlo; & *viatorum*, qui in terris: horum porro Theologia, vel *naturalis* est; vel *revelata*. De quibus obviæ sunt, Locorum communium observationes.

Christiana. XVI. Nobis autem, negotium impræsens est, non cum Theologia *nudè* considerata: sed electe *Christiana*. Quæ Theologiam *revelatam* dicit, ab eo, qui *in sinu Patris est* Joh. 1. 18. Quam συνεκδήμως, textus λόγον τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *sermonem Domini nostri Jesu Christi*, appellat. Quâ continetur, quicquid est Theologicum: seu *pura* nobis innotescat θεοπνευγία; seu *natura* insuper, modo in Scripturis exstet traditum. Neque enim Theologia *naturalis*, quicquam habet, quod non habeat *Scriptura*.

Quæ non excludit naturalem: cujus traduntur A. partes. XVII. Proinde, non excludit *naturalem*, Christiana ac *revelata*; sed, ut numerus major minorem, includit. Quare, sicut revelata *credendis* absolvitur, & *agendis*; ita naturalis, quæ non nisi rudera repræsentat revelatæ, *sciendis* consistit, (quæ suis metaphysicis ac pneumaticis, Philosophi complectuntur) & *agendis*, quæ suis Ethicis, œconomicis ac politicis prosequuntur. Est igitur naturalis Theologia, partim in *intellectu*; qui *cognoscit* verum ac falsum Theologicum; seu theoretice, seu practice: quod, vel perditissimis, modo aliquo rationis usu beatis, largitur Scriptura Rom. 1. 19. 20. Psal. XIX. 1. 2. Act. XVII. 27. Rom. II. 15. partim in *voluntate*, quæ *propendet* in bonum, ut tale cognitum, quod, clamante experientia, nec ipsa respuit barbaries. Interim *naturalem* Theologiam, caute discriminatam volumus, à *Gentili*, quatenus tali: quod hæc falsa; illa vera sit.

B. Usus quadruplex. XVIII. *Naturalis* usus, *quadruplex* potissimum observatur: quorum *primus*, Deum respicit, qui ejus ope, impios reddit ἀναπολογήτους Rom. 1. 20. *secundus*, Gentiles & Atheos, qui ejus operâ, validissime convincuntur Act. XVII. 24. 25. 26. Psalm. VIII. 2. 3. Matth. VI. 26. *tertius*, Theologiam revelatam, quæ, saltem respectu nostri, egregie confirmatur, deprehensa, ex asse consentire, cum Theologia naturali: *quartus* denique, nosmetipsos, qui plurimum redicamur, in *agnition*

tione veri revelati, si deprehendamus, ipsam naturam ei applaudere: atque etiam in *prosecutione boni* ubi ipsa illuc nos invitat natura.

C. Abusus triplex.

XIX. Interim usui, abusus triplex προσέρχεται. Quando (1.) revelatæ substernitur, pro fundamento ac *norma*, adeoque Domina ancillæ subigitur; cum hæc ab illa dirigi debeat 2. Cor. x. 6. (2.) talis fingitur, quæ sufficiat ad salutem: cum extra Christum, quem naturalis ignorat, nulla pateat salutis spes Act. iv. 12. (3.) Theologia quædam *communis* fingitur, quâ quisque, vel citra Christum, fidemque in Christum, possit servari, solius rationis ac naturæ ope: cui ipse Christus obloquitur Joh. xiv. 6. & xv. 5.

Theoretico-practica.

XX. Quamobrem *Christiana* exigitur, quæ Christum implicet Joh. xvii. 3. Jes. liii. 11. sitque *Theoretico-Practica*, hoc est nec *Theoretica* tantum, quæ in veritatis qualicunque contemplatione *quiescat:* nec *Practica* tantum, quæ veritatis *cognitionem*, susque deque habeat (quam Sociniani vellent & Arminiani, quo commodius fidem in Christum, aliaque Religionis fundamentalia, negligant & eliminent; contra, quosvis cognitione Christi, ac fundamentalium Christianorum cassos, in suam societatem pelliceant) sed quæ theoriam cum praxi conjungat, sitque ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *cognitio veritatis, quæ est secundum pietatem* Tit. i. 1. Et *doctrina secundum pietatem*, qua *cognoscimus* ac *facimus* Joh. xiii. 17. cujus partes sint, *fides & charitas.* 2. Tim. i. 13. consentientibus Patribus. Cyril. Hierosolym. Cateches. iv. τῆς θεοσεβείας τρόπος, ἐκ δύο τῶν συνέστηκε, δογμάτων εὐσεβῶν ἀκριβείας, καὶ πράξεων ἀγαθῶν, *cultus divini ratio, duobus his constat: dogmatum piorum, & operationum bonarum præcisitate.* Ita Confessor laicus in Concilio Niceno: γυμνὴν γνώμην appellat, *nudam sententiam, fide & bonis operibus servandam,* πίστει καὶ καλοῖς ἔργοις φυλαττομένην. *Socrat. lib. i. cap. 5.* Imo cujus omnia & singula, aliquam sibi requirant *operationem*, qua, ex sententia Servatoris, quæcunque *novimus, facimus: Quia*, secundum Lactantium, *non potest, nec Religio à sapientia separari; nec sapientia à Religione secerni: quia idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientia; & honorari, quod est Religionis. Sed sapientia præcedit. Religio autem sequitur. Quia prius est, Deum scire: consequens Deum colere. Ita in duobus unaris est, quamvis diversa esse videatur* Lactant. Lib. iv. cap. 4.

Religionum falsarum distributio.

XXI. Repugnat falsa quævis, ac ψευδώνυμος Theologia: seu Christum *nesciat*; seu Christum *mentiatur.* Illam *infideles* profitentur, puta 1. *Gentiles*, quos in *Barbaros* ac *Scythas*, Paulus dispescit Col. iii. 11. 2. *Judæi* moderni, qui Christum, *odio* etiam prosequuntur. *Moderni* inquam, nam Veteres idem reaspe, nobiscum de Christo sentiebant. 3. *Muhammedani*, qui Christum norunt quidem, ac suscipiunt: sed ut *Prophetam* tantum egregium, non Redemptorem θεάνθρωπον. Cui Muhammedem etiam, impostorem vaserrimum præferunt, ejusque placita Alcorano comprehensa, divinis Christi oraculis substituunt. Hanc *haretici*; tum *Veteres*, quos Augustinus recenset, Epiphanius, Danæus, Schlusselburgius aliique: tum *recentiores* ac moderni. In quibus *Primo* sunt *Sociniani*, infidelibus ac Muhammedanis proximi: quod tantumdem hi Christo tribuant, ac illi, quando utrobique ejus deitatem ac satisfactionem inficiantur. *Secundo Anabaptistæ*, qui veram Christi *humanitatem* suggillant, nec sibi satis circa satisfactionem constant, similiter Baptismum infantibus negant, ac circa adultos, quandoque repetunt, &c. *Tertio Pontificii*, qui *Antichristum* sequuntur, & Christo, deitatem quidem largiuntur, & satisfactionem, *verbo*; ast *re*, posteriorem plus satis convellunt, quando mediatores ei construunt; ac proprias satisfactiones, merita bonorum operum, indulgentias papales, & id genus alia, ejus satisfactioni substituunt. Hæreticis *Schismaticos* adjicimus, plerumque in hæresin desinentes, quales sunt, *tum* qui se *Lutheranos* appellant, & Christi *humanam* naturam, vel ubique; vel saltem, in elementis sacræ Synaxeos præsentem; ore manducari, statuunt: *tum* qui *Arminium* sequuntur, alias *Remonstrantes*; sed *quinquarticulani* tantum; Socinizontas enim, seu Apologistas cum Socino collocamus. *Fanaticos*, Enthusiastas, Libertinos, & id genus alios, ne numeramus quidem, quod Atheismum potius, quam Theologiam habeant.

Pars elenchtica.

Quæritur. 1. An Theologia Gentilis, sit vera?

XXII. Quæritur 1. An Theologia *Gentilis*, quam distinximus a naturali, sit vera Theologia? Scriptores gentiles, qui de Theologia & theologicis docuerunt, inter quos eminent Julianus, Porphyrius, Celsus: procul dubio, affirmant: Christiani, Judæi, Muhammedani, & quotquot Scripturam aliquam canonicam admittunt, uno ore negant. Licet enim 1. Nonnulla de Deo habuerit, & de cultu divino Rom. i. 19. 20. & ii. 14. 15. non tamen verum Deum habuit, scil. triunum: nec, quæ de *uno* Deo habuit, pleraque vera erant. Vulgus etiam Gentilium, pro uno, infinitos fere numerabat Deos, in quibus, præter Solem, Lunam aliaque sydera, erant meri homines, illustres subinde, sed frequenter pessimi & sceleratissimi, quin etiam diaboli. Licet etiam 2. Agnoverit Deum esse colendum, ejusque voluntati obediendum; modus tamen colendi, & voluntas Dei, cui obediendum, ipsi penitus fuerunt occulta. Unde factum, quod pueriles, impuros, ac

ac plane horrendos, Deum colendi modos, ſibi excogitarit. Licet 3. Virtutes aliquot docuerit, earum tamen naturam, affectiones & ingredientia eſſentialia: quod nim. in glorificationem Dei, emolumentum proximi, ac ſalutem propriam eſſent deſtinanda: quod, ad præſcriptum voluntatis diuinæ, eſſent componendæ: quod, viribus non propriis; ſed gratia Dei collatis, ſint exercendæ; ignorabat: quin potius, in gloriam & emolumentum proprium, ad præſcriptum mentis cæcæ, & propriis naturæ viribus, eas diſpenſabat. Licet 4. Qualemcunque habuerit, miſeriæ humanæ cognitionem; ejus tamen originem, plane ignorabat, & remedia peſſima, in ſacrificiis, humanis etiam, aliisque deterrimis, ſectabatur. Nec eſt fere, quod pro ſua Theologia, cauſentur Gentiles, quam, quod ſit oriunda, a natura & ratione, cumque ea coincidat. Sed occurrimus: 1. Quod abſque ulla ratione, gratis præſupponant, gentilem cum naturali congruere; cum naturalem a Gentili, dum diſcriminaverimus, per hoc, quod illa vera ſit; hæc falſa. 2. Si demus, a natura profluxiſſe & ratione; negamus tamen a natura integra, & ratione recta promanaſſe; ſed à natura corrupta, & ratione cæca. Quin & 3. in contrarium dicimus, naturam obloqui polytheiſmo, nec rationem rectam admittere, homines quosvis habere pro Deis, eisque cultum religioſum afferere & Deos eo modo colere, quem Gentilis Theologia præſcribit, ut docuimus.

2. An detur Theologia aliqua naturalis? Sententiarum divortia.

XXIII. Quæritur 2. An detur aliqua Theologia naturalis, tum connata, tum acquiſita? Aberrant hîc, in *exceſſu*, qui nimium tribuunt Theologiæ naturali, prout faciunt Pontificiorum Scholaſtici, quando, cum Theologiâ revelata, nil poſſint omnino, ad ſuſtinendam ſuam tranſſubſtantiationem, aliasque ſuperſtitiones, ad ſuam Theologiam Philoſophicam, naturali proximam, confugiunt, de quibus, paulo abhinc: qui Theologiam quandam communem ſomniant, quâ quivis, in ſua Religione ſervari poſſit, ſicut v. g. Thomas Campanella, à quo non procul abludunt Sociniſtæ, quando, paucula tantum, de Deo & Chriſto, creditu neceſſaria, ad ſalutem requirunt: illi qui, ex Platone, rerum omnium ideas, etiam theologicarum, homini connatas tradunt, in quarum contemplatione excitationeque, omne noſtrum ſtudium ponunt; ita ut nihil, pro vero admittendum cenſeant, quod in iſtis ideis, clarâ & diſtincta perceptione, non inveniant: adverſus quos alibi in *Gangræna* noſtra Carteſiana diſputavimus. In *defectu* autem hîc aberrant Sociniani, ut Socinus, Oſtorodus aliique, omnem prorſus naturalem Theologiam, tam *congenitam*; quam *acquiſitam* inficientur, ad hoc, procul dubio, ne hominem cum juſtitia originali, quæ implicabat ſcientiam rerum divinarum Col. III. 10. cogerentur admittere: Huc. & Joh. Crellius, aliique complures ejuſdem farinæ, negata cum Socino Theologia *congenita*, *acquiſitam* tamen, non agnoſcit tantum; ſed & congeſtis argumentis, operoſe propugnat. Reformati utramque, congenitam & acquiſitam, recipiunt quidem; ſed ſic, ut nec *actualem* velint, quæ omnibus ac ſingulis hominibus, uſque ad infantes, & mente captos, adſit actu: nec talem quæ ad ſalutem ſufficiat; ſed talem, quæ ex natura rationali, cuivis concreata, ſepoſita omni revelatione, ſponte naſcatur, eo fere modo, quo ratiocinari, hominibus connatum dicitur. Refellit negantes *naturalem* iſtam Theologiam 1. *Scriptura* Rom. 1. 19. 20. Cap. II. 14. 15. Pſal. XIX. 2. 3. & CIV. Act. XIV. 15. quotieſcunque res divinas tradit, ratione, citra revelationem, Gentilibus perſpectas. 2. *Conſcientia*, naturaliter *excuſans* & *condemnans*, bene aut male geſta Rom. II. 15. 3. *Gentium conſenſus*, navigationibus Luſitanorum, Anglorum, Belgarum teſtatiſſimus. 4. *Experientia*, in tot Gentilium ſcriptis pneumaticis, ethicis, œconomicis, politicis, obvia. Objectiones ἀντιλεγόντων, Theologiam *naturalem* eam tantum refellunt, *vel* quæ per naturam omnibus ac ſingulis *actu*, & *ſemper* coëxiſtat: *vel* quæ ad ſalutem *ſufficiat*, qualem nec nos recipimus: Aut, ex negata *ore* Dei exiſtentia, & optata *corde* non-exiſtentiâ, & *vita* Deum abnegante, conficiunt dari, omni, numinis ſenſu plane caſſos, Conf. Pſal. X. 4. & XI. 1 Tit. 1. 16.

3. An Theologia naturalis ſufficiat ad ſalutem?

XXIV. Quæritur 3. An Theologia naturalis, ſit ſufficiens ad ſalutem? Sunt ab *una parte*, qui ne *utilem* quidem cenſent eſſe: ſic Socinus cum ſuis, eam negans; cui ſic ſatis accedunt Anabaptiſtæ, odio Philoſophiæ: ſunt ab *altera parte*, qui tanti eam faciunt, ut ad ſalutem ſufficiat; ſic Gentiles; ſic olim Pelagiani, quando Patriarchas, ſola lege naturali ſervatos tradunt; ſic Campanella; ſic, ex profeſſo, Libertini. Reformati, *utilem* quidem agnoſcunt, ad convincendos Atheos, demonſtrandam deitatem, & cultum aliquem Dei Rom. 1. 19. 20. Ad Gentilium, & in his, Philoſophorum ἀναπολογησίαν. *Ibid.* verſ. 21. 22. 23. 24. 32. Act. XVII. 24— 1 Cor. XI. 13. 14. ſed ad ſalutem *ſufficere*, nullo modo ferunt. Eo quod; 1. ad *juſtificationem* requiratur, cognitio Chriſti Jeſ. LIII. 10. Item 2. ad *vitam æternam* Joh. XVII. 3. Adeo 3. ut extra Chriſtum, *nulla* ſuperſit *ſalus* Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Et 4. hactenus a Paulo damnetur & rejiciatur Philoſophia, velut κενὴ ἀπάτη *vana deceptio* Col. II. 8. *Spiritus hujus mundi* 1. Cor. II. 12. *ſapientia mundana* verſ. 13. competens hominibus ψυχικοῖς, *naturalibus*. qui non intelligunt ea, quæ ſunt ſpiritus Dei verſ. 14. φρόνημα σαρκὸς, *ſapientia carnis*. quæ non ſubjicit ſe legi divinæ, nec poteſt etiam Rom. VIII. 6. 7. Quin & 5. quod à natura & ratione naſcitur

tur, quæ est corrupta, luscioſa, cæca; non poteſt nobis præſtare Theologiam, quæ ſufficiat ad ſalutem. Nec tamen abnuunt, eidem Reformati, Theologiam naturalem, prout obtinuit, in ſtatu hominis recens inſtituto, ſeu integritatis, fuiſſe ſufficientem ad vitam æternam, ex fœdere naturæ conſequendam: eo quod tum temporis, natura, ex ſapientia juſtitiæ originalis, erat adhucdum integra; nec etiam, abſente peccato, Mediatore, qui per Theologiam revelaretur, eſſet opus. Si quid in contrarium, objectare poſſint Libertini, erit 1. Quod Act. x. 34. dicatur, *omnem ex quovis populo, qui Deum timet, ei acceptum eſſe*, & conſequenter, eum etiam, qui ſola Theologia naturali imbutus eſt. Sed demonſtrandum erat, vel unum, abſque Chriſto, qui in ſola proſtat Theologia revelata, Deum vere timere poſſe; cum *abſque Chriſto, nihil poſſimus* omnino Joh. xv. 5. Si inſtent 2. Exemplo Cornelii Centurionis, quod homo gentilis, adhuc dum extra Chriſtum conſtitutus, dicatur pius, timens Deum, copioſus eleemoſynis, & Deum conſtanter invocans: reſpondebimus, eum, natione quidem, fuiſſe Gentilem; ſed profeſſione Judæum, qui ex Judæorum Theologia revelata, credidit in Meſſiam, licet adhucdum ignoraverit, *quis ſit* ille Meſſias, de quo edocendus erat, miniſterio Petri. 3. Quod Theologia naturalis ſit vera, bona, quippe à Deo oriunda: reponemus, quod eo ipſo, non ſtatim peccatori, ad ſalutem ſit ſufficiens.

Objectiones.

4. Quid ſtatuendum de Theologia Scholaſtica?

XXV. Quæritur 4. Quid ſtatuendum, de Theologia Scholaſtica, mediâ inter naturalem & revelatam, quod revelata tradat, modo & argumentis naturalibus? Per Scholaſticam, hic non intelligimus, revelatam, quatenus traditur modo ſcholis familiari, quo ſenſu, ſuam Theologiam Scholaſticam edidit Alſtedius noſter: ſed Theologiam illam Philoſophicam, quæ obtinet in ſchoſis Pontificiorum, ad ſuſtinendam ſuam transſubſtantiationem, aliaque eorum ſuperſtitioſa, natam ſub Lanfranco Papienſi, cum contenderet cum Berengario, ſuper transſubſtantiatione, cum deficeret paſſim, Auguſtini pariter & Scripturæ auctoritas, quod nihil pro transſubſtantiatione, ſibi ſuppeteret ex Auguſtino pariter & Scriptura; tum quidem modeſtior: ſed poſtmodum, excogitatis terminis Philoſophicis horridioribus, paulatim impudentior, uſque ad Petrum Lombardum, in libris quatuor *ſententiarum*, inde ad Albertum Magnum, ejusque diſcipulum Thomam Aquinatem, à quo, abſque ullo pudore, non duntaxat, horridiores iſti termini Philoſophici, immenſum aucti ſunt; ſed inſuper, ſepoſitis Scripturis, capita fidei, rationibus philoſophicis demonſtari, & Ariſtoteles, Averroës aliique, Scripturis æquari, ſi non præferri, cœperunt. De hac Theologia Scholaſtica, jam quæritur, quid ſtatuendum? Pontificii communiter, cum in Scripturis nihil inveniant ſubſidii, in capitibus de transſubſtantiatione, monarchia Papæ, ſatisfactionibus ac meritis propriis, aliisque omnibus papalibus; confugiunt ad ſubtilitates Philoſophicas, & dumeta terminorum horridiorum. Reformati communiter, cauſis jam notatis, rigide proſcribendam cenſent, quibus, in ſumma rei, ſe jungunt, ex Pontificiis elegantiores, Eraſmus, Canus, Petavius aliique. Nec tamen deſunt è Reformatis, qui via media, cenſent incedendum: nec omnino ſervari; nec omnino eliminari debere; ſed purgari a ſuis nævis debere, tum ſervari poſſe. Quod uſum habeat 1. In contentionibus cum Pontificiis, quippe cum quibus, parum ſolide ac feliciter congredieris, ſi ſtylum, artes & dumeta eorum ignores. 2. In convincendis Gentilibus & Atheis. 3. In confirmandis circa ipſam veritatem revelatam, animis. Potiſſimum 4. in his quæſtionibus, quarum terminus alter eſt Theologicus, alter Philoſophicus.

Argumenta affirmantia.

Fontes ſolutionum.

Pars practica.

XXVI. Cum itaque *Chriſtiana* tantum, *Chriſtianis* inculcari debeat Theologia, eique ἐυπερίστατος ſit, totuplex *falſa* ac ψευδόνυμος: id nobis *primo*, incumbit pro officio, ut illam ab hac, caute *diſcriminemus*. Quod (1.) Scriptura præſcribit. 1. Theſ. v. 21. 1. Joh. iv. 1. Hebr. v. 14. Phil. i. 9. 10. (2.) Res ipſa ſuadet, quod turpiſſimum ſit, pariter & perniciosiſſimum, in re tanti momenti, falli & circumagi Eph. iv. 14. (3.) Erroris ac ſeductionis periculum, undequaque imminens, urget. Imminens inquam, à *Satana* ſeductore, qui *occæcat*. 2. Cor. iv. 4. 2. Cor. xi. 3. à *Pſeudo-Prophetis*, Satanæ pararis Matth. vii. 15. à *mentis* propriæ lubricitate, cæcitate, & hebetudine 1. Cor. ii. 14. Eph. iv. 12. ab *errorum* varietate, ac fuco, quo μόρφωσιν geſtant ἐυσεβείας, ſeu genuinæ Theologiæ 2. Tim. iii. 5. Ut *ſenſus* hîc requirantur exercitatiſſimi, πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε, καὶ κακοῦ, *ad diſcretionem boni & mali*. Hebr. v. 14. & ἐπίγνωσις, καὶ πᾶσα αἴσθησις, πρὸς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα *cognitio, & omnis ſenſus, ad diſcriminanda ea quæ differunt* Phil. i. 10. (4.) Momentum veræ ac falſæ Theologiæ conſtringit, à quâ æternum pendet animæ, ſeu exitium, ſeu ſalus 2. Petr. ii. 1. Joh. vi. 68. Iſtud autem ſcrutinium, quo ſuccedat ex voto: requirit 1. *Scripturam* habeamus in promptu, lydium lapidem Jeſ. viii. 20. Gal. vi. 16. & ea 2. *Analogiam* fidei Rom. xii. 6. ac ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, *formam ſanorum ſermonum* 2. Tim. i. 13. Atque inſuper 3. *peculiaria* quædam κριτήρια; quæ accuratius, vix quiſquam deſignaverit, quam *textus* noſter, juxta paragraphum ſecundum: quibuſcum collata ψευδόνυμος quævis Theologia, deprehendetur. 1. ἄγραφος, ſeu ἑτεροδιδασκαλῶν, *aliter docens*

Prima praxis, exploratio-nis. Motivæ.

Signa & modus.

docens. Aut 2. non *adæquata*, ſeu non περισερχομένη ὑγιαίνουσι λόγοις Χριστῦ: *congrediens ſanis ſermonibus Chriſti:* ſive *addendo*, quo nomine potiſſimum, *Papiſmus* corruit, additis eis, traditionibus infinitis; ſive *detrahendo*, quo nomine Sociniſmus concidit, tollendo Trinitatem, ſatisfactionem, aliaque fundamentalia. Aut 3. *Abſque Chriſto*, non tradens, λόγους τῦ Χριστῦ, *ſermones de Chriſto*, quo nomine corruit Ethniciſmus, Judaiſmus, Muhammedaniſmus, quatenus non ſervant ſermones de Chriſto. Aut. 4. parum καθ' ὑσότεσιαν, quo potiſſimum nomine, *ſchiſmatica* laborat, Lutheranorum Arminianorumque Theologia: quatenus, *vel* nimium *extollunt hominem*, ejuſque arbitrium, opera, perfectionem; *deprimuntque Deum*, ejuſque gratiam & miſericordiam in Chriſto, quod cum Pelagianis, Pontificiis, Socinianis, facit Arminianiſmus: *vel deſperandi* anſam porrigunt, ſtatutis, de omnimoda *perfectione*, totali ſanctorum *apoſtaſia*, *dubitationibus* perpetuis de ſalute. Quod, cum jam deſignatis, ſaltem ſanctorum totali apoſtaſia tenus, facit etiam Lutheraniſmus: *vel ſecuritati* carnali habenas laxat, gratia Dei *univerſali*, *univerſali* Chriſti ſatisfactione, quæ omnibus ex æquo conducant: quo nomine cum cæteris, fides *Lutherana* comprimis laborat: *vel* ſalutis viam pandunt, cui parum convenit, ſeu cum *juſtitia*; ſeu cum *miſericordia* Dei: quo, via Sociniana perit, miſericordiam committens cum juſtitia. Theologia igitur *Reformata*, omnium exactiſſime, Apoſtolicis iſtis orthodoxias notis, περισέρχεται, teſtante ad oculum inductione. Plura, de *Veritate Religionis* Chriſtianæ, habent *Mornæus*, *Ludovicus Vives*, *Hugo Grotius*, & nuper *Huetius* in *Demonſtratione Euangelica.*

Secunda praxis, de vitanda quavis falſa Theologia.

XXVII. Verum, cum non ſufficiat, veram à ſpuria, diſcriminaſſe Theologiam; neceſſum *ſecundo* eſt, deprehenſam quamvis ψευδόνυμον Theologiam, pro ſua conditione, *eliminare* quiſque adnitatur. Quid autem falſâ intelligamus Theologia, è præcedenti paragrapho, hîc præſupponimus, quamvis ſcil. ἑτεροδιδασκαλίαν, *aliam doctrinam.*

Ubi perſonæ obſtrictæ.

Urget iſtud officium 1. veritatis Chriſtianæ *Præcones* Tit. III. 10. 11. Act. XV. 2. Gal. II. 11. 14. Urget 2. *Magiſtratum* 2. Reg. X. 25. Cui, vel mortis ſupplicio, quondam obniti præſcriptum Deut. XIII. 5. & XVIII. 20. 1. Reg. XVIII. 40. Urget 3. *Quoſvis*, veritatem Chriſtianam profeſſos Matth. VII. 15. Rom. XVI. 17. 2. Theſſ. III. 14. 2. Tim. II. 16. 17. Tit. III. 10. 11. 2. Joh. verſ. 10. Obnitendum vero (1.) Quod nitatur, *evertere* Euangelium Chriſti. Gal. I. 7. (2.) Viam veritatis *blaſphemet* 2. Pet. II. 2. (3.) *Faſcinet* homines, ut *veritati non obſequantur* Gal. III. 1. (4.) *Evertat* Eccleſias Act. XV. 24. Gal. I. 7. & V. 10. 12. (5.) Sit *exitialis* 2. Pet. II. 2. 3. (6. *Exoſa* Chriſto, Apoc. II. 6. 15. Quamobrem, *miniſtris* quidem *advigilandum* gregi Act. XX. 29. 30. 31. Apoc. II. 2. 6. *refutando* ἑτεροδιδασκαλοῦντας 2. Tim. II. 16. 24. Tit. I. 9. Exemplo Stephani Act. VI. 9. &c. Pauli Act. IX. 22. Pauli & Barnabæ Cap. XV. 2. Apollo Cap. XVIII. 28. Petri 2. *Epiſt.* III. 4. &c. *Confirmando* ſuos in veritate Chriſtiana Act. XIV. 19. 22. *Retrahendo* ſeductos Gal. I. 6. 7. *Magiſtratibus* autem, ut auctoritate ac vi politicâ, compeſcant, ut ſupra docuimus, *nutricios* agant Eccleſiæ. Jeſ. XLIX. 23. *Quibuſvis* denique, ut ſolicite ſibi *caveant* Matth. VII. 15. animum in veritate, adverſus errores *obfirment*, ne, *velut pueri*, *fluctuent & circumferantur*, *quovis vento doctrinæ* Eph. IV. 14. *Analogiam fidei*, ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, *formam ſanorum ſermonum*, & capita catechetica, locis Scripturæ bene munita, habeant in promptu 2. Tim. I. 13. &c.

Rationis ob quas.

Modus, **ac media quibus.**

Tertia praxis de ſtudio veræ Theologiæ. Ubi: Cognitionis gradus.

XXVIII. Eliminatâ autem falſa quavis Theologia, neceſſum *tertio*, veræ ac Chriſtianæ, *cura & ſtudium* indefeſſum ſuccedat, apud omnes qui Chriſtum profitentur. Quamvis enim rerum Theologicarum cognitio, quam hîc obtinent quivis, ad futuram ſaltem collata, ſit ἐκ μέρους, *ex parte* tantum, ac velut δι' ἐσόπτρου, ἐν αἰνίγματι, *per ſpeculum*, *in ænigmate* 1. Cor. XIII. 12. attamen gradus admittit, à quibus *infantes* audimus, aut *adulti* 1. Cor. III. 1. 2. Hebr. V. 12. 13. 14. Scil. (*a*) Pro ratione *temporum*, & *illuminationis* gradibus: unde diſtinctior exigitur, jam ſub *Novo* Teſtamento; quam ſub *Veteri* quondam Joël II. 28. 29. 1. Cor. III. 12. 13. Jeſ. XI. 9. Jer. XXX. 34. 16. (*b*) *Mediorum* cognoſcendi, quibus unus locus abundat præ alio Col. III. 16. Hebr. V. 12. 13. 14. quâ ratione, diſtinctior exigitur à nobis Europæis, quam ab Indis: Reformatis, quam v. g. Pontificiis. (*c*) *Perſonarum officiorumque*; major ſcil. ac diſtinctior, in Doctoribus ac Paſtoribus; quam in aliis Mal. II. 7. Hoſ. IV. 6. (*d*) Ipſarum denique *rerum Theologicarum*, quatenus nim. aliæ aliis ſunt fundamentaliores Hebr. VI. 1. 1. Cor. III. 1. 2. Unde, in capita *fidei*, quæ ad *eſſe* Chriſtiani ſpectant: & *Theologiæ*, diſpeſcuntur, quæ ad *bene eſſe* conducunt: quamvis inquam, iſtis rationibus, *gradus* cognitionis, omnino admittendi ſint; omnibus tamen ac ſingulis incumbit, 1. *fundamentalium* & catecheticorum capitum habere, ſibique parare cognitionem Jer. XXXI. 34. In his 2. magis nitantur magiſque proficere, radicari Col. II. 6. 7. Hebr. V. 12. 1. Cor. XIV. 20. Sed nec *quævis* ſufficit, rerum Chriſtianarum cognitio, datur enim (1.) *Perverſa* 1. Tim. I. 4. & cap. VI. 20. ad *contentionem* nata, Ibid. verſ. 4. 5. (2) *Vana*, literalis, ſpeculativa, cerebrum tantum oberrans, nec ad corda penetrans, niſi forte ad inflandum 1. Cor. XIII. 1. & VIII. 1. (3) *Salutaris*, experimentalis, practica, ad interiora contendens, ut cognitarum praxin, inde protrudat, de qua Joh. XIII. 17. Phil.

Quali-tas.

Phil. III. 8. 10. & Cap. IV. 9. Col. I. 9. 10. Apostolo ἐπίγνωσις, *cognitio veritatis secundum pietatem* dicta, ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν Tit. I. 1. In eam igitur cuivis, omnibus viribus enitendum. *Cuivis* inquam, 1. *Doctoribus* ac Ministris, qui Theologiam (*a*) *teneant* 1. Cor. II. 2. Mal. II. 7. Hos. IV. 6. (*b*) *doceant* 1. Tim. VI. 2. 2. Tim. IV. 2. (*c*) *interpretentur* 2. Tim. II. 15. (*d*) *propagnent* Tit. I. 9. (*e*) *applicent* 1. Tim. IV. 2. pro personarum & conditionum varietate Tit. II. 2. 1. Tim. VI. 17. 2. *Magistratibus*, qui A. Theologiam *norint*, *legem* ob oculos habeant Deut. XVII. 18. 19. 20. Jos. I. 8. Psal. XIX. B. Subditis suis *præscribant* 2. Paral. XVII. 7. 8. 9. Jos. XXIV. 14. ad finem usque. C. *Tutentur* adversus inimicos, *nutricii Ecclesiæ*, Jes. XLIX. 23. & IX. 16. & utriusque tabulæ custodes. D. *Propagent* Gen. XVIII. 12. Verbo dicam, Christum hoc pacto *exosculentur* Psal. II. 10. 11. 12. quo politia eorum evadat *Theo*-seu Christo-*cratia*. 3. *Quibusvis* denique Christianis, qui א. veritatem Christianam *admittant* Col. III. 16. ב. Ei operam dent, ut *proficiant* magis magisque Joh. V. 39. Psal. I. 2. ג. Ei *innitantur* 2. Pet. I. 19. ד. Pro suo quisque virili, ad *alios proferant* Col. III. 16.

Subjectum: Ministri. Magistratus. Quivis Christiani.

XXIX. *Rationes*, quæ cunctos huc impellant efficaciſſimæ, suppetunt ab ejus 1. *Præstantia*, qua mille parasangis, quasvis disciplinas post se relinquit Theologia Eph. III. 19. 1. Cor. II. 2. Quam obtinet (*a*) à sua nativitate & *origine*, cœlesti, divina. Gal. I. 1. scil. ἡ ἄνωθεν σοφία Jac. III. 17. quin & nascendi *modo*, plane glorioso 2. Cor. IV. 6. (*b*) ab *argumenti* majestate, quod præstat *Deus*, unde σοφία dicitur τοῦ Θεοῦ 1. Cor. II. 6. 7. Prov. II. 5. *Christus*, unde τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ, ob quod cuncta, ζημίωσιν καὶ σκύβαλα reputavit etiam Apostolus Phil. III. 8. atque omnem etiam aliam scientiam, susque deque habuit 1. Cor. II. 2. Porro Deo *vivendi* ratio Rom. VI. 11. unde *verba vitæ* Act. V. 20. Joh. VI. 68. (*c*) à fine & *usu*, quatenus hominem dirigit ad *vivendum Deo*, glorificandum Deum, consequendam beatam immortalitatem, omnes omnium fines sibi proprios, ad unum communem ac *summum*, absque quo, cuncta exorbitarent. (*d*) à *certitudine* immota, ipsâ quippe Dei ἀψεύστου fide nixa, omniaque sub *formali* (ut loquuntur) ratione infallibilitatis recipiente 1. Cor. XV. 15. Joh. III. 33. quando aliæ quævis scientiæ, lubricâ nonnunquam experientia & ratiocinatione, parantur ac nituntur. (*e*) ab ejus *puritate sanctitateque* Jac. III. 17. tanta scil. ac tali ut & sui possessorem, sanctum reddat purumque Psal. XIX. 9. 10. 2. A *dulcitie* ac suavitate, qua animum mire perfundit ejus possessio Psal. XIX. 9. & CXIX. 103. Prov. II. 10. & XXIV. 13. 14. Job. XXIII. 12. tum ex objecti præstantia; tum ex cognitionis certitudine, oriunda 3. Ab *utilitate*, tam varia & insigni, ut hîc Christi apophthegma possis usurpare: ἑνὸς χρεία, *unum necessarium* Luc. X. 42. & Apostoli, πρὸς πάντα ὠφέλιμος, *ad omnia utilis*, quippe ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς, τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλούσης, *promissionem habens, hujus & futuræ vitæ* 1. Tim. IV. 8. 4. A *necessitate*, planè absoluta, quatenus citra eam, nec *justificationem* hîc Jes. LIII. 11. nec *vitam* posthac, potest consequi Joh. XVII. 3. Imo quævis tua studia, quippe à summo scopo aberrantia, frustra erunt. Ut omnimodam hominis felicitatem, ab hoc studio, non immerito suspendat Psalmus I. 1. 2. 5. Ab *ignorantia* malis, qua (1) alieni reddimur à *vita Dei* Eph. IV. 18. 19. (2) à fœdere gratiæ Jer. XXXI. 33. 34. (3) obnoxii iræ divinæ Psal. LXXIX. 6. (4) gravissimis item Dei judiciis temporalibus Amos. IV. 6. (5) & æternæ etiam condemnationi 2. Thess. I. 8. 9. 2. Cor. IV. 3. Quibus omnibus permoti (6) *Sancti* sub utroque Testamento; Patriarchæ & Prophetæ sub *Veteri* 1. Pet. I. 10. 11. Apostoli & Euangelistæ sub *Novo* 2. Tim. III, 15. Act. XVIII. 24. quin & ipsi *Angeli* cœlites 1. Pet. I. 12. Eph. III. 10. studio rerum divinarum, suis exemplis præluxerunt.

1. A Præstantia. 2. A jucunditate. 3. Ab utilitate. 4. A necessitate. Ab ignorantiæ malis. Ab exemplis.

XXX. Ast vero, ne tanta rationum mole, studium Theologiæ seu Religionis, frustra suaserimus; addenda omnino sunt, comparandæ media. *Primo* igitur, & ante omnia, agnoscendus est, *supremus* ejus *auctor*, ac prima scaturigo, *Deus* Jac. III. 17. unde σοφία τοῦ Θεοῦ, *sapientia Dei* 1. Cor. II. 6. 7. quod sit, tum *de Deo*; tum *à Deo: Christus*, unde λόγοι τοῦ χριστοῦ 1. Tim. VI. 3. *Spiritus S.* unde *Spiritus sapientiæ* Jes. XI. 2. Eph. I. 17. A quibus existit, per *revelationem* Patris Matth. XVI. 17. Filii. Joh. I. 18. Spiritus S. 2. Pet. I. 21. per *illuminationem*, ad veritatem revelatam, percipiendam Eph. I. 18. & per *ductum*, in veritate percepta Joh. XVI. 13. Psal. XXV. 5. & CXLIII. 10. Hinc igitur calidissimis precibus expetamus Jac. I. 5. 1. Reg. III. 9. *det* nobis *Spiritum* Joh. XVI. 13. *oblinat collyrio*, oculos mentis Apoc. III. 18. ut scil. videamus *mirabilia in lege Dei* Psal. CXIX. 18. 27. Tum *secundo*, quo certius Theologiam assequamur; nobis ipsis, operam daturis Theologiæ, attendamus: ut simus (*a*.) *reconciliati* Deo, amici ejus. Joh. XV. 15. (*b*.) Deum *reverentes* Psal. XXV. 12. (*c*.) *humiles* corde 1. Pet. V. 5. Psal. XXV. 9. Matth. XI. 25. (*d*.) *stulti* huic mundo 1. Cor. III. 18. Sic constituti, *tertio* instrumenta habeamus in promptu (α) librum *naturæ*, quem pandit, *intus* conscientia Rom. II. 14. 15. *extus* creaturarum contemplatio Rom. I. 20. Psal. XIX. 1. Tum (β) librum *Scripturæ*, qui Theologiam, electe Christianam ac revelatam, pandet Psal. XIX. 8. 9. (γ) *ministerium*, institutionis scholasticæ & Ecclesiasticæ Mal. II. 7. Eph. IV. 11. 12. 13. 14. Tum *quarto*, exulet, A. affectata *ignorantia* 2. Pet. III. 5. Prov. I. 22.

Media parandæ Theologiæ. 1. Expetamus ab auctore. 2. Simus instructi requisitis necessariis. 3. Habeamus in promptu instrumenta. 4. Eis utamur solicite. Ubi cavenda.

22. & XXIX. 7. B. vana *curiositas*, & ψευδώνυμος γνώσις 1. Tim. VI. 20. 2. Tim. II. 23. Tit. III. 9. qua perperam ſolliciti ſimus, de *occultis* Dei perveſtigandis Deut. XXIX. 29. aut de his, quæ *nihil ad nos* Joh. XXI. 22. Act. I. 6. 7. aut ſcitu minus ſunt *neceſſaria* 1. Cor. XIV. 1. aut altiora ſectamur, *neglectis elementis* Heb. VI. 1. aut non *acquieſcimus* in dictatis Dei, niſi colludant rationi noſtræ Luc. I. 34. Rom. IX. 19. 20. C. *faſtus* 1. Cor. VIII. 1. *D. ſapientia carnalis* 1. Cor. II. 14. & III. 18. 19. E. *carnales cupiditates*, quæ mentem *excæcant* Eph. IV. 18. perturbando, alliciendo, obfuſcando. Adhibeantur *tandem*, *verbi divini* Pſal. XIX. 7. 8. & CXIX. 130. 2. Tim. III. 15. 16. 17. *lectio* 1. Tim. IV. 15. *auditio* Luc. XI. 28. *meditatio* Pſal. I. 2. *collatio* cum aliis Luc. XXIV. 15. *praxis* Joh. VII. 17. Jac. I. 25. Pſ. CXIX. 99. 100. Apoc. XXII. 7. Joh. XIII. 17. Conf. Ameſ. Caſ. lib. III. cap. II.

Adhibenda.

XXXI De Theologiæ ſtudio *Academico*, ſingulatim, tantum nonnihil, velut acu tangemus. *Primo* ejus præſtantiam, utilitatem, neceſſitatem, ſanctitatem, amplitudinem ac difficultatem, ex dictis pariter & dicendis, plane præſupponemus: Tum *ſecundo*, in Studioſo exigitur εὐφυία Theologica, docilis, laborioſa, pia, Theologiæ congrua: reſultans, tum à *judicii* dexteritate, quæ ſpiritualia poſſit ἀναπρίνειν: tum *memoriæ* fide, qua, tot ac tam varia, poſſit complecti: *affectuum* εὐταξία, puritate & conſtantia, qua non invita Minerva: ſed ſancta quadam proclivitate, in ſacra vergat. *Tertio*, ſcopum Studioſus, præfixum ſibi habeat Theologicum, non opes, non gloriam, non voluptates & otia: ſed gloriam Dei, Eccleſiæ ædificationem, propriam ſalutem. Inſuper *quarto*, in ipſo ſtudio, præcedat propædia triplex, *Philologica*; linguarum: Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Latinæ: *Philoſophica*; Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ, Matheſeos, & Philoſop. practicæ: *Hiſtorica*, quæ topo-& chronographiam, velut duas alas, ſtipulatur. Sequatur *quinto*, quin potius congrediatur, ſtudium Biblicum, *tam curſorium*, reliquis conſtanter aſpergendum; quam *exegeticum* & accuratum, quo contextus inveſtigetur, difficultates obſerventur, enodenturque, commata, tam theoretica, quam practica, producantur. Accedat interim *ſexto*, Theologia dogmatica ac poſitiva; tam *Catechetica*; quam *Syſtematica* locorum communium. Succedat *ſeptimo* elenchtica: *communis*, quæ cum pluribus; pariter & *propria*, quæ cum ſingulis ſingulatim: cum *infidelibus* Gentilibus, Muhammedanis, Judæis Atheis: cum *hæreticis*, Socinianis, Anabaptiſtis, Pontificiis, Fanaticis: cum *ſchiſmaticis*, Arminianis, Lutheranis, Brouniſtis, Independentibus, Colemaniſtis aliiſque congrediatur. Atque etiam *octavo* Practica, *moralis* de virtutibus ac vitiis: *aſcetica*, de exercitiis pietatis: *caſuiſtica* de caſibus conſcientiæ: & *politica*, de gubernatione Eccleſiæ. *Nono* antiquaria, quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam perſequatur, Patres volvat & Concilia, per ſuas ætates. Porro *decimo*, in iſtis omnibus Studioſus occupetur, audiendo, legendo, meditando, orando, pugnando. Idque *undecimo*, certo ordine, qui penſa per annos, per dies, per horas diſpeſcat. Hæc attigiſſe ſufficerit, aliis v. g. Eraſmo, Hyperio, Crocio, Alſtedio, & qui ante omnes numerandus erat, Voetio peculiaribus tractatibus, κατὰ πλάτος expoſita.

Studii Academici xi. Regulæ.

XXXII. Verum, nec ſtudium Theologiæ, utcunque veræ, ſufficit; niſi *quarto*, practicæ & praxi ſerio impendatur. Quamobrem non *Chriſtianam* nude; ſed *Theoretico-practicam* electè, urget Theorema noſtrum. Ea vero non *Ethnicam*, Socratis, Platonis, Scipionis, Ariſtidis, Catonis, Senecæ intelligimus; non *Philoſophicam*, quæ exercitiis ethicis, œconomicis, politicis abſolvitur; non *Phariſaicam*, de qua Joſephus *Arch.* lib. XIII. cap. 18. quæ cœlibatum profitebatur, jejunia crebra, preces, eleemoſynas: à flagitiis tantum abſtinebat, *externis* pietatis exercitiis advigilabat, cum multa auſteritate: non *Eſſaicam*, quæ Phariſaicam ἀκριβείᾳ ſuperabat etiam, teſte Joſeph. Lib. XVIII. c. 2. non *monaſticam* & eremiticam: non quamvis *hypocriticam*. Quæ cuncta, μόρφωσιν habent εὐσεβείας, δύναμιν ἠρνημένα 2. Tim. III. 5. De qua forte ex profeſſo in Cap. de *Hypocriſi*.

Quartus uſus de ſtudio practicæ.

Notæ.

XXXIII. Sed, quæ in omnibus iſtis, & infinitis aliis officiis, & magis *internis* etiam, revera ſit κατ' εὐσέβειαν: h. e. (1.) Non in *externis* ſubſiſtat; ſed ab *interiori* corde profluat Pſal. II. 8. Rom. II. 28. 29. & vera quidem, ac viva fide prædito Rom. XIV. 23. Gal. V. 6. (2.) Contendat, non in *propria* emolumenta, honorem, opes Matth. VI. 1. 2. 3. 4. 5. ſed ad *Dei* gloriam 1. Cor. X. 31. proximi ædificationem Matth. V. 16. propriamque ſalutem 1. Pet. I. 9. (3.) Procedat non ſecundum propria placita Matth. XV. 9. ſed ſecundum præſcriptum divinum Gal. VI. 16. Nec denique (4.) à *naturæ* viribus producatur Joh. III. ſed a *Spiritu* Dei Gal. V. 22.

Motivæ.

XXXIV. *practica* iſtius Theologiæ, & *praxeos* Theologicæ, ſerium *ſtudium*, multa urgent. Quod 1. Chriſtiana Theologia, non *theoretica* ſit, aut theoretico-practica, licet a modo tractandi, ſic eam denominemus: ſed *purè* & ἐξόχως practica. Quod hic præſupponimus, ſuo loco declarandum probandumque. 2. Non tota *tantum* Theologia, διδασκαλία dicatur κατ' εὐσέβειαν 1. Tim. VI. 3. & ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν Tit. I. 1. ac ſpectare ad doctrinam, *correctionem & inſtitutionem in juſtitia*, ut homo Dei, ad *quodvis opus bonum*, ſit ἐξηρτισμένος *perfecte inſtructus* 2. Tim. III. 16. 17. ſed *ſingulæ* etiam ejus *particulæ*, ſua quæque praxi, legantur ſtipatæ, prout per univerſum Theol. corpus, Deo dante, monſtrabimus; uſque adeo, ut πίστις καὶ ἀγάπη 2. Tim. I. 13. ἀκρόασις καὶ ποίησις Jac. I. 22. 23. con-

concurrant, & *finis* παραγγελίας, dicatur *charitas ex mundo corde*, conſcientia bona. 1. Tim. 1. 5. & emergat ὑπακοὴ πίστεως Rom. 1. 5, in praxi item, ſit δύναμις ἐυσεβείας ſeu *Theologia*, quando *nuda* theoria, non præſtat niſi μόρφωσιν ejuſdem 2. Tim. III. 5. 3. à praxi ſuſpendatur ſalus, negata, nudæ theoriæ Joh. XIII. 17. Jac. 11. 22. 29. 4. A *praxi* perinde, & *magis* pendeat convictio ἀντιλεγόντων, quam à *theoria* Jac. 11. 18. 19. atque eorundem etiam converſio 1. Pet. III. 1. 2. quin & magis *tuta*, probata ac ſtabilis, quæ amore praxeos generatur, quam quæ ſolâ theoriâ. Non urgebo, quod 5. Studio theologiæ *practica*, & praxeos theologicæ, calumnias Arminianorum, Pontificiorumque, quibus inutilis, caſſa & mere theoretica, noſtra infimulatur Theologia, quam efficaciſſime reprimamus. Et quod 6. Satanas cum ſuis, non remiſſiore impetu, practicis obnitatur, quam theoreticis: imo, nova indies, & novitia quævis excludat placita 1. Tim. III. 6. ut ſtudium *practicum*, & *praxin* ſtudii ſecludat.

Media parandæ Theologiæ practicæ.

XXXV. Parandæ huic practicæ Theologiæ, propagandæque *adminicula* mutatis mutandis ſuppetent â §. XXXIV. Unum tamen atque alterum, ſtudio practico magis peculiare, ſubjungemus.

primum. 1. *Studium verbi* divini, aſſiduum ac *practicum*, huc perquam conducit, ut *homo Dei*, *ad omne opus bonum*, reddatur ἐξηρτισμένος 2. Tim. III. 17. Si comprimis, eo non quæratur, veritatis *cognitio* tantum; ſed vis quoque & *efficacia*: addaturque auctorum quorumvis; tum veterum, tum recentiorum, comprimis Belgarum & Anglorum πραχτικωτάτων lectio: & in locos communes digeſtio. 2. Studium Theologiæ *experimentale*, quo non *ſciamus* tantum; ſed *ſentiamus* quoque, vim & *efficaciam*, capitis cujuſque Theologici. Unde ἐπίγνωσιν καὶ πᾶσαν αἴσθησιν, Apoſtolus conjungit Phil. 1. 9. qua *guſtemus* pariter, & *videamus*, *quam bonus ſit Dominus*, quam *beatus*, *qui ſperat in eo* Pſal. XXXIV. 9. Neque enim alio inſtrumento, felicius conſecutos exiſtimo ſuam praxin, artifices; quam quod animum ſuum probe inſtruxerint *ſenſu* veritatum Theologicarum; tum, quæ ſentiebant, *comparaverint* cum Scripturâ; utrumque denique conjecerint in chartam. Quamobrem eos, Lutherus, optimos pronunciabat ſermones ubi concionator, *ſentit quæ loquitur*, & *loquitur quæ ſentit*. 3. Studium Theologiæ *exemplaris*, qua non tantum ſentias *tibi*; ſed *aliis* quoque exponas in exemplum, ut & ipſi ſentiant. Quod Eccleſiaſticis comprimis, commendat Apoſtolus Tit. II. 7. *Supra omnia*, *ſeipſos præſtent exemplum bonorum operum*, *in doctrina*. Neque, teſtimonio Lutheri, profundius *penetrat in cor*; quam quod *exprofundo* profiliit cordis. 4. Si pro Capitum theologicorum enarratione, non dogmatica tantum, & elenchtica; ſed *practica* quoque, ex profeſſo tradant Theologi. Addam 5. ſi pro examinibus Candidatorum, non dogmaticæ tantum & elenchticæ; ſed *practica*, etiam & praxeos, exigantur ſpecimina.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

THEOREMA TERTIUM.

De Definitione Theologiæ.

Pars dogmatica.

Theologia eſt Doctrina vivendi Deo per Chriſtum.

XXXVI. Theologia iſta Chriſtiana, theoretico-practica, non eſt, niſi *doctrina vivendi Deo per Chriſtum*; ſeu *doctrina*, *quæ eſt ſecundum pietatem* 1. Tim. VI. 3. item *cognitio veritatis*, *quæ eſt ſecundum pietatem* Tit. 1. 1. Unde etiam θεοσέβεια & θεοζωία quin & θεωγία, Patribus nonnunquam indigitatur; congruenter Scripturæ, quando 1. *verba vitæ*, eam appellat Joh. VI. 68. Act. V. 20. 2. Theologiam habitualem, ſeu *artificium* Theologicum, exprimit per τὸ *vivere Deo* Rom. VI. 11. 2. Cor. V. 15. Rom. XIV. 7. 8. Col. III. 3. 4. Phil. 1, 20. 21. 3. Tota eſt occupata in *vita* hominis formanda, eaque dirigenda Deum verſus; uſque adeo, ut in hoc, omnia in Scripturis obvia, velut in centro, confluant ac colliment, ſitque illud quaſi generaliſſimum earundem *argumentum*, à quo rectiſſime definiatur, *doctrina vivendi Deo per Chriſtum*.

probatur Scripturis.

Confirmatur rationibus: Prima.

XXXVII. Huc *primo* præſupponemus: (*a*) Omne *ſcibile complexum*, quod plurimarum concluſionum, eòdem ſpectantium, σύνταγμα admittit; ſcientiam, ſeu *diſciplinam* quandam conſtituere. (*b*) τὸ *vivere Deo*, eſſe hujuſmodi ſcibile, per parag. præcedentem. (*c*) Nec tamen, ſub alterius cujuſvis diſciplinæ objecto comprehendi: nulla enim datur ſcientia, quæ doceat *Deo vivere* per Chriſtum, præterquam Theologia Chriſtiana: è quo conficitur, eſſe hoc, citra dubium, verum ac *proprium* ejus negotium. Et cum nihil proſtet in Theologia, quod non huc vergat, ut hominis *vita* dirigatur verſus *Deum*; vel ſub ratione *finis*; vel ſub ratione *medii*: manet etiam indubitatum, hoc eſſe objectum *adæquatum*, ac proinde, Theologiam nihil aliud eſſe, quam *doctrinam Deo vivendi per Chriſtum*. Pro *ſecundo*, *item* præſupponimus: 1. Cum Deus omnia condiderit propter *hominem*, & hominem propter *ſe*, ut ipſe *finis* ſit ultimus hominis, & omnium actuum humanorum; neceſſum eſſe, dari doctrinam aliquam, quæ illuc hominem cum ſuis dirigat. 2. Nullum dari diſciplinam, quæ hoc ſibi ſumat agendum: dum quælibet ſubſiſtit, in fine ſibi *peculiari* v. g. *Medicina*, in felicitate corporis humani, ſeu *ſanitate*: *Ethica*, in beatitudine morali *ſolitaria*: *Politica*, in beatitudine ſociali *civitatis*: *Oeconomica* familiæ, & ſic porro in omnibus. Equo conficimus, ſolam Theologiam, omnium fines cuique *proprios*, ad *commu-*

Secunda.

nem

nem quendam, ac ſummum, digirere, Deum ſcil. ut in hoc, Deus quidem ſua potiatur *gloria*, in Deo autem gloriaque ejus, nos perfecta *beatitudine*; quæ in hoc coëunt, ſi *vivamus Deo*. Quibus pro
Tertia. 3. poſſemus adjicere, quod in hac, omnes coincidant definitionis leges. Explicat enim *vivere Deo*, ipſam definiti ſeu Theologiæ eſſentiam, eſtque ei *adæquata*, quando nihil habet Theologia, quod huc non ſpectet; nec huc quicquam ſpectat, quod Theologiæ non competat. E quo, non poteſt non emergere, quod *doctrina vivendi Deo per Chriſtum* maxime genuinam præſtet Theologiæ definitionem.

Quod & quare doctrina appelletur. XXXVIII. Eſt igitur Theologia, *doctrina* Jeſ. 11. 4. & cap. 11. 3. Pſal. xix. 8. Unde διδαχὴ & διδασκαλία paſſim indigitatur, item τύπος διδαχῆς Rom. vi. 17. διδασκαλία καθ' ἐυσέβειαν 1. Tim. vi. 3. Conf. Joh. vii. 16. 17. 1. Tim. iv. 6. *Doctrinam* autem dicimus, non quod habituum philoſophicorum, intelligentiæ, ſcientiæ, ſapientiæ, prudentiæ, artis appellationes, reſpuamus. Videmus enim, promiſcue in Scripturis, modo *intelligentiam* Prov. 11. 6. Col. 11. 2. modo *ſcientiam* Mal. 11. 7. Jeſ. LIII. 11. 2. Cor. VIII. 7. modo *ſapientiam* 1. Cor. 1. 21. & 11. 6. Jac. III. 17. modo *prudentiam* Prov. 1. 2. 3. Eph. 1. 8. deſignari, & pro *arte*, q. ἰσοδυναμῶς, *ſenſus* commemorari, *exercitatos ad diſcretionem boni ac mali*, Hebr. v. 14. Non quod ulli, iſtorum habituum fic aſtringatur, ut reliqui *excludantur*; ſed quod omnium perfectionem, καθ' ἐξοχὴν *concludat*; quo nomine, latiori *doctrinæ* voce uti malumus, qua omnes poſſint comprehendi. Subeſt tamen & alia hujus appellationis ratio, quod nim. S. Theologia exiſtat ἐξόχως, per *doctrinam* ſeu revelationem Jeſ. 11. 4. Matth. XVI. 17. Joh. 1. 18. Gal. 1. 11, 12. Ubi contrà, aliæ quævis ſcientiæ, naturæ & indagini humanæ ortum debent, quando eorum principia, nobis ſunt connata; quæ ſenſu, obſervatione, experientia, comparatione, inductione, excoluntur, & ad ſuam perfectionem promoventur: dum interim Theologiæ ſalutaris, *qua* talis, principia ſolida, natura nobis non inſunt, nec ſolo ſtudio, induſtriave poſſunt excoli, aut ad ullam perfectionem promoveri Matth. XVI. 17. Addo, pro tertia ratione, quod non tantum *ſyſtematica* Theologia, ſeu præcepta Theologica; ſed etiam *habitualis*, ſed *artificium vivendi Deo*, præceptis natum, nitantur *fide divina*, atque adeo *doceri*, ſeu revelari à Deo neceſſum habeant. *Docetur* autem hæc
Quomodo docetur. *doctrina*, partim à *Deo*: *revelatione* extùs Gal. 1. 11. 12. & *illuminatione* intùs Eph. 1. 17. 18. de quo ſupra; partim ab *hominibus*, qui hinc *Doctores* deſignantur Eph. IV. 11.

Theologiæ objectum eſt vivere. XXXIX. Eſt porro doctrina *vivendi*, & vivendi *Deo*, Deo *per Chriſtum*. *Vivendi* inquam, quod Scripturis dudum probavimus ex Rom. VI. 11. Joh. VI. 68. Act. v. 20. jam confirmamus rationibus. Quia nim. 1. Nulla datur diſciplina, quæ *vitam* univerſim formet, moraliter ſeu ſpiritualiter; proinde Theologiæ hoc relinquendum. 2. Verbum Dei, & Spiritus S. juxta verbum, præceptis Theologicis, non hunc tantum aut illum, format vitæ noſtræ actum; ſed univerſim omnes 1. Theſſ. v. 23. 2. Tim. III. 16. 17. 3. Nobiliſſima diſciplina, occupari neceſſario debet, circa nobiliſſimum objectum: aſt nobilius non datur *vita* Joh. 11. 4. quoniam eſt *univerſaliſſimus* actus, qui reliquis omnibus, pro fundamento ſubſtruitur, ſic ut nullus abſque vita conſiſtat.

XL. Verum non *vivendi* tantum; ſed *Deo* vivendi doctrinam dicimus, juxta ea, quæ ex Scriptura notavimus §. XL. Vita enim noſtra, cum *Deum* verſus, dirigi neceſſario debeat, ut ſupremum & ultimum finem 1. Cor. x. 31. Phil. 1. 21. abſque quo omnes actus ejus exorbitabunt; neque tamen eò dirigatur, ab ulla alia diſciplina; neceſſum omnino habet, à Theologia dirigi. vivere. Deo.

Quotuplex vita. XLI. Eſt autem vita, quam Deum verſus dirigit, triplex: 1. *Naturæ* Gen. 11. 7. ab unione animæ & corporis oriunda, qua ſe movere *naturaliter* homo poteſt. 2. *Gratiæ* Gal. 11. 20. ab unione juſtitiæ originalis, cum anima profluens, qua ſe movere poteſt, *ſpiritualiter* ſeu moraliter. 3. *Gloriæ* Joh. XVII. 3. ab unione & communione totius hominis cum Deo reſultans, unde *beate* agit. Vita *naturæ*, quamvis, ratione *actus primi*, proprie non ſubſit præceptis Theologicis; illa tamen propter actus *ſecundos*, pro re nata, in præmium aut pœnam, ob bene-aut male-facta, ſeu tollitur, ſeu affligitur, ſeu prorogatur 1. Tim. IV. 8. Exod. XX. 12. actus tamen *ſecundi*, vegetativi, ſenſitivi & rationales, diriguntur ac flectuntur regulis Theologicis, Deum verſus. Vita *gratiæ*, tam quoad actum ſuum *primum*; quam quoad actus *ſecundos*, magis *directe*, legibus Theologiæ ſubeſt: quatenus vita & mors *ſpiritualis*, tollitur ac reſtituitur, peccato ac fide Eph. IV. 18. & 11. 5. 6. Quatenus item, bona opera 1. à vita *gratiæ*, ſeu à fide, per regenerationem collata, proſilire Joh. III. 5. 6. Rom. XIV. 25. Heb. XI. 6. 2. in *gloriam* Dei, dirigi Gal. 11. 19. 20. 1. Cor. x. 31. Phil. 1. 20. 21. 3. ad præſcriptum *voluntatis* Dei componi, neceſſum habent 1. Pet. IV: 2. 6. vita *gloriæ*, tota pendet ex directione Theologiæ Joh. XVII. 3. 1. Pet. 1. 9. ſic ut illa inchoetur hîc, per vitam gratiæ, & conſummetur poſthac, in cœlis Joh. III. 36. & v. 24. 1. Joh. III. 15. nec diſtet ab illa, niſi gradibus Vita naturæ. vita gratiæ. vita gloriæ.

XLII. Verùm, nec hoc ſufficit ad Theologiam *Chriſtianam*, ut Deo vivamus, niſi hoc fiat *per Chriſtum* Rom. VI 11. Per hoc enim 1. Theologia noſtra, diſtat à Theologia *Protoplaſtorum*; cum primum eſſent creati: item à Theologia *naturali*; & à ψευδονύμῳ quavis, quæ non habet Vivere Deo per Chriſtum.

ὑγιαίνοντας λόγῳ Χριστῷ. Tum. 2. citra Christum, non possumus *vivere* Deo Gal. II. 20. Joh. xv. 5. Nec 3. si possemus, Deo gratum foret, extra Christum Eph. I. 6. *per Christum* autem Deo vivimus, quatenus (*a*) in Christo demum, vita nostra, Deo *placere* potest Eph. I. 6. illo videlicet, *in quo Pater sibi complacuit* Matth. III. 17. (*b*) Christus suo *merito*, Spiritum nobis impetravit Joh. XVI. 7. cujus opera, *vivificamur* Rom. VIII. 2. II. *agimur* Vers. 14. futuri alias, in peccatis mortui, hoc est, ad omne opus bonum inepti, contra, ad omne malum proclives. (*c*) Christus, fide nobiscum unitus (1) nos vivificat, mortuos Eph. II. 4. 6. 7. (2) *vires* vivendi communicat, ut radix trunco, caput membris Joh. xv. 4. (3) communicatas exerit, & in actum promovet, fœcundas facit. Ibid. vers. 5. (4) Deo vivendi leges præscribit Matth. v. 2. (5) suo nobis exemplo præit Matth. XI. 29. Phil. II. 5. Ipse denique (6) in nobis *vivit* Gal. II. 20. omnesque nostras facultates, sic obsidet, ut, in omnibus semper ubique, vigeat & eluceat Christi humilitas, obedientia, sanctitas, justitia, vitaque Christi, omni ista ratione, *manifesta* in nobis fiat 2. Cor. IV. 11.

Quot modis fiat.

Porisma primum de fine Theologiæ.

XLIII. Ex dictis patet *primò*, cum Deo vivere duo complectatur, εὐζωίαν & εὐδαιμονίαν: *bene* vivere, & *beate*; quorum prius, Dei gloriam respicit, posterius, nostram salutem: statuendum de *finibus* Theologiæ, quod, *summus* quidem, sit *gloria* Dei 1. Cor. X. 31. Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. ei *secundus*, nostra salus 1. Pet. I. 9. Quamvis duo isti fines, nom tam *re.*; quam *ratione* distent: cum nostra salus non sit, nisi in glorificatione Dei, quando, per unionem & communionem nostri cum Deo, ejusque fruitionem, in qua salus nostra consistit, Deus ipso facto agnoscitur, ac celebratur, velut summum nostrum *bonum*, & ultimus noster *finis*. Unde facilis est responsio ad quæstiones: 1. num liceat agere propter salutem, velut *summum* suum finem? R. Quod omnino liceat: cum, procul omni dubio, liceat propter Deum agere, seu ipso *facto*, Deum habere pro *summo fine* suo. Item 2. annon potius debeamus sectari gloriam Dei, quam vitam nostram? quam salutem propriam? R. Dum sectamur salutem propriam, sectamur eadem operâ Dei gloriam; quatenus tamen, conceptu differunt duo ista; omnino prius nobis spectanda Dei causa, quam proprium commodum. Ast 3. videbitur nimium mercenarium, Deo vivere *propter mercedem*; R. Utique propter mercedem *proprie* dictam, seu de *congruo*, seu de *condigno*, etiam propter mercedem à Deo *diversam*; nequaquam autem mercenarium est, quando ipso facto, *Deum* habemus pro summo fine, & pro mercede nostra Gen. xv. 1.

Casus aliquot.

1.

2.

3.

Ejus objectum.

XLIV. *Secundo* objectum, cui formando, præcepta Theologica, occupentur, Nim. *intellectui* primo, quo cultus existat λογικὸς Rom. XII. 1. tum *voluntati*, seu cordi Matth. xv. 19. Prov. IV. 4. 23. & XXXIII. 26. Denique *toti vitæ*, omnibusque ac singulis ejus actibus humanis, quatenus quidem illi, dirigi possunt ad Deum. Est enim artificium Theologiæ, habitus totius hominis, quo fertur ad Deum habendum, & secundum voluntatem ejus, inque ejus gloriam, agendum. Unde *totus* homo *sanctificari* dicitur, omnesque partes 1. Thess. v. 23. Imprimis tamen *voluntas*, principium *imperans* omnium actionum spiritualium.

XLV. *Tertio*, quanta sit Christianæ Theologiæ ὑπεροχὴ. Licet enim ordine *doctrinæ*, pro nostro proficiendi modo, sit *postrema*; ordine tamen *naturæ dignitatisque*, facilè *primas* obtinet, & quoad summum finem, omnium est directrix & architectonica, à Deo singulariter profecta, de Deo ac rebus divinis agens, ad Deum tendens, hominemque perducens. Quibus nominibus non minus recte θεοζωία, aut θεουργία quam θεολογία insignitur, quibus addi possunt, quæ in hanc rem, jam ante diximus Parag. XXXIII.

Præstantia.

Pars elenchtica.

XLVI. Equidem, Theologiam esse *doctrinam Deo vivendi per Christum*, inter Christianos, qui inficietur, opinor, non est; licet alio atque alio modo definiant, verbis magis, quam rebus diversos, quos modo non exagitabimus. Quamobrem pro controversiis, *problema* unum atque alterum, inter ipsos Orthodoxos, in hujusmodi vestibulis agitari solitum, attingemus potius, quam excutiemus. *Primo* itaque disquiritur: An de Theologia usurpari possit, unus aliquis ex habitibus intellectualibus Aristotelis ad Nicomach. *Ethic. lib.* VI. seu, an Theologia dici debeat *sapientia* potius, an *prudentia?* &c. Sunt, qui, per *sapientiam* definiunt, scil. perfectissimam disciplinam, per perfectissimum habitum. Sic placet his, qui Theologiam volunt esse disciplinam *theoreticam*: sunt qui malunt per *prudentiam*, hi nim. qui *practicam* volunt esse Theologiam: sunt qui neutrum admittunt, quod sit habitus, non *naturalis*; sed *supranaturalis*: sunt, qui *omnes* habitus Aristotelis, ei convenire statuunt; eo quod Theologia sit *intelligentia*, quatenus in principia fertur, simplici apprehensione: *scientia*, quatenus ex principiis, educit conclusiones, ratiocinando: *sapientia*, quatenus principia construit cum conclusionibus, modo perfectissimo: *prudentia*, quatenus sua dirigit, ad actionem *immanentem*: & *ars*, quatenus ad *transeuntem*. Tutissime medium dixeris, scil. *nullum formaliter*, ita loquar, ut excludat alios *omnes eminenter*, quod omnium perfectiones absorbeat. Hinc accuratissime, per *doctrinam* definivimus, quæ omnes implicat, & ad nullum restringit.

Problemata.

1. An sapientia an prudentia sit Theologia?

XLVII. *Secundo*, quodnam *objectum*, Theologiæ

2.

Quodnam objectum ejus?

logiæ competat? Sunt qui Deum contemplandum, a quo *Thelogia* denominatur: sunt qui *Deum* malunt & *opera* ejus: sunt qui *cultum* ejus adjiciendum censent. Res dirimi possit, distinguendo, inter objectum *primarium*, & sic Deus erit; & *adæquatum*, & sic nequaquam erit. Commodissime loqui videntur, qui nobiscum, *Deo vivere per Christum* præferunt, velut *adæquatum:* quod, ab *una* parte, nihil habeat, quod ad Theologiam non pertineat propriissime; nec ab *altera*, negligat quicquam, quod ad Theologiam spectet, ut enim Deo *vivamus*, prærequiritur cognitio Dei, & operum ejus; nec sufficit ad Theologiam, ut cognoscamus Deum & opera ejus, nisi accedat *colere* Deum, seu *vivere* Deo per Christum.

3. Sitne habitus Theoreticus, an practicus?

XLVIII. *Tertio* sitne habitus *theoreticus?* an *practicus?* an *theoretico-practicus? Theoreticum* hîc dicimus, non quod plane *non agit*, omnibus enim disciplinis, sua competit qualiscunque ἐνεργεία; sed quod *sua natura*, non pergit ad agendum, sicut Metaphysica: contrà *practicum*, non quod prorsus *non contemplatur*; sed quod *sua natura* non subsistit in contemplatione, ut Logica, Ethica. Porro πρακτικὸν, hîc distinguimus à ποιητικῷ, quod ποιητικὸν *producat* objectum suum, dum πρακτικὸν actionem tantum exigit *circa* objectum; sic licet Deus produci non possit à nobis ποιήσει; potest tamen circa eum actio elici, dilectionis, venerationis, in qua praxis est. Sunt hîc, qui merè *theoreticam* volunt, sic Aquinas cum suis, quod in perfectissima contemplatione Dei, vertatur salus nostra Joh. XVII. 3. 1. Cor. XIII. 13. Sed perperam: cum non in *sola* cognitione; sed in cognitione *propter dilectionem*, consistat. Ibid. Nec cognitio, Scripturis ea tantum datur, quæ consistit in nuda speculatione cognitioneque; sed talis etiam, quæ dilectionem implicat Psal. 1. 6. Matth. VII. 23. Sunt ex adverso, qui mere *practicam* malunt, prout Scotus cum suis, quam, sano sensu, & nos recipiemus. Sunt porro, qui *nec* speculativam; *nec* practicam dicunt, sed *dilectivam* esse & affectivam, tradunt; rarissimi, quoad, procul dubio, diligere & affectus movere, practica sint. Sunt tandem, qui & theoreticam, & practicam, determinant; quod altera sui parte, scil. quod *credenda*, de Deo, Trinitate, unione personali duarum in Christo naturarum, sit theoretica tantum; altera de *faciendis*, mere practica. Sed minus accuratè: cum subsistere sua natura in contemplando, & insuper, praxin exigere sua natura, contradictionem implicet. Non abnuimus quidem, dari in Theologia, quæ produci non possunt v. g. Deus, Trinitas, unio naturarum in Christo, aliaque, quæ ex hoc non sunt quidem ποιητικὰ; nihil tamen est, *circa* quod non possit elici aliqua actio, a qua non possit dici πρακτική. Nos igitur, ut negamus, Theologiam per omnia esse ποιητικὴν; ita & negamus esse mere θεωρετικὴν; quod omnia ejus, *sua natura* operationem exigant, circa objectum cognitum. Quin & negamus, esse *Theoretico-practicam*, proprie & in se; quamvis, ex *modo tractandi*, ita eam insigniverimus: sed *practicam* dicimus, & ἐξόχως practicam. Quod (*a*) doctrina appelletur *secundum pietatem.* (*b*) scientia citra praxin *vana passim* dicatur 1. Cor. XIII. 1. 2. & Cap. VIII. 1. 2. 3. atque etiam *mortua* Jac. II. 17. (*c*) nihil in Theologia occurrat, quin habeat, seu finis, seu *mediorum* rationem, cujus generis omnia practica sunt. (*d*) omnibus & singulis Theologiæ capitibus, sua praxis, in sacra pagina assignetur. v. g. Scripturæ 2. Tim. III. 16. 17. annunciationi Euangelii 1. Tim. 1. 5. auditui verbi Matth. XIII. 23. Jac. II. 22. 23. fidei 1. Pet. 1. 9. Rom. 1. 5. Sacramentis: cœnæ, τοῦτο ποιεῖτε 1. Cor. XI. 24. Baptismo, *docete eos servare omnia* Matth. XXVIII. 19. 20. & quod vivere Deo, praxis nostra sit, longe perfectissima.

Pars practica.

Primus usus reprehensionis. Ubi: Reprehendi.

XLIX. Proinde *primo*, nec vera *Theologia* est, nec verus *Theologus*, atque adeo, nec genuinus *Christianus*: qui (*a*) seu voce, seu facto, Theologiam ac Religionem Christianam, *sciendi* ac disputandi artem facit; interim *vivendi* peritiam ignorat & negligit, *qui verba Sanctorum habet, non vitam*, ut alicubi Bernardus. Quam etiam, *fatalem* Seneca vocat, *ingeniorum scabiem, ut disputare malint, quam vivere.* (*b*) se Theologum ac Christianum venditat, interim non *Deo per Christum*; sed, vel mundo, vel carni, vel otio; saltem *sibi, vivit.* Aut (*c*) si forte Deo etiam nitatur vivere, non tam per *Christum*; quam per *vires* proprias. Hic sane 1. quamvis acutissimus cluat Doctor, & acerrimus rei Christianæ vindex; non tamen magis est Theologus ac Christianus, quam Orator est, qui non potest dicere: aut Medicus qui non potest medicari: in quem apprime quadrat, teterrimum Apostoli stigma Judaicum Rom. II. 17. &c. Quin potius 2. *mendax* est, qui *dicit & non facit* Matth. XXIII. 3. & VII. 21. dicit *ore* negat *opere* Tit. 1. 16. Atque etiam 3. *vanus* Jac 1. 26. & hypocrita, μόρφωσιν ἔχων εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν ἀπαρνούμενος 2. Tim. III. 5. Imo 4. spiritualiter *mortuus*, quippe qui non novit *vivere* Eph. II. 1. Matth. VIII. 22. Atque adeo 5. omni istac sua Theologia, sibi non nisi exitium creat Matth. VII. 21. Qui enim non vult Deo vivere *hic*: nec vivet *posthac*: habet enim ἐυσέβεια *promissionem hujus & futuræ vitæ.* 1. Tim. IV. 8.

Argumenta reprehensionis.

Secundus usus explorationis Theologiæ.

L. Est igitur *secundo*, quod hic serio *exploremus*, & *Theologiam* nostram, & Theologos. *Theologiam* quidem, seu Religionem, sitne 1. *doctrina*, profecta & revelata à Deo? Jes. II. 4. 2. faciatne ad praxin Christianam? 3. vitam nostram

ſtram dirigat, non alio, quam *Deum* verſus; ſeu ad gloriam Dei, in æterna noſtra ſalute perficiendam? 4. Num fundamentum, omnis iſtius vitæ, in ſolo *Chriſto* collocet Joh. xv. 4. Quæ præcipuæ ſunt notæ ſinceræ Theologiæ, junctæ cum his, quas ſupra numeravimus §. xxxvii. Sed *Theologos* etiam exploremus ac Chriſtianos, & ſeipſum quilibet, ſitne, A. *doctus*, non ab hominibus tantum, aut à libris; ſed a Deo potius Gal. 1. 1. B. Doctus, non ad diſputandum aut differendum; ſed ad *vivendum*. C. Ad vivendum, non *ſibi*, non mundo, non cuivis; ſed Deo. D. Idque per *Chriſtum*, ſeu ſolius Chriſti virtute. Quæ præcipua ſunt genuini *Theologi* ſeu Chriſtiani indicia, è Theologiæ definitione reſultantia. Neque enim rei natura & indoles, perfectius aliunde perſpicitur, quam ex accurata ejus definitione.

Theologorum.

LI. Sed *tertio*, quod præcipuum eſt, cum Theologi ſimus & Chriſtiani, quin etiam, ex profeſſo Theologiæ mancipati, convenienter profeſſioni noſtræ, ad hoc enitamur, ut *vivamus Deo ſoli per Chriſtum*. Penes quod iſta quatuor, nobis incumbunt paulò diſtinctius dicenda: *primo*, quid articulate ſibi exigat *vivere Deo*. Iſtud vero, licèt in univerſum ſeſe profundat Theologiæ Syntagma, per capita à nobis σὺν θεῷ enarrandum: tamen, ὡς ἐν ἐπιτομῇ repræſentatum, in *genere* quidem concludit; 1. Deum, vitæ hujus *ſpiritualis*, unicum conſtituamus *objectum* Pſal. xvi. 8. h. e. omni vita noſtra & unice conemur, ut ſerviamus, ut placeamus Deo Gal. 1. 10. 2. Cor. v. 9. quod Scripturis eſt *Deo vivere*. 2. Dei voluntatem, vitæ *normam* faciamus unicam 1. Pet. iv. 2. 6. Atque hoc eſt, *ſecundum Deum vivere*. 3. Deum nobis præfigamus, vitæ univerſæ *ſcopum* Phil. 1. 20. 21. 2. Cor. v. 9. Denique 4. totum iſtud conemur & agamus, in *virtute* Dei. Proin, ut ſupra monuimus, *Deo vivere*, generaliter quidem, non aliud eſt, quam omnes vitæ naturalis, civilis ac ſpiritualis actus, dirigere ſecundum præſcriptum verbi divini, ad gloriam Dei, virtute Dei intus agentis.

Tertius. uſus adhortationis, ut Deo vivamus.

Quid hoc? In genere.

LII. *Singulatim* tria ſibi exigit: 1. *ſcopum*, vitæ noſtræ, præfigamus *legitimum*, ne ſcil. *in incertum curramus*, & *aërem quatiamus* 1. Cor. ix. 26. ut ſagittarius abſque ſcopo. Dirigit enim finis mediorum uſum, tollit eorundem faſtidium, aut mitigat ſaltem; quando, quæ à *tergo* nobis *ſunt*, *obliviſcimur*, & *ad ſcopum*, *qui à fronte eſt*, *ferimur* Phil. iii. 14. Eſt autem ſcopus vitæ legitimus: omnino triplex: *ſummus*, Dei *gloria*, utpote ad quam *conditi* ſumus Jeſ. xliii. 7. ad hanc reconditi ac regeniti 1. Cor. vi. 20. ad hanc evocamur Euangelio Matth. v. 16. Huc igitur in omnibus actionibus noſtris feramur 1. Cor. x. 31. nos, noſtraque profundamus prompte Phil. 1. 10. 21. *intermedius*, animæ propriæ *ſalus* 1. *Pet.* 1. 9. in qua Deus maxime glorificatur, quam proinde, poſt Dei gloriam, imprimis tenemur ſectari: *imus*, proximi commodum; neque enim nobis tantum nati ſumus; ſed proximo quoque. Huc Paulus ſe ſuaque omnia deſtinabat 1. Cor. ix. 19. 21. huc Servator Matth. xviii. 11. huc nos, nim. ut ſalutem eorum promoveamus, ab hoc ſancto vitæ exemplo eis præluceamus, ſcandala ſtudioſiſſime evitemus 1. Cor. x. 32.

In ſpecie exigit. 1. Scopum triplicem.

LIII. Porro 2. ad ſcopum iſtum, actiones univerſas dirigamus, juxta *normam juſtam*; itidem triplicem, puta 1. *verbum Dei* Pſal. cxix 17. Gal. vi. 16. 2. *vitam Chriſti*, à quo Chriſtiani audimus, quam ipſe in exemplum nobis commendat Matth. xi. 29. & Paulus ſe ſectatum profitetur 1. Cor. xi. 1. quo Chriſtus *in nobis vivit* Gal. ii. 20. atque in nobis *reſplendet* 2. Cor. iv. 10. quæ exactiſſimum etiam, vitæ noſtræ præſtat exemplar. 3. *conſcientiam* propriam, verbo Dei probè formatam Act. xxiv. 16. Quæ & *normam* præſtat, & *Judicem*, Deo ſubordinatum.

2. Normam triplicem.

LIV. Nec hoc tantùm, ſed 3. in univerſa iſta contentione, *ordinem* ſectemur concinnum, quo *generatim* quidem, ſpiritualia, præferamus corporalibus; *præferamus* inquam *illa*; non *negligamus* penitus *iſta* Matth. vi. 33. Joh. vi. 27. Quod fit, (1.) ſi corporalibus, ſibi invicem ſic occurrentibus, ut ſimul curari haud poſſint; in *gratiam Dei*, *corporalia* potius (cæteris nim. paribus) ſeponamus ac negligamus; quam *ſpiritualia* Heb. x. 34. & xi. 26. 2. ſi in gratiam Dei, ipſa *terrena* curemus animo *ſpirituali*, *pro Deo* h. e. ex præſcripto Dei, in gloriam ejus, in commodum regni divini, ac vitæ noſtræ ſpiritualis incrementum. Denique. 3. Si non ſeptimum tantum recurrentem vitæ noſtræ *diem*; ſed ſingulorum etiam *dierum*, aliquot particulas, *Deo ſeponamus*, quibus plene ac plane nos Deo ac divinis exponamus. Cujus modi *horas Canonicas*, ſibi deſignabat David Pſal. lv. 18. & Daniel. Cap. vi. 11.

3. Ordinem.

LV. Ut hoc modo, *vivamus Deo*, ſuadet 1. Quod Dei *filii* ſimus, qui *vivit*; nunquid *viveremus* quoque, & ei viveremus, inque ejus gloriam, & ex præſcripto ejus, qui eſt *Pater noſter* Mal. 1. 6. 2. Sumus Chriſti *membra*, cum eo uniti, qui *vivit* in ſuis Gal. ii. 20. Nunquid *vivemus* in eo? in *vivo mortui* ſimus? 3. Habemus in Chriſto *Spiritum vitæ* Rom. viii. 14. Nos ergo quaſi *mortui* jaceremus? Sumus 4. (modo veri Chriſtiani) membra *viva*, *lapides vivi*. 1. Pet. ii. 4. 5. *viva* inſtructi *fide* Jac. ii. 17. 26. *fide* igitur non *viveremus?* Cum præſertim *vita* non ſit, niſi potentia operandi à ſe, & quorſum *potentia*, niſi propter *actum?* 5. Deum habemus *vivum* & vivificantem Rom. ix. 26. 1. Theſſ. 1. 9. Habemus *Patrem* qui *vitam* nobis largitur Gen. ii. 7. eamque ſpiritualem & immortalem, *Filium*, qui morte ſua, *vitam* nobis comparavit ac reſtituit Eph. ii. 5.

Motiva ad vivendum Deo: novem.

Spiritum

Spiritum Sanctum, qui regeneratione, *vita spiritualis* semina confert Joh. III. 5. 6. idque ex semine *vivo* 1. Pet. I. 23. Quorsum, nisi ut *sibi viveremus?* ut vitam nostram Deo triuni, redderemus? Singulatim 6. Servator Jesus, se suaque cuncta, *vitam*, mortem, resurrectionem & omnia, huc impendit, *ut qui vivunt; jam non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit* 2. Cor. V. 15. Hinc *nemo nostrûm sibi vivit, nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Domino vivimus, &c. Ad hoc enim, & mortuus est, & resurrexit* Rom. XIV. 7. 8. 9. Quin 7. ad hoc nos creavit, conservat, beneficiis omne genus spiritualibus, temporalibus cumulat, ut *sibi viveremus.* Huc indies nos evocat & provocat, præceptis verbi sui. Hæccine *frustra* fecerit? 2. Cor. VI. 1. Certe fecerit, si vitam nostram Deo non referamus; modo *frustra* tantum, & non ad *mortem* etiam æternam, *vitam* & omnia communicaverit. Et 8. cui potius *viveremus*, quam Conditori optimo, Redemptori fideliſſimo, ὁδηγῷ & Paracleto suaviſſimo? Adde 9. nisi ceperimus *Deo vivere*, in tempore; non continuabimus in *æternitate:* est enim æterna *permanens*, semel *hîc* inchoata Joh. III. 36. 1. Joh. III. 15.

Modus vivendi Deo, in tribus.

LVI. Sed videndum tamen, ut negotium hoc, *vivendi Deo*, agamus 1. *Integre*, ut *omnes* vitæ actus, ad *omne* placitum Dei componamus, Jer. XLII. 3. 5. & ab *omni* malo, nos cohibeamus Psal. CXIX. 101. Quod Apostolo est, περισσεύειν ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ κυρίου πάντοτε 1. Cor. XV. 58. 2. *Diligenter*, cum *fervore*, σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες 2. Pet. I. 5. Ut *primam* & præcipuam curam nostram, huic impendamus Matth. VI. 33. Luc. X. 40. 3. *Constanter*, ἑδραῖοι καὶ ἀμετακίνητοι 1. Cor. XV. 58. non desultorie, jam & tum; sed semper, & nunquam non 1. Paral. XVI. 11. Matth. XXIV. 13. spe metuque, plane indeclinabiles Dan. III. 17. 18. Plura hujus generis, absque negotio, congeri poterunt, pro re nata.

Media denique sex.

LVII. Et quo possimus tandem *vivere Deo*, curanda quoque *media*, in quibus *primum* præstat *regeneratio* Joh. III. 5. quâ *mortuis* in peccato, *vita* spiritualis, primum principium restituitur, eoque *vivificamur* Eph. II. 1. 5. 6. ante quod plane impossibile est, actionem ullam, spiritualiter *vivam*, elicere: *quicquid enim, a carne est, caro est, & quicquid à Spiritu, spiritus* Joh. III. 6. Rom. VIII. 7. *Secundum, fides* vera ac *viva*; hac enim *justus vivit* Rom. I. 17. Gal. II. 20. *Tertium, unio* cum Christo, fide & Spiritu facta, ut *per Christum Deo vivamus* Rom. VI. 11. & *Christus vivat in* nobis Gal. II. 20. *absque Christo* enim *nihil possumus* Joh. XV. 5. prout cum, & in Christo, *omnia* vers. 5. Phil. IV. 13. *Quartum, intentio* fixa & immota, vivendi ac serviendi Deo Psal. CXIX. 44. Heb. XIII. 18. *Quintum, contentio* pertinax ad assequendum, quod serio intendimus, arrectis in hoc, omnibus viribus nostris 2. Cor. V. 9. Act. XXIV. 16. *Sextum, preces* ardentes, quibus Deum fatigemus, nos *vivificet*, nobis cor creet novum; sua gratia conservet, fœcundet, quod in nobis occepit opus bonum, usque dum ad *vitam* pertingat *æternam* 1. Cor. XV. 10. 1. Theſſ. V. 23. 24. καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος. Gal. VI. 16. Plura hujus generis, occurrent suo loco, in parte *Ascetica.*

CAPUT SECUNDUM,

DE

SACRA SCRIPTURA.

Ad Text. 2. Tim. III. 16. 17.

Tota Scriptura divinitus est *inspirata, & utilis ad doctrinam. ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum, perfecte instructus.*

Secundum Theologiæ præcognitum, de principio ejusdem.

I. Artificium illud *vivendi Deo*, cum non sit potentia *naturalis*, ad quam *non docti*; sed *facti* simus; verum facultas *acquisita:* regulam omnino exigit, qua dirigatur, & quidem *à Deo* præscriptam, prout jam ante monuimus: quam, præter *vitam* Christi, & *conscientiam* propriam; supra in *verbo* Dei, seu *Scriptura* posuimus. Quæ, ut *norma* est vivendi; sic communis etiam *complexus*, præceptorum ac regularum, eo tendentium; quo nomine Theologiæ *principium* indigitatur. Hujus contemplationem, superstruemus verbis, quæ ex 2. ad Timoth. Cap. III. vers. 16. 17. præmisimus.

Superstruitur ona'ysi Textus.

II. *Quibus Apostolus, excitaturus Timotheum suum, ad serium sacrarum literarum studium, pro argumento motivo, amplissimam ipsi promit, Scripturæ* commendationem. *In qua duo prostant:*

1. Subjectum *commendatum:* tota Scriptura, πᾶσα γραφὴ. Ubi πᾶσα *pro* ὅλη: *& γραφὴ limitanda per epitheton ἁγία; ut resultet:* tota Scriptura *sacra* h. e. *non totus tantum Scripturæ* Canon, *sed singulæ quoque ejus* partes.

2. Prædicatum, *seu argumentum commendationis, quod tria repræsentat:*

א. Originem, *à qua authentia resultat:* θεόπνευστος. Quod *non ad* subjectum; *sed ad* prædicatum *traducendum. Atque etiam, substantivum* est, *ellipsi Hebræa neglectum, adjiciendum; ut emergat:* tota Scriptura est divinitus inspirata. θεόπνευστος, *quod* non φανερώσει *qualicunque* Rom. 1. 19. *sed* inspiratione *Dei, immediata & infallibili,* Sancti Dei homines, *eam consignarint* 2. Pet. 1. 20. 21.

ב. Utilitatem, καὶ ὠφέλιμος: *quod non* utilitatem *modo,* & *convenientiam qualemcunque, notat, ut Romanenses vellent; sed* sufficientiam *quoque,* necessitatem *& perfectionem: atque adeo æquipollent τῷ αὐταρκὲς. Distincte autem notatur, quadruplex utilitas:*

A. Πρὸς διδασκαλίαν. Ad doctrinam. *Exprimit usum* informationis, *quatenus Scriptura, non tantum* noëtica *est; sed* dianoëtica *quoque: atque adeo, ex una hypothesi, plures quandoque doctrina, excludit, aut alias, à se diversas, confirmat.*

B. Πρὸς ἔλεγχον. Ad redargutionem. *Quod intelligi potest, de redarguendis: vel* erroribus; *vel* vitiis. *Prius malim. cum posterius spectet, ad usum sequentem. Significat ergo usum Scripturæ* πολεμικὸν, *quo Doctor potis sit,* τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. 1. 9. *hoc est, plane & plene* convincere, *atque etiam* ἐπισωρίζειν. Ibid. vers. 11.

C. Πρὸς ἐπανόρθωσιν. Ad correctionem. *Correctio malum præsupponit: ac proinde, cum malum geminum sit,* triste *ac* turpe; *gemina quoque datur* ἐπανόρθωσις: *alterâ à malo liberamur* tristi, *& consolatio* dicitur; *alterâ à malo* turpi, quæ reprehensio est. *Utramque* ἐπανόρθωσις *concludit.*

D. *Illam quæ est,* Πρὸς παιδείαν. τὴν ἐν δικαιοσύνῃ. Ad directionem in justitiâ. Παιδεία institutionem *notat ac* directionem. Δικαιοσύνη, *justitia, synedochikῶς, quodvis bonum* morale, seu *virtus,* sit, seu *opus, hoc loco designat. Articulus* τὴν, διακριτικῶς *discriminationis causa, addi videtur, ut contradistinguatur,* παιδείᾳ τῇ ἐν διδασκαλίᾳ, *institutioni, quæ est in doctrina quam primo loco expressit, quando Scripturam utilem dixit* ad doctrinam. *Proinde, verbis istis, usus exprimitur* paræneticus, *seu adhortatorius. Adeoque,* quatuor *istis usibus, universa praxis Scripturæ describitur.*

ג. Finem *ac* Scopum. Ἵνα ἄρτιος ᾖ, ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, ἐξηρτισμένος, ut perfectus sit homo ille Dei, ad omne opus bonum, perfecte instructus. *Exprimitur istis verbis, duplex Scripturæ* finis:

1. *Finis* cui, *seu persona, cui commemorata Scripturæ utilitas destinatur:* Ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, homo ille Dei. *Respicit equidem Timotheum* peculiariter, *aliosque verbi divini ministros, ut qui* ἐξόχως, viri Dei, *passim audiunt* 1. Sam. 11. 27. 1. Reg. xvii. 18. 2. Reg. iv. 7. 1. Tim. vi. 11. *sic tamen, ut* quotvis *etiam intelligat Christianos, quibus quadruplex commemoratæ competit Scripturæ utilitas.*

2. *Finis* cujus, *seu bonum quod personæ destinatur.* Ἵνα ἄρτιος ᾖ, ut perfectus sit *&c. Nempe efformare ad pietatem. Ubi occurrit*

א. Pietas, *quam efformat Scriptura:* πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν. *Scil. conciliat nobis facultatem* operandi; *operandi quod* bonum *est: bonum, non hoc tantum aut illud; sed* omne, *seu quodvis: naturale, morale, spirituale.*

ב. Efformatio *ad pietatem, per quam homo Dei, non tantum* ἄρτιος *existit, hoc est* perfectus, integer, *& quidem perfectione arithmetica: usurpatur enim vox, de numeris æqualibus, qui* ἄρτιοι *dicuntur, eo quod,* τοῖς ἑαυτῶν μέρεσιν ἴσοι εἰσὶ, *ita scil. ut iis nihil desit, nihil item supersit: sed etiam* ἐξηρτισμένος, *hoc est,* plene, ac plane, *absolute & omnibus numeris perfectus, perfectione, non* partium tantum, *sed &* graduum, *si non hic obtinenda; saltem posthac. Ut malè, ex hac phrasi, perfectionem bonorum operum in hac vita, colligat* Alphonsi. Salmero. *Neque enim textus, tam perfectionem* hominis; *quam perfectionem* Scripturæ *exprimit: & si perfectionem etiam hominis Dei; non* actualem & absolutam, *qualem ipse in hac vitâ possit consequi: sed* potentialem & conditionatam, *qualem Scriptura* possit *conferre, & ipse etiam posset assequi, si Scripturam perfectè sequeretur: & si* actualem *etiam velis & absolutam; tum intelligenda est, non quæ hîc obtinetur; sed quæ* posthac *obtinebitur.*

Pars

Pars dogmatica.

Scriptura perfecta regula, vivendi Deo.

III. Patet itaque, *ſacram Scripturam, perfectam eſſe Deo vivendi regulam.* Nec enim *quadruplex* tantum uſus, quem textus Scripturæ tribuit, univerſam exhaurit Deo vivendi rationem; ſed inſuper additur, ejus ope, hominem *perfectum* reddi poſſe, ad omne opus bonum, & quidem *abſolutè perfectum.* Hinc paſſim *lux*, indigitatur, ac *lucerna* pedibus noſtris Pſal. CXIX. 105. 2. Pet. I. 19. & diſertè *regula* ℣ Pſal. XIX. 5. (niſi aliter malis locum iſtum intelligere) & κανὼν Gal. VI. 16. Phil. III. 16. & *perfecta* inſuper dicitur Pſal. XIX. 8. quæ poſſit nos, σοφίσαι εἰς σωτηρίαν 2. Tim. III. 15. Quod ipſum, ea quoque volunt loca, quæ ita nos Scripturis aſtringunt Jeſ. VIII. 20. ut, nec ad *dexteram*, nec ad *ſiniſtram*, ab ea declinare, integrum faciant Deut. IV. 1. 2. & XII. 28. 32. Apoc. XXII. 18. 19.

probatur Scripturis.

Confirmatur rationibus: Prima ratio, ex hypotheſibus nata.

IV. Ipſa enim præſupponit natura: 1. *Eſſe Deum* ſeu ens quoddam *primum*, à quo omnia alia; & *ultimum* ſinem, in quem omnia contendant, quod proinde, ſit ſupra omnia. 2. Eum eſſe *colendum*, ſeu, quod idem eſt, *ei eſſe vivendum.* Si enim omnia noſtra, ab eo habemus, & ad hoc habemus, ut ei referamus; ſi item ipſe eſt ſupra omnia, & omnibus perfectior: utique manifeſtum, hæc omnia debitâ reverentiâ eſſe agnoſcenda; & ſic conficitur *cultus Dei.* 3. Cultum iſtum Dei, non eſſe *opus naturæ*, qualia ſunt videre, audire, incedere: quæ proinde nulla *regula* indigent, qua dirigantur: ſed *artificium* quoddam, certis regulis dirigendum. 4. Regulam iſtam, non eſſe *rationem*, quia *corrupta* eſt, ut agnoſcunt quotquot ratione pollent; & corruptum, non poteſt eſſe *menſura recti*: neque placita *ſapientum*, quia ſola nituntur ratione (quam jam ab hoc axiomate ſecluſimus) & ab ea, auctoritatem ſuam mutuantur; neque dictata *Patrum*, quia omnes, juxta nobiſcum, *homines* fuerunt, adeoque, non modo certæ regulæ, perinde ac nos, adſtricti; ſed etiam *fallibiles* & ſæpe inſuper *falſi*, adeoque, non poſſunt condere regulam, niſi *lesbiam*, hoc eſt *nullam*, cum regula debeat eſſe *infallibilis*: neque *Thalmud Judaicum*, quia, propter traditionem ἄγραφον, per quam, à Moſe ad Judæos devolutum ſit, non modo incertæ veritatis: ſed &, propter fabulas, quibus ſcatet, certiſſimæ falſitatis eſt: neque *Alcoran Muhammedanum*; quoniam anilibus ac ſcurrilibus nugis, ineptiam ſuam nimium prodit: proinde non reſtat, niſi ſola noſtra Sacra ſcriptura, cui iſtud axioma deferamus.

Secunda ratio, à requiſitis regulæ, quinque.

V. In quo magis etiam confirmamur, eo quod, natura & *Requiſita Regulæ*, in eam ſolam, quam exactiſſimè quadrent. *Primò* enim regula *vivendi Deo*, procul dubio, à *Deo ſolo* debet eſſe præſcripta Deut. XII. 32. Matth. XV. 9. Regula enim non ab alio præſcribi poteſt, quam ab eo, quem regulatum concernit. Sola autem *Scriptura*, à Deo, pro regulâ nobis eſt præſcripta 2. Tim. III. 16. 2. Pet. I. 21. neque, ob ſublimitatem materiæ, ab alio quam à Deo, revelari & præſcribi potuit. Tum *ſecundò*, regula debet eſſe *nota*, clara & perſpicua; cæterà enim, quî poſſit nos in cognitionem deducere, ejus, quod nobis incumbit agendum? Talis autem eſt Scriptura, ut patebit ſuo loco. *Tertiò*, regula debet eſſe *conſtans* & immota, ſemper & ubique ſibi ſimilis; ſin minus, quî poſſit certam menſuram præſtare, regulando? Talis autem eſt Scriptura, ſcil. βεβαιότερος προφητικὸς λόγος 2. Pet. I. 19. *Quartò*, regula debet eſſe *adæquata* regulando, & conſiſtere in indiviſibili, ita ut ne minimum quidem, augeatur aut minuatur. Niſi enim talis fuerit, inepta erit ad menſurandum objectum ſuum. Talis autem eſt Scriptura: nihil enim nobis incumbit, credendum aut agendum, quod ipſa non præſcribat: nec viciſſim, ea quicquam præſcribit, quod nobis non incumbat recipiendum, quodve non ſpectet, ad vivendum Deo 2. Tim. III. 16. Rom. XV. 4. *Denique*, regula debet eſſe *recepta* ac *publica*, cæterà enim, quî obortas controverſias, inter fratrem & fratrem, dirimet? Talis item eſt Scriptura, quippe *publica Dei* auctoritate præſcripta Pſal. CXLVII. 19. 20. Rom. III. 2. & *communi*, Eccleſiæ ſaltem Chriſtianæ, conſenſu recepta, quæ hinc fortè, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας appellatur 1. Tim. III. 15. Si quæ fortè plura ſint, regularum catholica requiſita, à nobis brevitatis ſtudio, hic præterita, ea Scripturis facili negotio accommodari poterunt, ut inde nobis perfectius innoteſcat, quod Scriptura ſit perfecta regula vivendi Deo. Confer quæ infra, pro aſſerendâ Scripturarum auctoritate, proferemus adverſus Gentiles.

2. 3. 4. 5.

Explicatur quatuor particulis: 1. Denominatio Scripturæ.

VI. Sacrâ autem Scriptura, nil aliud intelligimus, quam *doctrinam vivendi Deo, quatenus illa literis continetur deſcripta.* Cum enim, viva traditione per Patriarchas, aliquot ſeculis, ad Moſen uſque, iſtam doctrinam, Deus conſervaſſet & propagaſſet ἀγράφως; viſum tandem, eam literis committere. (1) Propter vitæ humanæ *brevitatem*, à Moſe & ante eum, paulatim invaleſcentem Gen. V. 5. &c. collat: cum cap. XLVII. 9. Pſal. XC. 10. (2) Propter hominum, & membrorum Eccleſiæ numerum, paulatim creſcentem Gen. XV. 18. (3) Propter cuſtodiæ, à ſola traditione exſpectandæ, periculum & infidelitatem. Multæ enim, tempore traditionis, dudum irrepſerant corruptelæ Joſ. XXIV. 2. Ezech. XX. 7. Gen. XXXV. 2. & plures etiam metuendæ. (4) Propter memoriæ humanæ labilitatem 2. Pet. I. 15. (5) propter cœleſtis doctrinæ ſtabilitatem Luc. I. 3. 4. Phil. III. 1. (6) Propter hæreticorum perverſitatem, traditionibus ἀγράφοις, facilè abutentem, ad errores ſuos. Et hinc demum

doctrina Deo vivendi, *Scriptura* appellatur. Sed quamobrem *ſacra* dicitur? R. 1. Quia à Sanctiſſimo *Spiritu* ortum ducit 2. Pet. 1. 21. 2. Sanctiſſimum *ſubjectum* geſtat, ſcil. artificium vivendi Deo per Chriſtum Joh. VI. 68. Act. v. 30. 3. Sanctiſſimos *fines* ſibi propoſitos habet, gloriam Dei, ædificationem hominum, ſalutem æternam. Denique 4. Sanctiſſimos *fructus* producit. 1. Theſſ. II. 8. 9. Heb. IV. 12.

Scripturæ ſynonyma.

VII. Eadem, nonnunquam *Scriptura* ſimpliciter indigitatur, ſcil. ἐξόχως, quod, omnium ſcriptorum, ſit longè præſtantiſſimum: ſæpius etiam *Verbum Dei* 1. Theſſ. II. 13. Pſal. CXIX. 9. 11. 12. λόγια τοῦ θεοῦ Rom. III. 2. 1. Pet. IV. 11. Heb. V. 12. λόγος τοῦ θεοῦ Heb. IV. 12. quod nim. *à deo* ſit, de Deo agat, & ad Deum tendat: *lex Dei* תורה Pſal. XIX. 9. משפטים *judicia*, פקדים *commiſſa*, *mandata*, חקים *ſtatuta*, מצות *præcepta* (licet hæ voces, ad diſtinguendas leges, ceremoniales, Politicas & morales, ſæpenumerò uſurpentur) denique *lex & Prophetæ* Matth. XXII. 40. Luc. XVI. 16. *Moſes & Prophetæ*. Ibid. verſ. 29. 31. aut ſimpliciter *Prophetæ*; Hebræis מקרא; Græcis βίβλια, & ſi quæ plura ſint, ſacræ Scripturæ ſynonyma.

2. Scripturæ partes Canonicæ.

VIII. Scripturam, ad duo revocamus Teſtamenta, Vetus ac Novum. *Veteris*, quod habet fœdus gratiæ, ſub teſtatore, adhucdum moriturо, cum Priſca Judæorum Eccleſia, cui ſub ea periodo, *concredita* dicuntur λόγια τοῦ θεοῦ Rom. III. 2. libros non niſi XXXIX. recipimus, quos Judæi, pro numero literarum Alphabeti ſui, ad XXII. revocant, atque in tres ordines redigunt, ſcil. תורה *legem*: נבאים *Prophetas*: tum ראשנים *anteriores*; tum אחרונים *poſteriores*: & כתובים *Hagiographa*. Ad quam diſtributionem Servator alludere videtur Luc. XXXIV. 44. Chriſtiani, in *legem* & *Prophetas* diſpeſcunt Act. XXVIII. 23. tum in *Moſen* & *Prophetas* Luc. XVI. 23. 29. 31. & XXIV. 27. ac tum libros propheticos rurſus, in hiſtoricos, dogmaticos, ac Propheticos diſtribuunt: Novi Teſtamenti, quod habet fœdus gratiæ, ſub teſtatore, jam mortuo, Libb. XXVII. numeramus, in hiſtoricos, dogmaticos & propheticum unum, diſpoſitos.

Libri Apocryphi rejiciuntur.

IX. Fuerunt præter hos, in Eccleſia antiqua, libri Apocryphi, duum generum: 1. *Spurii* extranei, aut etiam hæretici, prohibiti, de quibus Baronius Annal. ad Ann. Chriſti 44. cujus generis erant, Petri ſuppoſititia quinque, de quibus Hieronymus *in petro*: Johannis cæterorumque Apoſtolorum ſeorſim: omnium Apoſtolorum conjunctim: Euangelium Judæ proditoris: Chriſti ipſius, de *Magia*, ad Petrum & Paulum. Hæc aliaque Gelaſius, circa Annum Chriſti 393. in concilio Romano, peculiari decreto, quod exſtat in *Jure Canon.* Diſt. XV. c. 3. in quo Apocrypha nominantur, damnavit. Ejuſdem farinæ ſunt, *Epiſtola Chriſti ad Agbarum*, Toparcham Edeſſenum, de qua Euſeb. Hiſt. lib. I. cap XIV. *Canones Apoſtolorum*, *Epiſtolæ Pauli ad Senecam*, *Hermæ Paſtor*, aliaque. 2. *Utiles* quidem lectione privata; non tamen, divina inſpiratione nati. Et hi rurſus *vel* tales, qui unanimi Chriſtianorum conſenſu, pro talibus agnoſcuntur, ut liber tertius & quartus Eſdræ, tertius Maccabæorum, Pſalmus centeſimus quinquageſimus primus, Appendix libri, ſeu præfatiuncula ad Threnos Jeremiæ: vel tales, quos Romanenſes habent pro Canonicis: quales libri, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Syracidis, Baruchi, cum Epiſtola Jeremiæ, apendices ad Eſther, ad Danielem, Oratio Aſariæ, Hiſtoria Suſannæ, Belis draconis. Oratio Manaſſis, Libri duo Maccabæorum. Hos omnes, uno hoc argumento generali, Canone ſecludunt Reformati: quicunque libri, non ſunt inſpirati a Deo 2. Tim. III. 16. 2. Pet. I. 20. 21. nec Eccleſiæ traditi in Canonem Pſal. CXLVII. 19. 20. Rom. III. 2. & IX. 4. nec ab Eccleſia Judaica recepti: nec a Chriſto & Apoſtolis approbati Joh. V. 39. Luc. XXIV. 27. illi non ſunt Canonici: aſt hi libri, non ſunt inſpirati a Deo; quia multa continent, Spiritui veritatis, qui in omnem veritatem ducit, adverſa, falſa, ἄτοπα, fabuloſa, magica, hiſtoriæ repugnantia: quemadmodum, per ſingulos horum, oſtenderunt, Joh. Rainoldus de *libb. Apocryphis*, Guil Wittakerus de *Sacr. Script.* & noſtri Belgæ, conciſius, in præfat. libb. Apoc. aliique 2. non ſunt Eccleſiæ traditi pro canonicis; quia conſcripti ſunt, lingua, Eccleſiæ Judaicæ barbara: nec 3. ab Eccleſia Judaica, recepti & agniti, teſte Joſepho, contra *Appionem Gramaticum*, omnibuſque per omne ævum, Judæis; agnoſcentibus hoc, ipſis Pontificiis: nec 4. a Chriſto & Apoſtolis approbati, utpote qui non alios approbarunt, quam eos, in quibus Judæi credebant, ſe habere vitam æternam, & quos Chriſtus dicit teſtari de ſe Joh. V. 39. Totius Canonis ſacri, ſi contenta, partes, diſpoſitionem & methodum noſſe aves; Aſtedium conſule, in *Præcognitis Theologicis*, aut Joh. Himmelium, in *Memoriali Biblico*; aut Moſ. Phlacherum, cum Brandmullero in *Tabulis Analyticis*, Ederum in Oeconomia Bibliorum, alioſque.

Editio Scripturæ authentica.

X. Iſti autem utriuſque Inſtrumenti libri, pro canonicis & authenticis non habentur, niſi in linguis ſuis *primigeniis* & authenticis: cum 1. ſint inſtrumenta *publica*, quæ iis tantum linguis valent, quibus condita ſunt. Ut apparet, in diplomatis Regum, in Teſtamentis aliiſque; ubi, oborta controverſia, ſolum exemplar originale, agnoſcitur pro authentico. Cum 2. ſoli Prophetæ & Apoſtoli, quippe immediato & infallibili Spiritus S. ductu inſtructi 2. Pet. I. 21. Scripturam διόπνευστον, & authenticam, edere potuerint 2. Tim. III. 16. Sed quænam tandem ſunt, *linguæ* iſtæ *authenticæ*? R. *Vetus*

tus Teſtamentum, Eccleſiæ Judaicæ *particulari* datum, lingua *Hebræa* conditum, omnes agnoſcunt, niſiquod particulæ ejus quædam, in Eſdra, Daniele, Eſther, Jeremia, lingua proſtent *Chaldæa. Novum*, Eccleſiæ Chriſtianæ *univerſali* ſcriptum, ſolâ lingua *Græca* conſcriptum agnoſcitur. Proinde, iſtis ſolis linguis, Scripturam recipimus, pro canonica & authentica. Idque non in *Autographis* tantum, quas, multas ob cauſas, ſapientiſſimo conſilio, providentia divina, perire paſſa eſt: ſed in *Apographis* quoque. Et ſic olim Eccleſia *Iſraëlitica*, nullam, præter *Hebræam* V. T. nec *Chriſtiana*, præter *Græcam* N. Teſt. habuit pro authentica.

Editiones vernaculæ.

XI. Neque tamen, iſtis linguis, adeo eſt affixa Scriptura S. ut non poſſit, & debeat etiam, in alias linguas transfundi, ad communem uſum Eccleſiæ: quibus itidem linguis, pro authenticis habentur, omnes *verſiones*, quatenus *fontes* exprimunt, ad quos ſemper ſunt exigendæ. Unde tam illuſtris, & adoranda ſemper fuit, Dei providentia, in conſervandis fontibus: non tantum, ne planè *perirent*; ſed etiam ne mutilarentur, alicujus libri jactura; aut gravi aliquo vitio, deformarentur: dum interim, ex *verſionibus* vetuſtioribus, ne una quidem, integra ad nos tranſivit. Proinde etiam ex *verſionibus humanis*, ut loquitur *Ameſ. Med. lib.* 1. *c.* 34. §. 32. 33. *percipi poſſunt illa omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria; ſi modo conveniant cum fontibus in eſſentialibus partibus, ut ſolent omnes Eccleſiis receptæ, quamvis diſſentiant ac deficiant, in minutioribus non paucis. Neque tamen propterea, in qualibet verſione eſt acquieſcendum: ſed cum omni religione curandum, ut puriſſima & emendatiſſima interpretatio, Eccleſiæ proponatur.*

Origo Scripturæ.

XII. Ejuſdem *origo*, cui ejus auctoritas ſuperſtruitur, quantum ad *Amanuenſes* (quos hinc *manus Spiritus* S. Gregorius appellat *Præf. in Job*) *Sancti Dei homines fuerunt* 2. Pet. 1. 21. Prophetæ & Apoſtoli. Unde ſtructi dicimur, *ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum* Ephſ. 11. 20. Euangeliſtæ aliquot Θεόπνευστοι v. g. Marcus & Lucas: item, latiore ſignificatione, *Prophetæ* 1. Cor. XIV. 29. 32. & *Apoſtoli* Rom. XVI. 7. Phil. 11. 25. appellati. *Horum operâ, Spiritus S. uſus eſt, cum aliqua varietate*, inquit Ameſius, *Lib.* 1. *c.* 34. §. 5. *Quædam enim ſcribenda, incognita prorſus antea fuerunt ſcriptori, ſicut in hiſtoria creationis præteritæ, & in prædictionibus futurorum, ſatis liquet: quædam autem prius nota erant ſcriptori, ut in hiſtoria Chriſti, per Apoſtolos conſcripta, patet. Et horum, alia naturali cognitione tenebant; alia ſupernaturali. In occultis & ignotis, inſpiratio divina, omnia præſtabat per ſe; in eis quæ nota erant ſcriptori, aut quorum notitia ordinariis mediis acquiri potuit, accedebat etiam religioſum ſtudium ſcriptorum, Deo ita aſſiſtente, ut in ſcribendo non errarent. Inſuper cum ſuavi illa attemperatione Spiritus S illis affuit, ut unuſquiſque ſcriptor, iis uteretur loquendi modis, qui maximè conveniebant ejus perſonæ & conditioni* Quantum ad *Auctorem*, *is communiter* quidem *Deus* eſt; unde *verbum Dei*, Scriptura paſſim denominatur, & *Deus* in ea loqui dicitur: *ſingulatim*, Deus *Pater*; qui in eis, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ἐλάλησε. Heb. 1. 1. *Filius*, qui non modo Apoſtolos miſit ad *docendum*, procul dubio, ſecundum occaſionem natam: ſed etiam *juſſit ſcribere* Apoc. 1. 19. *Spiritus S.* qui *inſpiravit* 2. Tim. III. 16. 2. Pet. 1. 21. qui hinc, in ea *teſtari* & *loqui* dicitur Heb. x. 15. Uſque adeo, ut in inſcriptionibus librorum ſacrorum, vel de ipſis amanuenſibus, altum ſæpè habeatur ſilentium, quo nim. eorum auctoritas, illibatior ſervaretur ſoli cauſæ *principi*.

S. Scripturam condendi modus.

XIII. Condidit autem Deus Scripturam: partim *revelatione*, quæ peracta eſt, 1. *Scribendo*, ut in Decalogo conſpicuum. 2. *Mandando*, ut ſcriberetur Deut. XXXI. 19. Apoc. 1. 19. 3. *Inſpirando* 2. Tim. III. 16. h. e. ſuggerendo *ſcribenda*, & infallibiter dirigendo *ſcriptionem*. Uſque adeo, ut in omnibus, ſive in jure verſentur, ſive in facto; non ſolum res ipſas inſpiraverit; ſed etiam ſingula verba dictârit: partim *Canonizatione*, qua, inſpiratione ſcripta, Eccleſiæ fuit *tradita* Deut. XXXI. 9. Pſal. CXLVII. 19. Rom. III. 2. & obſignata Apoc. XXII. 18. 19. *Neque enim ſufficit ad Scripturæ partem conſtituendam, ſi liber aliquis per extraordinarium alioquin Dei ſervum ſcribatur, & ex certa Spiritus directione: niſi etiam, auctoritate divina, Eccleſiæ ſit datus, & ad hoc ſanctificatus, ut ſit Canon ſeu regula ipſius.* Inquit *Ameſ. Med. lib.* 1. *c.* 34. §. 3. Qui finis eſt & uſus, hujus θεοπνευγίας ac canonizationis: ſcil. ut Eccleſiæ univerſæ, ac ſingulis ejus membris, regulam præſtaret, vivendi Deo. h. e. *credendi* Joh XX. 31. & *agendi* Rom. XV. 3. 4.

4. Scripturæ proprietates.

1. Ejus auctoritas.

XIV. Reſtat igitur, ut è dictis, præcipuas Scripturæ diducamus proprietates, pleraſque cum Pontificiis ei controverſas, adeoque adverſus eos, infra ſuo loco vindicandas. Nim. 1. Suprema ejus, & independens *auctoritas*, quâ, nec in ſe; nec quoad nos, aliunde dependet, quam â Deo. Unde *fundamentum* dicitur Eph. 11. 20. utpote, univerſam fidei ac vitæ Chriſtianæ molem, ſuſtinens: inſuper *primum credibile* 2. Pet. 1. 20. Idque, quia à Spiritu S. eſt. *Ibid.* qui *judicat omnia*, & *judicatur à nemine* 1. Cor. 11. 11. Iſthac auctoritate, *poteſtatem* obtinet (a) *decidendi* omnes controverſias theologicas Jeſ. VIII. 20. Matth. XXII. 29. (b). *dirigendi* vitam ac mores Deut. IV. 1. 2. & XII. 28. 32. Neh. VIII. 2. 14. 15. &c. (c) *judicandi* nosmetipſos Hebr. IV. 12. perinde, ac ſi Deus ipſe loqueretur Heb. X. 15. Ubi tamen probè venit diſtinguendum, inter ἀυθεντίαν *hiſtoriæ*, quæ nudam veritatem *hiſtoriæ* ſeu *facti* exprimit, atque adeo omnibus

omnibus competit narrationibus sacris: & *ἀνθενπίαν normæ*, quæ insuper fidem & vitam nostram dirigit.

2. Ejus veritas. XV. 2. *Veritas*, certitudo & *ἀσφάλεια* universalis: per quam *generaliter*, & fallere & falli nescia est 2. Pet. 1. 19. Psal. xix. 8. Dan x. 21. Joh. xvii. 17. *Singulatim* (b) ejus doctrinalia & historica, accuratissimè consentiunt, cum *re* & *factis* Jes. xxxiv. 16. (6) ejus practica, cum *voluntate* Dei Psal. xix. 8. (c) ejus vaticinia, promissiones & comminationes, cum eventu, non aliter neque minus, quam si coram essent Matth. v. 18. Jes. xxxiv. 16. 2. Idque ideo, quia *Deum veritatis* habet auctorem; Christum, ipsam *veritatem*, & testem fidelem; *Spiritum* S. infallibilem veritatis inspiratorem, *ὁδηγὸν*. Unde tanta ejus exsistit *ἀσφάλεια*, ut cuivis alii revelationi, longe sit præferenda 2. Pet. 1. 19. vel si, à demortuo procederet Luc. xvi. 31. imo ab ipsismet *Angelis* Gal. 1. 8.

3. Ejus integritas. XVI. 3. *Integritas*, quâ, per singularem Dei providentiam, immunis exsitit, ab *omni* corruptione: adeo, ut non ipsa modo nunquam interierit *tota*, aut ullus ejus *liber*; sed &, in eis comprimis, quæ ad vivendum spectant, nullo graviori vitio deformari potuerit Matth. v. 18. Psal. xix. 8, 1. Pet. 1. 23. 25.

4. Ejus veritas. XVII. 4. *Sanctitas* ac puritas Psal. xii. 6. & xviii. 31. & cxix. 40. Prov. xxx. 5. Rom. 1. 2. 2. Tim. iii. 15. per quam, non tantum *in se*, & suis narrationibus, procul est ab omni impuritate, obscœnitateque; sed & *nobis*, omnis sanctitatis ac puritatis, in cogitatis, dictis & factis, auctor exsistit Joh. xv. 3. Idque ratione (a) causæ principalis Dei, qui *sanctissimus* est Jes. vi. 3. Dan. ix. 24. (b) amanuensium, qui, *sancti Dei homines* dicuntur 2. Pet. 1. 21. (c) materiæ, *sancta* scil. *Dei voluntatis* Rom. xii. 2. (d) finis, qui est *nostri sanctificatio* Joh. xvii. 17. & omnium, quæ usum nostrum concernunt. 1. Tim. iv. 5.

5. Perspicuitas. XVIII. 5. *Perspicuitas*, seu clara & evidens manifestatio veritatis, quæ continetur in ea. Unde, frequenter *lux* denominatur Psal. cxix. 105. 2. Pet. 1. 19. 2. Cor. iv. 3. 4. 6. & *aperta* Deut. xxx. 11. seu *luminosa* & *illuminans*: nec enim aliter, *regula* esse posset, credendi ac vivendi. Est autem hoc sensu, clara ac perspicua, ut quamvis *res* Scripturæ, sæpenumerò sint difficiles captu; *modus* tamen eas tradendi & explicandi, in eis præsertim, quæ sunt *necessaria*, clarus sit & perspicuus; iis saltem, qui *oculis spiritualibus* pollent. Proinde, si quæ in Scripturis, deprehenditur *obscuritas*; ea non tam à Scriptura est; quam quidem ab *intellectus* nostri imbecillitate: nec tam est, ab *explicationis* obscuritate: quam à *rerum* majestate: aut si quæ ipsis adhæret verbis ambiguitas; ea certè, in talibus non conspicitur, quæ sunt absolutè necessaria, quin alibi clarius tradantur.

6. Perfectio. XIX. 6. *Perfectio*, quâ ei nihil omnino deest, quod faciat ad *vivendum Deo*; seu, quod est ad salutem *creditu* ac *factu* necessarium. Est autem duplex, *vel integralis* ac systematica *librorum*, quâ paulatim, accessione librorum, crevit, quoad tandem, obsignatione Canonis, quæ habetur Apoc. xxii. 18. 19. omnimodam perfectionem consecuta est, de hac paulò ante §. xvi. *vel essentialis*, ipsius *doctrinæ*, libris contentæ, & hæc demum hujus est loci. Vindicat eam ipsa sibi Scriptura, dicitque 2. Tim. iii. 14.-17. Psal. xix. 8. 9. & *κατ' ἰσοδυναμίαν*. *tum*, quando omnem *additionem* detractionemque, rigidissimè prohibet Deut. iv. 2. & xii. 32. & v. 32. Gal. 1. 8. Apoc. xxii. 18. 19. *tum*, quando in rebus fidei & observantiæ, ad *solam* nos Scripturam ablegat Deut. xvii. 18. 19. Jes. viii. 20. Luc. xvi. 29. Act. xxiv. 14. 1. Cor. iv. 6. *tum*, quando ex ejus dictatis, suo tempore nos *judicandos* pronunciat Joh. xii. 48. 2. Thess. 1. 8. Succinit etiam ratio 1. Nec enim (quod supra evicimus) esset regula fidei ac morum, nisi perfecta esset. 2. Quia est primum *principium*, & ultima analysis fidei nostræ 2. Pet. 1. 20. 21. proinde perfecta: nec enim, veræ ac perfectæ conclusiones, demonstrationesque, deduci possunt, nisi è *principiis* perfectis: cum causa, nunquam toto genere deterior sit, suo effectu. 3. Quia partibus *essentialibus*, materia scil. & forma; itemque integralibus, lege & Euangelio; est perfecta, proinde &c. 4. Quia, quælibet Scripturæ pars seu liber, suam sibi habet perfectionem integralem, quâ suo fini, itemque tempori, abundè sufficit, è quibus non potest non resultare, omnimoda perfectio essentialis. Continet autem ista perfectione, Scriptura A. generatim *omnia* quæ sunt ad salutem *necessaria* Joh. v. 39. B. specatim (a) *credenda* Joh. xx. 31. Rom. xv. 4. 5. 2. Tim. iii. 15. (b) *facienda*, ibid. vers. 17. (c) quæcunque necessario requiruntur, ad institutionem & *ædificationem Ecclesiæ*, adeo, ut nihil sit observatu necessarium, in Ecclesia Dei, *constanter & ubique*, quod pendeat, *vel ex traditione* aliqua; *vel* ex *auctoritate* quacunque, non scripta. Dicitur enim eâ, *ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος*, id est minister verbi, *πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν*, id nominatim, quod spectat ad institutionem & ædificationem Ecclesiæ, *ἐξηρτισμένος*. Quamvis interim *Ecclesiasticalia* (ritus ac cæremoniæ) ambulatoria scil. ac particularia, ex prudenti cujusque *Ecclesiæ*, *determinatione* pendeant 1. Cor. xiv. 40. Non, quod *ἀυτολεξεὶ & κατὰ τὸ ῥητὸν*, omnia ista, in Scripturis prostent (quamvis id in plurimis, iisque maximè necessariis, obtineat) sufficit enim, reliqua *κατὰ διάνοιαν, καθ' ἰσοδυναμίαν*, & per *συναγωγὴν*, eâ comprehendi Matth. xxii. 31. 32. 33. Rom. iv. 5. 11.

7. Necessitas. XX. 7. *Necessitas*, quâ *nunc*, Ecclesia ejusque membra, Scriptura carere nec debent, nec *possunt*. Non equidem *absolutè*; sed ex *hypothesi* voluntatis divinæ, quæ eam medium esse voluit, ad salutem

Joh.

Joh. v. 39. 2. Tim. iii. 17. Patet ea (1.) Ῥητῶς Jud. verſ. 3. (2.) ex mandatis, tam *generalibus* docendi Matth. xxviii. 19. ſub quo procul dubio & *ſcriptio* injuncta, ut doctrina eſſet perpetua, ad *conſummationem ſæculi* uſque, verſ. 20. Confer. 2. Pet. i. 21. quam *ſpecialibus* ſcribendi Exod. xvii. 14. & xxxiv. 27. Deut. xxxi. 19. Jer. xxx. 2. & xxxvi. 2. Apoc. i. 11. juxta & deſcribendi, legendi, meditandi Scripturam Deut. xvii. 18. 19. & xxxi. 9—13. Joh. v. 39. Pſal. i. 2. & xix. 8. 12. 1. Tim. iv. 13. (3.) ex uſu multiplici, & abſolutè neceſſario 2. Tim. iii. 15. 16. 17. Rom. xv. 4. Joh. xx. 31. 1. Joh. i. 4. (4.) è motivis, quibus adductus Deus, Amanuenſibus ſuis, Prophetis & Apoſtolis, ſcribendi neceſſitatem fecit, quas ſupra naravimus §. vi.

§. Efficacia. XXI. 8. *Efficacia*, ob quam δύναμις ipſi tribuitur Rom. i. 16. quâ δυναμένη dicitur Jac. i. 21. & ἐνεργὴς Heb. iv. 12. & ἐνεργεῖσθαι 1. Theſſ. ii. 13. Qua ratione variis, efficaciâ præcellentibus, confertur. v. g. *aquæ* Jeſ. lv. 10. Deut. xxxii. 2. Heb. vi. 7. *igni* Jer. v. 14. Luc. xxiv. 32. *malleo* Jer. xxiii. 29. *gladio* δισόμῳ, *penetranti* Heb. iv. 12. ῥομφάιᾳ δισόμῳ ὀξείᾳ Apoc. i. 16. *tonitrui* Pſal. lxviii. 34. Quæ tamen, in ordine ad ſpiritualia, non tam *phyſica* & *principalis*, ut Lutherani vellent; quam *moralis eſt & inſtrumentalis*, profluens à Spiritu S. ſcil. velut *brachio Dei* Jeſ. liii. 1. Unde *verbum* ac *Spiritus* ſociantur, aut ſubordinantur potius Jeſ. lix. 21. & *Euangelium*, διακονία τῦ πνεύματος dicitur 2. Cor. iii. 8. nec *in ſolo ſermone eſſe*, *ſed & in potentia & in Spiritu S.* 1. Theſ. i. 5. quatenus Spiritus agit, per verbum. Iſtæc efficacia (1) *penetrat* in ima cordis Heb. iv. 12. 13. (2.) *detegit* occulta ejus, & abditos receſſus 1. Cor. xiv. 23. 24. 25. Quod experta eſt, Samaritana illa Joh. iv. 29. (3.) animum hominis mirifice afficit, *pungit*, conterit Act. ii. 37. Jeſ. lxvi. 2. (4.) mentem *illuminat* Pſal. xix. 8. 9. Act. xxvi. 17. 18. (5.) cor *regenerat*, convertit Jac. i. 11. (6.) *fidem* accendit Rom. x. 17. Gal. iii. 5. (7.) totum hominem *ſanctificat* Joh. xvii. 17. (8.) *corroborat*, ut mundum *vincat* 1. Joh. ii. 14. (9.) *conſolatur* Rom. xv. 4. Pſal. cxix. 50. 92. (10) *ſervat* æternùm Rom. i. 16. Jac. i. 21. δυνάμενος σῶσαι τὰς ψυχὰς. Expertus eſt, miram verbi divini efficaciam, *Juſtinus Martyr*, ſatis diu, à Philoſophis omne genus deluſus, ubi, monitu viri gravis, Prophetas & Apoſtolos ſuſciperet legendos, ſenſit ταύτην μόνην φιλοσοφίαν, ἀσφαλῆτε καὶ συμφέρον, *hanc ſolam Philoſophiam, infallibilem eſſe, & conducentem. Juſtin.* in *Dial. cum Typhone*: *Cyprianus*, ſui converſione, per lectionem Jonæ, ſibi expoſiti, per Cæcilium Carthaginenſem presbyterum. Hieron. in Cap. iii. Joh. *Auguſtinus*, lectione loci Rom. xiii. 13. 14. occinente ſibi voce, ſeu cœleſti, ſeu terreſtri: *tolle, tolle, lege* Confeſſ. lib. viii. c. 6. *Lutherus*, repertis ac lectis Bibliis, in monaſterio Erfurdienſi, teſte *Melchiore Adamo*, in vita ejus: *Franciſcus Junius*, lectione capitis primi Johannis, & mille alii. Imo univerſus mundus, verbi efficaciam ſenſit, ſui converſione, ſolo præconio Euangelico peracta Pſal. ii. 8. 9. Conf. 2. Cor. x. 4. 5. Quin ipſi etiam experti ſunt quandoque reprobi, *obmuteſcendo* Matth. xxii. 46. *obſequendo* Marc. vi. 20. *metuendo*, Ibid. & Act. xxiv. 25. *ſe convertendo*, in ſpeciem ſaltem Pſal. xviii. 45. 1. Reg. xxi. 27. Act. xxvi. 28. *induratione* & excœcatione Jeſ. vi. 1—Porro, quæ de *interpretatione* Scripturæ dicenda eſſent; tum elenchtica; tum practica, in ſuum quæque locum, ſeponimus.

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An detur aliquod verbum Dei ſcriptum?

XXII. Hactenus cum amicis egimus κατασκευαστικῶς; impoſterum, cum inimicis hujus loci, agendum nobis ἀνασκευαστικῶς. Inimicos iſtos, ad duas claſſes revocamus: *infideles* & *pſeudo-Chriſtianos*. In priori claſſe, primus locus Gentilibus competit; ſecundus Muhammedanis, poſtremus Judæis. Primus inquam, *Gentilibus* meritò competit. Cum his diſputatur: an detur aliquod verbum Dei ſcriptum? Gentiles: quia univerſam noſtrî directionem, ad rationem referunt, & hanc, in ſe quidem, incorruptam tradunt; omnem revelationis divinæ neceſſitatem reſpuunt, aut, ſi admittant utcunque, ſua oracula, v. g. Jovis Hammonii, delphica, &c. aliam, revelationi divinæ, ſubſtituunt: Chriſtiani omnes ex adverſo; quia, licet diverſo modo ac gradu, fidem & obedientiam divinam, in Religione neceſſariàm, autumant; neceſſariam ſtatuunt, revelationem divinam; in verbo ſcripto. Gentiles ergo, ut, ſi pote, convincamus; huc protrahenda veniunt, quæ jam ante monuimus §. iv. tum inſuper adnitendum, ut non modo *argumentorum* acies, in promptu habeamus invictas; ſed etiam commodo *ordine* diſponamus: atque ut hoc fiat, gradatim demonſtranda venit, primò *omnimoda* Scripturæ *veritas*, tum *divina* ejus *auctoritas*. Et *veritatem* quidem, iſtis adminiculis, ex voto obtinebimus, ſi 1. ſolicitè inquiramus, num quæ Ethnici iſti, quibuſcum nobis negotium eſt, ſcripta habeant, quæ pro *veris* agnoſcant: tum requirendum, quibus *rationibus*, ea vera credant; ſi dent quæ *vera* ſint, eas, facili negotio, noſtris poteris adaptare Scripturis. Si 2. notas & *indicia* ſcripti alicujus *veri*, ipſe recenſeas primùm: tum Scripturis noſtris applices. Notæ fere ſunt; (a) ſi ſcriptores, viri fuerint *honeſti* & ingenui (b) non *ſuam cauſam* egerint, unde *ſibi* quicquam emolumenti mundani, potuiſſet redundare; ſed *alienam*. Quin (c) talem, à qua, non niſi *pericula*, damna, interitus, ſibi potuerint oboriri. Si (d) *plures* hujuſmodi

A. Univerſalis Scripturæ veritas, argumentis 9. Primum. Secundum,

jusmodi scriptores, in eisdem tam exacte concordent. Si (e) vel ipsi eorum *inimici*, rem facti, non negent; sed ad alias tantum causas eam referant. Si (f) narrent res, sibi contemporaneas. Istas ac similes *notas*, si in Scripturis nostris ostendas, prout fieri facili negotio potest, indubitato obtinebis, Scripturam nostram esse *verissimam*. Si 3. addas argumentum à *contentis Scripturæ*, quod ea (quatenus quidem subsunt *rationi*) tam exacte conspirent cum *rectâ ratione*. Seu enim *moralia* concernant, nihil habet Scriptura, quod sit adversus rectam rationem, vel Philosophorum *Ethicis*, Judicibus; neque in his quicquam exigit recta *ratio*, quod non, multo perfectius, exigat *Scriptura*: seu *historica*, deprehendes Scripturam nostram, *gestis* ubique conformem, prout etiam, tum *inductione*, tum *responsione* ad objecta, facile patebit. Unde manet, *nihil* esse in Scripturis, quod cum *veritate* pugnet. Si 4. sumatur *Theologia naturalis*, tam in *theoreticis*, quam in *practicis* capitibus; aut, si compendio studes, sumas ea capita, quæ apud adversarium sunt *in confesso*, & ostendas eadem ipsa, & multo quidem *perfectius*, doceri à nostrâ Scriptura: atque ita fidem Scripturis, facilius in reliquis seu supranaturalioribus lucraberis. Nec enim causa est, cur, quam in *naturalibus* ac notis, *semper* & ubique, deprehenderis verissimam; eam in *supernaturalibus* & ignotioribus, falsam suspiceris. 5. Quin, & dogmatum supernaturalium *veritas*, saltem quoad *possibilitatem* & verisimilitudinem, astruatur, quantum quidem fieri potest, ex *naturæ* principiis, antequam Scripturæ *divinitas*. asseranda suscipiatur. His denique 6. subjungatur *responsio* ad objecta quævis, adversus *veritatem* Scripturæ.

Tertium

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Divina Scripturæ auctoritas evincitur, testimoniis, & rationibus septem. Prima. Secunda.

XXIII. Istis adminiculis, si universalem Scripturæ *veritatem*, obtineris; facilius accidet, ejusdem evincere *divinitatem*, nempe: 1. Testimoniis, ex ipsâ Scripturâ pro sui *divinitate*, adductis, quæ, assertâ & obtenta ejus universali *veritate*, in adversarium fortissimè stringent. Tum 2. rationibus, quarum *prima*, duci possit, à *necessitate* alicujus *regulæ* infallibilis, quæ nos dirigat ad vivendum Deo, quam rationem, aliquot hypothesibus, supra asseruimus §. IV. *Secunda*, à necessitate *verbi* alicujus *divini*: unde conficimus: vel *Scripturam* nostram, esse verbum illud Dei: vel *nullum* prorsus, in rerum natura, dari verbum Dei: ast, cum posterius absonum sit; relinquitur prius asserendum esse. Argumentum duplici nititur hypothesi confirmandâ: scil. primò, necessario dari aliquod verbum Dei *scriptum*: quod arguit, tum *natura Dei*, cultum exigens & obedientiam, quæ præstari haudquaquam possunt, nisi & *modus colendi*, & *voluntas* cui obediendum, à *Deo ipso* revelentur: tum *natura hominis*, quæ, cum animâ constet *immortali*, æternæ, vel felicitatis, vel miseriæ capaci; necessum habet, certis *mediis dirigi*, ad hanc declinandam, illam consequendam; ea verò, cum nos lateant; necessum habent, ut revelentur *verbo* quodam *Dei*: Secundò, *nullum* aliud *esse*, aut esse *posse verbum Dei*, quam nostram *Scripturam*: quod patet, partim *inductione*, quam supra indigitavimus §. IV. & suis locis confirmabimus singulatim, nempe nec rationem, nec Patres, nec Enthusiasmos, nec Thalmud, nec Alcoran, esse verbum Dei: partim *ratione*, quia *mysteria* ad cultum Dei, & animæ beatitudinem scitu necessaria, qualia SS. Trinitas, incarnatio, duarum naturarum in Mediatore unio, regeneratio &c. nullis aliis scriptis revelantur, nec revelari possunt. *Tertia*, à *conditione* rerum in Scripturis traditarum, quæ cum tales sint, ut, nec à *Diabolo* tradi potuerint, aut ab hominibus *impiis*; quippe quibus, dictata Scripturæ sunt *exitialia*: nec ab *Angelis*, aut *hominibus probis*, quippe quorum non est *mentiri*; suisque dictatis *divinitatem* arrogare: eam igitur, dum sibi passim tribuit Scriptura, satis indicat, se non ab Angelis, aut hominibus probis profectam esse. Unde reliquum non est, nisi eam à Deo stirpem ducere, atque adeo *divinæ auctoritatis esse*. *Quarta*, à conditione *Amanuensium*, collata cum majestate & sublimitate *veritatum*, in Scripturis traditarum. Cum enim mysteria Scripturæ, talia sint, ut *captum rationis*, etiam acutissimæ, excedant, quod patet *articulis*: de SS. trinitate, peccato originis, unione duarum naturarum hypostatica, redemptione hominum, per sanguinem Filii Dei &c. nec non *inductione* Philosophorum sagacissimorum, qui ad unum omnes, junctis ingeniorum nervis, adjutique tot librorum subsidiis, talia investigare haud potuerunt: quæ tamen descripta cernuntur, non modo ab *hominibus*; sed ab hominibus *infimæ sortis*, pastoribus, bubulcis, piscatoribus, idiotis, nulla eruditione, artificio dialectico, aut dicendi peritia tinctis: certo certius concluditur, mysteria illa, ipsis à *Deo inspirata* fuisse. *Quinta*, à *providentia* divina, quæ *tum* Scripturis, *tum* scriptoribus, *tum* doctrinæ scriptæ, tot actibus, plane extraordinariis, velut applausit. Seu enim *miracula* spectes, in gratiam *Scripturæ* perpetrata, de quibus jamjam ex professo; seu *doctrina*, Scripturis comprehensæ, per Apostolos disseminandæ, conservandæ ac vindicandæ *modum*; ubique singularem offendes, & extraordinariam providentiæ divinæ vigilantiam. Nominatim, si contempleris: 1. Apostolorum *emissionem*, nunquid *extraordinariam* arguit Dei providentiam, quod homines Christus selegerit *infimæ* sortis, nullis, naturæ aut doctrinæ dotibus, instructos, hosque in universum orbem ablegaverit, qui annunciarent *Jesum* quendam, in Judæa crucifixum, dque, sub *vitæ* æternæ præmio, si eum recipierent; aut sub pœna æterni *exitii*; si respuerent,

Tertia.

Quarta.

Quinta.

rent, & quod isthoc institutum, per talia instrumenta, tantillo tempore, per universum orbem, tot tantosque progressus fecerit? 2. Apostolorum *conservationem*, nunquid extraordinariam arguit providentiam, quod homines imbelles & inermes, inter lupos rapaces missos, quod item Ecclesias, per illos erectas, pusillas certè & infirmas, adversus impetum totius ferè mundi, tam potenter, in hunc usque diem, tutatus fuerit? Si porro 3. *Judicia* conspicias, plane horrenda, in persecutores doctrinæ, ab Apostolis traditæ, exercita. v. g. Herodem, Pilatum, Julianum aliosque; nunquid extraordinariam agnosces Dei providentiam? Si denique 4. *Supplicia* spectes, in violatores doctrinæ, præceptorum scripturariorum perpetrata, nunquid extraordinariam Dei providentiam deprædicabis? Et, cum *omnibus* istis *junctis*, Deus Scripturæ velut applauserit; nec applaudat, aut applaudere possit, nisi *veritati*; nunquid inde conficies, Scripturam esse originis & *auctoritatis divinæ*, cum ipsa sibi passim, hoc ipsum tribuat? **Sexta.** *Sexta*, à *miraculis*, quibus Scripturæ veritatem & *divinitatem* Deus toties comprobavit. Cum enim (a) miracula, propriè non possint perpetrari, nisi *a Deo* (b) nec Deus miracula facere possit, in gratiam *mendaciorum*; & tamen (c) certum sit, plurima & maxima miracula, in gratiam *Scripturæ* perpetrata esse: ut constat; tum *aliorum* de Scriptura; tum *Scripturæ* de seipsa, testimoniis. Quæ tamen Scripturæ testimonia, hîc urgenda non sunt, tanquam *divina*, ne circulum fabricemus; sed *tanquam humana*, licet verissima, per ea quæ è parag. præced. præsupponimus, Conf. Cameron. *de verbo Dei, Operum Tom.* 3. *pag.* 327. &c. *edit. Salmur.* Denique **Septima.** *septima*, ab insitis *divinitatis notis* & characteribus, puta ab antiquitate, perennitate, auctoritate, partium harmonia, styli humilis majestate, cum tanta efficacia conjuncti, ejus propagandi ratione, vaticiniis aliisque, quæ passim explicantur à *locorum Communium* Scriptoribus: v. g. Perkinso *Cas. Conscient. lib.* 2. *cap.* 3, Camerone. *de verbo Dei*, nec non Grotio, Ludovico Vive, Marsilio Ficino, *de Veritate Relig. Christ.* & nuper, Huëtio in sua *Demonstratione Euangelica*, denique à Patribus adversus Gentiles, Justino, Athenago, Tatiano, Lactantiò, Tertulliano, Cypriano, Athanasio, Clemente Alexand. Origine *adversus Celsum*, nec non ab Eusebio, *in Demonstrat. & Præparatione Evangelica.* Porro argumenta; quæ à Gentilibus, **Argumenta in contrarium.** adversus Scripturæ *veritatem* & *divinitatem*, produci possunt; ab absurditatibus, contradictionibus, falsitatibusque, fermè repetuntur, quæ, spissis voluminibus, collegerunt ac discusserunt viri docti, F. Junius *in Parallelis Sacris*, R. Maimonides, *in Moreh Nebuchim*, R. Manasse Ben Israël, *in Conciliatore*, Spanhemius, in *Dubiis Euangelicis*, Waltherus in *Harmonia Scripturæ* aliisque, ad quos lectorem, brevitatis studio remittimus.

XXIV. Prolixiores fuimus adversus Gentiles, quia rariores adversus eos, esse solent Systematistæ; proximum ad his locum, habebunt *Muhammedani.* Quæritur ergo, an Scriptura nostra, adeo sit corrupta, ut ei, seu construi, seu substitui, debuerit Alcoran? Muchammed (*Desiderius* à חמד) Mecanus Arabs, ex mercatore Propheta, novam structurus Religionem & sectam: cum observaret, fundamentum Prophetarum & Apostolorum, ei sustinendæ, par non futurum, quinimo, ejus ope collapsuram: agnovit quidem Scripturam, veteris pariter ac Novi Testamenti, imo librorum numerum, justo plus adaugebat, centum & quatuor numerando, quorum decem missi fuerint ad Adamum, quinquaginta ad Sethum, triginta ad Enochum, decem ad Abrahamum, legem ad Mosen, Psalterium ad Davidem, Euangelium ad Jesum, Koran ad Muhammedem: sed addebat, Scripturam nostram, egregie vitiatam esse, seu à Judæis, seu a Christianis; adeoque necessarium duxit, ei, seu substituere, seu adjicere suum *Koran.* Universa nostra contentio cum Muhammedanis, his omnino tribus occupabitur: 1. Ut obtineamus, Scripturam nostram, non esse corruptam: eoque impetrato, reliqui ejus errores, nullo negotio disjicientur 2. Ut doceamus, Muhammedem nequaquam habendum esse, pro vero Propheta. Hac ratione corruet ejus Alkoran. Tandem 3. ut habeamus, Alkoranum, non esse scriptum divinum; sed futile, dicimus: 1. Scripturam nostram, non esse corruptam (ut a primo ordiamur) tamdiu stabit, dum ipsi contrarium demonstraverint. Nec ulterioribus machinis, nobis est necessarium: ex abundanti adjicies, ex lege, Psalterio & Euangelio, quæ scripta, reliquis omnibus, præferunt Muhammedani, Scripturam nostram, integram fuisse, quod *lex* prohibeat, sibi quicquam addere aut detrahere Deut. IV. 2. & XII. 32. Psalterium statuat, legem Dei perfectam esse Psal. XIX. 8. & alibi: Euangelium omne additum damnet, velut doctrinas humanas Matth. XV. 9. Si instent in contrarium, non mansisse talem, suppetit ipsis quod demonstrent: tamdiu enim quisque manet, vir bonus, donec probatum fuerit contrarium. Porro, si corrupta esset, vel a Judæis; aut quî potuissent, obnitentibus Christianis: vel a Christianis; sed quî potuissent, exemplaribus, per universum orbem, infinitùm fere disseminatis, nec per sectas, sibi invicem obnitentes, ullo modo fuisset possibile. Etiam ab adversariis, proferenda forent exemplaria, nostris puriora. Addam, si Christianis, animus fuisset, Scripturam suam corrumpere, quidni talia adspersissent, quæ hæresin Muhammedanam, ῥητῶς damnarent? Objiciunt duo potissimum: 1. Quod Judæi ex lege sustulerint, *nomen Apostoli Dei Muhammedis*: & Christiani, ex Euangelio eraserint, hæc Christi verba: *annuncio vobis, nuntium bonum, quod post me,*

2. An Scriptura nostra adeo sit corrupta ut ei Alcoranum substitui; necessum fuerit?

Tria nobis hic agenda:

1. Scripturam non esse corruptam.

me, venturis sit, Apostolus & Propheta, nomen ei Muhammed. Resp. Dicant, quando, ubi, a quo, seu Judæo seu Christiano, id fuerit factum. Notent librum ac locum, vel legis, vel Euangelii corruptum. Producant codicem vetustum, qui sic habuerit. 2. Quod nostra Scriptura, multa gestet contradictoria, falsa & insolubilia, quæ recenset Ahmed Alabedin, Persa, libro quem, *Politor speculi* appellat: sed omnia ista solvit Philippus Guadagnolus, in Apolog. Relig. Christ. Cap. IV.

2. Muhammedem non esse Prophetam verum.

XXV. 2. Muhammedem, non fuisse Prophetam verum, multo minus Mosi & Jesu præferendum, patet: 1. Quia ab affirmantibus probari non potest. 2. Nihil præstitit, quod Prophetam, & talem quidem, argueret. Quæ enim mysteria revelavit? Quæ vaticinia fudit? Quæ miracula perpetravit? 3. Docuit, Mosi ac Prophetis indubitatis, e diametro contraria, ut patet collatione Scripturæ cum Alcorano: imo & sibi ipsi, quando Alkoranus, jam dicit sibi a Deo traditum in cœlo; jam missum per Gabrielem Angelum: nunc a Deo, tum ab hominibus compositum esse. 4. Fuit monstrum libidinis, undecim alens, vel, ut alii, septendecim, uxores, præter concubinas; adulter quoque turpissimus. Conf. Joh. Andræas Maurus, *Confus. Sect. Muham.* Cap. VII. prædator item crudelissimus, suis insuper, prædationum auctor. Surat. XIX. & LXXI— à suis etiam, dum viveret, pro stulto, fanatico, dæmoniaco, passim habitus, de quo sæpius conqueritur: Surat. XXXI. XXXV. XXXVIII. &c. impostor turpissimus, visiones & colloquia Angelorum fingens, &c. Quid si autem pro suo, sui causentur; ei nihilominus, commercium interessisse, cum Deo, quale Mosi, & cum beatis Angelis, Gabriele, adeoque revelationibus fuisse beatum, quod Prophetis maxime est familiare & proprium. Resp. 1. Sic illis recurret, ut probent affirmatum. 2. Quid si, ipsissima ejus uxor Chadiga, hoc nomine ipsum increpaverit, quod non semel feciisse, dudum audivimus, non fuisse scil. nisi monitus & delusiones diabolicas, deliria, atram bilem? Quid si his succurrat vulgus, prout factum, sæpius in Alcorano, conqueritur Surat. XXI. XXXV. XXXVIII. XLI. & alibi? Quidsi Christiani concurrant? quo pacto, objecta solide retundent? Cum præsertim Mosi & Christo, indubitato veris Prophetis, ejus doctrina, in plerisque mysteriis Euangelicis, e diametro repugnet? ut suo loco audiemus uberius? Et quis tandem credet, huic tali, quem depinximus, commercium intercedere posse, cum Sanctissimo numine, cum beatis Angelis, cum revelationibus divinis?

3. Alcoranus non est scriptum divinum.

XXVI. Sed & 3. ad ipsum pergendum Alcoranum. Quæritur hîc, an scriptum illud, sit divinum ipsamque legem Mosis, & Euangelium Christi, auctoritate excedat? Alkoran אלקוראן, ubi אל, est articulus ה, vel הא, unde aliis *Koran* dicitur: sonat, vel *lectionem*, vel *collectionem*, scil. præceptorum; vel, ut aliis placet, *correctionem*, scil. V. & N. Testamenti; Muhammedanis *Aphorkan*, a פרק, *divisit*, quasi *distinctionem volumen* dicas. Constat Cap. CXIV. interpretibus latinis, CXXIV. quæ *Suratas* appellant. Habet in his, ut fit, bona mixta malis. Agnoscit Deum, ejus cultum, creationem, providentiam, detestatur idololatriam, &c. Addidit circumcisionem, jejunium mensis *Ramadan*, quinque orationes, peregrinationes ad templum Meccanum, prohibet esum sanguinis, morticinii, carnis suillæ, prædicat se Prophetam & Apostolum, majorem Mose & filio Mariæ. Vid. Hottingerus, *Histor.* Orient. lib. 2. cap. 3. In plurimis dissidet à Christianis: de Scriptura, Trinitate, Christo Dei filio; de creatis variis, mundo, Angelis, cœlo, —lotionibus, juramentis, polygamia & repudiis, prohibitione vini.— Jam de hoc Alkorano disputatur, an scriptum sit, divinæ originis & auctoritatis? Christiani negant, Muhammedani affirmant. Proinde 1. Coguntur probare. 2. Auctorem habet, bipedum nequissimum. 3. Nec characteres, quos designavimus §. XXIII. divinæ originis, præstat. 4. Legi, Psalterio & Euangelio, passim repugnat. Nec est, quod pro Alcorano dicant Muhammedani, nisi quod a Deo sit oriundus, per ministerium Gabrielis: sed dicunt tantum, non probant dictum. Plura de Muhammedismo, si quis aveat videre, Hoornbekium adeat, in *Summa Controversiarum*, cap. de *Muhammedismo*, Joh. Andræam Maurum, in *confusione sectæ Muhammedanæ*, Philippum Guadagnolum, in *Defensione fidei Christ. adversus politorem speculi Achmedis Alabedin*, aliosque.

Cum Judæis quæritur. 1. An præter legem scriptam, detur oralis?

XXVII. Nos hinc ad *Judæos* pergimus, quibuscum *quadruplex* nobis intercedit controversia. *Prima* de lege *orali*, שבעל פה. Quæritur hic, num Moses, in monte Sinai, cum lege scripta seu scribenda, acceperit etiam, sola viva voce propagandam? Inter Judæos Pharisæi, cum, infinitis suis superstitionibus, præsidium nullum, reperirent, in lege scripta; legem talem *oralem* quæsiverunt. Obstiterunt his quidem Sadducæi, rejiciendo istas traditiones: quemadmodum & Essæi ac Samaritani, sed, eadem opera, omnem Scripturam, si Legem Mosis forte excipias; Karræi autem, seu Scripturarii apud ipsos, ingenue negabant. His, in hoc saltem capite, se jungunt Reformati, his potissimum rationibus: (1) Pharisæis affirmantibus incumbit probare. (2) Nihil, de ista secunda lege accepta, aut *Orali traditione*, usque ad Thalmudistas, traditione propagatâ, in Sacra *pagina* est videre. (3) Lege *scripta*, perdita 2. Reg. XXII. & XXIII. ut quid non magis periisset *oralis* illa? aut *orali sarta*, quomodo scripta potuit esse amissa? & si oralis etiam, & *scripsit*, & scribere eam, Moses fuit jussus Exod. XXIV. 3. 4. & XXXIV. 27. Deut. XXXI.

Argumenta.

xxxi. 9. 24. Moſem in ſcribendo ſequitur Joſua Joſ. viii. 32. *& ſcripſit ibi, ſuper lapidibus,* משנה תורה, *δευτέρωσιν legis, quam ſcripſerat Moſes coram filiis Iſraël*, eam procul dubio legem, quam Deus ei commendat cap. i. 7. 8. Conf. 2. Reg. xvii. 13. cum 37. & 2. Paral. xvii. 9. (4) Lex Moſis ſcripta, omnibus partibus eſt *perfecta* Pſal. xix. 8. Deut. iv. 1. 2. & xii. 32. Prov. xxx. 5. 6. adeo ut nihil ad ſalutem creditu ſit neceſſarium, quod non contineatur *lege ſcriptâ:* ergo ſupervacanea eſt *oralis.* (5) Deus abs nobis non exigit obſervantiam; niſi legis *ſcriptæ*, & nuſquam non ſcriptæ Confer. Deut. xi. 32. & x. 12. 13. cum cap. xxviii. 1. Joſ. i. 7. 8. 2. Reg. xiv. 6. 2. Paral. xxv. 4. (6) Adde, legem iſtam *oralem*, prout Thalmude poſtmodum fertur deſcripta, legi Scripturæ, in multis eſſe *contrariam*, ut paulò ab hinc §. xxviii. notabimus.

Objectiones.

Non tamen nihil moliuntur, pro ſua lege *orali*, etiam ex lege *ſcripta*, quam cætera, ceu obſcuriorem, illuſtrandam ope oralis,

1. infra oralem detrudunt. Cauſantur. 1. Ex Exod. xxxiv. 27. *Scribe tibi verba iſta; nam* על פי, *juxta verba iſta, pepigi fœdus meum cum Iſraële.* Vides duplicem legem: *ſcriptam* כתב; & *oralem* על פי *ſecundum os.* Ex his verbis ſic argumentantur, in *Gemara*, *Gettin* cap. v. & *Temura* cap. xi. Manaſſe Ben Iſraël in *Concil.* in Exod. q. 1. Reſp. A. Probent, quod על פי, idem ſit cum תורה שבעל פה & על פי, hîc non notat, niſi *ſecundum*, prout Levit. xxxvii. 8. & 18. Prov. xxii. 6. & alibi. B. *ſecundum verba iſta*, referendum ad verba *ſcribenda*, non ad legem quandam diverſam, ſeu oralem. C. Præſupponitur fœdus divinum, non juxta *ſcriptam*; ſed *oralem* coiiſſe, cui paſſim ſcri-

2. ptura obloquitur 2. Exod. xxiv. 12. *Atque dabo tibi tabulas lapideas, & legem iſtam, & præceptum quod ſcripſi: ad docendum eos.* Quod in Maſſechoth *Berachoth.* fol. 5. ſic interpretantur: & dabo *tabulas* lapideas, h. e. *decem* præcepta, id eſt, S. *Scripturam*; & *præceptum*, id eſt, *Miſchna*; quæ *ſcripſi*, nempe *Prophetica & Hagiographa*; ad *docendum ea ipſos*, hoc eſt, *Gemara.* Quibus docemur, omnia iſta data eſſe Moſi, in monte Sinai. Sic & R. R. Sal. Jarchi, Aben Ezra, & Maimonides. Reſp. α. Hæc omnia, non, velut ex tripode affirmanda erant; ſed accurate demonſtranda. Ubi enim in toto Inſtrumento ſacro, intelligitur per præceptum *Miſchna*, atque etiam *Gemara?* generaliter notat quicquid Deus præcipit. β. Probandum porro, quod hic מצוה & תורה, duo diverſa ſonent, cum copulativa ו eſſe poſſit ἐξηγετικὸν. ut crebro ſit in Scriptura. Sed γ. exſerte dicitur in textu, præceptum quod *ſcripſi*; quomodo ergo notabit legem *oralem?* Conferatur locus 2. Reg. xvii.

3. 34. 35. Porro 3. Objicit Manaſſes Ben Iſraël, in *conciliatore*, ad Exod. q. 1. locum Exod. xvii. 16. conferendum cum Deut. xvii. 8. 9. 10. 11. & ex his conficit, loca legis ſcriptæ omnia, non eſſe ſemper adeo clara, quin interpretatio ſit inſtituenda, & hoc faciendum ex lege *orali.* Reſp. Loca legis ſcriptæ non eſſe perinde *clara*, atque etiam legis *interpretationem*, quandoque eſſe neceſſariam, non ſunt κρινόμενα probanda; ſed obſcuriorum interpretationem faciendam eſſe, ex lege quadam *orali*, hoc non dicunt textus, nec probat Manaſſes, cum locus obſcurior, poſſit declarari ex aliis, legis ſcriptæ, clarioribus. Et hoc uno caute obſervato, corruit etiam, quod idem Manaſſes ibidem, 4. ex ratione objicit, in multis legibus ſcriptis, frequenter eſſe quod deficiat, aut abundet; adeoque legem *oralem* eſſe neceſſariam, quæ hæc ſuppleat: ſcil. hæc non evincunt, legem *oralem* eſſe neceſſariam; ſed tantum interpretationem eſſe neceſſariam, quæ ex aliis legibus ſcriptis, inter ſe collatis, ſufficienter fieri poteſt.

XXVIII. Legem *oralem* diſpeſcunt, in Thalmud & Caballam, de quibus nos ſingulatim agemus. De Thalmude quæritur, an Thalmud Judaicum, ſit divinæ originis, & auctoritatis? Thalmud, a למד *docere*, doctrinam, ſeu *librum doctrinalem* notat, ſeu ſummam doctrinæ judaicæ, a Deo Moſi, in monte Sinai revelatam, quam viva tantum voce propagaret: ſed, propter injuriam temporum, dilabentibus Judæis, in literas ſcriptas redactum. Eſt autem ipſis duplex Thalmud, *Hieroſolymitanum*, & *Babylonicum.* Hieroſolymitanum, alio nomine משנה, natum Anno Chriſti circiter 140. Auctore R. Juda Hakkadoſch, *ſancto*, quod in vi. *Sedarim*, ſeu ordines ac ſumma capita diſpeſcunt, Poſt aliquot annos, iſta משניות, R. Jochanan. egregie auxit, & ex hoc, natum eſt Thalmud *Jeroſolymitanum.* Iſtud autem, cum obſcurius eſſet, ac difficilius; R. *Aſche*, compluribus libris & expoſitionibus, adauxit A. Chriſti, circiter 427. quod A. 500. demum, ad ſuum umbilicum perductum fuit, cui jam, per Judæos, nil licet, ſeu adjicere, ſeu detrahere. Et hoc tandem eſt *Babylonicum*, duabus partibus integrum, nim. משניות, in quibus eſt quaſi textus; & *Gemara*, in qua diſputationes, commentarii & complementum. Diſpeſcitur in ſex ordines, quilibet ordo, in diverſos libros, & liber quivis, in ſua capita. De hoc Thalmude, jam quærebamus, *ſitne divinæ originis & auctoritatis?* Affirmant Phariſæi, cum ſequacibus: occlamant Sadducæi, Samaritani & Eſſæi, cum quibus ſe jungunt Chriſtiani, his fere rationibus: 1. Quod Judæis affirmantibus, incumbat probare. 2. Quod lex *oralis*, diverſa à ſcripta, nulla Moſi à Deo ſit tradita, per paragraphum præcedentem. 3. Quia formam nullam *legis*, multo minus *divinæ*, præ ſe fert. Exhibet enim, Scholarum, & Magiſtrorum, Hillelis & Schamai, varias diſſidenteſque *ſententias*, ac ſuper iis diſputationes; non ita *leges*, comprimis divinæ, agere conſuevêre.

2 An Thalmud ſit auctoritatis divinæ.

4. Judæus nil poteſt proferre, pro auctoritate *Thalmudis*, quod idem non poſſit Muhammedanus. pro ſuo *Alkorano*. Si Judæus dicat Thalmud à Deo traditum Moſi; Muhammedanus item, Alcoranum dicet, per Gabrielem traditum Prophetæ ſuo. 5. Quia, fatentibus Judæis, *motu privato*, nec ſingulari aliquo, ſeu juſſu, ſeu inſtinctu divino natum; proinde non eſt ſcriptum Θεόπνευστον. 6. Patet inductione, quia nec R. Jehuda Hannaſi, auctor *Miſchnajoth*; nec R. Johanan, auctor Thalmudis *Jeroſolymitani*, nec R. Ashe, auctor Thalmudis *Babylonici*, fuerunt Θεοπνευστοι, ipſiſmet Judæis teſtibus. 7. Non tantum *motu privato*; ſed & *pravo* ac perverſo, legem oralem ſcripto conſignaſſent; quia *contra interdictum* Moſis & Prophetarum, aſſerentibus ipſiſmet Judæis. 8. Multa continet *abſurda*, falſa, improba, in Deum, homines & veritatem injurioſa; fobuloſa; item, indigna & infanda plurima, prout integris commentariis Chriſtiani docuerunt. Ut Galatinus de *Arcan. Catholicæ veritat. lib.* 1. Sixtus Senenſis *Bibliothec. lib.* 2. Theod. Hakſpan. ad R. Lipman *cap.* 1. *à pag.* 260. *&c.* Victor à Carbe, Judæus converſus *contra Jud. lib.* 1. *capp.* 9. 10. Marquard. de Suſannis *de Judæis & infidel. part.* III. *cap.* 1. 9. Thalmud, juxta nobiſcum rejiciunt *Karaitæ*, Sadducæi, alliique. Argumenta pro Thalmude coincidunt cum his, quæ circa legem oralem, dudum debellavimus.

3. An Cabbala, ſit divinæ auctoritatis?

XXIX. Tertia noſtra cum Judæis controverſia, *Kabbalam* ſpectat. *Cabbala* Judæi, ſubinde notat, univerſam legem *oralem*; ſubinde ſenſum Scripturæ myſticum; ordinarie, eam doctrinam, quæ conſiſtit potiſſimum in *literarum permutatione*, per *Temuram*, uti appellant; vel in earundem *ſupputatione* arithmetica, per *Gematriam*; & vocum diverſarum ex ſingulis *formatione*, per *Notaricon*; præter reliquos modos vel regulas, quas in univerſum tredecim faciunt Judæi, præter jam dictas, quas ſingulatim vide, apud Hoornbekium *contr. Jud. lib.* 1. *c.* 2. Quantum ad ejus originem, non deſunt, teſte Reuchlino, inter Judæos, qui ſtatuant, Adamum eam didiciſſe a Raziële, Abramum a Zadkiële, Iſaacum a Raphaële, Jacobum a Peliële, videlicet a ſpiritibus, horum Patriarcharum præceptoribus. Vulgo creditur, Moſen in monte Sinai, in lege *orali*, eam accepiſſe a Deo. Eam diſpeſcunt, in *contemplativam* & *practicam*. *Priorem* in permutatione, & poteſtate literarum arithmetica, potiſſimum collocant. v. g. ex eo quod in verſu primo Geneſeos, ſexies proſtet litera ב. conficiunt, mundum, per ſex mille annos, eſſe duraturum: *poſteriorem*, in productionibus magicis ponunt, quam ſibi nunc prohibitam dicunt. Jam quæritur, an illa doctrina, *divinæ* ſit originis & auctoritatis? Affirmant Judæi, negant Chriſtiani, his ferme argumentis: 1. Quia probare Judæi neutiquam poſſunt, eam eſſe *legis* Moſi traditæ. 2. Ejus regulæ, ad eruenda & confirmanda inepta, falſa & impia, perinde adhiberi poſſunt. 3. Ipſa, concedentibus Judæis, ad Scripturam *examinari* debet, proinde non eſt ἀυτόπιστος. 4. Ad hominem. Plurima fidei Chriſtianæ capita, juxta Cabbalam probârunt Chriſtiani, adeo ut *Picus Mirandulæ* Comes, aſſeruerit; nullam ſcientiam, de divinitate Chriſti, nos certiores facere, quam Kabbalam. Ita *Job. Capnio* ſeu *Reuchlinus*, Angelus de *Burgo*, novo Comment. in Kabbaliſtarum dogmata, Jac. Gaffarellus, de *abditis Kabbalæ Myſteriis*, &, peculiari libro, *Elchanan Paulus*, Judæus converſus, quem *Myſterium Kabbalæ* inſcribit: pleraque, ſi non omnia Chriſtianiſmi capita, ē Kabbala demonſtrandum eunt. Objectiones cum his, quibus pro lege *orali* pugnant, planè coincidunt.

4. An N. Teſtamentum, ſit divinæ auctoritatis?

XXX. Poſtrema igitur, & præcipua nobis cum Judæis controverſia, eſt de *Evangelio*, ſeu de *Novo* Teſtamento, an illud ſit Θεόπνευστον, infallibilis veritatis, & divinæ auctoritatis, perinde ac Vetus? Hîc, in *vetus* quidem arietant, Anabaptiſtæ, quando, hoc abrogatum cenſent, eo quod jam, non amplius ſimus *ſub lege*; Sociniani, quando illud depreciant, & lectu ferme inutile putant, eo quod Religio V. T. ipſa eſſentia diſtet a Religione N. T. omnes interim; qui Chriſtum profitentur, vetus & novum Teſtamentum, ejuſdem eſſe veritatis, admittunt: in *Novum* ex adverſo. Judæi, puro in Meſſiam noſtram Jeſum, & Euangelium odio, inſurgunt, ejus nec *veritatem*, nec divinam auctoritatem, recipiendo: Reformati, ejuſdem eſſe, & veritatis & auctoritatis, ſtatuunt Novum cum Veteri. eſt in hoc diſſidio, cardo, omnium aliarum controverſiarum, cum Judæis, atque etiam σύλος καὶ ἐδραίωμα totius Chriſtianiſmi: Proinde certa methodo, hic nobis contendendum, ut Judæis primo extorqueamus, univerſalem *veritatem* N. T. tum divinam ejus *auctoritatem*. *Veritatem* itaque *primò* evincimus: 1. Eiſdem argumentis, quibus Judæi veritatem V. Teſtamenti evincere poterunt. 2. Scriptorum ἀξιοπιστία, qua: α. Rerum de Chriſto narratarum, teſtes fuerunt ἀυτόπται Joh. XIX. 35. 1. Joh. 1. 4. Act. IV. 20. perinde ac ſcriptores V. T. β. Fuerunt teſtes, non ſinguli, non duo aut tres Deut. XVII. 6. ſed duodecim, quin plures quam quingenti fratres 1. Cor. XV. 6. 7. 8. Cum in negotio Eliæ, aſcendentis in cœlum, uni Eliſæo, & merito, credant Judæi. γ. Nulla mentiendi cauſa ipſis ſuppetebat, vel ab honoribus, vel ab opibus, aliiſque emolumentis; ut patet per tot pericula, damna, infectationes, calumnias, paupertatem, aliaque, quibus exſtiterunt obnoxii. δ. In narrando, propriis vitiis non pepercerunt Luc. XVIII. 34. & XXII, 24. Matth. XVI. 22. ε. Narrabant, cum adhucdum in vivis eſſent plurimi, qui narratis interfuerant

fuerant, qui Jesum viderant & audiverant, quibus pleraque de Christo, perspecta erant. ζ. Apponunt narratis suis circumstantias, locorum, temporum, festorum, quibus gesta sunt, nec in his dissentiunt, quamvis locorum intercapedine, admodum sæpe, a se invicem diversi. η. Narrant, non quæ hic aut ibi, clam in angulo quodam gesta sunt; sed quæ in publica omnium luce, præsentibus ipsis inimicis, acta sunt. θ. Narrata sua, tormentis intolerandis, ac dira morte obsignarunt 2. Cor. IV. 8. 9. 2. Cor. XI. 24. 25. 26. 1. Cor. IV. 9–12. Et tales tandem scriptores, nunquid veraces sunt, & ἀξιόπιστοι? 3. *Rerum* scriptarum veritate: quam arguit, *tum* universalis, & accuratissimus earundem, cum scriptis V. T. indubitatò θεοπνεύστοις, consensus: *tum* ipsamet earundem conditio: 1. quod secum omnes, tot, locis pariter ac temporibus, adeo diversi, tam accurate consentiant conveniantque, 2. & cum rerum naturis, 3. cum quâvis alia historia vera, seu Judaica, seu gentili, ut particulatim ad singula ostendent Commentatores, 4. imo cum ipsissimet Judæis: quando pleraque V. T. loca, in N. citata, in *eundem sensum*, ab antiquis Judæis exposita fuisse, à nonnullis probatum, & nuper à *Josepho de Voisin*, in Proœmio ad *Pugionem fid. Martini Raymundi.* 4. Denique, quod capita N. Test. principaliora, in Vet. T. diserte prostent, demonstrari possint, & demonstrata actu fuerint, è Vet. Instrumento. Addam 5. quod ullius falsitatis N. T. unquam, solidis argumentis, non convicerint, ejus hostes, tum præsentes, tum subsecuti. Jam autem scriptum quodvis, tamdiu manet verum, donec convictum solide fuerit falsitatis.

Pro N. T. divina auctoritate, argumenta nostra XI.

XXXI. His argumentis, præsupposita *veritate* N. T. ad divinam ejus originem & auctoritatem pergendum, quam Judæis extorquebimus, his aliisque fidiculis: 1. Ipso N. Testamenti, de sua divinitate, testimonio 1. Thess. II. 13. 2. Pet. I. 19. 2. Tim. III. 16. & ut non dicas, postremum tantum respicere, scripta V. T. confer 2. Pet. III. 16. *Sicut & reliquas Scripturas.* Hoc testimonium, præsuppòsita, ex demonstrationibus præcedentibus, universali ejus *veritate* validissime stringet, 2. Omnibus illis argumentis, quibus Judæus demonstraverit, divinitatem V. Testamenti. 3. Quia in N. T. Deus perinde loquitur, ac in V. Heb. I. 1. *Pater* Matth. III. 17. & XVII. 5. *Filius* Joh. XIV. 24. Apoc. I. 8. *Spiritus S.* Apoc. II. 29. Hinc Paulus, *se vocatum* dicit, *non per homines; sed per Jesum Christum* Gal. I. 1. 1. Thess. II. 13. Etiam 4. Novi T. doctrinâ, quæ non tantum est exacte conveniens; sed &, quantum ad summam rei, eadem cum V. Testamento. Unde Paulus, cum omne consilium Dei annunciasset Act. XX. 27. dicit, se nihil dixisse extra V. T. Act. XXVI. 22. & certatim, Christus & Apostoli, provocant ad V. T. Luc. IV. 20. 21. Joh. I. 23. & V. 39. Matth. XXII. 23. 44. Rom. IX 10. 11. Heb. I. 5. 6. &c. Proinde 5. Doctrina N. T. quæ perfecte vera est, & perinde sancta, ac V. T. inculcat observantiam omnium præceptorum decalogicorum, & officia spiritualia, abnegationem sui, tolerantiam crucis, mortificationem peccatorum, crucifixionem carnis & pravorum affectuum, conversationem cœlestem, agnitionem, amorem, cultum Dei &c. cujus generis scriptum, omnium, etiam Judæorum, judicio, non potest non esse divinum. 6. Miracula, quibus N. Testamento adplausit, plane divina sunt Matth. X. 8. Marc. XVI. 17. 18. Heb. II. 4. & talia, quæ à Messia perpetranda erant Jes. XXXV. 4. 5. 6. quæ sub V. T. nunquam sunt facta Joh. IX. 32. circa omne genus creaturarum, in cœlo & in terra, toti generi humano, nunquam noxia, semper conducentia: qualia sunt, cibare, sanare, ex mortuis excitare &c. 7. Vaticiniis Matth. XXI. 45. Luc. XIX. 43. & XXI. 25. Matth. XXIV. 8. 2. Thess. II. 4. & per totam Apocalypsin: sunt enim vaticinia vera, indubitata divinitatis signa Jes. XLVI. 9. 10. & XLII. 22. 23. Deut. XIII.—8. Martyriis, quibus doctrinæ N. T. veritas, Apostolorum, omneque genus aliorum hominum, est obsignata. 2. Cor. IV. 8. 9. & XI. 24. 25. 26. 1. Cor. IV. 9–13. Act. VII. imprimis etiam, sub tribus primis seculis rei Christianæ, quando myriades Christianorum, omne genus, doctrinam N. T. suo sanguine obsignarunt. Et unde ista? Nisi, quod singulari efficacia, Spiritus S. doctrinæ N. T. voluerit testimonium præstare. Et si Judæis, ista non valeant, in martyriis Christianorum; non valerent etiam in Martyriis Judæorum, sub Antiocho Epiphane. 9. Efficacia, qua, per Apostolos &. Evangelistas, idiotas, doctrina N. T. brevi tempore, in universum fere terrarum orbem, fuit proseminata. Confer, quæ in hanc rem observavimus §. XXII. Insuper 10. Providentâ divina, qua doctrinam N. T. ejusque Professores, adversus impetum potentissimorum, totius ferme mundi, tam potenter tutatus est. Urgent idem Judæi, pro V. Testamento, factum sub devastatione Babylonica, & sub negligentia Israelitarum 2. Reg. XXII. 23. Quidni, & magis etiam nos urgebimus? si cogitemus α. N. Testamentum conservatum fuisse, sub trecentorum annorum, diriissima persecutione, qualis Judæorum nulla fuit. Imprimis β. sub Diocletiano, qui totus in eo fuit, ut Christianorum volumina conquireret & combureret. γ. In omnes fere linguas traductum. δ. Nec vitiatum, per tot fraudes hæreticorum. Tandem 11. Sub styli N. Testamenti, tanta simplicitate, tanta efficacia, qua, in corda hominum, tam potenter se insinuare, & ad fidem ac pietatem, allicere potest, de qua 1. Cor. I. 17. & II. 4. & IV. 19. 20. Cujus illustre specimen, in se præstat

Gerſon, ex Judæo Chriſtianus, in præfatione libri ſui de Thalmude. Si objiciant (1.) Argumenta noſtra pleraque, non niti, niſi fide & auctoritate N. Teſtamenti, in qua ipſum eſt, hujus loci κρινόμενοι. Reſpondebimus α. Utique fide N. T. ſed quam dudum; tot argumentis veram demonſtravimus. β. Cum aliter doctrinam & miracula Veteris T. probare non poſſint Judæi, quam fide Veteris T. Nec γ. in hujuſmodi quæſtionibus *facti*, aliter poſſimus & ſoleamus occupari. (2.) Contra Miracula N. T. excipiunt, & Simonem Magum, & Apollonium, & Monachos papales, multa crepare miracula. Reſp. 1. Ergone etiam Apoſtoli crepant? Nunquid item Prophetæ V. T.? 2. Crepant, ſed ratione & modo, toto cœlo diſcrepante: illi fide ſubleſta, ut à multis demonſtratum; hi fide digna, velut auctores veraces, ut prolixe demonſtravimus: illi fere in India, aliiſque remotioribus locis, ſaltem remotis teſtibus, alicubi in angulo, hi in conſpectu totius populi, atque etiam infenſiſſimorum hoſtium, nil contradicentium. (3.) Contra martyria Chriſtianorum, pro doctrina N. T. ſi cauſentur, multos obſervari, qui ob malefacta, tædio hujus vitæ, aliave cauſa, mortem expetierint, V. G. Eraſtrotem, Cajanum &c. Reſp. 1. Fuerunt impoſtores, peſſimi; ergone & Apoſtoli, veraces & pii? ergone & Prophetæ, Jeremias, Jeſaias; Daniel aliique, ſua quiſque perpeſſus eſt adverſaria? 2. Subierint illi quævis, non ſubierunt tamen, pro doctrina, & doctrina tali, quæ cum ſcriptis Prophetarum coincidit; quemadmodum Apoſtoli & Chriſtiani, tanto numero. Tandem (4.) Objiciunt multa, adverſus ſingularia N. T. loca, ut erroris ac falſitatis illud redarguant; verum his ſingulatim nos apponere, tantum non infinitum foret, & a præſenti noſtro negotio, alieniſſimum. Fecerunt hoc Antagoniſtæ Judæorum, & Scripturarum Interpretes paſſim. Generaliter tamen dicimus: 1. Nihil a quoquam Judæo, adverſus Apoſtolos & Scripturam N. T. proferri poſſe, cujus ſimile, paris, quin & majoris difficultatis, circa Prophetas & Scripturam V. T. nos non poſſimus oſtendere. Ut Judæi nullum ἐναντιοφανὲς in nos poſſint vibrare, quin idem, & multo quidem validius, in ipſos poſſimus retorquere: 2. Nihil adverſus N. T. movebunt difficultatis, quod non ante, & ab aliis motum jam dudum eſt, quin & à Chriſtianis diſcuſſum abundè fuerit. Vid. Spanhem. in *Dubiis Evangelicis*, Mullerus *adverſus Judæos lib.* II. *cap.* 28. & *lib.* III. *cap.* 2. Lyranus in *Reſponſione ad object. Judæorum*, aliiſque.

Objectiones Judæorum.

Objectiones aliæ.

XXXII. Varia inſuper objectant, varii Judæi, inter quos conprimis R. *Iſaac Ben Abraham*, integrum librum edidit, quo totus in eo eſt, ut N. T. falſitatem & impietatem perſtringat, & imprimis Chriſti deitatem, Mariæ virginitatem, Chriſti ex familia Davidis genealogiam, ejus etem doctrinam, miracula, vaticinia, vitæ ſanctitatem, N. item T. citata ex V. T. vanitatis, ex ipſo N. Teſtamento coarguat. Quibus Judæorum antagoniſtæ, ſuis locis, ſolide reſponderunt. R. Luſitanus in *colloquio* Mittelburgenſi, plurima addit hujus farinæ, quæ ſolidiſſime retudit Joh. Mullerus in ſuo *Judaiſmo*. Hic peculiariter inſultat perſonis, auctoribus N. T. Quod (1.) fuerint homines inſani, ebrioſi Act. 11. (2.) otioſi, qui ad hoc, communionem bonorum docuerint, ut ex aliorum bonis, vitam ſuſtentarent. (4.) miracula mentiti fuerint. (4.) mentiri non prohibuerint. (5.) ſuos errores, in doctrina & vita, habuerint &c. Reſp. 1. Omnia iſta & ſimilia falſiſſima ſunt, nunquam probanda. 2. Similia Prophetis etiam impinguntur, Jer. v. 13. 2. Reg. IX. 11. 1. Reg. XVIII. 18. & XXII. 24. Dan. VI. 12. Et 3. Accuſati ſunt: nunquam convicti. 4. Seipſos ſtrenue & ſolide purgarunt. Nos controverſiam iſtam, paulo amplius diduximus, quod baſin præſtet, non tantum concertationum noſtrarum cum Judæis; ſed inſuper omnis fidei & pietatis Chriſtianæ.

An fideles fruantur Sp. S. inſpirationibus.

XXXIII. Jam claſſem Pſeudo-chriſtianorum admittamus in arenam. Ubi *primò* ſeſe offerunt, *Enthuſiaſtæ*, cum quibus diſceptatur: an fideles, jam poſt obſignatum Canonem, fruantur Spiritus Sanct. ἐνθουσιασμοῖς, ſeu *inſpirationibus*, quæ ipſis ſint certiſſimum verbum Dei, quibus tantundem, quin & plus, ſit deferendum, quam Scripturis? Pelagiani & Sociniani, quo plus habeat natura, ratio & liberum arbitrium; juſto minus tribuunt Spiritui S. nullamque ad intelligendas Scripturas, ejus illuminationem. neceſſariam ducunt: ex adverſo Enthuſiaſtæ Weigelius, Swenkfeldius. David-Joris, Spiritus S. operationibus, plus æquo tribuunt: agnoſcunt quidem, Scripturam eſſe verbum Dei; ſed non niſi ſecundum *affatus*, ſeu *inſpirationes* Spiritus ſui, intelligendam, velut verbum quoddam internum. Reformati agnoſcunt & *a*. In Patriarchis, Prophetis Apoſtolis, fuiſſe veros ἐνθουσιασμούς. *b*. In fidelibus ordinariis, eſſe quidem, operationes SP. S. illuminandi, convertendi, ſanctificandi; ſed nullos *Enthuſiaſmos*, nullas *inſpirationes* quod illæ *infallibilem* directionem Spiritus S. connotent, qua jam omnes homines deſtituuntur. Confutatio hujus hæreſeos, deſtructione, duplicis hujus falſæ hypotheſeos perficitur, nim. 1. Scripturam non eſſe *regulam fidei ac morum*, *perfectam* & ſufficientem in ſe; hac enim ſtante αὐταρκείᾳ, ſponte concidit Enthuſiaſmus: ſtat autem, per ea quæ, pro *perfectione* Scripturæ diximus ſupra paragr. XIX. & que infra, pro *eâdem*, adverſus Pontificios dicemus. 2. *Dari* etiamnum, *enthuſiaſmos*, ſeu *revelationes* Spiritus, *infallibiles*, diverſas à Scripturariis *enthuſiaſmis*, quorum beneficio, Scripturæ ſint interpretandæ. Utpote quos 1. *ignorat* ſacra pagina. 2. Quin & *reſpuit*, quia perfecta eſt, & ſibi per omnia ſufficiens. 3. Cum præſen-

sentissimo *seductionis* periculo conjunctos pronunciat 2. Cor. XI. 14. 2. Thess. II. 2. 1. Joh. IV. 1. 2. Quæ pro hujusmodi *enthusiasmis* afferri possint, sunt fermè 1. quod *litera mortua*, Scriptura appelletur 2. Cor. III. 6. Scil. absque interpretatione *Spiritus sui* privati. R. Id non dicitur de *Scriptura*; sed de fœdere *operum*, contradistincto fœderi *gratiæ*. 2. Loca, quæ de *revelatione*, & illuminatione Spiritus S. loquuntur. R. Sed ea non de talibus loquuntur *enthusiasmis*, qui infallibiliter dirigant, & qui alia *objecta* nobis detegant, diversa ab iis, quin & contraria iis, quæ *Scriptura* habet: sed qui *lumen* intellectui conferant, ut revelata in *Scripturis*, possimus cernere ac dignoscere. Ita Eph. I. 17. 18. Conf. Spanhem. *Disp. Miscell. part.* 1. Disput. XVI. usque ad XX. *Marnix. contra Enthusiast.* Calvin. contra eosdem.

An ratio humana, sit norma infallibilis interpretandi Scripturas?

XXXIV. Enthusiastas, in classe Pseudo-christianorum, sequantur *Sociniani*. Quæritur, an ratio humana, sit norma infallibilis, exponendi Scripturas? In defectu hîc peccant: α. Pontificii, quando, ut extollant auctoritatem Pontificis, hoc axiomatis, referunt, partim ad Ecclesiam, seu Pontificem; partim ad Patres, concilia &c. quos alibi examinabimus. Lutherani *olim*, ut in negotiis de communicatione idiomatum, & de omnipræsentia carnis Christi fortius subsisterent, adversus argumenta nostra, ex ratione militantia; subinde statuebant, rationem in mysteriis Religionis, non esse audiendam, subinde rationem in eisdem, Scripturis esse contrariam. Quos alibi examinabimus. In excessu, peccant: *tum* Sociniani, qui, ut mysteriis fidei Christianæ, de Trinitate, Deitate Christi, naturarum in Christo unione personali, quibus ex Scriptura, vix quicquam habent, quod opponant, rationibus validius obniterentur; sic satis statuunt, rationem, esse infallibilem normam, exponendi Scripturas; *tum* Exercitator quidam Paradoxus, ut principia & hypotheses Philosophiæ Cartesianæ, Theologiæ ac Scripturis adaptaret; dicit esse nobis rerum omnium *ideas* connatas, quæ ex hoc, sint quasi oracula: item, claram & distinctam perceptionem, esse supremam, omnis veritatis regulam: hinc spissa *Exercitatione*, tuetur, Philosophiam esse infallibilem interpretem Scripturæ. Eisdem omnino hypothesibus, nuper apud nos nati Theologi Rationalistæ, existimant, ipsius Scripturæ divinam auctoritatem, *aliunde* demonstrari non posse, quam *ex ratione*, & si contentio videatur existere, inter Scripturam & rationem; tum rationem potius audiendam esse, quam Scripturam. Reformati, *rationem* cogitant, vel ut *instrumentum*, vel ut *argumentum*, vel ut *normam* & principium: ut *instrumentum*, statuunt ejus usum *necessarium* esse, in quavis inquisitione veritatis, ejus etiam, quæ circa Scripturam occupatur; ut *argumentum*, ejus usum esse *utilem*, nim. ut veritatem, ex Scriptura, tanquam ex primo & unico suo principio haustam, rationibus etiam naturalibus confirmemus; sed, ut *normam* & principium veritatis, *propter* quod credatur, nequaquam admittunt. Adeoque, si pugna videatur esse, inter Scripturam & naturam; non illi, sed huic cedendum volunt. Suam causam Reformati agunt, his fermè rationibus. (1) Quia *ratio*: *a.* est cæca 1. Cor. II. 14. 15. *b.* est obscura Joh. I. 5. *c.* fallax & lubrica Rom. I. 21. &c. denique *d.* imperfecta. ibid. vers. 19. collat. cum 1. Cor. II. 12. Quæ omnia respuit, natura normæ seu *principii*. (2) Capita Religionis *rationem transcendunt*. Idque (a) quia *mysteria* sunt 1. Tim. III. 16. Matth. XIII. 11. 1. Cor. II. 7. & IV. 1. (b) *Paradoxa* Luc. V. 16. (c) *Spiritualia* 1. Cor. II. 14. (3) Ita *Scriptura* & Sp. S. rationi ac homini *subjiceretur*, quod est contra dignitatem Scripturæ ac Spiritus S. juxta & sententiæ Christi Joh. V. 30. & 34. (4) Nunquam *ad rationem*; sed semper ad Scripturam, Christus, Prophetæ & Apostoli nos remittunt Jes. VIII. 20. 2. Pet. I. 19. 2. Tim. III. 14. (5) Passim rationi *obloquitur* Scriptura 2. Cor. X. 5. & 1. Cor. I. 17. 19. 20. 21. 22. & cap. II. 1. 4. 5. 6. (6) Ita ultima fidei nostræ *analysis*, non tam esset Scriptura; quam ratio, quod est contra Scripturam 2. Pet. I. 20. (7.) Ita ratio esset *prior*, notior, certior, Scriptura 2. Pet. I. 20. (8) Denique ita Religio Christiana, *niteretur ratione*, quod est contra Scripturam Matth. XVI. 17. 1. Cor. II. 7. 8. Joh. I. 18. Objectionibus in contrarium, ex dudum concessis Reformatorum, satisfieri, nullo negotio poterit. Si enim causentur 1. absque ratione, Scripturam intelligi non posse, occurremus: α. Absque ratione, velut *instrumento*, agnoscimus: bruta enim, & amentes non possunt intelligere Scripturas. Tum etiam β. ex hoc non conficitur, rationem esse *normam* seu principium. 2. Veritatem naturæ, non esse contrariam veritati ei, quæ est in Scriptura. Respond. Interim non sequitur, rationem esse *normam* Scripturæ. Et si quando, inter rationem & Scripturam contentio esse videatur; non Scriptura rationi; sed ratio Scripturæ cedere debet. 3. Characteres divinitatis, ex quibus demonstratur Scripturæ divinitas; sunt rationis, Resp. Characteres illi, ipsa sunt Scriptura, ut Scriptura, agnoscatur divina, ex se, non ex ratione: sicut Sol agnoscitur ex propria luce, non aliunde. Vid. Joh. Hoornbeek. *Adversf. Socin. lib.* 1. *cap.* 6. Confer item Vedel. *Rational.* Antagonistas *Exerc. Paradoxæ.*

An V. T. jam sit abrogatum aut lectu minus necessarium quam N. T.?

XXXV. Quæritur, an V. Testamentum, jam sit abrogatum, saltem lectu minus necessarium & utile, quam Novum Testamentum? Hîc, in *defectu* quidem, peccant Judæi, Novum Testamentum, plane repudiantes, quos jam ante debellavimus: in *excessu* Manichæi, V. T. rejicientes, tanquam a principio malo profectum, & Anabaptistæ, V. T. jam abrogatum censent, quod dicamur esse

esse non sub *lege*; sed sub gratia, confundentes legem cum Veteri Testamento: Sociniani, quia statuunt, Religione Veteris T. tota essentia diversam esse, a Religione Novi T. quatenus sub V. T. homines servati sint, observatione legis; dum nos servemus observatione Euangelii: existimant V. T. lectionem non esse necessariam, aut minus saltem utilem. Ex adverso Reformati statuimus, eandem, etiam sub N. T. esse, utriusque Testamenti divinam auctoritatem, ac proinde, perinde necessarium esse & utile lectu, ac Novum est. Rationes nostræ sunt: 1. Quod V. Testam. libri, perinde ac N. T. sunt θεόπνευστοι 2. Tim. III. 16. πᾶσα γραφὴ 2. Pet. I. 20. 21. adeoque *infallibis* quoque, veritatis & auctoritatis. 2. Quod, in *regulam* fidei ac morum, Ecclesiæ sit datum V. Testam. perinde ac Novum Psal. CXLVII. 19. 20. Rom. III. 2. & IX. 4. 3. Nec ullibi legatur *abrogatum* in N. Testam. Quin 4. *Confirmatum* à Christo, tum *præcepto* Joh. v. 39. Matth. v. 17. 18. tum *praxi* Luc. XXIV. 27. quando ad V. T. nos ablegat Luc. XVI. 29. Insuper, suos adversarios, V. T. perpetuo refellit Matth. IV. 7. & XIX. 13. & XII. 3. 4. & XXII. 29. 43. Idem fit ab Apostolis, Petro Act. III. 20. Paulo Act. XVIII. 28. &c. 5. Doctrina universa Novi Testam. continetur in Veteri. Paulus Act. XXVI. 22. profitetur, se nihil dixisse, extra V. T. Usque adeo, ut doctrinam N. Testam. è Veteri examinarint Beroënses Act. XVII. 11. Quin Jesu, testimonium dicuntur præbere, omnes Prophetæ cap. x. 43. Luc. XXIV. 27. 6. Imo quædam fidei nostræ capita, clarius & prolixius prostant, in Veteri, quam in N. Test. v. g. de mundi creatione, hominis lapsu &c. 7. Vetus Testam. dicitur fundamentum fidei, & Ecclesiæ Christianæ Eph. II. 20. Act. XXIV. 14. 8. Variam habet ac validam utilitatem V. T. etiamnum sub N. 2. Tim. III. 15. 16. 17. Rom. XV. 4.

Objectiones.

XXXVI. Objectiones, si quas habent Anabaptistæ, à Socinianis mutuantur. Si: 1. *abrogatum* causentur, est quod probent, nec rem conficiunt locis, quæ *legem* abrogatam ferunt, nisi demonstrent legem & V. T. esse æquipollentia. Legem etiam *ceremonialem*, abrogatam esse morte Christi, facilè damus, dum interim V. T. libros abrogatos esse, tamdiu negamus, dum ipsi probârint: Si 2. In N. T. *sufficient.r* contineri dicant, quæ ad Religionem & salutem faciunt; consequentiam probent, propterea V. esse *abrogatum*: cum Deus non *sufficienter* tantum; sed & *abundanter*, nobis voluerit esse prospectum: potuisset enim, unico libro, omnia talia exhibuisse. Si 3. N. T. veteri *contrarium* dicant, in capitibus de gladio, cæde, talione, jurejurando, ex Matth. v. divortio Matth. XIX. respondemus, *corruptelas Pharisaicas*, Christi judicio, Veteri Testamento contrarias esse, juxta & Novo; non autem, vel Vet. Testam. vel *legem* Mosis, Novo ac Christo. Si 4. Sociniani dicant, Religionem V. T. tota essentia, diversam esse, a Religione N. T. negabimus ex dictis, & imprimis insuper, ex Act. XV. 11. Conf. Joh. Hoornbeek *contr. Socin. lib.* I. *cap.* IV. Abrah. à Doreslaer *Adverſ. Anabapt cap.* 8. Spanhem. *Disp. Miscellan. part.* I. *Disput.* II. III. IV. V.

Cum Pontificiis disputatur!

XXXVII. Agmen claudant *Pontificii*, quibuscum variæ nobis circa Scripturam, intercedunt controversiæ, quarum omnium, saltem plerarumque, πρῶτον ψεῦδος est, vel in Monarchia Papæ; vel in doctrina transsubstantiationis. Quæritur ergo primo, an divina Scripturæ auctoritas, pendeat a testimonio Ecclesiæ? Enthusiastæ, eam suspendunt, Spiritus privati dictamine, quos jam ante rejecimus; Sociniani & Rationalistæ, a ratione, quos item examinavimus dudum. Pontificii, ut auctoritatem Pontificis, extollant supra Scripturam; agnoscunt auctoritatem Scripturæ, prout consideratur *in se*, pendere ab eo, quod sit inspirata à Deo; sed eandem, consideratam *quoad nos*, pendere a testimonio Ecclesiæ, h. e. Papæ. Reformati autem, auctoritatem Scripturæ, omni modo, suspendunt a Scriptura ipsa, & a divino fulgore, qui, in ea est conspicuus. Argumenta nostra in contrarium, ista ferè sunt: 1. Auctoritas Scripturæ, à *solo* suo pendet *auctore*; quia est *testimonium*, cujus auctoritas, dependere solet, à *veracitate testantis*. 2. Quia Scripturæ auctoritas est αὐτόπιστος & ἀξιόπιστος, ac *primum credibile* 2. Pet. I. 20. τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες &c. Unde David, ex ipsis testimoniis, dicit se agnovisse, quod ea Deus *in seculum fundârit* Psal. CXIX. 152. 3. Scripturæ auctoritas, ex *insitis* ei, divinitatis *notis*, sufficienter deprehenditur, ut supra, adversus Gentiles, docuimus. 4. Ipsa Ecclesiæ auctoritas, etiam *quoad nos*, à testimonio dependet Scripturæ: unde Ecclesiæ auctoritatem, è Scripturis, demonstrare ferme solent adversarii, proinde circulus ineptissimus fieret, si Scripturæ *auctoritas*. quocunque modo, ab Ecclesia suspenderetur. 5. Sequeretur, fidem nostram, non tam *fundamento Prophetarum* inniti & Apostolorum Eph. II. 20. quam *testimonio Ecclesiæ*. 6. *Experientia* reclamat, quando myriades hominum, deprehenduntur agnoscere auctoritatem Scripturæ, qui interim non agnoscunt, auctoritatem Ecclesiæ Romanæ.

1. An Scripturæ auctoritas, pendeat ab Ecclesia?

Objectiones.

XXXVIII. Objiciunt: 1. Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. III. 15. R. Quia ipsa *superstructa* est, fundamento Prophetarum & Apostolorum Eph. II. 20. Nisi malis cum Camerone dicere. non tam Ecclesiam; quam *mysterium pietatis*, versu subsequenti traditum, *fundamentum & columnam* veritatis, ab Apostolo indigitari. 2. *Absque Ecclesia traditione*, *Scriptura ad nos non devenissent*, *nec sciremus*, *Scripturas ab iis esse consignatas*, *quorum nomina præ se ferunt &c. nisi testi-*

teſtimonio Eccleſiæ. Reſp. Sed hinc nequaquam conficitur, Scripturam, *auctoritatem* ſuam mutuari ab Eccleſiâ, perinde ut diploma regium; ab apparitore qui inſinuat, auctoritatem haudquaquam accipit 3. *Eccleſia prior fuit Scripturâ.* Reſp. Prioritas temporis, non infert prioritatem dignitatis, & multo etiam minus, dependentiam auctoritatis. Confer imprimis, poſt Wittakerum *de Scriptura*, & *contra Stapletonum*, Guil. Ameſ. *de Circulo Pontif.* Gisbert. Voetium *diſputat. De Scepticiſmo Lojolitico, circa principia fidei.*

2. An libri, quos Apocryphos appellamus, canonicis ſint connumerandi?

XLIX. *Secunda* noſtra cum Pontif. Controverſia, eſt de *numero* librorum, quibus divina iſta competat auctoritas; num ſcil. quos *Apocryphos* appellamus, quales, obiæ, Judith &c. Canonicis ſint accenſendi. Nos negamus, per rationes ſupra §. IX. propoſitas: Pontificii, quo, ex poteſtate canonizandi libros, quam ſuo Innocentio primo (qui vixit ab initio ſeculi quinti) tribuunt, utpote qui primus canonem ſacrum, in hunc ordinem redegerit; auctoritatem ſupremam in Eccleſia, fœnerentur; affirmant, iſtos libros eſſe canonicos: non aliis ferme rationibus, quam: 1. *quod crebro à Patribus citentur.* Reſp. Id etiam libris indubitato Apocryphis accidit. 2. *Quod & Canonici ſæpius à Patribus dicantur.* Reſp. Sed ſenſu *alieno, generaliore* ac latiore, quo omnes hi, *Canonici* indigitantur, qui in Eccleſia *leguntur*, ad ædificationem. Vid. Auguſt. de *Civitat. Dei* lib. XV. cap. 23. & XVIII. cap. 35. Lib. 2. *Contr. Epiſt. Gaudent.* cap. XXIII. de *Doctr. Chriſt.* cap. VIII. Conf. Wittaker. Chamier. Ameſ. *Bellarm. Enervat.* &c. 3. Quod ab Innocentio primo Pontifice, fuerint in Catalogum librorum Canonicorum traducti, illeque Catalogus, inde ad Concilium Tridentinum devolutus ſit. Reſp. 1. Noſtrum Canonem obſignavit Johannes Apoſtolus Apoc. XXII. 18. 19. Tum 2. Eccleſia Judaica, cui datus eſt canon V. T. iſtos libros, nunquam recepit pro Canonicis. 3. Innocentio non fuit in poteſtate obſignatum ab Apoſtolo canonem, immutare.

Añ editiones non-originales ullæ, ſint authenticæ?

XL. Quæritur, an editiones Scripturarum, non Hebraice, quoad V. T. nec Græce, quoad N. T. ſcriptæ; ſint authenticæ? Iſaacus Voſſius, ſeu novandi pruritu; ſeu quod ſibi perperam perſuaderet, Chronologias Patriarcharum, exactius reſpondere cum veritate, ſecundum LXX. Interpretes Græcos, quam ſecundum editionem Hebræam: ſtatuit editionem Hebræam, prout effluxit ab ipſis auctoribus ſuis, ſub captivitate Babylonica, aut Antiocho Epiphane, ferme periiſſe, niſi quod LXX. Interpretibus, genuina exemplaria, adhucdum fuerint in promptu, ſaltem ab eo tempore plane defeciſſe. His cauſis exiſtimat, editionem Græcam, à LXX. Interpretibus, ex integris, & limpidis expreſſam, præferendam eſſe, corruptis fontibus. Idem ſtatuit Joh. Morinus, in ſuis *Exercitat.* Pontificii in partes abeunt: ſunt enim apud ipſos, qui editionem originalem, Latinæ Vulgatæ præferunt; ſic Arias Montanus, Xantes Pagninus, Simeon de Muis, Franciſc. Vatablus; quos *Hebraiſſantes*, apud ſuos appellant: alii Vulgatam, cum originalibus, paris auctoritatis eſſe volunt: Vulgo, ex decreto Concilii Tridentini, canonizante vulgatam, fontibus Vulgata præfertur: non ob hoc tantum, ut fontes eſſe corruptos, commodius dicant; ſed, & magis etiam, ut, uſu unius & communis linguæ Latinæ, membra Eccleſiæ, commodius uniantur, tum inter ſe; tum cum capite, & hac ratione, efficacius dominari poſſit Pontifex. Reformati, ſolis originalibus linguis, Scripturas eſſe authenticas, agnoſcunt. Rationes noſtræ ſententiæ, ſupra diximus §. X. Pontificiorum, has quinque numerat Bellarminus, *de Script.* lib. 11. cap. X. Nim. 1. Eſt longo ſeculorum uſu probata, editio Vulgata. Reſp. Hinc utilem quidem eſſe, probatur; non *authenticam.* 2. Teſtimonium habet veterum. Reſp. Non, quod ſit authentica, perinde ac Hebræa & Græca. 3. Hebræi habuerunt ſua lingua, authenticam Scripturam, & Græci, Græce; proinde & Latini, Latine. Reſp. (1) proinde & Germani, Germanice, Angli, Anglice. (2) Quæſtio eſt de *verſionibus.* Et ſic, nec Hebræi habuerunt verſionem authenticam; nec Græci; proinde, nec Latini. 4. Sic male proſpectum eſſet Eccleſiæ; quia in Conciliis, aut pauciſſimi; aut nulli interdum ſunt, qui Hebraice ſciunt. Reſp. α. Sibi imputent, ſuæque ignorantiæ, non providentiæ divinæ. β. Talia Concilia, non ſunt idonea, quæ editiones authenticas diſcernant. 5. Hæretici, adeo diverſas, & inter ſe diſſentientes verſiones cudunt, ut nihil certi, ex eis haberi poſſit. Reſp. (a) Ergone vulgata eſt authentica? (b) Ante Hieronymum, innumerabiles fuiſſe editiones Latinas, docet Auguſtinus, de *Doctrina Chriſt.* lib. 11. cap. XI.

An fontes Hebræi ac Græci ſint corrupti? Argumenta.

XLI. Unde quæritur, num *fontes*, Hebræi ac Græci, ſint corrupti? Muhammedani, quo commodius, ſuum Alcoranum Scripturis, ſeu conſtruerent, ſeu ſubſtituerent: ſtatuunt, Scripturas eſſe corruptas. Pontificii, quo non tantum fontibus, Vulgatam commodius ſubſtituerent: ſed &, Scripturam, non eſſe perfectum Canonem, ac proinde, traditiones inſuper eſſe neceſſarias, ac præterea, ſupremam auctoritatem in Eccleſia, ſtare penes Pontificem, qui de ſenſu Scripturæ, & obortis controverſiis, infallibiliter poſſit judicare, obtineant; ſtatuunt fontes eſſe corruptos. Nos negamus 1. Quia id videtur eſſe contra *Dei providentiam:* quæ, cum uſque ad *capillum*, nobis advigilet; fundamento fidei ac ſalutis noſtræ Eph. II. 20. non advigilaret? 2. Hoc eſt adverſus Scripturæ teſtimonium Matth. V. 18. Luc. XVI. 29. 3. Auctoritas Scripturæ, hoc ipſo peſſum iret, quippe quæ *fontibus* innititur, per ea, quæ ſupra

diximus §. x. 4. Nec *Hebræa* V. T. corrupta est; nec Græca N. Ergo nulla. Non prior, quia, nec *à Judæis*, nimium ad hoc superstitiosis: ut constat, *tum* Masora; *tum* testimoniis, Philonis, *de egressu Filiorum Israël ex Ægypto*, Joseph. lib. 1. *Contr. Appio.* Euseb. lib. 3. *histor. Eccles.* cap. x. & de *Præparat. Euangel.* cap. 11. *tum* ex integritate vaticiniorum, de Christo; *tum* quod Christus & Apostoli, hoc vitii, ipsis nunquam exprobrârint: & multo minus id *voluissent Christiani*, quippe ad hoc religiosiores; nec, si vel maximè voluissent, *potuissent: tum*, ob copiam exemplarium dispersorum; *tum*, ob varietatem sectarum; *tum*, ob, tantâ frequentia, circumstantes Judæos: proinde *à nemine*, adeoque incorrupta exstitit. Nec etiam *Græca* N. Test. corrupta est, perinde enim id est (a). Adversus Dei *sapientiam* & bonitatem. (b) Piorum Ecclesiæ *Doctorum*, adversus corruptèlas *vigilantiam*, qua, factas ab adversariis depravationes, cautissimè emendarunt.

Objectiones.

XLII. Objectiones, distinctè militant: 1. adversus integritatem *Hebraam* V. T. Ubi multa congerit loca Bellarmin. *de S. Script.* lib. 2. cap. 10. quæ corrupta sint; sed negant ejus Antagonistæ, atque vindicant, singula loca ab eo adducta. Conf. Ames. *Antibellarm.* 2. Adversus puritatem *Græcam* Novi T. quam corruptam ajunt, seu ab *hæreticis*; seu à *librariis*, id quod evincere nituntur: 1. *Codicum* depravatione. Resp. Quorundam, non omnium; proinde hinc non *Novum* T. sed *ista* ejus *editio*, corrupta merito diceretur. 2. *Lectionum* diversitate. Repl. Nec hinc, nisi *codicum quorundam* corruptio, infertur, quæ, ex antiquissimis probatissimisque, *tolli* potest. Vid. Luc. Brug. in Præfat. ad *varias Lect. Script.* 3. *Hæreticorum*, in pervertendis Scripturis, studio, Resp. *Conatus* corrumpendi, non semper infert *effectum*, obstante scil. Doctorum Ecclesiæ pietate, & assiduitate in asserendis fontibus. 4. *Exemplis* textus Græci corrupti, apud Bellarm. de *Sacr. Script.* lib. 2. cap. VII. Resp. Ei opponantur sui Antagonistæ locorum istorum *vindices* accuratissimi.

An traducenda sit Scriptura, in linguas vernaculas?

XLIII. Quæritur, num transferenda sit Scriptura, in linguas *vernaculas? Affirmant Protestantes*, his fere rationibus: 1. Deus ipse Scripturas condidit, linguis *Ecclesiæ vernaculis*, Hebræa, Chaldæa, Græca. 2. Lectio Scripturarum, *omnibus* omnino fidelibus incumbit Joh. v. 39. ut jamjam probabimus: ergo transferendæ sunt. 3. *Usus* ac *fructus* Scripturæ, puta ædificatio, consolatio, exhortatio, glorificatio Dei &c. 2. Tim. III. 16. 17. ad *quosvis* spectat: ergo transferendæ. 4. *Cultus* divinus, linguis *trivialibus* peragi debet 1. Cor. XIV. ergo transferenda Scriptura, quia citra illam, nullus cultus divinus, peragi potest. 5. Ecclesiæ V. Test. Scriptura, in linguas vulgares transfusa fuit, ut Paraphrasis Chaldaica, *Hexapla* & *Octapla* Originis &c. ostendunt.

Rationes Pontificiorum.

XLIV. Pontificii, ut vulgus, a Scripturarum lectione, validius arceant, ne sui errores, idololatriæ, superstitiones, vulgi oculos nimium potenter feriant, & ut, usu solius Latinæ Vulgatæ, Romanenses arctius cohærerent, cum Capite suo, illudque, suis membris, potentius dominaretur: negant, Scripturas transferendas esse, in linguas vernaculas, his ferme ratiunculis: 1. *Sufficit, tribus istis linguis exstare Scripturas, quibus consignata crucis Christi ἐπιγραφὴ* Joh. XIX. 20. Resp. Nexus futilis est. 2. *A tempore Esdræ, ad Christum usque, V. T. non extitit linguâ vernaculâ, quin usus Hebræa, jam tum interciderat.* Resp. Utrumque falsum: nam &, in hodiernum usque diem, apud Judæos, usitatissima est lingua Hebræa. 3. *Apostoli, per totum orbem prædicarunt, nec tamen transtulerunt in linguas istarum gentium.* Resp. (α) Posterius incertum. (β) prius nunquam prohibuerunt. (γ) non potuerunt transferre, defectu otii; (δ) nec voluerunt fortè, ne plures prostarent editiones authenticæ, atque de editionum auctoritate, lites in Ecclesia fererentur. 4. *Facit ad unitatem Ecclesiæ, & communicationem Ecclesiarum, ut lingua prostet communissima, puta Latina.* Resp. 1. Modo non *tantum* Latina, nec *authentice*. 2. Unitas ista, & communio Ecclesiarum, conservari sufficienter potest, *unica editione authentica*, Hebræa ac Græca. 5. *Frustra esset Scriptura, in linguis vulgaribus, quia tamen non intelligeretur.* Resp. Negamus utrumque Deut. XXXI. 11. Porro 6. *Singulis seculis, linguæ vernaculæ, mutantur.* Resp. 1. Non *ita*, ut non possint intelligi, usu comprimis continuatæ. 2. mutentur tantillum & ipsæ versiones. 7. *Est præter majestatem Scripturæ, ut exstet linguis trivialibus.* Resp. Negatur.

An Scriptura a vulgo legi debeat?

XLV. Quæritur, num Scriptura, translata in linguas vulgares, à *vulgo legi* debeat? *Affirmant* Orthodoxi his rationibus (1) Deus *mandat* Deut. VI. 6. 7. à. & XXX. 11. 12. Jes. XXXIV. 16. Johan. V. 39. Luc. XVI. 29. Colos. III. 16. & IV. 16. 1. Thess. V. 27. (2) Lectio Scripturæ, *Ecclesiæ Israëlitica* fuit *familiaris* Act. XV. 21. & VIII. 30. & XVII. 11. (3) Deus lectionem istam maximè *probat* Psal. 1. 2. & CXIX. 2. Act. XVII. 11. 2. Pet. 1. 19. Apoc. 1. 3. (4) *Usus* ac *fructus* Scripturarum, ad omnes indifferenter spectant Rom. XV. 4. Joh. XX. 31. 2. Tim. III. 16. 17. Pontificii, ne doctrina sua pessima, vulgo innotescat, ipsique lubentius pendeant, a domino Pontificis, negant, quia; 1. *Scripturam quidam pervertunt, suo exitio* 2. Pet. III. 16. Resp. Non lectionis, sed *suo* vitio. 2. *Scelera passim in Scripturis narrantur, unde rudioribus scandalum obvenire facilè posset.* Resp. Id *per accidens est*, lectorum, non Scripturæ, aut lectionis, vitio.

Objectiones.

XLVI. Quæritur, an Scriptura sit obscura? Negant

An Scri-

ptura sit obscura?

gant Protestantes, sensu, & rationibus, jam ante repræsentatis §. XVIII. Pontificii, ut non tantum vulgus, a Scripturarum lectione, efficacius abigant: sed & necessitatem interpretis alicujus, & quidem *infallibilis*, obtineant, eamque Spartam Papæ conferant, qui una opera, securus sedeat, ab omnibus insultibus Scripturæ, in propria causa Judex; affirmant, his argumentis: (1) *Dictis Scripturæ, α. quod David oret, pro intellectu & revelatione oculorum* &c. Resp. Petit lumen *intellectui* suo; non perspicuitatem majorem *Scripturæ*: seu, lumen *sibi*, non *Scripturæ*. *β. Christus interpretatur Scripturam* Luc. XXIV. 27. Resp. Id est, recitat & applicat, unde male infertur *obscuritas*. *γ. Eunuchus negat, se Scripturam intelligere posse, absque interprete* Actor. VIII. 30. 31. Resp. *Illum* quidem Scripturæ locum, non intelligebat; unde pessimè, *universalis* concluditur Scripturæ obscuritas. *δ. Petrus, quædam in scriptis Pauli narrat δυσνόητα* 2. Pet. III. 16. Resp. *Quædam*, ergone *Scriptura* est obscura? Sic enim, nullus auctor, non esset obscurus. (2) *à rerum, quæ Scripturis continentur, difficultate & obscuritate*. Resp. Et res difficillimæ, perspicuè explicantur in Scripturis, in iis præsertim, quæ salutem spectant. (3) *Quod plurima in Scripturis sint, quæ prima fronte videntur contraria, sunt quædam ambigua, sunt & orationes imperfectæ, sunt præposteræ, sunt phrases Hebraïs propriæ, sunt denique orationes figuratæ plurimæ*. Resp. Nullibi, talia in Scripturis occurrunt, circa res scitu & intellectu, ad salutem necessarias, quin alibi explicentur: ut, ad summum, *non Scripturæ*; sed isthæc Scripturæ *loca*, hinc dici possint obscura. Confer Bellarmin. *de* S. *Script. lib.* III. *capp.* 1. 2. Ejusque antagonistam Amesium *Bellarmin. Enarvat. Tom.* I. *pag.* 39. & ibidem, imprimis observetur, accuratissima *status controversiæ* formatio, unde omnes objectiones, facili negotio, corruent.

An Scriptura uno plures sensus admittat?

XLVII. Quæritur, an Scriptura, *plures sensus* quam unum, admittat? E Patribus complures, quibus chorum ducit Origenes, quod literalem Scripturæ sensum, nimium existimarent simplicem, nec talem, qui sapientiam Religionis Christianæ, posset commendare Gentilibus; a sensu Scripturæ literali ad sensus allegoricos & mysticos delabuntur: Judæi itidem in suis Midraschim: sed comprimis Enthusiastæ omnes. Nec abludunt omnino, Novaturientes quidam, quando, ut quidvis, ex quovis conficiant, & prophetias pro suo lubitu ulla cum specie, applicare queant; hanc tradunt regulam universalem: verba Scripturæ significant, quicquid significare possunt, e quo multiplex etiam sensus resultare solet. Pontificii, ut Scripturam habeant obscuram, quam vulgus legere non debeat, quæque interpretem exigat infallibilem, qui non sit, nec esse possit, nisi Pontifex Romanus: 1. Quadruplicem numerant Scripturæ sensum, nim. (*α*) *Literalem*, quem literæ immediatè inferunt. (*β*) *Allegoricum*, quo aliquid significatur, in N. T. ad Christum & Ecclesiam spectans. (*γ*) *Tropologicum*, cum aliquid significatur, quod ad mores pertinet. Denique (*δ*) *Anagogicum*, cum vita æterna significatur. 2. Deinde, non improbabile esse interdum *plures sensus literales*, in eadem sententia reperiri. Interim 3. *ex solo sensu literali*, petenda esse argumenta efficacia, adversus adversarios. Vid. Bellarm. *de verb. Dei* Lib. III. cap. 3. Orthodoxi *unum* tantum; eumque *literalem*, admittunt Scripturæ sensum, illum nim. quem ipse *scriptor*, verbis suis *intendit*: interim fatentur, sensum istum, quandoque *compositum* esse, ut accidit, in phrasibus tropicis ac typicis, ubi pars sensus, propria est *verborum* significatio; pars tralatitia, *rerum*. Quin & sensus *mysticos*, ubi certo constat, à Spiritu S. eos esse intentos, *literales* appellant. Argumenta orthodoxorum sunt: 1. Quia Scripturæ sensus verus, *certus* ac firmus est 2. Pet. I. 19. quin & *purus* ac purgatissimus, hoc est, procul ab omni mixtura Psal. XII. 7. & CXIX. 140. Prov. XXX. 5. Jam vero, quod est æquivocum aut ambiguum, seu quod *plures sensus* admittit, illud non est purum, *certum* ac firmum. 2. Quod non significat *unum* quid; *nihil* certò significat. 3. Sensus est velut *forma verborum*: ergo, cum verba non habeant, nisi unam formam; non habent etiam, nisi *unum sensum* &c.

Objectiones.

XLVIII. Argumenta Pontificiorum, sunt: 1. *Apostolus* 1. Cor. X. 11. *sensus cujusdam typici, mentionem facit: atque adeo, quæ Judæis ad literam acciderint, spiritualiter ad Christianos accommodat.* Resp. Non est confundendus Scripturæ *sensus*, cum ejus *applicatione varia*: applicatio cujusque loci, *multiplex* esse potest 2. Tim. III. 16. dum interim *sensus unus* manet. 2. Varia congerunt Scripturæ loca, quorum sensus sit *allegoricus* Gal. IV. 24. &c. *anagogicus*, de requie Israëlitarum Hebr. capp. III. & IV. *tropologicus* 1. Cor. IX. 9.—Resp. Sensus Scripturæ *unicus* est, sive *simplex* in historiis, dogmaticis & prophetiis, nudè propositis, sive *compositus* in typicis, seu figuratis verbis enunciatus: interim applicatio multiplex esse potest Rom. XV. 4. atque sensus *literalis*, per Allegoriam, quandoque in Scripturis *applicatur*, ad διδασκαλίαν, ita fit Gal. IV. Hebr. III. & IV. & per tropologiam ad ἐπανόρθωσιν 1. Cor. X. 11. aut ad παιδείαν 1. Cor. IX. 9. Proinde varius hinc quidem Scripturæ *usus*; non item varius *sensus* conficitur.

An præter, & extra Scripturam, sit infallibilis quæpam in-

XLIX. Ab obscuritate, & difficultate alicujus scripti, resultat ejus *interpretandi* necessitas. Circa hanc disputatur: *primò* de *norma*, juxta quam, in interpretatione Scripturæ, sit pronunciandum, *deinde* de *Judice*, cujus sit, controversiâ de sensu Scripturæ obortâ, pronunciare. Quod primum.

terpretandi norma ?

quæritur, *an præter, & extra Scripturam, sit infallibilis quædam, ejus interpretanda norma? Orthodoxi*, quamvis varia admittant, Scripturam interpretandi *media*, itémque regulas; quales sunt, *analogia* fidei & contextus, diligens locorum *collatio*, seu parallelismus sententiarum: attamen non agnoscunt, *ullam* normam infallibilem, *diversam* ab ipsa Scriptura, semetipsam explicante. Rationes Orthodoxorum sunt: 1. Quia Deum, istud dignitatis, & in verbum suum potestatis, ulli contulisse, non legimus. 2. Nihil præter Scripturam, infallibilis est veritatis Psal. cxvi. 11. ut facile constabit inductione: non *Patres*; non *Concilia* &c. 3. Absurdum est, Spiritum S. ejusque sensa ad aliam *normam* examinari 1. Cor. ii. 11. 16. Denique 4. Omnium aliorum, norma est Scriptura Jes. viii. 20. Gal. vi. 16. Proinde, nihil ipsius norma esse potest, citra turpissimam circulationem.

Sententia affirmans.

L. Enthusiastæ, hoc axioma ad afflatus suos referunt; Sociniani & Rationalistæ, sicut monuimus, ad rationem. Pontificii, ut Scripturam esse, supremam & infallibilem interpretandi sui, normam, securius declinent, istud asserunt, quandoque A. *Patribus.* Sed 1. nullas ejus rei tabulas proferunt. 2. Patres, ad unum omnes, *errare* potuerunt, & reapse *errárunt*, testibus ipsis adversariis. Vid. Bellarm. *de verb. Dei* lib. iii. c. 10. 3. Ipsi Patres, istam dignitatem respuunt. 4. Ipsi Adversarii, Patres etiam consentientes, flocci quandoque faciunt, ut ostendit Rivetus, *Critici Sacri* cap. 7. 5. Eorum scripta, non semper exstiterunt. 6. Ex iis, quæ exstant, plurima sunt supposititia. 7. Nec omnia ab omnibus, quorum est, sensum Scripturæ interpretari, consuli possunt. Confer Riveti *Critic. Sacr.* nec non Dalleum, de *Usu & abusu Patrum*, *Joh. Gerard. loc.* 1. *cap.* v. B. Pontificum Romanorum decretis, Stapleton. *Controv.* 4. *Quæst.* 1. *art.* 3. *Deo*, inquit, *loquenti in verbo suo scripto, non est credendum, nisi interposito judicio auctoritativo Pontificis.* Resp. 1. Probent adversarii. Nos contrarium ostendemus ad quæstionem sequentem. C. Conciliorum placitis. Bellarmin. *Controv. general.* 4. *lib.* 2. Concil. Trident. *Sess.* 4. Act. 1. sibi ipsis sæpè contradicunt. 2. Errare possunt, & errarunt. 3. Præjudiciis, sæpenumero à veritate deflectuntur. D. Traditionibus, de quibus nos infra ex professo. Argumunta, pro & contra, vide apud Bellarm. loco citat. ejusque Antagonistas. Amef. *Bellarm. Enervat. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. Wittak. *Controv. tert. quæst.* 2. *de Concil.*

An in terris, detur Judex aliquis infallibilis controversiarum?

LI. Quoad secundum, quæritur 1. *An sit inter homines, visibilis Judex, controversiarum illarum, quæ sunt de sensu Scripturæ ac Religione, in cujus sententia, omnium conscientiæ, acquiescere debeant?* Negant Orthodoxi: 1. Quia hominibus non competit potestas judicandi, quasi *regia* & prætoria, in Deum divinaque. 2. Quia Judicium cujuscunque, præterquam Scripturæ ipsius, erroribus est obnoxium. 3. Proinde examinandum, ad Scripturæ lapidem lydium 1. Joh. iv. 1. 1. Thess. v. 21. collat. cum Jes. viii. 20. Act. xvii. 11. adeoque, nemo potest statui Judex, absque turpi circulatione. 4. Solus Deus est auctor Scripturæ 2. Tim. iii. 16. summus & *unicus Legislator* in Ecclesia Jac. iv. 12. unus infallibilis *Doctor* Matth. xxiii. 8. 10. 5. In utroque Testamento, id axiomatis Scripturæ soli, Deus tribuit, quando, obortis controversiis, perpetuò ad Scripturas nos remittit Jes. viii. 20. Luc. xvi. 29. 2. Pet. 1. 19. Deut. xvii. 10. &c.

Quid Pontificii?

LII. Judæi olim habuerunt suos Pontifices, constitutione divina, soli familiæ Aharonis, adstrictos, quibus suprema sacrorum competebat ἐπισκοπὴ; qui tamen nullibi, controversiarum circa Scripturas, appellantur Judices. Et Romani gentiles, supremos suos habebant Pontifices, a Numa Pompilio, oriundos, teste Livio lib. 1. Hunc Festus ait, *Judicem atque arbitrum, rerum divinarum humanarumque fuisse.* Habent item Muhammedani suum Mufti, summum sacrorum curatorem, *a quo*, inquit Busbequius, Epist. 3. *in rebus dubiis, tanquam a quercu Dodonæa, responsa petunt.* Pontificii, ut Papa suus, in propria causa, Judex supremus, securus sedeat; In hoc quidem congruunt, dari præter Scripturas, in terris, visibilem quendam, & infallibilem, controversiarum Judicem: sed in partes abeunt, determinaturi, num Papa sit, an Concilium œcumenicum, an Papa cum Concilio? Tum recurrit quæstio, an radix infallibilitatis, sit in Pontifice, an in Concilio? Et hinc porro, an potestas Papæ, sit spiritualis tantum? an temporalis insuper? Et hæc, an per se; an propter Ecclesiam tantum? Omnes Papam saltem faciunt, controversiarum Judicem, & Scripturarum interpretem: his ratiunculis 1. *Quia istud prærogativa, olim competierit Mosi & Aharoni* Exod. xviii. 26. Deut. xvii. 8. & seq. Eccl. xii. 11. Hag. ii. 12. Mal. ii. 7. 2. Paral. xix. 11. *ac Pontifex eorum sit successor.* Resp. Negamus utrumque, nec tale quid evincunt, adducta loca, ut docebit ἀποψία. 2. Quia *Petrus olim fuerit, supremus controversiarum Judex* Matth. xvi. 19. Joh. xxi. 16. Luc. xxii. 32. Act. xv. 7. Gal. ii. 9. *ac Pontifex, successione sit Petrus* Resp. Rursus negamus utrumque, nec hoc probant adducta loca, inspiciantur modo. 3. *Ultimum judicium*, in *controversiis*, *sit Ecclesiæ representativa* Matth. xviii. 17. & xxiii. 2. Resp. Est ipsum, quod quæritur, nec argumentum latet, in adductis locis: equidem, Judicium quoddam Ecclesiæ tribui Matth. xviii. 17. agnoscimus; sed non *ultimum* ac *infallibile*, quippe, examinandum è Scriptura Actor. xvii. 11. 1. Thess. v. 21. nec ulterius, Scribas ac Pharisæos, audiri Christus vult, tanquam sedentes *in cathedrâ Mosis* Matth. xxiii. 2. quam, quando

quando & *quatenus*, docent ex Moſe. Confer Antagoniſtas Bellarmini, Ameſium &c.

Num privato cuivis, ſit relinquendum judicium controverſiarum?

LIII. 2. *Num ergo, privato cujusvis judicio, interpretatio Scripturæ, & judicium controverſiarum, ſunt relinquenda?* Cum Reformati Pontificios reprehendunt, quod ſibi Pontificem Romanum, conſtituant ſupremum Iudicem controverſiarum: illi retorſuri reprehenſionem, Reformatis impingunt, quod privatos quoſvis, uſque ad mulierculas, faciant Judices controverſiarum. Sed perperam: 1. enim diſerte negant quæſtionem, perinde ac Pontificii. Proinde 2. Id tantum Orthodoxis, impingunt Pontificii; ſed per meram calumniam: interim Reform. 1. diſtinguunt judicium, in *publicum* & *privatum*. 2. Rurſus, publicum duplex faciunt, vel ſimpliciter & abſolutè *authenticum*, ac definitivum, conſcientias hominum, ad fidem obſtringens; tale negant, in terris exſtare, præter Scripturas, vel *limitatum*, ex miniſteriali vocatione, ac *diſcretivum*, declarans, quid per debitam inquiſitionem, repererit eſſe definitum in Scripturis, non ulterius ad fidem obſtringens, quam poſſit oſtendere Dei verbum eſſe, quod proponit. 3. Denique, privatum judicium, dicunt eſſe ſingulorum hominum, ſibi ſolis, *diſcernentium* ac probantium, quod proponitur, non aliis quidquam, ex ſingulari aliqua vocatione, declarantium. *Quomodo ergo determinabuntur lites de Religione?* Reſp. Ut negamus, ad controverſias theologicas dijudicandas, *viſibilem* aliquam in Eccleſiâ conſtitutam eſſe poteſtatem, quaſi regiam ac prætoriam: ita ſtatuimus, hominibus, à Deo impoſitum eſſe, officium inquirendi, communicari item donum diſcernendi, tam publicè quam privatim, inſuper indici ſtudium promovendi veritatis cognitæ ſcientiam ac praxin, pro vocationis eorum ratione, his denique adjungi, promiſſionem directionis ac benedictionis. Et hæc demum omnia, ad determinandas controverſias, ſufficere exiſtimamus.

An ſcriptura ſit perfecta norma fidei ac vitæ?

LV. Quinta igitur cum Pontificiis controverſia, Scripturæ *perfectionem* reſpicit. Ubi quæritur; 1. *Sit ne Scriptura, ita perfecta, ut omnia dogmata, ad fidem ac vitam neceſſaria, complectatur?* Orthodoxi affirmant, his fermè argumentis: 1. Quia Scripturæ, nihil eſt *addendum* vel detrahendum Deut. IV. 2. Gal. I. 8. 2. Quia *omne conſilium* Dei, de noſtra ſalute exponit Act. XX. 27. collat. cum Cap. XXVI. 22. 3. Nos *perfectos* reddit ad ſalutem 2. Tim. III. 15. 16. 17. Confer quæ ſupra prompſimus §. XI. Judæi, ut legem ſuam *oralem*; Muhammedani, ut Alcoranum, ſartum habeant; Pontificii, ut infinitis ſuis ſuperſtitionibus, quas Scripturis ſuſtinere nequeunt, aliunde ſuccurrant utcunque, atque etiam Monarchiam ſtabiliant; quippe quam præcipiendo & prohibendo, conſulendo, non ita exercere poſſet Papa, ſi in Scripturis exſtarent, omnia ad ſalutem, creditu & factu, neceſſaria: negant Scripturam eſſe perfectam normam, fidei ac vitæ. Pontificii, his fere pugnant, ratiunculis: 1. Multa ſcitu neceſſaria, non continet Scriptura. E. g. (a) quod remedium fuerit fœmellis in V. T. contra peccatum originis: quod item maſculis, ante circumciſionem morientibus? (b) quomodo Gentiles quidam ſub. V. T. ſervati ſint? (c) nihil tradit de perpetua virginitate Mariæ. (d) de Paſchate, die Dominico celebrando. (e) de Pædobaptiſmo &c. Reſp. Aut illa non ſunt ad ſalutem ſcitu neceſſaria. qualia tertium & quartum horum; aut continet, v. g. (a) remedium univerſale, contra peccatum originis, aſſerit ſanguinem, ſeu *gratiam Chriſti*, ſub utroque Teſtamento 1. Joh. I. 7. collat. cum Act. XV. 11. *obſignatam* potius, quam *productam*, circumciſione Rom. IV. 11. Idem ad (b) reſponderi & applicari poteſt. Ad (e) dicimus, proſtare in N. T. *Pædobaptiſmum:* dicit enim diſerte, *omnibus* competere Baptiſmum, qui ſanguinis & Spir. Chriſti ſint participes Act. X. 47. & *infantes* ſanguinis ac Spiritus Chriſti, eſſe capaces Luc. I. 15. Jer. I. 5. Alia in hanc rem argumenta, ſuo loco promemus. 2. Multi Scripturæ libri, verè canonici, verè perierunt: tum è V. T. ut libri Nathanis ac Gadi 1. Paral. XXIX. 29. Ahiæ & Iddonis 2. Paral. IX. 29. Salomonis 1. Reg. IV. 32. tum è N. Teſt. Epiſt. ad Laodicenſes Coloſſ. IV. 16. & una ad Corinthios 1. Cor. V. 9. Reſp. Aut non fuerunt *Canonici*; aut *non perierunt*, argumento loci Matth. V. 18. Libb. Nathanis ac Gadi, in hiſtoriis *Samuelis* ac *Regum*, forte habentur, quorum nomina, iſthic omiſſa, in Chronicis Eſdras expreſſerit. Salomonis ſcripta quæ interciderunt, *Canonica* fuiſſe negamus. Epiſtolam *ad Laodicenſes* non agnoſcimus: meminit enim Apoſtolus Col. IV. 16. Epiſtolæ, non πρὸς Λαοδικεῖς ſed ἐκ Λαοδικείας. Si quæ ad Corinthios Epiſtola periit, non fuit Canonica 1. Cor. V. 9. ſe de eadem ipſa epiſtola loqui, inuere videtur præpoſitivus τῇ. Et fac perierint libri quidam Canonici, (quod pernegamus) non tamen hinc, Scripturæ imperfectio *eſſentialis*, rectè conficietur, niſi demonſtratum antea ſit, habuiſſe iſtos libros, dogma aliquod ad ſalutem neceſſarium, quod non habeant libri, qui jam dum ſuperſunt. 3. Aut ſinguli libri Scripturæ, ſingulatim ſunt perfecti, & omnia continent ad ſalutem neceſſaria; aut omnes: non ſinguli, quorſum enim tot? nec omnes; quia multi perierunt. Reſp. Et ſinguli libri ſunt perfecti *eſſentialiter*, quatenus ſuo fini ac tempori perfectè ſufficiunt; & totus Canon, perfectus eſt *integraliter*: ſi non, quatenus acceſſione librorum paulatim *crevit*; ſaltem quatenus *jam* exiſtit perfectus. Præterquam quod, periiſſe ullum librum Canonicum, jam merito negavimus. 4. Poſtremum argumentum à traditionibus eſt, de quibus jamjam ex profeſſo.

Objectiones.

1.

2.

3.

4.

An præter Scripturam, traditiones divi-

LVI. Quæritur. *An extra & præter Scripturam, dentur traditiones quædam, Chriſti & Apoſtolorum, quæ ſint verbum Dei, paremque cum ver-*

næ ſint neceſſariæ.

bo ſcripto auctoritatem obtineant. Reformati, quamvis traditionem, cujus ope, ipſa ad nos pervenit Scriptura, ut neceſſariam admittant; nullas tamen traditiones, quæ ſint dogmata, aut præſcripta, præter Scripturas, neceſſaria, admittunt: 1. Quia Scriptura omnimode perfecta eſt, per §. XIX. 2. Quia traditiones ſunt *doctrinæ hominum*, quæ proſcribuntur Matth. XV. 9. Col. II. 22. 23. 3. Nulla talium traditionum exempla, proferri ab adverſariis poſſunt, quæ non facile poſſimus diſpellere. E. g. ea quæ §, præcedenti notavimus, de remedio peccati originis &c. 4. Quia traditiones Pontificiorum ſunt (a) *incertæ*, dum unam eandemque traditionem, è Veteribus, alii affirmant, alii negant, eſſe Apoſtolicam. (b) *adverſæ* verbo Dei ſcripto. (c) quædam *fabuloſæ* ac ridiculæ. (d) *mutabiles*, variè enim mutatæ leguntur, Pro temporum, locorum & perſonarum circumſtantiis.

Quid pontificii?

LVII. Phariſæi, eo animo, quem, ad controverſiam præcedentem, repræſentavimus, negant; negant juxta *Conc. Trid.* Seſſ. IV. Pontif. his ratiunculis: 1. *Apoſtolus ad eas provocat* 1. Cor. XV. 3. Reſp. Notat *traditionis* vox, quandoque *doctrinam*, quovis modo traditam, quamvis expreſſe in Scriptura contineatur 1. Cor. XI. 23. 2. Theſſ. II. 15. Ita 1. Cor. X. 3. ut expreſſa ibid. doctrina, invictè arguit. 2. *Apoſtoli quædam tradiderunt, ergo non ſcripſerunt.* 1. Cor. XI. 34. Reſp. A. non cohæret: tradiderunt, ergo non conſcripſerunt: cum traditio (per reſponſionem immediatè præcedentem) tam ſcripto fiat, quam viva voce. B. nec ſequitur, Apoſtolus quædam tradidit, quæ in *ea epiſtola* non proſtant ſcripta; ergò illa *nullibi* ſcriptura tradit, aut ſi ipſe non tradit, nullus Apoſtolus tradit ſcripto, nullus Propheta. C. Fac. tradiderit, quæ *non ſcripſerit*; qua ratione evincetur, ea eſſe ad ſalutem ſcitu *neceſſaria?* 3. *Chriſtus multa habuit Apoſtolis dicenda, quæ non poterant portare* Joh. XVI. 12. Reſp. (a) Hinc non ſequuntur traditiones. (b) Chriſtus, omnia quæ audivit â Patre, nota ſuis fecit Joh. XV. 15. adeo ut Spiritus S. non debuerit, niſi ἀναμιμνήσκειν ὅσα εἶπε Joh. XIV. 26. (c) ergo non de novis quibuſdam *dogmatis*, adhuc accipiendis, Servator loquitur; ſed de talibus, quæ ipſe ſæpius docuerit; ſed à diſcipulis, propter infirmitatem, *percepta* non ſint, percipienda demum, ductu Spiritus venturi. 5. *Paulus ſæpe* παραδήκην *commemorat* 1. Tim. VI. 20. 2. Tim. I. 14. item *abs ſe audita, ſuis commendat* 2. Tim. I. 13. cap. II. 2. Reſp. Certè non *traditiones* Pontificias; ſed univerſum doctrinæ ſanæ *corpus*, ſuo Timotheo commendat, ut ad oculum patet 1. Tim. VI. 20. & 2. Tim. I. 13. 14. 6. *Paulus non vult de omnibus ſcribere, ſed de multis coram diſponere,* τὰ λοιπά, &c. 1. Cor. II. 34. Reſp (a) Loquitur non de neceſſariis *fidei articulis*; ſed de *ordine* in Eccleſiis ſervando, quem, citra diſpendium ſalutis, poterant ignoraſſe. 6. *Johannes non voluit omnia atramento committere* 2. Joh. verſ. 12. & 3. Joh. verſ. 13. Reſp. Ergone quædam ſunt ad ſalutem neceſſaria, quæ in univerſis Bibliis, non proſtant? 7. *Nomina duorum Magorum, Apoſtolus, procul dubio, habuit à traditione* 2. Tim. III. 8. Reſp. (a) Probandum, Apoſtolum ea non habuiſſe, extum temporis exſtantibus monumentis *ſcriptis*; nec *inſpiratione* Spiritus S. (b) Non fuerunt dogmata fidei, ad ſalutem neceſſaria. 8. *Non haberemus Scripturam V. ac N. Teſt. nec ſciremus, libros Biblicos ſcriptos eſſe, ab iis, quorum nomina geſtant, niſi traditione Eccleſiæ, tum Judaicæ, tum Chriſtianæ.* Reſp. diſtinximus traditionem *Scripturæ*, ab ea quæ eſt *præter Scripturam* priorem amplectimur; poſteriores reſpuimus.

An Scriptura nunc Eccleſiæ ſit neceſſaria?

LVIII. Quæritur, an Scriptura, NUNC Eccleſiæ ſit neceſſaria? Enthuſiaſtæ, quod ſibi ſufficiant afflatus, Spiritus privati: & Pontificii, ut traditionem, magis habeant neceſſariam, lectionem minus, & Pontificis infallibilitatem, maxime; verbi Scripti neceſſitatem negant, ad hoc inſuper, ut magis extollant, neceſſitatem Pontificis Romani, a cujus ore pendeamus. Idque his rationibus: A. *Bis mille annis, ab Adamo ad Moſem, conſervata eſt Religio, ſola traditione: non eſt igitur Scriptura ſimpliciter neceſſaria.* Reſp. 1. Non dicimus eam *ſimpliciter* eſſe neceſſariam; ſed ex hypotheſi *voluntatis* divinæ, imperantis nobis verbum ſuum, ut ſupra vidimus. 2. *Tum temporis*, non *fuit* neceſſaria, ſupplente neceſſitatem, viva Dei voce; Ergo non *eſt jam* neceſſaria, ceſſante viva illa Dei voce; non ſequitur. 3. Conſervata eſt Religio, non tam traditione; quam viva Dei per Patriarchas voce. B. *Scripturæ, cum poſtea exſtabant, erant ſolæ Judæorum, dum interim alii, qui non pertinebant ad Eccleſiam, ſola uterentur traditione: ut Job cum amicis ſuis, quin ipſi etiam Judæi, magis utebantur traditione, quam Scriptura.* Reſp. (a) Job & amici ejus, vixerunt *ante legem* Dei ſcriptam, & habuerunt *vivam* Dei vocem, ut apparet ex libro Job. (b) Cum piis, extra viſibilem Judæorum Eccleſiam agentibus, Deus *extra ordinem* egit; aſt hinc *ordinariam* Scripturæ neceſſitatem inficiari, tantundem eſt, ac ſi, ab *extraordinaria* Moſis & Chriſti ſuſtentatione abſque pane, velis inficiari neceſſitatem cibi ac potus. (c) Fatemur Eccleſiam Judaicam, ſed non niſi tempore Chriſti, & paulo ante, per corruptionem peſſimam, & ſæpiſſimè à Chriſto reprehenſam, tantundem tribuiſſe *traditionibus* Patrum Thalmudicis, ac Scripturæ; ſed inde non magis rectè, neceſſitas ſcripturæ abrogabitur; quam à corruptiſſima Pontificiorum praxi, ſuas traditiones Scripturis præferente, ſequitur, quod nobis liceat abrogare neceſſitatem verbi divini. C. *A Chriſti adventu, per multos annos, Eccleſia fuit ſine Scriptura.* Reſp. (a) Nunquam fuit, ſaltem à Moſe, ſine *omni* Scriptura. Habuit enim ſemper V. T. (b)

quod

quod autem, ſine ſcriptis *Apoſtolicis*, aliquamdiu fuit; hoc inde factum, quia viva voce, primo Euangelium debeant prædicare, tum ſcribere. (c) *Viva Apoſtolorum*, adeoque Spiritus S. vox, neceſſitatem iſtam ſupplebat, quâ *ceſſante*, mox Apoſtolorum doctrina, ſcripto exſtitit conſignata: Unde Scripturæ neceſſitas, validiſſime roboratur. Contra *Orthodoxi*, neceſſitatem Scripturæ aſſerunt, multis argumentis, quorum aliqua prompſimus ſupra §. xx.

An Scriptura, fortuitis tantum occaſionibus ſit nata, abſque juſſu divino?

LIX. Quæritur, an Scriptura, fortuitis tantum occaſionibus, ſit nata, abſque juſſu divino? Reformati, non *lubitu proprio*; ſed *actos Spiritu S.* locutos *fuiſſe ſanctos Dei homines*, exiſtimant cum Apoſtolo 2. Pet. I. 21. Pro Argumentis proferunt (a) Mandatum *docendi omnes gentes*, per univerſum orbem, etiam futuras, uſque ad *conſummationem ſæculi* Matth. XXVIII. 19. 20. id quod fieri vix poterat, abſque omni ſcriptione. (b) Quibuſdam, expreſſo mandato, ſcribendi neceſſitatem dictavit. V. g. Moſi Exod. XVII. 14. & XXX. 27. & alibi: Jeſaiæ. Jeſ. VIII. I. Jeremiæ, Jer. XXX. Habacuco cap. II. 2. Johanni Apoc. I. II. Omnibus, pro mandato fuit, *inſpiratio* 2. Tim. III. 16. & *impulſus* Spiritus S. 2. Pet. I. 21. (c) Erant fideles Chriſti *legati* I. Cor. IV. I. 2. quorum non eſt, abſque mandato agere: unde *neceſſe* quidam habuerunt *ſcribere* Jud. verſ. 3. omnes nim. ii, qui ſcripſerunt. Pontificii, quo Scripturæ neceſſitatem elevent; Pontificis autem extollant, vulgus à Scripturis abſtrahant, & ad Papam alliciant; neceſſitatem Scripturæ negant, his fere rationibus. A.

Objectiones.

Si doctrinam Religionis, ex profeſſo literis conſignare, animus Prophetis & Apoſtolis fuiſſet; tum, procul dubio, Catechiſmum, aut ſimilem librum confeciſſent, ſed hoc non egerunt, Ergo &c. Reſp. (a) Conſequentia nulla eſt. (b) Etiam aſſumtio falſa eſt, nunquid enim catecheſes, & Syſtemata Theol. Epiſtolæ ad Romanos, Epheſios &c. tum dicta Scripturæ, quæ capita catechetica deſignant? Marc. I. 15. 2. Tim. I. 13. Tit. III. 8. & imprimis Hebr. VI. I. 2. B. *Scriptio Apoſtolis non fuit imperata.* Reſp. Contrarium jamjam, item ſupra §. xx. abundè docuimus. C. *Oblatarum occaſionum, non autem juſſus divini, neceſſitate, ſcripſerunt Apoſtoli: Ergo* — Reſp. Subordinata non pugnant, ſcripſerunt mandato Chriſti, tanquam cauſa impulſiva *principali*; & occaſione oblata, tanquam *impulſiva* minus principali.

An Scriptura ſit, non tam perfecta credendi & vivendi regula, quam utile quoddam monitorium?

LX. Hinc alia naſcitur quæſtio, annon Scriptura, potius dicenda ſit, utile quoddam *monitorium*, quam *perfecta regula* fidei & morum? Pontificii, ut perfectam credendi & vivendi regulam, non apud Scripturam; ſed apud Papam quærerent, ac proinde averſos a Scriptura, ad Papam pertraherent; prius eligunt, his ratiunculis: A. *Quod prius ac præcipuus Scripturæ finis ſit, exhibere commonitorium quoddam, ſervandæ fidei* Rom. XV. 4. 2. Pet. I. 13. & III. I. *tum quod ſtylus ejus, ſit plane paræneticus ſeu commonitorius.* Reſp. Sub-& co-ordinata non pugnant. Eſt *commonitorium*, ergo non eſt *Canon*; non ſequitur. Dicitur enim & Canon Gal. VI. 16. Phil. III. 16. — B. *Regula neceſſario debet eſſe adæquata regulato, id eſt, omnia & ſola continere quæ ſpectant ad fidem. Sed hoc neutiquam competit Scripturæ, quia traditiones inſuper requiruntur: Ergo* — Reſp. Minorem falſam eſſe docuimus ſupra v. §. v. etiam traditiones vanas eſſe §. XXXVIII. C. *Regula eſt opus continuum, Scriptura opus tale, non eſt; varias enim hiſtorias, conciones, vaticinia, carmina, epiſtolas continet.* Reſp. Antecedens verum eſt, de regula *proprie* dicta, ſeu *architectonica*; Scriptura autem regula appellatur, tantum metaphoricè, quemadmodum Eccleſia domus, ædificium, fundamentum &c. paſſim dicitur. Reformati poſterius affirmant, per rationes dudum præſtitas, §. IV. v. nec addemus, niſi quod alias, non haberemus, *divinam* Deo vivendi regulam, ac proinde, nec fidem divinam, nec obedientiam divinam: ubi enim Deus non loquitur; ibi etiam nos non poſſumus credere, & ubi non jubet, ibi etiam nos non poſſumus obedire: non loquitur autem, niſi in Scripturis. Si dicas, quæ in *monitorio* loquitur, etiam loquitur; reſpondebo; ſed quæ extra iſtud monitorium, ſunt credenda & facienda, Deus non loqueretur, ſi monitorium iſtud non eſſet perfecta regula credendi & faciendi. Quare miſeri ſunt Pontificii, & imprimis eorum vulgus, quibus Scriptura legere, prohibitum eſt: quoniam nullam habent, *divinam* quidem, Deo credendi & obediendi regulam; cum Pontifex non ſit Deus.

Pars Practica.

Praxis de Scriptura, octo uſibus abſolvitur.

LXI. Stat igitur, adverſus quoſcunque, *Scripturam eſſe, perfectiſſimam Deo vivendi normam.* Quare, pro praxi *prima*, Doctoribus & Eccleſiaſtis omnino incumbit, ejus *auctoritatem* divinam, ſuis, pro Cathedra pariter, & pro ſuggeſtu, ſæpe ac ſerio inculcare, urgere, nec, ut fit, tanquam *principium indemonſtrabile*, præſupponere. Scil. ut illam recipiant, *non pro ſermone hominum; ſed (ſicut revera eſt) pro ſermone Dei.* I, Theſſ. II. 13. Cogitent. I. Hoc eſſe primum Chriſtianiſmi *elementum*, primum ſcibile: τᾶτο πρῶτον γινώσκοντες, ὁτι— I. Pet. I. 20. 21. Unde primum fermè, in pleriſque prophetiis, locum obtinet: — דבר יהוה אשר Hoſ. I. I. Joel. I. I. Jon. I. I. Mich. I. I. Item — כה אמר יהוה Obad. verſ. I. &c. 2. Nec tantum eſſe Religionis elementum; ſed & unicum ejus *fulcrum ac fundamentum* Eph. II. 20. quod ante omnia, recte ac ſolide ſtruendum eſt, Architecto ſpirituali I. Cor. III. 10. ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθει-

Primus uſus de inculcanda Auditoribus Scripturæ auctoritate. A. Motivæ quinque. 1. 2.

τέλεια &c. 3. Quin tale fundamentum, ſine quo, nulla in auditoribus, poteſt ſubſiſtere, vel *fides*; vel *obedientia*. Quid enim eſt *fides*, quam aſſentiri quia *Deus dicit?* niſi ergo perſuaſus ſis, *Deum dixiſſe*, quæ proſtant in ſola Scriptura, ubi fides manebit? Rurſus *obedientia*, quid eſt, quam facere quæ Deus juſſit? Niſi ergo certus ſis; *Deum dixiſſe*, quæ jubentur in Scriptura, quomodo obedies? Unde Paulus 1. Theſſ. II. 13. ἐδέξασθε, οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν, τοῖς πιστεύουσιν. 4. Quo magis in auditoribus viget, hujus *principii perſuaſio*; eo etiam magis vigebit, univerſus eorum *Chriſtianiſmus*, ſtudium bonorum operum, fuga peccatorum &c. adeoque amplior evadet meſſis, omnium laborum noſtrorum. 5. Quantus ſit numerus eorum, qui hanc Scripturarum *auctoritatem*, aut *ignorant*, aut etiam *inficiantur*, non modo extra Eccleſiæ Chriſtianæ ſepta; ſed & in ipſis ejus viſceribus! quantus item qui eandem *vellicant!* quantus denique, qui de ea *dubitant!* ne dicam, vix reperiri tam Chriſtianum, cui hîc non ſubinde oboriantur ſubdubitatiunculæ.

Modus aſſerendi & urgendi Scripturæ divinam auctoritatem.

LXII. *Modus* autem, aſſerendi & urgendi, Scripturarum divinam auctoritatem, complectitur tria: A. Ut ſuos erudiant, quibus *adminiculis*, nobis innoteſcere queat, divina Scripturæ *auctoritas:* nim. 1. divinitatis *notis*, abs Deo Scripturæ impreſſis; puta (a) rerum ſcriptarum ſublimi divinitate. (b) partiumque omnium, accuratiſſima harmonia. (c) ipſius ſcribendi humili *majeſtate*, divinitatem undiquaque ſpirante; conferantur §§. IV. XXII. XXIII. XXX. XXXI. 2. Interna Spiritus S. perſuaſione 1. Cor. II. 12. non equidem *enthuſiaſtica*; quæ iſthanc veritatem, menti noſtræ veluti oggerat & inſtillet; ſed *illuminativa*, qua ipſa intelligendi vis elevetur, ut poſſit perſpicere eas divinitatis notas, quas Deus Scripturæ impreſſit. 3. Eccleſiæ teſtimonio, tanquam *medio* quodam ſecundario. B. Ut Scripturarum originem & auctoritatem, adverſus Ethnicos, & ethniciſſantes Pſeudo-chriſtianos, *aſtruant*, & evincant argumentis invictis, quibus egregiè, in hoc Chriſtianiſmi principio, roborabitur univerſus auditorum cœtus. Quæ quidem argumenta, nos ſupra, ex parte prompſimus §§. XXII. XXIII. C. Ut *dubitantibus* ac hæſitantibus, omnes *ſcrupulos* ſollicitè eximant, quales ſunt: α. qui *ipſam* Scripturæ *divinitatem*, concernunt: num ſcil. Scriptura ſit certo certius, Dei verbum? Cujus quidem dubitationis, *cauſa προηγυμένη* obſervatur, indulgere peccatis cognitis, ſeu contra conſcientiam: hoc enim facile, & plerumque fit, ut, quo *ſententiam* Scripturæ, adverſus peccata noſtra, declinemus, ejus *competentiam*, vocemus in dubium: προκαταρκτικὴ, ſunt ἐναντιοφανῆ, impoſſibilia, quæ nobis occurrunt in Scriptura, unde eorum univerſalis veritas, divinaque auctoritas, in nobis ceſpitare incipit: quas cauſas, tum tollemus, ſi ſedulò *abſtineamus*, ab omni *peccato* cognito. Tum vero, ſi: 1. in ſubſidium adhibeamus Commentatores; ἐναντιοφανῶν, ἀτόπων &c. enodatores; Junium, Spanhemium, Walterum, Maimonidem &c. Si 2. Cogitemus, alios, eo tempore, fuiſſe hominum mores, proverbia, dialectos, &c. adeoque mirum non eſſe, ſi ea percipere, non uſque adeo proclive nobis accidat. 3. Denique, intellectus noſtri tarditatem ac hebetudinem, incuſemus potius, quam Scripturæ ἀκρίβειαν 2. Cor. X. 5. β. Circa teſtimonium Spiritus S. cum (juxta Theologos) citra illud, de Scripturarum divinitate, nemo perſuaſus ſit, aut perſuaderi poſſit; & ego, v. g. iſtud nunquam ſenſerim, nec etiamnum ſentiam; quî Scripturæ divinitatem, rectè credidero? Reſpondetur uno verbo: teſtimonium iſtud Spiritus S. non conſiſtit *in enthuſiaſmo* quodam, qui iſthoc axioma, menti noſtræ, velut inſtillet & inſufurret: *Scriptura eſt à Deo:* ſed in *illuminatione*, & elevatione intellectus noſtri, quo notas divinitatis, Scripturæ divinitus impreſſas, agnoſcamus ac diſcernamus: qua ratione, Spiritus velut συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν Rom. VIII. 16. Proinde, ſi admittimus divinitatis *notas*, & per eas, Scripturarum *auctoritatem* divinam; certi itidem, à poſteriori ſumus, de *teſtimonio* Spiritus S. quemadmodum, ex agnitione & dijudicatione objectorum, rectè concludimus facultatem videndi. γ. Circa *verſionum*, cum ſuis fontibus, convenientiam. Utut enim certus ſim, de veritate ac divinitate *fontium*, quî certus ero, de ſinceritate μεταφράσεων? cum linguæ primigeniæ, mihi ſint inacceſſæ? Reſp. 1. Omnes tranſlationes, quamvis in *minutioribus*, diſſentiant ac deficiant non paucis; in *eſſentialibus* tamen, quæ ſalutem noſtram propius concernunt, cum ſuis *fontibus* congruunt. 2. Id vero, linguarum primarum ignaris, conſtare poteſt teſtimonio, eorum quibus linguarum illarum facultas ſuppetit, quantumvis à fide Chriſtiana alieniſſimorum; Judæorum, Turcarum, Hæreticorum &c. horum teſtimonium, quamvis non ſit divinum; eſt tamen *moraliter* certum, & *infallibile:* quod teſtimonium externum 3. ſuo velut σφραγῖδι, *internè* obſignat Spiritus S. ſuos in *omnem veritatem ducens* Joh. XVI. 13. *Si quis enim voluerit, quod ipſe vult, facere; cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit* Joh. VII. 17. Proinde 4. quamvis linguarum originalium imperiti, certitudinem hujus conformitatis *grammaticam*, *ac ſcientiæ*, non habeant; habent tamen *ſpiritualem*, ac *fidei*.

Secundus uſus eſt de amore verbi divini. Ubi quatuor

LXII. *Secunda* igitur praxis, in univerſum omnes concernit, quibus *vivere Deo*, cordi eſt; ut nim. ejus *regulam* unicam, *diligant*, *magnificiantque* Pſal. CXIX. 127. 2. Theſſ. II. 10. Conſiſtit hic *amor* verbi divini: α. In *affectu* verſus Scripturam; adeo

occurrunt. Partes amoris.

adeo prono, ut eam *ſuſpiciamus*, tanquam *Deum*, ſuo velut ore nobis loquentem, tanta ſcil. ſubmiſſione, *mandata*; tanta cura & averſatione *prohibita*; tanta voluptate deſiderioque, *promiſſa*; tanto denique *timore* ſollicitudineque, *minitata*; ac ſi *Deum* haberemus, coram talia loquentem 1. Theſſ. II. 13. β. *Appetitu* ac *deſiderio* vehementi, verſus illam, tanquam famelici verſus nutrimentum (eſt enim nutrimentum animæ) eoque conſtanti, & quotidie novo, velut ad *edendum* ac bibendum 1. Pet. II. 2. Job. XXIII. 12. Pſal. CXIX. paſſim. γ. *Conatu* ſerio & indefeſſo, ſibi comparandi copiam verbi divini, eoque utendi, fruendi, tanquam re, in qua animæ noſtræ, *vita* ſaluſque vertatur. Col. III. 16. Amos. VIII. 12. Pſal. XLII. 1. 2. Joh. VI. 17. δ. *Voluptate* ac dulcitie, ex uſurpatione ſacrarum literarum Pſal. I. 1. 2. & XIX. 10. 2. Cor. II. 15. 4. ε. *Odio*, fuga & deteſtatione omnium, quæ, quocunque modo, Scripturæ ſunt inimica, aut ejus uſum fruitionemque, conantur auferre imminuereque Pſal. CXIX. 104. 113. 128. 136. & XXXI. 7. ζ. Denique pia *ſollicitudine*, & anxio timore, ne quando verbi divini candelabrum, à nobis noſtriſque removeatur Apoc. II. 5. Amos. VIII. 12.

2. Motivæ quare amanda Scriptura Septem.

LXIV. *Ratione*, quibus moti, verbum Dei deamus diligere, nobis ſuppetunt: A. ab ejus *ortu & auctore*, qui eſt, non *homo* aliquis vulgaris, vir ſapiens, aut magnus, aut Princeps aliquis, ac Monarcha ſecularis; ſed *Rex regum*, *Dominus dominantium*, Pater, Filius ac Spiritus S. Deus Opt. Max. 2. Tim. III. 16. unde *oraculum* audit *Dei*. Rom. III. 2. Chriſtus Col. III. 16. Spiritus S. Act. XXVIII. 25. 2. Pet. I. 21. Quod ſi igitur ſcripta diligimus *hominum* piorum, ſapientum; quidni ſcripta Dei ſapientiſſimi, optimi? Cum præſertim, ſcripta quævis *humana*, falſitatibus, ignorantiis, vanitibus &c. ſint reſperſa: dum contra *divina* oracula (a) omnibus numeris ſunt *perfecta* ac ſatisfactoria, procul ab omni vanitate Pſal. XIX. 7. 8. (b) *ſapientiſſima* ibid. 7. 9. (c) *puriſſima* ac defæcatiſſima Num. XII. 3. Pſal. XII. 7. B. *Amanuenſibus* ac organis, hominibus omnibus modis *optimis* V. g. Moſe, mortalium *mitiſſimo* Num. XII. 3. quicum Deus propterea, *facie* egit *ad faciem* Exod. XXXIII. 11. Salomone, Regum *ſapientiſſimo* 1. Reg. III. 12. Davide, viro *ſecundum* ipſum *cor Dei* Act. XIII. 22. Paulo ſelecto Dei ad Gentes *organo* Act. IX. 15. Uno verbo, omnibus univerſim, *hominibus Dei Sanctis*, *actis Spiritu S.* 2. Pet. I. 21. C. *Dogmatis* ſeu contentis, rebus excellentiſſimis, pariter & profundiſſimis, v. g. de Deo, attributis, perſonis, operibus, conſiliis ac decretis divinis, de lapſu, redemtione, vocatione, regeneratione, juſtificatione, adoptione, ſanctificatione & glorificatione hominis, dè fœdere Dei cum hominibus, & ſapientiſſima ejus, per tot ſecula, diſpenſatione, deque officiis hominis verſus Deum, proximum & ſemet ipſum, tum in ſtatu ſecundo, tum adverſo, in vita & in morte &c. rebus, ſcitu ſane digniſſimis, & maxime neceſſariis. D. Forma ac ſtructura, præceptis & exemplis, imperatis & prohibitis, promiſſionibus ac minis, elegantiſſime variegata, cunctis ad praxin & ſalutem commodiſſimis. E *Fine* ſeu *uſibus*, excellentiſſimis pariter & ampliſſimis: unde ὠφέλιμος dicitur, non ad *aliqua* tantum; ſed ad omnia, ut nim. per eam *perfectus ſit homo Dei*, & *ad omne bonum opus*, *perfectè inſtructus*, F. *Efficacia*, unde δύναμις ei tribuitur Rom. I. 16. Jac. I. 21. & ἐνέργεια Heb. IV. 12. 1. Theſſ. II. 13. Nec *vulgaris* hæc eſt; ſed ad gratiam, ad vitam ac ſalutem animæ, unde *verbum gratiæ* audit Act. XIV. 3. & XX. 32. item *verbum reconciliationis* 2. Cor. V. 19. *verbum vitæ* Joh. VI. 68. Phil. II. 16. *ſalutis* Act. XIII. 26. Heb. II. 3. quin nec *tenuis* ac levicula; ſed longe *maxima*, unde rebus, efficacia validiſſimis, aſſimilatur v. g. igni Jerem. V. 14. Luc. XXIV. 32. aquæ Jeſ. LV. 10. Deut. XXXII. 2. malleo Jer. V. 16. & XXIII. 29. gladio ancipiti Heb. IV. 12. &c. Imo & *multiplex* ac varia eſt ejus efficacia. (a) *illuminat* mentem Pſal. XIX. 8. 9. Act. VIII. 31. & XXVI. 17. 18. (b) *ſanctificat* cor Joh. XVII. 17. (c) *convertit* Pſal. XIX. 8. (d) *regenerat* Jac. I. 18. (e) *accendit* fidem Rom. X. 17. Gal. III. 5. (f) *penetrat* ac pandit occulta pectoris Heb. IV. 12. 13. 1. Cor. XIV. 23. 24. 25. (g) *roborat* 1. Joh. 2. 14. ut poſſimus omnia *vincere*, mundum, diabolum &c. (h) *Conſolatur* Rom. XV. 4. (i) ὁδηγεῖ Act. VIII. 31. &c. G. Abſoluta ejus, ad vivendum Deo *neceſſitate*, de qua ſupra §. XX.

3. Modus amandi Scripturam, duobus conſtans: 1. Affectionibus quatuor.

LXV. 3. *Modus* diligendi verbum Dei. Nec enim ſufficit diligere, ſed *rectè* diligendum eſt. Et *hypocritæ* quandoque diligunt verbum, adeo ut, cum multo affectu audiant, recipiant, quin & in multis ei morigeros ſeſe præſtent Matth. XIII. 20. 21. Marc. VI. 20. Jeſ. LVIII. 2. Heb. VI. 5. Sit igitur affectus hic (a) *Sincerus*, profundus & intimus Matth. XIII. 5. 21. non *hærens* in labiis tantum, ut *dicamus*; nec in *externis*, geſtibus &c. ut veniamus ad auditionem, lectionem &c. ſed *radicatus* in corde, qualem paſſim exhibent Pſal. CXIX. & *Emauntici* Luc. XXIV. 32. (b) *Conſtans* ac perpetuus, quotidie novus, prout in fame ac ſiti accidit Pſal. I. 2. (c) *Superlativus*, excedens quemvis alium amorem: ut nim. *dulcius* nobis ſit verbum Dei, quovis *melle*, *charius* item ac carius, *auro purgatiſſimo* Pſal. XIX. 10. 2. Cor. II. 14. 15. Pſal. CXIX. 14. 72. III. (d) *Univerſalis*, ſeſe extendens in omnes partes verbi Pſal. XII. 7. nec tantum in *Euangelium*, ejuſque promiſſiones; ſed & in *legem*, ejuſque comminationes: nec in ea tantum, quæ nobis ſunt ſecunda ac *grata*; ſed & in ea, quæ ſunt *adverſa* & gravia Jerem. XLII. 5. 6. & maxime in ea, quæ peccatis

Effectibus tribus. 1. 2. 3.

noſtris ſunt maxime inimica. *Talis*, ſit amor verbi, qui: 1. Nos propellat, ad *gratitudinem* verſus Deum, ob factam nobis verbi ſui copiam, qua (a) clementiam *benefactoris*, & excellentiam *beneficii*, agnoſcamus *corde* Pſal. CXLVII. 19. 20. (b) utrumque celebremus *ore*. Ibid. & CXIX. *per totum*. (c) rependamus *opere*, fide puta & obſervantia rerum in verbo revelatarum Heb. IV. 2. Jer. XLII. 5. 6. &c. Qui 2. Nos urgeat, ad *ſtudium verbi* divini Pſal. I. 2. quod conſiſtit in religioſa ejus (a) lectione (b) auditione (c) meditatione (d) obſervatione. De quibus ſingulatim in ſequentibus. 3. In nobis accendat amorem, honorem, ſuſtentationem eorum; qui nobis, iſtud Dei verbum annunciant, explicant 1. Theſſ. V. 12. 1. Tim. V. 17. Gal. VI. 6.

4. Media accendendi amorem erga Scripturam.

LXVI. 4. *Media*, accendendo huic amori, efficacia, ſunt: 1. frequens ac devota *conſideratio* verbi divini, quo ejus præſtantia, utilitas, ac neceſſitas, magis magiſque tibi innoteſcat. Ignoti enim nulla cupido. Addantur 2. *preces*, ut Deus illuminet intellectum, ad perſpicienda *mirabilia legis* Pſal. CXIX. 18. & accendat in voluntate appetitum verbi; quem, Pſaltes, Pſalmo jam nominato, frequentiſſime ſibi à Deo expetit. 3. *Studium* proficiendi è verbo Dei. Ut enim meſſis, agricolæ amorem ciet agri; ita fructus, verbi divini. 4. Denique, vivum & *efficax* verbi *miniſterium*, multum facit, ad accendendum verbi amorem; proinde tale quæratur, ambiatur &c.

Tertius uſus de contemptu, odio &c. verbi divini.

LXVII. *Repugnat* huic amori: (1) *contemptus* & *vilipendium* verbi divini Jer. VI. 10. & VIII. 9. Amos. II. 1. Matth. XXIII. 27. 2. Paral. XXXVI. 16. (2) *odium* Job. XXI. 14. quò aures ei obturamus Pſal. LVIII. 5. 6. (3) *faſtidium* ac fuga Job. XXI. 14. Num. XXI. 5. Prov. III. 11. (4) *neglectus* Jer. XVIII. 18. & XIX. 15. Zeph. III. 2. (5) *reſiſtentia* Act. XIII. 45. & vituperatio. Jeſ. V. 24. Quibus ſceleribus Deus, A. graviſſima *denunciat* judicia Jer. VI. 19. & VII. 13. Prov. I. 12. — Matth. XXIII. 37. 38. Amos. VIII. 11. 12. Atque etiam B. *inſligit* Act. XIII. 46. Apoc. II. 5.

Quartus uſus de ſtudio verbi divini, quadrimembris: 1. Quid

LXVIII. Amorem verbi divini, *quarta* praxis excipit, ejus *ſtudium*. Quo continentur: (1.) *Auditio* Nehem. VIII. 1—7. Luc. X. 38. Rom. X. 17. (2.) *Lectio* Deut. XVII. 18. Joſ. I. 8. (3.) *Scrutatio* Joh. V. 39. & *raminatio* Pſal. XXIII. 2. Collat. cum Levit. XI. 3. Pſal. CXIX. 97. 148. (4.) *Examinatio* & inquiſitio Act. XVII. 11. 1. Joh. IV. 1. (5.) *Conſultatio* cum peritioribus, in obſcurioribus Deut. XVII. 8. ſeq. Act. VIII. 30. 31. Matth. XIII. 36. (6.) *Confabulatio* ſeu συζήτησις, cum aliis Luc. XVIII. 31. & XXIV. 27. Deut. VI. 6. Urget hujuſmodi *ſtudium*: A. divinum *mandatum*, 2. Quod tam V. quam Nov. Teſt. *Illius* quidem, loca plurima huc faciunt: e. g. Deut. VI. 6. 7. 8. 9. Joſ. I. 8. 9. Jeſ. VIII. 20. Pſal. I. 2. *Hujus* autem Joh. V. 39. Col. III. 16. Jud. verſ. 17. Urgent B. *exempla*: *Biblica* pariter. v. g. Davidis Pſal. CXIX. Jobi, Job. XXIII. 12. Eunuchi Act. VIII. 28. Beroënſium, ibid. cap. XVII. 11. Timothei 2. Tim. III. 14. 15. & *Eccleſiaſtica*, v. g. Hilarionis, Magdeb. *Cent.* IV. *cap.* X. Johannis Ægyptii, apud Baron. *ad Ann.* CCCIX. Waldenſium, qui integros Scripturæ libros, v. g. Jobum, Pſalmos, Proverbia, memoriter exactiſſime quandoque tenebant, ac recitabant. Quin & Principibus, Scripturarum lectionem in deliciis fuiſſe, apud hiſtoricos certum eſt. V. g. Eliſabethæ Angliæ Reginæ, ejus ſorori Annæ Grajæ, Georgio Rakoki Patri, Tranſylvaniæ Principi, aliiſque. Commendat G. *rei* ipſius: 1. *dignitas* & præſtantia, quam ſummatim exhibuimus, Cap. I. §. XXXIII. & hujus capitis §. LXII. 2. *Jucunditas*, ac dulcedo hujus *ſtudii* Pſal. CXIX. 14. 15. 16. 70. 72. 103. Jer. XV. 16. Apoc. X. 9. 10. 3. *Utilitas*, ſupra omnia alia ſtudia, quam notavimus locis jam citatis. Conf. 1. Tim. IV. 8. Unde in Thalmude, *Sanhed.* dicitur, hominem *conditum* eſſe לעמל תורה, *ad opus legis*. 4. *Neceſſitas*, quod abſque hoc ſtudio, non poſſimus *vivere Deo*: nec hîc per *gratiam*; nec poſt hac, per *gloriam*. Eſt enim Scriptura, ut habet theorema noſtrum, *ſola regula vivendi Deo*, proinde abſque Scriptura, *mortui* erimus Deo &c. 5. *Promiſſiones*, ſtudentibus à Deo factæ Pſal. I. 2. 3. Prov. VIII. 34. 35. &c. 6. Denique *turpitudo*, pericula, mala, tot ac tanta, quæ *neglectum* verbi divini manent Prov. XIII. 13. &c. Conf. §. LXV. Interim & *modus* hujus ſtudii attendendus, quo: (a) procedat, ex 4. Quomodo. ſincero verbi *amore* & cupiditate Pſal. CXIX. 143. & 1. 2. (b) remotis aliis quibuſvis *curis* ac negotiis Luc. VIII. 7. (c.) propoſito legitimo *ſcopo*, diſcendi & agendi Jac. I. 22 — 26. Adhibita inſuper (d) *diligentia*, qua *ſcrutemur* Joh. V. 39. (e) *aſſiduitate*, *dies noctesque* Pſal. 1. 2. (f) *ſimplicitate* cordis. 2. Cor. I. 12. (g) *precibus* Pſal. CXIX. 18. & XXV. 4. (i) *praxi*, ibid. verſ. 5. Conferatur de *ſtudio verbi divini*, Hoornb. *Theol. pract.* lib. I. cap. 3.

3. Quare

Uſus quintus, de lectione verbi divini: trimembris. Scil. 1. Quod. 2. Quare.

LXIX. Studium iſtud, cum peculiariter ſeſe profundat, in lectionem, auditionem, interpretationem, meditationem, collationem & praxin; de ſingulis horum ſingulatim, ſed breviter. Sit ergo *quinta* praxis, in *lectione* verbi divini; tam *publica* Deut. XXXI. 11. 12. Col. IV. 16. Luc. IV. 16. Neh. VIII. 6. quam *privata* Col. III. 16. Quam (1.) urgent mandata Deut. XVII. 18. Joſ. I. 9. Apoc. I. 3. Jac. I. 23. 24. Act. VIII. 30. & XVII. 11. (2.) ſuadent exempla 2. Reg. XXII. 8. Act. VIII. 30. & cap. XVII. 11. (3.) commendant motivæ. 1. *Generales*, quæ, mutatis mutandis, ſuppetunt à §. *præcedenti*. 2. *Speciales*, ab iis, quas *lectio* peculiarius præſtare poteſt, v. g. (a) Parat *notitiam* rerum divinarum 2. Tim. III. 15. (b) *Confirmat*

mat verbum auditum. Hinc Beroënſes, à Paulo audito, ad Scripturæ lectionem ſe conferebant Act. XVII. 11. (c) Confirmat animum, in *virtute* Chriſtiana. Unde Regi Iſraëlitico, *lectio* præſcribebatur Deut. XVII. 19. (d) Juvat adverſus *tentationes*, *gladius verbi* Eph. VI. 17. (e) perpetuam *meditandi* materiem ſuggerit Pſ. I. 2. (f) Poſſet item pro motiva eſſe, *temporum* noſtrorum ratio, quæ verbi divini uſum, nobis faciunt tam liberalem, tam copioſum, præ ſuperioribus ſub Papatu, ubi nefas fermè erat, Scripturam aſpicere, &c. Fiat interim *lectio* animo: 1. *Attento*, μετὰ μυσικῆς ἡσυχίας ut verba ſint, velut *in corde* noſtro Deut. VI. 6. 2. *intelligente* Matth. XIII. 19. Act. VIII. 30. 3. *Avido*, quo *oblectatio* noſtra, ſit *in lege* Dei Pſal. I. 2. atque verbum *recipiatur*, μετὰ πάσης προθυμίας Act. XVII. 11. 4. *fideli* Heb IV. 2. 5. cum congruis *affectibus: gaudii*, circa promiſſiones; *triſtitiæ*, circa judicia; *metus*, circa comminationes &c. Jeſ. LXVI. 1. 2. Reg. XXII. 11. 19. 6. cum diligenti *aſſiduitate* Pſal. I. 2. Joſ. I. 8. Pſal. CXIX. 44. 45. 60. 7. animo *puro*, τὰ enim ἅγια, τοῖς ἁγίοις Matth. VII. 6. Exod. XIX. 10. 11. &c. Conferantur generalia de *ſtudio*, ex §. *præced.*

3 Quomodo.

Uſus ſextus, de auditione verbi, itidem trimembris: ſcil. 1. Quod 2. Quomodo.

LXX. *Sexta praxis*, *auditionem* verbi concernit, Quam rurſus: 1. Urget mandatum Deut. V. 1. & VI. 4. Prov. I. 8. & IV. 1. Jeſ. LV. 3. Luc. XVI. 29. Matth. XVII. 5. Suadent exempla v. g. Davidis Pſal. LXXXV. 9. &c. 11. Commendant motivæ, tum *generales* §, LXII. indigitatæ: tum *ſpeciales*, quæ ſuppetunt partim à *verbo* audito, ejuſque *præſtantia*, qua aurum eſt purgatiſſimum Pſal. XIX. 11. *dulcitie*, qua mel, ibid. *efficacia*, qua ignem aliaque refert, ut ſupra monuimus §. XXI. Partim ab *auditus* uſu & neceſſitate, ad converſionem Pſal. XIX. 8. 1. Pet. I. 23. ad fidem Rom. X. 17. partim ab *auditoribus*; quibus indicium præſtat regenerationis Joh. VIII. 47. ſinceritatis Joh. X. 27. timoris Dei Act. XIII. 16. Aſt. III. præcipuum eſt, in *modo* audiendi Luc. VIII. 18. Qui in *tribus* conſiſtit. (1) Debita animi *præparatione* Eccl. IV. 17. & V. 1. Exod. XIX. 14. 15. quippe à quâ, *fœcunditas* ac fructus auditionis, multum dependet Pſal. LXXXI. 11. Ad quam, quinque potiſſimum concurrunt: 1. Ut *animum* noſtrum, tempeſtive *componamus*, ad reverentiam, humilitatem, devotionem, cogitatione præſentiæ divinæ Eccl. V. 1. 11. Procul à mente noſtra, *removeamus præjudicia*, aliaque vitia, quibus verbi meſſis impeditur 1. Pet. II. 1. Jac. I. 21. item ſollicitudines, cogitationes vanas, carnales, mundanas; III. *Excitemus appetitum* ac deſiderium, verbi audiendi, ἐπιποθήσατε 1. Pet. II. 2. Pſal. CXIX. 40. quemadmodum Beroënſes, μετὰ πολλῆς προθυμίας ἐδέξαντο λόγον. Act. XVII. 11. & Sergius Paulus ἐπεζήτησε &c. Act. XIII. 7. Excitatur autem *appetitus* iſte, conſideratione (a) *dignitatis* & excellentiæ verbi Joh. VI. 68. Act. V. 20. (b) *efficaciæ* Rom. I. 16. Heb. IV. 12. Jeſ. LV. 11. 2. Cor. II. 15. 16. (c) *utilitatis* Pſal. XIX. 7. 8. &c. IV. Animum *præmuniamus* propoſito; nos ſimpliciter & abſolutè, citra exceptionem ac delectum, recepturos, *quicquid* nobis revelatum fuerit: ſive *comminationes* ſint; ſive *promiſſiones* Jer. XLII. 5. 6. Pſal. CXIX. 6. Act. X. 33. Exod. XXIV. 7. V. *Precibus* apud Deum ſeriò agamus, ut auditioni noſtræ, ſua gratia adſpiret, quo ſalutaris nobis exiſtat Pſal. XXV. 4. 5. & CXIX. 4. 5. (2) Congrua animi *diſpoſitione*, *inter audiendum*. Quo ſpectat: A. Ut audiamus cum *attentione* mentis Prov. II. 2. exemplo Lydiæ Act. XVI. 14. Mariæ Luc. X. 39. turbæ Act. VIII. 6. Quæ quidem attentio, *inquiſitionem* poſtulat Jeſ. LVIII. 2. & *explorationem* Rom. XII. 2. B. Cum *intentione* voluntatis, obſervandi quæ dicuntur Pſ. CXIX. 106. 6. C. Cum *fide* Joh. V. 24. Hebr. IV. 2. Jeſ. LIII. 1. Ea enim, nos *inhæremus* verbo Pſal. CXIX. 31. & verbum ipſum, *inhæret* atque inſeritur nobis Jac. I. 21. *inſitius ſermo* &c. D. Cum *ſpe*, promiſſa exſpectantes, & vitam Joh. V. 39. Pſal. CXXX. 3. E. Cum *charitate* 2. Theſſ. 2. 13. F. Cum *reverentiâ*, timore ac tremore Jeſ. LXVI. 2. G. Cum *humilitate* Act. X. 33. Jac. I. 21. H. Cum *obſervantia* Deut. V. 1, Jac. I. 22. (3) Officiis, quæ *auditionem ſequi* debent, puta 1. *Memoriâ* circumferre audita Jac. I. 13. 14. 15. 2. *Ruminare*, volvere animo Luc. II. 51. Pſal. CXIX. 15. 16. 3. *Repetere* cum aliis, & conferre cum eis Deut. XI. 18. 19. 4. *Exſequi* audita, per omnem vitam Pſal. CXIX. 60. Conf. Hoornb. *Theol. Pract. lib* I. *c.* 3. Ameſ. *Medul.* lib. 2. cap. 8. *Caſ. conſcient.* lib. 4. cap. II.

4. Quomodo.

LXXI. Cum autem, citra genuinum Scripturæ *ſenſum*, omne earundem *ſtudium*, quod legendo, audiendo &c. impenditur, vanum plane ſit: neceſſum omnino eſt, ut pro *ſeptima* praxi, Scripturarum *interpretatio* ſucedat; ſeu illa, *Scholaſtica* ſit, ſenſum genuinum quærens; ſeu *Eccleſiaſtica*, efficaciam potiſſimum practicam; ſeu *Privata*, utrumque ſuo modo ambiens. Eſt autem, multis modis neceſſaria, Scripturæ interpretatio. Quoniam ſcil. (1) nonnulla occurrunt in ſacra pagina, primo intuitu *obſcura* & δυνόητα 2. Pet. III. 16. (2) Dei omnipotentis, *verba vivifica*, in ea proponuntur Joh. VI. 68. quæ, accuratiſſimam in homine requirunt penſiculationem. (3) inibi de negotio *ſalutis æternæ* agitur, quæ genuino nititur ejus ſenſu 2. Tim. III. 15. (4) profundiſſima eſt ingenii humani, in divinis *ſomnolentia*,, gravedo ac tarditas 1. Cor. II. 14. (5) mira eſt *Satanæ*, & ſatellitum hæreticorum, in pervertendis divinis mentis, *malitia* & aſtutia 2. Cor. XI. 3. Quamobrem religioſa Scripturarum interpretatione, miſellis omni modo id eſt agendum, ut genuinum earundem ſenſum, certo conſequamur.

Uſus ſeptimus de interpretatione Scripturæ.

Motivæ.

Media interpretandi, Literatorum.

LXXI. Sunt autem, *media* in hanc rem, duum generum: alia *literatos* concernunt, qualia sunt (a) sufficiens *linguarum* primigeniarum, *Hebræa*, *Chaldæa*, *Græca* peritia (b) prudens *Logices* usus, ad methodicam Sacri textus analysin. *Quanvis enim auctores sacri, non scripserint, secundum artem; sed secundum gratiam, quæ supra omnem artem est; attamen ii qui de arte scripserunt, in eorum scriptis, artem invenerunt.* Ait Ambros. Epistol. 8. Pariter & (c) *Rhetorices* usus, ad perspiciendos tropos & figuras ejusdem (d) *Philosophiæ* adminiculum; quoniam, præter mysteria; pleraque Scripturæ, in Philosophia quoque sunt obvia (e) *Historiæ* Sacræ, cum humana collatio. Nec non (f) Cum fontibus versionum, tam veterum, quam modernarum, diversorum idiomatum παραλληλισχία, imprimis LXXII. Interpretum Veteris; & Syriacæ N. Testamenti. (g) Prudens Orthodoxorum commentariorum usus. Sic tamen (h) ut linguas omnes, artes, historias, versiones, commentarios, suo quæque loco relinquamus, nim. ut *subserviant*, non *dominentur* Scripturis.

Media quorumvis.

1.

2.

3.

4.

5.

LXXII. Hæc literatos potissimum concernunt: alia *quosvis* promiscue: 1. *Preces*, pro sapientia spirituali Jac. 1. 5. quâ perspiciamus *mirabilia* in lege Psal. CXIX. 18. pertingamus ad fundum Joh. IV. 11. 2. Eodem *gratiæ spiritu* imbuti, ad Scripturarum accedamus interpretationem, quo conditæ sunt. h. e. oculis *puris* Matth. v. 8. mente *illuminatâ* ac defæcatâ Eph. 1. 18. Hæc est *unctio* quæ *nos omnia docet* 1. Joh. II. 27. 3. Scripturam continuò versemus, animo *submisso* seipsum *abnegante. Si quis* enim *sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam scit, sicut oportet* 1. Cor. VIII. 2. Homines enim elati, præjudiciis turgentes, qui à propria sapientia omnia exspectant; quî Scripturæ mentem assequerentur? Conf. Prov. XI. 2. Psal. XXV. 9. Matth. XI. 25. 4. Assuescamus Scripturarum lectioni ac studio, *constanti* pariter ac *methodico. Constanti* inquam Psal. 1. 2. Col. III. 16. Jos. 1. 7. Deut. VI. 6. 7. 8. 9. quo nim. sensus Scripturæ, familiaris nobis fiat, unaque facilis: atque etiam *methodico* Psal. L. 23. methodus enim, ut *memoriæ* fulcrum; ita & intellectus *lumen* est. 5. Instructi accedamus *analogiâ fidei*, quam ὑποτύπωσιν Apostolus designat, ὑγιαινόντων λόγων 2. Tim. 1. 13. quamque commendat Rom. XII. 3. 6. Adversus quam nullus est admittendus Scripturæ sensus. Quo etiam spectat, ut cautè ac prudenter observemus, universalem Scripturarum *concordiam* & *harmoniam*. Licet enim à diversis, diverso tempore locoque, conscriptæ sint: attamen ab uno Spiritu inspiratæ; unde semper sibi similes, & si quæ sit discordia, non in Scripturis; sed in mente nostra est. Quicquid autem ἐναντιοφανὲς, in Scripturis occurrit, ab hoc quintuplice fonte, videtur oriundum: (1) quod phrasis, aut verbum quoddam, in diversis locis, diverso sensu usurpetur. Aut (2) Quod verba eadem, non de eodem argumento, aut subjecto, in diversis locis loquantur. Aut (3) Quando de eodem, sed non de eâdem ejus parte, loquuntur. Aut (4) de eodem; sed diverso respectu. Aut denique (5) de diverso tempore. Singula exemplis demonstrare, proclive foret, si brevitatis studium ferret. 6. Scripturam *Scripturis* interpretemur, exemplo Petri Act. 11. 25---32. *Ubi apertius ponuntur sententiæ, ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris.* Ait Augustin. de *Doctr.* Christ. lib. III. c. 25. Neque enim Scriptura difficultatem offert, quin una opera, monstret ejus remedium. Juvat 7. Ut Scripturarum œconomiam, h. e. librorum ordinem, singulorum ἐπιγραφὰς, tempus quo sunt exarati, auctorem, conscribendi occasionem, scopum, & præcipuas partes, habeamus in animo, & in promptu. Sic ideam habebimus, ac sceleton cujusque libri, unaque opera clavem, & q. directorium nauticum, quod *scopum* monstret scriptoris, & *media*, quibus scopum consequitur. Omnibus istis 8. Praxis accedat, qua perceptis utimur. *Si quis enim, voluerit facere voluntatem ejus, hic doctrinam cognoscet, num ex Deo sit Joh.* VII. 16. 17. Conf. Psal. CXIX. 98. 99. 100. Is enim, *divinas Scripturas rectè legit, qui verba vertit in opera.* Inquit Bernard. in *Tractat. de ord. vitæ.* Sunt alia interpretandi adminicula, grammatica, rhetorica, logica, historica. Conferantur de his, Glass. Philol. Sacr. 2. part. 2. Walter. in *Officin. Bibl.* Thec. 2. articul. 5.

6.

7.

8.

Usus octavus de Meditatione, quadrimembris: 1. Quid sit Meditatio.

LXXIII. *Octavus* hujus loci usus, est de *meditatione* verbi divini. Circa quam tanto erimus uberiores, quanto Ascetæ nostrates circa eam, vel sunt rariores; vel contractiores. Universum negotium, his 4. particulis complectemur, dicturi 2. *Quid* sit meditatio. Solet eam Scriptura indigitare nominibus, quandoque *metaphoricis*, v. g. quando *ruminare* appellat, quod animalium mundorum, erat proprium Deut. XIV. 6. itemque verbum acceptum, *comedere* Jerem. XV. 16. Ezech. III. 1. 2. 3. Apoc. X. 9. &c. Quandoque magis *propriis* v. g. *studere* Psal 1. 2. *scrutari* Joh. V. 39. Psal. LXXVIII. 7. *conferre in corde* Luc. II. 19. διαλογίζεσθαι cap. 1. 29. Conf. Psal. XIX. 15. & XLIX. 4. & CXIX. 97. 99. &c. Sumimus autem vocem hoc loco, non *strictissimè*, quatenus distinguitur à cogitando, considerando, contemplando &c; sed *latius*, ut omnia ista connotet. Ita vero, nihil aliud nobis est, quam *fixa quædam ac stata, omnium animæ facultatum actuatio, ad hoc, ut non modo, verbi divini sensum assequamur genuinum*, mente: *sed & vim ejus experiamur*, corde. Dicitur *actuatio facultatum animæ*, id est, intellectus, voluntatis & affectuum, velut *convocatio*, & *applicatio* ad hoc vel illud thema; eaque, non superficialis ac per-

perfunctoria: sed *fixa* ac composita, quâ verbum velut ἐνοικεῖ ἡμῖν Col. III. 16. *Finis* duplex (1.) ut verbi genuinum *sensum* assequamur, mente, qualis ferme solet esse meditatio Studiosorum, quæ huc tantum vergit, ut intelligant. (2.) Ut verbi percepti, *vim* & efficaciam experiamur in corde, καὶ καρποφορῶμεν Luc. VIII. 15. Hæc generalis est hujus meditationis descriptio. Complectitur autem in specie: A. *Memoriam* verbi auditi ac lecti Luc. II. 19. Prov. II. 1. Ps. CXIX. II. Eccl. IX. 1. & *recordationem* Deut. IV. 39. Mal. IV. 4. B. *Examinationem*, collationem super eo: vel secum, per soliloquia Luc. II. 19. vel cum aliis Deut. VI. 6. 7. & XI. 18. 19. Luc. XXIV. 14. 15. 17. C. Distinctam, singularum particularum, *observationem*, ponderationem, applicationem: dum ex singulis verbi divini particulis, ceu fibris ac quasi venis, ejus velut quintessentiam, nobis exsugimus & extrahimus. Uti aromata bene fricari solent, ut exhalent odores &c.

2. Quod meditandum. LXXIV. 2. *Quod* sit meditandum, exigunt, *tum mandata* Jos. I. 8. Hag. I. 3. Coll. cum vers. 5. Joh. V. 39. Col. III. 16. Luc. IX. 44. Prov. II. 1. *tum exempla* Davidis Psal. LXXVII. 7. & XIX. 15. & CXIX. 97. 99. 103. 140. Salomonis Prov. XXIV. 32. Mariæ Luc. II. 19.

3. Quare meditandum? LXXV. 3. *Quare* meditandum? nim. quia (a) Verbum Dei, est *cibus* quidam animæ, unde *panis* comparatur Amos VII. 11. *lacti* 1. Pet. II. 2. 1. Cor. III. 2. *melli* Psal. CXIX. 103. hisque nos *pascere* dicuntur ministri Jer. III. 15. Jam autem cibus, quorsum spectat? nisi ad comedendum & quid comedere verbum? nisi *meditari* Jer. XV. 16. (b) Proinde, non proderit verbum, nisi probè meditatum; sicut cibus non prodest, nisi masticatus, in stomachum demissus, ibidemque, continua agitatione, calefactus & concoctus. Hinc, citra *meditationem*, verbum est, velut *absque radice* Matth. XIII. 11. nec est ἔμφυτος λόγος Jac. I. 21. (c) Meditatio multum prodest, ad illustrandum intellectum, corrigendam voluntatem, excitandos affectus, ducendum nos in vero, pariter ac bono Prov. VI. 22. 23. usque adeo, ut in ea, *beatitudinem* nostram reponat Psal. I. 2. (d) Si quæ videtur, verbo Dei admixta cruditas, difficultas, ambiguitas; aut ab hæreticis ei affricetur pestilentia, facilè deprehendetur, seriâ ac constanti meditatione, quemadmodum masticando, heterogenea facilè deprehendimus in pane. Alias rationes vide apud Hoornb. *Theol. pract. lib.* I. *cap.* 3.

4. Quomodo meditandum? Ubi quatuor observanda: 1. 2. LXXVI. 4. Denique, *quomodo* meditandum, ubi notanda: 1. *Meditaturi* qualificatio, ut nim. (a) sit *regenitus*, ac regeneratione illuminatus, naturâ enim cæci fumus Eph. IV. 17. 18. nec *homo* ψυχικὸς *percipit ea, quæ sunt Spiritus* 1. Cor. II. 14. Jes. VI. 9. (b) corde sit *purus*, purgatusque à peccatis: tales demum, *Deum vident*, ac divina Matth. V. 8. (c) *vacuus* curis temporalibus Matth. XIII. 22. (d) *constans* ac fixus, in meditandi proposito, nec ullis, ullius artibus, avocabilis Nehem. VI. 2. 3. 2. *Circumstantiarum* delectus, puta: A. *loci*. Hic esto solitarius, ac secretus; seu domi Matth. VI. 4. 6. 8. seu ruri Cant. VI. 11. 12. exemplo Isaaci Gen. XXIV. 63. Servatoris Marc. I. 35. Matth. XIV. 23. Johannis, in deserto Luc. I. 80. Davidis, in lectulo Psal. XVI. 7. & VI. 7. B. *temporis*, seu matutini Psal. V. 4. seu vespertini Gen. XXIV. 63. seu nocturni Psal. XVI. 7. perinde fermè est, modo (a) *statum* ac fixum, ad hoc, seponamus tempus quotidie Psal. LV. 18. (b) *solennissime*. diebus dominicis, exemplo Johannis Apoc. I. 10. quippe quos, ad meditandum opera ἐξαιμίγω, Deus videtur secrevisse Exod. XX. 11. (c) *extraordinarie*, quotiescunque scil. vel benedictionibus, vel afflictionibus, ad hoc Deus, nos velut inviat: id est, diebus, vel *jejunii* Thren. III. 19. 20. 40. vel *hilaris* solennitatis Psal. CIII. 1. 2. 4. C. *Gestus*. Fit enim, vel stando Luc. XVIII. 11. 13. vel jacendo Dan. IX. 18. vel obambulando Gen. XXIV. 63. seu genubus flexis, & oculis Actor. VII. 55. ac manibus elatis Psal. XXVIII. 2. &c. quod perinde ferè est, modo tales adhibeantur gestus, qui animum maximè erigunt, ad devotionem & attentionem. D. *Subjecti* vel thematis, quod hîc esse debet, non vanum, aut mundanum, aut naturale, aut politicum, aut historicum: sed *spirituale* ac divinum Psal. CXIX. 37. 54. v. g. Deus, ejusque attributa, opera, creatio, providentia, redemtio &c. 3. *Impedimenta* hîc removenda, qualia α. Societas pravâ Act. II. 37. cum vers. 14. Psal. CIV. 35. β Curarum mundanarum multitudo Luc. X, 41, γ. Ignorantia Psal. CXIX. 99. δ. Naturalis animi nostri, ab hoc exercitio, aversio Luc. XXIV. 25. ε. Cogitationum vaga aberratio Matth. XV. 8. quæ compescenda Psal. XLII. 6. 12. & XLIII. 5. 4. *Ordò* denique, premendus est in meditando, idque: A. Penes *ingressum*; ubi præparatio adhibenda, qualem, circa auditionem verbi, supra descripsimus §. XLVI. mutatis enim mutandis, eadem præparatio, hîc adhiberi poterit. B. Penes *progressum*, ubi certâ methodo, in meditando est agendum, ut mens ab uno ad aliud, commode traducatur. Hæc varia, à variis premitur; nobis arbitraria maximè arridet, modo non sit inconstans & ἄτακτος. Hæc saltem duo, in singulis argumentis ac textibus, sunt inquirenda: *primo*, quid *veri* habeat, ad judicium formamdum; *tum* quid *boni*, ad affectus excitandos, itemque ad mores corrigendos. Et universum hoc: *primò* est *proponendum*; *dein confirmandum*, Scripturæ dictis, exemplis ac rationibus, *porro explicandum* per partes *denique applicandum*, ut in meditatione concionum, fieri assolet. C. Postremum circa *egressum*, ubi spectandum, ut à meditando non ante desistamus, quam

assecuti fuerimus, Scripturæ genuinum sensum, in *intellectu*; vim item & efficaciam, in *voluntate*, juxta & affectibus. Spectant huc, atque conferri poterunt, quæ de studio verbi divini; supra egimus. §. XLIV.

Usus nonus de colloquiis Scripturariis.

LXXVII. Meditationem, & soliloquia de verbo Dei, sequuntur ὁμίλιαι, συζητήσεις, colloquia Jes. I. 4. quibus, meditata cordis, ore profundimus ad alios, deque iis ἀντιβάλλομεν, ad ædificationem reciprocam Rom. I. 11. 12. Urgent hujusmodi confabulationes sacras, I. Dei mandata Deut. VI. 7. Eph. IV. 29. Col. III. 16. I. Thess. V. 11. I. Pet. IV. 11. Jos. I. 8. Prov. V. 2. Suadent 2. exempla. Davidis Ps. CXIX. 97. cum vers. 172. & LXXI. 15. Jobi, cap. IV. 3. 4. Abrahami Gen. XVIII. 19. Emaunticorum Luc. XXIV. 15. 17. Τίνες οἱ λόγοι οὗτοι, οὓς ἀντιβάλλετε πρὸς ἀλλήλους?

Motivæ.

LXXVIII. Commendant complurima: I. sunt indices animi spiritualis ac cœlestis. Quo enim repletum est cor, eo redundat os Matth. XII. 34. Conf. Psal. CXIX. 11. 15. collat. cum vers. 13. perinde ut Gileadita, ex suo שבלת Jud. XII. 6. agnoscebatur. 2. Acuunt intellectum, erigunt voluntatem ad bonum, confirmant memoriam. 3. Propagant cognitionem Dei, juxta cum virtutibus quibusvis Christianis: fidem, spem, charitatem, sicut prava colloquia, corrumpunt I. Cor. XV. 13. Luc. XXIV. 17. cum vers. 23. 4. Excludunt discursus vanos, inutiles, noxios I. Cor. XV. 33. &c.

Obstricti ad hoc officium.

LXXX. Vigere hujusmodi pia colloquia debent, tum inter *quosvis* promiscue, doctos pariter & indoctos Col. III. 16. Eph. IV. 29. I. Thess. V. 14. 15. tum singulatim: in statu quidem *œconomico* inter conjuges I. Cor. XIV. 35. inter Parentes & liberos Deut. IV. 9. & VI. 7. & 19. Psal. LXXVIII. 5. 6. Eph. VI. 4. Gen. XVIII. 13. Prov. IV. 3. 4. & XXXI. 1. 2 3. 2. Tim. I. 5. & III. 15. *politico*, inter quosvis cives; viros & fœminas; senes & juvenes, quibus aliqua Scripturarum obtigit peritia Tit. II. 3. 4. Sic Aquila & Priscilla cum Apollo Act. XVIII. 26. Abigail cum Davide I. Sam. XXV. 25. Nominatim, inter Reges ac Principes Deut. XXVII. 11. 19. Ps. CXIX. 172. Imprimis in statu *Ecclesiastico*, inter Pastores & auditores Mal. II. 7. I. Tim. IV. 2. Matth. III. 7--Nec inter quasvis tantum personas, vigere debent hujusmodi ὁμιλίαι sed quovis etiam tempore ac loco Ps. I. 2. & CXIX. 97. Deut. V. 17. Nec semel tantum per vitam, ut Judæi, semel tantum circumcidebantur; nec semel quotanis, prout semel tantum suum celebrabant pascha; nec ter etiam, prout ter ascendebant Hierosolymam; nec diebus tantum Sabbathi; sed quotidie, dies noctesque h. e. mane ac vesperi, semper & ubique Ps. I. 2.

Impedimenta.

LXXXI. Obstruunt hujusmodi exercitia ὁμιλιτικὰ: (a) Ignorantia Scripturarum, rerumque divinarum Luc. XXIV. 25. (b) Accedit, tædium ac fastidium rerum spiritualium Jer. VI. 10. (c) Animus carnalis, mundanus Matth. VII. 18. & XII. 34. 35. (d) Μερίμναι βιωτικαὶ, quibus cor adeo scatet, ut non possit, nisi ὁμογένεα, eructare Luc. XXI. 34. & X. 11. (e) Consortia prava I. Cor. XV. 23. (f) Educatio sobolis depravata. Conf. Prov. XXII. 6. (g) Cor putridum Gen. VI. 5. Matth. XII. 34. (h) Pudor perversus. Conf. Ps. CXIX. 46. Rom. I. 16.

Admiscula.

LXXXII. *Promovent* contra, si: I. A vitiis jam designatis abstineamus, & contrariis virtutibus assuescamus. 2. Animum imbuamus, cognitione Scripturarum, rerumque divinarum, ut suppetat, de quo sermocinemur Matth. XII. 35. 3. Discamus *linguam Canaan* Jes. XIX. 18. eamque à Deo expetamus Ps. CXIX. 43. & CXLI. 3. & LI. 17.

Modus.

LXXXIII. Hæc consecuti, operam etiam demus: (1) ne quid temere, imprudenter, aut per *jocum*, de Deo efferamus ac divinis. Ut Judæi Jes. XXVIII. 10. aut per *abusum* Act. XIX. 13. aut per *contemptum* 2. Pet. III. 3. 4. aut etiam per λογομαχίαν 2. Tim. II. 17. & cap. III. 13. aut per *fastum*, altum sapientes, I. Cor. IV. 6. (2) inter colloquendum, pro scopo, ob oculos habeamus A. *Gloriam* divinam Jac. III. 9. B. Proximi *ædificationem* I. Thess. V. 11. (3) Ut adnitamur earum rerum habere, aut assequi notitiam accuratam, de quibus colloqui nobis propositum est Rom. XV. 14. Ps. XXXIX. 2. (4). Cogitandum, ante quam colloquamur, ubi, quando, & quibus loquendum, ut apposite loquamur Prov. XXV. 11. & captum nostrum excedens, non suscipiamus Psal. CXXXI. 1.

Usus decimus, de observatione, seu praxi verbi, itidem trimembris. 1. Quod 2 Quare

LXXXIV. Adhuc unus supereſt, hujus loci usus, nempe de praxi, & *observatione* verbi divini. Quam I. exigit tot mandatis, Deus in Scriptura Deut. XVII. 9. 10. Jos. I. 16. 17. 18. Ps. CXIX. 33. 34. Prov. VII. 1. Jes. II. 3. LV. 3. Matth. VII. 24. & V. 19. Luc. VIII. 15. & XI. 28. Joh. XIII. 17. Jac. I. 22. Apoc. I. 3. Commendant 2. rationes efficaciſſimæ, quibus patet: (1) Hunc esse *finem* omnis studii, quod impendimus verbo Dei Deut. V. I. (2) Hunc fore *beatum*, non qui tantum legit & audit; sed qui insuper *facit* Jac. I. 25. Joh. XIII. 17. (3.) *Nocere* verbum Dei, *non observatum* 2. Cor. II. 16. Luc. XII. 47. Hebr. VI. 7. 8. &c. (4) Contra omnibus modis *prodesse*, studiose *observatum* &c. Observabimus autem, Si A. *generatim* quidem, non contenti, legendo, audiendo & meditando; insuper (α) *fidem* universaliter habeamus omnibus Act. XXIV. 14. 15. 16. (β) Nobismet *applicemus* Psal. XXVII. 8. ad hoc enim subministratur nobis verbum Dei Rom. XV. 4. prout Apostoli, sibi applicant dicta Christi Matth. XXVI. 22. & XIX. 25---27. (γ) Nosmet, *votis* ac juramentis, ad observationem universalem, astringamus Jer. XLII. 5. 6. Psalm. CXIX. 106. B. *Speciatim*, si: *Amandata* ac prohibita, submissa prosequamur *obedientia*, illa faciendo; hæc vitando 2. *promissionibus*, fixa

fixa ac firma *innitamur* animi fiducia Pſal. cxxx. 5. 3. *Comminationis* excipiamus, cum *timore* Jeſ. LXVI. 2. 4. *Narrata* credamus &c. Confer quæ in hanc rem ſupra habuimus Cap. 1. §. §. 36 — 40. & quæ ſuo loco habebimus, in cap. *de Obſervantia.*

CAPUT TERTIUM,

DE

DISTRIBUTIONE THEOLOGIÆ.

Ad Text. 2. Tim. 1. verſ. 13.

Exemplar teneto, ſanorum ſermonum, quos à me audiſti, in fide & charitate.

Tertium Theologiæ præcognitum de Diſtributione Theologiæ. Textus reſolvitur & exponitur.

I. Artificium iſtud vivendi Deo, cujus *norma* eſt Scriptura: certis *partibus* repræſentare, & *judicio* conducit, & *memoriæ*. Docente & commendante Apoſtolo, verbis præfixis.

II. *Quibus* paræneſin *complectitur*, *de S. Theologia*, *à Timotheo ſervanda & obſervanda*, *ſecundum eſſentiales ſui partes*, fidem *ſcil.* & charitatem. *In qua tria occurrunt expendenda:*

1. Diſtributum, *quod eſt*, ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, exemplar ſanorum ſermonum. *Id intelligit*, *quod appellatione* Theologiæ, *communiter indigitatur.* *Hæc ipſi*

א. Ὑποτύπωσις, ſeu σκιαγραφία, exemplar, forma, ſyſtema, ſyntagma, complexus veritatum theologicarum, een ontwerp / een kort begrijp. *Metaphora*, *juxta* Bazam, *à picturibus deſumpta.* *Apoſtolus innuit*, *rerum theologicarum* compagem methodicam, Theologis, omnino neceſſariam eſſe.

ב. Ὑγιαινόντων λόγων, ſanorum ſermonum. *Materia eſt ſyſtematis Theologici*, *de qua ſupra vidimus* cap. primo.

ג. Ὅσα παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, quos à me audiſti. *Cauſa eſt organica*, *materia Theologica.* *Debet enim niti*, fundamento Prophetarum & Apoſtolorum Epheſ. II. 20. *De quibus ſupra vidimus* cap. 1. & 11.

2. Diſtributio, *ſeu partes diſtributi*; ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, in fide & charitate. *Seu hæc verba referas ad* ἔχε, *ut exprimant partes Theologiæ* habitualis; ſeu ad ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, *ut partes dicant*, *Theologiæ* ſyſtematicæ *ac* doctrinalis, *parum refert*: *cum illa non ſit*, *niſi hujus* ἀποσκιασμάτιον *quoddam*: *niſi fortè*, *cui non repugno*, *ad utramque malis referre*, *cum ſubordinata non pugnent*: *ſufficit*, *has eſſe partes Theologiæ*, *ſeu* habitualis; *ſeu* doctrinalis: *ſeu*, *quod optimum*, utriuſque. Notandum, quod *fides*, reſpiciat credenda potiſſimum, & *charitas*, facienda, ſeu *obſervantiam.*

3. Praxis *ſeu officium*, *circa diſtributionem obſervandum*; ἔχε, teneto, habeto. *Hoc eſt*: (a) ſerva, *aut tibi compara*, *ut circumferas ubique.* (b) obſerva, *ut ad eam*, *tuas* διδασκαλίας *componas.* (c) *tuas item diſceptationes cum* ἀντιλέγουσι, *inſtituas.* (d) *denique*, *& univerſam praxin tui*, *juxta & tuorum dirigas*: *qui fines præcipui ſunt*, *tum* ὑποτυπώσεως, *tum partium ejus*, fidei *ſcil.* ac charitatis.

Pars dogmatica.

Partes Theologi ſunt fides & charitas.

Probatur Scripturis.

III. Pro ratione ſcopi noſtri, è textu, impræſens nil aliud conficiemus, quam: quod *optima ſanctæ Theologiæ*, *ſeu Religionis Chriſtianæ diſtributio*, *fiat in fidem & charitatem.* Quippe cui, non modo Scripturæ applaudunt *teſtimonia* Pſal. xxxvii. 3. 1. Tim. 1. 19. Joh. xiii. 17. atque etiam *exempla*; quando, his partibus conſtabat Theologia Pauli, tum *habitualis* Act. xxiv. 14. 15. 16. Tit. iii. 8. tum *doctrinalis*, ut patet è pleriſque ejus Epiſtolis, quæ ſeſe, in duas haſce partes fermè diſpeſcunt, prout videre eſt, in eâ quam ad Ramanos, Epheſios, Coloſſenſes &c. condidit: ſed & conſenſus orthodoxæ antiquitatis. Sic Cyril. Hieroſolym. Catech. 4ta. Τῆς εὐσεβείας τρόπος, ἐκ δύο τάσεων, συνέστηκε: δογμάτων εὐσεβῶν ἀκριβείας, καὶ πράξεων ἀγαθῶν. Anaſtaſius item Nicenus, in *Bibliothec. Patr.* quærit: *Quodnam eſt ſignum perfecti Chriſtiani?* & reſpondet; *fides & bona opera.* Plura vide, tum veterum, tum recentiorum teſtimonia, apud Polon. *Syntagm. lib. 2. cap. 1.*

IV. Nec

Confirmatur quatuor rationibus: Prima.

IV. Nec desunt, hujus distributionis, rationes: *Primò* enim, si objectum Theologiæ spectes; deprehendes, eam partibus ejus quam accuratissimè congruere, quod nervosè dicit Amesius: *Partitionis hujus proprium est (quod in genuina artis cujuslibet distributione requiritur, quod fluat ex objecti natura. Cum enim vita spiritualis (quod objectum proprium est Theologiæ) principium seu actus primus, sit fides; & secundus actus, vel operatio, ex illo principio emanans, sit observantia: necessario sequitur, istas duas genuinas esse, Theologiæ partes, nec ullas alias esse quærendas. Med. lib. 1. cap. 2. §. 2. Deinde*, si cum divisio conferas, divisionem istam; videbis (quod in omni legitima divisione requiritur) partes, suo toto, esse quam accuratissimè *adæquatas*. Neque enim, quicquam deprehenditur in Theologia, quod non subsit alterutri harum partium: neque quicquam sub his partibus comprehenditur, quod non spectat ad Theologiam. Quin *tertio*, partes, non tantum sunt adæquatæ divisо; sed etiam, sibi immediatè *contradistinctæ* (quod præterea, in genuina distributione exigitur) ut enim in *vita naturali*, duo ista observamus; actum ejus *primum* & *secundum*, sibi invicem contradistinctos: ita in *vita spirituali*, *fides* & *charitas*, quæ duabus istis, vitæ naturalis partibus, respondent; sibi invicem adversantur. Non dicam *quarto*, ipsam Theologiam *naturalem*, quæ rudera habet Theologiæ *revelatæ*, huic distributioni applaudere. Nunquid enim Philosophia, quatenus Theologiam repræsentat naturalem, in Metaphysicis, seu Pneumatis suis, exhibet Philosophorum *fidem*; & in Ethicis &c. eorum *observantiam* & charitatem, ut habet Amesius loco citato. Alias rationes habet *Polanus*, loco jam nominato, quas non lubet describere.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Explicatur tribus membris: Primum.

V. Restat itaque, ut breviter expediamus, quo sensu, fidem & charitatem, pro partibus Theologiæ habeamus. Hic: A. *fidei* voce, non fidem *tantum* intelligimus, *quæ* creditur, seu res credendas; nec fidem *tantum*, *quâ* credimus, seu habitum, credendi: sed conjunctim, fidem *quâ* credimus, prout connotat fidem, *quam* credimus: sicut *charitate*, seu observantia, omnia universim comprehenduntur, praxeos Theologicæ officia. Porro B. dum has agnoscimus Theologiæ Christianæ partes, non *essentiales* tantum volumus, quæ universum Theologiæ corpus, differunt; sed & *integrales*, quæ singulis Theologiæ membris competant. Habet enim, quilibet ejus articulus, suam *theoriam*, seu fidem; & *praxin*, seu observantiam, ut alibi cap. 3. monuimus. Denique C. partes istas, *distinguimus* quidem inter se, tanquam sua natura, ac præceptis diversas: ast nequaquam *divellimus*. Usu enim & exercitio, pari semper passu gradiuntur. Et sic quidem distinguimus, ut *primum* locum sortiatur fides, *secundum* observantia. Actiones enim vitales, nullæ possunt elici, nisi præexistente vitæ principio.

Secundum.

Tertium

Pars elenchtica.

Examinantur contrariæ, aut diversæ distributiones Theologorum.

VI. Porro, cum rectum sit sui ac curvi norma; ex dictis facile est perspicere, quid sentiendum, de distributionibus dissonis. Nempe, quamvis nolimus, simpliciter & ἀποτόμως, rejicere omnes alias, seu *verbis*; seu *rebus* etiam ipsis, utcunque à nostra diversas: cum, peculiari cujusque Auctoris scopo, sæpè perquam congruant: attamen, si *accuratam* quæras & *adæquatam*; vix invenies, quam huic præferas.

Quæritur, An Socinianæ & Arminianæ distributiones sint genuinæ?

VII. Quæritur, an Socinianæ & Arminianæ distributiones sint genuinæ? Sociniani, ut Christo, deitatem quæ est ab æterno, abrogarent, & Christum Deo contradistinguerent; Theologiam in duas partes dispescunt: alteram de Deo; alteram de Christo. Et quia Euangelium eorum, quod coincidit cum ipsorum Theol. duabus partibus absolvitur; præceptis & promissis Christi: hinc duobus istis, præceptis & promissis, omnia θεολογούμενα contineri, arbitrantur. Ab his non procul sunt, Remonstrantes Apologistæ, qui, ne pro Socinianis (a Reipublicæ nostræ communione, legibus civilibus, seclusis) habeantur, licet, in plurimis capitibus, revera sint; partem addendam censent, distribuendo eam in tres partes: de fide divinorum promissorum, obedientia divinorum præceptorum, debita Scripturis reverentia. Quæ, verbis quidem, discrepare videntur, a Socinianis; sed revera coincidunt. Ista omnia, in hoc sese exonerant, ut a rebus Christianis, ὁμοούσιος Christi deitas, æquivalens pro peccatis nostris satisfactio, fides in Christum, ut est receptio ejus, velut unici nostri Redemtoris, aliaque Christianismi essentialia, eliminentur. Hinc, istæ distributiones 1. non modo, suo distributo, sunt strictiores: sed etiam 2. textui nostro, eisque Scripturæ locis, juxta & argumentis, quibus observationem, jam ante roboravimus, è diametro sunt adversæ. Non addam 3. quod ipsum Christianismi fundamentum, mille Scripturæ testimoniis jactum, quod nim. *cognitione* Dei & Christi practica Joh. XVII. 3. & sola in utrumque *fide*, servemur: funditus evertant. Nec pro suis istis distributionibus, solenniter disputant Adversarii; sed suis tantum hypothesibus, eas secure commitunt.

Pars practica.

Usus primus reprehensionis. Penes quem occurrunt:

VIII. Superest igitur, ut uno atque altero verbo, *praxin* hujus capitis delibemus. Uno, inquam, & altero verbo, quoniam praxis, non tam in ipsa *distributione*; quam in *partibus* distribuentibus, imposterum ex professo recensendis, hæret. *Prima* itaque

1. Peccata reprehendenda.

itaque hujus loci praxis, eos reprehendit, seu Theologos, seu Christianos, qui partes istas Religionis essentiales, tam arctè inter se complicatas, pessimè divellunt, eoque Religionem, velut enecant. Peccatum istud duobus modis, ferè committitur: primò quidem *theoretice*, ab eis Theologis, qui: 1. fidem ita sectantur, ut charitatem negligant, quos atro carbone Apostolus notat 1. Cor. XIII. 1. 2. Qui 2. speculationibus potius, ac disceptationibus *de fide*, intenti sunt; quam ipsimet *fidei* 1. Tim. VI. 3. 4. 5. Adeoque 3. fidem, potius docendo premunt, *quam* credimus; quam *quâ* credimus: secundò *practice*, ab his, qui, vel: A. fi lei tantum operam dant, ut eam: 1. *Sciant* tantum sibi 1. Cor. VIII. 1. 2. 3. 2. aut *edisserant* aliis Tit. 1. 16. 3. aut *tueantur* adversus obloquentes Rom. 11. 18. 19 20. Vel B. fidem pariter & observantiam seu charitatem, *verbo* quidem profitentur, *re* negligunt: adeoque *ὑποτυπώσεως* Theologicæ, *fidem* quidem urgent & *charitatem*; sed non *in*

2. Argumenta reprehensoria.

fide & charitate Jac. II. 18. Isti omnes, his potissimùm argumentis, veniunt reprehendendi: 1. quod fide gaudeant, quæ est *mortua* Jac. II. 17. adeoque fide, quæ non est fides. Fides enim *mortua*, perinde fides non est, atque homo mortuus, revera homo non est; 2. Insuper, Theologi aut Christiani, non sunt Rom. II. 19. — nisi admodum *ὁμονύμως*: quippe, altera Theologiæ ac Christianismi parte essentiali, eâque longè præcipua, mutili 2. Tim. III. 5. Adeoque 3. isthac sua Theologiâ, ejusque professione, licet verâ, sese mendaces præstant Tit. 1. 16. Apoc. II. 2. & III. 1. Porro 4. Deum, juxta & semetipsos, prostituunt Rom. II. 17—25. Ac proinde 5. cum omni isthac sua Theologia, ejusque professione, utcunque speciosâ, olim à Christo certo certius rejiciendi sunt. Matth. VII. 22. 23. Conf. Theol. cap. 1. §. XXXVI—XL.

Usus secundus adhortatorius de Theologiæ partibus conjungendis.

IX. *Secunda* hujus distributionis praxis, omnes *excitat*, ut quæ conjuncta sunt in se, ac tam arctè conjunguntur, à Spiritu S. in textu & alibi, *fidem* scil. & *observantiam* seu charitatem, conjungant *docendo* pariter & *agendo*. Hoc est, non modo utramque Theologiæ, seu Religionis Christianæ, *partem*, fidem & observantiam, sectentur serio; sed &, *in fide & observantia*. Seu, quod idem est, non utramque tantum partem, discant sibi, ac doceant alios *theoretice*; sed &, in utraque parte, fide & observantia, ambulent *practice*. Quoniam autem isthæc praxis, cum ea, quam supra habuimus, loco jam citato, ferè coincidit, ne actum agamus; sufficerit hîc, eo digitum intendisse. Porro distinctam tum *fidei*; tum *charitatis* contemplationem: tam *theoreticam*, quam *practicam*; in suum, quamque locum *ἀκείον* reservamus.

Delineatio totius hujus Theologiæ.

X. Pro corollario, subjiciemus *σύνταξιν*, universæ hujus Theologiæ. Constat ea: 1. *Fide*, quam octo libris, dudum exegimus, & 2. *Observantia*, quæ habebit: ℵ Theologiam *moralem*, de virtutibus ac vitiis *simplicibus*, per tres libros: quorum *primus*, habebit *generalia* de obedientia: ejus naturam, normas, legem. Scit & conscientiam, affectiones & partes: *secundus*, *Religionem*, seu officia versus Deum: *tertius justitiam*, seu officia erga proximum: ב. Theologiam *Asceticam*, seu virtutes compositas, in usu & exercitio, libris itidem tribus. Horum primus, occupabitur: tam *generalioribus*, de *vita* Christiana, ejusque constitutione, incremento & contrariis, prophanitate & hypocrisi: tum *specialioribus* officiis: *α*. Circa *Deum* cognoscendum, diligendum, colendum: tam *publice*, verbi divini, lectione, auditioneque, precibus, Sacramentis; quam *privatim*, domesticis. *β*. Circa *proximum*, ubi de solitudine, de conversatione, eaque: tum *generaliter*, in conviviis, in contractibus; tum *specialiter*, cum hominibus: (1) certæ *qualitatis*, cum afflictis, lapsis, bonis, malis. (2) certæ *conditionis*: cum amicis, cum inimicis, per reconciliationem, aut litigationem judicialem. (3) certi ordinis, domestici, politici & ecclesiastici. *γ*. Circa *semetipsum*, tam in *vita*; quam in morte. In *vita* quidem occurrent: A. *Generalia*, circa vocationem, cibum & potum, vestitum, recreationes, sacrorum ordinationem, juxta *tempora* S. diem dominicum, jejunii, eucharisticam, quotidianam. B. *Specialia*: primo in rebus *secundis*, libro secundo. Ubi primo *generaliter* de prosperitate, & de mundo, ejus scil. abusu, usu, vanitate: secundo *specialiter*, de vanitate bonorum: *animi*, sapientiæ &c. corporis, valetudinis — *fortunæ*, opum —: secundo, in *adversis*, ubi rursus, 1. *Generaliter* de cruce, ejusque ortu, variis scil. tentationibus Diaboli — 2. *Specialiter* de cruce, ex malis: *α*. *corporis*, ex morbis — *β*. *Fortunæ*, ex paupertate — *γ*. *animi*, ex malis; *partim ἀλόγοις*, confusis scil. terroribus — *partim λογικοῖς*, puta: (a) in variis desertionibus spiritualibus (b) dubitationibus, circa amorem Dei, electionem — Hactenus de officiis circa *vitam*, agmen claudent, quæ circa, *mortem* distinentur, ejus scil. meditatio, contemtus, & præparatio.

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

LIBER SECUNDUS,

De Fide in Deum Triunum.

CAPUT PRIMUM,

DE

FIDE SALVIFICA.

Ad Text. Joh. 1. verſ. 11. 12.

Ad ſuos venit, & ſui eum non acceperunt. Quotquot autem eum acceperunt, dedit eis poteſtatem, qui filii Dei fierent, nempe *iis, qui credunt in nomen ejus.*

Prima Theologiæ ac vitæ ſpiritualis pars, eſt fides.

I. Vita illa *Dei*, cujus *normam* præſtat Scriptura, perinde ut *naturalis*, duos actus concludit: *primum*, quo *poſſumus* operari ſpiritualiter, quem præſtat *fides*, quâ juſtus *vivit* Rom. 1. 17. Gal. 11. 20. & *ſecundos*, quos fides producit, actus ſcil. *obſervantiæ*: utpote per quos, fides eſt ἐνεργουμένη Gal. v. 6. Primum itaque in vitâ ſpirituali, fides eſt: quâ duo concluduntur: *habitus* quo credimus, ſeu fides *quâ*; & objectum *quod*, ſeu *in quod* credimus, & fides *quam* credimus. Priorem hoc capite expediemus, prælucente textu, cujus exegeſis, pleraque ejus eſſentialia, monſtrabit.

Textus reſolvitur & explicatur.

II. *Textus negotium fidei, nobis repræſentat*, duabus partibus, *quarum*:

I. Infidelitatem *nobis repræſentat, gentis Judaicæ, in rejectione Chriſti, ſeipſum ei offerentis. Ubi:*

A. Infideles, οἱ ἴδιοι, ſui, *ſcil. jure, tum* creationis & *gubernationis verſ.* 3. 11. *tum* redemptionis *ac confœderationis, ſaltem oblatæ, licet non receptæ, quo jure, ſoli* electi, *ſunt* ἴδιοι τῦ θεῦ. Gal. v. 24.

B. Oblatio, *quam infidelitate rejecerunt:* ἦλθε, venit. *H. e. ad ipſos* venit, *incarnatione, quâ, ſeipſum eis Mediatorem obtulit, fide recipiendum.*

C. Infidelitas, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν ὐ παρέλαβον, *& ſui ipſum non receperunt. H. e.* vel ἁπλῶς *noluerunt admittere, nec pro Servatore, nec pro Domino:* vel κατὰ τί, *ſi pro* Servatore quidem recipiant, *a quo* remiſſionem *ac* ſalutem *accipiant, quod hypocritis aliquando accidit; non pro* Rege *ac Domino, cui ſe ſubjiciant* Luc. XIX. 27.

II. Fidem: Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτῦ, *quotquot autem receperunt ipſum; dedit ipſis poteſtatem, qui filii Dei fierent,* nempe *qui credunt in nomen ejus. Quibus notatur:*

Ab una parte, *fides*, quotquot eum acceperunt. *Hic de ſignantur:*

1. Fideles, quotquot, ὅσοι, *ſcil.* omnes *ac ſinguli hujus ordinis: & hi quidem* ſoli.

2. Fides, *ſeu actus credendi;* παρέλαβον, acceperunt, *h. e.* voluerunt habere, *pro Mediatore unico*; Sacerdote *pariter, qui ſe redimeret, oblato ſanguine*; & Rege, *qui ſe, verbo ac Spiritu* gubernaret, ac Propheta *qui doceret.*

3. Fidei objectum: αὐτὸν, ipſum. *Scil. non ejus* verba *tantum, promiſſiones Euangelicas; nec ejus* beneficia, *tantum, remiſſionem peccatorum, vitam æternam: ſed* ipſum, *h. e. primo ejus* perſonam *ut cum ea uniantur; tum ejus* beneficia, *ut cum eo communionem conſequantur bonorum; ex tenore donationis & oblationis divinæ* Rom. VIII. 32.

Ab

Ab altera: *fidei*, potestatem ipsis dedit, qui filii Dei fierent. *Quibus ostenditur:*

1. Scaturigo *hujus fructus*, ἔδωκεν, dedit, *atque efficacia fidei, in ordine ad beneficia spiritualia; quod scil. fides illa nobis procuret, non intrinseca sui dignitate, aut merito: sed pura puta Dei* donatione *ac benevolentia, citra quam, nihil omnino, ad salutem posset, ipsa fides salvifica.*
2. *Ipse* fructus fidei, *puta* ἐξουσία τῆς υἱοθεσίας, potestas adoptionis. *Qua conprehenditur, primò* unio *cum Christo, tanquam cum fratre, per quam, unum cum eo consequimur Deum ac Patrem* Joh. xx. 17. *Deinde* communio, *omnium ejus beneficiorum, per modum hæreditatis, prout ipse filius naturalis, titulo hæreditatis, omnia à Patre suo possidet* Psal. 11. 8. *ita, jure hæreditatis, nos omnia ab ipso* Rom. VIII. 17. *Et cum ista* filiatio, *fruitionem involvat Dei, quà summi finis; sequitur fidem ferri, non in Christum tantum qua* Mediatorem; *sed & in Deum, quà summum finem* Joh. XIV. 1.
3. Conditio, *fructui conferendo, prærequisita:* τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, his qui credunt in nomen ejus. *Scil. cujus fidei paraphrasin, præstabat receptio jam designata. Ubi prostat:*
   א. Actus *fidei*, πιστεύουσι, credunt. *Neque enim* habitus *fidei sufficit*; actus *etiam requiritur; scil. ubicunque potest ac debet existere.*
   ב. Objectum *fidei*, εἰς ὄνομα αὐτοῦ, in nomen ejus, Scil. *vel* Dei, *qui proximè nominatus erat; hoc est*, in Deum: *est enim* הוא שמו ושמו הוא, ipse non suum, & nomen suum, ipse, *secundum tritum Hebræorum: vel* Christi, *seu in Christum* qui nomen Dei, gestat בקרבו Exod. XXIII. 21. *vel* Dei & Christi, *ut indigitetur, objectum fidei salvificæ esse*, Deum *quà finem*; *&* Christum, *quà Mediatorem.*
   ג. Relatio, *seu* σχέσις *actus ad objectum suum, significata in præpositione* εἰς, in nomen. *Qua designatur, fidem in objectum suum ferri, non* notitiâ *tantum; aut* assensu *etiam qualicunque; sed* consensu *quoque voluntatis, quâ Christum, velut sponsum venientem, seque ac sua offerentem,* velis *præ omnibus habere Mediatorum.*

Pars dogmatica.

Fidei salvificæ definitio è textu confi-citur.

III. E textu, si non omnia, pleraque saltem, fidei salvificæ ingredientia, nobis innotescunt, imprimis: quod *fides salvifica nihil aliud sit, quam actus totius animæ rationalis, quo Deum accipit, qua summum finem; & Christum, quà unicum Mediatorem, ad hoc, ut cum eo uniamur, & uniti, communionem consequamur, omnium ejus beneficiorum.* Pleraque inquam, hujus definitionis, in textu exprimuntur; *definitum*, fides salvifica, *qui credunt in eum.* Et fidem quidem salvificam intelligi, *fructus* ejus indicat, *υἱοθεσία. Actus* ejus salvificus, dicitur *recipere. Objectum* actus, Deus quidem, ut *summus* finis, non exprimitur, nisi forte velis, τὸ in *nomen ejus*, referre ad Deum, qui proximè nominatus erat: certo tamen certius præsupponitur, in objecto *secundario*; quotquot receperunt eum. Nec enim Christum, quà Mediatorem, recipere potest, qui Deum non ante receperit, quà *summum* suum *finem* Joh. XIV. 6. Denique *finis*, seu *fructus* hujus fidei, seu receptionis, *unio* scil. & *communio* cum Christo, unâ υἱοθεσίας continentur voce, quâ, ex recepto Christo, ejus fratres facti, hæredes Dei, & cohæredes Christi reddimur. In quo omnis beatitudinis punctum consistit. Interim singulas harum partium, singulatim ostendemus, ac declarabimus in successu.

Fidei etymologia.

IV. *Fides* igitur, a *fio* dicta, prout πίστις à πέπεισαι, *persuasus est*; *&* אמונה à נאמן *firmum esse: Latinis*, quamvis notat animi, de alicujus rei veritate, persuasionem Marc. XV. 32. Rom. XIV. 2. *Improprie* usurpatur, pro eo, quod *fidem facit*: seu illud *argumentum* sit, quod rem docet Act. XVII. 31. seu ἀξιοπιστία dicentis Rom. III. 3. seu *res* dicta & credita Gal. I. 23. & III. 23. *strictius*, eam notat animi persuasionem, quæ oboritur à fidelitate dicentis.

Fidei distributiones.

V. Persuasio igitur, prout duplici niti potest fidelitate, ita fidem geminam parit; *divinam* & *humanam*. Et divina quidem, quæ hujus est loci, quatuor ista designat: vel *nudum* assensum, *dicto cuivis* præstitum, & fides *historica* nominatur, de quâ Jacob. II. 17. 18. 19. 20. vel peculiariter, *promissioni* divinæ, *de miraculo* perpetrando, vel accipiendo, & *fides miraculorum* audit: tum *activa* Matth. XVII. 20. 21. 31. I. Cor. XIII. 2. tum *passiva* Matth. XIII. 58. Marc. V. 34. 36. vel assensum, qui insuper bonos qualescunque, sed evanidos, ciet *motus in voluntate* Matth. XIII. 21. Heb. VI. 4 5. 6. & fides πρόσκαιρος appellatur: vel *tales* etiam in voluntate ciet motus, quibus *Deum* nobis arripiamus, ut summum finem; & *Christum* ut unicum Mediatorem; & hæc est, quæ fides *salvifica* dicitur, de quâ Joh. I. 12. & III. 16. Rom. X. 10. Sic appellata, non, quod salutem *efficiat*, aut mereatur; sed quod *conditio* sit, puro puto Dei beneplacito, saluti conferendæ, prærequisita. Quæ quidem *salvifica* fides, quandoque *strictius* capitur, sensu magis *philosophico*, prout unum aliquem, & simplicem actum denotat Joh. III. 16. quandoque *latius*, sensu magis *theologico*, prout multos dicit

fidei actus, qui ad ſalutem prærequiruntur; prout in ſalvifica, concurrunt notitia, aſſenſus, acceptio, peculiaris applicatio. Hoc ſenſu a nobis enarrabitur in ſequentibus.

Fides ſalvifica eſt actus

VI. Fidem iſtam dicimus *actum*; actum *animæ* rationalis; qui conſiſtit in *accipiendo*; accipiendo *Deum* quâ finem, & *Chriſtum* quâ *Mediatorem*; cujus modus eſt in illâ ὑπερoχῇ quâ Deum accipimus, ut *ſummum* finem, & Chriſtum, ut *unicum* Mediatorem; cujus fines & fructus ſunt; tum *unio* cum Chriſto, tum *communio* cum eo. Singula horum, ſingulatim repræſentabimus breviter. Eſt igitur fides, ad ſalutem ſtipulata, *actus*. Datur equidem fides *ſeminalis*, infantibus etiam, per regenerationem competens, quam *ſpiritum fidei* alias dicunt, aut *ſemen* ac radicem fidei: eſt & *diſpoſitio* ſeu διάθεσις, ex vocatione efficaci, ſeu converſionè nata: eſt fides *habitualis*, iteratis credendi actibus, ſi non nata, ſaltem confirmata; dicitur *virtus* fidei, quæ etiam dormientibus fidelibus, & quando graviſſimis tentationibus ſepulti jacent, immota adhæret: eſt denique fides *actualis*, ſeu ipſum *credere*. Prior quidem triplex, utilis eſt & neceſſaria ad ſalutem: ſed ordinarie non ſufficit in adultis, eo quod τὸ *credere*, *accipere*, *velle*, continuus Scripturæ tenor, prærequirat ad ſalutem Joh. I. 12. & III. 16. Act. X. 43.

Eſt actus totius animæ rationalis.

VII. Actus igitur eſt fides. Sed cujus? non *corporis* utique, quamvis & ei ſua fides tribuatur Rom. X. 10. & cap. I. 8. ſed *animæ*, *corde* enim *creditur*, & quidem, animæ totius: *ſi credas toto corde* Act. VIII. 37. eſt enim actus vitæ primus, quo *totus* homo, ſpiritualiter *vivit* Rom. I. 17. Gal. II. 20. quin &, ſingularum animæ facultatum, intellectus, voluntatis, affectuum &c.

Actus fidei in intell. ctu.

VIII. In *intellectu* quidem, exigit: 1. *Notitiam*, promiſſionum Euangelicarum, Dei & Chriſti Joh. XVII. 3. Jeſ. LIII. 11. 2. Tim. I. 12. 2. *Aſſenſum*, non *implicite* tantum, univerſo Dei verbo, præſtitum Act. XXIV. 14. Luc. XVI. 29. ſed *explicite* quoque, dogmatibus fundamentalibus, & nominatim, promiſſionibus Euangelicis: citra quem, nulla fieri poteſt, aut Dei, aut Chriſti, receptio Phil III. 8. 10. Nominatim 3. magnæ hujus propoſitionis: *Chriſtus, eſt ille quondam promiſſus Meſſias, extra quem, nulla omnino ſalutis ſpes relinquitur* Joh. XI. 25. 26. 27. 1. Joh. II. 22. & IV. 2. 3. Act. IV. 12. Denique 4. nec *theoretica* ſufficit notitia & aſſenſus; ſed *practica*, quâ convictus ſis, & voluntas moveatur, ad arripiendum oblatum, Deum & Mediatorem Rom. VII. 18. *Novi* &c. verſ. 21. *Comperio* &c. verſ. 24. *Miſer ego! quis me eripiet?*

In voluntate.

XI. In *voluntate*, uno verbo, fides ſalvifica exigit *conſenſum*, quo Deum & Meditatorem; ſeipſos nobis in Euangelio offerentes, ſerio *volumus* habere, & volendo *accipimus* Joh. I. 12. De quo jamjam ex profeſſo.

X. In *affectibus* (quanquam ei reverà non ſunt, niſi voluntatis actus) ciet: (1.) *Amorem* verſus Deum & Mediatorem Matth. X. 37. (2.) *Deſiderium* eorundem, juxta & bonorum ab iis promiſſorum Pſal. XLII. 1. 2. (3) *Gaudium* & acquieſcentiam Pſal. XVI. 5. & LXXIII. 25. 26. (4.) *Odium* & deteſtationem, eorum quæ ipſis ſunt adverſa Pſal. CXXXIX. 22. A quibus omnibus tandem, fides in omnibus operationibus, *per charitatem* viget & ἐνεργεῖται Gal. V. 6. In affectibus.

Eſt recipere.

XI. Sed, cum plures, in ſalvifica fide, concurrant actus, notitiæ, aſſenſus, conſenſus, fiduciæ &c. obſervandum, eſſe in his unum quendam actum, qui prædominetur, quoque poſito ponatur ſalus, & ſublato, tollatur, quem *ſalvificum* appellant. Quiſnam ille tandem? Textus reſpondet *recipere*, cui ſuccurrit Apoſtolus Col. II. 5. 6. 7. Phil. III. 8. 9. 12. Gal. IV. 14. Matth. XXVI 26. Huc. I. Deus ac Mediator, ſeipſum nobis offert; ut accipiamus Jeſ. LV. 1. 2. Joh. VII. 37. 38 39. Apoc. XXII. 17. utique fide Joh. I. 12. Huc. 2. q. procum agit, ſtans ante fores, pulſans, blandiens, ut recipiatur Apoc. III. 20. Cant. V. 2. Hoſ. II: 13. Huc 3. ſpirituale connubium ambit Hoſ. II. 29. utique, ut conſenſu, qui matrimonium facit, recipiatur Cant. II. 16. Hinc 4. nullius beneficii Euangelici, participes reddimur, niſi per fidem fœdus gratiæ, conditiones fœderis, juxta & Mediatorem ejuſdem recipiamus 2. Cor. I. 20. Apoc. XXII. 17. Hinc 5. Chriſtum *non recipere*, rejicere, aſpernari; & *non-credere*, Euangelio, ſynonyma ſunt Joh. II. 12.

Quid ſit recipere Chriſtum?

XII. Conſiſtit autem, iſta Chriſti *receptio*, in *conſenſu*, quando ſcil. Chriſto ſeſe offerenti in Euangelio, ea lege, ut recipiatur pro unico Mediatore, annuit voluntas. Qua ratione ſponſa ſponſum *accipit*, ſcil. ſeipſum offerenti, annuendo. Unde recipere, conſentire, *ſerio velle*; Euangelio ἐυδυναμοῦντα videntur Joh. I. 12. cum Apoc. XXII. 17. Matth. XXIII. 37. & XXII. 3. *Serio* inquam velle, h. e. (1.) *abſolute* velle, abſque omni conditione, aut reſtrictione Pſal. LXXIII. 25. 26. Matth. XIX. 16. 17. 20. 21. (2.) *Ipſum* Chriſtum velle, non ſola ejus beneficia Joh. I. 12. Prout Deus nobis dat, primo Filium, tum quæ Filii ſunt Rom. VIII. 32. (3.) Chriſtum velle *totum*, non tantum quà, Sacerdotem ſeu redemptorem; ſed & quà Regem, quà Dominum, quomodo nobis datur à Deo 1. Cor. I. 30. (4.) Nec totum tantum; ſed & *ſolum* Pſal. LXXIII. 25. 26. ſcil. *conjugaliter*. (5.) non tantum quà *Regem*; ſed & quà *ſervum*: non tantum ejus *gloriam*; ſed etiam ejus *miſeriam* Luc. IX. 23. Denique (6.) iſtis terminis & conditionibus velle, quibus ſeipſum offert, ſcil. ſub conditione *abnegationis ſui ipſius* &c. Ibid. Gal. V. 24. Luc. IX. 23.

Variæ hujus diver-

XIII. Hæc quidem receptio, diverſis rationibus,

receptionis denominationes.

diversis quoque terminis, repræsentatur in Scriptura. Audit enim: 1. *Receptio*, strictius dicta Col. II. 6. 7. Apoc. XXII. 17. Quæ *volitionem* Christi dicit, quâ *oblati*. 2. *Consensus* in Christum, velut unicum Mediatorem Matth. XXIII. 37. Ps. LXXXI. 12. Joh. V. 40. Qui eandem dicit volitionem; sed ad præviam *invitationem*, & argumenta suadentia Matth. XI. 28. Jes. LV. 1. 2. 3. *Electio* Christi Cant. V. 9. Quæ volitionem ac receptionem denotat, cum delectu & *præteritione* aliorum Joh. VI. 67. Psal. LXXIII. 26. 27. 4. *Confœderatio*, quæ *receptionem* dicit, quâ conjuncta est, cum *redditione* sui, ut fit in conjugio Hos. II. 20. 21. Jer. XXXI. 33. Non est igitur, actus fidei *salvificus*, nisi *recipere*, scil. Deum & Mediatorem: nec recipere, nisi *consentire*, & *serio velle*, h. e. *ita* velle, prout ipse se vult dare. Uno verbo, Christum accipere *conjugaliter*, ita scil. ut unâ operâ, teipsum ei *reddas*.

Objectum fidei, qua Salvificæ, quod non.

XIV. E quo patet *objectum* fidei. Equidem in sua *latitudine*, pro diversis, quibus inest, animi facultatibus, diversa recipit objecta. Prout in *intellectu* est, objectum ejus *commune*, est universum *Dei verbum* Act. XXIV. 14. *inadæquatum*, promissiones Evangelicæ Act. X. 43. *fundamentale*, cui omnis assensus innititur, Dei est ἀξιοπιστία sub ratione *veri*: sed res quædam, sub ratione *boni* Rom. IV. 21. Heb. XI. 3. Proinde 2. *promissiones*, non nisi tropice, quatenus continent & offerunt *bona*, nosque impellunt ad recipiendum. Nec 3. *beneficia* Dei ac Mediatoris, quæ *finem* præstant receptionis 1. Pet. I. 9. & *fructum* Joh. I. 12.

Objectum fidei Salvificæ, quod tandem.

XV. Quodnam igitur? Ipse Deus & Mediator. *Quotquot eum receperunt* &c. Joh. I. 12. proinde duplex Joh. XII. 44. & XIV. 1. Psal. LXXVIII. 22. Nemo enim venit ad *Patrem*, nisi per *Christum* Joh. XIV. 6. *summum* ac primarium, est Deus unde phrasis, utrique Testamento adeo frequentata; *credere in Deum*: *subordinatum* & secundarium, *Christus*, sed quâ Mediator tantum, in quantum *per eum credimus in Deum* 1. Pet. I. 21. Rom. VI. 11. & *fiduciam*, *per Christum*, *habemus apud Deum* 2. Cor. III. 4. Et Deus quidem, quâ *finis*, Christus quâ *medium*, aut Mediator.

Fidei objectum, Christus est qua Mediator, secundum triplex ejus officium.

XVI. Fidei tamen objectum, qua *peccatoris* est, proprium est *Christus* Mediator Act. X. 23. Joh. I. 11. 12. & II. 23. Act. IV. 12. 1. Tim. II. 5. &c. Non qua *Deus* tantum; nec qua *homo* tantum: sed qua θεάνθρωπος, munere *mediatorio* insignis 1. Tim. II. 5. 2. Nec secundum hoc tantum, aut illud, muneris istius officium: *aut* quâ Propheta; *aut* qua Sacerdos; *aut* qua Rex tantum: sed qua triplex istud officium complectitur. Quamobrem indefinite credere jubemur, in *eum* Joh. I. 12. & III. 16. & in *Jesum Christum*, quod personam dicit cum munere Act. VIII. 37. & in *Mediatorem* 1. Tim. II. 5, Heb. IX. 15. quod tria officia conjungit. Proinde Christum recipimus, quâ *Prophetam*, eum *audiendo* Matth. XVII. 5. ab eo *discendo*, tanquam à Doctore Matth. XXIII 8. 10. non *reluctando* 2. Cor. X. 5. qua *Sacerdotem*, ei, tanquam Redemptori unico, *innitendo* Jes. X. 20. remissionem, salutem & omnia, ab eo solo *quærendo* Gen. XLIX. 18. Joh. VIII. 56. ad hoc, ei quævis nostra, promptè impendendo Phil. III. 7. 8. 9. qua *Regem* denique, ejus dominium *agnoscendo* Rom. XIV. 8. ei, ejusque placitis, nos *subjiciendo* Psal. II. 11. 12. *vitam* universam, ejus gloriæ & emolumentis, *impendendo* Rom. XIV. 7. 2. Cor. V. 15.

Nominatim, non tantum qua Redemptor est; sed etiam quâ Dominus.

XVII. Nominatim ergo, fide recipiendus, est, non qua *Redemptor* tantum, per quem liberemur, à suppliciis peccatorum, & æterno exitio; sed etiam qua *Dominus*, cui nos morigeros, per omnia præstemus. Unde passim, *Dominus & Servator* dicitur 1. Tim. I. 1. Tit. I. 4. Item *Dominus Jesus Christus*, quem *ita* etiam, fideles exsertè recipere dicuntur Col. II. 6. *Sicut igitur accepistis Christum Jesum*, τὸν κύριον; qui hac ratione, ad nos venit, seque nobis offert, ut *Regem & Dominum* Zach. IX. 9. Neque integrum recipiunt Mediatorem, qui secus faciunt: cum Servator sit ac Dominus. Imo, ne ut *redemptorem* quidem integrum: cum redimat, non tantum à *reatu* peccatorum: sed etiam à *macula*, sitque nobis, non tantum *justitia*; sed & *sanctificatio* 1. Cor. I. 30. Quamvis fidelis in recipiendo, *prius* ambiat sui *justificationem*, tanquam à Redemptore Phil. III. 16. 17. sicut in exploratione fidei suæ, *prius* sentit & experitur, vim *sanctificationis* & obsequii, quâ Domini Psal. II. 10. 11. 12.

Modus recipiendi salvificus in eo est, ut fiat cum prærogativa.

XVIII. *Modus* autem hujus receptionis, à quo tutissime, fides *salvifica* discriminatur à *communi*, in eo est, ut Deum recipiamus, non tantum qua finem, sed quâ *summum*; & Christum, non tantum ut *Mediatorem*; sed ut *unicum*, h. e. ut utrumque, Deum pariter & Mediatorem, *præ omnibus* aliis recipiamus, & *supra omnia* æstimemus Matth. X. 37. Luc. XIV. 26. 33. *eos primò quæramus* Matth. VI. 33. quævis præ iis *susque deque* habeamus Phil. III. 7. 8. jacturam bonorum, quævis opprobria, vincula, & ipsam mortem, in eorum gratiam, promptè admittamus Act. XX. 23. 24. Heb. X. 32. 33. 34. collat. cum vers. 24. Ut sic, fide nostrâ *mundum vincamus* 1. Joh. V. 4. 5. & IV. 4. Apoc. II. 7. 11. 17. 26. quando hypocritæ, *superantur* & vincuntur 2. Pet. II. 19.

Fines seu fructus fidei: Unio.

XIX. Porro, *finis* seu *fructus* fidei, ac receptionis salvificæ, geminus est, *unio* cum Christo, & *communio* bonorum ejus, significante Apostolo Phil. III. 8. 9. Recipimus enim Christum, *primò* ut eum habeamus Psal. LXXIII. 25. 26. seu, ut cum eo *uniamur*, ut ipse *in nobis* sit Eph. III. 17. & nos *in ipso* Eph. I. 13. *secundo*, ut in, & cum commu-

nio cum Christo: in eo *bona* quævis consequamur salutaria Rom. VIII. 32. ut ex *ejus plenitudine*, *gratiam hauriamus*, *pro gratia* Joh. I. 12. collat. cum vers. 16. usque adeo, ut *in eo simus perfecti* Col. II. 9. 10. Haud secus, ac ex unione conjugali, communio profluit bonorum; unde etiam, qui *filium habet*, *vitam habere* dicitur 1. Joh. V. 12. Sunt autem bona hujus communionis: (1.) *Justificatio* Phil. III. 9. Act. X. 43. (2.) *Adoptio* Joh. I. 12. Gal. III. 26. Uniti enim fide Christo, fratres ejus facti, unum cum eo consequimur Deum ac Patrem Joh. XX. 17. (3.) *Sanctificatio* Act. XV. 9. Quatenus, per fidem in eo constituti, experimur vim resurrectionis ejus, & κοινωνίαν consequimur, τῶν παθημάτων αὐτοῦ, συμμορφούμενοι τῷ θανάτῳ αὐτοῦ Phil. III. 9. 10. Quatenus item Christum consecuti, sanguinem ejus sanctificantem consequimur Heb. IX. 13. 14. Quatenus denique, fide admittimus omnia argumenta, quæ, ad sanctitatis studium, nos erigunt Tit. II. 14. 2. Cor. V. 15. (4.) *Glorificatio* 1. Pet. I. 3. 4. 5. 9. tum *inchoata*, quæ dicit certitudinem salutis futuræ Gal. V. 5. 2. Cor. V. 1. fiducialem acquiescentiam in Deo Jes. X. 20. Jer. XVII. 7. gustum primitiarum Rom. VIII. 23. pacem spiritualem Rom. V. 1. gaudium ineffabile 1. Pet. I. 8. Rom. V. 2. consolationem, & animi in adversis tranquillitatem Col. II. 2. experientiam benevolentiæ divinæ Rom. V. 1. collat. cum vers. 3. 1. Pet. II. 2. 3. tum *consummata* Joh. III. 16. 1. Pet. I. 9.

1. Justificatione. 2. Adoptione. 3. Sanctificatione. 4. Glorificatione.

Fidei gradus. XX. Restant fidei *gradus*, à quibus, aliquando *magna* audit Matth. XV. 28. à quâ πληρεῖς fide dicuntur Act. VI. 5. 8. aliquando *pusilla* unde ὀλιγόπιστοι Matth. VI. 30. & VIII. 26. & XIV. 31. & ἀσθενοῦντες τῇ πίστει Rom. XIV. 1. aliquando *minima* ὡς κόκκον σινάπεως Matth. XVII. 20. Luc. XVII. 6. tam exilis, ut ferme nulla sit: ποῦ ἐστὶν ἡ πίστις ὑμῶν! Marc. IV. 40. Luc. VIII. 25. Ab his gradibus, fides, dicitur ἀυξάνειν 2. Cor. X. 35. βεβαιοῦσθαι Col. II. 7. ὑπεραυξάνειν 2. Thess. I. 3. usque ad πληροφορίαν πίστεως Heb. X. 22. Tria interim hic observanda: *primò*, posse fidem ex una parte *robustam* esse, quando ex altera, *debilis* est. Res patet in discipulis Christi Matth. VIII. 26. collatis cum Syrophœnissa Matth. XV. 28. & cum centurione Matth. VIII. 10. In illis, procul dubio, obtinebat distinctior, Christi & rerum Christianarum cognitio, quam in his; quando interim *illi* ὀλιγόπιστοι, dicuntur, dum hujus fidem ipse Christus miratur. *Secundo*, istam disparitatem, non in *diversis* modo conspici subjectis; sed & in *eisdem*, diverso tempore, ut in Davide patet Psal. XXX. 7-8. & passim in Psalmis, inter se collatis v. g. Ps. III. 7. XVIII. 2. 3. & XIII. 4. cum Ps. XLII. 6. 7. 8. 12. & XLIII. 5. Item in Petro Matth. XVI. 17. cum cap. XXV. 70. 72. *Tertio*, nec *tantum*, nec præcipuè, fidem *firmam* dici, aut infirmam, cui clarior competit, ac distinctior rerum divinarum *cognitio*; vel cui *assensus* est solidior, aut confidentia immotior, aut salutis certitudo confirmatior: sed &, quin potissimum, ab appetitu, *receptione* ac submissione sui; intensiore aut remissiore: cum actus fidei, proprie quidem *salvificus*, non tam sit in notitia, aut assensu; quam in receptione.

Circa quos tria servanda. 1. 2. 3.

Causa & origo fidei principalis. XXI. Fidei, quam hactenus delineavimus, *causa* princeps, Deus est, *Pater luminum à quo omne bonum salutare* Jac. I. 17. *Spiritus fidei* 2. Cor. IV. 13. cujus fructibus connumeratur fides Gal. V. 22. Neque enim, aliunde nobis illa supetere potest: cum simus mente *cæci* Eph. IV. 18. corde *lapidei* Ezech. XI. 19. *mortui* in peccatis Eph. II. 1, 2. Operatur autem fidem Deus: primo *regeneratione*, quâ *semen* fidei confert, quo *possimus* suo tempore, positis ponendis, credere: ante quam, ut diximus, homo mortuus est, ad quodvis bonum spirituale: secundo, *conversione*, quâ, *semen* fidei, in herbam protrudit, ut *actu* credamus, Christum arripiamus, velut unicum nostrum Mediatorem, *tracti veniamus* Joh. VI. 44. *curramus* Cant. I. 4. *innitamur* Christo Cant. VIII. 5. Tertio, *sanctificatione*, quâ flores etiam, & fructus fides excludit, fitque, per charitatem, ἐνεργουμένη Gal. V. 6. In omnibus istis, pro *instrumento*, Deus unitur, *verbo* Rom. X. 17. *legis* pariter, ut miseriæ sensum, & recipiendi liberatoris necessitatem incutiat; quo nomine *pædagogus* ad Christum, dicitur Gal. III. 24. & *Euangelii* Rom. I. 16. quo, Mediatorem apprehendendum, monstret, & apprehendendi motivas addat 1. Cor. I. 23. 24. Cujus tamen verbi efficacia, hîc non est, nisi *moralis* & instrumentalis 1. Cor. III. 6. 7. 8.

Instrumentalis.

Pars elenchtica.

Quæritur. 1. An fides salvifica, consistat in solo assensu intellectus? assensu intellectus?

XXII. Quæritur, An fides salvifica, consistat in solo assensu intellectus? Hîc, ab *una* parte, Pontificii, ne cogantur admittere receptam Protestantium sententiam, qua fides salvifica, est fiducia cordis, per quam, quisque sibi applicat Christum, ac persuasus est, Christum esse suum redemptorem; asstatuunt, fidem salvificam, consistere in assensu intellectus generali; licet non abnuant, propensionem quandam versus Deum, præsupponi in voluntate, cujus ope, divinam ἀξιοπιστίαν, credens admittit. Et hunc assensum, etiam separabilem faciunt, ab omnibus piis motibus, in voluntate. His accedunt, ex Protestantibus complures, hactenus saltem, ut in assensu intellectus solo, ponant quidem fidem salvificam; sed non in tali, qui sit generalis, versus revelatum quodvis, nec in tali qui sit dividuus, ab omnibus piis affectibus in voluntate; sed in tali, qui est vivus, efficax, qua fidelis persuasus sit, Christum esse suum redemptorem: ab *altera* parte, Britannorum plerique practici, in sola voluntate, ponunt fidem salvificam, qua

quâ recumbimus in Deo, per Christum; eo, quod existiment, assensum nullum intellectus, sufficere ad recipiendum Christum. Sunt, qui mediam sententiam eligunt, qua, nec in intellectu solo consistat, nec in voluntate sola: sed in universa vita hominis spirituali: in intellectu quidem, *radicaliter*; in voluntate, *formaliter*; in reliquis animæ facultatibus, *operative*. Hæc, mihi quidem, videtur accuratissima sententia, eo potissimum nomine, quod fides sit *actus primus* vitæ spiritualis, qui omnes facultates humanas informat, sicut jam ante docuimus. Saltem, fidem salvificam, non esse in solo intellectus assensu; evinci potest: *primo* illis Scripturæ testimoniis, quibus: (1) non *Deo* tantum credere dicimur, aut *Christo*; sed *in Deum* 2. Reg. xvii. 14. Rom. x. 11. Joh. xiv. 1. & iii. 16. 1. Pet. ii. 6. &c. (2) quibus fides, πεποίθησις 2. Cor. iii. 4. θάρσος Matth. ix. 2. 2. Cor. v. 6. παῤῥησία Eph. iii. 12. πληροφορία Rom. iv. 21. Col. ii. 2. Heb. x. 22. ὑπόστασις Hebr. xi. 1. προσαγωγὴ Rom. v. 2. Eph. ii. 18. & iii. 13. vel appellatur: vel ei tribuitur. (3) Quibus per *fiduciam*, aut *confidere*, designatur Psal. lxxviii. 22. & xxv. 2. Jes. l. 10. (4) Quibus fide dicimur *inniti* Jehovæ Jes. x. 20. & l. 10. 2. Paral. xvi. 8. (5) Per fidem, *devolvere* nos in Deum Psal. xxxvii. 5. Prov. xxii. 9. Item (6) nos *recipere* ad Deum, & *amplecti* Deum Deut. iv. 4. 2. Reg. xviii. 6. Psal. cxix. 31. Quo spectant omnia illa V. Testamenti loca, quæ *acquiescentiam* sonant, & *fiduciam* cordis in Deo, & in N. T. per *fidem* referuntur, v. g. Psal. xxxiii. 21. παραλλήλως refertur Joh. i. 12. rursus Prov. iii. 5. refertur Act. viii. 37. Item Psal. xxxi. 2. & xxv. 2. redditur Rom. x. 11. Quibus omnibus, Sole clarius elucet, fidem salvificam, non in solo esse *intellectu*, nec actum ejus, purum putum *assentiri*, nec eam in *quævis* dicta Dei, ferri indifferenter. Id quod, *secundo* confirmatur, his rationibus: 1. Quod fidei *salvificæ*, quà talis, objectum demonstraverimus esse, non axioma qualecunque; sed Deum & Mediatorem. 2. Quod ad hoc, in Euangelio, Deus & Mediator nobis *offerantur*; ut fide recipiantur. 3. Quod fide *accedamus* ad Deum Jes. lv. 1. Matth. xi. 28. 1. Pet. ii. 4. Apoc. xxii. 17. 4. Quod *unio* & *communio* cum Christo, quæ, procul dubio, fidei sit; puro puto *assensui* qualicunque etiam, non competat. 5. Quod *non velle* Christum Matth. xxiii. 37. Joh. v. 20. ipsum *rejicere*, *contemnere* Matth. xxii. 5. Act. xiii. 46. *eum non recipere* Joh. i. 11. & v. 43. 44. *infidelitatem* constituant, e quo, ex lege contrariorum, relinquitur, fidem esse serio *velle* Christum Apoc. xxii. 17. ut suo loco demonstravimus. Accedit his rationibus 6. cum fides *salvifica*, justificatis sit propria 2. Thess. iii. 2. hæc Pontificiorum, in *quibusvis* conspiciatur Joh. xii. 42. Cum 7. fidei salvificæ, *promissio* salutis competat Joh. iii. 16. Act. x. 43. huic Pontificiorum, nulla Jac. ii. 1. Cor. xiii. 2. Cum 8. fructus fidei salvificæ, sit unio & communio cum Christo Phil. iii. 9. justificatio, adoptio, sanctificatio, glorificatio, ut suo loco ostendimus: nihil horum connectatur cum fide pontificiâ. Si, pro se causentur, οἱ ἐξ ἐναντίας: 1. quod Scriptura subinde, fidem collocet in assensu mentis, veritati præstito Joh. i. 50. Resp. [1.] Assensum intellectus, non uno modo, ingredi fidem salvificam, dudum agnovimus, ac demonstravimus etiam, in dogmaticis; an autem exhauriat fidem; hoc demum est κρινόμενον, quod negamus. [2.] tum etiam compertum est, fiduciam cordis, seu voluntatis, in Messiam indefinitè, applicari Jesu nostro, per hujusmodi voces, quæ spirant actum assensus intellectus, ita ut non excludatur cordis fiducia; sed præsupponatur magis. Si causentur 2. Quod Philosophi, uno animo (si eos excipias, qui cum Cartesio, pro suis hypothesibus, *judicare* referunt ad voluntatem) in assensu mentis, omnem fidem collocent: dicam, fidem considerari posse, vel *Philosophice*, prout notat, unum aliquem animæ rationalis actum, & sic, procul omni dubio, notat solum assensum intellectus: vel *Theologice*, prout notat plures actus, scil. notitiæ, assensus, fiduciæ & applicationis particularis; hoc modo, fidem salvificam ingredi dicimus, præter assensum intellectus, etiam fiduciam, seu consensum voluntatis.

Probatur Scripturis.

Et rationibus.

Objectiones.

XXIII. Quæritur 2. an fidem salvificam, etiam ingrediatur *notitia?* Qui Cartesium sequuntur, Philosophi, pariter ac Theologi, agnoscunt quidem notitiam apud fidem: sed quæ præsupponatur potius a fide; quam ingrediatur ejus naturam; ab altera parte Pontificii, in fide prorsus negant notitiam, quin accuratius, per ignorantiam describi volunt *Bellarm. de Justif.* lib. i. cap. vii. Ad hoc scil. ut fidem implicitam habeant, seu carbonariam, qua quisque credit, quicquid Ecclesia credit, dum interim nescit, quid credat Ecclesia, eoque obsequentior fiat dictatis Papæ. Reformati, distinguunt inter *scientiam*, & notitiam; quatenus *scire* est, rem cognoscere, ex causis seu effectis suis, hoc modo, *scientiam* in fide necessario, requiri non agnoscunt: *notitiam* tamen, quæ causas aut effectus, non involvit, in fide necessariam esse, tradunt. Eo quod Scriptura: [1.] in fide exsertè requirat *notitiam* Deut. iv. 6. Psal. xxxii. 9. Dan. ix. 22. Col. i. 6. & ii. 2. 2. Tim. iii. 7. [2.] *notitia*, perinde ac fidei, salutem tribuat Jes. liii. 11. Joh. xvii. 3. [3.] fidei nostræ confessionem imperet, quæ *notitiam* præsupponit Rom. x. 10. 1. Pet. iii. 15. Neque [4.] *velle* Deum & Mediatorem, aut volendo *recipere* possumus, absque notitiâ. Nec in contrarium valet: 1. Quod fides sit *via*, & medium quoque, ad *notitiam*, ex Jes. vii. 9. (male reddito) cum fides *implicita*, nobis auctor esse possit, qui

2. An fidem salvificam ingrediatur notitia?

Argumenta.

Objectiones.

qui distincte credenda cognoscamus, eisque assentiamur, fide *explicita*. 2. Quod notitia *distinguatur* à fide. 1. Cor. XIII. 2. Præterquam enim, quod sermo ibidem non sit, de fide *salvifica*, sed miraculosâ; *distingui* potest ac debet, sic *pars* à toto suo, nec proinde excludi à toto. 3. Quod jubeamur, capitivare *ratiocinationes*, & intellectum redigere, sub obedientiam Christi 2. Cor. x. 5. Neque enim ratio, simpliciter captivanda intelligitur; sed quà *corrupta* est. Et multo minus etiam, omnis *notitia*, à fide eliminandâ jubetur; differunt enim, notitia & ratiocinatio.

3. An fides Salvifica consistat in observantia mandatorum Christi?

XXIV. Quæritur 3. An fides salvifica, consistat in obedientia mandatorum Christi? Pontificii, ut commodius habeant, hominem justificari operibus, statuunt, non modo fidem esse bonum opus; sed ut opus etiam, considerari in negotio justificationis. Remonstrantes, eodem animo, fidem dicunt, non esse quidem perfectam obedientiam; sed tamen, per acceptilationem, a Deo haberi & admitti, in justificationis negotio, pro perfecta obedientia. Sociniani, quo efficacius, a fide salvifica, pariter & a Religione Christiana, secludant satisfactionem & merita Christi, nosque, non fide in Christum sola, justificari; sed observantia mandatorum Christi, adeoque operibus Euangelicis, ut ipsi amant loqui: statuunt fidem salvificam, non consistere, nisi in observantia mandatorum Christi. Reformati, quamvis non abnuant, fidem, in se ac materialiter consideratam, esse *opus* aliquod Joh. VI. 29. & opus seu actum obedientiæ: negant tamen, in justificationis negotio, considerari, ut opus, seu actum obedientiæ, ut suo loco videbimus ex professo: negant insuper, fidem esse observantiam mandatorum Christi, & affirmant, potissimum consistere, in receptione Dei, tanquam supremi finis, & Christi, tanquam unici Mediatoris. Saltem, non esse observantiam mandatorum Christi, Scriptura docet, non uno modo. Quando [1] definitionibus, *fidem* distinguit & *opera*; dicens, *illam* esse, *recipere* Christum Joh. I. 12. & ὑπόστασιν τῶν ἐλπιζομένων, καὶ ἔλεγχον τῶν μὴ βλεπομένων Heb. XI. 1. hanc contra πλήρωμα τοῦ νόμου Rom. XIII. 10. [2] Fidem & obedientiam distinguit, ut causam & effectum Gal. v. 6. 1. Tim. I. 5. [3] Diversos utrique, assignat *effectus*: fidei, *justificationem* Rom. III. & IV. Gal. II. & III. Eph. II. 8, υἱοθεσίαν Joh. I. 12. *unionem* cum Christo Eph. III. 17. eaque obedientiæ, seu bonis operibus, abrogat Gal. III. 2. 5. [4] Diversam etiam, utrique *normam* asserit: fidei, *Euangelium* Marc. I. 15. obedientiæ, *legem* Matth. XXII. 37. Rom. XIII. 8. 9. 10. Quin [5] saltem in negotio justificationis, opponit fidem & obedientiam, seu bona opera Rom. III. 20. Gal. II. 16. Non commemorabo [6] absurda sententiæ Socinianæ, Christianis planè intolerabilia. Excludit enim (a) à fide, *satisfactionem* Christi (b) hominem, à participio Christi Rom. x. 3. Gal. v. 4. 5. 6. (c) Christum, à perfectâ redemptionis gloriâ. Si enim opera quævis, nostrum sunt δικαίωμα; tum non Christus solus. (d) *Spem* omnem *salutis* à quovis; quoniam extra Christum, fide receptum, non est salus Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. & III. 16. (e) Omnem *Christianam pietatem*, quippe quæ, à Christo solo resultat, fide recepto Joh. XV. 4. 5. Insuper (f) & Papismum, postliminio reducit, qui in operibus, justificationem quæsierit. Nec sequitur, fidem *consistere* in obedientia, ex eo, quod: 1. Christus dicatur, *sibi obtemperantibus*, promisisse salutem: nec *quemquam* servari, qui Christi dictis non sit obediens Heb. XII. 14. Quoniam non aliud indigitatur, quam obedientiam esse *inseparabilem* à fide, non autem *ipsam* fidem Gal. v. 6. Quod 2. sine operibus, fidem esse *mortuam*, Jacobus statuat Jac. II. 26. Quoniam non alio sensu, fides absque omni operatione, mortua dicitur; quam quod opera a fide, sicut operationes a vita, profluant. 3. Quod pii & obedientes, fideles appellentur Heb. XI. — Quoniam id non alio fit, quam, quod fides & obedientia, sint ἀχώριστα, non quod idem.

Argumenta.

Objectiones.

4. An peculiaris applicatio sit ipsa fidei salvificæ essentia?

XXV. Quæritur 4. An applicatio, seu persuasio peculiaris, qua quis certus est, Christum esse suum Mediatorem, sit ipsa essentia fidei salvificæ? Hîc Pelagiani, Pontificii, & quotquot infallibilem certitudinem salutis, ordinariis mediis, obtineri posse, negant; ad hoc, ne liberi arbitrii, indifferentiam independentem, lædant: hi inquam, ad quæstionem respondent, negando. Protestantes, non uno modo loquuntur. Inter plerosque convenit, in fide salvifica concurrere, notitiam, assensum & fiduciam: sed *fiduciam* alii collocant, in *particulari* persuasione & applicatione, beneficiorum Christi ad se: alii rursus, per eam aliud non intelligunt, quam *electionem* Christi, inque eo acquiescentiam; illi fiduciam ad *intellectum* referunt; hi ad *voluntatem*. Sunt etiam, qui fiduciam illam constituunt, in *receptione* quadam *conjugali*, quâ sic admittimus Mediatorem, scipsum offerentem, certis legibus possidendum; ut ei nosipsos *resiprocemus*, reddamus Cant. II. 16. quam postmodum excipit *particularis applicatio*, & indubitata *persuasio*, Christum nostrum esse *Sponsum*, ejus bona, quanta quanta sunt, *nostra* esse, sic nim. ut persuasio ista, non sit ipse actus fidei formaliter salvificus; sed consequens receptionis. Hæc, meo quidem judicio, tutissima est sententia. Proinde circa istam *particularem* applicationem, duplici extremo peccari videtur, nim. in *defectu*, à Pontificiis aliisque; quando eam, penitus secludunt, & à *fide*, & à *Religione*: contra expressa Scripturæ testimonia Gal. II. 20. Rom. VIII. 38. 2. Cor. V. 1. 2. Tim. IV. 8. Psal. CIII. 1. 2. 3. 2. Sam. XII. 13. &c. De quo, ex professo videbimus, in negotio de

de *certitudine salutis*; in *excessu*, à plurimis Protestantibus, qui in istâ *applicatione*, actum collocant fidei, *proprè* & formaliter *salvificum*, quo posito, ponatur salus; & sublato, tollatur. Quod his ferè rationibus, nos probamus: 1. Quia persuasio ista particularis, nullam in Scripturis habet, justificationis, aut salutis *promissionem*. Nullibi enim, vel *verbis* dicitur, vel *re*; quicunque fuerit persuasus, Christum esse *suum* Servatorem, *sibi* remissa esse peccata sua; ille justificatus est, aut justificabitur &c. 2. Quia non potest obtinere, hujusmodi peculiaris *persuasio*, nisi, *præsuppositò* actu fidei salvifico, ex quo inferas & colligas, Christum *tuum* esse Servatorem, *tibi* remissa esse peccata tua. 3. Quia *assensus* ille applicativus, si modo fides *divina* velit esse, vèrbum Dei dicentis, pro objecto requirit: ubi enim Deus non *loquitur*; ibi ego etiam non possum *credere*: jam autem, Deus nullibi dicit: tuus, Petre aut Paule, Christus est Servator, *pro te* mortuus est, *tibi* remissa sunt, tua peccata. 4. Quia hac ratione, vel Christus, pro reprobis etiam, erit mortuus; vel, credendum nonnullis fide divinâ, quod est falsum. Ratio est, quoniam omnes & singuli, quibus annunciatur Christus, inter quos, plurimi sunt reprobi, tenentur credere in Christum Marc. XVI. 15. Joh. VI. 28. 29. 64. 65. & XII. 36. Quia 5. persuasio illa particularis, saltem quoad essentiam actus, *irregenitis* & hypocritis inesse potest Luc. XVIII. 11. 12. & evidentius etiam Psal. LXXVIII. 34. 35. 36. Contra 6. *Fidelis* daretur, fide salvificâ destitutus: eo quod compertum sit, nec *omnibus* fidelibus, adesse istam persuasionem *particularem*; nec *semper* Psal. LXXVII. 8. 9. 10. & LXXXVIII. per totum Rom. VII. 24. Quæ, pro contrario, urgeri possent, ac solent Scripturæ loca Gal. II. 20. Rom. VIII. 38. 2. Cor. V. 1. 2. Tim. IV. 8. Psal. CIII. 1. 2. 3. 2. Sam. XII. 13. &c. non ulterius pertingunt, quam persuasionem gratiæ *specialis*, fidelibus non fuisse inusitatam; insuper, ope ordinariorum mediorum, & nominatim fidei salvificæ; comparari *posse*, & comparari, summo studio: à fidelibus *debere*: nequaquam autem assequuntur, fidem salvificam non esse, nisi ipsam gratiæ *specialis* persuasionem.

Objectiones.

XXVI. Nec etiam, ut ab alterâ parte, alii existimant, *fiducia*, aut quivis alius, *voluntatis* actus, *totam* exhaurit fidei salvificæ naturam: cum & *intellectus* operationes, notitiam & assensum, manifestè concludat, per §. VIII. Nec argumenta, in contrarium producì solita, si accuratè ponderentur, evincunt, nisi quod fiducia *ingrediatur* naturam fidei, non quod *exhauriat* eandem: aut, si quid etiam amplius videantur evincere, ac *salutem* addicant confidentibus Psal. II. 12. Jer. XVII. 7. 8. capiendum istud *tropicè*, parte acceptâ pro toto, quod fiducia ista, absque *notitia* Dei ac Servatoris 2. Tim. I. 12. Job. XIX. 25. & absque *assensu* promissionum divinarum, existere prorsus nequeat Rom. IV. 20. 21.

Nec fides in solâ consistit fiduciâ.

XXVII. Quætitur 5. An fidei divinæ, possit subesse falsum? Sensus quæstionis, duplex esse possit: 1. An fidei quæ est *in Deo* Rom. III. 3. seu ἀξιοπιστίᾳ divinæ, possit subesse falsum? seu, an Deus possit eloqui, quod est falsum? 2. An fidei divinæ, qui est *in nobis*, possit subesse falsum? seu, an id, quod nos fide divina credimus, possit esse falsum? Quoad sensum priorem, non desunt inter Scholasticos, qui existiment, Deum per *absolutam* potentiam, posse mentiri, aut falsum dicere: licet, per potentiam *ordinariam*, non possit. Significante Francisc. Sylvio, in Aquinatis Secund. secundæ *Quæst.* I. *art.* 3. Ex nostris, unus atque alter sequitur, existimans, Deum posse fallere, *si velit*, sed non velle. Hos examinavimus in *Gangræna* nostra *Cartes.* Sect. 2. cap. XII. Sed hic quæstionis sensus, non adeo hujus est loci. Quantum ad 2. Sensum, est unus, quod sciam, inter Reformatos, Theologus doctissimus cætera, qui, suspicor, disputationis fervore abreptus, occasione, argumenti hujus Pelagiani, pro universali gratia: quod quisque pro se, fide divina, tenetur credere, id de omnibus ac singulis est verum: ast quisque tenetur, fide divina credere, Christum pro se mortuum esse; ergo hoc, de omnibus ac singulis, verum est: qui, inquam, sustinebat, negandam esse propositionem eoque statuebat, fidei divinæ, posse subesse falsum, cui se opponebat, ejus Collega, vir itidem celeberrimus, peculiari disputatione, *De fidei divinæ veritate*, qua sententiam sui Collegæ, in utramque partem, quam accuratissime examinat. Hujus argumentis, vix est quod addas, & quoniam alter, nullum habet, qui sequatur; non erit operæ prætium, quod de ea sententia, plura hîc aspergamus.

5. An fidei divinæ possit subesse falsum?

Pars practica.

XXVII. Praxis fidei *primo*, *infidelitatem* notat, monstrante textu: *sui eum non receperunt*. Cujus negotium, ad *quatuor* ista capita revocabimus: 1. Naturam. 2. Originem. 3. Mala. 4. Remedia infidelitatis. Circa *naturam* infidelitatis, ideo breviores erimus, quod ex oppositâ *fide*, quam suis partibus delineavimus, *infidelitatis* indoles, satis percipi possit. Est ergo *infidelitas*, *generatim* quidem; vel *ore*; vel *corde*, vel *utroque*, *non recipere Deum*, *pro summo fine suo*, *nec Christum*, *pro solo Mediatore suo*. Adeoque infidelitatis (a) *actus* est, *non-recipere* Joh. I. 11. *non-velle* Joh. V. 40. Matth. XXIII. 37. *aspernari* Matth. XXI. 5. respuere seu *rejicere* Joh. XII. 48. (b) *Objectum*, tum *Deus*, quà *finis* Psal. LXXVIII. 22. tum *Christus*, qua *Mediator* Joh. V. 46. 47. (c) *instrumentum*: vel *os* Matth. XXVI. 72. vel *cor* Heb. III. 12. Marc. VI.

Prima praxis: infidelitatem notat: 1. Naturam in genere.

52. vel conjunctim *cor & os*, ut colligitur ex Rom. x. 10. & exprimitur Job. xxi. 14.

In ſpecie: 1. Ignorantiam.

XXIX. *Singulatim*, infidelitatem ingrediuntur (1) Craſſa *ignorantia*, Dei & Mediatoris, ac rerum divinarum Jer. x. 25. 2. Theſſ. i. 8. Pſal. xcv. 10. Seu iſta ignorantia ſit *negativa* tantum, qualis in gentilibus obtinet: ſeu magis poſitiva ac *privativa*, qualis in iis obſervatur, qui in ipsâ Euangelii luce cæcutiunt. (2) *Incredulitas*, ſeu privatio aſſenſus in intellectu Joh. v. 46. 47. Act. xxviii. 24. & xix 9. Joh. xx. 25. 27. Sive ea, in *univerſum* feratur verbum Dei, quod Ethnicis accidit; ſive in *partem* aliquam *eſſentialem*, quod *Judæis* contingit, Novum Teſt. reprobantibus; item *Muhammedanis*, pleroſque, utriuſque Inſtrumenti libros, rejicientibus: ſive in *hanc aut illam* tantum, utriuſque Teſtamenti propoſitionem, quaſi partem verbi *integralem*, quod non hæreticis tantum; ſed ipſis quandoque verè fidelibus, licet diverſimodè, contingit. Unde *gradus* infidelitatis, in *aſſenſu* obſervamus: primo, *dubitationem* Rom. iv. 20. Dein, *negationem* aſſenſus Joh. x. 25. 26. Denique *reſiſtentiam*, negationi accedentem Act. xix. 9. (3)

2. Incredulitatem.

3. Non-receptionem.

Non-receptio, ſeu non-volitio, jamjam è Scripturis notata. Eaque, vel *totalis*, quando Deum & Mediatorem, prorſus & plane nolumus ac rejicimus Jos. xxi. 14. Exod. v. 2. Joh. i. 11. vel *partialis*, quando *vellemus* quidem; ſed non *volumus*, h. e. ſub conditione, cum limitatione, aut cum reſervatione mentali, quæ *velleitas* dicitur, qualem habemus Matth. xix. 21. 22. Joh. xii. 42. Reſpicit autem, ut jam obſervavimus, vel *Deum*, vel *Mediatorem*: quod utrobique, diſtincta involvit crimina. Quatenus *Deum*, non recipit infidelitas, tria disjunctivè connotat: A. *Atheiſmum*, qui *nullum* Deum recipit Pſal. xiv. 1. B. *Idololatriam*, quæ, vel *verum* rejicit, & alium ei ſubſtituit; vel ſaltem, ei *conjungit* falſum Rom. i. 25. C. *Profanitatem*, quæ *profeſſione* quidem, Deum recipit; *reipsâ*, ablato cultu, abnegat Tit. i. 16. Pſal. x. 4. Rom. i. 21. Quatenus autem, *Mediatorem* non recipit infidelitas; tria itidem, disjunctim involvit crimina; vel enim (a) Chriſtum *ſimpliciter* non agnoſcit Mediatorem Joh. i. 11. & v. 40. (b) vel non *totum* recipit, dum quâ *Redemptorem* ſuum, admittit quidem; aſt quâ *Regem* aſpernatur Luc. xix. 27. Pſal. ii. 1. 2. 3. Quod etiam, inter profeſſione tenus Chriſtianos, eſt vulgatiſſimum. (c) vel, ſi ipſum etiam, utcunque recipiat; *conditiones* tamen, abipſo ſe offerente ſtipulatas, puta *abnegationem* ſui Luc. ix. 23. *mortificationem* carnis Gal. v. 24. 1. Joh. iii. 3. *contemptum* mundi, ac mundanorum Luc. xiv. 26. 27. *ſtudium* ſanctitatis, conſtans ac ſerium 2. Cor. vii. 1. repudiat Matth. vii. 22. (4) *Diffidentia*, vel in *Deo*; qui, aut non poſſit Gen. iv. 13. aut non velit, ſua promiſſa præſtare; licet nos, non deficiamus, in officio noſtro Zeph. iii. 2. Pſal. lxxviii. 22. 32. & cvi. 24. quæ eſt infidelitas & *deſperatio*, propriiſſime dicta, & maximè exſecrabilis ac damnabilis: vel in *Chriſto*, qui, aut *nullus* ſit; aut non *ſolus*, ac ſufficiens Servator Jer. ii. 13. Rom. x. 3. 4. aut ſaltem, non *velit*, nec poſſit ſervare, quamvis credendo, ipſum reciperemus Joh. v. 40. Unde tantus timor, anxietas ac puſillanimitas reſultant, quæ frequentiſſimè in Scripturis, infidelitatis atro carbone, notantur Marc. iv. 40. & ix. 23. interim tamen ipſiſmet fidelibus, ἐυπερίστατος deprehenditur, ſaltem ex parte, ut patet, è locis jam citatis.

4. Diffidentiam.

(5) Ἀπείθεια, quâ Deum ac Mediatorem, *accipimus* fiduciâ qualicunque, tanquam *Servatores*; aſt nos illis *reddere*, h. e. nos noſtraque, quanta quanta ſunt, eis regerere ac ſubmittere, velut *Dominis* noſtris, contumaciter recuſamus. Unde *filii contumaciæ*, infideles audiunt Eph. ii. 2. & v. 6. Col. iii. 6. quatenus ſcil. iſta ἀπείθεια, opponitur τῇ ὑπακοῇ πίστεως Rom. i. 5. & xvi. 26. adeoque, iſtâ contumacia, recuſamus recipere, *jugum* ac dominium Chriſti Matth. xi. 29. eique recalcitramus Pſal. ii. 1. 2. 3. promtiores ad auſcultandum cupiditatibus noſtris, quam Deo & Mediatori Rom. vi. 12. Denique (6) *carnalitas*, ſeu φρόνημα τῆς σαρκὸς, qua Deum & Mediatorem, recipimus quidem *utcunque*; ſed potiora cordis, curæ ac laborum noſtrorum, nobiſmet ipſis, mundo ac peccato reſervamus, φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι 2. Tim. iii. 4. Cujus exemplum illuſtre, præſtat juvenis Phariſæus Matth. xix. 21. 22. & Judæorum primores Joh. xii. 42. 43.

5. Contumaciam.

6. Carnalitatem.

Gradus infidelitatis.

XXX. Quæ tamen, non eo abs nobis recenſentur, quod exiſtimemus, omnia & ſingula horum, in infidelitate quavis, concurrere; quemadmodum in fide, omnia requiruntur, ac ſingula ejus requiſita; ſed, quod uno atque altero poſito, ponatur infidelitas. Unde gradus quoque obſervantur, in infidelitate, perinde ac in fide; ut ſit: 1. Infidelitas *ſumma* & univerſalis, quæ, vel *Deum* verum rejicit, ut *Ethniciſmus*; vel *Chriſtum*, ut *Judaiſmus*; vel *munus* ejus mediatorium, ut Muhammedaniſmus 2. *Minor*, qualem præſtat *hæreſis*, negans articulos fidei fundamentales, cum pertinaciâ. 3. *Minima*, quam præſtant, non profeſſione; quam quidem re ac facto; quotquot Deo ac Mediatori, prærogativam negant, eoſque, praxi, aliis poſtponunt: qualis, in ipſis veræ fidei confeſſoribus, nimium proh dolor! deprehenditur frequentata.

Infidelitatis cauſæ novem.

XXXI. Succedit infidelitatis *origo* (1.) *Satanas* 2. Cor. iv. 4. ἐνεργῶν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας Eph. ii. 2. [a] removendo *ſenſum* peccati, & erigendo opinionem juſtitiæ *propriæ* Luc. xviii. 11. [b] *extenuando* peccata 1. Sam. xv. 15. [c] abutendo divina *miſericordiâ* Rom. vi. 1. aut contra [d] nimium *extollendo* peccata Gen. iv. 13. (2) Cordis humani *perverſitas*, καρδία πονηρὰ ἀπιστίας, ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ ζῶντος Hebr.

Hebr. III. 12. Unde *υἱοὶ ἀπειθείας* audiunt Eph. II. 2. Cor scilicet cæcum, sui amore flagrans, proinde Deum ac Mediatorem negligens Luc. XVIII. 11. (3.) *Stupiditas* & *ἀναισθησία*, quâ nullam in se experiuntur, Dei aut Mediatoris recipiendi, necessitatem Apoc. III. 17. 18. Luc. XVIII. 11. 12. (4.) *Ignorantia* Dei, Christi, promissionum & beneficiorum ejus Joh. I. 10. II. & IV. 10. (5.) *Amor* ac studium peccati Joh. v. 44. cui, dum operam dant, Christum non quærunt, non admittunt 2. Cor. VI. 14. 15. (6.) *Metus* persecutionis Matth. XVI. 24. 25. Act. XIV. 22. 2. Tim. III. 12. (7.) *φιλαυτία*, seu *αὐτότης*, quâ, cum inordinate, plurimi sese prosequantur; Deum ac Mediatorem, sincere diligere nequeunt Luc. XVI. 13. Unde, ad receptionem Christi, requiritur, te ipsum abneges Luc. IX. 23. crucifigas Gal. v. 24. omnia deseras Luc. XIV. 26. quod cum *φιλαυτία ἀτύσατον* est (8.) Nimia *pusillanimitas*, quâ suæ indignitatis sensu, metuit ad Christum accedere Matth. IX. 20. Nonnunquam (9.) est *contemtus gratiæ*, diu multumque, à Deo oblatæ Joh. XII. 38. 39. 40. 41. Conf. Prov. I. 23. 24. 25. 26. Ezech. XXII. 18.–23. Heb. VI. 7. 8.

Mala infidelitatis.

XXXII. Sequuntur infidelitatis *mala* pessima, quæ absterrent. Quod: (1.) *injuriosa* sit (a) in *Deum* ejusque *gloriam*. Conf. Rom. IV. 20. ac singulas *personas*: *Patrem*, ejusque *consilium pacis* Luc. VII. 30. Matth. XXII. 5. *Filium*, ejusque redemptionem ac merita Heb. X. 29. &. VI. 6. *Spiritum* S. Heb. X. 29. I. Thess. V. 19. Act. VII. 51. Eph. IV. 30. Heb. III. 17. 19. (b) in ejus *attributa*: *veracitatem* Joh. III. 33. I. Joh. V. 10. Rom. III. 3. *bonitatem* & *φιλανθρωπίαν* Tit. III. 4. gratiam & *amorem* Rom. II. 4. *sapientiam*, in Mediatore & redemptione, conspicuam Rom. XI. 33. I. Cor. I. 24. *potentiam*, ibid. quando Deum circumscribimus Psal. LXXVIII. 41. (c) in *opera* Dei; in *decreta* & consilia Luc. VII. 30. in *promissiones*, quæ in Christo, per fidem, sunt *ναὶ καὶ ἀμήν* 2. Cor. I. 20. in vota & *exspectationes* Dei Psal. LXXXI. 14. Matth. XXI. 34. 36. 37. Jes. V. 2. 4. in *redemtionem* & Redemptorem Matth. XXII. 5. Act. XIII. 46. in *passiones* Christi Heb. X. 29. (2.) *Perniciosa* infideli, quatenus se *ineptum* reddit, ad quævis pietatis opera Joh. XV. 4. quæ quidem Deo placeant Heb. XI. 6. Rom. XIV. 23. Contra (3.) *Mater* & nutrix, quorumvis vitiorum Heb. III. 12. *ignorantiæ* 2. Cor. IV. 4. *securitatis* carnalis Matth. XXIV. 38. 39. *apostasiæ* Heb. III. 12. *Atheismi* Eph. II. 12. Insuper (4.) Causa *mortis* omnigenæ, ut patet in protoplastis Gen. III. nominatim *corporalis* 2. Reg. VII. 2. collat. cum vers. 20. Psal. CVI. 26. collat. cum Num. XX. 8. 10. 11. 12. *spirituali* Eph. II. 1. 2. *æternæ* Joh. III. 18. 36.

Remedia infidelitatis.

XXXIII. Restat, infidelitatis *remedia*, subjungamus; à Medico spirituali applicanda, & ab ægroto admittenda. Nim. 1. *Agnitio* ac sensus infidelitatis Thren. III. 40. quo spectat *exploratio* sui ipsius 2. Cor. XIII. 5. quâ, ex *una* parte, perspectam habeamus, *naturam* infidelitatis, ex *altera*, nos ipsos cum eâ conferamus. 2. Consideratio *malorum* infidelitatis, juxta §. præced. 3, *Investigatio causæ*, non tam infidelitatis in genere, juxta §. XXXI. quam quidem infidelitatis propriæ, sitne illa oriunda (a) ab ignorantiâ? an (b) à stupiditate & *ἀναισθησίᾳ* an (c) ab amore seculi? an (d) à metu crucis & persecutionum? ut nim. convenienter applicentur remedia, cuivis horum, peculiariter obnitentia. 4. *Præstolatio* Dei, cor infidele ac lapideum ablaturi, ac novum creaturi, idque, in usu constanti & fideli *mediorum*, quibus Deus solet operari fidem, qualia sunt, *auditio* verbi Joh. v. 25. Ezech. XXXVII. 4. *preces* Psal. II. 12. *conversatio* cum fidelibus &c. Saltem 5. Deo, fidem in nobis molienti, per præconium verbi, aliaque; pertinaciter non *obluctemur*, quo iram ejus provocemus; ut à nobis *desistat* Jes. LXVIII. 10. Gen. VI. 3. aut etiam nos induret Jes. LXIII. 17. neve corda nostra *obduremus* Heb. III. 7. 8. aut spiritum fidei *exstinguamus* I. Thess. V. 19. aut Christo pulsanti, fores occludamus Apoc. III. 20. Cant. V. 2. 3. Denique 6. *Usus mediorum*, quibus fides generari consuevit, suo loco indicandorum.

Secunda praxis explorationis.

XXXIV. *Secunda* praxis, fidei *explorationem* respicit 2. Cor. XIII. 5. 2. Cor. I. 12. Gal. VI. 4. quam Apostolus, *pretiosiorem* dicit auro, quod perit I. Pet. I. 7. Sed quoniam admodum arduum est, ac molestum, hoc opus: tum ex *fraudulentiâ* cordis nostri Jer. XVII. tum ex *similitudine* & affinitate, quæ fidei communi, intercedit cum salvificâ: necessum omnino, rationibus aliquot motivis, ad illud erigamur & impellamur. Juvat igitur hîc, cogitare: 1. quam sit *proclive* falli, in negotio fidei, prout patet, tot ac tantorum, exemplis Matth. VII. 26. 27. Luc. XVIII. 9. 11. Apoc. III. 17. Luc. XIII. 25. 26. 2. Quam sit interim *periculosum*, noxium, imo exitiosum, in tanto negotio, falli 1. Cor. III. 18. Eph. 22. Jac. I. 16. Contra 3. quam *suave* ac jucundum, persuasum esse, de veritate sinceritate fidei suæ 2. Tim. I. 12. à quâ, omnis pendet bona *conscientia* 1. Tim. I. 19. omnis consolatio, & salutis certitudo 2. Tim. IV. 7. 8. Imo 4. quam *utile* (a) ad *pietatem* 2. Pet. I. 8. 9. 10. ut præclarum *fidei certamen* decertemus 2. Tim. IV. 7. (b) ad *patientiam* Heb. XII. 2. & cap. X. 34. 35. (c) ad *vitam* æternam Joh. III. 18. 36. Quam 5. sit *turpe* quævis nosse, seipsum ac fidem suam, à quâ omnia pendent, ignorare Gal. VI. 3. Denique 6. quam sit *necessarium*, non tantum ex præscripto divino 2. Cor. XIII. 5. sed &, quod *Deus* olim, nolentes volentes sit exploraturus, in justitiâ & vindictâ: non futurum, si nos exploraverimus nos ipsos 1. Cor. XI. 31. 32. Et quod ipsa

noſtra conſcientia, nos ſit examinatura, pariter & excarnificatura: exemplo Caini Gen. IV 13. 14. Alterutrum enim indeclinabile: ut, aut *nos* examinemus *noſmetipſos*; aut *Deus*, ſcrutator cordium, ac juſtus judex, examinet *nos*.

Circa fidem diſcriminanda, notantur.

XXXV. Et, quo magis ex voto ſuccedat, iſtud explorationis negotium; requiritur, ut ab *unâ parte*, in promptu nobis ſint *diſcriminanda*; ab *alterâ*, diſcriminis *indicia*. Diſcriminanda ſunt: fides *vera* ac realis; a fide *fucata* & orali; μόρφωσις, à δυνάμει 2. Tim. III. 5. *dicens* tantum, *a faciente* etiam: quæ hæret in *labiis*, ab eâ quæ profilit à *pectore* Matth. VII. 21. & XV. 8. Quæ facile dignoſcuntur; tum *ſenſu*, quo, qui verè credit; reverà etiam *ſentit* ſe credere; tum *ratiocinatione*, è fructibus Matth. VII. 16. Jac. II. 17. 26. 6. Fides *magna*, *parva*, ac *minima*; diſcernenda à ſuis quæque *æmulis*; nempe (a) *verè* magna, tum à *ſecuritate* carnali tum à *temeritate*. (b) *Parva* ac minima, ab *infidelitate*, ex unâ parte; & à fide *communi*, ex alterâ.

Fides magna ſecernitur à præſumptione.

XXXVI. Fidem verè *magnam*, à ſecuritate & *præſumptione*, nervosè diſcernit Ameſius Caſ. lib. II. cap. 6. §. 16. *Fides* inquit *vivida & firma, ſatis eſt manifeſta & cognita, iis quibus ineſt*: *quia* (1) *Teſtimonium ejus habent in ſeipſis* Joh. V. 10. *Spiritum ſcil. Dei, teſtificantem unà cum ſpiritu ſuo, quod ſint filii Dei* Rom. VIII. 16. *quem habent, arrhabonem hæreditatis* Eph. I. 13. 14. *quo obſignantur, in diem redemptionis* Eph. IV. 30. (2) *Charitatem Dei, effuſam habent in ſuis cordibus* Rom. V. 5. *unde pacem & gaudium habent, cum exſultatione glorioſâ*. Ibid. verſ. V. 1. 1. Pet. I. 6. 8. (3) *Fructus illos habent & proferunt, quibus fides vera, ſolet oſtendi, & ad finem perduci* Jac. II. 18. Gal. V. 6. Quibus adde (4) *Appetitum* inſatiabilem, verſus Deum & Mediatorem, cum propoſito profundæ ſui ſubmiſſionis, & univerſalis obedientiæ conjunctum: quæ in *præſumtionem* nullo modo cadunt.

Fides magna diſcriminatur à temeritate.

XXXVII. *A temeritate* & *audacia*, in adeundis & ſuſtinendis periculis maliſque; fides *magna*, his diſcernitur: quod I. hæc pericula, non tam adeat *& quærat*; quam a Deo, & propter Deum, ſibi oblata & impoſita, *accipiat* Luc. IX 23. contra *temeritas* amat, ſeque in illa dat præcipitem Matth. XXVI. 33. 35. Aut ſi 2. *Fides adit* etiam: attamen non niſi *juſſu* divino Gen. XII. 1. Act. XX. 23. *temeritas ſponte*, aut gloriolæ cauſa, id facit Matth. IV. 6. 7. 1. Sam. XV. 32. Tum. 3. *fides*, quando pericula *adit*, aut ſuſtinet mala, Dei *roboratione* nititur Phil. IV. 11. 12. 13. Rom. VIII. 37. 38. 39. Pſ. XXIII. 4. *temeritas*, ſolis confidit viribus *propriis* 2. Cor. I. 9. 10. Matth. XXVI. 33. 35.

Fides minor diſcriminatur: Tum à diffidentia.

XXXVIII. Fides *minor* laborat: vel ratione *fiducia*, gaudii ac πληροφορίας, & ad *diffidentiam* accedit. Ab illa igitur eam accuratè, congeſtis indiciis, diſcernit Ameſius Caſ. lib. 2. Cap. 6. §. 17. uſque ad finem capitis, quibus, brevitatis ſtudio, non expreſſis; nos hoc unum hîc adjicimus: quod in fiduciâ, *tenuiore*, modo ſincerâ, *ſubmiſſionis* & obedientiæ ſtudium, imo & *recipiendi* Chriſti ardor ac deſiderium, vehementiora obſerventur; vel ratione *receptionis*, & ſubmiſſionis ac redditionis, tepidioris, qua ad fidem *communem* vergit. Quando appetitus *accipiendi* Chriſtum, ſeque ipſum *reddendi* Chriſto, tam debilis eſt, ut vix agnoſci, & a fide *communi*, diſcerni queat. Quo caſu ſuaſerim, non tam fidei *diſcriminandæ*; quam quidem *adaugendæ*, operam det laborans; quo, per magnitudinem ſuam, conſpicua & evidens illa ſibi reddatur: media ſuo loco exprimemus.

diffidentia.

Tum à fide communi.

Fides minimè diſcernitur: 1. ab infidelitate.

XXXIX. Fides *minima* iidem deficit: vel α. *in fiduciâ*, gaudio & *applicatione* ſpeciali, ut videre eſt, in ſpiritualibus *deſertionibus*, & ad *deſperationem* videtur vergere Job. VII. 14. 15. 16. & X. 1. 2. 3. Pſal. XLIII. 2. 5. & LXXVII. 8. 9. 10. & LXXXVIII. Ab hac igitur, diſcernitur his indiciis: 1. Fiducia *minima*, deſiderat Deum, Chriſtum & ſalutem Pſal. VI. 2. 3. 4. & LXXVII. 1. 3. 4. *infidelitas* nequaquam Job. XXI. 14. 2. *Minima*, licet Chriſtum necdum admittat, ut ſuum *Redemptorem*, in quo exſultet, cum Maria Luc. I. 47. admittit tamen, ut *Dominum* ſuum Joh. XX. 28. quamvis deſtituatur *conſolatione* fidei; non tamen deſtituitur *obedientiâ* fidei Apoc. III. 8 ſecus ſit in *infidelitate* Eph. II. 1. 2. 3. *Minima*, infirmitatem ſuam *agnoſcit*, ſentit, deque eâ querulatur Marc. IX. 24. quando *infidelitas* ſecura eſt Apoc. III. 17. Luc. XVIII. 11. 12. 4. *Minima*, anhelat *remedia* Marc. IX. 24. 1. Pet. II. 2. contra *infidelitas*, ut mortua eſt, ſita ſine ſenſu, ſine appetitu Joh. V. 40. Matth. XVIII. 37. Vel β. in *receptionis vigore*, quando amor, verſus Deum & Mediatorem, cum amore verſus *alia* quævis, velut in æquilibrio eſt, ut ὑπερέχον fidei ſalvificæ, quo tutiſſimè dignoſci, ſupra diximus, agnoſci non poſſit: quo caſu, & magis etiam, ſuaſerim, quod paragrapho præcedenti, circa fidem *minorem* ſuaſi, ut nim. non tam *diſcriminandæ*, quam *augendæ* fidei, laborans operam impendat.

2. A fide communi.

3. A communi quavis.

XL. Denique fides *ſalvifica*, diſcriminanda eſt à fide quavis *communi*, de quâ Joh. II. 23. 24. & XII. 42. Seu *hiſtorica* ſit, ſeu *miraculorum*, ſeu πρόσκαιρος. Cujus diſcrimen ſupra indigitavimus §. V. & clarius etiam patebit, per paragraphum ſubſequentem.

Fidei ſalvificæ notæ.

XLI. *Salvifica* fidei cujuſvis, à *communi* diſcriminandæ, non tam *indicia*; quam *indicium*, proferemus; nim. *definitionem* fidei ſalvificæ, parte dogmaticâ explicatam: hîc paulo diſtinctius applicandam. Eſt igitur, illa fides indubitato *ſalvifica*, in quâ concurrunt, omnia illa *eſſentialia*, quæ prædicta definitione, fruſtulatim expreſſimus: ſcil. *partes*, *objecta*, & σχέσις, ſeu *proportio* actus cum ſuo objecto.

Itaque

1. Ex partibus ejus. Itaque, fides *salvifica* constat: (1) *Notitiâ* sufficiente, Dei ac Mediatoris accipiendi, nec non promissionum, ac conditionum, sub quibus offeruntur; quamobrem *fidem* & *notitiam*, promiscuè in Sacris usurpari, supra monuimus ex Jes. LIII. 11. Joh. XVII. 3. quando interim fides quævis *alia*, plerumque *nescit*, in quem credat Joh. IV. 21. (2) *Assensu* firmo & immoto, Legi & Euangelio præstito, non generaliter tantum & *implicitè*, omnibus quæ de Deo & Christo, Scriptura *necessariò* credenda, proponit Act. XXIV. 14. 15. 2. Tim. I. 12. Rom. IV. 20. sed specialiter & *explicite*: dum contra, fides quævis *alia*, sæpe, *vel* prorsus non credit, quæ de Deo ac Christo novit Tit. I. 16. *vel.* si credat, admodum hæsitanter, saltem nunquam *tam solidè*, ut se, relictis omnibus, Dei ac Mediatoris promissionibus, securè ausit *committere* Joh. XII. 42. 43. (3) *Consensu* voluntatis; quo Deum ac Mediatorem, assensu verbi divini cognitos *reapse accipiamus* Joh. I. 12. Col. II. 6. dum fides quævis *alia*, vel in nudo subsistit assensu Jac. II. 19. nec planè, Deum ac Mediatorem, *accipit* Joh. I. 11. vel si accipiat; non tam *corde*, quam *ore* Matth. XV. 8. Hæ sunt *partes* fidei essentiales.

2. Ex objecto. XLII. Porro istæ partes, pro objecto habent: 1. non tantum *Christum* qua *Mediatorem*; sed & *Deum* quâ summum *finem* Joh. XIV. 1 Ps. LXXVIII. 22. Adeo ut, *Deum reapse* habeant pro Deo suo, venerenturque, juxta primam legis tabulam: tum *Christum*, pro viâ & medio, cujus ope, ad Deum perveniant Joh. XIV. 6. 7. Hoc ingenium est fidei salvificæ: quando fides quævis alia, in *solum* fere Christum fertur, qui se redimat, a malis imminentibus: nec quærit, ut per eum ad Patrem perducatur, cum eo uniatur, inque eo, ut fine summo, quiescat. In Christum porro 2. salvificæ fidei partes feruntur, non tantum quâ *Redemptorem*, fiduciâ & *acquiescentiâ* cordis: sed & quâ *Dominum*, quâ Regem, absolutissimâ sui *submissione* Col. II. 6. quando interim fides quævis *alia*, Christum tantum vult, ut *Redemptorem* suum, qui supplicia peccatorum, à se tollat: adeoque potius, *beneficia* Christi quærit, quam *ipsum* Christum Joh. IV. 26. Nec Christum tantum, accipiunt veræ fidei partes; sed 3. etiam *conditiones*, sub quibus, seipsum illis Christus offert accipiendum: *abnegationem* sui Luc. IX. 23. *mortificationem* carnis Gal. V. 24. dum fides quævis *alia*, Christum quidem vellet utcunque, ejusque beneficia; sed, quas diximus, *conditiones* oblatas respuit Matth. XIX. 21. Luc. XIX. 27.

3. Recipiendi modo. XLIII. Denique partes fidei *salvificæ*, ita in Deum feruntur, ac Mediatorem, ut ipsis *palmam* constanter cedant, præ omnibus aliis rebus mundanis Ps. LXXIII. 25. 26. Matth. XIX. 27. contra fides quævis *alia*; si quando. Deum ac Mediatorem, recipere videatur: ita tamen recipit, ut mundum ac mundana, iis *præferat* Matth. XIX. 21. Joh. XII. 42. 43. Omnia ista, licet non *pari necessitate*, concurrant in fide salvificâ; concurrunt tamen, usque adeo, ut uno horum planè absente, fides non fit salvifica. Habent etiam singula horum: scil. notitia, assensus, receptio, fiducia, submissio; suos æmulos, qui personam eorum mentiuntur; a quibus, accuratè discriminari mererentur; si modo compendiosa hæc Locorum communium ratio, id ferret. Qui interim desiderat, poterit adire, *Syntagma* nostrum *de fide Salvifica*, Cap. XIII.

Tertia praxis de studio fidei, cujus: 1. Motivæ à præstantia. XLIV. Succedit igitur, *tertia* fidei praxis, quæ *studium* fidei respicit, in genere. Quod suadet praxis: *primò* ejus præstantia 2. Pet. I. 1. 1 Pet. I. 7. Unde a Servatore, *βαρυτέροις τῦ νόμυ* accensentur Matth. XXIII. 23. ob quam, *quæ sibi lucra* erant, pro *excrementis*, imò pro *damnis* habet Apostolus Phil. III. 7. 8. 9. Quam præstantiam obtinet: (a) *à fonte* suo, scil. æterno electionis amore Tit. I. 1. Act. XIII. 48. (b) *raritate* 2. Thess. III. 2. Luc. XVIII. 8. (c) *objectis*, non tantum *pretiosis* tot *promissionibus* 2. Pet. I. 4. sed Deo ipso & Mediatore, omnisufficientissimis Gen. XVII. 1. (d) *effectis*, nobilitat enim credentis personam Apoc. I. 6. 1. Pet. II. 5. 9. naturam 2. Pet. I. 1. 3. 4. preces Heb XI. 4. opera vers. 6. statum, quatenus nos reddit servos, amicos, filios Dei; item sponsas, membra, fratres, filios Christi: hæreditatem Ps. XVI. 6. Rom. VIII. 17. 2. Tim. IV. 8. 1. Pet. I. 4. 5. *Secundo*, *jucunditas* Matth. XI. 28. 29. 30. Jes. LV. 1. 2. Cant. V. 1. tranquillat, multis modis, animum Joh. XIV. 1. solatur in adversis Psal. XLII. 6, perfundit gaudio ineffabili 1. Pet. I. 8. Rom. V. 2. & XV. 13. experientiam affert benevolentiæ divinæ Rom. V. 1. 3. Psal. XXXIV. 8. 9. 10. & indubitatam æternæ requiei spem ac certitudinem Gal. V. 5. Heb. XI 1. *Tertiò utilitas*, conducit enim generaliter *toti vitæ*, quatenus per fidem *vivimus* Rom. I. 17. Gal. II. 20. singulatim, est vinculum *unionis* cum Christo, fundamentum *communionis* cum eo, causa procreans justificationis, adoptionis, glorificationis: tam inchoatæ, quam consummatæ, ut supra particulatim ostendimus. Nominatim *robur* fidei invictum suppeditat, quo *mundum* 1. Joh. V. 4. quo *Satanam* Eph. VI. 16. quo *nosipsos*, & affectus proprios 2. Cor. X. 5. cum Heb. XI. 17. quo *persecutiones*, & mala quævis durissima Heb. XI. 33. quo *mortem* ipsam Phil. I. 23 imo, quo Deum vincamus Gen. XXXII. 28. & *Christum* Matth. XV. 28. *Quarto*, *æquitas*: si enim *Deus*, tanto apparatu, ab omni æternitate, Filium Redemptorem *designavit* Jes. XLII. 1. 1. Pet. I. 20. in tempore *misit*, ac *donavit* Joh. III. 17. Rom. V. 8. si tam prompte *offert* Filium, ejusque omnia Matth. XXII. 2. 3 4. si Christus seipsum suaque Jes. LV. 1. Matth. XI. 28. Jes. LXV. 1. 2. nunquid æquissimum

Jucunditate.

Utilitate.

Æquitate.

mum est, ut & eos, prompte recipiamus per fidem. Imo si dona Dei ac Mediatoris 1. Tim. VI. 17. si ministros, ac Legatos eorundem 2. Cor. VII. 20. Gal. IV. 14. 16. merito recipimus; nunquid potius *datores*, *mittentes?* Non addam, recipiendos fide, Deum ac Mediatorem, perinde, & infinitum magis, esse πάσης ἀποδοχῆς ἀξίους, ac *verbum* offerens 1. Tim. I. 15. ut iniquissimum sit, non recipere Joh. I. 11. *Quinto* necessitas absolutissima. Absque fide enim, sumus adhucdum *inimici* Dei Eph. II. 1. neque ulla nobis, ad ipsum patet προσαγωγή Rom. V. 1. 2. 3. Eph. II. 14. 15. 17. neque ei *placere* possumus Heb. XI. 6. absque fide, nihil nobis negotii cum Christo, in quo, omnes *Dei promissiones*, *sunt* ναὶ καὶ ἀμὴν 2. Cor. I. 20. sumus adhuc in peccatis, sub irâ Dei, maledictione legis, æternâ condemnatione Act. XXVI. 18. absque fide, seclusi sumus, ab omni spe salutis Joh. III. 16. 18. 36.

Necessitate.

Adminicula studii fidei:

XLV. Conducunt autem, omni *studio* fidei, *adminicula* generalia (1.) usus *ministerii*, vivi & efficacis Rom. X. 13. 14. Quatenus illud *notitiam*, Dei & Mediatoris recipiendi, & *assensum* promissionum, intellectui: *promptitudinem* consentiendi, ac *recipiendi*, voluntati, efficacissimis impulsivis, conciliat. (2) *Contemplatio* Dei ac Mediatoris Heb. XII. 2. & quæ in ipsis est, *sufficientiæ* Gen. XVII. 1. Joh. I. 16. *omni-sufficientiæ*, ut in ipsis simus *consummati* Col. II. 10. & III. 11. *soli-sufficientiæ* Psal. LXXIII. 25. 26. Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. imo & *abundantiæ* plenitudinis Eph. III. 8. Col. I. 19. (3) *Usus mediorum* quorumvis, quibus Deus fidem generare, ac fovere consuevit 2. Pet. I. 6. 10. 11. quæ sunt, verbi divini, lectio, auditio meditatio, applicatio Rom. X. 14. 17. Sacramentorum participatio Rom. IV. 11. conversatio cum fidelibus Prov. XIII. 20. Luc. XXIV 32 Act. XVIII. 27. (4) preces Marc. IX 24. Luc. XVII. 5. ut nim. Deus mentem illuminet Eph. I. 18. quo, fide cognoscamus Joh. XVII. 3. cor aperiat, quo, recipiamus oblata Act. XVI. 14. Psal. LXXXI. 11. conferat Spiritum fidei 2. Cor. IV. 13. cujus fructus est, fides Gal. V. 22. ut omnem, quorumvis mediorum usum, suâ fœcundet gratiâ 1. Cor. III. 6. 7. Studium autem istud fidei *generale*, cum sese particulatim profundat, in studium acquirendi, conservandi, adaugendi fidem, vivendi per fidem, & emergendi ope fidei, ad applicationem & persuasionem particularem: de singulis horum, singulatim nobis erit agendum. Sit ergo.

Quarta praxis de acquirenda fide.

XLVI. *Quarta* praxis; in studio *acquirendi* fidem. Non equidem fidem *seminalem*, seu, potentiam credendi, quam Deus, absque nostro studio, virtute *regenerationis* immediatè confert, nos vivificando, cor lapideum auferendo &c. ut supra demonstravimus; sed fidem *actualem*, quâ, regeneratione vivificati, ac facultatem credendi consecuti, enitimur, ut actu Deum arripiamus, ut summum finem nostrum, & Christum, ut unicum Mediatorem. Erigent & impellent huc, argumenta generalia, quæ produximus. §. XLIV. Modus autem, acquirendi fidem hanc *actualem*, in duobus potissimum est: *primo*, ut *infidelitatis* actualis naturam, causas, remedia, perspecta habeamus, non tantum in *communi*; sed & *peculiariter*, nostræ infidelitatis indolem, causas, & remedia, juxta ea, quæ suo loco §. 28-34. monuimus Conf. *Syntag.* nostrum *de fide* Cap. XVIII. §. 2. Tum *secundò*, ut perspectos habeamus, gradus & ambages, quibus, fidem actualem, Deus in corde generare consuevit. Nim. postquam, ut diximus, *potentiam* credendi, ἀμέσως contulit, per regenerationem: 1. *Mentem convincit* Joh. XVI. 8. ut Scripturæ universalem veritatem, & divinam auctoritatem, ac singulatim earum comminationum, quæ peccatis & peccatoribus intentantur, infallibilem certitudinem agnoscat. Hinc 2. miseriam suam, intimè *sentiat* 2. Sam. XXIV. 10. Act. II. 37. Rom. VII. 24. Psal. XXXVIII. 4. 5. Job. XXXI. 4. confiteatur, ac deploret Luc. XV. 18. sibi displiceat, ac pudore perfundatur Luc. XVIII. 13. sit fatigatus ac laborans Matth. XI. 28. Porro. 3. ad piam *desperationem*, & ἀποφίαν adigit Act. II. 37. de *seipsis* Rom. VII. 18. 19. & de *quibusvis* aliis, a Deo diversis, quod non possint, nos liberare à miseria nostra Rom. VII. 24. Qui *sensus*, cor *contritum*, spiritus *attritus* Psal. XXXIV. 19. & LI. 19. πνεῦμα δειλείας εἰς φόβον Rom. VIII. 15. item πνεῦμα δειλείας 2. Tim. I. 7. designatur: absque quo nunquam Medicum anhelabimus, & medicinam; nunquam descendemus in conditiones, sub quibus, se Redemptorem, Christus offert Luc. IX. 23. Act. IX. 6. Inde 4. *cor aperit*, ei seipsum, ac Filium Mediatorem, omni-sufficientissimum Redemptorem, ostentat, offert; allicit, ut conditiones liberationis admittat Matth. XI. 28. Quin & 5. *pellicit* ac permovet voluntatem, *trahit*, ut actu *veniat*, Deum apprehendat ut summum finem, & Christum, ut unicum suum Mediatorem Act. XXVI. 18. Quod postmodum excipiunt, quivis actus conversionis, fiduciæ, tranquillitatis, consolationis, gaudii &c.

Modus procreandi fidem, à parte Dei.

Modus accipiendi fidem, à parte nostri.

XLVII. E quibus, proclive est perspicere, quid factu opus sit, ut fidem actualem acquiramus. Nim. (a) studiosè *observandi* sunt, isti Dei actus, fidem quasi parturientes: si v. g. occurrant, quæ de peccato, quæ de miseriâ nostra, nos convincere possint; statim cogitemus, jam Deum fidem in nobis moliri (b) prudenter, istis actibus, nos componamus, nos nostrasque facultates, Deo parturienti, quasi obvertamus, ei coöperemur, tracti cum eo curamus (c) religiosè caveamus, ne Deo obnitamur, Spiritum exstinguamus 1. Thess. V. 19. aut eum contristemus Eph. IV. 30. neque ei resistamus

Jes.

Jes. LXIII. 10. multo minus, contumeliâ eum afficiamus Heb. X. 29. (d) Ipsi, omnia ista conquiramus adminicula, quibus, ad peccatorum, ac miseræ nostræ agnitionem ac sensum, quibus ad Dei ac Mediatoris recipiendi notitiam, quibus ad *recipiendum*, excitari ac promoveri queamus (e) His accedant generalia illa, quæ §. XLV. dudum designavimus.

Quinta praxis, de conservandâ fide.

XLVIII. *Quinta* praxis, studium respicit, *conservandi* fidem, non utique *seminalem*, regeneratione natam, quæ amitti penitus, nunquam potest 1. Joh. III. 9. Quod, *solidum Dei fundamentum stet, & Deus norit*, qui sint sui 2. Tim. II. 19. quod dona Dei, sint ἀμεταμέλητα Rom. XI. 29. sed *actualem*, atque etiam sensum ac fructus fidei: consolationis, gaudii &c. quæ, per socordiam & incuriam, amitti, aut saltem cessare, possunt: quam etiam, cum annexis, Deus, non absque nostro studio, conservare vult Rom. XI. 20. 21. Suadent istud studium [a] iteratæ Spiritus S. adhortationes Act. XIV. 22. 1. Cor. XVI. 13. Col. I. 23. &c. II. 7. Quod [b] servata fides, nos *servet* Apoc. II. 10. Et [c] Deus, *virtute suâ*, nos non servet, adversus Satanam, mundum, carnem; nisi per fidem 1. Pet. I. 5. Nec [d] Christus, ad salutem Joh. III. 16. 18. 36. Rom. I. 16. [e] Nec ipsa fides, nisi servata Heb. X. 38. [f] Quod, tot ac tanti hostes, fidei nostræ insultent: Satanas Luc. XXII. 31. 32. Eph. VI. 12. mundus, suis; aut illecebris 1. Thess. III. 4. 5. aut persecutionibus Act. XIV. 22. corrupta caro Heb. III. 12.

Rationes impulsivæ.

Media.

XLIX. Conservandi media, erunt (1) *Magni facere* fidem, velut rem pretiosissimam 2. Pet. I. 1. (2) Pro conservatione fidei, *pendere*; non à propriis *viribus* 2. Cor. III. 5. 6. sed à *Patre* luminum Jac. I. 17. à *Christo*, τῆς πίστεως ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ Heb. XII. 2. à *Spiritu* fidei 2. Cor. IV. 13. Deumque precibus fagitare, non auferat à nobis, Spiritum suum Psal. LI. 12. 13. (3) Spiritum fidei, non contristare Eph. IV. 30. (4) Obstructiones fidei, in quibus præcipuæ sunt; ἀναισθησία Apoc. III. 17. 18. Luc. XVIII. 11. 12. ignorantia Joh. I. 10. II. amor mundi, ac studium peccati Joh. V. 44. & XII. 42. pusillanimitas Matth. IX. 20. contemptus mediorum Joh. XII. 37. 38. 39. 40. 41. Heb. VI. 7. 8. *obstructiones* inquam istas, caute *vitare*. (5) *Curam* fidei *suscipere* tenerrimam: quoad ejus, *nutrimentum* 1. Pet. II. 2. & *exercitationem*, ne situ pereat Luc. XXIV. 25. *sanitatem* Tit. I. 13. 2. Tim. I. 13. & 1. Tim. VI. 3. *defensionem*, adversus hostes Eph. VI. 16. 1. Pet. II. 11. (6) Crebro visitare, seu *examinare* fidem, ut valeat 2. Cor. XIII. 5. (7) Precibus, fidem *commendare* Deo, ne deficiat Luc. XXII. 31. 32. quo, virtute suâ, nos custodiat in fide 1. Pet. I. 5. Heb. XII. 2. His conjungantur media generalia §. XLV. præstita.

Sexta praxis;

L. Sexta praxis, studio *adaugendæ* fidei destinetur; quæ, theoriam de gradibus, & imperfectione fidei, supra §. XX. traditam, quam Apostolus confirmat. Phil. III. 12. 13. 15. præsupponit. Operam itaque dare oportet, ut fides ἀυξάνῃ 2. Cor. X. 15. βεβαιῶται Col. II. 7. ὑπεραυξάνῃ 2. Thess. I. 3. quo πληρεῖς simus fide Act. VI. 5. & ad πληροφορίαν fidei pertingamus Heb. X. 22. Est in isto studio [1] *Indicium*, veræ ac *vivæ* fidei, utpote quæ *crescat* 1. Pet. II. 2. Matth. XIII. 31. 32. [2] Universæ nostræ *vitæ*, ac perfectionis spiritualis, *incrementum* 2. Pet. I. 3. 5. 6. 7. 8. quatenus, fide Christum recipiendo, qui vita nostra est Col. III. 4. ipse *in nobis vivit* Gal. II. 20. h. e. ejus sanctitas, humilitas, longanimitas, &c. Unâque opera [3] Gaudii, pacis, consolationis, certitudinis salutis, &c. utpote quæ, fidei robustæ, quanta quanta sunt, innituntur, ut supra §. XIX. docuimus [4] *Magnum* infirmitati nostræ, adversus tot tantosque hostes, quos jam ante §. præced. commemoravimus; totque etiam, ac tam validos eorum insultus, ignitaque tela, *præsidium* Eph. VI. 10. 12. de [5] Quod uberrima, Deus, fidei nostræ præstat accrescendi media; proinde uberius quoque, à nobis præstoletur ejus incrementum Jes. v. 1--7.

De adaugendâ fide.

Impulsivæ.

Adminicula.

LI. Huc autem conducunt [1] Constans, ac religiosum, *verbi* divini *studium* 1. Thess. III. 10. [2] Frequens, ac dignus, *Sacramentorum usus*, utpote quæ *sigilla* sunt, quibus *fides* confirmatur Rom. IV. 11. eoque traduntur, in commemorationem mortis Christi 1. Cor. XI. 25. [3] *Preces* ardentes Marc. IX. 24. Luc. XVII. 5. sicut enim Paulus fidem *plantat*, Apollos *rigat*; ita Deus dat *incrementum* 1. Cor. III. 6. 7. Unde fidei nostræ τελειωτὴς dicitur Heb. XII. 2. Quod incrementum, absque precibus, non obtinetur Matth. VII. 7. 8. [4] Quotidiana fidei *exploratio*, ut appareat, num accreverit; num decreverit, cum sollicitâ *accuratione*, ut dies non abeat sine lineâ, semperque parum, addatur parvo. [5] Assidua fidei *exercitatio* 2. Tim. I. 6. ne scil. situm contrahat, rubiginem ac torporem; contra exercitata, vires colligat. Usus enim, & hîc, facit artificem, ac crebris actionibus, & fides, si non generatur, saltem augetur. Conf. 1. Tim. IV. 7. 12. 14. 15. [6] Intimus fidei infirmæ sensus Marc. IX. 24. Quo, *semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es: ubi enim tibi placuisti, ibi remansisti*, inquit Augustin. Ita Paulus Phil. III. 13. 14. contrà Laodicenses Apoc. III. 17.

Signa accrescentis aut decrescentis fidei.

LII. Interim, quo profectus noster, manifestior fiat; juvabit, accrescentis ac decrescentis fidei, *indicia* perspecta habere. Dignoscitur istud (1) Ex dubitationibus, metu, aliisque, accrescentibus Luc. VIII. 25. aut decrescentibus Rom. IV. 20. (2) Ex confidentiâ aut diffidentia circa Deum, ejusque bonitatem ac providentiam Matth. XIV. 29. 30. 31. (3) E curis ac sollicitudinibus vitæ hujus, accrescentibus

tibus aut decrescentibus Matth. VI. 30. 31. (4) E progressu aut regressu, in officiis sanctitatis. Est enim *fides, per charitatem efficax* Gal. v. 6. illis ergo *ostendi* debet Jac. II. 18. (5) E conatu resistendi, quibusvis hostium insultibus. Qui enim facilè cedit, infirmus est miles; quando, qui obnititur usque ad *sanguinem*, robustus censetur Heb. XII. 4.

Septima praxis, de vitâ fidei.

LIII. *Septima* praxis, usum fidei concernit, à quo illa quidem dicitur ἐνεργουμένη Gal. v. 6. nosque *ambulare* per fidem 2. Cor. v. 7. atque etiam, *vivere* per fidem Hab. II. 4. Rom. I. 17. Gal. III. 11. Heb. x. 38. Gal. II. 20. *Quod vivo, vivo per fidem Filii Dei.* Quod, *generatim* quidem, nihil aliud nobis sonat, quam *recepto Deo ac Mediatori, se totum committere, ab iis, in omnibus necessariis pendere, seque totum, cum omnibus suis, eisdem reciprocare; speciatim*, tres actus involvit: unum *essentialem*, recipere Deum & Mediatorem, de quo supra ex professo; duos *subsecutivos*, scil. tum *fiduciale dependentiam*; tum *obedientialem submissionem. Dependentiâ*, in quovis casu ac necessitate; sive spiritualis sit, sive temporalis: & vel maximè, in ambiguo, deficientibus quibusvis fiduciæ fulcris; ambulamus, non *per aspectum*; sed *per fidem* 2. Cor. v. 7. h. e. propriam indigentiam, & impotentiam persentiscimus Luc. XV. 16. 17. à nobis, velut eximus Heb. XIII. 13. de omnisufficientiâ, bonitate, & fidelitate Dei ac Servatoris persuasi Phil. IV. 12. 13. Rom. VIII. 36. 37. ejus opem præstolamur Rom. VII. 24. 25. cum patientiâ, nixi ejus (a) *omnisufficientiâ* Gen. XVII. 1. quâ *clypeus* est, ac *scutum* Psal LXXXIV. 12. (b) *bonitate* Exod. XXXIV. 6. 7. quâ, qui *proprio filio non pepercit, omnia nobis, cum eo, sit gratificaturus* Rom. VIII. 32. (c) *veracitate*, ac fidelitate in promissis Rom. IV. 19. 20. 2. Tim. II. 13. Rursus, obedientiali *submissione*, fides vivit (1) *obedientiâ* Rom. I. 5. quâ *ostendimus* fidem, in *operibus* Jac. II. 18. *ambulamus* per fidem 2. Cor. v. 7. non proprio motu; sed *nutu* divino Deut. XII. 32. nec propriis viribus; sed in *virtute* Dei 1. Cor. XV. 10. Gal. II. 20. instigante, non cupiditate mundanâ; sed *promissis* divinis 2. Cor. VII. 1. (2) *merito Christi*, quo, omnia ejus opera, quasi *tingantur*, ut Deo arrideant Heb. XI. 6. Rom. XIV. 23. Heb. X. 22. & sic *certioratâ fide*, ad Deum properent.

Incitamenta.

LIV. Urgent istam fidei usurpationem, ac vitam: quod (1) absque eâ *mortua* sit Jac. II. 17. & quasi *defodiatur* Matth. XXV. 18. 25. Imo (2) languescat, flaccescat, *pereat*: quamobrem Apostolus, exercitio bonorum operum, eam jubet ἀναζωπυρεῖν 2. Tim. I. 6. (3) quo operosior est, quo *perfectior* sit (est enim habitus perfectio, in operatione) atque etiam *gloriosior* Deo Rom. IV. 20. Matth. V. 16. (4) quo operosior, quo *suavior*, in vitâ pariter & in morte 2. Tim. IV. 6. 7. 8. Jes. XXXVIII. 2. 3. Apoc. XIV. 13. Imo & (5) *gloriosior* nobis: tam hîc Heb. XI. 2. quam posthac, in judicio Matth. XX. 34. Addamus (6) huc Christum *mortuum* esse, ut nos Deo *viveremus* per fidem 2. Cor. v. 15. Rom. XIV. 7. 8. 9. (7) ut nos, ejus gratiâ, *vivamus* Act. XVII. 25. 28. procul dubio, ut ei vivamus *fide*. Non dicam, hac ratione (8) vitam nostram, reddi verè *Christianam*, quando videlicet, non sensibus, quod brutis; non aspectu, quod infidelibus etiam competit: sed *fide* ambulamus 2. Cor. v. 7. Nec Christianam tantum; sed & (9) *tranquillam* ac securam, quatenus in omni casu, per fidem, in Deo quiescimus, ejusque providentiâ Psal. XXXVII. 3. 4. 5. Imo & (10) *beatam* Psal. II. 12.

Octava praxis, de persuasione particulari.

LV. *Octava* ac postrema fidei praxis, *applicationem*, seu persuasionem particularem, concernit: quâ, fide coneris indubitatum habere, Deum esse *tuum* Deum, Christum *tuum* Mediatorem, Sponsum, *te* dilexisse, *tibi* seipsum impendisse, *tibi* remissionem peccatorum, jus vitæ æternæ, & omnia impetrasse, præeunte Paulo Gal. II. 20. *Vivo per fidem Filii Dei, qui me dilexit, & seipsum tradidit pro me* 2. Tim. I. 12. *Novi in quem crediderim, & persuasus sum, eum posse depositum meum, in illum diem servare.* Nascitur ista persuasio è *fide*, seu fidei actu salvifico, scil. *receptione*: quemadmodum sponsa, indubitato novit, suum esse hunc sponsum, è *consensu*, quo se sibi offerentem, recepit Cant. II. 16. Nascitur inquam, virtute hujus Syllogismi practici: Quicunque, in Deum & Mediatorem *credit*: & credendos eos *recipit*; illis indubitato, Deus est & Mediator Joh. III. 16. & I. 12. ego vero credo, & credendo recipio; proinde *meus* est. &c. E quo patet, hanc persuasionem tria ingredi: fidem, sensum, & ratiocinationem: *fides*, respectu *propositionis*, quâ *nôris* Scripturas, *convictus* sis, eas esse indubitato *veras* ac divinas, suppeditare istud γνώρισμα: id quod habet major propositio 2. Tim. I. 12. *sensus* Phil. I. 9. quo percipias fidem, ut verè præsentem, ac dicas, *credo* Marc. IX. 24. *ratiocinatio* 2. Cor. IV. 13. qua, ex effectibus, colligas præsentiam causæ, seu fidei; quam collegisti: discrimines, à quavis *communi*; e præmissis, inferas conclusionem. Conclusio igitur, seu persuasio particularis, non est *ipsa* fides salvifica; sed effectus ejus: nec effectus, ejus *solius*; sed & sensus ac ratiocinationis. Quod cautè notandum, ne viam, ad *persuasionem* particularem, nobis ipsi obstruamus, quod faciunt spiritualiter desérti, quando fidem salvificam existimant esse ipsam hanc persuasionem particularem, proinde, cum hanc non sentiant; se fide distitui, & hinc demum, Christum non esse *suum* Servatorem, colligunt.

Bona hujus persuasionis.

LVI. Est in hac *persuasione* particulari, fidei salvificæ apex & ἀκροθίνιον. Et singulatim (1) Omnis

mnis promptitudinis & alacritatis in pietate, calcar acerrimum, incitans ad resipiscentiam 2. Cor. VII. 1. amorem divinum Psal. XVIII. 2. 3. fiduciam Psal. XXIII. 1. fortitudinem Psal. XXVII. 1. patientiam Job. XIX. 25. gratitudinem Psal. CIII. 1. 2. 3. 4. Gen. XXXII. 10. pugnam spiritualem 2. Tim. IV. 7. 8. (2) Omnis spiritualis tranquillitatis Rom. V. 1. consolationis Col. II. 2. gaudii Psal. XVI. 5. 6. 9. 11. scaturigo perennis. (3) In *secundis:* valetudine, divitiis, honoribus, *dulcedo*; quando hæc omnia possidemus, velut pignora amoris paterni Psal. XXIII. 1. 2. 3. & in iis, quasi *videmus & gustamus, quam bonus sit Dominus* Psal. XXXIV. 9. (4) *In adversis levamen*, ut vel *gloriari* possimus, quod *amor Dei, effusus sit, in cordibus nostris:* persuasi, à Patre *nostro*, cuncta immitti Matth. X. 29. 30. 31. nihil horum, nos *separaturum, ab amore ejus, in Christo Jesu* Rom. VIII. 39. quin omnia, in *salutem* nostram, dirigenda esse, ibid. vers. 28. (5) In *Morte*, ut ei insultemus, cum Apostolo 1. Cor. XV. 55. 57. eam expetamus Phil. 1. 23. Luc. II. 29. 30. (6) Adversus *judicii* extremi horrores, ut *suspiciamus*, & *caput extollamus*, quod *redemtio* nostra *appropinquet* Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 23. (7.) Adversus *gehennam* 1. Cor. XV. 55. Imo (8) quasi *cœlum* præstabit, in terris, persuasione ista, sibi repræsentare, quod *oculus non vidit, auris non audivit* 1. Cor. II. 9. quasi audire dulcissimum illud ἔυγε δοῦλε ἀγαθὲ &c. Matth. XXV. 21.

LVII. Promovent persuasionem illam particularem 1. Studium fidei *adaugendæ*, de quo supra §. L. LI. LII. cum ista persuasio, non cuivis competat fidei, quantumvis veræ ac salvificæ; sed *robustiori* tantum Rom. IV. 21. 2. *Exploratio* fidei nostræ, sitne salvifica? ne scil. pro persuasione, *præsumptionem* admittamus 1. Pet. I. 5. 7. 3. Caveamus quasvis fidei nostræ *obstructiones:* quales præstant (a) *Errores*, quibus fidem communem, capimus pro salvifica; aut actum fidei communem pro salvifico; aut fidei salvificæ naturam, constituimus in persuasione speciali; aut *fructus* fidei, tranquillitatem, consolationem, gaudium, pro ipsâ fide; aut *veram* non credimus, persuasionem, quæ *perfecta* non est, & cum hæsitationibus variis conflictatur. (b) Ipsa fidei *exilitas*, aut otium; quibus fit, ut agnosci, ac dignosci non possit. (c) Conscientiæ *perturbatio*, per peccata enormiora Psal. LI. 13. 14. (d) *Desertiones* spirituales momentaneæ, cautè discernantur à totalibus ac perpetuis Jes. LIV. 7. 8. 9. 10. Denique 4. *Studium* hujus persuasionis, distinctè inpendatur, ei comparandæ, conservandæ, adaugendæ & usurpandæ. De quibus ex professo videri poterit, *Syntagma* nostrum *de Fide*, cujus qualemcunque epitomen, universo hoc capite præstitimus. Media.

CAPUT SECUNDUM,

DE

EXISTENTIA ET COGNITIONE DEI.

Heb. XI. vers. 6.

Credere enim oportet, accedentem ad Deum; eum esse, & requirentibus, se remuneratorem fore.

Connexio cum præcedentibus, & tractandorum de Deo capitulatio.

I. Fide salvifica, quò Deum appetamus, reciamusque, velut *summum* nostrum *finem*; necessum omninò est, persuasi simus 1. *Deum esse* 2. *Talem* esse, qui, sibi ac nobis, *perfectè sufficiat.* Qui 3. Istam suam sufficientiam, nobis *communicare* possit & velit, per suam *efficientiam*, seu operationes. Et, cum omnisufficientia Dei, à duobus resultet: partim ab ejus *essentiâ*, & perfectionibus essentialibus; partim à *subsistentia* & personis; quatenus à *charitate* Patris, *gratiâ* Filii, & *communicatione* Spiritus S. omne bonum ad nos redundat 2. Cor. XIII. 13. omne negotium de Deo, ad quatuor ista capita profluet. 1. De *existentia* & cognitione Dei. 2. *Essentia*, nominibus & attributis ejus essentialibus. 3. De *subsistentia* & personis. 4. De *efficientia* & operationibus Dei. Priora tria, hoc libro expediemus; tertium, sequenti. Necessitatem *existentiæ*, & *cognitionis* divinæ, Apostolus ῥητῶς tradit Hebr. XI. 6.

Textus resolvitur & explicatur.

II. *Ubi, confirmaturus necessitatem fidei habitualis* (πίστεως); *producit necessitatem* actus (τὸ πιστεύειν) *& usus, in persuasione duplicis principii, cui omnis Religio innititur: nim. Deum* esse, & remuneratorem *fore*, quærentibus *se. Penes quam* necessitatem fidei; *tria occurrunt;*

1. Credentes, *quibus neceſſarium* eſt *credere*, πιστεύειν: προσιρχόμενοι τῷ θεῷ. *Hoc enim fides intendit, intercedente Servatore Joh.* XIV. 6. *Matth.* XI. 28. *Jeſ.* LV. 1. *Notat autem* προσίρχεσθαι τῷ θεῷ, *vel* α. incedere cum Deo, *coambulare, ſeu in eiſdem viis, pari paſſu*, cum Deo Gen. VI. 9. Job. XXXI. 1. Mal. II. 6. 8. *ſeu in* viis Dei, *per ſtudium* ſanctitatis *vel* β. coram Deo, *in* conſpectu *Dei* Gen. XVII. 1. & XXIV. 40. 2. Cor. II. 17. *per ſinceritatem. Vel* γ. poſt Deum Deut. XII. 4. *ipſum ſequendo, imitando ejus virtutes. Vel* δ. *in* nomine Dei Mich. IV. 5. *Vel* ε. accedere ad Deum, *nim. ut eum invenias, unde* ἐκζητεῖν *in textu, ut cum eo uniaris, communionem habeas, eo fruaris, eum glorifices, & in eo, beatitudinem habeas omnimodam. Poſtrema harum ſignificationum, textui videtur commodiſſima.*

2. Credere, *ejuſque* neceſſitas: δεῖ πιστεύειν. *Ubi* τὸ *credere, vel* latius *ſonare poſſit*, quamvis *cognitionem; ſeu ſenſu, ſeu ratiocinatione hauſtam: quoniam* Deum eſſe, *non tam fide, ſaltem non ſolâ; quam ratiocinando inſuper*; nobis innoteſcit: *vel* ſtrictius, *prout eam notat, quæ* aſſenſu *naſcitur. Neque enim, vel Deus ſeipſum; vel mundus, & cujuſque conſcientia, Deum relinquit* ἀμάρτυρον. *Act.* XIV. 17. *Atque hoc* neceſſarium *dicitur*, δεῖ: *non* conveniens *tantum, quovis modo; ſed indeclinabiliter neceſſarium, ad hoc, ut pervenias ad Deum. Quatenus, abſque agnitione numinis, nullus ejus amor, cultus, obedientia --- nullus, ad ipſum inveniendi impetus, nulla ejus inventio, nulla denique ſalus, ſubſiſtere poteſt.*

3. Credenda: *duo ſcil. omnis fidei ac Religionis fulcra; quorum* prius, exiſtentia *Dei reſpicit:* ὅτι ἐστί. *Quod principium Religionis*, commune *eſt, ac fidei præſuppoſitum:* poſterius, gratiam, *quâ* μισθαποδότης *ſit, ſeque ipſum communicet*, mercedem magnam valde *Gen.* XV. 1. *Non quibuſvis; ſed* τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτόν. *Qui non tantum eum* quærunt, *fide & Religione, ſed* exquirunt, *h. e. ita quærunt, ut inveniant, inventum accipiant, tanquam* ſummum finem; *& fine iſto fruantur æternum.*

Pars dogmatica.

Deum eſſe probatur.

III. Nobis, hoc ſaltem, inde conſpicuum eſt, quod *cognitio exiſtentiæ divinæ, primum ſit principium & fundamentum omnis Religionis.* Neque enim ſententiâ textus, poſſumus fide θεῷ προσέρχεσθαι, aut eum ἐκζητεῖν, niſi perſuaſi ſimus, eum *eſſe.* Quamobrem, omnis perfidiæ & iniquitatis, ſcaturiginem, Pſaltes, in abnegatione hujus *exiſtentiæ*, ponit Pſal. X. 4. & XIV. 1.

1. Rationibus octo:

IV. Hujus igitur *exiſtentiæ*, cauſa nobis agenda eſt, priuſquam *cognitionis* rationem, exponamus. Cauſam ut agamus ſolide, præſupponendum: nos *voce* Dei, intellectum non velle, niſi *ens abſolute primum:* hujus exiſtentiam demonſtraturos, primo *rationibus*; quod Athei, teſtimonia rideant, tum *teſtimoniis*, quod convicti rationibus, egregie confirmari poſſint, teſtimoniis, omne genus. In claſſe igitur rationum, *prima* prodeat, & primaria ab *effectis*; neque enim ex cauſis, cauſæ abſolute primæ, demonſtrationem, abſque contradictione, moliri poſſumus. Hîc igitur, ſat ſcio, Atheus, modo non excors, aut perſonatus empæcta, aut hiſtrio, agnoſcet *eſſe*, quæ nobis indies, ob oculos verſantur; agnoſcet itidem, ea non eſſe a *ſeipſis*, nec etiam illa, a quibus ſunt: proinde ſtatuendum eſſe, quod in his ſit, *vel* aſcenſio in infinitum; *vel*, quod idem ſeipſum produxerit; *vel* quod in cauſationibus detur circulatio, qua v. g. A. ſit cauſæ τῷ B. & B. τῷ C. C. τῷ D. & D. viciſſim τῷ A. *vel*, ens aliquod primum, quod a nullo, aut a nemine ſit: quintum enim non datur. Jam autem, tria præcedentia, admitti nullo modo poſſunt, quod, non unam contradictionem implicent. Et ſubordinatio quidem cauſarum *infinita*, infert: primo ea ſtante, nihil omnino poſſe exiſtere, quod eſt, contra agnitum primum: nihil enim exiſtere poteſt, niſi per cauſam ſuam *proximam*, quæ producit effectum; jam autem, ſi infinitus cauſarum numerus, præcedere debeat, cauſam proximam, nunquam exiſtere poterit cauſa proxima, adeoque nihil quoque exiſtere. Tum ſecundo, ſic infinitum reddetur *majus*, quatenus obſtetvamus, cauſis infinitis, indies accedere cauſas, & numero infinito, accederent numeri: adeoque, infinitum dabitur, quod reverà, non eſt infinitum. Porro tertio, ordo prioris & poſterioris, qui eſt in ſucceſſione, deſtituetur primo, a quo, ſua natura omnis fluxus exiſtit: ubi enim, non eſt primum; ibi etiam, nec ſecundum, nec tertium; nec viciſſim ſecundum ac tertium, ubi non eſt primum: ac proinde, erit ſubordinatio, quæ non eſt ſubordinatio. Quamobrem, infinita ſubordinatio admitti nullo modo poteſt. Nec magis admitti poteſt, idem poſſe producere ſeipſum: ſic enim idem, eſſet ſimul, & non eſſet. Quatenus enim produceret, eſſet utique, & quatenus produceretur, non eſſet. Si inſtet Atheus, Deus tamen, ex veſtra ſententia, eſt a ſe; regeremus, eſt ſane; ſed ſeipſum non produxit: eſt a ſe, *negative*, quatenus à nullo productus eſt, ſed non eſt a ſe, *poſitive*, ut ſeipſum produxerit, ut ſuo loco demonſtrabimus. Quid ſi tandem, in cauſis admittatur circulatio, quam diximus, tum non requiretur primum? Dicam; quod tum idem, licet per varias ambages, produceret ſeipſum, quatenus A. per B. C. D. cauſa erit ſui ipſius. Nec jam videO,

α. A ſubordinatione cauſarum.

deo, quid adversus istas ratiocinationes, Atheus causari possit, nisi forte, quod non observemus, Solem, Lunam & reliqua astra, ab aliis producta esse, unde forte a primis idololatris. Sol quidem sub nomine *Moloch*, Luna autem sub nomine *Melecheth*, astra, sub voce *exercitus cœlestis*, habita sunt pro Deis. Sed & hîc, facilis est responsio: licet, sensibus nostris, non observemus, ea producta fuisse; mente tamen, seu ratiocinando, id certo colligimus certius, ex eo, quod observemus omnia ista finita esse, &, cum nihil seipsum, suamque perfectionem, finiat limitetque; ea ab alio superiore, qui ea produxerit, suos limites consecuta esse. Jam, ne rimulam quidem video, per quam Atheus, vim hujus ratiocinationis effugere queat.

β. A mundi creatione.

V. Hinc ad particularia descendemus, in quibus, nobis obvius est hic mundus, à quo, nobis suppetet, secunda demonstratio. Mundus est creatus; ergo existit Deus. Præsupponimus, cum Atheo quovis, mundum existere. Hic, vel seipsum produxit; vel, ab æterno fuit, non productus, vel, ab alio productus est. Et hoc quidem, vel, ex alio præexistente; vel, ex nihilo; & si hoc, tum creatus est; quandoquidem creatio, nobis nil est aliud, quam productio ex nihilo, & mundum producens, necessario, præstantior est, mundo producto; & nihil toto mundo præstantius est, quam producens ille, quem nos, Deum indigitamus. Hæc summa demonstramus; jam illam retexamus breviter. Mundum hunc, seipsum non produxisse, nec producere potuisse, patet per parag. præcedentem. Eundem non exstitisse ab æterno; non unum docet. Primo enim, æternitas est *infinitas*, quam mundus finitus non capit. Si affirmet Atheus, mundum esse infinitum; facile redarguetur ex partibus mundi: quæ, vel infinitæ erunt, & sic plura dabuntur infinita, ac per consequens, nullum; haberet enim, pars, com-partis perfectionem omnem; vel non: si omnem, tum non diversæ erunt, sed unum idemque, id quod redarguit, inspectio partium mundanarum: si non haberet; tum non esset infinita. Jam autem, ex multis patribus finitis, non potest resultare, unus mundus infinitus nisi effectum, infinitum sit melius, sua causa, & finitæ causæ in effectio produxerint infinitatem. Tum secundo, si mundus, ab æterno exstitisset; tum infinitus annorum numerus, quem implicaret æternitas, hunc diem, necessario præcedere debuisset, & cum numerus ille, nunquam sit completus; etiam hîc dies, non potuisset succedere, cui, procul dubio, obstrepet ipsa mens Athei. Tandem tertio, ex ista mundi æternitate, manabit, quod infinito aliquid addi possit; atque adeo infinitum dari, quod non sit infinitum. Est enim æternitas, infinita durâtio, cui tamen, clamante sensu & experientia, continuo accedunt anni, menses, dies, horæ--- Ex quo hoc porro profluit, quod, infinitum infinito majus esse possit, quatenus mundus ille, qui ante centenos annos ex sua æternitate, infinitus erat duratione; jam, per centenos annos, major est. Maneat ergo, Mundum, nequaquam exstitisse ab æterno, &, per consequens, productum fuisse ab alio. Porro, si productus est ab alio, vel ex alio præexistente: vel ex nihilo: Si ex alio statuatur præexistente; tum recurrent difficultates, hoc, & præcedente paragrapho, motæ: si productio est ex nihilo; tum mundus existit per creationem: cum creatione nihil intelligamus aliud, quam productionem ex nihilo. Et cum creationis sit exhaurire infinitam illam difficultatis distantiam, quæ est, inter non ens & ens; manet illam exigere infinitam potentiam, quæ exhauriat, eaque cum non cadat, nisi in ens primum, cujus solius potentia, a priore, finita ac limitata non sit, nec esse possit, relinquitur, si mundus creatus sit, esse primum illud infinitum ens, quod nos Deum appellamus.

γ. A mundi conservatione

VI. Tertia demonstratio, nobis oboritur, a conservatione Mundi. Si mundus, in hunc usque diem, conservatus est; tum existit Deus. Est enim, doctis quam plurimis, conservatio, non nisi continuata creatio, in hoc solo, a creatione diversa, quod hæc novitatem existendi includat, quam illa excludit. Si neget Atheus, mundum conservari; sed *durare* tantum, ad eum fere modum, quo Deus noster duret, licet non conservetur: respondebimus, durare quidem, sed per conservationem, propterea, quod sit productus ab alio, per paragraphum præcedentem. Unde dissimilis ratio emergit, inter durationem Dei; & conservationem mundi: in eo, quod Deus, sit simpliciter a se, adeoque ens primum & independens, qui proinde conservari a quoquam non potest: dum mundus ab alio est, ut demonstrantum, a quo conservari potest, ac debet. Jam, si mundus conservatur, vel à se conservatur, vel ab alio; non a se, quod enim, sibi non potuit dare existentiam, id etiam, non potest conservare, sibi aliunde datam: proinde ab alio conservatur. Et quod tandem est istud aliud, si non id, quod ei dedit suam existentiam? Quin &, si quid aliud esset, id Procul dubio pars mundi esset, ac proinde, pars mundi, totum mundum conservaret, quod enim totum conservat, id etiam partem conservat. Porro, cum in hoc mundo, diversæ sint partes, sibi invicem, non tantum heterogeneæ; sed & exitialiter adversæ, quarum una, cunctis suis viribus, contendit in exitium alterius, v. g. ignis & aqua, aqua & terra: quod ita hactenus mundus fuerit conservatus, ut aqua, ignem non exstinxerit, aut aridum inundaverit, aut vel una species, partium mundi, sublata fuerit, unde hoc, si non ab ente primo, & omnipotente?

δ. A. Mundi

VII. Succedat quarta demonstratio, a guberna-

 tione

gubernatione. tione mundi. Præsupponimus ἐποψίαν, quam non negabit, sat sciò, Atheus, quod mundus, variis constet partibus, non tantum heterogeneis; sed & sibi invicem repugnantibus, eisque, maxima parte ἀλόγοις, quæ interim, tam ἐυτάκτως, & rationi, consentaneè, cohæreant, quarum quæque suam perfectionem sectentur, nec suam tantum; sed etiam totius universi, adeo ut, præter, & contra, propriæ naturæ indolem, ad conservationem totius universi, ferantur: ut patet in gravibus, quæ contra suam naturam, sursum contendunt, ne, ex vacuo, universum laboret: quod itidem, anni vicissitudines, tam accurate recurant, sibique convenientes fructus protrudant. Præsupponimus item, ista omnia gubernari. Jam dicat mihi Atheus, a quo gubernentur? Num a se, an ab alio? A se non dixerit, quia pleraque horum, ratione cassa sunt, & plurima, sibi invicem, obnitantur: proinde ab alio. Et quis tandem ille? An alius esse, aut cogitari potest, quam ens aliquod, omnipræsens, omnipotens, sapientissimum, optimum? Et quis talis, præterquam ens illud primum, quod Deum indigitamus? Rem simili patefaciamus; sunto rotulæ complures, in uno horologio, sibi invicem cooperantes, ad pulsandum aut monstrandum, hoc præcisè, aut illo tempore, dum nullæ, vel scopum suum, vel seipsas invicem, agnoscunt: nunquid illæ potenter arguunt, sibi ad fuisse artificem, qui prudenter compaginarit, qui formam ac distantias, quam exactissime perceperit? Et dixeris, suavissimam & constantissimam, partium hujus mundi, ἀλόγων persæpe, καὶ ἀζώων, συζυγίαν & παναρμονίαν, existere absque sapientissimo quodam omnipotente & omnipræsente τεχνίτῃ καὶ δημιουργῷ Heb, xi. 10 Si instet Atheus hæc omnia, resultare, a peculiari, singularum partium, natura & indole; recurrent sibi pleræque difficultates, jam ante motæ: Unde ista natura? tam sapiens, constans & ordinata compaginatio? Ut non videam, quarima, vim hujus demonstrationis, effugere possit Atheus.

e. à cœlis VIII. *Quinta* demonstratio, singulatim nobis emergit, *à Cœlis*, quorum amplitudo, & constans ac regularis motus, quid enarrant nisi *gloriam Dei* Ps. xix. 1. Ut vel hic, *Astrologiam* denominare possis, theoriam hanc, quod sit ἄστρων λόγος, quo Deum scil. pronunciant Ps. xix. 3. prout *Astronomia* dicitur, quod astrorum motui, quasi νόμος statutus sit, procul dubio à supremo νομοθέτῃ. Nunquid enim Sol & astra, ab alio moventur, cujus ope motus eorum, legibus adeo stricte affiguntur, ut omnes eorundem Eclipses, per myriades annorum, usque ad minutam, ab Astronomis, certo possint prædici? Iste ordo, ista lex, unde, nisi à sapientissimo quodam Legislatore?

ζ. ab homine. IX. *Sextam* itidem, multis modis, promit *homo*, quisque sibi: *primò* enim, nostri in utero materno, nobis, juxta ac parentibus, ignaris, tam artificiosa *efformatio*, nunquid sapientissimum quendam *formatorem* arguit? Psal. cxxxix, 5. 15. 16. *Secundo* anima nostra, *divinæ particula auræ*, non omnino καταχρηστικῶς, ab ipsis Ethnicis designata, essentiâ *spiritualis*, toto genere nobilior corpore; nunquid, supremum quendam arguit, πατέρα τῶν πνευμάτων Heb. xii. 9. qui *spiritum hominis*, יצר בקרבו, *formaverit in medio ipsius* Zach. xii. 1. Quin *tertio*, sua cuilibet existentia, sibi argumentum præbet, existentiæ divinæ. Dum enim quisque novit, se à parentibus esse, quemadmodum parentes ab avis: necessario cuilibet agnoscendum, aut infinitam esse, istius seriei concatenationem, quâ positâ, sui parentes existere non potuissent, adeoque nec ipse; aut subsistendum in aliquo primo parente, qui non exstiterit nisi à *Patre spirituum*, per analogiam parag. vii.

η. A Rebus publicis & legibus. X. Adderemus rationem *septimam*, à *conservatione*, constantia, ordine, ac revolutionibus *Rerumpublicarum*, adversus tot ac tantorum machinationes, in earundem exitium. Quin & *leges* politicæ, mentem arguunt divinam, illas hominibus, tum monstrantem, tum conservantem, ne Diaboli, & impiorum odio, machinationibusque dissolutæ, corruant: quis enim, hic non conficiat, *esse* aliquem ordinis *Deum*, qui velit πάντα ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γίνεσθαι? 1. Cor. xiv. 40.

θ. A miraculis & prædictionibus. XI. Quin & *octavam* à *miraculis*, passim perpetratis, tam in historiâ sacra quam profana; quæ cum naturam excedant, non possunt non præstruere, vim naturâ superiorem, agere enim, supra vires suas, contradictionem involvit: & quæ est ista natura, si non Deus? Ut & *nonam*, à certis *prædictionibus*, futurorum contingentium; quæ, cum in se, non habeant determinatam veritatem; non possunt non arguere, mentem, omnes eventus, certo decreto prædeterminantem. Adderemus inquam, si brevitatis studium ferret, aut priora non sufficerent. Proinde, ad testimonia pergendum, si forte animus Athei, demonstrationibus emollitus, eis confirmetur, aut saltem, qui deitatem admittunt, ex hoc principio, omnium primo, in sua fide & observantia, roborentur. Prodeat ergo.

B. Triplici testimonii genere.

1. Conscientiæ. XII. *Primum* testimonium, quod Deo, sua cuique tradit *conscientia*. Quo pacto τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, φανερὸν dicitur ἐν αὐτοῖς Rom. i. 20. quatenus scil. excusans est aut accusans; exhilarans aut terrefaciens Rom. ii. vers. 15. Jes. xxxiii. 14. & lvii. 20. Marc. vi. 14. 16. Cujus exempla, non in Sacris tantum prostant Gen. xli. 21. sed in profanis quoque, in *Nerone*, cum Agrippinam confecisset, sæpius ejus spiritu (suâ opinione) exterrito: *Caligulâ* in tonitruis & fulminationibus, conscientiâ scelerum, semet abscondere consueto; *Richardo* tertio Anglorum Rege, post sua latrocinia, furiis

ri in omniorum, quasi Satanæ carnificationibus, exagitato, ut de eo Polydor. Virgil. *Credo non erat somnium, sed conscientia scelerum.* Unde illud Statii: *Primos in orbe Deos, fecit timor.* Conf. Grot. *de Verit. Relig. Christ.* lib. 1. Dum contra pii, scil. conscientiâ Dei, in ipsis vinculis suaviter possunt modulari Act. xvi. 25. securè dormire Cor. xi. 7. in grauissimis periculis triumphare Psal. iii. 6. 7. 1. Sam. xxx. 6. Psal. xlvi. 1. 2. *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Horat. Et unde totum istud nisi quod *legem Dei* inscriptam gestent cordibus; quod vocem Judicis, quasi pro tribunali, audiant, seu condemnantem, seu absolventem?

2. Mundi. XIII. *Secundum* Deo, suæ *existentiæ* testimonium, perhibet mundus, universali & constanti omnium nationum applausu, quod Paulus habet Rom. 1. 20. & 11. 15. Usque adeo, ut. testibus Cosmographis, Ortelio, Munstero aliisque, non detur gens tam barbara, quin agnoscat deitatem; astipulante Tullio *De Nat. Deor.* Et ipsum Epicurum, quem nihil pudebat pudendum, puduerit tamen negare Deum. Quin, *licet inveniantur qui sine Rege, sine lege vivunt, qui nudi ferarum instar, sylvas oberrant, avia quærunt & obvia depascunt: attamen, qui Religionis specie, qui Sacris, quinuminis sensu plane careant, nec inventi sunt, nec inveniuntur.* Inquit Mornæus noster, *de Verit. Relig. Christ.* Cap. 1 Et ipsa etiam idololatria, Deo testimonium commodat; nunquam enim adeo passim apud gentes, etiam non omnino barbaras, invaluisset tam vecors idololatria, ut porrum etiam ac cæpe maluerint, quam nihil pro Deo habere, juxta juvenal. Satyr. xv.

Porrum & cæpe, nefas violare ac frangere morsu,
O! Sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.——

nisi Deum aut Deitatem aliquam præsuppositiones. Confer Auctores de Idololatria: Vossium, Ludovicum Vivem, Joh. Owenum aliosque.

3. Dei. XIV. *Tertium* tandem testimonium suæ existentiæ, Deus ipse sibi præbet, non tantum *agendo* in naturâ, quale sibi ipsi Servator præbebat Joh. v. 20. 36: sed & *loquendo* in Scripturâ, cujus quælibet, si non linea, saltem pagina clamat *esse Deum:* cujus *Caput* בראשית ברא אלהים Gen. 1. 1. & *calx; si quis detraxerit de verbis prophetiæ hujus, detrahet* Deus *partem ejus de libro vitæ* Apoc. xxii. 19. *medium* in plerisque vaticiniis: *sic ait Dominus. Verbum Domini. Audite cœli & percipe terra, quoniam Dominus loquitur* Jes. 1. 2. quod quidem testimonium, licet Atheus susque deque habeat, cum Pharisæis Joh. viii. 13. summæ tamen est auctoritatis, secundum Servatorem. Ibid. vers. 14.

XV. Quæ *objici*, adversus Dei existentiam, ab Atheis possint, adeo sunt levidensia, quin & futilia, ut vix *recenseri*; nedum *refutari*, mereantur. Uno tamen atque altero verbo, Systematis causa, indigitabimus. 1. Crassissimè objiciunt, qui causantur, quod Deus non sit, quia non *videatur* ab hominibus, nec conversetur cum iis. Resp. (a) Planè ἀλόγως ac brutaliter: si enim, quod non videtur, non est; nec anima rationalis, talibus erit, quippe quam non vident; adeoque bruta ipsi erunt. Tum (b) Deus indies seipsum, suo modo, conspicuum facit in operibus suis. Haud. 2. multò subtilius causantur: Si Deus esset; non ferret prosperitatem malorum, & miseriam bonorum, non ferret, se blaphemari, non ferret tantam, in his sublunaribus, ἀταξίαν. Occurrimus: ea quæ tam confusa, tam injusta, tam perversa nobis videntur, *singulatim* obvia; longè justissima ordinatissimaque, nobis obversarentur, si, ut Deus *simul*, unico intuitu, in suâ constructione cum aliis, & παναρμονίαι, cuncta nobis daretur aspicere. Denique 3. Religionem omnem, Atheinon volunt esse, nisi ἕυρεμα humanum, aut astutiam politicam, continendis in officio subditis, in gratiam Magistratuum, excogitatam. Resp. Sed volunt tantum, aut vellent potius *stulti* Ps. xiv. 1. Obtinuit enim, cum ipsis mundi incunabulis, Religio, obtinet, per universum terrarum orbem, & procul dubio, ad calcem usque, hujus universi obtinebit. E quibus, promptissimum est conficere, non esse illam ἕυρεμα humanum, non esse illam nisi à Deo.

Solvuntur aliquot objectiones in contrarium. Prima objectio. Secunda. Tertia.

XVI. Non sufficit autem, *Deum esse*; sed necessum insuper, ut eum, qui est *cognoscamus.* Δεῖ γὰρ πιστεύειν. *Necessum* inquam non tantum necessitate *præcepti* Jer. xxxi. 34. sed etiam *medii*: sicut enim, ab unâ parte, *cognitioni* sui, vitam addicit Joh. xvii. 3. ita vicissim, *ignorantiæ* oppositæ, flammas æternas 2. Thess. 1. 8.

Cognitio Dei necessario, Probatur.

XVII. Quin sic, vel juxta textum, multis modis *necessaria* est *cognitio* Dei. Est 1. ad *fidem* necessaria: quomodo enim credemus, de quo *non audivimus*, seu quem, fando non cognovimus? Rom. x. 14. Hinc 2. ad *complacentiam*, ut etiam, absque *fide*, fit ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι θεῷ; consequenter, & absque *cognitione*, nemo Deo gratus esse, aut ei gratum facere potest. Unde 3. ad *cultum* Dei, quatenus, ut absque *fide* sic absque *cognitione* quoque; nemo potest ἐκζητεῖν τὸν θεὸν. Et inde porro 4. ad *unionem* & communionem cum Deo, quatenus absque *cognitione*, ut non potest *quarere*, sic nec *invenire*, seu προσέρχεσθαι τῷ θεῷ Denique 5. ad *beneficentiam* Dei experiundam. Dum enim, citra *cognitionem*, non potest *credere*, credendo *quærere*, quærendo ad eum *accedere*; nec etiam μισθαποδότην experiri Deum unquam potest. Quibus pro 6. addam, quod citra Dei *cognitionem*, non *intellectus* tantum, *frustra homini* fuisset collatus, atque etiam

Rationibus.

ipse homo frustra creatus; sed etiam totus hic *mundus*, sublunaris saltem. Quorsum enim, omnia illa Deus condidit, nisi propter *hominem*? ps. VIII. 7. Et quorsum hominem? nisi ut, velut *quæstor* Dei, omnium creaturarum *ἀλόγων*, bonitatem susciperet, & Creatori referret, quod non fit nisi *cognitione* & glorificatione Dei.

Cognitionis Dei natura & indoles.

XVIII. Ejus itaque cognitionis, *indoles* pariter & *adminicula*, solicitè nobis sunt prevestiganda. Quod *indolem* attinet, cognitio Dei, cum sit, vel *comprehensiva*, quæ Deum perspicit, prout *est in se*, & quidem secundum *omne*, quod in eo est cognoscibile, adeoque omnibus numeris *perfecta*; vel *apprehensiva*, quæ quadantenus cognoscit, potius *quod* sit, quam *quid* sit; potius quid *non* sit, quam *quid* sit: ante omnia, *prior* illa comprehensiva, soli ipsi, de seipso est relinquenda. 1. Tim. VI. 16. *posterior* autem est, seu *patria* & perfectior post hac; quando Deum *videbimus*, quasi *facie ad faciem* 1. Cor. XIII. 12. Job. XIX. 26. 27. seu *via*, imperfectior, hic, quando Deum conspicimus, quasi *ex dorso*, non facie Exod. XXXIII. 23. velut *per speculum*, velut in *ænigmate* 1. Cor XIII. vers. 11. Quam Deus, in verbo suo, nobis confert, quasi nobiscum, velut infantibus, balbutiendo. Unde, tam frequentes in Scripturis accidunt, de Deo Anthropopathiæ; & pleraque insuper, de Deo, ad captum nostrum explicantur, secundum *conceptus* nostri rationem, potius; quam ex Dei ipsius *naturâ*. *Imperfectior* porro ista Dei cognitio, vel *naturalis* est, quam naturâ tenemus, aut ejus ope, comparare nobis valemus: & in *congenitam* à Theologis distribuitur, seu innatam; quæ sponte nascitur, absque ratiocinationibus, de quâ Apostolus Rom. I. 19. & *acquisitam*, quam discursu, è subordinatione motuum ascendendo ad primum motorem, à causarum inferiorum concatenatione, ad causam supremam, modis ac viis jamjam monstratis consequimur: de quâ Paulus ibid. vers. 20. Psal. XIX. 1. 2. Act. XVII. 27. 28. vel *revelata*, non *specie* quidem à priori diversa; sed *gradu* tantum & perfectione; quippe quæ priorem, ut minorem numerus major, velut absorbet; quicquid enim habet *naturalis*, hoc totum etiam, & multo perfectius, præstat *revelata*. Et hæc *revelata* rursus est, vel *communis* ac theoretica tantum; quæ *cerebrum* solummodo oberrat, qualem textus notat *πιστεύειν ὅτι ἐστὶ θεὸς* & Rom. I. 21. Tit. I. 16. vel electis *propria*, experimentalis, practica & salvifica, à cerebro penetrans ad *cor*, illud efficaciter afficiendo, piosque affectus, inibi ciendo: ad quam, in textu, accedere videtur, cognitio Dei *ὡς μισθαποδότης*, quæ impellit, ad *accedendum* ad eum, ad *placendum* ei, de qua passim Scriptura Joh. XVII. 3. Jes. LIII. 11. Phil. I. vers. 9. 10. 11. & Cap. III. 8. 9. 10. Col. I. 9. 10.

Media ad cognitionem Dei generaliora.

XIX. Jam, quod *adminicula* concernit, quibus ad Dei cognitionem pertingimus, ea duum observantur generum; in *primo generaliore*, triplex numeratur ad cognitionem Dei via, puta 1. *Causalitatis*, qua, per varias causas secundas, promoti, velut per scalam Jacobi, tandem, ad gradum supremum pertingimus, in quo Deus est, modo quem supra descripsimus §. VI. quam indigitare Apostolus videtur Rom. I. 19. 2. *Eminentiæ*, quâ quicquid est perfectionis absolutæ in creaturis: cum summâ *eminentiâ* Creatori tribuimus, eo quod, nemo in alium possit conferre, quod nec formaliter, nec eminenter habet; neque etiam, *effectus* concipi potest, qui toto genere, sit præstantior suâ *causa*. Isthac viâ, Psaltes uti videtur Psal. XCIV. 9. Imo, hoc adminiculo, interpretari convenit, omnes locutiones *anthropopathicas*, metaphoricasque. 3. *Negationis*, quâ, penitus ab ipso removemus, quicquid creaturis inest *imperfectionis*, V. g. corporeitatem, mortalitatem, finitudinem &c. Cui viæ insistere videtur Scriptura Num. XXIII. 19. Psal. XC. 2. 3. Et sic quidem, triplici hac via, ad cognitionem Dei pertingimus, ut *prima*, potissimum ducat, ad attributa ejus *relativa*, per quæ, Creator audit, conservator, gubernator, motor: *secunda*, ad attributa *communicabilia* & affirmativa, v. g. sapientiam, justitiam &c. de quibus suo loco: *tertia*, ad attributa *incommunicabilia* & negativa, qualia infinitas, immutabilitas &c.

1.
2.
3.

Media specialiora quatuor.

XX. In *secundo* genere, magis *speciali*, sunt 1. Divina *nomina*, quorum alia, *essentiam* Dei, nobis præbent cognoscendam, qualia יהוה, יה, אהיה, quibus in N. T. Κύριος respondet: alia *potentiam*, ut אל, אלהים: alia *αὐτάρκειαν*, ut שדי: alia *excellentiam*, ut עליון &c. II. Divina *attributa* inadæquatis conceptibus, *unicam* illam, & infinitam Dei *perfectionem*, quasi per partes, referentia; ut eorum ope, nobis innotescat, tum *quantus sit* Deus; tum *qualis*: ut suo loco distinctè patebit. III. *Operationes* Dei, è quibus, ut assolet, nobis innotescit, natura causæ. Denique IV. *Verbum Dei*, quod in præcedentibus omnibus, quam fieri potest perfectissime, Deum nobis repræsentat.

Pars elenchtica.

quæritur 1. An ulla causa, aut ullo modo liceat dubitare, de existentia Dei?

XXI. Quæstiones, de existentia Dei; de Theologia naturali, connata & acquisita; de Theologiæ naturalis insufficientia ad salutem; jam dudum exantlavimus in superioribus, nim. primam, hoc capite; reliquas lib. I. cap. I. §§. XXIII. XXIV. Quæritur porro, an, ulla causa, aut ullo modo, liceat dubitare, de existentia Dei? Olim Academici & Sceptici Philosophi, quasi *considerantios* dicas, alias Ζητητικοὶ, *quæsitores*, ἀποφητικοὶ, *dubitantii*:

Pyrrho-

Pyrrhonii, (a Pyrrhone, Scepticorum quasi capite; qui veterum Philosophorum, Socratis, Arcesilæ, Carneadis, Anaxarchi aliorumque, vestigia premens, ἀκαταληψίας dogma, in arce collocavit) statuebant, de omnibus *dubitandum* esse; etiam de existentia Dei. A. Gellius lib. XI. cap. 5. Sext. Empyricus lib. *Adverſ. Mathemat.* & in libb. *Hypotypoſeων*. Ex horum lacunis nostro seculo, acutissimus Renat. Des Cartes, Gallus, novæ Philosophiæ, novum fundamentum structurus, statuebat: legitime philosophaturo, semel saltem; de omnibus esse dubitandum, & serio quidem, ac tamdiu, donec rem clare & distincte perceperit. Verum quidem, quod alicubi, excipere videatur, res fidei & communis vitæ, seu conversationis, quanquam gratis, absque ulla ratione; ejus tamen discipuli, eam extendunt, ad res fidei insuper, cujus illustre specimen, ex professo præstat, *Excercitatio Paradoxa, de Philosophia, infallibili ſcripturarum interprete*, & Clariss. Wittichius, in sua *Theologia pacifica*, & nominatim etiam, quoad negotium dubitationis, prout alibi, in Gangræna nostra Cartesiana, demonstratum, dedimus. Peculiariter etiam de existentia Dei, num de ea liceat dubitare? interrogatus Cartesius, respondit distinguendum esse, inter id quod ad *intellectum* pertinet, & sic quæri non debere, an *liceat*: sed an *possit*; & hîc determinat, atque omnibus hoc posse tribuit, qui solida ratione, non sunt de ea convicti: & id quod ad voluntatem spectat, & hîc pergit: *oportet distinguere, inter eam dubitationem, quæ ſpectat finem, & inter eam, quæ ſpectat media; qui dubitationem de Deo, pro fine ſibi præſtruit, is*, inquit, *peccat graviter, quod incertus manere velit, circa rem tanti momenti; ſed vero, ſi quis dubitationem ſibi proponat, ſicuti medium, perveniendi ad clariorem cognitionem veritatis, hic quod* MAXIME PIUM ET HONESTUM *eſt agit, quia nemo poteſt velle finem, niſi velit media.* Hîc agnoscit, dari aliquam dubitationem, quæ sit maxime pia & honesta. Ejus autem sectatores, absque his ambagibus, rotunde profitentur, de omnibus, esse dubitandum, etiam de existentia Dei. Id quod demonstravimus Gangrænæ nostræ Cartes. Sect. I. cap. I. §. §. I. II. III. Reformati 1. dubitandum aliquando fatentur. Sed 2. de *omnibus* dubitandum, negant, quod hoc, viam rigidissime occludat, perveniendi ad ullam solidam, ullius rei cognitionem, quatenus per id solum, deducimur in cognitionem incerti, quod certum est. Insuper 3. nequaquam & nunquam, dubitandum esse, de rebus fidei, & nominatim. quod Deus existat. Interim 4. non abnuunt, ut dum jam persuasi sumus testimoniis divinis, de rebus credendis, & imprimis de existentia Dei; conquiramus rationes, quibus in ista fide, confirmemur magis magisque. His positis, negant unquam fas esse, de rebus fidei, & nominatim, de existentia Dei, dubitare. Quod 1. Deus in Scriptura, constanter exigat fidem rerum credendarum Heb. XI. 6. exclusa etiam exserte, quavis dubitatione Rom. IV. 20. 21. Jacob. I. 6. eaque ratione obsignemus, Deum veracem esse Joh. III. 33. dum dubitando, eum mendacem faciamus 1. Joh. V. 10. Quod 2. tollat omnem fidem à Deo: quem enim dubitas esse, quomodo credes loqui? quomodo fiduciam in eo pones? Quod 3. omnem cultum divinum tollat. Quomodo enim Deum coles, veneraberis, amabis, — de quo dubitas, num existat in rerum natura? Proinde Atheum efficiet. Quod 4. ignorantia numinis, infidelitas, aliquando, non modo non erit peccatum; sed insuper, ex determinatione Cartesii, res pia & honesta. Quod 5. si præsupponatur dubitatio universalis; non sis habiturus, cujus ope, ex dubitatione emergas unquam: id enim, quod tibi incertum est, non potest te liberare a dubitatione. — Pro sua interim dubitatione causantur οἱ ἐξ ἐναντίας. 1. Quod sit egregium adminiculum ad certam rerum cognitionem, quin tale etiam, citra quod, nil omnino certo possimus cognoscere. Cui occurrimus α. Agnoscimus, in rebus dubiis & incertis, dubitationem usum qualemcunque præstare posse; sed in rebus certa Dei revelatione, certis, quales sunt, res omnes fidei, imprimis existentia numinis, nihil omnino confert dubitatio, quin potius obest. Saltem β. universalis dubitatio, tantum abest, ut conducat ad certitudinem, ut certitudini cuivis, omnem obstruat viam. Causantur 2. quod sua ista dubitatione, nil sibi velint, quam suspenfionem judicii. Resp. Nec nos per dubitationem, aliud intellectum volumus, atque adeo pronunciamus, impium esse & atheisticum, judicium suspendere, cum existat Deus? num res fidei, sint veræ, nec ne? Causantur 3. se non velle dubitationem permanentem; sed quæ ad breve tantum tempus subsistat. Resp. Exigunt dubitationem, quæ tam diu duret; donec, rem clare & distincte perceperis, quæ in Cartesio ad novem annos duravit: Quid si autem, plures annos, ingenium hebetius exigat? Quid si nunquam? Quid de rusticis fiet aliisque idiotis, quibus philosophicas rationes, quarum ope, ad certitudinem pertingas non datur examinare? Illi nunquid in perpetuo hærebunt Atheismo? nunquid morientur in eodem? Qui hæc, & plura hujus generis, in utramque partem agitata desideraverit, poterit conferre Gangrænam nostram Sect. I: Cap. 2.

XXII. Quæritur 2. An ab idea Dei, in mente nostra, solidum nobis suppetat adminiculum, perveniendi in cognitionem existentiæ divinæ, atque etiam argumentum, de eadem convincendi Atheos? Idea, ab *ἰδεῖν videre*, plerumque notat, illud exemplar, quod artifex in mente sua circumgestat, ut operaturus, illud ante *videat* seu introspiciat, & ad

Quid Cartesius cum suis?

Quid Reformati?

Argumenta Reformatorum.

Objectiones.

2. An ab idea Dei, solidum nobis suppetat adminiculum, cognoscendi &

demonstrandi, existentiam Dei?

ad illud suam operationem dirigat. Et hæc idea practica est, quam repræsentabimus in intellectu divino lib. 2. cap. XIII. Non raro tamen, de quovis conceptu, rei cujuscunque usurpatur, & sic ideo est theoretica. Hoc significatu, olim Plato cum suis Academicis, volebat, rerum omnium ideas homini connatas esse, quibus latentibus eruendis, excitandis, contemplandisque, omne studium nostrum, impendi debeat. Cartesius cum suis, novæ Philosophiæ intentus, nova quæsiturus argumenta, demonstrandæ existentiæ divinæ, duplicem invenit ideam in homine; alteram connatam; alteram ratiocinando, ex priore acquisitam. Tum per ideam intelligit, vel *conceptum* qualemcunque, seu cogitationem, de ente infinito; vel *repræsentamen*, seu similitudinem quandam, entis infinitùm perfecti, quod repræsentamen, quantum ad esse suum repræsentativum, ejusdem sit perfectionis, cum ipso Deo. Tum determinat, ope solius ideæ istius, nos, & nobis pertingere, in cognitionem existentiæ divinæ; & aliis eandem demonstrare debere. Reformati, *conceptum* aliquem de Deo, lubenter agnoscunt; sed talem ideam in nobis, quæ, secundum esse suum repræsentativum, sit ejusdem perfectionis, cum ipso Deo, rejiciunt, quod unum tantum agnoscant, infinite perfectum. Insuper, ex idea Dei qualicunque, solide convinci posse, Atheum, de existentia Dei, non admittunt: si enim *ideâ*, simplicem intelligant *conceptum*, de ente infinito; tum argumentum, sic se habebit: cujus ego conceptum seu cogitationem habeo, id existit in rerum natura; sed conceptum habeo entis infinitum perfecti; ergo ens infinite perfectum datur in rerum natura. Ridebit Atheus, instando, & Anthropomorphita, conceptum habet, Dei corporei; ergone datur? Et quilibet Atheus, conceptum habet, Dei non existentis; Ergo Deus non est. 2. si, ex idea argumententur, ut sonat *repræsentamen*, similitudinem, imaginem entis infiniti, infinitam quoad esse suum repræsentativum, ut inde concludas: si habeo representamen, entis infiniti, tum existit ens infinitum; sed habeo tale repræsentamen, entis infiniti; ergo existit tale ens. Responsabit 1. ad propositionem, non cohæret, habeam enim ideam Dei corporei, ergone talis existit? 2. ad assumptionem, si neget te habere, quomodo demonstrabis? si dicat, se non habere, quomodo ipsum convinces? si addat, impossibile esse, ut detur, cum infinitum nisi unum dari possit; atque insuper, finitum, infinitum gestare nequeat; quomodo solide occurres? si convincere ipsum nitaris, congestis rationibus *α.* ideam istam tibi, ipse efformare non potes, nec ex aliorum institutionibus, ceu meris sonis, in aëre evanescentibus: negabit cuncta, per experientiam, in institutionibus constanter obloquentem. Si instes *β.* fac tua vera esse, ideam tamen, quadantenus infinitam, nulla creatura finita, efformare potest: regeret, ejusmodi ideam infinitam, per rationes jam ante allatas, non esse nisi chimæram. Si tandem *γ.* ipsum urgeas, quod omne repræsentamen, sibi prærequirat exemplar quoddam, ex quo repræsentatum est; effugiet dicendo, hoc admitti quidem posse, in ideis veris, qualis hîc non est, in ideis falsis, nequaquam, qualis est de Deo corporeo, chimæra, ligno ferreo —: quam tibi difficile accidet, ipsum solide convincere? Proinde, non uno modo futile est argumentum, ab ideis. Plura hujus generis, habes apud *Gangræ*nam nostram Cartesianam, Sect. II. Cap. IV.

Pars practica.

Praxis Prima, de Atheismo.

XXIII. Praxis igitur *prima*, *Atheismum* concernit, ut ab eo, cane pejus & angue, nobis caveamus. Dum enim (a) hoc *primum* est, Theologiæ cujusvis ac Religionis, cognitum, *esse Deum*; procul utique est ab omni *Religione*, qui negat aut dubitat, Deum esse. Dum (b) προσερχόμενον τῷ Θεῷ, δεῖ πιστεύειν, ὅτι ἐστι, certè procul a Deo, a summo bono, a salute est, qui *non* credit, *negat*, aut dubitat, *eum esse*. (c) Dum ἐκζήτησις τοῦ Θεοῦ, ejus existentiam præsupponit; certe ejus *negatio*, aut *dubitatio*, omnem ἐκζήτησιν, cultum Dei & pietatem, penitus excludit. Et si (d) μισθαποδότης est experturus Deum, qui credit *quod sit*, & quem scit, exquirit; certè *vindicem* dirissimum experietur, qui *ne esse* quidem credit; nedum ut exquirat. Est igitur omnibus modis, quamobrem nobis caveamus ab atheismo, & quo felicius possimus, tenendum. 1. Quid sit & quotuplex atheismus. 2. Quibus rationibus vitandus, denique 3. quibus adminiculis declinandus.

Tria de Atheismo suscipiuntur.

Primo, quid & quotuplex sit Atheismus?

XXIV. Atheismus igitur, quem Batavi Godt deloochent significantissimè dicunt, est, quo Deum, seu *non habemus* Eph. II. 12. scil. nobis confœderatum: seu *non agnoscimus*; seu potius non *habemus*, quoniam non agnoscimus. Idque seu *mente* Psal. X. 4. seu *verbis* Psal. XIV. 1. seu *factis* Tit. 1. 16. Hinc athei sunt, vel theoreticè; vel practicè. *Theoretice* Athei, sensu quidem propriissimo ac *strictissimo*, qui non *ore* tantum negaverint *Deum* esse; sed & in *corde* plenè, absque metu contrarii, & constanter, senserint *non esse Deum* (juxta Tullum) *nomen* præstant *otiosum*, quod tale quid, in rerum natura, nunquam exstiterit: adeo, cunctis gentibus, οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν ὁ Θεὸς Act. XIV. 16. 17. legemque sui, cordibus earum inscripserit Rom. II. 14. 15. Ut mirer, esse inter ipsos etiam Reformatos, qui, parum licet suis principiis convenienter, *speculative Atheos* dari defenderint: sensu autem *latiore*, speculative-atheos, qui, licet non constanter; palam tamen, negaverint Deum, duobus aut tribus plures

Atheismus theoreticus, triplex notatur.

res, fortè non reperias: *latissime* autem tales, qui *publicâ* professione, providentiam, justitiam aut bonitatem negaverint, paulò fortè plures numeraveris: qui *clam* sentiant sibi, & pro re nata offuciant suis; longè maximus ubique numerus est, in quo procul dubio sunt, Lucullus, Cæsar Vaninus, Joh. Spinosa, & qui se in Galliâ *Deistas*, aut *Spiritus fortes* appellant, quod se, adversus omnem sensum metumque providentiæ, pœnarum, aut remunerationem divinarum, *obfirmârint*. Et, si quos Gentilismus habuit *professione* Atheos, quales Diagoras, Protagoras, Theodorus aliique; hi potius Gentilium *Deos*, seu πολυθεότητας; quam *Deum*, seu θεότητα, negârunt, teste Mornæo nostro, *de Verit. Relig.* cap. 1. Quin Theodorus ille, à profanitate ἔξοχως *Atheus* appellatus, secundum Laërtium, ab *Atheismo*, prolapsus est in *Authotheismum*, adeo sibi non constabat de Atheismo. Alii *dubitârunt* potius, quam *negârunt* Deum esse, quibus Protagoras accensendus, qui, quod sui problematis exordium feciisset: *De Diis quidem, statuere nequeo, an sint, nec ne*; ab Athenienses in exilium missus est. Cum quo numerare possis, *Clementem septimum* Papam, qui in agone constitutus, se propemodum determinandum profitebatur, de tribus istis, sibi per omnem vitam dubiis, scil. 1. Num Deus sit? 2. Num anima immortalis? 3. Num cœlum & infernus? Ut de eo, haud abs re, ipse pronuntiârit Bellarminus: *quantum capio, quantum sapio, descendit ad inferos.* Ast vero *Practice*-athei, qui dubitant Deum esse, mallent non esse, hoc agunt, ut omnem numinis sensum metumque excutiant, qui *ventrem Deum* sibi constituunt, & ita vivunt, acsi Deum non esse, perfecte sentirent; indies ubique, catervatim oculis nostris, inter ipsos Christianos, & in omnibus Europæ partibus, obversantur, ostendente κατὰ πλάτος, Spicelio in suo *Scrutinio Atheismi*, a Sect. v. usque ad XIII. Agit de his potissimum S. Pagina Psal. x. 4. & XIV. 1. Eph. II. 12. Phil. III. 19. 2. Tim. III. 4. Tit. I. 16. &c.

Atheismus practicus.

Secundo, sex ad versus Atheismum motivæ.

XXV. Tenemus, quid sit, & quotuplex Atheismus. Jam, quibus rationibus, tam sollicite sit evitandus; docere possit, vel solus ferme Psalmus XIVtus. hujus negotii quasi sedes. Scil. quod 1. *Stultos* reddat & amentes. 2. *Corrumpat* hominem, animâ tenus, corpore ac totâ vita & conversatione. 3. *Abominabilem* reddat Deo, pariter & hominibus. 4. Ineptum, *qui faciat* quicquam *boni*, h. e. ad ullum officium, seu pietatis, seu humanitatis, contra projectum ad quævis scelera, quæ recensentur Psal. x. 5. Diris simis, hominem *exponat*, Dei *comminationibus*. Unde cum Atheismo, exitium connectit Paulus Phil. III. 19. & Psaltes imprecatur, ut *conterat Deus, brachium impii & mali, quærat impietatem ejus, tantisper, dum non inveniat amplius* Psal. x. 15. Quin 6. horrendis subjicit Dei *judiciis*, usque adeo, ut Guiliel. de Assonville in *Atheomastige* lib. 1. cap. 15. pronunciare non dubitet, vix nominari posse Atheum, seu in Scripturis sacris, seu in ecclesiastica historia, seu in scriptis ethnicis, quin horrendum consecutus fuerit exitum. Imprimis memorandum habet Calvinus exemplum, *Comment.* in Psal. CXV. 16. *Accidit*, inquit, *nobis cœnantibus, in quodam diversorio, ut profanus Dei contemptor, sermones nostros, de spe cœlestis vitæ, deridens, subinde ludibrium hoc evomeret: cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum: illic, repente correptus torminibus, ceperit vociferari, O DEUS! O DEUS! atque, ut erat patulo gutture; sic boatu suo replebat totum cœnaculum. Ego, qui in eum severe excandueram, perrexi meo more, stomachose denuncians, ut tum saltem sentiret, non impune Deo illudi; unus è convivis, homo probus & religiosus, sed tamen facetus, tunc ait, Deum invocas, an Philosophiæ tuæ oblitus es? cur non in suo cœlo, Deum sinis quiescere?* Homogenea exempla, sat magnâ copiâ, promit Spicelius *Scrut. Atheism.* Sect. XXIX.

Tertio Atheismi remedia pro hylactica.

XXVI. Restant Atheismi *remedia*, utriusque generis, scil. tam *prophylactica*; quam *therapeutica*. In prophylacticis evitandæ: *Primò opiniones*, directe seducentes ad Atheismum, quales, inter complures alias, sunt (a) *quemque, in suâ servari posse Religione*, quam, sollicitè vitandam, monet Apostolus Eph. IV. 14. 15. Mich. IV. 5. (b) *Providentiam* divinam, non omnibus advigilare ac singulis minutiis, singulatim, non singulis hominum operationibus Psal. XCIV. 7 -- 12. seu malas puniendo, seu bonas remunerando Psal. LXXV. 7. (c) *Immortalitatem* animorum, figmentum esse Eccl. III. vers. 19. *Secundo praxis* impietatis, quâ homo, seipsum inordinatè diligens, & propter se, peccata; primò *legem* Dei, suis peccatis inimicam, hinc Legislatorem, odio prosequitur, unde denique, Dei non-existentiam, quam admodum vellet, animo volvere, sibique persuadere incipit.

Causæ Atheismi; tum generaliores.

Tertiò causæ Atheismi, tam generales, quam speciales: existentibus in *priori* ordine: 1. Nefariis Atheismi *præceptoribus*, qualis olim Cæsar Vaninus, cum tredecim nebulonibus sociis, Neapoli, per omnem Europam, ad virus illud spargendum, emissis. Referente Mersenno, *in Genes.* & nuper in Batavis Bened. Spinosa, collegiis etiam Atheisticis celeberrimo. 2. *Libris* ejusdem commatis, inter quos famosus, de *Tribus Impostoribus*, quem Petro Aretino tribuunt, Godofredi à Valle liber *de arte nihil credendi*: imprimis Spinosæ *Tractatus Theologico Politicus*, Vanini *Amphitheatrum æternæ providentiæ*. 3. *Colloquiis* lubricis, de Deo, providentiâ ejus, animæ nostræ immortalitate: in quibus nobilis est, disputatio quodlibetica, coram Leone X. habita; ubi ex duobus, alter omnibus

rationibus probavit Deum esse; alter negavit, Pontifex tandem pronunciavit: *tua quidem opino verior est, sed tua facit hilariorem vultum.*

Tum specialioribus quatuor:

1. XXVII. In ordine causarum Atheismi *specialium*, *primum* locum obtinet, sacrilega *sacri Codicis elevatio*, suggillatio, tortura, ex quacunque causâ, quales Petri Bembi ad Sadoletum, Scripturas enarrantem: *Omitte has nugas; non decent virum gravem, tales ineptiæ*; Lazari Bonamici: *se odas Pindaricas præferre Psalmis Davidicis*; Angeli Politiani: *Semel perlegi librum istum* (Scripturam) *& tempus nunquam pejus collocavi.* 2. *Secundum*, profana Machiavellistarum, Hobbesianorum, Pseudo-politicorum Religio, eorumque omnium, qui Religionem omnem, tantum pro instrumento, conservandi statum civilem, habere non verentur. Quorsum etiam Theodorus Reinking. *De Regim.* lib. II. cap. I. n. 48. referre videtur ipsam, quam appellant, RATIONEM STATUS. 3. *Tertium*, crebra *Religionis mutatio*, seu transitus, de secta in sectam, quæ in *Atheismum*, tandem semet exonerat: haud secus ac Polytheismus, tam simultaneus, quam successivus, tandem desinit in Atheismum. 4. *Quartum*, perversa illa, *sapientiæ naturalis* tractatio, quâ plurimi, molimine temerario, dicam an insano, sic omnia, intra naturæ terminos, compingere, causasque duntaxat secundas, posthabita prima, observare non verentur; ut absque Rectore summo, cuncta suopte ingenio, hos aut illos cursus peragere, sibi persuadeant: in quos alludere videtur Petrus 2. Epist. III. 3. 4. 5. Quique sic, causas rerum *naturales* rimantur, ut *supernaturales* & miraculosas, sic satis tollant, quo nomine, egregios alioquin naturæ mystas, Medicos & Philosophos in Italiâ, Atheismi notavit, delectus Romæ Cardinalium consessus.

Atheismi remedia therapeutica, quinque.

XXVIII. Jam, quod remedia attinet *therapeutica*, Atheismo, ubi jam est, pellendo nata; efficacissimè egeris, si: 1. argumentis invictis, Athei animum convincas, *esse Deum*, & Dei providentiam. Si 2. ejus ratiunculas in contrarium, solidè expugnaveris. Si 3. librum naturæ, ejusque tria quasi folia; cœlum, terram, maria cum contentis, prudenter ei explicueris. Si 4. librum Scripturæ, menti & oculis ejus, ubique objeceris, quo solo stratagemate, Franciscum Junium, tum Atheum, post Celeberrimum Theologum, Pater suus, ab Atheismo revocavit ad Religionem, objecto ejus oculis, in singulis conclavibus, Bibliorum volumine. Denique 5. si precibus Deum fatigaveris, qui tuis conatibus, in conversione Athei, suâ adspiret benedictione.

Secunda praxis, de ignorantia Dei.

XXIX. *Secunda* praxis, *ignorantiam* Dei respicit, omnibus quoque modis fugiendam. Quod si enim tot modis, per §. XVII. *necessaria* est Numinis cognitio: totidem certè, periculosa erit, ejus *ignoratio*. Ignoratio inquam (a) *simplex*, seu negativa, seu privativa *veri* scil. Dei Gal. IV. 8. Jes. XLV. 4. 5. (b) *Affectata*, seu qualificata Job. XXI. 14. 2. Pet. III. 5. Exod. V. 2. (c) *Practica*, qua plurimi quidem, nôrunt Deum cerebro, aut lingua; cognitione scil. frigida & otiosa, ignorant, *affectu* & *effectu* Tit. I. 16. Matth. VII. 21. Cavenda sedulo, *omnis* ista ignorantia; quod (1) Deo conquerente, infra *bruta*, hominem dejiciat Jes. I. 3. (2) ineptos reddat, ad *credendum* Heb. XI. 6. Rom. X. 14. Eph. IV. 18. (3) ad *quærendum* Deum, ἐκζητεῖν: ignoti enim nulla cupido Joh. IV. 10. (4) ad *inveniendum*, seu perveniendum ad Deum, προσέρχεσθαι. (5) ad *placendum* Deo, εὐαρεστῆσαι. (6) ad *experiundum* Deum, μισθαποδότην. (7) exponit nos periculo idololatriæ Gal. IV. 8. (8) collocat nos, extra communionem *fœderis* gratiæ Jer. XXXI. 34. (9) obnoxios facit, quibusvis maledictionibus & plagis: hîc Hos. IV. I. 2. 3. Jer. X. 25. Psal. LXXIX. 6. & (10) æternis flammis, posthac 2. Thess. I. 8. Quamobrem, ut ei succurramus, ejus causæ ac scaturigines, veniunt observandæ, puta 1. φρόνημα σαρκὸς. I. Cor. II. 14. 2. Cor. X. 5. 2. impietas Jes. XXVIII. 9. 3. defectus institutionis fidelis Act. VIII. 30. 31. 2. Tim. II. 25. 4. defectus studii assidui 2. Tim. III. 7.

Quamobrem fugienda?

Tertia praxis, de exploratione cognitionis.

XXX. *Tertia* praxis, circa *scrutinium* distinetur, *veræ* cognitionis Dei. Cum enim, non *quævis* sufficiat, non *communis*; sed *salvifica* requiratur: exploratione opus est, ut sciamus, num *ullâ* saltem prædita cognitione Dei? & num tali? Cujus hæc suppeditat κριτήρια, textus: Si [1] fidem generet, εἰς μισθαποδότην Prov. III. 6. Si [2] appetitum erigat, ad *quærendum* agnitum, ἐκζητεῖν. Si [3] *perducat* ad Deum, εἰς προσέρχεσθαι, *ad accedendum*, h. e. ut inventum *recipiamus*, fide Joh. I. 11. 12. Si [4] studium excitet, in omnibus, εὐαρεστῆσαι τῷ θεῷ Jer. IX. 6. I. Joh. II. 3. 4. Si [5] verâ animi fiduciâ, in cognito aveat experiri Deum μισθαποδότην. Si porro 6. gaudeat, *salvificæ* cognitionis requisitis, & *affectionibus*: quales sunt (a) ut sit *experimentalis*, non solo auditu hausta, aut lectione librorum, aut revelatione alterius, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων Col. II. 18. sed ipso experientiæ *sensu*, & quasi *visione* Psal. XXXIV. 9. I. Pet. II. 3. scil. ἐν ἐπιγνώσει, καὶ πάσῃ αἰσθήσει Phil. I. 9. (b) ut sit *viva* & practica, non *lucem* tantum gestans; sed & *calorem*, sitque *lucerna ardens* Joh. V. 35. quâ *cor ardeat* Luc. XXIV. 32. & promptum fiat ad amandum, quærendum, colendum Deum *cognitum*. Nec proinde, *theoretica* tantum, frigida, sterilis, otiosa, quæ, in μορφώσει potius consistat; quam in δυνάμει 2. Tim. III. 5. quæ sit absque *charitate* I. Cor. XIII. 2. (c) ut sit *profunda*, nitens *fundamento Prophetarum & Apostolorum* Eph. II. 20. radicata in imo pecto-

pectoris Col. II. 6. 7. è cœlis accepta, scil. ἄνωθεν σοφία Jacob. III. 17. quâ, seipsum revelando, quasi *splendet in corde* Deus 2. Cor. IV. 6. non *superficialis* & *perfunctoria*.

XXXI. *Quarta* adhuc restat praxis, de *cura* cognitionis Dei Hos. VI. 3. Quæ, si: 1. *Personas* spectes, concernit *a. Magistratus*, ut non contenti, *sibi* cognitionem Dei parasse, *suis* etiam subditis, omni modo procurent; exemplo, evocatione doctorum qualificatorum, quin &, pro re natâ, institutione propriâ; cognitionem Dei conferre & augere, exemplo Mosis, Josuæ, Davidis, Salomonis aliorumque, studeant. β. *Ministros*, quibus, ex officio, ἐξοχὰς incumbit *cognitionem* Dei, illam nominatim, quæ *basis* est omnis fidei, Religionis ac pietatis, ex sententiâ textus: *Deum esse*: suis auditoribus instillare Joh. XIV. 8. 2. Pet. I. 1. 2. Phil. I. 9. γ. *Quemque* fidelem Ibid. Si 2. ad *cognitionem* Dei curandam: non acquiescat in qualicunque *communi* cognitione, quâ nôrit ὅτι ἐστὶ θεὸς; aut theoreticè tantum, superficialiter, frigidè & otiosè; sed enitatur ad *experimentalem*, vivam & profundam, quæ impellat, ad ἐκζητεῖν τὸν θεὸν, ad προσέρχεσθαι τῷ θεῷ, ad ἐναρέσκειν eidem, quo μισθαποδότην eundem experiatur: prout in præcedentibus monuimus. Si 3. *Curam* ipsam, ejusque partes; ut non modo, *comparemus* nobis cognitionem Dei; sed in ea, indies adnitamur, magis magisque *proficere* 2. Pet. III. 19. 1. Pet. II. 2. Col. I. 9. 10. Rom. XV. 14. 1. Cor. II. 4. 5. Si 4. Rationes suadentes istud *studium* cognoscendi Deum; suppetent (a) à *præstantia* ejusdem, quippe quæ præcipuum, dignitatis & *gloriationis* argumentum, nobis suppeditat Jer. IX. 23. 24. ob quam Paulus, quævis *susque deque* habebat Phil. III. 8. velut prærogativam æternæ *gloriæ*, ubi *videbimus* (hoc est cognoscemus) Deum, *facie ad faciem* 1. Cor. XIII. 12. imo prærogativam *Angelorum* Matth. XVIII. 10. Jes. VI. 1. 2. quam proinde tam impense Moses ambiebat Exod. XXXIII. 13. 14. (b) à *jucunditate*: sicut enim præcipua, præcipuæ animæ nostræ partis, *intellectus* scil. felicitas ac dulcedo, est in cognitione & sapientiâ; ita, quo præstantius est cognitionis objectum, eo magis dulcis ei accidit cognitio; unde in cognitione præstantissimi, non potest non esse, præstantissima dulcedo: ut non immerito, in perfectissima præcognitione, seu *visione Dei*, præcipua constituatur beatitudinis pars 1. Cor. XIII. 12. Joh. XVII. 3. Conf. 2. Pet. I. 19. (c) ab *utilitate*, quâ conducit A. ad *conversionem* 1. Tim. II. 4. 2. Tim. II. 25. 2. Pet. I. 20. B. ad *justificationem* Jes. LIII. 11. C. ad *sanctificationem*; ut *credamus* (secundum textum) ut *quæramus* Deum, ut *accedamus* ad Deum, ut *placere* studeamus Deo, ut non simus *otiosi* & *steriles*; sed *exuberantes*, *in omni officio* & pietate 2. Pet. I. 2. 3. 6. 8. D. ad *glorificationem* Joh. XVII. 3. E. ad omnis generis *benedictionem*, gratiam & pacem, obtinendam 2. Pet. I. 2. 3. seu, ut semper & ubique, Deum experiamur μισθαποδότην. F. à *perniciositate* ignorantiæ, de qua §. XXIX. Si denique 5. *Media*; juvabunt: (1) adminiculorum, tam *generaliorum*, quam *specialiorum*, quæ commemoravimus XXVII. XXVIII. constans & assiduus usus. Singulatim (2) suaserim, librum naturæ volvas, singulaque ejus folia, cœlum, terram, maria & in his omnibus involuta volvas, auctore Augustino: *Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem dispositionemque siderum, Solem diei sufficientiam, Lunam noctis solatium. Interroga terram, fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam. Interroga mare, quantis & qualibus aquatilibus, plenam! Interroga aëra, quantis volatilibus viget! Interroga omnia, si non, sensu suo, tanquam tibi respondent: Deus nos fecit.* Comprimis (3) constanter ac devotè volvamus librum Scripturæ, ubi se, quam fieri potest, perfectissimè, Deus nobis revelat, adeo ut quavis suâ paginâ, Deum clamet, monstretque. (4) Deum calidissimis votis fagitemus, ipse seipsum nobis revelet, cognitionem sui, ex promissione fœderis gratiæ, cordibus inscribat Jerem XXXI. 33. 34. Exemplo Mosis Exod. XXXIII. 13. 14. Conf. 2. Cor. IV. 6.

5. Media

CAPUT TERTIUM,

DE

ESSENTIA ET INDEPENDENTIA DEI.

EXOD. III. 13. 14.

Et dixit Moſeh ad Deum: Ecce ego ibo ad filios Iſraël, & dicam eis, Deus Patrum veſtrorum, miſit me ad vos: Et dicent mihi, quod eſt nomen ejus? Quid reſpondebo eis? Et dixit Deus ad Moſeh: ERO QUI ERO. *Dixit præterea; ſic dices Filiis Iſraël:* ERO *miſit me ad vos.*

Dicenda de Deo diſpeſcuntur.

I. Demonſtravimus *exiſtentiam* Dei, ejuſque cognoſcendæ modum; jam explicabimus *eſſentiam*. Quæ nobis innoteſcit, partim *nominibus*; partim *attributis*. De ſingulis ſingulatim. Omnibus tamen, velut in limine præmittemus, *eſſentiæ* divinæ *imperceptibilitatem*. Ut duo, hoc Capite, nobis incumbant explicanda: *imperceptibilitas* Eſſentiæ, & *eſſentia* imperceptibilis. Utrumque, quis felicius edocuerit, quam Deus ipſe? Ibi comprimis, ubi ex profeſſo, de ſe, Moſen inſtruere propoſitum habet. Nim. verbis præfixis. Exod. III. 13. 14.

Textus reſolvitur & exponitur

II. *In quibus, velut inſtrumentum fidei* (Credentialia vulgo appellant) *Moſi, ad Iſraelitas è ſervitute Ægyptiaca educendos, mittendo, à Deo, velut in manus traditur. Penes quod* tria *obſervamus:*

A. Suſceptionem legationis, *Moſi à Deo in præcedentibus oblatæ, quæ duplici conſtat officio:*

1. Profectione *ad filios Iſraël, ſibi à Deo demandatâ & ab eo declinatâ*, verſ. 10. 11. Ecce ego ibo ad filios Iſraël.

2. Nuncio *apud filios Iſrael, ſeu traditione credentialium ſuorum:* dicam, Deus Patrum veſtrorum, miſit me ad vos: *Qua Dominus legationis hujus deſcribitur*; tum a nomine *proprio* אלהים *de quo ſuo loco*; tam à relatione *quadam, ad majores Iſraëlitarum, ortâ à confœderatione cum iis:* Deus Patrum veſtrorum.

B. Remoram, *ſeu difficultatem, legationi objiciendam:* Dicent mihi, quod eſt nomen ejus? Quid reſpondebo? *Indigitat:*

Ab una parte, *difficultatem ipſam, quæ ſibi procul dubio, eſſet futura obvia:* Dicent mihi quod nomen ejus? *Scil.* ſeu incredulitate, *quâ, ſibi fidem non habendam, ſuſpicatur, ni prius nominis aliarumque circumſtantiarum ſciſcitatione, ejus veracitatem exploraſſent, adeoque, ante omnia, de* nomine *mittentis interrogaturos. Conf. Matth.* XVI. 1. & XXI. 23. 24. Seu curioſitate *carnali, quâ, extraordinarias Dei revelationes crepantem, percontaturi ſint, de divinâ* eſſentiâ, *& nomine quo illam inſigniret; quod colligi videtur è reſponſione divinâ, quâ curioſitatem cohibiturus, tale ipſi præſtat nomen ſuum, quod* eſſentiam *repræſentat. Simili curioſitate, olim de nomine Angeli, interrogat Jacobus Gen.* XXXII. 29. *& poſtmodum Manoach Jud.* XIII. 17. *Conferri poſſit* Prov. XXX. 4.

Ab. altera parte, *ſollicitudinem ſuam ſuper eâ difficultate:* quid reſpondebo eis? *Quaſi dicat: Eſſentiam tuam ego non percipio, non novi, ac proinde, nomine quoque repræſentare nequeo; quid agam?*

C. Remotionem *iſtius remoræ:* Et dixit Deus *ad Moſen.* Ero qui Ero. *Quaſi reprehenſurus,* tum curioſitatem *Iſraëlitarum, de eſſentia ſuâ, & eſſentiali nomine, quærentium; tum* ſollicitudinem *Moſis, hoc nomine adeo anxii; eo quod eſſentia ſua, quippe ſpiritualis & infinita, creaturis finitis, ſit imperceptibilis; adeoque nomen requirere, quod iſtud præſtet, prorſus ſit vanum. Hinc petitionem, quaſi aſpernabundus rejicit;* ſum qui ſum, *q. d. nihil hoc ad Iſraëlitas, nihil ad te. Ad eum fere modum, quo idem aliorum petitum rejicit Gen.* XXXII. 29. *Jud.* XIII. 17. *Prov.* XXX. 4. *Niſi malis, Deum his verbis petito Moſis annuere, quaſi dicat: vis nomen meum, quod* Eſſentiam *meam repræſentet* utcunque? *ens eſt:* אהיה אשר אהיה, ſum qui ſum, *vel* ero *qui* ero: *vel* ero qui ſum: *vel* ſum qui ero, *de quo nomine* Cap. ſeq.

Theorema

Theorema Primum.

DE

Essentiæ divinæ imperceptibilitate.

Pars dogmatica.

Quod essentia Dei sit imperceptibilis.

III. Sit ergo *primum* hujus Capitis theorema, q. præliminare, quod *ipsa Dei essentia, quid sit in se, intellectui nostro sit inaccessa.* Deum enim Israelitæ Mosen, & Moses Deum, interrogant de nomine, quod essentiam Dei repræsentet; quid innuunt, nisi sibi illam esse incognitam? Et dum Deus; *Sum* respondet *qui sum*, q. stoliditatem quæstionis redarguens, quid significat, nisi, quod sua essentia sit *incomprehensibilis*; eoque & *ineffabilis?* Id quod paulo etiam clarius, amicum suum Tzophar docet Job. xi. 7. *An investigatione Deum invenies? an usque ad perfectionem omnisufficientis pertinges?* Qui hinc dicitur *lucem habitare inaccessam*, quod *eum viderit nemo, nec videre possit* 1. Tim. vi. 16. Non modo non, oculis tantum *corporis*; sed nec *mentis* quoque, quippe *ἀπλῶς invisibilis* 1. Tim. 1. 17. Hinc Deus Mosi, posteriora sua ostendens, negat *faciem suam* (quâ personarum essentia, quam fieri potest, propriissimè dignoscitur) *videri posse* Exod. xxxiii. 20. 23. Quod hactenus quoque, apud omnes Christianos, contra *Anthropomorphitas*, fuit extra dubium, quando omnes agnoverunt, nos de Dei *essentiâ*, potius assequi quid *non* sit quam *quid* sit. Nec attributis, tam ipsam Dei *essentiam* cogitamus; quam aliquid *de essentiâ*; dicuntur enim attributa, ut suo loco ostendemus, de Deo velut *in esse quodam secundo*, quod essentiam, velut *esse quoddam primum*, præsupponit.

probatur.

IV. Rationes in hanc rem suppetunt, *primo*, ab ejus *simplicitate*, quâ unus est, simplicissimus ac purissimus actus, omnis compositionis expers, quæ proinde *positivè* concipi nequit. Quo spectare videtur Apostolus 1. Tim. vi. 16. cum, ex eo quod *lux* sit, in abstracto, non substantia *lucens*, in concreto; conficit eum *non videri*, nec *videri posse*: *Secundo* ab *infinitate*, per quam, ab intellectu finito, comprehendi aut percipi nequit. Quam distributione paraphrasticâ, huc urgere videtur locus citatus Jobi xi. 7. 8. 9. *Num usque ad perfectionem omnisufficientis pertinges? altior est cœlis, quid facies? profundior inferno, quid cognosces? longior terrâ & latior mari.* *Tertiò* à simplicissimâ ejus *unitate*, per quam, sic diversa est, ab omnibus creaturis, ut in nullo cum iis conveniat, in omnibus ab illis distet; ut à re nullâ, ideam essentiæ divinæ, possimus mutuare, adeoque nec *λόγον οὐσίας*, seu definitionem propriè dictam, (quæ non est, nisi *descriptio essentiæ*) formare. De quo paulò ab hinc plura.

Objectio.

V. Quæ objici possint inde, quod Deus visus sæpius dicatur in S. monumentis, à Sanctis; v. g. Abrahamo Gen. xviii. 1. Isaaco. Ibid. xxvi. 2. Jacobo Ibid. xxxii. 29. Mose Exod. xxxiii. 11. Jobo Job. xlii. 5. Jesaiâ. Jes. vi. 1. Michæâ. 1. Reg. xxii. 19. quod videndus olim credatur, à Sanctis Job. xix. 27. Quin *facie ad faciem* 1. Cor. xiii. 12. &c. intelligenda sunt, vel de *symbolica* visione, quæ non *essentiam*, sed operationem ejus, sub certis signis percipit: *vel* de humana *Christi* natura, & in eâ, ipsius *Dei* Joh. xiv. 9. per *ἐμπεριχώρησιν*: vel de *perfectiori* qualicunque, Dei cognitione in beatitudine, quæ, perfectione *visionem*, seu ocularem cognitionem imitabitur, quin superabit; nequaquam autem, ipsius *essentiæ* visionem, aut perceptionem inferunt.

Explicatur sensus thematis.

VI. Interim tamen, quo theorematis nostri mentem, dexterius assequamur; observandum: 1. Sermonem esse, non de *Deo*; sed præcisè de *essentia* Dei, quatenus, in sensu *formali*, concipitur ut diversa ab attributis, subsistentia, actionibus; quæ cuncta, in sensu *identico*, coincidere, receptum est. Seu quatenus concipitur, ut subsistactum quid, aut *esse primum*, quod attributa ejus, *quasi* perficiant. Tum 2. De essentia, non *quod* sit; id enim intellectus noster, multis modis clarissimè perspicit; sed *quid* sit: & quidem *in se*, non autem in attributis suis, quatenus illa concipiuntur, ut diversa ab essentiâ. De tali demum, essentiæ divinæ *quidditate*, pronunciamus 3. Quod intellectui nostro, sit *inaccessa*, per rationes præcedentes: hoc est, cognitione, nec *comprehensiva*, nec *apprehensiva* attingi a nobis possit. Cum nec Angelorum, nec animæ propriæ essentiam, tali mode, assequi valeamus.

Pars elenchtica.

Quæritur, An Essentiæ conceptum positivum habeamus?

VII. Quæritur *primo*. An, *essentiæ* divinæ, conceptum *positivum* habeamus? Conceptus *positivus*, opponitur conceptui *negativo*: sic, ut illo, cogitemus, *quid sit* res à parte sui: hoc, *quid non* sit. Cartesius cum suis, quia existimant: 1. *Essentiam* divinam, non consistere, nisi in mera cogitatione infinita. 2. Hominem, in mente sua, gestare ideam *entis infiniti*. 3. Nihil omnino, admittendum esse, nisi quod clare ac distincte percipimus: statuunt, nos *positivum* conceptum habere, de ipsa *essentia* Dei. Reformati communiter, quamvis admittant conceptus *positivos*, de attributis Dei nonnullis: de ipsa tamen *essentia* Dei, non agnoscunt, nisi conceptus *negativos*, quibus, de ea tenemus, potius quid *non sit*; quam *quid sit* in se. Fundamenta hujus sententiæ, jam ante deposuimus §. iv. Nec adjicimus nisi hoc unum, quod,

cum ne animæ noſtræ, licet finitæ, *talem* habeamus conceptum, quin, nec eſſentiæ *formaliter* caninæ aut bovillæ, dicam, rei ullius, niſi ex attributis, proprietatibus & operationibus, v. g. canis ex latratu: quid haberemus, de *eſſentia* divina? infinitum ab anima noſtra, atque omnibus aliis, diverſa. Si, pro ſe, dicant Carteſiani: 1. Quod eſſentia Dei, conſiſtat in cogitatione infinita, cujus conceptum habeamus *poſitivum*; regerimus: α. falſum eſſe, quod eſſentia Dei, conſiſtat in mera cogitatione, quod, penes Theorema ſubſequens, ex profeſſo demonſtrabimus. β. Et ſi conſiſteret omnino; inter cogitationem tamen divinam, & quarumvis creaturarum, infinitum manet diſcrimen, per quod a creaturarum cognitione, conceptum non potes formare, de cogitatione Dei, juxta Jeſ. LV. 8. Si dicant 2. Interim conceptum aliquem habemus, de Deo & eſſentia divina; ſeu, quod idem eſt, ideam aliquam eſſentiæ divinæ. Reſp. Habemus utique; ſed *quod ſit*, non autem, *quid ſit* in ſe. Habemus conceptum, quod exiſtat, per rationes, capite præcedente repræſentatas & vindicatas, adeoque quod habeat eſſentiam quandam. Habemus conceptum, ejus *quid non* ſit, v. g. Non materialis, non dependens, non mutabilis, non compoſita, non finita. Habemus item conceptum, & quidem poſitivum, proprietatum ejus, v. g. intellectus, voluntatis, bonitatis, amoris, gratiæ, miſericordiæ, juſtitiæ, ſanctitatis, omnipotentiæ..... His junctis, habemus qualemcunque conceptum, *qualis* iſta ſit eſſentia, ſed ipſius eſſentiæ, *quid* ſit in ſe, nullum conceptum habemus omnino. Haud ſecus, ac Solis habemus conceptum, *quod* ſit, ex viſione, & ex effectis, quos ciet in his ſublunaribus; ſed ipſius eſſentiæ, *quid* ſit in ſe, ſit ſolida, an fluida: ſitne ignis, proprie ſic dictus, hæc altum ignoramus. Si dicant 3. Nihil nobis eſt admittendum, cujus non habemus, claram ac diſtinctam perceptionem: eſt enim talis perceptio, omnis veritatis norma; proinde, ſi non habemus conceptum poſitivum eſſentiæ divinæ, erimus omnes Athei. Reſp. 1. nihil nobis eſſe proprie admittendum, niſi, clare ac diſtincte perceperimus, tamdiu negamus, donec ὅτι ἐξ ἐναντίας, ſolide demonſtraverint. Item 2. claram & diſtinctam perceptionem, eſſe normam, omnis veritatis admittendæ. Poſſumus admittere, v. g. Solem habere eſſentiam, quamvis neſciamus *quid* & *qualis*, ſit illa eſſentia. Adeoque, nequaquam erimus Athei, dum novimus, quod ſit Deus, & quod habeat eſſentiam; licet nos lateat, quid ſit iſta eſſentia à parte ſui.

2. An habeamus Ideam repræſentativam Dei aqualem?

VIII. Poſſet hîc recurrere quæſtio: an detur in nobis, *idea* eſſentiæ, divinæ, quæ, ſecundum eſſe ſuum repræſentativum, ſeu ideale, cum eſſentia divina, ejuſdem, ſit perfectionis infinitæ, cum ipſa eſſentia divina? Quod affirmat Carteſius, cum ſuis; negant communiter Reformati: verum, cum iſtam quæſtionem, dudum capite præcedente, in utramque partem, ventilaverimus; ſufficit impræſens, eo lectorem remiſiſſe.

3. An Deus definiri poſſit.

IX. Quæritur 3. An Deus proprie definiri poſſit? cum enim, proprie dicta definitio, ſit λόγος οὐσίας, *repræſentatio eſſentiæ*, & eſſentia divina, ſit imperveſtigabilis; non inepte hic excutitur, hæc controverſia. Joh. Scotus, cum ſuis Scotiſtis, quia exiſtimat, nos conceptum habere poſſe, entis infinitum perfecti, & eum etiam, verbis repræſentari poſſe; affirmat. Conradus Vorſtius, cum ſuis Socinianis, quia ſtatuebat Deum eſſentia finitum, & in ſolo cœlo exiſtere, atque inſuper compoſitum; itidem affirmat. Carteſius cum ſequacibus, quia eſſentiam Dei, conſtituebat, in cogitatione infinita; hinc *cogitationem infinitam*, pro definitione proprie dicta habebat. Reformati diſtinguunt, inter *deſcriptionem*, & *definitionem*, ſic, ut *deſcriptio*, ſit repræſentatio rei, ex ſuis attributis ſeu proprietatibus, ut ſi v. g. hominem dicas, eſſe animal bipes implume: hujuſmodi deſcriptiones Dei, lubentes agnoſcunt, ut ſi v. g. Deum dicas, eſſe *ens abſolute primum*, aut Spiritum à ſe: ſed *definitionem* proprie dictam, qua, ejus eſſentia, repræſentetur, ut eſt in ſe, nequaquam largiuntur. Quia (1) Eſſentia Dei, eſt *imperceptibilis*, ut demonſtravimus §. IV. proinde, per definitionem, irrepræſentabilis. (2) Quia, nec *genus* datur univocum, in quo, Deus cum creaturis, conveniat, eo quod infinitum ab omnibus diſtet: nec *differentia*: quâ differat; cum, non in hoc aut illo; ſed in *omnibus*, diſtet ab omnibus. Quæ tamen duo, ſecundum omnes Logicos, hujuſmodi definitionis partes, exiſtunt eſſentiales. (3) Quia definitio proprie dicta, *compoſitionem* arguit, generis ſcil. cum differentiâ: quæ compoſitio, cum componentem præſupponat, ut priorem; cum ente abſolutè primo, conſiſtere nequit. (4) Quia eadem opera, *finitudinem* infert, & limitationem: non tantum intellectus noſtri, *de definito*; ſed ipſius etiam *definiti*. Atque etiam (5) actum arguit, & *potentiam* in Deo: cum genus, ſeſe habeat ut *potentia*, quæ auctuatur per differentiam. Denique (6) *imperfectionem* quoque: eo quod, *primò* genus concipiatur, quaſi in *potentiâ*, actuandum & *perficiendum*, per differentiam: tum *ſecundò* differentia, quamvis ut perfectior concipiatur genere; utraque tamen pars, imperfectior præſupponitur toto *definito*.

Objectiones tres.

X. Nec eſt quod abjiciant: 1. Nos poſſe habere *ideam Eſſentiæ* divinæ, nobis actu præſentem, atque eam quoque, verbis poſſe exprimere, quod eſt *definire*: præterquam enim, quod præſupponat, id quod eſt in quæſtione, ſcilicet, nos *ideam* proprie dictam habere, eſſentiæ divinæ; etiam, ex ideâ qualicunque, non ſtatim conficitur, *definito* propriè dicta; cum idea poſſit eſſe, ab acci-

accidentibus rei; dum interim *definitio* talis, est λόγος οὐσίας. 2. Quod *Ens summè perfectum*, sit definitio Dei. Cum non tantum, *Ens* non sit genus *univocum*; sed etiam, essentiam Dei, non tam *explicet*; quam *proponat* tantum: atque insuper *summè perfectum*, tantum relationem Dei, videatur exprimere, qua omnes creaturas, perfectione excedat. Ex quo proinde, non accuratior emerget definitio, quam si hominem dixerim, *ens in sublunaribus perfectissimum*. 3. Saltem *cogitationem infinitam*, præstare talem Dei definitionem. Nec enim Essentia Dei, magis consistit in *cogitatione*, quam v. g. in reprobatione; nec *finitum & infinitum*, tam sunt affectiones *actionis*; quam quidem agentis: quæ per ideas nostras, seu per claras ac distinctas perceptiones, perpetuo differunt. Plura istius generis habet *Gangræna* nostra. Sect. II. Cap. V.

Pars practica.

Praxis prima cohibet curiositatem carnalem.

XI. Praxis *prima*, theorematis præliminaris *reprimit* vanam illorum *curiositatem*, qui, *seu* otioso, se altiora sciendi desiderio, satisfacturi: *seu*, ut vulgo sapientiores videantur: 1. curiosius, *essentiam* divinam, aliaque homogenea, nobis inaccessa, scrutantur Exod. III. 3. & XXXIII. 18. Joh. XIV. 8. quasi *scrutando*, *Deum inventuri*, & *usque ad perfectionem omnisufficientis*, *perventuri* Job. XI. 7. Hinc 2. audacius de eadem pronunciant, v. g. essentiam divinam, non esse nisi *cogitationem*: scil. *ultra id quod scriptum est*, *sapientes* 1. Cor. IV. 6. ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατεύοντες Coll. II. 18. Tum 3. ideas, infinitæ *essentiæ* divinæ, quoad esse *repræsentativum*, Deo prorsus adæquatas, jactant. Nunquid hoc est, ad *perfectionem omnisufficientis eniti?* Ad *abscondita* Dei adspirare Deut. XXIX. 29.? *Curiositas* ista (1) reprehenditur, ab ipso Deo Exod. III. 4. 5. & à Servatore Joh. XIV. 8. 9. 10. (2) prohibetur sic satis Exod. XIX. 21. Est (3) non tantum, *ultra id quod scriptum est*, *velle sapere* 1. Cor. IV. 6. & ultra, quam *oportet* Rom. XII. 3. sed etiam (4) stulto fastu, quod infinitum est, velle *comprehendere* Job. XI. 7. (5) non alio spectans; quam hominibus, vano scientiæ typho, inflandis 1. Cor. VIII. 1. (6) prima, omnis idololatriæ, scaturigo, indigitante ipso Deo Deut. IV. 15. 16. & exemplo Gentilium Rom. I. 22. 23. Dum scil. homines, fictitiam Dei speciem, simulacris & imaginibus, oculis repræsentare adnitebantur, quibus, *divinos postmodum* honores, deferendos judicabant. Proinde (7) Isti curiositati cohibendæ, mortis pœnam, Deus *dictat* Exod. XIX. 21. Atque (8) etiam aliquando *inflixit* 1. Sam. VI. 19.

Quam obrem illa cavenda.

Secunda, erigit modestiam.

XII. *Secunda hortatur*, *ut modestiæ* operam demus, cum circa *essentiam*, & essentialia Dei distinemur. Quæ his particulis exercetur: 1. Ut ad eorum meditationem, nos non accingamus, nisi sollicitatâ ante, *directione* illuminationeque divinâ Eccl. V. 1. 2. Cor. IV. 6. exemplo Davidis Psal. CXIX. 18. 2. Nec, nisi pio *timore* ac sollicitudine, in eâ occupemur, quod *periculosum sit*, *etiam vera de Deo loqui*. Quemadmodum circa Deum, occupabatur Abraham Gen. XVIII. 31. Nec 3. nisi consultis divinis elogiis, hîc quicquam pronunciemus Exod. III. 13. 14. *Si dicent quod est nomen ejus*, *quid respondebo?* 4. Agnitâ ubique, mentis *cæcitate* ignorantiaque Prov. XXX. 3. 4. Atque adeo (5) quasi *extractis* calceis Exod. III. 5. 6. & *obvelata* facie, exemplo Angelorum quoque Jes. VI. 2. 3. Istam modestiam (a) Deus exigit, in his, qui *propinquant* ad se Levit. X. 3. Exigit (b) *natura rei*, ut nimirum. homuncio, circa Deum divinaque occupatus; modestiæ studeat. Si enim calcei, a Mose reverenter erant exuendi, propter locum in quo consistebat, quod sanctus erat; quidni magis, propter Deum ipsum, quicum agimus? Exod. III. 5. & XIX. 10. 11. Exigunt (c) *judicia* Dei, in eos, qui res divinas, parum reverenter tractârunt Exod. XIX. 12. in Corah, Dathan & Abiram Num. XVI. imprimis vers. 35. Usâ 2. Sam. VI. 6. 7. Bethsemitis 1. Sam. VI. 19. Uziâ 2. Paral. XXVI. 16--20. 6. Denique, quo ad istam modestiam, magis reddamur promti; juvabit, hæc inter alia, usurpare *media*: α. ut essentiæ divinæ, & essentialium divinorum, *majestatem*, religiose conferamus, cum nostra *vilitate*, exemplo Abrahami Gen. XVIII. 27. Tum β. ut infinitam ferìò volvamus, Dei & rerum divinarum, ab intellectu nostro, *distantiam*: scilicet, *altior est cœlis*, *quid operaberis? profundior inferno*, *quid cognosces? longior terrâ*, *latior mari*. Job. XI. 8. 9. Ut hîc liceat usurpare πολυφύλλινον: *Deus infinitus est*, *nos finiti*. Conf. 1. Cor. I. 23. Rom. VIII. 7. Hinc γ. cogitemus, quam promptum sit, in rebus adeo ab ingenio nostro remotis, falli 1. Cor. II. 14. & quam etiam periculosum noxiumque, in rebus tanti momenti cespitare & *errare* Job. XLII. 7. Hæc præliminariter dicta, sufficiant.

Rationibus impulsivis.

Admiculis.

Theorema

Theorema Secundum.

DE

Ipſa Dei Eſſentiâ ſeu independentia.

Pars Dialectica.

Eſſentia Dei eſt, quâ ens eſt abſolutè primum.

XIII. Quamvis autem, per theorema præcedens, eſſentia Dei, prout eſt in ſe, ſit inperceptibilis; nihilominus tamen, ut ad imbecillitatem mentis noſtræ, quantum fieri poteſt, ſeſe componeret Deus, ne ſcil. nihil omnino, de ea perciperemus: voluit eam, tali nomine deſignare, quod eam commodiſſime referret, quod nim. ſit, *ὁ ὢν exiſtens*, vel *τὸ ὄν, ens*, ſcil. quod non ſit ab alio quovis, ſeu, quod ſit *abſolute primum*, ſeu penitus independens, ab alia quavis cauſa priore, h. e., *efficiente*, à qua ſit; *materiali*, ex qua fuerit efformatus; *formali*, per quam ſit, quod eſt, & *finali*, in quem ſit deſtinatus. Hoc Moſi, ipſum interroganti, quod ſit ejus nomen, ſcil. *eſſentiale*, ſignificatum voluit, quando reſpondit אהיה אשר אהיה, *ero qui ero*; vel, *ſum qui ſum*; vel *ero qui ſum*; vel, *ſum qui ero*. Ut ſignificet, ſe illum eſſe, ſeu talem habere eſſentiam, quæ omnibus temporum differentiis, coëxiſtat, prout eſt in æternitate. Unde, pro nomine, ad Iſraëlitas deferendo, ſibi tribuit אהיה, *ero*, ſcil. ſemper *idem* Pſal. CII. 27. 28. אתה הוא, *tu ille* הוָא ubi: וא, ab ה *fuit*, quod Caballiſtis, inter nomina Dei, numeratur. Hinc poſtmodum, ſe Moſi appellat יהוה, additque, hoc eſſe *nomen* SUUM, atque etiam *memoriale* SUUM, adeoque ſibi proprium, ut nulli velit eſſe commune Jeſ. XLII. 8. De quo nomine, ſuo loco plura ex profeſſo. Dictorum ſumma, huc abit: ſignificatum Moſi, Deus voluit; ſe *eſſe*, ſcil. *ἐξόχως*, ſe habere *eſſentiam*, imo ſe ſolum, *eſſe eſſentiam*, ſcll. *univerſalem*, & à ſe, dum omnes creaturæ, particulam tantum eſſentiæ habeant, aliarumque creaturarum eſſentiâ, deſtituantur, & earum ratione, potius non habeant eſſentiam, quam habeant: ſe *talem* habere eſſentiam, a qua, omnis omnium eſſentia, derivetur, pendeat: ſe talem habere eſſentiam, quæ à nemine, & a nullo ſit, ac proinde, ens eſſe *primum*, non in hac tantum, aut illa ſpecie, ſic ut Adamus fuit inter homines; ſed *abſolute* primum.

Probatur Scripturis.

XIV. Idem *παραφραστικῶς*, Johannes indigitat Apoc. I. 8. *Ego ſum α & ω, dicit Dominus* (Jehova) *Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, & Cap. XVI. 5. Addito etiam Cap. XXI. 6. *principium & finis*, atque inſuper Cap. XXII. 13. *primus & ultimus*. Idem jam ante habebat Jeſaias Cap. XLIV. 6. *ſic dicit Jehova* &c. *Ego primus & ego ultimus, & præter me non eſt Deus.* & Cap. XLI. 4. Conf. Prov. VIII. 22--30. Pſal. XC. 2.

Et rationibus duabus: Prima, ſubordinatio cauſarum primum arguit.

XV. Nec abludunt rationes: *primò* enim, Deum eſſe *ens à ſe*, ens per eſſentiam, & abſolutè primum, ſana Philoſophia, præſupponit potius, quam demonſtrat. Dato enim, quod in omnium oculos incurrit, eſſe rerum quandam ſubordinationem, &, quoad eſſentias, à ſe invicem *dependere*: conceſſo inſuper (quod, ſuppoſito *dari Ens* aliquod; negari ullâ ratione, non poteſt) iſtam dependentiam, non poſſe protendi *in infinitum*; quod ſecus, res nulla poſſet exiſtere, eo quod infinitus ille, cauſarum præcedentium numerus, nunquam completus, exiſtentiam cauſæ proximæ, excluderet, à qua, effectus exiſtentia, dependet: ſtante porro, quod nihil poſſit eſſe *ſui* ipſius *cauſa*; quippe quod, contradictionem apertè involvit, eo quod dicat, idem ſimul exiſtere (quatenus nim. *producit*) & non exiſtere, (quatenus producitur) admiſſo denique, quod creaturæ, *per circulum*, ſibi invicem, non potuerint eſſe, ſuæ exiſtentiæ cauſæ: propterea quod & hic *circulus*, eam quam modo notavimus, contradictionem connotet: non poteſt non remanere, eſſe aliquod *ens à ſe*, per eſſentiam, *abſolutè primum*, quod omnia produxerit, ſe nequaquam: illud porro Ens, Deum eſſe præſupponimus *ἀπὸ τῆ κοινῆ*.

Secundo, quia in hac primitate omnia Dei attributa fundantur.

XVI. Tum *ſecundò*, hoc ipſum eſſe, quod per *eſſentiam* Dei, quam commodiſſimè cogitare queamus; inde patere poſſit: quod ſit, ex *unâ parte* receptum, id *eſſentiam* rei, commodiſſimè appellari, in quò, omnia ejus attributa fundantur, & à quo, ſuum quaſi ortum capiunt; ex *alterâ* parte: omnia Dei attributa, in hac *aſeitate*, independentiâ, & primitate, fundari; quod ſic, per inductionem patere poſſit: 1. *Unitas*, quod enim eſt ens *abſolutè* primum, non poteſt non eſſe *unum*: ſin plura talia concipiantur, neutrum erit *abſolutè* primum, quoniam non præcedit aliud. 2. *Immutabilitas*; ſi enim mutaretur, mutaretur ab alio, atque id eatenus, procul dubio, prius foret *abſolutè* primo, quod contradictorium. 3. *Infinitas*, quod enim finitur, ab *alio* finitur, nihil enim ſeipſum finit, ſuamque perfectionem limitat, & illud *aliud*, certè *prius* foret, abſolutè primò. 4. *Simplicitas*, quod enim componitur, ab *alio* pariliter componitur, ſe priore. 5. *Vita*, cum enim vita, nil in conceptu ſuo, involvat imperfectionis; non poteſt non com-

competere ei, quod *simpliciter* est à se, & cui proinde, ab alio non potest negari, hæc perfectio. Eâdem consequentiâ 6. *Intellectus*, quod ὁμολογουμένως, intelligere perfectius sit, quam non intelligere. Atque etiam 7. *Voluntas*, eo quod operari ἐκ προαιρέσεως, omnibus fatentibus, perfectius sit, quam agere per *naturam*. Pariter 8. *Omnipotentia*, qui enim se priorem non recipit, ejus quoque potentia restringi ac limitari nequit. Similia 9. facili negotio demonstraveris, de virtutibus intellectus ac voluntatis, *sapientiâ*, *bonitate*, *gratiâ*, *sanctitate* aliisque: quæ, cum citra omne dubium, absolutam sonent perfectionem, ab ente absolutè primo, secludi nequeunt; quod, si secluderentur, ab alio secluderentur, quod absolutè primo prius fieret.

XVII. Jam, quo mentem theorematis, dexterius assequamur, observandum: 1. *Essentiæ* voce, non aliud nos velle, quam quod Scriptura per θεότητα Col. II. 14. per θειότητα Rom. I. 20. per φύσει Gal. IV. 8. per μορφὴν θεοῦ Phil. II. 6. designat. Ut *Essentiæ* vocem, non profanè de Deo usurpemus, prout Trinitatis nonnulli adversarii, ejus odio, calumniantur. 2. Per Essentiam Deum esse, non ὃν simpliciter; sed ὁ ὤν, ἐξοχῶς. Scil. non *nominaliter* tantum, quomodo, id quoque *ens* dicitur, quod non existit; sed *participialiter* quoque, ut intelligatur ens actu *existens*. Eâ tamen lege, ut non in *concreto* capiatur, ut compositum quid, ex essentiâ & existentiâ; sed in *abstracto*, ut *existentia* idem sit, quod *essentia*. Et hinc, Deum dicimus, esse *Ens per essentiam*; seu, quod idem est, *existentiam* esse de *essentia* ipsius: cum non possimus cogitare, essentiam perfectissimam, quæ non existat. Et 3. per ens *tale* non volumus, nisi quod sit *Ens à se*, non utique *positive*, quasi Deus, sui suæve essentiæ, sit *causa* producens: cum hoc, apertissimam involvat contradictionem, ut diximus, & dicemus; sed *negative* tantum, quatenus non est productus ab alio. Atque hinc 4. addimus, eum esse *Ens primum*, per essentiam; non utique in *suo* tantum *genere*, quo sensu, in omnibus speciebus, est aliquod primum, ut v. g. Adamus in specie hominis; sed *absolute* in *omni*. Et ita quidem, ut non *hoc* modo excludat, quod se *prius* fuerit; sed etiam quod *simul*. Primum, sed absque *principio*; prout ultimum absque *fine*: scil. Ens omnimodè æternum: primum *comparative* quidem, aut *superlative* potius; in ordine ad creaturas quasvis. Nec prioritate *naturæ* tantum, quo sensu, quæ *tempore* simul sunt, sibi invicem, priora & posteriora esse possint, ut v. g. Sol & radii solares; sed *temporis*, suo tamen modo, ita ut Deo nihil coexstiterit ab æterno: verbo dicam, primitate, quæ non duntaxat *præ-existens*; sed & *coexistens* excludat: eo quod, non tantum *infinitas* in genere, sed & *æternitas*, sit inter attributa Dei incommunicabilia. Et hoc demum sensu 4. dicitur *simpliciter* à se, ut sit ἀναίτιος, *omni modo* expers omnis omninò causæ; *efficientis*, quæ produxerit; *materialis*, ex quâ constet; *formalis*, per quam sit quod est; & *finalis*, propter quam sit & existat, sicut jam ante monuimus. Proinde, per essentiam, Deus omni modo *independens* est, tam quoad *existentiam*; quam quoad *operationes*. Et si quid 5. præter hæc, de essentiâ Dei velis distinctius, possis dicere, esse *spiritum à seipso viventem*. Eo quod, ut cum Amesio dicam, *conceptus Dei, formaliter quidditativus, debeat esse, quasi ultima ratio, complens naturam ejus, quasi in perfectissimæ specie entis: nullum autem perfectiorem conceptum habeamus, quam spiritus seipso viventis*. Amef. Medul. lib. I. c. 4. 5. 33. Verum hæc distinctius recurrent, suo loco.

Pars Elenchtica.

Quæritur.

XVIII. Quæritur *primo*, an essentiæ vocem, de Deo, satis accurate, usurpemus? Remonstrantes Apologistæ, clam Socini*ζοντες*, quo, per cuniculos, Trinitatis Mysterium, subruant, qua, una *essentia* in Deo statuitur, & tres personæ: essentiæ vocem, non satis accurate, Deo tribui, volunt. Reformati, propriissime, imo κατ' ἐξοχήν, præ omnibus aliis, eam Deo competere, docent. Eo quòd: 1. Exferte Deo tribuatur תושיה, quod *essentiam* notat, à יש, *est* Prov. VIII. 14. Quod 2. vocis synonyma, in Scripturis, dè Deo usurpentur; θειότης *divinitas* Rom. I. 20. θεότης *deitas* Col. II. 9. θεία φύσις, *divina natura* Gal. IV. 8. Quod 3. seipsum appellet אהיה, item יהוה, quæ non possunt non, inferre *essentiam*, & ὁ ὤν Apoc. I. 4. 8. Tandem 4. Si Deo, proprie & accurate, non competit essentia; non *est* quoque: quod ad Atheismum vergit. Addam 5. Si essentia, proprie Deo non competit; dici etiam rectè non potest, quod Deus sit unus essentiâ, trinus personis. His positis, non jam sustinebunt, in contrarium causari, quod vox non exstet in Scriptura. Et si etiam vox non exstaret ibidem, & res interea; quid tum? Si dicant, Deum esse ὑπερούσιον; dabimus equidem, in ordine ad creaturas, quarum essentiam, suâ infinitum excedat: sed hoc, non adimit ipsi essentiam; quin confirmat potius, unde, nec inepte, οὐσίαν ὑπερούσιον, appellant plurimi.

1. An essentiæ vocem, satis accurate, de Deo, usurpemus?

XIX. Quæritur *secundo*, an essentia divina, consistat in mera cogitatione? Cartesius cum suis, cum duplex tantum, substantiæ genus numeraret, cui universam suam Philosophiam, superstrueret, cogitationem & extensionem, quia essentiam divinam, ad *extensionem* referre, non potetat; cogitationem esse statuebat. Reformati, quamvis cogitationem, imo cogitationes, apud Deum, lubentes admittant, atque etiam, eas cum essentia

2. An essentia Dei, consistat, in sola cogitatione?

divina, plane coincidere, largiantur; cum, per omnimodam Dei simplicitatem, ab essentia divina diversum, nihil agnoscant; negant nihilominus, essentiam divinam, esse meram cogitationem. Adeoque, cogitationem Dei, considerari debere, ajunt, sub duplici sensu, nim. *identico* & *formali*, ut Scholastici, significanter loquuntur: sub sensu *identico*, omnia divina, statuunt esse, ipsissimam essentiam divinam, sic v. g. & reprobationem, esse ipsam Dei essentiam; aut in sensu *formali*, quo essentia illa, constituitur cum nostris conceptibus, cogitationem esse aliquid diversum, ab essentia Dei, quemadmodum & reprobatio est. Ac proinde, sicut dici nequit, reprobationem esse essentiam Dei, aut, essentiam Dei, esse reprobationem; ita dici non debere, essentiam Dei, esse cogitationem, quin potius, cogitationem esse actionem quandam essentiæ divinæ. Rationes Reformatorum sunt: 1. Quod Deus, qui suam essentiam, optimè novit, nec in textu nostro, ubi, ex professo, nominibus essentialibus, seipsum Mosi & Israelitis repræsentare intendit; nec ullibi, in toto Instrumento S. seipsum appellat *cogitationem*, aut in cogitatione, suam essentiam consistere pronunciet. Quinimo 2. *cogitationes* plures, sibi passim tribuat, eoque, cogitationes suas, à sua essentia, satis superque distinguat Jes. LV. 5. Psal. XCII. 6. & CXXXIX. 17. Jer. LI. II. 12. 29. Mich. IV. 12. & alibi. Scil. distinguens, se *agentem*, à sua actione, ad hoc, ut intelligamus; quamquam ex parte sui, agens & actio, *cogitans* & *cogitatio*, unum plane sint idemque: attamen, se suamque essentiam, id nequaquam esse, quod nos intelligimus, quando concipimus, *solum cogitare*. Atque etiam 3. hac ratione, conceptum de essentiâ divina, habere possemus, *absolute positivum*, cum *cogitatio* talem nobis præstet conceptum: id quod, theoremate præcedenti, ex professo rejecimus. Addam 4. quod hoc pacto, Dei & creaturarum essentia, *eadem* foret, quatenus essentia Dei, & Angelorum, ac animarum rationalium, in hoc congruerent, quod tam hæ, quam illa, non sint *nisi cogitatio*. Quod hactenus perquam crudum fuit, reformatis auribus.

Objectio prima. XX. Πρῶτον ψεῦδος, inauditæ ad Cartesium usque, novitatis, est, quod Cartesius, in hyperbolicâ suâ *dubitatione*, seu hærens, seu ex eâ emergens deprehenderit: (1) se cogitare & extensum esse; hinc (2) porro confecerit, animam suam in *cogitatione* consistere, & solâ quidem; corpus autem, in solâ *extensione*; nec hoc tantum; sed (3) omnes etiam substantias; aut *cogitationem* esse, aut *extensionem*, atque adeo (4) cum Deus non sit extensio; aliud illum esse non posse, quam *cogitationem*. Hæc. scil. sunt tantæ molis fulcra; sed perquam arenosa profecto. Ut enim primam hypothesin, hominem scil. cogitare & extensum esse, ambabus ulnis recipimus; sic nullâ ratione hinc conficitur, illam in *cogitatione* consistere, & *sola* quidem; hoc verò in *sola extensione*: sicut nullo modo sequitur; homo est risibilis, aut ridet, ergo consistit in risione aut risibilitate. Et si hoc etiam sequeretur, nullis tamen fidiculis, hinc extorqueres, *omnem substantiam*; aut cogitationem esse, aut extensionem: & hinc, omnium minimè sequitur, magnum postulatum, quod *Deus*, cum non sit extensio, præcisè sit *cogitatio*, quinimo, in *solâ* consistat cogitatione, omnis essentia.

Objectio secunda. XXI. Præcipuum, quod his obstare possit, est, cum Deus sit simpliciissimus actus; quod proinde, *cogitatio* non possit non idem esse, cum *essentiâ*: verum hinc non magis conficitur, essentiam Dei consistere in *sola cogitatione*, quam consistere in *sola reprobatione*: cum reprobatio perinde idem sit cum essentiâ; ac cogitatio idem est cum eadem. Licet igitur, idem sit in *sensu identico*, per quem, omnia unum sunt idemque in Deo; non tamen unum sunt, in *sensu formali*, per quem, attributa divina, à nobis concipiuntur ut diversa; tam ab essentiâ, quam inter se. Quo igitur sensu, v. g. reprobatio, differt ab essentiâ divina; eo, cogitatio quoque, differt ab eadem. Plura hujus generis, si aveas lector, conferre poteris, *Gangrænam* nostram *Cartesianam* Sect. 2. Cap. VI.

3. An Deus, sit à se, positive? XXII. Quæritur *tertio*, an Deus, sit a se positive? Cartesius cum suis, quia de Deo, & divinis, non fert conceptus *negativos*; non contentus est, pronunciare, Deum esse à se, *negative*, quatenus non sit ab alio quovis; statuit. Dum insuper à se esse, quam *maximè positivè*: quatenus, per immensam & incomprehensibilem potentiam, perfectissimâ quadam *causatione*, ab æterno sibi ipsi causa sit, eo quod *voluerit* esse, & id esse quod est, quippe in quo, singularis consistat ejus perfectio. Quâ quidem *Aseitate* (1) *omnimoda* Dei aseitas, sic satis infringitur. Hac enim ratione, primo, ut diversa in Deo concipienda erunt; immensa *potentia* & omnisufficientia, velut *causa*: æterna *volitio*, velut perfectissima *causatio*: *essentia*, existentia, ac proprietates, velut *causatum*: tum porro, de immensa illâ *potentia*, quæ, perfectissima causatione, Dei causa sit, & omnium ejus perfectionum, alterutrum statuendum erit: eam, aut *non* esse *positivè* à se, adeoque, egregia isthac destitui perfectione, quod non dicent; aut esse *positivè* à se; tum quæso dicant: quænam est *causa*, per quam, immensa ista *potentia*, Dei, & omnium perfectionum divinarum, origo, est *à se positivè*, seu, cujus perfectionis ope, potentia ista à se est? Si non possint, prout non poterunt, statuendum certè, immensam illam potentiam, esse à se *negativè* tantum, proinde destitui, *aseitate positiva*, atque adeo, hactenus infringi, *omnimodam* Dei aseitatem. His non addam (2) quod causam esse sui ipsius, apertissimam involvat contradi-

tradictionem, ut supra §. xv. docuimus. Nec (3) quod, si immensa Dei potentia, concipiatur ut *causa* Dei, h. e. essentiæ & perfectionum divinarum; hac ratione, potentia Dei, concipienda sit ut *prior* (si non tempore, naturâ saltem) essentiâ: cum omnis causa, naturâ prior sit suo effectu. Nec (4) addam: si *aseitas* (quod agnoscunt, οἱ ἐξ ἐναντίας) sit *summa* ac præcipua Dei *perfectio*, propterea primo loco collocanda, quod ab eâ reliquæ perfectiones scaturiant; quomodo ejus causa aliqua statui potest? Nec denique (5) quod, si Deus propterea sit à se *positivè*, seu causa sui; quia ab æterno *voluerit* esse, & talis esse; tum, nunquid *voluntas* Dei, causa erit Dei, essentiæ, existentiæ, perfectionumque divinarum? Nunquid igitur, & de Creatore usurpare possemus, quod de creaturis Johannes habet, per *voluntatem tuam sunt.* Apoc. IV. 11.? Sed quænam tandem, ipsius *voluntatis* causa erit, per quam *positivè* sit à se?

Objectiones tres. 1.

XXIII. Si dicant. 1. Esse nihilominus aseitatem, *perfectionem* quandam Dei, quin *primariam*; quæ proinde, non possit consistere, in purè *negativo*; Respondebo (a) & attributa Dei *negativa*, in conceptu suo materiali, involvere, præter imperfectionis *negationem*, perfectionis summæ *affirmationem.* Sic v. g. immutabilitas, infinitas: prorsus eodem modo, Aseitas, ἀρκειαν, παναρκειαν, & αὐτάρκειαν, pro perfectione maximè *positiva*, involvit; licet Deus, per eam, *positive* non sit *à se.* Quin (b) causam sui habere, nequaquam dicit perfectionem; sed *imperfectionem* potius. Si dicant 2. Patri tribui quod habeat *vitam in seipso* Joh. v. 26. proclivis est responsio: (a) non dicit, eum vitam habere *à seipso*, quod est κρινόμενον nostrum; sed in *seipso*, quod toto cœlo differt. Nec (b) dicit, Deum vitam habere à seipso, *positivè*; sed simpliciter. Nec. (c) dicit, Deum *esse* suum habere à seipso, quod est in quæstione; sed *vitam*, quatenus scil. in sensu *formali*, diversa est ab essentiâ. Si dicant 3. Deum tamen, ab æterno *voluisse* esse, & id esse quod est: dicam contrà; hinc nequaquam sequi, volitionem Dei, *principium* esse, aut *causam* suæ essentiæ, existentiæ & attributorum: cum Deus sit, & talis etiam, per *naturam*, non autem per *voluntatem*, quatenus illa, in sensu *formali*, distincta concipitur à voluntate, licet *concomitanter*, quatenus non est coactè, dici possit esse *voluntariè.*

2.

3.

Pars practica.

Usus primus consolatorius. Ubi. 1. Mala quibus medetur.

XXV. Jam, usus observationis de essentiâ Dei, esse possit: *primo consolationis*, in quibusvis adversis. Cum enim, si non omnis, pleraque saltem, tristitia & animi angustia, inde oriatur; quod NON SIT nobis, quod ESSE vellemus, juxta illud Jeremiæ: *Rachel plorat filios suos, eo quod non sint* Matth. II. 18. Unde tandem, efficacius solamen, ac remedium suppetere possit, quam ab eo, qui per essentiam & ἐξόχως EST? Quod si igitur: 1. *Non sint* nobis bona *fortunæ*, (a) *non sint*, seu perierint, *propinqui* Chariſſimi, ut Jobo Job. I. 19. Rachel Matth. II. 18. Naomi Ruth. I. 3. 5. (b) *non sint opes*, trahendæ vitæ necessariæ, ut Lazaro Luc. XVI. 20. 21. (c) *non sint honores:* qui vitam honestent: si simus περικαθάρματα τοῦ κόσμου 1. Cor. IV. 13. Si 2. *non sint* nobis bona *corporis:* si (a) *non sit valetudo*, si *nil sani, à vertice ad talos* Jes. I. 6. & LIII. 3. *si corpus & anima contabescat* Psal. LXXIII. 26. Exemplo Jobi, Lazari; &c. si (b) *non sit* pax, quies 2. Cor. VI. 4. 5. si immineant hostes, persecutores, exactores, ut Israëlitis Exod. I. 14. & III. 7. Si 3. *non sint* nobis, bona *animi*: si A. *non sit* nobis v. g. fides, spes, charitas Marc. IX. 23. si B. *non sit* sapientia necessaria Jacob. I. 5. si C. *non sit* nobis, *lux* spiritualis, ut in *tenebris ambulemus* desertionum spiritualium Jes. 50. 10. Psal. LXXVII. 3. 8. 9. 10. *si* D. *non sit* nobis, quidvis quod vellemus *esse*, & de quo angimur, quod *non sit* nobis: tum quid efficacius erigere possit? quam cogitare: *primò* Deum ESSE per essentiam, quo argumento, Deus Israëlitas in textu erigit; & Asaph seipsum, Ps. LXXIII. 25. 26. *si corpus & anima contabescat*, Tu Es &c. *secundò*, Deum esse eminenter *omne ens.* Esse (a) *omniscium*, qui perfectissimè norit, quid suis *non sit*, seu quid desit Apoc. II. 2. Esse (b) *omnipotentem*, in cujus manu, sit *robur* & *potentia* 2. Paral XX. 6. ut possit succurrere, *si velit* Matth. VIII. 2. Esse (c) summè *bonum*, gratiosum, misericordem Exod. XXXIV. 6. qui *velit* etiam Matth. VIII. 3. imo *non velit* suos deserere Heb. XIII. 5. Quin esse (d) *omnisufficientissimum* Gen. XVII. 1. *Solem & clypeum* Psal. LXXXIV. 12. *Tertiò* Deum ESSE, non *sibi* tantum; sed & *nobis* quoque: nec *essentiam* tantum ἐξόχως; sed *Essentiatorem* insuper (ut barbare dicam) quippe in *quo vivimus movemur & sumus* Act. XVII. 25. 28. *à quo* sumus, *quicquid* sumus 1. Cor. XV. 10. & *esse* possumus, quicquid debemus, aut desideramus: quippe qui nobis EST, *omnia in omnibus* 1. Cor. XV. 28. & in quo possimus *esse consummati* Coll. II. 10. *Quartò*, eum per essentiam, esse *ens à se*, prorsus *independens*, cujus auxilium, non suspendatur ab ullis creaturis, seu nolint; aut ab ullis instrumentis 1. Sam. XIV. 7. Denique *quintò*, eum per essentiam, esse ens *absolutè primum*, qui proinde, si quid hactenus nobis non *fuerit*, possit *esse* imposterum: quod Israëlitis promittit; *Ero* vobis *quod sum.* A quibus argumentis, nobis non potest non suppetere, omnis *consolatio*, in omnibus miseriis, si modo hoc unum nos agamus, ut fœdus cum eo contrahamus Gen. XVII. 1. 2. per quod fiat *noster Deus* Jer. XXXI.

2. Argumenta, consolationis.

33. Ut & *nobis* Moſes poſſit denunciare, quod Iſraëlitis in textu denunciat: *Deus patrum veſtrorum, &c* imo & *veſter*.

Secundus uſus reprehenſorius Ubi notantur: 1. Reprehendendi.

XXV. *Secundus* uſus, eſſe poſſit *reprehenſorius*, eorum omnium, qui: 1. apertè *eſſentiam* & exiſtentiam, Deo abrogatam vellent Pſal. XIV. 1. & X. 4. Qui 2. ſaltem *interpretative*, ita dicam, eſſentiæ divinæ aſeitatem & independentiam, infringunt: quando gratiam Dei, in negotio prædeſtinationis, ſuſpendunt à libero hominis arbitrio, à fide & infidelitate, aut etiam a bonis præviſis, eoque, ab una parte, Deum omnimoda ſua independentiâ exuunt; ab alterâ parte homini, ejuſque arbitrio, independentiam commodant, cœlum terræ permiſcentes. Quin 3. qui *practice* ſaltem, independentiam Dei vellicant, quando ejus auxilium, a mediis ſuſpendunt: ſeu per totalem *deſperationem* 2. Reg. VII. 2. ſeu per qualemcunque *diffidentiam*. Num. XI. 21. 23. Joh. XI. 21. & IV. 49. Qui 4. Deum limitant Pſal. LXXVIII. 41. ipſi juvandi tempus, modum, ordinem & media, quaſi præſcribentes. Ibid. verſ. 18. 19. Joh. IV. 49. Qui 5. Deo, per inobedientiam, dominii ſui independentiam q. diſputant, eoque, ad independentiam, ipſi enituntur, exemplo Pharaonis Exod. V. 1. & impiorum Job. XXI. 14. Qui 6. in conſiliis, decretis, operationibus Dei non acquieſcunt Rom. IX. 20. Matth. XX. 12.--16. Conf. Jer. XVIII. 6.

2. Argumenta reprehenſoria.

Jam omnes illi, (α) diverſis licet modis gradibuſque, ipſam Dei eſſentiam convellunt; quippe quæ in *aſeitate*, & omnimoda independentia conſiſtit, adeoque Athei ſunt, aut ſaltem, de atheiſmo, participant. Tum (β) ille Deus, quem nollent *eſſe*, aut non *talem* eſſe: *erit* nihilominus, ringantur, & talis, qualem nollent. *Erit* ipſis ſeverus Judex, *erit* ignis conſumens, *erit* leo, urſus cui catuli ablati. Et (γ) talis omnino erit ipſis, qualem paſſim commi-natur apud Prophetas Jer. XVI. 21. collat. cum Cap. II. 19. Imo qualem quoque (δ) expertus quondam eſt, Pharao atheus Exod. V. 2. collat. cum Cap. XIV. 28. & experientur procul dubio, omnes homogenei: ſeu hîc, ſeu poſthac, ſeu utrobique.

Tertius uſus paræneticus quintuplex 1. Ad glorificationem Dei.

XXVI. *Tertius* uſus, eſſe poſſit *paræneticus*, ad *ſtudium* eſſentiæ & independentiæ divinæ: *tum cognoſcendæ*; horſum enim ſeipſum Deus Moſi revelat, & Iſraelitis diſcribendum, atque etiam alibi, locis ſupra §. XIV. deſignatis: *tum uſurpandæ*: 1. ad *glorificationem* Dei, juxta mandatum ejus Jeſ. XLII. 8. atque etiam Dei exemplum, quando huc paſſim ſeſe deſcribit, quod non modo ſit *Jehova, ſum*; ſed &, *qui ſi, qui erat, qui futurus ſit: τὸ Α καὶ τὸ Ω. Primus & ultimus.* Loca expreſſimus §. XIV. Nim. ut inde gloriam ejus, tanquam qui EST, qui ſupra omnes, & omnia EST, ſcil. *Ens ἐξόχως*, quin talis, *ſolus ſit*, agnoſceremus ac celebraremus. 2. ad *humiliationem* noſtrî, eo quod eſſentia divina, Deo utique propria, in eo conſiſtat, quod SIT. Proinde, nos quaſi *non eſſe*, adeoque *nihil* eſſe Pſal. XXXIX. 6. 12. *Profecto univerſa vanitas omnis homo.* Item Jeſ. XL. 17. *Omnes gentes tanquam nihilum, coram* (vel præ) *eo, minus quam nihilum, & inane reputantur præ ipſo*, ſcil. *ſtilla ſitulæ & pulvis tenuis ſtateræ.* Ibid. vſ. 15. *pulvis & cinis* Gen. XVIII. 17. Proinde his *ἀναλόγως*, nos ipſos coram eo, quaſi *annihilemus*, *ἐξουθενοῦντες*, ut ſignificanter Græci dicunt. *Nihil ſimus* in mundo. 1. Cor. I. 28. Conf. cap. III. 7. Sic demum, Deus nobis *erit*, *omnia in omnibus.* Ibid. cap. XV. 28. Sic *gratia Dei, erimus quod ſumus.* Ibid. vſ. 10. Hinc 3. ad *abnegationem* noſtri, noſtræ voluntatis, virium actionumque; exemplo Servatoris Matth. XXVI 39. *Non mea, ſed tua voluntas fiat*: monente Jacobo Cap. IV. 13. 15. quin &, ex voto precationis quotidianæ Matth. VI. 10. ſemper memores, eum *ſolum* eſſe independentem, atque etiam, primum omnium Motorem. 4. Ad *fiduciam* noſtram, in eo ſolo *collocandam* Jer. XVII. 5. 7. quippe qui, cum ſit ὁ ὤν, ens per eſſentiam, poſſit pro lubitu, *vocare quæ* NON SINT, ut SINT Rom. IV. 17. ex ipſis *tenebris, lucem* 2. Cor. IV. 6. In quo perquam juvabit adjungere, eum ESSE *Ens* (a) *vivens*, & vivificans, *in quo vivamus* Act. XVII. 28. (b) *intelligens*, qui nôrit noſtras neceſſitates Apoc. II. 2. (c) *volens*, qui velit, nos non deſerere Heb. XIII. 5. (d) *miſericors*, gratioſum, quod per naturam, propendeat ad ſuccurrendum miſeris Exod. XXXIV. 6. (e) *omnipotens*, quod poſſit inſuper, *ſupra omne, quod cogitamus* ac deſideramus Eph. III. 20. (f) *immutabile* in amore, in promiſſis; ſemper idem, quod erit, id quod eſt. (g) *à ſe*, independens, ſecurum ab omni obſtaculo. Denique 5. Ad *recipiendum verbum* Dei, ejuſque Miniſtros. Hortatum Moſes, in textu, iſtis credentialibus inſtruitur: *abi ad Iſraëlitas, dic* SUM, *miſit me ad vos.* Huc receptum ſpectat propheticum: כה אמר יהוה item: Hac demum, & ſimili ratione, ni ſtudeamus Deum cognoſcere, in *eſſentiâ* ſua: 1. quicquid ore fuerimus profeſſi, reapſe abnegaverimus Tit. I. 16. ſic ſatis ad modum Atheorum Pſ. XIV. 1. Quin 2. omnis noſtra, de eſſentia divina cognitio, quantacunque, & quam etiam, in ſpeciem, efficax ſit; caſſa erit & inutilis nobis, quippe cui, nunquam dilectiva reſpondebit Dei cognitio Matth. VII. 23. Imo 3. non caſſa modo; ſed noxia inſuper, cum Deus infli&tis ſuppliciis, certo certius experiri nos faciet, ſe reverà ESSE; non *remuneratorem*; ſed *exactorem*: ut patet in Pharaone aliiſque. Quinque iſta officia, quæ brevitatis ſtudio, in unum compegimus uſum paræneticum: ſingulatim, pro re natâ, velut, totidem uſus, enarrari, ſuiſque motivis ac mediis inſtrui poſſunt.

3. Humiliationem noſtri.

3. Abnegationem noſtri.

4. Fiduciam in Deo.

5. Receptionem Emiſſariorum Dei.

Motivæ.

CAPUT QUARTUM.

DE NOMINIBUS DEI.

EXOD. III. 15.

Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac Deus Jacob misit me ad vos. Hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum, in generationem, & generationem.

Transitio ab essentiâ ad nomina Dei.

I. E duobus adminiculis, nominibus scil. & attributis, quibus *essentia* Dei, superiori capite utcunque adumbrata, nobis innotescit, primum de *nominibus*, hoc capite suscipimus, præeunte ipso Deo, quando, seipsum Israëlitis, per legatum suum, manifestaturus, nominibus utitur: אהיה, יהוה, אלהים ipsisque subjicit: *hoc est nomen meum, in seculum, hoc memoriale meum*, quo nim. ipsis innotescam.

Pars exegetica.

Textus resolvitur & exponitur.

II. *Verbis textus, & sibi legas, & leganti, & legationi, auctoritatem conciliaturus Deus*, q. *pro instrumento Legationis*, credentialia vocant aliàs; *nominum ac titulorum suorum* elogium, *velut in manus tradit, coram Israëlitis deponendum: in quo duo occurrunt:*

1. Instructio, *qua, ut magis valeat, apud Israëlitas, tum legantis, tum legati, tum legationis, fides & auctoritas, Deus legans, seipsum depingit.*
   1. Nominibus *tribus:*
      A. essentiali יהוה, Dominus, *utpote qui, ut* a se est, *adeoque perfectissimus; fidelis est, falli & fallere nescius, constans est & omnipotens, qui, & facere possit promissiones; & præstare promissa. De quo plura in progressu.*
      B. Personali, אלהים, Deus, *tribus personis subsistens, quarum quæque Deus est, adeoque tribus testibus, immotus, fidelis, ne scil. habeant omnino, quod de legationis fide, hæsitent, describit. De quo itidem, in progressu, plenius.*
      C. Fœderali, Deus Patrum vestrorum, *adeoque & vester. Scil. ex fœdere gratiæ, quo seipsum, quantus quantus est, & ipsis & vobis, addixit: ero Deus tuus, & seminis tui. Nominatim*
      α. Deus Abrahami, *Patriarcharum nominatissimi. De quo fœdere, videre est* Gen. XVII. 7. 8.
      β. Deus Isaaci, Gen. XLVI. & XXXII. 9.
      γ. Deus Jacobi, Exod. III. 6. *Qui proinde Deus, fœdus suum, ut fefellit nunquam; sic nec fallet imposterum.*
   2. Legatione, misit me ad vos. *Hic prostat.*
      א. Legatio, misit, *h. e. sua auctoritate instruxit me.*
      ב. Legatus, me, *quem nostis Israelitam, eoque fratrem vestrum esse, in aula Regis vestri, educatum, & propter vos, quod Ægyptium, in futuræ liberationis προγωγικὸν, sustuli e medio, in exilium missus sum.*
      ג. *Legationis* objectum, ad vos, *qui tantopere impræsens urgemini, a Rege vestro Pharaone, &, ex angustia servitutis vestræ, suspiratis ad Deum vestrum.*
2. Commendatio *nominis, potissimum* essentialis. *Quæ concludit,*
   1. Proprietatem *nominis.* Hoc est nomen MEUM, in secula. *Nomen scil.* essentiale *illud, quo nominabor, agnoscar, ac discernar, ab aliis quibusvis: nomen* meum, *scil. proprium, peculiare & quibusvis incommunicabile* Jes. XLII. 8. *Idque* in secula, *per omnes generationes, usque ad mundi exitum, imo in omnem æternitatem.* לעולם, עלם *Magistris redditur*, ad occultandum. *Quod ejus nominis pronuntiationem, prohibitam censeant, & proinde occultandam.*

2. Usum, hoc est memoriale meum, Ps. cxxxv. 13. & cii. 13. Hos. xii. 6. *Cujus ope, memoriam mei, meaque independentia, æternitatis, constantiæ & fidelitatis---conservabo, per omnia secula, ad mei cognitionem, amorem, cultum---*

Pars elenchtica.

Natura Dei, nobis innotescat ejus nominibus,

III. Hinc igitur patet: *Quod natura Dei, nobis innotescat, ejus nominibus.* Tribuit enim, Deus in textu, sibi nomina; Jehova, Elohim, Deus Patrum vestrorum—additque, hoc est *nomen meum, hoc memoriale meum*, puta, quo agnoscar, discernar, quo in *memoriam* veniam hominibus. Faciunt huc loca Exod. vi. 2. *nomine meo Jehova; non innotui ipsis.* Item, *portabit nomen meum* Act. ix. 15. (h. e. patefaciet me nomine meo) *inter Gentes* Jes. xlii. 8. *hoc est nomen meum, gloriam* meam, scil. gloriam nominis hujus, *alteri non dabo.* Cum præsertim, hæc sit nominum indoles, (unde *nomen*, quasi *novimen*, aut *notamen*, dicitur) quod in notitiam nominati deducat. Neque istud, rationibus operosè confirmare, magni est momenti. Cum enim, in rerum notitiam, deducant: 1. quæ essentiam earum indicant. 2. quæ easdem, ab aliis discriminant. 3. quæ earum affectiones aperiunt: fieri nequit, ut nomina Dei, in notitiam ejus, nos non traducant, cum (a) ejus essentiam ostendant, ut אהיה, ὁ ὤν &c. Cum (b) eundem discriminent, non à Deastris tantum; sed & à creaturis quibusvis, quâ mente Græci, ὄνομα à νέμω *distribuo*, derivant. Cum (c) ejus proprietates & affectiones prodant. Quod de Dei nominibus magis exactè dicitur, quam de aliis quibusvis: eo quod, non ab imperitis hominibus; sed à sapientissimo, solo sui perfectè gnaro; nec temerè, sed q. deliberatissimo consilio, imposita sint.

An Deo nomen propriè competat?

IV. Quare, ipsam nominum divinorum theoriam, rectâ aggrediamur, *tum* generaliorem, *tum* specialiorem. In priori, *primò* occurrit, An Deo nomen propriè competat? Negarunt olim Philo *de vit. Mos.* Justinus in *Paræn. ad Græc.* R. Haccadosch, apud Galatinum de *Arcan. Cathol. Ver.* lib. 2. cap. 10. aliique, hac potissimum ratione, quod essentia Dei nobis sit *incomprehensibilis*, adeoque nec nomine repræsentari possit. Negare videtur Scriptura Prov. xxx. 4. Gen. xxxii. 29. Judic. xiii. 18. Et cum eâ, negandum est omninò, si per nomen *perfectum* rei intelligatur repræsentamen. Cum præsertim Deus, quod ens sit *singularissimum*, suaque naturâ & infinitate, à quovis distinctissimum; nomine discretivo, (seu *appellativum* intelligatur, quod species, in eodem genere distinguit; seu *proprium*, quo individua, in eadem specie, discriminantur) non indigeat: attamen quo non tantum discernatur, tum à creaturis; tum à Deastris; sed etiam, nobis plenius innotescat, nomen sibi ipsi, imo *nomina*, Deus passim tribuit.

Quid sibi velit nomen in Deo?

V. Tum hîc, *secundò* loco occurrit, *quid* sibi velint nomina de Deo? Nim. *nomen* Dei in Scripturis persæpe: 1. ipsum *Deum* designat Ps. v. 12. & vii. 18. 1. Reg. v. 5. Jes. xii. 4. Joel. ii. 32. Nonnunquam 2. omne quod *divinum* est, seu Deum respicit, v. g. (a) ejus *attributa* Exod. xv. 3. & xxxiv. 14. (b) ejus *voluntatem* ac mandata Deut. xviii. 19. 1. Sam. xvii. 45. Matth. xxviii. 19. (c) ejus *cultum* & confessionem Mich. iv. 5. Act. xxi. 13. Et quidni (d) Christum ipsum? qui non modo *nomen* Dei habet *in medio* sui Exod. xxiii. 21. sed etiam, in cognitionem Dei Patris, nos deducit Joh. v. 24. & Cap. xiv. 9. Heb. i. 1. 3. Ast magis propriè 3. eas denotat *voces*, quibus Dei essentia, aut simile quid, repræsentatur.

Quotuplex Dei nomen?

VI. Porro *tertiò* loco, *quotuplex* Dei nomen? Quod variis distributionibus conficitur, quando nomina divina, statuuntur esse: vel *essentialia*, qualia, *Jehova*, Θεὸς, vel *personalia*, qualia *Elohim*, *Pater*, *Filius*, *Spiritus S.* illa (quæ essentialia Dei) seu *propria* sunt: seu *figurata*: quæ (ut *posteriora*) Deo competunt, vel *metonymicè*; quando v. g. dicitur fortitudo, auxilium, lux, salus nostra Ps. xviii. 3. & xxvii. 1. vel *metaphorice*, ut quando apppellatur *scutum*, *Sol.* Ps. lxxxiv. 12. Jes. x. 17. seu *metaphorica* ista nomina, ab homine petantur, seu à creaturis quibusvis aliis. De *propriis*, creaturis tamen, aliquo modo κατ' ἀναλογίαν, *communicabilibus* (sunt enim quædam, ut יהוה, omnimodè *incommunicabilia*) observant Theologi, quod *per prius* Deo competant, *per posterius* creaturis; si nim. rem *significatam* spectes; licet, quoad *significandi modum*, utpote qui à creaturis mutuatur, *per prius* ad creaturas spectent. Tum etiam, quamvis leviori conjecturâ, nonnulli observant, nomina in plerisque linguis Deo tributa, quatuor ferme constare literis, ad designandam personarum Trinitatem, in essentiæ unitate: Rursus nomina *personalia*, vel *tres* personas complectuntur, ut אלהים; vel *singulas*, singulatim designant, ut Pater, Filius ὁ λόγος, Spiritus S.

Specialis nominum divinorum contemplatio.

VII. Fuit nominum divinorum, θεωρία generalior; succedit *specialior*, juxta quam nomina Dei, vel ejus *essentiam* repræsentant, ut אהיה יהוה, vel אל, אלהים: vel *omnisufficientiam*, ut שדי: vel ejus *excellentiam*, & ὑπεροχὴν, ut עליון; vel ejus *dominium*, ut אדוני.

Nomen Jehova quæ concludat?

VIII. In his primum locum obtinet, primi generis magnum nomen יהוה, alicubi *Jehovi* Deut. iii. 24. & ix. 26. Ab היה, Chaldæis magis usitato, aut היה, quod Hebræis, magis est in usu, quod sonat ESSE, quia à se est Deus, pro se est: quia semper est, semper vivit, semper idem, quia immu-

immutabilis est. Ut loquitur Drusius, *Tetragram.* cap. XXIV. Quia item, q. solus est; solus *omnem* essentiam habet, dum alia quævis, *aliquam* tantum habent essentiæ particulam, eoque, potius non sunt, quam sunt, atque etiam tantum per *momentum*, seu momentorum fluxum, in quo, præterita non amplius sunt, futura necdum sunt, & quod restat, non est, nisi momentum; quando Deus, seu æternitas Dei, est interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. Ut loquitur Boëtius. Unde, in tribus ejus syllabis, omnes temporum periodos, præteritum, præsens & futurum, nonnulli observant, ita ut י Je, *futurum*, ה *ho*, *præsens*, & ו vah, *præteritum*, designet. Vel, ut alii: ה, *præteriti*, ו, *præsentis*, י, *futuri*. Sic Zanchius de *divin. attribut.* lib. I. cap. 13. Fuller. *Miscel.* 5. lib. II. cap. 6. Id quod Servator etiam, videtur dicere voluisse Apoc. I. 8. ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος. LXX. Interpretes, plerumque per κύριος, quod idem sit, cum אדוני, ipsèque *Dominus* omnium, utpote à se, & a quo omnia pendent: rarissime per θεὸς, referunt. Galli, in suis Bibliis, perpetuo reddunt per *l'Eternel*, *æternum illum*. Videtur ejus vocis, nonnihil defluxisse ad Gentiles, quando, supremum inter Deos suos, *Jovem* appellarunt. Volunt, illud esse ἄρρητον, ἀνεκφωνητὸν, ἄφραστον, seu, quod non possit pronunciari *de facto*; seu quod non debeat, de jure. Unde inter legendum, semper ei substituunt, vel *Adonai*, vel *Elohim*, seu quod Græcis elementis, non possit depingi, eo quod nota aspirationis in medio vocis, destituantur Græci. Usurpatur nonnunquam οὐσιοδῶς, pro tota essentia, quatenus singulas personas comprehendit junctim. Exod XX. 2. 5. 7. interdum ὑποστατικῶς, pro *Patre* Psal. CX. 1. Gen. XIX. 24. pro *Filio* Num. VI. 25. pro *Spiritu S.* Exod. IV. 12. Num. XII. 6. Quæ, ex circumstantiis, & collatione locorum V. & N. Testamenti, cautè sunt discriminanda. Observant etiam, quod omnes hujus nominis, literæ ingredientes, sint *quiescentes*, & ex eo, magis forte subtiliter, quam solide, colligunt, nomen hoc, non tantum, profundam Dei *quietem*; sed etiam, nobis hominibus, omnem solidam quietem, quærendam esse, in solo *Jehova*, hoc ipsum significatum velle. Quantum ad significandi efficaciam, notat: 1. Dei ἀυτύπαρξιν, quâ sic subsistat per se, ut omnibus insuper, & essendi & subsistendi, causa existat. 2. Ejus ὑπεροχὴν, eo quod, dum alio quolibet nomine, designatur *aliquis* essentiæ modus; hoc nomen Jehova ὁ ὤν, *nullum* essendi modum determinat, ut significetur, Deum ἐξόχως ESSE. 3. Ejus aseitatem, quâ sic solus independens est, & ἀναίτιος, ut omnibus creaturis, sit essendi & existendi scaturigo, juxta Bernardum lib. 5. *Ad Eugen. Deus est, quod est, id est, suum ipsius, & omnium aliarum rerum, esse: ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc, quodammodo solus est.* 4. Ejus immutabilitatem, quâ semper EST, nunquam *fuit* propriè, nunquam *erit*: seu, qui *est* quod fuit, qui *erit* quod est, semper idem, sibique similis: non modo quoad essentiam & existentiam; sed &, quoad voluntatem, verbum, promissa, Conf. Psal. CII. 27. Heb. I. 12. Hinc 5. ejus æternitatem, quod id solum SIT, quod æternum est: quoniam in tempore, præterita non *amplius* sunt, futura *necdum* sunt, præsentia *transeunt*, & quasi momento desinunt: ut solus Deus, quia æternus, eoque extra successionem, propriè SIT. Denique 6. veracitatem & fidem in promissis, quatenus & in his, certo certius *erit qui est*, ut hoc fundamento, promissa quæ *erunt*, *sint* suo modo, usque adeo, ut hinc fides nostra, ἐλπιζομένων ὑπόστασις, καὶ ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, dici mereatur Heb. XI. 1. Quæ porro significata, cum Deo soli competant; conficiunt insuper, nomen *Jehova*, *omnibus modis*, soli Deo proprium esse, teste textu nostro, quo, admodum emphatice, hoc SUUM *nomen*, atque etiam *memoriale* SUUM, Deus appellat, atque inde, sibi exserte appropriat Jes. XLII. 8. *Omnibus* inquam *modis*: dum enim, alia quævis Dei nomina, *univocè* incommunicabilia existunt; sunt tamen *analogicè*, communia creaturis: istud verò, nec univocè; nec analogicè legitur communicatum, nisi in *compositione*, aut *casu obliquo*. Quod Plato, cum de hoc nomine, in Ægypto nonnihil audiisset, agnovisse suo modo videtur, quando in *Timæo* docet: *Solum Deum propriè esse, cætera verò quæ oriuntur, mutantur & intereunt, verius non esse quam esse.* Atque etiam in *Sophistâ* ac *Parmenide*, Deum vocat τὸ ὄν, & in *Theæteto* dicit: *quod quælibet res creata, plus habeat non entis quam entis*, prout apparet v. g. in homine, qui tantum habet esse humanum, nequaquam autem Angelicum, cœleste, divinum; dum Deus omnium *esse* habet, *eminenter* saltem, ut hactenus solus ESSE, dici mereatur. Plura hujus nominis, præter controversa, quæ suo loco, in Elenchticis occurrent, si voles, Drusium adi, in *Tetragrammato*, Buxtorfium Dissertat. *de nominibus Hebraicis*, Gattakerum, in *Dissert.* de nomine *Tetragrammato*, Fullerum, *Miscellan. sac.* lib. 2. cap. 6. Amamam *Diss. de nomine Jehova.* Mercerum in Gen. II. 4. & XV. Ludov. Capellum, in *Dissert.* post *arcanum punctationis*, aliosque.

Nomen Elohim: unde & quod?

IX. Reliquis ergo de nomine *Jehovah*, seu problematicis, seu elenchticis, in suum locum sepositis; succedit אלהים. Quod aliis descendit ab אל cujus plurali אלים, ex tetragrammato aspergatur וה, quod Jehova sit *Elohim*. Ut vis vocis sit: *Deus* seu Jehova, sunt *isti*, nim. Pater, Filius & Spiritus S. subtilius fortè, quam verius. Aliis quasi compositum est, ex אל *fortis* & אלה *juravit*, quod per *fortitudinem* creatos homines, ad cultum quasi

quasi *juramento* adstringat. Aliis simpliciter ab אלה, *seu* quod per solum Dei nomen sit jurandum; *seu* quod fœdus gratiæ q. juramento confirmaverit Psal. cx. 4. Heb. VII. 20. 21. collat. cum Deut. XXIX. 12. 13. R. Nachman dictum putat, q. אל הם *robur eorum*, scil. quæ creata sunt. Verum nil horum, Etymologiæ Hebraicæ, examussim congruere, alii credunt, eoque etymologiam quærere, incertum volunt, & otiosum etiam. Proinde ab אלוה, quod subinde occurrit Job. IV. 9. & XII. 4. &c. rectius derivatur, per Enallagen, *numeri*, plerumque singularibus epithetis construitur, & diversimodè usurpatur: tum ἀστιωδῶς Gen. I. 1. tum ὑποστατικῶς Ibid. vers. 2. de unâ quâdam SS. Trinitatis personâ Psal. XLV. 7. 8. Hos. I. 7. scil. propter ἐμπεριχώρησιν. Quamobrem *pluraliter* in sacris fermè veniat, suo loco in Elenchticis patebit. Esse nomen *judicii*, sicut Jehova, *gratiæ* ac misericordiæ, Judæi observant. v. g. Maimonides, R. Salom. Jarchi, R. D. Kimchi, & Thalmudistis; sed, qua ratione, non apparet. Creatori propriè; creaturis ἀναλόγως, competit: aliis ὄντως quidem; sed δευτέρως: aliis φαινομένως tantum; seu μιμητικῶς, ut idolis. Rabbini, pro אלוהים, scribunt אלקים vel אלורים, quemadmodum & Chaldæi, pro אלה, quod inter nomina Dei est, scribunt אלקא, & Hebræi, in nominibus יהוה & אהיה pro ה, ponunt ד. Pro dubio, superstitione ducti, scil., ut, si quando profanetur liber, eadem opera, non profanetur, nomen Dei.

Nomen Deus, unde & quid?

X. Θεὸς, quod τὸ *Elohim*, in N. T. refert; seu à די, *omnisufficiens* juxta Gen. XVII. 1. seu à Θέειν *currere*, quod Solem & astra, primos ferè Gentilium Deos, continuò viderent *currere*; seu à Θεᾶσθαι, *spectare*, juxta Basil. *Epist.* 141. quod spectator sit, & præfectus rerum omnium; seu junctim, à Θέειν & Θεᾶσθαι, ut vult Dionysius *De Div. nomin.* cap. 12. quod cuncta *perspiciat*, & mirabili providentiâ, circum omnia, quasi *currat*; seu ab αἴθειν *urere*, quod vitiosos, irâ suâ, velut exurat, (nisi malis cum Damasceno, tres illas derivationes Græcas, copulare. *De Orthodox. fide* lib. I. cap. 11.) parùm refert; modo, cum Socinistis, non statuatur nomen *officii*, aut *appellativum* tantum, de quo in parte elenchticâ.

Alia quædam Dei nomina.

XI. Nomen אל, ab איל, à *fortitudine* dicitur. Hinc Franciscus Junius, passim reddit illud, per *Deus fortis*. Propter Paranomasiam cum אילים, Gentilium idola, subinde appellantur אלילים: vel ab אלל, a quo אליל, quod est *vanum*, *inutile*, *nihil*, ad quod alludit Paulus I. Cor. VIII. 4. vel, per compositionem, אל אלים, *non Dii*, licet nomen Dei, præ se ferant, aut mentiantur potius; vel ab אלה *execrari*, quod sint res execrandæ. שדי, vel, à שדד, quod sicut Creator est; ita *devastare* quoque possit omnia: vel à שד *mamma*, quod suis velut uberibus, cuncta alat & foveat, unde Græcis Diana, *Dea Mammea* dicitur: vel, ex ש præfixo pronominali, & די *sufficiens*, q. qui ἐξόχως, sibi & omnibus sufficit. אהיה & יה, ejusdem cum יהוה sunt *originis*, juxta & *potestatis*, nisi quod postremum, a יאה, quod *pulchritudinem* denotat & *decentiam*, quidam deducere malint: rectius, meo judicio, abbreviatura censetur, tetragrammati, natum ex celerrima ejus pronunciatione in vulgâri saltem pronunciatione, natum; quamvis in sacerdotali benedictione distinctissime pronunciarint. אדני, formæ pluralis, cujus singulare occurrit Deut. X. 17. & alibi, fortè, cum suffixo primæ personæ pluralis numeri, nisi terminationem irregularem malis agnoscere: saltem *cum Kametz*, inter nomina Dei propria est, regulariter τῷ *Jehova*, in lectione substitutum; nisi istud *Cametz*, ex causa grammatica, v. g. in *Soph Pasuk* in *fine versus*, sit pro *Patach*, tum enim manet significationis communis. *Dominium* Dei absolutissimum exprimit. צבאות cum vocibus *Jehova* & *Elohim* ferme jungitur, Deum rebus omnibus, velut suis *exercitibus*, pro lubitu uti, notat: עליון *excelsus*, epitheton potius, quam *nomen* Dei dixeris, ejus Majestatem exprimens

Pars elenchtica.

Quæritur:

XII. In Elenchticis *primo* recurrit *Jehova*, ejusque, tum *problematica*; tum *elenchtica*. In problematicis, est ejus *lectio*, seu *pronunciatio*, cujus respectu, non Magistris tantum; sed & Christianis quibusdam, est ἀνεκφώνητον, καὶ ἄφρητον. *Euseb. lib.* I. De *Præpar. Euang.* c. VIII. Quamobrem in legendo, semper τὸ *Adonai*, aut si illud immediate junctum ei fuisset, *Elohim* substituunt.

1. An nomen Jehova, pronunciari possit, aut liceat?

XIII. Quæritur 2. An nomen Jehova, sit *mirificum*? Quemadmodum Pontificii, non contenti, nimium tribuisse, per superstitionem nomini *Jesu*, ei insuper asserunt, vim perpetrandi miracula, pellendi dæmones, sanandi morbos, aliaque; ita & Judæi, ad hoc procul dubio, ut miraculis Christi, ex quibus, divinam ejus potentiam, deitatemque, asserimus, divinitatem validius auferant, statuunt, non virtute aliqua divina perpetrasse; sed virtute hujus nominis, quod, per furtum, ex Sancto Sanctorum surripuisset, omnia sua miracula excluserit. Scil. per Schem hammephoras, quod, ex sententia Maimonidis *Moreh Nebuchim* part. I. cap. 62. præsupponimus, fuisse ipsissimum nomen *Jehova*, licet alii aliter sentiant. Quam fabellam, & merito quidem, salse ridet Lutherus, in suo Schem hammephorasch. Reformati, licet ipsum nominatum Jehovam, esse mirificum, ambabus ulnis amplectentur; negant tamen, ad nomen ipsum referendum esse, quod 1. hoc nullibi habeat S. pagina, nec idonea ratione probare, Judæi hoc ipsum queant. 2. quod in efformatione soni

2. An nomen Jehova, sit mirificum?

cujus-

cujusvis, nulla alia sit potestas, nisi *moralis*, significandi interiora animi. 3. Quod, tale quid moliri, spectet ad magiam, seu Caballam practicam, quam passim damnat Scriptura Nah. III. 4. Deut. XVIII. 10. Mich. V. 12— Causantur interim Judæi in contrarium: 1. Mosen per nomen istud, quod inscriptum gesserit in baculo suo, omnia sua perpetrasse miracula, virtute hujus nominis. 2. Per idem, occidisse Ægyptum Exod. II. 14. & 3. Elisæum, mediantibus ursis, maledicentes sibi pueros, per hoc nomen, sustulisse 2. Reg. II. 23. 24. Addunt 4. ex Scriptura Psal. XLIV. 6. *per* NOMEN *tuum conculcabimus adversarios nostros.* Hoc est, inquiunt, per Schem hammephoraſch. Ad quæ respondemus: 1. Judæi, quantum ad tria priora horum, altùm præsupponunt ista Mosis, Elisæi & Christi miracula, facta fuisse per Schem hammephoraſch, id quod sollicite probandum fuerat. Cum præsertim Scriptura, istud nomen penitus ignoret. 2. Quantum ad locum Psal. XLIV. verba ejus immediate præcedentia, victorias istas, ad ipsum Jehovam referunt: *per te hostes nostros feriemus.* Nec Judæos latet, πολυφύλλητον suum, הוא שמו ושמו הוא, *ipse nomen suum, & nomen suum ipse.*

3. An nomen Jehova soli Deo proprium sit?

XIV. Quæritur 3. An nomen *Jehova*, soli Deo summo, sit proprium? Non desunt, qui, ne pro nomine Dei quidem admittunt; sed pro figmento: quos continuata hujus nominis citatio, per totum Instrumentum S. potentissime refellit. Sociniani, odio SS. Trinitatis, æternæ deitatis Christi, ac Spiritus S. quæ, præsuppositа ejus proprietate, in eo, validissimum habet præsidium; negant esse Deo *proprium*; verum creaturis, quin & Idolis esse commune, affirmant. Reformati largiuntur quidem, in casu *obliquo*, in *compositione*, adeoque in sensu *diminuto*, fieri posse, ut creaturis tribuatur: aſt in casu recto, in sensu *simplici* ac *pleno*, negant ulli competere per Scripturas, quam Deo, ut ipsi loquuntur, summo. Eo quod: 1. In textu, Deus affirmet, hoc esse, *nomen* suum *in seculum*, & *memoriale* suum, *in generationem & generationem*, item Psal. LXXXIII. 19. Exod. XV. 3. Hos. XII. 6. Quod 2. aliis quibusvis, diserte abroget Jes. XLII. 8. & XLVIII. 2. Quod 3. vis & efficacia hujus nominis, explicata §. VIII. non possit competere, ulli quam summo Deo. Quod 4. aliter non ferat ipsa ratio Grammaticæ Hebrææ, per quam α. nunquam legitur, cum demonstrativo ה. Nunquam β. cum affixo. Nunquam in plurali numero, quæ omnia, nominibus propriis competunt. Cum quibus 5. universalis colludit, omnium Judæorum consensus. Obstrepunt tamen Sociniſtæ: 1. Quod *Angelis* tribuatur Exod. III. 2. & XIX. 11. collat. cum Act. VII. 53. & Gal. III. 19. Resp. Non *Angelis*; sed *Angelo*, illi scil. qui *Angelus facierum* audit Jes. LXIII. 9. *Angelus fœderis* Mal. III. 1. qui in *medio sui* בקרבו, gestat nomen Dei, h. e. ipsum Deum Exod. XXIII. 21. ac proinde *Deus* ipse est. 2. *Judicibus* Deut. XIX. 17. sed hoc negatur: dicuntur litigantes, constituti *coram Jehova*, coram Sacerdotibus, utpote per quos, Jehova judicat. 3. Quod *arcæ* tribuatur Num. X. 35. *Surge Jehova, & confundantur hostes tui.* Resp. Non *arcæ* tribuitur; sed Jehovæ, apud arcam, singulari modo, præsenti: est enim invocatio, quæ, agnoscentibus adversariis, non arcæ; sed Jehovæ competit soli: nec hostes confundendi, hostes propriè erant arcæ; sed Jehovæ. 4. Quod item *altari* Exod. XVII. 15. *ædificabat altare, & nominabat nomen ejus, Jehova Nissi, Jehova vexillum meum.* Resp. Non appellabat altare, *Jehova*; sed *Jehova Nissi*, in compositione, quemadmodum fit, in nominibus יצדק יהונתן, aliisque, in quibus, potestas nominis *Jehova*, non plena est; sed *diminuta.* Quomodo de creaturis enunciari posse, non negant Reformati, quomodo etiam appellatur יהוה שלום Jud. VI. 24. Quod etiam Jerosolymæ tribuatur Jer. XXXIII. 16. *Hic est, qui vocaturus est illam, Jehova justitia nostra.* Resp. Non Jerosolyma sic dicitur appellanda, quia, fatentibus adversariis, non Jerosolyma; sed Jehova erat justitia eorum; sed Messias, qui erat *justitia* Israelis Jer. XXIII. 9. *Hoc erit nomen, quo denominabunt* EUM, JEHOVA JUSTITIA NOSTRA: neque enim Jerusalem, erat *justitia* Israelis. 5. Quod tandem, tribuatur *idolis* Exod. XXXII. 5. Jud. XVII. 3.— Resp. 1. Non appellat Aaron, idolum Jehova; sed proclamat festum *Jehovæ.* Nec 2. Jud. XVII. 3. Idolum Michæ, appellatur Jehova; sed ejus Mater dicit tantum, se argentum Jehovæ consecrasse, ut ex eo Jehovæ sacrificaretur, scil. per imaginem. Hinc, fictitios Gentilium Deos significaturi Magistri, per contemptum, pro Elohim, in forma fœminina, dicunt אלוהות.

4. An nomen Elohim, sit nomen officium tantum designans, non autem essentiam divinam?

XV. Quæritur 4. An nomen *Elohim*, cui respondet Græcorum θεὸς, & Latinorum *Deus*, sit nomen, officium tantum designans, non autem *deitatem*, seu essentiam divinam designans? Judæi quidem, communiter existimant, quamvis absque ulla solida ratione, esse hoc nomen, justitiæ & judicii, adeoque magistratibus etiam, κατ' ἀναλογίαν, communicari: sed non aliter, quam *Jehova*, sit nomen gratiæ & misericordiæ, quod tamen, in sua proprietate, & ἐμφάσει, solum *Deum* designet. Judæi, cum nomen Elohim, θεὸς, observent passim tribui, Christo & Spiritui S. ne cogantur admittere esse in eis, essentiam divinam, seu æternam deitatem: statuunt, voces Elohim, θεὸς, *Deus*, non essentiam divinam significare, sed officium tantum. Reformati non negant, esse in nominibus, si non omnia & singula, quæ cum essentia divina, connotent, aliquam Dei perfectionem, quemadmodum v.g. nomen *Adonai*, quod

procul dubio, Deo est proprium, connotat absolutissimum ejus dominium, in omnes res creatas: nullum tamen statuunt esse, quod excludat essentiam divinam. Sic etiam fieri posse, ut Elohim, ex sententia Judæorum, connotet cum essentia divina, ejus justitiam & judicium, quin potius, ab אל, ejus fortiudinem. Idem observabis, v. g. in *Schaddai*, עין, & aliis. Interim etiam negant, *Elohim*; cum essentia connotare, ullum Dei officium: 1. Enim, quodnam esset illud officium, quod notat Elohim, θεὸς, Deus? Tum 2. omnia nomina officii, derivantur ab alio tali, quod rationem ejus formalem exprimat, ut *Rex*, à regendo; *Dominus* a dominando; sed, nec Elohim, nec θεός, ab alio tali derivantur. Si pro se causentur, quod Magistratibus tribuatur Psal. LXXXII. 6. Joh. x. 34.— Ex eo enim, non conficitur, esse nomen officii, multa enim Magistratui tribuuntur, quæ non sunt, nomina officii.

5. An nomen Elohim, pluralitatem personarum, in Deo significet?

XVI. Quæritur 5. An nomen Elohim, pluralitatem personarum, in Deo, significet? Judæi, cum quibus, hic ex asse faciunt Sociniani, quia, ut unam tantum admittunt essentiam divinam; ita & unam tantum personam: statuunt, jam quidem, Elohim esse forma *plurale*; sed potestate, *singulare*: jam, si sit, & potestate plurale, tum connotare cum essentia, proprietates & virtutes Dei: jam, esse in ea phrasin aulicam, qua vox pluralis, notet unum quendam Monarcham. Inter Protestantes non desunt, qui statuant, nomen illud, pluralitatem in Deo arguere, tam potenter, ut vel solum, junctum scil. cum voce singularis numeri, in conflictu, possit sustinere S. Trinitatem: sic plerique ex Lutheranis, & nonnulli insuper, ex Reformatis, v. g. Zanchius, Martyr, Junius--alii, ex adverso nolunt, argumentum illud, esse urgendum in conflictu cum Antitrinitariis, quod objectionibus & exceptionibus videatur expositum, nimium speciosis, dum alia, in hanc rem suppetunt argumenta evidentiora. Sic Calvinus, Mercerus, Danæus, Drusius, & alii, cæterà personarum Trinitatem ingenue professi. Putem, viam mediam, hîc tutissime calcari, si dicamus, nec in fronte concertationis, ponendum esse istud argumentum, ut prudenter monebat Calvinus; nec penitus etiam esse negligendum: verum, ubi aliis argumentis evidentioribus, demonstrata fuerit Trinitas, subjungi posse: hanc procul dubio, rationem fuisse Spiritui S. quod, cum sibi suppeteret singulare אל, & אלוה; voluerit nihilominus, tantum, non semper usurpare אלהים, in plurali.

Argumenta.

Interim non est, mea sententia, inter Protestantes qui neget, esse illud nomen personale. Quorsum enim: 1. cum revera plures in Deo dentur personæ, quemadmodum suo loco, invictis argumentis, ξὺν θεῷ, demonstratum dabimus, id non nomine plurali, significatum vellet? Quorsum 2. significandæ uni personæ, pluralem numerum adhiberet, cum singularis numerus, ejusdem vocis, suppetat in promptu, alias non raro usurpatus? Deut. XXXII. 17. Job. III. 2. 23. & XII. 4. & XXXVI. 2. Psal. I. 22. Habac. III. 2. & alibi? Quorsum 3. uni personæ designandæ, plurali Elohim, verba construeret & nomina pluralia נעשה אדם, & quidem בצלמנו, FACIAMUS *hominem*, *secundum imaginem* NOSTRAM Gen. I. 26. Conf. cap. XX. 13. Deut. v. 26. Jos. XXIV. 19 Jer. X. 10. Jes. VI. 8. Quorsum ista? Si dicant in contrarium: 1. Dari apud Hebræos, nomina pluralis numeri, quæ sint potestatis singularis, lubenter admittimus; sed tum tantum, quando non prostant, eorum singularia. Si 2. dicant, hoc fieri ex stylo curiæ; demonstrandum ipsis, istum stylum, tum temporis fuisse usitatum, & apud Hebræos esse, & si hoc etiam, fuisse istam vanitatem, usurpatam in Deo. Si 3. dicant, observari tamen, ex nostra hypothesi, vocem illam pluralem, usurpari de una aliqua persona divina; occurremus Psal. XLV. 8. hoc fieri, per ἐμπεριχώρησιν, propter unam essentiam divinam, quæ est singulis personis communis. Si dicant 4. hoc factum etiam observari, circa idola singularia; respondebimus, hoc fieri, καταχρηστικῶς abusive, & μιμητικῶς, quia sic suetum apud Hebræos. Confer. Jud. XI. 24. Amos. v. 26. cum Jer. XVI. 20. Hos. VIII. 6. Psal. XCVI. 5. & 1. Cor. VIII. 5. 2. Thess. II. 4. cum Joh. XVII. 3. 1. Joh. v. 20. Cum *Deum*, Hebræi designare soleant, per Elohim. Si 5. dicant, hoc factum, ut sibi connotaret Angelos Gen. I. 26. *Et dixit Elohim*, *faciamus hominem* —: nunquid nomen Dei, & gloriam ejus, alteri tribuent? reclamante Deo Jes. XLII. 8. Nunquid & Angelos facient Elohim Creatores? Quos abominatur Jeremias cap. X. 11. Nunquid hominem, ad imaginem Angelorum, creatum dicent? contra universum Scripturæ tenorem. Si tandem 6. dicant, Deum hoc ipso, sibi accensere velle, suas proprietates ac virtutes: dicent, quod nec exemplum habet in Scripturis, nec rationem, nec sensum. Quid enim est, v. g. *Et dixit Deus cum proprietatibus suis*, *faciamus hominem ad imaginem nostram?*

Objectiones.

Pars practica.

Praxis prima de cognitione Dei.

XVII. Quantum ad praxin; theoria nominum divinorum, juvat *primò* in *cognitione* Dei. Est enim, inter adminicula, quorum ope pertingimus in cognitionem Dei, primum in nominibus ejus. Est item primum, cujus ope, à creaturis & Deastris, discriminamus verum Deum, in quo fundamentum omnis, religionis, fidei & cultus divini existit Heb. XI. 6. cui *justificationem* Jes. LIII. 11. & *vitam æternam* Joh. XVII. 3. Scriptura tribuit.

tribuit. Est enim hoc, ex etymo, *nominis* officium: quippe quod non est, nisi *novimen* aut *notamen*: ut *notum* faciat nominatum Exod. VI. 3. Tota namque ista, tot nominum divinorum turba, quorum singula, eundem quidem Deum, sed diverso modo, repræsentant; quorsum, nisi ut distinctiorem nominati, cognitionem generet? Hinc nomina prostant, quæ *essentiam* repræsentant, Jehova, Jah, Eheie: sunt, quæ *subsistentiam* in tribus personis, v. g. Elohim, Pater, λόγος, Filius, Spiritus S. sunt quæ *omnisufficientiam*, ut El Schaddai: quæ *dominium*, Adonai: quæ *robur* seu *omnipotentiam*, ut El: quæ *Majestatem* & excellentiam referunt, ut Eljon; utique, ut Deum, in omnibus istis, & compluribus aliis, distinctè cognoscamus. Conf. Cap. v. *De existentiâ & cognitione Dei.*

Praxis Secunda de glorificatione Dei.

XVIII. Tum *secundò*, inculcat *glorificationem* Dei. Ista enim, tot nominum congeries, quorum singula, singulare quid, de Majestate Dei sistunt, & inde nata ejus cognitio; quorsum faciunt, nisi ut Majestatem, illis quasi frustulatim delineatam, agnoscamus in *corde*, ac prædicemus *ore*? Et hoc tandem quid est, nisi glorificare? Si enim (a) *nomen* in Sacris passim sonet *famam*, *gloriam*, æstimationem ac celebritatem magnam Gen. XI. 4. & XII. 2. Prov. XXII. 1. Marc. VI. 14. Si (b) *viri nominis* sint, quacunque prærogativâ, celebres 1. Paral. v. 24. Gen. VI. 4. Si (c) *nomen habere*, sit ab omnibus prædicari Apoc III. 1. & ejus *nomen prædicari* dicatur, qui maximè celebratur 2. Sam. XII. 28. Si (d) *Filii absque nomine*, ignominiosi habeantur terræ filii Joh. XXX. 8. Imo si (e) electè *nomen Dei*, famam & celebritatem ejus designet 1. VIII. 42. Neh. IX. 10. Dan. IX. 15. atque etiam ejus *gloriam* Jos. VII. 9. Psal. XXIII. 3. &c. Quin &, si (f) *nomen Dei* non rarò, in S. monumentis, nihil aliud sibi velit, quam *agnitionem* attributorum ac perfectionum ejus Psal. LXXVI. 1. Heb. II. 12. & XIII. 15. quid tandem tot Dei nomina, tam varia intendent? Si non hominem erigere, ut 1. *penes se*, in corde proprio, virtutes Dei, agnoscat & extollat, nominibus significatas, tum 2. prædicet & exaggeret apud alios 1. Pet. II. 9. quæ duæ sunt partes glorificationis divinæ. De qua ex professo, in cap. de *Gloria Dei.*

Tertia praxis de profanatione nominis divini.

XIX. Porro *tertiò*, damnat *temerationem* ac *profanationem*, nominum divinorum, usibus adeo pretiosis, amplificandæ scil. cognitioni Dei, ejusque glorificationi, destinatorum. Quam 1. diserte, peculiari quodam è decem, præcepto, & tantâ cum emphasi Deus proscribit Exod. XX. 7. Cui 2. indeclinabile supplicium dictat; *Non dimittet Dominus impunitum.* Quam 3. morte etiam multavit Levit. XXIV. 11. 16. Fit autem illa profanatio 1. *corde*, per *ignorantiam*, quâ *nomen*, ad *notificandum* datum, negligitur; per *oblivionem*, quâ *memoriale*. 2. *Ore*, *temerè*, seu absque justâ causâ: *profanè*, absque reverentiâ ac devotione: *impiè* per blasphemiam, usurpando. 3. *Opere*: *discedendum enim ab omni injustitiâ, cuivis, qui nomen Domini nominat* 2. Tim. II. 19. Plura hujus generis, suppetent ad tertium præceptum.

Quarta praxis de Sanctificatione nominis divini.

XX. Denique *quartò*, erigit ad *sanctificationem* nominis divini, quâ generatim complectimur, quicquid ad genuinum nominum divinorum *usum*, spectare possit, v. g. 1. *Annuntiationem* ac prædicationem *nominis* divini Act. IX. 15. 2. *Invocationem* ejusdem Joël. II. 32. 3. Fiduciam *acquiescentiam* in eodem Prov. XVIII. 10. 4. *Timorem* ac reverentiam nominis divini Psal. CXLIII. 11. 5. *Professionem* nominis Dei, aut Christi 2. Tim. II. 19. Actor. IX. 15. 6. *Glorificationem* ejusdem Joël. II. 26. &c. De quibus passim Sacra pagina, & Theologi, ad primam Dominicæ orationis petitionem. Porro singulorum Dei nominum, usum ac praxin singulatim expedire; spaciosius foret quam pro compendiosa Theologiæ ideâ.

CAPUT QUINTUM,

DE

ATTRIBUTIS DEI IN GENERE.

EXOD. XXXIII. 18. 23.

Adjecitque, oſtende mihi quæſo gloriam tuam. Qui reſpondit: ego præterire faciam, omne bonum meum, ante faciem tuam, & vocabo ex nomine Jehovæ coram te &c.

Eſſentiæ divinæ cognoſcendæ ſecundum adminiculum eſt in attributis Dei. Textus reſolvitur & exponitur.

I. Primum cognoſcendæ eſſentiæ divinæ adminiculum, illud nim. quod eſt in *nominibus* Dei, exhibuimus hactenus: ad *ſecundum*, quod eſt in *attributis* divinis, impræſens progredimur, de eis dicturi, primò in *genere*; tum & *ſingulatim* de ſingulis. Theoriæ priori fundamentum ſtruet, textus Exod. XXXIII. 18.—23.

Pars exegetica,

II. *Quo ſupplicatio* Moſis *exhibetur, juxta cum gratioſâ quidem, aſt limitatâ* Dei exauditione. *Undè partes emergunt duæ:*

1. Petitio *Moſis* vſ. 18. Oſtende quæſo mihi gloriam tuam. vſ. 13. את דרכך *viam tuam. Sed quidnam ſibi vult gloria iſta? Philo Judæus, de* Monarchiâ, *intelligit ideas & poteſtates, quæ ſunt in Deo. Tertullianus*, gloriam *humanitatis Chriſti, quam ipſe oſtenderit poſtmodum in Thabor* Matth. XVII. *Hieronymus, Auguſtinus & alii*, ipſam eſſentiam *Dei glorioſam, quam Moſes videre deſideraverit, oculis: ſeu* corporis, *in aliquâ ſpecie corporeâ; ſeu* mentis: *quod ipſe Deus, in textu videtur refellere, negando*, faciem *ſuam videri poſſe à vivente. Quidſi intelligamus, glorioſa Dei* attributa, *quibus ipſa ejus* eſſentia, *utcunque nobis innoteſcat?* prout Rabbini, per *vias* Dei, intelligunt ejus *proprietates*, teſte Druſio in *obſerv.* ſuis, quas aliàs מדות appellant. quæ cap. XXXIV. 5. 6. 7. 8. ſatis copioſe recenſentur: *quod confirmari videtur à textu; quando Deus*, gloriæ *ſubſtituit*, bonitatem vſ. 19. & juſtitiam *vindicativam*; aſt miſerebor cujus miſerebor, *addito etiam* Jehova, *quibus omnibus, velut* poſteriora Dei, *ſeu potius eſſentia Dei à poſteriore, nobis utcunque nomine glorioſo innoteſcit.*

II. Exauditio *Dei, quâ*

1. *Petito Moſis* annuit, *promittendo ei geminum beneficium:* quorum

A. *Alterum erat* viſibile. Ego tranſire faciam, omne bonum meum, ante faciem tuam. כל טובי. ſcil. quod continetur in omnibus attributis meis. *Moſes petierat* gloriam *Dei*, *Deus reſpondet* de bonitate *ſuâ: ſeu, quod in gloria Dei, maximè deſideraverit perſpicere* bonitatem *Dei; ſeu, quod gloria Dei, vel maximè appareat, in* bonitate *Dei independenti* Matth. XIX. 17. *ſeu* (*quod potiſſimum*) *quod facies, gloria, bonitas, juſtitia, miſericordia, & omnia, unum ſint idemque â parte Dei.*

B. *Alterum* audibile. Et vocabo ex nomine Jehovæ coram te, *ſeu, clamabo inſuper, magnum illud nomen meum* Jehova, *coram te; ut ſic, tum ex* attributis; *tum ex* nomine *iſto, utcunque videas*, & gloriam & eſſentiam *meam.*

2. *Idem petitum q.* reſtringit *ac limitat, duplici clauſulâ: quarum*

Prior, *reſpicit ſuam* bonitatem: aſt miſerebor, cujus miſerebor, & clemens ero, in quem clemens ero. *Quaſi dicat, videbis equidem bonitatem meam; aſt non talem, quæ ſit diverſa in ſe, aut adverſa, juſtitiæ meæ vindicativæ. Neque enim attributa, reapſe ſunt diverſa in Deo, multo minus contraria.*

Poſterior *reſpicit eſſentiam:* Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo, & vivet. Ubi *facies Dei, dicere videtur ipſam* eſſentiam, *quam* vidit nemo, nec videre poteſt, quod lucem *habitet inacceſſam* 1. Tim. VI. 16. *Quamvis interim poſt hanc vitam, dicamur Deum* viſuri, facie ad faciem, *contradiſtinctè ſcil, ad viſionem quæ fit, ἐν αἰνίγματι* 1. Cor. XIII. 12.

3. *Tandem petitum* præſtat:

1. Affi-

1. Assignando *Mosis locum, ubi illud reciperet:* Ecce locus apud me, & stabis supra petram. *De quo hujus loci non est quicquam monere.*
2. Determinando *modum, & conferendi, & recipiendi petitum beneficium:* & cum transibit gloria mea, ponam te in spelunca petræ, & tegam te manu mea donec transiero.
3. Conferendo *ipsum petitum:* removebo manum meam; *scil. ab oculis tuis,* & videbis posteriora mea, facies autem mea, non videbitur.

De quibus multa possent quari ac dici: sed quæ non sunt hujus Capitis, unde brevitatis studio seponemus, contenti, ratione hujus loci communis, inde observasse.

Pars dogmatica.

Essentia Dei invisibilis est.

III. *Primò, essentiam Dei, ut est in se, planè invisibilem esse & imperceptibilem:* quatenus facies Dei dicitur videri non posse. Quam observationem, cum Cap. 11. 1. hujus lib. 1. ex professo habuerimus, impræsens seponimus.

Essentia Dei nobis innotescit per ejus attributa.

IV. *Eandem interim, nobis innotescere utcunque, ex attributis & proprietatibus:* quatenus eis Deus, velut *posteriora* sua Mosi ostentat; in gloriâ, bonitate, misericordiâ, ac justitiâ suâ. Huc passim in Sacris monumentis, divina attributa coacervantur Exod. xxxiv. 5. 6. Nehem. ix. 5. 17. Psal. cxi. 8. Jer. xxxii. 17. 18. 19. 1. Tim. 1. 17. & vi. 15. 16. &c. Atque etiam hinc *nominum* appellatione, attributa Dei veniunt; tam Scripturæ, quam Patribus, prout supra monuimus; scil. quod, juxta cum *nominibus*, appropriatè sic dictis, sint q. *novimen*, seu nata essentiæ divinæ. Quod ipsum, si in creaturarum quarumvis cognitione est obvium, multo erit magis, in essentiæ Divinæ. Si enim, 1. *Substantia quævis*, ad minimas usque, vel corporea, sensibus expositа; menti nostræ non innotescat, nisi ope attributorum suorum: nunquid 2. id magis dicemus, de *substantiis spiritualibus*, quæ sensibus planè sunt inaccessæ, quod non innotescant, nisi per attributa sua? cum ejus rei testes luculenti prostent in Angelis, quin in ipsâ nostra anima. Quin 3. Nunquid id maximè veniet statuendum, de *substantiâ infinitâ?* Illa, ut venire nobis possit in mentem, nisi velut per partes, sub variis attributis, in variis conceptibus inadæquatis? E quibus triplex nascitur argumentum, pro attributorum necessitate, velut cognoscendæ adminiculo, quod nim. illa substantia sit, & spiritualis, & infinita.

Attributa quomodo Deo competant?

V. Illa igitur *attributa*, si *nomen* spectes, non quod *insint*, dicuntur; aut quod adsint & *inhæreant*, sicut accidentia & qualitates; sed quod Deo *tribuantur* abs nobis, h. e. de eo prædicentur, ei vere competant, sintque de ejus essentiâ, aut rectius, ipsa ejus essentia: aliàs, *proprietates* designantur, non quatenus quartum è prædicabilibus exprimunt; sed ut ipsam essentialem rationem subjecti denotant: atque etiam *nomina*, ut jam ante monuimus: *Si rem* velis, non sunt, nisi una Dei perfectio infinita, quatenus variis à nobis apprehenditur conceptibus in, adæquatis. Conceptibus enim nostris *formalibus*, ut loquuntur, reapse inter se distinctis; respondent ex parte Dei, varii conceptus *objectivi*, qui in Deo non sonant, nisi unam ejus infinitam perfectionem, intellectui nostro, per nativam suam finitatem infirmitatemque, non nisi variis actibus, velut per partes, cognoscibilem. Velut horizontem universum contemplaturi, unum licet, & unicum, variis tamen videndi actibus utimur, jam versus orientem conversi, jam versus occidentem; porro versus meridiem, denique versus septentrionem, donec totum exhauserimus. Ut attributorum ista farrago non tam à Dei oriatur perfectione, quam à nostrâ imperfectione. Quando nim. ex his, quæ creaturis videmus inesse, quædam Deo *tribuimus*, alia ab eo removemus: tum, à *tributis*, omnem removemus imperfectionem, quæ in creaturis, ipsis adhærere solet, quod in perfectissimum, non cadat imperfectio, tandem, relictis *tributis*, adjicimus infinitam ἐξοχὴν, quæ ipsi, ex essentiæ suæ infinitate, competit. Et hæc tandem est ratio investigandi attributa divina.

Attributa omnia unum in Deo ac simplicissimum actum denotant.

VI. Horum igitur naturam & ingenium, quo exactius assequamur, id nobis ante omnia præstruendum: omnia universim in Deo non esse, nisi *unum* quendam *simplicissimum* ac *purissimum actum*, ipsam ejus essentiam, infinitam ejus perfectionem. Neque enim: 1. in ens *absolute primum*; cadere potest res & res, per *compositionem*: quod *componentem* illa requireret, enti absolutè primo priorem. Neque etiam 2. in ens *infinitum*. Si enim caderet res & res: utraque, seu infinita foret, seu finita: non *infinita*, quod plura infinita, infinitam involvant contradictionem; nec *finita*, quod ex pluribus finitis non possit coalescere unum infinitum. Neque insuper 3. in ens *immutabile* & incorruptibile. Ubi enim est res cum re composita; ibi res quoque à re divelli, & sic res mutari ac corrumpi potest.

Decem de attributis consectaria 1.

VII. Hoc itaque præstructo, attributorum divinorum naturam, his consectariis commodissimè cogitaverimus: 1. Differre utique attributa Dei inter se; sed non tam à parte *Dei*, quam à parte *nostri* conceptus; proinde non *realiter*, sicut res & res; verum *ratione*, seu cogitatione nostrâ: ast non *ratiocinante* sola, quæ destituatur distinguendi rationibus; sed *ratiocinatâ*, quæ distinguendi rationes, accipiat ad ipso Deo: quatenus observat, Deum, per infinitam suam perfectionem, infinitis modis q. differre, in suis operationibus, dum

v. g. hunc erigit, illum destruit, & cum persuasa sit, in creaturis, illud esse ab amore; hoc ab odio; utrumque, ex similitudine & identitate effectus, Deo tribuit, atque etiam in Deo distinguit, *virtualiter* saltem & *eminenter*: quin &, diversis definitionibus exprimit prout unius ejusdemque, rei, diversæ sunt notiones, seu, ut loquuntur, formalitates, quæ ipsis competunt, non ex parte sui; sed ex parte nostri intellectus. 2. Interim 2. Omnia attributa *vere* Deo competere. Est enim, non per cogitationem tantum nostram, sed ex naturæ suæ conditione, bonus, sapiens, justus &c. Et competunt, non in *concreto* tantum, sicut creaturis, suæ competunt proprietates; sed in *abstracto* insuper, quod Deo proprium. Conf. loca, 1. Joh. v. 20. cum 1. Joh. 1. 2. Item 1. Tim. VI. 16. Dan. II. 22. cum 1. Joh. 1. 5. Item Exod. 3. XXXIV. 5. 6. cum 1. Joh. IV. 8. Imo. 3. Attributa omnia, si *rem* eorum significatam spectes, non verè tantum Deo competere; sed etiam *per prius*, seu potius ac perfectius quam creaturis: quatenus nim. perfectio cujusvis attributi divini, infinitùm excedit, quasvis analogas in creaturis: licet interim *nomina*, quibus perfectiones illæ designantur, *per prius* creaturis competant, utpotè a quibus, ad Deum transferuntur. Et cum unum omnia dicant 4. in Deo simplicissimum actum, tenendum 4. Nullos in ipsis esse admittendos intensionis, remissionis, dissimilitudinis aut imparitatis, gradus: scil. *intrinsecè* & ex parte Dei, omnia & singula attributa, infinitam sonant perfectionem, in quâ non admittitur magis & minus; licet interim fieri possit, ut *extrinsecè*, attributum unum, ad *plura* sese extendat objecta, quam aliud, quo sensu intellectus major dici possit, quam voluntas: aut in uno objecto, intensius agit quam in alio, quo sensu, Electos magis amat, quam reprobos. Ex eodem 5. fundamento, 5. multo minus, in attributis Dei admitti debet, ulla contrarietas aut inimicatio; & si quid tale videatur esse v. g. inter misericordiam & justitiam vindicativam; illud totum est in objecto, circa quod, uniformis Dei perfectio, quia infinita, diversis modis occupatur, seu, ut accuratius dicas, quam Dei perfectionem, diversis mo- 6. dis, creaturæ subeunt. Porro 6. concipienda à nobis attributa divina sunt, quasi divinæ perfectiones: ita tamen ut omnis imperfectio, quæ hujusmodi proprietates, in creaturis comitari consuevit, ab attributis Dei analogis, accuratè removeatur, & superstes etiam perfectio, cum eminentiâ maximâ concipiatur, scil. juxta vias causalitatis, negationis & eminentiæ, quas jamjam, investigandis 7. attributis divinis, monstravimus. Adhæc 7. notandum, attributa Deo competere, non *virtualiter* tantum, prout calor Soli competit, quod calefaciat: nec *eminenter* etiam tantum, sicut perfectio causati, causæ competit Psal. XCIV. 9. sed *formaliter*, quatenus omnis perfectio, quæ per attributa analoga designatur, semotâ omni imperfectione adjacente, verè ac propriè, quin & cum gradu ὑπεροχῆς, Deo competit; quamvis non competant, velut accidentia aut qualitates, quod ad imperfectiones istorum attributorum, in creaturis pertinet. Adde 8. attributa Deo competere, quasi 8. *in esse* quodam *secundo*, quatenus prius essentiam Dei concipimus, velut radicem, à quâ attributa oriuntur. Concipimus enim, Deum esse, antequam concipere possumus, eum v. g. misericordem, sapientem, justum esse. Quo nomine, ab attributorum divinorum categoriâ, essentia, substantia, spiritus, removenda sunt: quoniam ad *esse primum* spectant, neque habent cui tribuantur, per modum perfectionis advenientis & qualificantis, ut sapientia &c. Et cum attributa dentur, incommunicabilia & communicabilia, quod hîc præsupponimus, suo loco explicandum confirmandumque; observandum 9. illa, quæ sunt *incommu-* 9. *nicabilia*, in conceptu suo formali, includere adeo essentiæ divinæ peculiare quid, ut ejus, ne vestigium quidem, reperiatur in ullâ creaturâ: quo loco, comprimis ea sunt ex attributis, quæ *negativa* indigitantur. v. g. infinitas, immutabilitas, independentia; & ex *affirmativis*, nonnulla etiam, qualia omniscientia, omnipotentia, æternitas, & si quæ sunt, ejusdem indolis alia. Prout vice versâ 10. ea, quæ *communicabilia* audiunt, non 10. *univocè* Deo convenire & creaturis, cum inter infinitum & finitum, nulla omnino sit proportio; nec *æquivocè* etiam; ut in solo nomine concurrant: cum è cognitione unius, possimus traduci in cognitionem alterius: sed *analogicè* tantum, ita ut res, attributis significata, principaliter & originaliter, Deo competat; creaturis vero, non nisi participativè, & cum gradu diminutionis, sicut *sanitas*, animali proprie & per se competit, quamvis cibo, aëri, medicamento, competat propter animal.

VIII. His igitur theorematis, attributorum divinorum communis natura, nobis, quantum satis, innotescet, & magis etiam si eorundem *distributionem* adjiciamus. Quæ variè solet à variis adornari. Receptiores sunt, per quas attributa Dei sunt: primò *propria*, & metaphorica, ut leo, ignis, rupes: Secundò *negativa* & *positiva*, ita ut, quæ negativa dicuntur; dum in significatione sua formali, removent à Deo imperfectiones; in conceptu tamen materiali, positivas involvant perfectiones. Positiva tertiò, vel sunt *relativa*, ut Creator, quæ vix aliter, quam in concreto, de Deo admittuntur; vel *absoluta*. Sunt quarto vel *personalia*, ut generatio Filii, vel *naturalia*. Naturalia denique, vel κοινωνητὰ vel ἀκοινώνητα, quam distributionem, Theologis receptissimam, alibi à suggillationibus vindicavimus, tantum adjicimus, ea quæ *communicabilia* dicuntur, Deo non competere

Attributorum divinorum distributiones.

petere 1. *Negativè* tantum, ut quando v. g. *vivere* dicitur, significetur, eum non esse sicut ἄζωα. Nec 2. *virtualiter*, seu causaliter tantum, quatenus perfectionum significatarum, causa tantum sit in creaturis. Nec 3. *univocè*, ita ut res, attributis significata; utrobique, in Deo & in creaturis sit, ex æquo: cum in Deo sint infinita, à quo finitum infinitè distat: sed verè & ὑσιοδῶς: eminenter, ὑπεροχικῶς & ἀναλόγως; adeo ut, licet perfectio attributis significata, creaturis competens, quà talis, verè & propriè Deo competat; non tamen, vice versâ, perfectio istius attributi, quatenus in Deo est, etiam in creaturis sit, nisi fortè, per qualecunque sui vestigium.

Præstantissima attributorum distributio.

IX. Nobis placet, attributa divina disponere, quasi secundum officia. Docent enim, partim *quid* sit Deus, ea scil. quæ ad *descriptionem* Dei, quam commodissimè concurrunt, quâ *Spiritus est à seipso*. In quâ coëunt, ejus spiritualitas (sub quâ, ejus est simplicitas, invisibilitas &c.) & independentia: partim *quantus* sit; quibus unus, infinitus, æternus dicitur: partim *qualis* sit; cujus generis attributa, perfectionem divinam nobis referunt, sub notione; vel *facultatum*, quo loco sunt intellectus, voluntas, affectus: vel *virtutum*, seu in intellectu, ut omniscientia; seu in voluntate, ubi sunt bonitas (sub quâ sunt, gratia & misericordia) sanctitas & justitia; vel sub notione *operationum*, quarum principium est, omnipotentia. Ex omnibus coalescit, perfectio & omnisufficientia, majestas & gloria, denique beatitudo. Et hoc tandem ordine in singulari attributorum divinorum contemplatione distinebimur.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An attributa divina, sint diversum quid, ab ejus essentia? Sententiarum varietas.

X. Quæritur 1. An attributa divina, sint aliquid diversum ab essentia ejus? Valentinus hæreticus Anno Christi, circiter cxxx. cum suis Gnosticis, triginta numerabat Deos, quos Æonas, seu ἀιῶνας, appellabat, partim mares partim fœmellas (procul dubio, diversas ab essentia divina) ex quarum συζυγίᾳ, seu commixtione, Servatorem ortum statuebat, ne scil. eundum, cogeretur admittere, ejus essentiæ, cum Patre suo. De quibus Tertull. *cont. Valent.* Irenæ. lib. 2. cap. 4. Epiphan. Hæres. xxxi. Judæi Caballistæ, suas habebant ספירות & אצילות *numerationes* & *emanationes*, quas ex libro יצירת, quem Abrahamo vindicant, decem numerant, quasi luces, seu proprietates essentiæ divinæ, quæ nec Deus sint, nec creaturæ; sed à Deo, velut radii à Sole, profluant & emanent. De quibus, ex Reuchlino de *Arte Cabbal.* sic philosophatur Buxtorfius, in *Lexico Talmud. Ecce* (decem istæ Sephirot.) *sunt decem divina nomina, quæ nos mortales, de Deo concipimus, vel essentialia, vel personalia, vel notionalia, vel communia, & nominantur sic:* כתר *Corona*; חכמה *Sapientia*; בינה *Prudentia, sive intelligentia*; חסד *Clementia, seu Bonitas*; גבורה *Gravitas, sive Séveritas, aut Potentia*; תפארת *Ornatus*; נצח *Triumphus*; הוד *Confessio laudis*; יסוד *Fundamentum*; מלכות *Regnum, supra coronam vero ponitur*; אין סוף *Infinitudo, & est abyssus.* Conradus Vorstius, Socinizans, *virtutem* Dei, realiter distinguebat ab *essentia* divina, ad hoc, ut essentia Dei, esset in cœlo tantum, dum *virtus* Dei, etiam esset in terris, atque adeo essentia Dei, non potuerit personaliter fuisse unita, cum humana Christi natura, adhucdum existente in terra tantum, eaque ratione, potenter insidiaretur, Christo θεανθρώπῳ. Sociniani, ne Spiritus S. Deus sit, Patri ὁμοούσιος, statuunt eum esse virtutem Dei, ab essentia divina diversam; adeoque attributa divina, realiter differre ab essentia. Insuper, ne ex attributis divinis, quæ passim, & Filio & Spiritui S. afferuntur in Scripturis; solide colligamus, ipsis competere essentiam divinam; adeoque Deum, trinum personis, unum esse essentia; attributa divina dicunt, realiter differre ab essentia. Porro, in negotio de decretis, prædestinatione —; ne, mutata voluntate divina, eo ipso mutetur essentia divina; statuunt, attributa realiter differre, ab essentia divina. Reformati, quamvis admittant, essentiam differre ab attributis; non tamen *realiter*, in ipso Deo; sed *ratione*, in conceptu nostro; quatenus, aliquando essentiam concipit *simpliciter*, & abstracte ab attributis; aliquando eandem, cum variis relationibus, & operationibus in creaturis, & ex eo nascuntur attributa, quæ nec ab essentia; nec inter se differunt *realiter*. Si enim: 1. differrent, essent in Deo, res diversæ, adeoque non pura deitas, in Deo esset; nec, ea ratione, Deus *lux* non esset, *in qua non sunt tenebræ* 1. Joh. 1. 5. Tum 2. si in Deo esset res & res; tum in ipso daretur compositio, quæ prærequireret componentem: & sic, Deus, non esset ens *absolute primum*. Porro si compositus; etiam dissolubilis adeoque non ἄφθαρτος incorruptibilis, & quidni annihilabilis etiam? cum nec essentia absque attributis, nec attributa absque essentia, Deus sint. Sic 3. Deus, ex parte Deus esset; ex parte non: si enim attributa non sunt essentia divina, non sunt Deus. Adversarii, in hoc negotio; non tam disputant rationibus; quam suis hypothesibus inferviunt. Nec est etiam, quod speciosius pro se causari possint, quam, quod dentur in Deo attributa contraria, v. g. misericordia & justitia vindicativa: Sed non est in ipso Deo; verùm in opere Dei, & in nobis, qui istam contrarietatem, in effectibus divinis observamus, & ex ea talia attributa efformamus. Est in hoc summa, simplicissimæ essentiæ divinæ, perfectio, quod in diversis, contraria possit producere.

Sententia Reformatorum.

Objectio.

XI. Quæritur 2. An attributa Dei, creditu ad

2. An attributa

tributa, cognitu necessaria, pauca tantum sint?

salutem necessaria, paucula tantum sint? Socinani, quo non tantum Samaritanismum, fidei Christianæ commodius adducerent, sub quo quivis, fundamentalibus destituti, commodius possent latitare: sed &, attributa illa Dei, quibus æternam & ὁμοούσιον deitatem Filii ac Spiritus S. demonstrare solent Christiani, efficacius possent eliminare a pomœriis Christianis. Porro, ut dependentiam Dei, à libero nostro arbitrio, mutabilitatem decretorum divinorum, pro lubitu arbitrii humani, realem diversitatem essentiæ divinæ, incommunicabilitatem essentiæ tribus personis, aliaque securius haberent: exclusa independentia, immutabilitate, simplicitate, & infinitate: hæc tantum sex attributa cognitu & creditu, necessaria statuunt: 1. Quod sit Deus 2. Quod sit unus tantum 3. æternus 4. perfecte justus 5. perfecte sapiens 6. & perfecte potens. *Catech. Racov.* cap. 1. Remonstrantes Apologistæ, quo, in fundamentalibus, non errent Socinani, & in suis cœtibus, communionem habere possint; non procul a Socinianis abludunt, statuendo, paucula tantum, De Deo, Christianis esse cognitu & creditu necessaria. Theologi Cartesiani ζῶντες, in gratiam Philosophiæ suæ, cui essentia divina, non est, nisi mera cogitatio; non nisi duo numerant Dei attributa; *intellectum* & *voluntatem*, eo quod hæc duo sola, ingrediantur naturam cogitationis. Orthodoxi, plura sex Socinianis, & duobus Cartesianis, numerant Dei attributa, & quidem creditu necessaria. Quia: 1. Scriptura plura numerat, atque etiam frequenter coacervat divina attributa, ut supra notavimus §. IV. Quia 2. Absque præteritis attributis, independentia, immutabilitate, simplicitate, infinitate, gratia & misericordia, item *quis* sit Deus; nemo potest habere cognitionem veri Dei, adeoque nec amorem, fidem — proinde necessario Atheus est. Quia 3. Nec fides, nec cultus divinus, subsistere ullo modo possunt, nisi sciamus, quis sit verus Deus, nempe qui est Pater, Filius & Spiritus S. Joh. XVII. 3. Nisi velimus credere, in incognitum Deum, eique servire, quod est contra Joh. IV. 22. Act. XVII. 21. 2. Reg. XVII. 29. Quia 4. Dei spiritualitas & simplicitas Joh. IV. 24. ejus invisibilis natura Deut. IV. 15. — immensitas Psal. CXXXIX. 1. 2. 3. — immutabilitas Psal. CII. 27. 29. 30. sunt cognitu necessaria. Quia 5. Sex attributa Sociniana, si reliqua secludantur, non conferunt salutem; sed ad solam spectant ἀναπολογησίαν Rom. I. 19. 20. 21. & cap. II. 14. 15. pronunciante Apostolo 1. Cor. I. 21. & Rom. I. 19. 20. Nec habent Socinani, quod pro se causentur, nisi quod ista sex, requirantur ad salutem: ast non evincunt, quod *sufficiant* ad salutem, demptis aliis. Quantum ad Cartesianos, eorum fundamentum, in eo est, quod essentia Dei consistat, in sola cogitatione, id quod jam ante, in præcedentibus, ex professo disjecimus.

3. An distributio attributorum divinorum, in incommunicabilia, & communicabilia, sit ferenda?

XII. Quæritur 3. An attributorum divinorum distributio in *incommunicabilia* & *communicabilia*, seu potius, in *propria* & *communia*, sit accurata, utilis & ferenda? an potius eliminanda? Lutherani, quo securam habeant omnipræsentiam carnis Christi, ejusque peculiariter præsentiam in S. Cœna; statuunt, per unionem hypostaticam, duarum in Christo naturarum, attributa divinæ naturæ, communicata fuisse humanæ naturæ, & sic distributionem, in *communicabilia* & *incommunicabilia*, sic satis tollunt. Quos refellemus infra, lib. IV. cap. V. de persona Christi, & lib. VII. cap. V. de S. Cœna. Theologi Cartesiani, quo suæ Philosophiæ convenientiorem distributionem, in intellectum & voluntatem, ei commodius possint substituere; eam loco movendam censent. Reformati existimant, quamvis nullum Dei attributum, proprie & *univoce*, sit communicabile, aut commune, quod omnia infinitum distent: esse tamen, quorum vestigia qualiacunque, κατ' ἀναλογίαν, observentur in creaturis; adeoque distributionem istam, omnino ferendam esse, cum alia dentur, in quibus tale vestigium nullum conspicitur: v. g. independentia, aseitas, immutabilitas. — Quoniam: 1. Cum Scripturis, ipsa docet experientia, vitam, intellectum, voluntatem, bonitatem, amorem, gratiam, justitiam, sanctitatem, eo quem diximus modo, creaturis cum Deo, esse communia. Quoniam 2. Utilis, & necessaria etiam, est distributio ista, penes demonstrationem, ὁμοουσίου deitatis, Filii & Spiritus S. utpote quam, non ex attributis communicabilibus; sed ex solis incommunicabilibus, demonstrare solemus & possumus. Quoniam 3. Scriptura docet, quod Deus hominem creaverit, ad imaginem suam Gen. I. 25. בצלמנו כדמותנו, hoc est, per interpretes, ad *imaginem quam simillimam*: itidem, quod reddamur *divinæ* participes *naturæ* 2. Pet. I. 4. item, quod *transformemur in eandem imaginem* Dei 2. Cor. III. 18. Ex quibus, non potest non confici, communio qualiscunque attributorum. Fundamenta sententiæ adversariæ, duo ista observantur: Quod, si vocem *communicabilis*, strictius sumas; attributa Dei, sunt *proprietates*, atque adeo, incommunicabilia *omnia*. Resp. 1. Hoc, utut verum sit *in se*: sic parum congruit cum hypothesibus Cartesianis. Volunt enim, essentiam eandem, vere & univoce, communem esse, Deo, Angelis, & animabus nostris; Mens enim omnis, sive sit humana, sive angelica, sive divina, est res cogitans, inquit Cl. Wittich. *Theol. pacif.* §. CXXII. Atque etiam *essentiam*, volunt esse, *primum rei cujusque attributum* §. CXX. Proinde, si: α. *essentia* mentis, puta *cogitatio*, sit communis Deo, Angelis & animabus nostris. Si β. *essentia*, sit attributum rei primum & præcipuum: & si γ. attributum sit *proprietas* Dei; tum, quomodo attributa

ta Dei *omnia*, erunt *incommunicabilia*? Sed 2. Communio triplex est, secundum Philosophos: *æquivoca*, qua solum nomen commune est, ut vox cancer morbo competit, syderi & animali: *univoca*, quando res vocis, secundum eandem rationem, æqualiter, communis est pluribus, prout substantia competit, homini & bruto: & *analoga*, quando vox, quoad significatum suum, uni *primo* competit & *præcipue*, aliis tantum *propter* illud, sic sanitas primo ac præcipue animali competit; cibo, aëri & medicamento, *propter* animal. Sic attributa divina, primo ac præcipue, imo & incommunicabiliter Deo competunt: sed creaturis, non æquivoce tantum, verum analogice competunt. 2. Secundum fundamentum eorum est: *quod si communicabilitatem intelligas* latissime, *de quadam similitudine, valde obscura; etiam quædam, quæ* incommunicabilia, *vulgo dicuntur, poterunt* communicabilia appellari. Wittich. *Theol. pacif.* §. CXCIV. Resp. 1. Quod quædam attributa incommunicabilia, ob *tam valde obscuram* similitudinem, quæ existit in creaturis, appellari possint *communicabilia*, aut etiam tam valde obscura similitudo *incommunicabilium* v. g. aseitatis, immutabilitatis, infinitatis--; detur: tam diu falsum, donec probatum fuerit. 2. Et si probatum omnino fuerit, quod *quædam* incommunicabilia, habeant *tam valde obscuram* similitudinem in creaturis, per hoc tamen non laborabit distinctio, quam diu non fuerit demonstratum, *omnia* esse, seu communicabilia, seu incommunicabilia. Plura si volet lector in hanc rem, *Gangræam* nostram Cartesianam, conferat *Sect. poster.* Cap. XVI.

Pars practica.

Attributa divina juuant: 1. Cognitionem, glorificationem & reverentiam Dei.

XIII. Circa *praxin* hujus loci, breviores erimus, duplici causa: 1. quod universa praxis, quam *nominibus* assignavimus, capite præcedenti; hic mutatis pauculis recurrat: eo, quod attributa, cum nominibus, in hoc congruant, quod utrobique sit medium, cognoscendæ essentiæ divinæ. 2. Quod praxis attributorum, à singulis ferme singulatim, resulfet divinis attributis; singulis proinde, singulatim subjicienda. Itaque *primò*, nulli dubium esse possit, quin egregiè faciat, ad *cognitionem Dei*, per attributa percipere, *quid* sit Deus, *quantus* & *qualis* sit. Cum in quavis cognitione, quo plura attributa, de subjecto percipiuntur; eo perfectior ipsa audiat cognitio. Nec minus *secundò*, facit ad gloriam & *glorificationem* Dei, tot in Deo attributa cogitare, quorum singula, infinitam essentiæ divinæ, repræsentant perfectionem. In quam rem, passim à sanctis coacervantur Exod. XXXIV. 5. 6. Neh. IX. 5. Psal. CIII. 8. 1. Tim. I. 17. 1. Pet. II. 9. Quin etiam *tertiò*, incutiat reverentiam Dei, ac studium placendi & obediendi ei Neh. IX. 17. &c. Scil. Deo tot infinitis attributis nobili. Conferantur §§. III. IV. V.

2. Aliorum fidei articulorum solidacum Nim.

XIV. Peculiariter *secundò*, theoria attributorum divinorum generalis, egregiè facit, ad roborationem articulorum fidei nostræ, quam maximè fundamentalium, de SS. Trinitate, æternâ Filii ac Spiritus S. cum Patre ὁμοουσίᾳ: quod attributa etiam incommunicabilia, quæ cum essentiâ divinâ, planè coincidunt, non Patri tantum; sed & Filio, ac Spiritui S. in Sacris monumentis tribuantur. Quamobrem etiam Sociniani articulos istos subruturi necessum habuêre, pleraque Dei attributa pervertere.

3. Fidei & fiduciæ nostræ.

XV. Insuper *tertiò*, *fidei* ac fiduciæ nostræ, egregium præstat fundamentum, tot perfectionum in *Deo* concursus; sapientiæ, potentiæ, bonitatis &c. quarum singulæ, infinitæ sint, æternæ, immutabiles, atque ipsa etiam Dei essentia. Nec in Deo tantum; sed in *Mediatore* quoque, qui, quod Deus sit, & omnibus attributis divinis beatus, *perfectè possit servare* Heb. VII. 25. &c.

4. Precum.

XVI. Præstat etiam *quartò*, precibus nostris immotum fundamentum, ut cum παῤῥησίᾳ, accedamus ad thronum gratiæ, ejus, qui tot perfectionibus, & possit, & velit supplere omnes defectus nostros Jer. XXXII. 17. 18. 19.

5. Aliarum quarundam virtutum.

XVII. Porro *quintò*, *materiam* suppeditat attributorum generalis theoria, nostris gratiarum actionibus, celebrationibus; atque etiam calcaria addit obedientiæ, cultui divino, & omnibus virtutibus christianis. Quæ omnia, hoc loco, velut digito monstrasse, (nullo negotio, adjectis testimoniis amplificanda, alibi quoque in singulorum attributorum singulari theoriâ, latius explicanda) sufficerit.

6. Beatitudinis quæ est in communione cum Deo.

XVIII. Denique *sexto*, tot ac tantorum attributorum, in unum Deum confluxus, nos instruit de beatitudine eorum, qui Deum istum sibi habent confœderatum Psal. XXXIII. 12. *Beata gens, cujus Jehova Deus est, populus quem elegit in hæreditatem sibi.* 2. Cor. VI. 18. Ubi enim Deus iste noster fuerit & *pro nobis* Rom. VIII. 31. nunquid omnia ista attributa, pro nobis erunt, & nostra? Singulatim nunquid v. g. ejus 1. *immutabilitas*, nos certos reddet, eum, in omnem usque æternitatem, Deum nostrum permansurum? Mal. III. 6. 2. Tim. II. 19. Ejus 2. *veracitas*, nunquid efficiet, ut ejus promissis, immoti possimus inniti? Jos. XXI. 45. Jes. XXXIV. 16. Ejus 3. *bonitas* & *amor*, ut in quibusvis, quantumvis adversis, securi simus, omnia ista militatura in commodum nostrum? Heb. XII. 6. Rom. VIII. 28. 38. 39. Ejus 4. *misericordia*, spem nobis faciet, futurum, ut peccata nobis gratiosè remittat Psal. CIII. 8. 10. Exod. XXXIV. 6. Ejus 5. *sapientia*, nunquid nos persuadebit, ejus gubernationem nobis saluberrimam fore? 2. Pet. II. 9. 2. Sam. XV. 25. 26. Ejus 6. *Omnipotentia*, eum posse nobis, omnia ista præstare, quæ promiserit, quæque nobis conduxerint? Eph. III. 20. 2. Thess. I. 11. &c.

CAPUT SEXTUM.

DE

Spiritualitate & Simplicitate Dei.

Joh. IV. vers. 24.

Deus est Spiritus, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorent.

Primum Dei attributum ejus est spiritualitas.

I. Jam singula singulatim succedant, divina attributa, ea primùm, quæ *quid* sit Deus, repræsentant; seu quæ ejus ingrediuntur descriptionem, qualia sunt, spiritualitas & aseitas, cum attributis analogis & consectariis, *simplicitate & immutabilitate*. Est enim nobis Deus: *Spiritus à se*. Verum, cum de *aseitate* & independentiâ, dudum nobis fuerit negotium Cap. III. hujus libri; *spiritualitatem* ac *simplicitatem*, hoc capite conjungemus. Fundamentum struet Servator Joh. IV. 28.

Pars exegetica.

Resolvitur & exponitur textus.

II. *Cujus verbis*, responsum *continetur*, *de* naturâ Dei, *ejusque*, *ad praxin pietatis*, ἐνεργείας. *In quo proinde, sese profert:*

I. Descriptio *quædam Dei, quâ continetur*

A. Descriptum, *seu axiomatis subjectum, cum designante articulo* ὁ θεὸς. *De quo hactenus, & imposterum.*

B. Descriptio, *in voculâ* πνεῦμα; *copulativo* est, *Ellipsi Hebraâ subintellecto*. Spiritus *appellatur Deus*, impropriè *quidem, si* vocem *spectes significantem, quippe quæ à* spirando *Hebræis, Græcis & Latinis derivata; corporeis propriè competit*, halitui, *quod ille in visibilibus vulgo habeatur subtilissimus: si* rem *significatam, maximè* propriè, *quod eminenter sit subtilis, immaterialis, simplex, ut in sequentibus ostendemus.*

II. Consectarium *practicum, de usu descriptionis, in cultoribus & cultu divino:* Et qui adorant eum, in spiritu & veritate *&c. Quibus verbis tria exprimuntur:*

1. Cultores, *quibus prodest descriptio:* προσκυνοῦντας: *sese prosternentes coram Deo, adorantes, colentes eum professione, ac ritibus extrinsece. Idem enim Græcum notat, quod Hebræorum* השתחוה. *Utrumque* cultum *sonat, aliquando* civilem *Gen.* XXIII. 7. *Matth.* XVIII. 26. *sæpius* religiosum *Joh.* IV. 23. *Psal.* XCVI. 9. *Matth.* IV. 10. *sed* externum, *aut saltem, cum externis corporis gestibus conjunctum. Ut per* προσκυνοῦντας, *intelligantur, qui cultum Dei profitentur & præstant.*

2. Cultus, *ejusque affectiones, e naturâ Dei consectaria, ut nim. fiat:*

A. In spiritu, *h. e. ut proficiscatur à cultoris* spiritu, *seu interioribus Psal.* LI. 8. *Matth.* XXII. 37. *Rom.* I. 9. *non professione tantum, aut gestibus externis: ut sit* spiritualis, *etiam externus ille Joh.* IV. 22. 23.

B. In veritate, *h. e.* 1. *Non* fictè *per hypocrisin; sed* sinceritate cordis 1. *Cor.* v. 8. 2. *Non* typicè *per umbras, per ceremonias, locis ac temporibus adstricti; sed in gratiâ spirituali Joh.* I. 17.

3. Obligatio *relativa, cultorum ad hujusmodi cultus genus: in vocula* δεῖ, oportet, necessum *est. Scil. tum quia Deus est spiritus, adeoque spiritu & spiritualibus delectatur: tum quod umbras ceremoniales respuit, & cultum spiritualem, ceremoniis præfiguratum, jam sub Novo Testamento comprimis exigit.*

Theorema Primum,

De Spiritualitate Dei.

Pars dogmatica.

Deum esse spiritum probatur testimoniis.

III. *Itaque*, per textum hunc, *Deus est spiritus.* Talis habetur utrique Testamento: *Veteri*, Num XXIV. 2. Jud. III. 10. Ezech. XI. 24. *Novo* 2. Cor. III. 17. Act. V. 9. quamvis postremus locus, etiam ὑποστατικῶς, Spiritu S. intelligi possit. Unde Origenes, *Homil.* I. *in Gen. Sentire* inquit *de Deo, quod sit corporeus & humanæ formæ, manifestè impium est.* Et Augustinus *de civit. Dei.*

Dei lib. 8. c. 5. *Si noſter animus, corpus non eſt, quomodo Deus, Creator animi, corpus eſt?*

Et rationibus.

IV. Nec Deus poteſt non eſſe Spiritus: 1. Quia eſt ens, abſolutè primum, quod corporeas partes, vel toti *præxiſtentes*, vel ſibi *coëxiſtentes*, reſpuit, 2. Quia *independens* Rom. XI. 36. dum à membris, corpus dependet. Quia 3. *ſimplex* & ſimpliciſſimus: ut jamjam ex profeſſo probabimus, adeoque, membrorum corporeorum farraginem, non admittit. Quia 4. *infinitus*, quod à partibus *finitis*, eſſe non poſſet. Quia 5. *immutabilis* & incorruptibilis Jacob. I. 17. quod in corporeis & compoſitis, quæ diſſolvi poſſunt, admitti non poteſt. Denique 6. quia *perfectiſſimus* Matth. v. 48. &, omnium confeſſione, ſpiritus eſt multis modis perfectior corpore.

Quo ſenſu Deus ſit Spiritus.

V. Spiritus autem Deus eſt non ſenſu *tropico*, quo corporea etiam, ventus, ſpiritus animales, chymici, hac voce gaudent, quod ad ſubſtantias immateriales, proximè accedant: nec *analogico*, quo Angeli, noſtræque animæ, *ſpiritus* audiunt, quod ad immaterialitatem ac ſimplicitatem Dei, omnium proximè accedant: ſed, vel maximè *proprio* & univoco: cum ipſe remotiſſimus ſit, ab omni compoſitione. Sic autem *ſpiritus* dicitur, non tantum tertia Perſona ὑποστατικῶς, per appropriationem, quod ſubſiſtat, per ineffabilem quamdam, Patris & Filii ſpirationem; ſed ſingulæ perſonæ ὐσιωδῶς, quod omnes eandem habeant eſſentiam immaterialem.

Quænam ingrediantur ſpiritus.

VI. *Ingrediuntur* autem ſpiritus cujuſvis, maximè increati, naturam ſpiritualem, eſſe: 1. *ſubſtantiam*, non accidens. 2. *Incorpoream* & immaterialem Luc. XXIV 39. 3. *viventem*, quæ â ſe operetur; unde *Spiritus vitæ* Rom. VIII. 2. & *Spiritus vivificans* 1. Cor. XV. 45. 4. *intelligentem* 1. Cor. II. 11. 5. *volentem*, quæ diſpenſet omnia *ſicut vult* 1. Cor. XII. 11. De ſingulis poſtremorum, in ſerie attributorum divinorum, ſingulatim.

Quænam ſequantur affectiones.

VII. Conſequuntur eandem naturam ſpiritualem, affectiones: 1. *inſenſibilitas*, per quam ſenſibus noſtris, eſſentia ſpiritualis, planè eſt inacceſſa, quippe qui, objectum exigunt corporeum. Nominatim (a) *inviſibilitas* Exod. XXXIII. 20. 1. Tim. I. 17. & VI. 16. Joh. I. 18. Heb. XI. 27. Quia (quod immaterialis ſit, partis extra partem inops) nec figuram habet, nec ejus ſpeciem, ſpargere poteſt, quæ oculos noſtros afficiat. Cui accedit, quod infinitus etiam ſit. Quamvis interim viſus ſerſæpe legatur Gen. XVIII. 2. Jud. XIII. 22. 1. Reg. XXII. 19. ἐν ὁράματι, ubi, extraordinario quodam ſymbolo, oculis hominum exhibito, præſentiam ſuam, Deus manifeſtavit, eo fere modo, quo ejus *inviſibilia perſpici dicuntur, in rebus creatis* Rom. I. 20. & quo Patrem videmus in Filio Joh. XIV. 9. Exod. III. 2. cum Heb. XI. 27. Viſus item *mente* Matth. XVIII. 10. quâ etiam *viſuri* Deum dicimur, *facie ad faciem* 1. Cor. XIII. 12. Scil. non amplius *per ſpeculum, & per anigma*, h. e. obſcurè; ſed clarè, quaſi quæ oculis noſtris, coram videmus. Hujuſmodi, viſio innuitur Matth. v. 8. Heb. XII. 14. Joh. XIX. 27. (b) *Impalpabilitas* Luc. XXIV. 39. collat. cum Joh. IV. 24. Quamvis *palpabilis* dicatur Act. XVII. 27. metaphoricè, prout *guſtabilis* quoque, & viſibilis dicitur Pſal. XXXIV. 9. Scil. mente, non corpore. (c) *Ineffigiabilitas* Jeſ. XL. 18. Quatenus ſpiritus, figuram, lineamenta, terminationes, colores; non refert, quæ ἐικαστικὴ repræſentare queat Deut. IV. 14. Act. XVII. 29. Conſequitur 2. naturam Dei ſpiritualem, ejus omnimoda *ſimplicitas*. Conſequitur 3. *Immutabilitas*, de quibus, totidem theorematis ex profeſſo

Pars elenchtica.

Quæritur

VIII. Quæritur *primo*, An Deus, proprie & accurate, ſit ſpiritus? Antropomorphitæ, ut creationem hominis, ad *imaginem Dei*, commodius explicare poſſent; ſtatuebant, non eſſe *ſpiritum*; ſed corpus *craſſum*, ut corpus humanum. De his paragr. ſequente. Patres nonnulli, inter quos Tertullianus, *Adverſ. Praxe.*, corpus quidem Deo tribuunt; ſed *ſubtile*, quamvis hoc ab aliis excuſetur eo, quod non voluerit ſignificare, niſi quod Deus ſit, non accidens; ſed ſubſtantia. Vorſtius itidem cum Socinianis, corpus Deo tribuunt, eoque ſenſu, ipſum eſſe Spiritum agnoſcunt, de quo uberius, paulo ab hinc. Theologi Carteſiani, quod vox *Spiritus*, non ſatis carteſianiſſet, quodque vocem malint, quæ propius, ſignificatione accedit ad *cogitationem*: dicunt, Deum improprie Spiritum eſſe, magis proprie *mentem*. Reformati, quamvis agnoſcant *vocem* Spiritus, Latinis a *ſpirando* derivari; ſicut רוח, Hebræis a נוח, & Græcis a πνεῦειν, quæ *ſpirare* ſonant, adeoque vocem *ſpiritus*, creaturis competere *per prius* nihilominus, *rem* voce, ex uſu recepto ſignificatam, nim. *ſubſtantiam immaterialem, ſimplicem*, Deo, non *improprie*, ſed maxime *proprie*, imo *per prius*, Deo competere. Quia: 1. *ſpiritus, exſerte* appellatur in textu, nec ulla neceſſitas cogit, a ſenſu *proprio*, declinare ad *improprium*. 2. *Res* voce ſpiritus, ex uſu ſignificata, nim. immaterialitas & ſimplicitas, admittentibus adverſariis, ei maxime proprie competit, ut diximus. 3. Si non ſit *proprie Spiritus*, tum *proprie* eſt *corpus*, modo ſit ſubſtantia, non accidens; quoniam, diſtinctio ſubſtantiæ, in ſpiritum & corpus, eſt immediata, in quantum ſubſtantia omnis, vel eſt immaterialis; vel materialis. 4. Si [Deus,

1. An Deus, proprie ſit Spiritus? Diverſorum ſententiarum.

Sententia orthodoxa ejuſque argumenta.

non sit proprie Spiritus; tum argumentum Orthodoxorum pro simplicitate divina, ab ejus spiritualitate ductum, cassum erit. Tum 5. Spiritus S. vel erit corporeum quid; vel non erit Spiritus proprie dictus: Spiritus enim, ex sententia ἀντιλεγόντων, proprie est corporeum quid. Objectiones. Nec est quod objiciant: 1. Spiritus dicitur a *spirando*, non autem proprie spiratur. Resp. 1. Distinguendum, inter vocem significantem, quæ est a *spirando*, & rem significatam, quæ non est à spirando. 2. Nec omnis spiritus, est a spirando, v. g. spiritus animales, naturales, nec anima nostra, nec Angeli, sunt a spirando: Ergo nec illi essent proprie spiritus. Quid igitur erit proprie spiritus? Nisi forte ventus & halitus noster, qui spirantur: sed hi, agnoscentibus omnibus, sunt spiritus, maxime improprie: quid igitur, est Spiritus proprie? Si 2. dicant, spiritus omnes, proprie sunt materiale quid, v. g. ventus, flatus, spiritus animales, chymici. Resp. 1. Quod de animabus nostris, item de Angelis statues? nunquid proprie sunt spiritus? 2. Illa omnia, non sunt Spiritus, nisi per qualemcunque participationem analogice, & hactenus improprie, quatenus, partim subtilitate sua, maxime accedunt, ad animas nostras, & ad Angelos, & animæ nostræ & Angeli, omnium maxime prope accedunt ad Deum; dum hic manet spiritus proprie dictus. Si dicant 3. Deus est *cogitatio* cui propius accedit *mens*, quam spiritus. Resp. 1. Et Cartesianis, *spiritus omnis, sive humanus, sive angelicus, sive divinus, est cogitatio*, ut loquitur Cl. Wittichius. 2. Negamus Deum esse *cogitationem*; quod in Scripturis, nullibi, vel *cogitatio*, vel *mens* appelletur. Si dicant 4. Spiritus vox, in Scripturis, & vento & flatui—tribuitur. Resp. a. Ergone propterea Deo, non competet proprie? Et *Dei* vox aliis tribuitur, v. g. Angelis Psal. VIII. 6. collat. cum Heb. II. 7. Magistratibus Psal. LXXXII. 6. & deastris 1. Cor. VIII. 5. an propterea, Deus non erit proprie Deus? b. Quin potius, argumentum invertam: Deus est spiritus proprie Joh. IV. 24. ergo ventus, flatus, spiritus animales, chymici; non sunt spiritus, nisi improprie, κατ' ἀναλογίαν, quo argumento me refellent? Plura hujus generis, si aveat lector, conferre poterit *Gangræam* nostram, Sect. II. cap. VII.

2. An Deus sit corpus, membris humanis integrum? Divortium sententiarum.

LX. Quæritur 2. An Deus sit corpus, membris humanis integrum? Gentiles olim, quia pro Diis habebant, homines illustres, Deos suos statuebant corporeos, membris humanis præditos, ut monebimus, penes controversiam sequentem. Anthropomorphitæ, (aliàs Audiani, ab Audeo quodam) qui Ecclesiam turbarunt seculo quarto, seu anno circiter CCCLXX. atque etiam seculo decimo, quibus olim accedebat Tertullianus, animam, nostram, certa figura definiens: Antgropomorphitæ inquam, quo commodius, suo judicio, possint explicare, quid sit imago Dei in homine; statuebant, Deum membris humanis esse præditum, quibus hominem conformaverit. Reformati, agnoscunt quidem, Deo in Scripturis, passim membra humana, oculos, aures, manus, pedes, cor tribui; sed hoc, non nisi per ἀνθρωποπάθειαν fieri, θεοπρεπῶς intelligendum, quatenus, non membra ista carnea, quæ imperfectionem implicant, ipsi vere competant; sed membrorum istorum perfectiones, demta omni imperfectione: sic *oculi*, non sonant in ipso, nisi ejus scientiam; manus, potentiam; pedes præsentiam; cor amorem--Quia nimirum: 1. Scriptura negat Rom. I. 23. Quia 2. Deum nobis repræsentat, ut *invisibilem*; ibid. vers. 20. ut *spiritum* Joh. IV. 24. cui caro & ossa, non competant Luc. XXIV. 39. Quia 3. si membris constaret; esset compositum quid, adeoque componentem requireret, se priorem; proinde 4. divisibilis & *corruptibilis* foret, contra Apostolum Rom. I. 23. Etiam 5. nec *infinitus* foret, quod ex multis membris finitis, non possit coalescere, totum infinitum. Nec insuper 6. *simplicissimus*, adeoque 7. multis modis imperfectus. Si causentur pro se: 1. Quod in Scripturis describatur a membris: Respondemus, dictum hoc fieri ἀνθρωποπαθῶς, θεοπρεπῶς intelligendum. Quod 2. sæpius in Veteri Test. legatur apparuisse hominibus. Resp. Apparuit, vel absque ulla figura humana, tantum extraordinario quodam signo, extraordinariam suam præsentiam manifestando: vel si figura affuerit, fuit non propria; sed ascititia: apparuit non in propria forma; sed in ὁράματι, quo modo Jesus Stephano apparuit, stans apud dextram Dei Act. VII. 56. & Paulo cap. IX. 10. 12. Et Petrus cap. X. 11. 12. & XI. 5. 6. vas vidit, e cœlo descendens, repletum animalibus.

Sententia orthodoxa, cum suis argumentis. Objectiones.

3. An Deo, corpus subtile competat? Divortium sententiarum.

X. Quæritur 3. An Deo, si non membra corporea, corpus saltem *subtile*, competat? Sententiam Patrum quorundam, nominatim Tertulliani, audivimus dudum. Vorstius, ut unioni personali duarum naturarum in Christo, quam aperte non audebat negare, per cuniculos insidiaretur; statuebat Deum corpus subtile esse, cujus virtus quidem, ubique esset, sed essentia in cœlo tantum, e quo proxime fluit, Christum in terris existentem, non fuisse unitum cum divina natura. Reformati cum Servatore, Deum Spiritum esse affirmant, hoc est, substantiam immaterialem, proinde omni corpore aut materia, quantumvis subtili, penitus destitutam, per rationes, quas diximus & §. III. IV. & præcedente, quæ, mutatis mutandis, perinde stringunt in Socinianos, ac stringunt in Anthropomorphitas. Nec alia etiam, Socinianis supetunt argumenta, in contrarium, quam quæ Anthropomorphitis suppetunt.

4. An

XI. Quæritur 4. An Deus, qui Spiritus est, possit

Deus possit ac debeat repræsentari imaginibus? Sententiarum diversitas. Reformatorum argumenta.

possit ac debeat repræsentari statuis & imaginibus? Gentiles, quia Deos habebant corporeos, ut diximus; affirmabant. Pontificii & Lutherani, Deum agnoscunt Spiritum, & tamen, amore imaginum, docent Deum effigiari posse ac debere, hac tamen diversitate, quod Pontificii imagines Dei, non tantum habendas doceant; sed & adorandas λατρείᾳ, quod non ferunt Lutherani. Reformati, ex eo, quod Spiritus sit, neutrum admittunt. Si enim: 1. Spiritus, quia immaterialis, &, ex eo figura destitutus, effigiari non potest; etiam non debet Jes. XL. 18. Deut. IV. 15. Nisi velis statuere, id debere fieri, quod non potest fieri. Hinc 2. Deus hujusmodi imaginationibus, magno zelo, passim obnititur: v. g. in secundo præcepto Act. XVII. 29. & alibi. Quia scil. 3. *Gloriam incorruptibilis Dei, mutant in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Rom. I. 23. Quia 4. Vanos, crassos, Deoque indignos conceptus, generant imagines istæ, a quo Gentiles Philosophi, *evanuisse* dicuntur in suis istis deliberationibus, *stulti* facti. Ibid. vs. 21. 22. Nec habent, pro suis imaginibus, Pontificii & Lutherani, nisi quæ dudum disjicimus apud paragraphum IX. Nim. quod sæpius apparuerit in Veteri Test. sub certa figura, etiam humana: cui proclive est opponere, quod nunquam apparuerit ad hoc, ut effigiaretur, quippe quod, quam regidissime passim prohibuit, sicut diximus. Verum, cum hæc controversia, spectet ad secundum præceptum; eo plura seponemus.

Objectiones.

5. An liceat, inter precandum, Deum sibi objicere sub specie Viri alicujus? Quid Lutherani?

XII. Quæritur 5. An liceat, in cultu divino, inter precandum, Deum sibi objicere, sub specie viri alicujus senis? Lutherani, quia usum imaginum, in cultu publico, quæ non possunt non, crassos tales conceptus, in spectatoribus generare, dudum amiserunt: non possunt, ulla quidem specie ἐπιεικείας, reprehendere; statuunt hujusmodi conceptus de Deo, sub specie viri senis--nullum inferre peccatum, modo non statuant, essentiam Dei, talem habere figuram. Vid. Francis. Balduinus *Cas. conscient.* cap. 2. casu 1. Prukнerus, in *mille casibus consc.* & alii. Reformati, utut ambabus amplectentur ulnis, licitum esse, conceptum habere de Deo, imo, id maxime necessarium esse, ni velimus esse Athei: attamen conceptum Dei, sub figura hominis, aut cujusvis alius corporei, dicunt esse, omnino illicitum. Quia: 1. Servator Joh. IV. 24. jubet, talem de Deo conceptum habere, qui naturæ Dei congruit, Deum *Spiritum* describit, ac proinde, *in spiritu*, h. est, spiritualiter, absque hujusmodi figuris, & *in veritate*, seu veris & conceptui congruis cogitationibus, coli & adorari vult. 2. Quia conceptus tales de Deo, falsi sunt, quatenus non congruunt cum Deo concepto, proinde illiciti sunt. 3. Quia isti conceptus *vani* sunt: ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν Rom. I. 21. Quia 4. obscurant *gloriam Dei incorruptibilis*, & quasi mutant ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου. Ibid. Quia 5. per eos conceptus obscuratur cor, & mens insipiens redditur: ἐσκοτίδη ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Ibid. in quantum crassos Deoque indignos conceptus, in mente gerant. Quia 6. qui sub talibus figuris adorant Deum, non Deum; sed idolum adorant. Objicit tamen Balduinus: 1. Quod, cum conceptum habeamus de Deo, adeoque imaginem quandam concipiamus Dei; præstet concipere, sub imagine hominis, quam alius cujuscunque. Resp. Præsupponit Balduinus, conceptum habere, & concipere imaginem esse συνόνυμα, quæ tamen, toto cœlo distant: sub qua enim similitudine seu imagine, Spiritum, ut est in se, concipies? Sed 2. Deus apparuit in imagine humana. Resp. Respondimus dudum. Apparuit Deus Gen. XVIII. 2. Jos. V. 3. Dan. VII. 9. Jes. VI. 1. -- ut sui præsentiam extraordinariam, conciperent spectatores, & quod in apparitione gloriosum, ad Deum referrent; nequaquam, ut inde imaginem conciperent intra se; vel efformarent extra, cum hoc sæpius, quam rigidissime prohibuerit.

Quid Reformati, & quibus argumentis?

Objectiones Lutheranorum.

Pars practica.

Prima praxis docet quomodo inter precandum & alias sit cogitandum de Deo.

XIII. Esto pro praxi *prima*, non ignobilis conscientiæ casus, e dictis oriundus: qualem conceptum de Deo, in precibus, aut cultu divino habere debeamus? Præsupponitur necessum esse, ut aliquem conceptum habeamus de Deo Psal. XVI. 8. alias nihil invocaturi. Præsupponimus item, conceptum Viri senis, aut essentiæ cujusvis corporeæ hîc non valere, per paragr. præcedentem: quod ea ratione, pro vero Deo; idolum invocemus. Qualis igitur conceptus, hîc convenit: & quomodo cogitandum de Deo? Resp. 1. Eo fere modo, quo cogitamus de anima propria, de qua non possumus cogitare, sub figura corporei, membris humanis præditi. 2. Eo modo, quo cogitamus de spiritu Joh. IV. 24. seu de substantia immateriali quæ *carnem & ossa* non habet Luc. XXIV. 39. Cogitandum, 3. velut de ente omnipræsente, quod *cœlum & terram repleat* Jer. XXIII. 23. 24. in quo *vivimus movemur & sumus*, & qui *non procul sit* a nobis Act. XVII. 27. 28. Velut 4. de ente invisibili, quem vidit nemo, nec videre potest 1. Tim. VI. 16. Velut 5. ente omnipotente, summe bono ac benefico, quod proinde, & sibi & suis, & omnibus perfectissime sufficiat, ad infinitam beatitudinem Gen. XVII. 1. quod omnia tua desideria, abunde possit satiare Psal. XXXVII. 4. 5. Denique 6. cogitandum potius, de glorioſissimis ejus *attributis*; quam de imperceptibili ejus *essentia*, Quomodo Deus, seipsum nobis cogitandum offert Exod. XXXIV. 6. Sic demum videbimus, ejus q. *posteriora*, dum *facies*, seu essentia ejus, videri &

cogitari non potest Exod. xxxiii. 19. 20.

Secunda praxis reprehendit hypocritas.

XIV. Tum *secundo*, Dei *spiritualitas* eos notat, quotquot Deum, qui *spiritus* est, colunt *absque spiritu*; qui *labiis* appropinquant ad Deum, *spiritu* ab eo remotissimi Matth. xv. 8. ex Jes. xxix. 13. qui pedibus sacra adeunt, absque spiritu, qui linguâ Deum orant, *non in spiritu* & intelligentiâ 1. Cor. xiv. 15. qui manibus eleemosynas aliaque bona dispensant, absque spiritu; qui contenti sunt, Deo obtulisse, *exteriora* sua; interioribus, sibi, mundo, voluptatibus, servatis: quando Deus *cor* exigit, seu spiritum Prov. xxvi. 23. & cor quidem *totum* Deut. vi. 5. & x. 12. & xxx. 6. Luc. x. 27. Quorum cultus subsistit, in meris exercitationibus corporalibus, ferme inutilibus 1. Tim. iv. 8. Istos *hypocritas*, Servator indigitat Matth. xv. 7. eorumque cultus, quantumvis speciosus, *spiritu* & animâ destitutus (quod de fide dicitur Jac. ii. 20. 26.) *mortuus* est, fœtetque coram Deo, velut cadaver putridum. Unde etiam, ab oculis suis abigit, hujusmodi hypocritas, cum isthoc cultu suo. Jos. i. 13. ipsisque *væ* denunciat Matth. xxiii. 25. 26. imo cum stercore confert, in faciem ipsis retorquendo Mal. ii. 3. Amos. iii. 13. 14.

Tertia jubet examinare cultum suum.

XV. Proinde *tertiò* suadet, cultum nostrum sollicite *examinemus*, sitne, convenienter naturæ divinæ, *in spiritu & veritate*. Quod his assequemur criteriis: 1. si in cultu nostro externo, spiritus semper coëat cum corpore, ut *spiritu & corpore*, Deum glorificemus 1. Cor. vi. 20. non autem corpore solo, aut labiis, corde absente, ut monuimus. 2. Si spiritus, qui, in cultu externo, coit cum corpore, sit *spiritualis*, non carnalis: quod enim *à carne*, *caro*, *quod à Spiritu*, *spiritus est* Joh. iii. 6. Et *qui secundum carnem sunt*, *quæ carnis sunt sapiunt*, *& qui secundum spiritum*, *quæ Spiritus sunt* Rom. viii. 5. 3. Si finis, cultus nostri externi, non sit *carnalis*, conservatio aut incrementum famæ Matth. vi. 1. apparatus βιωτικῶν Joh. vi. 26. aut opus, ut loquuntur, operatum 1. Tim. iv. 7. 8. sed *spiritualis*, glorificare Deum, ædificare animum, promovere salutem; hoc est, *Deo servire in Spiritu* Rom. i. 9. *Salutem suam operari* Phil. ii. 12. Si 4. in cultu, omnes animæ facultates sese exserant: *intellectus*, attentione & intelligentiâ; hoc enim est Apostolo, in *spiritu orare* 1. Cor. xiv. 15. *voluntas* amore 2. Cor. v. 14. Psalm. xxvii. 4. desiderio Psal. lxxxiv. 2. 3. delectatione & gaudio. Idid. & xliii. 4. tristitiâ, ob torporem & accediam. Ibid. vs. 5. Si 5. non in propatulo tantum, simus Christiani, religiosi, sed & in occulto, id est, *in spiritu*, *non in literâ* Rom. ii. 28. 29. Si 6. in *simplicitate cordis*, *ex animo fecerimus*, *quicquid agimus*, *tanquam Domino*, *& non hominibus* Col. iii. 22. 23. Si denique 7. exercitiis spiritualibus, abnegationi nostri, mortificationi cupiditatum, imitationi Christi, fidei, spei, charitati; frequentius & fervidius simus intenti; quam externis & *corporalibus*: quin externis, non nisi augenda interna illâ 1. Tim. iv. 7. 8.

Quartâ jubet ut Spiritum nostrum Deo addicamus. Quare?

XVI. *Quartò*, quod Deus *spiritus* sit, nos monet, spiritum nostrum Deo addicamus, quippe qui: 1. Spiritu gaudet ac delectatur Joh. iv. 23. *Et pater tales quærit*, prout simile quodvis, simili Rom. viii. 5. Qui 2. *Pater spirituum* est Heb. xii. 9. quod *spiritum hominis creet in medio ejus* Zac. xii. 1. Qui 3. Spiritum nostrum, suâ imagine signavit, & obsignavit sibi in peculium, ut, quod imaginem Dei, in signum proprietatis gestat, Deo possessori reddamus Matth. xxii. 20. 21. Qui 4. peculiares multas, ad spiritum nostrum, gestat relationes: quando non tantum, spiritus nostri est: (1) Creator, ut vidimus; sed & 2. Redemptor Psal. xxxi. 6. (3) Gubernator ac Dominus Prov. xxi. 1. (4) Scrutator Jer. xvii. 10. Sed quo tandem pacto illud præstabimus? Resp. 1. *Abnegando*, abdicando, quâ nos ipsos, proprietate spiritus, quasi exuimus 1. Cor. vi. 19. quando ejus facultates; *intellectum*, ejusque φρόνημα & sapientiam; *voluntatem* ejusque inclinationem & appetitum Matth. xxvi. 39. omnesque *affectus*, eorumque passiones, adeo non sequimur, acsi nostri spiritus, ac nostri juris, non essent. 2. *Tradendo*, mancipando, consecrando: quando spiritum, nobis negatum, Deo *asserimus* 1. Cor. vi. 19. 20. *non estis vestri juris*, *& glorificate* igitur *Deum corpore & spiritu*, *qui sunt ejus*. *Spiritum* quando, ei tradimus Prov. xxiii. 26. 2. Cor. viii, 5. Ut vivat: non sibi Rom. xiv. 7. 8. Gal. ii. 19. 20. sed (a) in ejus gloriam 1. Cor. x. 31. (b) secundum ejus voluntatem 1. Pet. iv. 2. 6. (c) ipso in nobis operante Phil. ii. 13. 2. *Purgando Spiritum*, ob omni inquinamento 2. Cor. vii. 1. Jer. iv. 14. quo scil. idoneus sit, qui à Deo recipiatur Jes. i. 15. 16. de quo jamjam plura, ex professo. 4. *Exornando* spiritum nostrum, quibusvis virtutibus 1. Pet. iii. 3. 4. 5. quo nim. lubentius admittatur, possideaturque. Conf. Matth. xii. 44. 5. *Commendando* in manus Dei, qui *redimat* Psal. xxxi. 6. qui *abluat*, ac purget sanguine Filii Psal. li. ii. 12. qui *renovet*, operâ *Spiritus* sui. Ibid. & Ezech. xxxvi. 26. 27. qui tandem *suscipiat*, in horâ mortis Luc. xxiii. 46.

Quomodo.

Quinta praxis de purgando spiritu: A quibus sordibus?

XVII. Peculiariter *quintò*, cum Deus *Spiritus* sit; spiritum nostrum, ejus imagine signatum, eique consecratum, *purgemus* magis magisque 2. Cor. vii. 1. 1. Thess. v. 23. Jer. iv. 14. ab omni inquinamento. Quali? Resp. 1. quod Servator notat Matth. xv. 19. 20. 2. Quod Apostolus, dum *opera carnis*, seu spiritus carnalis, recenset Gal. v. 19. 20. videl. non tam adulteria, impuritates; quam idololatria, iræ, contentiones &c.

&c. Sunt 3. imprimis, ignorantia ac cæcitas ſpiritualis, ſuperbia, infidelitas, hypocriſis. Sunt denique 4. cupiditates quævis, quas *cupiditates ſpiritus* Jacobus appellat cap. IV. 5. quæ *militant adverſus animum*. Sed quibus tandem rationibus hoc agemus? Reſp. 1. Quia Deus eſt *Spiritus*, qui, ſicut ſpiritualibus delectatur officiis; ita ſpiritualibus imprimis, offenditur inquinamentis. 2. Quia illa, quam maximè adverſantur, perfectioni legis *ſpiritualis* Rom. VII. 14. 3. Quia peccatum, valentiſſimum eſt, in *ſpiritu*, tanquam in ſcaturigine ſuâ Matth. XV. 19. 4. Quia ſordibus ſpiritualibus, quam maximè diabolis aſſimilamur, qui non ſunt fermè, niſi ſpirituales *malitiæ*. Tandem quibus adminiculis ſpiritum purgabimus? Reſp. 1. *circumcidamus* indies corda Jer. IV. 4. 2. *Lavemus* & aſpergamus, per fidem, ſanguine Chriſti. Ibid. vſ. 14. Heb. IX. 14. Act. XV. 9. 3. *Advigilemus* cautè, ſingulis cordis noſtri motibus, cogitatis, deſideriis, oblectamentis; ne contaminentur extrinſecus ab objectis, & contaminent ſpiritum noſtrum Prov. IV. 23. Adhoc 4. *Verbum* Dei, pro normâ habeamus, in *medio cordis* noſtri Ibid. verſ. 20. 21. 5. Deum *precibus* fatigemus continuo, *creet in nobis cor mundum, & ſpiritum rectum innovet in viſceribus noſtris* Pſal. LI. 12. ut, juxta gratiæ fœdus, *det legem ſuam in medio noſtri, in corde inſcribat eam* Jer. XXXI. 33. ut & *ſpiritum novum, in medio* noſtri Ezech. XXXVI. 26. 27.

Ob quas rationes?

Quibus mediis?

XVIII. Adhæc, quod *ſpiritus* ſit Deus, exigit *ſextò*, eum colamus in *Spiritu & veritate*, inferente textu. Hoc eſt 1. non *corpore* tantum; ſed *ſpiritu* quoque; nec *corporaliter* tantum; ſed, & magis etiam, *ſpiritualiter*. Ex analogia §. §. XIV. XV. 2. Nec tantum cultu publico, cum aliis; ſed privato quoque, cum Deo & animo ſolo Matth. VI. 6. piis ſoliloquiis, meditationibus, quibus ſpiritum noſtrum, quaſi in ſinum Dei effundamus Pſal. XLII. 5. Peculiariter 3. exemplo Pauli (Rom. I. 9. *Teſtis eſt mihi Deus cui ſervio ſpiritu meo in Euangelio, quod indeſinenter, mentionem veſtri faciam, ſemper in orationibus* &c.) in negotiis Euangelii, pietatis, charitatis, precum, interceſſionum; idque frequenter, imo ἀδιαλείπτως, ac tantâ aſſiduitate, ut quaſi *vincti Spiritu*, adeamus omnia ſacra noſtra Act. XX. 22. Denique etiam ſincerè, ut Deum poſſimus provocare *teſtem*. Hujusmodi cultus ſpiritualis (a) congruit cum ſpirituali Dei naturâ Joh. IV. 24. (b) quæritur ac deſideratur, imo & exigitur à Deo. Ibid. verſ. 23. Prov. XI. 20. I. Paral. XXIX. 17. Uſque adeo, ut (c) τὸ ſpirituale, totum ſit in omni cultu noſtro I. Sam. XII. 24. I. Reg. II. 4. Matth. XII. 37. & abſque ſpiritu, *nullus* ſit cultus quivis Matth. XV. 8. imo malus, hypocriticus. Ibid. verſ. 7. & *abominabilis*, velut cadaver abſque ſpiritu Jac. II. 17. 26.

Sexta praxis de cultu ſpirituali. Quid ille?

Quibus rationibus obſervandus?

quantumvis cæterà ſpecioſus, ut patet in Achabo I. Reg. XXI. 27. in Jehu. Ibid cap. XIX. 2. 3. Quin & (d) maximi cultus externi, defectus ac ἀτιμήματα, farciantur & compenſentur, præſentiâ & veritate *ſpiritus* 2. Paral. XXX. 18. collat. cum verſ. 19. Denique (e) tanta eſt penes Deum, *ſpiritus* præſentia & veritas ac ſinceritas, ut in eo, *perfectionem* evangelicam conſtituat, taleſque *perfectos* prædicet Job. II. 3. & *juſtos* Pſal. XXXII. II. XCVII. II. 2. Reg. XX. 3.

XIX. Adjiceremus *ſeptimò*, ut nominatim inter orandum, occupemur *ſpiritu & veritate*, diſertè exigente textu. H. e. non voce tantum aut labiis, nec geſtibus tantum externis Jeſ. I. 15. non aſſuetis precandi formulis adſtricti, precemur: ſed præſente animo, cum intelligentiâ & attentione I. Cor. XIV. 15. proinde, & cum fide, ſpe, charitate, cum congruâ animi præparatione, ante precandum: rectâ ejus diſpoſitione, inter precandum: denique, cum vehementi deſiderio, & exſpectatione conſequendi petita, poſt precationem. Adjiceremus inquam, niſi prolixitudinis metus retraheret, illudque peculiariter ſpectaret ad Caput *de Oratione*.

Septima praxis de precibus Spiritualibus.

Theorema Secundum.

De Simplicitate Dei.

Pars dogmatica.

XX. Spiritualitati confectaria eſt *ſimplicitas*; non *participata* & *reſtricta*, quæ ſpiritibus creatis inde competit, quod ſpiritus ſint analogicè tantum; ſed *originalis* & *omnimoda*, propterea, quod Deus ſit ſpiritus *à ſe* & *univocè*. Docet iſtam Scriptura, quoties terminis Deum repræſentat, non compoſitis tantum & *concretis*; ſed ſimplicibus etiam & *abſtractis*, quando *charitatem* appellat I. Joh. IV. 8. 16. *vitam* I. Joh. V. 20. *lucem*, *in quâ non ſint tenebræ* I. Joh. I. 5. h. e. deitatem, in quâ nihil ſit heterogenei, quæ non ſit, niſi pura puta deitas.

Spiritualitatem Dei, ſequitur ejus ſimplicitas, quam docet Scriptura.

XXI. Idque ideo, quia eſt: ens *abſolutè primum*; proinde, ſi per compoſitionem, eſſet res & res; eſſent plura prima, & horum nullum *abſolutè* primum, quia non prius, omnibus aliis partibus, ſibi coëxiſtentibus. Inſuper ſi eſſet compoſitus, *componentem* prærequireret, primo priorem. 2. *Independens*, quod non eſſet, ſi *totus* penderet à partibus componentibus: ſi partium *unio*, ab uniente, & unionem conſervante. 3. *Immutabilis*, ubi enim, per compoſitionem, eſt partium *unitio*; ibi etiam, earundem fieri poteſt *diſſolutio*, adeoque alteratio. 4. *Infinitus*, partes enim componentes, cum non poſſint non eſſe *finitæ*;

Confirmat ratio.

te; non possunt junctæ, excludere *infinitum*. 5. *Æternus*, quod enim compositum est, *principium* habet à componente, per *constructionem*, & *finem* habere potest, per *dissolutionem* partium. 6. *Perfectissimus*, quoniam non modo, omnium consensu, perfectius est, ipsam esse v. g. *bonitatem*, quam bonum: *sapientiam*, quam sapientem: sed *pars* etiam, variam involvit imperfectionem, quatenus non habet perfectionem totius: & prærequirit componentem. Tandem 7. si in Deo est compositio; tum non est *lux*, *in quâ non sunt tenebræ*, non pura deitas: partes enim, procul dubio diversæ, eandem puram deitatem non constituerent. Rectè ergo Justinus, in *Quæst. & Resp. ad Orthodox.* quæst. 144. *Non ad instar creaturæ Deus est, ut id quod sit & habeat, per compositionem intelligatur, sicut natura creata; verum pro eo, atque naturam obtinet, ita etiam intelligendus est, id quod sit, & quod habeat, obtinere supra compositionem.*

Simpliciras Dei quintuplicem excludit compositionem.

XXII. Per simplicitatem, Deus expers est, *omnis omnino compositionis*, in quâ res & res coeunt. Nominatim compositionis: 1. ex *partibus* corporeis quantitativis; est enim *spiritus*, per *theorema* præcedens, dum partes sunt coporis. 2. Ex partibus *essentialibus*, materiâ & formâ, quæ itidem, non nisi in corpus cadunt. 3. Ex *substantia & accidente*; cum accidentia quævis, suâ substantiâ, censeantur imperfectiora, quod non consistit cum perfectissimo: & accidentia *perficere* censeantur substantias, denique mutationi ac corruptioni, obnoxiam faciant. 4. *Ex essentiâ & existentiâ*, cum existentia non sit, nisi actus essentiæ, nec diversum quid, quod compositionem inferat. 5. Ex *genere & differentia*: οὐσία enim ὑπερώσιος, in nullo cum aliis convenit; sed per omnia, ab omnibus distat, omniaque in classes generum ac specierum digessit: nec proinde etiam in eo est, quod restringi possit, per differentiam. Nec tantum, per simplicitatem, Deus expers est omnis compositionis, intra se; sed etiam, nullam ingreditur compositionem *ordinariam*, extra se: quod per eam, quælibet pars componens, præsupponatur imperfectior toto; licet interim *extraordinariam*, in unione hypostaticâ Christi, non negemus, quod illa hujusmodi imperfectionem non connotet; ideo, quia in hac compositione, natura assumens, *eminenter* habet, quicquid est perfectionis, innaturâ assumtâ. Quâ ratione Deus cum creaturâ, non majorem dicit perfectionem, quam singulatim.

Pars elenchtica.

Quæritur. 1. An Deus sit ens simplicissimum?

XXIII. Quæritur 1. An Deus sit ens simplicissimum? Gentiles, quia habebant Deos humanos, h. e. illustres homines: Anthropomorphitæ, quia hominem, ad imaginem membrorum divinorum, efformatum tradebant: Patres quidam, in quibus est Tertullianus, forte quia substantiam & corpus pro synonymis habebant, ne accidens fieret Deus: Sociniani, ut Deum habeant finitum, in cœlis tantum, existentem, qui proinde uniri non potuerit, cum humana Christi natura, cum in terris tantum, ea existeret: atque insuper, ut Deum habeant, diversum ab essentia sua, quibus, in negotio prædestinationis, pro lubitu arbitrii humani, in horas mutabili, non mutetur tamen, ejus essentia: negant Deum esse ens simplicissimum. Reformati, ex adverso, Deum, omnibus modis, simplicissimum esse, docent, Scripturis & rationibus, quas designavimus §. §. xx. & xxi. Præcipua quæ oggerunt adversarii, sunt: 1. Quod *membra* humana, Deo tribuantur, cui dudum satisfecimus. 1. 2. Quod actiones *externæ*, differant ab ipso agente. Resp. *Res* quidem, actione extrinsecus producta, differt; non autem *virtus* & actio producens; nec relatio, quæ à productione, producenti competit ad productum, componit: quia non est ens aliquod; nec *in* Deo (relata enim sunt πρὸς τὶ, non ἐν τινὶ) etiam infert compositionem. 2. 3. Quod actiones, etiam *internæ*, v. g. decreta, procul dubio, diversæ sint ab agente, à decernente, Resp. Sunt quidem, à *re* decretâ, sed non ab *actu* decernente; & relatio, quæ hinc est *intra* terminos, *in* neutro est, ut componere possit. 3. Quod 4. *attributa* differant ab essentiâ. 4. v. g. misericordia à justitia vindicante. Resp. Non-nisi in objectis & effectis, & per relationem, quæ est inter attributum & ejus objectum. 5. Quod *personæ* tres obtineant, in unâ essentiâ. 5. Resp. Nec 1. essentia differt à personalitate, nisi ratione seu conceptu nostro, qui potest cogitare unum, dum non cogitat alterum; personalitas enim, non est nisi *subsistentia* essentiæ, nec subsistentia, nisi *existentia* substantiæ actualis, quæ, procul dubio, non differt ab ipso existente Deo. Et 2. Personæ in abstracto, differunt inter se, non ut tres subsistentiæ; sed ut unius subsistentiæ, tres *modi*, qui cum non sint entia, non *componunt*; sed *distinguunt* & modificant tantum: ut suo loco distinctius monebimus. 6. Quod 6. *duæ naturæ* uniantur in unam personam. Resp. Hinc nulla emergit compositio in *Deo*, quamvis emergat, quam diximus, extraordinaria, in θεανθρώπῳ.

2. An omnimoda Dei simplicitas, doceatur in Scriptura?

XXIV. Quæritur 2. An omnimodam simplicitatem Dei, doceat Scriptura? Anthropomorphitæ seu Audiani, Vorstius in *Tractat. de Deo, & notis ad Disputat.* 3. *de Nat. Dei.* Socinus in *Defens.* Animadversionum in assert. Posnanienses & *Catechesis Racov.* cap. 1. Simplicitatem Dei, e numero attributorum divinorum, plane expungunt, suis hypothesibus, quas notavimus ad controversiam præced. inservientes. Remonstrantes Apologetæ,

getæ, in ſua *Apologia*, non negant quidem ſimplicitatem Dei; ſic enim in Socinianorum caſtra tranſirent, qui à noſtris oris, legibus civilibus, proſcripti ſunt: ne à communione ſua proſcribere cogerentur Socinianos, rem de ſimplicitate Dei, his tribus axiomatis complectuntur: 1. *Quod de ſimplicitate Dei, ne jota quidem habeatur in Scriptura.* 2. *Quod tota ejus doctrina, ſit metaphyſica, ſive terminum; ſive rem ſpectes.* 3. *Quod ſimplicitas Dei, non ſit creditu neceſſaria.* Apud Reformatos, magnus ſemper, uſque ad Socinum, fuit conſenſus, de ſimplicitate divina. Impræſens, tantum nobis eſt demonſtrandum, quod *Scriptura* doceat ſimplicitatem Dei; proinde, non eſſe dogma, mere Philoſophicum; ſed creditu neceſſarium. Id quod his argumentis conantur obtinere: 1. Quia *Scriptura* docet, Deum eſſe *ſpiritum* Joh. IV. 24. ſpiritus autem, apud omnes ſonat, ens immateriale, ac proinde ſimplex. Si inſtent, & Angelum dici ſpiritum in Scripturis, & animam noſtram, nec tamen, ex eo, ſint omnimode ſimplices: facilis accidet reſponſio, quod Angeli, & animæ noſtræ, ſpiritus ſint, tantum κατ' ἀναλογίαν, ſenſu diminuto, quatenus, omnium proxime, accedunt ad ſpiritualitatem Dei; quando Deus, *proprie* & *perfectiſſime* eſt ſpiritus. 2. Quia Scriptura docet, Deum eſſe ens *abſolute primum* Apoc. I. 8. Jeſ. XLI. 4. & XLIV. 6. Apoc. XI. 6. & XXII. 13. Rom. XI. 35. 36. qui proinde, *priorem* non admittit, qui diverſa in Deo compoſuerit. 3. Quia *Scriptura* docet, ipſum eſſe *immutabilem* Malach. III. 6. Jac. I. 17. Pſal. CII. 27. 28. Heb. I. 11. 12. Quod autem compoſitum eſt, id reſolvi quoque, eoque ipſo, mutari poteſt. Quia 4. *Scriptura* docet, Deum eſſe *incorruptibilem* Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17. ſi autem Deus compoſitus eſſet, corrumpi poſſet; cum non *in melius* mutari poſſit, cum Deo non detur melius; nec inæqualiter bonum; cum nec hoc dari poſſit: non manebit, niſi ipſum in deterius mutari debere, adeoque corrumpi. Quia 5. *Scriptura* docet, Deum *infinitum* eſſe, ut qui *cœlum & terram repleat* Jer. XXIII. 23. 24. qui *altior ſit cœlis* Job. XI. 8. quem *cœli cœlorum non capiant* 1. Reg. VIII. 27. Quod autem compoſitum eſt, *finitum* eſt, quatenus partes componentes, ſemper ſunt finitæ, quippe minores toto: jam ex partibus finitis, non poteſt coaleſcere totum infinitum. Quia 6. Scriptura docet, Deum eſſe *perfectiſſimum* Job. XI. 8. Matth V. 48. Simplex autem ac ſimpliciſſimum, perfectius eſt compoſito, & quod compoſitum eſt, partibus imperfectis conſtat. Hæc ſufficiant, collata comprimis, cum §§. XX. & XXI. Fruſtra autem in contrarium, cauſantur: 1. Quod ne jota quidem, de ſimplicitate exſtet in Scripturis. Reſp. α. Contrarium jamjam demonſtravimus. β. Non exſtet ῥητῶς; exſtat tamen virtute & διανοίᾳ. Ex eo autem, quod eo modo, ῥητῶς non exſtet, parum ſolide conficitur, abſolute & plane, non exſtare. Sic enim 3. nec Trinitas, nec unio perſonalis, nec ſatisfactio aliaque myſteria docerentur in Scripturis, quatenus totidem ſyllabis, forte non exſtant. 2. Quod omnimoda ſimplicitas, neget actiones & volitiones Dei liberas, vere diſtinctas eſſe, ab ejus eſſentia, id quod cum Scriptura non conſiſtit Ezech. XVIII. 24. & cap. XXXIII. 11. Reſp. Hoc πρῶτον ψεῦδος. Libertas volitionum divinarum, nihilominus ſarta tecta ſubſiſtit, quod, non obſtante ſimplicitate, agat ex conſilio, ἐκ προαιρέσεως, in quo libertas conſiſtit. 3. Quod attributa in eſſentia Dei, inferant compoſitionem. Reſp. Non inferunt, quia non differunt ab eſſentia, niſi noſtro concipiendi modo: nec inter ſe, niſi *ratione*, quæ fundamentum diſtinguendi invenit, in varietate operationum, & inde oriundis relationibus. Quod 4. Tres perſonæ, in una eſſentia, arguunt compoſitionem in Deo. Reſp. Non arguunt: quia perſonæ, ab eſſentia non differunt in Deo; ſed in nobis potius, noſtroque conceptu: nec etiam inter ſe, niſi per ſubſiſtendi modos, qui cum non ſint *res*, ſeu *entia*; ſed entium tantum modi: non componunt; ſed diſtinguunt tantum.

Pars Practica.

XXV. Quantum ad *praxin:* cum ſpiritualitas fere coincidat cum ſimplicitate Dei, & ex ſpiritualitate qualemcunque ſimplicitatem deducat Servator Luc. XXIV. 39. Prout & Theologi, ſpiritualitate Dei, omnimodam ejus ſimplicitatem, ſignificatam volunt: manet, uſus non nullos practicos, quos ſpiritualitati divinæ, jamjam ſubjecimus, mutatis mutandis, apud ſimplicitatem uſurpari poſſe, quibus tamen ſequentes, breviter conſtruemus. *Primo* igitur, omnimoda Dei ſimplicitas, nobis fundamentum præſtat: & perfectionis Dei, & imperfectionis creaturarum. *Perfectionis* quidem divinæ, quod, per omnimodam ſimplicitatem, ſit pura & mera deitas, in qua nil ſit, aut eſſe poſſit, quod imperfectius ſit ipſa deitate infinita. Omnia & ſingula ejus attributa, ſapientia, bonitas, gratia, veracitas, ſanctitas, juſtitia, potentia — ipſiſſima ſunt deitas. Unde, non tantum, in concreto, ut loquuntur; ſed & in abſtracto, de Deo enunciantur, ut dicatur, ſapiens, bonus, gratioſus; ſed ipſa ſapientia, bonitas, ſanctitas, vita — Idque, non κατ' ἄνυξιν, ut fit apud homines; nec *aulice* aut paraſitice, quando v. g. ſapientem, ipſam *ſapientiam* ſalutamus: nunquam enim nimium boni, de ſummo & infinito bono, pronunciare poſſumus. Ab iſtis omnibus, *lux* appellatur, *in qua non ſunt tenebræ ullæ* 1. Joh. I. 5. hoc eſt, eſſentiæ & attributorum, tanta identitas, ut nullæ *tenebræ*, nil heterogenei, nullæ imperfectio-

1. Omnimoda Dei ſimplicitas, fundamentum nobis aperit, omnis perfectionis in Deo; & imperfectionis in creaturis.

fectiones, in eo deprehendantur. Horum omnium fundamentum & radix, eſt in Dei omnimoda ſimplicitate. Quæ in Scripturis, ad hoc nobis traditur, ut: 1. Deum, ex ea, velut radice omnis perfectionis, glorificemus. Notum eſt, Scripturis, majeſtatem & gloriam Dei deſignari *Luce*, a quo dicitur *lucem habitare inacceſſam* 1. Tim, VI. 16. & ſeipſum veſtire *Luce* Pſal. CXLIV. 1. Hinc Philoſophi damnantur, quòd, ex agnita ejus *deitate*, ipſum, ut Deum, non glorificaverint Rom. 1. 20. 21. Ut 2. ex ſimplicitate, a Deo toti pendeamus, in quovis caſu, quantumvis adverſo, quod ſit α. *Lux noſtra* Pſal. XXVII. 1. Quod ſit β. ipſa *charitas* 1. Joh. IV. 8. 16. per quam, non poteſt non ſuos diligere, & quævis ſalutaria conferre Rom. VIII. 32. Inſuper γ. *ſalus* noſtra Pſal. XXVII. 1. qui poſſit ac velit ſuos liberare, a quovis malo. Ibid. Imo δ. *vita* æterna 1. Joh. V. 20. qui poſſit nobis eſſe *fons*, ac ſcaturigo omnis *vitæ* Pſal. XXXVI. 10. glorificemus. Ut 3. ex iſtis omnibus, Deum, ut ſimpliciſſimam *bonitatem*, a qua *ſolus bonus* dicitur Matth. XIX. 17. fide, reſipiſcentia, ſtudio complacendi ei, &, imprimis confœderatione cum eo: *quam* enim *beata gens*, cujus Deus eſt Jehova! Pſal. XXXIII. 12. Hactenus omnimoda, Dei ſimplicitas nobis fundamentum præſtitit, omnis perfectionis in Deo: præſtat item fundamentum, omnis *imperfectionis*, in creaturis, quod, ad unam omnes, ſint *compoſitæ*, in quibus, pleriſque ſaltem, perpetua deprehenditur, boni & mali mixtura, per quam, ſi quid forte prodeſſe, velut bonæ; poſſint item nocere, ut malæ: ſi poſſunt exhilarare; poſſunt item exacerbare: & ſi omnino bonæ eſſent; ſunt tamen, propter compoſitionem, mutabiliter tantum. Id quod eo nobis dirigendum, ut nunquam nimium, tribuamus creaturis quibuſvis; ſaltem ab ipſis non pendeamus, ſicut a Deo, qui ſimpliciſſima, & puriſſima perfectio & bonitas eſt.

2. Docet ſimplici acquieſcentia in Deo ſolo recumbere.

XXVI. Quin potius *ſecundò*, cum Deus ſit *ſimpliciſſimus*, qui proinde *ſimpliciter*, *ἁπλῶς dat* Jac. 1. 5. dat ſeipſum, totum, omniaque ſua attributa; quæ, per ſimplicitatem, ſunt inſeparabilia, ſuam ſapientiam, potentiam, bonitatem, gratiam nobis impendit: nos quoque, *ſimplici* ac toto corde, in Deo ſolo recumbamus, ab ejus *integritate & rectitudine* (quæ cum *ſimplicitate* coincidunt) cum Davide, quævis nobis polliceamur Pſal. XXV. 21. Cujus fiduciæ, varia nobis ſuppetunt fundamenta, in *ſimplicitate* divina: quod nim. 1. ſit *pura* bonitas, quâ prodeſſe; in quâ nil ſit malitiæ, quâ obeſſe poſſit. 2. *univerſalis*, quæ nullam patiatur exceptionem Pſal. XXXIV. 10. 11. 3. *Illimitata* & illimitabilis bonitas, quæ reſtringi non poſſit, aut impediri, ab ullâ creaturâ, utcunque potente, quæ proinde, nobis eſſe poſſit *pro omnibus*, & ſuppeditare poſſit *omnia*; imo *ſupra quam petimus*, *aut mente concipimus* Eph. III. 20. Ut non ſit, quamobrem non dicamus cum Davide: *ipſe portio mea* Pſal. XVI. 5. cum Aſſapho: *Quis mihi in cœlis? Tecum nolo quicquam in terrâ, deficiat caro mea, & cor meum, robur cordis mei, & pars mea, Deus in ſeculum* Pſal. LXXIII. 25. 26. Iſtud officium negligere, quid eſt, niſi ipſo facto, *negare* ſimplicitatem, per quam ſit *lux*, *in quâ non ſunt tenebræ*? Quid, niſi *ſe elongare* à Deo? Ibid. verſ. 27.

3. Monet, cultum divinum ſimplici corde obeamus.

XXVII. Rurſus *Tertiò*, circa Deum *ſimplicem*, in omni noſtro cultu, diſtineamur corde *ſimplici* Matth. X. 16. Eph. VI. 5. *cum ſimplicitate cordis*; *ut Chriſto*: cum *ſimplicitate & ſinceritate Dei* 2. Cor. 1. 12. non *corde duplici*, quod hypocritis tribuitur Pſal. XII. 3. quorum alterum ſeipſum, mundum, temporalia; alterum Deum reſpicit: ſed *uno ſimplici*; quod, per *unam* lineam rectam, in *unum* Deum feratur. Quo quidem, tria diſtincte concluduntur: 1. Ut cor intus ſit *purum*, h. e. omnis admixtæ corruptionis expers Pſal. XII. 3. 4. omnis item ſiniſtræ intentionis, quamobrem *oculus ſimplex*, Servatori deſignatur Matth. VI. 22. 23. Tum 2. Ut corde puro ac ſimplici in *unum ſcopum* collimet, Dei gloriam Phil. 1. 20. 21. eique ſubordinatum, animæ propriæ ſalutem, pariter & proximi ædificationem. 3. Ut cor purum ac *ſimplex*, in *ſimplicem* ſuum ſcopum contendat, conſtanti, & quantum fieri poteſt, *uniformi conatu*, cujus defectu, *διψυχος inconſtans* dicitur, *in omnibus viis ſuis* Jac. 1. 8. Et quo, in hujuſmodi cor ſimplex, enitamur intentius; cogitandum: 1. Nos eopſe, eniti ad imitationem & ſimilitudinem, primariæ Dei perfectionis, *ejus*, quæ fundamentum eſt omnis perfectionis, in quâ ſimilitudine, præcipua eſt, creaturæ rationalis perfectio. Unde *ſinceritas*, quæ Græcis eſt *ἁπλότης*; Hebræis eſt תם, *perfectio*. 2. *Beatos* à Servatore pronunciari, qui ſint *puri* corde Matth. V. 8. Pſal. LXXIII. 1. Prout contra 3. *Monſtroſos*, abominabiles & maledictos, *duplices* corde Pſal. XII. 3. 4. conf. 1. Reg. XVIII. 21. Hoſ. X. 2. Porro 4. omnis *conſtantiæ* fundamentum, eſſe in *ſimplicitate*; prout in duplicitate, omnis *ἀκαταστασίας* Jac. 1. 8. Et quo tandem, *ſimplex* evadat cor noſtrum: (1) Purgandum eſt, ab omni mixturâ heterogenei, pravarum cupiditatum 2. Cor. VII. 1. 1. Joh. III. 3. purgandum ſanguine Chriſti 1. Joh. 1. 7. ſinceră reſipiſcentiâ Jer. IV. 14. & verſ. 4. (2) Pugnandum, adverſus cupiditates carnales, ne ſeſe admiſceant cordibus noſtris Gal. V. 17. (3) Deo ſupplicandum, qui, juxta formulam fœderis gratiæ, det *cor unum* Ezech. X. 19. creet cor *purum* Pſal. LI. 12.

Hoc quid ſit?

Quamobrem ſtudendum?

4. Suadet, ſinceritatem in

XXVIII. Nec in cultu tantum divino, opera danda *ſimplicitati* cordis; ſed *quartò*, etiam in converſatione humanâ. Exemplo Apoſtoli 2. Cor. 1. 12.

1. 12. quando, *in simplicitate & ειλικρινείᾳ τῦ θεῦ; non in sapientiâ carnali, conversabatur* cum suis Corinthiis: atque idem etiam exigit Col. III. 22. *Cum simplicitate cordis, timentes Deum.* Et quid hoc tandem? *Ex animo facere tanquam Domino, & non hominibus* vs. 23. Cum, in hac simplicitate, sit (a) securitas nostra Psal. xxv. 21. (b) & tranquillitas & gloriatio, dum (c) conversatio dolosa, Deo abominationi est Psal. v. 7. Prov. xi. 20.

XXIX. Monet *quintò*, divina *simplicitas*, in *sorte*, utcunque *simplici*, acquiescamus. Quo enim, res quævis, magis est simplex, eo magis est constans, ac durabilis: dum, quo magis est composita, eo quoque, magis est dissolubilis & corruptibilis. Unde Deus, maximè immutabilis est, quia maximè *simplex*; dum contra Angeli, quod qualitatibus constent ab essentiâ diversis, peccato fuerunt corruptibiles: & materialia, quo magis sunt composita, eo magis sint corruptibilia, prout patet, collatione elementorum cum mixtis. Prorsus ita *sors*, quo simplicior, eo solidior; & quo magis variegata, ex compositione, opibus, honoribus, amicis, eo mutabilior: & quo magis distraheris, in tot objecta, eo pluribus curis & angoribus es obnoxius Luc. x. 41. quo enim plura possides, eo quoque, pluribus exui potes. Est igitur, ob quod, piâ *αὐταρκείᾳ*, animum ad *simplicitatem* assuefaciamus; ac rerum varietati, unum substituamus Deum, omnibus ad omnia, *sufficientissimum* Gen. XVII. 1. qui proinde, *unus* nobis *sit necessarius* Luc. x. 42. Hunc, *simplici* acquiescentiâ, pro sorte nostrâ, possideamus, reliqua, pro corollariis habeamus Matth. VI. 33. Suadente istam *αὐτάρκειαν* Apostolo 1. Tim VI. 6. & præluceute proprio exemplo Phil. IV. 11. 12.

CAPUT SEPTIMUM.

DE

IMMUTABILITATE DEI.

Jac. 1. 17.

Apud quem non inest transmutatio, aut conversionis obumbratio.

Ex independentiâ & simplicitate, quibus Deus est *spiritus à se*, non potest non emergere, omnimoda ejus *immutabilitas*. Quienim, per independentiam, absolutè primus est: priorem non admittit, qui mutet; & qui simplicissimus, non habet, quod per mutationem aufe-ratur & remaneat. Hinc Jacobo, in *Patre luminum* (qui non tantum *lux* est *in quâ non sunt tenebræ* 1. Joh. 1. 5. sed *fons* quoque vitæ, in cujus luce, *fruimur luce* Psal. xxxvi. 10. *Sol* ipse *justitiæ*) nulla est intrinseca lucis & tenebrarum vicissitudo.

Pars exegetica.

II. *Ubi textus*, *Deo* Patri Luminum, *egregium præstat* testimonium, *omnimodæ suæ immutabilitatis*, *terminis fere astronomicis*. *In quo testimonio, duo occurrunt:*

1. Cui *testimonium præstat*: *παρ' ᾧ*, apud quem, *seu*, in quo. *Intelligitur, procul dubio*, Deus, *utpote de quo in præcedentibus, sermo fuerat, hunc appellat* Patrem Luminum, *non tantum* Lucem, *in qua, seu in cujus essentia, non sunt* tenebræ, *h. e. nihil heterogenei, sicut capite præcedenti, monuimus; sed qui etiam* Pater *est, h. e.* fons *& scaturigo: non* Luminis, *sed* Luminum *scil. omnium, quotquot sunt, seu* naturalium, *solis, lunæ, astrorum; seu* supranaturalium, *quæ sunt in mente, creaturarum rationalium, per illuminationem regenerationis, conversionis, sanctificationis*
2. Quid *testetur*, *οὐκ ἔνι παραλλαγὴ*---*scil. negat ipsi inesse, ullam mutationem. Hic est*
   A. *Negatio: οὐκ ἔνι*, non inest. *pro* nulla est *ἔνι ab ἔνειμι*, insum, *per syncopen, pro ἔνεστι. Nisi quod unus Codex, Auctore Beza, pro ἔνι legat, ἐστὶ.*
   B. Negatum, *concernens* immutabilitatem Dei, *utpote à quo removet:*
      1. *Παραλλαγὴν*, transmutationem *ab ἀλλάττω* muto, *quod omnino descendere videtur, ab ἄλλος, quia in omni mutatione, est ἄλλο καὶ ἄλλο, eorumque successio, quam notat παρά. Est hic perpetua Metaphora, ab Astronomis petita, quibus Sol (Pater Luminum creatus) & Luna, suas habent παραλλαγὰς,* seu *παραλλάξεις, varios* aspectus: *aliter enim conspicitur in* ortu, *ali-*

ter in meridie, aliter in occasu: varias item mutationes, *ut modo luceat, modo non, ut apparet in Eclipsibus, & Solis & Lunæ, atque etiam in motibus, v. g. in Sole, qui mutat locum, dum ab Oriente, movetur in Occidentem, & a Tropico Cancri, in Tropicum Capicorni: unde, nunc* dies *est, vel lux, nunc* nox, *vel umbra, quæ major est, minorve, pro majore, vel minore, Solis accessu, vel recessu. Hinc rursus, Sol nunc apparet, nunc fulget; nunc vaporibus, nubibus, Eclipsibus, obscuratur. Tot ergo mutationibus, obnoxius est,* Pater Luminum creatus: *quas omnes, & quasvis alias,* a Patre Luminum increato, *removet textus.*

2. Τροπῆς ἀποσκίασμα, conversionis, vel vicissitudinis obumbratio. *Utraque vox, rursus astronomica est.* τροπή *quidem ab Astronomis, ad Solem refertur, qui habet, suos* a nobis abscessus *annuos, quos* Solstitia *dicimus, Græci* τροπὰς, *pro eis abscessibus, alias nobis umbras spargit, quod est* ἀποσκιάζειν. *Significatur igitur, toto contextu, non tantum, nullam prorsus, in Deo mutationem dari; sed ne speciem aut* umbram *mutationis etiam.*

Pars dogmatica

Deus solus immutabilis est. Probatur Scripturis.

III. *Omnino igitur Deus, & solus quidem, omnibus modis, est immutabilis.* Multis modis, hoc tradente S. paginâ: quando 1. ei *omnem* abrogat mutationem, usque *ad umbram* Jac. 1. 17. Mal. III. 6. 1. Tim. 1. 17. Rom. 1. 23. Et 2. quæ mutationem *implicant*, v. g. pœnitentiam Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 29. Imo 3. διαῤῥήδην immutabilitatem ei asserit Psal. CII. 27. 28. Heb. 1. 11. 12. Unde Proclus in *Serm. de fide ad Armenos: Manet* inquit *Deitas, omni mutabilitate superior. Mutatio naturæ fluentis, est passio: sed perennis illius, ac semper eodem modo se habentis naturæ, immutabilitas propria est.*

Confirmatur rationibus.

IV. Est enim Deus, per independentiam: 1. ens absolute *primum*, quicquid enim mutatur, ab alio mutatur, quod se prius est, atque etiam 2. *simplicissimum*: in mutatione enim, semper est quod maneat, & quod accedat aut decedat, est item vicissitudo alterans. Est 3. insuper ens *perfectissimum*, imò infinitè perfectum, cui proinde nulla perfectio potest, vel accedere; sic enim non esset perfectissimus. Proinde non potest mutari, vel in melius, quod non datur; vel in deterius, hoc enim ipsum corrumperet; vel in æqualiter bonum, sic enim plura darentur infinitùm perfecta, adeoque nullum. Unde Hilar. lib. 3. *De Trinit. Non opinor mutabilis est Deus, neque in æternum cadit, aut vitium, aut emendatio, aut profectus, aut damnum; sed quod est, semper est, habere in natura aliquando non poterit, ut non sit.* Est 4. *infinitus*, cui per mutationem, nihil addi aut adimi potest, quin desinat esse infinitus. Est. 5. *incorruptibilis*, dum mutatio perfectissimi, non est nisi corruptio. Quin & 6. annihilaretur: mutatio enim *simplicissimi*, non potest non esse annihilatio: in quantum, mutato simplicissimo, nihil manet ejus, quod antea erat. Et sic per mutationem Dei, manifestus induceretur Atheismus.

explicatur per species.

V. Differt autem mutatio, ab annihilatione, quod in mutatione, semper aliquid maneat ejus, quod antea erat; in annihilatione, nihil: proinde, si mutaretur deitas, nulla maneret. Si dicas, posset alia per mutationem succedere; dices, plures dari deitates, quarum altera alteri succederet, quarum una, per mutationem sublata, altera nasceretur, quæ etiam æterna non esset, adeoque non deitas. Quare etiam, in eum, mutationis vel *species*, quadrare non potest. Unde Augustinus in *Procem.* lib. 4. *de Trinit. Essentia* inquit *divina, nil habet mutabile, nec in æternitate, nec in veritate, nec voluntate.* Est ergo immutabilis 1. Quoad *essentiam* & existentiam 1. Tim. 1. 17. Psal. CII. 28. Rom. 1. 23. quia æternus & immortalis, actus purissimus, necessariò existens, & per essentiam. 2. Quoad *accidentia*, quæ in ipsum non cadunt, quia est bonus, verax, justus, sapiens, per essentiam. Unde, nec *seipsum negare* 2. Tim. II. 13. nec *mentiri* potest Tit. 1. 2. 3. Quoad *cognitionem*; quia omniscius 1. Cor. II. 16. Job. XI. 7. 8. 9. omnia in seipso cognoscens, in æternitate, uno intuitu, utcunque cognita mutentur. 4. Quoad *voluntatem* ac decretum Jes. XLVI. 10. Rom. IX. 11. Job. XLII. 2. Quamvis enim libera sit voluntas ejus; attamen constans est & æterna, nec quod ei semel placuit, unquam displicere potest. Nec etiam immutabilitas obstat, quo minus agat ex consilio. 5. Quoad *dicta*, promissiones & comminationes. Num. XXIII. 19. Heb. VI. 18. Qui enim dicta mutat, ille voluntatem mutat, quæ ipsissima est Dei essentia. 6. Quoad *locum*, quia, *nec loco, nec universo mundo comprehendi potest*: secundum justinum in *Dial. cum Tryphone*, proinde, nec locum mutare potest.

Pars elenchtica.

Quæritur.

VI. Quæritur 1. An Deus, omnibus modis, sit immutabilis? Quotquot Christum, vel ore tantum, profitentur, imo, quotquot Deum, usque ad ipsos Gentiles, agnoscunt, eum esse immutabilem, *quoad essentiam*, quatenus *incorruptibilem* & immortalem profitentur Rom. 1. 23. Neque enim est, quod Gentilibus, frequentius est in ore, quam

1. An Deus, omnibus modis, sit immutabilis? Senten-

iarum divortia

quam immortales Dii. Semipelagiani, Jesuitæ, Remonstrantes, Anabaptistæ, imo & Lutherani, quia voluntatem aliquam agnoscunt, quæ pendeat à conditione, ab homine præstanda, quæ pendeat, ab hominis libero arbitrio, quod consistat in indifferentia independente; ipsum quidem per omnia dependentem agnoscunt, excepta sola *illa voluntate*, utpote quæ, pro mutatione humani arbitrii, in horas mutetur. Pleni--Pelagiani, quibus, nostro tempore, ex asse respondent nostri Sociniani, ex eisdem hypothesibus, statuunt, non tantum *voluntatem* divinam; sed etiam *intellectum* Dei, seu ejus omniscientiam, esse mutabilem, quatenus & constitutione voluntatis, seu arbitrii humani, sibi indies comparet, novarum veritatum cognitionem; statuunt enim, quia futurorum contingentium, eorum comprimis, quæ pendent, ex determinatione arbitrii nostri, quod consistat, in indifferentia independente, nullam habere certam cognitionem, adeoque, ex ista determinatione, in horas augeri, & ex eo, Dei scientiam mutari: insuper affectus, veri ac proprii nominis, qui sua natura, implicant mutationem, v. g. pœnitentiam, desideria, vota, dolorem, voluptatem, gaudia, iram, in se experiri. Reformati, ex adverso, omnimodam in Deo mutationem negant, eis Scripturis & rationibus, quas §. §. III. & IV. repræsentavimus. Interim pro se, & pro mutatione Dei, causantur Adversarii, aut causari possint: Objectiones.

1. Quod hac Dei immutabilitate, pereat libertas arbitrii nostri. Resp. Nequaquam, quia libertas arbitrii nostri, non consistit in indifferentia, & quidem independente; sed in facultate agendi ex consilio, ἐκ προαιρέσεως, ex complacentia rationali, quæ non tollitur, nec læditur, per immutabilitatem Dei. 2. Quod sic, nec Deo competeret liberum arbitrium, quatenus nec hic, per omnimodam istam immutabilitatem, posset mutare, conceptam sententiam. Resp. Nec hoc verum, quia, per naturæ indifferentiam, potest utrumque oppositorum, ac proinde, ex complacentia sua rationale, vult quicquid vult; adeoque libere vult. 3. Quod velit & faciat mutabilia. Resp. Sed immutabiliter, quemadmodum, ex æternitate sua, quæ omni successione destituitur, dirigit successiva & mutabilia. 4. Quod, quem ab æterno non creavit, in tempore creaverit mundum. Resp. Creavit ea virtute, quæ ab æterno exstitit immutabilis, quam, divina voluntate, mundus subiit in tempore: nec, ex creatione, ei quicquam accessit, nisi mera relatio, quæ nullam in eo, mutationem infert. 5. Quod prædixerit futura, quæ nunquam præstitit. Resp. Prædixit, aut promisit potius ac comminatus est, sub conditione futura, qua non præstita, nec futurum prædixit. 6. Quod eum aliquando pœnituerit facti. Resp. ἀνθρωποπαθῶς, quoad mutationem operis, non operantis. 7. Quod non semper fiat quod vult. Resp. Imo semper fit, quod vult; sed eo modo quo vult; si vult *mandando* tantum, ut res mandata, fit nostri officii, tum hoc fit: si rem vult, decernendo, ut existat; existit, aut exstitura est. 8. Quod λόγος, seu secunda Trinitatis persona, *factus sit caro* Joh. I. 14. Resp. Factus est caro, *assumendo*, seu agendo, non patiendo; omnis autem mutatio passiva, fit patiendo. 9. Quod Deus passus sit mortem Act. XX. 28. Resp. Passus est, non *in se*; sed in assumpta humana natura.

VII. Quæritur 2. An ex eo, quod Deus incarnatus, divina Christi natura passa fuerit; non recte inferatur, Deum mutabilem, & mutatum esse? Olim *Patripassiani*, oriundi a Praxea, qui Ecclesiam turbarunt, ab initio seculi tertii, quos Marcellinus Comes, apud Anastasium, *Deopassianos* appellat, quod, non tantum unam eandemque *naturam*, in Patre & in Filio agnoscerent; sed & unam eandemque *personam*, id quod postmodum imitabatur Noëtus, ejusque discipulus Sabellius: statuebant, & Patrem passum, adeoque Deum *mutatum* fuisse. Vid. Augustin. *Hæres.* XLI. Euseb. *Hist. Eccles.* lib. V. cap. XI. Epiphan. *Hæres.* LVII. & LXII. Forbes. *Instruct. Historico Theol.* lib. I. cap. 3. §. 5. Lutherani, quia statuunt; per unionem hypostaticam; duarum in Christo naturarum, humanæ cum *subsistentia* secundæ personæ, communicatam fuisse divinam essentiam, ut inde colligant omnipræsentiam carnis Christi, adeoque & in elementis S. Cœnæ: statuunt, communicatam istam divinam naturam, incarnatam pariter ac passam, adeoque mutatam fuisse; negant tamen, Deum mutabilem esse. Reformati ex adverso, ut agnoscunt, Filium Dei, seu secundam Trinitatis personam, non patiendo; sed agendo tantum, seu assumendo humanam, & hactenus incarnatam dici posse; atque etiam, Deum, non in se; sed in assumpta humana natura; passum esse: ita affirmant, si divina natura, proprie incarnata aut passa dicatur; tum Deum *mutabilem* dici: quia *passive* incarnari, aut *in se pati*, procul omni dubio, infert mutationem: fieri enim, quod non eras, quod est in incarnatione passiva; & non amplius esse, quod eras, quis dixerit, non inferre mutationem? Nec tamen Adversariis deest, quod obtendant: 1. Patripassiani quidem: esse, procul omni dubio, eandem naturam in Patre, quæ est in Filio, dum proinde, natura divina patitur in Filio, fieri non posse, quin etiam patiatur in Patre, adeoque divina natura, in utroque passa sit. Resp. *Natura* divina, in neutro passa est; sed *persona* Filii, qui quidem naturam divinam habebat, & eandem cum Patre; sed proprietatibus characteristicis seu personalibus, quasi contractam ad secundam personam, assumpsit humanam natu-

2. An ex eo, quod Deus incarnatus, & divina Christi natura passa sit; non recte inferatur, Deum mutabilem esse?

ram, & in hac demum filius Dei paſſus eſt. 2. Lutherani obtendunt, per unionem perſonalem, ſubſiſtentiam Filii Dei, communicatam fuiſſe, humanæ Chriſti *naturæ*, &, cum ſubſiſtentia in Deo coincidat, cum ejus *eſſentia*; eadem opera, communicatam eidem fuiſſe divinam eſſentiam, proprietateſque: & ſic, dum humana natura paſſa eſt, paſſam quoque fuiſſe divinam, humanæ communicatam. Nos vero negamus, per unionem perſonalem, ſubſiſtentiam ſecundæ perſonæ, communicatam fuiſſe, humanæ naturæ: quod hac ratione, humana *natura*, non tantum facta fuiſſet *perſona*; omnis enim ſubſtantia rationalis, quæ habet ſubſiſtentiam qualemcunque, ſeu propriam, ſeu communicatam; eſt *perſona*; ſed & perſona *divina*, quatenus id omne, quod habet ſubſiſtentiam divinam, eſt perſona *divina*. Negamus item; divinam filii Dei naturam, communicatam fuiſſe humanæ *naturæ*, ſic enim natura humana, fuiſſet natura *divina*, quatenus, procul dubio, natura divina eſt, quod habet naturam divinam, & ſic, non unio naturarum foret in Chriſto, ſed *identitas*, in quo, apertus Eutychianiſmus. Manet ergo, ſi divina natura, communicata humanæ naturæ, in ea fuerit paſſa; Deum mutatum fuiſſe, adeoque mutabilem. Hæc ξὺν θεῷ, diſtinctius recurrent, in cap. *de perſona Mediatoris*.

3. An Deus mutabilis, ſaltem quoad locum?

VIII. Quæritur 3. An Deus mutabilis ſit, ſaltem quoad locum? Conradus Vorſtius, necdum audens, aperte negare, unionem perſonalem, duarum naturarum in Chriſto; ei per cuniculos inſidiaturus, *eſſentiam* Dei finitam, in ſolo cœlo exiſtere, ex quo proxime fluit, eam non potuiſſe unitam fuiſſe, cum humana natura, in terris tantum exiſtente, proinde talem agnoſcit deitatem finitam, quæ potuerit moveri, e loco in locum. Sociniani, aperte negantes unionem perſonalem in Criſto; aperte Deum compoſitum & finitum docent, cui non repugnet, moveri e loco in locum. Reformati, prout Deum docent, omnibus modis, eſſe immutabilem, ut ne *umbra* quidem mutationis ſit in ipſo; ita etiam, quoad *locum*. Quia ejus eſſentia eſt infinita, omnipræſens, immenſa, *cœlum ac terram replens* Jer. XXIII. 24. Joſ. II. 11. Pſal. CXXXIX. 7.—10. Act. VII. 49. & cap. XVII. 24.—28. non poteſt mutare locum. De quo in ſequentibus ex profeſſo. Si dicant: 1. paſſim dici, quod in cœlo ſit; reſpondebo: nullibi, quod in cœlo *tantum*, quin potius, contrarium, ut patet, per jamjam adducta loca. 2. Quod aſcendat ac deſcendat; accedat ac diſcedat; reſpondebo: ſuo modo quo ſciens infinitum, omnipræſens, quod cœlum ac terram replet, deſcendere & aſcendere poteſt: nim. quoties præſentiam ſuam extraordinariam, ad finem & opus extraordinarium, extraordinario modo patefacit; deſcendere & accedere dicitur: niſi malis dicere, ipſum deſcendere & aſcendere, non in ſua *eſſentia*; ſed in aſſumta quavis ſpecie. Hæc hîc obiter, in ſequentibus, copioſius dicenda.

Pars practica.

conducit.

IX. Quantum ad praxin. Conducit immutabilitas Dei *primò* ad gloriam & *glorificationem* Dei. Unde *gloria incorruptibilis*, ſeu immutabilis *Dei*, Rom. I. 23. Utpote a qua: 1. *Deus* ſeipſum glorificat Mal. III. 6. ejuſque ſancti 2. *Eccleſia* Pſal. CII. 26. 27. 3. *Paulus* 1. Tim. I. 17.—Eo quod: (a) non tantum, hac tali ac tantâ perfectione, ipſe fruatur *ſolus* Mal. III. 6. & locis citatis. Sed quod (b) iſta perfectio, ſeſe profundat ad quaſvis alias ejus perfectiones: quatenus in ſapientiâ, in bonitate, in amore, gratia, miſericordiâ, longanimitate, juſtitiâ, potentiâ, &c. prorſus & planè, eſt ἀμετάθετος. Quod (c) tot ac tantis, totius univerſi, mutationibus, viciſſitudinibus, immotus ipſe coëxiſtat, ac plane immutabilis; imo omnis mutationis, in omnibus, auctor exiſtat immotus ipſe Pſal. CII. 26. 27. Hunc igitur, ex ea, & nos glorificemus, exemplo Dei & Sanctorum, ne & nos, cum Philoſophis gentilibus, reprehendamur, quod gloriam Dei *incorruptibilis mutaverimus* Rom. I. 23.

Primo ad ejus glorificationem.

2. Ad vilipendium creaturarum.

X. *Secundò* conducit, ad *vilipendium* creaturarum omnium, quantumvis, in ſpeciem, ſtabilium ac ſpecioſarum; cogitare ſcil. quod *ſolus* Deus ſit *immutabilis*, & quicquid proinde, ab eo diverſum eſt, ſub Sole, eſſe fragile, fluxum, evanidum. Nominatim (a) Reſpublicas, Regna, urbes, Reges, principes Hag. II. 22. Jer. XLIII. 18. Dan. II. 1.—46. (b) Opes, honores, voluptates, valetudinem Prov. XXXII. 5. (c) Fortunæ proſperitatem Job. VIII. 11.—& XX. 15. & XXIV. 24. Pſ. LXXIII. 18. 19. Quæ ſic cogitanda, ut: 1. cor noſtrum nullis apponamus Pſal. LXXII. 11. Prov. XXIII. 5. Nec 2. fiduciâ noſtrâ, ipſis innitamur, quippe lubricis 1. Tim. VI. 17. Quin. 3. contemnamus 1. Joh. II. 15. 16. Saltem 4. moderatè, præſentibus utamur 1. Cor. VII. 29. 30. 31. Et 5. ſolo immobili Deo acquieſcamus, utpote *qui cordis rupes in ſeculum* Pſal. LXXIII. 25. ipſiuſque *immutabiles* promiſſiones Heb. VI. 13.—19.

3. Ad deteſtationem peccati.

XI. *Tertiò* abſterret, à peccato ac ſecuritate peccandi, quod Deus, omnibus modis, ſit *immutabilis* 2. Tim. II. 19. (1) Quoad *eſſentiam* & exiſtentiam, ut peccatorum vindex exiſtat, in omnem, uſque æternitatem Jeſ. LXVI. 24. (2) Quoad *attributa*: juſtitiam, iram, odium in peccata & peccatores, non tantum non deſitura unquam: ſed ne remiſſura quidem. (3) Quoad *comminitationes* Gen. II. 17. (4) Quoad vindictæ exercitium, per judicia ſua, quibus idem ſemper ſit ac futurus ſit, qui fuit ab omni ævo Exod. XX. 5. & XXXIV. 7.

XII.

. Ad fiduciam & solatium in quovis usu.

XII. *Quartò* erigit fiduciam & solatium in piis, in quavis fortunâ, utcunque adversâ, quod Deus sit *immutabilis* Heb. VI. 17. 18. Unde *rupes* appellatur Deut. XXXII. 31. Psal. LXXIII. 25. Cui Ecclesia superstructa Matth. XVI. 18. Seu enim, de salute æternâ angantur, ex cordis proprii lubricitate, collata cum hostium spiritualium insidiis immutabilibus; quid sustinebit efficacius? quam Deum *immutabilem* Mal. III. 6. esse rupem & petram immotam, cujus *solidum fundamentum stet, quo novit Dominus, qui sint sui* 2. Tim. II. 19. cujus salvifica dona, sint ἀμεταμέλητα Rom. XI. 29. Seu circa rei temporalis vicissitudines angantur, seu bellicorum motuum, morborum, aut quarumvis calamitatum; quid efficacius succurret? quam cogitare: 1. *immutabilitatem*, unius Dei, esse privilegium, reliqua in solo motu ac fluxu, esse immutabilia 1. Cor. VII. 29. Interim 2. Deum, per omnes istos motus ac vicissitudines, immotum suis affuturum Psal. XLVI. 1. 8. affuturum *perfectione & fortitudine*, ut non *commoveantur*. Ibid. & XC. 1. Ipsum 3. Immutabilem esse in bonitate, amore, gratiâ, misericordia Jes. LIV. 10. Psal. CXVII. 2. & CXVIII. 1. 2. 5. Atque etiam 4. in voluntate, & gratiosis suis decretis, quibus *suos novit* 2. Tim. II. 19. Heb. VI. 17. 18. Insuper 5. tot tantisque promissis Num. XXIII. 19. omnibus, in Christo, futuris ναὶ καὶ ἀμήν. 2. Cor. I. 20. Heb. XIII. 5. Comprimis in fide & fœdere Jes. LV. 3. 3. & LIV. 10. Hos. II. 19. Et quid efficacius ad consolationem istis omnibus? comprobantibus tot Sanctorum exemplis, Davidis Psal. XVIII. 3. & XXXVII. 33. 37. &c. Modo demus operam: (a) ut immutabilis Deus, *noster* sit Deus, per fœdus gratiæ (b) nosque vicissim, immobiles simus in observatione fœderis istius; atque etiam (c) in amore, fide, fiduciâ, sanctitate, cultu &c.

. Ad fugam in-

XIII. *Quintò*, abstrahit Dei immutabilitas ab omni mutabilitate, inconstantiâ & levitate in (a) propositis sanctis 1. Cor. XV. 58. (b) in promissis Deo præstitis Rom. I. 13. (c) in fœdere inito per Baptismum, renovato sæpius per S. cœnam, in morbis, jejuniis &c. Psal. XXV. 10. & CIII. 18. (d) in professione Christi, & fidei Christianæ. Matth. X. 32. 33. (e) in amore, fiduciâ, bonis operibus 1. Cor. XV. 58. Heb. XII. 27. 28. Multum sanè: 1. omni istâ levitate, recedimus ab exemplo immutabilis Dei, in cujus imitatione, omnis nostra consistit perfectio Matth. V. 48. unde & 2. teterrimas incurrimus, ejus levitatis notas, quæ exstant Jac. I. 8. Matth. XI. 6. Luc. VII. 24. 1. Reg. XVIII. 21. Eph. IV. 14. Heb. XIII. 9. & alibi.

constantiæ & levitatis.

6. Ad studium constantiæ.

XIV. Contra *sextò*, invitat Dei immutabilitas, ad studium imitationis, qui in officio, versus Deum & proximum, ἀμετακίνητοι simus, non stoicâ ἀπαθίᾳ, ab Enthusiastis, nimium commendatâ; sed: 1. *Affectus* nostros, amores, desideria, gaudia, uni Deo, immotos adstringendo Psal. LXXIII. 25. 2. promissa & pacta, Deo & hominibus facta, immutabiliter præstando Psal. CXVI. 14. 3. officia quævis pietatis: (a) fixo proposito, aggrediendo Act. IV. 19. (b) immotâ constantia, prosequendo Apoc. II. 26. (c) obvias difficultates, fortiter excipiendo, ac declinando Heb. X. 36. Ad hoc 4. in immutabilem Dei bonitatem, ut exemplar, continuò mente intenti, in cujus imitatione, nostra consistit perfectio Matth. V. 48. Levit II. 44. B. persuasi nihil boni, nullam virtutem, fidem, justitiam, veram esse, aut perfectam, absque constantiâ Ezech. XVIII. 24. Apoc. II. 25. 26. Ad hoc C. immotis precibus, immobilem Deum fatigando, *Spiritum solidum innovet in visceribus nostris* Psal. LI. 12. qui suâ immutabilitate, nostram lubricitatem suffulciat, quo in constantiâ proficiamus, donec tandem statum pefectæ immutabilitatis assequamur.

CAPUT OCTAVUM,

DE

UNITATE DEI.

Text. Deut. VI. 4.

Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus.

In Secunda attributorum classe, primum

I. Habuimus *primam*, divinorum attributorum classem, quæ *quid* sit Deus, repræsentabat; succedit *secunda*, quæ, sub notione *quantitatis*, referet unitatem, infinitatem & æternitatem. *Unitas*, fundamentum classicum, exstat Deut. VI. 4. adductum à Servatore Marc. XII. 29. à Judæis non solum quotidie legi; sed etiam membranæ puræ inscribi, solitum, cui, juxta Fagium *in Exod.* XIII. præcipuam Religionem deferunt.

locum sortitur unitas.

Pars

Pars exegetica.

Quæ ſuperſtruitur analyſi & explicationi textus.

II. *Textus, Eccleſiæ commendat*, auditionem *articulorum fidei, maxime fundamentalium*, Trinitatis & unitatis *in Deo, Circa quam notantur:*

1. Auditio, שמע, audi: *Scil. non auribus tantum; ſed & mente, h. e. agnoſce, crede, retine, velut imam totius Religionis baſin. Litera poſtrema in* שמע, *majuſcula eſt, & nona quidem in talibus, quæ exſtant, in Bibliis Hebraicis, obſervantibus, non modo Maſorethis; ſed & Chriſtianis, ad hoc ut maximam attentionem excitet. Unde Judæi, hæc verba, quotidie legunt, mane & veſperi, ex vetuſtiſſima traditione, & in libro ſuarum precum, de hoc gloriantur:* beati nos, qui mane & veſperi dicimus – audi Iſraël &c.

2. Auditores, Iſraël. *Non Iſraëlitæ, in plurali; ſed Iſraël, in ſingulari numero. Ut ſignificetur, non Iſraëlitas tantum in communi; ſed quemvis Iſraëlitam, in individuo, commendatum ſibi habere audiendum.* Iſraël, *ſcil. non* carnalis *ille tantum, quem Moſes, ex Ægypto in deſertum, & Joſua in terram Canaan traduxit, qua ſignificatione, paſſim venit in Scripturis: ſed & ſpiritualis ille, de quo Rom.* II. 21. 29. *Gal.* VI. 16. *Significatur, Eccleſia utriuſque Teſtamenti, cui* audiendum, *commendatiſſimum eſſe debeat, velut articulus Religionis, maxime fundamentalis, abſque quo nullus alius, poſſit eſſe incolumis, ut patet in Antitrinitariis, qui, ex eo neglecto, aut corrupto, univerſam Religionem violarunt. Verbo, ſine quo, non poſſis eſſe* Iſraël *ille* Dei, *hoc eſt, vera Eccleſia.*

3. Audiendum, *duplex nim. Dei:*

1. Trinitas, יהוה אלהינו, Jehova Deus noſter. *Hic nota:*

A. Jehova, *nomen Deo maxime proprium, ejuſque* memoriale, *quod nunquam in plurali occurrit. De quo, jam ante, in nominibus Dei lib.* II. *cap.* IV. *nobis ſermo fuit ex profeſſo.*

B. Deus noſter, אלהינו. *Hic* אלהים, perſonale *eſt, notans pluralitatem in Deo, non utique* eſſentiarum; *ſed* perſonarum. *Et ſuffixum pronominale primæ perſonæ* נו, noſter, confœderationem *dicit, per quam Jehova, erat Deus Iſraëlis, & Iſraël vice verſa, populus Jehovæ. Sive confœderatio intelligatur,* nationalis *illa, qua totam illam nationem Iſraëliticam, Deus ſibi ſelegerat, ex omnibus aliis nationibus, velut in peculium, quæ ad ſolum ſpectabat populum Iſraëliticum, omniaque ejus membra, ſive bona eſſent; ſive mala: ſive illa maxime* gratioſa, *quæ coit, cum omnibus ac ſingulis, quin & ſolis, vere fidelibus, utriuſque Teſtamenti, in quavis natione.*

2. Unitas, יהוה אחד, Jehova unus. *Hic rurſus, litera tertia* ד *in* אחד, *majuſcula eſt, & quidem decima, obſervantibus Maſorethis aliisque, ad commendandam Iſraëli, hujus* unitatis *neceſſitatem, ne ſcil. pro pluralitate perſonarum, plures Deos ſibi fingerent. Hinc inter nomina Dei, eſt* אחד *Jeſ.* LXVI. 17. *Job.* XXXI. 15. *a qua Deus Syris dicitur* AHAD, *& Aſſyriis* ADAD, *qui maximus erat, Aſſyriorum Deus, teſte Macrobio;* Saturn. *lib.* I. *cap.* XXIII.

Pars dogmatica.

Unitas Dei probatur teſtimoniis divinis.

III. Eſt igitur *Deus*, per textum, *perfectiſſime unus.* Seu non *unus* tantum, ſed & *unicus*; imò, ut Bernardus alicubi, *uniſſimus.* Hoc *Deus* dicit in verbo, qui Deus non eſſet, ſi, vel per inſciam, vel per invidiam, quod verum non eſſet diceret. Dicit: 1. non uno modo, quoties totidem quaſi ſyllabis, ſe unum *affirmat* Zach. XIV. 9. Mal. II. 10. Matth. XIX. 17. Marc. X. 18. Rom. III. 30. 1. Cor. VIII. 4. 5. Sic Gal. III. 20. Eph. IV. 6. 1. Tim. II. 5. Dicit 2. quoties præter unum, omnes *negat* eſſe Deos Deut. IV. 35. 2. Reg. XIX. 15. Pſal. LXXXIII. 19. & LXXXVI. 11. Joh. XVII. 3. Dicit 3. quoties, alios quoſvis à deitatis axiomate ſecludit Deut. III. 24. 1. Sam. II. 2. 2. Sam. VII. 22. Pſal. XVIII. 32. Hoſ. XIII. 4. Marc. XII. 32. 1. Tim. VI. 15. &c. Et humanis, Conſentiunt Patres, quando, congeſtis argumentis, iſtam unitatem, Gentibus extorquent. Videatur Ignatius *Epiſt.* 9. ad *Antiochen.* Juſtin. in *Exhort. ad Gentes.* Et in lib. *de Monarch.* Tertul. *Adverſ. Praxeam.* In *Apologet. lib. de Idolol.* Cyprian. *De Idolorum vanitate.* Athanaſ. *cont. Idol.* Nazianz. Orat. 2. *De Theolog.* Baſil. *orat. contr. Sabel. & Arian.* Ambroſ. *de fid.* lib. 1. cap. 1. Lactant. *Inſtit.* 1. cap. 3. Auguſtin. *De Trinit* lib. 1. cap. 4. Damaſc. *De orthodox. fid.* lib. 1. 5. Imo & Gentilium ſapientiores, quoties ſaltem ſeriò loquuntur, unitati teſtimonium perhibent. Sic Plato, *Epiſtol.* 13. *ad Dionyſ. Hinc*, inquit, *diſces, ſcribam ego ſeriò nec ne: cum ſeriò, ordior epiſtolam; ab uno Deo, cum ſecus, à pluribus.* Et Lact. *Unde igitur, ad homines opinio multorum Deorum per-*

perſuaſione pervenit? Nimirum ii omnes, qui coluntur ut Dii, homines fuerunt, & iidem primi & maximi Reges: Sed eos, aut ob virtutem, quâ profuerunt hominum generi, divinis honoribus, affectos eſſe poſt mortem: aut ob beneficia & inventa, quibus humanam vitam excoluerunt, immortalem memoriam conſecutos, quis ignorat? Lactant. *De ira Dei.* Conf. Selden. *de Dis Syris.* In Prolegom. Ita Sophocles: *Unus revera Deus eſt, qui cœlum fabricavit & terram — At nos mortales, verſutia* (ſcil. quorundam hominum) *decepti, ſtatuimus — Deorum imagines — Et his ſacrificia, & vanos conventus tribuendo, hoc modo, nos pios eſſe reputamus.* Orpheus, poſt *Theogoniam*, palinodiam canit, his verbis: *μοῦνον δὲ ἐτόρμ κόσμοιο ἄνακτα ἀθάνατον — εἷς ἐς' ἀυτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται, unus eſt Deus, mundi Rex immortalis, ex ſeipſo, a quo omnia.*

IV. Nec potuerunt non perhibere, cum ipſa clamet natura. Clamat enim; 1. In rerum ſubordinatione, ſubſiſtendum eſſe, in *uno* aliquo, quod *à ſe* ſit, & *abſolutè* primum, cui nihil omnino poſſit, vel præexiſtere, vel coexiſtere ejuſdem naturæ. Clamat 2. hoc *infinitum* eſſe, quippe quod, à priore non finiatur, proinde, omnem entitatem concludat, vel formaliter, ut ajunt, vel eminenter. 3. Clamat infinitum illud, eadem operâ, eſſe *perfectiſſimum*, cui nulla ullius perfectio, deeſſe poſſit: dum hujus contrarium, involvit Deorum pluralitas. Clamat 4. primum illud, infinitum ac perfectiſſimum; eadem operâ *omnipotens* eſſe, cui alter aliquis Deus, obniti non poſſit. Clamat 5. per iſtam omnipotentiam, *unum* mundum condidiſſe, cujus omnes partes, unâ harmoniâ, in *unius* conſervationem conſpirent, ab uno, procul dubio, ſapientiſſimo gubernatore procuratam. Clamat 6. Uni huic mundo, *unum* præeſſe, ſupremum Monarcham, qui ſuperiorem, imo nec parem ullum ferat Jeſ. XLVI. 5. Pſal. LXXXVI. 8. Unde Homer. II. β. *Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς βασιλεὺς, ἔις κοίρανος ἔστω.* Interim, ne quid hæreat ſcrupuli, adverſus perfectiſſimam iſtam Dei *unitatem*; tenendum, unitati divinæ, non obeſſe: 1. pluralitatem *nominum*: cum non deſignent, niſi *unum* Deum. Nec 2. pluralitatem *attributorum*: cum illa non referant, niſi *unam* Dei infinitam perfectionem, inadæquatis noſtris conceptibus, analogam. Nec 3. *Trinitatem* Perſonarum, in quâ ſpecioſiſſimè ludunt adverſarii: cum in tribus iſtis Perſonis, *una* tantum ſit eſſentia, una exiſtentia, una ſubſiſtentia; & tres tantum ſubſiſtendi *modi*, à quibus, non tres reſultant Dei; ſed tres qui unus ſunt Deus.

Explicatur natura unitatis divinæ.

V. Eſt itaque Deus *unus*, & ut diximus, *uniſſimus*, ſeu maximè unus, quia maximum & perfectiſſimum ens. Proinde, non unitate *ſpeciei*, quæ plura ſingularia admittit, ejuſdem nominis & naturæ: nec unitate *partium* compoſitarum, quomodo corpus & anima, *unum* conſtituunt hominem: nec unitate *ſubjecti* & accidentis, qualis in ſpiritus creatos quoſvis, Angelos & animas cadit: ſed unitate *ſingulari*, & quæ, omnem omnino compoſitionem, excludit, per quam, unicus eſt, *indiviſus* in ſe, & *indiviſibilis* in plures, aut plura, ejuſdem nominis & naturæ. Quæ porro *unitas*, cum Deo tribuitur, non *arithmetica* intelligitur, quæ principium ſit numeri, quo ſenſu Baſilius Epiſt. 141 *non unum*, inquit, *Deum numero; ſed naturâ confitemur*; verum eſſentialis & *tranſcendentalis*, quo ſenſu Victorinus *adver. Arian.* lib. 3. *In tribus Perſonis* ait, *eſſe Deum unum, plus quam numero.*

Pars elenchtica.

Quæritur:

VI. Quæritur: 1. Quis & qualis fuerit Polytheiſmus infidelium, ſeu Gentilium? Polytheïſmum, non ab omnibus Gentilibus, fuiſſe admiſſum; jam ante monuimus §. III. nec à ſapientioribus, ſed ab ingenii magis vulgaris tantum. Unde Secta Philoſophorum, quos *Atheos* appellitabant, in qua videntur fuiſſe, Theodorus, Protagoras, Diagoras, multis putatur, non ideo ſic dicta fuiſſe, quod *nullum* Deum crediderint; ſed quod *δήμῳ θεῶν*, *turbæ Deorum*, ut Nazianzenus loquitur, *Serm. de Natal. Chriſt.* ſeu Polytheïſmo Græcorum, obniterentur. Socrates ſane, odio Polytheïſmi, cicutam haurire, non dubitavit. Iſti Dii, Gentilium vulgo, ſeu vulgaribus Philoſophis, ſuppetebant, ab omni creaturarum genere, ut non inſcite cecinerit Prudentius:

1 Quis & qualis fuerit Polytheïſmus infidelium, ſeu Gentilium?

Quicquid humus, pelagus, cœlum, mirabile ſignant,
Id dixêre Deos, colles, freta, flumina, flammas.

In quibus, Varro, trecentos Joves numerabat, & Heſiodus, tringinta millia, Deorum. Vid. Auguſtinus, *de civitat. Dei, lib.* VI. Quos Epiphanus, ex Col. III. 11. diſpeſcebat, in *βαρβαρισμὸν, σκιτισμὸν* & *ἑλληνισμὸν*, ita ut *βαρβαρισμὸς* ipſi obtinuerit, ab Adamo ad Noachum; *σκιτισμὸς* inde ad Seruchi ætatem; quò *ἑλληνισμὸς* introductus ſit, prout Judaiſmi initium, à circumciſione Abrahami capit. Per Barbariſmum, illam morum feritatem, & violentiam intelligit, quæ mundum ante-diluvianum infeſtârit. *σκιτισμὸς* & *ἑλληνισμὸς*, diſcrimen in eo ponit, quod *ἀγαλματοποιία*, ſub hoc, introducta fuerit, quo hic carebat. Hoc non ſatis accurate fieri, monet Petavius Jeſuita *in animadverſionibus.* Hinc alii diſpeſcere malunt, in *Sabaïſmum* & *Helleniſmum. Sabaïſmus*, cœli, Solis, Lunæ ac ſyderum cultu, conſtabat, cui *Helleniſmus*, hominum demortuorum, ſimulacrorum, venerationem adjecerit, quanquam ſtella-

rum adoratio, utrique fuerit communis. Proinde *Sabaismus*, Solem, qui Scripturæ *Moloch* indigitatur, & Lunam, quæ *Melecheth* dicitur, colebat: Solem, ut *Regem*, & Lunam, ut *Reginam*. Hinc Solem, variis nominibus indigatarunt: הליון, האל, בעל בל, אדני, כמוש, בעלובוב, מלך, כיון, אדרמלך &c. Quibus Saturnus, Jupiter, Mithra, Mars, Apollo, Osiris, Pan, Bacchus, Janus, Belenus, Aesculapio, accedit, quibus non nisi astra significabantur. De qua Polytheismi specie Jobus, cap. xxx. 26. 27. & Moses Deut. iv. 19. Occasionem hujus sui Polytheismi seu idololatriæ, captasse videntur: 1. Quod forte ad ipsos pervenerit, ex Gen. i. 16. Deum condidisse duo luminaria magna, alterum ad *dominandum Diei*, לממשלת; alterum nocti: 2. Quod observarent, virtutes, operationes & influxus egregios, quos luminaria cœlestia exsererent, in terra & sublunaribus Jer. xliv. 17. 18. Quod item 3. stuperent, cœlorum ornatum, syderum cursum, corporum cœlestium ordinem, a quibus *cœli, gloriam Dei*, narrare dicuntur Psal. xix. 1. 2. — Quem Polytheismi fontem, & Lactantius, observavit lib. ii. cap. xxiv. *De Orig. Error.* Et Diodorus Siculus, Biblioth. lib. i. Viguit hic *Sabaismus*, per longam annorum seriem, etiam apud antiquissimos Græcos, cum nondum hominibus in mentem veniisset, sui similes, in solium deitatis evehere. Quantum ad Ἑλληνισμὸν, hic Sabaismo duo adjecit: *primo* illustrium hominum ἀποθέωσιν, qui ferme in oriente vixerunt, & ductores tribuum fuerunt. Sic v. g. *Noachum*, Saturnum fecerunt, Janum & Bacchum: *Chamum*, Jovem Hammonem: *Japhetum*, Japetum & Neptunum: *Semum*, Plutonem & Ditem. Et sic postmodum, viri alii illustres, à Græcis, in Deorum numerum adsciti sunt. Causa ἀποθεώσεως exstitit: vel *admiratio* egregiorum factorum: vel *amor*, ex congestis in eos beneficiis: vel *odium*, ex Tyrannorum ita volentium, persecutionibus: vel *adulatio*, quæ patet in Herodis ἀποθεώσει Act. xii. 21. 22. Tum *secundo*, præter hominum ἀποθέωσιν, Hellenismus Sabaismo adjecit, statuarum & imaginum cultum. Quæ primo fabricata feruntur, à Theracho Abrahami Patre, quem statuarium fuisse fingunt, quæ statuæ, successu temporum, in fana, lucos ac templa, introduci cœperunt, atque inde, deitatis ἀξίωμα consecutæ sunt. Origo omnis Polytheismi, seu idolalatriæ, varie à variis putatur. Maimonides ad tempora *Enosi* refert, & ad hoc detorquet locum Gen. iv. 26. אז הוחל לקרא בשם יהוה, quæ verba, dum à plerisque Interpretibus, & optime quidem redduntur: *Tum cœptum est, invocari, in nomine Jehova*; ipse transtulit, *tum cœptum est profanari nomen Domini*, scil. quod pro cauda gratis addit, per idololatriam: cum idololatriæ, sub temporibus ante-diluvianis, nulla omnino, in Scripturis, occurrat mentio: alii igitur originem idololatriæ referunt ad structuram turris Babylonicæ: alii ad tempora Seruchi, aut Terachi. Sed omnia incerta sunt. Istorum omnium πρῶτον ψεῦδος, in hoc uno sedebat, quod naturam deitatis ignorarent, esse scil. per eam, Deum, ens absolute primum, & infinite perfectum, quod non possit esse, nisi *unum*. Universum Polytheismum, potentissima confundunt, argumenta §. iv. producta. Pro suo Polytheismo, rationibus non disputant Gentiles; sed sua altùm præsupponunt.

VII. Quæritur 2. Quæ fuerit ratio Polytheismi, hæreticorum veterum? Marcion, Cerdonis discipulus, qui vixit seculo secundo, anno circiter 145. forte quod observaret, Deum durius egisse, cum populo suo, sub Veteri Testamento, imponendo ei jugum legis ceremonialis, quam sub Novo, per suave Euangelium; duos fabulatus est Deos: *malum*, mundi & legis; & *bonum*, Euangelii & redemptionis auctorem. Origenes, illum tres Deos statuisse narrat: Judæorum unum, Christianorum alterum, tertium infidelium. Vid. Tertull. *De præscript.* & *in Marcion.* Iren. lib. i. & 3. Epiphan. Hæres. xlii. Augustin. Hæres. xxii. Origen. *Dial. Mont. Manes*, à quo Manichæi, seculo tertio, circa annum circiter 275. usu librorum fanaticorum Scythiani, ejusque discipuli Therebinthi, magicis artibus addicti, fingebat duos esse Deos: alterum *bonum*, auctorem rerum bonarum, bonæ imprimis animæ, quem φῶτα *lucem* nomininabat cui etiam, cum Marcione, *Euangelium* tribuebat: alterum *malum*, pari potentia cum *bono*, instructum, quem *Hylen*, *materiam* appellabat, à quo mala anima, corpus, conjugium, imperia & omnia mala, ortum ducerent. Epiphan. lib. 2. *hæres.* 66. Augustin. *hæres.* 86. item de *Morib. Manich.* Theodoret. lib. *hær. fab.* 10. Valentinus, à quo *Valentiniani*, Ægyptius, sub Antonino Pio Imp. secul. 2. Anno 110. Platonicæ & Pythagoricæ Philosophiæ, ut & Veterum, Orphei, Hesiodi — θεογονίαις, nimium mancipatus; ex earum lacunis & seminibus, triginta αἰῶνας, id est, *secula* asserit exstitisse, horum principium esse, profundum & silentium, seu *Bythum* & *Sigen*, quorum *Profundum*, etiam Patrem appellat. Ex quibus duobus, velut ex conjugio, processisse perhibet, *intellectum* & *veritatem*, νοῦν καὶ ἀλήθειαν, & protulisse, in honorem Patris, Æonas octo. Dei intellectu autem & veritate, processisse verbum & veritatem, λόγον καὶ ζωὴν & protulisse Æonas decem. Porro de verbo & vita, processisse hominem & Ecclesiam, & protulisse Æonas duodecim. Itaque ex octo & decim & duodecim, fieri triginta Æonas, habentes, ut diximus, primum principium, ex Profundo & Silentio. Christum autem, à Patre missum, id est, à Profundo; spirituale, vel cœleste corpus, secum attulisse, nihilque

2. Quæ fuerit ratio Polytheismi, hæreticorum veterum?

que assumsisse de virgine Maria; sed per illam tanquam per rimam, aut per fistulam, sine ulla, ex ipsa assumpta carne, transiisse. De tricesimo seculo dicit, diabolum genitum, & à diabolo alios natos, qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam tribuit, non arbitrio; sed naturæ mundi, id est, generi diabolico. Sic, ex Augustino *de hæresibus*, Valentini Æonas, delineat Danæus noster, in Comment. ad *August. de hæres.* Istos Æonas, Tertullianus scitè apellat: *crimina*, *non numina*. Vides saltem duo prima principia, *Bythum* & *Sigen*, adeoque duos Deos quasi primarios, ex quibus Æones, velut secundarii, quasi genus duxerint. Horum omnium refutatio, pendet a dextra expositione deitatis, quam a suo loco, de *essentia* Dei, repetet lector.

3. Quænam fuerit Polytheismi ratio, sub Tritheitis aliisque?

VIII. Quæritur 3. Quænam fuerit ratio Polytheismi, sub Tritheitis aliisque? Habebat antiquitas, teste Augustino de *Hæres.* sectam anonymon, quam nonnemo *Triformianorum* appellavit. Hæc triformem, sic asserebat Deum, ut quædam pars ejus sit Pater; quædam, Filius; quædam Spiritus S. Hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ faciunt Trinitatem, quasi ex eis tribus patribus, compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus S. Turbavit Ecclesiam hæc Secta, seculo quarto, circa annum circitur CCCLXX. captata occasione à Sabellianis, qui unam tantum, statuebant personam divinam, seu tres personas, non nisi nominibus diversas: quibus hi personas opponebant, ab ipsa essentia divina diversas; sic revera tres Deos statuebant: quicquid enim essentiam divinam habet, id Deus est. Habebat item Antiquitas Tritheitas, auctore quodam Grammatico, cognomento Philopono, seculo sexto, circa annum 574. sub Phoca Imperatore. Hi item, ut validius obniterentur Sabellianis; tres statuebant esse essentias divinas completas, quarum singulæ, singulis competerent personis divinis. Isti *tres Deos*, categorice profitebantur. Habebat tandem antiquitas *Tetratheitas*, ante tempora Anastasii Imp. seculo *quinto*, circa Ann. 485. postmodum sub diversis nominibus, *Theodosianorum*, *Damianistarum*, *Angelitarum:* qui docebant, præter tres divinas hypostaseis, existere quartam quandam essentiam, quæ tribus communis sit, & se tribus illis communicet, propter quam communicationem, Dei fierent. De his Isidorus. Tritheitis, superiore seculo, in Helvetia, suppar exstitit Valentinus Gentilis, qui tres numerabat in Deo, diversas essentias, æternas quidem; sed tamen sibi subordinatas. Unde Patris essentiam, barbare appellabat, *Essentiantem*; Filii autem, ac Spiritus S. essentias *essentiatas*. Πρῶτον ψεῦδος omnium, in hoc erat, quod non satis accurate poterant distinguere, inter essentiam & personam, quam suo loco, in cap. de Trinitate ξὺν θεῷ, præstabimus, unde lector, repetere potest.

4. Quænam sit Polytheismi ratio apud Pontificios.

XI. Quæritur 4. Quænam sit Polytheismi ratio apud Pontificios? Pontificii, unum quidem, & unicum Deum profitentur; interim in cœlis habent, pariter & in terra, quibus cultum divinum, seu religiosum præstant. Habent in *cœlis* Angelos, B. Virginem, Sanctos demortuos; in *terris*, hostiam quam appellant, habent imagines, eodem cultus genere venerandas, qui prototypis competit, habent *reliquias* Sanctorum. Jam si Deus est, cui cultus divinus competit, ac tribuitur; plures habebunt Deos Pontificii: habebunt Deos *angelicos*; habebunt Deos humanos; Deos lapideos, aureos, argenteos; habent Deum panaceum. Ne quid dicam de suo Papa, quem velut pro vice Deo in terris, habent. Istorum omnium πρῶτον ψεῦδος, est in cœca obedientia, Papæ præstanda, cui universa ejus monarchia superstruitur: & in perversa expositione naturæ *cultus religiosi*, quarum proinde refutationem, Lector repetet, à suis locis, nim. à capp. de monarchia Papæ, item de natura cultus religiosi, apud primum & secundum præceptum Decalogi. Frustra autem eis, succurrere nituntur distinctione, inter latriam, duliam & hyperduliam: quæ in Scripturis, nullum habet fundamentum, & saltem religiosum cultum infert.

5. Quænam sit Polytheismi ratio, apud Socinianos?

X. Quæritur tandem 5. Quænam sit Polytheismi ratio, apud Socinianos? Socciniani, odio Trinitatis, cui universa nostra Religio cultusque innitur; quamvis Christum habeant, pro pura puta creatura, nihilominus ipsum *verum* Deum, atque *æternum* etiam, saltem à parte posteriore, prædicant: atque insuper Spiritum S. quem pro Deo, Patri ὁμοουσίῳ non habent; nihilominus utcunque pro Deo venditant. Proinde distinguunt: inter Deum *creatum* & *increatum*: *summum* & *subordinatum*: Deum: qui habeat *essentiam divinam*, quem unum tantum esse volunt, & qui essentiam divinam *non* habeat. Quam distinctionem, nos suo loco evertemus, si Deus volet, in capp. de *Trinitate* & *persona* Mediatoris.

Pars practica.

Facit

1. Unitas ad tranquillitatem animi.

XI. Quantum ad praxin, perquam efficax est, divinæ *unitatis*, pia consideratio, *primo* ad tranquillitatem animi. Si quando: 1. ex curarum varietate, distrahatur animus Luc. x. 41. aut 2. ex bellorum civilum collisionibus, aut 3. ex dissidiorum ecclesiasticorum varietate, aut 4. ex contentionibus privatis cum proximo, animus vacillet: Quid tandem efficacius succurret? quam (a) Mali fontem perspexisse, nim. peccatorum turpitudinem, quâ beata *unitas*, inter nos & Deum, rumpitur primò Jes. LIX. 1. 2. tum, cum omnibus creaturis, velut Dei ministris. Interim (b) omnibus istis curarum distractionibus, dissidiis,

non aliud esse remedium, quam animum, *uni* Deo adstringere Psal. LXXIII. 25. Eique (c) supplicem fieri, qui *unitatis* & concordiæ fons est, ex formulâ fœderis gratiæ, det ubique *cor unum* Ezech. XI. 19. quo *Jehova unus sit, & nomen ejus unicum* Zach. XIV. 9.

2. Ad detestationem Idololatriæ: Tum crassioris?

XII. Tum *Secundò*, ad detestationem cujusvis *idololatriæ*, quippe quo, *unitas* Deo abrogatur. Idololatriæ inquam, primò *crassioris* illius (a) *gentilis*, quæ pro Diis colebat, Solem & astra, homines excellentiores, Herculem, Saturnum, Jovem &c. Principes suos, aliosque, à quibus, præstantiora consecuti erant beneficia, Æsculapium, Bacchum, Cererem: res quasvis se valentiores, quo consilio, & febribus templa construebant, item Fortunæ aliisque: imo & virtutes, Justitiam, patientiam &c. & statuas Deastrorum suorum: atque etiam (b) *Romanensis*, quæ Angelos, Sanctos cœlites, eorumque reliquias & imagines, cultu religioso veneratur, & Divos salutat: à quâ, per divinam clementiam, liberati sumus: Tum *secundo* subtilioris, quâ, opibus, honoribus, voluptatibus &c. animum tribuendo, serviendo, fiduciam superstruendo, *ventrem* Deum nobis constituimus Phil. III. 19. eoque idololatriam committimus Col. III. 5. magnum illud scelus, quòd omnium primo præcepto, Deus proscribit Exod. XX. 3. quodque sequiorum omnium turpitudenem, superat pariter & concludit.

Tum subtilioris.

3. Ad animum totum uni Deo adstringendum.

XIII. Contra *tertiò*, jubet animum, à multitudine ad *unitatem* redactum: 1. *uni* Deo astringamus Psal. LXXIII. 25. & XVI. 5. in eo solo acquiescamus, solum desideremus, solum quæramus, atque ut potiamur, nos nostraque omnia, *soli* impendamus; persuasi eum solum, quod Deus sit, nobis ad omnia sufficere Gen. XVII. 1. nec quicquam nobis posse quicquam, vel prodesse, vel nocere, citra eum Rom. VIII. 28. 30. Tum 2. in eo solo fidem, spem, charitatem nostram figamus, eum agnoscamus, revereamur, colamus ex tenore primi præcepti, quod est, quasi frontispicium ac summa totius Decalogi. Ad hoc 3. Sacra nostra privata facturi, *animum* quidem, à multitudine cogitationum, ad *unitatem* revocemus, Psalm. XCIV. 19. corpus, à turbâ ad solitudinem Matth. VI. 6.

4. Ad studium unitatis & concordiæ Ecclesiasticæ.

XIV. Tandem *quartò*, Dei *unitas*, argumentum nobis præstat, pariter & exemplar, unitatis Ecclesiasticæ, & prece & studio, pro virili promovendæ. Auctore Christo Joh. XVII. 21. 22. *Rogo ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sunt. Ego charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in iis, & tu in me, ut sint consummati, in unum.* Ad quæ verba Athanas. *Orat. 4. cont. Arian. Quemadmodum Pater & Filius, sunt unum essentiâ; ita nos aliquâ similitudine, & rudi formulâ, dum in eum respicimus, efficimur unum, unâ inter nos, & mutuâ concordiâ animi, & spiritus unitate.* Et Cyril. *lib. XI. in Joh. Quis est iste modus petitionis, ut unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ut ipsi unum in nobis sint?, Charitatis, pacis & concordiæ vinculum petit, quod, ad tantam spirituales credentes, unionem perducat, ut naturalis consubstantialisque, in Patre, Filio, & Spiritu S. unionis similitudinem imitemur.* Eandem, & ex eodem capite, suadet Apostolus Eph. IV. 4. 5. 6. ubi coacervatis variis *unitatis* speciebus, quasi totidem argumentis motivis, unitatem ecclesiasticam suadet, quod nim. 1. omnes simus *unum corpus* mysticum, ac singuli, singula ejus membra, quibus, quid magis conducit, quam harmonia? 2. *unus Spiritus*, cujus ope, nos *omnes in unum corpus baptizati sumus* I. I. Cor. XII. 12. 13. 3. *Una spes vocationis nostræ*, gloria & communio cœlestis Eph. IV. 4. Heb. XII. 22. 23. 4. *Unus Dominus*, Jesus. 5. *Una fides*, in eum. 6. *Unum Baptisma.* Denique 7. *Unus Deus, Pater omnium.* Cujusmodi rationibus adducta, primitiva Ecclesia, ὁμοθυμαδὸν, *uno* animo, congregata scribitur Act. II. 1. & vers. 44. 45. 46. Et quo beatam istam ἑνότητα, felicius consequamur; juvabit: 1. Sæpe multumque intentum esse, in *unitatem* Dei, & personarum ὁμοουσίαν, pariter & ὁμονοίαν, quam Servator urget apud Patrem suum, unaque nobis contemplandam præstat loco jam citato. 2. Cane pejus & angue cavere, schismata quævis in Ecclesiâ, schismaticasque contentiones, & hypotheses 1. Tim. VI. 3. 2. Tim. II. 14. 1. Tim. VI. 4. 5. 20. 21. Eandem 3. cum Servatore, precibus Deo extorquere caliditimis, qui suæ *unitatis* sensum, sic imprimat; ut ad parilem omni operâ contendamus. Denique 4. in tot ac tanta *beneficia* intentum esse, quæ, & Ecclesiæ. & cuivis ejus membro peculiariter, conciliat unitas & concordia spiritus, non tantum interna; sed & externa.

Motivæ.

Adminicula.

CAPUT

CAPUT NONUM.

DE

INFINITATE AC MAGNITUDINE DEI.

Pſal. CXLV. 3.

Magnus Jehova, & laudabilis maximè, & magnitudinis ejus, non eſt inveſtigatio.

Secundum quantitatis attributum, eſt infinitas Dei.

I. Sub notione quantitatis *diſcretæ*, Deum nobis repræſentavit ejus *unitas*: ſub notione quantitatis *continuæ*, eundem nobis referet *infinitas*, alio nomine *magnitudo* dicta. Quæ *infinitas*, vel abſolutè ſpectatur, in eſſentiâ divinâ; vel cum σχέσει, partim ad *ubi* ſeu præſentiam, quæ peculiaribus nominibus, *immenſitas* audit, omnipræſentia & ubiquitas: partim ad *quando*, ſeu durationem, & *æternitas* appellatur. Infinitatem *eſſentiæ*, paraphraſticè præſtat Pſalmus CXLV. vers. 3.

Pars exegetica.

Quæ ſuperſtruitur explicationi textus.

II. Textus habet elogium, *ſeu* celebrationem *quandam Dei, cujus argumentum eſt*, infinita *ejus* magnitudo. *Cujus celebrationis duo occurrunt membra:*

1. Res celebrata: יהוה, *ſæpius cum epitheto:* אלהינו Deus noſter 2. *Paral.* II. 5. *Pſal.* CXXXV. v. *ut indigitetur, non divinam tantum* eſſentiam; *ſed & quamlibet ejus* perſonam, *ſecundum eſſentiam, infinitam eſſe. Peculiariter autem hujus loci eſt obſervare, non divinam* potentiam, *aut ſapientiam, celebrari* infinitam *magnitudine* (*quod, per identitatem earundem, cum eſſentiâ Dei, alibi Scripturis non eſt inuſitatum*) *ſed ipſum Jehovam; ab eſſentiâ denominatum, ut ſciamus, Deum quoad* eſſentiam, *eſſe infinitum.*

2. Argumentum celebrationis, *triplex epitheton præſtans, quando:*

A. Magnus *dicitur* גדול. *Refertur, vel ad* quantitatem, *vel ad qualitatem. Si ad* quantitatem, *vel ad* numerum *refertur; ſic* unus *tantum eſt Jehova, verum ita, ut eminenter* omnia *involvat, imo, omnia excedat, quod* infinitus *ſit: vel* magnitudinem, *ſtrictius ita dictam, ſic hoc loco: ita tamen, ut ſine* quantitate *magnus concipiatur, ſicut, ſine* qualitate, *v. g. juſtus, bonus, ſapiens eſt.*

B. Laudabilis valde: מהלל מאד. *Magnitudo ad* qualitatem *relata*, dignitatem *notat*, præſtantiam, *excellentiam, rei, vel perſonæ, à qua res* laudabilis *dicitur, qua multum habet boni egregii. Et quia Jehova magnus eſt*, omni *bono egregio; hinc* מהלל מאד *laudabilis* valde, *vel* maxime *dicitur, in ſuperlativo gradu, ſupra omnes creaturas. Scil. à* magnitudine *omnia excedente, ſeu infinitâ, quod clarius etiam dicitur, quando additur:*

C. Et magnitudinis ejus, non eſt inveſtigatio; אין חקר. *Aliis*, non eſt finis. *Quod enim finitum, illud perveſtigabile quoque; & quod viciſſim ſimpliciter inveſtigari nequit, id infinitum quoque eſt. Juxta parrallelum Job.* v. 9. & IX. 10. *Rom.* XI 33. XII. 7. 8. 9. *Quod cum magna emphaſi etiam ſignificatur, quando terminis comparativis, magnus dicitur* præ Deis, *&* præ omnibus *Deis* 2. *Paral.* II. 5. *Pſal.* CXXXV. 5. Deis *non tantum* nuncupativis, *Magiſtratibus, Regibus; ſed* catachreſticis *quoque; ſeu Deaſtris auctorum ſuorum opinione*, maximis; *quorum, Heſiodi tempore, ultra triginta millia, numerabantur, quibus ſua cuique magnitudo, & perfectio peculiaris aſſignabatur: ut non dubium ſit, quin, qui omnibus iſtis* major *ſit* infinitus *celebrari debeat.*

Pars dogmatica.

Deum ſolum eſſe infinitum, probatur teſtimoniis.

III. Procul dubio igitur, *Deus, per eſſentiam; infinitus eſt & ſolus quidem, ita etiam, ut præter eum, nec eſſe poſſit.* Quamvis enim, hoc ἀυτολεξεὶ non habeat inſtrumentum ſacrum (fortè quod vox *una* Hebræis non ſuppetat, quæ infinitatem exprimat: & ſtylum V. Teſt. ſequatur Novum) habet tamen, multis modis δυνάμει: quotieſcunque ſcil. 1. *magnum* appellat ſimpliciter 1 Paral. XVI. 25. ſcil., ἐξόχως, & *magnum illum*, הגדול Eſd. v. 8. & cum epitheto, ſic magnum, ut *non cognoſcamus*, ſeu, ut cogitando, non poſſimus aſſequi Job. XXXVI. 26. *Ecce Deus magnus eſt, & non cognoſcimus, numerus annorum eſt, nec eſt inveſtigatio.* 2. Fines ipſi abrogat ibid. & Pſal. CXLV. 3.—3. Ipſum magnitudine præfert, rebus quibuſvis maximis; *cœlo & abyſſo* Job. XI.

7. 8. 9. omnibus *Gentibus*; ſic, ut *quaſi nihil* ſint præ ipſo, imo *minus quam nihil* Jeſ. XL. 12. 15. 17. Dan. IV. 32. Omnibus item, omnium gentium *Diis*, ut diximus; quibus addemus Exod. XVIII. 11. Pſalm. LXXVII. 14. Huc omnia illa loca ſpectant, quibus immenſus, omnipræſens & ubique eſſe, peculiariter demonſtrabitur Cap. ſequenti. Hinc Ambroſ. In *Comment.* ad Epheſ. Cap. 3. *Sicut*, inquit, *in ſphærâ, tanta eſt longitudo, quanta latitudo; & tanta altitudo, quantum profundum: ita & in Deo, omnia æqua ſunt, immenſitate infinitatis. Deus autem, non ſolum implet omnia; ſed etiam excedit: nec enim clauditur; ſed omnia intra ſe habet, ut ſolus ineffabilis & infinitus habeatur.*

Atque etiam rationibus.

VI. Eſt enim: 1. Ens abſolutè *primum*, qui proinde non admittit Prius, quod ſe finiat ac limitet. Et proinde 2. *Independens*, qui omnia finit ac limitat, proinde limitatur à nullo. 3. Ens ſimpliciter *perfectiſſimum*, dum finito, perfectius cogitari poteſt, quippe cui aliqua deeſſe perfectio, concipitur. Eſt 4. *Jehova*, *entitas*, ſcil. omnis, quæ eſſe, aut cogitari poteſt, quale quid, neceſſario *infinitum* eſt. Etiam 5. mundum creavit *ex nihilo*, quod infinitam exigit *potentiam*, infinitam diſtantiam inter nihil & aliquid exhaurientem, eoque ipſo infinitam quoque eſſentiam. Denique 6. nihil in creaturis obſervari poteſt, finem ac defectum in eis arguens, quod non planè exulet à Deo: v. g. defectus in eſſentiâ, in cognitione, in præſentiâ, in duratione, in potentiâ, ob quem finitæ dicantur, quem recta ratio, non à Deo removeat. Porro rationes ab immenſitate, omnipræſentiâ & ubiquitate Dei, ſuppetent à Capite ſequenti.

Quid & quotuplex Dei infinitas?

V. *Infinitum* autem, hic intelligimus, non quod nondum finitum ſeu abſolutum eſt, *adhuc finiendum*; quo ſenſu, opus necdum perfectum, *infinitum* dici poſſit, in ſe finitum & imperfectum: nec quod tantum eſt & tale, ut quinam, ejus fines ſint, nos non capiamus, quod, ſano ſenſu, *indefinitum* dici poſſit, quo ſenſu, mundus *indefinitus* dici queat: nec quod ita perfectum, unquam eſt, quin ulterius perfici poſſit, quod Philoſophis infinitum *ſyncategorematicum* dicitur, quo ſenſu omnia creata, *infinita* ſunt; ſed quod omnem perfectionem habet, quæ cogitari à quoquam, aut eſſe poteſt. Iſta vero infinitas Dei: vel *attributa* reſpicit; præſentiam Jer. XXIII. 24. durationem Pſal. XC. 1. 2. potentiam Pſal. CXV. 3. ſapientiam Rom. XI. 13. juſtitiam Job. XXXVII. 23. bonitatem, gratiam, miſericordiam Pſalm. CIII. 11. 12. de quibus ſuo loco: vel *eſſentiam*, quatenus illa, nec *extrinſecus* ab ambiente corpore, finiri ac limitari, ut materialia; nec *intrinſecus*, propriis terminis, poteſt, ut ſpiritus creati. Sic igitur Deus infinitus eſt, non: 1. quod finiendus adhuc, quo ſenſu *affecta* infinita ſunt, quamdiu *perfecta* non ſunt. Nec 2. quod *potentiâ*, ſeu, ut ajunt, ſyncategorematicè, prout quantitas continua infinitùm diviſibilis, & diſcreta, multiplicabilis infinitum cenſetur: ſed infinitus dicitur *poſitivè*, actu & categorematicè, ita ut actu habeat, quicquid habere poteſt, & in eo quod habet, nulli ſint fines. Sic etiam ipſe *ſolus* infinitus eſt, nec præter ipſum, quicquam eſſe poteſt, per §. III. & IV. Hæc infinitas cogitari poteſt, vel in generali ejus perfectione; vel ut eſt in ſingularibus ejus attributis, præſentia, duratione--Priori modo, eam hoc loco repræſentamus: poſteriori, eam repræſentabimus capp. ſequentibus.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An Deus ſit omnimodo infinitus? Sententiarum divortia.

VI. Quæritur 1. An Deus, omni modo ſit infinitus? Anthropomorphitæ ſeu Audiani olim, quia Deum compoſitum docebant, qui partibus humanis, corporeis, manibus, pedibus, corde, oculis--eſſet præditus, quas in imagine ſua, repræſentaverit in hominibus; non poterant non negare, ipſum, eſſentia tenus, eſſe infinitum. Vorſtius, quam aperte necdum audebat inficiari, duarum naturarum in Chriſto, unionem perſonalem, per cuniculos deſtructurus; item negabat infinitatem eſſentiæ divinæ, ne ſcil. humanæ Chriſti naturæ, adhucdum in terris tantum exiſtenti, affuerit. Sociniani, ne cogantur admittere, unam eandemque eſſentiam divinam, tribus perſonis, eſſe communem, id quod ab infinitate eſſentiæ divinæ, ſolemus repetere; tum etiam, ne infinitum valorem, mortis & obedientiæ, qui poſſit applicari, tot myriadibus redimendorum, eoque ſatisfactionem & merita Chriſti, ſubdole evellerent: negant omnimodam *infinitatem* Dei. Reformati ex adverſo, omnimodam aſſerunt Dei infinitatem, eis Scripturæ teſtimoniis & argumentis, quæ dudum produximus §. §. III. & IV. Nec habent quod opponant, niſi: 1. *Quod infinitas non doceatur à Scripturâ.* Reſp. Si fortè non doceatur ῥητῶς, cui tamen reclamat, quod ei, in textu & alibi aſſeratur magnitudo, cui אין חקר *nullus finis*, nulla perveſtigatio: docetur tamen, multis modis διανοίᾳ per §. III. 2. *Quod Deus ſit hoc aliquid, ab omnibus aliis diſcretum, proinde finitum quid.* Reſp. Eſt ſic formaliter *hoc aliquid*, ut eminenter ſit *omnia*. Et diſcernitur ab omnibus aliis, per ipſam ſuam infinitatem. 3. *Quod per infinitatem Dei, creaturæ omnes æqualiter eſſent perfecta, eo quod æqualiter diſtarent ab infinito ſeu infinitè.* Reſp. Præſupponitur perperam, menſuram perfectionis, in majori in minori diſtantiâ à perfectiſſimo conſiſtere: quando reverâ in pluribus aut paucioribus perfectionis gradibus conſiſtit, à perfectiſſimo collatis. 4. *Quod Deus à creaturis viſus ſit, & vi-*

Objectiones.

videndus posthac; proin finitus. Resp. Non oculis; sed mente: nec in essentiâ; sed in attributis: nec visione comprehendendus; sed apprehendendus tantum. 5. *Quod definiri possit.* Resp. Id vero multis rationibus, nos olim negavimus. Cap. III.

. An mundus ir aut sse pos- t infi- itus?

VII. Quæritur 2. An mundus sit, aut esse possit, infinitus? Scholastici, quo commodius, infinitatem essentiæ divinæ, sibi repræsentare possent, aliisque declarare; statuebant, extra mundum dari *spatia imaginaria*, infinita suo modo, quibus Deus, per infinitatem essentiæ, coexisteret, quæ tamen revera non sint entia. Cartesiani, quia spatia ista volunt esse vera corpora, quod sint vere extensa, trinaque dimensione prædita; ex eis statuunt, mundum infinitum esse *posse*, quamvis solide determinare non possimus, quod *sit* infinitus; eum *indefinitum* esse, & ut occupent objectionem, qua infinitas, sit attributum Dei incommunicabile; distinguunt, inter infinitatem *perfectionis*, quam soli Deo relinquunt, & infinitatem *quantitatis* & molis, eam mundo competere posse, & forte competere actu. Reformati, quamvis Scholasticorum *spatia imaginaria* non respuant, nisi quatenus pro *imaginariis* habent, cum sint vere spatia, attamen, omnem infinitatem, positivam, actualem & categorematicam, mundo abrogant, & soli Deo asserunt. Idque: 1. Scripturis & rationibus, quas commemoravimus §. §. III. IV. Tum 2. Quod mundum esse infinitum, non unam implicet contradictionem. Habere enim partes, & esse infinitum, ἀνύσατον manifestissimum est: istæ enim partes, vel *infinitæ* erunt magnitudine, vel *non infinitæ*, seu finitæ; nec datur inter contradictoria medium. Jam si *infinitas* dicas; dixeris ex multis infinitis, unum *infinitum* coalescere: si *finitas* eligas; dixeris, ex multis finitis, unum infinitum confici. Utrum horum magis sit absurdum, ipsi dicant. 3. Quod, corpus esse *totum*, quale, procul dubio mundus est, & non habere partes, contradictorium sit. Tale autem mundus infinitus involveret; quia, partes, iste mundus, nec finitas, habere posset; nec infinitas, proinde nullas. Insuper 4. implicat, esse creaturam, & à suo Creatore, ne minimum quidem augeri posse: hoc autem in mundo obtineret, si infinitus esset. Non urgebo 5. quod in omni perfectione, Psaltes pronunciet, se finem videre Psal. CXIX. 96. Quod 6. cœlum & terra, ex quibus mundus coit Gen. I. 1. Exod. XX. 11. sint finita: *cœlum* quidem Jes. XL. 12. & cap. XLVIII. 13. Deut. IV. 32. & *terram* Job. XXXVIII. 5 13. Non addam 7. nisi hoc unum, quod apud omnes extra dubium sit, contradictionem involvere, ut subjectum finitum, habeat proprietatem infinitam. Interim non deest ipsis, quo obnitantur: 1. Ex Scripturis quidem, quod Jer. XXXI. 37. Deus ipse pronunciet: *non mensurari posse cœlos superne.* Resp. α. Interim tamen Cartesianis adhuc incertum est, an supra *cœlos cœlorum*, dentur alia corpora *Wittich. Theol. Pacif.* §. LXXXVI. β. Hac ratione cœli immensi erunt: quod enim mensurari nequit, id immensum. Hoc autem, opinor, non dixerint Cartesiani. γ. Non possunt mensurari, per impotentiam humanam, eo modo, quo *fundamenta terræ*, ibidem *investigari* non posse dicuntur. 2. Quod quilibet, talem habeat *ideam* mundi, ut nullos in ea terminos, valeamus concipere. Resp. (1) Idea in homine, non est infallibilis regula veritatis (2) Talem ideam non habuerunt, Prophetæ, Apostoli, Patres, Philosophi, usque ad Cartesium. Quin (3) Mundi finiti, eos ideam habuisse; patet ex *spatiis imaginariis.* 3. Quod spatia illa, quæ sunt extra cœlum supremum, quibus Deus, per infinitatem, coexistit; non sint *imaginaria*, sed vera *corpora.* Resp. Negatur, quia sic corpus esset in corpore: quando corpus existit in spatio, adeoque admittenda foret, dimensionum penetratio, quæ, omnium consensu, naturam corporis evertit. Si 4. probare conentur, eo, quod extensa sint, trinasque suas habeant dimensiones; & hoc negabitur: quia ista extensio, trinaque dimensio; non est proprie, in spatio *continente*; sed in *recontenta*, quatenus res locata in spatio, tam longa, tam lata, tam profunda est, aut esse posset, si in eo locaretur. Plura hujus generis, si aveat Lector, consulere possit *Gangræna* nostram Cartes. Sect. 2. cap. XX.

Atgumenta.

Objectiones.

VIII. Quæritur 4. An infinitas Dei, consistat in eo, quod Deus, unico ac simplicissimo actu omnia cogitet? Cartesiani, cum statuant, omnem, omnis spiritus, angelici, humani, ac divini, *essentiam*, consistere in mera cogitatione, & spiritus à Deo diversos, non possint distinguere, à spiritu divino, nisi per infinitatem Spiritus divini, & non inveniant aliud, in quo infinitas Dei consistat, quam quod ea omnia, unico ac simplicissimo actu cogitet, in hoc solo *infinitatem* divinam ponunt. Reformati, largiuntur, in Deo cogitationem esse, eamque unico ac simplicissimo actu procedere, quod omnia in Deo, sint unicus ac simplicissimus actus, in sensu scil. ut loquuntur, *identico:* in sensu tamen *formali*, cogitationem Dei distinguunt, & *infinitatem* ad ejus magnitudinem referunt. Quia: 1. sic textus facit, & omnia Scripturæ loca, quæ de infinitate Dei loquuntur, sic agunt. Quia 2. Nullus, vel Theologus, vel Philosophus, usque ad Cartesium, infinitatem eo posuit, quod unico actu, omnia cogitet. Quia 3. ipsi Cartesiani, creaturis spiritualibus, non nisi *unam* cogitationem tribuunt; sicut hominibus, non nisi unam mentem, quæ, juxta diversos modos, pro diversitate objectorum, sua cogitet, licet non omnia. Quia 4. cogitatio, per se & sua natura, nullam habet relationem ad magnitudinem, aut infinitatem. Adversarii, pro sua ista sententia, non urgent ulla argumen-

4. An infinitas Dei, in eo solo consistat quod omnia uno actu cogitet? Sententia Cartesianorum. Et Reformatorum cum suis rationibus.

gumenta, nisi suas hypotheses, quod spiritus non sit nisi mera cogitatio, & in cogitatione non inveniatur, per quod cogitatio Dei infinita dici possit, quam quod *unico actu* omnia cogitet. Istas autem hypotheses, dudum disjecimus, probando, quod essentia Dei, nequaquam consistat in sola cogitatione, & quod infinitas Dei, in ejus Magnitudine, seu omnimoda ejus perfectione consistat.

5. An infinitas Dei, ita Deo sit propria, ut nulli creaturæ, communicari possit?

IX. Quæritur 5. An infinitas, Deo ita sit propria, ut nulli creaturæ, communicari possit? Lutherani, quo carnem & sanguinem Christi, essentialiter præsentem habeant, in S. cœna, statuunt, per unionem personalem, humanæ Christi naturæ, communicatam fuisse, subsistentiam filii Dei, eademque opera naturam divinam, ejusque proprietates, adeoque & infinitatem. Reformati ex adverso, infinitatem, pro natura proprietatis cujusvis, statuunt, quod infinitas Dei, prorsus sit incommunicabilis. Quia: 1. Si communicata fuisset, non esset proprietas Dei, ipsis Lutheranis agnoscentibus. Quia 2. hac ratione, humana Christi natura, finita, fuisset etiam infinita, quod contradictionem apertam, involvit. 3. Quia infinitate, humanæ naturæ communicata, ipsa facta fuisset divina natura: cum in infinitate, ipsis agnoscentibus, consistat natura & essentia divina. 4. Si infinitas fuisset humanæ naturæ communicata, omnes ejus partes, omnia membra, infinita fuissent. Quia 5. ejus partes, corpus & anima, divelli non potuissent, proinde nec mori potuisset, nec resurgere, nec ascendere in cœlum, nec inde reverti ad judicium -- utpote quo omnia finitudinem humanæ naturæ præsupponunt. Taceo 6. Quod Scriptura, nullibi doceat, infinitatem divinæ naturæ, communicatam fuisse humanæ naturæ. Nec pro se habent Lutherani, nisi suas hypotheses, quas jamjam designavimus, suo loco in Cap. *de persona Mediatoris*, ἓν θεῷ debellandas.

Rationes Reformatorum.

Hypotheses Lutheranorum.

Pars practica.

Format Dei infinitas. 1. Ad modestiam.

X. Isthæc Dei infinitas, *primò* ad *modestiam* nos efformat, in cogitatione mysteriorum divinorum: quotiescunque in articulis fidei, v. g. de Trinitate, hypostaticâ duarum naturarum in Christo unione, aliisque: quotiescunque item, in Scripturarum lectione ac meditatione, δυσνόητα nobis occurrunt, quibus ingeniolum nostrum par non est: tum, quid efficacius, ratiocinia nostra captivabit? quam humiliter sibi ad animum revocare; magnum esse *Jehovam*, *& mirandum valde*, *& magnitudinis ejus non esse investigationem.* Quin potius illud Zopharis Job. XI. 7. 8. 9. *An profunditatem Dei invenias? & ad perfectionem omnipotentis pertingas? altior est altissimis cœlis, quid facias?* quin & Paulinum illud: O *profunditas divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei! quam imperscrutabilia sunt judicia ejus! & impervestigabiles viæ ejus!* Rom. XI. 33. Plura hujus generis jam ante habuimus in praxi Capitis III. hujus libri.

2. Ad glorificationem Dei.

XI. Tum *secundò*, infinita Dei magnitudo, argumentum nobis suppeditat, quò, infinitis laudibus, eum magnificemus Luc. I. 46. Est enim: 1. *magnus*, & propterea, *laudabilis valde.* Imo 2. *maximus*, infinitè magnus: וגדלתו אין חקר. Et 3. *Solus* etiam talis Jes. XL. 12. 15. 17. Imo 4. tot, quin omnibus modis magnus: essentiâ, præsentiâ, duratione, sapientiâ, virtute & potentiâ, gratiâ & misericordiâ Psal. CXLVII. 5. Idque 5. supra *Deos*; *terrestres*, Reges, Magistratus: & *cœlestes* (opinione saltem Gentilium) Deastros, & supra *omnes Deos* 2. Paral. II. 5. Psal. CXXXV. 5. Quod si igitur, Solem celebramus, à magnitudine tanta, cœlum à majore: quidni Deum à maximâ, ab infinitâ? Magnificemus igitur (a) *corde* Psal. CIII. 1. Luc. I. 46. *Magna* semper, imo maxima quævis, de eo *cogitando*, ut qui, omnibus nostris cogitationibus, infinitum major sit Eph. III. 20. Magni, imo maximi ipsum *æstimando*, ipsiusque omnia: præsentiam, favorem, promissa, cultum; sic ut infinito h. e. insatiabili appetitu ac desiderio, in ipsum ipsiusque ista feramur Psal. LXXXIV. 1. 2. (b) *Ore*, magnâ voce, celebremus apud alios, infinite magnum Psal. CIII. 8. imo celebrandi nobiscum, aliis simus auctores. Ibid. vers. 20. 21. 22. Denique (c) *opere.* Nim. 1. profundâ *infiniti* numinis *reverentiâ*, &, vel in minimis, offendendi metu: scil. quia *Rex maximus* ipse Mal. I. 14. Deut. X. 17. Nehem. I. 5. Dan. IX. 4. 2. Exquisito, *obsequendi* & placendi, studio 2. Cor. V. 9. 3. Infinito eum habendi, eoque fruendi, desiderio curave Psal. LXXIII. 25.

3. Arcet omne ejus vilipendium.

XII. Porro *tertiò*, infinitæ magnitudinis divinæ cogitatio, depellat à nobis, quodvis ejus *vilipendium*, quod vel: 1. *ipsum* deprimamus infra nos, dicendo vel cogitando, cum Pharaone: *Quis est Jehova?* Exod. V. 2. Vel 2. ejus *statuta* & cultum. Ibid. *ut paream ei* Job. XXI. 14. 15. *Recede à nobis* &c. *quis est omnipotens ut serviamus ei?* Vel 3. ejus *patientiam*, longanimitatem, beneficentiam Rom. II. 4. vel 4. ejus *Legatos* Luc. X. 16. Vilipendimus autem, quotiescunque (a) non satis magnificè, de eo cogitamus: *Quis Jehova?* Exod. V. 2. Psal. X. 4. XIV. 1. (b) non satis diligenter & curatè, ejus negotia tractamus Jer. XLVIII. 10. Col. III. 22. 23. (c) Deo, rem propriam, præponimus Phil. II. 21. opes, honores, voluptates 2. Tim. III. 4.

4. Erigit ad humilitatem.

XIII. Insuper *quartò*, fastum hominis obtundit, & ad humilitatem format, devota *infinitæ* magnitudinis, cum humanâ *nullitate* collatio. Exemplo Abra-

Abrahami Gen. XVIII. 27. & Angelorum Jes. VI. 2. Est enim Deus *infinitus:* essentiâ, sapientiâ, potentiâ; & quid nos, quantumvis in speciem *magni* & splendidi, nisi locustæ, σκίας ὄναρ, ἡμερόβιοι, *vermes* Psal. XXII. 7. *pulvisculi in statera*, & *guttulæ situlæ* Jes. XL. 6. 15. imo *nihil* Psal. XXXIX. 6. 7. 12. & *minus etiam quam nihil* Jes. XL. 17. Nulla enim omnino est, infiniti cum finito proportio. Hæc omnia nunquid extorqueant, ut clamenus: *Quid est homo*, momentaneum illud plasma, *quod reputes eum?* Psal. VIII. 5.

5. Formatad magnanimitatem.

XIV. Tandem *quintò*, infinitæ magnitudinis divinæ exemplar, *magnanimitatis* nobis auctor esto, quâ (a) in cultu divino, magnos labores, magnas difficultates, magna pericula, magno spiritu suscipiamus: persuasi, *Deum* nobis *mercedem* fore, *magnam valde* Gen. XV. 1. (b) in cogitationibus, amoribus, desideriis; *magni* simus, & nostro modo, *infiniti*, h. e. insatiabiles, nisi objecto infinito Psal. XVI. 5. & LXXIII. 25. quippe quibus, hoc ipso nomine, infinitum appetitum, infinitus Deus contulit, ut non esset quod satiaret, nisi infinitus ipse (c) in rerum mundanarum contemptu (quippe vanarum & nihili) magnanimes Heb. X. 34. Contra (d) in rerum divinarum, spiritualium, cœlestium, rerum verè magnarum, meditatione & prosecutione, magno spiritu agamus Heb. XI. 24. 25. 26. Matth. VI. 33. 2. Cor. IV. 17. 18. Hujus *magnanimitatis*, auctor Deus est Abrahamo Gen. XV. 1. & cap. XVII. 1. Paulus, Colossensibus Col. III. 1. Servator, auditoribus Matth. VI. 33. 34. David, sibi ipsi Psal. XXVII. 1. 2. Et cuivis esse debebat, magna sua conditio: gerimus magni Regis imaginem, sumus magni Regis subditi, ad magna facti, redempti, destinati, adeo, ut simus supra quævis *magna*, tantum infra *maximum*, seu infinitè magnum. Cuncta ista, tot ac tanta, nunquid spiritus magnos facerent Phil. III. 8. Jac. I. 9. Atque, ut faciant efficacius; simus: 1. intenti in *maximum*, qui, per confœderationem, noster est, ut non tantum imitemur, quantum fieri potest & fas est; sed ita etiam, in eo acquiescamus, ut omnia, ab ipso diversa, pro leviculis habeamus Psal. LXXIII. 25. 2. Magnum Deum, magnum clypeum, objiciamus magnis quibusvis periculis. Hoc fretus, Moses magni Ægyptiorum Regis Heb. XI. 27. Daniel cum suis, Chaldæorum Monarchæ Dan. III. 17. 18. inermes Apostoli, magni Sanhedrin Act. IV. 19. magnas minas, magno animo, susque deque habuerunt.

Quibus motivis urgenda.

Quibus adminiculis acquirenda?

CAPUT DECIMUM.

DE

Immensitate & Omnipræsentiâ Dei.

Psal. CXXXIX. 7-11.

Quò ibo à Spiritu tuo? & quò, à faciebus tuis fugiam? Si ascendero cœlos, illic tu: si stratum fecero in inferno, ecce tu: si assumsero pennas auroræ, & habitavero in novissimo mari; ecce ibi manus tua ducet me, & dextra tua tenebit me.

Immensitas & omnipræsentia.

I. Infinitatem Dei, consideravimus *absolutè*, ut est in se; sequitur considerandæ, ut est *relativè* ad *spatium* seu ubi; vel expers corporis, seu *vacuum*, quâ ratione, *immensitas* audit; vel repletum corpore, seu *locum*; quo sensu, *omnipræsentia* denominatur.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Istam Dei immensitatem & omnipræsentiam, graphicè repræsentant verba textus præfixi, quibus* argumentum, *Psaltes præstiturus, providentiæ divinæ; Dei* immensitatem, *velut per partes ac terminos, delineat. Sic ut eam*

1. Proponat *generalius, vers.* 7. *duplici interrogatione:*

A. Quo abirem; à Spiritu tuo, *scil. ut declinem te, tuamque præsentiam? Subjice, nusquam. Per* Spiritum tuum, *nonnulli personam quandam, à Patre diversam, seu* Spiritum S. *intellectum volunt: sicut per* faciem tuam, *interrogatione sequente*, Filium, *ut fit Exod.* XXXIII. 14. 15. *Jes.* LXIII. 9. *Ut significetur immensitas, non* Dei *tantum; sed & singularum Dei personarum. Sed nescio, an satis solide; tutius igitur*, Deus Theologice *consideratus, ut fit Joh.* IV. 24.

B. Quo fugerem, à facie tuâ? *Responde, nusquam. Circa utramque interrogationem, hujus loci tantum est, observare, quod fiant, non de* cognitione *Dei tantum; aut de* virtute *& operatione tantum: sed etiam, de ipsâ ejus* essentiâ, *quod emphaticè dicitur, quando de* Spiritu, *&* de facie (*quâ essentiâ Dei innui solet Exod.* XXXIII. 20. 23. *Collat. cum vers.* 18.) *quæstio fit.*

2. Declaret *& probet* περισμῷ, *seu distributione terminorum, omnipræsentis hujus immensitatis, pro triplici distantiæ differentiâ. Sunt enim mundi hujus termini: vel* extimus, *cœli; vel* intimus, *infernus; vel* intermedius, terra, *& extrema* marium. *Quasi sic ratiocinaturus: Qui est in extimo, & in intimo; & in medio hujus universi; ille citra dubium, immensus est & omnipræsens, ut ejus spiritum & faciem frustra coneris effugere: Sed &c. Ergo. Præsuppositâ evidentiâ propositionis, assumptionem confirmat Inductione, per triplicem interrogationem, quarum:*

Prima, *præsentiam ejus docet, in* extimo, in cœlis. *Ubi occurrit:*

α. Interrogatio: Ascendam in cœlum? *scil. extimum, empyræum, tertium, Paradisum. Hypothesis est plane hyperbolica, qualis occurrit etiam Obad. vs.* 4. *Prov.* XVII. 22. *Deut.* XXX. 12. *Job.* XXIII. 8. 9.

β. Subjectio: illic adest. *Scil. per essentiam, per cognitionem, & per virtutem.*

Secunda, *præsentiam ejus docet, in* intimo, *seu* inferno, *repetitâ*

a. Interrogatione: stratum *meum faciam* in inferno? שאול, *hic posset sonare* infernum, *locum damnatorum, sicut fit, Job.* XI. 8. *& cap.* XXVI. 6. *utpote cœlo, maxima distantia, oppositum; ast in inferno, non sternimus nobis lectum. Commodius hic sonare posset* sepulchrum, *sicut Gen.* XLII. 6. *Act.* II. 27. *ex Psal.* XVI. 8. *Quod sepulchra, mortuis, sint quasi lectuli. Sed cœlo hic opponitur, velut infimus locus, maxime distans. Quid igitur? Possis intelligere, imas terræ latebras, aut centrum. Et* stratum ponere *alicubi, non denotat, nisi semet abscondere, aut alicubi habitare.*

b. Responsione: Ecce ades. *h. e. certè præsens es.*

Tertia, *præsentiam ejus refert, in* medio, *in* terrâ *& extremitate* marium, *iteratâ.*

1. Interrogatione: sumam alas auroræ, & habitabo in extremis marium? *Hic* alæ auroræ, *radios Solis orientis denotant, momentaneo quasi volatu, ad extremitates nostri horizontis projectos. Tribuuntur autem auroræ,* alæ, *sicut alibi* ventis *Psal.* XVIII. 11. *&* CIV. 3. & divitiis *Prov.* XXIII. 5. *&* soli *Mal.* IV. 2. Extremitates *autem* marium, *dissitissimas denotant à Judæâ, orbis terreni partes Psal.* LXV. 6. *&* LXXII. 8. *Jes.* XXIV. 14. *Ut sensus sit: si ad modum radiorum solarium, unico temporis momento, ad remotissimos terræ fines, quasi avolavero.*

2. Responsione: Etiam illic manus tua me deducet, & dextra tua me apprehendet. *Hoc est, ibi non tantum eris per essentiam, nec me tantum invenies seu cognosces; sed etiam providentiâ tuâ sustentabis & gubernabis.*

Pars dogmatica.

Deum immensum & omnipræsentem esse:

III. Hinc igitur: nil clarius pellucet, quam quod *Deus immensus & omnipræsens sit, essentiâ pariter & cognitione, juxta ac operatione; coëxistens omni spatio, & omni creaturæ in spatio.* Dicitur enim coëxistere omnibus mundi terminis, *spiritu & facie,* ubique Davidem *deprehendere;* agnoscere, atque etiam *ducere* ac *sustentare.*

Probatur testimoniis; Scripturæ. Patrum.

IV. Idque non semel, atque iterum, in S. pagina docetur; sed sæpe multisque modis Eph. IV. 6. Jer. XXIII. 24. I. Reg. VIII. 27. I. Cor. XII. 6. &c. Item à Patribus. Sic enim Hilar. *lib.* I. *De Trinit. Nullus sine, neque ullus non, in Deo locus est. In Cœlis est, in inferno est, ultra maria est, inest interior, excedit exterior. Ita cum habet & habetur, neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est.* Et paulò post: *Deus totus ipse, intra & extra se omnia continet, ut neque infinitus, absit à cunctis, neque cuncta, ei qui infinitus est, non insint.* Item Augustin. *De Civit. Dei* lib. 7. cap 30. *Idem Deus ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nullâ parte mutabilis, implens cœlum & terram, præsente potentiâ, non absente naturâ.* Et, juxta Hermetem Trismegistum, *Sphæra* Deus, cujus centrum est ubique, περιφερία nusquam.

Confirmatur rationibus.

V. Nec abludit recta ratio. Qui enim: est essentiâ *infinitus,* ad nullum locum finitum restringi potest. 2. *Independens,* à nullo ad unum locum arctari potest. 3. *Simplicissimus* actus, ideo non potest esse, in potentiâ ad ullum locum perveniendi, in quo non sit. 4. *Immutabilis,* non potest transferri, de loco in locum. 5. *Omnipotens,* ideo ubique operari potest, proinde & est. 6. *Perfectissimus,* proinde immensitatis & omnipræsentiæ perfectione, destitui nequit. Quibus rationibus adducti, & Gentiles crediderunt, *Jovis* esse *omnia plena.*

Explicatur ejus naturâ.

VI. Immensitas, incomprehensibilitas, ubiquitas, & omnipræsentia, idem diverso modo repræsentant. *Infinitas* enim, quatenus nulli loco commen-

mensurari potest, *immensitas* & inconprehensibilitas audit; quatenus omni *ubi* coëxistit, *ubiquitas*: quatenus omni creaturæ, *omnipræsentia*. Ut commodius non possit definiri, quam essentiæ divinæ infinitas, quatenus illa coëxistit omni spatio. Tum *spatio*, nihil aliud intelligimus, quam ubi *existit*, aut existere *potest* creatura. Proinde duplex est, vel *vacuum*, ubi *potest* existere creatura; vel *locus*, ubi existit *actu*. Itaque spatium, propriè non est *ens* aliquod, multo minus corpus; sic enim corpus esset in corpore, dum corpus est in loco: nec idem cum corpore, quod loco continetur, concipimus enim, ablato ac translato corpore *contento*, manere locum *continentem*: neque etiam corporeæ dimensiones: longitudinis, latitudinis, profunditatis, propriè sunt in spatio; sed in corpore, quod inest spatio, aut inesse potest.

t modi.

VII. Spatio isti; seu vacuo, seu repleto, Deus non *coëxtenditur*, neque per illud *diffunditur*, sicut nonnulli, tum veterum, tum modernorum concipiunt, & loquuntur: cum hæc omnia solis competant corporibus: sed *coëxistit* tantum. Et coëxistit omnibus spatiis, non (a) per *multiplicationem* sui (prout de corpore Christi in Missa, fingunt Pontificii) est enim unus. Nec (b) per *divisionem*, q. per partes: partim in cœlo, partim in terra: est enim simplicissimus. Nec (c) *circumscriptus* à spatio, aut loco ambiente: est enim spiritus. Nec (d) *definitus* & restrictus ad certum locum; per essentiæ suæ finitudinem, sicut spiritus creati: est enim infinitus. Nec (e) ut *insit* spatio. tanquam accidens suo subjecto: est enim pura puta substantia: sed *coëxistit replendo* Jer. XXIII. 24. scil. toti mundo totus, & cuilibet ejus parti totus, nulli spatio inclusus, à nullo exclusus, imo etiam extra mundum: quia essentia Dei est infinita; dum mundus finitus est.

ddun-
ur di-
ersæ
præsen-
iæ divi-
æ spe-
ies.

VIII. Ut autem ista Dei immensitas & omnipræsentia, primò & primario, Dei concernit *essentiam*: sic per essentiam quoque ejus respicit *cognitionem*, quatenus ejus *oculis*, *omnia nuda & intimè patentia* sunt Heb. IV. 13. Psalm. CXXXIX. 12. 13. Jer. XXIII. 24. atque etiam *operationem* & providentiam Heb. I. 3. Joh. V. 17. I. Cor. XII. 6. Et hujus demum *operationis* respectu, diversis *modis*, dicitur creaturis præsens: scil. (a) humanæ Christi naturæ, per *unionem* hypostaticam Col. II. 9. Joh. I. 14. I. Tim. III. 16. Rom. I. 3. 4. & IX. 5. (b) Fidelibus per *Spiritum* fidei, sanctificationis, adoptionis, consolationis, corroborationis Joh. XIV. 16. 17. 23. 2. Cor. XIII. 13. Rom. VIII. 14–17. 26. Gal. IV. 6. Ps. CXLV. 18. (c) Prophetis, per sapientiam & *revelationem* I. Pet. I. 11. Heb. I. 1. (d) Ecclesiæ, per *Spiritum unientem*, charismata distribuentem & regentem salutariter I. Cor. XII. 12. 13. Joh. XVII. 21. Matth. XXVIII. 20. (e) Cœlis, per *majestatem* & gloriam; tum Angelis, tum hominibus, manifestatam & manifestandam Jes. LXVI. 1. Matth. XVIII. 10. Heb. XII. 22. 23. Phil. III. 20. 21. Joh. XIV. 2. 3. (f) Inferno, per *justitiam* vindicantem Psalm. CXXXIX. 8. Matth. X. 28. 2. Thess. I. 9. Marc. IX. 44. 46. De quibus præsentiæ modis, scitè Bernardus *Medit.* c. 1. *Deus* inquit, *in seipso incomprehensibilis, quia principium & finis: principium sine principio, finis sine fine: in Angelis desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere: in Sanctis delectabilis, quia in eo assiduè felices lætantur: in creaturis admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benignè dispensat: in hominibus est amabilis, quia eorum Deus & ipsi sunt populus ejus.* Seu, ut aliis: *Est deus in seipso, sicut α & ω: in mundo, sicut auctor & Rector: in Angelis, sicut sapor & decor: in ecclesiâ sicut Paterfamilias in domo: in animâ, sicut sponsus in thalamo: in justis, sicut adjutor & protector: in reprobis sicut pavor & horror.*

Pars elenchtica.

Quæritur:

IX. Controversias hujus Capitis, quoad saltem *fundamentum*, magna parte, occupavimus dudum, cap. præcedente, quando *infinitatem* essentiæ divinæ, contra varios asseruimus, eâ vero sublata; non potest non ruere, ei superstructa *omnipræsentia*: juvabit tamen, eam distinctius vindicare. Quæritur ergo 1. An Deus, essentia tenus, sit omnibus rebus præsens? Vorstium cum Socinianis, negantem *infinitatem essentiæ*; cum suis hypothesibus, audivimus & refutavimus dudum: quantum ad *omnipræsentiam*, Vorstius *de Deo* pag. 214.— omnipræsentiam *essentiæ* divinæ, ad *impossibilia* refert, imo & indignam statuit, majestati divinæ, scil. coëxistere rebus sordidis: interim largitur Deum rebus omnibus præsentem esse, *virtute* & ἐνεργείᾳ, eoque *essentiam* divinam, distinguit realiter à *virtute* & *efficacia* ejus. Idem facit Socinus in *Tractat. Cont. Franciscum Davidis.* Remonstrantes *Apologistæ*, in gratiam Socinianorum, non negant quidem omnipræsentiam *essentiæ* divinæ: sed tamen etiam non confirmant; in *Confessione* sua, silentio eam prætereuntes, & in *Apologia* elevantes quæstionem, de *essentiæ* divinæ omnipræsentia. Rationalista Cartesianus, Disputatione publica, dixit eam esse *Scholasticorum figmentum.* Reformati, quamvis non abnuant, Deum virtute & ἐνεργείᾳ, omnipræsentem esse; attamen, quia & virtus & operatio, unum sunt idemque in Deo, si *opus* productum excipias, & *essentiam* divinam esse omnipræsentem. Fundamentum hujus sententiæ, jam ante Capite præcedente, posuimus, in omnimoda Dei *infinitate*, cui §. §. III. & IV. Scripturas & rationes oppositas, pro omnipræsentia divina, &, ex dato, adjicimus: si quoad *virtutem*

1. An Deus, etiam quoad essentiam, sit omnipræsens? Diversitas sententiarum.

Sententia Reformatorum, cum suis fundamentis.

Objectiones.

tem & operationem, sit omnipræsens; etiam quoad *essentiam* esse, ni velimus divellere, quæ sunt unum prorsus & idem. Adversarii in contrarium causantur: 1. Omnipræsentiam *essentiæ*, non doceri in Scripturis. Resp. Contrarium demonstravimus paragrapho IV. Contra 2. doceri ab eis, quod in Cœlo sit. Resp. Non *exclusive*; sed suo & potiori modo. 3. Indignum esse, divinam essentiam, coëxistere rebus sordidis. Repl. *α.* Si non indignum sit, virtutem & ἐνέργειαν, eis coexistere; nec indignum erit, ipsam essentiam coëxistere; cum in Deo, unum sint idemque, omnia ista. *β.* Nec indignum est essentiæ divinæ, res istas sordidas, creare, sustentare, gubernare. *γ.* Nec spiritualis essentia, attingitur, aut inquinatur à corporeis. 4. Deum *accedere* & *recedere*, *descendere* & *ascendere*. Resp. a. *Virtus* & ἐνέργεια, abstracta ab *essentia*, proprie nec accedit, nec recedit. b. *Accedit* & *recedit* — non mutatione loci; sed operis, scil. declaratione extraordinaria, gratiæ, vel justitiæ &c. Ad summum, accessit & recessit, non in essentia; sed in aliqua assumta *specie* Gen. XVIII. 1. 2. — Porro 5. Non esse, cum impiis Num. XIV. 42. 43. Resp. non est cum impiis, per gratiam Matth. XXVIII. 18. 2. Cor. XIII. 13. licet sit per essentiam Act. XVII. 18. Insuper 6. Replere cœlum & terram. Resp. *α.* Hoc, si de essentia capiatur, valide infert, ejus essentiam esse omnipræsentem. *β.* Neque hoc infert, quod adversarii intendunt, ipsius essentiam non esse extra cœlos: cum contrarium aperte doceat Scriptura Job. XI. 7. 8. 1. Reg. VIII. 27. Tandem 7. spectare ad perfectionem rei, quod virtus ejus, latius se extendat, quam ejus essentia. Resp. Utut hoc verum sit, in *corporeis*, quorum essentia diversa est ab essentia: verum tamen non est, in *spiritualibus*, & multo etiam minus, in perfectissimo, & infinito.

2. Quo ordine concipienda sit omnipræsentia essentiæ, virtutis & operationis? Sententia Cartesianorum.

X. Quæritur 2. Quo ordine conveniat concipere omnipræsentiam, essentiæ, virtutis & operationis divinæ? Cartesiani (ut succurrant suæ hypothesi, per quam, essentia spiritus cujusvis, etiam divini, non consistit, nisi in mera cogitatione, quæ nullam admittit τόπον ad locum, aut ubi) cum omnipræsentiam divinam aperte negare non ausint: hic in omnes formas se vertunt, statuendo; 1. Deum, quoad *essentiam*, *proprie*, non esse in ullo loco, spatio vel ubi: quod istud aliquam extensionem, essentiæ adferret. Proinde 2. nec *proprie* ubique esse, per *essentiam*. Quin. 3. *nullibi*: vel circumscriptive; vel definitive; vel repletive. Quamvis 4. per *operationem externam*, rebus omnibus præsens sit indeque *omnipræsens* dicatur rectius, quam ubique esse. Interim. 5. *quatenus* virtus & operatio apud Deum, coincidunt cum ejus *essentia*; eatenus etiam, per *essentiam*, omnipræsentem dici posse. Sic tamen 6. ut in concipienda omnipræsentia divina, cogitare debeamus, ejus *operationem externam*, hinc *virtutem*, tandem *essentiam*, & quidem *quatenus* illa, cum essentia coincidit. Omnia ista huc exeunt, ut essentia divina, proprie & in se considerata, non sit omnipræsentia, quod exserte vult prima hypothesis, nec tamen, cum Vorstio dicatur, eam prorsus non esse omnipræsentem. Nodum incidit Disputatio quædam Daventrienſis, a Rationalista quodam habita, quando dicebat pro Corollario: *omnipræsentiam divinam* non esse, nisi *figmentum Scholasticorum*. Reformati communiter, quamvis otiosum existiment, cum quoquam contendere, super *modo* & ordine concipiendi omnipræsentiam divinam, si modo non intendatur veritati insidias struere, & omnipræsentiam essentiæ, penitus eliminare: quamvis item existiment, posse quem, ascendendo, primo concipere operationes divinas, atque inde conficere virtutem Dei, ut ex utroque tandem pertingat ad existentiam & essentiam divinam, prout in demonstratione deitatis, plerisque fuetum est: attamen, demonstrata jam, & præsupposita existentia & essentia Dei, existimant, in negotio omnipræsentiæ divinæ, cogitationis exordium commodissime fieri, ab essentia: cui propriissime præsentia competit, inde progressum fieri, ad omnipræsentiam virtutis, quatenus illa, in sensu, ut loquuntur, *formali*, differt ab operatione, & tandem subsistere, in ipsa operatione. Eo quod: 1. sic præluceat textus Psal. CXXXIX. 7. *Quo abibo a* SPIRITU *tuo?* — qui *spiritus* sane non est *operatio* divina: *quo effugiam à facie tua?* ET FACIES Dei, constanter notat *essentiam* Dei: porro vs. 8. *Si scanderem cœlos*, TU *ibidem*, non operatio, sed *tu*. Sic à spiritu, à facie, ab ipso Deo, orditur cogitationem de omnipræsentia Dei: hinc pergit ad omnipræsentiam *virtutis* divinæ: vs. 9. 10. *Si sumerem alas auroræ — & ibidem* MANUS *tua me conduceret.* — Et quid tandem, in Scripturis est *manus*, quam virtus seu potentia Dei? Subsistit denique in *operatione* Dei vs. 10. *& dextra tua* SUSTINERET *me*. Ex adverso 2. Non est, quod sciam, Scripturæ locus, qui cogitationem de omnipræsentia Dei, ordiatur ab ejus *operationibus*, pergat ad *virtutem*, definat in *essentia*. 3. Quia scopus hujus ordinis, adversariorum, aperte colludit, si non penitus concidat, cum sententia Vorstii & Socinianorum, quatenus cum illis, secluſa *essentiæ* præsentia, eam in præsentia *virtutis* & operationis constituit, licet in natura essentiæ divinæ, (quæ non est hujus loci) differant in hoc, quod essentiam divinam, Cartesiani velint esse in mera cogitatione, quod non admittit Vorstius cum Socinianis. 4. Quia hypothesis Cartesiana, omnipræsentiam in operatione constituens, *omnipræsentiam* pessime confundit, cum *providentia* divina, quæ duo in Scripturis, curate distinguuntur, videlicet,

Et Reformatorum.

Argumenta Reformatorum.

delicet, ut *attributum* ab *operatione*, quorum Prius concipitur, ut *in Deo* exiſtere; alterum, ut *à Deo* profluere. Denique 5. Iſte adverſariorum concipiendi *ordo*, non juvat hypotheſin eorum: ſi enim, cogitando omnipræſentiam divinam, tu ordiaris ab *operationibus* & pergas ad *virtutem*; non tamen conficietur, eſſentiam *proprie* & *in ſe*, non eſſe omnipræſentem: ſeu enim eſſentiam tertio, ſeu primo loco concipias, res eodem abibit. Fundamentum ſententiæ adverſariæ, eſt in his tribus: α. Quod *cogitatio*, nullam admittat relationem ad locum, vel ſpatium. β. Quod, ut ſpiritus Angelici, & humani; ſic & divini *eſſentia*, conſiſtat in ſola cogitatione. γ. Quod locus, ſpatium, ubi, implicent extenſionem, adeoque ſint corporeum quid, & conſequenter, ſpiritibus competere non poſſint. Primum horum, falſiſſimum, non valebit in rem Carteſianam, niſi ei ſuccurrat ſecundum, ſcil. eſſentiam divinam, non eſſe, niſi meram cogitationem, quod jam dudum debellavimus, hujus libri ſecundi Cap. III. Qui plura volet, conferat *Gangrænam* noſtram, Sect. 2. Cap. XV. Tertium, quod locus, ſpatium, ubi, eſt *extenſio*; controverſia paragraphi XII. examinabitur.

Fundamentum ſententiæ Carteſianæ.

3. An præſuppoſita mundi finitudine, omnipræſentiam Dei concipere poſſimus abſque conceptu ſpatiorum ſupracœleſtium?

XI. Quæritur 3. An præſuppoſita hujus mundi finitudine: poſſimus conceptum habere *immenſitatis* & *omnipræſentiæ* divinæ, abſque conceptu ſpatiorum ſupra-cœleſtium? Qui *immenſitatem* eſſentiæ divinæ negant, ut Vorſtius cum Socinianis, non indigent conceptu ſpatiorum: ſimiliter qui mundum hunc, *quantitate* ſeu mole *infinitum* docent: inter Reformatos, non deeſt Theologus, qui ingenue agnoſcit, & mundi *finitatem*, & eſſentiæ divinæ *infinitatem*, & omnipræſentiam; nihilominus expungebat, *ſpatia* imaginaria. Carteſiani, quoniam cum Vorſtio & Socinianis, negant omnipræſentiam eſſentiæ divinæ, eopſe etiam, cum illis, non indigent conceptu ſpatiorum: interim, quia ſtatuunt mundum *indefinitum*, qui, ut infinitus; ita etiam *finitus* eſſe poſſit, quo caſu, extra eum ſpatia quidem admittunt; ſed quæ ſint vera corpora, adeoque cum mundo coaleſcant. Scholaſtici, ad concipiendam immenſitatem divinam, ſpatia docent ſupra-cœleſtia; ſed quæ ab imaginatione noſtra tantum, naſcantur, à quo, *ſpatia imaginaria*, ab ipſis inſigniuntur. Reformati, ſaltem qui accuratius putant, præſuppoſitis duobus: mundi *finitate*, & omnipræſentiæ *infinitate*; ſtatuunt, impoſſibile eſſe, præſentiam infinitam concipere, quæ ſubſiſtat intra mundum finitum, niſi in ſubſidium advoces, extra mundum ſpatia qualiacunque, quibus ibidem, per immenſitatem, Deus velut coexiſtat in infinitum. Præterea, data hujus mundi finitate, non putem, à quoquam negatum iri, per inexhauſtam Dei potentiam, extra hunc mundum, corpus aliquod exiſtere poſſe, idque non niſi per *creationem* divinam: quod id, non modo nil contradictionis involvat; ſed inſuper, quod negatum, infinitam Dei potentiam negaret: hoc autem corpus creandum, non poſſum concipere, niſi quod exiſtat in ubi ſeu ſpatio, cui itidem infinita Dei potentia, ſeu eſſentia ejus & operatio, coexiſtant. Si dicatur in contrarium: 1. Deum, ſicut ante creationem mundi, exiſtere in ſe; dicam hoc ubique verum eſſe; ſed hoc non obſtat, quominus coexiſtitent ſpatio, cui poſtmodum concreavit mundum; ſin minus, mutatum fuiſſe, & mutabilem eſſe. Si 2. dicatur, iſtud ſpatium *infinitum* fore; & ſic duo infinita futura: regeram negando, quod finitum & infinitum eſſe, proprie non competant *ſpatio*; ſed ſoli & enti vero, quale non eſt ſpatium, per ſecutura §. ſequente. Si 3. dicant, iſtud ſpatium fore verum corpus, & ſic mundum *infinitum*; reſpondebo negando, ut jamjam demonſtravimus.

An ſpatia illa ſupracoeleſtia, quibus omnipræſentia divina coexiſtit, ſint vera corpora?

XII. Quæritur 4. An ſpatia illa ſupra-cœleſtia, quibus immenſitas, ſeu omnipræſentia divina coexiſtit, ſint vera *entia*, imo, vera corpora? Scholaſtici quia non ſunt vera entia, nec eſſe poſſunt, exiſtimant, illa pendere à mera imaginatione noſtra & ab hoc, *ſpatia imaginaria*, vulgo appellant. Carteſiani, ut mundo ſuo vorticoſo, ſibi revera infinito, efficacius ſuccurrant; atque inde etiam, corpori poſſibili, extra illum ſuum mundum, non relinquant locum; non addam, cum duo *immenſa*, ſeu *infinita*, ſibi invicem repugnent, ut, quam Deo adeo diverſimerunt infinitatem, ad mundum iſtum ſuum referrent: ſtatuunt ſpatia illa ſupra-cæleſtia, eſſe *vera corpora*. Reformati, ſpatia iſta ſupra-cœleſtia, coguntur ſtatuere, tum ut infinitatem, immenſitatem, & omnipræſentiam divinam, ſartam habeant ac tectam; tum ut mundi infinitatem declinent, utpote qua admiſſa, nulla remanet, infinitas. Nec tamen illis intelligunt, vera *entia*, multo minus vera *corpora*; nullam enim omnino in eis admittunt entitatem; ſed UBI entium, imprimis *corporum*: quod enim eſt, alicui UBI coexiſtit, & ſit nulli coexiſtit; non *eſt*. Spatium ſeu *Ubi* iſtud, ſi repletum fuerit corpore, *locus* dicitur; ſi expers corporis, *vacuum*. Jam, iſta ſpatia non eſſe *corpora*, his potiſſimum fulcris ſuſtinemus: 1. Quia ſi eſſent, corpus; eſſent in corpore, eoque penetratio dimenſionum daretur, quæ naturam corporis tollit. Per *ſenſum* enim hominibus *communem*, cui applaudit, clara & diſtincta perceptio, corpus eſt *in ſpatio*, loco, ubi, & ſic quidem, ut, manente ſpatio, moveatur corpus, aut manente corpore, mutetur locus ſeu ſpatium: ne effugias dicendo, quod ſpatium & corpus eo contentum, ſint unum & idem. Quia 2. Deus per *abſolutam* ſuam potentiam, annihilare poteſt, quidquid eſt entitatis realis, v. g. intra conclave aliquod, ita ut ejus muri maneant, & conſiſtant ibi, ubi jam conſiſtunt: tum certe, *nihil reale*, erit intra muros; & tamen remanebit *ſpatium*, quippe quod *poteſt* recipere, tantum aëris, quan-

Sententiarum diverſitas.

Sententia Reformatorum.

Ejus fulcra.

quantum Deus annihilaverit. Si dicas, Deus hoc non potest, quia manifestam involvit *contradictionem*, quatenus muri isti, à se invicem distarent ex præsuppositio; & simul etiam non distarent, quia nihil interjectum foret, per quod distarent. Regeram: (1) Ex sententia Cartesii, Deus ea etiam potest, quæ sunt contradictoria, saltem à *parte rei*. (2) potius negabo contradictionem: Licet enim muri isti, non distarent; per *aliquid rei*, distarent tamen, per aliquid *spatii*. Quia 3. Si spatia ista forent corpora, tum mundus foret infinitus, proinde plura infinita; proinde nullum: nec Deus, per infinitam suam potentiam, posset alios creare mundos, qui; ne quidem adjicere quicquam, ei quem creavit. Unum est, quod cum aliqua specie, objiciunt in contrarium, nempe ista spatia, nihilomnus habere, suam extensionem, suas dimensiones, longitudinis, latitudinis & profunditatis, quæ in solum corpus cadunt. Responsio proclivis est, ista propriè non competere *spatiis* continentibus; sed *corporibus* quæ in eis continentur, aut continerentur, si in eis crearentur, v. g. ut tot ulnæ longitudinis, latitudinis, altitudinis, quæ huic mundo competunt in suo spatio, cui coexistit, tribuantur improprie isti spatio. Atque hic est nidus erroris, quod, quæ contentis competant, aut continendis, ad continens spatium referantur.

Objectio.

5. An omnipræsentia humanæ Christi naturæ competat?

XIII. Quæritur 5. An immensitas, omnipræsentia & ubiquitas; humanæ competant Christi naturæ, per unionem hypostaticam cum divinâ natura, communicata? Pontificii, humanam Christi naturam, in multis quidem locis, omnibus scil. illis, ubi Missa eorum celebratur, volunt esse præsentem, sed non in *omnibus*, non in reliquis. Lutherani hîc in partes eunt: Calixtini: à Georgio Calixto Helmstadiensi, sic dicti, ex asse sentiunt cum Pontificiis: ex adverso reliqui, quos Ubiquitarios designant, ut carnem & sanguinem Christi, præsentia habeant in S. Cœna; statuunt, omnipræsentiam divinæ naturæ, per unionem hypostaticam, humanæ naturæ fuisse communicatam. Reformati, ut *infinitatem* Capitis præcedentis. ita & immensitatem & *ubiquitatem*, sic censent esse Deo propriam, ut nec communicata sint; nec communicari possint, quin, per istam communicationem, humana natura facta fuerit, divina: una item eademque natura, sit omnipræsens, & non: Deus & non Deus, atque eadem opera, & divina esset humana natura: quin & unio cessaret. Reliqua argumenta habuimus, ad capitis præced. §. IX. Si excipiant: distinguendum esse, inter immensitatem, ut *propria est*, & eandem, ut *communicata* est; nihil efficient omnino, sive enim concipiatur ut propria, sive ut communicata: eadem manet immensitas, si modo eam habeat humana natura, erit reapse divina natura; quicquid enim est immensum, quovis modo, id Deus est. Ut non addam, immensitatem communicari non posse, quin desinat esse inter proprietates Dei incommunicabiles, præterquam, quod infinitum esse non possit in finito, citra evidentissimam contradictionem. Plura in hanc rem habuimus circa *infinitatem* cap. præcedente.

Sententia adversariorum.

Et Reformatorum, cum suis fundamentis.

Exceptio Ubiquitariorum.

Pars practica.

Facit Praxis immensitatis divinæ: 1. Ad consolationem piorum:

XIV. Immensitatis & omnipræsentiæ *ἐνέργεια* practica, *Primò* est in *consolatione*, in quibusvis periculis & incommodis, seu imminentibus: seu urgentibus: quod suis Deus *adsit*, non per solam *essentiam*; sed & per *gratiam*: *etiamsi* igitur *ambulent per vallem umbræ mortis, non est, quod metuant malum, quoniam tu*, inquiunt, *mecum, & virga tua, & baculus, ipsa consolantur me* Psal. XXXIII. 4. Jes. XLIII. 1. 2. Rom. VIII. 31. Nominatim (a) in *solitudine*, in extremitate marium Psal. CXXXIX. 9. 11. (b) In *exiliis* & periculosis peregrinationibus Gen. XXXIX. 2. (c) In *carceribus*. Ibid. vers. 21. (d) In *persecutionibus* hostium pios urgentibus Psalm. XLVI. 6. (e) In *morbis*, in ipsa morte, ubi omnes & omnia, nos deserunt. Psalm. XXIII. 4. (f) In negotiis quibusvis *arduis* Exod. III. 11. 12. In his & similibus casibus, quid efficacius sustinebit animum? quam cogitare: 1. Deum immensum sibi esse *à dextris* Psal. XVI. 8. Et 2. cum Deo, Servatorem nostrum, & ipsum Deum Matth. XXVIII. 20. qui ut *murus igneus* inhabitet nobis. Zach. II. 5. 10.

In quibus casibus?

Quibus argumentis?

Sic ubi Christus adest, nobis vel aranea murus,
Sic ubi Christus abest, vel murus aranea fiet.

Prorsus ut Julius Cæsar ad nauclerum: *confide* inquit *fortunæ, nauta, Julius est in navi.* Et Alexander ad militem: *Me præsente, nullius hostis arma, ne inermes quidem timete.* Et Augustinus: *quem adversarium timebis; si Regem Deum, in te habere merueris?* Item: *Quem times hominem, in sinu Dei positus?* 2. Eum sibi, per immensitatem adesse, non *essentiâ* tantum; sed *sapientiâ* quoque & consilio, in rebus ambiguis; & *potentia* insuper, in rebus *arduis* ac desperatis gratia denique & providentiâ, scil. *virga & baculo*. Ps. XXIII. 4. Dummodo id nos operam demus (a) ut Deus iste immensus & omnipræsens, Deus *noster* fiat, per fœdus gratiæ, per Mediatorem fide receptum Jes. XLIII. 1. 2. 3. Psal. XXIII. 1. cum v. 4. Gen. XVII. 1. Ut (b) sit nobis reconciliatus & amicus 2. Cor. v. 19. quo nobis sit *à dextra*, non à sinistrâ Psal. XVI. 8. sit *pro nobis non contra nos* Rom. VIII. 31. Et (c) etiam maneat nobiscum, non recedat q. abactus peccatorum nostrorum turpitudine Jes. LIX. 2. Quin (d) indies etiam precibus invitetur & accersatur, qui adveniat nobis & maneat nobiscum Ps. XCI. 15. Luc. XXIV. 29.

Quibus observandis?

2. Ad timorem & reverentiam Dei-

XV. *Secundò*, in *timore* ac reverentia, animis nostris conciliandâ, quâ (a) horreamus peccati cujusvis,

mo-
n &
eren-
m
i?

jusvis, vel minimi, perpetrationem: quod *præsente* & q. aspiciente Deo fiat. Imo quâ (b) potenter absterreamur, quicquam nisi sanctum, honestum, pium cogitare, loqui, facere: quod præsentem nobis ubique habeamus, sanctissimum Deum, ipsum Judicem, abditissima quævis coram aspicientem Heb. IV. 13. Amos. IX. 1. 2. 3. 4. Hinc Deus Israëlitas jubebat, omne fœdum, è castris suis summovere Num. V. 2. 3. Deut. XXIII. 13. 14. hoc argumento: *Dominus enim Deus tuus, ambulat in medio castrorum tuorum.* Imo (c) sincerâ resipiscentiâ, omne turpe removeamus, à conspectu Dei, *ne* scil. *quicquam appareat fœditatis, ne derelinquat nos.* Ibid. & Jes. I. 16. Cum præsertim, fieri vix possit, quin à sceleribus retraharis, *viri* cujusvis honesti ac gravis præsentiâ, nedum *Judicis*; quid non fiet, cogitatione præsentiæ *Dei*, Judicis pariter ac vindicis, tam severi? Gen. XVIII. 20. 21. 25. Dan. V. 26. 27 28. Apoc. III. 15. 16. 17. Est certè hic, omnis securitatis ac licentiæ carnalis, fomes, intus cogitare, Deum cœlis adeo affixum esse, ut nobiscum in terris, sibi nihil intercedat negotii Psal. X. 3. 4. & XIV. 1. & XCIV. 7. quo remoto, pii Deum sibi præsentem, ob oculos habentes, ab hominibus etiam remotissimi, scelera horruerunt Gen. XXXIX. 9. Job. XXXI. 1. 27.

. Ad-
rsus
ypocri-
n. &
d sinc-
tatem.

XVI. *Tertiò*, in abigendo quovis fuco & hypocrisi; & accersenda cordi sinceritate, per universum cultum divinum. Quando scil. cogitamus, Deum, per immensitatem, etiam intimo cordis nostri adesse, & abditissimas nostras cogitationes, vel è longinquo prospicere Psal. CXXXIX. 5. oculis Sole, infinitis modis, clarioribus, quorum aciem, non nubes, non tecta, parietes, non specus subterranei, excludunt: qui *totus oculus est, ut omnia nostra videat, totus auris, ut audiat &c.* Augustin. *In Psal.* XXXVI. Hinc in Scripturis, sincere ac sine fuco agere, est velut *in conspectu Dei* agere Gen. XXIV. 40. 2. Cor. II. 17. Deum, semper & ubique, sibi *coram* habere Psal. XVI. 8.

XVII. Denique *quartò*, in excitando sincero studio, semper & ubique, *ambulandi* ac conversandi cum præsente Deo. Exemplo Enochi Gen. V. 24. qui התהלך, in sensu frequentativo, *itavit*, scil. *indesinenter*: & Noachi. Ibid. Cap. VI. 9. & Abrahami Gen. XVII. 1. Quod, multis modis, à nobis exigit S. pagina, quando urget, ambulemus, non modo *cum Deo* Job. XXXI. 9. Mal. II. 6. sed & *coram*, seu in *conspectu Dei* Gen. XXIV. 40. 2. Cor. II. 17. *post Deum* Deut. XI. 1. 4. in *nomine Dei* Mich. IV. 5. *Spiritu Dei* Gal. V. 16. Id quod plurima involvit v.g. (1) Eum *cognoscamus*, ac sentiamus, nobis præsentem Psal. XVI. 8. (2) Ab eo peccatis remoti, *reduniri* cum eo, per reconciliationem, adnitamur. Conf. Amos. III. 3. 1. Sam. XXIV. 20. (3) Quin etiam, *amicitiam* ambiamus, ut cum Mose sicut *amicus cum amico*, conversemur Exod. XXXII. 11. Hinc (4) Præsentiam ejus gratiosam, continuò *desideremus* Psal. XXIII. 4. Porro (5) cum eo, precibus & soliloquiis, *confabulemur* Cant. I. 2-8. & VII. 5. Insuper (6) in omnibus negotiis, eum *consulamus* in verbo Psal. XLII. 7. & XLIII. 3. 4. Et (7) cum eo *convivemur*, in sacrâ synaxi Matth. XXII, 4. Psal. XXXVI. 9. Potissimum (8) ut semper & ubique, nos geramus, tanquam *in conspectu Dei* 2. Cor. II. 17. reverentiâ ac timore Prov. XXIII. 17. Neh. V. 9. abstinendo, ab unâ quidem parte, ab omni malo, *propter* Deum præsentem: *magna enim peccatorum pars tollitur, si peccaturis testis* adsistat, inquit, Seneca, *Epist.* XI. ab alterâ parte, attendendo omni bono Jes. XXXVIII. 3. idque citra ullam hypocrisin, omni ingenuitate Col. III. 22. Plura in hanc rem habet noster *Prodromus Theol.* specimine 3. de *Conversatione cum Deo.*

4. Ad studium ambulandi cum Deo.

CAPUT UNDECIMUM.

DE

ÆTERNITATE DEI.

Psal. XC. 1. 2.

Domine, habitaculum tu fuisti nobis, generatione & generatione: priusquam montes nascerentur, & formares terram, & orbem, & à seculo usque ad seculum, ut Deus.

Æterni-
tas Dei.

Infinitas Dei, cogitari potest, vel *absolute*, quatenus *essentiam* ejus respicit, prout illa est *in se*, quæ infinitas *essentiæ* divinæ, non incommode, dici & appellari possit: vel cum σχέσει seu *relatione*, ad *coexistentiam* ejus, seu cum *entibus* aliis, sive illa spiritualia sint, sive corporea; seu cum *spatiis*, in quibus existunt, vel existere possunt entia; & sic *omnipræsentia*, seu *immensitas* appellatur: vel ad *existentiam* simpliciter, *seu durationem*, quæ est *æternitas*. Infinitatem existentiæ, exantlavimus capite IX. *coexistentiam*, capite præcedente. Non restat igitur, sub notione *quantitatis*, nisi infinitas

existen-

existentiæ, seu *durationis*, quam *æternitatem*, suo nomine, designamus. Cujus ideam elegantissimam nobis præstat Moses, Psalmo xc. vers. 1. 2.

Pars exegetica.

II. *Quando vitæ humanæ, fluxum fragilitatemque, graphicè delineaturus; eam cum æternâ Dei confert constantiâ & immutabilitate, προσφωνήσει quadam, seu* elogio ac celebratione Dei. *In quâ proinde observanda.*

1. Celebratum: אדוני, *cum Kametz, pro Jehova, quod, ab* essendi *& existendi perpetuitate, dici; supra penes theoriam nominum divinorum, ex professo monuimus.*
2. Celebratio: *quæ, sub duplici σχέσει,* æternitatem *Dei repræsentat: prout nim. illa sese habet,*
   1. Erga suos: Tu fuisti nobis habitatio, generatione in generationem: *Hoc est, omni tempore, ex quo homines fuerunt in mundo, tu nobis idem fuisti, quod domus suis incolis, eos protegens à quibusvis injuriis cœli. Hic* מעון habitaculum *sonat, seu* mansionem, *scil. perpetuam, non diversorium, non tuguriolum, sub quo, ad tempus, sub peregrinatione sua, in deserto agebant Israëlitæ Exod.* XXXIII. 14. *Deut.* XXXIII. 17. *notat etiam* refugium, *scil. adversus injurias cœli. Talis fuisti* לנו, nobis, *scil. Israëlitis, populo tuo: non omnibus, & imprimis vere fidelibus in populo isto. Et quamdiu?* בדר ודר, in generatione & generatione. *Scil. quamdiu exstitit generatio, seu homines in terris. Et hoc est* æternitas *Dei, prout coexistit* tempori.
   2. Erga seipsum, *quoad infinitam, existentiæ suæ durationem, quam describit:*
      A. Comparatè, *juxta tres gradus:*
         1. Antequam montes nascerentur. *Nim. corpora illa* immota, *&* immobilia: *antequam illa* ילדו nascerentur, *scil. æterna tua virtute.*
         2. Antequam terram & orbem formares. *Hic* ארץ, orbem *terrarum notat, seu habitabilis ille sit, seu non, quatenus item* maria *concludit: &* אבל, *restrictius,* orbem *sonat, quatenus habitabilis est, quem Græci* οἰκουμένην *designant. Ista antequam* תחולל, parturires, *seu, quasi parturiendo efformares, seu* creares *Deut.* XXXII. 18. *Job.* XXVI. 13. *Vox* תחולל *capi potest, vel* active *in Pihel, sicut Prov.* XXV. 23. *Deut.* XXII. 18. *ut notet,* antequam peperisses; *vel* passive, *in Puhal Psal.* LI. 7. *Prov.* VIII. 24. 25. *antequam nata esset, tua virtute, terra.*
         3. *Imo* antequam *totus* mundus (*quem non inepte etiam, cum nonnullis possis intelligere per* רבל) *existeret. Id quod invictè demonstrat, quicquid ante mundum exstiterit, id* æternum *esse. Quicquid enim ante tempus exstitit, id in æternitate exstitit.*
      B. Absolutè: à seculo in seculum, tu es Deus, מעולם לעולם, ab æternitate, ad æternitatem usque. *Sic æternitas, omni parte* absolutissima, *in Scripturis designatur, à parte anteriore pariter & posteriore; quando* partialis, *tantum una voce* עולם, *designatur. His igitur verbis, æternitas Dei exhibetur, triplici carentiâ, scil.*
         1. *Initii:* à seculo מעולם.
         2. *Finis:* in seculum לעולם, ut *significetur, existentiam Dei, in* æternitate, *nec* initium *habere, nec finem: esse primum & ultimum; Alpha & Omega.*
         3. *Successionis:* Tu es Deus, *ubi substantivum* es, *quod* אתה אתה, *omnibus fatentibus, ex usu Hebraico involvitur; notat, Deum omnibus temporum differentiis, præterito, scil. præsenti & futuro, per æternitatem, præsentem coexistere. Ut in illo Servatoris Joh.* VIII. 58. *Antequam Abraham esset, Ego* SUM. *Quo etiam spectat illud. Exod.* III. 14. אהיה אשר אהיה.

Pars dogmatica.

III. E quo, jam suâ sponte emergit: *Solum Deum æternum esse.* Id quod, multis modis, docet S. pagina: quando: (1) diserte *affirmat* מלולם עד עולם אתה אל, *ab æterno tu es Deus.* Item Prov. VIII. 25. Gen. XXI. 33. & Psal. LV. 20. ישב קדם, *Sedens quondam*, id est, habitans, in initio Jes. XL. 28. יהוה אלהי עולם *Dominus Deus est æternitatis.* Et Cap. XVII. 15. שכן עד habitans *perpetuo.* Adde Dan. VI. 27. Rom. XVI. 26. (2) Tempus & successionem ei *negat* Job XXXVI. 26. *Numeri annorum ejus, non est investigatio* Jes. XLIII. 10. Psal. XC. 5. 2. Pet. III. 8. (3) *Æternas* proprietates, & operationes ei *tribuit* Psal. CIII. 17. ubi *misericordia* æterna Exod. XV. 18. ubi *regnum* æternum Dan. VI. 27. ubi *potestas* æterna 1. Pet. V. 10. ubi *gloria* æterna, ei tribuitur (4) Metaphoricè describit, tribuendo illi *dies & annos;* sed à nostris toto cœlo diversos Dan. VII. 9. 22. *Antiquus dierum.* Psal. CII. 26. *anni tui non consumuntur* Job. X. 5. Jes. XLIII. 13. Succurrunt Patres Iræn. lib. 2. cap. 64. *Sine initio & sine fine, verè & semper idem, eodem modo se habens, solus est Deus, qui est omnium Dominus.* Et Hilar. *De Trinit. lib. 2. Curre sensu, si quid ei putas ultimum esse, eum semper*

per intendas, ſemper eſt quo intendas. Iterum revolve tempora, eſſe ſemper invenies, & cum calculi numerus, in ſermone defecerit; Deo tamen eſſe non deficit. Intelligentiam commove, & totum mente complectere; nihil tenes, quia totum habet reliquum, reliquum autem hoc, ſemper in toto eſt. Imprimis Auguſtinus, in *Pſal.* CI. ad verba, *in generatione generationum, anni tui: Sed qui* anni tui? *Qui, niſi qui non venient ut tranſeant? Qui, niſi, qui non ideo veniunt, ut non ſint? Omnis enim dies, in hoc tempore, ideo venit, ut non ſit, omnis hora, omnis menſis, omnis annus: nihil horum fiat, antequam veniat,* erit; *cum venerit,* non erit. *Illi ergo anni tui æterni, anni tui, qui non mutantur;* in generatione generationum *erunt..... Non enim aliud anni Dei, & aliud ipſe Deus; ſed anni Dei, æternitas Dei eſt. Æternitas ipſa Dei* ſubſtantia *eſt, quæ nihil habet mutabile.* Ibi *nihil eſt præteritum, quaſi* jam non ſit; *nihil eſt futurum,* quaſi *nondum ſit:* ſed non eſt ibi, *niſi* EST, *& quod erit, nondum eſt: ſed quicquid ibi eſt, non niſi* eſt. Imo & Gentiles: Thales apud Laertium, interrogatus, quid Deus eſſet; reſpondit ὁ μητ' ἀρχὴν ἔχων, μήτε τέλος. Et Plato *in Timæo: Deo nihil præteriti, nihil futuri, abſque blaſphemia tribui poteſt.*

Confirmatur rationibus.

IV. Scripturis applaudit recta ratio. Si enim: 1. Non fuiſſet ab æterno, aliquando non fuiſſet; & ſic impræſens non eſſet: & ſic, pro Religione, haberemus Atheiſmum. Vel enim, ſeipſum produxiſſet, antequam eſſet; adeoque *fuiſſet* & non *fuiſſet* ſimul, qua enim producens, *fuiſſet*: & qua producendus, adhuc, *non fuiſſet*: vel alius ipſum produxiſſet; & ille fuiſſet prior primo: per Deum enim, non intelligimus, quam ens *abſolute* primum, ſeu tale, quod non tantum *præexiſtens* excludit; ſed & *coexiſtens.* 2. Si Deus non fuiſſet ab æterno, tum nihil exiſteret: non enim exiſtente primo, non exiſtit etiam ſecundum, & ſic porro. Quod in ſubordinatione *entium* ſeu cauſarum ſupra demonſtravimus. 3. Si non fuiſſet ab æterno, id quod Deus eſt, non eſſet Deus: quod enim Deus eſt, ens eſt *perfectiſſimum*, h. e. quod omnem habet perfectionem, quæ, aut eſt; aut eſſe & cogitari poteſt; id autem quod deſtituitur exiſtentia, id deſtituitur perfectione illa, quæ eſt inexiſtentia: imo & deſtitueretur eſſentia, quia exiſtentia & eſſentia in Deo, unum notant idemque. 4. Deus, quando à nobis præſupponitur, eſſe omnium rerum ac temporum Creator, præſupponitur quoque, eſſe ante omnes res, ante omnia tempora: & quod eſt ante tempus, id, eadem opera, æternum eſt. Plura non addemus, in re, quæ eſt extra omnem controverſiam.

Deus ſolus eſt æternus.

V. Verum, non modo Deus æternus eſt; ſed *ſolus* etiam: quia textus, æternitatem ad Deum reſtringit: *Tu Domine.... ab æterno in æternum, TU Deus es:* & per æternitatem, paſſim Deum à quibuſvis, diſtinguit Scriptura Pſal. XCII. 9. & CII. 25. 26. 27. 28. Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17. & VI. 16. Solus ipſe dicitur *primus & ultimus*, α & ω Eſ. XLI. 4. & XLIV. 6. Apoc XXI. 6. & XXII. 13. Nec deeſt ratio, Quoniam; 1. A ſubordinatione cauſarum, ſolus Deus, remanet ens *abſolute primum* h. e. tale, quod non tantum præexiſtens; ſed & coexiſtens excludit. 2. Æternitas non eſt, niſi duratio, & duratio, non niſi exiſtentia, & exiſtentia non niſi eſſentia. Proin, ſi eſſentia Dei, non poteſt eſſe communis alii, nec æternitas poterit. 3. Omne à Deo diverſum, creatum eſt, adeoque exiſtendi novitatem implicat. 4. Cæterà, præter Deum daretur immutabile, conſequenter, in quod Deo non competeret poteſtas: ratio eſt, quia æternum abſque principio, ſucceſſionis varietatem excludit, utpote quæ à principio decurrit &c.

Explicatur quid ſibi velit æternitatis vox.

VI. Sonat autem *æternitas*, aliquando, duratio- nem cum principio & fine, ſed longiſſimam, & quæ finem definitum non habeat. Sic Gen. XVII. 13. & XLIX. 26. Levit. XVII. 7. Exod. XXI. 6. aliquando talem, quæ principium habet, ſed fine caret; vel per naturam, qualis, Angelis & animabus noſtris; vel per gratiam aut juſtitiam, qualis corporibus etiam, olim competet poſt hunc mundum: aliquando, quæ principio pariter & fine deſtituitur, διαχριτικῶς periphraſi repræſentata: *à ſeculo in ſeculum*; vel copulatione vocum ſynonymarum עולם ועד Exod. XV. 18. Pſal. IX. 9. & X. 16. Dan. XII. 3. Mich. IV. 5. Appellari, etiam ſolet *ſempiternitas*, æternitas. Hæc varie, à variis deſcribitur. Dici poſſit *negativè*, duratio, initio, fine & ſucceſſione deſtituta. Aliter *duratio Dei infinita*, modo *durationis* voce, non ſignificemus, fluxum alicujus exiſtentiæ, *ſucceſſive*, qualis eſt creaturarum duratio, per annos, menſes, dies.... ſed *abſtracte* & ſimpliciter, quatenus *durare* opponitur, τῷ *ceſſare* ab exiſtendo Boëthio, ſatis accurate dicitur: *interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſſio. De Conſol. Philos.* Lib. V. Proſ. 6. Per *vitam*, hîc non intelligit, niſi ipſam Dei eſſentiam, ut, ab hoc, æternitas, non inepte deſcribi poſſit, ipſa Dei eſſentia, quatenus illa à nobis concipitur, ut terminorum ac ſucceſſionis expers: hæc vita, Boëthio *interminabilis* dicitur, non *interminata* tantum actu; ſed quæ etiam terminari *non poſſit*, vel initio, vel fine; prorſus aliter ac fit in creaturis. Quamvis enim in eis dentur, quorum vita eſt *interminata*: vel ſua natura, ut patet in ſpiritibus, vel indefinente conſervatione divina, quod fiet corporibus noſtris, poſt reſurrectionem: nulla tamem, apud creaturas, datur aut dari poteſt, vita *interminabilis*, cui Deus, per infinitam potentiam, finem non poſſit figere, ſaltem per annihilationem. Addit Boëthius, quod ſit, hujus interminabilis vitæ, *tota ſimul, & perfecta* poſſeſſio: ſignificaturus, in æternitate, exulare penitus, omne prius ac poſterius, omnem minutorum fluxum ac ſucceſſionem, quæ à noſtro

tempore individua est, de hoc plura occurrent in *Elenchticis*.

VII. Hujus æternitatis, quo aliquam saltem habeamus ideam, non incommodum accidet, sibi repræsentare; *spatia* quædam *temporalia*, eisque componere durationem divinam. Sicut enim, divinam immensitatem & *omnipræsentiam*, juxta caput præcedens, concipere non potuimus, absque spatiis q. localibus: ita ejus *æternitatem*, vix ac ne vix quidem, concipere poterimus absque spatiis q. *temporalibus*. Hoc tamen, istis legibus erit faciendum, ut: 1. non concipiamus esse *vera entia*, quemadmodum in spatiis localibus, non voluimus, esse vera *entia*; ita nec in his *temporalibus* id fieri debet, ne plura æterna concipiamus. 2. Ut in *spatiis localibus*, non admisimus, veram extensionem, veras dimensiones longitudinis, latitudinis... ita in his *temporalibus*, nullum momentorum fluxum, & successionem durationis Dei coexistentis, quamvis admitti possit in creaturis coexistentibus.

Quid item res ipsa.

VIII. Hujus natura porro nobis innotescet, si cogitemus, triplicem omnino numerari durationis mensuram: *prima* est, rerum suâ naturâ mutabilium & veterascentium, quæ principio pollet & fine; ac *tempus* dicitur: hujus natura consistit, in continua successione momentorum, ut proprie non existat nisi *unum* simul, cum præcedentia desierint existere, & sequentia nondum existant. In hoc proprie observantur periodi, præteriti, præsentis & futuri. *Secunda*, rerum per *essentiam* incorruptibilium seu immaterialium, quæ principium habet, sed absque fine, & *ævum* appellatur: *Tertia*, quæ simpliciter est immutabilis, adeoque initio, fine & successione caret. Et hæc demum illa est *æternitas*, quam Scholastici definiunt: *interminabilem, indivisibilem, & independentem durationem. Interminabilem*, quà utroque termino extremo caret; *indivisibilem*, quà insuper successione; *independentem* denique, quà omni imperfectione & mutatione. Ut istâ æternitate tria coeant: absentia *principii*, *finis* (quod omnes admittunt) & *successionis*, quam Vorstius negat cum Socinianis; nosque in parte *elenchtica* demonstrabimus ac vindicabimus.

Deus per æternitatem, omnibus temporum differentiis, immutabilis coexistit.

IX. Tandem, per *æternitatem*, Deus omnium temporum differentiis, præterito, præsenti, futuro, immutatus ac immutabilis coexistit. Quod *circuli* hieroglyphico, Veteres utcunque adumbrarunt, cujus centrum, omnibus peripheriæ punctis, in orbem agitatis, immotum coexistit. Atque etiam hoc simili, adumbrari utcunque potest: sicut homini, ad fluminis ripam sedenti, ea tantum aqua conspicitur, quæ præsens est, non autem quæ decessit, aut accedet: dum interim ei elevato in altum, totum flumen, quoad suum fontem pariter & ostium, foret conspicuum ac præsens: ita Deus ejusque oculus, quia per æternitatem est supra tempus, præteritis, præsentibus & futuris, totique rerum fluxui, ita coexistit invariabilis, ut nihil ei, vel effluat, vel affluat: licet ipsa, nec Deo coexistant; nisi quatenus existentia sunt & præsentia, nec sibi invicem. Non enim æternitati coexistunt, quod ea ratione *æterna* fierent, nisi coexistentiam restringas, per τὸ *inadæquate*.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An æternitas, talis sit Dei proprietas, quæ ipsi vere competat ac soli?

X. Quæritur 1. An æternitas, talis sit Dei proprietas, quæ ipsi *vere* competat, ac *soli?* Gentiles, quia Deos humanos fovebant, communi nascendi & moriendi sorti obnoxios, unde circa θεογονίαν, vetustissimi eorum Scriptores Theologi, occupabantur: non possunt æternitatem habere, pro proprietate individua à Deo. Manichæi olim, ut duo sua principia, boni & mali, seu duos Deos, commodius haberent, utrumque æternum fingebant. Ariani, utut Christum pro *vero* Deo recipiebant, & ante hunc mundum exstitisse fatebantur: attamen, ipsum *ab æterno* exstitisse, inficiabantur, nec ferebant, ex eo, quod fuerit *ante mundum*, conficere, ipsum *ab æterno* fuisse. Contra Scripturas, quibus ista duo sunt synonyma, Psal. xc. 2. Eph. 1. 4. Matth. xxv. 34. Joh. xvii. 5... Contra rationem, cui, quod est *extra tempus*, est in æternitate. Peratæ (qui tamen in Catalogis Veterum hæreticorum, vix leguntur) seu Tritheitæ, pro numero trium personarum divinarum, tres numerabant divinas essentias, & cuique suam tribuebant *æternitatem*, adeoque tres æternos statuebant. Cum his examussim, superiore seculo, colludebat Valentinus Gentilis, ob hoc, in Helvetia crematus, tres numerabat essentias, easque æternas, quarum primam Patrem, dicebat essentiam *essentiantem*, reliquas, Filium & Spiritum S. *essentiatas*, seu à Patre creatas. Sociniani, æternitatem Deo, in Scripturis ῥητῶς tribui negant, eoque creditu non esse necessariam affirmant. Porro duos *veros* Deos recipiunt, Patrem & Filium; sed ex his, *Patri* æternitatem tribuunt; Filio negant, adeoque verum Deum habent, qui non fuerit *ab æterno*. Tandem, ne, ex æternitate, Christo asserta in Scripturis, Christiani solide inferrent, Christum esse Deum, Patri ὁμοούσιον: statuunt, æternitatem non esse attributum Deo proprium, quod nil repugnet, creaturam ab æterno exstitisse. Reformati statuunt *æternitatem*, talem esse Dei proprietatem, quæ *vere* Deo competit, & *soli*: eis, tum Scripturis, tum rationibus, quas dudum repræsentavimus, §. §. III. & IV. Nec habent quod objiciant, nisi quod probari à nobis non possit, id quod corruit per producta.

Sententiarum divortia.

XI. Quæ-

2. An æternitatem ingrediatur successio, quemadmodum ingreditur tempus?

XI. Quæritur 2. An *æternitatem* ingrediatur *successio*, quemadmodum ea ingreditur *tempus*? Vorstius ac Sociniani, quo validius prosternant, omnimodam Dei *immutabilitatem*, atque etiam *decretorum* divinorum, pro volubilitate liberi nostri arbitrii *mutabilitatem*, facilius habeant; nominatim in negotio prædestinationis, sententiam suam, toties mutare, quoties creaturæ rationali visum fuerit, cursum & vias suas variare: statuunt, in æternitate, perinde successionem ac fluxum momentorum esse, atque in tempore, adeoque Deum, momentis continuo novis, coexistere, eoque, & eatenus mutari. Reformati ex adverso statuunt, in æternitate, nec esse; nec esse posse, ullam minutorum successionem. Quia 1. Scriptura sic testatur: dum enim, *mille* annos apud Deum, dicit non esse, nisi *unum diem* Psal. xc. 4. Collat. cum. 2. Pet. III. 8. dum Deum *in seculum* permanere, *in generatione, eum permanere, esse eundem, annos ejus non perire* Psal. CII. 12. 13. 25. 27. 28. dum *hodie*, Deum genuisse Filium suum Psal. II. 7. cujus tamen exitus dicitur ab *initio*, *à diebus æternitatis* Mich. v. 2. quid dicit, nisi in æternitate, non esse *præteritum*, aut *futurum*, sed merè *præsens*? Est 2. contra ejusdem *immutabilitatem* Mal. III. 6. Jac. I. 17. quæ durationis fluxum procul dubio excludit. 3. Est contra *essentiam* Dei: cum enim æternitas non sit nisi duratio divina, & duratio, non nisi ejus existentia, & existentia non nisi essentia; fieri nequit, si æternitas successioni sit obnoxia, quin & essentia sit. Hinc Augustin. in Psal. CI. *Æternitas* inquit, *ipsa Dei substantia est, qua nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil futurum, quasi nondum sit; non est ibi nisi* EST, *non ibi fuit aut erit: quia & quod fuit, jam non est, & quod erit, nondum est, & quicquid ibi est, non nisi* est. Quia 4. multis modis, repugnat rectæ rationi. Illa enim tradit: α. In omni successione, esse ordinem prioris & posterioris, & quod ille ordo præsupponat *principium*, à quo fluxus illius ordinis fiat, quod respuit æternitas, utpote principii, perinde ac finis expers. β. In omni successione, sunt partes sibi succedentes, quæ in infinita duratione, non possunt habere locum. Essent enim illæ partes fluentes, vel *finitæ*, sed sic ex finitis, infinitum coalesceret, & effectus, toto genere, nobilior & perfectior esset sua causa, à qua omnem suam perfectionem habet: vel *infinitæ* forent; sed sic, ex *multis* infinitis, fieret *unum* infinitum, quod repugnat. Non addam, quod partem infinitam dicere, sit partem dicere, quæ non sit minor toto, seu, quod idem est, quæ pars non est: item quod numerum partium dicat, cui ne *unitas* quidem possit adjici: porro, quò infinitum detur infinito majus, & consequenter infinitum, quod non est infinitum; infinita enim illa æternitatis duratio, infinita secula implicaret, & ista secula plures annos, & anni plures menses, dies, horas.... Et natura tradit γ. quod in omni duratione successiva, sit aliquod *non-esse*: id enim quod *præteriit*, non est *amplius*, quod *futurum* est, *nondum* est, & quod *præsens* est, jamjam præteribit, & non erit. Item δ. quod duratio, per temporum articulos fluens, nunquam sit infinitum perfecta, adeoque nec existentiæ & perfectionis infinitati in Deo, congrua: cui enim continuo aliquid accedit, quod sit in duratione successiva; id nunquam est perfectum. Tradit porro natura ε. Id quod continuo est actuandum, istud *independens* esse non posse: quantum enim est in rebus, potentiæ, tantum etiam dependentiæ. Sed Solvuntur objectiones quinque. oggerunt 1. *Anni, dies, præteritum, futurum; ante & post, Deo in Scripturis passim asseruntur.* Resp. Non nisi per συγκατάβασιν, propter intellectus nostri infirmitatem, quo nim. commodius, suo modo, sibi Dei æternitatem possit repræsentare: quod proinde ἀνθροποπαθῶς factum; non est nisi θεοπρεπῶς capiendum, nec eis cogitandum, nisi simplicissima & perfectissima ejus duratio. 2. *Coëxistit æternitas successioni, ac temporum vicissitudinibus.* Resp. Sed absque successione, perinde ut rebus mutabilibus, coexistit absque mutatione Mal. III. 6. & rebus imperfectis, absque imperfectione: & spiritus coexistunt corporibus, spiritualiter. 3. *Si temporum differentiis, ac successionibus, citra successionem coëxisteret; & temporum differentiæ, præteritum, præsens & futurum, sibi invicem coexisterent: quæ enim, in uno tertio conveniunt: inter se conveniunt.* Resp. Non sequitur, perinde ut puncto circumferentiæ, licet ipsis coexistat centrum; non tamen coexistunt sibi invicem. Nec temporum differentiæ, æternitati coexistunt nisi inadæquatè, imo propriè, non coexistit ei nisi præsens, quandoquidem præteritum & futurum non existit, æternitas omnibus coëxistat. 4. *Si tempus coexisteret æternitati toti, & consequenter æternum esset ipsum.* Resp. Coexistit quidem toti, sed non *adæquatè* ac *totaliter*, coexistit enim tantum secundum *præsens*; non secundum præteritum & futurum. 5. *Prioris & posterioris ordo, in ipsis Dei operationibus observatur æternis.* Resp. Observatur quidem in *operibus*, non autem in *operatione* aut operante. Quatenus unicâ ac simplicissimâ operatione, Deus ab æterno decrevit, & in tempore producit omnia, successioni obnoxia.

3. An quicquam præter Deum, si non fuerit, fuisse saltem potuerit, ab æterno?

XII. Quæritur 3. An quicquam præter Deum, si non fuerit, fuisse saltem potuerit, ab æterno? Ferunt, Aristotelem (quo jure hîc non determinabo) quod, Scriptura destitutus, non posset pertingere ad primum hominem, adeoque in infinitum pergendum existimaret; statuisse, mundum ab æterno exstitisse. Tritheitas & Valentinum Gentilem,

zit ab æterno?

quod in Deo, non possent distinguere, ab essentia singulari, tres essentias divinas numerabant, in quibus duæ creatæ, nempe Filii & Spiritus S. & his tamen, non minus quam Patri, æternitatem asserebant. Jesuitæ nonnulli; licet agnoscant, nihil *actu fuisse* ab æterno, præter Deum: statuunt tamen, pura puta petulantia *potuisse* aliquid præter Deum, existitisse ab æterno: eoque & se, & nos, privant argumento, pro ὁμοουσίῳ deitate Filii & Spiritus S. quod suppetit ab ejus æternitate. Vorstius & Sociniani, quo validius declinent, vim argumenti nostri, pro *consubstantiali* deitate Filii ac Spiritus S. quod nectimus, ab *æternitate*, utrique horum in Scripturis asserta: non negant, solum Deum, *actu* fuisse ab æterno; affirmant tamen, *potuisse*, præter Deum, aliquid fuisse ab æterno. Ex adverso Reformati, æternitatem perfectam, sic statuunt, esse Deo propriam, ut quicquam præter Deum, nec *fuerit*, nec fuisse *potuerit*, ab æterno: propter Scripturas & rationes, quas jam ante deposuimus §§. III. & IV. Quibus nihil adjiciemus, præter sequentia incommoda: 1. Quod, ex hac hypothesi, existentem v. g. hunc diem, infinitus *dierum* numerus, præcedere debuisset, qui, cum nunquam completus fuisset; nec *hic* dies succedere potuisset. Aut 2. Si completus statuatur, & infinitus dierum numerus, præsentem præcessisse dicatur: tum multo major, præcessisset horarum numerus, & sic infinitum *infinito majus* erit. Imo etiam 3. infinito aliquid *addi* posse, statuendum veniet. Non dicam 4. quod possibilis hujus æternitatis auctores, illi saltem, qui SS. Trinitatem recipiunt, enervent argumentum, pro deitate Filii & Spiritus S. ab *æternitate* petitum. Ex *Scripturis* quicquam, ne conantur quidem Jesuitæ & Sociniani: ex *ratione*, si non unicum; saltem speciosissimum argumentum, hoc est; si Deus ab æterno *potuit* v. g. creare mundum; tum mundus quoque, ab æterno potuit *existere*: sed *potuit* ab æterno creare; Ergo... Sed parùm cohærent termini *propositionis*. Quamvis enim illa *virtus*, quæ in tempore mundum creavit, & à quâ dici potest, ab æterno *potuisse* creare, ei adfuerit; tamen, hinc non statim sequitur, mundum potuisse ab æterno *existere*; quoniam hoc, non ex parte *Dei*; sed ex parte *mundi* implicat, scil. ut ex momentis *finitis*, quibus coexistit mundi tempus, resultet æternitas seu duratio *infinita*: aut, si *infinita* malint momenta, ut ex *pluribus* infinitis, *unum* quoddam emergat infinitum. Sed (ut, Scholasticè, Scholasticis occurram) potuit potentiâ *causæ*, non potuit potentiâ *effectus*.

4. An quod fuit ante mundum

XIV. Quæritur 4. An, quod fuit ante mundum; fuerit ab æterno? Conradus Vorstius, in gratiam Socinianorum, aperte negat, existere ante mundum, idem esse, cum existere ab æterno. Sic in *Epitom. Exegef. Apolog.* §. XIV. Ariani, seu *Homojusiani*, quia agnoscunt Christum exstitisse *ante* hunc mundum, & interim negant, ipsum ab *æterno* existitisse: coguntur negare κρινόμενον. Inter Cartesianos, Cl. Wittichius, *Theol. Pacif.* §. §. CLXXX. & CLXXXI. hîc admodum lubrice loquitur de Angelis, num potuerint existere ante hunc mundum, idque in gratiam hypotesεων Cartesianarum, quibus Angelus non est, nisi *mera cogitatio*, nec cogitatio, ut existat, non requirit ullum spatium, cui coexistat, proinde potuisse existere, cum nullum adhucdum spatium existeret, adeoque ante mundum. In hanc rem, agnoscit, Angelos non extitisse, ante hunc mundum, seu ante primum principium creationis; interim negat, se propter rationes Cl. Maresii, sui antagonistæ statuere, eos non potuisse existere ante mundum: addit, se tamen simpliciter *non negare*, eos non potuisse existere ante mundum: nec tamen ullibi *asserit*, quod non potuerint existere ante hunc mundum, multo minus profert, quibus adductus, asserat, eos non potuisse existere ante mundum. Quia tamen, exserte non profitetur, quod Angeli potuerint esse ante mundum, & tamen non esse ab æterno; ejus sententiam pluribus non exagitabimus. Conferatur tamen *Gangræna* nostra, *Sect.* 2. cap. XXII. Reformati statuunt, quicquid ante mundum fuit, id *ab æterno* fuisse. Sic enim, cum ipsis statuit: 1. Scriptura, cui, esse *ante mundum*, perpetua periphrasis est *æternitatis*, sic in textu nostro Psal. XC. 2. quod dixerat Moses: *antequam montes nati essent; antequam terram & mundum produxisses*, explicat per *æternitatem, ab æterno, in æternum, tu es Deus* ומעולם עד עולם אתה אל Secundus locus in hanc rem, exstat Mich. V. 1. ubi de Messia dicitur, quod *exitus* ejus (scil. *personalis* ille, per æternam generationem à Patre, de qua Psal. II. 7.) fuerit מקדם, *ab antiquo*, hoc est, ante creationem mundi, & quomodo hoc explicat? מימי עולם, *à diebus æternitatis*. Unde קדם, quando de Deo usurpatur, ejus *æternitatem* designat Deut XXXIII. 17. Saltem hoc loco, æternitatem Messiæ significare, patet collatione locorum Prov. VIII. 22. 23. 24. 30. 31. Joh. I. 1. Prodeat tertius locus Joh. XVII. 5. Ubi, *ante jacta mundi fundamenta*, quid sibi vult, aut velle potest, quam *æternitatem*? Item 1. Pet. I. 20. & Eph. I. 4.... Sic item, cum Reformatis statuit 2. *Natura*, seu recta ratio, cui, quod existit ante mundum, existit quoque ante *tempus*, cum tempus concreatum fuerit cum mundo, & quod ante tempus existit; id non potest non in *æternitate*, seu ab æterno existere. Nec habet Vorstius cum Arianis, quod pro contrario causentur, quam quod Deus possit, quod non infert contradictionem, esse autem creaturam *ante mundum*; non infert contradictionem, proinde talem creaturam Deus produ-

fuerit ab æterno? Quid adversarii?

Quid Reformati?

Argumenta.

Objectio.

cere

cere poteſt: ad quod reſpondeo: imo contradictionem infert, eſſe creaturam, & non eſſe *in tempore*: creatura enim, quæ non eſt in tempore; *nunquam* eſt, & quod *nunquam* eſt; *non* eſt, prout quod *nullibi*, aut nuſquam eſt, prorſus *non* eſt.

Pars practica.

Æternitas Dei.

1. Nos excitat ad celebrationem Dei.

XV. Æternitas Dei, *primò* nos excitat, monente textu, ad celebrationem Dei, & ad gratitudinem Pſ. XCIII. 2. & CII. 13. 25. 27. 28. 1. Paral. XVI. 36. 1. Tim. I. 17. Quod (1) *in ſe* Deus æternus ſit, *ſolus* æternus, per *omnes* ſuas *perfectiones* æternus: ſapientiâ, bonitate, juſtitiâ: & quod proinde, non tantum ſit; ſed æternùm talis *futurus* ſit, juxta nomen Exod. III. 14. אהיה אשר אהיה. Quod (2) *Nos* fecerit æternos, noſtro modo, quoad animam Matth. X. 28. & immortales, quoad totum hominem, niſi peccaremus Gen. II. 17. Rom. VI. 23. (3) *Æterna* nos beatitudini deſtinârit I. Pet. I. 4. Idque (4) ab *omni retro* æternitate Eph. I. 4. adeoque *immutabiliter*, quatenus in æternitate non eſt viciſſitudo aut mutatio (5) Fœdere *æterno* 2. Sam. XXIII. 5. Pſ. CXI. 9. Hoſ. II. 18. Omne iſtud *mente* gratâ agnoſcamus, prompto *ore* prædicemus, conſtanti & æterno propoſito imitemur Pſal. CXIX. 106. CIII. 18. & CXXXIX. 24.

2. Monſtrat rerum omnium vanitatem.

XVI. *Secundò*, monſtrat nobis noſtrî, & rerum omnium, à Deo diverſarum, vanitatem & fragilitatem naturalem Pſal. XC. 2.--- 12. Cum quo colludit Apoſtolus Heb. I. 11. ex Pſalmo CII. 26. 27. 28. Adeo ut, licet per mille annos ſubſiterint, reſpectu *æternitatis* tamen, non niſi per *unum* diem, imo per *minus* quam unum diem: cum inter mille annos, & unum diem; aliqua ſaltem ſit proportio, quando inter mille annos, & æternitatem nulla eſt. Imo vel *abſolutè*, citra reſpectum æternitatis, quantumcunque diu duraverint, dum per ſucceſſionem & fluxum durant; non niſi per *momentum* ſubſiſtunt: quoniam quod præteritum eſt, *deſiit* eſſe, & quod futurum, *necdum* cœpit eſſe & quod remanet præſens, non niſi *momentum* eſt. Ut rectè, τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως, appellet Apoſtolus 2. Cor. IV. 17. Unde apparet, quam ſit vanum ac ſtultum, à rebus quibuſvis creatis, divitiis, honoribus, voluptatibus, imo & vitâ ſuâ, quicquam *conſtans* ac immutabile, ſibi polliceri 1. Tim. VI. 17. aut, quaſi diuturna ſint, cor ipſis affigere. Et quam contra, ſit prudenter agere, affectus à fluxis abſtractos; Deo ſoli, per æternitatem, & ſine deſtituto, & ſucceſſione, adeoque ſemper eidem, adſtringere, ut ipſe ſolus, nobis ſit quaſi *habitaculum*: *de generatione in generationem*. Exemplo Patriarcharum Heb. XI. 9. 10. Pſ. XXXIX. 13.

3. Præſtat. 10. latium adverſus mala quævis.

XVII. *tertiò*, ſolidum præſtat animæ ſolatium (1) adverſus peccati terrores, quando, nos vitæ *æternæ* extorres, mortis *æternæ* reos accuſat: tum quid efficacius eriget, quam oggerere? ſed *miſericordia Dei*, *manet in æternum* Pſal. CIII. 17. & CXVII. 2. (2) Adverſus deſertiones ſpirituales, dubitationes, de amore & miſericordiâ Dei Pſ. LXXVII. 8. 9. 10. Quid ſuccurret efficacius? quam cogitare: *momento parvo dereliqui te*; *at in miſerationibus magnis congregabo te*: *in momento iræ*, *abſcondi faciem meam*, *ad momentum ate*; *at in miſericordiâ æterna*, *miſertus ſum tui* Jeſ. LIV. 7. 8. nec non Cap. XL. 27. 28. Quid? quam ſpem collocare in Deo *æterno*, cujus *miſericordia* eſt æterna Pſalm. CXVII. 2. qui *veritatem*, promiſſis datam, *ſervat in æternum* Pſalm. CXLVI. 6. proinde, *ſi montes moveantur*, *ſi colles nutent*; *miſericordia divina à nobis non recedet*, *& fœdus pacis non movebitur* Jeſ. LV. 10. (3) Adverſus calamitates quaſvis, quid efficacius cogitabimus? quam afflictiones *momentaneas* eſſe, atque, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, *διαίνιον βάρος δόξης κατεργάζεσθαι* 2. Cor. IV. 17. Deumque omnibus iſtis præſidere *Regem in æternum* Pſalm. X. 16. Imo (4) Adverſus terrores *mortis*, quid meditabimur dulcius? quam Deum *æternum* eſſe Pſal. CII. 12. 13. Habac. I. 12. ac vitam *æternam* morti ſubſtituturum, imo mortem temporalem, viam nobis præſtituram, ad vitam *æternam* Joh. V. 24.

4. Retrahit à peccatis.

XVIII. *Quartò* efficaciſſimè à peccatis retrahit, cogitare (1) Deum offenſum, juſtiſſimum ac ſeveriſſimum judicem, pariter & vindicem, *æternum* peccatoribus exſtiturum Exod. XX. 5. Eoque etiam (2) & peccatorem offendentem, *æternum* fore Dan. XII. 2. Et (3) ipſam eorum offenſam, culpamque, redemptore deſtitutam, *æternam* quoque futuram Matth. V. 25. 26. Porro (4) & carcerem *æternum* futurum, Gehennam 2. Pet. II. 4. Jud. verſ. 6. In quo (5) ignis futurus ſit *æternus* Matth. XXV. 41. Jud. verſ. 7. *à flatu Domini*, æterni Judicis, ſicut *torrens ſulphuris ſuccendendus* Jeſ. XXX. 27. 28. & XXXIV. 8. 9. 10. & LXVI. 24. cujus etiam *fumus*, *non exſtinguetur*. Ibid. Inſuper (6) pœna *damni*, privatio ſummi & infiniti boni, *æterna* erit. 2. Theſſ. I. 9. Matth. XXV. 41. Item (7) pœna *ſenſus*, ſupplicium *æternum*. Ibid. verſ. 26. *vermis* æternùm rodens Jeſ. LXVI. 24. Idque omne, ob *temporariam*, imo momentaneam, *peccati fruitionem* Heb. XI. 25. Conf. I. Sam. XIV. 43. Hæc omnia nunquid accendant? ut 1. ob peccata noſtra præterita ſeriò doleamus Pſal. LI. 6. 2. eorum remedium quæramus in eo, qui *æternam redemtionem adinvenit* Heb. IX. 12. Et 3. peccatis futuris, *æternum* nuncium mittamus Pſal. LXXX. 19. Conf. Drexel. *De æternit.* Confid. 2. §. 1.

5. Invitat ad muſtu-

XIX. Denique *quintò*, ſuaviſſimè nos invitat Dei *æternitas*, qui *credamus*, *ſtudeamus*, *viva-*

dium beatæ æternitatis.

mus æternitati. Monente Apostolo 2. Cor. IV. 18. μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα; τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, αἰώνια. *Credamus* inquam, & Deum esse *æternum*, attributaque ejus omnia, bonitatem, misericordiam, justitiam: & nos, seu boni simus, seu mali; corpore tenus & animâ, *æternos* fore: & vitam, juxta ac mortem, *æternùm* duraturam. Hæc & similia, si firmiter & ingenue crediderimus, quantos, per omnem vitam, ad pietatem, ad fugam mali, ad studium boni, movebunt affectus! Porro & *studeamus* æternitatem, h. e. indies vel horulæ quadrantem, ejus contemplationi impendamus, ut non modo ejus *naturam*, tot hieroglyphicis ac similitudinibus, tum à Patribus; tum ab ipsis Gentilibus, utcunque adumbratam (indicante Drexelio *De æternitate*) *mente assequamur:* sed etiam ejus *momentum*, seu in salute; seu in exitio, sentiamus in corde 2. Cor. IV. 17. Denique & *vivamus* æternitati, h. e. *cogitemus* æternitâtem, & quæ *æterna* sunt, non momentanea, non ἐπίγεια Phil. III. 19. *loquamur* æternitatem & æterna 1. Thess. IV. 17. 18. *intendamus* æternitatem beatam 2. Cor. IV. 18. (σκοπέντων) *operemur* propter æternitatem Johan. VI. 27. *patiamur.* propter æternitatem 2. Cor. IV. 17. Rom. VIII 18. *oremus* pro æternitate Matth. VI. 13.

CAPUT DUODECIMUM,

DE

VITA ET IMMORTALITATE DEI.

Joh. V. 26

Sicut Pater vitam habet in seipso; ita dedit Filio vitam habere in seipso.

Vitæ Dei contemplatio.

I. Habuimus, in attributis divinis, ea, quæ nobis repræsentant, *quid* sit Deus, seu quæ ingrediuntur ejus descriptionem, per quam est *spiritus à se*: habuimus item ea, quæ repræsentant, *quantus* sit Deus, numero, *unus*; magnitudine *infinitus*; præsentia, *immensus* seu omnipræsens; duratione, æternus. Restat ut transeamus ad ea, quæ repræsentant *qualis* sit Deus, ea nim. per quæ à nobis concipitur *operari.* Et hæc nobis, duum generum occurrent, nim. *Prima*, scil. vita, intellectus.... *orta* è primis, omnisufficientia, majestas & beatitudo. A *primus* ordiemur, & in primis, à *vita*, attributo, hujus ordinis *generalissimo.* Quam nobis explicabit Servator Joh. v. 26.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Textus habet* collationem, *inter vitam* Patris, *& vitam* Filii, *per quam, illius est* communicans; *hujus* communicata. *Unde, pro numero collatorum, duo hîc occurrunt.*

1. Vita Patris, *communicans*: sicut Pater habet vitam, in seipso. *Doctissimus Ligthfoot existimat, in his verbis, esse periphrasin nominis* Jehova, *quo significetur, & habere τὸ* esse *in seipso, & dare* esse *omni creaturæ, ut sensus loci sit: sicut, Pater est* Jehova; *idem nomen dedit Filio. Magis forte acute, quam solide. Hîc tria prostant, distinctius videnda:*

A. Vivens, *Pater:* sicut Pater. *Innuit, sicut in* terrenis, *pater filio communicat* vitam, *eandem* specie; *ita & in* divinis, *Patrem, Filio eandem communicare* numero. *Hoc competit Patri, & quidem* soli. *Quamvis enim, & Filius, & Spiritus S qua Deus sunt, habeant vitam, & quidem* à se, & eandem *cum Patre; non tamen Filius, eandem communicat Patri, nec Spiritus S. Filio, aut Patri.*

B. Vita, *seu essentia, quatenus illa à nobis concipitur, ut* actuosa per se. *De qua in progressu, plura.*

C. Vivificatio, *seu possessio vitæ*, habet. *Non* accepit, *sibi ab alia persona; Filio aut Spiritu S. communicatam, sicut Filius & Spiritus S.* Habet, *non tantum ut* Deus, *prout etiam reliquæ personæ divinæ habent; sed etiam ut* persona prima, *quomodo reliquæ personæ eam non habent, scil.* à se.

D. Vivificans, *seu origo vitæ:* in se. *H. e. vel* in *essentia sua, utpote cum qua, plane coincidit; nisi quod intellectus noster, eam concipiat cum sua actuositate, per quem conceptum, sibi differt,*

differt, essentia à vita: vel à se. *H. e. omnibus modis* independenter. *Non equidem* positive, *acsi sibi eam produxisset, antea sibi non competenti. Sic enim vixisset, simul & non vixisset: sed* negative *tantum, quatenus, nec ab alia quavis* essentia, *id quod omnibus personis divinis est commune; nec ab alia* persona, *quod sibi, velut prima persona, proprium est, ut diximus.*

II. Vita Filii *communicata:* ita dedit filio, vitam habere in seipso. *Hic tria prostant:*

1. Donatio, dedit. *Non sape per* gratiam, *prout creaturis viventibus omnibus, vita per gratiam à Deo donatur; sed per* generationem *æternam, de qua Psal.* II. 7. Dedit *vitam, scil. eandem numero cum sua. Neque enim* filius *esse posset, absque hac* communicatione *essentiæ & vitæ, quicquid in contrarium sentiant, novitii Rationalistæ. Ut hinc etiam, recte* αὐτόθεος *dicatur, scil. quoad* essentiam, *licet non quoad* subsistentiam *seu personalitatem.*
2. Donatus, *filius:* dedit Filio. *Non qui ante hanc donationem, dudum filius* erat: *sed qui,* per *istam* communicationem *essentiæ & vitæ,* filius, *ut ita dicam, fieret. Ut enim per* aseitatem essentialem, *est Deus; ita, per hanc* donationem, *seu communicationem, est* Filius.
3. Donum, vitam. *Non tam eam, quam sua* morte *impetravit, de qua Joh.* X. 11. *quæ suis est* vita spiritualis *Col.* III. 4. *qua ipsi* vivunt, *scil. per* fidem Filii *Dei, qua filius Dei,* vivit in ipsis *Gal.* II. 20. *&* æterna *quoque Joh.* III. 16. *ut* quisque credens in eum habeat vitam æternam. *Nec tamen abnuo, quin & omnimodam* vitam *acceperit, suis, juxta cum quibusvis aliis communicandam Psal.* LXVIII. 19. לקחתה מתנות באדם, accepisti dona in homines, *scil. communicanda. Hinc* factus nobis *dicitur* sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio 1. *Cor.* I. 30. *Hac tamen* vita, *hoc loco, non ita intenditur; sed* vita *quam Pater habet* in seipso, *quam haberet* in seipso, *de qua jamjam.*
4. Donandi *modus,* habere in seipso. *Scil. vel* in seipso, *non in alio, quemadmodum nos fideles, qui vitam nostram habemus in Christo* 1. *Cor.* I. 30. vos estis in Christo, qui factus est nobis justitia.... *vel* à seipso, *velut* Deus, *qui vitam & omnia habet* à se, *licet etiam, quatenus est* persona *divina, vitam habeat sibi communicatam à Patre, ut audivimus.*

THEOREMA PRIMUM.

De Vitâ Dei.

Pars dogmatica.

Deus vivit, atque omnis vitæ, fons est.

III. Ex quibus, omni jure dicimus, non tantum *Deum vivere; sed* & ἐξόχως, *atque etiam omnis vitæ fontem esse. Quippe* qui vitam communicat, non tantum per generationem, Filio; sed etiam per gratiam, quibusvis viventibus. Quamobrem *Deus vivens* passim audit in S. paginâ Deut. v. 26. 9. & cap. XXXII. 40. Jes. XXXVII. 17. Dan. IV. 31. Jos. III. 10. Psal. XLII. 3. & LXXXIV. 3. Jer. II. 13. & v. 2. Matth. XVI. 16. Act. XIV. 15. Imo & *vita* 1. Joh. v. 20. Col. III. 4. Et *fons vitæ* Psal. XXXVI. 10. Jer. II. 13. utpote *in quo vivimus, movemur & sumus* Act. XVII. 28. Quamobrem, *vitâ* seipsum distinguit, ab idolis Jer. X. 10. Act. XIV. 14. 15. Unde Græci Ζῶνα appellant, quod, per excellentiam, sit *vivens*, sicut ab εἶναι, ὄν dicitur. Atque hinc etiam, *per vitam* suam, Deus passim jurare consuevit Zephan. II. 9. Jer. XLVI. 18. Jes. XLIX. 18. Deut. XXXII. 40. ac decies quater, in Ezechiele: & sancti, exemplo Dei Jer. v. 2. & XII. 16.

Vita singulis personis singulatim.

IV. Nec Deo tantum tribuitur ἀτομικῶς; sed ὑποστατικῶς singulis singulatim Personis: *Patri* Joh. v. 26. *Filio* Ibid. & Joh. XIX. 25. Joh. XIV. 19. & quidem *per Patrem* Joh. VI. 57. Sic ut *Princeps vitæ* appelletur Act. III. 15. Utpote *in quo vita est* Joh. I. 4. & qui etiam *vita nostra* est Col. III. 4. & vitâ gaudet *indissolubili*, seu æternâ Heb. VII. 16. per quam *vivat, in secula seculorum* Apoc. I. 18. Et Spiritui S. Rom. VIII. 3. 2. Cor. III. 3. Personis divinis tribuitur. culiatiter per-

V. Non potest autem vita, non competere Deo 1. Quia, citra dubium, est *perfectio* quædam, nihil involvens imperfectionis, unde perfectius id omne censetur, quod vivit, quam quod non. 2. Quia per essentiam suam est *actuosissimus:* intelligit, vult, operatur, decernit, idque omne, prorsus *à se.* 3. Quia viventibus omnibus, suæ vitæ *fons* est, ac scaturigo Psal. XXXVI. 10. Quin 4. nisi viveret, omnia ejus attributa reliqua, imo & ipse, frustra foret, nec proinde differret ab idolo; quatenus omnia reliqua, per vitam sunt actuosa. Demonstratur vitam Deo competere.

Quid & quotuplex vita?

VI. Porro *vivere* illa dicuntur, quæ agunt à se, non acta aliunde, idque, vel ratione causarum *secundarum* tantum, quo modo creaturis *vita* competit; vel ratione *omnis* causæ præmoventis, & sic Deus vivit. In creaturis, saltem materialibus v. g. hominibus, omnis *vita*, est ab aliqua compositione, vita *naturalis*, à conjunctione animæ cum corpore, qua sublata, cessat omnis facultas operandi *naturaliter*: vita *spiritualis*, à conjunctione,

ne, juſtitiæ originalis cum anima, quâ ceſſante, non poteſt quicquam operari *ſpiritualiter*: & *æterna*, à perfecta unione cum Deo, velut ſummo bono, qua abſente, non poteſt, *frui* Deo, exſultare in Deo. Porro in creaturis, vita quadruplex numeratur: vel *vegetativâ*, quæ ſpectat ad acquirendum & conſervandum, plenum robur naturæ, & ad propagandam ſpeciem: *ſenſitivâ*, quâ proficuum à noxio diſcernunt viventia, ut alterum eligant, alterum rejiciant. Utraque hæc vita, multum involvit imperfectionis, ut non poſſit competere Deo: *rationalis*, quâ vivens, προαιρέσει ſeipſum determinat ad agendum, qualis Angelis & animabus rationalibus competit: & *mixta*, vel ex duplici tantum priore, quæ in animalibus conſpicua; vel ex triplici, quæ in *hominibus* exiſtit.

Qualis vita Deo competat?

VII. Proinde in Deum, utpote ens perfectiſſimum, non poteſt quadrare, niſi perfectiſſima vitæ ſpecies, ſcil. *rationalis*, quâ ejus intellectus & voluntas, cogitantur actuoſa. Nec eſt reipsâ, niſi ejus *eſſentia*, quatenus intelligit, vult, operatur: tum ad *intra*, tum ad extra ſe; ſeu, eſt eſſentia Dei, quatenus illa concipitur a nobis, ut actuoſa à ſe *ſimpliciter*.

Ut vita Dei & creaturarum differat?

VIII. Et quamvis, Deo & creaturis rationalibus, vita ſit communis, non *ſolo nomine* tenus; ita enim per creaturarum vitam, in Creatoris, deduci nullo modo poſſemus: non tamen etiam, ita eſt *reipsâ*, ut non toto cœlo, quippe ut finitum ab infinito, diſtet: Singulatim in his potiſſimum capitibus: Dum 1. Creaturæ tantum *viventes* ſunt; Deus ipſa eſt *vita* 1. Joh. v. 18. ſeu, quod idem eſt, dum creaturæ, vitam habent ab eſſentiâ ſuâ diverſam, & quæ ejus quædam eſt facultas; Deus vitâ gaudet, quæ cum eſſentiâ ſua planè coincidit. 2. Creaturæ vitam *precariò* geſtant, ſibi à Deo, qui *fons eſt vitæ*, communicatam Pſal. xxxvi. 10. Act. xvii. 28. Deus vitam habet in *ſeipſo*. Proinde, dum 3. Creaturæ, vitam poſſident q. *alienam*; Deus ſuam. 4. Creaturarum vita *finita* eſt, vel utrinquè, & à capite & à calce; vel à capite ſaltem: adeoque, vitam aliquando non habuerunt, & non habebunt: Deus vitâ gaudet *infinitâ*, immortali & æternâ, quam proinde *habere*, ſemper in præſenti dicitur. 5. Creaturarum vita, in motu, *ſucceſſione* & fluxu continuo præterlabitur; Deo competit *interminabilis vita*, *tota ſimul & perfecta poſſeſſio*.

Ut conveniat cum vitâ Creaturarum, & differat à Dei cogitatione.

IX. E quo perſpicuum eſt, ut differat, non modo vita Dei, à vita creaturarum; ſed etiam vita Dei, à ſuâ cogitatione, intellectu & voluntate. Scil. 1. Vita in idea, non eſt niſi vis actuoſa, ſeu, ut barbarè dicam, *actuativa*, & hactenus, ſuo modo, vita Deo & creaturis viventibus, eſt communis. Aſt 2. Cum vis iſta actuativa, objectum requirat actuandum, facultatem ſcil. vel *vegetativam*, à quâ vita vegetativa audit; vel *ſenſitivam*, à quâ ſenſitiva; vel *rationalem*, unde rationalis vita dicitur: manet, quamvis cogitatio, intellectus & voluntas, à parte Dei, unum plane ſint idemque; in ſenſu, ut loquuntur, *identico*; attamen ratione noſtri, ſeu in ſenſu *formali*, concipiuntur diſtare, ut actuans & actuandum, quatenus concipimus, per vitam, Deum actu cogitare, intelligere, velle. Sed 3. cum, pro ratione facultatis, per vitam actuandæ, quo ſcil. illa nobilior eſt aut ignobilior; vita quoque, ſeu vis actuans, requiratur nobilior aut ignobilior; quâ ratione vita ſenſitiva, nobilior audit, quam vegetativa, & rationalis utraque priore: relinquitur, cum facultas cogitandi, intelligendi, volendi, infinitis modis, differant in Deo & creaturis; infinitam quoque diſtantiam eſſe, inter vitam Dei & creaturarum. Proinde communem eſſe, nec *æquivocè* ut loquuntur, nec *univocè*; ſed *analogicè*.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An Deus ſit, aut pro Deo haberi debeat, quicquam, quod non vivit vitam rationalem?

X. Vita Dei, hoſtium telis, non ita eſt expoſita. Quæritur tamen 1. An *Deus* ſit, aut pro Deo haberi debeat, quicquam, quod non vivit vitam rationalem? Ex Gentilibus ſapientiores quidem v. g. Socrates, Plato, Tullius.... quotieſcunque ſerio loquebantur (quod plerumque in converſatione, non faciebant) unum tantum Deum, eumque *rationaliter viventem*, admittebant pro Deo, quem Ζῆνα *viventem*, ſcil. ἐξόχως, indigatabant: vulgus autem, & quotquot cum vulgo ſapiebant Philoſophi, Deos habebant, nec *viventes*, nec *rationaliter* viventes. Primi idololatræ, Orientales, Deos habebant ἀζώους καὶ ἀλόγους, aſtra: Solem, Lunam.... quæ variis nominibus, variæ regiones deſignabant, v. g. Bel, Moloch.... habeant Deos lapideos, ligneos, aureos.... in ſuis ſtatuis, imaginibus: habebant Deos, ſola vita *vegetativa* beatos, arbores, v. g. allium, cæpe: habebant etiam, nonnihil nobiliores, vitam *ſenſitivam* geſtantes, Apin.... habebant nobiliſſimos, qui *vita*, etiam *rationali*, ad tempus breve fuerunt prædiți, homines ſcil. ſeu beneficentia, ſeu feritate illuſtres. Tales fuere Dei Occidentalium & Græcorum. Iſti omnes affirmare coguntur, eſſe poſſe Deum, quod non *vivit rationaliter*. Hos falſe ridet *Deus vivens* Jer. x. 3. Jeſ. xli. 23. & cap. xliv. 6.... 21. & cap. xlvi. 5. 6. 7. Pſal. cxv. 5. 6. atque ipſi etiam Gentiles, paulò prudentiores, v. g. Juvenalis *Satyr.* xv.

Sententiarum divortia.

Porrum & cæpe, nefas violare ac frangere morſu,
O! Sanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis,
Numina.....

Refor-

Sententia Reformatorum.

Reformati, quamvis *Magiſtratus*, propter qualemcunque poteſtatis divinæ, communicationem, Deos ſubinde appellari, non abnuant, v. g. Pſal. LXXXII. 1. 6. nullum tamen, pro vero & proprie dicto Deo admittunt, qui non *vivat rationaliter*. Rationes eorum depoſuimus §. v. Argumentis & rationibus, cauſam iſtam, Deorum ἀζώων, agere non poſſunt, rudiores iſti Gentiles.

2. An qui, creaturas vita deſtitutas cultu religioſo venerantur; non habeant, Deos non viventes?

XI. Quæritur 2. An qui ἄζωα, cultu religioſo venerantur, non habeant, ſaltem *interpretative*, Deos ἀζώους? Gentiles quidem, quos jamjam habuimus, agnoſcunt & profitentur, ἄζωα illa, quæ religioſe venerantur, eſſe Deos. Pontificii varia habent ἄζωα, quæ cultu religioſo, & variis gradibus, proſequuntur. Habent ſuas *imagines*, ac ſtatuas; Dei, S. S. Trinitatis, B. Virginis, ſanctorum demortuorum: habent ſuas *reliquias*, particulas ſcil. *corporis*, Chriſti, Deiparæ Virginis, ſanctorum demortuorum, aut indumentorum aliorumve, quæ, modo quocunque, corpus Chriſti tetigerunt, omnia ἄζωα: habent comprimis, Deum ſuum *panaceum* in Miſſa, ἄζωον. Et *imagines* quidem, docent, eadem religioſi cultus ſpecie eſſe venerandas, quibus πρωτότυπα venerantur, atque ita etiam *reliquias*: Sic imaginem *Dei*, Chriſti, Trinitatis; eodem λατρείας cultu proſequuntur, quo Deum & Trinitatem ipſam: ſic ſanctorum mortuorum imagines, eorumque reliquias; eodem δουλείας cultu venerantur, quo ipſos illos ſanctos; *hoſtiam*, quam appellant, quæ ſibi eſt, ipſe Chriſtus θεάνθρωπος, ex pane transformatus, eadem λατρείᾳ, qua Chriſtum in cœlis. De iſtis jam quæritur, cum omnia vita ſint deſtituta, nunquid habeant, ſaltem *interpretative*, Deos vita deſtitutos? Hoc Romanenſes negant: Reformati affirmant, his fere & ſimilibus rationibus: 1. Quia Scriptura, de omni idololatria, ſeu perverſo cultu religioſo, pronunciat, quod faciat Deos alinos Exod. XX. 3. 4. 5. conſequenter, qui ſe *incurvat* coram ἀζώοις, qui ἄζωα *colit*; ille ἄζωα *Deos* facit. 2. Cultus *religioſus*, qualem præſtat adoratio, innititur ſoli ὑπεροχῇ deitatis Jeſ. XLII. 8. *Ego Jehova.... gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.* Hîc *gloria Dei*, & *laus* ejus, ſuperſtruitur *deitati*, qua *Jehova* eſt, &, per conſequens, qui *gloriam Dei*, & *laudem* ejus, (quæ, procul dubio, eſt in cultu religioſo) ad ἄζωα refert; ille ἄζωα habet pro Deis. Quia 3. Servator Matth. IV. 10. cultum religioſum adorationis, ſoli Deo adſtringit, & per conſequens, qui eundem extendit ad ea, quæ vita carent, ille ἄζωα, pro Deis habet. Tandem 4. Quia omnis cultus diſpeſcitur in *civilem* & *religioſum*, ſic, ut *religioſus*, feratur in objectum, ſub ratione Dei: & ſic, cultus *religioſus*, ſi feratur in ἄζωα, fertur ut in Deos. Nec habent Romanenſes, pro effugiis, niſi hæc duo: (1) cauſantur, non omnem cultum religioſum, ferri ut in Deum, non δουλείαν, nec ὑπερδουλείαν: ſed ſolum λατρείαν: Reſp. 1. Vanitatem iſtius diſtinctionis; operoſe demonſtrare, non eſt hujus loci. Sed 2. data illa, non conceſſa; ipſa illa λατρείᾳ, à Pontificiis exenditur ad ἄζωα, ad imagines Dei, Trinitatis, Chriſti, & ad panem in Euchariſtia. (2) Quod cultus iſte ſuus religioſus, non terminetur in imaginibus; ſed tranſeat & ſubſiſtat, in earum prototypis, & ſic, non tam ἄζωα iſta adorantur; quam quidem Deus, eis ſignificatus. Reſp. 1. Idem etiam cauſari potuerunt Gentiles, in adoratione ſuarum imaginum, perſuaſi, *Deos* ſuos *in cœlis habitare, non inter homines* Dan. II. 11. Tum 2. honos ille, tranſiens per *repræſentamen*, in *repræſentatum*, *repræſentamen* illud, ſaltem attingat, licet in eo non ſubſiſtat.

Reformatorum ſententia, cum ſuis rationibus.

Effugia

Pontificiorum.

3. An vita Dei, non differat ab ejus intellectu & voluntate?

XII. Quæritur 3. An vita Dei, non differat, ab ejus intellectu & voluntate? Vorſtius & Sociniani, quo commodius, Deum habeant compoſitum & finitum, qui non exiſtat niſi in cœlis, qui proinde, non potuerit uniri cum Chriſto, in terris tantum exiſtente, & quo tandem Chriſtum habeant, & voſeu potius in Chriſto, Deum talem, qui non ſit niſi ψιλὸς ἄνθρωπος: ſtatuunt, quod vita, intellectus & voluntas, *in ipſo* Deo differant, velut totidem res diverſæ. Ex adverſo Carteſiani, eo quod ſibi Deus non ſit niſi *mera cogitatio*, in qua non ſint niſi intellectus & voluntas, totidem ſcil. Dei attributa; concludunt, vitam divinam, non differre ab intellectu & voluntate. Reformati medium ſectantur: non admittunt, *in Deo* vitam; intellectum & voluntatem, differre velut totidem *res*: admittunt, Deum ſic unicum, puriſſimum ac ſimpliciſſimum actum eſſe, ut vita, intellectus & voluntas, ſint, ex parte quidem *Dei*, unum prorſus idemque, unam eandemque eſſentiam, ſimpliciſſimam: verum ex parte *mentis* noſtræ, differre vitam, intellectum & voluntatem, dum enim vitam Dei cogitamus; non intellectum, non voluntatem; nec vice verſa: & cogitatio iſta diſtinguens, diſtinguendi *rationem* habet in rebus diſtinguendis: concipit enim intellectum & voluntatem, velut *facultates* in Deo; & vitam, veluti *vim* illam *actuativam*, qua facultates illæ ſunt in actu, prout §. IX. breviter repræſentavimus, & uberius in *Gangræna* noſtra, Sect. 2. cap. VIII. §. 2. Rationes noſtræ ſunt: 1. In his quæ jamjam diximus. 2. Quod Scriptura conſtanter diſtinguat, inter vitam, intellectum & voluntatem, quatenus in juramentis Dei; vel quaſi talibus, Deus dicit: *vivo ego* Jeſ. XLIX. 18. Jeſ. XXII. 24. Ezech. VI. 11. Hoſ. IV. 15..... non dicit: *intelligo ego*, volo ego, cogito ego, id quod fieret, ſi vita, intellectus & voluntas Dei, unum ſonarent idemque. 3. Si vita, intellectus & voluntas, ſeu cogitatio, ita idem ſint, ut vivere Dei, non ſit niſi *cogitare*, tum alterutrum horum veniet admittendum:

Pontificiorum ſententia exponitur.

Partium ſententiæ.

Reformatorum ſententia.

Eorundem rationes.

vel, quod actus ille, quo Deus seipso fruitur, ad beatitatem infinitam; item quo omnia potest & operatur; nec non, quo Pater generat filium, &, cum filio, spirando mittit Spiritum S. non pertineant ad *vitam* Dei: *vel*, si pertineant; omnes illos actus, non aliud esse quam *cogitare*. Utrum horum absurdius sit, ego quidem nescio. Saltem 4. Nihil obstat omnino, quo minus, vita distet ab intellectu & voluntate, seu cogitatione; quemadmodum, ex hypothesibus Cartesianis, in *cogitatione*, differunt intellectus & voluntas. Fundamentum sententiæ Cartesianæ, in his est duobus:

Objectiones. 1. Quod Deus non sit nisi *cogitatio*. Resp. α. Hoc nos jam ante, adductis demonstrationibus, non semel disjecimus, imprimis, hujus *lib.* cap III. §. IX. β. Sicut in *cogitatione*, Cartesiani distinguunt intellectum & voluntatem, adeo ut ex duobus his, duo tantum admittant Dei attributa divina, proprie dicta; ita & nobis, quamobrem non liceat distinguere inter vitam & intellectum ac voluntatem in Deo? 2. Quod Deus sit unicus, simplicissimus ac purissimus *actus*, &, per hoc, vita non possit differre, ab intellectu & voluntate. Resp. (1) Per hoc nihilominus, per ipsos Cartesianos, distinguitur in una simplicissima *cogitatione* divina, inter intellectum & voluntatem, & quidem velut *duo* diversa attributa. (2) Eo non obstante, Cartesiani ipsi distinguent, inter v. g. essentiam divinam & reprobationem, licet hæc duo, à parte Dei, unum sint & idem. Dicendum igitur (3) quod vita & intellectus ac voluntas, unum quidem sint in sensu *identico*, (ut barbare quidem; sed significanter loquuntur Scholastici) quatenus omnia quæ sunt in Deo, sint ipse Deus, & essentia Dei: non autem in sensu *formali*, quo, aliam perfectionem divinam concipio, *vitam* cogitando; aliam, intellectum & voluntatem ejus apprehendendo. Sin minus, eadem soliditate dixeris, *vitam* Dei, idem esse cum ejus justitia, decreto, creatione, providentia, reprobatione..... cum cuncta illa, unum notent in Deo, idemque.

1. An vita Dei, vix alio, cum vitis creaturarum conveniat, quam solo nomine? Explicantur sententiæ partium.

XIII. Quæritur 4. An vita Dei, vix alio, cum vitis creaturarum, plantarum, animalium, hominis & Angelorum conveniat, quam solo *nomine*? Cartesiani, quod statuant, vitam Dei, idem prorsus esse, cum ejus intellectu & voluntate, seu cum ejus *cogitatione*, quæ cum ipsa ejus essentia, quæ non est, nisi unicus & simplicissimus *cogitandi* actus: existimant non esse, in quo conveniant, quam in *solo nomine*. Reformati triplicem rerum convenientiam numerant: *univocam*, qua res, nomine significata, utrobique, vere & proprie convenit: qualem, inter vitam Dei & creaturarum, nequaquam agnoscunt, quod vita Dei sit *infinita*; dum creaturarum omnium, est finita, & infinitum à finito, infinitùm distet, ac proinde, in nullo conveniat eodem modo, tum *æquivocam*, quando res cum re convenit, quoad solum *nomen*: tandem *analogica*, quando res nomine significata, per prius, seu principaliter, & suo modo proprie, uni tantum; sed per analogiam qualemcunque, aliis etiam est communis. Sic animal esse, commune est *univoce*, seu ex æquo, homini & bruto; cancrum dici, commune est *æquivoce*, animali amphibio, syderi cœlesti, morbo muliebri: sanitas, animali, aëri, cibo, medicamento competit *analogice*; ita ut ejus significatum, principaliter, &, suo modo, soli animali, reliquis, non nisi in ordine ad animal, quatenus faciunt, ad animali sanitatem suam alendam, conservandam, restituendam. Etiam Reformati, multiplex discrimen agnoscunt, inter vitam Dei & creaturarum, v. g. quod *vis* actuandi facultates, in qua vita consistit, unum prorsus est idemque cum facultatibus actuandis, in Deo: ea in creaturis realiter differunt: quod facultates actuandæ, intellectus & voluntas, in Deo unum sint idemque; dum in creaturis differunt: quod in creaturis viventibus, facultates in potentia constitutæ, per vitam revera actuentur; quando in Deo, facultates nunquam sunt in *potentia*, sed semper in *actu*, per *vitam* suam: quod per vitam, creaturæ quidem, agant *à se*, respectu causarum secundarum tantum; quando Deus, per vitam suam, agit à se simpliciter. Porro, vita Reformatis non est, nisi vis illa, per quam vivens operatur à se: seu per quam, viventis facultates actuantur, qua absente, mortuum est. Hæc, quando facultatem crescendi actuat, *vegetativa*; quando locomotivas ac sentivas, *sensitiva* designatur; quando rationales, intellectum & voluntatem, rationalis designatur. Hinc porro tria ipsis fiunt; 1. *vim* actuandi, quæ *vita* indigitatur, & facultates actuandas, ut diversa concipi. 2. esse tamen vim actuandi, in idea, omnibus viventibus communem. Sed 3. quo perfectiores nobiliores que, sunt facultates actuandæ, eo quoque nobiliorem requiri perfectioremque *vim* actuativam, quod semper proportio requiratur, inter opus *producendum* & vim *producturam*: hinc vita sensitiva perfectior est vegetativa, & rationalis, utraque, & Dei, perfectissima, quin infinitum perfecta. His positis, velut per se claris; facile perspicitur: 1. Quod & quomodo, in Deo concipiantur, differre vita, intellectus & voluntas: nim. quod vita intelligatur *substerni*, & his, & quibusvis operationibus divinis, quæ omnia, licet à parte Dei, seu in sensu, ut loquuntur, *identico*, unus sint simplicissimus ac purissimus actus: in sensu tamen *formali*, ex parte nostri, diversa sunt, quod aliud cogitemus, dum vitam concipimus; aliud, dum intellectum & voluntatem. 2. Cum intellectus & voluntas Dei, facultates à vita *quasi actuanda*, sint infinitæ perfectionis, adeoque infinitum distent, ab omnibus omnium viventium facul-

facultatibus; vitam quoque Dei, infinitæ perfectionis esse: interim tamen, quoad *actuationem simpliciter*, cum omnibus viventibus convenire, non quidem univoce, nec æquivoce, sed analogice. Quibus tandem 3. & hoc addendum, quod, cum vivere sit operari *à se*, non motum ab alio; creaturis *vivere*, non possit competere, nisi *secundum quid* & dependenter *tantum*, quatenus operantur à se, non motæ ab aliis tantum *causis secundis*: Deo autem soli, κατ' ἐξοχήν, quod *à se* operetur, *simpliciter* & independenter. Hæc solito fusius hîc prælibanda fuerunt, quod plurimum conferant, non modo, ad quæstionis determinationem, sed & ad vitam divinam, distinctius intelligendam. Negant ergo Reformati communiter, vitam Dei & creaturarum, non convenire, nisi solo, fere *nomine*. Quia: 1. hac ratione, per vitam creaturarum, nullo modo possemus deduci in cognitionem vitæ divinæ. Adeoque 2. vita Dei, nobis non foret, nisi otiosa vox, quæ in praxi, nihil omnino nobis possit prodesse. 3. convenientia talis, inter vitam Dei & vitam creaturarum, est admittenda; qualis est, inter intellectum Dei & creaturarum. 4. *vis actuandi*, suo modo, in Deo & creaturis communis observatur, ut dictum. Et sicut tandem 5. per ipsos Cartesianos, *cogitatio*, in qua consistit, ex eorum hypothesi, ipsa essentia, quin & *vita*, sit communis, Deo & spiritibus creatis; secundum illud Cl. Wittichii: *mens omnis, sive Angelica, sive divina; est cogitatio* Theol. Pacif. §. CXXII. Nec jam video, quid in contrarium causari possint. Si enim dicant: 1. Deum esse meram cogitationem: nihilominus, illa communis est, Deo & spiritibus creatis: & quidni etiam vita? cum præsertim vita spirituum omnium, consistat in cogitatione, saltem secundum ipsos. Præterquam, quod alibi, solidis rationibus demonstraverimus, Deum, aut quemvis alium spiritum, non consistere in sola cogitatione. Si dicant 2. Deum esse simplicissimum actum; hoc tamen non obstat, quominus vita suo modo, sit ei communis, perinde ut cogitatio, intellectus & voluntas. Nec 3. dicere possunt, quod Deus sit spiritus *infinitus*: hoc tamen eis non obstat, quominus cogitatio sit ei communis, adeoque & vita. Præterquam quod ipsis *infinitas* Dei, non consistat nisi in hoc, quod omnia unico actu cogitet, quod ad vitam, nihil confert omnino.

Rationes Reformatorum.

Objectiones.

Pars practica.

A vita Dei nobis suppetit: 1. Argumentum glorificationis.

XIV. In praxi, suppetit nobis *à vitâ* Dei, *primò* argumentum gloriæ & *glorificationis* divinæ Apoc. IV. 9. 1. Tim. I. 17. & VI. 16. Quod non tantum 1. *vitam habeat*, quæ prima est & *primaria*, quin universalis, hominis perfectio Job. II. 4. quod, ejus ope, omnes ejus facultates, omnis perfectio actuetur, adeo ut, citra vitam, omnis ejus perfectio nulla sit. Conf. Eccl. IX. 4. imo abominationi insuper: prorsus ita, & vita Dei, omnes reliquas ejus perfectiones actuat, ut nullæ sint omnes, absque vitâ: Sed. 2. ipsa etiam *sit vita*, 1. Joh. V. 20. adeoque non nisi *summa* ista perfectio. Imo 3. & *talis vita*; scil independens, infinita, æterna, immutabilis &c. Adde 4. & omnibus omnis vitæ *fons* ac scaturigo Psal. XXXVI. 10. ut nihil habeat vitam, quin ab *ejus* vitâ habeat. Atque hæ sunt rationes, ob quas ipse Deus, toties de suâ vitâ q. *gloriatur*, quoties: 1. per vitam suam *jurat* Jer. XLVI. 18. quoties 2. seipsum vitâ sua *distinguit*, atque omnes Deastros, ut vitâ cassos, provocat Psal. CXV. 3–8. Nec ipse tantum; sed & 3. sancti quoque homines Psal. XLII. 3. usque ad ipsos cœlites Apoc. IV. 9.

2. Argumentum gratitudinis.

XV. Eadem operâ *secundò*, argumentum inde suppetit *gratitudinis*, quatenus, ut *fons* vitæ, nobis omnis vitæ *scaturigo* exiitit. Vitæ *naturalis* Act. XVII. 28. Psal. CIII. 4. vitæ *spiritualis* Eph. II. 4. 5. 6. & futurus est vitæ *æternæ* Joh. III. 16. adeo, ut hujus causa, Filium unigenitum, morti dederit, Ibid. Istud omne, nos per gratitudinem format, ut: (1) agnoscamus *mente* Ps. CIII. 1. 4. (2) celebremus *ore* Ps. CXVI. 8. 12. (3) referamus *opere*, omnem vitam nostram, ei à quo accepimus, referendo, ejusque glorificationi, promtè impendendo: nominatim (a) vitam *naturalem* Phil. I. 20. 21. (b) *spiritualem* Rom. VI. 11. Gal. II. 19. 20. (c) *æternam*. Jes. VI. 3.

3. Argumentum reprehensionis.

XVI. Suppetit *tertiò* argumentum *reprehensionis*, eorum omnium, qui: 1. non tam *voce*, quam *facto*, cum Deo agunt, ac si ἄξιον haberent & ἀναίσθητον, qui nec videat, nec audiat, nec observet nec intelligat, nec remuneret, aut vindicet quævis eorum, quæ in terris aguntur Ps. XCIV 6. 7. 8. & X. 4. 11. Qui 2. adeo Deum non diligunt, non quærunt, non metuunt, non reverentur, non invocant, non colunt, ac si ut ἄζωος, nec boni nec mali quicquam, præstare posset Thren. III. 38. Zeph. I. 12. Qui 3. in angustiis quibusvis constituti, adeo despondent animum, ac si Deum in cœlis non crederent qui *viveret*, qui videret & intelligeret suam fortunam, qui possit suppetias ferre. Contra praxin Jobi Cap. XIX. 25. Isti omnes, nunquid, diverso modo, ad Gentilium dementiam transeunt, parte *elenchticâ* notatam, &, multo etiam pejus, è vero Deo, *idolum* sibi faciunt? Et quid hinc sibi pollicebuntur, nisi ut Deus *vivens*, suâ vindictâ, se vivum ipsis demonstret? Juxta πολυθρύλλητον Ezechielis: *& experientur me Jehovam esse* Ezech. XXV. 14. & XXXV. 9.

4. Argumentum consolationis.

XVII. Suppetit *quartò*, fundamentum solatii, in quibusvis difficultatibus, omnis *vitæ* nostræ, persuasum esse, Deum *Redemptorem* nostrum *vivere* Job. XIX. 25. ipsumque esse *robur*, omnis *vitæ* nostræ Psal. XXVII. 1. Nominatim in difficultatibus:

3. *vitæ naturalis.* Si (a) *morbus*, *vitæ* finem minitetur Pſal. VI. 3. 5. Joh. XIX. 25. Si (b) *paupertas* vitæ media ſubtrahat, ut dicamus: *unde panes ſuppetent* Joh. VI. 5. Matth. VI. 25. Si (c) *hoſtis* vitæ inſidias ſtruat, animam quærat Pſal. VII. 3. 6. & XXXV. 4. & XXXVIII. 13. cum Pſal. XLII. 3. Si (d) *metus* mortis angat Heb. II. 15. & (e) *horror putrefactionis* Pſal. XVI. 10. Iſtis & ſimilibus caſibus, quid efficacius juvabit, quam cogitare? Deum noſtrum interim *vivere*, & Redemptorem noſtrum; imo *vitam ipſam* eſſe, & fontem vitæ, &, ut vitam dedit; ita & conſervare poſſe, quovis obnitente, imo & *reſtituere* poſſe amiſſam, Jeſum noſtrum, *reſurrectionem* eſſe ac *vitam* Joh. XI. 25. & *factum in Spiritum vivificum* 1. Cor. XV. 45. Spiritum S. eſſe *Spiritum vitæ* Rom. VIII. 3. &, ſi in *nobis ſit*, *vivificaturum quoque mortalia noſtra corpora.* Ibid verſ. 11. Rurſus 2. in difficultatibus *vitæ ſpiritualis*, ſi nos *mortuos* ſentiamus peccatis Eph. II. 1. ineptos ad quaſvis operationes *vitæ ſpiritualis*, ad converſionem noſtri, ad fidem, ſpem, charitatem; quid tum efficacius poſſit erigere? quam cogitare, Deum *vitam habere in ſeipſo*, eandem Filio *dediſſe*: dediſſe, ut vitam haberemus in ipſo 1. Joh. IV. 9. imò ipſum *vitam* eſſe *noſtram* Col. III. 4. viam, veritatem *ac vitam* Joh. XIV. 6. Denique 3. in difficultatibus *vitæ æternæ*, quando *metus mortis* Heb. II. 15. *corpus mortis* angit, *ut* ſuſpiremus: *quis me liberabit?* Rom. VII. 24. *Quid faciam, ut habeam vitam æternam?* Matth. XIX. 16. Quid *faciemus viri fratres?* Act. II. 37. tum quid efficacius eriget, quam cogitare: 1. Deum *vivum* eſſe Pſal. XLII. 3. Et *vitam*, & *fontem* vitæ eſſe. Et 2. Redemptorem *vivere*, & vitam *noſtram* eſſe, ad hoc datum à Patre, ut non pereamus; ſed vitam habeamus æternam: imo ad hoc *mortuum*, ut viveremus. Denique 3. Spiritum S. eſſe *Spiritum vitæ*, qui *vivificet* Joh. VI. 63. Quid inquam, efficacius in iſtis omnibus eriget? Modo id ſerio agamus, ut (1) eum *cognoſcamus*; eſt enim hæc *vita æterna* Joh. XVII. 3. (2) *credamus*, qui enim *credit non peribit, ſed habebit vitam æternam* Joh. III. 16. credendo recipiamus Joh. I. 12. Ad hoc (3) ut cum eo uniamur, ſicut membra cum capite, *palmites cum vite* Joh. XV. 4. 5. Σύμφυτοι (4) *ei aſſimilemur*, morte & reſurrectione Rom. VI. 5. (5) *Spiritum vivificum* conſequamur 1. Cor. XV. 45. (6) & ipſe *Jeſus vivat in nobis* Gal. II. 20. *vitaque ejus*, in nobis *manifeſta fiat.* 2. Cor. IV. 10. Et ſic (7) nos *colligamus vivere Deo* Rom. VI. 11.

5. Argumentum vivendi Deo.

XVIII. Suppetit *quinto* à vitâ Dei, multiplex argumentum *vivendi Deo* Gal. II. 19. Quod (1) Deus noſter *vivat*, & in vitâ ejus maxima conſiſtat perfectio, & quod noſtra, in ejus imitatione Matth. V. 45. (2) *Fons* exiſtat & auctor, omnis vitæ noſtræ, ei proinde referendæ Rom. XI. 36. Quod (3) Redemptor noſter, vitam habeat *in ſe*, vita noſtra ſit, imo mortuus, ut viveremus, *non nobis, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt* 2. Cor. V. 15. Rom. XIV. 7. 8. 9. Quod (4) Spiritus ſanctus ſit *Spiritus vitæ*, qui ex officio vivificet Joh. VI. 63. Sed quid tandem eſt vivere Deo? Reſp. Eſt. (1) *in gloriam* Dei vivere 1. Pet. IV. 2. 6. (2) ſecundum *voluntatem* Dei vivere. (3) *virtute* Dei vivere, ut ipſe q. *vivat in nobis* Gal. II. 19. 20. (4) ſeſe *convertere* ad Deum *vivum* Act. XIV. 15. (5) anniti, ut ſis vivum *membrum*, corporis Chriſti 1. Cor. XII. 27. (6) *vivus lapis.* 1. Pet. II. 4. 5. (7) *vivâ fide* præditus Jac. II. 17. 18. (8) *vivax* & actuoſus, non ſegnis, in negotio Dei 1. Theſſ. I. 9. Heb. IX. 14. Conf. quæ ſupra in hanc rem habuimus lib. I. cap. I.

THEOREMA SECUNDUM.

De Immortalitate Dei.

Pars dogmatica.

Deum etiam immortalem eſſe: Probatur Scripturis.

XIX. Vitæ, ut in creaturis ἐνπεφίσατος eſt *mors*, ita in Creatore *immortalitas.* Quæ, licet reipſâ, cum ejus immutabilitate & æternitate coincidat, ac proinde ex iſtis capitibus multum illuſtretur; attamen voce tenus, eam ſonat immutabilitatem & æternitatem, quæ *vitæ* peculiaris eſt. Iſtam ei 1. textus aſſerit, quando non tantum vitam *habere* dicit in præſenti, ſcil. ſemper continuando; ſed etiam *in ſeipſo*, inde nec acceptam ab alio, nec etiam auferendam ab alio. Tum & 2. Scriptura alibi, quando ἄφθαρτον dicit & *immortalem*, quin *ſolum* Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17. & VI. 16. Item 3. quando *vitam* ei paſſim tribuit, imo *verum Deum*, & *vitam æternam*, appellat Servatorem noſtrum 1. Joh. V. 20.

1. Et rationibus ſeptem.

XX. Nec poteſt non eſſe immortalis; qui: 1. per independentiam, vitam habet *à ſe*, conſequenter & ſervat *à ſe*, nec eâ privari poteſt, ab ullo, quod diverſum ſit à ſe. Qui 2. per ſimplicitatem, *ipſa vita eſt*, & conſequenter, ſi moreretur; annihilaretur, ad quod infinita requireretur potentia, ab annihilando diverſa. Qui 3. per æternitatem, vitam obtinet abſque ullâ *ſucceſſione*, ſimul & ſemel, ſeu, juxta Boethium: *interminabilis vitæ, totam ſimul & perfectam poſſeſſionem.* Qui 4. per immutabilitatem, maximam mortis mutationem, maximè reſpuit. Quâ ratione *ſolus* dicitur habere *immortalitatem* 1. Tim. VI. 16. Elegantiſſimè id demonſtrante Auguſtino lib. 3. *Cont. Maxim.* cap. 12. *In omni*, inquit, *Mutabili naturâ, nonnulla mors eſt, ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe, quod ante erat. Proinde & ipſa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque, ſecundum modum ſuum, nunquam*

deſinit

desinit vivere; habet tamen, pro ipso modo suo, quandam mortem suam, quia si juste vivebat, & peccat, moritur justitia: si peccatrix erat, & justificatur, moritur peccato. Et creaturarum natura cœlestium, mori potuit, quia peccare potuit. Nam &, Angeli peccaverunt: & qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Proinde qui prorsus & plane immutabilis est, idem & *immortalis* est. Qui 5. per essentiæ suæ summam perfectionem, vitæ perfectione, orbari nequit. Qui 6. per omnipotentiam, non admittit, qui sibi vitam adimat. Denique qui 7. per beatitudinem, seipso non potest non frui, quod non fit absque vitâ. Unde vivere, & beatum esse, Scripturis quandoque synonyma sunt Ezech. XXXVII. 14.

Declaratur quo pacto, Deo soli, competat immortalitas.

XXI. Verùm, cum alia quoque deprehendantur, *immortalitatem* aut habuisse, ut protoplasti; aut habere, ut Angeli & animæ humanæ; aut habitura, ut beati olim in cœlis: quæri possit, qui *solus* dicatur *habere immortalitatem* 1. Tim. VI. 16. & *solus vivere* Deut. XXXII. 40.? Pro responsione, *triplicem* observa immortalitatem: *Prima* est per *gratiam* alterius, ejus, quod naturâ suâ, mortale est, quæ non est nisi *potentialis*, quâ vivens potest *non mori*. Talis olim fuit protoplastorum, erit & nostra, in glorià: *Secunda* est per *naturam* quidem, sua simplicitate indissolubilem; sed tamen alterabilem, corruptibilem & annihilabilem, per absolutam Creatoris potentiam, eoque, modo quodam mortalem, & hæc Angelorum est, & animarum mortalitas: *Tertia*, per omnimodam independentiam, omnis omnino mutationis, corruptionis, annihilationis ac mortis, penitus est expers. Et hæc demum est immortalitas, quæ Deo soli competit. Unde ἄφθαρτος dicitur Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17.

Pars Elenchtica.

Immortalitatem Dei suggillant, Anthropomorphitæ, Vorstius & Sociniani.

XXII. Equidem, qui Deum negaverint immortalem esse, non sunt, quod sciam hactenus, usque ad ipsos Gentiles, quippe, quibus nihil frequentius fuit in ore, quam *Dii immortales:* sunt tamen, qui talia statuant, cum quibus pessimè consistit immortalitas: sic quondam Anthropomorphitæ, qui partes humanas: sic Vorstius & Sociniani, qui Deum compositum, ex partibus, item ex subjecto & accidentibus statuunt; hi Dei immortalitatem omnimodam, tueri solidè nunquam possunt. Quod enim compositum est, quomodocunque; idem & dissolubile, & eatenus etiam mortale, aut corruptibile saltem. Porro, quæ ad elenchum hujus theorematis, spectare possint, jam ante, penes theorema de *vita* Dei, occupavimus, huc, pro re nata, traducenda.

Pars practica.

Facit Deo

XXIII. In praxi, *immortalitas* ei, *primo* facit ad *gloriam* Dei, indicante Apostolo Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17. & VI. 16. Psal. CII. 27. 28. probantibus ipsis Ethnicis, quando ab *immortalitate*, non tantum ζῶα appellabant; sed & suos *Deos immortales* continuò crepabant. Coincidit hæc praxis cum primâ *Theorematis* præcedentis. immortalitas: 1. Ad ejus glorificationem.

XXIV. Contra *secundo*, facit ad humiliationem nostrî, qui *spiritum* gestamus *in naribus* nostris Jes. II. 22. Psal. CXLVI. 4. Qui totuplici *mortis* generi, sumus expositi: morti naturali, spirituali, æternæ: qui à vilissimis causis, *vitâ* possumus privari, à musca, ab acu, ut historiæ docent, qui istam mortalitatem, ipsi nobis contraximus, propria protervià. Hinc *omnes morimur, &, velut aqua, diffluimus ac dilabimur in terram* 2. Sam. XIV. 14. *& dies nostri, sicut umbra, pereunt* Psal. CXLIV. 4. decurrunt *torrentis instar*, instar *floris*, qui mane viget, vesperi decerptus arescit, juxta Psal. XC. 6. & Job. XIV. 1. *Homo natus è muliere, brevis diebus & satur irâ.* In quæ verba, scitè Bernardus: *homo* inquit *natus ad laborem, non ad honorem; homo natus de muliere, & ob hoc, cum reatu, brevi vivens tempore, ideoque cum motu: repletus multis miseriis, propterea cum fletu, & vere multis, quia animæ & corporis simul. Describitur enim, his Jobi verbis, vita nostra brevitas, fragilitas, inconstantia, & multiplex adversitas*, Bernh. *Consid. ad Eugen* lib. 2. Istam vero nostri mortalitatem, sic juvat considerare, ut ea (1) humiliemur, quippe quâ, cum Deo collati, non sumus, nisi *pulvis ac cinis* Gen. XVIII. 27. (2) vitam longævam, nunquam meditemur Psal. XXXIX. 5. 6. (3) ex vitæ nostræ vanitate, rerum omnium vanitatem conficiamus, quippe quæ vitâ ipsâ, non possunt nobis adesse constantiora. Ibid. (4) ad æternitatem, *immortalitatemque* anhelemus 2. Cor. V. 1. 4. Eamque (5) in ipso quæramus Deo *immortali*, ut si *deficiat caro* nostra, *& cor* nostrum, *ipse sit robur cordis* nostri, *in æternum* Psal. LXXIII. 26. 2. Ad nostri humiliationem.

XXV. Porro *tertiò*, solatium piis adfert dulcissimum, in ipso mortis horrore, quod Deum sibi confœderatum habeant, qui *immortalis* sit, qui in imagine suâ, quondam ad *immortalitatem* nos condiderit, qui æterno decreto, *immortalitati beatæ* nos destinaverit Matth. XXV. 34. & cum *immortalitatem* congenitam peccato perdidissemus Eph. II. 1. eandem nobis restauraturus, unigenitum suum, *in mortem* tradidit, qui *mortem aboleret: & vitam produceret, & immortalitatem, per Euangelium* 2. Tim. I. 10. Qui, in pignus futuræ nostræ immortalitatis, *cum mortui essemus per offensas, unà cum Christo nos vivificavit, unaque suscitavit, unaque collocavit in cœlis, in Christo Jesu* Eph. II. 5. 6. Qui tandem, ubi mortui fuerimus naturaliter, nos suscitaturus est, ad beatam *immortalitatem*, ubi, quod *satum fuerit ἐν φθορᾷ suscitabitur ἐν ἀφθαρσίᾳ*, 3. Ad piorum consolationem.

& quod ſatum fuerit ἐν ἀσθενείᾳ ſuſcitabitur ἐν δυνάμει, & quod ſatum fuerit corpus ψυχικὸν, ſuſcitabitur corpus πνευματικὸν. Oportet enim, τὸ φθαρτὸν, ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν, ἀθανασίαν 1. Cor. xv. 42. 43. 44. 53. Ut jam poſſint triumphare: πῦ σοῦ, θάνατε, τὸ κέντρον. Ibid. 55. Cujus cogitatione, adeo *gaudebat cor* Davidis, *exſultabat lingua* ejus Pſ. xvi. 9. 10. 11. Et *talibus ſermonibus*, ſe invicem *conſolari*, jubet Theſſalonicenſes Apoſtolus 1. Theſſ. iv. 18.

4. Ad ſtudium beatæ immortalitatis.

XXVI. Tandem *quartò*, Dei *immortalitas*, exemplo nos allicit, ad ſtudium immortalitatis, unaque fontem oſtendit, & conſequendæ medium. Omnibus congenitum eſt, *immortalitatis* deſiderium: ſeu: ut non moriantur Gen. xli. 2. Job. ii. 4. ſeu, ut *mortui*, vivant, vel in *ſemine* & ſobole Pſal. lxxxix. 30. 37. vel in *nomine* & famâ Gen. xii. 2. 5. 2. Sam. vii. 25. ſeu, ut à morte reſtituantur ad vitam Phil. iii. 11. Inque *immortalitatem* iſtam enituntur; vel operationibus *naturalibus*, uſu alimentorum, medicamentorum, defenſionum, & ſtudioſiſſimâ mortis fugâ: vel *heroicis* 2. Sam. xiii. 11. 13. vel *virtuoſis*, ſapientiâ, eruditione &c. vel *facinoroſis* etiam ac turpibus quæ omnia, circa objectum ſuum, ut *verum* diſtinentur. Pleraque horum, Apoſtolus exprimit in textu, quando mentionem facit, *intellectus* per modum facultatis, & *cognitionis* per modum *actus*; & *ſapientiæ*, tanquam *virtutis* & perfectionis, ſcil. ex noſtro concipiendi modo, diverſorum.

Immortalitatis conſequendæ media.

Gen. xi. 4. Ut Heroſtratus templum Dianæ incendens; vel *religioſis* Phil. iii. 10. 11. Quin ad hoc Deus *immortalis*, animam nobis contulit *immortalem*, eique appetitum *immortalitatis*: quin & in protoplaſtis condidit *immortales*: & ubi immortalitatem apoſtaſia perdidiſſimus, eandem nobis reſtituit, vel morte Filii unigeniti: tandem & immortalitatis *viam* monſtravit in Evangelio, conferendæ ſuo tempore, in extremo judicio. Sed quo tandem pacto, deſiderata immortalitate potiemur? Reſp. (a) *Fons* & ſcaturigo ejus, eſt Deus, *ſolus immortalis*; amore ac deſiderio ardenti nobis unitus Pſ. l. 3. & lxxii. 25. (b) *Medium* unicum, Servator Jeſus, cui Pater vitam *dedit habere in ſeipſo*, ut ipſe *via* eſſet *veritas & vita* Joh. xiv. 6. imo *ipſa vita* ſuorum Col. iii. 4. (c) *Inſtrumenta* his potiendi, ſunt (1) *Cognitio* Dei & Mediatoris Joh. xvii. 3. (2) *Fides* in utrumque Joh. xiv. 1. & iii. 16. (3) deſiderium flagrans beatæ immortalitatis 2. Cor. v. 2. 3. 4. (4) ἐυζωΐα univerſalis Phil. iii. 20. 21. (5) ἐυθανασία fidelis Apoc. xiv. 13. Quæ omnia, non poteſt non ſequi, beata ἀθανασία Apoc. ii. 11. & iii. 5.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE

Intellectu, Scientia & Sapientia Dei.

Rom. xi. verſ. 33. 34.

O profunditas divitiarum, & ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis Conſiliarius ejus fuit?

Per vitam Dei primò actuoſus fit intellectus Dei.

I. Vita, quam diximus, utpote *vis Dei actuoſa*, *actuoſum* in Deo facit, primò ejus *intellectum*, non quod ex potentia, traducat in actum; eſt enim Deus & omnia Dei, *ſimpliciſſimus actus*: *ſed* quod actus ille in Deo, exiſtat ab ejus vita. Hujus q. actus eſt, *ſcientia*, & perfectio, *ſapientia*,

Pars exegetica

Cujus theoria ſuperſtruitur exegeſi textus.

II. *Textus*, ἐπιφώνημα *quoddam* ἐγκωμιαστικὸν, *præſtat*, *quo præcellentiam* intellectus, cognitionis & ſapientiæ *divinæ*, in *negotio redemptionis*, *& prædeſtinationis potiſſimum*, *conſpicuam*; miratur *pariter* & extollit *Apoſtolus*. *In quo duo occurrunt:*

1. Exclamatio *quædam admirantis*. *Ubi:*

A. Index exclamatorius, *in vocula* ὦς, *quæ hic eſt particula* admirantis, *ſignificans*, *talem eſſe ac tantam*, *rem commendatam*, *ut nec* mente, *ullius creaturæ rationalis*, *pro ſua dignitate percipi*; *nec* ore *prædicari poſſit.*

β. Res, *particula admirantis*, *commendata*, *nim:*

1. Profunditas, βάθος *ſonat* altitudinem *ſurſum* & profunditatem *deorſum*, *ut innuatur*, *commen-*

mendatum, omnes terminos perfectionis, tam altitudinis; *quam* profunditatis, *longe excedere, adeoque* infinitum *esse, per periphrasin Zopharis Job.* XI. 8. 9. altior cœlis... profundior inferno.... longior terra, latior mari. *Vox tamen, maxime proprie, exprimit* profunditatem, *unde per ἄβυσσον refertur Apoc.* II. 24 *I. Cor.* II. 10.

2. Divitiarum, πλούτου, *Et quid* divitiæ? *Sunt excessus opum, quo quis plus habet, quam indiget. Est igitur, in commendato, excessus quidam, non paupertatis aut miseriæ; sed opum, qui possidentem* divitem, *ac felicem præstare, possit. Ambigitur, an βάθος* ille, referri & restringi debeat ad πλοῦτον, *ut emergat, O! quanta* profunditas *est in divitiis! An extendi etiam debeat, ad σοφίαν* sapientiam, *ut dicat: O! profunditatem divitiarum* sapientiæ, *item ad γνῶσιν, O! profunditatem divitiarum* scientiæ *Dei: posterius suadere videtur,* I. *Καὶ post πλούτου.* 2. *collatio cum versibus* 54. 55. 3. *collatio cum præcedentibus, ubi mentio fit misericordiæ divinæ, versus Gentes & Judæos, cujus magnitudinem Apostolus admiratur, idque voce* divitiarum *Rom.* II. 4. *Eph.* II. 7. *Prout Paulo familiare est, ut patet locis adductis, ut & Eph.* I. 18. *& cap.* III. 8. *Col.* I. 27.

3. Sapientiæ & cognitionis Dei, *σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ. Duo hi genitivi, reguntur a primo,* πλούτου, *prout fit Col.* II. 3. Thesauri sapientiæ & scientiæ. Sapientia & scientia, *nonnullis hic idem valent: aliis differunt, sic ut sapientia sit scientiæ* species. *Saltem, à parte* Dei, *unum, procul dubio sonant idemque; quamvis à parte* nostri, *variis modis discriminentur: sic nim. ut* I. *νοῦς* mens, *intelligendi q.* facultatem; *γνῶσις, q.* actum, *& σοφία, quasi perfectionem &* virtutem *utriusque, nobis repræsentet.* 2. Sapientia, *sit absolutum,* scientia, *relativum quid.* 3. Sapientia, *omnes habitus intellectuales comprehendat; scientia, unum tantum notet ex illis.* 4. Scientia, *habitum theoreticum;* sapientia, *practicum, qui aliàs, cum* prudentia *coincidit, observante Beza, in* I. *Cor.* I. 17.

2. Quæstio *quadruplex admirantis, admirationis præcedentis rationem, distinctius repræsentans. Harum quæstionum:*

α. Prima *occupatur, circa* judicia *Dei: ὡς ἀνεξερεύνητα, τὰ κρίματα αὐτοῦ,* quam inscrutabilia judicia ejus? *Hic*

1. Res *quæstione commendata, est in verbis:* judicia ejus, *κρίματα αὐτοῦ. Κρίματα vocat, tum* decreta *Dei, tum decretorum* exsecutiones, *imprimis* pœnales, *more Hebræorum, quibus* חקים, *utrumque notant. Respicit peculiariter, judicia in rejectione Judæorum, & in substitutione Gentilium exercita.*

2. Perfectio, *ob quam, rem commendat: ὡς ἀνεξερεύνητα,* quam inscrutabilia! *Idem est quod dicitur Psal.* XXXVI. 6. Judicia tua abyssus. *Est ἐρευνᾶν,* profunde scrutari *Joh.* V. 39. *& ἐξερευνᾶν, profunde scrutatum,* assequi, *& ἀνεξερεύνητον, quod profunde scrutatus fueris, non* assequi, *nec* posse *assequi, seu tale, quod, re acutissima, & curatissima scrutatione quidem, non potest* exquiri. *Quam* imperscrutabilitatis *perfectionem, adauget etiam, quærendi particula ὡς,* quam imperscrutabilia! *tam scil. ut à nulla creatura, quali & quancunque possit.*

β. Secunda, *occupatur circa* vias *Dei: καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ,* & imperveſtigabiles viæ ejus. *Est hic*

1. Subjectum *quæstionis, αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ* viæ ejus. דרכים *intelliguntur, vel* generalius, *consiliorum & factorum ejus, quorumvis, rationes: vel* specialius, *prædestinationis, electionis & reprobationis ordines, quatenus illi nobis, quam maxime, sunt imperveſtigabiles.*

2. Attributum *ejus, ἀνεξιχνίαστοι* imperveſtigabiles. *Cujus, ne veſtigia quidem, ulla solertia, ullis artibus, indagari possunt: vel, qua nullis ullius veſtigiis,* exquiri *possunt: vel, cujus nulla veſtigia, prostant in intellectu nostro naturali, citra revelationem, imo vix per revelationem.*

γ. Tertia, *distinetur circa* mentem, *seu intellectum Dei, qui* scientiam *&* sapientiam *sustinet, à quo* judicia *&* viæ *profluunt: Τὶς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου.* Quis enim mentem Domini cognovit *Jes.* XL. 13. מי תכן יהוה Quis expendit Spiritum Jehova? *Est hic:*

1. Cognoscens, *τὶς* quis? *Interrogative: quis in terrâ? quis in cœlis? quis ubicunque monstrabit quenquam? Proinde* nemo.

2. Cognitum: *νοῦς κυρίου, Hebr.* רוח יהוה *Spiritus Domini,* mens, *seu intellectus* Domini, *Jehova. Νοῦς,* intellectum *notat, quatenus ille à nobis cogitatur, ut* facultas, *à qua est* cognitio, *in qua virtus* sapientiæ: *Sic tamen, ut intellecta non excludantur, nominatim de prædestinatione, electione, reprobatione Judæorum, surrogatione Gentium: quis intellectum Domini de his cognovit?*

3. Cognitio, *ἔγνω, Hebr.* תכן, ponderavit, expendit, exquisivit: *τὶς ἔγνω, scil.* perfecte. *Nonnulla*

nulla novimus, de mente, seu intellectu Dei, v. g. quod vere Deo competat, quænam ejus affectiones, multa etiam ejus intellecta, ea scil. quæ nobis revelavit in verbo suo: scil. quis ita *novit, ut* ponderaverit, *expenderit, exquisiverit, h. e. perfecte assecutus fuerit, intellectum seu spiritum Domini? Nemo* 1. Cor. 11. 10. 11.

δ. Quarta, *distinetur circa* consilia *Dei*: σύμβουλος ἀυτῦ ἐγένετο, aut ejus Consiliarius fuit? *Repete ex commate præcedenti*, τίς, quis. *Petita & hæc verba videntur, secundum* LXX. *Interp. ex* Jes. XL. 13. 14. ואיש יועצתו ידיענו את מי נועץ. Et vir consilium ejus, scire fecit eum, (*repete ex præcedente hemistichio*, מי quis, *ut emergat*: quis est vir ille, *qui*....) cum quo consilia agitavit? *Est hic*

1. Consiliarius, *negatus*: σύμβουλος, *talis intelligitur, qui consulenti quid facto opus sit, monstrat faciendum, ut pro arbitrio, vel admittat, vel respuat. Præsupponitur* Consiliarius *peritior consulente, seu eo, qui consilium quærit.*

2. Consulens, *itidem non admissus, in voce* ἀυτῷ, ipsi, *scil. Deo. Jam*: *si ex hemistichio, præcedente, retrahas interrogativum* τίς, quis: *emerget sensus*: *quis Deo fuit à consiliis, scil. providentiæ, prædestinationis, electionis, reprobationis, rejectionis Judæorum, & substitutionis Gentilium?* quis *eum ostendere potest? Nemo.*

Pars dogmatica.

Deo intellectum competere, probatur: 1. Scripturis.

III. Itaque per textum, non tantum *intellectus* Deo competit, *cognitio* & *sapientia*; sed & perfectissimus, amplissimus, *infinitus* & imperveſtigabilis. Tria illa: νῶσιν, γνῶσιν & σοφίαν, in creaturis diversa, utcunque in Deo eadem; *nostrî* causa, quo distinctius, unam intellectus divini *perfectionem* assequamur, distinctè expendemus. Competit igitur Deo *intellectus*; seu, quod idem, est ens summè intelligens. Tribuit enim ei textus *mentem*, quam alibi, per *oculos* Scriptura designat 2. Paral. XVI. 9. *Oculi Domini lustrant universam terram.* & cap. VII. 7. Unde *oculis ejus*, μηδὲν dicitur ἀφανὲς Heb. IV. 13. Hinc *Deus scientiarum* appellatur 1. Sam. II. 3. Conferantur loca Job. XII. 13. Psal. CXXXVI. 5. & CXLVII. 5. Proverb. III. 19. Atque huc etiam, omnia illa spectant loca, quibus Deo sapientia, omniscientia, præscientia, providentia asseritur, suo loco producenda.

2. Ratiocinio.

IV. Nec per Scripturam tantum, Deus est intelligens; sed etiam, multis modis, per naturam. Cum enim: 1. sit inter perfectiones *intelligere*, & eas etiam, quæ nihil involvunt *imperfectionis*; citra contradictionem, enti *perfectissimo* abrogari nequit. Tum 2. sui intellectus, omnibus intelligentibus, *fons* est & scaturigo, quippe quæ, ejus demum *luce*, fruuntur luce Psal. XXXVI. 10. Qui proinde, *oculum plantavit, non videret? Qui aurem formavit, non audiret?* Psal. XCIV. 9. Porro 3. cum extus operetur, non per *naturam* determinatus, sicut Sol splendet: nec etiam *temerè*, nec *coactè*: sed ratione, consilio & προαιρέσει; non poterit esse, absque intellectu. Et 4. si esset; quid esset, nisi idolum? de quo Psal. CXV. 6. 7. *Oculos habent; sed non vident: aures; sed non audiunt.* Verùm, cum non fuerit tam barbarus, modo non Atheus, qui *intellectum* Deo abrogarit; non est ob quod, ei demonstrando, ulterius desudemus.

Quid sit intelligere in creaturis?

V. Ultilius igitur, *quid* sit intellectus, & *qualis*, investigabitur. Quod non aliunde innotescet clarius, quam collatione intellectus humani cum divino: est enim intellectus, de genere attributorum *communicabilium*, quæ suo modo, κατ' ἀναλογίαν, etiam competunt creaturis. Intelligere dici videtur q. *intus legere*, scil. species intelligibiles, seu phantasmata contemplari, juxta tritum: *oportet intelligentem, phantasmata speculari.* Proinde, ad intelligendum, duo requiruntur: *species intelligibiles*, quæ, in opere repræsentandæ, *ideæ* dici consueverunt; & earundum *speculatio*, quæ requirit: 1. earundem à *sensibus* externis, à sensu communi, & à phantasiâ receptionem, à quâ *intellectus patiens* dicitur: & 2. receptarum *contemplationem*: quæ consistit, partim in *collatione*, compositionis aut divisionis, affirmationis aut negationis, unde judicium *noëticum* existit; partim in *discursu* seu ratiocinatione, quâ à notioribus descenditur ad ignotiora, unde judicium existit, *dianoëticum* & *intellectus agens.* Et hæc intellectionis ratio est in creaturis.

Quid in Deo?

VI. In Dei intellectu, duo etiam requiruntur, conceptu nostro, diversa: *idearum* præsentia, & earundem speculatio, seu *perceptio*: à quo: *intellectus* Dei, haud aliter definiri possit accuratius, quam, perfectissima *sui*, seu idearum suarum *intuitio.* Sed absque ulla earundem *receptione*, seu intellectu *patiente*, absque ulla etiam compositione ac divisione, absque ullo discursu: quod illa imperfectionem involvant, quæ à perfectissimo, religiosissimè est secludenda.

Ideæ quo sensu Deo competant?

VII. *Ideas* igitur, ab ἰδεῖν ita dictas, latiori sensu, Deo hîc tribuimus, quatenus, non speciem *practicam* tantum denotant, in opere repræsentandam; sed quamcunque *speciem* intelligibilem, quamvis nunquam *exprimendam.* De quibus Scriptura parcè loquitur, solent de iis, usurpare dictum Heb. XI. 3. *Quæ cernimus facta sunt ex non apparentibus.* In creaturis id propriè sonant, quod

quod in mente artificis exiſtit, in opere exprimendum. In Deo (ut loquitur Ameſius *Medul.* lib. 1. c. 7. §. 14.) non eſt idea, quam *ipſa ejus eſſentia, quatenus ab ipſo intelligitur, ut imitabilis in creaturâ: vel ita, ut aliquo modo, exprimi poſſit perfectionis illius imago, aut veſtigium aliquod, in creaturis.* Hoc eſt, ipſæ creaturæ, prout in mente divinâ concipiuntur, ſunt *ideæ* illius naturæ, quam habent in ſemet ipſis.

Idea ut differat in Deo & creaturis?

VIII. *Idea* in homine, qui cognitionem acquirit per *analyſin*, colligitur ex *rebus* ipſis: atque adeo, rès primò in *ſeipſis* exiſtunt, tum ad hominis *ſenſum* perveniunt, & inde ad *intellectum*, ubi poſſunt *ideam* aliquam conſtituere, ad operationem inſequentem dirigendam; ſed quoniam Deus intelligit omnia per *geneſin*, & non acquirit cognitionem per *analyſin*; ideo omnia ſunt, *prius* in ejus mente, quam in *ſeipſis*. In homine, res ipſæ ſunt *exemplar*, & cognitio noſtra eſt *imago:* ſed in Deo, idea eſt *exemplar*, & res ipſæ ſunt *imago* expreſſa. In homine idea eſt prius *impreſſa*, & poſtea *exprimitur* in rebus; ſed in Deo, eſt tantum *exprimens* propriè, non *impreſſa*; quia non accedit aliunde. Verba ſunt Ameſii loc. citat.

Idea in Deo, ut una ſit, & multiplex?

IX. Proinde idea, prout *abſolutè* in Deo conſideratur, *unica* tantum eſt, quia eſt ipſius *eſſentia*; ſed quatenus connotat varios ad creaturas reſpectus, *multiplex* ſit: ita ut hactenus verum ſit, ideam unius creaturæ, non eſſe ideam alterius. Inſuper ideæ dantur in Deo omnium *perfectionum*, quæ ſunt in creaturis: quia nim. proveniunt ex virtute Dei activa; ſed nullarum imperfectionum, ſi *formaliter* conſiderentur, ſub ratione *imperfectionum.* Interim tamen, & cognitio *mali*, Deo competit; ſed quæ ex *negatione* boni pendet, prout *eſſe* mali, conſiſtit in *privatione* boni: eo enim modo res verè cognoſcuntur, quo ſunt. Ideæ etiam, quatenus *plures* exiſtunt in Deo, inter ſe velut *connexæ* ſunt, atque etiam, à ſe invicem pendent. Unde ille *ordo* exiſtit, prioris & poſterioris, quem, in prædeſtinatione & providentiâ, obſervamus.

Et quatenus multiplex, varia induit nomina.

X. Jam in *idearum*, ſeu potius ideæ iſtius contemplatione, vel *intuitu* & cognitione, divina conſiſtit *intellectio.* Quæ à creaturis, variiſque relationibus ad creaturas, *varia* induit nomina. Sic reſpectu principiorum, dicitur *intelligentia*, quâ Deus, in ſingulis, *ſingulare* quodque percipit: reſpectu veritatis ad *ſingula* ſpectantis, dicitur *ſcientia*, quæ, ex latitudine, eſt *omniſcientia*; & quoad illud *eſſe*, quod res habent in propriâ ſua menſurâ, dicitur *præſcientia:* reſpectu dependentiæ veritatum, dicitur *ſapientia*, quâ novit quid cuique rei conveniat, & quid ab ea ſit alienum: reſpectu ordinis totius in praxi inſtituendi, dicitur *prudentia*, quâ novit, rebus omnibus, *opportuniſſimas* accommodare occaſiones: reſpectu denique praxeos exſequendæ, dicitur *ars*, quâ efficere novit omnia *peritiſſimè* Heb. XI. 10. Promiſcuè quidem hæ voces, perſæpe in Scripturis uſurpantur, ad explicandam perfectionem, intellectus divini, ad captum eorum, qui intellectum habent maximè imperfectum; ſuâ tamen *naturâ*, hanc diſtinctionem admittunt, & non aliam. Perpetua ſunt Ameſii verba. loc. citat.

Intellectus divini perfectio, ex 5. affectionibus oriunda.

XI. E quibus perſpicuum manet, Deum omnia intelligere, non in *ipſis* rebus; ſed in ſeipſo. E quo, omnis intellectus divini, emergit perfectio, per quam, intellectus Dei: 1. *independens* eſt, quia nim. non *aliunde* cognoſcit; ſed *à ſe*, & ſeipſum perfectiſſimè intuendo. Neque enim in Deo, aut accidens ullum, aut idea ab eſſentiâ ejus diverſa, admitti poteſt: quo ſenſu, omnem Conſiliarium, à Deo removet textus. 2. *Simpliciſſimus*, quatenus *in ſeipſo*, uno *intuitu*, citra omnem, homogeneorum compoſitionem, aut heterogeneorum diſtractionem: citra ullum diſcurſum, abſtractionem, & id genus alias, intelligendi creaturarum vias, ab earum imperfectione oriundas, Deus omnia perſpicit. 3. *Immutabilis*, quatenus non aliter, neque magis, unam rem intelligit quam aliam, neque magis antea quam nunc, aut nunc quam antea. Scil. quia omnia perſpicit in *eſſentiâ* ſuâ *immutabilî*, & in ſuâ æternitate, quâ, omnibus temporum differentiis, abſque omni ſucceſſione, immotus coëxiſtit. Unde, omnia dicuntur *nuda, & intimè patentia oculis divinis* Heb. IV. 13. 4. *Æternus*, quatenus nec incipit, nec definit intelligere, utcunque, res *cognita* in ſe, incipiant ac definant eſſe, aut id eſſe, quod non erant. Scil. quia intelligit, non per ſpecies *acceptas*; ſed per *eſſentiam* ſuam æternam, aut *decreta* ſua æterna Act. XV. 18. Eph. I. 4. 5. *Infinitus*, quatenus non tantum ſeipſum, & *mentem ſuam* infinitam, ipſe ſolus *cognoſcit*; ſed omnes etiam, omnium rerum veritates, earumque rationes, citra ullam, vel *ignorantiæ*, vel *erroris* ſuſpicionem. Quo nomine, ſapientiâ ejus *altior* dicitur *cœlis*, *longior terrâ*, *latior mari* Job. XI. 8. 9. Quo etiam faciunt loca Pſal. CXXXIX. 6. & CXLVII. 5. Jeſ. XL. 28. Joh. XXI. 17. &c.

Intellectus divinus, ſub ratione actus, dicitur omniſcientia.

XII. *Intellectus* divini (quem, ſub ratione *facultatis*, conſideravimus) actus eſt *cognitio* (γνῶσις textui) quam, ab objecti amplitudine, dudum *omniſcientiam* appellavimus, quod ei, omnia ſint *nuda, & intimè patentia.* Eam multis modis, intellectui divino aſſerit S. pagina, quando (a) terminis *abſolutis*, dicit eum *fines mundi intueri, & omnia quæ ſunt ſub cœlo, perſpicere* Job. XXVIII. 24. indeque אל דעות I. Sam. II. 3. Huc ſpectant loca I. Sam. XVI. 7. I. Reg. VIII. 39. Pſal. XCIV. 11. & CXXXIX. 1. 3. 4. 6. 12. Act. XV. 18. I. Joh. III. 20. (b) terminis *negativis* Job. XLII. 2. *Non eſt abſcondita à te, ulla cogitatio* Heb. IV. 13.

(c) terminis *comparativis*, quando *lux* appellatur, *in quas non ſunt tenebræ* 1. Joh. 1. 5. *oculis* ſuis, *perluſtrare totam terram* 2. Paral. XVI. 9. Item, *omnes noſtros capillos*, *numerare* Luc. XII. 7. Unde Auguſtin. *in Pſal.* CXXXVI. *Deus*, inquit, *totus*, *oculus eſt*, *quia omnia videt.* Nec poteſt non, quia omnia *in ſeipſo* novit, qui eſt *eminenter*, omnia. Quia item omnia, prout à ſe profecta ſunt, ſuſtentat & gubernat: omnibus, quicquid habent ſcientiæ & cognitionis, confert. Et ſi ullius cognitione deſtitueretur, non eſſet *perfectiſſimus*, adeoque non eſſet quod eſt, h. e. *Deus*.

Omniſcientiæ divinæ objecta.

XIII. Nominatim, per ſuam omniſcientiam, novit *ſeipſum in ſeipſo*, novit *mentem* ſuam Rom. XI. 34. Tum & quævis alia: univerſalia & ſingularia: ſubſtantialia, & circumſtantialia: bona & mala: cogitata, dicta & facta, omnium: præterita, præſentia & futura. Seu futura ſint, per cauſam *neceſſariam*, quæ per *naturam* ſuam, ad iſtum effectum ſit determinata; ſeu per cauſam *contingentem*, *per ſe*, ad iſtum effectum, non determinatam; ſeu per cauſam *liberam*, προαιρέσει operantem. Quæ ſigillatim, ſingulis roborare Scripturæ locis, prolixius foret, quam pro neceſſitate aut utilitate.

Varia ſcientiæ Divinæ diſtributio & denominatio.

XIV. Interim, non uno modo, omnia iſta Deus perſpicit. Unde variè diſpeſcitur. Eſt enim ſcientia *generalis*, quâ, circa quævis occupatur uniformiter; eſt *ſpecialis*, quâ *ſuos* novit peculiariter Rom VIII. 29. 1. Pet. 1. 2. Eſt porro *theoretica*, quâ novit tantum; eſt & *practica*, qua operatur inſuper: idque cum affectu, vel *prono* Pſal. 1. 6. vel *averſo* Apoc. III. 15. 16. Et prioris defectu, ſe *non eſſe*, aliquando dicit Matth. VII. 23. Et diverſitatis hujus reſpectu, varia quoque induit nomina: ratione *præteritorum*, dicitur *recordatio* & reminiſcentia Pſal. XXV. 6. 7. utique ἀνθρωποπαθῶς; ſecundum affectum & effectum; non ſecundum notitiam ſimpliciter: ratione *præſentium*, viſio & *intuitus* Heb. IV. 13. ratione *futurorum*, duplex nomen obtinet: ſcientiæ *naturalis*, ſeu ſimplicis intelligentiæ, quâ, circa *puro poſſibilia*, eorum poſſibilitatem perſpiciens, inſuper *omniſufficientia*, & omnipotentiâ; ſcientia *libera* ſeu viſionis, quâ, primò quidem, videt *ordinem* illum *univerſalem*, olim ab æterno decretum, rebus ſuo tempore conferendum, & poſt in creatione collatum, per quem, res omnes, talem inter ſe dependentiam nexumque ſortiuntur, ut inde Deus, quamvis *nunquam* actu futura decrevit, ut futura (poſitis ſcil. ad agendum prærequiſitis) prævidere, ac prædicere poſſit, v. g. ſtramen aridum, ſi admoveatur igni, exurendum eſſe. Quo pacto, Deus etiam prævidit ac prædixit, Davidem, ſi Kehilæ ſubſiſteret, ab ejus incolis, in manus Saulis tradendum fore, ſcil. quod ex *ordine decreto*, & rebus *concreato*, inimicus inimicum, in manus Domini & amici tradat, ut aboleatur: ſecundò, prævidet actu futura, ſeu *bona* ſint ſeu *mala*, idque ex *ſolo decreto*, quatenus *futuritio* determinata, nullum aliud fundamentum, nullam cauſam agnoſcit, præter ſolum *decretum* divinum. ἔνθυμα ſcientiæ tertiæ, quam *mediam* appellant, in parte *Elenchtica* ex profeſſo conficiemus.

Scientia naturalis & libera.

XV. Reſtat intellectus & cognitionis divinæ *virtus*, per quam *ſapientia* dicitur, cui πλοῦτος, ſeu copia & amplitudo talis tribuitur, ut ejus *judicia* ac *viæ*, dicantur ἀνεξερεύνητα καὶ ἀνεξιχνίαστα. A quâ *ſolus ſapiens* denominatur Rom. XVI. 27. 1. Tim. 1. 17. ſcil. ἐξόχως & independenter, item *magnus conſilio* Jer. XXXII. 19. Job. XII. 13. in quo concurrat, *ſapientia & robur* Dan. II. 20. per quam, ejus ſapientia ſit *imperveſtigabilis*. Job. XI. 7. Pſal. CXLVII. 5. Jeſ. XL. 28. Pſal. CXXXIX. 18. Quâ, cum *abyſſo* comparatur profunditate, cum *terra* latitudine, cum *cœlis*, altitudine. Job. XI. 7. 8. Conf. Pſal. XXXV. 7. & XCII. 6. 1. Cor. II. 8. Sic ut exclamet Pſaltes: *quam multiplicata ſunt opera tua? omnia in ſapientia feciſti* Pſal. CIV. 24. cum quo faciunt loca Pſal. CXXXVI. 5. Proverb. III. 19. & VIII. 30. Jer. X. 12. aliaque.

Intellectus & ſcientiæ divinæ virtus eſt ſapientia.

Sapientia Dei, quid ſit, & in quo diſtineatur?

XVI. Sapientia iſta *eſſentialis* (de *perſonali* enim, quam λόγος dicit Prov. VIII. 1. Matth. XI. 19. quod in eo, omnes *theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*, *reconditi* lateant Col. II. 3. quique, hoc nomine, *ſapientia & potentia Dei* appellatur 1. Cor. 1. 24. nobis impræſens, non eſt negotium) non eſt, niſi *virtus* & *perfectio* quædam peculiaris, intellectus & cognitionis divinæ, quâ novit Deus, quibus rationibus, in explicatione conſiliorum & operum ſuorum, gloriam ſuam quam maximè illuſtrare poſſit. Unde illa, potiſſimum occupatur & obſervatur: 1. circa *conſilia*, decreta, prædeſtinationem, electionem, & reprobationem Dei, quo ſpectat ἐπιφώνημα textus: ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας! &c. 2. opera *creationis*, conſervationis & gubernationis, de quibus Pſaltes: *omnia ſapienter feciſti* Pſal. CIV. 24. & CXXXVI. 5. Comprimis etiam 3. circa formationem *hominis*, μικροκόσμου Pſal. CXXXIX. 14. 15. Item 4. circa *conciliationem* & ordinem creaturarum, adeo diſſidentium inter ſe, à quo, Deus *pacis* dicitur 1. Cor. XIV. 33. qui cuncta facit, ſuo tempore & menſurâ Eccl. III. 11. comprimis 5. in ſtupendo *redemptionis* negotio, per Filium & Spiritum S. à quo Servator, non tantum *ſapientia & potentia Dei* denominatur 1. Cor. 1. 24. ſed πολυποίκιλος Dei σοφία, commemoratur Eph. III. 10. quam ipſi etiam *Angeli*, geſtiunt *introſpicere* 1. Pet. 1. 12. Atque etiam 6. in *myſteriis* fidei Chriſtianæ, quæ *ſapientia Dei* dicuntur Apoſtolo 1. Cor. II. 6. ſapientiæ hujus *mundi* contradiſtincta. Porro 7. in collectione ac defenſione *Eccleſiæ* ſuæ. adverſus callidiſſimos, tot tantorumque hoſtium, impetus, quos, ſuâ ſapientiâ, per-

persæpe capit in eorum astutiâ Psal. LIX. 13. & X. 2. Denique 8. in peculiari, *singulorum* fidelium, tam sapienti directione, gubernationeque.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An cognitio Dei, se extendat ad omnia & singula?

XVII. Quæritur 1. *An cognitio Dei, se extendat ad omnia & singula?* Feruntur Philosophi quidam, è Peripateticis, existimasse, singularia percipere, solius esse potentiæ *materialis*, seu sensuum; statuisse, quod scientia Dei se non extendat ad *singularia*; sed ad *generalia* tantum. Colludunt cum his, quadantenus saltem, Pelagiani, quando, ut commodius succurrant, independenti libero arbitrio, in negotio prædestinationis, saltem *non peremtoria*, non agnoscunt, nisi decreta generalia, v. g. *volo credentes & resipiscentes servare*... quod nesciat Deus, an voluntas humana, se sit determinatura ad credendum, an non. Apertius, cum crassissimis Pelagianis, Sociniani, ut independentiam indifferenti liberi arbitrii, & omnimodam rerum contingentium, haberent securiorem; statuunt Deum nullam habere, futurorum liberorum & contingentium, *scientiam*, quos, peculiari controversia, examinabimus. Reformati, per infinitam intellectus divini perfectionem, statuunt, *omnia* noviſſe, tam *singularia*, quam *universalia*; quin, magis *proprie* singularia, quam *universalia*; cum universalia non existant, nisi, per mentis humanæ *abstractionem*, à singularibus; quæ abstractio, propter suam imperfectionem ἐυπερίσατον, in infinite perfectum, non quadrat. Hac ipsa causa, nulla decreta Dei *generalia*, recipiunt, & ad infinitam, intellectus divini perfectionem referunt, quod futura contingentia, & libera, exactissime perspiciat. Quod ita eos doceat, *Scriptura*: cui Christus, quatenus Deus est, *omnia* nota esse dicit Joh. XXI. 17. *Omnia intimè patentia esse oculis ejus* Heb. IV. 13. etiam *singularia* Psalm. CXLVII. 4. & LVI. 9. usque ad *capillos* capitis nostri Matth. X. 30. *nosse qui sint sui* 2. Tim. II. 19. Quin futurorum *contingentium*, liberorumque Psalm. CXXXIX. 1.....6. Matth. XXVI. 34. 35. .. Sed & recta *ratio*. Nisi enim *omnia* sciret: 1. Non esset infinitum perfectus: eo quod *omnia* scire, omnium una sententia, perfectius sit, quam quædam *non* scire. Quantum nominatim ad *singularia*: 2. qui *creavit* singularia; an non nosset? 3. Qui conservat & gubernat singularia; an ea ignoraret? Qui 4. seipsum novit, *singularissimum*, & in se, omnia; an singularia nesciret? Quia 5. homo singularia novit; & ea Dei intellectum effugerent? Quin & 6. Deus *proprie* non nisi singularia, aut saltem non nisi *singulariter*, quatenus non intelligit *abstrahendo* à singularibus, quod id fiat per imperfectionem imbecillitatemque ab hominibus, quia omnium singularium *singularem* non habent cognitionem, & a singularium cognitione, *generalem* sibi efforment. Tandem 7. nisi *singularium*, exactam haberet cognitionem; non posset habere *generalium*, quod generalia nascantur à singularibus. Non dicam 8. quod generalia non existant, eoque sint non entia, eoque haberet solam cognitionem, eorum quæ non sunt. Singulatim 9. si non haberet futurorum *contingentium* præscientiam; non foret *omniscius*; quia illa sciri possunt, ut patet, in mille vaticiniis. Nec obstat, prout Philosophi objectant, quod intellectus divinus sit *immaterialis*: dummodo, circa singularia *materialia*, (sicut fit circa spiritualia immaterialia) occupetur *immaterialiter*. Socinianorum adversus præscientiam futurorum contingentium, objectiones, examinabimus paulò abhinc.

Probatur Scripturis.

Et rationibus.

2. An Deus intelligat ratiocinando? Partium sententiæ.

XVIII. Quæritur 2. *An Deus intelligat, ratiocinando, discurrendo?* Antropomorphitæ olim, quod facultatem & actum discurrendi, offenderent, in *imagine* Dei, eadem quoque, ad πρωτότυπων traducenda duxerunt. Vorstius ac Sociniani, quo commodius Deum habeant dependentem ab arbitrio humano, & ab objectis cognoscendis, & imprimis, ut habeant scientiam conjecturalem, quæ absque ratiocinando haberi nequit; statuunt Deum, ratiocinando, discurrendo, argumentando progrediendo à *notiore* ad *ignotius*, intelligere; sicut nos homines. Reformati, quamvis agnoscant, Deum, discursus ac ratiocinia humana, quam exactissime perspicere; negant tamen, hoc fieri ratiocinando; sed *intuendo*. Quia dicunt 1. Deum omnia intelligere *intuendo*, adeo ut omnia ipsi sint *nuda* & *intime patentia*, nec *oculis*, seu intellectui ejus, quicquam esse ἀφανὲς Heb. IV. 13. Jam, quod *intuendo*, intelligitur, illud non *ratiocinando* colligitur. 2. Quia Deus *omnia* intelligit, non in rebus ipsis, sed seipsum, suaque decreta *intuendo*: adeoque 3. intellectum Dei esse *independentem*, qui ideas non accipiant à rebus; sed rebus sit *exemplar*. 2. Intellectum Dei quippe essentiam Dei, esse *simplicissimum*, proinde non discurrendo, ratiocinando à notiori progredi ad ignotius. Esse item 5. *infinitum*, cui proinde nihil ignotum, ut ad illud *ratiocinando* procedere, necessum non habeat. Esse 6. *æternum*, in quo non est vicissitudo, per quam ratiocinando, procedat ab *uno* notiore, ad aliud ignotius. Esse tandem 7. *perfectissimum*, omnis ignorantiæ, incrementi, processus, ac mutationis, à notiori ad ignotius, ac similium imperfectionum, quas discursus implicat, plane cassum. Reformatorum sententia. cum suis rationibus.

Objectio.

Nec his obstat, quod *ratiocinationes* humanas intelligat: quoniam intelligit, non *ratiocinando*; sed *intuendo*, *cogitationes* nostras, è *longinquo* Psalm. CXXXIX. 2.

3. An circa futura contingentia & li-

XIX. Quæritur 3. *An circa futura* contingentia & libera, *Deo competat*, *præscientia* conjecturalis *tantum*? Olim cassi Pelagiani, quia verebantur, ne ex *certa* Dei *præscientia*, periret rerum *contin-*

bera, Deo competat præscientia tantum conjecturalis?

gentia, & indifferentia liberi nostri arbitrii; agnoscebant solam in Deo præscientiam *conjecturalem*. Sociniani, eorum sequaces ex asse, idem sentiunt, & eisdem etiam hypothesibus. Unde Socinus etiam, in suis *Prælectionibus* aperte profitetur: stante Reformatorum doctrina, de certa Dei præscientia, omnium futurorum contingentium, non posse defendi rerum contingentiam, aut arbitrii nostri libertatem: ut ex eis ruant, *æterna* & *immutabilis* prædestinatio, *perseverantia* sanctorum, certa salutis *persuasio*. Reformati existimant *conjecturalem* istam præscientiam, & *Scripturæ* & *naturæ* divinæ adversari.

Ex Scriptura.

Scripturæ quidem, quando testatur (a) Deo nota esse *omnia opera sua, ab æterno* Act. xv. 18. (b) nihil, etiam vel maximè contingens, fieri; nisi prævio jussu divino Thren. III. 37. Prov. XVI. 33. (c) ipsum etiam futura contingentia *prævidere* Psal. CXXXIX. 1. 2. Imo & (d) *prædicere*, pluribus etiam seculis, ante quam eveniant, prout, in mille patet vaticiniis: de nativitate Messiæ, de persecutionibus hostium Christi Psal. II. 1. 2. & XXII. &c. collat. cum Act. IV. 25. 26. 27. Ut rectè *Tertull. lib. 2. Contr. Marcion. præscientia Dei tot habet testes, quot Prophetas fecit*, & prophetias: & *naturæ* insuper, non divinæ tantum; sed & nostræ, adversatur: per quam

Ex ratione.

1. *perfectissimo* enti, perfectissima scientia competit, qualis, nemini est, *conjectura*. 2. ens *independens*, *independenter* omnia prænovit; proinde non in *rebus*; sed in *seipso*, suique certâ & perfectâ *intuitione*, intelligit. 3. eventus nullus, futuritionem ullam, habere non potest, nisi, per *decretum* ab æterno factum, Deoque perfectissimè cognitum. 4. Deus *immutabilis*, *immutabiliter* præscit; eoque & infallibiliter. Denique 5. in *æternitate* præscit, quæ omnibus temporum differentiis coexistit, ut suis locis docuimus; proinde velut rem præsentem, certo & infallibiliter.

Objectiones.

Si causentur, Deum *contristatum* dici Gen. VI. 6. 7. *explorasse* obedientiam Abrahami Gen. XXII. 12. *exspectasse* bonas uvas, à vinea sua Jes. v. 2. & similia, quæ congerunt ex Gen. XVIII. 21. Exod. XVI. 4. Deut. VIII. 2. Psal. LXXXI. 10. 14. 15. proclivis est responsio, quæ ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, θεοπρεπῶς esse intelligenda, juxta tritum Athanasii. Tum etiam si causentur: futura contingentia, non habere *determinatam veritatem*; occurrimus non habere quidem *in se*, habere tamen in *decreto* divino, qui agit omnia, secundum consilium voluntatis suæ Eph. I. 11.

4. An præter scientiam naturalem & liberam, detur in Deo scientia media? Quid Jesuitæ?

XX. Quæritur 4. An præter præscientiam *naturalem*, seu simplicis intelligentiæ, & *liberam*, seu visionis, in Deo sit scientia aliqua tertia, quam *mediam* appellant? Jesuitæ, quos sequuntur Remonstrantes; aliique Semi-pelagiani, ut *certam* futurorum liberorum præscientiam in Deo, commodius tueri possint, contra Pelagianos & Socinianos, atque etiam illibatam haberi, liberi arbitrii *indifferentiam independentem*: præter scientiam *naturalem*, qua, ex naturæ suæ omnisufficientia, Deus nôrit *possibilia*, & *liberam*, qua, ex *decreto*, sciat *futura*; *tertiam* quandam excogitarunt, qua, futura libera, Deus certo præsciat, sed *non ex decreto*; verum ex conditionibus περιστατικοῖς, quibus positis, voluntas seipsam determinet ad hoc aut illud. Et tertiam istam, scientiam *mediam* baptizarunt, duplici modo: 1. quod talis sit, quæ nec ad scientiam *naturalem* spectat, nec ad *liberam*: non ad *naturalem*, quia pro objecto habet, non possibile; sed *futurum*: non ad *liberam*, quia non novit *ex decreto*: interim 2. quod participet de utraque: de *naturali*, quod sciat non ex *decreto*; de *libera*, quod occupetur, circa *futurum*. Super gloria paternitatis, hujus ἐυρήματος, contendunt duo Hispanienses Theologi, Petrus Fonseca & Ludovicus Molina. Reformati novitium istud ἔυρημα, velut otiosum, falsum & perfectioni divinæ injuriosum, explodunt.

Quibus argumentis corruat?

XXI. His potissimum rationibus, quia ista *scientia*: 1. superflua est, cum omne *scibile*, receptæ duplici, naturali ac liberæ objiciatur. Si enim consideretur, ut *merè* possibile: procul dubio, subest scientiæ *naturali*: si, ut connexionem habens, cum his & illis causis secundis, adeoque ut *futurum*, si illis causis secundis construatur, licet nunquam actu futurum, illi exponitur scientiæ, quæ nititur decreto, quod constituit illum ordinem, creatione rebus olim conferendum, ut v. g. stramen aridum exuratur, si flammæ construatur, quamvis construendum aut exurendum, Deus nunquam decreverit: denique *actu* futurum, scientiæ *liberæ* expositum est. Tum 2. quia *idea*, in cujus *intuitu*, scientiam divinam confistere audivimus: duobus modis tantum considerari potest: vel *antecedenter*, in signo rationis, ad decretum, & sic præstat scientiam *simplicis intelligentiæ*: vel *consequenter*, & sic scientiam *visionis* præstat. 3. Quia per hanc scientiam, intellectus Dei ideas hauriret *aliunde*, adeoque penderet à creaturis. Contra 4. *voluntas* humana, ejusque *prima* determinatio; eximeretur à dependentiâ divinâ. 5. *Connexio* illa, quæ est, inter eventum, liberè aut contingenter futurum, & circumstantias illas, utpote decretum divinum antevertens; non subesset voluntati divinæ. E quo 6. *fatum* emerget, plus quam Stoicum, ipsi Deo prorsus indeclinabile: quoniam, eventus ille futurus censetur, *antecedenter* ad omne beneplacitum divinum. Porro 7. nec *scientia* dici merebitur, cujus nullum est objectum verum. Quod enim nec *in se*; nec in *causa* suâ, ullam determinatam habet veritatem; illud etiam *scibile* non est. Et scire, quod non est scibile, nunquid implicat? Proinde 8. *conjectura* rectius dicetur, quam *scientia*. Imo 9. *error* etiam;

etiam: qui enim intelligit ut *certò futurum*; quod potest fieri & non fieri, seu quod *non est* certo futurum; is procul dubio errat. Conf. Twissus de *Scientia media*. Rhetorfortes in *Exercitat, de gratiâ*, & alii.

Objectiones præcipuæ, pro scientiâ mediâ.

XXII. Objiciunt interim: 1. loca illa, quibus Deus prædicit sub conditione futura, quæ nunquam decreverit, v. g. 1. Sam. xxxiii. 11. 12. Matth. xi. 21. Jer. xxvi. 2. 3. &c. Resp. Prævidit scientiâ *liberâ* ex decreto, quo Deus constituit, rebus omnibus, suo tempore eum conferre ordinem, per quam, exhac rerum constructione, talis esset secuturus eventus, si modo ordinarius concursus Dei accederet. Ex eo *ordine* prædicebat, Kehilitas Davidem esse tradituros. Est enim hic rerum ordo, ut inimicus inimicum tradat, si modo possit. Conf. 1. Sam. xxiv. 20. Alias aliorum peculiares responsiones, passim obvias, brevitatis studio, suis Auctoribus relinquimus. 2. Quod omnia quæ *eveniunt*, ab æterno fuerint *futura*, etiam antecedenter ad decretum Dei: alterutra enim contradictoriarum: aut futurum est, aut non futurum; etiam antecedenter ad decretum, vera fuit, quam proinde Deus præscivit, non scientia *naturali*, quæ circa *pure possibilia* distinetur; nec etiam *liberâ*, quæ decretum sequitur: Ergo est tertiâ quadam seu *mediâ*. Resp. Alterutram contradictoriarum, antecedenter ad decretum divinum, *determinatò* futuram, aut non futuram fuisse, pernegamus. Equidem logicè, alterutra contradictoriarum tantum, vera esse potuit; sed indeterminatè, h. e. alterutra tantum *disjunctivè*, existere potuit, quod Deus, scientia *naturali* tenebat. 3. Quod citra istam *mediam* scientiam, non appareat via, conciliandi eventuum contingentiam arbitrii libertatem, futurorum contingentium *certam* præscientiam, cum decretis divinis, cum providentia, cum gratiâ conversionis. Resp. Discordia illa, liberi arbitrii cum decretis & cum præscientiâ divinâ, quam tollere promittit hæc scientia, non in alio est, quam in perversâ liberi arbitrii definitione, per quam non est, nisi, *facultas, quâ, positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere aut non agere*, atque adeo, omnis omnino futuritionis certitudo, & dependentia liberi arbitrii secludatur: quâ proinde, rectiori definitione, (per quam non est, nisi *facultas agendi ex consilio*) sublatâ; cessat omnis discordia. Decrevit enim Deus, multa futura, per causas *contingentes*, multa, per causas *liberas*, cui nihil derogat præscientia *visionis*. Verum hæc recurrent in Capp. de *decretis*, de *providentiâ* de *libero arbitrio*, de *conversione*.

5. An rerum possibilitas à Deo non cognoscatur, nisi ex decreto?

XXIII. Quæritur 5. *An rerum* possibilitas, *à Deo non cognoscatur, nisi ex decreto voluntatis, quo hoc aut illud*, voluit *esse* possibile, *aut* non possibile? Cartesiani, quia *possibilitatem* illam, volunt habere *realitatem* quandam, & nullam realitatem obtinere posse, nisi à voluntate divina: statuunt, istius realitatis, seu *possibilitatis*, Deum non posse habere *cognitionem* ullam: nisi ex *voluntate*, seu decreto, quo voluerit hoc esse *possibile*, quando aliud *non* voluit esse possibile. Distinctius, sententiam Cartesianam, repræsentatam habes, *Gangræna* nostræ, Sect. 11. cap. x. §. 2. Reformati, ut largiuntur, omnem creaturarum *possibilitatem*, fundatam esse in *Deo*; sed non in *voluntate* Dei, prout concipitur à nobis, ut diversa ab *essentia* Dei omnisufficiente: & sic statuunt, rerum *possibilitatem* fundatam esse, non in *voluntate* Dei, ad omnem creaturam, indifferente, sed in essentia omnisufficiente, quæ à nobis concipitur, ut voluntatem ejus, in *signo rationis*, ut loquuntur, *antecedens* naturâ: proinde, ut quam maxime distincte, rem habeant; concipiunt, in Deo: *posse*, à quo rerum *possibilitas* resultat. 2. *scire* se posse, à quo scientia *naturalis* existit. 3. *velle* ut sit aliquando, à quo *decretum*, & rei *futuritio* manat. 4. *producere* per potentiam *exsecutivam*. Hujus suæ sententiæ rationes habent: 1. Quod, ex hypothesi sententiæ adversariæ, possibilia habuissent *realitatem*, seu, quod idem est, *entitatem* & essentiam aliquam, ab *æterno*: & per hoc, æternitas non erit attributum Dei incommunicabile, ut ex ea, deitatem Filii ac Spiritus S. adversus Antitrinitarios, solide possimus conficere. 2. Rerum possibilitas, penderet præcise à volitione Dei: id quod multa infert ἄτοπα, v. g. Deum, si voluisset, efficere potuisse, ut contradictoria simul essent vera: cum omnis *possibilitas* pendeat ab ejus *voluntate*: ut Deus esset, & non esset: ut omnipotens esset, & simul non esset, hominem esse hominem, & non hominem, & sic porro in omnibus: eadem ratione sequeretur, Deum potuisse, si modo voluisset, officiis istis omnibus, quæ nobis præscripsit, plane contraria præcipere, v. g. ut se non haberemus pro Deo, se non diligeremus; quin contra, ut se odio prosequeremur, blasphemaremus, & hæc etiam, si voluisset, bona futura fuisse. Quin &, si *voluntas* Dei, sit causa omnis possibilitatis, veri ac boni, & ad omne bonum, voluntas Dei indifferens sit, adeo ut NULLUM bonum *fingi* possit, ut loquuntur, antequam voluntas se determinarit, ad efficiendum, ut id tale esset: tum & ipse Deus, bonus erit, sapiens, justus -- quia vult, & si non voluisset esse bonus, justus; tum talis non fuisset. Porro 3. si rerum possibilitas, a sola voluntate, seu decreto Dei, pendeat; tum & *sufficientia* & *perfectio* Dei, pendebit à voluntate & decreto ejus, adeo ut omnisufficiens & perfectus, ideo demum sit, quia vult & decrevit talis esse: ratio est quia omnisufficientia, & infinita ejus perfectio, quippe quæ, infinitis modis, q. frustulatim, extra Deum, re-

repræsentari potest, fundamentum est, omnis *possibilitatis*. 4. Ex hypothesi hujus sententiæ, pro recepta hactenus, in orbe Reformato, scientiæ divinæ dichotomia: non *triplex* tantum, ut nuper Jesuitæ finxerunt; sed *quadruplex*, erit adoptanda, quemadmodum jam ante repræsentavimus. Fundamentum sententiæ Cartesianæ, in his ferme duobus consistit: 1. Quod ab *una parte* statuant, res possibiles, etiam quatenus distinguuntur à Deo, & *ideis* divinis (quod sat clare innuit Cl. Wittichius, *Theol. pacif.* §. cc.) habuisse ab æterno, aliquam *realitatem*, seu essentiam: sed *æternitas* hactenus, per Reformatos, Deo fuit peculiaris: ab *altera parte*, quod ista rerum possibilum *æterna realitas*, necessario debeat pendere, non tantum *à Deo* simpliciter, sed *præcisè à voluntate Dei*, ad omnia, indifferente, cujus contrarium hactenus, tot absurdis consectariis, demonstravimus. In hoc igitur est nidus hujus erroris, quod non distinguant, inter *essentiam*, & voluntatem Dei, à quo fit, ut rerum *possibilitatem*, quæ ab *essentia* resultat, referant ad ejus *voluntatem*.

Pars practica.

Praxis omnificentiæ distinæ; 1. Est glorificationis divinæ.

XXIV. Sic ad *praxin*, rectâ progredimur. *Primò*, monstrante textu, argumentum egregium præstat, *glorificationis* divinæ, ut nim. exclamemus: *ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας καὶ γνώσεως τοῦ θεοῦ*! Item *Soli sapienti Deo, honor sit & gloria in secula* 1. Tim. 1. 17. Quod 1. ens sit, non *ἄλογον* natura, aut coactè, aut temere agens; sed *summè* intelligens. 2. Intellectu independenti, simplicissimò, immutabili, æterno, & infinito, adeoque *perfectissimo*, gaudens. Quo 3. non multa; sed *omnia*, omnesque omnium rerum veritates, adeo perspicit exactè, ut q. *ejus oculis nuda sint & τετραχηλισμένα* Heb. IV. 13. Nec perspicit tantum; sed 4. adeo quoque, omnia sua judicia, vias, opera instruit sapienter, ut exclames: *ὡς ἀνεξιχνίαστα τὰ κρίματα αὐτοῦ*! *καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ*! Item: *Quam multiplicata sunt opera tua! omnia ista in sapientiâ fecisti* Psalm. CIV. 24. Si enim hominem celebramus præ bruto, ab intellectu Psal. XXXII. 9. si hominem, *gradu* qualicunque, *scientiæ* & sapientiæ vulgo potiorem, tanti facimus: aut, qui specimen aliquod egregiæ *sapientiæ* ac prudentiæ præstiterit: quanti non *Deum* faciemus! cujus *sapientia altior est cœlis, profundior abysso, longior terrâ, latior mari* Job. XI. 8. 9. Si comprimis, distinctè cogitemus ejus opera: creationis, gubernationis, redemptionis, & ineffabile illud, *pacis consilium*, totamque trium Personarum, circa illud œconomiam, tum nunquid erumpemus cum Psalte? *Celebrabo te Domine, quod terribilia sunt opera tua, mirabilia sunt, & admiranda opera tua, & anima mea cognoscit abunde* Psalm. CXXXIX. 14. & XCII. 6. Jer. X. 12. 13. & LI. 15. 16. Suppetit igitur, à *scientiâ* & *sapientiâ* Dei, multiplex glorificationis argumentum: sed quâ ratione instruendum? Resp. Sicut, 1. miremur *corde* Psal. CXXXIX. 14. 2. celebremus *ore: Celebrabo te Domine... O profunditas*!...3. imitemur *opere*, insatiabili & q. infinito, scientiæ divinæ studio. De quo paulo abhinc.

2. Humiliationis humanæ.

XXV. Tum contra *secundò*, nobis præstat *humiliationis* argumentum, ex collatione nostræ ignorantiæ & stultitiæ, cum infinitâ *Dei scientia* & *sapientia*. Exemplo Asaphi Psal. LXXIII. 22. & Agur Prov. XXX. 2. 3. 4. Est hoc *scientiæ* naturalis, seu *carnalis* potius, ingenium, quod *instet* 1. Cor. VIII. 2. quod extollat 2. Cor. X. 5. Videas enim, qui vel tantillum, supra vulgum sapiunt, vel in rebus levioris momenti, v. g. in grammaticis, poeticis, imo in mechanicis; ut cristam erigant, quanti sibi sint, quanti aliis esse velint, quantum sibi ab omnibus polliceantur, quam sint insolentes, si ex opinione suâ, non obtineant. Hîc igitur, factum quid efficacius obtundet, quam cogitare, quantillum, sit, *quod scimus* supra alios, imo *quantum sit, quod nescimus*, nostra comprimis sapientiâ superficiali, collatâ cum abysso scientiæ & sapientiæ *divinæ*. Quid ad *humilitatem* efficacius invitabit? (si vel egregiâ scientiâ & sapientiâ præ multis polleas) quam Deus inculcat Jer. IX. 23 si non (1) cogitare Deum sapientissimum esse, qui nos *sapientiores faciat brutis* Job. XXXV. 11. Proinde (2) sibi acclamare: *quid habes, quod non acceperis? & si accepisti, quid gloriaris, tanquam qui non acceperis?* 1. Cor. IV. 7. Quin & (3) quod *gratis*, præ aliis acceperis, Deo, submissa gratitudine, referre, eaque ratione *νοήματα καθαιρεῖν, καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ* 2. Cor. X. 5. Quin & (4) horrendum Dei judicium, in fastum sapientiæ *mundanæ*, cogitare 1. Cor. I. 19. 20.

3. Modestiæ.

XXVI. E duobus præcedentibus, *tertiò* peculiariter emergit, argumentum *modestiæ*, quotiescunque (a) circa *judicia* Dei occupamur, in alios exercita: aut (b) circa *vias misericordiæ*, in nos aliosque: aut (c) circa *sapientiam* Dei *προφορικὴν* 1. Cor. II. 6. 7. (d) circa verbum Dei & *mirabilia legis* Psal. CXIX. 18. imprimis (e) circa *δυσνόητα δύσκολα, ἐναινιφανῆ, ἄλυτα* circa (f) *mysteria* fidei. Hic, quid efficacius, ad modestiam nos, formabit, quam *sapientiæ* divinæ, cum nostra stultitia, devota collatio? ut non modo cogitemus: *τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ, σοφώτερον εἶναι τῶν ἀνθρώπων* 1. Cor. I. 25. Item, *ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως θεοῦ*! sed etiam, cane pejus & angue caveamus, *nostra* sapientiâ: 1. *divinam* sapientiam, ad lineas vocare, in negotiis Dei ac fidei, cum *carne & sanguine conferre* Gal. I. 16. prout Sociniani ac Scholastici: cum *naturalis homo, non capiat ea quæ sunt Spiritus Dei*, imo *pro stultitia* habeat 1. Cor. II. 14. Multo minus 2. *obniti* sapientiæ divinæ 2. Cor. X. 5. 1. Cor.

1. Cor. 1. 21. ψευδωνύμῳ *Philoſophiâ*, aut *inani quavis deceptione* Col. 11. 8. Aut etiam 3. nos efferre, *ſupra* ſapientiam Dei, ut *ſupra id quod ſcriptum eſt*, *ſapiamus* 1. Cor. IV. 6. aut ſupra id, quod oportet, quod, peccatum Protoplaſtorum fuit Gen. III. 4. 5. 6. & Antichriſti 2. Theſſ. II. 4. Quod eſſe poſſit, ὑψηλοφρονεῖν Rom. XI. 20. vel denique 5. quovis modo *contemnere* ſapientiam Dei: ſeu *craſſius*, eam pro ſtultitiâ habendo 1. Cor I. 18. 23. Act. XVII. 18. ſeu *ſubtilius*, quod ab illis fit, qui ſimplicitatem ſapientiæ *ſcripturariæ* faſtidientes, quotidie novos ſenſus ruſpantur, nova dogmata cudunt, aut ſi poſſint, vetera in novas, quod ajunt, formas conjiciunt, quo ſaltem *videantur* novi aliquid adinveniſſe, qui morbus eſt, noſtri ſeculi epidemicus. Quin contra (1) ſapientiam Dei *extollamus*, admiremur, exemplo Pſaltis Pſal. CIV. 24. CXIX. 18. CXXXIX. 6. & Apoſtoli 1. Cor. II. 7. & Rom. XI. 33. (2) Ei nos promptè *ſubjiciamus* Rom. VIII. 5. 7. Et ſi quando (3) obniti conetur φρόνημα σαρκός, ejus ratiocinationes *captivemus*, & ad *obedientiam Chriſti redigamus* 2. Cor. X. 5. eique occinamus illud Zophris: *Num inveſtigationem Dei invenies! & ad perfectionem omniſufficientis pertinges! Altior eſt cœlis, quid facies? Profundior inferno, quid cognoſces?* Job. XI. 7. 8.

4. Deteſtandi peccata.

XXVII. Porro *quarto*, argumentum præſtat adverſus peccata *tam præterita*, ut eorum (a) *recordemur* Apoc. II. 5. (b) ut ea *doleamus* Jer. XXXI. 18. 19. (c) ut Deo *confiteamur*. Pſal. XXXII. 5. (d) ab eis nos *convertamus* Apoc. II. 5. quod Deus *omniſcius*, omnia illa videat Hoſ. VII. 2. quod nôrit omnia noſtra *cogitata* Pſal. CXXXIX. 23. utcunque latentia, in intimo *cordis* 2. Paral. VI. 20. omnia noſtra *dicta* Pſal. CXXXIX. 4. omnia noſtra *facta*, cum omnibus ſuis *circumſtantiis*. Ibid. verſ. 3. eorumque exactiſſimam *memoriam* foveat Pſal. CIX. 14. Hoſ. VIII. 13. & IX. 9. nec deponat, niſi per, & poſt noſtri converſionem Jer. XXXI. 34. Num. XXIII. 21. Act. III. 19. Mich. VII. 19. Ezech. XVIII. 21. *Tum futura*, ut ſeriò deteſtemur, vel leviſſima, & ab omnium creaturarum conſpectu remotiſſima: quod non tantum teſtis eorum; ſed & Judex ac vindex, *omniſcius* ſit, in cujus conſpectu perpetrantur, quique καρδιογνώστης eſt, cujus *oculis, omnia nuda ſunt, & intimè patentia* Heb. IV. 13. Juvat huc, expendere loca Job. XXXIV. 21. 22. Pſal. XCIV. 7. Job. XXII. 14.

5. Sinceritatis in quovis officio.

XXVIII. Rurſus *quintò*, argumentum præſtat *ſinceritatis*, in omnibus officiis noſtris; tum *verſus Deum*, ſeu publicè ſeu privatim præſtandis. Exemplo Davidis. 1. Paral. XXIX. 17. *Novi Deus mi, quod tu ſcrutaris cor, & rectitudines amas, ego in rectitudine cordis mei ſponte obtuli omnia iſta:* & Pauli 2. Cor. I. 12. Nominatim in exercitio quorumvis bonorum operum, quod Deus, benigniſſimus μισθαποδότης Heb. XI. 6. *nôrit opera* noſtra Apoc. II. 2. 13. 19. & III. 8. eorumque *recordetur*, velut libro memoriali, exactiſſimè conſignatorum Mal. III. 16. idque ut *remuneretur* Act. X. 4. Conf. Neh. V. 14. 19. & Cap. XIII. 10. 14. 22. 31. Item Jeſ. XXXVIII. 3. Tum etiam *verſus proximum*, ut omnia, velut in conſpectu Dei, peragamus Col. III. 22. 23. qui & rememoraturus & *commemoraturus* aliquando ſit, in extremo judicio Ibid. verſ. 24. Matth. XXV. 34. 35.

6. Fiduciæ & conſolationis.

XXIX. Inſuper *Sextò*, argumentum fiduciæ & *conſolationis*. Tum in *publicis* Eccleſiæ tenebris, quando & Satanas & Anti-Chriſtus, & utriuſque ſatellites, machinationibus & inſidiis, tantum non ἀνεξερευνήτοις καὶ ἀνεξιχνιάστοις, Eccleſiam adeo impetunt, ut vix appareat evadendi rima; tum quid efficacius ſuccurret, quam oculis Dei, *cuncta nuda eſſe & intimè patentia*, ridere Deum in cœlis conſilia eorum Pſal. II. 1. 7. dicere: *inite conſilia & fruſtra ſint omnia* Jeſ. VIII. 10. Tum in *privatis* cujuſque fidelis afflictionibus, morbis, paupertate, perſecutionibus, periculis: quod miſericors Pater *videat* Pſal. X. 13. 14. Sed *vides, quoniam tu perverſitatem & iram aſpicis, tibi* cauſam ſuam *relinquit pauper, pupillo tu es adjutor....* Et *vidit* Exod. III. 7. Apoc. II. 2. 9. Jeſ. XLIX. 15. Peculiariter; in *egeſtate*, ubi vivendi media deficiunt; quid efficacius ſuffulciet, quam tenere, quod Deus *ſciat*, terebus terrenis indigere Matth. VI. 31. 32. Atque etiam, in *deſertionibus* ſpiritualibus, quando Deum noſtri *oblitum* ſuſpicamur Pſal. XIII. 2. 3. & LXXVII. 10. 11. & LXXXVIII. 6. tum quid efficacius ſug & oggerere poſſis, quam illud Jeſ. XLIX. 15. *Nunquid* oblivi ſcetur *mulier infantis ſui, ut non miſereatur filii uteri ſui? etiamſi iſta obliviſceretur: ego tamen tui non obliviſcar.* Item: *novit Dominus qui ſint ſui* 2. Tim. II. 19. Denique, in quâvis anguſtia & ἀπορίᾳ, qua huc ſæpenumero adigimur neceſſitatis, ut non ſuppetat rimula, per quam effugiamus 2. Paral. XX. 12. ut dicamus: *quo fugiam à Spiritu tuo?* Pſal. CXXXIX. 7. Item: *quid faciemus viri fratres?* Tum, quid efficacius recordabimur, quam illud 2. Pet. II. 9. *Ita novit Deus ſuos eripere.* Ipſum, cui nullus Conſiliarius, nobis futurum Conſiliarum Pſal. LXXIII. 24. ac dediſſe inſuper Filium ſuum, qui, ex officio, noſter eſſet *Conſiliarius*. Jeſ. IX. 6.

7. Studio ſcientiæ & ſapientiæ ſpiritualis. Qualis illa?

XXX. Denique *ſeptimo*, argumentum invitans ad *ſtudium ſcientiæ* & ſapientiæ, nè bruta ſimus, quibus *non eſt intellectus* Pſal. XXXII. 9. Scientiæ inquam & ſapientiæ, non qualiſcunque: non (a) *imaginariæ*, qua ſapientes ſimus in *oculis propriis* tantum: aut *videri* malimus, quam eſſe Prov. III. 7. Rom. I. 22. 1. Cor. III. 18. Nec (b) fucatæ, *carnalis*, ſeu φρονήματος σαρκὸς Rom. VIII. 6. qua, *cum carne & ſanguine, conſulimus* Gal. I. 16. ἐπίγειοι φρονοῦντες Phil. III. 19. Nec (c) *doloſæ*, ſeu πανουργίας Luc. XVI. 8. Multo minus (d) *diabolicæ* illius, de qua Jac. III. 15. Conf. Gen. III. 1. Nec (e) *mundanæ*

dana 1. Cor. 11. 6. & deceptricis, ac *veteratoria* Philosophiæ Col. 11. 8. sed *vera*, quæ sit *sapientia* Dei 1. Cor. 11. 7. ἡ ἄνωθεν σοφία Jac. 111. 15. φρόνημα τοῦ πνεύματος Rom. VIII. 6. *Spiritualis*, quam *docet Spiritus S.* 1. Cor. 11. 13. Civilis quidem ac *politica* etiam, qualis Salomonis 1. Reg. IV. 33. & Bezaleelis Exod. XXXI. 3. sed quæ nihilominus, *à Deo* sit, & *secundum Deum* Jac. 1. 5. 1. Cor. 111. 19. 20. Sed imprimis *Theologica*, quæ est *in mysterio* 1. Cor. 11. 7. qua, *quæ sunt Dei* spiritualia, *spiritualiter dijudicamus*. Ibid. vers. 11. 14. Ifthâc sapientiâ 1. à *brutis* distamus Job. XXXV. 11. Psal. XXXII. 9. Distamus 2. ab *infidelibus* Psal. LXXIX. 6. Jes. 1. 3. Et 3. à *stultis* Prov. XV. 7. Hac. 4. Ad *Deum accedimus*, eumque *imitamur* in præcipua quadam sua perfectione, quæ est in *sapientiâ & cognitione*, in quâ imitatione nostra consistit *perfectio* Matth. V. 28. Ut 5. in eâ solâ *gloriari* fas sit Jer. IX. 24. Quippe 6. à quâ, Deus nostri *justificationem* Jes. LIII. 11. & *salutem æternam* Joh. XVII. 3. suspendit. Dum contra 7. ignorantiæ, iram, *indignationem* suam Psal. LXXIX. 6. & *excidium* addixit Hos. IV. 1. 6. 2. Thess. 1. 8. 9. Atque ut studendo, feliciter consequamur istam scientiam & sapientiam divinam, necessum 1. ante omnia, ut ejus adeamus *fontem*, scil. *profunditatem sapientiæ & cognitionis: Patrem luminum: fontem vitæ, in cujus luce, fruimur luce* Psal. XXXVI. 10. ad ejus pedes nos humillimè componamus. 2. Ejus institutionem illuminationemque, calidissimis *supplicationibus* ambiamus Jac. 1. 5. Dan. 11. 21. Exemplo Salomonis 1. Reg. 111. 11. Porro 3. ejus *correctionibus*, nos morigeros præbeamus ac dociles Psal. XXV. 4. & CXLIII. 10. eâ ratione, procul dubio, sapientiores evasuri *inimicis*, imo & præceptoribus nostris Psal. CXIX. 48. Interim 4. propriam, ac *carnalem* sapientiam, abnegemus 1. Cor. 111. 18. Gal. 1. 16. 2. Cor. X. 5. Denique 5. *Spiritualem*, ac divinam sapientiam adepti; in eâ constanter *ambulemus* Eph. V. 15.

Quibus adminiculis impetranda?

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE

VERACITATE ET FIDE DEI.

Rom. 111. vers. 3. 4.

An incredulitas eorum, fidem Dei inutilem reddet? Absit: Imo esto Deus verax, & omnis homo mendax.

Secunda intellectus perfectio est veritas:

I. Sicut *voluntas*, sua natura, fertur in *bonum*, velut tale, quatenus non est, nisi appetitus rationalis, boni, ut cogniti: ita *intellectus*, sua natura fertur in *verum*. Et cum intellectus perceptio, tum demum *vera* sit *logice*, cum percipit convenienter rei, quam percipit; & *elocutio*, tum demum *vera ethice*, cum conveniens est, perceptioni intellectus; & quando elocutio ista, consistit in promissionibus, tum demum *vera* audiat, quando exsecutio, cum promissis congruit: ex his demum nascitur in Deo, & *veracitas* ejus, & *fides*, quæ duo *intellectui* divino subjungemus, velut totidem ejus affectiones, quia ab intellectu sunt, utpote, qui *falli*, & *fallere* nequit. Istud negotium superstruemus, verbis Pauli Rom. 111. 3. 4.

Pars exegetica.

Quæ superstruitur exegesi textus.

II. *Hujus* apologiam, *Apostolus præstat, adversus difficultatem, quæ moveri potuisset ei, à perfidiâ Judæorum; quos, contra datam, tot promissionibus fidem, Deus rejiciendo*; veracitati *suæ vim facere videatur. Cui Apostolus occurrit:*

I. Προλήψει *quadam seu* occupatione, *quæ difficultatem movet*: μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν, τὴν πίστιν τοῦ θεοῦ καταργήσει? *h. e. Num eorum incredulitas & rejectio, promissionum divinarum fidem irritam faciet: Occurrit hic:*

1. Ἀπιστία *Judæorum*, lædens. *Quâ nim. Christum sibi tot promissionibus oblatum, noluerint recipere Joh.* 1. 11. *&, ob hoc rejecti à Deo sint Rom.* XI. 1. 2.

2. Πίστις θεοῦ, læsum. *Quæ notat* (1) ἀυτοπιστίαν & ἀξιοπιστίαν, *ob quam, omnino dignissimus est cui securissime credatur.* (2) Constantiam & *immutabilitatem, in decretis Num.* XXIII. 23. *Prov.* XXX. 5. 8. (3) Fidelitatem, *in præstandis promissis* 2. *Cor.* 1. 18. 20. (4) Veracitatem, *in dictis quibusvis Jer.* X. 10. *Hoc loco fidelitatem potissimum designat.*

3. Ka-

3. Καταργήσει, læsio, *per Judæorum incredulitatem causata. Dicitur autem* καταργεῖσθαι, *cujus vis & efficacia tollitur, quod promissionibus accidit, quando non implentur, & Judæorum fidelitate fieri videbatur, eo quod promissis de* confœderatione æternâ *Hos.* II. 10. *Jer.* XXXI. 33. 36. *repugnare videretur: ex quo tum porro, etiam* fides *seu* ἀξιοπιστία *promittentis paulatim atteratur & evanescat: qui enim non præstat promissum;* fidem *amittit. Deum autem hoc* interrogative *proponit:* μὴ.... καταργήσει: *fortissime negat; velut quovis, pro testibus, sistens, hoc injustissimum fore: quasi dicat: quis dicet, fas esse, ut* fides Dei, *tot promissionibus fulta,* quorundam *Judæorum* infidelitate *enervetur?*

2. Ὑποδολῇ *seu* subjectione, *qua mota difficultas tollitur:*

1. Rejectione *quadam abominativa:* μὴ γένοιτο: ne sit, ne fiat *hoc, absit, Hebr.* חלילה *formula est, valde aversantis, & cum detestatione negantis, fas esse, ut Deus laboret, propter impietatem hominum.*
2. Electione *quâdam substitutivâ:* γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθής. Imo sit, *vel esto, vel maneat,* Deus verax. *Ubi occurrit:*
   - A. *Ab* unâ *parte,* electum: sit Deus verax: *sit* constans, fide dignus: *sint edicta Dei, per omnia, & menti & rebus conformia: sit* fidelis *in omnibus promissis suis.*
   - B. *Ab* alterâ *parte,* relictum: *Et* omnis homo mendax. *Vel* sensu comparativo: *quamvis omnes homines fierent mendaces, aut fidem fallerent; hoc enim præstaret, quam illud: Vel* absolute, *esto, quod omnis homo* mendax *sit, Deus tamen* verus *manebit. Hîc* ψευστής, *non talem denotat, qui se mendaciis* tradiderit, *aut* actu *mentiatur; sed qui mentiri* possit, *quod omnibus hominibus* commune *est. Et* γινέσθω *hujus membri, non* imperativè *capiendum; sed* permissivè, *ut sensus sit: maneat Deus verax, & manebit, quamvis omnis homo sit mendax & mentiatur.*

Pars dogmatica.

Universalis Dei veritas & fides probatur Scripturis.

III. *Veritatem* istam ac *fidem*, universalem & immotam, quam soli Deo textus tribuit, passim, nec uno modo, confirmat S. pagina, quotiescunque (1) eum exsertè *verum* prædicat Jer. x. 10. 1. Thess. 1. 9. 1. Joh. v. 20. (2) falli & fallere *nescium* Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 26. Tit. 1. 2. Heb. VI. 18. Sigillatim (3) in *verbis*, sic veracem, ut sit *veritas* Joh. XVII. 17. item (4) in *operibus*, sic ut *omnes viæ Domini, sint misericordia & veritas* Psal. XXV. 10. Apoc. XV. 3. & XVI. 7.

Et rationibus probatur.

IV. Nec potest non esse. Quia (1) omnis falsitas ac deceptio, vel est ab *imperfectione*, quod non rectè scias; vel à *malitiâ*, quâ quod scis, aut prout scis, nolis enunciare; dum utrumque horum repugnat ei, qui est *Deus veritatis* Psal. XXXI. 6. cujus *Filius*, est ipsa *veritas* Joh. XIV. 6. & *Spiritus, Spiritus veritatis* Joh. XVI. 13. (2) Non posset esse *ulla veritas*, aut quicquam verum; si Deus *non* esset verus & verax: quatenus non potest esse *secunda* veritas, quæ non sit à *primâ*. Aut igitur creatura haberet, quod non accepisset à Deo; aut accepisset veritatem, ab eo qui non haberet. Quod repugnat ei, qui ipsa est *veritas* essentialis Psal. c. 5. & *solus*, suo modo, verus est Rom. III. 4. Quapropter etiam, per *veritatem*, à Deastris discriminatur 2. Paral. XV. 3. Joh. XVII. 3. Ut rectè Philo: *singula Dei verba, sunt juramenta.* Et Fulgentius: *veritas sine fallacia; bonitas sine malitia, felicitas sine miseria.*

Quid & quotuplex veritas in genere.

V. Constitit autem veritas quævis, in *convenientia*, vel *speciei* cum *re*, quâ aurum distat, ab aurichalco: & hæc veritas, *metaphysica*, seu *transcendentalis*, dici consuevit, forte tamen in convenientia cum *idea divina* accuratius quæretur: vel *mentis* cum *re*, quâ rem sic capimus, ut est, & veritas *logica* dicitur: vel *verborum* cum *mente*: quâ sic enunciamus, ut capimus, quæ veritas *ethica* dicitur. Prima veritas opponitur *fuco*: secunda errori & *falsitati*: tertia *mendacio*, quod non est, nisi *contra mentem ire.*

Quid & quotuplex Dei veritas.

VI. Quævis harum, Deo competit ὑπερόχως. Habet enim: 1. per *essentiam*, quicquid est veræ deitatis, absque ullo *fuco* Joh. XVII. 3. contra quam Deastri, qui nihil *divini* gestant in se, tantum *speciem* mentiuntur, aut obtinent in cerebro, cultorum suorum Psal. CXV. 5. 6. Tum 2. *mens* ejus, exactissimè congruit cum *rebus ipsis*, quia omnia perspicit *in se*, nec est creatura, ἀφανὴς coram eo Heb. IV. 13. Porro 3. *enunciatio*, cum conceptu (quamvis non satis attendenti, aliquando *non* videatur congruere, ut Gen. XXII. 2.) (a) in *narrationibus* omne genus. (b) in *prædictionibus* futurorum Gen. XLIX. 10. Jes. XXXIV. 16. (c) in explicatione *dogmatum* salutarium. Psal. XIX. 8. (d) in *comminatione* suppliciorum Deut. XXVIII. 15. Apoc. XIX. 11. (e) in *promissionibus* beneficiorum Ibid. vers. 1. 2. Cor. 1. 18. 20. In quo peculiariter, constitit ejus *fidelitas*. Denique 4. *Operatio* omne genus, cum *propositio* & enunciatione. Hinc *fidelis* dicitur (a) in *decretis*. Jes. XLV. 24. 27. (b) in *creatione*. 1. Pet. IV. 19. (c) in *redemptione*. Heb. II. 17. (d) in *gratia* Joh. 1. 17. (e) in *protectione* & conservatione Ecclesiæ Apoc. XIX. 11.

Veracitati divinæ contraria.

VII. In omnibus, universalis ista Dei *veracitas* ac fides, excludit (perinde ut in creaturis, & magis etiam) (1) quodvis *falsum*, & à rebus dissentaneum Prov. VI. 19. (2) *Hypocrisin*, & id genus quævis simulationes: Psal. XV. 2. (3) *Falsiloquium*, seu men-

mendacium Tit. 1. 2. Heb. VI. 18. (4) *Fallacias*, dolos, fraudes Prov. XIV. 25. Aliaque id genus.

Pars elenchtica.

1. An Reformati, ſuis hypotheſibus, in ſidientur, omnimodæ veracitati divinæ, Deumque ſimulari doceant? Adverſariorum calumniæ.

VIII. Quæritur 1. *An Reformati, ſuis* hyhotheſibus, *inſidientur, omnimodæ veracitati divinæ, Deumque* ſimulari *doceant?* Adverſarii omnes, quanquam diverſis hypotheſibus, & gradibus, in affirmativa colludunt. Pelagiani, & Pelagianiſſantes omnes: Pontificii, Sociniani, Remonſtrantes & Lutherani, quo potentius Eccleſias Reformatas, apud ſuos denigrent, & à communione reformata, retrahant & abſterreant, tales calumnias integris plauſtris coacervant. Quod ſibi videantur obſervare, ab *una parte*, Deum in verbo ſuo dicere, quod *non velit mortem* peccatoris Ezech. XVIII. 23. 32. ab *altera parte*, Reformatos docere, quod velit mortem peccatoris, & immutabili reprobationis *decreto*, eam prædeterminaverit: rurſus, ab *una* parte, Deum in verbo pronunciare, quod velit *omnes* ſervari 1. Tim. II. 4.....ab *altera*, Reformatos tradere, Deum *non velle*, ut omnes ſerventur: porro Deum quibuſvis offerre, filium ſuum Redemptorem, eos exquiſitis rationibus invitare, ut oblatum, viva fide arripiant, & à peccatis reſipiſcant; interim tamen non velle, ut omnes credant, reſipiſcant, & ſalutem conſequantur, ex doctrina reformata, adeoque ſimulatorem agere. Conſequenter, Deum pronunciare, *ſe velle*, quod *non velit*, proinde, in *omnibus* non eſſe *veracem*. Reformati ex adverſo, ingenue proteſtantur coram Deo, ſe ſtatuere, Deum in omnibus eſſe *veracem*, ejus verba ſemper, quam exactiſſime reſpondere, & rebus dictis, & menti ſuæ, eum item *ſemper velle*, quod *pronunciat* ſe velle; ſed *eo modo*, quo vult, ſi pronunciat ſe velle *futuritionem*, ſeu eventum; tum ſemper fieri illum eventum; ſi pronunciet, ſe velle, ut hoc ſit *officium* noſtrum, ut hoc aut illud faciamus, aut omittamus; tum ſemper hoc eſſe noſtrum officium, quamvis *actu* non fiat. Ad hoc, voluntatem Dei diſtinguunt, in *legiſlativam*, qua vult & determinat, quid *nos* facere aut non facere debeamus *de jure* tantum, nihil autem de *eventu*: & *decretivam*, qua vult & determinat, quid *ipſe* facere velit, aut quid futurum aut non futurum ſit *de facto* tantum, non autem, quid *de jure* fieri debeat aut non. Hac ratione, Deum multa velle voluntate *legiſlativa*, quæ non fiant de facto, v. g. voluit, ut Pharao, dimitteret Iſraelem *de jure* h. e. voluit hoc eſſe officium Pharaonis; quod non voluit *de facto*: ex adverſo, multa fieri vult *de facto*, v. g. omnia peccata quæ fiunt, quæ non vult *de jure*, ſeu, ut noſtrum ſint officium. Id quod nos capite ſeq. ξὺν θεῷ, diſtinctius repræſentabimus. Ex quo, ſic ad objecta reſpondemus:

Reformatorum vera ſententia.

1. ſe *non* velle *mortem* peccatoris, voluntate *legiſlativa*, quatenus ſerio vult, eſſe individuum *nexum* inter converſionem peccatoris & ejus ſalutem: unde ſerio, quoſvis invitat ad converſionem, & ſcrio convertentibus ſe, promittit vitam; quamvis interim *non* velit, voluntate *decretiva*, ſeu quamvis non decreverit ab æterno, omnibus peccatoribus, fidem & reſipiſcentiam, ſua gratia conferre, ac proinde eos *actu* ſalvare. Ut Reformatorum, mens non alia ſit, Deum voluntate æterni *decreti*, non velle, ut omnes & ſinguli peccatores *actu* ſerventur: quod, ſcio, ne ipſi quidem adverſarii auſint dicere. Rurſus 2. Deum pronunciare, ſe velle. Reſp. 1. Reformati non negant, Deum velle *omnes* ſervari; ſed negant, Deum velle, ut omnes ac *ſinguli* ſerventur: negant, Deum hoc *ullibi* in verbo ſuo dicere: ſe velle *omnes* ſervari, h. e. *quoſvis* credentes & reſipiſcentes, ex quibuſvis nationibus, & hominum ordinibus Apoc. V. 9. & VII. 9. Tum 2. vult voluntate *legiſlativa*, h. e. vult *omnibus*, fidem & reſipiſcentiam *præſcribere* Act. XVII. 30. credentibus & reſipiſcentibus, ſalutem ſerio promittere, hoſque ſerio velle ſervare: non autem voluntate *decretiva* velle, ſeu ab æterno decreviſſe, ut omnes homines, *actu* conſequantur ſalutem. Sic ad tertium. 3. Quod Deus *ſimulatorem* agat, quando tot & tam exquiſitis argumentis, peccatoribus ſalutem offerat, quibus tamen non velit eandem conferre. Reſp. Deus, ſecundum Reformatos, peccatoribus credentibus & reſipiſcentibus, ſerio offert remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam Ezech. XVIII..... quamvis ab æterno, nunquam decreverit, omnibus & ſingulis, quibus offert, conferre gratiam fidei & converſionis, adeoque nec ſalvare. Proinde, ex Reformatorum ſententia, non eſt *ſimulator*.

Objectiones adverſariorum retundtur.

2. An fidei divinæ, quæ in Deo eſt, & ex eo, fidei divinæ, quæ in nobis eſt, poſſit ſubeſſe falſum?

IX. Quæritur. 2. *An fidei divinæ*, quæ *in Deo eſt, & ex eo, fidei divinæ, quæ in nobis eſt, poſſit ſubeſſe falſum?* Connectimus duplex falſum. Si enim *noſtra fides* divina, quâ credimus, non nitatur niſi *fide Dei*, quatenus prima veritas eſt & plane ἀσφαλὴς: tum, ſi fidei *noſtræ* poſſit ſubeſſe falſum; & fidei *Dei* poterit, ac vice verſa. Nec fide *divina* credi à nobis, quicquam debet, niſi, cujus veritati, *Deus ipſe* teſtimonium perhibet; nec Deus perhibet: niſi quatenus *verax* eſt; fieri proinde nequit, ut *veritas teſtimonii*, in teſte omniſciente, à *veritate rei* ſepararetur; atque etiam, ut illud non ſit verum, quod fide divinâ tenemur credere. Tota iſta demonſtratio manifeſtè confirmatur 1. Cor. XV. 14. 15. *Si Chriſtus non eſt ſuſcitatus; vanum eſt prædonium noſtrum, vana etiam eſt fides veſtra. Invenimur autem etiam falſi teſtes, quoniam de Deo teſtati ſumus, quod Chriſtum è mortuis ſuſcitaverit.* Id eſt, ſi *teſtimonium* non eſt verum; tum *teſtis* eſt falſus. Ad hæc, ſi fidei divinæ poſſit ſubeſſe falſum, tum con-

consequentia illa, omnium firmissima, nihil valebit omnino; *Deus dixit, Ergo verum est.* Argumenta sunt Amesii *Medul.* lib. 2. cap. 5. §. 25. cum quibus conferri poterit ejus Disputatio de *fidei divinæ veritate*, ubi plura prostant argumenta, & objectiones, nullius fere difficultatis, ex professo discutiuntur. Verùm, cum istam controversiam, hujus libri cap. 1. §. XXVII. dudum habuerimus; hîc tantum indigitasse sufficerit.

3. An Deus, possit fallere si velit?

X. Quæritur 3. *An Deus possit fallere, si velit?* Cartesius cum suis, ut obtineat, omnem possibilitatem, veritatem.... pendere à voluntate Dei, existimat *posse* fallere, nonnullum videri potentiæ argumentum. Meditat. IV. & *Respons. ad secund. Object.* VERBALE ALIQUOD MENDACIUM, Deum *proferre posse*, affirmat. Sic & alii. Reformati, nec *posse* fallere, nec velle fallere, & nexum illum, posse, si velit, falsum & impium existimant. Quia: 1. Istud contra *Scripturas* est, quibus ἀδύνατον est ψεύσασθαι θεὸν Heb. VI. 18. unde ἀψευδὴς dicitur Tit. 1. 1.... Contra 2. Naturam, non tantum *primæ*; sed ipsissimæ veritatis est, etiam POSSE fallere: cum citra dubium, major sit in teste perfectio, *non posse* fallere, quam posse. 3. contra naturam *Dei*, in quo, hac ratione esset ναὶ καὶ οὔ, obstrepente Apostolo 2. Cor. 1. 18. etiam 4. contra *bonitatem* clementissimi creatoris, *posse* miseras suas creaturas fallere, agnoscente Nobil. Wolzogio: *à veritate falsum proficisci, à bonitate deceptionem, perfectissimæ ejus naturæ repugnat.* 5. per istam hypothesin, laborabit, omnis *fides* universi Instrumenti sacri, ut quæ non alio sustinetur, quam immobili *veracitate* Dei, qua sublata ruit. Laborat 6. omnis *nostra* fides; quam Deo debemus, & verbo ejus: si enim Deus fallere *possit*, modo *velit*, si comprimis etiam *velle* possit, quoniam, secundum Cartesianos, omnium rerum *possibilitas*, pendeat à voluntate ejus, qua ab æterno *indifferens* sit, ad omne possibile, nunquam sane tuto & secure ei credemus. Laborabit 7. ipsa Dei divina *majestas.* Si enim potest *fallere*, modo, *velit*; potest etiam *mentiri* (absit blasphemia) *si velit*, potest *imperfectus* esse, *si velit*, potest non Deus esse, *si velit.* Interim in contrarium causantur:

Argumenta Reformatorum.

Objectiones Cartesianorum.

1. Esse hoc argumentum *sapientiæ, potentiæ*, atque adeo alicujus *perfectionis*, quæ à Deo perfectissimo exulare non debeat. Resp. (1) Sic imposterum inter laudes, inter perfectiones & attributa Dei, referendum erit, quod possit fallere si velit. (2) Quo argumento demonstrabunt, esse hoc sapientiæ, potentiæ, aut perfectionis alicujus negotium? saltem (3) hactenus Theologi & Philosophi, non habuerunt, nisi pro vafræ calliditatis argumento posse fallere. 2. Sed non dicimus, eum *posse fallere* simpliciter; sed tantum, *si velit.* Resp. Hoc pacto, *voluntas* Dei, præsupponere videtur, *possibilitatem rei*, quod est contra hypothesin Cartesianorum, quibus *voluntas* Dei, est omnis possibilitatis causa. Wittich. *Theol. pacif.* §. CXCIX. Ex quo manifeste sequitur, si Deus *non velit*, eum etiam *non posse*; & viciissim, *si possit* fallere, eum etiam velle: cum Deo nihil *sit possibile*, nisi quod *actu vult*, ut passim loquitur Celeb. Burmannus *Synops. Theol.* lib. 1. cap. XXI. §. 20. 24. & cap. XXV. §. 9. 10. addens, *nihil possibile* esse, aut ab æterno fuisse, nisi quod *actu fit.* Ibid. cap. XXI. §. 24. 26. è quo fluit, Si Deus possit fallere, eum hoc, non tantum voluisse ab æterno; sed etiam hoc *actu fieri.* Sed addunt 3. Eum *non velle.* Ast dicam, unde vobis constabit Deum *non velle* fallere? Si respondeant, *sufficit eum dixisse*, se non velle; instabo: Quidsi autem, & in hoc *dicto* fallere voluisset? Si regerat Cartesius, quia *velle fallere, citra dubium, est testimonium malitiæ & infirmitatis*: occurram: secundum Cartesium, *voluntas* Dei, omnis omnino *veritatis, bonitatis* & possibilitatis *causa* est, & repugnat, secundum ipsum, voluntatem Dei, ad omnia ista, ab æterno, non fuisse *indifferentem* Wittich. *Theol. Pacif.* §. CXCIX. Unde duo profiliunt A. Deum ab æterno *potuisse*, etiam *velle fallere.* B. Si *voluisset* fallere; tum *velle fallere*, nequaquam futurum fuisse, *testimonium malitiæ & infirmitatis*; quin contra, tum fuisset *res bona*, & res potentiæ. Conf. *Gangræn. Sect.* II. cap. XII.

Pars Practica.

Veritati divinæ innititur: 1) Verbi divini infallibilitas.

XI. Quantum ad praxin, veritati ac fidei divinæ, *primo* innititur, universa verbi divini ἀσφάλεια, & ἀξιοπιστία, quatenus verbum est *ejus* qui est ἀψευδὴς Tit. 1. 2. cui ἀδύνατον ψεύσασθαι Heb. VI. 18. à quo *verbum veritatis* dicitur Col. 1. 5. quovis *auro purissimo purgatius* Psal. XII. 7. Cui porro innititur, omnis Religio nostra, omnis fides & observantia, cum omnibus ingredientibus. Ut omninò nobis incumbat, operam dare, qui de *veracitate & fide* Dei, magis magisque convincamur. Huc facit: (a) *verba* Dei, cum *factis* ejus, (b) *prædicta*, cum *eventibus* (c) *comminationes*, cum *judiciis* (d) *promissiones*, cum *beneficiis* (e) *doctrinam* cum *naturâ*: diligenter ac devotè conferre Jes. XXXIV. 16. Jos. 1. 3. 6. 14. 1. Reg. VIII. 56. Quo omnibus istis, magis magisque radicemur, in persuasione universalis veracitatis divinæ. Cui etiam adjiciendæ *preces*, ut Deus ipse nobis persuadeat Ps. XLIII. 3.

2. Fidei analysis.

XII. Sigillatim *secundò*, ei, velut *ultimæ* analysi, innititur omnis *fides* nostra 1. Cor. XV. 14. 15. Heb. X. 23. Peculiariter (a) in articulis *fidei* nostræ 2. Tim. 1. 12. (b) in *controversiis* Religionis (c) in *mysteriis*, maximè abstrusis 1. Tim. III. 16. (d) in δυσνοήτοις & insolubilibus, per lectionem Scripturæ obviis. In omnibus istis, hoc uno

possumus esse securi, quod quæ credimus, ab eo nobis sint revelata, qui est ἀψευδὴς, *fidelis ille testis* Apoc. 1. 5. cujus fidem, nulla perfidia, enervare potest; qui *verax* erit, vel si *omnis homo, mendax fiat.* Et hoc uno, possumus efficacissimè compescere, quævis νοήματα, quæ se extollunt, adversus cognitionem Dei, & quasvis etiam, callidissimorum adversariorum strophas, ἐνθυμήματα, glossas; modo, nos uno nitamur Dei verbo, *multos enim speciosa fefellit glossa, Dei verbo nitere, securus eris.* Juxta tritum.

3. Omnis cultus divinus.

XIII. Nec fides tantum; sed *tertiò*, omnis etiam noster *cultus* divinus. Nominatim (1) immota veritatis *professio* Heb. x. 23 Joh. III. 33. (2) omnis *obedientiæ* promptitudo Rom. IV. 19. 20. 21. (3) omnis *precum* fiducia Dan. IX. 4. 1. Joh. 1. 9. (4) omnis *in adversis* constantia 1. Pet. IV. 19. 2. Thess. III. 3. (5) omnis in *fide perseverantia* 1. Cor. I. 8. 9. & X. 13.

4. Solida consolatio.

XIV. Porto *quartò*, veritati & *fidei* divinæ, innititur solida *consolatio*, in quibusvis adversis. Quod nim. per eam, tot tantæque promissiones, afflictis factæ Heb. XIII. 5. sint futuræ ναὶ καὶ ἀμὴν 2. Cor. I. 20. Neque *benignitatem suam*, καταργήσει ab eis, neque ipsis *mentietur*, adversus datam fidem Psal. LXXXIX. 34. Heb. VI. 17. 18. Ut rectè Cyprian. *De Mort.* Serm. IV. *Deus verax est, cujus sermo, credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir gravis & laudabilis, aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus, satis scires: Nunc Deus tecum loquitur, & tu perfidus, mente fluctuas*; sigillatim ἐνέργεια παρακλητικὴ, per Scripturas, seipsam prodit in casu (1) *persecutionum* Ecclesiasticarum imminentium ab hostibus quibuscunque Apoc. XVIII. 5. 6. & XIX. 20. (2) *Desertionum* spiritualium Heb. XIII. 5. Jes. XLIX. 14. 15 Matth. XI. 28. (3) *Dubitationum*, de non exaudiendis precibus nostris Matth. XVII. 19. Aut (4) de non futurâ nostri *liberatione*, è quovis malo Psalm. XXIII. 4. In omnibus istis, & mille aliis casibus, quid suavius reficiet; quam cogitare; 1. Deum universaliter esse *veracem*, & peculiariter, in promissionibus esse *fidelem*, usque adeo, ut ejus *fidem*, nullius *perfidia* possit irritam reddere Rom. III. 3. Cum præsertim 2. insuper *jure-jurando* roboraverit Heb. VI. 17. Conf. Psalm. CXLVI. 5. 6. Quin & 3. tot dederit, tantaque fidei ac veracitatis *specimina*. Vid. 2. Reg. XX. 9. 2. Paral. XXI. 7. Jes. XXXVIII. 7. Jer. XXXII. 22. Cui proinde 4. Sancti per omnia secula, tam *constanter* ei adhæserunt, in omnibus dubiis; Abrahamus Rom. IV. 18. 12. David. 2. Sam. VII. 28. &c.

5. Fuga & detestatio peccati.

XV. Contra *quinto* in *veracitate* & fide Dei, est quoque (1) quod peccatores retrahat, à sceleribus, cogitantes, Deum *universaliter veracem* esse esse & immobilem, in *comminationibus*, perinde ac in promissionibus Jer. XVIII. 9. 10. 11. Apoc. 11. 5. Cujus exempla suppetunt, in Israëlitis Num. XIV. 21--36. collatis cum Cap. XXVI. 65. & cum Deut. 1. 35. In Judæis 2. Reg. XXIV. 2. (2) ob quod, comminationes divinas non contemnant, eo quod sint Dei *veracissimi* Deut. XXIX. 19. Psal. CXXXIX. 7. Quin potius (3) ob quod, eas exhorrescant Jes. LXVI. 2. Atque etiam (4) ad eas sese dejiciant, & humilient coram Deo, exemplo Israelis Num. XIV. 39. Ninivitarum Jon. III. 4. 5. Hiskiæ 2. Reg. XX. 2. Jes. XXXVIII. 2. imo ipsiusmet Achabi 1. Reg. XXI. 27. & Simonis Magi Act. VIII. 24. memores, quod damnentur contemtores & *irrisores comminationum* divinarum: Cain Gen. IV. 7. 8. Judæi Jes. V. 18. 19. Israelitæ Amos. VI. 3. Manasses cum subditis 2. Reg. XXI. 11--17.

6. Et cujusvis falsi filoquii, &c.

XVI. Nominatim *sexto*, est in *veritate* & fide Dei, ob quod nobis *caveamus* (1) à quovis *falsiloquio* Exod. XX. 16. Prov. VI. 15. (2) ab omni *hypocrisi* Psal. XXXV. 16. & X. 7. (3) ab omni *mendacio* 1. Reg. XXII. 23. Ps. XXXI. 7. Prov. VI. 17. (4) ab omnibus *iniquis æquivocationibus*, & mentalibus reservationibus Prov. XXV. 24. (5) ab omnibus *dolis* ac fraudibus Prov. XIV. 25. (6) à quavis perfidiâ & *fœdifragio* Psal. XV. 4. Rom. 1. 31. (7) ab omni veritatis *odio*, quo ei obnitamur Rom. 1. 18. 2. Tim. III. 8. Quod hæc omnia (a) quam maximè abhorreant à veraci ac *fideli naturâ* Dei, qui ipsa est *veritas* Joh. XIV. 6. & *Deus veritatis* Ps. XXXI. 6. è *quo* proinde, *non potest esse falsum* 1. Joh. II. 21. Atque etiam, ab ingenio *filiorum* Dei. Quin potius (b) vergant ad ingenium *Satanæ*, jurati Dei hostis, qui est *mendax, & Pater mendaciorum* Joh. VIII. 44. 1. Reg. XXII. 21. 22. Et hinc (c) à *communione* Dei, & participio regni cœlestis secludant Apoc. XXI. 27. & XXII. 15. Ac (d) *exitio* devoveant Ps. V. 6. 7.

7. Studium veracitatis.

XVII. Denique *septimò*, est in veritate, fide & sinceritate Dei, ob quod operam demus (1) *veracitati* in omnibus *dictis* nostris Eph. IV. 15. 2. Thess. II. 10. (2) *fidelitati* in promissis; seu Deo, seu hominibus præstitis Ps. XV. 2. & CXVI. 14. 18. Jos. XXIV. 21. 22. (3) *sinceritati* in factis, scil. ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ τοῦ θεοῦ, οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ 2. Cor. I. 12. (4) veritati nos *morigeros* præstemus Joh. XVIII. 37. Rom. II. 8. 1. Cor. XIII. 7. Gal. III. 1. Et (5) in veritate *ambulemus* 2. Joh. vers. 4. Ac (6) *sanctificemur* in veritate Joh. XVII. 19. Quod eâ ratione (a) Deo hactenus *assimilemur*, ac *naturâ divinâ* reddamur *participes* 2 Pet. I. 4. Eoque (b) nobis *conciliemus* Deum triunum: Patrem, qui *Deus est veritatis* Psal. XXXI. 6. Filium, qui ipsa est *veritas* Joh. XIV. 6. unde *veritas Christi* denominatur 2. Cor. XI. 10. Spiritum S. qui *spiritus veritatis* dicitur Joh. XIV. 17. & XV. 26. & XVI 13. qui suos *ducit, in omnem veritatem.* ibid.

&

& Pſal. CXLIII. 10. quæ hinc *fructus Spiritus* dicitur Eph. v. 9. Atque etiam (c) nos *demonſtrabimus* vera ac viva membra Eccleſiæ militantis, quæ τύλος dicitur & ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας 1. Tim. III. 15. & Cap. IV. 3. Joh. XVIII. 37. Et hinc porro (d) *triumphantis* quoque Pſal. XV. 1. 2. Et ſic (e) Deus ſe *veracem* & fidelem, erga nos præſtabit, in *promiſſis* ſuis 2. Cor. I. 18. 20.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE

VOLUNTATE ET AFFECTIBUS DEI.

Pſal. CXV. verſ. 3.

Deus noſter in cœlis, omnia quæ voluit fecit.

Voluntatis divinæ contemplatio.

I. *Priorem* in facultatibus rationalibus, illam, quæ objectum ſuum reſpicit, ut *verum*, ſcil. *intellectum* divinum, cum ſuis affectionibus & virtutibus, exantlavimus: ſuccedit *poſterior*, illa, quæ in objectum ſuum fertur, velut *bonum* cognitum. Illam contemplabimur: 1. prout *facultas* eſt (pro noſtro concipiendi modo) 2. prout *actus*, & 3. prout *virtus*. Penes *primum*, repræſentabimus *naturam* & ingenium voluntatis *divinæ*: penes *ſecundum*, *affectus*, qui non ſunt, niſi actus voluntatis: penes *tertium*, *virtutes*, bonitatem, gratiam, juſtitiam, ſanctitatem... Hoc capite, de voluntate & affectibus. Præluccebit Pſaltes Pſal. CXV. 3.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Textus habet expeditam & honorificam* reſponſionem, *ad interrogatum Gentilium ſcopticum & ſcommaticum, verſus præcedentis: interrogabunt illi:* ubinam eſt Deus veſter? *Quaſi dicentes, non poteſtis monſtrare, adeoque* nullibi *eſt, & conſequenter prorſus non eſt; reſpondet Propheta, nomine Eccleſiæ Iſraeliticæ, promte & honorifice*: Noſter Deus in cœlis eſt, & omnia quæ vult, facit. *Unaque opera, honorificam præſtat, Dei ſui* deſcriptionem. *In qua occurrit:*

1. Deſcriptus, ואלהינו, aſt Deus noſter. *Hic præfixum conjunctionale* ו. *quod ordinarie vim habet copulativam, eſt* adverſarium (*reſpiciens*, partim *ad interrogationem immediate præcedentem*: ubinam Deus veſter eſt? *reſpondet*: aſt Deus noſter in cœlis eſt; partim *ad ſequentem, Deaſtrorum Gentilium deſcriptionem, à verſ.* 4. *ad* 9. Eorum Idola, ſunt argentum & aurum.... Deſcriptus *eſt* אלהים, Deus, *in plurali numero, trinus perſonis, hic demum eſt* verus *Deus; eſt* Deus, infinitus *perfectione & potentia, & quælibet ejus perſona, Pater, Filius & Spiritus S.* infinita *eſt, adeo, ut* noſter Deus, *ſit* ter *infinitus, omnipotens, perfectus. Addit Propheta ſuffixum pronominale, primæ perſonæ pluralis* נו, *noſter. H. e. qui nos ſibi, ex quibuſvis nationibus, ſelegit in populum in* peculium, *cui & nos, reciprocavimus in populum: qui fœdere, non tantum* nationali, *nobiſcum inito, ſeipſum nobis dedit; prout nos viciſſim ipſi: ſed & fœdere gratiæ* perſonali, *ſeipſum, quantus quantus eſt: nobis fidelibus addixit* in Deum; *prout nos fideles, vice verſa, ei nos ipſos totos reciprocavimus.*

2. Deſcriptio, in cœlis eſt, & omnia quæ vult, facit. *Hæc tria ipſi tribuuntur, nim.*

1. Exiſtentia, *& exiſtendi* locus: eſt *in cœlis* בשמים. Eſt, *non, ſicut Deaſtri veſtri, qui* non ſunt 1. Cor. VIII. 4. *nec* ullibi, *niſi in idoleis veſtris: & eſt* in cœlis, *locis exaltatiſſimis, glorioſiſſimis, dum veſtri, in terris exiſtunt, auguſtis ſpaciis incluſi. Et in* cœlis *pluraliter. h. e.* omnibus. *Non quod eis ſit incluſus, ſic ut extra eos, alibi non ſit: ſed quod ibidem, divinam ſuam majeſtatem, peculiari gloria, manifeſtam faciat.*

2. Voluntas, חפץ, *quod* velle *ſonat, ſeu, ex conſilio & beneplacito agere. Habet intellectum, habet voluntatem, videt, audit: quando Deaſtri veſtri, argentum ſunt, aut aurum, qui oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt, h. e. nihil intelligunt, ſunt ἄζωα καὶ ἄλογα, vita & ratione caſſa.*

3. Potentia *& operatio*: omnia quæ vult, facit. *Præditus eſt* potentia, *quando veſtra idola, nihil* poſſunt: *quin &* omni-potentia, *poteſt* omnia: *&* facit *etiam, quando Deaſtri veſtri, ſuis*

locis affixi, *nihil* agunt *omnino*; *imo facit* quæ vult, *non coactus*; *sed* libere, *ex consilio*, *ex complacentia rationali*. *Adeo ut*, *omnia quæ fiunt*, *sola ejus potentia & voluntate existant*. *Quæ* vult, *adeo ut*, *omnia ejus voluntatis solo jussu ac nutu fiant*: *dictum factum* Apoc. IV. 11. Psal. XXXIII. 9.

Pars dogmatica

Voluntas Deo asseritur testimoniis: tum Scripturæ; tum naturæ.

III. Nobis è textu, hoc loco non incumbit, nisi *voluntatis* divinæ contemplatio. Quam *Scriptura*, infinitis locis, Deo tribuit, in quibus pro exemplo sunt Eph. I. 11. Rom. IX. 18. 19. Matth. XI. 26. & Cap. XXVI. 32. 42. 1. Cor. XII. 11. Et *natura* etiam, non uno modo. Est enim: 1. voluntas procul dubio *perfectio*, & talis, quæ non connotat, quicquam *imperfectionis*. Est 2. creaturis à Deo communicata, proinde in *communicante* præexistens. Qui 3. non potest operari *deteriori* modo, quam suæ creaturæ, quibus *perfectiorem* operandi modum, scil. *ex consilio*, communicavit: proinde non potest agere, aut *natura*, sicut ἄλογα, aut *temerè* sicut stulti; proinde *ex consilio*, quod voluntatis est. Sin minus 4. nihil in mundo fieret *contingenter*. Cum causa *naturaliter* agens, agat ad extremum virium suarum, sic ut non possit *non*, aut *aliter* operari. Ex quo porro 5. sequeretur, Deo nullum omnino *cultum*, nullam gratitudinem competere, ex beneficiis. Prout Soli non competit, vel cultus, vel gratitudo, licet lumen & calorem, ex quibus tot ac tanta possumus, in nos dispensat: quoniam non per *voluntatem*, sed per *naturam* dispensat. Quin & 6. omne dominium, gratiam, misericordiam, justitiam, Deo abroganda esse: quippe quæ *voluntatem* requirunt. Denique 7. nec causa *absolute* prima, prorsus independens ac perfectissima, foret in se beatissima, aut aliis beatitudinis causa; eo quod citra voluntatem, nec seipso posset frui; nec aliis sui fruitionem impertiri. Pluribus *voluntatem* Deo asserere, non est, nisi Soli candelam accendere.

IV. Potius investigandum, quid, qualis & quotuplex in Deo voluntas, quinam ejus actus, quænam ejus affectiones ac virtutes. In cujus negotii cognitionem, commodius non descendemus, quam institutâ collatione, voluntatis *nostræ* cum *divinâ*, ut pateat, in quo conveniant, in quo distent. Vo-

Quid sit voluntas humana?

luntatis igitur *vocabulum*, ut hinc ordiamur, tria denotat: 1. *vim* illam mentis nostræ, quæ est principium θελητικὸν, seu *facultas* volendi: 2. *actum* istius facultatis, seu ipsam θέλησιν, *volitionem*: denique 3. ipsius *objectum* θελητὸν, *volitum*. Priora duo, hujus potissimum sunt loci. Et sic voluntas est: *facultas agendi ex* προαιρέσει, seu ex *complacentiâ rationali*, cujus *actus* dicitur *appetitus rationalis*. Est enim appetitus *naturalis*, quo vegetativa, in bonum sibi *naturale* feruntur, sibi plane *incognitum*: *sensitivus*, quo bruta in objectum suum feruntur, ut sibi *cognitum sensibus*, bonum sibi conveniens, appetendo, & malum sibi adversum, fugiendo: & *rationalis*, quo Angeli & homines, in suum objectum feruntur, ut cognitum sibi *intellectu*: ut ab hac intellectione, seu præcedente, seu concomitante, *appetitus* dicatur *rationalis*, ex consilio, & complacentia rationali. Cui, saltem ut circa *media* operetur (circa finem enim qua talem, non accidit deliberatio) eatenus *ultimum* prærequiritur *judicium* intellectus practici, ut monstret, quid cum *inclinatione sibi peculiari* conveniat, quid secus. Et hic etiam appetitus rationalis, non sic homini proprius est, ut *excludat* sensitivum & naturalem; verum ut includat, sicut numerus major minorem, atque etiam eosdem dirigat.

Quinam ejus actus?

V. Porro, actus appetitus hujus *rationalis*, qua talis, duum sunt generum: *elicitus* seu volitio; & *imperatus*, circa actus facultatis cujuscunque alius, intellectus, sensuum, membrorum. Prior fit, vel *volendo* consonum, vel *nolendo* dissonum. Vult autem, vel α. *finem*, unde triplex actus nascitur. 1. *dilectio*, qua simpliciter in illum propendet, ut bonum. 2. *fruitio*, qua in bonum, ut jam adeptum & possessum. 3. *intentio* qua in bonum, ut adhucdum acquirendum. Et hic quidem actus, finem præsupponere consuevit, ut mediis à se *impetrabilem*: è quo *spes* oritur ac desiderium; sin contra, finem consideret ut *non impetrabilem*, *velleitatem* producit & votum; quæ *velleitas* non est, nisi imperfectus ille voluntatis actus, qui impetrandi *potentia* destituitur: vel β. *media*, idque rursus actu triplici: 1. *Electione*, medii convenientis, si plura suppetant, unde προαίρεσις, cui *libertas* convenit. 2. *Complacentia*, quæ circa medium occupatur, ut *electum*. 3. *Usu* medii electi, qui *imperatur* à voluntate, *dirigitur* ab intellectu, *perficitur* ab aliis facultatibus, per actus *imperatos*, intellectus, sensuum, membrorum. E quibus κατ' ἀντίθεσιν, nullo negotio, colligi potest, quid sit *nolitio*.

Objectum voluntatis est bonum.

VI. In omne istud voluntas fertur, *ut bonum* h. e. volentis inclinationi congruum: seu bonum *verè* sit, seu non, modo congruat cum inclinatione. Esto igitur hæc brevissima voluntatis creatæ sciagraphia, in qua multiplex apparet *dependentia*, actuum à facultate, ab objectis, à se invicem: multiplex *compositio*, *mutatio*; atque adeo multiplex *imperfectio*, per quam voluntas, Deo & creaturis, *univocè* competere non potest.

Quatenus voluntas divi-

VII. Juvabit igitur, ista paucis conferre, cum voluntate divina, 1. *Objecta* & effecta voluntatis

luntas Deo non conveniat.

divinæ, non nisi impropriè, *voluntatis* nomine insigniuntur. 2. *Facultas* volendi in Deo, *revera* ab actu non differt, quippe in quo potentia & actus, perfectio & imperfectio, locum non obtinent. 3. Nec *libertas* volendi aut nolendi, quamvis *creaturarum*, hanc præ illa; arguit facultatem ab actu revera diversam, seu facultatem actuandam: sed tantum *indifferentiam* naturalem notat, simplicissimi actus ad objectum, qua possit terminari vel non; aut ad hoc potius, quam ad illud. 4. Appetitu quoque *naturali*, Deus planè caret; quod ille in objectum suum feratur in *incognitum*; & ab alio magis, quam à seipso in finem dirigatur, à quo, prima & perfectissima causa, penitus abhorret. 5. Ita quoque, cum carentia *sensuum*, concidit in Deo omnis appetitus *sensitivus*, cumque eo omnes *passiones* & affectus. 6. Solus igitur in Deo remanet *appetitus rationalis*, qui terminatur in objecto ut intellecto.

Quid sit voluntas in Deo.

VIII. Quibus prælibatis statuimus, voluntatem in Deo non esse nisi *sapientissimam ejus propensionem, in seipsum tanquam summum finem, & in creaturas propter se, ut media.* *Propensio* dicitur, partim ut ab intellectu discernatur, qui simplex tantum est *intuitus*; partim ut tali utamur voce, quæ omnibus voluntatis nostræ actibus connotandis, sit commoda: *sapientissimam* etiam dicimus propensionem, ut ab appetitu naturali & sensitivo, discernamus: *objectum* ei geminum assignamus: *seipsum* ut primarium; & *creaturas*, ut secundarium, scil. *propter se*, in quantum suæ bonitatis, qualemcunque imaginem gestant, & ad se, suamque gloriam collimare, aptæ natæ sunt. Atque ut ista clarius paulò percipiamus, notandum porro, voluntatis divinæ, eandem prorsus esse rationem ad *volitum*, quæ intellectus est ad *cognitum*. Est enim appetitus *rationalis*; qui proinde sic fertur in objectum, ut sibi illud oggeritur per *intellectum*. Quamobrem, sicut intellectus divinus, non cognoscit, nisi per *intuitum* perfectissimæ suæ essentiæ: ita per voluntatem, Deus creaturarum bonitatem non attingit, ut illa est *in seipsâ*; sic enim necessariò, inter volendum, *penderet* à creaturis, effetque, earum ratione, in potentiâ *passivâ*, consequenter ipsis *posterior*: sed prout *eminenter*; omnes omnium creaturarum bonitates, continentur *in seipso*: adeoque fertur in immensam *suam bonitatem*, quatenus ista; per liberrimum arbitrium, *exemplariter* distribuitur inter creaturas.

Voluntatis divinæ independentia. Ejus corollaria quatuor. 1.

IX. Divinæ voluntatis, naturam & ingenium, hactenus sumus contemplati; pergimus ad ejusdem affectiones. Quibus illa est, *primò independens* Rom. xi. 35. 36. quoniam, ipsa ejus est essentia, prima rerum causa Apoc. iv. 11. *Per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* Proinde (1) ut operetur ad extra, non *præsupponit* bonitatem aliquam in objecto, sed volendo *ponit* Jac. i. 18. *Quia voluit, progenuit nos* Rom. ix. 18. *Cujus vult, miseretur.* Quâ hypothesi vel solâ, corruit in Prædestinationis negotio, quidvis præviſum, quod hoc pacto *penderet* voluntas Dei. (2) Nec, per istam etiam 2.
independentiam, voluntas *ullam causam* admittit, quamvis ipsa rebus inter se, causæ & effectus, dependentiam præscribit. Proinde rectè quidem dicitur, Deum unam rem velle, *propter* aliam existere: perperam tamen dicitur, unam illam rem, esse *causam* propriè dictam, quâ Dei voluntas interne moveatur, ad alteram illam volendam. Sic voluit Deus, existere Solem & astra, *propter* generationem, conservationem & corruptionem sublunarium: Sed tamen & astra, non sunt *causa*, quod Deus velit illa generari, conservari & corrumpi. Eodem modo sese res habet, in omnibus extra Deum, quæ quidem, per voluntatem divinam, *inter se* sunt causæ & effectus: sed ipsius tamen divinæ *voluntates*, non sunt causæ. Quin (3) per hanc independentiam, in ipso Deo, *volitio* 3.
unius, non est propriè dicta *causa* efficiens, ut in semetipso *velit* aliam. Quod v. g. voluerit Petro conferre fidem, non est propriè dicta *causa*, quod Deus, in se volúerit ei conferre salutem. Quoniam efficientia causæ in effectum, & dependentia effecti à causâ, in voluntatem divinam, quæ est Deus ipse, omnia simul & semel, unico actu, verè & simpliciter volens, cadere non potest. 4.
Verum tamen est (4) quod Scholastici dicunt, satis obscurè: attingentiam voluntatis *passivam*, respectu unius rei, esse causam, seu *rationem* potius, attingentiæ *passivæ* alterius rei. H. e. quod v. g. fides Petri à voluntate Dei attingatur; causa est, seu *ratio*, quod etiam salus attingatur. Hoc igitur sensu, rectè dicitur: Deum unum aliquid velle, *quia* aliud voluit.

Voluntatis divinæ simplicitas.

X. *Secundo* voluntas Dei, est *simplicissima*, quia est ipse Deus volens. Proinde *unico* simplicissimo actu, omnia vult ac singula, finem & media. Ut nec multæ sint in Deo volitiones; nec ordo volitionum, à *parte Dei*; sed tantum à *parte rei*; & à parte nostri conceptus. Ut enim supra, *intellectum* divinum vidimus, *intuendo* seipsum, unico simplicissimo actu, citra ullam compositionem ac divisionem, discursum, aut tale quid, simul & semel perspicere, omnes omnium rerum *veritates*, ac rationes: ita nunc dicimus, voluntatem Dei, perfectissimè volendo *semetipsum*, unico ac simplicissimo actu, simul ac semel velle, omnes omnium creaturarum bonitates, quatenus illæ, per infinitæ bonitatis, sui communicativæ, liberrimum actum, seu actu collatæ sunt; seu conferendæ. Adeo ut optima Dei voluntas, omnis bonitatis, quæ existit in creaturis, sive *absolutæ*, sive *relativæ*, quam habent inter se, ut sunt sibi invicem causæ & effectus, fines & media; prima sit

scatu-

ſcaturigo. Proinde voluntates *multas*, aut plures volitiones, multo minus ſibi invicem *adverſas*; nequaquam admittimus; quamvis unam illam Dei volitionem, ex effectis & objectis, variis modis, nos concipiamus, eoque *diſtinguamus*, prout in progreſſu, diſtinctius monebimus.

Voluntatis divinæ immutabilitas.

XI. *Tertiò*, voluntas Dei, prorſus eſt *immutabilis* Mal. III. 6. 1. Sam. XV. 29. Pſal. XXXIII. 11. ita ut *non, modo velit hoc, modo illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velit, omnia quæ vult. Non iterum & iterum, neque nunc iſta, nunc illa, neque velit poſtea quæ nolebat, aut nolit quod volebat antèa, quia talis voluntas mutabilis eſt, omne mutabile æternum non eſt, Deus autem noſter æternus eſt.* Verba ſunt Auguſtini. *Confeſſ.* lib. 10. cap. 15. Scilicet, ut intellectus, eo ipſo eſt immutabilis, quod intelligendo, non creaturas, ſed *ſemetipſum* aſpicit, & in ſeipſo omnia: ita voluntas, eo quod *ſemetipſum* velit, & propter ſe omnia, eo quoque ipſo, invariabilis eſt Mal. III. 6. Num. XXIII. 19. Jeſ. XLVI. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Qua obſervatione, corruit & Pelagianorum & pelagianizόντων, voluntas *antecedens & conſequens*, ut ſuo loco patebit.

Voluntatis divinæ æternitas.

XII. *Quartò*, voluntas Dei eſt *æterna* Eph. I. 4. eſt enim, ipſe Deus volens. Proinde nec incipit velle quod antea non voluit, nec deſinit velle quod antea voluit: nec unum prius vult quam aliud; licet, ex eò ordine, quem penes noſtram voluntatem obſervamus, concipiamus, Deum prius velle finem, quam media, ſecundum ordinem *intentionis*: & prius media, quam finem, ſecundum ordinem *exſecutionis*.

Voluntatis divinæ infinitas.

XIII. *Quintò*, voluntas Dei eſt *infinita*, quia eſt ipſe Deus infinitus. Non quidem, quod velit omnia *volibilia* exiſtere, prout intelligit omnia *intelligibilia*; ſed quod *ſemetipſum* velit, infinitum, & propter ſe *omnia*: partim ut exiſtant, partim ut non. Et quod non omnia volibilia velit exiſtere; hinc procul dubio eſt: 1. quod ea ratione, exiſterent *actu infinita*, nec proinde, Deus ſolus eſſet infinitus 2. quod voluntas Dei, circa extrinſeca, ſit *liberrima*, id quod intellectui non competit; unde προαιρέσει hæc vult. Quamvis ergo voluntas, non velit omnia *volibilia*, ſicut intellectus intelligit omnia *intelligibilia*; hoc tamen non obſtat, quominus ſit perinde *infinita*, quia finitudo non eſt in *volente*; ſed in *volitis*, & limitatio volitorum, non ei extrinſecus oboritur; ſed ab ipſa eſt Dei *voluntate. Eſt enim Deus noſter in cœlis, quæcunque vult, facit.* Conf. Jeſ. XLVI. 10. Rom. XI. 19.

Voluntatis divinæ libertas.

XIV. *Sexto*, voluntas Dei libera eſt, & *liberrima*. Eſt enim libertas de eſſentiâ voluntatis. Libertas iſta, vel eſt *antecedens* volitum, velut ejus principium, quo ſenſu, ſola à ſe diverſa, liberè Deus vult Apoc. IV. 11. *per voluntatem tuam ſunt*; vel *concomitans*, quo ſenſu, ſeipſum Deus vult & omnia ſua. Porro ad libertatem divinam, quatenus *extrinſeca* reſpicit, duo concurrunt: *indifferentia & προαίρεσις* ſeu *conſilium*, ſeu complacentia rationalis. *Indifferentia* inquam, quâ volens, nec *per naturam*, determinatus eſt ad alterutrum; nec neceſſariò determinatur *ab objecto*. Ubi enim potentia activa per *naturam* eſt dererminata, ad alterutrum oppoſitorum; vel neceſſariò determinatur ab *objecto*; ibi exulat libertas. Quia enim v. g. ignis, per naturam non poteſt non urere, aut bos famelicus, objecto pabulo, non poteſt non comedere; hinc actus illi non dicuntur liberi. *Indifferentiam* autem intelligimus, non *paſſivam*, quâ voluntas indeterminata poſſit determinari *aliunde*; quæ creaturis competit, reſpectu Creatoris; ſed *activam*, quâ per *naturam*, poſſit velle aut non velle, hoc aut illud. Activa porro libertatis indifferentia, Deo competit non *privativè*, ſic ut voluntas ejus, aliquando exſtiterit planè indeterminata, quæ poſtmodum ſeipſam determinaverit; quam indifferentiam vellent Sociniani & Pelagiani, ut decretorum divinorum *æternitatem* peſſundarent: ſed *negativè* tantum, quatenus voluntas Dei: nunquam quidem indeterminata; per *naturam* tamen ſuam, ſemper *indifferens*, & indeterminata exiſtit reſpectu creaturarum: neque per *naturam* ſuam v. g. Deus magis determinatus eſt ad creandum, quam ad non creandum: ſic, aut aliter.

Præter indifferentiam ad voluntatis libertatem requiritur conſilium.

XV. Præter indifferentiam, *ſecundò* ad libertatem requiritur *conſilium προαίρεσις*, quo voluntas, per naturam indifferens ad utrumque, determinatu, ad alterutrum. Quod, penes voluntatem creatam, ſit circa *media* quidem, ab ultimo judicio intellectus practici, dum voluntati monſtrat, hoc aut illud, cum qua peculiari *propenſione* inclinatio neque (cum quâ volitio individuam habet connexionem) vel congruere, vel non congruere. Unde fit, quod voluntas creata libera ſit, *non ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid* tantum: quoniam indeclinabiliter illud vult, quod congruit cum ſuâ propenſione: quando Dei voluntas aut *propenſio*, per ſe, nullam habet connexionem cum ullâ creaturâ, quam creatura accipit à Dei volitione. Proinde non liberè tantum; ſed *liberrime* Deus vult hoc præ illo, dum creaturæ *dependenter* volunt à prædeterminatione divina. Et hæc liberrima eſt *προαίρεσις*, quâ, *natura* antecedenter indifferens; determinatur ad hoc aut illud.

Voluntatis divinæ efficacia.

XVI. *Septimò*, voluntas Dei univerſaliter eſt *efficax*. Quicquid enim vult, & prout vult, dat effectum ſuo tempore & ſuo modo; nec quicquam eſt, ſi velit, quod non fiat, aut non ita fiat, ſicut vult. *Eſt enim Deus in cœlis, quicquid vult facit.* Et Apoc. IV. 11. *Per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.* Sed (quod notandum) ſemper fit *ſicut vult*, ſi *eventum* rei vult, fit ſemper; ſi vult, noſtrum tantum eſſe *officium*, ut nos velimus; eſt etiam

etiam. Sed distinguendum etiam, inter voluntatem *efficientem* & *efficacem*. *Efficiens* tantum est, circa res *bonas*, tam physicè; quam moraliter: *efficax* etiam, circa mala moralia; quatenus, tum æterno *decreto*, ejus *futuritionem* determinavit; licet non velit *efficere*, ipsum malum, futurum, quâ tale: tum etiam vult, peccati *substratum*, licet non velit, ejus *ἀνομίαν* & *defectum*.

Quid volun. tas?

XVII. Tenemus, quid sit in Deo *voluntas*; operæ pretium est videre, quid sit ejus *noluntas*. Scil. alter voluntatis nostræ actus *elicitus*, quo occupatur circa *malum*, seu id, quod cum inclinatione suâ, non convenit. Ea verò *noluntas* in Deo nihil aliud est, quam ille voluntatis actus, quo seipsum perfectissimè volens, aversatur omne sibi *adversum*, suæque gloriæ, quæ unicus est, rerum omnium finis. Dicitur *actus* voluntatis, non alius utique, aut diversus à volitione, quâ versatur circa naturâ bonum. Ut intellectus, falsa & contradictoria cognoscit, non actu intelligendi diverso, ab eo quo vera cognoscit & bona. Hinc objectum quoque, *nolitionis* divinæ, *primarium* & immediatum (licet non *formale*) facimus, suam ipsius *bonitatem*: prout intellectus cognoscentis, *falsum* & malum, objectum primarium & immediatum est, immensa ejus *perfectio*, quatenus illa, omnium veritatum species, tanquam in speculo, clarissimè repræsentat, quâ perfectissimè agnitâ, eadem opera, quid falsum sit, quid contradictorium, quid malum; uno eodemque actu, exploratissimum habet: prorsus ita, perfectissimè volendo suam *bonitatem*, perfectissime quoque aversatur, quicquid ei adversatur. Quod in creaturis etiam, quadantenus est conspicuum, quando is, qui perfectè *diligit* Deum, eo ipso, perfectè quoque *odit*, omne quod novit ei adversari. Interim tamen, objectum secundarium & *formale* noluntatis divinæ, est sua natura malum; non *physicum*; sed *morale*. Malum enim *physicum*, quod existit, Deus vult, volitione propriissimè dicta. Et circa malum *morale* occupatur, non *absolutè*; sed quatenus, *sua natura* tale est. Fieri enim potest, & fit sæpe, ut, quod *sua natura*, bonitati divinæ est adversum, *præter* suam naturam, seu *per accidens*, omnipotenti ac sapientissima directione, ad eam, tanquam finem contendat, ac proinde, in tantum, ratione scil. istius *directionis*, sibi *præternaturalis*, mali naturam exuat, inque *bonum per accidens*, quasi mutetur; quatenus nim. virtute omnipotentis istius directionis, aptum fit, ad finem revera bonum, quod tamen, *sua natura*, & respectu creaturarum, perpetrantium, est & manet *pessimum*: ideo, quia, non tantum adversatur agendi *normæ*, sibi à Deo præfixæ; sed etiam, quia non possit dirigi, *per creaturarum* potentiam, in finem revera bonum. *Actus*, quo in malum istud, *noluntas* Dei fertur, est *aversatio* Psal. v. 5. Prout voluntatis est, *appetitio*: non equidem *affectu*; sed *effectu*, h. e. destruere, abolere, punire. Malum tamen quod non est, nec unquam erit; velut suæ *naturæ* inimicum, Deus aversatur; quatenus aboleret ac destrueret, si existeret: prout bonum, nunquam exstiturum, diligit, eo quod, velut cum sua *bonitate congruens*, si existeret; conservaret, foveret &c.

Objectum voluntatis est bonum.

XVIII. Objectum voluntatis, ut diximus, *bonum* est, hoc est, quod convenit cum *propensione* volentis. Seu illud, *verè* bonum sit, h. e. conducat saluti volentis; seu non, modo congruat cum *propensione*, ut aptum sit ciere appetitum; esse autem tale, *ultimum* monstrat intellectus *practici judicium*: contra *nolitionis*, est malum, seu quod repugnat *propensioni*: voluntatis *divinæ* non est, *intus* quidem, nisi infinita Dei *bonitas*, prout illa, sibi plenissimè satisfacit; & *extus*, quicquid cum eâ congruit: prout *nolitionis*, quicquid ab eâ discordat.

Affectus in Deo in genere, quid sint?

XIX. Isti porro voluntatis actus, *volitio* & *nolitio*, pro diversitate objectorum, variaque in objectis operandi ratione, varia induunt, *affectuum* pariter, & *virtutum* nomina. *Affectus* igitur, in Deo nihil aliud sunt, quam *actus voluntatis* divinæ, quatenus eas sustinent *relationes* ad creaturas, & eas cient operationes in creaturis; quas sustinent ac cient, affectus analogi, in hominibus. Qui proinde, secundum tritum Nazianzeni, ut Deo tribuuntur *ἀνθρωποπαθῶς*; sic intelligendi sunt *θεοπρεπῶς*: secundum *effectum* potius, quam *affectum*. Et quo id possimus commodius assequi; distinguenda in affectibus Dei, quinque ista: 1. actus *volendi*, v. g. in *irâ*, velle removere, punire: 2. ejus *objectum*, scil. voluntati *adversum*, peccatum & peccator, in irâ: 3. *relatio* inter *velle*, & *objectum* suum, in quâ, *affectus* ratio consistit, seu à qua, volitio v. g. *ira* denominatur: 4. *Fundamentum* istius relationis, *convenientia* aut *repugnantia*, in creaturâ existens: denique 5. *operationes* illæ, quæ in creaturis, ab affectibus illis resultare consueverunt: benefacere, punire. Quibus, in creaturis, varia accedit mutatio, perturbatio & alteratio, in ipso corpore: v. g. in *irâ*, commotio animi, & effervescentia sanguinis, circa cor. Quæ, cum imperfectionem involvant, à perfectissimo, religiosè secludenda sunt.

Quid in specie? 1. Amor.

XX. Sic, ut ad singulares affectus descendamus: 1. *Amor* Dei (Joh. III. 16.) est, *velle sibi conveniens*, *seu* q. *suum*, *& operari* circa illud, sicut affectus amoris, in homine: ejus unionem seu præsentiam ambire, ei benefacere, in ejus bonitate acquiescere. De quo plura suo loco. Contra 2. *Odium* (Psal. v. 5.) est *velle*, *seu nolle sibi repugnans*, inque illo operari, quod creaturarum *odium* consuevit: h. e. amoliri, punire. 3. *Desiderium* & exspectatio (Jes. v. 2.) est velle bonum

2. Odium. 3. Desiderium.

absens,

absens, quod si creaturis ardium videtur & ambiguum, spes (1 Pet. III. 20.) etiam denominatur; si creaturis impetratu *facilius* videatur, & *minus ambiguum, exspectatio* cum analogis *operationibus* circa illud, à quibus *cura* appellatur.

4. Fuga. Contra 4. *Fuga* (Psal. v. 6.) velle seu nolle, *absens* malum, ut *arduum & imminens.* Cujus eventus, si creaturis *probabilior* fit, sed *declinabilis* tamen; *metus* dicitur, qui Deo tribuitur Deut. XXXII. 26. 27. Gen. III. 22. quo spectat *Zelotypia*, seu metus amittendæ rei chariſſimæ Exod. XX. 5. Jes. IX. 7. & XXXVII. 32. si, ut *indeclinabilis*, occurrat creaturis, *desperationem* ciet Jes. v. 4. Jer. II. 21. Cum quibus conjungendæ sunt, creaturarum, in suis istis affectibus, operationes ana-

5. Gaudium. logæ. 5. *Gaudium* (Heb. XIII. 15. 16. Gen. VIII. 21.) est *velle* bonum *præsens*, & ad se spectans; quod respicit, vel *officium*, à creaturâ impetratum Heb. XI. 4. vel *beneficium*, quod creaturæ præstat Deus Deut. XXX. 8. 9. Jes. LXII. 5.

6. Tristitia. Jer. XXXII. 41. Contra 6. *Tristitia* & displicentia (Jes. LXIII. 10. Psal. LXXVIII. 40.) est velle, seu nolle malum *præsens:* quod, si ex *proprio* quodam oriatur facto, *pœnitentiam* generat Num. XXIII. 19. Gen. VI. 6. 9. 1. Sam. XV. 11. quæ infert mutationem, non in *operante* Deo; sed in

7. Ira. *opere* Jer. XVIII. 8. Porro 7. *ira* (Rom. I. 18. Eph. II. 3.) est *velle repellere* & amoliri, sibi repugnans, illud puniendo: quod, si *gravioribus* suppliciis fiat, *excandescentia*, atque etiam *furor* dicitur Deut. XXIX. 20. Quibus, in creaturis accedunt *admiratio, audacia* &c. quæ de Deo non leguntur.

Virtus qui id in Deo? XXI. Quatenus autem voluntate suâ, secundum rectam rationem, Deus *promptissimè* operatur; *virtutibus* dicitur præditus. Est enim virtus, *habitus, quo voluntas propendet ad bene agendum.* De quibus,

1. In genere, hoc *primò* generatim observandum; non esse eas in Deo concipiendas, velut actus *primos*, seu habitus, operationibus in actum *secundum* producendis, destinatos: hujusmodi enim *potentia*, in simplicissimum *actum*, non cadit; sed tantum, quatenus per eas, Deus *promptissimè* operatur. *Secundò*, virtutes in nobis tam diversas, in Deo *unam* notare in agendo *promptitudinem*, quæ cum essentiâ ejus coincidit: *Tertiò*, cavendum ne quid *imperfectionis* connotent: & per hoc, Deo non sunt tribuendæ, quales sunt istæ virtutes, quæ respectum ad *superiorem* designant, ut fides, spes, obedientia, humilitas: item quæ nascuntur *ex imperfectione*, ut verecundia, castitas &c. denique, quæ occupatur in moderandis *affectibus*; ut temperantia. Et *quartò*, quæ superſunt virtutes, & nihil involvunt *imperfectionis*, sic Deo relinquendæ, ut cum summâ perfectionis *eminentiâ*, à nobis con-

2. In specie. cipiantur. Sunt autem virtutes in Deo; *primo bonitas*, quæ est quasi virtus generalis: *tum secundò gratia*, seu bonitas erga *creaturas*; quæ, diversis respectibus, & *misericordia, longanimitas, clementia*, dicitur: *tertiò, justitia*, bonitas in *remunerando* & *puniendo.* Denique *quartò, sanctitas*, seu bonitas *moralis.* De singulis hòrum singulatim in progressu.

Voluntas signi & beneplaciti. XXII. Jam non restat, nisi, ut de *distributione* voluntatis divinæ, pauca addamus. Utique voluntas Dei, *una* est & *unica*; variis tamen modis à nobis *distinguitur*; tum propter *rerum* quas vult, genera diversa; tum propter diversos *modos*, quibus videtur velle, ea quæ vult. Sic voluntatem Dei distinguunt: 1. in voluntatem *signi & beneplaciti:* hæc ipsum Dei *decretum* notat: sive *effectivum*, bonorum; sive *permissivum*, malorum Psal. CXV. 3. *quicquid placet facit* Matth. XI. 25. 26. *Etiam pater, ita placuit tibi* Luc. XII. 32. illa verò, *generatim* notat *indicium* qualecunque, quo Deus aliquid, nobis significatum vult, sive, ut simpliciter *credatur* & agnoscatur, quo pertinet prædictio, impletio, & rei vel facti commemoratio: sive, ut *actiones* nostræ ad illud, velut normam, *obligentur*; quo pertinent tum *præceptum*, promissio, exhortatio, invitatio, suasio: tum *prohibitio*, comminatio, dehortatio, cautio, &c. *Speciatim* tamen, in illâ membrorum oppositione, spectari solet *mandatum*, signum scil. præcipiens aut prohibens, ut speciale effectum voluntatis divinæ, unde voluntatem *mandati* quoque appellant.

Occulta & revelata. XXIII. Porro 2. voluntatem dispescunt, in *occultam* & *revelatam*, juxta Deut. XXIX. 29. *Occulta* intellige, quæ Deus decrevit, sive facere, sive permittere, & hactenus, neque per eventum; neque per prophetiam, revelavit. Consequenter, nobis *norma* rationem non præstant, imo modestia requirit, ut in iſtis investigandis, curiosiores non simus. Quæ autem *revelata* nobis sunt, statim nos, ad agnitionem & fidem obligant; quæque in illis agenda præcipiuntur, aut fugienda prohibentur, obedientiam illico requirunt: unde, prætermissâ omni curiositate, hîc sedulò nobis studendum observantiæ.

Absoluta & conditionata. XXIV. Usurpant 3. distinctionem in voluntatem *absolutam* & *conditionatam*, nim. non quoad *actum* Dei volentis, sic omnis voluntas est absoluta; sed quoad *res*, hoc auctu à Deo *volitas.* Vult enim Deus, ut alia *absolutè* eveniant; alia verò *sub conditione.* Sic regenerationem, fidem, resipiscentiam vult, electis *absolutè:* at, ut salus eis obtingat, sub *conditione fidei* ac resipiscentiæ. Sed quoniam, in sequiorem sensum, solet abripi ista distinctio, à Pelagianis & Pelagianizantibus, ut paulò abhinc monebimus; ab Orthodoxis ferme negligitur.

Decernens & legislativa. XXV. Sed 4. omnium accuratissima est, in voluntatem *decernentem* & *legislativam*, seu *propositi*, & *præcepti*; quarum illâ determinat *eventus*, seu,

seu, quid sit futurum, aut non futurum *de facto*, seu bonum sit, seu malum: hâc, quid futurum aut non futurum sit, *de jure* tantum. Voluntati *decernenti* subsunt 1. prædestinatio, electio, reprobatio, præteritio. 2. fœdus gratiæ, de electorum salute, inter Patrem & Filium. 3. promissiones *absolutæ*, regenerationis, sanctificationis, fidei, perseverantiæ. 4. complementa harum promissionum, per gratiam discriminantem &c. Ad voluntatem *legislativam* seu *præcepti*, spectant, præceptiones & prohibitiones, promissiones & comminationes. Circa istam distributionem, hoc sollicitè notandum, quod, sicut *decernens* tantum determinat *eventum*, seu *futuritionem* rei, non autem ejus *bonitatem* & malitiam *moralem* (determinat enim promiscuè, eventus bonorum & malorum) ita *legislativa*, tantum determinat *bonitatem* & *malitiam* voliti, dum interim nihil statuit de ejusdem *futuritione* aut non-futuritione. Unde evidenter perspicimus (1) quâ ratione voluntas Dei *semper* & *universaliter* sit *efficax*: illa, scil. *decernens* circa *eventum*; hæc *legislativa* circa nostrum *officium*: dum interim, multa seriò vult, voluntate *legislativâ*, quæ nunquam fiunt; prout multa quoque fiunt, voluntate *decernente* quæ non vult. Atque etiam, hinc perspicimus (2) ut nulla, in his voluntatibus, à parte Dei sit *repugnantia*; quatenus non idem, aut eodem modo volunt.

Duplex hujus consectarium.

Usus hujus distributionis.

XXVI. Hac igitur distinctione neglectâ, gravissimas istas, nullo modo, effugies *difficultates*: 1. quod in Deo, *contrariæ* sint voluntates, quibus *idem*, Deus velit & nolit. 2. voluntates quasdam Dei, esse *inefficaces*, quæ non assequantur intentum suum. Consequenter 3. voluntatem Dei, non esse *omnipotentem*. 4. nec eum omnimodè esse *beatum*, quia, quod seriò vult, non assequatur. Contra, ubi rectè distinxeris, efficaciam unius ab alterâ, ut diximus, non modo omnem prorsus declinabis, in voluntatibus divinis repugnantiam, & inefficaciam; sed etiam *simulatione*, eum commodissimè liberabis, quam continuò nobis ogganniunt Adversarii, Deum scil. ex nostrâ sententiâ, multa *significare* se velle, quæ revera nolit, adeoque simulare; absque negotio occurremus, Deum semper *revera* velle, quod *significet* se velle: ast vero quod voluntate *legislativâ* velit, ejus licet *bonitatem* velit, non tamen statim velle futuritionem, neque hoc significare.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

3. An detur talis in Deo voluntas, qua pendeat.

XXVII. Quæritur 1. An talis detur in Deo voluntas, quæ pendeat à conditione, per creaturas præstanda? Pelagiani crassi olim, quibus nunc accedunt Sociniani, amore *independentis* liberi arbitrii, quo possit quicquid vult, absque ulla præterminatione voluntatis divinæ: statuebant, talem voluntatem in Deo, quæ velit, si modo creatura velit, quæ desideret, optet ut modo creatura velit: contristetur, doleat, quod creatura nolit, quæ ipse vult: Semipelagiani, cum quibus colludunt Jesuitæ, Arminiani aliique; amore ejusdem independentis libertatis, & ut, conversionem hominis, suspendant, ab ejus libero arbitrio: quamvis dependentiam qualemcunque profiteantur, ab influxu providentiæ divinæ *generali*, à concursu cum volente creatura, ab influxu in *effectum*; nihilominus *primum* voluntatis actum, quo seipsam determinat, volunt esse penitus *independentem*, adeoque voluntatem talem docent in Deo, quæ determinationem istam primam, exspectet, & ab ea *pendeat*. Lutherani odio, *absolutæ* voluntatis divinæ, in negotio, potissimum *reprobationis*, & amore universalis, omnium & singulorum hominum salutis; voluntatem talem admittunt, quæ sub conditione velit, eorum salutem, si modo ipsi velint. Omnes in eo conveniunt, quod in multis, *volitio* Dei, suspensa sit, à conditione, per creaturarum liberum arbitrium, ante præstanda: quaque conditione non impleta, Deus intento suo, persæpe frustretur. Ita, juxta eos, vult v. g. ut omnia sua mandata, quam exactissime serventur, si nim. homines velint: vult item, omnes & singulos servari, si modo ipsi *velint*, in Christum credere, à peccatis resipiscere, & bonis operibus operam dare. Et sic, pro absoluta Dei *volitione*, non nisi suspensam quandam *velleitatem* admittunt. Reformati, quamvis voluntatem in Deo agnoscant, quæ eventum hunc aut illum, *suspendat* ab hac aut illa conditione, v. g. Petri salutem, ab ejus fide; quæ item, hoc sensu, *conditionata* appellari possit: nullam tamen agnoscunt voluntatem ejus, quæ à conditione ulla pendeat. Quia: 1. Scriptura, sensu dicto, *talem tantum* docet, Dei voluntatem, quæ *absoluta* est, qua omnia quæ *vult*, *facit* Psal. CXV. 3. Jes. XLV. 10. *consilium meum stabit*, *& omnem voluntatem meam faciam*. Voluntatem autem *conditionalem*, quæ pendet à voluntate humana, non facit, nec facere potest. 2. Quia Scriptura, *absolutam* prædicat voluntatem, in his etiam, quæ *liberum* hominis præsupponunt arbitrium Phil. II. 12. *Dat velle & perficere*, *pro suo beneplacito* Prov. XVI. 9. *Cor hominis cogitabit viam suam*, *& Jehova parabit gressum ejus*. Et Cap. XXI. 1. Cor *Regis in manu Domini*, *super* omne, *quod* voluerit, *inclinabit illud*. 3. Quia Scriptura, *absolutam* tradit, Dei voluntatem, peculiariter etiam in his quæ prædestinationem, electionem & reprobationem respiciunt Rom. IX. 15. *Cujus vult*, *miseretur*, *& quem vult*, *indurat*. Et vers. 16. *Nec ejus est*, *qui vult*, *aut qui currit*; *sed miserentis Dei*. Conf. vers. 18. 19. 20. 21. 22. Quia 4. voluntas Dei, est ipsa Dei essentia, & essentia Dei, plane

à conditione, per creaturas præstanda?

independens est agnoscentibus Adversariorum plerisque, Jesuitis, Remonstrantibus, dissentientibus licet, Socinianis. Dum contra voluntas conditionata, pendet à conditione. Et sic, per hanc hypothesin, Deus erit dependens h. e. *non Deus*. Quia 5. per istam voluntatem, liberum hominis arbitrium esse *independens*, adeoque *Deus*. Quia 6. Voluntas Dei, hac ratione esset *mutabilis*, adeoque *essentia* Dei mutabilis; proinde Deum haberemus *mutabilem*, contra scripturas Mal. III. 6. Jac. I. 17. Quia 7. per eandem, Deus non esset *omnipotens*, quippe qui non *possit*, quæ creatura *non vult*. Nec 8. *sapientissimus*, cum serio *velit*, quæ *certò* prævideat, saltem secundum semi-Pelagianos, nunquam futura. Nec 9. omnimode *beatus*, utpote qui non semper assequitur, quod *serio vult*. Nec 10. absolutissimus rerum omnium *Dominus*, utpote cui potestas non competit, in conditionem illam, à qua voluntas ejus pendet, peculiariter, non in liberum hominis arbitrium, & in *omnia* illa, quæ pendent à libero isto arbitrio.

Objectiones solvuntur: Generatim duabus observationibus.

XXVIII. Objectis in contrarium, nullo negotio satisfiet; si *primo* accurate distinguas, inter *volitionem* & *volitum*, quæ duo, dum confundunt adversarii; quod *volito* competit, ad *volitionem* traducunt, unde v. g. conditionem illam, v. c. fidei, à qua voluntas Dei salutem Petri suspendit; ad voluntatem Dei referunt. Si *secundo*, inter voluntatem *decernentem* ac *legislativam*, distinguendum memineris, & proinde promissiones, comminationes, sæpenumerò *conditionatas*; ad legislativam retuleris, quæ nihil de volitorum *eventu* determinat; sed *jure* eorundem *jure* tantum, nec proinde significat, nisi puram putam, rei promissæ cum officio præscripto, *connexionem*. Hinc ad objecta Scripturæ loca Psal. LXXXI. 14. 15. *Utinam populus meus, me auscultasset, inimicos eorum cito confecissem &c.* eique parallela Jes. XLVIII. 18. Matth. XXIII. 37. Jes. v. 4. 7. Luc. VII. 30. utpote quibus, sat aperté desideraste videtur resipiscentiam & salutem Judæorum, quam nunquam assecutus sit: perquam facilis est responsio: continentur istis ac similibus locis *adhortationes* ad obedientiam, ac *dehortationes* à peccatis, quasque suis munitas promissionibus ac comminationibus, quæ variis illustrantur, cum similibus, tum exemplis; adeoque pertinere ad voluntatem *legislativam*, quæ nihil determinat de volitorum *eventu*; sed tantum individuam notat, officii cum suâ promissione *connexionem*: nec istis *velle* Deum, nisi homines ad præscripta officia, sub promissionibus & comminationibus, esse obstrictos. Quod exempli

Specialim.

causa, in adducto Psal. LXXXI. loco sic patet: hortatur Deus Israelitas sibi auscultent vers. 9. 10. Addit promissiones vers. 11. & minas vs. 12. 13. concludit denique vs. 14. 15. *O! si populus meus mihi auscultasset.* Significans non aliam esse causam, quamobrem inimicos eorum non depresserit, eosque *adipe tritici* non cibârit, quam eorum inobedientiam. Similiter Jes. v. 4. 7. Propheta propositum habet, Judæos revocare à vitiis, posteriori hujus capitis parte, prolixo catalogo commemoratis, eo fine, inter alia, argumentum adhibet à *beneficiis*, quæ tanta sint, ut non possint non evidenter demonstrare, quam vehementer sibi *probetur* eorum obedientia, quam tot ipsis extorqueant beneficia: & contra improbetur inobedientia, quam cum tantis pœnis voluerit esse connexam. Sic Matth. XXIII. 37. Servator Judæis exitium *comminatur*, quod gratiam, illis à se oblatam, pertinaciter negligerent. Quanquam & aliis modis ad locum hunc respondere consueverit: scil. Christum voluisse salutem Judæorum, non quà *Deum*; sed quà *hominem*, piâ συμπαθείᾳ: aut, si *quà* Deus, etiam voluerit; assecutum quoque fuisse, in quibus eam volebat, scil. in filiis Jerosolymorum, licet obstiterint Pharisæi. Denique Luc. VII. 30. per spretum à Pharisæis *consilium* Dei, non intelligit nisi *evangelium*, eoque salutem ipsis sub conditione fidei, oblatam.

2. An distinctio, voluntatis divinæ, in antecedentem & consequentem, tolerari debeat, in antecedentem & consequentem, sit ferenda?

XXIX. Quæritur 2. An distinctio, voluntatis divinæ, in *antecedentem* & *consequentem*, tolerari debeat? Distinctionis auctores primi videntur fuisse Chrysostomus & Damascenus, ab his avide eam susceperunt Semipelagiani, tam veteres, quam moderni, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes aliique, ut gratiæ universali, & independenti arbitrio humano, commodius patrocinarentur. Ea Deus, creaturæ rationali, aliquid creditur *velle*, *antecedenter* ad aliquem ejus actum; quod, *consequenter* ad eundem, *nolit*. Ita volunt, Deum *omnibus* hominibus, *antecedenter* ad fidem aut infidelitatem, salutem *velle*; licet quam plurimis, visâ eorum infidelitate, *nolit*. Cujus discrimen in hoc ipsis est, quod *antecedente*, Deus sæpenumero frustretur; *consequente* nunquam: cujus rei causa sit, liberum creaturarum arbitrium, suâ infidelitate efficiens, ut desertâ priori voluntate, bonâ & optimâ, quâ homini *salutem* vult; procedat ad alteram, quâ homini decernatur æterna *condemnatio*. Inter Reformatos, non desunt viri Magni, v. g. Molinæus *Enod. Gravis. Quæst.* p. 315. Walæus, Perkinsus, Twissus, & ex Pontificiis Alvarez *de Auxil.* Lib. v. Disput. 34 Num. 2. qui existimant, eam, sano sensu, tolerari posse. Si nim. per *antecedentem* illa intelligatur Dei voluntas, qua nexum fecit inter antecedens quoddam & consequens, inter conditionem præcedentem v. g. fidem & resipiscentiam & beneficium aliquod, ut ex eo nexu promittat: quisquis crediderit, servabitur: aut, si Petrus crediderit, servabitur: & per voluntatem *consequentem*, exsecutionem promissi conditionati, v. g. quia Petrus credit, servabitur: ast vero, sensu

ſu pelagiano, quem repræſentavimus, quo voluntas Dei, intelligitur ſuſpenſa à conditione, tolerari nullo modo poteſt, per controverſiam præcedentem. Cum autem ſenſu præcedente ſaniore, exigui ſit momenti, pariter & uſus; & ex adverſo periculum abuſus ſatis magnum; præſtabit eam non intromittere in Eccleſiam. Quatenus autem ſenſus eſt heterodoxi, coincidit fere, cum ea quam habuimus, duobus paragraphis præcedentibus, eorumque rationibus cadit.

3. An Deus velit, voluntate decernente, ut omnes & singuli salvi fiant?

XXX. Quæritur 3. An Deus velit, omnes & ſingulos homines, ſalvos fieri? Origenes olim, exiſtimabat, Deum voluntate *decernente*, velle, ſeu decreviſſe ab æterno, ut non tantum omnes & ſinguli homines, tandem aliquando, actu ſerventur; ſed & ipſos Dæmonas. Scil poſtquam, per juſtum annorum numerum, pro analogia commiſſorum peccatorum, pœnas dediſſent in inferno; reſtituendos tandem eſſe ſaluti æternæ. Hinc acceſſit Franciſ. Puccius Socinianus, & Samuel Huberus, Helvetius, Eccleſiaſtes primum Reformatus; ſed, propter univerſalem gratiam, remotus à Miniſterio, hinc à Lutheranis ſuſceptus, & Miniſterio admotus, cum Origenis ſalutem omnium & ſingulorum, Eccleſiis ſuis inciperet propinare; ejectus denuo à Miniſterio; docebat, omnes & ſingulos, tandem ſalutem conſecuturos. Pelagiani ac Sociniani, ut & Jeſuitæ, Arminiani, quo arbitrium hominis ἀυτεξούσιον, ſalvum maneat; Deum *velle* quidem ut omnes & ſinguli ſalvi fiant; ſed voluntate tantum *conditionata*, ſeu *antecedente*, ſi ipſi *voluerint* credere & reſipiſcere. Lutherani, quamvis arbitrium ἀυτεξούσιον, non profiteantur; nihilominus tale arbitrium profitentur, quod poſſit, *poſitive non repugnare*, Spiritui S. converſionem & fidem in nobis q. parturienti: ſtatuunt item, Deum *velle*, ut omnes & ſinguli ſerventur. Reformati credunt quidem, Deum velle *omnes* ſervari, quod hoc ſubinde teſtetur Scriptura 1. Tim. II. 4. Ezech. XVIII. 23. 2. Pet. III. 9. ſed non credunt, eum velle, ut *omnes & singuli* ſerventur; eo quod hoc nullibi Scriptura dicat. Admittunt ergo, Deum *omnes* velle ſervari, h. e. *quoſvis*, ſeu, Scriptura interprete, ex *omni generatione*, *populo & natione* Apoc. v. 9. ſcil. quotquot emerit Chriſtus, quotquot crediderint: non autem *omnes & ſingulos homines*. Tum etiam admittunt, Deum *velle*, omnes ſervari, voluntate *antecedente*, eo ſenſu, quem paragrapho præcedente deſignavimus. Nim. Deum voluiſſe, ut inter fidem & ſalutem, individuus eſſet nexus, per quem *omnes & ſinguli*, qui credunt, non pereant; ſed habeant vitam æternam Joh. III. 16. & ex hoc nexu, velle *quoſvis*, tam electos, quam reprobos, invitare ad fidem, & ſub ea conditione, offerre ſalutem. Sed, quoniam diſtinctionem voluntatis divinæ, in *antecedentem* & *conſequentem*, dudum paragrapho præcedente, ſepoſuimus; malumus ſtatuere, Deum velle omnes ſervari, voluntate *legiſlativa*, quæ nihil determinat *de eventu*, h. e. promiſiſſe, ut quotquot crederent, haberent vitam æternam, ſcil. ex eo nexu, quem jamjam deſignavimus, & ex eo, *omnibus* ſalutem ſerio offerre, ac promittere: *non* autem *velle*, ut omnes ac *ſinguli* ſerventur, voluntate *decernente*, h. e. non *decreviſſe*, ut omnes ſalutem actu conſequantur. Et in hoc demum verus eſt controverſiæ cardo. Ut, ſi quid adverſus nos velint obtinere ἀπ' ἐξ ἐναντίας, demonſtrare debeant, Deum decreviſſe, ut *omnes & ſinguli* ſerventur; quod, ſat ſcio, non ſuſcipient Adverſarii. Cum 1. Scriptura diſerte teſtetur, Deum hoc non velle, quin contrarium velle Prov. I. 24....29. Pſal. XCV. 11. Matth. XX. 18. Joh. XVII. 9. Cum 2. in ipſo ſalutis & prædeſtinationis negotio, diſerte profiteatur, ſe *non* velle, ut omnes ac ſinguli ſalvi fiant, quin impium *creaſſe ad diem mali* Prov. XVI. 4. *indurare quos vult* Rom. IX. 18. *præparaſſe vaſa iræ ad interitum* verſ. 22. *præſcripſiſſe* nonnullos *ad judicium* 2. Pet. II. 8. Cum porro teſtetur 3. ipſum, quam plurimis, negare neceſſaria ſalutis media Joh. XVII. 9. Nec 4. omnes & ſingulos, *evocare* ad participium gratiæ Pſal. CXLVII. 20. Act. XIV. 16. Imo 5. *vetare* multis prædicari Euangelium ſalutis Marc. X. 5. Act. XVI. 6. 7. Etiam 6. omnibus & ſingulis, non velle donare fidem 2. Theſſ. III. 2. Act. XIII. 48. Proinde negandum omnino, Deum voluntate *decernente*, velle, ut omnes & ſinguli ſerventur, niſi 7. velimus α. in diſcrimen præſentiſſimum adducere, divinam *omnipotentiam*, utpote quæ non poſſit aſſequi, quod ſerio vult, & intendit, ut exiſtat. β. *contrarias* in Deo voluntates, ſtabilire, quarum altera, v. g. Judam *velit* ſervari; altera *nolit*. γ. voluntatem *mutabilem*, per omnia *immutabili* aſſerere, qua jam *nolit*, quod antea impenſe *volebat*. δ. voluntatem item *inefficacem* tribuere, ei qui omnia poteſt, quæ vult, ε. voluntatem *dependentem* à creaturis, ac *temporariam*. Imo ζ. voluntatem *fatuam*, ſapientiſſimo velimus adſcribere, qua ſerio velit, quod ſcit, ſe nunquam conſecuturum.

Argumenta Reformatorum.

XXXI. Quæritur 4. An voluntas Dei, ſola cauſa ſit, ut omnis realitatis & poſſibilitatis; ita &, omnis boni moralis? Carteſius cum ſuis, prout jam ante cap. XIII. obſervavimus, omnis boni moralis, cauſam & radicem eſſe in voluntate, quatenus illa in ſe indifferens, velit ut hoc *ſit bonum*, illud nequaquam. Reformati 1. voluntatem Dei conſiderant, vel in *ſenſu identico* (liceat mihi terminis barbaris uti) quatenus coincidit cum ipſa eſſentia divina: ut perinde ſit; ac ſi quæras, an eſſentia Dei, ſeu Deus, ſit *cauſa omnis boni* moralis; & hoc ſenſu, non negant quæſtionem: vel

4. An voluntas Dei, ſola cauſa ſit, omnis boni moralis?

Sententiarum differentiæ.

in sensu *formali*: quatenus essentia divina, à nobis concipitur, ut constructa cum hac aut illa *relatione*; hoc sensu, Reformati communiter negant, voluntatem esse *solam* causam omnis boni moralis. 2. Bonum morale, distinguunt in tale, quod est *juris positivi*, & hoc agnoscunt pendere, à liberrima Dei voluntate. v. g. die hebdomadis præcise septimo, quiescere ab operibus suis, bonum morale est; sed *juris positivi*: & quod est *juris naturalis*, innitens ipsi *naturæ*, vel *Dei*; vel *hominis*, prout, in justitia originali, imaginem gestat, *sanctitatis* & *justitiæ* divinæ: hoc est, non à *voluntate* Dei; sed ab ipsa ejus *essentia*. 3. Bonum quodvis *morale*, cogitant, vel quoad suam *essentiam*, vel quoad *existentiam*. Sic fatentur omne bonum, quoad suam *existentiam*, esse à voluntate Dei, quatenus illa est principium imperans & exsequens, in rerum omnium productione Apoc. IV. 11. aft quoad *essentiam*, existimant, omne bonum morale *naturale*, pendere, non à *voluntate*, ut tali, sicut bonum *positivum*: sed à *natura* Dei, ut Deus est. Sic Reformati communiter, si unum excipias, & forte alterum, qui existimabant, justum & bonum esse quidvis, quia Deus *vult*, non autem Deum *velle*, quia justum ac bonum sit. Rationes Reformatorum sunt: 1. Quia Scriptura testatur, Deum multa *velle*, quia *bona* sunt & justa, quæ propterea, non possit *non velle* Gen. XVIII. 23. 25. *Non etiam disperdes justum cum injusto: absit à te ut facias rem talem.... Nunquid Judex universæ terræ non faciet judicium*, seu *jus?* Rom. I. 32. 2. Thess. I. 6. *justum est apud Deum, retribuere afflictionem....* Quin esse *mala*, tanta ac talia, ut repugnent, *puritati* ac sanctitati naturæ, seu *oculorum* suorum, ut non possit ea aspicere Habac. I. 13. Quia 2. si *omne* bonum penderet à voluntate ejus ab æterno indifferente, potuisset non præscribere nobis, sui agnitionem, amorem, reverentiam.... Quin 3. potuisset plane contraria præcipere, v. g. sui odium, blasphemiam, rebellionem.... Imo 4. ista omnia, si voluisset, essent *bona* & laudabilia. Nil 5. addam de *ideis* in Deo, quæ coincidunt cum natura Dei, infinitùm perfectis, ut infinitis modis possint repræsentari in creaturis, quæ hac ratione futuræ sunt *mutabiles*. Neque etiam addam 6. Quod tum, ne ipse Deus quidem, *sanctus*, justus, bonus.... fuisset, antequam voluntas eo se determinasset, adeoque *sanctus*, justus, bonus esset tantum quia vult talis esse. Nec 7. nos sanctitati & justitiæ.... operam dantes, assimilaremur perfectioni ejus *naturali*; sed *voluntariæ*, cui obluctatur Scriptura Matth. v. 48. Luc. VI. 36. 2. Pet. I. 4. Fundamentum sententiæ adversariæ, in his est tribus: 1. si non *omnis* bonitas esset à voluntate Dei; tum Deus non foret omnibus modis *independens*, & perfectus. Respond. Verum esset, si daretur bonum, quod non penderet à Deo: sed aliud est pendere *à Deo*, & à *natura* Dei: aliud præcise *à voluntate* Dei, velut tali. 2. Quod dicendum aliàs foret, objecta per se suam habere essentiam, & priora esse, saltem naturâ, *divina voluntate*.. Resp. Quamvis nonnulla, non pendeant à *voluntate* Dei; ut tali: non tamen *simpliciter* non pendent à Deo; pendent enim à natura & essentia ejus, ut tali. Quod 3. sic sequeretur, divinam voluntatem, ab illis bonis pendere, adeoque dependentem esse. Resp. Nequaquam, quia illa bona, pendent à natura ejus sanctissima, nec vicissim natura Dei, pendet ab ipsis. Conf. *Gangræn.* nostra. Sect. II. cap. IX.

Argumenta Reformatorum.

Objectiones.

XXXII. Quæritur 5. An affectus Deo proprie competant? seu, an affectus in Deo, sint commotiones voluntatis divinæ proprie dictæ, quibus voluntas Dei, seu *in* objectum feratur; seu *ab eo* refugiat, è quibus odium, ira, desiderium, fuga, gaudium, tristitia, aliique humani affectus resultent? Anthropomorphitas non morabimur, qui cum membris humanis, affectibus quoque præditum, profitentur Deum: nec etiam Pelagianorum & Semipelagianorum *velleitatem*, seu volitionem imperfectam, & à libero arbitrio humano suspensam, quæ revera, non est nisi desiderium, votum; & à qua insuper, ira, odium, fuga, gaudium ac tristitia, excluduntur. Sociniani, quod Deum habeant, *dependentem* ab hominis libero arbitrio, & voluntatem *mutabilem*; desiderium, metum, gaudium, tristitiam, iram, pœnitentiam... aliosque affectus, inde oriundos, aperte ipsi asserunt. Reformati, quamvis affectuum, prout etiam membrorum *voces*, de Deo in Scripturis usurpari, minime negent; quamvis item, dempta ab affectibus, omni imperfectione; *rem* vocum agnoscant in Deo: attamen *commotiones* istas, in quibus tota fere affectuum natura consistit, non audent in Deo admittere. Cum: 1. Scriptura diserte neget Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 29. Rom. IX. 29. Quibus locis, quod de *pœnitentia* Dei pronunciatur, κατ' ἀναλογίαν, ad quosvis affectus referendum est. Cum 2. *Natura*, seu recta ratio, in *ente perfectissimo*, non ferat, tot, affectuum humanorum *imperfectiones*, v. g. α. imperfectam *volitionem*. β. *dependentiam* eorundem, à suis objectis, à quibus afficiuntur. γ. *impotentiam*, quâ non possis, quæ affectus expetunt, & sæpe superantur, & evanescunt affectus, ubi eis non satisfit. δ. *mutationes* varias, & satis nonnunquam ignobiles, à quibus *passiones* indigitari consueverunt. Cum 3. infinita Dei *beatitudo*, quæ nulla boni accessione augeri; nec ullo mali sensu contingi ac violari: multo minus, tot affectuum gyris, circumagi potest. Nec satisfaciunt Adversarii, dum *imperfectionis*, si quid in affectibus sit, Deum minime lædere, causantur, eo quod, ab immensa bo-

5. An affectus Deo proprie competant?

Partes diffidentes.

Argumenta.

Objectiones.

bonorum copia, quæ in ipso est, absorbeatur, imo, vel maxime sibi adversum, perfectissima ejus sapientia ac potentia, in bonum suum converti, affirmant: posset quidem hujusmodi σοφὸν φάρμακον, utcunque solari homines, affectuum æstuationibus conturbatos; ast à Deo, non potest tollere imperfectionem, cum qua *Deus* esse non potest. Quicquid enim sit dum adversa ipsi accidunt, eumque movent; ingrata esse non desinunt, nec sine pugna, ab immensa felicitatis copia, ita tandem opprimi possunt; ut saltem aliqua displicentia, lucta, & velut animi æstus, angorque, in Deo aliquamdiu sedeant, quæ beatitudinem ejus turbent; donec tandem tempestas illa deferbuerit. Nec habent quod pro se causentur adversarii, nisi, quod crebro in Scripturis, Deo tribuantur *affectus*, amoris, odii, pœnitentiæ.... Ad quod proclivis est responsio: Quod 1. tributi etiam alibi diserte ab ipso auferantur, v. g. pœnitentia ipsi *tribuitur* Gen. VI. 6. Jer. XVIII. 8. rursus eadem ipsi abrogatur Num. XXIII. 19. 1. Sam. XV. 29. Id quo monet, non nisi cum grano salis, ipsi affectus tribui, nim. 2. non secundum *affectus*, seu motus ac perturbationes animi; sed tantum quoad *effectus*, quos isti affectus, in creaturis ciere consueverunt: hoc est, affectus, qui Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur, non nisi θεοπρεπῶς, esse intelligendos. Locis in contrarium adduci solitis: Ezech. XXXIII. 11. 2. Pet. III. 9. 1. Tim. II. 4. sic, nullo negotio satisfacies; si *primò*, ex dictis generatim ostendas, sermonem esse, non de voluntate *decernente*; sed *legislativâ* tantum, qua Deus, jubendo velit ut se convertant, ejusque præmium capiant, vitam æternam; seu conversionem esse eorum *officium*, & conversionis *præmium*, vitam. Quin & sermonem esse, non de *singulis*, sed de *quibusvis*. Tum *secundo*, singulatim quoque, possit responderi ad loca citata Ezech. XXXIII. 11. non dici, Deum non velle *ullius* peccatoris mortem, sed *ejus* qui se convertit: *Nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur & vivat*; h. e. nolo mortem ejus, qui convertitur. Sic 2. Pet. III. 9. non dicit Apostolus, Deum *omnes omnino homines* velle salvos fieri, & neminem ex iis perire; sed omnes tantum *fideles: Patiens est erga* NOS, non volens quenquam E NOBIS perire. Nec 1 Tim. II. 4. dicitur, Deum omnes & *singulos* velle salvos fieri; sed *omnes* tantum, h. e. omnis generis homines, perinde scil. Reges & magistratus, ac subditos, ut analogia contextus ostendit. Quæ responsio, mutatis mutandis, compluribus aliis Scripturæ locis, applicari poterit.

Pars practica.

Voluntas Dei. 1. Omnis praxeos Christianæ basis.

XXXIII. *Primo* voluntas Dei, prout consideratur tanquam *facultas*, non tam *practica* est; quam omnis praxeos Christianæ *basis*. Nisi enim (a) Deus agens esset *voluntarium* & liberrimum; quomodo colere & revereri? quomodo *bona* quævis necessaria, ab eo flagitare? quomodo *mala* deprecari? de acceptis beneficiis, gratias referre poterimus? Si nim. haud secus ac Sol, cuncta *naturæ* adactus *necessitate*, agat. Quomodo (b) ejus *dominium*, cura, providentia, gubernatio, quibus pietas nostra quanta quanta est, innititur, stabit? Quod enim *imperium?* quæ potestas, seu leges ferendi; seu latas vindicandi, adesse ei potest, qui cuncta agit, ex *necessitate naturæ*, absque ullo voluntatis arbitrio? Proinde (c) quodnam obsequium, cultus, reverentia &c. ei competet? si, quod agit, *non possit non agere*. Denique (d) ubi & nostræ manebit *voluntatis libertas*; si ne Deus quidem, arbitrii libertate pollet?

2. Imperii divini perfectionem often dit.

XXXIV. Singulatim *secundò*, voluntatis divinæ ἀντεξουσίαν, imperii perfectionem commendat, quo *in cœlis est, & omnia quæ vult, facit.* Scil. ut in intellectu, est *consilium* & sapientia; ita in voluntate est *imperium*. Proinde, sicut voluntas Dei est (a) libera & *liberrima* (b) *independens* (c) absoluta & *immutabilis* (d) *æterna* (e) *efficacissima*: ita prorsus ejus *imperium est* (1) *liberrimum*, per quod, *quidquid vult facit*, & pro ratione, ejus stat voluntas. Conf. Matth. XX. 15. (2) planè *independens* Rom. XI. 35. Jer. XVIII. 6. proinde (3) *immutabile & irresistibile* Rom. IX. 18. (4) *efficacissimum: quidquid vult facit.* Conf. Psal. XXXIII. 9. Thren III. 37. Jes. XIV. 24. (5) *universalissimum: Omnia quæ vult facit.* Quod sigillatim apparet: A. In rerum creatione Apoc. IV. 11. B. In rerum gubernatione Jes. XIV. 6. 7. C. In imperiorum regnorumque dispensatione Dan. IV. 17. Jer. XXVII. 5. Ezech. XXVIII. 17. D. In dispensatione opum ac fortunarum Exod. III. 22. & XI. 2. Comprimis E. in rerum *humanarum* moderatione, earum præcipuè, quæ statum concernunt *æternum:* in prædestinatione, electione, reprobatione, vocatione, regeneratione, de quibus plura jamjam. Istud igitur Dei imperium ἀντεξούσιον (a) adoremus, *celebremus* Matth. VI. 10. 13. (b) Ad ejus placita nos submisse componamus. Ibid. vers. 10. (c) seu faciendum sit officium Psal. XL. 8. 9. (d) seu ferendum supplicium. 1. Sam. III. 18. Act. XXI. 14. Matth. XXVI. 31. 42. 44.

3. Comprehendit in negotio prædestinationis & redemptionis particularis, responsationes carnis.

XXXV. Hinc *tertiò*, protervam eorum compescit *temeritatem*, qui in prædestinationis, electionis, reprobationis, redemptionis, vocationis, conversionis particularis negotio, *voluntatem* divinam à creaturarum *previsis* operibus suspendunt, & cur hunc elegerit, illum reprobaverit, hunc redemerit, non illum &c. quærunt. Quasi non sit ἀνεξούσιος, & non, omni jure, *pro ratione*, *fiat supremi Domini voluntas:* nec jure nasutulis posset oggerere: *Annon licet mihi, quod volo facere in meis rebus? an oculus tuus malus est quod ego bonus sim?* Matth. XX. 15. Item: *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa, faciat aliud*

aliud vas, ad decus, aliud vero ad dedecus? Rom. IX. 20. Non cogitant illi, Dei voluntatem esse *independentem; ex qua, per quam, & ad quam omnia*, cui nihil quisquam *dederit*, ut ei *retribuere* teneatur Rom. XI. 35. 36. esse *absolutissimam*, quæ *misereatur cujus vult, & quem vult, induret.* Ibid. cap. IX. 18. Esse *liberam* & liberrimam: Esse *sapientissimam: O profunditas divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei!* Proinde, sic obstrepere & respondere, non esse nisi [a] ἀντεξούσιον ad rationes vocare [b] independentem, creaturis subjicere [c] absolutissimum, suo dominio spoliare [d] sapientissimum, corrigere. Et hæc tandem omnia, quis impune fecerit?

4. Reprimit peccandi voluntatem.

XXXVI. Atque etiam *quartò*, compescit quamvis peccandi voluntatem & libidinem, quam Petrus designat 1. Pet. IV. 3. Qua 1. non volumus, nos submittere voluntati divinæ Job. XXI. 14. Exod. V. 2. Imo 2. voluntatem *propriam*, divinæ disertè *opponimus* Jer. XLIV. 16. 17. Et 3. *carnis* voluntatem facimus Eph. II. 3. Aut 4. quovis modo, in voluntate Dei non acquiescimus, obmurmuramus, responsamus Num. XIV. 27. 29. Quid tandem hæc omnia? nisi [a] voluntatem independentem subigere [b] propriam voluntatem, ad independentiam efferre [c] Deo libertatem ac dominium disputare [d] efficacissimam Dei voluntatem, in se concitare, qui [e] nos hostium nostrorum voluntati ac libidini subjiciat Ezech. XVI. 27. aut [f] propriis cupiditatibus mancipet Rom. I. 24. Imo [g] seipsum, cum libertate creatum, sibi ipsi, suis peccatis, atque etiam Satanæ, in servitutem redigere Joh. VIII. 33. 34. 2. Tim. II. 26.

5. Suadet abnegationem propriæ voluntatis.

XXXVII. Contra *quintò*, suadet (a) voluntatem *propriam*, quatenus quidem illa, voluntati divinæ est *adversa*, abnegemus Luc. IX. 23. aut etiam, quomodocunque *diversa* Act. XXI. 14. Joh. V. 30. & VI. 38. (b) cupiditates, & affectus carnales, *crucifigamus* Gal. V. 24. mortificemus Col. III. 5. subigamus, & sub Christi obsequium redigamus 2. Cor. X. 5. (c) affectus nostros Deo, rationi & voluntati obstrepentes, ad suum locum & ordinem revocemus, ut voluntati, seu *appetitui rationali*, subsint, eaque ratione *actus voluntatis* evadant, sicut in Deo sunt: quo tandem sola *Dei* voluntas, suo jure, sit independens & absoluta. De quo plura suo loco in Cap. de *Abnegatione* sui.

6. Studium præstandæ voluntatis divinæ.

XXXVIII. Suadet etiam *sexto*, studium voluntatis divinæ, quam promptissimè præstandæ. In quo nostra consistit *observantia*, qua voluntatem Dei, in ipsius gloriam, cum *subjectione* præstamus Eph. VI. 6. 7. *Ut servi Dei, facientes ex animo quæ Deus vult, cum benevolentia servientes Domino.* Quo particulatim continetur: 1. ut in voluntatem Dei, nobis pro regula præscriptam, religiosè *inquiramus* Col. I. 9. Eph. V. 17. Rom. II. 17. Ut 2. agnitam, velut unicam vivendi regulam, *ob oculos* continuo habeamus, imo in corde Psal. XL. 9. & XVI. 8. Ut 3. ad eam, gressus vitæ nostræ, sollicitè componamus Gal. VI. 16. 1. Pet. IV. 2. Eaque ratione 4. voluntati divinæ, quantum fieri potest, *conformemur* Ap. II. 6. Idque 5. cum profunda *subjectione*, tanquam servi Eph. VI. 6. 7. Act. XIII. 36. Interim tamen etiam, ἐκψυχῆς, καὶ μετ' εὐνοίας, δουλεύοντες τῷ κυρίῳ 2. Paral. XV. 15. Exemplo (a) Servatoris Psal. XL. 8. 9. Joh. IV. 34. & V. 30. & XIV. 31. (b) alias non introituri in regnum Dei Matth. VII. 21. Nec (c) exaudiendi in supplicationibus nostris Joh. IX. 31. Nec (d) admittendi, in spiritualis cum Christo cognationis, axioma Matth. XII. 50. Istud nominatim obsequii munus, voluntati divinæ præstandum: A. in negotio fidei Joh. VI. 29. B. resipiscentiæ Ezech. XXXIII. 11. Matth. III. 2. C. studii universalis sanctimoniæ 1. Thess. IV. 3. Heb. X. 36.

7. Formatur peculiariter: Ad humilitatem.

XXXIX. Præter ista *septimò*, voluntatis ἀντεξουσίου pia meditatio, peculiariter nos formare possit 1. ad studium *humilitatis*, si quando bona aut dona obtigerint, à quibus superbiendi occasio suppetere possit: ut cogitemus, liberrimâ Dei *voluntate*, quæ contulerit, auferri, & in alium transferri posse. Vid. 1. Cor. IV. 7. Rom. XI. 21. 22. 23. Eph. II. 8. 9. Deut. VII. 7. 8. 2. Ad praxin *misericordiæ*, versus proximum miserum, qui liberrimâ ista Dei *voluntate*, malis istis affligitur a quibus nos, eadem Dei libertate, immunes sumus Matth. IX. 11. 13. 3. Ad exercitium ἐπιεικείας & *æquanimitatis*, quâ ob bona in proximum collata, nobis interim negata, procul simus ab omni invidiâ, quod omnia ista, pro liberrimo suo arbitrio, voluntas Dei ἀντεξούσιος, dispenset Matth. XX. 15. 1. Cor. XII. 11. 15. ac proinde, isti dispensationi per invidiam, obniti, non esse nisi contra stimulum calcitrare, Dei dominium ac potestatem liberrimam arrodere, seque ipsum inaniter excarnificare.

Ad misericordiam. Ad æquanimitatem.

8. Ad studium conformandi nostram voluntatem cum divina.

XL. Comprimis autem *octavo*, invitat ad studium, *conformandi* nostram voluntatem, cum voluntate divinâ, quòd Servator commendat Apoc. II. 6. hisce peragendum: 1. Dum, quantum fieri potest, adnitimur, voluntatem nostram assimilare perfectionibus voluntatis divinæ. Nim. sicut (a) Dei voluntas est *independens*; nostra quoque, in negotio cultus divini, sit independens à quavis creaturâ 1. Cor. VII. 23. Matth. XV. 9. (b) voluntas Dei *simplicissima*, uno actu in finem simul fertur & media: ita voluntas nostra, in negotio salutis, pia simplicitate, eodem actu, in finem feratur & media Phil. II. 12. (c) voluntas Dei *absoluta* est & illimitata, abhorrens ab omni *velleitate*: ita nostra, in negotio cultus & obedientiæ divinæ, sit planè *absoluta*, nec suspensa ab ulla conditione Jos. XXIV. 15. Matth. VIII. 21. 22. Rom. XIV. 7. 8. atque etiam *illimitata* Matth. XIX. 16. 21. 22. Marc. VI. 20. (d) voluntas Dei *liberrima* est: ita

&

& noſtra, in negotio cultus divini, ſit *ſpontanea* 2. Cor. VIII. 3. 5. 7. 10. 11. Pſal. CX. 3. proinde *libera* ab omni ſervitute *ſpirituali*, carnis, peccati, diaboli: & quæ etiam libertatem chriſtianam, ſectetur quam ſtudioſiſſimè Gal. V. 1. (e) voluntas Dei univerſaliter eſt *efficax*: ita & noſtra, non in otioſis propoſitis ac votis hæreat; ſed in *opus* emergat Matth. XXI. 29. 30. & VII. 21. Gal. V. 6. (f) voluntas Dei *infinita* eſt: ita & noſtra, in officiis divinis, *infinita* ſit, h. e. inſatiabilis Pſal. LXXIII. 25. Phil. III. 13. 14. (g) voluntas Dei *æterna* eſt: ita noſtra, in ſtudio voluntatis divinæ, cognoſcendæ & obſervandæ, ſit interminabilis & *æterna* Pſal. I. 2. & CXIX. 44. & CXII. 1. Præterea 2. ut & *affectus* noſtri, cum affectibus Dei conformentur; quod duobus potiſſimum peragitur: (1) quando in *idem objectum* collimant noſtri, in quod divini: quando idem amamus, expetimus, odio proſequimur, deteſtamur ac fugimus, quod Deus Apoc. II. 6. Pſal. CXXXIX. 21. 22. (2) Et eadem etiam *ratione* feruntur, ſcil. ut diximus, ſicut actus voluntatis, ſeu *appetitus rationales*, qui rationi ſubſunt, non dominantur: non autem ſicut actus *animales* ac bruti 2. Pet. II. 12. Jud. verſ. 10. Inſuper 3. ut opera noſtra ad *voluntatem* Dei componamus, idem volendo quod Deus vult Matth. VI. 11. Joh. III. 21. ad eundem finem, ejus gloriam, ut ita q. *ſerviamus* voluntati divinæ Act. XIII. 36. Denique 4. ut & *paſſiones* conformes ſint voluntati divinæ Matth. XXVI. 39. 42. Conf. Phil. II. 7. Act. XXI. 14. 1. Sam. III. 18. 2. Sam. XV. 26. item Cap. X. 12. Iſthac noſtræ voluntatis cum divina, conformatione. (a) Deo hactenus aſſimilabimur, ac *naturæ divinæ* reddemur *participes* 2. Pet. I. 4. 1. Pet. I. 14. 15. Et (b) hæc *conformitas* voluntatis & affectuum, fundamentum ſtruet, ſuaviſſimæ converſationi & communioni cum Deo Amoſ. III. 3. dum diſcrepantia deſtruit Jeſ. LIX. 2. Inſuper (c) Iſthæc *harmonia*, ſuaviſſimam nobis, in quavis fortunâ, conciliabit animi tranquillitatem, ſeu proſpera ſit, ſeu adverſa; ſi nim. ſemper & ubique, dicas ac ſentias, *fiat voluntas tua*. Dum contra (d) nulla fortuna ſatisfaciet, ſi diſcrepes à voluntate Dei, imo ne cœlum quidem, ſi alia velis ibidem, quam Deus vult. Conducent autem ad obtinendam iſtam *conformitatem* (1) ſollicitè inquirere, & exquirere voluntatem Dei, cui tuam conformare niteris Eph. V. 17. Col. I. 9. (2) abnegare, ſuffocare, evellere, crucifigere, mortificare, quicquid, quovis modo, voluntati Dei eſt adverſum Gal. V. 25. 2. Cor. X. 5. (3) eniti omni conatu, ut ea faciamus, quæ Deus *vult* à nobis fieri, quo nim. *repleamur omni voluntate Dei* Col. IV. 12. Alia hujus generis habet Drexelius in *Heliotrophio*, non inutilia.

Motivæ. Admiricula.

XLI. Denique *nonò*, ſuppeditat *conſolationem*, & erigit patientiam in quibuſvis adverſis, cogitare: 1. qualia & quantacunque ſint, nec *contingenter*, inſcio & invito numine; nec fatali *neceſſitate*, cui, ne *ipſe* quidem poſſit reluctari Deus, nobis obvenire: ſed liberrimo *beneplacito*, ſupremi rerum arbitri, cujus *liberrimæ*, juſtiſſimæ ac clementiſſimæ etiam diſpenſationi, acquieſcere, omninò neceſſarium ſit ac juſtum, niſi voluntatem Dei ἀυτεξούσιον, infando ſcelere, infra noſtrum φρόνημα τῆς σαρκὸς, velimus detrudere. 2. Nobis indies in votis recurrere apud Deum, ut ejus *voluntas* peragatur Matth. VI. 10. Act. XXI. 14. 3. Eſſe nobis *tolerantiâ* opus, ut *voluntatem* Dei faciamus, & promiſſionem recipiamus Heb. X. 36. 4. In hunc ipſum finem, à Deo nobis immitti quævis mala, ut liberrimæ ejus *voluntati*, abſolutiſſimoque ejus in nos dominio, aſſuefcamus, eique acquieſcamus Job. I. 12. collat. cum verſ. 21. Denique 5. humili *ſubmiſſione* ac patientiâ, liberrimam Dei benevolentiam, cujus *nutu*, omnes iſtæ calamitates allatæ nobis ſunt, atque auferri etiam, aut in commodum noſtrum dirigi poſſunt, nobis conciliari poſſe 2. Sam. XV. 15. Hujuſmodi *voluntatis* divinæ devotâ meditatione ſolamen, in adverſis quibuſvis urgentiſſimis, hauſerunt, Eli I. Sam. III. 18. David. Pſal. XXXIX. 10. 2. Sam. XVI. 10. Atque ipſe etiam Servator Matth. XXVI. 39.

2, Ad conſolationem & patientiam.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE

BONITATE DEI.

Matth. XIX. verſ. 17.

Quid me dicis bonum? Nemo bonus eſt, niſi unus, Deus.

Bonitatis divinæ theoria.

I. Sicut ab intellectu, quod in *verum* tendat, Dei veracitas: ita à voluntate, quod in *bonum* feratur, ejus *bonitas* exiſtit. Quæ, ſi ſimpliciter cogitetur, ut *appetibilis* & *communicativa*; peculiariter *bonitas* Dei nominatur: ſi ut boni *communicativa*, ex purâ putâ *propenſione* ſeu εὐδοκίᾳ, *amor*, gratia, miſericordia deſignatur: ſi in communicatione iſtâ, ut agens q. ſecundum *regulam* quandam; *juſtitia* dicitur: denique ſi, ut *iſti* agendi regulæ, quam creaturis rationalibus præſcripſit, congruens; *ſanctitas* denominatur. De ſingulis horum, ſingulatim nobis agendum in ſequentibus. Bonitatem Deo vindicat Servator Matth. XIX. 17.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Quibus verbis*, reſponſio *quadam Servatoris continetur, ad compellationem juvenis cujuſdam, qui ſe* bonum *ſalutaverat: quâ, ex conceſſo ipſum convincere nititur, ut ſe* Deum *agnoſcat. Ubi duo occurrunt:*

1. Reprehenſio: Quid me bonum appellas? *Duplex hic occurrit lectio:* altera *ſic habet:* τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, εἷς ἐστιν ἀγαθός, quid me rogas de bono &c.? *ſic legunt Beza, Grotius, Latinus interpres, vetuſtiora & emendatiora exemplaria, item Euangelium Matthæi Hebraicum, cum quo, in multis conſpirat Vulgata, &, inter Patres, Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alii. Ut ſcopus Servatoris fuerit, reprehendere juvenem, non quod ſe* bonum *appellaverit; ſed quod* de bono percontaretur, *cum in hominibus* nil ſit boni, & hactenus, *nec* bonus, *legitime dicatur quiſquam. Scil. cum juvenis ille, in Jeſu majus homine nihil agnoſceret; ſperaret tamen, ſe, eo monſtrante, propriis viribus, perventurum ad poſſeſſionem ejus boni, quo vita æterna paratur, q. ad eam rem, tantum monſtratore indigeret, eoque animo, Jeſum* bonum Magiſtrum, *ſalutaverat, h. e.* boni monſtratorem: *at Jeſus, ut huic occurreret errori, ſimulque nobis modeſtia exemplum præberet; ait, non eſſe* multos *boni fontes; ſed* unicum, *puta Deum. Unaque indicat, non ſatis eſſe, bonum nobis* monſtrari; *niſi Deus regenerans & convertens, oculos illuminet, & vires ſuggerat.* Altera *lectio ſic habet:* τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός, quid me dicis bonum? nemo bonus eſt, niſi unus, Deus. *Sic habent plerique codices Græci, item Græci interpretes, Euthymius, Theodoretus, & Syrus, ita legitur* Marc. X. 18. Luc. XVIII. 19. *ſic Beza, Piſcator, Diodatus & alii. Quaſi dicat: non debebas me appellare* bonum, *cum me non habeas pro Deo, qui ſolus bonus eſt, ſcil. independenter, perfecte, per ſe & ſua natura, ut* ſolus immortalis *dicitur* 1. Tim. VI. 16. *Non igitur reſpuit titulum, aut ſe* bonum *eſſe negat, ſicut Sociniani volunt, odio deitatis Chriſti (quis enim auſit negare, Jeſum* bonum *fuiſſe) ſed ſalutantis* animum *taxat, vel quod ſibi verbis tribuat, quod non credat ſibi competere: vel, ſi credat ſibi competere; non credat tamen, ſe illum eſſe, cui iſtud ſoli competat, ſcil. Deum.*

2. Correctio: Nemo bonus eſt, niſi unus Deus. *Proinde, ſi* bonitas *mihi, vel tuo teſtimonio, competit: utique &* Deus *ſum. Hìc Servator, bonitatem quandam*

A. Abrogat *omnibus creaturis:* Nemo *bonus eſt, ſcil.* eo *modo, puta* ſummum, *independens, & à ſe. Si inſtes:* Aſt vidit Deus, omnia quæ fecerat, & ecce erant BONA VALDE Geneſ. I. 31. *facilis erit reſponſio: nemo & nihil bonum eſt, natura, eſſentialiter, abſolute, infinite, immutabiliter, undequaque bonus, cauſa omnis boni. Quævis creatura bonitatem habet, ſibi communicatam, habet item* ſuam *tantum, non* aliarum *creaturarum, adeoque multo maximam bonitatis copiam, non habet: nec, quam habent, aliis communicare poſſunt, niſi excitata, per influxum providentiæ divinæ.*

B. Arrogat *Deo, eique ſoli:* Niſi unus Deus. *Scil.* 1. *per* eſſentiam *h. e.* originaliter, *ut* fons *bonitatis, dum creaturæ per* participationem, *ut* rivuli. 2. *per* efficientiam, *quatenus ſolus ſe ipſum communicare*, & independenter, *bonum* facere *poteſt; dum creaturæ, non niſi per ejus influxum*

fluxum excitata & promota. 3. *per* existentiam, *quatenus ipse solus bonus est*, necessariò *existens; dum creaturæ, bonæ* contingenter *tantum, & per ejus voluntatem existunt. Agnoverunt istud Gentiles, saltem ad quos, aliquæ barbaricæ Philosophiæ scintillæ pervaserant. Hinc Plato Menone:* virtus natura, neque doctrina humana, in nobis non est: sed divina providentia advenit. *Et Seneca:* nulla, sine Deo, mens bona. *Et ipse Porphyrius agnovit, non posse homines τελειῶσθαι* perfectos evadere, nisi *διὰ τὸν νοῦν πατρικὸν*, per mentem paternam. *Judæos item sic sensisse, Philo nos docet:* ἷς ἐστιν ἀγαθὸς. Unus, *etiam absque additamento, Deus dici eis solebat. Imo & Assyriis, teste Macrobio, Deus summus, maximusque, Adad appellabatur, quod* unum *significat. Hinc Philoni Biblio:* Ἀδωδος βασιλεὺς θεῶν Id *quod Hebræis est* אחד Job. XIV. 4. לא אחד, *Chaldæus interpretatur:* nisi Deus.

Pars dogmatica.

III. Est itaque Deus verè *bonus*, & *summè* bonus, & *solus*, suo modo, bonus. Istud *Scriptura* intendit, quotiescunque (1) in terminis *bonum* prædicat. v: g. Psal. XXV. 8. & CXIX. 68. (2) & *remotum* ab omni *malo* Psal. XCII. 16. Deut. XXXII. 4. (3) *gradu*, seu ὑπερέχως, *divitias* bonitatis commemorat Rom. II. 4. (4) omnibus, omnis bonitatis *auctorem*, testatur Gen. I. 31. (5) *amandum*, colendum, eique serviendum præscribit, quod, citra bonitatem, ἀλόγως fieret.

Deum bonum esse probatur Scriptu-ris.

IV. Et *natura* docet, quando Deum agnoscit esse: 1. *Ens*, eoque *bonum* (ens enim & bonum, per Philosophos, convertuntur) & *primum*, adeoque & *summum* ens: proinde primum quoque ac *summum* bonum. 2. *Perfectum*, eoque *appetibilem* & communicativum, in quo *bonitatis* summa consistit. 3. Omnibus, omnis suæ bonitatis *auctorem* (cum nihil occurrat, quod bonitatem suam habeat *à se*,) adeoque *bonum* à se, quod enim non habes; non potes communicare. 4. Omnis boni *speciem* absorbere: boni *utilis*, quatenus suam perfectionem bonitatemque, in omnia *dispergit; jucundi*, utpote in cujus possessione, communione, fruitioneque, omnis consistit acquiescentiæ & gaudii satietas Psal. XVI 11. & XXXIV. 9. *honesti*, qui suâ *sanctitate*, omnis sanctitatis exemplar præstat, normam & originem. Hinc Augustinus: *Solus*, inquit, *Deus est immutabiliter bonus, solus est omnis boni bonum, solus est omnis bonitatis causa, omnibus quæ sunt bona. De natura boni.* Item *De Trinit.* lib. 8. c. 3. commemoratis variis bonitatis *speciebus* in creaturis; subjungit: *Tolle hoc & illud, vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni &c. Nulla essent bona communicabilia, nisi esset incommunicabile bonum. Cum itaque audis bonum hoc, & bonum illud, quæ possunt aliàs dici etiam non bona; si potueris sine illis, quæ participatione boni, bona sunt; simul & ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum. Si ergo potueris illis detractis, per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum.* Atque etiam in Psalm. CXXXIV. *Bonus Dominus; sed bonus, non ut sunt bona quæ fecit: cœlum & terram & omnia quæ in iis sunt, bona fecit; ipse propriè bonum, à quo cætera bona, omnia enim bona ipse fecit, ipse est bonus, quem nemo fecit, ipse bono suo bonus est, non aliunde participato bono, ipse non eguit à quo bonus fieret; sed egerunt illo cætera, ut fierent bona.* Hæc paulò fusius, ut boni creati & increati, distantiam pervideas.

Confirmatur rationibus quatuor.

V. Obstare interim divinæ bonitati videtur: 1. Quod non appetatur ab omnibus, imo quod fugiatur à plurimis. Resp. Est nihilominus suâ *naturâ* appetibilis, & qui appeti ab omnibus *meretur*, sed quod non appetitur ab omnibus, non à *defectu bonitatis* est; verùm ab abundantiâ *justitiæ vindicativæ*, ob quam, velut severum scelerum suorum vindicem, cogitant. 2. Quod non omnibus, non *reprobis*, suam bonitatem impertiat, dum bonum sui est communicativum. Resp. Omnibus, (1) impertit, sed liberè, quod & quantum vult. Imo (2) quia per essentiam bonus, non potest non aversari malum & malos, proinde non communicare seipsum ipsis. Ut non addam (3) sibi *soli* esse infinitè bonum, alias enim omnes per naturam necessariò servaret. Interim (4) omnibus eatenus bonus est, quatenus perfert, conservat, fovet quamdiu sunt, & confert quicquid habent, præter omne eorum demeritum. 3. Quod Psalm. XVIII. 27. dicatur *perversus cum perversis.* Resp. Negatur conseq. Scopus enim est, Deum per *justitiam*, judiciis sese accommodare perversis perversorum moribus, absque omni *perversitate.*

V. Objectiones adversus bonitatem Dei.

VI. Porro *bonum* in idea, aliquando id sonat quod convenit cum inclinatione volentis, seu bonum vere sit, seu non, ut videmus capite præced. Sed verum bonum (ut quidem Aristoteles, quamvis minus accuratè, censet) id est, quod *omnes appetunt*: rectius; quod ob naturæ perfectionem, est *appetibile*, & appeti meretur, suique *communicativum* est. Ut in bono tria concurrant: 1. *Perfectio* quædam essentialis, ob quam *meretur* appeti bonum. 2. *Facultas* communicandi suam perfectionem, ob quam *utilis* dicitur. 3. *Relatio* utriusque ad appetitum, à quâ *appetibile* denominatur. Hinc triplex bonum numerant: A. *Metaphysicum* seu essentiale, quod ens quodvis obtinet *quà* est *ens*, illa scil. perfectio, quæ sibi collata est à suâ causâ, ob quam expeti potest. Hæc non

Quid sit bonum in idea.

habet quod sibi opponatur ullum malum. B. *Physicum*, quod obtinet quà *ens tale*, quod in usum alius destinatum est: illa scil. perfectio, quâ *aptum est ad usum suum*: seu *universalem*, quem toti præstat universo; seu *particularem*, quem huic peculiariter, aut illi conferre potest. Sic medicamentum *bonum* dicitur, quod sanitati conducit. Huic opponitur *inutile* & *ineptum*, aut etiam noxium. C. *Ethicum*, quod obtinet quà *rationale*, quatenus se componit ad *regulam*: cui opponitur *vitium* & peccatum.

Quid sit Dei bonitas.

VII. Peculiariter *Dei* bonitas, non est, nisi illa ejus perfectio, per quam, seipsum *communicare* potest, & *appeti* meretur, ac debet. Proinde tria concludit: (1) infinitam ejus *perfectionem*, quæ ab omnibus ejus attributis, nobis innotescit, per quam est אל שדי Gen. XVII. 1. & omnibus sufficiens, idque ad infinitam beatitudinem; Quâ bonus est *in seipso*, & ipsa *bonitas* Ps. XXV. 8. Exod. XXXIII. 19. in quo *nihil* mali Deut. XXXII. 4. (2) *Facultatem* sui communicativam, quando vult & quatenus vult, à quâ *bonus* dicitur, & *beneficus* Ps. CXIX. 68. Quâ suam bonitatem q. frustulatim *distribuit* in quævis, in bruta, in homines, in electos. Psal. XXXVI. 6. 11. & LVII. 4. 11. & CIV. 24. & CXIX. 64. (3) *Relationem* illam, quæ duobus præcedentibus, velut suo fundamento, innititur, per quam *appetibilis* est, & omnibus modis *appetendus*, seu quærendus Ps. XLII. 3. & LXIII. 2. & IX. 11. & XXXIV. 11. & LXIX. 7. 33. & CXIX. 2. 10

Bonitas Dei intrinseca seu immanens.

VIII. Potest itaque Dei bonitas considerari, vel ut est *in Deo*, seu immanens, & sic 1. ipsa est ejus *essentia*, & *essentialis*; dum pleraque creaturarum bonitas est *accidentalis*, accessoria & separabilis. 2. *Independens*, unde *fons* vitæ dicitur Psalm. XXXVI. 10. quippe *suâ* bonitate bonus; dum creaturæ quævis, *ejus* bonitate bonæ sunt, scil. per participationem, precariò Psal. CXLIV. 2. 3. *Simplicissima*, unde ipsa *bonitas* dicitur Rom. XI. 22. *pura* puta bonitas, absque omni *mixturâ*, ullius imperfectionis aut malitiæ Ps. XCII. 16. 4. *Lux in quâ non sunt tenebræ* 1. Joh. I. 5. dum in creaturis, non est bonitas absque *malitia*, aut saltem absque *imperfectione*. 4. *Infinita* & illimitata Ps. LVII. 11. nullius incrementi aut decrementi capax, super omne quod concipimus aut cogitamus Eph. III. 18. 19. dum creaturæ nunquam tam sunt bonæ, quin fieri possint meliores. 5. *Æterna* 1. Paral. XVI 34. 41. & passim in Psalmis; absque initio, absque fluxu, absque fine: dum creaturarum, quoniam ortu constat, & fluxu; finem habet, aut habere saltem potest. Proinde 6. *magna & summa* Neh. IX. 25. Ps. V. 8. dum creaturarum qualiscunque, ut *guttula* Jes. XL. 15.

Bonitas Dei ex-

IX. Rursus Dei bonitas considerari potest; ut est *in creaturis*, transiens, beneficentia. Et sic est, omnis bonitatis creatæ *causa*: (1) *Exemplaris*, quatenus seipsum exprimit, & infinitam suam perfectionem, quasi per partes repræsentat, sic ut ἴλογα quævis, ejus gestent qualecunque *vestigium*, & λογικὰ *imaginem* Gen. I. 26. (2) *Efficiens* Ibid. vers. 31. quatenus omnis creatura, omnem suam bonitatem, Deo fert acceptam Jac. I. 17. (3) *Finalis* Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. quatenus omnes creaturæ, vel *enituntur* ad ipsum Ps. XLII. 3. vel *diriguntur* ad ipsum Ps. XIX. 1.

trinsece seu transiens.

X. Transit autem Dei bonitas in creaturas, diverso modo: (1) *Universaliter*, in *omnes*, eas creando, ferendo, gubernando, exornando Ps. XXXVI. 7. & CXLVII. 9. (2) *Communiter*, in *homines* promiscuè, electos, & reprobos 1. Tim. IV. 10. in eos varia beneficia *communia* cumulando Rom. II. 4. 1. Tim. VI. 17. (3) *Specialiter*, in *electos* Ps. XXXVI. 8. & LXXIII. 1. *salvifica* bona, in eos dispensando Eph. I. 3. 1. Pet. I. 3. 4. Quâ ratione, pro vario respectu, varia induit nomina; amoris, gratiæ, misericordiæ, longanimitatis, patientiæ, clementiæ, beneficentiæ. De quibus Cap. sequenti ex professo.

Diversus communicandi modus.

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An non delirent, qui Deum malum fingunt

XI. Dei *bonitas* cœlum & terram replens, tam est nobilis, ut non modo apud Christianos, Judæos, Muhammedanos; sed ne apud gentes quidem maxime barbaras, habeat, qui eam professione calumnientur, unde, quoad elenchum, breves erimus. Quæritur 1. An non delirent, qui Deum *malum* fingunt? Feruntur apud Indos dari; qui Diabolum adorent, ne sibi noceat, & adorando, *Deum* taciant. Olim Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi *principium* aliquod independens *mali* credebant, perinde ac boni, & Deum, Legis & Prophetarum auctorem, non *bonum* nec justum delirabant, atque etiam principium istud *mali*, perinde *Deum* appellabant, ac principium *boni*, teste Augustino, *ad Quod vult deum. Hæres.* XXI. Reformati delirare censent, quicunque *Deum malum* dicunt, quod *Deum* dicant, qui non est *Deus*. Est enim Deus, ens *perfectissimum*, & bonitas, procul omni dubio, est *perfectio*. Si dicant: & vos Christiani, principium *mali* agnoscitis, Satanam? Resp. Agnoscimus utique, sed principium mali *independens* non agnoscimus, quemadmodum Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi faciebant, proinde principium *mali*, non agnoscimus, quod *Deus* sit.

2. An non, Deum esse Deum, negent, qui non

XII. Quæritur 2. Annon, Deum esse *Deum* negent, quicunque ipsum summum esse bonum, non agnoscunt? Philosophi gentiles, super *summo bono*, inter se digladiantes, magna varietate quærebant *summum bonum*: alii in bonis *fortunæ*, opibus, honoribus, voluptatibus: alii in bonis *cor-*

agnoſcunt ipſum eſſe ſummum bonum.

corporos, valetudine, robore, pulchritudine, alii in bonis *animi*, ſapientia, virtute, tranquillitate animi, adeo ut Varro, ducentas & amplius, ſententias numeret de *ſummo bono*, quibus nulla intererat, quæ *Deum* agnoſceret pro ſummo bono; ab hoc procul dubio, quod peccato excæcati & infatuati, ſolum *Deum* non viderent. Et hoc quid tandem, niſi reapſe negare Deum eſſe *Deum?* quid niſi miſeras divitias, ventoſos honores, vanas voluptates, fatuam ſapientiam, jejunam ac ſterilem virtutem, ſummo bono ſubſtituere, & in thronum *Dei*, elevare? Ut rećte de eis pronunciet Apoſtolus noſter: *cognoſcentes Deum*, nec tamen *glorificantes ut Deum*, adeo *infatuati* deprehenduntur, *in ſuis* iſtis *diſceptationibus*, *& obſcuratum inſipiens eorum cor*; ut mutârint αλήθειαν τȣ̃ θεȣ̃ ἐν τῷ ψεύδει Rom. 1. 21. 25.

3. An non divina bonitate abutantur qui ex eo, quod unus Deus dicatur bonus conficere nituntur, Chriſtum non eſſe Deum?

XIII. Quæritur 3. Nunquid divina bonitate, peſſime abutantur illi, qui ex eo, quod *unus Deus* dicatur *bonus*, negant Filium Dei, Jeſum Chriſtum eſſe *bonum*, adeoque *Deum* ab æterno? Sociniani, quo Filium Dei, proprio ſuo teſtimonio, de ſolio æternæ deitatis, validius deturbent, eoque Trinitatem, & ſatisfactionem Chriſti, una opera ſubruant, ipſius Chriſti teſtimonium in Chriſtum torquent; ſtatuunt Chriſtum reprehendere in textu, quod ſe appellaverit *bonum*, cum *nemo bonus* ſit *niſi unus, Deus*; proinde negare, ſe *bonum* eſſe, ſaltem ſummum bonum, ſicut Deus eſt. Reformati exiſtimant, eſſe hanc turpem mentis Chriſti, adverſus ſeipſum, detorſionem: Chriſtum non negare, ſe *bonum* eſſe, nec ſe *ſummum* bonum eſſe, nec eo nomine juvenem reprehendere, his rationibus: 1. ſeu enim Chriſtum cogites ut *hominem*; erat ita *bonus*, ut malum non *cognoverit* 2. Cor. v. 21. ut dolus *non* fuerit *in ore ejus* Jeſ. LIII. 9. ſeu ut θεάνθρωπον; erat etiam *magis* bonus, & contradictionem involvebat, eum non eſſe bonum. Erat *bonus ille paſtor* Joh. x. 11. ſeu ut *Deum*, erat *maxime* bonus, ſummum bonum. 2. Ipſi ejus infenſiſſimi hoſtes, vel provocati, ne unicum quidem vitium taxare potuerunt, jure ſaltem Joh. VIII. 46. Imo 3. inſuper etiam bonum prædicant, *veracem*, qui *viam Dei in veritate doceat*..... Matth. XXII. 16. Porro 4. ipſus ille eſt, per quem Deus *omne bonum* diſpenſat Eph. 1. 4. extra quem nil boni, *nulla ſalus*, nobis poteſt obtingere Act. IV. 12. Quin & 5. ipſis Socinianis agnoſcentibus, eſt *verus Deus*, *& vita æterna* 1. Joh. v. 20. Et hic talis, juvenem reprehenderet, quod ſe *bonum* ſalutaret! negaret ſe *bonum* eſſe! Interim A. ipſum *reprehendit*, quod ſe *bonum* appellaret. Reſp. Reprehendit utique, non quod ſe bonum appellaret; ſed quod forte animo adulandi, appellaret, ſeu, quod potius, quod ſe *bonum* appellaret, ut *ſolus Deus* eſt, quando interim non credebat, eum eſſe *Deum*. Sed B. Non dicimus ipſum negaſſe, ſe *bonum* eſſe; ſed, ſe *Deum* eſſe, quod non ſit *ita* bonus, ſicut Deus eſt. Reſp. 1. Chriſtus juvenem reprehendit, non quod ſe Deum prædicaret; ſed quod ſe *bonum* ſalutaret, quem pro Deo non habebat. Et 2. ſi hoc nomine ipſum reprehendit, quod ſe pro Deo, & pro ſumme bono haberet, cum juvenis non diceret, niſi *bone Magiſter*; unde agnoviſſet Servator, quod ſe pro Deo haberet, & pro *ſumme* bono, ſi non fuiſſet *Deus*: cum *ſolus* Deus, ſit καρδιογνώστης Jer. XVII. 9. 10. proinde ut ſolus *bonus* eſt. Si igitur *Deus* erat, & *ſumme bonus* ſicut Deus eſt; quo jure juvenem reprehendiſſet, quod ſe talem prædicaret? Conf. quæ dudum in hanc rem habuimus, apud partem *exegeticam*.

4. An bonitas Dei exigat, ut velit omnes & ſingulos ſervari? Sententiarum diverſitas. Argumenta orthodoxa.

XIV. Quæritur 4. An bonitas Dei exigat, ut *velit*, omnes ac ſingulis homines ſervari, &, ad hoc, omnibus ac ſingulos filium dare, ut Redemptorem? Quæſtionem, num Deus velit omnes & ſingulos ſervari, capite præced. dudum agitavimus, nec jam ſuſcipimus, niſi: an hoc, ejus *bonitas* exigat. Pelagiani & Pelagianiſſοντες, Jeſuitæ, Remonſtrantes (capti perverſo amore dogmatis, de univerſali voluntate Dei ſervandi ſingulos, cujus efficacia pendeat, ab independente hominis arbitrio) affirmant: Reformati negant; eo quod: 1. Ita bonus ſit Deus, & communicativus ſui, ut nihilominus ſit ens *liberrimum* ac ſapientiſſimum, qui, pro iſta ſua ſapientia, ſuam bonitatem liberrime diſpenſat. 2. Si, per bonitatem, neceſſario vellet omnes ac ſingulos ſalvari; tum, per eandem, non poſſet velle, manifeſtationem juſtitiæ ſuæ vindicativæ, in quorundam *juſta* condemnatione. 3. Per infinitam ſuam bonitatem, Deus diſpenſavit ac diſpenſat, id omne bonum, quod omnes creaturæ, peſſimæ etiam, uſque ad reprobos ac diabolos, poſſident: nec, per ſuam bonitatem, præciſe tenetur, in omnes ac ſingulos, diſpenſare ſalutem æternam. 4. Nec officit bonitati divinæ, quod ſuam iſtam bonitatem, diverſis modis & gradibus, per ſuas creaturas diſpenſet, nec omnem omnibus conferat; quod v.g. quam in Angelos contulit, in hominem non conferat: &, quam in hominem diſpenſavit, in bruta non projiciat. Ita prorſus bonitati divinæ non officit, quod bonum filiorum ſuorum, non diſpenſet in canes Matth. XV. 24. Porro 5. Non obſtante iſta ſua bonitate, plurimos æternum vult condemnare Prov. 1. 26. 27. Rom. IX. 15. 18. Nec quicquam video, quo Adverſarii, nexum ſuum individuum, inter *bonitatem* Dei, & voluntatem ſervandi ſingulos, demonſtrare poſſint, ulla ſpecie. Conferantur capita, præcedens de *voluntate* Dei, & ſubſequens de *gratia* ejus.

XV. Quæritur 5. An Reformati, ſua doctrina; 5. An

Reformati, sua doctrina, de absoluta reprobatione &c. arrodant bonitatem Dei?

de absoluto decreto, reprobatione, electione paucorum, decreto lapsus protoplastorum &c, arrodant infinitam Dei *bonitatem?* Quæstionem hanc proponimus, potissimum propter Lutheranos, qui, ut factum à se schisma, commodius justificent, nostrasque Ecclesias denigrent, nihil frequentius habent in ore, quam ἀντίθεσιν inter φιλανθρωπίαν Dei, & μισανθρωπίαν Calvini: proinde ad quæstionem respondent affirmando; Reformati negando. Nidus calumniæ est 1. generaliter quidem est in absoluto & immutabili *decreto*, quo Deus hominibus velit *mala*. Sed animadvertenda erant Adversariis hæc duo: α. Quod *decretum* Dei, sit operatio ejus *immanens*, quæ non *attingit* creaturam, ei, seu malum seu bonum inferendo, proinde neminem lædat. β. Si dicant, vult tamen homini malum, quod est contra *bonitatem*; regeram, non vult ei malum conferre, nisi propter ejus peccatum, velut mali istius causam *meritoriam*. Est fundamentum calumniæ 2. In absoluta & immutabili *reprobatione*, qua homini destinaverit æternam damnationem. Verum a. reprobatio, quippe *decretum*, non attingit aut lædit quemquam. b. Non destinavit cuiquam *damnationem* infligendam, nisi *propter* ejus incredulitatem, & irresipiscentiam, velut causam *meritoriam* damnationis Prov. 1. 26. 27. Porro 3. In eo quod statuamus, Deum *paucos* elegisse. Sed idem nobiscum statuit Servator Matth. xx. 16. quem tamen propterea μισάνθρωπον, non dicent, scio, adversarii. Insuper. 4. quod absoluto & immutabili decreto, Deum faciamus *auctorem peccati.* Sed (1) decretum non operatur extra Deum, proinde non est causa peccati, quod sane extra Deum est. (2) Non est causa *peccati*; sed *futuritionis* tantum, inter quæ maxima differentia est. Est enim rei *futuritio* ab *æterno*: quicquid enim in *tempore* fit, hoc ab æterno fuit futurum; dum futurum in tempore fit: futuritio est à *Deo*, per decretum; res futura, à *creaturis: futuritio* bona; *peccatum*, malum (3) peccatum, ut tale, non decrevit Deus, nisi permittere. Insuper 5. Quod dicamus, Deum, sua providentia, influere in peccatorem & peccata, eoque peccatorem necessitare ad peccandum. Resp. α. Peccatum consistit in sola ἀνομίᾳ 1. Joh. III. 4. in *illam* Deus non influit; sed tantum ejus *substratum*, cui inest ἀνομία Act. XVII. 28. Tum β. influxu suo, prædeterminans voluntatem, ad id, in quo est ἀνομία; non *necessitat*; sed homini facultatem relinquit, seipsum sub se determinandi ἐκ προαιρέσεως, ex consilio, ex complacentia rationali, in quo vera consistit, arbitrii nostri libertas. Tandem 6. Quod doceamus, Deum ab æterno *decrevisse* lapsum proptoplastorum. Resp. Decrevit *futuritionem* lapsus, procurandi solo abusu arbitrii humani, ad hoc, ut inde sibi suppeteret ansa, demonstrandi gloriam suam, tam misericordiæ, quam justitiæ, vindicativæ. Hæc, hoc loco tetigisse, sufficiet, suis locis uberius dicenda.

Pars practica.

Bonitas Dei excitat. 1. Ad amandum Deum.

XVI. Quantum ad praxin. Si Deus est verè bonus, summè bonus, omne bonum; est *primò* quod *amemus* ipsum ἀναλόγως, imo ὑπερβολῶς Psal. XVIII. 2. 3. & CXVI. 1. 5. bonum enim & amabile reciprocantur, ut, quod non amatur, pro bono non habeatur. Quare, si *radium* exiguum, divinæ bonitatis in creaturis amas, si *guttulam* hujus fontis, tam avide desideras; quid *Solem* ipsum, & *fontem* perennem omnis bonitatis non amabis? *Ama* (inquit Anselmus in *Prosol.* c. 25.) *unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficiet tibi.* Amemus inquam: [1] *appetendo*, anhelando, anquirendo, ejus præsentiam, possessionem, unionem, communionem, fruitionem Ps. XLII. 3. & LXIII. 2. ut ipsi q. *congultinemur.* Ibid. vers. 9. 1. Cor. VI. 17. prout *ipse nos* appetit, quærit Psal. CXIX. 176. [2] omne *bonum* nostrumipsi *impendendo* 2. Cor. VIII. 5. [3] *removendo* omne *malum* peccati, à conspectu ejus Jes. 1. 16. quo ipsi *placeamus* Rom. XII. 1. 2. & XIV. 18. ipseque, *omnem bonitatem* suam, *transire faciat*, coram *facie* nostrâ Exod. XXXIII. 19. & suâ bonitate, omne malum, a nobis removeat Psal. CIII. 3. [4] In ejus infinita bonitate, *acquiescendo*, tanquam in *solo* & *omni* bono nostro Psalm. XVI. 5. 6. & LXXIII. 25. 26. sic, ut illum, nec magis bonum; nec minus justum desideremus: utroque enim, *infinitam* bonitatem abnegamus Exod XXXIV. 7. Istis omnibus Deum amemus. (a) *verè* & sincere, corde, non ore aut gestu tantum 1. Tim. 1. 5. *Charitas ex puro corde*, & ex fide ἀνυποκρίτῳ 1. Joh. III. 18. scil. ut Deus est *Verè* bonus. (1) *Superlative*, ex *toto* corde, ex totâ cogitatione, *omnibus* viribus Matth. XXII. 37. *supra* omnia quæ sunt in *cœlo & in terrâ* Psalm. LXXXIII. 25. Scil. sicut ipse est *summum*, quodvis bonum excedens. (c) *Unice*, cum neglectu & contemtu, *omnis alius* boni. *Ibid.* Cant. VIII. 7. Saltem quatenus *uni* huic bono adversatur Phil. III. 7. 8. scil. ut ipse *solus* est bonus. (d) *independenter*, *propter se* solum, non *propter aliud* quidvis Joh. VI. 26. scil. sicut ipse bonum est *idependens*, quod *omnia fecit propter se* Prov. XVI. 4. *ex quo, & ad quod sunt omnia* Rom. XI. 36. (e) *constanter* & immutabiliter, non ad tempus tantum Apoc. II. 4. 2. Tim. IV. 10, scil. ut ipse bonum est *æternum*, *immutabile* & semper idem. (f) *efficaciter*, non otiose: sed ἐνεργουμένως Gal. V. 6. Cant. VIII. 7. *non verbo, neque linguâ*; *sed opere & veritate* 1. Joh. III. 18. Matth. VII. 21. Scil. sicut ipse bonum est, per omnia *sui communicativum.* Accendendo autem, efflâminandoque huic amori, conducit 1. Eniti omni

Actus amoris.

Affectiones amoris.

Incentiva amoris.

omni conatu, ut magis magisque radicemur, *in fide* & persuasione, infinitæ istius Dei *bonitatis* Col. II. 7. Ut *in charitate, radicati & fundati, valeamus assequi, cum omnibus Sanctis: quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, & cognoscere* ὑπερβάλλουσαν *charitatem Christi* Eph. III. 17. 18. 19. 2. Frequentem & *profundum* esse, in contemplatione infinitæ istius *bonitatis* & perfectionis, quæ Deo *intrinseca* est, ut eam q. *gustemus. & videamus* Psal. XXXIV. 9. prout avarus, contemplatione auri, accenditur ad ejus amorem. Comprimis 3. Assiduum esse, in meditatione bonitatis istius, quæ Deo est *extrinseca*, quam *mirabilem* prædicat Psal. XVII. 7. quæ *terram replet* Psal. XXXIII. 5. & *ad cœlum* pertingit Psal. LVII. 11. Quæ conspicua est, in creatione, sustentatione gubernatione hujus universi Psal. XXXVI. 7.8.9. & κατ' ἐξοχὴν, in negotio *redemptionis* humanæ, in *facie Domini nostri Jesu Christi* Tit. III. 4. 2. Cor. IV. 6.

2. Ad bonum quodvis in Deo quærendum.

XVII. Est *secundo*, in Deo & bonitate ejus *infinitâ*, in qua, & à qua, nobis expetamus omne bonum. *In qua* inquam, quippe quæ est *omnisufficiens* Gen. XVII. 1. *Sol & clypeus* Psal. LXXXIV. 12. *Merces magna valde* Gen. XV. 1. *à quo* (ut qui est *fons vitæ, in cujus luce fruimur luce* Psal. XXXVI. 10.) *& à quo, omnis donatio bona* Jac. I. 17. Qui *nobis benedicit, omni benedictione* Eph. I. 3. Quod si itaque desit; (1) bonum *jucundum*, ipse, per bonitatem suam, *replet corda nostra, cibo & gaudio* Act. XIV. 17. sua bonitate, *nobis præbet omnia copiosè, ad fruendum* 1. Tim. VI. 17. & *coronat nos, bonitate & miserationibus* Psal. CIII. 4. & LXXXIV. 12. Si (2) bonum *utile*, & trahendæ huic vitæ necessarium: ipse *cœlum exaudit, & cœlum terram, & terra frumentum, & illud Israëlem* Hos. II. 21. 22. & Psal. CIV. 10. 16. *imo in quo vivimus, movemur & sumus* Act. XVII. 28. Si (3) bonum *honestum* & salvificum: fides, spes, charitas, pietas &c. ipse *Pater luminum, à quo omne bonum salutare* Jac. I. 17. qui nobis benedicit *omni* dono *spirituali* Eph. I. 3. Modo (α) nos, consequendo bono cuivis, nobis, in creaturis non *effodiamus fontes, qui non continent aquas* Jer. II. 13. Et non dicamus: *Quis videre faciet nos bonum?* Psal. IV. 7. (β) illud *precibus* ardentissimis, summo bono, velut extorqueamus Jac. I. 5. Matth. VII. 7. 8. (γ) idque *per fidem* in ejus Filium Jesum Joh. XVI. 23. in quo *omnes promissiones* ejus, *sunt* ναὶ καὶ ἀμήν 2. Cor. I. 20. Addita (δ) filiali *reverentiâ* nominis sui Psal. XXXIV. 10. 11. Atque etiam (ε) piâ *acquiescentiâ*, in eo bono, quod summo bono visum fuerit, in nos dispensare Phil. IV. 11. 12. 13. 2. Cor. XII. 9. Nec (ζ) bona quævis *terrena*, habeamus, nisi pro *corollariis* Matth. VI. 33. 34.

3. Ad

XVIII. Est *tertiò*, in infinitâ Dei bonitate, *re medium* adversus *quodvis malum*, à quo *Medicus* dicitur Exod. XV. 26. utpote, qui *sanat omnes infirmitates* nostras Psal. CIII. 3. Urgeant itaque: A. mala *fortunæ*, inopia; ipse, per *bonitatem* suam, nobis erit *portio*, & *hæreditas* nostra Psal. XVI. 5. 6. atque etiam suppeditabit, è thesauris suis, quantum nobis fuerit necessarium Matth. VI. 32. 2. Cor. IX. 10. Psal. XXIII. 1. 2. Urgeat *hostium malitia* & sævitia; ipse, per *bonitatem* suam nobis *arx* erit, & *locus editus*, & *scutum*, & *fortitudo* Psal. XVIII. 2. 3. Urgeant B. mala *corporis, morbus*; ipse, per *bonitatem* suam *sanabit omnes infirmitates* Psal. CIII. 3. & VI. 3. 4. 5. & XXXVIII. 9. 10. 23. Urgeant C. mala *animi, peccata*; ipse *remittit omnes iniquitates nostras* Psal. CIII. 3. idque pro *suâ bonitate* Psal. LI. 3. Jes. XLIII. 25. Urgeat D. peccatis resistendi *impotentia*; ipsius *gratia sufficiet*, potentia ejus *in infirmitate perficietur* 2. Cor. XII. 9. Urgeant *derelictiones spirituales* Psal. LXXVII. 9. 10. *bonus Jehova, longus irâ, multus bonitate, non in seculum servat iram* Psal. CIII. 8. 9. 10. Jes. LIV. 7. 8. 9. 10. Quin in *omnibus* omninò malis, quanta & qualiacunque sint remedium nobis suppetit, ab infinitâ *bonitate* Dei. Scil. *bonus est Dominus, fortitudo in angustia* Nahum. I. 7. qui curare etiam potest, ut *omnia* mala, nobis *cooperentur in bonum* Rom. VIII. 28. Modo (1) in ipso *solo*, remedium *quæramus* Jes. LV. 6. 7. (2) *spem*, in eo solo collocemus: *Bonus* enim *est Dominus, exspectantibus eum, animæ, quæ quæsiverit eum* Thren. III. 25. Nahum. I. 7. utpote qui, pro sua bonitate, mala quævis immittit Heb. XII. 6. 7. pro suâ bonitate moderatur Psal. XXIII. 4. eâdem promittit præsentiam & auxilium Psal. XCI. 15. eâdem servat promissa Heb. X. 23. Modo (3) nos amoveamus ab ejus oculis, *peccati* malum Jes. I. 16. & LV. 7. illa enim *sola*, nos & Deum optimum, disterminant Ibid. cap. LIX. 1. 2.

Remedium in bonitate Dei quærendum.

XIX. Est *quartò*, in infinitâ Dei *bonitate*, in quo peccati *malitiam* agnoscamus: quippe quod (a) *solum*, infinitæ *bonitati* obstrepit, & quantum est in se, de deitatis solio, *optimum* deturbare adnititur, quo nomine Patribus *deicidium* appellatur. (b) Quo summum bonum *deserimus* Jer. II. 13. Deut. XXXII. 15. Et ob quod (c) à summo bono *deserimur* Jes. LIX. 1. 2. & deseremur *æternùm* Matth. XXV. 41. 2. Thess. I. 9. Quod (d) ipsam *animam* nostram, adeo *bonam*, à bono Deo, juxta suam imaginem, conditam, adeo reddit *malam*, & ineptam ad quodvis *bonum*. Quo (e) *imaginaria* creaturarum bonitati, *vera* & infinita Creatoris bonitas, postponitur. Quo (f) *summo* bono, à quo *omne* nobis bonum suppetit, non nisi *malum rependimus* Deut. XXXII. 6. Quo (g) *thesaurum bonitatis* divinæ, *contemnimus* Rom. II. 4. Atque *ita* quidem, in omnibus istis, peccati

4. Ad agnoscendam peccati malitiam.

Quomodo

cati malitiam agnoscamus, ut 1. *bonitas Dei*, nos *ad resipiscentiam alliciat*. Ibid. 2. Ad *dolorem* profundum, peccati *præteriti* Thren. v. 16. 3. Ad *fugam* & detestationem, *futuri* cujusvis Psal. xcvii. 10. 4. Ad ejus *remedium* quærendum, in solâ *bonitate Dei*, quæ est in Christo Jesu Psal. ii. 3. 9.

5. Ad imitationem.

XX. Est *quintò*, in infinitâ Dei bonitate, quod *imitemur*. Prototypum, ἐν ἐπιτομῇ præstat Psalmus cxix. 68. *Bonus tu es, & beneficus:* טוב ומטיב: *Bonus* perfectione intrinsecâ & immanente, quâ *amabilis* est, & amatur à se, quâ *communicativus* est sui, quâ *appetibilis* est, & appetendus ab omnibus: *Beneficus*, bonitatem *effundit* ac distribuit in creaturas, quasvis equidem, bonas & malas, quamvis diverso modo & gradu. Admitendum itaque nobis, ut ad exemplum simus *boni* & *benefici*. *Boni* primò, h. e. *apti ad usum*, cui creati sumus: *usus* autem est, ut Creatorem agnoscere-mus, diligeremus, glorificaremus, cum eo beati æternùm viveremus Jes. xliii. 7. *aptitudo* ad hunc usum, est in imagine Dei, ejusque *justitiâ originali*, h. e. in *sapientiâ* intellectus Col. iii. 10. *sanctitate* & *justitiâ* voluntatis Eph. iv. 24. Istâ justitiâ originali, peccato privati, inepti sumus ad usum nostrum, *servi inutiles* Luc. xvii. 10. eoque prorsus *mali* Gen. vi. 5. 12. 13. & viii. 21. Proinde, imitationis negotium, ante omnia requirit, ut (1) à Deo *restituamur* ad amissam *bonitatem*, quod fit *regeneratione*, ad *vitam*; *conversione* ad *fidem* in Deum & Christum *sanctificatione*, ad redintegrationem *imaginis* divinæ Joh. iii. 5. 1. Cor. vi. 11. (2) Restituti ac *renovati* à Deo, nos indies *renovemus* magis magisque Rom. xii. 2. *lavemus* nos, *removeamus malum à conspectu Dei, discamus benefacere* Jes. i. 16. 17. Tum secundò *beneficii* simus, juxta usum, cui per bonitatem creationis destinati sumus, h. e. *erga Deum*, ipsum agnoscendo, diligendo, glorificando, eique fideliter serviendo Rom. i. 9. & *erga proximum*, bonitatem nostram profundendo in quosvis, etiam malos & *inimicos* Rom. xii. 17, 19. 20. 21. Matth. v. 44. 45. Quamvis, dispari, *modo* & *gradu* Gal. vi. 9. 10. Ista bonitatis divinæ imitatione: [1] Deo in perfectissimâ quâdam ejus *proprietate*, assimilabimur, ac *naturæ divinæ, reddemur participes* 2. Pet. i. 4. In quo, præcipua consistit, creaturæ rationalis perfectio Matth. v. 48. [2] Nos *filios* Dei præstabimus. Ibid. vers. 45. *Ut sitis filii Patris vestri, qui est in cœlis*, quippe qui, generatione spirituali, ejusdem bonitatis, simus facti participes. [3] argumentum habebimus intra nos, cui, *certitudinem* restitutionis nostræ, ad imaginem Dei, possimus superstruere 2. Thess. i. 11. Eph. v. 9. Gal. v. 22. Col. iii. 12.

Rationes motivæ.

Admonitio.

6. Ad quærendam in Deo beatitudinem.

XXI. Est *sextò*, in infinitâ Dei *bonitate*, in quo *beatitudinem* nostram quæramus, & consequamur Psal. iv. 7. *Quis videre faciet nos bonum? Eleva super nos, lucem vultus tui Jehova.* Ubi *lux vultus* non est, nisi bonum illud, quod quæritur: in quo est *satietas lætitiarum*, *coram facie Dei* Psal. xvi. 11. in quo est *vena vitæ*, & in cujus *luce* (bonitate) *fruimur luce* Psal. xxxvi. 10. 11. dum *gustamus & videmus, quam bonus sit Dominus* Psal. xxxiv. 9. Est singulatim, in quo perspiciamus, *primò* beatitudinem nostram *objectivam*, seu bonum illud, quod nos beatos *reddit*: scil. non *creatum* quodvis, ut Philosophi veteres delirabant, sed *increatum*, independens, summum, infinitum: quod hoc nomine, *fons vitæ* appellatur, atque etiam *pars* nostra Psal. xvi. 5. 6. quippe quod possit, *omne malum* averruncare, tanquam *scutum* solidum Psal. lxxxiv. 12. & *omne bonum* præstare, tanquam *Sol*. Ibid. usque ad perfectam *satietatem*, omnemque laborem & conatum nostrum, *abunde* compensare, ut *merces* nostra *magna valde* Gen. xv. 1. *secundò* beatitudinem nostram *formalem*, nim. in summi & infiniti boni hujus *possessione*, unione, communione, fruitione, delectatione, quâ bonum istud *habemus* Psal. lxxiii. 25. *Quem habeo in cœlis, præter te?* & *Deus* noster, *est Deus* Psal. xxxiii. 12. *Beata gens, cujus Jehova est Deus*: quâ suam bonitatem, Deus nobis *impendit*, nobis communicat. Ibid. vers. 22. & xxxvi. 11. & xlii. 6. quâ, eâdem *fruimur* Psal. lix. 11. & xvii. 7. eâ *delectamur* Psal. lxiii. 4. & lxix. 17. inque ea, *gaudemus* & exsultamus Psal. xxxi. 8. & xxxvi. 8. ita *monstrat* infinita Dei *bonitas*, quid sit & ubi prostet: sed non monstrat tantum; verum *invitat* quoque, ad quærendum: ut enim *quærere*, quibusvis est congenitum, & *alibi*, quærere, carnalibus; ita in *bonitate Dei solâ*, quærendam: suadet: 1. quod in eo summus sit, vitæ nostræ *finis* Matth. vi. 33. citra quod, omnia nostra, *temere* fient & *frustra*. 2. Quod ex intuitu hujus finis, omnes *actiones* nostræ sint *dirigendæ*; quarum illæ solæ sunt *rectæ*, quæ *rectâ* q. lineâ, tendunt ad illum finem; cæteræ omnes, sunt *curvæ* ac distortæ. Qui ergo vivit, sine curâ hujus beatitudinis, hujus finis; is q. sagittam emittit, sine scopo; aut navim fluctibus committit, sine pyxide. Unde Scripturis *aberrare* dicuntur tales Jes. lxiv. 6. Psal. cxix. 176. Item *deflectere, & inutiles fieri, nec quod bonum est, exercere* Rom. iii. 11. 12. Quod 3. summum bonum, *summam* habeat dignitatem & *excellentiam*, atque adeo *primum* & primarium locum in cogitationibus & studiis nostris mereatur Matth. vi. 33. Phil. iii. 13. 14. Qui ergo, hoc neglecto, alio quovis distinentur, perinde ut infantes, maximis susque deque habitis, circa res nihili occupantur Psal. lxii. 11. Prov. xxiii. 5. Nec tamen sufficit quærere, nisi & *inveniamus*. Id verò fiet: (1) si suo *loco* quæsiverimus, non in mundo & mundanis, in *vino & frumento* Psal. iv. 8.

Modus.

Motivæ quærendi.

Et inveniendi media.

IV. 8. & XVII. 14. sed in *Deo* solo Psal. LXXIII. 25. Si (2) commodis *mediis*, cognitione & *fide* in Deum & Mediatorem Joh. XVII. 3. Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Si (3) justa etiam *contentione*, *primò* Matth. VI. 33. neglectis cæteris Phil. III. 13. 14. Si (4) *studium* addamus *bonorum* operum 2. Pet. I. 5. 11. Et (5) in omnibus istis, *puri* simus *corde* Psal. LXXIII. 1. Matth. V. 8. Plura hujus generis alibi trademus.

7. Ad glorificandum Deum.

XXII. Est denique *septimò*, in infinitâ Dei *bonitate*, ob quod eum *glorificemus*, perpetuo Sanctorum, imprimis Davidis, exemplo Psal. CXXXV. 3. & CVI. 1. Mosis Exod. XXXIV. 6. Asaphi cum suis 2. Paral. V. 13. Levitarum Esd. III. 11. Est enim: 1. Dei *bonitas* illa ejus proprietas, quâ seipsum maximè *profundit*, & commendat creaturis. Unde Augustinus in Psal. CXXXV. *Cum Deus bonus sit, & bona omnia fecerit, multoque sit melior qui fecit, quam ista quæ fecit, non invenies melius, quod de illo dicas, nisi: quia bonus est Dominus: si tamen intelligas propriè bonum, à quo sunt cætera bona.* Est 2. Illa proprietas, quæ *nos* maximè tangit, atque adeo obstringit ad celebrandum, unde Bernardus: *Sicut nullum est momentum, quo non fruamur Dei bonitate, sic nullum sit momentum, quo eum non præsentem habeamus in memoriâ.* Et 3. in cujus celebratione, *suavissimum* Sanctorum negotium: *Ineffabili* (inquit Augustinus loc. citat.) *dulcedine teneor, cum audio, bonus Dominus, collustratisque omnibus considerandis, quæ foris secus sunt; ipsa non laudo sine illo, illum autem sine ipsis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem quo augeatur; nullius malum timentem, quo minuatur, invenio. Si ergo quicquid aliud laudamus, ideo laudamus quia bonum est, nulla tibi major causa, & melior & firmior dari potuit, quare laudes Deum, nisi quia bonus est.* Atque, ut ad hoc glorificationis negotium simus expeditiores, tria conducunt: 1. ut *sciamus*, (a) *quid* sit ejus bonitas? quid immanens, quid transiens? (b) *qualis* & quanta? independens, immutabilis, æterna, summa, & infinita. (c) quænam ejus *effecta*? in creatione, providentiâ, redemptione, beatificatione, quæ distinctè cogitare; admodum facit ad celebrationis promptitudinem. 2. Ut *sentiamus, gustemus, videamus, miremur: quanta bonitas! & quanta pulchritudo ejus* Zach. IX. 17. Ut 3. quæ sentimus corde *profundamus* ore, aliosque excitemus ad idem: *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum bonitas ejus* Psal. CVI. 1. *Laudate Dominum quia bonus est, cantate nomini ejus, quia jucundum* Psal. CXXXV. 3. *Benedicite Domino Angeli ejus, benedicite Domino omnes exercitus ejus, benedicite Domino omnia opera ejus; benedic anima mea Domino* Psal. CIII. 8. 11. 20. 21. 22.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE

Amore, Gratia, Misericordia, Longanimitate & Clementia Dei.

Exod. XXXIV. vers. 6.

Dominus Deus misericors & gratiosus, tardus ad iram, multus benignitate & fidelitate.

Bonitas Dei.

I. Bonitas illa Dei, quam *transeuntem* diximus, operatur vel *dando*, vel *regendo*: & hoc, *vel* præscribendo; *vel* retribuendo: à posterioribus *justitia* designatur; à priori, pro diversâ, tum *datorum*, tum *dandi* ratione; jam *amor*, qui non est, nisi bonitas, ut sui communicativa: jam *gratia*, quæ non est, nisi amor indebitus: jam *misericordia*, gratia versus miserum quemvis: jam *patientia*, misericordia, versus peccatorem: jam *longanimitas*, patientia diutina: *benignitas*, longanimitas cum beneficentia, designantur. Et hi sunt *affectus* Dei gratiosi. De quibus Moses Exod. XXXIV. 6.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Quibus verbis, δοξολογία quædam continetur ἐυχαριστικὴ, quâ, pro exauditis precibus, & facta videndi copiâ, ut Moses gratitudinem referret, Jehova ipsi prælucet, & quasi* formulam *quandam*

præscribit, in qua duo notantur:

1. Δοξολογούμενος, *qui* celebratur: יהוה, *secundum Hebræorum Magistros, nomen* gratiæ. *Apposite & convenienter præsenti negotio* δοξολογικῶς, *quatenus ab hoc nomine, ingredientes virtutes, amor, gratia, misericordia.... immensum invalescunt, dum v. g.* amor, *inde celebratur, ut vere* existens, *independens à quovis;* immutabilis, *semper idem, & sibi constans;* simplicissimus, *sine fuco;* infinitus, *sine termino & mensura;* æternus, *absque fine &c. Cum ista omnia, involvantur uni nomini* Jehova. *Conf. qua suo loco, de hoc nomine habuimus.*

2. Δοξολογία, celebratio, *congeries titulorum repræsentans:*

1. Amorem *& misericordiam,* אל רחום. *Si verba capiantur, in casu* nominativo; *tum,* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *subintelligendum, verbum substantivum* est, *ut emergat, Jehova est Deus misericors: si in casu* vocativo, *erit* προσφώνημα *encomiasticum, Dei ipsius ad seipsum, Mosi in exemplar & formulam præstitum. Porro* אל *subjectum est, omnibus titulis sequentibus applicandum v. g. &c.* אל חנון אל רחום *Notat* Deum fortem, *qui suam* fortitudinem, *in omnia sequentia attributa sit derivaturus, ut amorem & misericordiam validam reddat, cui obniti, nihil possit omnino.* רחם, רחם *à in* Kal *semel tantum obvium, nempe* Psal. XVIII. 1. *ubi David illud usurpat de suo amore versus Deum, significaturus, intimum suum & intensissimum amorem versus Deum; in* Pihel, *frequenter occurrit, significans, prater* amorem, *affectum* misericordiæ, *seu amorem miserum cum* sympathia, *communiter ac frequenter usurpatur, de* amore *Dei versus homines miseros, nunquam de amore hominum* versus Deum; *interim subinde sonat amorem* communem. *Descendit,* vel *à* רחם, uterus, *ut notet eum amorem, quo Mater prosequitur fœtum in* utero *suo Conf.* Jes. XLIX. 15. vel *à* רחמים viscera, *cujus singulare, observante Piscatore in* Psal. XVIII. *non invenitur, quia scil. multa sunt opera misericordiæ. Hinc* σπλάγχνα Col. III. 12. σπλαγχνίζομαι Matth. XV. 32. *Notat* amorem, *non vulgarem,* ut אהבה, *sed* inumum, tenerrimum, *oriundum ex ipsis* visceribus: *talem insuper, quo* viscera *commoveantur. Et talis demum amor Deo competit, versus miseros. Unde non tantum* אל רחום, *in textu designatur,* fortis, vehemens, robustus *in amore; sed &* multitudo misericordiarum, *ipsi asseritur* Psal. LI. 3. כרב רחמיך secundum multitudinem commiserationum tuarum.

2. Gratiam, חנון gratiosus, *supple* אל, fortis gratiosus. *Notat rem facere* gratis, *h. e.* libere, *puro puto beneplacito. Opponitur* α. Solutioni *pretii, ac retributioni mercedis* Gen. IX. 15. Exod. XXI. 11. β. Justitiæ Psal. XXXV. 7. 19. γ. Merito I. Sam. XIX. 5. *Sic Noachus dicitur* gratiam invenisse *apud Deum* Gen. VI. 8. *& Moses* Exod. XXXIII. 13. *Huic in N. Testamento respondet* χαριτόω Eph. I. 6.

3. Longanimitatem, ארך אפים, longus naribus. *Hic* ארך, longe extensum *notat, usurpatur de* nube *supra tabernaculum* Num. IX. 19 *qua se extendebat, & undequaque obtegebat tabernaculum.* אפים, nares *sonat* & iras. *Ut* ארך אפים, *notet tardum ad irascendum, & ad pœnam infligendam. Lati enim naribus, facilius fervescentem in præcordiis iræ spiritum efflant, & placantur. In ira, sanguis circa cor effervescit, & cor ipsum supra modum calet: qui autem angustis naribus sunt, & minus frigidi aëris, ad refrigerationem attrahunt; etiam fumos, ex corde ascendentes, citius concipiunt, & tardius efflant, ob meatuum angustiam. Hinc Hispani dicunt, inflari nares irascentium. Comprehenditur autem* patientia, *sub longanimitate, utpote solo gradu durationis, ab ea diversa. Huic in Test. respondet* μακροθυμία Rom. II. 4.

4. Clementiam, *seu beneficentiam,* רב חסד, multus *seu magnus* clementia. חסד, *prater* pietatem (*quod beneficentia sit opus pietatis*) beneficentiam *notat &* beneficium Deut. V. 10. Psal. CVI. 1. *Notat beneficentiam omnem, qua in alios, sive mortuos, sive miseros, sive non miseros; sive meritos, sive immeritos; sive juste ac pie, sive liberaliter ac benigne confertur, observante Serrario in* Jos. II. *Significat* רב excessum, *& supremum gradum rei alicujus, quacunque demum sit. Apud Prophetas, maiori ex parte, denotat ejusmodi beneficentiam qua exercetur erga eum, cui nihil plane debetur, secundum Maimonidem in* Morch Nebuchim. *Addit etiam Paulus Fagius, quod notet beneficium non vulgare: sed eximium, insigne, rarum, quodque fit gratuito, citra respectum compensationis. In tali beneficentia, Deus prædicatur* רב multus, magnus, *unde* πλούσιος χρηστότητος, dives beneficentia Rom. II. 4.

Pars dogmatica.

Esse in Deo propensionem quandam benevolam & beneficam creaturas

III. Est igitur, per universum textum, in Deo *propensio* quædam benevola & benefica, versus creaturas, quæ, pro vario objecto, varioque circa illud agendi modo, jam *amor* dicitur, jam *gratia*, jam *misericordia*, jam *patientia* & longanimitas, jam *clementia, & beneficentia:* quatenus nim. omnium istarum in hominibus virtutum perfectiones, una illa *propensio,* ὑπερόχως absorbet. Dici-

ga creaturas. Probatur Scripturis.

Dicitur istud in Scripturis *generaliter*, quotiescunque ipsi *ἐυδοκία τῆς θελήματος* tribuitur Matth. XI. 26. Eph. I. 5. quotiescunque *specialiter* ipsi asseritur amor, gratia, misericordia. Prout suis locis singulatim ostendemus.

Et rationibus.

IV. Dicit eandem: 1. Dei *voluntas*, quatenus illa non est, nisi *propensio in bonum*. Dicit 2. ejus *bonitas*, quatenus illa est *communicativa* sui. Dicunt ejus operationes: 3. *creatio*, quâ propendebat ad *existentiam* creaturæ. 4. *sustentatio*, qua ad *permanentiam* ejusdem. 5. *gubernatio*, qua dirigit ad bonitatem & *usum* ejus. Dicunt imprimis, ejus operationes circa homines, puta 6. *electio*, qua propendet, ad *salutem* decernendam misero. 7. *redemptio*, qua ad *restitutionem* perditi &c. Verbo dicam, *quævis* benefica ejus operatio, arguit *propensionem* illam quam diximus.

Declaratur ista propensio.

V. Propensio illa, *benevola* dicitur *intrinsecè* considerata; & *benefica extrinsece*. In se generaliter spectata, *amor* est; quatenus independens, libera & indebita, *gratia*; quatenus creaturam respicit ut miseram, *misericordia*; quatenus peculiariter peccatorem offendentem, quem *ferat*, *patientia*; *diu* ferat, *longanimitas*; cui etiam *benefaciat*, *clementia* & beneficentia. Ut proinde, tot in creaturis *virtutes*, in Deo non dicant, nisi unam ejus *propensionem*, variè modificatam. Quod brevitatis studio, semel repeto, ne in singulis eadem repetere cogar, & lector in singulis, pro re nata, repetere possit.

AMOR in Deo. Quod sit:

VI. *Propensio* itaque in bonum, *generaliter* considerata, *amor* designatur. Quem docent omnia illa, quæ §. III. & IV. dudum produximus, atque etiam perquam *emphatice* 1. Joh. IV. 8. 9. 10. *Deus est charitas*; *per hoc patefacta est charitas Dei in nobis, quod Filium suum unigenitum miserit in mundum, ut vivamus. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum; sed quod ipse dilexerit nos.* Ubi *propensio* distinctè notatur, ut *benevola* intrinsecè; & *beneficia* extrinsecè. Addantur loca Rom. v. 5. Joh. III. 16. Deut. XXXIII. 3.

Quid sit:

VII. Nec est *amor*, nisi *propensio* voluntatis in rem; prout odium *aversio* à re. Est propensio *voluntatis*, ut non sit aliquid diversum à Deo; sed ipsa ejus *voluntas*: neque etiam propriè *affectus*, ut supra observavimus. Quanquam considerari possit, ut *affectus*, & sic unicus est & *uniformis*, respectu *omnium* creaturarum; ut *effectus*, & sic *diversus*, pro varietate bonorum, quæ dispensat, ut suo loco monebimus. Quà *affectus*, seu *propensio*, Deo immanens, concludit (1) appetitum *unionis*, qui in nobis est *concupiscentia*, qualem Servator exprimit Joh. XVII. 24. *Volo*, *ut ubi ego sum*, *& illi mecum sint*: qua *nos* velut *quærit* Psal. CXIX. 176. quo spectat Apostolus Eph. II. 4. *multâ charitate*, *dilexit nos*, collat. cum vers. 13. *ut qui olim longinqui eratis; jam propinqui facti sitis.* Quæ *concupiscentia*, in Deo non existit, ex *indigentiâ*, ut in nobis; sed ex *abundantiâ* bonitatis, sui communicativæ Job. XXII. 2. 3. (2) *Conatum benefaciendi*, qui benevolentia dicitur, quo *bonum facit* aut melius, amatum. Qui proinde amor, omnem bonitatem *amati* antecedit, quippe quam confert. E quo perspicimus, ut Deus *electos* adhucdum peccatores, fidei & omnis boni cassos, amare potuerit; ut illos dilexerit: 1. ante omnem eorum vitam *spiritualem*, ante fidem, & omne bonum homogenum Eph. II. 5. Joh. III. 16. Rom. v. 8. 2. ante vitam eorum *naturalem* Rom. IX. 11. 3. ante Filium suum, mundo præstitum Joh. III. 16. Imo 4. ante mundum conditum, ab omni retro æternitate Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. quod nim. hac benevolentia, vitam, fidem, Filium, & omnia Deus conferat. Si dicas, quî potuit amare, *operatores iniquitatis*. Hab. I. 13. Ps. v. 5. 6. dicam, dilexit *operantes*, odio habens *opera*; dilexit amore *benevolentiæ*, non *complacentiæ* Ezech. XVI. 5. (3) *Gaudium acquiescentiæ*, quo Deus *sibi placet* in omnibus suis, nominatim in peccatoribus, propter *Filium* fide apprehensum, scil. *in illo dilecto* Eph. I. 6. Quo (a) sui sibi *pretiosi* sunt Ps. CXVI. 15. (b) Eos frequenter *commendat* Cant. v. 2. (c) *visitat* perfæpe gratiâ suâ Luc. I. 68. Apoc. III. 20. Qua (d) ipsis aperit *arcana* Joh. XV. 15. (e) ipsis *condolet*, in adversis Jes. LXIII. 9. Heb. IV. 15.

Ejus tria ingredientia.

Objecta amoris divini.

VIII. Amore suo, Deus primò & primariò distinetur circa *semet ipsum*, quatenus *summum* bonum, *propter* quod omnia fecit, facitque Prov. XVI. 4. Et personæ divinæ circa invicem; Pater circa Filium Joh. III. 35. & v. 20. & X. 17. Matth. III. 17. & XVII. 5. Filius circa Patrem Joh. XIV. 31. Denique propter se, circa *omnia*, quia nim. apta reddidit, promovendæ gloriæ suæ Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. imprimis circa homines Jes. XLIII. 7. & in his, maximè & tenerrimè circa electos Eph. I. 5. 6. 7. Omnia non in *seipsis*; sed in *seipso*; quia amor ejus independens est.

Amor Dei versus creaturas triplex.

IX. Hinc triplex resurgit, versus creaturas quidem, Dei amor: *Universalis* Psalm. CIV. 31. & CXLV. 9. per quem omnia creavit, conservat, gubernat Psal. XXXVI. 7. & CXLVII. 9. *Communis*, ad *homines* quidem peculiariter sese extendens, non omnes quidem & *singulos*; sed *quosvis* tamen promiscuè, tam reprobos quam electos, cujus generis etiam est, qui beneficia dispensat, quæ commemorantur Heb. VI. 4. 5. 1. Cor. XIII. 1. 2. *Proprius* electis, quo *salutaria* in ipsos dispensat beneficia, *ἐχόμενα τῆς σωτηρίας* Heb. VI. 9. proinde, quæ diversa sunt *à naturâ* & naturalibus beneficiis: *natura* enim & *gratia* pessimè confunduntur. Hic rursus, vel *objectivus* dicitur, quo talia dispensantur bona, quæ hominem quidem, *concernunt*, eique destinantur; sed tamen ipsum non

ingrediuntur; qualia ſunt *electio*, *redemptio* per ſatisfactionem Chriſti, *evocatio* ad ſalutem per præconium Euangelii: vel *ſubjectivus*, qui ipſum q. *ingreditur* hominem, ut *regeneratio*, *converſio*, *ſanctificatio*, *unio* & communio cum Chriſto. Uterque horum, maximè *particularis* eſt, & electis proprius Rom. VIII. 29. 30. Joh. I. 12. Conf. quæ in hanc rem, paulo abhinc, circa *gratiam* §. XV. XVI. XVII. monebimus.

Affectiones amoris divini.

X. Et hic tandem amor (1) *Liber* eſt & liberrimus Hoſ. XIV. 5. nulla oriundus dilectorum dignitate: vel prævisâ, vel exiſtente Ezech. XVI. 8. (2) *Firmus* & immutabilis Rom. V. 8. 10. 1 Joh. IV. 10. Joh. XIII. 1. (3) *Infinitus* & æternus, nunquam alterandus Joh. III. 16. nunquam ceſſaturus Pſal. XXVII. 10. nunquam minuendus Cant. VIII. 7. multo minus interrumpendus Rom. VIII. 35. (4) *Efficax* & uberrimus, ſeſe profundens beneficiis quibuſvis Pſal. XXXIV. 10. 11. tam *ſpiritualibus* Eph. I. 3. 1. Joh. III. 1. 2. Cor. I. 20. quam *corporalibus* Matth. VI. 32. 33. (5) *Purus* & ſincerus, omnis fuci, odii, perverſæ intentionis, penitus expers: quippe qui non niſi *propter ſe* diligit Deut. VII. 6. 7. 8. 1. Joh. IV. 8. ut ſe ſuis impertiat Jeſ. LXIII. 9. Apoc. III. 19. non ut quicquam ab iis accipiat, aut recipiat Job. XXII. 2. Denique (6) *Flagrans* ac fervens Jer. XXXI. 20. Rom. V. 5. 8. Cant. VIII. 6. 7. quo ſic quandoque, profundit amorem ſuum in corda eorum, ut ſibi ſuo modo aſſimilet, & in ſuam *imaginem* transformet 2 Cor. III. 18. 2 Pet. I. 4.

Odium quod, & quid in Deo.

XI. Eſt tamen (ut ſupra docuimus Cap. XV.) etiam in Deo *odium* ſeu *averſatio*, tum à *peccatoribus* Rom. IX. 13. tum à *peccato* Pſalm. V. 5. 6. Cujus *affectus*, non eſt niſi *voluntas* averſa Hab. I. 13. Jeſ. I. 15. *effectus*, *remotio* Jeſ. LIX. 2. punitio Pſal. V. 6. 7. atque id omne, quod ab affectu odii, in hominibus, ſolet profluere, citra *perturbationem* aut *mutationem* in Deo. Reſpicit igitur *peccatorem*, eumque *ſolum*, maxime *pervicacem*, utpote in cujus exagitatione, & exitio *latari* dicitur Deut. XXVIII. 63. Prov. I. 26. Et reſpicit propter *peccatum* ſolum, quod illud repugnet ſuæ *naturæ*, ſuæ legi, ſuo honori Pſal. XLV. 8. Et ſic denique reſpicit, ut exagitet (a) in genere, quibuſvis ſuis *judiciis* Deut. XXVIII. 15. uſque ad finem. Pſal. XI. 5. 6. ſingulatim (b) *horroribus* conſcientiæ Prov. XVII. 22. Jeſ. LXVI. 24. (c) *morte* quavis Gen. III. 3. Rom. V. 14. Imo & (d) *maledicta* proprii Filii ſui Gal. III. 13. Rom. VIII. 32. Tandem (e) æternâ ipſius peccatoris reprobi *condemnatione* Heb. X. 26. 27. Verum, cum *odium in Deo*, ad ejus ſpectet *juſtitiam vindicativam*; hoc loco tetigiſſe ſuffecerit.

Gratia, quod in Deo, probatur.

XII. Ex amore perſpicitur, quid ſit *gratia* in Deo, à quâ in textu dicitur אל חנון *Deus gratioſus*, item רחום *miſericors*; nec quicquam frequentius Scripturis eſt in ore, quam gratia Dei, v. g. Pſal. LXXXV. 11. & CXI. 4. & CXII. 4. Eph. I. 6. 2. Cor. XIII. 13. [ubi peculiariter Mediatori tribuitur] & mille aliis locis. Nec poteſt non Deo competere, cum *bonitas* ipſi competat, & *voluntas*, libere & independenter, *ſui* communicativa, adeoque & amor, ſeu propenſio benevola & benefica, qua, libere & independenter, eoque *gratis* bona diſpenſans, *gratia* dicitur.

Quid ſit voce tenus.

XIII. Quantum ad vocem, *gratia*, vel id ſonat, *ob quod* Deus nobis eſt *gratus*, univerſam ſcil. ejus *perfectionem* gratioſam Joh. I. 14. vel per quod *nos Deo* placemus Eph. I. 6. Rurſus, vel *favorem* in Deo, qui Græcis eſt χάρις, vel *fructus* ejus in nobis, χαρίσματα 1. Cor. XII. 4. 11. Proinde *gratia* deſignat, vel gratiam *gratis dantem* Matth. XI. 26. Eph. I. 6. ſeu favorem Dei gratuitum: vel gratiam *gratis datam*, quodvis ſcil. bonum, cuivis creaturæ obtingens, peculiariter illa bona *communia*, quæ infidelibus etiam obtingunt, licet propter ea, Deo ne hilum quidem ſint gratiores: vel gratiam *gratum* etiam *facientem* Pſal. LXXXIV. 12. dona ſcil. *ſalutaria*, fidem, ſpem, charitatem, per quæ Deo placemus. Favor itaque divinus, talia in homines diſpenſans, communiter *gratia* indigitatur.

Quid gratia, & tenus?

XIV. Quæ, ſi rem ſpectes, non eſt niſi *amor indebitus*. Dum *amor* dicitur, omnia in illam quadrant, quæ de amore dudum diximus: quatenus *indebitus* eſt, ſeu plane liber, & ab omni dignitate ac merito creaturæ independens, *gratia* peculiariter Rom. XI. 6. ut tota ejus diſpenſandi ratio, ſecundum Scripturas, ſit in εὐδοκίᾳ τοῦ θελήματος Matth. XI. 26. Eph. I. 5. Quæ proinde omnes reſpicit & ſingulas creaturas, uſque ad beatos Angelos, quæ quicquid habent: pura habent ac puta Dei *gratia*: *quis enim ipſi prior dedit, ut ſibi retribuatur?* Rom. XI. 35. Interim illa peculiariter, *gratiæ* tribuuntur, quæ a *natura* diverſa ſunt. *Natura* enim cum *gratia* non eſt confundenda. Quod *naturalia*, cum ex benevola Dei conſtitutione, creaturæ cuivis, ſi non *individuo*, ſaltem *ſpecie* tenus, q. debeantur; pro *gratia* non ſoleant haberi, quippe quæ ad naturam accedunt, prorſus *indebita*.

Gratia univerſalis quæ & qualis?

XV. Jam non repeteremus circa *gratiam*, quæ jam ante docuimus circa *amorem*, niſi multiplex urgeret, & omni tempore vexatiſſima controverſia. Eſt igitur gratia. A. *Univerſalis*, qua *naturalia* diſpenſat, in omnes & *ſingulas* creaturas; unde σωτὴρ πάντων denominatur 1 Tim. IV. 10. qui *ſervat jumenta & homines* Pſal XXXVI 7. & Solem ſuum curat oriri ſupra agrum, juſtorum & injuſtorum, Matth. V. 45. de qua ſupra. Quæ peculiariter, homini confert *liberum arbitrium*, eique vires qualeſcunque, ad bonum *naturale*, eas etiam excitat & arrigit influxu ſuo. Quæ cuncta licet â gra-

gratuito Dei amore, adeoque à *gratia* profiliant: uſu tamen Scripturæ, atque omnis etiam orthodoxæ antiquitatis, raro & minus propriè *gratia* dicuntur, quod hæc *naturam* à gratia, contra Pelagianos, cautè diſtinxerit.

Gratia communis quæ & qualis?

XVI. Eſt B. gratia *communis*, qua bona *moralia* diſpenſat, in homines peculiariter; ſed *promiſcuè* electos & reprobos. Cujus generis ſunt virtutes *intellectus*, ingenium, ſapientia, prudentia Exod. xxxi. 3. atque etiam *voluntatis*, ethicæ Luc. xviii. 11. cujus generis omnes ſunt Gentilium & infidelium *virtutes*. Quibus connumeranda, quæ ad *ſalutaria*, propius videntur accedere, qualia ſunt quæ commemorantur Heb. vi. 4. 5. Jeſ. lviii. 2. 1. Cor. xiii. 1. Quo pertinet vocatio *externa*, ad participium Chriſti, per præconium verbi Pſ. cxlvii. 19. 20. Matth. xx. 16. & *interna* etiam, per *illuminationem* qualemcunque, atque omnia illa bona, quæ in προσκαίροις ſunt conſpicua Matth. xiii. 20. 21.

Gratia electis propria quid & qualis?

XVII. Eſt denique C. *ſingularis*, quâ bona *ſalutaria* (unde χάρις τοῦ θεοῦ, ἡ σωτηρίας dicitur Tit. ii. 11.) ἐχόμενα σωτηρίας Heb. vi. 9. in ſolos *electos* diſpenſat Rom. viii. 29. 30. quæ hinc, *bona electorum*, *lætitia populi Dei*, *gloria hereditatis ſuæ*, *dicuntur* Pſ. cvi. 5. Quo ſingulatim ſpectat: (1) *Electio* Eph. i. 5. Rom. xi. 5. Non igitur ex operibus, aut ex fide, aut ex quibuſcunque, *prævisis*, *petenda*. *Quod ſi enim per gratiam*, *jam non ex operibus*, *alioqui gratia*, *jam non eſt gratia*. Ibid. verſ. 6. Proinde non eſt *volentis aut currentis*; ſed *miſerentis* Dei Rom. ix. 16. (2) *Redemptio* per ſatisfactionem Chriſti: utpote quæ paſſim ad *populum* Dei Matth. i. 21. ad *oves* Chriſti Joh. x. 15. ad eos, qui Chriſto à Patre fuerint *traditi*, reſtringitur Joh. xvii. 9. Quamvis enim *ſanguis Filii Dei* 1. Joh. i. 7. ſit *infiniti* valoris, ejuſque, *univerſalis*, ſatisfactio dici poſſit; attamen, quia nec Patris, nec Filii, fuit animus, illum omnibus impendere, ut per eum ſervarentur; ad gratiam *ſingularem*, omnino eſt referenda. (3) *Vocatio efficax* Rom. viii. 29. ſeu *converſio* ad fidem, in Jeſum Chriſtum Joh. iii. 3. & *fides* ipſa 2. Theſſ. iii. 2. Act. xiii. 28. Proinde non eſt, vel converſio, vel fides, *fructus liberi arbitrii* 2. Cor. iii. 5. ſed *fructus ſpiritus* S. Gal. v. 22. qui producit, non *ſuadendo* tantum, ſicut homines 1. Cor. iii. 5. 6. 7. ſed *efficiendo* Phil. ii. 12. *creando* Pſal. li. 12. auferendo *cor lapideum*, & ſubſtituendo *cor carneum* Ezech. xxxvi. 26. 27. Jer. xxxi. 33. & xxxii. 39. (4) *Juſtificatio* Rom. iii. 24. Nec proinde *ex operibus* Eph. ii. 8. 9. Gal. ii. 16. Denique (5) *Salus* æterna, quantum ſcil. ad *jus*: *Gratiâ enim ſervati eſtis per fidem*, *idque non ex vobis*, *Dei donum eſt* Eph. ii. 8. licet ejus *poſſeſſio*, per *gratiam* Dei, inſuper ſuſpendatur, à ſtudio bonorum *operum* Matth. xxv. 21. 34. 35.

XVIII. Gratiæ divinæ obnituntur, ſaltem in *ſalutis* negotio (1) *natura*, quippe qua, *filii iræ ſumus*, *mortui peccatis* Eph. ii. 1. 3. *cor lapideum* circumferentes Ezech. xxxvi. 26. ac *liberum arbitrium*, utpote quo ψυχικὸς, non *perſpicit ea quæ ſunt Spiritus*, *imo pro ſtultitia habet* 1. Cor. ii. 14. Nec *ſe ſubjicit legi divinæ*, *nec poteſt* etiam Rom. viii. 7. (2) *Merita* quævis, & opera, in negotio juſtificationis Rom. iii. 24. Gal. ii. 16. Eſt enim gratia *amor indebitus*. Gratiæ oppoſita: 1. Natura. 2. Merita.

XIX. Comprimis (3) *ira*, quæ paſſim in Scripturis Deo tribuitur. e. g. Exod. iv. 14. 2. Sam. xxiv. 1. Pſal. xc. 7. Rom. i. 18. & ii. 8. 9. &c. Non ſecundum perturbationis *affectum*, ut ſupra Cap. xv. monuimus; ſed ſecundum ultionis *effectum*, quippe quâ Deus, ita ſeſe habet ad peccatorem, ut homo iratus ad offendentem. Non eſt ergo in Deo ira, niſi ejus *juſtitia vindicativa*, ſeu animus *ladendi*; eos qui ſe læſerint peccatis. Qui *animus* tria comprehendit. (1) vindictæ *propoſitum*, ſeu cupiditatem Joh. iii. 36. Rom. i. 18. & ix. 22. (2) iſtius propoſiti denunciationes, per *comminationes* Hoſ. xi. 9. Jon. iii. 9. (3) propoſiti & comminationum *executionem*, per omne *judiciorum* & vindictæ genus Eph. v. 6. Pſal. vi. 1. Rom. iii. 5. Matth. iii. 7. *Læſio* Dei, à qua concitatur ejus *ira*, eſt à peccato *ſolo*, & *omni*; quippe quo violatur (1) ejus auctoritas νομοθετικὴ Jac. iv. 12. collat. cum Cap. ii. 9. 10. (2) ejus attributa: *ſanctitas* Hab. i. 13. Pſal. v. 7. Jeſ. i. 13. & *gloria* Jeſ. xlii. 8. (3) ejus bona & *beneficia* Hoſ. ii. 8. 9. Rom. viii. 20. 22. Sed tamen diverſo *modo*, peccatum Deum lædit, *gravius* ſcil. & *lævius* Joh. xix. 11. Unde quoque, iræ divinæ, varii oriuntur gradus, quatenus ad *excandeſcentiam*, imò ad *furorem* invaleſcit Pſal. vi. 1. utique ἀνθρωποπαθῶς, quatenus judicia diſpenſat, ut homo, irâ q, *furens*. Eſt interim, quævis Dei ira (a) *Terribilis*, à quâ Deus בעל חמה dicitur Nahum i. 2. quippe cum ipſo *infinita* Pſal. xc. 7. 11. *intenſa*, velut *ignis conſumens* Heb. xii. 18. *extenſa* ad quævis mala, corporalia, ſpiritualia; ad vitam, ad mortem; ad perſonas, familias, regna Jer. xviii. 9. durans *æternùm*, ignis ἄσβεστος Joh. iii. 36. (b) *Irreſiſtibilis*, unde turbini comparatur Zeph. i. 14. 15. Zach. vii. 14. Reliqua hujus commatis, ad *juſtitiam vindicantem* ſpectant, cum quâ revera coincidit *ira* Dei. 3. Ira, quod, quid & qualis:

XX. Prout autem ex *amore* perſpicitur, quid ſit *gratia* Dei, ita porro ex gratiâ, quid ſit *miſericordia*, quæ paſſim Deo aſſeritur à Scripturis, nec uno modo, imo cum gradu ὑπεροχῆς, quando in textu dicitur בב חסד, *amplus* ſeu *copioſus miſericordia*, prout alibi: *Pater miſericordiæ* 2. Cor. i. 3. ac *dives miſericordia* 1. Pet. i. 3. Eph. ii. 4. in quo ſit, *multitudo commiſerationum* Pſ. li. 3. qui *tener miſericordia* Pſalm. xxv. 6. Luc. i. 58. Miſericordia, quod Deo competat, probatur Scripturis.

in quo sint, *viscera misericordiæ* Psal. XL. 12. à quibus רחום dicitur: & in N. T. nisi σπλάγχνα tribuuntur Luc. I. 78. quæ sibi extorquent, suum σπλάγχνίζομαι Matth. XV. 32. Marc. VIII. 2. item. Et rationibus. Cap. I. 41. & VI. 34. &c. Et, cum ipsi competat *bonitas*, sui *communicativa*; cum *amor*, propensio in rem; cum *gratia*, seu amor indebitus, per præcedentia: quis dixerit, *misericordiam* ipsi non competere? quæ, ut dicemus, non est, nisi *gratia versus miseros*: cum *miseri*, ejus bonitate, amore, gratia, maximè indigeant. Non addam, quod misericordia penes homines, sit inter perfectiones, inter *virtutes*, quibus generosiores spiritus, plerumque maxime pollent; quin pollent per *communicationem* ejus, tanquam *Patris misericordiæ*: quis igitur ipsi misericordiam abrogaverit?

Objectiones adversus Dei misericordiam. XXI. Si dicas: 1. involvit *imperfectionem*, quia tristitiam, quando, ex etymo, est quasi *miseria cordis*, è sensu alienæ miseriæ: dabo quoad *hunc affectum*. Deo non competere, nisi quatenus affectus ille, *cognitionem* denotat, perinde ac est in patientia: quatenus affectus ille, *effectum* liberationis aut consolationis excludit, eatenus omnino Deo competit. Quod scitè dicit Anselmus *Prosol.* c. 8. *Es misericors O Deus! secundum nos & secundum te; secundum sensum nostrum, & secundum sensum tuum, cum tu respicis nos miseros, nos sentimus miserationis effectum, tu non sentis miserationis affectum.* Si addas. 2 Obstrepit *justitiæ*, quatenus ejus quandam dicit *relaxationem:* Negabo, cum justitiæ *constituatur*, non opponatur Exod. XXXIV. 7. cum nunquam misereatur, *contra* justitiam, prout nunquam justitiam exercet, *contra* misericordiam, imo nec *absque omni* misericordiâ: quamvis miserendo, quasi excedât justitiam, quo sensu, misericordia dicitur *gloriari contra judicium* Jac. II. 13. prout, qui mille florenorum debitori, remittit quingentos, aut donat etiam totidem, non dicitur agere contra justitiam, sed illam excedere, superare.

Quid sit Dei misericordia. XXII. Est autem *misericordia*, quoad etymon, q. *miseria cordis*, ex sensu alienæ miseriæ, cum *promtitudine* succurrendi miseris: quoad rem, in Deo quidem, non est nisi *gratia versus miseros. Gratia* inquam, ut huc referamus, quæ de amore & gratia dudum diximus, *erga miseros*, tum ut *Angelos* secludamus: tam *bonos*, in quibus non est miseria; quam *malos*, quos justitiæ suæ plane mancipavit, seclusos ab omni misericordia 2. Pet. II. 4. tum ut *operationes* innuamus, quibus se profundit divina misericordia. Cum enim *miseria* (*hominum* saltem, ut de misericordiâ versus *bruta* Psalm. XXXVI. 7. brevitatis studio, non simus solliciti) duplex sit, *turpis*, peccati; ac *tristis*, pœnæ: utrique, peculiari modo, divina succurrit misericordia: *peccato*, Deus succurrit per misericordiam, *partim* (a) *reconciliando* sibi peccatores, per sanguinem Filii 2. Cor. V. 18. (b) *donando* ipsis Reconciliatorem Joh. III. 16. proprium & unigenitum Filium. (c) Filium miseriæ ac morti teterrimæ *mancipando* Rom. V. 6. 7. 8. (d) donando ipsis *fidem* in Reconciliatorem Phil. I. 29. *partim subigendo* tyrannidem ac Dominium peccati Rom. VI. 12. ut *vincant* illud, deque eo triumphent Ibid. Cap. VII. 25. Rursus peccatori, per misericordiam, Deus succurrit, quantum ad *pœnam* (1) peccatorem *ferendo* Rom. IX. 22. & III. 25. Jes. I. 9. Thren. III. 22. In quo consistit *patientia* & *longanimitas* Dei, de quibus jamjam. (2) Peccata non *ex dignitate* & reatu, *punienda* Psal. CIII. 10. (3) pœnis imminentibus *remedium monstrando*, fidem & respiscentiam Matth. III. 7. Jer. XVIII. 7. 8. (4) ad amplectendum istud remedium, pathetice *invitando* Jer. II. 14. (5) amplectentes *recipiendo* in gratiam Luc. XV. 20. (6) ipsis *condonando* omnia peccata Psal. CIII. 3. & LI. 3. (7) sub castigationibus paternis, persecutionibus, aliisque adversis constitutos, *consolando*, suffulciendo 2. Cor. XII. 9. 10. 2. Cor. I. 3. Heb. II. 17. 18.

Operationes misericordiæ.

Affectiones misericordiæ divinæ. XXIII. Ab istis omnibus, & compluribus aliis, misericordia divina, varia suscipit epitheta: quando (1) *magna* dicitur & ampla 2. Sam. XXIV. 14. Ps. LVII. 11. & CIII. 11. Neh. XIII. 22. (2) *Incomparabilis* Jer. III. 1. (3) *certa* & infallibilis Jes. LV. 3. (4) *æterna* & indesinens Psal. XXV. 6. (5) *libera* & liberrima Matth. XI. 25. 26. Eph. I. 11. Quamvis enim misericordiæ *virtus*, ei adsit per *naturam*; ejus tamen *dispensatio*, à puro ejus pendet & puto *beneplacito*. Quod caute notandum, ne (a) misericordiâ, *potestatem* ac Dominium ejus lædamus, quasi per misericordiam, *non possit* constituere creaturam, in cujus justâ condemnatione, gloriam suæ justitiæ manifestet, contra Paulum Rom. IX. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. Ne (b) *reprobationi* opponamus, quasi per misericordiam, *non possit* peccatorem pro lubitu præterire, ipsi salutis media negare: & sic, propter sua peccata, condemnare. Ibid. Act. XIV. 16. Nec (c) *redemptioni* particulari, quasi per misericordiam, sanguinem Filii sui, non possit impendere *quibusdam*, quin *omnibus* impendat Matth. I. 21. Joh. XVII. 9. Nec (d) *vocationi* particulari, q. non sit in suâ potestate, evocare *quem vult*. Quæ de distributione misericordiæ divinæ, in *universalem*, *communem* & electis *propriam*, recurrere possent, ex dictis circa *amorem* & gratiam, satis superque patent.

Oppositur misericordiæ divinæ, suo modo, severitati non

XXIV. Opponitur suo modo, misericordiæ Dei, ejus *severitas* (Rom. XI. 22.) *in exercendis judiciis suis*, *contra offendentes* Jac. II. 13. quorum, in Scripturis, frequentissima fit mentio, v. g. Jes. XXVI. 9. & v. 16. Ezech. XIV. 21. & XXXIX. 21. Rom. II. 3. Apoc. XIV. 7. & XV. 4. &c. Et exempla prostant,

In exercitio judiciorum.

non pauciora: in Satanâ Gen. III. 15. protoplastis Ibid. mundo antiquiore Gen. VII. 17. 21. Pharaone & Ægyptiis Exod. XIV. 27. Core, Dathan & Abiram Num. XVI. 31. 32. 33. 35. Achan. Jos. VII. 25. Abimelech. Jud. IX. 53. Adonibezek Ibid. Cap. I. 6. Judâ Matth. XXVII. 5. Ananiâ & Saphirâ Act. V. 5. 10. Herode. Ibid. Cap. XII. 23. & mille aliis. E quibus est colligere, non esse Dei judicia, quæ per severitatem exercet, nisi *singulares* pœnas, in *singularia peccata* exercita. Ut circa judicia, ista 5. veniant considerandа [1] causa *meritoria*, peccatum, non quodvis, sed *singulare*, quale plerumque colligitur, ex pœnâ analoga Jud. I. 6. I. Sam. XV. 33. 2. Sam. XII. 9. 10. Jes. III. 24. & v. 8. 9. 10. 11. 12. 13. [2] Et pœna; non *vulgaris*; sed *singularis*, seu eximia scil. quæ respondeat suo peccato. Ibid. [3] dispensandorum rationes seu *fines*, puta (a) Dei *glorificatio*, quatenus judicia ostendunt, esse Deum *justum*, sanctum Exod. VII. 5. 17. Levit. X. 3. I. Sam. IV. 8. Jes. II. 11. 17. Ezech. VII. 4. 9. 27. (b) Hominum *conversio*: tum *afflictorum* Apoc. II. 21. 22. 23. tum *spectatorum* Apoc. XI. 13. Job. XXXIV. 23. 26. (c) impiorum *derisio*, & contumelia Job. XII. 16. 17. 18. 19. & XXVII. 23. collat. cum præced. Ezech. XIV. 8. Exempla sunt in Judæis I. Reg. IX. 8. Jer. XVIII. 16. Moabitis Jer. XLVIII. 39. Babyloniis ac Rege eorum Jes. XIV. 4. 18. [4] *Species*: sunt enim, vel *spiritualia* Amos. VIII. 11. 12. Apoc. II. 5. 2. Thess. II. 10. 11. 12. vel *corporalia* Deut. XXVIII. 15. ad finem: Rursus, vel *privata* singulorum, qualia morbi, inopia, contumelia Apoc. II. 21. 22. 23. vel *publica* epidemica, endemica Jer. XVIII. 7. qualia fames Levit. XXVI. 25. pestis Psal. XCI. 3. bellum Levit. XXVI. 23. siccitas, diluvia, tempestates Hag. I. 11. Ezech. XIV. 21. Quæ immitti consueverunt propter *egregia* peccata: versus A. *Deum*, qualia ἐξόχως [a] *ingratitudo* Jes. I. 3. 2. Paral. XXXII. 25. [b] *contemtus* verbi divini Jes. XLII. 24. 2. Reg. XXII. 13. [c] vilipendium *ministrorum* 2. Paral. XXXVI. 16. [d] *fœdifragia* Jos. XXIII. 16. Ezech. XVI 59. [e] *idololatria* Jes. II. 8. Jer. II. 13. [f] *superbia* Jes. II. 11. Ezech. XXVIII. 28. B. *proximum*, qualia (1) *fraudes* Jer. IX. 5. Hos. IV. 1. (2) *neglectus* viduarum & orphanorum Jes. I. 23. Jer. V. 28. (3) *oppressio* pauperum Jes. III. 14. Ezech. XLV 9. (4) *usura* mordens Ezech. XXXIII. 15. (5) *crudelitas* in miseros Ezech. XVI. 49. (6) *defraudatio* mercedis Jer. XXII. 13. C. *Nos ipsos*, qualia α. *Fastus* in vestitu Jes. III. 18. β. *Luxuries* in conviviis Jes. V. 12. Amos VI. 1. 2. 3. 4. γ. *Abusus* beneficiorum Dei Jes. V. 4. δ. *perjuria*, dejerationes Hos. IV. 1. 2. ε. *avaritia* Jes. V. 8. ζ. *hypocrisis* Jes. X. 6. & 11. 6. Ubi tamen observandum, non *continuo* immitti Dei judicia, quando ista peccata obtinent; sed quando [a] *publice* grassantur. Jer. V. 1. & VI. 13. [b] *impudenter* Jes. III. 9. Jer. III. 3. [c] post *varias* admonitiones reprehensionesque Psal. XCV. 10. II. Paral. XXXVI. 15. 16. Et [d] post *spreta*, in aliis exercita Dei judicia Jer. III. 8. Jes. I. 5. [5] *Affectiones*, per quas sunt: a. *Justa* Psal. CXIX. 75. 137. Ezech. VII. 3. 8. 27. Apoc. XV. 4. & XVI 5. 6. 7. & XIX. 2. 11. b. Ἀνεξερέυνητα Rom. XI. 33. Prov. XXV. 2. c. Plane *mirabilia* Jes. XXIX. 14. quatenus, non tantum in *ipsos* peccatores profunduntur; sed persæpe etiam, in eorum *sobolem* 2. Reg. X. 1. 15. Psal. CIX. 12. 13. 14. 15. & CXIX. 73. quatenus non in *impios* tantum; sed & in *suos* Psal. VI. 1. 2. Sam. XXIV. 12. 13. imo quatenus præteritis *impiis*, *suos* quandoque exagitat I. Pet. IV. 17. Item quatenus *impios* quandoque exagitat, *per impios* 2. Paral. XXXIII. 24. 25. d. *Horrenda*; ipsis etiam piis Heb. X. 31. Psal. CXIX. 120. Jes. VI. 5. Jer. IV. 19. e. ἀμετάθετα Jer. XV. 1. Ezech. XIV. 14. Exod. XXXII. 33. Hæc, quamvis ad *justitiam* vindicativam propriè spectent: huc traducere visum, quo contraria juxta se posita, magis eluceserent.

Causa meritoria judiciorum. Pœna judiciorum.

Fines judiciorum.

Species judiciorum.

Publica judicia.

Quibus causis immittantur.

Affectiones judiciorum.

XXV. Ex misericordiâ porro, proclive est perspicere, quæ sit *patientia* & *longanimitatis* indoles; quæ sæpius Deo tribuuntur Exod. XXXIV. 6. Psal. CIII. 8. Job. XXI. 7. 8. 9. Nahum I. 3. Jes. XXX. 18. I. Pet. III. 20. 2. Pet. III. 9. 15. Num. XIV. Deo 18. Neh. IX. 17. Nec eam quisquam Deo abrogaverit, qui quidem attentè cogitaverit: 1. *Quanta* sit, in quovis peccato, *Dei offensio*, utpote quo, peccator seipsum, suas cupiditates, & creaturas quasvis, Deo *præfert*; eoque Deum, quantum est in se, de *solio deitatis* suæ deturbat: unde *deicidium*, Patribus nonnunquam appellatur. 2. Quanta in Deo *sanctitas*, quanta aversatio, quanta repugnantia peccati Psal. V. 5. 6. 7. 11. & VII. 12. Porro 3. quanta in ipso ulciscendi *potentia*, per quam impediri nequit, quin *verbulo*, consestim conficiat offendentem Psal. I. 22. Amos. IX. 1. 2. Insuper 4. quanta sit peccatorum *copia*, quæ singulis momentis perpetrantur, quanta *fœditas* & turpitudo; ut, si vel homini, quantumvis longanimi, ac miti, contingeret *simul* intueri, prout Deo; mundum ne ad horam quidem ferret Jer. XXXII. 31. Adhæc 5. quantus insuper *conatus* Dei, peccatorem revocandi ad pœnitentiam, ut avertatur ejus exitium 2. Cor. V. 19. 20. Denique 6. quanta etiam *beneficia*, quibus, præter omne demeritum, vel pessimos sæpenumero cumulat Psal. LXXIII. 3. 12. Hæc inquam omnia, aliaque, qui construxerit; agnoscet, sat scio, quanta in Deo sit *patientia*! quanta *longanimitas*?

patientia & longanimitas, quod Deo competant, probatur.

Quidpatientia & longanimitas, & quinam ejus actus in Deo.

XXVI. *Patientia*, in creaturis, à *longanimitate* differt, quod illâ persæpe non *possimus*; hac non *velimus*, referre malum offendenti: in Deo autem, quod hac, Deus *pluribus*, & *gravioribus* offensis, & *diutius* etiam, conniveat. Dicitur ab iis, Deus אֶרֶךְ אַפַּיִם, & μακρόθυμος, tardus & lon-

longus ad iram. Nec est, nisi ejus *misericordia, quatenus diu vindictam differt*: seu malum non refert, afferenti Matth. XVII. 17. Quod fit (1) *parcendo* ad tempus, seu non referendo statim, imo ad longum tempus exspectando: ad *dies* Jon. III. 4. ad *annos* Luc. XIII 6-9. ad *seculum* & ultra Gen. VI. 3. (2) *præmonendo*, evocando ad pœnitentiam, quo, si pote, declinentur pœnæ Matth. XXIII. 37. Luc. XIX. 41. 42. 43. 44. Matth. III. 10. (3) *proflituendo* in exemplum sua judicia, in alios exercita Jer. VII. 12. 14. Luc. XIII. 4. (4) *præludendo* totali exitio, mitioribus plagis Psal. VII. 12. Exemplo sint Sodomæi Gen. XIV. collat. cum Cap. XIX. Et Pharao Exod. VI. usque ad XIV. Et Israelitæ Amos. VII. 1. 12. (5) *Non puniendo κατ' ἀναλογίαν* meriti Psal. CIII. 9. 10. Thren. III. 22. Job. XI. 6. Esd. IX 13. Quin etiam (6) *benefaciendo* offensoribus Rom. II. 4. Jes. V. 2. Denique (7) in ipso excidio, *reliquias* servando Jes. I. 9. Exemplo Noachi, cum familia, in diluvio universali Gen. VI. 17. 18. Matth. XXIV. 37. 38. 2. Pet. II 5. in excidio Hierosolymitano Esd. IX. 8. 13.

Causæ & rationes longanimitatis & patientiæ divinæ.

XXVII. *Causæ* & rationes, tantæ Dei *patientiæ* & longanimitatis, sunt (1) Bona ejus, & benefica *natura*, ad benefaciendum proclivior, quam ad perdendum Thren. III. 33. Jer. XXXI. 20 (2) Manifestatio *gloriæ* suæ Rom. II. 4. 5. Exemplum est in Pharaone Exod. IX 16. Jes. XLVIII. 9. 11. (3) *Promissio*, piis eorumque semini facta 1. Reg. II. 1. 2. 3. 4. collat. cum 2. Sam. VII. 14. 15. (4) *Pii* impiis admixti Gen. XIX. 22. 2. Reg. XXII. 19. 20. 2. Paral. XXXIV. 28. (5) Adhuc complendus sanctorum *numerus* Apoc. VI. 10. 11. (6) Necdum completa, peccatorum *mensura* Gen. XV. 16. (7) Exspectata *conversio* & pœnitentia 1. Reg. XXI. 29. 2. Paral. XXXII. 26. 2. Reg. XX. 19. Proinde (8) *Finis* dilatarum pœnarum, est (a) ut *tempus* suppetat resipiscendi 2. Pet. III. 9. Rom. II. 4. (b) ut peccatores, magis reddantur magisque *ἀναπολόγητοι* Ibid. vers. 20. (c) ut *non* resipiscentes, severius puniantur Psal. L. 21. Eccl. VIII. 11. 12. Rom. II. 4. 5.

Vindictæ cupido, quod Deo competat; probatur Scripturis & rationibus.

XXVIII. Patientiæ & longanimitati, concipitur, suo modo, adversa *vindictæ cupido*, à qua Deus *zelotes* dicitur, *ulciscens*, *ultor*, *& habens iram*, *& ulcisci de hostibus suis*, *& iram reservare* Nahum. I. 2. Exod. XX. 5. Item *vindex* 1. Thess. IV. 6. cui competat *vindicta* Deut. XXXII. 35. Rom. XII. 19. Heb. X. 30. Psal. XCIV. 1. Jer. L. 15. Item *venire ad vindictam* Jes. XXXV. 4. *induere vindictam*. Ibid. Cap. LIX. 17. Quo nim. 1. patiens videatur, non per *impotentiam* invitus; sed *sciens volens*, utpote qui nolit suam patientiam impunè profanari Rom. II. 4. Nec 2. per *ignorantiam*, prout nos fieri patimur, quæ ignoramus Jer. I. 28. Nec 3. per defectum aut neglectum *justitiæ*; unde longanimitati sæpius conjungitur Exod. XX. 5. 6. Nahum. I. 2. 3. Jer. XVIII. 7. 9. Nec 4. per *socordiam*, aut defectum *puritatis* ac sanctitatis Psal. X. 11. 12. & XCIV. 6. 7. & L. 21. 22. Vindictam autem, Deus exercet: 1. Quando *repentè* punit Jer. XVIII. 7. Exempla prostant Gen. VII. 21. 22. & XIX. 24. Levit. X. 2. Quando 2. perquam *graviter* & *severè* punit, sæpius ob *leve* (in speciem) peccatum Gen. III. 16. 17. Levit. X. 2. 3. 1. Sam. XIII. 9. 13. 14. & VI. 19. Act. V. 5. 10. Quando 3. Indeclinabiliter, & *innexorabiliter* punit Psal. L. 22. Jer. XV. 1. Ezech. XIV 14. Exod. XXXII. 33. Quando 4. non peccatores tantum punit; sed etiam eorum *liberos*, familiam, agnatos Exod. XX. 5. Num. XVI. 31. 32. Jos. VII. 24. 25. Quando denique 5. *æternum* punit Matth. XXV. 41. 46. 2. Thess. I. 9. Hæc, ex lege oppositorum, hîc tetigisse sufficerit, ad *justitiam vindicativam* spectantia. Actus vindictæ.

Clementia Dei probatur & explicatur.

XXIX. Restat verbo dicendum, de *clementiâ* seu beneficentia Dei, à qua חסד audit in textu, & Neh. IX. 17. Quam passim, & cum egregiis epithetis, ei Scriptura vindicat, quando celebrat *χρηστότητα* Eph. II. 7. *χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν* Tit. III. 4. *mirabilem* facere clementiam suam Psal. XXXI. 22. *magnus* esse *clementia* Psal. CXLV. 8. excellens, ad *cœlum usque*, clementia Psal. XXXVI. 6. ac *pretiosa*. Ibid. vers. 8. *multus clementiis*, & *bonitate* Jes. LXIII. 7. *æterna* clementia Jes. LIV. 8. *ab æterno in æternum* Psal. CIII. 17. Est autem clementia nihil aliud, quam *misericordia benefaciens* peccatori: qua operatur: 1. humana, *suavi* ac miti, cum peccatoribus agendi ratione, à qua, *φιλανθρωπία* denominatur Tit. III. 4. Prov. VIII. 31. Quâ 2. *allicit* ac pellicit peccatores, ad resipiscentiam Jes. V. 26. Hos. II. 14. Matth. XI. 28. Jes. LV. 1. Cant. II 10. Apoc. III. 20. Qua 3. *cumulat* in eos, quævis beneficia Rom. II. 4. in quo, cum *bonitate* Dei coincidit, de qua Cap. superiori ex professo. Opponitur huic, suo modo, *duritiæ*, *asperitas*, *σκληρότης* Matth. XXV. 24. Qua: 1. perquam *rigidè*, severè & q. inhumaniter agit cum peccatoribus, præsertim impœnitentibus, *probris* eos afficiendo Deut. XXXII. 19. 20 22. 23..... Matth. III. 7. & XVI. 4. *faciem* ab ipsis avertendo Jes. I. 15. eos quasi *abigendo* à facie. Ibid. vers. 12. 13. Imo & 2. Cum *suis*, eos *deserendo* Psal. XIII. 2. 3. & LXXVII. 8. 9. 10. & 3. mala quævis in eos *cumulando* Psal. LXXXVIII. 4. usque ad finem. 4. *abjiciendo à facie*, in extremos & *æternos* cruciatus Matth. XVIII. 32. 34. & XXII. 13. & XXV. 41. 46. Duritiei Dei.

Pars Elenchtica.

Quæritur: 1. An solus amor Dei sufficiat, ad peccatorem reconciliandum, absque ulla satisfactione Christi? Judæi, præter amorem Dei, quo pec-

ficiat, ad peccatorem reconciliandum, absque ulla satisfactione Christi?

peccator Deo reconcilietur; nihil exigunt, nisi resipiscentiam, & quondam, usum sacrificiorum, nunc observantiam reliqui, cultus ceremonialis, absque ulla satisfactione Messiæ. Sociniani, *amore* Dei, quo filium ei dedit, pessime abutuntur, ut à mysteriis Religionis secludant, satisfactionem & merita Christi: eo quod *amore* isto, dudum reconciliatus fuerit mundo, nec jam exigatur ab eo, nisi obedientia mandatorum Christi. Imo quod *gratia* hujus amoris, etiam rigide excludat omnem satisfactionem Christi. Reformati, quamvis agnoscant, amorem illum *benevolentiæ*, quo dederit mundo filium; non tamen admittunt, amore *complacentiæ*, mundum ipsi *reconciliatum* fuisse, proinde necessariam ad hoc fuisse *satisfactionem* Christi. Cum: 1. Scriptura exsertè pronunciet, esse, non obstante isto Dei amore, qui sint *inimici* Dei Rom. v. 10. *Filii iræ* Eph. II. 3. 2. exsertè dicat, Deum *odisse*, *abominari* peccatores Psal. v. 6. 7. 3. Pater, diligens filium ob commissum peccatum, eidem non possit *irasci*, ut sibi *reconciliari* debeat: ejusque exemplum prostet, in Davide & Absolomo 2. Sam. XIII. 39. cum Cap. XIV. 24. 28. 32. 33. 4. Deus *diligens* mundum, eundem *sibi reconciliaverit*, *per Jesum Christum*, *non imputando ipsis offensas eorum*, *atque etiam faciendo eum*, *qui non novit peccatum*, *pro nobis peccatum* 2. Cor. v. 18. 19. 21. Cum 5. *Satisfactionem* Christi, & reconciliationem eâ procuratam; non eò velimus spectare, ut per eam, Deus quoad *affectum*, ex non amante fieret amans; & non potius quoad *effectum*, id tolleret à peccatore, ob quod *affectus* amoris, in eum se non potest profundere *ad salutem*. Si dicant: 1. Est interim *amor* in Deo, qui non est, nisi propensio ad benefaciendum; & amor etiam *efficax*, quippe quo dedit mundo *Filium* suum *unigenitum*: hoccine ab animo, *irato*, hostili profluerit? Resp. (1) Est amor in Deo *universalis* seu communis, quo propendet ad benefaciendum, *omni* creaturæ, ac proinde etiam homini Psal. XXXVI. 7. 1. Tim. IV. 10. beneficiis externis & communibus Psal. XVII. 14. est & amor *specialis*, salutaris, quo beneficia dispensat, *ἐχόμενα σωτηρίας*, quæ nexum habent individuum cum *salute* Heb. VI. 9. ista amor Dei non dispensat, nisi prævia reconciliatione per satisfactionem. (2) Amor ille *efficax*, quo mundo dedit filium suum, ad mundum se non habebat, nisi, ita loquar, *objective*, qui per se, non attingebat hominem, ut eum redderet, non intercedentibus aliis, meliorem. Proinde non est mirum, quod hic amor, obtinere possit ante reconciliationem & satisfactionem: verùm amor *subjectivus*, qui ingreditur amatum, ut ei conferat *salutem*, præsupponit reconciliationem, per *satisfactionem* Christi. Est (3) Amor *benevolentiæ*, quo amatis Deus talia vult, ob, & per quæ, sibi olim placere possint, quo v. g. ab æterno elegit, in tempore redemit, indies ipsis largitur fidem & resipiscentiam, & hic amor præcedit reconciliationem per satisfactionem: & est amor *complacentiæ*, quo ipsi insuper *placemus*, & nos sibi *gratos fecit*, *ἐχαρίτωσεν ἐν τῷ ἠγαπημένῳ* Eph. I. 6. Et hic demum *reconciliationem* prærequirit, per *satisfactionem* Christi, ut sit in *dilecto illo*. Si dicant 2. Nos, per amorem Dei, *gratis justificari*, *ejus gratia* Rom. III. 24. 25. Item, nobis per eundem, *remitti* peccata, *condonari*; proinde non, propter solutionem aut satisfactionem. Resp. α. Sed additur, *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως*, *τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, *per redemtionem* (talem quæ procuratur *λύτρῳ*) *eam quæ est in Christo Jesu*. h. e. *sanguine ipsius*; idque *ad demonstrationem justitiæ ipsius*. Ea β. *gratis* justificamur, atque etiam *remittuntur* & condonantur peccata nostra, quatenus, satisfactionem *Christi*, Deus *pro nobis* admittit gratis; item huic imputat, non alii *gratis*. Insuper γ. *gratis*, quatenus *homo* nihil confert ad sui justificationem, nihil ad remissionem suorum peccatorum. Si instent, sive *per te*, sive *per alium*, fiat *solutio*; non est *remissio*, condonatio: occurram: 1. Non est hîc veri & proprii nominis *solutio*, quæ excludit *omnem gratiam*; sed *satisfactio*, quæ multis modis involvit gratiam. Tum 2. valeret forte, si nos ipsi expromissorem & satisfactionem, nobis *substituissemus*; non autem, quando *creditor* ipse, & quidem non rogatus, *debitori* suo substituit satisfactorem, ejusque satisfactionem *gratis*, pro suo debitore, admittit. Plura de hoc occurrent infra, in cap. de *salutis impetratione*.

Argumenta.

Objectiones.

XXXI. Quæritur 2. Num ex amore, quo Deus nos elegit; solide conficiatur, eum nos elegisse, ex fide prævisa: eo quod Deus amare non possit peccatorem, nisi per *fidem*, in Christo constitutum? Remonstrantes; Jesuitæ aliique, ut gratiam Dei versus omnes *æqualem* habeant, quæ determinetur, & *efficaciam* suam habeat, à *libero* nostro arbitrio; electionem suspendunt à libero arbitrio, quod homo, seipsum, pro suo lubitu, determinet ad credendum; atque ut hoc obtineant, statuunt, Deum, per justitiam, neminem amare ad eligendum, nisi IN Christo, in quo nemo possit esse, nisi per fidem. Reformati agnoscunt, amorem *complacentiæ*, quo Deo grati simus, prærequirere, ut simus IN Christo, adeoque & fidem, qua simus in Christo: ast amorem *benevolentiæ* quo nos elegit, nequaquam. Quia 1. & illa fides, qua simus in Christo, non proficiscitur nisi ab *amore* Dei; utpote quæ *donum* Dei dicitur Phil. I. 29. Quia 2. eadem profluit ab *amore electionis* Act. XIII. 48. Eph. I. 4. Quia 3. amor ille *benevolentiæ*, quo nos elegit, quo nobis donat Redemptorem, ad eum evocat, fidem in eum confert; concipitur, ut diversus ab amore *com-*

2. An ex amore, quo Deus nos elegit, solide conficiatur, electio ex fide prævisa?

placentiæ, quo ei, demum, *post* aut *per* fidem, placemus Heb. xi. 6. ex quo, ad fundamentum sententiæ adversariæ, nullo negotio, responderi potest. Plura hujus generis, in Cap. de *Electione* occurrent.

3. An gratia Dei salutaris, æqualiter sese extendat, ad omnes & singulos homines?

XXXII. Quæritur 3. An gratia Dei *salutaris*, *æqualiter* sese extendat, ad omnes & singulos homines? Pelagiani, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes aliique, ut habeant, liberum arbitrium indifferens, & independens à quovis, etiam a Deo, quod possit, pro lubitu se determinare ad credendum, respiscendum; modo officium perpetrandum, sibi proponatur & suadeatur: statuunt, gratiam *salutarem*, *æqualiter* se extendere ad omnes & *singulos* homines, quæ *sufficiens* sit, ad credendum, respiscendum.... quæ determinari debeat, à solo arbitrio independente. Dominicani apud Pontificios, in hoc conveniunt cum suis Jesuitis, quod liberum arbitrium, *possit* quidem per gratiam *sufficientem*, omnibus ac singulis competentem; sed, ut exeat in actum, ad credendum, respiscendum, & quævis bona opera; exigere gratiam quandam, non *moralem* tantum, quæ peragatur suadendo; sed *physicam* insuper, quæ prædeterminet voluntatem hominis ad credendum.... dum Jesuitæ, volunt ad hoc sufficere, gratiam *moralem* suasivam, ad quam, arbitrium, seipsum determinare possit pro lubitu. Reformati *Universaliste*, distinguunt inter gratiam *objectivam*, & *subjectivam*: illam *universalem* faciunt; hanc solis electis *propriam* statuunt. De quibus, ad controversiam sequentem ex professo. Lutherani item gratiam tradunt *universalem*, quæ *salutaris* sit, quamvis productionem fidei, respiscentiæ.... suspendant, non ab hominis libero arbitrio; sed ab operatione Spiritus S. physica: interim tamen, libero arbitrio tribuunt, posse *non-repugnare positive* Spiritui S. parturienti fidem..... De quo itidem ex professo paulò abhinc. Reformati communiter, agnoscunt gratiam *universalem*, circa *naturalia*; *communem*, circa *moralia*: sed *salutarem*, circa ἐχόμενα τῆς σωτηρίας, non admittunt, nisi electis *propriam*. Nullam *salutarem*, quæ *æqualiter* se extendat ad *singulos*, ne illam quidem, quam *objectivam* appellant. His rationibus, quod: 1. Adversarii, imprimis Pelagiani & Pelagianissantes, cogantur statuere, gratiam *sine gratiâ*. Quid enim gratia, nisi *privilegium*? seu quod est q. *privatæ legis*, juxta Isidorum, apud Gratianum *Dist.* 3. C. 3? Et qui *privilegium*, quod est *universale*? quod non discernit? 1. Cor. iv. 7. Coguntur 2. *naturam* cum gratiâ confundere, quando vires humano arbitrio *naturales*, quæ gratiam universalem q. *determinent*, & luminis *naturalis* reliquias, & κοινὰς ἐννοίας, in illis, qui fando nihil de Christo audiverunt: ad *gratiam* referunt. Coguntur 3. gratiam *sufficientem*, omnibus *communem*, distinguere à gratiâ *efficaci*; eoque *sufficientem* dicere, quæ non possit, sine accedente *efficaci*, effectum producere, h. e. quæ *non sufficiat*: imo, quod pejus, gratiæ *efficaciam* à libero *arbitrio* repetere. Coguntur 4. in subsidium istius gratiæ universalis, advocare *scientiam mediam*; quâ Deus, *ante* decretum præsciverit, quinam sint *volituri*, aut *non*. Quam suo loco confecimus. Coguntur 5. voluntatem Dei asserere, quæ *decreverit*, ut omnes & singuli serventur, quæ non procul distat, ab Origenis, Puccii & Huberi *electione universali*. Quam, ex professo confecimus, in capite, de *voluntate* Dei. Coguntur 6. statuere volitionem Dei, à conditione *suspensam*, seu *velleitatem*; dependentem, temporariam, inefficacem, in horas mutabilem, quam supra rejecimus. Coguntur 7. Redemptionem docere; quâ fieri potest, ut *nullus redemtorum* servetur, & cum qua, multo maxima redemtorum pars, revera *pereat*. Coguntur 8. prædestinationis *objectum*, facere, hominem *redemtum*, vocatum, sufficientibus credendi viribus instructum. Coguntur 9. confundere præconium, *naturæ* & *verbi*, ut retineant, & eos *vocari* ad salutem, quibus *verbi* audiendi, nulla facta est copia. Coguntur 10. statuere, illis gratiam obtigisse, quæ *ad salutem sufficiat*, quibus nulla Christi *cognoscendi* facta est copia. Adeoque 11. coguntur admittere, absque cognitione & *fide in Christum*, salutem acquiri posse. Quæ omnia talia sunt, ut tetigisse sit refutasse. Objectiones olim retudimus, cum circa *voluntatem Dei* occuparemur.

4. An non, saltem gratia objectiva sit universalis? Senentia universalitarum Reformatorum.

XXXIII. Quæritur 4. Annon, saltem gratia *objectiva* sit universalis? Reformati illi, qui gratiam *universalem* recipiunt (ad hoc forte, ut, ab *una* parte, non nimium recederent, à recepta Reformatorum sententia; ab *altera* propius accederent, ad Lutheranorum & Arminianorum sententiam, eosque potentius allicerent, viamque sternerent ad concordiam ac pacem Ecclesiasticam) gratiam, quadantenus negant *universalem*; quadantenus affirmant. Ad hoc distinguunt, inter gratiam *objectivam*, ad quam homo se habet, velut *objectum* tantum, qualis ipsis est, gratia satisfactionis, vocationis, quibus addunt restitutas per gratiam vires, quibus homo possit obsequi, credere, ... *si modo velit*, istam dicunt esse *universalem*: & *subjectivam*, ad quam homo se habet, velut *subjectum*, qualis apud ipsos est, gratia regenerationis, conversionis, fidei, respiscentiæ..... Hanc autem nolunt esse universalem; sed electis *propriam*. Conveniunt cum Pelagianissantibus, quod aliquam gratiam *salutarem*, agnoscant omnibus ac singulis hominibus communem: distant autem in his potissimum, quod: 1. Dum illi *talem* tradunt gratiam *universalem*, quæ excludit particularem; hi, & universalem tradant, & particularem. 2. Dum illi, gratiam suam universalem, *æqualiter* extendunt

dunt ad ſingulos homines; hi *inæqualiter*, quatenus *plus* gratiæ referunt ad *electos*, quam ad reprobos. 3. Dum illi, *vires* quibus poſſis obſequi, credere... referunt ad liberum arbitrium, ei *ſuperſtites* à peccato, quippe, à lapſu protoplaſtorum, vel plane *illæſas*; vel ſaltem non *exſtinctas* penitus: hi *vires* illas referunt ad *gratiam*, qua, exſtinctæ per peccatum, *reſtaurentur*. 4. Dum illi, gratiam *univerſalem* tradunt, talem, qua omnes & ſinguli, poſſint *abſolute* obſequi, credere, reſipiſcere: hi talem qua ſinguli poſſint, ſub conditione, *ſi velint*. 5. Dum illi, gratiam univerſalem *ſufficientem* tradunt, cujus *efficacia* pendeat, à ſolo libero arbitrio: hi, gratiæ ſuæ univerſalis ſufficientis, *efficaciam*, ſuſpendunt à gratia *ſuperabundante*, qua Deus conferat, non *poſſe* tantum, *ſi velint*; ſed ipſum *velle*, quod poſſunt. Hæc paulo latius diducere viſum, ut ſciamus, qui diſtent æra lupinis, nec Reformatos iſtos, eodem loco habeamus cum Pelegianis. Reformati communiter, utut gratiam agnoſcant *univerſalem*, circa *naturalia*; *communem*, circa *moralia*: nullam tamen agnoſcunt univerſalem, circa *ſalutaria*, ſive illa ſit *objectiva*, ſive *ſubjectiva*. Eo quod: 1. Scriptura nullam gratiam *ſalutarem* tradat, quæ ſit univerſalis, prout patebit circa objectiones. Quod 2. & gratia electionis, *objectiva* ſit, quam tamen maxime particularem eſſe, nobiſcum agnoſcunt fratres οἱ ἐξ ἐναντίας: &, vice verſa, *vires*, quibus poſſint, *ſi velint*, non ad gratiam *objectivam* ſpectent, ſed ad *ſubjectivam*. Quod 3. Redemptionis, ſatisfactionis, vocationis gratia, perinde ac electionis, per Scripturas, ſit particularis & *electis propria*, prout, ſuis locis, oſtendemus ſingulatim. Quod 4. ex iſthac fratrum hypotheſi, jam non detur *ullus* homo, qui non poſſit non, Deo vocanti obſequi, in Chriſtum credere.. cui paſſim obloquitur Scriptura Jer. XIII. 23. Rom. VIII. 7. 1. Cor. II. 14... Quia 5. Alterutrum horum, à fratribus, ex ſua hypotheſi, neceſſario veniet agnoſcendum: vel quod vires illæ, omnibus ac ſingulis reſtitutæ, non reſultent, à gratia regenerationis, converſionis, ſanctificationis, vel, ſi reſultent, regenerationem, converſionem... eſſe *univerſalem*. Utrum autem horum crudius ſit; ego quidem non novi. Rationes, quibus pro ſe militant fratres, ſuppetunt: (1) Ab *univerſali redemptione* Chriſti, quam paſſim doceat Scriptura, v. g. 1. Tim. II. 4. 6. *qui ſeipſum dedit redemptionis pretium pro* OMNIBUS &c. Reſp. Utique pro *omnibus*, ſed non pro omnibus *& ſingulis*, quod ad univerſalitatis rationem exigitur. Pro *omnibus* h e. pro *quibuſvis* Apoc. V. 9. cum præſertim Servator diſerte ſecludat *mundum* Joh. XVII. 9. (2) Ab univerſali *vocatione*, quam doceat Scriptura Rom. I. 19. 20. Pſal. XIX. 2. 4. 5. Act. XIV. 17. Reſp. Loca illa, non docent univerſalem vocationem *ad Chriſtum*, ut illum fide recipiant omnes & ſinguli, quod eſt hujus argumenti κρινόμενον; ſed de vocatione *ad Deum*, ut eum *quærerent*, ſi forte palpando invenirent, colerent &c. Rom. I. 21. Act. XVII. 27. (3) Ab eo, quod per gratiam, omnes & ſinguli reſtituantur, in eum ſtatum, à quo, per peccatum protoplaſtorum exciderunt, in quo *poterant* obſequi Deo, *ſi voluiſſent*. Reſp. Necdum probatum eſt, aut probari poteſt, omnes *& ſingulos*, per gratiam reſtitui in ſtatum, è quo, in protoplaſtis exciderunt: reſtitueretur enim, in omnibus ac *ſingulis*, juſtitia *originalis*, immortalitas, dominium in creaturas terreſtres, & in beatitudinem paradiſiacam.

Et Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones Univerſaliſtarum.

XXXIV. Quæritur 5. An adhucdum irregenitus, citra gratiam, viribus liberi arbitrii, poſſit Spiritui S. fidem & reſipiſcentiam operaturo, ſi non cooperari, ſaltem *poſitive* non *repugnare*, hoc eſt, Spiritui S. introducturo lumen gratiæ, quaſi valvas removere: frequentando ſacra, fundendo preces, uſurpando Sacramenta, aliiſque. Jeſuitæ, in gratiam independentis arbitrii, docent, ubi liberum arbitrium, ſolis ſuis viribus, citra gratiam Dei prædeterminantem, ſe ceperit determinare ad credendum; reſipiſcendum... Deum, ei cooperari *concurſu* gratiæ ſuæ, ut, fides... in actum exeat. Synergiſtæ apud Lutheranos, exiſtimant liberum arbitrium, Spiritui ſancto, fidem & reſipiſcentiam operanti cooperari. Lutherani reliqui, cum gratiam urgeant univerſalem *ſufficientem*: ne ab *una parte*, nimium recedant, à Luthero Theandro ſuo, qui in tractatu ſuo, de *ſervo arbitrio*, vires liberi arbitrii, in negotio converſionis, & alibi, plane expunxit; ne item ab *altera parte*, homini irregenito, nihil omnino relinquerent, quod gratiam univerſalem *ſufficientem*, *efficacem* redderet: ſtatuunt irregenitum, viribus liberi arbitrii, poſſe ſaltem *poſitive non repugnare*, h. e. diligenrer audiendo verbum Dei, orando... Spiritui S. introducturo lumen gratiæ, q. valvas removere. Reformati agnoſcunt equidem, irregenitum, citra gratiam *ſalutarem*, poſſe *non repugnare* Spiritui S. *negative*, quemadmodum ſit v. g. in ſomno: poſſe item utcunque audire ſacra, extrinſecus orare, Sacramenta capere... ſed addunt, nec hæc fieri *ſolis* liberi arbitrii viribus; ſed gratia Dei *communi*, quæ etiam in irregenitis opus operatur, quicquid exiſtit in eis, aut producitur ab eis, *boni moralis*. v. g. quicquid erat in Bezaliele, artificii naturalis Exod. XXXI. 2. 3. quicquid erat boni *moralis*, in his qui dicuntur *illuminati Spiritu S. guſtaſſe bonum Dei verbum, & virtutes futuri ſeculi* Heb. VI. 4. 5. Sic Reformati cenſent, his potiſſimum rationibus, quod: 1. Scriptura, *quodvis* bonum opus, uſque ad bonam *cogitationem*, ſuſpendit ab *aliqua* Dei *gratia* 2. Cor. III. 5. Quod 2. Homo *naturalis*, ψυχικὸς ſeu irrege-

5. An adhucdum irregenitus, viribus liberi arbitrii, abſque gratia poſſit non repugnare Spiritui S.? Sententiarum collatio.

Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

nitus, non *percipiat* ea quæ sunt Spiritus, imo pro *stultitia habeat*, *nec possit intelligere* 1. Cor. II. 14. Quomodo igitur possit, Spiritui S. gratiam salutarem fidei & resipiscentiæ operaturo, sese advertere, eique lumen gratiæ introducturo, quasi valvas removere? Quod 3. φρόνημα σαρκὸς, solum existens in irregenitis, se non *submittat* legi divinæ, neque etiam *possit* Rom. VIII. 7. quomodo igitur Spiritui S. lumen gratiæ, in nos introducturo, q. valvas removeremus? Quod 5. Remoturus valvas Spiritui S. saltem cognoscere debeat, illum parturire fidem & resipiscentiam: unde autem homo irregenitus istud agnoscet? cum præsertim, natura *obtenebratus sit mente*, atque insuper *abalienatus à vita Dei* Eph. IV. 17. 18. imo plane *cæcus* Apoc. III. 17. Talis autem, quomodo obstetricaretur Spiritui S.? Tandem 6. Quod *positive* non repugnare Spiritui S. non aliud sit, quam ei se morigerum præbere, obedire: hoc vero, quomodo viribus liberi arbitrii, possit irregenitus? Nec video, quid pro ista sua Helena, Luthero suo ignita, atque etiam hypothesibus *servi* ejus *arbitrii*, satis reprobata, quam moderni Lutherani toties, quoties ipsis, super hoc argumento, contendendum est nobiscum, tantopere depereunt & exosculantur; obtendere possint, nisi quod ipsa clamet experientia, adhuc dum irregenitos, non nisi libero arbitrio pollentes posse adire Sacra, fundere preces, usurpare Sacramenta, aliaque externa. Sed 1. Non negamus, talia perpetrari posse ab irregenitis; verum, hoc fieri posse viribus *arbitrii*, hoc demum est quod negamus: cum fiant ope *gratiæ communis*. Tum 2. Negamus, istud ab irregentis fieri posse, ad hoc, ut non repugnent Spiritui S. Hoc enim non aliud est, quam se morigerum præbere Spiritui S. expetere seu ambire gratiam regenerationis, id quod à *peccato mortuis*, profiliere nequit.

Objectio Lutheranorum.

6. Nunquid, gratiam electionis enervent, qui electionem suspendunt ex prævisis? Sententiarum collatio.

XXXV. Quæritur 6. Nunquid *gratiam* electionis enervent, quotquot existimant, electionem factam esse, ex prævisis, seu fide, seu operibus? Palagiani ac Sociniani, qui futurorum contingentium præscientiam certam, non agnoscunt; statuunt electionem, (saltem personalem & peremtoriam) fieri, *non ex gratia*, sed ex fide & resipiscentia, jam *existentibus*, scil. in articulo mortis, aut etiam post mortem: ut habeant liberum arbitrium, plane indifferens, independens, in horas mutabile. Semipelagiani, Jesuitæ, Remonstrantes, qui futurorum contingentium, certam præscientiam admittunt, ut itidem arbitrium retineant independens, per quod, fides & resipiscentia, non pendeant à gratia electionis; sed electio à fide & resipiscentia; statuunt elegisse non ex pura gratia; sed *propter fidem prævisam*, Pontificii, propter *bona opera* prævisa. Lutherani, quamvis videri nolint, se fidem & resipiscentiam, à liberi arbitrii viribus suspendere; attamen, ne nihil arbitrium conferat, à quo universalis gratiæ *sufficientis*, *efficacia* repetatur, ejus viribus *non-repugnantiam* adscribunt, & hinc electionem à *prævisa fide*, suspendunt. Reformati censent omnes istos, quanquam diverso modo, diversis gradibus enervare *gratiam*, saltem ei derogare; idque præeunte 1. Apostolo Rom. XI. 6. *si enim per gratiam; non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*: *sin ex operibus; jam non est gratia*. 2. Ipsa *naturâ* gratiæ, quoniam gratia est *amor indebitus*, hoc est, independens ac liberrimus, ut supra docuimus. Proinde, quantum suspenditur a *natura*, seu viribus proprii arbitrii; tantum non suspenditur à gratia, cum præsertim suspenditur ab arbitrio independente. Quæ causari possint pro contrario, suppetunt ab eis Scripturæ locis, quæ electionem videntur suspendere à fide, quibus respondebimus, ξὺν θεῷ, in capite *de electione*.

Argumenta Reformatorum.

7. An qui justificationem suspendunt à bonis operibus non enervent gratiam justificationis? Sententiarum collatio.

XXXVI. Quæritur 7. An qui justificationem suspendunt à bonis operibus, non enervent *gratiam* justificationis? Sociniani, ne statuant justificationem nostrî, à sola justitia Christi, nobis donata pendere, hoc est, à satisfactione & meritis ejus, fide sola recipiendis: existimant eos justificari, propter bona nostra opera; non quidem *legalia*, sed *euangelica*, id est, propter opera, præstita legi Mosaicæ, quatenus illa correcta sit & aucta. Remonstrantes, ne sola Christi justitia, purâ puta gratiâ, nobis imputatâ, justificemur; sed operibus; docent, nos fide quidem justificari; sed *quatenus* illa, *per charitatem est* ἐνεργουμένη, in bonis operibus, aut *quatenus* fides *acceptilatione* divina, pro plena obedientiâ, legi competente, habeatur. Pontificii duplex meritum numerant: *alterum*, quod in opera cadit, quæ ante conversionem fuerunt perpetrata, id quod, non ex justitia, sed *ex congruo*, procedat: *alterum*, quod bonis operibus competat, post conversionem, ex justitia & *condigno*. Meritum *ex congruo*, juxta ipsos, ingreditur aliqua Dei liberalitas; sed quæ tamen, pendeat ab *operum congruentia*: meritum *ex condigno*, omnem excludit gratiam, utpote in quo, est qualiscunque *solutio*. Reformati existimant, hos omnes, diversis modis, enervare *gratiam justificationis*, eisdem rationibus, quas notavimus, penes controversiam præcedentem; aliisque, quas dicemus apud caput *de justificatione*: ubi insuper, ex professo examinabimus argumenta pro justificatione *ex operibus*.

8. A non ab

XXXVII. Quæritur 8. An non abutantur misericordia Dei, qui statuunt, per eam non omnes tantum & singulos homines; sed ipsos etiam dia-

bo-

atantur miseri-cordia Dei, qui statuunt, non omnes tantum nomi-nes; sed etiam diabo-los, ali-quando servan-dos esse? Senten-tiarum collatio.

bolos, aliquando servandos esse? Tetigimus hanc controversiam in elenchticis capitis xv. lib. 2. §. xxx. Pelagiani & Semipelagiani, veteres & moderni, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes, in gratiam independentis arbitrii statuunt, Deum velle, ut omnes & singuli homines serventur, sub conditione, si ipsi velint credere & resipiscere. Origenes olim, *propter misericordiam* Dei, nullas omnino pœnas admittebat, *compensatorias* seu *satisfactorias*, pro peccatis, quantis & qualibuscunque, quarumvis etiam creaturarum; sed *purgatorias* tantum, quibus idonei redderentur peccatores, qui ingrediantur cœlum. Hinc peccatores, pro analogia peccatorum suorum; ad certum tempus, exagitandos & purgandos esse, & post hæc, omnes & singulos peccatores, tam diabolos, quam hominem, recipiendos esse in gratiam, & intromittendos in regnum Dei. Teste Augustino, *de hæres.* cap. xliii. *ad Quodvuldeum.* Franciscus Puccius, Italus Socinizans, & Samuel Huberus Helvetius, ex ministro Reformato, Lutheranus, propter misericordiam Dei, omnes saltem & singulos homines actu servandos esse, docebant. Reformati censent, hos, omnes, turpiter abuti misericordia Dei, contra: 1. *Scripturas*, quæ *immisericors judicium* commemorant Jac. ii. 13. flammas *æternas* Matth. xxv. 41. 46. *ignem ἄσβεστον nunquam exstinguendum*, *vermem nunquam moriturum* Jes. lxvi. 24. Contra 2 *Justitiam* Dei vindicatricem 2. Thess. i. 8. 9. Contra 3. Naturam *peccati*, quod ex læsa *infinita* Dei majestate, infinitæ pœnæ reatum contrahit, & cum pœnam *intensivè* infinitam, peccator finitus, non recipiat; necessario *extensivè*, hoc est, durationè infinitam, seu æternam, sibi exigit. Contra 4. Scripturæ *reprobationem*, utpote quam penitus tollit è medio universalis omnium salus. Contra 5. ejus *electionem*; sublata enim reprobatione, tollitur eadem opera electio. Ubi enim non est *reprobatio*; ibi etiam non est electio. Nec video, quid ulla quidem specie, pro universali, omnium salute, causari possint adversarii, quam: 1. Quod repugnet infinitæ Dei misericordiæ, creaturam, brevi tempore peccantem, æternùm punire. Resp. α. Attributa divina, misericordia & justitia vindicativa, nequaquam pugnant inter se: ex eo igitur, quod, per Scripturas, detur justitia *vindicativa* Rom. i. 32. cum cap. ii. 6.... 2. Thess. i. 6.--11. Gen. xviii. 25. non tollitur ejus *misericordia*. β. Quamvis misericordia Dei, sit infinita, eique *naturalis*, ut *possit* misereri quorum vult Rom. ix. 15. ejus tamen *dispensatio*, pendet à sapientissimo ejus arbitrio: miseretur quorum *vult*, & indurat etiam, *quos* vult. 2. Quod repugnet etiam *justitiæ* divinæ, quæ proportionem exigit, inter delictum & pœnam: ac proinde, ut delictum *finitum*, non puniatur pœna *infinita*, & quod brevi temporis

Reformatorum sententia, cum suis rationibus.

Objectiones.

spatio, perpetratum est, infinitæ *durationis* pœnâ exagitetur. Resp. (1) Quamvis justitia, omne peccatum puniat, pœna *æterna*; non tamen negligit proportionem in *gradibus* pœnarum Luc. xii. 47. (2) Delicti gravitas, non est æstimanda ex sola ejus *duratione*; sed ex ejus objecto quoque, sicut interficere *Regem* gravius est, quam mendicum 2. Sam. xviii. 3. Proinde, interficere Deum *infinitum*, in quod, quantum scil. in se est, enititur omne peccatum, infinitæ pœnæ reatum contrahit, justa proportione; & cum infinitam *intensive*, non admittat creatura *finita*; necessario infinitam *durationè*, seu *æternam* exigit.

Pars practica.

XXXVIII. In delineatione praxeos, propterea contractiores erimus, quam pro dignitate hujus argumenti, quod plurima, quæ circa *bonitatem* Dei, dudum observavimus, mutatis mutandis, huc traduci commodè possint: cum *bonitas*, quatenus *communicativa*, cum amore coincidat. Peculiaris interim, hujus capitis praxis esse possit, studium: *primo comparandi*, & q. versus se inclinandi, propensionem illam Dei, in qua omnis amoris, gratiæ, misericordiæ, longanimitatis & clementiæ, summa est. Quod (1) in ea, omnis omnium creaturarum amoris, gratiæ, misericordiæ, longanimitatis & clementiæ *perfectio*, velut in abyssо, absorbeatur: quamobrem *tenerrimè*, seu *paternæ* propensioni *æquiparatur* Psal. ciii. 8. 11. 13. Imo (2) infinitis vicibus, *exceditur* Jes. xlix. 15. 16. Quod (3) sit omnis omnium creaturarum *felicitatis*, *scaturigo* & summa, utpote per quam, unigenitum *Filium*, mundo est largitus Joh. iii. 16. & cum eo *omnia* Rom. viii. 32. Quod (4) singulatim, ab ea ad nos redundet, electio, redemtio, vocatio, regeneratio, conversio, justificatio, adoptio, sanctificatio, glorificatio, & quævis ἐχόμενα τῆς σωτηρίας. Prout in *dogmaticis* docuimus Conf. Eph. i. 2. 3. 4. 2. Pet. i. 2. 3. Quod (5) ea sola nobis sufficiat 2. Cor. xii. 9. ad *omnia* sufficiat Phil. iv. 11. 12. 13. atque usque adeo sit necessaria, ut citra eam *nihil* simus 1. Cor. xv. 10. Ut (6) ab ea, non modo *dives* dicatur gratiâ Eph. ii. 4. *multus* miserationibus Psal. ii. 3. *tenerrimus* eisdem, usque ad *viscera* Psal. xxv. 6. Luc. i. 50. *æternus* item Psal. xxv. 6. & *immutabilis* Jes. liv. 10. sed & *Pater* miserationum 2. Cor. i. 3. Quamobrem (7) adeo semper fuerunt solliciti Sancti, qui *invenirent gratiam*, oculis Domini Gen. xviii. 5. Exod. xxxiii. 12. 13. 16. 17. Num. xi. 15. Conf. Psal. cxix. 41. & xc. 14. Atque etiam (8) proram facit ac puppim in plerisque Epistolis Apostolicis, *Gratia* Rom. i. 7. & xvi. 24. 1. Cor. i. 3. & xvi. 33. 2. Cor. i. 2.

Praxis hujus capitis est studium.

1. Comparandi sibi benevolam & beneficam Dei propensionem

Rationes motivæ

& XIII. 13. Gal. I. 3. & VI. 18. Eph. I. 2. & VI. 24. &c. Imo (9) est in hoc, universum negotium Apostolorum & Euangelii, pandere, offerre, conferre hominibus *gratiam* Dei; unde *verbum gratiæ* denominatur Act. XIV. 3. & XX. 32. & *Euangelium gratiæ* Ibid. 24. Sed quibus tandem *adminiculis*, nobis comparabimus, *propensionem* istam benevolam ac beneficam Dei? Resp. 1. Non sanè stulto conatu, *flectendi* Deum, aut mutandi *immutabilem*, qui ex non amante, amans fiat; sed 2. Istud negotii, quantum quantum est, soli committendo Mediatori, in quo sibi Pater *complacuit* Matth. III. 17. & XVII. 5. Qui nos *reconciliavit* Patri Col. I. 20. 21. Eph. II. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 2. Cor. V. 19. 20. 21. Non Patrem *mutando*; sed à nobis *auferendo*, quod *gratiam* ejus q. obstruebat, & nos ineptos reddebat, qui *salutaria gratiæ* divinæ profluvia, caperemus. Ibid. *Solvendo* debitum nostrum, & q. lacerando *chirographum* Col. II. 14. ut jam simus χαριτωθέντες ἐν τῷ ἠγαπημένῳ Eph. I. 6. atque, ex ejus *copiâ*, haurire possimus, χάριν ἀντὶ χάριτος. Joh. I. 16. Unde *gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Patris, & communicatio Spiritus S.* 2. Cor. XIII. 13. sic construuntur, ut primus locus, sit *gratiæ Domini* nostri Jesu Christi. Hinc 3. nostrum est, quo charitatem Patris nobis comparemus; adniti, ut *gratiâ Christi* simus imbuti: quod fiet verâ ac vivâ in ipsum *fide* Joh. XIV. 23. & I. 12. Rom. III. 24. Eph. II. 8. Conf. Joh. XIV. 6. Act. IV. 12. Ad damus 4. *Amorem Dei* & Mediatoris, quo, saltem in amore reciproco, *confirmemur* Deut. VIII. 9. Joh. XIV. 23. 1. Joh. IV. 10. Atque etiam 5. ad præscriptum *voluntatis* ac verbi ejus, nos sollicitè *componamus* Gal. VI. 16. Denique 6. ab ejus conspectu *removeamus*, quicquid animum ejus, à nobis avertere possit Jes. I. 15. 16. & LIX. 2.

Compandi media.

2. Studium cavendi, ne propensionem Dei avertamus, & aversionem in nos concitemus.

XXXIX. *Secundò cavendi*, ne quando propensionem istam amoris, gratiæ, misericordiæ, patientiæ, & clementiæ, nobis *obstruamus*, à nobis avertamus; & contra ejus *aversionem*, odium, iram, severitatem, vindictam & judicia, in nos *concitemus* 2. Sam. XXII. 23. 24. 26. Quod fit (1) quovis peccato Rom. I. 18. Psal. V. 5. 6. 7. Jes. I. 15. 16. Singulatim (2) *Odio* Dei Deut. V. 9. Exod. XX. 5. (3) *Abusu* gratiæ, patientiæ & longanimitatis divinæ Rom. II. 4. 5. (4) *Crudelitate* ac duritie erga proximum Jac. II. 13. (5) *Idololatriâ* Deut. VI. 14. 15. & VII. 4. Jer. VIII. 19. (6) *Vanitatibus* ac mendaciis Deut. XXIX. 19. 20. (7) *Infidelitate* & inobedientiâ Joh. III. 36. (8) *Irrespipiscentiâ* Rom. II. 4. 5. aliisque (9) quæ Apostolus commemorat Eph. V. 5. 6. Col. III. 5. 6. Hæc aliaque crimina, quo magis sollicitè vitemus; juvabit, sæpe multumque cogitare; ab *unâ parte*, momentum felicitatis ac *beatitudinis*, quod nobis est in amore, gratia, misericordiâ, parientiâ & beneficentiâ Dei: ab *altera parte*, miseriæ *pondus*, quod est in *odio*, irâ, severitate, vindicta & judiciis ejus. Argumenta, particulatim suppetent è *Dogmaticis*.

3. Studium explorandi propensionem amoris gratiæ, misericordiæ divinæ erga nos. Motiva

XL. *Tertiò explorandi*, si quam erga nos observamus Dei *propensionem*, amorem, gratiam aut misericordiam; sitne illa *universalis* tantum, quæ in *jumenta* perinde fertur, ac in homines Psalm. XXXVI. 7. aut *communis*, quæ in *reprobos* perinde fertur, atque in electos. Cum enim. 1. Tanta quandoque deprehendatur affinitas, inter *naturam* & *gratiam*, quâ, in *externo* Religionis ac virtutum exercitio, *natura* persæpe *gratiam* excedit; ut patet, non tantum in honestioribus quibusdam *Ethnicis*, Platone, Catone, Aristide, Scipione, Senecâ aliisque; sed & in *Ecclesiâ*, v. g. in Pharisæo & publicano Luc. XVIII. 10-14. Cum etiam 2. Inter gratiam *communem & salvificam*, tanta fit aliquando *convenientia*, ut patet exemplis Jes. LVIII. 2. 1. Cor. XIII. 1. Cum 3. in his, tot ac tanti seipsos fefellerint, fallantque indies pseudo-Christianorum myriades, *naturam* commodiorem humanioremque, capientes pro *gratiâ regenerationis*; & charismata *communia*, pro gratiæ *salvificæ* speciminibus Jac. I. 26. 27. Luc. XVIII. 11. Apoc. III. 17. Nec 4. seipsos fefellerint absque *periculo*, imo absque æterno *exitio*: necessum, si quicquam, hîc discriminare τὰ διαφέροντα Phil. I. 9. 10. nostramque *vocationem & electionem*, ac quamvis gratiam salvificam, *firmam facere* 2. Pet. I. 10. Sed quibus tandem indiciis, propensionem illam electis *peculiarem*, quæ electionem, redemptionem, vocationem, unionem & communionem Christi dispensat, certò agnoscemus ac discriminabimus? Resp. 1. Discrimen non quæremus, in ipso Dei, *affectu*, utpote qui uniformis est respectu omnium; sed in *effectis*, quibus diversa est: illis quæ peculiariter χαρίσματα, *fructus Spiritus* S. & ἐχόμενα σωτηρίας, prædicantur. Qualia sunt 2. *Fides*, non quævis: sed *salvifica*, quam alibi à *communi* discriminavimus. Hæc enim, gratiæ *peculiari* disertè tribuitur Phil. I. 29. Joh. III. 16. & ad χαρίσματα κρείττονα refertur 1. Cor. XII. 31. collat. cum Cap. XIII. 13. & Spiritui S. velut ejus *fructus* tribuitur Gal. V. 22. qui inde, *Spiritus fidei* dicitur 2. Cor. IV. 13. Imprimis 3. *Amor* versus *Deum*, insigne nobis præstat, *amoris* versus nos *argumentum* 1. Joh. IV. 19. Rom. V. 5. Ille peculiariter amor, qui divino, suo modo, *similis* est, ut ejus q. *ectypum* præstet, è quo evidentius *prototypum* possimus colligere, quem paulo abhinc delineabimus. Tum 4. Amor versus *fratres* 1. Joh. IV. 7. 8. 11. 12. 20. 1. Cor. XIII. 1. non qualiscunque, non qui in *verbis* est, *& lingua*; *sed in opere & veritate* 1. Joh. III. 18. Qualis Dei est erga nos, & quo proximum diligimus

Notæ discriminantes.

mus *propter Deum.* Porro 5. Gratia, misericordia, patientia & longanimitas *erga quosvis.* Scil. *sicut electi Dei sancti, & dilecti, induti simus σπλάγχνις miserationum, benignitate, modestiâ, mansuetudine, lenitate, tolerantes invicem, & condonantes nobis mutuo* Col. III. 12. 13. 14. Denique 6. Omnia ista, quibus electio, redemtio, regeneratio, conversio, unio & communio cum Christo; velut *fructibus & indicibus* amoris divini, agnoscuntur ac dignoscuntur; suo loco singulatim tradenda.

. Stuium surpani proenfioem moris c. dini.

XLI. *Quartò usurpandi.* Quorsum enim Deus, suam istam propensionem, amorem, gratiam, misericordiam, longanimitatem, clementiam impendit? ut otiosa sint? Et si otiosa sint; nunquid frustra erunt? A quo, tam seriò dehortatur Apostolus 2. Cor. VI. 1. *Hortamur ne frustra gratiam Dei acceperitis. Si modo frustra* tantum Gal. III. 4. & non in aggravationem odii, iræ, vindictæ, & judiciorum divinorum Rom. II. 4. 5. Jac. II. 13. Usurpabimus autem: 1. In casu *humiliationis*, quod, quæcunque possidemus præ aliis bona, non proprio Marte, merito ac dignitate; sed purâ putâ Dei *propensione*, amore, gratiâ, misericordiâ, longanimitate & clementiâ Dei habeamus 1. Cor. IV. 7. Eph. II. 8. 9. Rom. III. 24. 26. 27. Tum 2. in casu *consolationis.* Est enim Deus, *Pater misericordiarum & Deus omnis consolationis* 2. Cor. I. 3. *Generaliter* enim, in quibusvis *adversis*, tam corporalibus quam spiritualibus; quid tandem, efficacius possit erigere & sustinere, quam devota cogitatio, *amoris*, gratiæ, misericordiæ, longanimitatis & clementiæ Dei, toties ac tanto affectu, a Sanctis sibi ad animum revocatæ Exod. XX. 6. & XXXIV. 6. &c. Psal. CIII. 3-14. *Specialiter* (1) in malis *corporis*, in morbis Psal. VI. 3. (2) in malis *fortunæ*, in paupertate Psal. XXXIV. 9. 10. 11. & CXLVII. 9. 11. in odio & *persecutionibus* hostium Psal. XXIII. 4. 5. & LXXXIV. 12. Imprimis (3) in malis *animi*, in angoribus peccatorum Psal. LI. 3. in *desertionibus* spiritualibus Jes. LIV. 7. 8. Psal. CXLVII. 3. in conscientiâ & sensu *vilitatis* nostræ Luc. XVIII. 13. Matth. VIII. 8. Luc. VIII. 44. (est enim amor *pura* gratia, plane liber & independens Rom. XI. 36.) in *multitudine*, gravitate diuturnâ continuatione peccatorum; quod multus, magnus & *infinitus miserationibus* sit Deus, ut supra ostendimus. Porro 3. In casu *fiduciæ*, circa quamvis fortunam; tam adversam, quam secundam. *Qui* enim *in Jehovâ fiduciam collocaverit, eum misericordia circumdabit* Psal. XXXII. 10. Ut securi Deo possimus adhærere, ab eo, nec metu mali, nec spe boni, hilum unquam declinantes: quod, *qui Sol est ac scutum, gratiam dabit & gloriam, nec probibebit bonum, ambulantibus perfectè* Psal. LXXXIV. 12. Denique 4. in ipso gratiæ *usu*, ut ejus caveamus *contemptum* Rom. II. 4. 5. & abusum; seu ad *petulantiam* Jud. vers. 4. seu ad *securitatem* & socordiam carnalem Rom. VI. 1. Conf. Cap. III. 8.

XLII. *Quinto imitandi*, amorem, gratiam misericordiam, patientiam, longanimitatem & clementiam Dei Matth. V. 43. 44. 45. 48. (1) *Amore* versus *Deum*, qui nos amavit, non amore tantum *universali* & communi; sed *pretioso* illo, *quo inebriamur pinguedine domus suæ, & torrente deliciarum ejus* Psal. XXXVI. 8. 9. hunc amorem suadente Johanne 1. Epist. Cap. IV. 19. Nec amore tantum qualicunque; sed tali, qui *divino*, quantum fieri potest, *similis sit*, qui A. *purus* sit & sine fuco 1. Tim. I. 5. qui non *in ore* hæreat & linguâ 1. Joh. III. 18. sed *ex corde*, & ex *toto* corde scaturiat Matth. XXII. 37. Qualis scil. Dei est amor versus *nos.* B. Qui *liber* sit & *independens*, non tam *propter ejus beneficia*, aut aliquid à Deo proficiscens Joh. VI. 21. quam propter se *solum.* Scil. sicut amor, seu gratia ejus, est versus nos, non ab aliquâ in nobis *gratiâ* aut dignitate profectus. C. Qui sit non *otiosus*; sed *efficax* Gal. V. 6. Scil. ut Dei amor & gratia, est versus nos. D. Qui sit *superlativus*, supra qnævis charissima Matth. X. 37. 39. Scil. sicut Deus suos *supra omnia*; imo, suo modo, supra *Filium* proprium & unigenitum dilexit Rom. VIII. 32. & V. 5. 6. 7. 8. Joh. III. 16. E. Qui *omnia* Deo impendat Cant. VIII. 7. Phil. III. 7. 8. Scil. sicut ipse, præter Filium, se, sua attributa, & *omnia*, nobis impendit Rom. VIII. 32. 1. Tim. VI. 17. Conf. quæ habuimus Cap. XVI. §. XVI. (2) Amore ac *gratiâ* versus *proximum*, quo *liberè*, citra ullum respectum dignitatis, aut retributionis, benefaciamus: sicut Deus Matth. V. 45. 46. (3) *Misericordiâ*, quâ prompti simus, ad *consolandum* & succurrendum, in miseriâ quavis constitutis. Sicut Deus Luc. VI. 26. & X. 30. 37. (4) *Patientiâ* & longanimitate, quâ proclives simus, ad tolerandum offendentem, diu multumque Matth. XVII. 17. ad condonandum offensas, utcunque graves Matth. XVIII. 21. 22. sicut Deus Matth. VI. 12. 14. 15. & XVIII. 35. ad reconciliandum post offensas Ibid. Cap. V. 24. 25. sicut Deus 2. Cor. V. 18. Denique (5) *clementiâ* & beneficentiâ, quâ mitè & humaniter agamus, etiam cum offensoribus maximis Gen. XLV. 4. 5. & L. 19. 20. 21. atque insuper, beneficia cumulemus, in offensores & inimicos: sicut Deus Matth. V. 44. 45. 46. Rom. XII. 20. 21. Amplificandi argumenta, in omnibus istis, abundè suppetent è parte *dogmaticâ.*

5. Studium imitandi amorem, gratiam &c. Dei.

XLIII. Tandem *sextò*, *celebrandi* Deum, eique gratias agendi ab omnibus istis attributis. Quo: 1. spectat, frequentata toties, attributorum istorum coacervatio, in doxologiis Exod. XXXIV. 6. Neh. XI. 17. Psal. CIII. 8. Quo 2. velut ad ultimum scopum, vergit omnis gratia *electionis* Eph. I. 6.

6. Studium glotificandi, & gratias agendi.

1. 6. *Ad laudem gloriosæ gratiæ suæ* Rom. IX. 23. *Redemptionis* Eph. II. 4. 7. *Vocationis* Eph. I. 9. 12. *Regenerationis* Tit. III. 4. 5. 1. Pet. I. 3. *Justificationis* Rom. III. 24. 26. *Adoptionis* 1. Joh. III. 1. Eph. 18. *Sanctificationis* Rom. XI. 15. 17. *Glorificationis* ac salutis æternæ Eph. II. 6. 7. omniumque ejus *beneficiorum* Psal. XXIII. 5. 6. Et quo, ad istud gratiarum actionis & glorificationis negotium, simus promptiores; juvabit sæpe multumque cogitare (1) *Deum*, amore, gratiâ & misericordiâ in nos *propensum*, qui sibi solus sufficit, nec quicquam à nobis captat beneficii, aut accipere potest Gen. XVII. 1. Psal. XVI. 2. & L. 9. 14. (2) *Homines* iniquos *propendet* amore: *Quid est homo quod recorderis ejus &c.?* Psal. VIII. 5. res nihili Psal. XXXIX. 6. 7. *stilla situlæ, & pulvis stateræ, nihil, & minus quam nihil* Jes. XL. 15. 17. etiam transgressores, & *hostes* ejus Rom. V. 10. (3) *Propensionem*, quâ, tantâ perfectione, ac tot modis; amore, gratiâ, misericordiâ, longanimitate, clementiâ; omnisufficiens Deus, in miseros peccatores, seipsum profundit Exod. XXXIV. 6. ac tam tenerè etiam complectitur Jer. XXXI. 20. Denique (4) *propensionis* beneficia, tot ac tanta: naturalia, moralia, salvifica. Tantas *divitias benignitatis & tolerantiæ & longanimitatis* Rom. II. 4. Atque ista tantisper cogitemus, & tam seriò; donec: 1. *corde* quadantenus capiamus, cum omnibus sanctis, quæ sit *latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, & cognoscamus* τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀγάπην Eph. III. 18. 19. Quo 2. *ore* prorumpamus: *benedic anima mea Jehovæ. Misericors & clemens Jehova, longus irâ, & multus misericordiis* Psal. CIII. 1-8. Ac 3. compensemus, quantum in nobis, *opere* Psal. CXVI. 12. Quod nominatim fiet studiosâ, quam diximus, istorum attributorum *imitatione*.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE

JUSTITIA DEI.

Psal. CXIX. vers. 137.

Justus tu Domine, & rectus judiciis tuis.

Justitiæ divinæ contemplatio.

I. BOnitatem Dei, diximus considerari posse, *vel*, ut est sui *communicativa*, quâ alios bonos *facit*; *vel*, ut est *appetibilis* in se. *Priori* modo, est proprietas, q. *physica*, seu naturalis, quatenus ejus *communicatio* fit, per amorem, gratiam, misericordiam, patientiam, longanimitatem, clementiam; & sic eam consideravimus hactenus: *posteriori* modo, est proprietas q. *ethica*, seu moralis. Et sic considerari rursus potest; vel *relative* ad certam *regulam*, cui, quam exactissime conveniat; & sic *justitia* denominatur: vel *absolute*, quatenus *abhorret* ab omni impuritate morali, &, ex adverso *proclivis* est in quodvis bonum morale, & sic *sanctitas* designatur. *Justitiam* hoc capite contemplabimur; *sanctitatem*, sequente. Per *justitiam* autem, Deus propensus est, qui agat secundum *rectitudinem* naturæ suæ, velut *regulam æternam*; eadem præscribit creaturis *regulam*, seu agendi rationem, h. e. legem, etiam *retribuit*, seu *bona*, seu *mala*, pro obedientia, aut inobedientia creaturarum. Hanc *justitiam*, Propheta repræsentat Psal. CXIX. 137.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Textus habet προσφώνημα quoddam δοξολογικὸν, seu* acclamationem *quandam* celebratoriam, *argumento sumto, à* justitia. *Penes quam occurrunt*, duo commendata, *nim.*

1. Persona, justus tu Domine. *Hic est.*

A. Persona *commendata*, Domine, יהוה. *Ex quo nomine egregie invalescit, epitheton commendationis*, justus: *quatenus significatur*, justitiam *Dei, pro natura & emphasi hujus vocis, esse independentem, immutabilem, simplicissimam, infinitam, æternam.*

B. Argumentum *commendationis*, justus tu צדיק אתה. *Ex usu Hebræo*, אתה *est*, *pro verbo substantivo copulante* ES, *ut emergat*, justus es, *quamvis hic insuper emphaticum sit*, justus TU es, *scil.* ἐξόχως, *& independenter*, solus. *Quæ emphasis, etiam nonnihil invalescit à constructione, qua adjectivum* justus, *præmittitur pronomini* tu: justus tu es Domine, *nec quisquam alius, eo scil. modo, præterquam* TU. *Porro* צדיק, *vel ad* verba *refertur, ut* veracem *sonet, qui*

qui ſecundum dicta *agit, velut regulam, promittendo pariter & comminando; vel ad* res *& actiones, ſcil. pro natura & conſtitutione ejus, aliter cum juſto, aliter cum impio, puta, ſeu remunerando illum; ſeu puniendo hunc: & ſic* æquitatem *notat ac decentiam.*

2. Judicia משפטיך ישר, & rectus judiciis tuis. *Copulativum* ו. *juſtitiam* naturæ, *conſtruit cum juſtitia* judiciorum *ſeu operationum: quod qui* rectus *eſt, etiam rectè agat; ſicut qui non rectè* agit, rectus *ſeu juſtus non eſt.* ישר, *capi poſſit, vel* ſubſtantive, *rectum, ſeu rectitudo ſunt judicia tua, emphatice, non tantum* recta *ſunt; ſed ipſa etiam* rectitudo, *ut notet* eminentiam rectitudinis, *ſupra quævis recta: vel* adjective, rectum *ſeu* recta *ſunt judicia tua, ſcil.* unumquodque *judiciorum tuorum, ut notet* univerſalitatem *rectitudinis, in omnibus ac ſingulis judiciis tuis, procedendo ſecundum rectitudinem* naturæ *tuæ, ſecundum* veritatem dictorum *tuorum, ſeu promiſſionum, ſeu comminationum tuarum, ſecundum conſtitutionem objectorum; ſeu bonorum, ſeu malorum, ſingulis diverſa diſpenſando, vel præmia, vel pœnas.*

1. Res commendata, משפטיך, judicia tua. משפט πολύσημον *eſt, notat enim:* 1. conſuetudinem, *ritum, agendi modum: ſic* Jer. xxx. 18. 1. Sam. viii. 9. *ſic enim hic* jus *notaret aut* juſtitiam; *tum tyrannis, Regibus eſſet* jus: 2. Legem, *nominatim* forenſem, *ſecundum quam* jus *dicebant & exercebant in republica Iſraelitica. Sic* Ezech. xx. 11. *Porro* 3. ſententiæ pronunciationem, *quaſi* juriſdictionem. Sic Deut. 1. 16. Jud. xvi. 31. Job. ix. 15. *Inſuper* 4. *ſententia* exſecutionem, *remunerando, aut puniendo* Num. xx. 12. Pſal. li. 6. *idem quod Græcis eſt κρίνω* judico Rom. iii. 4. Heb. x. 30. *ex* Deut. xxxii. 36. *Et, cum ſubordinata non pugnent; iſta omnia, non incommode conjungi poſſunt. Unde vox* pluralis משפטים, *ut ſignificetur, omnes ejus* ritus *& agendi modos, omnes* leges, *juriſdictiones, ſententiarum exſecutiones, ſive remunerando fiant, ſive puniendo,* rectas *eſſe.*

2. Argumentum commendationis, ישר rectum. *Opponitur* curvitati, *per quam aliquid declinat à ſua regula, & ſic coincidit cum* צדק juſto. *In* moralibus *curvitas, idem eſt quod* peccatum, *ſeu ἀνομία* 1. Joh. iii. 4. *cum* Pſal. cxxv. 5. *qua actus recedit à regula ſua, &* ישר, *quod cum ea congruit* Eccl. vii. 29. *Significatur ergo, non Deum tantum juſtum eſſe in ſe; ſed in omnibus quoque* judiciis *& operationibus ſuis.*

Pars dogmatica.

Deus juſtus eſt in ſe & in omnibus negotiis ſuis.

III. Eſt proinde, Pſaltis teſtimonio, *Deus juſtus in ſe, & juſtus in omnibus negotiis ſuis.* Cum quo paſſim, & multis modis, alibi concurrit Scriptura, quando: 1. exſertè *juſtum, rectum,* ſanctum, pronunciat Pſal. xxv. 8. & xi. 7. Deut. xxxii. 4. Exod. ix. 27. Jer. xii. 1. Dan. ix. 14. Quando 2. omne *contrarium*, injuſtitiam, iniquitatem, προσωπολημψίαν, δωροφαγίαν, & omnes cauſas effectas, adjunctas, cujusvis injuſtitiæ, ab eo *removet* 2. Paral. xix. 7. Rom. iii. 4. & ix. 13. 14. Heb. vi. 10. Deut. xxxii. 4. Job. viii. 3. Quando 3. tales ipſi *affectus* tribuit, qui *juſtitiam* exigunt, in creatutis: odium, iram, ſeveritatem, vindictam, judicia, pœnas. Ut ſuo loco oſtendimus, quæ omnia in Deo non ſunt, niſi *actus* immutabilis *juſtitiæ.* Quando 4. eum, cuique ſecundum *opus* ſuum reddere, adeoque *ſuum* dare, pronunciat Job. xxxiv. 11. 12. Nec poteſt non eſſe juſtus: quia: A. Eſt abſolutè *perfectus*, à quo proinde abeſſe nequit, *hæc* perfectio, nihil imperfectionis involvens. B. Eſt *Dominus, gubernator*, rector totius univerſi, qui, *citra juſtitiam*, in tyrannum degenerat. C. Eſt *Judex* omnis terræ Gen. xviii. 25. qui abſque juſtitiâ, *judicium* quomodo pronunciaret? D. Et, ſi Deus non eſſet juſtus, unde *ulla* juſtitia? Aut igitur non *daretur* juſtitia; aut quæ non eſſet *profecta* à Deo; aut profecta eſſet ab eo, in quo *non eſt*: utrum horum magis aut minus eſt ἄτοπον?

Probatur ſcripturis.

Et rationibus.

IV. Eſt autem generaliter *juſtitia, convenientia, cum ſuo jure & regulâ.* Unde cum *rectitudine* coincidit, cui *curvitas* opponitur, ſeu *diſſenſus* à ſuâ normâ, ut diximus in *exegeticis.* Proinde juſtitia (a) *jus* involvit (à quo denominatur) ſeu id, *quod cuique competit* Rom. i. 32. Luc. xx. 25. quod eſt *norma* agendi: & (b) *convenientiam* cum hoc jure, quæ juſtitiæ *forma* eſt; ſicut *diſcrepantia*, injuſtitiæ. Ut juſtitia ſit ἐκ τῶν πρός τι, eoque differat à *ſanctitate*, quæ ἐν ποιότητι, ſeu *qualitate* conſiſtit. Unde illa, *gradus* non admittit, & *perfecta* eſt, aut nulla: convenit enim, aut non convenit: quando hæc ſuis gradibus conſtat. In iſtâ convenientiâ ſigillatim, *Dei* quoque juſtitia conſiſtit, perinde ac creaturarum: niſi quod Deus *ſibi ipſi*, & *jus*, & agendi *norma* ſit; quando creaturæ, jus & agendi normam, *aliunde* præſcriptam agnoſcunt, unde, jus divinum & humanum diſcriminatur. Quamvis interim *jus divinum*, quatenus *naturale*, reapſe coincidat cum *humano, morali ac decalogico*, quippe cujus imaginem qualemcunque, præſtitat in hominis *juſtitia originali.* Huic igitur, dum congruenter Deus operatur, licet non *dependenter*; dicitur *juſtè* agere.

Quid juſtitia in genere & in ſpecie.

V. Iſta igitur juſtitia, diſtinctè obſervatur; 1. In *voluntate* Dei, unde definitur; *conſtans ſuum cuique tribuendi voluntas:* quæ, dum coincidit cum ejus

Quid & quotuplex juſtitia Dei?

ejus essentiâ, ipsum *justum* denominat. 2. In *dictis*, à quâ *verax*, fidelis, constans, denominatur; quod conveniat cum rectitudine *naturæ divinæ*, non aliter pronunciare. De quâ supra ex professo. 3. In *factis*. Quæ rursus est, *vel* (1) *regiminis*, seu dominica; quâ, ut *Dominus*, omnes creaturas, summâ æquitate, seu congruenter-isti rectitudini, quam per *justitiam originalem*, in hominibus quadantenus expressit, gubernat ἀυτοδίκαιος. Unde Psal. xxxiii. 4. 5. *Rectum est verbum Domini, & omne opus ejus, in fide, diligit justitiam & judicium.* Cui non obstrepit, quod tot perversa, *injusta*, pessima, accidant in mundo; cum suo jure Deus ista *permittat*, non *agat*; ut in ipsis illis, *justitiam* suam aliquando patefaciat. *Vel* (2) *Jurisdictionis*, seu judiciaria, quâ peculiariter creaturis *rationibus*, suum *jus* præscribit, eaque ratione, convenienter *suæ naturæ* peculiari, gubernat Quod peragitur, *partim legem ferendo*; præceptis & prohibitionibus, h. e. officium præscribendo, sub præmio aut pœnâ, secundum suam sanctitatem, seu legem æternam Jac. iv. 12. *Unus est Legislator, qui potest servare & perdere* Rom. x. 5. Deut. xxvii. 26. Gal. iii. 10. *partim legem sanciendo*, promissionibus & comminationibus Deut. xxx. 15.

Justitia Dei retribuens.

VI. *Partim implendo* sanctionem Jer. xxxii. 19. Primò *remunerando* officia, secundum promissionem *gratuitam* Psal. xviii. 24. 25. 26. Rom. ii. 6. 7. 2. Thess. i. 5. 6. 7. 2. Tim. iv. 8. Sed cujus *justitia* non est, nisi ex puro puto *pacto*, citra ullam condignitatem Luc. xvii. 10. Rom. xi. 35. 36. quod, ex abundantiâ *bonitatis*, gratis coli nolit Jes. xlv. 19. seque, promittendo, sponte deditorem facere malit 2. Tim. ii. 13. Secundò *affligendo*, seu mala immittendo, *occasione* quidem peccati; sed non in *compensationem* ejusdem. Nim. ut vel: 1. *peccatum*, seu *corrigatur*, emendetur, avertatur, præveniatur Heb. xii. 5. - 11. 1. Cor. xi. 31. seu *refrænetur*, in electis necdum regenitis Act. ix. 3. 4. 5. 9. & gradus struatur ad eorum conversionem: vel 2. *bonum* aliquod *latens* producatur, quo spectant afflictiones *exploratoriæ* Deut. viii. 2. & xiii. 3. Jud. ii. 22. iii. 4. aut *patens* exerceatur, adaugeatur Psal. xxvi. 1. 2. & lxvi. 10. Apoc. ii. 10. Quæ *afflictiones* diriguntur, non à *justitiâ*; sed ab *amore* paterno Heb. xii. 5. 6. 7. Apoc. iii. 19. Tertiò *puniendo* transgressores, mala *turpia* sibi illata, *tristibus* compensando. Quæ *justitia*, diversis nominibus, *odium*, *ira*, excandescentia, severitas, vindicta, judicium appellatur, prout Cap. præced. ex professo monuimus.

Justitia vindicativa Deo est essentialis,

VII. Quin hæc *vindicativa* justititia, Deo sit *essentialis*, non magis dubitari potest, quam *bonitas*: utpote cum quâ coincidit, quatenus non est, nisi bonitas, malum in ordinem redigens: sicut *gratia* est bonitas, virtutem promovens. Sic ut *egressus* justitiæ punitivæ, non sit perinde *liber* posito peccato; ac gratia est, positâ virtute: quod Deus creaturæ, nisi ex gratuitâ sua *promissione*, non sit *debitor* ullius beneficii Luc. xvii. 10. Rom. xi. 35. dum creatura, *ex peccato*, divinæ justitiæ debitor manet, ad *pœnam* Rom. i. 32. *Punitio* igitur peccati, multis modis, *indeclinabilis* est & necessaria. 1. Ex *decreto* divino Jes. xiv. 24. 26. 27. Rom. ix. 21. 22. Tum 2. ex *comminatione* Gen. ii. 17. & iii. 3. Porro 3. ex *odio* Dei naturali, versus peccatum & peccatorem Psal. v. 5. 6. 7. quod non denotat nisi *voluntatem puniendi*. 4. Ex intrinseco ipsius peccati *merito* Rom. i. 32. & vi. 23. Insuper 5. ex natura *legis*, quæ officium homini præscribit, sub *pœna*; & alias, à *consilio* non differret Jac. ii. 10. Gal. iii. 10. Denique 6. ex punito proprio & unigenito Filio Rom. viii. 32. Ex omnibus istis constructis, non potest non indubitato emergere, peccatum non posse non puniri à Deo, cum præsertim id exserte pronunciet Scriptura 2. Thess. i. 7. Hab. i. 13. Psal. v. 5.

ejusque egressus omnino necessarius.

VIII. Tandem *justitia* Dei i. est ἀπροσωπολήπτης, absque omni partium respectu 2. Cor. v. 10. nec *multitudini* peccantium parcens Jer. xviii. 7. Imo nec *toti* mundo primo: nec *dignitati* & excellentiæ personæ, nec Regibus etiam Jes. xiv. 4. 5. Quin nec *fœdere* utcunque sibi conjunctis Amos. iii. 2. Ut patet exemplis Mosis, Davidis &c. Est 2. *inexorabilis* Ezech. xiv. 14. 18. 20. Jer. xv. 1. Est 3. *universalis*, adeo ut, ne *unum* quidem peccatum, dimitti possit, quin rigidè plectatur; vel in *peccatore*, vel in *sponsore* Gal. iii. 10.

Affectiones justitiæ divinæ.

Pars Elenchtica.

Quæritur: 1. An & quomodo in Deo obtinere possit justitia?

IX. Circa *justitiam* Dei, varia, seu *problematicè* agitantur, seu controvertuntur. Quæritur 1. An, & quomodo, in Deo obtinere possit *justitia*? Ratio dubitandi est, quod non habeat sibi præscriptum *jus*, ceu regulam, ad quam inter agendum se componat: cum justitia consistat in conformitate ad suam regulam. Resp. Non habet quidem *jus* aut regulam, à *naturâ* suæ rectitudine diversam; nec tale quod sibi *præscriptum* sit aliunde; nec tale, ad quod cogatur se componere: habet tamen, rectissimam ac sanctissimam *naturam*, quam *jus*, seu *legem æternam*, appellare consueverunt: imo habet legem illam *naturæ*, quam in Decalogo, creaturis rationalibus præscripsit, ad quam sponte se componit, in creaturarum gubernatione. Cæterum, esse in Deo *justitiam*, Scripturis & rationibus §. iii. affatim demonstravimus.

2. An omni modo, regimen divi-

X. Singulatim 2. circa justitiam *regiminis*, quæritur: an omni modo, regimen divinum, dici debeat *justum*? Ratio dubitandi est, ab *una parte*, quod: 1. totuplex ac tanta *injustitia*, in mundo, sub ejus guber-

num discedebeat justum? Rationes dubitandi.

gubernatione observetur, quæ cum omnipotente, sapientissimo, ac *justissimo* moderatore videtur ἀσύστατος. Quod 2. in *suos*, scil. pios pessima 1. Cor. xv. 19. in *hostes*, seu impios, optima dispensetPsal. LXXIII. 3 ... 9. & XVII. 14. Jer. XII. 1. Quod 3. προσωπολήπτης sit, in negotio prædestinationis, in *æquales*, *inæqualia* dispensetur, ex eodem *luto*, efformans vas, aliud ad *decus*; aliud ad *dedecus*, aliorum *misereatur*, alios *induret*: huic gratiam *largiatur*; illi *neget*, absque ulla ratione discriminante, in objectis, puro puto arbitrio suo Rom. XI. 11 .... 24. Quod 4. peccata parentum, quandoque puniat in liberis Exod. XX. 5. Quod 5. innocentem, pro nocentibus puniat, filium suum, qui *peccatum non cognovit*, pro nobis pessimis, *fecerit peccatum* 2. Cor. V. 21. Ab *altera parte*, quod *justitia* sit perfectio, & talis qnidem, quæ nihil implicat imperfectionis; proinde non possit exultare à perfectissimo. Respondemus igitur, quod, *per omnia justus* sit Deus, in regimine hujus mundi, prout demonstravimus §. III. Ad *primam* objectionem, dicimus, quod Deus eam *juste permittat*, pro sua potestate αὐτοκρατορικῇ, quin *ad hoc* permittat, ut suam *justitiam vindicativam*, in puniendis sontibus, illustrem reddat. Ad *secundam* respondemus: 1. quod Deus *suis* seu piis, *vere malum*, nunquam immittat; nec *vere bonum*, *hostibus* seu impiis Jes. III. 10. 11. sed apparens tantum. 2. quod *malum* illud, quod suis immittit, sit revera *bonum*, prout *bonum*, quod in hostes suos confert, est revera *malum*: quia piis suum *malum conducit* Rom. VIII. 28. sicut impiis suum *bonum nocet*: istis est paterna castigatio, qua *peccatum*, summum & unicum malum, excludat; aut exploratio & exercitatio, patientiæ, precum .... 3. si etiam esse *vere bonum* in impiis; prout esse vere malum in piis, quod in hac vita immittitur: largiamur, quod non facimus: compensabit tamen Deus posthac, plus quam millies, piis suum *malum* 2. Cor. IV. 16. 17. & impiis suum *bonum* Luc. XVI. 19 .... 26. Ad *tertiam* dicimus: 1. Quod Deus suo regimine nequaquam sit προσωπολήπτης, quia προσωπολήπτης dicitur & est, qui, cum æqualibus, ex præscripto, æqualia debeat, tamen inæqualia dispensat; at Deus, nec agit ex præscripto; nec cuiquam, quicquam debet: *quis enim ei quicquam debet, ut ei retribuatur? ex eo, per ipsum sunt omnia* Rom. XI. 36. Tum 2. prædestinatio, est *decretum* divinum, quod non est, nisi actio Dei *immanens*, quæ nihil producit extra se, consequenter, nec quicquam boni aut mali dispensat, quamvis *norma* sit, juxta quam providentia ejus, *omnia* dispensat. Et 3. si providentiam istam consideres, quæ salutem & condemnationem dispensat, illa *æqualibus* non confert inæqualia; sed *inæqualibus*, puta fidelibus & infidelibus, confert inæqualia: fidelibus, propter Christum, salutem; infidelibus, propter sua peccata, justissimam condemnationem. Tandem 4. Deus cum creaturis suis agit, velut absolutissimus *Dominus*, qui de eis disponit pro suo *arbitrio* Matth. XX. 15. *Miseretur quorum vult, & indurat quos vult, ex eodem luto facit vas ad decus aut ad dedecus* Rom. IX. 18. 20. 21. Utitur hoc, ad glorificationem suæ *misericordiæ*, illo ad glorificationem suæ *justitiæ* vindicativæ, eo modo, quo Dominus disponit de servis, hunc applicando operi honestiori; illum minus honesto, citra ullam προσωπολημψίαν. Ad *quartam* dicimus, quod Deus peccata parentum, nunquam puniat in filiis *innocentibus*: quantum enim peccatum protoplastorum primum, istud commiserunt in parentibus, ex fœdere naturæ; quantum ad sequiora peccata, parentum propiorum aut proximorum, illa nunquam puniuntur in filiis, nisi aut *proclives* in peccata parentum; aut eadem *imitentur* etiam. Ad quintam dicimus; filium suum, non *simpliciter* innocentem punivit, sed ex æterna *expromissione*, *reum*, quamvis *in se* fuerit innocens.

Objectiones.

XI. Porro *tertiò*, circa justitiam *legislativam* quæritur: An *omnis* justitia, pendeat à sola *voluntate* divina? Seu, an res quævis, ideo justa sit, quia *Deus vult* eam justam esse: an contra Deus *velit*, quia justa est? A quo alia etiam resultat quæstio: An Deus, per justitiam, his quæ præcepit, plane *contraria*, potuerit præscribere? Resp. 1. Utique Deus est πρώτο- imo αὐτο-δίκαιον; sed hinc tamen *voluntas* Dei, quà talis, non statim causa est *omnis* justitiæ: cum concipiamus, quædam justa esse, antecedenter ad Dei *voluntatem*, quamvis non sint, antecedenter ad ejus *naturam*. Prom. 2. *quædam* justa sunt *quia Deus vult*, illa scil. quæ sunt juris *positivi*; quædam *Deus vult*, *quia sunt justa*, illa scil. quæ sunt juris *naturalis*; quatenus congruunt cum sanctitate *naturæ* suæ, aut cum *natura hominis*, quatenus gestat imaginem Dei. Non itaque 3. Deus, præcipere *contraria potuit*, his quæ præcepit, nisi quatenus illa sunt juris *positivi* & arbitrarii. Neque enim præscribere potuit, v. g. blasphemiam, idololatriam, inobedientiam aliaque, quamvis v. g. cultum V. T. ceremonialem potuerit abrogare, eique alium substituere. Habuimus istam quæstionem in cap. *de volunt. Dei* §. XXXI.

3. An omnis justitia pendeat à sola voluntate Dei?

XII. Quæritur 4. An Deus, salva justitia, hominem possit obligare ad *impossibilia*? Pontificii, aliique perfectionistæ, ut securius habeant, hominem in hac vita, moraliter posse esse *perfectum*, h. e. totam legem divinam observare; statuunt, Deum non posse hominem, salva justitia, obligare ad impossibilia. Sociniani, & Remonstrantes, in gratiam illæsi *liberi arbitrii*, quo homo *possit*, quicquid sibi *præscribitur* à lege divina; sta-

4. An Deus, salva justitia sua possit hominem obligare ad impossibilia?

Sententiarum collatio.

tuunt, quod Deus, per juſtitiam ſuam, non poſſit hominem obſtringere, ad impoſſibilia. Reformati diſtinguunt, inter *ſimpliciter* impoſſibilia, quæ toti *ſpeciei* humanæ, ſunt impoſſibilia, ſeu quæ vires totius generis humani excedant, ad quæ vires nunquam accepit à Deo. v. g. ad *volandum*; tum agnoſcunt, ſalva juſtitia divina, ad talia impoſſibilia, hominem non poſſe obſtringi: & *ſecundum quid* impoſſibilia, ad quæ, in creatione, & in *juſtitia originali*, vires à Deo accepit, ſed propria protervia perdidit: ad talia impoſſibilia, Deum, ſalva juſtitia, omnino poſſe hominem obligare, v. g. ad perfecte ſervandam legem ſuam, licet hoc peccatori ſit impoſſibile. Quia Deus, per peccatum hominis, & dilapidatas vires præſtandi quod præſcribitur, non poteſt privari ſuo *jure*, quo exigit, ſibi debitum. De quo plura, alibi.

5. An Deus per juſtitiam ſuam, perinde teneatur, remunerare obedientiam, ac punire inobedientiam? Sententia Romanenſium. Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

XIII. Quæritur 5. circa juſtitiam *remuneratívam*: an Deus, per juſtitiam ſuam, perinde teneatur, *remunerare* obedientiam, ac, per eandem tenetur *punire* inobedientiam? Pontificii, quo ſuis *meritis*, efficacius ſuccurrant, tam his: quæ ex *congruo* reſultant, quæ competant operibus, *ante* converſionem perpetratis, quæ quidem aliquam Dei liberalitatem præſupponant; ſed tamen ex *congruentia* mereantur, quibus proinde ex *juſtitia* divina merces aliqua debeatur, quatenus *juſtitia* requirit, ut etiam ex congruo merentibus, ſuum tribuatur: quam his, quæ ex *condigno* merentur, nim. operibus *poſt* converſionem perpetratis, quibus merces, ex ſtricto jure debeatur, ſtatuunt, Deum per juſtitiam teneri, perinde ad remunerationem bonorum operum; quam ad punitionem malorum. Reformati, quamvis agnoſcant, Deum, ex gratuita *promiſſione*, obligari ad remunerationem promiſſam, quod omne promiſſum cadat in debitum: exiſtimant tamen, opera bona nihil omnino mereri, & Deum, ſua iſta promiſſione, non tam, bonis noſtris operibus, aut operantibus ea, debitorem fieri, quam ſibi promittenti: proinde, ex *juſtitia* ſua, non ita remunerare bona, ut punit mala, quibus ſua natura debetur pœna. Rationes eorum præcipuæ ſunt: 1. Quod Scriptura, omnem remunerationem referat, ad *gratiam*, ſeu ad amorem indebitum, quemadmodum oſtendimus in capite *de amore*, gratia... non autem ad juſtitiam §. XXXVI. Quod 2. opera noſtra, ab ipſo ſint oriunda, unde Apoſtolus: *quis ei prior dedit, ut ei retribuatur; ex ipſo, per ipſum, & ad ipſum, ſunt omnia* Rom. XI. 36. adeoque magis Dei, quam noſtra opera, quomodo igitur propter ea nobis quicquam deberet? Quod 3. non pertingant ad Deum Pſ. XVI. 2. Job. XXII. 2. & XXXV. 7. Pſ. 1. 9... quid igitur, propter ea, nobis deberet? Quod 4. à nobis proficiſcantur, velut à *ſervis* Luc. XVII. 10. ſervo autem, Dominus nihi debet. Si obnitantur: 1. Quod *merces* appellentur; cogitandum: quod detur merces, quæ non ſit *ex debito*; *ſed ex gratia* Rom. IV. 4. Quod 2. ipſis *dignitas* aſſeratur: ſed quæ non eſt ex *valore* operum; verum ex *convenientia*, cum gratuita Dei promiſſione Eph. IV. 1. Phil. I. 27. Quod 3. remuneratio referatur ad *juſtitiam* 2. Theſſ. I. 7. Heb. VI. 10. ſed quæ non reſultat ex *merito* operis; verum ex *gratuita promiſſione* remunerantis.

Objectiones.

6. An mala illa triſtia, quæ fidelibus & juſtificatis obveniunt in hac vita, ipſis immittantur à juſtitia Dei vindicativa? Sententiarum collatio. Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

XIV. Quæritur 6. circa juſtitiam Dei *affligentem*, an *mala* illa *triſtia*, quæ vere fidelibus & juſtificatis, in hac vita obveniunt, ipſaque eorum *mors*, ipſis immittantur, à juſtitia Dei *vindicante*? Celeb. Coccejus, quo majorem hiatum haberet, inter Vetus ac Novum Teſtamentum, & qui ſub Veteri T. vixerint vere fideles, non habuiſſe peccatorum ſuorum ἄφεσιν, fuiſſe *ſub reatu*, uſque ad actualem Chriſti ſatisfactionem: ſtatuit eos fuiſſe ſub *ira* Dei, ſub *maledictione*, ſub *metu* mortis..... eoque *mala quævis*, quæ ipſis obveniebant in hac vita, propter reatum ſuum, fuiſſe immiſſa, per juſtitiam divinam vindicativam. Theologus quidam Reformatus profeſſione, quia cum ideis ſuis, & cum claris & diſtinctis ſuis perceptionibus, quæ ipſi, cum omnibus Carteſianis, ſunt norma omnis veritatis, non potuit conciliare mala iſta temporalia, cum amore Dei paterno, caſtigante ſuos, ad eorum ſalutem: ſtatuit mala iſta, oriri à juſtitia Dei puniente, ſeu *vindicativa*, quod Chriſtus pro eis non ſatisfecerit. Pontificii, ut efficacius ſuccurrerent, propriis fidelium ſatisfactionibus, pro pœna peccatorum temporali; item purgatorio ſuo, & indulgentiis: ſtatuunt Chriſtum tantum ſatisfeciſſe, pro peccatorum pœnis *æternis*, pœnas autem *temporales*, ipſis reliquiſſe luendas, adeoque pœnas iſtas temporales, ipſis immitti, à juſtitia Dei vindicativa. Reformati agnoſcunt quidem, mala iſta non immitti abſque juſtitia, aut contra eam, quod omnia quæ Deus facit, *juſta* ſint; immitti quoque occaſione peccatorum, ut præveniantur, avertantur, eoque cedant in eorum ſalutem: aſt non largiuntur immitti, per juſtitiam Dei *vindicativam*; ſed per *amorem* Dei paternum: proinde non eſſe pœnas proprie dictas, ſed paternas *caſtigationes*, inter quas & pœnas, multiplex obſervant diſcrimen, videlicet, quod: 1. *Pœna* infligatur à *Judice*; *caſtigatio* à Patre: *pœna* à juſtitia *vindicativa*; *caſtigatio* ab *amore* paterno: *pœna* tendat in *detrimentum* puniti; caſtigatio, in *emolumentum*: *pœna* vergat in *compenſationem* delicti præteriti; *caſtigatio* in *declinationem* peccati futuri. Rationes eorum præcipuæ ſunt: 1. Quod Chriſtus pro eorum peccatis, perfectiſſime & exactiſſime ſatisfecit, omnemque reatum abſtulit: proinde juſtitia *vindicativa*, nullam omnino pœnam pro eis exigere poteſt. Exactiſſime autem ſatisfeciſſe pro eis, paſſim Scriptura docet Joh. 1.

29. 1. Joh. 1. 7. 2. Cor. v. 21. Jeſ. LIII. 4. 5. 11. adeo ut unica ſui oblatione, *conſummaſſe* fideles omnes Heb. x. 14. & juſtificatis omnia peccata *remitti* Rom. IV. 7. 8. Pſal. CIII. 3. Tum 2. Quod nullum jam exiſtat κατάκριμα, in his qui ſunt in Chriſto Jeſu Rom. VIII. 1. Qui autem punit, ubi nullus reatus, nullum κατάκριμα; is *injuſte* agit. Porro 3. Quod Apoſtolus neget, electos Dei *accuſari* poſſe, eo quod *Deus juſtificet*, nec *condemnari* poſſe, eo quod *Chriſtus mortuus* ſit Rom. VIII. 33. 34. Inſuper 4. Quod non *videat iniquitatem in Jacobo*, nec *malitiam in Iſraele* Num. XXIII. 21. Multo minus puniat. Præterea 5. Quod ſi Deus juſtificatos puniret pœnis temporalibus; Chriſtus hos, qui per ipſum veniunt ad Deum; *non perfecte* ſervaret, εἰς τὸ παντελὲς, cujus contrarium tradit Apoſtolus Heb. VII. 25. Nec non 6. Quod, quæ mala fidelibus immittuntur, proficiſci dicantur ab *amore* Dei Heb. XII. 11. 12. Apoc. III. 19. Pſal. CXIX. 71. 1. Cor. XI. 32. Proinde non à *juſtitia vindicativa*. Denique 7. Quod immittantur ipſis, in eorum *emolumentum* Rom. VIII. 28. Pſ. CXIX. 71. proinde rectius dicantur *beneficia*, quam pœnæ. Non addam 8. quod ipſa eorum *mors*, non ſit niſi liberatio à peccatis Rom. VI. 6. & VII. 25. 26. & VIII. 10. 2. Cor. IV. 10. & tranſitus ad vitam: unde fidelibus inter bona numeratur 1. Cor. III. 22. Rom. XIV. 8. & *beati* pronunciantur, qui in *Domino moriuntur* Apoc. XIV. 13. Hinc etiam à fidelibus, tanto deſiderio ambitur Phil. I. 21. Rom. VII. 25. Præcipuum quod objiciant, in hoc eſt; quod, per Scripturas, Deus fideles, gravius peccantes, aliquando ſeverius exagitaverit, adeo ut *iram* Dei portaverint Mich. VII. 9. quin eorum peccata, *vindicaſſe* dicatur in Moſe & Arone Pſal. XCIX. 7. Sic egiſſe deprehenditur cum Davide, Salomone, aliiſque. Reſp. a. *Severius* graviora peccata exagitare; non ſtatim eſt punire, ut patet in Davide, cui, *poſt remiſſionem*, tam gravem inflixit afflictionem 2. Sam. XII. 13. 14. b. Gravioribus delictis, graviora inflixit; non ad hoc, ut compenſarent delictum, proque eo *ſatisfacerent juſtitiæ* ſuæ; ſed ut *ſanctitatem*, odium verſus peccatum, & ἀπροσωποληψίαν patefaceret, aliis in exemplum, ut patet in Moſe & Aarone caſtigatis Pſal. XCIX. 8. *Deus condonans ipſis fuiſti, & vindicans tamen facta eorum mala.* Hoc etiam ſenſu c. Eccleſia portaſſe dicitur *iram Dei*, & *vindictam* ejus, ſcil. *materialiter*; non *formaliter*, ut loquuntur.

Objectio.

XV. Ad hæc 7. Quæritur, circa eandem juſtitiam *affligentem*, an Deus, ſalva juſtitia, poſſit affligere creaturam *innocentem*, ſaltem afflictione *æterna*? Arminiani, ne potuerit, creaturam *rationalem*, necdum creatam necdum lapſam, *reprobare*, abſque prævifis peccatis; affirmant eſſe contra *juſtitiam* Dei, creaturam innocentem affligere. Sociniani, affirmant quidem, Deum poſſe creaturam affligere *plane innocentem*; ſed perverſis hypotheſibus: ſcil. ut obtineant, Chriſtum plane innocentem, non *punitum* fuiſſe propter noſtra peccata, adeoque non ſatisfeciſſe ſuis paſſionibus, ſuaque morte, pro nobis; ſed tamen afflictum fuiſſe: ſtatuunt, non pugnare cum juſtitia Dei, *affligere* innocentem. Ex Reformatis, nonnulli v. g. Cl. Tuiſſus, exiſtimant, Deum, non tantum affligere poſſe innocentem; ſed etiam *æternis* cruciatibus; reliqui agnoſcunt quidem, ipſum *ſimpliciter* poſſe; ſed non poſſe *æternis* cruciatibus, quales ſunt, in æternis damnatorum cruciatibus. Et *poſſe* quidem *ſimpliciter*, affligere innocentem, probant: 1. Scripturæ teſtimoniis. v. 6. Matth. XX. 15. Jer. XVIII. 6. Rom. IX. 21. 22. Tum 2. Quia poteſtas ejus in creaturas eſt *infinita*, quæ proinde extendit ſe in innocentem. Porro 3. Quod tantundem ſaltem, ei competat poteſtatis, in creaturas rationales *innocentes*, quantum hominibus competit, in bruta innocentia, ut eas etiam *occidat*. Inſuper 4. Quod Deus, ſua poteſtate, omnibus, opinor, agnoſcentibus, poſſit ſaltem creaturæ innocenti v. g. acu leviter vulnerare digitum; hoc ſi detur, quidni poſſit eadem poteſtate, ipſi totum adimere digitum? & quidni etiam *vitam temporalem*? Adde 5. locum Joh. IX. 2. 3. Ubi interrogantibus diſcipulis, qua cauſa huic homini, illata fuerit cæcitas connata, an propter peccatum parentum? an propter *proprium*? Servator reſpondet: nec propter peccatum parentum, nec propter proprium; *ſed ut opera Dei, in ipſo manifeſta fierent.* Non intendit equidem negare, quod nec ipſe, nec parentes ejus peccaverint; ſed tantum circa reſpectum ad peccatum, immiſſam ei fuiſſe hanc cæcitatem, ad glorificationem Dei; Addam 6. Quod omnia illa *mala*, quæ vere fidelibus & juſtificatis, immittuntur à Deo, immittantur *ſuo modo* innocentibus. Quamvis enim *in ſe*, ſint peccatores; in *Chriſto* tamen, per juſtificationem, propter donatam & imputatam juſtitiam expromiſſoris ſui, *innocentes* dici poſſunt, & dicuntur à Deo Jeſ. I. 18. *ſi peccata veſtra fuerint tanquam coccina, velut nix albeſcent, & ſi rubra fuerint purpurea, erunt velut lana alba.* Et ratio datur, quod *ſanguis Jeſu Chriſti, nos purgat ab omni peccato* 1. Joh. I. 7. Nec tamen auſim determinare, Deum, inſontem affligerere poſſe, cruciatibus *æternis*: quod, non modo *æterni* iſti cruciatus, propter peccatum damnatis, deſtinati ſint *in pœnam*, velut eis *ex juſtitia* Dei competentes 2. Theſſ. I. 6. 9. Matth. XXV. 41. 46. ſed imprimis, quod cruciatus iſti æterni, cæterà damnatis pro pœna deſtinati, nil poſſint conferre ad glorificationem, *miſericordiæ*, aut juſtitiæ *vindicativæ* divinæ; illud autem, quod non vergit ad glorificationem alterutrius harum, id Deus in his talibus, videtur non poſſe. Nec in contrarium valet, reprobatio adhucdum creabilium

7. An Deus, ſalva juſtitia; poſſit affligere creaturam innocentem?

Rationes pro ſententia communi Reformatorum.

Objectio.

lium, & labilium, quia illa, utpote actio *immanens*, nec *affligit*, nec punit: nec ex ejus q. præscripto, Deus damnatos punit, nisi prævio peccato.

8. An Deus, salva justitia, possit peccatum non punire? Sententiarum collatio.

XVI. Tandem 8. Quæritur circa justitiam *vindicativam*, an Deus, salva *justitia* sua, possit peccatum non punire? Quod *possit* punire, si velit, extra controversiam est, apud omnes, ex Rom. 1. 32. & continuo Scripturæ tenore. Quod autem *possit* non punire, imo etiam *velit* non punire, Sociniani statuunt, odio satisfactionis Christi, idque per varias hypotheses, nim. 1. quod punire peccata non spectet ad *justitiam* Dei, neque ad *naturam* ejus, adeo, ut justitia puniens, ei sit *naturalis*, sed 2. ad *odium*, & severitatem ejus, à *justitia* diversam, proinde, non ad justitiam; sed ad *severitatem* accidentalem, referendum esse, quapropter non puniendo peccata, non lædi ejus *justitiam*. Celeb. Tuissus, cum non nullis aliis, v. g. Grotio aliisque, statuit, *posse* quidem Deum ex *absoluta* potestate, abstracto decreto contrario, non punire peccata; sed non *velle*. Plerique Reformati, existimant, nec *posse*, nec *velle* non punire peccata. Sunt qui mediam viam sectantur, nec satis *consultum* existimant, super *absoluta potestate* Dei, per quam non possit, vel minimum peccatum, impune transmittere; quod α. hoc sibi videatur ad *temeritatem vergere* ut creatura suscipiat determinare, quid Deus *infinitus*, per *infinitam* suam potestatem, *possit* aut *non possit*. Nec β. satis tutum esse, quod odiosum sit, & calumniis adversariorum expositum, velle tueri, Deum ne minimum quidem peccatum, per absolutam & infinitam suam potestatem, impunitum posse dimittere, & quod γ. onus probandi, satis difficile accidat, solide & evidenter demonstrare, hoc Deum per *absolutam* potestatem, non posse. Existimant igitur, omnino sufficere expugnandis adversariis, statuere, Deum hoc *non posse*, si non ex capite absolutæ potestatis; ex congestis & conjunctis pluribus causis, nim. a. ex *decreto* æterno, quo determinaverit, se non velle, sontem habere ut insontem Psal. 1. 21. Exod. xx. 5. Tum b. ex *comminatione*, qua peccatori dictaverit pœnam Gen. 11. 16. 17. cujus comminationis veritas, exigit pœnam. Porro c. ex naturali *odio* versus peccatorem Psal. v. 5. 6. 7. ex quo inferunt: Deus non potest non peccatum & peccatorem, *odisse*, quod alias posset etiam *diligere*, ex natura contrariorum, adeoque peccatum tum fore non peccatum: quicquid enim Deus *diligit*, id non est peccatum; jam autem odisse peccatum & peccatorem, in Deo non aliud est, quam velle *punire*. Insuper d. ex natura *legis*; qua officium præscribit creaturæ rationali, sub expressa, aut tacita comminatione, in transgressionem; alias degeneratura in *consilium*, aut simplicem directionem, qualis competit v. g. medicis in ægrotos. Jam, si Deus non potest non, creaturæ rationali præscribere *legem*, quod alias non esset absolutissimus ejus Dominus: non potest etiam non comminari pœdam transgressori, & si non possit non comminari; etiam non possit, comminatam pœnam, salva sua *veracitate*, non infligere. Ad hæc e. ex intrinseco peccati *demerito*, quo *dignum est morte* Rom. 1. 32. 2. Thess. 1. 6. Tandem f. ex morte *filii* Dei proprii, unigeniti, dilectissimi, ex qua conficiunt, si peccato & peccatori parcere potuisset Deus; sane peperciisset filio unigenito, at non pepercit Rom. VIII. 32. Ergo non potest. Ex his *conjunctis* concludunt tandem, Deum non posse peccatorem impunitum dimittere. Ex his etiam Scriptura pronunciat, ipsum *puriorem esse oculis*, *quam ut possit aspicere molestiam* Hab. 1. 13. imò *abominari peccatorem* Psal. v. 6. Media illa & modestior via, mihi quam maxime arridet. Proinde, adversus Socinianos agnoscimus: 1. punitionem peccati, ad odium, iram, severitatem Dei referri à Scriptura; sed quæ, per simplicitatem ejus, non sint accidentia, aut diversa ab ejus natura; nec proprie *affectus*; sed ipsa ejus *voluntas* puniendi, quæ coincidit cum ejus *justitia* vindicativa. Interim 2. *exactionem* pœnarum, seu *exercitium* punitionis, in Scripturis, non tantum referri ad *odium*, iram & severitatem; sed ad ipsam *justitiam* 2. Thess. 1. 6. Neh. IX. 33. Psal. XI. 6. 7. & CXXIX. 4. Thren. 1. 18. Dan. IX. 14. Apoc. XVI. 5. A quo insuper *vindex justitiæ* denominatur Ps. IX. 5. qui *diem justi judicii* habeat Rom. 11. 5. & ἔνδικον μισθαποδοσίαν exerceat Heb. 11. 2. & ἔνδικον κρίμα Rom. III. 8. atque etiam ἔνδικος sit 1. Thess. IV. 5. Istis, si objiciatur: 1. Quod quisque possit renunciare de *jure* suo: respondebimus α. quicquid creatura potest, id non statim Creatorem posse. v. g. seipsum abdicare suo dominio. β. Deus est *Judex totius terræ*, qui non potest non exercere *jus* Gen. XVIII. 25. Rom. III. 4. 5. 6. qui non curat *suum* jus; sed totius *Reipublicæ*; proinde si remitteret; non de suo; sed alieno remitteret. 2. Actiones Dei, quotquot sunt, *liberas* esse. Resp. a. sunt *quæ*, & *quatenus* non implicant aliquid sanctitati & justitiæ adversarium. b. & *punitio*, quoad *circumstantialia*, quænam pœna, quando, ubi, & quo gradu, sit infligenda; pertinet ad liberrimum Dei *arbitrium*; dum *essentiale* punitionis, pertinet ad justitiam & sanctitatem ejus. 3. Potest pœnas mitigare, differre, ac transferre in alium. Resp. Modo non plane *auferat*, & cum peccatore q. *colludat* Psal. 1. 21. Tum etiam ista omnia, spectant ad punitionis circumstantialia, in quibus ipsi, velut absolutissimo Domino, dispensationis *libertas* competit. 4. Saltem peccata in leges *positivas*, non adversantur *naturæ* divinæ, (cum leges illæ à solo ejus arbitrio profluant) sed soli

Sententiæ orthodoxæ argumenta.

Objectiones.

soli ejus *beneplacito*, ac proinde, eo quoque solo tolli possunt, mera *condonatione*. Resp. Modo peccatum sit, eoque voluntatem Dei justam violaverit, infinitam ejus majestatem læserit, &, ex his, læsæ divinæ reum faciat, sanè per justitiam puniendum venit. Cum præsertim, qui in *uno* impingit, qualicunque, reus fiat totius legis violatæ Jac. II. 10.

Pars practica.

Justitia Dei sup. peditat. 1. Argumentum glorificationis.

XVII. In *praxi*, divina justitia, nobis *primò* argumentum suggerit *glorificationis* divinæ. Unde tam familiare conspicitur sanctis, *justitiam* divinam suis doxologiis aspergere. V. g. Psal. VII. 18. & XLVIII. 11. & LXXI. 24. & CXLV. 7. Et LI. 16. Apoc. XIX. 1. Jes. XXVI. 7. Dan. IV. 37. *Exaltabitur* enim *Jehova Zebaoth per judicium, & Deus Sanctus apparebit, sanctus per justitiam* Jes. V. 16. Hinc *cœli* ac cœlites, dicuntur *narrare justitiam* Dei Psal. I. 6. & XCVII. 6. Imo ipse quoque Deus, *coram oculis populorum, suam justitiam declarare* dicitur Psal. XCVIII. 2. Singulatim celebrationis argumentum suggerit (a) justitia *gubernatoria*, quâ cuncta, tam exactè ad naturam & ingenium suum, dirigit, cuilibet suum tribuendo; ut omnia ejus opera dicantur *mera justitia* Psal. CXIX. 75. & CXI. 7. Jes. IX. 6. (b) Justitia *judiciaria*, quâ ut Judex totius terræ, *gentes* judicat, & *terram judicat cum justitiâ* Psal. XCVI. 10. 13. & *justitia stabilimentum throni ejus* dicitur Psal. LXXXIX. 15. & XCVII. 2. (c) Justitia *legislatoria*, quâ leges, omni parte tam justas, præscribit Deut. IV. 8. Rom. VII. 12. (d) Justitia *remuneratoria*, quâ gratis coli non vult Jes. XLV. 19. & vel *centies* rependit Matth. XIX. 29. & XXV. 34. 35. quodvis officium, minimum licet. Ibid. Cap. X. 42. (e) Justitia *castigatoria*, quâ *suorum* etiam peccata, tam rigidè exagitat Thren. I. 18. Jes. XLII. 24. (f) Justitia *vindicativa*, quâ ne *peccatulum* quidem, impunè dimittit, aut dimittere potest Hab. I. 13. Jer. L. 15. 28. 2. Thess. I. 6. 8. 9. Quin tot ac tantis judiciis exagitat. Et in omnibus istis (g) tanta Justitiæ ἀκριβεία, quæ *indeclinabilis* est, & inexorabilis, unde *montibus* assimilatur & *abyssо*. Psal. XXXVI. 7. atque *alta* dicitur. Ibid. LXXI. 19. & *æterna*. Ibid. CIII. 17. & CXI. 3. Et quò ad celebrationis hujus negotium, simus expeditiores; juvabit (1) diligenter *observare* vias & opera Dei, ut ubique agnoscamus *justitiam* Dei Psal. CXIX. 75. (2) sibi judicia *præterita* in memoriam revocare Psal. LXXI. 19. Mich. VI. 5. (3) judicia divina, in alios, vel in *nosmetipsos*, vel in *Ecclesiam* exercita; nunquam *carpamus*, vellicemus; sed eorundem summam *justitiam* agnoscamus, inque eâ placidè quiescamus Thren. I. 18. Mich. VII. 9. Psal. XXXIX. 10. Jer. XII. 1. Job. XL. 3.

2. Argumentum terroris, contritionis & humiliationis.

XVIII. *Secundò*, peccatoribus justitia Dei argumentum præstat, *terroris*, horroris ac tremoris, humiliationis & contritionis. Quod 1. à *justitiâ* potissimum & judiciis, *magnus* dicatur ac terribilis Dan. IX. 4. Deut. VII. 21. Nahum. I. 5. Job. XXXVII. 22. Quod 2. cum peccatum quodlibet, *æternam* demereatur exsecrationem Gal. III. 10. & quilibet homo, tantum commiserit tantorum peccatorum copiam Psal. XXXVIII. 5. imo ipsa omnis omnium *justitia*, sit velut, *panniculus menstruatus* Jes. LXIV. 6. Quod Deus tam *rigide* justus sit, ut ne unum quidem, vel *levissimum*, impunitum velit transmittere, nec possit etiam Hab. I. 13. Psal. V. 4. 6. Quod 3. Justitia Dei, tot modis q. sæviat in peccatum; *odio* implacabili *Ibid.* ità, *excandescentiâ*, furore illimitabili Psal. XC. 11. & 12. Deut. XXXII. 22. *Vindictâ* indeclinabili Nahum. I. 2. 4 5. 6. *Judiciis* jam horrendis Heb. X. 27. 30. 31. Quæ singulatim Cap. præced. paulò latius diximus, huc traducenda. Quod 4. Judex omniscius καρδιογνώστης, ac severissimus, per justitiam certum *diem* dixerit, in quo omnes & singulos, omniumque ac singulorum, singula cogitata, dicta & facta, examinaturus, & judicaturus sit Rom. II. 5. 6. 8. 9. 2. Cor. V. 10. Matth. XII. 36. Ista omnia, aliaque sollicitè constructa, nunquid durissimo extorquerent exclamare: *Va nobis quod adeo peccavimus* Thren. V. 16. Item. *Miser ego! quis me liberabit?* Rom. VII. 24. Item. *Quid faciemus viri fratres?* Act. II. 37.

3. Impellit ad quærendum, arripiendum &c. satisfactorem Christum.

XIX. Hinc *tertiò*, nobis præstat *justitia* Dei pædagogum ad Christum: utpote in quo Deus *declarare* voluit *justitiam suam* Rom. III. 25. quem propterea nobis dedit in *justitiam* 1. Cor. I. 30. Jer. XXIII. 6. quem *peccatum* fecit pro nobis, ut nos fieremus *justitia* in eo 2. Cor. V. 21. Cujus justitia, hinc *justitia Dei* appellatur Rom. X. 3. proinde (1) convincit de necessitate *satisfactionis*, cum nobis nulla suppetat justitia, quâ subsistamus coram tribunali ejus Psal. CXXX. 3. & CXLIII. 3. & *justitia nostra*, quanta quanta est, non sit, nisi *panniculus menstruatus*: nec, nisi per justitiam Dei, *in judicio subsistere* queamus Psal. I. 4. 5. 6. & V. 5. 6. 7. hinc alterutrum *aut sic* necessarium est, vel, ut *alterius* satisfactio intercedat; vel ut *pereamus* æternum. (2) *pretiosum* reddit nobis Redemptorem 1. Pet. II. 7. & *sanguinem* redemptionis *pretiosum* Cap. I. 19. Sic ut, quæ lucro erant, pro *damno habeamus*, ut non habeamus *justitiam propriam*, *sed quæ est per fidem Christi* Phil. III. 9. (3) oblatum nobis Christum, *quibuscunque* legibus, promte *arripiamus* *per fidem* Joh. I. 12. Ut *justificemur ex fide Christi* Gal. II. 16. (4) In arrepto securè *recumbamus* Jes. X. 20. quod ipse δικαίωμα τῷ νόμῳ pro nobis præstiterit Rom. VIII. 3. ac traditus propter offen-

offensas nostras, resuscitatus sit propter *justitiam* nostram Rom. IV. 25. (5) Quævis abnegemus, ne ipsum *solum* perdamus Matth. XVI. 24. 25.

4. Allicit ad timorem & reverentiam Dei.

XX. Interim *quartò*, severa ac rigida Dei *justitia* nos excitat, qui omni reverentiâ, & timore filiali, in conspectu ejus *ambulemus*, velut cum *igne consumente* Deut. IV. 24. Sic ut (1) sollicitè nobis caveamus, ne quando, vel in *minimo*, tam justum Deum offendamus Job. XXXVII. 23. 24. Heb. XII. 28. 29. (2) sollicitè nobis caveamus, ab omni *propriæ* justitiæ opinione, & fastu coram Deo (qualem prodit Pharisæus Luc. XVIII. 11. 12. & Laodicensis Ecclesia Apoc. III. 17. & Judæi Rom. X. 3.) Psal. CXXX. 3. Job. IX. 3. (3) Ut in conspectum *justissimi* numinis, nunquam prorumpamus, cum peccatorum nostrorum *injustitiâ* Jes. I. 12. 13. Nec absque piâ offendendi *sollicitudine* Eccl. IV. 17. & V. 1. Jes. VIII. 13. Gen. XXVIII. 17. Imo nec (4) *Preces* nostras, coram justissimo numine, profundamus, cum *injustitiâ* peccatorum nostrorum, quod, non modo *non audiat* peccatores Joh. IX. 31. sed à conspectu etiam suo abigat, & *abominetur* Jes. I. 14. 15. Prov. XV. 8. Nec denique (5) quicquam cum Deo agamus peccatores, absque *Mediatore* intermedio 1. Joh. II. 2. absque Advocato, qui compareat coram Patre, pro nobis Heb. IX. 24. qui defectum omnis justitiæ propriæ, sarciat abundantiâ *suæ*, ut in ipso simus *consummati* Col. II. 10. qui hoc nomine, dicitur nobis *datus à Deo*, *justitia* 1. Cor. I. 30. Nunquam igitur ad *sacra* nostra accedamus, nisi in *nomine* ejus Joh. XVI. 23. Heb. IV. 15. 16. Conf. Cap. IX. 14.

4. Retrahit à peccatis. In genere.

XXI. Etiam *quinto*, exactissima Dei *justitia*, nos retrahit à quovis peccato: quod Deus, ut *Dominus*, tantâ justitiâ & æquitate nos gubernet: ut *Legislator*, leges præscripserit tam *justas*, tam cum ipsâ *nostrâ utilitate* ac salute congruas: & quas præscripsit, tam justis *promissionibus* juxta & commi-nationibus, sanciverit: ut in omni peccato, ipsa sit *injustitia* & iniquitas, transgredi: ut *Judex ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ* Rom. II. 5. rigidissimas *rationes* omnis facti, ab omnibus sit exacturus 2. Cor. V. 10. 11. Et quod caput rei, ut *Vindex* justus, ac severus, suo odio, irâ, severitate, vindictâ & judiciis, hîc & post hac, in omnem usque *æternitatem*, omne peccatum sit exagitaturus; ut ipsa sit *dementia*, talem peccatis lasessere. Retrahit nominatim: (1) Ab omni *injustitiâ*, fraude, dolo, in contractibus & commerciis cum proximo Jer. XXII. 13. Prov. XIX. 5. 9. item ab omni *προσωπολημψίᾳ* & *δωροφαγίᾳ* in judicio Amos. V. 17. Psal. LXXXII. 2. 5. (2) Ab omni *obmurmuratione*, quâ sub judiciis divinis, Dei *justitiam* dubiam facimus, carpimus, eidem recalcitramus Job. X. 2. 3. 15. 16. Conf. Matth. XX. 11. 13. 15. (3) Ab omni *hypocrisi*, quâ injustitiam intus in corde *latentem*, *externâ* pietate obvolvimus Matth. XXIII. 14. 25. 26. 28. 29. Cum *cor fraudulentum*, Deo sit *abominationi* Psal. V. 7. & XV. 2. Denique (4) Ab omni epicuræâ *securitate*, quâ, remoto procul vindictæ, iræ, *judicii die* Amos. V. 18. injustitiæ cuivis indulgendo, nobis *thesaurizamus iram*, *in diem iræ*, *& declarationis justi judicii Dei* Rom. II. 5.

In specie.

6. Excitat ad studium justitiæ.

XXII. Contra *sextò*; justitia Dei, nos invitat ad *studium justitiæ*, tum comparandæ, tum exercendæ comparandæ, ut simus *justi*; exercendæ, ut *agamus* justè. *Comparandæ* inquam justitiæ, tam *imputatæ* illius, Christi (de quâ supra. §. XIX.) quod fit (1) abnegatione *propriæ* Rom. X. 3. (2) desiderio *alienæ* Phil. III. 9. (3) *fide* in Christum Rom. V. 1. (4) *justificatione* per fidem Phil. III. 8. 9. quam *inhærentis*. Singulatim: A. *Originalis*, quam *accepimus* per creationem Eccl. VII. 29. *amisimus* per lapsum protoplastorum Rom. V. 19. Psal. LI. 7. Joh. III. 6. *recuperamus* regeneratione, conversione, sanctificatione Eph. IV. 24. 25. B. *Actualis*, seu habitualis potius 1. Joh. III. 7. Mich. VI. 8. Phil. I. 11. quâ *generaliter* propendemus, ad suum cuique tribuendum, secundum præscriptum divinum Ezech. XVIII. 5. 21. Prov. XXI. 15. & XX. 7. *Exercendæ* autem justitiæ studium, respicit: 1. *Deum*, ut quod *Dei est*, Deo demus Matth. XXII. 21. puta *nos ipsos* 1. Cor. VI. 20. suum item amorem, honorem, cultum, obedientiam Deut. VI. 5. 13 & X. 12. 13. &c. 2. *Proximum*, ut quicquid illi competit, per legem divinam, fideliter ipsi *præstemus* Rom. XII. 7. 8. Quod fit, partim *tribuendo* cuique sua, quæ justitia est *distributiva*, quâ rectâ dijudicatione rerum & personarum, decenteque comparatione, rerum ad res, & personarum ad personas; observataque proportione geometricâ, citra *προσωπολημψίαν*, quod cuique competit, fideliter tradimus. *Ibid.* partim *retribuendo*, vel mala malis; quæ justitia est *vindicativa*, soli Magistratui commissa Rom. XIII. 4. vel bona bonis; quæ est *remunerativa*. *Ibid.* partim *commutando*, in contractibus, emtionibus & venditionibus Luc. III. 14. 1. Thess. IV. 6 quæ justitia *commutativa* dicitur: In specie, justitia, exemplo Dei, exercetur: A. *Regendo*, à superioribus versus inferiores Col. IV. 1. absque vi aut *oppressione* Jes. V. 8. Hos. V. 10. 11. B. In præscribendo *leges* Eph. VI. 9. Levit. XXV. 43. non *iniqua*, aut *impossibilia* exigendo Exod. I. 13. 14. C. In *judicando* Deut. XXV. 1. Prov. XVII. 15. D. In *remunerando* Rom. XIII. 3. 4. Denique E. in *puniendo* Ibid. Atque, ut in omnibus istis *promtiores* simus, ad exercitium justitiæ; juvabit cogitare (1) Esse in hoc magnam *imaginis* divinæ partem Eph. IV. 24. per quam *divinæ naturæ* participes reddimur 2. Pet. I. 4. adeoque *perfecti*, *sicut Pater* noster in cœlis Matth. V. 48. (2) Eâ ratione nos participes futu-

Motivæ.

ros,

ros, omnium istarum *benedictionum*, quæ justis promissa sunt Psal. XCII. 13. & XCVII. 11. & CVI. 3. Prov. III. 33. & X. 2. Jes. III. 10. & XXXII. 16. 17. Etiam (3) Deus tum nobis retribuet *secundum justitiam* nostram Psal. VII. 9. & XVIII. 21. 25. Et tandem *justus judex*, *coronam justitiæ* rependet 2. Tim. IV. 7. 8. quâ *justi splendebunt in regno Patris sui* Matth. XIII. 43.

7. Consolatur in quibusvis adversis

XXIII. Tandem *septimo*, justitia Dei *solatium* nobis præstat 1. In quibusvis *afflictionibus*, ac judiciis Dei, etiam gravissimis; cogitare (a) *justum esse Deum*, *& justa judicia ejus*; nos quævis, peccatorum nostrorum injustitiâ *demeritos* esse Mich. VII. 9. Neh. IX. 33. Dan. IX. 7. Etiam (b) Deum adhuc longè infra *demeritum* nos affligere Thren. III. 22. Jes. I. 9. Nec (c) affligere *ex animo* Thren. III. 33. nec *odio*; sed paterno *amore* Heb. XII. 6. 7. 8. Apoc. III. 19. Nec (d) ut *pereamus*; sed, ne *cum mundo condemnemur* 1. Cor. XI. 32. Tum sigillatim 2. Quotiescunque *persecutionibus* hostium, mendaciis & calumniis quorumvis urgemur, quotiescunque *violentia* justitiæ prævalet Hab. I. 2. 3. 4. esse *justum* in cœlis Judicem, ad quem possimus provocare; qui sit *Deus nostræ justitiæ* Psal. IV. 2. VII. 9. & XLIII. 1. qui compensaturus nobis sit, *pro justitia nostra* Psal. XVIII. 21. 25. & curaturus, ut aliquando emergat *justitia nostra*, sicut lux meridiei Psal. XXXVII. 6. 28. Jes. LIX. 14. 16. Quin & olim, pro suâ *justitia*, vindictam sit sumturus, ab his qui nos affligunt injustè 2. Thess. I. 5. 6. 7. Etiam 3. in ipsis *peccatorum* nostrorum angoribus, nos erigere possumus, cogitatione *justitiæ divinæ*; quæ, cum sibi satisfactum sit, execrandâ Filii *morte*; *pœnas* peccatorum nostrorum, denuo exigere non possit: quod eum, qui *peccatum non novit*, *pro nobis fecerit peccatum*, *ut nos fieremus justitia in eo* 2. Cor. V. 21. ut jam possimus gloriari: *Quis condemnabit? Christus mortuus est* Rom. VIII. 33. 34. Denique 4. in *præclaro fidei certamine*, adversus insultus, tot spiritualium pariter & corporalium hostium, quod polliceri nobis queamus, *coronam justitiæ*, *quam justus Judex*, certo certius daturus aliquando sit 2. Tim. IV. 7. Quodque de hostibus nostris, per *justitiam*, sumturus sit *vindictam*, ut magnâ voce possimus exsultare: *Advenit ira tua*, *& tempus mortuorum*, *ut judicentur*, *& des præmium servis tuis*, *& perdas eos*, *qui perdunt terram* Apoc. XI. 18. & XIX. 1. *Halleluah*, *salus*, *& honor*, *& gloria*, *& virtus*, *Domino Deo nostro*; *quia vera & justa judicia ejus.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE

SANCTITATE DEI.

Levit. XIX. vers. 2.

Sancti estote, *quoniam Sanctus sum ego*, *Jehova Deus vester.*

Pergitur ad sanctitatem Dei.

I. Contemplati sumus bonitatem Dei q. *metaphysicam*, quâ *appetibilis* est; sumus item q. *physicam*, quâ *communicativus*; tum *tribuendo bonum*, per amorem & *gratiam*; tum regendo & *retribuendo*, per *justitiam*: restat bonitas *moralis*, quâ potissimum *imitabilis* est, & *sanctitas* appellatur. Est tamen hîc observandum, aliud quoddam discrimen, inter *justitiam* capitis præcedentis, & *sanctitatem* præsentem, quod *justitia* bonitatem *relativam* notet, quâ Deus agit secundum jus æternum, velut secundum regulam suam: dum *sanctitas*, bonitatem exprimit *absolutam*, qua Deus proclivis est, ad omnem *puritatem moralem*, & abhorret ab omni *impuritate* peccati. *Sanctitatem* istam Dei, Moses jubetur Israeli inculcare pro motiva, pariter & exemplo, ad *studium* sanctitatis Lev. XIX. 2.

Pars exegetica.

Quæ superstruitur exegesi textus.

II. *Quibus verbis* præceptum *continetur*, *quo Moses jubetur Israeli inculcare studium* sanctitatis, *argumento petito*, *à* sanctitate *Domini*, *Dei sui*: *in quo duo occurrunt*

1. Officium *imperatum*, sancti estote. *Est hic*

I. Virtus *quædam*, ſanctitas, קדשים ſancti, à קדש, *eſt ab uſu communi* ſegregatus, *conſecratus*; *ſacer*, ſanctus, *purus*, *impollutus*, *mundus*, *caſtus fuit*, *à quo eſt*, קִדֵּשׁ *in pihel*, præparavit, *indixit*: & קדש, ſanctitas, *notat communiter*, *non* rem ſanctam, *neque ſanctuarium*; *neque templum*: *ſed vel urbem* Hieroſolyma, *obſervante Kimchio*, *vel potius arcem Sionis*, *ut Botius vult*, *Obſerv. ſacr. lib.* 2. *cap.* IX. *Notat tamen*, *aliquando tabernaculum vel templum* Pſal. XXIX. 2. *Et* XCVI. 9. *aliquando aditum* 1. Reg. VIII. 8. *aliquando ſacrificia* Num. X. 33. *aliquando Angelos* Deut. XXXII. 2. *aliquando populum ſanctum* Levit. X. 10. *aliquando terram ſanctam* Exod. XV. 13. Pſal. LXXXIII. 54. *Quod iſta omnia ſegregata ſeu ſegreganda eſſent*, *ad uſum ſacrum*. *Hoc loco* קדשים *notat*, *non tantum ſeparatum eſſe ab omni prophano*; *ſed etiam intrinſece averſum eſſe*, *ab omni impuritate peccati*, *& addictum eſſe cuivis puritati morali*.

2. Studium *& exercitium* ſanctitatis, תהיו, eritis, *vel* eſtote. *H. e. Operam date*, *ut*: 1. Fiatis *ſancti*, *ut ſanctificemini* Exod. XIX. 10. *ſive* extrinſeca *ſanctitate*, *quæ erat in lotione veſtimentorum*, *aliisque purificationibus Leviticis ſeu ceremonialibus*; *ſive* intrinſecâ, *per purificationem*, *ſeu ſanctificationem Spiritus* 1. Pet. I. 2. ἐν ἁγιασμῷ τοῦ πνεύματος, in ſanctificatione Spiritus, ad obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. *Id quod peragitur exercitio fidei & reſipiſcentiæ & ſtudio ſanctitatis*. 2. Pergatis *magis magiſque*, *& proficiatis in ſanctitate*. 3. *Ut* agatis *ſancte*, *ac ſanctificetis*, *per omnem vitam*, *Sanctum Iſraëlis*.

II. Argumentum, *impetrans*, *geminum*. *Videlicet*.

A. Attributum *Dei*, Quoniam ſanctus ego. *Ego ſum ipſa* ſanctitas Jeſ. LXIII. 15. *omnis ſanctitatis* fons, *qui vos* ſanctifico Ezech. XX. 12. *omnis ſanctitatis idea & exemplar*: *convenit igitur omnibus modis*, *ut & vos ſancti ſitis*, *à me ſanctitate*, *expetatis & impetretis*, *& ad meam ſanctitatem*, *velut ad exemplar*, *vos totos componatis*.

B. Relatio *mutua*, *inter Deum & populum*: *ſeu fœdus*: Deus veſter, *qui me vobis*, *tanquam Deus* veſter, *quaſi ſanctificavi & addixi*, *& cui vos*, *tanquam* populum, *totos ſanctificaſtis*, *ſeparaſtis & addixiſtis*, *per fœdus gratiæ*. *Proinde neceſſum eſt omnino*, *ut ſancti ſitis*. *Proſtat igitur hic*: *ab una parte*, *ſanctitas* creaturæ, *velut* imago *ab altera*: *ſanctitas* Creatoris, *velut exemplar*: *ut*, *quoniam Creatoris ſanctitas infinita*, *ut quidem eſt* in ſe, *vobis eſt inacceſſa*, *ex* creaturæ *ſanctitate*, *tanquam ex imagine*, *Creatoris ſanctitatem*, *quantum fieri poteſt*, *colligatis*.

Pars dogmatica.

Deum ſanctum eſſe probatur. Scriptu. tis.

III. Quin igitur Deus *ſanctus* ſit κατ' ἐξοχήν, nemo dubitare poteſt. Cum paſſim *ſanctus* appelletur in Scripturâ Jeſ. XL. 25. Hoſ. XI. 9. Job. VI. 10. Hab. III. 3. Et *ſanctus Iſraëlis* (quanquam hoc, de *Filio* peculiariter dici, exiſtimem). plus quam triginta vicibus Jeſ. XLI. 20. & XLIII. 14. *Sanctus Jacobi* Jeſ. XXIX. 23. *Sanctus Sanctorum* Dan. IX. 24. (quod de Meſſiâ dicitur) *ter ſanctus* Jeſ. VI. 3. in quo, velut *triplex* ſanctitas confluit, unde in plurali ipſi tribuitur, cum pronomine ſingulari, אלהים קדשים הוא Joſ. XXIV. 19. q. *Dii ſancti ille*. Procul dubio etiam, quod in tribus *perſonis*, una ſit ſanctitas eſſentialis, quæ propterea ſingulis ſigillatim aſſeritur: *Patri* Joh. XVII. 11. *Filio* Dan. IX. 24. Pſal. XVI. 10. *Spiritui S.* Rom. I. 4. Ut hoc argumento, ex τρισαγίῳ Apoc. IV. 8. haud ineptè colligatur perſonarum divinarum *trinitas*. Ex omnibus iſtis *nomen* obtinet à *ſanctitate* Luc. I. 49. Quin & *ſolus* ſanctus appellatur 1. Sam. II. 2.

Et ratiocinatione.

IV. Et ſi ſanctus non eſſet; quomodo 1. *perfectiſſimus?* cum, nullo dubitante, *ſanctitas* ſit perfectio, quæ nihil connotat imperfectionis. Quomodo 2. perfectus *ullâ* perfectione: cum ſanctitas omnis perfectionis *baſis* ſit? Citra ſanctitatem enim, quid eſſet ejus ſapientia, niſi *aſtutia*? ejus dominium, niſi *tyrannis*? ejus potentiâ, niſi *violentia*? ejus gratia, niſi temeritas & negligentia? Imo 3. citra ſanctitatem, quî decenter ſeſe gereret *verſus ſeipſum*? quî decenter ſeſe gereret verſus *creaturas*. h. e. quî ſanctè gubernaret? Addo 4. ſi Deus non ſit ſanctus, unde ulla ſanctitas? quomodo Deus, ejus ſcaturigo, non ſit ſanctus?

Quid ſanctitas in creaturis.

V. Ut, quid ſit *Dei ſanctitas*, commodius aſſequamur, cum ipſa in ſe nobis ſit inacceſſa; ne-ceſſum, ut in *imagine*, hoc eſt, in effigiatâ *creaturarum* ſanctitate, illam contemplemur. Eſt igitur *ſanctitas generatim* nihil aliud, quam *entis rationalis bonitas moralis*. Eſt enim bonitas *eſſentiæ*, per quam *appetibilis* eſt: eſt bonitas *uſus*, per quam *utilis* dicitur; quæ duplex omnibus communis eſt: eſt denique *moralis*, quâ *moribus* apta eſt, qui *Deum* deceant: & hæc creaturis *rationalibus* peculiaris eſt. Hæc *ſpeciatim* in creaturis, vel *fœderalis* eſt, quâ ſancti ſegregati q. in *peculium* Dei, ad ſanctitatis ſtudium Num. XV. 40. Deut. VII. 6. eam profitentur, & charitatis judicio, ex profeſſione, pro *ſanctis* habentur. Hac, tota *Iſraelitarum* gens, quondam Deo *ſancta* erat; hac etiam ſancti habentur, omnes Chriſtianorum infantes 1. Cor. VII. 14. vel *habitualis*, (ſub quâ etiam *actualem* comprehendimus) quæ in *intrinſeca*

ſecâ voluntatis & affectuum puritate conſiſtit, per quam apti ſumus *Deo decenter* vivere. Hac propriè Græcis ὅσιοι, & Latinis *ſancti* compellamur: vel *relativa*, quâ loca, tempora aliaque ἱερὰ & *ſacra* dicuntur: quod (a) Deo ſint *appropriata*, (b) inſerviant *ſanctitati habituali* procreandæ ac promovendæ: atque etiam (c) referant ſuo modo *decentiam*, Deo convenientem & cultui divino. Duplici priore ſignificatione, quæ huc maximè ſpectat, ſanctitas complectitur. 1. *Segregationem* ad uſum divinum, quo ſenſu Mediator *ſanctificatus* dicitur Joh. x. 36. & Paulus ſegregatus Rom. 1. 1. Gal. 1. 15. Tum 2. *Dedicationem*, quâ teipſum, tuaque omnia, gloriæ, voluntati & cauſæ Dei, addixeris 2. Cor. VIII. 5. Rom. XII. 1. Levit. XXI. 6. Porro 3. *Repræſentationem* ſanctitatis divinæ, quâ interiora cordis, pariter & exteriora corporis, ſuo modo referant puritatem legis divinæ Pſal. LI. 12. 1. Theſſ. v. 23. Denique 4. *Deteſtationem* & fugam omnis impuritatis 2. Cor. 1. 12.

Quid ſit Sanctitas in Deo?

VI. Ex iſta ſanctitatis imagine, proclive eſt utcunque colligere, quæ ſit ſanctitatis *divinæ* indoles. Scil. eſt *excellentia ejus moralis*, per quam 1. *Segregatus* eſt à quovis *communi* & profano, prout Mediator dicitur: ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν Heb. VII. 26. Tum 2. *ſibi addictus*, omnia propter *ſeipſum* faciens Prov. XVI. 4. in omnibus, & ſupra omnia, ſeipſum *quærens*, ſuamque gloriam, ac beneplacitum Eph. 1. 11. Porro 3. In omnibus ſuis cogitatis, dictis & factis, exactè conformis iſti *ſanctitati*, quam in *lege* ſuâ expreſſit. Unde paſſim homines invitat ad *imitationem* ſanctitatis ſuæ Levit. XIX. 2. & XI. 44. Matth. v. 48. Dum, procul dubio, non ad aliam ſanctitatem invitat, quam quæ in lege proſtat. Denique 4. *Purus* eſt, & quam maximè alienus ab omni malo, iniquo, turpi illo, quod proſcribit in lege ſua Hab. 1. 13. Pſal. v. 5. 6. 7. imo penitus ab eo q. *abhorret* Deut. XXV. 16. Apoc. XXI. 27.

Sanctitatem ſuam Deus prodit variis modis.

VII. Porro ſanctitatem ſuam Deus prodit, *primò* in ſuis operationibus Pſal. CXLV. 17. 1. In *decretis*, prædeſtinatione, *electione* Eph. 1. 4. *Ut eſſemus ſancti & inculpati coram eo.* 2. In *creatione*, quando hominem condidit ad imaginem ſuam, *rectum* Eccl. VII. 30. in *ſanctitate* & juſtitiâ Eph. IV. 24. In 3. providentiâ præcipuè *morali*; quando creaturis rationalibus, *legem præſcribit*, præcipiendo & prohibendo: *ſancit*, promittendo & comminando: ſanctionem *exſequitur*, remunerando & puniendo Ezech. XX. 11. 12. quando fœdus operum cum ipſis contraxit Deut. XXX. 15. 16. In 4. *redemptione*, quando Filium *ſanctificavit* Joh. x. 36. qui *ſeipſum ſanctificaret* pro nobis Joh. XVII. 19. ut nos *ſanctificaret* Deo Eph. v. 26. Heb. II. 11. quando Filium proprium & unigenitum, morte exſecranda punivit, ut *ſanctitatem* ſuam oſtenderet, quâ *malum aſpicere non poſſit* Hab. 1. 13. Rom. III. 25. In 5. *vocatione*, quatenus *vocatione ſanctâ* 2. Tim. 1. 9. vocat: *non ad impuritatem, ſed ad ſanctimoniam* 1. Theſſ. IV. 7. ut ſimus *vocati ſancti* Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2. In 6. *ſanctificatione*, quatenus regenerat, convertit, *ſanctificat* nos *totos, ut integer* noſter *ſpiritus, anima & corpus, inculpatè ſerventur* 1. Theſſ. v. 23. Denique 7. in *glorificatione*, quando *Eccleſiam ſibi ſiſtet, non habentem maculam aut rugam, aut tale quid; ſed quæ ſancta ſit & inculpata* Eph. v. 26. 27. Sed *ſecundo*, *ſanctitatem* ſuam Deus prodit, in verbo ſuo, in *Scripturâ*, quæ hinc *ſancta* dicitur Rom. 1. 2. 2. Tim. III. 15. in *veritate*, quâ nos *ſanctificat* Joh. XVII. 16. Comprimis in *lege* ſuâ, quæ ſancta dicitur Rom. VII. 12. *Lex ſancta, mandatum, juſtum & bonum*, quod in ea proſtet, qualecunque ἀποσκιάσμα *ſanctitatis* divinæ, quatenus illa eſt *imitabilis*: unde *ſpeculo* aſſimilatur Jac. 1. 23. 24. 25. Porro *tertiò*, eandem prodit in *cultu*, in ritibus, ſacrificiis, ſacramentis: baptiſmo, cœnâ, quæ paſſim *ſancta* dicitur, quod ad *ſanctitatem* vergant Jac. 1. 27. Rom. XII. 1. Inſuper *quartò*, prodit eandem in *populo*, in ſubditis, qui paſſim populus *ſanctus* appellatur 1. Pet. II. 9. in Eccleſiâ & *domo* ſua, cujus præcipuus *decor*, eſt in *ſanctitate* Pſalm. XCIII. 5. Adhæc *quinto* in Miniſtris, qui hinc *ſancti Dei homines* audiunt 2. Pet. 1. 21. qui jubentur in fronte geſtare, קדש ליהוה *ſanctitas Domini* Exod. XXVIII. 36. quod *ſanctificare* Deus velit, in his qui appropinquant ad ſe Levit. x. 3. Etiam *ſextò*, in *ſatellitio* Angelorum, qui hinc *ſancti* paſſim appellantur Luc. IX. 26. Matth. XXV. 31. Denique *ſeptimò*, in omnibus illis, quæ qualemcunque *relationem* ſuſtinent ad Deum, qualia ſunt *loca* ſacra Pſalm. XI. 4. & XX. 3. *tempora* ſacra Exod. XX. 11. His omnibus, aliiſque plurimis, Deus prodit, ſe *ſanctum* eſſe, & *qui ſanctificet* ſuos Levit. XXI. 8.

Sanctitas quo modo Deo competat.

VIII. Proinde Deo ſanctitas competit: 1. non ut *acceſſorium* quid; ſed ut ipſa ejus *eſſentia*: ille enim qui Jeſ. XLV. 23. jurare dicitur *per ſeipſum*: Pſal. LXXXIX. 36. & Amoſ. IV. 2. juraſſe ſe dicit, *per ſanctitatem ſuam.* Nec 2. ut aliquid aliunde *acceptum*; ſed ut, omnis in omnibus, ſanctitatis *ſcaturigo* Levit. XX. 8. & XXI. 15. Ezech. XX. 12. 1. Theſſ. v. 23. Nec 3. certâ *menſurâ*; ſed abſque menſurâ, gradu *infinito*; quæ proin, nec augeri, nec minui poſſit: quia ipſa eſt ejus eſſentia, quanquam *declarari* magis magiſque poſſit, ac debeat Matth. VI. 9. Nec 4. ad ſanctitatem legis ſuæ, aut cujuſcunque, *effigiata*; ſed ut omnis ſanctitatis *idea* & exemplar, ac norma 1. Pet. 1. 15. Eph. IV. 24. Nec tam 5. ut *particulare* quoddam ejus attributum; ſed ut *univerſalis* affectio, quævis

alia ejus attributa q. afficiens. Unde *potentia*, seu brachium ejus, *sanctum* dicitur Jes. LII. 10. &c. Nec denique 6. *vulgaris* quædam ejus affectio; sed longè *præcipua*, à quâ, vel ab ipsis Angelis; nec semel, sed tertiò, & eodem q. halitu, celebratur: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Jehova Zebaoth* Jes. VI. 3. Apoc. IV. 8. Quod de quovis alio ejus attributo, nullibi legitur.

Quæritur:

Pars elenchtica.

1. An mortalium, cuivis competant hi tituli: *sanctissimus*, *sua sanctitas?*

IX. Quæ de *sanctitate Dei* diximus, tam sunt omnibus manifesta, ut eis, vel ab hostibus, nulla controversia moveri possit. Interim quæritur: 1. An mortalium cuivis, competant hi tituli: *sanctissimus*, *sua sanctitas?* Pontifex Romanus, quo titulos haberet, suæ Monarchiæ congruos, *sanctissimus* Pater, imo *sua sanctitas*, compellari vult, quo, non absre, offensus Episcopus quidam in Concilio Tridentino, scite dixit: *si Deus tantum* sanctus *dicitur*; *quomodo ejus Vicarius*, *dici potest* Sanctissimus? Reformati existimant hos titulos, ulli mortalium, & imprimis Papæ, nullo modo competere. Quia: 1. Deus ipse, quamvis revera sit, *sanctissimus*, imo ipsa *sanctitas*; raro tamen, aut nunquam appellatur *sanctissimus*, aut ipsa *sanctitas*, imo pro nomine ei designatur *sanctus* Ps. CXI. 9. 2. Servator Jesus, quamvis & ipse *sanctissimus* sit, quin ipsa *sanctitas*, cujus se vicarium mentitur Pontifex, frequenter *sanctus Israëlis* appellatur Jes. X. 29. Psal. LXXVIII. 41. Jes. XLVII. 4. *Redemptoris nostri nomen est*, *Jehova exercituum* SANCTUS ISRAELIS, quem *Pater sanctificavit* Joh. X. 6. nullibi *sanctissimus*, aut ipsa *sanctitas*, designatur. Etiam 3. Petrus, cujus se successorem venditat; *sanctus* quidem fuit ac dicitur, ac se *compresbyterum* συμπρεσβύτερον insignit, nunquam vero, *sanctissimus*, & multo minus *sanctitas*, nominatur. Proinde 4. vel hoc ipso se prodit *Antichristum*, ut qui se efferat, ὑπαιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, *super omne quod Deus dicitur*, *aut* SANCTUM. Cum præsertim 5. sanctissimum esse, & ipsam *sanctitatem*, cum ipsa Dei *essentiâ* sanctissima, coincidat, adeoque ipse *Deus* sit, qui est ipsa *sanctitas*, nullus *peccator*, qualis, omnibus agnoscentibus, ipse Papa est, sit, aut dici possit *sanctissimus*, & ipsa Et 6. *sanctitas* Et 7. comprimis *Pontifices*. qui revera sunt *Antichristus*, in quibus insuper fuerunt *hæretici*, ut Liberius Monotheleta, aliique etiam *meretrices*, ut Johanna papissa, Sodomitæ, *pederastæ*, qui in Scripturis, קָדֵשׁ κατ' ἀντίφρασιν, & קְדֵשָׁה *meretrix* per εὐφημισμὸν appellantur Deut. XXII. 9. & XXIII. 17. Vid. Seldenus, De *jure natur.* lib. V. cap. IV. pag. 555. Non dicam 8. quod ob similem arrogantiam, Herodes olim, à vermibus devoratus fuerit Act. XII. 21. 22. 23. Nec video, quid ulla quidem cum specie, pro blasphemis hisce titulis, ejus Gnathones, obtendere possint. Si dicant esse titulos *politicos*, dicam, aut *vere* ipsi competunt, ac tribuuntur, & sic blasphemiam important, per omnia præcedentia; aut non, & sic falso ipsi tribuentur, atque insuper blasphemè.

2. An non Papalis Canonizatio, qua multis ritibus, mortales, sancti pronunciantur & pro sanctis, à quovis habendi declarantur: deroget Deo & sanctitati ejus? Sententia Romanensium.

X. Quæritur 2. An non papalis *Canonizatio*, quâ multis ritibus, *sancti* pronunciantur mortales, & pro *sanctis* à quovis habendi declarantur; deroget Deo & sanctitati ejus. Pontificii non contenti, Papam suum fecisse *sanctissimum*, quin ipsam *sanctitatem*, quo magis extollant istum suum *sanctissimum*, dicunt ipsum non *esse* tantum talem; sed alios homines defunctos, solenni quodam ritu & decreto, in gradum *sanctorum* efferre posse, ut: 1. Publice deinceps, ab omnibus, singulari modo, *sancti* habeantur & vocentur. Ut 2. in publicis Ecclesiæ precibus, invocentur. Ut 3. templa & aræ, in eorum memoriam, Deo dicentur. Ut 4. sacrificia, in eorum honorem, publice Deo offerantur. Ut 5. dies festi, in eorum memoriam, celebrentur. Ut 6. imagines eorum, cum certo quodam lumine pingantur, & ad venerationem, in Ecclesiis, illustri loco ponantur. Ut 7. eorum reliquiæ, thecis includantur, & publice honorentur. Vid. Bellarm. *de Ecclesia triumphante* Lib. I. cap. VII. & IX. Addit credendum esse, Pontificem non errare in ista Canonizatione, negantibus tamen id, Cajetano in *Tract. de indulgent.* Aquinate, Quolibet. IX. art. XVI. Melchiore Cano, lib. I. cap. V. his verbis: *Ecclesiæ judicia*, *quæ ab incertis hominum testimoniis proficiscuntur*, *infirma esse*, *ad certam & exploratam fidem*, *quale*, inquit, *illud est*, *quo sanctum aliquem*, *Divorum catalogo adscribendum censet.* Istam porro Canonizationem, Papæ Gnathones ἀποθέωσιν appellant. Reformati quamvis vere sanctos, ex pronunciatione Scripturæ, pro talibus recipiendos, & *civili* etiam cultu, venerandos esse, lubenter admittant; tales tamen *Canonizationes* & ἀποθεώσεις, impias dicunt, superstitiosas & idololatricas. Quod: 1. Earum, nec vola, nec vestigium, in Scripturis prostet, &, ex hoc *superstitiosa*, quippe *planta quam non plantavit Pater*, adeoque eradicanda, judicio Servatoris Matth. XV. 13. *doctrina hominum*, damnata eodem vers. 9. & à Paulo Col. II. 18. 20. 22. Quod 2. jubeat *invocationem* creaturarum, quam Christus Deo soli asserit Matth. IV. 10. & Deus sibi soli Jes. XLII. 8. proinde *idololatrica*, & injuriosa Deo. Quod 3. infallibilitatem Pontifici tribuit, quæ soli Deo competit, dum omnis *homo mendax* est Psal. CXVI. 11. Cum promissionem *infallibilis* directionis, non possit demonstrare. Unde, judicio Cajetani & Cani, damnatus possit canonizari, & pro *sancto* invocari, *nec differt*, addit Canus, *diabolum*

Et Reformatorum, cum suis argumentis.

diabolum colat, an hominem damnatum. Quod 4. *homo peccati*, ἄνομος ille, poſſit ſanctificare, ſeu ſanctum declarare hominem, qui forte eſt in catalogo damnatorum, qui in vita ſua, non niſi agyrta fuerit: qualis Franciſcus Aſſiſius, aut forte in rerum natura nunquam fuerit. Non addam 5. Quod pleraque iſtius canonizationis ingredientia, ſoli ſanctitati divinæ competant, quippe quæ ſola poſſit *ſcrutari corda & renes*, adeoque certo pro-
Objectiones. nunciare, quis vere ſanctus ſit. Nec habet pro iſta canonizatione Bellarminus, quod ullius ſit momenti, v. g. A. Quod Deus à ſanctis Scriptoribus voluerit annotari in particulari, glorioſam vitam & mortem eorum. Igitur credibile eſſe, velle Deum, ut eodem modo deinceps fiat. Reſp. 1. Quaſi nihil diſcriminis ſit, inter *annotationem* iſtam, & canonizationem jam deſcriptam. 2. In tota Scriptura, ſeptem illos canonizationis honores, jam memoratos, ulli mortalium, vel decretos, vel delatos, nuſquam annotatur. 3. Illis omnibus, quorum vita & mors glorioſa, in Scripturis annotatur, honores illos, Pontificii non ſolent deferre. B. Quod, niſi ſciamus, quinam vere *ſancti* ſint, qui non, non poſſimus eos colere, ut oportet, non poſſimus accendi ad imitationem eorum, non poſſimus congaudere ſanctis, & pro illorum gloria, Deo gratias agere. Reſp. α. Nec debemus illos *religioſe* colere. β. Scimus in particulari, illos à nobis eſſe imitandos, quos videmus Chriſtum imitari 1. Cor. XI. 1. γ. Vel igitur Pontificii, non faciunt, quod debebant; vel particularem notitiam habent, omnium ſanctorum, qui ſunt in gloria, eoſque canonizare tenentur.

3. An merita ex condigno non derogent puriſſimæ Dei ſanctitati?

XI. Quæritur 3. An *merita ex condigno*, non derogent puriſſimæ Dei ſanctitati? Pontificii ne ex ſolis meritis Chriſti, vitam conſequamur æternam, & bonis operibus, imprimis, ut ipſi loquuntur, *charitatis*, in fundationibus templorum, monaſteriorum, auctoritas papalis fulciatur & extollatur: exiſtimant bona fidelium opera, vitam æternam *mereri ex condigno*, proinde negant ea derogare ſanctitati divinæ: Reformati ex adverſo affirmant. Cum enim: 1. Deus ſit *oculis puriſſimus* qui non poſſit aſpicere defectus noſtros peccaminoſos Hab. 1. 13. *ter ſanctus* ſeu ſanctiſſimus Jeſ. VI. 3. Cum 2. Moſes jubeatur exuere calceos, quod vel locus ubi conſiſtebat, ex præſentia Dei eſſet *ſanctus*. Cum 3. memores rigidiſſimæ ſanctitatis divinæ, tam ſollicite deprecentur tribunal ejus Pſal. CXXX. 3. & CXLIII. 2. quod nemo poſſit conſiſtere coram eo. Cum 4. tam ſit ſanctus, ut vel in ſanctis Angelis inveniat maculas Job. XXV. 4. 5. Ut 5. vel Cherubim, coram Deo, ſuis alis tegant ſuas facies, ſuos pedes, exclamando: *ſanctus, ſanctus, ſanctus, Jehova Zebaoth* Jeſ. XI. 2. 3. Et ex adverſo, vel optima ſanctorum opera, ſint velut *panniculus menſtruatus* Jeſ. LXIV. 6. nunquid, qui ſuis operibus, mereri vitam æternam conatur, & quidem *ex condigno*, ex rigore juſtitiæ ſuæ, nunquid inquam, non ſatis agnoſcit, divinæ ſanctitatis ἀκρίβειαν? Hæc tetigiſſe, hîc quidem ſuffecerit, alibi in cap. *de Juſtif. ξὺν θεῷ*, plenius dicenda.

4. An Religio Reformata, ſuis hypotheſibus, arrodat Dei *ſanctitatem*, ſtatuendo, ipſum eſſe auctorem peccati? Reformatæ Religionis hoſtes, quotquot ſunt, Sociniani, Arminiani, Anabaptiſtæ, Pontificii, & imprimis Lutherani, hic calumniando, velut de palma certant, ut Religionem noſtram magis denigrent, adeoque affirmant; Reformati ex adverſo negant, ſuis hypotheſibus, Deum auctorem eſſe peccati, eo quod: 1. Hypotheſes Religionis Reformatæ, per omnia coincidant cum hypotheſibus Scripturæ, proinde, ſi Scriptura non arrodit ſanctitatem Dei, nec Religio Reformata arrodit, antecedens patebit per reſponſiones ad objecta. Quod ex adverſo 2. Hypotheſes Religionis Reformatæ, quippe coincidentes cum Scripturis, quam maxime vergant ad amplificandam ſapientiam, potentiam, juſtitiam & ſanctitatem Dei; decernere enim futuritionem peccati, permittere peccatum, propter peccatum, peccatori ſubtrahere gratiam, ſanctiſſimis rationibus, hominibus occaſiones præſtare bonas, quibus ipſi abutantur ad peccandum, oſtentat ſuam ſapientiam, potentiam, juſtitiam & ſanctitatem, ut patebit, per reſponſiones noſtras ad objecta adverſariorum. Si enim cauſentur 1. Quod *decreverit* peccata futura; reſpondemus: α. Quod Scriptura idem doceat Act. 11. 23. & cap. IV. 27. Conf. Act. XV. 18. Eph. 1. 11. β. Decrevit, non efficere; ſed tantum *permittere* Pſal. LXXXI. 13. Act. XIV. 16. γ. Quod decretum tantum cauſa ſit *futuritionis*, non ipſius peccati futuri, quippe quod producitur à creaturis, per liberi arbitrii ſui abuſum, ut patet in Pharaone, Juda aliiſque. δ. Quod decreverit ſapientiſſimo conſilio Act. IV. 27. *manus tua & conſilium præfinivit*, conſilium ſapientiſſimi, utique ſapientiſſimum. Scil. ad hoc, ut à permiſſo & prædefinito peccato, ſibi ſuppeteret anſa, illuſtrandi gloriam, tum *miſericordiæ*, in gratuita redemptione peccatoris, in quo patet ejus *ſapientia* pariter & *bonitas*; tum juſtitiæ, in juſta punitione peccatoris, in quo eſt ejus *ſanctitas*. Quod 2. ordinaverit hominem ad peccandum. Reſp. a. Et hoc docet Scriptura Exod. IX. 16. Rom. IX. 37. Conf. Jud. verſ. 4. 1. Pet. II. 8. Rom. IX. 21. 22. b. ordinavit hominem permittere *ſibi*, ſuoque arbitrio Act. IV. 16. Rom. I. 24. ut juſtitiam ſuam vindicativam manifeſtam faceret Rom. IX. 22. in quo patet ejus *ſanctitas*. Quod 3. neceſſitet hominem. Reſp. Non neceſſitat: ſed decrevit ut peccator, per conſilium & *complacentiam rationa-*

4. An Religio Reformata, ſuis hypotheſibus arrodat Dei ſanctitatem, ſtatuendo quod ſit auctor peccati? Collatio ſententiarum.

Objectiones.

lem (in qua proprie consistit, arbitrii nostri libertas) peccatum produceret, tantum id agit, ut futuritio & eventus, per decretum, *certo* existat & *infallibiliter*. Quod 4. *velit* peccata. Resp. α. Et hoc Scriptura dicit, quæ Deum non facit auctorem peccati Act. IV. 27. β. Non vult voluntate *Legislativa* seu præcepti; sed tantum voluntate *decreti*, vult ut futuritio & eventus existat infallibiter, ejus peccati, quod peccator libere perpetrat. Quod 5. Præcipiat peccata, ad ea impellat, homines induret, excæcet, in reprobum sensum tradat, secundum Reformatos. Resp. (1) Eodem sensu, quo Scriptura 2. Sam. XVI. 10. *Dominus præcepit Simei, ut malediceret Davidi* Cap. XXIV. 1. *concitavit* Davidem in eos.... Exod. IX. 12. *induravit* cor Pharaonis. Et cap. XIV. 17. Jes. VI. 10. *Impingua* cor populi, & aures ejus *aggrava*, & *oculos* ejus *claude*, ne forte *videant* Rom. I. 28. *Tradidit* eos Deus in *mentem reprobam*, ἀδόκιμον. 2. Thess. II. 11. *Mittet* eis Deus *efficaciam erroris*, ut credant *mendacio*. Si igitur his omnibus, *Scriptura* Deum non faciat peccati auctorem: nec Reformati faciunt. (2) Non docent: Deum peccata *præcipere*, *proprie*, non *lege* qua vetat; sed providentia, quatenus *efficaciter* permittit, ac dirigit: nec *impellere* proprie, nolentes; sed, *propter* peccata, subtrahendo gratiam, suis libidinibus eos relinquendo: nec *indurare*, aut *excæcare*, *infundendo cæcitatem* aut duritiem; sed propter commissa scelera, *cæcitate* & duritie, eos juste *puniendo*. Quod 6. Deo & impiis, *eadem* actiones malas, Reformati tribuant. Resp. α. Eo sensu, quo Scriptura tribuit 2. Sam. XII 11. 12. Tu *clam* fecisti, ego *palam faciam*, & cap. XXIV. 1. cum 1. Paral. XXI. 1. Gen. XLV. 8. β. Eadem quidem *actiones*; sed non eodem *modo*, eodem *fine*; juxta tritum: *duo cum idem faciunt, non est idem* Gen. XLV. 8. γ. Nec *proprie* idem utrique tribuunt: Deo enim *futuritionem* & eventum *peccati* tribuunt; homini autem peccatum *ipsum*: Deo *subjectum* tantum, in quo est ἀνομία seu peccatum; homini *ipsam* ἀνομίαν seu peccatum. Confer quæ in hanc rem diximus cap. XVI. §. 15. & forte dicemus, in capp. De *Decretis*, Reprobatione, Providentia, & alibi.

Pars practica

Sanctitas Dei nos excitat 1. Ut sanctificari a Deo admitamur. Rationes.

XIII. In praxi; *sanctitas Dei* nos instigat, qui *primò* sanctificari à Deo, omni conatu admitamur. Id quod Servator electis Joh. XVII. 17. & Paulus auditoribus 1. Thess. V. 23. tanto affectu expetit. Nim. cum omnes naturâ simus *immundi*, profani Job. XIV. 4. & ipsa nostra *justitia immunda* Jes. LXIV. 6. item *impuri labiis*, ac corde Ibid. Cap. VI. 5. ut Deus *ter* sanctus, ipsa *sanctitas*, & omnis sanctitatis *scaturigo*, nos *sanctificet totos* h. e. eam sanctitatem quam §. V. indigitavimus, nobis conferat: 1. *Redemptione*, nos conspergendo & q. abluendo *sanguine Filii* Psal. LI. 9. 1. Joh. I. 7. Heb. X. 22. 1. Pet. I. 2. qui se ad hoc, pro nobis *sanctificavit* Joh. XVII. 19. Hinc 1. *Regeneratione* per Spiritum Joh. III. 3. 5. auferendo à nobis *cor lapideum*, substituendo *cor carneum*, *inscribendo legem suam cordibus nostris* Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. Jer. XXXI. 33. 34. spiritualiter in peccatis mortuos, *vivificando* Eph. II. 5. 6. Tum. 3. *Conversione* Jer. XXXI. 18. 19. nos traducendo ad fidem in Jesum Christum, quâ cum ipso uniamur, eoque cum ipso crucifigamur & resurgamus Gal. II. 20. Rom. VI. 5. Denique 4. *renovatione* Eph. IV. 24. Rom. XII. 2. in nobis paulatim restaurando, *puritatem* imaginis divinæ 2. Cor. IV. 16. subigendo *veterem*, & erigendo *novum* hominem, ut fiamus *nova creatura*, quibus *vetera transierint & omnia facta sint nova* 2. Cor. V. 17. Quæ *sanctificatio*, opus est *solius* Dei Joh. VI. 44. quamvis fiat ministerio verbi Act. XXVI 17. 18. Nec hîc ullæ sunt nostræ partes; nisi 1. Observare & addiscere præstantiam, utilitatem ac necessitatem sanctificationis Joh. III. 5. ut inde desiderium ejus succrescat. Nisi 2. Deo supplices esse, qui *creet in nobis cor mundum*, & *spiritum rectum innovet in nobis* Psal. LI. 12. Interim 3. *mediis*, quibus in hac sanctificatione Deus uti consuevit, diligenter & constanter advigilare: lectioni & auditioni verbi, conversationi cum piis, iisque *exspectare* Ps. XXVII. 14. donec tandem Deo, *qui dixit, ut è tenebris lux splendescret*, videbitur *splendere in cordibus nostris* 2. Cor. IV. 6. Media

2. Sanctificati Deum sanctificemus.

XIV. Tum *secundò*, sanctificati à Deo, *sanctificemus* reciprocè Deum Exod. XXIX. 43. Levit. XXII. 32. Jes. VIII. 13. & XXIX. 23. Matth. VI. 9. 1. Pet. III. 15. Non equidem sanctiorem *faciendo*, prout nos Deus sanctificat: sed *sanctitatem* Dei (a) in *corde* agnoscendo, admirando, venerando 1. Pet. III. 15. 1. Sam. VI. 20. Jes. VIII. 14. (b) eandem *ore* celebrando Psal. LXXI. 22. Jes. VI. 3. (c) *facto* exprimendo, dum circa cultum divinum, singulas ejus partes, omniaque Deo dedicata, aut quæ ipsum, quomodocunque spectant, non absque singulari reverentiâ, sollicitudine, devotione distinemur Exod. XIX. 22. Levit. XI. 44. velut quibus Deus suam *sanctitatem*, utcunque communicavit. (d) *curâ*, sollicitè cavendo, ne quo *sanctissimum* Dei *nomen*, aut cultus, à nobis profanetur; contemptu, temeritate, negligentiâ, acediâ, torpore aliisque, quæ proscribuntur in tertio præcepto. Vult enim (1) Deus *sanctificari* ab his, qui ad se properant. Levit. X. 3. (2) Ad hoc nos sibi *sanctificavit*, ut se *sanctificaremus* 1. Pet. II. 9. Ut (3) nisi nos ipsum sanctificaverimus, virtute; ipse seipsum *sanctificabit* Actus sanctificandi. Rationes motivæ.

cabit in nobis, *suppliciis* ac judiciis; ut patet in Nadab & Abihu Lev. x. 2. 3. in Bethsemitis 1. Sam. vi. 19. in Usa. 2. Sam. vi. 7. in Uzia 2. Reg. xv. 4. 5. aliisque Ezech. xxviii. 22. & xxxviii. 22. 23. Conf. quæ ad tertium præceptum, & ad primam petitionem dominicam, à Commentatoribus dicuntur, & quæ nos supra diximus Cap. iv. in *practicis*.

3. Sanctificantes abhorreamus ab omni profanitate.

XV. Sanctificantes *tertiò*, *abhorreamus* ab omni profanitate, impuritate, impietate, quæ recensetur Matth. xv. 16. Gal. v. 19. 20. 21. Eph. v. 3. seu *corporis* sit, seu spiritus 2. Cor. vii. 1. seu *lateat* intus in corde 2. Cor. iv. 2. Eph. v. 12. seu *pateat* extus in opere Jes. iii. 9. seu in *nobis*, seu in *aliis* Psal. cxxxix. 21. Quod 1. *sanctissimus*, ab istis omnibus abhorreat Hab. i. 13. Psal. v. 5. 6. Quod proinde 2. nos divellant à Deo Jes. lix. 2. & i. 12. Psal. xi. 5. & ci. 3. Quod 3. Filium proprium *sanctificaverit*, qui *opera* ista *Diaboli destrueret* 1. Joh. iii. 8. Quod 4. æternùm nos separatura sint à beatitudine cœlesti Apoc. xxi. 27. 1. Cor. vi. 9. 10. Quamobrem A. seriò *detestemur* Rom. xii. 9. Heb. i. 9. Jud. vers. 23. B. Ab iis *purgari*, ac propter ea reconciliari Deo, adnitamur, per sanguinem Christi 1. Joh. i. 7. 1. Pet. i. 18. 19. C. Nos ipsos *lavemus* ab iis Jes. i. 16. Jer. iv. 4. 14. 2. Tim. ii. 21. D. *Abnegemus* omnem *impietatem* Tit. ii. 12.

4. Abhorrentes operam demus sanctitati.

XVI. Contra *quartò*, purgati ab omni profanitate; etiam *sanctitati* operam demus, scil. ut *sancti simus*, *quoniam Deus noster est sanctus*. Hoc est, ut *primò*, nos magis magisque separemus, ab omni *communi*, polluto, mundano Esd. vi. 21. Apoc. xviii. 4. Rom. xii. 2. Quo spectabat *Nazireatus*, atque omnes purificationes Leviticæ. *Secundò* magis magisque nos *dedicemus*, consecremus, resignemus Deo 2. Cor. viii. 5. scil. *in hostiam sanctam* Rom. xii. 1. *Tertiò*, interiori cordis, omniumque affectuum *puritati*, operam demus Psal. li. 12. Matth. v. 8. 1. Tim. i. 5. *Quartò sanctis* operibus incumbamus, talibus quæ (a) profluant ex *sancto* & *puro corde* Ibid. quæ (b) vergant ad *sanctificationem*, seu glorificationem nominis divini 1. Pet. ii. 9. 2. Tim. ii. 21. quæ (c) composita sint ad *sanctissimam* Dei *voluntatem* Rom. xii. 1. 2. Excitati ad omnia ista, quod: 1. Deus, Deus noster, *sanctus* sit, sanctissimus, ipsa sanctitas, qui nos velit esse sanctos. Quod 2. *sanctitas* præcipua sit, & universalis ejus perfectio, quamobrem *ter sanctus* dicitur, adeoque sanctitatis studio, ei in præcipuâ perfectione assimilemur. Quod 3. ab omni retrò æternitate, Deus tam studiosus fuerit, constituendæ ac restituendæ *sanctitati*; prædestinatione, redemptione, vocatione &c. prout supra particulatim §. vii. docuimus. Imo quod 4. singulæ Personæ, in hoc *sanctificationis* negotio, singulatim, suas sibi partes sumserint, & Spiritus *sanctus*, ab hoc peculiariter, officium pariter & nomen sortiatur. Denique 5. quod absque sanctimonia nunquam simus visuri Deum Heb. xii. 14. Matth. v. 8. Hæc tetigisse sufficerit, alibi in Cap. de *Regeneratione*, *Conversione*, *Sanctificatione* copiosius, σὺν θεῷ, dicenda.

5. Operam dantes ut exploremus sanctitatem.

XVII. Interim in isto sanctitatis studio, *quinto*, nos crebrò exploremus, πρὸς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, ἵνα ὦμεν εἰλικρινεῖς Phil. i. 10. Heb. v. 14. nec *fucus* pro veritate; μόρφωσις pro δυνάμει. 2. Tim. iii. 5. *ratio* sanior, pro Religione; *educatio* honestior, pro *conscientia* sanctificatâ; *gestus* graviores, aut theatrici Pharisæorum, pro *vera* pietate: *impetus* factiosus ac schismaticus, pro zelo *sanctitatis*; aut sanctitas *cremonialis*, ritualis & externa, imponat pro *reali* & internas obrepat; sed renovati simus ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας Eph. iv. 24. Id quod ex dictis, non adeo magno negotio discriminabitur. Scil. (1) ὁσιότης est τῆς ἀληθείας, quæ non quadantenus, in *hoc* tantum aut *illo* capite; sed quæ penitus segregat à mundo & mundanis Rom. xii. 2. Tit. ii. 12. quæ (2) *totum*, anima tenus & corpore, Deo consecrat & sanctificat 1. Thess. v. 23. 1. Cor. vi. 20. Rom. xii. 1. sese plane *abnegando* Luc. ix. 23. *nihil* Deo subtrahendo, aut sibi reservando, cum Anania & Saphira Act. v. 2. aut cum juvene Pharisæo Matth. xix. 21. 22. *omnia* ei impendendo. Ibid. vers. 27. usque ad ipsam *vitam* & mortem Rom. xiv. 7. 8. Matth. xvi. 25. 26. Quæ (3) *Interiori* potius, quam *exteriori* sanctitati studet Psal. li. 8. 12. Contra quàm *Pharisaica* Matth. xxiii. 23-27. Quæ (4) In conspectu *Dei* potius, quam *hominum* Matth. vi. 1. 2. 3. 4. 5. 6. abstinet (5) Nec ab *hac* tantum, aut *illâ* impuritate, sicut Pharisæi Luc. xviii. 11. sed ab omni ἐπιθυμίᾳ κοσμικῇ Tit. ii. 12. ab omni μιάσματι τῆ κόσμῳ 2. Pet. ii. 20. 21. Jud. vers. 23. *odio habens*, *vel eam tunicam quæ à carnis contactu sit commaculata*. Ibid. vers. 25. imo ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ. 1. Thess. v. 22. Quæ contra (6) sese impendit, non *uni* tantum aut *alteri* bono operi, ut Pharisaica Luc. xviii. 12. Matth. v. 20. Phil. iii. 6. imo nec in *multis* tantum, sicut Herodes Marc. vi. 20. sed quibusvis: *in omnibus cupientes honestè conversari* Heb. xiii. 18. Phil. iv. 8. Quæ denique (7) non ad *tempus* tantum, Gal. iii. 3. sed ad finem perduret, imo magis magisque *proficiat* Apoc. xii. 11. 1. Cor. xv. 58.

6. Facit ad consolationem.

XVIII. Hinc *sextò*, exploratâ sanctitatis nostræ sinceritate qualicunque, *consolatio* nascetur, in ipsâ nostrâ impuritate; si quando ejus sensu, exclamandum nobis sit: *Va mihi, quod pollutus labiis sum* Jes. vi. 5. Item, *Ut immundus omnes sumus, & sicut vestimentum inquinatum omnes justitiæ, decidimus veluti folium omnes nos, & iniquitates nostræ tanquam ventus dispellunt nos* Jes. lxiv. 6. Item: *quis me liberabit ab hoc corpe mortis?* Rom. vii. 24. Hîc quid efficacius erigit, quam cogitare, Deum sanctum

ſanctum eſſe, ſanctiſſimum, ipſam ſanctitatem, omnis ſanctitatis fontem, qui nos *ſanctificet* Ezech. xx. 12. Qui *deleat*, *ut nubem*, *prævaricationes* noſtras, *ut nubem* (diſſipet) *peccata* noſtra Jeſ. xlıv. 22. Qui Filium *ſanctificarit*, ut nos ſanctificaret, qui ipſum nobis dedit *ſanctificationem* 1. Cor. 1. 30. qui *ſeipſum exponeret* pro nobis, *ut* nos *ſanctificaret*, nosque *purgaret*, *lavacro aquæ per verbum* Eph. v. 24. 26. qui pro *fœdere* nobis promiſit: ſe leges ſuas menti & cordi noſtro inſcripturum, *cor lapideum ablaturum*, eique *cor carneum* ſubſtituturum Heb. vıı. 10. Jer. xxxı. 33. ſe *aquam mundam ſparſurum* ſuper nos, *ut mundemur*, *ab omnibus inquinamentis*: *cor novum & Spiritum novum daturum* nobis, *ut in præceptis ſuis ambulemus*; ſe nos *mundaturum ab omnibus iniquitatibus* noſtris Ezech. xxxvı. 25. 26. 27. 33. Tum etiam in quibusvis adverſis nos ſolabitur, quod *bonus* futurus ſit *Deus*, his qui *mundi fuerint corde* Pſal. lxxıı. 1. Quod olim, viſuri ſint Deum Matth. v. 8. & *quos* ſanctificarit, certo certius *glorificaturus* etiam ſit Rom. vıı. 30. Denique introducturus ſit *ſanctus*, in ſuum *ſanctuarium*, ut ſibi æternum occinamus: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, Jehova Zebaoth Jeſ. vı. 3.

7. Deniquе ad glorificationem Dei.

XIX. Atque in hoc tandem *ſeptimò*, poſtremus eſt ac ſummus ſanctitatis divinæ uſus; ut exemplo *ſanctorum* Angelorum Jeſ. vı. 3. ac ſanctorum cœlitum, tempeſtive aſſueſcamus Deum celebrare à *ſanctitate*, quod non tantum *ſanctiſſimus* ſit, & ipſa ſanctitas; ſed ſe ſanctum etiam præſtiterit ab omni retro æternitate, præſtet etiamnum, & præſtiturus ſit, quo ſe demonſtret *Deum qui* nos *ſanctificat*, procul dubio, ut ſe *ſanctum* perſpiceremus ac celebraremus. Ut in hoc merito finis conſtituatur *electionis*, *redemptionis*, omnisque adeo gratiæ ſalutaris.

CAPUT VIGESIMUM.

DE

POTESTATE ET POTENTIA DEI.

Epheſ. III. verſ. 20. 21.

Ei autem qui potens eſt ſupra omnia, facere ex ſuperabundanti, quæ petimus & quæ cogitamus, ſecundum potentiam illam, quæ operatur in nobis, ei gloria ſit, in Eccleſia.

Caput de poteſtate & potentiâ Dei.

I. Ex attributis, quibus operari Deus à nobis concipitur, poſt vitam, intellectum & voluntatem, hiſque analogas virtutes, veracitatem, bonitatem, amorem, gratiam, juſtitiam & ſanctitatem; ad *poteſtatem* & *potentiam*, progredimur, qua præcedentia attributa operantia, opus ſuum, quaſi immediate attingunt. Quam Apoſtolus egregiè delineat Eph. III. 20. 21.

Pars exegetica.

Super ſtruitur exegeſi textus.

II. *Quibus verbis*, ἐμφατικώτατος continetur δοξολογία, *argumento ducto*, *ab* omnipotentia Dei, *penes quam*, *tria occurrunt*:

1. Δυνάμενος *ſeu* potens, *cui* δοξολογία *impenditur*, τῷ δὲ δυναμένῳ, ei vero qui potens eſt, *ſcil.* Deo. *Hic articulus* τῷ, *videtur poteſtatem habere* διακριτικὴν, *qui Deum potentem deſcriminet à quovis alio potente*; *quin potius*, *ipſum ſolum potentem prædicat*, *abrogata cuivis creaturæ*, *omnipotentia*, *quaſi dicat*: *ei qui* ſolus *potens eſt*, *nihil enim creatura poteſt*, *abſque Deo*, *& Deus omnia poteſt abſque creatura*, *unde* potens *dicitur* ſupra omnia, *&* μόνος δυνάστης 1. *Tim.* VI. 15.
2. Δύναμις *ſeu* potentia, *per quam eſt* δυνάμενος, κατὰ δύναμιν ſecundum potentiam. *Sonat* δύναμις vim, *facultatem*, *virtutem*, *robur*, *quandoque vim edendi res prodigioſas* 2. *Theſſ.* II. 9. *quandoque* abundantiam, *opulentiam Apoc.* XVIII. 3. *qualem Apoſtolus ſapientiæ divinæ tribuit Rom.* XI. 33. ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας.... O! profunditatem divitiarum, & ſapientiæ.... *Sic apud Hebræos* הון. *Sic Ruth.* IV. 11. potentiam *notat*, *& omne id in quo potentia videtur conſiſtere*, *ut expercitus*, *divitiæ*. *Quoties* δύναμις *additur Spiritui*, *vim quandam ſolita majorem indicat*. *Eſt porro*, *potentia*, *vel* producens, *à qua etiam Magiſtratus*, *ſubinde* virtutes δυνάμεις *audiunt Rom.* VIII. 38. *prout Angeli* ἐξουσίαι poteſtates *Eph.* III. 10. *Col.* I. 16. *hoc modo forte dicuntur* δυνάμεις τῶν οὐρανῶν *Matth.* XXIV. 29. *vel* producta, *ſic* miracula δυνάμεις *dicuntur Matth.* VII. 22. *Marc.* VI. 2. 5. *Luc.* X. 13. *Act.*

Act. VIII. 13. *& alibi, quod in eis eluceat divina potentia, plane infinita, ſine qua vera miracula perpetrari nequeunt: vel etiam* vis *producens miracula* Marc. VI. 14. 1. Cor. XII. 10. *Sed, quod hic loci, potiſſimum venit obſervandum, eſt potentia, qua* de jure *poſſis*, ἐξουσία. auctoritas, *ſeu* facultas moralis; *& eſt, qua* de facto *poſſis, alias vis, robur, ſeu potentia phyſica: hæc contractiore ſenſu* δύναμις *dicitur. Duo hæc in* creaturis, *non tantum* diſtinguuntur; *ſed etiam* divelluntur, *ſic ut alicui competat poteſtas* ἐξουσία, *cui non competit* δύναμις, *& vice verſa: in* creatore *coincidunt, qui nihil poteſt* de jure, *quin & poſſit* de facto, *ac viciſſim. Conf.* Jer. XVIII. 6. *cum* Rom. IX. 20. 21. 22. Matth. XX. 15. *Hinc conjungi videntur* βασιλεία regnum, *cui* ἐξουσία competit, & δύναμις potentia Matth. VI. 13. *Interim circa utramque, diſtincte occupabimur hoc capite.*

3. Δυνατὸν, poſſibile, *ſeu potius, potentia divina* operatio. *Circa quam explicatur:*

1. Ἐνέργεια *ſeu* actus. *In voce* ποιῆσαι, efficere, *producere Pſal.* CXV. 3. quicquid vult efficit. *Quæ quidem efficiendi potentia, conſiderari poteſt,* vel *quatenus ſimpliciter* poteſt, *id etiam, quod efficere nunquam vult* Matth. III. 9. *&* Cap. XXVI. 53. *quam, potentiam* abſolutam *appellant, qua conſideratur, ut* ἀυταρκὴς, ſimpliciter potens: vel *quatenus id quod poteſt, inſuper* facit, *qua potentia* ordinata *indigitatur, & potentia* exſecutiva, *qua, quod novit ſe poſſe, atque etiam vult, & effectum dat* Pſal. CXXXV. 6.

2. Ἐνεργούμενον, *ſeu* opus, *potentiæ productum, aut producendum, quod commendatur:*

A. *Ab* objecti *univerſalitate*, omnia, *quæ ſcil. nec* ſuæ *naturæ; nec naturæ* rerum *repugnant* Luc. I. 37. Phil. III. 21. 2. Paral. XX. 6.

B. *A.* potentiæ, *per quam producitur,* ὑπεροχῇ. *Quæ explicatur terminis*

α. Abſolutis, ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ex ſuperabundanti. *Formula eſt, egregiè* ἀυξητικὴ, *quo loquendi modo delectari videtur Apoſtolus* 2. Cor. III. 9. *&* VII. 15. Phil. I. 9. 1. Theſſ. IV. 1. 10. *&c.*

β. Comparativis: quæ petimus & cogitamus, ἀυτούμεθα καὶ νοοῦμεν: *notatur potentia, ſimpliciter* infinita, *qua major, nec* eſſe, *nec* cogitari, *nec expeti poteſt.*

Pars dogmatica.

Poteſtas & potentia Dei infinita, probatur Scripturis.

III. Ex quo patet, quod *poteſtas & potentia*, illimitata & infinita, Deo competat. A quâ *Dominus* Pſal. CXXXVI. 3. & Rex Regum. Dan. II. 47. & IV. 35. *Rex magnus* Pſal. XLVIII. 3. Matth. V. 35. cui *regnum* competat *& potentia.* Ibid. Cap. VI. 13. A quâ potentiâ, paſſim denominatur אביר *fortis* Job. XXIV. 20. שדי Gen. XVII. 1. & XLIX. 25. &c. *omnipotens:* à שדד quaſi *Vaſtator*, qui pro lubitu, ſicut omnia produxit è nihilo; etiam *vaſtare* & in nihilum redigere poſſit: גבור *potens* Deut. X. 17. אמיץ כח *fortis robore* Job. IX. 4. כביר *robuſtus* Job. XXXVI. 5. παντοκράτωρ 2. Cor. VI. 18. Apoc. I. 8. μόνος δυνάστης 1. Tim. VI. 15. Nec his tantum ornatur epithetis; ſed inſuper exſertè *omnia poſſe* pronunciatur, vel è *lapidibus*, Abrahamo ſobolem procreare Matth. III. 9. & XIX. 26. Marc. IV. 36. Luc. XVIII. 26. Imo *nihil non poſſe* Rom. IX. 19. Quod *brachio, dextrâ* forti, & extenſâ, cœlum & terram extenderit 1. Paral. XXIX. 12. Jer. XXXII. 17. Ut ab his omnibus, haud ab re, ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ, extollat Apoſtolus Eph. I. 19.

Et rationibus.

IV. Et quis tandem dubitabit? Cum 1. Ens *primum*, priorem non admittat, qui ſuam poteſtatem ac potentiam *limitet.* Cum 2. poteſtas & potentia procul dubio, in *perfectionibus* ſint, quæ nihil imperfectionis involvunt. Cum 3. per *ſimplicitatem*, poteſtas & potentia, cum eſſentiâ *infinitâ* coincidant; neceſſum ipſas quoque infinitas eſſe. Cum 4. omnia, ſuam *poteſtatem* ac *potentiam*, aut non habeant: aut à *prima* cauſâ habeant; quæ non poteſt non ὑπερόχως habere, quod communicat.

Poteſtas Dei quid?

V. Omnibus hiſce titulis & argumentis, docetur, tum *poteſtas*, tum *potentia*, quæ in creaturis quandoque ſeparata exiſtunt, ut facias *potentia*, quod non poſſis *jure*; in Deo coincidunt: quicquid enim *poteſtate* ſeu jure poteſt, id etiam *potentia* ſeu viribus poteſt, & vice verſâ. Diſtinguuntur tamen, ſic, ut *primò poteſtas* ἐξουσία Dei, ſit *jus* ejus ac dominum univerſale, independens & abſolutiſſimum, in omnes creaturas, ſtatuendi de ipſis plane ex ſententiâ. Jus enim ei competit. Rom. I. 32. Rom. IX. 20. 21. Matth. XX. 15. quo *omnia, ſua* ſunt, tam κτήσει, quam χρήσει, *cœlum & terra* 1. Paral. XXIX. 11-16. terra & omnis *ejus plenitudo* Pſal. XXIV. 1. *pecora campi* Pſal. L. 10. 11. *aurum* & argentum Hag. II. 9. imprimis *homo* Rom. XIV. 8. & peculiariter ejus *anima* & *corpus* 1. Cor. VI. 20. Ezech. XVIII. 4.

Ejus fundamentum ac tituli.

VI. Cujus juris *fundamentum*, in ſolâ eſt *deitatis* ὑπεροχῇ, quâ omnibus mille paraſangis eſt ſuperior Jeſ. XL. 17. 22. 23. eoque velut ſub *pedibus ſuis* habet Jeſ. LXVI. 1. Hac enim ſolâ poſitâ, exiſtit *jus & poteſtas*, etiam in ea, quæ necdum exiſtunt, ſcil. *ut ſint*, pro ſua voluntate, ac tum ſint, ac talia. Interim ejus *tituli* plures eſſe poſſunt, nim. 1. *Creatio*, quâ jus obtinet in omnia, ut artifex *in opus* Jer. XVIII. 6. Tum 2. *ſuſtentatio* ac beneficium quodvis, quo creaturam ſibi obſtringit ad gratitudinem Deut. XXXII. 6. Porro, in creaturis *rationalibus* peculiariter 3. *Redemptio*

1. Cor. VI. 19. 20. Tit. II. 14. Et 4. *Confœderatio*, quâ nos Deo tradimus 2. Cor. VIII. 5. Rom. XII. 1. Psal. CXVI. 16. Etiam 5. *peccatum*, quo jus puniendi, non quidem accipit; sed *exercet* Rom. I. 32. quod etiam *δικαίωμα τῦ νόμυ* dicitur Rom. VIII. 4.

Ejus objecta.

VII. Potestas hujus juris, sese extendit in quævis (1) in *possibilia*, ut quotquot ex iis velit, *fiant* Psal. CXV. 3. quin prorsus *sic* fiant, ut vult Jer. XVIII. 6. reliqua, tantum sibi *possibilia* maneant. Thren. III. 37. (2) In omnia quæ *existunt* 1. Paral. XXIX. 11-16. usque ad *regna* & *imperia* Dan. II. 21. (3) In creaturas *rationales*, quas, non tantum motu *physico* flectat, quo vult, insicias, sicut reliquas Prov. XXI. 1. sed etiam *morali*, præscribens *facienda* & *fugienda*, ut scientes *volentes* obsequantur Rom. VI. 6. Comprimis (4) in Electos. Joh. XVII. 9. 10. jure quasi *parto*.

Ejus exercitium & actus.

VIII. Jus potestatis istius, in hæc omnia, Deus *exercet* promiscuè quidem, *statuendo de iis* plane *ex sententia* Psal. CXV. 3. Matth. XX. 15. sed tamen diverso modo; A. In *possibilibus*, dum ex iis, quæ vult, & prout vult, traducit in actum: faciendo etiam ex *eâdem massa*, *vas ad decus & ad dedecus* Rom. IX. 21. B. In *existentibus*, dum sustentat, quamdiu *vult* Psal. XC. 3. destinat & applicat usui, quem vult 2. Tim. II. 20. transfert regna & opes, in quem & quomodo *vult* Dan. II. 21. Exod. XI. 2. terminum vitæ ac mortis figit Job. XIV. 5. & prorogat pro lubitu Jes. XXXVIII. 5. C. In *rationalibus*, dum eligit, reprobat, redimit, vocat, regenerat, convertit, Justificat, sanctificat, glorificat & condemnat, quem vult Eph. I. 5. Rom. IX. 18. 21. Matth. XI. 25. 26. porrò dum eisdem leges *fert*, easdem *sancit*, sancitas præstat & *exequitur* prout vult: imo dum liberos censet in parentibus, & parentum peccata imputat liberis Rom. V. 12. 14. 16-19. Exod. XX. 5. Thren. V. 7. prout etiam, dum justitiam *unius donat multis* Rom. V. 12. D. In *electis*, sua charismata dispensans prout vult 1 Cor. XII. 8-11.

Ejus affectiones.

IX. Tandem, ista potestas est: A. *independens* & æterna, quia innititur ejus Deitati, nec à creaturis quicquam *accepit*, quod *sibi retribuatur* Rom. XI. 35. 36. Quamvis *exercitium* potestatis, aliquid non nunquam prærequirat, ut punitio, peccatum; dum tamen hinc, nihil *accrescit* potestatis Deo, prout *à maleficiis*, non crescit potestas Judicis, quam præsupponit maleficus. Imo quicquid potestatis, quivis obtinent, non aliunde obtinent, quam ab hoc *potestatis fonte* Rom. XIII. 1. Col. I. 16. Jac. IV. 12. Hinc B. *infinita*, illimitata, absolutissima & plane *ἀνεξέλεγκτος*. Quis enim limitaret, aut restringeret absolute primum? Rom. IX. 19. Quis obloqueretur? Ibid. vers. 20. Matth. XX. 22. 23. Atque etiam C. Deo *peculiaris* & incommunicabilis, quia innititur Deitatis *ὑπεροχῇ*: Quamvis potestatem mediatoriam & œconomicam, quâ Ecclesiam concernit, *traduxerit* in Filium Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 20-23.

Potentia Dei quid sit.

X. *Secundò potentia*, *δύναμις* seu *robur*, quo potest operari quæ *non* vult, & operatur omnia quæ *vult*. Proinde potentia ipsi competit, non quâ *patiatur* (pateretur enim ab alio, se hactenus priore, atque etiam mutabilis esset) sed quâ *operetur*, seu aliquid producat. Nec illa ipsi competit quatenus contradistinguitur *actui*, quasi operando, ex *otioso* fieret negotiosus; est enim purissimus actus: sed quatenus creatura, quæ antea non subibat operationem Dei, per voluntatem ejus, jam subit, nulla hinc eveniente *mutatione* in operante; sed in opere. Sicut in Sole, qui jam calefacit hominem, quem non calefaciebat antea, non accidit mutatio; sed in homine, qui antea non subibat radios solares, & jam subit. Nec etiam *potentia* Deo competit, quæ revera sit diversa ab ejus *voluntate*; quamvis cogitatione nostra distinguatur ab eadem: concipimus enim *potentiam*, quæ *antecedit* voluntatem, quâ simpliciter *potest*, & hæc coincidit cum *sufficientiâ* essentiæ Rom. XI. 23. & quæ *sequitur* voluntatem, quæ suo modo posterior est sufficientiâ, & ad *efficientiam* spectat, quatenus quod vult, exsequitur Psal. CXV. 3. & CXXXV. 6. Ut hic ordo veniat concipiendus; quo cogitamus, primò Deum *posse*; tum *scire* quod possit; porrò *velle*, quod scit se posse; denique *efficere* potenter quod vult; quod proinde, revera non differt à potentiâ: docente hoc syllogismo fidei Matth. VIII. 2. 3. *Domine si vis sanare, potes: volo, ergo factum est*: ubi à *voluntate* arguitur, ad *potentiam* accedente.

Extenditse ad omnia.

XI. Extendit ista Dei potentia se ad *omnia*, à quo *omnipotens παντοκράτωρ* dicitur 2. Cor. VI. 18. Apoc. I. 8. Quatenus potest omnia *quæ vult* Psal. CXV. 3. *plura* quam vult Matth. III. 9. & XXVI. 53. sic ut nemo & nihil ipsi possit obsistere Rom. IX. 19. idque absque *difficultate* aut fatigatione potest Jes. XL. 28. Imo & quæ *naturâ* sunt impossibilia Matth. XIX. 26. attamen quod *naturâ* est impossibile, hoc Deus per *omnipotentiam* non potest: implicat enim, Deum posse *efficere*, quod non potest *fieri*. *Naturâ* autem id impossibile est, quod contradictionem involvit: hoc enim, dum non potest esse *ens*; non potest etiam esse *opus potentiæ*. Involvitur autem contradictio, vel à *parte Dei*, quando opus *imperfectionem* diceret, in perfectissimo operante; ut, quando *mentiri* aut fallere posse diceretur: vel à *parte rei*, quando res seipsam everteret, ut triangulus qui non haberet tres angulos. Utrumque hoc contradictorii genus, Deo impossibile est, quod inferat, quod *Deus seipsum negaret* 2. Tim. II. 13. seu quo diceret se *Deum* non esse. Si enim v. g. mentiretur, diceret se *perfectissimum*, & hinc *Deum* non esse. Quod non tantum de priori *contradictorii genere* capiendum;

dum; sed etiam de *posteriori*: si enim Deus triangulum faceret, qui tres angulos non haberet, haberet aliam trianguli *ideam* quam habet, adeoque *alius* esset ab eo qui est, & consequenter diceret, se non esse eundem qui erat, &, cum *fuerit* Deus, se jam *non esse* Deum.

Quænam impossibilitatis radix.

XII. Proinde, quod impossibilia non possit, non est ab aliquo *defectu* potentiæ; sed ex ejusdem *abundantiâ*. Si enim posset impossibilia, v.g. mentiri, peccare; posset esse *non omnipotens*. Unde Deum *per potentiam*: seu potentissimè non posse dicimus, non *per infirmitatem*: atque etiam accuratius dicimus, *rem* non posse *fieri*; quam *Deum* non posse *facere*. Non potest autem *res fieri*, quia, aut naturæ & perfectioni divinæ repugnat; aut voluntati ac decreto; aut Majestati; aut sibi. Posse autem quod est *possibile*, per potentiam; Deus dicitur: non quasi illud *prius naturâ* esset possibile, quam Deus possit; sic enim ab eo potentia Dei penderet: sed quod *res sit possibilis*, quia *Deus* eam *potest*. Prout vice versâ, Deus hoc aut illud non potest, non quia illud est *impossibile*; sed impossibile est, *quia Deus* illud non potest. Ut radix & fundamentum possibilitatis & impossibilitatis, non sit *in rebus*; sed in *potentiâ* Dei.

Potentia absoluta & ordinata.

XIII. Potentia, utcunque *una* est, & *simplicissima* in Deo, quod ipsa sit ejus *essentia*; distingui tamen à nobis solet, in *absolutam*, quatenus eam concipimus, ut *antecedere* voluntatem ejus Eph. III. 20. Marc. v. 47. & *ordinatam*, quatenus concipimus, illam *sequi* voluntatem: per quam, non jam potest tantum, *si vult*; sed *efficit* etiam quod vult Psal. CXXXV. 6.

Affectiones potentiæ divinæ.

XIV. Ex dictis tandem potentia Dei est: 1. ipsa ejus *essentia*, seu *deitas potens*; in Deo enim, non est res & res. Hinc 2. *infinita*, non tantum *in se*, quatenus est ipse Deus omnipotens Gen. XVII. 1. nec tantum ex *operandi perfectione*, quatenus *nutu* operatur, quicquid operatur Psal. XXXIII. 9. Jes. XL. 28. Eph. I. 19. Phil. III. 21: sed etiam ex *objecto* Luc. I. 37. quatenus sese extendit, ad omnia *possibilia* (perinde ac intellectus, propter suam infinitam, ad omnia *intelligibilia*) nec unquam *tantum* efficit per potentiam, quin plus possit Eph. III. 20. Quamvis enim omnia quæ potest, non possint *simul* existere; quod sic infinitum *actu* daretur præter se, suaque potentia quasi *exhausta* esset, proinde omnipotens non esset; attamen Deo potentia non deest, quâ *posset* producere, si *existere* rebus non repugnaret. 3. *Independens*, ut possit *per* media, *absque* mediis, *contra* media 1. Sam. XIV. 6. Denique 4. *æterna* Rom. I. 20. licet enim ab æterno non *fuerit* operatus extra se; attamen ab æterno *potentiam habuit*, & eandem habuit, quâ, cum voluit, mundum operatus est. Atque per hanc, etiam ab æterno mundum *potuisset* producere; si modo mundus ab æterno potuisset *existere*.

Pars Elenchtica.

Quæritur.

XV. Quæritur 1. An fundamentum omnis potestatis divinæ in homines, sit creatio, fœdus, beneficium & peccatum? Remonstrantes, quo efficacius rejiciant æternam reprobationem, hominis necdum creati aut lapsi; affirmant omnem potestatem Dei in hominem, niti vel *creatione*, per quam velut figulus habeat potestatem in lutum Jer. XVIII. 6. Rom. IX. 10. vel *confœderatione*, qua homo se obstrinxerit Deo; vel *peccato*, quo se reum fecerit; vel *beneficio*, ex quo ad gratitudinem teneatur: &, cum nil horum ab æterno obtinuerit; etiam nullam habuisse potestatem reprobandi hominem. Reformati distinguunt inter *potestatem* ipsam, & ejus *exercitium*, sic ut *potestatem* Deus habeat, ab infinita deitatis suæ ἐξοχῇ, seu quia *Deus* est, & supremus rerum omnium *Dominus*: dum *exercitium* hujus potestatis, varia prærequirit, nim. *existentiam* objecti per *creationem*; *peccati*, ut puniat; *beneficii*, ut gratitudinem exigat; *fœdus*, ut promissum postulet. Non autem Dei *potestatem* resultare à quovis alio, quam ab ejus *deitate*. Quod his rationibus ipsis innotescit: 1. Quia Scriptura testatur: Deum potestatem habuisse in Jacobum & Esavum, necdum creatos, necdum *existentes*, necdum sibi *confœderatos*, necdum *peccato* obnoxios, antequam pueri, *nati* essent, aut *boni malive* quicquam perpetrassent, *potestatem* habuisse, & quidem eligendi aut rejiciendi Rom. IX. 11, 12, 13. Item *miserendi* aut non miserendi, aut etiam indurandi vs. 15. 18. Scil. quemadmodum figulus, *potestatem* habet in lutum, ut ex eadem *massa*, efficiat vas ad *decus* & *ad dedecus*. vs. 21. Tum 2. Si à quovis acciperet *potestatem*; non esset *independens*, nec infinita, & sic in Deo esset aliquid dependens, aliquid finitum, quod indies invalesceret, & majus fieret. Et cum 3. *potestas* & *potentia*, per summam Dei simplicitatem, sint ipse *Deus*, seu *essentia* ejus potens: sequeretur quod essentia divina, possit incrementa capere. Etiam 4. Ab æterno potestatem habuit, ex infinitis possibilibus, hæc præ illis decernendi, quæ in futuritionem transirent. Tandem 5. & in foro civili, Judex à malefico, aut a maleficio, non *accipit potestatem* puniendi maleficum; sed *exercitium* tantum potestatis, cujus jus jam ante habebat. Nec valet in contrarium: A. Quod v.g. filius doctrina, sapientia, virtute aut robore Patrem excellens, ex his tamen, non consequatur potestatem in Patrem suum, atque ita, Deum ab ὑπεροχῇ deitatis, sola, obtinere potestatem, in hominem absque creatione..... Est enim dissimilis ratio, quia Pater habet *potestatem* in filium, sibi ex paternitate, collatam, quam ulla sua prærogativa, filius ei non potest adimere. Eodem modo B. fac in Aristocra-

1. An fundamentum potestatis divinæ sit in sola eminentia deitatis?

Sententia Remonstrantium.

Et Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones Remonstrantium.

tia aut Democratia, esse qui omnes suos concives vincat sapientia, probitate aliisque virtutibus; hanc tamen, eo ipso: non obtinere potestatem concivibus suis imperandi, ratio enim diversitatis in eo est, quod potestas imperandi: conferatur à Deo Rom. XIII. 1. 2. 3. Quamvis interim, si sibi potestas competat eligendi Magistratum, ex præscripto divino, teneantur eligere optimum & commodissimum regimini Exod. XVIII. 21. Porro C. Angelis, licet præ omnibus hominibus præstantia competat & ἐξοχὴ; non tamen potestas in hominem, quia Deus eam Angelis non contulit. Singulatim D. Ex *creatione*, Deo non accrescit potestas, quia sic infinitum plura creasset, quo major redderetur sua potestas, licet potestatem, quam ab æterno habuit, ex deitatis suæ ἐξοχῇ possedit, non possit actu exercere, nisi existente per creationem objecto. Nec E. *Maleficium* seu peccatum creaturæ, Creatori *potestatem* conciliat puniendi, quemadmodum nec Judici civili conciliat: licet causa sit demeritoria pœnæ. Idem fere F. dici possit de *confœderatione*, utpote quæ auget quidem obligationem in confœderato, præstandi promissa sua; sed non fundat potestatem Dei in promittentem. Nec tandem G. Deus sua *reprobatione*, injuriam facit reprobo, non existenti, quod eum destinet in gloriam justitiæ suæ vindicativæ: cum præsertim ipsum non puniat, nisi intercedente peccato & demerito suo.

2. An, per potestatem suam, æqualibus possit decernere inæqualia?

XVI. Quæritur 2. An, per potestatem suam, Deus, citra προσωπολημψίας & injustitiæ notam, hominibus æqualibus, possit decernere inæqualia? Remonstrantes, Lutherani, aliique, quo ex fide & infidelitate prævisa, universum electionis & reprobationis negotium, commodius suspendant, & in prævisis, inæqualitatem quandam nanciscantur, juxta quam, inæqualia ipsis decreverit; negant: Reformati affirmant: 1. Quod Scriptura affirmet Rom. IX. 11... 23. Jer. XVIII. 6. Quod 2. Æquales pariter & inæquales *inter se*, sint ex æquo *suum*, de quo *possit* statuere pro arbitrio Matth. XX. 15. Quod 3. *potestas* Dei sit *infinita* & absolutissima, quam non possit limitare creaturarum, seu æqualitas, seu inæqualitas Rom. IX. 20. 21. Cum præsertim 4. Non subsit, aut Legi, aut Legislatori, quibus potestas ejus restringatur Jac. IV. 12. Nec 5. *decernere* quodvis, quippe actus Dei *immanens*, creaturam afficiat, seu bono, seu malo: utpote ab æterno nondum existentem Rom. IX. 11. nec malum dispensset, nisi prævio peccato. Si dicant: 1. Esse in hoc προσωπολημψίαν: dicemus, vitiosam προσωπολημψίαν, non aliud esse, quam æqualibus, *talibus*, quibus, ex præscripto superioris, ad æqualia obstrictus es, inæqualia conferre: aut Deus superiorem non agnoscit, qui præscribat, nec ipse quovis modo obstrictus est, ad æqualia Rom. XI. 35. 36. Si dicant 2. Esse in hoc *injustitiam*, si, quibus æqualia competunt, inæqualia

Argumenta Reformatorum.

Objectiones adversariorum.

præstes: dicemus, *injustitiam* esse, quando, quod *suum* est, cuiquam non tribuis: at creatura respectu Creatoris, proprie nihil habet quod *suum* sit 1. Cor. IV. 7. Joh. III. 27. Jac. I. 17. 18. conf. quæ in hanc rem monuimus cap. XVIII. §. X.

3. An per suam potestatem, Deus possit peccata Parentum punire in filiis?

XVII. Quæritur 3. An, per suam potestatem, Deus possit peccata parentum punire in filiis? Pelagiani & Pelagianizantes, qui imputationem peccati *primi*, non recipiunt, quales nostri sunt Sociniani; negant simpliciter. Reformati distinguunt inter peccatum *primum* protoplastorum, & sequiora, quæ à Parentibus proximis aut remotioribus, sunt commissa: tum *illud* quidem, in posteris omnibus, Deum posse punire, & punire etiam actu, eo quod istud, peccatum fuerit totius *naturæ* humanæ: *sequiora* vero, ceu *personalia*, Deum non semper quidem punire *in filiis*; sed *posse* tamen; tum præsertim, cum filii, vel *propensi* sunt in idem peccatum parentum, illud probant, aut se, quomodocunque, ejus participes fecerunt: interim filios plane innocentes, nunquam punire propter peccata parentum. Quia: 1. Scriptura sic ἐντῶς determinat Exod. XX. 5. *qui visito peccata parentum in liberos, in tertiam & quartam generationem, eorum qui me odio prosequuntur*, sive *odium* illud referas ad parentes; sive ad generationes eorundem; saltem Deo potestas tribuitur visitandi, seu puniendi peccata perentum in liberis. Idem dicitur cap. XXXIV. 7. Quia 2. *peccatum* primum protoplastorum, totius naturæ humanæ est, & in mundum venit, & per illud mors Rom. V. 12. Quia 3. potestas Dei independens *absolutissima*, se perinde extendit in liberos, ac in parentes, tum comprimis, quando peccata parentum imitantur, aut probant, aut in illud se proclives ostendunt. Quia 4. Filii perinde peccatores sunt ac parentes, adeoque infinitæ pœnæ obnoxii sunt, ex quo, secundum ipsos adversarios, Deo potestas competit, etiam peccata parentum, in ipsis vindicandi. Addam 5. quod filii ex sententia Jure consultorum, sint *partes* parentum, eoque parentes puniantur in liberis. Nec juvat Adversarios; A. Quod Deus pronunciet, se nolle peccata parentum punire in filiis Ezech. XVIII. 20. Loquitur enim 1. per totum istud caput, de filiis innocentibus vs. 14... 18. quos non *velit* Deus punire, propter peccata Patris, quamvis ex absolutissima potestate *posset*. Loquitur 2. de peccatis *personalibus* parentum, quæ Deus *ordinarie*, non vult punire in filiis, non autem de peccato primo, quod est peccatum totius *naturæ* humanæ. Obloquitur 3. calumniæ Judæorum, qui Deum injustitiæ accusabant dicerent, quod se propter *sola* peccata parentum puniri, non autem propter peccata propria: respondet Deus, se non necessum habere, ut eos puniat propter peccata aliena, esse sufficiens peccatorum pondus *in ipsis*, ob quod juste puniantur; proinde se *non velle*, peccata parentum

Sententia adversariorum, & Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones.

puni-

punire in ipſis: non autem dicit, ſe *non poſſe*, ſi vellet. B. Quod videatur ſpirare *injuſtitiam*, punire peccatum unius in alio, cum juſtitia *ſuum* cuique tribuat. Spirat enim injuſtitiam, tum demum, quando punitus plane *innocens* eſt; non autem tum, quando, per propria peccata, juſtitiæ divinæ *vindicativæ*, dudum eſt obnoxius, idque ad infinitam pœnam. Alias quæſtiones, ad *poteſtatem* Dei ſpectantes, dudum expedivimus cap. XVIII. de *juſtitia* Dei, cui admodum ſaltem affinis eſt, ſi non eadem, *poteſtas* Dei, quatenus *poteſtas* non eſt, niſi facultas agendi, *de jure*.

4. An in Deum cadat potentia paſſiva?

XVIII. De potentia Dei quæritur 4. An in Deum cadat potentia *paſſiva*, qua poſſit à creaturis pati, ſeu bonum, ſeu malum? Conradus Vorſtius cum Socinianis, ut habeant Deum, qui ab arbitrio humano pendeat, & pro ejus lubitu, in horas mutetur, affirmant; Reformati negant. Quia: 1. Scriptura negat, ipſum à creaturis poſſe recipere aliquid, ſeu boni, ſeu mali Pſal. XVI. 2. Job. XXII. 2. & cap. XXXVII. 7. Pſal. L. 9... Rom. XI. 35. Zach. VII. 5. Quia 2. Sic ſe priorem haberet à quo pateretur, nec proinde ens eſſet *abſolute* primum Jeſ. XLIV. 1. Apoc. XXI. 6. Quia 3. Sic non eſſet *independens*, adeoque nec *Deus*. Sic 4. non eſſet *immutabilis*, quod enim patitur, id mutatur. Sic 5. eſſet *corruptibilis*, cum enim qui *patitur*, mutetur, vel in *melius*, vel in *perinde* bonum, vel in *deterius*, quo *corrumpitur*; & Deo melius dari non poſſit, neque *perinde* bonum; non maneret niſi ipſum mutari in deterius, eoque corrumpi. Nec valet in contrarium, quod virtute colatur, & peccato offendatur: neque enim vel virtus, vel vitium ejus attingit *eſſentiam*, ut ea patiatur; ſed *legem* potius, & eatenus *Legiſlatorem*. Spectat autem hæc controverſia ad caput de *immutabilitate* Dei, ubi plura hujus generis.

5. An potentia Dei, ſit infinita in ſe; an quoad nos tantum?

XIX. Quæritur 5. An potentia Dei, ſit *infinita in ſe*, omnes limites excludens; an *quoad nos* tantum? Vorſtius & Sociniani, quia Deum *finitum* docent, qui eſſentia tenus, non ſit extra cœlum, & qui à nobis definiri poſſit; ſtatuunt *potentiam* Dei, *infinitam* dici, non quod nullos *habeat* fines: ſed quod *talem* habeat, quæ creaturarum potentiam excedat, & cujus fines, nos *mente* noſtra non poſſimus *aſſequi*. Reformati tradunt, Dei potentiam eſſe *in ſe* & *abſolute* ac ſimpliciter infinitam. Utpote quæ: Non tantum poſſit *ſupra omne*, quod nos *petimus* aut *concipimus* Eph. III. 20. 21. ſed & ſimpliciter *omnia* Phil. III. 21. Luc. I. 37. velut παντοκράτωρ 2. Cor. VI. 18. Apoc. I. 8. & IV. 8. qualis non eſt, qui aliquid *non* poteſt, à quo μόνος δυνάστης audiat 1. Tim. VI. 5. אל גבר Jeſ. IX. 5. conf. §. III. Quæ 2. ſit ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, cui competat ἐνέργεια τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος Eph. I. 19. Quæ 3. per omnimodam ſimplicitatem, coincidit cum *eſſentia* Dei, quam *abſolute* infinitam eſſe, cap. IX. demonſtravimus. Et ſi 4. in ſe & *ſimpliciter* finita; daretur ſane, qui eam limitaſſet, isque prior & potentior ipſo Deo. Et ſane 5. omnium uno ore, perfectius eſt, poſſe *omnia* ſimpliciter, quam *ſecundum quid* tantum: item potentiam habere *abſolute* infinitam: quam limitate talem, *quoad nos* tantum. Hinc enti perfectiſſimo, non poteſt competere. Ne dicam 6. quod, ſi potentiam concipiamus, quæ non ſit *in ſe & ſimpliciter* infinita: dici non poſſit, eum potentiam habere, *ſic infinitam*, quæ mentem & captum noſtrum excedat. Nec valet, quod pro contrario objiciunt: A. Potentiam Dei contrahi & reſtringi per voluntatem ejus: quoniam 1. non ipſa *potentia*; ſed ejus *exercitium* quoad *objecta*, per libertatem ejus voluntatem Pſal. CXV. 3. & XXXIII. 9. reſtringitur, & reſtringi debet, ne accidant duo infinita, eoque nullum. Proinde 2. non ea potentia per voluntatem reſtringitur, qua ſimpliciter *poteſt*, de qua nobis hîc eſt quæſtio; ſed ea qua *operatur*, ſeu potentia *exſecutiva*. B. Intellectum Dei excedere ejus potentiam, quatenus plura intelligit quam poteſt producere. v. g. ſeipſum intelligit, infinita intelligit, quæ non poteſt producere. Reſp. 1. Intellectus & potentia, propter ſummam Dei ſimplicitatem, à parte Dei, unum plane ſunt idemque, licet *intellectus*, ad plura ſe extendat *objecta*, quam potentia. 2. Sicut intellectus ſe extendit, ad omnia *ſcibilia*; ita & potentia ad omnia *poſſibilia*, absque ulla diſparitate. 3. Quamvis potentia Dei *ordinata*, quippe *reſtricta* per *voluntatem* Dei, ſe non extendat ad omnia poſſibilia, voluntas tamen *abſoluta*, ſe extendit ad omnia poſsibilia, quæ infinita ſunt. C. Deum non poſſe contradictoria, non abnegare ſeipſum, non mentiri &c. proinde potentiam ejus non eſſe ſimpliciter infinitam. Reſp. Iſta omnia non præſtare *objecta* alicujus *potentiæ*: ſed objecta potius *impotentiæ*. Poſſe enim mentiri, peccare, ſeipſum abnegare &c. non potentiam ſonat, & perfectionem: ſed impotentiam & defectum. Proinde potentia Dei, *infinita* nequaquam foret, ſi illa poſſet: ſic cenſente Auguſtino, De Symb. lib. 1. *Deus cum omnipotens ſit, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt. Nam ſi mori poſſet; non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi fallere, ſi falli, ſi inique agere: non eſſet omnipotens: nam ſi hæc in eo eſſent; non fuiſſet dignus, qui omnipotens eſſet.* Conf. cap. *De infinitate Dei.*

Sententia Sociniano-rum.

Et Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones.

6. An Deus multa fieri *velit*, quæ per omnipotentiam, non faciat? Pelagiani & Socinian, quia tuentur independentiam liberi arbitrii, & vires ejuſdem à peccato primo, plane illæſas; ut obtineant, eum perfectam legis obſervantiam, hominumque omnium & ſingulorum æternam ſalvationem, ſerio velle, ſi modo homines velint: ſtatuunt non omnia quæ velit fieri, per omnipotentiam effici? 6. An nulla fieri velit, quæ, per omnipotentiam, non faciat?

Divortium sententiarum.

tentiam ejus actu fieri. Semipelagiani, item Jesuitæ, Arminiani, aliique omnes, qui tuentur voluntatem Dei antecedentem & conditionatam, seu *velleitatem*, item liberi arbitrii vires, sauciatas quidem fuisse, peccato protoplastorum; sed non extinctas, ut habeant, Deum nihilominus serio velle, omnes & singulos salvos fieri; statuunt ipsum multa velle, quæ per omnipotentiam, nunquam efficiat. Lutherani, quamvis agnoscant, vires liberi arbitrii ad bonum *spirituale*, penitus extinctas esse, quia tamen statuunt, homines, per arbitrii sui vires, posse, saltem, Spiritui S. fidem & resipiscentiam, q. parturienti, *positive* non repugnare, sacra frequentando, orando &c. itidem existimant, Deum multa velle fieri, quæ per omnipotentiam non efficiat. Reformati ex adverso, Deum, voluntate *legislativa*, seu *præcepti*, multa velle, quæ juxta voluntatem *decretivam*, per omnipotentiam suam non efficiat: statuunt, quicquid Deus *vult ut fiat*; illud ipsum, per suam omnipotentiam, actu efficere. Eo quod: 1. Scriptura passim testetur, Deum *facere*, *quicquid vult* Psal. cxv. 3. Hinc Paulus Rom. ix. 16. cujus *vult*, *miseretur*; & quem *vult*, *indurat*: addito etiam vs. 19. ejus *voluntati quis resistet*? Item vs. 22. Deus *volens*, iram suam *ostendere* & *potentiam* suam.... in vasis iræ..... *compactis* ad interitum. Et hæc 2. est vis syllogismi illius fidei, qui exstat Matth. viii. 2. 3. Domine, *si velis potes*: volo, Ergo *factum* est. Ubi argumentum procedit, à *voluntate* ad *potentiam* accedente, & hinc ad effectum. Hinc 3. *voluntas* accedens ad potentiam, principium est *effectivum*, mundi creati Apoc. iv. 11. *per voluntatem tuam sunt*, & *creata sunt*, & Psal. xxxiii. 9. *ipso præcipiente existit quicquid est.* Et 4. nisi efficeret, quod serio *vult*; esset sane quod *resisteret* & impediret, id quod negat Scriptura 2. Paral. xx. 6. In manu tua est vis & potentia, ac *nemo tibi potest obsistere* Rom. ix. 19. Et sic 5. quicquam resisteret & impediret, esset, manifesta contradictione, *potentius potentissimo*. Insuper 6. independens, dependeret à dependente. Etiam 7. dependens fieret independens, atque insuper 8. *Infinita* potentia, finiretur. Nec 9. beatissimus esset omnibus modis *beatus*, quippe qui voluntate sua non possit frui. Et 10. perfectissimus, non esset *plene perfectus*; cum omnium sententia, perfectius sit *perficere* quod *velis*, quam *non perficere*. Si causentur in contrarium: A. *Ego volui* filios vestros congregare... Sed *vos non voluistis* Matth. xxiii.... Respondebo α. loquitur textus de voluntate *Christi*, ut *hominis*, non de voluntate Dei, seu Christi, ut Dei. β. Si etiam de voluntate Christi *divina*; etiam *congregavit* filios Jerosolymæ, non volentibus etiam Pharisæis, & quibusvis aliis. Si dicant B. voluit ut Pharao dimitteret *Israelem*. Resp. voluit *præcipere*, voluit ex præcepto, esse officium Pharaonis; sed non voluit *fieri*. Si C. Non *vult mortem peccatoris*, *sed ut convertatur & vivat* Ezech. xxxiii. 11. Resp. Non *delectatur* in genere, seu in *idea*, morte peccatoris; sed potius *delectatur conversione* peccatoris & vita ejus. Scil. voluntate *legislativa*, quatenus vult peccatori *præcipere* resipiscentiam, & *promittere* vitam. Si porro dicant D. vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire 1. Tim. ii. 4. quod tamen non fit. Resp. 1. Non dicit *omnes & singulos*, quod est κρινόμενον; sed *omnes* tantum, seu *quovis*, sicut Luc. xi. 42. Marc. i. 5. ex omni hominum *sorte*, tam *Reges*, pro quibus *jubet* orare, quam subditos. 2. Vult omnibus præscribere *agnitionem* veritatis, & ad eam, promittere salutem; voluntate *legislativa*; sed non voluntate *decreti*, *ut fiat* in omnibus: sic enim nemo damnaretur, contra sententiam Christi Matth. xx. 16.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones.

XXI. Quæritur 7. An Deus per absolutam potentiam suam, possit facere contradictoria? Sociniani, ut habeant, potentiam Dei, *in se* & simpliciter, non esse infinitam, negant eum posse contradictoria §. xix. Fanatici Weigeliani ex adverso, quia est omnipotens, *posse* etiam quæ sint contradictoria: Cartesius cum suis, quia omne possibile & impossibile, suspendunt à volitione Dei, distinguunt, inter contradictorium, ex *parte Dei*, & ex *parte rei*; prius plane videntur statuere impossibile; de posteriore nihil determinare sustinent. Cartes. *Respons. sext.* §. 6. Wittich. *Theol. pacif.* §§. cxcix. cc. cci. Reformati determinant, Deum non posse ulla contradictoria. Si enim 1. ex concesso, non potest contradictoria ex parte *sui*, seu quæ repugnant *naturæ* suæ, tum non potest etiam ea, quæ sunt contradictoria, ex parte *rei*; quia hac ratione, mens Dei, quæ cum ejus *natura* coincidit, contradictorias gestaret *ideas*, v. g. ideam hominis qui non esset homo. Hinc contradictoria ex parte rei, etiam sunt talia ex parte *Dei*; proinde 2. Si contradictoria posset, *seipsum negaret*, contra Apostolum 2. Tim. ii. 13. *Esset* enim qui *non est*. Posset etiam 3. *mentiri*, contra Scripturas Tit. i. 2. Heb. vi. 18. Si enim possit contradictoria facere; posset etiam contradictoria *loqui*. Et quid tandem est *mentiri*, nisi contradictoria sustinere? seu *verba* quæ contradicant *menti*; seu *mentem*, quæ contradicat *rebus*? Explicante Apostolo 2. Cor. i. 17. ut sit apud me ναὶ καὶ *& etiam & non*. Quin in hoc etiam ex professo fidem Dei collocat & Christi vers. 18. πιστὸς γὰρ ὁ θεὸς, ὅτι ὁ λόγος ἡμῶν, ὁ πρὸς ὑμᾶς, οὐκ ἐγένετο, ναὶ καὶ οὔ. vs. 19. ὁ γὰρ τοῦ θεοῦ υἱὸς, Ἰησοῦς Χριστὸς... οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. Addam 4. Quod hac ratione, contradictoria etiam possent esse vera, per quod, omnis vis ratiocinandi cessaret, utpote quæ se exonerat, in hoc primum suum principium; *idem non posse simul esse & non esse*. Ne dicam 5. futurum etiam, per istam sententiam ut teneamur fide divina credere,

7. An Deus, per absolutam potentiam possit facere contradictoria?

Objectiones.

dere, quæ sunt καὶ καὶ ἅ, seu contradictoria. Si pro se dicant adversarii: α. voluntatem Dei esse omnis realitatis, veri, boni, causam: rejecimus istud, fortiter aliud agendo, cap. XVIII. §. XI. Jam etiam addimus, in contradictione & contradictoriis, nullam esse *realitatem*; sed omnis realitatis negationem: neque enim ullo solidius, sententiæ alicujus falsitatem, demonstramus, quam ostendendo, quod involvat contradictionem. Si dicant β. *Infinitam* potentiam Dei, se extendere ad omnem *realitatem*: 1. Negavimus dudum in contradictione & contradictoriis, esse ullam realitatem: 2. Si fit, vicit Weigelius cum suis Enthusiasticis, quando, ex *infinita* Dei potentia conficere conati sunt, Deum posse contradictoria. Si dicant γ. Creaturam *finitam*, non posse nec debere determinare, quid Deus, per *infinitam* suam potentiam *possit*, aut non possit: occurremus: α. sic etiam adversarii non *possent*: nec *deberent* determinare, Deum non posse quæ repugnant *naturæ* Dei, seu quæ implicant ex *parte Dei*: β. Non *potest*, nec debet creatura *finita*, determinare, quid per *infinitam* potentiam Deus *possit* aut *non* possit; nisi Deus & natura Dei, hoc jam ante determinaverint, v. g. *negare seipsum*, *mentiri*. Plura hujus generis qui desiderat, conferre potest *Gangræ*nam nostram Sect. 1. Cap. XI. Et inprimis etiam Vedeli Rationale.

Theologicum lib. III. Cap. VIII.

8. An Deus, per potentiam suam, possit producere corpus mole infinitum?

XXII. Quæritur 8. An Deus per potentiam suam, possit producere corpus *mole infinitum*? Cartesiani, ut habeant, mundum esse *indefinitum*, ita ut incertum sit, num sit *infinitus*, nec ne; agnoscunt quidem, Deum *perfectione* infinitum, producere non posse; ast infinitum *extensione* & numero, posse omnino, affirmant. Reformati negant, Deum posse, quovis modo infinitum producere. Quod: 1. hac ratione, *plura* darentur infinita, ac proinde *nullum*: vel enim, unum alterius infinitatem haberet, & sic *unum* tantum efficerent infinitum: vel non haberet, & sic *nullum* daretur infinitum. Quod 2. ea ratione *infinitas*, non esset attributum Deo *proprium*, contra Jer. XXIII. 24. nec ex infinitate illa Christi, qua simul fuerit in cœlo & in terra Joh. III. 13. recte inferremus, deitatem Patri ὁμοούσιον. Quod 3. ea ratione fieri possit, ut caro Christi, sit *infinita* & omnipræsens, eoque vana essent argumenta Reformatorum, contrarium asserentia adversus Ubiquetarios. Quod 4. per hanc hypothesin, Deus tale quid condidisset, cui nihil posset adjicere; eoque uno infinito, ejus omnipotentia exhausta foret. Quod 5. eadem ratione, quicquid obstrepant Cartesiani, Deus quoque facere posset infinitum *perfectione*: cum enim, extensio, moles, corpus, citra dubium, sint *perfectio* quædam; fieri nequeat, quin, quod *infinitum* est *mole*, infinitum quoque sit *perfectione*. Quod 6. repugnet, esse aliquid creatum, & tamen, *quomodocunque* infinitum: dum enim creatur, finitur; ac proinde, quod non est *finitum*, illud non est *creatum*. Quare, si possunt esse plura infinita, *qualiacunque*; possunt etiam plura esse *increata*, & sic item plura *independentia*, quorum nullum tamen, sit ens *absolute primum*, &, per consequens, quorum nullum sit Deus. Sententiæ contrariæ, hæc fere sunt fundamenta: A. Quod *voluntas* Dei ab æterno, ad quævis *indifferens*, sit causa omnis *possibilitatis*: unde non potest non sequi si Deus voluisset, aut vellet, actu *infinitum* existere, extensione aut numero, illud eo ipso *possibile* futurum fuisse. Hoc fundamentum dudum disjecimus Cap. XVIII. §. XI. Nec addimus, nisi unum istud, quid si idem dicamus, de infinito *perfectione*, si Deus *voluisset* possibile esse, ut existeret præter se, aliquod infinitum *perfectione*, nunquid tum illud possibile factum fuisset? Et sic duo aut plura etiam, esse possent infinita *perfectione*. B. Quod eadem ab æterno *indifferens* voluntas Dei, sit causa *omnis veri*, ut Cartesius habet, Respons. Sext. §. 6. Unde fiet, quamvis vel maxime contradictorium esset, aut Dei *naturæ* repugnaret, si modo Deus *voluisset* aut *vellet*; non esset contradictorium, aut *naturæ* Dei repugnans. Quod C. Deus, per absolutam potentiam, facere possit, quæ repugnant *naturæ rerum*, atque adeo contradictoria sunt. Quo fiet, licet vel maximè repugnaret, & contradictorium esset, infinitum *extensione* aut *numero*; tamen id Deum posse. Quas hypotheses, dudum profligavimus. Conf. Gangræna Cap. XIII.

Objectiones.

Sententia Cartesianorum.

Et Reformatorum, cum suis rationibus.

9. An Deus fallere possit, si velit?

XXIII. Quæritur 9. An Deus possit fallere, si velit? Habere potest hæc quæstio varias sedes, nim. in capite de *veracitate* Dei, quatenus ei *fallere* repugnat: in cap. de *voluntate* Dei, quatenus respicit conditionem, *si velit*: & in capite de *potentia* Dei, quatenus dicit, eum sub hac conditione posse. Quandoquidem igitur, hanc quæstionem, in utramque partem ventilavimus, in capite de *veracitate* Dei; non attinebit, ea hoc loco denuo occupari, sufficerit monuisse, eam & huc spectare.

10. An potestas & potentia Dei, communicari possit creaturæ? Sententia Ubiquetariorum. Et Reformatorum cum suis rationibus.

XXIV. Quæritur 10. An potestas & potentia Dei communicari possit creaturæ? Ubiquetarii apud Lutheranos, ut habeant corpus Christi, præsens esse in pane eucharistico; statuunt, per unionem hypostaticam duarum in Christo naturarum, *humanæ* ejus naturæ communicatam fuisse, præter *omnipræsentiam*, etiam *omnipotentiam* & *potestatem* divinam: & quoniam *humanam* Christi naturam, agnoscunt esse *creaturam*; statuunt eadem opera, potestatem & potentiam divinam communicari posse *creaturæ*. Reformati negant, potestatem & potentiam Dei, communicari posse creaturis, aut communicatam fuisse humanæ Christi naturæ. Quia: 1. Potestas & potentia Dei, sunt ipsa ejus essentia, agnoscentibus Lutheranis; & per consequens,

quens, ipſa Dei *eſſentia* communicaretur creaturæ, & humanæ Chriſti naturæ, & per hoc creatura, & humana natura Chriſti, poſſent eſſe Deus: quod enim habet *eſſentiam* Dei, id Deus eſt. Quia 2. Chriſtus ut homo, agnoſcit ſe *potentiorem*, quando ſe ſuſtentari petit in paſſionibus ſuis Pſal. xvi. 8. 10. 11. & xxii. 2. 3. Matth. xxvi. 39. 42. 53. Heb. v. 7. quando item, miracula perpetraturus, precibus ad Patrem ſe convertit Joh. xi. 41. & alibi. Quia 3. fuit ſub *potentia paſſiva*, ſecundum humanam ſuam naturam, quod non quadrat in *omnipotentem*. Quia 4. communicata ei fuiſſet, omnipotentia, vel à Deo *diverſa*, & ſic duæ eſſent omnipotentiæ, vel *ipſa* Dei, & ſic, non tantum per alienam omnipotentiam, Chriſtus *ut homo*, fuiſſet omnipotens; ſed & natura humana, edidiſſet operationes divinas, quatenus operationes ejus humanæ, edere, bibere, ambulare, fuiſſent operationes *omnipotentiæ*. Non addam 5. ex hac hypotheſi, humana Chriſti natura *Deus* eſſet: quisquis enim *eadem potentia* operatur qua Pater, is Deus eſt, ex doctrina Chriſti Joh. v. 18. 19. 20. Nec valet in contrarium: A. Quod ſibi datam teſtetur *omnem poteſtatem in cœlo & in terra* Matth. xxviii. 18. Non enim loquitur de *omnipotentia divina*; ſed de *poteſtate mediatoria*, qua poſſit in his, *quæ ad Eccleſiam* ſpectant, *omnia* in *cœlo* & in *terra*, quod patet ex verbis immediate ſequentibus: mihi data eſt πᾶσα ἐξουσία..... *euntes igitur, docete omnes gentes*..... Quod B. velut caput Eccleſiæ, debeat eſſe *omnipotens*, ſecundum *humanam* naturam, quod aliàs ipſam non poſſet defendere, adverſus *portas inferorum* & mundum: ſufficit enim ad hoc, totam *perſonam* eſſe omnipotentem. Quod C. miraclua ediderit ſecundum humanam naturam: miracula enim edidit tota perſona omnipotens, non peculiariter humana natura.

11. An qui negant Deum efficere poſſe, ut corpus ſit *infinitum* & *omnipræſens*, negent aut vellicent omnipotentiam Dei?

XXV. Quæritur 11. An qui negant, Deum efficere poſſe, ut corpus ſit *infinitum* & *omnipræſens*, aut in *diſſitis* locis ſimul exiſtens, negent aut vellicent omnipotentiam Dei? Weigelius cum ſuis Enthuſiaſtis, ſeu fanaticis, quia ſtatuit Deum *infinita* ſua potentia, poſſe etiam contradictoria, cum audit Theologos noſtros huic obniti, clamant, nos negare omnipotentiam Dei, ſicut monuimus §. xxi. Carteſius, quia, ſicut diximus ibidem, omne poſſibile & impoſſibile, verum & falſum, bonum & malum, pendere ab indifferente Dei *voluntate*, ſtatuit eum poſſe contradictoria, dum contrarium audiunt noſtros ſtatuere, coguntur per ſuas hypotheſes, determinare, nos ſuggillare infinitam Dei potentiam. Pontificii, ut ſecurius habeant, corpus Chriſti in omnibus ſuis Miſſis, tot locorum intercapedine diſſitis, eſſe præſens, eoque ad omnipotentiam Dei confugiunt; cum audiunt, noſtros obniti, eo quod hoc contradictionem involvat, itidem nos omnipotentiam Dei ſuggillare ogganniunt. Ubiquetarii, ut Chriſti corpus præſens habeant in elementis S. Cœnæ, exiſtimant illud, ex unione perſonali duarum ejus naturarum, eſſe omnipræſens; cum audiunt illud contradictionem, variaque abſurda, quæ repræſentabimus lib. vii. cap. v. §§. xx. & xxi. confugiunt ad omnipotentiam Dei, & negantes Deum hoc poſſe, quia implicet contradictionem, confeſtim noſtras denigraturi, clamant, eos negare aut ſuggillare omnipotentiam Dei. Et, quod cauſæ deſperatæ indicium eſt, ſatis manifeſtum, Joh. Gerhardus, in Exegeſi LL. excipit: *quæ potentiæ & ſcientiæ humanæ reſpectu, contradictionem implicant, ac fieri non poſſunt; ea non ſtatim, divinæ potentiæ reſpectu, contradictionem implicare, ac impoſſibilia eſſe.* Reformati, infinitam Dei potentiam ingenue agnoſcunt, eaque poſſe id omne, quod non implicat contradictionem: dum negant ipſum facere, ut corpus ſit *omnipræſens*, aut in pluribus locis diſſitis, ſimul præſens, quia hæc connotent contradictionem, non negant aut ſuggillant omnipotentiam Dei. Eo quod ipſi adverſarii Lutherani ac Pontificii, communiter agnoſcant, Deum non poſſe contradictoria, ſi forte inter Pontificios excipias Arnoldum Veronium, & inter Lutheranos, Menzerum, Chemnitium, & ſi quis forte alius ſtatuat, Deum poſſe quæ ſunt contradictoria: aut quæ ſunt contradictoria apud rationem; non ſemper eſſe apud Deum & Scripturam: aut rationi non competere judicium de contradictione in myſteriis fidei, de quibus videri poſſit Vedelius in *Rationali Theolog.* lib. iii. capp. vii. & viii. Non igitur eſt clamandum, nos negare aut ſuggillare divinam omnipotentiam; ſed monſtrandum potius, corpus *infinitum*, aut *diverſis* locis, ſimul coexiſtens; non connotare contradictionem.

Sententiarum collatio.

Sententia Reformatorum.

Pars practica.

Poteſtas & potentia Dei: 1. Suadet, eam peculiariter in *nos* agnoſcamus.

XXVI. Praxis hujus Capitis ſuadet, ut *Primò* Poteſtatem ac potentiam Dei in *nos* peculiariter, magis magiſque agnoſcere, deque ea perſuaderi adnitamur. Huc enim Deus, poteſtatem & potentiam in *quævis* generaliter docet Pſal. xxiv. 1. Ezech. xviii. 4. & peculiariter ſuam, in *populum* ſuum poteſtatem, ei cogitandam inculcat Deut. xxxii. 6. 9. 10. prout Paulus Corinthiis 1. Cor. vi. 20. & pſaltes ſibi Pſal. cxvi. 16. Adnitamur inquam, quo (a) promptè & ingenuè fateamur, Deum, ex nullâ omnino cauſâ, præterquam ex gratioſa ſuâ *promiſſione*, nobis ullius beneficii *debitorem* eſſe non poſſe, quod *nos*, & omnia *noſtra*, ſua ſint Luc. xvii. 10. Rom. xi. 35. (b) Deum, *quidvis* de nobis ſtatuendo, nobis non facere *iniuriam*, quod quanti quanti ſimus, ejus *peculium* ſimus Jer. xviii. 6. Matth. xx. 13. 14. Hac ratione *a.* promptiores erimus ad gratitudinem in *ſecundis* Rom. xi. 35. 36.

36. 1. Cor. xv. 10. β. *patientiores* in *adverſis* Pſal. xxxix. 10. 1. Sam. iii. 18. γ. *confidentiores* in quovis eventu futuro, tam ſecundo, quam adverſo Pſal. xxvii. 7. & cxxx. 6. Job. xiii. 15. Sinim. cogitemus, ipſi tantundem ſaltem poteſtatis, imo infinitum plus, in nos competere, ac figulo, in ſuum lutum Jer. xviii. 6. Jeſ. xlv. 9. Rom. ix. 10. aut quantum nobis competit in bruta noſtra, in vermiculos.

2 Format ad patientiam.

XXVII. Singulatim *ſecundò*, *poteſtas* ac potentia divina, ad *potentiam*, ἐγκμυθίαν & acquieſcentiam in Deo, format. 1. Si publica nos angat *Eccleſiæ* fortuna, ſors iniquiſſima, hoſtium multitudo, potentia, & inſolentia: cogitare; A. Deo *jus abſolutiſſimum* competere in Eccleſiam, quæ eſt regnum ſuum, populus ſuus, peculium ſuum. B. Nec fore *ſocordem* aut negligentem, in curandis rebus propriis Pſal. cxxi. 3. 4. Proinde C. ubi *commodum* ſibi videbitur, & è re, tum ſuæ gloriæ, tum Eccleſiæ; per *omnipotentiam* ſuam, ei nullo negotio poſſe ſuccurrere, ejus ſortem variare, hoſtes quotquot ſunt, & quanti ſunt, diſpellere Pſal. lxxxi. 15. 16. Saltem D. per omnipotentiam, nunquam permiſſurum, ut *peculium* ſuum, prorſus redigatur ad incitas, aut hoſtibus plane *ſubjugetur*, vel ſi portæ inferorum ei inſultent Matth. xvi. 18. Pſal. xlvi. 2. & cx. 1. 2. Si 2. quævis urgeat *privata* calamitas, morbus, inopia, perſecutio: quid efficacius juvat ad ſilentium ac ſolatium? quam cogitare (a) ipſum eſſe *Dominum* noſtrum, in cujus *poteſtate* ſimus, ut lutum in poteſtate figuli Jer. xviii. 6. qui de nobis, ut *ſuo peculio* poſſit ſtatuere, planè ex ſententiâ Pſal. xxxix. 10. Lev. x. 3. Atque etiam (b) Patrem *omnipotentem*, qui *poſſit* fortunam noſtram mutare, modò *velit* Matth. viii. 2. 3. & *voluturum* etiam, procul dubio, ubi hora ſua venerit, & è re, tum gloriæ ſuæ, tum ſalutis noſtræ fuerit Joh. ii. 4. Pſal. xxvii. 14. Si 3. deficiant *vires* neceſſariæ, tam in *corporalibus*, quam in *ſpiritualibus*; quid efficacius conducet? quam cogitare, Deum, Patrem noſtrum eſſe *omnipotentem*, cujus gratia nobis ſufficiat 2. Cor. xii. 9. 10. Phil. iv. 12. 13. Si nominatim 4. angat hoſtium *ſpiritualium potentia*, cum noſtrâ infirmitate collata; quid efficacius ſuſtinebit? quam *omnipotentia* Patris, cujus *peculium* ſumus Joh. x. 28. 29. Eph. vi. 10. Si denique 5. in *omnibus*, res noſtra plane videatur perveniſſe ad incitas, ad deſperationem; quid efficacius ſolabitur? quam cogitare, Deum, cujus ſumus peculium, *poſſe cum infinitâ redundantiâ facere, ſupra quam petimus aut cogitamus.* Eph. iii. 20. & i. 19. Rom. iv. 20. 21.

3. Format ad ſui abnegationem.

XXVIII. Format *tertiò*, ad *abnegationem* ſui, cogitare, per abſolutiſſimam Dei *poteſtatem* & potentiam: 1. Nullum omnino dari in terris *abſolutum dominium*, nullam proprietatem: quod omnes ipſi pendeamus à Deo; nec quicquam, ſecundum totum ſui, produxerimus ex nihilo Pſal. xxiv. 1. Hag. ii. ix. Et 2. *Dominium* proprietatemque, ſi quam habemus, non eſſe niſi derivatam, tanquam œconomorum, ac quæſtorum; & communicatam à Deo Hoſ. ii. 8. Joh. xix. 11. Et 3. *communicatam*, non ſane ut *frueremur* pro *libidine*, tanquam noſtro *peculio*; ſed ut *uteremur*, tanquam *inſtrumentis*, pro Deo, ejuſque negotiis; prout operarii & œconomi, concreditis ſibi utenſilibus, Deo rationem reddituri. Proinde A. præ quovis alio crimine, cavendum, ut credamus, nos eſſe *noſtri juris* 1. Cor. vi. 19. rerumque noſtrarum *perfectos Dominos* Pſal. xii. 5. Etiam B. cavendum, nos noſtraque, qualiacunque, nobis ipſis, noſtro honori, voluptati aut commodo impendamus; quod, per Scripturas, eſt *ſibi ipſi vivere*. 2. Cor. v. 15. Rom. xiv. 7. Inſuper C. cavendum, ne quantumvis ſimus locupletes, vel minimum bonorum noſtrorum dilapidemus, aut perperam impendamus; quod *bona Dei* ſint, non *propria* Hoſ. ii. 8. 9. E contrario D. nos ipſos *abnegemus* Luc. ix. 23. & *carnem* ejuſque cupiditates crucifigamus Gal. v. 24. Col. iii. 5.

4. Excitat, nos noſtraque Deo reſignemur.

XXIX. Contra *quartò*, movet infinita Dei poteſtas & potentia, qui *nos totos*, *omniaque* noſtra, Deo, cujus ſunt, promtè *reſignemus*, addicamus 2. Cor. viii. 5. Non quod iſtud quicquam conferat, ad augendum aut ſtabiliendum Dei *jus*, ſed quod faciat ad noſtrum commodum, *jus* iſtud Dei, proprio conſenſu profiteri. Omnes quidem homines, uſque ad peſſimos Joh. i. 11. imo uſque ad impuros ſpiritus, *Dei* ſunt, eique *genua* ſua *incurvant*. Phil. ii. 10. ſed *inviti*; ſoli fideles, *ſponte* ac *promptè* agnoſcunt, & profitentur Cant. ii. 16. & vi. 3. Pſal. cxvi. 16. initoque cum Deo *fœdere*, ejus q. *nomen* recipiunt Ezech. xvi. 8. Mal. iii. 17. Singulatim Deo addicamus (1) *corpus* noſtrum Rom. xii. 1. (2) *animam* noſtram Prov. xxiii. 26. (3) utrumque noſtrum eſſentiale. 1. Cor. vi. 20. omnes utiuſque facultates, vitam ac mortem, gloriæ divinæ impendamus; ut, ſeu *vivimus*, Domino vivamus; ſeu *morimur*, Domino *moriamur*: quod *ſeu vivimus*, *ſeu morimur*, *Domini ſimus*. Rom. xiv. 7. 8. Nec nos tantum, ſed & (4) quævis *noſtra*, noſtrum ingenium, potentiam & auctoritatem, familias, ſubditos, fortunas, Deo ſubſternamus Matth. xxi. 3. 7. 8. 9. & pro ejus *glorificatione* uſurpemus. Non quidem omnia uno eodemque *modo*: non omnia impendamus in *pauperes*, nec omnia in Rempublicam: nec omnia in Eccleſiam & cultum Eccleſiaſticum: ſed tamen omnia, *quomodocunque*, Deo impendamus, eiſque applicemus uſibus, quos ipſe nobis præſcripſerit; ſic ut *nil* horum, *merè nobis* poſſideamus. Imo & (5) omnes conatus, ſtudia, labores, *non nobis*; ſed *Deo* impendamus Pſal. cxv. 1. ſic, ut

ſemper diſtineamur negotiis *Domini* noſtri, & quovis tempore interrogati, cujus ſit opus quod agimus, ingenuè poſſimus regerere: *eſt opus Domini* mei quod ago Rom. 1. 9. 1. Cor. x. 31. Quin etiam (6) omnia iſta, ſic *Domino* noſtro impendamus, ut nihil prorſus ei ſubtrahamus, cum Ananiâ & Saphirâ Act. v. 2. & cum juvene Phariſæo Matth. XIX. 21. aut quovis modo reſtringamus ac limitemus: ſive *vivimus*, *ſive morimur*. Rom. XIV. 7. Phil. I. 20. 21. aut à quavis *conditione* ſuſpendamus Matth. VIII. 21. 22. aut quicquam pro *mercede* ſtipulemur, præter ipſius Dei communionem Luc. XVII. 10. Matth. XIX. 27. 28. Gen. XV. 1. Pſal. LXXIII. 25. Atque, ut hæc omnia promptius agamus, juvabit crebrò ac devotè expendere A. abſolutiſſimum illud *jus*, quod Deo, ex deitate, creatione, redemptione &c. ſupra aſſeruimus; & quantum proinde futurum ſit *ſacrilegium*, Deo, quæ tot modis ſua ſunt, ſubducere. B. Quod nos velut ſuum *peculium*, in creatione, ſuâ ſignaverit *imagine*, eamque amiſſam inſtauraverit ſanctificatione Eph. IV. 24. quin & quaſi *ſanguine* Filii ſui obſignaverit Apoc. VII. 3. & IX. 4. & XIV. 1. Ezech. IX. 4. Quorſum, niſi ut *Deo, quæ Dei ſunt*, reddamus Matth. XXII. 20. 21? Quod C. ſolenni confœderatione ſæpius nos Deo *dedicaverimus*, in Baptiſmo, S. cœnâ, morbis, judiciis &c. Joſ. XXIV. 15. 21. 22. Pſal. XXII. 11. Non addam D. quod tot tantiſque *beneficiis* nos ſibi devinxerit, appropriaveritque Rom. XII. 1. 1. Cor. VI. 20.

Admiricula.

5. Nos Deo promtè ſubmittamus.

XXX. Inſuper *quintò*, *poteſtas* Dei, quâ poteſt nobis *leges* præſcribere pro lubitu, præſcriptas *ſancire* promiſſionibus & comminationibus: & *potentia*, quæ promiſſiones & comminationes, poteſt præſtare & exſequi; nos urget, qui nos: 1. *potenti* ejus *manui* promtè *ſubmittamus* 1. Pet. v. 6. h. e. conſenſu ſpontaneo, ejus ſubditi ac ſervi fiamus Pſal. CXVI. 16. Quo ipſa animæ noſtræ interiora, *intellectum* & rationem 2. Cor. X. 5. *voluntatem* item & *affectus* Matth. XXVI. 39. 42. *abnegamus*; ut parati ſimus, ad capeſſendum omne *juſſum* Dei, citra exceptionem 1. Sam. III. 9. Jer. XLII. 5. quicquid obſtrepat φρόνημα τῆς σαρκὸς Gal. I. 16. Tum 2. factâ ſubjectione iſtâ univerſali; nobis ab eo *præſcripta*, alacriter exſequamur Pſal. XL. 8. & CXLIII. 10. 1. Theſſ. IV. 3. 1. Pet. IV. 1. 2. Col. IV. 12. Hoc 3. fideliter præſtantes, certo certius nobis polliceamur, *σῶμα* promiſſionum Heb. X. 36. quod, qui promiſerit, fidelis ſit & *omnipotens* Rom. IV. 21. Prout contra 4. ſi *obſtiterimus*; ex eâdem ejus *omnipotentiâ* eſt, quod nobis certo certius imaginemur, omnes illas *maledictiones*, quas in refractarios dictavit Deut. XXVIII. 15. & XXVII. 26. ſcil. *Quoniam*, juxta Auguſtin. alicubi, *Deus immenſæ eſt poteſtatis, ideo nec locus eſt, in quo quis poſſit ſe abſcondere; nec tempus quo poſſit ſubterfugere; nec poteſtas quæ ei poſſit reſiſtere.*

5. Eum revereamur & peccata fugiamus.

XXXI. Proinde *ſextò*, poteſtatis & *potentiæ* divinæ cogitatio, nobis incutiat *reverentiam* ac timorem Mal. I. 6. Jeſ. VIII. 13. Quod ipſe *unicus legiſlator ſit*, *qui poſſit ſervare & perdere* Jac. IV. 12. Timorem, non quo fugiamus ab eo, velut *hoſte*; ſed quo revereamur eum, ut *Patrem* Heb. XII. 28. quo ſollicitè caveamus, illum quovis peccato *offendere* Gen. XXXIX. 9. Eo comprimis peccato, quod q. *datâ operâ*, peculiariter poteſtati ac potentiæ divinæ obnititur. Quale A. *Faſtus* & ſuperbia, quâ auctoritatem Dei legiſlativam reſpuimus Exod. V. 2. & *elatâ manu* ipſum offendimus Num. XV. 30. Pſal. XIX. 14. ejuſque *poteſtatem* pariter & potentiam, velut *conſpuimus* Jer. XLIV. 16. 17. nos *exaltamus* adverſus Jehovam. Ibid. Cap. XLII. 15. ejus *jugum* & *vincula frangimus*. Ibid. Cap. V. 5. Pſal. II. 2. 3. *& provocamus ad iram*, q. *validiores ſimus eo*. 1. Cor. X. 22. B. *Tentatio* Dei, quâ poteſtati ac potentiæ ejus, q. *limites* ponere conamur Pſal. LXXVIII. 18. 19. 41. C. *Deſperatio*, quâ in extremitate conſtituti, *manum* Dei quaſi *abbreviatam* nobis imaginamur Jeſ. LIX. 1. Num. XI. 21. 22. 23. D. *Securitas* carnalis, ſeu impunitatis imaginatio Pſal. X. 5. 6. 11. & L. 20. 21. quaſi *impotens* ſit Deus, nec vindicare *poſſit*, injuriam ſibi illatam, ſicut idolum Zeph. I. 12.

7. Fiduciâ in eo recumbamus.

XXXII. Struit *ſeptimò*, *poteſtatis & potentiæ* divinæ devota cogitatio, ſolidam *fiduciam*, quâ nos noſtraque, omnem noſtram fortunam, omnes conatus & cœpta, Deo ſecurè committimus. Quod 1. per ejus poteſtatem ac dominium, ejus ſimus *peculium*, qui nos ſibi comparaverit *creatione* & redemptione 1. Cor. VI. 20. cui nos ipſos noſtraque, plenâ *voluntate* addixerimus 2. Cor. VIII. 5. qui nos pro ſuo peculio ſuſceperit: proinde & *ſui peculii* curam ſuſcepturus ſit, in quâ poterimus quieſcere. Sicut David Pſal. CXIX. 94. *Tuus ſum, ſerva me*: expertus iſtud Pſal. CXVI. 16. Quod 2. ei per *potentiam* nihil omnino, non modo impoſſibile; ſed etiam difficile ſit Pſal. LXXVIII. 19. 20. Jeſ. XL. 28. Quod 3. hoſtium nemo ei poſſit *prævalere* Joh. X. 20. 1. Joh. IV. 4. Rom. IX. 19. imo ne hoſtium quidem *confluxus*, *portæ inferorum* Matth. XVI. 18. Pſal. III, 7. 8. & LXVIII. 1. 2. Cum *omnipotens* noſter ſit *Dominus Zebaoth*, exercituum Pſal. XLVI. 12. & LXXXIX. 9. Quod 4. per *omnipotentiam*, *omnia* poſſit, *per* media utcunque debilia, *abſque* mediis, *contra* media 1. Sam. XIV. 6. Rom. IV. 17. Dan. III. 17. Tandem 5. Quod ipſe *ſolus* poſſit Pſal. LXII. 12. abſque quo omnes, *nihil* poſſumus Joh. XV. 5. utpote qui *omnia operatur in omnibus* Rom. XI. 36.

8. A poteſtate & potentia eum glorificemus.

XXXIII. Tandem *octavò*, divina *poteſtas* & potentia, nobis argumentum præſtant *glorificandi* Deum Eph. III. 20. Matth. VI. 13. Utglorificando A. *Admiremur* intus, magnitudinem *poteſtatis* & po-

& potentiæ iſtius Eph. I. 19. amplitudinem regni Pſal. XXIV. 1. & *potentiam* adminiſtrationis Jer. XXXII. 17. 18. 19. B. *Extollamus* at celebremus palam Neh. IX. 32. Pſal. CXLVII. 5. & XCIX. 2. Apoc. XV. 3. & I. 8. Et C. *Imitemur* noſtro modo (1) Ejus *poteſtatem* independentem; *jus* illud quod Deus nobis contulit *in omnia*. I. Cor. III. 21. 22. ſoli Deo ſubmittendo. Ibid. verſ. 23. nec ut *ſub ullius poteſtatem*, quantum ad conſcientiam, *redigamur*, patiendo. I. Cor. VI. 12. *Stando* in *ea libertate* (ſeu jure) *quam Chriſtus ſanguine ſuo nobis peperit* Gal. V. 1. nec de alio magis ſolliciti, quam ut *poteſtate* illa non *abutamur* I. Cor. X. 23. nec utamur *cum offendiculo*. I. Cor. VIII. 9. (2) Ejus *potentiam*, quâ & ipſi ſimus potentes ac *robuſti* I. Cor. XVI. 13. *potentes in potentia Dei* Eph. VI. 10. imo, noſtro modo, *omnipotentes* Phil. IV. 13. *Omnia poſſum per Chriſtum qui me roborat.*

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM

DE

Omniſufficientia ſeu Perfectione Dei.

Gen. XVII. verſ. I.

Ego Deus fortis ſum, *qui ſufficit. Ambula coram me, & eſto perfectus, ponamque fœdus meum &c.*

Inter attributa q. derivativa, primum *omniſufficientia.*

I. Ex attributis q. *primitivis*, hactenus enarratis, tria emergunt q. *derivativa*: *Omniſufficientia* & perfectio, quâ ſibi & omnibus perfectiſſime *ſufficit*: *Majeſtas* & gloria, quâ talis eſt, ut laudari ac celebrari digniſſimus ſit: & *Beatitudo*, quâ omnibus numeris felicissimus eſt. *Omniſufficientiam* ſuam ipſe docet Gen. XVII. I.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Textus argumentum eſt, efficaciſſima* adhortatio, *ad converſationem cum Deo, & ſinceritatem, cum promiſſione confœderationis. Penes quam ponitur:*

1. Fundamentum *adhortationis, in omniſufficientia Dei:* אני אל שדי, Ego *ſum* Deus fortis. *Hic*

A. Omniſufficiens, אני, Ego. *Scil.* Jehova, *verbis immediate præcedentibus, nominatus. Eſt enim in hoc nomine, ſeu* nominato *potius, fundamentum* omnis ſufficientiæ. *per* iſtud *enim*, eſt & exiſtit *verè: eſt* à ſe, independens: *eſt* immutabilis *ſemper idem: eſt* ſimpliciſſima *bonitas &* perfectio: *eſt* infinita *eſſentia & bonitas, ſeu* omnis *bonitas ac perfectio: eſt* æterna & *indefinens eſſentia ac perfectio &c.* Ego *talis.*

B. Omniſufficientia, אל שדי, *ſubintellige* ſum, *per Ellipſin Hebræis ordinariam.* Exprimitur omniſufficientia *duobus epithetis, quod nim. ſit:*

α. אל. Deus fortis *ab* אוּל: *fortitudo, virtus Pſal.* LXXX. 5. *ſonat proprie* fortem *Ezech.* XXXI. 11. *per Antonomaſiam*, Deum *omnium fortiſſimum Gen.* XIV. 22. & XXI. 33. *Unde à Junio & Tremellio, communiter redditur, per* Deus fortis. *Septuaginta Interp. Pſal.* VII. 12. *per* ἰσχυρὸν validum; *fortem. Hinc* אלי Deus mi *Matth.* XXVII. 46. & Eloi, *Marc.* XV. 34. *Niſi malis ab* Elohi, *ut ſit* אלוהי *Ut hic ſignificetur ſecundum fulcrum* omniſufficientiæ *divinæ, quod non tantum ſit* Deus; *ſed Deus* fortis *etiam, cui nemo aut* nihil, *poſſit obſiſtere, qui bona ampliſſima, quæ tibi promiſſurus ſum, poſſum præſtare, à quo proinde beatiſſimi ſunt, qui mecum ſunt fœderati.*

β. שדי. *Quod triplex habet, aut quadruplex etymon:* 1. *quaſi* שדד *à* שדר, *quaſi dicat, qui, ut creavit omnia; ita ea poteſt* devaſtare, *qui poſſum omnes inimicos tuos devaſtare.* 2. *a* שד, mamma, *quod omnia alat, qui te alere, & tibi, de omnibus ad alimoniam tuam neceſſariis, proſpicere poſſum. Nec deſunt,* 3. *qui ab Arabico* שדר *derivent, quod notat* confortare: conſtringere, *q. dicas* πάντα κρατῶν, omnia tenens. *Sanchuniato, auctor hiſtoriæ Phœnicum, Deum*

quendam memorat; quem interpres ejus, Philo Biblius: ἀγρὸν & ἀγρόται, *nominat, quasi in mente habuerit hoc nomen* שדי *à* שָׂדֶה, ager. *Aquila reddidit per* ἱκανὸς, *& alibi* ἄλκιμος. *Sic Drusius. Elias Levita in* Thisbi, *dicit plerosque exponere* fortem *&* victorem, *quasi dicat, qui* volo *&* possum *te protegere, ut non jactet, quæ penes ipsum suppressa lateat; sed quam penes suos explicet sufficientiam. Sed* 4. (*quæ verissima videtur ejus originatio*) *vox composita est, ex* ש, *pronomine demonstrativo* אשר, qui, *&* די, sufficiens, *Platoni* ἀνενδεὴς, *juxta Drusium: ut dicat, se esse illum* qui sufficit, *scil. ad* omnia, *ad perfectam beatitudinem, & suis* παναρκὴν, *idque* à se, *scil.* αὐταρκὴν, *ac si dicat, qui tibi ad omnia sum sufficiens. Proinde* שדי *non aliud sonat, quam* perfectionem *Dei, qua sibi & omnibus, peculiariter* suis, *satis habet, ad omnimodam beatitudinem.*

II. Officium *adhortationis*, ambula coram me & esto perfectus. *Officii istius duæ sunt quasi* partes, *ni malis duplex officium appellare, nempe*

1. Conversatio cum Deo, התהלך לפני, ambula in conspectu meo. ההלך, *ab* הלך, ambulavit, incessit. *In* Hithpahel *notat*, continuè, assidue ambulavit, conversatus est. *Verba hujus conjugationis, vehementiam & frequentiam designant Jes.* XXXVIII. 3. *per Metaphoram, devita, moribus & actionibus usurpatur Psal.* I. 1. *&* CXIX. 1. *& alibi. Hoc loco sibi non vult, nisi* conversari *cum Deo*, vivere *Deo, in gloriam ejus; ex præscripto voluntatis ac legis suæ.* לפני, *est* coram *Deo, in* conspectu *Dei, velut* præsente *Deo. Sic ut ambulando*, nos *Deum continuo habeamus ob oculos; sicut Deus vicissim, nos ambulantes habet. Dicitur aliter, ambulare* cum *Deo*, post *Deum, in* viis *Dei. Hujus* conversationis *cum Deo, naturam & praxin, nos ex professo delineavimus, in nostro* Prodromo Theol. *Specimine* 3. *& forte delineabimus in parte* Ascetica.

2. Integritas, והיה תמים, & esto perfectus. *Hîc* תמים, *sonat* integrum, perfectum, *à* תם, *Gen.* XXV. 27, *significat illum, qui non est acutus ad fallendum, ut R. Salomo vult ad loc. Usurpatur de* victimis, *quæ esse debebant* perfectæ, *immaculatæ, hominibus etiam tribuitur sanctissimis, ut Abrahamo, Noacho Gen.* VI. 9. *Davidi Psal.* XVIII. 23. *Jobo, Job.* I. 1. *notat* sincerum, integrum ἄδολον, *sine fuco, secundum Vulgatam* simplicem ἁπλῆν, *Aquila Gen.* XX. 5. *etiam* ἄπλαστον *h. e. non fictum. Symmachus reddit* ἄμωμον, sine crimine. *Paulo videtur idem esse, quod* ἄρτιος *&* ἐξηρτισμένος 2. *Tim.* III. 17. *quod omnibus suis partibus est instructum. Non igitur stipulatur Deus ab Abrahamo, omnimodam perfectionem* graduum, *sicut volunt Pontificii; sed tantum, ut in omnibus legis suæ* partibus, *ingenue absque fuco conetur ambulare.*

III. Motiva *adhortationis, scil. promissio confœderationis.* ואתנה בריתי, & dabo fœdus meum, inter me, & inter te. בריתי, fœdus meum, *non utique fœdus illud* naturæ, *quod coiit inter Deum & protoplastos; sed fœdus* gratiæ *in semine benedicto, significaturus, nec divinam omnisufficientiam, quicquam profuturum ei, absque hoc fœdere; nec fœdus illud coire posse, absque ambulatione coram Deo, & absque sinceritate, ingenuitate. De quo fœdere, nos ex professo agemus suo loco.*

Pars dogmatica.

Omnisufficientia Dei probatur. Scripturis.

III. Est itaque Deus perfectus ille, *qui sufficit*, Scil. non *sibi* tantum; sed *nobis* etiam: idque non ad *hoc modo* aut illud, sed ad *omnia.* Quamobrem (a) שדי ad *nomina* ejus refertur, à quo *Deus* (à די) designatur & est. (b) *Perfectus* diserte dicitur Matth. v. 48. תמים דעים *perfectus scientiis* Job. XXXVII. 16. Eique (c) *Nihil* omnino deesse, nec ullius consilio, auxilio, potentia aut beneficentiâ *indigere* pronunciatur Job. XXII. 2. 3. Psal. XVI. 2. & L. 12. 28. Jes. XL. 14. Rom. XI. 34. 35. Imo & (d) omnia *omnibus* impertire. Ibid. vs. 36. Act. XVII. 28. Psal. CXLV. 16.

Et rationibus.

IV. Nec potest non esse *perfectus & omnisufficiens*, qui 1. Est ens *absolutè primum* Apoc. I. 5. 8. Cujus proinde sufficientia & perfectio, nihil quivit *coarctare*, quin primo fuisset prius. Est 2. *Ens per excellentiam, summa* entitas, ὁ ὤν, יהוה: Cui proinde nil entitatis, perfectionis, aut sufficientiæ potest deesse, quin entitas entitate destituatur, & *summum* ens summum *non* sit. Est 3. *Infinita essentia*, quæ defectu ullius perfectionis, quo aut *sibi*, aut *aliis* non sufficeret; finiri non potest. Est 4. *Simplicissima* essentia, quæ nihil *heterogenei* admittit, quo perficiatur, & à quo sibi magis sufficiat. Est 5. *Æternus*, qui, cum *nihil esset* præter se, quod perficeret: sibi solus sufficiebat: nec etiamnum requirit, quo perficiatur, aut sufficientior evadat. Imo 6. Omnibus *extra se*, quicquid habent sufficientiæ, contulit; proinde habuit, & habet eminenter; alias non *transtulisset* Psal. XXXVI. 10. *Penes te fons vitæ, & in tua luce fruimur luce.* Nim. *ut Sol semper plenus conspicitur, nec unquam minuitur*, sicut Luna; *sic Deus perpetuò perfectus exisiit, plenus potentiâ, sapientiâ, immortalitate, & reliquis bonis omnibus.* Ut loquitur Theophil. *Ad Antolyc.* Quamobrem etiam Damasceno, *de Orthodox. fid.* lib. I. cap. 5. non solum τέλειος dicitur; sed

ſed & ὑπερτελὴς, καὶ προτέλειος *ſuper-perfectus*, & *ante-perfectus*.

Objectiones aliquot adverſus perfectionem & ſufficientiam Dei.

V. Nec his obſtat 1. *Quod omnia creaverit, & propter ſe creaverit* Rom. XI. 36. Prov. XVI. 4. Neque enim creavit, ut à creatis *perficeretur*; ſed ut *perficeret*, ſuamque perfectionem q. *profunderet*, quæ recepta *agnoſceretur* ac *celebraretur* à recipientibus. 2. *Quod à creaturis exigat officia.* Neque enim hoc fit, ut ipſe præſtitis *perficiatur*; ſed ut ipſi *perficiantur* præſtantes, & præſtando æternam ſibi parent felicitatem. *Sed tamen*, inſtabis, *gloriam ab ipſis exſpectat*. Reſp. Hoc eſt, *agnitionem* & celebrationem iſtius perfectionis, quam dudum habuit ab æterno Joh. XVII. 3. Et quæ celebratio etiam, non tam *in ſui*, quam *in noſtri* perfectionem exeat 3. *Quod opera inſtrumentorum contendat ad finem.* Reſp. Non ex *neceſſitate*; ſed ex *libertate*: nec *defectu* virtutis, ſed *abundantiâ* bonitatis, ut dignitatem alicujus efficientiæ, creaturis impertiretur, ſuamque efficientiam in illis magis redderet ſenſibilem. 4. *Quod perfectionibus creaturarum deſtituatur*; v. g. *viſu*, *auditu*, aliiſque. Reſp. Quatenus *perfectiones* ſunt, iis non deſtituitur; ſed quatenus *imperfectiones* connotant, quibus abſtractis, quod ſupereſt perfectionis puræ, in ipſo eſt ut *in ideâ*, repræſentativè, & ut *in cauſâ*, eminenter Pſal. XCIV. 9. Rom. XI. 36. Neque enim *in effectu*, eſſe poteſt, quod nullo modo fuerit *in cauſa*.

Explicatur ingenium perfectionis & ſufficientiæ divinæ.

VI. *Perfectio* autem & ſufficientia, quam Deo aſſeruimus, non *limitata* intelligitur in *certo genere*, & ad *certum* aliquem *uſum*, quæ creaturis quibuſvis competit, & ſolam imperfectionem *privativam* excludit: ſed *univerſalis*, quæ omne bonum concludat, in omni genere, & omnibus ſufficiat, ad omnia, uſque ad infinitam beatitatem: quæ proinde omnem etiam *negativam* imperfectionem excludat. Ab hac perfectione, quatenus *omnibus modis* ſatis habet, ἐξαρκὴς; quatenus omnibus *ad omnia*, παναρκὴς; quatenus non *aliunde*; ſed *à ſe* & in ſe, ἀυταρκὴς, Græcis dicitur. Singulatim (a) *ſibi* ſatis habet, quoniam plus quam habet, non expetit, nec accipere poteſt, quia infinitus eſt Pſal. L. 9---13. & XVI. 2. Quod ex mundo, non *ab æterno*; ſed *in tempore* demum, ex ſuâ voluntate creato, abundè patet. (b) Et *omnibus* à ſe diverſis, utpote qui *omnibus dat vitam, & halitum, & omnia* Act. XVII. 25. per quem peculiariter, nos homines, *vivimus, movemur & ſumus*. Ibid. verſ. 28. Sed imprimis (c) ſuis *confœderatis* ſufficit Pſal. XXIII. 1. A. Omnibus *malis* ab ipſis depellendis, unde & *clypeus*, & *petra* & *fortitudo*, & *liberator* eorum dicitur Pſal. XVIII. 3. & LXXXIV. 12. B. Omnibus *bonis*, tam ſpiritualibus, quam corporalibus, conferendis Eph. I. 3. à quo *Sol* appellatur Pſal. LXXXIV. 12. C. Omnibus eorum laboribus, moleſtiis, miſeriis ſui cauſâ ſuſceptis, abundè compenſandis; à quo *merces magna valde*, appellatur Gen. XV. 1. Et ſi nihil horum ipſis præſtaret; modo *ſeipſum* præſtaret, *omnia* præſtaret, ut in *ipſo ſolo* meritò acquieſcant Pſal. XVI. 5. & LXXIII. 25.

Perfectio & omniſufficientia reſultat ab omnibus ejus perfectionibus.

VII. Iſta *perfectio* & omniſufficientia, pro naturâ attributi q. *derivativi*, emergit *primo* ab attributis *eſſentiæ*, hactenus enumeratis, adeo ut, ſi vel *unum* iſtorum attributorum ei deeſſet; nec *perfectus*, nec omniſufficiens dici mereretur. Sic v. g. per *independentiam* perfectus eſt, ſibique ac ſuis ſatis habet, *à ſe*, ut in ſuorum beatificatione, nec impediri, nec limitari queat: per *immutabilitatem* perfectus eſt, & ſatis habet *citra variationem*, incrementum aut decrementum, ut in hoc *ſolidum* ſuæ beatitudinis habeant *fundamentum*: per *ſimplicitatem*, pura *puta* eſt perfectio, & ſufficientia, à quâ nil imperfectionis aut *defectus*, ſibi metuere poſſint: per *infinitatem*, illimitata & *illimitabilis* ipſi competit perfectio & ſatietas, quâ *infinitum* ſuorum appetitum, ſatiare *ſolus* poteſt: per *æternitatem*, *nunquam non* perfectus & omniſufficiens fuit, eſt, eritque, ſuoſque *æternum* beare poteſt: per *vitam*, omnis ſua perfectio ſibi *actuoſa* eſt, ſuiſque ſufficit ad *vitam* quamvis, naturalem, ſpiritualem & æternam: per *intellectum*, ſuæ perfectionis ſibi *conſcius* eſt, ſuorumque neceſſitates ac deſideria *perſpicit*, ut ſuppleat: per *voluntatem*, ſuâ perfectione *fruitur*, ſuiſque, ex *ſatietate ſua*, quantum ſatis eſt, communicare vult. Et ſic per reliqua ejus attributa, prout in diſtincta eorundem contemplatione, ſingulatim oſtendimus.

A Trinitate perſonarum.

VIII. Eſt & *ſecundo*, unde perfectio & omniſufficientia Dei emergat, in *ſubſiſtentiâ* trium perſonarum, à quâ perfectio & omniſufficientia illa, à *perſonâ in perſonam* velut reflectendo, ſi pote, invaleſcit: dum *Pater* in Filio, velut *imagine* ſui abſolutiſſimâ, in *ſplendore gloriæ*, in *charactere hypoſtaſeos* ſuæ, pleniſſimè ſibi ſatisfacit Heb. I. 3. Matth. III. 17. Prov. VIII. 30. *Filius* viciſſim, in *gloriâ*, quàm ab æterno poſſedit apud Patrem Joh. XVII. 5. & in mutua horum glorificatione. Ibid. & verſ. 1. *Spiritus* S. in amore & κοινωνίᾳ utriuſque 2. Cor. XIII. 13. ſed etiam à diſtinctis perſonis, diſtinctè *ad nos* derivatur; quando Pater ſuâ *charitate*, Filius *gratia*, Spiritus S. *communicatione*, Dei perfectionem & omniſufficientiam, in nos profundit. Ibid. acſi unus Perſonæ divinæ perfectio & ſufficientia, homunculo beando non ſufficeret; ac tres, quarum quæque Deus eſt, perfecta & omniſufficiens, huc cooperari neceſſum haberent. Prout in Cap. de *Trinit.* clarius oſtendemus.

Pars Elenchtica.

1. An non Sociniani, ſuis hypotheſibus, ſic ſatis tollant omnimodam Dei perfectionem & omniſufficientiam?

IX. Equidem, qui omnimodam Dei *perfectionem* & *omniſufficientiam*, argumentis, data opera, impugnare ſuſtineat, vix reperietur ac ne vix quidem: aſt qui eandem ſuis *hypotheſibus*, ex obliquo, non arrodant, licet per varios gradus; inter adverſarios, vix dabitur. Apertius autem hoc agunt, tum Sociniani, tum Pelagiani. Quæritur ergo 1. Annon Sociniani, ſuis hypotheſibus, per cuniculos, ſic ſatis tollant, omnimodam Dei perfectionem & ſufficientiam? Conradus Vorſtius, in *Tract. De Deo*, & *notis* ad eundem, ut & Sociniani paſſim, perdito amore *independentis arbitrii*, & implacabili *odio*, verſus æternam deitatem Chriſti, Trinitatem, ſatisfactionem Chriſti, juſtificationem noſtri, propter ſolam juſtitiam Chriſti, varia tradere coguntur, & tradunt, quæ cum infinita Dei perfectione & ſufficientia, ſunt incompatibilia: quod Reformati, ſic probant: 1. Quia ipſi abrogant talia, quæ, uno omnium conſenſu, *perfectionem* dicunt, adeoque *ſumme perfectum* ingredi deberent, & abſque quibus, *taliter* perfectus eſſe non poteſt: qualia ſunt, *independentia*, quando ipſum, ab hominis arbitrio pendere docent: *immutabilitas*, quando pro variabilitate ejuſdem arbitrii, ſua decreta, q. in horas mutet: *ſimplicitatem*, quando, non uno modo, v. g. ex ſubjecto & accidente, eſſentia & attributis, virtutibus &c. *compoſitum* tradunt: *infinitatem*, quatenus cœlo concluſum ferunt: *omniscientiam*, quando, futura *contingentia*, ipſum latere volunt: *omnipotentiam*, quando *voluntatem* hominis, ipſum poſſe *flectere* negant: *juſtitiam vindicativam*, quando negant, eam neceſſariò, pœnas exigere à peccatoribus &c. ſicut, ſuis locis oſtendimus. 2. Quia, ex adverſo, ipſi talia tribuunt, quæ manifeſtam ſpirant *imperfectionem*, v. g. *affectus* ſeu paſſiones animi, deſideria, velleitatem, pœnitentiam aliaque, indigna perfectiſſimo. 3. Quia *Satisfactionem* Chriſti rejiciunt, per quam *ſanctitas* & *juſtitia* ejus, peccatis humanis q. læſa, ſuum recipiat. 4. Quia SS. *Trinitatem* calumniantur, ex cujus beatiſſima *ſocietate*, immenſa *perfectio* reſultat, ut ſuo loco oſtendemus. Plura hujus generis poſſemus coacervare; ſi adducta non ſufficerent, aut per ſingula capita, dudum adducta non fuiſſent.

Probatur affirmativa.

2. An non Pelagiani ac Semipelagiani, vellicent & ſubruant Dei perfectionem & omniſufficientiam?

X. Quæritur. 2. An non cum Socinianis Pelagiani ac Semipelagiani, ſuis hypotheſibus, vellicent ac ſubruant, omnimodam Dei *perfectionem* & omniſufficientiam? Pelagiani & Semipelagiani, Sociniani, Jeſuitæ, Remonſtrantes aliique, eodem perverſo *independentis arbitrii* amore tacti; eique conſtructis variis prætextibus, de concilianda *concordia*, inter præſcientiam & providentiam Dei, cum arbitrii *libertate*, rerum *contingentia*, & *ſanctitate* Dei, qua immunis ſit à procuratione peccatorum: talia ponunt, per quæ non poteſt non, ruere omnimoda Dei perfectio & omniſufficientia. Quando ſcil. 1. *voluntatem* Deo tribuunt, quæ non uno modo pendeat, ab arbitrio humano, aliiſque conditionibus, per quas voluntas *conditionata* fiat, & eadem opera corruit perfectio *independentiæ*, quæ eſt ſcaturigo omnium aliarum ejus perfectionum proprietatumque. Quando 2. pro libidine arbitrii humani, in ſuis conſiliis, mutatur ac turbatur, & quaſi Domino ſubjugatur. Quando 3. ipſi aſſeritur *velleitas*, ſeu *imperfecta* volitio, qua ſerio velit, quod nunquam conſequatur, eaque ratione *impotens* ſit, qui non poſſit producere quod vult, pariter & infelix, utpote qui non habeat, quod expetit. Quando 4. nominatim ei tribuunt, quod *ſerio* velit, omnes & *ſingulos* homines *actu* ſervari; quo voto, dum plerumque excidat, nec ſibi ſufficere ſuoque voto; nec his quibus iſtam ſalutem vult. Quando 5. *poteſtatem* ipſi adimunt & *potentiam*, in liberum hominis arbitrium, quo nec vota ſua conſequi; nec homines convertere poſſit, niſi volentes, adeoque ſeipſos convertentes. Quando 6. prædeſtinationem ſuſpendunt ex prævisis in creatura, eoque, & *independentiam*, & *αὐτάρκειαν* ipſi admittunt. Hæc pro ſpecimine ſufficiant.

Probatur affirmativa.

Pars practica.

Perfectio & omniſufficientia Dei.

1. Nos convincit de rerum omnium vanitate,

XI. Quantum ad praxin. *Perfectio* & *omniſufficientia Dei*, *primò* nos convincunt de creaturarum omnium *imperfectione*, *inſufficientiâ* & *vanitate* Eccl. 1. 2. Si enim *ſolus* Deus, eſt *abſolute* perfectus & omniſufficiens, tum ſanè *creatura* omnis, *per ſe* imperfecta eſt, inanis & vana: quoniam: 1. *à ſe* & *per ſe*, nil omnino habet perfectionis, quâ ſufficiat aut *ſibi*, aut *aliis* Jer. 11. 13. Et 2. ſi quid habeat, ſibi à Deo collatum; id *otioſum* planè & inutile eſt, niſi à Deo *excitetur* & applicetur, velut à *primo* Motore: niſi item, ab omniſufficiente Deo acceptam perfectionem, *jubeatur* ad hunc aut illum q. deferre 1. Reg. XVII. 6. Et ſi *nulla* creaturis adeſt perfectio & ſufficientia; non eſt etiam quod (a) inordinatè *diligamus* quævis 1. Joh. 11. 15. 16. Jac. IV. 4. (b) *fiduciam* in illis reponamus 1. Tim. VI. 17. Pſalm. LXII. 11. 12. (c) nimium *metuamus*, aut ægrè feramus *jacturam*, rei cujuſvis terrenæ. Pſalm. LXXIII. 25.

2. Conſolatur in adverſis quibuſvis.

XII. *Secundo*, fundamentum præſtant *conſolationis*. Si nobis non *ſufficiamus*, nec *mundus* nobis ſufficiat univerſus, cum anima ſua natura appetu prædita ſit, plane *inſatiabili*: Deum cogitemus *omniſufficientiſſimum*, & ſibi & nobis Pſal. LXXIII. 25. Singulatim 1. Si *deſint* bona quævis *animi*; v. g. judicii vigor Jacob. 1. 5. voluntatis rectitudo, fides, ſpes, charitas, affectuum *ἐυταξίαι*: aut *corporis*; valetudo, robur, *ἐυκρασίαι*: aut *fortunæ*; neceſſariæ opes, honores, hominum *ἐυνοίαι*.

Si

Si 2. pericula *immineant*, quibus declinandi impares simus. Si 3. hostes; seu *spirituales*, Satanas, mundus, peccata, ac peccatorum conscientia; seu *corporales* urgeant quivis: solatio esse possit: A. Deum esse *omnisufficientem* & omnisufficientissimum אל שדי *clypeum & Solem* Psal. LXXXIV. 12. Gen. XV. 1. qui sibi sufficiat ad *infinitam* usque beatitudinem, proinde nobis *multo magis*, qui *tali* non indigemus ac tantâ perfectione. B. Quique insuper, se *omnia* suis & in omnibus futurum, *Solem* ac clypeum, tot promissionibus, tam solenniter sponderit Psal. XCI. 15. & LXXXIV. 12. & V. 12. 13. Heb. XIII. 6. C. Quin & *tot* modis, *semper & ubique*, suis, quavis occasione, se omnisufficientissimum reapse demonstraverit. Interim, quo isthac Dei omnisufficientiâ *certius* fruamur, eaque *solidius*, pro re natâ, erigamur; necessum omnino: (a) Ut simus per fidem *confœderati* Deo Gen. XVII. 1. *Ego Deus fortis qui sufficit.* &c. *erigam fœdus meum.* Neque enim omnibus promiscue; sed *suis* demum est omnisufficiens (b) Eam omnisufficientiam, *precibus* frequenter compellemus Psal. XCI. 15. Joh. XVI. 23. Psal. XXVII. 8.

3. Reprehendit eos qui praxi negligunt omnisufficientiam Dei.

XIII. *Tertiò reprehendunt*, eos omnes, qui non tam *verbis*, istam Dei negant omnisufficientiam & perfectionem; aut arrodunt saltem; quam *factis*. Quod fit (1.) Ab *apertè impiis*, quando *derelicto* Deo, sibi suisque *mundanis*: divitiis, honoribus, voluptatibus, imo sceleribus mancipati, omnem *in illis*, nullam *in Deo*, *sufficientiam* perspiciunt Jer. II. 13. Mal. III. 14. (2.) A *clam hypocritis*, qui *aliqualem* in Deo sufficientiam deprehendunt, unde *aliquid* etiam, imo *multum* quandoque, ei in externis potissimum Religionis officiis, deferunt: ast non *omnem*, ut hinc constanter etiam, & in omnibus ei *adhærere* velint Matth. XIII. 20. 21. Est ratio in promptu, quoniam non *omnia*, quæ sibi existimant *necessaria* aut utilia, in Deo se habituros confidunt; unde quædam, seu per fas, seu per nefas, à creaturis, sibi repetenda ducunt Hos. II. 4. 5. 14. Imo (3.) ab ipsis etiam verè *regenitis*, prout videre est in tergiversatione Mosis Exod. III. 11. 12. in mendacio Abrahami Gen. XX. 2. aliisque Sanctorum ἡττήματι. Scil. non *satis* persuasorum, Deum suis necessitatibus, ac imminentibus periculis, *quantum satis*, mederi posse. Sigillatim tollitur, aut arroditur Dei omnisufficientia. A. *Desperatione* aut diffidentiâ Num. XI. 21. 2. Reg. VII. 2. B. Vana in creaturis *confidentia*, quâ reapse, à creaturis *aliquid* nobis pollicemur, quod Deus, seu non *possit*, seu non *velit*, nobis conferre Psal. LXII. 9. 10. 11. 12. C. *Inordinatâ* creaturarum *dilectione*, quâ revera creaturis *aliquid* inesse suspicamur, quod non sit *in Deo*; quo nomine avaritia, *idololatria* designatur Eph. V. 5. D. *Fraudibus* ac dolis, quando *technis* enitimur consequi, quod legitimis mediis, in Deo, aut ab eo, nos consecuturos diffidimus. Exemplum in Jacobo Gen. XXVII. 6. &c. Conf. Psal. CXXV. 5. E. *Omnibus* denique *peccatis*, quatenus in eis est *aversio* à Deo, & *conversio* ad creaturas Jer. II. 13. Horum quod certè non fit, nisi *à creaturis* exspectando, gravitas, quod *in Deo* non sit. Ut proinde (a) peccata illa & quævis alia, *idololatriam* involvant, pariter & *apostasiam*, quatenus à Deo *deficimus* ad creaturas, quod *his* tribuamus, quæ *in illo* non sint. Unde turpitudo & gravitas peccatorum elucet Heb. III. 12. (b) Dei *favorem* ac beneficentiam nobis *obstruit*, ut nihil omnino, ab omnimodâ isthac Dei sufficientiâ, nobis possimus polliceri; per comminationes divinas Matth. XVII. 19. 20. & XXI. 21. 22. & XIII. 58. Marc. VI. 6. Imo (c) obnoxios nos faciunt gravissimis Dei *judiciis*. Ut videre est in Equite illo, Deo per *diffidentiam*, suam abrogante omnisufficientiam 2. Reg. VII. 17. Imo in ipso Mose, hoc eodem nomine, cum Aarone fratre, à possessione terræ *Canaan* regidissimè exclusis Num. XX. 12.

4. Excitat studium diversarum virtutum.

XIV. *Quartò*, omnisufficientiæ divinæ *contemplatio*, pro re nata, erigere nos possit ad *unam* aliquam, aut *alteram*, sequentium virtutum (1.) Ad *glorificationem* Dei Psal. XCVI. 4. & CXLV. 3. Si enim quævis *perfectio* ac sufficientia, ansam nobis præbet *celebrandi creaturas*; quanto magis, summa illa & *infinita* Dei, quâ *sibi* sufficit, ac *nobis*, ad *infinitam* usque beatitudinem; quæ fundamentum est omnis majestatis ac gloriæ. (2) Ad *amorem*, quo ipsum *supra* omnia *complectamur*, quippe qui nobis *solus* sufficit ad *omnia* Psal. XVIII. 2. 3. *Diligam te Domine, mea fortitudo, mea petra, mea arx* &c. ipsum *desideremus* ac quæramus, omni studio Psal. LXXIII. 25. in eo *acquiescamus*, eo unice lætemur Psal. XVI. 5. 6. & IV. 7. 8. 9. (3) Ad *fiduciam* in eo solo constanter collocandam, quippe qui *solus* nobis ad omnia *sufficiat*: scil. *omnia in omnibus* 1. Cor. XIII. 10. perfecta *lux* intellectui Psal. XXXVII. 1. *bonitas* voluntati, *vita* toti animæ Psal. XXXVI. 10. *justitia* affectibus, *latitia* cordi, *sanitas*, claritas, immortalitas, *corpori* &c. *Quicquid amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit.* Augustin. l. 3. *de Trin.* cap. 7. (4) Ad *spem* ac patientiam erigendam, in quibusvis adversis Psal. XXVII. 13. 14. & LXXVII. 11. 14. 15. & LXXIII. 25. (5) Ad *obedientiam* & cultum ei præstandum, quippe qui inde nobis futurus sit *clypeus* & *merces magna valde* Gen. XV. 1. Psal. LXXXIV. 12. (6) Ad *humiliationem* nostri, ut nim. ex *summâ* ejus sufficientiâ, *imam* nostrî indigentiam: ex omnimodâ ejus *perfectione*, nostram *imperfectionem* agnoscamus, sentiamus, confiteamur Gen. XVIII. 31. Perfecti nobis sæpe videmur, in oculis *nostris*; ast si cum summâ *Dei perfectione* sufficientiaque nos conferamus, tanquam cum normâ & exemplari, tum demum dicemus: *nunquid homo, Dei comparatione justificabitur? Ecce inter ser-*

ſervos ejus, non manſerunt fideles; & in Angelis ſuis, deprehenſa eſt ſtultitia, quanto magis hi, qui habitant domos lutèas Job. IV. 17. 18. 19. *Ipſa juſtitia noſtrâ, ad examen juſtitiæ Divinæ deducta; injuſtitia eſt, ſordet in deſcriptione Judicis, quod in æſtimatione fulget operantis.* Greg. in Cap. VII. Job. Tum in ſingulis harum, ſi ſigillatim pro concione debeant enarrari, pro re natâ, explicari poſſit A. ſingularis omniſufficientiæ & perfectionis divinæ *vis* & efficacia, quâ influit ad virtutes iſtas in nobis *formandas*, alendas, augendas, confirmandaſque. B. Rationes motivæ, quæ, ex conſideratione *omniſufficientiæ* divinæ, nos impellant ad ſtudium iſtarum virtutum. Denique C. ſeu *media*, quibus habitum virtutum iſtarum aſſequamur feliciter; ſeu *modus*, quo dirigantur earum operationes.

5. Allicit ut cum Deo ambulemus.

XV. *Quintò*, perfectionis & ſufficientiæ divinæ perſuaſio, nos allicit, qui *ambulemus cum Deo.* Invitante ad hoc Abrahamum ipſo Deo, in textu. Quod quidem *generatim* concludit, omnem pietatem, & eas comprimis virtutes, quas §. præced. deſignavimus: *Singulatim* (1) Deum ſibi ſemper & ubique habere *præſentem*, velut à dextra Pſalm. XVI. 8. & XXVI. 3. (2)-*Eodem* cum Deo *contendere*, ad eundem cum eo collimare *ſcopum*, *idem* quod Deus, ubique quærere ac ſectari, *idem* cum Deo velle ac nolle Apoc. II. 6. & quidem *ad idem* etiam, h. e. ad Dei *gloriam* Rom. XI. 36. Et (3) *eadem via* quoque, quod Scripturæ eſt, *in viis Dei ambulare* Deut. XIX. 9. & XXVIII. 9. &c. Et quænam iſtæ Dei viæ? *Sanctitatis* Pſal. LXXXVII. 14. *bonitatis* ac *veritatis* Pſal. XXV. 10. Ut *in viis Dei* ambulare non ſit, niſi in *lege* Dei Exod. XVI. 4. Neh. X. 29. in *præceptis* Dei I. Reg. VI. 12. in *ſtatutis* & *judiciis* Dei Levit. XX. 8. incedere, in his Deo conſtanter *adhærere* Deut. IV. 4. neu dextram; neu ſiniſtram verſus, ab eo *deflectere* Deut. XII. 32. Porro (4) ambulando, quaſi *manum* Dei *prehendere* Jer. XXXI. 32. *nec dimittere* Gen. XXXII. 26. Luc. XXIV. 29. Scil. ut *infantuli* cum parentibus ambulaturi, manus cum eis jungunt, & nos cum Deo jungamus, h. e. ab eo toti per omnia *pendeamus*: Et hoc demum eſt *in nomine Dei* ambulare Mich. IV. 5. Inſuper (5) ambulando quaſi *greſſus* ſuos, cum Deo *variare & inflectere*, ut nim. ei conſtanter adhæreamus. Hoc demum eſt *cum* Deo ambulare, aut *poſt* Deum Deut. XIII. 4. Quod fit, dum ambulantem nobiſcum in viis *judiciorum* ſuorum, ſequimur *pœnitentia*, humiliatione ac reformatione, precibus, patientia Thren. III. 40. 41. ambulantem verò in viis *beneficentiæ*; ſequimur gaudio, *gratitudine*, laudibus Pſal. CIII. 1. 2. 3. Porro (6) in omnibus iſtis, continuò ſeſe habere velut ſub *oculis* Dei, omni conſcientiæ *ſinceritate* Gen. XVII. 1. *Ego* ſum *Deus fortis qui ſufficit, ambula coram me & eſto perfectus*, ſeu ſincerus. Scil. quoniam Deus eſt *omniſufficiens*, non ſibi tantum; ſed nobis quoque; arcendis omnibus malis, quâ *ſcutum*; advocandis & effundendis ſuper nos quibuſvis bonis, quà *Sol*; compenſandis omnibus noſtris *laboribus*, *jacturis*, quà *merces noſtra magna valde*: verbo, quoniam nobis eſſe ſolus poteſt omnia in omnibus; hinc *toto* etiam in ipſum ſolum, ſimus defixi animo, ei indivulſe adhæreamus, nec metu *ullius* mali; nec *ſpe* ullius boni, ab eo *divelli* nos unquam patiamur. Hac demum ratione, Deus non *ſibi* tantum erit perfectus & omniſufficiens; ſed nobis quoque, farciendo omnes *defectus* noſtros Pſal. CIII. 3. 4. & ſatiando omnia deſideria noſtra Ibid. verſ. 4. 5. & XX. 5. & XVI. 11.

In quibus conſiſtat.

Rationes motivæ.

6. Accendit ſtudium confœderationis cum Deo.

XVI. *Sexto* accendit, qui omni *conatu* adnitamur, *confœderari* cum Deo perfectiſſimo & omniſufficientiſſimo. Uſum iſtum παραχρεῖας monſtrante Deo, verbis textus noſtri: *Ego* ſum *Deus fortis qui ſufficit, ambula coram me & eſto perfectus, fœdus meum erigam tecum.* Hac enim confœderatione (1) Deus omniſufficiens, fit *noſter* Deus. Jer. XXXI. 33. (2) abſque ea, omniſufficientia iſta, quantacunque etiam, nobis hilum non proderit Jeſ. LXV. 13. Imo (3) oberit potius. Ibid. & Pſal. XXXIV 16. 17. Fit autem confœderatio: A. Per *Chriſtum*, ſcil. hoc nomine, *Angelum fœderis* Malach. III. 1. in quo omnes promiſſiones divinæ, ſunt ναὶ καὶ ἀμὴν 2. Cor. I. 20. B. Per *fidem* Hoſ. II. 19. in Chriſtum, qui *via* eſt ad Patrem Joh. XIV. 6. ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν, καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ Eph. III. 12. *In quo habemus fiduciam ... per fidem* &c.

Rationes motivæ.

Modus.

7. Exemplar præſtat quod imitemur:

1. Perfectionem ejus.

2. Sufficientiam.

XVII. Tandem *ſeptimo*, quod imitemur, *exemplar* præſtat: A *Perfectio* Dei: *Eſto perfectus* Matth. V. 48. Perfectio *eſſentialis* equidem; v. g. *independentia*, ut & nos quoad conſcientiam, *independentes* ſimus, niſi à Deo I. Cor. VII. 23. *immutabilitas*, ut & nos *tales* ſimus, in proſecutione boni I. Cor. XV. 58. *ſimplicitas*, ut & nos *ſimplices* ſimus Matth. X. 16. & εἰλικρινεῖς 2. Cor. I. 12. Et ſic per reliqua attributa, prout in diſtinctâ eorundem contemplatione paſſim obſervavimus; comprimis tamen, imitationi noſtræ exemplar præſtat, perfectio Dei *moralis*, quam ad hoc ipſum *in lege* repræſentavit. De quâ Paulus Phil. III. 15. Col. IV. 12. Jac. III. 2. B. *Sufficientia* Dei, qua primò *nobis* ſufficiamus, *ſub* Deo 2. Cor. IX. 8. Sic ut I. Procul ſimus ab *avaritia* Heb. XIII. 5. qua in *opibus*, ſufficientiam noſtram quæramus. 2. Non multum ſimus ſolliciti, de rebus quæ ad hanc vitam pertinent Matth. VI. 25. &c. 3. Nec copiam aut *abundantiam* opum terrenarum, admodum ſollicitè *ambiamus* I. Tim. VI. 9. 4. Quavis ſorte ſimus *contenti* Phil. IV. 12. Tum *aliis* quoque, noſtram *ſufficientiam* promtè impertiamur, ſicut Deus 2. Cor. VIII. 7. 14. Perſuaſi (a) nos hac ratione

tione *assimilari* utcunque, huic *perfectioni* divinæ Matth. v. 48. in quo summa nostra consistit *perfectio*

(b) παράρχειαν divinam, tanto tenerius, nobis nostris que necessitatibus, *advigilaturam* Matth. VI. 26. 30.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

DE

MAJESTATE ET GLORIA DEI.

Jes. XLII. vers. 8.

Ego Jehova, hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.

I. Perfectionis & omnisufficientiæ, quam diximus, *intrinseca* excellentia, quatenus, velut *fulgorem* quendam spargit, à quo agnoscatur ac celebretur; *secundum* præstat ex attributis q. derivativis, *Majestatem* scil. & *Gloriam*, quam ipse Deus, sibi admodum magnificè vindicat Jes. XLII. 8.

Pars exegetica.

II. *Textu continetur*, edictum *quoddam*, *seu solennis* promulgatio, *trium suorum quasi* Regalium, *quæ sibi* soli *velit esse peculiaria*, *quorum*

1. Primum, *est in ejus* essentia, אני יהוה Ego Jehova. *Supple ex defectu Hebraico*, *verbum substantivum* SUM. *Ut sit Jes.* XLIII. 12. *Est hæc* nota, *& quasi familiaris* subscriptio, *qua Deus præceptæ sua*, *consignare & confirmare solet*, *ut passim Levit.* XVIII. 2. 30. & XIX. 2. 3. 4. 10. 12. 14. 16. 18. 25. 28. 30. 31. 32. 34. 36. 37. *Potest referri*, vel *ad præcedentia*, *ut sit q.* confirmatio *præcedentis prophetiæ de Christo*, *à* natura *Dei vocantis*, *& à* veritate *præcedentium promissionum* vs. 9. vel *ad Deum*, *ut*, *absoluto vaticinio de Christo*, *redeat ad propositum*, *& contendat*, *Jehovam esse* solum *verum Deum*. *Est autem* Jehova, *nomen* essentiæ, *in qua omnes Dei perfectiones: independentia*, *immutabilitas*, *simplicitas*, *immensitas*, *omnipræsentia*, *æternitas*, *omnipotentia*, *omniscientia*, *gratia &c. comprehenduntur*, *ut suo loco docuimus*, *in qua proinde*, *omnis ejus* gloria interna *fundatur*. *Proinde hoc nomen*, *ei maxime est* proprium, *& omnimodo* incommunicabile, *unde &* memoriale *suum dicitur Exod.* III. 15. *Psal.* CXXXV. 13. *&* CII. 13. *Hos.* XII. 6.

2. Secundum *est*, *in ejus* nomine הוא שמי. Hoc nomen meum. *Supple iterum Ellipsin* est. הוא, *sensu caballistico*, *Judæis nonnullis est ipsum nomen*, *quod Deus sibi addicit*: nomen meum est הוא: *Ast*, *cum necdum solide probatum sit*, *esse* τὸ הוא *inter nomina Dei*; *commodius significabit*, HOC, *ac referetur ad præcedens* Jehova, *ut emergat*: *hoc nempe* Jehova, *est nomen*, *mihi maxime* proprium, *quo à Diis Gentilium discernor*, *quod nullo modo*, *nec sensu* pleno, *nec* diminuto, *sicut alia mea nomina*, *ulli creaturæ competit*, *saltem in casu* recto, *quamvis in casu* obliquo, *& in* compositione, *possit utcunque competere*, *prout Veteribus visum*, *nominis* Jehova *particulam*, *quod nomen esset gratiæ*, *suis nominibus adspergere*, *ut patet in nominibus* יצרך יהגתן *aliisque*. *Quod alibi adversus Socinianos docuimus.*

3. Tertium *est*, *in* gloria *& laude sua*. Et gloriam meam alteri non dabo, nec laudem sculptilibus. *Hic Deus abrogat:*

A. Gloriam, *universim* omnibus, וכבודי לאחר לא אתן Et gloriam meam alteri non dabo. *Est hic*

1. Abrogatum, *seu* quid *abroget*; וכבודי & gloriam meam. *Intelligit*, vel *gloriam nominis* Jehova *peculiariter*, *h. e. non feram*, *ut quisquam*, *in cœlo aut in terra*, *istud* nomen *glorioſum*, *aut isto significatam* essentiam *glorioſam*, *sibi arroget*: vel gloriam *meam generaliter*. *Permittit quidem creaturis* gloriam; *sed prohibet gloriam* suam, *gloriam* meam, *h. e. cultum* religiosum. *Est autem* כבוד, *à* כבד, gravem *esse*, *vel* quantitate, *vel* qualitate, magnitudine, *vel* multitudine, pondere *vel* numero, *divitiis*, gloria, *unde* βάρος τῆς δόξης 2. Cor. IV. 17. *Differt ab honore & laude*, *quod* honor *competat dignitati vulgari* Rom. XII. 10. laus, *dignitati majori*; *sed* gloria, *maximæ*, *nominatim heroicæ*. *Unde Opt. Max.* ἐξόχως *competit.*

2. Persona *cui abrogatur*, לאחר, alteri, *v. g. Belo, Neboni, Merodacho, & cuivis alii, qui* natura *non sit* Deus, *seu qui* peregrinus *sit Marc.* XVI. 17. *Psal.* XVI. 4.

3. Abrogatio *ipsa*, לא אתן, non dabo, *non patiar gloriam meam minui, aut in alium transferri,* κατὰ λυτότην, *vult dicere, se vindicaturum severissime, in eos, qui nomen suum* Jehova, *aut gloriam suam, alii addixerint.*

B. Laudem *sculptilibus*, ותהלתי לפסילים, & laudem meam sculptilibus. *Supple* dabo. *Quasi dicat:* & *ne* laudem *quidem meam, quamvis* minor *sit* gloria, *patiar sculptilibus deferri. Est hic rursus:*

α. Res abrogata *seu prohibita*, תהלתי, laudem meam *h. e. quæ mihi* soli *competit.* תהלה, laus, *ab* הלל, *splenduit, claruit, nituit* Job. XXIX. 3. *a quo* הילל, Lucifer, *stella matutina, quod non appareat, ea* splendidior & *lucidior Jes.* XIV. 12. *In Pihel est* laudare, *quod, qui aliquem laudat, eum velut splendescere faciat, ejus lucem dispergat.*

β. Objectum *cui abrogatum*, לפסילים, sculptilibus. פסיל, *vel* פסל *imaginem notat; sed* sculptam, *dolatam, ex ligno, lapide... Græci reddunt* εἴδωλον, & γλυπτὸν sculptile, statuam. *Chaldæi* imaginem. *Quod Gentiles suis idolis, statuis, imaginibus, crederent inesse aliquid divini, seu deitatis, & ob hoc ipsis* laudem divinam, *seu* cultum religiosum, *deferrent, quemadmodum etiam Romanenses faciunt. Prohibet ergo Deus, quemvis* cultum *religiosum, seu* gloria *dicatur, vel* λατρεία; *seu* laus *vel* δοξολογία *aut* ὑπερδοξολογία, *deferre; sive* viventibus *ac Deastris; sive* vita destitutis, *idolis, statuis,* imaginibus *qualibuscunque.*

Pars dogmatica.

Majestas & Gloria Dei probatur: Scripturis.

III. Habet itaque Deus noster, *Majestatem* & *Gloriam*, sibi omnino peculiarem. Quam Scriptura docet, quotiescunque 1. Deum *magnum* prædicat, scil. non mole; sed *perfectionis Majestate* Deut. VII. 21. & X. 17. Neh. I. 5. & IV. 14. & IX. 32. Psal. XLVII. 3. & passim per Psalmos. Jes. XII. 6. Jer. X. 6. Dan. II. 45. Conf. Cap. IX. de *Infinit.* & *magnitud. Dei.* Quotiescunque 2. *Glorioſum* & *mirabilem* Deut. V. 24. & XI. 2. Psal. VIII. 2. 10. Quotiescunque 3. *Altissimum* Gen. XIV. 18. Num. XXIV. 16. Deut. XXXII. 8. Psal. VII. 18. Thren. III. 38. Quotiescunque 4. *factorum* ejus *magnorum* & terribilium, facit mentionem, velut majestatis suæ testium Deut. X. 21. 2. Sam. VII. 21. 22. 23. Psal. LXXI. 19. Act. II. 11. Quotiescunque 5. *Magnificentiam* ejus extollit *supra Deos* Psal. CXXXV. Quotiescunque 6. *Laudabilem* dicit & *laudandum valde* Psal. XLVIII. 2. & XCVI. 4. & CXIII. 3. Exod. XV. 11. Quotiescunque 7. honorem Dei *extollit*, & à nobis extollendum *monstrat*, tam præceptis, quam exemplis Jes. VI. 3. Ab omnibus istis *Deus gloriæ* prædicatur. Act. VII. 2.

Et rationibus.

IV. Et si *Majestas* ipsi non competeret ac *gloria*; Quorsum 1. *mundum* creasset, aleret, gubernaret? Neque enim ipsa creatura, ad hæc permovere eum potuit, necdum existens; nec *lucri* aliqua spes, quo *perficeretur* olim à creato: fuit enim sibi ab omni æternitate sufficiens: proinde non superest, nisi infinitæ illius *perfectionis*, quam ab æterno habuit, *agnitio* & celebratio, in qua *gloria* consistit Prov. XVI. 5. 4. Rom. XI. 36. Et quorsum 2. *potius* creasset, & in hoc theatro prostarent? quam ut dicerent, *quantus fuerit artifex*, quanta ejus potentia, sapientia, bonitas: ad hoc *cœli* dicuntur *narrare gloriam Dei* Psal. XIX. 1. conf. Psalm. VIII. 4. 10. Rom. I. 20. Et 3. quis esse posset *ultimus* rerum omnium *finis*, in quo omnes subordinati quiescerent; si non *gloria* Dei? Finis enim, ad quem mundus est creatus, ipso mundo *præstantior* præsupponitur; & quid tandem mundo *præstantius*, quam solus Deus? & quî Deus *finis* esse potest; nisi ut glorificetur? Tandem 4. plurimas, è creaturis suis, fecit *gloriosas*, Messiam Jes. XLII. 21. Solem & astra 1. Cor. XV. 41. Davidem Psal. XXI. 6. Salomonem Matth. VI. 29. &c. nunquid igitur ipse, *magis* erit gloriosus?

Gloria Divinæ quatuor ingredientia numerantur: Primum, infinita est essentiæ & attributorum eminentia.

V. Non est autem gloria Dei, nisi *infinitæ eminentiæ q. fulgor, agnoscendus & manifestandus.* Ut ad gloriam quatuor ista concurrant: *primò* infinita quædam *eminentia*: sicut enim cuivis bono *honor*, & excellentiori *laus*; ita eminentissimo *gloria* competit. Competit autem ista eminentia Deo; tum ab *essentia*, quatenus est *Jehova* Exod. XXXIII. 18. 19. 20. Jes. XLII. 8. tum ab *attributis*, utpote à quibus, velut particulis, illa divinæ Majestatis emergit eminentia, prout in singulari eorundem contemplatione, passim ostendimus. Hæc *fundamentum* est omnis *gloriæ* Divinæ, ob quam æstimari ac celebrari, à nobis meretur, atque etiam *Deus gloriæ* Act. VII. 2. *Rex gloriæ* Psal. XXIV. 8. *Pater gloriæ* Eph. I. 17. celebratur: eique asseritur *eminentia gloriæ* Eph. III. 14. 16.

Secundum, hujus eminentiæ fulgor.

VI. Concurrit *secundò*, perfectionis & eminentiæ illius q. *fulgor* Jes. XXXV. 2. à quo gloria, q. *claria* dicitur, unde Filius ἀπαύγασμα τῆς δόξης denominatur Heb. I. 3. & *gloria Domini, circumfulsisse* dicitur Pastores Luc. II. 9. ut & Paulum *lux e cœlo* Act. IX. 3. Matth. XVII. 2. Hinc *lucem* dicitur habitare *inaccessam* 1. Tim. VI. 16. Qui fulgor, non tam *corporis* (prout faciebat gloria Salomonis Matth. VI. 29. Solis 1. Cor. XV. 41. Phosphori Jes. XIV. 12.) quam *mentis* oculos perstringit, quamvis nonnunquam, *externus* etiam splendor, quasi pro symbolo, accesserit, ut ex adductis locis

cis Luc. 11. 9. & Act. IX. 3. Exod. XXXIII. 18. 19. 23. Ezech. I. 26. 27. 28. & III. 12. & XL. III. 1... aliisque patet.

Tertium, ejusdem agnitio & æstimatio.

VII. E quò *tertiò* existit, *agnitio* istius eminentiæ, à quâ *facies* Dei dicitur Exod. XXXIII. 20. *facies gloriæ* Jud. vers. 24. 25. item *nomen* ejus Matth. VI. 9. Exod. XX. 7. quod à *facie* & à *nomine*, innotescat majestas & eminentia *rei*. Agnitio ista, omnibus quidem numeris *perfecta*, soli Deo competit: qui hinc *lucem* dicitur *habitare inaccessam*, *quem viderit nemo* 1. Tim. VI. 16. Joh. I. 18. *imperfectior* tamen, ex revelatione, ex attributis, ex operationibus, obtingit etiam creaturis; Angelis Jes. VI. 1. Matth. XVIII. 10. Mosi Exod. XXXIII. 23. Num. XII. 8. pastoribus Luc. II. 9. Apostolis Joh. I. 14. Paulo Act. IX. 3. aliisque. Quæ tamen, non est absque *gradibus*: dum *hic* conspicimus seu cognoscimus, δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι; olim autem πρόσωπον πρὸς πρόσωπον 1. Cor. XIII. 12. Atque hæc tria: eminentia, fulgor & agnitio gloriam *internam* constituunt, Deoque coæternam.

Quartum, ejusdem celebratio seu manifestatio.

VIII. Tandem *quartò*, concurrit ad gloriam, agnitæ per fulgorem eminentiæ, *celebratio* seu manifestatio, quæ magis propriè *glorificatio*; quam *gloria* appellatur. Qua, agnita *intus* eminentia, ejusque congrua æstimatio, *propalatur*, & extollitur. Quod fit (1) ab ipso *Deo*, seipsum glorificante: quando ineffabilem & incomprehensibilem, essentiæ suæ ὑπεροχὴν, in attributis & operationibus, utcunque manifestam facit Num. XIV. 21. Psal. LXXII. 19. Levit. X. 3. (2) Ab ipsis *personis* divinis, *inter se*: sic *Pater* glorificat Filium Joh. XVII. 1. *Filius* vicissim (ut ἀπαύγασμα τῆς δόξης Heb. I. 3.) Patrem Joh. XVII. 4. & VIII. 49. *Spiritus* S. Filium Ibid. Cap. XVI. 14. & Patrem, qui hinc, τὸ τῆς δόξης, καὶ τὸ Θεοῦ Πνεῦμα dicitur 1. Pet. IV. 14. (3) Ab *Angelis* & hominibus, quando agnitionem, sensum & æstimationem gloriæ Divinæ, manifestam faciunt, ipsamque Dei eminentiam, quantum possunt, exaggerant & extollunt Jes. VI. 3. Luc. II. 14. Psal. VIII. 1. Apoc. IV. 10. 11. (4) A *verbo* Dei, comprimis evangelico, quod hinc, *Euangelium gloriosum* dicitur 2. Cor. III. 7. 8. quod *gloriosa* Dei *attributa*, potentiam, sapientiam, gratiam, justitiam, & *gloriosum Dei Filium*, nobis pendat Phil. II. 11. (5) Ab *operibus* Dei Psal. XC. 16. & CXI. 3. creationis, sustentationis & gubernationis Psal. VIII. & XIX. 1. & CIV. 24. 31. Imprimis egregiis illis, quæ *miracula* appellamus, utpote in quibus, magis splendidè apparet, omnipotentiæ divinæ *gloria*. Potissimum autem (6) ab operationibus *gratiæ*, quibus circa Ecclesiam suam distinetur. Totum illud *consilium pacis*, quo Ecclesiam servare constituit, & sapientissima illa *œconomia*, quam in ejus gubernatione prodidit: quorsum spectat, nisi ad *glorificationem* Dei? Phil. II. 11. *Ut omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit, Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris.* Hinc Angeli Luc. II. 14. *Gloria in excelsis Deo.* Nominatim (1) gloria *misericordiæ* & *justitiæ* vindicativæ, se prodit, in æterno *prædestinationis* negotio Eph. I. 5. 6. Rom. IX. 22. 23. (2) Gloria *sapientiæ*, in exquirenda liberationis *via*, & justitiæ & misericordiæ congruâ: nec non in distribuendo q. penso, quod quælibet Persona sibi sumeret, in hoc redemtionis negotio: à quibus, Paulus exclamat: ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ Rom. XI. 33. Et Servator, *sapientia* & *potentia Dei* denominatur. 1. Cor. I. 24. Rursus (3) gloria *amoris* & gratiæ, versus mundum Joh. III. 16. Rom. V. 8. Porro (4) gloria *sanctitatis*, quâ vel *nostra* peccata, in proprio *Filio*, ferre non potuit, & adeo exagitavit rigidè Rom. VIII. 32. Insuper (5) gloria vindicativæ *justitiæ*, quâ nec proprio Filio pepercit Rom. III. 25. His igitur aliisque causis, *glorioſum Euangelium* dicitur *beati Dei* 1. Tim. I. 11. & *radiare lumen Euangelii gloriæ Christi.* 2. Cor. IV. 4.

Celebratio Dei præcipue peragitur cultu religioso.

IX. Interim *celebratio*, seu manifestatio ista eminentiæ divinæ, præcipuè à creaturis *rationalibus* peragitur, in *cultu* eorum *religioso*, utpote in quem *laudes Israëlis* Psal. XXII. 4. & vox εὐχαριστίας Psal. XXVI. 7. & XXXV. 18. & XCIX. 3. nec non *supplicationes* omne genus; confluunt 1. Tim. II. 1. quibus omnibus Dei omnipotentia, omniscientia, inexhausta bonitas; *agnoscitur* & *extollitur.*

Pars elenchtica.

Quæritur;

X. Cum *infinita Dei perfectio* & omnisufficientia, sint basis & fundamentum omnis gloriæ & glorificationis divinæ; perspicuum est, omnes qui arrodunt *perfectionem* & omnisufficientiam Dei: eadem opera, lædere, obscurare ac tollere gloriam Dei. Proinde recurrunt ex capite præcedente, controversiæ Socinianæ & Pelagianæ. Quæritur ergo: 1. Annon Sociniani, diversis suis hypothesibus, egregie debilitent & obscurent gloriam Dei? Sociniani, sicut diximus cap. præced. perverso amore independentis liberi arbitrii, & odio S. Trinitatis, æternæ deitatis & satisfactionis Christi, non uno modo *violant* & obscurant *gloriam* Dei, quando: 1. Istas Deo *abrogant perfectiones*, independentiam, immutabilitatem simplicitatem, infinitatem, omnipræsentiam, omniscientiam, ob quas Deus *glorificari* à nobis meretur. Quando 2. Tales ipsi asserunt *imperfectiones*, velleitatem, pœnitentiam, desideria, & tot affectuum perturbationes, ob quas *vilisieri*, aut saltem frigidius glorificari ac celebrari meretur. Sicut cap. præced. §. IX. monuimus. Quando

1. Annon Sociniani suis hypothesibus, debilitent & obscurent gloriam Dei?

Affirmativa probatur.

3. Gloriam æternæ *deitatis*, Filio Dei, ac Spiritui S. disputant ac negant, non obstante quod Filius dicitur, *Splendor gloriæ* Patris appelletur Heb. 1. 3. & gloriam illam *divinam*, quam *ab æterno* habuerit apud Patrem, sibi conferri petat Joh. XVII. 5. Quando 4. Gloriam cultus *religiosi*, quam sibi *soli* asserit Jehova in textu, & Servator Matth. IV. 10. ad Christum, velut φιλὸν ἀνθρωπον, traducunt. Quando 5. Gloriam *justitiæ vindicativæ*, qua *purior est oculis, quam ut possit aspicere molestiam* Habac. 1. 13. Exod. XXXIV. 7. ipsi adimunt, ac peccatori, tantum non *similem* faciunt Psalm. 1. 21. Quando 6. Gloriam *satisfactionis*, qua humanum genus redemerit proprio sanguine, Filio Dei negant, licet Pater, propter eam, Filio nomen dederit, *supra omne nomen, ut in nomine ejus se flectat omne genu....* Phil. 10. 7. 8. 9. Quando 7. Gloriam *justificationis* nostræ, quatenus illa procedit, ex *sola ejus justitia*, nobis imputata & *donata*, filio Dei adimunt, propter quam, *facta* scil. *purificatione peccatorum nostrorum per seipsum, consedit in dextra throni majestatis in excelsis* Heb. 1. 4. Quando 8. Gloriam *istius justificationis*, filio Dei ademtam, sibi quasi imponunt, dum *propriis* operibus, eam sibi parare nituntur. Contra Apostolum Eph. 11. 8. 9. *Ne quis glorietur.* Rom. III. 27. *Ubi ergo est gloriatio? Exclusa est..... per legem fidei.* Plura hujus generis non congeremus.

2. An non Pelagiani, veteres ac novi, suis placitis, gloriam Dei impetant & obscurent?

XI. Quæritur 2. Annon etiam Pelagiani, veteres & novi, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes, suis placitis, per obliquum, gloriam Dei impetant & obscurent? Affirmavimus ac demonstravimus Cap. præced. §. x. ostendendo, quomodo ex una parte, Deum *liberent* variis *perfectionibus*, independentia, immutabilitate, infinitate, omniscientia, omnipotentia, infinita beatitudine, ex quibus glorificari posset, deberet, & passim in Scripturis glorificatur: quomodo ex *altera parte*, in ipsum congerant, varias *imperfectiones*, v. g. dependentiam, ignorantiam, impotentiam &c. ex quibus vilescit & obscuratur gloria Dei, in ipsum congerant. Verum, quia ista, loco citato dudum exegimus, hîc plura non adjiciemus.

3. An non Romanenses, contra edictum Dei, gloriam Dei, gloriam Dei, dent alteri, & laudem ejus, sculptilibus?

XII. Quæritur 3. Annon Romanenses, contra edictum Dei, gloriam ejus dent alteri, & laudem ejus sculptilibus? Paganos ἀυτοκατακρίτως, qui Scripturæ, & Dei ipsius auctoritatem, susque deque habent, non morabimur, quippe, utriusque criminis, quo *gloriam Dei*, suis Deastris, Jovi, Mercurio... dederint, & *laudem* Dei, suis *sculptilibus*, quibus ineſſe credebant, aliquid *deitatis* ac divinitatis, contulerint; hoc minoris erat *idololatriæ*: ast quod Papani, qui auctoritatem Dei & Scripturæ, verbis agnoscunt, ad hoc tantum, ut absque Deo, absque Scriptura, imò contra Deum & Scripturam, potestatem νομοθετικὴν, sui Pontificis qui talia præscribit, universæ Ecclesiæ Christianæ, fortius extollant; quis ferat? Gloriam Dei, obscurant non uno modo: 1. velut *ex obliquo*, per varias hypotheses, quando nim. α. *gratiam* gratuitæ *justificationis*, elevant & obscurant, duplici suo merito, ex *congruo* & ex *condigno* Rom. III. 24. *ex gratia....* & vers. 27. *ubi gloriatio....?* Et cap. IV. 2. 4. 16. Et cap. XI. 6. *si ex operibus; tum non amplius ex gratia, alioquin gratia non est gratia, & si ex operibus, tum non est gratia.* Quando β. contra eandem *gratiam*, satisfactiones urgent, pro peccatis venialibus, quo derogant *gloriæ* Christi, ut non sit *perfectus* Servator, qui possit servare εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 25. Quando γ. contra eandem *gratiam*, *intercessiones* urgent Sanctorum cœlitum, quasi intercessio Christi non sufficiat sibi 1. Joh. II. 1. 1. Jes. LXIII. 16. Quando δ. cum detrimento gratiæ, nimium extollunt vires liberi arbitrii 2. Cor. III. 5. 6. cum 1. Cor. XV. 10. Sed 2. Magis directe, gloriam Dei arrodunt & obscurant, quando A. ab *una* parte, *gloriam Dei*, seu cultum religiosum, aliis dant, puta B. Virgini, Angelis, Sanctis cœlitibus, Papæ Romano: contra expressum edictum textus nostri; *gloriam meam alteri non dabo.* Quando B. ab *altera* parte, imaginibus & *sculptilibus*, pani item *missatico*, reliquiis Sanctorum, cultum religiosum, eundem qui prototypis competit, impertiunt, contra idem edictum, *laudem meam sculptilibus* non dabo, commutantes item, *gloriam Dei incorruptibilis, formatæ imagine hominis mortalis* Rom. 1. 23. *Servientes* insuper his, *qui natura non sunt Deus* Gal. IV. 8. Conquisitis in tegumentum sacrilegii, nescio quibus distinctiunculis, inter λατρείαν, δούλειαν & ὑπεροδουλείαν, quas Jehova Legislator, in verbo suo ignorat, aut structis etiam contrariis hypothesibus, satis explodit, ut suo loco, si Deus voluerit, ex professo videbitur.

Probatur affirmativa.

4. An non Lutherani, gloriam Dei suis hypothesibus arrodant?

XIII. Quæritur 4. Annon Lutherani, suis hypothesibus, *gloriam* Dei, arrodant & obscurent? Lutherani, illi comprimis, qui ut *ubiquitatem* carnis Christi, ejusque *præsentiam* in Symbolis S. Synaxeos, & *universalem* redemptionem efficacius propugnent, non uno modo, *gloriam* Dei obscurant: 1. Ejus infinitam *potestatem*, qua de suis possit statuere sicut *vult* Matth. XX. 15. destinando ex lapsis peccatoribus, quosdam quos vult, ut in illis, gloriam *Justitiæ* suæ *vindicativæ* patefaciat, per justam eorum condemnationem, propter peccata eorum Rom. IX. 13. 15. 17. 18. 20. 21. 22. 23. Ejus 2. gratiam *salutarem*, qua *tantundem* gratiæ, reprobis impertiat ac electis, volendo ut omnes ac singuli homines, salutem *actu* consequantur, ex quo fit, ut gratia *non sit* gratia, cum gratia sit privilegium quorundam. Ejus 3. *independentiam*, quatenus pendeat à libero hominis arbitrio, quod pro lubitu, possit *positive* non-repugnare Spiritui S.

Sed

Sed imprimis 4. quando docent, ipsius glorioſas *perfectiones*, in quibus fundatur omnis ejus glorificatio, *alteri dari*, h. e. Chriſto quatenus eſt homo, ſeu creatura: puta ſuam *immenſitatem*, *omniſcientiam*, omnipotentiam, virtutem vivificandi, aliaſque. E diametro adverſus edictum textus noſtri. Videatur Joh. Gerh. loc. II. §. 364. cui etiam textui ſibi objecto, ne γὰρ quidem opponit, quin etiam detorquet poſtulatum Servatoris Joh. XVII. 5. *Glorifica me Pater apud temetipſum, ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus eſſet:* parum cogitans: 1. Servatorem, non *gloriam* novam, ſibi ut homini expetere; ſed glorificationem, ſeu *manifeſtationem*, ejus quam dudum habuerit ab æterno, exinanitione ſui, maxumopere obſcuratam Phil. II. 6. 7. 8. 9. Tum. 2. Servatorem petere *glorificari*, à Patre, ſicut ipſe glorificaverit Patrem vſ. 1. *ut filius tuus glorificavit te* vſ. 4. Proinde, ſicut glorificando Patrem, Filius nullam gloriam Patri communicavit; ſed quam habuit, tantum *manifeſtavit:* ita & Pater, glorificando Filium, non novam ei gloriam communicavit; ſed quam ab æterno dudum habuit, tantum *manifeſtavit*. Et proinde 3. ſermo ei non ſit, de humana ſua natura, nova quadam gloria beanda; ſed de perſona θεανθρώπῳ, cujus gloria divina manifeſtetur.

Pars practica.

Majeſtas & gloria Dei, nos 1. Format ad humilitatem.

XIV. Quantum ad praxin. *Primò* majeſtas & *gloria* Divina, prout in eſſentia, attributis & operationibus, graphicè in verbo repræſentatur Jer. XL. 15. 16. 17. 21. Jer. X. 6. 7. 10. 12. 13. Amos IX. 5. 6. Mich. I. 3. 4. Hab. III. 3. Job. XXVI. 6... & XXXIV. 13. & XXXV. 5. XL. 4... devotè cogitata, & cum noſtra *vilitate* collata Jeſ. XXIV. 23. (1) *Faſtum* reprimit Gen. XVIII. 27. Pſal. VIII. 2. 5. (2) Reverentiam ac *timorem* Dei generat. Jeſ. II. 10. 19. 21. Jer. X. 6. 7. 10. Pſal. CXI. 9. Jeſ. LIX. 19. Et (3) abnegationem omnis proprii honoris & *gloria*. Pſal. CXV. 1.

2. Retrahit à quavis profanatione gloriæ divinæ.

XV. *Secundò* reprimit *dementiam* eorum, qui infinitam iſtam Dei *majeſtatem* (a) ſuſque deque habent *corde* Rom. II. 4. Mal. II. 2. Exod. V. 2. (b) blaſphemant *ore* Jeſ. LII. 5. Ezech. XXXVI. 23. 1. Tim. VI. 1. Tit. II. 5. (c) deprimunt *opere*; ſeu talia *docendo*, quæ parùm congruunt cum *gloria* independentiæ, *gratiæ*, juſtitiæ, omnipotentiæ, de quo alibi: ſeu talia *faciendo*, quibus gloria Dei lædatur Rom. II. 24. Tit. II. 5. ſeu gloriâ Dei *abutendo* in prætextum ſcelerum 1. Sam. XV. 15: ſeu *propriam* gloriam Divinæ *præferendo* Joh. XII. 43. ſeu *nomen* aut *cultum* Dei vilipendendo, negligendo, irreverenter tractando, aut quovis alio modo profanando, adverſus tertium *Decalogi* præceptum. Quibus omnibus (A) *Majeſtas* & gloria Dei violatur, ejus *nomen* profanatur, ejus *facies* q. conſpuitur, ſaltem *exacerbatur* Jeſ. III. 8. & *contaminatur* Ezech. XIII. 19. B. Quibus Deus, *vindicias* ſuæ majeſtatis, certo certius opponet, juxta comminationes Exod. XX. 7. & exempla *judiciorum* divinorum Levit. X. 2. *In propinquis meis ſanctificabor, & in conſpectu totius populi glorificabor*, ſcil. judiciis meis. Conf. 2. Sam. XII. 14.

Rationes motivæ.

XVI. *Tertiò* provocat Majeſtas & *gloria* Dei, ad *glorificandum* nomen ejus 1. Cor. VI. 20. Quod fit, A. *Corde* Pſal. CIII. 1. 2. Luc. I. 46. agnoſcendo, *æſtimando* Mal. I. 14. reverendo infinitam Dei *eminentiam*, quam in attributis, in operibus, in Filio, in verbo repræſentavit 2. Cor. V. 11. Jer. X. 6. 7. 8. B. *Ore* Pſal. XL. 17. & CXLV. 5. *celebrando* apud alios perfectiones & virtutes ejus 1. Pet. II. 9. 1. Paral. XXIX. 11. 12---14. quibus argumentum præſtabit univerſum Pſalterium, quod hinc תהלים dicitur: quævis excitando, ut in hoc *celebrationis* opere, manus nobiſcum jungant, utpote cui *ſoli* impares ſumus Pſal. CIII. 20. 21. 22. C. *Opere*. Joh. XV. 8. Idque (1) *Abnegando* omnem *honorem* proprium, quo illibatior ſuus Deo ſervetur Pſal. CXV. 1. Matth. III. 11. (2) Propter *eam* fortiter *ferendo* quævis pericula, damna, opprobria, tormenta uſque ad mortem Phil. I. 20. Luc. IX 26. Exod. XXXII. 32. Rom. IX. 3. (3) Religioſè *abſtinendo*, ab omni quo *gloria Dei* lædi, imminui, blaſphemari poſſit Exod. XX. 7. Tit. II. 5. Rom. II. 25. (4) Conſtanter *faciendo*, quæ ſpectant ad gloriam Dei Matth. V. 16. Qualia comprimis ſunt (a) *Gratitudo* pro acceptis quibuſvis *beneficiis*, tam corporalibus, quam ſpiritualibus Pſal. L. 23. 1. Theſſ. V. 18. (b) *Profeſſio* nominis & veritatis evangelicæ Matth. X. 32. Phil. I. 7. 20. (c) *Perſolutio* votorum, quavis occaſione, in baptiſmo, S. cœna, morbis &c. præſtitorum Pſal. CXVI. 18. & L. 14. Imprimis (d) Sancta *converſatio* Joh. XV. 8. Phil. I. 11. (5) Nos totos, corpore tenus & animâ, *mancipando* glorificationi Divinæ Act. XV. 26. 1. Cor. VI. 20. In omnibus conatibus & operationibus noſtris, quantum fieri poteſt, *exſertè* intendendo gloriam Dei 1. Cor. X. 31. ſaltem generaliter, omnia noſtra *deſtinando* ad gloriam Dei Rom. XIV. 7. 8. nihil omnino *ſuſcipiendo*, quod ſuâ naturâ, non vergat ad *gloriam* Dei, aut ei quovis modo obeſſe poſſit, utcunque aliàs in ſe fuerit *adiaphorum* 1. Cor. VIII. 13. & IX. 15. Suadet univerſam iſtam Dei glorificationem A. Rei ipſius ſumma *æquitas*, nim. ut ei cui competit, ſumma quin infinita eminentia, motivæ. deferatur omnis gloria. Scil. ut *Deo demus quod Dei eſt* Matth. XXII. 21. B. Omne *exemplorum* genus prælucens: *Deus* ſeipſum glorificans, perſonæ *Trinitatis* ſe invicem glorificantes, Angeli noctes dieſque idem agentes, Jeſ. VI. 1. 2. 3. Sancti cœlites, omnia opera Dei Apoc. IV. 8. cœlum & terra, ut ſupra ſigillatim probavimus. C. Quod huc omnia à

3. Provocat ad glorificationem Dei. Quid illa?

Deo *creata* sint, & nos præter Angelos, soli *huic* Rom. XI. 36. Prov. XVI. 4. Jes. XLIII 7. D. Quod in hoc omnis nostra sit *perfectio*, præstantia & utilitas, per quam idonei sumus ad *usum*, seu ad finem summum *creationis* nostræ 2. Tim. II. 20. 21. summum item *redemptionis* 1. Cor. VI. 20. 1. Pet. II. 9. Tit. II. 14. Absque quo *inepti* dicimur Rom. III. 12. E. Quod proinde in hoc sit præcipuus *honor noster*, & Deus insuper, se *honoraturum* promiserit, qui se *honoraverint* 1. Sam. II. 30. & II. 8. 30. F. Quod è contrario, quovis *opprobrio*, & hîc & posthac suffusurus sit, hoc non agentes & se contemnentes. Ibid. Imo quod eis *maledicturus* sit, & quidem ipsis eorum *benedictionibus* Mal. II. 2. Num. XX. 12. Tandem G. Quod ad hoc æternùm *glorificandi* simus, ut cum beatis Angelis ipsum æternùm glorificemus, ei τρισάγιον suum, indesinenter dies noctesque *occinendo* Jes. VI. 3. Tit. II. 13. Conferantur quæ de sanctificatione *nominis* Divini Cap. IV. & de *glorificatione* Dei, circa pleraque Dei attributa, dudum observavimus.

4. Monstrat, qua ratione ad gloriam nitendum sit.

XVII. *Quartò*, monstrat majestas & *gloria* Dei, unde sit repetenda, & in quo collocanda *vera* gloria, scil. *à Deo* & *in Deo*, qui Majestatis & *gloriæ* quasi Oceanus est Jer. XVII. 14. Psal. CIX. 1. Et quibus adminiculis, illa in Deo & à Deo *obtinenda* sit. Scil. A. *contemptu* & vilipendio honoris mundani Joh. XII. 43. *Si enim gloriari cupis, gloriam despice, & omnibus eris glorioſior*, ait Chrysost. Conf. Jac. IV. 16. Heb. XI. 25. 26. B. *Humilitate* 1. Sam. II. 30. Jac. I. 9. 10. 1. Pet. V. 5. 6. C. *Honorem*, gloriam, auctoritatem, opes, si quid ejus nobis obtigit: honori & *gloriæ* divinæ submittendo & impendendo Apoc. IV. 10. Prov. III. 9. 10. Porro eis *virtutibus*, quibus Deus ipse peculiariter gloriam tribuit, puta D. *Agnitione* Dei Jer. IX. 23. 24. E. *Patientiâ* & martyrio Rom. V. 3. Apoc. II. 10. F. Studio *Sinceritatis* 2. Cor. I. 12. G. Glorioso *fidei certamine*, & *bonæ conscientiæ* conservandæ studio, utpote cui, *justus Judex justitiæ coronam retribuet* 2. Tim. IV. 7. 8. H. *Fidelitate* & constantia, in opere evangelico 1. Thess. II. 19. Dan. XII. 3. Et si quæ plures sint, istiusmodi virtutes, in Scripturis (viæ.

Movet appetitum gloriæ æternæ.

Quænam illa?

XVIII. *Quinto*, accendit Majestas & *gloria* Dei, qui anhelemus & adnitamur, participes fieri *gloriæ æternæ*. De qua Apostolus 2. Cor. III. 18. *Nos omnes, retecta facie, gloriam Domini, ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam.* Quæ hinc (1) *gloria Dei* appellatur Rom. V. 2. item *gloria Christi* 2. Thess. II. 14. Et (2) *excellenter excellens æternum gloriæ pondus*, appellatur 2. Cor. IV. 17. Et (3) *Corona gloriæ* 2. Tim. IV. 7. Et (4) *corona vitæ* Apoc. II. 10. & III. 11. & IV. 4. *immarcessibilis gloriæ corona* 1. Pet. V. 4. Quâ (5) justi *splendebunt, in regno Patris sui, sicut Sol* Matth. XIII. 43. Dan. XII. 3. Quâ (6) *Corpora* fidelium *transformabuntur, ut conformia fiant corpori* Christi *glorioso* Phil. III. 21. & quod hîc *seritur ἐν ἀτιμίᾳ*, resurget in *δόξῃ* 1. Cor. XV. 41. 42. 43. Quâ (7) *Anima* fidelium, defæcatæ ab omni *ignominia* ignorantiæ, quantum ad intellectum 1. Cor. XIII. 9. 10. 21. 22. ab omni pravâ *concupiscentia*, voluntatis & affectuum (scil. *ἰσάγγελοι* Matth. XXII. 30.) in *imaginem Dei transformabuntur.* Quâ (8) *totus* homo, *constituetur glorioſus, absque macula aut ruga, aut simili quovis, sanctus & inculpatus* Eph. V. 27. Idque (9) in *loco* glorioso, in ipso gloriæ divinæ habitaculo, cœlesti hierosolyma, cujus *gloria* describitur Apoc. XXI. 1..... Et (10) cum consortio ac *societate* gloriosa Heb. XII. 22. Quam gloriam A. Deus *Pater*, æterna prædestinatione, suis *præparavit* Matth. XXV. 34. Rom. IX. 23. 1. Cor. II. 7. B. Deus *Filius acquisivit*, & *conferet* olim Heb. II. 10. 2. Thess. II. 14. Rom. XV. 7. Joh. XVII. 22. In quam C. *Spiritus S. Spiritus gloriæ* 1. Pet. IV. 14. nos suo tempore *transformabit* 2. Cor. III. 18. Parabimus autem istam gloriam nobis (1) Studio *regenerationis* seu conversionis 1. Pet 1. 3. 4. Joh. III. 5. (2) Vera ac viva *fide* Joh. I. 12. collat. cum Rom. VIII. 17. 21. (3) Sincero Dei *amore* 1. Cor. II. 9. (4) Assiduo bonorum *operum* studio Rom. II. 7. 10. nominatim operum charitatis Matth. XXV. 34. 35.... (5) Præclaro fidei & bonæ conscientiæ *certamine* 2. Tim. IV. 7. (6) Patienti quorum vis adversorum, pro Deo & Mediatore, *tolerantia* Rom. VIII. 17. 18. 2. Cor. IV. 17. Luc. XXIV 26. (7) Cœlesti *conversatione* Col. III. 1. Phil. III. 20. 21. qua non visibilia evanida, sed invisibilia *σκοπεῖμεν* 2. Cor. IV. 18. Inque omnibus istis (8) *perduramus* ad finem Apoc. II. 10. 2. Tim. IV. 7. 8.

Unde ista. Media.

6. Præstat solatium in quavis ignominiâ.

XIX. Interea *sextò*, dum ab hac gloria exulamus, Dei Majestas & *gloria* solatium præstant, in quavis *ignominiâ*, eâ comprimis, quæ propter Deum & Christum sustinetur Rom. XV. 13. Psal. LXIX. 8. 1. Pet. IV. 14. & in ipsa mortis *ἀτιμίᾳ* 1. Cor. XV. 43. Cogitare (1) Soli Deo deberi honorem & *gloriam* Psal. CXV. 1. nobis propter peccata, non nisi *ignominiam* & confusionem Dan. IX. 7. 8. (2) Ipsum *probrum Christi*, potius esse, quam universum Ægypti *thesaurum*, censente Mose Heb. XI. 26. (3) Quod *gloriæ* divinæ possimus inservire, ex Divina voluntate, non tantum *honore* & gloriâ: sed etiam *contemtu*, ex analogiâ loci 2. Tim. II. 20. 21. Quod (4) hic sit receptus Dei agendi *modus*, ut, quem vult *glorificare*, illum prius *deprimat* 1. Sam. II. 7. 8. Luc. XXIV. 26. Heb. II. 7. Tandem (5) quod *excellenter* illud *excellens æternum gloriæ pondus*, quamvis *ignominiam*, olim abunde sit compensaturum 2. Cor. IV. 17. Quando, quod *cum ignominiâ* satum fuerit corpus nostrum, suscitabitur cum *gloriâ* 1. Cor. XV. 43.

Quibus argumentis.

CA-

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

DE

BEATITUDINE DEI.

Psal. XVI. vers. 11.

Satietas gaudiorum est cum facie tua; jucunditates in dextra tuâ in seculum.

Postremum Dei attributum ejus beatitudo.

I. Restat ex derivativis tertium, & ex omnibus postremum Dei attributum, quo seipso, suisque perfectionibus, omnibus, gaudet ac *fruitur*, seque ad *gaudium* fruendum, suis communicat; quod *beatitudo* dicitur, quam describit Psalmus XVI. vers. 11.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Quibus verbis Psalmus concluditur*, descriptione *quadam periphrastica*, *duplicis* beatitudinis *divinæ*, *scil.*

1. *Beatitudinis* propriæ, *seu* faciei *divinæ*: satietas gaudiorum, cum vultu tuo. *Nolim diffiteri*, *juxta plerosque interpretes*, *verba hæc capi posse*, *de beatitudine* creaturarum, *qua fruuntur coram facie*, & *ex conspectu faciei divinæ*: *sed tamen etiam non obstat*, *ob quod verba ista non capiamus*, *de beatitudine* Dei; *cum procul dubio*, *creaturis non possit communicare*, *quam ipse ἐξοχῶς non habuerit*, *cum præsertim* beatitudo, *ipsi ἐπῶς tribuatur* 1. Tim. I. 11. & cap. VI. 15. *Occurrit interim hic*

A. Beatitudo *quæ tribuitur*: שובע שמחות satietas gaudiorum: *ubi* שובע copiam *notat*, *plenitudinem*, *imo & satietatem*: *quod beatitudo*, *non uno aliquo bono*; *sed* confluxu *omnium perficiatur*. *Unde etiam* שמחות *in* plurali *adjicitur*: *qua voce &* bona *illâ designantur*; *quæ beatum faciunt*; & acquiescentia *ac gaudium*, *ex possessione &* fruitione, *bonorum istorum oriundum*. *Utroque significatur*, *tantam esse in Deo* perfectionis & gloriæ, *copiam*, *ex tot tantisque attributis oriundam*, *ut satis habeat*, *quasi plenus sit*, *imo abundet*, *non tantum ad* necessitatem; *sed etiam ad* lætitiam. *Sic ut plus habere non possit*, *nec habere desideret*.

B. Essentia *Dei*, cui *tribuitur*, את פניך, cum facie tuâ. Vocula את, *inquit Drusius* Observat. Sac. *lib.* 9. *cap.* 7. non tantum est simplex casuum nota; sed quæ simul & ipsissimam rei substantiam demonstrat. *Hoc loco possit significare*, *vel* cum, apud, in, *ut eam designet*, *quæ est* in Deo, *seu in essentia Dei*; *vel* à, abs, *ut notet beatitudinem*, *quæ* à Deo *profluit ad creaturas*. *Forte utramque implicat*. Facies *autem Dei*, *ipsam ejus* essentiam *videtur designare*. *Exod.* XXXIII. 20. *Ut scopus phraseos sit*, *in ipsa Dei essentia*, satietatem *esse perfectionis*, *gaudii & beatitudinis*.

2. *Beatitudinis* communicatæ, נעמות בימינך, amœnitates in dextrâ tuâ. *Hic rursus non diffiteor*, *verba posse usurpari de beatitudine* Dei: *sed tamen etiam de beatitudine* creaturarum *participata*. *Proinde & hic profstat*

A. Beatitudo *quæ* communicatur, נעמות, jucunditates: *nisi velis è præcedenti commate supplere* שובע, satietas jucunditatum, *seu copia & confluxus*, *omnis boni* honesti & jucundi.

B. Dextra *Dei*, *à qua possidetur*, *pariter &* communicatur, בימינך in dextra tua. Dextra (*opposita* sinistræ, *quæ communiter apud homines*, *impotentior est & ignobilior*) *Hebræis est* manus fidei & amoris, *unde multis ab* אמן, *derivari videtur*, *quod prima radicalis* א *Jes.* XXX. 21. *exprimatur*. *Atque etiam ipsis*, Filius dextræ, *dicitur comprimis dilectus Psal.* LXXX. 18. *Significatur*, *satietatem jucunditatum*, *seu beatitudinem*, *à fideli & gratiosa Dei potentia*, *electis communicandam esse*.

3. Duratio *utriusque beatitudinis*, נצח æternum, *irresistibiliter*, *invincibiliter*. *Est hoc* adjunctum *perpetuum beatitudinis*, *quæ* beatitudo *non esset*, *si æterna & indesinens non esset*.

Pars

Pars dogmatica.

Deum beatum esse, & omnis beatitudinis fontem, probatur Scripturis.

III. E quo patet, Deum non tantum *beatum* esse in se; sed etiam omnis beatitudinis *fontem*, suis. A quo (1) diserte μακάριος dicitur 1. Tim. 1. 11. & VI. 15. Et (2) שדי *omnisufficiens* Gen. XVII. 1. Forte etiam (3) ἐυλογητὸς Rom. IX. 5. 2. Cor. XI. 31. Nisi hoc epitheton malis ad *gloriam* referre. (4) Nil boni *aliunde accipere* posse Psal. XVI. 2. & L. 12. Et (5) *lux*, in quâ *non sunt tenebræ* 1. Joh. 1. 5. cum *beatitudo* ac gaudium, per *lucem* in Scripturis sæpius repræsentetur Psal. CXII. 4. Jes. L. 10. Unde (6) beatitudinem suis *conferre* dicitur Psal. XVI. 11. & XXVII. 13. esse eorum *lux* Ibid. vers. 1. eosque, in sua demum *luce*, *videre lucem*. Psal. XXXVI. 10.

Et rationibus.

IV. Et sanè, qui 1. Tot tantisque *perfectionibus* gaudet, quas hactenus singulatim enarravimus, quique plures ac majores non potest, vel *habere* vel *desiderare*, nunquid *beatus* sit? Qui 2. ex omnibus istis perfectionibus, *omnisufficiens* dicitur & est (prout Cap. XXI. demonstravimus) sibi & suis omnibus; beatus non esset? Qui 3. omnibus omnis beatitudinis *causa* existit, ut nihil habeant *quod non acceperint*, & quod ab ipso non acceperint: beatus ipse non esset? quod aliis largitur, non haberet? Aut igitur beatitudo non *datur*; cui omnis creatura, & imprimis rationalis suo appetitu reclamat: aut *Deus* beatus est. Ut rectè Augustus. de *Civit. Dei* lib. IX. cap. 2. *Cum solo vero Deo, & in solo, & de eo solo anima humana, id est rationalis & intellectualis, beata est.* Qui 4. solus est ἀυτοφυὴς, ἀυταυτὸς, καὶ ἀυταγαθὸς, ipsa bonitas & perfectio; *beatitudinis* perfectione destitueretur? Et 5. cujus omnes perfectiones, semper sunt *actuosæ*, imo unus purus ac putus actus; hic beatus non esset?

Quid beatitudo?

V. *Beatitudo*, Hebræis אשרי in *plurali*, confluxum notat omnis boni, quod fit in *summo* bono: Græcis μακαρισμὸς, quasi μέγα χαίρων, *multum* seu *valde gaudens*: aut ἀπὸ τῦ μάλιστα χαίρειν, *vehementissimè gaudere*: aut, secundum Favorinum) μὴ *non*, & κὴς *mors*, q. μήκης, *morti* ac *sorti* non expositus: unde Erasmo ab immunitate *corruptionis* dicitur. Quantum ad rem, non est nisi omnis *mali* absentia, & omnis *boni*, in *summo* bono, possessio & fruitio. Ut ad beatitudinem requirantur. 1. Omnis mali *absentia*. 2. Omnis boni, in summo bono, tum *possessio* ac præsentia, tum 3. *fruitio*, h. e. sensus, acquiescentia ac gaudium. E quo perspicuum est, non sufficere ad beatitudinem, summi boni *possessionem*, ut patet in fidelibus spiritualiter desertis, sed insuper possessionis istius *fruitionem*, h. e. *cognitionem*, in intellectu: *acquiescentiam* item, ac *delectationem* & gaudium, in voluntate, requiri. E quo patet, beatitudinem *objectivam* (ut loquuntur) cujus *possessione* beati reddimur, esse *summum* universale bonum, ut supra Cap. XVI. docuimus: beatitudinem *subjectivam*, seu *actum*, cujus ope summo isto bono fruimur, esse partim *intellectum*, seu *visionem* Dei Joh. XVII. 3. Job. XIX. 26. partim *voluntatem*, seu acquiescentiam ac delectationem in summo isto bono Psal. XVI. 11. ut suo loco, uberius monstrabitur.

Quid beatitudo Dei?

VI. Eadem, suo modo, *Dei* involvit *beatitudo*, nim. absentiam omnis *mali*, & imperfectionis: est enim *Lux*, *in qua non sunt tenebræ* 1. Joh. 1. 5. & *fruitionem* perfectam sui ipsius, à quâ *satietas gaudiorum*, esse dicitur *cum facie* ejus Psal. XVI. 11. Eâque continetur, non tantum exacta sui ipsius *cognitio*, sibi soli propria Rom. XI. 34. 1. Cor. II. 11. sed etiam *satietas*, acquiescentia & gaudium in *seipso*, in *personarum* communione, & *operibus* suis universis Prov. VIII. 30. Matth. XVII. 5. Verum non *qualiscunque* Deo sufficit, sui ipsius fruitio; sed omnibus modis *perfecta*. Id est 1. Talis, quæ sibi oriatur, non ab *hoc* tantum aut *illo* bono, aliunde limitato, qualis creaturarum; sed ab *omni* quod cogitari, aut esse potest: seu id formaliter possideat; seu eminenter Psal. XXIV. 1. Eph. 1. 20. 21. Quam 2. possideat, non ab *alio*, precario, sed *à se* & in se, ut sit *essentialis* beatitudo, scil. *cum facie sua*: quæ enim *adventitia* est, & imperfectior est, & separabilis. Quam 3. *semper* habeat, & immutabiliter: quæ enim aliquando *non fuit*; aut quæ *non* esse *potest*: evanida est, ac proinde non perfectissima. Quam 4. non *per vices* habeat, ab habitu transiens ad actum, aut per *compositionem*, ex confluxu multiplicis boni, ex beatitudine formali & objectiva: sed quam *unico*, purissimo, simplicissimo actu possideat. Quam denique 5. Non *sibi soli* habeat; sed *suis communicare* possit, communicare promiserit, atque etiam communicet, pro sua voluntate, & eorum capacitate Psal. IV. 7. 8. & XXXVI. 10. & LXXXIV. 12. fed quis tandem, *infinitam* Dei beatitudinem repræsentaverit? cum vel *nostram*, utcunque *finitam*, nec *oculus viderit*; *nec auris audiverit*; *nec mens perceperit* 1. Cor. II. 9.

Difficultates adversus beatitudinem Dei tolluntur.

VII. Nec huic beatitudini obest. 1. Quod *non omnia* Deus possideat bona, quæ creaturis contulit: implicant enim illa imperfectionem, à quâ, si possideret, *minus* foret beatus: & quæ *non* implicant, ea possidet, si non *formaliter*, saltem *eminenter*, ut ab iis, sua beatudo *augeri* nullo modo possit. Quod 2. non *omnia* quæ vult, *fiant*; quin multo maxima pars, *non* fiat. Quoniam, quicquid vult *fieri*, hoc semper *fit*, & quicquid proinde non fit, id etiam non voluit *fieri* Psal. CXV. 3. sed quæ voluit tantum *præcipiendo*, ea tantum voluit esse nostri *officii*, & pro eo quod *non fiunt*, puniendo consequitur *gloriam* suæ justitiæ, quâ sibi complacet. Quod 3. á creaturis *offendatur*, exacerbe-

cerbetur, ad iram concitetur. Neque enim peccatis Deus propriè *læditur*, offenditur, exacerbatur: sed hoc agitur quo *creatura læderetur*, offenderetur; & quo *Deus*, si possibile, offenderetur, & quo *præceptum* ejus læditur, violatur. Quod denique 4. *exspectare* frustra, vovere, pœnitere dicatur. Fit enim, ut alibi explicuimus, *ἀνθρωποπαθῶς* tantum; secundum *effectum*, *non affectum*. Conferri in explicatione *beatitudinis* divinæ, poterunt, quæ dudum de *bonitate*, *omnisufficientia* & *perfectione*, atque Dei *Majestate* docuimus.

1. An Gentiles ingenue agnoverint, divinam beatitudinem?

Pars Elenchtica.

VIII. Quæritur 1. An Gentiles ingenue agnoverint divinam beatitudinem? Equidem suos Deos *μάκαρας* salutabant. Epicurei etiam, ut Deum haberent *μακάριον*, providentiam ei adimebant, ne curis ac molestiis, ex universali, omnium rerum sustentatione & gubernatione *fatigatus*, cessaret esse beatus. Forte etiam *aliquam* in suis Deastris agnoscebant *veram* beatitudinem; sed quæ vere esset *divina*, nullam ingenue agnoscebant. Quia: 1. Polytheismum tradebant, qui est *ἀσύστατος*, cum *divina*, h. e. *infinita* beatitudine: *infinitum* enim, non potest esse nisi *unum*. Quia 2. Deos fovebant *humanos*; qui, ex *finitudine*, multis laborabant *defectibus*. Quia item 3. Deos *ἀζώους*, vita, sensu, intellectu cassos, in suis imaginibus, statuis, quorum graphicam delineationem habes Psal. CXV. 4. 5. 6. 7. Quia 4. In tanta sententiarum de *summo bono*, varietate, non fuit, quæ summum hominis bonum, elloocaret *in Deo*, sicut dudum observavimus Cap. XVI. §. XII. Quia 5. Beatitudo *vera*, homini obvenire nequit, nisi à *tali* quod est: A. Bonum *absolute summum*, cui nihil admixtum est, seu mali, seu imperfectionis, quod subigeret beatitudinem. B. *Universale*, cui nihil *desit* quod appeti mereatur, quod ad omnia sufficiat. C. *Proprium*, quod vere dici possit *nostrum*, seu nobis, non tam *adhærens*, quam *inhærens*. D. *Constans* & immobile, semper sibi *simile*, imò *idem*, perenne & æternum. E. *Infinitum*, quod possit *insatiabilem* hominis appetitum satiare. Jam si cum his summi boni requisitis, quod vere beatum dici, esse, & efficere queat, conferas omnia, in quibus, per tot ambages, *summum bonum* quæsiverunt Philosophi Gentiles; deprehendes nihil in omnibus esse, quod *summi boni*, cujus possessione beatus dici possis, *ἀξίωμα*, cum veritate sustinere queat.

Probatur quod non.

2. An, qui in quovis beatitudinem sectatur Deum esse beatum?

IX. Quæritur 2. An, qui in quovis beatitudinem sectatur, præterquam in Deo; agnoscat Deum esse beatum? Epicurus beatitudinem quærebat, seu in voluptatibus *externis* & carnalibus; seu in *interna* animi tranquillitate, seu in utraque simul. Muhammedes, in externis quibusvis voluptatibus; neuter, in possessione, communione, fruitione & glorificatione *Dei*, eoque ipso Deum non agnoscit sufficientem, qui *se* beatum efficiat, nec consequenter, qui beatus *ipse* sit. Cum autem hæc spectent ad caput de *glorificatione*; eo impræsens seponemus.

Præterquam in Deo, agnoscat, Deum esse beatum?

X. Quæritur 3. Annon Pelagiani ac Semipelagiani, tam veteres, quam moderni, suis hypothesibus, variis modis, turbent infinitam Dei beatitudinem? Dudum observavimus penes duo capita præcedentia, quod Pelagiani & Semi-pelagiani veteres, ac moderni, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes aliique, suis hypothesibus arrodant, infinitam Dei *perfectionem*, & omnisufficientiam; nec non *gloriam* suam, inde oriundam: quando: 1. Deo *perfectiones* quasdam detrahunt. 2. *Imperfectiones* varias tribuunt. 3. *Velleitatem* ac desideria, quibus suo fine frustretur, asserunt. Jam autem, si vel una perfectio in ipso deficiat, & una imperfectio ipsi competat: non poterit dici *infinitum beatus*, & si non *potitur* eo, quod seriò desiderat & vellet, quomodo *beatus* esse, aut prædicari possit? Hæc tetigisse sufficerit, ut sciamus, quid circa *beatitudinem* Dei disputari possit.

3. An non Pelagiani & Pelagianisantes, suis hypothesibus turbent Dei beatitudinem?

Pars practica.

Beatitudo Dei.

XI. Praxis hujus capitis, nobis præstat, *primò* argumentum *δοξολογίας*, quod non modo Deus *beatus* sit, & beatissimus, quo celebratur Psal. XVI. 11. 1. Tim. I. 11. & VI. 15. sed & beatitudinis *scaturigo*, *in* cujus *dextra*, sit *satietas jucunditatum*, *fons vitæ*, in cujus *luce fruimur luce* Psal. XXXVI. 10. Sigillatim, quod: 1. ipse *sibi* omnisufficiens & *beatissimus*, *miseris* beatitudinem præstet: *Quid ego*, *quod tu* &c. 2. Sam. VII. 19. Psal. VIII. 5. Quod 2. beatissimus hoc præstet *liberrime*, nulla adductus ullius retributionis spe Rom. XI. 36. Quod 3. beatitudinis, suis conferendæ causâ, proprium *Filium*, in extremam præcipitaverit *miseriam* Rom. VIII. 32. Quod 4. *Filii* miseriâ, *suis*, *majorem* beatitudinem restituat, quam habuerint, cum *beati* essent in Protoplastis Rom. V. 17. Imo 5. quod majorem etiam, suo modo, *Angelorum* beatitudine; quatenus ad *Filiorum* beatitudinem evexerit Joh. I. 12. 1. Joh. III. 1. collat. cum Heb. 1, 5. Ab omnibus istis, nunquid abunde nobis suppetit? ob quod 1. Deo *benedicamus* intus in *corde*, ejusque beatitudine *lætemur* Psal. CIII. 1. 2. Ob quod 2. benedicto benedicamus *ore*, eum celebrando Eph. I. 3. Et 3. beatitudinem ejus, quantum in nobis, *augere* studeamus, ejus voluntatem ac desideria, religiosè præstando Psal. LXXXI. 14. Jes. V. 2. Saltem 4. sollicitè caveamus, ne peccatis nostris, eum *offendendo*, exacerbando Jes. LXIII. 10. contristan-

1. Suppeditat argumentum glorificationis Divinæ.

do Eph. IV. 30. beatitudinem ejus, quantum in nobis, *conturbemus*.

2. Notat dementiam peccati.

XII. *Secundo*, dementiam notat *peccati* cujusvis, quippe quod non, tantum *beatissimum*, sua beatitate *exuere* nititur, eum offendendo, exacerbando, contristando: sed etiam ipsum *peccatorem*, propriæ *beatitudinis spe*, penitus exuendo. Si enim *ipse Deus*, per nos non est *perfectè beatus*; qui *nos* beatos præstiterit? Et si nos, peccatis nostris, conabimur ipsum *sua beatitudine* q. spoliare; quo pacto, *ipse nobis* volet conferre beatitudinem?

3. Reprehendit stultitiam eorum, qui beatitudinem extra Deum quærunt.

XIII. *Tertio*, reprehendit quoque eorum *stultitiam*, qui præterita verâ omnis beatitudinis *vena*, beatitudinem suam in *quibusvis*, in opibus, honoribus, voluptatibus sectantur, quos notat Psalmus IV. 7. Cum *omnia* ista I. quantacunque sint, aut esse videantur, ne *bonum* quidem efficiant, nedum *beatum*, eo quod in *pessimum*, adeoque & *miserrimum*, plerumque cadant Psal. LXXIII. 3..... Imo 2. peccato ac *miseria* æternæ, *causam* perfæpe præstent, & à *beatitudine* secludant Matth. XIX. 23. 24. 25. Ut non dicam 3. nihil esse in *omnibus istis*, quod præcipuam nostri partem, *animam beare* aut *satiare* possit Matth. XVI. 26. Et quod *nos* ad beatitudinem consequendam, *abnegare* jubeamur Luc. XIV. 33. Imo cum 4. in omnibus istis vix sit, quod non in ipsa *bruta* cadat, beatitudinis *nescia* I. Pet. II. 12. Unde 5. ad perfectionem, gloriam & *beatitudinem* etiam facit, omnia ista *contemnere*, eoque perfectiores & beatiores habeantur, qui *minimi* ea faciunt.

4. Pellicit ad beatitudinem in Deo quærendam.

XIV. Contra *quartò* (1) convincit, *possibilem* esse rationalis creaturæ *beatitudinem*: quod non modo *Deus* beatissimus sit, eoque beatitudinem *communicare* possit; sed etiam creaturis rationalibus beatitudinis *appetitum* indiderit, non sane frustra Psal. IV. 7. (2) Monstrat ubi quærenda vera beatitudo, scil. (a) in *unione* seu *possessione* beatissimi Psal. LXXIII. 25. & XVI. 5. & XXXIII. 12. & CXLIV. 15, (b) In *communione* cum Deo I. Joh. I. 3. 2. Cor. XIII. 13. quâ est *nobiscum*, in nobis, pro nobis, seque ipsum, omniaque sua *attributa*, tanquam *noster* Deus, nobis impendit, nostræque *beatificationi* Rom. VIII. 32. (c) In *fruitione* Dei, quæ complectitur, *tum* perfectam *cognitionem* (& quasi visionem) *Dei* Joh. XVII. 3. I. Cor. XIII. 12. Joh. XIX. 26. 27. pariter & *nostra* beatitudinis, in unione & communione cum Deo 2. Cor. III. 18. & IV. 6. *tum* perfectam *acquiescentiam* & gaudium ex ista unione & communione, juxta & cognitione, oriundum: scil. perfectam *satietatem gaudiorum & jucunditatum*, *cum facie*, *& in dextra Dei* Psal XVI. 11. I. Cor. II. 9. Psal. LXXXIV. 12. (d) In suavissima *glorificatione* Dei Jes. VI. 3. Apoc. IV. 8. 10. 11. & V. 9.....(3) Pellicit ad *quærendam* beatitudinem, quia I. ut diximus, obtineri *potest*, eo quod Deus beatus sit & *beatissimus*, quem nemo & nihil, si conferre velit, *cohibere* aut impedire potest: quod natura rationalis *capax* sit beatitudinis: quod plurimi *obtinuerint* ac possideant: quod Deus *delectetur beatificatione* suorum, atque eo, universum illud destinaverit *pacis consilium*. Quia 2. admodum *desiderabilis* est beatitudo, prout miseria est *abominabilis*. Neque enim quicquam potest, non desiderare sui *beatitudinem*. Quia 3. sic est desiderabilis ut quævis *alia* reddat *desiderabilia*; neque enim quicquam desiderabile est, præter beatitudinem, imo nec quicquam nisi propter beatitudinem: quorsum enim appetuntur opes, honores, voluptates &c. nisi propter *beatitudinem*? quorsum item *aversamur* & declinamus quævis adversa, nisi quod impediant aut turbent beatitudinem? Quia 4. *Sola* beatitudo, *satiare* potest appetitum humanum, quippe velut animæ *centrum*, quæ nullibi quiescit, nisi in beatitudine. Est *totum hominis* Eccl. XII. 13. Quia 5. beatitudo adeo nobis est *necessaria*, ut citra eam, nec universus *mundus* conducat Matth. XVI. 26. (4) Suppeditat *adminicula* consequendæ beatitudinis: A. *Agnoscamus* ac sentiamus extremam nostram *miseriam*; quamdiu destituimur Deo, *inimici* sumus ejus, qui *fons* est omnis beatitudinis Jes. LIX. 2. Eph. II. 12. B. *Reconciliationem* cum Deo, omni conatu sectemur, per *fidem* in sanguine Mediatoris 2. Cor. V. 19. 20. Col. I. 20. Quo ab omni *malo* liberemur, quod primum est in beatitudine. C. Enitamur in *unionem* cum Christo, ut eadem opera uniamur *cum Deo*, in quo fundamentum est omnis beatitudinis Phil. III. 9. Joh. XIV. 6. quæ sit per *fidem*. D. Contendamus omni conatu, ad *uniformitatem* cum Deo & *voluntate* ejus Apoc. II. 6. Psal. XL. 9. quod optimè conciliat amicitiam. E Descendamus in *fœdus* cum Deo, recipiendo *conditiones* fœderis, nobis oblatas: quo nim. Deus fiat *noster Deus* Gen. XVII. 1. in quo omne consistit beatitudinis nostræ punctum Psal. XXXIII. 12. F. *Ambulemus* cum Deo in luce, & sic communionem habebimus cum eo I. Joh. I. 3. G. Omnibus illis *mediis* studiose utamur, quibus *propiores* Deo reddamur: fide, spe, charitate, resipiscentia, precibus, cultus publici ac privati partibus Jac. IV. 8. Conf. quæ supra Cap. XVI. §. XXI. habuimus.

Rationes motivæ.

Adminicula.

5. Consolatur in quovis adverso

XV. Tandem *quinto*, *beatitudo* Dei conducit ad *consolationem*: I. Vacillantibus, spiritualiter desertis, ambigentibus, ac tantum non desperantibus de *beatitudine* sua, (de quibus Jes. L. 10. Psal. LXXVII. 8. 9. 10. & LXXXVIII. 4. 5. &c.) quotiescunque *intra se*, non observant, nisi peccatum, reatum, mortem, corruptionem, velut per omnes animæ suæ angulos serpentem: quotiescunque *extra se* non occurrit nisi confusio ac destructio, ac sentina quædam caliginis, miseriæ, mortis & cujus mali non? Quotiescunque sibi omnia videntur minitari æternam *damnationem*, salutem perditam,

cœ-

cœlum occlusum, Deum à se recessisse: usque adeo ut cum *desperatione* luctentur, ac tantum non de suspendio cogitent: hîc quid efficacius succurret? quam *Deum esse beatum*, & omnis beatitudinis *fontem*, adeoque *possibilem* saltem esse, & sui beatitudinem, cum præsertim, tot *actu* eam fuerint consecuti, nec quicquam Deum impedire possit, quo minus & *sibi* eam conferat: nec possibilem tantum; sed *probabilem* etiam, cum Deus beatissimus, sit *summum bonum*, adeoque suæ beatitudinis communicativus; cum præsertim tot tantaque præstiterit, quibus suam *propensionem*, versus beatificationem hominis miseri, demonstraverit: Filium proprium & unigenitum, ad hoc mundo dederit, dederit eundem *in mortem*, in mortem *maledictam*: miseros tam sollicitè curet *evocandos*, ad participium hujus *beatitudinis* Matth. XI. 27. 28. Jes. LV. 1. 2. 2. Cor. V. 19. 20. Et si his omnibus tandem accedat *certitudo* beatitudinis: quantum erit solatium! Sed 2. confirmatis etiam in communione cum Deo, & certis de beatitudine *suâ*, quantum *gaudium* suppeditat! quantum solatium! Deum non *in se* tantum beatissimum esse: sed *sibi* quoque, omnis beatitudinis *fontem*, certo certius futurum. Veniant jam morbi, veniat inopia, persecutio, mors & quidvis pessimum, dicent: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. VIII. 31. tollant beatitudinis (quam *in spe*, & *in re* suo modo, possident) virorem, folia; radicem ac truncum nunquam evellent, triumphabunt cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi!* &c. *Mihi persuasum est, quod neque mors neque vita*, nec quicquam *nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* Rom. VIII. 35. 38. 39. Modo 1. *verè* & sine fuco, *reconciliati* fuerint Deo Rom. V. 1. Modo 2. verè coierit *fœdus gratiæ*, inter se & Deum Gen. XVII. 1. 2. Modo 3. juxta formulam hujus fœderis, se *verè* Deo reciprocaverint, ut mutua inter eos sit communio Cant. II. 10. Modo 4. per Spiritus S. *regenerationem*, renovationem, sanctificationem, *divinæ naturæ*, revera fuerint facti participes, quo idonei sint, quibus cum Deo intercedat communio, & conversatio. Modo 5. sincerum & ingenuum *studium*, penes se deprehendant, constanter ambulandi cum Deo Gen. XVII. 2. Quæ præcipuas notas & indices præstant, *infallibilis* beatitudinis, à beato Deo accipiendæ. Condiones. solatii.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

DE

SS. TRINITATE.

2. Cor. XIII. vers. 13.

Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis, Amen.

Mysterium SS. Trinitatis.

I. *Fidem*, quâ in Deo quiescimus, ad vitam & beatitudinem æternam, duobus nitifundamentis, supra monuimus: quod Deus *sufficiat*; & quod *efficiat*. *Sufficit* autem, partim per *essentiam* & attributa essentialia, quibus existit, אל שדי, partim per *subsistentiam*, qua tres Deitatis *personæ* suum quæque pensum œconomicum præstant, in beatificatione hominis, docente Apostolo 2. Cor. XIII. 13.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Quibus verbis* votum *continetur, quo singulis deitatis personis, singulatim supplex Apostolus est, suum quæque beneficium œconomicum, suis Corinthiis impertiri dignentur. Quod votum distincte respicit.*

1. Filium, gratia Domini Jesu Christi. *Præmittendo Patri Filium, non tam respicit ordinem* subsistendi *in personis; quam ordinem* conferendi *beneficia salutaria, quantum scil. ad* exsecutionem, *ubi primum est redemptio Filii, licet quoad* intentionem *præcedat electio Patris. Eadem etiam significatur personarum* essentialis *æqualitas, qua Pater, licet ordine & modo subsistendi, Filio prior, eo tamen non sit* essentia potior. *Occurrit hic.*

A. Beneficium *quod oratur*, gratia: *non* naturalis *illa, toti Trinitati communis, de qua supra; sed* personalis, *qua consistit in* redemptione *miseri, Filio* κατ' οἰκονομίαν *peculiaris, quâque continetur*

omne *beneficium*, *à Christo oriundum. Dicitur autem istud redemptionis negotium* gratia: *tum quod* gratis *illud susceperit in consilio pacis*; *tum quod amore* indebito *dispenset*, *in* quos *& quibus legibus vult.*

B. Benefactor, *repræsentatus:*

1. *Ab auctoritate*, Domine. *Est triplex Dominium in Scripturis obvium:* 1. *Dominium* naturæ *divinæ*, *omnibus personis ex æquo commune*, *quando* Deus *passim Dominus appellatur. Est* 2. *Dominium* personæ; *quod Patri peculiariter competit*, *quâ Creator est*, *Legislator*, *Judex*, *Mal.* 1. 6. *Est* 3. *Dominium* mediatorium, *sanguine redemptionis partum Apoc.* 1. 5. 8. 1. *Pet.* 1. 19. *Istud hoc loco Apostolus*, *Filio peculiariter tribuit. Quamvis enim respectu* Patris *sui*, *ex in se suscepto reatu nostro*, servus *sit Jes.* LIII. 11. *attamen*, *respectu* nostri, *quos redimeret & redemit*, Dominus *est Act.* 11. 36. *Cujus proinde est*, gratiam *dispensare*, *pro pura puta sua* ἐυδοκίᾳ.

2. *A nomine proprio*, Jesu. *Quo redemptor* ex officio *designatur. Licet enim*, *& Pater*, *& Spiritus S. suum quoque conferant*, *ad peccatoris liberationem*; *non tamen*, ex officio, *sicut Filius.*

3. *A nomine* appellativo, Christo, *quo* unctus *& vocatus ad* officium *mediatorium designatur.*

2. Patrem, amor Dei. *Ubi rursus occurrit*

A. *Beneficium* amor ἀγάπη. *Intelligitur* amor electionis, *quam Apostolus arcessit à* προγνώσει præcognitione Rom. VIII. 29. *Scil.* prædilectionis, donationis *Filii* Joh. III. 16. *qui proficiscitur à simplici Dei* propensione *in electos*, *qua item tradidit Filium*, *pro eis*, in mortem Rom. V. 5–9. *Proinde non tantum* amor *iste* benevolentiæ, *qui præcedit ordine naturæ redemptionem*, *& fidem in Redemptorem*; *sed etiam* complacentiæ, *qui sequitur* fidem Heb. XI. 3. *quo jam reconciliatus eos complectitur*, *propter gratiam Filii: Ut non tam* benevolentiæ; *quo Filium dedit Mediatorem Joh.* III. 16. *quo sanguinis pretium accipit*, *qui amor* gratiam *Christi præcedit*; *quam amor* complacentiæ, *quo redemptos & reconciliatos complectitur*, *qui gratiam Christi sequitur*; *universum* officium *ac* beneficium *Patris* œconomicum, *indigitetur.*

B. *Benefactor*, Deus. *Scil. Pater*, *qui* Deus *est*, *non tantum* ex natura, *quod omnibus personis est commune*; *sed etiam q.* ex officio. *In œconomia enim*, *quâ Dominus*, *Creator*, *Legislator*, *Paterfamilias*; Deus *per* appropriationem *passim dicitur. Est autem* Deus, *non tantum respectu* hominum, *nec tantum respectu Christi*, *ut hominis*, *aut ut* Mediatoris θεανθρώπου; *sed etiam*, *ut* Filii, *ratione* ordinis *subsistendi*, *& potissimum respectu* provinciæ *redemptoriæ*, *quâ in consilio pacis*, *pro reatu electorum*, *Patris* debitor *factus est*, *adeoque subjectus*, *velut Deo.*

3. Spiritum Sanctum, communicatio Spiritus S. *Ubi rursus notatur*

A. *Beneficium*, κοινωνία, communicatio. *Quæ universum Spiritus S.* officium *& beneficium* œconomicum *designat*, *quatenus*, *sanctificatione & consolatione*, gratiam *Christi*, *&* amorem *Patris actu communicat.*

B. *Benefactor*, *qui appellatur*

1. Spiritus, *scil. non quoad* essentiam: *sic enim & Pater*, *& Filius*, Spiritus *sunt*; *sed quoad* subsistentiam, *quatenus per* spirationem *subsistit Joh.* XX. 22.

2. Sanctus, *quod* ex officio *sanctificet*, *unde* πνεῦμα ἁγιωσύνης *Rom.* I. 4. *appellatur.*

Pars dogmatica.

Deum triunum esse, probatur Scripturis.

III. Cum igitur ὁμολογουμένως, hoc voto contineatur adoratio (Deo propria Matth. IV. 10.) adoratio *unius Dei*, & adoratio *trium*, trium *uniformis*, & pro triplici beneficio *œconomico*: fieri non potest, quin in *uno* Deo *tres* sint distinctæ *personæ*, etiam *munere & beneficiis* œconomicis diversæ. Est hoc, quod Scripturæ docent, quotiescunque 1. *Plures* commemorant, qui *Deus* sint; quod fit: A. Omnibus illis locis, quibus Deus *ad* seipsum, vel *de* seipso loquitur in *plurali* numero Gen. I. 26. & III. 22. & XI. 7. conf. Jes. VI. 8. Nec enim ferendi recentiores Judæi, qui aut Angelos, aut cœlum ac terram, aut elementa in consortium creationis advocatos volunt: aut more ac stylo *Magnatum*, de se *uno*, Deum loqui cavillantur. Neque enim aut Angeli, aut quævis creatura, in consortium *creationis* vocari potuerunt, quippe *infinitæ* virtutis operis: nec *stylus* ille Magnatum modernorum, *aut* Scripturis, *aut* Hebrææ linguæ genio, *aut* moribus orientalibus congruit, & *serius* demum, ab occidentalibus receptus est: neque, vel stylo Magnatum modernorum satis congruit: neque enim nos *Reges* Galliæ, aut nos *Ludovici*, loquimur, quomodo de Deo Scriptura loquitur, sed nos *Rex* Galliæ. *B.* Illis locis quibus *Jehova* à *Jehova* distinguitur Gen. XIX. 24. Exod. XXXIV. 5. 2. Sam. XII. 24. 25. Psal. XLV. 8. Hos. I. 7. Psal. CX. 1. cum Matth. XXII. 43. 44. Dan. IX.

17.

17. Hoſ. 1 7. Neque enim Jehova à Jehova diſtinguitur, *eſſentia*; cum non ſit, niſi *unus* Jehova Deut. VI. 4. neque *accidentibus*, quæ in Jehovam non cadunt; non reſtat, niſi ut differant tanquam *perſonæ*. C. Illis locis, quibus *nomen* Dei, in eadem ſententia, diverſis vicibus repetitur, quod per *tautologiam* fieri, non auſis dicere Num. VI. 24. 26. Deut. VI. 4. Exod. III. 15. Joh. XXII. 24. Pſ. LXVII. 6. 7. 8. Dan. IX. 19. Jeſ. VI. 3. & XXXIII. 22. Zach. I. 3 D. Addi poterunt, ſi non pro argumento *apodictico*, ſaltem *dialectico*, illa loca quibus *plurali* Elohim, attributa vel nominalia, vel verbalia ſingularis *numeri* ſociantur Gen. I. 1. &c. Quamvis iſtud, non paucis *exceptionibus* ac difficultatibus ſit expoſitum. Cum 1. eadem ſtructura, etiam de rebus *pure ſingularibus* uſurpetur, de deaſtris Jud. XVI. 23. 24. de *uno* homine Exod. IV. 16. Cum 2. de *una* etiam *perſona* divinitatis Pſal. XLV. 8. Cum 3. vi *ſyntaxeos*, non minus recte tres *eſſentiæ*, quam tres *perſonæ*, ex ea confici poſſint. Cum 4. Ille loquendi modus, à linguæ genio non prorſus abhorreat, ut patet in בעלים Exod. XXI. 29. Jeſ. I. 3. in אדונים Gen. XL. 1. & XLII. 33. quod nomen Deo etiam competit, à quo Deut. X. 17. אדוני האדונים dicitur. Conf. Mal. I. 6. Unde Calvinus, in concertationibus cum Antitrinitariis, hoc argumenti genus ſeponendum duxit: quamvis, myſterio Trinitatis, *aliis teſtimoniis* ſufficienter probato, ad confirmationem, non inutiliter applicari poſſe exiſtimem, cum ſcopus, uſurpatæ hujus *Syntaxeos*, procul dubio, ſit Trinitas *perſonarum*. Clarius etiam idem Scripturæ docent, cum 2. *Tres* terminatè in Deo commemorant Pſal. XXXIII. 6. Jeſ. LXI. 1. & LXIII. 7. 9. 10. Matth. III. 16. 17. (Unde illud veterum: *Abi ad Jordanem & videbis Trinitatem*) & XXVIII. 19. (cum *baptizari* non poſſimus, in nomen ejus, qui *Deus* non eſt 1. Cor. 1. 13. Nec in *nomen* Moſis, ſed in Moſen (hoc eſt, juxta Syrum & Arabem, *ſub Moſe*, Iſraelitæ baptizati dicuntur 1. Cor. X. 2.) 2. Cor. XIII. 13. 1. Joh. V. 7. (Qui locus, *ante Arium*, in Cypriano, aliiſque legitur, imo ab ipſis Socinianis, in ſua verſione *Germanica* Racoviana A. C. 1630. exprimitur) Addantur loca Joh. XIV. 16. & XV. 26. 1. Cor. XII. 3. Gal. IV. 6. Eph. II. 18. & III. 14. 16. 1. Pet. 1. 2. Tit. III. 5. 6. Apoc. 1. 4. 5. 6.

Confirmatur rationibus Scripturariis.

IX. Idem *rationes* confirmant, à Scripturis ſuppeditatæ 1. Quod tribus diſtinctis, *omnia divina* tribuantur in Scripturis, quando ſingulis ſingulatim, divina *nomina*, *attributa*, *operationes* & *cultus* religioſus tribuuntur, ſub quibus capitibus, *omnia* divina comprehenduntur. Quod de ſingulis perſonis Capp. ſubſequentibus oſtendemus. 2. Quod *ſalus* & vita, *peccatori* reſtitui non poſſit; ſi in *uno Deo* non ſint *plures perſonæ*. Quatenus ſatisfactio (citra quam, dari non poteſt reconciliatio) *malum* peccati, moraliter infinitum auferens; & *bonum* infinitum, unionem cum Deo concilians, non poteſt eſſe niſi ab *infinito* Deo; nec *una* eademque perſona, ſibi ipſi *ſatisfacit*. Aliæ rationes ſuppetent ab *officio* œconomico, cuilibet perſonæ, in negotio ſalutis noſtræ peculiari, de quo ſuis locis.

Excluduntur naturales.

V. Demonſtrationes *naturæ*, hîc fruſtra exſpectabis, quod *myſterium* excedat naturam, adeoque hîc maxime valeat: τῇ τέχνῃ τὰ τεχνικὰ, τῇ φύσει τὰ φυσικὰ, ἀλλὰ τῷ θεῷ τὰ θεῖα πιστεύομεν. Nec tamen *ſimilitudines* abnuimus, quibus *poſſibilitas*, utcunque declaretur, factâ è Scripturis *demonſtratione*, quamvis nec hîc *luxuriandum* exiſtimemus. Neque etiam *Gentilium* teſtimonia, fortè è Scripturis, aut fidelium traditione hauſta, idem dicunt; ſed ſimilia tantum. Conf. Gerard. *De Trinit.* §. 2. 38. & Meiſn. *Philoſ. Sobr.* part. 3. Sect. IV. c. 9. q. 2. Aliique. Quamobrem etiam, nec audienda *ratio*, ex Scripturâ, aut ex creaturâ, Trinitati, ſuum captum excedenti, obſtrepens.

Explicantur præcipui hujus loci termini.

VI. Et hoc demum eſt, quod Veteres, ab ipſis rei Chriſtianæ incunabulis, per *Trinitatem* (vocem ſyllabis quidem ἄγραφον, ſed ſignificato evidentiſſime ἔγγραφον 1. Joh. V. 7.) deſignatum voluêre: quâ *unam* intelligebant divinam *eſſentiam*, tribus *perſonis*, Patri, Filio, & Spiritui S. *communem*, tribus ſubſiſtendi modis *differentibus*. Et per *eſſentiam* id volebant, quod alibi Scriptura חכמה Prov. VIII. 14. φύσιν Gal. IV. 8. μορφὴν θεοῦ Phil. II. 6. θειότητα Rom. I. 20. θειότης Col. II. 9. dicit. Seu id, per quod *Deus* eſt *Deus*; id enim, quo res quævis eſt quod eſt, ejus *eſſentia* dicitur. Quæ dum *actu*, ſeu *extra* ſuas cauſas eſt, *exiſtentia* appellatur; & quatenus illa exiſtentia accidentibus competit, *inexiſtentiam* conſtituit; quatenus contra ſubſtantiis ſingularibus, *ſubſiſtentia*; & quatenus illa ſubſiſtentia ſubſtantiis *rationalibus*, completis, & *incommunicabilibus* ineſt; *perſonalitas* audit. Ut ab hac, *perſona* nihil aliud ſit, quam *ſubſtantia rationalis*, *incommunicabilis*. Hæc vis eſt terminorum hujus loci.

Communio trium perſonarum.

VII. *Rem* eis deſignatam, tum percipiemus, ubi, velut per partes, explicuerimus: 1. Trium iſtorum *convenientiam*, ſeu communionem. Tum 2. *Differentiam*. Denique 3. *Officium œconomicum*, in negotio ſalutis humanæ. *Convenit* igitur tribus *perſonis*: 1. In *eſſentia*, à quâ *unum* dicuntur 1. Joh. V. 7. & unum *numero* (non *ſpecie*) conſtituunt Deum. Secus ac in perſonis *creatis* fit, propterea quod eſſentia divina ſit *infinita*, eoque *communicabilis* pluribus. Hinc 2. In *attributis* omnibus eſſentialibus, æternitate, omniſcientia, omnipotentia, quæ cum *eſſentia* coincidunt. Nominatim 3. In *aſeitate* eſſentiali, à quâ Filius & Spiritus S. perinde ſunt *à ſe* ac Pater, licet ei in Patre accedat, aſeitas *perſonalis* ei peculiaris Joh. V. 26. Inſuper 4. In *cultu* religioſo, ſingulis *æquali*. Ibid.

verſ. 23. Tandem 5. In *ἐμπεριχωρήσει*, per quam una perſona dicitur eſſe *in aliâ* Joh. XIV. 9. 10. 11. propter *identitatem eſſentiæ*.

Diſtinctio perſonarum ab eſſentia.

VIII. Differentia duplex occurrit; *altera* per quam *perſona* differt ab *eſſentia*: non utique *realis*, quâ differant *ut res & res*; eſt enim Deus ſimpliciſſimus: nec purâ *putâ ratione*, ſeu ſolo conceptu noſtro, differunt enim, ut *unum à tribus*: ſed *ratione*, quæ diſtinguendi *rationem* habet, in *ipſa re*. Quamvis enim *eſſentia* Divina, ſit adæquata tribus perſonis, *ſimul ſumptis*, unaquâque tamen earum, *latior* eſt. Quare *eſſentia* & *perſona* differunt 1. ut *latius & anguſtius*, cum eſſentia tribus perſonis communis ſit. 2. Ut *communicabile & incommunicabile*, dum eſſentia *communis* exiſtit, *tribus* perſonis. 3. Ut *reſtrictum & reſtringens*: reſtringit enim ſuo modo, *perſona eſſentiam*. 4. Ut *abſtractum & concretum*; connotat enim perſona *eſſentiam*, quod non facit *eſſentia*. Vid. Mareſ. Syſt. loc. III. §. XIV.---XVIII.

Quod ſic diſtinctionis genus inter perſonas Divinas?

IX. *Altera* differentia eſt inter *perſonas invicem*, Circa quam, ante omnia, cautè declinandus eſt, ab *unâ parte* Sabellianiſmus, *nullam* inter perſonas admittens differentiam, quàm *rationis* ac *nominis*, quatenus *una* perſona, à *diverſis* operationibus, jam Pater, jam Filius, jam Spiritus S. appelletur: ab *alterâ parte* Tritheiſmus Valentini Gentilis, tres fingens *Spiritus æternos*, & inæquales, quorum primus ſit *eſſentiator*, reliqui *eſſentiati*. *Sabellianiſmum* declinaturi, quidam perſonas dicunt differre *realiter*; ſed quod videtur vergere ad Tritheiſmum: rurſus *Tritheiſmum* declinaturi, alii ſtatuunt differre *modaliter*, tanquam modus à modo, non quidem per ſolam *ratiocinationem*; ſed revera: quam, *duabus vocibus* coniunctis exprimunt, dicendo differre *realiter modaliter*, h. e. tanquam modum à modo, non per *rationem* tantum, ſed *reverà*. Quod quidem mihi maxime ſatisfacit. Sunt tamen, quibus *nihil* horum placet; ſed dicendum exiſtimant, perſonas differre *perſonaliter*: verùm quid hoc eſt dicere, niſi perſonas differre ut perſonas? dum nihil dicitur, quomodo *perſona* differat *à perſona*. Quod ſi tamen aliquis, cothurnis hiſce *Scholaſticis* non poſſit incedere: dicat, ſe Scripturis edoctum, credere perſonas differre, ut *tres* 1. Joh. V. 7. ſed quo diſtinctionis *genere*, ſe ignorare, non aperiente Scripturâ: aut differre *ſupranaturaliter*, non *naturaliter*.

Quibus perſonæ Divinæ differant inter ſe?

X. Quicquid ſit, ſaltem differunt A. *proprietatibus* hypoſtaticis: ſubſiſtere penitus *à ſe*; ſubſiſtere *ab alio* quodam *uno*; & ſubſiſtere *à duobus*. Quæ in unam aliquam perſonam, citra contradictionem, coincidere non poſſunt. Verùm de *proprietatibus*, cuique perſonæ *peculiaribus*, in contemplatione cuique perſonæ peculiari, peculiariter agemus. B. *Ordine* ſubſiſtendi, quo Pater *prima* perſona eſt, quippe penitus à ſe *ſubſiſtens*; Filius *ſecunda*, utpote à Patre *prognatus*; Spiritus Sanctus *tertia*, ut à *duobus procedens*, quæ ſingulatim ſuis locis docebimus. C. *Operandi* modo, qui ſubſiſtendi & ordinis rationem imitatur: quatenus extra ſe, Pater operatur *à ſe*, per Filium, & Spiritum S. Filius *à Patre*, per Spiritum S. Spiritus Sanctus *à Patre & Filio* per ſe. Ubi *vis* quidem operativa, *una* tantum eſt, tribus *communis*, aſt operationis *ordo*, atque etiam terminus, diverſus eſt. A quo etiam *prima* Perſonæ *primum* opus, *creatio*; *ſecunda*, *ſecundum*; *diſpenſatio* & redemptio; *tertia* ac poſtremæ, *poſtremum*, *conſummatio* & ſanctificatio appropriatur.

Oeconomia trium perſonarum.

XI. Atque adeo, huic *communioni* trium diſtinctarum perſonarum, innituntur: *œconomia* quædam, œconomica perſonarum *officia*, œconomicæ *proprietates*, œconomicus *cultus*, imo & œconomica *peccata*. De quibus operæ pretium eſt, eo *diſtinctius* agere, quo minus ſunt obvia, in *Locis communibus*. Eſt igitur. 1. *Oeconomia* quædam, tribus perſonis *communis*; eſt enim hîc *Pater-familias*, eſt quaſi communis *emiſſarius* Spiritus. Eſt qui *generat*, *Pater*; eſt qui *generatur*, *Filius*; eſt qui a duobus *procedit*, *Spiritus* S. Pater Filium *amat* Joh. XV. 9. & V. 20. eo *delectatur* Prov. VIII. 30. velut perfectâ ſui *imagine* Col. I. 15. *ſplendore gloriæ*, & *charactere perſonæ* ſuæ Heb. I. 3. in eo *acquieſcit* Matth. III. 17. eumque *glorificat*: Filius viciſſim Patrem *honorat* Joh. VIII. 49. & XVII. 4. Spiritus S. *ſcrutatur profunda* utriuſque 1. Cor. II. 10. & utrumque *glorificat* Joh. XVI. 14. 15. Idque univerſum, citra ullum diſpendium, vel *independentiæ*, Joh. V. 26. vel *æqualitatis*. Ibid. verſ. 23. In hujus familiæ κοινωνίαν 2. Cor. XIII. 13. 1. Joh. I. 3. & quaſi *ſocietatem*, in tempore adſcivit *Eccleſiam*, quæ hinc *domus Dei* appellatur 1. Tim. III. 15. 2. Tim. II. 20 (in qua Deus *habitare* dicitur, ſuum *q. ignem & focum* habere Jeſ. XXXI. 9,) item *civitas* & *regnum* Dei Matth. VI. 10. 13. à quo Eccleſiæ membra, *filii & filiæ* 2. Cor. VI. 18. item *ſervi* Rom. I. 1. & *amici* Joh. XV. 15. ac *domeſtici*; *cives* Eph. II. 19. *ſubditi*, paſſim denominantur in Scripturis.

Officia œconomica trium perſonarum.

XII. *Gubernium* hujus familiæ, perſonæ ſuſceperunt, inito q. *conſilio* Zach. VI. 13. ſeu intercedente *pacto* Jeſ. LIII. 10. 11. Quo, ſecundum *ordinem* ſubſiſtendi, cuique peculiarem, ſingulæ perſonæ, certum quaſi *penſum*, ſeu officium *œconomicum* ſuſceperunt, per quod *prima* perſona, ut *Pater-familias*, q. *Dominum* ac directorem agit, qui univerſum *gubernationis* futuræ negotium, *prædeſtinatione* quaſi *delineaverit* Eph. I. 11. Act. IV. 28. inſuper *Creatorem* Gen. I. 1. Pſal. XXXIII. 6. νομοθέτην ac *Judicem* Gen. XVIII. 25. atque etiam legis *vindicem* Rom. I. 18. Nahum. I. 2. proinde *Deum*, non tantum θεολογικῶς; ſed & οἰκονομικῶς; h. e. non tantum per naturam & *eſſentiam*, (quod omni-

omnibus personis est commune) sed etiam q. per officium *œconomicum*, à quo passim *Dei* nomen, Patri tribuitur per appropriationem, ut vidimus in exegeticis 2. Cor. XIII. 13. & v. 19. 1. Tim. III. 5. Rursus *secunda* persona, ut media, *Mediatoris* pensum suscepit. Ibid. *Expromissoris* Heb. VII. 22. *Goëlis* Job. XIX. 25. & XVII. 3. Jes. XXXVIII. 14. *Redemptoris*, qui seipsum poneret *sacrificium* Jes. LIII. 10. Tandem *tertia* persona, seu postrema q. *Emissarii* provinciam adoptavit, qui *spirando* quasi missus Joh. XX. 22. & XIV. 26. qui partum redemptionis opus consummaturus; pro suo nomine, *sanctificatorem* ageret Rom. I. 4. *Doctorem* Joh. XIV. 26. *Ductorem* Psal. CXLIII. 10. Joh. XVI. 13. *Consolatorem* Joh. XIV. 16. Quæ tamen pensi œconomici *distributio*, geminam requirit *cautionem*: 1. Ut intelligatur facta, citra ullam *dependentiam* & *inæqualitatem essentialem*; ut jam ante monuimus ex Joh. V. 26. & 23. Phil. II. 6. 7. licet qualiscunque inæqualitas *œconomica*, inde resultare videatur Joh. XIV. 28. Ut 2. *officium* istud suum *œconomicum* quæque persona habeat, non *excludendo* alias personas. Unde non tantum Pater; sed & reliquæ personæ *Creator* sunt Psal. XXXIII. 6. nec Pater tantum *Judex* dicitur Gen. XVIII. 25. sed etiam Filius Joh. V. 22. 27. 2. Thess. I. 7. 8. Eo quod operationes *ad extra*, propterea quod ab essentiâ profluant, sint *indivisæ*: sed tantum, diverso *modo* & *ordine* operentur.

Gubernandi vices personis Oeconomicæ.

XIII. Pro diverso isthoc *penso* œconomico, quælibet persona, suas habuit q. gubernandi *vices*, ita ut *Patris* gubernandi ratio, in creatione, fœdere operum, *πρωτευαγγελίῳ*, apparitionibus, alloquiis, maximè fuerit *conspicua*, ante *νομοθεσίαν* Sinaicam: Tum dispensatio *Filii* (*Angeli* illius, qui in medio sui gerebat *nomen* Dei Exod. XXIII. 20. 21.) *ducendo* Ecclesiam, per desertum. Ibid. tradendo ei à Patre *legem* Gal. III. 19. non quidem pro *fœdere gratiæ* (quantum, saltem ad *Decalogum*, qui non habuit nisi *materiam* fœderis operum, scopo & argumentis evangelicis propositam) nisi forte, quantum ad legem *cæremonialem*, quæ *Evangelium* habebat V. Testamenti: quâ lege *dirigebatur* Ecclesia, usque ad mortem & ascensionem Christi. Tandem cœpit *inclarescere* gubernatio Spiritus S. ab ejus solenni effusione Act. II. 1.... Act. XIII. 2. usque ad finem seculorum Joh. XIV. 16. 17. *emittendo* ministros, eos *qualificando* negotiis suis Act. II. 14. 1. Cor. XII. 7-11. iis *cooperando* signis & miraculis, *prosperando* verbum ab iis annunciatum Rom. XV. 19. *vivificando* spiritualiter mortuos, per *regenerationem* Joh. VI. 63. *convertendo* corda, ad recipiendum fide Mediatorem, 2. Cor. IV. 13. *renovando* in ipsis imaginem Dei, *illuminando* mentem, *corrigendo* voluntatem, *ordinando* affectus, *ducendo in omnem veritatem* salutarem, *consolando* in adversis. Quæ proinde dispensandi *diversitas* durabit, usque ad mundi finem, quando Filius *regnum Patri* sistet, & communis fiet administratio, quâ *Deus sit omnia in omnibus* 1. Cor. XV. 24--28. Quæ tamen perpetuò sic sunt capienda, ut *nunquam* ullius personæ secludatur gubernatio: sunt enim opera ad extra, *indivisa* toti Trinitati, quia ab essentia profluunt, unâ eademque.

Attributa personarum œconomica.

XIV. Oeconomicæ huic gubernationi, *œconomica* porro respondent *attributa*: quando Patri, ut *Domino*, ut capiti familiæ, ut primo totius curæ per prædestinationem delineatori, tribuitur *potestas* Rom. IX. 21. 22. Matth. XX. 15. ut *Creatori* robur & *potentia* Matth. XI. 25. Joh. X. 29. Heb. I. 3. ut *legislatori* & vindici, *justitia* Gen. XVIII. 25. 2. Thess. I. 6. ut *Patri-familias*, *amor* 2. Cor. XIII. 13. *paternus* scil. Psal. CIII. 13. *maternus* Jes. XLIX. 15. Rursus 2. Quando Filio, ut *λόγῳ*, ut dispensatori, tribuitur *sapientia* Prov. VIII. 1..... ut sponsori ac redemptori, *gratia* & misericordia. 2. Cor. XIII. 13. Eph. V. 2. Tandem 3. *Spiritui Sancto* ut *consummatori*, *potentia* Luc. I. 35. ut *communicatori*, sanctificatori, Doctori, consolatori, *bonitas* communicativa Psal. CXLIII. 10. Sunt quibus attributa œconomica placent, *potentia*, Patri; *sapientia*, Filio; *bonitas*, Spiritui S. quibus Deus triunus, fit *maximus*, *sapientissimus*, *optimus*: quibus respondeant, *posse*, *intelligere*, *velle*; quæ, cum differant *objectivè* verè, *quocunque* modo, & tamen à *parte Dei*, constituant *unum* idemque: Trinitatem, si non efforment, saltem evincant, à quibus Pater sit persona *creans*; Filius persona *redimens*: Spiritus S. persona *sanctificans*. Quem tamen conceptum ego non ausim adoptare. Quod & alia attributa, *eodem* modo, & *differant* inter se, & *coincidant* cum essentiâ, adeoque plures quam *tres*, in Deo forent admittendæ *personæ*, contra Scripturas.

Cultus œconomicus.

XV. Est insuper officiis hisce personarum œconomicis, analogus *cultus œconomicus*. Quo 1. à *singulis* personis, ea exspectantur & expetuntur *beneficia*, quæ ejus *officio* œconomico, sunt analoga 2. Cor. XIII. 13. Jes. LXIII. 7. 9. 10. *Electio*, donatio Redemptoris, justificatio, remissio peccatorum, à *Patre*: *redemptio*, satisfactio à *Filio*: *regeneratio*, conversio, sanctificatio, consolatio à *Spiritu S.* Imo 2. quævis beneficia, à singulis expetimus, eo *ordine* quo subsistunt & operantur Eph. II. 18. & III. 14. 15. 16. V. g. *redemtionem* à Patre, per Filium & per Spiritum S. &c. Etiam 3. pro quovis beneficio, singulis personis, suo ordine *gratias* referimus, singularum etiam personarum, in nostris *δοξολογίαις*, ordinariè *mentionem* facimus, 1. Pet. I. 2. 3. item vers. 17. 19. 21. 22. Apoc. I. 4. 5. de quo plura fortè suis locis.

Peccata œconomica.

XVI. Sunt tandem, & *peccata* œconomica, quæ *officiis* singularum personarum œconomicis, peculiariter

liariter obstrepunt Matth. XII. 32. Joh. VIII. 55. Et peccata quidem in *Patrem*, obvia passim sunt in Scripturis, peccatum in *Filium* commemoratur Heb. VI. 6. & X. 29. in Spiritum S. Matth. XII. 31. Heb. X. 29. Act. VII. 51. Eph. IV. 30. Jes. LXIII. 10. Verùm de singularum personarum peculiari officio œconomico, beneficiis, cultu & peccatis, in peculiari eorum theoria, uberius ξὺν θεῷ dicemus.

Quæritur.

Pars Elenchtica.

1. An Patri, Filio & Spiritui S. una eademque numero essentia sit communis?

XVII. Quæritur 1. An Patri, Filio & Spiritui S. una eademque numero essentia sit communis? *Infideles*, Gentiles, Judæi moderni, Muhammedani, Patrem, Filium & Spiritum S. ignorant, aut odio etiam prosequuntur, proinde nullam omnino communionem essentiæ, apud tres illos admittunt. Apud *Pseudo-Christianos*, Simoniani, Cerinthiani, Merinthiani, Ebionitæ, aliique, in quibus, Johanne Apostolo, adhucdum vivente, Anti-Christus jam tum operabatur, negando æternam deitatem Christi, eadem opera negabant *identitatem essentiæ* inter tres istos. Macedonius, à quo πνευματόμαχοι, currente seculo *quarto*, statuendo Spiritum S. esse principem inter Angelos *creatos*, eandem *identitatem* negabat. Eodem seculo *Arius*, Christum Patri, non ὁμοούσιον; sed ὁμοιούσιον, prædicabat. *Pothinus* eodem fere tempore, Christum purum putum hominem docendo, qui ante sui nativitatem ex B. Virgine, non exstiterit, communionem *essentiæ*, inter Patrem & filium, repudiabat. *Tritheïtæ*, seculo septimo ineunte, auctore Joh. *Philopono* Philosopho Alexandrino, teste Niceph. Lib. 18. Cap. 88. atque etiam Peratæ, statuebant, pro numero trium personarum, tres etiam *essentias* numerari. Hos secutus est superiore seculo, *Valentinus Gentilis*, apud Helvetios disseminans, in Deo tres dari *Spiritus æternos*, sibi invicem subordinatos, sic ut Pater sit *essentiator*; Filius & Spiritus S. *essentiati*. Anabaptistæ etiam, tres videntur in Deo admittere essentias, quæ, pro numero trium personarum, conveniant *operationibus*, justitia, sanctitate, virtutibus, beneficiis. Sociniani existimant, Patrem & filium differre tota *essentia*, ut Creatorem & creaturam, Spiritum S. ne personam quidem esse; sed tantum *virtutem* Dei *accidentalem*. Reformati adversus istos omnes, docent Patri, Filio & Spiritui S. *unam* competere, & eandem *essentiam* divinam, non *specie*; sed *individuo* seu numero eandem. Quia: 1. Scriptura hoc quasi totidem verbis tradit 1. Joh. v. 7. *Tres sunt qui testantur in cœlo: Pater, Sermo & Spiritus S. & hi tres sunt* UNUM, scil. *essentia*. Hinc 2. *Jehova*, utique nomen *essentiæ*, אלהינו *Deus noster*, in *plurali*, dicitur יהוה אחד, *Jehova unus*. Quia 3. Licet *unum* tantum & *unicum*, Scriptura tradat *Deum*, seu *unam essentiam*; nihilominus Patrem docet esse *unum illum* Deum, *& Filium quem misit* Joh. XVII. 3. Et 4. Quia omnia *attributa* divina, quæ cum *essentia divina* coincidunt, Patri, Filio & Spiritui S. facit *communia*. Prout in contemplatione singularum personarum, singulatim ostendemus. Quia 5. cum *unum* tantum jubeat, *religiosè* colere, Deum Matth. IV. 10. Jes. XLII. 8. nihilominus etiam jubeat, Patrem, Filium & Spiritum S. *religioso cultu* prosequi 1. Cor. XIII. 13. Apoc. 1. 4. 5. Quod circa quemque horum, suo loco distincte demonstrabimus. Quia 6. velut *æquales* passim commemorantur, v. g. in institutione *Baptismi* Matth. XXVIII. 19. in *testificatione* cœlesti 1. Joh. v. 7. in *voto* pro Ecclesia Corinthiaca 2. Cor. XIII. 13. Item in voto Johannis ad septem Ecclesias Asiaticas Apoc. 1. 4. 5. Cum igitur, æqualiter sibi invicem construantur, in tali dignitate, quæ nisi uni *essentiæ* divinæ innitur; videtur unam istam divinam essentiam, tribus esse communem. Nec est quod in contrarium causentur adversarii; nisi 1. quod quælibet persona requirat suam *essentiam*, quin & sibi *peculiarem*; ex quo conficiunt, eandem numero essentiam, non posse tribus esse communem. Ad quod respondemus, culibet personæ *humanæ*, suam quidem essentiam competere peculiarem, ex eo quod essentia earum sit *finita*, quæ proinde pluribus non possit esse communis; sed aliter censendum de essentia divina, quæ ex sua *infinitate*, omnino potest esse communis tribus. Quod 2. persona non sit, nisi *substantia singularis intelligens*, ac proinde juxta numerum personarum, *essentiæ* singulares intelligentes requirantur. Sed respondemus, ad constitutionem personæ, non sufficere *essentiam* singularem intelligentem, cum hoc etiam competat animæ separatæ, quæ interim non est *persona*, sed insuper ad constitutionem *personæ* desiderari, ut sit *incommunicabilis*, & cum hoc desit essentiæ divinæ, quæ ex sua infinitate, *communis* est tribus, non poterit ea præstare *personam*. Quod 3. Si tres personæ divinæ convenirent, in una essentia, convenirent etiam inter se, adeoque *unam* personam efficerent. Resp. Conveniunt utique; sed non nisi in *uno tertio* seu essentia; sed eo ipso, non conveniunt, in eadem *personalitate*; ex quo, non *unus* sunt, sed *unum* tantum, secundum illud Johannis, hi tres *unum* sunt 1. Joh. v. 7.

Sententiarum collatio.

Sententia Reformatorum; cum suis rationibus.

Objectiones.

2. An Pater, Filius & Spiritus S. distinguantur inter se?

XVIII. Quæritur. 2. An Pater, Filius & Spiritus S. distinguantur inter se, velut personæ? *Triformani* olim, quos supra diximus Cap. IX. §. VIII. differre statuebant, ut partes unius deitatis, ut Deum quasi compositum esse statuerent, ex tribus partibus, quarum *unam* haberet Pater; *alteram* Filius; *tertiam* Spiritus S. Sic non tantum dabitur compositio in Deo; sed insuper, nec Pater, nec Filius, nec Spiritus S. erunt Deus *integer*. *Tritheitæ*, veteres & recentiores, inter quos Valentinus Gentilis, volebant differre velut totidem *deitates*, ut indè emergant *tres Dei*. His, suo modo, accedunt

Sententiarum divortia.

Soci-

Sociniani, quando Patrem & Filium dicunt differre, ut *res* toto cœlo *diversas*, ut *Creatorem* & creaturam, Spiritum S. autem, ab utroque, velut *virtutem*, seu accidens, à suo subjecto. *Sabellianí* distingui existimant, totidem *denominationibus*, quibus una eademque persona, ex variis operandi modis appelletur, jam *Pater*, jam *Filius*, jam *Spiritus S. Tetratheita*, distinguebant quidem velut tres *personas*; sed eis addebant *essentiam*, quæ quartam personam efformaret. Conf. quæ supra habuimus loco citato. Reformati statuunt, eos, in una communi *essentia* divina, differre velut tres personas. Quia: 1. Pater, Filius & Spiritus S. revera sunt *persona*, utpote requisitis omnibus personalibus præditæ. Est enim quælibet earum, *substantia*, *singularis*, *intelligens*, *incommunicabilis*, operationibus personalibus conspicua, prout penes quamque singulatim demonstrabimus. Quia 2. Numerantur ut *tres*, non ut *tria*, & qui sunt *unum*, seu *una res* 1. Joh. v. 7. Quin & 3. Ut *alius* & *alius*, non ut *aliud* & *aliud* Joh. XIV. 16. Quia 4. *Pater* & *Filius*, procul dubio, sunt personæ, quibus dum connumeratur Spiritus S. Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. v. 7. connumeratur ut persona. Quia 5. singulis, suæ in Scripturis assignantur *proprietates* characteristicæ, subsistere *à se*, subsistere ab *uno*, & subsistere *à duobus*, quæ in *unam* aliquam personam quadrare non possunt: & quæ insuper *tales* sunt, ut personas arguant, *generare*, *generari*, *à duobus procedere*. Insuper 6. tales cuilibet horum, in Scripturis tribuuntur *operationes*, quæ *solius* sunt personæ, quas penes singulas personæ singulatim ostendemus. Non ergo differunt 7. velut *com-partes*, quia essentia Dei, per *simplicitatem*, non admittit *partes*, ut suo loco docuimus: & si admitteret, hac hypothesi, nulla persona *integram* haberet *deitatem*, eoque *integer* Deus esset. Nec differunt 8. *essentiis* divinis, seu *deitatibus*: quia non tantum *unum* dicuntur Joh. v. 7. & *unam* eandemque numero essentiam, ipsis *communem* esse, paragrapho præced. demonstravimus: sed contrarium *tres Deos*, nobis sisteret contra tenorem Scripturæ. Nec differunt 9. velut *Creator & creatura*, quia singuli sunt personæ *divinæ*, prout jamjam demonstrabimus singulatim de singulis. Nec 10. differunt solis *denominationibus*, à diversitate operationum oriundis; sed *proprietatibus Characteristicis*, quæ citra contradictionem, in unam aliquam personam cadere non possunt. His ita positis: non video, quid ulla quidem veritatis specie, objici possit in contrarium.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

3. An non sit dogma Scripturæ, Deum

XIX. Quæritur 3. An dogma de Deo *uno* essentia, & *trino* personis, non sit dogma *Scripturæ*? Antitrinitarii quidem negant, quod *falsum* sit, nisi quod recentiores quidam Sociniani, ut commune Christianorum odium, ex negata à Socinianis Trinitate, declinent, ad ravim clament, sibi hoc per calumniam à nostris impingi, quoniam agnoscant, Deum unum esse essentia, & nihilominus Patrem, Filium & Spiritum S. à se agnosci, quod *Deus* dicantur, quamvis, distinctius interrogati, num agnoscant, *unam* illam essentiam divinam, communem esse tribus illis, reponant, hoc non prostare in Scriptura. Pontificii quidam, quod Trinitatis *vox*, non prostet in Scriptura, illud ad traditiones referunt. Reformati statuunt, esse illud omnino dogma Scripturæ. Quia: 1. per controversias præcedentes, dudum ex Scripturis demonstravimus, & Patri, & Filio, & Spiritui S. unam eandemque *essentiam* esse communem; & eos nihilominus, inter se distingui, velut totidem personas. 2. Quia etiam in dogmaticis demonstravimus, ex Scriptura utriusque Testamenti §. §. IV. & V. quod doceatur in Scripturis. Quia 3. ei superstruitur universa fides Christianorum, qui ex hoc baptizantur in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. & in communionem Ecclesiæ Christianæ, non admittebantur olim, antequam de hoc suam fidem fuissent professi. Jam non restat, nisi ut ex structis hypothesibus, breviter expediamus, communes omnium adversus Trinitatem *objectiones*: 1. Causantur *ex singularum personarum infinitate*, *tria infinita inferri*. Sed iniquè, cum per *unitatem essentiæ*, *una* quoque tribus competat *infinitas*, quippe cum essentiâ coincidens. 2. Quod *ex personarum Trinitate*, *cum essentia unitate conjunctâ*, *resultet quaternitas*. Perperam, cum essentia & personæ, non *re* differant, sed *ratione* tantum *ratiocinatâ*. Neque enim *essentia* quævis, à su *subsistentiâ* realiter differre potest. 3. Quod, *cum una tantum agnoscatur essentia divina singularis*, *per se existens*; *una tantum sit persona*: *cum persona non sit nisi subsistantia singularis ratione præditа*. Sed *subsistantia singularis*, licet *ratione* prædita, non statim constituit *personam*, nisi accedat *incommunicabilitas*; ut patet in *anima separatâ*. 4. Quod *qualibet persona*, *suam sibi requirat essentiam*, *adeoque*, *pro numero trium personarum*, *tres constituantur essentiæ*. Resp. Utique requirit quælibet persona in *concreto*, *essentiam*; sed non diversam, ant sibi *peculiarem*; cum *una* essentia, per suam *infinitatem*, tribus personis sufficiat. 5. Quod *tres personæ divinæ*, *tres Deos constituant*, *prout tres personæ humanæ*, *tres homines*. Resp. Nequaquam, cum tribus personis *humanis*, tres competant numero *essentiæ*: dum tribus personis *divinis*, eadem numero *essentia* communis est. 6. Quod, *cum tres personæ conveniant*, *in una eademque essentiâ*; *conveniant etiam inter se*, *adeoque unam tantum personam constituant*. Resp. Conveniunt sanè; sed non nisi in *uno* suo *tertio*, quod est *essentia*, proinde *unum* sunt: sed non in eadem

unum esse essentia & trinum personis

Collatio Sententiarum

Sententia Reformatorum probatur.

Objectiones.

liariter obstrepunt Matth. XII. 32. Joh. VIII. 55. Et peccata quidem in *Patrem*, obvia passim sunt in Scripturis, peccatum in *Filium* commemoratur Heb. VI. 6. & X. 29. in Spiritum S. Matth. XII. 31. Heb. X. 29. Act. VII. 51. Eph. IV. 30. Jes. LXIII. 10. Verùm de singularum personarum peculiari officio œconomico, beneficiis, cultu & peccatis, in peculiari eorum theoria, uberius ἐν θεῷ dicemus.

Quæritur.

Pars Elenchtica.

1. An Patri, Filio & Spiritui S. una eademque numero essentia sit communis?

XVII. Quæritur 1. An Patri, Filio & Spiritui S. una eademque numero essentia sit communis? *Infideles*, Gentiles, Judæi moderni, Muhammedani, Patrem, Filium & Spiritum S. ignorant, aut odio etiam prosequuntur, proinde nullam omnino communionem essentiæ, apud tres illos admittunt. Apud *Pseudo-Christianos*, Simoniani, Cerinthiani, Merinthiani, Ebionitæ, aliique, in quibus, Johanne Apostolo, adhucdum vivente, Anti-Christus jam tum operabatur, negando æternam deitatem Christi, eadem opera negabant *identitatem essentiæ* inter tres istos. Macedonius, à quo πνευματόμαχοι, currente seculo *quarto*, statuendo Spiritum S. esse principem inter Angelos *creatos*, eandem *identitatem* negabat. Eodem seculo *Arius*, Christum Patri, non ὁμοούσιον; sed ὁμοιούσιον, prædicabat. *Pothinus* eodem fere tempore, Christum purum putum hominem docendo, qui ante sui nativitatem ex B. Virgine, non exstiterit, communionem *essentiæ*, inter Patrem & filium, repudiabat. *Tritheïte*, seculo septimo ineunte, auctore Joh. *Philopono* Philosopho Alexandrino, teste Niceph. Lib. 18. Cap. 88. atque etiam Peratæ, statuebant, pro numero trium personarum, tres etiam *essentias* numerari. Hos secutus est superiore seculo, *Valentinus Gentilis*, apud Helvetios disseminans, in Deo tres dari *Spiritus æternos*, sibi invicem subordinatos, sic ut Pater sit *essentiator*; Filius & Spiritus S. *essentiati*. Anabaptistæ etiam, tres videntur in Deo admittere essentias, quæ, pro numero trium personarum, conveniant *operationibus*, justitia, sanctitate, virtutibus, beneficiis. Sociniani existimant, Patrem & filium differre tota *essentia*, ut Creatorem & creaturam, Spiritum S. ne personam quidem esse; sed tantum *virtutem* Dei *accidentalem*. Reformati adversus istos omnes, docent Patri, Filio & Spiritui S. *unam* competere, & eandem *essentiam* divinam, non *specie*; sed *individuo* seu numero eandem. Quia: 1. Scriptura hoc quasi totidem verbis tradit 1. Joh. v. 7. *Tres sunt qui testantur in cœlo: Pater, Sermo & Spiritus S. & hi tres sunt* UNUM, scil. *essentia*. Hinc 2. *Jehova*, utique nomen *essentiæ*, אלהים *Deus noster*, in *plurali*, dicitur יהוה אחד, *Jehova unus*. Quia 3. Licet *unum* tantum & *unicum*, Scriptura tradat *Deum*, seu *unam essentiam*; nihilominus Patrem docet esse *unum illum* Deum, *& Filium quem misit* Joh. XVII. 3. Et 4. Quia omnia *attributa* divina, quæ cum *essentia divina* coincidunt, Patri, Filio & Spiritui S. facit *communia*. Prout in contemplatione singularum personarum, singulatim ostendemus. Quia 5. cum *unum* tantum jubeat, *religiosè* colere, Deum Matth. IV. 10. Jes. XLII. 8. nihilominus etiam jubeat, Patrem, Filium & Spiritum S. *religioso cultu* prosequi 1. Cor. XIII. 13. Apoc. 1. 4. 5. Quod circa quemque horum, suo loco distincte demonstrabimus. Quia 6. velut *æquales* passim commemorantur, v. g. in institutione *Baptismi* Matth. XXVIII. 19. in *testificatione* cœlesti 1. Joh. V. 7. in *voto* pro Ecclesia Corinthiaca 2. Cor. XIII. 13. Item in voto Johannis ad septem Ecclesias Asiaticas Apoc. 1. 4. 5. Cum igitur, æqualiter sibi invicem construantur, in tali dignitate, quæ nisi uni *essentiæ* divinæ innuitur; videtur unam istam divinam essentiam, tribus esse communem. Nec est quod in contrarium causentur adversarii; nisi 1. quod quælibet persona requirat suam *essentiam*, quin & sibi *peculiarem*; ex quo conficiunt, eandem numero essentiam, non posse tribus esse communem. Ad quod respondemus, culibet personæ *humanæ*, suam quidem essentiam competere peculiarem, ex eo quod essentia earum sit *finita*, quæ proinde pluribus non possit esse communis; sed aliter censendum de essentia divina, quæ ex sua *infinitate*, omnino potest esse communis tribus. Quod 2. persona non sit, nisi *substantia singularis intelligens*, ac proinde juxta numerum personarum, *essentiæ* singulares intelligentes requirantur. Sed respondemus, ad constitutionem personæ, non sufficere *essentiam* singularem intelligentem, cum hoc etiam competat animæ separatæ, quæ interim non est *persona*, sed insuper ad constitutionem *personæ* desiderari, ut sit *incommunicabilis*, & cum hoc desit essentiæ divinæ, quæ ex sua infinitate, *communis* est tribus, non poterit ea præstare *personam*. Quod 3. Si tres personæ divinæ convenirent, in una essentia, convenirent etiam inter se, adeoque *unam* personam efficerent. Resp. Conveniunt utique; sed non nisi in *uno tertio* seu essentia; sed eo ipso, non conveniunt, in eadem *personalitate*; ex quo, non *unus* sunt, sed *unum* tantum, secundum illud Johannis, hi tres *unum* sunt 1. Joh. v. 7.

Sententiarum collatio.

Sententia Reformatorum; cum suis rationibus.

Objectiones.

2. An Pater, Filius & Spiritus S. distinguantur inter se, ut personæ?

XVIII. Quæritur. 2. An Pater, Filius & Spiritus S. distinguantur inter se, velut personæ? *Triformani* olim, quos supra diximus Cap. IX. §. VIII. differre statuebant, ut partes unius deitatis, ut Deum quasi compositum esse statuerent, ex tribus partibus, quarum *unam* haberet Pater; *alteram* Filius; *tertiam* Spiritus S. Sic non tantum dabitur compositio in Deo; sed insuper, nec Pater, nec Filius, nec Spiritus S. erunt Deus *integer*. *Tritheitæ*, veteres & recentiores, inter quos Valentinus Gentilis, volebant differre velut totidem *deitates*, ut indè emergant *tres Dei*. His, suo modo, accedunt

Sententiarum divortia.

Soci-

Sociniani, quando Patrem & Filium dicunt differre, ut *res* toto cœlo *diversas*, ut *Creatorem* & *creaturam*, Spiritum S. autem, ab utroque, velut *virtutem*, seu accidens, à suo subjecto. *Sabelliani* distingui existimant, totidem *denominationibus*, quibus una eademque persona, ex variis operandi modis appelletur, jam *Pater*, jam *Filius*, jam *Spiritus S. Tetratheita*, distinguebant quidem velut tres *personas*; sed eis addebant *essentiam*, quæ quartam personam efformaret. Conf. quæ supra habuimus loco citato. Reformati statuunt, eos, in una communi *essentia* divina, differre velut tres personas. Quia: 1. Pater, Filius & Spiritus S. revera sunt *personæ*, utpote requisitis omnibus personalibus præditæ. Est enim quælibet earum, *subsistantia*, *singularis*, *intelligens*, *incommunicabilis*, operationibus personalibus conspicua, prout penes quamque singulatim demonstrabimus. Quia 2. Numerantur ut *tres*, non ut *tria*, & qui sunt *unum*, seu *una res* 1. Joh. v. 7. Quin & 3. Ut *alius* & *alius*, non ut *aliud* & *aliud* Joh. XIV. 16. Quia 4. *Pater* & *Filius*, procul dubio, sunt personæ, quibus dum connumeratur Spiritus S. Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. v. 7. connumeratur ut persona. Quia 5. singulis, suæ in Scripturis assignantur *proprietates* characteristicæ, subsistere *à se*, subsistere ab *uno*, & subsistere *à duobus*, quæ in *unam* aliquam personam quadrare non possunt: & quæ insuper *tales* sunt, ut personas arguant, *generare*, *generari*, *à duobus procedere*. Insuper 6. tales cuilibet horum, in Scripturis tribuuntur *operationes*, quæ *solius* sunt personæ, quas penes singulas personæ singulatim ostendemus. Non ergo differunt 7. velut *com-partes*, quia essentia Dei, per *simplicitatem*, non admittit *partes*, ut suo loco docuimus: & si admitteret, hac hypothesi, nulla persona *integram* haberet *deitatem*, eoque *integer* Deus esset. Nec differunt 8. *essentiis* divinis, seu *deitatibus*: quia non tantum *unum* dicuntur Joh. v. 7. & *unam* eandemque numero essentiam, ipsis *communem* esse, paragrapho præced. demonstravimus: sed contrarium *tres Deos*, nobis fisteret contra tenorem Scripturæ. Nec differunt 9. velut *Creator & creatura*, quia singuli sunt personæ *divinæ*, prout jamjam demonstrabimus singulatim de singulis. Nec 10. differunt solis *denominationibus*, à diversitate operationum oriundis; sed *proprietatibus Characteristicis*, quæ citra contradictionem, in unam aliquam personam cadere non possunt. His ita positis: non video, quid ulla quidem veritatis specie, objici possit in contrarium.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

3. An non sit dogma Scripturæ, Deum

XIX. Quæritur 3. An dogma de Deo *uno* essentia, & *trino* personis, non sit dogma *Scripturæ*? Antitrinitarii quidem negant, quod *falsum* sit, nisi quod recentiores quidam Sociniani, ut commune Christianorum odium, ex negata à Socinianis Trinitate, declinent, ad ravim clament, sibi hoc per calumniam à nostris impingi, quoniam agnoscant, Deum unum esse essentia, & nihilominus Patrem, Filium & Spiritum S. à se agnosci, quod *Deus* dicantur, quamvis, distinctius interrogati, num agnoscant, *unam* illam essentiam divinam, communem esse tribus illis, reponant, hoc non prostare in Scriptura. Pontificii quidam, quod Trinitatis *vox*, non prostet in Scriptura, illud ad traditiones referunt. Reformati statuunt, esse illud omnino dogma Scripturæ. Quia: 1. per controversias præcedentes, dudum ex Scripturis demonstravimus, & Patri, & Filio, & Spiritui S. unam eandemque *essentiam* esse communem; & eos nihilominus, inter se distingui, velut totidem personas. 2. Quia etiam in dogmaticis demonstravimus, ex Scriptura utriusque Testamenti §. §. IV. & V. quod doceatur in Scripturis. Quia 3. ei superstruitur universa fides Christianorum, qui ex hoc baptizantur in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. & in communionem Ecclesiæ Christianæ, non admittebantur olim, antequam de hoc suam fidem fuissent professi. Jam non restat, nisi ut ex structis hypothesibus, breviter expediamus, communes omnium adversus Trinitatem *objectiones*: 1. Causantur *ex singularum personarum infinitate*, *tria infinita inferri*. Sed iniquè, cum per *unitatem essentiæ*, *una* quoque tribus competat *infinitas*, quippe cum essentiâ coincidens. 2. Quod *ex personarum Trinitate*, *cum essentia unitate conjunctâ*, *resultet quaternitas*. Perperam, cum essentia & personæ, non *re* differant, sed *ratione* tantum *ratiocinatâ*. Neque enim *essentia* quævis, à su *subsistentiâ* realiter differre potest. 3. Quod, *cum una tantum agnoscatur essentia divina singularis*, *per se existiens*; *una tantum sit persona*: *cum persona non sit nisi subsistantia singularis ratione præcita*. Sed *subsistantia singularis*, licet *ratione* prædita, non statim constituit *personam*, nisi accedat *incommunicabilitas*; ut patet in *anima separatâ*. 4. Quod *quælibet personâ*, *suam sibi requirat essentiam*, *adeoque*, *pro numero trium personarum*, *tres constituantur essentiæ*. Resp. Utique requirit quælibet persona in *concreto*, *essentiam*; sed non diversam, aut sibi *peculiarem*; cum *una* essentia, per suam *infinitatem*, tribus personis sufficiat. 5. Quod *tres personæ divinæ*, *tres Deos constituant*, *prout tres personæ humanæ*, *tres homines*. Resp. Nequaquam, cum tribus personis *humanis*, tres competant numero *essentiæ*: dum tribus personis *divinis*, eadem numero *essentia* communis est. 6. Quod, *cum tres personæ conveniant*, *in una eademque essentiâ*; *conveniant etiam inter se*, *adeoque unam tantum personam constituant*. Resp. Conveniunt sanè; sed non nisi in *uno* suo *tertio*, quod est *essentia*, proinde *unum* sunt: sed non in eadem

unum esse essentia & trinum personis

Collatio Sententiarum

Sententia Reformatorum probatur.

Objectiones.

lib. 1. *Cont. Julianum.* Justinus Apolog. 2. Origenes *Cont. Celsum* lib. 1. Augustinus de *Civit. Dei* lib. 18. cap. 36. Lactantius Instit. lib. IV. cap. 6. & 7. &c.

Trinitatis mysterium.

Pars Practica.

1. Monstrat Atheismum Antitrinitariorum.

XXII. Praxis hujus capitis, nobis *primò* aperit prophanitatem & Atheismum, omnium eorum qui *Trinitatem* non recipiunt. Quem Servator notat, quando ex suâ cum Patre ὁμοουσίᾳ, indigitatâ Joh. v. 9. (*quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius facit*) conficit, Judæos non *honorare Patrem*, quia *non honorent Filium.* vers. 23. & 1. Joh. 11. 23. Unde Paulus, ex eo quod Gentiles fuerint absque Christo, concludit eos fuisse *atheos* Eph. 11. 12. Et sanè: 1. nunquid Atheus est, qui *cultum religiosum* negat ei, qui *verus Deus* est? Rom. 1. 21. Aut 2. si cultum religiosum *deferat*; quem *Deum esse* non credit; nunquid *idololatra* est? Gal. IV. 8. Matth. IV. 10. Porro 3. Quænam *gratia* Domini nostri Jesu Christi, quænam *communicatio* Spiritus S. ubi *Deitatis* honor ipsis competens, sacrilegè subducitur? Imo quænam Patris *charitas*, ubi Filio *dilecto*, & Spiritui *oris* sui, deitatis *honos* disputatur? Et quæ tandem Religio esse potest, ubi *gratia* Christi, *dilectio* Patris, & *communio* Spiritus S. exulat? Tandem 4. Quænam *fiducia* remissionis peccatorum, absque *satisfactione?* aut satisfactio, absque *deitate* Satisfactoris? Quænam *regeneratio* hominis, in peccato mortui? quænam *conversio* & sanctificatio, absque *communicatione* Spiritus S? aut *communicatio*, absque deitate? Et quænam tandem *Religio*, absque fiducia *remissionis* peccatorum, absque regeneratione, conversione, sanctificatione? Non potest igitur apud Antitrinitarios, pro *Religione* vigere, nisi horrendus *Atheismus*, turpis *idololatria*, vana salutis *præsumptio*, & certissima *desperatio.*

2. Suppeditat argumentum glorificationis.

XXIII. *Secundò*, argumentum nobis suppeditat S. Trinitas, *glorificationis* divinæ; præeunte δοξολογίᾳ Seraphica Jes. VI. 3. repetitâ Apoc. IV. 8. & significata etiam Rom. XI. 36. Apoc. I. 4. 5. Quod in beatissima trium Personarum *societate*, perquam fulgeat: 1. Infinita Dei *perfectio*, quatenus trium infinita *potentia*, *sapientia*, *bonitas*, *in uno* perfectissimè coit Joh. XVII. 23. 2. Immensa *beatitudo*, in suavissimo personarum *consortio*, ὁμονοίᾳ, collatis consiliis: quâ personæ invicem perfectissimè *cognoscunt*, *diligunt*, in se invicem *acquiescunt*, sibique invicem suam *perfectionem* reciprocant. Quo faciunt loca Prov. VIII. 30. Matth. III. 17. & XVII. 5. Joh. XVII. 21. 22. Porro 3. Glorificatio *mutua*, quâ *Pater* Filium, *Filius* Patrem, Spiritus S. *Patrem & Filium* glorificant. Ut supra ostendimus ex Joh. XVII. 4. 5. 22. & XVI. 14. Non addo 4. universum illud glorificationis *argumentum*, quod hominibus, à sapientissimâ personarum *œconomiâ*, in negotio salutis suæ suppetit, de qua in *dogmaticis.* Neque etiam 5. addo, argumentum *gratitudinis* & glorificationis, quod nobis suppetit, à *revelatione* hujus tanti mysterii, rationi inaccessi, Philosophis sagacissimis incogniti, *sapientia illius in mysterio*, *abscondita illius*, *quam nemo Principum seculi hujus cognovit*, *nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum* 1. Cor. II. 7. 8. 10. Imo 6. quod nobis suppetit, à *communione* cum sanctissima & beatissima Trinitate, de qua infra. A quibus omnibus, nihil usitatius fuit primitivæ Ecclesiæ, quam inter sacra sua, hymnos & laudes canere SS. Trinitati, quos hymnos collegit Joh. Clichtoveus in suo *Elucidario Ecclesiastico*, item Georg. Cassander in *Liturgicis.* Conf. Cel. Voetium. Disp. part. 1. pag. 483.

3. Commendat hominis præstantiam.

XXIV. *Tertiò*, commendat egregie *hominis electi præstantiam* & beatitudinem, utpote cujus beatificationi, non *unus* aliquis, infinitùm licet potens, sapiens, bonus, quasi *suffecerit*; sed *tres*, quorum quisque talis est, in eam conspiraverint beatificationem. Singulatim quod: 1. Quisque trium horum, in negotio hujus *beatificationis*, peculiare q. pensum quoddam sibi sumserit; *primus*, ut beatificationem istam *decerneret* & adornaret; *secundus*, ut *acquireret*; *tertius*, ut *applicaret* & conferret, prout in singulari personarum theoria patebit. Quod 2. quisque etiam, *peculiare* ei beneficium conferat: primus *amorem*, secundus *gratiam*, tertius *communionem* 2. Cor. XIII. 13. Quod 3. quisque horum, *semetipsum totum*, suaque omnia, quanta sunt, quasi ex *suscepto officio*, huic beatificationi impendat. Imo quod 4. *Peccatorem* etiam, intra suam *œconomiam*, *familiam*, & *societatem* intromittant; ut non tantum sit servus, amicus, domesticus; sed & *Filius-familias*, propter *unicum* illum naturalem, imo & *primogenitus* Heb. XII. 23. Quin & 5. pro intromissionis *symbolo*, *Baptismum* conferri, suumque *Trinitatis* nomen, super eum invocari, & effundi velint Matth. XXVIII. 19. Ex quibus omnibus suam *præstantiam* homini commendat SS. Trinitas: α. non ad hoc ut *superbiat*; *quid enim est homo*, *quod recorderis ejus?* Psal. VIII. 5. Quasi scil. ob nativum sui *meritum*, & non ex pura *Trinitatis gratia* istud fieret: sed ut β. *gratiam* SS. Trinitatis gratus agnosceret. Et γ. qui Trinitatis gratiâ, ad tantam *dignitatem* evectus sit, suâ *conversatione*, infra reprobos, imo infra pecora, seipsum non dejiceret. Quin & δ. cum SS. Trinitas, tantam suæ *salutis curam*, gratis susceperit; ipse propriam salutem socorditer non negligeret.

Quæ non in illa.

Quorsum.

4. Pellit ad

XXV. *Quartò*, allicit communionem SS. Trinitatis,

studium communionis cum S. Trinitate.

nitatis, omni *conatu ambiamus* Joh. XVII. 21. 22. 23. Intercedere homini *communionem* cum S. Trinitate: 1. Multis constat Scripturæ testimoniis, quibus, vel *communis* cum tribus personis communio asseritur 2. Cor. XIII. 13. Eph. II. 18. Vel *peculiaris* nostri cum *Patre & Filio*. 1. Joh. I. 3. Joh. XIV. 23. cum *Filio* solo 1. Cor. I. 9. Apoc. III. 20.

Rationes motivæ.

cum *Spiritu S.* Eph. 3. 4. Atque etiam 2. *rationibus*, quibus *unum* idemque Dei *beneficium* à *duobus* petitur, ut *gratiâ & pax* à Patre & Filio Rom. I. 7. 1. Cor. I. 3. 2. Cor. I. 2. aut à *tribus* conjunctim Apoc. I. 4. 5. Aut quando *idem* beneficium, in diversis Scripturæ locis, *distinctè* tribus personis asseritur. V. g. *doctrina* seu institutio nostri, distincte tribuitur *Patri* Joh. VI. 45. tribuitur *Filio* Matth. XXIII. 10. tribuitur *Spiritui S.* Joh. XIV. 26. 1. Joh. II. 27. Itaque, ut *institutio* nostri; sic *omne* beneficium salutare, tribus est *commune*, licet cuique, suo *peculiari modo* competat, scil. Patri per *auctoritatem* originalem; Filio per *impetrationem*; Spiritui S. per *communicationem*. *Patri* inquam pro *auctoritate* originali, unde dicitur, ita fuisse ejus εὐδοκίαν, & *quia velit*, nos *vivificare* Joh. V. 21. Jac. I. 18. *Filio* jure *meriti*, quatenus suo sanguine acquisivit, ut jam ex ejus plenitudine accipiamus, χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. I. 16. *Spiritui S.* per immediatam *efficaciam* applicationis Rom. VIII. 11. Ad istam igitur communionem, omni studio quærendam, nos invitat SS. Trinitas, quod: 1. In ea, omnis nostra consistat *præstantia* & *beatitudo* 1. Joh. I. 2. 3. Quid enim homini *præstantius* exoptari possit, quam communio ac societas cum beatissimâ Trinitate? Quod 2. ab ea omnis pendeat nostra *benedictio* ac salus. Unde benedictionem *solennem* Sacerdotis, Deus fieri olim voluit, distinctè compellata Triade Num. VI. 23. 24. 25. 26. 27. Et Paulus *gratiam*, *charitatem*, & *communionem*, à Trinitate expetit. Cujus significandi ergo etiam Patri, Filio & Spiritui S. in *baptismate* initiamur. Admitemur autem in communionem cum SS. Trinitate, eamque feliciter assequemur.

Media.

α. Studio *reconciliationis* nostri cum Deo, disterminant enim nos à Deo, peccata nostra Jes. LIX. 2. nosque ab eo alienant Eph II. 12. & IV. 18. ut non major possit esse, inter Deum & nos *communio* quam inter *lucem & tenebras* 2. Cor. VI. 14. Amos III. 3. Tum β. Verâ & vivâ in Filium Dei *fide*, quâ *uniti* cum eo, qui carnis & sanguinis nostri παραπλησίως μέτεσχε Heb. II. 14. *communionem* consequamur, ejusdem *Patris* & *Spiritus* Joh. XX. 17. ipseque Patrem suum *roget*, qui det nobis *Spiritum* suum Joh. XIV. 16. eoque, communionem habeamus *cum tribus*. Denique γ. Cum communio *mutua* sit, pro *beneficiis* à SS. Trinitate nobis *communicatis* aut communicandis, nostra *officia* Trinitati referamus Rom. XII. 1.

5. Urget cultum.

XXVI. Proinde *quintò*, urget SS. Trinitas, communionem *cultus* sibi religiose reciprocemus (1) *Fidem*, sibi in Baptismo datam, sanctè *servemus*, nos Patri, Filio & Spiritui S. in quorum *fœdus* ac societatem, solenni *Sacramento* recepti sumus, totos *regeramus*, *fœderi* ac societati fidos nos præstemus Matth. XXVIII. 19. 20. (2) Omne *beneficium*, benedictionemque salutarem, ab *omnibus* personis, utpote in salutem nostram, ex consilio, & q. ex officio æqualiter *conspirantibus*, præstolemur Num. VI. 24. 27. Observato tamen cujusque conferendi *ordine*, ut *à* Patre *per* Filium & Spiritum S. illud expetamus Eph. II. 18. Interim (3) Illud *beneficium* quod cuique personæ, ex *officio œconomico*, q. *peculiare* est, *peculiariter* ab eâ efflagitemus: *gratiam* à Filio, *charitatem* à Patre, *communicationem* à Spiritu S. Vicissim (4) *Officium* œconomicum, cuique personæ *peculiariter* competens, fideliter *rependamus*: v. g. Patri, *reverentiam* & obedientiam; Filio, *fidem* & amorem; Spiritui S. *obsequium*; omnibus gratitudinem & *gloriam* præstemus: prout in peculiari personarum contemplatione, *peculiariter* monebimus. Tandem (5) in omnibus nostris *precibus*, hymnis, doxologiis, *distinctam* trium personarum *memoriam* & commemorationem, more primitivæ Ecclesiæ, quantum fieri potest, *faciamus*. Prout supra §. XXIII. monuimus. Istis omnibus *gratiam* Domini Jesu Christi, *charitatem* Patris, & *communionem* Spiritus Sancti, nobis q. *demerebimur*.

S. Trinitatis.

6. Dissuadet peccata.

XXVII. Contra *sextò*, sollicitè *caveamus*, ne quamque personam, quovis *peccato offendamus*: quod: 1. *Unâ* persona offensâ, *tres*, quæ ex æquo Deus sunt, omnipotens, bonus, justus; offendamus. Quod 2. *Unâ* offensâ, *nullius* favorem & *gratiam*, experiri queamus. Imo 3. Unâ *læsâ*, *tres vindices* acerrimos, in nos concitemus Jes. LXIII. 9. 10. Quæ vero peccata, in quamque divinarum personarum, arietent *peculiariter*, suo loco indigitabimus.

7. Invitat ad communionem Sanctorum.

XXVIII. Tandem *septimò*, trium personarum beatissima *unitas*, ἑμονόια, mutuus *amor*, nos ad *imitationem* invitant; ut nim. qui vinculo *unius* Spiritus, *unâ fide* cum eodem Dei Filio, & per eundem, cum eodem *Patre* uniti sumus; ad idem *corpus* Christi, *unitatem* Spiritus, inviolatam servare adnitamur Heb. XIII. 16. Quod hac ratione: 1. SS. Trinitati *assimilemur* nostro modo Joh. XVII. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te.* In quâ unitate, summa nostra consistit *gloria* vers. 22. *Ego gloriam quam dedisti mihi, dedi ipsis, ut unum sint, sicut nos unum sumus.* Quod 2. non possimus cum SS. *Trinitate* communionem habere, citra hanc communionem *cum Sanctis*: *ut ipsi* IN NOBIS *unum sint.* Quod proinde 3. mutua ista inter nos *communio*, infallibile præstet *argumentum*, convincendo mundo, quod Chri-

Rationes.

ſtus nobis *miſſus* ſit: *Ut credat mundus, quod tu me miſeris* verſ. 21. Quod tandem 4. in hac *unione*, præcipua conſiſtat, myſtici *Corporis* Chriſti *perfectio*: *Ego in eis & tu in me, ut ſint perfecti in unum* verſ. 23. Nec ſane âbs re. Ut enim, in perfectiſſima perſonarum divinarum *ſocietate & communione*, præcipua conſiſtit S. Trinitatis *perfectio*, quando infinita Dei *perfectio*, à perſona in perſonam q. *reflectendo*, immenſum ut invaleſcit: ita ex *Sanctorum* unitate & communione, donis tot tantiſque, non tantum coëuntibus in eodem *corpore myſtico*; ſed etiam, ab *uno* membro in *aliud* q. reflectentibus (quando *tu*, tua dona alii; *alius* ſua tibi communicat; & quando tu *alii*, neceſſaria ſibi dona, à Deo exoras, *alius* tibi tua Rom. XII. 4. 5. 6. 1. Cor. XII. 12. 13. Eph. IV. 15. 16.) immenſum q. invaleſcit. Reliqua, quæ ad praxin hujus loci faciunt, à peculiari cujuſque perſonæ conſideratione ſuppetent, ξὺν θεῷ. Conferri etiam poterit *Gyſb. Schevicavimus* de *Trinitate* cognoſcendâ, amandâ, laudandâ: Item Lorinus in *Comment.* ad *Sapient.* Cap. VII. 22. 23. Citati à Celeb. Voetio Diſp. part. 1. pap. 485. mihi non viſi.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

DE

DEO PATRE.

Eph. III. verſ. 14. 15.

Flecto genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo tota familia, in cœlis & in terra nominatur.

Conſideratio *Patris.*

I. Hinc recta deſcendimus, ad ſingularem, ſingularum perſonarum contemplationem, & primo quidem, ad *Dei Patris*, cujus προσωποτοιΐαν, ſeu *perſonæ deſcriptionem*, quoad ejus *deitatem*, *perſonalitatem*, & *diſtinctionem* à perſonis reliquis, ſatis exacte tradit Apoſtolus, verbis præfixis.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Quibus pars continetur veti illius, ſeu invocationis illius, quam Apoſtolus, pro ſuis Epheſiis fundit, à verſ. 4. uſque ad finem capitis: ita ut verbis præfixis habeat:*

1. Invocâtionem, κάμπτω τὰ γόνατά μου. *Quod coincidit fere, cum Græcorum* προσκύνειν, *& Hebræorum* השתחוה. *Notat morem precantium, in rebus admodum* anxiis, Luc. XXII. 41. Act. VII. 60. *&* IX. 40. *&* XX. 36. *Saltem duo ſignificat, cultum* religioſum adorationis, *qui, cum ex* Matth. IV. 10. *non convenit niſi Deo* ſoli, *arguit invocatum* Patrem, *eſſe Deum*: *&* ſubjectionem, *quæ Patri, velut* capiti *&* Domino-*familias*, œconomicè *peculiaris eſt. Quamvis interim & Filio, tribuatur* Phil. II. 10. *ſcil. velut Patris* diſpenſatori δεσπότῃ *Jud. vſ.* 4. *ex voluntate & donatione Patris, ut ſignificetur ipſum Deum eſſe.*

2. Invocatum, *quem repræſentat ſub* σχέσει, *quam geſtat ad* œconomiam, *cujus oeconomiæ hic notatur:*

A. Pater-familias, ad Patrem; πρὸς τὸν πατέρα. *Utique non* ἀσιοδῶς, *ut fit* 1. Cor. VIII. 6. ὑποστατικῶς, *ut paſſim fit, quotieſcunque Filio contradiſtinguitur. Quin &* οἰκονομικῶς, *quatenus in* œconomia, *Pater eſt* Gubernator, Legiſlator, Judex, remunerator & vindex legum, *inſuper quatenus eſt benevolus* Curator *totius familiæ, quatenus eſt* genitor *Filii* proprii *& unigeniti, tandem, quatenus, propter Filium, Pater eſt adoptativus fidelium.*

B. Filius familias, Domini, *& Domini* noſtri. *Scil. per dominium non* eſſentiale, *ex deitate, tribus perſonis* communi; *nec per dominium* perſonale, *Patri, ex oeconomia* peculiare: *ſed per dominium* mediatorium, *ipſi proprium, titulo* emtionis 1. Cor. VI. 20. *&* redemptionis Heb. II. 5. *Quem duobus nominibus deſignat:*

1. Proprio, Jeſu: *Redemptoris, Servatoris, quo* officium *ejus* œconomicum *exprimitur.*

2. Appellativo, Chriſti, *quo officii oeconomici inauguratio, per* unctionem *factam per Spiritum S. indigitatur.*

C. Familia, πᾶσα πατριὰ, *univerſa* œconomia Eph. I. 10. Omnis, *vel tota.* Πατριὰ, paternitas, *vel*

vel parentela, *vel* cognatio, *vel* familia. *Hebraïs* משפחה 2. Sam. XIV. 7. Esth. IX. 27. *vel* בית אבות, *ut* Exod. VI. 25. & XII. 3. *Est autem* familia, *gens, quæ unum communem Patrem-familias habet; vel ad eandem* domum *pertinet. Conf.* Luc. II. 4. *Circa istam familiam, notantur tum*:

1. Cœlestis, ἐν οὐρανοῖς, in cœlis. *Seu, ut solenne est loqui, familia* superior, *contradistincta* inferiori. *Sub hac comprehenditur Pater-familias, Filius-familias, Spiritus S. communis utriusque emissarius* Joh. XV. 26. *Angeli,* πνεύματα λειτουργικὰ Heb. I. 14. *beati cœlites* Heb. XII. 22. 23.
2. Terrestris, ἐπὶ γῆς, in terris. *Intelligit* Ecclesiam militantem *in terris, quæ* domus Dei *appellatur* 1. Tim. III. 15. & domestici Dei Eph. II. 19. *domestici fidei* Gal. VI. 10. *Ecclesia per totum orbem dispersa.*
3. *Utriusque* origo: ἐξ οὗ ὀνομάζεται, ex quo nominatur. ὀνομάζεται *est idem quod* existere Luc. I. 32. Rom. IX. 26. *item ex alicujus nomine* celebrari 1. Joh. III. 1.

Pars dogmatica.

In œconomiâ cœlesti primam personam præstat Pater.

III. E quo perspicuum est, in *œconomia* cœlesti *primam* personam, esse Deum *Patrem.* Quoniam: 1. in omni *œconomia*, Pater *primus* est 2. In cœlesti nominatim, ἐκ πατρὸς πᾶσα πατριὰ, ipse, tam *subsistentia*, quam *essentia* ternus; est *à se.* 3. Ipse *fons* omnis *deitatis*, & omnium personarum. Unde 4. *primus* passim (non semper) ob rationes *œconomicas* nominatur Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. V. 7. Rom. I. 7. 1. Cor. I. 3.

Ejus deitas.

IV. Quod *Pater* sit ab æterno *Deus*, usque adeo est indubitatum omnibus, ut Trinitatis hostes, ei *soli æternam* deitatem relinquant. Interim, ne dubites, ipse passim non tantum *Deus* appellatur Joh. XVIII. 3. sed omnia *divina*, ipsi tribuuntur; qualia A. Divina *nomina Deus* Joh. III. 16. & VIII. 54. *Jehova* Psal. XXXIII. 6. Jes. LXI. 1. B. *Attributa*, independentia, æternitas Joh. V. 26. Apoc. I. 4. Act. XVII. 28. dominium Matth. XI. 25. C. *Opera* Act. IV. 24. 30. D. *Cultus*, Joh. XVII. 1. &c. Phil. II. 11. Matth. XI. 25.

Ejus personalitas.

V. Quod item sit *persona*, perinde extra dubium est, quod non tantum exsertè *persona* dicatur Hebr. I. 3. sed etiam omnia *personalia*: vita, intellectus, voluntas, operationes personales, ipsi passim tribuantur Joh. V. 26. & VI. 57. Matth. XI. 25. 26. 27.

Ejus distinctio à reliquis personis.

VI. Quin & *distinctam* à reliquis esse personam, apertè tradit Scriptura Joh. XIV. 16. Matth. III. 16. 17. Et confirmant proprietates ejus *personales*, seu characteristicæ, quales sunt: 1. *Aseitas*, non *essentialis*, tribus personis communis; sed *personalis*, quâ essentiam *habet à se*, & expers est *originis* ab alio, quâ *vitam* dicitur *habere in seipso*, & *dedisse* Filio eandem habere *in seipso* Joh. V. 26. & veteribus ἀγέννητος dicitur. 2. *Generatio* Filii *activa* Psal. II. 7. à quâ, Filius passim *proprius* & *unigenitus* ejus appellatur, per quam *generationem*, Filio *eandem* suam essentiam communicavit, modo planè *supranaturali*; nec ad ullas leges *physicæ* generationis, exigendo. 3. *Spiratio* tertiæ personæ, *activa*, Patri cum Filio *communis*, quâ principium *sociatum* præstant Spiritus S. qui hinc, ab *utroque mitti* perhibetur Joh. XV. 26. Porro 4. *primitas* ordinis personalis in *subsistendo*, unde ex eo πᾶσα πατριὰ denominatur Eph. III. 15. Tandem 5. *Primitas* personalis in *operando*: tum *ad intra*, quatenus *mittere* dicitur Filium Joh. III. 16. 17. & X. 36. & XVI. 28. Item *mittere Spiritum Filii* sui Gal. IV. 6. & *Filius* Spiritum mittere dicitur *à Patre* Joh. XV. 26. tum *ad extra*, quatenus mundum dicitur condidisse, *per Filium* Heb. I. 2. Psal. XXXIII. 6. & Spiritus S. *scrutari profunda Dei* 1. Cor. II. 10. Hac *primitate*, Pater operatur *à se*, *per* Filium & *per* Spiritum Sanctum.

Ejus officium œconomicum.

VII. Ab hoc *ordine subsistendi* & operandi, pro officio *œconomico*, Pater est: 1. *Dominus* Matth. XI. 25. Eph. IV. 5. Utpote κατασκευάσας τὸν οἶκον Heb. III. 4. Hinc *ejus* fuit, æterna *prædestinatione*, futuræ *familiæ* gubernationem *præparare*, finem & ordinem mediorum disponere Rom. IX. 22. 23. (scil. ut omnia gerantur, secundum *consilium voluntatis suæ* Matth. XI. 26. Eph. I. 11.) *adsciscendos* in familiam, præteritis reliquis, *eligere* Ibid. vers. 3. 4. Est 2. *Creator* mundi Exod. XX. 11. quo *domum strueret* Heb. III. 3. 4. *familiæ* (πατριᾶς) semina poneret Eph. III. 15. *proprietarius* familiæ fieret Rom. IX. 20. qui de omnibus, plane ex sententia κατ' εὐδοκίαν posset constituere Matth. XX. 15. Est 3. *Legislator* Jac. IV. 12. qui hominem creatum, *instruxit* lege *naturæ*, in suam *imaginem*, *rectum* eum creando Eccl. VII. 29. & lege *positiva* Gen. II. 17. illamque *sancivit* comminatione & promissione, inito quodam cum homine *fœdere*. Est 4. *Vindex* legis latæ, sanctæ ac violatæ Rom. XII. 19. qui *homini lapso*, omnibusque suis *posteris*, omne genus *mortis*, tam temporalis quam æternæ, pro *pœnâ* dictavit, infligendam, vel *ipso* peccatori, vel ejus sponsori. Est tandem 5. misericors *Pater* Psal. CIII. 13. qui, juxta æternum *pacis consilium*, peccatoribus *Mediatorem* elegit, misit, unxit, dedit, Jes. XLII. 1. Joh. III. 16. 17. Jes. LXI. 1. datum, omni *pœnarum* genere, pro peccatis eorum exagitavit Jes.

LIII. 4.

LIII. 4. 5. 6. 2. Cor. v. 18. 19. ut redimeret: insuper *Spiritum S.* mittit Gal. IV. 6. qui partam redemptionem, fide *applicaret*, regeneraret, converteret, sanctificaret: tandem per ministerium verbi, ad participium redemptionis vocat, vocatos per fidem justificat, justificatos adoptat, sanctificat & glorificat. Quæ omnia passim sunt obvia in Scripturis Rom. VIII. 29. 30. Ab omnibus istis, Pater, *Deus* peculiariter appellatur 2. Cor. v. 18. scil. non tam propter *essentiam* divinam, quæ omnibus personis est *communis*, quam propter *officium oeconomicum*.

Attributa œconomica.

VIII. Ex istis porro *officiis* œconomicis, etiam *attributa* quædam *oeconomica*, Patri peculiari modo competunt: v. g Quà *Domino*, ipsi competit potestas (qualem etiam Filio *communicavit* Matth. XXVIII. 18.) independentia, libertas agendi pro lubitu Matth. XI. 26. & XX. 15. Eph. I. 11. quà *Legislatori*, Judici, vindici; *Justitia* Gen. XVIII. 25. 2. Thess. I. 6. Quà *Patri*, amor, *misericordia* Joh. III. 16. Rom. V. 5. 8. 2. Cor. XIII. 13. Unde *omnia* quæ de istis attributis, suis in locis diximus, non quidem ad *solum* Patrem; sed tamen ad Patrem ex *officio* œconomico, peculiariter referenda sunt.

Patris administratio ante legem.

IX. *Patris διοίκησις*, potissimum conspicua fuit, tum in statu *constituto*, condendo fœdus *naturæ*, quod violaretur; post in statu *destituto*, per *universam* quidem V. Testamenti periodum; imprimis tamen sub *Patriarchis*, in promulgatione *πρωτευαγγελίε*, repetita promissione *seminis* benedicti, in *liberatione* familiæ suæ, à *servitute* Ægyptiacâ, in *νομοθεσίᾳ* Sinaica, de quibus, suo loco erit ex professo agendum.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An Patri soli competat esse naturâ Deum, summum Deum?

X. Telis hostium, non ita expositum est hoc caput, omnibus fatentibus, Patrem esse *personam*, esse item *Deum*, etiam *distinctum*, saltem à Filio. Quo tamen sciamus, quid circa hoc caput, controverti possit, quæritur: 1. An Patri *soli* competat, esse *φύσει θεὸν natura* Deum, *summum* Deum? Anti-Trinitarii, Filium quidem & Spiritum Sanctum, agnoscunt esse *Deum*, *verum* Deum, *æternum* Deum, qui *in æternum* duraturi sint: non tamen agnoscunt, eos Deum esse *natura*; sed *factitios*: Patrem *solum* esse *natura* Deum, hinc *summum* Deum, ipsum appellant, *διακριτικῶς*, non modo respectu *Magistratuum*, sed etiam respectu *Filii* ac *Spiritus S.* Reformati non *Patrem* tantum dicunt esse, *natura* Deum; sed & Filium ac Spiritum S. ac proinde, saltem quoad *essentiam*, perinde ac Patrem *summum* Deum. Id quod dudum demonstravimus, capite præcedente *generalius*: & *ξὺν θεῷ*, capp. duobus singulatim demonstrabimus, de *Filio* & *Spiritu S.* unde patebit, tres esse, *unum* eundemque *natura* Deum, & *summum* quidem.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Hîc tantum examinabimus, quæ in contrarium obtendi possunt: 1. causantur locum Joh. XVII. 3. *Ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν. Ut cognoscant te* (Patrem) *unum illum verum Deum.* Sed *α.* non addunt, quod additur à Servatore: *καὶ ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστὸν*, supple, esse *unum illum verum Deum*, sine quo supplemento, sensus imperfectus & hiulcus foret. *β.* Non observant *Patrem* dici quidem, solum *illum* verum Deum; sed nequaquam dici, quod *Pater solus*, sit verus Deus: sic enim excluderet Filium, quem Johannes I. Epist. V. 20. diserte appellat *verum* Deum, & adversarii ipsi, talem prædicant. *γ.* Nec observant, *exclusivâ μόνον*, non excludi *personas ὁμοουσίους*, sed quævis alia *ἑτεροούσια*. Causantur 2. locum I. Cor. VIII. 6. *Nobis unus est Deus, Pater ille, à quo omnia.* Resp. a. Quemadmodum *Jesus*, est *unus Dominus*, non excludens Patrem, ita *Pater*, *unus* est *Deus*, non excludens *Filium*, quem *hodie genuit* Psal. II. 8. *ἴσον θεῷ*, *æqualem Deo* Phil. II. 6. sed tantum alia quævis b. Scil. ut Filius unus est *Dominus*, quoad *officium* mediatorium; ita Pater, unus est *Deus*, quoad officium *oeconomicum*. Nisi malis c. *Patrem* hîc dici, non solum *primam* deitatis personam; sed universam *Trinitatem*, ut intelligatur, unam Trinitatem esse *Patrem* rerum omnium, puta, per creationem, providentiam &c.

Objectiones.

2. An Pater ab æterno genuerit Filium?

XI. Quæritur 2. An Pater ab æterno *genuerit Filium*? Antitrinitarii nonnulli, ut *Tritheitæ*, *æternam* quidem *generationem* admittunt, sed non *talem*, quâ Filio, suam eandem essentiam communicaverit. Sociniani, nullam *æternam* quidem agnoscunt generationem, quamvis generationem, in *tempore factam*, non respuant, tum ratione Christi, quem in resurrectione Filii, quasi genuerit; tum ratione filiorum *adoptivorum*, seu fidelium quorumvis, quos per *regenerationem*, quasi gignat. Ad hoc nim. ut æternam existentiam Filii secludant. Inter Reformatos Rationalistas, non deest unus atque alter, qui generationem, quæ constat in communicatione, unius ejusdemque *essentiæ*, cum suis *ideis*, ex clara ac distincta perceptione, conciliare non potest, eoque negat, de quo capite sequenti videbitur. Cæterùm, Reformati communiter distinguunt, inter generationem *supranaturalem*, quæ eandem numero essentiam, Filio proprio & unigenito, communicaverit ab æterno, & *naturalem*, quæ *φύσει θεῷ*, utcunque communicet fidelibus 2. Pet. I. 4. & tandem vulgarem, quæ in corporeis locum habet. *Posteriorem* plane respuunt in divinis, *secundam*, sensu posito, admittunt: sed *primam*, adversus quosvis Antitrinitarios, tuentur, quia 1. *generatio* activa, ei expresse asseritur, eaque ab æterno facta asseritur Mich. V. 1. Tum 2. Quia *talem* Patri asserit generationem, quâ Filius sit *ἴδιος proprius* Rom. VIII. 32. *μονογενὴς, unigenitus* Joh. III. 16. qui sit *ἴσος θεῷ* scil.

fcil. Patri, *æqualis Deo* Phil. II. 6. quæ non potest non esse *talis*, quâ *eandem* suam *essentiam ei* fecerit communem. Quia 3. per generationem, *genito* talem tribuit *deitatem*, cui competant, omnia requisita Dei, ab æterno existentis, puta, divina *nomina*, attributa, operationes, cultus, prout distinctè videbimus penes caput subsequens. Jam si objiciant, ejusmodi generationem inferre, α. *diversitatem* essentiarum. β. *mutationem*, in generante pariter & genito. Proinde γ. non unam *imperfectionem* in utroque. Porro δ. *Transitionem* à potentia in actum. Et quod ε. Generans, aliquid *perdat* de sua essentia, id nim. quod communicat genito. Tandem ζ. quod generatio ab æterno fieri non potuerit, quia genitus præsupponatur, ante sui generationem, non existitisse: Quæ omnia, vel ex ipsis nostris hypothesibus, Deo convenire non queant: facilis accidet responsio, quod ista omnia cadant, in generationem *naturalem* & corpoream tantum; nequaquam autem, in generationem *supranaturalem*, quam Patri, cum Scripturis asserimus.

Objectiones.

3. An Pater à Filio & Spiritu S. differat realiter?

XII. Quæritur 3. An Pater à Filio & Spiritu S. differat *realiter*: à Filio quidem, ut Creator à creatura, à Spiritu S. ut potentia à potente, seu ut *subjectum* ab *adjuncto*? Antitrinitarii quidem omnes, Patrem à reliquis differre volunt realiter, velut essentiam ab essentia, essentiam *creantem*, ab essentia *creatâ*. Reformati existimant, ipsum nequaquam differre *realiter*, ut essentiam ab essentia; sed *personaliter* tantum, ut personam à personis. Eo quod: 1. Una tantum detur *essentia* divina, tribus ex æquo communis, prout capite præcedente demonstravimus. Quod 2. si plures in Deo darentur *essentiæ*: agnoscenda foret in Deo, dependentia, compositio, finitudo: quæ suis locis, quia *imperfectionem* connotant, ab essentia divina secluſimus. Quod 3. Filio & Spiritui S. eandem numero *essentiam*, capitibus duobus subsequentibus, sumus asserturi. Nec possunt aliud objicere, nisi *unitatem essentiæ* divinæ, quæ non possit non competere Patri Joh. XVII. 3. Cui jam dudum respondimus §. X.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Pars practica.

Praxis hujus capitis respicit: 1. Officia quæ Deo debentur ut Domino: sunt honor.

XIII. Praxis hujus capitis, consistit in cultus *œconomici* officiis, Patri peculiaribus. In quibus *primò* Patri, ut *Domino*, Hero, Capiti familias competit *honor*; quem & terrenis Parentibus, ex præscripto divino, debemus Exod. XX. 12. & sibi à suis negatum, Deus conqueritur Mal. I. 6. quem Filius ejus *naturalis*, ipsi defert Joh. VIII. 49. & XVII. 4. Quem ipse Pater, æterna *prædestinatione*, negotium salutis nostræ, sapientissime disponens & præparans, unicè sectatus est Rom. IX. 23. Eph. I. 5. 6. Conf. Cap. XXII. de *Gloria Dei* §. 8. & 16.

2. Submissio.

XIV. *Secundò* eidem velut *Domino*, competit *submissio*, quâ omnem fortunam, utcunque duram, quam ipse nobis decreverit aut immiserit, non *æquo* tantum *animo* toleramus I. Sam. III. 18. sed etiam, cum *gratiarum actione* Job. I. 21. Quemadmodum Filius ejus naturalis Matth. XXVI. 39. 42. Quod non insitatum sit, Patribus-familias *castigare* liberos Heb. XII. 6. 11. *Annon magis subjiceremur, Patri spirituum & vivemus?* Conf. Cap. XX. de *Potestate Dei*. §. 26.

3. Officia quæ eidem competunt ut Creatori.

XV. *Tertiò* eidem quâ Creatori (ἐξ οὗ πάντα πατρικὴ, & à quo *sumus*, *quicquid* sumus & habemus I. Cor. XV. 10.) competit: (1) submissa *gratitudo*, quam lex, cuivis Parenti requirit I. Tim. V. 4. & sibi à suis negatam, quæritur Deus Deut. XXXII. 6. & Filius naturalis ipsi rependit Matth. XI. 25. Scil. A. ob vitam *naturalem* nobis collatam Act. XVII. 25. 28. Ob B. *Spiritualem*, collatam & restitutam Eph. II. 1. C. *æternam*, conferendam olim I. Joh. I. 2. (2) *Totalis* nostri, facultatumque nostrarum omnium, Patri, ut Creatori, proprietarioque, *redditio* & resignatio, citra ullam ullius rei *reservationem*, quod omnia *ejus* sint I. Cor. VI. 20. Conf. Cap. XX. §. 29. (3) *Fidelitas*, in usu & administratione rerum nostrarum, tanquam quæ sint bona, non *nostra*; sed *Patris* & Creatoris nostri. Est enim inter officia *liberorum* erga Parentes, & servorum erga Dominos, *fides* Prov. XXVIII. 24. Tit. II. 10. Col. III. 22. 23. Quâ *fidelitate*, nos nostraque *omnia*, Patri ac Creatori nostro, ejusque *gloriæ*, & commodo communis *familiæ*, promptè impendamus I. Cor. VI. 20. & X. 31. I. Pet. IV. 11.

4. Quæ eidem competunt ut Legislatori, Judici ac Vindici.

XVI. *Quartò*, ut & *Legislatori*; Judici, Vindici, ipsi competit: A. Universalis ac promptissima *obedientia*, quam, ex voluntate *Dei*, parentibus terrenis debemus Eph. VI. 1. Prov. VI. 20. 21. 22. ac Dominis: *servi* Col. III. 22. multo magis patri *cœlesti*, Domino *dominantium* I. Pet. I. 14. Act. V. 29. Deut. V. 33. B. *Reverentia* ac timor, quo Parentes *terrenos* prosequimur Mal. I. 6. Eph. VI. 2. 3. quo Dominos, servi Rom. XIII. 5. 7. quo Judices ac legum vindices, *subditi* Jac. IV. 12. Gen. XVIII. 25. 27. Jes. LXVI. 1. 2. Cor. V. 11.

5. Quæ eidem debentur Patri.

XVII. *Quintò*, velut Patri ac *benefactori*, ipsi competit: 1. *Amor* superlativus Matth. 10. 37. quali *ipse* circa *nos* occupatur 2. Cor. XIII. 13. Joh. III. 16. Rom. V. 5. 8. ut nim. sit amor *mutuus* ac reciprocus: quo *communionem* habeamus cum eo, in *amore*: quod fit, dum non tantum Deum Patrem nostrum, amore prosequimur *sincero* & perfecto Matth. XXII. 37. sed *tali* etiam, qui *paterno* ejus amori versus nos, *suo* modo sit analogus. Sed qualis tandem, ille *paternus* Dei versus nos *amor*, quem imitemur? Est 1. *Liber*, & plane independens, tum ab omni *meriti* digni-

tate, ex parte *noſtri*; tum ab omni *lucri* ſpe, à parte *ſui* Rom. IX. 12. Tit. III. 5. Jac. I. 18. purè ſui cauſa: *talis* & noſter ſit, non ob aliquid, à Deo *nobis proficuum*, aut ob aliquam *mercedem*, à Deo oriundam; ſed purè *propter ſe* Joh. VI. 26. Et 2. Amor Dei verſus nos, *æternus* eſt, ab æterno in æternum, ſemper idem & immutabilis Hoſ. II. 18. Rom. XI. 29. Jeſ. LIV. 9. 10. ſit & noſter *æternus* verſus ipſum, ſi non à parte *ante* (ut loquuntur) ſaltem à parte *poſt*, conſtans & immutabilis Apoc. II. 10 Eſt 3. *διανοητικὸς*, diligit & ſervat Deus, *omnia* opera ſua Pſal. XXXVI. 7. ſed *diſſimili* modo & gradu Rom. IX. 13. diligit ut *opera manuum* ſuarum: ſed non diligit *ut filios*: ſit & noſter amor verſus Deum *diſcretivus*, omnia amemus *propter Deum*, tanquam *opera* Dei, tanquam *imaginem* Dei; ſed Deum *propter ſe*, ſupra *omnia* Pſal. LXXIII. 25.

6. Filialis dependentia.

XVIII. Sed *ſextò*, tanquam *Patri*, Deo abs nobis competit, fiducialis *dependentia* à ſe; ratione victus, amictus, & rei cujusvis, quomodocunque neceſſariæ Matth. VI. 26. 32. & VII. 10. quod *paternam* verſus ſuos gerat curam Pſal. CIII. 13. & *maternam* Jeſ. XLIX. 15. ad quem nobis competit, *προσαγωγὴ μετὰ παῤῥησίας* Heb. IV. 16.

7. A Deo Patre, argumentum nobis ſuppetit conſolationis.

XIX. Porro *ſeptimo*, à Deo *Patre*, argumentum nobis ſupperit *conſolationis*, in quibusvis adverſis, quod *omnia* illa nobis obveniant (a) à *Patre* Matth. X. 29. 30. 31. Pſal. XXVII. 10. I. Joh. III. 1. (b) à Patre *omnipotente* qui *poſſit* nobis ſuccurrere 2. Tim. I. 12. (c) à *miſericordi*, qui *velit* Pſal. CIII 13. Thren III. 22. Heb. XIII. 5. (d) à Patre ſummè *bono*, qui vel *peſſima* noſtra, poſſit in *bonum* noſtrum convertere Rom. VIII. 28. (e) à Patre, qui animum ſuum *paternum* erga nos; in majoribus dudum demonſtraverit Rom. V. 8. Joh. III. 16. (f) à Patre qui nullis *adverſis*, ab amore verſus *nos* dimovendus ſit Rom. VIII. 38. 39.

8. Invitat adoptionem à Patre quæramus.

XX. Tandem *octavò*, Dei *paternitas* nos invitat, ut *adoptionem* penes ipſum, omni conatu *ambiamus*: adducti, egregiis hujus filiationis prærogativis & beneficiis, qualia ſunt (1) In nobiliſſima *progenie*, cœleſti ſcil. & divina Joh. I. 13. & III. 5. 2. Pet. I. 4. (2) ſplendida *proſapia*; quando Deus eſt *Pater* noſter Matth. VI. 9. 2. Cor. VI. 18. Chriſtus *frater*, *ſponſus* Matth. XII. 50. Hebr. II. 11. & XII. 22. 23. (3) locuples *hæreditas* Rom. VIII. 17. *Hæredes Dei, & cohæredes Chriſti.* &c. Conſequemur autem adoptionem: A *Fide* in *Filium* Dei natuſalem Joh. I. 12. quâ cum eo *uniemur*, & uniti, eundem cum eo conſequemur, *Deum & Patrem* Joh. XX. 17. B. per *Spiritum* Sanctum, qui *Spiritus eſt adoptionis*, quem Pater mittit, ut *adoptionem* conſequamur Gal. IV, 5. 6. C. *Obſervatis* fideliter *officiis* filiorum, verſus *Patrem* noſtrum cœleſtem, hactenus enarratis. D. *Abſtinendo* ſollicitè, ab omni *peccatorum* impuritate 2. Cor. VI, 17. 18. eorum imprimis, quæ *dignitati* paternæ, & officio noſtro *filiali* peculiariter repugnant; qualia ſunt *rebellio*, & perfidia, quæ ipſum lædunt ut *Dominum*, noſtri, & rerum omnium noſtrarum Jeſ. LXIII. 10. Jer. IV. 17. Ezech. II. 3. & XX. 8. Hoſ. V. 7. & VI. 7. *inobedientia* 2. Reg. XVII. 14. 15. 40. quæ Deum lædit, ut *Legiſlatorem*: *vilipendium* Deut. VIII. 11. quod contrariatur *timori*, qui ipſi competit ut *Judici*: *odium* Exod. XX. 5. quod amori: *diffidentia* Num. XI. 21. 22. 23. quæ curæ paternæ: *impatientia* aliaque Exod, XV. 24. 1. Cor. X. 10. quæ paternis *caſtigationibus*, repugnant. Hæc indigitaſſe ſuffecerit; argumenta amplificationis, ſuppetent à Capp. de *Officiis mutuis Parentum & liberorum*, & de *Adoptione*.

Conſequendæ media.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

DE

DEO FILIO.

Pſal. II. verſ. 7. 8.

Narrabo ipſum decretum: Filius meus tu es, ego hodie genui te, poſtula à me & dabo & Gentes hæreditatem tuam.

Contemplatio Filii.

I. *Patrem* in œconomia *cœleſti*, ſequitur Filius: ſicut enim *Pater*, ab eo, quod *ſubſiſtit* à ſe, *prima* eſt perſona; ita Filius quod *ſubſiſtat* à Patre, & ab eo, ſuam eſſentiam habeat, ſibi *communicatam*, *ſecunda* eſt. Proinde, ſicut *Patrem* contemplati ſumus; ita & *Filium* contemplabimur, qui ſui *προσωπογραφίαν*, & *officium* œconomicum, ex *pacto* œconomico refert, verbis præfixis, ex Pſal. II. 7. 8.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Quibus continetur* promulgatio *fœderis æterni, quod coiit inter Patrem & Filium, super* officio *Filii Mediatorio, penes quod repræsentatur:*

1. Fœdus *œconomicum, inter se & Patrem*: Narrabo ipsum decretum אספרה אל חק. *Ex abrupto introducitur persona secunda loquens, nempe idem* Rex, *de quo* vers. 6. *quales sermonum alternationes, non raræ sunt, in Cantico aliisque scriptis Poëticis. Adeoque Filius introducitur, suis hostibus repræsentans, & promulgans ipsum fœdus, quo constitutus fuerit* Rex, *unctus supra* montem Tzionis, *h. e. supra* Ecclesiam *universam. In* typo, *verba intelligi possunt de Davide, cui regnum, Sauli jam ademptum, Isbosetho jam sublato* 2 Sam. v. 3. *ejusque posteritati stabilitur: in antitypo, fœdus æternum Christo ejusque membris, confertur & promulgatur.* חק, statutum *notat, quod constitutum sit, in æterno* consilio Pacis, *inter Patrem & se. Item* præceptum, *quippe quod* pro lege, *omnibus promulgari vult:* edictum *propalandum*: decretum, *æternum & immutabile.* אל *pro* את *ponitur, sicut* Jud. VII. 25. Jes. XXXVIII. 19. Jer. IV. 23. & X. 2. *Non desunt, qui* אֵל, *idem hic esse volunt, cum Arabum particula* אֵל, *quæ sæpe accusativi nota est. Aliis notat* in, *ut notet* in statutum, *aut* legem, *quod solicitè promulgabo, ut abeat mihi q. in consuetudinem. Aliis notat* de, *narrabo* de decreto, *ut* Job. XLII. 7. Non recte locuti estis אֵלַי de me, *ita* Psal. LXIX. 27. Jer. XXVII. 19. Ezech. XXI. 28. *& alibi. Aliis est* secundum *scil. statutum, ut notet* congruentiam *rei cum re. q. d. mea narratio erit* secundum *decretum. Alii cum præcedentibus jungunt, in hunc sensum*: ego constitui Regem, ut enarraret decretum. *Nec etiam desunt, qui cum Masorethis in Gen. punctant* אֶל, *ut sonet* statutum Dei, *sic* LXX. *Interp. & Targum, & Arabs & Æthiops, & Vulgata; verum sic postponendum fuisset* חק שֵׁה, *pro eo, quod jam præponitur. Possit etiam esse emphaticum, narrabo* ipsum *Patris mei decretum, constans & inviolabile futurum, apud omnes.* אספרה *à* כפר, numerare, *est rem quasi* per numeros, *articulatim recensere* 2. Sam. XXIV. 10. Psal. CXIX. 18. *Quicquid sit, indigitatur,* statutum, decretum *& fœdus* œconomicum, *quod Patri intercedit cum Filio, id quod exprimitur* Jes. LIII. 10. *& aliis dicitur* consilium pacis, *ex* Zach. VI. 13. *Per quod, ut* Pater, Domini, Legislatoris, *Judicis ac vindicis provinciam, in negotio salutis humanæ, suscepit: ita* Filius, *expromissoris, dispensatoris & redemptoris. Ex cujus demum tenore, dixit Filio:* Filius meus tu es.

2. Persona *Filii, ceu œconomi:* Filius meus tu, *supple* es. *Est compellatio Patris ad Filium, quam de* Sacerdotio *notat Paulus* Heb. V. 5. *&* de regno, *David* Psal. CX. 1. *Alludit ad constitutionem hominum, cum ad aliquam dignitatem & officium electos, promovent, & quasi consecrant, conceptis verbis, quibus significant, quid eis conferatur, qua de causa, & in quem finem. Notatur autem distincte.*

A. Dicens *Jehova.* יהוה אמר, Jehova dixit. *Jehova vox, hic* personaliter *& œconomice capitur, pro* Patre, *sicut passim* Psal. XXXIII. 6. *prout adjectum,* Filius meus tu es, *evidenter confirmat. Patris enim est, habere Filium, eique hereditatem decernere.* אמר; dixit, *scil. in consilio pacis. Dixit, scil.* ad me, *ut habent* LXX *Interp.* Dixit, *quando? Nonnulli supplent, in* Baptismo Matth. III. 17. *aut in* transfiguratione *Cap.* XVII. 5. *sed de tempore* præterito *loquitur, non futuro. Alii accuratius censent, non opus esse, scrupulose disquirere, de dictionis hujus tempore: cum ratione* decreti, *ante omne tempus; ratione* exsecutionis *in tempore, dixerit, dicat & dicturus sit.*

B. Dictum: Filius meus tu es, hodie genui te: postula à me & dabo tibi *&c, Notatur hic, secunda persona.*

1. Filiatio, אני אתה, Filius meus tu, *supple* es. אתה, *hic non est pro* Vocativo: O Fili mi, *ut Grotius, suis hypothesibus antitrinitariis serviens, volebat: verum* אתה *non est hic nuda compellatio; sed testificatio rei plane singularis. Hinc nulla paraphrasis sensu* vocativo *accepit: omnes* emphasin, *in hac προσφωνήσει suspiciunt.* בני, Filius meus tu *es: non per* creationem, *sicut Adam* Luc. III. 38. *& Angeli* Job. XXXVIII. 7. *nec per* adoptionem, *quod omnibus* fidelibus *est commune* Joh. I. 12. 1. Joh. III. 1. *sed per* naturam *&* generationem. *Ex quo patet, tum Filii* deitas; *tum* distinctio *personalis inter Patrem & Filium.*

2. Generatio *æterna, velut fundamentum filiationis:* Ego hodie genui te, אני היום ילתיך. *Est hic:*

α. Generans אנ׳. Ego, *ſcil.* Jehova *Pater*, *qui loquebatur hemiſtichio præcedente*, & Prov. xxx. 4. *Ponitur hic* emphatice *Ego*, *non alius*, *quivis.*

β. Generandi tempus, *vel quaſi:* היום, hodie. *Accipi poteſt dupliciter:* 1. Proprie, *de* æterna *generatione*: hodie genui te. *Ubi hodie*, *præſentis temporis adverbium*, *notat* perſeverantiam *generationis*, *abſque ſucceſſione*: genui *autem*, *verbum præteriti temporis*, perfectionem & *conſummationem*. *Generatio etiam ad* hodiernum *refertur*, *quatenus* æternitas, *omnibus temporum differentiis*, *ſemper* præſens *coëxiſtit. Conſ.* Pſal. xc. 4. *cum* 2. Pet. III. 8. *Eſt enim* proceſſio *Filii*, *quam deſignat* generatio, *ab* æterno Mich. v. 1. *Conf.* Prov. VIII. 22. Joh. I. 1. *Deus dicitur* permanens dierum Dan. VII. 9. *cujus dies non abeunt*, *ſed* manent Pſal. CII. 28. *Unde*, *ſicut* æternitas *in* divinis, *ſignificatur per* tempus: *ita* & dies æternitatis, *per* hodie, *in quo nihil eſt* variationis *aut ſucceſſionis*: *apud Deum in* æternitate, *non valet* heri, *nec* cras; *ſed ſolum* hodie. *Ab his*, æternitas *per* hodie, *ſignificatur* Jeſ. XLIII. 13. etiam ab hodie, ego ipſe, *h. e. ab æterno. Hinc* LXX. *Interp. reddunt* ἀπ' ἀρχῆς, *quo etiam æternitas deſignari conſuevit* Joh. I. 2. Minus Proprie 2. *verba accipiuntur*, *de* hodierna demonſtratione, *æternæ* generationis. *Ita notabitur tempus multiplex illius demonſtrationis*, *nempe quoties Deus ei dixit:* tu es Filius meus, genui *te*, *h. e.* teſtatus *ſum*, *me* genuiſſe *te.* Teſtatus *autem eſt*, *tum* viva voce; *tum* opere Joh. v. 36. Voce *quidem hoc teſtatur*, *partim in ejus* Baptiſmo Matth. III. 17. *partim in* transfiguratione Cap. XVII. 5. *Addunt alii in* nativitate, *quamvis hoc non ita clare factum legatur. Saltem in* reſurrectione *factum eſt* Act. XIII. 33. Rom. I. 4. *Alii tamen* generationem *iſtam*, *ad totam* exhibitionem *Chriſti extendunt*, *quæ in* nativitate *cœpit*, & *in* reſurrectione *conſummata fuit*, *quia ex profeſſo docetur*, *Filium Dei futurum Meſſiam*, *quæ eſt inſignis illa* manifeſtatio, *Patribus facta*, *ad quam*, *utpote Judæis manifeſtiſſimam*, *ipſos remittit Apoſtolus Act.* XIII. 33.

γ. Generandi actus ילדתי, genui. *Quod alii*, *cum Socinianis*, *referunt ad ſolam* reſurrectionem: *alii rectius ad æternam eſſentiæ communicationem*; *alii ad utrumque*; *ſed* primario *ad eſſentiæ* communicationem; *ſecundario ad* manifeſtationem, *factam*, *partim in* Baptiſmo, *partim in reſurrectione*, *ut diximus. Quicquid ſit*, *ſaltem ſignificatur*, *æterna ejus* generatio, *à quo filius* proprius, *unigenitus*, *primogenitus*, *denominatur.*

δ. Genitus, te. *Hunc Sociniani* & Sociniſſantes, *Grotius*, *Judæi*, *aliique*, *volunt eſſe* Davidem; *Alii Davidem*, *velut* typum *Chriſti*; *Alii Salomonem* 2. Sam. VII. 14. *Sed quomodo Davidem* & *Salomonem*, *Deus* genuiſſe, *dici poteſt? Rectiſſime ſentiunt qui* Meſſiam ſolum *intelligi putant*: *quia*: 1. *in Novo Teſtamento*, *hoc unice de Chriſto exponitur* Act. XIII. 33. Heb. I. 5. & V. 5. *Quia* 2. *Hic non eſt ſermo*, *de filio quovis* adoptivo: *ſed de* proprio Rom. VIII. 32. *Unigento* Joh. I. 14. & III. 16. *qui eſt in* ſinu *Patris* Joh. I. 18. & apud Patrem *ipſumque* Deum Joh. I. 1. 2. *Quia* 3. *De illo filio Dei hic ſermo eſt*, *cui omnipotentia*, *omniſcientia*, *cultus divinus*, *in contextu aſſeritur.*

3. Hæreditas, *è filiatione oriunda*; *ſed ex pacto quodam œconomico*: poſtula à me, & dabo tibi &c. *Eſt hic*

A. Stipulatio *Patris œconomica.* Poſtula à me. *Quo continetur*, *ut præſtet*, *quod ſibi*, *ex pacto mutuo*, *incumbebat præſtandum*, *ſcil.* poneret ſcipſum ſacrificium pro delicto Jeſ. LIII. 10. *ac tum*, *ſuo iſthoc jure*, poſtulet, *ex pacto præmium*, *hæreditatem Gentium.*

B. Promiſſio *reciproca.* Dabo Gentes hæreditatem tuam. *Denotatur* dominium Mediatorium, *ei*, *ex redemptione*, *in Gentes*, *quin in totum hoc univerſum*, *conferendum*, *juxta* Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 9. 10. 11.

Pars dogmatica.

In œconomia Trinitatis ſecundam perſonam præſtat Filius.

III. Sicut ergo *Pater*, in Oeconomia cœleſti, primum locum obtinet: ita *Filius* ſecundum. Quoniam: 1. In quavis familia, ubi comprimis Mater dificit, filius Patri proximus eſt: tum maxime, quando *primogenitus* & unigenitus eſt, idque jure primogenituræ; & talis in hac œconomia eſt ſecunda perſona, quæ & ex hoc, *primogenitus* dicitur *ex mortuis* Col. I. 18. Apoc. I. 5. & ſimpliciter primogenitus Heb. I. 6. Tum. 2. Quia, ſicut *Pater*, ab eo quod *ſubſiſtit à ſe*, *primus* eſt, & Spiritus S. quod *à Patre* & *Filio*, *tertius* eſt: ita *Filius*, quod à *ſolo* Patre ſubſiſtit, *ſecundus* merito cenſetur. Porro 3. ſicut Spiritus S. quia a Filio ſubſiſtit, ſeu à duobus principiis, *tertia* eſt perſona:

persona : ita filius, tanquam principium Spiritus S. utpote quem *mittit*, & qui in ejus *nomine*, *mittitur* à Patre Joh. xv. 26. & xvi. 7. eo procul dubio, ordine prior, adeoque secunda persona est Quia 4. ab his omnibus, in Scriptura, plerumque *secundus* numeratur Matth. xxviii. 19. 1. Joh. v. 7. Quamvis, ob rationes œconomicas, nominatim ad declinandam *disparitatem essentiæ*, subinde primus recenseatur, v. g. 2 Cor. xiii. 13.

Quid Filius, nomine tenus?

IV. Denominatur autem *Filius*, in Veteri T. Psal. ii. 7. 12. Prov. xxx. 4. אמן, qui *in sinu Patris est* Prov. viii. 30. cum Joh. i. 18. in N. T. passim, *filius Dei*, & quidem ἐν δύναμει Rom. i. 4. ita ut hoc ejus ὄνομα διαφορώτερον Heb. i. 4. Et sicut in *exegeticis* indigitavimus : non à *creatione* sicut Adam, & Angeli; nec per υἱοθεσίαν seu adoptionem, sicut fideles Joh. i. 12. 1. Joh. iii. 1. nec per generationem *temporalem*, quæ fit *regeneratione*, qua fideles, suo modo, θείας φύσεως redduntur participes. 2. Pet. i. 4. sed per generationem *æternam* Psal. ii. 7. à qua ejus *processio*, dicitur מקדם מימי עולם, *ab antiquo*, *à diebus seculi* Mich. v. 1. qua, *à Patre*, eandem habet numero *essentiam*. Hinc Filius audit *proprius* Rom. viii. 32. πρωτότοκος Heb. i. 6. imo μονογενὴς Joh. iii. 16. cui nemo secundus, *cui enim Angelorum dixit unquam*, *Filius meus tu es*, *hodie genui te*? Heb. i. 5. Est igitur nobis *Filius*, secunda Trinitatis persona, ab æterno à Patre genita Mich. v. 1. imago Patris *personalis* Heb. i. 3. unà cum Patre spirans Spiritum S. Penes hujus prosopographiam, distincte nobis cogitanda veniunt :

Et re.

1. Filii personalitas.

V. *Primo* ejus *personalitas*, quam omnes agnoscunt, uno quidem *ore*; sed non una *mente*, quando Antitrinitarii omnes, ipsum personam *creatam* dicunt, & Catholici *increatam*. *Increatam* nos credimus, quia ; 1. *Filius* Dei appellatur Qui 2. *genitus* sit à Deo. Qui 3. *postulare* jubetur *hereditatem*. Qui sit 4. Unctus *Rex Dei*, super Sion. Quem 5. *osculari* & quovis cultu religioso prosequi debent Reges, & quivis. In quem 6. *fiduciam* collocare tenentur, sub promissione beatitudinis. Ista omnia, aliaque, pro divina Filii personalitate, suppeditat Psalmus secundus. Addatur 7 quod dicatur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς Heb. i. 3. item *imago Dei invisibilis* scil. Patris Col. i. 15. Et quod 8. ipsi in Scripturis tribuantur omnia *requisita* personæ : α. Esse *subsistentiam* ὑπόστασιν, præditam β. *Vita* Joh. v. 26. γ. *Intellectu* Matth. xi. 27. à quo etiam λόγος dicitur Joh. i. 1. δ. *Voluntate* Matth. xxvi. 39. ε. *Operationibus* personalibus Joh. v. 17. 19.

2. Filii discrimen à Patre

VI. *Secundo*, *discrimen* ejus à Patre & Spiritu S. *Distingui* agnoscunt, quotquot Christum profitentur, uno quidem *ore*; sed non una *mente*, uno sensu. Saltem non differunt, ut *Creator* & *creatura*, nec ut *Deus* & *Deus* : sed : 1. ut *persona* divina, & persona : quia ut *Filius* à *Patre*, genitus à gignente. 2. ut *secunda* è tribus personis. Differt 3. per suas *proprietates* personales, seu characteristicas, nimirum à Patre, per generationem *passivam*, adeoque per *processionem* ab uno principio. Quæ, cum non possit cadere in *Patrem*, eum evidenter distinguit ab eo, quamvis essentia *eundem* Joh. x. 30. & quoad modum *subsistendi*, ei simillimum ac proximum, a quo dicitur, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, ut ἴσος θεῷ phil. ii. 6. Joh. v. 18. Item εἰκὼν θεοῦ 2. Cor. iv. 4. Col. i. 15. *Character personæ ejus*, scil. Patris Heb. i. 3. à *Spiritu* S. per spirationem *activam*, ei cum Patre communem, quâ cum eo est principium tertiæ personæ, ei communicans essentiam suam, qui, ab hoc *Stiritus Filii* denominatur Gal. iv. 6. & *Spiritus Christi* Rom. viii. 9. qui Spiritum *mittat a Patre* Joh. xv. 26. fic quidem, ut *ab eo accipiat* quod est Filii Joh. xvi. 14. In cujus spirationis signum, discipulis suis communicaturus Spiritum S. *eos afflavit* Joh. xx. 22. Differt 4. *Ordine subsistendi*, à quo *secundus* est in Trinitate Matth. xxviii. 19. 1. Joh. v. 7. Scil. Patre *posterior*, utpote à quo subsistit Joh. v. 26. & Spiritu S. *prior*, ut *quem mittit* Joh. xv. 26. Differt 5. Ordine *operandi*, quo, sicut Pater *à se* operatur ; ita Filius *à Patre* Joh. v. 17. 19. 20. 21. Sicut Pater *per* Filium Ibid. vers. 22. & cap. i. 3. ita Filius *per* Spiritum S. Rom. viii. 11. Differt tandem 6. Operatione *externa*, per quam, sicut Patri competit *creatio* ; ita Filio dispensatio seu *redemptio* 1. Tim. ii. 5. 6. Rom. iii. 25. Prout Spiritui S. *consummatio*, *communicatio* 2. Cor. xiii. 13. *sanctificatio* 1. Cor. vi. 11.

& Spiritu S.

Filii æterna generatio.

VII. In his Characteristicis, cum primarium locum habeat *generatio* ; de ea nobis paulo distinctius venit agendum. Esse apud Deum *generationem æternam*, hîc præsupponimus ex Eph. iii. 14. 15. & Psal. ii. 7. locis ex professo dudum expositis : confirmamus ex Prov. viii. 22. *Dominus acquisivit me*, scil. generando, *principium viæ suæ*, *ante opera sua* ; scil. ut essem principium suarum operationum, *ex tunc*, *à seculo*, מיעולם, *principatum habui*, *à capite*, *ab initio terræ*. Cum adhuc non erant voragines חוללתי, lxx. Interpretes γέγενά με. Aquila & Theodotion, adhuc significantius reddunt, ὠδινήθην. Usurpatur vox חוללתי Psal. li. 5. ubi lxx. Interp. συνελήφθην. Et Mich. v. 2. de Christo, secundum humanam naturam, in Bethlehem *nato* dicitur. Et quod adhuc altiorem nativitatem habeat, additur : *egressus ejus ab antiquo*, *& à diebus æternitatis*. Rationem numeri pluralis מוצאתיך ; reddit. R. Haccados in Galerezaia, *quia duo sunt Messiæ egressus*, *unus divinitatis* ; *alter humanitatis*. His addunt alii locum Psalm. lxxii. 17. *Erit nomen*

ejus in ſeculum, *ad faciem Solis*, hoc eſt, *ante Solem* יִנּוֹן FILIABITUR *nomen ejus*, *& benedicentur in eo omnes gentes* &c. Totus Pſalmus loquitur de Chriſto, cujus typus fuit Salomo. Roboratur *æterna* iſta *generatio*, ex titulis: quibus: *α.* abſolute *Filius Dei* appellatur Marc. 1. 1. Matth. xvi. 16. Marc. xiv. 61. 62. 2. Pet. 1. 17. Matth. iii. 17. Quibus *β.* *Filius genitus* à Deo Pſal. ii. 7. quod Chriſto applicatur. Act. iv. 25. 26. Heb. 1. 5. Quibus *γ.* Filius *proprius* dicitur Rom. viii. 32. Conf. Joh. v 18. 19. *δ.* *primogenitus* Heb. 1. 6. Col. 1. 15. adde verſ. 16. 17. 18. & *ε.* *unigenitus* Joh. 1. 14. 18. & cap. iii. 18. Quid autem eſt iſta generatio? Nonnulli reſpondent, quod ſit æterna filii ex ſubſtantia Patris *productio*. Loco *productionis*, accuratius forte dixeris; *communicatio* ejuſdem numero eſſentiæ. γεννησίας iſtius modus, anxie à multis inquiritur, ſed fruſtra, cum ſit ἄῤῥητος, καὶ ὑπὲρ νοῦν, ἐπὶ λόγον, καὶ ὑπὲρ καταλήψιν, ut Juſtinus loquitur. Unde Veteres hujus generationis arcanum, quatuor adverbiis repræſentabant, quod nim. facta ſit: 1. ἀκαταλήπτως, *incomprehenſibiliter* 2. ἀχρόνως, *abſque temporis viciſſitudine* Prov. viii. 22. 23. Mich. v. 1. Col. 1. 17. Porrò 3. ἀχωρίστως, *inſeparabiliter* Joh. 1. 1. &. xiv. 10. 11. tandem 4. ἀπαθῶς, *ſine paſſione*, *aut mutatione ulla*, vel in Patre, vel in Filio. Varias adverſariorum ſententias habebis apud partem *elenchticam*.

3. Filii deitas.

VIII. *Tertio*, *deitas*, à qua *Deus* eſt, non tantum *verus* 1. Joh. v. 20. & *æternus* Jeſ. ix. 5. idque non modo à parte *poſteriore* (ut loquuntur) ſed etiam à parte *anteriore* Mich. v. 1. Heb. vii. 3. imo & Patri ὁμοούσιος, à quo ipſi θεότης Col. ii. 9. & μορφὴ θεοῦ, *una* procul dubio, ſic aſſeritur, ut per eam, ſit Patri ἴσος, *æqualis* Phil. ii. 6. Qualem *deitatem*, hoc uno argumento *generali*, invictè conficimus: cui omnia *divina* competunt; is procul dubio *verus* ille, ab æterno, ac Patri ὁμοούσιος Deus eſt; cui enim omnia *divina* competunt, eum non eſſe Deum, ipſa non dixerit impudentia: jam Filio omnia *divina*, nullo excluſo, competunt; quia divina *nomina*, *attributa*, *opera*, *cultus*, ſub quibus omnia divina concluduntur, ipſi in Scriptura aſſeruntur: Ergo non poteſt non eſſe *verus*, *æternus* & Patri ὁμοούσιος Deus.

1. Quia ipſi Divina nomina competunt.

IX. Ubi igitur *Aſſumptio* fuerit demonſtrata, confectum erit negotium, demonſtramus autem ſingulatim. *Primò*, divina *nomina* ipſi competere, eò patet, quod (a) *Jehova* appelletur Hoſ. 1. 7. Jer. xxiii. 5. 6. Jeſ. vi. 5. collat. cum Joh. xii. 40. 41. Num. xiv. 2. & xxi. 5. 6. quibus locis, *tentatus* ab Iſraelitis, & proptera immittens ſerpentes igneos, dicitur fuiſſe *Jehova*: idem rurſus dicitur fuiſſe *Angelus faciei* Jeſ. lxiii. 10. ac diſertè etiam *Chriſtus* 1. Cor. x. 9. Rurſus Pſal. cii. 17, 26. 27. procul dubio ſermo eſt de *Jehova*; ſed ibi ſermo eſt de *Filio* Heb. 1. 9. Item Pſ. lxviii. 19. quod de *Filio* dici, Paulus docet Eph. iv. 8. 9. Hoc autem *nomen*, ſoli *ſummo* Deo competere, ſupra demonſtravimus Cap. iv. Quod (b) *Elohim* dicatur Pſalm. xlv. 7. 8. & lxviii. 8. 9. 10. 19. 20. Quod (c) אל גבור Jeſ. ix. 5. Quod (d) אדני Pſalm. cx. 1. conf. Matth. xxii. 43. Mal. iii. 1. Quod (e) θεὸς, non tantum *attributive* Rom. ix. 5. Rom. 1. 3. 4. Tit. ii. 13. Jud. verſ. 4. 1. Joh. v. 20: ſed etiam *ſubjectivè* Joh. i. 1. Conf. Joh. iv. 24. Act. xx. 28. 1. Tim. iii. 16. Joh. xx. 28. Quod (f) Κύριος Luc. 1. 16. 17. & ii. 11. cui reſpondet nomen *Jehova*. Quod (h) *Dominus dominantium* Apoc. xvii. 14. & xix. 16. (b) *Dominus gloriæ* 1. Cor. ii. 8. cui reſpondet *Rex gloriæ*, cujus nomen eſt *Jehova* Pſal. xxiv. 7. 9. 10. Proinde, non eſt *nomen divinum*, quod Filio non aſſeratur.

2. Quia divina attributa.

X. *Secundo*, divinas *proprietates* ei competere, docet (1) *Spiritualis*, ſimpliciſſima immutabilis eſſentia, ipſi tributa Pſal. cii. 27. 28. Collat. cum Heb. 1. 12. (2) *Independentia* Apoc. 1. 8. 17. & xxii. 13. (3) *Æternitas* Jeſ. ix. 6. Apoc. x. 6. Heb. vii. 3. & ix. 14. Mich. v. 1. Joh. xvii. 5. (4) *Omnipræſentia* Matth. xviii. 20. & xxviii. 20. Joh. iii. 13. (5) *Omnipotentia* Apoc. 1. 8. Phil. iii. 21. Heb. 1. 3. (6) *Omniſcientia* Joh. ii. 24. 25. & xxi. 17. Apoc. ii. 23. (7) ἰσότης *æqualitas* cum Patre Phil. ii. 6. Joh. xvi. 16. Col. ii. 9. Nec proinde eſt attributum Deo competens, quod Filio non tribuatur.

3. Quia divina opera.

XI. *Tertio*, divina *opera* Joh. v. 17. 19. Nominatim: A. *Creationis* Joh. 1. 3. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. Pſalm. xxxiii. 6. B. *Providentiæ* Heb. 1. 3. Col. 1. 17. C. *Miraculorum* Joh. v. 21. & xi. 43. 44. & ii. 19. 21. & x. 17. 18. Rom. 1. 4. D. *Redemptionis*; quales ſunt *electio* Matth. xxiv. 31. Joh. xiii. 18. *redemptio* Matth. 1. 21. *juſtificatio* Jeſ. liii. 11. *remiſſio* peccatorum Matth. ix. 6. *ſanctificatio* Heb. x. 10. *vivificatio* ſpiritualis Eph. ii. 1. *Sacramentorum* inſtitutio Matth. xxviii. 18. 19. 1. Cor. xi. 23. Spiritus S. *miſſio* Joh. xvi. 7. 13. 14.

4. Quia divinus cultus.

XII. Tandem *quartò*; divinum *cultum* Joh. v. 23, Phil. ii. 10. 11. Rom. xiv. 10. 11. qualis eſt: (1) In *adoratione* Heb. 1. 6. 1. Cor. 1. 2. Act. vii. 59. & ix. 14. 2. Cor. xii. 13. (2) In *Baptiſmo*, ejus nomine, perinde ac Patris, inſtituto Matth. xxviii. 19. 1. Cor. 1. 13. & S. *Cœnâ*, in ejus memoriam adminiſtranda 1. Cor. xi. 24. 25. (3) Quod *Princeps ſalutis* noſtræ dicatur Heb. ii. 10. Sic, ut in *ſolo* ejus *nomine* ſit ſalus Act. iv. 12. (4) Quod *fidem*, ſpem ac fiduciam noſtram in eo jubeamur collocare Heb. xii. 2. Joh. xiv. 1. Pſal. ii. 12. Rom. x. 9. 10. 11 14. 1. Cor. xv. 19. Iſta igitur omnia, cum ita ſeſe habeant;

quid

qui tandem deeſt, quò, minus ſit *ab æterno Deus*, Patri ὁμοούσιος?

4. Officium œconomicum Filii:

XIII. Tandem *quartò*, *officium œconomicum*, quod Filius ille Patri ὁμοούσιος, ex ſtatuto *œconomico*, narrat in textu, & ex *conſilio pacis* inter perſonas, ſuſcepit. Per hoc conſtitutus eſt: *primo* diſpenſator ſeu *œconomus*, utpote cui *data eſt omnis poteſtas* Matth. XXVIII. 18. qui *fidelis* eſſet *ei*, *qui ipſum conſtituit*, *ſicut Moſes in univerſâ domo ejus* Heb. III. 2. Per quem mundum *crearet* Joh. I. 3. creatum *ſuſtentaret* Heb. I. 3. quo nim. famulitium ſuum, in mundo haberet *domicilium*. *Secundo* ſponſor ſeu *expromiſſor* Heb. VII. 22. ערב Jeſ. XXXVIII. 14. גואל Job. XIX. 25. qui peccatorum *domeſticorum*, cauſam & *reatum* univerſum in ſe ſuſciperet, *animam ſuam pro ipſis poneret*, *ſacrificium* אשם Jeſ. LIII. 10. qui pro ipſis fieret *peccatum*, ut ipſi in ſe *fierent juſtitia* 2. Cor. V. 21. *Tertio Mediator*, inter ſe & domeſticos *peccatores* 1. Tim. II. 5. 1. Joh. II. 1. qui *medius* in œconomia Trinitatis, medius intercederet, inter *Deum* & *peccatorem*, qui Deus & homo ſimul, *utriusque* cauſam ageret; qui *Filius* per naturam, filios-familias faceret per *adoptionem* Gal. IV. 5. 6. *Quarto Redemptor* λυτρωτὴς (qualis in typo Moſes dicitur Act. VII. 35. 36.) qui aſſumtâ peccatorum *naturâ* liberaret familiam à peccato Matth. I. 21. & ſeipſum præſtaret λύτρον ἀντὶ πολλῶν Matth XX. 28. *Quinto*, *Legatus* Patris, interpres, λόγος Mal. III. 1. Joh. I. 1. qui Patrem, *quem videt nemo*, *nec videre poteſt*, ſuis *revelaret*. Ibid. verſ. 18. per quem hominibus, Pater loqueretur Heb. I. 2. qui *ſtatutum* Patris *narraret* Pſal. II. 7. qui viam ſalutis monſtraret, à quo *via*, *veritas & vita* dicitur Joh. XIV. 6. *Sexto Caput Eccleſiæ* Eph. I. 22. 23. *Septimo*, *Judex* vivorum & mortuorum. Rom. II. 16. Joh. V. 22. 27.

Attributa ejus œconomica.

XIV. Ab iſtis officiis *œconomicis*, œconomica quoque *attributa* ipſi competunt, qualia A. *Sapientia*, utpote quæ in diſpenſatore, Legato & interprete comprimis deſideratur, ab eâ, ipſa etiam *ſapientia* nominatur Prov. VIII. 1. 1. Cor. I. 24. B. *Fidelitas*, præcipua œconomi virtus 1. Cor. IV. 2. quam in Chriſto commendat Apoſtolus Heb. III. 1. 2. quâ non ſe, aut ſua quæſivit; ſed quæ Patris ſui ſunt Joh. V. 30. & VIII. 29. 49. 50. C. *Potentia* 1. Cor. I. 24. utpote per quem, Pater omnia *creavit* Pſal. XXXIII. 6. & *ſuſtinet*, tanquam verbo potentiæ Heb. I. 3. Imprimis D. *Miſericordia* 2. Cor. XIII. 13. quâ ſic *delexit nos*, ut *ſemetipſum tradiderit pro nobis* Eph. V. 2. 25. 26. Conf. Rom. V. 7. 8.

Periodus œconomicæ adminiſtrationis ejus.

XV. Oeconomicis hiſce attributis inſtructus, *provinciam* ſuam *œconomicam* Filius geſſit, equidem ab initio, quatenus *per ipſum*, καὶ τὰς αἰῶνας ἐποίησεν ὁ Θεὸς Heb. I. 2. & ſub *Patriarchis*, quibus non rarò apparuit Gen. XVIII. 1. & XXXII. 29. 30. ſed imprimis à Moſe, quando familiam ſuam, e *ſervitute* Egyptiacâ, per deſertum traduxit in Canaan Act. VII. 36. in præſagium futuræ liberationis *ſpiritualis*: quando *legem* ſuam dedit in Sinai Gal. III. 19. moralem pariter & ceremonialem, quâ dirigeretur ejus *familia* uſque dum ipſe veniret ad *templum* ſuum Mal. III. 1. Quando denique, aſſumtâ carne, ἄνθρωπος, annunciatâ, impetratâ, obſignatâ ſalute, eandem per *Spiritum* ſuum *collaturus*, periodum ſuam œconomicam conſummavit Heb. I. 1. 1. Tim. III. 16. Gal. IV. 4. Cætera, quæ ad *cultum œconomicum*, & ad *peccata* œconomica ſpectant, ad partem *practicam* ſepoſuimus.

Pars elenchtica.

1. An Chriſtus ſit filius Dei, ex *ſola generatione* æterna?

XVI. Quæritur 1. An Chriſtus ſit Filius Dei, ex *ſola generatione* æterna? Judæi Veteres, tempore Chriſti, quantumvis in fide admodum degeneres; agnoſcebant tamen, Meſſiam ſuum fore *Filium Dei*, & ita quidem, ut eſſet ἴδιος *proprius*, & ex eo, ἴσος Deo, ut patet ex Joh. V. 18. Matth. XXVI. 63. procul dubio ex Pſal. II. 12. ſed an ex *generatione*, non liquet. Moderni etiam eum *Filium Dei* fore, negant, ad hoc, ut eum verum Deum & Patri ὁμοούσιον, commodius inficientur. Cerinthus, Carpocrates, ne quidem ex ejus nativitate *temporali*, eum *Filium* Dei eſſe agnoſcebant, teſte Irenæo lib. I. cap. 26. & lib. III. cap. 26. Euſeb. hiſt. lib. III. cap. 26. & 27. aliiſque. Arius, præcedentium propago, ut ſuum ὁμοιούσιον, contra Catholicos, validius tueretur, fatebatur quidem, ipſum filium Dei eſſe; ſed non per generationem; ſed per *creationem* potius, multo minus per generationem *æternam*, meram creaturam, donis interim ac virtutibus, omnem, tum humanam, tum angelicam naturam, ſuperantibus, exornatam, qui, ab his, Filium Dei appellari meruerit, interim creatum ἐκ μὴ ὄντων, Patri ἑτερούσιον. Damnatus eſt in Concilio Niceno, anno 325. à 318. Epiſcopis. Paulus Samoſatenus & Photinus, itidem *Filium Dei* agnoſcebant; ſed per ſuam nativitatem ex B. Virgine, ante quam non extiterit. Muhammedes in ſuo Alcorano (quem anno 610. tempore Heraclii conſcripſit, pararius, Sergio quondam Monacho, & Johanne Antiocheno Judæo) negat ipſum eſſe Filium Dei. Valentinus Gentilis ſuperiore ſeculo, cum Tritheitis & Peratis veteribus, agnoſcebat ipſum Filium Dei eſſe, & quidem *generatione æterna*; ſed non *eſſentia* Deum, ſed eſſentia prolem creatam. Sociniani, qui ex aſſe faciunt cum Samoſateno & Photino (ut *æternam* ejus deitatem, & ex ea, ſatisfactionem noſtro reatui æquivalentem, fortius ſecluderent, ac tandem, nos operibus propriis juſtificari, obtinerent) agnoſcunt quidem, ipſum eſſe *Filium Dei*; ſed nequaquam ex

Sententiarum diſcrepantia.

gene-

generatione æterna; verum ex nativitate sua è B. Virgine, quatenus modo plane *extraordinario*, conceptus fuerit ex Spiritu S qui viri gignentis vices hîc sustinuerit, ac substantiam quandam extraordinariam, femini muliebri admiscuerit. Item, quod per gratiam, ipsi communicata fuerit similitudo quædam cum Deo, dum α. *sanctificatus* à Patre, & missus fuerit in mundum Joh. x. 34. 35. 36. β. per *resurrectionem* à mortuis, quasi genitus sit Act. XIII. 32. 33. γ. per *exaltationem* elevatus fuerit ad dextram Dei Heb. I. 4. 5. Alii alias hujus filiationis causas, vel addunt, vel substituunt. Calovius in suo *Socinismo* profligato, undecim eorum rationes recenset, solâ exclusâ, *æterna generatione*. Remonstrantes Apologistæ, in eo cum Socinianis conveniunt, quod quatuor Socinianorum causas filiationis probent; sed in hoc discrepant, quod addere videantur à Patre *generationem*, quamvis ex ea, ipsum Patri ὁμοούσιον non admittant. Episcop. Institut. lib. IV. cap. 35. Reformati statuunt, eum ob *solam* æternam *generationem*, *esse* Filium Dei, quamvis *æterna* ista *filiatio*, in *sanctificatione*, & *missione* ejus in mundum, nec non in ejus resurrectione & exaltatione fuerit *manifestata*. Proinde, tria hîc nobis incumbunt demonstranda: *primò*, quod filiationis hujus vera causa sit, *æterna* Filii ex Patre *generatio*. Quam sic obtinemus: I. Quia *Filius Dei viventis* dicitur Matth XVI. 16. *verus* I. Joh. V. 20. *proprius* Rom. VIII. 32. *unigenitus* Joh. I. 14. 18. Patri *dilectus* in quo *acquiescat* Matth. III. 17. Quia 2. Filius est Patri *æqualis* Phil. II. 6. Joh. V. 17. 18. imo *idem essentiâ* cum Patre Joh. X. 30. 33. 36. I. Joh. V. 7. & ὁμοούσιος cum eo *Deus*, quod ex divinis nominibus, attributis, operationibus & cultu, dudum demonstravimus. Quia 3. disertè dicitur *genitus* à Patre Psal. II. 7. per *communicationem essentiæ* Joh. V. 26. idque ab *æterno* Prov. VIII. 22. 23. 24. Mich. V. 1. Joh. I. 1. 2. à quo πρωτότοκος dicitur Col. I. 15. Heb. I. 6. Quia 4. *Imago* Patris essentialis, *effulgentia gloriæ & character personæ ejus* celebratur Col. I. 15. Heb. I. 3. Quia 5. *eo modo* Filius est, quo *nulla* creatura, nec visibilis, nec invisibilis, in cœlis aut in terra; quatenus nec per *creationem*, quo Angeli sunt Filii Dei Job. XXXVIII. 6. 7. nec per *potestatem*, quo Magistratus Psal. LXXXII. 6. 7. imo quo ne *excellentissima* quidem creaturæ, Angeli Heb. I. 4. 5. Proinde, non potest non esse Filius per *æternam generationem*. Quod autem in contrarium causantur, istam generationem, Deo *multis modis* derogatoriam esse, dudum Cap. præcedenti ostendimus, tantum de generatione *naturali* valere, non autem de generatione *supranaturali*. Tum *secundo* demonstrandum (quod volunt Sociniani) Filium Dei *esse*, non propter *gloriosam communicationem sanctitatis*, aut exaltationem ad dextram Dei. Quoniam: I. Filius Dei fuit *antequam* conciperetur è Spiritu S. & dicta ipsi *communicarentur* Psal. II. 7. Mich. V. 1. Prov. VIII. 23. 24. Quoniam 2. sic, secundum *humanam* naturam, foret Filius Dei, cui Scriptura repugnat, quotiescumque *Filium Dei* appellat (a) oppositè ad *humanam* naturam Rom. 4. & IX. 5. Quotiescumque (b) *Filius hominis appellatur*, procul dubio secundum *humanam* naturam Matth. XVI. 13. 16. Quoniam 3. nec tria aut quatuor ista *sociniana*, filiationis hujus causæ *totales* sunt singulatim; sic enim *una* sufficeret, & *reliquæ* superfluæ forent: nec *partiales*, simul; sic enim, à *conceptione*, per *gradus* factus fuisset Filius Dei, & ante sessionem ad dextram Dei, non *plenus* fuisset Dei Filius, quod absonum. Non addam 4. quod ex statuto sociniano, *ejusdem* generis aut speciei filius Dei foret, quo *fideles*, gradu tantum diverso, cui Scriptura reclamat Heb. I. 4. 5. & quotiescumque ipsum *solum*, appellat Filium *proprium* & *unigenitum*. Quod autem ejus filiatio referatur ad *conceptionem* à Spiritu S. Luc. I. 35. ad *sanctificationem* Joh. X. 36. *resurrectionem* à mortuis Act. XIII. 32. 33. & ad *exaltationem* Heb. I. 4. 5. non ideo fit, quod ista sint *filiationis* hujus causæ; sed quod sint *manifestationis* indices. Unde alibi *manifestatus* dicitur *in carne* I. Tim. III. 16. & à conceptione à Spiritu Sancto, *appellandus* Filius *altissimi* Luc. I. 35. item *visa* ejus *gloria* Joh. I. 14. Denique *tertiò* ostendendum; nec *conjunctim*, partim propter *æternam generationem*; partim propter *gratiosam* existentiæ, sanctitatis, potestatis, & gloriæ communicationem dici *Filium Dei*. Prout Remonstrantes, in gratiam Socinianorum *æternam* generationem debilitaturi, statuunt. Quoniam I. Scriptura *duplicem* filiationem, in Christo sic distinguit, ut secundum *carnem*, Filius hominis; secundum *Spiritum*, seu *divinam* naturam, Filius Dei dicatur Rom. I. 3. 4. Quoniam 2. eâ ratione, Filius Dei foret *æquivoce*, ex diversis causis, cui Scriptura obnititur, quando *proprium* & *unigenitum* appellat. Quoniam 3. Hac ratione, dici posset secundum *humanam* naturam, filius Dei *adoptivus*, & sic nullo modo esset ἀπάτωρ Heb. VII. 3.

Quod Filius Dei appelletur propter æternam ex Patre generationem.

Quod Filius Dei appelletur non ex

causis aliis quibusvis.

Objectio.

Quod Filius Dei non sit, partim propter gratiosam communicationem.

XVII. Quæritur 2. An generatio Filii, consistat cum communione essentiæ, in æterna ejus coexistentia cum Patre, & in œconomica ejus manifestatione in carne? De natura, *generationis* hujus, varias variorum adversariorum sententias, dudum repræsentavimus & disjecimus in præcedentibus. Huic quæstioni ansam præbet Theologus quidam Belga, qui, cum receptam Reformatorum sententiam, de tali generatione, quæ genito communicaret suam essentiam, eandem numero; non posset conciliare cum suis ideis, nec clare & distincte percipere, quomodo Deus, qui non esset

2. An generatio Filii consistat cum communione essentiæ, in æterna ejus coexistentia cum Patre, &

nisi

In œconomica ejus manifestatione in carne? Origo & status controversiæ.

nisi *mera cogitatio*, suam cogitationem alii communicare, absque dependentia, mutabilitate, absque dispendio æternitatis, aliisque inconvenientibus Socinianorum: statuebat *primo* quidem, istam *generationem*, non consistere nisi in æterna *communione ejusdem essentiæ*, & *coexistentia* cum Patre; postmodum autem, cum observaret istam *coexistentiam*, solam quidem, non sufficere *ideæ* generationis; adjecit œconomicam Filii *manifestationem* in carne, per generationem ex B. Virgine, secluſa omni *communicatione* essentiæ. Hæc sententia proscripta & damnata est, ab omnibus ferè Synodis Ecclesiarum Belgicarum, & auctori, auctoritate supremi Magistratus sui, prohibita fuit propagatio hujus sententiæ, & ab eo etiam recepta. Interim Synodi pleræque decreverunt, Candidatos Ministerii, explorandos esse super hac opinione, nec quemquam, cum ea admittendum, ad ministerium ecclesiasticum. Reformati ergo statuunt: ad æternam generationem filii Dei, requiri communicationem essentiæ, cum imagine seu similitudine communicantis. Proinde non sufficere communionem essentiæ, conjunctam cum coexistentia; nec etiam œconomicam manifestationem ejus in carne. Valent huc, & sufficiunt argumenta §. VII. & proxime præcedentis, mutatis mutandis, ut obtineant, ad *generationem* nostram, necessariam esse, *essentiæ communicationem*. Tantum nobis hic demonstrandum, quod *coexistentia* in communione ejusdem essentiæ, itemque *manifestatio* œconomica in carne, nec utraque coniuncta, ad fundandam filiationem, generationemque sufficiant. In quod distincte sic enitimur. *Primo* quidem, quod coexistentia in communione essentiæ, non sufficiat, his rationibus obtinere conabimur: 1. Quod *coexistentia* v. g. Petri cum Paulo, in eadem essentia humana, non sufficiat ad hoc, ut propter eam, Petrus audiat *filius* Pauli, nisi accedat communicatio essentiæ. 2. Quod ea *coexistentia* efficacior sit, ad fundandam relationem *fraternitatis* inter eosdem. 3. Quod, per hypothesin hujus coexistentiæ, & prima persona, perinde *filius* sit, ac secunda, eo quod, Pater perinde coexistat in eadem essentia Filio, ac Filius Patri. Idem dici possit de Spiritu S. Quod proinde 4. per istam hypothesin, proprietates characteristicæ seu personales tollantur, & eadem opera Trinitas personarum. Quod 5. Ista *coexistentia*, saltem duplex aut triplex *existentia* in Deo, importetur, & cum *existentia*, in Deo nihil differat omnino ab ejus *essentia*, agnoscenda, eadem opera in Deo veniet duplex aut triplex essentia. *Secundo*, quod etiam *manifestatio* œconomica secundæ personæ *in carne*, huc non sufficiat; sic itidem patet: α. Quia *manifestari in carne*, nequaquam est, esse aut fieri filium Dei. Tres enim viri qui Abrahamo apparebant, quibus interea unus *Jehova* Gen. XVIII. 1. 2. non constituebant, aut arguebant tres filios. Et Spiritus S. sub Novo potissimum Test. sæpius manifestatus est Ecclesiæ, nec tamen eo ipso statim factus est *Filius*. Si excipias, Sp. S. non est manifestatus in *carne*, nec visibilem imaginem Dei gessit: occurram quærendo: *Manifestari* in carne, seu *fieri hominem*, quis dicet esse *filium* Dei fieri? Qua ratione, persona divina, quæ se ipsam manifestat *in carne*, magis dicenda est *Filius Dei*; quam quæ se quovis modo manifestat, citra seu *extra carnem*? Tum β. si *manifestatio in carne*, sit fundamentum *Filiationis*; quodnam erit fundamentum *Paternitatis*? sunt enim *Filium* esse & *Patrem* correlata: cum manifestatio in carne, eandem habeat relationem ad Spiritum S. quam habet ad Patrem. Porro γ. secunda persona *exstitit Filius* Dei, *antequam* manifestaretur in carne Psal. II. 7. Prov. XXX. 4. imo ab æterno Prov. VIII. 25. Erat jam tum *Filius Dei*, cum mitteretur in mundum Gal. IV. 4. Quantum ad rationes Adversarii, observandum, quod pro *coexistentia*, in qua *sola*, primo quidem ponebat æternam generationem filii, nullum omnino argumentum profert, seu ex Scriptura, seu ex ratione, quod concludat, in coexistentia illa confistere generationem Filii Dei. Unde in sequiore cogitatione, omnes suas vires arrigit, ut obtineat, præsuppositâ istâ coexistentiâ, generationem illam consistere in œconomica Filii Dei manifestatione in carne, in quam rem urget: 1. Quod generationis vox, in Scripturis subinde notet *manifestationem* Prov. XVII. 17. & cap. XXVII. 1. Cant. VIII. 5. Hujus argumenti vis, sic procedit: Si generationis vox subinde notet *manifestationem*, tum filii generatio consistit in ejus manifestatione in carne: Ast verum prius; ergo & posterius. Resp. A. Majoris nexus, nullus est omnino. B. Probari debebat, quod aliquid, aut aliquis, qui *manifestatur*, sic generetur ut sit *filius*. C. Dato, quod aliquid quod *manifestatur*, generari dicatur *sensu improprio*, nullibi tamen usitatum est, ut quod manifestatur absque ulla communicatione, dicatur *filius*. V. g. Quando Prov. XVII. 17. *Frater in angustia generatur* seu manifestatur: cui tandem hoc est, frater in angustia *fit filius*? Fac etiam D. eum qui manifestatur, dici utcunque filium, id quod nunquam probabitur; nunquid ex eo justa ratione conficietur, filium Dei, *proprium*, *primogenitum*, *unigenitum*, cui Pater *communicavit vitam* h. e. essentiam, talem dici ex manifestatione? Quantum ad minorem E. Negamus, ullum Scripturæ locum sisti posse, per quem *generari ut filium*, consistat in *manifestatione*, absque omni relatione communicationis. Non Prov. XVII. 17. ille enim loquitur de metaphorica *generatione* FRATRIS, non *filii*. Nec Prov. XXVII. 1. *Nescis quid dies crastinus sit paritu-*

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones Adversarii.

turus: loquitur enim non de *manifestatione*; sed de *productione*. Nec Cant. VIII. 5. *Sub malo excitavi te, ibi mater tua, cum dolore te produxit*—loquitur enim, non de *manifestatione:* sed de *productione*, & quidem cum *doloribus* partus. Urget 2. quod filius Dei, in Scripturis frequenter dicatur, in œconomicis negotiis *declaratus* filius Dei 1. Tim. III. 6. Joh. x. 36. Act. XIII. 32. Rom. I. 4. Matth. III. 13. &c. v. g. in Baptismo, resurrectione &c. Sed nullibi dicitur œconomicis hisce negotiis, *genitus* aut factus, cum declaratio præsupponat *præexistentem* filium. Urget 3. quod tertia persona, dicatur à negotiis œconomicis *Spiritus Sanctus*; quidni igitur & filius appelletur ita à negotio œconomico? Resp. α. Appellatur quidem *Spiritus Sanctificationis* πνεῦμα ἁγιωσύνης Rom. I. 4. (nisi hunc locum, cum plerisque interpretibus, malis referre, ad divinam Christi naturam) à quo ἁγιασμὸς τῦ πνεύματος 1. Pet. I. 2. Sed hoc caute distinguendum est à denominatione *Spiritus Sancti*, quatenus hoc præstat ejus διακριτικὸν, dum illud tantum *epitheton*, qualia plura Spiritui S. tribuuntur, partim *œconomica*, partim personalia; in *prioribus* est *Spiritus vitæ*, *Spiritus vivificus*, *Spiritus veritatis*; in *posterioribus* sunt, v. g. *Spiritus Dei* Matth. III. 16. *Spiritus Christi* Rom. VIII. 9. β. Quamvis *Sancti* denominatio esset œconomica; non tamen eo ipso *totum* nomen *Spiritus Sancti*, erit œconomicum. Proinde *Spiritus* appellatur, non ab operatione *œconomica*; sed à *subsistendi* modo, à quo etiam *Spiritus oris* dicitur Psal. XXXIII. 6. 2. Thess. II. 8. *Spiritus omnipotentis* Job. XXXIII. 4. quod procedat, quasi per ineffabilem *spirationem*, quod significatum vult Joh. XX. 22. Urget 4. locum Heb. VIII. 3. *Verbum Dei*, inquit, *mihi prohibet cogitare, quod Christus, respectu divinæ suæ naturæ, de qua loquitur,* SIT GENITUS. Resp. Textus loquitur de Melchizedeko in figura, & de *Filio Dei* in emphasi, illumque dicit esse, *absque Patre, absque Matre, absque genealogia*, quod respectu *humanæ* naturæ, fuerit ἀπάτωρ; respectu *divinæ*, ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος; seu quod ea destituta sit, Patre & Matre *carnali*. Tandem 5. Urget ex *ratione* (quam in tanto mysterio debuisset subjugare 2 Cor. X. 5.) quod *generatio* proprie dicta, sit ἀσύστατος, cum ejus *æternitate & independentia*. Resp. Erat hoc argumentum olim Arianorum, & est etiamnum Socinianorum: sed facile sustulisset ista incommoda, distinguendo inter generationem *naturalem*, quam solam urgent ista inconvenientia; & *supranaturalem*, quam nequaquam. Egit istam controversiam quam accuratissime, adversus Collegam suum, Cl. Camp. Vitringa scriptis suis, tum Latinis, tum Belgicis. Nos circa eam copiosiores fuimus, propter ejus momentum, pariter & novitatem, nullibi in locis communibus obviam.

XVIII. Quæritur 3. An Christus sit ab æterno, Patrique suo ὁμοούσιος Deus? Olim Trithei- 3. An Christus sit ab æterno, Patrique suo coessentialis Deus?
tæ, Peratæ, & superiore seculo, Valentinus Gentilis agnoscebant, Filium, Deum fuisse *ab æterno*; sed non ὁμοούσιον. Ariani *ante* mundum quidem exstitisse; sed nec ab æterno, nec Patri ὁμοούσιον. Samosateniani & Photiniani, cum modernis Socinianis, nec ab æterno ipsum exstitisse; nec ante sui nativitatem è B. Virgine, nec Patri suo ὁμοούσιον. sed ψιλὸν tantum ἄνθρωπον, credunt: licet ipsum, & *verum* Deum, & *æternum*, etiam à parte posteriore, non abnuant. Unde ipsi θειότητα, non θεότητα, juxta Smalcium, ut finitum ab infinito diversam, assignant. Reformati Christum, quoad divinam suam naturam, ab *æterno* exstitisse docent, & Patri suo ὁμοούσιον. Rationes istius doctrinæ diximus. §. §. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. Nec restat nisi ut occurramus objectis Adversariorum. Causantur: 1. Quod ipse Christus se Deum dicat, sicut Magistratus sunt Dei Joh. X. 35. scil. ratione *officii*, non ratione essentiæ. Resp. Christus vers. 30. dixerat: *ego & Pater unum sumus*, hinc ipsum *blasphemum* esse colligebant Judæi, quod eo ipso se Deum faceret: respondet Servator à minori ad majus: si magistratus, propter *officium* dicantur *Dei*: quidni ego, à Patre missus? Sed hoc facto, se verum ac Patri coëssentialem Deum dicit vers. 37. 38. *Ut agnoscatis, quod Pater est in me, & ego in Patre.* 2. Est *Dominus factus* Act. II. 26. Joh. I. 27. Heb. I. 4. & III. 2. ergo & *Deus* factus. Resp. A. *Dominum* esse, & *Deum* esse, non sunt synonyma, multi Domini sunt, qui eo ipso Dei non sunt. B. Est in Christo dominium duplex, *mediatorium*, secundum quod est *factus* Dominus, & *essentiale*, quod ei competit, quatenus est *Jehova*, quod interpretes omne genus, reddunt per vocem κύριος, *Dominus*, v. g. Jer. XXIII. 6. & cap. XXXIII. 16. quando posterioris verba, cum Glassio aliisque viris doctis: *Qui vocabit* (seu convocabit & colliget per verbum) *eam*, puta Jerosolymam erit *Jehova justitia* Hos. I. 7. Quoad hoc dominium essentiale, nequaquam est Dominus *factus*. Causantur 3. quod Filius sit *minor* Patre Joh. XIV. 28. Patri *subjectus* 1. Cor. XV. 28. Resp. Dicitur alibi *æqualis* Patri, ἴσος θεῷ quatenus nim. erat in *forma Dei* Phil. II. 6. à quo *æqualis* ipsi competit honor cum Patre Joh. V. 23. *Ut omnes honorent Filium* SICUT, καθὼς, *honorant Patrem.* Ex quo proclive est colligere, diverso respectu, filium esse, & *æqualem* Patri, & *minorem* etiam: *æqualem*, quoad μορφὴν θεῦ, seu quoad *essentiam*; *minorem*, non tantum quoad naturam *humanam*; sed etiam quoad *officium* œconomicum, quatenus in æterno consilio Pacis, omnem reatum & omnem causam peccatoris, expromittendo in se derivavit, eoque Patri subjectus factus est, velut debitor & *servus*.

Nisi

Nisi malis, eum *minorem* Patre dici, quoad relationem filiationis, per quam & in humanis, filius patre *minor* dicitur, licet quoad essentiam humanitatis, atque etiam quoad dona, sapientiam, bonitatem ei par, imo & major existat. Causantur 4. Quod Pater sit unus & *solus* verus Deus Joh. XVII. 3. Resp. Alibi etiam Filius dicitur *verus Deus* 1. Joh. v. 20. &, si *verus* Deus est, etiam *unus* est. Nec Joh. XVII. 3. Pater *solus*, appellatur *unus verus* Deus; sed Pater dicitur *unus ille & solus* verus Deus, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, & adjicitur etiam, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστὸν, scil. esse unum illum verum Deum. Causantur 5. Quod passim appelletur, *homo* & *filius hominis*. Resp. Sed hoc non fit, ut excludatur *aterna* ejus deitas, utpote quam Sole clarius, dudum demonstravimus: sed quod *Deus* fuerit *manifestatus in carne* 1. Tim. III. 16. quod Filius Dei, natus in tempore fuerit *ex muliere* Gal. IV. 4. Causantur 6. Quod Patrem vocet *Deum suum*. Resp. Appellat Patrem *Deum suum*, non tantum ratione *humanæ* suæ naturæ; sed etiam ratione *officii* œconomici, sicut monuimus penes objectionem tertiam. Causantur 7. quod omnia sua dicatur habere à Patre. Resp. Ut quædam habet à Patre, per æternam *generationem*, velut λόγος, puta *vitam*, essentiam & omnia essentia deitatis Joh. v. 26. cum Psal. II. 7. & alia per gratiam *unionis* personalis velut θεάνθρωπος; ita nihil horum quicquam derogat ejus deitati; sed eam confirmat potius. Causantur 8. Quod *solus* Pater dicatur *Deus* noster 1. Cor. VIII. 6. ergo non Filius. Resp. Sicut textus, dicens Filium solum esse *Dominum* nostrum, non negat Patrem etiam esse *Dominum* nostrum; ita dicens Patrem esse *Deum* nostrum, non negat etiam Filium esse Deum nostrum. Animus igitur textui non est, nisi, & à deitate, & à dominio secludere θεὸς λεγόμενος vers. 5.

4. An filius sit Deus à se?

XIX. Quæritur 4. An Filius sit αὐτόθεος, seu à se Deus? Tritheitæ, Valentinus Gentilis, Ariani, Samosateniani, Photiniani, Sociniani, quo validius negent, Filium esse Patri ὁμοούσιον; negant, Pontificii, quod Calvinus & Beza, disputantes adversus Gentilem, qui statuebat, Christum esse *Deum essentiatum*, eum dicant αὐτόθεον; vociferantur eos insidiari Trinitati, asserentes, proprietatem characteristicam Patris, quâ est à se, competere Filio quoque, novamque hæresin comminiscuntur *Autotheanorum*. Remonstrantes Apologistæ, in gratiam Socinianorum, per cuniculos insidiaturi Trinitati; itidem negant. Reformati distinguunt, inter aseitatem *essentialem*, & *personalem*: *essentialem* quidem, qua deitas Filio & Spiritui S. communicata, sit à se; *personalem* autem negant, quatenus eam deitatem, quam Filius & Spiritus S. possident, non possideat à se; sed à Patre. Cujus sententiæ fundamentum, ipse Christus ponit Joh. v. 26. *Sicut Pater vitam habet in se; ita Filio dedit vitam habere in se.* Et si deitas, quam filius habet & Spiritus S. non sit *à se*, non erit vera deitas. Proinde, licet Filius & Spiritus S. sint αὐτόθεος; non tamen esse ἀυτοπρόσωπα. Quo sensu Bellarminus, Genebrardus, atque omnes, qui ingenue recipiunt personarum ὁμοουσίαν, admittunt Filium esse ἀυτόθεον. Interim Arminius calumniatur, ista sententia induci, vel *Tritheismum*, eo quod *tres* statuantur, *essentiam* habere collateraliter *à se*: vel *Sabellianismum*; eo quod *aseitas*, per quam Pater distinguitur à Filio, per hanc Filii ἀυτοθεότητα, communis fiat. Ast neutrum verum: nec enim *Tritheismus* inducitur: quia non tres *essentias*, statuimus collateraliter *à se*; sed *unam* tantum, tribus personis communem: nec *Sabellianismus*; quamvis enim aseitas *essentialis* communis fiat, aseitas tamen *personalis*, Patri relinquitur propria. Qatenus ergo hæc quæstio, agitur inter nos & Antitrinitarios, eatenus determinata est paragrapho præced. quatenus agitatur inter nos & Pontificios, non est nisi mera λογομαχία, domonstrante hoc Amesio, Bellarm. Enerv. lib. 2. cap. 1. §. 1. quatenus tandem agitatur, inter nos & Remonstrantes, jamjam sic satis determinata est. Si plura voles, confer Alting. Elench. Nov. Loct III. probl. 32.

Pars practica.

Persona & officium Filii œconomicum: 1. Argumentum suppeditat glorificationis.

XX. Persona & œconomia Filii Dei, *primò* nobis argumentum suppeditat, *glorificationis* & gratitudinis erga Deum, qui, æterno & immobili statuto, pura puta adductus φιλανθρωπίᾳ, non *hominem* quemvis egregium, non *Angelum* etiam; sed *Filium*, Filium *proprium* & *unigenitum*, Dispensatorem, Expromissorem, Mediatorem, Redemptorem, Legatum, Caput, Judicem dedit, Ecclesiæ suæ; qui eam *gubernaret*, ejus *reatum* in se susciperet, medius inter se & eam *intercederet*, suo sanguine *redimeret*, suam ei voluntatem, de æternâ beatitudine obtinendâ, *aperiret*, eam, adversus quosvis inimicos *tueretur*, ac tandem justitiæ coronam *conferret*. Quam φιλανθρωπίαν adeo Deus ipse commendat Rom. v. 5. 6. 7. 8. ut ne Filius quidem satis mirari possit Joh. III. 16. ejusque *statutum*, tanquam egregium quid, ex voluntate Patris sui, hominibus enarret Psal. II. 7. Ut hîc meritò exclames cum Apostolo: *Videte quantam charitatem nobis Pater dederit!* 1. Joh. III. 1. Et in hac φιλανθρωπίας divinæ glorificatione, summus est universi mysterii euangelici scopus Eph. 1. 6. Rom. IX. 23.

2. Accendit desiderium.

XXI. *Secundò*, accendit *desiderium*, Filium istum, qui ex statuto Patris, seipsum nobis narrat, magis magisque *cognoscendi*; in quo *justifi-*

cognoscendi Filium.

cationem nostram, Deus Pater constituit Jes. LIII. 11. & *vitam æternam* Filius Joh. XVII. 3. à quo, tanti Apostolus fecit, τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως χριστοῦ Ἰησοῦ: ut omnia duxerit pro *damno* & *stercore*, quo solum istum Christum *lucrifaceret* Phil. III. 8. Cognoscendus, autem est 1. ut *Dispensator*, cui *omnis* potestas data Matth. XXVIII. 18. ut ei *genu* cordis flectamus Phil. II. 10. 11. Qualis olim erat Joseph, primo in domo Potipharis Gen. XXXIX. 4. 8. 9. tum in universa Ægypto Gen. XLI. 41.... Tum 2. ut *Expromissor*, ut abnegatâ penitus omni *propria* justitia; causæ nostræ præsidium, in *eo solo* ambiamus Phil. III. 9. 10. Porro 3. ut *Mediator*, absque quo, nunquam admitamur properare ad thronum Patris Heb. IV. 14. 15. 16. Joh. XIV. 6. Etiam 4. ut *Redemptor*, in cujus λύτρῳ, omnem spem, omnem salutem reponamus Act. IV. 12. Insuper 5. ut *interpres* & legatus Patris, quem in omnibus, religiosissimè *audiamus* Deut. XVIII. 15 Matth. III. 17. Adhæc 6. ut *Caput* Ecclesiæ, quod veneremur Joh. v. 23. Tandem 7. ut *Judex*, quem metuamus 2. Cor. V. 10. 11. pariter & anhelemus Luc. XXI. 28. diversis scil. rationibus.

3. Commendat nobis sufficientiam Mediatoris nostri.

XXIII. Hinc *tertiò*, nobis commendat, *sufficientiam* & perfectionem Mediatoris nostri, à quâ, in ipso *habitare* dicitur, *omnis plenitudo* Col. I. 19. ipseque *replere omnia in omnibus* Eph. I. 23. adeo ut, *ex ejus plenitudine*, *haurire* possimus, *gratiam pro gratia* Joh. I. 16. Imo *in ipso* simus *consummati* Col. II. 10. Quæ quidem *sufficientia*, oriunda est 1. A *personæ* dignitate & præstantia, quâ non *homo* aliquis est, non *Angelus*, non creatura quævis *præstantissimâ*; sed *Filius* Dei, *naturalis*, *proprius*, *primogenitus* & *unigenitus*, in quo *plenitudo deitatis*, *habitat corporaliter* Col. II. 9. 10. *Splendor gloriæ*, & *character personæ Patris*, *quem hæredem constituit omnium* Heb I. 3. 4. qui proinde, *potest* suis esse & præstare quidvis; quoniam *omnipotens*, cui *omnis potestas in cœlis & in terrâ* competit Matth. XXVIII. 18. qui *novit* suorum necessitates ac *desideria*; juxta & succurrendi ac satiandi *media* ac rationes, quia *omniscius*, ipsa sapientia, in quo *omnes thesauri sapientiæ absconditi sunt* Col. II. 3. qui etiam *vult*, suis esse *omnia in omnibus*, quia *summe bonus* & misericors 2. Cor. XIII. 13. qui suam Ecclesiam *dilexit*, & *semetipsum exposuit pro eâ* Eph. V. 2. Dein 2. oriunda hæc est sufficientia, ex *statuto* Patris, quod Filius nobis narrat Psal. II. 7. ex *consilio Patris* Zach. VI. 13. per quod Patris fuit εὐδοκία, ut in ipso *omnis plenitudo habitaret* Col. I. 19. per quod constitutus est *Caput supra omnia* Eph. I. 22. per quem Pater cuncta dispensat, adeo ut jam *omne judicium Filio tradiderit* Joh. V. 22. ipsum constituendo *super universam domum suam* Heb. III. 2. Tandem 3. oriunda est, ab ejus *officio œconomico*, per quod, ut diximus, ex Trinitatis consilio œconomico, provinciam suscepit, dispensatoris ac Domini universalis, Expromissoris, Mediatoris, Redemtoris, Legati, Capitis, Judicis, per quæ omnia, nobis *factus est sapientia à Deo*, *justitia*, *sanctificatio & redemtio* 1. Cor. I. 30. adeo ut in ipso, sit omnis *salus* Act. IV. 12. ipse *via*, *veritas & vita*, citra quem, nemini *aditus* patet ad *Patrem* Joh. XIV. 6. in quo Deus *nobis benedixit*, *omni benedictione in cœlestibus* Eph. I. 3. Unde in Scripturis, omnibus *bonis* æquiparatur, quando appellatur *vita* nostra Col. III. 4. *Nutrimentum* nostrum Joh. VI. 55. *Medicus* noster Matth. IX. 12. *Solatium* nostrum Luc. II. 25. *Protector* noster Jes. XXXII. 2. *Fasciculus myrræ* Cant. I. 13. *Fons* salutis Zach. XIII. 1. *Sol justitiæ* Mal. IV. 2. *gloria* nostra Luc. II. 32. *Omnia in omnibus* Col. III. 11.

4. Allicit ut Filium osculemur.

XXIII. Et hoc *quartò* nos allicit, Filium istum *osculemur* Psal. II. 12. Scil. in signum *homagii*, quod Principibus, eorumque præfectis, conferri solebat Gen. XLI. 40. ubi prostat נשק. Nobis, *oscular*i generatim nihil aliud sonat, quam Filium, ut *Regem* à Patre constitutum, ejusque velut præfectum, sub omnibus suis officiis œconomicis, promtè *recipere*, eum adorare, eique *cultum omnem* sibi competentem, præstare. Singulatim *tria* ista potissimum complectitur. Primò, ut ab ipso toti *pendeamus*, quod est ejus q. *manus osculari*, quævis, ab eo *solo*, sibi polliceri, præstolari, expetere; utpote cui, velut supremo Dispensatori, *omnia* sunt tradita, hominibus tradenda Eph. IV. 8. Secundò, ut nos ejus *potestati* ac dominio, promtè *submittamus* (quod est q. *pedes* ejus osculari) *serviamus Jehovæ* Psal. II. 11. *genua ei curvemus* Phil. II. 10. ejus jussa prompte *audiamus* & exsequamur Matth. III. 17. omnia nostra, ei alacriter *substernamus*, ejusque gloriæ impendamus Matth. XXI. 2. 3. 6. 7. Tertio, ut eum ingenuè & supra omnia *diligamus* Matth. X. 37. hoc est ejus q. *labia* osculari. Istud homagii *osculum* ipsi fideliter conferendum est: 1. Ut *iram* declinemus, & Patris & Filii Psal. II. 12. *ne fortè irascatur*. 2. Ut *exitium* effugiamus. *Ibid. & pereatis in viâ, cum exarserit vel paululum furor ejus.* 3. Ut *beatitudinem* ab eo consequamur. *Ibid. Beati omnes qui sperant in eo.*

5. Suadet fidem in Filium.

XXIV. Singulatim *quintò*, suadet in ipsum *credamus*. Hoc enim *est opus Dei*, *ut credamus in eum*, *quem misit ille* Joh. VI. 29. Credamus inquam, non tantum *eum* esse illum, quem Pater misit, *Messiam* illum Matth. XVI. 16. nec tantum *illi* Matth. III. 17: sed *in illum*, sic, ut credendo ipsum *recipiamus* corde. *Quotquot enim ipsum receperunt*, *dedit ipsis potestatem qui filii Dei fierent*, *qui in nomen ejus crediderunt* Joh. I. 12. Huc enim: 1. Ipsum nobis *dat* & mittit Pater

Pater Joh. III. 16. *Ut Filium ſuum unigenitum ei dederit, ut omnis qui credit.* Huc 2. Ipſe ad nos *venit* Filius Joh. I. 11. Ad hoc 3. tot argumentis ac promiſſis nos *invitat* Matth. XI. 21. 29. Apoc. III. 20. Cant. V. 2. Hoſ. II. 14. 15. Hoc ipſo 4. Chriſtum, cum omnibus ſuis beneficiis, *lucrifacimus* Phil. III. 8. 9. Sine hoc 5. Filius, omniaque ejus *officia*, juxta & *beneficia* œconomica, hilum nobis non proderunt Rom. X. 3. 4. Gal. III. 2. 5. 6. 7. Imo 6. *oberit* etiam Pſal. II. 12. Joh. III. 36. Conf. lib. 2. Cap. I. de *Fide*.

6. Urget Filium Dei maximi faciamus.

XXV. Porro *ſexto*, Filium (1) magni & ſupra omnia *extollamus* Matth. X. 37. Cant. I. 2. (2) Eum rei cujusvis diſpendio, nobis *comparemus* Phil. III. 7. 8. Matth. XIII. 46. (3) In eo placidè, velut in ſufficientiſſimâ noſtra portione, *acquieſcamus* Pſ. LXXIII. 25. quamvis rebus quibuſvis carendum fuerit Hab. III. 17. 18. (4) Nos noſtraque omnia, ejus glorificationi *impendamus*, iſtudque ſit noſtrum α & ω, prima cauſa *movens*, & ultimus *finis* omnium actionum noſtrarum Phil. I. 20. Rom. XIV. 7. 8. 2. Cor. V. 15. (5) Omnia nobis neceſſaria, ſeu corpore tenus, ſeu anima, ab ejus ſolius manibus *expetamus*; ſi fides, ſpes, charitas; ſi vires obſiſtendi tentationibus; ſi ſolatium in adverſis deſit, ab eo *ſolo expetamus* Marc. IX. 24. quod ipſe poſſit *omnia* nobis præſtare Phil. IV. 13. Et ei ignominioſum foret, ſi ipſo præterito ab alio repeteres 2. Reg. I. 3. Tandem (6) quicquid ſuſcipimus, ac facimus, id omne in *nomine Filii* hujus, & in ejus virtute *ſuſcipiamus* Eph. V. 20. Col. III. 17.

7. Excitat ad ſpem ſalutis in eo collocandam.

XXVI. Ad hæc *ſeptimo*, nos excitat *ſpem* & fiduciam vitæ æternæ, in Filio collocemus Pſal. II. 12. unde *ſpes noſtra* appellatur 1. Tim. I. 1. & *in Chriſto ſperare* dicuntur Chriſtiani 1. Cor. XV. 19. 1. Theſſ. I. 3. à quo etiam *ſpes Iſraelis* nominatur Act. XXVIII. 20. Quatenus nim. 1. ipſe, ut, Expromiſſor & Mediator, id omne quod ſpem ſalutis à nobis ſecludere poſſit, *reatum* peccatorum noſtrorum, ſuſtulit in ſe, & abſtulit Eph. II. 12. 13. & I. 7. Quatenus 2. ut *Redemptor*, jus vitæ æternæ, ſua ſatisfactione & merito, acquiſivit Eph. I. 14. Quatenus 3. ut *juſtus Judex*, olim juſtitiæ *coronam* diſtribuet 2. Tim. IV. 7. 8. Modo nos A. Viva fide, ipſum ſalutis *anchoram* apprehendamus Heb. VI. 19. B. Immaculatæ conſcientiæ ſtudio Act. XXIV. 15. 16. C. Continuatæ vitæ noſtræ *emendationi* vacemus 2. Cor. VII. 1. prout *omnis, qui habet hanc ſpem in eo* (Chriſto) *ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* 1. Joh. III. 3.

8. Abſterret à peccatis in Filium œconomicis.

XXVII. Tandem *octavo*, nos monet, cane pejus & angue nobis caveamus, ab omnibus iſtis *peccatis*, quæ Filio peculiariter & œconomicè obnituntur, nim. 1. A *Neglectu* & vilipendio ejus, quo venientem ad nos, ſeque nobis offerentem, *non recipimus* Joh. I. 11. & V. 43. 44. contemnimus Matth. XXII. 5. Act. XIII. 46. & Cap. XXVIII. 24. Tum. 2. A *Rebellione* ac repugnantia Pſal. II. 1. 2. 3. Act. IV. 26. 27. Luc. XIX. 27. Porro 3. A recepti, *abnegatione* Matth. X. 33. & XXVI. 70. 71. Inſuper 4. A quavis *incredulitate* infidelitateque Joh. III. 36. Denique 5. A malitioſa ejus *rejectione*, quæ cum peccato in Spiritum S. coincidit, quo *Filium Dei conculcamus, & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducimus* Heb. X. 29.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

DE

DEO SPIRITU SANCTO.

Joh. XIV. verſ. 26.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in memoriam revocabit vobis, omnia quæ dixi vobis.

Tranſitio ad contemplationem tertiæ perſonæ.

I. In œconomia S. Trinitatis, *tertium* locum habet Spiritus S. quatenus, non tantum quoad *ordinem* & modum ſubſiſtendi, à duobus Patre & Filio ſubſiſtit; ſed etiam quoad *modum operandi*, quo, ſicut ſubſiſtit; ita etiam operatur à Patre & Filio. Ab his ei rerum *conſummatio* competit, ex *officio* œconomico, nim. regeneratio, converſio, ſanctificatio &c. Hujus προσωποποιΐας ſuperſtruemus verbis Servatoris, quæ exſtant Joh. XIV. 26.

Analyſis & exegeſis textus.

Pars exegetica.

II. *Quibus vaticinium continetur, ſeu* promiſſio *potius, de perſona, officio & beneficiis œconomicis Spiritus S. In qua tria iſta obſervamus, nim. Spiritus S.*

1. Perſonam, *ceu benefactorem, cujus deſignatur duplex* nomen:

A. Appellativum, *ab* officio *ejus œconomico*: ὁ παράκλητος. *Articulus* ὁ, *hic eſt emphaticus, deſignans talem, qui per excellentiam eſt Paracletus, imo & qui in Trinitate, ſolus ex* officio *eſt Paracletus.* Παράκλητος, *vox frequens* eſt *apud Judæos in verſione Chaldaica, & Thalmudicos, non pro* conſolatore; *ſed pro eo qui cauſam agit alterius, & quidem* rei. *Deſcendit à* παρακαλέω, *ut ſonet* advocatum, *ad hoc, ut alicui patrocinetur in* judicio; *aut conſilio ſuccurrat, in diſcrimine; aut doceat in* ignotis; *aut intercedat ac deprecetur apud alium, aut erigat animum in adverſis: aut excitet torpentem, & impellat tardum. Ab his omnibus* παράκλητος *ſonat:* Patronum *cauſæ*, Doctorem, conſolatorem, adhortatorem, interceſſorem. *Sic igitur Spiritus S. appellatur, quod in æterno conſilio, à Patre & Filio, quaſi vocatus fuerit: qui negotium* Trinitatis, *in cauſa* ſalutis *humanæ*, decretum *à Patre*, impetratum *à Filio, quaſi* conſummaret, *docendo, ducendo, conſolando, intercedendo, adhortando, eoque electorum Doctorem, Patronum, Conſolatorem, ex* officio *præſtaret. Una igitur hac voce, &* conſtitutio, *per pactum œconomicum, &* officium *univerſum Spiritus S. indigitatur.*

B. Proprium, τὸ πνεῦμα, τὸ ἅγιον. *Voces duæ*, Spiritus Sanctus, unum *tantum efformant, tertiæ perſonæ* nomen: *ſed* compoſitum *non duplex, proprium & appellativum. Quod licet* compendii *& abbreviaturæ cauſa, ſubinde una* Spiritus *voce exprimatur; ſemper tamen præſupponit, ſubintellectam. Interim articulus* τὸ, *utrique ejus parti, diſtincte præfigitur, ad hoc, ut* prius τὸ, *diſcriminet in Trinitate, perſonam* tertiam, *à præcedentibus duabus*; poſterius; *ut Spiritum S. diſcernat à Spiritu quovis alio, impuro, creato---. Nominis compoſiti, duæ diſtincte ponuntur partes, quibus dicitur:*

1. Spiritus, πνεῦμα. *Scil. non tam ab* eſſentia immateriali: *omnibus Trinitatis perſonis communi, neque ab* operatione *aliqua œconomica, qua homines faciat ſpirituales; quam quidem à* modo ſubſiſtendi, *quod per* ſpirationem *ineffabilem ſubſiſtat, unde* Spiritus oris, Spiritus Jehovæ *ſcil. Patris, Spiritus Filii, deſignatur, prout in dogmaticis uberius dicemus.*

2. Sanctus ἅγιον. *Scil. non tam à* Sanctitate, *attributo* eſſentiali, *omnibus perſonis communi; quam à* ſanctificando, *quatenus illud tertiæ perſonæ, quaſi pro officio œconomico, à reliquis perſonis, commiſſum eſt. De quo itidem plura venient in dogmaticis & practicis.*

2. Miſſionem *per* pactum *œconomicum.* ὃν πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, quem mittet Pater in nomine meo. *Quibus verbis, duo generaliter ſignificantur, ſcil. duplex ejus* principium *à quo mittitur, tum* miſſio *ab utroque oriunda. Hæc diſtinctius in textu dicuntur, his tribus:*

α. Mittens, ὁ πατὴρ. *Scil. primum Spiritus S. principium, nec procedens, nec miſſum ab alio; ſed* ſimpliciter à ſe. *De quo ex profeſſo philoſophati ſumus* Cap. XXV.

β. Miſſio πέμψει, mittet. *Significatur Spiritus S.* proceſſio, *quatenus eſt ab alio. Eſt autem duplex: altera* æterna *ſeu* perſonalis, *quâ procedit à* Patre, *unde* Spiritus Patris *audit* Matth. X. 20. *&* Spiritus Dei 2. Cor. III. 3. *& Spiritus, qui eſt* ex Deo 1. Cor. II. 12. *& à* Filio, *à quo* Spiritus Filii *appellatur* Gal. IV. 4. *&* Spiritus Chriſti Rom. VIII. 9. *quod & ab eo mittatur* Joh. XVI. 7. *altera* temporalis *& œconomica, juxta* officium *ejus œconomicum, per quod Paracletus eſt.*

γ. Modus *mittendi*, ἐν τῷ ὀνόματί μου, in nomine meo. *Hoc eſt, partim* à me, *velut à* ſecundo *principio, à quo procedit, ſicut jamjam diximus, partim* propter me Gal. IV. 4. *Utpote qui merito & interceſſione mea, Spiritum illum meis impetravi. De quo plura in progeſſu.*

3. Beneficium *œconomicum duplex, nim.*

1. Doctrinam, *quæ reſpicit* mentem *ſeu intellectum, ut ei conferat rerum hactenus incognitarum cognitionem.* Ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, ipſe docebit vos omnia. *Hic notatur:*

A. Doctor, ἐκεῖνος, ipſe. *In genere* maſculino, *quod ex ordinaria analogia grammatica, parùm reſpondet nomini* neutrius *generis. Significatur Spiritum S. futurum, non virtutem Dei* accidentalem; *ſed* perſonam, *& talem quidem, cui perſpecta ſint* omnia, *ſeu quæ ſit futura* omniſcia, h. e. *divina.*

B. Docendi, ὑμᾶς, vos, *ſcil. Apoſtolos alioſque* θεοπνεύστους, *ſed non ſolos, verum quoſvis* electos *etiam, per omnes mundi ætates* Jeſ. LIV. 13. Joh. VI. 45. Jer. XXXI. 34. *quamvis diſpari gradu & modo. Illos quidem gradu excellentiore & infallibili; hos verò gradu inferiore, quantum quidem illis ſufficit ad ſalutem.*

C. Doctrina *ſeu docendi actus:* διδάξει, docebit, extus *per verbum, inſpiratum à ſe, per miniſterium*; intus *illuminatione mentis, tum* extraordinariè *& infallibiliter, quod factum in extraordinariis, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis: tum* ordinariè: *in quibuſvis ſervandis. Docebit non tantum* veritatem, *ſed &* bonitatem *doctrinarum: nec tantum* ſuadendo; *ſed*

&

& persuadendo, *ut in veritate ambulent. Interim hoc uno* docere, *comprehenditur συνεκδοχικῶς, omnis actus œconomicus Spiritus S. puta dirigendi, consolandi, reprehendendi, exhortandi, qui requiruntur ad procurandam vitam æternam.*

D. Docendum, πάντα, omnia. *Scil. quæ sunt ad salutem* necessaria, *nec necessaria tantum ad* esse *Christianismi; sed & ad* bene esse.

2. Rememorationem, *quæ respicit* memoriam, *ut quæ exciderint, recurrant, suamque efficaciam exserant. Hic notatur:*

α. Rememoratio, *seu rememorandi* actus, ὑπομνήσει, in memoriam revocabit. *Vulg. Eras. aliisque est* suggeret. *Non male quidem, inquit Beza; sed periculosa ambiguitate: nam ea quoque dicuntur suggeri, quæ nondum antea audieris. Hic verò, de auditis intelligendis & in memoriam revocandis agitur. Proinde non* docebit *tantum*, necessaria & utilia *de novo; sed & quæ dudum tenetis, rememorabit.*

β. Rememoranda, πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν, omnia quæ dixi vobis. *Scil. Ut Christus Mosis, ita Spiritus, Christi doctrinam illustravit, nec quicquam, saltem in* essentialibus, *proposuit novum, aut ab ea alienum* Joh. XVI. 13. 14. Matth. XXVIII. 19.

Pars dogmatica.

Sp. S. in œconomiâ cœlesti, tertia est persona.

III. Est igitur in divinis, persona aliqua, cum Patre & Filio subsistens, & ab ipsis, variis distincta, quæ *Spiritus Sanctus* appellatur. Omnia ista, quasi solis radio scripta, prostant in textu exposito, ubi *Spiritu S.* totidem syllabis dicitur: ipsum, *personam* esse, innuit ἐκεῖνος, *ipse*, item ejus missio, & operationes personales, *docebit* & in *memoriam revocabit*; ejus distinctionem, à Patre & Filio, tradunt verba: *quem Pater mittet in nomine meo*; tandem hoc *in divinis* obtinere, totus contextus arguit, quando de Deo & divinis personis Patre & Filio, ac de divino utriusque Emissario loquitur. Confirmant alia loca Psal. XXXIII. 6. Jes. LXI. 1. Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. V. 7.... & exigere videtur, salutis humanæ procurandæ ratio, juxta consilium pacis æternum. Sicut enim in divinis, est *Pater*, qui redemptionis negotium, æterna prædestinatione *delineavit*; sicut est *Filius*, qui eandem *impetravit*; ita etiam est *Spiritus Sanctus*, qui impetratam applicet, & negotium consummet, regeneratione, sanctificatione....

Nomina Spiritus Sancti.

IV. Nomen *Spiritus Sanctus*, usurpatur aliquando (*disjunctè* saltem) de Deo ὑποστατῶς Joh. IV. 24. quod quælibet persona, sit & essentia *immaterialis*; & *sancta*: aliquando peculiariter, ad significandam *deitatem* Filii, contradistinctè ad ejus *humanam* naturam Rom. I. 4. 1. Pet. III. 18. Heb. IX. 14. Marc. II. 8. 1. Tim. III. 16. Quando de *tertiâ* persona usurpatur, vel *personam* denotat; prout fit in textu; vel *beneficia*, tam *ordinaria* Joel. II. 28. quam *extraordinaria* Joh. VII. 39. Act. XIX. 2. 1. Cor. XII. 9. 10. quæ quidem solicitè *distinguntur* à persona Act. II. 38. & X. 45. 1. Cor. XII. 4. 8. 11. sed tamen, etiam personam connotant, ut causam suam, à quo *septem Spiritus* Apoc. I. 4. seu *septi-formis Spiritus* appellatur, secundum Veteres. Persona porro peculiariter, *Spiritus* dicitur, quod per *spirationem* ineffabilem *subsistat*, unde *Spiritus oris* dicitur Psal. XXXIII. 6. 2. Thess. II. 8. cujus signum discipulis Servator præstat Joh. XX. 22. *Sanctus*, quod *ex officio sanctificet* Rom. I. 4. Sunt alia quoque nomina quibus insignitur, quando *Spiritus bonus* Psal. CXLIII. 10. *Spiritus adoptionis* Rom. VIII. 15. *Spiritus gratiæ* Heb. X. 29. item *Spiritus precum* Zach. XII. 10. *Spiritus ingenuitatis* Psal. LI. 12. *Spiritus promissionis* Eph. I. 13. *Spiritus veritatis* Joh. XIV. 17. & XV. 26. *Spiritus gloriæ* 1. Pet. IV. 14. *Spiritus vitæ* Rom. VIII. 2. *Spiritus servitutis* Rom. VIII. 15. *Paracletus*, aliisque magis metaphoricis appellatur.

Spiritus S. quod sit persona.

V. Ipsum *personam* esse, patet ex eo, quod: 1. Personis passim connumeretur Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. V. 7. Quod 2. sub figurâ *substantiæ* se conspiciendum præbuerit Matth. III. 16. Luc. III. 22. Act. II. 3. 4, Quod 3. πνεῦμα *neutrius* generis, construatur cum pronomine, *masculini* generis, ἐκεῖνος *ille* Joh. XIV. 26. Quod 4. dicatur *mitti, venire. Ibidem.* Quod 5. *Omnia personalia*, ipsi per Scripturas competant: A *Subsistantia* Matth. III. 16. B. *Vita* Rom. VIII. 2. C. *Intellectus* 1. Cor. II. 10. D. *Voluntas* 1. Cor. XII. 11. E. *Operationes personales*, regenerare, convertere, sanctificare, docere, consolari, ducere, jubere, mittere ministros. Scripturæ in hanc rem, passim sunt obviæ. Quod F. *dolore* affici, contristari Jes. LXIII. 10. Eph. IV. 30. in ipsum *peccari* dicatur Matth. XII. 32. Ἀγεννησία, Patri quidem communis; sed & à Patris in hoc diversa, quod cum ipsa genuerit Pater: Spiritus S. nequaquam. Distinguitur ergo per eam potissimum à Filio.

Quod sit persona à Patre & Filio distincta.

VI. Esse quoque *distinctam*, à Patre & Filio personam, ex eo patet, quod non tantum ut *tertius* reliquis duobus connumeretur Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. V. 7. 2. Cor. XIII. 13. Et quod 2. *alius* exsertè dicatur Joh. XIV. 16. 17. quamvis non *aliud*, quoad essentiam, ut rectè Vincentius Lirinensis *Adversus hæreses*: *In Trinitate est alius atque alius, non aliud atque aliud: in Salvatore*

aliud

aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. non alia atque alia, ſed una eademque natura. Sed imprimis 3. quod *proprietates perſonales*, & characteriſticæ ipſi tribuantur, reliquis perſonis incommunicabiles, nim. A. Spiratio *paſſiva*, ſeu *proceſſio* per ſpirationem, à quâ *Spiritus* appellatur, & *Spiritus Dei*, *Spiritus oris Jehovæ* ἀνθρωποπαθῶς. Pſal. xxxiii. 6. Job. xxxiii. 4. in cujus ſymbolum, Servator ſuis Spiritum S. communicaturus, eos *afflavit & dixit, accipite Spiritum S.* Joh. xx. 22. Hinc Pater eum dat mittitque *in nomine Filii* Joh. xv. 26. & *per Filium* Tit. iii. 6. per iſtam differt à Patre, qui non *procedit* ab alio. B. Ordo peculiaris in *ſubſiſtendo*, quo à Patre & Filio, quippe ab ipſis procedens, *ſubſiſtit*, eoque ut *tertius* numeratur in œconomia Matth. xxviii. 19. &c. Tandem C. *Ordo* peculiaris in *operando*, per quem à Patre & Filio agit, quatenus ab iis procedens & miſſus operatur, ac proinde non *à ſemetipſo loqui*; *ſed* ab aliis *accipere* dicitur Joh. xvi. 13. 14. 15. Per hoc differt ab utraque perſona præcedente, quatenus Pater à ſe operatur, ſed per duos alios. Filius, *ab* alio & *per* alium: Spiritus S. *ab aliis* duobus; ſed *per ſe*.

Quod ſit perſona divina, probatur: Ex divinis ejus nominibus.

VII. Eſſe etiam perſonam, non *creatam*, ſed *divinam*, Patri ac Filio coæternam, & ὁμοούσιον; conſtat, non modo ex eo, quod perſonis *divinis*, conſtanter conſtruatur, ut *unum* cum ipſis 1. Joh. v. 7. ſed etiam, quod *omnia divina*, ipſi perinde ac Patri ac Filio aſſerantur: ſcil. *primò nomina* divina: appellatur enim *Jehova*, ut patet collatione locorum Jeſ. vi. 9. cum Act. xxviii. 25. 26. Item Exod. xvii. 1. 7. cum Pſal. xcv. 7. 8. & Heb. iii. 7. 9. & iv. 3. 7. 8. Similiter Levit. xvi. 2. cum Heb. ix. 7. 8. Et Jer. xxxi. 31. cum Heb. x. 15. 16. Appellatur θεὸς Act. v. 3. 4. 1. Cor. iii. 16. 17. cum Cap. vi. 19. Appellatur κύριος, *Dominus* 2. Cor. iii. 17. quo Tetragrammatum, lxx. Interp. plerumque referunt.

Ex divinis ejus attributis.

VIII. *Secundò, attributa* divina, quæ cum *eſſentiâ* coincidunt, qualia A. *Æternitas* Heb. ix. 14. B. *Immenſitas* Pſal. cxxxix. 7. C. *Omniſcientia* 1. Cor. ii. 10. 11. ubi *ſcrutari* (h. e. accuratiſſimè noſſe) *profunda Dei* dicitur. Conf. Jer. xvii. 10. 11. D. *Omnipotentia* ac poteſtas independens 1. Cor. xii. 4. 6. 11. Conf. Luc. xi. 20. cum Matth. xii. 28.

Ex divinis ejus operationibus.

IX. *Tertiò, operationes* divinæ, quales: (1) *creatio* Gen. i. 2. Pſal. xxxiii. 6. (2) *Miraculorum* perpetratio, *mortuorum* ſuſcitatio Matth. xii. 28. Rom. viii. 11. donum miraculoſæ *ſanationis*, virtutum, linguarum, prophetiæ 1. Cor. xii. 9. 10. (3) *Unctio* Chriſti Jeſ. lxi. 1. cum Luc. iv. 18. (4) *Regeneratio* ſeu vivificatio ſpiritualis, renovatio, converſio, ſanctificatio, corroboratio Chriſtianorum; Prophetarum & Apoſtolorum infallibilis in omnem veritatem deductio. Quæ cum aliis homogeneis, ſuo loco oſtendentur.

Ex divino cultu ei commonente, adoratur.

X. *Quartò religioſus* cultus, ob quem fideles, *templa* dicuntur *Spiritus*. 1. Cor. iii. 16. 17. & vi. 19. quod ejus *cultui* ſint dicati. Etiam in ejus nomen *baptizamur* Matth. xxviii. 19. adoratur 2. Cor. xiii. 13. Apoc. i. 4. 5. quanquam rarius, eo quod preces noſtras dictet potius ac formet; quam accipiat & terminet: ac potius *invocet*, h. e. invocare nos faciat ac doceat; quam invocetur ipſe. Ipſi religiosè *obtemperatur* Pſal. xcv. 6. cum Heb. iii. 7. 9. in ipſum peculiariter *peccatur*, Matth. xii. 31. 32.

Officium Spiritus S. œconomicum.

XI. Quantum ad *officium* œconomicum, Spiritus S. eſt quaſi *Emiſſarius* Trinitatis, ad *perficienda* quæ fuerint decreta, unde in creatione dicitur *incubuiſſe aquis* (מרחפת ficut gallina ovis Deut. xxxii. 11.) Gen. i. 2. Pſal. xxxiii. 6. & hinc quoque *virtus Dei* appellatur Luc. i. 35. Rom. xv. 13. 19. item *digitus Dei* Luc. xi. 20. cum Matth. xii. 28. qui miracula perficiat. Ibid. Eſt παράκλητος, *advocatus* Trinitatis, *ad cauſam* perficiendam ſalutis humanæ, quam Pater deſignarit, Filius impetrarit. Scil. ſicut Filius cauſam hominis agit potiſſimum *apud Deum* 1. Tit. ii. 5. ſeipſum pro hominibus offerendo Eph. v. 2. ita Spiritus Sanctus, potiſſimum cauſam Dei agit *apud hominem*, hominem adducendo ad fidem in Deum & Mediatorem, eumque ſanctificando & confirmando, ut deſtinata ſibi à Patre, & parta à Filio ſalus, applicetur. Unde κοινωνία ipſi tribuitur 2. Cor. xiii. 13.

Actus officii œconomici Docere.

XII. Id quod Spiritus S. triplici potiſſimum peragit operatione: primò *docendo* Joh. xiv, 26. quod agitur, doctores *emittendo* Act. xiii. 2. emiſſos *exornando*, & inſtruendo donis neceſſaris Act. ii. 4. exornatis *cooperando* Rom. xv. 19. verbum dicendum *inſpirando* 2. Pet. i. 21. cum dicto *concurrendo*, intrinſecâ mentium illuminatione Heb. vi. 4. efficacique ductu Pſal. cxliii. 10. A quibus omnibus, *Spiritus veritatis* appellatur Joh. xiv. 17.

Sanctificare.

XIII. Secundò *ſanctificando*, *à quo Spiritus S.* dicitur. Id quod laxiori ſignificatione concludit (1) *regenerationem* Joh. iii. 5. *renovationemque* Tit. iii. 5. quibus, actus primus vitæ ſpiritualis animæ, confertur, à quo operatio, *vivificatio*, & operans, *Spiritus vitæ* denominatur Rom. viii. 2. (2) *converſionem*, quâ vivificatus ad actum fidei perducitur, unde *Spiritus fidei* dicitur 2. Cor. iv. 13. (3) *ſanctificationem* 1. Cor. vi. 11. per quam fidei *fructus* excluduntur Gal. v. 22. (4) *corroborationem* in veritate & praxi 2. Cor. i. 21. 22. (5) *excitationem* & incitationem, ad bonum quodvis Rom. viii. 14. quâ fervor & impetus ipſis

Con-

conciliatur, à quo *igni* & *vento* vehementi æquiparatur Act. 11. 2. 3.

Consolari.

XIV. Tertio *consolando* (à quo παράκλητος peculiariter dicitur) quod fit. A. *Intercedendo* pro fidelibus, suspiriis ἀλαλήτοις Rom. VIII. 26. quo nim. gratia exauditionis & consolationis, Deo extorqueatur, h. e. *suspiria inenarrabilia* in hunc finem, in eorum cordibus excitando. B. *Obsirmando* fideles, adversus impetum quorumvis adversorum Rom. VIII. 26. C. Eos *certiorando* in omnibus adversis, de immoto Dei versus ipsos *favore*, à quo *testis* dicitur 1. Joh. v. 7. & συμμαρτυρεῖν Spiritui nostro Rom. VIII. 15. 16. nos *obsignare* & *ungere* tanquam *Arrabo* 2. Cor. 1. 22. 23. Eph. IV. 30. *effundere charitatem Dei*, in corda nostra Rom. v. 5. istisque omnibus efficere, ut possimus *gloriari in oppressionibus*. Ibid. vers. 3. sitque in nostris cordibus, *pax & gaudium per Spiritum Sanctum* Rom. XIV. 17.

Attributa Spiritus S. œconomica.

XV. Ab omnibus istis, operationibus & beneficiis *œconomicis*, ipsi peculiariter competit (1) *Sanctitas*, à qua nomen obtinet (2) *bonitas* Psal. CXLIII. 10. (3) *gratia* Heb. X. 29. Zach. XII. 10. (4) *potentia*, quippe *virtus Dei*, cuncta perficiens Luc. 1. 35. (5) *gloria* 1. Pet. IV. 14. quippe qui fideles, ad immensam & æternam *gloriam* perducit.

Periodus œconomica Spiritus Sancti.

XVI. Sunt etiam *officia* œconomica, quæ Spiritui S. non quidem exclusis reliquis personis, attamen singulari ratione competunt, scil. ex peculiari operatione ejus; item ex beneficiis œconomicis emergentia. Sunt insuper *peccata* œconomica, adversus Spiritum S. militantia, quæ in practicis nostris enarrabimus ξὺν θεῷ. *Officium* suum *œconomicum* Spiritus Sanctus gessit, equidem ab ipsis mundi *incunabulis* Gen. 1. 2. atque sub Mose in deserto, *ducens* Ecclesiam Dei Jes. LXIII. 10. Act. VII. 51. 52. sed potissimùm *promissus* temporibus N. Testamenti Joël. II. 28. Jes. XLIV. 3. tandem spartam suam *suscepit*, à discessu Filii Dei in cœlum Act. II. 1--6. 17. juxta prævias repetitasque sæpius, à Filio promissiones Joh. XIV. 16. 17. 26. & XV. 26. & XVI. 7. eamque spartam adornabit usque ad finem seculi, *mansurus apud* suos & *in ipsis*, ne *relinquantur* à discessu Servatoris sui, *orphani*, quod nim. *Filius regnum Patri tradet*, ut *Deus sit omnia in omnibus* 1. Cor. XV. 24. 28. imo & in *æternum* usque Joh. XIV. 15.

Pars Elenchtica.

Quæritur: 1. An Spiritus Sanctus sit persona?

XVII. 1. Quæritur 1. An Spiritus S. sit persona? Olim *Pneumatomachi*, Macedoniani, & nostro tempore Joh. Bidellus Anglus, personam quidem agnoscebant; sed *creatam* tantum, videlicet Principem Angelorum, adversus quos disputabimus quæstione subsequente. Sociniani reliqui statuunt, *nullo modo Spiritum S. dici posse personam, nisi omnia quæ Deo insunt, personas à Deo distinctas esse dicere velimus.* Ut loquitur Smalcius in *Refut. Thes. Graveri de Spirit.* S. Peculiariter statuunt ipsum esse *medium* quid, inter Creatorem & creaturam, esse *virtutem* Dei *accidentalem*, esse *flatum* divinum, esse *Euangelium*, esse pios *motus* in homine: discrepant enim Cadmæi fratres; nec inveniunt, à veritate devii, ubi pedem figant. Vid. Cl. Hoornbeekius Socin. confut. Tom. 1. pag. 417. Reformati ex adverso statuunt ipsum veram esse personam: A. cum *Scripturâ* ut supra §. 4. demonstravimus: B. cum rectâ *ratione*. Cum enim: 1. Deus ὁμολογημένως, sit ens absolutè *perfectissimum*; quî, citra contradictionem in ipso admitti potest *imperfectio* dependentiæ, accidenti essentialis, cujus esse est *inesse*, ac dependere à subjecto: quod insuper, suâ *natura* imperfectius est substantia? Cum 2. *Medium* aliquod fingere, inter Deum & creaturam, sit medium aliquod fingere, inter dependens & non dependens; finitum & non finitum: omnipotens & non-omnipotens, verbo dicam, medium inter contradictoria. Cum 3. hac ratione in Deo sit, quod partim *Deus* sit, partim *non* Deus. Quod C. Pugnent *secum* invicem: si enim sit *virtus* Dei accidentalis, adeoque in Deo; quomodo *flatus*, qui est extra Deum? quomodo Euangelium? Argumentum universale, quo invictè demonstravimus §. v. Spiritum S. *personam* esse, quod nim. omnia *personalia* ipsi à Scripturâ tribuantur, non repetemus. Tantum objecta breviter diluemus. Causantur 1. Quod omnia ista *personalia*, Spiritui S. competant per meram *peosopopœiam* v. g. Scripturam *prævidere*, legem *loqui*, peccatum *seducere* &c. Resp. In prosopopœia, *unum* quidem, & forte *alterum* attributum *personale*, adscribitur ei, quod persona non est: ast, ubi *omnia* personalia, ei quod persona non est, asserantur, non patet, vel uno exemplo, imo manifestam dicit contradictionem, statuere id quod omnia personalia habet; non esse personam proprie dictam. Quod 2. tribuantur ipsi talia, quæ personæ non competunt: v. g. *dari* & *effundi* in homines: eo *baptizari*: eo *ungi*: *repleri*: *dari ad mensuram*. Resp. α. Personæ nihil officit, quod ei figuratè nonnulla tribuantur, v. g. quod Deus dicatur *charitas* 1. Joh. IV. 8. Christus, *via*, *veritas*, & *vita* Joh. XIV. 6. item *resurrectio*, *propitiatio* 1. Joh. II. 2. *factus pro nobis peccatum* 2. Cor. v. 21. Proinde β. Omnia ista de Spiritu S. quidem prædicantur; sed non nisi ratione *charismatum*, quo sensu frequenter *Spiritus*, & *Spiritus S.* voces in Scripturis occurrunt, v. g. 2. Reg. II. 9. Num. XI. 17. Joel. II. 28. Joh. VII. 39.... Quod 3. Spiritus S. reliquis personis, Patri & Filio, frequenter non connumeretur, v. g. Joh. XVII. 3. 1. Cor. VIII. 6. 1. Tim. v. 21. Luc. IX. 26. Joh. VIII. 16. Resp. Hoc non obest ejus personalitati: etenim, facta mentione Patris & Spiritus

Objectiones adversus personalitatem Spiritus S.

S. nulla fit mentio *Filii* 1. Cor. III. 16. Sic Spiritus S. cum Filio conjungitur, nulla facta mentione *Patris* Joh. I. 33. Rom. IX. 1. Sufficit quod, & non raro, cum personis reliquis conjungatur Matth. XXVIII. 19. 2. Cor. XIII. 13. 1. Joh. V. 7. quamvis certis rationibus, Deo notis, hoc non fiat semper. Quod 4. Et vento tribuatur *velle* Joh. III. 8. Resp. Sed absque intellectu, absque reliquis omnibus proprietatibus personalibus, quæ Spiritui S. tribuuntur. Quod 5. & *accidentibus operationes tribuantur* v. g. *charitati* 1. Cor. XIII. 4. 5. 6. 7. *& peccato* Rom. VII. 11. Resp. (1) nec charitati, nec peccato omnia *personalia* tribuuntur. (2) Et operationes quæ charitati & peccato tribuuntur, non sunt *personales*, quales Spiritui S. asseruntur. Quod 6. *Virtus Dei appelletur*, *per quam* Deus *operatur* Luc. I. 35. Resp. Virtus Dei est non *accidentalis*, quæ non potest in perfectissimo obtinere; nec *instrumentalis*, quod ejus operâ mundum *creaverit* Psal. XXXIII. 6. in quo non potest obtinere *instrumentum*; sed *personalis* aut œconomica, quod Pater *per* Filium & Spiritum S. opera ad extra consummet, ut supra docuimus. Quod 7. *Flatus dicatur* Joh. XX. 22. & *vento comparetur ac igni* Act. II. 2. 3. Resp. Comparatur, indigitandæ tum *processioni* ejus personali, ut supra vidimus: tum operationi *œconomicæ*, prout alibi dicitur fuisse *in vento* 1. Reg. XIX. 11. 12. 13.

2. An Spiritus S. sit persona divina ab æterno Patri ὁμοούσιος?

XVIII. Quæritur 2. An Spiritus S. sit persona divina, *ab æterno*, Patri ὁμοούσιος? Olim Tritheitæ & Peratæ, cum quibus, ex asse colludit Valentinus Gentilis, ipsum *Deum* quidem agnoscebant, atque etiam ab æterno; sed tamen Patri ὁμοούσιον negabant, & à Patre *essentiatum* prædicabant. Judæi de Spiritu S. diversa loquuntur: jam enim ipsum esse *virtutem* Dei: jam magnifica Dei *dona*: jam motus *horoïcos*: nonnunquam divinæ majestatis *præsentiam* in templo, quam שכינה, appellant: aliquando infimum *prophetiæ* gradum, cujus ope, Hagiographa Scripturæ fuerint exarata. Macedonius à quo Macedoniani A. C. 360. putant eum *Principem* creatorum Angelorum, ministratorem esse Dei, & Christi diaconum. Istam sententiam, nuper ab orco revocavit Johannes Bidellus Anglus, quem solidissime retudit Cl. Cloppenburgius, peculiari tractatu. Hoc suum ἔνδημα Bidellus his potissimum hypothesibus conatur superstruere. 1. Præsupponit, Scripturis synonyma esse; *Spiritum S.* & *Angelum bonum*: prout sunt *impurus Spiritus*, & *Angelus malus*, seu de gregalibus sermo sit, seu de Archangelo: sed absque Scripturâ, cui nunquam Spiritus S. appellatur *Angelus bonus*, nec Angeli boni *Spiritus Sancti*. 2. Quod Psal. LI. 14. רוח נדיבה πνεῦμα ἡγεμονικὸν (secundum LXX. Interpretes) sit *Angelus principalis*, seu *Princeps*, & Caput Angelorum *creatorum*. Ast רוח נדיבה varie refertur ab interpretibus: vel de Spiritu Davidis, liberale, qui Principem deceat; vel de Spiritu S. qui *liberalem* faciat & Spiritu Principe digno exornet: verùm de Spiritu Principe inter Angelos creatos usurpari, adhuc probandum Bidello. 3. Quod Servator ipsum deprimat infra Deum, appellando ipsum παράκλητον, eoque *ministerium* advocati ipsi tribuendo. Sed quod eo ipso *deprimatur*, nec probavit, nec probare conatur Bidellus. Significatur enim *officium* ejus œconomicum, quod sponte susceptit in consilio Pacis, à quo forte רוח נדיבה appellatur Psal. LI. 14. 4. Quod *essentiâ* distinguatur à Deo, tanquam *Spiritus Dei*. Nec hoc probavit aut probabit unquam Bidellus: vox enim *Dei*, hîc usurpatur ὑποστατικῶς, ut significet personam *Patris*, etiam Filii, prout frequenter fit in Scriptura. Hæc igitur quatuor dum è Scripturis probaverit, nihil habebit; probabit autem nunquam. Nos autem, uno hoc invicto argumento, dudum probavimus, eum personam esse *divinam*, quod omnia *divina* ipsi tribuantur. Nec proinde restat, nisi ut præcipuas expediamus Pneumatomachi objectiones: 1. *Causatur ipsum differre à Deo ut ejus Spiritum.* Resp. Utique, sed non ut essentia ab essentia; verùm ut persona à personâ 2. *Illum qui dedit Spiritum S. esse Jehovam solum* Neh. IX. 6. 20. Resp. Sensus verborum est: Tu Jehova triunus, Pater, Fili & Spiritus Sancte, es Jehova solus ille, eadem mente, & συντάξει fere etiam, quæ occurrit Deut. VI. 6. אלהינו יהוה אחד יהוה, *tu fecisti cœlum..... & Spiritum tuum bonum dedisti....* quemadmodum etiam, mundo *dedisti filium tuum* Joh. III. 16. Proinde tota Trinitas, & singulæ ejus personæ sunt Jehova ille solus, ὁ μόνος ἀληθινὸς θεὸς, *& quem misisti, Jesus Christus* Joh. XVII. 3. 3. *Illum qui non loquitur à seipso* Joh. XVI. 13. *non esse Deum.* Resp. A *seipso* Spiritus S. non loquitur, quatenus à seipso *non subsistit*; sed à Patre & Filio: non autem, quod ejus *essentia* non fit à se, ac proin non loquatur *à se*, ut in *dogmaticis* ostendimus. 4. *Illum audire ab alio* Joh. XVI. 13. *adeoque doceri ab alio.* Resp. *Audire* ab alio, & *doceri* ab alio, non sunt universaliter synonyma, licet pro re natâ aliquando coincidant, ut fit Joh. VIII. 26. 27. 28. Adeoque *audire* à Patre, in Spiritu S. θεοπρεπῶς est capiendum, quatenus denotat *loqui ab alio*, scil. pro suo subsistendi & operandi ordine. 5. *Illum accipere ab alio* Joh. XVI. 14. *adeoque dependere ab alio.* Resp. Et hîc perperam præsupponitur, esse synonyma *accipere* ab alio, & *dependere* ab alio. *Accipit* itaque ab alio, ficut *subsistit* & operatur ab alio: scil. non per *dependentiam*; sed per sibi peculiarem *subsistendi rationem*, quam supra docuimus. Eodem vitio laborat quod 6. causatur, *illum mitti*, *adeoque ministrare.* Resp. Quamvis *aliquando* accidat, ut qui mit-

Responsio objectionibus.

mittitur, *miniſtret*; non tamen *univerſaliter* verum eſt; nec verum eſſe poteſt, de eo cui *omnia divina* competunt. 7. *Illum eſſe donum Dei, adeoque non datorem omnium* Reſp. Poteſt quis, *ſeipſum* alicui dare, prout Deus, per fœdus gratiæ *ſeipſum* ſuis dat, quando vult eſſe eorum Deus Heb. VIII. 10. 1. Tim. II. 6. Tit. II. 14. Et 8. *Illum locum mutare* Luc. III. 21. 22. Reſp. Negatur mutare, niſi *ſymbolice*, prout Deus Gen. XVIII. 19. 20. *Illum* 9. *Chriſtum precari, ut veniat ad judicium* Apoc. XXII. 17. Reſp. Precatur *efficienter* (ut loquuntur) in fidelibus, non *formaliter* in ſe. Quamvis etiam dici poſſit, *Spiritum & ſponſam* per *hendyadim*, denotare ſponſam ſpiritualem. 10. *Baptizatos ignoraſſe, quod ſit Spiritus* Act. XIX 2. Reſp. α. Ignoraverint *illi*, an propterea *non fuit?* β. Ignorarunt Spiritus *dona extraordinaria*; non ejus exiſtentiam. 11. *Illum habere intellectum, à Dei intellectu diſtinctum, quod ab eo* audiat & doceatur. Reſp. Eſt crambe recocta argumenti III. & IV. Denique 12. *Illum habere voluntatem à voluntate Dei diſtinctam, quia* pro ſanctis intercedere dicitur, *ſecundum voluntatem Dei* Rom. VIII. 26. 27. Reſp. Præter ea, quæ diximus ad objectionem IX. dicimus etiam κατὰ θεὸν, hîc non eſſe ſecundum *voluntatem Dei*, à ſuâ diverſam; ſed, ex verſ. 26. idem quod καθοδεῖ, ſcil. quod Spiritus S. fidelibus auctor ſit, ut precentur *ſicut decet*, &, ſi vis etiam, ſecundum *voluntatem Dei*, ſed eandem cum ſua. Ex profeſſo & accuratè, hoc argumentum tractavit Cl. Cloppenburgius, in ſuis *Vindiciis, pro deitate Spiritus S. adverſus Bidellum.*

3. An adoratio Spiritus S. fundamentum habeat in Scriptura.

XIX. Quæritur 3. An adoratio Spiritus S. fundamentum habeat in Scriptura? Sociniani quia æternam *deitatem* Spiritus S. negant; etiam *adorationem* ejus, *fundamentum* habere in Scriptura, negare coguntur: ſcil. ne ex adoratione inferamus ejus deitatem. Remonſtrantes Apologiſtæ, amore Socinianorum, quamvis cætera videri velint, agnoſcere æternam Sp. S. *deitatem*; attamen ejus adorationem, fundamentum habere in Scriptura, negant. Reformati, quamvis agnoſcant, Scripturas parcius loqui de adoratione Spiritus S. eo quod ipſe, ex officio, potius ſit *cauſa* adorationis in nobis, quam *terminus* Rom. VIII. 15. 26. Gal. IV. 6. affirmant tamen ejus adorationem *fundamentum* habere in Scriptura. Eo quod: 1. Per Scripturas, Spiritus S. Patri ac Filio ὁμοούσιος *Deus* ſit, prout in *dogmaticis* demonſtravimus, ipſique Antagoniſtæ fatentur: atque etiam per eas, *Deus adorari* jubeatur Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. dum nimis ſit abſurdum, adorationem ejus, qui *verus Deus* eſt, in Scripturis, nec mandatum, nec exemplum habere. Quod 2. *Exempla* etiam, ſatis clara, hujus adorationis occurrant in noſtro *Baptiſmo* Matth. XXVIII. 19. & in Pauli voto 2. Cor. XIII. 13. Apoc. I. 4. Quod 3. Atheiſmum ſpiret eum non adorare, qui vere *Deus* eſt. Nec valet in contrarium: α. Quod 1. Joh. I. 3. *Communionem* dicamur *habere, cum Patre & Filio*, non autem cum Spiritu S. Reſp. Hoc ideo fit, quia Sp. S. potius vinculum eſt, & intima *cauſa*, quam ejus *terminus*. Neque hoc etiam derogat quicquam ejus adorationi. β. Quod fideles dicantur *eſſe*, & *manere in Patre & Filio* 1. Joh. IV. 13. cum Cap. II. 6. &c. non autem in Spiritu S. Reſp. 1. Hoc nihil facit ad adorationem. 2. Hoc fit, quia ipſe & ejus *unctio*, potius *eſt* & *manet* in nobis; quam nos *in ipſo* 1. Joh. II. 20. 27. Quod γ. Rarius de Spiritu S. loquatur Scriptura, quam de reliquis. Reſp. Fit hoc, tum quia ipſe continuò loquitur in Scriptura; tum quod ipſe, internis operationibus, ſe fidelium mentibus inſinuet. Conf. Hoornb. *Socin. Conſut.* Tom. I. Pag. 447. Et Altingii *Elench. Nov.* loc. III. Contr. 2.

4. An Spiritus S. à Patre & Filio procedat?

XX. Quæritur 4. An Spiritus S. procedat à ſolo Patre, an vero à Patre & Filio? Weigelius cum ſuis fanaticis, ſtatuit Spiritum S. ſub Veteri quidem Teſtamento, proceſſiſſe à ſolo Patre; ſub Novo autem, à Patre & Filio, forte quod exiſtentiam Filii ſub V. T. non ſatis ingenue agnoverit. Græci olim A. C. 381. cum in recitatione Symboli Conſtantinopolitani, obſervarent hæc tantum verba: τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, & à Latinis additum: ex Patre *Filioque*, eoque, non modo publicos Eccleſiæ canones, privata Latinorum auctoritate immutari; ſed & in fidei arbitram, ſupra reliquas ſe efferre, quin imò, Scripturam ipſam, ex qua Symboli verba deſumta erant, videlicet Joh. XV. 26. emendare velle: inde occaſionem captarunt, prorſus negandi Spiritum S. à Filio, velut ab origine ὑποστάσεως ſuæ, procedere. Nec ſublatum ſchiſma, ſtatuto Concilii Florentini A. C. 1438. quod Spiritus S. à Patre & Filio æternaliter, tanquam ab uno principio, atque unica ſpiratione, procederet; ſed auctum potius ex eo, quod Latini dogma, quod uſque ad Concilium nondum *neceſſarium* erat, jam pro articulo fidei *neceſſario* urgerent. Peccatum hîc utrinque: à Latinis, quod ſymbolo Conſtantinopolitano, aliquid addiderint, eoque Papæ auctoritatem Græcis, ex obliquo obtenderent; à Græcis autem, quod dogma Scripturis conſentaneum, & à vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus agnitum, ſola nominis Latini invidia, temere recuſarint. Non deſunt tamen, qui exiſtiment, & Veteres, & imprimis recentiores Græcos, ſibi nihil aliud velle, quam Spiritum S. à Patre ſolo, PER Filium, procedere. Et ſic, ſententia eorum tolerabilior foret: cum Pater omnia *per* Filium operetur, & ſic controverſia fere in λογομαχίαν abiret. Reformati interim, cum Latinis exiſtimant, Spiritum S. à Patre & à Filio procedere. His fere rationibus:

Divortium ſententiarum.

Sententia Reformatorum,

cum suis rationibus.

1. Quia dicitur, non tantum *Spiritus* אלהים, h. e. personarum divinarum; sed etiam peculiariter *Spiritus Patris* Matth. x. 20. Spiritus *Filii* Gal. IV. 6. Rom. VIII. 9. Phil. I. 19. Proinde, sicut est Spiritus *Patris*, à *processione* I. Cor. II. 11. ita est Spiritus Filii ab eadem. Quia 2. dicitur *Spiritus oris Domini* Jesu 2. Thess. II. 8. Perinde ut Psal. XXXIII. 6. dicitur *Spiritus oris* Patris. Quia 3. *Fluvius ille aquæ vitæ, splendidus sicut Crystallum* (quo non aliud intelligitur commodius quam Spiritus S. Jes. XLIV. 3. Joh. VII. 38. Ezech. XXXVI. 25. 26.) dicitur ἐκπορευόμενος ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου, *procedere ex throno Dei & agni.* Quia 4. *Mitti* dicitur, à Filio perinde ac à Patre Luc. XXIV. 49. Joh. XV. 26. & XVI. 17. quin & in *nomine Filii* Joh. XIV. 26. sicut vicissim, Filius illum mittit à Patre Joh. XV. 26. ut ab utroque, simili ratione procedere intelligatur. Quia 5. Christus Joh. XVI. 14. de Spiritu S. ait: *de meo accipiet*, prout de se, *omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Neque enim in *tempore* accepit quæ annunciaret, proinde ab *æterno*, & quomodo ab æterno, nisi per processionem? Quia 6. si negetur ejus processio à Filio, non parum turbabitur ordo subsistendi & operandi in Trinitate: si nim. Spiritus S. perinde immediate procedat à Patre, ac Filius; vix erit, præter generationem & spirationem, per quod processio Filii & Spiritus S. satis commode à se invicem discriminentur. Argumenta præcipua, quibus in suam sententiam eniituntur Græci, sunt α. Locus Joh. XV. 26. *cum venerit ille Paracletus, quem ego vobis mittam à Patre, Spiritus ille veritatis,* ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, *qui à Patre procedit...* Resp. 1. Quod locus ille, ex defectu exclusivæ, non ulterius pertingat, quam Spiritum S. à Patre procedere, quod non controvertitur. 2. Si non aliud intendant, quam ipsum procedere à solo Patre, sed *per* Filium; non suppetit mihi, quod multum opponam. Interim 3. locus loqui videtur, non tam de *hypostaticâ* ejus processione, quam de *œconomica*, quæ fit in tempore. β. Quod Scriptura nihil habeat de processione Spiritus S. à Filio. Sed huic opponimus omnia illa argumenta, quæ dudum, pro sententia Latinorum, adduximus. Si γ. causentur, quod ex sententia Latinorum, ordo personarum in Trinitate, non parum turbetur, & rectius fortè dicatur, quod Spiritus S. à Patre, *per* Filium, quemadmodum particulæ, ἐκ, διὰ & εἰς Rom. XI. 36. usurpari videantur, prout Basilius, Theophylactus, Damascenus, aliique teste Bessarione in Concilio Florentino. Resp. 1. me non magnopere obniti. Quanquam 2. locus Rom. XI. 36. non videatur occupari circa processionem Spiritus S. & multo minus loqui de *hypostatica* ejus processione: sed tantum de productione creaturarum à Deo, earumque conservatione per providentiam, & directione earundem in sui glorificationem. Sed 3. Nihilominus satis accurate obtinebit *ordo subsistendi*, si statuatur Spiritum S. procedere à Patre & a Filio, quando dicitur Pater simpliciter non procedere à quoquam, Filium *à Patre* per *generationem* æternam, Spiritum S. per unam processionem seu spirationem activam, ab utroque.

Objectiones.

XXI. Quæritur 5. An, Spiritus S. jam post obsignatum Scripturæ Canonem, fideles eodem modo & gradu doceat & ducat, quo olim Patriarchas, Prophetas, Apostolos aliosque θεοπνεύστους docuit ac duxit: Pseudo-Enthusiastæ, Wegelius, Franck, Suenkfeldius, David-Joris, & ejusdem farinæ alii Fanatici, volunt (si modo ingenue agnoscant personalitatem, & officium ejus διδασκαλικὸν, & non potius, per Spiritum suum intelligant propriam rationem ejusque dictamen) etiamnum, post obsignatum Canonem, homines docere ac ducere, sicut olim Patriarchas, Prophetas & Apostolos, per ἐνθουσιασμοὺς θεοπνευγίας, eis nova axiomata inspirando, diversa à Scripturis. Verùm, cum istam controversiam, in utramque partem dudum ventilaverimus lib. 1. cap. 2. §. XXXII. sufficiet impræsens ad plenitudinem partis hujus elenchticæ, eo digitum intendisse, & Lectorem eo relegasse.

5. An Spiritus S. jam post obsignatum Scripturæ Canonem, eodem modo & gradu doceat, ac olim Patriarchas, Prophetas & Apostolos?

Pars practica.

Praxis suadet:

XXII. Est igitur hîc (quantum ad *praxin*) ob quod, *primò* omni conatu enitamur, in κοινωνίαν Spiritus S. 2. Cor. XIII. 13. quâ Spiritus S. fiamus participes, eum *accipiamus* Act. XIX. 2. Ad quod requiritur *ex parte Dei*: (1) ut ille nobis gratis *donetur*, à quo *donum* Dei dicitur Neh. IX. 20. Joh. XIV. 16. & XX. 22. Act. II. 38. Rom. V. 5. Ut (2) ad nos *mittatur*, à *Patre in nomine Filii*, h. e. quasi auctoritate, imo nomine totius SS. Trinitatis, ad nos *veniat* Joh. XV. 26. Ut (3) in nos *effundatur* Joël. II. 28. velut *flumen* mundans Jes. XLIV. 3. Tit. III. 6. Requiritur ex *parte nostri*, ut Spiritum accipiamus: A. *Fides* Gal. III. 2. 14. Joh. VII. 39. ea scil. quâ apprehendimus eum, ut *Spiritum promissionis* Eph. I. 13. qualia promissa fide consequimur Gal. III. 14. B. *Preces* Luc. XI. 13. à quo etiam Spiritus *precum* appellatur Zach. XII. 10. C. *Exspectatio* Act. I. 4. D. *Auditio* verbi Act. X. 44. 2. Cor. III. 8. aliaque id genus media. Act. II. 1. E. *Resipiscentia* à peccatis Act. II. 38. F. *Cultus* religiosus, quo nos *templa* præstemus S. S. in quibus *habitare* aveat 1. Cor. VI. 19. G. *Obsequium*, quo ad motus ejus solicitè nos componimus Rom. VIII. 14. Conatum istum consequendi Spiritum S. eriget: 1. *Præstantia* personæ, quâ *Deus* est Patri & Filio ὁμοούσιος, æqualis potentiæ, sapientiæ, bonitatis, per quæ, omnia ista

1. Enitamur ad consequendum Sp. S.

nobis

nobis possumus ab eo polliceri, quæ à Patre & Filio. 2. *Officii* œconomici *scopus*, scil. consummare negotium salutis humanæ. H. e. *gratiam* Domini nostri Jesu Christi, *charitatem* Patris, & quicquid illæ possunt, nobis communicare 2. Cor. XIII. 13. 3. *Operationum* & *beneficiorum* œconomicorum, regenerationis, directionis, institutionis, consolationis, copia & *precium*. 4. Absoluta ejus *necessitas*, utpote absque quo, ne *Christum* quidem *Dominum* possumus salutare 1. Cor. XII. 3. neque ulla nobis cum Christo *communio* esse potest Rom. VIII. 9.

2. Ad conservandum Spirit. S.

XXII. Est *secundo*, ob quod Spiritum S. impetratum, studiosè *conservemus*, foveamus, quo in nobis non tam *diversetur*, ut hospes ad tempus tantum, quam quidem *habitet* in nobis Rom. VIII. 11. tanquam in *templo* suo 1. Cor. VI. 19. imo apud nos *maneat in æternum* Joh. XIV. 16. potest enim amitti Spiritus Sanctus, & quidem *totaliter* ac *finaliter*, quantum ad charismata *communia*, ut patet in Saule 1. Sam. XVI. 14. Heb. VI. 4. 5. 6. potest eatenus *exstingui* 1. Thess. V. 19. potest amitti, (quantum ad dona salvifica) *sensus* præsentis Spiritus S. Psal. CXIX. 8. quod fit in *desertionibus* spiritualibus Psal. XIII. 1. potest amitti quantum ad charismata *jucunda*, quoad πληροφορίαν, gaudium, pacem, consolationem Psal. LI. 13. cum 14. & XXX. 8. & LXXVII. 8. 9. 10. & LXXXVIII. 15. potest quantum ad *fructus* salvificos, fidem, spem, charitatem, adeo *diminui*, ut quæras: *ubi est fides vestra?* Luc. VIII. 25. Apoc. II. 4. 5. Jes. VI. 13. Cum igitur tot ac tantis modis, Spiritus S. possit amitti (licet *simpliciter* ac *finaliter* non possit amitti) est profecto, ob quod studiosè operam demus, conservando Spiritui S. ejusque fructibus quibuscunque, exemplo Davidis Ps. LI. 13. Quod non tantum ipse *Spiritus*; sed etiam ejus charismata: nec tantum charismata *salvifica*; sed etiam *communia*: nec fructus tantum *honestos*; sed etiam *jucundos*: nec horum omnium *præsentiam* tantum; sed etiam *sensum* & evidentiam, conservare ac fovere sit operæ pretium. Sunt autem Spiritus S. conservandi media

Quatenus possit amitti.

Media conservandi Spiritum.

(1) *Cura* circa *motus* Spiritus Sancti, in cordibus nostris, ut eos non tantum diligenter *observemus*, sicut sponsa Cant. II. 8. & Johannes Apoc. I. 10. qui *vocem* sibi loquentem *observant*, seque ei *advertunt*: sed ei etiam confestim *obsecundemus*, Spiritum *disceptantem* nobiscum audiamus Gen. VI. 3. pulsantem intromittamus Apoc. III. 20. Cant. V. 3. 5. 6. 7. (2) *Usus charismatum* Spiritus S. quo Spiritus in nobis quasi *vivit* Gal. V. 25. dona Spiritus ἀναζωπυρῶμεν 2. Tim. I. 6. otiosa enim paulatim evanescunt. (3) Usus *mediorum* quibus S. acquiri, excitari, augeri possit, qualia (a) *auditus* verbi Act. X. 44. 1. Pet. I. 12. Gal. III. 2. (b) ejusdem *meditatio* Rom. VIII. 6. (c) *preces* Luc. XI. 13. (d) *conversatio* cum piis Eph. IV. 29. 30. (4) *cavere* sibi ab omnibus illis, quibus Spiritus S. *exstingui* aut pelli possit, qualia sunt (a) peccata quævis, contra scientiam & *conscientiam* commissa, turpiora & graviora comprimis, v. g. *adulterium & homicidium* Davidis Psal. LI. 1. 13. 14. *ebrietas* Eph. V. 18. immoderatus *mundi amor* 1. Joh. II. 15. *torpor* in spiritualibus Rom. XII. 11. *tepor* & satietas, quâ acquiescimus in his, quæ dudum consecuti sumus, nec proficere conamur Apoc. III. 15 16. 17. (b) Illa nominatim peccata, quibus *peculiariter*, & quasi *ex professo*, Spiritui S. obnitimur, qualia *exstinguere* Spiritum 1. Thess. V. 19. *contristare* eundem Eph. IV. 30. *resistere* eidem Act. VII. 51. *exacerbare* ipsum Jes. LXIII. 10. *blasphemare* eundem Heb. X. 29. de quibus infra ex professo.

3. Ductum Spirit. S. sequendum.

XXIII. Est *tertio*, ob quod motibus ac *ductibus* Sp. S. nos *advertamus* & obsequamur Rom. VIII. 14. secundum *Spiritum vivamus* Rom. VIII. 1. *in Spiritu ambulemus* Gal. V. 25. Intelligimus autem per *ductum* Spiritus S. omnes illas *operationes*, quibus circa animam nostram distinetur ille Spiritus, quos dudum ad tres species revocavimus: (1) *doctrinam* & institutionem, *docebit vos omnia*. Cui obsequimur, intus & extus docentem religiosè *audiendo*, veritatem in injustitia non *detinendo* Rom. I. 18. (2) *Sanctificationem*, qua nos A. *Regenerare* & renovare, vivificare nititur, ut Spiritus *vita* Rom. VIII. 2. cui nos, utpote in peccatis mortui, non possumus *cooperari* Eph. II. 1. B. *Convertere*, seu vivificatos ad fidem in Christum *perducere*, nos de peccato, de miseria, de æternæ nostræ condemnationis reatu, ac naturali in bono ἀδυναμίᾳ, *convincendo* Joh. XVI. 8. 9. 10. à quibus *Spiritus servitutis ad metum* dicitur Rom. VIII. 15. 2. Tim. I. 7. C. Conversos efficaciter *retrahere* à vitiis, & instigare ad *virtutem*, à quo ἐξόχως Spiritus *Sanctus*, & *sanctificationis* indigitatur Rom. I. 4. D. Sanctificatos *roborare* in studio boni 2. Cor. I. 21. E *Obsignare* & certiorare, *in diem redemptionis* Eph. IV. 30. F. *Consolari* in obviis quibusvis adversis, à quo παράκλητος peculiariter nominatur Joh. XIV. 26. Jam in omnibus istis, nostrum est (1) studiosè *observare* istos motus, si quando *bonæ cogitationes*, qualescunque, in corde nostro oboriantur; statim *audire*, agnoscere esse vocem, esse *pulsus* Spiritus S. esse Spiritum S. quemadmodum Samuel, *loquere Domine, servus tuus audit* 1. Sam. III. 10. Et sponsa; *est vox dilecti mei, ecce eum, venit* Cant. II. 8. (2) Motuum istorum *scopum* solicitè *exquirere*, quænam sit *mens Spiritus* Rom. VIII. 27. Quorsum nim. *vergant* isti motus, num v. g. ad peccati agnitionem, sensum, detestationem? num ad piam de nobis ipsis desperationem, conversionem? num ad fidem? ad sanctificationem? ad consolationem? Ut cum Saule quæramus *quid vis Domine?* Act. IX. 6. (3) Agnitis Spiritus S. motibus, prompte *obsecundare*,

nos iis quasi *obvertere* sicut Johannes Apoc. I. 12. eis *cooperari*, *tracti currere* Cant. I. 4. *pulsanti* aperire Apoc. III. 20. ut sponsa: *surgam*, *aperiam*: *surrexit*, *aperuit* Cant. V. 3. 5. 6. ducentem facile, *sequi*, ut Petrus Act. XII. 8. 9. (4) Saltem maximè *cavere*, agnitos Spiritus S. motus, unquam *negligamus*, susque deque habeamus, quod est *Spiritum exstinguere* 1. Thess. V. 19. multo minus eis *obniti*, seu ratiociniis *carnis* Gal. I. 16. 2 Cor. X. 5. mundi *illecebris*, sicut Saul, motus spiritus malî, psalmodiâ Davidis 1. Sam. XVI. 14. 15. 16.

4. Spiritum explorandum. Signa Spiritus Sancti.

XXIV. Est *quartò*, quod *Spiritum exploremus*, *num ex Deo sit?* 1. Joh. IV. 1. 1. Thess. V. 21. Exploremus: A. num Spiritum Sanctum *simus consecuti* Act. XIX. 2. *Num Spiritum S. accepistis?* h. e. num motus aliquos *bonos*, sentiamus in cordibus nostris? & si sentiamus: sintne motus Spiritus *Sancti*, an motus *conscientiæ* naturalis? Rom. II. 14. 15. motus *naturæ* honestioris? B. Si sint motus Spiritus S. quales tandem? num *communes?* Heb. VI. 4. an salvifici ἐχόμενοι σωτηρίας. Ibid. vers. 9. Id quod feliciter assequemur, si studiosè expendamus *naturam* Spiritus S. quæ motus homogeneos excludit; eosque conferamus cum cordibus nostris. Est (1) Spiritus, *vitæ* Rom. VIII. 1. *qui vivificat* Joh. VI. 63. prout spiritus, seu animæ præsentia, corpus *vivificat* Act. XX. 10. Hinc Spiritus S. *vita* appellatur Rom. VIII. 10, qui nos *excitat*: *si* enim *Spiritus ejus, qui excitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem ejus Spiritum in vobis* Rom. VIII. 11. Quod si igitur, *vitam* in nobis sentiamus *spiritualem*, quâ Spiritui vicissim *vivamus* Ibid. 12. *corporis actiones mortificemus*, ibid. vers. 13. tum certè *Spiritu Dei ducimur*, sic ut *Filii Dei* simus. Ibid. vers. 14. Est (a) Spiritus S. πνεῦμα ἁγιωσύνης Rom. I. 4. Quod si igitur, *studium* serium in nobis observemus *sanctitatis*, ac *detestationem* omnis impuritatis, poterimus inde tutò conficere, nos Spiritum Sanctum adeptos esse. Est (3) *Spiritus lucis*, à quo omne lumen *spirituale* oriundum Eph. I. 17. 18. Neque enim *homo* ψυχικὸς, *percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* 1. Cor. II. 14. Quod si igitur, novum sentiamus adesse *lumen* menti nostræ, quo *spiritualiter spiritualia dijudicemus*. Ibid. vers. 14. 15. tum &c. Est (4) Spiritus *igneus*, fervidus, Matth. III. 11. Marc. IX. 49. Unde sub specie linguarum *ignitarum* communicatur Act. II. 3. 4. Atque etiam, quos inhabitat, *ferventes* efficit *Spiritu* Rom. XII. 11. qui sicubi est, non *otiosus* stertit, sed *impellit* Rom. VIII. 14. Quodsi igitur, non *frigidi* sumus, nec *tepidi*, nec *otiosi* in quovis bono; sed *fervidi*, indicium obtinemus Spiritus S. Est (5) Spiritus *Christi*, Rom. VIII. 9. per quem Christus in *nobis vivit* Gal. I. 20. qui Christum glorificat Joh. XVI. 14. per quem ejus *sanctitas*, justitia, charitas, obedientia, humilitas, longanimitas, mundi contemptus, cœlestis conversatio, in nobis *vivunt* vigentque; Ista igitur si penes nos deprehenderimus; certo certius simus persuasi nos *spiritum Christi* infallibiliter consecutos esse. Tandem 6. Id nobis innotescet, ex *fructibus* Spiritus Sancti, quos Apostolus commemorat Gal. V. 22. 23. 24. 25.

5. Cavendum nobis à peccatis adversus Spiritum S. Quænam illa.

XXV. Est *quintò*, quod nobis studiosissime *caveamus*, ab omnibus istis *peccatis*, quæ Spiritui Sancto peculiariter obnituntur, qualia sunt: 1. *Exstinguere* Spiritum, negligere ac susque deque habere, (sicut Felix Act. XXIV. 25.) *motus* ac ductus Spiritus Sancti, de quo dudum in præcedentibus. 2. *Resistere* Spiritui Act. VII. 51. Psal. LXXXI. 9. 12. 14. *veritatem* detinendo *in injustitiâ* Rom. I. 18. Spiritui S. quasi *obturare* os, ejus ductibus opponendo *ratiocinia carnis*: vivendo secundum *carnem*, non secundum *Spiritum*. Rom. VIII. 1. 13. 3. *Contristare* Spiritum, quo *obsignati sumus ad diem redemptionis* Eph. IV. 30. Id agendo, quo, si pote, Spiritus S. *contristaretur*, seu in nobis, seu in aliis; quod fit turpioribus sceleribus, impuritate, lascivia, ebrietatibus aliisque. *Ibid.* Item iis *indulgendo* quibus gaudium, pax, consolatio, promptitudo spiritus, possint *obscurari*, & quasi contristari. 4. *Exacerbare* Spiritum Sanctum Jes. LXIII. 10. ejus ductibus *sæpius* resistendo, eis *obmurmurando* Psal. XCV. 8. 9. 10. 11. 5. *Mentiri* Spiritui Sancto, sicut Ananias & Saphira Act. V. 3. quod potissimum fit hypocrisi & sacrilegio. Tandem 6. *Blasphemando* Spiritum Sanctitatis Heb. X. 29. quod magnum illud est in *Spiritum Sanctum* peccatum, *irremissibile* illud Matth. XII. 32. in quo *universa* Trinitas, Pater & Filius, à quibus & in quorum *nomine*, mittitur ac venit Spiritus S. *contumelia afficiuntur*. Ad quod, peccata reliqua præcedentia, gradum struunt. Ab omnibus igitur istis adversus Spiritum S. peccatis, cane pejus & angue nobis caveamus. Secus: 1. Spiritus Sanctus vicissim nos *negliget*, nos susque deque habebit: nobis *resistet*: nos *contristabit*; nos *exacerbabit*. Scil. jure talionis Prov. I. 24. 2. Nobis *jurabit* &c. Psal. XCV. 11. nos *deseret*, ut Saulum, imo & ut Davidem Psal. LI. 13. 14. seu ad *tempus* ut hunc; seu in *æternum*, ut illum. Insuper 3. Post exstinctum Spiritum S. accendetur spiritus *diaboli*, seu *ignita diaboli sagitta* Eph. VI. 16. Exemplo Saulis 1. Sam. XVI. 14. Succedet Spiritus *malignus*, assumptis *septem spiritibus*, qui *deteriores* fuerint seipso, & sic *posteriora* deteriora erunt *prioribus*, ex Matth. XII. 44. 45. Etiam 4. *Exstinguendo* ignem Spiritus S. *accendemus* nobis *ignem furoris* divini 2. Reg. XXII. 17. provocando quævis Dei in nos *judicia*, tam *spiritualia* Apoc. II. 4. 5. quam *æterna*, ignem illum ἄσβεστον Jes. LXVI. 24. Mar. IX. 43. 46. 48.

Quibus rationibus cavenda.

Ut

Ut non addam 5. peccatis prioribus contra Spiritum Sanctum, *gradum* paulatim ſtrui, ad *poſtremum* magnum illud ac tremendum, *blaſphemiam in Spiritum Sanctum*, cujus cogitatio horrorem merito incutiat cuivis. Ubi enim: 1. admiſeris *neglectum* Spiritus, eoque velut *exſtinxeris*; quid proclivius quam 2. eidem etiam, conquiſitis ratiunculis *reſiſtere*: ad hoc 3. gravioribus etiam ac turpioribus ſceleribus, eiſque Spiritum S. quaſi *contriſtare*: Quin & 4. hoc *ſæpius* agendo, ejuſque motibus ac ductibus obmurmurando, *exacerbare* etiam: Imo etiam, ut 5. *obvelandis* iſtis ſceleribus, *hypochriſin* adhibeas pro remedio, eoque cum Ananiâ & Saphirâ, *mentiri Spiritui S.* Et tandem 6. his omnibus ſatis præparatum, & ad *proximum gradum* provectum; quid retrahet, quominus & hunc tandem conſcendas, ac *Spiritum ſanctitatis*, nomine totius SS. Trinitatis venientem, *blaſphemiâ* excipias, atque ita *indeclinabile* exitium tibi contrahas. Ab hoc igitur ut procul ſis; cave tibi à primo ejus gradu.

6. Fugiendum Spiritum

XXVI. Eſt tandem *ſextò*, ob quod ſolicite fugiamus *Spiritum quemvis*, Spiritui S. adverſum. Videlicet (1) Spiritum *erroris* & ſeductricem 1. Tim. IV. 1. Spiritum *mendacii*, qui erat in ore Pſeudoprophetarum 1. Reg. XXII. 22. Spiritum *Antichriſti* 1. Joh. IV. 3. Quo nomine *quivis* indigitatur, *perverſa* in negotio Religionis tradens, nominatim *Pſeudo-Enthuſiaſtæ*, qui Spiritum credunt *abſque verbo*, & *contra* verbum. Unde *Spiritus explorare* jubemur 1. Joh. IV. 1. (2) Spiritum perverſum, ſeu *perverſitatis* Jeſ. XIX. 14. qui hominem *excæcat*, ut perverſo *ordine*, quævis ſua negotia ſuſcipiat & gerat (3) Spiritum hujus *mundi* 1. Cor. II. 12. qui ad ſapientiam *mundanam*, & ad quævis *alia* mundana pelliceat 1. Joh. II. 15. 16. (4) Spiritum *impuritatis* Marc. I. 23. qui ſpiritui puro & recto opponitur Pſal. LI. 12. hominesque præcipites agit in *libidines* quasvis. Tandem (5) Spiritum *malignum*, Satanam Matth. XII. 43. cui eſt *poteſtas aëris*, ὁ ἐνεργῶν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας Eph. II. 2. Spiritum iſtum omnem Spiritui S. adverſarium, propterea tantopere fugiamus, quod alias nulla nobis eſſe poſſit *communio* cum Spiritu Sancto 2. Cor. XIII. 13. *Quæ enim communio juſtitiæ cum injuſtitiâ? luci cum tenebris, Chriſto cum Belial?* 2. Cor. VI. 14. 15. 1. Cor. X. 21.

quemvis Spiritui adverſum.

Quinam Spiritus adverſi?

Qua ratione fugiendi.

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

LIBER TERTIUS,

DE OPERATIONIBUS DEI.

CAPUT PRIMUM,

DE

ACTIONIBUS ET DECRETIS DEI.

Eph. 1. verſ. 11.

Secundum propoſitum ejus, qui omnia agit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Altera fidei noſtræ columna eſt efficientia Dei.

I. ides noſtra, quâ in Deo recumbimus ad vitam, duobus nititur quaſi fulcris; *ſufficientia* Dei, qua *poteſt* nobis præſtare omnia, ad ſalutem proficua: & *efficientia*, qua *præſtat* quod poteſt: *prius* horum, ab *eſſentia* Dei reſultans, & à *ſubſiſtentia* perſonarum, hactenus expedivimus: *poſterius* impræſens ſuſcipimus, dicturi q. pro præfatione, de *actionibus* Dei in genere; tum de actionibus *internis* ſeu decretis. Utrique viam monſtrabit Apoſtolus Eph. 1. 11.

Pars exegetica.

Superſtruitur textui.

II. *Quibus verbis, actionum divinarum* naturam *expoſiturus, monſtrat*

1. *Ipſam Dei* operationem: qui agit omnia. *Eſt in his verbis:*

A. Agens, *qui latet in particula τῦ*, ejus qui.... *Intelligitur* Deus, *de quo in præcedentibus. Sive conſideratus* theologicè, *quoad totam Trinitatem, quandoquidem ejus eſt, ſecundum cujusque perſonæ, peculiarem ſubſiſtendi rationem*, omnia efficere: *ſive* œconomicè, *ut ſolus intelligatur* Pater, *ut qui in præcedentibus paſſim contradiſtinguitur Filio, in quo* omnia, *quæ ad ſalutem noſtram requiruntur*, efficit.

B. Actio ἐνεργοῦντος, efficit. *Hac voce ſignificatur, actio conjuncta cum* efficacia, *& quidem* ſumma, *quæ prohiberi nullo modo poteſt, idque ex uſu Scripturæ.* LXX. *Interp. ea utuntur* Jeſ. XLI. 4. *quo loco, operatio* efficaciſſima, *& quæ omne obſtaculum perrumpat, tollat & effectum abſolvat, proponitur. Eadem utitur Apoſtolus* Eph. II. 2. *ad exprimendam diaboli potentiam & imperii vim, in filiis inobedientiæ. Proinde hîc talem notat Dei* operationem, *cui nulla ullius creaturæ* potentia, *nullæ* liberi arbitrii *vires, poſſint obniti, quominus in effectum propoſitum, examuſſim tranſeat.*

C. Actum, τὰ πάντα, omnia. *Nim.* 1. *vel ἁπλῶς* latiſſimè, *abſque ulla exceptione, non ſolum hæc gratia* beneficia; *ſed & quævis alia: nec* bona *tantum*; *ſed & mala, ſcil. quatenus ſunt* opera, *non autem quà* moraliter *mala, utpote quæ Deus optime dirigit ad finem ſuum. Sic argumentum efficeret, à* minore *ad* majus: *Deus operatur* omnia, *in viliſſimis etiam creaturis; multo magis, quæ ad ſalutem humanam ſpectant. Vel* 2. ſtrictius, hæc omnia, *nempe quæ ad ſalutem noſtram pertinent, de quibus perpetuo diſſerit. Vel* 3. ſtrictiſſime, *de eis operationibus, quæ Dei ſolius ſunt, qualia ſunt, Chriſtum mittere cum mandatis, & eum mortuum ſuſcitare,*

reve-

revelatio Evangelii impletionis, *& ab eo dependentia. Ita tamen, ut non tantum non excludantur operationes totius Trinitatis; sed etiam includantur operationes* Patris *œconomicæ, quibus, ceu prima persona, totius redemptionis negotium, ab æterno delineavit, & postmodum in tempore* effecit.

2. Normam *operationis: κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ.* Secundum consilium voluntatis ipsius. *Est enim æternum consilium pacis inter Patrem & Filium, quasi* norma, *juxta quam, universum negotium redemptionis, exsecutioni est mandatum. Notatur hic peculiariter.*

A. Propositum *κατὰ τὴν πρόθεσιν,* secundum propositum. *Propositum πρόθεσις, in Scripturis, aliquando notat, universum decretum* electionis, *seu consilium pacis, aliquando actum* primum *electionis, quo sibi Deus proposuit, gloriam misericordiæ suæ illustrare, in certorum quorundam hominum, gratuita beatificatione, secundum quod, certas illas personas* selegit *& designavit, in quibus gratiosa illa beatificatio, olim in tempore procederet: aliquando* tertium *electionis actum, quo intendit præparare media, beatificationi isti convenientia. Hinc electio quandoque dicitur fieri* secundum propositum Eph. I. 11. *quandoque propositum,* secundum electionem Rom. IX. 11. *&* electio *secundum* propositum, *consilium & beneplacitum voluntatis Dei* Eph. I. 5.

B. Consilium, *κατὰ τὴν βουλήν. Est enim in* consilio *quovis, præter propositum* finis, *deliberatio de mediis, & tandem* intentio *hujus medii, sepositis omnibus aliis. In Deo autem* deliberatio *proprie dicta, quia* ignorantiam *involvit, locum habere non potest: tribuitur tamen Deo, quoad* certitudinem *cognitionis, quoad* sapientiam, *& perfectissimam operandi rationem, quæ non ex* natura; *sed ex consilio, seu ἐκ προαιρέσει seu ex complacentia rationali, libere procedit.*

C. Intentio voluntatis, *τῷ θελήματος, quâ medium jam ante selectum, applicatur, liberè quidem; sed tamen* sapienter *etiam, &* juste, *quia ex consilio voluntatis, ex pleno & absoluto* jure, *in omnes creaturas. Ut toto contextu, tum generalis* omnium *operationum divinarum ratio designetur; tum peculiariter decretorum divinorum, de quibus nos, per residuum hujus capitis, singulatim agemus.*

THEOREMA PRIMUM,

De Actionibus Dei.

Pars dogmatica.

Deus operatur omnia in omnibus.

III. Patet igitur è textu *primò, Deum agere omnia in omnibus* Eph. I. 23. Unde *ex eo, per eum, & ad eum,* dicuntur esse *omnia* Rom. XI. 36. & Patrem *agere* Servator *dicit & se* Joh. V. 17. Nec hoc quicquam evidentius est omnibus, cum *prima* sit rerum *omnium* causa, absque quâ, non posset ulla esse in mundo actio: non agente enim *prima causa*, qui ageret *secunda?* Ut non addam, esse procul omni dubio perfectius, *agere* quam non agere, nec proinde posse non convenire perfectissimo.

Quomodo operari Deo competat.

IV. *Operari* autem, agere & efficere, in creaturis quidem, ista quatuor connotat; *operantem*, in quo est *facultas* seu potentia operandi, à quâ ipsa resultat *operatio*, quæ excludat *opus*. Quatuor ista in creaturis *diversa*, in Deo, qui *simplicissimus* actus est, unum sunt idemque, nec operatio penes ipsum est, nisi essentia operans. Quamvis in operationibus externis, *opus* differat ab *operante* & ab operatione, ut hîc operatio divina *duo* concludat: *essentiam* Dei actuosam, & ejus *relationem* ad opus. Porro in operationibus creaturarum, & operans & opus, à *potentia* transeunt in *actum*, quatenus & *operans*, qui antea *poterat* tantum operari, jam actu *operatur*; & *opus*, quod antea poterat tantum produci, jam actu producitur: operationibus autem divinis, solum *opus* à potentiâ transit in actum, quatenus *essentiam* divinam, in se semper & uniformiter actuosam, *subit*, neque enim in Deo, per operationem, ulla accidit *potentia & actus* permutatio.

Ut operatio divina sese extendat ad omnia.

V. Operatur autem Deus *omnia*, & in omnibus Rom. XI 36. *Omnia* quæ sunt aliquid, quæ habent aliquam *essentiam*, seu bonitatem, vel *naturalem* vel *moralem*. Operatio enim omnium causarum *secundarum*, necessariò pendet ab operatione *primæ* causæ (quæ secus, non esset causa *absolutè* prima) tam quoad *essentiam* operationis; quam quoad *circumstantias* omnes *reales* Jes. XLV. 7. *Me Jehovam facere omnia ista* Thren. III. 37. 38. Proinde sola *moraliter* mala seu peccata, Deus nec *operatur*; nec operari *potest* Psal. V. 5. 6. quoniam non *effectus* sunt; sed effectuum *defectus*: nec Deus *legem* transgredi potest, in quo *solo* operatio hujus mali consistit I. Joh. III. 4.

Modus operandi personis divinis peculiaris.

VI. Considerari operationes Dei (externæ) possunt, quatenus: vel ab *essentia* profluunt seu ab *omnipotentia*, quæ cum *essentia* omnipotente coincidit, de quâ supra ex professo: vel à *personis*, & in illis occurrit: A. *Cooperatio* personarum, quâ *idem* omnes operantur inseparabiliter Joh. V. 17. 19. quod, juxta tritum, *operationes Dei ad extra; sint indivisa* Joh. XVI. 13. 14. Hinc (a) quælibet

persona operatur *à se*, quantum ad *vim* operantem Joh. v. 26. est enim *unâ* omnibus communis *operandi vis*. Hinc (b) in operationibus istis, nulla obtinet, hujus aut illius *personæ præeminentia*, quoniam *una* omnes agunt, eademque *virtute* Joh. v. 21. 23. Occurrit B. *distinctus* singularum personarum operandi *modus*, quo singulæ personæ, operantur secundum sibi *peculiarem subsistendi modum*, Pater *à se*, *per* Filium & Spiritum S. Filius *à Patre* per Spiritum S: Sp. S. à Patre & Filio *per se*, ut in Cap. de *Trinitate* docuimus. Occurrit C. *Appropriatio*, quâ *opus*, cæterà tribus personis *commune*, ob *peculiarem* rationem, un *peculiariter* tribuitur. Hinc *prima* personæ, *primum* opus externum *creatio*, & prima negotii redemptionis *delineatio* per prædestinationem tribuitur: *secunda*, quod sanguine suo illam paraverit, *redemptio* afferitur: *tertia*, quod *immediatè* illam attingat, *sanctificatio* cum annexis, peculiariter competit. Occurrit D. *Terminatio* operationis, per quam, *terminus* alicujus operationis personis omnibus communis, uni personæ *peculiaris* est. Sic incarnationis *activa*, quæ tribus personis communis est, *terminus*, humana scil. natura, ad *secundam* personam assumentem, *peculiariter* refertur.

Distributio operationum divinarum.

VII. Operationes divinas, communiter dispescunt in *internas* seu immanentes, quibus nihil producitur *extra Deum*, seu à Deo diversum: & *externas* seu transeuntes, quibus aliquid producitur *diversum* à Deo. *Illæ* rursus vel *personales* ac characteristicæ sunt, quibus personæ à se invicem dignoscuntur: ut *generare*, Patris Psal. II. 7. *generari*, seu procedere per modum geniti, Filii Mich. v. 1. *procedere* per modum spirati, Spiritus S. Joh. xv. 26. vel *essentiales*, quibus, *partim* in se invicem feruntur personæ, quando v. g. Pater Filium novit, diligit, glorificat; & vicissim Filius Patrem; *partim* in creaturas, quibus creaturas Deus novit, diligit, eligit, reprobat. In his peculiariter occurrunt divina *decreta*: *Hæ* (externæ) ad *creationem* & *providentiam* referuntur.

Pars Elenchtica.

Notantur quatuor controversiæ circa operationes Dei.

VIII. Deum omnia operari in omnibus, sic satis negant *primò* Epicuræi, quando talem Deo asserunt *ἀνέργειαν*, quâ cuncta sublunaria susque deque habeat, scil. ne negotium creandi, conservandi & gubernandi tot creaturas, obsit ejus tranquillitati, ac beatitudini: parum cogitantes illud Jes. xl. 28. *Deus seculi, Dominus creans extremitates terræ, non fatigabitur, nec laborabit. Secundò* Stoici, quando ipsas Dei *operationes*, à *fato*, seu causarum secundarum nexu suspendunt, quasi scil. *ipse* illum *causarum nexum*, non operaretur, aut, pro suo lubitu, variare possit. *Tertiò* Pelagiani, quando *primam* liberi arbitrii *determinationem*, atque etiam peccatum, non modo quoad *ἀναμάρτησιαν* suam, *sed universim*, etiam quoad *substratum ἀνομίας*, divinæ operationi subducunt. Quæ omnia, in suum quæque locum *ὀικεῖον*, de *providentiâ* seponimus. *Quartò* Sociniani & Vorstius, qui tales in Deo fingunt *operationes*, quæ sint ejus *accidentia*, ab essentia diversæ, quos *simplicitas* & *immutabilitas*, suo loco confutavit.

Pars practica.

Efficientia Dei:

1. Ejus gloriam pandit.

IX. Quod Deus *omnia operatur* in omnibus, *primò* ejus pandit *gloriam*, utpote *ex quo*, *per quem* & *ad quem sint omnia*; *cui* propterea *sit gloria in secula* Rom. xi. 36. *Qui creet lucem, & formet tenebras, qui Jehova sit omnia ista faciens* Jes. xlv. 7. Nominatim gloriam *independentiæ*, quâ *omnia* agens, à nullo *agatur* Rom. xi. 35. *omnipotentiæ*, quâ non actus aliunde, *omnia agit quæ vult* Psal. cxv. 3. *sapientiæ*, quâ *omnia in sapientia facit* Psal. civ. 24. *ἰνχαριστίας*, utpote cui hinc omnis boni, quo omnes homines, ab omnibus creaturis fruimur, gloria competit; ut qui in omnibus *omnia* operetur. Qui sigillatim, in nobis *operetur & velle & efficere* Phil. II. 13. Ut sola eius gratiâ *simus* & possimus, *quicquid sumus*, quicquid possumus, cujus *gratia in nobis non sit otiosa* 1. Cor. xv. 10.

2. Impietatem reprehendit.

X. *Secundò*, eorum notat *atheismum*, qui existimant Deum *nihil* operari, *ex ore excelsi*, *nec bonum prodire nec malum* Tren. III. 37. 38. Qui *dicunt in corde*, *non benefacit Jehova*, *nec malefacit* Zeph. I. 22. Qui adeo Deum non *diligunt*, non quærunt, acsi nil boni sibi *facere posset*, qui dicunt: *vanum est colere Deum, & quid emolumenti, quod custodierimus custodiam ejus?* Mal. III. 14. Qui adeo non *reverentur*, non metuunt eum, acsi nil *mali* sibi posset facere Psal. x. 6. 11. & xciv. 7. 10. Et è Deo, qui *omnia operatur* in omnibus, stupidum faciunt *idolum*.

3. Solamen præstat in adversis.

XI. *Tertiò*, *solatur* pios, in quibusvis adversis, quod Deus sit, qui formet *lucem* & *creet tenebras* suas, qui faciat pacem, & *creet malum*, *& suus* Jes. xlv. 7. Quod non sit *malum in urbe*, *quin Dominus faciat* Amos. III. 6. Ut proinde, in quibusvis *afflictionibus*, *obmutescant*, *nec os* suum *aperiant*, eo *quod Dominus faciat* Psal. xxxix. 10.

4. Erigit & confirmat fiduciam.

XII. *Quartò*, erigit & confirmat *fiduciam* nostram in Deo, quâ *volvamus super Jehovam*, *vias* nostras, *quia ipse faciet* Psal. xxxvii. 5. ab eo solo *pendeamus* in quibusvis, qui adeo *omnia* operatur in omnibus, ut absque eo, quicquam non possit nobis, seu bonum, seu malum afferre.

5. Adstringit nos Deo & pietaciti.

XIII. *Quintò*, *adstringit* nos Deo, cui sincero cultu & pietate *adhæreamus*, nec ab eo, seu *spe* ullius boni, seu *metu* ullius mali, à creaturis

citra Deum accipiendi, divellamur: quod Deus *omnia operetur* in omnibus. Adeoque, de eo potissimum simus soliciti, ut *Deum habeamus à dextris* nostris, *nec declinemus* Psal. XVI. 8. qui si *pro nobis sit*, *quis* aut quid *adversabitur?* Rom. VIII. 31. prout vice versa, si ipse *contra* nos, quis aut quid *pro* nobis? cum ipse *operetur omnia* in omnibus. Hæc tetigisse sufficerit: alibi fortè, in Cap. *de providentiâ* distinctius dicenda.

THEOREMA SECUNDUM.

De Decretis Dei.

Pars dogmatica.

In actionibus Dei internis occurrit ejus decretum.

XIV. In operationibus divinis, de quibus hactenus *generaliter*: primò nobis occurrunt operationes *internæ*, & in his potissimum *decreta* Dei, per quæ *omnia* operari dicitur *secundum consilium voluntatis suæ*. Illa enim passim Deo asseruntur in utroque Instrumento. v. g. Jes. XIV. 26. 27. *Hoc est consilium, quod consultum est à me, Jehova Deus exercituum decrevit*, & XLVI. 10. Dan. IV. 24. Psal. II. 7. Zeph. II. 2. Act. II. 23. & IV. 28. Rom. VIII. 29. 30. Matth. XI. 26. &c. Cum enim Deus agat, non per *naturam*, sicut bruta & ἄζωα; nec *temerè* absque *ratione* ἀφ' ὁρμῆς, necessum ut agat ἐκ προαιρέσεως, *consilio*: cum præsertim *intellectu* ipsum pollere, pariter & *voluntate*, dudum demonstraverimus & ab omnibus agnoscatur. Ut non addam, procul dubio majoris *perfectionis*, agere ex *consilio*, quam ex naturâ aut impetu. Vox quidem *decreti* ἄγραφος; res tamen ipsa multis synonymis ἔγγραφος, ut monebimus §. sequenti. Nec tamen ob hoc dici debet, decretum Deo *proprie* non competere, cum intellectus ac voluntas ei propriissimè competant, item agere *libere* seu ex *complacentia rationali*, per rationes jamjam adductas. Quibus nihil obstat, quod in decretis creaturarum, requiratur *deliberatio*, & in earum *consiliis* observetur *ignorantia*. Ista enim non decretum ingrediuntur *simpliciter*, sed decretum tantum *creaturarum*, quarum imperfectiones *abstrahendæ* & à Deo removendæ sunt, sicut facere solemus in attributis Dei *communicabilibus*.

Decretum ut sit definita Dei sententia?

XV. Decretum *definitam sententiam* notat, seu Judicis, decidentem inter partes contendentes; seu *quamvis* aliam, quæ deliberationem sequitur, aliis nominibus *consilium*, *beneplacitum*, *propositum*, προορισμένη βουλή Act. II. 23. & IV. 28. Eph. I. 9. 11. item חפץ Psal. II. 7. in *Deo* non aliud notat, quam *prædefinitam ejus sententiam*, *de futuris omnibus procurandis*, *secundum consilium voluntatis*. Est igitur *definita sententia*, tria connotans (a) *Actum decernentem*, qui non est nisi ipsa *Dei essentia*, ad modum actus vitalis considerata, seu ipse *Deus decernens* (b) ejus *tendentiam* & relationem ad objectum, in tempore procurandum, sine ulla Dei mutatione, aut essentiæ *perfectione*: neque enim ista tendentia est *res* aliqua ad essentiam accedens, ex qua essentia possit fieri perfectior. Et hactenus decretum *ab essentiâ* differt, utpote quæ, hujusmodi *tendentiam* & relationem non involvit. (c) *Rem* decretam, seu *producendum* in tempore, quod *realiter* differt à Deo. Respectu *primi*, decretum in Deo est *unicum*, necessarium & æternum: respectu *secundi* seu tendentiæ, est liberum & multiplex, fere instar circuli, cujus centrum *unicum* est, *lineæ* inde deductæ, *variæ* quidem; sed tamen sibi nunquam *contrariæ*.

Definita decreti sententia tria connotat.

XVI. Porro eadem decreti definita sententia, primò *finem* involvit, quem decernens sibi præfixum habet, qui Deo sola est sua *gloria*, cujus ratione, *omnia* dicitur *operari propter se* Prov. XVI. 4. & *ad se* Rom. XI. 36. secundo conceptum *mediorum*, de quibus (in creaturis) *deliberatio* agitatur, ut commodissimum & efficacissimum eligatur & arrigatur, à quâ decretum *consilium* denominatur: tertiò *intentionem* voluntatis, quâ *medium*, è pluribus electum, *intenditur*. Et hæc quidem *intentio*, causa est omnis *futuritionis*, non tamen ipsius *futuri*, sive illud bonum sit, sive malum: cum decretum sit actio *immanens*, nihil producens *extra* Deum, & *futuritio* ab *æterno* existat, quando *futurum*, in *tempore* nascitur.

Occupatur decretum in determinanda futuritione.

XVII. Distinetur ergo definita hæc Dei sententia, circa *futuritionem*, rerum omnium & singularum, seu necessariæ sint, seu contingentes, seu liberæ, seu bonæ, seu malæ; licet interim ipsa *futura*, sententiam illam pro causa non recipiant. Ita decretum *causa* quidem est *futuritionis* peccati; non tamen ipsius *peccati* futuri, quod pro causa agnoscit liberum *arbitrium* peccantis. Si enim *futuritionis* cujusvis, causa non sit Dei *decretum*; res ab æterno futura fuisset *per se*, & suâ *naturâ*, quo *fatum* plus quam Stoicum involvetur; ut non addam; quod hac ratione, in tempore exstiturum, causa sit, ejus quod ab æterno exstitit, & sic effectus prior quam sua causa. Interim tamen, & *futurum*, certo *sequitur* decretum, per creationem aut providentiam, velut ejus, vel *causam*, si *bonum* sit, vel *antecedens* tantum, si *malum* sit.

Eaque procuranda, seu efficiendo seu permittendo.

XVIII. Futuritionem proinde & futura, *procurare* Deus juxta decretum intendit, seu *efficiendo*, si bonum sit; seu efficaciter *permittendo*, si malum sit, unde distributio decreti resultat, in *efficiens* & *permittens*.

Norma

XIX. Tandem *norma*, vel quasi norma, hujus procurationis est *consilium voluntatis*, strictius dictum

procurationis est consilium.

dictum Eph. 1. 11. Quod Deo non (ut creaturis) competit quoad *deliberationem* propriè dictam, quæ *ignorantiam* præsupponit, deliberatione pellendam; sed quoad judicium *perfectissimum*, quale in creaturis sequi consuevit, accuratam deliberationem, quatenus temeritatem excludit, omniaque *sapienter* ac decorè adornat, à quo יועץ *molitio* & *machinatio* dicitur Prov. VIII. 22. Jes. V. 12.

Decretum Dei est æternum.

XX. Istud porro Dei decretum, primò *æternum* est Eph. 1. 4. Unde *nota* Deo dicuntur *omnia opera ejus à seculo* Act. XV. 18. & *propositum* secundum quod gratia nobis datur, dicitur fuisse πρὸ χρόνων αἰωνίων 2. Tim. 1. 9. Et Deus *sapientiam in mysterio prædefinisse* dicitur, *ante secula* 1. Cor. II. 7. Idque non tantum quoad *actum* decernentem; sed etiam quoad ejus *tendentiam* in futurum procurandum. Sin minus, transiret Deus decernendo à *potentia in actum*, & subesset mutationi, quam exactissimè ab eo secludit Scriptura Mal. III. 6. Jac. 1. 17.

Est item liberrimum.

XXI. Est interim secundò *liberum* & liberrimum Rom. IX. 11. Jer. XVIII. 6. Matth. XI. 26. & XX. 15. Non quod Deus potuerit esse absque *facultate* aut *actu* decernendi; sic enim potuisset esse absque intellectu & voluntate. Nec quod facultas aut actus decernendi, potuerit esse absque ulla *tendentia* in objectum aliquod; decerneret enim absque *decreto*: nec quod Deus aliquando fuerit *indifferens* ad decernendum & non decernendum; sic enim decretum non esset *æternum*, & Deus decernendo fuisset *mutatus*: sed *liberum* est, quatenus 1. Deus *per naturam* indifferens est, ad sic aut aliter decernendum: quatenus 2. ad sic & non aliter decernendum, Deus non aliunde determinatur quam *propriis rationibus*, sed per *complacentiam* rationalem. Verùm non tantum *liberum* est Dei decretum (prout est *creaturarum*, quamvis determinetur à suprema *causa*) sed *liberrimum* etiam, seu absolutè liberum, quatenus *simpliciter* est *independens*.

Est sapientissimum.

XXII. Est tertiò *sapientissimum*, ut hîc merito exclames: *O altitudo divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei!* Rom. XI. 33. 34. Psalm. CIV. 24. Quatenus media *commodissima*, finibus suis eligit & construit Rom. VIII. 28. 29. 30. Nec quicquam decernit absque ratione; quamvis enim *causas* omnes excludat decretum divinum, quæ *producant*; *rationes* tamen, nobis quidem plerumque occultas, sibi tamen notissimas, omninò requirit, quia *sapientissimum*.

Et absolutum & immutabile.

XXIII. Est quartò *absolutum & immutabile* Jes. XLVI. 10. Act. IV. 28. Prov. XIX. 21. Quamvis enim *res decreta*, persæpe suspendatur à certis *causis* & conditionibus, ipse tamen decernendi *actus*, semper *independens* est, ab omni *causa* & conditione, adeoque plane immutabilis.

XXIV. Est denique quintò, decretum Dei universaliter *efficax* Psal. CXV. 3. & CXXXV. 6. Jes. XIV. 24. Quamvis enim non *efficiat* rem ipsam decretam, v. g. *peccatum*; *efficax* tamen est circa *futuritionem* peccati, quæ non est *mala*, nec aliunde causari potest, quam à divino *decreto*. Quæ proinde decreti divini *efficacia*, nullam rebus imponit *necessitatem*; sed eventus tantum *certitudinem*: quoniam non obstat, quominus eventus aliquis oriatur à causa *contingente* proximâ, quæ ad istum effectum, *per se* non sit determinata, neque etiam arbitrii nostri *libertatem* infringit; quoniam non obstat, quominus homo agat ἐκ προαιρέσεως. Imo tantum abest, ut decreti divini *efficacia*, res omnes dura urgeat *necessitate*, ut potius omnis *contingentiæ* sit radix & scaturigo. Nam nisi Deus sit, seu numen aliquod supremum ac liberrimum, quod causam talem contingentem, tali eventui destinaret & construeret, nulla omnino esse potest contingentia.

Objectum decreti divini.

XXV. Objectum decreto *præjacens*, est possibile; decretum *terminans*, est futurum, quatenus, *possibilibus* hoc aut illud, Deus decernit *futurum*. Futurum autem attingit *omne* Eph. 1. 11. Rom. XI. 36. Thren. III. 37. 38. usque ad *singula* peccata Act. IV. 28. Adeo ut, sicut diximus, licet peccatum ipsum, profluat à *transgressione* legis; ejus tamen *futuritio*, non aliunde sit quam à *decreto* divino.

Decretum est unicum, quantum ad actum decernentem.

XXVI. Decretum Deo competit, *unicum* tantum & *simplicissimum*, quoad *actum* decernentem: *simul* enim & semel, absque ulla *deliberatione*, Deus ab *æterno* determinavit futura, quæ jam fuerunt, sunt, eruntque: *multiplex* tamen & varium evadit, à *tendentiâ* in varia objecta, & à variis terminationibus ac *relationibus*, inde sibi oriundis, unde עצות *consilia* Jes. XXV. 1. & מחשבות Jes. LV. 8. מפעלים Prov. VIII. 22. commemorantur. Et quatenus *multa* sunt, pulcherrimo & sapientissimo *ordine* inter se cohærent. Quin, pro nostro *concipiendi* modo, non solum ordinem in *rebus* ipsis decretis; sed &, *suo modo*, in ipsis Dei *consiliis*, cogitationibus & molitionibus, observamus; non quod diversi ibidem revera sint decernendi *actus*, aut unus altero, seu tempore, seu natura posterior: sed quod ejusdem consilii, diversas q. *partes* concipimus, & illas debito *ordine* connectimus, quo omnem decreti sapientiam, distinctius contemplemur, & plenius exhauriamus. Cum enim, nec *rectum*, nec *decens* Deo sit, unum aliquid *sine* altero decernere, humanum v. g. genus sine ullo sui glorificandi *consilio*, condere, quod nim. ita, non *sapienter*, sed temere & *frustra* condidisset: aut etiam finem *absque* mediis, ac viciissim media *absque* fine: hic diversas decreti *partes* distinguimus, atque *unam* partem, seu unum decretum, alterius, si non *causam* producentem:

centem, saltem *rationem* dicimus, & ab uno ad aliud *argumentamur*, præeunte Apostolo Rom. VII. 32. & 29. 30. Per *ordinem* istum decretorum divinorum, rectè concipimus ac dicimus, Deum *prius velle finem*, quam *media* ad illum; & inter media, *prius* illa, quæ finem *propius* attingunt: atque adeo, quod *primum sit in intentione; id ultimum esse in executione*, scil. juxta ordinem *intentionis*, dum juxta ordinem *executionis* prius *media*, quam finem. Quod tamen non statim, de diversis in Deo *volitionibus* est capiendum, acsi alia ibi sit *prior*, alia *posterior*, una item alterius *causa*: sed de *re decretâ* ac volita, ut apud Deum, volitio & *sapientissima coordinatio* sit, prioris & posterioris rei, præcipuè mediorum & finis, quæ *aptissimè* & liberrime inter se copulavit; sic, ut tamen, nec *ipse*, nec ejus *decretum*, ab ullâ re, vel conditione, vel mediis *pendeat*. Unde, ut diximus, decretum Dei, sicut *unicum* est; ita hinc necessariò summopere *absolutum*, quamvis *conditionata* possit esse *executio*, & effectus, & productio, quæ tamen omnia, ex decreto *unico* & absoluto dependent.

Ordo in decretis divinis.

Decretum est, vel efficiens, vel permittens.

XXVII. Tandem decretum *ut multiplex*, dispescitur in *efficiens* & *permittens*: non quod decretum proprie *efficiat*, est enim actio *immanens*; sed quod decretum detur, juxta quod, in tempore, nonnulla *efficere*, alia *permittere* statuerit. *Efficiens* occupatur circa *bona* quævis, tam *naturalia* quam *moralia*, eo quod Deus sit *causa prima* & universalis, *omnis* entitatis: & *permittens*, quod *futuritionem* tantum procurat, dum *futurum*, *aberrationem* quadam & defectu inter operandum, à *creaturâ* producitur, Deo tantum *non impediente* Psalm. LXXXI. 13. Act. XIV. 16. 17. Collat. cum Gen. XX. 6. Hoc circa malum *morale*, seu peccatum tantum occupatur, quod Deus, *quà tale*, non *efficit*, sed *permittit* tantum Act. II. 23. 24. & IV. 27. 28.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An decretum Dei ipsa sit ejus essentia? Divortium sententiarum.

XXVIII. Quæritur 1. An decretum Dei, sit ipsa ejus essentia? Inter Græcos olim agitata est quæstio: an *idem sit essentia & voluntas Dei?* Aliis negantibus, aliis affirmantibus, ut videre est apud *Justinum Martyrem*, aut quisquis auctor est libri, in *quæstionibus ad Græcos*, de qua sequiores Patres, præcipue Augustinus lib. de *essentia Dei*, itemque Scholastici, Damascenus, Lombardus, Aquinas aliique affirmative responderunt. Remonstrantes Apologistæ, ut faventiores sibi haberent Socinianos, & ut *simplicitatem* Dei validius impugnarent, & mutabilitatem decretorum divinorum facilius obtinerent, negant. Sociniani apertius negant, & ad accidentia in Deo referunt, ad hoc: 1. ut evertant Dei *simplicitatem* & 2. immutabilitatem. Reformati agnoscunt, *res* decretas *essentialiter* differre, ab *essentia* divina: *tendentiam* item decreti in aliquod objectum indefinite, non quidem esse ipsam Dei essentiam; sed tamen ad constitutionem decreti, omnino requiri, quod alias decretum esset quod nihil decerneret: quantum autem ad *actum* decernendi, illum *idem* esse cum essentia, nisi quod *absolute* considerata & in se, non connotet tendentiam in objectum hoc aut illud, quam *decretum* formaliter consideratum, implicat. Ab hoc non desunt inter Reformatos, qui distinguant inter essentiam & decretum, sic tamen, ut eo ipso non admittant ullam compositionem in Deo, quod tendentia illa, non sit nisi relatio, quæ proprie nullam habet *entitatem*, qua componere possit. Rationes Reformatorum, per quas decretum idem sit cum essentia Dei, petuntur: 1. A divina *simplicitate*, per quam omnia accidentia respuat, prout suo loco in cap. de *simplicitate* Dei, demonstravimus. 2. Ab ejus *infinitate*, quæ non admittit rerum varietatem, partes, aut compositionem qualemcunque; ut suo loco ostendimus. 3. Ab eo, quod decretum in Deo non sit, nisi ejus intellectus & voluntas, quæ procul dubio coincidunt cum ejus essentia. Quod 4. accidentia, quæ sua natura, imperfectionem implicant, in perfectissimum non quadrant. Nec valet contrarium, quod: A. Decreta in Deo multa sint, quando essentia unica tantum sit: si enim per decreta intelligas, *res decretas*, sunt sane multa, & revera ab essentia divina, & à se invicem, diversa; si *tendentiam* in objecta, à qua *multa* sunt decreta; ea non est *res* diversa ab essentia, nec *accidens*, sed *relatio*, tantum discriminans, non componens: si vero per decreta intelligas *actum decernentem*; non est nisi ipsa Dei essentia, quatenus illa à nobis concipitur, ut actuosa, circa rerum futuritionem. B. Quod decreta in Deo *libera* sint, quando essentia est *necessaria*: *actus* enim decernendi, in Deo non *libere* existit, sed necessario, quemadmodum etiam *facultas* decernendi, in creaturis rationalibus; nec *tendentia* actus in objectum *aliquod*, libera est in Deo, sed *necessaria*, quia non potest decernere, nisi sit aliquid quod decernat: quamvis tendentia *actus decernentis*, in hoc objectum præ illo, sit libera & *liberrima*; istam vero, nos non dicimus essentiam Dei, sed *actum* tantum decernendi, quatenus illa à nobis concipitur, cum *relatione* ad *rem* decernentem aut decretam.

Rationes.

Objectiones.

2. An omnia decreta Dei sint æterna? Sententia Adversariorum.

XXIX. Quæritur 2. An omnia decreta Dei sint æterna? Pelagiani, Sociniani, Remonstrantes, ut commodius habeant, α. decreta Dei non esse ipsum Deum. β. liberum hominis arbitrium, consistere in indifferentia independente, quam tolleret decretorum divinorum æternitas, & ut γ. decreta quæ indies nascantur, pro lubitu arbitrii humani; agnoscunt quidem dari aliqua decreta divina, quæ fuc-

fuerint ab æterno, velut de creando, conservando, gubernando mundo, de dando & mittendo Christo in mundum, de danda salute æterna obedientibus, aliisque quæ non implicant liberi arbitrii indifferentiam: ait *omnia* esse æterna, negant. Reformati ex adverso statuunt, omnia & singula Dei decreta esse æterna, eo quod: 1. per paragraphum præcedentem, decreta Dei, sint ipse Deus; proinde si Deus est æternus; & decreta ejus sunt. 2. Quod ab æterno præsciverit *omnia* futura Act. xv. 18. nec præscire potuerit, nisi ex *decreto*. Quod 3. Ex hypothesi contraria, ab æterno, usque ad temporariam istorum decretorum generationem, Deus ignarus fuisset, incogitans, & incertus plurimarum rerum, quæ futuræ erant. Quod 4. Plurimas *perfectiones*; quæ sunt in cognitione rerum, non decretarum ab æterno, Deus *accepisset* in tempore & indies *acciperet*: & quod proinde ab æterno non fuisset *perfectissimus*, adeoque nec Deus. Quod 5. Adversarii, sua hypothesi contraria, necessitatem fundent, plus quam Stoicam. Si enim quod jam sit in tempore, ab *æterno* fuerit futurum, & *futuritio* illa, non pendeat à libero Dei decreto; non poterit pendere aliunde, quam à rebus ipsis futuris: proinde, si *ante* & *absque* decreto fuerint futuræ ab æterno, ne ipse quidem Deus, aliter de ipsis statuere potuisset, Deusque earum futuritioni suberit. Si objiciant in contrarium: *α.* Quod solus Deus sit *æternus*, decreta autem non sint Deus; ergo nec æterna. Resp. 1. Jam dudum paragrapho præcedente demonstravimus, decreta esse *ipsum* Deum, & quo modo. 2. Ipsi adversarii agnoscunt, quædam decreta Dei, esse ab æterno; ergo saltem quædam decreta erunt *ipse Deus*; & si quædam, quamobrem non *omnia*. 3. Apostolus Eph. III. 11. dicit, non obstante quod *facta* sint; nihilominus esse æterna: *κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων, ἣν ἐποίησεν.... Secundum propositum seculorum, quod fecit....* Ergo 4. *Quod fecit*, nihil aliud est Apostolo, quam *quod concepit*. *β.* Quia decreta Dei *libera* sunt, ergo non *æterna* Resp. *a.* Confessione adversariorum, *aliqua* Dei decreta ab æterno sunt; ergo æternitas non repugnat *libertati*: aut non omnia decreta Dei, libera erunt. *b.* Sunt *ergo libera*, quatenus non ex *necessitate naturæ* divinæ, sed ex complacentia rationali sunt; cui hilum non repugnat, quod ab æterno sint. *c.* libera ergo sunt, non quoad actum decernendi; sed quoad *tendentiam* eorum, in *hoc aut illud* objectum *determinatum*. *γ.* Nullum effectum contingens & voluntarium, est ab æterno: sed decreta Dei sunt effecta *contingentia* & *voluntaria*: omne enim effectum tale, causa sua posterius est. Resp. 1. Decretum, quatenus dicit *rem decretam*, sua causa posterius est, & proinde non æternum: aut decretum, quatenus dicit *actum decernentem*, decreto nequaquam posterius est; sed actui decernenti coexistens. 2. Decretum *actu decernente* posterius est, solo ordine *naturæ*, non autem ordine temporis, quemadmodum radii Sole posteriores sunt, non ordine *temporis*, quia ei coexistunt; sed solo ordine *naturæ*. *δ.* Decreta alia, aliis sunt posteriora, proinde non *omnia* sunt æterna, quia in æternitate non datur prius & posterius. Resp. *a.* Sunt priora & posteriora, si *rem decretam* spectes, non autem, si *actum* decernentem; omnia enim Deus decrevit unico & simplicissimo actu. *b.* Sunt priora & posteriora, ex nostro tantum *concipiendi* modo; non autem ex parte ipsius decreti. *c.* Sunt sibi invicem priora & posteriora, ordine *naturæ*, non autem ordine *temporis*. *ε.* Quædam decreta Dei *fiunt in tempore*, ergo non *omnia* sunt ab æterno; prius patet ex Jer. XVIII. 11. & cap. XXXI. 28. Deut. XXVIII. 63. Resp. Textus illi loquuntur, non de decretis; sed de *promissionibus* & *comminationibus*, quæ toto cœlo differunt à *decretis*.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

XXX. Quæritur 3. An dentur decreta Dei conditionata? Pelagiani & Pelagianizantes, Sociniani, Arminiani, Pontificii, Lutherani, & quotquot sunt extra Ecclesiam Reformatam: quo independens liberum hominis arbitrium commodius tueantur, & Deum decreviſse omnes & singulos homines servare; statuunt dari decreta Dei *conditionata*, antecedentia & consequentia, quibus Deus constituerit omnes & singulos servare, si modo ipsi *voluerint* credere & resipiscere. Reformati, si per decretum intelligatur *res decreta*, agnoscunt dari decreta *conditionata*, quatenus Deus ab æterno voluerit, ut quædam fierent, prævia conditione, v. g. ut hic aut ille servetur, prævia fide & resipiscentia: aut si per decretum intelligatur *actus* Dei decernens, negant eum pendere ab ulla conditione. Quia 1. Decretum Dei est voluntas ejus Eph. I. 11. *Secundum consilium voluntatis ejus*: jam autem, supra lib. II. cap. XV. §. 27. 28. 29. dudum demonstratum dedimus, voluntatem ita conditionatam, in Deo non dari. 2. Quia decretum Dei est ipse Deus, per paragr. XXVIII. Proinde si Deus non pendet à conditione, nec ejus decretum pendebit. Quia 3. Ens absolute primum & independens, nullatenus, citra contradictionem, & consequenter, nec quoad decretum, potest pendere à quovis. Quia 4. Decretum ab æterno existens, quod demonstravimus paragr. præcedente, non potest pendere à conditione, in tempore nascitura. Quia 5. Decretum istud *conditionatum*, pro ratione conditionis, in tempore, & quasi in arena caperetur. Quia 6. rerum, quæ ab hominis libero arbitrio pendent, eventus, antequam fiant, præscire & prædicere non poterit: quod ea præscientia, ex solo decreto absoluto pendeat, & per consequens, in Deum cadet ignorantia, adeoque in perfectissimum, imperfectio. Tandem 7. quia *omnia* apud Deum absoluta sunt Psal. CXV. 3. Jes. XLVI. 10. Joh. XLII.

3. An dentur decreta Dei conditionata? Sententiarum discrepantia. Rationes Reformatorum.

2. Nec

Objectio.

2. Nec in contrarium valet, quod decretum divinum sæpius mutetur, & à conditione, à creaturis præstanda, suspendatur Jer. XVIII. 7. 8. 9. 10. Quoniam non decretum mutatur, aut à conditione suspenditur, quotiescunque Deus aliquid boni promittit, aut mali comminatur: sed *res decreta*. Ut non addam decretum à promissionibus, toto cœlo differre, cum illud fuerit ab æterno; hæ autem in tempore fiant, proinde dum hæ, à conditionibus suspenduntur, & pro earum ratione, mutantur; non statim decreta suspenduntur aut mutantur.

4. An detur decretum congruum ad circumstantias?

Sententia Remonstrantium & Jesuitarum.

Et Reformatorum cum suis rationibus.

XXXI. Quæritur 4. An detur decretum *congruum ad* circumstantias? Remonstrantes & Jesuitæ, ne in negotio conversionis, ab *una* parte, nihil omnino videantur tribuere *decreto* & gratiæ divinæ; ab *altera*, nihil detrahere independenti *arbitrio* humano: statuunt hominum, ante suam regenerationem, unum *naturam* habere magis *proclivem* ad conversionem, quam alium, & si, in *circumstantialibus* loci, temporis, motivarum, congruenter isti naturæ evocetur; pariturum vocationi isti congruæ, seque conversurum sponte, & ex liberi arbitrii viribus, determinaturum ad fidem & resipiscentiam: statuunt Deum decreviſſe, se congruenter isti naturæ & circumstantiis vocaturum. Reformati ex adverso statuunt, omnes homines, per lapsum æqualiter mortuos, & ad credendum ineptos, quo tandem modo vocentur; adeoque istud decretum multis modis ineptum esse: 1. Quia, ut diximus, Scriptura docet, *omnes* homines peccato mortuos Eph. II. 1. 2. 3. & per consequens æqualiter ineptos esse ad omne bonum spirituale, usque ad cogitatiunculam bonam 1. Cor. II. 14. 2. Cor. III. 5. Rom. VIII. 7. 8. Tit. III. 3. Jer. XIII. 23. Gen. VI. 5. & VIII. 21. & alibi. Quia 2. Scriptura decretum tradit, circumstantiis & conversioni prævium Act. XIII. 48. Rom. VIII. 29. 30. Quia 3. eadem, determinationem voluntatis ad conversionem, ad solam gratiam efficaciter flectentem refert Phil. II. 12. 13. Prov. XXI. 1. Rom. XV. 18. 1. Cor. XV. 10. Quia 4. decretum istud congruum, Deum independentem & absolute primum, qui cum suo decreto coincidit, pendulum facit, & successivum ad circumstantias commodas seu congruas, ut eis decretum suum conformet. Quia 5. antecedenter ad decretum divinum, *nexum* facit, vel *certum* & individuum, inter circumstantias istas congruas, & v. g. conversionem Petri spontaneam: & sic necessitatem, quæ ex decreto absoluto oriatur, declinaturi, in *Fatum* incidunt, plus quam Stoicum: vel 6. *incertum* nexum præsupponit: quem proinde Deus certo prævidere non potuerit, ut certum decretum circumstantiis istis congruum conderet, & sic omniscientiam Dei tollunt, quod enim non est certum, etiam certo præsciri nequit. Quia 7. conversionem & fidem, *independenter* tribuit, arbitrio humano, prout ex adverso Deum *dependentem* facit ab eodem. Nec est, quod pro isto suo decreto *congruo* obtendant, nisi quod conservando libero arbitrio, commodum sit. Cui respondemus, quod Adversarii falso præsupponant, libertatem arbitrii nostri consistere in mera *independenti indifferentia*, cum revera consistat in facultate agendi ex *complacentia rationali*, quam non tollit, imo ne lædit quidem, absolutum Dei decretum, quatenus ab æterno decrevit, ut v. g. Petrus libere seu ἐξ προαιρέσεως crederet & resipisceret.

Fundamentum sententiæ adversariæ.

5. An detur decretum antecedens & generale?

Sententiarum divortium.

XXXII. Quæritur 5. An detur decretum Dei, antecedens & consequens, generale & speciale? Eidem Remonstrantes & Jesuitæ, ut suo succurrant, independenter indifferenti arbitrio, atque insuper habeant prædestinationem, electionem & reprobationem *generalem*, quæ non tam circa *personas* occupetur, quam circa personarum statum: existimant, Deum decreto *antecedente* & generali constituisse v. g. omnis qui crediderit servabitur: *consequente* & speciali; Petrus, quia vult credere, servabitur. Reformati decretum *antecedens* & generale non agnoscunt. Quia: 1. omnis cognitio *generalis* per discursum nascitur, & abstractionem à singularibus, qui discursus *dependentiam* infert à singularibus; atque etiam *ignorantiam*, quatenus ratiocinando, cognitio acquiritur, quæ antea non habebatur. Quia 2. Decretum istud *generale*, otiosum esset, utpote cui successurum præsupponitur, aliud & *speciale* decretum, quod prius illud restringat, & tantum non corrigat, eoque sic satis aboleat. Quia 3. *Supervacaneum* est, ubi enim decretum est *speciale*, quod circa omnia & singula individua occupatur; ibi *generale* nullius usus est: qui enim omnia & singula novit, unico & simplicissimo actu, & quidem in seipso; ille non indiget, ut generalem habeat conceptum. Quia 4. genus est *non ens*, adeoque haberet decretum, cujus nullum esset objectum, adeoque decretum, quod decretum non esset, esset. Imo 5. tale asseritur decretum, quod penitus indignum esset Deo, utpote cui nihil est generale, nihil indeterminatum, nihil pendulum ab alio, à singularibus. Tandem 6. nec perfectioni ejus infinitæ congruit, per decretum antecedens & generale, omnibus & singulis v. g. decernere salutem, quod nunquam eventurum, jam ante ab æterno præscit.

Argumenta Reformatorum.

Objectio.

Si nobis objiciant ea Scripturæ loca, quæ aliquid generale in Deo spirare videntur, v. g. Joh. III. 16. *ut quisquis credit, non pereat; sed habeat vitam æternam*, & vers. 36. *Qui est Filio immorigerus, vitam non videbit, sed....* item Act. X. 43. *Ut quisquis in ipsum credit, remissionem peccatorum habeat per nomen ejus*, & quæ sunt ejus generis complura alia: observandum, quod ista loca, non loquantur de *decretis*; sed de promissionibus & commina-

minationibus generalibus, quibus Deus apud homines utitur, ut succurrat eorum infirmitati, qui omnia & singula, non aliter percipere possunt, quam sub terminis generalibus.

6. An detur decretum Dei mutabile?

XXXIII. Quæritur 6. An detur decretum Dei mutabile? Sociniani, Arminiani, Jesuitæ, Lutherani aliique Pelagiaίζοντες, propter liberum arbitrium, æque in horas mutabile, à quo plurima pendent Dei decreta; atque etiam, quod doceant *electionem* universalem conditionatam, ob non succedentem conditionem; mutetur in reprobationem: decreta tradunt mutabilia. Reformati omne Dei decretum statuunt immutabile. Quia 1. omne decretum Dei est *ipse* Deus, ut demonstravimus paragrapho XXVIII. Proinde si Deus sit immutabilis, & ejus decretum est immutabile. Quia 2. omne decretum Dei est æternum, per parag. XXIX. in *æternitate* autem non datur vicissitudo mutationis. Quia 3. mutaretur ab alio se priore, adeoque non esset Deus ens *absolute* primum. Quia 4. mutaretur, aut in *melius*, quod non datur nec dari potest; nec in *deterius*: sic enim corrumperetur Deus; nec in *perinde* bonum, quod itidem non datur. Quod 5. Scriptura, non modo, Deum penitus *immutabilem* pronunciet in genere Mal. III. 6. Jac. I. 17. sed peculiariter etiam ejus decretum Jes. XLVI. 10. Psal. XXXIII. 12. Heb. VI. 17. & alibi. Nec habent quod objiciant, nisi ea Scripturæ loca, quæ tantum promissiones & comminationes conditionatas arguunt, quæ, toto cœlo à decretis differunt, quamvis nec hæ, quippe conditionatæ, propriè mutentur. Si quæ supersunt controversiæ, illæ ad *prædestinationem*, *electionem & reprobationem*, suis locis expedientur ξὺν Θεῷ.

Rationes Reformatorum.

Fons objectionum.

Pars practica.

Decretum divinum: 1. Commendat dominii ac imperii divini majestatem.

XXXIV. Praxis considerationis generalioris de decreto Dei, potissimum conspicua est, in decreto speciali *Prædestinationis*, *Electionis* & *Reprobationis*. Interim hujus loci est, *primò* ex decreti divini *perfectione*, colligere *dominii* & imperii divini, majestatem & perfectionem, à quo Deus dicitur *mirabilis & magnus consilio* Jes. XXVIII. 29. Jer. XXXII. 12. Ejus singulatim (1) *Amplitudinem*, quatenus ad *omnia* sese extendit & singula *futura*, quod *omnia* faciat *secundum consilium voluntatis suæ* Eph. I. 11. Psal. CXV. 3. Jes. XLVI. 10. adeo ut quicquam non fiat, quin ille prævio decreto *præceperit* Thren. III. 47. (2) *Independentiam*, quatenus universum hujus mundi imperium & gubernatio, non aliunde pendet, quam à prædefinitâ *decreti* divini sententia Rom. XI. 34. 35. 36 (3) *Potestatem* & omnipotentiam, quâ *consilium* ejus *stat*, & *omnem voluntatem* suam *perficit* Jes. XLVI. 10. Ut nemo & nihil, ejus voluntati obsistere queat Rom. IX. 19. (4) *Sapientiam* Rom. XI. 33. 34. utpote quæ, in statutis & consiliis sese potissimum prodit, unde *consilium* dicitur *non perieturum à sapiente* Jer. XVIII. 18. & *consilium* sibi asserit *sapientia* hypostatica Prov. VIII. 14. (5) *Constantiam* & immutabilitatem, quatenus *consilium* ejus *stat*, videlicet ut *solidum* universi imperii sui *fundamentum* 2. Tim. II. 19. (6) *Libertatem*, quâ citra ullam necessitationem, *sponte* cuncta dispensat, ex solo consilio *voluntatis* suæ, suamque *voluntatem* facit. Quæ omnia, imperii divini majestatem ad hoc commendant, ut (1) *Agnoscamus* Psal. XCIII. 1. 2. & C. 3. (2) *Glorificemus* & extollamus Psal. XCIX. 1. 2. 3. 4. 5. (3) Ei nos *submittamus*, incurvemus Psal. XCV. 6. ejus *consilio serviamus* Act. XIII. 36. Psal. C. 2. &c.

2. Monet, ut caveamus peccata, decreto divino adversa.

XXXV. Est *secundò* hujus loci, sedulò *cavere*, omnem decreti divini *abusum*, qualis (1) decretum Dei *occultum* temerè *scrutari* Deut. XXIX. 29. Act. I. 7. (2) *Negligere* & vilipendere decreta Dei Jes. V. 19. 2. Pet. III. 4. eique *obniti* Luc. VII. 30. (3) Ad *rationis* nostræ modulum revocare, sapientissimum & absolutissimum Dei decretum, illiusque *rationes exigere* Job. XXXVIII. 2. Rom. IX. 20. 21. (4) Ob decreti divini universalitatem, *efficaciam* & immutabilitatem, *socordiæ* indulgere, *curam mediorum* negligere, quasi scil. Deus, decreto ἀλόγῳ, finem intenderit *absque mediis*. Aut etiam (5) ob decreti ejusdem constantiam & *immutabilitatem*, in adversis *desperare*, acsi scil. *occulta* Dei consilia, sibi perspecta essent, quæ de *suâ* fortunâ Deus decreverit, aut *à consiliis* ei fuisset Rom. XI. 34.

3. Monstrat usus decreti divini.

XXXVI. Est contra *tertiò* hujus loci, decreti divini contemplationem *in usus nostros* sapienter convertere. Scil. (1) Ad *reverentiam* Dei, conversionem, & fugam peccatorum, *antequam decretum*, *pariat diem* judicii, in quo, *ut gluma pereamus* Zeph. II. 2. antequam repente nobis *loquatur* decretum, *exitium* Jer. XVIII. 7. Conf. Luc. XIX. 42. 43. (2) Ad *patientiam* & tranquillitatem animi, in adversis *omnibus*, quæ nobis eveniunt aut evenire possint: quod ex decreti divini æterna *immutabilitate*, nobis non eveniat, nec à creaturis quibusvis, utcunque potentibus, obvenire possit, nisi quod *manus & consilium Dei*, *decreverit* futurum Act. IV. 27. 28. & II. 23. & quod, ex ejusdem decreti *sapientiâ*, & *bonitate* versus nos, non alio vergat quam in nostrum commodum Rom. VIII. 28. (3) Ad *fiduciam* & tranquillitatem, in negotio *salutis* nostræ, quod redemtio, justificatio, adoptio, sanctificatio, glorificatio nostra; æterno, sapientissimo & *immutabili* Dei decreto, nitantur, *solido* scil. *fundamento*, *habenti sigillum hoc*, *novit Dominus qui sunt sui* 2. Tim. II. 19. Rom. VIII. 29. 30.

XXXVII. Tandem 4. est hic quod *imitemur*. 4. Ex-

Cum

emplo Dei, in cultu compri-mis divino sapienti agamus consilio.

Cum (a) enim inter *perfectiones* Dei sit, omnia agere *ex decreto*, secundum *consilium*, non *temere* ἀφ' ὁρμῆς, & in decreto, præfixum sibi habere *scopum*, suam gloriam, in eum scopum, sapienti collimare *consilio*, & quod designarit, immobili prosequi *intentione*: cum item (b) & in hoc geramus *imaginem* Dei: cum denique (c) in hac imitatione & *assimilatione* Dei, præcipua nostra versetur *perfectio*; est sanè, quod in omnibus nostris negotiis, eis potissimum, quibus circa *Deum* & circa *salutem* propriam occupamur; non *impetu*, nec *temere*, brutaliter (Psal. xxxii. 9. aut per naturam Judvers. 10.) agamus; sed *decreto*, *consilio sapienti* Eph. v. 15. ut cultus noster sit *rationalis* Rom. xii. 1. Et in hoc decreto, justum nobis præfigamus *scopum*; Dei gloriam, propriam salutem, proximi emolumentum: in hunc scopum, *prudenti deliberatione*, efficacissima conquiramus *media*: tandem conquisita constanti & *immoto proposito* intendamus, & prosequamur.

CAPUT SECUNDUM.

DE

PRÆDESTINATIONE.

Psal. ix. 22. 23.

Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam, pertulit multâ lenitate, vasa iræ, coagmentata ad interitum: & ut notas faceret divitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.

Contemplatio prædestinationis.

I. Decretum Dei, *seu* omnes creaturas *promiscuè* respicit, quoad *omnem* earundem statum, quod est vel *creationis*, juxta quod *sunt* & existunt primum; vel *providentiæ*, juxta quod *porro sunt*, & in suos fines *diriguntur*, de quibus suis locis agendum: *seu* creaturas *rationales* peculiariter, idque rursus; *partim* quoad statum earum *temporalem*, quo spectat decretum de *termino vitæ*; *partim* quoad statum earum *æternum*. Et hoc *peculiari* denominatione, *prædestinatio* designatur, cujus contemplationem, superstruemus verbis Apostoli Rom. ix. 22. 23.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Quibus* prædestinationis *consilium divinum describit, secundum utramque ejus partem. Scil.*

1. *Secundum* reprobationem: vers. 22. *Cujus hic prostat.*

A. *Causa* reprobans, *quæ* & eligens, *adeoque communis universa prædestinationis*, Deus, *scil. tanquam prima & penitus independens causa, excludens omnem causam moventem, aut conditionem, quæ ad prædestinandum moverit, externam. Atque insuper rationem* intrinsece *q. moventem. Sed purum putum ejus* beneplacitum, *seu voluntatem, quam designat vocula* volens θέλων. *De* creaturis *usurpatum, quandoque* desiderium *& votum notat, etiam* inefficax, *idque tam apud auctores* profanos, *sic Cicero Epist. lib.* xv. *Epist.* 8. eum honorem tibi Deos fortunare volo; *pariter & sacros. sic* Marc. x. 35. 36. Rom. ix. 16. *De* Deo *autem & Christo* propositum *efficax notat* Matth. viii. 3. Marc. i. 41. Luc. v. 13. Joh. iii. 8. & v. 21. & xxi. 22. Psal. cxv. 3. Eph. i. 5. *Significatur ergo*, voluntatem *seu beneplacitum Dei, esse prædestinationis universæ, solam atque unicam causam* Matth. xi. 25. 26. *neque eam pendere ab arbitrio cujusvis* Rom. ix. 16.

B Rationes *seu fines reprobationis, nim.* propositum *manifestandi.*

1. Iram: ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν demonstrare iram. Ὀργὴ *ab* ὀρέγεσθαι appetere, *quod* ira *sit appetitus vindictæ, ob illatam injuriam, construitur aliquando cum* θυμὸς excandescentia Rom. ii. 8. *quod in* ira *duo concurrant*, perturbatio *quædam animi, & appetitus vindictæ: prius significatur voce* θυμὸς: *posterius voce* ὀργὴ: *sic in creaturis; in Deo non est* perturbatio, *sed solus appetitus vindictæ, quæ* ἀνθρωποπαθῶς *coincidit cum Dei justitia* vindicativa Joh. iii. 36. Rom. i. 18. Ἐνδείξασθαι, *admodum emphatice, dicit ostendere*

per demonſtrationem & evidentiam 1. Tim. 1. 16. *Verbum hoc compoſitum*; *tam de* Deo Rom. IX. 17. Eph. II. 7. *quam* hominibus 2. Cor. VIII. 24. 2. Tim. IV. 14. Tit. II. 10. & III. 2. *uſurpatum*, *notat ſatis* manifeſte & dilucide *declarare*, *ita ut omnibus res appareat*, *ac negari vel occultari nequeat. Hoc modo manifeſtare juſtitiam vindicativam*; *in juſta peccatoris punitione*, *ſupremus eſt* reprobationis finis, *nequaquam autem creaturæ exitium.*

2. Potentiam: & notam facere potentiam ſuam, γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτῷ. Τὸ δυνατὸν poſſibile, *idem hic valet quod* τὴν δύναμιν potentiam. *Reprobatione enim: notum facere intendit*, *eſſe in ſuâ potentia*, *ad iſtud exercitium* juſtitiæ *ſuæ vindicantis*, deligere *ex omnibus hominibus*, *quoſcunque voluerit. E quo patet finem* reprobationis *prout etiam* electionis, *adeoque univerſæ* prædeſtinationis *non eſſe*, *manifeſtationem gloriæ* communis, *quæ in omnibus Dei operationibus intenditur*; *ſed* ſpecialis, *juſtitiæ vindicatricis*, *potentiæ & miſericordiæ*, *in juſto exitio & gratioſa ſalute*, *manifeſtandæ.*

3. Longanimitatem *reprobationis*, *quâ*, multâ cum iræ cohibitione, pertulit *reprobos*, *quatenus conſtituit*, *non ſtatim a commiſſo peccato perdendos*, *aut à quovis beneficio ſecludendos eſſe: ſed quaſi cohibendam circa eos iram*, *gravandos compluribus beneficiis*, *corporalibus pariter & ſpiritualibus. In quibus ſplendet*, *non* una, *ſed* πολλὴ μακροθυμία multiplex longanimitas, *quod ſit* אֶרֶךְ אַפַּיִם Joël. II. 13. μακρόθυμος *eſt*, *qui longus ſeu longinquus à* θυμῷ *ab* excandeſcentia. *Vocem alii referunt*, *per* magnanimitatem, *non quidem ex etymo*, *ſeu efficacia vocis*, *cum* θυμὸς *non ſonet* animum; *ſed* excandeſcentiam *ſeu iram*, *ex* conſequenti *tamen*, *quod qui diu multumque patienter ferre poteſt injurias ſibi illatas*, magnanimus *ſit & dicatur*, *ita dici queat*; *non abs re*, *per* magnanimitatem *reddi poſſit. Non ſine cauſa igitur*, *finis reprobationis* ſecundarius, *conſtituitur Dei patientia*, *longanimitas & magnanimitas.*

C. Objectum *reprobationis*, σκεύη ὀργῆς, vaſa iræ. *Seu* inſtrumenta *iræ*, *utpote per quos*, *vel in quorum* juſta condemnatione, *iram*, *ſeu juſtitiam* punientem, *manifeſtam facit Deus*. σκεύη vaſa *& inſtrumenta dicuntur*; *phraſi Hebraica ſonant*, *quamvis* ſupellectilem, *quodvis* inſtrumentum, *quævis* utenſilia Heb. IX. 21. *ad* homines *refertur*, *imo ad reprobos* 2. Tim. II. 20. 21. *quod per eos*, *vel per eorum* juſtam *punitionem*, *Deus*, *gloriam* juſtitiæ *vindicativæ*, *item potentiam & longanimitatem*, *patefacere & obtinere ſoleat. Sicut ex adverſo* σκεύη ἐκλογῆς *appellantur electi* Act. IX. 15. *item* σκεύη εἰς τιμὴν vaſa ad honorem. *ſcil. gratiæ & miſericordiæ* 2. Tim. II. 21. *quod per eos honorem ſuæ miſericordiæ procurare Deus ſoleat*, *tum per* converſionem *eorum*, *Deo honorificam*, *tum per gratuitam eorum ſalvationem.*

D. Actus reprobationis; κατηρτισμένα εἰς ἀπόλειαν, præparata *ſcil. æterna deſtinatione*, ad exitium, *non tantum ad* finem (*hic enim Deus non* delectatur morte *peccatoris* Ezech. XVIII. 32.) *ſed tanquam* ad medium: κατηρτισμένα, coagmentata, compacta, adaptata, apta. *Participium*, *more Hebræorum*, *quia pauca habent* verbalia, *ponitur pro* verbali. *Plane ut Hebræorum* נָכוֹן, *quod* aptum *ſonat*, *quod* ἕτοιμος *verti ſolet*, *modo etiam per* κατηρτισμένος Pſal. LXVIII. 10. & LXXIV. 16. *Hoc modo* κατηρτισμένος *habetur* Luc. VI. 40. apti ad interitum. *Sed à quo adaptati ſunt? Reſp. Partim* à ſeipſis, *per infidelitatem & impœnitentiam*, *ſeipſos tradendo peccatis*, *eoque dignos faciendo exitio æterno* Jud. verſ. 4. *Partim & potiſſimum quidem*, à Deo, *qui æterna* reprobatione *decrevit impœnitentes exitio devovere* Prov. XVI. 4. Matth. XXV. 34. 41. *Quemadmodum vaſa*, *non aptantur* à ſeipſis; *ſed à figulo* Jer. XVIII. 6. Εἰς ἀπώλειαν ad exitium. *Vox eſt duriſſima ſignificationis. In mitiſſima*, *notat* mortem Joh. XI. 50. *imo per medium aliquod* miſerabile *v. g.* famem Luc. XV. 17. *imo deſtructionem* infernalem 2. Theſſ. I. 9. *à qua Judas appellatur* filius perditionis Joh. XVII. 12. & diabolus ἀπολλύων Apoc. IX. 11. *Significatur ergo*, *per reprobationem*, *reprobos parari ad omnimodum exitium*, *corporis pariter & animæ.*

II. *Secundum* electionem, verſ. 23. *Cujus* (*præſuppoſitâ efficiente*) *deponitur*

A. Finis *ſupremus* καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης. *Ubi per gloriam peculiariter intelligitur* bonitas *&* miſericordia *Dei*, *prout ſit* Exod. XXXIII. 18. 19. *Copulativum* ו. &, vel, verſ. *præcedentem* 22. *connectit cum hoc* 23. *ut*, κατ' ἀντίθεσιν *ſignificet reprobationis finem*, *ſaltem* per accidens, *eſſe illuſtrationem gratiæ divinæ*, *verſus vaſa miſericordiæ*, *quæ non ſatis appareret*, *aut æſtimaretur*, *ſi eſſet* omnibus *communis*: vel *ut ejus ope*, *alteram prædeſtinationis partem*, *ſcil. electionem cum præcedente reprobatione conjungeret.* Πλοῦτος τῆς δόξης, opulentiam gloriæ, *ſcil. gratiæ ac* miſericordiæ, *notat*: *vel* 1. *opulentam & ſuperabundantem Dei bonitatem*; *vel* 2. *divitias beatæ immortalitatis*, *quas electis*, *ex gratia præparavit*; vel *divitias*

gloriæ

gloriæ miſericordiæ, ſeu glorioſæ gratiæ Eph. 1. 6. & 14. *Paulus omnem* abundantiam, *ſolet vocare* πλοῦτον Rom. 11. 4. & 11. 33. 2. Cor. VIII. 2. Eph. 1. 7. Πλοῦτος *ergo* δόξης *hic &* Eph. 1. 18. Col. 1. 27. *eſt* ingens gloria.

B. Objectum, vaſa miſericordiæ. *In quorum gratioſa reſtitutione, gloriam ſuæ miſericordiæ panderet.* σκεύη ἐλέους. Ἔλεος miſericordiam *ſonat, ſicuti Hebræorum* חסד, *h. e. gratiam verſus miſerum. Reſpectu* hominum, *omnis generis bona notat, quibus gratuito eos Deus afficit: reſpectu* Dei *omnimodam miſerationem, & infinitam ejus benignitatem.* Vaſa *ergo* miſericordiæ *dicuntur electi, qui* per *miſericordiam electi ſunt*, ad *miſericordiam conſequendam, & per quos Deus gloriam ſuæ miſericordiæ illuſtrare intendit.*

C. Actus electionis. ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν. Paravit, adaptavit *conſequendæ ſaluti*; & præparavit *antequam exiſterent, ſeu per decretum prævium: quod proinde, non* præſupponit *aptitudinem aliquam*; *ſed* infert *& confert.* ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν. Ἑτοιμάζειν *divinam* deſtinationem *notat* Matth. XXV. 34. 2. Cor. 11. 9. Heb. XI. 16. Προετοιμάζειν *ſonat* ante præparare, *& quidem antegreſſionem diuturnam actus eligentis, ante opera bona, & vocationem ad ipſa.* Εἰς δόξαν ad gloriam, *non* Dei *tantum; quomodo & reprobatio vergit in gloriam; ſed &* electorum 2. Cor. IV. 17.

Pars dogmatica.

Dari prædeſtinationem probatur: tum Scripturis:

III. Sepoſitis in ſuum locum, quæ textui de *Electione* & *Reprobatione* ſunt peculiaria; generaliter ex eo conficimus, eſſe penes Deum decretum, de ſtatu creaturarum *rationalium æterno*, quod *prædeſtinationem* appellamus *Id* quod Sole clarius eſt, non modo *per Scripturam*, quando Deo tribuit προορισμὸν Rom. VIII. 29. 30. Eph. 1. 5. πρόγνωσιν Act. II. 23. 1. Pet. 1. 2. Rom. VIII. 29. πρόθεσιν Rom. VIII. 28. Eph. 1. 9. εὐδοκίαν Matth. XI. 26. Quando, in negotio *ſalutis* æternæ, non agere dicitur, niſi *ſecundum conſilium voluntatis* Eph. 1. 11. & ſervandi æternum, dicuntur τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον Act. XIII. 48. item προετοιμαζόμενοι εἰς δόξαν Rom. IX 23. prout contra damnandi, κατηρτισμένοι εἰς ἀπώλειαν. Ibid. verſ. 22. item προγεγραμμένοι εἰς τὸ κρίμα. Jud. verſ. 4.

Tum rationibus.

IV. Sed etiam *per naturam*. Si enim: 1. *omnia*, uſque ad minima, Deus agit *ex conſilio voluntatis* ſuæ; rem tanti *momenti*, quanta eſt in ſtatu *æterno* creaturæ *rationalis*, negligeret? Et ſi 2. nulla omnino *futuritio*, poſſit exiſtere citra æternum *decretum*, quin Deus *mutetur* in tempore, ac *dependeat* aliunde: quin item *fatum* adducatur, eventibus omnibus, plus quam *Stoicum* (dum quicquid fit, ab *æterno futurum* fuit, & ſi non per liberum Dei *decretum* futurum; non potuit ſanè aliunde futurum fuiſſe quam *à ſe.* fieri nequit, ut, vel *ſalus*, vel *exitium* creaturæ, accidat citra æternam *prædeſtinationem.* Non addam 3. Egregiè dimi nutum iri *gloriam* Dei, ex æterna creaturarum *ſalute* aut *exitio* oriundam, ſi ſtatuantur fieri *caſu, temere*, & citra prævium æternum Dei *conſilium.* Atque etiam 4. Facere ad *amplitudinem gloriæ* divinæ, eſſe per *prædeſtinationem*, in ejus domo, *vaſa iræ* pariter & *gratiæ* 2. Tim. II. 20.

Tollitur ambi-

V. Prædeſtinationis ſynonyma dudum enumeravimus, de iis tamen operæ pretium eſt obſervare, quod προορισμὸς, quandoque generalius notet *quodvis* aliud decretum Act. IV. 28. 1. Cor. II. 7. & πρόγνωσις, *prædilectionem*, ex quâ *electio* facta eſt Rom. VIII. 29. Niſi malis, eandem deſignare, *ideam univerſi prædeſtinationis* conſilii; quatenus exiſtit in *mente* divina, ante rerum *exiſtentiam.* Quod item πρόθεσις, quandoque prædeſtinationis illam peculiariter notet *partem*, quæ vel *finem* intendit, vel *media* fini proponit, quo ſenſu ſtrictius dicitur *prædeſtinatio.* Unde *prædeſtinatio*, aliquando fieri dicitur *ſecundum propoſitum*, & propoſitum *ſecundum electionem*, & electio *ſecundum propoſitum*, conſilium & beneplacitum voluntatis Dei Eph. 1. 5.

gnitas vocum in hoc negotio.

Prædeſtinationis vox quid notat?

VI. Peculiariter *prædeſtinationis* vox, aliquando cum *electione* coincidit Rom. VIII. 29. aliquando *ſtrictius* in ipſa electione, notat *deſtinationem* mediorum, ad ſalutem electorum, & ſic præſcientiam ſequitur: *quos præſcivit hos prædeſtinavit.* Nos hoc loco *latiſſime* uſurpamus, ut *univerſum* Dei conſilium dicat, de creaturarum rationalium *ſtatu æterno.* Et ſic *deſtinatio* quidem dicitur, quatenus certa eſt ordinis *mediorum*, ad *fines* determinatio: & *prædeſtinatio*, quatenus *ante* omnem rerum *exiſtentiam*, iſtum ordinem apud ſe conſtituit Deus.

Prædeſtinatio quoad rem, quid ſit?

VII. Non eſt autem hæc prædeſtinatio, niſi *decretum Dei*, de *ſpecialis gloriæ ſuæ manifeſtatione, in creaturarum rationalium ſtatu æterno. Decretum* appellatur, quia *definitam* Dei ſententiam continet, certo *conſilio* exſequendam. Quicquid proinde, ſuperiori capite, de Decreto Dei in genere eſt dictum, id *prædeſtinationi* recurrit applicandum.

Tria connotat:

1. Propoſitum finis.

VIII. Eſt juxta illa, ſingulatim in *prædeſtinatione*: 1. *propoſitum finis*, declaratio *gloriæ*, non cujuſvis; ſed *ſpecialis*, ſcil. primò *poteſtatis* & dominii divini Rom. IX. 21. *Volens notam facere potentiam.* Et verſ. 21. *Annon habet poteſtatem figulus luti?* quatenus ſcil. creaturas ſuas quantumvis *liberas*, deſtinare poſſit, in uſus, quos ipſe *voluerit*,

& ex eâdem massa, pro puro puto *beneplacito*, hunc destinare *vas iræ*, illum *vas gloriæ*: secundo gloriam *gratiæ* & misericordiæ Eph. 1. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ*, quatenus creaturam non nisi *iram* & æternam condemnationem *demeritam*, non tantum æternæ vitæ; sed &, per *mortem* proprii & unigeniti Filii sui, restituere decrevit: tertio gloriam *justitiæ* vindicativæ Rom. IX. 22. *Volens ostendere iram*, scil. in *justa condemnatione*, contumacis creaturæ.

2. Conceptum mediorum.

IX. Est 2. in prædestinatione *idea*, & conceptus *mediorum*, ejusque velut *inspectio*, quo aptissima ex illis q. seligat. Media illa præstant (1) Gratuita *salvatio*, & justa *condemnatio*: constituit enim, in his gloriam *gratiæ*, & *justitiæ* manifestare. (2) *Creatio* universalis universi generis humani; cum creato, contractus fœderis *operum*, ejusque *derelictio*, seu *permissio lapsus*, quo nim. *objectum* haberet, in cujus gratiosâ *salute* & justâ *condemnatione*, gloriam manifestaret, misericordiæ & iræ. Quæ *omnia*, pro *uno* medio concurrunt, in prædestinationis negotio. (3) Ex creatis *omnibus*, delectus singularum *personarum*, in quibus nominatim, *misericordia & ira* patefieret.

3. Intentio & destinatio mediorum.

X. Est 3. *Intentio* & destinatio *mediorum*, quibus gratuita *salus* quorundam, & justa *condemnatio* aliorum, procuraretur: scil. *restitutio* illorum, per Filium Mediatorem; & *derelictio* horum in peccatis suis. De quibus suo loco plura.

Prædestinatio est in intellectu & voluntate.

XI. Non est igitur, ut nonnulli voluerunt è Scholasticis, prædestinatio actus *solius* intellectus, nec etiam *solius* voluntatis; sed intellectus & voluntatis simul. Unde *consilium* appellatur (in quo idea *mentis*, de fine & mediis, & intentio *voluntatis*, concurrunt) προόγνωσις, sed & προορισμένη βουλή, & *consilium voluntatis* appellatur. Quod non tantum de *electione* est admittendum? sed & de *reprobatione*: unde Apostolus, *volens* inquit, *ostendere iram*, imo & de quovis Dei decreto, agit enim *omnia* secundum *consilium voluntatis* Eph. 1. 11.

Versatur circa creaturarum rationalium statum æternum; Angelorum: Et hominum.

XII. Objectum *prædestinationis*, per quod insuper differt à decreto in *genere*, est *creatura rationalis*: Angeli & homines, omnes & singuli, quia scil. subsunt statui *æterno*, in quo gloria Dei *specialis*, per *salutem* & *condemnationem* declarari potest ac debet. Esse *Angelos*, prædestinationis objectum, Scriptura testatur, dum exsertè *Electos* commemorat 1. Tim. v. 21. Matth. xxv. 34. collat. cum vers. 41. & qui *catenis caliginis* servantur ad *judicium* 2. Pet. II. 4. Jud. vers. 6. conf. Matth. xxv. 41. collat. cum vers. 34. Copiosior tamen est Scriptura, circa prædestinationem *hominum*. Objicitur autem, utraque hæc rationalis creatura prædestinationi, quoad statum suum *æternum*, *exitium* scil. & *gloriam* Rom. IX. 22. 23. quoad statum *temporalem*, communis *providentiæ* decreto, cum reliquis creaturis expositа. Objicitur item, non quà *creata* & *lapsa*, quantum enim ad *Angelos*, expeditum est negotium, non potuisse eos in prædestinatione considerari ut *creatos & lapsos*: & ut etiam, quantum ad *hominem* videas clarius; observandi hîc *quatuor* Dei actus: 1. Propositum *manifestandi* gloriam, *misericordiæ & justitiæ* vindicantis. 2. Statutum creandi, & in *lapsum permittendi* omnes homines, in communi quodam *principio*. 3. Ex creatis & lapsis, *eligendi* hunc, in quo gloriam *misericordiæ* consequeretur; & *reprobandi* illum, in quo gloriam *justitiæ vindicis* obtineret. 4. Intentio *præparandi* ac dirigendi *media*, electioni & reprobationi analoga. Ratione *primi* actus prædestinationis, objectum non potuit fuisse, nisi homo *creabilis* & *labilis*, quoniam præsupponitur, nullum adhucdum decretum factum, de creatione & lapsu: ratione *secundi* actus proprie est homo *creandus* & *lapsurus*: ratione *tertii*, homo *creatus & lapsus*: ratione *quarti*, homo *electus* & *reprobus*. Cum igitur *prædestinatio*, quatenus distinguitur ab *electione* & *reprobatione*, duobus *prioribus* actibus constet; accuratissimè dixeris, *prædestinationis* quidem, objectum esse hominem *creabilem* & *labilem*, *creandum* & lapsurum: dum interim, *electionis & reprobationis* objectum sit homo *creatus & lapsus*. Et sic commodissimè conciliaveris, in speciem dissidentes sententias, atque etiam tutissimè sustuleris difficultates, quibus pars quævis partem sibi adversam gravare solet. Quod si igitur, adversus *Supralapsarios*, quos vocant, urgeant *Infralapsarii*, 1. Scripturas, quibus Deus occupari prædestinando dicitur, circa homines, ut vasa *iræ* & *misericordiæ*. Nec 2. potuisse aliter quam *perditos* in Adamo considerari, qui *in Christo* (Eph. 1. 4.) id est in Christo *servandi*, considerantur: tandem 3. tales objici divinæ prædestinationi, quales nos divina *vocatio* reperit, nempe *demersos* per peccatum, in *mundo*: Quod si inquam ista causentur *Infralapsarii*; nil facilius erit quam respondere, objectum quidem *prædestinationis*, ut est formaliter *electio* & *reprobatio*, seu *tertii* actus, esse hominem *creatum & lapsum*; nequaquam tamen *universa* prædestinationis, & nominatim non *primi* ejus actus, seu propositi, declarandi gloriam *misericordiæ*, & *justitiæ*, in salute & condemnatione quorundam indefinitè: contra si *Supralapsarii* adversus *Infralapsarios* causentur, eos creationem & lapsum statuere, cujus finis non sit, manifestatio *gratiæ & justitiæ*; proclive erit reponere, se creationis & lapsus permissi *finem* quidem agnoscere manifestationem *gratiæ* & *justitiæ*, ejusque objectum, hominem *creabilem & labilem*; sed *electionis & reprobationis*, quà *talis* objectum statuere hominem *creatum & lapsum*.

XIII. In.

Variæ de prædestinationis objecto sententiæ.

XIII. Interim operæ prætium erit, divortium sententiarum in hoc negotio, perspicere. *Supralapsarii rigidi*, statuunt Petrum. v.g. & Judam, adhucdum *creabiles* & *labiles* tantum, objectum esse prædestinationis: *Infralapsarii rigidi*, contra hominem tantum *creatum* & lapsum: *Medii ὀρθοδοξώτατοι*, *creabilem* & labilem *prædestinationis*, ut *talis*; sed *creatum* & lapsum, *electionis* & *reprobationis*, ut *talis*: *Universaliste* Reformati, objectum electionis & reprobationis dicunt, hominem insuper *redemtum* & *vocatum*: *Pelagiani* & Pelagianizontes, hominem *credentem* & non credentem: imo & in articulo *mortis* constitutum ac mortuum.

Affectiones prædestinationis sunt: 1. Æternitas.

XIV. Quantum ad *affectiones* prædestinationis, est, pro ratione quorumvis decretorum divinorum, *primò æterna* Rom. IX. 11. Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. 2. Thess. II. 13. Et operabatur etiam ab *initio* operum Dei, sed nullam *disparitatem* facit, in ipsis prædestinatis ante actualem vocationem Eph. II. 3. *Prædestinatio* enim, ante *applicationem* gratiæ, quæ fit *vocatione* efficaci, seu potius *regeneratione*, nihil ponit in *prædistinatis*; sed latet in *prædestinante* solo.

2. Independentia.

XV. Proinde *secundò*, prædestinatio est *independens*, utpote *prima* status æterni causa *determinans*. Deus enim *volens ostendere* iram, &c. Rom. IX. 22. 23. Hinc 1. prædestinatio, nec objectum suum, nec terminum, necessariò præsupponit, ut *existens*; sed ponit *ut existat*, ita ut, *vi* prædestinationis, ordinetur *ut sit* 1. Pet. I. 20. Hinc 2. à nulla *causa*, ratione, vel *conditione* externa pendet; sed purè proficiscitur, à prædestinantis *voluntate* Matth. XI. 26. Rom. IX. 16. 18. Hinc 3. nec rationi, nec Scripturis consentaneum est, aut *ullam qualitatem* prærequisitam statuere in homine, quasi *formale* prædestinationis objectum, aut ullum hominis *statum* sic assignare, ut *reliqui* excludantur: sufficit enim intelligere, homines *inter se pares*, esse objectum hujus *discriminantis* decreti, ita ut differentia decreti, non pendeat *ex homine*, sed *differentia* illa, quæ in *hominibus* reperitur, *ex decreto* illo consequatur.

3. Immutabilitas.

XVI. Inde *tertiò*, est *immutabilis* quoque, scil. pro ratione decreti cujusvis divini Jes. XIV. 26. 27. & XLVI. 30. Unde *solidum Dei fundamentum* appellatur 2. Tim. II. 19. habens insuper *sigillum*, adeo ut, nec semel *electus*, reprobari; nec *reprobatus*, eligi unquam possit.

4. Certitudo.

XVII. Eadem ratione *quartò*, *certa* est, *numerum* determinans servandorum & damnandorum, non tantum *numerantem*, *quot* sint servandi, quot damnandi; sed & *numeratum*: *qui*. Ibid. Proinde, non tantum *statum* determinat, servandorum & damnandorum: *fideles servabo*, *infideles damnabo*; sed & *personas*; *miseretur quorum vult*, *& indurat quos vult* Rom. IX. 18. Imo & *singulas* personas, *Jacobum dilexi*, *Esavum odio habui* Ibid. vers. 13.

5. Quod absoluta.

XVIII. Est *quintò*, *absoluta* & peremtoria, adeo ut, quamvis salutem & condemnationem, illa *suspendat* à suis causis & conditionibus, atque ea ratione, *conditionata* utcunque dici possit; *ipsa* tamen à nulla prorsus, seu *causa* seu *conditione* suspenditur. *Quos enim præscivit*, *hos prædestinavit*, *quos prædestinavit hos vocavit*, *quos vocavit hos etiam justificavit*, *quos* tandem *justificavit*, *hos & glorificavit* Rom. VIII. 29. 30.

6. Libertas.

XIX. Est *sextò*, libera & *liberrima*: *cujus enim vult*, *miseretur*, *& quem vult*, *indurat*, & sicut *figulus*, pro sua *potestate*, ex eadem massâ, pro lubitu, hunc quidem, facit *vas ad decus*, *illum vas ad dedecus* Rom. IX. 18. 21. Quatenus nim. nec per *naturæ* necessitatem, ad eligendum hunc præ illo; nec per *objecti* conditionem; sed puro puto *beneplacito* voluntatis, quasi determinatus est Matth. XI. 25. 26.

7. Sapientia.

XX. Est tandem *septimò*, *sapientissima*, ut hîc merito exclamet Apostolus: *O profunditas divitiarum*, *sapientiæ & cognitionis Dei*! *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus*, *& imperveſtigabiles viæ ejus*, *quis enim mentem Domini cognovit? aut quis ei fuit à consilio?* Rom. XI. 33. 34. Unde & *consilium* appellatur, quod tanta fiat & tam exacta *sapientia*, quanta sapientissimus, in deliberatissimis sui *consiliis* occupari consuevit. Quamvis enim, à *causis* & *rationibus* aliunde, Deus non pendeat; tamen suas semper sibi habet, consiliorum suorum *rationes*, *media* cum suis *finibus* connectit, & media finibus suis analoga prospicit.

Ordo in prædestinatione.

XXI. Unde *sapientissimus* ille resultat, prædestinationis *ordo*, quem Scriptura passim commemorat Rom. VIII. 28. 29. 30. & IX. 11. & Eph. I. 4. 5. 1. Thess. V. 9. 2. Thess. II. 13. 14. 1. Pet. I. 2. Joh. III. 16. & quem aptissima finis & mediorum, causarum & effectuum *subordinatio* & *σύνταξις*, palam facit, quique in exsecutione salutis & condemnationis, ubique pellucet. Cujus ordinis *directorium* universale est, in hoc canone: *quicquid est primum in intentione*; *illud ultimum est*, *in exsecutione*: *& ex vice versa*, *quicquid est ultimum in exsecutione*; *hoc primum fuit in intentione*. Juxta hunc Canonem Deus: 1. Sibi proposuit, gloriam *gratiæ & justitiæ* manifestare. Huc 2. Homines, ad suam imaginem in protoplastis *creare*, cum creatis *fœdus operum* pangere, & violationem istius fœderis, efficaciter *permittere* in lapsu. Hinc 3. Ex creatis & *lapsis*, hunc nominatim *eligere*, illum *rejicere*. Porro 4. Electis *media* salutis conferre, *redemtionem* per Filium Mediatorem; & redemptionis *applicationem*, fide procurandam: contra reprobis, media salutis negare, eos in peccatis suis relinquere. Et sic 5. Per *fide* me electos æternùm servare, propter

pter Christum; & reprobos æternùm condemnare, propter peccata. Ut hac ratione tandem 6. consequatur, gloriam *misericordiæ*, in electorum salute; & *justitiæ* vindicis, in reproborum condemnatione. Hunc ordinem Scriptura docet, & experientia liquido confirmat.

Prædestinatio Angelorum & hominum.

XXII. Est prædestinatio, *ex objecto*, vel Angelorum, vel hominum, ut supra indigitavimus. De *Angelorum* prædestinatione, pauca exserte Scriptura habet, pleraque ejus colliguntur, partim ex decreti divini circa eos *executione*: partim ex *prædestinatione* hominum, per collationem parium & imparium. Juxta quam, prædestinatio *Angelorum* & hominum *convenit* (1) In *efficiente* & *impulsiva* causa, quæ utrobique divinum est *beneplacitum*; elegit enim Angelos 1. Tim. v. 21. collat. cum Marc. XIII. 20. & reprobavit, quibus *paravit* ignem æternum Matth. XXV. 41. Utrumque pro *beneplacito* suo. Conf. Dan. IV. 24. (2) In prædestinationis *actu formali*, separatione seu *discretione* conservandorum Angelorum, & deferendorum, quæ in electione (1. Tim. v. 21.) *connotatur*. Unde Petrus dicit, Deum non *peperciisse Angelis* qui peccarunt 2. Pet. II. 3. (3) In prædestinationis *fine*, manifestatione *gratiæ*, saltem *conservantis*, & justitiæ *punientis*. (4) In objecto *creabili*, labili, creando & lapsuro: *differunt* interim. A. *Ordine*, quatenus *Angelorum* prædestinatio præcedit, *hominum* sequitur, significante Servatore Matth. XXV. 41. & patente in ipso *creationis ordine*. B. προγνώσει, quæ, in Angelorum quidem conservatione, fuit *gratia*: in hominum vero restitutione, *misericordia*. C. In *mediis* & effectis, siquidem in Angelorum *beatificatione*, prout fit in hominum, Deus nec Christum adhibet Mediatorem, nec vocationem, justificationem, adoptionem. D. *Gradibus*, dum enim in *Angelorum* electione, *major* apparet *gratia*, quatenus eos *præservavit* à miseria, & in reprobatione major *justitiæ rigor*, quatenus citra omnem restitutionis spem; *abjecit* 2. Pet. II. 4. major apparet *misericordia* in electione *hominis*, quem *peccatorem* servat; & major severitas, dum reprobos, non modo sua peccata *actualia*; sed etiam *originale*, quin & protoplastorum, vult luere.

In quibus conveniat?

In quibus differat?

Prædestinationis partes: electio & reprobatio.

XXIII. Et utriusque tandem, Angelorum & hominum prædestinatio, ex *partibus* est vel *electio*, vel *reprobatio*. Quamvis prædestinationis ratio, utrique horum membrorum, non *æqualiter* competat; sed *potiori* modo, electioni in Scripturis tribuatur. Interim distributionis rationem, jamjam in *elenchticis*, singula autem ejus membra, singulis Capitibus, expediemus.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An &

XXIV. Quæritur 1. An & reprobatio, sit prædestinationis pars aut species? Quæstio esse possit, vel *verbalis*, an *prædestinationis* vox, etiam reprobationi competat? vel *realis*, an apud Deum, *decretum* aliquod sit, de *reproborum* statu æterno, prout est apud ipsum de *electorum* statu æterno? Apud Pontificios Scholastici, quo efficacius succurrant *independenti indifferentiæ* liberi arbitrii, quod per decretum *necessitari* putant, eoque reprobos, non *libere*, sed *necessario* peccare & perire autumant: nullum *decretum* divinum in reprobatione admittunt: sed meram tantum *præscientiam*, utpote quæ, non influat in reproborum liberum arbitrium, nec ullam ei afferat *necessitatem*, quemadmodum præscientia mortis in Medico, non influit, neque necessariam facit mortem ægroti. Hac causa negant, reprobationem esse *prædestinationem*. Lutherani etiam, odio *absoluti decreti* in reprobatione: *prædestinationis* negotium, ad solam referunt *Electionem*. Reformati statuunt, esse in reprobatione, perinde *decretum* Dei, de reproborum statu æterno, atque in electorum est: & hinc reprobationem perinde *prædestinationem* esse, atque est *electio*: quamvis de *voce*, non desiderent λογομαχεῖν. Rationes eorum præcipuæ sunt: 1. Quod *prædestinationis*, προορισμὸς, paronymum, in *reprobationis* negotio, usurpatum legatur Act. IV. 28. Conferatur de *Juda* reprobo Cap. I. 16. 25. Quod 2. *prædestinationis res*, non uno modo, in Scripturis referatur ad *reprobationem*, v. g. Prov. XVI. 4. *Fecit impium ad diem mali.* Matth. XXV. 41. ignis æternus *paratus* est, ante jacta mundi fundamenta Diabolo, Angelis ejus, & reprobis hominibus. Rom. IX. 22. Vasa iræ *præparata* dicuntur, ad interitum. 1. Thess. V. 9. Nonnulli *constituti* dicuntur ad iram. Jud. vs. 4. *Præscripti* ad judicium condemnationis. Quod 3. Scriptura Pharaonem *reprobum*, ejusque excæcationem & indurationem, *reprobationis media*, referat ad voluntatem Dei *prædestinantem* Rom. IX. 17 18. *In hoc ipsum suscitavi te, ut.... quos vult indurat. Infideles* reprobi, ad *offensionem*, reprobationis medium, dicuntur *positi*: *in quod etiam positi sunt* 1. Pet. II. 8. Sapientibus hujus mundi *reprobis*, mysteria euangelica, Deus *occultavit*, quod itidem est *medium* reprobationis: *quia sic fuit* εὐδοκία ἔμπροσθέν σε, *beneplacitum coram te* Matth. XI. 25. 26. Quod 4. In reprobatione, perinde sit destinatio mediorum in finem, atque est in electione: quatenus *vasa iræ*, seu reprobi, eorumque justa, propter peccata sua, condemnatio, velut medium, perinde destinatur à Deo, ad manifestationem *iræ*, seu *justitiæ* suæ vindicativæ: ac vasa misericordiæ, eorumque gratuita beatificatio, destinatur ad manifestationem gloriosæ gratiæ suæ, Rom. IX. 22. 23. Hinc 5. Veteres, Augustinus, *Encheirid.* cap. c. Item de *peccat. merit. & remiss.* lib. II. cap. 17. Prosper, *ad Capit. Gall.* cap. XVII. Fulgentius, peculiari libro de *duplici prædestinatione*,

reprobatio, sit prædestinationis species?

Sententiarum collatio.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

ne,

Objectiones. ne, nobiscum & cum Scriptura, statuunt, reprobationem etiam esse *prædestinationem*. Causantur interim in contrarium: α. Quod *prædestinationis* vox, προορισμὸς, in Scripturis nullibi usurpetur de reprobatione. Resp. 1. Hoc ad summum, ulterius non pertingit, quam quod *vox* illa προορισμὸς, per Scripturas, non competat reprobationi, de quo nolumus cum quoquam λογομαχεῖν, si modo res in vado sit. 2. Ea *vox*, in suo paronymo προορίζειν Act. IV. 24. & in suis synonymis, non uno modo usurpatur de reprobatione, ut ostendimus. β. Quicunque *prædestinati* sunt, ii etiam *glorificantur* Rom. VIII. 29. 30. Reprobi autem non glorificantur: Ergo..... Resp. 1. Sic & *præsciti* non erunt, quod est contra hypothesin τῶν ἀντικειμένων. 2. Quamvis *prædestinationis* vox, Rom. VIII. 28. strictiore sensu, usurpetur de *electione*: alibi tamen παρονύμως, de reprobatione usurpatur Act. IV. 48. γ. In reprobatione non est præordinatio finis & mediorum, seu destinatio mediorum ad finem, quia, nec *damnatio* est *finis*, cum non sit *bonum* quid; nec *peccatum*, quod est medium reprobationis, *destinari* potest ad finem. Resp. Reprobationis *finis* non est proprie damnatio, nec ejus *medium* proprie est peccatum; sed *finis* reprobationis, est illustratio *vindicativæ justitiæ*, atque etiam *potentiæ* Rom. IX. 22. & *medium*, *justa condemnatio*, inflicta propter reproborum peccata. Hoc medium, cum illo fine, Deus omnino constituit in reprobatione, & in hoc est *destinatio*. γ. Electio & reprobatio sunt *pugnantia*, proinde non possunt idem habere prædestinationis genus proximum. Resp. 1. Sicut homo & brutum, utcunque *diversa*, idem admittunt *genus proximum*; ita & electio ac reprobatio, diversa, idem admittunt genus prædestinationis 1. Thess. v. 9. non *constituit* nos ad *iram*, sed ut *salutem* consequamur. 2. Licet objectorum & effectorum sint pugnantia: respectu Dei tamen non sunt *pugnantia*; sed *diversa* tantum, cum utraque profluat, ab *uno* Deo prædestinante, & ab una ejus εὐδοκίᾳ Matth. XI. 28. 29. ε. Si reprobatio esset *prædestinatio*; tum reprobus ad *peccatum*, & ad damnationem æternam prædestinatus esset. Resp. Nequaquam: quia reprobus prædestinatus est, ad illustrationem justitiæ Dei vindicativæ, velut *finem*; & ad *justam*, propter peccata sua, condemnationem, velut *medium*. Tandem ζ. Si reprobatio esset *prædestinatio*, tum non libere peccaret reprobus; nec juste damnaretur. Resp. Nihilominus libere peccat reprobus, quatenus ex consilio, deliberatione, & complacentia rationali peccat; neque enim hoc ei adimit prædestinatio: tum postquam libere peccavit, *juste* quanquam *necessariò*, punitur.

2. An prædestinatio, æterna

XXV. Quærirur 2. An prædestinatio, *æterna* quidem & *absoluta*, hoc uno absolvatur, quod Deus ab æterno decreverit, morigeros *eligere*, & immorigeros damnare? Adversarii Sociniani & Arminiani, varias ponunt Dei prædestinationes, quarum aliæ sint *æternæ*: aliæ *temporales*; æternæ iterum in ipsis geminæ sunt: alia *absoluta*, *status*, qua decreverit, morigeros *servare*, & immorigeros *damnare*; alia *conditionata*, *personarum*, volo v. g. Petrum servare, si voluerit se morigerum præbere, & Judam damnare, si se non voluerit morigerum præbere, habent item *temporalem*, eamque rursus, vel *non-peremptoriam*, volo v. g. Petrum, quem video impræsens credere, si voluerit in fide ad finem perducere, æternùm servare: & *peremptoriam*, quia video, in articulo mortis constitutum, velle perdurare, æternùm servare; & contra Judam, quia video ipsum nolle credere æternùm damnare. Πρῶτον ψεῦδος tot distinctionum, in hoc uno est, ut conservetur independens indifferentia liberi arbitrii, quam illi lædi, imo tollit putant, decreto æterno, absoluto & personali. Reformati, *unam* tantum, eamque æternam, absolutam & personalem agnoscunt prædestinationem. Rationes eorum præcipuæ sunt: 1. Quia omne decretum Dei ipse Deus, per Capitis præced. paragraph. XXVIII. Quia 2. omne decretum Dei est *æternum*, per ejusdem Capitis §. XXIX. Quia 3. nullum datur decretum Dei *conditionatum*, per ejusdem Cap. §. XXX. Quia 4. nullum datur decretum Dei *generale*, per ejusdem Cap. §. XXXII. Quia 5. nullum datur decretum *mutabile*, per ejusdem Cap. §. XXXIII. Quia 6. Scriptura omnem prædestinationem, exserte ad singulares personas extendit, v. g. ad Jacobum & Esavum Rom. IX. 10. 11. 12. ad Apostolos Luc. X. 20. ad Paulum Act. IX. 15. Nec datur dissimile exemplum. Quia 7. ex prædestinatione novit, *qui sint sui* 2. Tim. II. 19. Quia 8. Paulus prædestinationem, passim extendit *ad se*, ad suos auditores, v. g. Ephesios, Thessalonicenses Eph. I. 4. 5. 2. Thess. II. 13. 1. Thess. v. 9. Quia 9. Prædestinatione, singulos, quasi *libro vitæ*, nominatim inseruerit Apoc. XIII. 18. Vid. Dan. XII. 1. Luc. X. 20. Phil. IV. 3. Apoc. XX. 15. & XXI. 26. Quia 10. Paulus, *quos præscivit*, inquit, *hos prædestinavit* Rom. VIII. 29. 30. item *credidisse quotquot ordinati erant ad vitam æternam* Act. XIII. 48. Nec ullum sistere possunt adversarii Scripturæ locum, qui dicat, Deum non prædestinare *singulos*, aut prædestinando, tantum determinare *status*, servandorum & damnandorum. Tantum urgent: 1. Ea Scripturæ loca, quæ *promissiones* & *comminationes* loquuntur, toto cœlo diversas à decreto & prædestinatione, ut ostendimus capitis præced. §. XXXII. Tum 2. Evertere istam prædestinationem, rerum *contingentiam* & arbitrii *libertatem*; contra, durâ res omnes urgeri *necessitate*. Quæ nos constanter negamus: non enim obstat, quo minus multa in mundo fiant, per causas *proximas* ad istum effectum *suâ natu-*

quidem & absquarum. in hoc uno consistat: volo morigeros servare &c.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus:

Objectiones.

natura non determinatas, à quibus contingentia dicuntur; neque per causas *consilio* sese determinantes ad suas actiones, in quo ratio *libertatis* consistit: sed tantum *certitudinem* eventus determinat, sed per causas *necessarias*, seu per *contingentes*, seu per *liberas* procurandi, ut alibi docuimus. Hinc 3. urgent, *singulorum* prædestinationem, omnem *evertere Religionem* & *cultum* divinum, utpote qui, cum *necessitate* sit ἀνύσατος. Quod, negata jam prædestinationis *necessitatione*, sponte corruit. Tandem 4. urgent prædestinationem *singularem*, Deo indignam esse, quod ei A. *Iniquitatem* tribuat, dum *puniat* hominem ob id, quod per suum *decretum*, *non potuerit non facere*. Resp. Imo punit, quia legem sibi præscriptam *sponte transgreditur*, *insciam* sui decreti, neque id agentem, ut decreto suo *obsequatur*; sed propriæ *cupiditati*. B. Deceptricem etiam *simulationem*, quâ *omnes* promiscue *vocet* ut serventur, quando immutabili *decreto* constituerit, multo *maximam* hominum partem, nunquam servandam. Resp. Quos vocat *non servandos*, non eo vocat ut serventur; sed ut reddantur ἀναπολόγητοι, *suâque* culpâ pereant, ob voluntariam *contumaciam*. C. *Insciam* & imprudentiam, quâ *ferò* vocet, & *conetur* ad salutem perducere, quos, ex prædestinatione, *præscit* nunquam salutem consecuturos. Resp. Jam dictum est; ipsum non vocare, nec conari, ut *actu* serventur; sed ut *sua culpa* pereant, & *justam* sui exitii causam *agnoscant*. D. *Pravitatem*, quâ decreverit non modo *qui condemnari*; sed etiam *qui peccare* debeant. Resp. Decrevit *permittere* peccatum, & *propter illud* juste condemnare, ad hoc, ut manifesta in eo fiat majestas *justitiæ*, in quo nulla omnino est pravitas.

3. An præter beneplacitum divinum ulla detur prædestinationis causa movens?

XXVI. Quæritur 3. An præter divinum *beneplacitum*, ulla reperiatur prædestinationis causa movens? Pelagiani crassi, cum quibus ex asse faciunt moderni Sociniani, quia nullam omnino *certam* admittunt futurorum liberorum præscientiam, quod, propter independentem liberi arbitrii indifferentiam, ea præsciri non possint, ne quidem prævisio fidei & respiscentiæ, habent pro causa impellente *electionis*, nec prævisionem infidelitatis, *reprobationis*, multo minus meram Dei εὐδοκίαν admittunt pro causa impulsiva prædestinationis. Semipelagiani Pontificii, Remonstrantes, Lutherani, aliique omnes qui sunt extra Ecclesiam Reformatam, ejus causam impellentem statuunt, vel prævisa bona opera ratione electionis, sic Pontificii; vel prævisam *fidem*, ratione electionis: vel infidelitatem, ratione reprobationis, sic reliqui, ad hoc, ut indifferentiam independentem, libero hominis arbitrio, sartam tectum conservent. Reformati, nullam *proprie* dictam prædestinationis causam admittunt, quia prædestinatio, pro ratione cujusvis decreti divini, est *ipse Deus* prædestinans, in quem, propter universalem ejus independentiam, relatio causæ & effectus, non cadit: pro nostro tamen concipiendi modo, quo agentem ab actione, formaliter distinguimus, dicimus prædestinationis *impulsivam* esse solum ejus *beneplacitum*. Interim tamen *rationes* à causis discriminamus, quatenus *illæ producunt* effectum; *hæ* verò connectendorum mediorum cum suis finibus, rationes tantum præstant: proinde cum decreta Dei, sint *sapientissima*; non abnuimus quidem, *ἐυδοκίας* istius, *rationem* dici manifestationem *misericordiæ & justitiæ* vindicativæ: ast ejus *causam*, aut rationem etiam, extra Deum, nullam admittimus, nisi *beneplacitum*, cujus *finis* sit manifestatio quam diximus, *misericordiæ* & *justitiæ* vindicis. Rationes nostræ sunt: 1. Quia, præter istud beneplacitum manifestandi istam suam gloriam specialem, nihil nobis pro causa impellente, aut ratione, in Scripturis revelatum deprehendimus Matth. XI. 25. 26. Eph. I. 5. Rom. IX. 22. 23. &c. Quia 2. In prædestinatis, in tempore demum exstituris, nihil esse potest, quod sit prædestinationis *æternæ* causa quovis modo, nisi quod nascitur in tempore, velis dicere causam ejus, quod fuit ab æterno. Quia 3. omnia, in prædestinatis, quæ causæ rationem habere præsumuntur, prædestinationem sequuntur, v. g. bona *opera* Eph. I. 4. *fides* Act. XIII. 48. *infidelitas* Joh. VIII. 47. & VI. 65. Quia 4. Deus præscire non potest, quinam sint crediturі, quinam secus, nisi ex decreto prædestinationis; est enim omnis *futuritio*, à solo Dei decreto. Quia 5. quilibet seipsum discerneret, contra Paulum 1. Cor. IV. 7. *Quis te discernit? & quid habes, quod non acceperis? & si accepisti.....* In contrarium causantur: A. Quod Christus sit causa beneplaciti divini, proinde & prædestinationis, saltem eligentis Matth. III. 17. & XVII. 5. Jes. XLII. 1. Resp. In Christo sibi placuit Pater, quatenus æterno consilio pacis, ipsum admisit pro electorum expromissore, quatenus illum electis dedit in Mediatorem unicum, quatenus ejus satisfactionem, pro electorum reatu admisit, quatenus est causa meritoria omnium beneficiorum salutarium, juxta electionem: sed ipsius prædestinationis aut electionis, quatenus notat *actum* Dei eligentem, nullibi Christus dicitur causa. B. Quod nos, non possimus *beneplacere* Deo, ut prædestinatione eligamur, nisi *in Christo* Eph. I. 5. nec esse in Christo, nisi per fidem: proinde non solum Dei beneplacitum est causa prædestinationis; sed, & Christus, & fides in Christum prævisa. Resp. Nos equidem Deo placere non possumus, citra *Christum* Eph. I. 5. 6. 7. nec nisi per *fidem* Heb. XI. 6. Hoc tamen non obstat, quominus Deus, puro puto suo beneplacito, & Christum, & fidem electis destinaverit, ut per Christum & fidem sibi placere-

Divortium sententiarum.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

Placerent. Proinde beneplacitum de dando Christo & fide, non pendet à Christo & fide; quamvis τὸ placere Deo, non aliunde pendeat, quam à Christo & fide in eum. C. Quod, si prædestinatio sit *absoluta*, i. e. independens à prævisis, quia est ex beneplacito divino; & *glorificatio* erit *absoluta*, quia & illa dicitur facta ex beneplacito divino Luc. XII. 32. Sed falsum consequens, quia glorificatio suspenditur à vocatione & justificatione Rom. VIII. 29. 30. Resp. Nexus nullus est, quia ex absoluto prædestinationis beneplacito, glorificatio, ex eadem prædestinatione, & eodem beneplacito divino, suspenditur ex fide & sanctimonia, adeoque licet *consequens* prædestinationis, pendeat à fide; non tamen ipsa *prædestinatio*, juxta Rom. VIII. 29. 30. Tandem D. si prædestinatio non pendeat nisi â beneplacito divino; tum electus servabitur, quamvis ad finem usque, impie vivat: & ex adverso reprobus, quamvis pie vivat. Resp. Ex prædestinatione, non potest *electus* ad finem vitæ, *impie* vivere Eph. I. 4. Nec etiam *reprobus*, *pie*: quod qui prædestinavit ad *finem*, prædestinarit etiam ad *media* congrua.

4. Quid statuendum de ordine prædestinationis Arminiano?

XXVII. Quæritur *quartò*, quid statuendum, de ordine prædestinationis Arminiano, qui paucis mutatis, etiam à Jesuitis & Lutheranis recipitur: quo Deus statuit 1. Christum Mediatorem dare, ut peccatum morte sua aboleat. 2. Respiscentes & credentes in gratiam recipere, contra impœnitentes & infideles damnare. 3. Media ad resipiscentiam & *fidem*, *omnibus* sufficienter & efficaciter subministrare. Tandem 4. Hos nominarim, quos præviderit sponte credituros, eligere, & non credituros, reprobare? Resp. Quoniam huic ordini substernitur 1. gratia æqualiter *universalis*, quantum ad actus tres priores: 2. *Liberum arbitrium*, quod velit credere aut non credere, eoque gratiam universalem discriminet: Et 3. Prædestinatio *pendens* à creaturâ ejusque libero arbitrio. Denique 4. Prædestinatio non tam circa personas quam circa statum occupata; statuendum omnino hunc ordinem & Scripturis, & experientiæ è diametro esse contrarium, accuratissime hoc demonstrante Altingio *Elencht. Nov.* loc. IV. *Controv.* 2. Quæ præterea hîc disputari possent de affectionibus ac distributionibus prædestinationis, ad *Electionem* & *Reprobationem* peculiariter spectant.

Pars practica.

In negotio prædestinationis: 1. Agnoscenda est. Tum potestas.

XXVIII. Prout *universalia* quævis, existunt & operantur in suis singularibus; ita & *prædestinationis* ἐνέργεια practica, potissimum conspicitur, in suis singularibus, *Electione* & *Reprobatione*. Interim hîc juvabit *primò* cogitare (1) absolutum Dei Dominium ac potestatem, quâ (a) non creaturas tantum *viliores*; sed omnium *præstantissimas*, & his non *homines* tantum; sed *Angelos* quoque, omnes & singulos, eorumque *statum*, non *temporalem* tantum; sed *æternum* quoque, eorum salutem pariter & condemnationem, potest destinare & usurpare in suos fines, ut sua sint *vasa*, in suam *gloriam*: quâ (b) his usibus *media*, conditiones & *ordinem* præscribit: idque (c) ex *solo* suo *beneplacito*. Quam *potestatem* in hoc argumento, sæpius, & cum multo *affectu* inculcat Apostolus Rom. IX. 17. *Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potestatem meam*, & vers. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat, aliud quidem vas ad decus?* & vers. 22. *Volens ostendere potentiam suam.* Conf. 2. Tim. II. 19. (2) *Independentiam*, qua in tali ac tanto *consilio*, non pendet ab ulla creaturæ, seu dignitate, seu indignitate; sed à puro puto suo *beneplacito*: *non ex operibus, sed ex vocante solo* Rom. IX. 11. *Jacobum diligit, Esavum odio habet* vers. 13. *Miseretur cujuscunque miseretur* vers. 15. *Miseretur cujus vult & quem vult indurat* vers. 18. Ut nullus & nihil *ejus voluntati* possit *obsistere* vers. 19. (3) *Sapientiam*, quâ suis istis usibus, *commodissima* novit adhibere *media*, commodissimas occasiones, cujus consideratione Apostolus exclamat: *O profunditatem divitiarum: tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia & imperveſtigabiles viæ ejus! Quis novit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio?* Rom. XI. 33. 34. Et hæc omnia in prædestinatione, sic agnoscamus, ut (a) *Adoremus*, non scrutemur. Ibid. (b) nos ei *submittamus* non obstrepamus, *quis enim ejus voluntati resistet?* (c) *glorificemus: ipsi sit gloria in secula*; vers. 36.

Tum independentia. Tum Sapientia.

2. Cavendi scopuli in prædestinationis negotio.

XXIX. Juvabit *secundò*, diligenter *cavere scopulos* hujus mysterii, ut quod *saluti* nobis est revelatum, non cedat in *exitium*. Sunt autem: (1) Curiosius *scrutari* rationem prædestinationis, quare *sic* egerit & non *aliter*, quare *hunc* elegerit, *illum* rejecerit: quod non aliud est, quam ἀνεξερεύνητα καὶ ἀνεξιχνίαστα τοῦ θεοῦ (Rom. XI. 33.) ad suos *modulos* exigere; à Deo independente, consiliorum suorum *rationes exigere*, *cur me talem feciſti?* Rom. IX. 20. *sapientissimo* se sapientiorem habere. Conf. Matth. XI. 19. (2) *Disputare* ac censere justitiam prædestinationis Rom. IX. 14. *Num injustitia est apud Deum?* quasi sit προσωπολήπτης, qui *æqualibus inæqualia* conferat: cum nulli sit *debitor* Rom. XI. 35. Nec, comprimis *peccatoribus* debeat, nisi exitium. Hoc proinde non est, nisi potestatem ac *dominium* ejus vellicare Matth. XX. 11--14. se supremi Judicis *judicem* facere Gen. XVIII. 25. (3) E prædestinationis *certitudine*, absolutam fingere rerum omnium *necessitatem*, aut arbitrii humani *libertatem* tollere, quo omnis pereat, Religionis ac mediorum salutis *cura*, ac desperabundi dicamus: *Quis voluntati ejus resistet?* Rom. IX. 19. Cum non *contingen-*

tingentiam & arbitrii *libertatem* tollat; ſed tantum
4. in *ſuos uſus* dirigat. (4) E prædeſtinatione, Deum *peccati auctorem* facere: cum non *peccati* cujusvis futuri; ſed *futuritionis* tantum, quodvis Dei decretum cauſa ſit, ut in Cap. de *Decreto Dei* docuimus.
5. (5) A prædeſtinatione, *deſperationis* anſam captare; ac ſi ſcil. prædeſtinationis *conſilium*, ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον, ſibi eſſet *perſpectum*, aut Deo prædeſtinanti fuiſſent *à conſilio* Rom. IX. 33. 34. (6) Aut
6. contra, ab eadem *ſocordiæ* & negligentiæ indulgere, ſalutis *curam* & *media* ſuſque deque habere, quod prædeſtinationis conſilium, non poſſit *retractari*, adeoque perinde ſit, *utcunque vivas*. Quaſi ſcil. *fatuo* conſilio, ſapientiſſimus *finem* decreviſſet *abſque mediis*: aut non *fatuus* potius ſit, qui in naturalibus, ita concluſerit: ſi Deus decreverit me victurum, perinde eſt, ſeu edam & bibam, ſeu non.

3. Exemplo Dei cura ſtatus noſtri æterni aſſiduo eſt capienda.

XXX. Juvat *tertiò*, prædeſtinationis decretum ita *contemplari*, ut exemplo Dei, ad *curam* ſtatus noſtri æterni accendamur. Si enim Deus ab omni *æternitate*, tantum habuit *hominum* ſingulorum, & *ſtatus* eorum æterni curam, ut peculiari *decreti ſpecie*, circa illum occupari voluerit: ſi in hoc decreto *quemvis* eorum, & *ſtatum* univerſum æternitatis, non aliò deſtinavit, quam ad ſuæ *gloriæ* manifeſtationem: ſi ad hoc, *omnes & omnia* condidit: ex conditis hunc ad gloriam *gratiæ* ſelegit; illum ad gloriam *juſtitiæ* rejecit: ſi electis *mediæ* gratiæ, & rejectis *media juſtitiæ* applicet, tanta *ſapientia*, ut exclames: *O profunditatem divitiarum ſapientiæ & cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & imperveſtigabiles viæ ejus?* Rom. XI. 33. 34. Si inquam Deus, ab æterno habuit *noſtri*, & ſtatus noſtri *æterni* tantam curam; quantam *nos* non habebimus *noſtri* & ſtatus noſtri *æterni*; *Ut ſpectemus* (σκοπῶμεν) *non ea quæ cernuntur, ſed ea quæ non cernuntur, quod quæ cernuntur temporaria ſint, quæ non cernuntur, æterna* 2 Cor. IV. 18. Hanc curam, ſapienti & immoto *decreto* agamus, in quo, juxta cum Deo, pro *ſcopo* præfixam nobis habeamus *gloriam Dei*, in eumque *mediis* contendamus appoſitis, per omnia *ſalutem noſtram conficiamus cum timore & tremore, quod Deus ſit qui in nobis operatur & velle & perficere, pro ſuo beneplacito* Phil. II. 12. Conferri in hanc rem poterunt, quæ habet Cel. D. Hoornbekius *Theol. Pract.* lib. 1. cap. 1. Et quæ de *Prædeſtinationis* univerſæ praxi obſervat lib. 2. Cap. 2. Ex quibus multa quæ breviter diximus, *illuſtrari* poterunt. Reliqua hujus generis petenda ſunt ex Capp. de *Electione* & *Reprobatione*.

CAPUT TERTIUM,

DE

ELECTIONE.

Eph. 1. 4. 5. 6.

Sicut elegit nos in ipſo, ante quam jacerentur mundi fundamenta, ut eſſemus ſancti & inculpati coram eo in charitate, qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios, per Jeſum Chriſtum in ſeſe, pro beneplacito voluntatis ſuæ, ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ.

Electionis contemplatio.

I. *Species* quævis, ex ſcito Dialecticorum, abſorbet & præſupponit univerſam *naturam* ſui *generis*, & *individuum* ſuæ *ſpeciei*. Ex hoc, ſicut *prædeſtinatio* abſorbet omnem naturam *decreti* divini, cujus ſpecies eſt: ita *electio* & *reprobatio*, quia *ſpecies* ſunt prædeſtinationis, id omne concludunt, quod eſt, & in *decreto*, & in *prædeſtinatione*, quod caute obſervatum, magnum faciet compendium, in repræſentatione utriusque hujus ſpeciei. Hoc animo, hac methodo, à prædeſtinatione, jam deſcendemus ad *Electionem*. Hujus naturam articulatim nobis deſcribet Apoſtolus Eph. 1. 4. 5. 6.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Quibus verbis*, electionis *exacta* deſcriptio *continetur*, *ex ejus partibus*; *ſeu actibus*, *ſecundum omnes ejus circumſtantias*. *Sunt autem partes ſeu* actus *ejus duo*:

1. Electio, *ſtrictius ita dicta*: *ſunt enim* electionis *latius ita dicta*: *quatuor omnino* actus. *nim.* 1. Propoſitum *manifeſtandæ* miſericordiæ. 2. Intentio *creandi eligendos, eorumque lapſum, ut haberet, in quibus, ſeu in quorum gratioſa ſalvatione, miſericordiam patefaceret.* 3. Electio

per-

personarum, in quibus, istam suam misericordiam illustraret. Tandem 4. prædestinatio *mediorum, per quæ ad misericordiam, electos perduceret. Duo priores actus, ad prædestinationem, generaliore sensu acceptam, proprie pertinent: duo reliqui actus ad* electionem *strictiore sensu spectant. Hos igitur duos actus, in textu Apostolus, distincte prosequitur, nimirum:*

A. Electionem *vers.* 4. Quemadmodum elegit nos in ipso, antequam jacerentur mundi fundamenta, ut essemus sancti & inculpati coram eo in charitate. *Quibus verbis monstratur:*

1. Actus *eligendi.* καθὼς ἐξελέξατο: sicut elegit. Καθὼς *connectit versum præcedentem* tertium, *cum hoc* quarto, *ac significat, omnia spiritualia beneficia, nobis in* tempore *conferri, juxta* æternam *electionem, & ejus esse consectaria.* Ἐξελέξατο, elegit. *Ab* ἐκλέγω *eligo, quasi* exdico, *quod in electione, hic aut hoc ex aliis dicatur seu constituatur. Varias ejus vocis significationes, in dogmaticis repræsentabimus. Hoc loco est, unum, præteritis aliis, seligere.*

2. Objectum *electionis,* ἡμᾶς nos. *Intelligit se & suos Ephesios. Non* se *tantum, nec omnes & singulos homines, sed* fideles. *Nec indefinite & vage* fideles; *sed quasi nominatim, me & vos, scil.* sanctos existentes in Epheso, fideles *illos qui sunt* in Christo Jesu *vers.* 1.

3. Fundamentum *electionis,* ἐν αὐτῷ, in ipso *scil.* in *ipso comprehensos,* cum *eo unitos, in ipso censitos, quemadmodum, per fœdus naturæ, omnes censiti fuimus in primo Adamo* Rom. v. 12.... *In ipso, tanquam fundamento, utpote* in quo *omnes Dei promissiones, sunt* ναὶ καὶ ἀμήν 2. Cor. 1. 20. *Unde* 1. Cor. 1. 30. Ex eo, *scil. Deo,* vos estis in Christo Jesu: qui factus est nobis sapientia à Deo.... *Item* ut comperiar in eo, non habens meam justitiam... Phil. III. 9. *Proinde, non quod Christus sit causa* ipsius *electionis; sed quod sit causa meritoria, omnium* beneficiorum *salutarium, quæ sequuntur electionem.* Ἐν αὐτῷ in ipso, *non quod* exstiterint *in ipso ante electionem, aut præviśi fuerint, ut in eo existentes; sed ut* existerent *per electionem in Christo per fidem.*

4. Tempus *electionis, vel quasi tempus,* πρὸ καταβολῆς κόσμου, ante jacta mundi fundamenta. Καταβάλλεσθαι *est* jacere *fundamentum* Heb. VI. 1. יסד *fundare de* domo *dicitur* 2. Macc. II. 30. *& per similitudinem de* mundo. Καταβολὴ *est* initium mundi Matth. XIII. 35. & XXV. 34. Luc. XI. 50. Joh. XVII. 24. Heb. IV. 3. & IX. 26. 1. Pet. I. 20. Apoc. XIII. 8. & XVII. 8. *Sic Evangelium dicitur* κεκρυμμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Matth. XIII. 35. *& regnum paratum electis* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Matth. XXV. 34. *hoc est,* ἀπὸ τῶν αἰώνων Eph. III. 4. Colos. I. 26. *imo* πρὸ τῶν αἰώνων 1. Cor. II. 7. πρὸ χρόνων αἰωνίων 2. Tim. I. 9. ἀπ' αἰῶνος Act. XV. 18. *Proinde significatur* æternitas, *seu electio facta ab æterno; quicquid enim est ante factum mundum, id factum est ante tempus, quippe quod concreatum est mundo; & quicquid est* ante tempus, *hoc est in* æternitate, *quod Hebræis est* קדם & עולם Mich. V. 1. מקדם מימי עולם, ab antiquo, *& quid hoc? est* à diebus seculi.

5. Finis *electionis* proximus εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ, ἐν ἀγάπῃ Ut simus sancti & inculpati coram eo in charitate. *Observanda Ellipsis vocabulorum,* εἰς τὸ, *vel* πρὸς τὸ, *ante* εἶναι. *Indigitatur* finis, *seu* consequens *effectus, ad quem à Deo electi sumus, non quidem omnis effectus, sed quem assequimur in hac vita, alibi* salutem *dicit effectum electionis* 2. Thess. II. 13. *alibi* gloriam Eph. I. 6. *Hic tantum finem subordinatum exprimit.* Ut simus, *non dicit, quia* eramus *sancti, aut quod præsciverit, nos futuros esse sanctos, ne quis existimet, nos ex prævisa sanctitate aut fide eligi, aut* prævisionem *esse electionis causam. Finis autem est:*

α. Sanctitas ἅγιοι, *hoc est, proclives ad sanctitatem, & operosi in sanctitate. Proinde qui electi sunt, non possunt non esse* sancti, *nec impie vivere, nisi Deus omnipotens frustretur suo fine.*

β. Irreprehensibilitas, *seu perfectio.* תמימים, *sacrificia olim esse debebant, hoc est, absque* defectu Exod. XXIX. 1. Levit. III. 3. 10. *& alibi:* ἄμωμοι *vel* ἀμώμητοι, *ex electione debent esse Christiani* Phil. II. 15. Col. I. 22. 2. Pet. III. 14. Jud. vers. 24. Apoc. XIV. 5. *item* ἄμεμπτοι 1. Thess. II. 10. & III. 13. *Est autem* ἄμωμος *Momi morsibus non expositus, omni reprehensione major, vitii expers, inculpatus. Videtur vox* μῶμος *derivata ab hebræo* מום, *quod* vitium, *seu* defectum *notat, ut videatur Apostolus noster respicere ad* Cant. IV. 7 tota pulchra es amica *mea,* ומום אין בך, & macula seu defectus non est in te. *A* מום *hebræo est* מומא *chaldæum, & ab hoc* μῶμος *græcum. Tales futuros intendit Electio, partim in* hac vita, *per* imputationem *sanctitatis & justitiæ Christi* 1. Cor. I. 30. *item per* studium *perfectionis, quo contendant & enitantur ad summum perfectionis gradum, licet eum nunquam assequantur dum hic sunt* Phil. III. 12. 13. 14. 15. Conf. 1. Thess. V. 23. Jes. I. 16. 17. 18. *partim* post hanc *vitam, quando Christus* sanctificabit *Ecclesiam, postquam mundavit eam.... ut*

sisteret eam sibi ἔνδοξον μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος, glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi; ſed ut ſancta ſit & immaculata Eph. v. 26. 27.

γ. Charitas, ἐν ἀγάπῃ *in charitate. Sunt qui iſtas voces conſtruant per hyperbaton, cum* ἐξελέξατο, *ut ſignificetur, Deum elegiſſe* in charitate, *pura putaſ* εὐδοκίᾳ Joh. III. 16. Eph. II. 4. *Commodius ac ſimplicius, charitas conſtruitur cum immediate præcedentibus, ut ſignificet, non modo cum ſanctitate & irreprehenſibilitate conjugandam eſſe* charitatem, *verſus Deum & proximum; ſed & omne ſanctitatis & irreprehenſibilitatis officium, proficisci debere à charitate* Matth. XXII. 37. 38. 39. 40.

δ. Sinceritas, *ſignificata voculis,* κατενώπιον αὐτοῦ, *in* conſpectu ejus. *Intenditur, tum* conſtantia *& perſeverantia in* ſanctitate, *charitate, ſicut* Pſal. CII. 28. *tum* ſinceritas *& ingenuitas, qua ſancti ſimus & inculpati, non tantum* coram hominibus, *prout ſolent hypocritæ* Matth. VI. 5. & XXIII. 5. *ſed imprimis* coram Deo 2. Cor. I. 12.

II. Prædeſtinatio, *itidem ſtrictiore ſenſu, pro deſtinatione* mediorum, *hic qui electi fuerint ad* finem, *ſalutem ſcil. æternam. Hujus hic traditur:*

1. Actus *cum relatione ad ſuum objectum,* προορίσας ἡμᾶς. Ὁρίζειν, *ab* ὅρος, *eſt* definire, determinare, decernere, *&* προορίζειν prædefinire, *certo ſcopo destinare, ſeu media ad certum finem prædeterminare. Ut emergat: ſicut* ſeparavit *nos, per* electionem, *ad finem; ita etiam* deſtinavit *nobis, conferre* media, *huic fini commoda & idonea.*

2. Media, εἰς υἱοθεσίαν, διὰ Χριστοῦ, εἰς αὐτόν. Ad adoptionem, pet Chriſtum, ad ſeipſum. *Videtur his verbis triplex indigitari medium: nim.*

α. Beneficium υἱοθεσίας adoptionis, *quo, præter* ſanctificationem, *dudum expreſſam, ſynecdochice comprehendi poſſit,* univerſa *noſtri cum Chriſto* communio, *in juſtificatione, adoptione, ſanctificatione, glorificatione, qua latitudine capi videtur* Joh. I. 12. *Ad univerſam iſtam communionem, nos eſſe deſtinatos, velut ad* medium *per quod manifeſta fiat,* laus gloriæ gratiæ ſuæ.

β. Redemptio *per Chriſtum,* διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ *per* Jeſum Chriſtum. *Poſſit hoc, vel* reſtringi *ad præcedens beneficium* adoptionis, *ut ſignificetur* adoptionem *nobis obtingere* per *Chriſtum fide apprehenſum* Joh. I. 12. *vel* extendi, *ad univerſum redemptionis negotium, partum per ſatisfactionem, meritum & interceſſionem Chriſti, abſque quo non poteſt, vel* nobis *obtingere* ſalus Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. *vel* Deo *gloria miſericordiæ. Quam redemtionem uberius dicet Apoſtolus* verſ. 7.

γ. Unio *cum Chriſto,* εἰς αὐτόν, in ſeipſum. *Non tam ad* gloriam *ſuam, ut* Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. *utpote quæ peculiariter exprimitur in fine hujus verſus: proinde* εἰς αὐτόν, *non aliud videtur notare, quam* unionem *cum Chriſto, procurandam, aggregatione noſtri ad Chriſtum, quæ fit per* vocationem, *ut cum eo uniamur per fidem.*

3. Norma, *ſeu cauſa quaſi* movens: κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ſecundum beneplacitum voluntatis ipſius. *Non ergo ſecundum merita, aut præviſam fidem.* Εὐδοκία, *Hebræis* רצון & חפץ, beneplacitum, *ad reprobationem etiam refertur, ut patet ex* Matth. XI. 25. 26. *quatenus tamen* benevolentiam *ſonat, verſus objectum, electioni proprie competit. Cæterum* Εὐδοκία *vox eſt, Scripturis peculiaris, à* LXX. *Interp. excogitata, qua referunt Hebræorum* רצון. *Additur* θελήματος αὐτοῦ, voluntatis ipſius, *ut ſonet: ita ut placuit* voluntati ipſius. Voluntas *dicit generalius quid, quod etiam ad* reprobos *ſeſe extendit;* εὐδοκία, *eam plerumque voluntatis ſpeciem deſignat, quæ cum* benevolentia *conjuncta eſt, ex qua* electio *profluit.*

4. Finis *ſupremus,* εἰς ἔπαινον τῆς δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, ad laudem gloriæ gratiæ ipſius. Ἔπαινος τῆς δόξης, *aliis eſt* ἔπαινος ἔνδοξος, laus glorioſa, *ut genitivus veniat pro adjectiva, more Hebræorum: alii tamen diſtinguunt,* honorem, laudem *& gloriam, ſic nim. ut* honori, *qualitas quævis bona ſubſternatur;* laudi, *excellentior aliqua; ſed* gloriæ, *excellentiſſima, prout alibi lib. 2. cap.* XXII. *de* gloria Dei, *in* exegeticis *docuimus. Additur* ἔπαινος τῆς χάριτος, laus gratiæ, *quod* gratia, *ſit finis proprius* electionis; *quemadmodum juſtitia vindicativa,* reprobationi *competit, hoc diſcrimine, quod gratia in* electione *habeat rationem* finis, *quanquam ſubordinati, dum* juſta condemnatio *in reprobatione, non habet niſi rationem* medii, *cujus ope* finem *manifeſtationem* juſtitiæ, *conſequitur Deus. Nec* gloria gratiæ *dicitur eo nomine tantum, quod ſit finis electioni* proprius; *ſed etiam, quod ſit finis ejus* ſupremus.

Pars elenchtica.

Dari electionem probatur.

III. Est igitur per hunc textum, aliosque plurimos, Sole meridiano clarius, Deum æterno *decreto*, ex hominibus in Adamo *creatis & lapsis*, quosdam *nominatim* elegisse, in quorum *gratuita beatificatione*, gloriam *misericordiæ* manifestaret Rom. VIII. 29. 30. & IX. 11. 15. 16. 1. Thess. 1. 4. & v. 9. 1, Pet. 1. 2. 2, Joh. vers. 1. Matth. XX. 16. & XXIV. 22. &c. Cum enim, in *tempore* nihil fiat, quod *ab æterno* Deus non decreverit *futurum* Eph. 1. 11. Act. XV. 18. & peculiari *prædestinationis* consilio, *status* hominum *æterni* curam susceperit, per *Caput præcedens*; dubitare ullâ ratione quisquam non potest, prout nec dubitatur, quin *æterna* detur *electio*.

Quid sit electio nomine tenus?

IV. Sonat autem *electionis* vox, quandoque præordinationem ad *officium* aliquod, seu *politicum* 1. Sam. X. 24. Psal. LXXVIII. 70. seu *ecclesiasticum* Luc. VI. 13. Joh. VI. 70. Quandoque delectum integræ alicujus *nationis*, in quam legem, statuta & singularia amoris sui pignora, Deus dispensaret Deut. IV. 37. & VII. 7. & 15. Rom. XI. 5. Quandoque ipsos denotat *electos*. Ibid. vers. 7. Quandoque segregationem quæ fit *in tempore*, juxta decretum *æternum*, seu *vocationem efficacem* Psal. IV. 4. Joh. XV. 16. 19. 1. Cor. 1. 27. 28. Plerumque *æternum* de salvandis *singulis* fidelibus *decretum*, ut patet locis §. præced. adductis, nec non Rom. VIII. 33. Luc. XVIII. 7. Apoc. XVII. 14. 2. Pet. 1. 10. Et alibi.

Quid re tenus?

V. Ut sic *electio* non sit, nisi *prædestinatio*, *certorum* quorundam hominum, in quorum *æterna salute*, manifestetur gloria *misericordiæ* divinæ. Dum *prædestinatio* dicitur, quæ in eam Cap. *præced.* dicta sunt, in *electionem* quoque quadrant.

Electionis quatuor actus.

VI. Quamvis autem à parte *Dei*, *electio unus* sit & simplicissimus actus; nostro tamen *concipiendi* modo, ejus *actus* seu momenta universim, (quatenus & *prædestinationis* actus concludit) *quatuor* omnino sunt; 1. *primus* est *propositum* manifestandi gloriam *misericordiæ*, in gratuita hominum (adhucdum) creabilium & *labilium beatificatione* Eph. 1. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ* Rom. IX. 23. *Ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ suæ, quæ præparavit ad gloriam* 2. Thess. 2. II. 13. *Elegit vos ab initio ad salutem*: *secundus statutum* creandi & permittendi lapsum, ut objectum sibi suppeteret commodum, manifestandæ *misericordiæ*, quo *vasa misericordiæ præpararet ad gloriam*: 3. *Tertius* designatio & segregatio *certorum* quorundam hominum, in quorum *beatificatione*, gloria *misericordiæ* patefieret 2. Tim. II. 19. *Novit Dominus qui sint sui.* In hoc autem *tertio actu* propria ratio *electionis* versatur, qui sub se *tria* ista comprehendit (1) *Dilectionem*, in quâ differt à *segregatione* reprobationis Rom. IX. 13. *Jacobum dilexi, Esavum odio habui.* (2) Dilectionem in ordine ad *summum* & *supranaturale* bonum, scil. quâ eos *præparavit ad gloriam* Rom. IX. 23. *Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te misericordiâ* Jer. XXXI. 3. (3) Dilectionem cum *segregatione* ab aliis, in quo actu comparativo, *virtualis* intentio conferendi *bonum* illud continetur Rom. IX. 1. 2. 3. Joh. XVII. 6. 1. Cor. 1. 26. 27. (4) *intentionem* præparandi ac *dirigendi media*, 4. quibus electi ad *salutem* tanquam ad *finem* perducantur, quo spectant tum *redemptio* per Christum, tum redemptionis *applicatio* per fidem Joh. VI. 37. 2. Thess. II. 13. Actus iste, ut jam ante monuimus, peculiari ratione *prædestinatio* dicitur Eph. 1. 5. Rom. VIII. 29. prout prior *electio*. Et hinc *prædestinatio*, aliquando dicitur fieri *secundum propositum* Eph. 1. 11. & propositum *secundum electionem* Rom. IX. 11. & electio *secundum propositum* & consilium voluntatis Eph. 1. 5. Porro circa hos *actus* & hoc notandum, quod eos *peculiariter* in mente divina comitetur *certa scientia*, quâ Deus certissimè novit *hæredes vitæ*, unde ipsa etiam *electio* vocatur *præscientia* Rom. VIII. 29.

Objectum electionis quale?

VII. His electionis *actibus* probe observatis, jam non necessum est, de *objecto* electionis repetere, quæ Cap. præced. monuimus, scil. Electionis, si *latius* capiatur, prout involvit etiam duos *priores* actus, esse hominem *creabilem & labilem*, item *creandum & lapsurum*: si *strictius*, prout duobus postremis consistit, esse *creatum & lapsum*, item *electum*. Accuratius igitur hominem *creabilem* & labilem, dixeris *prædestinationis*; *creatum* & lapsum *electionis*, ut & reprobationis objectum.

Objectum electionis est totus Christus mysticus.

VIII. Præstat observare, *objectum* electionis esse, totum *Christum mysticum*, h. e. Christum cum *omnibus suis*, à quo *electi* dicimur in *Christo* Eph. 1. 4. prout & *prædestinati in eum* ipsum, vers. 5. item χαριτωθέντες ἐν τῷ ἠγαπημένῳ vers. 6. *in eo redemptionem habere* vers. 7. *in eo sortem consequi* vers. 11. *in eo vocari & obsignari* vers. 13. Quod Deo visum fuerit, omnia ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐν τῷ χριστῷ vers. 10. Ut, sicut in *primo*-Adamo omnes *peccavimus* & periimus; ita in *secundo* omnes *restituamur* Rom. V. 12..... Sic tamen ut Christus *personaliter* consideratus, in hac ἐκλογῇ, sese habeat ut *Caput*, plane ἄμωμος & justus Rom. V. 18. 19. prout homines, sicut *membra in ipso* Eph. 1. 4. ut *lapsi & miseri*.

Christus, ut electionem ingrediatur?

IX. E quo porro proclive est perspicere, ut *Christus* ingrediatur electionis negotium, scil. quâ *Deus*, cum Patre & Spritu S. Auctor est electionis, quamvis Patri κατ' οἰκονομίαν, in Scripturis *approprietur* Eph. 1. 3. 4. quâ *Mediator*, salutem electis procuraturus, considerari potest, vel ut *instrumentalis* causa, quatenus salus est *effectus*

Dei, quippe qui nos servat *per Christum* : vel ut *causa principalis*, quatenus eadem est *commodum* hominis, qui hinc, ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως appellatur Heb. XII. 2. Itaque *primo* electionis actu, seu *proposito* manifestandi *misericordiam*, Christus involvitur *ut medium* beatificationis gratuitæ; in *postremo*, ut causa *principalis* beatitudinis electorum.

Nec Christus, nec fides, aut opera prævisa, causæ sunt moventes electionis.

X. Non est Christus Mediator, electionis causa *meritoria*, prout est *salutis*, electis destinatæ: cum electio *ipse* sit *eligens*, & Christus *per* electionem, destinatus sit Mediator 1. Pet. 1. 20. Jes. XLII. 1. Neque etiam *fides*, aut bona *opera*, aut quævis *prævisa*, causæ *motivæ* Deo fuerunt, ad eligendum, cum (a) Nec electio, nec decretum quodvis, *causas* admittat, (b) Nec fides, aut bona opera, absque *prævio decreto futura* fuerint; ac proinde *prævideri* non potuerint. Quin & (c) Ab electione, velut *prima* sua *causa*, originem repetant, ex constanti Scripturarum testimonio, quod in *elenchticis* proferemus.

Causa principalis electionis est tota Trinitas. Impulsiva solum ejus beneplacitum. Finis gloriæ gratiæ.

XI. Est igitur electionis causa in solidum, *Deus* triunus 1. Pet. 1. 2. *Pater* Eph. 1. 3. 4. Joh. VI. 37. & XVII. 2. *Filius* Joh. XIII. 18. & XV. 16. 19. *Spiritus* S. prout ex *obsignatione* & divinis ejus operibus colligitur Act. XIII. 2. Eph. 1. 13. Joh. III. 6. 1. Cor. VI. 11. Et causa q. προηγουμένη, non alia nobis patet, quam purum putum eius *beneplacitum* Eph. 1. 5. Rom. IX. 16. 17. 18. 21. 22. 23. Matth. XI. 25. 26. Luc. XII. 32. *Finis* supremus est Dei *gloria*, non *communis*, ut cujusvis decreti; sed *specialis*, *gratiæ* & misericordiæ Eph. 1. 6. Rom. IX. 23. Cui, velut *subordinatus* finis insevit, *gratuita* electorum *salus*, unde *positi* dicuntur electi *ad salutem* 1. Thess. V. 9. & *præparati ad gloriam*. Rom. IX. 23. Cui pro *mediis* inserviunt fides, *unio & communio* cum Christo, in justificatione, adoptione, sanctificatione & omnibus, à quibus *finis fidei* dicitur animarum salus 1. Pet. 1. 9. & *electi, ut simus sancti* Eph. 1. 4. *prædestinati conformandi imagini Filii* Dei Rom. VIII. 29. & electio, *præcognitio Dei Patris* appellatur *in sanctificatione Spiritus* 1. Pet. 1. 2. Quæ media, licet in *ordine* ad hunc finem, sibi invicem *coordinentur*, potius quam *subordinentur*; ut partes *medii unius* totalis, ad salutem concurrunt, quod singula singulatim, *finem* supremum electionis, non producant.

Electio est 1. Æterna.

XII. Quantum ad *affectiones*, electio *primo æterna* est, scil. ante *tempus* Eph. 1. 4. nec ulla *in tempore* fit, quæ sit diversa *à vocatione* quâ *actu* eligimur *in nobis* 1. Cor. 1. 26. 27. 28. Nominatim non fit *post* fidem demum, aut *in articulo* mortis, quin *post* mortem.

2. Absoluta, immutabilis & certa.

XIII. Hinc *secundò* est *absoluta*, invariabilis, & certa: scil *solidum Dei fundamentum stans* immotum, *habens* insuper *sigillum*, ut *nôrit Deus* non tantum *quot*: sed & *qui sint sui* 2. Tim. II. 19. *Quos enim præscivit*, *hos prædestinavit*, &c. Rom. VIII. 29. *Et quod*, *secundum electionem est Dei propositum*, *manere* dicitur Rom. IX. 11. Et *electio consequi* salutem. Cap. XI. 7. Hinc insuper *liber vitæ* appellatur. Jes. IV. 3. Phil. IV. 3. Apoc. XIII. 8. & XVII. 8. & XX. 12. 15. & XXI. 27. Quamvis *liber Dei*, nonnunquam designet *communem* Dei providentiam Ps. CXXXIX. 16. Dan. VII. 10. & XII. 1. Mal. III. 16. nonnunquam *viventium in terris* Psal. LXIX. 29. quem fortè Moses intelligit Exod. XXXII. 32. nonnunquam communis *prædestinationis* Apoc. XX. 12. E quo colligi haud difficulter potest, quatenus quis è *libro Dei deleri* possit. Est itaque electorum numerus *certus & determinatus*, nec *incrementi*, nec *decrementi* capax, cujus typus quidam fuisse videtur, in Israelitarum *recensione* in deserto, quâ iterato facta, *idem* utrobique capitum *numerus*, cum singulari proportione, repertus est. Vid. Exod. XXXVIII. 26. collat. cum Num. 1. 46. quam *imaginem* Spiritus S. usurpare, & sequi videtur Apoc. VII. 4.

Liber vitæ quotuplex?

Quisque electus, suæ electionis certus esse potest.

XIV. Nec ex hoc libro, *Deus* tantum certus est, *qui sint sui*; sed quisque etiam *electus*, si non semper *est*, saltem esse ordinariis indiciis *potest*, *suum* nomen, inscriptum esse electionis *libro* Luc. X. 20. Eph. 1. 4. Ad hoc *vocationem & electionem* suam, jubentur βεβαίαν ποιεῖσθαι 2. Pet. 1. 10.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An Multiplex detur electio?

XV. Quæritur 1. An multiplex in Scripturis detur electio? Pelagiani, Sociniani, Semipelagiani Jesuitæ, Remonstrantes aliique, quibus hîc se jungunt Lutherani, quo *independenti indifferentia* liberi arbitrii, speciosius succurrant adversus electionem Scripturæ, & in latebras ac dumeta variarum distinctionum se propripant: varias fingunt electionis species. Est ipsis 1. electio *status*; v. g. omnes fideles servabo; omnes infideles damnabo. Hæc ipsis est æterna, absoluta, immutabilis, generalis. Est ipsis 2. electio *personæ*, hujus aut illius, v. g. Petri: hæc, quatenus est *æterna*, ipsis *conditionata*, mutabilis, incompletâ, sic decrevit ab æterno, Petrum servare, si voluerit credere. Est ipsis 3. electio *temporalis*, eaque rursus, vel *non peremtoria*, v. g. Petrum, quem jam jam video credere, servabo, si voluerit in fide perdurare; vel *peremtoria*, quæ fiat in articulo *mortis*, aut etiam *post* mortem, consummatâ jam, à libero arbitrio perseverantia. Reformati, quamvis in una electionis *voce*, varia *significata* agnoscant, & in ipsa electione varias *actus* concipiant, circa *personas*, circa *finem*, circa *media*; non tamen nisi *unam* electionem, cum Scripturis recipiunt, & spurias omnes adversariorum rejiciunt. Nominatim a. Electionem *status*, generalem & indefinitam, Scriptura reprobat, eo quod electionem constanter ad *personas* astringit Act. XIII. 24. Rom. VIII. 29. 30. & IX.

Mukita do Adversariorum.

Refelli-tur.

& IX. 11. Eph. 1. 4. 5. 6. Et nos eam ex professo disjecimus lib. III. cap. I. § XXXII. β. Nec electionem personarum *conditionatam* & *incompletam* admittit, eo quod finem & media omnia & singula, *unico* & simplicissimo *actu* decrevisse doceat. 2. Thess. II. 13. Rom. VIII. 29. 30. Eph. 1. 4. 5. 9. Nos etiam eandem ex professo explosimus, loco jam citato §. XXX. γ. Nec electionis alicujus *non peremtoriæ*, variabilis, quæ fiat *in* morte, aut post mortem, vola prostat in Scripturis aut vestigium; quin ex adverso, propositum electionis firmum constanter commemoratur 2. Tim. II. 19. Heb. VI. 17. Rom. IX. 11. & XI. 28. 29. Nos etiam istam electionem, quoad suam *mutabilitatem*, ex professo confecimus, loco citato § XXXIII. & quoad *temporalitatem* §. XXIX. Et cum locis istis citatis, objectiones adversariorum exstinctæ sint; non est, quod eis hîc repetendis occupemur.

2. An detur electio aliqua univer. salis?

XVI. Quæritur 2. An detur electio aliqua universalis. Origenes olim statuebat, non tantum omnes & singulos *homines*, electos esse ad salutem; sed ipsos etiam *diabolos*. Scil. postquam in inferno, pœnas peccatis suis analogas, ad tempus aliquod sustinuissent, tandem omnes & singulos traducendos esse in cœlum. Ita etiam statuebat Franciscus Puccius Italus, Socinianus, item Samuel Huberus Helvetius, ex Concionatore Reformato, Ecclesiastes Lutheranus, sed propter hanc ipsam sententiam, a Lutheranis ministerio motus: atque etiam ex Arminianis Socinizoντι, Sebastianus Castalio in suis *dialogis*. Lutherani distinguunt, inter usum vocabuli electionis *proprium* & *improprium* seu καταχρηστικὸν: tum statuunt si electio accipiatur καταχρηστικῶς, pro benefica Dei erga omnes *voluntate* & *generali* ejus dilectione, vel pro negatione decreti reprobatorii, vel pro Dei proposito, omnes in Adamo creandi ad vitam æternam, & omnes in Christo, ad vitam æternam reparandi, vel pro oblatione mediorum salutis, omnibus communi; facile, inquiunt, concedimus, electionem posse dici universalem: sed in *propria* & Scripturis conformi significatione, negamus, inquiunt, electionem esse universalem. Tum etiam dicunt, consilium Dei de salute hominum, spectari posse vel in *antecedente*, vel in consequente ejus voluntate; *priore* respectu, consilium est universale; *posteriore* verò particulare, ob prævisam quorundam finalem incredulitatem. Hinc *prædestinationem universalem* superstruunt triplici huic fulcro: α. universali omnes servandi in Deo voluntati. β. universali redemptioni per Christum. γ. Universali vocationi: nec tamen omnes per universalem istam prædestinationem servari, quia nolunt credere. Vid. Joh. Gerh. LL. Tom. II. cap. X. de *Elect.* & *Reprob.* Hafenref. in *loc. comm.* Pelagiani & Pelagianizοντες, ducti amore gratiæ universalis, in *terminis* quidem, seu *voce* tenus, non recipiunt *electionem universalem*, quod illa involvat relationem ad reprobationem, quem *voce* tenus recipiunt: *rem* tamen electionis universalis, omnino: quando docent, Deum *velle*, ut omnes & *singuli* homines serventur, saltem voluntate antecedente. Posteriorem istam sententiam Pelagianis & Lutheranis communem disjecimus lib. II. cap. XV. §. XXX. conferantur etiam paragraphi aliquot præcedentes. Priorem Huberi & Castalionis, quæ tuetur electionem *universalem absolutam*, in hanc admittemus arenam. Reformati nullam omnino admittunt electionem universalem. Quia: 1. Scriptura, de electione *universali*, ne γρὺ quidem habet. Quia 2. ex adverso, non nisi *particularem* docet Matth. XX. 16. & XXII. 14. Joh. XV. 19. & XVII. 6. Rom. VIII. 29. & IX. 13. 15. 18. 22. 1. Thes. V. 9. Nec datur dissimile exemplum. Quia 3. eligere est, *ex pluribus legere*, unum alteri præferre, sive accepto uno, alterum repudiare Deut. VII. 7. Joh. XV. 19. Proinde electio universalis est σιδηρόξυλον *ferreum lignum*, seu contradictorium. Quia 4. sic nulla daretur *reprobatio*, cui obnititur Scriptura Rom. IX. 18. & 22. Jud. vs. 4. Prov. XVI. 4. Matth. XXV. 41. Quia 5. electi dicuntur inscripti in *librum vitæ* Luc. X. 20. Phil. IV. 3. quod diserte negatur de perituris Apoc. XIII. 8. & XVII. 8. Quia 6. electi dicuntur προορισθέντες εἰς υἱοθεσίαν Eph. I. 5. quod de omnibus nullibi dicitur, nec dici potest. Quia 7. electi *præsciti* dicuntur, h. e. prædilecti Rom. VIII. 29. & XI. 2. 2. Tim. II. 19. 1. Pet. I. 2. Psal. I. 6. quod de reprobis negatur Matth. VII. 23. Quia 8. electi dicuntur μέλλοντες πιστεύειν 1. Tim. I. 6. quod de reprobis non est verum. Quia 9. sic multi electi *perirent*, contra Paulum Rom. VIII. 29. Quia 10. electio illa *universalis*, aut *rata* esset, aut irrita. Si *prius*, omnes & singuli homines servarentur, quod est contra præcedentia, nominatim adversus Matth. XXV. Si *posterius*, irritaretur, vel *à Deo*, sed ille non mutatur Mal. III. 6. nec mutat sua consilia Jes. XLVI. 10. Heb. VI. 17. vel *ab alio*, quia mutans consilia alterius, eo prior est, & superior, & potentior etiam. Nec valet in contrarium. (1) Quod decretum *miserendi*, quod coincidit cum electione, est universale Rom. XI. 31. 32. Non enim dicit *omnium & singulorum*; sed omnium ex quovis hominum *ordine*, seu *quorumvis*, ex Judæis pariter & Gentilibus, quod patet ex scopo totius contextus: atque etiam ex interpretatione Pauli Gal. III. 22. Rom. III. 22. (2) locus Joh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum* &c. Resp. *Mundus* hîc universitatem fidelium designat, non tantum ex *Judæis*, prout erat sub veteri œconomia: sed etiam ex *Gentibus* omnibus Rom. XI. 11. 12. (3) Quod Deus velit *omnes* servari 1. Tim. II. 4. non *velit mortem* peccatoris Ezech. XXXIII. 11. 2. Pet. III. 9. Nec quemquam perire; sed *omnes* ad resipiscentiam pervenire. Respon-

Sententiarum divortia.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

ſpondimus alibi: (a) Deum *omnes* velle ſervari, id eſt, *omnis generis*, tam Reges quam ſubditos: ſi enim omnes *capitatim* intelligeret, pro *omnibus capitatim* juberet *orare*, quod vetat Johannes 1. Joh. v. 16. & non *facit* Chriſtus Joh. XVII. 9. (b) Non *velle* mortem peccatoris *qui* convertitur, cæterà omnino vellè 1. Sam. II. 25. Prov. I. 26. (c) Non velle quemquam *ex fidelibus* perire, *ex nobis*; ſed omnes *illos* ad reſipiſcentiam pervenire.

3. An electio ſit ex prævio quovis, an ex puro Dei beneplacito?

XVII. Porro *tertiò* quæritur: An electionis *ulla* nobis pateat *cauſa* movens, aut ratio, præter beneplacitum divinum? Pelagiani cum pleriſque Pontificiis, *merita* prævisa cauſantur: Sociniani & Remonſtrantes, non merita, ſed *fidem & bona opera* prævisa, ſubſtituunt; Omnium πρῶτον ψεῦδος eſt, in hoc, ut *independenti indifferentiæ* liberi arbitrii, efficacius ſuccurrant. Lutherani in prævisa *fide* acquieſcunt, & *meritum* Chriſti adjungunt. Auguſtinus & Reformati cum Scripturis, *ſolum* hîc admittunt *beneplacitum* divinum: Quod (1) Omne Dei *decretum*, & *prædeſtinationis* imprimis, ſit æternum, independens, abſolutum: prout Capp. *præced.* demonſtravimus. (2) Scriptura ad *ſolum beneplacitum* Dei, electionem conſtanter referat Matth. XI. 26. Luc. XII. 32. 2. Tim. I. 9. Rom. IX. II. 12. unde & *gratuita* dicitur *electio* Rom. XI. 5. (3) Non *ex fide* & operibus, *ſed ad* fidem & ſanctificationem eligamur Eph. I. 4. Rom. VIII. 29. Joh. XV. 16. Ac proinde (4) Fides, ſanctificatio, & perſeverantia, *ab electione* profluant, tanquam ejus fructus Act. XIII. 48. Joh. VI. 37. & VIII. 47. Et quod (5) fides & bona opera, non potuerint habere *futuritionem*, niſi à *decreto* electionis. Tandem (6) ſi ex *præſcientia* noſtræ fidei, operum aut perſeverantiæ, pendeat noſtri electio; neceſſum ſit, illa præſciri, vel tanquam *à nobis* oriunda, atque ita non *ipſos diſcriminaverimus*, contra Apoſtolum 1. Cor. IV. 7. vel ut *à Deo*, qui proinde per electionem illa *decreverit* donare. Nec huc valet quod oggerunt (1) *prædeſtinatos expreſsè præſcitos dici* Rom. VIII. 29. 1. Pet. I. 1. 2. Reſp. Non dicitur, eos ex *fide præviſa*, *prædeſtinatos* eſſe; ſed *præſcitos* h. e. prædilectos Pſal. I. 6. Matth. VII. 23. (2) *Non potuiſſe quemquam diligi, ut eligeretur, niſi per fidem in Chriſto conſtitutum aut conſideratum* Heb. XI. 6. Reſp. Poſſumus tamen hactenus *diligi* à Deo, ut & *Chriſtum* nobis *det* Joh. III. 16. & *fidem* in Chriſtum Phil. I. 29. ut per eam tandem ſibi *placeamus* Heb. XI. 6. (3) *Nos in Chriſto electos dici* Eph. I. 4. Reſp. Non utique, in eo jam *exiſtentes*; ſed *futuros*, prout & *in eo redempti* dicimur & *vocati* verſ 7. II. 13. h. e. ut per & propter Chriſtum ſalutem conſequeremur. (4) *Nos ex fide juſtificari & ſalutem conſequi, proinde & ex fide electos eſſe.* Reſp. Utique *ut ex fide* juſtificaremur & ſalutem obtineremus fides tamen eo ipſo non ſtatim *cauſa* eſt *ipſius electionis.*

Objectiones.

4. An Chriſtus ſit fundamentum electionis?

XVIII. Hinc *quartò* quæritur: An ſaltem Chriſtus, quà Mediator, non ſit *fundamentum* electionis, h. e. *cauſa meritoria* illius? Remonſtrantes & Lutherani, non animo extollendi Chriſtum; ſed elevandi electionis independentiam, eamque ſuſpendendi ex fide præviſa, & ex arbitrio humano, affirmant: Orthodoxi, quamvis Chriſtum *fundamentum eſſe electionis*, (prout eſt ſalutis 1. Cor. III. 11. Eph. II. 20.) nullibi *legant* in Scripturis; nec hactenus dici poſſe negent, quatenus eſt fundamentum *exſecutionis*, eo quod per ipſum ſolum; electionis *ſalutem* dipenſare Deus decreverit: attamen hinc dicendum eſſe, quod *cauſa* ſit ipſius *electionis meritoria*, conſtanter negant, eo quod (a) Sicut *omne* Dei *decretum*, & imprimis *prædeſtinatio*; ita & *electio* ſic ſit independens & ἀναίτιος, ut à *nulla cauſa*, ratione, aut quovis *ſuſpendatur* alio, quam à *beneplacito* eligentis. (b) Chriſtus ſit *effectus* electionis, & *inſtrumentum* Dei, *per* quod conſtituit electos ſervare Jeſ. XLII. 1. Matth. XII. 18. 1. Pet. I. 20. Quod (c) In electionis *ordine*, Chriſtus cum merito ſuo, non ponatur *primo*; ſed *ſecundo* loco Joh. III. 16. Rom. VIII. 29. 30. 2. Tim. I. 9. nec *electio* Dei, à *merito* Chriſti, ut redemptio, reconciliatio; ſed à *gratia & miſericordia* Dei arceſſatur Eph. I. Col. I. & alibi. Quod objicitur, eſt: 1. Nos eligi *in Chriſto* Eph. I. 4. Reſp. Hoc non eſt eligi *propter* Chriſtum; ſed eligi, ut *per* Chriſtum, & *per* fidem in Chriſtum, ſalutem obtineamus. Ut ἐν accipiatur pro διὰ, prout è ſequentibus liquet, & locis parallelis 1. Theſſ. V. 9. 2 Theſſ. II. 13. 14. Eſt 2. quod ex noſtra hac hypotheſi, Chriſtus non ſit *fundamentum ſalutis noſtræ* 1. Cor. III. 11. & quod implicet: *decretum* de ſalvandis quibuſdam, non eſſe *fundatum* in Chriſto, velut meritoriâ cauſa; & *hominum ſalutem*, fundari in Chriſto. Reſp. Quaſi non ſit maximum diſcrimen inter *actionem* divinam, quà deſtinamur ad ſalutem: & *ſalutem* ipſam cui deſtinamur, ut qui *hujus* dicitur *fundamentum* & ἀρχηγὸς Heb. II. 10. ſtatim & *illius* eſſe ac dici debeat. Eſt 3. Quod *juſtitiæ* divinæ obnitatur, extra Chriſtum quemquam *diligere & eligere.* Reſp. Utique impoſſibile eſt, extra Chriſtum, Deum quemquam diligere, amore *complacentiæ*, ſic ipſi *placeat* Heb. XI. 6. non autem amore *benevolentiæ*, quo Deus ipſi *velit dare* Chriſtum, & *fidem* in Chriſtum Joh. III. 16.

Objectiones.

Rationes negativæ ſententiæ.

5. An electio ad gloriam perinde ſit abſoluta ac electio ad gratiam?

XIX. Inſuper *quintò* quæritur, an electio *ad gloriam* perinde ſit abſoluta, ac electio *ad gratiam*? *Una* eſt Dei electio, quæ nobis inſeparabiliter deſtinat *gloriam* ut *finem* Rom. IX. 23. & *gratiam* juſtificationem &c. ut *media* Rom. VIII. 29. 30. Univerſam electionem Semi-Pelagiani, Arminiani & Jeſuitæ, volunt eſſe *ex prævisis*, Jeſuitæ ex prævisis *meritis*; adeoque *abſolutam* negabant; Auguſtinus cum Scripturâ & Dominicanis, *univer-*

versam absolutam statuebat: Ambrosius Catharinus in Tridentino Concilio, electionem ad *gratiam* statuebat absolutam, ad *gloriam* autem ex *prævisis meritis*. Reformati cum Scripturis & cum Augustino, universam *electionem absolutam* esse, tam ad *gloriam* quam ad *gratiam*, propterea statuimus, quia (a) Disertè *gratuita* dicitur Rom. XI. 5. ἐκλογὴ χάριτος, quæ *opera* quævis excludat. Ibid. Eph. II. 8. 9. 1. Cor. I. 28. 29. & IV. 7. Rom. III. 27. Quia (b) eligimur *ut faciamus* bona opera Eph. I. 4. Joh. XV. 16. ergo non ex *prævisis* operibus. Quia (c) ipsa vocatio, quæ electionis *consequens* est (Rom. VIII. 28. 29. 30.) & operum *causa*, absolutè, absque omni *prævisione* fit. 2. Tim. I. 9. 10. Joh. XV. 16. 19. Eph. II. 8. 9. Quia (d) *universa electio*, ad solum refertur Dei *beneplacitum* Eph. I. 4. 5. 11. Rom. IX. 11. 18. Luc. XII. 32. 2. Tim. I. 9. Nec obstat quod: 1. *Eligere* soleamus quod *melius* est, tum imprimis, cum è multis pauca eligenda sunt, & quod proinde eligendi fuerint, qui sibi visi fuerint *meliores*, h. e. virtutibus & operibus præditi. Resp. Eligimus enim, vel quod melius *est*; vel quod melius *fiat*: tum electio fit, vel *ex merito*, quod melius *sit*, & sic creaturæ eligunt: vel ex *gratia*, ut melius *fiat*, & sic Creator elegit. Et 2. minus etiam valet, quod *gloria* detur ob *merita*, adeoque & electio decreta fuerit *ob merita*. Resp. Utrumque falsum est, & quod *gloria* detur *ob merita*; & si detur ob merita, ob merita *decretam* quoque fuisse: cum electio ad gloriam, & gloria differant ut *actus* Dei, & *bonum* creaturæ. Nec 3. quod ex studio *bonorum operum* certioremur nostræ electionis 2. Pet. I. 10. 2. Tim. II. 20. ulla cum rationis specie arguit, nos *propter opera* nostra *electos* esse ad *gloriam*.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

6. An electorum numerus sit invariabilis? Sententiarum divortia. Argumenta Reformatorum.

XX. Adhæc *sextò*, quæritur, an electorum numerus sit plane *invariabilis*? Sociniani cum Pelagianis, Remonstrantibus & Jesuitis, amore liberi arbitrii, plane *independentis* & ἀντεξουσίᾳ, negant: Lutherani sibi parùm hîc constant: jam enim statuunt esse *invariabilem* respectu *præscientiæ divinæ*, quod certo præviderit quot & quinam essent crediturí: jam *variabilem* ratione *electorum*, qui *possint* credere & non credere. Quasi scil. quod Deus *prævidit certo* futurum, possit à *parte creaturarum*, fieri & non fieri. Orthodoxi *invariabilem* statuunt, quod: 1. Non modo *quodvis* Dei decretum & nominatim etiam *prædestinationis*, *immutabile sit*, per *Capita Præced.* sed 2. Deus *per electionem*, infallibiliter sciat, *quot*, & *quinam* sint sui 2. Tim. II. 19. Joh. XIII. 18. Rom. VIII. 29. & XI. 2. 29. Huic tamen perperam opponitur:

Objectiones.

1. Quod Deus velit *omnes* & singulos servari 1. Tim. II. 4. adeoque non sit *immobilis* electorum numerus. Falsum enim antecedens, nec dicitur ab Apostolo. Quod 2. electi possint *fieri reprobi*, id quod probare nituntur (a) ex 1. Cor. IX. 27. *Ne quo modo sim reprobus*. Resp. Non dicit, ne quo modo *fiam* reprobus; sed ut non *sim* reprobus. Et ἀδόκιμος hic non opponitur electioni æternæ; sed τῷ δοκίμῳ, h. e. *puro*, inculpato, irreprehensibili, qui quod *alios docet* ipse *non facit*. (b) Matth. XI. 21. *Tyrii & Sidonii*, si habuissent *eadem* salutis media, *resipuissent*. Resp. Nihil hîc de Electione, & quod *reprobi* potuerint fieri *electi*; sed quod Capernaitarum contumacia, tanto fuerit *inexcusabilior* Tyriorum & Sidoniorum, quanto *efficaciora* habuerint salutis *media*. (c) Rom. XI. 23. *Potens est Deus ipsos rursus inserere*. Resp. Loquitur de gente *Judaica*, quæ per *infidelitatem* rejecta sit ab Euangelio; sed restitui à Deo *possit*, & *restituenda*, magna sui parte, sit suo tempore vers. 25. 26. Non autem dicit, eos *ipsos* Judæos, qui fuerint *reprobi*, fuisse *restituendos*, ut ex reprobis fierent *electi*. Quod 3. quis è *libro* vitæ *deleri* possit Exod. XXXII. 33. Psal. LXIX. 29. Apoc. III. 5. & XXII. 19. Resp. Priora duo loca, non agunt de libro æternæ *electionis*; sed de libro viventium *in terris*, ut in *dogmaticis* ostendimus. Apoc. III. 5. non dicitur, quemquam *deleri* posse ex libro *æternæ electionis*: sed promittitur *vincentibus*, certa & immobilis beatificatio, post *victoriam*. Conf. Phil. I. 6. Et Apoc. XXII. 19. prostat comminatio conditionalis, si quis libro vitæ inscriptus *detraheret*, futurum ut ipsius partem detraheret Deus è *libro vitæ*, quæ non ponit hoc *absolute* fieri posse, ut quis deleatur è libro vitæ, cum Deus *decreverit* ac *præsciverit*, quemquam ex electis, istud scelus non esse perpetraturum; Ferme ad eum modum quo Ezech. XVIII. 24. dicitur, *si aversus fuerit justus à sua justitia*. &c. Ut sensus *comminationis* apocalypticæ sit: si quis electorum (quod nunquam fiet) aliquid *detraheret*; *detraheret* Deus partem ejus è libro vitæ. Plura hujus generis occurrent in negotio de *perseverantia*.

7. An electus suæ electionis possit esse certus? Argumenta Reformatorum.

XXI. Tandem quæritur: An *vere* fidelis, *ordinariis* adminiculis, suæ electionis, possit esse *infallibiliter* certus? Pelagiani, Pontificii, Sociniani, Remonstrantes ἀποτόμως negant, quia voluntatem statuunt, esse in perpetua & independente *indifferentia*. Lutherani affirmant quidem; sed addunt (propter quod revera *negari* deberet) verè electum, *totaliter* posse deficere. Affirmant cum Scripturis Orthodoxi, quia 1. Electi jubentur *vocationem & electionem* suam *firmam facere* 2. Pet. I. 10. Utique non *in Deo* 2. Tim. II. 19. sed *in se*. Quia 2. habent in se γναρίσματα electionis, ἐχόμενα τῆς σωτηρίας Heb. VI. 9. possunt esse *certi suæ fidei*, quæ individuam habet cum salute, & consequenter cum *electione*, connexionem 2. Tim. I. 12. Joh. III. 16. Quia 3. *Spiritum S.* habent, qui est *sigillum* & *arrhabo* nostræ hæreditatis 2. Cor.

1. 22. Eph. 1. 13. 14. & IV. 30. qui *συμμαρτυρεῖ* Spiritui noſtro Rom. VIII. 16. Quia 4. *Exempla* hujus certitudinis, affatim proſtant Pſalm. XXIII. 1. 6. Rom. VIII. 38. Gal. II. 20. 2. Tim. IV. 8.

Objectiones. 2. Cor. V. 1. Gal. IV. 6. Nec obſtat: 1. quod Deo non fuerimus à *conſiliis* Rom. XI. 34. nec in *cœlum aſcenderimus* Rom. X. 6. ut *librum vitæ* introſpiceremus: poſſumus enim ex collatis iis, quæ *non niſi* electis à Deo conferuntur, *à poſteriori* certò colligere, nos à Deo *electos* eſſe. Nec 2. Iſta certitudo, modo *vera & ſincera ſit*, quemquam, ut Adverſarii calumniantur, *ſecurum* facit, *ſuperbum*, carnalem & otioſum 2. Pet. 1. 10. 11. 1. Joh. III. 3. Nec 3. Quod paſſim fidelibus præſcribatur *metus* Pſal. II. 12. 13. Phil. II. 11. 12. Non enim intelligitur *dubitatio* de *electione* ac ſalute; ſed *reverentia* filialis, verſus Deum ut Patrem Heb. XII. 28. Nec 4. Quod quidam dicuntur *defeciſſe à fide* 1. Tim. 1. 19. 20. Intelligitur enim *profeſſio* fidei Rom. 1. 8. aut fides quævis *communis*, *πρόσκαιρος* Matth. XIII. 20. 21. 1. Cor. XIII. 2.

Pars Practica.

Electio divina.

1. Nobis pandit gloriam divinæ.

XXII. Decretum electionis, nobis *primo* pandit gloriam Dei, quæ *finis ſupremus* eſt, ut omnium operationum divinarum *in genere*, ſic comprimis *prædeſtinationis*, ut *Cap præced.* docuimus, & *electionis*; unde, non tantum elegiſſe nos dicitur, *εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ* Eph. 1. 6. & ut notas faceret *divitias gloriæ* ſuæ Rom. IX. 23. ſed etiam *genus electum* dicimur, *ut virtutes ejus prædicemus* 1. Pet. II. 9. virtutem ſcil. (1) *Poteſtatis* ac dominii, quam, ut *ſigulus* obtinet in univerſam *maſſam*, ut, pro ſuo *lubitu*, ex eadem formaret, *vaſa iræ* & vaſa *gratiæ*, & ad hoc quidem *eligeret* aut *negligeret*, quem vellet Rom. IX. 22. Jer. XVIII. 6. Matth. XX. 15. Conf. Cap. præced. §. XXVIII. (2) Gloriam *miſericordiæ*, à quâ *σκεύη ἐλέους* dicitur Rom. IX 23. & electi *ad laudem gloriæ gratiæ ſuæ* Eph. 1. 6. Quæ adeo hîc potenter elucet, ut nil magis: in propoſito manifeſtandi *gratiam*, in gratioſo *delectu* perſonarum è peccatoribus, ſuis inimicis Rom. V. 10. in pura *εὐδοκίᾳ*, abſque ullo noſtri *merito* aut *dignitate* Rom. IX. 36. abſque ulla *emolumenti* exſpectatione. Ibid. in gratuita Filii ſui *donatione* Joh. III. 16. & *Spiritus S.* qui Filium nobis *applicaret*, in collatione fidei Act. II. 39. & X. 45. 2. Cor. IV. 13. in electione non ad *amicitiam* qualemcumque; ſed *υἱοθεσίαν* Eph. 1. 5. in præparatione *ad gloriam* Rom. IX. 23. *incorruptibilem*, incontaminabilem 1. Pet. 1. 2. 4. Ad gloriam 3. *Sapientiæ*, per quam, ad electionis *finem* collimavit, appoſitiſſimorum *mediorum*, tam *prudenti ſubordinatione* concatenationeque Rom. VIII. 29. 30. Eph. 1. 4. 5. 6. 2. Theſſ. II. 13. quâ *viam* reperiit conciliandæ *miſericordiæ & juſtitiæ* Rom. III. 25. Ut Apoſtolo extorqueat exclamationem: *O divitias ſapientiæ & cognitionis Dei! quam imperſcrutabilia judicia, & imperveſtigabiles viæ ejus! quis mentem Domini cognovit? aut quis ei fuit à conſiliis* Rom. XI. 33. 34. Atque iſtas *virtutes* Deus in *electione* pandit ad hoc, ut non tantum *agnoſcamus*; ſed & ut *prædicemus* 1. II. 9. piâ *προσφονήσει*: *ei ſit gloria in ſecula, Amen* Rom. XI. 36. Conf. *Capita* duo *præced.*

Poteſtatis.

Miſericordiæ.

Sapientiæ.

Quorſum?

2. Accendit compa-remus certitudinem electionis noſtræ.

XXIII. Porro *ſecundo*, nos accendit, qui de *noſtra electione*, ut *certioremur*; eamque firmam faciamus, omnem conatum applicemus 2. Pet. 1. 10. ad hoc, *nos ipſos exploremus*, ne *fortè reprobi* (*ἀδόκιμοι*) ſimus 2. Cor. XIII. 5. Neque enim eſt, quod: 1. *efficacius* nos permoveat ad ſtudium *ſanctitatis* 2. Pet. 1. 10. ut *non ſimus otioſi & ἄκαρποι*; ſed ut *ſimus ſancti, & inculpati coram eo, in charitate* Eph. 1. 4. Quod 2. arceat *apoſtaſiam* & *peccatum* 2. Pet. 1. 10. Quod 3. adeo *copioſe ſubminiſtret introitum, in æternum regnum Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti.* Ibid. verſ. 11. Quod 4. nil efficacius nos *muniat* & *confirmet* in adverſis quibuſvis Rom. VIII. 35. 38. 39. Quod 5. expeditiorem nobis paret *προσαγωγὴν* ad Deum Heb. X. 22. Verbo dicam, quod 6. *cœlum* nobis præſtet *in terra* Eph. 1. 3. 4. Heb. XI. 1. *Unus* labor *duplex* nobis expediet negotium, ſi *vocationem* nobis *firmam* fecerimus, fecerimus & *electionem* 2. Pet. 1. 10. *Quos enim præſcivit, hos & prædeſtinavit, quos prædeſtinavit, hos vocavit* Rom. VIII. 30. Firmam autem fecerimus *vocationem* noſtram, ubi *fidei noſtræ adjecerimus virtutem, virtuti ſcientiam*, &c. 2. Pet. 1. 5 6. Innoteſcet autem electionis *certitudo*, duplici indiciorum genere, quorum *prius* Dei eſt *certificantis*; *ſecundum* noſtrum, *certificatorum*: Deus probat indubitatis indiciis, ſe nos *elegiſſe*, & nos viciſſim, nos *electos* eſſe, variis *γνωρίσμασι*. Deus ſe *elegiſſe* ab *æterno* manifeſtat: 1. *Noſtri* electione illa, quæ fit in *tempore*, h. e. *vocatione*, à quo *vocatio* electio denominatur 1. Cor. 1. 26. 27. Quando, quos *æterno* conſilio, ſeparavit à reprobis, in *tempore* ſeparat, à profana & carnali mundanorum *turba*, & quos olim *præparavit ſibi* vaſa gratiæ; jam *parat*, qui immoto propoſito, *ſe Deo* addicant. Manifeſtat 2. Receptione in ſuam familiam Pſal. LXV. 5. *Beatus quem elegeris, & appropinquare feceris tibi, ut habitet in atriis tuis.* Quæ fit per efficaciam *verbi*, per vim *promiſſionum*, & potentiam *Spiritus*, quibus fit, ut Deum allicientem *audiamus*, trahentem *ſequamur* in familiam ſuam 1. Theſſ. 1. 4. 5. 6. *ut qui ſciamus, à Deo vos electos eſſe, quoniam Evangelium noſtrum conſtitit, non in locutione duntaxat; ſed etiam virtute, tum in Spiritu ſancto, tum in πληροφορίᾳ multa,*

Motivæ.

Signa duum generum, Primum genus.

id, & vos imitatores noſtri facti fuiſtis & Domini, admiſſo ſermone cum oppreſſione multa. Manifeſtat 3. Sanctificatione *crucis*, & calamitatum ipſis immiſſarum, effundendo *ſenſum amoris* ſui Rom. v. 5. efformando eos, ad *patientiam*, humilitatem, preces, ſenſum & *odium* peccati: exaudiendo *gemitus*, & omnia adverſa dirigendo in *commodum* ipſorum. Uſque adeo, ut Dei *amorem* in ipſis adverſis perſpiciant, & cum Davide agnoſcant *bonum* ſibi fuiſſe, quod *afflixerit* Pſalm. cxix. 71. Ponit iſtud γνώρισμα Paulus Rom. viii. 28. 29.. *Novimus, quod eis quid diligunt Deum, omnia cooperentur in bonum, eis ſcil. qui ex propoſito vocati ſunt, quos enim præſcivit* &c. His itaque & ſimilibus indiciis, *Deus* manifeſtum facit, ſe nos *elegiſſe*: Ab altera parte, *electi*, variis indiciis, *ſuam* electionem produnt: (1) Spiritus *ſanctificatione. Sumus* enim *electi, ut ſimus ſancti & inculpati coram eo, in charitate* Eph. i. 4. & 2. Theſſ. ii. 13. *Quod elegerit vos, per ſanctificationem Spiritus, ac fidem veritatis* 1. Pet. i. 2. Nominatim (2) *Virtutibus* Chriſti, reſplendentibus per *univerſam vitam* noſtram. Sumus enim *electi in Chriſto* Eph. i. 4. futuri *in Chriſto*, ſeu uniendi cum eo, ut ejus humilitas, longanimitas, charitas, obedientia, mundi contemptus, aliaque ſalvifica, in nobis ubique *pelluceant* 2. Pet. i. 5. 6. 7. 10. 1. Pet. ii. 9. (3) *Affectu* in Deum, ſcil. *inculpati coram eo in charitate* Eph. i. 4. Ut qui pura puta *charitate* Dei ſunt electi, *amorem ſuum* reciprocent Deo, ejus verbo, ſtatutis: & conferant etiam *in amicos* Dei, ſecum in Chriſto electos Col. iii. 12. *Sicut electi Dei ſancti, induti eſtote viſceribus miſerationum, benignitate* &c. Quæ *charitas*, tum ſolidius evincet *noſtri electionem*, ſi per quævis adverſa, ſtet *immota* Rom. viii. 28. 35. (4) *Sacerdotio* ſpirituali 1. Pet. ii. 9. *Genus electum, regale ſacerdotium.* Quo *ſeipſos* Deo offerunt, *mortificando carnem* ſeu brutos affectus, eoſque velut *ſacrificando*, ſuper Chriſtum quaſi *altare* Gal. ii. 20. & v. 24. & vi. 14. (5) *Odio* & perſecutionibus mundi Joh. xv. 18. 19. *Si mundus vos odit, ſcitis quod me prius odio habuerit; ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt amaret; quia vero de mundo non eſtis; ſed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Alia & plura habet Caſmannus in ſuis *Signis electionis.*

Secundum genus.

5. Inſtigat ad gratitudinem.

Argumenta motiva.

XXIV. Ubi *tertio*, jam aſſecuti fuerimus *electionis noſtræ* certitudinem, adſtringit nos ad *gratitudinem* Eph. i. 3. 4. *Benedictus ſit Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti* &c. *qui elegit nos* &c. 2. Theſſ. ii. 13. *Nos debemus gratias agere Deo ſemper, dilecti a Domino, quod elegerit vos ab initio* 1. Theſſ. i. 2. 4. Ad *gratitudinem* inquam, quod (1) *elegerit* nos, cum *reprobare* potuiſſet. Rom. ix. 21. Quod (2) *pra tot myriadibus*, quos præteriit & reprobavit Rom. ix. 27. 28. 29. & xi. 3. 5. 7. 22. Quod (3) ut *lapſos*, corruptos, peccatores, hoſtes elegerit Rom. v. 8. Ezech. xvi. 5. 6. Quod (4) purâ puta adductus *miſericordia* elegerit. Ibid. nulla ullius *lucri*, aut emolumenti cujuſvis *exſpectatione*, ſolâ adductus εὐδοκίᾳ Eph. i. 5. Matth. xi. 25, 26. Quod (5) non ad *ſervitium*, aut *amicitiam* qualemcunque cum Deo, aut *leviora* quævis alia beneficia elegerit: ſed ad υἱοθεσίαν Eph. i. 5. ad *juſtificationem*, ſanctificationem, glorificationem æternam Rom. viii. 30. ad *hæreditatem, quæ nec perire poteſt, nec contaminari, nec marceſſere, quæ in cœlis ſervatur nobis* 1. Pet. i. 4. Quod (6) *in Chriſto* elegerit; h. e. ſanguine *proprii* & unigeniti *Filii* ſui redimendos, cum eo *uniendos*, & *omnium* ejus beneficiorum communione beandos 1. Pet. i. 2. *Dilecti ex præcognitione Dei, per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Ut *in eo* eſſemus *conſummati* Col. ii. 10. i. Cor. i. 30. conformandos *imagini Filii* ſui Rom. viii. 29. Quod (7) per *ſanctificationem Spiritus* 1. Pet. i. 2. 2. Theſſ. ii. 13. ſcil. per ipſum *regenerandos*, convertendos, renovandos Joh. iii. 5. Tit. iii. 5. Pro quibus omnibus gratitudinem Deo præſtemus: (a) *Corde* beneficii iſtius quantitatem & qualitatem *agnoſcendo*, ſentiendo & æſtimando, *ſoli* Deo, ac puro puto ejus *amori* ac benevolentiæ, *adſcribendo* Pſal. cii. 1. 2. 3. & cxvi. 12. Gen. xxxii. 10. (b) *Ore*; ut genus *electum*, *prædicando virtutes illius, qui vocavit nos* 1. Pet. ii. 9. Pſal. ii. 16. Tandem (c) *Opere*, Deum, qui puro *puto amore* nos *elegit*, redamando Pſalm. cxvi. 1.--5. eum viciſſim nobis *eligendo in Deum* Joſ. xxiv. 22. *Teſtes eſtis contra vos*, quod *Deum elegeritis, ut illi ſerviretis.* Pſal. xvi. 5. 6. Et quia ipſe eligendo *nos ſeparavit* à mundo, *nos* viciſſim, *ei* nos *ſeparando* à mundo Joh. xv. 19. ei nos *non conformando* Rom. xii. 2. *exeundo* Apoc. xviii. 4. Heb. xiii. 13. & cum *elegerit nos, qui eſſemus ſancti & inculpati coram eo in charitate*, huic *conſilio* ſerviendo (Act. xiii. 36.) *ſanctitati* ſtudendo, de quo jamjam plura ex profeſſo.

Modus.

4. Excitat ad ſtudium ſanctitatis.

Rationes motivæ.

XXV. Itaque *quartò*, multis argumentis nos invitat, ad *ſtudium ſanctitatis*; quod (1) Qui nos *elegit*, *ſanctus* ſit Levit. xi. 44. 45. Matth. v. 48. (2) Nos elegerit *ut ſimus* populus *ſanctus* Deut. xiv. 2. *Sanctus populus es Domino Deo tuo, elegit te Dominus, ut ſis ſibi pretioſus populus* 1. Pet. ii. 9. *Genus electum, regale ſacerdotium, populus ſanctus.* (3) Elegit nos *ad ſanctitatem* Eph. i. 4. *Ut ſimus ſancti & inculpati coram eo.* Et per *ſanctificationem Spiritus* ſancti 2. Theſſ. ii. 13. 1. Pet. i. 2. (4) Elegit nos *in Chriſto*, *Sancto Iſraelis* Jeſ. x. 20. quem ad hoc Pater *ſanctificavit* Joh. x. 36. & qui ſeipſum *pro* nobis *ſanctificavit*, *ut & nos ſimus ſancti* Joh. xvii. 19. & *in quo*, qui *eſt*, *nova creatura eſt* 2. Cor. v. 17. *conditus ad bona opera*,

ut in iis ambules Eph. II. 10. (5) Elegit nos, *conformandos imagini Filii sui* Rom. VIII. 29. (6) Elegit, pura puta adductus *gratiâ*, quæ nos *erudit, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus; moderate, juste & pie vivamus* Tit. II. 12. Quod (7) eligendo nos *separaverit* à mundo Joh. XV. 19. *ut nos separemus* ab eo, nec ei *conformemur*; sed *renovemur Spiritu mentis nostræ* Rom. XII. 2. Exigit autem hujus sanctitatis studium: A. Deum *amemus*, sicut ipse eligendo nos *amavit* Rom. VIII. 29. *Quos præscivit* &c. ut sit amor *reciprocus* Cant. II. 16. B. Amemus *pure* & q. *gratis*, sicut *ipse nos* eligens, quicquam non habuit, quod *moveret*: ita & nos illum amemus, non propter *nos ipsos*, aut *quicquam à Deo* nobis oriundum: sed purè *propter se*. C. Amemus ut *eligamus*, seu cum *præteritione* & *contemptu* aliorum quorumvis Psal. LXXIII. 25. prout ipse, *nos* eligendo, myriades *præteriit*. D. Eligamus, ut electo nos tutos *destinemus* & impendamus 2. Cor. VIII. 5. Rom. XII. 1. prout ipse, nobis electis, *Filium & omnia ejus* (Rom. VIII. 32.) imo & *seipsum* destinavit & impendit. E. Nos nostraque, ejus *gloriæ* dedicemus, prout ipse *se suaque*, nostræ dedicavit *saluti*, ei vivamus, ei moriamur Rom. XIV. 7. 8. 9. Phil. I. 20. 21. Tandem F. *Nomina* nostra *Deo demus*, ei velut *subscribamus* Jes. XLIV. 1. 5. prout ipse *nomen nostrum* inseruit catalogo *vitæ*.

Modus hujus studii.

5. Suppeditat argumentum consolationis, gaudii & fiduciæ.

XXVI. Tum *quinto*, à divina *electione*, nobis suppetit argumentum *consolationis*, in adversis quibusvis, *gaudii* ineffabilis, in secundis, *fiduciæ* plenæ, in quovis statu. Sumus enim, ab electione: 1. infallibiliter *certi*, æternæ nostræ salutis *ac vitæ*, si moriamur 2. Thess. II. 13. 14. *Quod elegerit vos Deus ab initio* &c. *ad obtinendam gloriam Domini nostri Jesu Christi* Psal. XXIII. 6. & immoti Dei *amoris* versus nos Rom. XI. 2. & VIII. 38. 39. Sumus 2. *securi*, de gratiosa nostri *in familiam Dei* receptione, deque perpetua *communione* & conversatione cum Deo Psal. LXV. 5. *Beatus quem elegeris, & appropinquare feceris ad te, ut habitet in atriis tuis: saturabitur bono domus tuæ, sanctitate templi tui.* Conf. Jes. LXV. 13. 14. Sumus 3. *certi* de *protectione* divina, in quovis periculo adversitateque Jes. XLI. 10. 11. 12. 13. *Ne timeas, quoniam tecum sum ego, ne terrearis quoniam ego Deus tuus sum: roboravi te, insuper auxilium sum tibi, atque susce pi te, dextra justitiæ meæ. Ecce pudore afficientur & erubescent omnes, qui irascuntur contra te, erunt tanquam nihilum, & peribunt viri contendentes tecum* &c. Psal. XXIII. 4. 5. & III. 6. 7. 8. 9. Sumus 4. certi, futurum ut durissima quævis *adversa*, per gratiam Dei, non modo *emolliantur* nobis Psal. LXXIII. 26. sed & *cooperentur* in bonum & salutem nostram Rom. VIII. 28. usque adeo, ut *gloriari* possimus in *tribulationibus nostris*, quod *charitas Dei effusa sit in cordibus nostris* Rom. V. 2. 3. 4. 5. Sumus 5. certi, nos, utcunque *abjecti* simus in mundo; *electos* tamen esse à Deo, semper recipiendos à Deo: audiendas & exaudiendas preces nostras Joh. XV. 16. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, ut abeuntes fructum feratis, ut quicquid petieritis à Patre in nomine meo, det vobis.* Heb. IV. 16. & X. 22. Sumus 6. certi, Christum nobis, velut *amicis*, communicaturum *secreta* Patris; mysteria regni sui Joh. XV. 15. 16. Psalm. XXV. 14. Gen. XVIII. 17. Sumus 7. certi, omnes omnium *accusationes*, olim adversus nos, coram tribunali divino, proferendas, rejiciendas fore, quod Christus, electionis decreto, destinatus nobis sit *Expromissor* ac solutor Rom. VIII. 31. 32. 33. 34. 35. Si enim *Deus pro nobis, quis contra nos erit? qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit eum. Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat: Quis condemnabit? Christus mortuus est.* Ista omnia, & infinita alia beneficia, certa nobis stant & immota: modo nos, sine fuco *certi* simus & persuasi, nostræ *electionis*.

Rationes consolatoriæ.

XXVII. Suppetit etiam *sexto*, ab *electione* divina argumentum *imitationis*, ut non modo *Deum eligamus* qui nos elegit, sicut jam ante diximus; sed & *quos* Deus *elegit* nobiscum, *eligamus* nobis, utpote qui, *eodem* amore, eadem gratiâ, in eosdem usus, in eodem capite Christo, in idem corpus mysticum, ad eandem unionem & communionem cum Filio suo, ad eadem salutis media electi simus: ut proinde tanquam *electi Dei sancti, dilecti, induamur viscera bus miserationum, benignitate, modestia, mansuetudine, lenitate* &c. *Sicut Christus* nobis &c. Col. III. 12. 13. Joh. XV. 17. & XVII. 26. Quin absque ullo vilipendio, aut προσωπολη-ψίᾳ, vel *abjectissimos* prosequamur, quod *Deus elegerit pauperes mundi hujus, divites fide & hæredes regni, quod promisit eis à quibus diligitur* Jac. II. 5. 1. Cor. I. 27. Imo & parati simus, quævis propter eos *sustinere*, quod adeo sint *chari* Deo, ei qui & nos elegit 2. Tim. II. 10.

6. Est in electione exemplum imitationis, qua electos Dei quasi eligamus nobis.

7. Declinandi scopuli in electionis negotio.

XXVIII. Tandem *septimo*, observandi quoque, & solicite *declinandi* sunt *scopuli*, quibus electionis fructus commemorati, non tantum nobis *pereant*; sed etiam *exitium* accelerari possit. Quales sunt: 1. *Universalis* cujusdam electionis *imaginatio*, quâ, per Dei misericordiam, omnes tandem serventur *& singuli*: utpote quâ, omnis *cura confirmandæ* suæ electionis, à qua, omnis fere & pietatis & consolationis efficacia suspenditur, penitus enervatur. Quam in *elenchticis* abundè cofecimus. 2. *Præcipitium*, quo electionem nostri *exploraturi*, *superne* negotium auspicamur, *immediate* in electionem nostram intenti, ut q. *librum vitæ*, nitamur introspicere, sitne *nomen* nostrum, ei inscriptum: cui non potest non *præcipitium* succedere; cum consilia id genus, *à priori* nobis sint inaccessa:

ceſſa: quando *certiorationis* iſtud negotium, à *nobis ipſis* debemus auſpicari, *corda* noſtra inveſtigantes, habeant ne talia penes ſe, quæ indubitatam habent cum *electione connexionem*. Scil. per *ſcalam* Apoſtolicam, quæ erigitur Rom. VIII. 29. 30. gradatim *aſcendamus*, à ſenſu *fidei* & ſanctificationis noſtræ, ad *juſtificationem*, inde ad *vocationem*, hinc ad *prædeſtinationem*, & ſic tandem ad electionis *præcognitionem*: tum ubi ſic *aſcenderimus*, & electionis noſtræ certitudinem *aſſecuti* fuerimus; paulatim inde *deſcendamus* ad nos ipſos, *certitudinem* noſtræ *perſeverantiæ* ac *ſalutis*, ex ea conficientes, atque adeo *fructus* illos ſuaviſſimos carpentes, quos dudum monſtravimus. 3. *Securitas* carnalis, quâ ex *immutabilitate* electionis noſtræ, per *ſocordiam*, *media* ſalutis ſuſque deque habeamus, acſi, *fatuo* decreto, Deus *finem* ac ſalutem nobis deſtinaſſet, abſque *mediis*, abſque *ſtudio* fidei ac ſanctitatis. Quod paſſim refellit Apoſtolus Eph. I. 4. 2. Theſſ. II. 13. 1. Pet. I. 2. &c. 4. *Deſperatio*, qua ex eo, quod electionis γνωρίσματα, in nobis non obſervamus; ſtatim concludimus nos non eſſe electos, adeoque omne *ſtudium ſ dei*, reſipiſcentiæ ac pietatis, penitus in caſſum futurum. Cum electionis noſtræ *cura*, ſolicitudo ac deſiderium, *ſpem* nobis conciliet, qua erigamur ad *ſtudium mediorum*, quibus ad *certitudinem* noſtræ electionis, tandem pertingamus. Denique 5. otioſæ vere-fidelium de ſua electione *dubitationes*, quæ amorem & *familiaritatem*, inter Deum & ſe *obſtruunt*. *Otioſæ* inquam, *fidelium* dubitationes, dantur enim & *juſtæ*, à commiſſis peccatis, quæ conſcientiam *vaſtant*, oriundæ: ſed *otioſæ* ſunt, quæ à ſingulis *infirmitatibus* ſuſcipiuntur. Quamvis enim conveniat, poſt commiſſa *quævis peccata*, ſeſe coram Deo *humiliare*, eaque *deprecari*: non tamen convenit, poſt *quævis* peccata, *ſpem* omnem ſtatim abjicere, de ſui electione ac ſalute *dubitare*; alias quis unquam, ſuæ *electionis* ac ſalutis, poſſit eſſe certus? cum *in multis impingamus omnes* Jac. III. 2. & vel *juſtus*, *ſepties labatur in die* Prov. XXIV. 16. *Otioſæ* enim hujuſmodi *dubitationes*, admodum *imminuunt familiaritatem*, quæ electis intercedit cum Deo ſuo.

CAPUT QUARTUM.

DE

REPROBATIONE.

Jud. verſ. 4.

Subrepſerunt quidam homines, prius jam olim deſcripti ad hanc damnationem, impii, qui Dei noſtri gratiam, transferunt ad laſciviam, ac Deum, qui ſolus eſt Herus, ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum abnegant.

Tranſitio ad Reprobationem.

I. Sunt electio & reprobatio inter *relata*, quæ, ut ſe invicem *ponunt* ac *tollunt* (ſi enim eſt *electio*, eſt etiam *reprobatio*, & ſi non eſt *reprobatio*, non erit quoque electio) ita etiam egregie ſibi invicem ſuccurrunt in cognoſcendo, ut quo rectius aſſequimur *unum* horum relatorum, eo quoque dexterius aſſequamur *alterum*. Hoc animo, à prima prædeſtinationis ſpecie, ab *electione*, deſcendemus ad *reprobationem*, cujus veritatem & ingenium, B. Judas Apoſtolus, nobis repræſentabit Epiſt. ſuæ verſ. 4.

Pars exegetica.

Quæ ſuperſtruitur exegeſi textus.

II. *Quibus verbis*, προσωπογραφία *quædam*, *ſeu* deſcriptio *continetur apoſtatæ* reprobi. *In hoc nobis occurrunt:*

1. Deſcriptum, παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι, ſubrepſerunt enim quidam homines. *Intelligit Apoſtolus pſeudo-Chriſtianos, qui* profeſſione *tenus, erant intra ſeptum Eccleſiæ Chriſtianæ; ſed à* fide *Chriſtiana, jam tum ſuo tempore, turpiter defecerant, quales Simoniani, Nicolaitæ, Gnoſtici, Menandritæ, Carpocratiani, Cerinthiani, Nazaræi, Ebionitæ &c. quos Apoſtolus Johannes, paſſim Anti-Chriſtos appellat* 1. *Joh.* II. 18. 19. 22. *& Cap.* IV. 1. 2. 3. *De quibus Epiphanius* in Panar. *lib.* I. *& ex eo, juxta & ex Euſebio, Auguſtinus* de Hæreſ. *lib.* I. *p.* 14..... *Tom.* VI. *edit. Baſil.* 1569. *Qui, inter*

inter alia, tradebant: peccatum esse adiaphorum quid, fœminas, & alia quævis, esse communia &c. Adversus quos B. Judas, teste Oecumenio, in argumento *ad hanc Epistolam, hanc conscripsit Epistolam. De his dicit,* παρεισέδυσαν latenter *sive* furtim irrepserunt, *vel* obiter subierunt, *subdole, & sensim, & clanculum, se insinuarunt, quæ vis est verbi* δύειν *vel* δύνειν. irrepserunt *scil. in Ecclesiam.*

2. Descriptio, *in qua* horum *traditur:*

A. Reprobatio, *οἱ πάλαι προγεγραμμένοι, εἰς τοῦτο τὸ κρίμα,* qui olim præscripti *sunt,* ad hoc judicium. *Notatur reprobationis:*

1. Tempus *πάλαι* olim, jamdudum, *ante eorum* παρεισδυσιν *in Ecclesiam. Hoc loco, ex subjecta reprobationis æternæ materia, idem videtur significare, quod* מקדם מימי עולם *Mich.* v. 1.

2. Actus *reprobandi, προγεγραμμένοι,* præscripti. *Hoc alii referunt ad* Paulum, *aut ad* Petrum 2. *Thess.* II. 8. 9. 2. *Tim.* II. 16. 2. *Pet.* II. 3. *sic Grotius: alii ad* Christum *Matth.* XXIV. 4. 5. 10. 11. 14. *Procul dubio ad hoc, ut declinent æternam* reprobationem; *alii ad tempora Veteris Testamenti, translatione desumpta ab eo, quod sententiæ* ex scripto *recitari solerent Psal.* CXLIX. 9. *ut significetur, illos jam olim, fuisse à Deo* destinatos *sive designatos: alii rectius ad æternam referunt* reprobationem, *metaphora desumpta,* vel *ab eo, quod prædestinationis consilium,* liber vitæ *vocetur, procul dubio appositus* libro mortis; vel *ab eis, qui memoriæ causa, in codicillis* describunt *& consignant, quæ sibi proposuerunt agere: quod procul dubio, magis congruit phrasibus analogis,* τιθέντες 1. *Thess.* V. 9. κατηρτισμένοι *Rom.* IX. 22. οἷς ὁ ζόφος σκότους, εἰς αἰῶνα τετήρηται, quibus caligo tenebrarum, in æternum reservata fuit, *procul dubio, æterna* reprobatione 2. *Pet.* II. 17. *quod ex eo confirmatur, quia de eisdem personis Petrus loquitur, quas B. Judas* προγεγραμμένους *dicit* ad hoc judicium. *Conferantur duo Apostoli.*

3. Terminus, *ut non dicam* finis *hujus* προγράψεως, εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, ad hoc ipsum judicium. *Judicium* κρίμα *hîc vocat: vel* reprobum sensum, *quo feruntur, ut veritatis doctrinam pervertant: vel justam* derelictionem, *quâ, ob peccata præcedentia, permissi fuerunt, pati* naufragium fidei, *idque ita, ut fierent errorum* Magistri, *tandemque æternum damnarentur: vel æternam* damnationem, *ut* κρίμα *hîc sit pro* κατάκριμα pœna, *ut Matth.* XXIII. 14. *Marc.* XII. 40. *Luc.* XX. 47. *Rom.* II. 3. *&* V. 16. *Gal.* V. 16. *Jac.* III. 1. *Quam* pœnam, *Deus pridem decrevit, in eos qui Evangelium rejiciunt; ad quod æternum* exitium, *eos B. Judas dicit* προγεγραμμένους, *ut non* temere *hoc fieri significaret; sed æterno certoque Dei consilio, & providentia juste sic ordinante* 2. *Pet.* II. 23.

B. Impietas, ἀσεβεῖς, 2. *Pet.* II. 6. Ἀσεβὴς ἐκ α στερητικῷ, & σέβομαι colo, *notat eos, qui non tantum sunt destituti omni propensione ad* cultum *divinum; sed etiam proclives ad quævis peccata, unde* ἀσεβεῖς *&* ἁμάρτωλοι, *non semel in Scripturis construuntur* 1. *Tim.* I. 9. 1. *Pet.* IV. 18. *Jud. vs.* 15. *& cum his* ἀπώλεια 2. *Pet.* III. 7. *item* ira Dei *Rom.* I. 18. *Jud. vs.* 15. *Non equidem, quod hæc* ἀσέβεια, *sit causa* movens, *ad æternam* reprobationem; *sed quod sit consequens* derelictionis, *ut suppetat, ob quod* juste *condemnentur, & gloria justitiæ vindicativæ, patefiat in* justa *eorum* condemnatione. *Speciatim.*

C. Abusus *& contemtus* gratiæ *divinæ: τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν &c.* Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam &c. *Hic* abusus *gratiæ, notantur:*

1. Terminus à quo, gratia Dei nostri, *intelligitur* doctrina *gratiæ, seu* Evangelium, *metonymice sic dictum Heb.* XII. 15. *& alibi: nominatim doctrina de gratiosa Christi redemtione, de gratuita nostri justificatione per* solam *fidem. Quam gratiam exaggerat, addita relatione, ejus ad* Deum nostrum, *seu ad* fœdus gratiæ, *cujus ope Deus sit Deus* noster *in Christo. Unde gravitas hujus* abusus, *egregie invalescit, quod gratia tanti fœderis abutantur.*

2. Actus *abutendi,* μετατιθέντες trasferentes. *Scil à* salutari *ejus, in* perversum *usum. Sumtum est vocabulum, ab eis, qui res suas, ex una habitatione in aliam transferunt Act.* VII. 16. *Heb.* VII. 12. *&* XI. 5. *ad perversam doctrinam, ut hîc, refertur Gal.* I. 6.

3. Terminus ad quem, εἰς ἀσέλγειαν, ad lasciviam, *petulantiam, proterviam. Ad verbum, notat fœtorem illum, qui nascitur ex effœminata libidine, observante Junio in Gal.* V. 19. *Hinc frequenter jungitur cum* ἀκαταρσία 2. *Cor.* XII. 21. *Gal.* V. 19. *Eph.* V. 19. *Ubi Syrus per fœtorem refert. Complectitur autem hoc nomen, omne genus obscœnitatis & libidinis, quo procacibus verbis & gestibus proditur interior libido. Ut hîc significetur monstrosa profusio in omne genus lasciviæ, ad quam Simoniani, Nicolaitæ, Carpocratiani, Gnostici aliique, transferebant doctrinam de gratia Dei nostri.*

D. Apo-

D. Apostasia, καὶ τὸν μόνον δεὸν, καὶ δεσπότην, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι, & solum Deum & Herum, Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Notaturie hic:*

1. Objectum *abnegationis*, *duplex.*

α. Primarium, καὶ τὸν μόνον δεὸν καὶ δεσπότην, & solum illum Deum & Herum. *Sunt qui* tria *epitheta:* μόνον δεὸν, δεσπότην & κύριον; *referunt ad unum Jesum Christum, utpote qui, cum Patre sit* solus ille Deus Joh. XVII. 3. *sit* Herus *seu Pater-familiàs, in familia Ecclesiæ, &* Dominus, *qui suo sanguine, nos nos sibi acquisiverit* I. Pet. I. 18. 19. *idque ex eo, quod unus tantum, tribus epithetis præfigatur articulus; sed &* diversis *personis, unus articulus, non rarò præfigitur* Matth. XVII. 1. Act. III. 11. *&c. Malo igitur duos priores titulos referre ad Patrem, qui appellatur.*

1. Μόνος δεὸς, *oppositè, non tantum ad creaturas & Deastros; sed & ad filium, cujus frequenter Deus appellatur,* κατ' οἰκονομίαν, *quatenus, per æternam* expromissionem, *Patri factus est servus ac subditus* Jes. LIII. 10. Joh. XX. 17.

2. Δεσπότης Herus, *Dominator* Luc. II. 29. Act. IV. 24. *Ita vero appellatur: tum quod* Pater *in familia sit* Herus: *tum quod in Oeconomia Trinitatis sit* prima *persona, sicut* secunda *est* dispensator, *&* tertia *communis quasi* Emissarius, *ut suo loco in cap. de* Trinitate *docuimus: tum quod in* consilio pacis *æterno, totum redemptionis negotium delineaverit & ordinaverit: tum denique, quod in familia Ecclesiæ, ipse supremus sit Legislator.*

β. Secundarium, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν. Dominum nostrum Jesum Christum. Dominus *passim appellatur, non tantum à* deitate, *qua cuncta creavit, sustentat & gubernat: nec tantum à* redemptione, *qua nos sibi acquisivit emendo* Apoc. V. 9. I. Cor. VI. 20. & VII. 23. *Sed &, quod ipsi à Patre* data sit omnis *potestas* Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 9. 10. 11. Act. II. 36.

2. Actus *abnegandi*, ἀρνούμενοι, negantes. Ἀρνεῖσθαι *est fidem & auctoritatem alicui detrahere* Matth. X. 33. Luc. XII. 9. Act. III. 13. 14. & VII. 35. &c. *Fitque, tum* vita *& factis* Tit. I. 16. *tum verbo & doctrina* Matth. X. 33. *Dicitur proprie, ut jam ante monuimus, in Simonianos, Nicolaitas, Carpocrationos aliosque. Hi* gratiam *Dei* transferebant in lasciviam, *abnegabant: tum Deum* Patrem, *plures pro uno, mundi Gubernatores, introducentes, Simonem adorantes, qui se esse fingebat, illum Deum, qui in in monte Sinai apparuerit; tum* Jesum Christum, *quem dicebant, nec vere natum esse, nec passum, nec resurrexisse, nec ipsum esse Christum, nisi per denominationem, à supremo Christo invisibili & incorporeo diversum: nostrum Christum dicebant hominem natum ex homine, & multos suorum, ipsi pares, nec proinde eum agnoscebant pro suo Redemtore & Domino.*

Pars dogmatica.

Dari æternam quandam reprobationem, Probatur.

III. Dum igitur, *quidam* homines, non omnes, & *certi* quidam, qui suis characteribus describuntur; *præscripti*, non tantum *præsciti*; sed *prædestinati* dicuntur, ad certum terminum, ad *damnationem*, & πάλαι jam olim: quis dubitabit, num detur *æternum* quoddam *reprobationis* decretum? quo *per justam*, certorum quorundam *hominum condemnationem*, Deus intenderit, manifestare *gloriam justitiæ* suæ vindicis. Cum præsertim hoc tot modis tradat Scriptura, tum ῥητῶς Jes. XLI. 9. *Elegi te, non reprobavi te:* & δυνάμει, quoties quidam dicuntur κατηρτισμένοι εἰς ἀπώλειαν Rom. IX. 22. τιθέντες I. Pet. II. 8. 9. *Ad quod etiam positi sunt, vos autem estis genus electum* I. Thess. V. 9. *odio habiti* à Deo Rom. IX. 9. 11. 12. 13. Mal. I. 2. 3. Rom. XI. 15. quoties item Deus dicitur *misereri* quorum *vult*, & *indurare quos vult.* Item esse quorum *nomina* non extent *in libro vitæ* Apoc. XIII. 8. qui sint *non-populus* Dei: *non-dilecti* Hos. I. 10. & II. 22. collat. cum. Rom. IX. 25.

Scripturis.

Et ratiocinationibus.

IV. Ac præter Scripturam, idem recta confirmat ratio; si enim (a) detur *electio*, quod omnes agnoscunt; datur item *reprobatio*, ex natura *relatorum* (b) è perfectione divinâ demonstrans, nihil fieri in *tempore*, quod ab *æterno* non *præviderit*, nec prævidere *potuisse* aliunde, quam quod *prædeterminaverit*: consequenter, cum præviderit multorum *damnationem*; necessum est, ut eam ab æterno *prædeterminaverit*, h. e. *reprobaverit.* Porro (c) status *æterni* creaturarum *rationalium*, rei quippe *singularis*, singularem ab æterno habuisse *curam*, in prædestinatione: Et sicut habuit *salutis* in *electione*: ita etiam habuit *damnationis*, in *reprobatione.* Atque etiam (d) cum *quorundam curam* habuerit ad eligendum; alios necessario *præterisse*, suis peccatis *relinquendos*, & *propter illa* æternum *damnandos.* Imo (e) consentaneum esse, Deum *decere*, ut ab æterno, *justitiæ vindicis* demonstrandæ curam gesserit, perinde ac *gratiæ & misericordiæ.*

Quid sit reprobatio à

V. Est autem *reprobatio*, *certorum quorundam hominum prædestinatio*, *ut per per eorum justam condemna-*

demnationem, manifeſtetur gloria juſtitiæ vindicis Rom. IX. 22. Jud. verſ. 4. Hîc dum *prædeſtinatio* dicitur (per Caput de *prædeſtinat.*) non nuda eſt & *inefficax præſcientia*; ſed *deſtinatio* voluntatis: quâ quos *vult* indurat, *ponit*, *adaptat*, *præſcribit* ad exitium: dum *certorum* hominum prædeſtinatio dicitur, non intelligitur, *vel* prædeſtinatio *ſtatus*, quâ *generatim* infideles & *impios* voluerit damnari; cum perpetuò ad *homines* extendatur: *Quidam homines: vaſa iræ*; vel hominum *vagè*; ſed *certorum*. v. g. *Eſavi*: dum prædeſtinaſſe dicitur, ut *per juſtam* iſtorum *condemnationem*, gloriam *juſtitiæ* manifeſtaret; planum eſt, ex ſententia Reformatorum, Deum non *prædeſtinaſſe* hominem ad *exitium*, tanquam ad *finem*, aut *morte peccatoris delectari* per ſe; ſed ad *gloriam juſtitiæ* ſuæ, cujus *medium* ſit, non qualiſcunque: ſed *juſta condemnatio*. Sed pleraque horum paulò diſtinctius erunt dicenda.

Actus reprobationis quatuor.

VI. Reprobationis itaque prædeſtinatio, ceu actus, in ſua *latitudine*, *quatuor* iſta, ut jam ante monuimus, complectitur: 1. *Propoſitum* manifeſtandi *gloriam juſtitiæ* vindicativæ Rom. IX. 22. 1. non autem damnandi & *perdendi hominem*, quod ullam *rationem boni* (adeoque nec *finis*) non habet, nec, ratione *Dei*, nec ratione *hominis*. Unde, ſe *non delectari morte peccatoris*, pronunciat Ezech. XVIII. 23. Et in hoc *primum* eſt electionis & reprobationis *diſcrimen*, quod electio non *gloriam* tantum miſericordiæ; ſed *ſalutem* etiam electorum, pro *fine* ſibi propoſitam habeat Rom. IX. 23. dum reprobatio, *ſolam juſtitiæ* manifeſtationem, velut *finem* intendit; nec *juſtam* reprobi 2. *damnationem* conſiderat, niſi ut *medium*. 2. Propoſitum *creandi & permittendi* lapſum eorum, quod reprobis eſt cum electis *commune*, ut hactenus, nec Cain, nec Judas, nec quiſquam habeat de quo conqueratur: cum ſibi *proponere gloriam* ſuæ juſtitiæ, & ad hoc homines *indefinite* & promiſcue *creare*; & in *lapſum permittere*, nemini *injuriam* inferat; cum præſertim iſta *reprobatio*, ſit actus Dei 3. *immanens*, nec attingat quemquam. 3. Ex *lapſis* definitè, v. g. Judam *deſignare*, in quo *juſtitia* ſua patefiat. Non poteſt autem hæc *deſignatio*, *electio* appellari, quia non eſt *ex dilectione*, nec *boni* alicujus *communicatio*; ſed tantum utriuſque *privatio*. Et in hoc actu, ſtrictius & maximè propriè conſiſtit *reprobatio*, quia rejicit ac *removet* illos, circa quos occupatur, ab *amore* illo, quo *electi* ad ſalutem deſignantur. Sicut igitur in electione eſt *dilectio* cum *ſecretione*, ita in reprobatione *dilectionis negatio* cum *ſecretione*. Et in hoc eſt *odium* reprobationis *negativum* quod vocant, cui quaſi accedit *odium* poſitivum, quo Deus *vult* quoſdam vita æterna *deſtitui*, & *propter peccata* juſtè comdemnari Rom. IX 13. Et in hoc *ſecundum* eſt electionis & reprobationis diſcrimen, quod electionis *amor*, bonum creaturæ communicat *immediatè*; quando reprobationis *odium*, bonum tantum *negat*, nec *malum* infert, niſi *merito* creaturæ interveniente. 4. *Intentio* præparandi ac dirigendi *media* illa, 4. quibus *juſtitia* in reprobis poſſit manifeſtari. Cujus generis media maximè propria ſunt, *permiſſio* ad peccatum, & *derelictio* in peccato Rom. IX. 18. 2. Theſſ. II. 11. 12. & *juſta* propter peccatum *condemnatio*. Et hîc *tertium* eſt diſcrimen electionis & reprobationis, quod electio eſt *cauſa*, non tantum *ſalutis*; ſed *omnium* etiam ejus *mediorum*: dum reprobatio, neque *damnationis*, neque *peccati*, quod *meretur* damnationem, eſt *cauſa* propriè *dicta*, ſed *antecedens* tantum. Quin hîc *quartum* etiam pellucet utriuſque diſcrimen, quod in reprobatione, *media* ipſa inter ſe non habent rationem *cauſæ & effectus*, quando *permiſſio* peccati, non eſt *cauſa* derelictionis, obdurationis, punitionis; ſed *ipſum peccatum*: dum in electione, *vocatio*, eſt *cauſa* juſtificationis, juſtificatio *glorificationis*. Interim obſervandum, quod *media* reprobationis pleraque ſint *negativa*: ut *non——redemptio* Joh. X. 26. *non——vocatio*, ſaltem non *efficax* Matth. XX. 16. & XXII. 14. *non——datio* fidei Act. XIII. 49. Conf. Joh. XII. 39. 40. peccati *non——impeditio*, & derelictio in eo Rom. IX. 18. ejus *non——remiſſio* Joh. XX. 23. Sunt interim & *poſitiva*, *excœcatio*, *induratio* Jeſ. VI. 9. Joh. XII. 39. 40. *juſta* propter peccatum *condemnatio*. Ibid. & Rom. IX. 22. Jud. verſ. 4. *Omnia* tamen iſta *media*, ſeu *negativa* ſint, ſeu *poſitiva*, per actum divinæ voluntatis *poſitivum*, diriguntur in ſuum *finem*.

Objectum reprobationis quodnam?

VII. Jam non eſt, quod denuo dicamus, ut homo *obverſetur* reprobationi divinæ: nim. reſpectu *primi* actus, ut *creabilis* & *labilis*; reſpectu *ſecundi*, ut *creandus* & *lapſurus*; reſpectu *tertii*, ut *creatus* & *lapſus*; reſpectu quarti; ut *rejectus* ſeu *reprobus*: potius obſervandum, quod *quivis* homo, *poſſit* eſſe reprobationis objectum, non tantum adultus; ſed etiam *infans*, & in ipſa ſua infantia *decedens*. Quamvis enim *fidelium* infantes, ſint ſub promiſſione *fœderis gratiæ* Gen. XVII. 7. Act. II. 39. adeoque *ſancti* 1. Cor. VII. 14. attamen *infidelium* liberi *impuri* audiunt, & per *præputium* olim *à fœdere* ſecluſi, atque *omnes*, per peccatum *originale*, *damnabiles* etiam, ac multo magis *reprobabiles* Rom. V. 14. Sintne tamen *omnes* omnium *infidelium* infantes, in infantia *decedentes*, *actu* reprobati, nos Deo relinquimus, olim determinandum.

Cauſa reprobationis principalis eſt Deus: impulſi-

VIII. Homo, licet *propter peccatum*, fiat *damnabilis* & damnandus, quod pœna *juſta* præſuppo-nat *culpam*: non tamen *per peccatum* fit *reprobabilis*: quod enim Deus ſibi *poſſit proponere* manifeſtationem *juſtitiæ*, & quod ex *æqualiter* lapſis, *hunc* eo poſſit *deſtinare*, & non alium, non eſt

ſane

ta ejus beneplacitum.

sane *à peccato*; sed absoluto Dei *dominio* Rom. IX. 21. Matth. XX. 15. Et sic, licet peccatum sit *causa meritoria* destinatæ reprobis æternæ *pœnæ*; non tamen est causa ipsius *destinationis* Rom. IX. 11. 12. 19. quod destinatio ista sit *independens*, æterna, atque ipse *Deus decernens*. Nec proinde reprobationis, *alia* quævis causa est *principalis*, quam *Deus* Rom. IX. 11. 12. 19. Jer. VI. 30. nec *impulsiva*, præter *beneplacitum* Rom. IX. 18. 19. 20. 21. Matth. XI. 25. 26. Quod, quicquid pro *causa* fingi potest, peccatum, infidelitas, impietas, impœnitentia; reprobationem *sequatur*, adeo ut *ante* illud, *præsupponi* aut à Deo *prævideri*, ac *causa* ejus esse non potuerit: prævisio enim Dei, ejus *decreto* ordine *posterior* est. *Finis* directus quidem ac *præcipuus*, est gloria *potestatis* & *justitiæ* seu *iræ* Rom. IX. 23. *indirectus* seu *per accidens*, illustratio *gratiæ* & misericordiæ versus electos Rom. IX. 22. 23.

Reprobatio est absoluta.

IX. Hæc reprobatio, planè *absoluta* est, non sic equidem, ut universum illud *decretum*, nullus ingrediatur *respectus ad peccatum*: ingreditur enim & *secundum* ejus actum, qui decernit peccati *permissionem*, ut sibi suppetat, in quo *justitiam* vindicantem prodat; proinde illud etiam præsupponit *tertius* actus, quatenus, *ex peccatoribus*, reprobat quem *vult*; & tandem etiam ingreditur *quartum*, quod *justa damnatio*, peccatum præsupponat, ac respiciat ut *causam* ejus *meritoriam*: sed non ingreditur ut *causa impulsiva* & *meritoria*, ob quam *decernat* manifestationem *justitiæ* vindicativæ, nec ob quam ex *omnibus*, *perinde* reprobabilibus, *hunc* reprobet & non illum Rom. IX. 11. 13. Quod alias, & *Deus decernens* penderet à creaturis; & *creatura* viciissim, independens redderetur.

Est item immutabilis & certa.

X. Tandem reprobatio, pro ratione cujusvis *decreti* divini, *immutabilis* est, tum ex parte *Dei* (cum cujus *essentiâ* actus reprobandi coincidit) qui *permanet* & *semper idem est* Psal. CII. 27. 28. Heb. I. 11. 12. Mal. III. 6. tum ex parte *reproborum*: *qui enim non credit in Filium, non videbit vitam, & ira Dei manet super ipsum* Joh. III. 36. Unde & reproborum *certus* est & definitus *numerus*, Deo tantum *notus* Rom. IX. 11. 12. non tantum *numerans*, seu *quot*; sed etiam *numeratus*, seu *quinam* sint damnandi, *Esavum odio habui* Rom. IX. 13. Id quod patet tum ex analogia *electionis* Rom. VIII. 29. 30. 2. Tim. II. 19. tum ex reprobationis *exsecutione*; quæ fiet in extremo die Matth. XXV. 32.

Quæritur:

Pars Elenchtica.

1. An detur re-

XI. Controversiæ hujus Capitis pleræque, determinari possent ex iis, quæ Capitibus tribus præcedentibus præstruximus. Est tamen operæ pretium, quæstiones breviter delineare. Quæritur ergo *primò*, an sit penes Deum ab *æterno*, reprobatio quædam *personalis*? Sociniani, aliique crassiores *indepedentis indifferentia* liberi arbitrii Patroni, agnoscunt reprobationem *status*, ab æterno factam, quâ Deus rejecerit *infideles* & *impios*, ita morientes: agnoscunt etiam *personarum*; sed quæ fuerit non ab *æterno*, verùm à *morte* peccatoris, demum fiat. Idque sic statuunt, tum quod *præscientiam* futurorum *contingentium* Deo abrogent; tum quod liberum arbitrium, usque ad mortem, *αὐτεξούσιον* velint. Semi-Pelagiani Massilienses, cum quibus faciunt Jesuitæ, Anabaptistæ, Lutherani, Remonstrantes, quod videri nolint, negare *præscientiam* certam contingentium, reprobationem *personalem*, ab æterno factam admittunt; sed non *absolutam* ac *peremtoriam*, utpote quam, cum Socinianis, ad articulum *mortis* referunt. Reformati cum Scripturis non admittunt nisi reprobationem *personalem* ab *æterno*, peremtorie & *absolute* factam. Quod (1) *Esavum*, antequam boni aut *mali* quicquam fecissent, Deus *odio* habuerit Rom. IX. 13. & *vasa iræ, præparata* dicantur ad interitum. Ibid. vers. 22. *condita* 1. Pet. II. 8. *præscripta* Jud. vers. 4. *creata ad diem mali* Prov. XVI. 4. Quod 2. *omne* Dei decretum (omnem prædestinationem, omnem electionem) dudum ostenderimus, esse *independens*, *æternum*, *absolutum* & *immutabile*, proinde & reprobationem. Nec adversariis, *adversus nostram istam* sententiam, quicquam suppetit, seu ex *Scriptura*; seu ex *natura*: demonstrata scil. *æterna* & *infallibili* futurorum contingentium in Deo *præscientia*, & explicata liberi arbitrii nàtura; quam rancidæ criminationes, quibus non tam doctrinæ nostræ, quam ipsi Deo pessimè insultant: nim. causantur, A. Istam reprobationem, peccatorem in peccando, sua spoliare libertate, ac ferrea ad peccandum necessitate constringere. Resp. (1) Reprobatio, quippe actus Dei *immanens*, non attingit hominem, ut eum sua libertate privet (2) Nec obstat, quin homo peccet, *ex consilio* deliberatione, & complacentia rationali, imo reprobavit, ut sic *libere* peccaret, & in hoc proprie constitit *libertas* arbitrii, non autem in *independenti indifferentia* (3) Nec est *necessarium* proprie, nisi quod producitur â causa proxima *necessaria*, h. e. tali, quæ *sua natura* est determinata ad talem effectum; talem autem non infert reprobationis decretum, licet inferat *certam* & indeclinabilem futuritionem, quæ toto cœlo distat à necessitate. B. Istam reprobationem, Deum facere *auctorem* omnis peccati, utpote quæ prædestinaverit & necessitet peccatorem ad peccandum. Resp. 1. Non facit ut peccator *necessario* peccet, seu determinatus *sua natura* ad peccan-

probatio personalis æterna?

Argumenta.

Objectiones.

dum. 2. Non *prædestinavit* hominem *ad peccandum*; sed ut *propter* peccatum, *justa punitione*, in eo demonstraret, *justitiam* suam vindicativam. 3. Auctor peccati esse nequit, nisi qui transgreditur, quod Deo repugnat. C. Facere Deum *injustum*, quod peccatorem, qui per *decretum* reprobationis *immobile*, non possit *non* peccare; tamen puniat. Resp. 1. Potest, non obstante reprobatione, *non peccare*, potentia *causæ*, quatenus decretum peccatorum non necessitat; licet *futuritio* peccati, non possit *non esse*, propter decretum. 2. Juste damnat, quia non *damnat* nisi *propter* peccatum, nec decrevit damnare, nisi propter peccatum. 3. Ipsa reprobatio non est actus justitiæ vindicativæ; sed *potestatis* tantum & Dominii Rom. IX. 22. D. Facere Deum *crudelem* in miseram creaturam suam, quatenus eam destinaverit ad æternam condemnationem, & quidem, cum nondum creata sit, neque peccaverit, solo suo beneplacito ductum. Resp. 1. Ita nihilominus loquitur Scriptura Rom. IX. 22. Jud. vers. 4. 1. Thess. v. 9. 2. Pet. II. 8. 9. cum Mal. 1. 2. 3. & Rom. IX. 11. 12. 13. Tum 2. non destinat ad æternam *damnationem*; sed ad demonstrationem suæ *justitiæ vindicativæ*, *per justam condemnationem* tanquam *medium*. 3. Destinatio ista, utpote actus *immanens*, non attingit creaturam ei quicquam *mali* inferendo, nec *damnat*, nisi *propter* ejus peccatum, nec *delectatur* morte peccatoris, nisi *impœnitentis* Prov. 1. 25. 26. 27. Nec 4. *crudele* est, hominem *propter peccata* sua, velle punire. Multo minus 5. illum eo destinare. E. Facere ipsum *hypocritam* & *simulatorem*, ut qui, cum immutabili decreto, ad irresipiscentiam & ad mortem; nihilominus vocet ad resipiscentiam & ad vitam. Resp. Non *simulat*, sed *serio vocat* ad resipiscentiam, & ea posita *promittit* vitam, quamvis, pro infinita sua *potestate*, non decreverit, ad quod nullo *jure* tenetur, in eo potenter eam efficere. F. Facere ipsum προσωποληπτην, *personarum acceptorem*, quando æqualibus, inæqualia destinat, huic *vitam*, illi *mortem*. Resp. προσωποληπτης, ille demum est, qui dum æqualia ex præscripto debet, *inæqualia* confert: jam autem Deus, nulli *creaturæ* quicquam *debet* Rom. XI. 36. Præterquam quod non *æqualibus*; sed inæqualibus, *fidelibus* nim. & *infidelibus*, *inæqualia* destinet. Imo & *infidelibus*, præter omne suum *meritum*, quævis *bona* terrena, destinat & confert Psal. XVII. 14. G. Justam præbere, *querulandi* ansam improbis, quod se *non elegerit*, prout alios elegit, quod reprobatio, velut ferrea vi, se constrictos teneat, quominus officium faciant. Resp. 1. Non *tenetur* ipsos *eligere*, cum sit absolutus omnium Dominus, proinde nullo *jure* querulantur Matth. XX. 13. 14. 15. Rom. IX. 14. 15. 16. 21. Tum 2. valerent ista forte aliquantulum, si per *subtractionem* virium *injuste* factam, vel per impedimentum actionum externarum, *manente* nihilominus *inclinatione* ad istos actus, non possent: jam vero, & liberrime, & summa cum *delectatione*; & peccant, & non aliter *possunt*; *naturam*, ut bruta, sequuntur, gratiam Dei conculcant, nec volunt rem se aliter habere. Unde injustissima evadet querela, qualis illa est, servi illius nequam μεμψιμοίρε Matth. XXV. 24. H. *Obstruere* omnem *consolationem* & *pietatem*, ut metuant se reprobos esse, adeoque omnes conatus suos versus pietatem, frustra futuros. Resp. 1. De sui *reprobatione*, nemo potest esse *certus*, quamvis impius possit esse certus, se *adhucdum* esse extra statum gratiæ, non autem se talem mansurum. 2. Metus ille *utilis* est ad pœnitentiam Rom: XI. 20. Interim 3. *Piis* ansam præbet conficiendi *salutem* suam cum *timore & tremore* Phil. II. 12. etiam ansam præbet, *electionem suam* & vocationem *firmam faciendi*, studio bonorum operum 2. Pet. 1. 10. 11. Etiam eisdem, ubi certi sunt se non esse *reprobos*, suavissimum argumentum præstat consolationis, ubi didicerunt, multos vocatos esse, *paucos* vero *electos* Matth. XX. 16. sibi obtigisse istam gratiam 1. Thess. 1. 4. eoque nomine impensas Deo gratias referendi. Prout uberius monebimus in *practicis* nostris. Tandem demonstrata sufficienter *veritate* nostræ reprobationis, omnibus adversariorum nostrorum cavillis & responsationibus adversus Deum reprobantem, opponimus illud Paulinum: *Tu autem O! homo quis es, qui responses adversus Deum? Num dicet figmentum fictori, quid me fecisti talem?* An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, faciendi vas ad decus & vas ad dedecus? Rom. IX. 20. 21.

XII. Quæritur *secundò*, an reprobatio sit actus solius *intellectus* divini, an etiam *voluntatis*? Seu, an reprobi potius dicendi sint *præsciti*, quam *prædestinati*? Seu, an & reprobatio sit prædestinationis *pars*, seu species? Quæ omnia coincidunt & jam dudum determinata à nobis sunt, lib. III. cap. 2. §. XXIV. Nec alio hîc notamus, quam ut nobis in promtu sint, quæ circa reprobationem controverruntur,

2. An sit actus solius intellectus, an etiam voluntatis divinæ?

XIII. Quæritur *tertio*, an reprobationis causa meritoria, aut quovis modo impulsiva, sit peccatum? Pelagiani, Sociniani, Semi-Pelagiani, Jesuitæ, Remonstrantes, Lutherani, & quotquot sunt extra Ecclesiam Reformatam, agnoscunt *generalem* suam reprobationem, quæ *statum* respicit (volo omnes infideles & impœnitentes damnare) ab alia impulsiva non pendere, quam à divino placito, eo quod talis reprobatio, *independenti in differentiæ* liberi arbitrii, nihil obsit: aut *personalem* omnem, omnes suspendunt à *peccato*, velut *causa impulsiva*. Reformati distinguunt, inter

3. An reprobationis causa impulsiva, sit peccatum? Sententiarum discrepantia.

Senten-

tia Reformatorum cum suis rationibus,

ter *damnationem*, cujus causam *meritoriam* largiuntur, esse, peccatum, infidelitatem aliaque; & *reprobationem*, agnoscunt quidem, eam ingredi peccati considerationem, & quoad omnes ejus *actus*: *primum* (volo gloriam *justitiæ* meæ vindicativæ declarare, in *justa* damnatione peccatorum) præsupponit peccatum, ut *possibile*: *secundum* (volo homines creare, & lapsum eorum permittere) *ponit* peccati *futuritionem*: *tertium* (volo ex creatis & lapsis secernere v. g. Esavum.... Judam, in quorum *justa* condemnatione, justitiam meam manifestam faciam) peccatum ingreditur, velut *causa meritoria* condemnationis: *quartum* (volo v. g. Cainum, Chamum, Esavum, Judam... in suis peccatis relinquere, non redimere, non conferre fidem... propter peccatum condemnare, ut in justa ista condemnatione, habeam gloriam justitiæ meæ vindicis) peccatum ingreditur unà cum condemnatione, velut *medium* ad glorificationem justitiæ vindicativæ: sed ut *causa impulsiva* ipsius reprobandi actus, nullo modo ingreditur. Quia: 1. Scriptura non aliunde suspendit reprobationis *actum*, quam à puro puto Dei *beneplacito* Rom. IX. 11. 18. 21. Matth. XI. 25. 26. & cap. X. 15. Psal. CXV. 3. Quia 2. *æternæ voluntatis* non est causa peccatum; jam autem reprobationis *actus*, non est nisi voluntas Dei Rom. IX. 18. & voluntas Dei *decernens*, est prima & suprema causa omnis *futuritionis*, ac proinde non pendet ab ullo superiore, & rei ab æterno existentis, non potest dari, ulla causa, in tempore demum existens; esset enim, quod in tempore nascitur, causa ejus, quod ab æterno exstitit, & effectus prior suâ causa. Quia 3. si peccatum esset causa *reprobationis*, omnes omninò homines essent *reprobati*, quatenus omnes homines, sua natura sunt peccatores Eph. II. 3. Quia 4. impium condidisse dicitur ad *diem malum* Prov. XVI. 4. Quia 5. dicitur *indurare* quem vult Rom. IX. 18. Quia 6. *reprobatio* non est nisi *Deus reprobans*, ut demonstravimus jam ante in Cap. de *decretis*. Quia 7. peccati *futuritio prævideri* non potuit, nisi ex decreto, quatenus rei cujusvis *futuritio*, aliunde non est, quam *ex decreto*. Quia 8. ex hypothesi contraria, *actus* reprobandi penderet à peccato hominis, creati aut creandi. Nec valet in contrarium, quod A. *perditio* reprobi sit propter peccatum Hos. XIII. 9. quæ non est nisi reprobatio. Resp. Consequens falsum est, quia reprobatio exstitit ab æterno, quando *perditio* fit in *tempore*, id autem quod fit in tempore, non potest idem esse cum eo, quod ab æterno fuit. B. Id propter quod damnabuntur homines in extremo judicio, est solum peccatum Matth. XXV. 41... Resp. *Damnatio* toto cœlo diversa est à *reprobatione*, videlicet ut æternum à temporario. Quod C. Peccatum solum sit *odii* divini causa Psal. v. 5. 6. 7. jam autem

Objectiones.

odium Dei, causa est *reprobationis* Rom. IX. 13. Resp. *Odium* Dei, ipsa est reprobatio, non autem reprobationis causa Rom. IX. 13. præterquam, quod *odii* vox aliquando notet *punitionem* Psal. v. 5. 6. 7. cujus causa utique est peccatum, sed non ipsius reprobationis, quæ *antecedit* punitionem. Quod D. si Deus, pro *solo* suo *beneplacito*, reprobavit tot homines; non posset esse bonus; sed tyrannus & injustus Judex. Resp. Consequens falsum est, quia Deus, per reprobationem, non constituit quemquam damnare, nisi propter peccatum, velut *causam damnationis* meritoriam, ex quo, agnoscentibus ipsis adversariis, nulla jure arguitur malitia & injustitia.

4. An homo prædestinatus sit ad peccatum aut exitium?

XIV. Quæritur *quartò*, an *finis* reprobationis sit vel *peccatum* reprobi, vel ejus *condemnatio* seu exitium? seu, an homo à Deo *prædestinatus sit ad peccatum*; aut ad *condemnationem*? Resp. Affirmatio. Reformatis *per calumniam* impingitur. Neque enim ex eorum hypothesibus, *peccatum* à Deo intenditur, vel ut *finis* vel ut *medium*; quamvis peccati *justa punitio*, decretum divinum ingrediatur, ut ejus non *finis*, sed *medium*. Itaque finis reprobationis nobis non est, nisi manifestatio justitiæ Dei vindicis, per justam peccatoris condemnationem, item, absolutæ ejus *potestatis*. Sic Scriptura nobiscum Rom. IX. 17. 21. Matth. XX. 15. Neque etiam *creavit* reprobos, aut peccata permisit, eo *fine* ut damnaret: sed creatio, permissio peccati, derelictio in peccato, sese non habent, nisi ut *unicum medium* aggregatum, eo spectans, ut per istud, velut *medium* pertingeret ad manifestationem, suæ potestatis, & justitiæ vindicativæ, velut supremum suum *finem*, ut jam ante demonstravimus.

5. An homo non tantum lapsus; sed & infidelis objectum præfiet reprobationi?

XV. Quæritur *quinto*, an *objectum* reprobationis sit, non tantum homo *lapsus* & peccator, sed etiam *infidelis*? & an proinde, *infantes* quivis, possint esse reprobationis *objectum*? Pelagiani & Sociniani, quia hominis voluntatem ad finem usque vitæ, mutabilem statuunt, non obstante ullo decreto divino; objectum reprobationis *personalis* & peremtoriæ, faciunt *actu infidelem*: quia item originale peccatum inficiantur, infantes penitus excludunt à reprobatione. Semi-Pelagiani, quia *præscientiam* divinam admittunt, & infidelitatem *prævisam*, volunt esse reprobationis causam *impulsivam*, actu non-credituros *adultos* quidem faciunt objectum reprobationis: *infantes* autem, cum non ausint cœlo inferre, propter dictum 1. Cor. VII. 14. eorum tamen reprobationem nullam agnoscunt; eis *medium* quendam statum & pœnam tantum *damni* assignant, prout etiam Gentilibus, in sua incredulitate *negativa* decedentibus. Lutherani, quia omnes & singulos, redemptos atque etiam vocandos statuunt, eoque omnes credere jubent; objectum reprobationis statuunt,

tuunt, *actu non credituros*, de *infantibus*, quod sciam, nihil certi definiunt. Reformati objectum reprobationis, *latius sumtæ*, prout notat prædestinationis *propositum* manifestandi gloriam *justitiæ* vindicis, dicunt esse hominem *creabilem* & labilem; ast *strictius* sumtæ, prout *segregationem* dicit, objectum est homo *lapsus* & peccator: ast hominem præcisè *infidelem*, objectum præstare (nisi fortè ratione *postremi actus*, qui *justam* reprobi decernit condemnationem; & ratione quorundam, qui Christum sibi oblatum rejecerunt) non observant in Scripturis, quæ *necdum natos*, & qui vel bonum *vel malum* necdum perpetraverint, objectum reprobationis observat, imo *infidelitatem*, ut reprobationis *consequens* considerat Matth. XIII. 11.--15. Joh. XII. 37.--40. Matth. XI. 25. 26. Proinde & reprobationi obnoxios esse posse statuunt, *quosdam infantes*, utpote peccato *originali* obnoxios Rom. V. 12. 14. non sanctos & *impuros* 1. Cor. VII. 14. & extra fœdus gratiæ constitutos Gen. XVII. 7. 8. Act. II. 39. Interim de *fidelium* infantibus, quia dicuntur *puri* 1. Cor. VII. 14. itidem in *fœdere* Act. II. 39. cum Gen. XVII. 7. quia itidem habentur pro partibus parentum suorum, meliora censent; *infidelium* vero infantes, quod, *exserte* quidem, Scriptura nihil determinet, judicio divino relinquendos censent. Quia autem Reformatorum hypotheses in universo hoc negotio, satis superque dudum adstruximus in præcedentibus: nec adversarii etiam hic habent, nisi suas hypotheses, quas etiam, jam ante disjecimus, superfluum censemus, eis plura adjicere.

6. An reprobatio sit absoluta?

XVI. Quæritur *sextò*, an reprobatio certarum personarum ab æterno facta, sit *absoluta*? an sub conditione finalis *infidelitatis*? Adversarii reprobationem *status* quidem, & *personarum* etiam *peremtoriam*; quæ ipsis fit in articulo *mortis*, *absolutam* statuunt; sed *personalem* ab æterno factam, pendere dicunt, ab hominis *infidelitate voluntariâ*: Reformati, ut reprobationem non *status*; sed *personarum* tantum; nec in *tempore*; sed ab *æterno* factam, cum Scripturis recipiunt: ita *justam* quidem peccatoris *condemnationem*, per reprobationem â *peccato & infidelitate* suspendi credunt; ipsam tamen *reprobationem*, à peccato aut infidelitate *suspendi*, nullibi legunt in Scripturis, quin, pro ratione *cujusvis decreti* divini, utpote quod cum *Deo decernente* coincidit, dicunt esse prorsus *independens*, *æternum* & *absolutum*. Ut supra in Cap. de *decreto* demonstravimus.

7. An reprobatio sit immutabilis?

XVII. Tandem *septimò*, quæritur, an reprobatio sit *certa* & *immutabilis*? Adversarii Pelagianizontes reprobationem *status*, & reprobationem personæ *peremtoriam* in articulo mortis, *immutabilem* statuunt: sed reprobationem *non peremtoriam* à *voluntariâ* infidelitate suspensam, pro arbitrio humano *mutari* posse. Lutherani, ut circa *electionem*, ita & circa *reprobationem* hîc distinguere videntur, ac respectu *præscientiæ* divinæ *immutabilem* dicendam existimant, respectu *hominum* autem, *variari* posse, ita ut ex reprobo *electus* fiat, & vice versa. Reformati (a) secundum Scripturas Rom. XI. 7. & (b) ex analogiâ *electionis* Rom. VIII. 30. *Quos præscivit, hos prædestinavit* &c. immutabiliter: ita & quos non *præscivit*, eos *non prædestinavit* &c. tandem (c) ex natura *decreti* cujusvis divini, prorsus *immutabile* & *invariabile* credunt reprobationis *decretum*. Nec pro se habent adversarii, quod causentur, nisi *promissiones* divinas, quibus improbis *pœnitentibus*, aversionem judiciorum suorum spondet, v. g. Jer. XVIII. 7. 8. Verum non cogitant illi, toto cœlo *differre promissiones* à *decretis*, ut alibi ostendimus in Cap. de *voluntate Dei*. Quantum ad calumnias adversariorum, quibus in hoc capite comprimis luxuriare consueverunt, quod reprobationis dogma nostrum, evertat arbitrii humani *libertatem*, & rerum *contingentiam*: rebus omnibus *fatalem* ac Stoicam adducat *necessitatem*, Deum *auctorem* faciat peccati, ipsum *iniquum* faciat *deceptorem*, ac *simulatorem*, omne Religionis ac pietatis *studium* penitus evellat; his dudum satisfecimus hujus capitis §. X.

Pars Practica.

Reprobationis consideratio: 1. Pandit gloriam.

XVIII. Quantum ad *praxin*, reprobationis decretum: *primò* graphicè nobis repræsentat *gloriam* Dei, in quam, universum hoc consilium, Deus ἐξόχως impendit Rom. IX. 22. 23. Neque enim, ut in *electionis* negotio, præter suam *gloriam*, *salutem* quoque hominis intendit; ita in *reprobatione* exitium aut *damnationem* hominis pro *fine* intendere potuit, cum nullam *per se* habeat rationem *boni*. *Gloriam* dico: 1. Absolutissimæ *potestatis* ac dominii divini: *volens notam facere potentiam suam* Rom. IX. 22. quam ut *figulus* obtinet, ut ex *eadem massâ*, non tantum vasa misericordiæ; sed & *vasa* iræ seu justitiæ efformaret: ad hoc, ex *æqualiter* reprobabilibus, *hunc* præ illo, Ismaelem v. g. & Esavum seponeret, pro puro puto suo *beneplacito*: ad hæc, in peccato ipsum *relinqueret*, *media* gratiæ non *conferret*, insuper etiam *induraret*, sibi ipsi *traderet*, ac tandem, *propter peccata* justè *condemnaret*. Conf. Cap. de *prædest.* Item Cap. de *potest.* & *potent. Dei*. 2. Iræ, severitatis ac *justitiæ* vindicantis, *Volens ostendere iram* Rom. IX. 22. & XI. 22. *Vide igitur benignitatem & severitatem Dei*. Qui peccatorem, tanto *rigore*, ab omni *gratia*, & restitutionis *mediis* salutaribus secluserit, æternæ *condemnationi propter* peccata addixerit, ut quasi glorietur: *Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te* po-

potestatis, Justitiæ,

& sapientiæ divinæ.

potestatem meam, & *annuncietur nomen meum* Rom. IX. 17. Gloriam 3. *Sapientiæ*, per quam manifestandæ iræ & *justitiæ* huic, *media* potuerit applicare, quibus nec *justitia*, nec *bonitas* sua læderetur; imo & *peccato*, summo malo, per summam *sapientiam*, potuerit quasi *abuti* ad summum *bonum*, gloriam *justitiæ* suæ vindicis. Ut hîc omni jure exclames: *O divitias sapientiæ ac cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus! & imperveſtigabiles viæ ejus! quis mentem Domini agnovit? aut quis ei fuit à consilio?* Rom. XI. 33. 34. Quin istam Dei *potestatem*, severam *justitiam*, & infinitam *sapientiam*, sic pandit reprobationis dogma; ut non tantum cogitemus & *agnoscamus*: sed etiam ut (1) *Potestati* omnes, omnia & nos ipsos, *submittamus*, nostrisque νοήμασι σαρκικοῖς, *obstrepamus*: *Imo verò, o homo! tu quis es*, qui ex adverso *respondes* Deo? *Num dicet figmentum figulo, cur me tale fecisti?* Rom. IX. 20. (2) *Justitiæ* vindicis *rigorem* ac severitatem, cum *horrore* ac tremore *revereamur* Rom. XI. 20. *Ne efferaris animo, sed timeas* &c. (3) *Sapientiæ* imperscrutabili, sic *cedamus*, ut *omnes ratiocinationes*, ad quas, in hoc comprimis capite, admodum sumus proclives, *evertamus*, *omnemque sublimitatem*, *quæ sese extollit adversus cognitionem Dei*, *captivemus* 2. Cor. X. 5. omni *modestiâ* manum ori imponamus: *quia tu Domine fecisti* Psalm. XXXIX. 10. *Jehova est*, *quod bonum est in oculis suis*, *faciat* 1. Sam. III. 18.

2. Monet cavendum ab omni accusatione Dei.

XIX. Hinc *secundò*, est quoque in reprobatione, quod cane pejus & angue *caveamus*: 1. ne cum veritatis hostibus, colludant νοήματα carnis propriæ, in gratiam reproborum, ut, quasi illorum Patroni, cum Deo Judice summo *contendamus*, ejus quasi *accusatores* agamus, pariter & *Judices*. Ut, ex reprobationis *causa*, q. *in jus* vocemus ejus: 1. *Injustitiam* Rom. IX. 14. *Quid dicemus? num injustitia est apud Deum?* 2. *Crudelitatem*, quâ reprobando, miseram creaturam, ab omni *misericordiâ removeat*, & æternis *flammis* ustulare sibi proponat. 3. Προσωποληψίαν, quod *æqualibus* inæqualia decernat, & quidem æternum *exitium*. 4. *Hypocrisin*, quâ evocet ad pœnitentiam & ad gratiam, quem *nolit recipere*, qui sibi reprobatus sit. 5. Quod peccati sit *auctor* ac fautor Rom. IX. 19. Quod 6. Improbis, & *querulandi*, & seipsos *excusandi* argumentum, reprobatione suppeditet, quando per eam, non possint non peccare. Quod 7. Miseris *desperationis* ansam suppeditet, quando dura reprobationis *fatalitate* constricti, non possint emergere ex peccato, & miseria. Jam ab omnibus istis carnalibus *criminationibus*, cane pejus & angue nobis *caveamus*: 1. quod non tantum sit *iniquissimum*, in gratiam *hominis*, & hominis *pessimi*, cum *Deo*, *optimo* maximo velle contendere Gen. XVIII. 27. sed etiam in Deum, *blasphemum*, eum tantæ *iniquitatis* vel suspectum habere: imo & *homini exitiosum*, quacunque ratione, *cum Deo suo* contendere Job. IX. 2. 3. 4. Quin ex adverso 1. *flemus fortiter* pro Deo, non tantum adversus perversa *ratiocinia*, mentis *propria*; sed & adversus *insultus* adversariorum, eorum criminationes, quas jam enarravimus; obtundamus & debellemus strenuè, eis, similibusque rationibus, quas dudum repræsentavimus adversus singulos §. X. hoc uno contenti, quod Deus nos non reprobaverit, imo, ex hoc *indicium* & *fiduciam* captantes, quod *nos* ab eo non simus *reprobati*, quia tam fortiter stamus, pro eo, ejusque *gloria*, tum adversus nos, tum adversus alios, ei insultantes Matth. XII. 30. Conf. Rom. VIII. 31.

3. Amplificat gloriam misericordiæ divinæ.

XX. Quin & *tertiò*, ipsam nobis pandit *reprobatio*, *misericordiæ* divinæ gloriam, tum versus ipsos *reprobos*, quando non tantum, *multa cum iræ cohibitione*, *perfert vasa iræ coagmentata ad interitum* Rom. IX. 22. sed plurimis etiam & egregiis *beneficiis* corporalibus, imo & *supra* & ipsos *electos*, perstæpe cumulat Psalm. XVII. 14. & LXXIII. 3. 12. &, quod magis etiam, beneficiis *spiritualibus* & *præstantissimis*, ac tantum *non* Versus *salvificis* exornat Heb. VI. 4. 5. cum ab omni gratia *exclusos*, æternis *flammis*, e vestigio committere potuisset Thren. III. 22. Jes. I. 9. tum imprimis *versus electos* Rom. IX. 22. 23. *Volens ostendere iram*, *pertulit vasa iræ compacta ad interitum*, *ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordia suæ*, *quæ præparavit ad gloriam*. Cum enim: 1. Pro absoluta sua *potestate*, *hos* perinde reprobare Deus potuisset ac illos, *quis* enim ei *prior dedit*, *ut sibi retribuatur*? Rom. XI. 35. Cum 2. perinde lapsi fuerint, *reprobabiles*, & *naturâ Filii iræ* Eph. II. 1. 3. Cum proinde Et quor- 3. *Nihil* omnino præ illis habuerint, quod se Deo sum. *commendaret*, minus reprobandos Ezech. XVI. 3---7. Nec tandem 4. *excogitari* quicquam possit, ob quod, præ illis, *nos* elegerit futuros *vasa misericordiæ ad gloriam*, quam *pura* puta ejus versus nos εὐδοκία Luc. XII. 32. Eph. I. 5. est profectò ab omnibus istis, ob quod majori *cura* (1) nos Deo *gratos* præstemus Matth. XI. 25. Eph. I. 3. 4. (2) Deum impensius *redamemus* Ps. CXVI. 1. 8. 16. (3) pro eo vicissim *quævis reprobemus* Psal. LXXIII. 25. 26. Heb. XI. 24. 25. 26. Phil. III. 7. 8. (4) nos præ illis *præstemus vasa gratiæ*, præparata *ad gloriam* ejus Rom. IX. 23. Eph. I. 6. 2. Tim. II. 21. (5) *humilitati*, & modestiæ operam demus 1. Cor. IV. 7. nec *efferamur* adversus reprobos; potius *misericordia* versus ipsos, afficiamur Rom. XI. 18. Tandem (6) evitatâ cautissimè *carnali securitate*, salutem nostram conficiamus, *cum timore & tremore*, *quod Deus sit*, *qui in nobis operatur*

& velle & agere Phil. II. 12. Rom. XI. 20. Pſalm. II. 11.

4. Monet nobis caveamus à perſuaſione reprobationis noſtri aut aliorum.

XXI. Quamobrem *quartò*, ut omnia iſta promptius agamus; quam ſtudioſiſſime *caveamus*, nobis facilè *imaginari*, & multo magis nobis *perſuadere*, ſeu *noſtri*, ſeu *aliorum reprobationem*. Quamvis enim extraordinariis *revelationibus*, ad indicia *externa* accedentibus, Apoſtoli aliique perſuaſi fuerint, de quorundam *reprobatione* I. Pet. II. 8. Jud. verſ. 4. Quamvis item *ordinarius* indiciis, jure poſſis *dubitare*, imo *certus eſſe*, *te* aut quemvis etiam *alium*, hactenus in *ſtatu gratiæ* non eſſe, adeoque ſic *morientem*, certò *condemnatum* iri; attamen cum *certus* eſſe nemo poſſit, ſe *nunquam* à Deo convertendum eſſe; nemo quoque *certus* eſſe poteſt, *ſe* reprobum eſſe; quod peccata *quævis*, è quibus hoc collígere deberes, etiam *in electum* cadere poſſint I. Tim. I. 13. 14. Matth. XXVI. 72. *uno* tantum expecto, quo *Spiritus S. blaſphematur*, de quo Apoſtolus pronunciat, quod *impoſſibile* ſit, tales ad *pœnitentiam reſtituti* Heb. VI. 4. 6. Cum tamen, nec commiſſi hujus peccati, *certus* eſſe (ſaltem facilè) poſſis: manet, cavendum ſedulo *electis* eſſe, ne *dubitationes*, ac multo minus *perſuaſionem* ſuæ reprobationis, *unquam* admittant, quod hoc ipſum I. *Amorem* erga Deum, *familiaritatem* cum eo, fiduciam & acquieſcentiam in eo, παῤῥησίαν προσαγωγῆς in precibus, ſtudium reſipiſcentiæ ac pietatis, & univerſum religionis, *vigorem*, exſtinguere aptum natum ſit I. Joh. IV. 18. Tum quod hoc 2. Omne *gaudium* in Deo, omnem pacem animi, adeoque *vitam* ac dulcedinem, omnis vitæ *Chriſtianæ*, exſtirpare, eique vitam *triſtem* & quaſi *mortuam* ſubſtituere proclive ſit. Neque etiam *ſuſpicio*, & multo minus *perſuaſio*, de reprobatione *proximi*, eſt admittenda, quantumvis *perdite* vivat, quod Deus *potens* ſit, qui eum convertat Rom. XI. 23. nec cuiquam revelaverit, ſe non *velle*. Si enim *ſuſpicionem* aut *perſuaſionem* admiſeris adverſus proximum, eum reprobatum eſſe à Deo; tibi viam occluſeris, ad omnem ejus emendationem I. Joh. V. 16. Præſtat igitur, hîc illud Paulinum uſurpare: *confidimus de vobis meliora* Heb. VI. 9.

5. Ut ſalutem noſtrum conficiamus cum timore ac tremore, & caveamus vitia reprobis familiaria.

XXII. Interim tamen *quintò*, reprobationis *rigore ſtimulemur*, qui *ſalutem noſtram conficiamus*, *cum timóre & tremore* Phil. II. 12. *non efferamur*, *ſed metuamus* Rom. XI. 20. 22. Pſal. II. 11. 1. Cor. X. 12. Ne, qui *electi* ſumus per *gratiam*, per *vitam* cum reprobis, nos præſtemus ἀδοκίμους. Quamobrem, ab *illis* comprimis vitiis, quam maximè nobis *caveamus*, quibus reprobi ſe *reprobos* præbuerunt, & qualemcumque reprobationis *ſuſpicionem*, & nobis & aliis *præſtare* poſſemus. Qualia pro *ſpecimine*, Judas præſtat verſ. 4. (1) *Hypochriſin*, quâ profeſſione veræ fidei, & perſonatâ pietate, *ſubrepamus* Eccleſiæ (2) *Gratiæ* divinæ *abuſum*, ac ſecuritatem carnalem, *ad laſciviam* Rom. III. 8. (3) *Apoſtaſiam*, qua *Deum ſolum Herum*, *ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negemus* (4) *Chriſto* ac ſermone veritatis *offendamur*, noſque illi *immorigeros* præbeamus I. Pet. II. 8. (5) Iis peccatis indulgere, quibus *gradus* ſtruitur ad peccatum, reprobis *proprium*, *blaſphemiam in Spiritum S.* qualia A. *Contriſtare* Spiritum S. *quo obſignati* ſumus Eph. IV. 30. B. Eum *exacerbare* Jeſ. LXIII. 10. C. Ei *reſiſtere* Act. VII. 51. 52. D. Eum *exſtinguere* I. Theſſ. V. 19. Quibus E. proximus *gradus* eſt, *blaſphemia* in Spiritum S. Matth. XII. 31. 32. quo plane ac *plene* nos reprobos demonſtramus. Tandem (6) quævis peccata, *quibus reprobi* Cain, Saul, Judas aliique. ſe inſignes & *reprobos* præſtiterunt.

6. Contra, virtutibus operam demus à quibus reprobi maxime fuerunt alieni.

XXIII. Quin contra *ſexto*, cum *vaſa* non ſimus *lignea ac teſtacea*, aut facta *ad dedecus*; ſed velut *aurea & argentea ad decus* 2. Tim. II. 20. *præparata ad gloriam* Rom. IX. 23. eis *virtutibus* nos totos impendamus, quibus *electi* ſe quam maxime diverſos probarunt à reprobis. Quarum-ſpecimen aliquod Apoſtolus 2. Tim. II. 19. 21. recenſet. (1) *Diſcedere ab omni injuſtitiâ*. (2) *Expurgare* nos à peccatis, ut *vas ſimus ad decus* (3) *Accommodare nos uſibus Domini* (4) *Paratum eſſe ad omne opus bonum* (5) *Sanctum* eſſe & *inculpatum in conſpectu Dei*, *in charitate* Eph. I. 4. (6) Ut *electum induere viſcera miſerationum*, *benignitatem*, *modeſtiam*, *manſuetudinem*, *lenitatem*, &c. Col. III. 12. 13. 14. (7) Obedientia I. Pet. I. 2. (8) Decertare pro veritate Evangelica Phil. IV. 3. Et ſi quæ ſunt, ejus generis virtutes complures aliæ, à quibus maximè *alieni* fuerunt reprobi.

CA-

CAPUT QUINTUM.

DE

CREATIONE IN GENERE.

Gen. 1. verſ. 1.

In Principio creavit Deus cœlum & terram.

Creationis conſideratio.

I. Hactenus operationes Dei *internæ*, ſuccedunt *externæ*: quæ internas illas, ut ſuas *ideas* referunt, atque inſuper, conſilium manifeſtandi *gloriam* miſericordiæ & juſtitiæ, *exſecutioni* committunt. Suntque duo, *creatio*, qua creatura producitur; & *providentia*, quâ productæ proſpicitur. Creationem dicemus primo *generaliter*; tum paulò *diſtinctius* καθ' ἑξαήμερον, tandem ſingulatim, quatenus objectum præſtat *prædeſtinationi*, in productione creaturæ *rationalis*. *Primum* horum primus expediet Bibliorum verſiculus.

Pars exegetica.

Superſtruitur analyſi textus.

II. *Verbis hujus verſus*, ſumma *traditur*, *ſeu* totius *creationis*, *ſeu operum primi diei*, *& in ea*:

1. Tempus *creandi* בראשית, *in* principio. ראשׁית *à* ראש caput. *Hinc Aquila* ἐν κεφαλίδι, in capite *ſeu* in capitulo *reddidit*, *quaſi dicat*, ἀνακεφαλαίωσιν, *ſeu* ſummam *rerum creatarum contineri hoc verſu, quod creatione cœli ac terræ, reliqua omnia comprehendantur. Vox vel* ordinem *reſpicit; vel* tempus. *Si* ordinem, *Subaudiendum veniet* חכול, *in rebus enim non ambiguis frequenter aliquid apud Hebræos ſubticetur, ut* Joh. III. 10. Jeſ. VIII. 4. *Et ſic* τὸ בראשית *dicet*, primum omnium *creavit.... Si* tempus *reſpiciat*, *dicet*, in principio, *vel* temporis, *vel* creationis, *vel univerſitatis rerum*, *ſeu* creaturæ *Marc.* XIII. 19. in, *vel* cum *primo inſtanti. Nec deſunt inter* Veteres *Origenes*, *Baſilius*, *Hieronymus Auguſtinus aliique*, *& recentiores*, *Galatinus de* Arc. Cathol. Verit. *lib.* III. *cap.* 3. *quiſtiment per* ראשׁית, *intelligi Chriſtum*, *ut ſenſus ſit*, ἐν ἀρχῇ ἀνάρχῳ, *puta* Filio Dei; *Ambroſius mavult intelligi principium* ἔναρχον, *temporis & univerſi. Quicquid ſit*, *indigitantur ſaltem hoc* principio, *duo iſta*: 1. *Quod mundus non exſtiterit* ab æterno, *nec* ante *illud principium*, *quicquam præter Deum.* 2. *Quod ex nulla* præjacente materia *productus fuerit*, *eo quod*, *ante primum rerum omnium principium*, *nihil exſtiterit*, *è quo mundus creari potuiſſet.*

2. Creatio, ברה, creavit. LXX. *Interp. hic referunt per* ποιέω; *alibi frequenter per* κτίζω. *Hebræi tres voces*, עשה יצר & ברא Jeſ. XLIII. 7. *ſic diſtinguunt*, *ut* creare *ſit*, *ex nihilo aliquid facere*: formare, *creato figuram inducere*: facere, *membra ſingula ordinare. Sic locum* Jeſ. XLIII. 7. *interpretatur R. David Kimchi. Cæterùm* ברא, κτίζω, creo, *accipitur* κυρίως *quidem*, *pro rei productione ex nihilo*, *ſic procul dubio ſit in textu*: *aliquando tamen*, *de rebus quæ fiunt ex præjacente materia*, *tum vero ſemper notat aliquid* inſigne, *novum & artificioſe facere. Hujus ſynonyma habebimus in* dogmaticis. *Jungitur* τὸ ברא, ſingularis *numeri*, *cum* אלהים, pluralis *numeri*, *quod*, *licet ſingulæ Trinitatis perſonæ creaverint*, *unde* בוראים Creatores *Eccl.* XII. 1. *una tamen omnibus communis ſit creandi vis.*

3. Creans, אלהים, *ad verbum* Dei. *Scil. tres perſonæ deitatis*, *Pater*, *Filius & Spiritus S. Pſ.* XXXIII. 6. *Quamvis enim*, *ex* ſola *hac voce*, *pro Trinitate*, *cum adverſariis contendere non debeamus*, *quod multis exceptionibus*, *hoc argumentum ſit expoſitum*; *nihilominus aliis argumentis evidentioribus aſſerta Trinitate*, *dubium nemini poteſt eſſe*, *quin ad ſignificandam* pluralitatem *in Deo*, *plurali numero Spiritus S. uti voluerit*, *cum ſuppetat* ſingulare, *prout alibi*, *in capite de* Trinitate, *uberius monuimus. Significatur autem hac voce*: 1. *Deum ſolum eſſe auctorem creationis.* 2. *Singulis Trinitatis* perſonis, *idem diverſo modo competere*, *ut ſuo loco in* dogmaticis, *diſtinctius docebimus.*

4. Creatum, cœlum & terram. *Quod nonnulli ſic intelligunt*, *quod Deus hac primùm* ex nihilo *creaverit*, *dein* reliqua *ex illis*, *velut ex præjacente* materia. *Sic. R. David Kimchi*: *alii* materiam *cœli & terræ*: *alii omnes* cœleſtes & terreſtes *creaturas* Act. XVII. 24. *Proinde totum hoc* univerſum Act. XVII. 24. *unde* mundus *futurus ſic vocatur* 2. Pet. III. 13. *id quod Moſes*, *inſtituta* ἀνακεφαλαιώσει, *ſatis clare docet* Gen. II. 1. 4. *Alibi tamen*, *ad ſignificandum mundum*, *cœlo & ter-*

& terræ conſtruuntur maria *& omnia quæ in eis ſunt* Exod. xx. 11. Act. iv. 24. *&* xiv. 15. Creatum *ſeu* Mundum *hunc, Moſes diſpeſcit in duas partes* continentes, *nim.*

1. Cœlum, את השמים. *Judæorum Magiſtri, per* cœlum, *orbes cœleſtes intelligunt, à lunari infimo uſque ad firmamentum: ſed horum cœlorum creatio, rectius ad ſecundum creationis diem refertur. Auguſtinus per* cœlos *intelligit* Angelos, *de* Civit. Dei lib. xi. cap. ix. *Valeſius* de S. Philoſ. *per cœlos* aërem *intelligi exiſtimat. Lutherus per* cœlum & terram *intelligit*, rudem *& indigeſtam* molem, *confuſam & nondum diſpoſitam, aut exornatam maſſam, dicique* cœlum & terram, *vult, per quandam anticipationem, ratione termini ac finis, quam quidem* chaos, *alii* materiam primam (*quanquam ab Ariſtotelis materia prima diverſam*) *Author libri* Sapientiæ ὕλην ἄμορφον Cap. xi. 18. *quam Moſes exponat* verſ. 2. *&* terra erat תהו ובהו, Solitudo & inanitas. *Qui* verſ. 1. *ſummam contineri ſtatuunt totius creationis, cum Judæis Magiſtris putant, ſignificari omnes* cœlos viſibiles. *Qui vero eundem primum verſum, referunt ad* primum *creationis* diem, *cum Scholaſticis per* cœlum *intelligunt*, Cœlum empyræum, *Domicilium Dei*, ſedem *beatorum cœlitum, quam Paulus* Cœlum tertium 2. Cor. xii. 2. *Chriſtus* Paradyſum Luc. xxiii. 43. *Epiſtola ad Hebræos*, civitatem *dicit*, cujus τεχνίτης καὶ δημιουργὸς *ſit* Deus Heb. xi. 10. *Sic etiam cenſent Theodoretus, Alcuinus, Rabanus Maurus & Beda. Alterutra poſtremarum harum ſententiarum, mihi vero maxime videtur ſimilis. Particula* את *obſervantibus R. R. Aben Ezra, & Davide Kimchio, non tantum ſimplex eſt* caſus accuſativi *nota, ſed & ſubſtantiam rei ſignificat.*

2. Terram, את הארץ, terram. ארץ (*ſive deducatur à* רצה volo, *quod ejus aſpectu, maxime capiantur tericolæ, ſive à* רוץ currere, *quod quaſi* currat, *tum circa* axes *ſuos, tum circa* Solem, *ut Copernicanis placet & Carteſianis; ſive potius à* רצץ terere, *quod* teratur *à pedibus noſtris*) *hoc loco non capitur pro* elemento, *quod ingreditur conſtitutionem plerorumque* materialium: *ſed prout ſonat* partem mundi, *alterum* continens *hujus univerſi. Particula* ה *demonſtrativa, notare videtur* eandem *terram ſignificari, quam impræſens noſtris pedibus calcamus, ſic tamen ut completatur omnia ejus* contenta, *maria ſcil. & quæ* intra, *aut* ſupra *eam ſubſiſtunt, ut patet ex* Pſal. cxxi. 2. *&* cxxiv. 8. Jer. x. 11. *collat. cum* Pſal. xlvi. 6. Act. iv. 24. *& ex* Gen. i. 1. 15. *quod etiam ad* mare *pertinet* Act. xxvii. 30. 33. *Vim particulæ* את, *jamdudum deſignavimus, in præcedente membro.*

Pars dogmatica.

Omnia à Deo producta ſunt ex nihilo valde bona. Probatur Scripturis.

III. Deus itaque triunus, quicquid eſt *à ſe diverſum*, ex nihilo produxit valde *bonum.* Quod quidem *fide* novimus *expeditiſſimè* Heb. xi. 3. *Fide conſideramus, aptata eſſe ſecula verbo Dei*, utpote quod toties & tam clare pronunciat Scriptura Jer. x. 11. 12. 13. *Dii qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra. At Jehova Deus verus, qui fecit terram viribus ſuis, & intelligentia ſua extendit cœlum.* Jeſ. xlii. 5. 8. *Sic dixit Jehova Creator cœlorum & extendens eos, expandens terram & germina ejus, qui dat flatum populo ſuper ea, & ſpiritum, ambulantibus in ea* Pſal. xcvi. 5. Jeſ. xlv. 12. Apoc. iv. 11. *Tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.* Exod. xx. 11. *&* infinitis aliis locis.

Et rationibus.

IV. Idem natura agnoſcit, quamvis per Philoſophorum offucias, *obſcurius*, quando clamat: 1. Deum ſolum eſſe *ens abſolutè primum*, præter quem, proinde nihil eſſe poteſt, quod *ab ipſo* non ſit & dependeat, quique *ſolus* non poteſt *non* eſſe. 2. Quicquid eſt diverſum à Deo, poſſe tam *non eſſe*, quam eſſe; proinde *poſſibilis* tantum exiſtentiæ eſſe, adeoque *ab alio* factum eſſe, & quidem *ab eo*, qui ſolus *per ſe* eſt. 3. Si quicquam ſeipſum produxiſſet, id proculdubio infinitæ eſſe perfectionis, nihil enim ſuam ipſius perfectionem limitat. Ut ipſa hujus univerſi univerſalis imperfectio, alium arguat ſui auctorem, qui ſingulis creaturis ſuam perfectionis particulam, pro ſuo lubitu admetitus ſit. Id quod clarius etiam apparebit per ſequentia. Hinc etiam 4. concurrunt Philoſophorum quorundam teſtimonia, v. g. Macrobii in *Somn.* Scip. lib. 2. cap. 10. & eorundem *diſſenſiones* de *mundi origine.* Interim tamen Philoſophorum ratiocinia, eo non valuerunt pertingere, ut determinarent, quo *modo*, qno *ordine*, quo tempore, prima rerum omnium cauſa, cuncta produxerit: hoc ergo in ſolidum pertinet *ad fidem*, ſic ſtatuente Apoſtolo Heb. xi. 6. quamvis etiam, non ſit inconveniens, idem teneri *ratione* & *fide*, prout patet omnibus iſtis philoſophematis, quæ traduntur in Scripturis.

Variis modis deſignatur in Scripturis creatio.

V. Creationis operatio, variis modis deſignatur à Scriptura utriuſque Inſtrumenti: *Veteris* quidem, יצר *fingere* plaſmare Gen. ii. 7. conf. Job. x. 8. Jeſ. lxiv. 8. Jer. xviii. 6. יסד *fundare* Pſal. lxxxix. 12. & cii. 26. שפר *fabrefacere*, decorare Job. xxvi. 13. כון *parare*, diſponere Pſal. xxiv. 2. Jer. x. 11. ſed efficaciſſime per τὸ βρᾶ exprimitur, quæ *præſtantiſſimam operationem* deſignat, qualis illa proculdubio, per quam res *univerſaliter* producitur, in *Novo* Inſtrumento, dicitur καταβολὴ τοῦ κόσμου Matth.

Matth. xxv. 34. Heb. iv. 3. κατασκίνασις πάντων Heb. iii. 4. per quam πάντα ἐγένετο Joh. i. 3. & Deus *cœlum fecerit* (ποιήσας) Act. iv. 24. *adaptaverit* (καταρτίσθαι) *ſecula* Heb. xi. 3. Sed propriiſſime κτίσις appellatur Apoc. iv. 11. *Tu Domine ἔκτισας τὰ πάντα, & per voluntatem tuam ἐισὶ καὶ ἐκτίσθησαν.*

Quid ſit creatio.

VI. Quantum ad *rem*, *creatio* non eſt niſi productio rei *novæ*, atque adductio ejus *ex non eſſe* ad *eſſe*, per meram Dei vocationem & imperium. Sed diſtinctius, eſt illa Dei *operatio*, per quam mundum fecit *ex nihilo* valde bonum. *Active* conſiderata, non differt ab ipſa Dei *eſſentia*, nec eſt niſi *Deus creans*. Non enim concipi à nobis debet, *vis* aliqua, à Deo velut *egredi*: aut creatura produci per virtutem aliquam, *à Deo diverſam*: hoc enim, non modo cum *ſimplicitate* & *immutabilitate* entis primi pugnat: ſed etiam, cum *ratione*: *vis* enim illa *creans*, à Deo *diverſa*, nec *finita* eſſe poſſet, cum ad creationem vis *infinita* requiratur, ut ſuo loco patebit; nec *infinita*, ſic enim *plura* fingerentur infinita, per quæ nihil daretur *abſolutè infinitum*. Non eſt igitur creatio *activa*, niſi *volitio* Dei (Apoc. iv. 11.) ut ſuo tempore mundus ſit; ſeu efficax & omnipotens Dei *juſſio* Pſal. xxxiii. 9. Heb. xi. 3. & i. 3. ſeu *vocatio* Rom. iv. 17. Jeſ. xli. 4. Atque hactenus quidem, creatio eſt *ab æterno*, nec in tempore, per productionem ſeu exiſtentiam creaturæ, Deus *accipit* niſi *reſpectum* quendam ad ſuum opus: *paſſivè* autem conſiderata, ipſa eſt *creatura*, prout illa per omnipotentem Dei *juſſionem*, *à non eſſe* tranſit *ad eſſe*.

Actus creationis eſt omnipotens juſſus.

VII. Dum igitur *creatio*, non conſiſtit niſi in efficaci Dei *volitione*, ejusque quaſi *nutu* ſeu juſſu; ſecludit omnem *aliam*, ſeu cauſam, ſeu molitionem. Atque hæc ratio eſt, per quam *vocatio* dicitur Rom. iv. 17. *Qui vocat quæ non ſunt tanquam ſint* Jeſ. xli. 4. & talis *vocatio*, quâ quod vocatur, eo ipſo *exiſtit* Pſal. xxxiii. 9. *Ipſe dixit & exſtitit: ipſe præcepit & ſtetit.* Unde *ſecula adaptata* dicuntur *verbo Dei*. Item Heb. xi. 3. *per voluntatem Dei eſſe & condita eſſe* Apoc. iv. 11. ipſe que Deus *omnia facere verbo potentiæ ſuæ* Heb. i. 3.

Quo tria Deus fecit.

VIII. *Juſſus* autem ille creationis, tria concludebat: 1. Rei *productionem*, per efficaciſſimum illud *eſto*, *fiat* Gen. i. 3. 6. 7. à quo creatura exiſtentiam accepit. 2. *Ordinationem*; eſto in *hunc* aut illum *finem*, v. g. *ut illuminet terram* Gen. i. 16. quâ *uſus* rei cuique eſt aſſignatus, & quaſi *officium* univerſo præſtandum. 3. *Approbationem*, *vidit Deus eſſe bonum* Gen. i. 4. quâ per bonitatem *ſuam*, creaturæ *bonitatem* ac perfectionem comprobavit, & uſui aſſignato *benedixit*.

Creatio producit ex nihilo.

IX. Cum ergo, ſolo voluntatis *nutu* producat creatio, ſequitur non ex præjacente *materia*, in cujus potentia latuerit *forma* producenda; ſed *ex nihilo*, ſic ut, vel nihil *prorſus præexſtiterit* juſſui creationis, ne quidem ut *terminus* à quo, quo modo creata ſunt opera *primi diei*: vel, ſi quid *præexſtiterit*, non tamen præexſtiterit ut *materia*, *ex quâ* prodierit *forma*, & in cujus *potentia* illa *latuerit* antea; ſed ut *terminus* tantum, cui *formam* ſuam *ſubſtantialem* ex *nihilo* productam, applicuit. Et ſic etiam *creata* ſunt, opera *quinque* poſteriorum *dierum*. Ex *nihilo* autem creata docet Scriptura, quando Deum *vocare* dicit *ea quæ non ſunt*, *tanquam ſint* Rom. iv. 17. Unde Apoſtolus Heb. xi. 3. mundum dicit *compactum* & ſtructum *verbo Dei*, ejuſque *ſolius* efficaciâ, μὴ ἐκ φαινομένων, *ex non apparentibus*. h. e. ex *Scriptura* phraſeologia, ex eis, quæ *non ſunt* nec exiſtunt. Quo etiam ſpectat quod: 1. *omnia* creaverit Apoc. iv. 11. ut *nihil* potuerit ei præexiſtere: docet item *natura* ſeu ratio; quæcunque enim hîc *præſupponeretur* materia, ea vel *creata*, vel *increata* foret: ſi *creata*, recurret quæſtio in infinitum; *increatum* autem, & ab *æterno*, præter Deum nihil exiſtere, olim diximus ſuo loco, & dicemus porro. Tum 2. præter *Deum* & *mundum* nihil concipi pôteſt, ac proinde cum mundus *creatus* ſit à Deo; ex *nihilo* creatum eſſe conſequitur.

Cauſa creationis ſolus eſt Deus.

X. Proinde creationis *cauſa*, eſt *ſolus* Deus Pſal. cxxiv. 8. *Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas?* Unde *Creator finium terræ* dicitur Jeſ. xl. 12. utpote qui *creavit cœlos, & illos extendit, qui expandit terram & proventus ejus, qui dat halitum populo.* Item Cap. xlii. 5. 8. *Ego ſum Jehova qui feci omnia*, & Cap. xliv. 24. *Ego Jehova creo illa* Jer. x. 11. 12. 13. *Dii qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra: At Jehova Deus eſt veritate, qui fecit terram viribus ſuis, & intelligentia ſua extendit cœlum.* Et *cœli gloriam Dei narrare* dicuntur Pſal. xix. 1.

Nec præter eum alia eſſe poteſt.

XI. Nec tantum Deus *ſolus* creationis *cauſa* eſt; ſed nec præter eum, eſſe alia quævis *poteſt*. Quod 1. *Infinita potentia* requiratur, ad exhauriendam illam *diſtantiam*, quæ eſt inter *nihil* & *aliquid*. Quo enim, producendum *longius diſtat* ab eo, *ex quo* produci debet; eo *major* eſt productionis difficultas, & eo quoque major requiritur *potentia* producturi; ex quo etiam ſequitur, ubi producendum maximè, ſeu *adeo* diſtat, ut magis diſtare *non poſſit*, ibi *infinitam* eſſe diſtantiam, quæ *infinitam* infert productionis *difficultatem*, ac proinde *infinitam* quoque exigit *vim* producturam. Sic v. g. in *generatione*, quia animalis procreandi major eſt diſtantia à *ſanguine* quam à *ſemine*: & à *chylo* quam à ſanguine: & à *gramine* quam à chylo: hinc *major* eſt difficultas producendi animal ex *gramine* quam ex *ſemine*. Rurſus in *alteratione* v. g. menſa producenda, quia magis diſtat à duro *ſilice*, quam à præparato *ligno*; & magis ab *aqua* quam

quam à *filice*, & magis ab *aëre* quam ab *aqua*: hinc *major* procul dubio requiritur, quâ mensam producas ex *aëre* quam ex *ligno*. Proinde cum major distantia, nec *esse* nec *cogitari* possit, quam inter *nihil* & *aliquid*; manet *infinitam* hîc esse distantiam, quæ non nisi *infinita* virtute exhauriri possit. Tum 2. quod causa, essentiam *universam* productura, (quod fit in *creatione*) essentiam universim debeat *excedere*, seu (quod idem est) esse ὑπερούσιος; neque enim *communicare* possum, quod non *habeam*, imo quod *non magis* habeam, *periturus* aliàs communicando. Cum autem præter Deum, nulli competere possit esse ὑπερούσιον; manet nihil præter Deum *creare posse*. Quod 3. effectus *universalis*, qualis per creationem existit, *universalem* exigat causam: id quod soli Deo competit. Quod 4. nec *accidens*, nec *substantia* materialis possit creare; esset enim effectus, *toto genere* nobilior sua *causa*: nec immaterialis, crearet enim, vel per *essentiam*, & sic *semper* crearet: vel per *accidentia*, sic causa *toto* genere *deterior* esset suo effectu.

Nec creatura creationis causa instrumentalis esse potest.

XII. Nec tantum creatura *quævis*, creationis non potest esse causa *principalis*; sed nec etiam *organica*: quod non modo quodvis instrumentum, requirat *in quod* operetur, & quod suam efficaciam *recipiat*, ac recipiendo patiatur: sed etiam, quod *vim* creativam causæ principis, utpote *infinitam*, *recipere* non possit, ut in ea (pro ratione instrumentalis causæ) operetur.

Causa creationis tota est S. Trinitas.

XIII. Esto itaque *solus* Deus *Creator*, *ac Dominus cœli ac terræ* Matth. XI. 25. Act. XVII. 24. & creatione *discrimineturr* à quibusvis Psal. XCVI. 5. Utpote ex quâ *pervideatur æterna ejus* tum *potentia*, tum *divinitas* Rom. I. 20. Deus inquam, Pater, Filius & Spiritus S. qui hinc quasi *deliberare* intelliguntur Gen. I. 26. *Faciamus hominem*, atque etiam *factores* appellantur Jes. LIV. 5. Job. XXXV. 10. Psal. CLXIX. 2. Eccl. XII. 1. quin & singulis *singulatim* creatio asseritur: *Patri* Matth. XI. 25. Act. IV. 24. 1. Cor. VIII. 6. Heb. I. 2. *Filio* Joh. I. 3. Eph. III. 9. Col. I. 16. Heb. I. 10. Prov. VIII. 22. Spiritui S. Gen. I. 3. Job. XXVI. 12. Psal. CIV. 30. & XCV. 5. Collat. cum Heb. III. 7. 9. Ut non omnino abs re Basilius, de *Spirit. S.* lib. 8. c. 16. Patrem appellet creationis causam προκαταρκτικὴν: Filium δημιουργικὴν & Spiritum S. τελειοτικὴν, indigitaturus tres personas, non tantum *conspirasse* in creationis negotio; sed *quamque* etiam, pro suo *subsistendi* modo, peculiariter ad illud *concurrisse*, Patrem *à se* operantem, illud quasi *inchoasse*; Filium *à Patre* per Spiritum S. *continuasse*; & Spiritum S. *à Patre & Filio*, quasi *absolvisse*. Cavendum tamen, causas *partiales* ac *socias* ne dicamus, quod *una* fuerit omnium ἐνέργεια: multo etiam magis, ut *subordinatas* non dicamus, ex eo quod œconomicè, Patri passim *peculiariter* tribuatur creatio: quoniam ista quasi prærogativa Patri tribuitur, non quoad *virtutem* creandi, quæ omnibus *eadem* est; sed quoad creandi *ordinem*, quo *prima* circa creaturas operatio, *primæ* personæ tribuitur.

Creatio absque molimine, successione ac difficultate processit.

XIV. Quoniam ergo, creationis infinitus est δημιουργὸς, qui insuper *solo* voluntatis *nutu* creaverit; patet 1. Non operosio *conamine*; sed *verbo* Psal. XXXIII. 9. Nec 2. motu *successivo*, per ambages & anfractus; sed *momento* temporis, singula emersisse. *Ibid.* quod creatio *materiam* omnem *excludat*, quæ *præparetur* privatione pristinæ *formæ*, ut *nova* ipsi possit substitui, *in* quo *succedanea* requiruntur momenta. Tandem 3. citra omnem *difficultatem* fatigationemque Jes. XL. 28. *Non fatigatur Creator extremitatum terræ.*

Creatio cum tempore cepit.

XV. Ista porro creatio, *constituto* tempore adornari cœpit, בראשית *in principio*: tum *temporis*, tum *rei* cujusvis à Deo diversæ, tum *verborum* Dei. *Ut nihil*, ex quo cuncta Deus creavit, non ordine tantum *naturæ*; sed etiam q. *temporis* præcesserit omne creatum. Unde non tantum Deus *vocare dicitur ætates ab initio* Jes. XLI. 4. sed & commemorantur in Scripturis, quæ exstiterint, aut facta sint *ante jacta mundi fundamenta* Eph. I. 4. 1. Pet. I. 20. *Antequam hic mundus esset* Joh. XVII. 5. Cum *nondum abyssi essent*, *à seculo*, *à capite*, *à principiis terræ* Prov. VIII. 23. 24. *Antequam montes gignerentur*, *& herbam terra produceret*, *imo à seculo ad seculum* Psal. XC. 2. Hinc & *æternitas* hujusmodi dicendi modo, in Scripturis exprimi consuevit. Ex quo sequitur (Scripturæ saltem judicio) præter *Deum*, ab *æterno* nihil fuisse, imo ne quidem *ante* hunc mundum conditum; neque etiam existere *potuisse*, suo loco dicemus in *elenchticis*.

Quo sensu citius fieri potuerit.

XVI. Num autem *ante* illud suum principium, creari quicquam à Deo potuerit, ambigue, quæritur. Si enim id intelligas ante *tempus* factum, quæsiveris: an in *æternitate* citius ac *serius* fieri possit? sin intendas quærere, num *principium* illud creationis, à nobis, per plures annos distare potuisset quam *distat*, non est ob quod dubites affirmare, Etsi autem mundi *natale* tempus *determinare*, propter intricatissimas Chronologorum disceptationes, fere *desperatum* sit; satis tamen è sacra pagina constat, non esse adeo *longinquum*, ut ab *immenso* seculorum numero repetendum sit, imo, juxta communem Chronologorum calculum, recentiorem esse *sex millium* annorum integrâ periodo. Ut si qui suos annales ulterius extendant; vel ineptiant, vel annos *menstruos*, aut *quadrimestres*, non vero *solares*, nostris analogos, intelligant.

Qua anni tempestate creari cœptum.

XVII. Quâ autem *anni tempestate* creatio cœperit, an Vere, an Autumno; id in *genere*, respectu mundi *universi*, frustra quæritur, cum omnia anni tempora, juxta varias mundi plagas, *simul* exi-

exiſtant. Neque etiam adeo magni uſus eſt, de *particulari* aliqua regione, vel terra Canaan, vel horto Edenis (quæ & ipſa loco à ſe invicem diſtant, nec ſub eodem ſidere degunt) illud determinare: ſi vero de ſigno Zodiaci in quo *Sol* primò conſpicuus fuerit, quæratur, prout convenientiſſimum eſt, communior ſententia fert, creationem in *Autumno* cœpiſſe, Sole verſante in *Libra*: quod ex anno Iſraelitarum *civili*, qui & Patriarcharum, retro ad primam mundi ætatem uſque annus fuit, quique menſe Tiſri incepit (*Et obſerva, feſtum meſſis primitiarum operum tuorum quæ ſeveris in agro, & feſtum collectionis in exitu anni, cum collegeris opera tua ex agro* Exod. XXIII. 16. Conf. Cap. XXXIV. 22. *Et feſtum Septimanarum facies tibi, primitiarum meſſis trititiæ, & feſtum collectionis ineunte anno*) atque etiam ex annis *Sabbaticis*, qui æquinoctio *autumnali* pariter inchoabantur, haud vane colligitur; atque idem anni tempus, reſpectu *Paradiſi* pleriſque videtur, utpote quod ex arborum *fructibus*, tum maturis apparet. Voluit autem Deus ſic creando, *ſufficientiam* ſuam ac perfectionem patefacere, quâ, *ullâ* creatura non indigeret, aliàs *quam primum* potuiſſet, mundum creaturus: atque etiam *libertatem* ſuam, per quam *omnia* produxerit citra naturalem *neceſſitatem*; ſic enim ab *æterno* creaſſet Pſal. CXV. 3. Apoc. IV. 11.

Deus creavit omnia valde bona.

XVIII. Tandem omnia Deus creavit *bona*, & bona *valde* Gen. I. 31. 1. Tim. IV. 4. Rom. XIV. 14. Deut. XXXII. 4. Quod non tantum ipſe *bonus* ſit, & *ſummum* bonum, à quo non poteſt profluere niſi analogum; ſed etiam *ſapientiſſimus*, qui nihil vel *temere*, vel *fruſtra* condiderit; ſed ad certum *finem*, quem *certo* etiam aſſequebatur. Eſt autem *bonitas* illa, rei cujuſque *perfectio*, per quam apta exiſtit ad *uſum*, cui deſtinata eſt: ſic v. g. homo *bonus* eſt, qui aptus ad *glorificandum* Deum, *cui* creatus dicitur Jeſ. XLIII. 7. Et *uſus* rei cujuſvis *quadruplex* numeratur: 1. *proximus*, propria ſcil. & *formalis* ejus operatio. v. g. cibi ac potus, *alere*: medicamenti, *ſanare*. 2. *Remotus*, quem beneficio proximi, toti præſtat huic *univerſo*, ad cujus *conſervationem*, omnes hujus mundi *partes* conſpirant, ſicut membra animalis, ad conſervationem totius corporis, quod clariſſimè obſervatur in fugâ vacui. 3. *Remotior*, quem *univerſum*, ac ſingulæ ejus partes præſtant *homini* (à quo omnia dicuntur creata propter hominem Pſal. VIII. 7. Hoſ. II. 20. 21.) A. Ejus vitam *ſuſtentando*, tum *ut ſit*, tum ut *bene* ſit; tam *honeſte*, quam *jucunde* Pſalm. CIV. 14. 15. B. Occaſionem ei præbendo, *Deum* ex creaturis *agnoſcendi* & quærendi Rom. I. 20. Act. XVII. 26. 27. Tandem 4. *Remotiſſimus*, quem *homo*, ex creaturis, transfert ad *Creatorem*, nempe in omnibus, immenſam ejus *ſapientiam*, *potentiam* & *bonitatem*, agnoſcendo & celebrando, à quo cœli dicuntur *narrare gloriam Dei* Pſalm. XIX. 1. E quibus omnibus conficitur, aureus Apoſtoli *circulus* Rom. XI. 36. *Ex ipſo, per ipſum & ad ipſum ſunt omnia, ei ſit gloria in ſecula Amen.* Atque unà etiam hinc perſpicitur, *ſummus* univerſæ creationis *finis*, ſcil. *gloria* Creatoris Prov. XVI. 4.

Pars Elenchtica.

Quæſtiones.

1. An detur veri nominis creatio?

XIX. *Elenchtica* hujus Capitis, non adeo magno negotio, ex præſtructis *dogmaticis* determinari poſſunt; interim recenſenda breviter præcipua problemata. Quæritur ergo *primo*, an detur creatio, ſeu productio ex nihilo? Agnoſcunt fere quotquot Scripturam recipiunt: Negant 1. qui Deum eſſe *mundum* ſtatuunt, ut Plinius, Spinoſa. 2. Qui mundum volunt *ab æterno* fuiſſe, ut Chaldæi, Philoſophi, Ariſtoteles, &c. 3. Qui eundem, ex *fortuito atomorum* confluxu, volunt emerſiſſe, ut Democritus, Leucippus, Epicurus. Quia 4. *Duo æterna* fingebant, θεὸν καὶ ὕλην, ut Stoici, & Anaxagoras, qui *Chaos* æternum prædicabat, ad quod *mens* acceſſerit, quæ omnes rerum *ſpecies*, ab illo ſegregaverit, quem errorem in Eccleſiam adduxerunt, Hermogenes, cujus veſtigia legit Marcion, item Seleucus & Manichæi. Tandem 5. Athei quivis. Contra omne teſtimonium, *Scripturæ* pariter & *naturæ*, utpote per quod *ſolus* Deus eſt *à ſe*, conſequenter omne à Deo diverſum, *ab ipſo*. Nec eſt ipſis, quod juvare videatur, niſi 1. *Quod ex nihilo fiat*. Sed quod non valet, niſi ſub variis *limitationibus: naturaliter*, non *ſupernaturaliter*: tanquam ex *materia*, non tanquam *à termino*. Quod 2. *Creatio in tempore, præſupponat creabile ab æterno, quod ſit aliquid*. Reſp. præſupponit utique, non ut *exiſtens*, ſed ut *futurum*: & ſi *exiſtens*, non *in ſe*; ſed in *mente* & potentia Dei, cum qua coincidit.

2. An virtus creandi poſſit competere creaturæ?

XX. Quæritur *ſecundo*, an *virtus creandi* poſſit competere *ulli* creaturæ? Avicenna ſomniabat, Angelum *ſuperiorem* creaſſe ſibi immediatè *inferiorem*, & hunc ſibi *proximum*, uſque ad *infimum* Angelum, qui creaverit *corpora*. Hunc ſequebantur Simoniani, Gnoſtici aliique veteres, qui Angelis ſubſtituebant ſuos *Æonas*, aliaſque fictas poteſtates. Pontificii in gratiam *tranſubſtantiationis*, per quam Sacrificulus, fiat ſui *Creatoris Creator*, & in gratiam *Sacramentorum*, quæ ſub N. T. gratiam efficiant ex *opere operato*; affirmant. Reformati cum Scriptura negant, quando: 1. Deo *ſoli* aſſerit ut vidimus, ita ut 2. per creationem, Deus *diſcriminetur* à quibuſvis. Et 3. ex ea pateat, *æterna Dei potentia & divinitas* Rom. I. 20. Cui applaudit ratio, ſtatuens *infinitam* ad creationem requiri virtutem &c. Nec valet quod excipiunt: 1. *infinitam* virtutem non requiri ad crea-

tionem; quod *infinita* non sit *distantia* inter non *ens* & *aliquid*, quippe quâ, *major* cogitari possit, quando citra dubium, *major* sit distantia, inter *Deum* & nihil, quam inter *aliud* quodvis & nihil. Resp. Utique major est hic *perfectionis* distantia, quæ non est hujus considerationis; sed non est major distantia *difficultatis*, quam in *dogmaticis* diximus. Quod 2. effectum, creatione producendum, sit *finitum*, adeoque non nisi *finitam* virtutem exigat. Resp. Utique effectum *finitum* est; sed quod nihilominus, *infinitum* distat à *nihilo*, ex quo producendum est. Quod 3. Deus non erit *omnipotens*, si virtutem *creandi* non possit conferre *creaturæ*. Resp. Non minus, hoc nomine, erit *omnipotens*, quam quod non possit creare *alium Deum*.

3. Num creatura possit esse creationis instrumentum?

XXI. Quæritur *tertiò*, nunquid, saltem *instrumentalis* creationis causa, possit esse creatura? Hoc quidem vellent, tum Judæi (odio Trinitatis, ne illa à nobis conficeretur ex Gen. 1. 26.) statuentes, Deum in consortium creationis advocasse *Angelos*; tum Sociniani, qui eodem fere consilio, ut ex locis, quibus *Christo* tribuitur creatio, non emergeret, ipsum Patri ὁμοούσιον esse *Deum*; cum Arianis statuunt, Deum *per Christum*, velut suum *instrumentum*, creasse, eoque rapiunt loca, quibus omnia creata dicuntur *per* Filium Joh. 1. 3. 10. Col. 1. 16. Sed non attendunt præpositivam διὰ, non semper *instrumentalitatem* exprimere, ut patet ex Rom. XI. 36. Atque etiam alibi, *creationem* Filio *absolute* asseri Heb. 1. 10. & III. 3. 4. Nec *per* ipsum creata dici quævis, quam ad indigitandum creandi *ordinem personalem*, quo, pro sua ratione *subsistendi*, Pater *per* Filium creavit. Addunt argumentum *à pari*, quod *miraculorum*, creaturæ possint esse *instrumenta*. Sed, præterquam quod *dispar* sit ratio, cum miracula objecta admittant, quæ ἐνέργειαν perpetrantis *excipiant*, quæ creatio excludit: falsum etiam est „ creaturas esse *instrumenta*, quorum *vi* miraculum attingatur, licet instrumenta dici queant, quod à Deo *impetrent*, ut *immediatâ* sua virtute, miracula perpetret; aut *significent*, Deum jam velle perpetrare miraculum Act. III. 12. 13. 16. cum cætera *Deus solus* dicatur facere miracula Psalm. LXXII. 18. Rectius igitur negant Reformati, creaturas vel *instrumenta* creationis esse posse, per rationes in dogmaticis adductas.

4. Num creatio potuerit esse ab æterno?

XXII. Quæritur *quartò*, an creatio mundi, *potuerit* esse ab æterno? Non *fuisse* ab æterno, contra Philosophos, Aristotelem, Plinium aliosque, agnoscunt quotquot fere Scripturam recipiunt: Scholastici nonnulli, ingenti dissensu, in gratiam *Aristotelis*, ne ille, in *rationem* saltem videatur impegisse; existimant, non tantum Deum *ab æterno* habuisse *virtutem*, creandi, eandem quâ postmodum mundus productus est; sed mundum etiam *Deo ab æterno* coexistere *potuisse*; Orthodoxi, ut *prius* omnino admittunt; sic *posterius* constanter negant, ac statuunt Deum quidem in sensu (ut loquuntur) *diviso*, ab æterno *potuisse creare*; sed mundum, *ab æterno* non potuisse *creari*. Rationes supra lib. II. Cap. XI. §. 5. & 12. instruximus. Argumenta. Quibus addimus: si mundus ab *æterno* exstitisset; 1. fuisset *infinitus* in duratione, & cum *duratio*, non distet realiter *ab essentia*; eadem opera, fuisset infinitus *essentiâ*, & per consequens, vel ipse *Deus*, vel *duæ essentiæ* infinitæ, eoque *nulla simpliciter* infinita. 2. Præcessisset hunc annum, *infinitus* annorum numerus, cui cum continuo accedant anni; *infinitum*, apertâ contradictione, *augeretur*. Imo 3. Cum *infinitus* ille annorum numerus, adhuc multe majorem *mensium*, *dierum*, *horarum*, minutorum numerum conficiant; *infinitum infinito*, aperta rursus contradictione, *majus* esset. Et cum 4. per *æternitatem*, *infinitus* dierum numerus, existentiam *hujus* diei præcedere debuisset; quî tandem *hîc* succedere potuisset? cum *præcedentium* infinitus numerus, nunquam fuisset *consummatus*. Et cum 5. in mundi *duratione*, non possit abesse *successio*, quæ ordinem infert *prioris* & *posterioris*; necessariò requiritur *principium* aliquod, à quo *prius illud* & posterius decurrant, quod principium *æternitatem* excludit. Si dicant 1. Filium & Spiritum S. *ab æterno* processisse â Deo Patre; proinde & *mundum procedere* potuisse: Facilis est responsio, esse infinitum hîc *dissimilem* rationem, quoniam Filius & Spiritus Sanctus, cum *essentia* Patris *coincidunt*, adeoque non *plura infinita* inferunt, sicut Deus & mundus: nec in *duratione* Filii ac Spiritus S. est *successio*, per quam aliquid huic durationi *accederet*, & *infinitum* augeretur: sicut est in *duratione mundi*. Si porro dicant 2. Deum ab *æterno* fuisse *omnipotentem*, adeoque *potuisse* creare mundum; dudum respondimus, *Deum* quidem ab æterno *potuisse creare*, seu *potentiam* habuisse creandi; sed *mundum* non *potuisse creari*: eo quod cum ejus *essentia* pugnet *æternitas*. Si dicant 3. Esse creaturas quasdam *æternas*, à parte *posteriori*, ut Spiritus; proinde etiam *esse posse*, quæ sint à parte *anteriori*: Occurram, esse maximè *dissimilem* rationem, quod *prior* illa æternitas, non inferat *actualem* seu categorematicam *infinitatem*, quam infert *posterior*; sed *potentialem* tantum ac syncategorematicam, quæ non repugnat creaturæ. Objectiones.

4. Num tempus & materia, ex qua mundus fuit creatus, ab æterno fuerint, facta-

XXIII. Quæritur *quinto*; an saltem *tempus* & *materia*, è quâ mundus creatus, non fuerint *ab æterno*? Affirmat Volkelius de *Vera Relig.* lib. 2. c. 4. ad hoc procul dubio, ut obtineat, nec *æternitatem* esse attributum *incommunicabile*, ex quâ *summa* Filii ac Spiritus S. *deitas* solide possit confici: nec *infinitam* esse *distantiam*, quæ per *infinitam* potentiam exhauriri debeat, quod creatio

facta sit *ex materia* præexistente. Contra Christiani omnes fatentur: 1. Ex *nihilo* creatum esse hoc universum, & nihil istud, *existentiam præcessisse*, non ordine tantum *naturæ*, sed etiam, suo modo, *temporis*, ut jam dudum probavimus. 2. Deo *ab æterno* nihil *coexstitisse*, imo nec existere *potuisse*, per parag. præced. Nec, ex hac hypothesi 3. declinari ullo pacto potest, *momentorum infinitus* numerus (cum & in *æternitate*, Socinus cum suis, *successionem* recipiat) per quem; aut *nullum* amplius posset accedere *momentum*, aut infinitum *majus* fieret, aperta contradictione. Jubet interim, confirmandæ suæ sententiæ, Volkelius conferre loca Heb. XI. 3. Ubi sæcula dicuntur confecta, *non ex apparentibus*, *quibus verbis*, inquit, *satis aperte indicat* Apostolus, *ex rebus quibusdam, licet non apparentibus, res aspectabiles fuisse creatas*, & Gen. I. 2. ubi, quænam fuerint ista *non apparentia*, Moses exponat, nim. *terra desolata & inanis*. Resp. Pervertit homo perversus, & verba & mentem Apostoli: quando enim *hic* dicit, *sæcula* condita esse, μὴ ἐκ φαινομένων; *ille* q. ἐκ μὴ φαινομένων: quando *hic* negare intendit, omnem materiam ex qua condita fuerint sæcula; ille ponit invisibilem. Nec locus conferendus Gen. I. 2. ei quicquam *prodest*; sed *obest* etiam: quippe qui, cœlum ac *terram*, quæ *desolata* dicitur *& inanis*, in principio creatam à Deo, ῥητῶς pronunciat. Rectius autem, locum conferemus cum Rom. IV. 17. Ubi Deus fertur καλεῖν, τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα, *vocare quæ non sunt, quasi sint.*

Pars practica.

Creatio invitat 1. Ad cognoscendum Deum: Quod sit,

XXIV. Quantum ad praxin, creationis negotium, *primo* nos invitat ad *cognoscendum* Deum Jes. XL. 26. Job. XXXVII. 14. Quod *invisibilia* Dei, *à creatione mundi, ex iis quæ facta sunt perviderí dicuntur* Rom. I. 20. ut à creatione & *creaturis*, ad Creatorem, velut in scala, adscendamus, inde colligendo: (1) *quod* Deus sit, id quod ex creaturarum *creatione* & *dependentia*, non tam *colligi* quam *palpari* potest Act. XVII. 27. ut non abs re quæratur Job. XII. 9. *Quis non cognovit ex omnibus istis; manum Domini facere istud?* Item Jes. XL. 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas* &c? & respondeatur Jes. LXVI. 2. *Omnia ista manus mea fecit, & facta sunt omnia hæc, dicit Jehova*; & Cap. XLV. 6. 12. *ad compescendum impium*, seu Atheum Psalm. VIII. 2. (2) *Qualis* sit Deus, scil. A. Plane *independens*, *à quo* omnia & *qui* à nullo Rom. XI. 36. *Primus & ultimus* Jes. XLI. 4. B. *Omnipotens* Rom. I. 20. qui ex *nihilo* produxit, μὴ ἐκ φαινομένων Heb. XI. 3. *Vocat quæ non sunt, tanquam sint* Rom. IV. 17. solo *verbo* ac voluntatis *nutu* Psalm. XXXIII. 9. *tot tantaque* creat Psalm. CIV. 24. C. *Sapiens*, Ibid. ut quæras. *Quis cœlos palmâ direxit, mensusque est mensurâ pulverem terræ, & libravit in staterâ montes, & colles in bilance? Quis direxit Spiritum Domini? quis Consiliarius ejus, indicavitque illi? A quo petiit consilium? quis instruxit illum, docuitque eum semitam judicii, atque erudivit eum scientia, & viam intelligentiarum ostendit ei?* Jes. XL. 12. 13. 14. D. *Bonus*, quia *omnia* facit *valde bona* Gen. I. 31. ac rei cuique, suos assignavit *fines*, suos *usus*, aptitudinemque ad illos, liberalissimè contulit. E. *Æternus*, quippe qui fuerit *antequam montes nascerentur, antequam terram formaret, à sæculo in sæculum, Deus* Psalm. XC. 2. Rom. I. 20. F. *Perfectus* & omnisufficiens, qui ab omni *æternitate*, usque ad mundi creationem, fuerit *absque ullâ creatura*, ipse solus sibi *sufficiens* Psalm. L. 9.—14. G. *Beatus*: utpote qui, non tantum sibi solus per omnia *sufficit*; sed insuper, *lætatur in operibus suis* Psalm. CIV. 31. (3) *Quis* sit Deus, scil. Pater, Filius, ac Spiritus S. quod non tantum אלהים, *crearit cœlum & terram* Gen. I. 1. sed & distincte *verbo Jehovæ creati sint cœli, & Spiritu oris universus exercitus eorum* Psal. XXXIII. 6. quod Pater *per Filium sæcula condiderit* Heb. I. 2. & *Spiritus S. incubaverit chaos*, & ex eo *excluserit* hoc universum Gen. I. 2. Tandem (4) quis peculiariter *sit nobis*, puta *noster* cujusque Creator, unde jubemur *nostrum Creatorem cognoscere*, *ab ipsa juventute nostra* Eccl. XII. 1. Psal. C. 3. Horsum Deus *mundum* creavit, & *hominem* in mundo, horsum supra quævis anima rationali instruxit Job. XXXV. 11. utnim. ista Dei ἀόρατα ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα *perviderent* Rom. I. 20. atque etiam *Spiritus reverteretur ad Deum, qui dedit ipsum* Eccl. XII. 7.

Qualis sit,

Quis sit;

Quis sit peculiariter nobis.

2. Ad glorificandum Deum.

XXV. Invitat *secundo*, ad *glorificandum* Deum; unde *omnia* dicitur *creasse propter se* Prov. XVI. 4. & *cœli narrare* dicuntur *gloriam Dei* Psal. XIX. 1. ut ex eo, quod *ab ipso, per ipsum & ad ipsum, sint omnia*; sibi recidat: *ei sit gloria in sæcula Amen* Rom. XI. 36. Glorificamus autem Deum, (a) Non tantum *agnoscendo* omnia quæ paragr. præcedenti diximus; sed etiam (b) *Admirando* tot ac tanta, ex *nihilo*, solo voluntatis *jussu* producta, unde Moses, *magna* prædicat & *mirabilia opera* Dei Apoc. XV. 3. & David, *celebro te, propterea quod terribilia* (seu stupenda) *mirificatus sum, admiranda sunt opera tua, & anima mea cognoscit abundè* Psal. CXXXIX. 14. Atque admirationis exclamatione erumpit: *Quam multiplicata sunt opera tua Jehova! Omnia ista in sapientia fecisti: & impleta est terra possessionibus tuis* Psalm. CIV. 14. & VIII. 2. 10. Atque etiam (c) *Celebrando*, quemadmodum scil. Cœli *enarrant* gloriam Dei, & David, *celebrabo te* Psalm. CXXXIX. 14. & Angeli in cantico Mosis Apoc. XV. 3. *dicentes magna & mirabilia opera tua*,

& viginti quatuor Seniores Apoc. IV. 11. *Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Ob hujusmodi glorificationem (1) dicimur peculiariter, *conditi* à Deo *in gloriam* suam Jes. XLIII. 7. Hanc (2) nisi præstiterimus, in crimen & κρίμα incidemus Philosophorum gentilium, qui, *quum Deum cognoverint, non glorificaverunt* eum, ac *propterea traditi à Deo sunt suis cupiditatibus* Rom. I. 21. 26. Imo (3) *pejores* evademus ipsis *brutis* Jes. I. 3. Atque etiam (4) nobis saltem, mundum Deus *frustra* creaverit, quin potius frustra nos *homines* creaverit, ut qui supra bruta nullum sibi usum præstamus.

3. Ad colendum Deum.

XXVI. Invitat *tertiò*, ad *colendum* Deum, juxta Psal. C. 3. *Colite Jehovam, ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ipse enim (1) ex creatione est *Dominus cœli ac terræ* Matth. XI. 25. collat. cum Psal. XXIV. 1. 2. Cui proinde, omni *jure*, *cultus* competit

Motivæ.

Mal. I. 6. Qui (2) in *usum* & servitium sui, *omnia* condidit Prov. XVI. 4. prout etiam, suo quæque *modo*, sibi serviunt Psal. XXXIII. 9. usque ad ἄλογα Gen. VIII. 22. imo ad *ipsos* diabolos Phil. II. 10. Qui hinc 3. Peculiariter *nostri* est *Creator, formator, plasmator* Jes. XLIII. 1. & XLV. 11. Item *figulus* Ibid. vers. 9. Rom. IX. 20. 21. Nec non *Pater* Jes. LXIV. 8. Mal. II. 10. Cui proinde, *omne* id *servitii* ac cultus genus, omni jure competit,

Modus.

quod Creator ab opere, figulus à figmento, Pater à filio desiderare possit. Peculiariter A. *Gratitudo* Deut. XXXII. 6. utpote qui non tantum nos *creaverit*, quanti quanti sumus; sed & *propter nos* omnia Psal. VIII. 7. B. profunda *submissio* Ps. XCV. 6. *Venite prosternamur, & incurvemus nos, genu flectamus coram Jehovâ factore nostro.* C. *Acquiescentia* in quavis sorte, utpote quam *Creator nostri* & totius *universi* nobis decrevit Rom. IX. 20. 21. D. *Cultus* Sabbaticus in creationis memoriam Exod. XX. 8--11. Psal. XCII. 1. E. *Amor* creaturarum quarumcunque, vel *vilissimarum*, quatenus illæ, juxta nobiscum, eundem agnoscunt *opificem* Mal. II. 10.

4. Ad timendum Deum.

XXVII. Invitat *quarto*, ad *timorem* Dei Jer. V. 22. *An me non reverebimini, dictum Jehovæ? An à facie mea non contremiscetis? qui dispositi arenam terminum mari, statuto perpetuo.* Item Psal. XXXIII. 6. 7. 8. *Verbo Jehovæ facti sunt cœli--- Timeat à Jehova omnis terra, ab eo paveant, omnes habitatores orbis* Apoc. XV. 3. 4. Quo timore, omnia quidem universim evitemus *peccata*, utpote quibus *offenditur*, cœli ac terræ Creator ac Dominus Psal. XXIV. 1. 2. Sed ea comprimis, quæ peculiariter *ut Creatori* obstrepunt, qualia (1) *In-*

Peccata.

gratitudo Deut. XXXII. 6. quâ *impinguati & incrassati, derelinquimus Deum qui fecit nos* vers. 18. *obliviscimur Dei qui genuit nos*; ut conqueratur Jes. I. 2. 4. *Filios enutrivi & exaltavi, illi autem prævaricati sunt contra me: væ genti peccatrici, filiis corruptoribus! dereliquerunt Jehovam.* Psalm. CVI. 21. (2) *Socordia*, quâ *negligimus* contemplari *opera* Domini Jes. V. 12. Psalm. XCII. 6. 7. Conf. Psal. CXI. 2. (3) *Contentio* cum *Creatore* suo Job. IV. 17. & *obmurmuratio* adversus eum Rom. IX. 20. 21.

5. Ad fiduciam in Deo collocandam.

XXVIII. Invitat *quinto*, ad *fiduciam*, in quovis casu, collocandam in Deo Creatore Psalm. CXL. 5. 6. *Beatus cujus spes in Jehova Deo suo, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eo sunt* Jes. XLII. 5. 6. *Adjutorium nostrum est in nomine Jehovæ, qui creavit cœlum & terram* Psal. CXXIV. 1. Quod: A. Qui *olim* omnia fecit ex nihilo, possit *etiamnum* facere; neque enim *manus* ejus *abbreviata* est interea Jes. LIX. 1. Quod B. Qui *olim* solo verbo, jussu, nutu, cœlum ac terram creaverit, possit *etiamnum* dicere *fiat* Psalm. XXXIII. 9. *Ipse dixit & fuit, ipse præcepit & exstitit.* Qui C. *olim* ex *nihilo* creavit omnia, possit *etiamnum vocare, ea quæ non sunt acsi sint*, & ut sint Rom. IV. 17. ἀπὸ μὴ φαινομένων Heb. XI. 3. Quamobrem D. Nos credere profitemur, in Deum Patrem, *omnipotentem Creatorem cœli & terræ, qui proinde potest, infinita cum redundantia, facere omnia quæ petimus ac concipimus, pro vi illa agente in nobis* Eph. III. 20. Quare ipsam animam nostram ipsi *committamus*, *tanquam fideli Creatori* I. Pet. IV. 19.

Motivæ.

5. Ad solatium capiendum ex creatione.

XXIX. Invitat *sexto*, ut peculiariter, in statu quovis adverso, *pendeamus* toti, & solamen capiamus, ab eo qui *cœlum & terram* è nihilo *condidit* Psalm. CXXIV. 8. Qui proinde (1) *Dominus* noster sit, *figulus* noster, in cujus *potestate* simus, ut de nobis statuat, prorsus ex *sententia* Matth. XX. 15. cui non conveniat obmurmurare; *cur me talem fecisti?* Rom. IX. 20. Qui (2) eadem *dextra*, quâ cuncta fecit, possit *variare* quamvis nostram fortunam Psal. LXXVII. 11. 12. 13. Imo (3) ipsum esse, qui *format lucem*, & *creat tenebras*, *qui facit pacem & creat malum*, *ipsum solum esse qui omnia ista facit* Jes. XLV. 7. Singulatim: A. Si dura urgeat *egestas*, est quod cogites *formatorem omnium*, *esse portionem Jacobi* Jer. X. 16. qui *volucribus cœli*, qui *gramini*, & *liliis* campi prospicit, formatorem & *Patrem* tuum esse Matth. VI. 26. 28. Si B. *hostis* urgeat, est quod cogites, eundem esse hostis *Creatorem* ac Dominum, qui tuus sit, & qui *factor tuus*, etiam esse *maritum tuum*, *redemptorem tuum*, *sanctum Israëlis*, *qui Deus universæ terræ vocatur*; *ne timeas* igitur Jes. LIV. 4. 5. Si C. quodvis *periculum* immineat; est quod cogites: *Ne timeas vermis Jacob, ego auxiliabor tibi, dixit Jehova & Redemptor tuus, Sanctus Israëlis: ecce ponam te in trahaam* &c. Jes. XLI. 14. 15. & Cap. LI. 13. *Oblitus*

Ratiocinationes.

Casus.

tus es Jehovæ factoris tui, qui extendit cœlos & fundavit terram, & formidasti jugiter toto die. Si D. *spiritualis* urgeat, ad bonum quodvis *necessarium* impotentia, ad credendum, resipiscendum; si universalis *propensio ad malum*, est quod soletur, eum qui cuncta creavit ex nihilo, posse *creare* in te *cor mundum*, & *Spiritum rectum innovare in visceribus tuis* Psal. LI. 12. ut *nova* fias *creatura* 2. Cor. V. 17. Eph. II. 10. & IV. 24.

CAPUT SEXTUM.

DE

Mundo & opere sex dierum.

Exod. xx. vers. 11.

Sex enim diebus, fecit Jehova cœlum & terram, mare & quæcunque sunt in eis, & requievit die septimo.

Creatio sex dierum.

I. *Creationem* vidimus, *creaturam* contemplabimur, tum in *communi* omnium compage quæ *mundus* dicitur; tum in partibus ejus extremis *continentibus*, cœlo & terrâ; tum in *contentis* extremorum; secundum ordinem *sex* creationis *dierum*. Pleraque nobis præstabit, quarti præcepti particula.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Quâ* opus sex dierum, *compendiosè describitur*, *ut moveat ad* quietem *& sanctificationem* septimi *diei*, *cum subsecuta* quiete *Dei*. *In qua descriptione narratur:*

1. Duratio *creationis*, sex diebus. *Qui Cartesium sequuntur, ut succurrant suæ creationi mechanicæ, quâ Deus* materiam *creaverit ex nihilo, eique* motum *indiderit, qui materiam quasi fermentando explicaret, in omnes istas* formas, *quæ impræsens nobis ob oculos sunt: sex* integros *dies, seu νυχθήμερα, Deum creationi impendisse volunt. Augustinus ex adverso*, unum *tantum* momentum, *die primo, ad creationem sibi sumpsisse vult, ita ut per reliquos dies, creatum primo die*, distinxerit *& exornaverit. Recepta sententia habet, Deum* sex *dies, quidem imsumsisse creationi, ita tamen, ut singulis diebus, uno tantum momento, seu* jussu *voluntatis fuerit occupatus, quod* jussus *ille, de quo* Psal. XXXIII. 9. *integra sex νυχθήμερα, non exegerit. Quo autem* ordine, *per tot dies fuerit occupatus, & quæ singulis diebus produxerit, nos in* dogmaticis, *ξὺν θεῷ repræsentabimus.*

2. Creatio *Creatoris* יהוה עשה, fecit Dominus. *Est hic:*

A. *Actus creandi*, עשה fecit. Idem *procul dubio significat, quod* ברא Gen. I. 1. *sed non eodem modo prout monuimus in exegesi capitis præcedentis.* ברא, *proprie sonat* producere, *ut sit primum, unde in historia creationis* Gen. 1. 1. *usurpatur rarius, fere de operatione* primi *diei, quo Deus simpliciter* produxit, immaterialia *scil. lucem & chaos, idque ex* nihilo; *quando circa reliquos dies, frequenter usurpatur τὸ* עשה, *v. g.* vers. 7. 12. 25. 26. 31. *Non quod posteremis diebus, non* creaverit; *sed quod non produxerit primum; verum præjacenti materiæ introduxerit suas* formas *substantiales, idque ex nihilo, quod non latuerint in* potentia *istius materiæ, quippe quæ ab hoc* informis *dicitur & ἄμορφος: proinde potius* efformavit, *seu* effecit. *Notat enim* עשה, *non* facere *proprie; sed* efficere, perficere, *efformare.*

B. Causa *actus creandi* יהוה Gen. 1. 1. *exstad* אלהים. *Non tam, quod nomen Jehova, tum temporis non fuerit adeo vulgatum* Exod VI. 2. *quam quod* sicut *ibidem Trinitatem* personarum *divinarum significatam volebat; ita hic unitatem* essentiæ: *Sed imprimis etiam, ut ad* יהוה *ipsam essentiam ὑπερούσιον, omnis essentiæ productionem, quæ est in creatione, referret.*

3 Creatum *per sex dies illos. Scil. quicquid est præter Deum, seu diversum à Deo, quod* mundi *appellatione communiter designatur, cujus hic traduntur partes:*

α. Continentes *tres, scil.*

1. Extima, cœlum את השמים. *Intelligit hoc loco, non cœlum tantum* empyræum, *prout*

Gen.

Gen. 1. 1. *ſed omne genus cœli*, empyræum Deut. xxvi. 15. ſydereum Pſal. viii. 8. aëreum Gen. viii. 2. *Quod* hic *quidem*, *ſibi propoſitum habeat*, *totius univerſi creationem*, *ὡς ἐν ἐπιτομῇ*, *per partes referre*; *quando* ibidem Gen. 1. 1. *hoc agebat ut* primi *tantum diei opus repræſentaret. Vocis originem*, *non uno modo tradunt. Sunt qui vocem compoſitam volunt ex* שם, ibi *&* מים aquæ, *ut ſonet*, ibi aquæ, *forma* duali: *alii à* שמם obſtupuit, *quod cœli*, *ſua vaſtitate*, *nos in ſui ſtuporem rapiant*, *in* plurali *numero*, *propter varios cœli orbes: alii à* שם, *adverbium loci*, *ſed longè diſtantis* Eccl. iii. 17. *quod ad augendam ſignificationem*, *quaſi notet pluralem numerum.*

2. Intima, & terram ואת הארץ. *Hic* terræ *vox ſtrictiore ſenſu venit*, *quam* Gen. 1. 1. *ibi enim & aquas connotabat*, *& univerſum orbem terrarum*, *ſicco & humido integrum ſignificabat: hic verò ſolum* aridum *notat*, *quia* maria *ſubjunguntur.*

3. Media את הים, maria. ים, *quaſi à* המה, ſtrepuit, *ſcil. præ copia & multitudine*, *notat quamvis aquarum collectionem grandiorem* Num. xxxiv. 11. *imprimis mare* magnum, *ſeu Oceanum* Joſ. xxiii. 4. *Vaſtiſſimam illam aquarum collectionem.*

β. Contentæ, ואת כל אשר בם, & omnia quæ in eis ſunt. *ſcil. in ſingulis harum partium continentium*, *v. g. in* cœlo: empyræo, *Angeli*; ſydereo, *ſtellæ*; aëreo, *volucres*, *meteora: in* terra, *animalia*, *fruges*, *mineralia: in* mari, *piſces*, *aliaque*, *de quibus Zanchius*, *Danæus*, *Valeſius aliique.*

3. Quies, וינח ביום השביעי, & ceſſavit die ſeptima. *Hic occurrit*

1. Ceſſatio ינח, ceſſavit. נוח, *pro ſubjecta materia ſonat*, *vel* quievit *ab afflictionibus*, *laboribus*, *moleſtia*, *ſcil. quando de creaturis uſurpatur*, *unde* נוח *Patriarcha ſic dictus fuit: vel* ceſſavit ab opere, *non amplius operando*, *ſic quando de Creatore uſurpatur* Job. iii. 26. Eſth. ix. 22. *ut Scoptice Rutilius in* itinerario *riſerit creationis hiſtoriam:* ſeptima quæque dies, turpi damnata veterno, ut delaſſati mollis imago Dei. *Cui Judæi appoſite reſpondebant ex* Jeſ. xl. 29. Deum non delaſſari. *Significatur*, *ergo Deum* ceſſaſſe ab *opere creationis.*

2. Tempus *ceſſandi*, ביום השביעי, in die ſeptimo. השביעי *à* שבע ſeptem, *numerum notat plenum*, *perfectum*, *completum.* *Quo conſilio ſex præciſe diebus*, *Deus abſolverit hoc univerſum*, *& ſeptimo ceſſaverit*, *nobis in hac imperfectione*, *non eſt adeo proclive determinare: ſaltem quievit hoc die*, *ut eum* ſanctificaret, *eoque memoriam creationis propagaret*, *nobis commendaret*, *rememorationem operum divinorum*, *hoc die faciendam*, *& cultus divini negotiis impendendam*, *perſuaderet ſuo exemplo. Id verò obſervandum*, *quod adhoc illum diem ſanctificârit*, *adhucdum in ſtatu* integritatis, *cum nullæ obtinerent ceremoniæ typicæ ad Chriſtum*, *ut vel hinc teneremus*, *illum diem ſeptimum*, *non eſſe juris ceremonialis*, *abrogati ſub N. Teſtamento*, *de quo alibi*, *ſi Deus volet*, *diſtinctius.*

THEOREMA PRIMUM,

De Mundo.

Pars dogmatica.

Mundum à Deo creatum eſſe probatur, Scripturis & rationibus.

III. Noſtræ conſiderationi hîc occurret primò, communis creaturarum *compages*, *mundi* appellatione deſignata: tum ejus pars extima, *cœlum*; porro & intima, *terra*; tandem partium iſtarum contenta ſecundum ordinem ἐξαημέρου. Eſto itaque à Deo creatus univerſus *mundus*, ut à non eſſe tranſierit ad eſſe. Quo nihil certius exiſtit Scripturæ, cui 1. Omnia quæ exiſtunt, *præter* Deum, & ipſa etiam rerum *materies*, ortum ducunt â creatione divina Exod. xx. 11. Nehem. ix. 6. Pſal. cxlvi. 6. Act. iv. 24. & xiv. 15. & xvii. 24. Rom. xi. 36. Col. i. 16. Matth. xxv. 34. Cui 2. fuit, quando omnia hujus mundi *non eſſent* Prov. viii. 22. 23. 24. 25. Pſal. xc. 2. Joh. xvii. 5. Eph. i. 4. Quo etiam 3. vergit tritum ejus: *in principio* Gen. 1. 1. Joh. 1. 1. Matth. xix. 8. Nec de eo ambigit *natura*, *tria* iſta præſupponens: 1. Mundum non potuiſſe *ſeipſum* producere, quod ea ratione *fuiſſet* ſimul & *non* fuiſſet. 2. Quod non potuerit produci *ex alio* tanquam è *materiâ:* recurret enim de materia iſta quæſtio, in infinitum uſque. Neque etiam 3. ab æterno, quod æternitas ſit attributum Dei *incommunicabile*, ut copioſius diximus Cap. præced. Non remanet igitur, niſi creatum à Deo eſſe *ex nihilo* in principio.

Mundi denominatio.

IV. Mundus autem Græcis κόσμος à *munditie*, Hebræis עולם ſeu ab *æterno* fuerit quaſi *occultus* in Deo. Hinc κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Matth. xiii. 35. ſeu quod *in æternum* futurus ſit) cui reſpondet Græcorum αἰὼν Heb. i. 2. variis modis deſignatur in Scripturis, quandoque per *cœlum & terram*, quibus aliquando adjicitur *univerſus exercitus* Gen. ii. 1. Nonnunquam & *maria* & *abyſſi* Pſal. cxxxv. 6. Apoc. xiv. 7. nonnunquam *& ſitcum* Hag. ii. 7. aliquando etiam *quicquid in eis eſt* Exod. xx. 11. Pſal. cxlvi. 6. Neh. ix. 6. Jer. ii. 48. Act. iv. 24. Deſignatur item per *cœleſtia*, *terreſtria* & *ſubterranea* Phil. ii. 10.

11. 10. Apoc. v. 3. Atque etiam *varia* designat, potissimum & frequentissimè, *compagem creaturarum*, à quò Philosophis τὰ πᾶν, τὸ ὅλον, dicitur sic Heb. xi. 3. nonnunquam intimam tantum ejus partem, *terram* Matth. xxviii. 18. nonnunquam *homines* in terra 1. Cor. iv. 9. Joh. xii. 19. seu *electos*, Joh. iii. 16. seu *reprobos* Joh. xvii. 9. seu quosvis *promiscue*; nonnunquam rerum *terrenarum* abusum 1. Joh. ii. 15.

Mundi partes seu materia.

V. Nobis hoc loco, sonat *compagem cœli ac terræ*, *omniumque* quæ in eis sunt Act. iv. 24. seu compagem rerum *creatarum*. Qua quidem descriptione, tum partes mundi complectimur, velut ejus materiam; tum partium nexum, ut formam. Partes mundi variè à variis recensentur. Nobis arridet præ cæteris, quam textus monstrat, qua partes sunt, vel *continentes*, cœlum, terra & maria: vel *contentæ* puta creaturæ, tum *immateriales*, Angeli; tum *materiales*, quæ sunt partim *simplices*, elementa; partim *mixtæ*: & hæ, vel *inanimatæ*, ut meteora, mineralia; vel *animatæ*, vita præditæ, vel *vegetativa*, ut arbores, stirpes, herbæ, fructus; vel *sensitiva* ut animalia & pisces; vel *rationalia*, homo: quibus accensenda quævis omnium istorum *accidentia*, & circumstantiæ, locus ac tempus. Quæ tamen non *uno* modo creata existimamus; sunt enim alia creata, ut in eodem *individuo* persistant, ut Angeli, cœli, sydera, elementa: alia, ut *oriantur & intereant*, manente solum specie, ut plantæ, bruta, homines. Alia creata sunt *in seipsis*, alia in suis *causis*, ut meteora, insecta illa, quæ non nisi ex *putredine* nascuntur, ut vermes; vel ex commixtione *specierum*, ut muli, leopardi. Quædam denique *concreari* potius & increari dicuntur, quam *creari* directè; ut accidentia & partes quævis, *locus* item, qui creaturarum *ubi* designat, & *tempus*, quod earundem *quando*. De quibus Physici.

Partium nexus, seu forma mundi.

VI. Istarum partium cohærentia, nexus, unio & ἐνταξία pulcherrima, per quam eisdem cœli & terræ limitibus arctantur; in eundem finem conspirant, sibi invicem inserviunt; est quod *formam* mundi appellamus. Neque enim hîc ullam admittimus communem formam *substantialem*, quæ singulas partes informet: quod mundus non sit *unum* quid *per se*, sed tantum per *aggregationem*, ut respublica, exercitus, acervus; nec partes habeat *continuas*, sed *contiguas*. Neque *animam* quandam mundi communem, pro *forma* admittimus, prout olim, cum Platone Stoici, & nuper Deusingius: quod ab hac anima, *animal* fieret mundus, ut homo & brutum, & sic *duplici* anima formaretur unus homo, *communi* hujus mundi, & sibi *peculiari*. Et multo etiam minus, quod nonnulli volunt, *Deum* ipsum, ut mundi *formam* informantem admittimus, quod ea ratione cum creaturis *unitus*, composito *imperfectior* esset; sed & *quidvis*, partim *Deus* esset, partim *creatura*.

Mundus unus tantum est.

VII. Ex isto partium nexu, *unus* resultat mundus. Quamvis enim *plurimos* dari *posse* mundos, seu per interiectum nudum *spatium*; seu per aliquid omnibus *heterogeneum*, diversos, nullus dubitem, eo quod, non tantum Deus sit *omnipotens*; sed etiam, quod nullam omnino *contradictionem* involat; vel ex parte *Dei*; vel ex parte *sui*: attamen *actu* plures existere, *simul*, vel exstitisse, vel exstituros per *successionem*, ut cum quibusdam Philosophis antiquis, Judæi somniant, non credimus. Non tantum, quod in *natura* nullam inveniamus rationem cogentem, quæ id prohibeat (ea enim quæ *extra* hunc mundum sunt & aguntur, non aliunde, quam divina *revelatione*, innotescere nobis possunt) sed quod Scripturam videamus *reclamare*, quando non tantum *cœlum & terram*, non *cœlos* ac *terras* passim commemorat; sed etiam *unum* tantum mundum, sex dierum spatio, creatum describit, ac præterea nihil creatum tradit Joh. i. 3. Col. i. 6.

Et finitus etiam.

VIII. Perperam igitur istam unitatem, ejus *infinitati*, tum *veteres*, tum *novitii* quidam Philosophi superstruere conantur. Quamvis enim, *quinam* præcise sint mundi fines, ignoremus Jes. xl. 12. & hactenus *indefinitus*, dici possit; attamen *fines non* habere, nec Scriptura fert 1. Reg. viii. 27. 2. Paral. ii. 6. & vi. 11. Job. xi. 8. 9. Prov. xxx. 4. nec ratio, cui repugnat (a) Dari plura *infinita actu*, seu *perfectione*; seu *mole*: cum & *moles* sit *perfectio*; ac proinde quod est infinitum *mole*, illud etiam infinitum sit perfectione. (b) Esse corpus *naturale* & *non posse* mutari, moveri, augeri, minui. (c) Ex partibus *finitis*, emergere totum *infinitum* actu. (d) Habere partem extra partem, adeoque determinatam *figuram*, & indeterminatam magnitudinem. (e) Habere partes numero *infinitas*, quibus per *absolutam* Dei potentiam, ne unitas quidem *possit adjici*. (f) Ex *infinito*, annihilatione *partis*, *finitum* fieri posse. Ut non addam (g) quod ideam seu conceptum geramus mundi *finiti*, ut (hoc sensu) nec mundum *indefinitum* admittamus, quo nullos mundi fines concipiamus.

Eoque certa figura præditus.

IX. Porro, quia *finitus*, certam habere *figuram*, omnino certum est, licet *quanam* illa sit, *certo* non sciamus, nisi quod Scriptura videatur innuere *sphæricam* Eccl. i. 5. 6. collat. cum Prov. viii. 27. & Jes. xl. 22. Ubi cœlo & terræ, quibus *totus* mundus usitatè in Scripturis designatur, figura *rotunda* tribui videtur; atque insuper *perfectissimo* corpori, perfectissima *figura* competere videatur, quam *sphæricam* Philosophi volunt, quia *capacissima* sit.

Mundus mutabilis.

X. Mundus insuper, quia partibus constat, quæ *componi* potuerunt, ac proinde etiam *dividi* possunt, non tantum *annihilari* à Deo potest, quod omnibus ac singulis ejus partibus, suâ *natura* competit; sed etiam *alterari* & *corrumpi* potest, & cor-

corrumpendus ac deſtruendus etiam eſt Pſal. CII. 27. *Illa peribunt, & tu permanes* 2. Pet. III. 12. 13. Ita tamen, ut remaneat ejus *materia*, & ſingulæ ejus partes, ex *naturæ* lege, tamdiu ſuam *immutabilitatem* tueantur ac conſervent, donec *aliunde* de ſtatu ſuo deturbentur.

Mundus creatus eſt bonus & perfectus.

XI. Interim tamen *bonus* eſt Gen. I. 31. 1. Tim. IV. 4. quoniam non tantum totus congruit, cum *appetitu* ſeu voluntate ſui Creatoris; ſed etiam ſingulæ ejus *partes*, quatenus nec *temere*, nec *fruſtra*; ſed ad certum *uſum* creatæ ſunt; *aptitudinem* quoque ad *uſum iſtum*, bonitate Creatoris obtinent; quin & univerſus mundus, *generalem* finem obtinet, *Dei gloriam*, & ſuſtentationem *hominis* in gloriam Dei, ut ſuo loco docuimus. Hinc etiam *perfectus* eſt, quatenus nihil, quod ex *intentione & idea* ſui Creatoris ſibi competit, in eo *deſideratur*, licet partes quædam, nobis *imperfectiores* & viliores videantur, à toto *ſeorſim* & comparative conſideratæ; quoniam & illæ, ex ſapientiâ Creatoris, ad perfectionem *univerſi*, ſuum conferunt, quod abſque illis, *imperfectius* exiſteret. Et ſi quæ etiam, hominibus *nocendi* proclivitas, in creaturis quibusdam jam obſervetur, ea à *peccato* potius, quam à *creatione* videtur repetenda. Num autem, *melior* & perfectior creari à Deo *potuerit*; inutiliter quæritur, cum *hic* mundus, non *poſſit* exactius congruere cum voluntate ſui Creatoris quam *congruit*, in quo univerſa ejus conſiſtit *perfectio*. Quamvis & ipſe mundus totus, & ſingulæ ejus partes, *in ſe* conſideratæ, *perfectiores* omnino creari potuiſſent, ſi Creatori ita fuiſſet viſum.

Mundus ſex diebus creatus quomodo?

XII. Tandem, hunc mundum creatum dicimus ſpatio ſex dierum, non equidem *integrorum*, ut integras 24. horas, *ſingulis diebus* creationi impenderit: illud enim nullibi inſinuat Scriptura, quin potius contrarium, quando juſſu *eſto*, *fiat*, ſingulis diebus, ſtatim exſtiterint opera producenda Pſal. XXXIII. 9. *Quoniam ipſe dixit & fuit: ipſe præcepit & exiſtitit*: ſed quod *momenta* iſtius juſſionis, per 24. horarum ſpatium, à ſe invicem *deſiterint*. Saltem non *omnem* creationem, *unico* momento Deum exegiſſe, prout Auguſtinus, & multi veterum cum recentioribus nonnullis voluerunt, in narratione Moſaica allegorias fingentes, ſeducti à Syracide Cap. XVIII. 1. qui Deum omnia κοινῇ, quod vulgatæ editioni eſt *ſimul*, condidiſſe dixit. Cui *ſex dies*, moſaicæ narrationis, manifeſte repugnant, quando teſtatur, terram primo fuiſſe *inanem*, tum ab aquis ſeparatam, quod in *unum* momentum quadrare non poteſt. Nec eos juvat Syracidis κοινῇ. Præterquam enim quod Apocryphus ſit; non de *tempore* præciſe intelligi debet; ſed de creaturarum omnium *collectione*, intelligi poteſt, quæ pariter & communiter à Deo ſint oriundæ, prout fit Pſal. XLIX. 11. Quibus autem rationibus Deus, ſex præcisè creationi impenderit; jam ante in *exegeticis*, ex parte indigitavimus, quibus impræſens adjicimus, factum hoc, ut ſapientiam ſuam, per partes quaſi explicaret, tum ut univerſum mundum, prout ſub manibus creantis verſatus eſt, ſingulæque ejus partes, in hanc ſcenam prodierint, ſuo ordine, nobis ob oculos poneret, inque amœniſſimo hoc ſpectaculo diutius detineret, & tandem, à creatione *naturali* ad ſpiritualem, quaſi manu duceret. Scil. ut in naturali ab *imperfectiori* ad *perfectius*, ſaltem quoad materialia, progreſſum plerumque fecit: ita in *ſpirituali*, ſemper ad perfectiora, gradatim eniti. 2. Cor. IV. 6.

Mundus univerſus creatus propter hominem.

XIII. Addamus mundum, & quæ intra ſex dierum ſpatium creata ſunt, *propter hominem*, ſexto die creandum, condita eſſe Gen. I. 28. Pſal. VIII. 4. 7. & CXV. 16. Matth. XXV. 34. Hoſ. II. 21. 22. 1. Cor. III. 21. 22. 23. Scil. ut *per hominem* demum, Creator *gloriam* obtineret creationis, & creaturarum ἀλόγων, quam propterea veluti ſuum *quæſtorem* in mundo conſtituit, in cujus *ſinum* omnes reliquæ creaturæ, acceptam à Creatore bonitatem, tanquam ſuum *talentum*, ſeu *immediate*, ſeu per varias *ambages* congererent; ab eo, gratiarum actione *glorificationeque*, ſupremo Domino, quaſi in *rationes* referendam, reſtituendamque: adeo ut *fruſtra* & in vanum fuiſſent, citra hominem, omnes creaturæ. Omnia inquam & ſingula, *propter* hominem creata ſunt, partim ut ei *habitaculum* præſtarent, ita cœlum & terra, illud *olim*, hoc *impræſens*; partim *oblectamentum*, omnis ſcil. rerum *varietas* & pulchritudo; partim *nutrimentum*, unde *cœli* dicuntur *exaudire terram*, *terra muſtum & oleum*, & hæc tandem *Jiſreelem* Hoſ. II. 22. partim *adjumentum*, quo *Angelorum* ſpectat miniſterium Heb. I. 14. omnia denique *incitamentum* ad glorificandum Creatorem. Sic tamen, & mundus & *omnia*, intelliguntur creata *propter* hominem, ut nihilominus, & *homo* & *omnia*, ſint propter Deum Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An ſingulis diebus 24. integras horas creationi impenderit?

XIV. Pro elencho hujus Capitis, recurrunt pleræque controverſiæ Capitis præcedentis, quibus, velut huic theoremati magis peculiares, adjicimus quæſtiones Philoſophico-Theologicas, cum Carteſio & Carteſianis alibi ex profeſſo diſcuſſas. Videl. *primò*, an ſingulis diebus, ſaltem quinque poſtremis, Deus integras 24. horas creationi impenderit? Auguſtinus cum pluribus Veterum, & quibusdam modernis, ſtatuebat, quod Deus univerſæ creationi, & primi tantum diei operibus nominatim, non niſi *unicum* momentum impenderit, reliquorum autem dierum operibus, non niſi *exornationem* impenderit, hoc uno deceptus, quod *creatio* omnem materiæ præſentiam excluſerit, pro-

proinde cum dierum quinque ſequiorum opera, habuerint præexiſtentem quandam materiam; & ex eo, nihil propriè produxerit ex nihilo: eis quoque diebus proprie *nihil* creaſſe. Quem refellit exſerte hiſtoria Sacra, quando non tantum *ſex diebus* feciſſe dicit Exod. xx. 11. omnia; ſed ſingulatim diebus ſequioribus addicit τὸ ברא *creare*, ſic Gen. 1. 21. 27. Atque etiam res ipſa; licet enim dierum ſequiorum opera, præhabuerint *materiam* aliquam, primo die *ex nihilo* productam; habuerunt tamen materiam *informem* ἄμορφον, h. e. talem, quæ deſtituta erat, omnibus illis *formis ſubſtantialibus*, quæ ſequioribus ei introducendæ erant, quæ in potentiâ materiæ illius, nullo modo latebant, ac proinde *ex nihilo* producendæ erant, & ſic etiam ſequioribus illis proprie *creavit*. Ut non addam, Deum primi diei operibus, cœlo, terræ, materiæ informi, luci, non *unum* tantum momentum; ſed totidem impendiſſe. Carteſiani, quo commodius ſibi accidat explicare, ſuam mundi fabricationem, quaſi *mechanicam*, quæ productæ ex nihilo *materiæ ſubtili*, motum introduxerit, qui ſucceſſu, viginti quatuor horarum ſpatio, ſua ſponte excluſerit omnia hujus mundi phænomena; exiſtimant viginti quatuor horas, huic negotio fuiſſe convenientes: interim largiuntur primi diei operibus, *unum* momentum, aut pauca ſaltem aliqua conſecraſſe. Reformati adverſus Auguſtinum ejuſque aſſeclas, ſtatuunt per ſingulos dies, vere & proprie Deum *creaſſe*, & adverſus Carteſianos, ſingulorum dierum operibus, *unum* tantum momentum, aut paucula ſaltem impendiſſe, eo quod: 1. merò *juſſu*, ſeu *nutu* voluntatis, ſingula produxerit Pſ. xxxiii. 9. Quod 2. Carteſianorum mundi fabrica *mechanica* nullum habeat fundamentum, ſeu in *Scriptura*, ſeu in *natura*; ſed in mera tantum Carteſii imaginatione. Quod 3. agnoſcant, primi diei opera, momento, aut momentis aliquot, fuiſſe excluſa, nec ratio ſit, ob quam non reliquorum dierum opera, eodem modo produxerit. Quod 4. formæ iſtæ ſubſtantiales (licet eas abſque ulla idonea ratione negent) quæ poſterioribus creationis diebus productæ ſunt, cum non eſſent in potentia *informis* materiæ; neceſſario ex nihilo creandæ fuerint, &, ipſis Carteſianis agnoſcentibus, tranſitus à non eſſe ad eſſe, non fiat, niſi in momento, quod alias *eſſet* partim, partim *non eſſet*. Non addam 5. Quod ex ipſis Carteſianorum hypotheſibus, idea corporis & extenſi, non patiatur illud per partes, ſeu varia momenta, creatum eſſe, & formæ iſtæ *ſubſtantiales*, ſequioribus diebus productæ, ſane ſint *materiales*. Nec valet in contrarium: Quod aliàs A. pro eo quod die ſeptimo *quieviſſe* dicitur, ſingulis diebus poſt momentum illud creationis, Deus *quieviſſet*. Reſp. (1) Non magis, quam *primo* die, poſt momentum illud, quod Adverſarii agnoſcunt, *quievit*. (2) Deus non *quievit*, antequam à novis ſpeciebus condendis ſubſiſtit, quod non ante *ſeptimum* diem factum eſt. Quod B. Non opus aliàs fuiſſet *ſex* dies impendere creationi, ſed *aliquot momenta*, uniushoræ ſpatio. Reſp. *Potuiſſet* equidem *unico* momento, totum mundum produxiſſe; ſed viſum Creatori *aliquot momenta*, ſex diebus diſtantia, ei impendere, quæ Creatoris *voluntas* nobis, pro ratione ſufficit. Quod C. Separatio aquarum per motum *ſucceſſive* facta, formatio Evæ, adductio animalium ad Adamum, procul dubio, plus quam *unum* momentum exegerint. Reſp. Exegerint, ſi ita videtur, *aliquot* momenta; non tamen *ſingulis* diebus, ſtatim 24. integras horas creationi Deus impendit. Et *primi* diei opera, quæ ſecundum Carteſianos, momento producta fuerunt, cœlum, terra, lux, chaos, eodem fundamento, plura exigebant momenta. Conf. *Grangræn. Carteſ.* Sect. 11. Cap. xix. §. 7--12.

XV. *Secundò*, an Deus, mundum creando, *ſubtilem* tantum materiam, ex *nihilo* produxerit, ei *motum* contulerit, ac per *ſex* creationis dies continuaverit, qui ſucceſſive, per ſex iſtos dies, omnes partes mundi, ejuſque ſpecies & individua excluſerit? *Affirmant* Carteſiani; *negant* Orthodoxi. Negat 1. *Hiſtoria* creationis Gen. 1. quando ſingulorum dierum opera, *creata* narrat *immediatè*, à Deo per *eſto*, fiat, non autem mediante *motu*. Negat 2. *David* Pſ. xxxiii. 9. *quando* ad juſſum Dei, *ſtatim* exſtitiſſe creanda tradit: *ipſe dixit & fuit*: *ipſe præcepit & exſtitit*. Negat 3. *ratio*, quod ex hac hypotheſi, non tam *Deus* quam *motus* creaverit, *poſterioribus* ſaltem diebus. Quod 4. hac ratione, quinque poſterioribus diebus, ſit abroganda *creatio*, eo quod, his diebus, nihil productum fuerit *ex nihilo*, cui conſtanter Scriptura obloquitur, quoties creationis ἑξαήμερον tradit. Nec ullam adverſarii adducunt rationem, præter *falſam* Carteſii *hypotheſin*, quam ipſe ita appellat *Princ.* III. §. 47. in *Lemmate Marg.* item §. 45. *Diſſ. de Method.* Pag. 41. Et quod *conſervatio*, idem ſit cum *creatione*, ac conſequenter Deus, *conſervando motum*, per quinque poſteriores dies, *creaverit*. Sed inauditum hactenus, Deum per *conſervationem* creare; ſic & etiamnum motum conſervat, adeoque perinde *crearet* ac olim; tum denique *creatio* & *conſervatio*, in ſenſu ſaltem *formali*, non magis idem ſunt, quam *creatio* & *reprobatio*; proinde non magis rectè diceres, Deum per *conſervationem creare*, quam per *reprobationem*. Conf. *Gangræn. Carteſ.* Sect. 1. xix. §. 13--16.

2. An producendo ſubtilem materiam ei-que indendo motum, & conſervando, Deus per quinque poſteriores dies creaverit?

XVI. *Tertiò*, an mundus poſſit eſſe infinitus mole, ſitque ideo *indefinitus*, quod nos non poſſimus concipere, eum *terminos* habere? Carteſiani, quia ſtatuunt, id omne cujus habemus ideam, ſeu quod clare & diſtincte concipimus; dari in re-

3. An mundus poſſit eſſe indefinitus mole?

rum natura: tum etiam existimant, se habere ideam talis spatii, cujus non possint concipere majus: existimant, spatium istud infinitum esse posse, adeoque & mundum infinitum esse posse, si non *perfectione*, saltem *mole* & quantitate: cum præsertim *spatium* sit verum corpus, utpote trina dimensione præditum; & hoc demum sensu mundum indefinitum ajunt. Reformati, quamvis agnoscant, ipsum *indefinitum* dici posse, quatenus non possimus definire, *quinam* sint mundi fines; negant tamen indefinitum dici debere, quod nesciamus, eum terminos ullos habere: Quia: 1. infinitas quævis sit inter attributa Dei *incommunicabilia*, & quod infinitum *mole*: id infinitum quoque esse in *perfectione* aliqua, id infinitum esse *perfectione*. 2. Quod, ex omnipotentia divina, Deus semper possit aliquam adjicere quantitatem. 3. Quod spatium illud, quod concipimus extra hunc mundum, non sit verum aliquod *ens*, multo minus *corpus*; sed tantum *ubi*, in quo possit existere corpus creabile: ac proinde, 4. quod trina dimensio, non competat *spatio contenenti*; sed corpori *contento*, vel in eo creabili. Nec pro eis valet, Quod 1. Jer. xxxi. 37. dicatur, *cœlos non posse mensurari superne*. Resp. A. *nobis*, & ab intellectu *nostro*. Quod. 2. *spatium* illud, quod extra cœlos est *immensum* concipimus, revera sit *trina dimensione* præditum, adeoque corpus. Resp. Hoc negatur, quod sic, dum *corpus existit in spatio*, corpus existeret in corpore, quod repugnat nostris ideis. Nec *spatio* continenti, competunt *trinæ* illæ dimensiones; sed *corpori* quod in eo continetur: proinde si nullum insit corpus, nullæ etiam dimensiones aderunt. Quare illud *spatium*, quod est *extra* cœlos, revera non est *ens* aliquod; sed tantum *ubi*, in quo Deus potest collocare corpus. Conf. *Gangræn. Cartes.* Cap. xx. §. 3.-19.

4. An possint creari plures mundi?

XVII. *Quarto*; an plures mundi dari possint? Dari *successive* plures mundos, statuunt Judæi Caballistæ, & ex litera ב quæ hujus mundi creationem inchoat Gen. 1. 1. conficiunt, hunc nostrum esse secundum mundum, quem Deus creaverit: sed argumento caballistico h. e. nugatorio. Epicurus, Metrodorus, & communiter Philosophi, innumeros mundos fingunt, absque revelatione, absque ratione. Cartesius cum suis, sic unum statuit, ut & plures esse *posse* negent. Reformati, *unum* tantum agnoscunt, quod Scriptura, cujus solius ope, hoc nobis innotescere deberet; plures non numeret: interim tamen plures esse *posse* affirmant; quia Deus est *omnipotens*: ac nullam involvit *contradictionem* vel ex parte *Dei*, vel ex parte *rei*: cum præsertim, Deus possit citra dubium creare mundum, *partibus* essentialibus, ab hoc mundo diversum: ut non addam, Deum posse *annihilato* huic mundo, mundum *substituere*, ergo eadem quoque virtute, eidem, mundum *adjicere*. Nec valet pro Cartesianis, quod implicet contradictionem ex parte *ipsius rei*, mundus multiplex, quia: 1. mundus à nobis concipiatur ut *infinitus*. Resp. Hoc falsum est. Quia. 2. *plures* isti mundi, nec per *nihil* à se invicem distare possent; sic enim *unum* efficerent: nec per *aliquid*, per illud enim conjungerentur, & *unum* fierent. Resp. (1) Differre possent per *spatium*, quod non esse *corpus*, dudum demonstravimus. (2) Differre posse per interjectum aliquod *ens*, utrique mundo distanti, *heterogeneum*. Quia 3. Mundus hic sit τὸ πᾶν, *universum*. Resp. Non *simpliciter*; ita enim, & Deus esset *pars* mundi, utpote qui hoc modo, intra τὸ πᾶν comprehenditur; sed est τὸ πᾶν, rerum quæ creatæ *sunt*, non autem earum, quæ creari *possunt*. Conf. *Gangræn. Cartes.* Cap. xx. §. 19-22.

5. An mundus & omnia ejus creata propter hominem?

XVIII. *Quinto* an mundus *omniaque* ejus contenta, si non propter *solum* hominem, saltem *propter ipsum* sint creata? Affirmant hactenus omnes Christiani, cum Scripturis & naturâ, ut supra §. sint cre- xiii. docuimus. Negat Cartesius cum suis: quod 1. Per *immensam* seu indefinitam mundi magnitudinem, multo maxima creaturarum pars, homini lateat. Resp. (1) *Infinitam* mundi magnitudinem, dudum explosimus. (2) Scriptura *universam* mundi magnitudinem, intellectui nostro satis commode repræsentat, distributione cœli, terræ, marium & quæcunque in his continentur, & singula horum hominibus passim addicit. (3) Et quæ non *perspiciuntur* ab hominibus, ea nihilominus à Deo in ejus *usum* dirigi possunt, sicut quæ infanti latent, à Patre in usum ejus, dirigi possunt. Quod 2. Spectet ad φιλαυτίαν & superbiam, cogitare omnia *propter se* creata esse. Resp. (1) Non magis, quam quod Deus *Filium suum proprium* & unigenitum hominibus dedit, quin in mortem, & maledictam mortem dedit. (2) Imo facit ad *gratitudinem*, ac *amorem* versus Creatorem: quin & ad *modestiam* & humilitatem, versus seipsum cogitare: *Quid est homo, & quid filius hominis, quod visites eum? Omnia posuisti sub pedibus ejus* Psalm. viii. 5. 7. Conf. Gangræn. *Cartes.* Cap. xix. §. 22-25.

6. Quid statuendum, de systemate mundi?

XIX. *Sexto* quæritur, quid statuendum de systemate mundi? Cartesiani, suis hypothesibus servientes, Mundum in tres ingentes plagas, & veluti cœlos dispescunt. Quorum 1. sit cœlum primum, sive hoc nostrum, in cujus medio Sol stet immotus, & circa quem agantur Mercurius, Venus, Terra cum satellite Luna, Mars, Jupiter, cum quatuor suis comitibus, & Saturnus. 2. Secundum cœlum, in innumerabiles orbes ac vortices dividunt, qui circumrotentur à stellis fixis. 3. Quicquid supra duos istos cœlos, longe ab aspectu nostro reperitur, pro cœlo tertio habendum esse, quod, an cum cœlo tertio, ita in Scriptura dicto, h. e. cum cœlo beatorum, idem sit, se non

non posse determinare ajunt. Reformati, ex scripturis, ita determinant systema mundi, ut primam ac supremam ejus partem, tribuant cœlo *empyræo*, quod Dei & beatorum Angelorum, pariter & hominum sit habitaculum, quodque hinc cœlum *tertium*, item *paradisus*, appellatur 2. Cor. XII. 2. 4. item *cœlum cœlorum* 1. Reg. VIII. 27. Huic subjungunt, cœlum *æthereum*, cui insint astra, & Sol rotatus circa terram Jes. X. 12. 13. Psal. XIX. 5. 6. 7. itemque lunam Jos. X. 12. *infimum* locum relinquunt *terræ*, quæ perpetuo Scripturæ tenore, cœlis & astris contradistinguitur, quæ velut centrum hujus universi, immota stet Eccl. I. 4. Cartesiani, pro suo systemate nihil omnino conantur ex *Scriptura*, nec ex *natura*, nisi quod phænomenis & experientiæ satisfaciat, id quod de systemate Scripturæ verius ac solidius affirmare licet, & cum quo, *sensus* Christianorum communis, hactenus collusit. Si adjiciant Cartesiani, nostrum systema, varias difficultates implicare, nec unum incommodum. Resp. Deus ista expediet, & qui systema Tychonianum tuentur, dudum expedierunt.

Pars Practica.

Contemplatio hujus mundi suadet. 1. Agnitionem & glorificationem Creatoris.

XIX. Quantum ad *praxin*, recurrunt hîc, mutandis mutatis, plerique, usus Capitis præcedentis. Sed *primò* ex consideratione mundi, tanti scil ac talis ædificii, & artificiosissimo ejus construendi modo, egregie invalescit *agnitio* & *gloria* Creatoris. Singulatim: 1. Gloria *potentiæ* infinitæ Rom. I. 20. quâ *tantæ* molis opus, ac tantum *non infinitum*, tanta copia *variegatum*; solo *jussu*, neglecto quorumvis *cooperatorum* instrumentorumque usu, absque omni præjacente *materia* idonea, intra paucula *momenta*, excludere potuerit. 2. Gloria *sapientiæ* imperveſtigabilis Ps. CIV. 24. quâ tantæ *varietatis*, atque etiam *contrarietatis* partes, tam affabre potuit *conciliare* & coagmentare. 3. Gloria inexhaustæ *bonitatis*, quâ in tot creaturas, sibique etiam *contrarias*, tot modis, suam Deus potuerit profundere *bonitatem*, ut non tantum *terra*, passim dicatur *plena bonitate* divinâ Ps. XXIIII. 5. & CXIX. 64. Sed eadem etiam ad *nubes* usque pertingere Ps. XXXVI. 6. imo ad *cœlos* Ps. LVII. 11. Qui singulis insuper, suos *usus* assignavit, pariter & *aptitudinem* ad illos contulit. 4. Gloria constantiæ & *immutabilitatis*; quâ tantum ædificium, partibus sibi invicem tam *infestis* integrum, adeo consignavit, ut nihilominus *immotum* & immutabile perstet.

2. Gratitudinem erga Creatorem, qui in gratiam

XXI. Sed *secundò*, peculiariter *homini*, hujus mundi structura argumentum suppeditat, *tum* gratitudinis, *amoris* & cultus versus structorem, qui nobis instruxit tam *magnificum* hospitium, illud exornavit tot ac tam splendidis *utensilibus*, nobis prospexit quovis apparatu, tam ad *nutrimentum*, quam ad *oblectamentum*, nos stipavit q. satellitio *Angelorum*, adornavit *domicilium* æternum in cœlis, imo omnia hujus universi *propter nos* condidit. Ut recte Paulus 1. Cor. III. 21. 22. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita sive mors, sive præsentia sive futura, omnia vestra sunt.* Ista omnia nunquid *tanta* sunt, ut gratitudinem, amorem & cultum nobis extorqueant? quo, sicut ipse nobis *dedit omnia*, nos omnia, & in iis *nos ipsos*, reddamus ei, ut *ex eo, per eum & ad eum sint omnia, eique sit gloria in sæcula* Rom. XI. 36. *tum* etiam argumentum suppeditat, *modestiæ* seu ταπεινοφροσύνης, versus *nosmetipsos*, ne ex *munificentia* Creatoris versus nos, & ex *magnificentia* qua nos *gratis* decoravit, inflemur ac *superbiamus*; sed semper cogitemus: *quid habes quod non acceperis? & si accepisti, quid gloriaris?* 1. Cor. IV. 7. Nosque ipsos alloquamur: *Quid est homo, quod recorderis ejus, & Filius hominis, quod visites eum? paulò minorem ipsum fecisti Angelis, gloria ac decore coronasti eum. Dominari fecisti eum operibus manuum tuarum, omnia posuisti sub pedibus ejus.* Omniaque tandem referamus *ad gloriam* Creatoris, exclamando: *Jehova Domine noster, quam grande est nomen tuum in universa terrâ!* Psal. VIII. 2. 7. 8. 9. 10.

homines mundum creavit.

3. Detectationem peccati, quod mundo tantam adduxit deformitatem.

XXII. Interim etiam *tertiò*, seriò *detestemur* peccati *maleficium*, quod tam eleganti *opificio*, cujus statio pulchritudini, utilitati ac bonitati, Deus ipse, suâ benedictione, toties & tam solenniter *applausit* Gen. I. 31. (1) *Maledictionem* adduxit Gen. III. 17. Deut. XXVIII. 15. 16. 17. 18. 19. (2) *Vanitatem* Rom. VIII. 20. Eccl. I. 14. Qua primæva ejus *bonitas*, & hominibus *benefaciendi* aptitudo & proclivitas, quasi *exaruit* & emortua est, adeo ut nec possint, nec velint nobis prodesse. (3) *Servitutem* Rom. VIII. 20. quâ, partim *libidini* hominum pessimorum subjicitur; partim q. pro *libidine*, hominem pristinum Dominum, sibi in *servitutem* rapit. (4) *Vexationem* spiritus Eccl. I. 14. per quam, quæ olim cedebant *in recreationem* & sanctam voluptatem, jam non sunt nisi *molestiæ*, & quasi *spinæ* Matth. XIII. 22. (5) Juratam cum hominibus *inimicitiam*, quâ, non tantum pristinam obsequendi ac serviendi *promptitudinem* exuerunt; sed creaturæ insuper *exitiales* ejus hostes existunt, inque ejus *perniciem* conspirant: nim. *injuriam* Domino suo supremo, per peccatum illatam, sua ista *rebellione* quasi *vindicaturæ*. Hinc *cœlum* aut *æneum* fit Deut. XXVIII. 23. Levit. XXVI. 19. 1. Reg. XVIII. aut plane *æqueum* Gen. VII. 4. *terra lapidea* aut ferrea Deut. XXVIII. 23. aut pro *fructibus*, non nisi *spinas* excludit ac tribulos Gen. III. 17. 18. & sic per omnes creaturas, usque ad Angelos, imo ad homines ipsos, odiis, rixis, bellis, latrociniis, lanienis sibi invicem obnitentibus. Tandem (6) *Corruptionem*, quâ cœli ipsi *veterascunt ut vestimentum* Psalm. CII. 26. 29. imò & dissolventur ac liquescent

scent 2. Pet. III. 12. Ut reverà non sit nisi σχῆμα τοῦ κόσμου 1. Cor. VII. 31. Et universum istud malum, cum creaturæ adsit, non *sponte* Rom. VIII. 20. sed propter *solum* peccatum. Gen. III. 17. Deut. XXVIII. 15. est omnino, quod: A. *peccatum* agnoscamus, deploremus, detestemur. B. Quotiescunque creaturas experimur nobis *inutiles*, noxias, rebelles; ad mentem nobis revocemus, nostram *rebellionem* adversus Deum, utpote quam ulturæ, suum nobis *obsequium recusent*. C. *Fide* & *resipiscentia*, reconciliari conemur cum Creatore, quo & creaturæ nobiscum redeant in gratiam Hos. II. 21. 22. 23. Rom. VIII. 38. Eaque ratione D. Quibusvis mediis in *pristinum*, quod amisimus in creaturas, *dominium* respiremus, puta (1) *Fide* in Christum, cui *omnis potestas data in cœlos & in terram* Matth. XXVIII. 18. quique *hæres omnium* Heb. I. 2. Pf. II. 6. 8. in & cum quo, *omnia donantur* fidelibus Rom. VIII. 32. (2) *Charitate* versus Creatorem, his enim *qui Deum diligunt*, *omnia cooperantur in bonum* Rom. VIII. 28. (3) *Pietate*, utpote quæ promissionem habet *hujus* & *futuræ* vitæ 1. Tim. IV. 8. (4) *Studio*, nos magis magisque *eximendi servituti* creaturarum, ac *transeundi* in *libertatem filiorum Dei* Rom. VIII. 21. *subigendo* creaturas 1. Cor. VI. 12. nulli creaturæ *serviendo* Matth. VI. 24. Ut *omnia* nostra sint, nos solius Dei 1. Cor. III. 21. 22. 23.

4. Fugiamus immoderatum hujus mundi amorem.

XXIII. Proinde *quartò*, nobis solicitè *caveamus* ab *immoderato* hujus mundi *amore* 1. Joh. II. 15. Jac. IV. 4. cujus exemplum præstat Demas 2. Tim. IV. 10. à quo *homines hujus mundi* denominamur, *quorum pars est in hac vita* Psal. XVII. 14. quibus Christiani non debent *conformari* Rom. XII. 1. 2. quin potius *mundo crucifigi* Gal. VI. 14. & à *mundo* se *incontaminatos* servare Jac. I. 27. eoque mundum *vincere* 1. Joh. V. 4. Concludit autem immodicus iste amor: 1. *Nimiam* hujus mundi ac rerum mundanarum *æstimationem*, quâ pro vanitate & inanitate, *plenitudinem* ipsis tribuimus, quâ nobis sufficere possint *ad beatitudinem*. 2. Vehementius *desiderium*, quo nimia *aviditate* quærimus ac sectamur, tanquam sine quibus, non possimus esse *beati*. 3. Suaviorem *delectationem* ex creaturis, & *acquiescentiam* in ipsis, quâ non *utimur* tanquam mediis, sed *fruimur* velut fine nostro supremo. 4. *Nimium* anxium perdendi *metum*, aut perditarum *tristitiam*. Quibus omnibus *cor apponimus*, imo quasi suspendimus, à mundo & *mundanis* Ps. LXII. 11. Cujus excessus indicium certissimum est, in *gradu superlativo*, quo quævis, *Patrem & Matrem*, *plus diligimus* quam Christum Matth. X. 37. *honores* hujus mundi, plus quam Deum Joh. XII. 43. sumus φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. 2. Tim. III. 4. Cui pro remedio opponenda argumenta paragraphi præcedentis.

Hic in quo constat.

5. Sicu-

XXIV. Tandem *quintò*, cum mundum Deus creavit *propter hominem*, & hominem *propter se*; sic *utamur mundo*, *ut non abutamur* 1. Cor. VII. 31. Non *abutamur* inquam: (1) *Possidendo* res mundanas velut *absque Deo* Psal. X. 3. 4. *Non est Deus in omnibus cogitationibus ejus*: quasi *casu*, aut propriis *laboribus*, & absque Deo, illæ nobis obvenerint. Quod est *sacrificare sagenæ suæ*, & *suffire reti suo* Hab. I. 16. (2) *Elevando* ipsas *supra Deum* Matth. X. 37. ut sint nobis quasi *pro Deo* Phil. III. 19. Col. III. 5. vel (3) *Colocando juxta Deum*, ut *pari* saltem affectu studioque, eas cum Deo prosequamur, adeoque velut *Deos alienos in conspectu ejus*: על פנַי Exod XX. 3. (4) *Opponendo* eas Deo, usurpando nostras opes, honores &c. *contra Deum*, θεομαχοῦντες Act. XXIII. 9. Sicut *Israelita* Deut. XXXII. 15. & sicut *Goliathus*, suo fretus robore, *probris affecit acies Domini* 1. Sam. XVII. 10. Contra *utamur*: A. Omnia & *possidendo* velut *à Deo*, & *capiendo* velut è manu Dei, *qui nobis præbet omnia copiosè ad fruendum* 1. Tim. VI. 17. à quo *omne bonum* Jac. I. 5. 17. B. *collocando infra Deum* ejus creatorem, velut ejus ὑποπόδια Jes. LXVI. 1. nec *servientes* creaturæ παρὰ τὸν κτίσαντα Rom. I. 25. C. *Usurpando propter Deum* Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. ut, per *mundana* ad Deum, per *creaturas* ad Creatorem diducamur, & sic de *turmâ in turmam pergamus*, *donec tandem ad Deum in Sion pertingamus* Psalm. LXXXIV. 8. Tandem D. *dirigendo* omnia ad Deum Rom. XI. 36. ut habeamus *pro Deo*, hoc est, ut ejus *honori*, regno ac voluntati inserviant, proque ejus lubitu, *stent cadantque*. Et sic *asinam* nostram, cum *pullis* Christo ac Deo Creatori adducamus, nostraque *pallia* eis imponamus, tum demum Christum collocemus *supra ea* Matth. XXI. 7. Et hoc tandem est, mundo & mundanis, *non abuti*; sed uti.

tamur mundo, ut non abutamur.

Abusus.

Usus.

THEOREMA SECUNDUM.

De Cœlis.

Pars dogmatica.

XXV. A toto ad partes, methodo analyticâ progredimur, & primo quidem ad partem ejus extimam, ad *cœlos*, quos *primùm* à Deo creatos, textus commemorat, & cum eo passim S. Scriptura Gen. I. 1. & II. 1. Psal. VIII. 4. & XXXIII. 6. & alibi infinitis locis: imo & *natura* tradit. Cum enim nihil *seipsum* produxisse, nihil item ab *æterno* existere posse, & mundum universum à Deo *creatum*, jam ante demonstraverimus: non relinquitur, ob quod sanus, ullo jure possit dubitare, *cœlos* omnes esse creatos.

Cœlos à Deo creatos esse demonstratur.

XXIV. Id quod non, de hoc tantum aut illo

Cœlo-

cœlo

rum naturalium causæ.

cælo est capiendum; sed de *omnibus*, docente Psalmo XXXIII. 6. *Cœli creati sunt, & omnes exercitus eorum.* Sunt enim *plures* cœli, sunt *naturales* quos ita dicam, est & *supranaturale.* Ut *tres* omnino cœlos Scriptura commemoret, scil. 1. Cœlum *aëreum*, à quo *volucres cœli*, passim dicuntur Matth. VI. 26. quod à Mose *expansum* dicitur Gen. 1. 6. de quo, in explicatione ἐξαημέρου, plura habuimus. Est 2. cœlum *æthereum*, in quo existunt sydera Gen. XV. 5. *Suspice cœlum & numera stellas.* Quo illam intelligimus mundi *plagam*, quæ à Luna, per varios errantium & fixarum stellarum orbes, ascendit usque ad cœlum *tertium* seu empyreum. Quod *ex nihilo* creavit Deus triunus Psal. XXXIII. 6. *extendendo* illud *velut cortinam* Psal. CIV. 2. Ejus *materiam*, è quâ constat, sit ne *elementaria*, ac sublunaribus homogenea, an heterogenea, quia Scriptura non explicat, nec, propter nimiam distantiam, aliunde sciri potest, nos *ignorare* fatemur: & multo magis *formam* ejus *informantem*, ut temere ex motu ejus regulari, *animam* quandam, & temerius etiam *rationalem*, eis assignaverint nonnulli Philosophi; aut cum Aristotele, singulis orbibus, singulas intelligentias, quasi pro formis *assistentibus*, astrinxerint: cum motus ille à sua *forma*, ceu *intrinseco* principio, oriatur, à quo Sol *prodire* dicitur, velut è *thalamo* suo, ac *decurrere* pensum suum Psal. XIX. 6. 7. Quantum ad fines, *supernaturalis* quidem, Dei est *gloria* Psal. XIX. 1. De qua in practicis: *naturales* sunt A. sua virtute ac motu, temporum ac tempestatum *periodos* efformare. B. suo lumine, calore, influxu, circumrotatione; *sublunaria* movere, sustentare, unum ex alio procreare. C. *Hospitium* præstare volucribus ac meteoris, quod est cœli *aërei*: astris, quod est cœli *ætherei*: sicut Deo ac cœlitibus, præstat *empyreum.*

Eorumdem affectiones. 1. Magnitudo.

XXVI. Inter affectiones hujus cœli, *prima* est, tantum *non infinita*, nobis saltem *ineffabilis* ejus *magnitudo.* Quis enim (ut nihil dicam de cœlo *empyreo*, cujus magnitudo multo major est) emetiri aut effari possit, milliarium myriades, quas præstat ejus peripheria? Quam vastæ magnitudinis est globus noster *terrestris?* & quid ille tandem cum *cœlis* collatus? vix quod domuncula, globo terrestri. Sunt qui supputant 180000. *milliaria*, à nobis usque ad cœlum *empyreum*, quibus emetiendis, iter requiratur 500. *annorum*, & hæc tantum *dimidia* pars esset *diametri*, usque ad cœlum empyreum. Quicquid sit, non abs re stupet Eliphas Job. XXII. 12. *Nonne Deus est in sublimitate cœli? aspice extremum stellæ, ut excelsæ sint.*

2. Figura.

XXVII. *Secunda*, ejus *figura* perfectè *rotunda*, quam colligimus ex nostræ telluris *analoga* figura, circa quam cœlos rotari conspicimus; tum ex eo, quod astra, motu peracto, ad eundem locum revertantur. Quamvis, fateor, hinc minus certo possis colligere, *extimam* cœli figuram, nisi quod *perfectissimo* corpori, perfectissima videatur congruere figura Conf. Prov. VIII. 27.

3. Motus.

XXVIII. *Tertia*, *motus* velocissimus, tantus scil. ut vel *cogitatione*, non possis persequi; tribuunt enim *Soli*, qui *medius* tantum consistit inter planetas, & intra 24. horas circa nostrum orbem rotatur, singulis horis 1160000. itineris *milliaria*, adeo ut nunnulli penitus *incredibile* existiment, ac, vel invitis Scripturis, malint statuere *terram* circa Solem rotari, quam *Solem* circa terras: jam quid non dixerim de motu planetarum *superiorum*, ac de motu *primi mobilis*, cui ex calculo quorundam Astronomorum, per horas quadraginta *duæ* milliarium *myriades* competunt. Verùm, nos ista Philosophis, naturæ rusparoribus relinquimus.

Cœli empyrei variæ denominationes.

XXIX. Ad Scripturam, & ad nos ex Scriptura, propius spectat *tertii* cœli consideratio, quod *Sanctum Sanctorum*, ædis Salomonicæ *figuram*, non incommode refert, sicut interiores cœli, *atrium* ac *sanctum* repræsentant. Hoc, quoniam Philosophis, ac sensibus nostris externis, quin & rationi nostræ, (eo quod nullas, in hæc nostra inferiora, eliciat operationes, ex quibus ejus existentia confici possit) *inaccessum* est; *metaphoricis* denominationibus, tanto frequentius repræsentari à Scriptura consuevit: appellatur enim ratione inferiorum *tertium cœlum* 2. Cor. XII. 2. *Cœlum cœlorum*, seu supremum ac præstantissimum 1. Reg. VIII. 27. *Paradysus*, ab amœnitate Luc. XXIII. 43. *Thronus Dei*, à majestate Dei, ibidem ὑπερόχως conspicuâ Jes. LXVI. 1. *Cœlestis Hierosolyma*, à sanctitate eminentissima Heb. XII. 22. & ab eadem, *mons sanctitatis* divinæ Psal. XV. 1. *Domus Patris* Joh. XIV. 2. quod Pater Christi ac noster, peculiariter sit *in cœlis* Matth. VI. 9. Domus ἀχειροποίητος, αἰώνιος ἐν οὐρανοῖς 2. Cor. V. 1. *Civitas quæ fundamentum habet* Heb. XI. 10. *Patria cœlestis*, *sinus Abrahæ* Luc. XVI. 23. & complures aliæ, quibus junctim nobis utcunque repræsentatur, esse hoc cœlum, *sanctitatis divinæ habitaculum*, *repletum omnibus quæ pertinere possint ad beatitudinem æternam*, *ubi se conspiciendam præbeat majestas divina*, *quasi de facie ad faciem.*

Causæ hujus cœli.

XXX. Hujus *apparator*, τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, peculiariter *Deus* celebratur Heb. XI. 10. Ut non credas, fuisse hoc cœlum ab *æterno*, prout cum Socinianis, Augustinus Steuchus *Eugubinus*, aut etiam ipsum esse *Deum* (quamvis Metonymiâ *continentis*, aliquando usurpetur pro ipso *Deo* Luc. XV. 18.) absurdum enim est, τεχνίτην καὶ δημιουργὸν appellare *sui ipsius*; aut ejus, quod ab *æterno* sibi coexstitit: cum præsertim alibi appelletur *ædificium*, *à Deo non manibus factum* 2. Cor. V. 1. Quantum ad *materiam* ex qua constat, sunt qui cre-

credunt, non esse nisi *lucem* illam *inaccessam* de quâ 1. Tim. VI. 16. aut ἀπαύγασμα quoddam τῆς δόξης, seu lumen emanans ab essentia divina. Quod propterea non admittimus, quia non tantum *solus* Dei Filius, ἀπαύγασμα τῆς δόξης appellatur Heb. I. 3. sed etiam, *omne* id, quod hoc modo à Deo *emanat*; ipsa necessario sit Dei *essentia*. Ad veritatem propius accedere videtur, quod non sit *spirituale* quid, cum & recipiendis olim *corporibus* sit destinatum: saltem est *excellentissima* materiæ, quæ ab hominibus cogitari potest: quamobrem *cœlestis* illa Hierosolyma, quæ è cœlo descendit, aureis plateis, gemmeis portis & quibusvis *præstantissimis* repræsentatur Apoc. XXI. E quo una opera *formam* ejus, supra quam hîc cogitari potest, elegantem, intelligimus, si modo, quod *oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit*, dicere aut balbutire possumus. Struit autem Deus *ad hoc*: 1. Ut gloriæ suæ *habitaculum* præberet, unde *thronus* ejus dicitur Jes. LXVI. 1. ubi suam *gloriam*, modo *ineffabili*, beatis cœlitibus, Angelis & hominibus, conspicuam faceret. 2. Ut Filio suo, post victos suos nostrosque hostes, quasi currum *triumphalem* præstaret, ubi ad *dextram throni majestatis in excelsis* sederet, indeque reverteretur ad judicandum vivos & mortuos Eph. IV. 8. Col. II. 15. Phil. II. 9. Tandem 3. ut piis post peregrinationem, æterni *domicilii*; post labores *quietis*; post luctam ac victoriam, *triumphi locum* præberet 2. Cor. V. 1. Matth. XXV. 34.

Affectiones hujus cœli.

XXXI. Est porro hoc *cœlum*, locus (1) *Amplissimus*, unde *magna* civitas dicitur Johanni Apoc. XXI. 10. Cujus *magnus* & *sublimis murus*, & portæ *duodecim*, quam, ubi mensus esset Angelus calamo aureo, deprehenderit *duodecim stadiorum millium*, numero certo pro *incerto*, sed *amplissimo*, scil. capiendis commodè tot fidelium myriadibus, *parem*, unde multas ei tribuit Servator *mansiones* Joh. XIV. 2. (2) *Splendidissimus* à quo ὅλυμπος q. ὅλος λαμπρὸς *totus splendens* dici possit, usque adeo ut non indigeat civitas Dei *Sole*, Luna aut astris; sed *gloria* Dei, omne istud suppleat Apoc. XXI. 23. (3) *Incorruptibilis*, non quod corrumpi aut mutari *non possit*; sed quod corrumpi nunquam *debeat:* à quo domus ἀχειροποίητος, καὶ αἰώνιος dicitur 2. Cor. V. 1. & *civitas* quæ *fundamentum* habet, scil. immobile Heb. XI. 10. imo fundamenta *duodecim* Apoc. XXI. 14. (quamvis non abnuam, hoc etiam de Ecclesia dici) quin & *aurea* sit: quæ omnia spectant, non tantum ad *gloriam*; sed etiam ἀφθαρσίαν indigitandam, quod in eo *æternùm* simus habituri. Est tandem locus (4) omnis *peccati expers* Apoc. XXI. 27. omnis item *miseriæ*, morbi, paupertatis, persecutionis Apoc. XXI. 4. contra omni *gloria* ac felicitate repletus Psal. XVI. 11. est locus *requiei* ab omni nostro labore Heb. IV. 9. 10. 11. locus *triumphi* & *coronationis* post pugnam & victoriam 2. Tim. IV. 7. 8. est locus *consummationis* nostræ 1. Cor. XIII. 9. 10.

Cœlo huic opponitur infernus.

XXXII. Opponitur huic cœlo *infernus* (quamvis cum terra, ut videtur, secundo demum die creatus) non tantum *situ*, quatenus, ut illud *extimam* mundi partem; sic hoc *intimam* videtur constituere, indigitante passim Scripturâ Num. XVI. 33. sed etiam *conditione:* sicut enim *illud*, omnis peccati & *miseriæ* diximus expers, & omni *felicitate* consummatum; ita *hunc*, omni felicitate *vacuum*, & omni miseria *refertum*, in Scripturis comperimus. Est præparatus *ab æterno* (Matth. XXV. 41.) impurorum Angelorum pariter & hominum *habitaculo* & *carnificinæ*; *quorum* hinc locus appellatur Act. I. 25. Luc. XVI. 26. 1. Pet. III. 19. 20. 2. Pet. II. 4. Quam *amplus* autem nunc sit infernus, & quanto *spatio*, ab *extima terræ* parte distet, nos quidem ignoramus, quamvis *jam*, capiendis impuris *spiritibus*, parem esse, & *olim* etiam improborum *corporibus* excipiendis futurum, nulli dubitemus 2. Pet. III. 10. 11. Joh. V. 29. Matth. XXV. 41.

Pars Elenchtica

Quæritur:

1. An cœlum empyræum sit creatum?

XXXIII. Cœlis *naturalibus* non adeo moventur controversiæ, nisi quæ motum *syderei* spectant, quas ad opus *quarti* diei seponimus. Quæritur 1. An cœlum empyræum sit creatum? Inter Pontificios Augustinus Steuchus, Eugubinus Episcopus in sua *perenni Philosophia*, negat. Sociniani, ut habeant, non solum Deum esse ab æterno, ac proinde ex *æternitate*, solidum argumentum confici non posse, pro deitate Filii ac Spiritus S., statuunt cœlum empyræum non esse *creatum*. Reformati existimant, quicquid est præter Deum, esse à Deo *creatum*, quia: 1. exserte dicitur, quod Deus *cœlum* perinde ac terram, à principio creaverit Gen. I. 1. Exod. XX. 11. Heb. XI. 10. Psal. XXXIII. 6. & alibi passim. Quia 2. aliàs esset à se, & consequenter Deus, & sic plures Dei. Quia 3. natura tradit, inter Creatorem & creaturam, non dari medium, ac proinde, cum cœlum *hoc*, non sit creator; esse necessariò creaturam. Objiciunt cœlum esse *lucem inaccessam*, quam Deus ab æterno inhabitaverit 1. Tim. VI. 16. Resp. Deum ab æterno habitasse in se, ac proinde *lucem* illam *inaccessam*, non esse nisi ipsum Deum 1. Joh. I. 5. cum vers. 7.

2. An cœlum empyræum sit ubique?

XXXIV. Quæritur 2. An cœlum *empyreum* sit ubique? Ubiquetistæ, qui in gratiam πανταχωσίας corporis Christi, ne scil. ascendens in cœlum, locum mutare cogeretur; existimant, *cœlum empyreum* non esse certum quendam ac determinatum *locum*; sed qui, juxta cum Deo, sit *omnipræsens*

seu

seu ubique, in ipso etiam *inferno*. Brent. De *Majest. Christi*: pag. 160. 161. 162. Quin &, ut huic cœlo commodius patrocinentur, alium errorem huic in subsidium advocant, quando cœlum *Dei* & cœlum *beatorum* distinguunt. Reformati existimant, huic constanter obloqui Scripturam quando: Ut *definitum locum* passim repræsentat, ut *civitatem*, ut *domum*, in qua multæ sint *mansiones* Joh. XIV. 2. Quando 2. passim & à *terrâ* & ab *inferno*, ut *superius* ab *inferioribus* distinguit. Quando 3. Deum dicit habitare in *excelsis*, in altis Psal. CXIII. 4. 5 6. Luc. II. 14. Unde Christus oraturus, oculos *attollit in altum*, & Angeli qui dicuntur *descendere & ascendere* Joh. I. 52. *in cœlo* aspiciunt *faciem* Dei Matth. XVIII. 10. Quando 4. Christum narrat *adscendisse in altum* Eph. IV. 8. 9. 10. *penetrasse Cœlos* Heb. IV. 14. *ingressum in sacrarium* Heb. IX. 24. in *excelsis sedere* Heb. I. 3. & nos quærere jubet ea quæ *supra sunt*, *ubi Christus est* Col. III. 1. Quando 5. nos Christus in domo Patris sui, secum æternum habitaturos docet Joh. XIV. 2. collat. cum Cap. XVII. 24. Ut non addam 6. *absurda* hujus erroris, quod per eum, & *Diaboli*, & ipsi *damnati* erunt in cœlo. Et quæ Brentius, confirmando absurdo errori suo adducit ex Job. I. 6. I. Reg. XXII. 19. Eph. VI. 12. nimis jejuna sunt & misera. Neque Job. I. 6. dicitur, Angelos cum Satana stetisse coram Jehova *in cœlo*; cum & alibi *Seraphim*, dicantur comparuisse coram Jehova in *Templo* Jes. VI. 1. 2. & Adam in *terra* Gen. III. 8. 9. ut & Abrahamus Gen. XVIII. 33. Nec I. Reg. XXII. 19. historia narratur; sed *visio exstatica*. Nec Eph. VI. 12. mali Spiritus dicuntur esse in *coelo* empyreo; sed in cœlo *aëreo*, ipso docente Apostolo Ibid. cap. II. 2.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones discutiuntur.

3. Quod sit indefinitum.

XXXV. Non refellemus eos, qui profitentur se *nescire*, an cœlum empyreum terminos *habeat* nec ne, seu, quod idem est, an *finitum sit*, an *infinitum* id, quod ipsis est, esse *indefinitum*. Ut pote quos dudum, cum *possibili* mundi *infinitate*, ad theorema præcedens ex professo confecimus, quosque, tanquam *ἀυτοκατακρίτους*, expugnat Zophar Job. XI. 8. collat. cum I. Reg. VIII. 27.

Pars Practica.

Praxis hujus theorematis.

1. Invitat ad contemplationem cœlorum naturalium.

XXXVI. Quantum ad praxin, *primò*, cœli *naturales*, nos invitant A. Ad *contemplationem*, quam Deus injungit Abrahamo Gen. XV. 5. *respice cœlum versus*, & sua sponte *præstat* David Psal. VIII. 4. *Cum respicio cœlos*, & urget ipsa natura & *figura* hominis, juxta tritum Poëtæ.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri.

Et commendant suis exemplis ipsi gentiles, quando v. g. Anaxagoras, se *eo natum* prædicat; *ut cœlum videret*, teste Lactant. *Instit.* lib. 3. Et Eudoxus, videndi *Solis*, tanto flagrabat desiderio, ut vel comburi ab eo, non detrectasset. Accedat iniquissimum esse ac *turpissimum*, Deum dignari *creare* cœlos, quos homo dedignetur *contemplari*. Verum, cum non sufficiat *videre* & utcunque *contemplari* cœlos, invitat. B. ad *considerationem* cœlorum, tanquam *opificii* Dei Psal. VIII. 4. Cum respicio *cœlos tuos*, sic ut in *opificio opificem* videamus Deum in *cœlis*, quemadmodum Stephanus Act. VII. 55. *Plenus Spiritu Sancto*, *intentis in cœlum oculis videbat gloriam Dei*. Cujus defectum, in Anaxagora reprehendit Lactantius: quod *omne hominis officium*, *in solis oculis posuerit*, *nihil ad mentem referens*; *sed ad corpus omnia*. Quin C. ita Deum in cœlis videamus, ut *glorificemus*, à quo *coeli* dicuntur *narrare gloriam Dei*, *& opus manuum ejus annunciare firmamentum* Psalm. XIX. 1. Singulatim D. ut cum pio *stupore* contemplemur Psal. VIII. 4. *Cum video cœlos tuos*, *opus digitorum tuorum* (tum, videlicet cum *stupore*, erumpo) *Quid est homo?* Cum *stupore* (a) tantum non *infinitæ* magnitudinis, quam sic Deus efformarit, ut *extenderit velut cortinam*, ut velut *pugillo complectatur*, adeoque superior ei existat, I. Reg. VIII. 27. imo *infinitus* sit (b) Celerrimi *motus*, cui ipse nihilominus coëxistat, *immotus* & æternus Psalm. CII. 26. 27. 28. (c) Splendidissimi *fulgoris*, quem tamen infinitis modis excedat, *fulgor lucis inaccessæ*, quam Deus inhabitat I. Tim. VI. 16. (d) Inexhaustæ *utilitatis*, per quam *cœli exaudiunt terram*, *frumentum*, *mustum & oleum*, quæ nos tandem *exaudiant* Hos. II. 21. 22. ex quâ, *bonitatem* Creatoris conferentis conficiamus Psal. VIII. 5. Hinc E. *Creatorem* cœlorum, supra ipsos cœlos, *diligamus*, inque eo acquiescamus, ut cum Assapho Psal. LXXIII. 25. 28. *Quis mihi in cœlo? præter te non delector re quavis in terrâ* Rom. I. 25. Interim etiam F. *revereamur* ac metuamus eum, cui *cœlum* est pro *throno*. Jes. LXVI. 1. Psal. XXXIII. 6. 8. Atque insuper G. ei *obediamus*, ut *voluntas* ejus à nobis *fiat* in terris, sicut *fit in cœlis* Matth. VI. 9. 10. eoque *sanctificetur nomen Patris nostri qui est in cœlis*.

2. Declarat beatitudinem electorum, ex eo quod ipsis sit præparatum cœlum supranaturale ejusque cives sint.

XXXVII. Tum *secundo*, cœli *supranaturalis* ineffabilis *perfectio*, ineffabilem nobis pandit eorum felicitatem ac *beatitudinem*, quibus illud æterno decreto *destinavit* Luc. X. 20. & in tempore *præparavit*. Ut pote qui: 1. *Idem* habebunt *domicilium* cum beatis Angelis, imo cum ipso Deo 2. Cor. V. 1. Heb. XII. 22. 23. Joh. XIV. 2. & XVII. 24. Qui exinde 2. Sunt, *non hospites & inquilini*, *sed domestici Dei* Eph. II. 19. imo & *concives sanctorum*, à quo eorundem *πολίτευμα*, esse dicitur *in cœlis* Phil. III. 20. Et pro *talibus* sese habuere ac gessere Abraham, Sara, Isaac, Jacob Heb. XI. 14. Utpote (a) quorum *nomina*,

conjecta sunt in catalogum *civium* Luc. x. 20. Qui proinde (b) non amplius sunt *mancipia* mundi; sed *libertini* Dei Gal. v. 1. Qui etiam (c) *privilegiis* hujus civitatis gaudent ac fruuntur Eph. II. 12. 13. 18. 19. Atque insuper (d) *convictu* & *conversatione* cum cœlitibus, Deo, Mediatore, Angelis, animabus defunctorum Heb. XII. 22. 23. Insuper (e) partem suam obtinent, in *thesauris* hujus civitatis Act. XXVI. 18. Eph. I. 3. in omnibus scil. eis, quæ *Deus præparavit his qui diligunt eum* 1. Cor. II. 9. Porro (f) & sunt sub *tutela* cœli Psalm. LXXXIV. 12. Conf. Act. XXII. 25. 28.

Tituli. Istud autem *civitatis* jus, obtinent titulo: 1. *Destinationis* & creationis, quod sibi destinatum & *creatum* sit à Deo cælum Matth. XXV. 34. Tum 2. titulo *emtionis*, non suo; sed sui Redemptoris *precio* Eph. II. 13. 14. Conf. Act. XXII. 28. Porro 3. titulo *nativitatis* Joh. III. 3. Insuper 4. titulo *hæreditatis* Matth. XXV. 34. Rom. VIII. 17. Adhæc 5. titulo præstiti *juramenti* fidelitatis Psal. II. 12. Id quod, dum hic sumus, de κτήσει ac *jure* magis est intelligendum; quam de χρήσει ac *possessione*; sed quæ sequetur etiam certo certius, ubi hujus corporis sarcinam depositerimus 2. Cor. V. 1. Aut si malis etiam de *possessione* capere, ea veniet intelligenda, quam non *ipsi nos*; sed pro nobis *sponsor* Christus, *ascendens* in cœlum, cepit Joh. XIV. 2.

3. Solatium præstat municipibus cœli. XXXVIII. E quo *tertiò*, suaviſſimum etiam emergit *solatium*, omnibus istis *cœli municipibus*: 1. In *exilio* & peregrinatione hujus vitæ Psal. XXXIX. 13. quod nihilominus sint *cives cœlorum*, *concives sanctorum*, *domestici Dei* Heb. XI. 9. 10. Eph. II. 19. Tum 2. In *paupertate*, quod nihilominus ipsis competat *regnum cœlorum* Matth. V. 3. & XXV. 34. Eph. I. 3. Et quod, qui *volucres cœli* alit Pater suus cœlestis, *se cives* cœlorum, inopiâ perire, nunquam sit commissurus Matth. VI. 26. Porro 3. in *contemptu*, ignominiis, quando sunt ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου 1. Cor. IV. 13. quod nihilominus sint *cives*, imo & hæredes *regni cœlorum* Heb. XI. 26. 37. 40. Insuper 4. in laboribus, *molestiis*, morbis, in perturbationibus omne genus; quod *municipes cœli* in patria, sint consecuturi omnimodam *tranquillitatem* Heb. IV. 9. 10. imo *patriam* illam, locum illum *tranquillitatis*, alio modo consequi, quam per hujusmodi *molestias* Act. XIV. 22. aut ingredi in hanc *gloriam*, quam per παθήματα sit impossibile Luc. XXIV. 26. Rom. VIII. 17. & quod *momentanea levitas oppressionis istius* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, αἰώνιον βάρος δόξης sibi operetur 2. Cor. IV. 17. Tandem 5. in ipsa *morte*, ubi mundus deferendus, tabernaculum deponendum est, quod hîc sint *peregrini*, municipes autem in *cœlo* Heb. XI. 9. 10. quod habeant *domum* ἀχειροποίητον, quæ *æterna* sit in cœlis 2. Cor. V. 1.

4. Ostendit certis indiciis quibus præparatum sic cœlum. XXXIX. Et cum *cœlum* istud non sit structum, & reguum cœleste non sit præparatum *omnibus*, adeoque & beatitudo ac *solatium* quod diximus, non ad *omnes* spectet, ac singulos homines Matth. XXV. 34. & VII. 21. 22. quin & sint, quibus *paratus est ignis æternus* Matth. XXV. 41. quibus, ob peccata torquendis, *infernum* præparavit; est *quartò*, quod inquiramus, sitne cœlum istud, *nobis* præparatum; ne scil. *falsò* hîc *persuasi*, negligamus necessariam hujus parandi *curam* Luc. XIII. 24. Sed unde tandem istud *certo colligemus*? Resp. His potissimùm indiciis, est præparatum: A. His qui sunt *è cœlo* nati, seu *regeniti* ex aquâ spirituali: non enim nisi tales *introibunt in regnum Dei* Joh. III. 3. 5. B. Qui sunt revera *filii* Dei: hi enim etiam sunt *hæredes* regni Rom. VIII. 17. qui sunt *domestici fidei*, qui sunt *populus Dei* Heb. IV. 9. ac per confœderationem, præstito quasi *juramento* fidelitatis, subditi cœlorum facti sunt, sicut Abraham, Isaac & Jacob, *primarii* cives. C. Qui *mundi sunt corde* Psal. XXIV. 3. 4. Qui mundi sunt corde & *manibus*, h. e. vita & conversatione Psal. XVI. 1. 2. Neque enim hîc *introibit quicquam impurum* Apoc. XXI. 27. Matth. V. 8. *extus* enim *sunt canes* Apoc. XXII. 15. D. qui jam dudum in terris suum πολίτευμα habent *in cœlis* Phil. III. 20. h. e. qui sese in *terris gerunt* ut *municipes coelorum*. E. Qui terram & *terrena* vilipendunt, negligunt, qui terram quasi sub *pedibus* suis habent, sicut Deus Jes. LXVI. 1. & Assaph Psalm. LXXIII. 25. qui *direptionem facultatum suarum*, possunt *cum gaudio sustinere*, ut qui *sciunt*, se *potiorem substantiam habere in coelis* Heb. X. 34. F. Qui, ut *peregrini* in terris, tanquam in *itinere*, in diversorio, paucis possunt esse *contenti*; cum Apostolo Phil. IV. 11. 12. 13. Scil. expectatione sortis *lautioris in patria*. G. Qui, eodem consilio, hîc *adversa* quævis, æquo animo possunt sustinere Heb. X. 31. 33. 34. Tandem H. Qui *exspectatione* cœli, domus, patriæ suæ; & mortem possunt *contemnere*, imo & *desiderare* Phil. I. 23. 2. Cor. V. 2. 4. Apoc. XXII. 20. Psal. XLII. 2. 3.

5. Notat eorum socordiam, qui cœli possessionem decoquunt. XL. Porro *quintò*, cum tanta sit cœli *præstantia*, hinc tanta municipum *beatitudo*, tantum ipsis hinc in omni statu oriundum *solatium*; sordida sane hinc patet illorum *socordia*, qui: 1. Cœlum *ignorant*, saltem non *credunt*, nisi fortè *ore* tenus; *corde* reverâ non nisi pro ecclesiastica quadam *fabula* habent, & cœlum lubenter *relinquerent* cœli Domino, modo ipse sibi suum *coelum* h. e. *terram* relinqueret æternùm, quibus, si non in *ore*, saltem in *corde* est: *ede*, *bibe*, *lude*, *post mortem nulla voluptas* 1. Cor. XV. 32. Eccl. III. 19. 20. Qui 2. *credunt* quidem utcunque, *præparatum* esse cœlum *electis*: sed multo tenerius *terram* complectuntur, & cœlum *pro terra* relinquerent, saltem cœlum non habent nisi *pro refugie*

gio quodam, si *terra* sibi per mortem surripiatur, unde otiosis tantum *votis*, illud cum Bileamo ambeunt Num. XXIII. 10. Luc. XIV. 15. Qui 3. præter *otiosa* vota, aliquid ei impendunt, cum Pharisæis sacra frequentant, preces publicas fundunt, pleno gutture clamant: *Domine, Domine*, imo justitiâ *externa* abundant Luc. XVIII. 10. 11. 12. Matth. V. 20. & VII. 21. 22. 23. *exteriora purgant, mentham & anethum decimant*, sed *potiora legis*, judicium, misericordiam, fidem, abnegationem sui, crucifixionem carnis &c. *negligunt* Matth. XXIII. 23. 25. 27. Ut nihil de his dicam 4. Qui suis *sceleribus*, possessionem *cœlorum*, turpiter decoquunt, de quibus Apostolus 1. Cor. VI. 9. 10. *An nescitis, quod injusti regni Dei hæreditatem non consequentur? Ne erretis, neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi* &c. *regni Dei hæreditatem consequentur.* Omnibus istis, ipse Judex, *jus cœlorum* dudum abrogavit Matth. V. 20. *Nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum*, & abrogabit etiam olim Matth. VII. 23. *Ac tum profitebor eis, nunquam novi vos, abscedite à me qui operamini iniquitatem.* Quin contra *infernum*, ut *suum* locum, ipsis adjudicabit Matth. XXV. 41. *abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.*

6. Excitat ut quæramus cœlum.

XLI. Potius igitur *sextò*, excitat ut omni corporis & animi contentione enitamur, nobis parare *possessionem* cœli. H. e. superna *meditemur* (φρονῶμεν) Col. III. 2. *intendamus* (σκοπῶμεν) 2. Cor. IV. 18. *quæramus* (ζητῶμεν) Matth. VI. 33. Col. III. 1. *operemur* (κατεργαζόμεθα) Phil. II. 12. *contendamus* intrare (ἀγωνιζόμεθα) Luc. XIII. 24. Exemplo Patriarcharum Heb. XI. 9. 10. & cum eis, quotquot *primitias* Spiritus habent Rom. VIII. 23. Est enim cœlum: 1. *Domicilium*, & thronus Dei Opt. Max. ubi, non tam *sibi* habitat, quam *nobis* suam majestatem & gloriam conspicuam facit. Ubi *Angeli vident faciem* Dei Matth. XVIII. 10. & nos eum *videbimus, facie ad faciem* 1. Cor. XIII. 12. Est 2. *pallatium* beatorum Spirituum Heb. XII. 22. 23. Est 3. locus *redemptionis* nostræ Luc. XXI. 28. Est 4. locus æternæ *requiei* nostræ Heb. IV. 8. 9. 10. 11. Est 5. locus *coronationis* nostræ 1. Tim. IV. 7. Est 6. locus beatissimi nostri *consortii.* Heb. XII. 22. 23. Ubi habitat *Pater* noster Matth. VI. 9. *Frater noster*, sponsus noster, Paracletus noster: ubi hæreditas nostra omnis substantia nostra, thesaurus noster Matth. VI. 19. 20. 21. Est 7. locus, ubi Deo summo *bono, perfecte* uniemur, eo fruemur, in eo gaudebimus. Quis, post omnium istorum ponderationem, non erumpat cum Psalte? *Quam amabilia tabernacula tua, Jehova Zebaoth! concupiscit, & etiam deficit anima mea, ad atria Jehovæ, cor meum & caro mea, exsultant ad Deum vivum* Psal. LXXXIV. 2. 3. & XLII. 3. 4. Sed quâ tandem ratione assequemur?

Motivæ.

Media.

Resp. (1) Deus Pater æterna *electione* illud nobis *destinavit*, & in tempore *præparavit* Matth. XXV. 34. (2) Filius *viam* præstat *ad Patrem* Joh. XIV. 6. etiam abiit, nobis *paraturus* locum in *domo Patris* sui Joh. XIV. 2. atque insuper, velut *caput* nostrum, *nostro* loco possessionem cepit (3) Spiritus S. non tantum ὁδηγεῖ Psal. CXLIII. 10. sed etiam *pignus* & *arrhabonem* præstat Eph. IV. 30. 2. Cor. I. 22. 2. Cor. V. 1. 5. Nostrum hic est (4) Regenerari per *Spiritum S.* ut *videamus* & *introeamus in regnum Dei* Joh. III. 3. 5. (5) Verâ ac viva *fide* apprehendere Christum, qui est *scala* illa Jacobæa, à terrâ ad *cœlum* pertingens, quâ & nos cum Angelis, possimus ascendere Gen. XXVIII. 12. *via*, citra quam *nemo venit ad Patrem* Joh. XIV. 6. (6) Sequi ductum Spiritus S. ὁδηγῷ Psal. CXLIII. 10. eoque *pergere de virtute in virtutem, donec* tandem *apud Deum in Sione appellamus* Psal. LXXXIV. 8. (7) Solicitè abstinere ab omni *impuritate*; nihil enim *impuri ingredietur* Apoc. XXI. 27. (8) Universam vitam nostram, componere ad *leges* cœli, ut πολίτευμα nostrum, sit in cœlis, quo inde confidenter possimus *exspectare* Jesum, qui *humilia nostra corpora glorificet* Phil. III. 20. 21. (9) *Indesinenter ambulare* & conversari cum *Deo* cœli, quo etiam, cum Enocho, ab eo assumamur *in cœlum*, Gen. V. 24. Heb. XI. 5. (10) Omnia ista observare sine *fuco* in *sinceritate* cordis; neque enim *ascendet in montem Jehovæ, aut stabit in loco sanctitatis ejus, nisi qui mundus est manibus, & mundus corde* Psal. XXIV. 4. & XV. 1. 2. Matth. V. 8. Tandem (11) *Patientiâ* assuescere, cum *per multas tribulationes, debeamus ingredi in regnum Dei.* Act. XIV. 22. Luc. XXIV. 26. atque ita, non tantum *quærere*, sed etiam cum multa *lucta* (ἀγωνίζεσθαι) *contendere*, ut *introeamus per augustam portam* Luc. XIII. 24.

7. Hortatur ut in terris conversationem nostram habeamus in cœlis. Quid hoc?

XLII. Interim *septimò*, dum extorres sumus à cœlis, & *peregre sumus à Domino* 2. Cor. V. 6. dum in terris agimus; *conversationem nostram in cœlis habeamus* Phil. III. 20. τὰ ἄνω ζητῶμεν Col. III. 1. Hoc est (1) *cor* nostrum, vita ac desideria, imo & conatus nostri sint *cœlum* versus, quippe ubi *thesaurus* noster Matth. VI. 21. (2) Extimus noster *finis* sit cœlum, ac *cœlestia* supra omnia quærere Matth. VI. 33. tantâ contentione, ut cuncta *quæ à tergo sunt, obliviscamur, ad ea quæ à fronte sunt, contendamus, scopum versus feramur, ad palmam supernæ vocationis Dei* Phil. III. 13. 14. (3) *Principia* (cardines conatuum nostrorum) quibus *cœlum* versus enitimur; sint *cœlestia*, spiritualia Rom. VIII. 5. (4) *Norma* conatuum istorum, *cœlestis* sit Matth. VI. 10. Gal. VI. 16. non mundana Rom. XII. 2. (5) *Commercium* & conversatio nostra, *cœlestis* sit, & *cum* cœlestibus Psal. XVI. 3. Cum *fastidio* mundanorum

rum *Ibid.* 4. & 1. 1. (6) *Negotia* noſtra in terris, ſint *cœleſtia*, id agamus lubenter in *terris*, quod olim nobis agendum erit in *cœlis*, v. g. Deum conemur, magis magiſque *videre*, h. e. cognoſcere Joh. XVII. 3. quod olim faciemus in cœlis Job. XIX. 27. 1. Cor. XIII. 11. voluntatem Dei *prompte exſequamur*, ſicut fit, & olim nos faciemus, cum beatis Angelis *in cœlo* Matth. VI. 10. Pſal. CIII. 20. delectemur *Sabbatiſmo* ſpirituali, quem olim tranſigemus in *cœlo* Heb. IV. 9. 10. 11. (7) Animus noſter in ipſis *terreſtribus ſit cœleſtis.* h. e. in terreſtribus, cœleſtia perſpiciat & meditetur. v. g. in Sole *naturali*, Solem *juſtitiæ*; in cibo *terreno*, cibum *ſpiritualem*: in veſtimentis *corporis*, veſtimenta *animæ*: per terreſtria, ad cœleſtia ſeſe diduci patiatur: ſua terrena, opes, honores, in *uſum cœleſtem*, in regnum Dei, ſublevationem pauperum, impendat. Suadent hujusmodi *converſationem* cœleſtem 1. Quod *cives* ſimus cœlorum Eph. II. 19. & cœlum noſtra ſit *patria*, adeoque conveniat, moribus cœleſtibus vivamus. Quod 2. animâtenus, *è cœlo* ſimus oriundi, non tantum per ejus *creationem* immediatam à Deo Gen. II. 7. Eccl. XII. 7. qui hinc *Pater Spirituum* dicitur Heb. XII. 9. ſed etiam per *divinam* adeoque *cœleſtem* regenerationem Joh. III. 3. 5. Quod 3. per ſanctificationem, *indolem* divinam adeoque *cœleſtem* ſimus conſecuti 2. Pet. 1. 4. 1. Cor. XV. 47. quæ *ſurſum* fertur, ſicut terrena *deorſum*. Quod 4. *præſtantiſſima* quævis noſtra, in *cœlis* ſint, Pater, Frater, Sponſus, Paracletus, hæreditas, theſaurus univerſus; proinde & ibidem *cor* noſtrum eſſe debeat, ex ſententia Servatoris Matth. VI. 21. Col. III. 1. Quod 5. Scaturigo ſit omnis *tranquillitatis* & gaudii, corde ſuo in *cœlis* eſſe & cum cœleſtibus *converſari* Pſal. XVI. 11. & LXXXIV. 2. 3. 6. 11. Quod 6. Flabellum ſit & *calcar*, ad omnem pietatem, juxta & fundamentum *patientiæ* Chriſtianæ, animo devotè ac frequenter intentum eſſe in *cœlum*, ut remunerationis ac refrigerii, conſolationis ac requiei locum 2. Tim. IV. 7. 8. 2. Cor. IV. 17. 18. & V. 1. plura in hanc rem occurrent in Cap. *de Glorificatione.*

Quare?

THEOREMA TERTIUM.

De Terrâ.

Pars dogmatica.

Terra eſt à Deo creata.

XLIII. Ab extima mundi parte continente *cœlo*, ad intimam delabimur, *terram*, quam *poſt* cœlos, à Deo creatam textus teſtatur, aliaque Scripturæ dicta, imprimis quod exſtat Pſal. CIV. 5. 6. *Fundavit terram ſuper baſes ſuas, ne moveat ſe in ſeculum & in ſeculum. Voragine, tanquam veſtimento, operuerat eam, ſuper montes ſteterant aquæ.* Quo Deus fertur terram creaſſe *fundando*, h. e. eam conſtituendo q. fundamentum hujus univerſi, atque etiam eam *immobilem* conſtituendo, quaſi *baſibus* innixam. Eodem ſpectant loca Jeſ. XLV. 8. ubi dicitur *Creator cœlorum, formator & factor terræ, qui eam præparavit, & firmavit* Pſal. XXIV. 2. Neh. IX. 6. Pſal. XC. 2, & XCV. 5. & CII. 26. & CXLVI. 6. Prov. VIII. 26. 29. Jeſ. XL. 28. & XLVIII. 13. Jer. X. 12. Act. IV. 24. & XIV. 15. Heb. I. 10. Apoc. X. 6. & XIV 7. Porro & illa, quibus *terra* dicitur *eſſe Dei* Exod. IX. 29. & XIX. 5. Deut. X. 14. Pſal. XXIV. 1. & L. 12. 1. Cor. X. 26. 27. Item, quibus *Deus terræ* dominatur Jeſ. LIV. 5. Apoc. XI. 4. Eſd. V. 11. Nec eſt tam excors, qui non admittat terram eſſe creatam: & ſi ſit, convinci poterit, rationibus quibus dudum mundum univerſum, ac cœlos etiam, ex nihilo productos docuimus.

Ejus creatio ac fines.

XLIV. *Terra* q. â *terendo*, prout & ארץ juxta quosdam. Quandoque *elementum* ſonat, aquæ, aeri & igni contradiſtinctum; aliquando certam aliquam *regionem*: nobis hoc loco non eſt, niſi intima *mundi pars*, ſeu vaſtus ille quem calcamus, *globus*; & aqua & terra coiens, quem Deus *medium* hujus univerſi, in aere poſuit, *immobilem*, cui univerſum, quaſi ſuo *centro* inniteretur, & animantibus aliiſque, imprimis *homini*, commoratorium præberet, uſque ad ſuam *æternitatem*. Quem Jobus dicit *extenſum ſuper vacuum, & ſuſpenſum ſuper nihilum* Job. XXVI. 7. h. e. ſuſpenſum in *aëre*, Pſaltes *fundatum ſuper baſes ſuas*, h. e. *immobilem* conditum, quod factum *tertio* creationis die, quando, qui *opertus* antea erat *voragine* ſeu aquis, ab iiſdem ſegregatus eſt. Ut *materiam*, è quâ conſtat, præſtet *aridum & humidum*, ſicut corpori noſtro caro & ſanguis: *formam*, ordinata σύνταξις, quâ, ſicut membra corporis, conſpirant *omnia in unum*, nim. (a) in complementum & *perfectionem* totius univerſi, qui, ut diximus q. *baſin* præſtat Pſal. CIV. 5. (b) In *domicilium* quarumvis ſubſtantiarum corporearum, tam viventium, quam vitâ deſtitutorum, quæ omnes *in terram* propendent, velut in *locum* ſibi *naturalem*, in quo quieſcant. (c) Nominatim *animantibus*, tum ratione *præditis*; tum eadem *carentibus*, inſuper in *nutrimentum* Pſal. CXV. 16. & CIV. 13. 15. 16. Hoſ. II. 21. 22.

Quædam ejus affectiones.

XLV. In *affectionibus*, quantum (1) ad *ſitum*, videtur in *meditullio* (ut diximus) univerſi totius conſiſtere, circumfuſa undique cœlis. Quantum (2) ad *magnitudinem*, cum univerſo quidem *collata*, non niſi *punctulum* præſtat, quamvis in ſe *abſolute* conſiderata, *vaſtiſſimæ* magnitudinis ſit, quippe cujus *perimeter*, ad quinquies mille & quadringenta milliaria Germanica; *diameter* ad mille ſeptin-

septingenta & octodecim milliaria, communiter supputatur. Vid. Timpt. Phys. lib. 3. Cap. 4. Probl. 6. E quo conjicies, quantæ molis *universum* ejus *corpus* sit. Quantum (3) ad *figuram*, procul dubio exacte *rotunda* est, nautarum testimonio, cui non obstant montes & valles, qui cum *universa* mole collati, vix quod *rimula* in vasto globo, præstabunt. Quando (4) ad ejus *sustentaculum*, quod cum *basibus* Psaltes confert, & *nihil* esse, Jobus jam ante dixit; plurimos torsit, quâ ratione tanti ponderis moles, absque *ullis* sustentaculis, possit quasi *volitare* in aëre Job. XXVI. 7. & XXXVIII. 4. 5. 6. cum ne *lapillus* quidem, remoto sustentaculo, per *horam* subsistat in aëre. Equidem *systema* hujus universi, cujus q. basin & fundamentum præstat *terra*, illud omninò exigit, quippe quo moto, superiora inferioribus permiscerentur; sed hinc necdum patet, quî *terra immobilis* pendeat in aëre. Sunt qui hoc, *contra* naturæ leges, per *miraculum* divinum, fieri existiment: alii *rationes* moliuntur, quod corpus *gravissimum*, naturaliter *infimum* locum occupet, sicut leviora *sursum* tendunt, unde aqua *supra* terram, sicut aër supra aquam consistit. Tum 2. quod elementa, in loco sibi *naturali* non gravitent, imo verò *quiescant*. Porro 3. si moveretur, *sursum* moveretur, cœlum versus, & in cœlum *caderet*, & contra, cœlum terram versus, quod est contra naturam utriusque. Nos, ut rationibus istis ac similibus suam vim relinquimus; ita eis non *satisfacere* arbitramur, nisi advocata insuper in subsidium omnipotenti Dei *sustentatione*: Unde Deus ad Jobum, *ubinam*, inquit, *eras quando fundabam terram? Quis disposuit mensuras ejus? Quis extendit super eam limam? super quo bases ejus defixæ sunt? Quis jecit lapidem ejus angularem?*

Ejus partes essentiales.

XLVI. Universa *terræ* moles (corpus humanum imitata, quod *carne & sanguine* constat Matth. XVI. 17.) *arido* componitur ut carne, & *humido*, ut sanguine suo; adde, lapidibus & montibus, ut *ossibus*, & *venis* suis. *Aridum*, in quatuor partes q. essentiales, à Geographis dispescitur, in quibus *Asia* se habet ut caput; *America* ut pes; *Africa* ut brachium *sinistrum*; *Europa* ut *dextrum*. Partes aridi *exteriores*, exornatæ conspiciuntur (præter artificialia) arboribus, plantis, frugibus, brutis; quæ cuncta vergunt, in *usum hominis* Psal. CIV. 13. 14. 15. *interiores*, varii nominis mineralibus, quæ hîc, velut in matrice suâ, ab influxu cœli, & imprimis à calore Solis, foventur & excluduntur. De quibus conferri poterit *Cosmographia* & *Geotheſia*: Rursus *humidum* hujus orbis, *maribus* conficitur & *fluminibus*, quæ ad modum *venarum*, exteriora pariter & interiora ejus oberrant, ad illud irrigandum ac *fœcundandum*. Circa *maria* cogitanda comprimis ac stupenda (1) Immensa fere eorum *amplitudo*, quâ terram quasi tegunt, & circumdant, ut vestimentum. *Ibid.* vers. 6. & vers. 25. *Hoc mare magnum & latum locis.* (2) *Altitudo*, quâ, licet terrâ sint superiora; eam tamen non inundant, cujus rationem, Psaltes reddit vers. 9. *Terminum posuisti eis, quem non transibunt, nec revertentur ad operiendum terram* Prov. VIII. 29. (3) *Motus*, in *fluxu* & *refluxu*, per *sex* horarum vicissitudines, conspicuus, cujus *causam* varii varie quærunt quidem, in ejus harmonia cum motu *lunæ*, quæ fit humiditatis quasi *mater*; sed vix *certi* quicquam assequuntur. Conf. *Hydrographi.*

1. Aridum.

2. Humidum.

XLVII. Est etiam procul omni dubio, si Scripturarum constanti eloquio fides, saltem *intra* globi nostri superficiem, creatus *infernus*, die creationis secundo, ut plurimis placet, carceri ac torturæ impurorum spirituum 1. Pet. III. 19. 20. 2. Pet. II. 4. juxta & damnatorum hominum Act. 1. 25. Psal. LXIII. 10. à Deo destinatus. Quanquam non desint, qui sine ratione, & contra Scripturas, *totam* nostram terram, *post* extremum judicium, damnatis, pro inferno futuram existiment. Conf. quæ supra §. XXXII. de *inferno* monuimus.

3. Infernus.

Pars elenchtica.

Quæritur:

XLVIII. Controversiis *theologicis*, theoria de *terra*, non adeo est obnoxia. Quæritur tamen 1. An terra, duplici motu, diurno & annuo rotetur circa Solem? Nicolaus Copernicus cum suis, ut & Ren. Carteſius cum suis, quod putent se phænomena hujus mundi, beneficio hujus hypotheseos, commodius posse expedire, affirmant. Reformati negant, cum Astronomis Tychonianis, quod *revelatio* divina, evidenter neget, & *stare immobilem* determinet Psal. XCIII. 1. *Etiam stabilitur orbis habitabilis ne moveatur.* Et CIV. 5. *Fundavit terram super bases suas, ne moveatur in seculum & perpetuum* Psalm. XLVI. 3. & XCVI. 10. & CXIX. 20. Eccl. 1. 4. Omnibusque illis locis quibus passim terram *fundasse* dicitur §. XXXIII. adducta. Nec pro sua sententia, è *Scripturis* quicquam moliuntur, *οὐ ἐξ ἐναντίας*; quin nec è *natura* quicquam, quod solide inferat, *terram moveri*: tantum urgent, quod explicandis *phænomenis* commodius videatur, terram moveri, exilius corpus, quam Solem. Verum, ut hoc commodius accidat *nobis*; non tamen eo ipso commodius accidit *Deo*. Imo major hinc videtur redundare *gloria in Deum*, quod Solem, *tantum* corpus, per tantum *spatium*, *tantillo* tempore, agat in gyrum. Tum etiam, adhucdum sub Judice lis est, an per motum *terræ*, an per motum *Solis* commodius explicentur phænomena? Saltem *periculosissimus* in Theologia, ille est agendi modus,

2. An terra, duplici motu, diurno & annuo rotetur circa Solem?

quo constanti *Scripturarum* testimonio, nil nisi *placita*, imò *conjecturas* Philosophicas opponas.

2. An terra perinde sit planeta, ac Luna?

XLIX. Quæritur 2. An terra perinde sit planeta, ac Luna? Cartesiani, quod motum tribuissent terræ, ac proinde etiam orbem ei assignassent in quo moveretur circa Solem, denique lumen à Sole receptum, perinde repercuteret, ac Luna: statuunt terram perinde planetam appellari posse, ac Luna. Reformati negant, quod: 1. Scriptura terram cœlo, perpetuo tenore contradistinguat. Quod 2. si *sidus* esset, cum reliquis sideribus *quarto* demum creationis die, produci debuisset. Ut non addam 3. ipsum *infernum*, qui, vel adversariorum testimonio, est *intra terram*, hac hypothesi futurum sit *in cœlo*, id quod reverà non est, nisi *cœlum* cùm *terrâ*, imò & cum inferno confundere. Conf. *Gangr. Cartes.* Sect. II. §. VII. & VIII. Fundamentum sententiæ adversariæ, est în *motu* terræ circa Solem, quem destruximus penes controversiam præcedentem.

Pars practica.

Terræ consideratio: 1. Majestatem & gloriam Dei nobis pandit.

L. Quantum ad praxin, cum *mundi* & *terræ* voces, in Scripturis significatione persæpe coincidant; recurrunt, mutatis mutandis, omnes isti usus, quos theoremati de *mundo*, jam ante subjecimus §. XIX. &c. Nisi quod *primò*, gloria & *majestas* Dei, nova argumenta accipiat, à creatione & *fundatione terræ* Psal. CIV. Ubi totus est Psaltes, in *glorificatione* Creatoris & gubernatoris Dei, vers. 5. egregium argumentum capit à creatione & *fundatione terræ*. Conf. Jes. XL. 18. 19.... Peculiariter A, Ejus *potentia*, qui *tanti ponderis* molem suspenderit, quasi *ex nihilo* Job. XXVI. 7. eamque capiat ac sustentet, q. *pugillo* Jes. XL. 12. qui *mari* indomito, sua posuerit *repagula* Psalm. CIV. 9. Prov. VIII. 29. Ejus B. *Sapientia*, quâ huic mundi opificio, terram quasi pro *basi* & *fundamento* assignavit, eamque tantâ arborum, frugum, herbarum, animantium, metallorum varietate *exornavit* Psal. CIV. 14. Ejus C. *Bonitas*, quâ universam istam *terram*, tantâ bonorum varietate instructam, ut dicatur *plena bonitate* Dei Psalm. XXXIII. 5. *hominibus dedit* possidendam, fruendam, calcandam Psalm. CXV. 16. Conf. CIV. 13. 14. 15. 16. Ejus D. *Constantia* & immutabilitas, quâ tam *vastæ* molis corpus, & tam *infestis* partibus integrum, in aëre fecerit *immobile* Psalm. XCVI. 10. Quam quidem *majestatem* Dei, ad hoc terra nobis offert: 1. Ut *miremur* in corde & stupeamus. Huc Deus Jobum interrogat: *Ubinam eras quando fundabam terram? dic si nosti intelligentiam. Quis disposuit mensuras ejus, si nosti? Quis extendit super eam limam? Super quo bases ejus defixæ sunt? aut quis jecit lapidem ejus angularem?* Job. XXXVIII. 4. 5. 6. Psalm. CIV. 24. Tum. 2. ut *prædicemus* ore, sicut Psaltes: *Benedic anima mea Jehovæ, Jehova Deus mi, magnificatus es vehementer, gloriam & majestatem induisti. ..... fundavit terram super bases suas* &c. Psalm. CIV. 1. 5. 6. Tandem 3. ut *extollamus* opere, *reverendo* tantum universæ terræ & marium Creatorem: qui *congregat, velut in acervum, aquas maris; timeat à Jehova omnis terra, ab eo paveant omnes habitatores orbis* Psal. XXXIII. 7. 8. Scil. quemadmodum aquæ, *ab ejus increpatione, fugisse* dicuntur Psal. CIV. 5. 6. 7.

2. Peculiariter amplitudinem regni divini.

LI. Imprimis *secundò*, è creatione patet, ampliſſimum & absolutissimum ejus, in universam terram, *dominium* imperiumque, utpote à quo, non tantum *Deus terræ*, ac *totius* terræ prædicatur Jes. LIV. 5. Apoc. XI. 4. Esd. V. 11. sed & terra *ejus* esse dicitur Psal. XXIV. 1. & L. 12. & LXXXIX. 12. & XCV. 5. Exod. IX. 29. & XIX. 5. Ad hoc, ut 1. Eum *suspiciamus*, non ut *unius* aut aliquot provinciarum *Regulum*: sed *universæ* terræ *Deum* ac Dominum Psal. XXXIII. 8. Ut 2. ejus placita ac *mandata*, tanquam ejus *servi*, promte *exsequamur* Exod. XIX. 5. 6. *Si obediendo obedieritis voci meæ, & custodiveritis pactum meum--quia mea est universa terra* Deut. X. 13. 14. Ut 3. rebus *terrenis*, quæ in usum nostrum, nobis q. *concreditæ* sunt; non *abutamur*, eas non dilapidemus, decoquamus Luc. XVI. 1. interim etiam, citra *scrupulum* eis fruamur 1. Cor. X. 25. 26. Sic tamen, ut utendo, aliorum *conscientiam* non offendamus Ibid. vers. 28.

3 Ad virtutes facit.

LII. Possit *tertiò*, terra (a) nos commonefacere, *mortalitatis* nostræ, utpote qui, sicut è *terra* cconstructi Job. X. 9. & XXXIII. 6. ita quoque *in terram* reversuri sumus Gen. III. 19. Eccl. XII. 7. Ut terra, jam saltem à lapsu, cedat edendis pariter & absorbendis corporibus nostris, à quo monumenta σαρκοφάγοι nominantur. Et hinc porro (b) terræ consideratio, etiam ad modestiam & *humilitatem* nos format: quod non tantum *è terrâ* Deus nos formet, materia *vilissima*, ut simus *terræ filii* Apoc. XIII. 11. sed etiam *in terram*, ut *infimum* conclave hujus universi, collocaverit, tanquam in domicilio, ut *domus luteas inhabitemus* Job. IV. 19. Psal. CXV. 16. quam ipse habeat pro *scabello pedum* suorum Jes. LXVI. 1. Inde quoque (c) eam *contemnamus*, velut *infimum* mundi locum, & *ignobilissimum* elementum, ac *præ cœlo*, juxta cum Deo, q. pro *scabello* pedum nostrorum habeamus Col. III. 2. quod *pedibus* calcamus, unde τὸ ארץ à רצץ *conterere, concutere*, derivant, sicut & τὸ *terra*, à *terendo*.

3. Monet ut caveamus ne

LIII. Ante omnia *quartò*, solicitè nobis *caveamus*, ne (quamvis corpore tenus, è *terrâ* simus prognati, & *terra* in *diversorium* potius, quam

in

terreni simus in terris. Quid hoc?

in domicilium, nobis à Creatore sit data Heb. XIII. 14. & XI. 9.) *terreni* simus, *ἐπίγεια φρονοῦντες* Phil. III. 19. Quod fit: (1) cum terram & *terrena*, quæ *corpori* à Creatore data sunt, pro domicilio & nutrimento: *animo* impendimus, *cor* eis *apponimus* Psal. LXII. 11. eoque *terræ* q. *adglutinamur* Psal. XLIV. 26. Cum (2) Terram & *terrena*, pro unicâ nostrâ *portione* nobis seligimus Psal. XVII. 14. pro eo, quod *Deum* sic debebamus seligere Psal. XVI. 5. & LXXIII. 25. aut saltem pro *potiori*: pro eo, quod debebamus *primò* quærere *cœlum*, regnum Dei ejusque justitiam, ac *terrena* habere pro *corollariis* Matth. VI. 33. quo *ventrem* nobis quasi *Deum* facimus Phil. III. 19. & *aurum* potius habemus, quam *Deum*: aut ad minimum, terram *ac terrena* Deo q. *colluceramus*, ut *alterum* quendam *Deum*, prout Philisthæi suum Dagonem 1. Sam. V. 2. hoc est, *pari* affectu cum *Deo* prosequimur, neque ejus honori, voluntati, regno, cuncta subordinamus. Cum proinde (3) *præcipuos* nostros conatus ac curas, terræ ac *terrenis* impendimus Joh. VI. 26. 27. Atque etiam (4) præcipuos *dolores* capimus è jacturâ terræ & *terrenorum* 2. Cor. VII. 10. contra quam homines faciunt *spirituales* Heb. X. 34. Job. I. 21. Psal. LXXIII. 25. Hac ratione: 1. Qui *terræ Domini*, à Deo constituti sunt Gen. I. 26. terræ mancipia seipsos faciunt. Eoque 2. Satanæ maledictionem in se concitant: *supra ventrem tuum gradieris, & pulverem comedes cunctis diebus vitæ tuæ* Gen. III. 14. Imo 3. Quia *recedunt* à Deo, pudefient, *scribetque nomina* eorum *in terrâ*, *quoniam* nim. *dereliquerunt fontem aquarum vitæ*, *Jehovam* Jer. XVII. 13. Hoc est, non *in cœlo*, quod cœlestibus competit Luc. X. 20. Etiam 4. sunt *hostes* Dei 1. Joh. II. 15. Jac. IV. 4. Hostes *Christi* & crucis Christi Phil. III. 18. Ad hæc 5. sunt *idololatræ*, qui Mammoni serviunt Matth. VI. 24. quin idololatræ *turpissimi*, qui *seipsos*, imo *ventrem* sibi Deum faciunt Phil. III. 19. Tandem 6. sibi ipsis, ni tempestive resipiscant, certissimum creant *exitium*. Ibid.

Rationes quibus hoc cavendum.

Teorema Quartum.

De Contentis cœli ac terræ, juxta Hexaëmeron.

Pars dogmatica.

Primi diei opera sunt: 1. Rudis & indigesta moles.

LIV. Nec tantum cœlum ac terram, partes mundi *continentes*; sed etiam omnia quæ his *comprehenduntur*, Deus creavit, idque *sex* dierum spatio. Sic *primo* die, cœlum & terram condidit, ut hactenus terra fuerit תהו ובהו, *ἄμορφος*, *rudis* & *indigesta* materia, quam *chaos* fabulosi somniârunt poëtæ, cui, per subsequentes creationis dies, Deus peculiares *formas* creando applicaverit. *Ἄμορφος* autem, quod formas illas *substantiales*, quas consecuta postmodum est, nec *actu* habuerit quod in quavis generatione & alteratione conspicuum) neque etiam *potentiâ*, nisi pure *obedientiali*, quâ formas recipere potuerit. Ut Deus formas istas, diebus sequentibus *ex nihilo* producere debuerit. Atque ista productio, designari à Mose videtur, per *Spiritum Dei* (vel Spiritum *Deum*, vel Spiritum *Trinitatis*) qui *incubaverit*, מרחפת *superficiei aquarum*, in quarum fundo, velut in *abyssо* Gen. I. 2. terra abdita latuerit, ut in diluvio factum, nim. ut velut *gallina* ex ovis pullos, *quævis* excluderet. Istam vocis vim, & analogam operationem, colliges ex Deut. XXXII. 11. præsentiam scil. *affectuosam* & peculiari *cura* efficacem: quæ creaturæ cuivis, utpote *vento*, (qui necdum creatus erat, nec etiam fovet, sed potius dissipat) aut *igni*, aut *animæ* cuidam mundi, aut *Angelo*: competere non potest. Neque etiam, per *Spiritum* Dei *incubantem*, ipsa Dei *vis* & *efficacia* generalis intelligi potest, quod, suis principiis servientes, vellent Sociniani; cum *Spiritus*, ab istâ sua *efficacia*, satis clare distinguatur, per *incubationem*.

2. Lux primigenia.

LX. Hinc porro condita *lux* Gen. I. 3. *Dixitque Deus*; *sit lux & fuit lux*. Per quam, sunt qui *Angelos* intelligant, quod *Angeli lucis* appellentur 2. Cor. XI. 14. Sed male, cum nullibi Angeli *lux* appellentur in casu recto; & *lucis* Angeli dicantur *διακριτικῶς*, ad Angelos *tenebrarum* Col. I. 13. quod discrimen, *tum* saltem, necdum obtinebat. Sunt qui intelligant elementum *ignis*, sed absque rationibus: Pontificii, in gratiam suæ *transsubstantiationis*, absque ulla rationis specie, imo contra omnem rationem, volunt fuisse *accidens* sine subjecto: sufficit fuisse *substantiam* quândam per se conspicuam, & quæ alia conspicua *fecerit*, in hæmisphærio accensam, quæ circumgyratione sua, *lucidum* a *tenebricosis* ita distinxerit, ut abeunte luce fieret *vespera*, & rursus accedente, *mane*; nec unquam illa commiscerentur. Gen. I. 4. & VIII. 22. Jer. XXXIII. 25. Tum lucem *diem*, & tenebras *noctem*, Deus ipse denominavit. Tribuunt porro huic diei, rationibus saltem probabilibus, creationem Angelorum, quam in caput sequens nos seponimus.

Secundi diei opera sunt 1. Expansi ordinatio.

LVI. *Secundi* diei opus est: 1. *Expansi* ordinatio, ejusque adaptatio ad separandas aquas à superficie terræ, & divisionem procurandam inter aquas *superiores* & *inferiores* Gen. I. 6. *Sit expansum in medio aquarum, & faciat distinctionem inter aquas & aquas.* Scil. ut mediante calore superno, aliqua *aquæ* portio incideretur in *vapores* & sic sursum elevaretur in mediam aeris regionem,

nem, ibique deficiente paulatim calore, eoque coagulantibus vaporibus, in nubes abiret, quæ aquas *superiores* constituerent, ab aquis *inferioribus* telluris diversas Psal. CIV. 3. Jer. X. 13. Job. XXVI. 8. Ut hic non veniant aquæ collocandæ supra universum *aërem*, ac multo etiam minus supra *æthe-rem*, ut nonnullis placet Ubiquetistis, quo difficilior reddatur corpori Christi *transitus in cœlum*. Eadem operâ 3. in suis istis *causis*, hoc die creata videntur *Meteora*, pluvia, grando, nebula aliaque, imo &, accedentibus *effluviis* terrestribus sulphureis aliisque ventus, tonitru, fulmen Ps. CXLVII. 8. 16. 17. 18. Jer. X. 13. In quibus peculiariter etiam est *iris*, in fœderis obsignaculum constituta Gen. IX. 9--17.

2. Meteorum productio.

Tertii diei operа.

LVII. Sunt qui ad *secundum* diem referunt *fundationem* terræ, (ut Aben Ezra, Vatablus, Mercerus, Picherellus & Vossius) per divisionem aquarum *inferiorum* ab arido, quod ante opus tertii diei per ἐπεξήγησιν narretur Gen. I. 9. 10. ne scil. hic dies destituatur, usitatâ peculiari suâ *benedictione* approbationeque: tunc וירא, vers 9. reddunt per plusquam perfectum *dixerat*. Voss. *De Idololat.* lib. 2. c. 67. cum plusquam perfectum illud in וירא historiæ creationis sit inusitatum, & absentis ab hoc die benedictionis, causa commoda hæc reddi possit, quod opus hujus diei *affectum* tantum fuerit, sed *perfectum* demum die tertio, ut loquitur Maresius: necdum video rationes, quæ cogant resilire à receptâ Patrum ac Theologorum sententia. Proinde ad tertium diem spectat: 1. Illa quam diximus *terræ fundatio*, qua segregata emicuit. Eadem opera 2. constitutio *marium* & fluviorum: scil. per aquarum ab arido separatarum, *collectionem* in peculiares alveos, in hunc usum à Deo præparatos Psal. CIV. 5-9. ubi per *vocem tonitru*, h. e. per vocem *imperii* divini, sive etiam per *tonitru* ac *terræ* motus, aquas tegentes ab arido fugisse, & in suas se *cavitates* recepisse Job. XXXVII. 8. Hinc *terra fundata* dicitur *super mare & fluvios* Ps. XXIV. 2. Ab hac separatione, unâ operâ natæ sunt *insulæ* ac peninsulæ. 3. Terræ ab aquis segregatæ *exornatio*, facta *extus* quidem arboribus, herbis, frugibus omne genus Gen. I. 12. 13. Sic, ut non tantum earum *semina* hoc die conceperit, quæ tractu temporis herbascerent, sed ipsas etiam *arbores*, herbas, imo fructus, in tractu saltem Paradisi (qui hoc die creatus omnino videtur) atque insuper vim nutriendi, sanandi, ac propagandi Gen. I. 11. *intus* autem *mineralibus* ac metallis, diversarum specierum. Ut nihil dicam de ignibus ac flatibus subterraneis, à quibus *terræ motus* & ruinæ; nec non *fontes* ac fluvii, item aquæ *fervidæ* & acidulæ nascuntur.

Quarti diei operа.

LVIII. *Quartò* die, in cœlis suspensa sunt luminaria Gen. I. 14. Duo *magna* Sol & Luna, ita dicta non *à disco*, qui ab aliis quibusdam sideribus multum exceditur; sed à *lumine* quod spargunt, & ab *efficacia*, quam impendunt nostro orbi: tum etiam, nobis saltem, minora, tum *erratica* seu planetæ; quam *fixa*, magnitudine, situ, ac fulgore admodum discrepantia, *numero* innumerabilia. Gen. XV. 5. Jes. XL. 26. Jer. XXXIII. 22. Quorum motus continuus & æquabilis, per cœlum *æthereum*, naturæ fluidæ ac subtilissimæ, non ab *intelligentiis*, seu *assistentibus*; seu *informantibus*, ut Philosophi fabulantur; sed à peculiari naturæ suæ *ingenio*, à Deo sibi per creationem *impresso*, sub Dei suprema directione, peragitur, Psal. XIX. 6. 7.

Usus luminarium cœlestium.

LIX. Horum omnium *usus* est. 1. *Illuminare* Gen. I. 15. *Ad afferendum lucem super terram.* 2. Signa præstare tum (a) *naturalia*, eclipsium Soli ac Lunæ, tempestatum, variarumque vicissitudinum; tum (b) *civilia*, quæ à naturalibus pendent, & ἐυκαιρίας monstrant arandi, serendi, navigandi: tum (c) *spiritualia*, seu *favoris* divini, Gen. VIII. 22. Psal. LXV. 9. Hos. II. 21. 22. 2. Reg. XX. 11. Jos. X. 12. seu *iræ* Matth. XXIV. 29. & XXVII. 45. Levit. XXVI. 19. Jud. V. 20. quamvis eventus *contingentes* ac liberos prædeterminare ac præsagire, in eorum *potestate* nequaquam existat; nisi quod signa *extra* ordinem in *cœlis* exhibita, extraordinarias *calamitates* videantur indicere, ex Joel. II. 30. 31. Act, II. 19. 20. collatis cum *experientia* historiarum. Interim has aut illas *præcise* calamitates præsagire, vanum est, ac prohibetur Deut. XVIII. 10. Porro 3. temporum *vicissitudines*, dierum ac noctium, tempestates anni, *æstatis* ac *hyemis*, sua luce suoque motu discriminare, quæ provincia Soli ac Lunæ potissimum incumbit Gen. I. 14. 16. Job. XXVI. 10. Gen. VIII. 22. Jer. XXXI. 35.

Quinti diei operа.

LX. Hinc *animantia* creari cœperunt, quibus anima competit Gen. I. 20. 21. 24. Levit. XVII. 14. non tantum *vegetativa*, per quam *generentur*, nutriantur, crescant; sed etiam *sensitiva*, per quam *percipiant*. Et *quinto* quidem die *aquatilia* Gen. I. 20. in quibus eminent ceti, & *prodigiosa* magnitudinis pisces quivis Job. XL. & XLI. His accensenda *amphibia*: item zoophyta aquatilia, conchæ, purpuræ, spongiæ: & *aerea* seu aves.

Sexti diei operа.

LXI. Tandem *sexto* die, animantiâ *terrestria* producta sunt Gen. I. 24. 25. Nim. בהמות *pecora* quæ; vis & jumenta *domestica* ac mansueta. 2. רמשים *reptilia*, quo nomine & ἄποδα & βραχύποδα concluduntur, 3. חית *fera* & *sylvestria* omne genus animalia: scil. quæ omnia secundum *species*; (*veras* & legitimas, non *adulterinas*, ex commixtione specierum oriundas) Deus hoc die creavit. *Adulterina* enim, nec *hoc* die creata sunt *in se*; sed in suis *causis*, unde forte hujusmodi commixtiones, ceu brutorum adulteria Israelitis interdicta le-

leguntur Levit. XIX. 19. Quantum ad animalia è *putredine* oriunda, vel in *causis* suis tantum creata sunt; vel in primis individuis, ea lege, ut post *primam* creationem, utroque modo, nim. ex *generatione* naturali partim; partim ex *putredine* progignerentur. Quæ de animantibus *incertis* ac fabulosis pyrausta, salamandra, pegaso, basiliſco, draconibus alatis & ignivomis disquiruntur, è Scripturis determinari vix possunt: quod complura hebraica *nomina*, tum *animantium*, tum *herbarum* & arborum, nobis occidentalibus, si non penitus ignota, saltem *incerta* sint, id quod de unicornu (ראם) nominatim cogitandum. Tandem universo ἑξαημέρῳ colophonem Deus imposuit creatione hominis, qui creaturarum *omnium*, tam *spiritualium*, quam *corporearum*, non epitomen tantum præstaret & μικρόκοσμος, sed *finem* quoque. De cujus creatione peculiari Capite, ξὺν θεῷ, suo loco agemus.

Universum opus suum Deus absolvit intra sex dies.

LXI. Totum istud creationis opus, ut jam ante monuimus, Deus intra *sex dies* absolvere voluit, cum uno, imo *unico* momento potuisset, tum ut *sex dies*, meditationi operum divinorum impendendos moneret; tum ut *quieti* ac sanctificationi septimi, fundamentum strueret Gen. II. 2. collat. cum Exod. XX. 10. 11.

Quæritur:

Pars Elenchtica.

1. An lux primigenia fuerit accidens sine subjecto:

LXII. Quæstiones hujus thematis (præter eas quas de mundo, de cœlis, de terra, dudum diximus, ac de Angelis & hominibus suo loco dicemus) pleræque *Philosophica* magis quam *Theologica* sunt. Momentosiores breviter attingemus. Quæritur ergo *primò*, an lux primigenia fuerit accidens sine subjecto? Affirmativam vellent quidem nonnulli Pontificii, in gratiam suæ *transsubstantiationis*, & huc eam producit quidem Bellarm. *De Euchar.* lib. 3. c. 24. & Cornel. à Lapid. *in Gen.* 1. eamque tribuunt tum Basilio Hom. 2. & 6. *Hexaem.* tum Nazianzeno Orat. XLII. sed tamen ejus *patrocinium*, non audent suscipere: non tam quod *rationi* repugnet, & perinde sit acsi dicas accidens esse substantiam, (quod enim non est *in alio*, ut suo subjecto, illud *per se* subsistit, ac proinde substantia est) quam quidem, quod sit contra *communem Patrum*, *fere* omnium, *tam Græcorum*, *quam Latinorum*, *& prope omnium Theologorum sententiam*, ut loquitur Pererius *in Gen.* 1. Imo Ipse à Lapide refert, ut refellat.

2. An supra expansum universum sint aquæ?

LXIII. Quæritur *secundò*, an supra *expansum* universum, imo supra *cœlum* sidereum, sit constituta immensa quædam aquarum moles? Affirmant Patres nonulli, quos sequitur Cornel. à Lapide, & sequuntur etiam Lutherani, quod hac ratione, *ascensio* Christi localis in cœlum, difficilior evadat: negat receptior sententia, quod 1. absonum sit, elementum crassius & gravius collocare supra *aërem*, in tertiâ etiam regione subtiliorem, & supra cœlum sydereum, materiæ *subtilissimæ*. Quod 2. nullus *usus* naturalis, huic aquæ assignari queat. Cum præsertim 3. Litera mosaica non cogat: neque enim dicit expansum *universum*, interjectum fuisse inter aquas *superiores* & *inferiores*; sed simpliciter *expansum* aliquod, quale est *primæ* regionis aër, quod discriminat aquas *inferiores*, maria, flumina, ab aquis *superioribus*, vaporibus scil. & nubibus, in *secunda* regione collectis. Neque enim receptius est Scripturis; quam per *aquas superiores* indigitare nubes Psal. CIV. 3. Job. XXVI. 8. Psal. XVIII. 12. Jer. X. 13. Quibus animadversis, non supereſt sententiæ adversæ, quod pro se adducat.

3. Quo consilio secundus dies careat solenni benedictione?

LXIV. Quæritur *tertio*, quo consilio opus secundi diei consueta destituatur Dei approbatione *benedictioneque*? Qui fundationem terræ, & collectionem marium, & fluviorum ad *secundum* diem referunt, negant caruisse hunc diem sua benedictione. Istius benedictionem versus 10. huc vult traducendam, quod alias *tertius* dies, habiturus sit *geminam* approbationem. Lombardus ideo factum vult, quod numerus *binarius*, sit mali ominis & *infamis*, quo etiam, odio conjugii, inclinat Hieronymus. Alii causam in eo quærunt, quod *infernus* sit hoc die creatus, aut quod Angeli hoc die fuerint *lapsi*, id quod Caballistæ fingunt. Lutherus existimat, non esse exquirendas *rationes* hujus consilii, à Deo nobis non detectas. Alii quod opus hujus diei, *inchoatum* tantum fuerit, consummandum *tertio* die, cui non video quid obstet. Adde quod benedictio *generalis* vers. 31. & *huic* diei applicanda sit.

4. An Sol immotus consistat in cœlo?

LXV. Quæritur *quarto*, an Sol immotus in cœlo consistat? Negat continuus Scripturæ tenor, quum non tantum Soli *motum arrogat* Eccl. 1. 4. 7. Ps. XIX. 5. 6. 7. Matth. V. 45. Jos. X. 12. 13. 2. Reg. XX. 9. 11. collat. cum Jes. XXXVIII. 8. sed & *terræ* eundem *abrogat* Ps. XCIII. 1. & CIV. 5. Cui, perverissima περιφρασία, solam objeceris Philosophiam. Affirmat Nic. Copernicus, Cartesius, aliique, nullis adducti *Scripturis*, quod agnoscunt; sed *partim*, quod *tanti corporis* motus, tam velox, *captum* humanum excedat: *partim* quod phænomena cœlestia, ex *quiete* Solis commodius expedire possint. Sed quæ leviora sunt, quam ut *Scripturæ* unanimi suffragio opponas: cum Deus etiam *possit*, quæ omnem captum humanum excedunt Eph. III. 20. & hujus motus *velocitate*, illustrior fiat *primi* motoris *gloria*. Cum etiam phænomena cœlestia, ex hypothesi hujus motus, satis commodè expediverint Ptolemæus, Tycho-Brahe aliique præstantiores Astronomi. Conf. *Gangr. Cart.* Sect. 2. Cap. XXI. §. 8—12.

5. An

LXVI. Quæritur *quinto*, an astrorum positus,

aſtrorum poſitus futura contingentia præſagiant?

fauſti aut infauſti, futura contingentia, fata hominum, Regum, Principum, præſagiant? Negat 1. Scriptura, quando *futura* præſagire, ac certo prædicere, *Deo* tribuit pro privilegio Eccl. VIII. 7. Jac. IV. 13--16. quando item *proſcribit* quævis ex aſtris *præſagia* Deut. XVIII. 10. 14. Jeſ. VIII. 19. & XIX. 3. & XLVII. 13. Jer. X. 2. & XVII. 10. Negat 2. *ratio*, quoniam, per *immenſam* aſtrorum à nobis *diſtantiam*, vix aliquam in nos *operationem* exſerunt, & ſi quam exſerunt, ea valde *generalis* eſt, ſaltem in hominum *mentem* non agunt. Etiam ex unius *horoſcopo* prædici non poſſunt, quæ ex *multorum voluntate* & ſtudiis pendent, multo minus, quæ totius alicujus *urbis*, nationis aut regni fata tangunt. Et cum non *bona* tantum, ſed *mala* ex aſtris deducere conentur, hujus aſtrologiæ myſtæ; nunquid *Deum* naturæ & aſtrorum auctorem, & *peccati* auctorem agnoſcent? Ut non addam, *ante* peccatum nec *ſcelera*, nec *ſupplicia* habitura fuiſſe locum, dum nihilominus ſiderum *poſitus*, idem per omnia futurus fuiſſet. Negat tandem 3. *experientia*, quando, non *omnes* qui ſub eodem aſtrorum poſitu naſcuntur, eandem *ſortem* experiuntur, nec qui *eodem* momento cum ſobole aliqua regia naſcuntur, ad *purpuram* recipiuntur, imo & *gemelli*, eodem tempore nati, *diverſa* fata experiuntur, *contraria* ſtudia ſectantur. Affirmant tamen Aſtrologi, genethliaci, tum quod aſtra data dicantur ut *ſint ſigna*; ſed *temporum*, annorum, dierum; non autem *futurorum contingentium*, cum iſtum ſignorum *uſum*, Deus exſertè rejiciat: tum quod *experientia*, cum ſuis prædictionibus colludat, id quod *caſu* aut *Dæmonum* arte; aut occulto *numinis judicio*, ut fieri poſſit; nullis tamen *certis* fit artis aut naturæ regulis, nec conſtanter.

Pars practica.

Praxis ſextidui emergit: 1. A creationis duratione.

LXVII. Quæ de ſingulis creaturarum *ſpeciebus* dici *poſſent* practicè, infinita ſunt, quæ de *mundo*, cœlis ac terra dici *debebant*, diximus; & quæ de *rationalibus dicenda* reſtant, dicemus ſuo loco, eaque mutatis mutandis, additis addendis, huc traduci commodè poſſunt: ut hîc non videatur ſupereſſe, niſi illa *praxis*, quæ tum ex creationis *duratione*, tum ex creandi *ordine* emergit. *Primo* igitur, quod Deus, cum *unico momento*, univerſum hoc abſolvere potuiſſet, *ſex* ei dies nihilominus impenderit, quo diſtinctior ſuas operationes cogitandi anſa, nobis ſuppeteret, nos provocat, ut per *ſex dies* hebdomadis, quantum fieri poteſt, operibus Dei contemplandis occupemur, quo nim. Creatoris *ſapientiam*, potentiam, bonitatem aliaque attributa, ex iſta creaturarum *varietate*, bonitate, conſtantia, diſtinctius agnoſcamus *mente*, promptius celebremus *ore*, & exaggeremus *opere*. Tum etiam, cum Deus per ſex dies, *operando* circa mundum voluerit occupari, nos quoque ejus exemplo, per *ſex dies*, negotiis hujus *ſeculi* incumbamus omni *ſolertia*, evitato cane pejus & angue *otio* & negligentia. Et cum *Deus*, per ſuum ſextiduum, operando non fuerit occupatus, niſi circa ea quæ *bona* ſunt, hominique *utilia*; & *nos* non *malis* operationibus, quæ aut Deo, aut hominibus *noxia* ſunt; imo nec *vanis* ac futilibus, quæ nihil ad Dei *gloriam*, aut hominum *commoda* conferunt, operationes ſextidui noſtri impendamus. Tandem, cum Deus non niſi per *ſex* dies fuerit operatus, ac *ſeptimo* die quieverit: & nos per *ſex* dies, ita negotia hujus ſeculi expediamus, ut *ſeptimo* poſſimus quieſcere, eumque operibus *gloriæ* Dei, ac ſalutis *animarum* noſtrarum impendere Gen. 11. 2. Exod. XX. 9. 10. 11.

2. A creandi ordine.

LXVIII. *Secundo*, ex *ordine* operationis, per ſextiduum à Deo obſervato, elucet: 1. Dei *ſapientia*, quod (a) *elementa* ſimplicia prius creata ſint, quam *elementaria*, ſeu concreta & compoſita. Quod (b) in ſimplicibus prius *perfectiora*, quæ propius accedunt ad naturam Dei. Quod (c) illa prius ſint creata, quæ *tantum* habent *eſſe*; tum illa, quæ præter eſſe, habent etiam *vivere*; poſtea illa, quæ præter eſſe, vivere & ſentire, habent etiam *rationem*. Quod (d) in *ſimplicibus*, à *perfectioribus* ad *imperfectiora* fuerit progreſſus: ſed in *compoſitis* ab *imperfectioribus* ad *perfectiora*, à plantis ad hominem. 2. *Potentia*, in eo ſingulariter elucebat, quod *plantas*, herbas, arbores, *prius* creavit, quam *Solem* & aſtra, quæ vim *cauſarum* habere ſolent, in eorum productione. 3. *Bonitas* ejus elucebat in eo, quod prius *domicilia* quam animalia, prius illa, quæ homini forent *uſui*, quam *hominem* ipſum creaverit. Verba ſunt Ameſii *Medul.* lib. 1. Cap. VIII. §. 57. 58. 59.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

DE

ANGELIS BONIS.

Hebr. 1. verſ. 7.

Qui Angelos ſuos facit ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam.

Angelorum bonorum contemplatio.

I. Vidimus creaturas, quibus gloriam *communem ſapientiæ*, poteatiæ, bonitatis, Creator intendit manifeſtare, ἀλόγους; ſuccedunt, quibus gloriam *prædeſtinationis* h. e. gloriam miſericordiæ & juſtitiæ vindicis intendit, λογικαὶ: Angeli & homines, *propter* quas, reliquæ creatæ ſunt. *Angelos* primo videbimus, tum ut ſunt *in ſe*, à creatione, *bonos*; tum ut *facti* ſunt proprio vitio, *malos*. Prioris theoriæ argumentum præſtat Apoſtolus Heb. 1. 7.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Quibus verbis Apoſtolus, demonſtraturus æternam deitatem Chriſti, collationem inſtituit, inter Angelos & Chriſtum, cujus parte* priore deſcriptionem habet Angelorum, *ut parte* poſteriore *obtineat, Chriſtum eſſe Angelis* majorem. *In deſcriptione* creationis Angelorum *occurrit:*

1. Creator, ὁ, qui Pſal. CIX. *unde textus citatur*, verſ. 1. *appellatur* יהוה אלהים *item* יהוה, *Deus*, theologicè *quidem conſideratus, Pater, Filius & Spiritus S. cujus ſolius eſt*, quævis *creare, imprimis* Spiritus: *hoc tamen loco*, œconomice, *Pater, utpote cui Filium Apoſtolus, per totum hoc caput, evidenter contradiſtinguit* vſ. 1. 2. 3. *&c.*

2. Creatio, ποιῶν, עשה. *Quantum ad vocem* עשה, *eam ſignificare idem quod* ברא, *abunde patet ex* Gen. 1, *ubi* ברא & עשה, *paſſim reciprocantur, & hoc peculiariter habet* עשה, *quod non tantum notet* producere, *ut* ſit; *ſed etiam efficere, ut* talis *ſit, adeoque non tantum* facere; *ſed &* efficere, *jam ante monuimus circa caput præcedens in* exegeticis. *Eadem vis eſt vocis* ποιεῖν. *Utraque igitur vox notat, non tantum* creare, *ut exiſtat; ſed etiam ut ſit in certum* uſum, *ac proinde, ut Angeli non tantum* ſint; *ſed etiam ut ſint ſpiritus, atque inſuper ut ſint* λειτουργοὶ *miniſtri, ut patebit in ſubſequentibus.*

3. Creatura, τὰς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, Angelos ſuos ſpiritus ſui ipſius. *Hîc varia diſputantur:* 1. *An vox* ἄγγελος מלאך *notet* nuncium *appellativè; an* Angelum *proprie: rurſus* 2. *An* πνεῦμα; *hîc notet* ventum, *ut fieri videtur* Pſal. CIV. 4. *ubi* verſ. 3. *Propheta locutus videtur de* רוחות ventis. 3. An מלאכיו *præſtet ſubjectum propoſitionis; an vero prædicatum?* 4. *An* duo *textus hemiſtichia, de* duabus *loquantur rebus, v. g. ventis & fulgetris? aut Angelis & miniſtris? an vero de re* una, *ita ut poſterius hemiſtichium ſit prioris explicativum? Ex his variæ naſcuntur verborum* conſtructiones, *pariter &* expoſitiones. *Quidam A. exſtimant* priori *hemiſtichio deſcribi naturam* ventorum; poſteriore *fulgurum, ut ſenſus emergat: qui facit* ventos *eſſe nuncios ſuos, quibus iram ſuam hominibus denunciet, tempeſtates excitando: &* fulgura *miniſtros ſuos, quibus utatur in pœnam impiorum. Sed hac ratione argumentum Apoſtolicum, pro æterna deitate Chriſti, ab ejus* ἐξοχῇ *ſupra Angelos, ſic ſatis enervatur:* B. *Alii malunt ventum & fulgura, appellari Angelos, quibus Deus utatur, haud aliter ac Angelis ſuis eximiis, ſic Maimonides aliique in* Pſal. CIV. 4. *Alii C. rectius exiſtimant, utroque hemiſtichio deſcribi naturam Angelorum & miniſtrorum Dei, eoque appellari ſpiritus, & flammas ignis, id quod docent: α. Articuli eis additi, qui ſubjectum propoſitionis ſignificant* Joh. 1. 1. *& oſtendunt inſuper, voces* Angelos & miniſtros, *non* appellative *ſed* propriè *accipi.* β. uſus *vocum* מלאכים & ἀγγέλων, *quibus ordinarie ſpiritus illi creati intelliguntur, qui ſunt naturâ completi. Hinc* γ. *de Angelis acceperunt Veteres* Judæi, & LXX. *Interp. nec non Targum, ſic reddens:* qui facit Angelos veloces ut ſpititus. *Etiam* δ. Scopus *Pſalmi iſtud exigit, qui in hoc eſt, ut efferat gloriam Dei, ex operibus creationis ac providentiæ, quæ gloria, in hoc egregiè fulget, quod Angelos ſuos fecerit ſpiritus & miniſtros ſuos, potentes ſicut flamma ignis. Tandem* ε. *hoc evidentiſſime docet contextus ac Scopus Apoſtoli noſtri. Quid enim eſſet?* verſ. 4. tanto excellentior factus VENTIS: verſ. 5. Cui VENTORUM unquam dixit *&c.* verſ. 6. Adorent eum omnes VENTI: verſ. 7. De VENTIS quidem dicit, qui nuncios ſuos

facit VENTOS. *Quapropter de* Angelis *propriè dictis, merito interpretamur, verba Prophetica, & Apostolica, in quibus nobis occurrunt:*

1. Nomen *harum creaturarum*, ἀγγέλας, מלאכים. *Quæ voces* ex etymo, *officium quidem denotant, nuncii, legati, emissarii cujusvis, seu divinus sit, seu humanus, seu angelicus, & sic* appellativæ *sunt*; ex usu *tamen, creaturas sonant* mere *spirituales, sensu* proprio. *Sic* Psal. civ. 4. (*licet Judæis quibusdam recentioribus, aliter placeat*) *& in textu nostro. Ubi eis apponitur pronomen reciprocum* ἑαυτῶ suos, *scil.* bonos, *procul dubio* διακριτικῶς, *ut discernat ab Angelis* malis.

2. Natura, πνεύματα, *spiritus* רוחות. *Voces illæ* multa *significant, prout Cap.* XXVII. *in* exegeticis *pariter &* dogmaticis, *dudum observavimus. Ex his, Judæi recentiores sibi deligunt*, ventum, *quod jamjam refutavimus. Descendunt à* spirando, *ac proinde, si voces spectes, creaturis* per prius *competunt; ast si* rem significatam, *Creatori, & peculiariter Spiritui S.* per prius. *Principaliter voces notant* substantiam immaterialem completam, *in quâ* Deus *est principaliter, creaturis κατ' ἀναλογίαν, hoc loco significant spiritum* bonorum *essentiam.*

3. Officium λειτουργὸς, משרתים. *Voces sonant, non* servos *sed* ministros publicos, *seu* officiales. *Tribuuntur in Scripturis*: 1. Magistratui *civili* Rom. XIII. 6. *tum* 2. *Ministris verbi divini* Rom. XV. 16. *Etiam* 3. Sacerdotibus *legalibus* Luc. I. 25. *Porro* 4. *Ipsi* Christo Heb. VIII. 2. *Tandem* 5. Angelis, *sic hoc loco* Heb. I. 7. *&* 14. *Prout* משרתים Psal. CIV. 4. *semper dicit* officium cum honore. *Ac proinde significatur*, Angelos, *quamvis* in se, *sint officiales* honorati; *esse tamen ministros Dei & Christi, adeoque* inferiores *Deo & Christo, &, per consequens, cum in creaturis sint præstantissimi dignissimique, quod eos excedit, esse* Deum, *ut hinc tandem emergat, Christum esse* Deum.

4. *Virtus* & efficacia, πυρὸς φλόγα, ignis flammam; Psal. CIV. 4. אש להט ignem flammantem. *Hoc est*, naturâ potentes גברי כח Psal. CIII. 20. *est enim flamma ignis elementum* potens, *atque insuper* veloces, *à quo* alati *dicuntur, & alati* undique Exod. XXXVII. 9. Ezech. I. 6. 8. 9. 11. *&c. ubi de* כרובים *est sermo, qua voce plerumque* Angeli *significantur. Hinc etiam* שרפים *denominantur* Jes. VI. 6. שרף cremavit igne. *Ut innuatur & potentia & promptitudo eorum, in expediendis divinis mandatis* Psal. CIII. 20.

Pars elenchtica.

Angelos creatos esse, rationibus probabiliter docetur.

III. Constat igitur, præter substantias *materiales* hactenus datas, Deum condidisse *immateriales*, sibi futuras à *præcipuo ministerio*. Id enim (a) hujus *universi* videbatur exigere *perfectio*: ibi enim, cum prostent *purè materialia*, prostent item partim *materialia*, partim *immaterialia* (quod suo loco patebit in *homine*) *consentaneum* videtur, omnino dari etiam *purè immaterialia*. Cum præsertim (b) hoc faciat ad *gloriæ* divinæ amplitudinem, ac (c) Dei *natura*, etiam *spirituales* exigere videatur ministros, qui, objectis impedimentis *materialibus*, fisti in suo officio non queant. Hinc, licet certo *demonstrare* non posset *ratio*, hujusmodi *dari* creaturas; potest tamen plus ferme quam *probabiliter* inde *colligere*, accedentibus (d) comprimis *talibus* operationibus, quæ nec à *Deo*; nec à causis *materialibus* excludi possunt, atque etiam (e) *oraculis* passim editis & (f) apparitionibus *spectrorum* passim factis, eoque (g) & testimoniis *gentium*.

Certo demonstratur è Scripturis.

IV. E Scripturis autem istud, non uno modo indubitatissimum est, nim. non tantum A. ex *testimoniis* passim obviis Psal. CIII. 20. & CXLVIII. 2. 5. 1. Pet. III. 22. & mille aliis: nec tantum B. ex egregiis eorum *operationibus*, quas suo loco dicemus; sed etiam C. ex variis eorum *apparitionibus* Gen. XIX. 1. suo loco fortè commemorandis. Quin & *ex nihilo* creatos Psal. CIV. 4. cum Heb. I. 7. Col. I. 16. 17. cum non tantum ab *æterno* Creatori coëxistere non *potuerint*, prout suo loco in Cap. de *æternitate Dei*, ac superioribus de *Creatione*, ac de *mundo* demonstravimus vindicavimusque: sed etiam *Creatori* contradistinguantur, proinde necessariò *creaturæ* sint: neque enim *medium* hîc datur. Imo *primo* creationis die, cum suo domicilio creatos esse, perquam *probabile* videtur, ex eo quod Deo, *terram fundanti*, applausisse dicuntur Job. XXXVIII. 4-7. Certum est, eos ante *primum* creationis diem, non fuisse creatos: cum *ante* illum, non nisi *æternitas*, in quâ principium non admittitur, fuerit: unde *ante* istud *principium*, & ab *æterno* esse, Scripturis sunt ἰσοδυναμοῦντα: quamvis hoc plurimis placuerit usque ad concilium Lateranense, & placeat etiamnum maligniori scopo, Socinianis: certum etiam, conditos non fuisse *post hominem*, quem seduxerunt. Atque etiam cœlorum *creationem*, obscurius licet, indigitare Moses videtur Gen. II. 1. quando perfectos à Deo tradit cœlos, terram & omnem *exercitum eorum*, qua appellatione passim hi *spiritus* veniunt Luc. II. 13. 1. Reg. XXII. 19. Neh. IX. 6. Psal. CIII. 20. 21. & CXLVIII. 2.

Primo die creati videntur.

V. Substantiæ istæ *immateriales*, variis nominibus in Scriptura significantur, quando dicuntur *Filii Dei* Job. I. 6. & XXXVIII. 7. *Elohim* Psal.

Angelorum variæ ap-

VIII.

pellationes.

VIII. 6. Cum Heb. II. 7. *Cherubim* Gen. III. 24. Talmudistis quasi כרביא *sicut puer*, רביא enim Caldæis *puerum* notat, teste Buxtorf. *Lexic. Talmud.* in voce כרוב (quamvis non ignorem aliis aliud placere) unde fortè, *juvenum* forma, nonnunquam apparuisse leguntur Marc. XVI. 5. *Seraphim* Jes. VI. 2. quasi accensi ardore amoris aut justitiæ divinæ, inde *fulguri* conferuntur Luc. X. 18. *vigiles* Dan. IV. 10, 13. *stellæ matutinæ* Job. XXXVIII. 7. *flammæ ignis* Psal. CIV. 4. quod improbos absumant.

Communissime spiritus & Angeli designantur, nomine ambiguo.

VI. Communissime tamen, & *propriissime spiritus* appellantur Heb. I. 7. ex Psal. CIV. 4. ab *immateriali* suâ naturâ: & מלאכים *Angeli*, ab officio, nuncii qui pro alio, aliquid dicunt & faciunt. Quanquam hoc nomen, nonnunquam *Mediatori* tribuatur, *Angelo fœderis* Mal. III. 1. & *Angelo faciei* Jes. LXIII. 9. qui præcessit castra Israelitarum Exod. XIV. 19. in cujus *medio est nomen Dei* Exod. XXIII. 20. 21. nonnunquam hominibus, *Haggæo* Hag. I. 13. *Sacerdoti* Mal. II. 7. *Baptistæ*. Ibid. Cap. III. 1. Ecclesiæ *ministris* Apoc. I. 20. Assignantur ipsis etiam nomina *propria*: *Gabrielis* Dan. VIII. 16. & IX. 21. Luc. I. 26. quod *fortitudinem Dei* sonat: & *Michaelis* Dan. X. 21. & XII. 1. Jud. vers. 9. Apoc. XII. 7. quod est, *quis sicut Deus?* Quamvis hoc *posteriore*, solum *Angelum fœderis* designari, plerique non ineptè colligant, ex ejus *epithetis* Dan. X. 21. & XII. 1. & VIII. 25. Item ex collat. Jud. vers. 9. cum Zach. III. 2.

Sunt substantiæ spirituales.

VII. Sunt autem Angeli, *spiritus creati*, *sua natura completi*. Dum *spiritus* appellantur, *primò* substantiæ *immateriales* agnoscuntur, h. e. tales, quæ non tantum *crassiorem* (quod Tertullianus cum nonnullis Patribus videtur voluisse) materiam respuunt; sed omnem *omnino*, à quo *spiritus* audiunt Psal. CIV. 4. Heb. I. 14. Matth. X. 1. Eph. VI. 12. Quanquam *corpora* aliquando, ad *tempus* assumserunt, non *informanda*; sed *dirigenda*. Nihilominus spiritus *finiti* sunt, non quod à corporis *ambitu* finiantur; sed quod ab *intrinsecis* essentiæ limitibus finiantur; & *simplices* sunt, quatenus *partibus* destituuntur, licet non *simplicissimi*, sicut Deus est: cum substantiæ & accidentis, potentiæ & actus compositionibus, sint obnoxii.

Angelorum vita.

VIII. *Secundò*, ipsis *vita* addicitur, cum spiritus *proprie* dictus, non detur, qui vita careat. Neque enim citra eam, Deum audire, mandata ejus hominibus annunciare, aut commodos λειτουργὸς præstare Deo possent. Interim vitam degunt, non *vegetativam* aut *sensitivam*; sed pro naturâ præcipua, præcipuam, h. e. *rationalem*.

Intellectus.

IX. Unde *tertiò*, dum spiritus sunt, *intellectu* quoque pollent, quo *sapientes* sunt 2. Sam. XIV. 20. *faciem* Dei *contuentur* Matth. XVIII. 10. Et quamvis ille, *nostro* sit multo perfectior, ut qui, à *sensuum* imaginibus & impressionibus non pendeat, adeoque magis fixas & constantes habeat cogitationes: non cognoscit tamen per *essentiam suam*: cum ea, rerum omnium *exemplar* & causa, nequaquam sit; aut etiam *in essentiâ Dei*, velut in speculo; cum operationes Dei sint *liberæ*: neque omnia cognoscunt, quod Deo *soli* competit: neque singulatim *futura contingentia* cognoscunt, nisi per conjecturas, longumque rerum usum & experientiam Jes. XLI. 22. 23. nec abditos *cordis* humani recessus Jer. XVII. 10. 1. Reg. VIII. 39. nec *diem* judicii Marc. XIII. 32. Et quicquid cognoscunt, per *species* intelligibiles, sive *insitas* sibi per creationem; sive à Deo *revelatas*; sive à rebus *haustas*, percipiendo aut discurrendo, intelligunt. Ut *triplex* in iis appareat cognitio: A. *naturalis* seu concreata Joh. VIII. 44. B. *Revelata* Dan. VIII. & IX. Apoc. I. 1. & C. *Experimentalis*, videndo & audiendo hausta Eph. III. 10. 1. Tim. III. 16. 1. Pet. I. 12. Norunt singulatim Deum, per intuitum, utpote cujus *faciem vident* Matth. XVIII. 10. proinde multo clarius quam nos, qui per *speculum & per ænigma ex parte cognoscimus* 1. Cor. XIII. 12. Norunt seipsos in seipsis. Nôrunt à *se diversa*, tum *spiritualia*, se invicem & animas separatas; tum *corporalia*, per species eorum, sibi concreatas, sive ab objectis haustas, cujus modus nobis est *inexplicabilis*. Nôrunt *salutis mysteria*, per revelationem Eph. III. 10. 1. Tim. III. 16. 1. Pet. I. 12.

Loquela.

X. Nec ista tantum nôrunt *sibi*: sed etiam notificare possunt *aliis*: unde ipsis metaphoricè *lingua* asseritur 1. Cor. XIII. 1. qua loquuntur *sibi invicem*, h. e. sua cogitata sibi impertiunt, quamvis, quomodo id peragatur non magis perspiciamus, quam bruta, ut nos confabulemur: loquuntur & *hominibus*, agitando & figurando aërem, ad eum modum quo oportet, ut verba in eo effingantur; & vicissim compellantur ab hominibus, accipiuntque speciem ab hominibus, quamvis & modus hujus acceptionis, nobis non pateat.

Voluntas.

XI. Hinc etiam *quartò*, dum spiritus sunt, *voluntate* pollent, quâ *liberè* agunt ex consilio, sponte Deo obsequuntur Psal. CIII. 20. *gaudent* super conversione hominum Luc. XV. 10. *avent introspicere* in mysteria salutis 1. Pet. I. 12. Quæ voluntas ipsis competit, ut *facultas* ab essentiâ diversa, ac *perfectior* etiam & liberior, quam nobis; quod *passionibus*, & motibus corporeis, non adeo *turbetur*, eoque magis constans ac fixa sit: *passionibus* tamen, quatenus *corporeæ* sunt, penitus carent, & si quæ ipsis tribuuntur, *intellectuales* sunt. Interim tamen *dependens* est à Deo, quoad *exercitium*, concluса intra certam objectorum sphæram: tandem & *mutabilis* ac mutata.

Angeli sunt spiritus completi.

XII. Denique *quinto*, spiritus *completi* sunt, qui nullam sustinent relationem ad corpus, velut alteram sui compositi *partem* essentialem, quo modo distare *cognoscuntur*, tum ab *anima* hominis separatâ, quæ suâ *natura* ad compositionem ordinatur cum corpore; tum ab *homine*, qui corpus & spiritum connotat. Sitne præterea, inter *Angelos* & *animam* nostram, *essentialis* & *specifica* differentia, nobis latet, quamvis ab *effectuum* diversitate, tale quid, *plus* quam *probabiliter* colligi posse videatur.

Angelorum affectiones:

1. Bonitas.

XIII. In *affectionibus* Angelorum (1) est eorum *bonitas*, sibi concreata, tam *physica*, quam *moralis*, per quam apti nati sunt, ad suos usus, sua *officia*, à quâ plurimi protervè *desciverunt* Joh. VIII. 44. Jud. vers. 6. de quo plura suo loco.

2. Potentia.

XIV. (2) *Potentia* permagna, unde גבורי כח *Heroes robusti* Psal. CIII. 20. ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, καὶ κοσμοκράτορες Eph. VI. 12. *Angeli potentia* dicuntur 2. Thess. I. 7. Quod stupenda eorum opera confirmant Exod. XII. 2. Reg. XIX. 35. Joh. V. 4. Act. V. 19. & XII. 7. quæ ab ipsis, *solâ voluntate* perpetrata non intelligimus, cum nihil repugnet, *fortitudinem* ipsis ab essentia diversam, tribuere. Interim *infinita* eos posse, aut *miracula*, veri ac proprii *nominis*, quæ naturam universi, aut *suam* saltem excedant, nulla ratione credimus. Quamvis *miranda*, quæ *captum* nostrum superent, non inficiemur 2. Thess. II. 9.

3. Locus.

XV. (3) Existendi *locus*, quem occupant non sola *operandi* ratione; sed per *coëxistentiam*; nec per *circumscriptionem*, ut extrinsecus ambiantur; velut corpora: nec per *repletionem*, aut *infinitam* coëxistentiam: sed per *definitionem*, quâ propter essentiæ suæ *finitudinem*, sic restringuntur ad *hunc* locum, ut non sint in *diverso*. Sic in uno homine dicitur fuisse legio Luc. VIII. 30.

4. Motus.

XVI. Hinc (4) *motus* localis, quo de loco *transeunt* in locum Gen. XXVIII. 12. qui licet *velocissimus* existat, nullo resistente medio, à quo *ventis* & *igni* assimilantur Psalm. CIV. 4. & *Seraphim alati* feruntur Ezech. I. 6. *instar fulguris* Luc. X. 18. non tamen in *momento* fit; sed successive.

5. Duratio.

XVII. (5) Existendi *duratio* ejusque mensura, per quam sunt non sub *tempore*, quo talia mensurantur; quæ sua *natura* principium admittunt ac finem; nec sub *æternitate*, quæ *soli* illi competit, qui per naturam nec *principium*, nec *finem* experiri potest; sed sub *ævo*, quo illa mensurantur, quæ per naturam *principium* includunt; sed *finem* excludunt. Quod *ævum* cum *tempore* congruit, in *eo*, quod non tantum durationis *initium* implicet; sed etiam fluxum seu successionem: cum *æternitate*, quod durandi *finem* excludat. Differt à tempore, quod *finem* excludat, & ab æternitate quod *principium* & fluxum includat.

6. Numerus.

XVIII. (6) *Numerus*, *finitus* quidem est; sed *amplissimus* tamen, Dan. VII. 10. Apoc. V. 11. Psal. LXVIII. 18. Luc. II. 13. & VIII. 30. Matth. XXVI. 53. Heb. XII. 22. In quo differunt, non ut *species*, prout Thomistæ apud Pontificios existimant, ex eo quod individua non constituantur, nisi per *materiam signatam*, quæ in Angelis non est: sed ut *singularia*, cum in communi *spiritus* naturâ conveniant, id quod in *animabus* separatis maxime est perspicuum.

7. Ordo.

XIX. Hinc (7) *ordinem* quendam, in ipsis luben- ter agnoscimus, significatum variis denominationibus, Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Virtutum, Potestatum, Principatuum, Archangelorum, Col. II. 15. Eph. I. 21. imprimis *Archangelorum* & Angelorum: ut non addam, *Principis dæmoniorum* Matth. IX. 34. & XII. 24. item *Diaboli & Angelorum ejus* Cap. XXV. 41. Sed *quis* ille sit ordo & *qualis*, cum Scriptura sileat, eoque *ad nos* non pertineat, non investigamus, ex præscripto Apostoli Col. II. 18. Quamvis non *improbabile* existimem, *ordinis* istius differentiam, *officiorum* diversitati congruere.

Ministerium Angelorum.

XX. Sunt tamen *omnes* λειτουργοὶ τῦ θεῦ, πρὸς διακονίαν Heb. I. 7. & 14. Psal. CIV. 4. Quod *ministerium* distinetur: A. Circa *Deum* in ejus *glorificatione* Psal. CXLVIII. 2. & CIII. 20. Jes. VI. 3. in expeditissima voluntatis ejus, *observatione* & exsecutione Psal. CIII. 20. B. Circa *Mediatorem*, eum *adorando* Heb. I. 6. ei *ministrando* Matth. IV. 11. Dan. VII. 10. ei sese *subjiciendo* Phil. II. 9. 10. C. Circa *homines*, tum *bonos* quibus *inserviunt* Heb. I. 14. & VI. 10. διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις: quantum ad *temporalia* (a) eos *protegendo* Psal. XXXIV. 8. & XCI. 11. præmonendo, eripiendoque ex imminentibus malis Gen. XIX. 12. (b) iis *prospiciendo* de victu I. Reg. XIX. 5. (c) conatus eorum *prosperando* Gen. XXIV. 7. 40. Quantum ad *spiritualia* (d) Eis *revelando* voluntatem Dei, instruendoque de rebus agendis Act. X. 5. Zach. I. 9. 13. 14. (e) Eos *consolando* in adversis Luc. XXII. 43. Act. XXVII. 23. 24. (f) *Gaudendo* de conversione Luc. XV. 10. (g) In morte *traducendo* eorum animas, in *cœlestia* gaudia Luc. XVI. 22. (h) In extremo *judicio*, eos *separando* à reprobis, & applaudendo sententiæ *absolutoriæ* Matth. XIII. 41. & XXIV. 31. tum *malos*, coërcendo eorum *malitiam*, & exserendo in eos *divina judicia* 2. Reg. XIX. 35. Gen. XIX. 11.

Apparitiones eorundem.

XXI. Hoc ministerio functuri, ut à Deo emittuntur Heb. I. 14. ita sæpius *apparuisse* leguntur hominibus, seu in *visione* Gen. XXVIII. 12. Act. XXVII. 23. Matth. II. 13. seu per familiare *alloquium*, præsentes cum præsentibus Gen. XVIII. 2. Quod factum aliquando in *vero* corpore humano, sibi ad hanc functionem divinitus *adaptato*, & post functionem *depositio*, fortè etiam annihilato

to Jud. vi. 21. & xiii. 20. Act. xii. 10. Cui tamen corpori, *uniti* nequaquam fuerunt, ut constituerent ἀγγελανθρώπους: sed potius eo, velut *instrumento* usi sunt, ut formæ *assistentes*. Fortè etiam aliquando, in *specie* tantum corporis humani, apparuerunt Zach. ii. 3. & in Apocalypsi passim: aliquando in specie ab *humana* diversa, ut quando *alati* Ezech. i. 6. Nec etiam adeo *frequentes* observantur istæ apparitiones, *prima* accidit immediate post lapsum hominis Gen. iii. 24. *secunda* post bis *mille* annos, Abrahamo facta commemoratur Gen. xviii. Inde *tertia* post ducentos & quindecim annos, Mosi facta Exod. iii. Hinc *frequentius* occurrunt in historia sacra, usque ad Zachariam prophetam Zach. i. & ii. Inde per quadringentos annos, non commemorantur, usque ad Messiâm *incarnandum* Luc. i. ii. & 26. & incarnatum Luc. ii. 13. ex quo *crebriores*, usque ad Johannem in Apocalypsi, ab eo tempore, *obsignato canone* sacro; & sufficienter ac abunde revelata *Dei* voluntate, apparitiones desierunt. Licet *invisibiliter* cœtibus Christianis adhucdum interfint, suoque ministerio fungantur i. Cor. xi. 10. quoad tandem in extremo *judicio* congregandis & segregandis electis, mittentur à Judice Matth. xiii. 41. Matth. xxv. 31. Ipseque Dominus stipatus *Angelis potentia sua* 2. Thess. i. 7, *veniet cum voce Archangeli* 2. Thess. iv. 16.

Cultus Angelorum.

XXII. Ab omnibus istis *officiis* beneficiisque, quæ nobis jussu divino impendunt, eos quicquam à Deo *mereri* non legimus, neque mercedis promissio ipsis facta: aut per *dignitatem* operis quicquam à Deo mereri *possunt* Rom. xi. 35. 36. Interim, â *nobis*, ex beneficiorum *dignitate*, gratitudinem merentur, reverentiam & *cultum* i. Cor. xi. 10. Matth. xviii. 10. Act. x. 4. sed non nisi *civilem*, quod *religiosum*, non Deus tantum *sibi* servaverit Matth. iv. 10. sed & ipsi sæpius recusaverint Apoc. xix. 10. & xxii. 9. Adde quod non sint, nisi *Spiritus ministratorii* Heb. i. 14. διακονοῦντες τοῖς ἁγίοις. Heb. vi. 13.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An dentur Angeli?

Sententiarum differentia.

XXIII. Quæritur 1. An dentur Angeli, seu substantiæ immateriales, completæ? Zadducæi seu a Sadoco Antigoni Zochæi discipulo sic dicti, velut sectæ auctore; seu à צדק *Justus*, quasi *justitiarii*, quales haberi volebant: quo resurrectionem mortuorum commodius pessundarent; statuebant non dari *spiritus*, qui mortuo corpori, reduniri possent, nec proinde Angelos Act. xxiii. 8. Nostro tempore Libertini, quibus merito connumeramus Davidem Georgium, a quo sunt *David-Joristæ*, qui Angelos confundebat cum *cogitationibus* humanis, statuebat, cogitationes *bonas* esse *Angelos*, malas *diabolos*, ad eum fere modum quo Carteſiani, quando volunt spiritus non esse nisi cogitationes, nisi quod illi, suas istas *cogitationes* non appellarent *substantias*, secus ac hi, de quibus suo loco. Nuper Philosophi quidam *Athei*, Thomas Hobbesius, Benedictus Spinosa, ex Judæo Atheus, Scripturæ veritatem universalem sugillantes, existentiam Angelorum explodebant. Istud delirium habuerunt, superiore seculo, Anabaptistæ quidam. Reformati, quamvis agnoscant, spirituum existentiam, rationibus *naturalibus* evidenter non *demonstrari*; existimant tamen, rationibus plus fere quam *probabilibus*, doceri eandem posse; sed *Scripturæ* testimoniis, quam evidentissime. Id quod probatum dedimus §§. iii. & iv. hujus capitis, & adversus Sadducæos nominatim, qui feruntur agnovisse divinam auctoritatem Pentateuchi, ex Gen. iii. 24. item xviii. & xix, & xxi. 17. & xxiv. 7. 40. & xxviii. 12. & xlviii. 16. Exod. iii. 2. &c. quibus sunt ἀντοχατάκριτοι. Addimus 1. quod Scripturæ de eis loquantur velut personis, nunciis, ministris, custodibus, vigilibus &c. adversus *Libertinos*. Quin 2. Quod eis tribuant omnia personarum *requisita*: substantiam, vitam, intellectum, voluntatem, gaudia, operationes personales, præmia item & pœnas. Imo & 3. quod olim dicamur futuri ἰσάγγελοι Matth. xxii. 30. Luc xx. 36. His omnibus *Sadducæi* gratis, absque ullâ ratione, opponebant A. Si quando Deus exserat suam potentiam ad puniendum, tum hoc appellari Angelum *malum*; sin contra, nos custodiat, conservet, nobis benedicat, hoc appellari Angelum *bonum*: absque Scriptura, imo contra Scripturas §. iv. designatas. B. Ad loca, quæ apparationes Angelorum narrant, dicebant intelligendos esse *ventos*, aut *virtutem* Dei, contra textus.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

2. An & Angeli in primo creationis principio fuerint conditi?

Sententiarum divortia.

XXIV. Quæritur 2. An & Angeli, in primo creationis principio conditi sint? Aristoteles cum suis Peripateticis tradidisse fertur: Angelos nunquam creatos fuisse? sed Deo coexstitisse ab æterno. Sociniani *creatos* quidem fatentur; sed *potuisse* tamen existere ab æterno, ne scil. ex *æternitate* Filio ac Spiritui S. per Scripturas competente, possimus solide conficere, parsonarum istarum æternam *deitatem*. Veteres, teste Origine περὶ ἀρχῶν, ambigue de Angelorum *creatione* loquuntur, *creatos* quidem esse, omnes recipiunt, sed *quando* & *quomodo*, ambigunt. Græci Patres plerique, eo fere propendent, ut existiment, eos ante hunc mundum conditos esse, sic Origenes *Homil.* i. in Jes. cap. iv. Basilius in *Hexaem.* Homil. i. & ii. Nazianzenus in *Natal. Domini Serm.* xxxviii. Chrysostomus *in Gen.* Homil. xxii. Sic Anastasius Sinaita *lib.* i. *Hexaem.* Damascenus de *Orthod. fid. lib.* 2. cap. 2. Nec tamen defuerunt, qui aliter

liter sentirent, ut Epiphanius *hæres.* LXV. forte & Theodoretus. Inter Latinos, ante Augustinum, plerique ante hunc mundum, eos creatos fuisse maluerunt, ut Novatus, Hilarius. Ipse Augustinus nihil audet certo determinare, putat tamen eos apud Mosen, sub nomine *lucis* significari, idque primo die, quæ opinio, nec Gregorio magno displicuit *Moral.* XXXII. nec Bedæ, nec Cyrillo. De quibus omnibus videri potest Vossius de *idololat.* lib. 1. cap. 7. Cartesiani, quamvis agnoscant, eos creatos esse cum primo mundi *principio*: existimant tamen, quia, ceu meræ *cogitationes*, nullam habeant relationem ad *locum*, eos existere potuisse ante hunc mundum. Reformati plerique statuunt, eos creatos fuisse *primo* die, cum cœlo empyræo Gen. 1. 1. cum cap. 11. 1. Saltem ante creationem *terræ*, conditos fuisse, satis clare dici videtur Job. XXXVIII. 7. attamen eos *præexistitisse*, aut præexistere *potuisse*, *toti* huic *mundo*, constanter negant, quia 1. Scriptura ejus, ne γρὺ quidem habet, quin potius, sex diebus totum mundum, cum omni *exercitu* ejus Gen. 11. 1. 2. per quem *Angeli* significantur Luc. 11. 13. 15. atque etiam, omnia quæ in mundo *continentur*, creata esse *sex* diebus Exod. XX. 11. Quia 2. ante mundum nihil fuit, nisi *æternitas*, &, juxta Scripturæ stylum æquipollent, ab *æterno* esse, & ante jacta mundi fundamenta Psal. XC. 2. Prov. VIII. 22. Eph. 1. 4. 1. Pet. 1. 20. Joh. XVII. 24. Act. XV. 18. Quia 3. *Ratio* succurrit, quod ante *principium* temporis, non fuerit nisi mera *æternitas*, in qua non est *prius* & *posterius*, fuissent ergo ex contraria hypothesi, in æternitate & *æterni*, adeoque *infiniti* duratione, existentia & essentia, id quod *Deo* proprium est. Quia 4. Omnis creatura, quippe finita, terminatur suo UBI, sic ut, quod non est in *ubi*, nusquam sit, adeoque plane non sit. Si causentur in contrarium: A. Quod Moses eorum creationem prætermiserit: Resp. α. Ex eo perperam confici, eos ante mundum fuisse conditos, est enim testimonium *negativum*. β. Et Mosen tradere, licet *implicite*, eorum creationem, intra sextiduum, jam ante docuimus. B. Quod vita æterna nobis promissa dicatur *ante tempora seculorum* Tit. 1. 2. quidni igitur, idem dici possit de Angelis? Resp. α. Ab existentia alicujus *promissionis* ante-mundanæ, non valet illatio, ad existentiam *Angelorum*, quia promissio illa in æterna latuit Dei electione. β. inde etiam sequeretur, *homines* exstitisse ante hunc mundum, utpote quibus ista promissio facta sit. C. Quod Angeli sint præstantiores omni creatura alia. Resp. Ex hoc nequaquam sequitur, quod ante omnes creaturas alias exstiterint, cum *homo*, creaturarum omnium visibilium nobilissima, post omnes creatus fuerit. Et si etiam ante omnes alias creaturas conditi præsupponantur, ex eo tamen non manet, eos ante *universum* mundum creatos fuisse. D. Quod, hac ratione, Deus, usque ad mundum conditum, destitutus fuisset suo famulitio, à quo celebraretur. Resp. 1. Ex hoc sequeretur eorum absoluta æternitas. 2. Nihil in hoc est absurdi, quod ab æterno Deus fuerit destitutus ministerio Angelorum, cum in se sibi sit *omnisufficiens*, & beatissimus. Imo 3. ad hoc noluit eos sibi coexistere ab æterno, ut inde appareret, eum nullius creaturæ ministerio indigere. Tandem E. quod ex contrario, laborare videatur Dei *omnipotentia*. Resp. α. Non negamus, per absolutam Dei potentiam, fieri *potuisse*, ut primum principium Mosaicum, & cum eo mundus Angelique, per complura secula, ab his nostris temporibus exstiterint, quam exstitunt; quamvis negemus, eos existere potuisse ante *omne* principium temporis, cum ante *tempus* non possit existere, nisi æternitas. Nec etiam β. negamus, ab omni æternitate, in Deo fuisse eam *omnipotentiam*, qua in tempore mundum & Angelos creavit actu: quamvis negemus mundum & *Angelos*, ab æterno *creari potuisse*, quod hoc implicet manifestam contradictionem.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

XXV. Quæritur 3. An Angeli sint substantiæ, absolute immateriales? Veterum plurimi, teste Sixto Senense, *Bibl. Sanct.* lib. V. *annot.* VIII. & Vossio de *Idololat.* lib. 1. cap. 6. non voluerunt eos *simpliciter* esse immateriales; sed *comparative* tantum, respectu corporum *nostrorum* crassiorum: sic ut comparative ad *Deum* fuerint corpora. Judæi quidam, Dæmones saltem, volunt esse materiales, ἐγγαστόρους, eo quod illecebris mulierum, quondam fuerint inescati Gen. VI. 1. 2. Et nostro tempore Trithemius Abbas Sponhemiensis, (qui dæmones statuit igneos, aereos, aqueos, terreos. *Ad Maximil.* Quæst. VI.) eos existimat esse materiales. Vorstius item & Socinus cum suis, ut commodius habeant, & Deum suo modo esse materialem, compositum finitum; dicunt Angelos esse *materiales*. Augustinus, Fausto manichæo exprobrat, quòd statuerint Angelos, ex substantia Dei prognatos fuisse. Origenes eis corpora aerea tribuit. Nec defuerunt, qui ex nominibus *Uriel*, Seraphim confecerint, eos ex *luce*, vel ut *materia* homogenea, fuisse conditos. Ex adverso Reformati statuunt, eos absolute immateriales esse. Quia: 1. *Spiritus* constanter appellantur in Scripturis, tam *boni*, quam mali Angeli, de quibus Servator. Luc. XXIV. 39. quod *carnem & ossa non habeant*, adeoque contrectari non possint, quod *materialibus* competit. 2. Scriptura nullibi ipsis *materiam* tribuit. Quia 3. Non tam *commodum* Deo ministerium præstare possent, si materiales essent, ut qui à materiatis impediri possent. Nec est quod objiciatur (1) Ex Gen. VI. 2. quod *filii Dei respexerint ad filias hominum*, quod

3. An Angeli sint substantiæ immateriales?

Sententiarum divortia.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

quod pulchræ essent &c. Qui locus plerosque Patres fefellit. Resp. Probandum, quod hoc loco, per *filios Dei*, intelligantur Angeli, cum per *filios Dei*, commodius intelligantur, posteri Sethi, qui *Ecclesiam* efformabant; dum per *filias hominum* intelliguntur posteri Caini, apostatæ, cum quibus, filiis Ecclesiæ fas non erat, matrimonia contrahere 1. Cor. VI. 4. (2) Quod dicantur *flammæ ignis* Psal. CIV. 4. Heb. I. 7. adeoque materiæ igneæ. Resp. Comparatio ista, non *essentiam* intendit Angelorum; sed *efficaciam* & *celeritatem* eorundem, in expediendis divinis mandatis, cum, ratione *essentiæ*, clare dicantur, facti *spiritus*, sicut monuimus in *exegeticis*. (3) Quod dicamur olim futuri ἰσάγγελοι Matth. XXII. 30. proinde, cum nos simus materiales, & Angeli sunt. Resp. Cum dicamur *futuri* ἰσάγγελοι; satis dicitur, nos *non esse* ἰσαγγέλους, adeoque Angelos non esse, quales nos sumus, scil. materiales: nec futuram nostram ἰσαγγελίαν, convenientiam *substantiæ* inferre; sed *status* tantum, ratione immortalitatis futuræ utrobique communis. (4) Quod specie *humanâ*, se non raro nobis conspicuos fecerint Marc. XVI. 5. &c. Resp. Et Deus, non raro apparuit Patriarchis, nec tamen ex eo, substantiâ materialis est Gen. XVIII. 1. 2. Conspicuos igitur se nobis præstiterunt, non in *propriis*; sed in *assumptis* corporibus, *in se spiritus*, unde, peractis negotiis, corpora assumpta deposuerunt Jud. XIII. 3. 6. 8. 9. 10. cum vs. 20.

4. An essentia Angeli, consistat in merâ cogitatione?

XXVI. Quæritur 4. An essentia Angeli consistat in merâ cogitatione? David-Joristæ, ut diximus §. XXIII. statuunt *cogitationes bonas*, esse *Angelos* bonos; cogitationes *malas*, Angelos malos. Cartesius cum suis, quia emergens ex hyperbolica sua *dubitatione*, non inveniebat in se nisi *cogitationem* & *extensionem*, & inde conficiebat, non dari in rerum *naturâ*, nisi duo ista, gitationem & extensionem, statuebat Angelos, cum non sint extensiones; esse non posse nisi meras cogitationes, prout alibi observavimus lib. 2. cap. III. §. XIX. Reformati largiuntur quidem, Angelos esse *substantias cogitativas*; sed non admittunt in Angelo non esse nisi meram cogitationem, quin in Angelo esse *substantiam*, à suâ *cogitatione* diversam, in qua sint vires cogitandi & operandi, unde profluunt ipsæ cogitationes & operationes. Saltem non esse *meras* cogitationes, multis argumentis obtinemus: Quia, omnium consensu, *unius* cogitatio, est *diversa* ab *alterius* cogitatione. *Diversa* autem esse non potest per *nihil*, sic enim non differrent: proinde per *aliquid* diversum ab ipsa *cogitatione*. 2. Unius ejusdemque spiritus, *una* cogitatio diversa est, ab *alia*: hoc rursus, cum non fiat per *nihil*, necessario fiet per *aliquid*, quod in una sit cogitatione, & non in alia. 3. Datur in spiritu, & in cogitatione spiritus, *bonitas* & *malitia moralis*, quæ diversa est ab ipsa cogitatione, utpote per quas, unius spiritus, unaque cogitatio, ab alio differt, ut Angelus à diabolo: jam autem, omnium consensu, bonitas & malitia est aliquid *reale*. 4. Datur, unanimi Cartesianorum consensu, in cogitatione *modus*, â quo *multiplex* est, in quovis spiritu cogitatio. Hic rursus, vel *aliquid* est, vel *nihil*. Si *nihil*, non poterit *multiplicare* cogitationes; proinde aliquid in cogitatione, ab ipsa cogitationis essentia diversum. 5. Sensus omnium hominum communis, qui coincidit cum Cartesianorum *idea*, quam pro norma habent omnis veritatis: cogitationem concipit velut *actionem* quandam, concipit item, actionem præsupponere *agens*, ab ipsa cogitatione diversum. Et sic datur in spiritu aliquid ab actione diversum. 6. Si in spiritu non sit, nisi *mera* cogitatio; concipi nullo modo potest, *quod* & quo *modo*, spiritus quivis, seu *boni*, seu *mali*, vere & propriè sint *in loco*. Quod tamen, & Scriptura, & ratio, & sensus hominum communis, ipsis arrogant. Quomodo item, spiritus moveatur è loco in locum; ascendat, descendat; accedat, recedat; quod passim ipsis in Scripturis asseritur? Quomodo post mortem, anima pia *ascendat in cœlum*, impia *descendat in infernum*? 7. Si spiritus non sint nisi meræ cogitationes; tum concipi nequit, quod & quomodo spiritus quivis, tam *boni*, quam mali, operentur *extra se*, quod tamen, infinita fere, Scripturæ testimonia volunt, de quo apud controversiam sequentem, plura. Nec habent quod opponant, nisi falsas suas hypotheses, nim. A. Quod non habeamus *ideam*, ullius rei in spiritu, quæ ab ipsa ejus cogitatione diversa sit. Resp. 1. fac nos non habere *ideam*, inde tamen non sequeretur *non esse*: cum mens nostra, quippe *finita*, non *omnium* quæ sunt *habeat*, aut habere *possit* ideam. Sed 2. habemus omninò *ideam*, rei alicujus diversæ à cogitatione in spiritibus, ut patet per omnes rationes, jamjam adductas. Nominatim habemus penes *cogitationem*, ideam *actionis*, ab *agente* diversæ. B. Si in spiritu daretur aliquid à cogitatione diversum; id necessario foret *extensio*: quia non datur in rerum natura, nisi cogitatio & *extensio*. Resp. Quid est, si non hoc *petere principium*? Nos contrarium abunde demonstravimus. Conf. *Gangræna* nostra *Cartes.* Sect. II. cap. VI. §. 4. 5. & cap. XXII. §. 9.

Sententia Cartesianorum?

Et Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones.

XXVII. Quæritur 5. An Angeli, propriis viribus, operentur *extra se*? Super negotio, de *operatione Spirituum* his annis, varie a variis disputatum est, occasione Tractatus D. Balth. Bekkeri, quem *mundum fascinatum*, belgice inscripsit. Ipse quidem D. Bekkerus, *spiritus* primò sed distinguit, in tales qui cum *suis corporibus uniti* sunt, quales sunt *animæ* humanæ, hos in sua cor-

5. An Angeli, propriis viribus operentur extra se? Sententia.

rum differentia.

pora agere, virtute istius *unionis*, fatetur; & tales, quibus cum *corporibus* propriis nullum est commercium: & hos rursus, in *bonos* & *malos*. Bonorum operâ, *Deum uti*, in expediendis judiciis suis, tum versus bonos, tum versus malos; sed tamen absque viribus propriis; *malos* autem nihil omninò operari. Ejus Antagonistæ Cartesiani, eos *operari extra se*, non quidem *viribus propriis*; sed quod Deus velit, ad talem vel talem spirituum cogitationem, tales effectus existere, dum interim *ipse Deus* immediate, nón tantum nexum illum, inter talem spirituum cogitationem, & talem effectum producat; sed ipsam etiam illam cogitationem, imo & ipsum effectum. Proinde *spiritus ipse*, suis viribus, nihil producit omnino. Istam sententiam, sibi à Venerando Synedrio Amstelodamensi, præscriptam, & D. Bekkerus, lubens admittit. Primum falsum utriusque partis, in hoc est, quod spiritus non sit nisi mera cogitatio, & *concipi* non possit, quî *mera* cogitatio, propriis viribus possit operari extra se. Reformati Antagonistæ Bekkeri, quos discriminis ergo, *Ante-Cartesianos* appellabimus, existimant, spiritus non esse meras cogitationes; sed *substantias*, quibus insint vires, per quas operari possint *extra se*, cujus rationes jam ante præstitimus, apud controversiam præcedentem. Quantum ad Bekkeri Antagonistarum *Cartesianorum*, sententiam, agnoscimus: 1. juxta æternum Dei *decretum*, per creationem, factum esse talem *nexum*, quo per talem *causam*, producatur talis *effectus*: sed talem, per quem eadem opera, causæ contulerit *vires*, quibus verè possit *operari*, seu, quibus vere possit esse *causa*. Ast 2. Nexum suum *otiosum*, quo, absque *viribus* operandi propriis, causa sit *causa*, & operetur, quod *non potest* operari, Antagonistæ Cartesiani, nec probarunt, nec probare *conati* sunt. Adhæc 3. Si per *otiosum* istum *nexum*, quo *absque viribus*, spiritus *vere* operetur: in quo Deus *solus*, nexum producat inter *volitionem* & *volitum*; volitionem item & volitum, ipse immediate producat: tum quod *Deus solus* operatur; dici poterit, operari *creatura*, manifesta contradictione, proinde tali nexu, spiritum *vere* operari statuunt, quo reverà nihil operetur. Porro 4. si ex tali nexu *solo*, anima nostra operetur *malum*, v. g. homicidium, adulterium; & Spiritus *malignus*, tentet, seducat: nunquid *Deus solus*, erit horum omnium, *vera* & proprie-dicta *causa*, & non *creatura*, quippe cui, ex hoc *nexu* non competat, nisi sola operandi *denominatio*? Accedat 5. Quod Scriptura, pro *otioso* isto *nexu*, Angelis tribuat *potentiam* כח, & *magnam* quidem, à quâ sint גבורי כח, *validi potentia* Psal. CIII. 20. & Angeli potentiæ divinæ 2. Thess. 1. 7. Item 6. quod ipsis *multas* & validas operationes tribuat, v. g. destructio primogenitorum in Ægypto, truncatio centum octoginta quinque millium, in castris Senacharibi, eversio domus in quâ epulabantur filii & filiæ Jobi, & similes. Item annunciatio, nativitatis Isaaci Gen. XVIII. 10. & XXII. 11. & Christi Luc. I. 11. 26. ejus resurrectionis Matth. XXVIII. liberatio Lothi Gen. XIX. Apostolorum è carcere Act. V. 19. & XII. 7. Danielis Dan. VI. 21. 23. Vox Archangeli 1. Thess. IV. 16. διακονίαι versus electos Heb. I. 14. & quæ sunt hujus generis sexcenta alia. Quibus D. Bekkerus non opponit nisi: A. Quibusdam horum locorum, per Angelos non designari, nisi Emissarios *homines*. Hoc fieri Gen. XVIII. Adversus Paulum Heb. XIII. 2. Aliis B. quod Deus, per miraculum fecerit immediatè: traduci ad Angelos, juxta *opinionem* aliorum, jota uno nunquam probatam, sic fieri Dan. VI. 21. 32. 2. Sam. VII. 22. &c. quod refellet textuum ἐποψία. Aliis C. majestatem divinam repræsentari, ex schemate aulico, quam adaugeat copiosum satellitium, quantumvis ἄνεργον. Hoc fieri v. g. 2. Thess. 1. 7. Matth. XXIV. 31. Ex quibus duo tandem concludit: α. De operationibus Angelorum circa homines, nil certi ex Scripturis posse repeti. β. Omnia ista huc spectare, ut Dei negotia circa homines, hujusmodi loquendi modis, ad modum curiæ cujusdam cœlestis, repræsententur. Et quid ista tandem? nisi pleraque Scripturæ narrata, de operationibus Angelorum, naso suspendere adunco, & pro figmentis & imaginationibus habere, quibus nil minus intendatur, quam quod verba sonant. Conf. *Epanorthosis* nostra *ad Cl. Beckerum* §. XIX. Si porro pro suo *nexu otioso*, ejus Antagonistæ Cartesiani urgeant ℵ. Miracula ab hominibus producta dici; occurremus, ea à *solo* Deo producta dici Psal. LXXII. 19. Act. III. 12. 13 Si urgeant ב. Quod absque nexu illo divino, creatura nihil possit: regeremus; absque nexu illo, quo Deus operaturo *conferat vires*, nihil operatur; ast per *nexum* Cartesianorum otiosum, nihil etiam creatura, Deus *solus* operatur. Conf. Gangr. Cart. Sect. II. cap. XXIV. §. 7—10.

XXVIII. 6. An Angeli, quoad essentiam, sint *in loco*? D. Beckerus existimat, quamvis *proprie* non sint in loco, quia mera cogitatio nullam habet relationem ad locum: esse tamen in eo loco, ubi est de quo cogitant, eoque *omni & adæquate*, v. g. si de Roma cogitat, est Romæ: si de cœlo, est in cœlo: si de inferno, est in inferno: si de toto universo, est in toto universo. Ejus Antagonistæ Cartesiani confitentur, Angelos, proprie & quoad essentiam suam, non esse *in loco*; sed tamen dici non posse, quod sint in *omni* loco, in quo est de quo cogitant: verùm esse in eo loco, ubi id est, circa quod *operantur* extra se. Convenit inter ipsos, in his: α. quod spiritus non operentur

6. An Angeli quoad essentiam, sint in loco? Sententiarum collatio.

tur *nisi cogitando.* β. quod spiritus *suis viribus*, omninò non operentur *extra se.* γ. quod proprie & *per se*, non sint *in loco*: dissentire videntur in hoc, quod Beckerus dicat, eos esse, ubi id est, de quo *cogitant*; dum ejus Antagonistæ Cartesiani, dicunt, illos esse, ubi id est, circa quod *operantur.* Sed quid discriminis est inter *cogitare* & *operari*, apud eos, qui consentiunt, spiritus non *esse*, nisi meras cogitationes; nec operari nisi *cogitando*; nec *cogitando*, extra se, quicquam producere? Reformatorum communis sententia est, Angelos quia sunt *substantiæ*, à suis cogitationibus, ceu *actionibus* diversæ; ratione istius *substantiæ*, esse verè & propriè in loco, quanquam *diffinitive* tantum, sic in *uno*, ut simul non sint in *alio.* Cujus sententiæ 1. fundamentum dudum jecimus apud controversiam *quartam*, docendo quod Angeli non sint meræ cogitationes; sed *substantiæ* cogitativæ, quibus procul dubio, *locus* competit in quo sint, *si sint.* 2. Quod non est in loco seu *spatio*, illud *nusquam* est, & quod *nusquam* est, *non est.* 3. Implicat contradictionem, Angelos esse *in mundo*, esse *partes* mundi, secundum *sensum* omnium fere hominum *communem:* & tamen non esse *alicubi.* Hinc 3. Et Scriptura passim, Angelis tribuit suas sedes, suum domicilium Dan. VII. 10. ac describit velut venientes, abeuntes, ascendentes, descendentes, procul dubio ex *loco* in quo sunt; singula in hanc rem, citare Scripturæ loca, otiosum est. Addam 4. ex ipsis Cartesianorum hypothesibus, *cogitant* in loco, *operantur* extra se in loco; ergo *sunt* in loco. Fundamentum sententiæ Cartesianæ, est in his fere quatuor: 1. Quod Angelus non sit nisi mera *cogitatio*, id quod dudum disjecimus; penes controversiam quartam. 2. Quod cogitatio nullam habeat *relationem ad locum.* Cui obloquitur *experientia*, per quam *cogitatio* est in loco, ubi sumus, pariter & *sensus* hominum *communis*, cui, si *nullibi* sint cogitationes, nec in cœlo, nec in terra; prorsus *non sunt*, & ipsa etiam obloquitur hypothesis cartesiana; si enim Angeli sint in loco, ubi *operantur*, quamobrem non erunt in loco ubi *cogitant*? cum præsertim, juxta eandem hypothesin, non *operentur*, nisi *cogitando.* 3. Quod *locus* seu *spatium*, sit corpus, utpote trina constans dimensione. Sed si spatium sit *corpus*; tum *corpus* erit *in corpore*, cum, ex idea omnibus communi, *corpus* sit *in spatio.* Nec trina dimensio competit *spatio* propriè; sed *corpori* quod est *in spatio.* 4. Id omne, quod est in *spatio corporeo*, id esse *corpus.* Sed hoc tantundem valet, ac si dicas, id quod est in poculo *aureo*, id *aurum* est; aut in *vitreo*; *vitrum* est: *aut* Deus, qui *coexistit* omnibus *corporibus*; corpus est. Conf. *Gangræna* nostra cap. XXIII. §. 1. 2. 3. 4.

Sententia Reformatorum, cum suis fundamentis.

Objectiones

XXIX. Quæritur 7. An Angelis non competat *motus*, nisi *valde improprius*? Cartesiani, quia fundamentis, jamjam disjectis, *locum* ademerunt Angelis; non possunt non eisdem adimere motum proprie dictum. Ex adverso Reformati, quia *locum* Angelis; solide asserunt, & fundamenta Cartesiana destruunt, ut patet per paragraphum *præcedentem*: statuunt etiam eos proprie moveri, è loco in locum, cum præsertim cum hoc Scriptura passim clamat Job. 1. 7. Heb. 1. 14. Luc. 1. 26. 1. Pet. v. 8. Luc. XI. 24. Psalm. XCI. 11. 12. Gen. XXVIII. 12. & alibi. Nec ullus, ab ullo præstari potest Scripturæ locus, qui doceat, Angelos valde improprie moveri. Conf. *Gangr.* Cap. XXIII. §. 7. 8.

7. An Angelis non competat motus, nisi valde improprius?

XXX. Quæritur 8. An, quinam sint Angelorum ordines, certo possimus determinare? Platonici Philosophi, suos genios in *supra cœlestes*, *cœlestes* & *subcœlestes*, teste Jamblicho in *Mysteriis Ægyptiorum*, dispescunt. Judæi (ut hic nihil dicam de eorum כפירות & אצילות, *numerationibus* & *emanationibus*, de quibus supra lib. II. cap. v. §. x. quas videntur habuisse, pro *attributis* potius divinis, quam pro *Angelis*) pro diversis Angelorum *sedibus* & *officiis*, tres eorum classes numerant: primò *assistentium*, qui longissimè à materiâ sint separati, nunquam corporeâ specie visuntur, nec in terras veniunt; sed thronum Dei perpetuo cingunt. Secundo *ministrantium* מלאכי השרת, quin in mundum mittuntur, & sub humana specie, nonnunquam versantur, cæterum cœlorum orbes moderantur, à quo *exercitus cœlorum* dicuntur. Tertio *punientium*, Angeli *mortis* & corruptionis, ab ipsis dicuntur, qui in sublunaribus degunt, divinæ *iræ* ac justitiæ in terris ministri, quos etiam, *sexu* discretos, cibo ac Venere uti, quin & *mori* statuunt. *Bonos* Angelos peculiariter nominant: 1. *Animalia sanctitatis.* 2. *Ophannim.* 3. *Oralim.* 4. *Chasmalim.* 5. *Seraphim.* 6. *Angelos.* 7. *Elohim.* 8. *Bene-Elohim.* 9. *Cherubim*, sub quibus comprehendunt *Ischim*, quorum *supremi* infra solium Majestatis divinæ consistant; *infimi* cum hominibus conversentur. Vid. Angelus de Burgo novo, in *Comment. in dom. Caballist.*, & Francis. Greg. Problem. Sacr. Tomo. VI. Sect. v. §. 173. Pseudo-Dionysius Areopagita, ex Platonicis Philosophis, & universa Scholasticorum caterva, suam *hierarchiam* triplicem numerant *super-cœlestem*, quæ est Trinitatis: *Ecclesiasticam*, quæ est hominum, & *Cœlestem*, quæ est Angelorum: & hanc rursus distribuunt, in *eparchiam*, seu supremam; *mesarchiam*, seu mediam; & *hyparchiam*, seu infimam. Hos distinguunt *in genere*: α. *proprietatibus*, ordine, scientia & operatione. β. *actibus* hierarchicis, purgare, illuminare, & perficere: *in specie*, ex notatione *vocum*, v. g. Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Archan-

8. An quinam Angelorum sint ordines, certo possimus determinare? Variæ variorum sententiæ.

gelos. Proinde novem *choros* seu ordines numerant: hos in tres *hierarchias* dispescunt; scil. *primam*, quæ habeat Seraphim, Cherubim, Thronos; *mediam* quæ habeat, Dominationes, Virtutes & Potestates; & *infimam*, quæ habeat principatus, Archangelos & Angelos. Quæ omnia in hoc sese exonerant, ut Pontificii commodius possint obstetricari, suæ Angelolatriæ. Reformati, agnoscunt quidem, esse inter Angelos *aliquem* ordinem, eo quod, non tantum *Deus* eorum conditor, *Deus* sit *ordinis* 1. Cor. XIV. 33. 40. sed quod varia Angelorum *nomina*, eo nos provocare videantur Col. I. 16. Eph. III. 10. collat. Ezech. IX. 3. Jes. VI. 2. 1. Thess. IV. 16. Gen. III. 24. Jud. vs. 9. cum præsertim, particula disjunctiva εἴτε, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες... Col. I. 16. ordinem aliquem inter Angelos, videatur confirmare, ut non addam, esse inter ipsos *malignos* spiritus ordinem quendam Matth. XII. 24. Sed *quis* sit ordo inter Angelos, hoc ab hominibus, in hac imperfectione, determinari non posse, credunt. Quia: 1. Nec *natura* hujus ordinis, quicquam aperire *potest*, nec *Scriptura* aperit, ut patet inspectione omnium, locorum, quæ pro eo ordine, à Dionysio aliisque adduci solent. Quia 2. Paulus Col. II. 18. non una ratione, istam curiositatem damnat: *Nemo vos seducat*, ἐν θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν, ἐμβατεύων, *in cultu Angelorum, quæ non vidit, incedens.* Quia 3. Fundamentum, cui istum ordinem superstruunt, videlicet *novem* ista nomina, admodum est *arenosum*, quoniam non novem tantum *ista*; sed complura alia, de Angelis usurpata leguntur; appellantur enim *stellæ matutinæ* Job. XXXVIII. 7. *vigiles* Dan. IV. 11. 17. *exercitus cœli* Luc. II. 13. *spiritus* Heb. I. 7. *Elohim* Psalm. VIII. 6. *Viri* Gen. XVIII. 2. &c. Ne dicam, argumenta à *notatione* vocum, infirmiora esse, quam ut tanta ac talia eis possint superstrui. Nec insuper *Archangelorum*, ulla in Scripturis fit mentio; sed *unius* tantum. Quia 4. *proprietates*, quibus istos ordines discriminare conantur, ex *nominibus* hauste, omnibus Angelis *communes* deprehenduntur: quivis enim dicuntur Deo *assistere* Dan. VII. 10. quivis audire & exsequi mandata ejus Psalm. CIII. 20. quivis λειτουργικὰ πνεύματα Heb. I. 14. Psal. XCI. 11. Nec pro se habent, hujus ordinis patroni, nisi: A. Diversa illa *nomina*, quibus *hos* ordines superstruunt, quibus jam dudum satisfecimus. B. Rationes à *congruentiis* de quibus Scholastici ad Lomb. *sent. lib.* II. *Dist.* IX. tam jejunas, ut non mereantur refutationem occupare. C. *Authoritatem* Dionysii Areopagitæ, qui ista mysteria à Paulo didicerit. Verùm hunc Dionysium, non esse nisi spurium auctorem, non *nostri* tantum demonstrarunt, v. g. Illyricus in *Catal. Test verit.* lib. I. Beza *in Act.* XVII. Scaliger de *emend. Temp. lib.* VI. Rivetus in suo *Critic. Sac.* Cocus in *Censur. Pat.* Sed & è *Pontificiis*, quidam agnoverunt. v. g. Erasmus in Responso ad Censuras Parisienses Tit. XXXI. Cajetanus, Laurentius Valla in Act. XVII. Ejusdem commatis est *Epistola* Ignatii *ad Trallianos*, ostendentibus, Coco, Riveto, Usserio: ut perperam ejus auctoritate, hîc pugnent nonnulli è Pontificiis. Plura hujus generis habet Cel. Voetius Disput. Tom. I. De *Hierarchia cœlesti.*

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones.

XXXI. Quæritur 9. An dentur Angeli *tutelares*, qui singulatim, singulis negotiis, provinciis, hominibus, destinati sint? Gentiles olim tale quid sensisse videntur, teste Augustino Steucho Eugubino, de *Peren. Philosoph.* lib. VII. cap. 18. Et Mart. Del Rio *Disquisit. Mag. lib.* II. *quæst.* XXVI. Sect. 2. Judæi item Caballistæ, quæ deceant in hanc rem, de Anggelis tutelaribus, genethliacis, puerperii, pestis, mortis, videri possunt apud Buxtorfium, in sua *Synagoga Jud.* Nec abludunt Muhammedani, teste Lonicero, *Chron. Turcic.* Tom. I. cap. XXIV. Gerh. Joh. Vossius, auctoritate Patrum abreptus, eo propendere videtur, quod quilibet homo suum habeat Angelum custodem. *De Idodolat.* lib. I. cap. VII. Item Zanchius de *Oper. Creat.* Lib. III. cap. 13. & Alstedius in *Supplem. ad Chamierum*, de Eccles. lib. V. cap. VII. E Patribus multi, si non plerique, eodem videntur ire, ut quilibet habeat suum Angelum custodem. Pontificii, suæ ἀγγελοθρησκείᾳ litantes, præter septem Angelos suos, coram Deo *assistentes*, quos *aula cœlestis*, *Ecclesiarum omnium præsides*, *Dei administros*, *hominum Mediatores* appellat Pineda *de rebus Salomonis*, lib. V. cap. XV. quorum nomina sint: *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, *Uriel*, *Sealthiel*, *Jehudiel*, *Barachiel*; recensente Nicol. Serrario, *comment. in Tobiam*, cap. XII. 15. Præter inquam septem istos Angelos tutelares universales, ex ordine infimorum quosdam deputari volunt, quasi *ad causam.* v. g. *Potestates*, ad arcendos dæmones; *Virtutes*, ad miranda facienda, in rebus corporeis, quosdam ad communitates, nationes, provincias, civitates; alios ad singulos homines, tam malos; quam bonos, tam reprobos, quam electos protegendos: imo & *malum* quendam, quem *exercentem* dicunt. Angelorum istorum nomina Zacharias Papa, in Concil. Romano, demptis Michaele, Gabriele & Raphaele, *nomina Dæmonum*, vocavit. Horum *officia* circa suos clientes, alii *quatuor* numerant, ut Bonaventura: alii *quinque*, a Lapide in Exod. XXIII. aut *octo*, prout idem facit in Matth. XVIII. 10. alii *duodecim*, ut Gabriel Biel, in lib. 2. *Sentent.* Dist. XI. qui eos colligit ex Scriptura. Scil. (1) *increpare* Jud. II. (2) à peccatorum vinculis *absolvere* Act. XII. (3) impedientia à bono *auferre* Exod. XII. (4) *arcere* Dæmones Tob. XII. (5) *docere* & intus illumina-

9. An dentur Angeli tutelares, qui singulis negotiis, provinciis, hominibus, destinati sint?

Sententiarum collatio.

re

re Dan. IX. (6) ſecreta *revelare* Gen. XVIII. (7) *conſolari* afflictos Tob. V. & VI. (8) in via Dei *confortare* I. Reg. XIX. (9) in via *deducere*, & conducere Tob. V. (10) hoſtes *dejicere* Jeſ. XXXVII. (11) tentationes *mitigare* Gen. XXXII. (12) *Orationes deferre* Tob. XII. Reformati credunt, Angelos univerſim Deo miniſtrare ad ſalutem electorum, quia hoc Scriptura teſtatur Heb. I. 14. Pſ. XXXIV. 8. & XCI. 11. Collat. cum Matth. IV. 6. Luc. XV. 10. & XVI. 22. Aſt verò, ſingulos Angelos, ſingulis negotiis, provinciis, hominibus, deſtinatos, non poſſunt credere fide divina, quia; 1. Hoc nullibi dicit Scriptura, nec aliunde hoc nobis innoteſcere poteſt. Quin potius 2. contrarium dicit, quando *uni* aliquando *plures* Angelos; ſicut pluribus, unum Angelum addicit Gen. XXVIII. 12. & XXXII. 1. 2. Pſal. XXXIV. 8. 2. Reg. VI. 16. 17. Luc. XVI. 22. Quia 3. Iſta ſententia injurioſa & derogatoria eſt, in ἀξίωμα Chriſti mediatorium & interceſſorium, quatenus ei ſubſtituit ſeu conſtruit Angelos. Quia 4. viam ſternit ad ἀγγελοθρησκείαν. Quia 5. colludit, cum Ethnicis, Muhammedanis, Judæis, ut vidimus. Objectiones in contrarium, nullius ſunt momenti: A. Ad Scripturæ loca quæ Alſtedius, Zanchius & Pontificii in hanc rem uſurpant Matth. XVIII. 10. Act. XII. 15. Dan. X. 13. Jeſ. XXXVI. 36. &c. Reſp. (1) Generatim, ne unum quidem ſiſti, aut ſiſti poſſe, qui dicat *ſingulis*, *ſingularem* Angelum datum eſſe à Deo. Proinde (2) ſi huic forte aut illi, v. g. Petro in vinculis ſuis, aut parvulis, quia ſibi proſpicere non poſſunt, aut quaſi ad hanc *cauſam*, à Deo mittatur Angelus aliquis; ex eo non manet, omnibus & *ſingulis*, ſuum dari peculiarem Angelum. Speciatim B. ad locum Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum*..... ſcil. parvulorum, non dicitur de *Angelo*, qui cuivis parvulo ſit proprius, ſed de *Angelis*, qui promiſcue, pro Dei arbitrio, eorum ſaluti, ex officio advigilent Heb. I. 14. C. Ad locum Act. XII. 15. *Eſt ejus Angelus.* Reſp. Hoc dicitur per errorem manifeſtum, ut patet per verſ. ſubſequentem: non per θεοπνευγίαν. D. Dan. X. Narratur Angelus miſſus ad Danielem verſ. 11. ſed hîc non dicitur Angelus Danielis. Narratur item *Princeps regni Perſici* verſ. 13. ſed per eum non intelligitur Angelus aliquis; ſed Cambyſes Cyri filius, Perſiæ Princeps, Judæorum hoſtis, Angeli ad Danielem miſſi conatibus, inſcius obnitens. Narratur ibidem *Michael* velut *unus ex Principibus.* Sed non incommode intelligitur *Chriſtus*, qui *unus* dicitur, id eſt, *primus* & Princeps Angelorum, qui cum Principibus creatis comparati, optime dicuntur Principes primarii, quemadmodum etiam appellantur, *imperia ac poteſtates in cœlis* Eph. III. 10. Reliqua Scripturæ teſtimonia, nihil habent omnino difficultatis, quin potius Pontificiis obnituntur.

Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

Objectiones.

XXXII. Quæritur 10. An Angeli, ſint hominum Mediatores & interceſſores apud Deum? Platonici, cum Angelum *tutelarem* cuique homini addixiſſent, eum etiam Mediatorem faciebant & interceſſorem. Vid. Voſſius de *Sect. Philoſ.* cap. XVI. & Hornius *hiſtor. Philoſ.* lib. VII. cap. 8. Horum ſententia & Eccleſiæ Chriſtianæ obrepſiſſe videtur, tempore Apoſtoli Col. II. 18. Saltem ab his Pſeudo-Dionyſius Areopagita, cum ſua *Hierarchia cœleſti*, & hanc ſententiam hauſiſſe, plus quam probabile eſt. Item Simoniani, Archontici, & Angelici ſeculo ſecundo. Ex horum Lacunis Pontificii, ut ſuæ ἀγγελοθρησκείᾳ efficacius ſuccurrerent, & hanc ſententiam hauſerunt Vid. Pined. de *Reb. Salomon.* lib. V cap. 15. Reformati, iſtam gloriam, nulli Angelorum; ſed ſoli Chriſto competere docent 1. Tim. II. 5. 1. Joh. II. 1. Heb. IV. 14. cum præſertim competere non *poſſit*, niſi Mediatori θεανθρώπῳ, ut ſuo loco videbimus ex profeſſo lib. V. cap. 2. Nec ſuppetit Pontificiis quod in contrarium obtendant, niſi: 1. Ex Tob. XII. 15. Sed hic Apocryphus eſt, variis laborans erroribus. Quin & in hoc ipſo loco ſibi ipſi repugnat, quando Angelus hujus loci ſeipſum appellat Raphaelem, qui jam ante Cap. V. 18. ſeipſum appellaverat *Aſariam* Magni Ananiæ filium. 2. Ex Apoc. VIII. 3. Sed per hunc Angelum, intelligi non poteſt, niſi Angelus increatus, Angelus fœderis Mal. III. 1. Angelus facierum Jeſ. LXIII. 9. qui ſolus, velut Sacerdos cœli, ſanctorum ſupplicationes, ſibi impoſitas velut aureo altari, Deo repræſentat Heb. IV. 14. & IX. 24. & XIII. 10. 15. 1. Joh. II. 1. Conf. Rainold. *Cenſur. libb. Apocryph.* Prælect. LXII. & LXIII.

10. An Angeli ſint hominum Mediatores? Sententiarum collatio. Sententia Reformatorum. Objectiones.

XXXIII. Quæritur 11. An Angelis competat cultus religioſus? Qui Angelos pro Mediatoribus aut interceſſoribus recipiunt, quos nominavit §. præcedens, non dubitant, ipſos cultu religioſo eſſe proſequendos, hinc dies feſtos ipſis indicunt, templa ſtruunt, vota nuncupant, imo & Deum per merita Angeli cuſtodis invocare non veretur Jeſuita Drexelius. Sociniani, ut commodius habeant, Chriſtum non extitiſſe ante ſuam nativitatem ex B. virgine, nec fuiſſe Angelum illum Jenovam cui ſe incurvabat, quemque adorabat Abrahamus Gen. XVIII. 3. Ne etiam argumentum noſtrum, pro æterna deitate Filii & Spiritus S. quod petimus a *cultu religioſo*, ipſis, per Scripturas competente, valeret; & ut tandem Chriſtus, ex lege Evangelium facturus, in hoc etiam legem moſaicam correxerit; ſtatuunt ſub Veteri T. fas fuiſſe adorare Angelos. Colludunt in gratiam Socinianorum, Remonſtrantes Apologiſtæ Epiſc. *Inſtit.* lib. IV. c. 35. Reformati, cultum & reverentiam *civilem* ipſis competere, credunt 1. Cor. XI. 10. 1. Tim. V. 21. utpote creaturarum præſtan-

11. An Angelis competit cultus religioſus? Sententia Reformatorum.

utpote creaturarum præstantissimis Heb. 1. 4. sed cultum *religiosum* ipsis competere, non credunt. Quia: 1. hoc Deus nullibi testatur in Scripturis. 2. Exserte ab ea damnatur Col. 11. 18. Et 3. Ab ipsis Angelis respuitur Apoc. XIX. 10. & XXII. 8. 9. Jud. XIII. 15. 16. Quia 4. cultus *religiosus*, *deitatis* ἀπεροχὴν præsupponens, *soli* Deo competit Deut. VI. 13. & X. 20. Matth. IV. 10. Hinc Deus Jes. XLII. 8. tam solenniter protestatur: *Ego sum Jehova... gloriam meam alteri non dabo.* Nec pro cultu Angelorum religioso valet: Quod Abrahamus Angelos sibi apparentes, cultu religioso fuerit prosecutus Gen. XVIII. 2. 3. Non enim *Angelos*, cultu religioso prosecutus est; sed *Angelum* vers. 3. *Domine, si gratiam inveni in oculis tuis...* & ille Angelus, perpetuò appellatur *Jehova* vers. 1. 13. 14. 17. 20. Conf. Chamier. *Panstrat.* Tom. 2. lib. XIX. cap. 6. §. 9. ad 23. Plura hujus generis, & imprimis hypotheses Socinianorum, habebimus suis locis.

12. An Ecclesia Veteris T. fuerit sub dominio Angelorum?

XXXIV. Quæritur 12. An Ecclesia Veteris Testamenti, fuerit expositа dominio Angelorum? Quos diximus, Angelici, suam ἀγγελοθρησκείαν superstruebant eorum potestati, & quasi divinitati in Ecclesiam. Vid. Epiphan. *hæres.* LX. & August. *hæres.* XXXIX. Nec abludunt, aut abludere possunt hierarchiæ cœlestis Patroni: dum enim singulis negotiis, provinciis, urbibus, peculiarem suum Angelum addicunt, nunquid dominium & potestatem ipsis addicunt? Nunquid subjectionem stipulantur? Celeb. D. Coccejus, quo ex pœna colligeret, Ecclesiam V. T. fuisse sub reatu, & prærogativas Ecclesiæ Novi T. altius eveheret, supra prærogativas veteris Ecclesiæ: statuit post μεσχοποιίαν, Ecclesiam Judaicam fuisse sub potestate ac dominio Angelorum, velut θεῶν λεγομένων, quos ad hoc Deus sibi associaverit in Legislatione (εἰς διαταγὰς ἀγγέλων) ut per legem Angelis subjiceretur populus, tanquam eorum servus, quique essent vindices legis, sub qua servitute etiam ad tempus fuerit Christus, paulò minor factus Angelis, donec Ecclesiam Novi T. ab ea servitute liberaverit. Reformati reliqui, agnoscunt quidem, Angelos appellari אלהים Psal. VIII. 6. adfuisse etiam legislationi Act. VII. 53. & legem per Angelos traditam Mosi Gal. III. 19. Deumque transgressionem legis, per Angelos, inflictione pœnarum vindicasse: sed per hæc, Angelos factos fuisse Dominos, & quasi Deos Ecclesiæ Veteris, hoc non credunt: 1. Quia Scriptura nullibi dicit, Angelos esse Dominos & quasi Deos Ecclesiæ, quibus Ecclesia debeat esse subjecta. Quia 2. Ex adverso Angelos describit πνεύματα λειτουργικὰ, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα.... *spiritus ministratorios, ad ministerium missos* Heb. 1. 14. Quia 3. si fuissent Domini, ac Dii nuncupativi Veteris Eccl. tum etiam eis competiisset θρησκεία, nec Paulus eam tam rigide proscriberet, vel hoc argumento, quod ejus Patroni incederent in his, quæ *sibi visa* non essent Col. 11. 18. Nec isthoc Angelorum dominium in Ecclesiam veterem (α) Ex eo conficitur, quod dicatur, Deum Angelis non subjeciisse οἰκουμένην μέλλουσαν Heb. II. 5. Inde enim, nulla soliditate sequitur, Deum *Ecclesiam* Veterem subjeciisse Angelis, cum præsertim, Ecclesia nullibi appelletur οἰκουμένη, *orbis habitabilis.* Nec (β) Christus quod dicatur, secundum humanam naturam, sui exinanitione, minor factus מאלהים Diis, seu Angelis Ps. VIII. 6. cum Heb. II. 7. Hoc enim non dicit Ecclesiam V. T. fuisse subjectam Angelis, & cum Ecclesia, Christum: esse enim *minorem* aliquo, non statim est, ei subjectum esse. Multo minus etiam (γ) hoc conficitur, quod Christus dicatur exuisse *imperia & potestates & de eis triumphasse* Col. II. 15. Cum hactenus omnes interpretes, hæc intellexerint de impuris spiritibus, quos morte sua spoliaverit, eversa sua infideles potestate Heb. II. 14. Tandem (δ) Nullis fidiculis hoc dominium conficitur ex eo, quod appellentur Elohim, quod Deo adstiterint in promulgatione legis, eaque data εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, quod vindictam aliquando exercuerint in violatores legis &c. Cum omnia ista fieri soleant, non per *Dominos*, sed per *ministros.* Plura hujus generis habebimus forte alibi.

Objectiones.

Sententiarum collatio.

Reformatorum rationes.

Pars practica.

Praxis hujus commatis.

XXXV. Praxis beatorum Angelorum, nobis offert, *primò majestatem & gloriam Creatoris*, utpote qui: (1) stipatus ac cinctus sedeat, tanto ac tali *spirituum* satellitio Dan. VII. 10. *Millies mille ministrabant ei, & decies millies centena millia stabant coram eo.* Satellitio (2) Spirituum tam *perfectorum*, tanta ingenii perspicacia promptitudine ac velocitate, tanta potentia præditorum, ut in *dogmaticis* diximus. Qui omnes (3) in eo *toti* sint, ut Creatorem Dominum suum (a) dies noctesque *observent*, ac *glorificent*, ad quod excitantur Psal. CIII. 19. 20. 21. & CXLVIII. 2. quod etiam *agunt* Jes. VI. 3. Luc. II. 14. Apoc. IV. 8. 9. Ut (b) Ejus *mandata* præstent Heb. I. 14. Psal. CIII. 20. Idque (4) summa: A. *Reverentia*, tegunt enim *facies* Jes. VI. 2. *B. Humilitate*, tegunt *pedes. Ibid.* C. *promptitudine* & alacritate glorificandi, & exsequendi jussa, à quo *Seraphim* appellantur. D. *Contentione*, fervore & impetu, quando dicuntur *clamasse alter ad alterum, sanctus, sanctus, sanctus Jehova Zebaoth*, idque tanta vi, ut se *commoverint superliminaria postium à voce clamantium.* Ibid.

1. Pandit gloriam Dei.

XXXVI. Eadem opera *secundò*, nobis *exemplum* præstant Angeli, quod non tantum *imitemur*, sed in quo opere; manus quasi cum eis junga-

2. Exemplar imitationis.

gamus præeunte Davide Pſal. CIII. 20. 21. ubi cum provocaſſet Angelos, ad laudes & obſequium Dei, ſe ſuamque animam ipſis conjungit verſ. 22. *Et tu anima mea benedic Jehovæ.* Similiter viginti quatuor Seniores Apoc. IV. 9. 10. 11. *Et quum tribuebant illa animalia gloriam, & honorem, & gratiarum actionem, ei qui throno inſidebat; procidebant viginti quatuor Seniores & adorabant: dignus es Domine qui accipias gloriam & honorem & virtutem.* Si enim hoc agunt, tot ac *tanti* ſpiritus, quid non ageremus miſeri homunculi? & niſi cum eis egerimus *hîc*; nunquam cum eis agemus *poſthac.* Aſſueſcamus itaque tempeſtivè: (a) corde, ore & opere, cum ipſis, *glorificare* Deum Matth. VI. 9. 10. (b) *audire* ac præſtare *voluntatem* Dei. Ibid. Idque parili, quantum fieri poteſt: A. *Reverentia* majeſtatis divinæ Exod. III. 6. *Abſcondit Moſes faciem ſuam, timebat enim aſpicere Deum.* Scil. ut Seraphim duabus alis, eodem conſilio tegebant *faciem* ſuam Jeſ. VI. 2. B. Profunda *humilitate*, quam cum Moſe *exuamus calceos* coram Jehova. Ibid. prout Seraphim duabus *alis* tegebant *pedes* ſuos. Conf. Gen. XVIII. 27. C. *Fervore* promptitudinis, quo cum Seraphim, quaſi *flagremus* in obſequio Rom. XII. 11. Luc. XXIV. 32. Jer. XX. 9. D. Arrectis omnibus *viribus*, ut cum Seraphim, quaſi *vociferemus*, ut ſuperliminaria concutiantur: ita inquam, *toto corde, toto animo, tota cogitatione*, atque *omnibus viribus* noſtris, *negotium Domini* noſtri agamus Matth. XXII. 37. Luc. X. 27. Col. III. 23.

3. Beatitudinem fidelium.

XXXVII. Porro *tertiò*, contemplatio Angelorum nobis pandit *beatitudinem* fidelium, quæ elucet: A. In *gloria*, quâ ſibi creati ac deſtinati ſunt *ſpiritus* tam gloriofi, *miſſi* à Deo *ad ſuum miniſterium* Heb. I. 14. imo ut miniſtrent, διακονοῦντες τοῖς ἁγίοις Heb. VI. 10. B. In *ſecuritate*, adverſus pericula quævis, quando *Angelus Jehovæ, caſtrametatur circa eos* Pſal. XXXIV. 8. & *Deus Angelis ſuis mandat* de eis, ut eos cuſtodiant in omnibus viis eorum, *ut in manibus eos portent, ne in lapidem impingat pes* eorum Pſal. XCI. 11. 12. Matth. XVIII. 10. Dan. III. 25. 26. Act. XXVII. 23. & v. 19. & XII. 7. 9. Gen. XVI. 7. 9. 11. & XIX. 12. Apoc. VII. 11. Gen. XXXI. 11. C. In *utilitate*, quâ omne genus *commodi* capiunt ex hoc Angelorum miniſterio: in bonis: 1. *animi*, gaudent ſuper *ſalute* Luc. II. 9. 10. 11. ſuper *converſione* peccatoris Luc. XV. 7. *exhilarant* annunciatione favoris divini Act. X. 4. *legem* promulgant Act. VII. 38. cum Gal. III. 19. *Euangelium* annunciant Luc. II. 10. *mala* impediunt Num. XXII. 22. contra Satanam *pugnant* Jud. verſ. 9. Dan. X. 13. in *tentatione aſſiſtunt* Matth. IV. 11. Tum 2. in bonis *corporis*, proſpiciunt de *victu* neceſſario 1. Reg. XIX. 6. Gen. XXI. 17. 19. Tandem 3. in extremis: *in* morte *conſolantur* Luc. XXII. 43. poſt *mortem* deferunt animas eorum in cœleſtia gaudia Luc. XVI. 22. in extremo *judicio*, *colligunt* beandos Matth. XIII. 30. & Cap. XXIV. 13. 1. Theſſ. IV. 17. in *cœlis* ipſis, ſuaviſſimum præſtant *ſodalitium* Heb. XII. 22. E quibus omnibus, aliisque pluribus, ſumma procul dubio, emergit felicitas & beatitudo fidelium.

4. Accendit ſtudium, conciliandi nobis cuſtodiam Angelorum,

XXXVIII. Et hinc *quartò*, appetitus & cupido accenditur ſibi conciliandi *miniſterium*, *cuſtodiam* & commoda tot ac tanta beatorum Angelorum. Quod fit: (1) conciliando nobis Angelorum *Creatorem ac Dominum*, cujus ſunt ſpiritus λειτουργοὶ à quo *emittuntur* Heb. I. 14. *qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros* Pſal. CIV. 4. (2) Conciliando nobis Angelorum *Principem* Chriſtum, *Principem exercitus Domini* Joſ. V. 13. 14. *Caput* Angelorum Col. II. 10. 1. Pet. III. 22. quem *adorant* omnes Angeli Heb. I. 6. cui inſerviunt Matth. IV. 11. Conciliabimus autem utrumque, ut mittat nobis Angelos: A. Sincerâ à peccatis *converſione*, præputium cordis abjiciendo, ac Paſcha noſtrum comedendo (*non in fermento veteri malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis* 1. Cor. V. 8.) Joſ. V. 8. 11. cum verſ. 13. 14. B. Viva in Chriſtum *fide* (utpote *ſcalam* illam, in quâ Angeli deſcendunt & aſcendunt Gen. XXVIII. 12.) *in quo* Deus *recollegit* ſeu reconciliavit nobis, *omnia quæ in cœlis ſunt* Eph. I. 10. C. Sancta *converſatione* Exod. XXIII. 20. 21. 22. Zach. III. 7. Conf. Joſ. V. 15. D. Reverentia & *timore* Dei Pſal. XXXIV. 7. 8. E. Fiducia & ſpe in Deo collocata Pſal. XCI. 2. 9. cum verſ. 11. F. Fortiter *pugnando* cum hoſtibus Dei ac noſtrî, reſiſtendo eorum tentationibus Matth. IV. 10. 11. eoſque ſuperando. G. Deum *invocando*, qui mittat nobis Angelos Matth. XXVI. 53. (3) Conciliando nobis ipſorum *Angelorum* benevolentiam, non ſane cultu eorum *religioſo*, quem Apoſtolus proſcribit Col. II. 18. ſed (a) eorum *exhilaratione*, quæ fit officiorum noſtrorum erga *Creatorem* ac Dominum ſuum, nominatim reſipiſcentiæ, ſincero *ſtudio* Luc. XV. 7. 10. (b) Noſtrî *aſſimilatione* cum ſtudiis ac moribus eorum, *cura glorificandi* Deum, obediendi mandatis ejus Pſal. XXXIV. 7. 8 Neque enim eſt, quod magis *conciliet*, quam *ſimilitudo ſtudiorum* ac morum (c) *Cavendo* nobis ab omnibus iis, quibus *exacerbari* ac fugari poſſint, inobedientia, rebellione. Conf. Jeſ. LXIII. 10. Exod. XXIII. 20. 21. (d) *Reverendo* eorum præſentiam 1. Cor. XI. 10. 1. Tim. V. 21.

5. Monet cavendum ab abuſu Angelorum.

XXXIX. Interea *quintò*, *cavendum* ſedulò, ut his Angelorum tot ac tantis beneficiis ineſcati, non inhiemus: 1. Angelorum *apparitionibus*, quod hujuſmodi apparitiones, poſtquam Deus nobis locutus eſt per Filium Heb. I. 1. *rariores* accidant in Eccleſia, imo rariſſimæ: quodque inſuper, doctrinâ

ctrinâ salutis sufficienter *revelatâ*, prorsus non sint, necessariæ Gal. 1. 8. Act. xx. 27. adeoque etiam propter delusiones diabolicas; qui se *transformare* novit in *Angelum lucis* 2. Cor. xi. 14. perquàm *periculosæ*: unde & plurimos deprehenduntur fefellisse. Euseb. *Histor. Eccl.* lib. 5. cap. 15. Saltem hi, qui revelationibus *Scripturæ* non contenti, hujusmodi inhiant apparitionibus, seseque manifesto exponunt *seductionis* periculo 2. Thess. ii. 12. Neque etiam inhiemus 2. *Revelationibus* extraordinariis *non apparentium*, propter easdem fere rationes, & quod peculiariter Apostolus, nos adversus eas videatur præmonere & præmunire 1. Tim. iv. 1. Gal. 1. 8. Col. ii. 18. 2. Cor. xi. 14. Cum præsertim Deus nullibi *promittat* se missurum Angelos, qui nobis extraordinaria revelent. Conf. Rom. x. 15. Singulatim 3. si quando nobis *appareant*, ac revelent credenda, ab eorum *ore simpliciter* non pendeamus; sed cum revelatis *dudum* in verbo conferamus Gal. 1. 8. ob, periculum ab eo nobis imminens, juxta dicta: nisi fortè in negotiis *singularibus*, quæ non adeo exstant *determinata* in Scripturis (& si *indicia* sufficientia divinæ missionis, unà præstiterint Luc. 1. 11. cum vers. 18. 19. 20. Tandem 4. si sufficientia etiam suæ missionis *indicia* demonstraverint; cavendum, ne proprer *majestatem* apparationis, & beneficia apparentibus nobis præstita aut præstanda, in *cultu* ultra *civilem*, unquam assurgamus Gen. xviii. 2. à *religioso* religiosissimè nobis temperemus Apoc. xix. 10. & xxii. 9. Col. ii. 18. ut suo loco diximus.

6. Monstrat miseriam infidelium.

XL. Postremùm *sextò*, Angelorum tanta ac talis perfectio, *miseriam* nobis monstrat impiorum, qui, sua culpa, non modo tot taliumque spirituum custodia, famulitio, subsidiis, & sodalitio æterno carere; sed insuper eosdem suos adversarios, sibique obnitentes, experiri coguntur. Cujus exemplum obvium est in Protoplastis Gen. iii. 24. Sodomæis Gen. xix. 13. in Jerosolymitanis Ezech. ix. 5. 6. Bileamo Num. xxii. 22. Sennacharib. 2. Reg. xix. 35. Israelitis Jes. lxiii. 9. 10. Herode Act. xii. 23. Et quinam tandem illi, quibus misera ista sors imminet? Resp. (1) Qui obnituntur *mandatis* Dei, *voluptates* carnales, honores mundanos, præferunt cum protoplastis favori divino, Satanam hominesque potius audiunt, quam Deum Gen. iii. (2) Qui animum gestant, Ecclesiæ & *amicis* Dei adversarium, ut patet in Pharaöne. (3) Qui se *extollunt* supra Deum Exod. v. 2. collat. cum Cap. xii. qui *contumaces* sunt adversus *Dei* monita, ut patet in Bileamo Num. xxii. 12. 19. 20. 22. qui *contemnunt* verum Deum, eumque blasphemiis lacessunt, aut cum Rabsace & Sennacharibo, nomen *Dei* benedictum 2 Reg. xix. 19. 21. 22. 23. 27. 28. cum vers. 35. qui *rebellione* & obmurmurationibus, cum Israelitis, obnituntur Spiritui Sancto Jes. lxiii. 10. qui honorem sibi non competentem; ac Deo *peculiarem*, appetunt aut admittunt, quod patet in protoplastis & Herode. Nec est aliud, hujus tanti judicii pellendi, *remedium*, quam in illis adminiculis, quibus Deum nobis conciliare, juxta & Mediatorem, atque ipsos etiam *Angelos* conamur, quæ dudum expressimus §. xxxviii. in quibus eminet vera à peccatis ad Deum *conversio* Luc. xv. 7. 10. quippe qua, omnis diffidii *causa* tollitur.

CAPUT OCTAVUM,

DE

MALIS ANGELIS.

Jud. vers. 6.

Angelos autem, qui non servarunt suam originem; sed reliquerunt suum domicilium; ad judicium magni illius diei, vinculis æternis, sub caligine reservasse.

Negotium de malis Angelis.

I. Considerabimus Angelos, prout sunt *in se*, & quasi à manibus Dei profluxerunt: considerandi etiam, prout *facti* sunt suo vitio, & qua ratione ex *bonis* Angelis, mali *Dæmones* evaserint; in quo nobis prælucebit Judas Apostolus suæ Epistolæ vers. 6.

Pars exegetica.

Superstruitur

II. *Quibus verbis, hominibus in exemplum, exhibet Dei judicium in Angelos apostatas. In quo prostant:*

1. Per

exegesi textus.

1. Personæ, *in quas Deus dispensavit judicium*, Angeli. *Non omnes utique; sed qui designantur per subsequentia. Vox ordinarie capitur pro spiritibus* bonis: *hic verò & alibi* Rom. VIII. 36. 1. Cor. VI. 3. *&c. pro* malis, *qui* Angeli *vocantur, seu quod* boni *fuerint Angeli, cum crearentur; seu quod & hi, à Deo* mittantur *ad expedienda judicia sua* 1. Reg. XXII. 21. 22. 23... Job. I. 12. & cap. II. 6. 7. *seu ad exaggerandam sua admonitionis vim: nim. qui* Angelis, *spiritibus, tantis ac talibus, non pepercerit cum peccassent, non parciturum sane hominibus* 2. Pet. II. 4.

2. Causa *judicii* apostasia, *quæ peragitur.*

A. Omissione, *seu neglectu officii committendi*: qui non servârunt τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, propriam suam originem, *vel principatum.* Ἀρχὴ *enim* Principium *notat &* principatum. *Hinc Oecumenius per* principalitatem *refert, quod non servaverint* dignitatem *suæ* naturæ, *quod non egerint convenienter suo ordini, suæ* dignitati. *Beza & Erasmus, quod post suum* principium, *non continuaverint; In eo statu, quo creati fuerant: erant creati* boni; *sed facti* mali. *Perinde fere est utram significationem eligas, nec fortè incommode utramque conjunges, nim. quod non egerint, id quod est* præcipuum, *non egerint convenienter suæ dignitati, suo ordini; adeoque non subsliterint, in primo illo statu beato, in quo conditi fuerunt.* Τηρήσαντες non servarunt, *à* τηρέω, *quod notat* accurate servo 1. Joh. v. 18. *quasi adhibita custodia, ut ille qui excubias agit ad carceris januam Conf.* Act. IV. 3. & v. 18. *differt à* φυλάττω, *quod hoc sonet præservationem* à malo, *dum illud conservationem* in bono: *illud ad* finem; *hoc ad* media *spectat. Notatur ergo egregia Angelorum istorum negligentia & socordia, qua sibi non attenderint, suo ordini, suæ dignitati.*

B. Commissione, ἀλλὰ ἀπολίποντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, sed relinquentes proprium domicilium. *Non tantum non servârunt per* socordiam, *primævam suam dignitatem; sed insuper per* malitiam *deseruerunt suam stationem.* Οἰκητήριον domicilium, *est, ubi quis* habitat, *h. e. constanter & ordinarie vivit, distans à diversorio, ubi ad tempus tantum commoratur quis. Intelligitur autem per Angelorum domicilium,* cœlum *empyræum* Matth. XVIII. 10. *ubi* faciem Dei continuo vident. *Istud domicilium* suum *deseruerunt, non equidem sponte; sed hoc agendo, ob quod cœlum deserere coacti sunt, eo modo, quo protoplasti paradisum deseruerunt. Quodnam autem fuerit istud peccatum, suo loco investigabimus.*

3. Pœna *judicii, videlicet:*

α. Incarceratio *usque ad diem extremi judicii.* Δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν, vinculis æternis sub caligine servavit. *Occurrunt, penes hanc incarcerationem.*

1. Vincula, δεσμοῖς ἀϊδίοις. *Non desunt, qui velint* δεσμοῖς dici pro εἰς δεσμὰς, ut σειραῖς, pro εἰς σειρὰς 2. Pet. II. 4. *ut ad* pœnam *spectet, potius quam ad* carcerem. *Sed non video ullam correcturæ necessitatem: quin ex adverso Apostoli σύνταξις multo est commodior, nim. quod catenis servaverit ad judicium. Ast cum Angeli* spiritus *sint, qui vinculis constringi non possunt; quid sibi hic volunt vincula? voluntatem & potentiam Dei, qua* spiritus *perinde vincitur, ac catenis, corpus. Conf.* Act. XX. 22. *Vincula autem ista,* æterna *dicit textus, ut significet* immutabilem *eorum captivitatem & miseriam.*

2. Carcer, ὑπὸ ζόφον, sub caligine, *seu in loco caliginoso, quales fere sunt carceres.* Ζόφος densissimas tenebras *notat, imo ipsam* caliginem. *Sensu spirituali, statum notat* horridum Jes. I. 10. Psal. XXIII. 4. *loco horrido constructum, quod Petro significari videtur, voce* ταρταρώσας 2. Pet. II. 4. *Sed quis iste tandem* Dæmonum carcer? *Non desunt, qui intelligant* aërem caliginosum, *in quo asserventur diaboli, usque ad diem extremi judicii: quin potius* infernus *Conf.* Matth. XXII. 13.

3. Incarceratio *seu detentio,* τετήρηκε servavit. *Vim vocis Græcæ, jam dudum repræsentavimus, scil. eos, voluntate & potentia Dei, adeo quasi vinctos servari, ut carcerem suum nunquam possint effugere* Psal. CXXXIX. 7. 8.... *Quod tamen non ita venit intelligendum, acsi inferno ita essent constricti, ut extra illud in his terris non sint, aut tentando, seducendo, circa homines nihil agant, cui diserte obloquitur Petrus* 1. Pet. v. 8. *sed quod, ubicunque sunt, sententia divina, quasi catenis vincti asserventur, ad hoc, ut nunquam effugiant, sententiæ suæ exsecutionem, licet interim, velut in catenis vagentur, tentent ac seducant homines, ex indultu Judicis.*

β. Punitio, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, ad judicium magnæ diei. *Id quod aliis idem est, ac* in diem magni judicii. *Sed nescio, quænam ratio istam permutationem urgeat, cum & alibi* dies magnus *dicatur* Act. II. 20. Joel. II. 32. *Et dies magnus est, & judicium magnum erit. Est hic*

1. Pœna, εἰς κρίσιν, ad judicium Κρίσις *hic, non* judicationem *notat, seu judicandi* actum;

ſed rem judicatam: *nec judicatum* abſolvens; *ſed* condemnans. *Unde* κρίσις & κατάκρισις, *ſæpius unum notant idemque* Joh. VII. 24. Jac. V. 12. 2. Pet. II. 4. Joh. III. 19. *Ut pœna lapſorum Angelorum non relinquatur, niſi indeclinabilis & immutabilis eorum condemnatio.*

2. Tempus *puniendi* μεγάλης ἡμέρας, magni diei. *Verba* διακριτικῶς *videntur adjici, ad innuendum, non cujusvis judicii & ſententiæ pœnam, quaſi* interlocutoriam *intelligi ac retractabilem; ſed extremi illius judicii pœnam* definitivam *intelligi.* Ἡμέρα μεγάλη, *addit Lucas* Act. II. 20. καὶ ἐπιφανὴς & illuſtris, & formidabilis Joël. II. 20. הנורא, *alibi* χαλεπὸς, θαυμαστὸς, φοβερὸς, κραταιὸς, ἔνδοξος: *ita vero dicitur, quod futurus ſit dies* univerſalis *judicii* omnium *hominum.*

Pars dogmatica.

Dari ſpiritus malos probatur.

III. Sunt ergo in *ſpiritibus*, qui conditi naturâ *boni*, atque etiam *juſti*, ſeipſos ſua pervia, & juſtitiâ & *beatitudine* indeclinabiliter orbârunt. *Eſſe* præſupponit Scriptura, per omnes illas denominationes, quas paulo abhinc provocabimus. Eſſe etiam à Deo *creatos*, patet per caput præcedens, ſi enim *boni* creati ſunt; & *mali* ſunt, quatenus *boni:* cum præſertim omnibus certo ſit certius, non eſſe illos *Creatorem*; procreaturas: ut non addam, Deo nullum aliâs in eos futurum *dominium*, cum in ſuas *creaturas* tantum illud extendatur. Factos autem *ſuo vitio* malos Scriptura quidem tradit, quando eos in *veritate* non perſtitiſſe, adeoque *fuiſſe* aliquando, docet Joh. VIII. 44. & clarus paulo, quando non *ſervaſſe ſuam originem*, ac *deſeruiſſe ſuum habitaculum*, nec non quando peccaſſe tradit: atque etiam recta *ratio*, hîc prompta ſuccurrit, quâ, per naturam Dei fieri non poteſt, ut creaturam producat quæ ſit *moraliter* mala, futurus aliàs Deus *auctor peccati*. Et quod eopſe omni *juſtitia* ſeipſos orbârint, è textu patet, cui ſub ζόφῳ, hoc eſt *ſub extrema caligine*, ex peccato ſunt, per quam craſſam *ignorantiam* intelligi compertum eſt Col. I. 13. Eph. IV. 18. & V. 8. 11. Rom. XIII. 12. nec juſtitia tantum; ſed etiam *beatitudine*, à quo dicuntur ſervari *ad judicium* magni illius diei. Et hoc tandem ipſis eveniſſe prorſus *indeclinabiliter*, indigitatur σειραῖς ζόφου *catenis* caliginis.

Variæ ſpirituum malorum denominationes.

IV. Sed operæ pretium eſt, hæc paulò diſtinctius dicamus. Apoſtatæ, de quibus impræſens nobis negotium eſt, jam *ſpiritus* ſimpliciter dicuntur I. Reg. XXII. 21. Matth. VIII. 16. ob *naturam immaterialem*, ſibi cum bonis Angelis communem: ſed diſcriminis ergo, plerumque cum epitheto, ſpiritus *mendaces*, *mali*, *impuri*, *nequam*, *crudeles* Eph. VI. 12. I. Sam. XVI. 23. Luc. VIII. 2. Reg. XXII. 22. Prov. XVII. 11. jam, ab efficiente & puniente, *Spiritus Domini* I. Sam. XVI. 16. & XVIII. 10. jam, ab *officio* & fine, ſibi olim naturali, *Angeli* abſolute I. Cor. VI. 3. & cum προσδιορισμῷ, *Angeli mali* Pſal. LXXVIII. 49. *Angeli Satan* 2. Cor. XII. 7. Apoc. XII. 9. Nunquam tamen *Angeli Domini*, licet & ipſi judicia Domini ſæpenumero expediant: jam, à *ſcientia* ſibi naturali, *Dæmones* Matth. VIII. 31. Marc. V. 12. quos tamen ſcriptores profani, in εὐδαίμονες καὶ κακοδαίμονες diſpeſcunt. Conf. Act. XVII. 18. jam à *potentia*, *fortes* ἰσχυροὶ Matth. XII. 28. jam ἄρχοντες τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος Eph. II. 2. iiem ἀρχὴ καὶ ἐξουσίαι Eph. VI. 12. Col. II. 15. jam, quod nemini utiles, omnibus *noxii* ſint, *Belial.* 2. Cor. VI. 15. jam, à jurata cum Deo & hominibus *inimicitia*, *Satanas* Luc. X. 19. I. Pet. V. 8. Apoc. XII. 9. Matth. IV. 10. & ἀνθρωποκτόνου Joh. VIII. 44. ἀπολλύων Apoc. IX. 11. שר Deut. XXXII. 17. cum Pſal. CVI. 35. quod LXX. Interp. reddunt per δαιμόνιον. Deſcendit à שדד *devaſtare.* Figuratas eorum denominationes, ſuis locis aſpergemus. Magiſtris Judæis *Sammael* dicitur, qui ſerpenti in ſeductione hominis inequitaverit, q. כר מאל *deficiens à Deo.*

Angelorum malorum apoſtaſia.

V. Turpiſſimæ metamorphoſeos, quâ ex Angelis *bonis*, peſſimi *diaboli* abierunt, ſibi ipſis *cauſa* exſtiterunt haud dubie, ſuo *peccato* 2. Pet. II. 4. proinde transgrediendo *legem* divinam; cum peccatum non ſit niſi ἀνομία I. Joh. III. 4. Quænam autem & qualis, Angelis *lex* ſit poſita, ſuo loco in Cap. de *Providentia Dei morali*, dicemus, Quodnam verò fuerit iſtud *peccatum*, & quis ad illud *motus* primo-primus, Scriptura non ita determinat. Hinc nonnulli ad *errorem* intellectus referunt, per quem *in veritate* non perſtiterit Joh. VIII. 44. hinc & protoplaſtos, à *veritate in errores* ſeduxerit: alii *libidinem* ipſis tribuunt, huc peſſime traducto loco Gen. VI. 2. probabilius alii *ſuperbiam* dicunt, quod κρίμα τοῦ διαβόλου dicitur I. Tim. III. 6. Unde etiamnum *honores divinos*, tam ſtudioſe affectant, eoque & homines impellunt. Quâ quidem ſuperbia tanto ſtudio *propriam excellentiam* quæſiverint, ut Deo ipſi æquiparari, aut præferri affectaverint (unde & in *hoc* præcisè crimen, protoplaſtos ſuâ tentatione adducere conabantur) aut ſaltem ejus ſubeſſe legibus & imperio recuſârint. Niſi huic volueris adjicere *invidiam*, aut verſus *Deum*, ob peculiare ſibi deitatis ἀξίωμα: aut verſus *alios Angelos*, ordine forſan ſe *ſuperiores*: aut verſus *hominem*, juxta ſecum: imaginem divinam conſecutum. Ab *inordinata* iſta propriæ excellentiæ *affectatione* & amore, concepiſſe videntur *errorem in intellectu*, in

in deligendis eo *mediis*, ad eum fortè modum, quem circa homines oſtendit Ameſius *Medul.* lib. I. c. XI. §. 7. Ego vero nolim, Scriptura ſilente, quicquam audacter determinare.

Deus non eſt auctor iſtius apoſtaſiæ.

VI. Et quamvis iſtud peccatum commiſſum fuerit *præſcio* numine; & æterno ejus *decreto*, ac concurrente *providentiæ* ſuæ *influxu*, citra quem, nec ipſe *ſolus* independens eſſet; nec *Angeli* dependentes per omnia: attamen *auctor* dici non debet, niſi Angelus *peccans*, propria libidine, & *abuſu liberi* arbitrii, à Deo deficiens. *Defecit* enim qui *voluit*; *potuit*, quia, pro ratione creaturarum, *mutabilis* conditus erat. Quamvis, ſi *in ſe* ſpectetur ſolus, ſepoſito decreto & providentiâ divina; *viribus* ſufficienter inſtructus erat, quibus potuiſſet in *origine* ſua *perſiſtere*.

Circumſtantiæ loci & temporis lapſus angelici.

VII. Nec *locus* delicti, *exſerte* commemoratur in S. monumentis, quamquam non improbabile ſit, fuiſſe *cœlum*, nativum Angelorum domicilium, quod ſuo peccato etiam *deſeruiſſe* feruntur. Unde forſan, *draco iſte magnus*, & *ſerpens ille antiquus*, *conjectus* dicitur *in terram*, & *Angeli ejus cum ipſo* Apoc. XII. 9. Nec magis *tempus* commiſſi delicti; *falſum* ſaltem, fuiſſe *ante mundum* conditum: nec enim tum *tempus* fuit; ſed pura *æternitas*, quamvis hoc vellent Sociniani, ſuis hypotheſibus gratificantes. Quamdiu autem in obedientia *perſtiterint*, an etiam *per ſex primos* creationis dies; non ſatis ſolidè definiri è Scripturis poteſt. Saltem, id *inde* dici non poteſt, *ſecundo* die factum (ut nonnulli volunt Judæi) quod ille deſtituatur peculiari ſua *approbatione*: neque etiam, quod *ipſo* creationis *ſuæ momento* defecerint: ex eo, quod Diabolus dicitur *homicida ab initio* Joh. VIII. 44. cum iſtud *initium* ſatis commode repeti poſſit, à *ſeductione* hominis. Hoc unum certum, lapſum *Angelorum*, lapſum *hominis* anteceſſiſſe, quod ejus auctor exſtiterit.

Modus hujus apoſtaſiæ.

VIII. *Numerus* apoſtatarum, maximus procul dubio fuit, ex Marc. v. 9. Luc. VIII. 30. quamvis temerariè definiatur, *tertia* eorundum pars ex Apoc. XII. 4. 9. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli*, & *conjecit eas in terram*, & *draco ſtabat coram muliere--& conjectus eſt in terram*, & *Angeli ejus cum ipſo*: cum alia prorſus videatur iſtius ὁράματος mens. An autem *ſibi* quiſque eorum peccaverit *peculiariter*: an *unus* vice *omnium*: item, an *idem* omnes commiſerint ſcelus; an quiſque *ſuum*, Scriptura non ita dicit. Damaſcenus lib. 2. *De Orthod. fid.* c. exiſtimat, *unum magni nominis Angelum lapſum*, *infinitam multitudinem ſecum traxiſſe*, à quo unus ille, *princeps* malignorum ſpirituum appelletur Matth. XII. 24. & IX. 34. & reliqui, *ejus Angeli* Matth. XXV. 41. 2. Cor. XII. 7. Apoc. XII. 7. 9. Sed cum & ἄρχοντες in plurali commemorentur Eph. II. nec ullibi dicatur, iſtum *principatum*, etiam *ante lapſum* obtinuiſſe; nos hic ἐπίχομεν: quamvis certius videatur *principatum*, ſi quis tum fuerit, oriundum non fuiſſe, à dependentia quavis *naturali* (ſicut ab ea, Protoplaſtus *caput* eſt univerſi generis humani, in quo *omnes* peccavimus) cum Angelum Angeli *Principem* eſſe per naturam, ratio & Scriptura non tradat. Licet per unius alicujus *ſuaſionem* & exemplum, reliquos in idem crimen ſponte conceſſiſſe, nolimus inficiari, & per hanc ſuggeſtionem imitationemque, ejus imperia, juſto Dei judicio, *mancipatos* fuiſſe, colligi poſſe videatur ex 2. Pet. II. 19.

Duplex hujus lapſus conſequens.

IX. Lapſu iſto, apoſtatæ *duo* ſibi attraxerunt: *primò* totalem ac deſperatam *corruptionem*, à quâ ſpiritus *malignos*, & *impuros* dudum diximus, quorum *intellectus*, omni Dei ac rerum divinarum cognitione, *practicâ* ſaltem & *experimentali*; penitus deſtituatur, à quo *poteſtas tenebrarum* appellantur, qui *catenis calignis* conſtringuntur. Conf. Eph. IV. 18. & cap. V. 8. *Voluntas* plenè & planè *adverſa* à Deo, & imagine divina in homine, quo *Satanas*, *adverſarius*, *accuſator fratrum*, *tentator* ac *ſeductor* paſſim denominatur: & *converſa* in quodvis flagitium crudelitatem, tyrannidem, odium, iram, à quibus *hoſtis* dicitur Matth. XIII. 25. Gen. III. 15. item *leo rugiens* 1. Pet. V. 8. draco *rufus*; magnus, ſepticeps, ſepticornis Apoc. XII. & ſeq. homicida ἀπ' ἀρχῆς: imo projectus quamvis *malitiam*, unde ὁ πονηρὸς dicitur 1. Joh. II. 13. Matth. VI. 13. In quâ corruptione, adeo ſunt *obfirmati*, ut nec *velint*, nec *poſſint* ab ea quicquam remittere, quaſi *catenis* æternis adſtricti: tum *ſecundò*, etiam ſibi attraxerunt, extremam & immutabilem *miſeriam*, dudum magna parte *inflictam*; ſed maximâ adhucdum *infligendam*: ob quam *aſſervari* dicuntur, *ad judicium magni iſtius diei*, ut ſicut hîc excellunt *nequitiâ*, ita poſthac excellant *miſeriâ*.

Affectiones aliquot malorum Anmorum.

X. Interim tamen, *natura* ſunt, & manent *incorruptibiles* & *immortales*, quamvis in morte, & ad miſeriam: *intellectu* pollent, cognitione rerum *naturalium*, atque etiam *divinarum*, multo maxi- gelorum. ma, à quo δαίμονας appellavimus Jac. II. 19. Scil. tum *naturali*, quatenus *ſpiritus*, non tantum *natura* ſubtilior & perſpicacior; ſed etiam, ab erroribus & *præjudiciis*, organorum corporeorum independens eſt: tum *experimentali*, longo temporis uſu acquiſitâ: unde Lutherus, Doctorem dicit non *promotum*; *ſed expertum*: tum *revelatâ*, quam Deus eis apperit 1. Reg. XXII. 22. Sed tamen nec ad *futura contingentia* pertingit (utpote quam *ſibi ſoli* Deus ſervat Jeſ. XLI. 26. Hinc per ſua *organa* Aſtrologos, non potuerunt interpretari inſomnia Pharaonis Gen. XLI. 8. ac Nebucadnezaris Dan. II. 10. II. & IV. 7. niſi fortè per *conjecturam*, ex cauſis *naturalibus*, ut politici prudentiores, imminentia bella. Nec etiam ad *interiores cordis*

humani receſſus, eadem ratione, pertingit Jer. XVII. 9. niſi quatenus nos perſpicit, ex *ſtudiis* hominum, aut etiam, ex peſſimis quibuſvis *cogitationibus*, quas hominibus ipſe injicit 2. Cor. IV. 4. Et, quam de *Deo* habent, ac divinis *cognitionem*, ea purè *ſpeculativa* eſt & ἀνεργος οτιοſα.

Potentia diabolorum.

XI. *Potentiâ* item, per quam *validi* ſunt Matth. XII. 28. quaſi *armati* Luc. XI. 21. & *leones rugientes* 1. Pet. V. 8. quod *operationibus* oſtendunt Eph II. 2. Job. I. 19. Matth. VIII. 32. quando hominum *intellectum excæcant*, decipiunt, corrumpunt; *voluntatem* ad peccandum *incitant*, *ſenſus interiores*, ſomniis terrent, *exteriores*, ad expetenda illicita *alliciunt*, ut patet hiſtoriâ lapſus Gen. III. quando item hominum facultate *loco-motivâ* abutuntur Matth. XVII. 15. Marc. V. 3. 4. facultatem *ſermocinantem* inhibent Marc. IX. 17. Luc. XI. 14. actiones *bonas* impediunt 1. Theſſ. II. 18. *malas* contra promovent, corpora *obſident*, alioque modo miſerè *affligunt*. Multum etiam valent, in *elementa*, meteora, vegetabilia animantia Job. I. 12. 16. Apoc. VII. 2. 3. Non tamen *infinita* eſt eorum potentia; ſed certis limitibus *circumſcripta* Job. I. 12. Matth. VIII. 31. 32. Exod. VIII. 18. Apoc. IX. 14. Singulatim, non poſſunt perpetrare, veri nominis *miracula*, quæ *naturam* excedant, aut *univerſam*, aut *ſuam*: quod hoc ſit Deo *peculiare* Pſalm. CXXXVI. 4. Poſſunt interim, per *inſtantaneam* agentium naturalium (quorum vires & operationes exactiſſime callent) ad ſua paſſiva applicationem, *miranda* facere, quæ captum humanum excedant, quia *cauſas* ignoramus.

Peculiariter in hominum corpus.

XII. Quantum peculiariter ad hominem, *permultum* poſſunt, *tum* in ejus *corpus*, valetudinem ejus affligendo, acerboſque caſus immittendo Matth. IV. 5. 8. Luc. XIII. 11. 16. Job. II. 17. Luc. IX. 39. cum Marc. IX. 17. & ſeqq quin &, permittente Deo, *humores* mirificè movendo, ac rerum *imagines* in cerebro turbando & invertendo; in *furorem* agere eum poſſunt Matth. VIII. 28. cum quâ rabie, mores *feri*, & triſtis illa *melancholia*, quam *lycanthropiam* eſſe putant, conjuncta ſæpe ſunt. In ferinos enim *habitus*, aut in lupos transformare homines, & *nobiliſſimam* creaturam, belluinis exuviis veſtire, ac rerum *naturas* variare; *vires* eorum

Et animam.

videtur excedere: *tum* in *animam*. A. Quanquam enim in ipſas animæ *facultates* principes, intellectum & voluntatem, immediate illabi, eaſque intime affari, ac quibuſcunque velit *formis*, implere poſſe non videatur: attamen *phantaſiæ* ope, ac per *externos* ſenſus, valide eam afficere, terrere, blandiri, multiſque modis *Angelum lucis* mentiri poteſt 2. Cor. XI. 14. fraudibus potiſſimum *nocendo* moraliter.

In apparitionibus ſeu ſpectris.

XIII. Imprimis etiam hominibus *apparere*, *ſpectris* illudere, & aſſumpto corpore, iis occurrere conſuevit: ſive externam formam in aëre ſolum *ſimulando*, ſive mortuorum *cadavera* ingrediendo, ſpectris eaque circumferendo. Quo ſpectant quævis *oracula*, murmura, ſibila diabolica, præſagia, gentibus uſitata: omnia non *Scriptura* tantum (Gen. III. 1. 1. Sam. XXVIII. 14. Matth. IV. 3. Levit. XIX. 31. & XX. 6. 27. 2. Reg. I. 2.) ſed & *experientia*, teteſtatiſſima. Vera interim corpora humana, *producere* eum non poſſe, Servator præſupponere videtur Luc. XXIV. 37. 38. 39. multo minus *mortuos* excitare; vel *animas* defunctorum, ſuis ſedibus evocare; iterumque terris exhibere poſſe, colligi videtur ex Luc. XVI. 26.

In magia.

XIV. Porro ad *magicas* artes, ſuos etiam effor- mare poteſt, inito cum illis, vel tacito, vel expreſſo *fœdere*, quibus vel futura *contingentia* prædicere, quæ magia *divinatrix* appellatur; vel *mirabilia* operari, nullis adhibitis *cauſis* naturalibus, vel iis plerumque *ineptis* & invalidis (quales ſunt *characteres*, verba, collectæ certo tempore & ritu herbæ, aliaque ludicra & infanda) producere valeant, quæ magia *operatrix* dicitur; aut etiam *veneficiis* alios infeſtare, quemadmodum Hecate, Circe, Medea. Quanquam nec deſint, qui ex *imaginario* cum diabolis fœdere, multa ſibi peragere videntur, cum tamen tenaciſſimâ *melancholia* obſepto & ſtipato cerebro nil tale *revera* perpetrent; quales plerumque lamiæ ac ſtriges ſunt. Confer. Perkinſi *Baſcanalogiam*, & quæ ſuo loco de *magia* ex profeſſo dicemus.

In obſeſſionibus.

XV. Imprimis autem, ſuam *efficaciam* & crudelitatem exſerere ſolent, in *obſeſſione corporali* (datur enim & *ſpiritualis*, cujus exemplum patet in *proditore* Joh. XIII. 27. multo quidem *periculoſior*, quamvis non ita *terribilis*) quando *corpus* hominis occupant, ejus *membris*, linguâ, manibus utuntur pro libidine, eum miſerè torquent, ac promovent ad talia, quæ *naturaliter* ab eo dici ac perpetrari non poſſent, quorum magis crebra, in hiſtoria Euangelica, ſub adventum Chriſti fit mentio Matth. IV. 24. & VIII. 16. 22. & IX. 32. & XII 22. & XV. 22. Luc. XXIV. 36. Act. XIII. 8. fortè, quod Servator Jeſus *poteſtatem ſuam* in Dæmones, non tantum ratione *animæ* humanæ, ſed etiam ratione *corporis* voluerit demonſtrare, in ſanandis dæmoniacis. Dici tales conſueverunt *energumeni*, quod Satanas *in ipſis* peculiariter *operetur*, & diſtingui videntur in *dæmoniacos* & *lunaticos* Joh. X. 20, Marth. XVII. 15. collat. cum Luc. IX. 39. quod Satanas, humoribus *lunaticis* perſæpe abuteretur in uſum ſuum. *Cauſæ* hujus mali repetendæ videntur, cum à *malitia* diabolicâ, tum à propriis peccatorum *meritis*, quibus ſeipſos Satanæ *mancipia* ſpiritualia, jam ante præſtiterant: tum à juſta Dei *ira*, quâ iſtud judicium in *Saulem* diſpenſaſſe videtur, fortè etiam à *gratia*, ut peccati amaritudinem perſentiſcerent, & ab eo ad

ſa-

faniorem mentem reverterentur 1. Cor. v. 5. Conf. Cel. Voet. in Disput. de *obsessis*.

In seductionibus.

XVI. Restat malorum Angelorum *efficacia*, in *seducendis* mortalibus, à quâ *tentator* per appropriationem dicitur Matth. IV. 3. & *leo rugiens*, circumeundo quærens *quem absorbeat* 1. Pet. v. 8. Quâ mortales ad peccandum, non *cogit* (quod non potest) sed *inducit* tentando *suasionibus* sophisticis, quibus sub *specie* veri ac boni, eos seducere conatur in *falsum* & malum. Ubi *bonum* quod promittit, peccando obtinendum, exaggerat tanquam *summum*; *medium* quod monstrat, ad obtinendum, tanquam *leve*; *periculum* mali quod imminere possit à peccando, *removet* aut *elevat*. Cujus artificii μυριοτεχνίτης, specimen præstitit in utroque Adamo, *primo* Gen. III. & *secundo* Matth. IV. Quibus *extraordinarium* quandoque tentationis genus adjungit, tum in confusis ac melancholicis *terroribus*, quibus Saulem videtur exagitasse 1. Sam. XVI. 14. tum in suggestionibus *blasphemicis*, quibus maximè religiosos persæpe torquet, qui σκόλοψ videtur fuisse, in carne Pauli, quando velut *colaphis*, ejus *animum* cædebat Satanas 2. Cor. XII. 7. Istis autem *suggestionibus* tutò discernendis, à *vulgaribus* tentationibus, non alia videtur certior *nota*, quam quod in his *caro* colludat; ab illis autem, animus fidelis *abhorreat*, tanquam à *colaphis Satanæ*. Et de his ex professo nobis erit agendum in *asceticis*.

Remedia qualia adversus Satanam adhibenda.

XVII. Jam *prophylactica* quod attinet, imminentibus hisce diabolicis insidiis, ut & *therapeutica*, quæ *urgentibus* averruncandis obstruamus, non sunt *corporalia* quævis, monente Apostolo 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia; sed Dei potestate valida, ad subversionem munitionum*, nim. in *precibus*, in *pugna*, in universa illa *armatura* Dei; quam Apostolus commendat Eph. VI. 12. — de qua *in practicis* distinctius monebimus.

Pars Elenchtica.

Quæritur.

1. An dentur Angeli mali?

XVIII. Quæritur 1. An dentur Angeli mali? Sadducæi negant Act. XXIII. 8. Epiphan. Tom. I. lib. 1. cap. 14. Nazian Orat. VI. quæ est de Sp. S. Gentiles quidam, Dæmones quidem admittunt; sed qui per *naturam* suam, ab omni malo abhorreant: cum quibus colludunt, Plato in *Cratylo* & *Epinomide*, ejusque sectatores; Plotinus, Proclus, Porphyrius, Jamblichus &c. confundentes Angelos *bonos* & *malos*, Deos cum Dæmonibus. Vid. Augustinum Steuchum de *Peren. Philos.* lib. VIII. capp. XXXI. & XXXIII. & Heinsium *introduct. ad Hesiod. opera & dies* cap. X. David-Joris statuit, diabolos non esse, nisi corruptionem voluntatis humanæ. Aristoteles, Avicenna, Averreos cum suis, nullos dæmones agnoscunt, & omnia eorum effecta, aut ad fabulosa; aut ad causas naturales traducunt, in quo posteriore, eos sequitur nuperus auctor *Mundi Fascinati*: Reformati unanimiter agnoscunt, dari Angelos *malos*. Quia: 1. *Scriptura*, millenis testimoniis, istud constanter tradit. Quia 2. *spectra* dantur, quæ talia præstant, quæ, nec ad Deum, aut ad Angelos *bonos*, propter mendacia & improba, referri possunt; nec ad causas *naturales*, quarum sphæram superant, cujus argumenti vim Gentiles *veteres*, Muhammedani, aliique extranei, agnoscunt. Quia 3. *Oracula*, quæ è terræ cavernis, ex arboribus, ex statuis edita narrantur, hoc, prioris argumenti efficaciâ, comprobant. Quia 4. *Energumeni* & energemata, hoc eâdem efficacia, confirmant. Quia 5. *Magia* & producta magica, ac malefica, eodem, & eadem efficaciâ, collimant. Quia 6. *sensus communis*, omnium cujuscunque sectæ sapientum, Judæorum, Muhammedanorum, & Gentilium, (quorum testimonia Eugubinus, de *Peren. Philos.* lib. VIII. refert) atque etiam Christianorum. Nec video, quid in contrarium, ullâ quidem veritatis aut rationis specie, dici possit, nisi quod nuperus *mundi fascinati* auctor, omnia Scripturæ testimonia, magnâ vi eludere, & multa horum dici, secundum *erroneam* aliorum opinionem, comprobare conetur, licet interim *malignos spiritus* dari, non videatur velle negare. De quo nos in progressu videbimus uberius.

Sententiæ Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectiones, notantur.

2. An Angeli mali sint spiritus?

XIX. Quæritur 2. An Angeli mali sint *spiritus*, seu substantiæ planè immateriales? Ethnici olim existimabant, improborum animas, transformari, in manes, lemures larvasque, circumvagantes, territantes & infestantes, eoque materiales, Isidor Orig. lib. VIII. cum quibus olim colludebant Judæi, Joseph. de Bell. Jud. lib. VII. cap. 33. Plato in *Epinomide*, materiales facit dæmonas, quin & animalibus accenset, quibusdam corpora *aërea*, aliis ætherea tribuit. Thalmudistæ & Caballistæ, quos sequitur R. Manasse Ben Israel *de Creat.* probl. XXII. statuunt Dæmones esse corporeos, & rebus corporeis affici, cibis vesci, generare, mori, instar hominum; conferatur hic imprimis Sebast. Munsterus in notis ad Levit. XVII. Hæretici *Messaliani*, diabolum *corporeum* dixerunt, Patrum complures, Dæmones corporeos esse, & corporeis affici, cum Platonicis diserte affirmabant: Vid. Justin. Martyr. *Quæst. Græcan. Confut.* Origenes περὶ ἀρχῶν in *prolog.* Tertul. de *Carne Christ.* cap. VI. & *cont. Marc.* lib. III. 9. Lactantius lib. II. cap. 15. Augustinus de *Civit. Dei* lib. VIII. cap. 16. &c. Nisi quod Tertullianum, Pamelius in *paradoxis Tertulliani* excusare conetur, quod voce *corporis*, sibi nihil aliud voluerit, quam substantiam. Vorstius cum Socinianis, ne *ullum* habeant *ens*, plane simplex & *immateriale*, ne *Deum* quidem; & Angelos & dæmones, statuunt

Collatio sententiarum.

Sententiarum divortia.

esse *absolute* materiales, licet *comparative*, ratione subtilitatis, dicantur *spiritus*. Reformati unanimiter statuunt, Angelos *malos*, juxta cum *bonis*, esse substantias plane *immateriales*. Eo quod 1. *spiritus* impuri passim dicantur in Evangeliis Matth. XII. 43. 45. Marc. I. 23. 26. 27. & III. 11. 30. & V. 2. 5. 8. 13. & VII. 25. Luc. VII. 21. & VIII. 29. & XI. 24. 26. Joh. V. 16. & XIX. 12. Eph. VI. 12. 1. Tim. IV. 1. 1. Joh. IV. 1. Apoc. XVI. 13. 14. quibus *materiam* abrogare videtur Servator Luc. XXIV. 39. dicendo eos *carnem & ossa* non habere. 2. Tales ipsis tribuantur *operationes*, quæ non ita quadrant in causas *materiales*, quales in *obsessis*, & in magicis narrantur in Euangeliis. Cum præsertim 3. suffragio *Patrum* non destituatur ista sententia, eorum scil. qui Dæmones ἀσωμάτους faciunt, v. g. Cyrill. *in Job.* lib. 2. cap. x. Nazianz. *Orat.* 2. de *Theol.* & XXXVIII. de *nat. Chr.* Chrysost. Orat. 1. de *Provid.* Theodoret. De curat. gr. aff. serm. III. & *in Gen. quæst.* XXXVI. Dionys. Areopagita, Damascenus & alii. Pro sententia contrariâ, vix ac ne vix quidem, argumenta audies. R. Manasse Ben. Israel, *de Creat.* prob. XXII. quod ex igne & aëre sint compositi, conficere conatur ex Psal. CIV. 4. Sed qui locus nihil habet de dæmonibus; sed de *Anglis* dicit, quod eos Deus faciat רוחות *spiritus*, substantias *spirituales*, & *metaphorice*, quoad operandi celeritatem & efficaciam, flammas ignis. Nec tale quid inferri potest, ex eo, quod in aëre degant Eph. II. 2. & VI. 12. quum ex habitaculo, habitantis naturam, parùm solide conficias.

Sententia Reformatorum.

Objectiones.

XX. Quæritur 3. An Deus sit creator *malorum* Angelorum? Ethnici quondam statuebant, improborum animas transformari in manes, lemures, &c. ut monuimus §. præced. Judæi, cum Christianis quibusdam, de quibus jamjam, statuunt dæmones oriundos esse ex congressu Angelorum cum hominibus, aut ex conjugio Adami cum prima uxore sua *Lilith*, quæ ipsis mater est dæmonum: aut ex commixtione Adami cum dæmonibus *fœminis*, totis scil. CXXX. annis, quibus propter luctum ex morte Abelis, à congressu cum sua Eva abstinuerit, & vicissim Eva, per idem tempus pariebat, ex commixtione cum dæmonibus *maribus*, *Bereshith Rabba* Sect. XX. & XXIV. R. Sal. Jarchi in Psal. LXXXIX. 33. Sed hic paulò aliter, nempe genitos ex fluxu seminis nocturni, dum separatus esset ab Eva. Valentiniani, Archontici, diabolum natum tradebant ex tricesimo Æone. Veterum complures, abusi loco Gen. VI. 2. putarunt Angelos genuisse ex mulieribus, gigantes aut dæmonas. Philo *de Gigantibus*. Clemens Alex. *Strom.* lib. III. Tertul. *de habit.* Mulier. Lact. lib. II. cap. XV. Alii, per eundem abusum, *filios Dei*, quo nomine dæmones appellant, ceu corporeos, instar hominum, dæmones generare. Alii, ejusdem loci abusu, putarunt dæmones *succubos* à potentissimis viris, validissimum semen excepisse, quod deinde *incubi*, in validissimas fœminas profuderint. Vales *Philosp.* S. cap. VIII. Reformati Angelos malos considerant, vel quoad *essentiam*, & hactenus agnoscunt, Deum esse eorundem *Creatorem*, perinde ut Angelorum bonorum, quod inter Creatorem & creaturam, non intercedat medium: vel quoad *malitiam*, & eatenus, non aliam agnoscunt eorundem causam, quam ipsos illos malignos spiritus, qui abusi libero suo arbitrio, defecerunt à Deo, eoque omnis sequioris malitiæ sibi exstiterunt auctores: vel quoad *miseriam* seu pœnam, ejus ipsi illi Angeli exstunt causæ *meritoriæ*; Deus autem causa justè *infligens*. Cæterum, quia *spiritus* sint, nullam dicimus, circa ipsos admittendam generationem, seu *activam*, seu *passivam*, quod hæc non nisi corporibus conveniat. Proinde dæmonum, quatenus tales sunt causa nequaquam Deus est. Quia 1. Deus creavit omnia, *valde bona* Gen. I. 31. Quia 2. malum *morale*, produci non potest, nisi *transgressione legis*; est enim ἀνομία 1. Joh. III. 4. cui Deus non subest. Quia 3. Diabolus, per Scripturas, solus est auctor sui *lapsus*, suæ *malitiæ* Jud. vs. 6. 2. Pet. II. 4. Joh. VIII. 44. Quia 4. nec per *creationem*, eorundem est auctor, quia non creavit, nisi quæ erant *valde bona*, nec nisi Angelos *lucis*, non tenebrarum potestatem Col. I. 13. nec per *decretum*, quippe quod nihil producit à Deo diversum, cum sit actio Dei *immanens*: nec per *providentiam* suam *permittentem*; cum *permittere* non sit producere: nec per providentiam *ordinantem*, quia hæc non vergit nisi *in bonum*, quippe quæ sequitur *lapsum*. De hoc plura forte occurrent in cap. *de providentia*. Ex istis sufficienter determinari poterunt, quæ in contrarium objici possent: 1. ex *decreto* divino, quippe quod non est *causa*, ipsius lapsus Angelorum; sed tantum *futuritionis*, quæ ab ipso lapsu differt, ut *æternum* à *temporario*. Vel 2. ex ejus *permissione efficaci*, utpote quæ non *producit*; sed tantum *permittit*. Vel 3. ex *ordinatione* ejusdem, utpote quæ non vergit nisi *in bonum* Vel 4. ex *influxu* providentiæ divinæ, cum ille non fiat in ipsum lapsum, ut ille est ἀνομία; sed tantum in ejus *actum substratum*, qui in se *bonus* est. Confer, quæ κατ' ἀναλογίαν suo loco dicentur de *lapsu humano*.

1. An Deus sit creator malorum Angelorum.

Sententiarum varietas.

Objectiones.

Reformatorum sententia cum suis rationibus.

XXI. Quæritur 4. An Angeli *mali*, suis viribus operentur extra se? Quæstio ista; magno animo, nuper mota est, ab auctore *Mundi fascinati*. Ejus Anatagonistæ Cartesiani, generaliter quidem de operationibus *spirituum* creatorum, determinant, eos omninò operari, non equidem propriis suis *viribus*; sed quatenus Deus voluerit, ad

4. An Angeli mali suis viribus operentur extra se?

tales

Collatio sententiarum carteſianarum.

tales eorum cogitationes, tales ſecuturos effectus, dum interim ipſe, non tantum *nexum* illum fecerit; ſed ipſam eorum *cogitationem* producat immediate, atque etiam ipſum *productum* ſeu *effectum*, dum interim ipſi Angeli ſuis *viribus* nihil agant: in ſpecie autem, de operationibus *malignorum* ſpirituum, vix quicquam attingunt, ut videre eſt ex ſpiſſis eorum in hanc rem voluminibus, v. g. Henrici Groenewegii Metaphyſica, in hanc rem ex profeſſo edita, Joh. van der Wayen magno volumine adverſus *Mundi faſcinati* auctorem edito, aliiſque omnibus ſcriptoribus in hanc rem editis. Scil. videbant, ſe non poſſe ſtatuere, quod Deus nexum iſtum fecerit, inter cogitationes *malorum* ſpirituum *malas*, & effecta iſta *mala*; nec poſſe ipſas illas *cogitationes* malas producere, nec etiam ipſa earum effecta *mala*; quin manifeſtiſſime fiat *auctor peccati*. Auctor autem *mundi faſcinati*, admittebat lubenter, Deum *bonorum* ſpirituum opera uti, ad expedienda judicia ſua, tum verſus bonos, tum verſus malos: quatenus nexum illum, inter bonas eorum operationes ipſe fecerit, ipſas eorum cogitationes *bonas* producat; atque etiam effecta illarum *bona*: ſed cum iſtud, citra manifeſtam blaſphemiam, non poſſet applicare, ad cogitationes malignas malignorum ſpirituum, maluit omnem operationem *externam*, malignis ſpiritibus abrogare, & controverſiam omnem ad hoc *unum* revocare: *quod Deus Angelos malos, qui hominem ſeduxerunt, æternæ condemnationi, ſic adjudicaverit, ut poſt illud tempus, ullam operationem, verſus hominis ſeductionem, ipſis amplius non permittat, concupiſcentiâ (ſemel per ipſum in primâ tentatione accenſa, quæ univerſum cor ejus depravavit) cauſa exiſtente proxima, omnis mendacii, peccati & ſeductionis quæ eſt in mundo.* Ipſiſſima ſunt ejus verba in ſuis *articulis ſatisfactoriis* ad Ven. Claſſem Amſtelodamenſem. Primum falſum iſtorum omnium, in eo eſt, quod exiſtiment, ſpiritum quemvis, non eſſe niſi meram *cogitationem*, in quo proinde non ſint *vires* quibus poſſit *extra ſe operari*. Reformati Anti-Carteſiani, ſtatuunt ſpiritus *malos* eſſe *ſubſtantias*, quibus inſint vires, quibus poſſint, non tantum cogitare, *intra ſe*; ſed etiam operari *extra ſe*, tentare, ſeducere, lædere &c. Quia 1. angeli *mali*, ſuâ natura, perinde ſunt *ſpiritus* ac *boni*: de quibus cap. præced demonſtravimus, quod ſint *ſubſtantiæ*, quibus vires ſuppetunt, quibus vere & proprie operentur, tum *intra*, tum *extra* ſe. Quia 2. Scriptura teſtatur, diabolum protoplaſtos ſeduxiſſe Gen. III. Chriſtum tentaſſe Matth. IV. concertaſſe cum Michaële ſuper corpore Moſis Jud. vſ. 9. incitaſſe Davidem ut numeraret Iſraëlem 1. Reg. XXI. 1. Jobum miſerrime afflixiſſe Job. 1. & II. His 3. ſubjungemus *συλλογὴν* locorum Scripturæ, quam *Mundus faſcinatus* ſibi objicit refellendam lib. 2. cap. XVIII. §. 1. his verbis *Præadducta Scripturæ loca, propius examinata, deſcribunt nobis diabolum, qualis* ſit, quid *poſſit*, quid *operetur*, quis ejus agendi *modus*, & quam ſortem habeat (1) de ejus *indole* Scriptura dicit, quod ſit callidus, ut qui Evam ſeduxerit ſuâ *πανουργίᾳ* 2. Cor. XI. 3. qui qua *profunda* habeat, non facile perveſtigabilia Apoc. II. 24. Hinc *Pater eſt mendaciorum* Joh. VIII. 44. (2) De ejus *viribus*, quod (a) peccatorem habeat ſub ſua *poteſtate*, uſque ad ejus converſionem Act. XXVI. 18. Et hinc etiam habet *poteſtatem* mortis Heb. II. 14. (3) de ejus *negotio*: in *genere* α. *malum* operari 2. Theſſ. II. 9. β. verbum Dei *ſuffurari* Marc. IV. 15. γ. Filios Dei *tentare* 2. Cor. VII. 5. 1. Cor. II. 10. δ. Dies noctesque *accuſare* Apoc. XII. 9. 10. In *ſpecie*, multis olim malum inferebat: quoad animam, quando א. Apoſtolos concupiſcebat, quos *cribraret* Luc. XXII. 31. ב. Judam & Ananiam *invadebat* Luc. XXII. 3. Joh. XIII. 17. Act. V. 3. ג. Paulum *impediebat* in ſuo itinere 1. Theſſ. II. 18. ד. Smyrnæ & Pergami habebat ſuum populum Apoc. II. 1. 13. (4) De ejus agendi *modo*, quod ſæpe ſimulat ſe Angelum *Lucis* eſſe 2. Cor. XI. 14. (5) De ſtatu ejus *præſenti*, quod Dei captivus ſit Apoc. XX. 7. (6) de appropinquante ejus *exitio*, quando de cœlo decidet Luc. XI. 18. Rom. XVI. 20. ad quod ſequetur pœna ignis æterni, qui ipſi & ejus Angelis præparatus eſt Matth. XXV. 41. Hactenus *Mundus faſcinatus*. Agnoſcit auctor, omnia iſta loca, non niſi de diabolo ipſo, qui caput eſt malorum ſpirituum, ſatis bene intelligi poſſe. Ex quo nos ſic arguimus: cuicunque prædicta omnia competunt, ille verè & proprie operatur in homines &c. Sed reſorbet omnia ſua, eo quod diabolus tantum *unus* ſit, in quem omnia iſta cadere *propriè* non poſſint: verum, ſui immemor, ipſum illud refellit cap. XVI. 3. *In anteceſſum*, inquit, *ſciendum, quod verbum diabolus, velut de uno dictum, non neceſſario, unam tantum perſonam ſignificet: ſicut enim Cananita, Amorita* Gen. XV. 19. 20. 21. *integrum quendam populum & genus indigitat: ſic etiam hoc loco fieri poteſt.* Hoc ſtructo fundamento, ſe accingit *Faſcinatus mundus*, qui ſua adducta Scripturæ loca, in perverſum & improprium ſenſum detorqueat, qui in noſtra *Epanorthoſi* ad ipſum, breviter quidem, ſed curate tamen, noſtro judicio reſpondere conati ſumus, quibus ipſe quamquam provocatus, ſi quid momentoſi à me prætermiſſum exiſtimaret, monitum vel ceſſurum, vel modeſte reſponſurum, quamvis promiſiſſet, nihil hactenus repoſuit. Proinde toti negotio hujus controverſiæ, ſatisfactum exiſtimamus. Interim pro (3) argumento, adjicimus communem conſenſum & ideam totius mundi, per omnia ſecula & per omnes ſectas, quem ipſe *faſcinatus mundus* ſibi re-

Sententia Reformatorum.

repræsentat *libro primo*. Nec est ipsi quod pro se objiciat, quam quod non teneatur *probare*, quia non nisi *negativam* tueatur, cui manifeste obloquitur ejus thesis, jam ante proposita. Quanquam universali totius mundi consensui, vel absque ratione, vel Scriptura obloqui, omnium consensu temerarium existat. Et si quid ex capite de *pietate*, cui sententia communis obnitatur, opponit, eis articulatim, respondimus in prædicta nostra *Epanorthosi*.

5. An tale detur Angelorum malorum commercium cum hominibus, per quod possint facere *miranda*? Explicatur sensus quæstionis.

XXII. Quæritur 5. An tale detur Angelorum malorum commercium cum hominibus, per quod possint facere *miranda*, seu magiam exercere? Istud commercium, cum suis productis, id est, quod generaliore sensu, significatum volui mus per Magiam, Sortilegium, fortiariam, fascinatoriam, sive illud vergat ad occulta dicenda, ut prædicenda, aut ad perversa perpetranda? Hujus commercii, saltem divinatorii, quatuor species, juxta quatuor elementa, numerat Varro, nim. quæ est ex *igne*, ipsi est *pyromantia*; quæ ex *aëre*, *aëromantia*; quæ ex *aqua*, *hydromantia*; quæ ex *terra*, *geomantia*. Ex Scripturâ, octo omnino species narrant: nim. ex Deut. XVIII. 10. 11. *Non inveniatur in te faciens transire filium & filiam suam per ignem* (מעביר) *divinans* (קסם) *divinationes, præstigiator* (מעונן) *& augur* (מנחש) *& maleficus* (מכשף) *incantans Incantationem* (חבר) *& interrogans pythonem* (שאל אוב) *& Magus* (ידעני) *quærens à mortuis.* Et Levit. XXIII. 23. *Quia non augurium* (נחש) *in Jacob, nec divinatio* (קסם) *in Israël* &c. Quæ sic distinguunt, ut quæ קסמים, Latinis *divini*, appellantur, ei fuerint, qui per commercium cum Satana, *arcana* dicunt aut prædicunt: אבות, Latinis & Græcis *Pythonici*, qui *spiritum familiarem* seu domesticum habere dicuntur: ידעונים, *Scioli* quærentes ex mortuis, Græcis *Necromantici*: מעוננים, unde fortasse *magi* dicuntur, Latinis & Græcis, Astrologi & Mathematici, qui conabantur futura prædicere, ex signorum, locorum & stellarum observatione, eorumque situ & aspectu: מנחשים, Latinis vulgò *Magi*, ex certis figuris characteribus, delineationibus, & certorum etiam verborum, superstitiosa demurmuratione: ידענים, Latinis *Arioli*, qui bonam, ut ajunt fortunam prædicunt, quales nobis sunt somniorum conjectores, chiromantii, olim *Exstipes* & *Oscines*: מכשפים, Latinis *præstigiatores*, fascinatores, qui incantationibus, & meris illusionibus oculorum fallunt: חברים, Latinis *sortilegi*, malefici. Sic Danæus *de Sortiariis*. Quicquid horum sit, saltem ad Magiam *commercium* exigitur, *malorum* Angelorum cum hominibus, sive id sit in confœderatione *explicitâ* & expressa; sive implicita, parùm attinet determinare, modo *producta*, ope Satanæ fiant: & ista producta *miranda* sint, quæ captum ac vires perpetrantium, videntur excedere; non *miracula*, quæ ipsam *naturam*, soli Deo *propria*. De his jam quæritur, an talis detur *Magia*. Sadducæos & Atheos impræsens non morabimur; nuper Reginaldus quidam *Schott*, Scotus, in sua *Dæmonologia*, & sub primordio reformationis Johannes *Wierus*, negârunt palam. Auctor *mundi fascinati*, lib. III. cap. I. §. VII. non negat quidem dari *Magiam*, quâ, vel *fraude miranda* perpetrentur; vel *subtilitate* & astutia; vel occulta hominum *malignitate*: sed perpetrari per *commercium* cum *malignis* Angelis, eorumque ope, aperte negat. Primum ejus falsum in hoc est, quod statuerit, malignos spiritus, non esse nisi meras cogitationes, quæ nec suis *viribus*, nec per *nexum* divinum, quem parag. *præced.* diximus, extra se operari possunt. Pontificii, in gratiam sui *purgatorii*, in coacervandis hujusmodi operationibus magicis, nimium luxuriant, ut patet in Scholasticis. Reformati, quamvis infinitis fere, anilibus fabellis, absque ullo fundamento, passim, imprimis apud Pontificios, nihil tribuant: hoc tamen tenent, dari magos, qui ope malignorum Angelorum, sua præsagia, suas operationes malignas excludunt. In hoc diversis hypothesibus enituntur: 1. Præsupponunt, malos Angelos, suis viribus operari extra se, & nominatim in homines, quod paragrapho præcedente demonstratum est. Tum 2. esse inter malignos spiritus & homines aliquod *commercium*, probant ex 1. Cor. X. 19. 20. 21. *Quid ergo dico? quod idolum aliquid sit? & idolothytum aliquid? Sed quod quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, non Deo. Nolo autem vos κοινωνὸς τῶν δαιμονίων γινέσθαι, communicantes esse dæmoniorum; non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Quid clarius? Confer Levit. XIX. 31. *Ne respiciatis ad pythones* אבות *neque ad* הידעונים *augures*, nostri Belgæ reddunt Duyvels konstenaers / addita *ratione*: *ego Jehova Deus vester.* Item Hos. IV. 17. Et si etiam exempla voles istius communicationis, considera tentationem primam, à quâ omnem malitiam hominum repetit *Fascinatus mundus*, nunquid ibidem Diabolo interceßit commercium cum proptoplastis Gen. III? adde tentationem Christi Matth. IV. Loca ista ex professo vindicavimus, adversus stultas detorsiones auctoris *Fascinati mundi*. Pergimus 3. Præsuppositio, quod diabolus operetur extra se, præsuppositio item quod ipsi commercium intercedat cum hominibus, quid jam obstabit, quo minus ei intercedat aliquod *fœdus* cum eis, seu expressum & explicitum; seu *implicitum*? cum præsertim ejus mentio fiat Jes. VIII. 9-12. & quid hîc per *infernum*? non utique locus, sed *portæ inferorum*, ut Servator loquitur Matth. XVI. 18. Quamvis in hoc fœdere, præsidium nostræ hujus causæ, ne-

Sententia negativa.

Reformatorum affirmativa.

Probatur.

qua-

quaquam ponamus, modo id ſtet, quod per Satanam operentur ſortiarii. His jam 4. conſtruamus, convocatos à Pharaone *magos* חרטמים Gen. XLI. 8. convocatos חכמים, *ſapientes*, מכשפים, *præſtigiatores*, חרטמים *Genethliacos* &c. Exod. VII. 11. 12. 22. & cap. VIII. 7. 18. 19. Conſtruamus Moabitarum ac Bileami incantationes Num. XXII. XXIII. XXIV. Deut. XXIII. 4. 2. Pet. II. 15. 16. Jud. verſ. 11. Conſtruamus Philiſtæorum & Sacerdotes & קסמים 1. Sam. VI. 2. 7. conſtruamus pythoniſſam Endorenſem אשת בעלת אוב 1. Sam. XXVIII. 7. 8. Conſtruamus Manaſſen 2. Paral. XXXIII. 6. *obſervabat tempora* עונן, *augurabatur* נחש, *divinationibus operam dabat* בשם, *& fecit Pythonem & magum* אוב וידעני. Bayloniorum אשפים, & חרטמים Magos & Aſtrologos Dan. I. 20. & II. 20. 10. & IV. 7. 9. & V. 11. 12. Conſtruamus varia de magis & magorum libris 2 Reg. XXIII. 24. Simone Act. VIII. 9. 24. Elymâ Cap. XIII. 6-10. ancillâ pythoniſſa, in qua erat *πνεῦμα πυθόνος ſpiritus pythonis* cap. XVI. 16. 18. *dicebat ſpiritui, mando tibi in nomine Jeſu Chriſti, ut ab ea exeas: exorciſtis*, Act. XIX. 13. *invocantibus nomen Domini Jeſu, ἐπὶ τοὺς ἔχοντας τὰ πνεύματα τὰ πονηρὰ, in eos qui habebant ſpiritus malignos..... ὁρκίζομεν adjuramus....* vſ. 5. *reſpondens autem ſpiritus malignus dixit, Jeſum novi.... & inſiliens in eos... & prædominatus eis, invaluit contra eos...* Conſtruamus leges divinas, tanta ſeveritate adverſus magos & magica, latas Exod. XXII. 18. Levit. XIX. 31. item XX. 6. 27. Deut. XIII. 1. & XVIII. 10. 11. 14. addita ratione: *Ego Jehova Deus tuus* Levit. XIX. 31. non autem ſpiritus illi maligni, cum quibus colludunt iſti magi: & admonitione: *integer eris coram Jehova Domino tuo* verſ. 13. Conſtruamus varia de *magis* & *magicis*, paſſim obvia in utroque Inſtrumento S. v. g. Jeſ. III. 2. Jer. XIV. 14. & XXVII. 9. 10. Jeſ. XIX. 3. & XLIV. 25. 26. & XLVII. 12. 13. & IX. 19. & XXIX. 4. Ezech. XXI. 21. 22. &c. Gal. III. 1. & V. 20. Apoc. XVIII. 24. &c. Jam ſi omnia iſta conſtruamus: maligni ſpiritus operantur extra ſe, ipſis commercium eſt cum hominibus, datur etiam fœdus cum inferno, memorantur tot ac tanta de magis, nunquid ex hac *συντάξει* nobis emerget argumentum invictum, dari tale commercium malignorum ſpirituum cum hominibus, per quod *miranda* h. e. talia poſſint præſtare, quæ vires eorum proprias excedunt? Si comprimis 5. his ſubjungamus, experientiam omnium ſeculorum, communem ſenſum totius mundi, confeſſiones magorum, judicia tribunalium exquiſitiſſima, leges inde natas, ſcripta ſapientum &c. quid amplius deſideraveris? Sed quid ad omnia iſta *mundus faſcinatus?*

Objectiones. A. Spiritus maligni, meræ cogitationes, nec per vires proprias, nec per nexum divinum *extra ſe* operari poſſunt, quod jam ante refutatum. B. Non datur fœdus magicum R. Non detur, neque enim de eo multum libet contendere, modo detur aliud quodvis commercium, quod jamjam demonſtravimus. C. *Dæmones* in Scripturis, non ſignificant *Angelos malos*; qua ratione? quia Gentilibus *dæmones* ſunt *Semi-Dei*, Mediatores? Etiamne Scripturæ? id probandum, nim. Scripturas agnoſcere *Semi-Deos*, à malignis ſpiritibus diverſos: & Gentiles habuerunt ſuos *εὐδαίμονας* & *κακοδαίμονας*, quos promiſcue dæmones appellabant, omnes pro ſpiritibus habebant, & quos *κακοδαίμονας* vocitabant, ii cum malignis eorum, & ſcripturæ ſpiritibus coincidunt. Proinde dum *Cacodæmones* habebant, qui tales ac tales operationes elicerent in homines, id habebant, quod Scriptura appellat *δαιμόνια*. D. Voces Scripturæ Chartumim, Mecaſſchephim, Koſemim, Oboth, Iidonim, Meonim, Aſſaphim, Goſrim, Menacheſchim, Chaſdim, Cholemim, Choverim &c. non notant hujuſmodi magos, qui per malignos ſpiritus agunt: quamobrem? quia circa eos Scriptura nullibi mentionem facit *diaboli*, cujus ope eorum *ἐνεργήματα* fuerint perpetrata. Reſp. Cum eorum divinationes, ac reliquæ operationes perpetratæ fuerint, nec propriis eorum viribus, nec virtute Dei aut Angelorum, præſupponitur *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*, eas profluxiſſe à *Dæmonibus*, ſeu malignis ſpiritibus, cum quartum non detur. E. Omnes iſtæ magorum iſtorum operationes, vel artibus fallacibus, ſeu præſtigiatoriis Sacerdotum gentilium; vel naturæ viribus, per naturalem ſympathiam & antipathiam factas fuiſſe, *Mundus faſcinatorius*, integro capite XXII. lib. III. oſtendere conatur. Reſp. 1. Nullus dubito, quin hoc modo omnibus Moſis, Prophetarum, Apoſtolorum & ipſius Chriſti *miraculis*, quis inſultare, ſatis etiam plauſibiliter poſſit, prout etiam factum, à nonnullis, qui Carteſii hypoteſibus inſiſtunt. 2. Quod vero magi quos diximus, iſtas technas cognoverint, iiſque *fuerint* operati, *Mundi Faſcinati* auctor necdum probavit, nec probare poterit. 3. Quanto commodius, qui malignos ſpiritus propriis ſuis viribus, extra ſe operari tenent, iſtas omnes operationes, ad malignos iſtos ſpiritus referunt? Non addam 4. omnes iſtas operationes, viribus ſympathiæ & antipathiæ procurari poſſe, nunquam demonſtrari poſſe. Tandem F. ſententiam receptam, de operationibus malignorum ſpirituum, multis modis repugnare pietati & praxi chriſtianæ. Reſp. Nos ante in noſtra *Epanorthoſi*, ad auctorem *mundi* iſtius *faſcinati*, demonſtravimus communem ſententiam, nequaquam repugnare pietati, quin ex adverſo ſententiam *mundi faſcinati*, multis repugnare pietati: efficaciſſimè facere ad promovendam pietatem communem ac receptam ſententiam. Hæc paulò prolixius, in gratiam novitiæ ſententiæ *Mundi faſcinati*.

6. An sit in potestate Satanæ fidelium corpora demortua, quomodocunque evocare?

XXIII. Quæritur 6. An sit in potestate malorum spirituum, fidelium corpora demortua quomodocunque evocare? Pontificii, in gratiam tuum *limbi* Patrum; tum *purgatorii*, quò nim. si non *Scripturâ*, saltem *experientiâ* apparentium animarum, id obtineant; affirmativam recipiunt, & in exemplum provocant Samuelem, evocatum â Pythonissa 1. Sam. XXVIII. Orthodoxi negant, quod (saltem piorum) *corpora*, in potestate *Satanæ* nequaquam sint Jud. vers. 9. multo minus *animæ*: unde etiam χάσμα illud magnum, diviti reponit Abrahamus, per quod, ne in potestate quidem *Abrahami* sit, Lazarum emittere è sinu suo Luc. XVI. Ut non adjiciam *usum* istius evocationis, ad limbum & purgatorium vanum esse. *Samuelem* autem evocatum à Pythonissa, multa redarguunt. Qui enim apparuit evocatus, à Pythonissa: 1. fuit sub *potestate Pythonissæ*, non autem Samuel. 2. Emissus à *Deo*, non quereretur se *turbari* & Pythonissa, ut Moses non conqueritur Matth. XVII. Nec 3. *Verus Samuel* parendo, artem probasset *magicam* Pythonissæ. Nec 4. passus fuisset se *adorari* à Saule. Nec 5. unquam venit *in societatem* improbi Saulis, quod tamen ipsi prædicit, qui ejus specie affatur Saulem. *Cras mecum eris.* Addo 6. Cui *Deus* non *voluit* respondere, nec per *visionem*, nec per *Prophetam*, nec per *Urim* & Thummim; ei nec *Samuelem* Prophetam voluisse respondere. Tandem 7. *verus* Samuel, saltem post mortem non fuisset *mentitus* Heb. XII. 23. prout facit *mentitus* ille Samuel, quando *Saulem* dicit se *evocasse*, sese turbasse. Conf. Rainold. *Censur. libb. Apocryph.* Tom. 1. c. 75. Proinde quæ ibidem narrantur, *spectro* diabolico adscribenda sunt, qui improbe *Samuelem* mentitus, Saulem postridie ad se *descensurum* vaticinabatur. Nec Bellarminum juvat, quòd constanter in textu appelletur *Samuel*, cum nil magis Scripturis usitatum sit, quam *Deos* appellare qui nihil minus erant 1. Cor. X. 19. 20. Quemadmodum & *Angeli* qui Abraham apparebant, *viri* appellantur Gen. XVIII. 2. & XXXII. 24.

Negativa probatur.

7. Sint nec pellendis dæmoniis applicanda externa remedia?

XXIV. Tum *septimo*, circa *remedia*, quæ dæmoniorum quibusvis insultibus artibusve opponamus, quæritur 7. an hîc sufficiant *spiritualia*, preces, pugna, panoplia apostolica, an addenda quævis *externa*; aqua lustralis, pronunciatio nominis Jesu, usus reliquiarum, signum crucis, res quævis consecratæ, figura crucis scil. cerea, imagines benedictæ, & imprimis exorcismus? Affirmant Pontificii, in gratiam superstitiosorum suorum exorcismorum. Negant Orthodoxi: 1. quod *Scriptura nulla* alia nobis *commendent* præter *spiritualia*, quæ commemoravimus Eph. VI. 12. Imo 2. & alia quævis exsertè *reprobet* 2. Cor. X. 4. Et 3. Nec corporalia quævis in spiritus agant. Si causentur: A. In *nomine Jesu* ejecta commemorari dæmonia Marc. XVI. 17. Act. XVI. 18. Fatebor, sed non per *pronuntiationem vocis*; sed per auctoritatem ac virtutem *Christi* Matth. VIII. 31. 32. Marc. 1. 32. & IX. 25. Cum & ipsi *dæmones* nomen illud commemoraverint Luc. VIII. 28. Et qui se in *nomine Jesu* compellarint, aggressi sint Act. XIX. 15. 16. Si 2. dicant, *Saulem*, Davidis *Psalterio*, à Dæmonio liberatum esse; negabo Saulem propriè *obsessum*; sed tantum quomodocunque *turbatum* fuisse, & si fuerit, Davidis *psalterio* motum fuisse. Si 3. ex Tobiâ causentur, Raphaëlem juniori Tobiæ auctorem exstitisse, ut *piscis corde*, felle, jecore, carbonibus impositis, omne dæmoniorum genus *pelleret*: Respondebimus, apocryphum, superstitiosum & magicum fuisse consilium.

Pars practica.

Caput de diabolis

XXV. Quod *praxin* attinet, *primo*, in ipsis dæmonibus perspicimus Dei *majestatem*, qui non tantum in *cœlis* stipatus sedet, tot fidelium ministrorum myriadibus Dan. VII. 10. Matth. XXVI. 53. sed & in *terris*, imo & in *inferno*, instructus est, tot lictoribus & carnificibus, qui exagitandis *sibi* illatis injuriis, tam sint *idonei*, tam *prompti*, qui omnes, quanti sunt, *genua* sibi, volentes nolentes, flectant Phil. II. 10. imo qui ejus *jussis* vel *quasi*, sese offerant 1. Reg. XXII. 19. 21. 22. 23. Job. 1. 11. 12. Præterea in iis agnoscimus *gloriam* Dei, gloriam peculiariter (a) *Sanctitatis*, per quam in *cœlis*, in conspectu suo, ferre non potuit spiritus cæterà tàm *egregios*, ut è *cœlo* summo, propter peccatum, præcipitaverit in *infimum tartarum* 2. Pet. II. 4. Conf. Jes. XIV. 11. 12. 13. 14. 15. Matth. XI. 23. Apoc. XII. 8. 9. Adeo *purus* est *oculis*, ut non possit *aspicere* malum Hab. 1. 13. Psal. V. 5. 6. Gloriam (b) *justitiæ* vindicis, per quam ne *Angelis quidem pepercit*; *sed catenis caliginis in tartarum detrusos, tradidit ad damnationem* 2. Pet. II. 4. Jud. vers. 6. Conf. Apoc. XV. 3. Contra (c) gloriam *misericordiæ* versus nos, qua non *Angelos*; sed semen *Abrahæ* assumit Heb. II. 16. Conf. Rom. XI. 21. 22. & Psal. CIII. 11. 18. Porro (d) gloriam *patientiæ* & longanimitatis, quâ *hostes* sibi juratos, in omnibus sibi *adversos*, cum *nutu* posset abolere; per tot annorum *millia* tulit, & fert etiamnum, *eos servans ad judicium magni illius diei*, *vinculis æternis* constrictos. Tandem (e) gloriam *potentiæ* & imperii, quam ipse *Deus*, Jobo sibi respondenti, oggerit & repræsentat in Behemoth & Leviathan Job. XL. quibus *permulti* diabolos intelligunt (quamvis absque meo assensu) Et quod *catenis* providentiæ suæ, adeo teneat *ligatos* rugientes leones, ut si maximè *velint* sibi adversum, non *possint* quicquam Job. 1. 12. Matth. VIII. 31. Marc. V. 12.

1. Pandit gloriam Dei.

Quænam illa Dei gloria.

XXVI.

2. Miseriam eorum qui sunt sub potestate Satanæ. Quibus mediis illa declinanda.

XXVI. Tum *secundò*, *miseriam* pandit eorum, qui sunt *sub potestate* dæmonum Heb. II. 14. 15. Col. I. 13. Act. XXVI. 18. 2. Tim. II. 25. 26. Si cogitemus eorum *potentiam*, calliditatem, crudelitatem, assiduitatem, numerositatem Eph. VI. 12. & II. 2. I. Pet. V. 8. Apoc. XII. 12. Hinc excitat: A. Collectis *viribus*, imò advocatis in subsidium viribus *Dei*, enitamur *emancipari* ejus laqueis, *resipiscentiâ* 2. Tim. II. 25. 26. & *fide* in liberatorem Heb. II. 15. usu ministerii Act. XXVI. 18. Marc. III. 15. Matth. X. I. *precibus* Marc. IX. 29. precibus & *jejuniis* Matth. XVII. 21. & XV. 22. B. Hos qui *liberati* sunt, erigit ad *amorem* versus liberatorem Marc. XVI. 9. cum Luc. VII. 44. ad *gratitudinem* & glorificationem liberatoris Luc. VIII. 33. 39. Conf. Psal. CVII. 14. 15. ad *vigilantiam*, ut denuò non irretiantur *laqueis Satanæ* I. Pet. V. 8.

3. Monet cavendum à peccatis dæmonum. Quænam ista?

XXVII. Porro *tertio*, cavendum sedulò monet, à peccatis *Satanæ*, quibus excidit *suâ origine*, ut in idem cum eo non præcipitemur *judicium*, & cum eo, *deserere* cogamur *nostrum domicilium*: *si enim Angelis qui peccarunt, non pepercit*, ne fortè & *nostrum* non parcat. Sive illud peccatum fuerit vilipendium *veritatis*, sive *invidia*, sive *superbia*, sive complicatum ex omnibus: saltem peccatum fuit, & *apostasia à veritate*, & negligentia, quâ *non servarunt* servanda, studium *novitatis*, quo *originem* non servârunt, ac suum domicilium *deseruerunt*, & si quæ præterea, unico lapsui implicata fuerunt scelera. Caveamus inquam, cum *vitii* communione; *judicii* quoque participium contrahamus, quod, per *justitiam* divinam, hæc duo ferè connexa sint: *Si enim Angelis non pepercit* &c. Conf. I. Tim. III. 6. Ne cum eis constringamur, *hîc* quidem caliginis & *vitii* catenis; & *posthac* miseriæ & *exitii*, & utroque ad *tartarum* damnati, *ad judicium magni illius diei*, quasi *vinculis asservemur*.

Quare cavenda?

4. Imprimis ut non recipiamus imaginem Satanæ. In quo imago Satanæ consistat.

XXVIII. Imprimis *quarto*, cane pejus & angue *caveamus*, adoptare *imaginem* diaboli, quod *Judæi* faciebant Joh. VIII. 44. Quando: I. *desideria* ejus imitamur. 2. *Mendaciis* operam damus I. Reg. XXII. 22. Act. V. 3. Item 3. *homicidio*, & omnibus quæ huc spectant Joh. VIII. 44. à quo *filii Belial* dicuntur, quotquot *Nabothi* neci fuerant cooperati I. Reg. XXI. 13. Etiam 4. *libidinibus*; à quibus *spiritus impurus* appellatur Luc. XI. 24. Imprimis quoque 5. *superbia*, fastu & ambitione, quâ nostra sorte non contenti, cum eo ad gloriam, nobis non *competentem* enitamur Jes. XIV. 12. 13. 14. Rom. XI. 20. I. Tim. VI. 17. Tandem 6. *invidia*, ἐπιχαιρεκακίᾳ, persecutionibus, quibus cum Satanâ, proximi commodis ac felicitate *contristati*, eis insidias struimus Gen. III. Istis omnibus, & compluribus aliis vitiis: (1) qui ad *imaginem* Dei conditi sumus, Satanæ *larvam* induimus, & quam hoc turpe! quam miserum! si enim *miserum* est, ex Rege *brutum* fieri, in Nebucadnezare Dan. IV. 12. 13. 22. nunquid *miserius* ac turpius, *imitatione* scelerum, ex *filio* Dei, & q. in terris *Vice-Deo*, *diabolum* fieri Joh. VI. 70. Saltem (2) *Filii*, per creationem, *diaboli* reddimur, illeque *Pater* noster, juxta Servatorem Joh. VIII. 44. *Vos ex Patre diabolo estis*, scil. quia *desideria Patris vestri*, *vultis facere*, quia *mendaciis* & *homicidiis*, ei similes vos præstitistis, & quia *facitis opera Patris vestri* vers. 41. Unde quisvis peccato *operam dans*, esse dicitur *ex Satana*. I. Joh. III. 8. utpote *qui jam inde a principio peccat*: & impii passim *filii Belial*, dicuntur, v. g. *seductores* Deut. XIII. 13. Sodomitæ, *lididinosi*, spurci Judic. XIX. 22. *ebriosi* I. Sam. I. 16. *prophani* circa cultum divinum I. Sam. II. 12. *crudeles*, omni amore cassi I. Sam. XXV. 17. *rebelles* 2. Sam. XX. I. *Magi* Act. XIII. 10. & ejusdem farinæ complures alii. Jam mihi cogita: I. quid sit & quam turpe, esse *filium* diaboli, talem habere *Patrem*, cujus domicilium *tartarus* & abyssus est, qui *catenis caliginis* ibidem quasi constrictus jacet, igni & sulphuri *damnatus* jacet, qui *asservatur judicio magni illius diei*: Patrem 2. tam *crudelem*, qui suos laqueis *circumducit ad pessima* 2. Tim. II. 26. Imo, quod pejus 3. *servos* sibi reddit & mancipia; siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in *servitutem* est addictus 2. Pet. II. 19. Conf. Joh. VIII. 34.

Quibus rationibus cavenda.

5. Et peculiariter ab artibus & studiis Satanæ. Quænam istæ artes?

XXIX. Sed ante omnia *quinto*, religiosissimè nobis *caveamus*, ab omnibus istis *artibus* ac studiis, quæ non nisi *per auxilium* Satanæ, & per *commercium* cum eo, exerceri possunt. Quales sunt I. omnes *fascinatoriæ* ac præstigiatoriæ, quibus aliis *illudere* conamur. 2. Omnes *divinatoriæ*, quocunque *modo*, quos Peucertus in libb. *De divinatione*, & ex eo Casmanus *Angelograph.* part. II. c. 13. recenset. 3. Omnes *magicæ*, quibus *mirabilia* ope diaboli, elaborare conamur. 4. Omnes *veneficæ*, quibus insuper aliis *nocere* laboramus. 5. Omnia illa, quæ à *spiritu familiari*, quem appellant, exspectari possint. Omnia 6. quæ qualemcunque cum Satanâ *communionem*, conversationem, familiaritatem, commercium requirunt. Omnes 7. *imprecationes*, quibus proximum, nosmetipsos, aut quævis, Satanæ *devovemus*. Tandem 8. omnia illa, quæ *qualecunque* commercium, præter *resistentiam* ac pugnam, spirare possint. Quod (1) omnia ista Deus quam severissimè *prohibuerit*, imo sub pœnâ mortis etiam temporalis Deut. XVIII. 10. 11. 12. Levit. XIX. 31. & XX. 6. 27. (2) *Fidem* illam religiosam, quæ Deo soli competit, ad juratum ejus hostem transferant, eis Satanæ *credatur*, aliquid boni ab eo *speretur*, in eo *fiducia* collocetur, & ob id eatenus *diligatur*, adeoque universus *cultus* Dei *naturalis*, ad Satanam traducatur. Proinde (3) Quod per fidem cum Deo

Motivæ.

iniri solet *commercium*, cum Satanæ coeat. Consequenter (4) quæ per fidem quæri solet *unio & communio* cum Christo, cum Satanâ impetretur. Tandem (5) quod cum omnibus istis, nulla omnino, *conversatio* cum Deo, aut *communio* beneficiorum Christi, esse aut sperari queat. Quæ omnia hîc quidem indigitasse sufficerit, alibi si Deus volet, ex professo dicenda.

6. Hortatur Satanæ tentationibus obnitamur.

XXX. Potius *sextò*, contractis omnibus viribus nostris, ejus *technis* & insultibus obnitamur. Præscribent istùd Apostolo 1. Pet. v. 8. Jac. iv. 7. 1. Tim. vi. 12. Prælucente sanctorum exemplo 2. Tim. iv. 7. 8. Phil. i. 30. & iv. 3. 1. Thess. ii. 2. Heb. xi. 34. Quin & Angelorum *bonorum* Apoc. xii. 7. & xx. 1. Dan. x. 8. 13. Imo ipsius *Archangeli Michaelis*, Angeli *facierum*, & fœderis Jud. vers. 9. Matth. iv. 1--12. Urgente hostium lethalium *copiâ*, potentia, calliditate, assiduitate Eph. vi. 12. & ii. 2. atque etiam causæ *momento* & pondere; agitur enim non de *opibus* mundanis, *honoribus*, & id genus aliis næniis; sed de *animarum æterna* salute, ne à diabolo *absorbeamur* 1. Pet. v. 8. sed, *decertato præclaro certamine*, *coronam justitiæ* consequamur 2. Tim. iv. 8. Obnitemur autem, atque etiam superabimus: A. *Vigilantia* Eph. vi. 18. & v. 15. 1. Pet. v. 8. Qua nitamur (a) hostes nostros spirituales *agnoscere* ac dignoscere 2. Cor. ii. 11. Tum (b) & nostram *imbecillitatem*, tantis ac tot hostibus opponendam Rom. vii. 14. 18. 21. 23. 24. 2. Cor. xii. 9. 10. Jes. lxiv. 6. Proinde (c) *prudenter* ac circumspectè in omnibus nos gerere Eph. v. 15. Et (d) semper *exercitiis bonis* ac sanctis occupari, ne hostes nos otiosos ac securos obruant, ad hoc *indesinenter ambulare cum Deo* Gen. v. 22. Psal. xvi. 8. B. Præclaro *certamine* 1. Cor. xvi. 13. Jac. iv. 7. in quo id operam demus: 1. Ut *forti animo* simus, fiduciâ collocatâ, in *promissionibus* præsentiæ & optitulationis divinæ 1. Pet. v. 9. Eph. vi. 10. Ps. xxiii. 4. 2. Ut *panoplia* spirituali simus instructi, quam Apostolus præscribit Eph. vi. 11. &c. 2. Cor. x. 4. 5. Tum C. ut nobis solicitè *caveamus*, ab omni *collusione*, conversatione, confabulatione, & ab omnibus universim, quæ non spectant ad hostes *impugnandos*. Contra D. *tela* ut primum in nos torquentur, *retorqueamus* fortiter Eph. vi. 13. & iv. 27. Matth. iv. 10. Inprimis etiam E. ut accincti simus *gladio spirituali*, qui est verbum Dei, ut adversus omne tentationis genus, in promtu habeamus *dictum* aliquod Scripturæ Eph. vi. 17. Matth. iv. 7. Tandem F. Ut ultimum nostrum refugium sit in *precibus*, ne *inducamur in tentationem* Matth. vi. 13. & inducti *roboremur*, quo pugnemus ac vincamus Ps. cxix. 133. & cxxxviii. 3. 2. Tim. iv. 7. 8. De quo alibi plura ex professo.

Motivæ.

Media.

7. Consolatur adversus diabolorum insultus.

XXXI. Denique *septimo*, ne cogitatione tot tantorumque hostium, dies noctesque nobis imminentium, animus liquescat, desperet, deficiat, ut Israëlitis, cogitatione Cananæorum Num. xiii. 32. & Jethero Gideonis Filio Jud. viii. 20. 2. Reg. vi. 15. pro *solatio* cogitandum etiam: (1) Utcunque *multi* sunt & *potentes*, & *crudeles*; non tamen esse *infinitos* & *omnipotentes*, esse eorum rabiem, sub accuratissimis *limitibus* providentiæ divinæ Job. i. 12. Luc. xi. 21. 22. & viii. 29. (2) Eos ipsos, qui *hostes nobis* sunt tam infesti & infensi, esse etiam *Dei* & *Angelorum* beatorum hostes, *adeoque si Deus pro nobis*, *quis contra nos* stabit? Rom. viii. 31. Psalm. xxiii. 4. 2. Reg. vi. 15. 16. Proinde (3) qui nos *impugnant*; eos *oppugnari* à Deo, objurgari Zach. iii. 1. & expugnandos promitti Hos. xiii. 14. Etiam (4) in hac pugna *Ducem* nobis esse *fortiorem*, qui *fortis* domicilium potuerit diripere Luc. xi. 21. 22. qui hostibus potuerit imperitare Marc. ix. 23. Luc. viii. 29. qui & *potestatem* in impuros spiritus, potuerit communicare suis Matth. x. 1. imo qui ad hoc *venerit* in mundum, ut *opus diaboli destrueret* 1. Joh. iii. 8. Nec venerit tantum; sed *destruxerit*, sic satis de iis *triumphando palam* Col. ii. 15. Heb. ii. 15. nosque à *potestate tenebrarum* liberaverit Col. i. 14. Sint itaque Dæmones *fortiores nobis*, non erunt fortiores *Duce* nostro Luc. xi. 22. Psal. cx. 1. Sint *callidiores* nobis, non eo, qui *nobis factus est sapientia à Deo* 1. Cor. i. 30. qui noster est *consiliarius* Jes. ix. 6. sint *Principes* hujus mundi; sed *judicati* sunt ab eo, nec ulla ipsis in eum est potestas Joh. xiv. 30. sint *Dii* hujus mundi; sed qui *in nobis est*, *major est mundo* 1. Joh. iv. 4. sit *leo rugiens*, nostet Simson eum *discerpsit* Jud. xiv. 5. noster David eum *enecavit* 1. Sam. xvii. 49. noster *Leo de tribu Juda*, eum superavit Apoc. v. 5. sit *draco* ille *magnus* Apoc. xii. 3. noster ipsi *virus* erit Hos. xiii. 14. sit *Leviathan & serpens*; est nostro *gladius durus*, *magnus & fortis super Leviathan serpentem tortuosum*, *occidentemque cetum qui est in mari* Jes. xxvii. 1. sint *Behemoth*, *cujus ossa baculi arei*, *sicut virga ferrea* Job. xl. 13. interim à nostro, quasi *hamo & funiculo* (Ibid. 20.) captus, *æternis catenis caliginis constringitur* Jud. vers. 6. Et ne quid de *victoria* ambigamus (5) cogitemus, *Ducem* illum nostrum, *in omnibus esse tentatum* sicut nos, qui proinde *possit* ac velit *succurrere*, *his qui tentantur* Heb. ii. 18. Interim (6) ipsa illa *certamina*, à nostro Duce *sic* esse dirigenda, ut inde aliquod *commodum* beneficiumque, in nos redundet 2. Cor. xii. 9. & vii. 11. Rom. viii. 28.

CAPUT NONUM,

DE

HOMINE, ET IMAGINE DEI.

Gen. 1. 26. 27. 28. 29.

Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram, & dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, atque jumentis ac toti terræ, omnique reptili reptanti ſuper terram. Creavit itaque Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit illos, & benedixit eis Deus. &c.

Negotium de homine.

I. Tandem ad *hominem* pertingimus, universæ creationis finem pariter & compendium, in quo gloriam prædeſtinationis, h. e. miſericordiæ & juſtitiæ, κατ' ἐξοχὴν declarare Deus ſibi propoſuit. In quo proinde efformando, reformando, informando, beando, tota diſtinetur SS. Trinitas, tota Scriptura, tota noſtra procurrit Theologia.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Hujus hominis* efformationem & exornationem, *Moſes*, *textu præfixo tradit tribus partibus*: *nim.*

1. Conſultationem *præviam*, verſ. 26. Dixit Deus, faciamus hominem.... *Non dicit, ut in reliquis*, producat terra: *ſed præviâ conſultatione*, *de* hominis *efformatione*, *exornatione*, *elevatione*; *ejus ſignificat excellentiam ac dignitatem. Sunt autem in hac conſultatione*:

A. Conſultantes *perſonæ*, ויאמר אלהים, dixit Elohim. *Hic* dixit *ſingulare*, unitatem *ſeu identitatem conſultantium ſignificat*; & Elohim *plurale*, pluralitatem *eorundem. Unde Patres, Hilarius, Auguſtinus, Fulgentius aliique, ac poſt illos moderni plerique Theologi, adverſus Judæos, Socinianos, alioſve Antitrinitarios, Myſterium Trinitatis, ex hoc loco ſolidiſſimè conficiunt. Hoc autem, ut declinent adverſarii, in omnes formas ſe convertunt. Sunt enim* 1. *qui volunt Deum* Angelos *alloqui, per ταπείνωσιν, ne Zelotypiâ erga hominem exardeſcerent, ut quem in illorum ſimilitudine formare ſtatueret. Aſt eos creatores ſalutare, quam eſt ἀλογον, quam ἀθεόλογον! Sunt* 2. *qui eum alloqui quatuor* elementa, *eaque exhortari, q. d.* date vos corpus, ego dabo animam. *Sunt* 3. *qui ſtatuunt Deum, hic loqui more Magnatum, honoris ergo. Utut autem Hebræi hoc recipiant, in* ſecundâ & tertia *perſona, in* primâ *tamen nullum ejus exemplum admittunt, ubi ſcil. ſingulare aliquod individuum de ſe loquatur in prima perſona numeri pluralis, obſervante Aben Ezra in* Gen. 1. 30. *Sunt* 4. *qui volunt Deum pluraliter loqui, ad exprimendam hominis præſtantiam, q. d.* non terra, non aqua, in condendo homine, ſint occupatæ, verum nos ipſi, *h. e. Deus & Angeli. Sed Angelos jam dudum ſemovimus, ab axiomate creationis. Sunt* 5. *qui* נַעֲשֶׂה *reddunt; non per* faciamus *ſed per* fiat *ſeu* factus *eſt homo: ſed hos ridet Aben Ezra & impugnat, ut & illos qui dicunt, hæc verba* in imagine noſtrâ, *non eſſe verba* Dei: *ſed* Moſis. *Antiquiſſimi Hebræi* 6. *ſtatuunt, Deum loqui ad* domum judicii ſui, *teſte Druſio. Et quid* domus judicii Dei, *niſi œconomia trium perſonarum.*

B. Conſultatio *ſeu conſultandi actus, quem ἀνθρωποπαθῶς deſignat vox* dixit. *Differt* אמר dicere *à* דבר loqui, *quod* prius *ſemper alteri jungatur; ſed poſterius abſque conjunctione ad alterum, inquit K. David Kimchi. Atque ita diceret, unam perſonam dixiſſe alteri. Porro duæ voces* אמר dicere & דבר loqui, *ſecundum Maimonidem in Moreh Nebuch. cap.* LXV. *dicuntur*: 1. *de ſermone, qui lingua fit* Exod. XIX. 19. 2. *de re aliqua concepta & formata in intellectu abſque ſermone externo* Eccl. II. 15. Prov. XXIII. 33. &c. 3. *dicuntur quoque de voluntate* 2. Sam. XXI. 26. *Sic Elohim* dixit, *non ſermone; ſed intellectu & voluntate.*

C. Conſultatum *ſeu conſultationis argumentum*: faciamus hominem *&c. Hic notatur.*

1. Opus *efformandum*, homo אדם. *Sive vox hic capiatur ſenſu* proprio, *ut fit* 1. Cor.

xv. 22. Hoſ. vi. 7. *ſive* appellativo, *ut paſſim*: *cum* primi *hominis fuerit nomen proprium & appellativum, parum refert*; *quamvis* poſterius *malim, quia non de* uno *homine*; *ſed de duobus, mare & fœmina, hoc loco capiatur. Modo non, juxta figmentum Judaicum, capiatur pro homine ἀνδρογύνῳ, ſeu hermaphrodito, Hic videtur dici per πρόληψιν ejus quod infra cap.* 11. 21. *diſtinctius explicatur.*

2. Operatio *circa opus ſeu* אדם, *triplex, nim. ejus.*

A. Efformatio נעשה אדם, faciamus hominem. *Quod perperam* LXX. *Interp. reddunt per* ποιήσω faciam, *ne Ptolomæus Philadelphus, inde colligeret, Judæos* plures *agnoſcere Deos.* Faciamus; *alibi* creavit, *ut ſciamus differentiam inter* ברא & עשה, *non eſſe perpetuam*; *niſi malis per* עשה, *hic intelligi, non ſolam hominis* productionem; *ſed inſuper ejus exornationem.*

B. Exornatio, בצלמנו כדמותנו, in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram, *in quâ* imagine, *præcipuum conſiſtit hominis ornamentum, præcipua prærogativa. Quas voces, alii diſtinguunt, ut* imago *ſit in* naturalibus, *ſimilitudo in gratuitis: alii confundunt per Hendyadim, Scripturis familiarem: alii ad* ἄνεσιν *referunt, ut imaginem intendant maxime* ſimilem: *alii ad* μείωσιν *referunt, ut* צלם umbram *notet, ſeu* ſimilitudinem umbraticam, *non* perfectam, *item evanidam, qualis eſt in* umbrâ: דמות *per* ſimilitudinem *referunt, ſeu per* ideam, *quam mente efformamus.*

C. Elevatio *ad dominium*, qui dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, atque jumentis ac toti terræ. *Exprimitur his verbis.*

1. Dominium. ורדו & dominentur. *Compoſitum creditur ex* Kal. & Pihel. *Unde R. Salomo Jarchi exponit*, & active, & paſſive, *q. d. ſi* bene *vixerint homines, dominabuntur eis*; *ſin* male, *illa dominium habebunt in eos. Alii vertunt* extendant ſe, *quia potentia Domini, extenditur ſuper ſervos.*

2. Sabdita *huic dominio, ſcil.* piſces maris, volatilia cœli, jumenta terræ, *imo tota* terra, *ac terrena quævis, ut eis utantur ex præſcripto Dei, & rectæ rationis. His igitur dominium hominis extenditur, in aquas, cœlum aëreum, ac terram, nequaquam autem in cœlum æthereum & empyreum.*

II. Efformationem, *conſultationi ſucceſſivam* verſ. 27. Creavit itaque Deus hominem in imagine ſuâ *&c. Hic notatur.*

1. Actus *efformantis*, ויברא & creavit Deus. *Actum hunc antea dixit* עשה, *jam* ברא, *quo ſignificetur, eum non modo* produxiſſe; *ſed &* exornaſſe *hominem.* Creavit *autem hominem, præparando ejus corpus ex terrâ rubra, & inſpirando ei* נשמת חיים, animam vitarum Gen. II. 7. *hoc eſt animam triplicis vitæ, vegetativæ, ſenſitivæ & rationalis.*

2. Modus *efformandi*; ad imaginem ſuam, in imaginem Dei creavit illum. Poſterius *hemiſtichium videtur eſſe exegeticum* prioris, *quo ſignificatur, hominem creatum fuiſſe ad imaginem, non* Angelorum; *ſed ſolius* Dei. אותו illum, *ex analogia præcedentium & ſubſequentium, ſignificatur non unum Adami* individuum; *ſed* unuſquiſque, *ut intelligamus, non* marem *tantum*; *ſed &* fœminam *eſſe hominem.*

3. Efformatum, maſculum & fœminam creavit eos, אתם. *Non utique* ſimul, *ut Judæos audivimus ſomniare*; *ſed* ſucceſſive. *Scil. ut apti eſſent ad propagationem ſuæ ſpeciei, intelligeremus, non* marem *tantum geſtare imaginem Dei, ut perperam nonnulli colligunt ex* I. Cor. XI. 7. *ſed etiam* fœminam, *licet reſpectu dominii univerſalis, etiam in fœminam, ſolus* mas *Apoſtolo dicatur imago Dei.*

III. Conſequens *efformationis quadruplex*, verſ. 28. 29. *Nim.*

1. Benedictionem, & benedixit eis Deus. ברך, *notat* ſalutare, *quod olim fiebat levi genuflexione*, gratulari, imprecari, *ſeu* bonum, *ſeu* malum, *coincidit cum Græcorum* εὐλογεῖν. *quod notat* bene *aut* bona *dicere, vel* DE *aliquo, & ſic nos Deo & proximo benedicimus eos* celebrando Pſ. CIII. 1. Eph. I. 3. *vel* PRO *aliquo, tum eſt* orare *ſeu* intercedere *pro aliquo* Num. VI. 24. *vel bonum* facere *alicui. Et ſic uſurpatur, vel de homine verſus* Deum, *notatque Deum religioſe colere, ei quaſi* genua *corporis & cordis flectendo, ipſum* amare, *ei quodvis bonum volendo, eum* glorificare, *ei gratias agere* Deut. VIII. 10. Eph. I. 3. *vel de Deo verſus* hominem Gen. I, 28. Jeſ. XIX. 25. *ſic notat pronam Dei voluntatem, qua bona quævis ei, vult & præſtat, qua, in ejus gratiam, rebus omnibus* vim *ſuam conſert, & aptitudinem ad* uſus *ſuos, & collatam erigit & excitat* Matth. IV. 4. *ex* Deut. VIII. 3.

2. Fœcundationem, creſcite & multiplicamini. *Verba iſta, habere poſſunt*: 1. *ſenſum* imperativum, *quo modo veteres Hebræi, hic volunt eſſe præceptum* univerſale, *omnibus hominibus poſitum,*

ſitum, de contrahendo matrimonio, *quod vocant* מצות פריה ורבה *quod* præceptum qui non confirmat, non habet, *inquiunt*, partem in futuro ſeculo. *Sic autem, & in bruta caderet* præceptum, *quia idem de eis dicitur* verſ. 22. *ſic etiam* præceptum *eſſet dominari piſcibus &c.* dominamini in piſces maris. 2. *Senſum* conceſſivum, *quemadmodum* Gen. 11. 16. Deut. XIV. 11. 20. *Tandem* 3. *ſenſum* promiſſivum, *ut* imperativa *ſint pro* futuris: creſcite *pro* creſcetis *&c. ut promittat fœcunditatem, potentiam & appetitum generandi ſibi ſimile, unde de fœcundis tantum dicitur; non autem de luce, aſtris, plantis &c.*

3. Subjugationem *terræ, quæ complectitur*:

A. Officium *circa terram ab homine peragendum*, & ſubigite eam, *ſcil. vobis. Licet enim, per fœcundationem præcedentem, ei promiſiſſet terra* fœcunditatem, *exigit tamen officium agriculturæ, equidem abſque* moleſtiâ, *in ſtatu* integritatis *peragendum; ſed tamen non ſine* labore, *quem impenderet terræ, per ſex priores ſeptimanæ dies, ut ſeptimum ſanctificationi ac quieti deſtinaret. Per verba præcedentia intelligit, non tantum Paradiſum, qui quidem ſufficiebat protoplaſtis ſolis, ſed* univerſam οἰκουμένην, *quæ* poſteris *ejus data erat, per verba præcedentia.*

B. Beneficium *ſubſequens officium*, & dominamini, *de quo in præcedentibus jam ante dictum. Dominium autem iſtud extendit nominatim in* piſces, *quamvis ipſis nomina non impoſuiſſet; ſicut impoſuit* animalibus, *in ſignum dominii.* Et in volatilia cœli, & in omnem beſtiam reptantem ſuper terram, *ut* univerſale *haberet dominium in* cuncta *terrena, de quo jam ante locuti ſumus.*

C. Alimentationem. Ecce dedi vobis omnem herbam, ſeminificantem ſemen, quæ eſt in omni ſuperficie terræ *&c. Ex quo Patres communiter, aliique colligunt, alimoniam ex* carnibus *in ſtatu integritatis, necdum fuiſſe in uſu, quippe poſt diluvium demum conceſſam* Gen. IX. 2. carnibus *ad ſacrificia reſervatis, ipſis tantum ex eis reſervatis* velleribus, *lacte & caſeo. Aliter tamen placet aliis, nominatim Bocharto, eo quod:* 1. *eas non obtuliſſet Deo Abel, ſi eis veſci nefas credidiſſet.* 2. *Fruſtra paviſſet agnos, quibus non licuiſſet uti.* 3. *Diſtinctio animalium in* munda & immunda, *docere videtur, alia* permiſſa, *alia* prohibita *fuiſſe. Quiſque ſuo hic fruatur judicio. Notatur autem diſtinctè*:

1. Donatio *divina, quæ eſt fundamentum juris & uſus:* dedi vobis, *ut eadem operâ ſibi aſſereret ſupremum* dominium.

Donum, omnem herbam *&c. nullo excepto. Ut inde Apoſtolus non ineptè colligat*, omnia veſtra ſunt 1. Cor. III. 21.

3. Uſum *omnium iſtorum* in eſcam, *vitam alatis, valetudinem, & vires capiatis ad negotia veſtra.*

THEOREMA PRIMUM,

De Creatione hominis.

Pars dogmatica.

Hominem ſingulari modo creatum eſſe demonſtratur.

III. Duo igitur, è textu potiſſimum nobis incumbunt dicenda, *creatio* hominis, & *imago* Dei in creato. Hominem ergo Deus creavit, modo planè ſingulari. *Creaſſe* enim ſæpius exſertè dicitur, imprimis perquam emphaticè Jeſ. XLIII. 7. *creaſſe, formaſſe, feciſſe* Pſal. LXXXIX. 48. & XCV. 6. & C. 3. & CXIX. 73. Atque inde etiam *Pater noſter* Jeſ. LXIV. 8. Matth. VI. 9. *Fictor noſter* Jeſ. XLV. 9. Rom. IX. 21. *Opifex* noſter *Ibid.* 20. appellatur, noſque *opus manuum, labor Dei, progenies* ejus denominamur Job. X. 9. Nec poteſt *non* creaſſe, cum nec *à ſe* poſſit eſſe homo, nec ab æterno. Creaſſe *modo* plane *ſingulari*, in tribus potiſſimum patet; nim. (a) quod poſt prævium quaſi *conſilium*, creaverit ipſum, *faciamus hominem*, quando aliæ quævis creaturæ per nudum *eſto, fiat*, exſtiterunt. *Conſilium* inquam, non cum *Angelis*; ut Judæis placet, odio SS. Trinitatis: neque enim Angeli *creare* poſſunt: nec ad Angelorum *imaginem* conditi uſquam legimur; ſed cum tribus *perſonis*, alibi demonſtratis, invicem; ut intelligerentur *tres* perſonas, nos creando fuiſſe occupatas Pſal. XXXIII. 6.. (b) Quod in *uno* homine, creatum fuerit πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων Act. XVII. 26. Ut in *uno* omnes, ſeu ſtarent, ſeu caderent Rom. V. 12. (c) Quod *poſtremo* die, & *poſt* omnes reliquas creaturas, utpote omnium, & *finem* & *compendium* Pſal. VIII. 7.

Fines creati hominis.

IV. Nec *temerè* aut *fruſtra* ſic creavit; ſed ad ſui *gloriam* Pſal. LXXXIX. 48. Jeſ. XLIII. 7. Prov. XVI. 4. Quo nim. 1. omnia creata, veluti *recapitularet* in uno homine, vaſtique univerſi hujus, ſtupendo artificio, *ſummam* præſtaret, tam exiguo complexu & quaſi μικρόκοσμον. 2. Ut *ſeipſum* in homine referret, & *contemplaretur* velut in ſpeculo; perinde ut homo *in ſe* habet, quo *Deum* videat ſui πρωτότυπον Joh. XIV. 9. Ut 3. haberet,

beret, per quem *omnia* quæ à se *profluxerant*, ad se velut *refluerent*: qui, velut suus in terrâ *quæstor*, omnium creaturarum proventus *susciperet*, & à se profectos agnosceret, convenientique gratiarum actione, velut *restitueret* Rom. XI. 36. Quamvis enim uterque, & *Angelus* & *homo*, ratione sit beatus, ut Creatorem *agnoscat*, & creaturas, tanquam à Creatore promanantes: *solus* tamen *homo* aptus est, qui omnium *creaturarum bonitatem*, experiatur in se, ac proinde gratitudine Deo referat. Porro 4. ut creaturæ ἄλογοι Dominum haberent, cujus operâ regerentur. Gen. I. 26. Unde ad *hominem*, tanquam ad Dominum suum, omnes adducuntur, nomina & *munera* accepturæ Gen. II. 19. Denique 5. ut in *tribus* personis: quæ ad nostri productionem q. cooperatæ fuissent; agnosceremus *charitatem Patris*, *gratiam Filii*, *& communionem Spiritus S.* 2. Cor. XIII. 13.

Efformatio corporis humani.

V. Ad ista omnia hominem (ab *humo* dictum, sicut אדם à *terrâ rubra*) ita condidit, ut *primò* adhibitis quasi manibus, protoplasti corpus elegantissimum, è *luto* finxerit Job. X. 8. Psal. CXXXIX. 15. materiâ *abjectissimâ*, ut inde, non modo artificium Conditoris, evidentius agnosceremus: sed &, ob *elegantiam* nostri *corporis*: non *superbiremus*. Corpus inquam *elegantissimum*, non tantum (1) εὐκρασίᾳ, præ reliquis omnibus *exactissima*; nec tantum (2) statura erecta, quo esse ὀρθανθρώπος (à quo ἄνθρωπος, q. ἄνω θεωρῶν *sursum respiciens*, ut eleganter Lactantius lib. *de Opificio Dei* c. 8. Cum, *inquit*, statuisset Deus, ex omnibus animalibus, solum hominem facere *cœlestem*, cætera universa facere *terrena*: hunc ad cœli contemplationem, *rigidum* erexit, bipedemque constituit, scil. ut *eodem* spectaret, *unde* illi origo est: Nec tantum (3) partium συμμετρίᾳ plane mirabili, ad quam, velut Polycleti regulam, omnia referunt architecti, templa, ædes, machinas construunt; sed etiam (4) *Usus* commoditate, quatenus organum animæ præbebat, operationibus *naturalibus*, *moralibus* & *spiritualibus* eliciendis, commodissimum Rom. VI. 13. Rom. XII. 1. Tandem (5) totius universi, artificiosissimo *compendio*, quod delineat Laurentius *Anatom* lib. I. cap. 2. (6) perfectissimâ ætate ac statura. Interim tamen, paulo aliter occupatus narratur, circa efformationem corporis *masculini*, ac *fœminini*, illud immediate, ex luto rubro effinxit; ut *mas*, quatenus talis est, intelligeret, se à Deo solo *pendere*: hoc è costâ masculinâ, ut fœmina, sub Deo, à mare, se dependere agnosceret, eique subesse, velut Domino suo, addisceret, à quo *marem*, ad imaginem Dei conditum narrat I. Cor. XI. 7. Hinc Deus Gen. II. 18. אעשה לו עזר כנגדו *faciam ei adjutorium*, *quod sit coram eo.*

Efformatio animæ; Quæ est substantia.

VI. Tum ut *secundo*, corpori elegantissimè formato, *animam* conferret, infinitis modis *elegantiorem*. Historia prostat Gen. II. 7. *Formaverat igitur Deus hominem è pulvere terræ inspiraveratque in faciem ejus spiritum vitarum, & fuit homo in animam viventem.* Hæc, si *essentiam* spectes, non est nisi *substantia spiritualis cujus ope animatum operatur à se.* Est (a) *substantia*, non otiosum nomen, ut stulte volebat *Dicæarchus*: nec humorum ἰδιοκρασία, ut Galenus existimabat; sic enim *affectus*, ex humorum *intemperie* oriundi; per animam non possent corrigi: nec mera *cogitatio*, quod Cartesius cogitabat, cum cogitatio sit actio, & agentem causam præsupponat: sed inquam, *substantia*, quoniam per eam, totâ *specie*, homo à quibusvis differt, atque etiam, post mortem *per se subsistit.* Est (b) etiam substantia *spiritualis* seu *immaterialis*: quia *immaterialia percipit*, & *modo* etiam immateriali, per collationem, abstractionem, ratiocinationem, reflexionem. Vid. Zanch. *De Operib. Dei* part. 3. lib. 2. cap. 2. Est porro (c) substantia *incompleta*, ad *compositionem* cum corpore, ordinata, per quod differre cognoscitur, ab essentiâ *angelica.* Est tandem (d) ad hoc data, ut animatum ejus ope possit *operari à se*, h. e. vivere, inde נשמת חיים *spiritus vitarum.* Sic in *plurali* dicitur, non quod multiplex anima detur in quovis homine; sed quod per unam נשמה *animam*, triplex vita (seu potius vivendi gradus) observetur; scil. 1. *vegetativa* θρεπτικὴ, quâ *simpliciter vivimus*; quæ complectitur *altricem* seu nutritivam; *auctricem* quâ crescimus: & *propagatricem*, quâ species conservatur. 2. *Sensitiva*, quâ *percipimus* insuper, ope quinque sensuum *externorum*, tactus, gustus, olfactus, auditus & visus; & trium *internorum*, sensus communis, phantasiæ & memoriæ, *sensibilia* percipimus ad dijudicamus. A quibus etiam sunt, facultas *locomotiva*, *appetitus* sensitivus, & affectus animales. 3. *Rationalis*, quâ sola, à reliquis animatis distamus: cujus quidem facultas gemina est, *apprehendendi* verum, quæ *intellectui* competit; simpliciter primò objectum *apprehendendo*; tum conjungendo aut divellendo, seu affirmando & negando: denique *discurrendo* & argumentando, quo ex notioribus ignotiora colligimus. In posterioribus *judicium* consistit, tam *theoreticum*, quod de nudâ rei veritate pronunciat; quam *practicum* quod de bonitate insuper; idque vel in *thesi* tantum, seu quid sit in genere bonum aut malum; vel in *hypothesi*, quid mihi, hîc & nunc, consideratis omnibus considerandis, sit tale: Tum *appetendi* aut rejiciendi *bonum* vel malum, quod *voluntatis* est, quæ circa *finem* occupatur necessario, circa *media indifferenter*, saltem *sua* natura. Ex utraque, percipiendi & appetendi facultate nascuntur, tum *liberum arbitrium*, quod non est, nisi facultas *agendi ex consilio*, seu complacentia rationali.

immaterialis, incompleta, per quam vivit animatum.

Anima est vegetativa,

sensitiva,

& rationalis in qua est intellectus,

Voluntas,

Liberum arbitrium,

nali. Quod quidem *indifferentiam* aliquam *naturalem*, in sensu, ut loquuntur, *divisō*, admittere potest; sed in *differentia* nequaquam consistit: Tum *affectus* seu passiones, quæ in *homine* quidem, non videntur esse nisi *actus voluntatis*, quanquam & à temperamento humorum, bilis, sanguinis &c. nec non ab appetitu *sensitivo*, multum pendeant. Suntque vel *concupiscibiles*, qui ex apprehensione, tum *boni* nascuntur, quales amor, desiderium, gaudium, tum *mali*, ut odium, fuga, dolor: vel *irascibiles*, quales spes, audacia, timor, ira, misericordia, invidia, pœnitentia, zelus, verecundia.

Facultas loquendi homini propria unde.

VII. Ex constitutione corporis & animæ humanæ ejusque intellectus & voluntatis, exsurgit facultas loquendi, seu sermocinandi, homini planè propria, seu facultas, conceptus mentis suæ, per figna varios sonos in aëre efformatos repræsentandi. Quicquid enim Apollonius Thyanæus, teste Philostrato in suo *Apollonio* Thyanæo somniat, de sermone avium, quo sibi invicem, absentia cadavera significent, si non fictitium & fabulosum est, ab artibus magicis Apollononi, & ex revelatione Satanæ profectum videtur. Bruta enim, quamvis ex institutione humanâ, facultatem habeant, eos sonos efformandi, quibus homines, sibi invicem suos conceptus repræsentare consueverunt; non tamen habent *conceptus*, quos repræsentent, nec intellectum, nec voluntatem, quæ ad sermocinationem necessario exiguntur. Unde paraphrastes Chaldæus verba Gen. II. 7. licet parùm feliciter μεταφράζων, verè tamen, si rem spectes, παραφράζει: יהיה באדם רוח ממללא *fuit*, & *in Adam spiritus loquens*: indivulsa enim sunt, rationalem esse, & loqui. Interim perquam difficile est, solide determinare, unde Adamus, linguæ verborumque facultatem hubuerit, quâ animantibus, sua quæque nomina imposuerit, Gen. II. 19. Hebræorum quibusdam, hoc *naturæ*, aliis *consensui* & instituto; aliis denique solius Dei *revelationi*, ac cœlesti disciplinæ, hoc assignantibus: cum autem, nulla lingua homini videatur esse *naturalis*, verbis omnia, non *natura*; sed solo *instituto* & *usu* significantibus, qui usus in prima hominis creatione, necdum obtinebat: plerique ad divinam *revelationem* confugiunt, Deum primæ linguæ conditorem adducunt, qui Adamo illam; vel universim; vel quoad præcipua elementa ejus, suopte ingenio ulterius excolenda infuderit. Licet enim non legatur, Deum externos sonos Adamo præfiguraſſe: non obstat tamen, quo minus menti ejus illam facultatem instillârit, qua res quasvis pro sua sapientiâ, voluntate, suis nominibus insigniret.

Affectiones.

VIII. Inter affectiones animæ, *prima* est ejus *unitas*. De quâ variæ sunt, tum Philosophorum tum Theologorum sententiæ. Est quæ omnibus qui fuerunt, sunt eruntque, *unam* tribuit animam *communem*: est quæ *plures* quidem admittit; sed non tot, quot homines sunt, quod eadem, μετεμψυχώσει ab *uno transeat in alium*: est quæ *plures* tribuit *uni* homini: idque *vel simul*, cui tres animæ *facultates*, vegetativa, sensitiva & rationalis, totidem animas efficiunt; *vel successive*, quæ embryonem statuit, primò *vegetativâ*, tum *sensitiva*, denique *rationali* informari: est denique, quæ *unam* tantum unicuique animam assignat, maximè, meo judicio, & *Scripturis* consentanea (utpote quæ unam singulis animam passim tribuit Gen. XLV. 26. Act. VII. 14. Rom. XIII. 1. Ezech. XVIII. 4. & *unam* protoplasto *animam*, triplicis *vitæ* fontem, inspiratam Gen. II. 7. atque etiam *unam* tantum in generatione dari Eccl. XII. 7. & *unam* tandem morte separari, commemorat Psal. XXXI. 6. Matth. XXVII. 50. Act. VII. 59.) & rectæ *rationi*, quæ formam *substantialem*, quâ res quævis est quod est, *unam* tantum in uno admittit individuo. Si etiam unum omnibus *communem* tribuas, nonne *scientiam* & *ignorantiam*; *virtutes* & *vitia*; præmium & pœnam; vitam & condemnationem æternam, & id genus alia contradictoria, eidem subjecto tribues? Si *tres* singulis tribuas *simul*, nonne *tres* quilibet animas, afferret in cœlum aut infernum, cum nulla possit intercidere aut mori Matth. X. 28.? Si totidem tribuas *successive*, nonne homo primò *planta* erit, tum *brutum*, denique *homo*? Conf. Zanch. lib. 2. cap. 4. De *Operib. sex dier.*

Immaterialitas.

IX. *Secunda*, spiritualitas seu *immaterialitas*, quâ omnis omnino *materia*, non tantum *crassioris*; sed & *subtilissima* (qualem cum Veteribus quibusdam, Vorstius & Sociniani ipsi tribuunt) penitus sit immunis. Istam, cum *Scripturis* Eccl. XII. 7. Luc. XXIV. 39. ipsa docet *ratio*. Cum enim operationes ejus *rationales*, non sint *corporeæ*, nec *organicæ*, certo ac peculiari *instrumento* affixæ, sicut sunt *sensitivæ*: sequitur, nec ipsas *facultates* rationales, esse *corporeas*, & consequenter, nec ipsam animæ *essentiam*. Conf. Zanch. part. 3. lib. 2. cap. 2. Ex ista *immaterialitate* sponte fluunt ejus *simplicitas*, quâ omnis *compositionis* ex partibus *essentialibus*, materia & forma; aut *integralibus* seu membris, est expers: item *invisibilitas*, cum ea ex partium situ & figura, solis *corporeis* sit peculiaris: porro & *indivisibilitas*, quod enim partibus non est *compositum*, nec in partes est *divisibile*; tandem & *immortalitas*, imo & incorruptibilitas, de qua plura ξὺν θεῷ in *elenchticis*.

Animæ & corporis unio.

X. Sequitur partium essentialium, corporis & animæ *unio*, quam *inspiratione spiritus viventis* in narcs corporis, Deus produxit. Per istam, anima est *forma* hominis non *assistens*, ut nauclerus navis, ficui Plato existimabat ἀλόγως; sed in-

formans, per quam, in hac rerum *ſpecie* collocatur homo. Nec informat *unam* aliquam corporis *partem*, ſeu *cerebrum*, ut Platonici; ſeu *cor* ut Stoici volebant; ſed *totum* quantum quantum eſt, adeo ut *tota* ſit in *toto corpore*, & tota in ſingulis ejus *partibus*, quia, cum *ſpiritualis* ſit & indiviſibilis, ſingulas ejus partes attingit, idque non per *virtutem* tantum & operationes, ut cum Voſſio Carteſius exiſtimat, ſed per *eſſentiam*, cum quælibet corporis *pars*, per ſibi *coëxiſtentem* animam, dicatur animata. Nec ſit iſta *unio*, per interveniens aliquod *vinculum*; ſed *immediatè*, modo tamen, nullo ſimili repræſentabili, quamvis commodiſſimum ſimile, multi Theologi exiſtiment, unionem *lucis cum aëre*: ſicut enim duo iſta arctiſſimè *uniuntur*, idque ἀμέσως καὶ ἀσυγχύτως; ita & anima corpori hypoſtaticè unita, nec ſuam mutat, nec corporis tollit naturam: ut etiam *tota* lux eſt in toto aëre, & *tota* in qualibet ejus *parte*; ita & anima in corpore: ut ventis ac ſordibus agitato aut *infecto* aëre, non agitatur tamen aut *inficitur* lux; ita morbis ac doloribus infeſtantibus corpus, anima tamen non *læditur*: ut ſine luce torpet frigetque aër; ita ſine anima corpus: ut lux lucet *ſine aëre*, non viciſſim *aër* ſine luce; ita anima vivit *ſine* corpore, non *vice verſa*: tandem, ut lux à *ſolo* Sole eſt; ita anima à *ſolo Deo*. Vid. Zanch. *De Operib. Dei*. lib. 2. cap. 6. Tilen. *Syntag.* part. 1. Diſp. 28. §. 33. 34.

Animæ origo.

XI. Quantum ad *originem* animæ, variæ ſunt variorum, tam veterum quam recentiorum ſententiæ, quas recenſet Zanchius lib. 2. c. 5. ſumma huc vergit: Eſſe animas *omnes*, non modo protoplaſtorum; ſed omnium etiam *ſuccedentium* à Deo, ubique fere eſt in confeſſo; num autem à Deo ſint ἀμέσως, an ἐμμέσως, controvertitur. Ex his qui ἀμέσως ſtatuunt, alii animæ *eſſentiam*, ex ipſius Dei *eſſentiâ*, bonam ex *boni*, malam ex *mali* volunt oriundam, velut è *materia*. Sic olim Stoici, Manichæi, Priſcillianiſtæ: alii rectius ex *Dei*, ut unici *efficientis*, creatione ejus *ortum* repetunt: rurſus qui ἐμμέσως ſtatuunt, alii *Angelis*; alii viribus corporum *cœleſtium*; alii *ſemini* parentum, has partes aſſignant, & hoc rurſus per varia opinionum divortia, quæ explicare, quin vel recenſere, longius foret quam pro compendio: ſi quis tamen aveat, Zanchium adeat & Robert. Baronium in *Philoſ. Theol. ancillante*, ubi peculiaris proſtat exercitatio de *Origine animæ*. Eſt qui exiſtimet animas *ab animabus* propagari, ſicut *lumen* accenditur *de lumine*. Nos hîc præſupponimus è Scriptura, animas omnes humanas eſſe *à Deo*. Gen. 11. 7. Eccl. XII. 7, Heb. XII. 9. Jer. XXXVIII. 16. Nec tamen ut à cauſa *materiali*: ità enim Deus eſſet ſubſtantia *materialis*, ingrederetur *compoſitionem* cum alio, eoque *imperfectior* eſſet toto iſto, eſſet etiam per hoc, quilibet homo *Deus*, ut non addam, fore hoc pacto, *eſſentiam* Dei obnoxiam iiſdem *viciſſitudinibus* potentiæ & actus, ſcientiæ & ignorantiæ, virtutis & vitii: adeoque ſtatuimus animas à Deo eſſe, velut ab *efficiente* cauſa, & quidem per *creationem*, abſque ulla præjacente *materia*; quoniam ſunt ſubſtantiæ *immateriales*, quæ non aliter, quam *immediata* creatione produci poſſunt: & quidem abſque ullo *inſtrumento*, ſeu ſpirituali ſeu corporeo: quod creatio, cum *in nihil* agat, omne *inſtrumentum* excludat. Idque factum, non *ab æterno*, cum ante creationis illud *principium*, non fuerit niſi *Deus* Joh. 1. 1. 3. Gen. 1. 27. collat. cum Cap. 11. 7. Nec omnes *ſimul*, ab initio creatæ & q. in *faſciculum* compactæ ſunt, è quo, cum *conceptione*, in corpora dimittantur: nec *extra* corpus, ſed *in* corpore. Zach. XII. 1. Propagationem animarum *ex traduce*, ſuo loco, in *elenchticis* conficiemus.

Homînis præſtantia.

XII. Ex dictis omnibus, ſumma colligitur totius hominis præſtantia Pſal. VIII. 6. Quod 1. conditus ſit, peculiari SS. Trinitatis conſilio & cura. Quod 2. omnium creaturarum *finis* ſit creatus, & *propter* ipſum omnia Pſal. VIII. 7. hinc etiam *poſt* omnes. Quod 3. ipſe ſingulari modo, creatus ſit ad *gloriam* Creatoris Jeſ. XLIII. 7. Utpote qui ex *omnibus* creaturis, *Creatoris ſapientiam*, potentiam, bonitatem agnoſceret, prædicaret, referret: uſque adeo, ut citra hominem pleraque fruſtra creaſſet. Quod 4. totius mundi *epitomen* præſtet ac compendium: *ſpiritualium* ratione *animæ*, *corporalium* ratione *corporis* connotans. Quod 5. *corpus* ejus, ipſis quaſi *digitis* Dei fuerit efformatum, ac proinde 6. elegantiſſimâ membrorum *proportione*, εὐχυμίᾳ, & aptitudine ad *ſervitium* Deo & animæ præſtandum. Quod 7. anima ejus, naturæ ſit *ſpiritualis*, cœleſtis, divinæ, indiviſibilis, incorruptibilis, immortalis, Angelis, imo Deo, proximæ. Quod 8. iſta anima nobiliſſimis *facultatibus*, intellectu & voluntate beata ſit. Quod 9. in iſtis omnibus, *Deum* Creatorem ſuum referat, ut *imago* ſuum *prototypum*, de quâ paulò abhinc ex profeſſo.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

XIII. Quæritur 1. An omnes homines, ſuam originem debeant uni Adamo? Philoſophi, inter quos Ariſtoteles, revelatione deſtituti, cum ad primum hominem non poſſent pertingere, infinitam cogitabant hominum ſubordinationem, & item opera mundi æternitatem. Democritus fertur ſtatuiſſe, homines vermiculorum inſtar, è terris prorepſiſſe. Epicurus, ex fortuito atomorum confluxu, hominem compoſitum dixit, eoſque adhuc fungorum inſtar è terrâ naſci, & certo ſyderum poſitu, quotidie animari. Paracelſus, præ-

1. An omnes homines ſuam originem debeant uni Adamo?

præter homines Adamo posteros, alia quatuor hominum genera non-adamica numerabat, singulisque elementis affigebat: nim. *terræ* visceribus affigebat *Pigmæos*; *aquis*, *Nymphas* & undenas; *aëri*, *Sylvos* & Melusinas; *igni vulcanos* & Salamandras: & incertum adhuc esse, cuinam hominum generi, fides vera in Deum sit data, & salus patefacta. Judæi Caballistæ, qui hunc nostrum mundum, *secundum* esse colligunt ex ב in prima Scripturæ voce בראשית, nullam rationem habent, ob quam in primo illo mundo, non fuerint homines. Isaacus *Peirera*, seu Peirerius, Gallus, hujus seculi Ao. LV. *Exercit.* edidit *de præadamitis*, seu novitatis pruritu; seu, quod pejus, ut Scripturarum divinæ *auctoritati*, efficacius insidiaretur; seu, ut universum *redemptionis* humanæ ordinem & mysterium, uno quasi ictu convelleret: defendere nituntur, fuisse *ante Adamum* homines. Reformati statuunt, omnes omnino homines, suam originem, uni debere Adamo. Quia: 1. Moses, mundi & Ecclesiæ origines explicans, non tantum Præadamitarum, nullam facit mentionem; sed & Adamum, primum generis humani parentem memorat, ita ut ante eum, homo in terra non fuerit ad colendam terram Gen. II. 5. Quia 2. Evam Adami uxorem, Matrem appellat omnium viventium Gen. III. 20. Quia 3. Apostolus 1. Cor. XV. 45. Adamum *primum hominem* appellat. Hinc 4. Apud Athenienses prædicat, *ex uno sanguine factum esse*, πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, *ut habitarent in omni superficie terræ* Act. XVII. 26. Et 5. *per unum hominem*, absque dubio primum illum Adamum 1. Cor. XV. 45. dicit *peccatum in mundum introiisse*, 1..... & mortem in OMNES HOMINES *transiisse* Rom. V. 12. Addam 6. Si mundus ante Adamum, hominibus fuisset repletus, quorsum Deus hominem de novo creasset? Quorsum Adamo uxor creanda fuisset, ex ejus costa, addita ratione: *non est bonum hominem esse solum, faciam ei auxilium*? Gen. II. 18. Quorsum ad Adamum referretur brutorum denominatio? Gen. II. 19. Pergam 7. Mors introiit in mundum per peccatum Adami Gen. II. 7. Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 45. Proinde ante Adamum non fuit mors, & consequenter, omnes isti præadamitæ, adhuc superessent in vivis. Hinc 8. homines passim & constanter appellantur בני אדם *filii Adam*, cum articulo בני האדם, *filii hujus hominis* Deut. XXXII. 8. Ecc. III. 21. Jer. XXXII. 29. 1. Sam. XXVI. 19. 2. Sam. VII. 14. Psal. XII. 1. & alibi passim. Ab hoc 9. Servator Matth. XIX. 4. 5. dicit, Deum marem & fœminam creasse, ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*; item, Satanam esse *mendacem* & homicidam *ab initio* ἀπ' ἀρχῆς Joh. VIII. 44. utique mosaico illo, quod cum mundi exordio coincidebat. Tandem 10. Præadamitæ isti, si peccarunt, in quam legem? cum peccatum non sit nisi ἀνομία 1. Joh. III. 4. Etiam si peccarunt, utique in Adamo peccârunt Rom. V. 12. cum 1. Cor. XV. 45. si non peccarunt, quomodo per Christum vitam æternam sunt consecuti, cum absque eo nemo veniat ad Patrem Joh. XIV. 6. nec in alio sit salus præterquam in eo Act. IV. 12. &c. His Scripturæ & rationis testimoniis, succurrit omnis antiquitatis historia, & gentium prope omnium consensus, utpote apud quos, primi hominis memoria, utcunque corrupta, & fabulis involuta, non tamen obliterata & exstincta occurrit. Interim non desunt quæsitæ ratiunculæ. A. Causatur, duplicem commemorati hominum creationem Gen. I. 27. & Gen. II. 7. sic ut primâ tradatur *gentilium* creatio, secundâ *Judæorum*. Resp. Non duplex narratur creatio; sed narrata capite primo, paulo distinctius explicatur secundo capite, quod vel ex hoc uno, Sole clarius patet, quia ante fictitiam secundam creationem, dicitur Gen. II. 5. hominem non fuisse, qui terram coleret; quod sanè verum esse non posset, si creatio hominis capite primo tradita, per infinita fere secula, ex mente hujus scriptoris, secundam anteceſſisset. Hinc יצר Gen. II. 7. interpretes communiter referunt per tempus *perfectum*, *& formavit*; sed rectius refertur per *plusquam perfectum*, & formaverat, scil. juxta analogiam versuum duorum præcedentium: *quia nondum* PLUERE FECERAT *Dominus Deus.... sed vapor* ASCENDERAT, & IRRIGAVERAT.... tum ET FORMAVERAT, sequitur. B. Secundum figmenti sui præsidium venatur in Rom. V. 12. 13. 14. fingitque peccatum & mortem, dici ab Apostolo fuisse in mundo, ante primam Adami transgressionem; sed à transgressione demum imputatum fuisse peccatum, unde deducit, ante Adamum etiam fuisse homines in mundo, qui peccato & morti fuerint obnoxii. Quasi vero Apostolus loquatur, de prima illâ lege positiva, quæ lata fuit Adamo; quod solicitè probandum fuisset Præadamitæ, si hinc quicquam pro suis præadamitis obtinere voluisset; & non potius de lege per Mosen Israeli lata apud Sinai, ante quam & lex, & peccatum, & mors fuerint in mundo: dum jam Præadamita suam rem, ex hoc loco, tueri non potest, absque variis putidis & sibi ac veritati obnitentibus hypothesibus. Cogitur enim: dicere 1. Ita primo intrasse peccatum & mortem in mundum per Adamum, ut infinitis seculis ante Adamum, jam peccatum & mors in mundo fuerint. 2. Ita ab Adamo mortem regnare cœpisse, ut diu inter Præadamitas suos; imperium absolutum obtinuerit. 3. Ita hos peccasse in Adamo; imputative; ut tamen nullum peccatum, ante Adami tempora imputatum cuiquam fuerit. 4. Ita illis imputatum fuisse alienum peccatum; ut ex suis propriis peccatis nullum reatum contraxerint. 5. Ita fuisse illos peccatores coram Deo ut nullius violatæ

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones præcipuæ.

tæ legis divinæ rei fuerint. 6. Ita fuiſſe obnoxios morti, quæ pœna eſt peccati; ut tamen nullum peccatum ipſis fuerit imputatum. 7. Ita fuiſſe homines & creaturas rationales, à Deo in eſſe ſuo dependentes: ut nullas leges à Deo acceperint, juxta quas, ſuam illi obedientiam approbarent. 8. Ita mortales; ut nec cœlum, nec inferos, animæ ipſorum poſt mortem adierint. 9. Ita redemptos quod magis eſt per Chriſtum, & in fine ſeculorum, qui nunquam erit. 10. Ad vitam beatam revocandos; ut nunquam in ipſum crediderint, & nihil vel fando de ipſo audiverint. Taceo plura alia errorum monſtra, quæ hic homo, ſuæ interpretationi loci paulini (Rom. v. 12. 13. 14) immiſcuit, ipſam redemtionem per Chriſtum, penitus evertentia. Sic nervosè loquitur Celeb. Mareſius in ſua Refutatione Fabulæ præadamiticæ pag. 171. Iſta omnia clariora faceremus, niſi συμμετρία ſyſtematis noſtri prohiberet. Sunt quidem alia quædam ejus argumenta; ſed adeo levidenſia & futilia, ut narrari, nedum refutari vix mereantur; ſi quis tamen aveat videre, conſultat præter eam, quam jam notavimus Mareſii *Fabulam præadamiticam*, Turretinum, Heideggerum, Saldenum in ſuis *Otiis*, ex profeſſo circa hoc argumentum occupatos.

2. An animæ rationalis eſſentia conſiſtat in merâ cogitatione?

XIV. Quæritur 2. An animæ rationalis eſſentia conſiſtat in mera cogitatione? Sadducæos non agnoſcere ſpiritus, qui ſint ſubſtantiæ à corpore diverſæ, ſed *cogitationes*, vel *bonas*, vel malas. David-Joriſtas, idem fere ſentire cum Sadducæis, jam ante non ſemel monuimus. Carteſius cum ſuis, quod Philoſophus, è ſuâ hyperbolica dubitatione emergens, non potuerit in ſe deprehendere, niſi *extenſionem* & cogitationem, cum pro *extenſione*, non poſſet habere animam noſtram, maluit ſtatuere, eam non eſſe niſi meram *cogitationem*, ut ex eo porro haberet, in rerum natura non dari, præterquam *extenſionem* & *cogitationem*, atque inde cum ſpiritus quivis, non ſint extenſiones, eſſe non poſſe, niſi meras *cogitationes*. Reformati largiuntur quidem, *animam rationalem* eſſe *ſubſtantiam cogitativam*, id eſt ſubſtantiam, quæ *facultatem* habeat cogitandi, à qua reſultet *actus* cogitandi; non tamen admittunt ejus eſſentiam conſiſtere in *merâ cogitatione*, ſive per eam intelligatur *facultas*, ſive *actio* cogitandi, & hæc rurſus, ſeu cogitetur in *genere* ut eſt cogitatio; ſeu in *ſpecie*, ut eſt *hæc* aut *illa* cogitatio, ipſis parùm refert. Eo quod Scriptura pariter, & omnis antiquitas, & *ſenſus* hominum communis, uſque ad Carteſium: 1. Animam habuerit pro *ſpiritu*, nullibi pro pura puta cogitatione. 2. Pro *ſubſtantiâ*, non pro *actione* qualicunque. Dum 3. recta *ratio*, talia in hac opinione experitur *incommoda*, quæ orthodoxæ noſtræ Theologiæ, plane ſunt intolerabilia, qualia ſunt (a) animam ſuâ eſſentiâ proprie non eſſe in loco, adeoque nec in corpore. Proinde (b) nec ab eodem poſſe ſeparari. Nec (c) migrare in cœlum aut infernum. Nec (d) mortalem aut immortalem eſſe, cum vivere & mori, non actionis, ſed agentis ſit. Inſuper (e) Nec eſſe ſimpliciſſimam, cum in ea nihil omnino recipiant niſi cogitationem. Item (f) Nec immutabilem, cum in pura puta cogitatione, non poſſit aliquid auferri, aliquid manere. Porro (g) dari non poſſe peccatum niſi actuale, cum cogitatio, in qua eſt peccatum non ſit niſi actio. (h) Nec virtutem aut vitium, cum ſint habitus, dum anima non eſt niſi actio. Et quæ ſunt hujus furfuris complura alia Conf. *Gangr. Carteſ.* Cap. xxv. §. 12. & 14. Fundamentum hujus erroris, quod nim. Carteſius per ſuam dubitationem, non potuerit aſſequi niſi *extenſionem* & *cogitationem*; adeoque, cum *extenſio* non ſit, *cogitationem* eſſe debere: nos ſæpius deſtruximus in Cap. de *eſſentia Dei* lib. 11. c. 111. §. 19. 20. 21. & de *Angelis bonis*, lib. 111. c. vii. §. 26.

3. An per unionem animæ cum corpore, homo vivat?

XV. Quæritur 3. An per unionem animæ rationalis cum corpore ſuo, homo vivat? Carteſius cum ſuis, duas in homine numerat animas, *animalem* & *rationalem*, tum ſtatuit per ſolam priorem corpus humanum vivere, ita ut corpus vivere vitaleſque actiones elicere poſſit, deſtitutum animâ rationali: Contra Orthodoxi, quamvis vitam *animæ primitivam*, & vitam totius *derivativam* accuratè diſcriminent; attamen *omnem* hominis vitam, vegetativam, ſenſitivam & rationalem, ab *unâ anima* rationali, ejuſque cum corpore *unione* ſuſpendunt. Unde: 1. Scriptura חיים *vitas*, ab una illa נשמה *anima*, quam Deus creando *ſufflaverit* in nares hominis, procul dubio *rationali*, ſuſpendit, & ſic quidem, ut inde homo factus fuerit, לנפש חיה *in animam viventem*, ſeu animal vivens, cum antea corpus exanime, nec viveret, nec ſentiret, nec moveretur Gen. 11. 7. Eodem quoque ſenſu 2. Filium Sareptanæ ſuſcitaturus Elias, precatur: *revertatur quaſo anima pueri hujus in medium ejus, & exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri ejus in medium ejus*, ut quamdiu anima *aberat*, mortuus fuerit 1. Reg. xvii. 21. 22. Idem 3. confirmat ὄραμμα Ezech. xxxvii. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Ecce ego introire facio in vos ſpiritum, & vivetis.— Spiritus vero non erat in eis--Veni O! ſpiritus & ſpira in interfectis iſtis & vivent -- Ingreſſus eſt in eos ſpiritus & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes.* Item Act. xx. 10. *Anima ejus in ipſo eſt.* Hinc etiam 4. animâ rationali *nimium* occupatâ, corpus emaciari, deteri, ac tandem *corrumpi* deprehenditur. Addam 5. ex hypotheſi Carteſii, graviſſima *ſcelera*, furtum, mendacium, adulterium, non eſſe niſi actus *corporis*. Nec non 6. corpus anima *rationali* caſſum, poſſe vivere. Fundamentum hujus erro-

Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones,

ris

ris in his est, quod: 1. *corpus* & *anima*, operationes corporis & animæ, sint accuratè distinguenda, quod amplectimur; sed 2. *confundi*, si vita *compositi* suspendatur à *vita animæ*: quod non magis verum, quam si vita *animæ* suspendatur à *vita* Dei. Porro 3. vitam corporis & vitam animæ *tota* natura differre. Differant, prout vita Creatoris & creaturæ differunt, quamvis hæc ab illa pendeat. Denique 4. vitam corporis consistere in motu sanguinis & spirituum: largiar, quoad actus aliquot vitæ *secundos*; sed quoad actum *primum*, non in motu; sed in unione corporis & animæ consistit. Cujus sententiæ Cartesianæ fundamentum in eo est, quod mera cogitatio, in corpus non operetur propriis viribus; nec propriè per unionem ejus cum corpore; sed ex solo nexu divino, quem describimus pariter & refutavimus hujus libri cap. VII. §. XXVII.

4. An una tantum in quovis homine, sit anima?

XVI. Quæritur 4. An una tantum in quovis homine sit anima? Cartesius cum suis, ut diximus, *duplicem* agnoscit in quovis homine animam: *animalem*, quæ ipsi consistit in calore & motu sanguinis & spirituum animalium; & *rationalem* quæ ipsi consistit in *solâ* cogitatione. Reformati tres quidem agnoscunt *facultates*, vegetativam, sensitivam & rationalem: sed *unam* tantum *animam*. Quia Scriptura non uno modo obnititur, quotiescunque: 1. יחידה *unicam* sæpius appellat Psal. XXII. 21. & XXXV. 17. Quando 1. *unius* tantum animæ mentionem facit Matth. XVI. 26. & X. 28. 1. Cor. VI. 20. 1. Reg. XVII. 21. 22. Job. XXXIV. 14. 15. Nec eos quicquam juvat. 1. quod Scriptura mentionem faciat alicujus animæ, quæ est *in sanguine* Gen. IX. 4. Levit. XVII. 13. 14. Deut. XII. 23. Sermo enim est Scripturæ de anima, non *hominum* sed *brutorum*, ut non dicam, sanguinis *calorem* foveri omninò posse, ab unione animæ cum corpore. Nec 2. magis eos juvat, quod edere, bibere, generare &c. sint operationes corporeæ: Hinc enim à corpore eliciuntur *formaliter*, ut loquuntur, & ab anima *efficienter*, perinde ut eædem operationes, *à Deo* quoque producuntur.

Objectiones.

5. An anima rationalis, suâ naturâ, sit immortalis, idque constet non tantum Scripturâ, sed & ratione naturali? Collatio sententiarum.

XVII. Quæritur 5. An anima rationalis, sua natura sit immortalis, idque constet, non tantum *Scriptura*; sed & ratione naturali? Athei, Sadducæi, Epicuræi, Somatistæ, Arabes ὑπνοψυχίται, & Hobbesiani, quia fere animæ essentiam constituunt, in κράσει seu temperamento corporis, ut pronunciabat Galenus; animam rationalem statuunt *mortalem*. Sociniani, quia statuunt animam esse *compositum* quid, quanquam subtilius corpore; quia item existimant, hominem per mortem transire in statum *non-existentiæ*, quia tandem, statuunt animam à morte compositi esse ἀναίσθητον, nec doloris, nec gaudii capacem: reverà statuunt, sua *natura* esse mortalem, nisi quod existiment post resurrectionem extremam, eam reversuram in statum *existentiæ*, & ab eo tempore, saltem fidelium animas, immortales futuras; sed per meram gratiam, idque constare solis scripturis. Eodem vergunt Anabaptistæ, quando animas, usque ad resurrectionem, existimant *dormire*. Cartesiani profitentur quidem animæ immortalitatem: sed ex eo capite, quia statuunt eam consistere in sola *cogitatione*, quæ reverâ, nec vitæ nec mortis est capax, cum mors non oriatur, nisi à divulsione eorum, quæ conjuncta & unita esse debent. Reformati existimant, animam rationalem esse *immortalem*, idque non tantum per *gratiam*; sed & per *naturam* suam, & hoc nobis constare, non tantum ex *Scriptura*, sed etiam ex ejus *natura*, & ex rationibus naturalibus. Quia: 1. Essentia animæ rationalis, cum sit mere *spiritualis*, nulli subest dissolutioni, adeoque nullum habet principium mortis, prout dudum demonstravi. §. VIII. Quia 2. per divinam *justitiam* fieri nequit, ut non aliter *bonis* consulatur, nec aliter de *malis* statuatur quam in *hac vita* ferè fit. Quia item 3. à. *sapientia* Dei alienissimum videtur, eundem esse exitum *hominum* ac brutorum, quorum *ortum* dissimillimum, jam ante docuimus. Ut non addam 4. Quod omnis *religio* laboret ac pereat, ubi creditur à *morte* hominis, non superesse nisi ejus corpus, jamjam in cineres redigendum. Verum & *Scripturis*, tam V. quam N. Testamenti, animorum *immortalitas* plane est indubitata, eo quod A. *Fœdus* gratiæ, quod inter Deum & Patriarchas, Abrahamum, Isaacum & Jacobum coiit, sit *æternum*; eoque sit necessum, ut *partes* contrahentes sint æternæ: non sanè *corpore*, proinde *animo* Exod. III. 6. collat. cum Matth. XXII. 32. 33. B. Adjici huic alia possunt, ab *imagine* Dei in homine Gen. I. 26. 27. *à mercede* Abrahami, quæ est ipse Deus *æternus* Gen. XV. 1. à *cæde* Abelis, vindictam poscente Gen. IV. 10. à *raptu* Enochi, ad Deum translati Gen. V. 24. à *fide* & fiducia Jacobi animam agentis Gen. XLIX. 18. à *promissione* secundo præcepto adjecta Exod. XX. 5. 6. à *voto* Bileami Num. XXIII. 10. à perpetua Dei *curâ*, suos ut pupillam oculi protegente Deut. XXXII. 10. à *vita* & *morte*, benedictione & malectione, Israeli proposita Deut. XXX. 15. & seq. Quæ plane *temporaria* statui non possunt, absque Dei contumeliâ & totius Religionis irrisu & ludibrio. Ut his omnibus Sadducæi, quanquam non æquali convinci evidentiâ possint, etiam *Mosi* perspectam fuisse animorum immortalitatem. C. Adhuc tamen clariora ejus prostant testimonia, in *Novo* Instrumento Luc. XVI. 26. Matth. X. 28. Phil. I. 23. 2. Cor. V. 1. 2. 1. Pet. III. 19. Apoc. VI. 10. 11. E quibus evidentissimè patet, animas corpore cassas, non carere actionibus, adeoque nec existentia. Conf. Zanch. lib. 2. cap. 8. Tilen. *Syntagm.*

part. 1. disp. 31. Anton. Sirmundus *de immortalitate animorum.* Et è Patribus Arnobius, Athenagoras, Lactantius, Eusebius aliique. Obstrepunt tamen; non tantum *ratione*; sed & *Scripturâ.* (a) Ex Job. XIV. 7. 8. 9. *Homo cum mortuus, ubi quaso est?* Resp. Sermo est de *homine* non de animâ præcisè: (b) Ex. vers. 10. ejusdem capitis. *Homo cum mortuus fuerit, non resurget.* Resp. *Usque dum atteretur cœlum*, ut textus habet, hoc est, usque ad extremum judicium. (c) Ex Eccl. III. 18. 19. 20. *Et ostenderet homines similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumentis amplius.* Resp. Sermo est de *homine*, non de *anima*; & similis homo brutis asseritur, quoad *mortalitatem*, utrique communem. (d) Ex Eccl. IV. 2. 3. Ubi *felicior* prædicatur, qui necdum natus est, vivente & mortuo: quod durè diceretur, si mortuum æterna sequeretur felicitas. Resp. Felicior prædicatur, ratione *miseriarum* hujus vitæ, quas non sensit nondum natus (*nec vidit mala quæ sub Sole fiunt* vers. 3.) prout sentit vivens, & sensit mortuus. (e) Ex Eccl. IX. 5. *Viventes sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Resp. Loquitur de his, quæ *in hac vita* fiunt, & de retributionibus temporalibus, ut videre est è vers. 6. 7. Nec *rationibus* etiam destituti videri volunt. Causantur enim. A. *Omnia* illa, quæ animæ *spirituali* nos tribuimus, à materiâ & motu produci posse. Resp. 1. Sic *omnis anima* erit superflua. 2. Falsum *ratiocinationem* saltem, à materiâ & motu produci posse. B. Animam rationalem, in operationibus suis pendere ab *objecto*, eique congruenter operari, consequenter *materialem* esse, adeoque corruptibilem. Resp. 1. Si penderet, non tamen eo ipso statim esset *materialis.* Quidni enim *Angelus*, à creaturis *materialibus* aliquid percipere possit, ut ipse interim non statim fiat *materialis.* Sed 2. *Omnes* operationes animæ humanæ, pendere à *materiali* objecto, falsissimum est, quamvis ipsi possit præstare occasionem *operandi*, sicut *peccatum* Deo præstat puniendi. Cætera operationes intellectus & voluntatis *elicitæ*, nequaquam pendent à *materia.* C. *Immaterialis* causa, ob *disproportionem*, non agit in *materialia*: sicut materialis non agit in immaterialem: sed anima agit in corpus: Ergo &c. Resp. Propositionem, omni exceptione clarius redarguit *Deus*, agens in materialia. Imo si causa *materialis debilior*, possit agere in corpus, quidni causa *spiritualis robustior* possit agere in corpus? Et si *corpus* non posset operari in *spiritum*, non à *disproportione*; sed ab *imbecillitate* oriretur. D. Quicquid oritur, interit. Resp. Hoc est, *potest* corrumpi, annihilari à Deo, ast propterea non statim per *naturam* corrumpi potest, & corrumpetur.

Objectiones è Scripturâ.

XVIII. Quæritur 6. An animæ, post mortem hominis, dormiant, aut saltem nihil sentiant; vel doloris, vel gaudii? Quid hîc sentiant Anabaptistæ & Sociniani, & quibus hypothesibus, & quo animo, dudum aperuimus, controv. v. de immortalitate animarum §. XVI. Reformati statuunt, non tantum supereesse post animal: sed etiam absque ullo somno, sentire & experiri, tum gaudia, tum dolores, prout fuerint, vel fideles, vel infideles in vitâ hominis. Quia: 1. Scriptura hoc passim testatu Matth. X. 28. Luc. XVI. 22. 23. Phil. 1. 23. 1. Pet. III. 19. Apoc. VI. 10. 11. 2. Cor. V. 1. 2. 3. Et 2. recta ratio, quando solis animalibus, *somnum* relinquit. Et quando 3. quod nihil sentit, vel doloris, vel gaudii, mortuum pronunciat, quod est adversus animæ *immortalitatem* paragraphi præced. Quando 4. docet, *naturæ* spiritus proprie dicti repugnare, non *vivere*, non *sentire.* Si objiciant A. Per Scripturas frequenter *dormire.* Resp. 1. Nusquam docere, quod *animæ* dormiant; sed homines, quoad *corpus*, quasi dormire. 2. Id metaphorice tantum venit intelligendum. B. Animas in suo sensu & operationibus, ab objectis pendere. Resp. 1. In nonnullis; sed nequaquam in omnibus. Tum 2. Nihil obstat, quominus, anima separata, operetur circa ea, quæ olim ab objectis hausit. Conf. adversus hunc errorem Calvinum *adversus Psychopannychitas.* Cloppenburg. *Gangræn. Anabaptist.* Disp. 28. Alting. *Elench. Nov.* loc. XX. *Controvers. postrem.*

6. An animæ post mortem hominis dormiant, aut nihil sentiant?

Reformatorum sententia, cum suis rationibus.

Objectiones.

XIX. Quæritur 7. An anima, per mortem hominis, à corpore separata, transeat in aliud corpus? Athei, Sadducæi, Somatistæ, aliique quos diximus §. XVI. animam, per mortem prorsus interire statuunt, sicut anima brutorum. Pythagoras, Empedocles Plato aliique, quia revelatione destituti, ad primum hominem pertingere non poterant; nec, per rationem, animæ mortalitatem, aut mundi æternitatem admittere possent: facile observabant; si sua cuique homini, relinqueretur anima peculiaris immortalis; animarum istarum numerum in immensum augendum, & in infinitum extendendum fore, atque inde etiam mundi æternitatem emersuram: statuere maluerunt, animam, per mortem hominis, transire è corpore in corpus. Inter Judæos nonnulli, videlicet Sadducæi, animam nostram spiritum esse, negabant: alii, puta Pharisæi, nescio quâ causa, videntur agnovisse μετεμψύχωσιν seu μετενσωμάτωσιν, qua per mortem anima transeat in aliud corpus. Inter modernos nostros hæreticos, non observantur, qui eandem recipiant. Reformati, cuivis homini, suam peculiarem animam relinquunt immortalem, quæ per mortem transeat in suum locum, usque ad ejus redunionem cum suo corpore, in extrema resurrectione. Quia: 1. Istius μετεμψυχώσεως nihil *Scriptura*; nec tradere potest

7. An anima hominis à corpore separata, transeat in aliud corpus? Sententiarum collatio.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

teſt *natura*. Quia 2. per hypotheſes Scripturæ, pariter & naturæ, ex analogiâ *juſtitiæ*, cuilibet animæ, pro ratione operum ſuorum, ſua competunt, vel præmia, vel pœnæ. Quia 3. eſt adverſus *benignitatem* & miſericordiam; ſaltem adverſus juſtitiam *vindicativam*, ut quæ in *corpore* perpetrata ſunt, ſeu *bona*, ſeu *mala*, in *corpore* non remunerentur, aut vindicentur, adeoque cuivis corpori, ſua peculiaris coexiſtat anima. Si objicias:

Objectiones.

A. Ex Scripturâ, loca Matth. XVI. 14. quod filium hominis, alii dicant eſſe Johannem Baptiſtam; alii Eliam, alii Jeremiam, aut alium aliquem è Prophetis Conf. Matth. XIV. 1. 2. 3. Reſpondebo 1. Non ſuam exponunt Diſcipuli ſententiam; ſed aliorum tantum Judæorum, Phariſæorum tantum referunt. Tum. 2. verbum non faciunt de μετεμψυχώσει; ſed de reſurrectione eorundem, ſua verba videntur intelligere, ut apparet ex Luc. IX. 19. *Quod Propheta aliquis ex antiquis reſurrexit.* 3. Idem dicendum de ſententia Herodis Tetrarchæ Matth. XIV. 1.... indicante Lucâ Cap. IX. 7. Et quid tum inſuper, ſi Herodes ſenſerit μετεμψύχωσιν? Si B. Pythagoras cum ſuis objiciant, per contrariam ſententiam, animas in infinitum multiplicatum iri, adeoque & æternitatem mundi admittendam, prout Ariſtoteles eam, ex hac ipſa causâ videtur admiſiſſe: reſponſio Chriſtianis facilis erit, nim. 1. Deum in verbo ſuo, ſibi primum hominem monſtraſſe. 2. Ipſam rationem non admittere, *vel* infinitum animarum numerum, *vel* mundi æternitatem; adeoque, licet Gentiles non potuerint determinare, *quiſnam* eſſet primus homo; potuiſſe tamen, ac debuiſſe determinare, *quod* detur aliquis primus homo. Confecerunt errorem, jam fere ſepultum Juſtinus Martyr in *Dialog. cum Tryphone*; Et in *Confutat. Quæſt. Græc.* Clemens Alexand. *Stromat.* lib. VI. Irenæus lib. 2. Athanaſ. *ad Theophilum* Auguſt. de *Civit. Dei.* lib. 12. cap. 20.

8. An anima cuique competat, per ſolam immediatam Dei creationem? Collatio ſententiarum.

XX. Quæritur 8. An anima rationalis cuique competat; per ſolam immediatam Dei *creationem*, quâ producatur intra hominem? Varias de *origine* animarum ſententias, narrat Hieronymus Epiſt. ad Marcellinum Tom. 2. & ex eo Zanchius De *operib. ſex. dier.* lib. 2. cap. v. Pythagoras & Plato cum Academicis putarunt, Deum creaſſe animas, certo numero, in cœlo ſubſiſtentes, inde corpori efformato admittendas, ex *anima mundi*, ſubſtantiæ cœleſtis adeoque incorruptibilis. Origines cum nonnullis Theologis aliis, teſte Hieronymo, docebat omnes omnium hominum animas, ex nihilo creatas fuiſſe in principio, & aſſervari in theſauro Dei, donec emittantur in corpora. Stoici, Manichæi, Priſcillianiſtæ, exiſtimârunt, animas conditas eſſe, ex ipſa Dei ſubſtantia. Carpocrates, Seleucus, Hermias, Galatæ, Meſſaliani volebant, animas non à Deo; ſed ab Angelis factas, ex igne & ſpiritu. Apollinaris aliique Epiſcopi non pauci, & maxima eruditorum pars, in Eccleſiis occidentalibus, teſte Hieronymo, ſtatuebant, animas, ceu ſpiritus, ſpiritualiter propagari, ſicut lumen de lumine. Alii animam *primam*, ex nihilo à Deo creatam tradebant, & ex eâ, unà cum corporis propagatione, per traducem propagari, proinde animam corpoream ſtatuebant. Lutherani plerique, & ex Reformatis unus & alter, Sohnius, Peucerus, Combachius, amplectuntur ſententiam quam jamjam Apollinari addiximus, eo quod aliter ſibi non poſſint ſatisfacere, circa propagationem labis originalis. Reformati cum Hieronymo & communi ejus temporis Eccleſiâ (Hieron. Apol. ad Rufin. lib. 2.) docent: animas novas quotidie creari à Deo ex nihilo ſingulaſque ſingulis ſuis corporibus uniri intra hominem. Quod 1. Deus: abſque ullius *materiæ* aut *ſecundarii* agentis interventu, primo parenti inſpiraverit *Spiritum vitarum* Gen. 11. 7. eoque, ipſo facto docuerit, quid in futurâ hominum propagatione, circa eorundem *animam*, ſit ſuarum partium. Quod 2. Eccl. XII. 7. collat. cum Heb. XII. 9. & Zach. XII. 1. Deo aliquid *peculiare* tribuatur, in productione *animarum*, oppoſitè ad productionem *aliorum* viventium. Quod 3. Chriſtus, qui eodem modo ac nos, *animæ* juxta ac corporis factus eſt particeps Heb. II. 11. 14. 17. *animam* non acceperit per *traductionem* (quoniam eâ ratione, ſecundum pleroſque, *Patrem* habere debuiſſet, & ſi ex *Matre* traductio ſtatuatur, *labi* originali debuiſſet eſſe obnoxius) proinde per immediatam *creationem* conſecutus eſt. Quod 4. *Corpus* ineptum ſit, quod *ſpiritum* producat: foret enim effectus toto genere nobilior ſuâ causa. Quod 5. ſi *generatio* corporis, eſſet cauſa procreans animam; & *corruptio* corporis, cauſa foret corrumpens animam. Non addam 6. quod per hunc *traducem*, *materialis* fiat (habens partem quæ retinetur à parente; & partem quæ traducitur in genitum) conſequenter & *diviſibilis*, adeoque & *corruptibilis* ac mortalis. In rationibus adverſæ partis (1) *præcipua* eſt, quod *traducis* ope facilius explicari poſſit *propagatio* labis originalis. Neque enim per *corpus* illa fit; neque per *animam* fieri poteſt, abſque traduce. Reſp. 1. Non fit *perſpicuus* propagandi *modus*; ſufficit *ipſam* propagationem, *perſpicue* tradi in Scripturis. Tum 2. & propagandi *modus*, abſque traduce, ſatis *perſpicue* tradetur ſuo loco, & tradiderunt Rob. Baron. *Exercitat.* II. art. 6. Molin. *Anatom. Arminianis.* cap. 10. Zanch. p. 3. l. 2. c. 5. (2) Huic proxima, ab ipſis colligitur ex Gen. 1. 22. 28. & IX. 1. collatis hypotheſibus phyſicis; *homo generat hominem*, item naturaliſſimum viventis opus eſt, generare ſibi ſimile, proinde & homo animam generat. Reſp. *Hominem*

Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones.

nem utique, sed non *animam* præcisè. Hominem inquam, quatenùs *corpus præparat*, cui anima possit uniri, & in qua possit operari, & hoc pacto homo *hominem* generat. Conf. Baron. art. 4. & 5. Ut non addam, Virginem verè *genuisse* Christum, quamvis non genuerit ejus *animam*.

Pars practica.

Praxis hujus theorematis: 5. Nos invitat ad cognitionem nostri. Qualis illa cognitio?

XXI. Cum igitur *peculiari* modo, Deus hominem creaverit; *Primò*, id peculiariter homini incumbere videtur, ut *seipsum* cognoscere adnitatur Psal. IX. 21. 2. Cor. XIII. 5. Est hoc divinum illud γνῶθι σεαυτὸν, quod non tantum *Christiani* suis suaserunt, velut alterum sapientiæ cœlestis caput. Calvin. *Instit.* lib. I. c. I. sed *Gentiles* quoque, juxta Juvenalem, qui è *cœlo* prolapsum ait, γνῶθι σεαυτὸν, Et Simonidem Philosophum, qui Pausaniæ Principi, velut summi *artificii* lemma commendabat: μέμνησο ἄνθρωπος ὤν: Et Philippus Macedo indies acclamari sibi curabat, juxta Ælianum: Φίλιππε ἄνθρωπος εἶ. Est enim hæc, utpote præstantissimi, *præstantissima sapientia*: quid enim potius; quid utilius cognoscas, quam *teipsum*? Sed non *quævis* talis est; verùm *ea* demum, quâ: 1. non tantum *naturam* tuam perspicis physice, *quid* sis, & *quis*: sed 2. *statum* etiam, quis *fueris* olim à creatione; quis *factus* à lapsu; quis *fieri* possis per *gratiam*; & quis, hac ratione *futurus*, olim sis in *gloria*. Quam videlicet 3. *præstans* quoad *animam*; quam *vilis* quoad corpus; quam felix & *beatus* posthac, quam *miser* & inops impræsens. Insuper, quam sis vanus, fluxus & mortalis *naturâ*, ignarus & erroneus *mente*: pravus & perversus *voluntate* & affectibus; oblivioſus & labilis *memoriâ*, tener & infirmus *viribus* & potentia. Idque 4. cognitione, non *theoretica* tantum, quæ *cerebrum* tantum oberret, procul à corde, procul à praxi: sed *practicâ*: quæ à capite penetret ad *cor*, illudque *calefaciat*, moveat formetque ad praxin, quæ *gratitudinem* & subjectionem versus *Creatorem*; humanitatem versus *proximum*; virtutem denique, temperantiam, castitatem versus *nos ipsos* cieat. Talem inquam, 5. quâ *simus*, aut esse saltem nitamur, quod *scimus* nos esse debere: quâ non sufficiat nobis *dici*; sed *esse* homines: ut nomine & omine simus, quod audimus. Qua proinde 6. caveamus exorbitare ad *mores brutorum*, ἀλογίαν ad *mulos* Psal. XXXII. 9. *ferociâ*, ad *leones* Psal. XXII. 14. *impuritate*, ad porcos & *canes* 2. Pet. II. 22. *fraudibus*, ad *serpentes* 2. Cor. XI. 3. *impudicitiâ*, ad equos & *asinos* Ezech. XXIII. 20. *immanitate*, ad pardos & *ursos* Jer. II. 15. *voracitate* & avaritia ad *erucas*, locustas Joël. I. 4. *rapacitate* denique & tyrannide, ad *lupos* Matth. VII. 15. & X. 16. Act. XX. 29. Quin potius 7. quæ in brutis observamus suo modo *humana*, nobis *potiori* jure competere cogitemus, v. g. *ciconiæ*, hirundinis, gruis ἀκρίβειαν in observando suo *tempore* Jer. VIII. 7. *boum* & asinorum q. *prudentiam* Jes. I. 3. *belluarum* in sua specie mutuum *amorem*, concordiam; ea *nobis* magis competere cogitemus. Rursus. 8. Non Reges, potentes, doctos, divites nos cognoscamus; sed *homines*. Multo minus 9. nos cum Herode Act. XII. 22. cum Antichristo 2. Thess. II. 4. Babylone Jes. XIV. 13. cum Tyro Ezech. XXVIII. 2. 9. Deos suspicemur, *divinum* honorem ambiendo Act. X. 26. & XIV. 15. seu *divina* nobis arrogando, ἀσφάλειαν, αὐτοκτισίαν & id genus alia quævis. Parandæ autem huic ἀνθρωποσοφίᾳ, conducet (1) Ejus *admiratio* Psal. VIII. 6. (2) *Studium*, in exacta potissimum collatione *triplicis status* nostri, qui scil. *fuerimus* per creationem; qui *simus* per peccatum; qui *erimus*, tum per *gratiam*, tum per *gloriam*. (3) Prudens *macrocosmi* cum microcosmo *collatio*: quâ quod *extra* te vides & observas in *magno*; hoc *intra* te quæras in *parvo* mundo. (4) Diligens nostri *exploratio* 2. Cor. XIII. 5. (5) Adire & *consulere* peritiores Psal. IX. 21. (6) *Preces*, quo nos in cognitione nostri *dirigat* Deus, ut cum Augustino: *da mihi nosse te & me.*

2. Invitat ad gratitudinem. Quare?

XXII. *Secundo*, invitat ad *gratitudinem* versus Creatorem nostri Psal. C. 1. 3. Eccl. XII. 1. Jes. I. 2. Deut. XXXII. 5. 6. 28. 29. Quod nim. 1. Nos *creaverit*, cum potuisset in statu *nihili* æternùm reliquisse. 2. Non ἀψύχους aut ἀλόγους, serpentes, bufones. &c. 3. Creando *gratis* contulerit quicquid sumus, seu *corpore* tenus, seu *animâ*. 4. *Præstantissimos*, supra quævis sublunaria, corpore *elegantissimo*, anima tantum non *divinæ* particulæ aura 2. Pet. I. 4. sua *imagine* beatos. Idque universum 5. sola adductum *benevolentia* & amore fecisse, cæterà ἀνυπαρκτίστατον in se Rom. XII. 1. Gratos autem nos præbebimus A. *corde*. *Meminerimus Creatoris nostri ab ipso ortu*, seu juventute nostrâ Eccl. XII. 1. Videl. nos non *casu*, ut Epicurus; nec ex *fortuito* atomorum confluxu, ut Democritus; nec pluvialibus fungis ortum capere; sed à *Deo*, eique soli *nos* & nostra *omnia* resignemus, B. *Ore* summam Dei *sapientiam*, omnipotentiam, benignitatem, nostri creatione præstitam, *prædicemus*, erumpendo; *Jehova Deus noster, quam grande nomen tuum in universa terra! Quid est homo quod recorderis ejus? Fecisti eum paulò minorem Angelis, gloria & decore coronasti eum* Psal. VIII. 2. 5. 6. & CIII. 1. 2. C. *Opere*, quantum in nobis, *retribuere* adnitamur Psal. CXVI. 12. Quod fit: (a) Si Deum creatione *Patrem* nobis factum, ceu *filii* germani, omni *honore*, charitate, submissione *prosequamur* Mal. I. 6. Jes. I. 2. Deut. XXXII. 18. Si (b) *Virtute* & moribus, Patrem istum nostrum, undequa-

Quomodo?

æquaque perfectiſſimum, *referre* ſtudeamus Matth. v. 48. Ut, ceu *ſapientes filii*, Patri noſtro q. *gaudio* ſimus Prov. x. 1. Si (c) nos noſtraque *omnia*, creationi divinæ ita accepta feramus (1. Cor. iv. 7.) ut ſeu *vivere ſeu mori* Rom. xiv. 7. ſeu *poſſidere*, ſeu *reddere* Job. i. 21. ad Creatoris *gloriam* parati ſimus 1. Cor. vi. 20. Si (d) ex creatione, Creatoris abſolutiſſimum in nos *dominium*, ut figuli in ſuum *figmentum* (Jer. xviii. 6. Rom. ix. 21.) ita recipiamus, ut in *omnibus* ab ejus arbitrio pendeamus Pſal. cxiv. 15. & cxxiii. 2. eique nos promtiſſimè *ſubmittamus* Act. iv. 19. Si denique (e) ex primæva *benevolentia*, in omni caſu adverſo, *ſpem* & ſolatium capiamus de *futuro*; quod ſimus opus manuum ejus, ipſe fictor ac Pater noſter Rom. ix. 20. 21. proinde noſtri miſerturus Pſal. ciii. 13. Jeſ. xlix. 15. & lxvi. 13. Ut hinc cum Jobo inſtare apud eum poſſimus: *memento quod ſicut lutum feceris me* Job. x. 9.

3. Monet præteritam felicitatem cogitando, præſentem miſeriam noſtram deploremus.

XXIII. *Tertio* monet, *primævam* noſtram *præſtantiam* expendentes, præſentem noſtram *miſeriam* ſeriò cogitemus. Ut nobis oggeramus illud Apoc. ii. 5. *Memento unde exciderís*, ſeriò conferamus qui *fuerimus* olim, quam *beati*, qui *ſimus* impræſens, quam *miſeri*. Singulatim (1) quanta tum fuerit Creatoris verſus nos *benevolentia*, cum tales nos conderet Prov. viii. 31. & quantum ejus impræſens verſus nos *odium* Eph. ii. 3. Rom. viii. 8. & v. 10. Jeſ. i. 24. 25. 35. (2) Quanta tum *corporis* noſtri pulchritudo, quanta humorum εὐκρασία, partium harmonia, corporis univerſi elegantia, ſanitas, robur, Conf. Phil. iii. 21. & quanta ſucceſſerit *deformitas*, quot morbi &c. ut quibuſvis ferè *animantibus*, jam ſimus forte deteriores (3) Quanto olim *animi* noſtri *ſapientia*, perſpicacia, quanta voluntatis & affectuum noſtrorum *rectitudo*; quantus *imaginis* divinæ *fulgor*; quantum in omnes Dei creaturas *dominium*: & quanta jam nos, occupet ingenii *hebetudo*, cæcitas; quanta *voluntatis* & affectuum *perverſitas*; quam turpis Satanæ *larva*; creaturarum quarumvis miſera *ſervitus*. Atque ea ſic conferamus, ut (a) ſeriò *deploremus*: ſi enim Jobus, inſtitutâ præteritæ *felicitatis*, cum præſenti *miſeria*, triſtiſſima comparatione adeo queritur, luget, plorat Job. xxix. & xxx. tantum ob amiſſas *fortunas*, ſanitatem, honores, tantillam ſcil. *primævæ* noſtræ felicitatis *ſcintillam*; quid non *nos*, omni prorſus *beatitudine*, *externa* pariter & *interna*, corpore tenus & animâ, uno ictu privati, faceremus? Si *Rachel*, cum liberis è patriâ judaicâ, in *exilium* babylonicum detruſa, *tantillum* miſeriarum adeo luget, ut lachrymis ſit inſatiabilis Jer. xxxi. 15. quid non nos, *patria* Paradiſo, juxta & omni *beatitudine* exuti, & in omnium miſeriarum *captivitatem* abducti? Ut

Id quo modo faciendum?

(b) *perditam* dignitatis coronam cogitantes, coram Dei excellentiâ majeſtateque, *ſubmiſſiſſime* ac humillimè nos *proſternamus* Rom. vii. 24. Gen. xviii. 27. (c) *Deſiderium* indefinens & inſatiabile concipiamus, repotiundæ *priſtinæ* dignitatis, tum *ex parte*, in hac quidem vitâ: per *gratiam*; tum *ex toto*, in futura vitâ, per *gloriam*. Quin nec *deſiderium* tantum; ſed & *conatum* convenientem, ac ſtudium impigerrimum, recuperandæ *primævæ* ſortis, de quo jamjam ex profeſſo. Sed interim (d) *reverenter* habeamus *rudera* collatæ primitùs præſtantiæ, in proximis, ſeu auctoritate, ſeu donis, ſapientiæ, prudentiæ, dexteritatis, pietatis, juſtitiæ &c. nobis præcellentibus, & ex illis ruderibus, noſtras ruinas colligamus ac lugeamus. Atque etiam (e) aliorum *nævos*, ceu amiſſæ communis præſtantiæ teſtes, placidè & modeſtè feramus.

4. Excitat amiſſam præſtantiam repetamus.

XXIV. Proinde *quarto*, priſtinæ præſtantiæ *admiratio* nos excitet, ut omni contentione *repetamus* amiſſa Apoc. ii. 5. *Memento, & priora repete.* Quid enim juvat exclamare: *miſer ego!* ſi non accedat, *quis me eripiet?* Rom. vii. 24. Si enim *aleatores*, damnum luſu contractum, vel *novo* periculo repetant; quidni nos noſtrum, cum *certâ* ſalute, repetamus? Si *mulier drachmam è decem unam perdidit, nunquid lucernam accendit, domum verrit, quæritque accuratè, quouſque inveniat?* Luc. xv. 8. & nos *univerſas* noſtras *fortunas*, uno peccato perditas, non quanto poſſumus ſtudio, repeteremus? Si enim 1. *Rem* amiſſam ſpectes, non drachma, non ovis una ex centenis, non opes &c. ſed *omnis* noſtra ſubſtantia. Si 2. eventum, non *incerto* ſucceſſu quæremus: ſed *certo* inveniemus 1. Cor. ix. 26. Si 3. quærendi *moleſtia* & faſtidium obrepat; comparemus boni recuperandi *præſtantiam* 2. Cor. iv. 17. Rom. viii. 18. nec credamus, fruſtra nos quæſituros, rem *nunquam* recuperandam: recuperabitur enim certo certius, ſi non ab omnibus, quibuſdam ſaltem. Recuperabitur *ex parte* in *hac vita* Eph. iv. 23. 24. Col. iii. 10. 1. Cor. xiii. 9–13. *ex toto*, & cum infinito auctario, *poſt hanc vitam* 1. Joh. iii. 2. tam ratione *corporis* Phil. iii. 21. quam ratione *animæ* Eph. v. 27. atque etiam ratione ſtatus ac *dominii* Matth. xix. 28. Nobis interim incumbit, ſedulo uſurpare *media*, nim. A. Cum *Chriſtus*, hujus reſtitutionis prima ſit & primaria *cauſa* Col. ii. 10. 1. Cor. i. 30. Eph. v. 25. 26. nobis incumbit, ante omnia hunc verâ ac viva *fide* amplecti, ut cum eo *uniamur*, & in eo, omnibus numeris ſimus *conſummati* Joh. xvii. 23. Col. ii. 10. B. Cum omnis jacturæ cauſa ſolum ſit *peccatum*; ſincera *reſipiſcentia* & reformatione, ad *primævam* præſtantiam paulatim nobis enitendum Rom. xii. 2. Eph. iv. 22. Col. iii. 8. 9. 10. Interea C. indefeſſis

Quamobrem?

Quibus adminiculis?

fessis *conatibus* id agamus, nullis laboribus parcendo Phil. III. 13. 14. 15. persuasissimi, quod, si modo hîc, & *his mediis* respiraverimus ad pristinam præstantiam, certo tandem simus recuperaturi 1. Cor. IX. 25. 26. Tandem D. crebris *suspiriis* feramur, versus exoptatissimam ἐλευθέρωσιν ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆν δόξης τῶν τέκνων τῦ θεῦ Rom. VIII. 19-25.

5. Monet, ut caveamus creaturam præstantissimam profanare peccatis.

XXV. Tandem *quintò*, cum concreatæ nobis dignitatis *reliquiæ*, tales *adhucdum* nobis superstint, ut quasvis *alias* creaturas, præter solos Angelos, superemus: cane pejus & angue *caveamus*, ne creaturarum præstantissimam, quam *peccatis* dudum tantopere dedecoravimus, flagitiis ulterius deturpemus, ad *peccata* prostituamus, aut ad usus *viles* applicemus. Esset enim hoc (1) *in Deum* quidem perditissima ingratitudo, & horrenda majestatis divinæ conculcatio, præstantissimum ejus *opificium*, ipsam ejus *imaginem*, prostituere ad scelera, & q. ipsis *diabolis* deridendum propinare (pout protoplastus, primo peccato, se *Deo*, & Deus protoplastum *aliis*, deridendum tradidit Gen. III. 22.) quin & *destruere* Rom. XIV. 20. (2) *In nosipsos* crudele & horrendum: scil. non tantum *alienum* opus, adeo præstans; sed *seipsum* prophanare, destruere, propter res *nihili*, seipsum omni, corporis pariter & animæ præstantia, idque *æternùm* orbare. Conf. 1. Cor. VI. 18. (3) Graviissimas Dei *commminationes* in se concitare 1. Cor. III. 17. imo & horrendi illa ejus *judicia*, quæ in Philosophos Gentiles exercuit Rom. I. 24. 26. 27. Prostituitur autem (a) *generatim*, quovis peccato, *inquinamento carnis & spiritus* 2. Cor. VII. 1. (b) *Speciatim*, superbia, incredulitate, inobedientia, ingratitudine, gula; utpote quibus primi parentes, & se, & nos, nativa *dignitate* spoliârunt, & in eam quam proh dolor! indies experimur *miseriam*, præcipites dederunt. (c) *Specialissimè*, scortatione 1. Cor. VI. 18. scandalis Rom. XIV. 20. homicidio Gen. 18. 6. &c.

THEOREMA SECUNDUM,

De imagine Dei.

Pars dogmatica.

Quod homo peculiariter ad imaginem Dei sit conditus.

XXVI. Præcipua autem hominis creati *præstantia* & prærogativa est in *imagine* Creatoris sui Gen. I. 26. 27. & IX. 6. 1. Cor. XI. 7. Jac. III. 9. Dum enim reliquis omnibus creaturis (si solos Angelos excipias, quibus *paulo minorem* Deus fecit hominem Psal. VIII. 6. quique *Filii* Dei appellari videntur Job. XXXVIII. 7. & sapientiâ *intellectus*, ac sanctitate & justitia *voluntatis*, præcipuis imaginis divinæ capitibus, perinde, ac magis etiam, instructi sunt ac *homines*, eoque, non *minus* saltem quam homo, *imaginem* Dei gestant) quasi *vestigium* sui impressit, ut ex iis *præsentiam* & efficientiam Creatoris possis legere, seu, ut Apostolus loquitur, *æternam ejus potentiam ac divinitatem pervidere* Rom. I. 20. solum tamen *hominem* sui *imagine* beavit, è quâ non tantum *quod* sit; sed etiam *quis* aut *qualis* sit Creator, possis agnoscere.

Fines imaginis divinæ in homine.

XXVII. Idque A. ut *seipsum* in homine q. *contemplaretur* & oblectaret, velut in *effigie* & speculo nitidissimo. Unde *delectationes* ejus, dicuntur esse *cum filiis hominum* Prov. VIII. 31. B. Ut seipsum, quantum fieri potest, q. *propagaret* in homine. Est enim hæc natura *boni*, ut sit *communicativum sui* ipsius; unde quælibet ferè bona, *propagationem* affectant, & in ea, sui *simile*, quantum fieri potest, *perfectissimè*. Hinc Deus, quia sibi in *eadem specie* simile, hoc est *Deum*, in *terris* propagare non potuit; voluit saltem *imaginem* sui propagare, seu, ut magis propriè dicam, voluit se, secundum *nobiliores* suas affectiones *exprimere* & communicare homini. C. Ut in *terra* haberet, qui se suaque *cognosceret*, diligeret, coleret, quod citra *imaginem* Dei, obtineri haud poterat, ut suo loco patebit. D. Ut haberet, quicum *æternùm viveret* beatissimus, quicum *conversaretur* velut cum amico: hujusmodi enim conversatio & amicitia, non est nisi inter *similes*. Unde nulla *homini* intercedit conversatio & amicitia cum *brutis*, quin nec cum *homine*, qui prorsus sibi *dissimilis* est. *Simile* enim *simili gaudet*, nec est, quod magis *consiliet*, quam *morum* conformitas & similitudo. Quo igitur cum homine Deus posset *æternùm* vivere & conversari; voluit eum esse sibi utcunque *similem*, suam ferre *imaginem* h. e. juxta secum esse *sapientem*, sanctum, justum 2. Cor. VI. 14. 15. 16. E. Ut vice versa homo, haberet in *seipso*, quo Creatorem suum *agnosceret*, non tantum quoad ejus *existentiam*; sed etiam quoad *nobiliores* ejus *perfectiones*. Huc enim spectant ἔκτυπα, ut nos deducânt in cognitionem τῶν πρωτοτύπων. Hoc est ut Dei *simplicitatem*, invisibilitatem, immortalitatem, intellectum, voluntatem, sapientiam, justitiam, sanctitatem, dominium, è nobis ipsis addisceremus, quin & *nos ipsos* cogitantes, Deum nostrum continuò haberemus in *memoria*: prout *imagines* ad hoc fere conduntur, ut *absentia* & *præterita* nobis reducant in mentem. Denique F. ut Deus se nullius *mali*; sed omnis *boni auctorem* ostentaret, adeoque hominem ob *peccata*, vtpote prorsus ἀναπολόγητον, condignè puniendo, gloriam suæ *justitiæ* commonstraret, quo consilio *impium feciisse* dicitur *ad diem malum* Prov. XVI. 4.

Nomina explicantur.

XXVIII. *Imago* Latinis q. *imitago*, quod naturam imitetur, Hebræis צלם dicitur & דמות, quæ per

per Pontificios sic distinguuntur, ut prius *naturæ* seu formæ, posterius *qualitatum* similitudinem referat, in Scriptura conjunguntur & æquipollent, ut significatum, more hebræo, augeant, ut ad *imaginem* & *similitudinem* creari, non sit nisi ad imaginem *simillimam* creari Gen. v. 3. In imagine autem, generatim *tria* concurrunt: 1. *Similitudo* & convenientia in uno tertio: quod enim non est *simile*, non est *imago*. 2. *Dependentia*, nec enim *similitudo* sufficit, ut *imago* constituatur; sed *talis* requiritur, quæ sit *effigiata* ab exemplari. Unde ovum ovo simile, ovi tamen non est *imago*. 3. *Species*, aut nobilissima quædam *perfectio*, in quâ πρωτότυπον & ἔκτυπον concurrant. Concursus enim, seu *similitudo generis*, quamvis sit cum *dependentia*: non sufficit ad constitutionem *imaginis*: cæterà enim *vermis* in homine natus, ejus esset *imago*, utpote juxta cum homine *animal*, & etiam ab eo velut causa sua *dependens*; nec etiam convenientia in eodem accidente *communi* sufficit, albedo enim ad albedinem effigiata, non statim est ejus *imago*: sed requiritur convenientia dependens in *specifica* figurâ, quo pacto filius Regis ejus *imago* dici possit; vel in *nobilissima* utriusque perfectione, quæ sit instar differentiæ *specificæ*, qualis est inter Deum & hominem communio *intellectus* & *voluntatis*, & utriusque harum facultatum *summa perfectio*, sapientia, sanctitas & justitia. Et hinc fermè existit *differentia* inter *imaginem* & *vestigium*, quod *vestigium* repræsentet formam & figuram tantum *communem*.

Et naturæ generalis imaginis.

XXVIII. Imago autem *Dei* homini competit: 1. Non secundum partium *corporis*, membrorumque distinctionem, situm ac figuram, ut cum Anthropomorphitis, Manichæi somniabant: est enim Deus *spiritus* Joh. IV. 24. partium, membrorum ac figuræ penitus expers Luc. XXIV. 39. Nec 2. ideo, quod *effigiatus* sit homo, ad humanam *Christi naturam*, modo *extraordinario*, tum temporis assumptam cum homo crearetur, ut nonnemo è Patribus. Non enim ista sententia, nullum tantum habet fundamentum in *Scriptura*; sed & satis est *contra* Scripturam, quippe quæ nos ad imaginem Dei, non *Christi* conditos asserit, & Christum, suâ incarnatione, similem *nobis* per omnia factum excepto peccato Phil. II. 7. Heb. II. 12. 17. Nec 3. omnimode *perfectam* gestamus Dei imaginem, qualem Christus gerit secundum *divinam* naturam Col. I. 15. Heb. I. 3. sed quadantenus *similem*, non *parem* aut *æqualem*.

Quomodo homini competat imago Dei.

XXIX. Non est igitur Dei *imago* in homine, nisi *conformitas hominis*, *qua suo modo refert summam Dei perfectionem*. Est *conformitas*, in quo cum *vestigio* congruit, & per quam, omnis *similitudo* Dei in homine, ad *imaginem* concurrit: quâ *suo modo*, homo Deum refert, hoc est, talia ostentat, quæ *aliquatenus* & per analogiam sibi cum Deo sunt communia. Idque tandem in *nobilissima* quadam perfectione, quæ conspicitur, tum in ipsa hominis *essentia*, tum in *facultatibus* animæ primis, tandem in *virtutibus* harum facultatum.

Quid sit imago Dei in homine.

XXX. Est ergo *prima conformitas*, in ipsa hominis *essentia*, eaque *tota*, in corpore & in anima, unde passim *toti* homini tribuitur imago Dei Gen. I. 26. 27. cum I. Thess. V. 23. proinde etiam *in corpore* hominis, est *imago* Dei, unde *corpus* vetat occidere Deus, quod homo creatus sit ad *imaginem Dei* Gen. IX. 6. & *corpus* etiam restaurari dicitur ad imaginem Dei I. Thess. V. 23. Sed quænam tandem est conformitas *corporis* nostri, cum Deo simpliciissimo, spiritualissimo? Non sane in membrorum nostrorum *materiali crassitie*; sed in *formali* eorundem perfectione: subductâ enim omni omnino *imperfectione*, & substituta ei summæ *perfectionis* eminentia, membra nostra, seu *virtutes* potius membrorum nostrorum, Deo competunt, non quidem *formaliter*, ut ajunt; sed *eminenter*. Qua ratione *pleraque* membra nostra, passim in Scriptura *Deo* asseruntur, facies, oculi, manus, cor, pedes &c. Facultas enim *videndi* oculorum, *audiendi* aurium, *operandi* manuum, absque *omni* imperfectione, & cum *summa* perfectionis eminentia, omnino Deo competit Psalm. XCIV. 9. Quin ad hoc ipsum, homini hanc *membrorum* varietatem videtur contulisse, ut in ea infinitam suam *perfectionem*, quâ unico ac simplicissimo *actu* omnia potest, quæ nos tot *membrorum* ambagibus præstamus, velut *frustulatim* conspiciendam præstaret Zanch. *De Operib. Dei* part. 3. lib. 3. Cap. 1. Nec obstat, quod hac ratione imago Dei, *ex parte* saltem, conferri videatur brutis, cum *unius* & alterius lineamenti conformitas, non sufficiat ad *imaginem*, & propter *membrorum* communionem, bruta non dicantur sustinere *imaginem* hominis. Interim multo *perfectius*, imaginem Dei conspicimus in essentia *animæ*. Ejus enim spiritualitas, simplicitas, invisibilitas, immortalitas; nonne utrobique, & in Deo & in homine, quamvis cum infinita *disparitate*, conspicitur? Conf. Act. XVII. 28. 29. Hactenus autem imago Dei homini, non tantum *naturalis* fuit; sed ipsa ejus *natura*.

Prima conformitas hominis cum Deo est in essentiâ hominis.

XXXI. *Secunda* conformitas imaginis divinæ, est in *facultatibus* animæ, *intellectu* & *voluntate*, utpote quæ utrobique, & in homine & in Deo, ab omnibus agnoscuntur. Atque etiam *varietas* facultatum, in una animæ *essentia*, *adumbrare* (non demonstrare) videtur, divinarum personarum in *una* essentia *pluralitatem*.

Secunda conformitas est in facultatibus animæ.

XXXII. *Tertia* & præcipua conformitas imaginis divinæ, est in *donis*, seu naturali perfectione istarum facultatum. Qualia sunt, in *intellectu*

Tertia in donis: intellectus.

quidem *ſapientia*, ſeu perfectâ rerum divinarum humanarumque *notitia* Col. III. 10. Quam eo ſtatim demonſtravit protoplaſtus, quod *nomina* cunctis animantibus, eorum naturæ congrua, ipſis impoſuerit: quod Evam conjugem, ex ſua carne & ex ſuis oſſibus conſtructam, primo ſtatim intuitu *agnoverit*. Abſque *ſapientia* etiam ineptus fuiſſet, qui *gubernium* ſuſtineret in ſublunaria, qui Creatorem è creaturis, agnoſceret celebraretque, adeoque *ineptus* ad *uſum*, conſequenter *malus*: in *voluntate ſanctitas* erga Deum, & *juſtitia* erga proximum Eph. IV. 24. Quo nim. perinde inſtructus eſſet ad *appetendum bonum*, ac ad percipiendum *verum*: nec tantum Creatorem ſuum agnoſceret; ſed etiam diligeret, & in creaturas ſibi ſubjectas, non *tyrannidem*, ſed *dominium* exerceret: & quo ob rem ubique, ſeu *bene* ſeu *male* geſtam; & præmii & pœnæ capax eſſet: adde in *affectibus* virtutem *obedientialem*, quâ appetitus rationalis *imperium* admittere proclives eſſent, adeoque ſuaviſſima ipſis cum *recta ratione* (abſque ulla pugna Gal. V. 17.) intercederet harmonia.

Voluntatis.

Affectuum.

XXXIII. Ex omnibus iſtis naſcitur, decantata illa juxta & vexatiſſima *juſtitia originalis*. Quæ, ſi vocem ſpectes, *juſtitia* dicitur ſignificatione communiori, quatenus *generalem* dicit & *habitualem* conformitatem, totius hominis cum Deo & lege ejus: *originalis* autem διακριτικῶς, *tum* reſpectu omnium *poſterorum* Adami, quatenus ejus juſtitia, *origo* erat omnis juſtitiæ, totius generis humani ſecuturi: erat enim Adamo collata, non tanquam perſonæ *privatæ*, ſed *publicæ*, ſeu, quod idem eſt, in Adamo toti *naturæ humanæ*. Unde ab eo propaganda fuiſſet, in omnes ſuos *poſteros*: *tum* etiam *originalis* dicitur, oppoſitè ad *actualem*, ab ea profluentem, ſive illa ſit *habitualis*, ſeu *virtus*, ſive *actualis* ſeu bonum *opus*. Non eſt autem originalis hæc juſtitia, *ſubſtantia*, ut Illyricus delirabat; ſed *qualitas* per omnem ſubſtantiam quaſi *diffuſa*, adeoque *corpori* & *animæ*, *menti* item voluntati & affectibus *communis*. Per hanc homo *aptus* natus erat, *ſubeſſe* Deo, & perſiſtere in perfecta ejus *obedientia*, ſi nim. *vellet*, quamvis ipſum *velle*, ipſeque adeo perſiſtendi *actus*, aliam inſuper, & *ſecundam* quandam *gratiam* requirebat, qua nim. *prima* illa excitaretur, ac è *potentiâ* traduceretur in *actum*, conſervareturque: *efficit* enim *Deus & velle & operari* Phil. II. 13. & *in ipſo* demum *vivimus*, *operamur & ſumus* Act. XVII. 28. Cui, per & poſt *peccatum*, ſucceſſit *injuſtitia originalis*, quæ traducta ab Adamo in omnes ejus *poſteros*, *radix* exiſtit & fomes omnis injuſtitiæ *actualis* Pſalm. LI. 7. Eph. II. 3. Rom. V. 12. Eadem & *Angelis* competebat ante lapſum ſuum Jud. verſ. 6. demta tamen *propagandi* conditione, à qua imagine, procul dubio, *filii* Dei audiunt Job. XXXVIII. 7.

E quibus coaleſcit juſtitia originalis.

XXXIV. *Quarta* denique conformitas hominis cum Deo, in *ſtatu* conſpicitur, corpori & animæ communi, quæ *immortalitatem* compoſiti humani complectitur, ejus *dominium* in terrena, & *felicitatem* paradiſiacam, primò inquam *immortalitatem* totius hominis, cum (a) *mortem* Scriptura ad peccatum referat, tanquam ad cauſam ſuam Gen. II. 17. Rom. V. 12. I. Cor. XV. 56. Et (b) mors *deſtructio* ſit naturæ; proinde homini non *naturalis*. Nec (c) ante peccatum, ulla obtinebat mortis *cauſa*, *proxima* quidem: nec *interna*, nulla humorum δυσκρασία, aut calidi ac humidi nativi defectus, unde languores ac morbi; nec *externa*, corruptio *elementorum*, carentia *alimenti*, vis ac *violentia*, ab hominibus aut beſtiis, & quæ porro *cauſæ* rationem habent reſpectu mortis; proinde nulla mortalitas, proxima ſaltem. (d) perfectam *obedientiam*, ex promiſſione Legiſlatoris, ſequi non poteſt, niſi perfecta *vita* Levit. XVIII. 5. Luc. X. 28. conſequenter *ante* inobedientiam, nulla *mors* aut mortalitas. Nec tamen *omnimodam* hîc intelligimus hominis immortalitatem, quâ ſimpliciter *mori non potuerit*, cui compoſitio homini *naturalis* repugnat, & mors poſtmodum *facta* reclamat; ſed quâ *potuerit non mori*, & *moriturus* non fuiſſet, ſi non peccaſſet.

Quarta conformitas in ſtatu immortalitatis.

XXXV. Præter iſtam immortalitatem hominis, ſtatus imaginis divinæ, complectitur *dominium* in omnes Dei creaturas terrenas Gen. I. 26. Pſalm. VIII. 7. 8. 9. & I. Cor. XI. 7. ubi *viro* præ muliere, imaginis divinæ ἀξίωμα afferitur, hujus ſolius *dominii* ratione, quod ipſi etiam *in mulierem* competat. Quo etiam ſpectat (1) animalium, ad ipſum *acceſſus* tanquam ad Dominum, nominumque ceu officiorum ab eo ſuſceptio, quæ totidem erant velut *homagii* teſſeræ: cum Dominantis ſit, *nomina* imponere Gell. lib. 17. cap. ult. Conf. Caſaub. ad *Baron exercit.* XIII. Sect. 13. Spectat item huc (2) facultas *univerſalis*, *utendi* quibuſvis creaturis ex ſententia, unâ excepta arbore *ſcientiæ* boni & mali I. Cor. III. 21. Spectat (3) quod perturbatiſſimos ferarum *affectus*, homo componere poſſit Jac. III. 7. Spectat (4) univerſalis hominis, præ omnibus reliquis creaturis (ſolis Angelis exceptis) *præſtantia*, adhucdum *poſt* peccatum, quoad rudera ſuperſtes. Quamvis enim *diviſim*, quoad *hanc* aut *illam* qualitatem, ab hoc aut illo *bruto*, hominem ſuperari videamus, v. g. perſpicaciâ à lynce, magnitudine ac robore, ab equo aut elephante; attamen *conjunctim* omnibus, omnes ſuperat. Extendit autem iſtud hominis *dominium* ſe I. ad ἄψυχα, elementa & elementaria, quatenus *omnia* homini proſtant, vel ad *vitam*, vel ad *valetudinem*, voluptatem, commoditatem. 2. ἔμψυχα, ſeu ſenſu *careant*, herbas, frumenta; ſeu ſenſu *polleant*; ſive *abſque* ratione, ut bruta

Dominii in omnes creaturas terrenas.

quæ-

quævis; sive *cum* ratione: homo enim homini, si non *subjectus*; saltem quomodocumque *utilis* fuisset, sic & inserviisset, etiam in statu *integritatis*. Complectitur etiam, non tantum χρῆσιν seu usum istorum omnium 1. Tim. VI. 17. sed & κτῆσιν seu proprietatem Psal. VIII. 7. 1. Cor. III. 21. 22. Sed *sub* Deo, qui dominium istud contulit. Conf. 1. Cor. XV. 27. 28. *Fundamenta* denique, seu *tituli* hujus dominii sunt: (1) in gratuita *donatione* Creatoris Gen. I. 27. 28. Psal. VIII. 7. (2) In naturali hominis supra omnes creaturas ὑπεροχῇ: subest enim, dictante *ratione*, imperfectius perfectiori. (3) In *providentiâ* divinâ, quæ omnibus *parendi* facultatem contulit. (4) In *gloria* Dei, ad quam omnia à Deo *recipere*, pariter & *referre* homo debet.

Felicitas paradisiaca.

XXXVI. Tandem imago divina quoad *statum*, complectitur *felicitatem* hominis paradisiacam Gen. II. 8. Fuit *hortus* ille in Eden, irrigatus à fluvio, qui se diviserit in quatuor capita, quem Euphratem multi suspicantur. (Vid. Ortelius in vocibus *Euphrates* & *Tigris*) Præterea locus amœnissimus, à quo עֵרֶן, τόπος τρυφερὸς *locus voluptuarius* dicitur, utpote qui contineret omnem arborem נחמד למראה וטב לאכל, *concupiscibilem ad visum, & proficuam ad comedendum*, proinde etiam *fertilissimus*, quorumvis non tantum *necessariorum*, sed etiam *desiderabilium*. Imprimis etiam arborem *vitæ*, ita dictam, seu quod fructum ferret, fovendæ *vitæ* naturaliter aptum, atque ad hoc datum ut *immortalitatem* procuraret, ut permultis placet; seu potius, quod *vitam* beatam & æternam, obedienti & perseveranti *obsignaret* Apoc. II. 7. Prov. III. 18. Præterea & *arborem scientiæ boni & mali*, ita dictam, non à *forma* quadam *interna*, quâ fuerit *rationalis*, sciens bonum & malum; nec ab *effectu physico*, quod fuerit *scientifica* per se, aut vim habuerit, dandi aut accelerandi *usum rationis* ac liberi arbitrii; nec denique à mendaci *promissione* omniscientiæ, qua mulierem serpens decepit Gen. III. 5. sed ab *eventu*, puta *experimentali* notitiâ boni & mali, quam Deus secuturam hac arbore *prænotabat* & asserebat, si homo *peccando* à Deo deficeret: quantum scil. *bonum* esset amissurus, quantum *malum* sibi contracturus inobedientiâ. Fuit igitur hæc arbor A. Tessera, tum *Dominii* respectu Dei: significabat enim Deo *potestatem* competere, *leges* ferendi ex arbitrio, unde argumentum selegit tam *exiguum*; quod prohiberet, nim. non *gustare* de fructu hujus arboris, ut eo *dominatum* suum patefaceret, longe absolutissimum: tum *subjectionis* & obedientiæ universalis, respectu hominis, quatenus eum obstringebat, qui ex *nutu* Dei totus penderet, quique hoc ipsum illo *symbolo* profiteretur. B. *Sacramentum*, partim *exploratorium*, utpote quo Deus *tentare* & experiri voluit, usum & abusum arbitrii humani, atque etiam manifestare, ejus *inconstantiam* in bono: partim *præmonitorium*, tristem eventum præfigurans, si homo ab *ista arbore*, ex mandato Dei, sibi non temperaret: partim etiam *dehortatorium*, quatenus homini auctor erat, ne *esu* sui, scientiam boni & mali tam funestam sibi pararet. Vid. Paræus in Gen. II. vers. 11. Fuerunt ergo duæ istæ *arbores*, totidem, Sacramenta fœderis *operum*, quorum *prius* fidem hominis potissimum confirmabat, & ipsem vitæ omnimodè beatæ alebat; *posterius* obedientiam, ex comminatione & obsignatione pœnæ.

Arbor vitæ.

Arbor scientiæ boni & mali.

Vita hominis in paradiso:

1. Religiosa.

XXXVII. Jam in loco omnibus istis referto, constitutus homo, vitam degebat: primò *religiosam*, qua non sibi tantum, aliisque creaturis; sed imprimis etiam *Creatori* vivebat, fide & observantia. *Fidem* enim, *primum* omnis vitæ religiosæ *actum*, Deus *alebat* promissione vitæ, *confirmabat* Sacramento arboris vitæ: horsum enim spectabat utrumque, & promissio & Sacramentum, ut homo *fide* tutius inniteretur verbo ac fidelitati Dei. Fidem porro excipiebat *spes*, qua promissam sibi obedienti vitam, cum omnibus consectariis, homo certus *expectabat*: utrumque horum sequebatur *charitas*, non ob *vitam promissam* tantum, sed *collatam* etiam, corpore tenus, anima & statu: *observantiam* autem Deus exsertè præscribebat, cum legibus *naturalibus*, cordi ejus inscriptis Rom. II. 15. tum legi *positivæ* præstandam, abstinendo ab arbore scientiæ boni & mali. Quam observantiam Deus tum temporis urgebat, velut conditionem *fœderis operum*, ad vitam æternam ejus ope *promerendam*. Accedebat etiam ad cultum hunc *naturalem*, cultus aliquis *institutus*, sanctificatione *diei septimi* exercendus Gen. II. 2. abstinendo à *quotidiana* curâ, diemque exercitiis *religiosis*, magis ex professo, sanctificando. Hæc vita hominis in paradiso futura fuisset religiosa: Secundo *civilem*, quatenus vivebat non cœlebs; sed conjugatus, unde conjugium ejus describitur Gen. II. 22. 23. 24. In hoc conjugio, vitam homo agebat 1. *Contemplativam* ac philosophicam, consideratione Dei & operum ejus, totus occupatus. 2. *Activam*, exercitio fidei & observantiæ, cultusque institutis partim; partim *dirigendis* creaturis sibi subjectis occupatam. 3. *Factivam*, quæ colendo subigendoque horto distinebatur, idque tantisper, donec peracto certo tempore, ad meliora transferretur, cœlestem scil. paradisum.

2. Civilis.

Imago Dei, quatenus superfuit, quatenus amissa.

XXXVIII. Imago Dei quam diximus, nec plane *periit* per peccatum; nec plane *supersit* à peccato. *Restat* igitur, quadantenus Gen. IX. 6. Jac. III. 9. 1. Cor. XI. 7. ubi, procul dubio, de statu non *præterito*; sed *moderno* sermo est. Restat inquam, quatenus consistit: 1. In ipsa *natura* hominis,

minis, corporis & animæ. 2. In *facultatibus* animæ naturalibus, intellectu & voluntate. 3. In *donis* quibusdam intellectus & voluntatis, quatenus in *peſſimis* adhuc aliquis conſpicitur *rationis* uſus, atque etiam *propenſio* in bonum, etiam *morale* Rom. I. 19. & II. 15. I. Cor. V. 1. Porro 4. In *dominii* priſtini nonnullis ſaltem reliquiis Gen. VII. 2. Iſtas omnes ſuæ imaginis particulas *ſuperſtites*, nobis à lapſu Deus voluit, tum ut ſint indebitiſſimæ ſuæ erga nos *bonitatis* teſtes; tum ut q. *ſemina* ſint, unde divina *imago*, per gratiam reſtaurationis, poſtmodum reflorescceret; tum ut ἀπειθεῖς æternum redderet, ἀναπολογήτους. *Periit* autem imago Dei, quoad *præſtantiſſimas* ſui partes, videl. (1) *juſtitiam originalem*, quatenus jam omnes naſcimur *filii iræ*, *mortui in peccatis* Eph. II. 1. 2. 3. (2) *Immortalitatem* omnimodam, vitæ naturalis, ſpiritualis & æternæ. (3) Dominii *perfectionem* Rom. VIII. 20. (4) *Felicitatem* paradiſiacam Gen. III. 23. 24.

Pars Elenchtica.

1. Quæſtiones aliquot controverſæ notantur & ſepo nuntur.

XXXIX. Jam diſputabimus. Et *primò* quidem non ſuſcitabimus, Judæorum ſepulta ſomnia, de Adamo *bicorporeo*, bifronte, nec de homine ad imaginem *Angelorum* condito: Neque Anthropomorphitarum blaſphemiam, de imagine, quâ *Deum corporeum* homo referat: neque Patrum & Anabaptiſtarum quorundam figmentum, quod *humanam* Chriſti *naturam*, imaginis Dei archetypum ſtatuebat: Neque eorum luſus inhumanos, qui *mulierem*, ut ab *humanitate*, ita & ab *imagine* Dei ſecludunt. Quæ ſua abſurditate ſeipſa refellunt.

2. An juſtitia originalis ipſa ſit hominis ſubſtantia?

XL. Quæritur 2. An imaginis divinæ *juſtitia originalis*, ipſa ſit hominis ſubſtantia? Flacius Illyricus, vir cæterà doctiſſimus, fervore diſputationis contra Victorinum Strigelium, abreptus, quo obtineret, *peccatum originis* ipſam eſſe hominis ſubſtantiam; ſtatuere coactus fuit, ejus oppoſitum, juſtitiam originalem, ipſam eſſe hominis ſubſtantiam. Reformati largiuntur quidem, imaginem divinam, etiam obſervari *in* ipſa *ſubſtantia* corporis & animæ, juxta §. XXX. *juſtitiam* tamen *originalem*, non *ſubſtantiam*; ſed ſubſtantiæ *qualitatem* eſſe docent, quamvis ea homini *naturalis* ſit. Eſſet enim, ex ſententia Flacii: 1. Homo juſtus ac ſanctus *per eſſentiam*, quod ſoli Deo proprium eſt, qui ſolus eſt *ſimpliciſſimus* actus. Eſſet 2. Animæ ipſa *eſſentia*, per peccatum *corrupta*. Eſſet 3. ἀνομία *ſubſtantia*, conſequenter & Deus illius *auctor*, qui ſubſtantiæ eſt auctor Rom. XI. 36. Eſſet 4. Diabolus aut homo quivis *creator*, utpote qui *peccati auctor* reverâ exiſtit. Eſſet 5. *Reſurrectio* mortuorum vana: aut enim *peccatum* reſurgeret, cum ex Flacii hypotheſi, *ſubſtantia* noſtrâ, per lapſum in *peccatum converſa* ſit; aut ſuſcitatione, *nova* ſubſtantia produceretur: ea vero, quî reſurget, cum non ceciderit? Nec juvant Illyricum ea Scripturæ locâ quibus originalis corruptio, *caro*, *vetus homo*, *corpus peccati*, *membra* &c. appellatur, cum id *metonymia* fiat, *continentis pro contento*, eo quod *originalis* corruptio, per totum *hominem*, per *omnes* ejus facultates membraque diſperſa ſit, adeo *intimè*, ut quaſi in ejus *ſubſtantiam* abierit, ac proinde tanta *difficultate* deponatur, atque ipſa corporis ac membrorum ſubſtantia Matth. V. 29. 30. Marc. IX. 47. de quo forte plura occurrent ſuo loco.

Argumenta.

Objectio.

3. An homo creatus ſit cum juſtitia originali?

XLI. Quæritur 3. An homo creatus ſit cum *juſtitia originali*? Pelagiani ac Sociniani, quo validius obnitantur labi *originali*, & fortius tueantur vires liberi *arbitrii*, adhucdum ſuperſtites ad bonum *ſpirituale*, tandem etiam ut habeant, in hominis *regeneratione*, non requiri niſi gratiam *moralem* ſuaſivam: ſtatuunt, hominem quidem creatum fuiſſe *innocentem*; ſed abſque ulla *juſtitia*; cui etiam in ſtatu *innocentiæ* ad fuerit perpetua pugna ſeu rebellio carnis adverſus ſpiritum. Reformati ex adverſo ſtatuunt, hominem creatum fuiſſe, non tantum *innocentem*; ſed etiam juſtitiâ *originali* præditum, ac proinde *immunem* ab omni *rebellione* carnis adverſus Spiritum: quod his potiſſimum demonſtramus rationibus (1) Quia homo creatus dicitur non תָּם אֱלֹהִים *innocens* tantum: ſed *rectus* יָשָׁר Eccl. VII. 29. & *bonus*, quin bonus *valde* Gen. I. 31. bonitate, non tantum *communi* & naturali tantum; ſed ſibi quâ homini *propriâ* ſeu *morali*, quâ *aptus* eſſet, qui Creatorem agnoſceret, diligeret, & ſecundum præſcriptum legis coleret, quod ſanè fieri non poteſt, citra *habitualem* quandam *rectitudinem*: qualis enim *arbor*, talis *fructus* Matth. VII. 18. (2) Quia homo creatus eſt *perfectus* in ſuo genere, haud ſecus ac Angeli I. Pet. II. 4. Joh. VIII. 44. Jud. vſ. 6. *nullum* enim hîc eſt, *diſſimilis* rationis *fundamentum*. Quomodo autem *perfectus* dicetur, is qui *ſapientia*, ſanctitate & juſtitiâ *caret*? (3) Quia *defectus ſanctitatis* & juſtitiæ, in creatura *rationali*, cum non poſſit *non eſſe* peccatum Rom. III. 23. Deus cum defectu iſto, hominem *creans*, neceſſariò auctor reddetur peccati. Ut non addam, ἀταξίαν carnis, adverſus ſpiritum laſcivientis, quam Paulus νόμον appellat, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοὸς Rom. VII. 23. (*cum quâ* creatum præſupponit hæc hæreſis) citra omne dubium, *peccatum* eſſe: proinde non video, qui poſſint blaſphemiam effugere, quâ *Deus auctor* ſit peccati. (4) Quia cum *cognitione* illa, *ſanctitate* & *juſtitia*, ad quam renovamur, diſertè dicimur *conditi* Col. III. 10. Eph. IV. 23. 24. (5) Quia ipſum illud *imperium*, quo ſolo *imaginem* Dei definiunt adverſarii, per

Argumenta Reformatorum.

in-

intellectum & voluntatem, *sapienter sancte* & *juste* geri haud potuisset, citra *sapientiam* intellectus, *sanctitatem* item ac *justitiam* voluntatis: præsupponit enim justitia *actualis habitualem*, sicut actus potentiam: nec justè *agere* potest, qui justus ipse *non est*. Videntur tamen sibi habere, quod objiciant. Nim. (1) *quod per creationem, non nisi naturalia bona, acceperit homo.* Resp. 1. Et sapientia, sanctitas & justitia, homini tum temporis erant *naturalia*, quod jamjam contra Pontificios demonstrabimus. 2. Si verò per donum *naturale* intelligant, quod non est *morale*, petent quod est in quæstione, quia id ipsum est quod negatur. (2) *Sic homo non potuisset peccare, utpote nulli errori, nulli carnis rebellioni obnoxius.* Resp. Tantum sequitur, eum *potuisse non* peccare; non autem sequitur *non potuisse* peccare: cum *creatura* non possit creari *immutabilis*, ac proinde *potentia* illa *non peccandi*, gratiâ quadam *secunda* conservari ac fulciri debebat, quod *actu* non peccaret. (3) *Justitia illa, qua, usque ad peccatum, immunes fuerunt à peccato, actualis fuisset, non originalis.* Resp. *Carentia* illa peccati, nobis non est *justitia originalis*; sed *ordinatissima* illa, intellectus, voluntatis & affectuum *rectitudo* & harmonia, per quam *poterant* manere immunes, ab omni injustitia *actuali*. Illa enim *carentia* peccati, *negativum* aliquid est, dum justitia originalis, nobis est *positivum quid*. (4) *Si justus homo fuit, ante commissum peccatum; fuit, vel quia nil fecit adversus mandatum Dei; vel quia nil fecit adversus conscientiam: at nec prius dici potest, quia mandatum necdum habuit; nec posterius, quia de hoc nil habet Scriptura.* Resp. 1. Argumentum militat adversus justitiam *actualem*, non autem adversus *originalem*. Tum 2. falsum quod *legem* non habuerit: habuit enim *congenitam* illam, de qua Paulus Rom. II. 15. (5) *Intellectus hominis jamjam creati, expers erat sapientiæ, quia ignorabat se nudum esse, ignorabat bonum & malum: voluntas justitia, quia levissima causa, deficiebat à Deo ad diabolum: affectus denique sanctitate, quia libidini oculorum, gulæ & aliis passionibus contra rationem & legem Dei obsecutus est.* Resp. 1. *Ignorantia* intellectui ejus tribuitur, non talis quæ *sapientiam* imminuebat, sed augebat; tribuitur ignorantia *nuditatis quatenus* pudorem è peccato oriundum involvebat, non ignorantiam *simpliciter*: fuisset enim hæc, *oculorum* non *intellectus* vitium. Sic etiam bonum & malum ignorabat, non *simpliciter*; sed tantum per *experientiam*. 2. *Causa* quâ voluntas à Deo defecit, non *levis* fuit; sed *gravissima* Satanæ tentatio: *eritis sicut Elohim*. 3. Nec libido oculorum, gula &c. homini fuit naturalis, connata & *originalis*; sed accessoria & *actualis*, quæ non præjudicat justitiæ *originali*, tentationem antecedenti. (6) *Caro & spiritus natura sibi sunt contrarii, proinde & appetitus utriusque sibi contrarii, ac porro, & dissidium inter duo, naturale.* Resp. *Diversa* quidem fuerunt; sed subordinata, non *contraria*, subordinata enim non pugnant. Et in ipsa hac subordinatione, justitia consistit originalis, ut supra docuimus.

Refelluntur eorum objecta adversus justitiam originalem.

XLII. Quæritur 4. An homo creatus, fuerit immortalis? Sociniani, ne ex morte infantum, homo cogantur agnoscere peccatum *originale*: ne etiam cogantur agnoscere, Christi *mortem*, fuisse *pœnam* pro peccatis nostris, adeoque *satisfactoriam*: negant hominem creatum fuisse *immortalem*; sed moriturum fuisse, si vel nunquam *peccasset*. Reformati quatenus *admittant*, quatenus *negent* mortalitatem hominis *recens* creati, & quibus *argumentis* negent; nos jam ante §. XXXIV. monuimus. Argumenta adversariorum, non *aliam* evincunt mortalitatem, quam *remotam* illam, quâ *poterat* mori, quam nos admittimus; non autem *proximam* illam, quâ *actu* moriturus fuisset. v. g. Quod: 1. *terrenus* dicatur & *animalis* Gen. II. 7. & III. 19. 1. Cor. XV. 45. non arguit *moriturum actu* fuisse, sed mori tantum *potuisse*. Sic quoque 2. quod liberis *procreandis* operam fuisset daturus Gen. I. 28. 29. & *cibis* usurus Luc. XX. 35. 36. 1. Cor. VI. 13. si quid præter *remotam* illam mortalitatem inferat; non *aliud* erit, quam, *diversam* in statu *glorificationis* futuram immortalitatem, ab ea quæ vigebat in statu *creationis*: non autem, hominem, etiam citra peccatum, *moriturum* fuisse. Sic 3. quod ex *elementis contrariis*, se invicem oppugnantibus fuerit conditus, non *amplius* arguit, quam resolvi *potuisse*, nequaquam autem resolvendum *fuisse*. Item 4. quod *arbore vitæ* indiguerit, quemadmodum etiam *cibo* ac *potu*: quæ morti *pellendæ* conducebant, non autem mortem *futuram* arguebant. Addunt tandem 5. Christum, qui *omne consequens* peccati sustulit, *mortem* tamen non sustulisse; unde sequitur; illam *consequens peccati* non esse; sed *naturæ*. Resp. Sustulit illam, quatenus est *pœna peccati*, quatenus *maledictio*; non autem, quatenus *beneficium* est, & quatenus *via* ad benedictionem, & ad *vitam æternam* Gal. III. 13. Rom. VIII. 1. 3. 4.

4. An homo creatus fuerit immortalis?

Objectiones.

XLIII. Quæritur 5. An justitia originalis, homini fuerit *naturalis*? Pontificii pelagianissantes, ut obineant: 1. *Concupiscentiam*, cujus actus tantum *secundos* cohibeat, non *primum* tollat justitia *originalis*, non esse *peccatum*, eaque proinde non obstante, hominem *hîc* esse posse *perfectum*. 2. Hominem in *puris naturalibus* conditum esse, h. e. *natura* nec justum nec injustum. 3. *Naturalia* hominis, post lapsum *integra* supereresse: *justitiam* quidem admittunt *originalem*; sed quæ homini sit *supernaturalis*, naturæ addita, ut *dissidium naturale* carnis & spiritus compescat: interim *nascituram* fuisse cum homine, illumque, etiam in *naturali-*

5. An justitia originalis hominis fuerit naturalis?

Sententia Pontificiorum.

Et Reformatorum cum ſuis rationibus.

turalibus, adjuturam fuiſſe, non diffitentur. Reformati, quamvis juſtitiam *originalem*, non agnoſcant (ut Flacius volebat) ipſam eſſe hominis *naturam*; attamen eſſe homini *naturalem*, quatenus naturæ *integræ*, ſic debebatur, ut *moraliter integra* eſſe non potuerit, abſque illa. Si enim (1) fuiſſet *ſupranaturalis*, tum ejus *contrarium*, puta concupiſcentia *carnalis* ſeu *diſſidium* carnis & ſpiritus, homini fuiſſet *naturale*, & per hoc bonum, & à Deo, quod eſt adverſus Scripturas Rom. VII. 7. 8. 1. Joh. II. 16. (2) Sic *rebellio* carnis adverſus ſpiritum, homini foret *naturalis*, abſque ullo prævio *demerito*, conditione *naturæ*, à Deo collata, proinde *Deus auctor peccati*. Tum (3) *beatitudo finis* fuit homini *naturalis*; proinde & *juſtitia* ac ſanctitas, citra quam, *beatitudinem* non potuiſſet conſequi Apoc. XXI. 27. 1. Cor. XV. 50. Argumenta Pontificiorum, cum Socinianis plerumque coincidunt, adverſus *juſtitiam originalem*. Cauſantur enim: A. *Contrarietatem naturalem carnis & ſpiritus, corporis & animæ, proinde &c.* Reſp. Iſtud dudum Socinianis negavimus obtinuiſſe in ſtatu integritatis, ubi perfectiſſima viguit *harmonia*, uſque ad peccatum. B. *Dona primo homini collata, appellari* honorem & gloriam Pſal. VIII. 6. *quæ proculdubio homini ſint extrinſeca & acceſſoria, non naturalia.* Reſp. 1. Pſaltes non tam *juſtitiam originalem*; quam *imperium* hominis in creaturas terrenas, *honorem* nominat & *gloriam*. Tum & 2. ſano ſenſu, juſtitia originalis eſt *honor* & gloria Rom. III. 23. quatenus omnis *honoris* & gloriæ *fundamentum* eſt, & eatenus homini non *extrinſecum* quid fuit; ſed maximè *intrinſecum*. Habet alia quædam argumenta Bellarminus Tom. 4 lib. 1. ſed nullius momenti, ſi quis ſcire aveat, ejus Antagoniſtas conſulat, Ameſium; Pareum alioſque.

Objectiones.

6. An paradiſus adhucdum ſuperſit?

XLIV. Quæritur 6. An paradiſus, adhucdum ſit ſuperſtes in mundo; an diluvialibus undis fuerit ſublatus? Quidam è veteribus eundem intactum à diluvio ſupereſſe putant, v. g. Irenæus lib. V. cap. 5. Idem ſentiunt Judæorum plerique, juxta Manaſſen Ben Iſraël. De *creat.* probl. XVII. ſcil. ut *receptaculum* præſtet animabus, uſque ad diem extremi judicii. Idem Bellarminus, velut *articulum fidei*, affirmat, ad hoc, ut duo illi teſtes, Enochus & Elias, occidendi ab Antichriſto, inde revertantur, & ex eo, Papa non ſit Antichriſtus. Ex adverſo tamen alii inter Pontificios, non ignobiles, v. g. Cornel. à Lapide, Aug. Steuchus Eugubinus, Pererius, Janſenius, Amb. Catharinus, Zuarez, Oleaſter aliique, cum Reformatis eundem diluvio periiſſe volunt. Quia: 1. ejus nulla *ullibi* apparent veſtigia. 2. *Totus* orbis, eoque & paradiſus, *diluvio* periiſſe legitur Gen. VII. 19. Quia 3. poſt figmentum *Enochi & Eliæ, fruſtra* foret. Conf. Rivet. *Exercit.* XXIX. *ad Gen.* Rationes adverſariorum, partim ſunt in teſtimoniis quibuſdam Patrum; partim in Enocho & Elia inde prodituris, qui pugnent cum Antichriſto & ab eo occidantur. Bellarm. *De grat. prim. homin.* Cap. XIV. Item *De Pont* lib. III. Cap. 6. Et teſtimoniis quidem, teſtimonia ejuſdem auctoritatis, nullo negotio poterunt objici: Et figmentum de Enocho & Elia, nullo nititur Scripturæ fundamento, ut Bellarmini Antagoniſtæ docent ad ejus lib. 3. *De Pont.* Cap. VI.

Pars practica.

Imago Dei 1. Nos deducit in cognitionem Dei.

XLV. Quantum ad *praxin*, contemplatio imaginis divinæ, *primò* nos abducit in *cognitionem* Dei τῦ ἀρχετύπυ, quem agnoſcamus & cognoſcamus è *nobiſmetipſis*: quoniam ad hoc *imagines* conduntur, & à Papanis *libri laicorum* indigitantur. Ut proinde qui *ſe* videt, *Deum* videat. Conf. Joh. XIV. 9. Cognoſcimus autem Deum ex imagine: 1. Ratione *exiſtentiæ*, *quod ſit*: eſt enim Deus, non *efficiens* tantum; ſed & *exemplaris* hominis cauſa: quapropter cum *effectus* nullus exiſtat *abſque cauſa*; nec exprimi aut *effigiari* quicquam poſſit, niſi à præexiſtente prototypo: manet indubitato, *exiſtente imagine* Dei, exiſtere quoque *Deum*. Inſuper, aut *animam* noſtram, ad *imaginem* Dei formatam, utut nunquam & à nemine *viſam*, nec viſibilem; *eſſe* tamen & exiſtere certo certius colligimus: ita prorſus *Deum*, *exemplar* animæ noſtræ, utut nunquam & à nemine *viſum* Joh. I. 18. nec viſibilem 1. Tim. VI. 16. *eſſe* tamen & exiſtere, tam certo colligimus *ex effectis*, cum *intra*, tum *extra* nos, quam ſi oculis noſtris ipſum contemplaremur. 2. Ratione *eſſentiæ*, *quid ſit*: cum enim, juxta Philoſophos, *cauſa nunquam toto genere deterior ſit ſuo effectu*, & *animam* noſtram, ad *imaginem* Dei efformatam, ſciamus eſſe naturæ *ſpiritualis*, *ſimplicis*, *inviſibilis*, *immortalis*, intellectu, voluntate & libero arbitrio præditæ (quæ omnia citra dubium *perfectionem* denotant) quidni hujuſmodi *eſſentiam* ſpiritualem, ſimplicem, inviſibilem, immortalem &c. *eminenter* in Deo, ceu ejus exemplari cauſa, agnoſcemus? 3. Ratione *attributorum*, ſaltem *communicabilium*, *qualis ſit* Dum enim *imaginem* Dei, videmus tot *perfectionibus* undiquaque cultiſſimam: *rationem* ſcil. tot *virtutibus* intellectualibus, intelligentiâ, ſapientiâ, prudentiâ, artibus: *voluntatem* tantâ *ſanctitate* juſtitia, totque virtutibus moralibus: *corpus* denique, tot *membrorum* varietate, & membra ſua quælibet peculiari *facultate*, ornatiſſima; nonne ea ipſa, demptâ tamen omni *imperfectione*, cum ſummâ *eminentia* referemus ad Deum, iſtorum omnium ἀυτόγραφον? Denique 4, ratione *ſubſiſtentiæ*, *quies* ſit, nempe *trinus* perſonis. Quamvis enim iſtas,

Ratione exiſtentiæ.

2. Ratione eſſentiæ.

3. Ratione attributorum.

4. Ratione ſubſiſtentiæ.

ex

ex homine *solo*, citrà Scripturam; nec *scire*, nec *demonstrare*, quin nec *suspicari*, multò minus perfectè *describere* queamus; attamen, præsuppositâ revelatione, *nonnullatenus* declarare valemus, ex homine ad imaginem Dei creato, eatenus scil. ut si non *existentiam*: saltem *possibilitatem* trium personarum in *una* essentiâ, exinde perspiciamus. Ut enim anima rationalis, una licet & *simplex* essentia, variis tamen cernitur *facultatibus*, & velut *partibus* essentialibus prædita; ita Deum videmus, in *una* simplicissimâ *essentia*, pluribus *personis* subsistentem. Porrò, ut animæ nostræ *essentia*, à facultatibus, intellectu & voluntate, est *distincta*: ita in Deo essentia à personis *differt*: Sic Pater (fons deitatis, & velut, ita dicam) Deus *intelligens*, distinguitur à Filio, ut Deo *intellecto*, & à Spiritu Sancto, tanquam Deo *dilecto*: Et ut intellectus à voluntate *differt*, in eadem anima; ita Filius & Spiritus S. differunt. *Filius* quippe à Patre genitus velut per actum *intellectus*, unde χατ' ἐξοχὴν *imago Patris*, item *sermo* & *sapientia* Dei, in Scripturis appellatur: *Spiritus Sanctus* autem per actum *voluntatis* seu amoris, unde per appropriationem *Spiritus* appellatur. Agnoscis, *quid* & quantum è *nobismetipsis*, de Deo scire possimus, ex ejus *imagine*. Sed *qualem* demum cognitionem Dei, nobis comparabimus? Non eam tantum, quâ simpliciter Deum *sciamus*: sed eam, quâ 1. Deum semper & ubique, in *corde* nostro *circumferamus*, & habeamus nobis *præsentem*, adeò ut quotiescunque *nosmetipsos* cogitamus, eâdem operâ *Deum* cogitemus, cum eo ubique *conversemur*, & in *conspectu* ejus ambulemus; prout ad hoc, *imagines* parentum, *aut* egregiè charorum, conficimus & circumferimus, ut *memoriam* absentium aut mortuorum recolamus. Quâ 2. Ad *amorem*, reverentiam & cultum Dei, piâ voluptate & alacritate perfundamur. In hunc enim *finem*, non Gentiles modo & Pontificii, suas *imagines* habent, ut earum contemplatione (perperàm licet (se ad *amorem*, & cultum archetyporum excitent: sed & in vitâ *civili*, quilibet sibi *charorum* imagines amat, ut earum aspectu, honestâ *voluptate*, amorem & cultum prototyporum alat. Quin ad hoc *Deus*, amore *sui* ductus, hominem condidit sibi *similem*, id est, juxta secum, intellectu & voluntate, nec non sapientiâ, sanctitate & justitia beatum: ut non modo, *ipse seipsum* diligeret & coleret in nobis; sed & *nos seipsum* diligeremus, revereremur & coleremus in *nobis ipsis*, cumque eo, sanctâ *amicitia* conversari possemus Similis enim simili delectatur, nec inter omnino *dispares*, hominem v. g. & bestiam, perfecte justum & iniquos, constans ac solida *amicitia* obtineri potest 2. Cor. VI. 15. 3. *Deum*, tanquam *exemplar* creationis nostræ, quantum fieri potest, *imitemur* 2. Cor. III. 18. In hoc enim *perfectio* consistit imaginis, ut exprimat perfectionem τῆς πρωτοτύπου: id est, ut ad ejus *sapientiam*, sanctitatem & justitiam, omni conatu *contendamus* & aspiremus Matth. v. 48. Eph. IV. 24. De quo suo loco prolixius.

Qualis Dei cognitio e nobis, tanquam ejus imagine colligenda.

XLVI. Rursus *secundò*, imaginis divinæ contemplatio, nos perducit in cognitionem *nostri*. Est enim imago Dei, de genere *relatorum*, quæ ut à se *invicem* pendent (ut loquuntur) in *essendo*, ita etiam in *cognoscendo*. Et ut homo quadruplici statui est obnoxius; ita imago Dei, cum *quolibet* horum collata, hominem *quadruplici* modo, reddit conspicuum. *Primo*, si eum cum statu integritatis conferas, *integram*; hominem habebis *excellentissimum*: *secundo*, si cum statu *lapsus*, *deperditam*; habebis *miserrimum*: *tertio*, si cum statu *gratiæ*, restitutam; habebis *ornatissimum*: denique *quarto*, si cum statu *gloriæ*, omni parte *perfectam*, habebis *gloriosissimum*. Nos, sepositis in suum quemque locum tribus postremis, imaginem Dei contemplabimur, prout se habuit in statu *primo*, idque sub *duplici* hoc respectu, quatenus nimirum ab *una* parte, *congruit* cum archetypo, eoque hominem arguit longè *præstantissimum*: ab *altera* parte, quatenus *differt* ab eodem, ac dependet ut ideatum, (ita loquar) ab idea, eoque hominem arguit, cum omni sua dignitate, Deo *subjectissimum*. Si, inquam, imaginem expendas, prout *concordat* cum prototypo, illudque refert; conspicies hominem, tanta *gloria* ac decore coruscum, ut fit proximus אֱלֹהִים Psal. VIII. 6. Prout Joseph Regis Ægyptii *imaginem* gestans, annulosque & sigilla; *magnificus* habebatur, in universo Ægypto Gen. XLI. 42. 43. 44. ita homo mundi *Dominus*, & velut *vice-deus*, divinæ imaginis sigillo annuloque (pretiosissimis gemmis *cognitionis divinæ* Col. III. 10. *sapientiæ humanæ* Gen. II. 20. *justitiæ* & *perfectionis* Eph. IV. 24. *sanctitatis* Ibid. *immortalitatis* Gen. II. 17. *dominationis* Gen. I. 26. &c.) ornatissimo splendens; meritò *magnificentissimus* habetur, in universa terra, ac proximus à Deo salutatur. Vice versa, si imaginem Dei respicias, qua *contradistinguitur* archetypo, & non modo ab eo *dependet*, ut à causa *exemplari*; sed etiam ei, si non *dissimilis*, saltem sapientiâ, sanctitate, justitia, gloria & majestate est *inæqualis*; habebit homo, quod non tantum *fastum* erga Creatorem præpediat, è summâ *majestate* imaginis, aliàs facillimè oboriturum; sed etiam, quod ad ejus *pedes* submississimè *dejiciat*. Itaque non *Dei* tantum cognitioni; sed & *nostri* studeamus in *imagine* Dei. Sed *quali* studebimus? Resp. *tali*, quæ intuitu majestatis & excellentiæ primævæ: 1. Ad *gratitudinem* formet erga collatorem, ut §. sequenti videbimus. 2. Retrahat, ne *peccatis*, teterrimas Satanæ *larvas* assumamus, aut etiam *bestiis* similes reddamur, de

2. Nos deducit in cognitionem nostri.

Sub duplici respectu.

Qualis cognitio nostri.

quo itidem ad §. sequentem. 3. Denique, cum omni nostrâ dignitate & *excellentia*, quadantenus *restituta* per regenerationem, nos semper & ubique quam *modestissimè* & *submississimè* geramus, memores, in *his* haud *minimam* imaginis divinæ partem consistere.

3. Formatnos ad gratitudinem. Motivæ.

XLVII. Porro *tertiò*, imaginis divinæ pia meditatio, nos ad *gratitudinem* format erga Creatorem; quippè tam egregii *beneficii*, tam benignum collatorem. In hac consistunt prima, media & ultima Psalmi *octavi*. Pro *motivis*, juvabit hæc *quatuor* seriò expendere: 1. *Beneficii originem*, puta Creatoris purum putum; ergo nos *amorem*. Nonne singularis cujusdam *ἐνοίας* tessera est, *imaginem* Regis ac Principis, è *manu* ejus accipere? nonne item egregii *affectus* divini indicium est, non modo omnia *propter* hominem *condere*; sed & *effigiem* propriæ sapientiæ, sanctitatis, justitiæ, dominii &c. omnibus reliquis creaturis negatam, homini *soli* conferre? Nonne tantus est, qui *affectum* reciprocè, & longè quidem *flagrantissimum*, in nobis accendat? ut cum Psalte: *Diligam te Jehova* &c. Psal. XVIII. 2. 3. 4. 2. Beneficii *molem* & præstantiam, quâ non *umbram*, ut reliquis creaturis; sed *imaginem*: non *Angelorum*; sed *sui* nobis contulit, adeòque *pauperes è luto exaltatos? inter Principes constituit*, *sedemque honoris hæreditare fecit* 1. Sam. II. 8. Hæc scil. est *lamina* illa verè *aurea*, inscriptum gestans *Sanctum Domini* Exod. XXVIII. 36. quâ Pontifex V. T. tantopere superbiebat. Conf. §. *præced.* Nonne *tantum* beneficium, *egregiam* exigit gratitudinem? 3. Beneficii *finem*: *quorsum* enim, hominem suâ *imagine* Deus beavit? Certè non tam *sui*, quam *hominis* gratia. Nim. ut non tantum *homo*, *Deum* sibi similem; sed & viciſſim *Deus hominem*, suam quippe *effigiem*, diligere, sibi unire: in sempiternum consortium adsciscere, æternamque ei beatitudinem gaudiaque impertiri posset. *Conversatio* enim, solidaque & constans *amicitia*, quamvis inter *dispares* nonnunquam conspiciatur; nunquam tamen inter omninò *dissimiles*, specie scil. & moribus. Nullum enim hominibus intercedit *consortium* cum bestiis, nulla item solida *amicitia* piis cum impiis 2. Cor. VI. 15. Proinde, nec Deus in consortium *vitæ* ac beatitudinis æternæ admittit, nisi quadantenus sibi *similes*. Unde non tantum hominem sibi *similem* creavit; sed & lapsu degenerem, & similitudine suâ exutum, non ante suscipit in *gloriam*, quàm imaginem sui, in eo reparârit per *gratiam*. *Dissimilitudo* enim morum, *peccatis* nostris inducta, ut nos hîc *separat* à *gratia* Jes. LIX. 2. sic in æternum separabit à *gloria* 1. Cor. VI. 9. 10. Apoc. XXI. 27. Denique 4. Beneficii *usum*, varium scil. & egregium, *fiduciæ* & consolationis, in quibusvis *adversis*. *Seu* enim *pauper* es & egenus, vivendique mediorum *destitutissimus*, cogita, te nihilominus ad *imaginem Dei* conditum esse, adeòque multo minus à Deo *desertum* iri, quàm *reliquæ* creaturæ, imagine Dei *destituta*, *ἄζωοι καὶ ἄλογοι* Matth. VI. 25. 26. *seu* contemptus es & *abjectus*; cogita, te nihilominus *imaginem* Dei gestare, summæ *dignitatis* quinteſſentiam: *seu exosus* vulgo, quin ad necem quæsitus; cogita, te ad *imaginem* Dei conditum, eâque, velut divino sepimento tutissimum Gen. IX. 6. &c. Vides *usus* imaginis divinæ varios & egregios. Nonne isthæc omnia, quemvis non omninò brutissimum, ad *gratitudinem* erga collatorem forment? *Modus* hujus gratitudinis, in triplici consistit officiorum genere. Scil. 1. *ἀμέσως* erga Deum, (a) *Amore* seu affectu cordis, quin scil. nos non tantum *amavit*; sed *ita* amavit, ut sui *imaginem* contulerit, quin &, ut redamare possemus, nos *sibi similes* reddidit. (b) *Ore* seu voce, laude ac celebratione, ut cum Psalte prorumpamus: *Res maximas Jehova fecit nobiscum*, *unde sumus lætantes* Psal. CXXVI. 3. Denique (c) & præcipuè quidem, *re*: quando (1) Deo. cujus *imaginem* gestamus, nos totos *reddimus* Matth. XXII. 20. 21. (2) Annitimur, Deo prototypo nostro, *generationes* quidem, *sapientia* rerum divinarum humanarumque Col. III. 10. *justitia & sanctitate* Eph. IV. 24. *speciatim*, morum integritate; magis magisque *assimilari*. *Singulatim*, essentiæ divinæ *unitatem* in personarum *pluralitate*, referamus *animorum unitate* & consensu Joh. XVII. 11. Dei *spiritualitatem*, *spiritualium* amore Joh. IV. 24. *simplicitatem*, quæ dat *ἁπλῶς* Jac. I. 5. animi *candore* Psal. XXV. 21. quæ hinc *εἰλικρινεία θεῦ* dicitur 2. Cor. I. 12. *æternitatem*, rerum *æternarum* desiderio Joh. VI. 27. *immutabilitatem*, constantia & *perseverantia* Psal. I. 3. 4. *infinitatem*, *indefinenti* pietatis studio Apoc. II. 26. *ubiquitatem*, *omnipræsentia* nostra cum Deo: qua ubivis gentium *cum* eo, & in *conspectu ejus* ambulemus Gen. XVII. 1. & V. 22. Psal. XVI. 8. *omnipotentiam* fidei *robore*, cui omnia sunt *possibilia* Matth. XVII. 20. Phil. IV. 13. *bonitatem*, *beneficentia* Matth. V. 44. 45. *misericordiam*, *misericordia* Luc. VI. 36. *justitiam*, *justitia* Psal. XXXV. 24. *omniscientiam*, rerum divinarum *inexplebili studio* Psal. I. 2. *liberalitatem*, promptitudine & *alacritate* ad bonum 2. Cor. VIII. 12. *veracitatem*, *veracitate* Eph. IV. 25. II. *ἐμέσως*, *tum* ergo *nosmetipsos*, dum, memores nos *imaginem* Dei ter Opt. Maximi gestare, quam studiosissimè *cavemus*: *aliis* cujusvis *imaginem* adoptare, speciatim non (α) impii *mundi* Rom. XII. 2. (β) Non *Satanæ* Joh. VIII. 44. Non denique (γ) *brutorum* & ferarum Jud. vers. 10. *Quod enim majus homini dedecus esse potest, aut inferior miseria, quam ut hac sua similitudinis gloria amissa, ad informem & irrationabilem brutorum jumentorum delabatur similitudinem.* Ambros. *De dign. hum. condit. c.* 3. quid enim hoc ipso

Modus, triplici scil. officiorum genere.

ipso: A. magis est *injurium* erga divinam imaginem? B. Magis *indecorum* nobis ipsis? C. Magis *noxium* corpori & animæ? *Tum* III. erga *proximum*, dum eum amore & *reverentia imaginis* divinæ, quam juxta nobiscum gestat, intimo *affectu* complectimur, eumque demonstramus: ab *una parte*, abstinendo ab omni *lasione* 1. Corporis ac *vitæ* Gen. IX. 6. 2. *Honoris* ac famæ Jac. III. 9. Memores non *sues* esse, non *asinos* aut feles, quibuscum nobis est negotium; sed tales, qui *imaginem* Dei gestent: ab *altera parte*, omni conatu in *bonum* ejus annitendo, ipsisque *tum* de victu, *tum* de amictu, commodè prospiciendo Matth. XXV. 35. tanquam scil. *imagine Dei*, & eâdem operâ imagini *propriæ*: cum præsertim Pontificios videamus, juxta cum gentilibus, in cultu suarum *imaginum τῶν ἀζώων*, adeo vel ad *idololatriam* usque profusos: ut non immeritò Cassander, in *Consult. ad August. Optimum est populum, hoc præsertim tempore, ad potiora traducere, & imaginum moderato usu, pacis ac tranquillitatis causa, conservato; ad cultum veræ imaginis divinæ, id est, hominis ad imaginem Dei conditi, invitare, qui cultus consistit in egenorum subventione, qui non modo imaginem Dei; sed vitam ac personam Christi nobis repræsentant.*

4. Pœnitentiam incutit ob amissam imaginem Dei. Motivæ.

XLVIII. *Quarto*, imaginis divinæ contemplatio nos excitet, ut *serio deploremus* lapsum nostrum, utpote cujus operâ, hujus imaginis *ἀξίωμα* perdimus, & è *beatissimis*, *miserrimi* facti sumus. Ut enim Athaliâ facta rebelli, non ipsa modo cæsa est; sed & omnes confractæ sunt *imagines* Baalis, Israëlitarum Deastri 2. Reg. XI. 18. ita nobis, in *primis* nostris parentibus, factis erga Deum *rebellibus*, *ipsi* non modo cæsi sumus, *quovis* mortis genere: sed & *imago*, non Deastri, sed veri Dei *confracta* est. Dolendum autem *primo* & præcipue ob *damnum* lapsu contractum, *imaginis* scil. divinæ, in quâ præcipua hominis dignitas consistit, privationem Rom. III. 23. *Secundo* ob adductas animabus nostris, Satanæ teterrimas *larvas*, quibus *viperarum progenies* Matth. III. 7. quin & *Diaboli soboles* Joh. VIII. 44. pro filiis & *similibus* Dei, jure merito audimus. Nec hoc tantum, sed & ad *omne bonum* spirituale & salvificum inepti, contraque ad quodvis *malum* proni facti sumus Rom. VII. 18. 19. *Tertio*, ob subsecutos pessimos hujus jacturæ *fructus*: puta, *tum* ratione *vitæ* præsentis, pro *usu* & absolutissimo in omnes Dei creaturas *dominio* Gen. I. 26. Psal. VIII. 7. 8. 9. abjectissimam *servitutem* Rom. VIII. 20. 21. quâ Satanæ, mundi proprixque carnis, & carnalium cupiditatum existimus *mancipia* longè viliissima: *tum* ratione *mortis*, pro exoptatissimâ *immortalitate*, *mortem* indeclinabilem pariter ac durissimam Rom. VI. 23. Heb. IX. 27. Denique ratione status *post-mortalis*, pro beatissimâ *conversatione* cum Deo, & æternæ felicitatis gaudiique *fruitione* Psal. XVII. 15. intolerabilium *gehennæ* tormentorum *sensus* Matth. XXV. 41. 46. Nonne hæc omnia *tanta* sunt, ut seriò considerantibus, saxeis licet, *lacrymas* exprimant acerbissimas? 2. Ast *quomodo* dolendum? Resp. (a) *Corde* agnoscamus, & profundè sentiamus jâcturam nostram Luc. XVIII. 13. (b) *Ore* confiteamur & conqueramur Rom. VII. 24. (c) *Affectu* reparationem imaginis amissæ, quam ardentissimè expetamus Psal. LI. 12. Denique (d) & *opere* totis viribus in eam annitamur Ezech. XVIII. 31. de quibus postremis §. sequenti.

5. Urget restitutionem amissæ imaginis Dei, stupiosissimè repetamus. Ubi 1. Modus hujus restitutionis.

XLIX. Denique *quinto*, imaginis divinæ pia contemplatio, nos constringat, ejus *restitutionem* totis viribus *repetamus* Col. III. 10. Eph. IV. 24. Istam restitutionem non modo *possibilem* esse; sed & in omnibus electis certò *futuram*, multis Scripturæ pariter, & experientiæ testimoniis, evidentissimum, hoc loco supponimus: hoc tantum monemus, diversis hanc restitutionem *gradibus* conflci: *inchoari* in hac vita, *gratia* 1. Cor. XIII. 12. Unde, absolutè considerati, *infantes* tantum adimus, utut comparative *viri* simus Phil. III. 12. *collat.* cum vers. 15. *peragi* post vitam *morte*, saltem animâ tenus: denique *consummari* penitus, respectu *totius* compositi, in *resurrectione* Psal. XVII. 15. Phil. III. 21. Proinde *dico* istam, hîc nobis veniunt expendenda: 1. Quomodo restitutio imaginis divinæ fiat, id est, *tum* à Deo perficiatur, *tum* à nobis acquiratur. Est enim, citra ullum dubium, *Deus*, ut collationis, ita & *restitutionis*; si non *solitaria*, saltem *primaria* efficiens causa, juxta promissa Ezech. XI. 19. 20. & XXXVI. 25. 26. 27. nec *efficiens* tantum; sed & *exemplaris* Matth. V. 48. Nec generaliter tantum, *Deus* ejus est causa; sed & specialiter quælibet *persona* suum sibi arrogat. Et *Pater* quidem *origo* est & fons, ut deitatis & *creationis*, ita *restitutionis*: unde *Pater luminum* dicitur Jac. I. 17. *Filius*, tanquam sua natura *perfectissimum* Patris *apographum* Col. I. 15. Heb. I. 3. *archetypum* præstat & exemplar hujus restitutionis Rom. VIII. 29. 1. Cor. XV. 49. Phil. III. 21. 1. Joh. III. 3. 1. Cor. XI. 1. denique *Spiritus Sanctus*, *ultimam* ei manum adhibet 2. Cor. III. 18. (a) per *regenerationem* Joh. III. 5. 6. quâ imago Dei *animæ*, tanquam ejus *anima*, restituitur: unde vita resultat *spiritualis*, prout à peccato, ex imagine amissa, mors *spiritualis*. Isthac regeneratione, *intellectus* illustratur primævâ *sapientia* Col. III. 10. *voluntas* imbuitur *sanctitate* & justitia Eph. IV. 24. *sensus* & affectus corriguntur, ut se submittant *Deo* & *rectæ* rationi 2. Cor. X. 5. (d) Per *sanctificationem*, quâ, ab *unâ* parte imaginis divinæ *maculæ*, velut absterguntur, ab *altera* parte, nitor pristinus magis magisque redintegratur Eph. IV. 22. 23. 24. (c) Per *verbum*

Quomodo fiat à Deo.

v. 26. (d) Per *Sacramenta*. Ibidem & Tit. III. 5. Ita perficitur redintegratio imaginis divinæ: ut autem à *nobis* recipiatur, neceſſum eſt: 1. Devotiſſime expendamus imaginis amiſſæ *præſtantiam*, dignitatem & utilitatem; & imaginis Satanæ ſubſtitutæ, teterrimam *turpitudinem*, adeò ut hanc *horreamus*, illam *repetamus*. 2. *Fidem* ſalvificam ſectemur, utpote quâ corda *purificantur* Act. XV. 9. quâ imaginem Dei *eſſentialem* & perfectiſſimam, Chriſtum, recipimus & *induimus* Gal. III. 27. cumque eo, tanquam *capite*, trunco, vite &c. *unimur*, adeò ut nobis *inhabitet* Eph. III. 17. in nobis *vivat* Gal. II. 20. nos ſibi *conformes* reddat, morte & reſurrectione Rom. VI. 5. 3. Oculis *mentis* noſtræ, toti ſimus defixi *in gloriam Domini, ut in ſpeculo intuentes, quo in eandem imaginem transformemur* 2. Cor. III. 18. Scil. ut *picturus* crebrò aſpicit *vivum* & authographum. Hoc eſt, Dei *ſapientiam*, juſtitiam, ſanctitatem *diligenter* ſtudeamus, & *ita* ſtudeamus, ut conemur, quantum fieri poteſt, magis magiſque *exprimere* & referre Matth. v. 48. Eph. v. 1. 4. Et quandoquidem Deus eſt *inviſibilis*, Chriſtum aſpiciamus, *perfectiſſimum* ſcil. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ Heb. I. 3. uſque adeò, ut *eum* videntes, *Deum* videamus Joh. XIV. 9. Aſpiciamus, inquam, ejus *virtutes*, ejus obedientiam Phil. II. 8. charitatem Eph. v. 2. manſuetudinem 1. Pet. II. 21. 23. & *ita* aſpiciamus, ut *imitemur* Matth. XI. 29. 5. *Mediis*, quibus Spiritus Sanctus, ad *reſtitutionem* imaginis divinæ uti ſolet, ſedulò & conſtanter *attendamus*, v. g. auditioni verbi &c. 6. Nos magis magiſque *repurgemus* à maculis peccatorum, quibus imago Dei conſpurcatur & obſcuratur 2. Cor. VII. 1. 7. Contra *ſapientiæ*, ſanctitatis, juſtitiæ & quarumvis aliarum virtutum Chriſtianarum cultu, *imaginem* Dei indies magis magiſque *excolamus*. Ibid. Rom. XII. 2. Eph. IV. 22. 23. 24. Denique 8. Iſtis omnibus *ſucceſſum* & benedictionem, piis *precibus* cum Pſalte divinitus expetamus. Pſal. LI. 12. *Cor mundum* &c. 11. Expendendum hoc loco, *quamobrem* iſthæc imaginis divinæ ἀνάκλασις tanto *zelo* à nobis ſit ſectanda. Nim. propter 1. Abſolutiſſimam hujus rei *neceſſitatem*, quam infert Dei Opt. Max. *præceptum*, toties & tanto fervore, repetitum in V. & N. T. Ezech. XVIII. 31. Rom. XII. 2. 2. Cor. V. 17. Eph. IV. 22. 23. 24. Col. III. 10. &c. 2. Summam ejus *dignitatem* & præſtantiam, quippe qua ferme *ſola* diſtamus à brutis, unde ſoli hominis creationi *conſultationem* adhibuit SS. Trinitas: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*: & accedimus *ad Deum*, tanquam ejus Vicarii & velut *Vice-Dii* in terris Pſal. VIII. 6. 7. quin *divinæ naturæ* conſortio ſuperbimus 2. Pet. I. 4. 3. Univerſalem ejus, *tum* in vita præſenti, *cum* in futura *utilitatem*, qua de *imagine* Dei haud minus ac de pietate, quæ in imagine Dei conſiſtit, dici poteſt 1. Tim. IV. 8. *ad omnia utilis eſt*. Denique 4. *contraria*, videl. imaginis *brutorum* Pſalm. XXXII. 9. aut *Satanæ* Joh. VIII. 44. *turpitudinem* ac dedecus.

Quemadmodum recipiatur à nobis.

2. Motiva.

CAPUT DECIMUM,

DE

PROVIDENTIA DEI GENERALI.

Rom. XI. 36.

Ex eo, per eum & ad eum, ſunt omnia, ei ſit gloria in ſecula. Amen.

Secunda operationum externarum ſpecies, providentia.

I. Operationem externam illam, qua res *produxit* Deus, ſeu *creationem*, hactenus examinavimus; ſuccedit qua productis *proſpicit*, ſeu *providentia*. Quæ, cum *univerſaliter* occupetur circa quævis, modo *naturali*; *peculiariter* circa creaturas rationales, Angelos & homines, modo *morali*; & *ſingulatim* circa hominem, modo q. *politico* per confœderationem: ad *tria* iſta, tribus capitibus ſingulatim introſpicienda, nos provocat, dicturos hoc capite de providentia *generali* ſeu *naturali*. Quam breviter quidem; ſed graphice repræſentat Apoſtolus Rom. XI. 36.

Pars exegetica.

Superſtruitur exegeſi textus.

II. *Quo loco* δοξολογία *quædam continetur, qua totum negotium de* theoreticis *hujus Epiſtolæ, Apoſtolus concludit, ſignificans* omnem *omnium capitum theologicorum* contemplationem, *ſubſiſtere in gloria & glo*rificatione *Dei, hujus fundamentum ponit in expoſitione* providentiæ *divinæ. Proinde duo hic occurrunt*:

1. Fro-

1. Providentia *divina*, *ceu*, *ut diximus*, *fundamentum* δοξολογίας: ex eo, per eum, & ad eum, sunt omnia: *cujus hîc proſtat*

A. Auctor, *qui non demonſtrativo*, *ſed triplicato deſignatur*: eo, eum, & eum, *quo monſtratur* verſ. 33. Deus, *ſcil.* δημιουργὸς καὶ προνοήτης τῦ κόσμυ παντὸς, *ut loquitur Juſtinus*, Q. 146. *Quo*, *ex* una *parte ſignificatur eſſentiæ divinæ* unitas, *quando unum* demonſtrativum *memoratur*, *ut innuatur*, *in tribus* unum *eſſe Deum*, *qui providentiæ ſit auctor*: *ex* altera *parte* trinitas *perſonarum*, *quando idem pronomen* ter *repetitur*. *Eâdemque operâ indigitatur* œconomia *trinitatis in negotio* providentiæ, *trina repetitione*, & *diverſo caſu*. *Ut providentia ſit à* Patre, *velut Domino* & οἰκοδεσπότῃ *per* Filium, *ut diſpenſatorem* & οἰκόνομον, *ad* Spiritum *S. velut Emiſſarium exſecutorem*. *Quomodo* & *Cyprianus*, *verba Apoſtoli* Act. XVII. 28. παραφράζει: *in Patre* ſumus, *in Filio* vivimus, *in Spiritu S.* movemur, *ſic* & *complures è Patribus*, *textum interpretantur*, *quod ipſa etiam Scriptura*, *providentiam diſtincte referat*, *ad* Patrem & *ad* Filium Joh. v. 17. & *ad* Spiritum S. Pſal. CIV. 30.

B. Actus *providentiæ tres*, *tribus fortè præpoſitionibus*: ἐξ, διὰ, πρὸς, *ſignificantur*, *nim.*

Ἐξ ex, conſervationem *ſignificare videtur*, *niſi malis* productionem *creationis*, *per iſtam particulam intelligere*. *Saltem* τὸ ἐξ, *non* materiam: *ſed* auctorem *eſſentiæ conſervandæ*, *vel* principium, *ſeu primam effectricem cauſam*, *ſicut* 1. Cor. I. 30. & cap. VIII. 6. & *alibi*.

2. Διὰ per, influxum *notat*, *cujus ope in providentia*, *omnes operantur Trinitatis perſonæ*. *Quæ particula hîc non notat cauſam* inſtrumentalem; *ſed influxum ſeu concurſum*, *vel ipſam* operationem *perſonarum in providentia*.

3. Εἰς ad, gubernationem, *qua providentia divina*, *omnia dirigit* ad finem *ſuum*. Εἰς *pro* διὰ propter 2. Cor. II. 12. *Prout Latini*, ad *utuntur pro* ob, ad memoriam; & in hoc factum eſt, *pro* ad hoc.

C. Objectum *providentiæ*: τὰ πάντα. *Ea ſcil. quæ verum eſſe habent*, *quæcunque ſunt in cœlo* & *in terra*, *magna* & *parva*, *neceſſaria* & *contingentia*, *naturalia* & *libera*, *quin* &, *ſuo modo*, mala, *tum* triſtia Amoſ. III. 6. Jeſ. XLV. 7. *quam* turpia 2. Sam. XII. 12. Act. IV. 28. & cap. II. 13. *Niſi malis per* τὰ πάντα *intelligere nova illa opera quæ in electis ſuis edit*, *ſeu univerſam illam gratiæ* diſpenſationem, *de qua hactenus Apoſtolus egerat*.

2. Δοξολογία *providentiæ ſuperſtructa*: αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τὺς αἰῶνας. ἀμὴν. Ipſi ſit gloria in ſecula. Amen. *Significatur*, *univerſam providentiam*, *omneſque ejus actus*, *ſpectare ad glorificationem Dei*, *velut ad* ſupremum *ejus* finem. *Notantur hic*.

A. Glorificandus, αὐτῷ, ipſi *nullique alii*, *quia* gloriam ſuam non vult dare alteri Jeſ. XLII. 8. Αὐτῷ *in* ſingulari: *quamvis enim tres ſignificaſſet triplici* pronomine, & *triplici etiam* præpoſitione, ἐξ, διὰ & εἰς, *hîc tamen*, *uno pronomine demonſtrativo*, *innuere videtur*, *tres illos*, *quoad* eſſentiam, *unum eſſe*; *item* tribus *illis*, *ex providentia*, *unam competere eandemque gloriam*.

B. Glorificatio, ἡ δόξα, illa gloria, *ſubintelligo verbum ſubſtantivum*, ſit, *ut ſignificetur* votum, *ſeu* actus *glorificandi*. *Similia epiphonemata habemus* Rom. I. 25. & cap. IX. 5. Deut. XXXII. 5. Δόξα *notat* (1) Majeſtatem Matth. VI. 29. Rom. I. 23. Act. VII. 2. (2) Claritatem, ſplendorem, *lucem copioſam* Luc. IX. 31. & cap. II. 9. Act. VII. 55. Heb. I. 3. (3) Excellentiam 2. Cor. III. 10. *Complectitur glorificatio*, *tum* gloriam, *ſeu intrinſecam excellentiam glorificandi*, *quæ fundamentum præbet glorificationi*; *tum* glorificationem, *qua gloria*, *ſeu excellentia glorificandi*, *agnoſcitur* corde, *prædicatur* ore & *colitur opere*. *Conf. caput de* Gloria Dei.

C. *Glorificationis* duratio, εἰς τὺς αἰῶνας, in ſecula. Αἰὼν *quaſi* ἀεὶ ὤν ſemper exiſtens, *prout etiam Hebræorum* עולם *varia ſignificat*, *hoc loco* indefinentiam, & *propoſitum glorificationis nunquam ceſſaturæ*.

D. Epiphonema δοξολογικὸν, ἀμὴν. *Vox hebræa*, *ſæpius retinetur in N. Teſtamento græco*, & *à plurimis interpretibus paſſim*. *Notat teſtimonium* aſſenſus 1. Cor. XIV. 16. *item* deſiderium cordis, *ſeu* votum, utinam fiat Matth. VI. 13. Apoc. XXII. 20. *nonnunquam rei alicujus* certitudinem, *idem quod* ἀληθῶς Luc. IX. 19. *cum* Matth. XVI. 18. & Marc. IX. 1. *Tria vocis ſignificata hîc commode poſſint concurrere*, *ut ſignificet*: *ſic* eſt, *utinam* fiat, *id certo* futurum *eſt*, & *moneamur*, *providentiam divinam*, *peculiariter* & ἐξόχως *vergere in* gloriam *Dei*, & *ab omnibus*, *exemplo Pauli*, *eo dirigendam eſſe*, *ut uberius patebit in parte* practicâ.

Pars dogmatica.

Dari providentiam probatur Scripturis.

III. Eſt igitur quædam Dei *providentia*, quâ cuncta conſervat, movet & dirigit. *Teſtante* multis modis *Scriptura*: quando generaliter eam tradit Job. xxxiv. 21. & x. 12. Pſal. cxlvii. 8. 9. Prov. v. 21, & xv. 3. Matth. vi. 26. & x. 29. 30. Act. xvii. 26. imo integra ſui *capita* ei explicandæ impendit Job. xxxviii. xxxix. xl. Pſal. viii. xix. civ. cvii. quando item per partes ſingulatim docet *conſervationem*, concurſum & gubernationem, ut ſuis locis obſervabimus. Quando tandem eum paſſim appellat *Regem* Pſal. x. 16. & cxv. & xxiv. 7. 8. & xliv. 5. & xlvii. 3. 7. 8. 9. & lxxiv. 12. & xcv. 3. Jeſ. xxxiii. 22. Mich. iv. 7. quando *Dominum* Pſal. xvi. 2. אדון יהוה, & δεσπότην. Eſt enim Regum ſuos *ſubditos*, Dominorum ſuos *ſervos*, Herorum ſuos domeſticos, defendere ſeu *conſervare*, eos *movere* ſua auctoritate ad bonum, *regere* ſuis legibus.

Confirmatur rationibus.

IV. *Confirmante* rectà *ratione*, cui (a) Deus eſſe non poteſt niſi ens *independens* ſapientiſſimum, potentiſſimum, optimum; ſi non omnibus *proſpiciat*. (b) *Ordo* ille & harmonia inter creaturas, ſibi adeo perſæpè *adverſus*, conſiſtere non poteſt, niſi per *omnipræſentem*, potentem & ſapientiſſimam quandam Dei providentiam. (c) *Eventus* tantâ *varietate* ſibi invicem conſiſtere, & ſuccedere non poſſunt, niſi adornante providentia Prov. viii. 15. Dan. iv. 14.

Et teſtimoniis Gentilium aliorumque.

V. *Applaudente* inſuper, prudentiorum è Gentilibus *ſuffragio*, quo σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανῦ *catenam auream è cœlo*. Homerus appellat: & Seneca, cum Stoicis, omnem omnium fortunam ex alto repetit: *Quicquid* inquit, *patimur mortale genus; quicquid facimus, venit ex alto* Senec. Trag. *Oedip.* Ut non addam univerſalem omnium *Patrum* conſenſum, juxta quem Irenæus *Advers. hæres*: lib. 2. Cap. 45. *Nihil*, inquit, *omnino, harum quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & quæ fient, Deum fugit; ſed per illius providentiam unumquodque eorum, & habitum, & ordinem, & numerum & quantitatem accipere & accepiſſe proprium. &c.*

Providentiæ vox explicatur.

VI. *Providentia*, Græcis προνοία, Hebræis שגחה ἀυτολεξεὶ quidem in S. Codice, *hoc* ſaltem ſignificatu, & de Deo, non occurrit, niſi forte in paronymo Pſal. xxxiii. 13. 14. *Oculus Dei* videtur dici Gen. xxii. 8. 1. Sam. xvi. 1. Ezech. xx. 6. Job. xxxiv. 21. item *cura* 1. Pet. v. 7. Pſ. xxxiv. 16. Patribus *conſilii*, *curæ*, *diſpoſitionis*, *adminiſtrationis*, aliiſque vocibus, paſſim venit. Aliquando *prævidentiam conſilii* ſonat; aliquando ipſam *curam*, quâ *actu* proſpicitur ſecundum prævidentiam conſilii Act. xxiv. 3. Rom. xii. 17. 1. Tim. v. 8. aliquando duo iſta ſimul.

Ejus definitio.

VII. Et ſic *providentia* Dei non aliud eſt, quam *externa* illa Dei *actio*, *qua creaturis, jam exiſtenti-bus, proſpicit in omnibus, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* Eph. i. 11. *actio externa* dicitur, perinde ac creatio, non quod ab agente realiter differat; ſed quod talis ſit *juſſio* Dei, qua aliquid extra Deum, vel producitur ut ſit, quæ *creatio* dicitur: vel *conſervatur* & gubernatur dum eſt, quæ *providentia* appellatur. Idem eſt cum eſſentia Dei, niſi quod inſuper reſpectum ad creaturam implicet.

& quomodo actio ſit externa?

Actus providentiæ eſt proſpicere.

VIII. *Actio* providentiæ, ſignatè eſt *proſpicere* Pſal. xxxiii. 14. Quod tria concludit, primo *conſervationem* Pſal. xxxvi. 7. Nehem. ix. 6. 1. Tim. iv. 10. Act. xvii. 25. 28. Pſal. civ. 28. 29. 30. Quâ *perſiſtere* Deus res omnes facit, quamdiu ſibi videtur, quoad exiſtentiam, eſſentiam & vires. Quæ Scholaſticis non incommode *manutenentia* Dei nppellatur, concurrente Apoſtolo Heb. i. 3. Quicquid enim *creatum* eſt, ad aliquem *finem* & uſum creatum eſt, ad quem dirigi, adeoque *conſervari* tantiſper debet. Imo & *à Deo* præciſe, *conſervatio* iſta reſultare debet, quoniam creatura *omnis*, omni *modo*, quoad *fieri*, *eſſe*, *exiſtere*, *permanere & operari*, neceſſariò pendet à ſuo Creatore, ita ut in illud *nihilum* ex quo facta eſt, confeſtim rediret, niſi Deus illam *ſuſtentaret* Pſal. civ. 29. Et ſi creatura quævis ſeipſam conſervare poſſet, nulla ſane *periret*, quod eſt contra experientiam. Conſervat autem Deus quædam *immediate*, ea ſcil. quæ ſibi ſoli ſubſunt, velut *immaterialia* quævis, item cœli, materia prima, & elementa. Horum conſervatio, cum *creatione* plane coincidit, niſi quod illa *novitatem* exiſtendi *excludit*, quam hæc *includit*, eoque *creatio continuata*, haud abs re diceretur: unde etiam cum creatione frequenter conjungitur Neh. ix. 6. quædam *mediantibus* aliis creaturis, â quibus illa *pendent*: ſic corpora viventia, meteora aliaque: ita tamen, ut & hîc intima & immediata Dei *efficientia*, perinde ſit agnoſcenda, ac in conſervatione plane *immediata*. Quæ immediatè conſervantur, eodem *individuo*; quæ mediatè, eadem *ſpecie* ſubſiſtunt.

Quod involvit 1. conſervationem.

Cui opponitur deſtructio & annihilatio.

IX. Conſervationi opponitur; tum *deſtructio*, quâ rei *manenti*, ſuam perfectionem, vel *omni*, vel *aliquâ* ex parte adimit Jer. xviii. 7. tum *annihilatio*, quâ rem *penitus* tollit ſecundum *omne* ſui. Quæ peragitur, non actione quavis *poſitiva*: ſed tantum actionis ſuæ *ſubſtractione* ſeu negatione: ſecus enim actione *poſitiva*, Deus in *nihilum* tenderet, imo ceſſante virtute Dei conſervante, res ſubſiſtere poſſet, & eatenus independens foret. Non eſt igitur *annihilatio*, niſi omnipotens Dei *voluntas*; quâ res ad *illud* uſque tempus, & non *ulterius* exiſtat.

2. Influxum.

X. Tum ſecundò proſpicere, *influxum* Dei involvit, quo cauſæ ſecundæ ad agendum excitantur, applicantur & promoventur *efficaciter*

Jer.

Jer. x. 23. Prov. xxi. 1. Phil. ii. 13. Act. xvii. 25. 28. *Concursus* vulgò, voce nimis angustâ, dicitur. *Influxu* igitur, causæ secundæ, quævis, *primo* excitantur ac *prædeterminantur*, quatenus, ad producendum illud in *actum*, quod antea erat in *potentia* creaturæ (præter communicationem *virtutis*, ejusque conservationem) in causis, non tantum *naturaliter*; sed etiam *liberè* agentibus, istud omninò est necessarium. Quinimo posteriores illæ, non *moraliter* tantum *suadendo*; sed *physicè* etiam *flectendo* Prov. xxi. 1. Phil. ii. 12. Esset enim aliàs creatura quædam, aut aliqua ejus actio, illa scil. quâ *seipsam* ad agendum determinat, *independens*. Nec huc sufficit *cooperatio*, quâ liberum arbitrium *seipsum* determinans, influxu *juvet* Deus, quod ipsa *determinatio*, hac ratione maneret *independens*, & Deus eo pacto, non foret *principium* & finis rerum omnium; sed causa tantum *socia*, creaturæ sibi adæquatæ. Addo, nec sufficit influxus & præmotio *generalis*, & indifferens ad *agendum* (instar Solis) qui à quavis creatura *determinetur*; sed singulatim quasvis *prædeterminans*, ad sic & non aliter agendum 2. Sam. xvi. 10. Maneret enim cæterà prædeterminatio *specialis independens*. Quæ suo loco in *elenchticis* copiosius vindicabimus. Influxu hoc, *secundò* virtus creaturæ *applicatur* ad objectum certum, circa quod agendo occupetur Ezech. xxi. 21. 22. &c. v. g. ut latro furibundus, *hunc* & non alium occidat. Tandem *tertiò*, *ordinatur*, hoc est (1) Limites ac *termini*, actioni statuuntur Job. i. 12. & ii. 6. & xxxviii. 10. 11. (2) *Boni* aliquid ex *malo elicitur* Gen. l. 20. Rom. viii. 28.

3. Gubernationem.

XI. Involvit tertiò providentia *gubernationem*, qua velut *Rex* Psal. cxlv. 13. & *nauclerus* Act. xvii. 26. omnia & singula: (1) Ad certa *objecta* applicat Jes. x. 5. 6. 7. 15. 2. Sam. xvi. 10. 11. Ezech. xxi. 21. 22. 23. Job. i. 12. Act. i. 26. Exod. xxi. 12. 13. collat. cum historia interitus Achabi 1. Reg. xxii. 34. (2) In suos *fines* accuratissimè *dirigit* Jes. lv. 10. 11. Prov. xix. 21. Jes. x. 5. Luc. ii. 1. &c. Prov. xvi. 9. Gen. xlix. 10. Ita autem *gubernari* à Deo, creaturæ necessariò debent: *finem* enim ad quem conditæ fuerunt, nisi *eadem vi* dirigerentur quâ sunt creatæ, nunquam certò assequerentur. Quin etiam *imperfectionem* argueret, si, ut artifex mechanicus, opus quod fecit, *aliis* dirigendum relinqueret.

Quæ implicat. Distinguitur.

XII. Implicat hæc gubernatio, non solum *media* convenientia, ad suum quæque *finem*; sed & mediorum ipsam *efficaciam*, imo & ipsam finis *assecutionem*. Hinc ordo hujus gubernationis *certus*, *immobilis* & *indissolubilis* est, ita ut ab *omni* gubernationis divinæ ordine, creatura quævis seipsam *subducere* nunquam possit; quamvis ab *hoc* aut *illo* ordine particulari, exorbitare possit Gen. l. 20.

1. Circa omnia & singula generaliter.

XIII. Distinetur triplex ista hæc Dei providentia, secundum Scripturas, primò *generaliter* circa omnia & singula Rom. xi. 36. Heb. i. 3. Eph. i. 11. Psal. cxlv. 15. 16. Prov. xvi. 9. 33. Exod. xxi. 13. Nisi enim aliquid præter Deum, velimus statuere *independens*, eoque & infinitum ac *Deum*; necessum *omnia*, usque ad *minutissima* quæque, ejus providentiæ subdere, cum & illa entitatem, motum & operationes demonstrent. Imo & quo *viliora* ac debiliora illa deprehenduntur in seipsis; eo magis Dei *sustentatione* indigeant & *gubernatione*. Proinde causa est rerum omnium *universalis*, & *particularis*, à nulla causa *determinata*, & omnes *determinans*; quicquid enim in effectis est *entitatis*, licet causis *secundis* etiam adscribatur; à *Deo* tamen solo proficiscitur ejusque providentiâ.

2. Circa inanimata & animata quævis speciali-ter.

XIV. Secundò *specialiter* (1) circa res *inanimatas* & ἀζώους, cœlos, nubes, pluvias Psal. cxlvii. 8. ventos & aquas Job. xxviii. 25. ignem, grandinem, nivem, vapores Psal. cxlviii. 8. Solem Matth. v. 45. Unde Augustinus lib. v. *De Gen. ad* litteram. c. 21. *Nihil*, inquit, *tam videtur casibus volvi, quam omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli hujus inferioris facies variatur & vertitur*: *Sed quia Psaltes addidit*; qui faciunt verbum ejus, *satis ostendit, earum quoque rerum ordinem, divino subditum imperio, latere nos potius, quam universitatis deesse naturæ* (2) *Vegetabiles* è terra nascentes Psal. civ. 14. 16. Matth. vi. 28. 30. 1. Cor. xv. 38. (3) *Animantes* ratione *destitutas* Job. xxxix. 1. 2. 19. &c. Psal. xxxvi. 6. 7. & civ. 27. 28. & cxlvii. 9. Matth. vi. 26. & x. 29. Luc. xii. 6. 7. (4) *Animantes ratione* beatas Psal. xxxvi. 6. Act. xvii. 28. Quæ providentiæ subsunt. Quoad *vitam*, ejusque A. *Ingressum* seu *formationem* in utero Job. x. 3. 8. 9. 10. 11. 12. Psal. cxxxix. 14. 15. & *nativitatem* Psal. xxii. 10. B. *Progressum* ac cursum Deut. xxx. 9. Job. x. 12. Psal. lvi. 9. & cxxxix. 2 Prov. xxii. 2. Matth. x. 29. 30. C. *Egressum* seu mortem, cujus terminus, penes Deum quidem, *fixus* est & *immobilis*, cum omnibus suis circumstantiis Job. xiv. 5. Psal. cxxxix. 16. Matth. x. 30. Joh. vii. 30. Psal. xxxix. 6. 1. Sam. xxvi. 10. D. Tandem quoad *operationes*, non *bonas* tantum; sed *malas* quoque, de quo plura suo loco.

3. Circa hominem & Ecclesiam.

XV. Tandem *singulariter*, in *hominibus* providentia Dei, *curam* gerit electorum, credentium, piorum (qui nucleum præstant generis humani, ob quos hic *mundus*, quantus quantus est, conditus est) eorumque complexus in *Ecclesia*, in cujus gubernatione *œconomica* delineanda, universum Instrumentum sacrum consumitur: sigillatim conferantur *loca* Deut. xxxii. 19. Psal. lxxvii. 21. & xci. 11. Matth. x. 30. 1. Tim. iv. 10. & *exempla*, in Abrahamo & Isaaco Gen. xxii. 12. in Jacobo Gen. xxxiii. 4. in Josepho per universam ejus vitam

tam Gen. I. 20. Act. VII. 9. Davide 1. Sam. XXIII. 26. 27. in Elia 1. Reg. XVII. in Ecclesia *Judaica* Esther. VI. & VII. 10. in Daniele cum suis Dan. VI. In Petro Act. XII. Paulo Act. XXI. 30. 31. & infinitis aliis. Ut rectè Psaltes: *Mirificavit*, (seu mirabiliter duxit) *sibi pium* Psal. IV. 4. Et LXXIII. 24. *In consilio tuo duxisti me: & postea cum gloria recepisti me.*

4. Circa necessaria & contingentia.

XVI. In prædictis omnibus divina providentia occupatur, non tantum quoad *necessaria*, quæ *naturalem* habent cum suis causis connexionem Jer. XXXIII. 20. 25. sed etiam *primò*, quoad *contingentia*, quæ incertum, *fortuitum* & casualem habent nexum: vel cum *existentia* & *natura* Dei, quomodo omnia præter Deum existunt *contingenter* utpote quæ *per se* possunt *non* esse; vel cum causis suis *proximis*, *accidentaliter* & contingenter operantibus; vel cum *libero* hominis *arbitrio*. Hujusmodi contingentia gubernationi divinæ subesse, passim Scriptura tradit Exod. XXI. 12. 13. Deut. XIX. 5. Prov. XXI. 31. Psal. CXXVII. 1. 2. & XLVI. 9. 10. 11. Dan. XI. 11. Usque ad minima, decidium capilli Matth. X. 30. operationes locustarum & pediculorum Exod. VIII. 17. & X. 12. Joel. I. 4. Act. XII. 23. Quibus propterea *naturalis* sua contingentia non perit, quod à causa *prima* certo & *infallibiliter* dirigantur & eveniant. Id quod singulatim apparet in *sorte* Prov. XVI. 33. quâ Deus lites dirimit, per eventus merè *contingentes* Jud. VI. 37... Jos. VII. 14... Item in termino *vitæ* humanæ constituendo Exod. XXI. 12. 13. Jes. XXXVIII. 5.

5. Circa actiones liberas.

XVII. *Secundò* quoad *libera*; quæ à προαιρέσει seu consilio profluunt. Hæc enim divinæ subesse determinationi (& quidem *physicæ*, nec *morali* tantum) tum *Scripturis* constat Prov. XVI. 1. & XIX. 21. & XXI. 1. Gen. XLIII. 14. Exod. XI. 1, 2. 3. & IV. 11. Phil. II. 12. tum *rationibus*; quia alias liberum arbitrium *independens* foret, saltem quoad actum *determinandi* sui: atque nihilominus *libera* permanere, Scripturâ item 1. Pet. V. 2. Heb. X. 26. & experientia indubitatum est. Quâ ratione autem *libertas* arbitrii nostri, cum divina ista *prædeterminatione* consistat, non adeo *difficile* est assequi (ut multi opinantur) si cogitaverimus, *influxum* divinum, ejusque prædeterminationem, non obstare quo minus homo agat *ex consilio* & complacentia rationali; eâque seipsum *determinet* indeterminatum alias, & indeterminabilem ab ullâ *causa creata*. Addam, si Deus voluntatem *determinando*, eoque *volitionem* producendo, *libertatem* voluntati adimeret; & voluntas *seipsam* determinando ac volitionem procurando, sibi libertatem adimeret; quod contradictorium: aut si *voluntas* seipsam determinando, sibi *non* tollat libertatem; nec *Deus* idem agendo. Quare nec *tollit*, nec *ledit* ullo modo libertatem arbitrii nostri, Dei providentia illud determinans.

6. Circa operationes morales.

XVIII. Nominatim *tertiò*, quoad actiones *morales*, tam *bonas*, quam *malas*, quæ, prout ab hac providentiæ divinæ determinatione, minus *liberæ* non sunt; ita nec minus *nostræ*: utut enim Deus earum, quatenus *entia* sunt, causa sit *efficiens* Act. XVII. 25. 28. homo nihilominus earundem causa manet *formalis*. Producit quidem Deus *fidem* in homine; non tamen ipse *credit*; sed homo. Præcipua autem hujus loci difficultas, circa operationes *moraliter malas* hæret, qua ratione circa illas, providentia divina *efficaciter* esse possit exerere, ut tamen peccati *auctor*, eo ipso non constituatur. Duo hîc, per Scripturas indubitata, omninò sunt tenenda: nim, ab *una parte*, providentiam divinam, & *efficaciter* etiam, occupari circa hujusmodi operationes *malas* 2. Sam. XVI. 10. 11. *Maledic Davidi*. Exod. IV. 21. *Ego obfirmabo cor ejus, ut nolit dimittere* & IX. 12. 1. Reg. XXII. 20--23. *Pellicies; etiamque prævalebis, exi & fac ita. Quare nunc ecce indidit Jehova Spiritum mendacii ori omnium Prophetarum tuorum.* Psal. CV. 25. *Mutavit animum illorum, ut odio haberent populum suum, ut machinarentur contra servos suos* Jes. XIX. 14. *Jehova miscente in medio ejus Spiritum perturbatissimum* Exod. XIV. 17. Jos. XI. 20. 1. Reg. XII. 15. Act. III. 18. Rom. I. 24. ab *altera parte*, Deum non esse *auctorem* peccati Psal. V. 5. 6. 7. Deut. XXXII. 4. quod sit summum bonum, *pura lux* 1. Joh. I. 5. in quâ, & à qua, non possunt esse *tenebræ*. His duobus præstructis, quamvis, per imbecillitatem captus nostri, *nos* non possemus duo illa conciliare; nihil eo ipso decederet, vel *independentiæ* divinæ, per quam *solus* est à se: vel sanctitati ac puritati ejus, per quam *non potest* esse causa peccati: possumus tamen satis commodè conciliare, si distinxerimus in peccato ejus *materiale*, habitum scil. aut actum malitiæ subitratum, ad quod, utpote *physicè* bonum, Deus non potest *non* concurrere, ut *efficiens* causa, citra jacturam suæ *independentiæ* Act. XVIII. 28. Rom. XI. 36. & ejus *formale*, *ἀνομίαν* 1. Joh. III. 4. per *quod* actus aut habitus est peccatum: hujus auctor esse *non potest*, quia *legem* transgredi nequit, *supra* omnem legem constitutus; nec: per providentiam suam *auctor* fit; quia *ἀνομία* illa, non est nisi *defectus* operationis, cujus non auctor aut *efficiens*, sed *deficiens* tantum causa existere potest, qua ratione *solâ*, peccati quatenus talis, auctor est creatura, *transgrediendo* legem.

Provi-dentia efficaciter occupatur circa peccata:

Nec tamen est auctor peccati.

Id quomodo conciliandum.

XIX. Quamvis ergo, circa *peccatum* providentia Dei occupetur, non *efficiendo*, prout circa *bonum* quodvis, & circa ipsius peccati *substratum*: nec tamen etiam *otiose* permittendo, prout nos permittimus, quæ aut *ignoramus*, aut *non possumus*, aut non volumus impedire: verùm *permittendo* quidem; sed *efficaciter* tale: ita, ut, quamvis non *necessario* (neque enim providentia, dura

Quâ ratione providentia occupetur circa peccata.

qua-

quævis neceſſitate conſtringit) *certò* tamen & infallibiliter fiat quod permittitur. Singulatim circa peccatum occupatur (1) Semper illud *prohibendo*, velut ſibi *exoſum* Pſal. v. 5. & voluntati *legiſlativæ* adverſum. (2) Nonnunquam *cohibendo*, ut non fiat Gen. xx. 6. & xxxi. 7. 1. Cor. x. 13. Act. xviii. 9. 10. (3) Frequenter *permittit* Pſal. lxxxi. 13. Act. xiv. 16. Non *ethicè* quidem, ut adiaphora, non prohibendo; ſed *phyſicè*, non cohibendo. (4) Semper *ordinando* h. e. partim *limitando* Job. i. 12. 1. Cor. x. 13. partim *dirigendo* in bonum aliquem finem Gen. xlv. 7. 8. & l. 20. Joſ. xi. 20. 1. Reg. xii. 15. (5) Nunquam non *puniendo* Exod. xxxiv. 7. Pſal. v. 5. 6. 7. Rom. i. 32.

Ut peculiariter operetur in excæcatione & induratione.

XX. Singulari tamen modo verſatur in *excæcatione* Rom. i. 21. Jeſ. vi. 9. 10. 2. Theſſ. ii. 10. 11. 12. qua *intellectum* peccatoris afficit: & *induratione* Rom. ix. 17. 18. qua *voluntatem* ſuis cupiditatibus tradit Rom. i. 24. 27. Utraque Deus, non quidem *efficit* aut *infundit* peccatori cæcitatem aut duritiem. Conf. Jac. i. 13. 14. 15. nec tamen etiam tantum *non tollit* cæcitatem ac duritiem *non circumcidendo* cor Jer. vi. 10. 26. Act. vii. 51. aut *non conferendo* lumen ſpirituale menti, & mollitiem ac *ductilitatem* cordi Matth. xiii. 14. 15. Jeſ. vi. 9. 10. ſed inſuper, (1) *propter* præcedentia ſcelera, modo *juſto* ac ſancto, tollit aut imminuit, quod peccatori *ſupereſt* ſapientiæ & *bonitatis* moralis: atque etiam *auget* & aggravat cæcitatem & duritiem originalem. Atque hoc eſt *pingufacere cor* Jeſ. vi. 9. 10. *tradere* ſuis cupiditatibus Rom. i. 24—28. *mittere efficaciam erroris* 2. Theſſ. ii. 10. 11. (3) *Satanæ*, mundo, ſeductionibus, velut habenas laxat 2. Theſſ. ii. 9. *Cujus adventus eſt κατ' ἐνέργειαν τῦ σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει.* Mittit *ſpiritum mendacii* 1. Reg. xxii. 22. 23. (3) Offert convertendi *occaſiones*, cum *extus*, crebris adhortationibus, promiſſionibus, commination-ibus, exemplis, quibus abutantur Exod. v. 1.— Jeſ. vi. 9. unde Euangelium quibuſdam *odor mortis* fit ad mortem 2. Cor. ii. 16. tum *intus*, inſtillatione honeſtarum *cogitationum*, conſcientiæ remorſibus, quibus à ſceleribus retrahantur, & ad bonum excitentur; quas ſupprimant & exſtinguant 1. Theſſ. v. 19. Jud. verſ. 10. 2. Pet. ii. 12. à quo *ἀπλογήτους* dicuntur Eph. iv. 19. (4) Addit *beneficia* externa, *divitias benignitatis, tolerantiæ & iræ cohibitionis, quæ pro ſua duritie, & corde reſipiſcere neſcio, ſpernant* Rom. ii. 4. 5. Nec non (5) *ſupplicia* externa Jer. v. 3. *O Jehova percutis eos; ſed non dolent: conſumis eos, renuunt accipere eruditionem, reddunt faciem ſuam obfirmatiorem petrâ, nolunt converti.*

Nec non quando peccata peccatis punit.

XXI. Et quoniam *excæcatio* & induratio iſta, ſemper aut plerumque ſaltem, *ſcelera præcedentia* ſequitur, ut juſta eorum vindicta; patet & illa providentiæ operatio, quâ *peccata* (jure talionis Pſal. xviii. 27.) frequenter *peccatis* punit 2. Sam. xii. 12. 1. Reg. xi. 26. Jud. ix. 23. 24. collat. cum verſ. 20. Rom. i. 21—28. Quando ſcil. ad *ſupplicium* alicujus dirigit & ordinat peccata, vel propria, vel aliena: ita tamen, ut ex illis *ſolum* ipſi adſcribatur, quod *pœnale* & triſte fuerit, non autem quod *turpe* eſt & culpabile. Tum *pœnæ* rationem habent peccata iſta, quatenus eis (1) Natura peccatoris *deprimitur*, corrumpitur ac *vilior* redditur Rom. iii. 23. ejuſque *turpitudo* augetur. (2) Eadem opera pœnæ peccatorum, mors & miſeria quævis, *creſcunt* Levit. xxvi. 14. 15. 18.

Providentiæ actualis idea eſt conſilium voluntatis.

XXII. In omnibus iſtis, cum bonis tum malis, providentia rebus proſpicit, *ſecundum conſilium voluntatis* ſuæ Eph. i. 11. Act. ii. 23. & iv. 28. Hoc eſt, ſecundum æternum ejus *decretum*, quod velut *ideam* præſtat & *normam*, omnium, quæ in tempore perpetrantur. Unde *decretum*, ſeu *πρόγνωσις καὶ πρόθεσις*, providentia *virtualis*, exemplaris dici poſſit: ſicut exſecutio ſeu *διοίκησις*, providentia *actualis*.

Providentia Dei. 1. eſt vel immediata:

XXIII. Nec tamen uno *eodemque modo* providentia divina, rebus omnibus proſpicit, unde diverſa ejus q. *ſpecies* naſcitur, per quam *primo* providentia eſt, vel *immediata*, vel *mediata*. *Illâ* Deus per *ſeipſum*, ut cauſa abſolutè *ſolitaria*, rebus proſpicit, prout Moſen aluit in monte Sinai Deut. ix. 9. 18. ad miniſterium vocavit Exod. iii. 6. &c. & ſæpius eſt allocutus Num. xii. 8. Similiter Paulum *immediate* evocavit ad Apoſtolatum Gal. i. 1. *Hac* adhibitis *mediis* proſpicit. Ita Eliam ope panis & aquæ pavit 1. Reg. xix. 5. &c. Confer. Pſal. civ. 13. 14. 15. Hoſ. ii. 22. Jeſ. xxxviii. 21. Heb. i. 14. Pſal. xci. 11. & xxxiv. 8. *Immediate* quidem, Deus omnia operatur quæ fiunt, tum ratione *virtutis* ſuæ, quæ attingit omne effectum Deut. viii. 3. Jeſ. xxviii. 29. reſpectu omnis *entitatis*, quæ reperitur in illo: tum ratione *ſuppoſiti*, reſpectu illius *eſſe*, quod habet quâ eſt *ens* (id enim in omnibus, etiam operatur Deus ipſe *immediate*, qui intimè & immediate ſemper & omnibus *adeſt*) attamen reſpectu eorum, in quæ agentia ſecunda influunt virtute *propriæ formæ*, Deus non *immediate*; ſed *mediate* dicitur agere: quoniam agit, *mediantibus* ſuppoſitis & virtutibus cauſarum ſecundarum. Proinde non exiſtimandum, Deum *ſic mediis* uti, prout creaturæ utuntur: ſic nim. ut cauſæ principali *diverſa* virtus competat, à virtute inſtrumenti, prout ſcriptor ſuo utitur amanuenſe: Deus enim *immediate* attingit *omnia* Act. xvii. 28. Pſal. cxxvii. 1. 2. Unde *omnis* omnium *effectus*, divinæ operationi aſſeritur Jeſ. xxviii. 29. Sic ut abſque ejus *operatione* nihil poſſit, *quodvis* medium Matth. iv. Levit. xxvi. 16. Hag. i. 6.

Vel mediata.

XXIV. *Mediis* ergo Deus utitur, non propter

do mediis Deus uratur.

defectum virtutis; sed propter *abundantiam* suæ bonitatis, ut scil. *dignitatem* alicujus efficientiæ ipsis communicaret, & in illâ *suam* magis redderet conspicuam. *Neque* enim *Jehova impedimentum est, quin servet paucis perinde ac multis* 1. Sam. XIV. 6. Quamobrem, producendo effectui *nobilissimo*, media persæpe applicat debilissima, *vilissima* 1. Cor. 1. 27. 28. 2. Paral. XXIV. 24. contra *efficacissima* reddit *irrita* Psal. XXXIII. 16. 17. Hos. IV. 10. imo & *contra* mediorum naturam, non rarò operatur Dan. III. 27. 21. 24. & quotiescunque *commodis* utitur mediis, eorum *virtus*, ejusque *excitatio*, & applicatio ad objectum, ab *ipso* pendet prorsus *immediatè*.

Providentia Dei est, vel ordinaria;

XXV. Est *secundo* providentia Dei vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. *Priori* Deus *ordinem* sectatur, rebus in principio per creationem collatum, cujus ratio postulat, ut hoc aut illo posito, aliud sequatur Hos. II. 22. Jer. XXXI. 35. 36. virtute ejus *potentiæ*, quam causæ contulit. Est autem ille *ordo*, non aliud, quam *lex naturæ* omnibus creaturis communis, vel ipsa *rerum natura prout certo ordine firmatur*, proveniens à vi & *efficacia*, nunquam irritæ illius Dei jussionis, *fiat, esto, sit ita*, quæ *futuri* exprimens rationem, *perpetuitatem* & constantiam indicat, atque *suâ* virtute omnia efficit, quæ de eisdem rebus ordinariè fiunt: Hæc proinde *naturæ lex*, quædam est *participatio legis* & voluntatis divinæ Job. XXXVIII. 12. Cui porro accedit (1) *inclinatio naturalis*, seu principium agendi secundum *legem naturæ* Job. V. 7. Atque etiam (2) *Instinctus naturalis*, seu *peculiaris* quarundam creaturarum *proclivitas*, ad operationes *nobiliores*, cum *specie* quadam aut vestigio *rationis* Prov. XXX. 24. 28. Jer. VIII. 7. Tandem (3) *Potentia* quædam *obedientialis*, qua Creatori jubenti subesse, *omnes* creaturæ aptæ natæ sunt. Psal. CXV. 3. & CXLVIII. 8. Ames. *medul.* lib. 1. c. 9.

Vel extraordinaria.

XXVI. *Posteriori*, seu providentiâ *extraordinaria* Deus operatur, *contra* aut *supra* ordinem rebus constitutum. Exempla habes Exod. XVI. 13. 15. 1. Reg. XVII. 6. Act. IX. & infinita alia per universum Instrumentum sacrum dispersa. Cujus generis quæ producuntur, quod in *admirationem* homines abripiant, *miracula* designantur, quorum ratio in eo consistit, quod *naturam* excedant: vel *totius universi*, quale v. g. foret annihilatio spiritus; vel hujus aut illius *speciei*, quando v. g. *asina* loquitur; vel hujus aut illius *individui*, ejusque ætatis aut status, ut quando v. g. *infans* quævis idiomata exactè pronunciaret, *virgo* pareret. Proinde eorum *officiis* causa, esse nequaquam potest, cujus vires non excedunt *naturam*, h. e. quæ Deus non est Psal. LXXII. 18. & CXXVI. 4. Act. III. 12. 13. 16. Cum omnes creaturæ subsint *ordini naturæ*, viresque prodant *naturæ* legibus circumscriptas. Quamvis possint esse instrumenta *moralia*, quatenus aut *precibus* à Deo impetrant, qui per se perpetret miracula: aut *manifestum faciunt*, Deum miracula perpetrare velle Act. III. 6. 16. Joh. IX. 29. 30. Neque tamen abnuimus, quin causæ sint *mirabilium* seu insolitorum, quæ non *naturæ* vires excedunt; sed *occultant*: qualia in pseudo-prophetis Deut. XIII. 2. item in Antichristo 2. Thess. II. 9. in magiâ patent.

Providentia est, vel naturalis; vel moralis.

XXVII. Tandem *tertiò*, providentia Dei, vel *communis* est omnium creaturarum, quam hactenus expositimus, & providentia *naturalis* indigitari aliis consuevit: vel creaturis *rationalibus*, quâ talibus, *peculiaris*, quam *moralem* alii appellant, & capite sequenti, ex professo enarrabimus.

Pars elenchtica.

1. An detur talis Dei providentia, quâ omnibus & singulis prospiciat libere? Collatio sententiarum.

XXVIII. Quæritur 1. An detur talis Dei providentia, quâ omnibus & singulis prospiciat, secundum consilium voluntatis suæ? Epicurus Philosophus *nullam* agnoscebat Dei providentiam, omniaque *casui* & *fortunæ* adscribebat. Horum sententiam exponit C. Vellejus apud Ciceronem de *Natur. Deor.* lib. 2. *Quærere*, inquit, *à nobis soletis, quæ vita Deorum sit, quæque ab eis degeratur ætas, ea videlicet; quâ nihil beatius, nihil omninò bonis omnibus affluentius excogitari potest: nihil enim agit, nullis cogitationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia & virtute gaudet, habet exploratum se semper fore, tum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hunc Deum rectè beatum dixerimus, vestrum verò laboriosissimum.* Aristoteles providentiam quidem, videtur agnovisse; sed restringebat ad *universalia* tantum, rerum *singularium* curâ, intelligentiis & corporibus cœlestibus relictâ. Stoici plerique providentiæ divinæ *fatum* substituebant, h. e. *nexum* universalem & indissolubilem, creaturarum & causarum omnium, cui ipse Deus subsit. Plato cum suis Academicis, primus videtur providentiam Dei agnovisse, quam tamen ad *omnia* & *singula*, nominatim ad *causas* liberas, *liberum* earum *arbitrium*, & operationes *rationales*, non extendebat. Athei, Spinosistæ, quia reverà Deum *negant*, & cum *natura* confundunt; multo magis *providentiam* Dei negant. Christiani quidem omnes, uno ore providentiam Dei profitentur; sed quoad naturam ejus, varie varii impingunt. Epicuræi *practici*, maxima copia Christianis, cuivis sectæ, adsperfi; *ore* quidem providentiam Dei recipiunt; *re* verò & *praxi* nil minus. Horum sententiam Scriptura repræsentat Job. XXII. 12. 13. 14. *Nonne Deus est in sublimitate cœli? Vide caput stellarum, quam excelsa sunt? Dicis quid novit Deus? nunquid per caliginem judicabit? Nubes sunt latibulum ei, & non videt, & in ambitu cœli*

Æli deambulat. Hanc ſententiam verſ. 15. appellat viam, *ſemitam* h. e, Theologiam *ſeculi*, *quam calcaverunt viri iniqui.* Item Pſal. x. 10. & lxxii. 11. & xciv. 7. Reformati, non tantum providentiam Dei recipiunt; ſed talem etiam, quâ Deus omnibus & *ſingulis* proſpiciat *liberè*, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Sententiam iſtam Scripturis & rationibus ſuperſtruximus §. iii. iv. nec addimus, niſi, in gratiam Epicuræorum, argumentum ex eorum hypotheſibus: agnoſcunt *eſſe* Deum, & *talem* etiam, quo nihil ſapientius, nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari poteſt: jam qui 1. *Deus* eſſe poteſt, qui non eſt ens *abſolutè primum*, qui non eſt independens, & à quo non omnia quoad exiſtentiam, eſſentiam, & operationes pendeant? 2. Qui *ſapientiſſimus*, qui nullos ſapientiæ *actus* in rerum gubernatione prodere poteſt? 3. Qui ſumma *virtute* præditus, qui iners & otioſus, omnia negligit? 4. Quî *omnibus bonis* affluentiſſimus, qui *ſapientia*, *potentia*, & *voluntate* univerſalis gubernationis, ejuſque *gloria* deſtituitur? Ut, (judicio, tum Scripturæ Pſal. xciv. 8. 9. 10. collat. cum. x. 4. 11. 12. & liii. 2. 3. tum rei ipſius) qui neget providentiam, neget *Deum eſſe*. *Ratiunculis* quibus ludere poſſint, ſic occurrimus: 1. *Beatitudini* divinæ nihil decedit per *operationem* providentiæ, quin potius per *otium*. *Ut enim in Dei vacatione non eſt ignavia, deſidia, inertia, laſſitudo* (Jeſ. xl. 28.) *ita nec in ejus opere labor, conatus, induſtria: novit ipſe quieſcens agere, & agens quieſcere*, ait Auguſtinus *De Civit. Dei* lib. 12. c. 17. Cum præſertim *unico* æternoque voluntatis *nutu*, cuncta gebernet, utpote ſine quo, non eſſet omni *perfectione* affluentiſſimus. 2. Nec divina providentia *contingentiam* tollit, aut arbitrii noſtri libertatem; quoniam (juxta Auguſtinum *De Civit. Dei.* lib. 7. c. 30.) *Sic res adminiſtrat, ut eas proprios motus agere ſinat.* Neque enim providentia divina obſtat, quo minus quædam, per cauſas ſua natura ad hunc effectum non determinatas ſeu *contingentes*, aut per conſilium voluntatis creatæ ſeu liberum arbitrium, accidant. Quinimo univerſum iſtud à ſola Dei providentia reſultat. 3. Nec *inordinata* illa, confuſa, crudelia, peſſima, quæ paſſim accidunt in natura, arguunt, ſe à *ſapientiſſima*, potentiſſima, optima providentia non gubernari: cum omnia illa, utcunque declinent, ab *ordine particulari* hoc aut illo; non tamen declinent, ab ordine *univerſali*: nec fiant *præter* aut *contra* intentionem cauſæ *univerſalis*, quæ vitia ac defectus cauſarum ſecundarum, ſapientiſſimè, potentiſſimè, optimè gubernat, in nominis ſui *gloriam*, ſuorum ſalutem, impiorum *juſtam punitionem* Joh. ix. 3. Ut hinc *ſtabiliatur* potius quam *debilitetur*, ſapientiſſima Dei providentia. Multò minus 4. per iſtam providentiam, *auctor* ſit ſcelerum ac vitiorum: cum *permittat* tantum, quatenus ſcelera ſunt, permiſſa *ordinet*, *puniat*, quæ liberrima malitia ſceleſtarum creaturarum perpetrantur. Tandem 5. providentia divina peccata nulla prætermittit abſque *pœna* (punit enim, *vel* in peccatore, *vel* in ejus ſponſore; vel hîc; vel poſt hac.) *Nec* 6. bonis *male*, ac malis *benè* proſpicit: præterquam enim, quod (nobis ſaltem) incertum ſit, quinam *vere* boni ſint aut mali: nec *bona* verè ſunt, quæ malis eveniunt, utpote quæ in eorum *exitium* ſeſe exonerant; nec *mala* verè ſunt, quæ bonis accidunt, utpote quæ in eorum *ſalutem*, optima providentia ſemper cooperantur Rom. viii. 28. Et ſi etiam hîc ad tempus, *malis* benè, & *bonis* malè eſſet: non erit tamen poſthac & in æternum. *Nec* 7. *juſtum unquam* ponit cum injuſto, cum *abſolutè* juſtus, coram eo non detur; & qui ab *hoc* aut *illo* ſcelere, ob quod alii puniuntur, eſt *juſtus*; ab *aliis* plurimis poſſit eſſe *injuſtus*, quo ſenſu Deus comminatur Ezech. xxi. 3. *Exſciendam juſtum cum injuſto.*

Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

Refelluntur objectiones.

1.

2.

3.

4.

XXIX. Quæritur 2. An in providentia, talis detur *influxus* Dei, quo *phyſicè* prædeterminet *omnes* omnino cauſas ad agendum? Epicuræi nullum omninò Dei influxum admittunt, ut vidimus §. præcedenti. Ariſtoteles cum ſuis, nullum agnoſcebat circa *ſingularia*. Stoici ipſum etiam *Deum* ſubjiciebant *nexui* cauſarum ſecundarum, adeoque nullum Dei influxum in quævis admittebant. Durandus, talem tantum agnoſcebat, qui cauſas ſecundas conſervaret cum ſuis quaſque *viribus* in eſſe ſuo, cæterùm agnoſcebat influxum *generalem*, *ſpeciali* prædeterminatione relicta ſuis cauſis, quemadmodum Sol univerſaliter & uniformiter in omnia, quæ tum ſeipſas determinent, ad has aut illas operationes, pro ſua natura, aut phonaſcus, ventum curat influere in ſuos tubos, quem ipſe ſua manu determinet, ad tales aut tales ſonos efformandos. Pelagiani & Socinianiin *naturalia* quidem influere, admittunt; ſed in *libera*, ſaltem quoad eorundem prædeterminationem, ut habeant *independentem* indifferentiam arbitrii negant. Simipelagiani, Jeſuitæ, Remonſtrantes, influxum in effecta libera admittunt; ſed in ipſam cauſam liberam, eadem hypotheſi *independentis indifferentiæ* liberi arbitrii, negant. Omnes tum Pelagiani, tum Semi-Pelagiani admittunt quidem, influxum *moralem* ſuaſivum, ad quem creatura libera ſeipſam poſſit determinare aut non determinare, pro ſuo lubitu independente, hi inſuper agnoſcunt influxum ſimultaneum, quem *concurſum* appellant, quo currente creatura *libera*, poſtquam ſeipſam determinavit, Deus juvet in producendo effectu; ſed *præcurſum* negant, ad hoc, ut independens arbitrii indifferentia, ſarta maneat & tecta. Reformati talem credunt providentiæ *influxum*, qui omnes & ſingulas cauſas prædeterminet ad agendum, ſive *naturales*

2. An in providentia, talis detur influxus Dei, quo phyſicè prædeterminet omnes omnino cauſas ad agendum? Collatio ſententiarum.

Reformatorum ſententia.

cum ſuis rationibus.

turales illæ ſint; ſive liberæ. Eo quod: 1. Scriptura teſtetur, Deum *operari omnia in omnibus*, adeoque & prima creaturæ liberæ *determinationem* ad ſuas operationes 1. Cor. XII. 6. noſque *in ipſo, vivere,* MOVERI *& eſſe* Act. XVII. 27. 28. Ex ipſo, per ipſum & ad ipſum eſſe OMNIA, adeoque & *libera* Rom. XI. 36. Jeſ. XXVI. 12. *Tu nos & omnia noſtra opera, operatus es nobis.* Et cap. XLV. 7. *Ego Jehova facio* OMNIA *iſta* Eph. I. 11. OMNIA *operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Quod 2. ſua providentia dicatur determinare *contingentia* v. g. *ſortem* Prov. XVI. 13. exemplum Joſ. VII. 14. 18. & *libera.* Phil. II. 13. *efficit* VELLE. Prov. XVI. 9. *Sed Jehova dirigit greſſus ejus.* Etiam *peccata* Act. II. 23. & IV. 28. *manus & conſilium* PRÆDETERMINAVIT *futura.* Quod 3. ea ratione, prima illa determinatio, foret *independens,* adeoque *Deus*; cum Dei ſolius ſit eſſe independentem. Quod 4. eadem ratione, nullum Deo in illam, omniaque ejus conſectaria, competeret *dominium.* Et hinc 5. nullus ab ea Deo competeret *cultus*, nulla gratitudo, ex *bonis*, nulla invocatio ad bonum impetrandum. Et ſic in eandem incidunt naſſam, quam nobis ex hoc capite ſtruere conantur. Quin & 6. Deus, ea ratione, non eſſet *Deus*, utpote à quo non omnia penderent, imò qui ab ea determinatione, pendere cogeretur. Etiam 7. hac hypotheſi, in negotio converſionis, homo foret propriæ fortunæ faber, qui haberet, quod non accepiſſet, qui ſeipſum diſcerneret, contra Apoſtolum 1. Cor. IV. 7. Nec ſuppetit adverſariis, quod in contrarium proferant, niſi: A. Quod per iſtum influxum tollatur omnis rerum *contingentia*, omniaque dura urgeantur *neceſſitate.* B. Quod eadem opera, à voluntate hominis tollatur libertas, eoque voluntas & humanitas. C. Quod tali influxu Deus reddatur auctor peccatorum. His objectionibus, quo diſtinctius percipiamus rationem conciliandi cum providentia, rerum contingentiam, arbitrii libertatem, Deique omnimodam ſanctitatem, ſingulis controverſiis impoſterum ſatisfaciemus.

Objectiones tantum notantur.

3. An per influxum prædeterminantem, omnis tollatur contingentia? collatio ſententiarum.

XXX. Quæritur 3. An influxus ille providentiæ divinæ, è medio tollat omnem rerum contingentiam, duraque urgeat neceſſitate? Epicurus cum ſuis, eliminata omni Dei providentia, nil niſi contingentiam caſum & fortunam admittebat. Cum his in primitiva Eccleſia colludebant Simoniani, Carpocratiani, Gnoſtici aliique. Platonici & Ariſtotelici Philoſophi, agnita cæterum providentia divina; in rebus ἐφ' ἡμῖν, ſeu liberis, non niſi meram contingentiam recipiebant. Hos ſequuntur Pelagiani craſſiores, & cum illis Sociniani, qui in rebus voluntatis noſtræ, nil niſi meram *contingentiam* admittunt, quia ne Deum quidem agnoſcunt habere certam futurorum contingentium *præſcientiam.* Et Semipelagiani Jeſuitæ, Remonſtrantes, Lutherani, Anabaptiſtæ, qui licet in ipſis actionibus liberis, non admittant niſi contingentiam, qua res poſſit exiſtere & non exiſtere, nihilominus certam admittunt earundem in Deo *præſcientiam.* Ex adverſo Stoici, qui crepabant quidem providentiam *univerſalem*; ſed tamen, omnia duræ *neceſſitati* ſubmittebant, quam *fatum* appellabant, cujus naturam Cicero repræſentat his verbis: *Fatum autem id appello quod Græci* εἱμαρμένην, *id eſt ordinem ſeriemque cauſarum: cum cauſa cauſæ nexa, ex ſe rem gignat, ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna* De divin. lib. I. Et Chryſippus apud Gellium, *Noct. attic.* lib. VI. cap. 2. dicit *ſeriem indeclinabilem, connexam per æternos conſequentiæ ordines.* Hoc fatum impium eſt. Si tamen nexum illum ſuſpendant à *fando*, ſeu à decreto divino; non eſt ob quod reprehendantur, unde etiam à Chriſtianis plurimis, tum *veteribus*, v. g. Minutio Felice in *Octavio*, Auguſtino De Civit. Dei lib. V. cap. VIII. Gregor. Nyſſeno lib. de *Fato*, Iſidoro, *Orig.* lib. VIII. cap. ult. tum recentioribus nonnullis, Scholaſticis & literatoribus, hoc ſenſu receptum fuit *Fatum*, quod tamen à Reformatis, quia vox ſonat in *malum*, non admittitur. Etiam Arminiani, Jeſuitæ aliique Pelagianiſſontes, neſcio quo fato, dum fatum expugnare conantur, in *fatum* incidunt, pluſquam Stoicum, quando contingentia & libera, ab *æterno* ſtatuunt futura fuiſſe, *antecedenter* ad voluntatem & decretum divinum. Si enim iſta *futuritio*, non ſit à voluntate & decreto divino; non poteſt eſſe, niſi vel *à ſeipſa*: vel à nexu indeclinabili cauſarum, à quo futura illa producantur. Aſtrologi, Mathematici, Genethliaci, Chaldæi, ad hoc ut divinare poſſint, etiam res contingentes, v. g. naſcendi leges, matrimonia, liberos, fortunam & conditionem quorumvis, ex aſtrorum poſitu, velut neceſſario futura ſuſpendunt ac prædicunt. Πρῶτον ψεῦδος omnium perverſarum opinionum, eſt, quod non ſatis accuratè *contingens* & *neceſſarium* definiant, quando contingens eſſe volunt, quod *ſimpliciter* poteſt *non fieri* & *neceſſarium*, quod *non* poteſt *non fieri.* Reformati ergo contingens eſſe volunt, vel quod ſit præter intentionem ſuæ cauſæ, &, cum cauſa duplex ſit, vel *prima* & ſuprema, vel ſubordinata; ſtatuunt, cum nihil fieri poſſit, præter intentionem *primæ* cauſæ; nihil etiam reſpectu ejus fieri poſſe *contingenter*; aſt cum plurima fiant præter intentionem cauſarum *ſubordinatarum*; multa etiam fieri contingenter, non obſtante influxu divino prædeterminante: vel contingens eſſe dicunt, quod ſit per cauſam, *ſua natura, non determinatam*, v. g. quando ruſticus ſuum agrum ſcindens; fortè fortuna incidit in theſaurum. Rurſus *neceſſarium* volunt eſſe, quod per talem exiſtit cauſam, quæ *ſua natura* determinata eſt ad talem effectum, ſic Sol *neceſſario*

Sententia Reformatorum.

ſario ſplendet, ignis neceſſariò urit, gravia neceſſariò deorſum vergunt. His præſuppoſitis, multa fieri *contingenter*, licet influxus providentiæ divinæ, determinet, ut præter intentionem cauſarum ſubordinatarum, influxu prædeterminatarum, accidant, aut per tales cauſas ſubordinatas procurantur, quæ *ſua natura*, nullum nexum habent cum iſtis effectis. Rurſus multa fieri *neceſſario*, quæ per influxum illum, à talibus cauſis exiſtunt, quæ *ſua natura*, neceſſarium nexum habent cum iſtis effectis. Interim exiſtimant, omnes effectus, ſive *contingentes* ſint, ſive *neceſſarii*, certo fieri & *indeclinabiliter*, modo ab influxu divino, cauſæ eorum fuerint excitatæ & *prædeterminatæ*. Ex his tandem conficiunt, cum ab *una* parte, influxus providentiæ prædeterminans, neceſſarius ſit ad operandum, prout demonſtravimus parag. præcedente: ab *altera* parte, multa paſſim obvia ſint, *tum* in *Scriptura*, *tum* in experientia quotidiana, quæ verè ſint *contingentia*, influxum illum prædeterminantem non tollere contingentiam; nec inferre univerſalem *neceſſitatem*. Imo verò influxum illum eſſe cauſam omnis contingentiæ, quatenus tales cauſas talibus effectis conſtruit, & prædeterminat, quæ præter intentionem cauſarum accidunt; & quæ ſua natura nullum nexum neceſſarium habent. Addam, nec reſpectu cauſarum ſubordinatarum, inſolitum eſſe, ut idem effectus diverſo reſpectu *contingens* ſit & *neceſſarius*. Suppone enim ab uno Domino, duos emitti ſervos, per eandem viam ad ſe reverſuros: hi ſervi reſpectu Domini emittentis, ſibi *neceſſario* occurrent in via, & reſpectu ſervorum *contingenter*. Nec video, quid his, ulla cum ſpecie rationis, ab adverſariis, opponi queat.

4. An influxus ille providentiæ tollat aut lædat libertatem arbitrii noſtri? Sententia Reformatorum explicatur.

XXXI. Quæritur 4. An influxus ille providentiæ divinæ, tollat aut lædat libertatem arbitrii humani? Omnes adverſarii, tum Philoſophi, tum Theologi, quos in præcedentibus commemoravimus, affirmant, quorum primum falſum in eo eſt, quod libertatem arbitrii ponant, in mera *indifferentia independente*, quam influxus providentiæ, ſi tollat, omnem libertatem tollat. Reformati ex adverſo, licet *aliquam* indifferentiam agnoſcant in libertate, nimirum *naturalem*, per quam agens liberum, ſua natura non ſit determinatum ad hanc actionem; per quam etiam agens liberum, *phyſicè* determinari non poſſit, ab ulla cauſa *ſubordinata*: non tamen admittunt, libertatem conſiſtere in *mera indifferentia*, multo minus in indifferentia plane *independente*, quæ nec à cauſa *prima* quidem tolli poſſit. In quo igitur ponunt naturam libertatis? Reſpondetur in ea facultate agentis liberi, qua agat ἐκπροαιρέσει, *ex conſilio* & complacentia rationali, qua, ſub Deo, ſeipſum determinet ad agendum. Cum igitur Deo viſum fuerit, cauſas liberas, providentiæ ſuæ influxu excitare & prædeterminare, ut ſeipſas conſilio & deliberatione determinent ad has aut illas operationes, ad quas ſuâ natura ſunt indifferentes; manet, influxum illum prædeterminantem, non tollere, nec lædere veram libertatem arbitrii. Rationes eorum ſunt: 1. Multæ actiones liberæ, in Scripturis memorantur, ad quas tamen Deus prædeterminaverit earum cauſas. v. g. quæ Judæi, Pilatus, Herodes, milites peſſimè perpetrârunt in Servatorem noſtrum, ea, omnium conſenſu, *liberè* perpetrârunt, interim tamen *manus* & *conſilium* Dei, ſeu, per Hendiadim, manus conſilii divini, dicitur eos ad ea prædeterminaſſe Act. IV. 28. Paulus item, procul omni dubio, *liberè* annunciavit Evangelium 1. Cor. IX. 17. interim tamen dicit ſe *non poſſe*, ſi non hoc in eo operaretur Chriſtus Rom. XV. 18. 15. Gentiles itidem *libere* crediderunt Paulo, interim dicit hoc factum *virtute Spiritus Sancti* verſ. 13. imò profitetur, ſe *ineptum*, *ad quicquam* boni *cogitandum*, *velut ex ſeipſo*; *ſed omnem aptitudinem ſuam eſſe ex Deo* 2. 2. Cor. III. 5. Porro 2. *Cor Regis*, hoc eſt voluntas ejus procul dubio *liberè* agit, interim tamen eſſe *in manu Domini*, qui illud *flectat ſicut rivos aquarum* quorſum vult Prov. XXI. 1. item cap. XVI. 1. 2. Inſuper 3. Voluntas ſaltem libere vult, interim tamen τὸ θέλειν, non *facultatem*; ſed actum volendi, Deus dicitur *efficere* ἐνεργεῖν, perinde ad ejus operari Phil. II. 13. Et ſi 4. *libertas* conſiſtat in merâ *indifferentiâ*; ubinam tandem reperietur *libertas*, ne apud Deum quidem, utpote qui poſt decretum ſuum, quod ab æterno exſtitit, nunquam fuit *indifferens*, ad procurandam, vel non procurandam rem decretam. Nec 5. Angeli *liberè* operabuntur, quia jam *determinati* ſunt ad bonum, proinde non indifferentes. Nec 6. Diaboli, aut homines *irregeniti*, quia determinati ſunt per intrinſecam corruptionem, ad peccatum. Ubinam igitur erit libertas arbitrii? niſi fortè in hominibus *regenitis*, qui poſſint bonum & malum; ſed ſi Deus *operetur* in ipſis *velle*. Nec eſt adverſariis, quod ullà quidem cum veritatis ſpecie objiciant, niſi A. Quod *neceſſitas* & *libertas*, ſint ſibi invicem adverſa, proinde cum influxus prædeterminans inferat *neceſſitatem*; eadem operâ tollere libertatem. Sed negavimus §. præced. influxum inferre *neceſſitatem*. B. Quod per influxum divinum dudum determinatum eſt, illud proprio arbitrio, ſeu conſilio, ſeipſum determinare non poſſe. Reſp. Influxus Dei excitat & prædeterminat voluntatem *phyſicè*; ut voluntas conſilio & deliberatione, ſeipſam ſub Deo, determinet *moraliter*. C. Quod, ſublata indifferentia, ceſſet libertas arbitrii. Reſp. Sublatâ *omni* indifferentiâ, nominatim indifferentia *naturali*, ceſſat utique *libertas*; non autem ceſſat ſublata ſola indifferentiâ *independentiæ*.

Et proceditur. Objectiones.

5. An influxus ille prædeterminans Deum faciat auctorem peccati? Sententiarum collatio.

XXXII. Quæritur 5. An influxus ille prædeterminans, Deum faciat auctorem peccati? Julianus olim, odio Christianorum, *nexum* affirmabat. Pelagiani item & Pelagianizοντες, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes, Anabaptistæ & Lutherani, studio denigrandæ Ecclesiæ Reformatæ, eundem nexum affirmant, adduntque per calumniam, Reformatos *talem* tradere providentiæ *influxum*, quo *impellat* Satanam, ut tentet & seducat homines, quo occultâ vi hominem *moveat* ad peccandum, quo Deus, *unà* nobiscum, & *magis* etiam quam nos, *operetur* peccatum, utpote causa *principalis*, dum nos, ut causæ *instrumentales* tantum. Reformati penes peccatum, tria distinguunt: 1. *habitum* seu *actum* quendam creaturæ rationalis, cui *insit* malitia moralis, neque enim malitia ista est substantia, quæ per se subsistat, ut Manichæi delirabant. 2. Ανομίαν seù *malitiam* quæ inest habitui & actui, in hac solâ, totam constituunt peccati essentiam. 3. *complexum* ex utroque præcedente coalescens. Quantum ad primum, nim. *substratum*, illud statuunt esse *physicè* bonum quid, adeoque dependens à primo ac summo bono, ac proinde ad hoc extendunt *influxum* providentiæ divinæ, quod hoc evidenter doceat Scriptura Act. XVII. 28. Rom. XI. 36. & exigat ipsâ deitatis ὑπεροχὴ: nisi enim in istud influeret, non esset causa *absolutè prima*, eoque nec Deus. Quantum ad secundum, ἀνομίαν seu *malitiam*, cum illa non sit ens; sed *defectus* tantum, qui non admittit causam efficientem; sed *deficientem* solam, statuunt influxum providentiæ divinæ illam non attingere; sed tantum *permittere*; sic tamen, ut *permissionem* istam, certo sequatur peccatum. Quantum ad *tertium*, totum scil. peccati *complexum*; statuunt providentiam divinam, variis modis circa illud occupari, tum *moraliter* illud prohibendo; tum *physice*, dirigendo, limitando, puniendo. Proinde: cum *tota natura* peccati, consistat in sola ἀνομίᾳ, & istam ἀνομίαν non attingat influxus providentiæ, Sole clarius est, Deum per influxum providentiæ non fieri auctorem peccati. Tum 2. Peccatum produci non potest, nisi per *transgressionem legis*, & Deus, per influxum providentiæ suæ, non transgrediatur legem, nec transgredi possit: relinquitur, Deum per influxum illum, non fieri auctorem peccati. Porro 3. Cum ab *una* parte, per *Scripturam* pariter, v. g. Psal. v. 5. & naturam Dei, quatenus est summum *bonum*, Deus non possit esse auctor peccati, omnibus agnoscentibus: & ab *altera* parte, Deus providentiâ suâ variè legatur occupatus fuisse circa peccatum, v. g. Act. IV. 28. & II. 23. Gen. I. 20. 2. Sam. XII. 11. 12. & cap. XXIV. 1. Nec tamen eo ipso factus est *auctor* peccatorum. Plura hujus generis non urgebimus impræsens. Si objiciant: A. Ille tamen influxus, qui determinat hominem ad peccandum; peccati auctor est: ex dictis facilis accidet responsio: quod influxus auctor tantum sit *actus*, cui inest peccatum, non autem ipsius peccati. B. Posito isto influxu *prædeterminante*, homo non potest non peccare. Resp. Potest, eo non obstante, potentia *causa*, & in sensu, ut loquuntur, *diviso*, quatenus homo, per eum, *sua natura* non est determinatus ad peccandum; sed sub eo influxu, proprio *consilio* seipsum determinat ad peccandum: licet non possit potentia *effectus*, & in sensu composito: sed ab hoc peccatum non est *effectus* influxus; sed ejus tantum *consequens*. C. Ille tamen influxus, qui hominem excitat ad peccandum, ejus peccati auctor est. Resp. Si cum Scripturâ 2. Sam. XXIV. 1. Ezech. XIV. 9. 2. Thess. II. 11. sic loquatur Theologus unus, fortè & alter, nihil aliud cum Scriptura intelligunt, quam quod Deus excitarit ad illum *actum*, cui peccatum accedit ab hominibus, & ab hoc non fit auctor ipsius peccati. D. ille influxus in actum hominis peccaminosum, qui est causa istius *actus* principalis, potius ejus peccati causa dici debet, quam homo, qui non est nisi causa *instrumentalis* aut *minus* principalis. Resp. Deus suo influxu est causa quidem principalis *ipsius actus*; sed homo solus est causa ipsius peccati, quod est *in* actu isto. Interim E. Theologi quidam Reformati, ex hoc influxu, exsertè Deum appellant auctorem peccati. Resp. Si quidem ita loquantur, durius quam par est, non aliud intellectum volunt, quam Deum esse auctorem *actus*, ut talis, cui à creaturâ solâ accedit ἀνομία, in quâ solâ consistit peccatum, nec vel unus Theologus ostendi potest, qui dixerit Deum esse auctorem ἀνομίας, aut peccati, *quatenus* est peccatum.

Sententia Reformatorum.

Objectiones.

6. An in providentia divina detur concursus aliquis generalis & indifferens in omnes creaturas, qui determinetur à singulis creaturis pro sua quaque natura, & ab homine pro suo arbitrio? Aristoteles cum suis Peripateticis, prout providentiam Dei agnoscebat circa generalia tantum, negata cura particularium, imprimis eorum quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, seu ab arbitrio nostro pendent: ita etiam influxum providentiæ divinæ non nisi generalem recipiebat, rejecto speciali. Pelagiani & Pelagianizοντες, Jesuitæ, Remonstrantes, quo commodius *independentem indifferentiam* liberi arbitrii assererent, neque tamen eo-ipso hominem facerent plane independentem, ab *una* parte agnoscunt aliquem *concursum* seu influxum aliquem in omnia; ab *altera* parte *generalem* tantum & indifferentem, qui causetur in omnibus essentiam, vitam, motum, juxta Act. XVII. 28. sed qui determinetur ac specificetur à singulis creaturis pro sua *natura*, & peculiariter ab homine pro suo libero arbitrio. Sicut v. g. Sol suos radios *generaliter* & uniformiter spargit in hæc sublunaria ad productionem generalium, qui

6. An in providentiâ divinâ detur concursus aliquis generalis & indifferens in omnes creaturas, qui determinetur à singulis creaturis; pro suâ quamque natura, & ab homine, pro suo arbitrio? Collatio

ſententiarum.

quo radii determinentur ac ſpecificentur à ſingulis generantibus, à quo dici ſolet Sol & homo, gignunt hominem, Sol & leo, leonem. Non deſunt quidem ex eis, qui videri volunt, id reſtringere ad actiones malas; ſed tamen, & hi ipſi *tecte*; & plerique eorum palàm, ad bonas & ad malas extendunt. Reformati, ſicut nullum agnoſcunt *decretum generale*, ut ſupra vidimus in cap. de *decreto Dei*; ita nullum recipiunt influxum providentiæ *generalem*, ſed talem tantum, qui *omnia* quidem; ſed ſingula ſingulatim afficiat, omnia & ſingula *determinet*, ſed *determinetur* à nullo. Quia: 1. Per univerſum Scripturæ tenorem, & quæ dudum in dogmaticis habuimus, datur providentia ſingularis, verſus v. g. Adamum, Noachum, Abrahamum &c. ergo etiam datur influxus *ſingularis*. Quia 2. ipſos actus voluntatis ſingulares determinare legitur Prov. xxi. 10. & xvi. 1. & xix. 21. ac deprehenditur exemplis Gen. xxxiii. in Eſavo. Exod. xi. 1. 2. 3. in Ægyptiis. Pſal. cv. 25. Act. iv. 27. 28. Unde ſanctis in more fuit, orare Deum, ut gratiam invenirent in oculis hujus aut illius Gen. xliii. 14. Neh. i. 11. Conf. Exod. iv. 11. Quia 3. in converſione peccatoris, ſpeciali gratiâ diſtinetur, circa intellectum & voluntatem ejus Phil. ii. 12. Joh. vi. 65. Act. xvi. 14. Gal. i. 15. 16. Proinde non *generali* influxu. Quia 4. ſi penes ſolam voluntatem hominis eſſet, influxum Dei generalem, pro arbitrio determinare: tum voluntas eſſet *independens*: αὐτεξούσιος, propriæ fortunæ *ſolus* faber. Tum 5. Decretum Dei *incertum* foret, & præſcientia ejus fallax, neſcia an & quomodo voluntas hominis influxum Dei generalem, ſit determinatura. Atque etiam 6. nec *bonum*, nec malum faceret, quippe quod penderet, à determinatione indifferenti influxus Dei generalis. Neque etiam pœnas aut præmia diſpenſaret: ſi nim. indifferenter influeret in omnia, ſicut cœlum & luminaria in hæc inferiora. Conſequenter 7. nec invocandus, metuendus aut celebrandus foret, magis quam Sol & cœlum ob influxum parilem. Imo 8. cum influxus ille Dei generalis, ſicut quævis ejus operatio, ſi determinaretur aliunde, dependens fieret, mutabilis item, nec purus ſimpliciſſimus actus maneret, id quod plane eſt ἀθεόλογον. Nec juvat in contrarium, quod A. Deus ſit cauſa univerſalis omnium: id enim eſt, non per influxum *generalem* & indifferentem, ſed per influxum maximè particularem, quatenus ille attingit & determinat *omnia & ſingula*. Nec B. verum eſt quod cauſantur, iſto influxu ſingulari (a) tolli libertatem arbitrii humani, cum ita influat, & determinet, ut ille per *conſilium* & complacentiam producat effectum, ſicut jam ante in præcedentibus demonſtravimus; (b) tollat item rerum *contingentiam*, cum ſic influat, ut multa fiant præter intentionem agentis proximi, & multa per talem cauſam, quæ *ſua natura* non ſit determinata ad eundem effectum. Nec C. verum eſt, quod iſte influxus, Deum *auctorem* faciat *peccati*: cum influxus tantum vergat in peccati *ſubſtratum*, cui malitia & ἀνομία accedit à peccante. Prout in præcedentibus docuimus ex profeſſo.

Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones.

XXXIV. Quæritur 7. An circa paccatum providentia divina, non occupetur, niſi *otioſa permiſſione*, ſeu mera ἀνεργεία? Veteres Pelagiani otioſam iſtam permiſſionem extendebant ad quaſvis voluntatis noſtræ operationes, tam bonas quam malas, unde Julianus Pelagianus, ſic argutabatur, ſicut Deus ſe habet circa voluntates malas; ita etiam ſe habet erga voluntates bonas: at in malas voluntates operatur tantum *permiſſivè*: Ergo &c. Pelagiani & Pelagianizontes moderni, videntur iſtam permiſſionem reſtringere ad ſola peccata, prætextu quidem, ne Deus evadat auctor peccati; reverà, ut *independentem* voluntatis humanæ *indifferentiam*, ſartam tectam habeant. Hinc ſua iſta *permiſſione*, volunt Deum, nec *agere*, nec *velle* agere; ſed peccatorem ſibi permittere, ut indifferentem potentiam voluntatis ſuæ, poſſint liberè deducere in actum, eoque patrare peccatum, vel non patrare. Reformati agnoſcunt, Deum circa peccati ἀνομίαν ſeu *malitiam*, qua tota natura peccati exhauritur, non verſari niſi *permittendo* Pſal. lxxxi. 13. Act. xiv. 16. 1. Cor. x. 13. ſed tamen totum *complexum* peccati, quatenus connotat ſubſtratum & ἀνομίαν: ſtatuunt *agendo* etiam occupari, quatenus *vult futuritionem* peccati, quatenus item influxu excitante, vires peccaturi excitat ad talem operationem, cui à peccatore accedat ἀνομία, ſic ut poſita tali actione divina, peccatum, non quidem neceſſariò, certo tamen & infallibiliter ſequatur. Proinde *otioſam* Pelagianorum permiſſionem, meramque ἀνέργειαν explodunt. Pro ſua iſta ſententia Reformati pugnant, his fere rationibus: 1. Quia Scriptura docet, Deum occupari circa peccata, *volendo* eorum futuritionem Act. ii. 23. & iv. 28. Rom. ix. 18. 1. Pet. iv. 19. proinde non *otioſe* permittendo. Quia 2. docet *impellere* ad peccandum 2. Sam. xxiv. 1. *jubere* peccatum 1. Reg. xxii. 22. imo *facere* 2. Sam. xii. 12. Hæc quamvis ſancto & ſano ſenſu ſint intelligenda: evincunt ſaltem, Deum non *otioſa* permiſſione diſtineri circa peccata. Quia 3. *Excæcare*, *indurare*, *tradere* in peccatum, quæ de Deo aſſeruimus in *dogmaticis*, non dicunt, nec ferunt *otioſam* permiſſionem. Quia 4. *ſic permittere* dicitur peccatum, ut permiſſionem iſtam certo & infallibiliter *ſequatur* peccatum Pſal. lxxxi. 13. Jeſ. lxiii. 17. Act. xiv. 16. Quod ſanè non eſt *otioſe* permittere. Quia 5. Vires peccaturi, quæ *erigi* neceſſario debent à Deo Act. xvii. 28. ut peccatum perpetretur, *otioſa* per-

7. An circa peccatum, providentia divina, non occupetur, niſi otioſâ permiſſione? Collatio ſententiarum.

Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

permissione nequaquam eriguntur. Non addam 6. quod *gubernare*, limitare, dirigere peccata, quæ in *dogmaticis* providentiæ divinæ asseruimus, non consistunt in *otiosa* permissione. Si objiciant: Objectiones. A. Scripturas nihilominus circa peccatum *permissionem*, ut diximus, commemorare; nihil habebunt adversus Reformatos, utpote qui permissionem circa peccati ἀνομίαν, lubenter agnoscunt, dum circa totum *complexum* peccati, & nominatim circa ejus substratum, varias credunt providentiæ divinæ operationes, & *talem* insuper permissionem, quam indeclinabiliter sequatur peccatum: proinde *otiosam* tantum respuunt permissionem. Si B. causentur, *permittere* hominibus non esse, nisi non operari: facilis erit responsio, à permissione *humana*, ad permissionem *divinam*, nullam valere consequentiam. Si C. dicant, quod permissionem *efficacem*, itemque peccati gubernationem, indeclinabiliter sequatur peccatum, adeoque Deus *auctor* fiat peccati: jam ante ostendimus falsum esse, quod Deus inde fiat auctor peccati.

8. An providentia divina, immobilem constituat vitæ humanæ terminum ac modum?

XXXV. Quæritur 8. An providentia divina constituat *immobilem* terminum & modum vitæ humanæ? Pelagiani & Pelagiaζοντες, Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ, Lutherani, ut efficacius succurrant *independenti* indifferentiæ liberi arbitrii hominis, qui possit sibi violentas inferendo manus, aliisque, terminum vitæ suæ decurtare; statuunt; providentiam divinam, cuivis homini non ponere immobilem vitæ suæ terminum. Reformati, ut agnoscunt, terminum illum vitæ humanæ, quem *natura* ponit, variari posse; sic terminum illum, quem *Deus* ponit, & *decretum ac providentia* ejus, variari posse, negant. Quod demonstrant (1) eis Scripturis, quæ *omnia* & *singula* providentiæ divinæ exponunt Eph. I. 11. Act. XV. 18. (2) Quæ *minima* quævis, usque ad *gramina*, ad passerculos, imo ad *capillos* ei exponunt Matth. VI. 26. 28. 30. & X. 29. 30. Utquid non *magis* etiam *terminum vitæ* humanæ? vers. 31. Imo (3) quæ singulatim *vitam* humanam Job. XIV. 5. & VII. 1. Psal. XXXIX. 5. & XC. 3. Act. XVII. 26. ei exponunt. Sin minus (4) cum, *quicquid in tempore fit*, ab *æterno* fuerit futurum, si non fuerit futurum *à Deo* ejusque *providentiâ*; fuerit *à se*, adeoque *fato* suberit, plus quam Stoico. Tum etiam (5) vitæ terminus, si non fit *prædefinitus* à Deo; nec certo *præsciri* à Deo posset, cujus contrarium, plurimis exemplis Scriptura ostendit, v. g. Mosis Deut. XXXI. 14. infantis Davidis 2. Sam. XII. 14. Filii Jeroboami 1. Reg. XIV. 12. Ahasiæ 2. Reg. I. 4. Hiskiæ Jes. XXXVIII. 1. Petri Joh. XXI. 18. 2. Pet. I. 14. Christi Luc. XVIII. 32. Joh. XII. 33. Quin (6) mortis *genus* maximè fortuitum, *à Deo* definitum Objectiones. legitur Exod. XXI. 13. 14. Deut. XIX. 3. 1. XXII. 20. Nec his obstat A. quod à *conditionibus* suspendatur ejus *prorogatio* Exod. XX. 12. Eph. VI. 2. Deut. XXX. 20. Prov. III. 1. 2. & *diminutio* Levit. XXVI. 25. Deut. XXX. 18. Psal. LV. 24. Resp. Suspenditur quidem, per *promissionem* aut *comminationem* à conditione; sed quæ juxta cum *conditionato*, jam ante prædeterminata est, à *decreto* æterno. B. Quod exempla *mutabilitatem* termini vitæ humanæ, videantur confirmare, in Hiskia 2. Reg. XX. 1. & seq. Ninivitis Jon. III. 4. Israëlitis in deserto Num. XVII. 12. 13. Davide 2. Sam. XXIV. 15. sociis Pauli in naufragio Act. XXVII. 20. 24. Sodomitis & vicinis Gen. XIX. collat. cum XVIII. 32. Absalone 2. Sam. XVIII. 14. Ahasia 2. Reg. I. 2. Resp. Hiskias, David, socii paulini, morituri fuissent ex ordine *causarum secundarum*, non autem ex *determinatione decreti* & providentiæ divinæ. Ninivitis denunciatus fuit interitus sub *conditione*; sed subintellectâ *resipiscentiæ*, quam severâ ista *comminatione* q. extorquere Deus nitebatur. Antediluviani, Sodomitæ & cæteri prorogassent vitam, si *resipuissent*, quod ipsis dare Deus non *decreverat*. Conf. exemplum Nebucadnezaris Dan. IV. C. Quod hac ratione *omnis* medicamentorum *usus* videatur penitus *eliminandus*. Resp. Neutiquam, cum *per* medicamenta, *decretum* & providentia divina, *vitam* proferat usque ad *constitutum* ejus terminum, ut patet in Hiskia. D. Quod hoc pacto, ad *peccatum* videantur divino *decreto* destinati, qui sibi *violentas manus* inferunt, ac suis sceleribus pereunt, eoque Deus *peccati auctor* evadat. Resp. Nequaquam *auctor* fit, quia tantum *futuritionem* decrevit, ejus sceleris quod perpetrandum est à *peccatore*, velut *unico* ejus auctore: nec influit nisi in ejus actum *substratum*. E. Quod hac hypothesi, nemo *libere* se ipsum occideret. Resp. Omninò *libere*, quatenus αὐτόχειρ ex consilio proprio seipsum interficit, licet mortis ipsius *futuritio*, ex *decreto* divino, *certo* fiat & indeclinabiliter.

Pars practica.

Providentia divina explicat gloriam Dei.

XXXVI. Providentia divina, nobis *primo* explicat *gloriam* Dei. *Ex eo, per eum & ad eum sunt omnia, ei sit gloria in secula amen* Rom. XI. 36. Exod. IX. 16. Psal. XIX. 1. 2 — & XXIX. 1 — & CIV. 1 — & CXLII. 1. — Utpote quæ *omnibus* & *singulis*, maximis, minimis; necessariis, contingentibus, liberis; bonis & malis *prospicit*, secundum æternum *consilium* voluntatis suæ. Singulatim explicat gloriam (1) *Sapientiæ* Jes. XXVIII. 29. Dan. II. 20. 21. Psal. CIV. 24. quam imprimis significare nituntur *rotæ* illæ undique *oculatæ*, quibus Deus insidet, ex visione Ezech. I. — *oculi* illi Dei, quibus *lustrare* dicitur *universam terram* 2. Paral. XVI. 9. Prov. XV. 3. (2) *Potentiæ*, quæ ut in *providentia*, ita & in *Scripturis* plerumque conjungitur Job. XXXVI. 4. 5. Psal. CXLVII. 5. utpote

1. Gloriam.

Sapientiæ,

Potentiæ,

pote quæ, *quidquid vult operatur* Pſal. cxv. 3. *Mirificat conſilium & magnificat ſapientiam* Jeſ. xxviii. 29. Tot enim ac tanta, quin *omnia* & ſingula, hujus univerſi, abſque *infinitâ potentiâ*, peragi non poſſe, quilibet abſque negotio perſpicit. (3) *Bonitatis*, qua *omnibus* proſpiciendo, in *omnia bonitatem* ſuam profundit. Ut *univerſa terra impleta dicatur bonitate ejus* Pſal. civ. 24. 27. 28. Conf. Pſal. cxlvii. 1. 8. 9. (4) *Sanctitatis*, per quam, in omnibus *viis* ſuis, etiam ubi *circa mala* occupatur, *ſanctus* eſt & optimus Deut. xxxii. 4 *Opus Dei rectum eſt, omnes viæ ejus juſtæ, Deus veritas, & non eſt iniquitas in eo, juſtus & rectus eſt.* (5) *Juſtitiæ*, qua per omnem providentiam *ſuum* cuique tribuit Apoc. xv. 3. & xvi. 5. Exod. xxxiv. 7. Rom. i. 18. 19. 2. Theſſ. i. 6. Heb. vi. 10. (6) *Poteſtatis* & imperii, à quo per providentiam, *ſedere Jehova* dicitur *Rex in ſeculum* Pſal. xxix. 10. Quoniam omnia & ſingula ſapientiſſimè, potentiſſimè, optimè gubernat. Iſtam autem Dei gloriam, ad hoc explicat. A. Ut *agnoſcamus* Pſal. c. 3. B. Ut *admiremur* Jeſ. xxviii. 29. Pſal. civ. 24. Rom. xi. 33. 34. 35. C. Ut *celebremus* Pſal. lxvi. 16. & ix. 2. 15. & cxlv. 6. Ut tandem D. quantum fieri poteſt, in *noſtrâ* providentiâ, ſeu in noſtris *curis*, erga *cultum* divinum, erga *nobis* ſubjectos, & propriam *ſalutem*, imitando ſapientiam, benignitatem, juſtitiam conferamus 1. Cor. vii. 32. 34. 1. Tim. v. 8. 1. Pet. v. 2. 3. Phil. ii. 12.

Bonitatis,

Sanctitatis,

Juſtitiæ,

Poteſtatis,

XXXVII. *Secundò* monet, ſollicite nobis *caveamus*, ne quovis *modo*, in *providentiam* Dei impingamus Hoſ. xiv. 10. Quod fit A. *Abnegando* providentiam Dei cum Epicuræis, Atheis & profanis, qui *fortunam* aut *fatum* ei ſubſtituunt, quos in parte *Elenchica* §. xxviii. xxxiii. jam ante notavimus & confutavimus. B. *Dubitando*, ſeu de veritate, ſeu de *univerſalitate* providentiæ divinæ. Quod non *impiis* tantum accidit. Pſal. lxxiii. 11. &c. & xciv. 7. 9. 10. 11. ſed quandoque *piis* etiam Num. xi. 18—24. C. *Accuſando* & corripiendo providentiam, expoſtulando cum eadem 1. Sam. ii. 10. Jeſ. xli. 11. & xlv. 9. & l. 9. Rom. ix. 20. 21. Quod, ſuo judicio, *malis* benè proſpiciat Job. xxi. 7. Pſal. lxxiii. 2. 3. 13. Jer. xii. 1. 2. & vice verſa, *bonis* male: quod tot *confuſa* & *perverſa* permittat, imo & ſceleſta, crudelia &c. & quidem *impunita*. D. *Negligendo*, Hoſ. iv. 10. aut *contemplationem* providentiæ operumque ejus Jeſ. xlii. 20. Pſal. xcii. 6. 7. Jeſ. v. 11. 12. 13. 14. aut *uſum* ejus, quando rerum *eventus*, proſperos aut adverſos, ad *alios* quoſvis referimus, quam ad divinam providentiam Jer. xvii. 5. aut à *propriâ* ſapientiâ, fortitudine, opibus aliiſque *ſuſpendimus* Hab. i. 16. Pſal. lii. 3. E. Ei *obnitendo*, obmurmurando, ſi quid *ex ſententia* parum cadat Thren. iii. 29. aut *recalcitrando* Act. ix. 5. cumque eâ quaſi *pugnando* Act. v. 39. F. *Declinando* à providentiâ divinâ, ad fiduciam in *mediis* Jer. xvii. 5. quaſi à *mediis* ipſe penderet, nec indifferens penes ipſum *multis ſervare aut paucis* 1. Sam. xiv. 6. per *media* aut *abſque* iis Pſal. cv. 40. Jer. xxxii. 27. per *debilia* perinde ac per valida 1. Reg. xvii. 14. Matth. iv. 4. quaſi item in ejus non eſſet poteſtate, *efficaciſſima* media caſſa & irrita reddere Pſal. xxxiii. 16. 17. Hoſ. iv. 10. Pſal. cxxvii. 1. 2. & è contrario *debiliſſima* proſperare Dan. i. 15. 2. Reg. iv. 42. 43. 44. aut etiam invitis & *contrariis* mediis operari & ſervare Dan. iii. 17. 22. 25. Joh. ix. 6. ii. 15. Aut contra G. *Aſpernando* mediorum *uſum* Jeſ. xxxviii. 5. collat. cum Matth. iv. 4. Quovis horum modorum, ſi in *providentiam* divinam impingamus, non modo illam nobis, in quovis caſu *inutilem* reddemus; ſed *inimicam* quoque & obnitentem Pſal. lii. 9—7. Jer. xvii. 5—9.

2. Abſterret à ſeptuplici abuſu.

XXXVIII. *Tertiò* nos provocat, qui varios *meatus*, ambages & anfractus divinæ providentiæ, ad animum *nobis* ſedulò revocemus Pſal. cxi. 2. & lxxiii. 12. 13. Exod. viii. 19. quin & *aliis* revocemus Pſal. lxvi. 5. Utique *ordinarias* illius ſeu communis, quâ circa quaſvis creaturas promiſcuè diſtinetur, exemplo Pſalmi civ. & viii. Sigillatim circa creaturas *rationales*: cum *malas*, per vias juſtitiæ & vindictæ, exigente Deo Deut. vii. 18. 19. Prælucentibus Jobo cap. v. 3. 4. 5. & xxi. 17. 18. 19. & Davide Pſal. xxxvii. 35. 39. 34. tum *bonas*, partim per actus *emendationis* Pſal. lxxxix. 30. 31. 32. Deut. xxiv. 9. Jer. vii. 12. 1. Cor. x. 11. partim per actus *proſperationis*, benedictionis, conſolationis, Pſal. xxxvii. 25. 26. 37. Prov. x. 6. Sed imprimis etiam *extraordinarias* & inſolitæ caſus, quando v. g. (a) præter omnem ſpem *mediis* plane *inuſitatis*, hunc *elevat* Pſal. cxiii. 7. 8. Gen. xxxii. 10. & xli. 14. 41. & xlv. 9. illum *dejicit* Eccl. iv. 14. Aut (b) Modo plane *palpabili*, ſuos præſentiſſimo exitio *ſubducit* Jud. v. 20. 21. Joſ. x. 11. 13. Pſal. xlviii. 8. & xii. 6. 1. Sam. xxiii. 26. 27. 28. Aut (c) Impios ſuâ *vindictâ* in exemplum exagitat Joel. i. 2. 3. Jer. iii. 3. Hag. i. 5. 6. Provocat, imprimis eos attentiſſime obſervemus providentiæ actus, quibus ſuis electis *peculiariter* proſpicit, ſuæque Eccleſiæ, (de quibus ex profeſſo per univerſum Pſalmum lxxx. Deut. xxxiii. 11. Exod. xiii. 21. Jeſ. lviii. 8. Eſth. vi. 1. &c. quo ſpectat mirabilis illa Dei *œconomia*, in colligenda, conſervanda, protegenda, adaugenda, redimenda, beatificanda ſua Eccleſia, quæ per univerſum Inſtrumentum ſacrum, ex profeſſo repræſentatur) & cuilibet ejus genuino *membro*, ut videre eſt v. g. in Abrahamo & Iſaaco Gen. xxii. 12. in Jacobo Gen. xxxii. in Joſepho Gen. l. 20. Act. vii. 9. 10. 11. in Davide 1. Sam. xxiii. 26. 27. & infinitis aliis, in quavis hiſtoria, ſacra,

3. Provocat ad obſervandos providentiæ motus: verſus quævis & quoſvis promiſcue.

Verſus Eccleſiam & electos.

Versus quemque nostrum singulatim: Quoad animam.

sacra, ecclesiastica, profana, passim obviis. Singulatim autem omni *cura* observandi nobis providentiæ divinæ *actus*, circa *nos ipsos* Job. v. 27. Prov. III. 6. Psal. LXVI. 16. A. Quoad *animam* nostram, seu spiritualia (1) in convertendo ac traducendo *eam* è statu *peccati*, in statum *gratiæ* 1. Cor. XV. 10. (2) In consolando & erigendo sub *adversis* Psal. CXIX. 50. & XCIV. 19 -- & XLII. 11. Jes. XII. 1. -- 2. Cor. 1. 3. 4. (3) In manifestando *seipsum* faciemque suam Job. XLII. 5. Psal. IV. 6. 7. Rom. V. 5. & VIII. 16. (4) In dispensando ac conferendo nobis bona *domus suæ* Psal. LXXXIV. 1. 2. 3. 4. 10. & CXIX. 103. & LXIII. 1. 2. (5) In exaudiendis *votis* nostris 1. Sam. 1. 27. 28. Psal. X. 17. B. Quoad *corpus* seu terrena, tam in *secundis*, ut nobis adspiraverit suâ *benedictione*, quoad *vitam*, sanitatem, vocationem, matrimonium, uxorem, liberos, successus quosvis Psal. CIII. 4. 5. Gen. XXXII. 9. 10. quam in *adversis*, ut (a) in *egestate* prospexerit Psal. CIII. 5. seu *immediatè*, ut Israeli missâ mannâ, productâ aquâ è silice; seu *mediantibus* amicis ac *vicinis*, aut peregrinis Act. XXVIII. 7. 10. aut *inimicis* Psal. CVI. 46. aut *brutis* 1. Reg. XVII. 6. aut benedicendo *pauculis* vivendi mediis, quæ suppetebant, ut diu potuerint necessitatibus nostris *sufficere* 2. Reg. IV. 1--8. (3) In rebus *dubiis* & extremis, ut nobis affuerit suâ *gratiâ* 2. Tim. IV. 26. 17. ut mirabiliter aliquando *eripuerit* Gen. XLVIII. 15. 16. cum omnia viderentur *desperata* Gen. XXII. 12. 13. 14. 2. Cor. 1. 8. 9. 10. ut mala *temporalia* direxerit in bonum *spirituale* Psal. CXIX. 67. 71. Job. XLII. 12. ut per *adversa* plurima, nos diduxerit ad honores, ad tranquillitatem summam, quod patet in Josepho, Davide, Daniele aliisque. Cuncta hujus generis sic observanda sunt, ut: 1. In *memoriæ* repositoria congeramus, ne unquam *effluant*, mandante Deo Deut. VIII. 2. 11. & XV. 15. prælucentibus Sanctorum exemplis Psal. CIII. 2. qui, ne effluerent, multis modis alere solebant in omnibus istis memoriam: sæpius *repetendo* Psal. LXXVII. 5. 6. 10. 11. 12. & CXLV. 5. 6. erigendo quævis *memorialia* 1. Sam. VII. 10. 12. imponendo rebus peculiaria *nomina* rememoratoria 1. Sam. 1. 20. Gen. XXII. 14. Esth. IX. 26. Ut 2. congesta convertamus in *usus* nostros, ad (a) glorificandum *Deum* Exod. XV. 11. 2. Paral. VI. 14. Psal. XXXIV. 3. 4. 6. Conf. §. XXXVIII. (b) Ad confirmandum *animum* in quavis fortunâ 1. Sam. XVII. 37. 2. Cor. 1. 10. 1. Tim. IV. 17. 18. (c) Ad erigendos *alios* in quovis casu 2. Cor. 1. 3. 4.

Quoad corpus.

4. Ostendit officium nostrum in secundis.

XXXIX. Peculiariter *quartò*, *monet*, omnem prosperitatem nostram, tam *corporalem* quam *spiritualem*, ad providentiam divinam referamus, tanquam ad primam ejus ac primariam *causam* Psal. CIII. 2. 3. 4. 5. 1. Cor. XV. 9. 10. Ut inde A. Deum *extollamus* & nosipsos *deprimamus* Ps. XXIV. 3. 4. 6. Gen. XXXII. 10. Ut B. *Diligamus* tenerrime Psal. CXVI. 12. & LXXIII. 25. Ut C. Ei *gratias* referamus studiosissimè Psal. CIII. 1. 2. 3. Jud. V. 1. -- Exod. XV. 1 -- 1. Sam. II. 1. Psal. XXXIV. 1. 2. Joel. II. 26. Ut D. Ei in omnibus *obediamus* promptissimè, nos nostraque studia, ei impendendo, quasi *compensaturi* collata beneficia. 2. Paral. XXXII. 25. Psal. CXVI. 12.

5. In adversis animum confirmat. Quibus casibus.

XL. Contra *quinto*, in *adversis* quibusvis, cum spiritualibus, tum corporalibus, providentia divina *animum* nostrum *confirmat*, adversus anxias quasvis sollicitudines Matth. VI. 25 -- 33. 1. Pet. V. 7. Psal. XXXVII. 5. 6. 7. Si quando: 1. Media *deficiant* votis nostris paria, inefficacia, mortua: non media quævis, sed *providentia* divina, votis satiandis, explendis unicè sufficit Psal. CVII. 9. Si quando media 2. nobis *obstrepant* & eventus adversentur Jer. XIV. 19. modo Deus & providentia ejus *pro nobis*, quid nobis possit esse *contrarium*? Rom. VIII. 31. quippe quæ, maximè etiam nobis adversa, *dirigere* potest, ut nobis cooperentur in bonum. Ibid. vers. 28. Si quando 3. *vivendi* media deficiant, ut fame aut siti &c. *pereundum* videatur 1. Reg. XVII. 12. Marc. VIII. 4. Providentia Dei *quotidie* nostri curam gerit Matth. VI. 34. 1. Reg. XVII. 14. 15. & vers. 4. 5. 6. Si quando 4. urgentium, sibique *succedentium* malorum caterva pessundet Job. 1. 15 -- 20. non aliundè resultant, quam à *paternâ* Dei providentia Job. V. 6. Amos. III. 6. cujus ope ad oppressiones *constituti* sumus 1. Thes. III. 3. quæ interim quævis etiam, in *bonum* nostrum, pessima licet, convertere potest Heb. XII. 11. Psal. CXIX. 71. & XCIV. 12. Et sic in analogis quibusvis, providentiæ divinæ meditatio efficax est, quæ omnes anxias *curas* pellat. Si comprimis cogitemus, esse hujusmodi curas, non tantum 1. *peracerbas* & amaras, quæ animam deprimant Luc. X. 41. Prov. XII. 25. & XVII. 22. & XV. 13. Psal. XLII. 12. ut *dies vitæ* suspiriis & gemitibus absumas Prov. XV. 19. dum contra, qui in providentiam Dei *devolvit* curas, in omnibus est æquanimis & lætus Psal. XXXVII. 3. 4. 5. 2. Sam. X. 12. Nec tantum 2. *vanas* & inutiles Matth. VI. 27. cum à solâ Dei providentia, omnis pendeat *successus* Psal. CXXVII. 1. Marc. IV. 26. 1. Cor. XV. 37. 38. sed etiam 3. *noxias*, quæ impediunt, ut providentiâ Dei, istis quasi suspque deque habitâ; non conferat exoptatos *successus* 2. Reg. VII. 2. Conf. Matth. XIV. 28. 29. 30. Addam 4. *Superfluas*, cum Deus nostri curam *dudum* susceperit Heb. XIII. 5. 6. 1. Pet. V. 7. Psal. XXXVII. 5. Ipse enim *novit*, omnem sortem ac fortunam nostram exactissimè Exod. III. 7. 8. novit quæ nobis sunt *necessaria* Matth. VI. 31. 32. *potest* item succurrere Psal. CXV. 3. Eph. III. 20. 2. Pet. II. 9. *vult* ut Pater, ut pastor. Heb. XIII. 5. Psal. XXIII. 1. 2. -- imò *debet* etiam, ex *promissione* & pacto Jes. XLIII.

2. 3.

2.3. & *fecit* etiam constanter, nec unquam fefellit Psal. xxxiv. 11. & xxxvii. 18. 19. 25. Contra 5. anxias istas sollicitudines, in Deum ejusque providentiam plane *injuriosas* esse, dum nobis ac *nostris* curis illam q. arrogamus, proinde propriæ *sagenæ sacrificamus* Hab. 1. 16. nosque *Deos* facimus 2. Paral. xvi. 7. 8. 9. Num. xiv. 11. 12. Tandem 6. Et nos ipsos *ineptos* reddere, ad omnem *cultum* divinum Matth. xiii. 22. Luc. xxi. 34. & x. 40. Matth. vi. 32.

6. In quovis casu suadet dependentiam à Deo.

XLI. Proinde *sextò*, suadet, in *omnibus* negotiis nostris, à *solâ* Dei providentiâ securi pendeamus. Hoc est: (1) Nosipsos, nostram sortem, & negotia, quanta quanta sunt, providentiæ divinæ *arbitrio*, sapientiæ & potentiæ confidenter *committamus* Psal. xxxvii. 5. 1. Pet. iv. 19. & 11. 23. 2. Tim. i. 12. (2) Omnes nostras *cogitationes*, affectus ac desideria, ejus sapientissimæ directioni submittamus, in omnibus contenti, prout Deus disposuerit 2. Sam. xv. 25. 26. Matth. vi. 10. & xxvi. 39. (3) Nunquam nimium *festinemus*, aut præcipitemus vota ac desideria nostra. Jes. xxxv. 4. & xxviii. 16. nec divinæ providentiæ *tempus* aut modum *limitemus* Psal. lxxviii. 41. Joh. ii. 3. 4. aut *perversis* mediis in vota nostra enitamur 1. Sam. xxvi. 10. 11. (4) Nec de *futuris* conatuum nostrorum successibus, nimium *angamur* Ps. xlii. 12. & xliii. 5. Sed (5) in omni providentiâ divinâ, qualiscunque illa sit, versus nos, non placidè tantum *acquiescamus*; sed *lætemur* quoque Eccl. iii. 12. 13. & *gratias* Deo agamus Job. i. 21. Atque, ut *omnibus* istis modis, nos à providentiâ Dei suspendamus, conducet cogitare: A. cum dependendum nobis *alicunde*, quoniam creaturæ sumus; non esse à quo *tutius* pendeamus, quam à *Deo*, qui *solus* independens, sapientissimus, potentissimus, optimus est; dum creaturæ *quævis*, quod aliunde pendeant, & sapientiâ, potentiâ, bonitate limitatâ gaudeant; *fallax* ac lubricum nobis præstant fundamentum, quo nitamur, seu à quo pendeamus Psal. lxii. 10. 12. B. Nec certius consequendi voti *medium*, quam *pendere* à Deo, ejusque providentia Prov. iii. 6. Psal. xxxvii. 5. 39. 40. Nec contra C. *certior causa* frustrationis, quam si aliunde vota tua requiras Ps. lii. 9. Jer. xvii. 5. Nec D. Quemquam ista dependentia unquam fuisse *falsum* Ps. xxv. 3. & xxii. 5. Et qui E. ejus securitatem, in *paternâ* ejus cura, à teneris sæpius *expertus* non sit Psal. xxii. 9. 10. 1. Sam. xvii. 37. F. Qui proprium & unigenitum suum *filium*, dudum tuæ saluti impendit Rom. viii. 32. G. Quî *passerculis* ac liliis prospicit; homini, qui à se totus & unicè *pendet*, non prospiceret? Matth. vi. 26. 30.

Modus.

Motivæ.

7. Adstringit nos Deo, ut

XLII. Sigillatim *septimò*, providentiæ divinæ devota meditatio, nos Deo, *obstringat*, ut ei *immobiles adhæreamus*, cum eo indefinenter *ambulemus*, neu dextram, neu sinistram versus, ab eo *declinemus*; nec spe alicuius *boni* aliunde obtinendi, aut *mali* declinandi fiducia, latum unguem ab eo avelli nos patiamur: quod *omnes* creaturæ ei adeo *subsint*, ac pendeant à nutu providentiæ ipsius, ut nisi eo imperante, hilum nobis *conferre* non possint, seu boni seu mali Thren. iii. 37. 38. Jes. xlv. 5. 6. 7. Hoc modo Abrahamum sibi Deus adstringit Gen. xvii. 1. Ubi se ipsi præstitisset *Deum omnisufficientem* (qui sibi *clypeus* foret, averruncando quovis *malo*, & *merces magna valde*, cuivis *bono* necessario, aut desiderabili conferendo, sufficientem) allicit, ut secum *ambulet*, sitque *integer*.

cum eo ambulemus.

8. Suppedit piis solatium in quibusvis eorum afflictionibus.

XLIII. Ad hæc *octavo*, universalis in omnia, & particularis in *suos* Dei providentia, *solatium* præstat efficacissimum, in quavis *afflictione*, seu spirituali, seu corporali, quantacunque etiam illa fuerit. Quod nim. (1) Deus providentiam suam *omnibus* impendat, *minimis* etiam, passerculis, liliis, graminibus Matth. vi. 31. Luc. xii. 6. 7. imo *capillis* omnium numerandis; nunquid potius *maximis*, hominibus? Ut rectè Augustinus: Si *sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? In Joh. Homil.* 24. Quod interim (2) singulari modo, eam impendat suis quasi *domesticis* 1. Tim. v. 8. & Gal. vi. 10. collat. cum 1. Tim. iv. 10. Psal. lv. 15. Eph. ii. 19. Unde *respicere* dicitur in *justos* Psal. xxxiv. 16. eosque *nominatim* exactissimè *nosse* Joh. x. 3. 2. Tim. ii. 19. utpote quorum *nomina* consignata servas in libro vitæ Psal. lxix. 29. Phil. iv. 3. Jes. xlix. 1. 2. 15. 16. Conf. Matt. xviii. 10. 14. & Job. i. 8. & ii. 3. Nec tantum ipsos adeo exactè *nosse* & videre ac respicere Jes. lxvi. 1. 2. sed etiam (3) eorum *calamitates* Exod. iii. 7. Usque ad *lacrymulam* Psal. lvi. 9. Job. xxxi. 4. Psal. cxxxix. 2. 3. 4. à quo Hagar eum appellabat, *Deum videntem se* Gen. xvi. 13. Conf. Cap. xxix. 32. Nec videt tantum, sed (4) *sentit* quoque, & quasi *dolet* Hos. xi. 8. Jer. xxxi. 20. Jes. lxiii. 9. Psal. cii. 13. Jes. xlix. 10. Act. ix. 4. Proinde (5) Quotquot & *quantacunque* eos urgent calamitates, non *aliunde* quam à paternâ quadam curâ eos urgere Joh. xix. 11. 2. Sam. xvi. 10. Luc. xxii. 22. & xxiv. 26. cui utique placidè acquiescendum Act. xxi. 41. 1. Sam. iii. 18. Ps. xxxix. 10. 1. Pet. iii. 17. Cum præsertim (6) eo quod *pater* sit *omnipotens*, A. *possit* absque negotio *removere* plagas illas, & removere à suis soleat, ubi suam ἀκμὴν fuerint assecutæ. Exod. ii. 23. 24. 25. & iii. 7. 8. Esth. vi. 1. &c. Ps. xxxix. 14. & cxxxviii. 7. 8. Jes. xxvi. 13. 14. aut saltem B. *mitigare* ac limitare 1. Cor. x. 13. Joh. i. 12. & ii. 6. Sunt enim *omnia*, usque ad diabolos, sub omnipotenti ejus providentia, velut ejus *instrumenta* 1. Reg. xxii. 21. Matth. viii. 31. 32. Sunt ejus *exercitus* Jes.

xl. 26. & x. 5. nec abſque Deo quicquam poſſunt Act. xvii. 28. Aut ſi hoc nolit, C. Poteſt *peſſima* quævis, in *bonum* eorum convertere Rom. viii. 28. Semper *bona* Dei manus, ipſis incumbet in *bonum* Eſd. viii. 22. Cujus exemplum perſpicuum eſt, in Joſepho aliiſque Gen. l. 20. Luc. xxiv. 26. 2. Cor. iv. 17. 18. Act. xiv. 22. 2. Tim. iv. 17. 18.

9. Nominatim in publicis Eccleſiæ perſecutionibus.

XLIV. Nominatim *nono*, in publicis Eccleſiæ calamitatibus & perſecutionibus, ipſis à providentia divina efficaciſſimum ſuppetit *ſolatium* : quod (a) per eam, ſibi nihil poſſit obvenire ab hoſtibus ſuis, niſi quod *prædefinitum* fuerit à Deo Act. iv. 27. 28. ac dirigendum etiam ſit in *propagationem* & *augmentum* ſuum: quod patet in perſecutione Ægyptiaca Exod. i. Herodiana in Actis, Cæſareana ſub primitiva Eccleſia Chriſtiana. Quod (b) providentia divina ſit *omnipotens*, qua ut *manu* ſua quaſi ſuſtinet *ſtellas* Apoc. i. 20. & ii. 1. Jeſ. li. 12. 13. 15. 16. & xli. 8. 10. 14. Rom. viii. 31. qua *Principem* agit *exercituum* Dei Joſ. v. 15. Conf. Jeſ. viii. 12. Proinde poteſt A. *Compeſcere* furores hoſtium 1. Paral. xxix. 12. Jeſ. lix. 19. B. *Conculcare* quantaſcunque eorum vires Pſal. ii. 9. Exempla patent in Pharaone, Sennacharibo, Achitophele, Haman, Juliano & mille aliis. C. *Salutem* Eccleſiæ *promovere*, vel ringentibus quibuſvis hoſtibus; diriſſimiſque ipſorum perſecutionibus Exod. i. ii. 12. Pſal. ii. 1. 4. 6. D. *Roborare* Eccleſiam ſuam, ut peſſima quævis perferat & ſuperet 1. Joh. v. 5. Rom. viii. 37. Phil. iv. 13. Quod (c) adeo ſit *miſericors*, ac tenera verſus Eccleſiam ſuam *cura*, ut affectui *Patris* æquiparetur, verſus filiolum ſuum Jer. xxxi. 9. & *Matris* Jeſ. xlix. 15. & *paſtori* Pſal. lxxx. 1. Jer. xxxi. 10. & *amici* Cant. v. 16. Proinde quam maximè *ſenſibilis* ſit malorum ejus Exod. ii. 23. 22. 25. & συμπαθὴς. Jer. xxxi. 20. Jeſ. lxiii. 9. Deut. xxxii. 10. Quod (d) adeo etiam ſit *ſapiens* & perſpicax, ut pervideat (1) quid *conducat*, quid *obſit* Eccleſiæ Matth. vi. 32. (2) qua ratione, quibus *mediis* (3) & quo *tempore* ei ſuccurrendum ſit 2. Pet. ii. 9. Quod (e) adeo *fidelis* in iſta cura 1. Theſſ. v. 24. Joſ. xxiii. 14. Pſ. c. 5. Tandem (f) & *conſtans* ac perpetuus, in ſua cura Pſalm. cxxi. 3. 4. 8. Jeſ. li. 8. & xlii. 14. 15. 16. Modo ipſa Eccleſia, ſub perſecutionibus gemens: A. Seſe *convertat* ab omnibus illis, quæ providentiæ divinæ curam, quaſi *obſtruere*; & contra *iram* ejus commovere conſueverunt Pſal. lxxxi. 14. 15. 16. Joſ. vii. 11. 12. 13. Jeſ. i. 16. 17. 18. Qualia comprimis ſunt in *diffidentia*, in idololatria, rebellione, obmurmurationibus Pſ. xcv. 8. 9. 10. 11. Num. xiv. 23. Ut videre eſt in Iſraële. B. *Precibus* ſeſe proſternat, coram providentia divina Jeſ. lxiv. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & lxii. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Dan. ix. 3. C. *Fiduciam* unicè collocet in providentia divina 1. Pet. v. 7. Pſal. lv. 23. & xxvii. 5. 1. Pet. iv. 19. D. Ei conſtans *adhæreat*, & in viis ipſius *ambulet* 2. Paral. xv. 2. Pſ. lxxxi. 14. 15. 16. 17. E. *Quamvis* ſortem, vel duriſſimam, à providentia divina ſubmiſſe & patienter *ferat* Mich. vii. 9. Pſ. xxxix. 10. Iſtiſque omnibus F. Placide præſtoletur, *horam* illam liberationis, quam providentia divina ſibi definiverit Joh. ii. 4. Pſ. xxvii. 13. 14.

CAPUT UNDECIMUM,

DE

PROVIDENTIA SPECIALI.

Deut. xxx. 16. 17. 18.

Ego præcipio tibi hodie, ut diligas Jehovam Deum tuum, & ambules in viis ejus, & cuſtodias præcepta ejus, & ſtatuta & judicia ejus. Ut vivas & multipliceris, benedicatque tibi Jehova Deus tuus, in terra quam ingredieris ut poſſideas. Quodſi avertit ſe cor tuum--denuncio vobis hodie quod pereundo peribitis &c.

Providentia moralis.

I. Providentiam *generalem*, qua circa quasvis creaturas occupatur operatione *phyſica*, ſequitur *ſpecialis*, qua peculiariter circa creaturas *rationales* diſtinetur, gubernatione *morali*, per quam ipſæ ſua ſponte ſe determinent, ad operandum aut non operandum, quæ præſcribendo officium peragitur, & illud urgendo, prout Moſes docet Deut. xxx. 16. 17. 18. &c.

Pars

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Ubi providentiam* ſpecialem, *ſeu* gubernationem *Dei* moralem, *in præcipiendo & prohibendo; cum ſuis ſanctionibus, promiſſionibus & comminationibus, deſcribit. Circa quam repræſentantur,*

1. Gubernans, Ego, *utique Moſes, ſupremus quidem Gubernator ac* νομοθέτης: *ſed non ſuo* nomine, *verum nomine Dei, velut ejus* Miniſter, *fidelis in tota domo Dei* Heb. III. 4. 5. *ut principalis poteſtas* νομοθετικὴ *ſit penes Deum*, unicum Legiſlatorem qui poteſt ſervare & perdere Jac. IV. 12. *Ex quo eadem opera percipimus, Deum providentia ſua morali, gubernare homines, non ſemper* immediatè *quemadmodum non raro feciſſe legitur* Gen. II. 16. 17. Exod. XX. 1... *ſed frequenter etiam per creaturas* rationales, *Angelos & homines, cujus paſſim in Scripturis, obvia ſunt exempla.*

2. Gubernandi: vobis, *populo Iſraëlitico, qui conſiderari poteſt, ut* homines, *& ſic eos gubernabat, per legem moralem, in Decalogo: ut* Eccleſia, *per leges* ceremoniales; *ut* cives *iſtius Reipublicæ, per leges* forenſes. *Hominibus enim, ſub triplici iſta relatione, per animam ſuam rationalem facultas competit,* percipiendi *officium ſuum, &* obediendi *præcepto, aut eidem obſtrependo.*

3. Gubernatio. *Quæ duo concludit:*

A. Præſcriptionem *boni præſtandi* verſ. 16. *Quæ complectitur;*

1. Actum *gubernandi:* præcipio מצוה. *Significat proprie*, præſcribere *officium præſtandum, cum auctoritate obligatoriâ, itemque* perſuadere *ac dirigere: cum* על, *negationem includit, & ſic notat* prohibere *& vetare, obſervante Mercero in* Amoſ. II. 12. *item R. David Kimchi. Nonnunquam etiam ſonat,* permittere 1. Reg. V. 6. *Sicut etiam Græcorum* ἀνατέλλω Matth. XIX. 7. Marc. X. 4. *Hoc loco notat præſcriptionem officii.* Præcipio, *hoc eſt*, indico *tibi officium præſtandum &* obſtringo *ut præſtes, idque ſub* commination*e pœnæ, ſi non præſteteris.*

2. Officia *præceptione ſeu gubernatione præſcripta. Quæ ſunt:*

A. Moralia, *omnes, pepetuò, & ſemper obſtringentia, nim.*

1. Amor Dei: ut diligas Jehovam Deum tuum. *Hic notantur:*

α. Actus *amandi*, ut diligas לאהבה ad amandum. *Hoc* LXX. *Interp. diverſimode referunt: jam per* ἀγαπάω diligo, amo; *jam per* φιλέω Prov. XVII. 20. *jam per* χαίρω gaudeo; *jam per* ζητέω quæro. *Notant Grammatici, τὸ* אהב *ſignificare affectum* ardentem *&* vehementem, *tenerum & affectione plenum. Eſt enim amor Dei, non modo* fons *ac ſcaturigo omnis officii verſus Deum, adeo ut* nullum *ſit, quod ab amore non reſultet: ſed* complexus *etiam omnium officiorum, unde illud,* diliges Dominum Deum tuum, hoc eſt primum & præcipuum præceptum Matth. XXII. 37. 38.

β. Objectum *amoris*, Jehovam Deum tuum. Jehovam, unum *eſſentia:* Elohim, *trinum perſonis, & quidem ut* tuum, *ex confœderatione.*

2. Converſatio *cum Deo*. Et ambules in viis ejus ללכת ad ambulandum, incedendum. *Eſt* incedere *per varios paſſus, à termino in terminum ſe promovere.* בדרכיו in viis ejus. Viæ Dei *ſunt, vel in quibus* ipſe *ambulat, via* providentiæ Pſal. CXXXVIII. 5. *quæ ſunt, ſeu via* gratiæ *& miſericordiæ* Pſal. XXV. 10. *ſeu* juſtitiæ *& judiciorum* Pſal. CXLV. 17. Ezech. XVIII. 25. 29. *In his &* nos *ambulamus cum Deo, quando nos ejus q.* greſſibus *accommodamus, quod fit, cum* ipſo *ambulante nobiſcum in viis* gratiæ *ac beneficentiæ; nos ambulamus in viis* gratitudinis *& amoris:* ipſo *ambulante in viis* judiciorum *ſuorum; nos ambulamus in viis* reſipiſcentiæ, *humiliationis: Vel via Dei ſunt, in quibus ipſe vult ut* nos *ambulemus* Pſal. CXLIII. 8. *nim. in præceptis ſuis* Pſalm. XXV. 4. *Et* XXVII. 11. Jeſ. XLII. 16. *& ſic paſſim. Ut* ambulare in viis *Domini, ſit converſari cum Deo, in eiſdem viis, ſeu providentia, ſeu mandatorum ejus.*

3. Obſervantia *præceptorum divinorum* ולשמור מצותיו, & ad cuſtodienda præcepta ejus. *Et officium* anguſtius, *quam præcedens* ambulatio in viis *Dei, utpote quæ, præter obſervantiam alia implicat officia, quamobrem cum præcedenti, explicationis cauſa, conjungitur per præfixum* ו *copulativum.* שמר cuſtodire, *hoc eſt,* ſervare *rem, cum cura, ſollicitudine ac diligentia, ne elabatur aut excutiatur.* Τὸ מצוה *laxiore ſenſu, frequenter notat* quodvis *præceptum aut mandatum; hoc loco ſtrictius videtur ſignificare præcepta* moralia, *quia conſtruitur cum* ſtatutis *ſeu* ceremonialibus, *&* judiciis *ſeu* forenſibus.

Ut cuſtodire præcepta *Dei*, *ſit exactiſſimè* advigilare *mandatis divinis* Exod. xix. 5. Luc. xi. 28.

B. Ceremonialia, וחקתיו, & ſtatuta ejus. חק *legem notat* ceremonialem, *unde de ritibus eccleſiaſticis frequenter uſurpatur*, *de* Paſchate Exod. xii. 42. 43. *de adaptandis* lampadibus Exod. xxvii. 21. *de* officiis & veſtimentis *Sacerdotum* Exod. xxix. 9. *de eorum* lotionibus Exod. xxx. 21. *de* ſacrificiis Levit. iii. 17. & vi. 18. 22. *&c. Ut & in* Eccleſiaſticis *penderent à ſe* ſolo.

C. Forenſia, ומשפטיו & judicia, *à* שפט judicavit, *unde* משפט, *quod notat*, *vel* contentiones *partium litigantium* Job. xviii. 13. *vel* ſententiam *Judicis*; *exſecutionem ſententiæ*. *Ut ſignificetur*, *& Rempublicam Iſraëliticam eſſe* θεοκρατίαν, *quæ in totum pendeat à legibus divinis*, *velut ſupremi Monarchæ & Legiſlatoris*.

3. Remunerationem *officii præſtiti*: ut vivas, & multipliceris, & tibi benedicat, Dominus Deus tuus in terrâ, quam tu ingrediens, illuc, ad poſſidendum eam. *Significat*, *ſe non velle* gratis *coli* Mal. i. 10. & iii. 14. Job. xxi. 15. *Remuneratione hac*, *tria Deus promittit*:

α. Vitam, וחיית & vives, *ſeu* ut vivas. חיה *eſt* vivere, *item* ſalvum & incolumem eſſe. *Eſt* vita *actuum omnium* univerſaliſſimus, *ut abſque ea*, *bona* omnia *nihil ſint*, *vel mendacis Satanæ judicio* Job. ii. 4. *promittit vitam* omnimodam: *naturalem*, *ſpiritualem & æternam*.

β. Multiplicationem, & multiplicaberis, *item &* magnus eris Gen. ix. 7. creſces, & numero, & ſubſtantia. *Promittit ergo præmium*, *non ſubſtiturum tantum ipſis obedientibus*; *ſed transiturum etiam in poſteritatem*. *Erat in hac* multiplicatione, *egregium beneficium*, *uſque ad exhibitum Meſſiam* Gen. i. 28. & ix. 7. Jer. xxxiii. 22. Zach. x. 8.

γ. Benedictionem, & benedicet tibi Dominus Deus tuus: in terra, quam tu ingredieris illuc, ad poſſidendum eam. *Notatur hîc*:

1. Benedictio, וברך & benedicet. ברך, *hoc loco notat* benefacere Gen. xxiv. 35. *rebus omnibus vim conferre*, *quæ aptæ ſint ad uſus ſuos* Exod. xxiii. 25. Pſal. cxxxii. 15. Ezech. xxxiv. 26. Mal. iii. 10. Conf. Matth. iv. 4.

2. Benedicens, Dominus Deus tuus. *Dominus* Jehova, *omnipotens*, *qui* poteſt *efficaciter benedicere*: Elohim, *tres deitatis perſonæ* Num. vi. 24. 25. 26. *quarum quæque eſt omnipotens*, *conferent ſuum in benedictione*, *qui* benedicit omni benedictione ſpirituali, in Chriſto Jeſu Eph. i. 3. *Deus tuus*, *qui* vult *tibi benedicere ex* fœdere, *quo tuus eſt Deus*.

3. Benedictus, tibi, *Iſraëli*, *ſi nim. ipſum dilexeris*, *in viis ambulaveris*, *ejus præcepta cuſtodiveris*, *itemque ejus ſtatuta & judicia obſervaveris*; *ab hac enim conditione*, *univerſa benedictionis promiſſio ſuſpenditur*.

4. Locus *benedictionis*, in terra, quam adis, ut poſſideas eam. *Intelligit terram* Canaan, *quæ & ipſa erat benedictio*, *utpote quæ affluebat* lacte & melle Exod. iii. 8. & xiii. 5. Ezech. xx. 6. *& alibi paſſim*, *atque etiam omnis benedictionis receptaculum præſtabat* Deut. v. 16. *uſque adeo*, *ut extra & abſque Canaan*, *quævis benedictio Iſraëli* nulla *fere eſſet*.

B. Prohibitione *mali fugiendi*, verſ. 17. *Penes quam occurrunt*:

1. Vitia *prohibita numero quatuor*:

α. Averſio *à Deo*, *ſeu odium ejus*: ſi averterit ſe cor tuum. *Opponitur* amori *præſcripto*. *Sicut enim* amor *eſt adverſio ſeu propenſio cordis* in *rem*: *ita* odium *averſio ejuſdem* à *re*. *Et in omni peccato obſervatur*, *averſio* à Deo *& à bono*, *& converſio cordis in malum*.

β. Inobedientia, ולא תשמע, & non audiveris. שמע *notat*, *non tantum auribus* audire: *ſed & mente* percipere, & re *obſequi*, *prout & Græcorum* ἀκούω. *Niſi quod audire* auribus *præcedat*, *percipere mente ſuccedat*, *& præſtare audita & percepta claudat agmen*. *Confer*. Rom. x. 14. Jeſ. lv. 2.

γ. Contumacia, ונדחת & rejeceris, *ſcil. verba & mandata mea*, *cum faſtidio*, *ſeu contumacia* Job. xxi. 14. 15. *exempla Pharaonis* Exod. v. 2.

δ. Idololatria: & incurvaveris te Diis alienis, & ſervieris eis. *Hoc eſt*, *cultum religioſum præſtiteris*, *aliis Diis*. *Hîc notatur*:

1. Cultus *religioſus prohibitus*, *ſignificatus duabus vocibus*: incurvandi *ſe*, *quod alias non rarò*, *cultum notat tantum* civilem, *hic procul dubio* religioſum: ſerviendi, *ſcil. quibusvis officiis religioſis* Matth. iv. 10. Deut. vi. 13. & x. 20. Exod. xx. 5.

2. Non colendi, Diis aliis, *diverſis à me* ſolo, qui eduxi te ex Ægypto, domo ſervitutis Exod. xx. 2. 3.

2. Pœna *vitiorum*. verſ. 18. pereundo peribitis, *non prolongabitis dies &c*. *Notat exitium quale-*

qualecunque, temporale, ſpirituale & æternum, omniaque illa mala, qua in ſpiſſo catalogo repræſentantur Deut. XXVIII. 15. *uſque ad finem. Item* Levit. XXVI. 14. *&c. Sic uno hoc textu, ſi non omnia & ſingula; ſaltem pleraque habemus, providentiæ* moralis *ingredientia.*

Pars dogmatica.

Datur peculiaris quædam circa creaturas rationales Dei providentia.

III. E quibus apparet, Deum *peculiari* modo gubernare, creaturas *ratione* præditas, quatenus ſunt tales. Neque enim præcipiendo aut prohibendo, promittendo ac comminando, quamvis *aliam* gubernare legitur præterquam iſtas. Paſſim iſte gubernandi modus occurrit in Scripturis Deut. XXVI. 16. 17. 18. & X. 12. 13. Mich. VI. 8. Jer. XXXII. 19. Imo *iſthoc* totus occupatur Codex ſacer. Exigit iſtum partim natura peculiaris *creaturæ* rationalis, ad *imaginem* Creatoris conditæ, *intellectu* & *voluntate* beatæ, per quæ principium exiſtit, ſuarum actionum, ex *conſilio*, ſeque ipſam determinat, quoad actus *elicitos*, *independenter* à creaturâ quavis: quæ proinde, convenienter iſti ſuæ naturæ, gubernari debebat; partim natura *Creatoris*, qui, cum ens ſit *ſimpliciter primum* & ſolum independens, creaturam exigit, per omnia à ſe *pendulam*, non tantum quoad eſſe *phyſicum*: ſed etiam quoad eſſe *morale*: ut autem ſic penderet, *præſcribi* ipſi debuit *officium*, præcipiendo & prohibendo, promittendo & comminando: partim natura *cultus*, Creatori à creatura præſtandi, exigens ut officium ſuum *agnoſcat*, ac *ſponte* deſerat, proinde ut ſibi *indicetur* præcipiendo ac prohibendo: & *urgeatur* promittendo ac comminando.

Providentia moralis, quo ſenſu dicatur.

IV. Solet peculiaris iſte gubernandi modus, à Theologis appellari providentia *moralis*, non tam, quod *circa mores* formandos, potiſſimum occupetur; quam quod *morali* modo operetur, dum *phyſicâ* operatione, alia quævis gubernat. Non, quod *ſolâ* hac operatione, creaturas rationales dirigat (utitur enim hîc & *phyſica* operatione) ſed quod circâ *ſolas* creaturas *rationales* hac gubernandi ratione verſetur. Quamvis enim, *laxiori* ſenſu, & circa bruta, admitti poſſit gubernatio aliqua *moralis*, quatenus illa, motionem notat *objectivam* ac *tropicam*, quæ objectis externis *ſignis*, bonisque aut malis *naturalibus*, peragitur: quâque illa alliciuntur, abſterrentur, ducuntur ac fugantur: prout Bileami *aſinam*, Angelus diſtricto gladio gubernabat Num. XXII. 23. 25. 27. attamen *ſtrictiori* ac proprio ſenſu, circa creaturas *rationales tantum* occupatur: & ſic quidem, ut iſtæ, earumque actiones, ab illâ dependeant (ut loquuntur) in *genere moris*, h. e. ratione bonitatis ac malitiæ *moralis*. Exempla habes Gen. III. 6. 2. Sam. XI. 2. &c. Act. IX. 3. 4. Differt autem à *phyſica* gubernatione, potiſſimùm in hoc, quod illa effectum, ſuâ virtute *immediatè* attingat, attingendo *producat*, dum *moralis* id operatur, ad quod *alia* cauſa effectum *libere* excludit. Sic Eccleſiaſtes ſuadens virtutem, illam in cordibus auditorum, non attingit *immediate*, nec attingendo *producit*: ſed auditoribus *talia* offert, *ad quæ*, ſe ipſos determinent ad exercitium virtutis.

Occupatur circa: 1. Veritatem revelandam. 2. Bonum faciendum, & malum fugiendum. 3. Indifferentia permittendo.

V. *Actus*, moralis hujus gubernationis, vel (1) *Veritatem* ſpectant, creaturis revelandam, narrandam, docendam, aſſerendam: quales paſſim obvii ſunt in Scripturis. Vel (2) *officia*, à creaturis præſtanda: ſeu A. *faciendo* bona ac præſcripta, quo faciunt *præcepta* Mich. VI. 8. *cum per ſe* bona, propter convenientiam cum *naturali* Dei rectitudine, & cum ejus imagine in homine (cujus generis præcepta, *naturalia* dicuntur) *tum per voluntatem* & præſcriptum Creatoris *ſolum*, cujus quidem *ratio*, Deo conſtat ſemper, aſt nobis perſæpè latet: cujus generis præcepta, *poſitiva* deſignantur. *Qualia*, pro arbitrio Legiſlatoris, abrogari, mutari, amplificari & contrahi variis modis poſſunt: Seu B. *vitando* mala ac vetita: quo vergunt *interdicta* ſeu *prohibitiones*. Sive item, illa *ſuâ naturâ* mala ſint, Deoque aut ejus imagini adverſa; ſive ex ſolâ *prohibitione*. Præceptionum & prohibitionum vim etiam obtinent *exempla* Matth. XI. 29. 1. Cor. XI. 1. Phil. II. 5. non *quævis* utique Zach. I. 4. Rom. XII. 2. ſed *probata*, ſeu verbis, ſeu factis, præmiis ſcil. aut pœnis Jac. V. 10. ſaltem quæ cum *legibus* congruunt, cæterâ exemplis non eſt vivendum. *Vel* (3) *Adiaphora*, quæ nec *in ſe*, nec ex *præſcripto* divino, *moraliter* bona ſunt aut mala: quo ſpectant *conceſſiones* ac *permiſſiones*, *ethica* quidem (*phyſica* enim ad providentiam *generalem* pertinent) Hæc in ideâ ſeu in *theſi*, libertati noſtræ commiſſa, in *hypotheſi bona* fiunt: ſi 1. Cum *fide* tractentur Rom. XIV. 23. Heb. XI. 6. Si 2. Abſque *offendiculo* proximi Rom. XIV. 33. Si 3. In *gloriam* Dei 1. Cor. X. 31. Col. III. 17. Uti contrà *mala* redduntur, ſi quid horum deficiat. Proinde *in ſingulari*, nullus actus humanus *indifferens* eſt, cum ſingulorum nobis ſit reddenda ratio 2. Cor. V. 10. uſque ab *verbum otioſum* Matth. XII. 36. & *votulum* aliquod cordis Rom. VII. 7. *Permittit* autem Deus, *nonnunquam*, expreſſis terminis Col. II. 16. 20. 21. Gen. II. 16. 17. Levit. XI. 2. 3. 4. quando hæc aut illa, *prohibitis* eximit: *nonnunquam*, tantum nullibi prohibendo Conf. Rom. XIV. 14. Act. X. 15. *nonnunquam*, terminis etiam *præcipiendi* Deut. XXIII. 20. Gen. I. 28. prout eiſdem *præcipiendi* terminis, nonnunquam exſertè *prohibet* Num. XXII. 20. Joh. XIII. 27. qualia prudenti, cum aliorum Legiſlatoris

toris *dictorum*; tum *circumstantiarum* collatione, cautè discriminanda sunt. Vel (4) circa *specialia* quædam, *dispensando*. Ubi ante omnia, caute venit distinguendum, inter 1. Legis *abrogationem*, quâ Deus, legi à se latæ, omnem obligandi vim adimit. Hoc modo legem *ceremonialem* & judicialem, Judæis olim latam, sub Novo Test. abrogavit. 2. Legis *laxationem*, quâ vim ejus *obligativam*, ultra tenorem verborum extendit. Hoc modo, pœnam propter peccatum, peccatori in lege dictatam, transfert in ejus expromissorem. 3. Legis *dispensationem*, qua lege in sua *potestate* obligativa *integra* & illæsa manente, tantum ei subducitur, hæc aut illa *persona*, hic aut ille *casus*. Sic præcepto de quiete in Sabbatho, subducebat Deus Sacerdotes, in casu sacrificiorum Matth. XII. 9.... Marc. III. 1.... Hîc tamen observandum, quod *dispensatio* non occupetur, nisi circa leges *positivas*, quæ pendent à puro puto *arbitrio* Legislatoris Dei: *naturales* enim, quia superstruuntur *naturæ*, vel *Dei* legislatoris; vel *hominis*, quatenus ille, in justitia originali gestat *imaginem* Dei: plane sunt *invariabiles* & immutabiles. 4. Legis *interpretationem*, qua legem nec abrogat, nec laxat, nec circa eam dispensat; sed tantum *declarat*, legis mentem & scopum non esse, *hoc* aut illo *casu obligare*. Hæc interpretatio etiam Deo competit in præceptis naturalibus. Sic in præcepto homicidii, Deus non *dispensabat*, cum Abrahamo præscriberet mactationem filii sui innocentis Gen. XXII. 2. ut ipsi integrum esset, innocentem occidere, & occidendo, reus non fieret violatæ legis de homicidio: sed tantum *declarabat*, tum non committi injustum homicidium, quando illud ex præscripto supremi vitæ necisque Domini perpetratur. Rursus non *dispensavit* circa legem furti, cum Israelitis præscriberet, ut à vicinis suis Ægyptiis peterent aurea & argentea vasa &c. Exod. XI. 2. 3. ut sibi *solis*, & in hoc quidem *casu*, liceret furtum committere; sed tantum declarabat, non esse *furtum*, si aliorum vasa *peterent*, & acciperent *jubente* supremo rerum *Domino*, hoc fieret, quo olim in deserto, illa impenderent, cultui ecclesiastico, ad exstruendum tabernaculum; aut supremo *legislatore*, qui eis *adjudicaret* quæ suis laboribus, commeriti fuissent. Tandem nec dispensavit de congressibus matrimonialibus, fratrum cum suis sororibus, circa primam hominum originem; sed tantum reipsa *declaravit*, hujusmodi congressus, in casu absolutæ *necessitatis*, non esse incestus.

4. Specialia quædam in dispensatione.

Circa omnia ista versatur:

1. Docendo

VI. Præcepta & prohibita, Deus providentiâ morali, non tantum *proponit*; sed *urget* insuper variis modis, pro *natura* & gradu bonitatis aut malitiæ, quæ est in præceptis ac prohibitis. Nonnunquam (1) urget simplici *sanctione*, promittendo *præmium* obedienti Deut. XXVIII. 1 – 15. idque ex purâ puta liberalitate Rom. XI. 35. seipsum *gratioso verbo*, creaturæ suæ obstringendo: & comminando *pœnam* inobedienti Gen. II. 17. & III. 3. quam ex *justitiâ* vindicante, & ex *merito* ac condignitate peccati, necessario etiam *infligit* Rom. I. 32. 2. Thess. I. 6. Psal. V. 5. Interim, sicut *præceptis*, subintelligitur prohibitio contrarii: & *prohibitionibus*, præceptum contrarii: ita *promissionibus*, comminationes contrarii supplicii, & vicissim *comminationibus*, promissiones beneficii connotantur, e. gr. Gen. II. 17. sub comminatione *mortis*, comprehenditur promissio *vitæ*: *Nonnunquam* (2) *suasionibus*, quibus officii *æquitatem*, honestatem, utilitatem; præter necessitatem inculcat; à quo præcepta, *consilii* naturam accipiunt, & *consilia* appellantur Apoc. III. 18. Psal. XVI. 7. non, ut in *arbitrio* creaturæ relinquantur; sed ut magis *libere*, sponte & ingenuè perpetrentur, pro natura *populi ingenui* Psal. CX. 3. Philem. vers. 13. 14. *Nonnunquam* (3) *& obtestationibus* seu contestationibus, quibus officii præscripti *justitiam* & *æquitatem*, etiam advocatis quorumvis *testimoniis*, conscientiæ probat Deut. IV. 26. & XXX. 19. Psal. LXXXI. 9. Jes. I. 2. 4. & V. 3. quo nimirum *validius* urgeatur & convincatur conscientia Psal. II. 6. Rom. III. 4. *Nonnunquam* (4) *Votis* & q. impensis exspectationibus, quibus officii & obedientiæ *præstantia*, cum inobedientiæ *turpitudine* & malis, efficacissimè exprimitur: utpote quæ tanta sit, ut vel *Deum*, si pote, in *desiderium* sui abriperet. Nisi malis, ista vota, q. ex mente & ex ore ministrorum divinorum exprimi, quibus non insuetum, hoc modo, officii *dignitatem* & præstantiam, populo commendare. Exempla prostant Psal LXXXI. 14. 15. Deut. V. 29. Luc. XIX. 42. 2. Cor. V. 20. Jes. V. 4. Denique (5) promissionum & comminationum *exsecutione*, seu inflictis præmiis aut suppliciis Jer. XXXII. 19. quatenus nim. illa plurimum valent, ad excitandam voluntatem, quâ, imperata præstet, & prohibita vitet, dum cætera ad providentiam *physicam* commodius referuntur.

facienda & fugienda.

2. Urgendo: Promissionibus & comminationibus.

Consiliis,

Obtestationibus.

Vocis.

Præmiis ac vindictis.

VII. *Cynosura* providentiæ hujus moralis, absolutissima, est *verbum* ejus, in Scripturis exaratum. Deut. XXIX. 29. & IV. 2. & XII. 28. 32. Jes. VIII. 20. Matth. XV. 9. Psal. XIX. 8. Et officii peculiariter, *lex* divina: cum *particularis* ac certum tempus, aut certas personas obstringens, cujus generis sunt leges quævis positivæ, tum ceremoniales, quam forenses; tum *universalis* seu moralis, creaturam rationalem omnem, omni tempore, omni loco obstringens, quæ in *Decalogo*, summatim quidem, sed plenissimè repræsentantur, prout alibi ex professo docemus.

Norma hujus providentiæ moralis Scriptura est, & in eâ, lex.

VIII. Providentiæ huic *morali*, *sola* subest, & *omnis* creatura rationalis, quod nulla, citra contradictionem, possit non pendere pêr omnia, à causa ab-

Hac providentia Deus gubernat

Tum Angelos una lege morali:

absolutè *prima*, tam quoad *esse* suum *morale*, quam quoad esse *physicum*. Proinde nominatim Angeli & homines. Quin utrique, *eadem* gubernantur lege *morali*, quatenus ea in *Decalogo* repræsentatur. Nisi quod in *Angelis* excipienda sint, quæ vel *corporis* humani naturam; vel hujus *mortalis vitæ* conditionem spectant, utpote quæ in ipsis, ob *spiritualem* naturam, locum nequaquam habent. Qualia multa de *propagatione* ad septimum præceptum Matth. XXII. 30. multa item ad quintum præceptum de *subjectione* inferiorum erga superiores, nec non ad octavum, de cujusque in *vocatione* suâ, victus acquisitione; denique multa officia secundi & quarti præcepti, ab hominibus peculiariter præstanda.

Tum homines diverso modo.

X. In hominibus tamen, lex ista moralis, sibi hæc *peculiaria* habet 1. Quod *principia* quidem hujus legis, *communia* sunt, hominibus cum Angelis; sed *deductiones* plurimæ, hominibus tantum sint *propriæ*, ut de parentibus, conjugio, cibis & similibus. 2. Cum homo naturâ sit *imperfectior* Angelis, adeoque majore indigeat *instructione*, & exercitatione; idcirco *positivum* quid, in decalogo accessit ad legem *naturæ*, ejusdem aliàs *rationis* cum ipsa, ut diei septimi sanctificatio Gen. II. 2. Et 3. quia homo in *hac vitâ* intelligit per *sensus*, atque adeo, à *sensibilibus*, ad intelligibilia & *spiritualia*, quasi manudicitur; idcirco ad legem istam *spiritualem*, homini adjuncta sunt *externa symbola* & Sacramenta, ad eam *illustrandam* & confirmandam. In his autem symbolis, & *lex* quædam specialis ac *positiva* continebatur, & obedientiæ *generalis professio*, erga legem *naturæ* prius inditam, atque insuper *sanctionis* illius solennis *confirmatio*, quæ ex promissionibus & comminationibus constabat.

Nec tantum per se, sed & per alios Deus gubernat.

X. Tandem, homines *morali* sua providentia gubernat, vel *immediatè*, ea scil. ratione quam hactenus exposuimus; vel *mediantibus* aliis hominibus, in quos, ipse velut unicus *Legislator* Jac. IV. 12. & Monarcha, suam *potestatem gubernativam*, quadantenus transtulit, à quo ipse *Reges constituere* dicitur Psal. II. 6. *perque* ipsum *Reges gubernare* Prov. VIII. 15. *eique judicium tenere* 2. Paral. XIX. 5. 6. 7. atque adeo ejus esse *ministri* Rom. XIII. 1. 2. 4. Idque non tantum in *Republica*; sed etiam in *Ecclesia* Eph. IV. 11. 12. Act. XX. 28. Luc. X. 16. imo & *familia* Exod. XX. 12. Eph. VI. 1. 2. 3. 4. 5. &c. Adeoque per eos *docet* facienda & fugienda, in utraque Republica: *urget* promissis & commination ibus: *remuneratur* beneficiis & judiciis. Sic, ut quæ in omnibus istis, ab *omnibus* legitimis, utriusque Reipublicæ præpositis, *legitime* fiunt, *à Deo* fieri censeantur. Hinc sedere dicitur, in *congregatione Deorum* Psal. LXXXII. 1. subditisque incumbit *subesse* & obedire, non tantum, ex *consensu* mutuo, aut ex *metu*, aut per *vim*: sed ex *constitutione divina*, per *conscientiam* Rom. XIII. 1. 2. 4. 5. Quod eorum *manu*, gubernare Deus nos velit.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An circa liberum arbitrium, Deus non occupetur nisi providentiâ morali? Collatio sententiarum.

XI. Controversiis sibi *propriis*, non adeo laborat hoc caput. Quæritur interim: 1. An circa *primam* liberi arbitrii determinationem, non occupetur Deus, nisi providentiâ suâ *morali*, exclusa *physicâ*? Pelagiani & Pelagianissantes, Socinia-ni, Jesuitæ, Arminiani aliique, in gratiam liberi arbitrii, sic urgent gubernationem *moralem*, ut ab actionibus liberis, quantum ad *primam* earum determinationem, plane excludant gubernationem *physicam*: quando *suasionibus* tantum gubernare statuunt, quibus *possint* obsequi aut non. Ex Reformatis, illi qui gratiam *universalem* recipiunt, & voluntatem, *indeclinabiliter*, sequi volunt, *ultimum judicium* intellectus *practici*, quales sunt Cl. Camero, Amiraldus aliique, statuunt, Deum suis *persuasionibus* tam *potenter* afficere *intellectum*, ut ille *non possit* non permovere voluntatem; sed tamen *voluntatem immediate* non attingere, novam ei in conversione *propensionem* conferendo, & collatam *physica operatione* excitando & arrigendo, eoque flectendo. Reformati ex adverso statuunt, Deum circa liberum arbitrium, ejusque primam determinationem occupari, non tantum sua providentiâ *morali*, *suadendo* aut persuadendo; sed etiam *Physicâ*, voluntatem *flectendo*, quin & *immediate*, non tantum circa *intellectum*, eum *illuminando*; sed etiam circa *voluntatem*, ei novam *propensionem*, versus se, & bona *spiritualia* & salvifica, infundendo. Quia 1. *Scriptura* sic docet Prov. XXI. 1. & XVI. 1. Phil. II. 13. Jer. XXXI. 33. & alibi. Quia 2. etiam *natura* tradit creaturam *rationalem*, à providentia Dei *generali* seu physica pendere, non tantum quoad esse suum *physicum*; sed etiam *morale*, ut citra contradictionem, non possit utroque modo subtrahi, *utrique* providentiæ divinæ. Quia 3. non tantum *intellectus* hominis convertendi, suâ laborat *cæcitate*; sed & *voluntas*, sua aversione à *Deo* & bono quovis *spirituali*, & propensione in contraria; proinde necessario requirit, ut *physica* Dei operatione, non tantum *cæcitas* ab intellectu tollatur; sed & corruptio illa, à voluntate. Nec adversariis suppetit quod objiciant, nisi tali operatione, voluntatem privari sua *libertate*, cui ex professo respondimus cap. præcedenti.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

2. An Deus suâ providentiâ morali, hominem gubernet, per *consilia* Euangelica, diversa à præceptis?

XII. Quæritur 2. An Deus providentiâ sua *morali*, hominem gubernet, per *consilia* Euangelica, diversa à præceptis? Sicut in *naturalibus*, Pelagiani, *indifferentiam* independentem, asserunt homi-nis libero arbitrio, quo possit *velle* aut *non* velle, hoc aut illud, pro suo lubitu: ita Pontificii in mora-

bernet per consilia diversa à præceptis?

moralibus (ut efficacius succurrant, suis votis monasticis, quæ libera cuique relinquunt, à quibus tantum invalescit, auctoritati, & opibus Pontificis Romani) quibusdam, indifferentem & independentem volunt relinquere voluntatem hominis, ut citra peccatum, possit moralia illa præstare, aut *non*, præstando ei *consilia* euangelica, diversa à præceptis: Reformati ex adverso, consilia Dei, homines perinde obligare ad obsequium, ac præcepta, nisi quod *consilia* illa obsequium urgeant, motivis ab *utilitate* hominis, petitis; dum *præcepta* idem urgent, motivis ab *auctoritate* legislatoris petitis, proinde nullum esse reale discrimen inter *consilia* Dei, & ejus præcepta. Quia ista consilia (à quibus opera *supererogantia*) Scriptura multis argumentis profligat, quando: 1. *Jubet* Deum ex *toto* corde, & proximum sicut nos ipsos diligere, inque eo *legis* & Prophetarum summam collocat Matth. XXII. 37. Quando 2. *Imperat* quicquid *justum*, *honestum*, sanctum ac *laude dignum est* Phil. IV. 8. extra quod *nil moraliter* bonum cogitari potest. Quando 3. *mandat* corpus & animam, *omniaque* quæ habemus & possumus, *Deo impendere* 1. Cor. VI. 20. Rom. XII. 1. Tit. II. 14. 1. Pet. II. 9. & III. 18. quo *majus*, aut aliud *morale* bonum cogitari nequit. Quando 4. *Exigit* Christum strenuè *imitari*, velut exemplar perfectissimum Luc. IX. 23. 1. Cor. XI. 1. *eundem affectum* habere, qui fuerit *in Christo* Phil. II. 5. nos *purgare*, *sicut ipse purus est* 1. Joh. III. 3. *ambulare sicut ipse* ambulavit 1. Joh. II. 6. Imò Deum ipsum *imitari* Eph. V. 1. usquè adeo, ut *perfecti* simus, *sicut ipse* perfectus est Matth. V. 48. quibus nihil perfectius cogitari potest. Quando 5. *ipsa illa*, quæ adversarii ad *consilia* referunt, tanquam *præcepta* tradit. v. g. de diligendis hostibus Matth. V. 43. 44. de omnibus propter Christum, etiam *charissimis*, promptè deferendis Marc. X. 29. cum quo colludit *consilium* juveni datum à Servatore Matth. XIX. 22. 23. 24. 25. imò de dicendo euangelio *gratis*, quod velut maximè *supererogatorium* urgent adversarii ex 1. Cor. IX. 18. ipse Apostolus, pronunciat se ex *mandato* fecisse vers. 17. Nec sunt alicujus momenti, quæ in contrarium causantur: qualia (1) Quod *eunuchi* commemorentur Jes. LVI. 3. 4. 5. Matth. XIX. 12. qui seipsos *sponte* castraverint propter regnum Dei, eoque *præstantius* aliquod præmium fuerint consecuti. Resp. Quod seipsos *sponte castraverint*, non arguit *consilium*, aut opus *supererogatorium*, cum *ejus* nulla ullibi in textu mentio fiat; quin contrarium vers. 4. & *omnis* præceptorum obedientia, debeat esse *voluntaria* Psal. CX. 4. 3. Quod promittitur Eunuchis istis *egregium*, non infert *aureolam*; sed fortè *gradum* aliquem beatitudinis potiorem, qualis etiam acquiritur, ex *obedientia promptiore*. (2) *Calibatum* Apostolus pro ratione temporum *commendat* 1. Cor. VII. 26. (a) non ut opus *supererogatorium*; sed ut rem in se *adiaphoram*, ex circumstantiis determinandam. (b) Nec *amplius* præmium ei addicit, quam *vitam* æternam; sed commodiorem tantum, quasvis *persecutiones* difficultatesque superandi facultatem. Nec (3) De suis operibus *supererogatoriis* Apostolus gloriatur 1. Cor. IX. 18. quod *gratis* Euangelium annunciaverit; cum apertè testetur, sibi ejus *necessitatem incumbere* vers. 16. Nec (4) Canticum illud novum quod *virgines* cecinisse dicuntur, arguit virginitatem *consilium* esse Euangelicum, (quamvis in se res sit adiaphora) ejusque præmium *præstantius* quicquam esse *vitâ æterna*. Nec (5) Quod Apostoli aliique, in gratiam *pauperis* Ecclesiæ primitivæ, suas fortunas *vendiderint*, eique impenderint, arguit *consilium* aliquod Euangelicum: cum *teneamur* ex *præscripto* divino, vel *vitam* impendere fratribus 1. Joh. III. 16. Et quæ tandem (6) De rei cujusvis perfectione *essentiali* & *accidentali* garriunt; inferunt quidem *virtutis* pariter ac *præmii gradus*; sed nullum *consilium* enangelicum, quod officium commendet *indebitum*, & *aureolam* polliceatur vitâ æternâ *potiorem*.

Quæ argumentis aliquot refelluntur.

Objectiones.

XIII. Quæritur 3. An in providentiâ *morali*, locum habeat *votum* aliquod seu desiderium Dei inefficax? Pelagiani & Pelagiaνίζοντες, Sociniani, Jesuitæ, Arminiani aliique, quia statuunt liberum arbitrium ἀυτεξούσιον, quod Deus non possit determinare; quia item statuunt in Deo voluntatem *antecedentem* conditionatam, quâ Deus velit, si homo vult, quâ itidem velit omnes & singulos servari, si modo ipsi velint: dicunt in Deo *votum* esse propriè dictum, quo Deus desideret, ut hoc & illud officium ab homine fiat, sed frustra. Reformati, votum ac desiderium in Deo nullum agnoscunt, nisi quod coincidit cum ejus præcepto, in hoc solo diversum ab eo, quod, dum præceptum urget officium, solâ auctoritate legislatoris; *votum* illud urgeat, motivo ab egregio quodam commodo, quod inde obedienti certo immineat. Rationes in utramque partem examinavimus lib. II. cap. XV. §. XXXII.

3. An in providentia Dei morali, locum habeat votum inefficax?

XIV. Quæritur 4. An providentiæ *moralis*, ulla detur alia norma, præter *Scripturam*, seu *legem* divinam? Enthusiastæ, præter Scripturam, pro normâ recipiunt dictamina spiritus sui privati. Sociniani & Rationalistæ, rationem & Philosophiam suam. Pontificii præter *consilia* sua euangelica Scripturis construunt traditiones, decreta conciliorum, statuta Pontificium, sententias Patrum. Ista etiam ex professo examinavimus lib. I. cap. 2. §. LV. LVI. LVII. &c. hic indigitasse sufficerit.

4. An in providentia morali alia detur norma, præter scripturam?

Pars

Pars practica.

Providentia moralis. 1. Deum nobis commendat, ut Gubernatorem seu Regem.

XV. E providentiâ morali, *primo* Deus *cognoscitur*, ut supremus & universalis, creaturæ *rationalis*, & imprimis *hominum*, Rex & *Gubernator*, à quo omnia gubernandi *potestas* derivatur, limitatur, & omnimodè pendet. Quamvis enim è *creatione*, & providentia *naturali* cognoscatur, ut supremus & universalis rerum omnium *Dominus*; attamen è sola *morali*, propriè Rector est & *Gubernator* creaturarum *rationalium*. Unde *Rex* passim appellatur Psal. xxix. 10. & v. 3. *Dominus* (contractiore sensu) Mal. 1. 6. *Legislator unicus qui potest servare & perdere*. Jac. iv. 12. Agit autem *Rectorem* (seu Dominum potius) Deus: 1. In *mundo*, providentiâ *generali*, omnia potenter dirigens in suos fines, ut Cap. præcedenti observavimus. 2. In *Republica*, ei præscribendo *leges* Deut. iv. 5. 8. præfigendo Rectores *vicarios*, per quos ipse gubernet Rom. xiii. 1. eos armando suo *gladio* Ibid. vers. 2. 3. 4. Denique 3. In *Ecclesia*, velut Paterfamilias Mal. 1. 6. In *domo* sua 1. Tim. iii. 15. gubernando *domesticos* suos Eph. ii. 19. non simpliciter *legibus*, promissionibus, comminationibus, *remunerationibus*, præmiis & vindictis; sed *confœderationibus* insuper, quibus sponte, se creaturis q. *debitorem* facit: *prima* cum universo genere humano in protoplastis; eaque peccato violata, *secunda* insuper cum electis, eaque per varias *periodos*, mirabili modo administrata, in quâ describenda, universus Codex sacer laborat. Hîc itaque Gubernator *absolute* summus, est Deus ter Opt. Max. per *delegationem* summus Mediator Jesus: *subordinati*, ministri quivis: gubernationis *instrumenta* & q. sceptra, Lex & Euangelium: obsequii *præmium*, quævis *benedictio*, imprimis *vita* æterna: rebellionis *pœna* quodvis malum, æterna potissimum condemnatio.

2. Suadet ei nos prompte submittamus.

XVI. Hinc *secundo suadet* gubernatio moralis, nos Deum *Gubernationem* recipiamus & *gubernationi* isti, promptè nos *submittamus* Ps. ii. ii. 12. 1. Pet. v. 6. Jac. iv. 7. Hoc enim ante omnia, in *subditis* requiritur, ut Regem *recipiant*, eique se submittant. Submittamus 1. *Intellectum* nostrum doctrinæ ejus, ei nos resignemus, flexiles ac morigeros præbeamus, quodvis obnitens φρόνημα σαρκὸς efficaciter reprimamus 2. Cor. x. 5. Gal. i. 15. 16. 17. Neque enim subditorum est *examinare*, aut ad *rationes* vocare dicta Principum suorum 2. Paral. xxv. 16. Rom. xi. 33. Submittamus 2. *Voluntatem* nostram, *voluntati* ejus, nobis revelatæ *legibus* suis Mich. vi. 8. Deut. x. 12. 13. Psal. xl. 9. Adeo, ut nihil efficacius nos arrigat, ad agendum *bonum*, aut retrahat ab agendo *malum*, quam perspecta *voluntas* Legislatoris. Et quam maximè nobis *caveamus*, ab omni, quod obnitatur voluntati ejus Matth. Matth. xxvi. 39. 42. 2. Cor. x. 5, Porro 3. *affectus* quosvis & cupiditates compescamus, crucifigamus Gal. v. 24. ne quando *tumultuentur* adversus Gubernatorem & legislatorem nostrum *Deum*. Ita 1. fas est, nos subjiciamus *Patri* Spirituum Heb. xii. 9. vel in rigidissimis ejus dispensationibus. Ita 2. *Corpus* Ecclesiæ, suo se subjicit *Capiti* Eph. v. 24. Atque hoc 3. de essentia est nostræ *confœderationis* cum Deo, ut, quemadmodum ipse se nobis offert & præstat, *Deum* ac Gubernatorem, ita nos eum promptè admittamus, nosque ipsi submittamus ut *subditos*, atque ita coeat *fœdus*, per quod ipse sit *Deus noster*, & nos *populus ejus* Ezech. xxxiv. 25. 30. Prout 4. Damnatæ adversus Deum *rebellionis* crimen est, propriam sapientiam, voluntatem, cupiditatesque sibi *gubernatores*, adeoque & *Deos elevare* Ps. ii. 3. Luc. xix. 29.

3. Accendit nos ad obedientiam.

XVII. Atque etiam *tertio* accendit, ut ejus præscriptis nos *morigeros* præstemus. Neque enim sufficit eum pro *Domino*, Gubernatore & Rege suscepisse, & pleno gutture *profiteri*; nisi & *facia-mus voluntatem ejus* Matth. vii. 21. Obedientia *fructus* est submissionis Mal. 1. 6. 1. Pet. iv. 1. 2. Col. iv. 12. Juvat huc serio cogitare (1) *Auctoritatem* & plenipotentiam Gubernatoris, qui *unicus ille est Legislator qui servare potest & perdere* Jac. iv. 12. Psal. xlvii. 3. Exod. xxxiv. 6. 7. & xx. 5. 6. (2) *Æquitatem* & perfectionem *legum* Deut. iv. 8. Jac. ii. 8. Psal. xix. 8. 9. 10. 11. Rom. xii. 2. (3) *Scopum* ipsarum legum, quo tendunt, non in commodum & emolumentum *Gubernatoris* Psal. xvi. 2. & l. 12. sed in salutem eorum qui *gubernantur* Psal. xix. 12. 13. Deut. xxx. 20. & xxxii. 47. (4) *Beneficia* ipsius obedientiæ Jes. lv. 2. 3. 1. Tim. iv. 8. (6) *Obligamenta* quibus obstricti sumus Gubernatori nostro Rom. xii. 1. Deut. xxxii. 6. (7) *Exitium* æternum non obedientium Deut. xxviii. 16. & seq. & xxvii. 26. Gal. iii. 10. Atque ut ita obediamus supremo Gubernatori nostro; necessum est, ut A. Omni studio *inquiramus* in voluntatem ejus, illique assuescamus Prov. iv. 4. *Volvamus* librum *naturæ* Psal. xix. 1. & conscientiæ Rom. ii. 14. 15. & imprimis etiam *Scripturæ* Joh. v. 39. illum *meditemur dies noctesque* Psal. i. 1. 2. Quem vel *Principes* continuò versent Deut. xvii. 18. 19. 20. Joh. i. 1. 8. 9. ac *divites* & *pauperes* discant, ut obediant Deut. v. 6. 7. B. Deo Gubernatori nostro, calidis *precibus* supplices simus, *corda* nostra inclinet versus mandata sua Psal. cxix. 36. & cxli. 4. C. Compescamus *omnes ratiocinationes omnemque sublimitatem adversus cognitionem Dei, & captivam ducamus omnem cogitationem ad obediendum Christo* 2. Cor. x. 5. D. Obediamus etiam *substitutis* sibi quibusvis vicariis, in utraque politia, tam *civili* Rom. xiii. 1. 2. 3. 4. quam *Ecclesiastica* Heb. xiii. 17. Qui enim *legatum* audit, Dominum audit Luc. x. 16. prout vice versâ, qui

Motivæ.

Modus.

ministro obstrepit, *Domino* obstrepit Rom. XIII. 1. 2. 4. Plura hujus generis occurrent si Deus volet, in capite *de observantia.*

4. Confirmat fiduciam nostram in Deo gubernatore nostro.

XVIII. Quin & *quarto*, confirmat *fiduciam* nostram, in benignissimo Gubernatore nostro ex promissionibus, quas *gratis* legibus suis adjecit 1. Tim. IV. 8. & ex *fide* ac fidelitate promittentis oriundam 2. Thess. III. 3. Heb. X. 23. & XI. 11. Apoc. III. 14. Quâ proinde subditis suis, quotquot se ei submiserint, *mercedem* referet Apoc. XXII. 12. & ut *justus judex* promissam *justitiæ coronam* imponet 2. Tim. IV. 8. 18. *Judicabitque in justitia* Ps. LXVII. 5. & XCVI. 13.

5. Incutit timorem & reverentiam ejusdem.

XIX. Vice versa *quinto*, etiam *tremorem* injicit versus supremum Gubernatorem nostrum Psalm. XCVI. 9. 10. Qui 1. *extrema* quævis denunciaverit sui contemptoribus, & legum suarum violatoribus Deut. XXVII. 26. & XXVIII. 15.-- Qui 2. ut *fidelis* est in promissis, ita & *verax* in comminationibus Ps. XXXIII. 4. 5. Qui 3. *certus* est & infallibilis in prosequendis *comminationibus*, & exsequendis judiciis suis Ps. IX. 16. 17. Qui 4. Justus est, ut *non possit* non prosequi comminationes Psal. XI. 4. 5. Rom. I. 32. 2. Thes. I. 7. Qui 5. innumeris vicibus, quam severissimè *prosecutus* est, & prosequetur, contemtum sui ac mandatorum suorum, Exod. XX. 5. Qui 6. per ipsam legum ac gubernationis suæ *naturam*, non potest negligere earum violationem: cum lex absque *comminatione*, & comminatio absque *executione*, nulla omnino sit, nec differat a *directione* & suasione merâ, imò in *ludibrium* cedat contemptoribus Gal. VI. 7.

6. Hortatur quosvis gubernatores subordinatos, ad officia versus supremum Gubernatorem suum.

XX. Porro *sexto*, cum Deus per providentiam moralem, supremus sit *Gubernator*, *solus* independens, eoque *unicus Legislator* scil. αὐτοκρατερικός; est hîc 1. Quod agnoscant quivis προσώπες, ut non *à se*; nec à pacto & consensu suorum *subditorum*; nec à vi ac *potentia*, quod sibi gladio *subditos* subegerint, aut ab *alio quovis* auctoritatem suam arcessant, prout Machiavellistæ, Hobbesiani aliique pseudo-politici: sed à Deo summo Monarcha repetant Rom. XIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 1. Pet. II. 13. 15. Deut. I. 16. 17. 2. Paral. XIX. 5. 6. 7. alias *perduellionis* crimini seipsos implicaturi. Est proinde 2. Quod *supremi* sui Monarchæ, *gloriam* & honorem, præ *propria*, ubique tueantur, quod *coronas* suas ad ejus *pedes* q. projiciant Apoc. IV. 4. 10. Matth. VI. 13. Quod 3. Ejus *regnum extendere* & amplificare, omni operâ adnitantur Matth. VI. 10. 33. Act. IV. 4. & XIX. 8. & XXVIII. 23. 31. Quin etiam 5. *Contemtum* ac neglectum præceptorum divinorum, rigidissimè ulciscantur Psal. CXXXIX. 21. & CI. 4. 5. Istisque omnibus politiam suam efficiant *Theocratiam*, in qua Deus supremo loco sedeat, ejusque causa præ quovis agatur Pf. LXXXII. 1. atque ejus sit *regnum & potentia, & gloria in secula seculorum, amen.* Matth. VI. 13.

7. Et subditos quosvis instruit quod & quatenus obediendum subordinatis quibusvis suis Rectoribus.

XXI. Vicissim *septimo*, est in providentia *morali*, per quam supremus est Gubernator, Deus, qui in *omnes*, *omnem* quam habent auctoritatem, derivavit; est inquam in subditis, ob quod, non modo *præpositis* suis in quovis statu; ecclesiastico, politico & œconomico, odsecundent velut *Dei ministris* Rom. XIII. 1. 2. 4. 1. Pet. II. 13. 15. Deut. I. 16. 17. sed etiam *quomodo* & *quousque* debeant, addiscant, nim. quousque illa sua potestate *non abutuntur*, & quæ supremo Legislatori sunt adversa, præscribunt Act. V. 29. Dan. III. 16. 17. Sic enim *cessat* eorum *auctoritas*, & in puram putam violentiam & διομαχίαν degenerat Act. V. 39. Proinde *non* obsecundemus, nec tamen eo ipso statim *resistamus*, (differunt enim non obsecundare, & resistere) aut si *resistendum* eorum factis; nunquam tamen resistamus eorum statui, *jurisdictioni* & auctoritati: est enim & manet, quamvis in hoc aut illo exorbitet, *Dei minister*. Proinde quatenus *exorbitant*, & obnituntur potestati *suprema*, eis resistamus, aut saltem non obsecundemus; non autem quatenus *ministri* Dei, & ejus delegati & vicarii sunt. Id quod observandum (a) in statu *Ecclesiastico* Heb. XIII. 17. (b) in statu *politico* Rom. XIII. 1. 2. 4. (c) in statu *œconomico* Eph. VI. 1. 2. 4. 5. 9. Quod hæc sit exserta supremi nostri Gubernatoris *voluntas* 1. Pet. II. 13. 15. Et qui sic obsequuntur & audiunt, *Deum audiant* Luc. X. 16.

CAPUT DUODECIMUM.

DE

FOEDERE NATURÆ.

Gen. II. 16. 17.

Præcepitque Jehova Deus homini, dicendo: Ex omni arbore horti comedendo comedes; at de arbore scientiæ boni & mali non comedes ex ea; nam in die qua comederis ex ea; moriendo morieris.

Fœderis operum contemplatio.

I. Providentiæ *generali*, qua circa *quodvis* Deus occupatur, & providentiæ *speciali*, qua circa creaturam *rationalem* peculiariter distinetur, succedit tandem *specialissima*, qua circa *homines*, quatenus illi *Ecclesiam* sibi efformant, versatur *confœderatione*; ubi ab ipsis Deus *stipulatur* officium aut supplicium, & *promittit* beneficium: *illi recipiunt* stipulatum, & *exspectant* beneficium; & utriusque partis ὁμολογία seu consensus producit *fœdus*, & mutuam obligationem. Confœderationis hujus *primum* specimen, cum *universo* genere humano, Deus præstitit in Paradiso Gen. II. 16. 17. Quamvis enim nullius *fœderis*, ibidem *exserta* fiat mentio; fit tamen alibi Hos. VI. 7. & res ipsa *fœdus* præstat: ubi enim sunt *partes* contrahentes, & contrahentium *consensus* in idem, ibi *fœdus* est: hæc autem in textu prostare, suo loco patebit.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus.

II. *Verba textus explicant* fœdus naturæ, *quod Deus in protoplastis, pepigit cum universo genere humano futuro. Circa illud occurrunt:*

1. Contrahentes *partes*, *seu fœderandi*, *nim.*

A. Ab unâ parte, Jehova Elohim. Jehova *Dominus*, *Creator hominis*, & αὐτοκράτως, *atque etiam* αὐταρκὴς, *sibi* à se *ad infinitam beatitudinem* sufficiens: *non tantum ut* pars *contrahens*; *sed etiam ut* בעל בריתו Dominus *fœderis*, *planè sui juris*, *qui cum homine* potuit *contrahere*, & *eo* modo, & *eis legibus contrahere*, *quibus sibi videbatur. Hic*, *cum pro mero imperio*, *potuisset* præcipere, *maluit tamen egregia* συγκαταβάσει, *contrahere cum homine*, *rationibus suo loco præstandis.* Elohim, *trinus* personis, *Pater*, *Filius & Spiritus S. ut cum tribus homini coiret fœdus*, *quorum quisque fidelis*, *omnipotens*, *adeoque præstandis promissis*, *plusquam par est*; & *ut vicissim* homo *tribus personis*, *quemadmodum circa* fœdus gratiæ *fieri observamus* Matth. XXVIII. 19.

B. Ab altera parte *homo*, על האדם, ad hominem, *super hominem*, *contra hominem*, *sicut* Amos. II. 12. *quod interdictum rei delectabilis*, *sit* contra *ipsum.* האדם, *cum præfixo demonstrativo*, *videtur innuere*, τὸ אדם, *hoc loco*, *non notare nomen* proprium, *quod*, *ex usu linguæ hebrææ*, propriis *non præfigitur*; *sed* appellativum, *hominem. In* singulari *numero*, *non ut excluderetur* Eva, *uxor*, *non tantum quod* & *ipsa* homo *esset*; *sed quod œconomice*, *maritus* & *uxor* unum *sint* Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Eph. V. 31. *Interim* homo *notatur*, *ut* omnis *homo intelligatur*, & *quilibet* 1. Cor. XI. 28. *non* præsens *tantum* & creatus; *sed* futuri *omnes seu* creandi. *Ut intelligamus*, *Deum* fœdus naturæ *cum Adamo adiisse*, *non velut cum persona* privata, *sed velut cum* publica, *totum genus humanum*, *tam* præsens, *quam futurum repræsentante* Rom. V. 12.... *solo* secundo *Adamo excepto*: *ut in* uno *illo*, omnes, *vel starent*, *vel caderent*, *viverent aut morerentur* 1. Cor. XV. 22.

II. Contractus, *seu actus confœderationis*, *in voce* præcepit יצו, *quod hoc loco notat*, *partim* concessionem, *respectu primi hemistichii sequentis*: ex omni arbore horti comedendo comedes: *partim* prohibitionem, *respectu secundi hemistichii*: sed ex arbore scientiæ boni & mali non comedes. *Interim voce* præcipiendi, actus *indicatur* confœderationis: *præceptum enim*, *quotiescunque constructum occurrit*, *cum sua sanctione*, promissione & comminatione, *item* consensu *partium*; *semper* fœdus *efformat*: *tale autem* præceptum *hic obtinere*, *suo loco ostendemus. Sed tamen non* confœderandi; *sed* præcipiendi *vocem Deus adhibet*, *non tantum ob hoc*, *quod usitatum sit in confœderationibus*, *ut contrahentes postulata sua*, *terminis* imperativis *stipulentur*, *tu hoc illud facies*, *vel*, *hoc aut illud fiet*: *sed potius ut significetur*, *hic non esse*

fœdus æquale, *inter partes* æquales, *qui ex æquo, qui sint utrinque sui* juris; *sed esse fœdus inter* Dominum *&* servum, *quale Jurisconsulti quidem, non admittunt, eo quod servus non sit* sui juris, *ac proinde non habeat* voluntatem, *quâ possit consentire in stipulata & promissa. Porro* præcipiendi *voce utitur, ut indigitet, sibi opus non esse, ut consensum stipuletur, aut dissensum metuat, quod homo ad* consensum *sit obstrictus, nec dissentire possit citra reatum mortis. Tandem, ut significet, omnem* confœderationem *Dei cum homine, propriè spectare ad providentiam Dei*, moraliter gubernantem.

III. Contrahenda, *seu argumentum confœderationis, in quo occurrit*

1. Concessio *quædam*: ex omni arbore horti, comedendo comedes. Comedendo comedes, *hîc non habet vim* præcipiendi, *ut notet* certò *comedes, quemadmodum hemistichio sequente*, moriendo moriemini; *sic enim peccassent, si non commedissent de omnibus & singulis arboribus:* comedendo comedes *hic notat* libertatem, *plenam potestatem vobis do, ut tuto & liberè possitis frui omnibus & singulis arboribus.* Comedes, *pro* comedetis, *unusquisque vestrûm, & posterorum vestrorum. Significatur unâ operâ*, universalissimum *&* absolutissimum *Dei dominium, cum in* hortum, *omnesque ejus arbores, quin in totum hoc universum, tum peculiariter in* hominem, *quicum* fœdus *ambit, eique* jus *facit*, suis *rebus utendi fruendi, ex pura puta gratiæ hujus concessione, ut ex amplitudine hujus indulgentiæ libertatisque, invalescat crimen* violationis, *prohibitionis sequentis.*

2. Prohibitio *excipiens:* ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו, & ex arbore scientiæ boni & mali, non comedes ex ea. *Hîc occurrit:*

A. Prohibitum, & ex arbore scientiæ boni & mali. *Præfixum* ו, *hîc procul dubio* adversativum *est, prout passim est, significans* sed, *ut est* Jes. x. 20. 1. Pet. 1. 25. ex Jes. xl. 8. *&* Heb. 1. 12. *ex* Psal. cii. 27. 28. *Qua ratione autem, hæc arbor appelletur* arbor scientiæ boni & mali: *num ab eo, quod* suâ natura, *habuerit vim accelerandi usum rationis, ut scientiam efformare potuerit: ut ex mendaci tentatione & seductione Satanæ* Gen. iii. 5. *videtur colligi posse? an ex eo, quod ex usu hujus arboris, sint consecuturi scientiam* experimentalem, *quid* bonum *sit, quod comedendo perdidissent, quid item* malum, *quod eopse sibi attraxissent, in* dogmaticis ξὺν θεῷ, *determinabimus. Quamobrem itidem usum* hujus *præcise arboris ipsis prohibuerit? quamobrem rem tam* facilem, *& tam vilem prohibuerit, itidem dicemus suo loco: hoc impræsens præsupponimus, ipsum* unam *hanc arborem prohibuisse ut se* omnium *Dominum ostentaret, & ut ipsi inde agnoscerent, se in omnibus, etiam* levissimis, *in quibus nullam prohibitionis causam possent perspicere*, universaliter *Deo subjectos esse, licet sua* ratione, *nullam prohibendi rationem possent assequi: hoc saltem videtur* certum *esse, fuisse arborem* symbolum, *quod eos ad* omnimodam *subjectionem & obedientiam obstringeret, utpote quam præsupponit, quamque etiam agnoscunt protoplasti* Gen. iii. 2. *& ut tandem, ex inobedientia, & violatione unius hujus prohibitionis, cum omnium usum ipsis concessisset, egregie invalesceret hominis* ingratitudo *& contumacia. Insuper, an* sola *hæc manducatio arboris prohibitæ, transitura fuerit in posteritatem, an & quævis alia protoplastorum peccata? suo loco dicemus.*

B. Prohibitio? non comedes ex eâ לא תאכל ממנו. Non comedes, *h. e. non* comedetis, *nec tu, nec uxor tua, an etiam ad* posteros *extendenda sit, hujus arboris abstinentia, non dicitur in textu, nos in id inquiremus in subsequentibus.* ממנו, ex ea, *videtur redundare. Potest interim esse* diminutivum, *quasi dicat, ne* tantillum *quidem ex ea, h. e, ex fructu ejus comedes.*

3. Comminatio *pœnæ*, quo die comederis, moriendo morieris. *Hic notatur.*

A. Pœna *contumaciæ*, morieris. *Mors est gravissima pœna, quam legislator dictare potest. Sed quænam hic intelligitur mortis* species? *Utique* omnis *mors, quæ oppinitur ei* vitæ, *quam tum temporis protoplasti possidebant, quandoquidem nulla mortis species designatur, proinde omnis intelligitur. Sed quam vitam, tum temporis protoplasti possidebant? Possidebant* 1. *Vitam animæ seu* spiritualem, *quæ consistit in unione imaginis seu justitiæ* originalis, *cum anima, ex qua idonei erant, quasvis operationes* spirituales *peragendi* 2. *vitam* naturalem, *quæ resultabat, ex unione corporis cum anima, à qua apti erant, qui quasvis operationes vitæ* naturalis *peragerent.* 3. *Vitam* æternam, *quæ resultabat, ex unione totius compositi humani, cum Deo velut* summo *bono, ex qua idonei erant, ad operationes illas beatas, quæ obtinebunt in vitâ* æterna. *Ex his perspicuum est, quod genus* mortis *legislator, homini transgredienti comminatus fuerit, scil. triplicem illam simul. Interim dum transgressuro minabatur mortem, facilè percipitur, eum obedituro, eadem opera promisisse con-*

continuationem, omnis *ejus vitæ*, *quam tum possidebant. Unde intelligimus hanc confœderationem, non fuisse expertem promissionis, si in obsequio persisteret homo, id quod ad constitutionem* fœderis, *omninò est necessarium.*

B. Certitudo *indeclinabilis hujus pœnæ*: moriendo moriemini. *Notat, præter certitudinem, etiam vehementiam & accelerationem mortis. Unde Hebræi quidam statuunt, dici,* tunc incipies esse mortalis: *existimant enim, hominem non moriturum fuisse, si non peccasset, licet, ex constitutione naturæ* potuisset *mori* Gen. III. 22.

C. Tempus *infligendæ hujus mortis*, ביום, in die, *scil. quo comederis. Sed quomodo hoc cum veritate consistit, cum Adamus à lapsu suo, adhuc per nongentos annos vixerit? Resp. Sunt inter Hebræos qui existiment, fuisse meram* comminationem *mortis, cui subintelligenda sit* conditio, *nisi respueris, ut fit* Jes. XXXVIII. 1. *Quod non videtur admittendum esse, propter emphasin phraseologiæ* moriendo morieris, *quæ non meram* comminationem; *sed insuper certam* prædictionem *futuræ pœnæ, videtur inferre. Alii igitur malunt significari,* tum mortalis eris, *cum ante peccatum esses* immortalis, *quod quidem verum est; sed non exhaurit emphasim comminationis: moriendo morieris. Alii putant dici, non* statim *ipsi moriendum fore; sed tum, quando legislatori visum esset, quomodo dicitur* 1. Reg. II. 36. 37. Quo die exieris, & transieris torrentem chidron.... Moriendo morieris. *Hoc est, ajunt, quocunque tempore visum fuerit Salomoni. Alii rectius putant dici: quo die comederis,* reus eris mortis, *quod quidem verum est; sed non sufficiens, nisi addatur, eum* ipso *illo* die, *contraxisse mortem* spiritualem. *In hoc acquiescimus.*

IV. Consensus *fœderalis partium contrahentium. Qui est quasi forma confœderationis, absque quo fœdus* nullum *est. Hic quidem ex* parte Dei, *satis clarè designatur, ipsa prohibitione & comminatione: ex* parte hominis, *non quidem exprimitur in textu; satis tamen innuitur, eo quod* tacuerit, *nec quicquam contradixerit:* consentire *enim censetur, qui* tacet, *& clarius etiam significatur* Gen. III. *quando primum renuebat Eva, auscultare tentationi Satanæ, addita hac ratione* vers. 3. sed de fructu arboris, quæ est in medio horti, Deus dixit, de eo nequaquam comedetis.

Pars dogmatica.

Deo suetum per confœderationes dirigere homines.

III. Deo itaque, ab ipsis mundi *incunabulis* visum, suos gubernare *confœderationibus.* Prout enim *cepit* in paradiso; ita *perpes* sub utroque Testamento continuavit 1. violatum *operum* fœdus sarciendo, per substitutum ei *gratiæ* fœdus Gen. III. 15. Idem 2. *Renovando* cum *Noacho* ejusque familiâ Gen. VI. 18. &c. Postmodum 3. cum *Abrahamo* ejusque semine Gen. XVII. 1 -- 16. Collat. cum Act. III. 25. 26. Gal. III. 8. Rom. IV. 13. Hinc 4. cum *Israele* penes Sinai, lege *ceremoniali* XXXI. 32. Heb. VIII. 9. Porro 5. cum *Davide* suisque posteris 2. Sam. XXIII. 5. Psal. LXXXIX. 4. 2. Sam. VII. 5 -- 17. insuper 6. cum *Judæis* post babylonicam captivitatem Jer. XXXII. 37 -- Ezech. XI. 16--21. & XXXVI. 22. Tandem 7. sub N. Testamento, cum *Ecclesia* post Christi ἐνσάρκωσιν Heb. VIII. 8.

Quamobrem per confœderationes agere nobiscum voluerit.

IV. Quod hic agendi modus 1. comprimis *efficax* sit, ad declarandum purum putum *amorem* & *gratiam*, versus suam *Ecclesiam*, quod, cum pro *imperio*, potuisset homini præscribere suum officium, sub comminatione, absque ullâ *promissione* Rom. XI. 36. maluerit agere q. ex *amicitia*, par cum pari Deut. VII. 7. 8. Tum 2. ut magis *familiariter* & ingenuè cum suis ageret, non *præcipiendo*; sed *pacisendo* voluit agere, ad modum amicorum parium 2. Sam. VII. 19. 1. Paral. XVII. 17. Porro 3. ut homo tanto *certius*, sibi posset polliceri bona *promissa*, quod sibi *ex fœdere*, per justitiam debeantur 2. Sam. XXIII. 5. 6. 7. Psal. LXXXIX -- Tandem 4. ut *carior* redderetur, ac *liberius* coleretur à suis 2. Sam. VII. 18. 19. 20. Jer. XXXI. 33. collat. cum Psal. XL. 8. Ezech. XI. 18. 19. 20.

Primum fœdus fecit in protoplastis cum universo genere humano.

V. His aliisque rationibus adductus *primam*, confœderationem cum *Protoplastis* iniit cum *universo genere* humano futuro, quæ describitur Gen. II. 16. 17. Ubi *vitam* ei promisit, perfectâ *obedientia* legi *naturali* pariter & positivâ præstandâ, promerendam: & homo suâ parte, *conditionem* accepit. Fœdus enim *hoc* fuisse, jam ante *Scriptura* Hos. VI. 7. & rei ipsius *naturâ*, docuimus, & confirmamus utroque Sacramento, arboris *vitæ* & *scientiæ* boni & mali, quo non aliud commodius significatur & obsignatur, quam *vita* obedientiæ, & *mors* rebellionis, sicut in parte *exegetica*, demonstravimus.

Fœderis denominationes sacræ.

VI. Hujus proinde fœderis *indolem*, ut dexterius assequamur; operæ pretium est *primo denominationes*, atque etiam *generalem* naturam fœderis prælibare; tum ad hujus *primi* fœderis contemplationem descendere. Fœdus Hebræis ברית, nonnullis à ברא *creavit*, quod ab ipsa *creatione* in usu fuerit, seu ab ejus *Pihel*, quod significat *cædere*, idem

idem quod כרת, unde ברית כרת coincidit cum כריית, quod in confœderatis Romanorum, pariter & Scripturæ *cædere* pecora ſuetum ſit Gen. xv. 9. 10. Exod. xxiv. 6. 7. Jer. xxxiv. 18. & alibi. Aliis à ברר *purificavit*, quod declaret utriuſque confœderati *animum* & *amicitiam*: aliis à ברת *firmitas*, (unde, ברות, *quercus*, cypreſſus) quod fœdera utrumque confœderatum confirment: aliis à כרה quod aliquando ſonat *cæmedit*, eo quod apud confœderationes, uſitatæ eſſent comeſſationes. Aliis commodius ab eodem, quatenus ſignificat *elegit*, quod per confœderationem, utraque pars idem *eligat*: aliis à כרא *cecidit*, diviſit, quod cædendo ſacrificia fieri fœdera conſueverint Exod. xxiv. 3--9. Conf. Gen. xv. 9. 10. 17. &c. Jer. xxxiv. 18. 19. 20. Græcis διαθήκη, quâ LXX. Interpretes ſemper (excepto Deut. ix. 19. & 1. Reg. xi. 11.) Hebræum ברית referunt, nec LXX. tantum; ſed ipſi etiam N. T. Scriptores θεόπνευστοι Heb. viii. 8. 9. 10. & x. 16. quod Latinis aliquando *fœdus* Luc. i. 72. Act. iii. 25. Rom. ix. 4. &c. aliquando *Teſtamentum* redditur Matth. xxvi. 28. Marc. xiv. 24. 1. Cor. xi. 25. 2. Cor. iii. 6. 14. Heb. vii. 22. Denotat aliquando *conſtitutionem* unius, qualis eſt in *teſtamento* Heb. ix. 15. 16. 17. 18. aliquando *conſenſum* plurium, qualis in *fœdere* Heb. viii. 8. 9. 10. & x. 16. & xiii. 20. aliquando *mixtum* ex fœdere & teſtamento, ſeu *fœdus teſtamentarium* Heb. ix. 16. 17. Porro utraque, & Hebræa & Græca vox, fœdus vel civile Mal. ii. 10. Prov. ii. 17. Gen. xxi. 27. 31. Gal. iii. 15. Heb. ix. 16. 17. vel religioſum inter Deum & Eccleſiam exprimere conſuevit Jer. xxxi. 31. 32. Heb. viii. 6. 7. 8. 9. Gal. iii. 17. Heb. ix. 1. &c.

Quid fœdus in genere?

VII. Senſu *generali*, fœdus denotat *conſenſum* inter Deum & populum ſuum, quo Deus *promittit* beatitudinem, & quævis bona ei ſubordinata, ac *ſtipulatur* dependentiam, in ſuam gloriam: & Eccleſia viciſſim, Deo *promittit* & addicit dependentiam & obſequium, & ſtipulatur promiſſum præmium. Eſt inquam *conſenſus* Amoſ. iii. 3. vel *implicitus*, qualis in fœdere *naturæ* Gen. ii. 16. vel *explicitus*, ſeu *verbis* tantum Gen. vi. 18. & xvii. 7. ſeu *ſcripto* inſuper Exod. xxxiv. 28. & xxiv. 7. Cujus (1) auctor *Deus* eſt, non homo: cum homo non ſit ſui juris, unde *fœdus Dei*, plerumque dicitur Gen. vi. 18. & ix. 9. & xvii. 9. Jer. xxii. 9. & xxxi. 32. erectum *ab eo* Deut. v. 2. & xxix. 1. 2. Sam. xxiii. 5. Heb. viii. 7. 8. utpote cujus cauſa *movens*, *ſola* eſt ejus εὐδοκία Eph. i. 5. 7. 8. 11. quamvis etiam fœdus *hominum* indigitetur Mal. ii. 10. (2) Bonum *promiſſum* in genere, eſt *beatitudo omneque ei ſubordinatum*, ſcil. oppoſitum *morti*, transgreſſioni denunciatæ Gen. ii. 17. Collat. cum Rom. vi. 23. & *ſtipulatum* dependentia à Deo & *obedientia* Gen. ii. 17. (3) *forma* conſtituens, ὁμολογία ſeu *conſenſus* partium in idem, ſeu *expreſſus*, ſeu *implicitus*, ut diximus.

Fœdus naturæ, quo ſenſu dicatur.

VIII. Fœdus Dei cum ſuis, *geminum* numeratur in Scripturis: alterum *naturæ*, cum homine adhucdum integro; alterum *gratiæ*, cum corrupto. Prius illud, cujus hic agimus negotium, deſignari à Theologis conſuevit, jam *fœdus legale*, quod perfectam obedientiam, *legi tam* decalogicæ, cordi ejus inſcriptæ; quam *peculiari* iſti de non manducando fructu vetito, præſtandam, pro *conditione* habuerit conſequendi vitam *æternam*: jam 2. *fœdus operum*, quod pro imperio præſcribat, *abſolutiſſimum* legis obſequium, ſub *Symbolo* non manducandi fructum arboris vetitæ: jam 3. *fœdus naturæ*, quod non tantum legi *iſti* exigat obedientiam, quæ maxima ſui parte, hominis *naturæ* erat inſculpta; ſed etiam, quod cum univerſa *natura* humana, ex ordine generationis, etiam adhucdum futura, coierit, ut ſuo loco diſtinctius monebimus.

Quid ſit fœdus naturæ?

IX. Dicit autem hoc *naturæ fœdus*, illud pactum, quod Deus in Adamo, iniit cum *univerſo* genere humano, de danda ipſi æterna *vita*, ſub conditione *perfectæ* obedientiæ, non tantum legi *naturali*; ſed etiam *poſitivæ*, de non manducando fructu arboris ſcientiæ boni & mali, præſtandæ. Coiiſſe iſtud Dei fœdus cum *primo Adamo*, Scripturis eſt indubitatum Rom. v. 12.--1. Cor. xv. 22. ſeu tanquam cum *individuo*, ſicut Auguſtinus vult *De Geneſ. ad liter.* lib. 8. cap. 17. ſeu potius, ut connotat *uxorem*, quo ſenſu terminus (*Adam*) nonnunquam venire videtur Gen. i. 26. 27. collat. cum Cap. v. 1. 2. Num autem & cum *Adamo ſecundo*, difficilius determinatur: ſi quidem ab *una parte*, qua creatura & *homo*, eximi non poſſe videtur gubernationi Dei *morali*, nec etiam aliàs, *mereri* quà homo ſibi quicquam potuiſſet: ab *altera parte*, ſi fuiſſet *in Adamo* ſub fœdere *naturæ*, idem etiam *in* & cum Adamo peccante, *violaſſe* videretur, quod omnem abſurditatem ſuperat. Videtur ergo *tutiſſimè* ſtatui: quamvis, ut creatura *rationalis*, eximi *non poſſit* gubernationi *morali*, quoad ejus officia *naturalia*; potuiſſe tamen eidem à Deo ſubduci, officiis *poſitivis*, quale eſt illud, de non manducando fructu vetito, (à *cujus* transgreſſione peccatum generis humani pendet) perinde ac *reliquis* Adami poſteris, latam fuiſſe ex intentione Dei, propterea non credimus, quia: (1) æterno *decreto* deſignatus erat, futurus *ſecundus Adamus* 1. Pet. i. 20. Rom. v. 12--atque abſonum eſt, *ſecundum* Adamum eodem fœdere concluſum cum *primo*, imò eidem incluſum fuiſſe: ut non addam (2) non fuiſſe incluſos, niſi qui *ex ordine cauſarum* ſecundarum, *futuri* erant: aſt Servator ante peccatum, *ex ordine* cauſarum ſecundarum, futurus *non* erat. Neque etiam (3) ut *in alio peccaſſe* conſiderari poteſt, cui *abſolute* repu-

Coiit cum primo Adamo.

Num etiam cum Adamo ſecundo?

repugnat peccare: est enim penitus impossibile θεάνθρωπον peccatorem fieri.

Saltem coiit non tantum cum Adamo; sed etiam cum omnibus ejus posteris, excepto solo Christo.

X. Indubitatum autem est Scripturis, reliquos *omnes* Adami posteros, hoc fœdere, per *omnia* concluſos fuiſſe, cum: 1. ex *eventu*, quando *unum* illud Adami peccatum, tranſiit ad *omnes* ejus *posteros*, qui *mortui* ab Apoſtolo dicuntur, *in* uno illo, vel qui *omnes*, eo *ipſo peccaverint*, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον Rom. v. 12. Seu id reddas, *in quo*, ut pleriſque Theologis placet, ex 1. Cor. xv. 22. ὥσπερ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσι: ſeu, *eo quod omnes peccarint*, ſcil. in *uno* Adamo, ut cum Ludov. De Dieu *In Epiſt. ad Rom.* v. 12. alii nonnulli malunt: res eodem redibit, ſenſu enim, ut diximus concurrunt. Saltem peccârunt, non *in ſe*, proinde in *cauſa* tantum: tum idem 2. patet ex *analogia*, omnium *aliarum* Dei confœderationum, quando illas fecit, non cum *ſingularibus* perſonis tantum; ſed cum *Capite* & membris, cum trunco & ramis; Ita cum (1) Chriſto ejuſque *ſemine* contraxit Gen. III. 15. Rom. v. 12. (2) cum Noacho ejuſque *familia* Gen. VI. 18. (3) Cum Abrahamo ejuſque *ſemine* Gen. XVII. 7. 8. (4) cum Davide ejuſque *poſteris* 2. Sam. VII. 16. Pſal. LXXXIX. Et quid ni *eodem modo* fecerit cum Adamo, omnibuſque ejus *poſteris*, ſolo excepto *Adamo ſecundo*, qui futurus deſtinabatur *Caput* & *principium* ſolennis confœderationis ſecundæ.

Auctor hujus fœderis ſolus eſt Deus.

XI. Cum univerſo igitur humano genere, in protoplaſtis *fœdus* contraxit Deus, non ut *pars* tantum (neque enim egit ut cum *æqualibus*, qui *ſui juris* eſſent, & conditionem offerre & accipere *poſſent* pro arbitrio) ſed etiam ut *auctor* fœderis Gen. XVII. 2. Jer. XXXI. 31. & XXXII. 40. Ezech. XVI. 8. quando contraxit, ut *Dominus* cum *ſervis*. Unde quævis confœderatio cum Deo, non fœdus *hominis* Ezech. XVI. 61. ſed *Dei*, conſtanter in Scripturis deſignatur Jer. XI. 10. & XXII. 9. & XXXIII. 21. 25. & XXXIV. 18. Ezech. XVII. 19. &c. Et in prima hac confœderatione, officium ab homine *non tam* ſtipulatur, ut pro *arbitrio* conferendum; *quam* præſcribit pro imperio (*non comedes*) nec *conſenſum* etiam hominis exprimit textus, quod ſufficiat *creaturæ*, confœderari cum ſuo *Creatore*, iis legibus quæ Creatori *placuerint*. *Auctor* verò Deus eſt: 1. *Legem*, cujus obſequium ſtipulabatur ab homine, conferendo & *inſcribendo* cordi ipſius Rom. II. 14. 15. Jer. XXXI. 33. & offerendo extrinſecus, præcepto quodam *poſitivo* Gen. II. 16. 17. Sic ut prius *regulam* præſtiterit officii ſtipulati, poſterius *lapidem lydium* explorationis. 2. Signa & *ſigilla* fœderis annectendo, duas arbores: *arborem vitæ* Gen. II. 9. confirmandæ promiſſioni *vitæ*, obedienti referendæ: & *ſcientiæ boni ac mali* Gen. II. 16. 17. obſignandæ *morti* ſi deficeret ab obſequio.

Forma fœderis eſt in conſenſu reciproco.

XII. Id autem quod propriè efformat *fœdus*, eſt *conſenſus* mutuus, ſeu ὁμολογία Dei & hominis; quo, *hic* quidem illi *perfectam*, *propriis* viribus præſtaret obedientiam, eamque *peculiariter* conteſtaretur, religioſâ abſtinentia *arboris unius*: & ab illo viciſſim reciperet, aut præmium obedientiæ, *vitam* omnibus numeris beatam; aut pœnam inobedientiæ, *mortem*. Hæc ſumma eſt conſenſus reciproci: Deus *offert*, homo *accipit*. Deus *offert* officium, & *promittit* præmium (puro puto adductus *favore* & benevolentia verſus hominem: neque enim ſemoto *pacto* & promiſſo, *quicquam* homo, quantumvis *accuratè* obediens, à Creatore exigere potuiſſet) homo *accipit* officium ſtrictiſſimo *debito*.

Quotuplex vita fuerit in homine recens creato?

XIII. Materia hujus conſenſus in *duobus* eſt: 1. In *promiſſione* vitæ & comminatione pœnæ. 2. In *ſtipulatione* officii ab homine, idque reciprocè ab utraque parte. *Vitæ* promiſſæ negotium, admodum difficile & impeditum, expedire paucis conabimur. Vita omnis in *unione* conſiſtens, aut ſaltem *ab* unione, triplex in Scripturis commemoratur. 1. *Naturalis*, ab *unione* utriuſque partis eſſentialis, *corporis & animæ* reſultans, κυρίως & in Scripturis, & in converſatione ſic dicta, qua idoneus erat, ad operationes *naturales*. 2. *Spiritualis*, quæ *ab* unione *imaginis* divinæ, ſeu juſtitiæ *originalis* cum anima noſtra, emergit, per quam ad operationes *ſpirituales* idonei ſumus, à qua, *mortui* in peccatis, *vivificari* dicimur Eph. II. 5. *fide vivere* Rom. I. 17. Gal. II. 20. Et 3. *Æterna*, ab unione *totius* compoſiti humani, cum *Deo* ſummo bono, reſultans Joh. III. 16. & XVII. 3. Jam quænam harum eſt *vitæ ſpecies*, qua homo pollebat à creatione? Et quænam, quam ab obedientia pro præmio, ex promiſſione conſecuturus erat? E quibus porro, non admodum arduum accidet determinare, quænam fuerit *mors*, quam ſibi per peccatum, ex comminatione divina, paravit. Vitam quam à creatione obtinebat, Scriptura nullibi reſtringit, ad *hanc* aut illam ſpeciem, & cum *nobis* non incumbat reſtringere; fas eſt ſtatuere, *omne* vitæ genus, homini per creationem à Deo collatum eſſe. Cum præſertim *omne* vitæ genus, ſat apertè Scriptura ipſi tribuat. Primò quidem vitam *naturalem*, ipſi nemo abrogabit Gen. II. 7. *ſpiritualem*, quæ conſiſtit in *unione imaginis* divinæ, ejuſque juſtitiæ originalis, cum anima hominis, jam ante in Cap. de *Creatione hominis*, adverſus Sociniſtas, ſatis evidenter ei aſſeruimus ex Gen. I. 26. 27. collat. cum Eph. IV. 24. Col. III. 10. Eccl. VII. 28. *Æternam*, quæ conſiſtit in favore, *fruitione* & celebratione Creatoris ſui; quis tandem homini auſit abrogare, qui cogitaverit, puro puto Creatoris favore, ipſum creatum, vita naturali, atque etiam ſpirituali exornatum fuiſſe, imo *ad hoc* exornatum fuiſſe, ut Creatorem agnoſceret, diligeret, coleret, idque

ad eum celebrandum? Cum præsertim pro præmio, obedientiæ, passim in sacris assignetur vita *æterna* Matth. XIX. 17. Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. Rom. VI. 23.

Quænam & quotuplex vita obedienti fuerit promissa?

XIV. Jam proclive est hinc conficere, *vitam* homini obedienti promissam, fuisse omnimodæ hujus vitæ *continuationem*; cum abrogatio vitæ, ex comminatione divinâ, non sequatur, nisi *inobedientiam* Gen. II. 17. & mors quævis, non sit nisi *stipendium peccati* Rom. VI. 23. Nisi quod perquam probabile est, vitæ *omni*, quam ex creatione possidebat, ex constanti obedientiâ, accessurum fuisse, *gradum* vitæ & beatitudinis. E quo item proclive est occurrere difficultati, quâ ratione id *promitti*, ut præmium potuerit post obedientiam, quod *ante* illam dudum possidebat: scil. vitæ illius & *continuationem* & *augmentum* sibi paraturus erat obedientiâ, prorsus ad eum modum, quo sub gratiâ, vita hîc per fidem cœpta, *æternum* continuabitur Joh. III. 36. I. Joh. III. 15. & pro *gradu* virtutis, olim conferetur gradus præmii Dan. XII. 3. I. Cor. XV. 40. 41. Fueritne autem vita hæc promissa, *post* obedientiam, conferenda in Paradiso *terrestri*; an post aliquam temporis in Paradiso moram, in Paradiso *cœlesti*, homoque transferendus in cœlum, Scriptura silet, quanquam Calvino hoc perquam probabile videatur.

Quænam contra mors inobedienti denunciata?

XV. Et hinc etiam, citra negotium colliges, quænam fuerit *mors*, quam refractario Legislator comminatus est, scil. privatio *omnis* istius *vitæ*, quam à creatione, usque ad *inobedientiam* posse derat: *quo die comederis, morte morieris* Gen. II. 17. Id quod *duplicatio* pœnæ (*moriendo morieris*) confirmare videtur, innuens non tantum *certitudinem* mortis; sed ejusdem etiam *gradum*. Singulatim per Scripturas ei dictata fuit 1. Mors *naturalis*, de quâ Eph. IX. 27. Gen. III. 19. ad *tempus* tantum, videl. usque ad *resurrectionem* duraturа Dan. XII. 2. Joh. V. 28. 29. Tum 2. Mors *spiritualis*, de quâ Eph. II. 1. 5. & IV. 18. duratura usque ad *vivificationem*, quæ fit *regeneratione* & conversione Eph. II. 5. 6. Col. III. 1. Porro 3. Mors *æterna*, passim in Scripturis obvia, quæ *mors secunda* alicubi dicitur Apoc. XX. 14. non quod per eam peccatores, à morte *naturali*, æternum amplius *non* sint exstituri, dicitur enim *ignis æternus* Matth. XXV. 41. & vermis æternùm *non moriturus* Jes. LXVI. 24. & à morte *naturali*, quidam suscitandi ad æternum *opprobrium* Dan. XII. 2. Nec 4. totuplex tantum *mors* dictata fuit peccatori; sed *omne* insuper quod eo vergit, omne scil. malum *animæ*, *corporis* & *fortunæ*, quippe quæ hoc ipso nomine, *mortis* appellatione in Scripturis frequenter veniunt Exod. X. 17. I. Cor. XV. 31. 2. Cor XI. 23. Atque etiam *post* commissum peccatum, per denunciatam transgressori *mortem*, *mala* quævis ei immittit Deus vindex. Gen. III. 16. 17. 18. 19.

Quâ ratione mors denunciata ipso die peccati fuerit inflicta,

XVI. Possit autem alicui remanere *dubium*, quâ ratione comminationi, quæ *eopso die* quo peccaturus esset, *mortem* denunciaverat, fuerit satisfactum: cum per tot secula, protoplasti post inobedientiam vixerint? 1. Non satis commodè, meo judicio, dixeris cum nonnullis, quod *mille anni penes Deum sint sicut unus dies* 2. Pet. III. 8. quod hoc nimium sit coactum. Nec 2. satis rectè cum Hebræis nonnullis dixeris, esse meram *comminationem*, qualis fuerit illa Jon. III. 4. quæ non inferat eventus *infaillibilitatem*; sed à *conditione* resipiscentiæ suspendatur: cum ὑφατικώτερος sit comminationis tenor: *moriendo morieris*; neque etiam *eodem* die quo peccavit, resipuit protoplastus. Nec porro 3. satis solidè verba (*quo die*) cum nonnullis retuleris ad solam *manducationem*, non autem ad pœnam *mortis*: & verba *moriendo morieris*, absolute sumpseris: quasi Deus dixerit *ab eo die* quo comederis, *reus* eris mortis, ut *ab* eo die, si mihi fuerit *visum*, morte mulctari possis: quod nimium videatur diluta, & plus habere subtilitatis quam soliditatis, hæc commentatio. Rectius igitur dixeris 4. *Ipso* transgressionis die protoplastum A. *Reatum* contraxisse omnimodæ mortis, ut sensus effati comminatorii sit, *quo die peccaveris reus eris mortis* Rom. I. 32. Singulatim B. quoad *animam*, ipso transgressionis *die* mortuus est, quando ab eâ sublata est justitia *originalis*, per quam *spiritualiter* anima vivebat Eph. II. 1. C. Quoad *corpus*, non *actu* quidem per separationem animæ & corporis, mortuus est (eo quod Deo constitutum erat, *ex uno sanguine conficere omne genus hominum* Act. XVII. 26.) sed, ut diximus, per *reatum* mortis Rom. I. 32. atque etiam per indeclinabilem mortis *sententiam* Heb. IX. 27. per quam *ipso jure* mortuus erat; saltem *mortalis*, qui antea *immortalis* erat. Unde Hieronymus, Symmachi versionem comminationis divinæ commendat, qui *morieris* reddit *mortalis eris*. Rivet. *in Genes. Exercit.* II. Quin & ab ipso peccati *momento*, mortis principia, symptomata, indicia, prodromos, lassitudinem &c. procul dubio, experiebatur Gen. III. 19. Conf. I. Cor. XV. 31. D. Quoad mortem *æternam*, quæ in separatione totius hominis, à favore & fruitione *Dei*, ut summi boni consistit; patet è severâ ejus *increpatione*, dictatis & infligis *omne* genus suppliciis Gen. III. 16. 17. 18. & ejectione è paradiso, qui *symbolice* referebat cœlum vers. 23. quæ sane à Deo irato profluxerunt.

Qualis obedientia per fœdus requisita fuerit?

XVII. Jam pro vitâ ista obtinenda, & morte declinanda, Deus ab homine stipulabatur *obedientiam*, omnibus numeris perfectam, *propriis* viribus præstandam, quam & Adam recipiebat. Quod patet: 1. Ex ipso comminationis tenore, quo uni isti, & *tantillo* manducationis actui, non alio jure, *mortis* pœnam dictare & infligere potuit, quam

quam ex inobedientiæ *nativo reatu* Rom. 1. 32. Tum 2. ex tenore fœderis operum, quo *maledictus* pronunciatur, *qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis* Deut. XXVII. 26. cum Gal. III. 10. Porro 3. ex mortis *judicio*, per *unum* delictum, in *omnes* ejus posteros propagato Rom. v. 12. 18. Insuper 4. ex *restitutione* nostri per Mediatorem, quæ non tantum mortis *pœnam* exigebat Phil. II. 8. Gal. III. 10. 13. sed perfectam etiam legis *obedientiam* Gal. IV. 4. 5. Matth. III. 15. Rom. v. 18. 19. & x, 4. Tandem 5. ex eo, quod δικαίωμα τῦ νόμυ, dicatur præstitisse pro nobis, *qui non secundum carnem; sed secundum spiritum ambulamus* Rom. VIII. 3. 4. Proinde si *violatio* legis, *redintegrari* debuit, omnibus numeris *perfecta* obedientia; utique & δικαίωμα τῦ νόμυ, seu quod idem est, *operum* fœdus, *perfectam* stipulabatur obedientiam.

Obedientiæ lex geminâ naturalis & positiva.

XVIII. Perfectæ hujus obedientiæ, *norma* & mensura *duplex* erat legis species; *prima* erat *moralis* illa lex, quam Deus, per imaginis suæ *justitiam originalem*, protoplastorum cordibus inscripserat, quam sapientia sanctitate & justitia *integram* fuisse, suo loco in Cap. de *creatione* & *imagine* Dei in *homine* demonstravimus: cujus etiam ope, protoplasti *agnoscebant* se Creatori subesse, eique obedientiam debere: quin & fœderis hujus, stipulatam *obedientiam* promptè admittebant: cujus etiam *rudera* qualiacunque, ipsi quoque Gentiles etiamnum gestant, inscriptâ cordibus suis Rom. II. 14. 15. huic *secunda* accedebat legis species, *positiva* scil. duplex: nim. (a) Sanctificandi *Sabbathi* Gen. II. 2. Exod. XX. 4. Heb. IV. 4. quo videl. per eum diem, sepositâ suâ quotidiana horticultura, non tantum Creatorem suum, *quiescendo* imitaretur: sed & eundem *diem* sanctificando, & negotiis sacris solennius impendendo, in scientia, sanctitate & justitia *actuali*, seipsum exerceret: (b) Non *gustandi fructum arboris scientiæ boni & mali* Gen. II. 17. de qua paulò abhinc, plura ex professo venient observanda.

Homo perfectam Deo obedientiam præstitutus, omnibus numeris perfectus erat.

XIX. Perfectam istam obedientiam, ab homine Deum exigebat, omnibus numeris *perfecto*, & stipulato officio pari. Quippe qui: 1. per collatam sibi imaginem Dei, & in eâ *justitiam originalem*, beatus erat *sapientia* spirituali Col. III. 10. *sanctitate* versus Deum, & *justitia* versus proximum Eph. IV. 24. quibus erat *rectus* (ישר) & à se stipulato officio, *propriis* (licet sibi collatis) viribus omnino sufficiens. Erat 2. adhucdum absque *omni vitio* seu peccato, (tam originali, quam actuali) per quod *solum*, universa ejus posteritas inepta est, quæ Deo *suum* præstet Rom. VIII. 3. Itaque 3. *Intrinsece*, perfecto erat instructus obediendi *principio*, justitia scil. originali: *extrinsece*, perfecta obedienti *norma* ei obversabatur, neque quicquam *ipsam* remorabatur obedientiam. Non est itaque, ob quod ipsum perfectissimæ obedientiæ non parem dicas. Et si 4. *imparem* dixeris, Deum injustum feceris, qui ab homine exegerit *impossibilia*: & pœnam mortis, dictaverit inflixeritque per puram putam *crudelitatem*.

Primum Sacramentum fœderis naturæ erat arbor vitæ.

XX. Fœdus naturæ, hoc modo stabilitum, Deus confirmavit duplici *Sacramento*, quorum alterum, *arbor vitæ*, præmium obsignabat *obedientiæ*, *vitam* omnibus modis beatissimam Gen. II. 9. seu una fuerit illa *individuo*; seu potius una *specie* Apoc. XXII. 2. Ezech. XLVII. 12. Ita autem appellata videtur, non quasi semel gustata *immortalitatem* attulisset, virtute aliqua sibi *naturali*, ad modum nepenthis, vel ambrosiæ, quâ Dii Poëtarum, in cœlis vescentur: vel saltem quod vitam hominis ad *longissimum* terminum prorogare potuisset, quæ post Pet. Lombardum multorum inter Pontificios, ac Lutheranos, & Socini ac Episcopii sententia fuit, absque ullâ ratione: neque etiam, quod *medicamentum*, languentibus viribus præstare debuerit, cum languoribus *nullis*, fuerit per istum statum homo obnoxius; cum præsertim nullo argumento certum sit, *promiscue* ejus arboris usum homini patuisse, illaque *vincenti* tantum promittatur Apoc. II. 7. Unde nec Adamum, *ante* lapsum, eam attigisse constat. *Vitam* ergo, seu omnimodam beatitudinem, corporalem, spiritualem & æternam, hæc arbor non *conferebat sua* virtute, sed *obsignabat*, teste Augustino: *Cætera ligna*, inquit, *alimento erant, hoc etiam Sacramento.* Cujus generis etiam est panis eucharisticus in S. Synaxi, non quod *alimento* cæteris cibis præstet; sed quod si panis *mysticus*, panis verè *vivifici* symbolum ac sigillum. *A lapsu* protoplastorum, demum accepit *imaginem* Filii Dei, qui *arbor vitæ* dicitur; *in medio paradisi Dei* Apoc. II. 7. hoc est, *causa* vitæ æternæ, *ipsum apprehendentibus* Prov. III. 18. Quæ non levi aliquâ *allusione* dicuntur; sed Christum *illum* esse ostendunt, in quo, ut *omnes* promissiones; ita & *prima* illa Adamo facta, sunt ναὶ καὶ ἀμὴν 2. Cor. I. 20. Joh. I. 4. & XIV. 6. & V. 21. 26. Unde antiquissimo arboris vitæ *typo*, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, monstrari cœpit.

Secundum Sacramentum hujus fœderis erat arbor scientiæ boni & mali. Hæc undefic dicta?

XXI. *Alterum* fœderis naturæ Sacramentum, *pœnam* inobedientiæ transgressori obsignabat, *arbor scientiæ boni & mali* Gen. II. 16. 17. *Qualis* autem fuerit hæc arbor, non constat: quæ enim Veterum quidam de *ficu*, quia mox à lapsu, ejus foliis homo se vestiverit, ut quæ ex eadem, aut proxima arbore decerpserit; vel de *pomo* ex Cant. VIII. 5. hariolantur, *incerta*; vel etiam *aliena* sunt. *Arbor scientiæ boni & mali* denominatur: 1. non ab *intrinseca* aliqua virtute acclerandi usum rationis, quasi protoplasti à creatione fuerint ut *infantes*: quomodo enim, ex hac sententia, Deus homini ut infanti, *rationis* necdum satis compoti, tantam

potuisset, & sub tali comminatione, præscribere legem? ut non addam, hominem jam ante per imaginem Dei, fuisse *sapientia* instructum Col. III. 10. Nec 2. ab intrinseca virtute quadam, excitandi *spiritus animales* refocillandique: cum *materiale* non agat *immediate* in spiritum aut animam; & si hanc habuisset intrinsecam virtutem: qua ratione, Deus ipsi *prohibuisset* usum hujus tantæ arboris? Nec 3. à mendaci Satanæ *suggestione* tentationeque, quod ejus usu futuri essent *sicut Deus, cognoscendo bonum & malum* Gen. III. 5. quis enim crediderit, Deum arborem voluisse denominare, à Satanæ mendaciis? Proinde 4. non restat, nisi quod ita dicta fuerit, ab *experimentali* cognitione *boni* perdendi, & *mali* contrahendi per transgressionem. Adjectum priori Sacramento videtur *secundum* hoc: 1. Ut absolutissimum suum *dominium* in protoplastos, pariter & in omnes paradisi arbores, imo in omnes creaturas, homini probaret: hinc *unam* tantum hanc arbusculam, excipere Creatori visum. 2. Ut homini explorandæ obedientiæ, *materiam* præstaret. Est enim præcipuum quoddam *obedientiæ* caput, quando præscriptum præstas, ideo *solùm* quia Legislator *præscripsit*, quamvis præscripti, nullas possis perspicere rationes alias, imo quando prohibitum, dempta sola *prohibitione*, est *indifferens*, quin & bonum Gen. I. 32. Unde Augustinus: *Ab eo*, inquit *ligno, quod malum non erat, prohibitus est, ut ipsa per se præcepti observatio bonum illi esset, & transgressio malum.* De *Gen. ad lit.* Lib. VIII. Cap. 13. Denique 3. Ut hinc *exaggeraretur* futura hominis transgressio, ex eo, *partim* quod in negotio tam facili ac nullius momenti, non voluerit obsecundare suo Creatori, qui sibi omnium fruendorum copiam, pura putâ gratiâ feciset: *partim*, quod ob rem nullius omnino *momenti*, voluerit susque deque habere *Creatorem* & εὐεργέτην, ejusque *dominium* & auctoritatem: id faciendo, quod eo nomine tantum, non faciendum, ne Creatoris *dominium*, & auctoritas νομοθετικὴ violaretur. Addam 4. ut *uno* hoc præcepto, *positivo*, totam legem *naturalem*, cordi protoplastorum commissam, *universamque* hominis obedientiam, hoc *symbolo* concluderet pariter & obsignaret. Ita ut *unicus* iste actus, *omnia* secum *raperet*, *integrumque* hominis obsequium, vel probaret, vel destrueret. Illo enim *præstito*, illibatum in Deum amorem, nullâ terrestri *cupidiate* foedatum ac degenerem ostendisset, seque ipsum Deo per omnia *minorem* & subjectum testatus esset: sicut eo *violato*, se Dei *imperium* detrectare, *cumque* eo potius, ut mundi inferioris Dominum, ex *pari* velle vivere, nec illius in se *arbitria*, æquo animo pati, professus est, quæ immanis est *rebellio.*

Et quibus rationibus priori adjecta?

Fœdus XXII. Foedus istud, transgressione Protoplastorum *violatum* quidem est Hos. VI. 7. nec tamen eo ipso penitus, vel *antiquatum* est; vel *integrum* mansit. Antiquatum est: 1. Quoad vim *justificandi* (quatenus, ex *operibus legis*, *justificari* jam nequit *ulla caro* Rom. III. 20. Ps. CXLIII. 2. Gal. III. 11.) & *vivificandi*, unde *litera mortua* dicitur & mortifera Gal. III. 10. 2. Cor. III. 6. 7. 9. Antiquatum est 2. Quoad *rigorem*, quatenus sub comminatione mortis, *plenitudinem* obedientiæ, iam non amplius exigit ab ipsis electis Rom. VIII. 3. sub pœnâ mortis, contentum sibi satisfieri per *Expromissorem.* Proinde antiquatum 3. quoad vim *electis maledicendi* Gen. III. 13. quatenus per divinam ἐπιείκειαν, acquiescit in maledictione, à debitore in Expromissorem traductâ Jes. LIII. 3. 4. 6. 2. Cor. V. 19. 21. Demtis hisce, adhucdum *viget*, quoad stipulata, nim. 1. Perfectam *obedientiam*, legi morali prompte præstandam Exod. XX. quâ Deum deligamus toto corde, & proximum ut nos ipsos Matth. XXII. 37. eoquo *perfecti* simus, *sicut ipse Pater noster in cœlis perfectus est* Matth. V. 48. Tum 2. quod comminationis *pœnam* Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Rom. VI. 23. Heb. X. 27. Proinde 3. Etiam quoad *vim maledicendi*, ipsos etiam peccatores, *eos* saltem, qui in fœdus *gratiæ* non fuerint recepti, quos nim. Christus non *liberaverit*; *à maledictione legis, pro* ipsis *factus exsecratio* Gal. III. 13. Ut fœdus gratiæ (quo, *quod legi impossibile erat, Deus misso Filio suo, conformato carni peccato obnoxiæ, condemnavit peccatum in carne, ut δικαίωμα τῦ νόμυ compleatur in nobis* Rom. VIII. 3. 4.) fœderi naturæ, non tam *successerit*, quam *accesserit.*

naturæ quatenus antiquatum sit, quatenus vigeat.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

XXIII. Quæritur 1. An detur aliquod fœdus operum? Episcopius Socinizans, quo efficacius infidiaretur corruptioni *originali*, cujus propagatio absque fœdere operum, vix satis commodè, explicari potest: negat dari tale fœdus. Unus item atque alter Theologus Reformatus, solo pruritu novitatis, item agit, sed non eodem modo: alter categoricè *negat* dari; alter negaverat quidem *antea*; sed alter convictus, agnoscit quidem *dari*; sed quoad promissionem *vitæ* æternæ, dari negat Reformati asserunt omninò dati fœdus operum. Quia: 1. ῥητῶς commemoratur Hos. VI. 7. וְהֵמָּה כְּאָדָם עָבְרוּ בְרִית שָׁם בָּגְדוּ בִי, *Et ipsi, sicut Adam, transgressi sunt fœdus, ibidem prævaricati sunt in me.* Conf. Job. XXX. 33. Ubi כְּאָדָם, interpretes optimi: Vulgatus, Tigurinus, Pagninus, Castalio, Belgæ aliique, non *appellative*; sed *proprie* referunt, quamvis etiâm, fateor, non desint, qui *appellative* malint. Quia 2. Apostolus Gal. IV. 24. *duplicis* fœderis facit mentionem, quorum *prius* est *ex operibus legis* cap. II. 14. exactissi-

1. An detur aliquod fœdus operum? Collatio sententiarum.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

actissimam exigens *obedientiam* Cap. III. 10. cujus *ope*, nemo unquam *vitam* fuerit consecutus cap. II. 16. cap. III. 11. sub quo *omnes* fuimus, usque ad *fœdus fidei* vers. 23. & *sumus*, quamdiu *filii carnis* existimus vers. 22. 29. quod ad *servitutem* tantum generat vers. 24. cum Heb. II. 14. 15. Et hoc ipsissimum est, quod nos *fœdus operum* indigitamus: *posterius*, *ex fide* Euangelii. Si dicas, Apostolum loqui de *fœdere*, non *paradisiaco*; sed de fœdere *Sinaico*, facile respondetur, Apostolum loqui de fœdere paradisiaco, *quatenus* illud repetitum & *renovatum* est, apud Sinai cum Israële, in Decalogo, qui habebat argumentum fœderis operum. Quia 3. *fœderis operum* synonyma exstant in Novo Test. Rom. III. 27. Gal. II. 16. Quid autem est *lex operum*, nisi *fœdus operum*? Quid *lex* simpliciter, quatenus opponitur *gratiæ*? Rom. VIII. 3. quid inquam, nisi fœdus legale? Quia dicimur esse, non sub *lege*; sed sub *gratia* Rom. VI. 14. 15. & IV. 16. quid hoc, nisi nos non esse sub fœdere *legali*? saltem nobis ista plane sunt synonyma. Quia 4. Nos jam ante, penes partem *exegeticam* demonstravimus, *omnia essentialia* fœderis operum contineri, in primâ ejus promulgatione Gen. II. 17. Quia 5. plurimis Christianæ Religionis capitibus, v. g. de *propagatione* corruptionis *originalis*, de *satisfactione* Christi, ejusque *subjectione* ad *legem* divinam Rom. VIII. 3. 4. Gal. III. 13. & cap. IV. 4. 5. vix possumus commodè satisfacere, negato fœdere operum. Causantur interim in contrarium: A. Quod fœdus operum non prostet in Scripturis. Resp. 1. Fac non prostet *voce* tenus, num propterea non erit *res*? Nec in Proteuangelio *fœderis gratiæ* ulla sit mentio, nec satisfactionis, Trinitatis &c. *voces* occurrunt in Scripturâ; sufficit, *rem* significatam doceri in Scriptura. 2. Et *vox* occurrit, & vocis *synonyma*, & vocis *res*, prout jamjam demonstravimus. B. Deesse *essentialia* fœderis, nim. α. *partes* contrahentes, esse debere *sui juris*, ut possint consentire vel non, quod, ratione *hominis*, hîc non obtinet. Resp. Istud tantum necessarium est, in fœderibus quæ coëunt inter *creaturas*; nequaquam autem, apud fœdus inter *Creatorem* & *creaturam*, ubi creatura, jure creationis, & omnimodæ dependentiæ, tenetur consentire. β. In omni fœdere requiri *promissionem* mutuam, quæ hîc non observatur. Resp. 1. *Expressam* promissionem *semper* requiri, nunquam probatur. 2. Involutam seu *implicitam* adfuisse, nos dudum demonstravimus, ex eo, quod *comminatio* pœnæ, inobedienti instigendæ, implicet *promissionem* impunitatis in obedientem: comminatio *mortis* si peccaret, promissionem continuationis ejus *vitæ*, quam tum possidebat, si præstaret præstandum, ut diximus §. XIII. XIV. γ. In omni fœdere, necessariam esse, *stipulationem* & *restipulationem*, quæ hîc non observatur. Resp. 1. Plurimæ prostant in Scripturis confœderationes, in quibus stipulatio & restipulatio *exserte* non commemoratur, v. g. Gen. IX. 11. & cap. XV. 18. ubi Deus *solus* transivit per dissectas victimas: interim *implicite* adfuisse, dudum demonstravimus. δ. In omni fœdere requiritur *consensus* partium, qui hîc non observatur. Resp. sensus *explicitus*, non semper requiritur, ut jamjam docuimus; *implicitus* adfuit, ut ostendimus in parte *exegetica*.

Objectiones.

XXIV. Quæritur 2. An fœdus operum, *in Adamo* coierit cum universo genere humano, solo excepto Christo? Pelagiani & Sociniani, quo efficacius possint eliminare corruptionem *originalem*, & illæsum habeant *liberum* arbitrium, negant hoc fœdus in Adamo, coisse cum toto genere humano. Qui non agnoscunt, aut non ingenue agnoscunt, *dari* aliquod *fœdus* operum, agnoscunt, quidem, totum genus humanum censitum fuisse *in* Adamo, atque etiam in eo *peccasse*; sed non agnoscunt: Deum cum omnibus *contraxisse*, aut violando contractum peccasse; aut si contraxerit etiam, saltem non promisisse Adamo, si in officio persisteret, atque omnibus ejus posteris, vitam æternam. Reformati statuunt, fœdus operum in Adamo, coisse cum universo genere humano, solo Christo excepto, tam quoad promissionem vitæ, si Adamus persisteret in officio; quam quoad comminationem mortis, si deficeret Adamus. Rationem unam atque alteram tetigimus §. X. adjicimus alia nonnulla. Quia: 1. Quæ Deus loquitur & agit cum Adamo, ad *universum* genus humanum spectant, non autem ad Adamum *solum*: v. g. *crescite & multiplicamini* Gen. I. 28. *Non est bonum homini esse soli* Gen. II. 28. *Deseret vir Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* vers. 24. Ut quid igitur non etiam spectaret, *non comedes de arbore scientiæ boni & mali*? 2. *Pœna* violati fœderis hujus, *universum* tangunt genus humanum, quas dictavit *fœminæ*: *multiplicabo dolores gestationis* & partus tui Gen. III. 16. quas *mari*: *terra* propter te maledicta erit Gen. III. 17. sive terræ vox hîc capiatur pro *continente* seu sustentante; quatenus cum *dolore* eâ sit fruiturus, quatenus spinas & tribulos ei sit exclusura: sive pro *contento* seu *sustentato*, homine scil. *omni*, qui inhabitat aut inhabitaturus est terram, utro modo capias; saltem poena hujus maledictionis, tangit universum genus humanum: Item *in sudore faciei comedes panem tuum* vers. 19. *è terrâ es & in terram reverteris.* Ibid. Fuerunt ista omnia *pœnæ*, quibus urgetur *totum* genus humanum, proinde & violavit præceptum, seu fœdus ob quod punitur Adam, ac consequenter præceptum *ipsi* factum est. Quia 3. idem docet primi & secundi Adami analogia & oppositio Rom. V. 15. Sicut enim fœdus *gratiæ*, in *secundo* Adamo

2. An fœdus operum, in Adamo coierit cum universo genere humano? Diversa. sententiæ.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

mo coiit cum omnibus *electis*, adeo ut ipsi feciſſe & perpeſſi, cenſeantur, quæ Adamus ille *ſecundus*, fecit & perpeſſus eſt: ita etiam fœdus *operum*, in *primo* Adamo, coiit cum *univerſo* genere humano, ex ſe naſcituro. Non addam 4. Quod Adamus fuerit caput & *principium* totius generis humani, tam *fœderale*, quam *naturale*. Proinde, ſicut ex eo, quod Chriſtus *caput* eſt omnium electorum, *in* quo omnes fœderaliter *continentur* 1. Cor. 1. 30. & *ex quo* omnes ſunt Heb. 11. 11. 12. & *à quo* omnia conſequuntur Joh. 1. 16. omnes electi ſunt ſub fœdere gratiæ: ita ex eo, quod Adamus *principium* ſit & *caput* totius generis humani; totum illud genus humanum, fuit *in eo*, & ſub eodem fœdere. Ajunt fore hoc iniquum: 1. *in Deo*, ut contrahat cum *non exiſtentibus*, eoſque implicet mortis, *omnimodæ* periculo. Reſp. (1) Non eſſe *iniquum*, ipſa docet experientia, cum Deus plerumque, & cum *non exiſtentibus* legatur contraxiſſe fœdera, ut ſupra §. x. oſtendimus; atque inſuper *ſupremum* in *omnes* homines, etiam *necdum* exiſtentes Dominium habeat, per quod cum ipſis poteſt contrahere, pro ſuo *arbitrio*. Imo nec in creaturis & *civilibus* iniquum eſt, contrahere cum non exiſtentibus: ut patet in *feudis*, ubi non tantum cum *Vaſallo*; ſed etiam cum omnibus ejus *poſteris* contrahitur, qui ſub *promiſſo* beneficio, *periculo*, & pœnæ eoipſo involvuntur. Atque eo etiam minus *iniquum* eſt, quia omnibus poſteris in Parente ſuo promittit, ſi parens perſtiterit in officio, & ſe cum illo, conſecuturos vitam æternam. Ajunt 2. iniquum idem hoc futurum fuiſſe *in homine*, *conſentire* in tanta *onera*, pro omnibus ſuis *poſteris*, per tot ſecula, eoſque implicare *tanto periculo*, in quos ſibi *nulla* competit, taliſque *poteſtas*. Reſp. Non eſſe hoc iniquum vel *foro civili*, nos jam ex *feudis* docuimus. Nec *onus* eſt; ſed *honos* inſervire Creatori, imo & *debitum*, quod omnibus, ſub pœna mortis, per *naturam* incumbit, quod proinde etiam, pro *poſteris*, omni *jure*, Creatori *ſuo* & eorum, potuit addicere, præſertim ſub *promiſſione*, certaque *exſpectatione* tanti beneficii omnimodæ beatitudinis, ſi cum ipſis in officio debito perſiſteret. Et ſi tandem, *per ſe* nulla protoplaſtis *poteſtas* fuiſſet, conſentiendi *pro poſteris* ſuis: potuiſſet ſibi à Domino *ſupremo*, & ſui & *ſuorum* poſterorum, quibuſcum fœdus volebat inire, *poteſtas* illa conferri.

Objectiones.

3. An ulla obedienti promiſerit bona ſpiritualia? Sententiarum collatio.

XXX. Quæritur 3. An Deus, per fœdus operum, homini promiſerit ulla beneficia ſpiritualia? Sociniani ſtatuunt Deum homini obedituro, *nihil* promiſiſſe. Volkel. de *vera Relig.* 11. cap. 8. Reformati illi qui fœdus operum negant, eadem opera negant, Deum homini obedienti *vitam* promiſiſſe, & ad hoc negant, ne fuerit *fœdus* in præcepto hoc *poſitivo*, quod omne fœdus exigat promiſſa. Sociniani, ne mors ſit *pœna* peccati, & Chriſtus *moriendo* ſatisfecerit, nec ex morte parvulorum, ſequatur peccatum *originale*; negant Deum promiſiſſe *vitam naturalem* & *immortalitatem*, quos refutavimus in cap. *de imagine Dei* lib. III. cap. IX. §. XLII. Iidem Sociniani, ut bona *ſpiritualia*, pertineant ad ſolum *Novum* teſtamentum; dicunt, Deum nulla *ſpiritualia*, non vitam *ſpiritualem*, nec *æternam* homini promiſiſſe. Reformati ſtatuunt, Deum homini obedituro, promiſiſſe *continuationem omnis* iſtius vitæ quam tum poſſidebat, poſſediſſe autem, præter vitam *naturalem*, *ſpiritualem* atque *æternam* inſuper, prout demonſtravimus §. XIII. & XIV. Quod confirmari poſſit: 1. à. *bonitate* Dei, quâ confœderationis huius auctor exiſtit, adeoque homini, *ſpiritualis* vitæ ac beatitudinis *capaci* & avido, non minus *ſpiritualia* beneficia *tum* voluerit addicere, quam *poſtmodum* addixit: *ero Deus tuus & ſeminis tui* Gen. XVII. 7. item, ero *clypeus tuus*, *& merces tua magna valde* cap. XV. conf. Matth. XXII. 32. quo ſpectant omnia promiſſa *vitæ* Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. Gal. III. 12. Matth. XIX. 17. Utique *vita æterna* Rom. X. 5. Matth. XIX. 16. *Quid faciam boni, ut habeam vitam æternam?* Utique ex tenore fœderis *operum* Rom. X. 5. *Etenim Moſes deſcribit juſtitiam, quæ eſt ex lege*, ut oppoſitam *juſtitiæ quæ eſt ex fide*. Ibid. Proinde *lex* ſeu fœdus legale promittebat *vitam æternam*, quæ procul dubio erat *ſpiritualis*: cum præſertim à ſui creatione, homo poſſideret *vitam animæ* ſpiritualem, atque etiam æternam, quatenus Deus erat *Deus ejus*, quatenus gaudebat amore, benevolentiâ, communione, fruitione, glorificatione Dei, in quibus conſiſtit vita *æterna*: hanc itaque cum habuerit vitam, & ab eâ privandus non eſſet, niſi inobedientia, *quo die comederis morieris*, manet indubitatum, ei promiſſam fuiſſe vitam *ſpiritualem* & *æternam*. 2. Ab hominis ipſius *natura* & *dignitate*, qui, cum præſtantiſſima ſua parte, *ſpiritus* ſit, & ſpiritualibus bonis capiatur, eaque ſolus *intelligat* & capiat, ejuſque vehementi deſiderio tangatur, ſaltem adhucdum *integer*; non ſane ſolis *terrenis* bonis poterat ablactari, ad modum brutorum *terreſtrium*. 3. Ab *arboris vitæ* Sacramento, quod vitam obſignabat, non *carnalem* tantum; ſed maximè *ſpiritualem* & æternam, ex analogia loci Apoc. 11. 7. cum Matth. XIX. 16. Rom. X. 5. Ezech. XX. 11. Præſupponimus 4. Quod continuatio *omnis* iſtius vitæ, obedienti fuerit promiſſa, quam tum poſſidebat: jam autem poſſidebat vitam *ſpiritualem*, ex unione juſtitiæ *originalis* reſultantem, quâ poterat *obſequi* Creatori: & ni habuiſſet, utique *mortuus* fuiſſet *ſpiritualiter*, adeoque à creatione ſui, fuiſſet *peccator*: creatura enim deſtituta juſtitia originali, peccator eſt Rom. III. 23. Et ſic eadem opera, Deus erit *auctor* peccati. Si ad hæc dicant:

Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

Objectiones.

cant: A. Hominem actuali suâ obedientia, sibi meriturum fuisse bona *spiritualia* ac *vitam* æternam, ac proinde non habuisse eandem: facilis accidet responsio, quod meriturus obsequio sibi fuisset, continuationem ejus vitæ, quam jam tum possidebat, & forte etiam, qualecunque ejus *augmentum* gradumque. Si dicant B. id quod jam *possidetur*; non potest *promitti* pro mercede obsequii; ex dictis facile recurret responsio: potest interim promitti *continuatio* ejus quod jam possidemus, atque insuper ejus augmentum, & *perfecta* possessio, quam necdum habebat.

Rejiciuntur nonnulla controversa aliorum.

XXVI. His jam determinavimus pleraque cum adversariis controversa. Quæ enim disputantur circa *mortem*, transgressori dictatam: num mors etiam *naturalis*? Quod negant Sociniani. Num *sola* naturalis, ut volunt Sadducæi, Epicurei aliique? Num, si *spiritualem* insuper comminatus fuerit, ea consistat in *totali* impotentia ad bonum quodvis *spirituale*, quomodo Scriptura passim definit istam mortem; an vero in qualicunque animæ *vitiatione*, ut olim volebat Philo Judæus; & etiamnum Sociniani, ut declinent mortem *naturalem* homini pro *pœna* dictatam fuisse? An mors *æterna*, si ipsi denunciata fuerit, non aliud illa sibi voluerit, quam mortem *æternæ non-existentiæ*? ut plerique volunt Sociniani & Socinizantes Arminiani, v. g. Curcellæus *Dissert. de Necess. cogn. Christ.* §. 5. aliaque hujus generis; illa jamdudum præoccupavimus, cum alibi, tum in *dogmaticis* hujus capitis, & porro ἐν Θεῷ occupabimus lib. 12. cap. IV. de *pœna peccati*. Libet igitur, quo distinctius assequamur naturam hujus fœderis, pro *controversiis*, subjungere *problemata* quædam. Quæritur ergo 4. An vita illa triplex, quam protoplastis morigeris, promittebat, perinde ac mors, transitura fuisset, in omnem eorum *posteritatem*? Resp. Hoc omnino certum videtur, si præsupponas: 1. Fœdus aliquod coiisse cum protoplastis, quod *vitam* perinde promiserit obedientibus ac mortem dictaverit immorigeris: eo quod fœdus absque promissione boni consistere nequeat. Si præsupponas 2. id fœdus coiisse in protoplastis, cum universa eorum *posteritate*: fieri non potest, quin agnoscas, promissionem *vitæ*, perinde transituram dici, ac comminatio mortis transiit. Cum iniquum videatur, aliquem implicare alterius *inobedientis* incommodis, quem eadem opera non implices, ejusdem *obedientis* commodis.

4. An vita protoplastis obedituris promissa, transitura fuerit ad ejus posteros?

5. Id quomodo fuerit futurum?

XXVII. Quæritur 5. *Quomodo* vita illa transitura fuerit in posteritatem, an per *meritum* parentis, prout in fœdere gratiæ, vita æterna propter meritum *secundi* Adami, transit in omnes electos Rom. v. 18.... an vero propria sua obedientia eandem fuissent promerituri? An item protoplastus suis posteris, sua obedientia, perseverantiam in officio fuisset promeriturus? Otiose ista quæruntur, cum Scriptura, *exserte* quidem, hic nihil determinandum sit, *probabilius* dicendum videtur, quod cum ipsi protoplasti, sibi quicquam mereri haud potuerint, nisi ex puro puto promissionis *pacto*, nec *posteris* suis quicquam mereri potuisse, nisi ex eodem puro *pacto*, eo quod creatura, ex *condigno*, à Creatore suo nihil promereri possit; *quis enim ei prior dedit, ut sibi retribuatur? ex eo, per ipsum sunt omnia* Rom. XI. 36. Proinde probabilius omnino est, quod ex pacto promissionis divinæ, posteri, sibi quisque, promerituri fuissent *propria* obedientia. Nec valet in contrarium, quod Christus suis electis mereatur vitam & perseverantiam: est enim ratio toto cœlo diversa, quia Christus, non pacto fœderis legalis promeritus fuit omnia salutaria; sed ex condignitate suæ obedientiæ, quatenus ea, ex divina ejus natura fuit infiniti valoris, secus ac obtinet in obedientia protoplastorum.

6. Quamobrem obedientia moralis, nulla fiat in hoc constitutione mentio?

XXVIII. Quæritur 6. Cum obedientia *moralis*, fuerit præcipua officii stipulati pars; quamobrem ejus nulla fiat, in *confœderatione* mentio? Pro indubitato præsupponimus, ex dictis in hanc rem apud partem *dogmaticam*, omnia Decalogi officia, per hoc fœdus *naturæ*, ab homine fuisse postulata, eo quod sint juris *naturæ*, tum *divinæ*, tum *humanæ*, quatenus homo gestat imaginem Dei, eoque, manente *eadem* Dei, & hominis *natura*, non potuerint non exigi (si forte diei septimi sanctificationem excipias, quæ fuit juris quidem *moralis*; sed *positivi* tamen, cujus interim observationi, & ipsi protoplasti fuerunt obstricti, ex Gen. II. 2. 3.) comprobantibus passim Scripturæ testimoniis Ezech. XX. 11. Rom. X. 5. Gal. III. 12. cum Levit. XVIII. 5. & Matth. XIX. 17. 18. 19. Ex quo porro, non inepte conficimus, Decalogum habere materiam fœderis operum, inque eo, apud Sinai accidisse renovationem *fœderis operum*, ut suo loco pressius docebimus. Hæc cum ita sint, quæritur quamobrem hujus obedientiæ, nullam faciat mentionem hæc confœderatio, quasi totum ejus negotium, uni adstringeretur officio *positivo*, de non manducando fructu *unius* arboris? Respondendum videtur, hoc factum fuisse, quod: 1. Obedientiæ *moralis* cognitionem exactam habuerit ex lege illa *inscripta cordi* Rom. II. 14. 15. adeoque otiosum fuisset, eam ex professo nominare. 2. Quod lex illa *positiva*, universalem obedientiam præsupponeret: nisi enim protoplasti agnovissent, se ad *universalem* obedientiam, quoad omnia illa officia, quæ sibi dictabat natura, esse obstrictos Creatori, unde agnovissent, se in *hoc* officio *positivo*, Deo obedientiam debere? Proinde solius officii positivi, debebat fieri mentio, quod ejus cognitionem, aliunde non posset habere, quam ex revelatione divina. Accedat 3. cum in hac confœderatione, Deus cum Adamo egerit, velut personâ,

na, non *privata* tantum, quæ *pro se* staret aut câderet; sed velut cum persona *publica*) referente totum genus humanum, à qua, & obedientia & inobedientia, transirent in omnem ejus posteritatem; conveniens erat, ut illud præceptum commemoraretur, à quo vita & mors tranatura esset in posteritatem: hoc autem erat in præcepto positivo, ut jamjam liberius monebimus.

7. Quamobrem Deus stipulatum hujus fœderis, uni illi præcepto positivo adstrinxerit?

XXIX. Quæritur 7. Quamobrem Deus, postulatum hujus fœderis, uni illi adstrinxerit præcepto *positivo*, de non manducando fructu unius alicujus arboris? Resp 1. Quod, ex hoc *uno* præcepto, *vel* observato, *vel* violato, *vita* & *mors* transiturae essent ad posteros, quod Apostolus docet Rom. v. 12..... unius παραβάσεως, παραπτώματος, παρακοῆς, qua *multi* constituti fuerint peccatores, qua multi fuerint mortui, qua ex *uno* judicium ad condemnationem, qua ex *unius uno* delicto, mors regnaverit: nominatim vers. 15. ὡς τὸ παράπτωμα..... εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον; *ita & delictum..... si enim* UNO ILLO UNIUS *delicto, multi illi mortui sunt.* Intelligi violationem unius hujus præcepti positivi nemini dubium. Proinde, si Adamus aliud quodvis legis moralis præceptum violasset servato hoc uno *positivo*; *sibi* tantum peccasset, *sibi* mortis reatum contraxisset, non posteris: & ex adverso, si omnia reliqua servasset, & unum *positivum* transgressus fuisset, illa *una* transgressio, transitura fuisset, in omnem ejus posteritatem. 2. Quod unico hoc præcepto *positivo*, velut solenni *symbolo* ac *sacramento*, universæ legi naturali, homo adstringatur, atque adeo, uno hoc *positivo* observato, totam legem, & sibi & suis, observasset. 3. Ut Christus *secundus* Adamus, subduceretur communioni hujus fœderis, & reatui ex ejus violatione orituro: cum enim velut creatura *rationalis*, non potuerit subduci obedientiæ legis *naturalis*, & tamen subduci deberet *fœderi naturæ*; confœderatio adstringenda erat præcepto alicui *positivo*, cui Christus subduci *posset*, & subduci deberet, ad hoc ut fœderis *gratiæ*, caput & principium, olim præstaret, qui reatui violati fœderis operum non esset obnoxius, & pro reatu aliorum, qui essent sub eo fœdere, satisfacere posset. Addatur 4. quod hoc argumentum Deus selegerit, tam *facile* tam vile, factum videtur, ut universale suum dominium ostentaret; ne insuper homo conquereretur, nimium grave observatu selectum fuisse, atque tandem ut inde magis invalesceret ejus *violatio*; per quod ne tantillum quidem voluerit pro Creatore, qui sibi omnium arborum copiam fecisset.

8. An præceptum de non manducando

XXX. Quæritur 8. An præceptum de non manducando fructu arboris scientiæ boni & mali, fuerit præceptum *morale*? Resp. Quibus *morale* & *naturale*, unum sonant idemque, his procul dubio, non fuit *morale*, agnoscimus enim non fuisse illud juris naturalis; ast cum detur præceptum *morale*, sed *positivum*, seu juris *moralis positivi*, ut patet in præcepto Decalogi quarto, cujus dies septimus erat juris *moralis*, quamquam *positivi*; non videtur eorum sententia solida. Sed videtur idem arguere, quod non fuerit præceptum *universale*, qualia sunt omnia *moralia*, quatenus non obliget *semper* & omnes homines, quia *nunc* non amplius obliget: Sed nec hoc videtur stringere: non tantum ex eo, quod obligaverit tantum *integro* adhuc fœdere, id quod non obtinet *violato* fœdere; sed etiam obligare non posset, non amplius existente hac arbore; fortè etiam quod non obligaverit nisi protoplastos, à quibus vita & mors transire debuit ad posteros, id quod jam, violato fœdere, nullius usus foret: Igitur ex adverso dici commodius possit, fuisse omnino *morale*, quia obligaverit omnes homines *tum existentes*, & quia si perstitissent protoplasti in obsequio, *omnes* obligaturum fuisset. Adde, quod, cum non fuerit *ceremoniale*, nec *forense*; non potuerit esse, nisi *morale*: cum distributio præceptorum divinorum in moralia, ceremonialia & forensia, exhauriat omne præceptum divinum, ac proinde, quod non est *ceremoniale*, aut *forense*, id necessario sit *morale*: non fuisse *crremoniale*, ex eo patet, quia omne præceptum tale, præsupponit *peccatum* & *mediatorem*, ad quæ suâ naturâ, gestant *figuram* & relationem Col. II. 17. Heb. X. 1. nec *forense*, quia nullam habuit relationem ad Rempublicam Judaicam, quam dirigeret. Ex quibus omnibus probabilissimum manet, fuisse illud juris *moralis*, licet *positivi*. Ex hoc consectariæ quæstiones, facilius determinari possunt: α. An protoplastis in officio perdurantibus, obligaturum fuisset, omnes Adami posteros? quod affirmandum videtur ex eo, quod præcepta *moralia* omnes homines obligent. β. An Adamo perseverante, posteri potuissent violare hoc præceptum? Dicendum videtur *in se* ac *simpliciter* consideratos, omnino violare illud potuisse, quia Adamus integer violavit, nec majoribus *viribus* instruendi fuissent ejus posteri: ast, consideratos cum & sub promissione *fœderis*, qua, non *Adamo* tantum obedituro; sed omnibus etiam ejus *posteris* vita est addicta; planum videtur, perdurante in obsequio parente, Deum non fuisse permissurum, ut filii ejus deficerent. Et si fortè peccassent posteri, protoplasto in sua observantia persistente, *sibi* tantum peccassent, non suis *posteris*, quemadmodum obtinet in peccatis *quotidianis* parentum *proximorum*, quæ ordinariè saltem, non transeunt in liberos, juxta illud apud Ezechielem. Cap. XVIII. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris sui.* conf. vers. 17. & ratio hujus in promptu est, quia Deus non contraxit cum posteris Adami, ut suo & filiorum nomine starent aut caderent.

Sententia negativa cum suis rationibus.

fructu prohibito, fuerit morale?

Sententia affirmativa cum suis rationibus.

XXXI. Quæritur 9. An duobus plura fuerint, hujus

9. An

Plura duobus fuerint hujus fœderis Sacramenta? Affirmativa cum suis rationibus.

hujus fœderis Sacramenta? Saltem duo fuisse, apud omnes Reformatos, extra dubium est, scil. arborem *vitæ*, & arborem *scientiæ boni & mali*. Sunt tamen viri clarissimi, qui tria numerant, *Paradisum*, & arbores duas. Sunt qui tribus istis quartum connumerant, scil. *Sabbathum*. In postremam sententiam, & ego pedibus irem, his potissimùm rationibus: 1. Quod Scriptura frequenter per *Paradisum* intelligat *cœlum* Luc. XXIII. 43. 2. Cor. XII. 2. Apoc. II. 7. Atque etiam Judæis suetum sit, per Paradisum intelligere *cœlum*, sicut & per *sinum Abrahæ*. Unde ipsis frequenter fuit in more & in ore, decedentibus suis exoptare גן & גן עדן *hortum*, & hortum Paradisi, item נוח עדן requiem Paradisi. Quod 2. *signum* hîc obtineat & *res significata*, quæ sunt essentialia Sacramenti. Quod 3. hîc insuper observetur, multiplex & significantissima analogia, inter Paradisum & cœlum: Erat α. Paradisus plantatus ab ipso Deo; est & cœlum Heb. XI. 10. 2. Cor. V. 1. β. Paradisus erat locus *amœnitate* nulli secundus, locus τρυφερὸς, locus ἡδονῆς, à quo tractus terræ amœnissimi, Paradiso æquiparari consueverunt Gen. XIII. 10. Ezech. XXXVI. 35. Jes. LI. 3. cœlum itidem Psal. XVI. 11. γ. In Paradiso nulli locus, nisi incontaminato; unde à peccato, protoplasti eliminabantur à Paradiso Gen. III. 23. 24. ita nec in cœlo Apoc. XXI. 27. Jes. LXIII. 15. δ. In Paradiso fruebatur homo familiari Dei consortio, à quo fortè *hortus Domini* appellatur; in cœlo itidem Psal. XVI. 11. Joh. XIV. 2. &c. Quod 4. ei adfit phraseologia *sacramentalis*, qua *signum* usurpatur pro *re significata*, ut *panis* appellatur *corpus Christi*. Hæc omnia talia sunt, ut quemvis permovere debeant, *Paradisum* fuisse Sacramentum cœli. Idem dici possit de *Sabbatho*: quod non tantum אות appellatur Ezech. XX. 12. Exod. XXXI. 13. per quod *Sacramentum* significatur Rom. IV. 11. Eidem *requies cœlestis* addicitur pro re significatâ Heb. IV. 9. 10. 11. Interim mihi adhuc aqua hæret circa nonnulla:

Negativa præfertur, suis rationibus.

A. Quod nec *Paradisus*, nec *Sabbathum*, construantur fœderi operum, eoque non instruantur, vel-ut ejus Sacramenta. B. Quod sola analogia, non sufficiat ad constitutionem sacramenti: sic enim & in carnibus esset sacramentum, quod analogia exacta conspiciatur, inter carnem & corpus Christi Joh. VI. 33. 35. 48. 50. 51. 55. C. Quod mihi, ullis Scripturis aut rationibus, necdum sit indubitatum, protoplastos, post exactum per aliquot temporis spatium in Paradiso, si perstitissent in obsequio, transferendos fuisse in cœlum: sic etiam per Paradisum ac Sabbathum, ipsis obsignari non potuisset cœlum, velut per Sacramentum: fruebantur enim jam tum amicitiâ, communione & fruitione Dei, in quibus consistit beatitudo aliàs cœlestis: quidni istam beatitudinem ipsis continuare, atque etiam adaugere potuisset Deus in Paradiso? Fateor Viros magnos, Calvinum, Zanchium, Musculum in ea esse sententiâ; sed hactenus non video cogentes rationes, quibus hoc demonstrent. D. Quid si etiam Paradisus & Sabbathum, relationem ad cœlum acceperint post lapsum, sub Novo Test.? Tandem E. cum analogia ista Paradisi & Sabbathi ex unâ parte, & cœli ac requiei cœlestis ex alterâ parte, adhucdum obtineat sub N. T. neque ulla abrogatio legatur, aut etiam penes fœdus operum, ceremonialia fuerint: quidni & sub N. Test. erunt *Sacramenta*? & sic pro duobus Sacramentis habebimus quatuor. His rationibus ego hic ἐπέχω, & sententiæ Reformatorum receptæ, per quam *duo* tantum fuerint fœderis operum sacramenta, arbor vitæ & scientiæ boni & mali, adhæreo, donec meis difficultatibus fuerit satisfactum.

Pars Practica.

Ex fœdere naturæ: patet 1. Prætet Dominium in omnia, & potestatem legislatoriam Dei, mirabilis ejus descensio ad nos,

XXXII. Ex fœdere naturæ, tantum *non penitus* abrogato, de quo proinde Scriptura paucis admodum; nobis innotescet, *primò* quidem, præter absolutissimum Dei in quævis *dominium*, per quod ex omnibus arboribus unam potuit prohibere homini, & illimitatam potestatem νομοθετικὴν, quâ homini quidvis potuit præscribere, permittere & prohibere pro lubitu; in *uno* cum *omnibus* contrahere; non *præsentibus* tantum; sed *futuris* insuper, idque ad consummationem seculorum usque; imò & secundum Adamum ei subducere: comprimis stupenda ejus κατάβασις & *descensio* ad nos homines, per quam, ineundo *fœdus* nobiscum: (1) Qui est Dominus absolutissimus, παντοκράτως; se nobis q. *parem* voluit exhibere. (2) Qui *sui juris* est, eoque nos & *quodvis* nostrum exigere poterat; *se ipsum* nobis, suo promisso, quasi *debitorem* fecit Conf. Rom. XI. 36. (3) Qui citra omne *præmium* reciprocum, suum debitum, exactissimum scil. suæ *legis obsequium*, exigere poterat, idem q. ex *arbitrio* nostro stipulari voluit. Conf. Philem. vers. 8. 9. 14. Quin & (4) promissione *præmii*, tanti ac talis, omnimodæ scil. *vitæ*. Et (5) quasi juxta nobiscum *fallibilis* esset, suas promissiones *signis* ac *sigillis* obsignare in gratiam nostræ *imbecillitatis*, voluit.

2. E contrario nostri ascensio ad Deum.

XXXIII. Hinc *secundo*, nobis ex contrariò innotescit, mirabilis nostri *ascensio*, quâ, non jam *creaturæ* sumus, opus manuum Creatoris nostri, non servi, non amici ejus; sed *confœderati*, quibus (licet ex solo gratuito promisso) Deus perinde *obstrictus* sit, ac nos ei. Ut hîc non ineptè usurpare possimus illud Psal. VIII. 4. *Domine, quid est homo, quod ejus memineris, & filius hominis quod visites eum*? Aut illud Davidis 2. Sam. VII. 18. *Quis ego, Domine Deus? & quæ domus mea, quod me perduxeris huc?*

3. Ex utroque turpitudo apostasiæ nostræ.

XXXIV. Proinde *tertiò*, ex *descensione* Dei versus nos, & *ascensione* nostrî versus Deum, patet immanis *turpitudo apostasiæ* nostræ à Deo, qui nihilominus, ob fructum alicujus arboris, rem tantillam, susque deque, voluerimus habere & *fœdus* cum Creatore nostro Hos. VI. 7. & promissam eo vitam *omnimodam*, temporalem, spiritualem, æternam, ac ciere nobis reatum omnimodæ mortis, & naturalis, spiritualis, æternæ. Nunquid hîc, & majori jure, lamentaveris cum Jonathane 1. Sam. XIV. 27. *Gustando gustavi cum summitate virgæ, quæ erat in manu mea, pauculum mellis, & ecce morior.* Et accusaveris profanitatem ac temeritatem tuam, plus quam Esavicam, qui *unico edulio, vendidit suum jus primogenituræ*, & ex quâ *postea, cum vellet hæreditario jure benedictionem assequi, reprobatus est, nec pœnitentiæ locum reperit, quamvis cum lacrymis exquireret* Heb. XII. 16. 17.

4. Atque etiam necessitas repetendi jus legis violatæ in Christo.

XXXV. Hinc porro *quartò*, accendamur, qui δικαίωμα τῦ νόμυ, violatum in protoplastis, *repetamus* in Mediatore Christo, ut τὸ ἀδύνατον τῦ νόμυ, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, *per Filium quem Deus misit in similitudine carnis*, recuperemus, adeoque δικαίωμα istud *legis*, *impleatur* per eum *in nobis* Rom. VIII. 3. 4. Eoque *lex* (seu fœdus legale) *pædagogum nobis* præstet *ad Christum* Gal. III. 24. utpote qui *finis est legis, ad justitiam cuivis credenti* Rom. X. 4. 5. Ut, *sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors*, utpote *in quo omnes peccavimus*; ita etiam plenissimam *obedientiam, gratiam & donum justitiæ, recipiamus per unum Jesum Christum* Rom. V. 12. 15. 16. 17.

3. Tandem & necessitas, officium. istud quod violavimus in protoplastis, faciendi

XXXVI. Interea *quintò*, fœdus naturæ, utcunque in protoplastis *violatum*, nos etiamnum validissimè *obstringit*, ad sui *observantiam* h. e. ad obedientiam *legi* hujus *fœderis* præstandam. Quamvis enim 1. violatione *cesset* & abrogatum sit, quoad vim *justificandi* Rom. III. 20. non tamen cessat quoad *vim obligandi* Rom. III. 31. Matth. V. 17. 18. 19. 20. Est enim hujus fœderis *lex*, *maxima* sui parte, juris *naturalis*, & *omni* parte *moralis*, h. e. *universalis*, ratione omnium locorum ac temporum. Et quamvis *Deus*, per violationem hujus fœderis, *ex parte* nostri factam, q. *solutus* sit ipsis, ab obligatione ad remunerationem promissionis: *non* tamen per peccatum nostrum, soluti nequaquam sumus, ab obligatione obedientiæ. Proinde 2. obstringit magis, quod, cum illam pro solo *imperio*, tanquam absolutissimus *Dominus*, potuisset à nobis exigere; voluerit tamen ut *amicus* ab amico, per confœderationem præstolari, ad hoc procul dubio, ut *liberius* ac *promptius*, illa sibi conferretur. Conf. Philem. vers. 13. 14. Psal. CX. 3. Obstringit insuper 3. quod cum solo *præcepto*, velut suum debitum potuisset *exigere*; voluerit tamen per *confœderationem*, addita promissione, *tanta* ac tali, *vitæ*, & omnimodæ beatitudinis, allicere potius. Conf. Psal. LXXXI. 14. 17. Obstringit 4. quod ab alterâ parte, voluerit nos, rigidissima *mortis* omnisque mali comminatione, *adigere*, ut scil. non esse illam purum putum *amicitiæ officium*; sed strictissimum *debitum*, intelligeremus Gen. II. 16. 17. Obstringit 5. quod capita hujus fœderis, & in illis stipulatam *obedientiam*, consensu & ὁμολογίᾳ *spontanea* receperimus, & qui per naturam satis *obstricti* Creatori nostro eramus; magis etiam hac confœderatione nos *obstrinxerimus*. Conf. Jos. XXIV. 15. 16. 21. 22. 24. 25. Tandem 6. obstringit etiam, quod *non obediendo*, semel facti sumus *perfidi*, fœdifragi, rebelles, perduelles, & quod ista crimina *toties* contrahamus, & cum omnibus consectariis, quoties ab obedientiâ exorbitamus. Conf. 1. Pet. IV. 2. 3.

in nobis

Conclusio hujus libri.

XXXVII. Pluribus circa praxin fœderis *violati*, eoque sic satis antiquati, non est quod occupemur; cum, jam saltem *post* violationem, non tam practicum sit; quam *omnis* praxeos, quæ statibus ei succedentibus, scil. peccati & gratiæ competit, *basis* sit & fundamentum, utpote quæ citra fœderis naturæ cognitionem, nullas radices agere potest in corde nostro. Quamobrem relicto statu *integritatis*, quem ex *imagine* Dei in homine, & ex confœderatione mutuâ inter Deum & hominem, hactenus contemplati sumus: ad statum *peccati*, restâ progredimur.

THEO-

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

LIBER QUARTUS,

De hominis apostasia à Deo.

CAPUT PRIMUM,

DE

Violatione fœderis naturæ.

Gen. III. 1---7.

Serpens autem erat callidior omni bestia agri, quam fecerat Jehova Deus: & dixit ad mulierem, etiamne dixit Deus, non comedetis ex omni arbore horti? Dixit autem mulier &c.

Transitio ad violationem fœderis naturæ, quæ?

I. Providentiam Dei *moralem*, hominem observare, sub tripli-ci potissimùm *statu*, nim. 1. *Integro* per collationem imaginis suæ, & justitiæ originalis in ea, item per confœderationem *naturalem* 2. sub statu *corrupto*, tandem 3. sub statu *restituto:* jam ante monuimus. Ut observaverit illum sub statu *instituto* seu integro hactenus repræsentavimus. Ut sub statu *corrupto*, hoc libro aperiemus ξὺν θεῷ. Ut sub statu *restituto*, dicemus libris quatuor subsequentibus. Circa statum itaque *corruptum*, hæc duo primum explicabimus; *primo* fœderis operum *violationem*, per quam curruptio primum est introducta, tum introductæ consectaria tria, nim. 1. peccatum *originale*. 2. peccatum *actuale*. 3. *pœnam* & *statum* peccati. *Violationi* hoc caput destinavimus, quam satis distincte nobis aperiet Moses Gen. III. 1---7.

Pars exegetica.

Superstruitur exegesi textus,

II. *Quibus verbis* historiam violations *fœderis operum*, *tentatione Satanæ procuratam*, *Moses his describit tribus*, *monstrans*

1. Tentatorem *vers.* 1. Et serpens erat callidior omni bestia agri, quam fecerat Jehova Deus. *His ostenditur tentator.*

A. Quis *fuerit*, & serpens. והנחש, & ille serpens, *ut significetur Mosen loqui de serpente* noto. *Hebræorum quidam*, *serpentem* simpliciter *accipiunt*, *pro animali*, *cujus linguam*, *sicut & animalium aliorum*, *Eva intellexerit*, *quemadmodum Apollonius Thianæus*, *fertur animalium linguas intellexisse*. *Quod absonum*, *quia*, *ut ratio*; *ita &* loquela, *brutis non congruit*. *Alii per serpentem*, *intelligunt* merum *Satanam*, *qui* simulacrum *serpentis assumserit*. *Ita Cyrillus*. *Alii de vero serpente capiunt*, *sic tamen*, *ut Satanas per eum*, *velut organum locutus sit*. *Sic veteres Hebræi Cabbalistæ*, *quod Scriptura*, *sub instrumento*, *auctorem soleat intelligere* 2. Sam. XII. 9. *Rectius intelligitur*, *non* solus *serpens*: *sed à Satana agitatus*, *ut liquet ex* Joh. VIII. 44. Apoc. XII. 9. & cap. XX. 2. 10. Rom. VII. 20. *Locutus autem est*, *ut olim per Pythonissas*, *item in idolis*, *Deorumque gentilium* oraculis, *ut Angelus per Bileami asinam* Num. XXII. 28. *Quod mirum non debebat videri Juliano*, *cum simulacrum Junonis Monetæ*, *locutum tradat Valerius Maximus* de Miraculis *lib.* 1. *Titul.* VIII. *Item simulacrum Fortunæ*, *bis locutum*, *idem tradat Valerius Ibid.*

Et Julius Obsequens de prodigiis *cap.* XXXVIII. *bovem Priverni locutum fuisse, idemque accidisse in agro Romano Cap.* XL. & LIII. *Item Arimini canem, & arborem, Apollonium allocutam fuisse. Nec desunt qui statuant, serpentem initio habuisse, intellectus & sermonis usum, quo, per peccatum privatus fuerit. Beckerus in suo* mundo fascinato, *ut haberet, Diabolos non operari extra se, statuebat nec Satanam, nec serpentem locutum fuisse: quod ille loquendi organis destituatur, hic insuper ratione, adeoque universam historiam, in aliquam allegoriam converti. De quo, forte suo loco plura habebimus. Ad eundem fere modum R. Abarbinel, negat serpentem allocutum fuisse mulierem, quod non dicatur, sicut de asinâ Bileami:* aperuit Deus os serpentis, *potius per prosopopœiam hoc factum, Scripturis frequentatam* Psam. CXLVIII. 7. Job. XXVIII. 14. *Proinde hoc dici, quod serpens in eam arborem frequentius ascenderit, & inspectante Eva comederit, eoque Eva cœperit cogitare illos fructus non esse lethales, idque perinde fuisse, ac si serpens dixisset,* non moriemini. *Hinc Beckerus dicit, Satanam forte exemplo suo Evam seduxisse. Tutissimum videtur, & Satanam & serpentem, unâ voce comprehendi, quod ad utrumque tentationem referat Scriptura: ad Satanam* Johann. VIII. 44. *ad serpentem in textu, & uterque serpens etiam, pro seductione pœnam acceperit* Gen. III.

B. Qualis *fuerit*: callidus, *& comparative* callidior omnibus bestiis *&c.* והנחש היה ערום, & serpens erat callidus, præ omnibus bestiis, quas fecerat Dominus Deus. *Hic serpens* dicitur callidus, & callidus præ omnibus bestiis *&c. adeoque &* serpenti *tribuitur* calliditas, *& calliditas præ* bestiis *& præ* omnibus *bestiis. Hic calliditas est* sapientia ad malum, *quemadmodum* prudentia *est* sapientia ad bonum, *adeoque videtur involvere* rationem *quandam. Quæritur quomodo calliditas serpenti possit quadrare? Hebræorum quidam existimant, quod serpens primum, humanis affectibus fuerit præditus: alii volunt, serpenti calliditatem tribui, propter diabolum in illo loquentem, ut linguam hominis dolosam dicimus, quod eam moveat* mens *dolosa, & linguam* eruditam, *quam prudenter movet intellectus. Augustinus utrumque conjungit, quod vafer* diabolus, *usus sit instrumento* callido, *sibique accommodo, quod interim principaliter ad diabolum referenda sit hæc calliditas: hoc non videtur abludere à vero, interim & instrumento asseritur, quod præ omnibus* bestiis *dicitur callidum. In quo igitur fuit calliditas serpentis? Respondent quidam, quod petitus caput statim abscondat: alii quod aurem obturet, à voce incantatoris, quod veterem pellem, certis temporibus exuat: quod bibiturus, prius venenum exspuat, & novum induat: sed interim calliditas rationem quandam implicat. Dicendum, non implicat* rationem; *sed naturam talem gestant nonnulla* animalia, *quæ referre videtur aliquid humanum, sicut de animalibus quatuor refert Salomo* Prov. XXX. 24—28. *sed quæritur, qua ratione serpens dicatur* omnibus *bestiis callidior, cum dari videantur bestiæ serpentibus callidiores? Respondent quidam, calliditatem à sui maledictione* imminutam *esse; & si hoc verum non sit, recte dici* callidiorem; *non quoad omnia; sed quoad* naturales *instinctus, & quasi artes, vitæ adversus pericula conservandæ. Cui accedat, quod naturaliter valeat, ad occulte & insidiose homini nocendum, eo quod in viâ stans, & in eis quibus concolor est arenis latens, equi ungulas mordeat* Gen. XLIX. 17. *& exsertis corniculis, quæ frumenti granis similia sunt, aviculas quasi ad escam advolantes, intercipiat. Hinc Aristoteles Hist. nat. lib.* I. *cap.* I. *dicit, serpentes esse μάλιστα ἐπιβόλως maxime insidiosos.*

II. Tentatam, *mulierem* ויאמר אל האשה, & dixit ad mulierem. *Mulierem sibi callidus selegit quam oppugnaret & seduceret: non ideo tantum, quod esset* naturâ σκεῦος ἀσθενέστερον, vas infirmius 1. Pet. III. 7. *quam proinde facilius expugnaret; sed etiam, ut victâ illâ, commodius, ejus persuasionibus expugnaretur Adamus maritus, & in eo tandem consummaretur peccatum, transiturum in omnem protoplastorum posteritatem. Num præsente, an absente Adamo, Scriptura quidem tacet; sed ex circumstantiis tamen videtur colligi posse, factum fuisse ipso absente. quod alias, ceu caput, non præstitisset κόσμον πρόσωπον in hac fabulâ. Quomodo autem* dixerit *seu locutus fuerit, jam ante, ex parte saltem, diximus. Nihil enim difficultatis in hoc est, si dicamus Satanam organis serpentinis, sonum articulatum potuisse efformare in aëre, quem intelligeret mulier. Quari insuper possit, quamobrem mulier, insolito alloquio bruti, ratione destituti, exterrita, non statim resilierit, aut declinaverit serpentis commercium? Responderi varia possint: 1. Quod mulier, vix creata, adhucdum ignoraverit, bruta non loqui aut ratiocinari. 2. Quod existimaverit, hoc fieri per miraculum, adeoque sibi magis esse attendendum, quod Deus secum ageret modo insolito. 3. Quod putarit, Deum sua gratia sibi affuturum, qua tentationem vinceret. Quicquid sit, saltem audivit tentatorem per inadvertentiam, quem cum abominatione debuisset rejicere.*

III. Ten-

III. Tentationem *factam duplici insultu, per quæstionem & instantiam. Quæstionibus agit, non determinationibus: quod ab eo didicisse videntur, ejus clientes hæretici, quemadmodum de Lelio Socino alicubi narrat, quod quæstionibus æternam Christi deitatem, subdole oppugnare fuerit suetus. Et quæstionibus varie ambiguis, quomodo & in Gentilium* oraculis *egisse observatur. Unde Apollo λόξιας dictus, quod λοξὴν φωνὴν* obliquam vocem *seu oracula perplexa ederet. Interim in hac tentatione occurrit, duplex Satanæ insultus.*

1. Prior *circa* præceptum divinum. *Et hic rursus:*

A. Quæstio *Satanæ*: Etiam quod dixit Deus, non comedetis ex omni arbore? *Quæstio ambiguitatibus scatet, primo enim videri possit interrogare, de* veritate *prohibitionis, an* verum *quod Deus prohibuerit.* אם כי, vere? verene? verumne *est? Sic Syrus & Arbs, Nunquid Deus dixit?* Secundo *videri possit interrogasse de* ratione *prohibitionis,* cur præcepit, *τὸ ὅτι εἶπεν, ut* LXX. *Interp. Quid est quod dixit? Quorsum hoc dixisset, nulla est sic dicendi ratio, nec Deus sapientissimus, quicquam dicit absque* ratione, *hic autem nulla prostat ratio, proinde* non *dixit.* Tertio *videri possit loqui de* affectu *prohibendi. Hinc Hebræi* אם כי *referunt per* quanto magis, *vel* multo magis, *ut truncata sit sententia, quam alia præcesserint hic non expressa, ut emergat: certe Deus odit vos, aut invidiâ prohibuit, quod non omnium arborum usum vobis concedat: quod vobis, eam felicitatem invideat, quæ ex usu hujus arboris esset in vos redundatura. Tandem* quarto, *vocibus,* non comedetis מכל עץ הגן, ex omni arbore horti, *videre posset interrogasse, an* omnis *arboris usum sibi prohibuerit: vel, an* alicujus *arboris usum tantum, sic verba temperans, ut deprehensus, posset dicere, se tantum de* una *arbore sensisse.*

B. Responsio *mulieris.* ver. 2. & 3. *Quâ agnoscit:*

1. Concessionem *Dei.* De fructu arboris horti vescemur. עץ arboris, *per enallagen numeri, sonat* arborum, *ut significet omnium ac* singularum *arborum usum, concessisse sibi Deum, hac una excepta.*

2. Prohibitionem *cum adjecta sanctione* vers. 3. At de fructu arboris quæ est in medio horti, dixit Deus: non comedetis ex ea, nec tangetis in eam, ne forte moriamini. *Sunt qui existimant, esse hæc verba mulieris, jam tum cespitantis, corrumpentis, ab* unâ *parte* præceptum *divinum, addendo:* nec tangetis in eam, *ex displicentia, tædio vel odio præcepti, illud exaggerantis: ab altera,* sanctionem *ejus diminuentis:* ne forte moriamini, פן תמתון. *Præceptum dixerat:* moriendo morieris: *alii tamen malunt, esse verba mulieris adhuc* integræ, *ex* religione *& reverentia præcepti, oriunda, quasi vellet, ne* tangendum *quidem fructum, quo* vesci *non liceret; tum* addubitativam פן *restringunt ad* contactum *tantum, quin* nec *semper vocalem istam,* addubitativam *esse, monent ex* Ps. 11. 12. Jes. XXVII. 3. *imo subinde* afferentem *esse* Jes. XXXVI. 18. *collat. cum* 2. Reg. XVIII. 3. & Matth. XV. 32. *cum* Mar. VIII. 3. *Posterius hoc malo, quia ex insultu demum secundo Satanæ, videtur vacillare cœpisse.*

2. Posterior *insultus versatur circa præcepti* sanctionem. *In quo insultu:*

α. *Ab* una *parte* comminationem *negat:* לא מות תמתון. *Non dixit,* moriendo non moriemini: sed non *moriendo moriemini, ut neget tantum mortis certitudinem, de quâ mulier videbatur dubitare.*

β. Ab altera *parte* promissionem *substituit geminam, quarum*

1. Prior mentem *respicit, ejusque* scientiam: Quoniam novit Deus, quod in die, quo comederitis ex ea, & aperientur oculi vestri. *Hic* כי *reddendum est per* sed, *pro* כי אם, *q. d. novit Deus, hoc vobis utilissimum fore, non ergo prohibuit:* ופקחו & aperientur. ו *pro* tunc, *sicut* Marc. XIV. 34. *collat. cum* Matth. XXVI. 39. *item* Marc. XV. 27. *cum* Matth. XXVII. 38. *Aperientur* oculi *scil. mentis. H. e. adeo perspicaces eritis, ut existimaturi sitis, vos hactenus fuisse quasi cœcos. Ludit interim homonymiâ, promittit* cognituros; *sed intelligit* experturos *bonum & malum.*

2. *Posterior* excellentiam status *respicit* (& eritis sicut Deus, כאלהים) *non restricti aliquâ inhibitione, nec alicui subjecti: & in hoc peculiariter, quod* cognoscetis bonum & malum: *de Jove enim Homerus, πλείονα εἴδει, & Cicero* in Hortensio, scientia est Deorum vita.

IV. Victoriam *serpentis in παραπλάσει* mulieris, *& protoplastorum violatione fœderis naturæ, cujus tres commemorantur quasi* gradus:

1. Internus, *appetitus seu cupiditas in muliere.* Et vidit mulier, quod bona esset arbor ad cibum, & quod desiderium esset oculorum, & concupiscibilis arbor ad intelligendum. *Et* vidit.

Ut hinc non ineptè colligamus, per ſenſus externos, & imprimis etiam, per viſionem inordinatam, peccatum ingredi in hominem, *& in* mundum *etiam ingreſſam fuiſſe,* violationem *primi* fœderis. *Ut non abs re, Jobus* pepigerit fœdus cum oculis ſuis, *ne* inordinatè aſpiceret mulierem Job. xxxi. 1. *Nec tamen oculis tantum* corporis *aſpexit; ſed* mentis *quoque, contulit arborem, cum dictatis Satanæ & cum ratiociniis mentis ſuæ, cum debuiſſet conferre cum dictatis Creatoris ſui, neque enim admittere voluit, quod non eſſet conſentaneum* rationi *ſuæ. Ut non inepte ſuadeat Apoſtolus,* ratiocinia λογισμὸς, *quæ ſe extollunt adverſus cognitionem Chriſti, ſubigenda eſſe* 2. Cor. x. 5. *Nominatim autem notatur, triplex cauſa perverſæ cupiditatis:*

A. Gula, *videbat quod* bona eſſet arbor ad veſcendum. *Non utique quod* verè *bona eſſet, ad ſuſtentationem vitæ; ſed quod bona ſibi videretur ad gulam. Ut notetur concupiſcentia carnis* 1. Joh. ii. 16.

B. Pulchritudo *arboris, quod eſſet* deſiderabilis oculis, *in quo eſt* concupiſcentia oculorum. *Ibid.*

C. Appetitus *ſcientiæ vanæ, quod eſſet* concupiſcibilis ad intelligendum, *qui appetitus multos ſeducit, ut à veritate declinent ad errores. Idque ad faſtum vitæ. Ibid.*

2. Externus, *puta manducatio fructus prohibiti*: & cepit de fructu ejus, & comedit. *Primo* cepit, *quod ſibi prohibitum dixerat ad Satanam, tum* comedit, *eoque conſummavit, quantum* ad ſe, *transgreſſionem, violationemque fœderis operum.*

3. Seductio *mariti*, deditque etiam marito ſuo, & comedit. *Atque ita conſummata fuit violatio fœderis operum, tranſitura in omnem protoplaſtorum poſteritatem, docuitque non ſatis eſſe peccatori, ſeipſum ſefelliſſe ac peccaſſe, niſi & alios fallat & in peccatum ſeducat, ferme ut ebrii ferre non poſſunt, ut alii ſint ſobrii.*

Pars dogmatica.

Probatur hominem & ſibi & poſteris fœdus naturæ violaſſe.

III. Hac itaque *manducatione* fructus vetiti, protoplaſti ſibi, ſuiſque *poſteris*, violarunt fœdus naturæ, ſeque & poſteros in extremam præcipitarunt miſeriam. Quod Sole clarius patet: 1. *Scripturis*, tam V. Teſtamenti, quo ſpectat univerſum caput tertium Geneſeos; Hoſ. vi. 7. quam N. Teſtam. Rom. v. 12. 14. 18. 19. Patet 2. *Experientia*, quando univerſa Adami poſteritas, eidem peccato, morti & condemnationi involuta cernitur Rom. v. 12. &c. Patet 3. *abrogatione* fœderis hujus, & ſubſtitutione *novi*, confeſtim à Deo facta Gen. iii. 15.

Violationis hujus variæ denominationes.

IV. Violatio iſta variis *nominibus* deſignatur ab Apoſtolo Rom. v. Scil. 1. *Peccatum*, ſed cum præfixo *domonſtrativo*, perquam emphatico ἡ ἁμαρτία verſ. 12. *illud* peccatum, magnum ſcil. & egregium. 2. *Transgreſſio* παράβασις verſ. 14. ſcil. legis & fœderis naturæ. 3. *lapſus* παράπτωμα, quatenus eo ipſo, à ſupremo dignitatis & beatitudinis *faſtigio*, in extremum *miſeriæ* barathrum præceps factus eſt. 4. *Inobedientia* παρακοὴ, quatenus non *Deum*; ſed *Satanam* audivit.

Gradus violationis hujus.

V. Variis gradibus hæc paulatim perrexit ad ſuam ἀκμὴν: Mulier enim 1. Satanam in ſerpente *audivit* ſe tentantem. Hinc 2. fortè verbum Dei *falſavit, addendo* ejus præcepto *contactum* fructus, qui non exprimitur Gen. ii. 16. 17. *minuendo* vim ſanctionis, *ne forte moriamini.* Saltem 3. *Aſpexit* cum cupiditate arborem prohibitam, *vidit quod bona eſſet arbor.* Porro 4. *Apprehendit* fructum vetitum. Atque etiam 5. *Comedit.* Tandem 6. & marito *dedit*, ſuo exemplo comedendum, prout *cupiſcentiam* propriæ excellentiæ, quæ poſtmodum etiam ab eo factum eſt. Ex quo percipi poteſt, qua mente non *Adamum*; ſed *mulierem* deceptam Apoſtolus pronunciet 1. Tim. ii. 14. ſcil. non per ſerpentem *immediate*: ſed per *mulierem*. Neque etiam, aliis *gradibus* ſuam conſummavit transgreſſionem *Adamus*: admiſit enim: 1. ſuggeſtionem uxoris. 2. *averſus* eſt à Deo. Porro 3. *inclinatus* ad peccatum. Inde 4. ad ipſam peccati *perpetrationem*. Eoque etiam 5. ad ejuſdem *propagationem.*

Motus & gradus primus verſus violationem hanc, fueritne in intellectu, an in voluntate?

VI. Quamvis autem in *poſtremo* horum graduum, fuerit *conſummatio* violationis; attamen & in *primo* fuit peccatum, ut dici poſſit, hominem *peccatorem* fuiſſe, antequam externum *manducationis* actum commiſiſſet, licet ante *conſummationem*, non fuerit tranſiturum in poſteritatem, quod Deus dixiſſet, *quo die comederis moriendo morieris*, ſcil. cum univerſa poſteritate tua. An autem motus *primus* verſus peccatum, fuerit in *mente*, aliqua oſcitantia, inadvertentia, error aut incredulitas: an potius in *voluntate*, inordinatus aliquis appetitus propriæ *excellentiæ*, diſceptatur inter Theologos, pro diverſis eorum hypotheſibus. Qui *voluntatis* determinationem, per *omnia* ſuſpendunt, ab ultimo judicio *intellectus* practici; inadvertentiam, incredulitatem aut errorem cauſantur, quæ *voluntatem* determinaverit, ad perverſum *excellentiæ* propriæ deſiderium: qui contra ſtatuunt, peccati ſubjectum δεικτικὸν, eſſe ſolam *voluntatem*, exiſtimant inadvertentiam, incredulitatem, quamdiu *præcedit* omnem voluntatem, peccatum eſſe *non poſſe*: proinde primum motum verſus peccatum, fuiſſe inordinatam *concupiſcentiam* propriæ excellentiæ, quæ poſtmodum abri-

abripuerit ad inadvertentiam, errorem & judicium pravum, ut genuina *media* ejus excellentiæ potiundæ, judicaverit quæ à Satanâ ſuggerebantur. Et hoc *ordo* ac progreſſus tentationis, magis probare videtur, quanquam res non eſt ullius momenti.

Cauſa lapſus fuit, non Deus.

VII. Cauſa ejus *principalis*, non *Deus* fuit, ſeu per æternum *decretum*, utpote quod cauſa quidem *futuritionis* infaillibilis fuit, ſed non ipſius *peccati* futuri: ſeu per *influxum*, utpote qui ſolum peccati *ſubſtratum* ſeu materiam producit, non ἀνομίαν & *malitiam*, ceu formam peccati: ſeu per *ſubtractionem* gratiæ, & *auxilii* alicujus neceſſarii, utpote quæ ante *commiſſum* peccatum nulla accidit, aut accidere *potuit* citra injuſtitiam; fuiſſet enim pœna inflicta, ante peccatum *commiſſum*: quamvis interim gratiam *ſecundam* corroborantem & confirmantem (quâ peccandi *actus* fuiſſet actu impeditus, & contrarius obedientiæ procuratus, utpote *indebitus*, idque certo ſapienti & juſto Dei conſilio) agnoſcamus homini *non* fuiſſe collatam: proinde non reſtat, niſi quod *non Deus*, ſed *homo* arbitrii ſui abuſu, cauſa *principalis* hujus violationis ipſe fuerit Eccl. VII. 29. propriâ προαιρέσει, quam nec *decretum* divinum, nec ejus *influxus*, aut tollit, aut ullo modo lædit. Imo non tantum libertate *ſpontaneitatis*, ultro & abſque *coactione* ullâ peccavit; ſed etiam *indifferentiæ*, quatenus *in ſe*, & per naturam ſuam, non erat *determinatus* ad iſtud peccatum, utut *extrinſece* reſpectu decreti divini, fuerit.

Quâ ratione originali juſtitiâ prædituſ potuerit peccare?

VIII. Si quæras, quo pacto per juſtitiam *originalem*, *perfectæ* ſapientiâ, ſanctitate & juſtitiâ beatus, *potuerit* peccare? Non reſpondebo cum Pelagianis, Jeſuitis & Remonſtrantibus: quod per *creationem*, in eo fuerit *lucta carnis & ſpiritus*: dicerem enim *Deum* eſſe *auctorem* peccati, quia *concupiſcentia* carnis adverſus ſpiritum, pronunciante Deo Exod. XX. 17. & Apoſtolo Rom. VII. 7. proculdubio *peccatum* eſt: dicam potius eum *potuiſſe* peccare, quamvis tantâ ſapientia, ſanctitate & juſtitia prædituſ; quia *mutabiliter* prædituſ erat (cum *immutabilitas* ſit inter proprietates Dei: atque ipſa etiam fœderis operum prohibitio, cum annexa ſanctione, ſuperflua fuiſſet futura, ſi peccare prorſus *non potuiſſet*) & per validiſſimos *tentationum* inſultus, mutatus eſt à ſuâ rectitudine *nativa*, ceſſante interea gratia Dei *ſecunda* confirmante, prorſus indebita.

Cauſæ juvantes: tum mulier, tum Satanas.

IX. Cauſæ juvantes violationem fuerunt, tum *mulier* reſpectu Adami, non quidem *verberibus*, ut Judæi nonnulli nugantur; ſed *ſuaſoriis* humanæ ſapientiæ verbis, ſibi dudum à ſerpente ſuggeſtis: tum *ſerpens* ratione mulieris. h. e. Satanas, non *ſub larva* ſerpentis, ut Cyrillo, Cajetano aliiſque placet; ſed *in ſerpente*, ut qui callidiſſimus narratur inter beſtias. Fuerat ipſius Satanæ peccatum *ſuperbia* 1. Tim. III. 6. & è ſuperbia orta *invidia*, verſus *Deum*, & *imaginem* Dei in homine. Quia enim *inordinatam* excellentiam affectando, *ordinatam* amiſerat; idcirco de *aliorum* excellentia dolebat, & ad eam *expugnandam* malitioſe ferebatur. Neque tamen fuit cauſa *cogens*, aut quomodocunque *phyſica*, ſufficientis, directæ, neceſſariæ, vel certæ efficaciæ, in hac violatione procuranda; ſed *moralis*, conſulendo, ſuadendo, tentando, hominem *inducens*, qui ſeipſum *ſponte* ad peccandum *componeret*, unde *tentatoris* nomen hauſit Matth. IV. 3. atque etiam *ſeductoris* 2. Cor. XI. 3.

Idque ſua tentatione. Quid illa?

X. Ejus autem *tentatio* nihil aliud erat, quam argumentatio ſophiſtica, quâ, ſub ſpecie veri ac boni, ſeducere conabatur ad falſum, & inducere in malum. Id quod aſſequebatur 1. oſtentando & exaggerando *bonum* quod promittebat, tanquam *ſummum*: *aperientur oculi veſtri, ſcietis bonum & malum*, imo *eritis ſicut Deus*. 2. *medium* huic bono conſequendo commodum, commendando tanquam *facile* ac *certum*, *quo die comederitis*; &c. hoc *Deus novit*. 3. *periculum* quod imminebat longe maximum, *occultando*, amoliendo: *Nequaquam moriemini*. Hæc communis eſt omnium ferè tentationum fallacia: tamen *huic*, ſuæ fraudes peculiares, utpote 1. Quod *ſerpentem* ſibi ſelegerit pro inſtrumento, de quo Scriptura pronunciat quod *callidior* fuerit, quavis beſtia Gen. III. 1. Qualis autem fuerit hæc calliditatis prærogativa, (quæ alibi quoque traditur Pſal. LVIII. 5. 6. Matth. X. 16. 2. Cor. XI. 3.) Satanæ commoda, in *exegeticis*, jam ante repræſentavimus. 2. Quod *mulierem* aggredi voluerit 1. Tim. II. 14. abſente an præſente marito, Scriptura non dicit: quo non tantum *debiliorem* haberet adverſarium, ſed etiam per *victam uxorem*, de *marito* commodius triumphare poſſet. 3. Quod *primo* congreſſu nihil *ſtatuit*: ſed *interrogat* tantum, mulieris ſententiam & conſtantiam exploraturus. 4. Quod quæſtionem moverit multis modis *ambiguam*, prout in exegeſi textus obſervavimus, quo nim. *effugiis* uberior ſuppeteret campus & occaſio. 5. Quod in *ſecundo* congreſſu, *mandato* divino in *dubium* vocato, *comminationem* etiam, apud nutantem fœminam artificioſe elevaverit, ut, vel *veritatem*, vel ſaltem *neceſſitatem* negaret. 6. Quod ſublatæ comminationi, *promiſſionem* egregii emolumenti ſurrogaverit. Tandem 7. quod ad ſuam iſtam promiſſionem probandam, *nomine Dei*, & arboris ipſius prohibitæ, fuerit *abuſus*: *Novit Deus, qua die comederitis, aperturos ſe oculos veſtros, & vos fore ſicut Deus.*

Et quæ illa?

Non tamen prorſus abſque Deo laſus accidit.

XI. Quamvis autem *aſtu* Satanæ, & *ſeductione* mulieris, conſummata fuerit hæc violatio; quamvis item Deus, illius *cauſa* nullo modo fuerit: quamvis porro, ſuo *influxu* aut gubernatione, hominem nullo modo *neceſſitaverit* ad hanc violationem: quamvis denique, *ante* commiſſum ſcelus, nullam

nullam *gratiam* aut *auxilium* subtraxerit, ut volens nolens labi debuerit: attamen, nec penitus *absque numine* & providentia *omni* accidisse, Deumque tantum hujus *luctæ* totiusque *eventus*, *otiosum* spectatorem egisse, cogitandum est: ita enim ens absolutè *primum*, adeoque & *Deus* non esset, & qui, usque ad passerculos, imo & capillos *omnia curat*, fata *totius* generis humani iusque deque habuisset? Non obstante, quod ab hac violatione, & *Mediatoris* missio, & universa redemptionis *œconomia* penderet?

Quo modo Deus occupatus fuerit circa lapsum.

XII. Itaque procul omni dubio 1. Violationem hanc æterno *decreto*, quo *omnia agit* secundum consilium voluntatis suæ, non minus prædeterminavit, quam *omnia* illa scelera, quæ ab Herode, Pontio Pilato & Judæis, circa *Filium* suum perpetrata sunt, prædeterminavit Act. II. 23. & IV. 26. 27. Cum præsertim Mediatoris *missio*, quæ *certam* lapsus futuritionem præsupponit, præcognita & prædeterminata dicatur 1. Pet. 1. 20. Tum & 2. providentiâ sua, actum *physicum*, huic peccato *substratum*, non minus operatus est, quam alios quosvis *actus* humanos Act. XVII. 28. Porro 3. permittendo *ἀνομίαν*, *negavit concursum* gratiæ & auxilii *confirmantis*, utpote sine quo, fieri casus nullo modo potuisset: neque enim illum largiri Deus *tenebatur*, cum præsertim homo suis *viribus* fidens, illum non *expeteret*. Quin & 4. protoplastos *tentavit*, non equidem ut Satanas *ad malum* Jac. 1. 13. 14. sed (prout postea Abrahamum Gen. XXII. 1. & Israelitas Exod. XX. 20. Deut. VIII. 2. 16.) ut manifestum fieret, *quid esset* in homine. Ut non addam 5. universam illam hujus violationis gubernationem, qua in nominis sui gloriam, suorum redemptionem, & reproborum justam condemnationem, illam sanctissimè direxit.

Lapsus non tantum protoplastos sed etiam omnes eorum posteros concernit.

XIII. Jam violatio illa, quæ tentante Satana, seducente mulierem, dirigente providentia divina, à protoplastis perpetrata est, non *ipsos* tantum concernebat & implicabat; sed & *omnes* etiam eorum posteros: quoniam *fœdus naturæ*, ut superiori capite monuimus, non cum *ipsis tantum* coaluerat; sed cum *omnibus* insuper eorum *posteris*, hoc exsertè pronunciante Apostolo Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 22. atque insuper, confirmante *pœna*, non *ipsis* tantum inflicta; sed *omnibus* etiam eorum *posteris*: ea enim quæ protoplastis infligebantur, *omnes* eorum tangunt posteros: ut *maledictio* terræ, non tantum tellurem maledictam; sed & ejus *omnes incolas* denotare possit; cum præsertim & reliquæ istius peccati pœnæ, per experientiam, omnes Adami posteros urgeant. Conf. lib. III. cap. XII. §. X.

Tempus lapsus.

XIV. Quantum ad *tempus*, cum istud S. pagina non adeo determinet, variant inter se, tum Judæi, tum Scholastici, tum Theologi. Caballistæ factum anno mundi vigesimo nono, à literulis quibusdam hariolantur. Sunt qui existimant, Protoplastos in integritate perstitisse, per annos triginta quatuor & semestre, quamdiu scil. Servato in terris fuerit versatus: sed quis credet post multiplicationis benedictionem, liberos, tanto tempore, non fuisse procreandos à protoplastis? Quidam cum Luthero existimant, *septima* die post creationem cœptam, seu die Sabbathi hoc factum; Maimonides, Irenæus, Chrysostomus, Theodoretus, Cedrenus, Augustinus, Bernardus aliique, malunt factum hoc sub vesperam, *ejus diei* quo conditus fuit. Clarum in re obscura videtur: 1. Aliquam temporis *moram* interfuisse, inter creationem & lapsum, ut (a) nomina singulis creaturis imponeret homo Gen. II. 20. (b) ut mulier formaretur è costa Adami Gen. II. 21. 22. (c) Eva cum Adamo jungeretur in matrimonium Gen. II. 22. 23. 25. (d) conjuges benedicerentur à Deo, ipsique Dominium conferretur in sublunaria Gen. 1. 28. eis permitteretur frui cunctis horti fructibus. Ibid. vers. 29. exciperetur una arbor scientiæ boni & mali Gen. II. 16. 27. pangeretur cum ipsis fœdus naturæ. Quæ omnia sanè tempus *aliquod* exigunt. Interim 2. verosimile est, non *multum* temporis, eos peregisse in statu integritatis. Comedissent enim (a) de arbore *vitæ* confirmatique fuissent in *statu vitæ*, adversus lapsum Gen. III. 23. (b) *concepissent* Eva fœtum *intoxicatum*. (c) post capita lapsum præcedanea, jamjam commemorata, quæ brevi temporis spatio peragi poterant; commemoratur lapsus. Quamobrem 3. probabile videtur, protoplastos nec per annos, menses, septimanas, perdurasse in integritate. Vero mihi videtur simillimum, quod per aliquod saltem dies, imò per unam septimanam perduraverint in integritate. Neque enim: 1. quicquam occurrit, quod huic obnitatur, imò quod hoc non confirmet potius. 2, Prædicta omnia, vix pauculis horis commodè perpetrari potuerunt. 3. Cum Sabbathum instituteretur, adhucdum omnia *bona* erant Gen. 1. 31. collat. cum cap. II. 1. 2. 3. Porro 4. per pauculas horas, vix *experiri* poterant protoplasti, quid sit status integritatis, & quænam ejus esset beatitudo. Nec satis stringit in contrarium, quod: A. Tamdiu non abstinuissent ab arbore *vitæ*, nec ab usu conjungii: qui enim per horas aliquot conservaverat à lapsu, potuisset etiam per dies aliquot conservare in abstinentia ab usu prædictorum. Quod B. sub vesperam protoplasti, commisso jam peccato, ad rationes fuerint à Deo vocati Gen. III. 8. Neque enim dicitur *eâdem* suæ creationis vesperâ hoc factum. Nec C. magis stringit, quod Satanas mendax sit & homicida *à principio*: hoc enim non significat, à primo die creati hominis, sicut non significat, à principio creationis universæ, an à primâ horâ creati hominis. Adhuc D. minus est momenti, in analogiâ inter lapsum

ſum & mortem ſecundi Adami, qui feriâ ſextâ, & horâ ſextâ, ſeu duodecimâ meridianâ obierit: præterquam enim, quod nullus hic ſit nexus ſolidus: poteſt illa analogia etiam obtinere, ſi in feriâ ſexta, hebdomadis ſecundæ, lapſus accidiſſet. Minime tandem E. ſtringit locus Pſal. XLIX. 13. ואדם ביקר בל ילין, cum אדם hic ſignificet non *proprie* Adamum; ſed *appellative* hominem: & ילין ſignificet *pernoctabit*, non *pernoctavit*, & tandem *pernoctare* ſonet perdurare, ad tempus aliquod in hoc aut illo ſtatu Pſal. XXV. 13. Jer. IV. 14. Interim nihil hic peremtoriè auſim determinare.

Gravitas lapſus hujus.

XV. Hæc tandem magna eſt, nec ſatis deploranda fœderis naturæ *violatio*, principale generis humani crimen, ac ſummus ſeculi caſus. In quo, non *hoc* aut *illud particulare* peccatum, ſeu gulæ, ſeu ſuperbiæ, ſeu furti, ut Pontificiis placet; ſed *omnium* peccatorum, *ſemina* ac ſentinam obſervare eſt. Fuit enim in eo ſuperbia, ingratitudo, infidelitas, idololatria, inobedientia, incuria, præpoſtera ſciendi curioſitas, peſſima concupiſcentia, rei vetitæ contrectatio, ἀσωργία, homicidium in totum mundum, perfidia & violatio fœderis; imo in violatione Sacramenti hujus, tam ſolennis, quaſi *univerſalis* inobedientiæ *profeſſio*, fœderis contemtus, rebellio, ac totalis à Deo *apoſtaſia*. Quæ omnia à *circumſtantiis* immenſum exaggerantur, v. g. (1) A *perſona* tot beneficiis à Deo onuſta, tot dotibus exornata, per juſtitiam *originalem* divinamque imaginem, nullis ad peccatum *ſtimulis* obnoxia. (2) Ab *objecto*, quod tantâ rerum *copia* affluebat, ut *una* arbore abſtinere nullo negotio potuerit. (3) A *loco* ac tempore, quod vix à Creatore efformatus, inque horto ac ſacrario Dei collocatus, ad *unum* atque *alterum* tentatoris impetum, arma pro ſua ſuorumque ſalute, confeſtim abjecerit. Singula horum adeo poſſent amplificari, ut ad oculum cuique pateret, fuiſſe hoc peccatum *ſimpliciter maximum*.

Uter conjugum gravius peccarit?

XVI. *Uter* autem conjugum gravius peccarit, fruſtra ferè quæritur, cum *unum* cenſeatur *peccatum* in Scripturâ Rom. v. 15. 16. 18. unus peccator *Adamus œconomice* ſaltem Rom. v. 12. 16. 17. una pœna, *mors* Rom. v. 12. Gen. II. 17. Niſi quod peccatum illud *cœperit* in uxore, quæ ſeducta fuit pariter & ſeduxit, quo nomine peccatun ejus, gravius dici videtur ab Apoſtolo 1. Tim. II. 14. & *conſummatum* fuerit in marito, unde *regnaſſe* dicitur *mors ab Adamo* Rom. v. 14. qua ratione eius peccatum *gravius* dici poſſit. Niſi adjicere malis ex præcellentia roboris in mente, viris naturaliori, quam mulieribus, quæ σκεῦος ἀσθενέστερον, Apoſtolo dicuntur 1. Pet. III. 7. invaluiſſe peccatum viri.

Pœna lapſum conſecutaria.

XVII. Violationis hujus *pœna* conſequens ſpectari poteſt, partim quatenus *peculiariter*, immediatè poſt violationem, dictata eſt violatoribus; partim quatenus *generaliter* indicta omnibus eorum poſteris. Priori modo concernit 1. Procuratorem violationis, *ſerpentem* ſcil. ut *inſtrumentum*, ſerpen- Ratione tis.
& Satanam ut *ſeductorem* principalem, cujus pœna deſcribitur Gen. III. 14. 15. quæ *univerſim*, nec ad *ſolum* ſerpentem referenda eſt, ut volunt Sociniani; nec ad *ſolum* Satanam, ut alii. Itaque *ſerpenti* dictatur, tum *maledictio: maledictus præ omni animali*; tum humilis & abjectus incedendi modus; *ſuper ventrem gradieris*, (utut hactenus *erectum* aut pedibus inceſſiſſe, non pateat è textu; cum humilis ille & incommodus, pergendi modus, *à ſeductione* demum potuerit *fieri* pœna; ſicut iris, à promiſſione, cœpit eſſe *Sacramentum* gratiæ, fortè etiam aggravatus fuit propter ſeductionem) tum victus vilis ac ſordidus: *pulverem comedes, cunctis diebus vitæ tuæ*. Hæc abſque ulla neceſſitate, per *allegoriam* ad Satanam traducere, qui *pulverem*, i. e. homines terrenos comedat, dilutum & inconveniens eſt. *Satanæ* autem, pro ſeductionis pœnâ, dictatur verſ. 15. *inimicitia* cum ſemine mulieris, quod ipſi *conculcaturum* eſſet caput ſuum, de quâ ſuo loco ex profeſſo: Concernit 2. pœna hæc *mulierem*, cui verſ. 16. denun- Ratione
ciantur, *multiplicatio* moleſtiarum per omnem vi- mulie-
tam, dolores geſtationis & partus, ſubjectio erga tris.
maritum: Concernit 3. pœna *maritum*, cui de- Ratione
cernitur, tum *maledictio* terræ verſ. 17. *Maledicta* Adami,
terra propter te (ſeu de *continente* intelligatur juxta verſ. 18. *ſpinas & tribulos germinabit tibi*; ſeu de *contentis* inſuper, aut continendis, omnibus ejus poſteris, juxta Rom. v. 12. Eph. II. 1. Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10.) tum *miſeria* vitæ univerſæ verſ. 17. 19. *labore comedes, in ſudore vultus*: tum *mors* verſ. 19. *Donec revertaris in terram*. Concernit tandem 4. *Utrumque* violatorem, maritum & Ratione
uxorem (a) Ignominioſus Dei σαρκασμὸς, ſuper- utriuſ-
biam exprobrans verſ. 22. *En homo iſte factus eſt* que.
ſicut unus ex nobis. (b) *Expulſio* è paradiſo verſ. 23. *Et emiſit eum Dominus ex horto Eden*, qui fortè, & tum temporis imaginem gerebat paradiſi cœleſtis, à cujus participio pellerentur (c) *Seclusio* à Sacramento vitæ verſ. 24. *Collocavit ab oriente horti Eden Cherubim, & aciem gladii verſatilem, ad cuſtodiendam viam arboris vitæ*. Ne ſcil. homo, per violatum fœdus, orbatus vita, & onuſtus *mortis reatu*, uſu Sacramenti vitæ, ſeipſum vana vitæ perſuaſione, fruſtra lactaret: pœnam autem, quatenus generaliter omnibus violatorum poſteris inflicta eſt, capitibus ſequentibus dicemus.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

XVIII. Problemata & controverſias hujus capitis, in *dogmaticis* ſic ſatis præoccupavimus, juvabit tamen ἀντιθέσεως ergo, præcipuas quæſtiones ſi- 1. An proto-
breviſti- bi tan-

tum, an etiam posteris peccaverint?

breviter recensere. Quæritur *primo* an protoplasti fœdus non sibi tantum; sed & omnibus posteris violaverint? Pelagiani & Sociniani, odio peccati originalis & amore liberi arbitrii, per hoc peccatum, adhucdum illæsi, negant: Reformati affirmant, per argumenta §. XIII. indigitata, quibus, pro illustratione *juris*, adjicimus, sequentia similia,

Similia.

quemadmodum: 1. Parentibus possessionem *feudi* amittentibus, & *filii* amittunt, quia non tantum pro se; sed & pro filiis acceperant: Quemadmodum 2. parentum *debita*, ab ipsorum hæredibus juste exiguntur: Et 3. per crimen *læsæ majestatis*, & delinquentium *liberi* implicantur. Insuper 4. *Magistratu* male gerente *Rempublicam*, *universa* Resp. laborat: Aut 5. *Legato* rem male gerente, omnes *legantes* detrimentum capiunt. Si dicant, 1. per

Objectiones.

Deum, *filios* non *portare* iniquitates *parentum* Ezech. XVIII. 20. Respondebo: α. Loquitur Propheta de peccatis, quæ filii non commiserunt *in parentibus*; contra quam factum in peccato protoplastorum Rom. V. 12. Itaque β. loquitur de peccatis *personalibus* Judæorum, quæ Deus nolit punire in filiis: non autem de peccato protoplastorum *naturali*. Si dicant 2. Posteros non *fuisse*, proinde non *peccasse*. Respondebo, eo ipso non peccasse *in se*, prout non *erant* in se; sed peccasse in *causa*, prout *fuerunt* in causa Rom. V. 12. Si pergant 3. esse contra *veritatem*, *putare* eum peccasse, qui *non* peccaverit, imo non fuerit. Resp. largiar, si putet eum peccasse *in se*: quod hic non fit. Si addant 4. esse contra *justitiam*, pro peccatore habere & *punire*, qui revera non peccaverit: dicam, falsum esse quod revera *non peccaverint*, peccarunt enim *in Adamo* Rom. V. 12.

2. An ex sententia Reformatorum resultet, Deum esse peccati hujus *auctorem?*

XIX. Quæritur *secundo*, an ex sententia Reformatorum resultet, Deum esse peccati hujus *auctorem?* Id per calumniam Reformatis impingunt, Sociniani aliique pelagianissantes, & cum illis Lutherani: quia statuant (1) Deum *præsciviss*e lapsum. Resp. Præscientia, qua talis præsciti, non *causa* est, sed *antecedens* tantum Jes. XLVIII. 8. (2) Deum etiam *decrevisse* lapsum. Resp. Hinc causa est *futuritionis*, non autem *futuri* Act. IV. 28. (3) *Influxisse* sua providentia in peccatum. Resp. In *actum* tantum, peccato *substratum*, non in *peccatum*, seu ἀνομίαν actus Act. XVII. 28. (4) Non *impedisse* cum potuisset. Resp. *Non tenebatur*, nec consecutus fuisset gloriam misericordiæ & justitiæ suæ, si impedivisset Act. XIV. 16. (5) Non contulisse *auxilium* necessarium. Resp. Contulit *sufficiens*, quo *potuisset* declinare peccatum, si voluisset; quamvis *id* non contulerit auxilium, quo *actu* declinasset, quod hoc *non teneretur* conferre. Imo (6) *subtraxisse* gratiam. Resp. Hoc negamus factum *ante peccatum* commissum; quamvis non negemus, illum *negasse* gratiam secundam *confirmantem* indebitam. Et (7) *tentasse* hominem

Resp. Non autem ad *malum* Jac. I. 13. sed tantum *ut patefieret* quid esset in homine Deut. VIII. 2. 16. Tandem etiam (8) *necessitasse* ad peccandum. Resp. Hoc negamus, quia ἐκ προαιρέσεως, ex consilio peccavit, licet propter decretum, *certo* & *infallibiliter*.

3. An per hypotheses Reformatorum homo dici possit libere peccasse?

XX. *Tertio*, an *ex sententia* Reformatorum dici possit, hominem *libere* peccasse? Negant, quotquot sunt extra Ecclesiam Reformatam. Reformati statuunt hominem, peccatum hoc primum, omnino libere commisisse, eo quod, non obstante æterno Dei decreto, influxu providentiæ prædeterminante, & quovis alio; illud commiserit ἐκ προαιρέσεως, consilio & complacentia rationali, in quo solo, proprie consistit libertas arbitrii nostri. Negant tamen adversarii. Quia: 1. *Non potuerit* non peccare. Resp. Falsum, *potuit* potentiâ causæ in sensu *diviso*: habuit enim *vires*, quibus posset, & quibus usque ad lapsum actu steterat, & sibi ante peccati exordium nequaquam *subtractas*. Quia 2. Deus *decreverit* peccatum. Resp. Sed *libere* ἐκ προαιρέσεως futurum. Quia 3. influxerit in *voluntatem* protoplastorum, eam *prædeterminando*. Resp. Sed ut agerent *ex consilio* libere, neque enim influxus prædeterminans, istud tollit; sed ponit. Quia 4. sic *efficaciter* permiserit, ut non potuerit non fieri lapsus. Resp. permisit ut fieret *ex consilio*, adeoque libere.

4. Qualis fuerit serpens seductor?

XXI. *Quarto* de *serpente* seductore quæri solet, non tam *quis* fuerit figura & specie, basiliscus, vipera, scitalis? quam *qualis*, verusne & naturalis, an ejus tantum *species?* & si verus, an *solus*, an Satanâ *stipatus*, obsessus & impletus? Philo Judæus περὶ κοσμοποιίας, ut universum caput tertium Geneseos; sic & hunc serpentem in *allegoriam* vertens, per eum non intelligit nisi *voluntatem*. Hunc sequitur Origenes, in plerisque Scripturæ allegorizans: & inter Enthusiastas Jacobus Behm, totam Genesin, in allegorias convertens: ex adverso, Judæi quidam, *non nisi naturalem* admittunt serpentem, quos strenuè defendit Aben Esra in *Perusch super* Gen. III. cum quibus faciunt Sociniani, Cabbalistæ, Cyrillus *Contr. Julian.* lib. 3. & Cajetanus, solum Satanam intelligunt, *figura* serpentis splendidum. Reformatorum communior ac *verior* sententia est, fuisse serpentem à Diabolo obsessum, ejusque in seductione instrumentum; unde Theodoret. *quæst.* in Gen. 32. ὄργανον ἦν ὄφις τοῦ τῆς ἐν ἀληθείᾳ ἐχθροῦ. Serpentem enim *verum* adfuisse patet; cum testimonio textus Gen. III. 1. tum pœnâ reptationis & pulveris vers. 14. sed non *solum* adfuisse, patet (1) paralleliſmo locorum Joh. VIII. 44. 2. Cor. XI. 3. Apoc. XII. 9. (2) *sermocinatione* & seductione ejus. (3) conculcandi capitis dictatâ *pœna*, non alii inflicta aut infligenda, quam Satanæ Rom. XVI. 20. Quæ præter hæc, de ordine hujus violatio-

Sententiâ Reformatorum.

lationis, & de motu ejus primò, item de gravitate, aliisque disputari solent, jam dudum in *dogmaticis* & *exegeticis* tetigimus.

5. An narratio tentationis & seductionis protoplastorum sit historica, an allegorica?

XXII. Quæritur 5. An narratio tentationis & seductionis protoplastorum, sit historica, an allegorica? Non provocabimus iterum, quos in *exegeticis* & paragrapho præcedente notavimus. Balthasar Beckerus nuper in *mundo* suo *fascinato* lib. 2. cap. XIX. quod arbitraretur, spiritus creatos, non esse nisi meras *cogitationes*, proinde suis *viribus*, extra se non agere, cum videret in contrarium objiciendam historiam seductionis, à Satana per serpentem, quâ operatus fuerit extra se, cum in *serpentem*, tum ejus opera in *mulierem*: omnibus arrectis viribus, conatur obtinere, narrationem esse, non historicam, sed *allegoricam*. In hanc rem præfatur §. 1. se non obstringi, ut omnes difficultates, penes eam sibi obvias expediat, modo id habeat quod totum opus suum intendat, scil. *spiritus* malignos, non operari *extra se*. Tum §. 2. agnoscere videtur satanam *seduxisse* hominem, idque Mosen per circumstantias, referre; jubet interim cum hac narratione conferre Christum Joh. VIII. 44. ubi dicit diabolum esse mendacem & homicidam ab initio, & Paulum 2. Cor. XI. 3. ubi dicit, quod serpens Evam seduxerit suâ παν ουργία, & Johannem Apoc. XII. 9. ubi serpentem veterem fuisse satanam, quorum omnium collatio, huic narrationi, multum lucis fœneretur, interim maxime attendendam. Hinc §. 3. docet serpentem in textu commemorari, & *solum* quidem; & cum §. 4. serpens multiplex sit, & cujusque speciei, saltem masculus & femellus, non posse percipi, quamobrem *unus* tantum commemoretur, & cum præfixo demonstrativo הנחש: neque etiam quomodo §. 5. dicatur *callidior omnibus* animantibus, cum observentur animalia *callidiora*: insuper §. 6. cogitari non posse, qua ratione *calliditate*, aliquod brutum *aptum* sit, fallendi hominem, & tanta quidem sapientia præditum. Ab hoc pergit ad diabolum §. 7. ut obtineat, satanam nulla ratione selegisse *serpentem*, cujus ope loqueretur mulieri, quod ipse non indiguerit lingua & voce, qua mulierem alloqueretur, & quod serpens destituatur intellectu pariter & loquela, quorsum igitur sibi selegisset serpentem? quorsum non picam aut simiam? sed §. 9. posito quod satanas per serpentem fuerit locutus, dicit serpentem hoc ipso, majus miraculum fecisse, quam ipse Deus unquam fecerit. Imo §. 10. si conferas asinam Bileami, virtute divina loquentem, emersurum, quod diabolus multo sapientiorem se præstitisset, quam Deus loquens per asinam, quatenus *illius* ratiocinia, hujus fuerint subtiliora. Sed §. 11. Deum non dicere, quod satanas fuerit locutus per serpentem. Quærit igitur §. 12. Quis igitur fuit qui loquebatur: & sibi respondet: idem

Difficultates,

ille serpens, cui postmodum pœnam dictabat: sed hic rursum sibi objicit: quomodo Deus alloqui potest brutum? quomodo ei pro poena dictabat, serpere humi, quod sibi jam ante competebat per naturam suam. Et §. 14. 15. refellit Pareum, qui existimat serpentem, ante lapsum pedibus incessisse. Nec §. 15. intelligi posse, qua ratione pro poena serpenti dictetur, *pulverem* comedere, cum observetur serpentem quibusvis vesci. Nec etiam §. 16. intelligi posse, quâ ratione *inimicitia* vigeat inter semen mulieris & semen serpentis, cum major conspiciatur inimicitia, inter homines & alia bruta, v. g. lupos, tygros, leopardos, cum præsertim, dentur serpentes homini *amici*; & §. 18. Ophitæ quondam serpentes coluerint præ Christo &c. Proinde §. 21. *solum* serpentem hic commemorari, nec Paulum 2. Cor. XI. 3. dicere Satanam seduxisse Evam, alias non posse explicari, quomodo ei pro poena dictatum fuerit, serpere humi. Quæ omnia §. 22. se in hoc ei exonerant: nec serpentem, nec diabolum, nec utrumque hic proprie intelligendum: & per consequens, narrationem, non historice; sed allegorice esse intelligendam. Et licet Scriptura doceat §. XXIV. spirituum lapsus originem esse à peccato, & hominum ex diabolo: verum, an consilio, an exemplo, aut quovis alio modo hoc fiat, narrationem non dicere. Certum esse textum loqui de solo serpente, sed qui hoc non potuerit. Interim quisnam hujus narrationis sensus sit *allegoricus*, nec explicat, nec procul dubio, explicare potest. Hæc summa totius ratiocinii, ingenue repræsentata; eam jam retexamus. Argumentum principale hinc tale instrui posset. Cui narrationi tot subsunt difficultates insolubiles, ea non potest esse *historica* & literalis; sed narrationi hujus textus, tot subsunt difficultates insolubiles: ergo illa non potest esse *historica* seu literalis. Nos hic negamus assumtionem. Probare conatur assumtionem per partes: Si & *serpens* qui *solus* narratur in textu, & *satanas*, qui subintelligi possit, & serpens & satanas simul, subsint tot difficultatibus insolubilibus, ut nihil horum historice intelligi possit; tum narratio non est *historica* &c. Probat assumtionem; eo quod: 1. *serpens solus* commemoretur, cui, ut bruto ratione & loquela caeso, non potest competere ratiocinatio & loquela, quæ ei in textu tribuuntur. Respond. *a.* Fatemur *serpentem* narrari; sed negamus illum *solum* intelligi. Rationes nostræ sunt, quia a. serpens talis narratur qui ratiocinatus & locutus fuerit, quod *soli* serpenti non competit. b. Quia talis serpens narratur qui mulierem seduxit suâ παν ουργία 2. Cor. XI. 3. qui sit *mendax* & *homicida* ab initio, imo *Pater* mendaciorum Joh. VIII. 44. talis, cui pro seductionis poenâ, dictata fuit inimicitia cum semine mulieris, *Christo* Gal. III. 16.

talis cui ſemen mulieris, contriturum ſit caput. Conf. Rom. XVI. 20. iſta omnia non quadrant in *ſerpentem ſolum*. Talis item quem Johannes Apoc. XII. 9. appellat *veterem ſerpentem*, qui ſit *Diabolus*. Hactenus ergo nulla ineſt difficultas inſolubilis. Sed 2. difficultatem in eo eſſe, quod, cum *unus* tantum memoretur ſerpens, & interim multæ ſint ſerpentum ſpecies, & cujuſque ſpeciei, ſaltem maſculus & femellus, explicari non poſſit, quâ ratione *unus ille* commemoretur. Reſp. In hoc nulla eſt difficultas, quia hoc nobis ſcitu non eſt neceſſarium; tum etiam, quia unus ſufficiebat ad ſeductionem, & illum quidem ex omnibus ſelegit ſatanas, quem exiſtimabat ſuo ſcopo convenientiſſimum. 3. Quia ipſi tribuitur *calliditas* quæ *omnes beſtias* excedebat, cum tamen obſerventur beſtiæ, ſerpentibus *callidiores*. Reſp. Ex ſententiâ Dei, hîc numero ſerpens, omnia animalia excedebat *calliditate*, & hæc Dei ſententia omnem tollit *difficultatem*. Eſto hoc tempore, ſerpentum ſpecies, quæ calliditate ſuperetur ab aliis animalibus; ſed eſſe animal quod eo tempore, calliditate ſuperaverit *illum* ſerpentem נחש, demonſtret Beckerus. 4. Nulla ratio præſtari poteſt, quare ad ſeducendum hominem, qui ſapientior eſt callidiſſimo quovis bruto, ſeligere voluerit ſerpentem. Reſp. Deus dicit propter *calliditatem*, ipſum ſelegiſſe ſerpentem, & hoc nobis ſufficit: ſed & ratio addi poſſit, quod *iſtum* ſerpentem, omnibus animantibus callidiorem judicaverit ſcopo ſuo convenientiſſimum: Aſt nulla ejus judicii ratio dici poteſt: Reſp. Quod ſi etiam *abſque ratione* egerit ſtultus ſatan? Quantum ad *ſatanam*, has difficultates movet? A. Quod ſatanas ad ſeducendum linguâ & voce non indiguerit. Reſp. Ipſe tamen judicavit ad ſeducendam mulierem, linguam & vocem ſibi neceſſariam eſſe; judicaverit etiam ſtultè. Quod B. ipſi non competat *calliditas*, quippe ſolis corporeis competens. Reſp. Apoſtolus ſerpenti tribuit παναργίαν 2. Cor. XI. 3. Et calliditas, in textu, non ſatanæ, ſed ſerpenti bruto aſſeritur. Quod C. concipi non queat, quâ ratione ſatanas, ſibi *ſerpentem ἄφωνον* pariter & *ἄλογον* pro organo ſelegiſſet, cum commodius ſibi ſuppeteret, v. g. pica, ratione loquelæ, ſimia ratione figuræ. Reſp. Dicit Deus rationem, quia *callidior* fuerit. Tu reſponſa: hoc concipi non poteſt: nos jam ante rationem diximus, quia ſerpentem ſibi ad ſcopum ſuum commodiſſimum judicaverit. Et quid ſi abſque *omni ratione*, ſic judicaverit, quid tum? Quod D. ſi ſatanas per ſerpentem locutus fuiſſet; tum majus miraculum perpetraſſet, quam Deus unquam perpetraverit. Reſp. Hoc non procul abeſt à blaſphemia. Satanas nullum miraculum, & multo minus, majus quam miraculum Dei, quia quod egit ſatanas, non excedit vires *naturæ*: inflectere enim linguam bruti alicujus, ut ſuâ (ſatanæ) virtute, articulatum ſonum in aëre efformet; non excedit naturam bruti: & patet in ipſa tua picâ. Quod E. etiam, diabolus multo concinnius locutus fuiſſet per ſerpentem, quam Deus ipſe per aſinam Bileami. Reſp. Apage blaſphemiam: ſatanas callidiſſimè loquebatur, per animal callidiſſimum, ut mulierem, à juſtitiâ originali, adhucdum egregiè ſapientem, falleret; & Deus per aſinam, animal ſtupidiſſimum, ut ſtupidum pſeudo-prophetam, acrius pungeret, hoc diſerte dicent Petro 2. Pet. II. 16. Quod F. Scriptura non dicat, ſatanam locutum fuiſſe per ſerpentem, aut ſerpenti *os aperuiſſe*, prout de aſina Bileami pronunciatur Num. XXII. 28. Reſp. Non dicitur hoc quidem totidem ſyllabis in textu, quod per ſerpentem locutus fuerit; dicitur tamen adfuiſſe talem, qui ratiocinando ſeducere potuerit, hominem perquam ſapientem, cui jam intercedit inimicitia cum ſemine mulieris Chriſto, cui Chriſtus eſset contriturus caput, procul omni dubio, is eſt ſatanas: dicit item affuiſſe *verum* ſerpentem, qui ſeduxerit Evam ſua *calliditate* 2. Cor. XI. 3. adfuit talis *ſerpens vetus*, *qui appellatur diabolus & ſatanas*, procul dubio, qui obſeſsus fuerit à diabolo, ac proinde *ſeducens* Apoc. XII. 9. His conſtructis, quid commodius dicitur, quam diabolum & ſatanam, per ſerpentem ſeduxiſſe? Ut jam non neceſsum habeas, tibi ipſi inſultare. G. Quis igitur fuit qui hîc loquebatur? & reſpondere; fuit ille *ſerpens*, cui pro pœna Deus dictabat *ſerpere humi*. Commodius tibi reſpondebit Johannes, fuit *vetus ille ſerpens*, *qui vocatur diabolus & ſatanas*, *ὁ πλανῶν*. Num autem ſerpens inſtrumentum, ante lapſum pulverem linxerit, & humi ſerpſerit, hoc nullam hîc creat difficultatem: ſi poſterius dicas, ea quod ſerpenti hactenus *naturalia* fuerant, & abſque moleſtia; ei pro pœna dictari potuiſſe, ut adeſsent ſumma moleſtia & ignominia. Quod H. inimicitia illa, quam Deus conſtituit inter ſerpentem ejuſque ſemen, ab una parte; & inter mulierem & ejus ſemen ab altera, jam non obſervetur, cum dentur ſerpentes, qui non ſint inimici hominis, qui non lædant hominem, quin ei proſint inſuper. Reſp. 1. Eſto, quod tamen Beckerus necdum probavit: non tamen textus dicit, id omni ſerpentum ſpeciei, pro pœna dictatum fuiſſe: quid enim ſi dictaverit, illi ſoli ſerpenti ejuſque ſemini, qui ſeduxit mulierem? datur enim, ipſo agnoſcente, ſerpentum ſpecies, quæ homini ſit inimica. Sed 2. altum præſupponit ſolum intelligi ſerpentem, qui beſtia ſit: cum jam dudum demonſtraverimus, intelligi ſerpentem illum, cui ſemen mulieris contriturum ſit caput, puta ſatanam Rom. XVI. 20. ſerpentem illum antiquum, qui appellatur diabolus & ſatanas *ὁ πλανῶν* Apoc. XII. 9. inter hunc & ſemen mulieris, perpetua viget & vigebit inimicitia. Proinde: I. non eſt quod cauſeſur, ſerpentes eſse apud Ophitas, & gentiles Indos in ſummo

ſummo honore. Reſpondetur enim, quod hoc obtineat penes ſemen ſerpentinum, inter quod & ſemen mulieris Chriſtum, etiam intercedit perpetua inimicitia. Pergit K. ad locum Apoc. XII. 9. quærit (ſatis equidem ſcoptice & irreverenter, quaſi non agnoſcat, Johannem ad *draconem* perveniſſe per inſpirationem, quâ tota Apocalypſis eſt exarata) *quomodo Johannes pervenit ad* draconem? tum addit, in loco non eſſe niſi ὅραμα, & tale quidem quod concernat, non præteritum tempus; ſed futurum, adeoque *ex hoc, nihil concludi* poſſe. Reſp. 1. loquitur de *dracone* qui appelletur vetus ille ſerpens, ὄφις ὁ ἀρχαῖος, qui fuerit ἀπ' ἀρχῆς interprete Chriſto Joh. VIII. 44. qui ſeduxerit *ab initio*, ſeducat etiamnum, & ſeducturus ſit per omnia ſecula, τὴν οἰκουμένην ὅλην, orbem *habitabilem totum*, de eo loquitur in tempore, non *futuro*; ſed *præſenti*, ὁ πλανῶν, procul dubio, ſtylo Scripturæ, cui familiare eſt, in actionibus continuatis, per Enallagen, tempora confundere. Id interim recipimus, quod addit, ex eo concludi poſſe, quod *inimicitia, in paradiſo annunciata, inter ſemen mulieris, in hodiernum uſque diem duret* (cui §. 17. 18. ſic ſatis oblocutus erat, & cui obnititur per univerſum tenorem ejus capitis XIX.) & quidem *eo ſenſu*, ut per draconem & ſatanam ejuſque ſemen, intelligantur *ejus Angeli*, h. e. maligni ſpiritus (quod recipimus) non autem *mali homines*: quod hi nullibi in Scripturis appellentur *Angeli diaboli*, aut *ſemen ſerpentis*. Reſp. 1. Num ſemen ſerpentis ſint maligni ſpiritus: num item maligni homines appellentur *ſemen ſerpentis*, prorſus nihil facit ad præſens κρινόμενον, nec alio adducitur, quam ut, cum *nihil* habeat, quo ullâ ſpecie vim hujus loci declinet, hoc ſaltem habeat. Sed 2. maligni *homines*, licet non totidem ſyllabis, dicuntur *ſemen ſerpentis* Matth. XXIII. 33. ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν, *ſerpentes, geniminа viperarum* cap. III. 7. & XII. 34. qui ſint *ex Patre* ſuo *diabolo*, qui mendax ſit & homicida *ab initio* Joh. VIII. 44. Adde 1. Joh. III. 8. *qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat.* & verſ. 10. in hoc manifeſti ſunt *nati Dei & nati diaboli*.... Qui dicuntur *eſſe ex diabolo, nati diaboli*, nunquid dicuntur *ſemen diaboli*? & ſi ſyllabas captas; dic ubi maligni ſpiritus, dicuntur *ſemen diaboli*. Saltem tibi ipſi crede, qui tui ipſius oblitus, hoc dicis cap. XVIII. §. 3. Sed venatur adverſus hunc textum, aliam difficultatem adeo ſubtilem, ut pro meâ ſtupiditate eam non poſſim videre. Dicit, ſi per draconem intelligatur, antiquus ſerpens diabolus, & ſatanas ὁ πλανῶν; tum Michael draconis hoſtis, non poterit eſſe Angelus, nec potuit pro muliere parturiente, pugnare adverſus draconem. Reſp. 1. Quamobrem Michael non poſſit eſſe Angelus? an quia ſuis Angelis contradiſtinguitur? Sed an ipſe non poſſit contradiſtingui velut *Angelus fœderis*, Mal. III. 1. *Angelus facierum* Jeſ. LXIII. 9. *Angelus* qui in medio ſui geſtat *nomen Jehova* Exod. XXIII. 21. *Angelus Jehova* Gen. XVIII. 1. cum verſ. 13. Hiccine Angelus, quem parturiebat mulier, iam abreptus in cœlum: quamobrem non potuit pugnare pro muliere, adverſus draconem diabolum, ſecundum divinam ſuam naturam, in terris? Et quamobrem hic non poſſit eſſe Michael ille qui pugnavit adverſus draconem? Jam, credo, debellavimus omnes, & ſingulas difficultates, quas Beckerus, ſenſui hujus narrationis *hiſtorico* movit; ſaltem ſtudio nullam declinavimus, quod per conſcientiam ingenuè dico. Proinde cum omnibus Reformatis, & quotquot Chriſtum quomodocunque profitentur, concludo, ſenſum hujus narrationis eſſe proprium & *hiſtoricum*, quia: 1. a ſenſu proprio ad allegoricum, per omnes interpretationis leges, non licet declinare, ſi non urgeat difficultatis neceſſitas. Tum 2. ſi nec ſerpens, nec diabolus nec uterque huic narrato interfuerit, ut Beckerus concludit §. 22. præſuppoſito, quod nec homo, nec Deus ſeduxerit; tum *ſeductio* narrationis *falſa* eſt: quis enim ſeduxiſſet, & per conſequens, nullum datur peccatum *originale*, nulla concupiſcentia prava, ex ſeductione oriunda, nulla regeneratio, converſio, ſanctificatio, & quid non? Id quod 3. magis ſtringit adverſus eum, qui abſque clara & diſtincta perceptione, nihil admittit omnino, ut Beckerus Carteſianus. Addam 4. Eum, qui infinitas ferè difficultates movet Scripturis, nec ullam conatur tollere; eum viam ſternere ad Scepticiſmum, imo ad Atheiſmum, neque ingenue credere, ſeductionem verè factam eſſe. Sed interim 5. non ſemel profitetur, ſe agnoſcere per ſeductionem ſatanæ, corruptionem introiiſſe in mundum: ſed quia Scriptura, nullam producit: ergo gratis absque fundamento profitetur. Aſt 6. ſenſu allegorico: nullum autem ſubjungit ſenſum *allegoricum* etiam, prævidens procul dubio, nullum fiſti poſſe, qui non pluribus & majoribus difficultatibus ſit futurus obnoxius. His tandem conſtrue 7. quod in Capp. de Angelis *bonis*, pariter & malis demonſtravimus, ſpiritus quosvis, ſuis viribus operari extra ſe. Confer inſuper, quæ in *exegeticis* hujus capitis, ad hunc textum monuimus, & ignoſce, quod, in vindicando loco tanti momenti, ſolito fuerimus prolixiores.

Pars Practica.

XXIII. *Praxis* igitur hujus loci, in his eſt: *primo*, ut peccati noſtri gravitatem ac turpitudinem, hac *violatione* perpetrati, aſſequi magis magisque adnitamur. Huc enim tam diſtincte illud repræſentatur Gen. III. Huc tot nominibus ἁμαρτίας, πα- 1. Admonemur magis magisque agnoſce-

gravitatem. παραπτώματος, παραβάσεως, παρακοῆς Rom. 12. Solet vilifieri à Pontificiis, quando ad hanc aut illam peccati *speciem*, ad ſuperbiam, aut gulam &c. reſtringunt, adeoque leviculum, imo *veniale* exiſtimant; ſolet negligi à pleriſque à vulgo, velut peccatum *alienum*: dum interim revera eſt, non modo omnium *graviſſimum*; ſed omnium quoque, velut *ſentina* & cloaca, atque etiam, omnis noſtræ miſeriæ *fons* & ſcaturigo perennis. Adnitendum itaque ut aſſequamur: *primo* ejus *gravitatem*, quo faciunt, quæ jamdudum *paragrapho* xv. produximus: quibus addimus impræſens, ſequentia gravamina (1) Quod *favorem* Dei, & univerſam *beatitudinem* noſtram, permutare voluerimus, cum *fructu arboris* alicujus, ficu aut pomo. Conf. peccatum Eſavi Heb. XII. 16. 17. & Jonathanis 1. Sam. XIV. 43. jam ante adductum: addatur collatio Servatoris Matth. XVI. 26. Luc. IX. 25. Marc. VIII. 36. (2) Quod *primum* omnium Dei præceptorum, adeoque poſt tot tantaque accepta *beneficia*, ne *unius* quidem præcepti obſervantiâ, nos gratos præſtiterimus. Conf. Deut. XXXII. 6. imo ne in re *tantilla*, ut ab *una* arbore, in ejus gratiam, nobis temperaremus. (3) Quod commiſerimus, cum nullum nobis adhucdum adeſſet *peccati* fomes, nulla concupiſcentia, aut *propenſio* in peccatum: cum adhucdum eſſemus perfectè ſapientes, ſancti, juſti Eccl. VII. 29. (4) Quod ne ab *uno* quidem fructu, in gratiam benigniſſimi Creatoris, cum tantâ omnium copiâ affluerimus, cum *præbuiſſet nobis omnia affatim ad fruendum* 1. Tim. VI. 17. abſtinuerimus. Quod (5) unico actu violaverimus univerſum fœdus Dei Hoſ. VI. 7. Conf. Joſ. IX. 3. cum 2. Sam. XXI. 1---10. 2. Paral. XXXVI. 13. &c. 2. Reg. XXV. 4. 5. 6. 7. Ezech. XVII. 12. uſque ad 22. Imo etiam *totam* legem Dei Jac. II. 10. Quod 6. Fructum *ſacramentalem* violaverimus, & quaſi *panem filiorum projecerimus porcis* Matth. XV. 26. Marc. VII. 27. Quod (7) unico hoc actu, *defecerimus* à Deo ad Diabolum, & quaſi *Fœdus* pepigerimus cum jurato Creatoris noſtri hoſte; *fidem* & ſpem, ſoli Deo competentem, ad *Satanam* traduxerimus: ad ipſius Dei *ſolium* aſpiraverimus &c. Tum *ſecundo* adnitendum nobis ut agnoſcamus, non tantum peccati hujus gravitatem, ſed, etiam illud à *nobis* commiſſum eſſe, non autem à protoplaſtis tantum Rom. V. 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, quo *ſenſu* rei, quaſi à Nathane quodam tacti: *Tu es vir ille mortis*: compuncta cujusvis conſcientia, ſibi regerat: *Ego peccavi Jehovæ* 2. Sam. XII. 7. 13. item *miſer ego, quis me liberabit?* Rom. VII. 24. Conf. Act. II. 13. cum verſ. 37.

2. Agnoſcamus juſtitiam punitionis divinæ. XXIV. Hinc *ſecundo* prædicemus divinam *juſtitiam*, qua, propter hoc fœdifragium, non ea duntaxat mala, tot ac tanta, quæ dudum deſignavimus; ſed alia quoque, & graviora etiam, *privation* ſui, ſuæ imaginis, paradiſi, omnis felicitatis, dixit: Idque non protoplaſtis tantum; ſed næ. Hinc etiam omnibus eorum *poſteris*, uſque ad unum *ſecundum* Adamum, imo poſtmodum & *ſecundo* Adamo, quo nim. tolleret *reatum* primi Adami. Ut hic, ſi uſquam, poſſis uſurpare illud Pſ. LI. 6. *Tibi, tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci, ut juſtificeris dum loqueris, & purus ſis dum judicas.* Item illud Apoc. XVI. 5. 7. *Juſtus es Domine & ſanctus, quia hæc judicaſti: vera & juſta judicia tua.* Quis enim poſſit cogitare ſupplicium, quod hujus perfidiæ, fœdifragii, perjurii, ac totius legis divinæ violationis, *demeritum* exhauriat? Et quis *injuſtitiam* auſit calumniari, quod omnes Adami poſteros, hac pœnâ exagitet, cum *omnes* peccarint? Rom. V. 12. Cum & proditores, ac rei læſæ majeſtatis, etiam in *ſobole*, imò & in poſteris puniantur Conf. Exod. XX. 5. & XXXIV. 7.

3. Agnoſcamus gravitatem miſeriæ, noſtræ è lapſu oriundæ. XXV. Ex utroque horum *tertio*, extremam noſtram *miſeriam* colligamus, in quam præcipites facti ſumus hoc fœdifragio. Nunquid hic, & majori jure, exclamaverimus: *Cecidit corona capitis noſtri, væ nunc nobis, quia peccavimus* Thren. V. 16. Item Ezech. XVI. 23. *Poſt omnem malitiam tuam, væ væ tibi, dixit Dominus Jehova.* Sumus enim 1. per hoc fœdifragium, in proptoplaſtis (uſque ad erectum *novum* fœdus) excuſſi, omni *fœdere* cum Deo, adeoque ἄθεοι in mundo, abſque remedio Eph. II. 12. Sumus 2. per illud conjecti in *ſtatum* peccati, mortis & extremæ miſeriæ, quatenus (adhucdum extra fœdus gratiæ conſtituti) ſumus ſub violati fœderis *reatu*, maledictione, morte omnimodâ, naturali, ſpirituali, æternâ: adeoque (a) *mortui in peccatis* Eph. II. 1. 5. imo & vel corpore tenus, morientes *quotidie*, decedentibus indies non tantum vitæ *viribus*; ſed & *diebus* Conf. 1. Cor. XV. 31. (b) *Filii iræ* Eph. II. 3. quovis momento, *mortis* omnimodæ *metui obnoxii* Heb. II. 15. Imo (c) *Condemnati jamdudum* per latam Judicis ſententiam, & q. geſtantes dudum *iram Dei* ſuper nos *manentem* Joh. III. 18. 36. Sumus 3. in hoc mortis & miſeriæ ſtatu, penitus *obſtupefacti* & *inſenſibiles*, uſque adeo, ut in ipſa iſthac tantâ miſeria, optima quævis nobis polliceamur Luc. XVIII. 9. 10 11. Rom. VII. 9. 10. Apoc. III. 17. Jam autem *ægrotans*, abſque ſenſu ac dolore, *graviſſime* & periculoſiſſime à Medicis cenſetur ægrotare. Sumus 4. in tantâ miſeriâ conſtituti, prorſus *inepti*, qui nobis ipſis aut conſulamus, aut ſuccurramus Rom. V. 6. & VIII. 8. 2. Cor. III. 5. Sumus 5. ad univerſam hanc miſeriam adeo facti, mancipati, damnati, ut etiam in hoc ſtatu, vel oblata remedia, Chriſtum, fidem & omnia negligamus, contemnamus Joh. I. 11. Heb. II. 2. 3. 1. Cor. I. 23. & II. 14. Quæ forte ſuo loco paulo diſtinctius dicemus.

XXVI.

4. Caveamus à nobismetipsis.

XXIV. Proinde *quarto*, *primum* noſtrum in protoplaſtis fœdifragium, auctor nobis eſt, ſollicitè nobis caveamus à *nobismetipsis*, ab arbitrii noſtri viribus, ne ſimus ὑψηλοφρονεῖς Rom. XI. 20. propriis viribus, ſapientiæ & juſtitiæ nimium confiſi. Si enim protoplaſti, *originali* juſtitiâ beati, lapſi ſunt; nunquid nos facilius, eâdem *deſtituti*? Si illi *ſapientiâ* omnimodâ pollentes; nunquid & nos *cæci*, ſtolidi? Si illi *immediate* à Deo imbuti; quidni & nos ab *hominibus* edocti? Si illi ſeducti ſunt à Satanâ, adhucdum q. *novitio* tentatore; quidni & nos à *veterano* artifice? Si illi in paradiſo *ſoli*; quidni nos, in mundo peſſimis *circumfuſi*? Si proinde illi, *tanti* ac tales, *proprio* arbitrio ceciderunt, & in fœdifragium cum Deo: in violationem univerſæ legis, in ſentinam quorumvis ſcelerum; nunquid dicemus cum Davide: *tantum vanitas ſunt filii hominum, mendacium viri magni, in ſtatera ſuſpenſi vanitate vaniores eſſent* Pſal. LXII. 10. Admittamur ergo. 1. Hinc magis magiſque perſpicere, quam *lubricum* ſit, & quam periculoſum, negotia *ſalutis* æternæ, imo *quævis*, propriis, ſapientiæ fortitudini committere: pro exemplo Petrus eſto Matth. XXVI. 35. cum verſ. 70. 72. 74. & mille alii. Potius 2. curas noſtras *in Deum* devolvamus Pſal. XXXVII. 5. & peculiariter omne *ſalutis* negotium à *ſolo* Chriſto ſuſpendamus, *Petræ* illi, cui ſuam *Eccleſiam ſuperſtruxit, cui portæ inferorum non poſſunt prævalere* Matth. XVI. 18. è cujus *manibus*, vel unicam oviculam, *nemo* unquam eripiet Joh. X. 28. 29. à cujus amore nemo & nihil nos ſeparabit Rom. VIII. 35.-- Interim 3. *ſalutem* noſtram *conficiamus cum timore & tremore* Phil. II. 12. & qui *ſtat videat ne cadat* 1. Cor. X. 12. Tandem 4. nos *Deo* ſupplices proſternamus: *Suſtenta greſſus meos, in viis tuis, ne declinent pedes mei* Pſal. XVII. 5.

Quibus adminiculis.

5. Caveamus nobis ab insidiis Satanæ.

XXV. Tum *quinto*, ex lapſu protoplaſtorum, cane pejus & angue caveamus nobis, ab inſidiis & tentationibus *Satanæ*. Si enim *illos*, ſapientiâ, ſanctitate & juſtitia perfecta beatos, ſeduxit, & ad fœdifragium cum Deo, ad univerſalem legis divinæ violationem, ad omnem ſceleris confluxum, ad extremi exitii periculum Satanas ſeduxit; quid *nobis* miſeris, in tanta rerum perturbatione, non præſtaret? Cogitemus hîc 1. *Quis* ſit (a) *Satanas*, oſor noſter, qui *cribrare nos ſatagit ut frumentum* Luc. XXII. 31. Zach. III. 1. qui *peragrat & obambulat terram* Job. I. 7. (b) ἀντίδικος, qui ut *leo rugiens, quærit quem noſtrum devoret* 1. Pet. V. 8. Eſt (c) διάβολος, calumniator Apoc. XII. 9. & XX. 2. κατηγόρος, *accuſator fratrum* Apoc. XII. 10. Eſt (d) *homicida ab initio* Joh. VIII. 44. Eſt (e) *Serpens* antiquus Apoc. XII. 9. ὁ ἀρχαῖος *Adverſarius vetus & hoſtis antiquus, cum quo prælium gerimus: ſex millia annorum pene complentur, ex quo hominem diabolus oppugnat, omnia jam genera tentandi, & artes atque inſidias dejiciendi ipſa vetuſtate edidicit*, inquit Cyprian. *Exhort. ad Martyres.* Eſt (f) *Tentator* ἐξόχως Matth. IV. 1. Cogitemus 2. *Qualis* ſit (1) *malitiâ*, eſt leo rugiens, oſor, ὁ ἐχθρὸς Matth. XIII. 39. πονηρὸς verſ. 19. Eph. VI. 16. (2) *potentiâ*, ὁ ἰσχυρὸς κατοπλισμένος Luc. XI. 21. ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου Eph. II. 2. Hinc pugna noſtra adverſus eum, Paulo dicitur eſſe, *non adverſus carnem & ſanguinem; ſed poteſtatem* ſupra humanam, πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας, τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου Eph. VI. 12. Unde eidem dicitur *Deus ſeculi hujus* 2. Cor. IV. 4. & Johanni *draco ille magnus* Apoc. XII. 9. utpote qui κράτος ἔχει τοῦ θανάτου Heb. II. 14. (3) *aſtutiâ*, à quâ laquei ipſi tribuuntur 1. Tim. III. 7. τὰ βάθη Apoc. II. 24. πανουργία *qua Evam ſeduxit* 2. Cor. XI. 3. Quâ, ut Cyprianus ait, *mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit ut malum tribuat, vitam pollicetur ut perimat* Lib. I. Epiſt. 8. (4) *ſedulitate*, quâ dicitur *circumagere terram* Job. I. 7. 1. Pet. V. 8. qui, cum dormimus non quieſcit Matth. XIII. 25. & paratus eſt ad ſeductiones 1. Reg. XXII. 21. *Ecce ego pelliceam.* (5) *audacia*, quâ protoplaſtos eſt aggreſſus Gen. III. 1.--Apoſtolos Luc. XXII. 31. Paulum 2. Cor. XII. 7. imo & ipſum θεάνθρωπον Jeſum Matth. IV. 1. &c. (6) *crudelitate*, per quam eſt *leo rugiens*, qui quærit καταπίειν 1. Pet. V. 8. *iram magnam habens* Apoc. XII. 12. qui non aliud agit, etiam apud Deum, quam ut *mittat manum ſuam, & omnia* noſtra *attingat* Job. I. II. Cogitemus 3. quales ejus *artes*, fraudes μεθοδείαι Eph. VI. 11. Tentat enim (a) *per ſe* Matth. IV. 1. & per *alios* 1. Cor. XI. 3. tentat (b) per *exteriora* ſenſuum, viſa, audita Gen. III. 1.-- & per *interiora* 2. Cor. IV. 4. (c) per *partes* & gradus ſenſim, ut ſeducat *ſine ſenſu*, inchoat ambigue, pergit ſtrenuè, aſſerit & concludit audaciſſimè. Ita egit cum protoplaſtis Gen. III. 1, ita etiam cum Servatore Matth. IV. 1. (d) per *fallacias* ſophiſticas, *bonum* promiſſum oſtentat q. *ſummum? eritis ſicut Deus. Hæc omnia tibi dabo: malum* conſectarium, elevat, tollit: *nequaquam moriemini: projice te deorſum, nam ſcriptum eſt, quod Angelis ſuis mandavit de te: medium* promiſſo bono conſequendo, commendat tanquam *facile*: *comede: ſi procidens adorabis me.* (e) Captat quævis ſibi commoda, adoritur imbecilliores, Evam, 1. Tim. II. 14. aut ſi robuſtiores, tum quando ſunt infirmiores, Servatorem jejunum. Conf. 1. Cor. VII. 5. (f) Obſervat hominum *temperamenta*, ætatem, ſtudia, deſideria, ut poſternat, v. g. avarum, lucro Matth. XXVI. 15. juvenem, juvenilibus cupiditatibus 2. Tim. II. 22. Jud. vſ. 16. Quapropter, ut ſecuri ſimus (1) Diligenter obſervemus νοήματα ejus 2. Cor. II. 11. (2) Studiosè fugiamus omne *commercium* cum eo, utpote per quod, Eva in

Rationes motivæ.

Qualis?

Quales ejus ſtrophæ?

Quo præcavendum?

ab eo ſibi

in fœdifragium seducta est Matth. IV. 10. *Abi Satana.* (3) Caveamus nobis à quavis *cupiditate* prava, ne ansam tentationis præstent Satanæ, v. g. à superbia, qua protoplasti seducti videntur. (4) Declinemus sedulo, quasvis peccandi *occasiones* Matth. XXXVI. 58. cum vers. 68. 69. (5) Observemus sollicitè *sensus* nostros *externos*, visum, auditum, gustum, tactum: *vidit Eva bonam esse arborem.* Job. XXXI. 1. (6) *Resistamus* fortiter Jac. IV. 7. 1. Pet. V. 8. Eph. VI. 12. (7) Fiduciâ & precibus à solo Deo *pendeamus* Matth. XXVI. 41. & VI. 13. Luc. XXII. 32. Plura fortè suo loco.

6 Caveamus nobis ab illecebris hujus mundi.

XXIX. Caveamus item *sexto*, ab illecebris hujus mundi 1. Joh. II. 16. Utpote quibus protoplasti seducti sunt, ad fœdifragium cum Deo. H. e. 1. caveamus nobis à cupiditate *oculorum*: *Vidit arborem esse bonam.* 2. à cupiditatibus carnis, *quod desiderabilis esset.* 3. à *fastu* & superbia: *eritis sicut Elohim.* 4. à *blanditiis*, etiam amicorum nostrorum: *dedi marito & comedit ille.* Sunt enim ista omnia, πειρασμοὶ καὶ παγίδες 1. Tim. VI. 9. 2. Tim. II. 26. Nec cum illis consistere potest *amor Dei* Jac. IV. 4. Matth. VI. 24. 1. Cor. VII. 32. 33. Proinde, ut immunes simus à mundi seductionibus (1) *Vincendus* nobis mundus 1. Joh. V. 4. (2) *Abneganda* cupiditates mundanæ Tit. II. 12. (3) Nequaquam *imitandus* Rom. XII. 2. Quin contra (4) *Contemnendus* cum omnibus suis Heb. XI. 25. 26. Apoc. XII. 1. (5) *Fugiendus* 2. Pet. I. 4. 1. Tim. VI. 11. Quæ cuncta poterimus: A. per *Christum*, qui vicit mundum Joh. XVI. 33. Apoc. III. 21. & V. 5. B. per *fidem* 1. Joh. V. 4. 5. C. per *Spiritum*, qui potentior est mundo 1. Joh. IV. 4. 5. 6. D. per *verbum* Dei Eph. VI. 17. Apoc. XII. 11. Matth. IV. 9. 10.

Media.

7. Caveamus nobis ab omnibus hujus fœdifragii: cum gradibus:

XXX. Caveamus *septimo*, ab omnibus: *tum* peccati *gradibus*, quibus paulatim, delapsi sunt protoplasti, ad suum istud fœdifragium (1) ab *ambitione*, quâ volebant esse *sicut Deus* (2) à *conversatione* cum Satanâ, & colloquiis familiaribus cum eo (3) ab *incredulitate*, qua verbo Dei non inhærebant (4) ab *errore*, qui ex incredulitate nascebatur (5) ab *indulgentia* sensuum, quâ aspicimus non aspicienda (& *vidit mulier*) audimus non audienda, verba scil. Satanæ, gustamus non gustanda, *comedit:* ne hinc tandem incidamus in *fœdifragii* barathrum: *tum* ab hujus fœdifragii *peccatis* ingredientibus, puta A. Fastu & *superbia*, quâ honore nobis congruo, non contenti, q. ad *solium* Dei, insatiabiles adspiramus 1. Pet. V. 5. B. *Infidelitate*, quâ *corruptæ mentes* nostræ, degenerent à *simplicitate* Dei 2. Cor. XI. 3. C. *Inobedientia* Rom. V. 19. D. *Gula.* E. *Avaritia.* F. *Furto.* G. *Homicidio*, aliisque sceleribus, quæ huic uni violationi involuta fuisse, jam ante ostendimus. Imprimis à *fœdifragio* quovis, utpote quod, Deus ad pessima quævis *scelera* refert Rom. I. 31. Cum 2. Tim. III. 3. ob quod, vel à *professione* fœderis, Deus arcet Psal. L. 16. 17. & fœdifragos variis exponit comminationibus Gen. XVII. 14. Jer. XXII. 7. 8. 9. Hos. VIII. 1. imo & horrendis judiciis: exempla patent in Saule Jos. IX. 3..... collat. cum 2. Sam. XXI. 1-10. & Zedekiâ 2. Paral. XXXVI. 13. 2. Reg. XXV. 5. 6. 7. Ezech. XVII. 12. 22. Singulatim nobis caveamus, ab omni perfidiâ & fœdifragio *cum Deo*, utpote cujus *vindictam* rigidissimam, Deus passim ab Israëlitis exegisse legitur Hos. X. 4. Jer. XXXIV. 18.

Tum peccatis ingredientibus.

Imprimis à fœdifragio.

8. Imposterum diligentius observemus fœdus nostrum cum Deo.

XXX. Quin potius *octavo*, ex fœdere *naturæ* semel violato in Protoplastis, *excitemur*, ut fœderi *gratiæ* diligentius advigilemus: sufficit enim (a) nos *semel* fœdifragos factos in Deum. Conf. 1. Pet. IV. 3. Cum (b) Deus, fœderis sui observantiam, toties & tam seriò, suis *inculcet* Gen. XVII. 9. 10. Deut. XXIX. 9. (c) Optima quævis *polliceatur* observantibus Psal. CXXXII. 12. & CIII. 17. 18. Atque insuper (d) Religiosa fœderis nostri cum Deo *observantia*, Deo nostro hactenus *assimilemur* Deut. VII. 9. 1. Reg. VIII. 23. Neh. I. 5. & IX. 32. Unde etiam (e) fœderis cum Deo, constans & fidelis observatio, egregiis *præmiis* à Deo remunerata legitur Deut. XXXIII. 9. 10. 11. Imo, *omnes semitæ Domini, misericordia & veritas* dicuntur, *his qui custodiunt pactum ejus, & testimonia ejus* Psal. XXV. 10. Dum contra, ut diximus (f) fœderis sui violatores dirissimis *plagis* exagitavit Hos. X. 4. Ut non addam (g) non esse, quo Deus efficacius obstringi possit, ad fœderis *promissa*, nobis fideliter servanda, quam si nos, ex parte nostri, stipulata fœderis *officia* fideliter præstemus. Gen. XVII. 1. 2. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 16. 19-20.

9. Agnoscamus ac celebremus, ex hoc fœdifragio, patientiam & bonitatem Dei, quæ hinc antam cavit, substituendi fœdus gratiæ præstantius.

XXXI. Tandem *nono*, *admiremur* & prædicemus, inexhaustæ sapientiæ & bonitatis divinæ *divitias*, per quas, à *turpissimo* hoc fœdifragio nostro, viam sibi sternere potuit ac voluit, ad *novum* quoddam, ac longè *præstantius fœdus*, nobiscum erigendum. Notatu enim longe digniissimum est, quod vix violato, & hinc q. antiquato fœdere *naturæ*, Deus consestim ei substituit fœdus *gratiæ*, in promissione *seminis mulieris* Gen. III. 6. 7. 8. collat. cum vers. 15. quod, cum vix seipsum homo *destruxisset*; Deus q. festinârit, ad eum *restituendum* per Filium suum. Hoc enim 1. æterno decreto *prædeterminaverat* Eph. I. 4. 5. 6. Huc 2. foederis naturæ violationem *permiserat*, quo nim. per substitutum fœdus gratiæ, *occasio* sibi suppeteret, manifestandi gloriam *gratiæ*, secundum electionem. Hinc 3. non uno modo, fœderis *naturæ violatio*, quamvis per *accidens* tantum, Deo viam pandit ad fœdus *gratiæ*. Inde enim: 1. *Respectu Dei*, commodissima ei oggerebatur *occasio*, gratiæ & *misericordiæ* per Christum dispensandæ, in hominem miserrimum: *hominis enim extremitas, Dei est oportunitas*, juxta tritum. 2. *Respectu hominis*, emer-

emergebat absolutissima *necessitas* alicujus Mediatoris, remissionis peccatorum, vivificationis & sanctificationis per fidem, *fœderis* alicujus *gratiæ*, 3. *Respectu ipsius gratiæ*, quam *exigit* violatio fœderis naturæ *mortem* violatoris; eam *præstat* fœdus gratiæ, per Expromissorem. O! *felix culpa quæ talem nobis meruit Redemptorem.* Vide igitur, obstupesce & adora: A. *Severitatem* Dei, in *puniendo* Expromissorem Rom. VIII. 3. B. *Bonitatem*, in *condonando* transgressori Rom. V. 15. C. *Sapientiam*, in conjugandâ *justitiâ & misericordiâ* Rom. XI. 22. in conficiendo ex tanto *veneno*, tantum *alexipharmacon.* Proinde, nisi *primum* fœdus fuisset violatum, non successisset *secundum*, tam excellens: nisi *primus* homo fuisset corruptus; *secundus* non fuisset promissus: si *primum* illud peccatum, non fuisset tam *horrendum*; gratia non successisset tam *superabundans.* Ut hinc merito exclamet Augustinus: O! *felix culpa mea, ad quam diluendam, dum ille charitate trahitur, ipsa quoque ejus charitas, mihi eam desideranti, & eam totis præcordiis concupiscenti, aperitur: nunquam tam bene dilectionem ejus agnoscerem, nisi in tantis periculis expertus fuissem eam.* O! *quam feliciter cecidi, qui post lapsum felicius resurrexi. Lib. Medicat. cap. 6.*

CAPUT SECUNDUM.

DE

PECCATO ORIGINALI.

Rom. V. 12.

Sicut per unum hominem, peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccaverunt.

Transitio ac peccatum originale, quod.

I. Fœdifragii primi consequens *peculiare*, quatenus immediatè *protoplastis* dictatum est, capite præcedenti §. XVII. diximus. Consequens *universale*, quatenus omnes protoplastorum *posteros* urget, est primo *peccatum*, hinc *pœna* peccati. Peccatum duplex, in Scripturis observamus, *originale* & *actuale.* Primum hic dicemus ex Rom. V. 12.

Pars exegetica.

Superstruitur analysi textus.

II. *Verba textus membrum habent, comparationis inter Adamum* primum & secundum: *ratione* mundi, *à priore* corrupti; *à posteriore* restituti. *In quo* corruptionis, *per peccatum originale*, generationem & propagationem *Apostolus describit. Est itaque hic.*

1. Generatio *corruptionis, & apud hanc rursus:*

A. Generans, δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, per unum hominem. *Est ergo corruptionis* parens, *homo, & homo quidem unus.* Homo *inquam; quamvis enim diabolus, homine prior peccârit; non tamen* hominibus *peccavit; sed sibi* soli, *&, forte, suis Angelis: & quamvis etiam peccati primi humani fuerit* procurator, *hominem* seducendo, *suasione; non tamen humani peccati fuit* perpetrator, *nec ab ejus* seductione; *sed ab hominis* perpetratione, *peccatum transiit in mundum. Proinde* homo *solus fuit corruptionis parens. Sed quisnam? Sunt:* 1. *qui Evam putent, quæ prior peccavit, ut* homo *sit nomen* speciei, *non* sexus. *Sunt* 2. *qui Adamum solum malunt, eo quod hic in sequentibus nominatur, & ut primus homo, cum secundo confertur, nim. Christo: quia item solus Adamus, fuit causa propagationis peccati, adeo ut, si Adam non peccasset, etiam Eva peccante, posteri inde peccatum, per generationem non contraxissent: quia cum solo Adamo Deus pactum illud fecerat: quia propagatio* naturæ, *cum qua peccatum propagatur, principaliter fit per* marem. *Sunt* 3. *qui & Adamum & Evam simul intelligant, sexu* duos, *natura & conjugio* unum, *ita ut Eva peccatum inchoaverit, Adamus idem consummaverit, dum interim non nisi consummatum transit in posteritatem*, quo die comederis, moriendo morieris Gen. II. 17. *Sed quare Eva non nominatur? quia Hebræi non solent γενεαλογεῖν per fœminas: quia item Adamus, generis humani parens & principium à Deo constitutus erat: quia tandem maritus & uxor, unam personam* œconomice *constituunt; possis huic addere, quia Eva ex Adamo creata fuit, & ab eo dependebat. Ita corruptio per* hominem *transiit in mundum, sed quamobrem per* unum *præcise? Resp. ut unus ei commodius opponeretur Chri-*

ſius: *adde*, *ut ex uno ſanguine penderet*, πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων Act. XVII. 26.

B. Genitum *duplex*, *nim.*

1. Peccatum, ἡ ἁμαρτία. *Peccatum hic* propriè *capitur*, *non autem* impropriè, *ut ſonat peccati conſequens ſeu* pœnam, *ſicut fit* 2. Cor. V. 21. Jeſ. LIII. 10. *quia nim. hic pœna & morti contradiſtinguitur. Loquitur autem de* peccato, *non peccatis unius hominis*, *quemadmodum conſtanter in ſequentibus*, *de una* παραβάσει, παραπτώματι, παρακοῇ, *ut ſignificet*, *unum tantum Protoplaſtorum peccatum*, *tranſiiſſe in poſteritatem*, *unum tantum Adami peccatum eſſe* naturale; *reliqua eſſe* perſonalia. *Sed quodnam tandem* unum *illud eſt peccatum? Reſp.* 1. *Fuit* primum *illud peccatum* actuale, *quod protoplaſti perpetrarunt*, *comedendo fructum vetitum*, *quo peccatum*, *quod hactenus non erat in mundo*, *pervenit in mundum. Tum* 2. *peccatum* originale, *imputatum illud*, *quod reſpectu primorum parentum*, *non erat* imputatum; *ſed commiſſum ab ipſis*: *reſpectu poſterorum erat* originale *illud imputatum*, *quatenus idem ille manducandi actus ſingularis*, *in rationes refertur poſterorum*, *ac ſi ab ipſis perpetratum fuiſſet*, *quia interdictum non manducandi*, *factum erat non Adamo ſoli*; *ſed & ejus poſteritati. Hinc* 3. *fuit peccatum originale* inhærens, *quatenus ob peccatum*, *à poſteris in parentibus commiſſum*, *puniti ſunt privatione juſtitiæ* originalis, *ex qua tota* natura *cujusvis poſterorum*, *adeo eſt vitiata*, *ut inepti penitus ſint*, *ad omne bonum* ſalutiferum, *& proclives ad malum qualecunque. Hinc tandem* 4. *profluit omne quorumvis poſterorum peccatum* actuale: *deſtituti enim*, *lumine ſapientiæ originalis*, *& juſtitia ac ſanctitate*, *quicquid ſuſcipiunt agere*, *tantummodo malum eſt*, *ab ipſa infantia* Gen. VI. 5. *&* VIII. 21. Job. XV. 16. *& alibi. Atque adeo* omne *peccatum*, *per iſtas ambages hic intelligitur.*

2. Mors, *ut pœna*, *peccati conſectarium*, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας, ὁ θάνατος, & per peccatum mors illa. Mors, *cum omnibus ſuis* ad *&* dependentibus, *h. e. omnis* miſeria, *præparans & indicans mortem. Intelligitur mors* quævis, *oppoſita illi vitæ*, *quam tum poſſidebant protoplaſti*, *nim.* naturalis, ſpiritualis *&* æterna, *quandoquidem mortem* indefinitè, *pro pœnâ transgreſſori dictat Legiſlator Deus. De qua ſuo loco uberius*, *ſub Deo*, *videbimus.*

C. Nativitas *utriuſque geniti*, *peccati & mortis*, *ſignificata verbis*: εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε. *Per nativitatem enim ingredimur in mundum. Notatur hic*:

1. Mundus, *in quem*, *& peccatum*, *& mors ingreſſa dicuntur*, εἰς τὸν κόσμον, in mundum. *Intelligitur* (1) *Locus in quo habitamus*, *univerſa mundi machina*, *quæ ob hominis peccatum*, *ſubjecta eſt* maledictioni Gen. III. 14. 17. *&* vanitati Rom. VIII. 20. *& ſui liberationem cupidè exſpectat. Ibid. Conf.* Act. III. 21. (2) *genus humanum*, *ſive in omnes homines*, *ut mox exponitur.*

2. Ingreſſus *in mundum*, εἰσῆλθε *h. e.* irruit *cum impetu*, *ut hoſtis in urbem effractam. Vel potius pro* παρεισῆλθε, irrepſit, *quaſi furtim & per inſidias*, *ut lupus in ovile. Quomodo autem peccatum introiit in mundum? Reſp. Non ſane per imitationem*, *ſic enim Eva peccans*, *imitata fuiſſet Satanam peccantem*, *ut nonnulli ſtultè putant*: *nec etiam tranſiiſſet ad hos*, *qui non peccarunt ad ſimilitudinem Adami*; *implicat enim peccare ad imitationem*, *& non ad ſimilitudinem. Introiit ergo per primam perpetrationem*, *quamvis propagatum fuerit aliis modis. Hactenus generatio peccati.*

2. Propagatio *corruptionis*, *circa quam notatur*:

A. Natura *propagationis*, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν. Et ita in omnes homines mors illa tranſiit. *Eſt in his verbis*:

α. Modus *propagationis*, καὶ οὕτως, & ſic, *id eſt*, *per*, *ſeu propter peccatum protoplaſti*, *quatenus mors erat pœna peccati*, *unde traducto ad poſteros* peccato, mors *non potuit non*, *eâdem operâ tranſire.* τὸ καὶ *notat ſententiam eſſe continuam & inabſolutam.*

β. Objectum *propagationis*, εἰς πάντας ἀνθρώπους, in omnes homines. *In* homines, *ſcil. ab homine*, *in homines*, *per humanam progenerationem*, *non in ſpiritus*, *non in bruta*, *aut quævis alia. Et in* omnes *homines*, *ſcil. à protoplaſtis diverſos*, *non tantum in* quosvis, *omnis ætatis*, *ſexus*, *gradus*; *ſed & in omnes & ſingulos homines*, *ſolo excepto* ſecundo *Adamo*, *velut antitypo primi illius*, verſ. 14.

γ. Res *propagata*, ὁ θάνατος, mors illa. *Mors utique*, *ſed non* ſola *propagata eſt*; *verum*, *ut pœna peccati*, *quæ peccatum præſupponit*, *velut cauſam. Interim primo nominatur*, *quia notior eſt*, *& ſenſibus ipſis expoſita. Mors* illa, *ſcil. quæ protoplaſtis obtigit propter peccatum*, *oppoſita omni illi vitæ*, *quam uſque ad peccatum poſſidebant*, *proinde* naturalis, ſpiritualis & *æterna*: *non quidem eadem* numero, *ſed* ſpecie *tantum.*

δ. Actus *propagandi*, *ſeu naſcendi*, διῆλθεν. Tranſiit, *ſcil. ut per contagium ſolent morbi*:

vel

vel pervaſit, dimanavit, *ut exprimatur celeritas, vis & impetus mali, in omnes dimanantis. Quomodo autem iſta propagatio procedat, in ſequentibus explicabitur.*

B. Cauſa *ſeu ratio propagationis,* ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. *Notatur hic*

1. Ratio cauſandi, ἐφ' ᾧ. *Varie redditur:* (1) *Auguſtino eſt,* in quo *ſcil. peccato Adami: ſed non congruit articulus* maſculinus, *voci* ἁμαρτία fœmininæ. *Alii* (2) *rectius referunt ad* hominem, *nempe Adamum, velut principium, radicem & caput totius generis humani, in cujus quaſi lumbis, omnes peccarunt, qui velut Pater & princeps, omnes ſuos poſteros repræſentabat.* (3) *Aliis* ἐφ' ᾧ *eſt, eo quod, quia non dicatur* ἐν ᾧ, *nec* ἐπὶ *pro* ἐν *reperiatur. Hæc autem ratio parum eſt ſolida; accipitur enim frequenter* ἐπὶ *pro* ἐν *non tantum apud* Scripturam Marc. 11. 4. Heb. IX. 10. teſtamentum ἐπὶ νεκροῖς in mortuis *confirmatum eſt, imo & in hoc ipſo capite* Rom. v. 14. ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι in ſimilitudine. *Conf.* Rom. I. 23. & VIII. 3. Phil. II. 8. Act. II. 38. ἐπὶ τῷ ὀνόματι, *quod paſſim alibi dicitur* ἐν τῷ ὀνόματι Matth. XVIII. 5. Rom. IV. 18. *&c. ſed etiam apud prophanos Scriptores, v. g. Heſiodum.* Ἔργ. μέτρον δὲ ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, modus in omnibus optimus. *Pind. Olymp. α.* ἐπ' ἄλλοισιν ἄλλοι μεγάλοι, *alii in aliis excellunt: ſic paſſim idonei Scriptores. Imo ἐπὶ in noſtro textu, referendum eſſe per* in, *Apoſtolus docere videtur loco parallelo* 1. Cor. XV. 22. *Sicut enim* ἐν τῷ ἀδὰμ *in Adamo* omnes moriuntur; *atque collatio cum Adamo* ſecundo: *ita etiam* ἐν τῷ Χριστῷ, *omnes vivificabuntur. Ibid. Interim, ſive reddas,* in quo *omnes peccarunt; ſive,* eo quod *omnes peccarunt, ſenſus eodem redibit, ſicut diximus.*

2. Cauſa *ipſa, eo quod* omnes peccaverunt, *ſcil.* in Adamo, *proinde etiam in eo* moriuntur, *Hæc ſcil. cauſa eſt ob quam moriuntur, quia omnes peccarunt.*

Pars dogmatica.

Fœdifragii, primus fructus eſt peccatum.

III. Fœdifragii itaque Adamici, prima *genitura* fuit *peccatum* humanum. Sicut enim peccatum *angelicum*, in mundum Angelorum, non introiit, niſi transgreſſione *Angelorum*; ita peccatum humanum, in mundum *hominum* non introiit, niſi fœdifragio Adami: & hac ratione textus dicit, *per unum hominem peccatum introiiſſe in mundum.*

Ejus varia denominatio.

IV. *Peccatum* variis nominibus in Scripturâ deſignatur: in Veteri Teſt. tria potiſſimum ſunt recepta: quæ conjunguntur Pſal. XXXII. 5. Exod. XXXIV. 7. nimirum חטאה, פשע, עון: & עון quidem, eſt *q. curvitas*, à legis *rectitudine* deflectens: eſt & *ἀδικία pravitas* Pſal. XLIX. 6. פשע *transgreſſio*, ſcil. legis: חטאה *aberratio* à *ſcopo* vel à *via* Job. v. 24. Prov. XIX. 2. Jud. XX. 16. Appellatur alibi מרי *ἀπειθεία inobedientia* & *rebellio*: מיעל, *prævaricatio* Joſ. XXII. 22. eodem ſenſu dicitur בגד *perfidia* Jeſ. XXIV. 16. *adverſatio* occulta, ſub ſpecie amicitiæ Num. v. 27. In Novo Teſt. *ἁμαρτία, παράβασις, παρακοὴ, παράπτωμα* Rom. v. 12. Definitur una voce quam accuratiſſime, à Johanne *ἀνομία* 1. Joh. III. 4. *diſſonum legi*, non cujusvis; ſed *unici illius legiſlatoris qui poteſt ſervare, & perdere* Jac. IV. 12. Pſal. II. 6. Quatenus enim *homines* lædit, aut in eorum leges impingit, non eſt hujus loci. Præſupponit quidem aliquid *poſitivum*, cui inſit velut ſuo ſubjecto, ipſum tamen non eſt aliquid *poſitivum* aut reale: tum enim *primam* cauſam requireret ſui auctorem: neque enim fieri poteſt, ut aliquid ſit *poſitivum* aut reale, quod non neceſſario pendeat à *prima cauſa.* Interim etiam non eſt aliquid pure *negativum*; ita enim & *malum* non eſſet, aut puniendum à Deo: proinde non reſtat, niſi ut dicatur eſſe *privativum* quid, ſeu abſentia boni alicujus *moralis*, ubi adeſſe debebat. Subjectum autem in quo exiſtit illa privatio, præſtant ſolæ *rationales* creaturæ, Angeli & homines, quibus ſolis *lex* præſcripta eſt, quam intelligere & transgredi poſſint: & in his porro earum *facultates*, habitus & actiones, quippe quæ à lege abire poſſunt: *κυρίως* tamen eſt *voluntas*, uſque adeo, ut, ſi ea *penitus* abſit, peccatum dici nequeat: cum bonum & malum, juxta omnes, cum Theologos tum Philoſophos, hactenus ſaltem, ſit in voluntate.

Ejus natura.

Cauſa peccati quænam?

V. Cauſa peccati, quantum ad ejus *materiale* ſeu *ſubſtratum*, quia *phyſice* eſt bonum quid, *Deus* eſt Act. XVII. 28. (tanquam prima omnis entis cauſa) ſecundaria homo: ſed, quantum ad ejus formale *ἀνομίαν*, non eſt niſi transgreſſio & transgrediens, & hinc, quia Deus *legem transgredi* non poteſt, cauſa etiam *peccati* dici citra blaſphemiam nequit Pſal. v. 5. 2. Paral. XIX. 7. Jac. I. 13. Creatura autem legem transgrediens, cauſa *deficiens* recte appellatur. *Finis* etiam *peccati*, quatenus *ἀνομία* eſt, non datur, quia defectus proprie nec intendit, nec efficit bonum: quamvis *peccantium* poſſit dari ac detur *finis*, quatenus illi peccando, intendunt bonum *apparens*, jucundum aut utile, ſeu quod congruit cum *propenſione* ſua peſſima: atque etiam Deus, immenſa ſua bonitate, mala gubernet ac dirigat, ut per accidens vergant in gloriam ſuam.

Conſectarium peccati triplex: turpitudo.

VI. Peccati conſectarium univerſale *triplex* eſt: turpitudo, reatus & pœna. *Turpitudo* eſt pollutio illa *ſpiritualis*, per quam peccator orbatur nitore *ſpirituali*, & vilis fit Matth. XV. 11. 19. 20. Apoc. XXII.

xxii. 11. Pſal. xiv. 3. Jeſ. vi. 5. Job. xv. 14. Hæc *turpitudo*, immediatè ſequitur commiſſum *peccatum*, & manet in *peccatore*, poſtquam actus peccati tranſiit. Eam ſequitur (1) *contemtus* Dei 1. Sam. 11. 30. Rom. iii. 23. Hoſ. iv. 7. (2) *averſatio* & abominatio Dei Jeſ. i. 15. Prov. iii. 32. Pſal. v. 5. 6. Sed tamen pro *gradu* peccatorum Prov. vi. 16. 17. Jer. xvi. 18. (3) *pudor* hominis ad confuſionem Gen. iii. 7. utpote qui non aliud eſt, quam *metus* ortus ex conſcientia turpitudinis alicujus Rom. vi. 21. Jer. iii. 24. 25. (4) *fuga*, ſeu conatus declinandi præſentiam Dei, ut qui iſtam turpitudinem; maxumopere adverſatur Jeſ. i. 15. Apoc. vi. 16. & ix. 6.

Reatus. VII. *Reatus*, qui, ſecundum Jureconſultos, eſt *ſtatus* in quo accuſatus hæret, uſque ad ſententiam Judicis, vel abſolutoriam, vel condemnatoriam: ſecundum Theologos, eſt *obligatio ad pœnam ex peccato*, per quam peccator dicitur אָשַׁם Levit. v. 2. 3. 4. 5. ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι *ſub peccato* Rom. iii. 9. & vii. 14. & *in peccatis* ſuis eſſe 1. Cor. xv. 17. ὑπόδικον γίνεσθαι τῷ θεῷ Rom. iii. 19. Dei *debitor* Matth. vi. 12. cum Luc. xi. 4. Sequitur peccatum reatus, *partim* ex intrinſecâ ejus *natura* & demerito: quatenus illud, non res *media* eſt ſeu adiaphora; ſed ſua natura mala ac pœnam flagitans, quod, niſi confuſis rerum naturis, omnique boni ac mali diſcrimine ſublato, negari non poteſt: *partim* ſanctione *legis* divinæ. Prius *intrinſecam* pœnæ dignitatem Rom. i. 32. poſterius *actualem* ordinationem ad pœnam dicit: ille reatus *potentialis*, à peccato inſeparabilis; hic *actualis*, qui per gratioſam Dei diſpenſationem, ſi non à *peccato*, ſaltem à *peccatore* ſeparari poteſt. Eſt ergo reatus *medium* quid, inter culpam & pœnam: ex culpa enim *oritur*, & ad pœnam *ducit*, adeo ut *unus* ſit reatus culpæ & pœnæ, qui inter iſtos terminos quaſi *medius* incedit, & ab utroque ex æquo denominatur.

Effecta reatus. VIII. Ex reatu oritur (1) Conſcientia accuſans & *condemnans* juſte Rom. ii. 15. (2) *Horror*. Jeſ. lvii. 20. 22. qui *Spiritus ſervitutis* Rom. viii. 15. & *timoris* 2. Tim. i. 7. *metus mortis* Heb. ii. 15. dicitur. Conf. 1. Joh. iii. 20. Jer. ii. 19. (3) *Fuga* præſentiæ Dei Gen. iii. 8. 10. ex metu vindictæ divinæ oriunda (4) *Pœna*, poſtremum peccati conſectarium, quam Cap. iv. dicemus ex profeſſo.

Pœna.

Fœdifragii adamici fructus imprimis eſt peccatum originale. IX. Verùm non in *genere* tantum, fœdifragii adamici conſequens eſt *peccatum*; ſed & in *ſpecie*, tum *originale*, tum *actuale*. Prius enim apertè textus docet, cum *per unum hominem*, *peccatum* dicit *introïiſſe in mundum*, *eo quod omnes peccaverint*, ſcil. in Adamo. Hinc Irenæo *antiqua ſerpentis plaga* appellatur, & Cypriano πρώτη ἁμαρτία: Ambroſio *inquinamentum naturæ*, Scripturæ *figmentum malum ab infantia* Gen. viii. 21. *peccatum occultum* Pſal. xix. 13. peccatum in quo *concipimur & naſcimur* Pſal. li. 6. in N. Teſt. ἡ ἁμαρτία Rom. vii. 8. ἁμαρτία ἐνοικοῦσα Rom. vii. 17. *malum adjacens* verſ. 21. ἁμαρτία εὐπερίστατος Heb. xii. 1. *lex membrorum* Rom. vii. 23. *corpus mortis* verſ. 24. *corpus peccati* Rom. vi. 6. *vetus homo* Eph. iv. 22. *caro* Joh. iii. 5. Gal. v. 17. *externus homo* 2. Cor. iv. 16. *Peccati* autem *originalis* appellatio, in *Scripturis* non proſtat; ſed *eccleſiaſtici* uſus eſt, ut multæ aliæ, ab Auguſtino aliiſque ſcriptoribus eum ſecutis, adverſus Pelagianos, frequenter uſurpata, ad *nativam* labem exprimendam. Ita autem dicitur: tum quod in *primo* homine, & in *primo* ejus peccato, *originem* habet: tum quod cum *noſtri* origine, originem habeat; tum quod omnis delicti actualis *origo* ſit.

Hujus nomina.

X. *Res* autem hujus peccati, duo complectitur, cum *reatum* quem ab Adamo habemus, τὸ κρίμα *meritum judicii*, quod eſt ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα *ex uno in condemnationem*, quia judicati ſunt, *in eo omnes peccaſſe*, ut Apoſtolus loquitur Rom. v. 12. 16. tum ipſam illam *labem* ac tabem, nobis *inhærentem*. Prius peccatum originale *imputatum*; poſterius *inhærens* appellari conſuevit. Imputatio autem, non conſiſtit in mera *putatione*, quâ Deus *putet* fœdifragium protoplaſtorum, non ab ipſis tantum perpetratum fuiſſe; ſed *actualiter* & perſonaliter, etiam ab omnibus eorum *poſteris*: eſſet enim in hoc error manifeſtus: ſed quod fœdifragium illud, *actu* commiſſum à protoplaſtis, in eo velut in cauſa, fuerit commiſſum ab *omnibus* ejus poſteris, adeoque *amicitia* Dei perierit, non modo cum *protoplaſtis*; ſed cum *toto mundo*, ac propterea Deus, *imaginem* ſuam non amplius *contulerit* ejus poſteris; & propter *peccatum* illud, quavis *morte* perſequatur.

Ejus pars prima peccatum imputatum.

XI. *Fundamentum* itaque hujus imputationis, non tam (1) eſt in *natura*, quam à protoplaſtis hauriamus, ut quam *meliorem* nobis dare non potuiſſe videantur; quam habuerint: cum & ſecundus Adamus, naturam humanam, habeat à protoplaſtis Act. xvii. 26. Luc. iii. 23. cum verſ. 38. quam quidem (2) à *fœdere* quod Deo coiit, non cum protoplaſtis *ſolis*, ſed cum omnibus eorum *poſteris*, prout lib. iii. cap. xii. ex profeſſo demonſtravimus: quod etiam ab *omnibus* violatum fuiſſe cap. præcedenti docuimus, quod proinde univerſam ejus *ſobolem*, eidem ſecum calamitati involvit. Forte & (3) hoc addi poſſit, quod ex *ordine* & concatenatione, rebus omnibus *per creationem* collato: ex juſtitiâ item *originali*, protoplaſtis & omnibus eorum poſteris *æqualiter* conferenda: item ex *auxilio gratiæ*, protoplaſtis & eorum poſteris, *æqualiter* impertiendo ac negando; Deus *præviderit*, omnes Adami poſteros, *eidem* tentationi ſatanicæ, ſi quando exponerentur; *idem*

Fundamentum imputationis.

idem cum ipſis fœdifragium commiſſuros fuiſſe; adeoque certo *futurum*, habuerit velut actu *commiſſum*. Tandem (4) & hoc addi poſſit, quod totus mundus *humanus* tum exiſtens peccaverit, eoque & amicitia Dei cum univerſo mundo perierit, conſequenter quoque cum poſteris, cum liberi cenſeantur partes parentum.

Probatur imputationis veritas.

XII. Quicquid hujus ſit, Adamum conſiderandum hic eſſe, ut commune generis humani *caput* ac *fœderis* naturæ Principem, ad oculum docere videtur (1) primi hominis hiſtoria, ubi bona malaque omnia, ipſi, ceu *publicæ* perſonæ, quæ ſequentis mundi exemplar, & quaſi obſes eſſet, tributa legimus: tum *ante* lapſum egregia illa, Dei imago, in eâ juſtitia *originalis*, imperium in creaturas, matrimonium, benedictio ad omnes ſpectabant; tum *poſt* lapſum, omnes illæ miſeriæ & calamitates, non illum ſolum; ſed omnes etiam ejus poſteros affligentes. (2) Manifeſtum Apoſtoli teſtimonium Rom. v. 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον: quod, ſeu vertas *in quo* omnes peccarunt; phraſeologia N. Teſt. non inuſitatâ, ἐπί uſurpato pro ἐν, prout & obſervavimus in *exegeticis* (quam hoc loco comprimis ſuadere videntur, non tantum contextus, quando de *uno* & *primo* homine, deque Chriſti quem in mundum introduxit comitatu, ſermo cum fuiſſet; dicitur ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον: ſed parallelus etiam locus 1. Cor. xv. 21. 22.) ſeu vertas *eo quod* omnes peccarunt, vel *quo peccante omnes peccarunt*, quomodo ἐπί uſurpatur Heb. IX. 17. cum etiam, vel ſic neceſſum ſit in eandem ſententiam verba ſupplere: *eo quod* (videl. *in uno* illo homine) *omnes peccârunt*: res, ut alibi etiam monuimus, eodem redibit; nec emerget niſi, ex ſententia Pauli, *unum* illud peccatum, eſſe *omnium*, non ſane per *commiſſionem* omnium *perſonalem*, verſ. 14. proinde non niſi per eam quam diximus, *imputationem*. Hinc, (3) idem Apoſtolus alibi pronunciat, *omnes in Adamo* (ἐν Ἀδὰμ) *eſſe mortuos* 1. Cor. xv. 22. proinde & in Adamo peccârunt, cum *ſtipendium peccati mors* ſit Rom. VI. 23. peccare autem aliter non potuerunt *non exiſtentes*, quam per *imputationem* primi fœdifragii. Addam (4) quod eodem modo peccaverimus in Adamo, quo juſtificamur in Chriſto Rom. v. 14. 20. Jam autem aliter non juſtificamur in Chriſto, quam per *imputationem* ejus juſtitiæ.

Peccati inhærentis veritas demonſtratur.

XIII. E peccato *imputato*, *prima* peccati originalis parte, etiam *ſecunda* profluit, peccatum *inhærens*, quando, propter imputatum illud, Deus in *pœnam*, nobis *non confert* imaginis ſuæ juſtitiam *originalem*, eaque *abſente*, non poteſt non *adeſſe* niſi omnis injuſtitia. Peccatum hoc omne genus teſtium confirmat; (1) Scriptura Gen. VI. 5. & VIII. 21. Pſal. LI. 7. Ezech. XVI. 4. Eph. II. 3. Job. XIV. 4. Joh. III. 6. (2) *Regenerationis*, converſionis & ſanctificationis, omnimoda neceſſitas Joh. III. 3. Matth. XVIII. 3. utpote quæ præſupponunt corruptionem & *mortem ſpiritualem* Eph. II. 5. & IV. 22. 23. Ezech. XXXVI. 26. (3) Recta *ratio*, per quam, *radice* putrefactâ, non niſi putridi *rami* proveniunt, qui eandem tabem, ſpargunt ad alios ex ſe naſcentes *ſurculos*; & *ſcaturgio* corrupta, non niſi corruptos *rivulos* ſpargit; & ſic *naturæ* lege ac jure, omnis Adami *hæreditas*, ad poſteros pervenit, atque ipſe peccato *corruptus*, ac amore terreno languens, univerſæ ſuæ poſteritatis *corruptor* evaſit. Nec videtur Deo conveniens, homini *peccatori*, nec quærenti *ſemen* Dei; ſanctam ſobolem dare, ac imaginem ſuam, per fœdam ſæpe, & varia libidine *pollutam* generationem, propagare ad ejus poſteros, adeo ut peccator, ab amicitiâ & fœdere Dei alienus, ac ſtirps & caput foret ſeminis *ſancti*. (4) Univerſalis *experientia*, quando univerſum *mundum* corruptum eſſe docet, ne uno quidem excepto Rom. III. 10. 11. 12. Eſſet enim, in tanto hominum *numero*, vel *unus* exceptus, ſanctus, purus. (5) Labis hujus *reliquiæ*, nimium proh dolor! copioſæ, in ipſis regenitis ſanctificatiſque Phil. III. 12. Jac. III. 2. 1. Joh. I. 8. 10. Gal. V. 17. Rom. VII. 14. (6) Ipſa cujuſque *conſcientia*, ſibi ſuam dictans cæcitatem, averſionem à bono quovis, & proclivitatem ad malum quodvis, quam ipſi etiam Gentiles ſenſerunt, ac ne adverſarii quidem Judæi & Sociniani, negare auſint.

Quid ſit peccatum originale inhærens?

XIV. Non eſt autem peccatum hoc *inhærens*, niſi *totalis naturæ* noſtræ *deviatio* à rectitudine legis divinæ, quæ proinde *vetus homo* Rom. VI. 6. Eph. IV. 22. Col. III. 9. *corpus peccati* Rom. VI. 19. *lex membrorum* Rom. VII. 23. & ipſa *membra* Coll. III. 5. *caro* Joh. III. 6. Rom. VII. 18. 26. *animalis homo* 1. Cor. II. 14. prout dudum ſignificavimus, indigitatur.

Quo ſenſu totius naturæ deviatio dicatur?

XV. Eſt totius *naturæ* deviatio, h. e. non tantum totius *generis* humani; ſed etiam cujusque naturæ *particularis* corruptio, adeo ut ne *unus* quidem, præter ſolum Adamum *ſecundum*, excipiatur Joh. III. 6. Job. XIV. 4. Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 22. Solus, inquam, *ſecundus* Adamus excipitur, quod 1. hic in primo Adamo non fuerit numeratus. 2. in eo *fœdus naturæ* non fuerit transgreſſus, aut transgredi potuerit, utpote θεάνθρωπος. 3. *ſecundi* fœderis *caput* eſſe non poſſet, ſi in Adamo fœdus ipſe *violaſſet*. Et 4. ex *naturæ ordine*, ante peccatum naſciturus non erat; ſed *poſt* peccatum tantum. Nec 5. vi *primævæ* illius benedictionis: *creſcite & multiplicamini* Gen. I. 28. ſed vi gratioſæ *promiſſionis* Gen. III. 15. Ac tandem 6. à Spiritu S. in utero materno *ſanctificatus* eſt Luc. I. 35. quamvis à contrario mere negativo tantum.

Quo

XVI. Nec *totius* tantum naturæ; ſed *totalis* in-

sensu totalis deviatio?

super corruptio, unde singulis etiam hominis cujusque *partibus* & *facultatibus* peculiariter in Scripturis asseritur: (1) *Intellectui* Eph. IV. 17. 18. (2) *Voluntati* Gen. VI. 5. & VIII. 21. (3) *Conscientiæ* Tit. I. 15. (4) *Affectibus* Rom. I. 24. (5) *Corpori* denique & omnibus membris Rom. VI. 19.

Partes labis hujus duæ.

XVII. Sunt hujus corruptionis, *duæ* quasi partes essentiales: *aversio* à bono quovis *morali*, comprimis *spirituali* ac salvifico; & *inclinatio* ad malum quodvis morale Jer. II. 13. ubi *actualis* peccati *descriptio*, imaginem præstat *originalis*, ut filia Matris. Illa στερητικῶς *privativè* Rom. III. 23. hæc θετικῶς *positive* in Scripturis exprimitur Rom. VII. 23. Gen. VI. 5. Quæ tamen non *ita* differunt, acsi non esset utrobique *privatio*; sed quod ibi absit *habitus* bonus; hic adsit quidem *habitus*, verum qui non *in bonum* contendit, sed in malum. Est ergo hic positivum non nisi *logicum*, ut loquuntur, & sola voce tale, quo Scriptura utitur, partim ut peccatum, non pro mere nihilo aut negativo habeamus; partim ut pernicioſissimos ejus *fructus*.

Propagatio peccati originalis quid sit?

XVIII. Restat peccati originalis *propagatio*, qua non aliud cogitamus, quam ejusdem (*specie*) conditionis pessimæ, ad omnes posteros, quotquot naturali modo ab Adamo descendunt, traductio Job. XIV. 4. Psal. LI. 7. Rom. V. 14. Eph. II. 3. Idque ex justâ *Dei* ordinatione, cujus *æquitas* per analogiam, etiam apud *homines*, aliquo modo conspicitur, v. g. 1. Jure *naturali*, quo *innatæ* qualitates, à generante in genitum derivantur. 2. Jure *hæreditario*; quo onera parentum in liberos traducuntur. 3. Jure *talionis*, quo boni rejectio & mali perpessio, æqualiter gradiuntur.

Quo pacto propagatio non fiat?

XIX. Non fit autem hæc propagatio, vel per *imitationem* solam, cum & in *infantes* propagetur, qui non sunt capaces *immitationis* Rom. V. 14. Nec per *traducem* seminalem, quo, juxta cum animâ ipsa, *corruptio* à parentibus transeat in sobolem, cum non tantum anima sua, cuivis concreetur à Deo Zach. XII. 1. Eccl. XII. 7. Heb. XII. 9. sed ipsa etiam per hunc *traducem*, necessario *materialis* fiat & composita, ac proinde dissolubilis ac *mortalis* etiam: eo quod, non *tota* anima corruptionem gestans, à parente transire possit in filium; quare *partem* tantum transire statuendum restat: Nec etiam distinctè, aut per *corpus*, cum illud abstracta anima, brutum sit, & boni ac mali penitus incapax; aut per *animam*, cum ea, sicut diximus, à Deo cuique concreetur: non restat igitur, nisi ut eam fieri pronunciemus. 1. per *imputationem* seu per meritum, quatenus *primum* illud protoplastorum fœdifragium, à *toto* genere humano commissum, Deus censet Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 21. 22. Tum 2. per realem *communicationem*, quatenus propter fœdifragium illud in protoplastis commissum, Deus omnibus eorum posteris, non amplius confert, imaginis suæ *justitiam originalem*, h. e. sapientiam *intellectui*, justitiam & sanctitatem *voluntati*, rectitudinem & submissionem *affectibus*. unde fit, ut, quotiescunque facultates illæ, sese applicant ad aliquid *morale*, illa inclinatio non sit nisi *moraliter* mala: nec hoc tantum; sed etiam ut omnis earundem *actio* sit mala: mens enim *cæca*, ex privatione *lucis*, quosvis facile admittit *errores*, & voluntas *aversa* à Deo, ardet amore *sui*, & pravarum quarumvis cupiditatum, sine Deo. Tandem 3. per *generationem* naturalem Psal. LI. 7. Joh. III. 6. Job. XIV. 4. non sane quod generatio *sola*, aut præcipua sit hujus propagationis *causa*: sic enim & in *Christum*, propagata fuisset hæc labes, sed potius, quod sit causa *sine* qua *non* potest fieri propagatio: si enim per generationem non propagatur homo, etiam propagari non potest peccatum. Hoc interim diligenter observetur, quod corruptio à parentibus in sobolem transeat, non eadem *numero*; sed eadem *specie* tantum, quod multo maximam hujus propagationis difficultatem tollet.

Cum peccato omne ejus consectarium propagatur.

XX. Denique, non *peccatum* tantum hoc modo propagatur; sed & omne etiam ejus *consequens*, turpitudo, reatus & pœna, quo fit ut nemo *ex carne* natus, citra regenerationem, possit *videre regnum Dei*. Joh. III. 3. atque omnes, *natura filius iræ mortui in peccatis* Eph. II. 1. 3. totusque *mundus* obnoxius fiat Deo Rom. III. 19.

Pars Elenchtica.

Quæritur: 1. An peccatum consistat in sola ἀνομίᾳ? Collatio sententiarum.

XXI. Quæritur 1. An peccatum consistat in sola ἀνομίᾳ? Manichæi olim, statuebant peccatum esse aliquid *reale*, cui ob hoc peculiare assignabant *principium malum*, seu *Deum* malum. Flaccius Illyricus, prout *justitiam originalem*, dicebat ipsam esse animæ substantiam, ita & peccatum, saltem *originale*, dicebat esse aliquid *subſtantiale*. Ecclesiæ Reformatæ adversarii, ut commodius calumnientur, eam *Deum* facere peccati *auctorem*, duas peccati fingunt esse *partes* essentiales, nim. *facultatem* aut actum, cui inest ἀνομίᾳ, quæ sit quasi *materia* peccati, & *malitiam*, quæ sit ejus quasi *forma*, ut, dum statuimus Deum esse *prioris* causam; inde concludant, Deum esse, juxta nos, peccati causam, saltem ex *parte*. Vasques celebris apud Pontificios Scholasticus, formam peccati, in relatione aliqua extrinseca oppositionis & inconvenientiæ, cum creatura rationali ponit, qui, si in inconvenientia, & oppositione cum *lege* divina, poneret: ferri posset. Nonnemo è Reformatis, dicit esse *nihil privativum*, h. e. *nihil* relatum ad certum subjectum ad quod referri non debebat; in se enim, inquit, peccatum *nihil* est, quod revera, cum Vasquesii sententia, quam rejicit, coincidit. Reformati agnoscunt quidem, peccato

Sententiarum

tia Reformatorum, cum suis rationibus.

cato subesse aliquod substratum, *facultatem* scil. aut actionem, cui inhæreat malitia, cum non sit substantia per se subsistens: agnoscunt item, peccatum non esse *negativum* quid: sed negant esse aliquid reale, substantiale aut positivum quid; verùm esse aliquid *privativum*, quod consistat in solâ ἀνομίᾳ, seu absentiâ rectitudinis *moralis*, in subjecto capaci. Quia: 1. Johannes 1. Epist. III. 4. peccatum, quam accuratissime definit per solam ἀνομίαν: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. 2. Quia si esset aliquid reale, substantiale aut positivum; necessario requireret Deum sui auctorem: cum prima causa omnis *realis*, substantialis & positivi, auctor sit. Nec 3. partibus constat, substrato velut *materiâ*, & ἀνομίᾳ ceu *forma*: sic enim Deus, saltem ex *parte*, fieret auctor peccati, quatenus *materialis*, procul dubio auctor existit. Nec video, quid in contrarium dici possit, nisi A. Quod labes *originalis* passim appelletur *caro*, *vetus homo*, *corpus mortis*, *lex membrorum* &c. Cui facile respondetur, hoc fieri per Metonymiam subjecti pro adjuncto, quod totum hominem, ista labes pervadat. B. Quod *nihil*, non contrahat reatum pœnæ, nec puniri possit. Resp. Non dicimus, quod peccatum sit *nihil*; sed quod sit *privatio* rectitudinis *moralis*, adesse debitæ.

Objectiones.

2. An ad peccati constitutionem, prævius requiratur voluntatis consensus? Diversæ sententiæ.

XXII. Quæritur 2. An ad peccati constitutionem, prævius requiratur voluntatis consensus? Pelagiani ac Sociniani, quo efficacius à Religione Christianâ, proscribant peccatum *originale*; statuunt omne peccatum prævium exigere voluntatis consensum. Pontificii, cum observent, in omnibus hominibus, quantumvis *sanctis* reperiri motus pravæ concupiscentiæ; ut nihilominus omnimodam perfectionem in hac vitâ, salvam habeant; docent in omni peccato, prævium aliquem requiri voluntatis consensum. Ad hoc, tres concupiscentiæ motus numerant: *primo-primum*, qui destituitur *omni* consensu: *secundo-primum*, qui *aliquem* habet voluntatis consensum: & *secundum*, cui *plenus* adest consensus. *Primo-primum* negant esse *peccatum*: *secundo-primum*, tantum esse peccatum *veniale*: *secundum* tandem præstare peccatum *morale*. Reformati agnoscunt, voluntatem esse subjectum δεικτικὸν, omnis boni ac mali *moralis*: agnoscunt item illud involuntarium, quo voluntas *positive*, absque ulla confusione repugnat; *peccatum* non esse: sed distinguunt consensum voluntatis *antecedentem*, qui sit causa & principium actus; & *concomitantem*, qui applaudit peccato jam existenti: sic negant tandem, consensum voluntatis *prævium* seu antecedentem, ad constitutionem peccati necessariò requiri; sed sufficere *concomitantem*. Quia: 1. Johanni ad constitutionem peccati sufficit ἀνομία 1. Joh. III. 4. juxta §. præced. Quia 2. Paulus, & de *se* testatur, quod malum quod *nolit*, faciat Rom. VII. 15. 16. 17. & de Galatis, quod faciunt, quod *non velint* Gal. V. 17. Quia 3. motus pravi concupiscentiæ *primo-primi* quos vocant, damnantur Exod. XX. 16. 17. collat. cum Rom. VII. 7.... Quia 4. peccatum originale, absque prævio voluntatis consensu existit, & tamen verum est peccatum: quod Pontificii agnoscunt; & adversus Socinianos, dudum dedimus demonstratum in *dogmaticis*, & dabimus uberius in *elenchticis*. Ut nihil 5. dicam, de peccatis ignorantiæ & infirmitatis & inadvertentiæ, de quibus Num. XV. 27. Psal. XIX. 13. qualia commissa leguntur à Pharaone Gen. XII. 17. Abimelecho Gen. XX. 2. Judæis Act. III. 17. Saulo 1. Tim. 1. 13. quæ licet perpetrata sint, non absque consensu *omni*; tamen absque *prævio*. Ex quibus facilè expediri possunt, quæ in contrarium objiciuntur: nim. A. peccatorum seu concupiscentiæ, motus *primo-primi*: qui licet destituantur consensu *prævio*; non destituuntur tamen consensu *omni*. B. Quod homo sit ens *rationale*. Hinc enim non sequitur, omnes ejus actus esse rationales, seu voluntarios. Sunt enim & actus *naturales*, ut decidere deorsum, & quæ v. g. in somno committuntur. Non dicam, omnes voluntatis actus, à *prævio* consensu voluntatis profluere, sufficit ut consensum habeant *concomitantem*. Quod etiam de peccato originali responderi potest: habet enim & illud consensum voluntatis *concomitantem*, licet non habeat consensum *antecedentem*.

Objectiones.

3. An detur peccatum originale? Sententia adversariorum.

XXIII. Quæritur 3. An detur in genere peccatum *originale*? Pelagiani, Sociniani, quo vires habeant liberi arbitrii ad bonum *salutare*; negant peccatum *originale* ullum dari, illudque figmentum Augustini calumniantur, ad absolutam Baptismi necessitatem, quo illud tollatur, stabiliendam natum. Semi-pelagiani Jesuitæ, illud quidem dari, utcunque agnoscunt; sed Baptismo penitus tolli, addunt. Arminiani illud per meritum Christi, ab omnibus & singulis sublatum existimant. Reformati ex adverso, ejus veritatem tuentur: (1) Eis Scripturis, quas jam ante §. IX. in hanc rem adduximus. (2) Circumcisione & Baptismo, etiam *infantibus* conferendis, quæ præsupponunt *peccatum aliquod*, ejusque *reatum* auferendum: & cum non possint præsupponere *actuale*, necessariò arguunt *originale*. Idem etiam (3) *mors* arguit infantium, utpote *stipendium peccati* Rom. VI. 23. Gen. II. 16. 17. Rom. V. 12. Atque insuper (4) *Redemptionis* per Christum *necessitas* universalis Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. quæ, per hanc hypothesin, saltem ratione *infantium* tolleretur. Tandem (5) Imagine *Adami*, pro imagine *Dei* propagatâ Gen. V. 1. 3. Addatur (6) peccati primi *imputatio*, & corruptionis *inhærentis* realis communicatio, quæ duæ sunt hujus peccati partes essentiales; distincte probatæ dudum, aut probandæ imposterum. Nec obstat, A. quod non sit omni modo *voluntarium*: sufficit enim (1) illud esse volun-

Senten tia Reformatorum cum suis rationibus.

Senten tia Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones.

voluntarium *antecedenter* in causa, scil. protoplastis. (2) illud esse voluntarium *concomitanter* in ipsis *posteris*, quatenus non *contra* voluntatem, sed *cum illa* in ipsis exiitit. Ut non dicam (3) quod ἀνουία sufficiat ad constitutionem peccati. Quod B. lex nullibi prohibeat *nasci* cum peccato; sufficit enim, quod ubique prohibeat *esse* cum peccato, & peculiariter perperam *concupiscere* Exod. xx. 17. Rom. vii. 7. Quod C. infantes *innoxii* dicantur Psal. cvi. 38. Jon. iv. 11. Cum hoc non *simpliciter* sit intelligendum, sed *comparatè* ad adultos, quatenus cum his, non sint sub noxâ peccati actualis; aut respectu *hominum* sub ullo mortis reatu. Quod. D. Gemelli in utero Rebeccæ dicantur *nihildum boni aut mali feciſſe*: non aliud enim hoc probat, quam non fuisse in ipsis peccatum *actuale*. Quod E. Fidelium infantes dicantur *sancti* 1. Cor. vii. 14. quoniam tales sunt, non per naturam Eph. ii. 1. sed per gratiam: tum *confœderationis externæ*, membra *populi sancti* Deut. vi. & xiv. 2. 21. tum (in nonnullis) *sanctificationis* internæ Luc. i. 15. Jer. i. 5. Quod F. *non* fuerit in protoplastis: fuit enim, licet non per *generationem*, aut per *imputationem*; sed per *commissionem*, & per privationem justitiæ *originalis*. Quod G. *accidentia* per generationem non propagentur, aut *transeant* in posteros; licet enim non transeant *eadem numero*; transeunt tamen eadem *specie*, ut patet in leprâ, calculo, aliisque morbis. Quod H. sic Deus videatur fieri *peccati auctor*, quatenus non tantum *generationis* auctor est; sed etiam *privationis* justitiæ originalis: Est enim (a) auctor generationis quidem, & geniti qua *talis*, qua boni physice: sed non qua *mali* moraliter. Et (b) causa quidem privationis, quatenus justa pœna est commissi fœdifragii; non autem ipsius peccati justæ privationi succedanei. Quod I. concupiscentia *producere peccatum* dicatur Jac. i. 14. cum nihil obstet quo minus peccatum, *producat* peccatum, sc. peccatum inchoatum, consummatum. Quod K. *unus* actus non generet *habitum*: generat enim privationem justitiæ *originalis*, quam excipit *habitus* pravus, seu potius universalis totius *naturæ* corruptio. Quod L. in regenitis *tollatur*, adeoque non *propagetur* per generationem: generant enim parentes, non qua *regeniti*; sed qua *homines*: & tollitur in ipsis peccatum originale, quoad *reatum* per justificationem, & quoad *dominium* per sanctificationem; non autem per privationem, quoad totalem *præsentiam*.

4. An detur peccatum originale imputatum?

XXIV. Quæritur 4. An detur peccatum originale *imputatum*? Pelagiani ac Sociniani, ne ex imputato sequatur *inhærens*, dum *propter* imputatum Adamidæ privati fuerint justitiâ *originali*, hinc mortui sint in peccato, & porro liberum arbitrium destituatur viribus ad bonum salutare: tum etiam, ne ex imputatione injustitiæ Adami, solidè inferamus imputationem justitiæ Christi: ἀπροτόμως negant. Remonstrantes statuunt, *pœnam* iustius peccati ad posteros transire, non ipsum *peccatum*, idque non per *imputationem*; sed ex humanæ naturæ conditione; quasi vero pœna possit transire, non transeunte peccato. Reformati ex adverso credimus, primum primorum parentum peccatum, omnibus ejus posteris, solo Christo excepto, verè imputari: rationes dudum præstitimus in *dogmaticis* §. x. xi. xii. Adversarii pro se frustra causari possint: (1) Locum Ezech. xviii. 4. 20. per quem, *filius non portabit iniquitatem patris sui*. Resp. loquitur de peccatis *personalibus* proximorum parentum, non imputandis soboli, si se eorum participem non fecerit; non autem de peccato *naturali*, quod omnes in Adamo perpetravimus Rom. v. 12. Quod (2) *parvulis*, electis scil. & sic fœderatis, addicatur à Servatore *regnum* cœlorum Marc. x. 14. & quod *sancti* dicantur. 1. Cor. vii. 14. Neque enim sunt ratione *naturæ* Eph. ii. 1. 3. sed ratione *gratiæ* in Christo, qui propterea eos recipit. Quod (3) Joh. ix. 2. 3. Christus neget *parentes* cæci illius *peccasse*: neque enim aliud vult, quam nec peccatum *parentum*, nec peccatum *ejus*, propriam causam fuisse, *hujus* præcise mali, *cæcitatis*: seu, Deum, non *propter peccatum* qualecunque, ipsi hanc infixisse cœcitatem; sed ut *opera Dei manifesta fiant in eo*. Quod (4) nec *exstiterimus*, nec *consenserimus*, cum peccarent protoplasti: exstitimus enim, & consensimus, & peccavimus *in causa*, in uno Adamo Rom. v. 12. Imo (5) quod ipsum, illud *primum* peccatum non existat, adeoque imputari non possit; utut enim non existat *physice*; exiitit tamen *moraliter*, qua ratione quævis peccata, actu *physice* cessante, manent *ethice*. Quod (6) potuissemus *non consentire* in peccatum protoplastorum: non enim videtur vero consentaneum, nos, non nisi *eisdem virius* instructos, & *eodem* divino *auxilio* fultos, *eidem* tentationi satanicæ expositos, in *idem* delictum non fuisse consensuros: saltem nulla ratione istud demonstrari potest: quicquid hujus sit, Deus optimè novit, & semper justè judicat. Quod (7) cum omniscientia & veracitate Dei pugnet putare, eum peccasse, qui revera non peccavit. Resp. Est sanè putare eum *in se* peccasse, qui reverà non peccavit; sed non est, putare, illum in *causa* peccasse, qui *in se* non peccavit. Quod (8) etiam pugnet cum justitiâ Dei, illum punire qui non peccavit. Resp. Est injustitia illum punire, qui nec *in se*, nec *in causa* peccavit; non autem est injustitia, eum punire, qui licet *in se* non peccavit, peccavit tamen *in causa*.

Objectiones.

5. An detur peccatum originale inhærens?

XXV. Quæritur 5. An detur peccatum originale inhærens? Pelagiani & Sociniani, ut liberi arbitrii vires ad bonum salutare, in statu corrupto habeant

ginale inhærens?

habeant illæsas; negant penitus, ut peccatum originale *imputatum*, ita etiam *inhærens*. Pontificii omnes, quia justitiam originalem, peccato protoplastorum ablatam, statuunt homini *supranaturalem*; existimant, *naturam* & liberum arbitrium ex absentiâ justitiæ originalis, non quidem esse tam promptam ad exercitium suarum virium; non tamen amisisse suas *vires*, quibus possit bonum *salutare*, si juvetur auxilio gratiæ: quam Jesuitæ quidem volunt esse *moralem* seu suasoriam tantum; dum ex adverso Dominicani & Jansenistæ, eandem volunt esse *Physicam* insuper. Remonstrantes quinquarticulani, peccatum originale *imputatum* videntur agnoscere, ex quo liberum arbitrium contraxerit qualemcunque *difficultatem* ad agendum bonum *salutare*, non tamen totalem *impotentiam* ad idem. Hos eisdem ferè hypothesibus sequuntur Anabaptistæ. Lutherani peccatum originale *inhærens* quidem, cum Reformatis admittunt; sed tamen *libero* arbitrio *vires* relinquunt, quibus *positive* possit non-repugnare Spiritui S. fidem & resipiscentiam molienti. Apud Pontificios, Albertus Pighius & Ambrosius Catharinus, in Concilio Tridentino, tale quidem recipiunt peccatum originale, quo peccati primi *pœnæ* quidem imputentur posteris; sed ipsum *peccatum* in eos descendere, negant. Adversus omnes istos Reformati, tale credunt peccatum originale inhærens, per quod homo plane mortuus sit peccato, hoc est, penitus ineptus ad ullum bonum *salutare*, & proclivis ad quodvis malum. Horum rationes jam ante repræsentavimus §. XIII. Atque etiam adversariorum objectiones debellavimus §. XXIII. Ex omnibus, non magno negotio potest, si non eadem prorsus; saltem perquam affinis, & à tot seculis vexatissima controversia, de *viribus* liberi arbitrii in statu *post lapsum*: an scil. homini adhucdum in *statu peccati* constituto, suppetant vires ad quodvis spirituale ac salutare bonum peragendum? Sententiarum divortia jamdudum repræsentavimus, atque etiam uttiusque partis rationes; nec superest, nisi ut paulo distinctius repræsentemus statum controversiæ. In hanc rem Reformati distinguere consueverunt, ab *unâ* parte inter quadruplex *bonum*, circa quod homo suo arbitrio occupari potest, nim. 1. *naturale*, v. g. ambulare, ratiocinari. 2. *morale*, exercitium qualecunque virtutis civilis. 3. *Ecclesiasticum*, qualia sunt officia cultus divini *externi* 4. *Spirituale* & salvificum, ἕχωντῆς σωτηρίας Heb. VI. 9. ab *altera* parte, inter quadruplicem hominis *statum*: α. *integritatis*, usque ad lapsum. β. *peccati*, à lapsu usque ad regenerationem. γ. *gratiæ*, à conversione usque ad mortem naturalem. δ. *gloriæ*, ab extremo judicio in omnem æternitatem. His positis, determinant: A. Hominem in statu integritatis, justitiâ *originali* beatum, cum propensione ad quodvis bonum tantum, vires etiam habuisse ad idem perpetrandum, ita tamen, ut accedente gravi tentatione, inde etiam potuerit declinari. B. in statu *gratiæ*, ipsum per regenerationem, recuperare *vires*, peccato amissas, ad bonum *spirituale* & salutiferum, cum superstite tamen, qualicunque inclinatione ad malum. C. In statu *gloriæ*, immutabilem ipsi adesse propensionem ad bonum solum. In statu autem D. peccati, adesse ei qualescunque vires, versus bonum *naturale*, *morale* & *ecclesiasticum*; sed ad bonum *spirituale ac salvificum*, prorsus *nullas*. Cujus sententiæ rationes jamjam indicavimus, & objectiones disjecimus.

De viribus liberi arbitrii controversia.

6. An peccatum originale in solâ constat privatione justitiæ originalis privatione?

XXVI. Quæritur 6. An peccatum *originale* in solâ consistat privatione justitiæ *originalis*? Sociniani, in gratiam liberi arbitrii, à lapsu protoplastorum penitus illæsi, nullam omninò agnoscunt justitiam *originalem*, adeoque nec ejus *privationem*. Pontificii, *justitiam* quidem agnoscunt originalem; sed quæ homini fuerit non *naturalis*; sed donum *supranaturale*, velut frænum quoddam aureum, compescendæ pugnæ inter carnem & spiritum, homini naturali collatum: ut obtinent, hominis naturali, inter quæ est liberum arbitrium, à lapsu protoplastorum illæsa manssisse: ut item habeant, pugnam istam inter carnem & spiritum, seu concupiscentiam carnis adversus spiritum, adeoque, eâ non obstante, hominem in hac vitâ, *moraliter* perfectum esse posse; statuunt peccatum originale non consistere nisi in privatione justitiæ *originalis*, per quam spiritus in pugnâ cum carne, adjutorio justitiæ originalis destitutus, languorem contraxerit, quo non ita prompte & feliciter possit reprimere insultus carnis. Reformati ex adverso, cum justitiam originalem credant, homini fuisse *naturalem*, h. e. naturæ *moraliter integræ* debitam; statuunt, non tantum justitiam *originalem*, propter lapsum fuisse ablatam; sed eadem operâ, totam hominis naturam, adeo *moraliter* fuisse corruptam, quoad intellectum, voluntatem, affectus, ut naturâ sit cœcus, ratione omnis veritatis spiritualis, ineptus item ad quodvis bonum spirituale, & proclivis ad omne malum, ratione voluntatis. Rationes Reformatorum hæc sunt præcipuæ: 1. Quod Scriptura hominem *mortuum* prædicet peccato Eph. II. 1. 5. Matth. VIII. 22. 1. Tim. v. 6. Rom. v. 12. Mors autem pertinet ad *naturam*. Quod 2. Omnes hominis *facultates* dicantur corruptæ: *intellectus* cœcus Eph. IV. 18. qui non *percipiat ea quæ sunt spiritus*, eaque pro *stultitia* habeat 1. Cor. II. 14. 15. *voluntas* adversa à bono spirituali, *inimicitia versus Deum*, quæ se non *subjiciat legi* divinæ, nec *possit* quidem Rom. VIII. 7. *conscientia* impura Tit. I. 15. *affectus* distorti Gal. v. 24. Rom. VII. 5. *membra* Rom. VI. 19. totus *homo* universaliter corruptus Jes. I. 4. 6. *caro carnalis*, *vetus*

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

vetus homo. Quod 3. dicamur alienati *à vita Dei*, h. e. à *vita divinâ*, ſpirituali, cœleſti Eph. IV. 18. *deſtituti gloriâ Dei* Rom. III. 23. Quod 4. omnes dicamur eſſe *ſub peccato* Rom. III. 9. 10. 11... Quod 5. totalis in nobis notetur *ἀδυναμία*, verſus bonum ſpirituale Jer. XIII. 23. 2. Cor. III. 5. Rom. VII. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Tandem 6. huc militant omnia argumenta, quæ habuimus §. XIII. Nec quicquam in contrarium valet, quod cauſantur: A. quod naturaliter caro pugnet adverſus ſpiritum, h. e. *corpus* & corporalia, adverſus *animam* & ſpiritualia Gal. V. 17. cum ibidem per *carnem*, Apoſtolus nequaquam intelligat *corpus*, ſed *vitioſitatem* quæ eſt in toto homine, ſicut item per *ſpiritum* non animam; ſed partem *regenitam* in fidelibus. Ut non addam, in ſtatu integritatis, corpus & ſpiritum, ſibi invicem non fuiſſe adverſaria, ſed accuratiſſimè ſibi ſubordinata, & *pugnam*, quæ jam inter duo iſta obſervatur, eſſe à peccato & corruptione oriundam. Nec magis valet B, quod omne peccatum conſiſtat in *privatione* rectitudinis, quæ adeſſe debebat: dicit enim corruptio originalis, non tantum *abſentiam* boni; ſed etiam *præſentiam* habituum malorum, qui ſe applicant perverſo objecto, eoque corrupti ſunt. Minime valèt C. quod ea ratione Deus fieret *auctor peccati*, ſi nim. quicquam eſſet, præterquam privatio ſeu abſentia juſtitiæ originalis: licet enim auctor ſit *habitus* corrupti; non eſt tamen ipſius corruptionis & *ἀνομίας*, quæ à creaturâ, per injuſtitiam originalem, accedit habitui. Tandem D. nec etiam valet, quod per naturam, labe originali ad *malum tantum* proclivem, pereat indifferentia liberi arbitrii ad *bonum* ſpirituale: pereat enim illa, dum interim proclivitas illa mala ſemper libere (ſaltem *concomitanter*) adeſt, & libere, etiam *antecedenter*, operatur.

Objectiones.

7. An corruptio originalis ſedeat in ſola animæ noſtræ parte inferiore? Sententia Pontificiorum,

XXVII. Quæritur 7. An corruptio originalis ſedeat in ſolâ animæ noſtræ parte *inferiore*, ſeu in ſenſualitate & *concupiſcentiâ*? Auguſtinus quidem corruptionem originalem in *concupiſcentiâ* ponebat; ſed ſenſu *latiore*, quatenus omnium facultatum corruptionem notat, utpote quâ omnes aliquam geſtant concupiſcentiam ſeu *appetitum*. Pontificii, cumprimis Jeſuitæ, quo partem animæ *ſuperiorem*, ut loquuntur, in quâ eſt liberum arbitrium, à corruptione haberent illæſam: atque etiam concupiſcentiam obtinerent, non eſſe peccatum; ac proinde, quod eâ non obſtante, homo in hac vitâ, perfectus eſſe poſſit: ſtatuunt corruptionem *originalem* eſſe in ſolâ animæ parte *inferiore*, h. e. ſenſualitate, concupiſcentiâ, omnium virium inferiorum rebellione. Reformati ex adverſo, corruptionem originalem, non tantum ad *inferiores* animæ facultates; ſed & ad *ſuperiores*, quin ad ſuperiores potius, quam ad inferiores, referunt.

& Reformatorum cum ſuis rationibus.

Rationes dudum penes controverſiam præcedentem diximus: quibus hîc adjicimus 1. Quod Apoſtolus corruptionem exſertè ad mentem referat 1. Tim. IV. 5. *διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν*, *corruptorum hominum mentem* Coloſſ. II. 18. *φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νόος τῆς σαρκὸς αὐτοῦ*, *inflatus à mente carnis ſuæ*. Quod 2. Chriſtus malas cogitationes, invidiam, blaſphemiam à *corde* repetat Marc. VII. 21. procul dubio ab intellectu & voluntate. Quin & 3. carni ſuum *φρόνημα ſapientiam* Paulus tribuit Rom. VIII. 7. & talem, quâ homo *ψυχικὸς*, non *percipiat* ea quæ ſunt Spiritus, imò pro *ſtultitia* ducat 1. Cor. II. 14. quod procul omni dubio ad *intellectum* pertinet; nec ſe *ſubjiciat legi* divinæ, quod ad *voluntatem* ſpectat. Addam 4. Quod non corpus ſeu *caro* & ſenſualitas ſpiritum: ſed ſpiritus carnem trahat: ac proinde corruptio, in *ſpiritu* potius, ſeu in facultatibus ſuperioribus hæreat, quam in *carne* ſeu inferioribus, ut Pontificii loquuntur Gen. VIII. 21. Nec eſt ferè quod opponant adverſarii, quam, Quod *corruptio* nativa paſſim appellatur *σὰρξ caro*, & inde *corruptus σαρκικὸς*, *carnalis*, idque oppoſitè ad *ſpiritum* Gal. V. 17. Rom. VII. 14. 18. Joh. III. 6. ita ut quis agat quod *non vult* Rom. VII. 16. 18. quod non alio fiat, quam quod in *carne* ſedeat, ſeu cupiditatibus carnalibus, in ſenſualitate carnis, ſeu in facultatibus animæ inferioribus. Reſp. 1. utique in carne, & in facultatibus carnis, eſt corruptio; ſed non in ſolis. 2. Tum *caro* non reſtringitur ad *corporalia*, ſeu ad ſenſualitates, ſicut jamjam oſtendimus; ſed extenditur etiam ad *ſpiritum*, cui *φρόνημα* tribuitur, & in quo corruptio ponitur, ut diximus. Præterquam 3. quod non intelligatur niſi corruptio, quæ eſt in toto homine, ac proinde etiam in *ſpiritu*.

Objectiones.

8. An concupiſcentia, ſaltem in renatis, ſeu baptizatis, non ſit peccatum? Sententia Pontificiorum, non conſtituant, niſi in *carne* ſeu ſenſualitate & *concupiſcentiâ* carnis, ſeu *corporis*, cum quâ homo creatus ſit; quamvis admittant eam concupiſcentiam, in non renatis eſſe peccatum, quia in eis voluntas cum ea colludit; ut habeant, hominem ſaltem *regenitum*, in hac vitâ, eſſe poſſe *moraliter* perfectum; in renatis, hoc ipſis eſt, *baptizatis*, dicunt non eſſe *peccatum*, quatenus non colludit voluntas, unde diſtinguunt inter concupiſcentiæ motum *primo-primum*, qui eſt abſque omni voluntatis conſenſu; & motum *ſecundo-primum*, qui habet *aliquem* conſenſum, ſibi conjunctum; & ſecundum, qui *plenum* habeat conſenſum, ita ut primus *nullum* omnino conſtituat peccatum; ſecundus *veniale* tantum, & tertius *morale* etiam. Reformati ex adverſo ſtatuunt *omnem* concupiſcentiam, quæ quidem vergit in malum, eſſe *peccatum*, quatenus 1. omnis concupiſcentia talis eſt *contra legem* Rom. VII. 7. adeoque *ἀνομία*, in quâ plenè conſiſtit peccatum 1. Joh. III.

8. An concupiſcentia, ſaltem in renatis, non ſit peccatum? Sententia Pontificiorum,

& Reformatorum cum ſuis rationibus.

III. 4. Quatenus *omnis* item 2. conſenſum voluntatis, ſi non *prævium*; ſaltem *concomitantem* ſibi habet conjunctum. Quatenus 3. iſta concupiſcentia ſcaturigo eſt omnis mali Rom. VII. 7. 8. à quo etiam, in decalogo poſtremum locum habet, ut excluſa hac prava concupiſcentia, omnia præceptis præcedentibus prohibita peccata ſecurius & efficacius excludantur, unde Auguſtinus: *concupiſcentia carnis, adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, & pœna peccati, & cauſa peccati.* Contr. Julian. lib. v. cap. 3. Quatenus 4. ipſi Pontificii agnoſcunt, eam in non renatis, ſeu non-baptizatis, eſſe *peccatum*, quæ apud iſtos voluntaria ſit *in cauſa*, h. e. in protoplaſtis ſponte peccantibus; quidni igitur, non etiam in *renatis?* cum non minus ipſi, quam non renati, ſponte in Adamo peccarint. Tandem 5. ex multiplici deſcriptione paulinâ ſolidiſſimum reſultat argumentum; nim. (1.) quod non ſit *bonum quid* Rom. VII. 18. (2.) quod ſit malum ὑπερίσατον Heb. XII. 1. (3) quod malum ſit *privative*, quia propter illud, *non perficitur* in nobis *bonum* Rom. VII. 15. (4) quod malum ſit *poſitive*, quia *rebellet legi mentis*, & ipſum cogat facere quod *odit* verſ. 23. (5) quod cum illo præcepto pugnet: *non concupiſces*, Ibid verſ. 7. (6) quia Apoſtolus propter hoc malum exclamet: *miſer ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ibid. verſ. 24. (7) quoniam iniquitas cum lege pugnans, ac proinde neceſſario peccatum ſit 1. Joh. III. 4. Eſt hæc congeries Chemnitii, in ſuo *Exam. Concil. Trid. de reliq. peccat. orig.* Ei tamen patrocinari conantur Romanenſes; his fere tribus: A. Quod concupiſcentia, ſaltem quoad motum ejus primo-primum, in renatis deſtituatur omni conſenſu voluntatis. Reſp. 1. habet conſenſum *prævium* in *cauſa*, in protoplaſtis, quomodo Pontificii, conſenſum voluntatis illam habere, agnoſcunt in non-renatis. 2. Si non haberet conſenſum iſtum *prævium*, habet tamen *concomitantem*, quatenus ejus præſentia peccatori grata eſt & delectabilis. B. Quod omnis concupiſcentiæ ac ſenſualitatis reatus, penitus ſublatus ſit per Baptiſmum. Reſp. Tollitur 1. per Baptiſmum *reatus*, non tantum concupiſcentiæ & *ſenſualitatis*, ſed omnium etiam ſcelerum, per *remiſſionem* propter Chriſtum: ergone omnia illa ſcelera, *peccata* non amplius ſunt? v. g. in Davide adulterium & homicidium? Tollatur 2. per *regenerationem*: ſed eatenus tantum, ut in fidelibus non *dominetur* Rom. VI. 12. Num propterea deſinit eſſe peccatum? C. Quod in renatis nil ſit damnabile, proinde nec *concupiſcentia* & *ſenſualitas* Rom. VIII. 1. Reſp. Non dicit Apoſtolus, nihil *damnabile* ſupereſſe in fidelibus; ſed *nullam condemnationem*, οὐδὲν κατάκριμα, ſcil. *actualem* ſupereſſe, quia omnis traducta eſt in Chriſtum. Non addam, quod ex hac hypotheſi, non tantum concupiſcentia & ſenſualitas, in renatis, non ſit futura peccatum; ſed etiam nullum omnino eorundem ſcelus, v. g. adulterium, homicidium in Davide &c.

Objectiones.

XXIX. Quæritur 9. An peccatum originale, quatenus quidem eſt in nobis, ſit peccatum leve ac veniale? Pelagiani & Sociniani nullum agnoſcunt. Semi-Pelagiani & imprimis Pontificii, agnoſcunt quidem eſſe peccatum, ſed *leve* tantum ac *veniale: extenſive* quidem, *majus* peccato actuali; ſed *intenſive* minus. Aquinas *Sum. part.* III. *Quæſt.* 2. *art.* IV. Imo diſputant, *minimum eſſe omnium peccatorum, & quovis veniali minus.* Andrad. *Orthod. Expl.* l. 3. Reformati ex adverſo, graviſſimum cenſent, idque per ſe: Quia 1. ſi primam fœderis operum *violationem* ſpectes, dudum cap. 1. hujus lib. §. XV. demonſtravimus, fuiſſe illam peccatum longe graviſſimum; id autem, per *imputationem*, omnium noſtrum peccatum eſt Rom. V. 12. Si verò 2. Originale *inhærens* cogites, eſt illud α. καθ' ὑπερβολὴν ἁμάρτωλος ἡ ἁμαρτία. *ſupra modum peccans illud peccatum* Rom. VII. 13. Eſt β. fons ac ſcaturigo omnis peccati: κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν, *operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Ibid. verſ. 8. Eſt γ. *peccatum illud*, ἡ ἁμαρτία, ſcil. ἐξόχως *omnis* peccati complexus, & quaſi *omne* peccatum. Eſt δ. peccatum quod *mortem* affert Rom. VII. 11. Eſt ε illud, de quo adeo querulantur ſancti: *miſer ego, quis me liberabit?* verſ. 24. *In peccato concepit me mater mea* Pſal. LI. 7. & Deus ipſe Gen. VI. 5. & VIII. 21. Nec eſt quod objiciant: A. Manducatio fructus alicujus prohibiti, eſt res levicula, nec conſtituere poteſt, niſi peccatum veniale. Reſp. Poteſt in *re* levi *grave* committi peccatum 2. Sam. VI. 6. 7 8. 1. Sam. VI. 14. Act. V. 2. 3. B. *Imputatum*, proprie non fuit *noſtrum.* Reſp. Fuit omnino noſtrum, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *in quo omnes peccarunt* Rom. V. 12. C. Parum habet voluntarii. Reſp. 1. Fuit perfecte voluntarium, *antecedenter* etiam, in *cauſa* in protoplaſtis. 2. Non habet etiam conſenſum voluntatis *antecedentem* à quo *exiſtat*; habet tamen *conſequentem*, per quem peccator delectatur ſibi *coexiſtente*, à quo ἀνομία eſt, à quo *maledictionem* meretur Gal. III. 13. ex Deut. XXI. 23.

9. An peccatum originale ſit peccatum leve & veniale? Sententia Pontificiorum, & Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones.

XXX. Quæritur 10. An peccatum originale mereatur tantum pœnam damni? Pelagiani & Sociniani, nullam pœnam ei addicunt, quia pro peccato non agnoſcunt. Pontificii, quia pro peccato levi & veniali putant, juxta parag. præcedentem, ut ſuum limbum infantium ſartum tectum habeant; exiſtimant illud non mereri niſi pœnam *damni*, quâ excluſi ſint à bono quidem; ſed nullum etiam ſentiant *tormentum* ſenſus. Reformati pœnam *ſenſus*, à pœnâ *damni* inſeparabilem exiſtimant, adeoque non tantum pœnam *damni* ei addicunt; ſed etiam pœnam *ſenſus.* Quia 1. *omne* peccatum, utpote repugnans *infinitæ* majeſtati

10. An peccatum originale mereatur tantum pœnam damni? Sententia Pontificiorum, & Reformatorum.

cum suis rationibus.

Dei legislatoris; *infinitam* demeretur pœnam, adeoque non tantum *damni*; sed & sensus Gal. III. 13. & Deut. XXI. 23. Quia 2. Deus Gen. II. 16. 17. ei dictet *omne mortis* genus, sicut Cap. præced. docuimus. idque nos *in Adamo* perpetrasse testetur Apostolus Rom. V. 12. Quia 3. ab eo, nos *natura filios iræ* pronunciet idem, *mortuos in peccatis* Eph. II. 1. 3. Quia 4. peccatum *hoc* simpliciter *gravissimum* esse, jam ante demonstraverimus. Quia 5. pœna *sensus* à pœna *damni* sit inseparabilis Matth. XXV. 41. 2. Thess. I. 8. 9. Quia 6. universus *infantium limbus* non sit nisi otiosum cerebri humani *figmentum*, nullis, seu Scripturis, seu rationibus demonstrabile, prout alibi pressius ostendemus. Suam autem sententiam, Pontificii frustra conficere conantur: 1. Ex mitiore infantium pœnâ, ob defectum peccati actualis; cum in pœna *sensus* gradus manifesti sint ex Luc. XII. 47. & omnis *peccati stipendium* dicatur *mors* Rom. VI. 23. imo & à peccato primo *mors* in omnes transierit Rom. V. 12. Tum 2. quod *vermem* conscientiæ Jes. LXVI. 24. qui ad pœnam *sensus* spectat, utpote ex solo peccato actuali oriundum, non sentiant, solo peccato originali obnoxii: Quid enim si *ignem ἄσβεστον* (qui additur ibidem, *ignis eorum non extinguetur*) sentiant; neque enim est quod obstet, quominus illum experiri possint: tum etiam est *conscientia*, non solius peccati *actualis*; sed etiam *originalis* Psal. LI. 7. Tandem 3. quod nemo propter *solam virtutum* privationem, & *pronitatem* ad vitia, soleat *positiva* & sensibili pœna affici; sed propter culpam *actualem* ita demum punitatur: Non soleat enim hoc fieri in foro *soli*; solet tamen in foro *poli*, propter solam *omissionem* Gal. III. 10. Luc. III. 47. Matth. XXV. 27. 30. 42. 43. Tum etiam non est in hoc peccato *sola* virtutum privatio, & qualiscunque *pronitas* ad vitia; sed universalis *totius naturæ* corruptio, à qua *omne figmentum cordis* humani, *tantummodò malum* dicitur, *ab ipsa pueritia* Gen. VIII. 21. à qua *filii iræ* pronunciamur, *mortui in peccatis* Eph. II. 1. 3. Et fac etiam, non esse nisi *privationem* virtutum, nobis ineste debitarum, & qualemcunque *pronitatem* ad vitia, vel hoc *solo* nomine, mortem & *maledictionem* demereretur æternam Gal. III. 10. Deut. XXVII. 23. 26. Rom. VI. 23.

Objectiones.

11. An & beata virgo subsit peccato originali? Sententia Pontificiorum, & Reformatorum.

XXXI. Quæritur 11. An & beata virgo subsit peccato originali? Pontificii, ut suæ Mario-θρησκίας consulant, communiter, exceptis solis Dominicanis; negant eam subesse peccato Originali. Reformati, peccatum illud adeo censent universale, ut ab eo non excludatur, nisi secundus Adamus Jesus Christus. Quia 1. Scriptura solo Christo excepto, ad *omnes* dicat *transire mortem*, *eo quod* in uno *omnes peccaverint*. Rom. V. 12. item Deum *omnia conclusisse sub peccatum* Rom. XI. 32. 1. Cor. XV. 22. Quia 2. ipsa Christum agnoscat & recipiat pro *Servatore* suo Luc. I. 47. Quia etiam 3. *actu* peccaverit, utpote juste à Christo reprehensa Joh. II. 4. Quia 4. & ipsa precata fuerit: *remitte nobis debita nostra* Matth. VI. 12. Quia 5. non aliter, quam per *Christum*, ejusque satisfactionem, servata sit, aut servari potuerit Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. 1. Tim. II. 4. Quia 6. & ipsa omnis generis *ærumnas*, imo & ipsam *mortem* subierit, quæ certè, ipsis adversariis fatentibus, non sunt nisi pœnæ peccati. Nec habent quod pro se causentur, nisi 1. calvas & jejunas aliquot *similitudines* & comparationes, v. g. Sicut *primus* Adamus, ex terrâ nondum maledicta conditus est; ita & *secundum*, ex Matre *non maledicta* nasci decuit: item, Sicuti *Eva*, utpote typus Mariæ, *absque* peccato nasci debuit, ita &c. eâdem enim facilitate illa *reprobantur*, qua producuntur, vel ex adversariorum *hypothesibus*, per quas Theologia *symbolica* non est argumentativa. Nisi 2. loca Cant. II. 13. 14. & IV. 1. 12. ubi *tota pulchra* dicatur Maria; sed hoc de *Ecclesia* dicitur, quam *dilexit*, & *semetipsum exposuit pro ea*, *ut eam sanctificaret*, *ut sisteret eam gloriosam*, *non habentem maculam aut rugam*, *aut tale quicquam* Eph. V. 25. 26. 27. Et si de *Maria* diceretur, non tamen efficeret, eam fuisse absque *peccato originali*, cum nec Ecclesia, absque *macula* & rugâ exstitura, expers sit peccati *originalis*. Et 3. quod Deus *potuerit* immunem conservare, à labe *originali* beatam Virginem, atque etiam *voluerit*, propter honorem ipsius Christi: Neque enim ex eo quod *potuit*, sequitur eum etiam *voluisse*: neque *voluisse* probatur, quod fecerit ad honorem *Christi*: faciebat enim, & magis, ad *honorem* Christi, quod omnium universalis, etiam Matris suæ esset Redemptor, agnoscente ipsa Virgine Luc. I. 47. & Petro Act. IV. 12. & ipso Servatore Joh. XIV. 6. Tandem 4. fabulosas *Brigittæ* revelationes, *γε* quidem non facimus.

cum suis rationibus.

Objectiones.

12. An omnes baptizati per Baptismum liberentur à peccato originali? Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

XXXII. Quæritur 12. An omnes baptizati per Baptismum liberentur à peccato originali? Augustinus olim, quod *absolutam* tueretur Baptismi *necessitatem*, affirmabat. Lutherani itidem, quod statuant, Baptismum, non quidem *causam* gratiæ remittentis & regenerantis; saltem *vehiculum* esse gratiæ omnis putent, affirmant. Pontificii, ut absolutam Baptismi necessitatem commodius tueantur, itidem affirmant. Reformati, ratione *electorum* baptizatorum omnium, admittunt quidem, eos liberari, vel *ante* Baptismum, vel *sub* Baptismo, vel *post* Baptismum, à *reatu*, atque etiam à *dominio*, non tantum peccati *originalis*; sed etiam omnium *actualium*: attamen, quoad *maculam* & rudera, peccatum eis supereste docent, quamdiu in *hujus* vitæ imperfectione degunt. Quia Scriptura docet, illud supereste: quando 1. etiam in regenitis, *carnem* semper

Collatio sententiarum affirmantium.

semper *militare adversus spiritum* docet Gal. v. 17. Quando 2. Paulus, etiam *post* sui regenerationem & conversionem, adeo *querulatur* de reliquiis peccati & carnis Rom. vii. 18. 19. 24. Quando 3. & qui *Christi sunt*, proinde vere regeniti & conversi, jubentur adhuc *crucifigere carnem & cupiditates* Gal. v. 24. Col. iii. 3. Eph. iv. 21. 22. *abnegare seipsos* Luc. ix. 23. Quando 4. indies jubemur orare *remissionem* peccatorum Matth. vi. 12. Psal. cxxx. 3. & cxliii. 2. Quando 5. *omnimoda*, vel regenitorum in hac vita *perfectio*, passim in Scripturis refellitur Phil. iii. 13. 1. Reg. v. iii. 46. Eccl. vii. 20. Jac. iii. 2. &c. de quo, suo loco ex professo plura. Quando 6. ipsam *concupiscentiam* in terminis, peccati arguit Exod. xx. 17. Rom. vii. 7. Quæ autem 1. ex adverso, pro *perfectione omnimoda*, ex Scripturis urgere solent, non notant ex *stylo* Scripturæ, nisi sinceritatem, quâ ad *omnimodam* perfectionem seriò enitimur, licet nunquam *assequi* valeamus, teste Apostolo Phil. iii. 12. 13. 15. Quæ 2. peculiariter de *Baptismo* causantur, quod peccata *abluat* Act. ii. 38. quod sit Sacramentum *regenerationis* & renovationis Spiritus S. Tit. iii. 5. non arguunt, nisi peccatum *quodvis*, tam *actuale*, quam *originale*, in fidelibus eorumque liberis, propter sanguinem Christi ablatum obsignari, quod *reatum* ac *dominium* Rom. vi. 6. 7. ii. 12. non autem quoad *totalem* peccati *absentiam*, vel quoad *rudera* sua Rom. vii. 21.

Objectiones.

13. An peccatum originale inhærens, ipsa sit hominis substantia? Sententia affirmans, & negans, cum suis rationibus.

XXXIII. Quæritur 13. An peccatum originale *inhærens*, ipsa sit hominis substantia? Flacius Illyricus, cum suis fervore disputationis abreptus, prout justitiam originalem existimat, ipsam esse hominis substantiam: ita etiam labem originalem statuit esse ipsius hominis corrupti *essentiam*. Reformati ex adverso, credunt eam esse quasi accidens, universæ substantiæ intimè inhærens, eo quod sententiâ adversariâ, 1. Deus necessario esset *auctor* peccati, cum proculdubio, auctor sit omnis *substantiæ* Rom. xi. 36. tum 2. Christus *peccatum* assumpsisset. dum *naturam* assumpsit nostram Heb. ii. 15. 16. Porro 3. in generatione, conversione, sanctificatione, dum *peccatum* destruitur, ipsa destrueretur hominis *natura* & substantia; quando ex adverso, natura *sanatur* & restauratur. Insuper 4. hoc pacto *peccatum* olim resurgeret, & æternam *vitam* possideret: cum resurrectura sit, & vitam istam possessura *natura* & substantia nostra Job. xix. 26. 27. 1. Cor. xv. 53. 54. Adhæc 5. ex hac sententia, anima nostra quoad suam substantiam corruptibilis, adeoque *mortalis* foret; cum *peccatum* in fidelibus, in dies corrumpatur 1. Cor. v. 5. Rom. vii. 13. Tandem 6. damnatus olim in Manichæis error, ex hac sententia, restituendus foret. Rationes, quibus pro se militat Flacius, nullius sunt momenti: 1. enim *figmentum cordis malum* à *pueritia* Gen. viii. 21. manifeste distinguitur ab ipso *corde*. 2. Quotiescunque peccatum *caro*, *corpus peccati*, *membra terrena*, *vetus homo*, appellatur, non *proprie*; sed *metonymia* subjecti pro adjuncto, appellatur, scil. per *corpus* peccati, vitiorum massa & congeries: per *veterem* hominem, causa & regula prioris vitæ intelligitur. Et quod 3. *peccatum inhabitans operari*, *seducere* & *occidere* dicitur Rom. vii. eo modo intelligendum est, quo & *lex dicitur operari iram* Rom. iv. 15. & *gratia Dei*, cum Paulo *laborasse* dicitur 1. Cor. xv. 10. Et 4. imago Dei, quatenus in *justitia originali* consistit (cui peccatum *originale* opponitur) nequaquam ipsa est hominis substantia. Et 5. quod *cor mundum* sibi *creari* petit David Psal. li. 12. & se hoc *daturum* Deus promittit Ezech. xxxvi. 26. 27. non arguit, ante regenerationem, corruptionem fuisse ipsam cordis *substantiam*; sed *corruptionem* fuisse in substantiâ. Et 6. quod *filii iræ* dicamur *naturâ* Eph. ii. 3. non aliud vult, quam naturam nostram, ab ipsa nostri nativitate, *corruptionem* contraxisse, non autem ipsam corruptionem *factam* esse.

14. An corruptio originalis propagetur per imitationem? Sententia affirmativa, & negativa cum suis rationibus.

XXXIV. Quæritur 14. An corruptio originalis propagetur per *imitationem*? Judæi dicunt, peccatum protoplastorum posteritati non nocere, nisi per exemplum. Pelagiani, Sociniani, Anabaptistæ, ut vires liberi arbitrii ad bonum quodvis, etiam salvificum, à peccato protoplastorum intactas & illæsas habeant, omne quidem peccatum originale negant, interim si quæ sit propagatio peccati, quam experientia videtur clamare, eam *imitatione* fieri statuunt. Reformati, quamvis non abnuant, peccatum aliquod *actuale* sæpius propagari exemplo; corruptionem tamen *originalem*, seu totalem naturæ nostræ corruptionem fieri per *imitationem*, negant. Quia 1. eam propagari, *imputatione* peccati primi, propter illud *privatione* justitiæ originalis, & *generatione naturali*, jam ante demonstravimus. §. xviii. & xix. Quia 2. propagatur etiam in hos qui non peccarunt ad *similitudinem* (h. e. ad *imitationem*) Adami Rom. v. 14. Quia 3. dicimur in peccatis concipi ac nasci Psal. li. 7. Quia 4. propagatur etiam in *infantes* 1. Cor. vii. 14. Gen. viii. 21. qui non sunt capaces ullius *imitationis*. Quia 5. Protoplastis primum peccantibus, posterorum nullus adfuit, proinde illud imitari non potuit. Quia 6. peccatum nullum per *imitationem*, in *omnes* & singulos homines propagari potest, quemadmodum originale propagatur ex sententiâ Apostoli Rom. v. 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Quia 7. concipi nullâ ratione potest, quod *universalis* totius humanæ *naturæ* corruptio, quâ inepti simus ad *omne* bonum spirituale, & proclives ad *omne* malum, id quod de peccato originali, dudum demon-

Objectiones. monſtravimus, propagetur per *imitationem*. Si dicant in contrarium A. quod *corruptio*, quippe privatio, propagari alio modo non poſſit, quam per *imitationem*, quatenus neque per *corpus* poteſt, utpote brutum, neque per *animam*, quod ea non propagetur; ſed per ſolam *creationem* cuique coexiſtat. Reſp. Valeret objectio, ſi ſtatueremus eandem *numero* corruptionem propagari, utpote quæ neceſſario ſubjectum aliquod exigeret, in quo tranſiret à parentibus in ſobolem: quando jam, eandem tantum *ſpecie* propagari dicimus, quæ nullum exigit ſubjectum; non magis quam ea, quæ fit per adverſariorum *imitationem*. B. commemorantur infantes *innocentes* Pſal. CVI. 38. Jon. IV. 11. item *ſancti* 1. Cor. VII. 14. ob hoc procul dubio, quia non poſſunt imitari. Reſp. *Innocentes*, non quod immunes ſint ab *omni* noxâ; ſed quod immunes ſint à noxâ *actuali*. Et *ſancti*, ſanctitate *fœderali*, quâ olim *univerſus* populus, in quo plurimi profani erant, plurimi hypocritæ, ſanctus appellabatur: eadem ſanctitate *liberi fidelium*, utpote partes parentum, eiſdem cum parentibus privilegiis eccleſiaſticis gaudent, non autem quod immunes ſint à noxâ originali. C. Peccatum non eſſet voluntarium, adeoque nec peccatum, ſi non propagaretur per liberam imitationem. Reſp. Eſt nihilominus voluntarium *concomitanter*, quatenus corruptio cum delectatione adeſt. D. Lex non prohibet *naſci* corruptum. Reſp. Prohibet tamen *eſſe* corruptum.

15. An corruptio originalis propagetur per traducem ſeminalem? Sententiarum divortia. XXXV. Quæritur 15. An corruptio originalis propagetur per traducem ſeminalem? Sunt qui putent, propagari per *corpus ſolum*, quatenus mores animi ſequantur temperamentum corporis. Ex adverſo alii, propagari volunt, per ſolam *animam*, quæ propagetur, ſicut lumen à lumine accenditur, ita ut cum eâ corruptio à parentibus transeat in liberos. Auguſtinus olim, & complures è Patribus, Lutherani item plerique, atque inſuper nonnulli è Reformatis, quod aliter progationem corruptionis originalis concipere non poſſint; ſtatuunt propagationem fieri per traducem ſeminalem, quo totus homo propagetur, adeoque corpus pariter & anima. Iſtorum omnium primum falſum in hoc eſt, quod cogitent, eandem *numero* corruptionem propagari; dum non niſi eadem *ſpecie* propagatur. Socinus item Prælect. IV. agnoſcit, fieri poſſe, ut parentes, continuo exercitio peccatorum, talem contrahant naturæ vitioſitatem, quæ cum ſemine tranſeat in ſobolem. Reformati non abnuunt, fieri poſſe, ut propter peccatum protoplaſtorum, per traducem ſeminalem tale transeat temperamentum *phyſice* vitioſum, à quo, ſuo tempore, homo occaſionem poſſit accipere, ad proclivitatem verſus peccatum hoc aut illud actuale: etiam agnoſcunt, ad propagationem corruptionis originalis neceſſario requiri *generationem naturalem*, per quam homo propagatur, ſine quo non poteſt propagari corruptio: ſed ipſam corruptionem cum ſemine traduci in liberos, abſolute negant. Quia 1. jam ante demonſtravimus, corruptionem propagari, per *imputationem* peccati primi, hinc per *negationem* juſtitiæ originalis, & per *generationem* naturalem. §. XIX. Quia 2. propagationem animæ rationalis per traducem, jam ante refutavimus lib. III. cap. IX. §. X. & XVIII. Quia 3. per traducem ſeminalem, *proprie* non propagatur niſi *corpus*, quod anima adhucdum deſtitutum, boni aut mali moralis non eſt capax. Quia 4. anima, unicum ſubjectum δεικτικὸν malitiæ *moralis*, non tranſit de ſubjecto in ſubjectum, ut ſimul cum eâ, tranſire poſſit corruptio. Quia 5. propagatio corruptionis per traducem, non tollit difficultatem, cui in remedium tradux excogitatus videtur: quatenus non explicat, quomodo protoplaſtos invaſerit corruptio. His poſitis & demonſtratis, non video, quid ullâ cum ſpecie dici poſſit, pro corruptionis originalis propagatione per traducem ſeminalem. Si enim dicant A. percipi & explicari non poſſe, quâ ratione corruptio, quæ non eſt ſubſtantia, per ſe tranſeat in poſteritatem: fatebor lubenter hoc percipi & explicari non poſſe, ſi intelligatur eadem *numero* corruptio; ſed percipi & explicari ſufficienter poſſe, ſi intelligatur eadem *ſpecie* tantum corruptio. Et ſi Socinus etiam 2. cauſetur per continuum aliquod exercitium alicujus vitii, proclivitatem contrahi poſſe ad iſtud vitium: intelligi tamen non poteſt, quâ ratione iſtud vitium ſedeat in *ſemine ἀζώῳ καὶ ἀλόγῳ*, ut ejus ope vitium *morale* tranſeat in poſteritatem. Et ſi hoc etiam perciperem, non tamen percipere poſſum, quâ ratione vitium univerſale, ſeu corruptio totius *naturæ*, ſeu proclivitas ad *omne* vitium, tranſeat per ſemen: nec etiam percipere poſſum, quâ ratione tranſeat in *omnem* retro poſteritatem, quæ tamen de corruptione originali, dudum à nobis demonſtrata ſunt. Objectiones.

Senten. tia Reformatorum cum ſuis rationibus.

Pars Practica.

Admonemur: XXXVI. Praxin peccati in genere, in caput ſuccedens ſeponemus; originalis *imputati* praxin, cap. præcedenti diximus, inde repetendam. *Inhærentis* praxis exigit *primo*, ut ſe *cognoſcamus*, non *theoretice* tantum ejus naturam, quam in *dogmaticis* deſignavimus; ſed *practice* ejus *indolem*, adeo peſtilentem & exitioſam. Eſt enim malum: 1. *Univerſale*, quatenus præſtat, non tantum *defectum* omnis omnino *juſtitiæ* & ſanctitatis, olim nobis concreatæ; ſed etiam *præſentiam* peſſimæ *diſpoſitionis* ac propenſionis, ad quodvis *malum*, quam tot nominibus, quæ jam ante deſignavimus, *carnis*, *ſapientia carnalis* Rom. VIII. 6. 7. *corporis peccati*, 1. Cognoſcere pravitatem labis originalis, quâ malum eſt: Univerſale.

peccati, *membrorum terrenorum* Col. III. 5. *legis membrorum* Rom. VII. 23. *operis diaboli* 1. Joh. III. 8. *cupiditatis diaboli* Joh. VIII. 44. imo *inferni*, qui totam naturam, velut in *flammam redigit* Jac. III. 6. Scriptura nobis qualitercunque repræſentare allaborat: Nec abſque ratione; eſt enim labes & tabes hæc univerſalis, & communis (1) omnibus *temporibus*, *ab Adamo uſque ad Moſen* Rom. V. 14. imò in *omnes homines tranſit.* verſ. 12. (2) Omnibus omnium *facultatibus*, *intellectui* enim præſtat φρόνημα σαρκὸς, *cæcitatem*, tenebras, errores: *voluntati* ſeu cordi, *pravum* quodvis *figmentum*; averſionem à bono quovis, & propenſionem ad malum: rebellionem & ἀταξίαν: *conſcientiæ* impuritatem & ἀναισθησίαν: *memoriæ* labilitatem: facultatibus *ſenſitivis* earumque cupiditatibus, rabiem: uſque adeo, ut à vertice ad plantas, in nobis ſit μηδὲν ὑγιὲς Jeſ. I. 5. 6. Pſal. XXXVIII. 4. 5. Eſt 2. malum ἐυπερίστατον Heb. XII. 1. *inſeparabile*, ſicut atror Æthiopi Jer. XIII. 13. ab ipſis etiam, quantumcunque regenitis, converſis & ſanctificatis Rom. VII. 14. 15. 17. 18. 19. 21. Quamvis enim in ipſis ſit *condonatum* & mortificatum; non tamen penitus *abactum* & mortuum. Eſt 3. malum *contagioſum*, utpote non tantum *in ſe* peſſimum; ſed etiam omnia *bona* noſtra *inficiens*, ut per illud ipſa noſtra *juſtitia*, & *univerſa* etiam, in ſe, & coram Deo, non ſit niſi *panniculus menſtruatus* Jeſ. LXIV. 6. quod omnes conatus noſtros *debilitat*, per quod, non tantum *bonum quod volumus*, *non facimus*; & contra *malum quod non volumus*, *facimus* Rom. VII. 18. 19. ſed etiam omnia noſtra bona ſic deprimit & inquinat, ut per ſe, abſque Chriſti ſupplemento & correctorio, Deo non *placere*, imo non niſi *diſplicere* poſſint Joh. III. 6. Rom. VIII. 7. 8. Eſt 4. malum perquam *fœcundum*, quod omne malum *producit*: quamdiu enim *in carne* ſumus, *paſſiones peccatorum in nobis efficaces ſunt*, εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ Rom. VII. 5. quæ κατεργάζονται ἐν ἡμῖν, πᾶσαν ἐπιθυμίαν verſ. 8. *ſeducunt nos* verſ. 11. *venundant nos peccato* verſ. 14. *captivos nos ducunt ſub peccato*, verſ. 23. ut ſit ἁμάρτολος ἁμαρτία, *peccans peccatum* verſ. 13. nec mala tantum *turpia* quævis, ſed *triſtia* quoque, εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ, nos *enecant* verſ. 11. κατεργάζεται θάνατον verſ. 5. *inimicitiam* cum Deo Rom. VIII. 7. ut ſimus *filii iræ*, *mortui in peccatis* Eph. II. 1. 3. eo *alienamur* à Deo, à gratiâ, à gloria, uſque adeo, ut ſimus *abſque Deo*, abſque *Chriſto*, abſque *ſpe in mundo* Eph. II. 12. 13. & penitus excluſi à participio *regni* Dei Joh. III. 5.

Ἐυπερίστατον. Contagioſum, Fœcundum.

XXXVII. Hinc *ſecundò*, praxis exigit, ut ſuper hoc peccato nos profundè *humiliemus* coram Deo, exemplo Davidis Pſal. LI. 5. & Pauli Rom. VII. 14. 17. 18. 23. Quorſum etiam ſuis Corinthiis illud in *memoriam* revocat 1. Cor. VI. 9. 10. 11. prout jam ante Judæis, Jeſaias Cap. XLVIII. 8. Huc enim, procul dubio, *palum* iſtum ſuperſtitem Deus eſſe vult in *carne noſtrâ*, ne nos *exaltemus* 2. Cor. XII. 7. Conf. Joſ. XXIII. 13. & Apoc. III. 17. ſigillatim nos humiliando, hujus peccati *turpitudinem* & *pernicioſitatem* 1. profunde *ſentiamus*, ut ab eo exclamemus: *Miſer ego, quis me liberabit ab hoc corpore mortis?* Rom. VII. 24. utpote quod non tantum omne peccatum *operatur*, ſed etiam *includit*, ac *virtualiter* omne peccatum *eſt*. 2. In deprecationibus noſtris, humillimè illud *confiteamur* & deprecemur Pſal. LI. 7. *Ecce in iniquitate natus ſum*, *in peccatis concepit me Mater mea.* 3. Nos ipſos propter illud *condemnemus*, quod ipſum ſolum *omnis* peccati in nobis auctor exiſtat: *nemo* enim, *quum tentatur*, *dicat ſe à Deo tentari*; *ſed unuſquiſque tentatur*, *cum à propria cupiditate abſtrahitur & inescatur* Jac. I. 13. 14. Abſque corruptione enim *naturali*, fruſtra Satanas tentaret, mundus alliceret ac ſeduceret, ut patet in Servatore Matth. IV. quando jam, *quæ carni & cogitationibus placent*, *facimus*, *natura filii iræ* Eph. II. 3. proinde, non Satanæ *ſoli* tribuamus, & peccata & exitium noſtrum non mundo ſeducenti; ſed ἐνοικήσῃ ἐν ἡμῖν ἁμαρτία Rom. VII. 20. Proinde 4. ubique nos præſtemus ταπεινοφρόνες: *Miſer ego* Rom. VII. 25. *Ecce in iniquitate natus ſum* Pſal. LI. 7. Quotieſcunque alios conſpicimus, turpiſſimis quibuſvis ſceleribus obnoxios *nos ipſos* cogitemus, quorum imaginem ipſi præſtent Gen. V. 3. ut qui etiam quondam *fuerimus* tales Tit. III. 2. 3. Eph. II. 2. 3. 13. Col. III. 7. imo & ſimus adhucdum *potentia*, utpote in quorum *carne nihil boni habitet* Rom. VII. 18. qui *radicem* omnium iſtorum ſcelerum circumferamus, atque etiam cum ſceleratiſſimis *excluderemur*; niſi purâ putâ gratiâ cohiberet Gen. XX. 6. Imo 5. vel in *præſtantiſſimis* noſtris operationibus, caveamus nobis à *ſuperbia* phariſaica Luc. XVIII. 12. quod *omnis juſtitia* noſtra non ſit niſi *panniculus menſtruatus* Jeſ. LXIV. 6. à quâ ſumus *ſervi inutiles* Luc. XVII. 10. *quorum optima*, remiſſione digna contineant Neh. XIII. 22.

2. Profundè ſuper eo humiliari.

Quomodo.

XXXVIII. Porro *tertiò*, exigit hujus peccati praxis, totis viribus contendamus, ut ab hoc malo *liberemur*: exemplo Pauli, Rom. VII. 24. *Quis me liberabit ab hoc corpore mortis?* Quamvis enim, ut dudum monuimus, ab ejus *præſentia*, dum hic ſumus, liberari penitus non poſſimus, eſt enim ἁμαρτία ἐνοικοῦσα Rom. VII. 20. κακὸν παράκειμενον verſ. 21. poſſumus tamen ab eo liberari, tum quoad *reatum* condemnationis Rom. VIII. 1. 2. tum quoad *dominium* Rom. VI. 12. Fit autem liberatio iſta, auctore *Deo*, per Chriſtum: *gratia ſit Deo*, *qui nobis victoriam largitur per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, per juſtitiam Chriſti Rom. V. 17. 18. 19. & per *Spiritum vitæ*

3. In liberationem contendere.

Ejus cauſæ.

vitæ in Christo Jesu Rom. VIII. 2. Singulatim A. ope *justificationis* Psal. LI. 9. 1. Joh. 17. Eph. v. 26. B. *Regenerationis* Joh. III. 3. 5. Tit. III. 5. C. *Conversionis* seu vivificationis, quatenus *natura mortuos in peccatis* ipse *vivificat*, *ac suscitat* Eph. II. 1. 3. 5. D. *Sanctificationis* 1. Cor. VI. 11. *Abluti estis*, *sanctificati estis*, *justificati estis*, *per nomen Domini Jesu*, *& per spiritum Dei nostri*: quatenus eâ, *corruptio* originalis paulatim tollitur. & *puritas* imaginis divinæ nobis restituitur Eph. IV. 22. 23. 24. Noſtrum igitur est, quo his omnibus, liberemur à labe originali, ut A. verâ ac vivâ *fide* cum Christo uniamur, eoque *vires* inde nobis attrahamus, quibus *carnem* crucifigamus cum cupiditatibus suis Gal. II. 20. & v. 24. quo impositerum, non amplius *serviamus* peccato; sed *cum eo una planta fiamus*, *assimilatione mortis ipsius* Rom. VI. 5. Ut B. humillimis & calidissimis *precibus*. nos ad Christum recipiamus, ut qui (a) ad hoc in mundum venit, ut *opera diaboli destrueret* 1. Joh. III. 8. qui (b) *morbis* istis *animæ* nostræ perinde potest succurrere, ac morbis *corporis* Matth. IX. 27. 28. utpote qui *plenus est gratia & veritate* Joh. 1. 14. qui verbulo potuit curare *lepram* Luc. XVII. 14. *lunaticam* passionem, à Diabolo *obsessos*, & quovis morbo correptos Matth. IV. 23. 24. *cæcum à nativitate* Joh. IX. 32. Qui (c) *vult* etiam succurrere, utpote misericors Mich. VII. 19.

Media.

4. Corruptioni nativæ obniti. Modus.

XXXIX. Interim etiam *quarto*, exigit praxis, nativæ nostræ corruptioni fideliter *obnitamur*, (1) *abnegando* nosmetipsos Luc. IX. 23. hoc est, *impietatem & cupiditates mundanas* Tit. II. 12. *Oculum dextrum* (h. e. *corruptionem* in oculo) *si quando nos offendat*, *eruamus*, *abjiciamus*; *dextram*, si idem faciat, *excindamus & abjiciamus* Matth. v. 29. 30. perinde scil. ac si *nostra* non essent. (2) *Crucifigiendo carnem cum affectibus & cupiditatibus suis* Gal. v. 24. hoc est, eam subigendo indies magis magisque 1. Cor. IX. 27. quo tandem cum Apostolo dicamus, *συνεσταύρωμαι τῷ Χριστῷ* Gal. II. 20. item *per quem mihi mundus crucifixus est*, *& ego mundo* Gal. VI. 14. seu, ut magis propriè loquamur, nos magis magisque *purgando*, *ab omni inquinamento carnis & spiritus* 2. Cor. VII. 1. (3) *Mortificando* Col. III. 5. Rom. VIII. 13. h. e. non desistendo; sed *ad sanguinem usque resistendo*, *decertantes adversus peccatum* Heb. XII. 4. Quod fit (a) cautè *observando* motus peccati primo-primos Heb. III. 12. ut basiliscum in ovo supprimamus Jes. LIX. 5. Tum (b) implacabili *odio* prosequendo Rom. VII. 15. Jer. XXXI. 19. Luc. XVIII. 13. Hinc (c) seriò *dolendo* corruptionem cordis nostri Rom. VII. 18. 2. Cor. VII. 10. (d) cautè *declinando* quasvis *occasiones*, quibus provocetur & irritetur corrupta *caro*, & peccatum *ὑπερίστατον* Heb. XII. 1. usque ad omnem mali *speciem* 1. Thess. v. 22. Jud. vers. 23. (4) Fortiter *pugnando* adversus carnis nostræ cupiditates Gal. v. 17. Heb. XII. 4. arripiendo universam *panopliam* Dei Eph. VI. 12. -- (5) Constanter *advigilando*, quibusvis exercitiis *cultus religiosi*, seu *ambulando in spiritu*, ita enim *cupiditates carnis non implebimus* Gal. v. 16. Singulatim A. legendis & audiendis *Scripturis* Joh. XV. 3. Psal. CXIX. 9. B. Fundendis *precibus* 2. Cor. XII. 8. Conf. Psal. LVI. 9. exemplo Ecclesiæ Judaicæ Jes. LXIV. 6. 7. C. Sæpe ac seriò nobis ad animum revocando *baptismum* nostrum Rom. VI. 3. 4. 5. ut qui *lavacrum est regenerationis ac renovationis Spiritus S.* Tit. III. 5.

Adminiculæ.

5. Mirari & celebrare gratiam.

XL. Etiam *quinto*, agnitio turpitudinis & reatus ineffabilis, per quæ *nil sani* in nobis à *vertice ad talos* Jes. I. 6. per quam *virtualiter*, *omne* peccatum gestamus in præcordiis, imò quasi peccatum *sumus*, adeoque naturâ *iræ filii*, Deoque *abominationi* Jes. I. 15. consideratio inquam istorum omnium nos provocat ad *gratitudinem*, & admirationem gratiæ cujusvis, nobis præstitæ, ut cum Paulo exclamemus Rom. VII. 24. *Miser ego*, *quis me liberabit? gratias ago per Jesum Christum dominum nostrum*, & cum Jacobo Gen. XXXII. 10. *Minor sum cunctis misericordiis & omni veritate*, *quam feciſti servo tuo.* Item cum Davide 2. Sam. IX. 8. *Quid est servus tuus*, *quod respexisti ad canem mortuum?* Nec non cum B. Virgine Luc. 1, 47. 48. Obstupescamus, inquam, singulatim, quod 1. cum *tales* simus *omnes* & singuli, compendium aliquod nequitiæ & turpitudinis, Deus *possit*, & abundanti gratia *velit*, illam vel *restringere*, ut non erumpat in *actum*, in *exitium* omnis societatis humanæ: *cum in aliis* quibusvis, quando *omnium* communis conditio est, quam Apostolus repræsentat Rom. III. 14. 15. 16. 17. 18. *Os eorum diris & amarulentia plenum est*, *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; *contritio & calamitas est in viis eorum*, *viam pacis non cognoverunt*, *non est timor Dei coram oculis eorum*; & tamen hæc omnia in nervum, usque adeo non erumpunt, ut etiam possimus invicem cohabitare in pace; miremur, inquam, hic gratiam Dei *refrænantem*, cohibentem. Conf. Psal. X. 1. cum vers. 12. 16. per quam adhuc securi vivimus, vel ad horam Psal CXXI. 5. tum in *nobis ipsis*, quorum tantum *malitiam* (qua (1) *semina omnium* omnino scelerum, omnes in nobis habemus, & propensionem ad ea; quâ (2) *inclinationem* sentimus, ad perpetrationem *turpissimorum* scelerum, in quæ alios vidimus actu præcipites factos, adeo potenter cohibeat. Obstupescamus 2. & magis etiam, quod nos tales, *natura filios iræ*, *mortuos in peccatis* Eph. II. 1. 3. *in felle amaritudinis*, *& nexu iniquitatis*, cum Simone Mago, constitutos Act. VIII. 23. Deus *convertere* potuerit

Refræ-nan em alios.

Refræ-nantem nosmet-ipsos.

Gratiam conver-tentem.

rit & voluerit. Scil. *Deus qui dives eſt miſericordia, propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos, etiam cum per offenſas mortui eſſemus, unà vivificaverit in Chriſto----- ut oſtenderet ſeculis ſuccedentibus, ſummas opes gratiæ ſuæ, per benignitatem in Chriſto Jeſu* Eph. II. 4. 5. 7. Quod nominatim (a) nos *tales quæſiverit*, oves perditas Luc. XV. 4. Conf. Apoc. III. 9. (b) nobis *talibus reconciliari* voluerit 2. Cor. V. 20. Ezech. XVI. 6. 8. Col. I. 21. Jeſ. LXV. 1. (2) nobis & cordibus noſtris *talibus*, talia & tam præclara *chariſmata* conferre voluerit in *converſione* 1. Cor. VI. 9. 10. cum verſ. 11. 1. Tim. I. 13. 14. 16. Obſtupeſcamus 3. vel maximè, quod, cum *tales* ſimus naturâ, tam debiles & infirmi, tam proclives ad apoſtaſiam, ut vel per *horam* non poſſimus perſiſtere in gratiâ converſionis, nedum conſtanter in eâ uſque ad finem perdurare 1. Cor. XV. 1. Rom. V. 2. Col. IV. 12. quod item, non obſtante, quod *exemplis* peſſimis undique alliciamur, à *Satanâ* ad apoſtaſiam ſolicitemur, *à nativâ* corruptione ad eam ſponte propendeamus: Deus nihilominus tam potenter nos conſervet ad ſalutem 1. Pet. I. 5. Itaque in *omnibus* iſtis, potentiam, & bonitatem divinam agnoſcamus, celebremus, & omni gratitudinis ſpecie referamus.

Gratiam conſervantem.

6. Monemur ad vigilantiam & timorem.

XLI. Interea *ſexto, monemur* quoque, à corruptione ſemper & ubique, etiam poſt regenerationem εὐπερισάτῳ, nobis advigilemus, ut, qui jam *ſtamus*, mox non *cadamus* 1. Cor. X. 12. Rom. XI. 20. *nobis* noſtriſque *viribus*, ſapientiæ, fortitudini aliiſque donis, cumprimis in negotio ſalutis, hilum non tribuamus; contra *ſalutem* noſtram *conficiamus*, *cum timore & tremore* Phil. II. 12. *vigilemus & oremus*, ne in *tentationem* adducamur, quod *ſpiritus quidem promptus ſit, ſed caro infirma* Matth. XXVI. 41. Frequenter & devotè intenti in *exempla* eorum, qui hoc conatu, & hac temeritate, in peſſima crimina adducti ſunt v. g. Petri Matth. XXVI. 33. 35. 70. 72. aliorumque ſanctiſſimorum, ex hac fiduciâ, turpiſſimos caſus paſſorum: memores ergo ſimus, nos *proditorem*, & inimicum infenſiſſimum, in ſinu circumferre, qui hoc nunquam non agit ut ſupplantet, *oculis noſtris* non *confidamus*, *fœdus* cum iis percutiamus, exemplo Jobi Cap. XXXI. 1. *os* noſtrum *freno* compeſcamus, cum Davide Pſ. XXXIX. 1. avertamus *aures* ab illecebris, fugiamus ab illis Gen. XXXIX. 10. 11. non feramus impium *ſeducentem* in domo, imò nec in conſpectu noſtro Pſal. CI. 3. 4. 7. Verbo dicam, *cuſtodiamus cor, ſupra quodvis cuſtodiendum*, ponderemus *ſemitam pedum* noſtrorum, ut omnes viæ noſtræ dirigantur, ne declinemus, ſeu dextram verſus, ſeu ſiniſtram Prov. IV. 23. 24. 26. 27.

7. Ad reformationem liberorum.

XLII. Tandem *ſeptimo*, cum & ad *infantes* transeat lues hæc originalis, nec abſque generatione *parentum*; parentibus id *omni opera* agendum, ut & gratia in eos propagetur, quâ *ſemen Dei* fiant Mal. II. 15. & *lues* illa, quantum in ſe eſt, corrigatur Deut. XXX. 2. 3. Gen. XVIII. 19. Eph. VI. 4. Hac enim ratione 1. efficaciſſimè demonſtrabunt, ſuum in eos affectum, ſuam commiſerationem. Conf. Jeſ. XLIX. 15. Pſal. CIII. 13. & ſe non eſſe ἀστόργους Rom. I. 31. & quo magis poſſint eſſe *tales*, quam ſi curam contagionis hujus, *à ſe* acceptæ, negligant? 2. Sibi ipſis *gaudium* creabunt Luc. XV. 23. 24. Prov. X. 1. & XXIII. 24. 25. & XV. 20. Heb. XI. 23. quando alias cordolium ipſis liberi facient Gen. XXVI. 34. 35. & XXVII. 46. Et 3. *gloriam quoque* apud Deum ſibi parabunt, ex reformatione, tum ſobolis, tum familiæ Gen. XVIII. 19. Joſ. XXIV. 15. Luc. XIX. 9. Joh. IV. 53. Act. X. 2. & XVI. 15. 33. 34. & XVIII. 8. Addam 4. quod liberi, non *parentum* tantum; ſed & *Dei* peculium ſint Ezech. XVI. 21. Mal. II. 15. Et quod 5. ab hac ſobolis ac familiæ reformatione, præcipua pendeat Eccleſiæ fortuna. Conf. Joſ. XXIV. 15. 16. Deut. IV. 9. Agent iſtud negotium parentes in liberos (a) Eos tempeſtivè *caſtigando*, corrigendo Prov. XXIX. 17. ſi peccaverint. (b) Eos *erudiendo* in rebus quæ ad pietatem ſpectant Prov. IV. 3. 4. & XXXI. 1. & XXII. 6. 2. Tim. I. 5. & III. 15. (c) Eos à teneris *aſſuëfaciendo*, exercitiis Religionis & pietatis, lectioni & auditioni verbi divini, precibus Eph. VI. 4. Luc. II. 40. 41. (d) Ipſis *prælucendo* ſanctis exemplis, ut liberi videant in parentibus, quod ſibi agendum incumbit Joſ. XXIV. 15. Pſal. CI. 2. Quam enim ſint efficacia ad *reformationem*, ſancta exempla, multis commendationibus patet Tit. II. 7. 1. Pet. III. 1. 2. Reg. XIV. 3. & XV. 3. 34. prout è contrario, ad *impietatem*, prava exempla 2. Reg. XV. 9. (e) Eos calidiſſimis *precibus* Deo *devovendo*, unde Salomo *filius voti ſui*, Bathſebæ dicitur Prov. XXXI. 2. pro iis apud Deum indies *intercedendo* Joh. I. 5. ſibi ſapientiam à Deo *expetendo*, quâ liberos in timore Dei educent Jud. XIII. 8. & ut ipſe illos velit liberare à laqueis Satanæ Matth. XV. 22.

Quare?

Quibus mediis?

CAPUT TERTIUM.

De Peccato Actuali.

Jac. 1. 13. 14. 15.

Nemo quum tentatur, dicat, à Deo tentor, nam Deus malis tentari non potest, nec quemquam tentat; sed unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur; deinde cupiditas postquam concepit, parit peccatum, peccatum vero peractum gignit mortem.

Actualis peccati theoria superstruitur exegesi textus.

I. Fœdifragii primi consequens peccatum *primum*, scil. originale utrumque, *imputatum* & *inhærens*, exantlavimus: ad *secundum* igitur, puta *actuale*, jam rectà nobis descendendum erit; cujus cogitationem superstruemus verbis Jac. 1. 13. 14. 15.

Pars exegetica.

II. *Quibus* genitura peccati actualis *exactissime delineatur, per duas partes: nim. ejus.*

1. Gignens, *seu causam procreantem, penes quem Apostolus noster occupatur, cum* ἀνασκευαστικῶς, *refutando perversam sententiam, de Deo genitore, & peccati, & mortis. Proinde hic occurrit.*

A. Refutatio *perversæ sententiæ*, de Deo *genitore seu causa peccati & mortis*: Nemo quum tantatur, dicat, à Deo tentor: Deus enim &c. *Est hic*

1. Refutatus, μηδεὶς πειραζόμενος, nemo tentatus. *Refellit ergo* tentatum, & omnem *tentatum*, nemo. *Tentatum, vel qui tentatur ab* hostibus, *externis* persecutionibus, *propter professionem Religionis, ut propter istas persecutiones, nomen Christi deserat. De his enim tentationibus locutus fuerat* vers. 2. 3. 4. ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις, cum in tentationes incideritis varias: *vel à proprio* corde, *occasione persecutionum istarum, ut vacillet, aut etiam deficiat à professione veritatis Christianæ.* Πειράζω, à πεῖρω, *est explorare* profundè pungendo, *ut appareat, quid intus lateat. Sumitur quandoque in* bonam *partem* Gen. XXII. 1. Psal. XXVI. 2. 2. Cor. XIII. 5. *quandoque in malam, ut hoc loco; item* Matth. IV. 3. & XVI. 1. & *alibi. Unde diabolus appellatur* ὁ πειράζων, tentator ille. *Observat Novarinus in* Matth. IV. 1. πειρασθῆναι, *notare* captiosè tentari, sollicitari. *Refutatur autem* omnis *tentatus, sive* Christianus *audiat; sive* infidelis *etiam, quod nulli homini conveniat impia illa & absurda sententia, Deum, summum bonum, sollicitare quemquam ad malum.*

2. Refutatum, *seu sententia refutata, per quam Deus sit* tentator *ad malum, seu auctor peccati*: dicat à Deo tentor, *dicat* λεγέτω, *seu* corde; *putet, statuat*: *seu* ore, *pronunciet, profiteatur.* A Deo tentor, *Deus me, vel persecutionibus* externis *hostium; vel* internis *solicitationibus pellicit, ad veritatem evangelicam deserendam.*

3. Refutatio, *seu argumenta refutationis, duo: à duplici tentationis* ἀδυναμία *in Deo, nim.*

A. Passivâ, ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστιν κακῶν, nam Deus intentatus est malis. *Nonnulli hoc hemistichium conjungunt, in hunc sensum:* prout ipse ad actiones pravas seduci nequit; sic nec ipse amat quenquam seducere. Ἀπείραστος, *Vulgata activè reddit, intentator, nisi* intentator *hic vitiosè legatur pro* intentatus, *ut emergat, neminem excitat ad male agendum. Verum sic idem bis diceretur; nec etiam vocem* activè *reperias: rectius igitur passivè sonat,* intentabilis est malorum: *seu* tentari *non potest. Additur, velut pro restrictione,* κακῶν malorum, *seu* à malis *cogitationibus; seu* ad malas *cogitationes. Proinde nemo vere dicere potest, à Deo tentor; qui enim tentat ad malum, ille etiam prius tentatur à malo, seu à mala cogitatione, & ad malum suadendum alteri.*

B. Activâ, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα tentat autem ipse neminem. *Ipse* αὐτὸς, *scil. qui & quia summum*

ſummum bonum *eſt*, *qui* non delectatur iniquitate Pſal. v. 5. *qui prohibet peccatum, punit peccatum. Ibid. Proinde nemo vere dicit*: à Deo tentor. *Si objicias*: *imo Deus* tentatur Exod. XVII. 2. 7. Deut. VI. 16. ... & tentat Gen. XXII. 1. Deut. VIII. 2. & XIII. 3. *Reſpondetur*: *dicuntur illa de tentatione* exploratione, *vel patefactionis*; *hic autem ſermo eſt de tentatione* illaqueationis, *ſive ſeductionis. Tentat quidem Deus*: 1. *dura præcepta præſcribendo.* 2. *affligendo.* 3. *frena Satanæ laxando.* 4. *dona & auxilia ſua negando, aut propter peccata juſte ſubtrahendo.* 5. *occaſiones peccandi objiciendo.* 6. *voluntates etiam malas ordinando, limitando*: *neminem autem tentat, peccatum ſuggerendo aut ſuadendo*: *tum κατασκευαστικῶς, ubi eſt*

B. Monſtratio *veri genitoris*, verſ. 14. ἕκαστος δὲ πειράζεται, ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας, unusquiſque vero tentatur à propria concupiſcentiâ. *Acſi dicat, ſi quis, per hoſtium perſecutiones, aliaque adverſa, à Deo, aut à profeſſione fidei Chriſtianæ abducitur, non Deus in cauſa eſt; ſed concupiſcentia* ἐπιθυμία. *Eſt autem multiplex concupiſcentia. Eſt cupiditas* cordis Rom. I. 24. *ſive* carnis Gal. v. 16. 24. Eph. II. 3. mundana Tit. II. 12. hominum I. Pet. IV. 2. diaboli Joh. VIII. 44. peccati Rom. VI. 12. *Et hæc rurſus, vel* actualis Exod. XX. 17. Rom. VII. 7. *vel* habitualis, *ſeu naturalis potius, quæ cum corruptione* originali *coincidit*: *Hebræis* מצר הרע, *quæ à lapſu protoplaſtorum, omnem & totum hominem, omneſque ejus facultates, intellectum, voluntatem, affectus, conſcientiam, potentias ſenſitivas, ipſaque membra pervaſit. Hæc demum verus eſt peccati genitor, ut cap. præced. monuimus.*

2. Generatio, *quæ fit per varios gradus, vel ratione temporum & actionum momenta; vel ratione ordinis in generando, & ſic in textu tres gradus notantur: nim.*

א. Congreſſio. Ἐπιθυμία ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος. Concupiſcentia extracta & ineſcata. *Significatur concupiſcentia originalis, quaſi coitus cum objecto peccaminoſo, quo velut* extrahitur *in actum, & allicitur ad voluptatem iſtius coitus.* Ἐξελκόμενος, *aliis eſt qui* abſtrahitur, *ſcil. à Deo, à* bono *ad* malum, *idem ſcil. quod* ἀφελκόμενος, *quomodo & Xenophon, voluptatem dicit* ἀφέλκειν πρὸς ἡδέα, abſtrahere ad ſuavia: *aliis eſt* qui illicitur, *ſcil. ut bos famelicus, propoſito pabulo allicitur ad comedendum: aliis*, qui extrahitur, *nim. ſicut piſcis per hamum.* Δελεαζόμενος, *qui* allicitur, *pellicitur*: *ſic Græci ſcriptores optimi dicunt*: γαργὶ καὶ λόγοις δελεάζεσθαι. *Metaphora ſumta à meretrice, quæ ſtultum juvenem abſtrahit à parentibus, & allicit ad concubitum. Dicitur ergo concupiſcentia applicatio ad objectum malum, ut cum eo quaſi coeat cum voluptate. Significatur ergo, actus concupiſcentiæ ſeu voluntatis* primus, *qui adhucdum eſt, abſque conſenſu* omni, *ſaltem* prævio, *licet ei adſit conſenſus* concomitans, *quo allicitur & attrahitur & delectatur malo, à quo proprie peccatum eſt.*

ב. Conceptio, εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα, deinde concupiſcentia concipiens. *Significatur actus* ſecundo-primus, *qui* aliquem *habet ſibi conjunctum voluntatis conſenſum, licet necdum* plenum. *Iſta autem conceptio duo ſonat*: 1. *conceptionem* primum, *quâ matrix accipit ſemen* vivum, *quâ peccato non jam reſiſtit peccaturus, nec rejicit & repellit, ut factum à Joſepho* Gen. XLIX. *& à Chriſto* Matth. IV. *ſed admittit.* 2. geſtationem, *quâ membra fœtus peccaminoſi, paulatim quaſi efformantur in utero concupiſcentiæ, quando peccaturus peccatum contemplatur, quaſi delectabile, ſicut Eva* Gen. III. *Conf.* Pſal. LXVI. 18. Gal. IV. 9. 1. Tim. V. 15. *eoque delectatur, ut velit, ſi modo liceret: quod, ſi ſubitum ſit,* προπάθεια *dicitur; ſi impreſſum ſit,* πάθος Job. XX. 3. *ut, cum quis dulce venenum in ore ſentiens, non mox exſpuit; ſed cum voluptate retinet, nec lubenter dimittit.* 3. moram *ſeu moroſam delectationem, cum quis rei immoratur, omneſque circumſtantias cum delectatione expendit, ut Eva* Gen. III. . . . bona ad veſcendum, pulchra viſu, utilis *&c. Hæc eſt velut* articulatio *fœtus, & quaſi efformatio omnium partium membrorumque in utero. Alia hujus generis forte habebimus in parte* practicâ.

ג. Partum, τίκτει, *parit. ſcil. partum conſenſu* pleno, *quando jam in eo eſt cupiditas, ut occaſionem quærat & captet, excludendi fœtum conceptum, actuali exſecutione.* Τίκτειν, *ut proprium eſt* fœminarum, *quâ ratione hoc loco, de* concupiſcentia *fœminini generis uſurpatur; ita* γεννᾶν *proprie eſt* virorum: *ſed ut* τίκτειν *quandoque uſurpatur de* viris, *præſertim apud Poëtas; ita* γεννᾶν, *per quandam catachreſin, interdum uſurpatur de fœminis* Matth. II. 1. 4. Luc. I. 13. & 57. *Nec tantum ſonat* parere; *ſed etiam* parturire, *partui vicinum eſſe. Proinde, ex* poſteriore *ſignificatione, hic notat plenum conſenſum excludendi fœtum*: priore, *ipſam nativitatem peccati, per ejus excluſionem.*

3. Genitum *duplex*:

א. Peccatum, ἁμαρτίαν, *ſcil.* actuale: *ſive* internum, *in affectu & deſiderio: ſive* externum *in*

actu & effectu, Ἁμαρτία peccatum, *ab hebræo* פשע, *Notat* 1. *generaliter* quodvis *peccatum* Rom. VII. 17. 1. Tim. v. 24. *Quandoque* 2. *distincte peccatum* originale Rom. VI. 11. 12. & VII. 14. *Aliquando* 3. actuale, *ut hoc loco* 1. Joh. III. 8. 1. Tim. I. 23. *cum in proximum, tum in Deum, quocunque modo perpetratum; per violentiam, vel per fraudem; verbis, vel factis; consulto, aut imprudenter.*

8. Mors, *quæ colophonem seu consummationem affert universæ amartigenia, cujus hic notatur:*

1. Comsummans *causa*, ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα, peccatum consummatum, peractum. Ἀποτελεσθεῖσα, *à* τέλειος *quod* perfectum *notat, idem quandoque quod* ἄρτιος, *quod suis membris plenum est. Est vero consummatum, vel per* consensum, *intus, ut peccata* spiritualia *immanentia, v. g. hæresis, invidia &c. vel per* opus *extus, ut sit periphrasis peccati actualis.*
2. Consummatio *seu consummandi actus*, ἀποκύει, enititur. Ἀποκύω, *vel* ἀποκίω, *idem sonat cum* ἀπαλλάττομαι τῦ κνήματος, liberor eo quod conceptum fuit, *i. e. fœtu, Idem sonat* καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ Rom. VII. 5. *fructum ferre morti. Parit autem, partim* merendo, *seu adducendo* reatum *mortis, partim* operando *seu* occidendo Rom. VII. 13. *saltem animam, eam privando sua rectitudine, ut in protoplastis est conspicuum.*
3. Consummatum, mors, θάνατος, *Sed quænam mors? Resp.* Omnis *illa mors, quæ opponitur vitæ peccantis; neque enim ad ullam restringitur, quemadmodum protoplastos orbavit omni illa vita, quam usque ad peccatum possidebant; proinde* 1. *Mors* naturalis, *quicquid suis hypothesibus servientes ogganniant Sociniani.* 2. *Mors* spiritualis, *quæ peccanti detrahit vitam spiritualem, & totalem ei substituit* ἀδυναμίαν, *ad bonum quodvis* salutare, *de qua* Eph. II. 1. 5. *Tandem* 3. *Mors* æterna, *quæ hominem privat gloria Dei, seu beata fruitione Dei* Rom. III. 23. *cum* vers. 19. Gal. III. 13. *ex* Deut. XXI. 23. *Ex eo autem, quod Apostolus* mortem *addicat peccato consummato; perperam inferunt Romanenses, peccatum* nonconsummatum, *non mereri* mortem; *sed pœnas tantum temporales, scil. ad hoc, ut habeant peccatum* veniale, *& ex eo suum purgatorium: parum attendentes, quod Apostolus non dicat,* solum *peccatum* consummatum pleno *voluntatis consensu, gignere mortem: cum alibi Paulus mortem addicat concupiscentiæ* Rom. VII. 5. *illi scil. concupiscentiæ, quam olim ignorabat esse peccatum* vers. 7. *Proinde hoc tantum vult, peccatum consummatum gignere* ἐξόχως *mortem, quatenus hoc duos concludit peccati gradus, internum pariter & externum. De quo uberius philosophabimur,* ξὺν θεῷ, *in elenchticis.*

Pars Dogmatica.

Peccatum actuale procreatur ab originali. Quod probatur Scripturis.

III. Peccatum igitur *actuale* ab originali procreatur, ut filia à Matre. Dicitur enim *concupiscentia* originalis, *inescari*, concipere & parere peccatum *actuale*. Hinc *peccatum peccans*, ἁμάρτελος ἁμαρτία nominatur Rom. VII. 13. quod *occasione sumpta* à lege, *gignat in nobis omnem cupiditatem* vers. 8. *seducat* vers. 11. *perpetret* vers. 17. 20. *rebellet, captivos* ducat ad peccatum vers. 23. Et quæ egrediuntur ex *ore*, ex ipso *corde* pravo *egredi* dicuntur, puta *cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, obtrectationes & omnia quæ hominem polluunt* Matth. XV. 18. 19. 20. Et *figmentum omne cordis, tantummodo malum, ab ipsa pueritia* Gen. VIII. 21.

Et confirmatur rationibus.

IV. Partus enim 1. sequitur ventrem; effectus suam causam: fructus arborem, & à *spinis non colligitur uva, nec à tribulis ficus, arbor putris non nisi malos fructus excludit, nec potest* alios Matth. VII. 17. 18. 19. Nec abs re 2. ablatâ enim justitiâ *originali*, quâ omnes facultates erant dirigendæ; sequitur in illis talis defectus, quo fit, ut cum ad aliquid *morale* feruntur, ipsa illa inclinatio fit moraliter mala, ex quâ porro nascitur quodlibet peccatum *actuale*: mens enim, ex privatione lucis cæca, facile admittit quoslibet errores; & voluntas *aversa* jam à Deo, ardet amore sui, pravarum *cupiditatum* sine Deo: & tandem 3. concupiscentia originalis, non potest non (pronunciante textu) parere nisi *quodvis* peccatum.

Quo sensu actuale dicatur?

V. Hoc autem qui fiat ut distinctius capiamus, primò peccatum actuale contemplabimur *genitum*, tum ejus *genituram*. Peccatum *actuale* dicitur, non quod solum sit *actu* peccatum, dum *originale* non sit nisi *potentia*, ut Pelagianissantes vellent: cum & hoc *actu* sit peccatum, quin & ἐξόχως, imo *virtualiter* omne peccatum, sicut Cap. præced. diximus; sed quod sit deviatio *actus*, sub quo tamen & habitum comprehendimus; dum originale est deviatio *habitualis* totius *naturæ* nostræ. Diverfis *nominibus* designari consuevit ἁμαρτία Jac. I. 13. *opus carnis* Gal. V. 19. *fructus malus* Matth. VII. 17. *opus tenebrarum* Eph. V. 11. *opus mortuum* Heb. VI. 1. &c.

Ejus Synonyma.

Quid sit peccatum actuale?

VI. Reipsa non est, nisi deviatio *actus* humani à lege Dei. Augustino *contra Faust. Manich.* est *factum, dictum vel concupitum contra legem Dei.* Minus accurate, cum *factum, dictum, concupitum,* non

non ſint genus in *definitione* peccati, ſed ejus tantum *ſubjectum* recipiens, ipſumque non ſit niſi ἀνομία ſeu deviatio facti, dicti & concupiti à lege Dei. Fit autem deviatio his potiſſimum *quatuor* modis (1) quando fit contra *præſcriptum* Dei, à quo ἀνομία dicitur maximè propriè 1. Joh. III. 4. (2) quando, non quidem contra legem eſt quod fit; ſed contra *finem*, in quem ſecundum præſcriptum legis, fieri debebat Matth. VI. 1. (3) quando *principium* & fons à quo profluit, eſt vitioſus 1. Tim. I. 5. Rom. XIV. 23. Denique (4) quando in *circumſtantiis* loci, temporis, non fit ſicut ex lege fieri debebat Levit. X. 1. 2. Sam. VI. 6. Rom. XIV. 20.

Non competit brutis: VII. Eſt deviatio actus *humani* Mich. VI. 8. quamvis enim & brutis, & inanimatis, ſua ſit præſcripta *naturæ* lex Jer. VIII. 7. Deut. XXXII. 11. Jeſ. I. 3. Prov. VI. 6. à qua poſſunt utcunque deficere: hoc tamen ſi quando fit, non committitur ab ipſis *proprii* nominis peccatum, ut ſi terra non reddat fructus ſuos, ſi concoctio ventriculi aut hepatis deficiat; attamen cum legem *moralem* non habeant, & naturalem ſuam non agnoſcant, nec ad eam *ſeſe* poſſint componere, ſed componantur ab *alio* & determinentur; ipſa propriè nec exorbitant, nec peccant. Nec huic obſtat, quod ſubinde *punita* legantur Gen. III. 15. & IX. 5. Levit. XX. 15. 16. Exod. XXI. 28. Cum pœna illa catachreſticè ſic dicta, in deteſtationem ipſius facti *materialis*, per bruti illius latus, ejus *poſſeſſorem* petat. Nec etiam eorum interitus peccatum arguit; ſed naturam fragilem, occaſione peccati humani auctam Gen. III. 17. Rom. VIII. 20.

Nec infantibus: VIII. Hominis igitur eſt, exorbitare à lege divina. Nec *omnis* etiam: infantes enim, quamvis propter fœdifragium in Adamo commiſſum Rom. V. 12. deſtituantur juſtitia *originali*, quam ex lege naturæ ſuæ rationalis, habere tenentur, eoque peccato *originali* ſint imbuti; attamen, cum non habeant ſibi præſcriptam legem, ad quam actus ſuos componant; peccatum non committunt *actuale* Rom. V. 14. unde hactenus *innocentes* dicuntur Pſal. CVI. 38. utpote qui non poſſint *dignoſcere inter dextram & ſiniſtram* Jon. IV. 11. quare nec legem Dei: proinde *adoleſcentes* ſubſunt peccato actuali, ut primum eo uſque compotes ſint rationis, ut poſſint diſcernere mandatum à prohibito: qua autem ætatis *anno* hoc fiat, difficile accidit determinare, cum malitia in multis ſuppleat defectum ætatis: tum etiam *adulti*, utpote quibus ἐξόχως competit illud Mich. VI. 8. *indicatum tibi O! homo, quid ſit bonum* &c. ſed *omnes* 1. Reg. VIII. 46. Pſal. XIV. 3. Eccl. VII. 21. uſque ad ipſos regenitos Pſal. CXXX. 3. & CXLIII. 2. 10. Math. VI. 12. Imo uſque ad ipſam B. *Virginem* Joh. II. 4. ſolo excepto Servatore, qui *peccatum non cognovit* 2. Cor. V. 21.

Sed adolescentibus, & adultis, omnibus, excepto Christo.

IX. Quin & non *uno* modo peccant omnes, unde varia naſcitur peccati diſtributio, apud Theologos paſſim obvia. Quamvis enim, quoad *principium* aut fontem, ex quo profluunt, ſint planè connexa & colligata Jac. II. 10. 1. Tim. VI. 9. 10. quoad *objecta* tamen, & diverſos modos quibus in illa feruntur peccata, ſunt *diverſa*, imo & ſibi ſubinde adverſa, ut videre eſt in prodigalitate & avaritia. Hinc diſpeſcuntur *primo* ex *materia*, in peccata *per ſe*, ubi ipſe actus legi repugnat; ut idolatria, blaſphemia, homicidium; & per *accidens*, ubi per circumſtantias ab efficiente, fine, modo, aliiſque, vitium actui per ſe bono, aliunde accedit Prov. XV. 8. Jeſ. I. 14. 15. Tit. I. 15. Rom. XIV. 23. Illa omittenda, hæc reformanda ſunt Jeſ. I. 16. Matth. VI. 1.

Varia peccati diſtributio: 1. Peccatum per ſe, & per accidens.

X. *Secundo* ex *partibus*, ſunt vel *omiſſionis*, vel *commiſſionis* Jac. IV. 17. Matth. XXV. 42. concurrunt enim duo iſta, ut *partes* in omnibus peccatis; dum fit quod omitti debebat; non fit quod fieri debebat. Ubi autem omiſſio *prædominatur*, & magis eſt conſpicua, ibi *omiſſionis* peccatum appellatur, & vice verſa. Et hinc etiam peccatum *omiſſionis* ad *actualia* refertur, quod *moraliter* loquendo, nunquam ſit ſine actione aliquâ, vel præcedente, vel concomitante. In omiſſione autem ἀνομία hæret, vel in *facultate*, vel in *habitu*, qui non agit quando agere debebat. In omiſſione eſt q. *detractio* aliqua à lege Dei; in commiſſione *additio* ad eam, in utroque eſt deviatio Deut. IV. 2. & XII. 32. Apoc. XXII. 18. 19.

2. Eſt vel omiſſionis, vel commiſſionis.

XI. *Tertio* ex *objecto*, eſt vel in *Deum* Pſal. LI. 6. quando proximum non lædit; in *proximum* 1. Sam. II. 25. Luc. XV. 18. 21. in *nosipſos* 1. Cor. VI. 18. Sic tamen, ut *omne* peccatum, qua tale, in legem Dei, adeoque in Deum perpetretur, ſcil. ratione *offenſæ*, licet etiam in *homines* ratione *damni* & injuriæ.

3. Vel in Deum, vel in proximum vel nosipſos.

XI. *Quarto* ex *ſubjecto*, eſt vel *internum* cordis, ſeu animi Job. XXXVI. 13. Pſal. XIV. 1. vel *externum* Matth. XV. 19. tum oris Matth. V. 22. tum operis Pſal. XIV. 1. in *externis* tamen coit internum Matth. XV. 19. & ſic quidem, ut non *duplex* peccatum efforment (neque enim velle furtum committere, & committere, *duo* conſtituunt; ſed *unum* peccatum) verum duos unius *gradus*: quamvis *internum* perſæpe committatur abſque externo. Interna, licet nunquam excludant *omnem* voluntatem; excludunt tamen perſæpe *prævium* voluntatis conſenſum, ut patet in originali labe, & motibus verſus peccatum, quos primo-primos appellant: aliquando prævium quidem; ſed *ſemiplenum* tantum voluntatis habent conſenſum, quod fit in peccatis mortificatis Rom. VII. 15. ſæpiſſime *plenum* conſenſum voluntatis obtinent Jac. I. 15. & ut hinc diverſi quidem naſcuntur, tum peccatorum, tum pœnarum *gradus*; ſic non, aut

4. Vel internum, vel externum.

totalis peccati abſentia, quod motibus *primo-primis* competat; aut diverſa ejus ſpecies, *venialium*, quod de motibus *ſecundo-primis* veniat dicendum; & *mortalium*, quod ſolis competat motibus ſecundis, ut ſuo loco uberius contra Pontificios dicemus.

5. Ex ignorantiâ, infirmitate vel malitia.

XIII. *Quinto* ex *principio*, eſt vel ex *ignorantiâ*, Act. III. 17. 1. Cor. II. 8. 1. Tim. I. 13. quando peccator *ignorat* ſe peccare: vel ex *infirmitate* Gal. IV. 1. Heb. V. 2. quando peccator tentationi alicui *ſuccumbit*; vel ex *malitia* ſeu elatâ manu Num. XV. 27. 28. 30. Duplex prius peccati genus, etiam in *regenitos* cadit; ſed poſtremum nequaquam Rom. VI. 12. Cum hac diſtributione ferè coincidit peccatum *regnans*, ibid. quando peccator ſe *ſervum* præſtat peccato, ei lubens ut Domino paret, patrocinatur, nec vult deſerere Job. XXI. 14. 15. cui ſuppar, ſi non idem, eſt peccatum in *deliciis* Prov. IX. 17. & XX. 17. cui contrarium, peccatum ſubactum & *mortificatum* 1. Cor. IX. 27. Gal. VI. 14.

6. Vel majus, vel minus.

XIV. *Sexto* ex *gradibus*, comparative (abſolute enim quodvis peccatum eſt grave) peccatum peccato gravius eſt aut levius Joh. XIX. 11. Ezech. V. 6. & VIII. 15. Neque enim cum Stoicis peccatorum æqualitatem admittimus. Pendet autem illa inæqualitas: A. Ex *objecto*, unde, cæteris paribus, gravius eſt quod in *Deum* committitur, quam quod in *homines* Pſal. LI. 6. qua ratione *adulterium* etiam gravius eſt *ſcortatione*. B. Ex *conditione* peccantis, pro ejus majore, ex gratia & beneficiis collatis, obligatione Hoſ. IV. 14. Luc. XII. 47. 48. Heb. X. 26. Joh. XV. 22. C. Ex *naturâ* rei Matth. V. 21. 22. D. Ex *intenſione* & remiſſione actus Phil. III. 6. 1. Tim. I. 13. E. Ex *modo* committendi, ſeu principio commiſſionis, ignorantiâ, infirmitate, malitiâ Pſal. XIX. 13. 14. F. Ex *circumſtantiis* loci, temporis & ſimilium Jeſ. XXVI. 10.

7. Vaſtans conſcientiam, vel tolerantiæ.

XV. *Septimo* ex *effectis*, eſt vel *vaſtans* conſcientiam, quod cum honeſte tranquilla conſcientiâ conſiſtere nequit 1. Joh. III. 19. ſeu quod conſcientiam abſtrahit ab officio judicandi, dirigendi, accuſandi, retrahendi, condemnandi, convenienter ipſius Dei judicio, quibus non poteſt non vaſtari conſcientia 1. Tim. I. 19. & IV. 2. Hoſ. IV. 11. Rom. I. 21. 24. 26. 28. & quamvis *omne* peccatum, ſuâ naturâ aptum natum ſit ad omne iſtud; attamen per gratiam Dei, datur in regenitis, quod non vaſtet conſcientiam, quod ſit peccatum, ut Tertullianus loquitur, *quotidianæ incurſionis* Pſal. XIX. 13. 14. Prov. XXIV. 16. Eſt 2. vel *clamans* vindictam (quale in Scripturis dicitur (1) profuſio ſanguinis Gen. IV. 10. (2) defraudatio mercedis operariorum Jac. V. 4. (3) rapina Hab. II. 11. (4) concuſſio & oppreſſio viduarum, orphanorum, pauperum Exod. III. 7. & XXI. 22. 23. 24. (5) ſcelus Sodomiticum Gen. XVIII. 20.) vel *tolerantiæ* Rom. II. 4. & IX. 22.

Remiſſibile & irremiſſibile.

XVI. Huc etiam ſpectat peccatum *remiſſibile* & *irremiſſibile* Matth. XII. 31. *Remiſſibile*; non quod per *exilitatem* remitti mereatur, cum omne peccatum mereatur æternam condemnationem Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Rom. VI. 23. ſed quod remittere Deus *decreverit*, & remiſerit aliquando, pura puta gratia, propter ſatisfactionem Filii ſui 1. Joh. I. 7. Prov. XXVIII. 13. Act. X. 43. *Irremiſſibile* autem eſt, quod Deus decrevit *in ſpecie* nunquam remittere; in ſpecie, inquam; in *individuo*, ſingula reproborum peccata decrevit non remittere. Hoc autem duplex numeratur in Scripturis (1) *finalis* irreſipiſcentia & infidelitas Eccl. XI. 3. Joh. III. 18. 36. ita dicta, non quod *in ſe* ſit irremiſſibilis; ſed quod peccati *curſum* non ſiſtat, eaque non remittatur Prov. XXVIII. 13. (2) Peccatum ſeu blaſphemia in Spiritum S. ita dictum, quod non tam, in eſſentiam aut perſonalitatem Spiritus S. quam quidem in ejus *officium* & operationes *œconomicas*, ſit contumelioſum.

Peccata afflictarum conſcientiarum, paulò diſtinctius retum in præſentabimus, exorſi à *voce*. Dicitur *peccatum* Spiritum *in* Spiritum S. non quod in eum *ſolum* committatur: quicquid enim in Spiritum S. peccatur, idem propter communionem eſſentiæ, & in Patrem & in Filium peccatur: ſed quod in eum *peculiari* modo committatur κατ' οἰκονομίαν (eſt enim peccatum œconomicum) in 1. *Euangelium*, quod eſt *miniſterium* Spiritus 2. Cor. III. 8. cui peccans ſeſe malitioſe opponit. 2. in *officium* Spiritus S. cui peculiariter competit *convincere* Joh. XVI. 9. *illuminare*, variis bonis ac *donis* inſtruere Act. VIII. 13. Luc. VIII. 13. 1. Cor. XII. bonoſque *motus* excitare Matth. XIII. 20. Marc. VI. 20. & qualecunque etiam *gaudium* Act. XXVI. 28. Alio nomine deſignatur ἀποστασία, ſcil. non *vulgaris*, ſed ἐξοχικὴ Heb. VI. 6. Item peccatum *ad mortem* 1. Joh. V. 16. 17. quod in *ideâ*, nunquam remittatur, nec remitti poſſit. Imprimis autem indigitatur *blaſphemia in Spiritum* Matth. XII. 31 32. Marc. III. 30. 31. 32. Luc. XII. 10. Hæc eſt denominatio ei maxime propria. Notandum enim *varium* eſſe, in Spiritum S. *peccatum*; ſed *unam* tantum *blaſphemiam*, quæ eſt irremiſſibilis. Eſt *contriſtare* Spiritum Eph. V. 30. ſcil. ſordidis & putidis illis peccatis. quibus vir honeſtus contriſtari ſolet, & magis etiam contriſtaretur Spiritus S. ſi, per immutabilitatem, poſſet. Eſt obniti ſeu *repugnare* Spiritui Sancto Jeſ. LXIII. 10. Act. VII. 51. ſeu obſiſtere monitis & motibus Spiritus S. *internis* potiſſimum. Eſt porro *exſtinguere* Spiritum 1. Theſſ. V. 19. quod eſt quaſi *ſuffocare* penitus motus præcipue *internos*. Et in ſingulis horum eſt *peccatum* in Spiritum S. ſed *remiſſibile* tamen,

Peccata afflictarum conſcientiarum, paulò diſtinctius retum in Spiritum Sanctum unde dicatur?

Ejus ſynonima.

Ejus ſpecies.

tamen, quin & gradus totidem versus peccatum horrendum & *irremissibile* illud, nim. *blasphemiam* in Spiritum S. de quo jam ante diximus. Dicitur quasi à βλὰξ & φημὴ, quod est *fama mala*, aut *inutilis fama*. Aut, ut alii, βλάπτειν τὴν φημὴν, *ladere famam*. Sic sonat in generaliore vocis significatu: hîc autem, magis grave & horribile vilipendium Sp. S. idque malitiosum, adversus cognitionem, id quod alibi Heb. x. 29. Apostolus exprimit per ὑβρίζοντες, quod proprie notat *petulantiam* & proclivitatem in reprehendendo & contemnendo. Steph. in *Thesaur. Ling. Græca*. Hujus itaque *blasphemiæ*, adeoque peccati in Spiritum S. *irremissibilis*, ut naturam curatius assequamur; juvabit dicere ab *una parte*, quæ non efficiant hoc peccatum. Non efficit 1. quævis blasphemia, suggestio & tentatio, injecta à satanâ, adversus Patrem, Filium aut Spiritum S. quæ & in tenerrimos fideles, cum maximâ abominatione quandoque cadit, imo in ipsum etiam Servatorem nostrum cecidit, in quem nullum cadit peccatum, multo minus egregium hoc. Cecidit autem per Matth. IV. 9. in Paulum etiam, ut egregie practici Theologi putant, ex 2. Cor. XII. 7. Non efficit illam 2. quodvis peccatum adversus deitatem aut personalitatem Spiritus, quod observatur in Sadducæis, Arrianis, Eunomianis, Macedonianis, qui Spiritum S. vel penitus negabant, vel creaturam esse contendebant, Photinianis, Bidello, in quibus blasphemæ quidem opiniones adversus Spiritum S. sed tamen non erat proprie dicta, horrenda illa & irremissibilis blasphemia in Spiritum S. quia non tantum deficiunt in illis nonnulla requisita hujus blasphemiæ, ut suo loco patebit; sed etiam hæc blasphemia, non tam adversus ejus *ministerium* & *officium* œconomicum, ut diximus. Nec efficit illam 3. quodvis peccatum adversus sententiam & conscientiam perpetratum. Sic enim & Petrus Matth. XXVI. 60. & Paulus Rom. VII. 15. 19. 20. 23. aliique fideles, commisissent istam blasphemiam, quod ipsis nihilominus passim remissum legitur. Nec efficit illam 4. quodvis peccatum adversus veritatem Christi & Euangelii. Quia α. quotquot agnoscunt & credunt illas veritates, agnoscunt tantum *ex parte* 1. Cor. XIII. 9. 12. Multi enim, in ipsa Ecclesia peccarunt subinde in ipsa fundamentalia Christianismi, v. g. Corinthii 1. Cor. XV. 12. *Pergamus* adhærescens doctrinæ Balaam & Nicolaitarum, quæ tamen invitatur ad resipiscentiam. Idem dici possit de Galatis Gal. I. 6... & II. 16. & III. 1. Quin ipsi Apostoli etiam fuerunt in errore de regno Christi temporali: quos ad resipiscentiam provocandos jubet Apostolus 2. Tim. II. 24. 25. 26. Nec efficit illam 5. quodvis peccatum, adversus gratiosos motus & operationes Spiritus S. Jes. LXIII. 10. Act. VII. 51. 52. Et quivis carnales suo modo resistunt Spiritui S. in ejus ministerio Euangelico. Fieri possit ut faciant in suâ ignorantiâ. 1. Tim. I. 13. Act. XXVI. 10. 11. & quis ignorat multos *contristare* Spiritum Eph. IV. 30. *extinguere* Spiritum 1. Thes. V. 19. Apoc. II. 4. 5. Psal. LI. 12. Nec efficit illam 6. quodvis peccatum adversus gratiam restauratam. Vere enim fideles sæpissime experiuntur in se suas infirmitates invincibiles, suas dubitationes, terrores, cogitationes distrahentes, inordinatas passiones &c. Etiam subinde contristant & exstinguunt Spiritum, *suffocando* motiones Spiritus S. *declinando* à primo suo fervore Apoc. II. 1....8. *incidendo* in varia scelera, v. g. ebrietatem Gen. IX. 21. incestum Gen. XIX. 33. adulterium & homicidium 2. Sam. XI. cum Psal. LI. *relabendo* in priora peccata Gen. XXVII. 19. 21. Matth. XXVI. 72. 73. 74. Nec efficit illam 7. malitiosa quævis persecutio Ecclesiæ & veritatis Act. VIII. 1. & IX. 1. & XXVI. 10. 11. 1. Tim. I. 13. 16. Act. II. 36. Hæc igitur omnia necdum efformant blasphemiam illam irremissibilem in Spiritum S. Quid igitur ab *altera parte* efformat illam? Ut illud assequamur tutius, cogitanda nobis, & diligenter expendenda illa Scripturæ loca, quæ occupantur in describendâ hac blasphemiâ Matth. XII. 22. 24. 25. 31. 32. collat. cum Marc. III. 22. 28. 29. Heb. VI. 4 5. 6. & cap. X. 25. 26. 27. 28. 29. 1. Joh. V. 16. 17. 18. E quibus diligenter inter se collatis, hæc emerget ejus descriptio: quod sit universalis & malitiosa apostasia, hypocriticorum professorum, à veritate, & donis gratiæ Spiritus S. communibus, semel receptis, ad blasphemum contemtum Spiritus gratiæ, horrendum item vilipendium Filii Dei, & violentam persecutionem veritatis Christianæ. Per hanc descriptionem, blasphemia in Spiritum S. quantum 1. ad *genus*, est *apostasia* Heb. VI. 4. 5. 6. & cap. X. 24. 25. 38. 39. Apostasia α. à veritate ad hæresin Gal. I. 6. 7. & III. 1. 2. Thess. II. 10. 11. 1. Tim. I. 19. 20. β. à puritate cultus, ad superstitionem & idololatriam Exod. XXXII. Act. VII. 39---44. γ. à gradu intensiore prioris amoris & zeli, ad remissiorem Apoc. II. 4. --- Cant. V. 2. 3. 4. δ. à fide & professione προσκαίρῳ, ad apertam ἀσωτίαν & profanitatem Matth. XIII. 20. 21. Luc. VIII. 6. 13. ε. à quavis gratiâ communi, ejusque professione, ad malitiosam & incurabilem ejus oppositionem. Et hæc demum est apostasia blasphemiæ in Sp. S. Quantum vero ad *differentiam*, cum non *quævis* apostasia sit blasphemia in Sp. S. cautissime observanda differentia, qua hæc distat ab alia quavis, quæ in his conspicua est potissimum tribus: 1. *Subjecto* ejus δεικτικῷ, nim. soli veritatis euangelicæ professores hypocritæ, quales Pharisæi Matth. XII. 24. 25. 31. 32. Scribæ Marc. III. 22. 28. 29. illuminati à Sp. S. qui gustârunt bonum Dei verbum -- Heb. VI. 4. 5. 6. qui sponte

Blasphemia in Spiritum S. est irremissibile illud peccatum in Spiritum S. In quibus non consistat.

Quænam illud ingrediantur?

Est apostasia & qualis?

Ejus subjectum recipiens.

te peccant, postquam *cognitionem veritatis receperunt* Cap. x. 25. 26. 29. Proinde subjectum hujus sceleris non præstant: A. Electi, redempti, verè fideles, regeniti 1. Joh. v. 16. 17. 18. *Qui ex Deo genitus est, non peccat*, scil. peccatum *ad mortem*. B. Non Gentiles, Judæi, Muhammedani, non Pharao, Rabsaken, Tyrus & Sidon, quia non fuerunt *illuminati* Heb. vi. 4. Tum
Proprietates. 2. in *proprietatibus* διακριτικοῖς hujus apostasiæ, quod nim. sit (α) *universalis* ac totalis, non *particularis* aliqua, ab hoc aut illo *fidei* capite, quod Apostolus significatum velle videtur Heb. vi. quando ab enumeratis fundamentalibus Religionis Christianæ vers. 1. 2. 3. mox progreditur ad peccatum in Sp. S. vers. 4. 5. 6. aut ab *hoc aut illo* tantum Sp. S. charismate; sed ab *omni* charismate communi, illuminatione, gustu cælesti, participio Spiritus, gustu boni Dei verbi, & virtutum futuri seculi vers. 4. 5. 6. Etiam est (β) *finalis* apostasia: *impossibile* enim est, semel illuminatos -- & prolabentes, *denuo renovari ad resipiscentiam* vers. 4. 6. Conf. Marc. iii. 29. Luc. xii. 10. Heb. x. 26. 27. Et tandem (γ) est *spontanea* & *malitiosa* desertio Heb. x. 26. ἑκουσίως ἁμαρτανόντων, scil. non *quodvis*, sed *hoc* peccatum. Ἑκουσίως, Hebræis בְּיָד, absque ullâ *causa*, & cum perditissima malitia, pedibus *conculcando filium Dei, sanguinem fœderis profanando, & Spiritum gratiæ contumelia afficiendo* Heb. x. 29. Hæ proprietates διακριτικαὶ, non *disjunctim*, sed *conjunctim* ingrediuntur horrendum istud
Termini: à quo; scelus. 3. *Terminus* hujus apostasiæ, nim. א. Termino *à quo*, scil. à veritate euangelica, agnita dudum & professa; item à charismate quovis communi dudum recepto Heb. vi. 1-7. cum cap. x.
Ad quem. 26. ut diximus dudum. ב. Termino *ad quem*, qui est (1) in horrenda *contumelia Spiritus gratiæ*, à quâ denominationem habet blasphemiæ Heb. x. 29. Matth. xii. 31. 32. (2) abominabili *contemtu* & *malitiâ*, versus *Filium Dei*, qua (a) sibi illum denuò quasi *crucifigunt* Heb. vi. 6. sicut Judas, Judæi, Pilatus, committendo tale scelus, à quo, si liberandi forent, iterata requireretur filii Dei crucifixio (b) eum palam παραδειγματίζουσι *prostituunt* Heb. vi. 6. cum Matth. i. 19. Conf. cap. xxvii. 39--45. Sic Julianus Apostata: *Galilee.* &c. (c) pedibus *conculcant filium* Dei Heb. x. 29. eum cum suâ doctrina, abjectissimè tractando (d) *sanguinem fœderis, quo sanctificatus erat, profanum ducunt*, seu impurum Heb. x. 29. *sanguinem* Christi, *pretiosum* illum 1. Pet. i. 19. sanguinem illum *fœderis* Heb. ix. 15. 16. 17 quo fœdus gratiæ obsignatum est Dan. ix. 24. sanguinem quo, non *ipsi*; sed *ipse sanctificatus est*, illum ducunt αἷμα κοινὸν *sanguinem communem*, impurum, quo commaculari solemus Jes. i. 15. 16. Accedit tandem 4. plerumque violenta quædam persecutio, ejus doctrinæ, quam abnegarunt, ejusque professorum, à quo Apostolus eos *adversarios*, τοὺς ὑπεναντίους appellare videtur Heb. x. 27. ut patet in Pharisæis persecutoribus Christi Matth. xii. in Juliano apostatâ, juxta Cent. Magd. Cent. iv. cap. 3. pag. 64. usque ad 89. Edit. Basil. 40. 1624. Restat ut paucula subjiciamus de *radice irremissibilitatis*, de qua non uno modo putant Theologi. Sunt qui eam quærunt in ipso *peccato*, ejusque detestabilitate *naturali*, quod nim. blasphemando Spiritum S. rejiciant omnia media, quibus ipse eos reducere possit ad resipiscentiam, adeoque ad remissionem: hanc quidem egregiam esse, lubens agnosco; sed an eam Spiritus S. vincere & superare non posset; ego quidem non ausim affirmare: cum præsertim, *ubi abundavit peccatum; ibi superabundet gratia* Rom. v. 20. 21. Alii irremissibilitatem quærunt in eo, quod hoc repugnet singulis Trinitatis personis, cum Spiritus S. mittatur à Patre & Filio, qui redemptionis negotium consummet. Sed omne peccatum repugnat toti Trinitati: tum & *contristare* Spiritum S. *repugnare* Spiritui S. *exstinguere* Spiritum S. ex hac hypothesi, essent peccata *irremissibilia*: & qua tandem ratione peccatum quod obnititur toti Trinitati, Deus si vellet, non posset remittere? Rectissimè ergo putem dicendum, irremissibile esse, ex eadem causa & voluntate divinâ, quâ omnia reproborum peccata sunt irremissibilia, quia nim. Deus non voluit, ut Christus pro eis satisfaceret, nec Christus voluit mortem suam huic peccato remittendo impendere. Videtur istam causam Apostolus innuere, quando dicit eos *filium Dei de novo crucifigere* Heb. vi. 6. h. e. eos tale peccatum committere, ob quod, si ab eo liberari debeant, Christus de novo crucifigi deberet, cum hactenus nunquam pro eo crucifixus sit. Et paulo etiam clarius Heb. x. 26. *Non amplius relinquitur pro peccato* illo *sacrificium*. Tandem monendum est, non facile pronuntiandum esse de commisso hoc scelere, seu à *nobis*, seu ab aliis, ne nobis præcidamus, orationem pro nobis aut pro aliis 1. Joh. v. 16. atque insuper facultatem, monendi, corrigendi, consolandi proximum: cum præsertim, num omnia adsint hujus peccati ingredientia & requisita; investigatu tantum non impossibile sit, nobis saltem, qui facultate explorandi spiritus, quæ in Ecclesia apostolica vigebat, destituimur. Hæc fortè justo fusius, nec satis ad συμμετρίαν reliquorum hujus capitis: sed tamen, opinor, non absque justa causâ.

Causa seu radix irremissibilitatis.

Non facile pronuntiandum de commisso hoc peccato.

XVIII. Tandem *Octavo*, ex *privatione* virtutis oppositæ, optima fit peccatorum distributio, secundum *rectitudines* singulorum præceptorum, à quibus *actus* isti deflectunt: sic v. g. præcepti *primi* peccata sunt *duo*, *atheismus*, quo *nullum* habemus Deum; & *idololatria* quo *alios*: secundi peccatum est *superstitio*: tertii *profanitas*: quarti

Distribuitur ex præceptis, quibus obstrepunt.

ti profanatio Sabbathi: quinti contemptus proximi: sexti homicidium: septimi luxuria: octavi furtum: noni mendacium: decimi concupiscentia.

Genitura peccati.

XIX. Hactenus peccatum genitum; succedit ejus *genitura. Parentem* audivimus non Deum esse, qui, ut non tentatur ad peccatum; ita non tentat; tentaretur enim, jam ante ad peccatum à peccato, si tentaret; sed concupiscentiam: causas *adjuvantes*, alibi Satanam commemoravimus & mundum, (ut patet in seductione protoplastorum) quorum operatio, non in *coactione*, aut qualicunque *physicâ* productione, sed in *tentatione* à textu nostro collocatur: *quisquis autem tentatur*, quâ *bonum* peccaturo oggeritur ut *egregium*, *medium* consequendi ut *facile*, & *periculum* ut nullum. Genitura igitur, declarante textu, tribus actibus videtur peragi 1. Ἐπιθυμήσει, quâ sensus feruntur in objectum, circa quod peccatum est committendum, auditur tentatio, aspicitur arbor quod bona sit Gen. III. 1---7. Hinc, quo tuti à peccato simus, necessum ante omnia, ut *sensus* externos, auditum, visum Job. XXXI. 1. & *cor* etiam diligenter observemus Prov. IV. 23. oculos & animum avertamus ab illecebris Psal. CXIX. 37. aures tentationibus obturemus Matth. IV. 10. quo ab aditu peccatum prohibeamus. 2. Συλλήψει, *conceptione*, quæ concludit (a) *moram* sensus & animi circa objectum, à quo concupiscentia concipitur, unde *concupiscentia morosa* dicitur Jer. IV. 14. & q. *assensus* fit in tentationem, quod patet in Evæ disputatione cum Satana. Hac mora, cor quasi repletur malo Esth. VII. 5. Joh. XIII. 2. Hinc (b) consilium & *deliberationem* de peccato, qualis Judæ Matth. XXVI. 25. 26. Absolomi 2. Sam. XIII. 32. fratrum Josephi Gen. XXXVII. 20. (c) firmum propositum, qua stas ἑδραῖος ἐν τῇ καρδίᾳ 1. Cor. VII. 37. prout Daniel *posuit in corde suo non contaminari* Dan. I. 8. Tandem 3. Τίξει *partu*, in quo est A. collectio & *intentio virium*, quibus peccatum excludatur, qua *membra nostra sistimus arma injustitiæ* Rom. VI. 13. prout pii se *colligunt vivere Deo* vers. 11. B. *Perduratio* in conatu, adversus quævis dehortamenta Jer. VIII. 6. Ezech. XXIII. 10. Donec tandem succedat C. *exclusio* fœtus, & peccati perfectio Jac. I. 15. *Parit peccatum* Gal. V. 16. *Concupiscentiam carnis non perficietis*, τελέσητε. Conf. Hoornb. *Theol. Pract.* lib. IV. cap. VI. & quæ jam ante in parte *exegeticâ*, in hanc rem, ex professo habuimus.

Pars Elenchtica.

1. An homo in hac vitâ, possit evitare

XX. Quæritur 1. An homo quivis præter Christum, in hac vita possit evitare omne peccatum? Judæi, Pelagiani, Sociniani, quia hominis vires naturales ad bonum quodvis, statuunt illæsas esse à peccato protoplastorum, & ex eo peccatum originale negant; statuunt quemvis, si modo velit, naturæ viribus esse posse ἀναμάρτητον. Semipelagiani, Remonstrantes, Anabaptistæ aliique, quia vires hominis naturales primo peccato sauciatas credunt; non quidem per puras *naturæ* vires; sed tamen per gratiam conversionis divinæ, si modo velit, posse immunem esse in hac vitâ ab omni peccato actuali. Pontificii, licet inter se digladientur, an B. Virgo fuerit immunis à labe *originali*: plerisque affirmantibus in gratiam suæ Mariæ--Ἰδιοκείας. solis Dominicanis negantibus: conveniunt tamen in eo, quod immunis fuerit ab omni peccato *actuali*. Quin & eidem credunt, quemvis recens baptizatum, immunem esse ab omni peccato, tam originali, quam actuali. Reformati simpliciter negant, quemvis hominem, præter Christum, in hac vitâ, immunem esse posse ab omni peccato *actuali*. Quia contraria quævis sententia sit: 1. Contra tot *Scripturæ* & tam claras contradictiones 1. Reg. VIII. 46. Psal. XIV. 3. & CXLIII. 2. Prov, XX. 9. Eccl. VII. 21. Rom. III. 9. 19. 23. & V. 12. & XI. 32. Gal. III. 22. 1. Joh. I. 10. Contra 2. universalem *experientiam*, & omnem Sanctorum agnitionem confessionemque Psal. CXXX. 3. Phil. III. 13. &c. Contra 3. necessitatem *redemptionis* Christi Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Contra 4. ipsum *sanctificationis* ingenium, quæ per *gradus* adeo ad perfectionem enititur, ut punctum nunquam attingat, quamdiu hic existimus 1. Cor. XIII. 11. 12. Contra 5. perpetuam carnis & spiritus *luctam* Gal. V. 17. Rom. VII. 23. Contra 6. perpetuas regenitorum *lamentationes* Psal. XIX. 15. Prov. XXIV. 9. Jes. LXIV. 6. Rom. VII. 20. 1. Joh. I. 8. Jac. III. 2. Contra 7. præsuppositum *orationis* dominicæ Matth. VI. 12. Contra 8. tantam *dehortationum* apostolicarum copiam Rom. VI. 2. & VIII. 12. 13. 1. Cor. V. 7. 2. Cor. VII. 1. Eph. IV. 22. 23. 24. Col. III. 3. 1. Pet. II. 11. Contra 9. *conversionis* & resipiscentiæ universalem necessitatem Joh. III. 3. 5. Matth. XVIII. 3. Nec est quod in contrarium causentur: (1) Qui *sint in Christo, novas creaturas dici*, quibus *vetera transierint*, & *nova facta sint omnia* 2. Cor. V. 17. Resp. Dicitur quidem universalis *omnium* facultatum *renovatio* 1. Thess. V. 23. sed non dicitur *perfecta* omnibus numeris renovatio (2) *Christum in regenitis habitare* Eph. III. 17. *qui communionem non admittat cum Belial.* 2. Cor. VI. 15. 16. Resp. Neque enim peccatum in regenitis communionem habet cum *justitiâ*, aut caro cum *spiritu*, licet cohabitent, quoniam sibi invicem *repugnant* Gal. V. 17. Rom. VII. 19. 20. (3) *Eos sæpius perfectos dici*, & *perfectos esse juberi* Gen. XVII. 1. Jes. XXXVIII. 3. Luc. I. 6. &c. Resp. Perfecti enim dicuntur sensu *euangelico*, h. e. *sinceri* absque pietatis fuco, quod in perfectionem omnimodam

omne peccatum?

Objectiones.

annitantur, licet nunquam dum hic sunt assequantur, ut patet in Paulo Phil. III. quando vers. 15. sese *perfectum* prædicat, non obstante, quod *jamjam* vers. 12. professus fuisset, se *nondum apprehendisse aut perfectum esse*. Ut non addam perfectos dici h. e. *adultos*, scil. *comparative* ad infantes 1. Cor. III. 1. 2. Heb. v. 12. (4) *Natos ex Deo non facere peccatum* 1. Joh. III. 9. Resp. Non *operam* dare peccato, prout artifex opus suum *facit*, h. e. non *indulgere*, non servire, non tradere se peccato; sed repugnare ei Gal. v. 17. Rom. VII. 19. sed *crucifigere* Gal. v. 24. (5) *Jugum Christi facile dici, & onus ejus leve* Matth. XI. 29. 1. Joh. v. 3. Resp. Jugum Christi non est *perfecta obedientia* legis; sed *fides* Euangelica, cum sincero legis observandæ *studio* conjuncta Joh. VI. 29. Gal. v. 6. Tum etiam si *lex* intelligatur, facilis erit ejus observatio, quatenus pii eâ *delectantur*, non quod assequantur perfectam Rom. VII. 22. 23. (6) *Legem non obligare ad impossibile*. Resp. Non obligat ad *simpliciter*, per naturam, homini quâ homo est, absque suâ culpâ impossibile, quale v.g. *volare*; sed obligat ad *secundum quid*, per propriam contumaciam, homini quâ peccator est, impossibile Rom. VIII. 3. (7) *Credenti omnia possibilia dici*, Marc. IX. 23. Phil. IV. 13. *proinde & perfecte servare legem*. Resp. *Prior* locus, de fide *miraculosa* jam cessante agit, quæ possit quævis *miracula* perpetrare Matth. XVII. 20. licet non statim possit *quævis* legis & *charitatis* officia præstare 1. Cor. XIII. 2. *posterior* potestatem dicit omnia *ferendi*; non autem omnia *faciendi* vers. 11. 12. (8) *Viam sterni ad securitatem carnalem*. Resp. Nequaquam Phil. III. 12. Imo vero via ad quotidianum *resipiscentiæ* studium, humilitatem, deprecationes, timorem filialem, promptitudinem ignoscendi proximo, patientiam sub cruce, desiderium vitæ secuturæ.

2. An motus concupiscentiæ primo-primi sint peccata?

XXI. Quæritur 2. An concupiscentia *actualis*, versus malum, quoad motum ejus *primo-primum*, sit peccatum? Egimus de concupiscentiâ *originali* lib. IV. cap. 2. §. 27. jam de concupiscentiâ *actuali* nobis est agendum. Pontificii ut *omnimodam* hominis perfectionem tutam habeant, saltem in regenitis; cum observent motus primo-primos, etiam in sanctissimis obtinere, concludunt, eos non esse peccata, quod voluntatis *omni* consensu destituantur: *secundo-primos* esse peccata tantum *venialia*, quod *pleno* voluntatis consensu careant: solos autem motus *secundos*, peccata esse *mortalia*, quod cum *pleno* consensu perpetrentur. Quo sensu Bellarminus Tom. IV. lib. v. *De peccat.* Cap. 5. tuetur concupiscentiam *per se*, & ex *naturâ* suâ: qualis invenitur etiam in baptizatis & justificatis, propriè *non* esse peccatum. Reformati ex adverso statuunt, *omnes* concupiscentiæ actus, etiam primo-primos, esse peccata: eo quod contraria sententia sit: (1) Contra *diserta* Apostoli verba Rom. VII. 7. (2) contra disertum *legis* postulatum Exod. XX. 17. (3) Contra *vim* & ἀκρίβειαν legis, quæ sub pœna æternæ *maledictionis*, exactissimam exigit obedientiam Matth. XXII. 37. Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. eoque *omnem* concupiscentiam damnat. Denique (4) Et *causa* omnis peccati est Jac. I. 14. 15. Ergo peccatum est: neque enim *causa* peccati est, quod *non* peccat, cum peccati causatio, liceat ita dicere, sit *transgressio* legis. Nec proinde valet: 1. *gignit* peccatum, ergo *non est* peccatum; cum homo, eo quod hominem *gignat*, non desinat esse homo, imo, ut diximus, eo ipso est peccatum, quod peccatum *gignat*. Et 2. quod nulla dicatur *condemnatio*, κατάκριμα, esse in his *qui sunt in Christo* Jesu Rom. VIII. 1. non arguit nihil in ipsis esse *condemnabile*, seu peccatum; sed nullam actualem *condemnationem*, ejus reatu traducto in Christum. Porro quod 3. in Baptismo tollatur *concupiscentia*, qua peccatum. Resp. Quoad reatum & dominium tolli Cap. præced. diximus, non quoad existentiam. Conf. quæ diximus loco citato lib. IV. cap. 2. §. 27.

Objectiones.

3. An detur peccatum quod suâ naturâ non meretur mortem æternam, seu quod sit veniale?

XXII. Quæritur 3. An detur peccatum, quod sua natura, non meretur mortem æternam, seu quod sit *veniale*? Pontificii, ut suo succurrant efficacius purgatorio, suis indulgentiis, à quibus tantum accrescit culinæ, & consequenter dominio Pontificiis: statuunt dari peccatum *veniale*, quod sit *præter*, non *contra* legem, quod proinde non mereatur sua natura, mortem *æternam*; sed pœnas tantum *temporales* & corporeas. Reformati ex adverso, negant dari *tale* peccatum *veniale*. Quia 1. Deus expresse maledictum pronuntiet, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis ut ea faciat Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Quia 2. ex sententia Jacobi, qui in uno impegerit, damnas sit totius legis violatæ Jac. II. 10. Quia 3. *Omne* peccatum quantumcunque videtur leviculum, impingat in *infinitam* Dei majestatem, Deumque sua natura, q. de suo *solio* deturbare conetur. Quia 4. *omnis* omninò peccati *stipendium* dicatur mors Rom. VI. 23. & *qui solverit unum ex mandatis minimis, minimus*, hoc est *nullus*, dicatur futurus *in regno cœlorum* Matth. v. 19. Quod autem objiciunt 1. ex Matth. v. 22. Qui *irascitur fratri suo temerè, tenebitur judicio, quicunque dixerit Raca, tenebitur judicio, qui dixerit fatue, tenebitur Gehenna ignis*; ex stylo Hebræorum, à *tribunalibus* desumpto, non arguit nisi pœnarum, prout & peccatorum, diversos esse *gradus*; non autem aliqua, sua *naturâ* pœnam *æternam* non mereri. Nec aliud 2. efficit Servatoris inter *festucam* & *trabem* comparatio Matth. VIII. 3. 4. 5. quam diversos peccatorum & pœnarum *gradus*. Prout etiam 3. *lignum*, *fœnum*, *stipula* 1. Cor. III. 12. non tam peccatorum *compa-*

Objectiones.

comparationem intendunt, quam dogmatum erroneorum & hæreticorum disparitatem; nec insuper ulterius pertingunt, quam ad peccatorum diversos *gradus*. Nec etiam 4. Jac. 1. 15. concupiscentia absolvitur à *morte*; sed ejus etiam causa narratur. Porro 5. 1 Joh. v. 16. peccatum quidem traditur *non ad mortem*, quale est blasphemia in Spiritum S. sed eo ipso non traditur *veniale*, quod sua *natura* non *mereatur* mortem æternam. Et quamvis 6. *quævis* offensio inter homines, non tollat *amicitiam*; non tamen idem respectu Dei statim dicendum: cum *Deo* longe sanctius obligemur, quam homo quivis *homini*. Ut non addam, hominem in hominem propriè non *peccare*, nec eatenus justitiam *punientem*, hic proprie locum habere.

4. An admittenda sit distinctio peccati actualis in Philosophicum & Theologicum?

XXIII. Peccato veniali affine est *Philosophicum*, in collegio Jesuitarum Divionensi nuper Anno MDCLXXXIII. exclusum. Quæritur ergo 4. An distinctio peccati, in *Philosophicum & Theologicum* sit ferenda? Jesuitæ parasitæ, laxi in omnibus casuistæ, ut Montaltius aliique, operose demonstrant, quo benevolentiam quorumvis, & argentum potentiorum, apud suos efficacius assequantur, asserunt dari peccatum *Philosophicum*, contradistinctum Theologico: Tum *Philosophicum* definiebat Stephanus Bougot Jesuita Ao. 1688. in disputatione Divionensi his verbis: *peccatum philosophicum seu morale est actus humanus, disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero & mortale est, transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat; vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, nec æternâ pœnâ dignum.* Hujus descriptionis antagonista (opinor Arnaldus) in sua Novâ hæresi, in Theologia morali, & edita Coloniæ 1689. hanc facit paraphrasin: *innumera quidem crimina in mundo committi, & imposterum commissum iri, adversus pudorem, humanitatem, justitiam aliasque virtutes, fornicationes puta, adulteria, peccata contra naturam, homicidia & ultiones crudeles, veneficia, falsa testimonia, calumnias atroces, furta, spolia &c. Sed ea omnia esse posse peccata philosophica, quibus nec Deus offendatur; nec æterna metuenda sit pœna: si modo, qui illa perpetrant, aut Deum ignorent, aut in criminis perpetratione, actu de Deo non cogitent. Philosophicum* appellant, quia soli *rationi* repugnat, quam dirigit Philosophia, non autem *legi* divinæ, quam docet Theologia. Ejus *requisita* seu ingredientia duo numerant, nim. ut peccans, *vel* ignoret Deum penitus: adeoque statuunt, aliquem *ignorare* posse Deum, seu atheum esse posse absque peccato; *vel* si non ignorat Deum; saltem in *actu* peccandi, sibi *præsentem* non habeat cogitationem de Deo. Hoc peccatum, quantumvis grave & enorme, quidam statuunt, *non* esse *peccatum* adversus *Deum*, quia non intendat agere *adversus Deum*, ejusque *legem*: alii, si sit peccatum, saltem non esse peccatum *mortale*, quod mereatur *mortem æternam*: alii, si sit etiam peccatum, quod meretur mortem æternam; non tamen mereri, mortis istius pœnam *sensus*; sed damni tantum, quemadmodum fit in concupiscentiâ *originali*, si destituta sic peccato *actuali*: Πρῶτα ψεύδη, ejus falsa in his sunt, quod statuant ex Baunii *summ. peccat.* pag. 906. *quod non peccetur, nisi voluntarie: voluntarium autem non sit, quam quod fiat à principio cognoscente singula, in quibus est actio*; inferri inde, *actiones præcipitanter, & sine discussione, bonane an mala sint quæ aguntur, factas, neque bonas neque malas esse*: tum insuper, quod dentur peccata per se *venialia*: ex quo sequitur omnia peccata gentilium, qui Deum ignorant, nec non Christianorum, qui de *Deo actu non cogitant*, esse venialia, quin nulla, potius. Hæc brevis est analysis & dispositio hujus peccati. Reformati nullum tale peccatum *philosophicum* agnoscunt, quia 1. ex sententiâ Scripturæ, omne peccatum est mortale Gal. III. 13. Deut. XXI. 13. & qui in uno peccat, totius legis violatæ reus sit Jac. II. 10. 11. Quia 2. peccati *venialis* veritatem paragrapho præcedenti, jam dudum ex professo profligavimus, & per rationes nostras, multo validius etiam peccatum philosophicum, quod *nullum* proprie peccatum est. Quia 3. Scriptura ex professo damnat peccata ex ignorantia Psal. LXXIX. 6. *Effunde æstum tuum in gentes, quæ non cognoverunt te* Eph. IV. 17. 18. 1. Thess. IV. 5. 2. Thess. I. 8. Rom. II. 12. Luc. XII. 48. Joh. XVI. 2. Quia 4. item disertè atheos damnat, qui non tantum dicunt in *corde suo non est Deus*; sed nullam etiam *cognitionem* habent Psal. XIV. 1. 4. & X. 4. qui *non inquirit, cujus omnes cogitationes sunt, non esse Deum.* & LIII. 2. Eph. II. 2. Quia 5. *ignorantia* juris, voluntaria cum primis & vincibilis, non excusat; sed accusat potius 2. Pet. III. 5. Ita Augustinus *Retract. lib.* 1. cap. XV. Quin & Aristoteles, *Ethic.* ad Nicomach. lib. III. *Ignorantiam boni & mali, non facere actionem involuntariam; sed vitiosam: ignorantiâ juris & officii non excusari; sed augeri culpam.* Quia 6. quod committitur adversus *rectam rationem*, idem committitur adversus Deum & legem divinam Rom. II. 12. 14. 15. quatenus lex Dei, per naturam notificata, eadem est cum eâ, quæ viva voce aut scripto patet, qua ratione lex naturæ protoplastos olim obligabat ad obedientiam in statu integritatis. Quid si etiam 7. affectuum æstu, aut alio quovis modo, ignorent, aut non cogitent saltem actu, suum peccatum repugnare rectæ rationi? Tum sane peccatum nullum erit, quod *peccatum* philosophicum est. Addam 8. quod peccatores illi philosophici, olim in extremo judicio

Quid sit peccatum Philosophicum?

Unde sic dicatur.

Prima ejus falsa.

Reformatorum sententia, cum suis rationibus.

dicio, Christo Judici stabunt vel à *dextrâ* cum electis; vel ab ejus *sinistrâ*, tertium enim non datur; prius opinor non dicent Jesuitæ peccati philosophici tutores; & si posterius eligant, addicent suo peccato philosophico ignem æternum Matth. xxv. 41. 46. Addam 9. quod ex hypothesi hujus peccati philosophici, atrocissima quævis scelera, adulteria, latrocinia, rapinæ & similia, non mererentur pœnam æternam, imo nec Deum offenderent, si in committendo crimine, peccator actu non cogitaverit de Deo; sed affectu & cupiditate, ut plerumque sit, abreptus sit, aut si nullam Dei cognitionem habeat. Quam beata igitur sors hinc obtinget Atheis & ignaris! Tandem 10. nunquid ex hypothesi hujus peccati philosophici, homines carnales, suis cupiditatibus sepulti, damnationis periculo, tanto minus erunt obnoxii, quanto magis impii, & Athei sunt, & in maximâ ac continua Dei oblivione degunt? Nunquid etiam datâ operâ Atheismo & ignorantiæ adsuescent, associabunt se his qui dicunt ad Deum, *recede à nobis, & scientiam viarum tuarum non volumus* Job. xxi. 14. Suum Jesuitæ peccatum *philosophicum*, Scripturæ, vel *uno* testimonio roborare, ne conantur quidem, desperatissimæ causæ manifestum indicium. Si quis autem putet, suo isti peccato philosophico præsidium suppetere in nonnullis Scripturæ locis Joh. ix. 39. 41. Act. iii. 17. 1. Tim. i. 13. Respondebimus verbo: *a.* ignorantiam invincibilem & non affectatam excusare in *tantum* quidem, sed non in *totum* Luc. xii. 47. 48. Sic quando Christus de Pharisæis dicit Joh. ix. 41. *si cæci essetis, non haberetis peccatum*, non intendit pronunciare, per istam ignorantiam, immunes futuros ab *omni*, seu à *toto* peccati; sed in *tantum* tantum, quatenus tum immunes futuri fuissent à *prætextu*, seu ab omni eâ excusatione, quæ tum ipsis suppetebat à suâ ignorantiâ. Conf. Joh. xv. 22. Quando autem Apostolus 1. Tim. i. 13. dicit se *ignorantem* fecisse, & in suâ *infidelitate*, & hinc sibi misericordiam obtigisse; non vult significatum, istam ignorantiam, causam fuisse istius misericordiæ; sed tantum rationem, ob quam peccata sibi remitti *potuerint*, quia propter defectum *solum* scientiæ, non efformarint irremissibile peccatum in Spiritum S. Quantum ad *primum* πρῶτον ψεῦδος, quod omne peccatum sit voluntarium &c. jam ante notatum, eo abunde satisfecimus hujus libri cap. ii. §. xxi. & hujus capitis §. xx. Quantum etiam ad *secundum* πρῶτον ψεῦδος, de peccato *veniali*, & hoc ex professo disjecimus paragrapho præcedente.

Objectiones.

5. An infantes ante omnem usum rationis

XXIV. Quæritur 5. An infantes ante omnem usum rationis subsint peccato actuali? Sociniani negant quidem; sed eadem operâ etiam negant eos subesse peccato *originali*, tam imputato, quam inhærenti, ad hoc, ut habeant, infantes absque Christo, absque satisfactione ejus servari. Cartesiani Theologi, ex eo quod statuant, animam rationalem, non esse nisi actualem cogitationem, quæ, vel conveniat, vel repugnet legi divinæ, coguntur etiam statuere, quod & in infantes cadat peccatum actuale. Lutherani, qui docent *fidem actualem* cadere in infantes; atque etiam, ut commodius tueantur suam formulam Baptismi: **en wat ỹn** (infans) **self daar toe gedaen heeft**/ scil. ad peccatum originale: statuunt infantes etiam subesse peccatis actualibus, non quidem quoad προαιρετικὸν, sed tamen ἄνομον, quod etiam veram rationem peccati actualis habeat. Reformati, quamvis agnoscant, infantibus actu inesse corruptionem originalem, à quâ, naturâ proclives sint ad quævis peccata actualia, quin & eorundem semina in se gestent: negant tamen ulli peccato actuali eos propriè subesse. Quia 1. Scriptura docet, eos non peccare *ad similitudinem Adami* h. e. actualiter. Quia etiam 2. eos *innocentes* pronunciat Psal. cvi. 31. hoc enim, cum dici non possit ratione peccati *originalis*, à quo impuri pronunciantur 1. Cor. vii. 14. non manet, nisi eos innocentes dici, ratione peccati *actualis*, utpote qui ignorent *discernere inter dextram & sinistram* Jon. iv. 11, Quia 3. dicuntur *nec bonum nec malum feciisse* Rom. ix. 11. Quia 4. infantibus ut talibus, nulla est præscripta lex, à quâ ἄνομον committant, nullam legem cognoscunt, eoque etiam, se ad nullam legem componere, aut ab eâ deviare possunt. Objiciunt tamen A. Quod *figmentum cordis humani*, dicatur *malum à pueritiâ* Gen. viii. 21. cum Gen. vi. 5. Resp. יצר hoc loco sonat formam ac dispositionem cordis, in infantibus, non à peccatis *actualibus*; sed à corruptione *originali*, *tantummodo malam*, ab ipsa sua infantia Prov. xxii. 15. B. Quod mens humana consistat in cogitatione *actuali*, quæ possit non tantum *congruere* cum lege divinâ; sed etiam ei *repugnare*. Resp. 1. Mentem humanam esse substantiam cogitativam, quæ possit organis satis dispositis, cogitare, non dubitamus, quemadmodum est substantia ratiocinativa, non quod actu semper ratiocinetur; sed quod possit ratiocinari, positis ponendis. 2. Si demus mentem in infante actu cogitare; non tamen inde sequitur, quod actualiter peccet: quia sicut diximus, infans ante omnem usum rationis, sibi non habet præscriptam legem, quam possit transgredi. Nec valet, quod actualis ejus cogitatio possit esse non conformis, quin & repugnans legi, quandoquidem & bovis corrupetæ homicidium materialiter est repugnans legi, nec tamen ex eo bos iste proprie est homicida, aut occidendo peccat, quia ei non est præscripta lex, quam transgrediatur.

subsint peccato actuali?

Objectiones.

XXV. Quæritur tandem 6. An Deus sit auctor peccatorum? Item, an Reformati ex obliquo seu per

6. An Deus sit

auctor peccatorum: item, an Reformati hoc affirmant?

per consequentiam statuant, Deum esse auctorem peccati? Prius Manichæi aliique olim affirmabant per apertam blasphemiam, contra Scripturam Psal. v. 5. 6. 7. contra naturam Dei, ut summi boni; & nonnulli ex Enthusiastis etiamnum affirmant. Reformati ita negant, ut non dubitent isti sententiæ anathema denunciare. Quantum ad calumniam, quâ omnes, quotquot sunt extra communionem Ecclesiæ Reformatæ, ei affirmativam impingunt, eam non semel debellavimus, nominatim lib. III. cap. X. §. XXXII.

Pars Practica.

Praxis hujus capitis est: 1. In cognitione peccati. Quid illud?

XXVI. Praxis theoriæ de peccato actuali est *primo* in ejus *cognitione* Jer. III. 13. quâ distincte perspiciamus (1) *quid* sit peccatum, non tantum *theoretice*, prout illud in *dogmaticis* repræsentavimus, per naturam & capita sua; sed etiam, & potius, *practice*, quod sit 1. *summum* malum, quo cogitari & esse majus non potest, utpote quod *solum* malum sit, homini *internum*, eum exponens iræ & *odio* Dei: solum *obnitens summo* bono: solum *universaliter*, quantum quantum est, malum: solum nos *disterminans* à summo bono: *causa* omnis mali (publici & privati, spiritualis, corporalis, æterni, ipsius inferni, quin ipso inferno deterius) quippe quod suâ naturâ, Deum q. solio suo deturbare nititur, unde Patribus non abs re *deicidium* audit: adversatur *operibus* Dei, destruxit imaginem Dei; *naturæ* Dei, quæ pura sancta est, dum hoc impurum, turpe, profanum; *voluntati* Dei repugnans: dum enim illa dicit, *fac hoc*, hoc obstrepit, *nolo*. 2. *Turpissimum* malum, sanctissimam, purissimam, glorioissimam Dei Majestatem violans Psal. LI. 4. quod non alio elui potest, quam *sanguine filii Dei* 1. Joh. I. 7. turpissimâ ac maledictâ ejus *morte* Gal. III. 10. quod animam pariter & corpus nostrum polluit, destruit 2. Cor. VII. 1. Jes. LXIV. 6. ac turpissimæ suæ tyrannidi subigit Rom. VI. 12. 3. *Pernicioissimum* malum, quod nos *privat* Deo, Christo, gratia, gloria, cœlo, beatitudine, imo ipsa anima nostra Eph. II. 12. quod nos exponit diriissimis Dei *judiciis* temporalibus, spiritualibus, æternis. Perspiciamus (2) *quotuplex* sit peccatum, non tantum per tot species, quas in *dogmaticis* produximus, & per tot præcepta quibus opponuntur: sed per infinita ferè eorum in quovis homine individua, ut hîc cum Psalte exclamare debeas: *Errores* quis *intelligat!* Psal. XIX. 13. (3) *Quantum sit* peccatum, non in se tantum suaque natura, scil. malorum maximum, infiniti demeriti; sed quantum insuper *fiat* ex circumstantiis perpetrationis, à persona, loco, tempore, perpetrandi modo, contra conscientiam, contra tot Spiritus S. motus, non ex errore, infirmitate, tentationum gravitate; sed *elata manu*, per puram putam contumaciam, idque non in *levioribus* tantum delictis, titillationibus, oblectationibus circa peccata, sed in *graviissimis* personæ ac turpissimis sceleribus, blasphemiis, perjuriis, adulteriis, cædibus, furtis, mendaciis &c. Psal. LI. 2. 5. 6. 2. Sam. XXIV. 10. Psal. XIX. 13. 14. Matth. XV. 19. 20.

Quotuplex.

Quantum.

2. In sensu & dolore de peccato.

XXVII. *Secundo* in *sensu & dolore* super peccatis, quo peccata, eorumque gravitas & turpitudo continuo nobis sint velut *ob oculos* Psal. LI. 5. ut propter ea profunde nos coram Deo humiliemus, *prosternamus* Dan. IX. 18. *compungamur* in *cordibus* nostris Act. II. 37. imo *contriti* simus penitus Psal. LI. 19. & XXXIV. 19. non quidem (ut Pontificiorum carnificina vult) ut dolor sit prorsus *adæquatus* peccatis nostris: attamen ut, quantum fieri potest, proportionem habeat cum gravitate peccatorum, si non *actu*, saltem *affectu*, ut præ dolore cor nostrum quasi liquescat, & liquefactum q. effundatur (quod significatum Judæi volebant *hauriendo aquam & effundendo coram Jehova*. 1. Sam. VII. 6.) effusum sinceris *lacrymis* testificetur Matth. XXVI. 75. Quorsum juvabit considerare, ab *una parte* gravitatem ac turpitudinem peccati aut peccatorum Dan. IX. 5. 11. ab *altera* gravitatem reatus ac demeritum pœnæ *Ibid.* 14.

3. In confessione peccatorum.

XXVIII. *Tertio* in *confessione* peccatorum Prov. XXVIII. 13. qua (1) peccatorum nostrorum gravitate & copiâ Luc. XVIII. 13. Esd. IX. 6. Job. XLII. 6. Psal. XXXVIII. 4. *intus* in corde tacti & compuncti Psal. LI. 5. (2) profunda *humilitate* Dan. IX. 18. (3) non *generaliter* tantum, sed per *species*, per numeros, per circumstantias Dan. IX. 6. 8. 10. 11. nec *voce* tantum, sed *animo*, absque omni *fuco*, extenuatione, palliatione, *sincere* Thren. III. 41. 42. & (4) *plene*, excussa probe conscientia Thren. III. 40. 41. A. *repræsentemus* & enumeremus coram Deo Psal. XXXII. 5. B. *Exaggeremus*. Psal. LI. 6. 7. C. Nos ipsos propter ea *condemnemus*, & quibusvis judiciis dignos declaremus Dan. IX. 12. 13. Mich. VII. 9. quod hujusmodi confessio (a) cumprimis vergat in *gloriam* Dei Jos. VII. 19. Psal. LI. 6. (b) ad allevationem onustæ *conscientiæ* Psal. XXXII. 4. 5. (c) Ad peccatorum *remissionem* consequendam Prov. XXVIII. 13. Luc. XV. 18. 19. 20. & XVIII. 13. 14.

4. In odio & detestatione peccati.

XXIX. *Quarto* in odio & *detestatione* peccati Psal. XCVII. 10. Quod 1. præter peccatum, nihil sit quod *justo* odio prosequamur: cum omnia præter illud à Deo velut summo bono, originem petant Rom. XI. 36. usque ad pestem, famem, bella & aliàs pessima quævis Jes. XLII. 24. & XLV. 7. Quod 2. *Deus* summum bonum, *solum* peccatum, suo odio dignum censeat Psal. V. 5. 6. Hab. I. 13. Quod 3. ipsum *solum*, nos & optima nostra, exosa & abominabilia Deo faciat Jes. I. 14. 15. Quamobrem peccatis nostris (1) non *irascamur* tantum affectu *placabili*; sed *odio* illa prose-

quamur, quo in eorum *deſtructionem* & exitium, omni conatu contendamus (ſcil. pro natura odii) quo fine peccatum *crucifigere* Gal. v. 24. & *mortificare* jubemur Col. III. 5. Eoque (2) *univerſali*, non verſus hoc tantum aut illud; ſed verſus *omne* peccati genus; non *graviora* tantum illa, quæ vel peſſimis exoſa ſunt 1. Cor. v. 1. ſed *leviora* quoque, uſque ad *ſpeciem* omnis mali 1. Theſſ. v. 22. & *tunicam*, *carnis contactu maculatam* Jud. verſ. 23. atque etiam (3) *implacabili*, quod non quieſcat, niſi in *totali* ejus deſtructione abolitioneque Heb. XII. 4.

5. In fuga peccati.

XXX. *Quinto* in *fuga* peccati Jeſ. I. 16. Prov. XXVIII. 13. quâ 1. circumſpecte, ἀκριβῶς ſemper & ubique *ambulemus*, ne in peccati naſſam pertrahamur, & ſenſibus *extus* Job. XXXI. 1. & cordi *intus* ſolicite advigilemus Prov. IV. 23. 24. 25. 26. 27. Qua 2. intenti ſimus in lapſus & peccata *aliorum*, ut aliena pericula nos cautos faciant. v. g. in protoplaſtorum fœdifragium & apoſtaſiam Gen. III. Noachi ebrietatem Gen. IX. 20. 21. Abrahami mendacia Gen. XX. 5. Moſis infidelitatem, Davidis adulterium, homicidium & faſtum, Salomonis idololatriam, Petri abnegationem &c. Ut in eundem lapidem non impingamus. Qua 3. in *propria* carnis imbecillitatem & perfidiam ſimus deſixi Matth. XXVI. 41. Qua 4. *Satanæ* ſtratagemata & inſidias 1. Pet. v. 8. τὰ βάθη Apoc. II. 24. νοήματα 2. Cor. II. 11. μεθοδείας τῆς πλάνης Eph. IV. 14. *non promoti*, *ſed experti Sophiſtæ*, ut Lutherus ferebat, cautè obſervemus. Qua 5. ipſius *peccati* ſeductricis *technas* & fraudes, in offerendo offenſionis *objecto*, in adducendis & urgendis *argumentis* ſeductioni commodis: in fingendis *effugiis* & excuſationibus, prout nullum vitium eſt ſine patrocinio: in *extenuationibus* graviſſimorum ſcelerum: in mille *promiſſis* & illecebris, quæ in tentatione utriuſque Adami, primi Gen. III. & ſecundi Matth. IV. conſpicua ſunt; ſolicitè declinemus. Proinde 6. id operam demus, ut concupiſcentiam *in herba*, h. e. in motibus ſuis primo-primis *ſupprimamus*, ne ab eâ abſtrahamur & ineſcemur, eoque quaſi concipiat, & hinc tandem pariat, peccatum pariter & mortem Jac. I. 14. 15. In quam rem juvat genituram peccati, quam in exegeticis delineavimus, in explorato habere.

6. In liberatione à peccato.

XXXI. *Sexto* in *liberatione* à peccato Rom. VII. 24. *Quis me liberabit?* Qua, peccato abrepti aut etiam mancipati, liberemur, tum à *reatu*; tum *dominio* peccati, Eſt enim 1. in peccato *turpitudo* turpiſſima, quæ ipſam *animam* noſtram deturpat 2. Cor. VII. 1. & adeo deturpat, ut vel ab *optimis* noſtris operibus nauſeam & faſtidium Deus capiat Jeſ. I. 13. & LXIV. 6. & quæ non alio elui poſſit, quam ſanguine *Filii* Dei 1. Joh. I. 7. Eſt 2. in eo *tyrannis*, & ſervitus Joh. VIII. 34. (qua ejus *cupiditatibus* morem gerimus) quâvis Ægyptiacâ ſervitute durior. Eſt 3. *miſeria* ineffabilis in peccato, quam juſto Dei judico nobis affert, nos *privando optimo* quovis: Deo, Chriſto, gratiâ, gloriâ, & nos *præcipitando* in *peſſima* quævis, ipſam *animam* noſtram, in iram Dei, ejus judicia, temporalia, ſpiritualia, æterna, quæ nullis ſimilibus, Scriptura repræſentare ſatis poteſt Jeſ. LXVI. 24. Matth. XXII. 13. & XXV. 41. 2. Theſſ. I. 8. Ab ea igitur ut liberemur, (1) opus nobis eſt liberatore, *Deo* Pſal. CXXX. 7. 8. Jeſ. XLIII. 1. Jer. XXXI. 1.— Jeſ. LX. 16. *Mediatore* 1. Tim. II. 5. 6. Jeſ. LXIII. 1.— Rom. III. 23. 24. 25. qui ad hoc venit, ut *opera Diaboli deſtruat* 1 Joh. III. 8. Tit. II. 14. 1. Pet. I. 18. 19. *Spiritu Sancto* Rom. VIII. 23. Eph. I. 13. 14. & IV. 30. (2) Ut *deſideremus* calidiſſimis *votis* Rom. VII. 24. *Miſer ego, quis me liberabit?* Ut liberatorem expetamus *fide* vivâ Rom. III. 25. Jeſ. XLV. 22. & *precibus* calidiſſimis Pſal. XXVI. 11. & XLIV. 27. 2. Sam. XXIV. 10.

7. In remiſſione peccatorum.

XXXII. *Septimo* in *remiſſione* peccatorum Matth. VI. 12. Pſal. LI. 3. 9. 16. Cujus quidem *auctor*, ſolus Deus Jeſ. XLIV. 22. Matth. IX. 3. *parator*, Jeſus Chriſtus, per ſanguinem crucis ſuæ Eph. I. 7. Col. I. 20. acquirendæ *media* (1) *Reſipiſcentia* Pſal. LI. 4. Eſd. IX. 6. Dan. IX. 8. quam omnino Deus *prærequirit*, conferendæ remiſſioni Act. XVII. 30. & II. 38. & III. 19. cui *promittit* remiſſionem Jeſ. I. 16. 17. 18. Heb. VIII. 12. cui *remittit* etiam Pſal. XXXII. 5. 2. Sam. XII. 13. Luc. VII. 38. 48. Act. V. 31. Cui remiſſionem indiviſibili nexu *copulat* Matth. IV. 17. Luc. XXIV. 47. (2) *Fides* viva Rom. III. 25. cui remiſſionem *contulit* Jeſus Luc. VII. 48. 50. Matth. IX. 2. (3) *Preces*, quas conſequendæ remiſſioni, Chriſtus ſerio præſcripſit Marc. VI. 11. 12. Ezech. XXXVI. 37. cum 25. Luc. XVIII. 13. 14. Zach. XIII. 1. Matth. XVIII. 32. (4) Remiſſio debitorum *proximi* Matth. VI. 12. 14. 15. (5) Abnegatio & *intermiſſio peccati* Prov. XXVIII. 13. Jeſ. LV. 7. & I. 16. 17. 18. Mich. VII. 18. 19.

8. In mortificatione peccati.

XXXIII. *Octavo* in *mortificatione* peccati Col. III. 5. Cui admodum conducet (1) *conſideratio* peccati, quantum ad ejus turpitudinem, ſervitutem & tyrannidem, fraudes, miſeriam, quam in præcedentibus dudum, expreſſimus (2) *deteſtatio* peccati, ex conſideratione oriunda Pſal. XCVII. 10. quâ peccata *crucifigimus*, mortificamus Gal. v. 24. (3) *fides* in Chriſtum Act. XV. 9. per quam Chriſto *unimur*, ab eo virtutem attrahimus, quâ cum eo *crucifigamur* Gal. II. 20. & *crucifigamus* carnem cum cupiditatibus ſuis Gal. V. 24. quâ *aſſimilemur* morti Chriſti Rom. VI. 5. (4) *reſipiſcentia* 1. Cor. VI. 11. (5) *vigilantia* Mal. II. 15. 16. quâ diligenter obſervamus, primos motus corrupti cordis *intus*, ut eos tempeſtivè ſupprimamus & exſtinguamus; & quasvis occaſiones ad peccandum *extus*, quo *principiis* peccatorum obſtemus, eoque fœtum diaboli, quaſi in utero ſupprima-

primamus. Conf. Pſal. xxxix. 2. 1. Pet. v. 8. (6) ſacra *armatura* Eph. vi. 12. --- in quâ, velut pro armis conficiendi cupiditates, & pro *antidotis* pellendi virus peccati, conſtanter uſurpemus *verbum* divinum Pſal. cxix. 11. 1. 7. 4. tanquam *gladium* ſpiritualem Eph. vi. 17. exemplo Servatoris Matth. iv. 4. 7. 10. uſurpemus *ſacramenta*, quibus virtus & robur Chriſti in nos derivetur, cujus ope peccatum conficiamus Rom. vi. 3. 4. uſurpemus *preces* Eph. vi. 18. ut Deus, *pro divitiis gloriæ ſuæ, det* nobis *fortiter corroborari per Spiritum, ſecundum interiorem hominem* Eph. iii. 16. cujus *Spiritus* ope, *operationes corporis mortificemus* Rom. viii. 13. exemplo Pauli 2. Cor. xiii. 8. 9. Conf. Matth. xvii. 21. (7) *pugna* ſpiritualis, *ſpiritus* adverſus *carnem* Gal. v. 17. 2. Tim. iv. 7. qua ſingulis vitiis ſuas opponamus & exſeramus *virtutes*, illa op- & ex-pugnaturas. v. g. ſuperbiæ, humilitatem; avaritiæ, liberalitatem; concupiſcentiæ, *ἀνταρκειαν*. &c. Tandem (8) *corroboratio* animi adverſus ſingulos vitiorum inſultus, per ſingula Scripturæ teſtimonia v. g. adverſus *iracundiam* nos roboremus locis Eph. iv. 26. 27. Eccl. vii. 9. Jac. i. 20. adverſus avaritiam, locis Heb. xiii. 5. 1. Tim. vi. 9. 10. adverſus ſuperbiam, locis Prov. xvi. 18. 1. Pet. v. 5. 6. adverſus libidinem, locis 1. Theſſ. iv. 3. 4. 5. Heb. xiii. 4. &c.

9. In gratitudine, occaſione peccatorum Ss. Trinitati præſtanda.

XXXIV. *Nono* in *gratitudine*, occaſione peccatorum Deo præſtanda Rom. vii. 24. *Gratias ago Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Qua 1. *admiremur* infinitam Dei ſapientiam âc potentiam, & adoremus inexhauſtam ejus bonitatem, per quam è peccato, *ſummo* mundi *malo*, potuit elicere *ſummum bonum*, vitam è morte; cœlum, ex inferno; antidotum è veneno: per quam *omnia*, uſque ad mala quævis, imo uſque ad *infinitum* peccati malum, electis *cooperantur in bonum* Rom. viii. 28. Conf. Gen. l. 20. & Rom. xi. 32. 33. 34. 35. Qua 2. *agnoſcamus* divitias amoris & miſericordiæ in Chriſto Jeſu, quibus onus peccatorum *ἀβάσακτον* in ſe ſuſcepit. Jeſ. liii. 6. *omnium* peccatorum, totius mundi electi Joh. i. 29. Ut *peccatum pro nobis factum* fuerit, quo nos *fieremus juſtitia Dei in eo* 2. Cor. v. 21. Quantum igitur ipſi ſumus obſtricti, qui non *unum* aliquod peccatum noſtrum, quod infiniti eſt demeriti, & omne malum abſorbet excluditque; ſed *tot* peccata, *omnia* peccata, & *omnium* electorum in ſe ſuſcepit, ut à nobis auferret Col. ii. 14. Quam nobis hic incumbit, cum Bernardo dicere: *Tu vita mea, ego mors tua; tu juſtitia mea, ego peccatum tuum; tu cœlum meum, ego Gehenna tua; tu divitiæ meæ, ego paupertas tua.* Quâ 3. *ſentiamus virtutem* Dei (Luc. i. 35.) virtutem Spiritus S. quâ tot peccatis, intus & extus, obſitos & obrutos (Heb. xii. 1.) *conſervat in fide*, ne corruamus ſub peccatis 1. Pet. i. 5. Quâ tandem 4. *extollamus* totius SS. Trinitatis infinitam *longanimitatem* & patientiam, quâ *ferre* poteſt, & tamdiu ferre poteſt, tot peccatis fœdatos Rom. ii. 4. Exod. xxxiv. 6. Nec ferre tantum, ſed *condonare* quoque Mal. iii. 6. --Hoſ. ii. 19. cum peccatum omnibus modis ipſi ſit adverſum, imò nec condonare tantum; ſed & *beatificare* peccatores 1. Tim. i. 15.

10. In curâ peculiari, circa peculiaria peccata.

XXXV. Denique *decimo* in *ſingulari* curâ, circa ſingularia peccata momentoſiora, qualia ſunt vaſtantia conſcientiam, quæ nobis ſint in deliciis, quæ regnent in nobis, imprimis horrendum illud in Spiritum Sanctum; ut nim. naturam eorum dextrè aſſequamur ac diſcriminemus; tum ab iis cane pejus & angue nobis caveamus. Verum de peccatis *regnantibus* & mortificatis in Cap. de *Sanctificatione*, & de peccato in *Spiritum S.* peculiaris fortè occurret dicendi locus. Succurrant interim, quæ jam ante docuimus de peccato in *Spiritum S.* nim. ut à *primo* ejus gradu, puta à *contriſtatione* Spiritus S. nobis quam religioſiſſimè caveamus, ne per hoc ad *ſecundum*, ſcil. *repugnantiam* ſeu rebellionem; & hinc porro ad *tertium*, *exſtinctionem* ejus; & hinc tandem in *quartum*, *blaſphemiam* ſcil. pertingamus, eâque immutabiliter & æternum miſeri evadamus.

CAPUT QUARTUM.

De Pœnâ & Statu Peccati.

Rom. VII. 24. 25.

Miser ego! quis me liberabit ab hoc corpore mortis? gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum.

I. Fœdifragii primi, *primum* consequens, ex utroque peccato, originali & actuali oriundum, hactenus contemplati sumus; succedit *secundum*, & *pœna* peccati, ex quâ *miseria* nostra nascitur, & *status peccati*, quam sentit ac deplorat Apostolus Rom. VII. 24.

Pars exegetica.

Secundum peccati consequens est pœna, & status peccati. Cujus consideratio superstruitur exegesi textus.

II. *Cujus verbis* querela *continetur de* peccato & miseria *peccati*, *oriunda ex ipso corpore peccati*, *in qua tria habentur*:

1. Sensus miseriæ. Miser ego homo. *Ubi notatur*

A. Miser. Ego. *Seipsum commemorat, ut efficacius erigat alios, ex eâdem miseria gementes.* Ego, *jamdudum regenitus, ego* Apostolus, *primipilus inter regenitos, nihilominus miser ex* corpore mortis. *Non loquitur ergo de se velut adhucdum* irregenito: *ejus enim non est agnoscere, sentire, & conqueri de suâ miseriâ.*

B. Miseriâ, ταλαίπωρος. *Vox est composita, ex* ταλάω, *vel per syncopen* τλάω, suffero, perpetior, & πῶρος luctus. *Potest item fieri à* τάλα ἀπὸ τῦ πώρυ, & πῶρος *item notat* duritiem lapidosam, *qualis est in articulis podagricis, quæ parit acutissimos dolores.* Priore *significatione, habebit metaphoram ab athletis, qui postquam aliquamdiu laboriosissime contenderunt de* prærogativâ *seu victoria; tandem superantur ab adversariis contendentibus, nisi juventur: posteriore autem significatione, notabit intime & acutissime sentientem suam miseriam. Ut in* unâ *voce coeant,* & miseria, & sensus *ejus maxime dolorificus. Est igitur vox gementis & anhelantis liberationem à sua miseria.*

2. Votum *liberationis,* τίς με ῥύσεται, ἐκ τῦ σώματος τῦ θανάτυ τύτυ, quis me liberabit à corpore mortis hujus? *Notatur istis verbis*:

α. Liberans, *qui quæritur,* τίς quis? *Non enim homo quivis, aut Angelus etiam, aut ulla mera creatura, nec etiam lex potest; quis igitur supereſt, qui me liberet? Non est sane quæstio dubitantis: dicit enim eodem quasi halitu, vers. seq. quis possit: sed, tanquam in extremo angore cogitans, qualem & quantum eum esse oporteat, qui hoc possit.*

β. Liberatio, ῥύσεται: liberabit. *Non dicit* eripuit; *sed* eripiet: *ut significet, conversionem & sanctificationem in hac vita nunquam perfici, adeo ut nihil perficiendum reſtet. Supplenda ergo hic est responsio: Deus per Christum hoc aliquando faciet, cui propterea gratias agit.* Ῥύσεται, *à* ῥύω, *unde Latinorum* ruo, & *inde compositum* eruo. *Est efficaciter, & ex presenti periculo aut* ærumna eripere. *Plus notat quam* liberare: liberantur *enim ab aliquo malo, etiam qui volunt & cupiunt liberari; sed* eruuntur *etiam quandoque qui non cupiunt,* eruuntur *violenter ex aquis pereuntes & mergentes, quomodo etiam David agnum eruebat ex ore ursi. Notat nominatim aliquem extrahere è loco seu carcere caligino so in lucem, quod accidebat Jeremiæ. Hinc* ῥυόμενος *liberator* Rom. XI. 26. & ῥυσθέντες Luc. I. 74. *Fit autem* ῥύσις *illa,* partim *per redemtionem, seu per satisfactionem Christi;* partim *per redemtionis partæ applicationem, per Spiritus S. regenerationem, conversionem, sanctificationem.*

γ. Liberatum, *ita dicam, seu terminus liberationis à quo,* à corpore mortis hujus, ἐκ τῦ σώματος τῦ θανάτυ τύτυ *Hic est*:

א. Corpus, *à quo liberari cupit.* ἐκ τῦ σώματος, ab hoc corpore. *Non desunt qui per hoc* corpus *intelligant alteram sui partem essentialem, corpus hoc* mortale, *seu hanc vitam mortalem, omnesque ejus molestias, quibus ex peccato sit obnoxius, per omnem hanc vitam, ut optet liberari à* corpore mortali, & *consequi* corpus immortale, *per resurrectionem carnis* 1. Cor. XV. 53. 54. *Rectius alii per hoc* corpus *intelligunt* peccatum Rom. VI. 6. corpus peccati, *de*

quo

quo conſtanter in præcedentibus Apoſtolus locutus fuerat, & ſignate quidem peccatum originale inhærens verſ. 8. 13. peccatum peccans, verſ. 17. 20. Lex peccati verſ. 23. *Hoc vero* corpus *appellat, quia variis partibus, ſeu membris integrum eſt, quia ſemina habet omnium cupiditatum vitioſarum, eaſque operatur* verſ. 8. *Unde Apoſtolus* Col. III. 5. Mortificate igitur membra veſtra quæ in terris ſunt *Et quænam iſta membra? peccata,* ſcortatio, impuritas *&c. Conf.* Rom. VI. 12. 13.

ב Mortis, σώματος τῦ θανάτυ τύτυ Corpore mortis hujus. *Appellat corpus iſtud peccati,* corpus mortis, *quod* reos *non faciat mortis omnimodæ: mortis* ſpiritualis, *qua mortui ſumus* in peccato Eph. II. 1. 5. *qua* inepti *ſumus ad quodvis bonum* ſpirituale, *& proclives ad malum quodvis, à quo* opera mortua Heb. VI. 1. *&* IX. 14. *Mortis naturalis, cujus reatum etiam nobis conciliat peccatum* Rom. V. 12. *&* VI. 23. *qua anima ſeparatur à corpore, & homo ineptus fit ad quaſvis operationes naturales: mortis* æternæ, *qua penitus ſeparamur ab unione cum Deo, velut ſummo* bono, *& inepti reddimur ad omnes operationes fruitionis & gaudii in Deo. Primam tamen mortis ſpeciem hoc loco potiſſimum intendere videtur Apoſtolus.*

ג Hujus τύτυ. *Quod referri poſſit, vel ad* remotius, *puta ad* corpus, *q. d. à corpore, ut eſt in hoc miſero ſtatu corruptionis: vel potius ad* propius θανάτυ, mortis *hujus, in quo jam ſum, ſive ſumatur de* corpore *mortali, ſive de* corpore peccati *originalis, ſub quo jam ſum.*

3. Exercitium *gratitudinis*: Gratias ago Deo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Eſtius & ex eo Menochius legunt*: gratias Dei per Jeſum Chriſtum *&c. Ut ſit* ſubjectio *ad quæſtionem*: quis me eripiet? gratia Dei *me eripiet* per Jeſum Chriſtum. *Sed vix eſt codex græcus, qui ſic legat: unus invenitur Bezæ, qui legit:* gratia Deo, *ut ſit gratiarum actio. Reliqui omnes habent*: gratias ago Deo, per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Quia coharentia horum verborum, cum præcedentibus pariter & conſequentibus, ſubobſcura eſt: nonnulli* κατ' ὑστερολογίαν, *illa ponenda judicant poſt ſequens homiſtichium, ut cohæreat cum* verſ. 1. *capitis octavi: alii rectius* ὡς παρενθήκην *legunt, quippe quâ omiſſâ, reliqua cum ſequentibus commode coharent. In hac gratiarum actione Pauli, notatur*:

A. Quid *&* quis *agat*, gratias ago. *ſcil. ego,* ἐυχαριστῶ. Quis *igitur agit*! Ego *gratias ago, ſic de ſe loquitur* ἐν παρενθέσει, *non equidem ad hoc, ut ſeipſum à dictis præcedentibus ſecluderet, in hunc ſenſum: Ego quidem in prima perſona, per modeſtiam quandam elocutus ſum: at reverà, ſi ſine figura mihi de memetipſo loquendum ſit; non is ego ſum, qui tales laniatus ſentiam, cum Deus me, per Jeſum Chriſtum liberaverit, unde* gratias ago Deo. *Sic Grotius poſt Originem, Ambroſium alioſque: ſed abſque ulla ratione: cum querela,* Miſer ego *omniaque præcedentia hujus capitis, perinde cadant in Paulum ac quoſvis regenitos.* Quid *autem agit Paulus?* ἐυχαριστῶ, gratias ago, *h. e. grata quævis refero, &* corde *agnoſcendo beneficia præſtita, rememorando, & recolendo memoria* Pſal. CIII. 1. 2. Ore, *prædicando apud alios* Marc. V. 19. opere, *bonis quibuſvis operibus, quaſi compenſando* Pſal. CXVI. 12.

B. Cui *gratias agat,* Θεῷ Deo, *velut uni beneficiorum, & imprimis* liberationis *auctori. Non* legi, *non cuivis, præterquam Deo, gratias ago.*

C. Quomodo *agat*, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Abſque quo, & abſque cujus virtute* nihil *omnino poſſum, quod Deo gratum ſit, quale eſt Deo gratias agere* Joh. XV. 5. *in quo, & cujus virtute, ex adverſa* omnia poſſum Phil. IV. 13. Rom. XV. 18. Per Chriſtum, *abſque quo fide apprehenſo, nihil, & conſequenter nec hæc mea gratiarum actio Deo grata eſſet* Joh. XVI. 15. 23. 24. Per Chriſtum, *utpote per quem ſolum me liberabit, & liberavit ab hoc* corpore mortis: *per* Jeſum *ut redemptorem, ex nomine & officio*: *per* Chriſtum, *velut unctum & conſtitutum unicum Mediatorem* I. Tim. II. 5. *Per* Dominum *cui* omnem poteſtatem dedit in cœlo & in terrâ Matth. XXVIII. 18. *cujus pedibus omnia ſubjecit* Phil. II. 9. 10. 11. Per Chriſtum; *velut Dominum* noſtrum, *qui nos emit ſuo ſanguine* I. Pet. I. 18. 19. *qui nos liberavit* Heb. II. 14. 15. *qui nos* liberavit à manu omnium inimicorum noſtrorum, ut ei ſerviremus abſque timore, in ſanctitate & juſtitiâ omnibus diebus vitæ noſtræ Luc. I. 74. 75.

Pars Dogmatica.

E peccato ſequitur: I. Pœna.

III. Quare peccatum ex omnimodæ mortis *pœna & ſtatu* nos miſeros reddit. Seu, ut diſtinctius dicam, peccatum ſequitur *pœna*, & pœna hæc *mors* eſt omnimoda, & ex morte ſequitur miſeria & *ſtatus* quidam peccati. Singula horum paulo diſtinctius nobis dicenda ſunt. Peccatum igitur ſequitur *pœna* I. Pet. II. 16. Heb. X. 29. Jud. verſ. 4. ſequitur autem, partim virtute *legis* divinæ, peccatis pœnam adjudicantis, quâ ratione *boni* aliquid in ſe habet pœna, & eſt à Deo;

partim ex naturâ & *demerito* ipsius peccati, unde qui peccata committunt, *jure divino digni* dicuntur *morte* Rom. I. 32.

Quid sit pœna?

IV. Non est autem *pœna*, nisi *malum infligtum creaturæ rationali à judice, non tantum propter peccatum; sed etiam in compensationem peccati.* Est *malum*, quia est privatio *boni*, non *honesti* quà talis (quamvis & *materialiter* Deus peccata *peccatis* quandoque puniat, ut alibi ex professo demonstravimus) sed *jucundi* seu felicis, saltem respectu peccatoris qui punitur: proinde malum est, non simpliciter *contractum*, quale præstat ipsum *peccatum*; sed *infligtum*, quia pertinet ad justitiam retribuentem & *vindicantem*: inflictum à Judice & Domino, qui *potestatem* habet νομοθετικὴν & *vindicativam* (aliàs par in parem non habet imperium) aut vindicandi legem violatam; inflictum *propter peccatum*, quia respectum & ordinem semper habet ad *meritum* peccati, ad quod, ex *offensione*, ratione *prohibitionis*, & ex *reatu*, ratione *comminationis* sequitur pœna. Hinc pœna *proprie* dicta, non habet locum, nisi in creaturis *intelligentibus*, in quibus *salis* etiam *peccatum* obtinet, quod *sola* legem sibi habeant præscriptam, quam transgredi possint. Nec tamen *propter* peccatum simpliciter (cum & afflictiones fidelibus, quibus jam propter Christum remissa sunt peccata, adeo ut *nulla jam in ipsis sit condemnatio* Rom. VIII. I. suæ immittantur *propter peccata*, seu potius *occasione* peccati perpetrati, & imposterum non perpetrandi) sed & in *compensationem* peccati, ut profluat, non à *charitate* & in emendationem, ut fit in afflictionibus & *castigationibus* paternis fidelium; sed à *justitia* in compensationem delicti, ut fit quasi loco *obedientiæ* neglectæ, *alterutrum* enim lex exigit, vel obedientiam vel pœnam: & etiam à Deo ut *Judice*, non ut à *Patre*, nec in afflicti *emolumentum*; sed in ejus *detrimentum*.

Afflictiones fidelium non sunt pœnæ.

V. Ex quo perspicuum est, *afflictiones* eorum, quibus propter Christum remissa *peccata* sunt, sensu quidem latiori, *pœnas* esse, quatenus occasione peccati immittuntur Psal. VI. I. & XXXVII. I. stricliori tamen & *proprio* sensu, nequaquam esse *pœnas*; sed vel I. *castigationes* paternas, quibus non *compensatio*; sed *emendatio* intenditur Heb. XII. 6. 7. 8. 9. Apoc. III. 19. 2. Sam. VII. 14. 15. I. Cor. XI. 32. vel 2. *probationes*, quibus status nostri spiritualis, virtutum salvificarum, fidei, spei, charitatis, sapientiæ, constantiæ &c. *declaratio*, atque etiam *confirmatio* & incrementum intenditur, quâ ipsi fideles sibi aliisque magis innotescant Gen. XXII. I. 12. Rom. V. 3. 4. 5. Jac. I. 2. 3. 4. I. Pet. I. 6. 7. Deut. XIII. 5. Vel 3. *martyria*, quibus, per dirissimorum cruciatuum fortem & magnanimem tolerantiam, *testimonium* veritati euangelicæ præbendum intenditur. Quo etiam nomine ipse Servator, *verus ille ac fidus testis* audit Apoc. I. 5. atque ejus etiam Apostoli Act. I. 8. & Antipas Apoc. II. 13. & XI. 3---Col. I. 24. 25. Licet usu *ecclesiastico*, illi *martyres* tantum appellentur, qui *morte* Euangelio testimonium perhibent, dum qui damna, cruciatus, exilia, aliaque, propter *Euangelium* sustinent, *Confessores* dicuntur. Vel 4. gloriæ divinæ, in miraculosa afflicti liberatione manifestatio intenditur Joh. IX. 3. Quamvis fieri possit, ut quatuor ista: castigatio, exploratio, martyrium & glorificatio Dei, in unâ eademque afflictione coëant Heb. XII. 2--11. I. Pet. IV. 12.---

Peccati pœna generaliter est mors.

VI. Peccati autem cujusvis pœna, nominatim *mors* est, unde σῶμα τῦ θανάτυ, & σῶμα τῆς ἁμαρτίας Rom. VI. 6. coincidunt. *Mors* pro pœna peccato exserte dictatur Gen. II. 15. indeque *stipendium* peccati dicitur Rom. VI. 23 quod *per peccatum mors introierit in mundum* Rom. V. 12. Cum enim peccatum *summam* Dei *Majestatem* violet, eoque *summi* mali reatum contrahat, ex proportione; & *mors summum* sit naturæ malum; fieri non potest, ut mors non sit *pœna* peccati. Cum præsertim mors creaturæ rationalis, imaginis divinæ *destructionem* adducat; quam circa *peccati* demeritum, justus Judex dictare vix potest Gen. XVIII. 23. 25.

Mors quid & quotuplex?

VII. Mors illa *generaliter* non aliud est, quam *misera vitæ privatio*. Nec vita, nisi *conjunctio* conjungendorum & ex eâ nata facultas & *potentia* ad operationes vitales. Hanc triplicem alibi numeravimus; *naturalem*, quæ in conjunctione partium *essentialium* corporis & animæ consistit; *spiritualem*: quæ ab unione *justitiæ originalis* cum animâ nostra resultat; & *æternam*, quæ perfectam dicit *totius* hominis unionem à *summo* bono: ex qua triplici vitâ, triplicis positæ *mortis* natura, nullo negotio colligi potest. Quævis harum duabus partibus constat; *privatione* boni, & *sensu* mali; & duobus etiam gradibus, *inchoatione* & *consummatione*.

Mors spiritualis prima peccati pœna.

VIII. Mors itaque *spiritualis*, prima est peccati pœnâ, à quâ *mortui* dicimur in *peccatis* Eph. II. I. 3. 5. & *abalienati à vitâ Dei* Eph. IV. 18. 19. I. Tim. V. 6. Joh. V. 25. Eph. V. 14. Cum enim *vita* spiritualis, ex justitiâ originali oriunda, pretiosissimum sit imaginis divinæ χειμήλιον; fieri nequit, ut *mors* spiritualis, summum malum, peccato, *infiniti* demeriti malo, non *omni* jure competat pro pœna.

Quid sit mors spiritualis?

IX. Est autem mors illa *spiritualis*, spiritualis *impotentia*, ex privatione justitiæ *originalis* oriunda, ad *spirituale bonum* spiritualiter perpetrandum, cum servitute spirituali conjuncta. Est *impotentia* seu ἀνέργεια: ficut enim vita, ex unione resultans, in *actuositate* consistit, quâ vivens *potest* operari *à se*; ita mors in *impotentia* consistit.

Non

Non tamen quævis est impotentia; sed *spiritualis*: per mortem enim spiritualem, homo potentiam servat *naturalem* intelligendi, volendi, operandi, quamvis *spirituali* destituatur. Est porro spiritualis impotentia, non ad bonum *quodvis*, naturale, civile, morale; sed ad bonum *spirituale* & salvificum, ἰσχύειν σωτηρίας Heb. VI. 9. saltem ut *spiritualiter* faciat 1 Cor. II. 14. Nec tandem impotentia tantum boni spiritualis, sed cum *servitute* spirituali conjuncta Col. I. 13. 2 Pet. II. 19. Joh. VIII. 34. servitute, inquam (a) *peccati*, *ibid.* per quam homo sic captivus est sub peccato, ut exsurgendi ab eo non habeat potestatem Rom. VI. 16. 17. 19. 20. (b) *mundi* Phil. III. 19. 1 Joh. IV. 5. & II. 15. 16. per quam expositus est quibusvis malorum *irritamentis*, quæ in hoc mundo reperiuntur: tandem (c) & *diaboli* Eph. II. 2. 2 Tim. II. 26. per quam servitutem, mancipatus est *potestati diaboli*, quâ efficaciter operatur in hominibus, eorumque respectu *imperium* obtinet *mortis* Act. XXVI. 18. 2 Cor. IV. 4. Joh. XII. 31. Eph. VI. 12. Heb. II. 14. Pleraque horum dudum diximus in Cap. de peccato originali.

Liberi arbitrii natura qualis?

X. Hinc jam, non admodum arduo negotio perspici potest, quid statuendum de arbitrio humano, sit ne liberum, an servum? & qua ratione servum? *Arbitrium* igitur (voce nimium superbâ, Græcis αὐτεξούσιον) *naturaliter* consideratum, est facultas intellectus & voluntatis, quâ agimus quod *lubet*, præeunte consilio & judicio, ita ut à nullâ alia causa *creata* determinemur. Pertinet ad intellectum & voluntatem, sic ut intellectus *judicet* & *monstret*, quid agendum; voluntas autem *imperet* monstratum & judicatum, eoque ad intellectum *radicaliter* spectet, ad voluntatem autem *formaliter*. Implicat quidem aliquam *indifferentiam*, in sensu *diviso*, ut loquuntur, qua, sepositâ consideratione decreti & prædeterminationis divinæ, homo *per naturam* saltem indifferens est ad agendum aut non agendum: non tamen in sensu *composito*, ratione decreti divini, & prædeterminantis providentiæ ejus, est *indifferens*; sed jam ad alterutrum, *virtualiter* determinatus; multo minus in *ipsa indifferentia* consistit. Cum hac ratione, nec Deus, nec Angelus, nec homo quisquam, regenitus aut irregenitus, libero polleret arbitrio, consequenter liberum arbitrium *non-ens* foret. Cum *Deus* ad bonum sit determinatus, atque etiam *Angeli boni*; Angeli *mali*, ut & homines *irregeniti* ad malum tantum: *regeniti* autem homines, juxta cum omnibus creaturis, saltem à prima causa, determinati, omnimoda *indifferentia* careant. Rectius itaque, consistere dicitur in potestate *agendi ex consilio* προαιρέσει, seu, quodidem est, in *complacentia rationali*. Proinde licet excludat necessitatem *intrinsecam* à natura, & *extrinsecam* à coactione, non tamen excludit necessitatem *dependentiæ*, *infallibilitatis*, & prædeterminationis divinæ: secus enim *independens*, hactenus saltem, fieret, adeoque *Deus*. Neque etiam ei repugnat necessitas *servitutis*, per quam totus homo mancipatus est *peccato* Joh. VIII. 34. Rom. VI. 16.

Ejus vires quantæ & quales ad bonum?

XI. *Moraliter* autem consideratum arbitrium examinari debet, tum ratione quadruplicis *boni*, tum & quadruplicis *status*. Est bonum *naturale*, v. g. edere, bibere, fermocinari; est *civile*, comiter agere cum proximo, neminem lædere; est *morale* seu ecclesiasticum, frequentare sacra, fundere preces, abstinere à criminibus Luc. XVIII. 11. 12. & *spirituale* ac salvificum, v. g. fides, spes &c. Et status etiam hominis quadruplex receptus est. In statu *integritatis*, arbitrium potuit *quodvis bonum*, atque etiam malum; in statu *peccati*, bonum quidem potest, naturale, civile & morale; sed non *spirituale*, quod cum *salute* conjunctum est; in statu *gratiæ*, potest *quodvis* bonum & malum; in statu *gloriæ* bonum tantum. Ex dictis jam facile est colligere, libertatem arbitrio nostro superesse; etiam à *peccato*, quæ hominis *naturæ* essentialis est, qua libere faciunt, quicquid faciunt *pessimi* quivis; non tamen quæ sit *independens* à prima causa, nec quæ viribus instructa sit ab bonum *spirituale*, *spiritualiter* perpetrandum, & hactenus potius *servum* dici quam *liberum*.

Moderatio mortis spiritualis.

XII. Mortis tamen & servitutis hujus spiritualis rigorem Deus *temperat*, tum *intus*, per *rudera* qualiacunque imaginis divinæ & justitiæ originalis Jac. III. 9. tam quoad sapientiam in *intellectu*, quando ei relinquit *principia* quædam *veritatis*, per quæ judicium hominis dirigitur, & *theoreticum* & *practicum*; *prius* quidem, per cognitionem veri & falsi speculativi, v. g. Deum esse &c. quam in omnibus observamus, qui non sunt penitus amentes Rom. I. 19. 20. 21. 32. & II. 14. 15. *posterius* autem, per cognitionem honesti ac æqui & iniqui, v. g. Deum esse colendum, suum cuique tribuendum, alteri non esse faciendum quod tibi nolis fieri Rom. II. 15. è quibus *conscientia* naturalis vim aliquam accipit Rom. II. 15. quam quoad *inclinationem* & propensionem qualemcunque, ad *bonum* in voluntate: equidem *evanidam* & emortuam; sed tamen nec prorsus nullam, quin & talem, ut *simulacra* saltem virtutum ab *omnibus* probentur & honorentur 2. Tim. III. 5. Quibus, ratione utriusque, accedit intrinsece gratia *refranans*, qua non peccatum ipsum tollitur aut imminuitur; sed *actus* ejus *coërcetur*, ut non *erumpat* in nervum, qua & ab atrocioribus sceleribus, honestiores saltem abhorreant 1. Cor. V. 1. tum *textus*, per remedia quævis politica, ecclesiastica, œconomica, scholastica, quibus utcunque *refranatur* licentia peccati, imo & *honesta* perpetrandi stimulus additur.

Mors

XIII. Mors *corporalis*, secunda est peccati pœ-

na Psal. xc. 3.5.6.8.10. Heb. ix. 27. Neque enim à *natura* est, cum *destructio* sit naturæ; neque *per se* appeti à quovis bono, nedum à summo potest, neque propter *aliud* appeti & infligi à Deo, quam propter peccatum, inque compensationem ejus, in quo *pœnæ* ratio consistit. Nec ipsa tantum pœna est; sed & omnes ejus appendices & præparatoria, qualia sunt (a) *vivacitatis*, sanitatis, roboris amissio Job. xiv. 1. 2. Psal. xc. 8. 10. quâ vinculum animæ & corporis q. laxatur, ac paulatim solvitur: item (b) *dominii* in creaturas, quæ propter peccatum jugum hominis excutiunt, ac pro servis, ejus hostes evadunt Job. v. 22. 23. Hos. ii. 18. (c) *honoris* & decoris, quo coram Deo & hominibus, vita ejus fulgebat Rom. iii. 23. (b) *omniumque*, quibus vita hæc, sive sustentatur, sive honestatur, unde paupertas, comtemptus & ignominia Deut. xxviii. 21. 22. 27. 28. 29. Prov. vi. 11.

Mortis hujus moderatio gratiosa.

XIV. Nec tamen & *hæc* mors, per superfluam Dei benignitatem, sua moderatione destituitur, quatenus (a) vitæ *spatium* & commoditatem, quo ad officium suum provocari possit, sibi concessam habet Gen. vi. 3. Rom. ii. 14. (b) *aliqua* pristini dominii vestigia adhucdum ostentat Gen. ix. 2. Etiam (c) ex concessione & indulgentiâ Dei, creaturis utitur & fruitur, quamvis cætera, propter ejus fœdifragium, moledictioni & vanitati expositis Gen. iii. 17. 18. & iv. 11. Rom. viii. 20. 21. Quin & (d) ipsæ illæ *creaturæ*, per maledictionem divinam intus putridæ, conservantur, ut sufficiant necessitatibus vitæ humanæ Psal. viii. 7. 8. 9. 1. Tim. vi. 17.

Mors æterna summa peccati pœna.

XV. Mors *æterna*, tertia est & summa peccati pœna 2. Thess. i. 8. 9. Jes. lxvi. 24. Apoc. xiv. 11. Cum enim, ex *infinitâ* Majestatis violatione, *infinitam* culpam peccatum contrahat; pœnam quoque *infinitam* omnem, quam ferre potest, sibi infligi postulat; proinde, præter *privationem* infiniti boni, cum cruciatus *intensive* infinitos, creatura *finita* sustinere non possit; *extensive*, h. e. *durâtione* infinitos, pro mercede postulat.

Mors æterna quæ potissimum concludat.

XVI. Concludit autem mors hæc æterna (1) totalem, finalem & æternam *privationem* omnis communionis cum Deo, summo bono, omnisque boni *salutaris* Matth. xxv. 41. 46. 2 Thess. i. 9. (2) horribilem *communionem* & societatem, cum impuris gehennæ spiritibus, in omnem usque æternitatem Matth. xxv. 41. (3) incredibiles conscientiæ *horrores* angoresque, ex recordatione peccatorum, quibus sponte mala ista sibi attraxerunt, & ex sensu iræ & indignationis divinæ oriundos Jes. lxvi. 24. & xxx. 33. Rom. ii. 8. 9. (4) ineffabiles corporis, omniumque ejus partium cruciatus Luc. xvi. 23. Matth. xxv. 41. Apoc. xxi. 8. Quæ omnia horrendum *incrementum* capient, tum à *receptaculi* horrore, quod inferni, carceris, abyssi, stagni sulphurei, tenebrarum comparationibus, vix utcunque, Scriptura repræsentat Matth. xxii. 13. Apoc. xx. 1. tum à *durationis* nullâ cessatione aut intermissione, in omnem usque æternitatem, absque nulla moderatione aut assuefactione Apoc. xiv. 11. Verum de his forte, suo loco copiosius dicemus.

Miseria peccati qualis?

XVII. Jam ex omnibus istis, secundo loco, sic satis perspici potest, quanta sit peccati *miseria*, tanta sane, ut Apostolo, utcunque ab eo liberato, péramaram extorserit *lamentationem: Miser ego!* Et Ecclesiæ Judaicæ: *Va jam nobis quod peccavimus* Thren. v. 16. & Jobo: *Hei mihi* Job. x. 15. Unde Chrysostomus *ad Regulares, dicamus va tibi anima, ad quam vocata es dignitatem, per benignitatem & misericordiam Dei? qualem reliquisti? qualem accipies regionem, propter ignaviam tuam?* Emergit autem miseria ista à *tribus* potissimum, quod 1. *Omnis* homo miser sit, nemine excepto Job. xiv. 4. & *mors* ista triplex *in omnes homines transierit* Rom. v. 12. tum 2. quod *totus* homo, secundum *totum* sui, animâ & corpore tenus. Denique 3. *omnigena* miseria, cui omnes naturâ sumus obnoxii Levit. xxvi. 14... Deut. xxviii. 13... Et, quod immensum auget miseriam nostram 1. non agnoscimus illam, non *sentimus*: quin nobis, in tanta miseria adblandimur & applaudimus Apoc. iii. 17. 18. Luc. xviii. 11. 12. & xvi. 5. & xvi. 15. Et 2. non possumus *ipsi* nos liberare Job. vii. 20. Act. ii. 37. Non est nobis quo nos *defendamus* coram tribunali Judicis Job. xi. 3. Psal. cxxx. 3. & cxliii. 2. Non est nobis quo peccata nostra *expiemus* Mich. vi. 6. Matth. xviii. 24. 25. & xvi. 26. Non est quo *placare* possimus iram Judicis Psal. xc. 7. 8. &c.

Status peccati probatur.

XVIII. Ex dictis omnibus, non hujus tantum capitis; sed etiam totius libri, apparet, hominem per fœdifragium paradisiacum, conjectum esse in *statum* quendam peccati, mortis & miseriæ, quem textus exprimere conatur, *τῷ σώματι τῆς ἁμαρτίας τούτου*: per *corpus peccati hujus*. Atque idem alibi vult, quotiescunque omnes dicit esse *sub peccato* Rom. iii. 19. *conclusos sub peccato* Gal. iii. 22. conclusos *εἰς ἀπείθειαν* Rom. xi. 32. *σαρκικὸς καὶ πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν* Rom. vii. 14. *esse in peccatis* 1 Cor. xv. 17. *captivos sub lege peccati* Rom. vii. 23. ficut *serviamus peccato* Vers. 25. item esse *sub lege peccati & mortis* Rom. viii. 2.

Consistit. 1. in absentia justitiæ originalis.

Et corruptione omnium 6. facultatum

XIX. Qui quidem status, *quatuor* ista potissimum concludit, quod per eum simus, *primo sub peccato* originali Rom. iii. 9. hoc est, partim *orbati* justitiâ originali, *nudi* Gen. iii. 10. Apoc. iii. 17. nudi *sapientia* intellectus, qua *spiritualia* percipiat *spiritualiter* 1. Cor. ii. 14. sanctâ voluntatis in sanctum *propensione*, usque adeo, ut *cordis* universum *figmentum malum* sit *ab ipsa pueritia* Gen. viii. 21. partim *imbuti* passima *corruptione*, *intellectus* obtenebratione, cœcitate, stultitia, in divinis saltem Eph. iv. 22. 1 Cor. i. 18. 23. Eph. v.

tum humanarum.

6. *volunt atis* ſeu cordis *averſione* à Deo & à lege divina, ut ei ſe non *ſubjiciat*, *nec poſſit* quidem Rom. VIII. 7. & *converſione* ad peſſimum quidvis Tit. III. 3. Eph. II. 2. à quo *fructus carnis commemorantur*, *adulteria*, *ſcortationes*, *impuritas*, *laſcivia*, *idololatria*, *hypocriſis*, *inimicitiæ* &c. Gal. V. 19. 20. 21. Matth. XV. 19. 20. *affectuum* ſeu cupiditatum ἀταξίαι ſeu rebellione, quos hoc nomine *crucifigere* jubemur Col. III. 3. Gal. V. 24. facultatum *ſenſitivarum*, & *membrorum* voluptuoſitate Rom. VI. 19. Adeo ut, quoad *ſpiritualia*, à capite ad calcem, in homine *nil ſit ſani* Jeſ. I. 6. Pſal. XXVIII. 4. Prout jam ante in Cap. de *originali* peccato monuimus.

2. In ſervitute ſpirituali.

XX. *Secundo* ſub *ſervitute*, non tantum Satanæ & mundi, quam diximus; ſed etiam *peccati actualis*, à quo dicimur δοῦλοι ὑπάρχοντες τῆς φθορᾶς 2 Pet. II. 19. & mancipati τῇ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾷ 2. Pet. I. 4. Habet enim (1) peccatum in peccatorem *imperium*, βασιλεύει, ut Rex in ſubditos, κυριεύει ut Dominus Rom. VI. 12. 14. adeo ut (2) peccator *non poſſit niſi* peccare, pro império inhabitantis ſibi iſtius Domini: ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία Rom. VII. 20. Et (3) peccet ex *duro* peccati in ſe *dominio* Rom. VI. 6. δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ, quippe *cui nos ſervos ſiſtimus*, *ad obedientiam* verſ. 16. Imo (4) *omnia* ſua ei tradat in ſervitium, *membra* noſtra *ſiſtamus arma iniquitatis peccato* verſ. 13. *quemadmodum ſtitiſtis membra veſtra ſerva impuritati, & iniquitati ad iniquitatem.* Hæc porro ſervitus *tria* videtur concludere: A *pronitatem* cordis ad peccandum, quæ Scripturis eſt *vivere ſecundum carnem* Rom. VIII. 1. 4. 5. quatenus in carne talis eſt *diſpoſitio* prava, ut nil peccatorum ei non allubeſcat, & in quod ruere promptus & proclivis non ſit peccator, niſi ratione cohibeatur, ut rectè dixerit Acontius *de ſtratag. Satanæ* lib. I. *neminem eſſe, in quo non vitiorum omnium ſint ſemina*, & Plutarchus παντοπερμίαν παθῶν. Prout homo, in ſummitate arboris conſtitutus, ſi remittat manus quibus ſtat, ſponte procidit. Et per hanc etiam *proclivitatem*, *peccata* dicimur *imbibere ut aquam* Job. XV. 16. B. *Indulgentiam* ex pronitate oriundam, quâ impii (1) *ſe tradunt* τῇ ἀσελγείᾳ, *ad patrandam impuritatem omnem certatim* Eph. IV. 19. (2) peccata ſæpius *iterant*, & multiplicant 1. Sam. XXII. 19. Jer. II. 13. Hoſ. IV. 1. 2. Amos V. 12. Eoque (3) *aſſueſcunt* peccatis Jer. II. 24. & XIII. 24. & XLIV. 17. Hinc etiam (4) *patrocinantur* peccato 1. Sam. XIII. 11. 12. 13. & XV. 15. Jer. XLIV. 18. 19. Gen. III. 12. 13. C. *Obdurationem* in peccatis, πώρωσιν τῆς καρδίας, item σκληροκαρδίαν, ex continuatis peccandi actibus acquiſitam Matth. XIX. 8. σκληροτραχηλίαν Exod. XXXII. 6. 2. Paral. XXXVI. 13. quâ *obdurati & obfirmati ſunt corde* Ezech. II. 4. *& faciem ſuam reddunt obfirmatiorem petra* Jer. V. 3. 2. Reg. XVII. 14. Jer. VII. 26. quo nomine, rebus naturâ *duriſſimis* comparari ſolent, v. g. lapidi Jer. V. 3. ferro & chalybi Jeſ. LXVIII. 4. Jer. VI. 28. adamanti Zach. VII. 12. D. *Reſiſtentiam* cuivis retracturo Act. VII. 39. 51. exemplum in Pharaone Exod. VII. & in Belzazare Dan. V. 22. 23.

3. Reatu omnimodo.

XXI. *Tertio* ſub reatu, quo *pœnæ digni* ſumus Rom. I. 32. *obnoxii* condemnationi Rom. III. 19. ſub reatu omnimodæ *miſeriæ: miſer ego!* adeoque ſub angoribus conſcientiæ, qui *vermes* ſunt *immortales*, continuo rodentes, & *ignis* indefinenter in medullis *flagrans* Jeſ. LXVI. 24. ſub horrore, & horrenda, tum *plagarum* quarumvis, tum *mortis* ipſius exſpectatione Heb. II. 15. E quibus etiam reſultat ipſius *Dei*, ſummi boni, *fuga* & odium Rom. VIII. 15. *ſpiritus ſervituris ad metum: ſpiritus timiditatis* 2. Tim. I. 7. Quæ alibi paulò diſtinctius diximus.

4. Impotentia totali.

XXII. *Quarto* ſub deſperata impotentia Jeſ. XLIV. 20. ex qua ſuſpiramus: *quis me liberabit?* ac dicimur *infirmi* Rom. V. 6. quibus ἀδύνατον, legi ſatisfacere Rom. VIII. 2. Quippe qui (a) ſumus ἀσεβεῖς Rom. V. 8. ἁμαρτωλοὶ verſ. 10. *improbi & inimici Dei* Pſal. XXXVII. 20. *mortui* in peccatis Eph. II. 1. 3. & V. 14. Col. II. 13. *corde lapideo* præditi Ezech. XXXVI. 26. (b) *ignari*, inſenſibiles & extremum obdurati Eph. IV. 18. Quare nec volumus, nec poſſumus. Per iſtam ἀδυναμίαν 1. non poſſumus coram Deo quicquam producere, quod nos *excuſet*, quod defendat Job. XI. 3. Eſd. IX. 10. Nec 2. poſſumus quicquam afferre Deo, quod peccatorum *reatum tollat* Pſal. XLIX. 8. 9. Mich. VI. 6. *Quanam re veniam ad Jehovam, incurvabo me Deo? veniamne cum holocauſtis? an accepta haberet Jehova millia arietum? darem primogenitum meum pro defectione mea? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Job. VII. 20. Nec 3. quicquam poſſumus, ad *placandum* nobis Deum Pſal. XC. 7. 8. Matth. XVI. 26. *quod dabit homo ἀντάλλαγμα?* Nec 4. quicquam poſſumus, quo *regeneremur*, convertamur, ſanctificemur Jer. XIII. 23. Joh. III. 5. Eph. II. 5. 8. Imo 5. nec tantillum quidem, quod ſit *vere bonum*, uſque ad ſanctam cogitatiunculam 2 Cor. III. 5.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An reatus culpæ differat à reatu pœnæ?

XXIII. Quæritur 1. An reatus *culpæ* differat à reatu *pœnæ?* Pontificii, quo efficacius tueantur ſuas *ſatisfactiones* proprias, pro pœnis peccatorum, ſaltem temporalibus, præſtandis, vel in hac vita; vel poſt hanc vitam in purgatorio, niſi ipſis ſuccurratur per indulgentias, plerumque nummis obtinendas: ſtatuunt diſtinguendum eſſe inter reatum *culpæ*, quem Chriſtus ſuſtulerit; & reatum *pœnæ*, quem quiſque propriis paſſionibus tollere debeat, niſi ei ſuccurratur per indulgentias. Re-

formati vanam ſtatuant iſtam diſtinctionem: cum 1. reatus *omnis* non in alio conſiſtat, quam in *obligatione ad pœnam*, ut ſupra probavimus, adeoque diſtinctio ſit, *ſine differentia*, h. e. diſtinctio, quæ diſtinctio non eſt, adeoque 2. reatus ſit *medium* quid, inter culpam & pœnam, quippe *ex culpa* oriundus, & *ad pœnam* ducens, ex utroque coaleſcens, *medius*, utrumque terminum attingens, & ab *utroque* ex æquo denominatus: tandem 3. nata ſit ex hypotheſi impiâ, & plenitudini *ſatisfactionis Chriſti* derogatoriâ: ut non addam 4. & hominem *inflans*, ut qui pro reatu *pœnæ*, proprio Marte poſſit ſatisfacere: & quæ 5. hominem *retrahit* ab omni ſatisfactione, in Chriſto *ſolo* quærenda, eoque efficiens ut *illius* etiam *particeps* non reddatur Rom. x. 3. Gal. v. 4. Nec poſſunt quicquam pro ſe urgere adverſarii, niſi quod reatus *culpæ* non poſſit ſeparari à peccato, quatenus peccatum, per *naturam* ſuam, meretur pœnam; dum reatus *pœnæ* ab eo tolli poſſit: verum hoc ipſo non docetur reatus *culpæ* & *pœnæ* diverſus; ſed reatus *potentialis* & *actualis* tantum, quorum *ille* ſeparari nequit; *hic* per Chriſtum ſeparatus eſt.

Argumenta negativa.

Objectio.

XXIV. Quæritur 2. An in demerito peccati, pœna temporalis divelli poſſit à pœna æternâ? Pontificii, eodem animo, quem circa controverſiam præcedentem repræſentavimus, ut nim. Chriſto ſatisfactionem pro pœna *æternâ* relinquant, & cuilibet pœnam temporalem imponant, vel hîc, vel poſthac in purgatorio perferendam; niſi ſuccurratur indulgentiis. Reformati ſtatuunt, pœnam temporalem ab æterna divelli non poſſe; his potiſſimum rationibus, quia 1. in una *mortis* comminatione, utraque hæc pœna coit Gen. II. 17. Rom. v. 12. & VI. 23. & inſeparabilis eſt. 2. Chriſtus utramque *unicâ* ſuâ ſatisfactione tollit, adeo ut *nulla* jam in nobis ſit *condemnatio* Rom. VIII. 1. Proinde 3. valori & *perfectioni* ſatisfactionis Chriſti, hac ſeparatione detrahitur: & 4. hominis *juſtitia propria* ſtabilitur, per quam *juſtitiæ* Chriſti non fiant participes peccatores Rom. x. 3. Phil. III. 9. Nec iſtud *divortium* arguunt, relictæ fidelibus afflictiones, & mors ipſa temporalis: cum illæ non præſtent veri nominis *pœnas*, quæ ad *compenſationem* ſpectent; ſed *caſtigationes* tantum paternas, quæ ad *beneficia* ſint referendæ, de quo jam ante in *dogmaticis* dictum, & dicetur ſuo loco in Cap. de *Satisfactione Chriſti*.

2. An in demerito peccati pœna temporalis divelli poſſit ab æterna?

Argumenta.

Objectio.

XXV. Quæritur 3. An in pœna æterna, pars *ſenſus* à parte damni disjungi poſſit? Pontificii in gratiam *limbi infantium*, in pœna æternâ, divellunt pœnam *damni* & pœnam *ſenſus*, quo infantes abſque baptiſmo decedentes, *illam* poſſint ſuſtinere abſque *hac*. Inter hos Jeſuitæ hoc animo partes iſtas divellunt, ut Philoſophico ſuo peccato pœnam *damni* tantum relinquant, demta pœna *ſenſus*. Reformati, pœnam *ſenſus* à pœna *damni* inſeparabilem ſtatuunt. Quia 1. *omne* peccatum, ex violata infinita Dei majeſtate, *infinito* reatu laborans, utrumque horum poſtulet. Quia 2. Scriptura duas iſtas, *unius* pœnæ æternæ partes eſſentiales, nunquam non conjungit, aut ſaltem nunquam divellit, v. g. Matth. XXV. 41. 2. Theſſ. I. 9. Jeſ. LXVI. 24. Quia 2. omni peccato, etiam *originali*, utraque pœna competit, prout ſupra Cap. 2. imprimis §. XXVII. ex profeſſo aſſeruimus. Nec ſententia pontificia nititur, niſi falſis aliquot hypotheſibus: (1) Baptiſmi *abſoluta* neceſſitate, quam non docet Servator Joh. III. 5. cum *eo* tempore baptiſmus necdum haberet rationem *ordinarii* ſacramenti ſub Novo Teſt. utpote quam poſtea demum accepit Matth. XXVIII. 19. (2) Quod peccatum *originale* ſolum non demereatur *cruciatus* æternos, quod refutavimus loco jam citato. (3) Quod ex diverſis pœnarum *gradibus* (quibus peccatum *actuale*, junctum *originali* gravius punitur, quam ſolum originale) ſequatur duas iſtas partes divelli poſſe.

Falſæ hujus erroris hypotheſes.

3. An in pœna æternâ, pars ſenſus à parte damni ſeparari poſſit?

XXVI. Quæritur 4. An in pœnis peccati, etiam ſit mors *ſpiritualis*? Pelagiani olim, eo quod liberi arbitrii vires ad quodvis bonum *ſpirituale*, etiam à peccato protoplaſtorum primo, ne fauciatas quidem, multo minus penitus exſtinctas, adeoque *nullum* peccatum *originale* ſtatuant; negant mortis ſpiritualis pœnam ingredi peccatum. Semipelagiani *fauciatum* quidem liberum arbitrium & læſum agnoſcunt, adeoque gratiâ quadam, ſaltem *morali* indigere, ut bonum ſpirituale operetur, *mortem* tamen, ſeu totalem *ἀδυναμίαν* ad bonum ſpirituale, penitus negant. Sociniani, hîc admodum perverſe ſeſe gerunt: jam ut mortem *naturalem* negent eſſe pœnam peccati, ne Chriſtus moriens pro nobis ſatisfecerit, & mors infantium efficiat peccatum *originale*, confugiunt ad mortem *ſpiritualem*, quæ peccato debeatur, qua tamen non intelligunt, niſi qualemcunque difficultatem ad perpetrandum bonum: rurſus, ad conſervandas arbitrii vires ad bonum; negant mortem *ſpiritualem*. Arminiani & Anabaptiſtæ Semi-Pelagianos fere ſequuntur. Lutherani, quamvis liberi arbitrii vires ad bonum ſpirituale, nullas videantur agnoſcere, adeoque mortem *ſpiritualem* videantur ſtatuere; libero arbitrio tamen vires relinquunt, quibus poſſit *poſitive non repugnare* Spiritui S. bona ſpiritualia parturienti, h. e. quaſi valvas removere Spiritui S. frequentando ſacra, fundendo preces, uſurpando ſacramenta, &c. adeoque hactenus obſequi Sp. S. revera negat mortem *ſpiritualem* eſſe pœnam peccati. Reformati ex adverſo, affirmant mortem ſpiritualem, ſeu totalem *ἀδυναμίαν* verſus bonum ſpirituale, eſſe

4. An in pœna peccati, etiam ſit mors ſpiritualis?

inter

inter pœnas peccati. Quia ſententia quævis adverſaria pugnet contra (1) *diſerta* Scripturæ teſtimonia Eph. I. 3. 5. Matth. VIII. 22. Joh. V. 25. Col. II. 13. (2) Contra *æquipollentia*, quibus *cor lapideum*, eoque procul dubio *mortuum* Ezech. XXXVI. 26. Quibus (3) *univerſalis* ad bonum ſpirituale, homini aſſeritur *ἀδυναμία* 2. Cor. III. 5. quæ procul dubio *morti* æquipollet. (4) Contra naturam *imaginis* divinæ (utpote quæ juſtitiam *originalem* implicat, quaque *anima* noſtra animabatur quondam ad vitam *ſpiritualem*) quæ nobis abeſſe docetur, *cùm* Scripturis Eph. IV. 22. 23. 24. *tum* experientiâ. Contra (5) neceſſitatem & naturam *vivificationis ſpiritualis*, quam evidenter Scriptura docet Eph. II. 5. Col. II. 13. ubi enim non eſt mors, ibi etiam non eſt *vivificatio* (6) contra *neceſſitatem* & naturam *regenerationis* Joh. III. 5. 1. Pet. I. 3. quæ collationem *novæ vitæ, ſpiritualis* utique, infert. Fundamentum erroris adverſarii I. eſt in negata juſtitia *originali*: ſi enim nobis non fuit in imagine divina collata juſtitia *originalis*, eadem opera quoque, peccato non potuit *auferri*, eoque nec homo *ſpiritualiter mori*; cum igitur docuerimus ſuo loco in Cap. de *Imagine Dei*, hominem accepiſſe juſtitiam *originalem*, corruit hoc ſaltem fulcrum. 2. In *viribus* liberi arbitrii ad *ſpiritualia* quævis, quæ cum morte ſpirituali ſunt in compatibiles, quas paulo ab hinc deſtruemus. 3. In bonis illis operibus, quæ & irregeniti leguntur perpetraſſe; quæ tamen, cum non fuerint *niſi civilia*, aut ad ſummum *moralia* & *eccleſiaſtica*, non autem *ſpiritualia*; non evincunt, hominem naturaliter, ad *ſpiritualia ſpiritualiter* præſtanda, *mortuum* non eſſe.

Rationes affirmativæ ſententiæ.

Fundamenta erroris adverſarii.

5. An mors naturalis ſit pœna peccati?

XXVII. Quæritur 5. An mors *naturalis* ſit pœna peccati? Sociniani in gratiam negati peccati originalis, ne illud ſolide ex morte *infantium*, qui *actuali* peccato deſtituuntur, à nobis conficiatur; tum etiam, ut habeant Chriſtum *moriendo*, pro peccatis noſtris non ſatisfeciſſe; negant mortem naturalem eſſe pœnam peccati: contra mortem naturalem ſeu *corpoream*, aſſerunt eſſe ſequelam naturæ tantum. Quem errorem nos ſupra lib. III. Cap. IX. §. XXXIII. & XLII. *κατασκευαστικῶς* pariter & *ἀνασκευαστικῶς* confecimus.

6. An mors æterna ſit totalis morientis abolitio?

XXVIII. 6. An *æterna* mors ſit totalis morientis abolitio? Judæi recentiores, neſcio quâ cauſâ, niſi ut Sadduceiſmo, adverſus Phariſaiſmum, item Epicuriſmo efficacius ſuccurrant; ſtatuunt mortem *æternam* non eſſe niſi totalem morientis abolitionem. Vid. R. Kimchi in Pſal. I. & Jeſ. XXVI. R. Saadia in Dan. XII. juxta Manaſſen Ben Iſraël *de Reſur.* lib. III. cap. VIII. Sociniani nonnulli craſſiores item ſtatuunt mortem *æternam*, ſaltem impiorum, non eſſe niſi mortem *non-exiſtentiæ*: alii item ejuſdem farinæ, ajunt mortem quorumvis, tam piorum, quam impiorum, eſſe tranſitum in ſtatum *non-exiſtentiæ*, è quo per reſurrectionem revertantur in ſtatum *exiſtentiæ*. Reformati ex adverſo exiſtimant, in morte *æterna*, præſupponi *exiſtentiam*, tum *animæ* poſt mortem naturalem, tum *corporis*, poſt reſurrectionem & extremum judicium. Eo quod 1. Scriptura non tantum reſurrecturos teſtetur *pios*; ſed etiam *impios* Dan. XII. 2. Joh. V. 25. Apoc. XX. 12—15. Act. XXIV. 15. quod etiam 2. Scriptura *animalibus* poſt mortem, *tormenta* tribuit 2. Theſſ. I. 8. 9. Matth. XXV. 40. 46. quod 3. peccatum, *infinitam* Dei Majeſtatem lædens, eoque *infinitæ* pœnæ reatum contrahens, præter infinitum *damnum*, non aliud infinitum *tormentum* ſuſtinere poſſit, quam *durationè temus*; *intenſive* enim infinitum non capit creatura *finita*. Ut non addam 4. mortem *æternam*, quæ paſſim in Scripturis dicitur, non eſſe quæ *ceſſat*; neque enim *æternum* mori dicuntur bruta: ſed ſemel. Conf. Heb. IX. 27. Nec eſt quod objiciant: A. Solos fideles in Scripturis reſurrecturos dici 1. Theſſ. IV. 14. 1. Cor. XV. 23. Joh. VI. 39. 40. 44. 47. Luc. XX. 35. Reſp. Falſum eſt, ſolos fideles reſurrecturos: neque hoc dicunt adducta loca; ſed tantum fideles reſurrecturos, ſcil. per & propter Chriſtum ad vitam æternam; non autem, infideles non reſurrecturos ad mortem & opprobrium æternum: alites enim habet diſerta ipſius Apoſtoli confeſſio Act. XXIV. 15. &c. B. Animam *rationalem*, aut non eſſe *ſubſtantiam*, quæ proinde cum ipſo corpore moriente concidat; aut ſi ſit *ſubſtantia*, non eſſe ab *eſſentia* divina diverſam, utpote *divinæ* auræ particulam, quæ proinde, per mortem in Deum *relabatur* Eccl. XII. 7. Reſp. Utraque hypotheſis *falſa* & impia. Priorem refutavimus lib. III. Cap. IX. §. VI. & XV. poſterior *blaſphema* etiam, tum (a) quod ſubſtantiam *divinam*, *compoſitam* faciat ac diviſibilem, utpote cujus particulam quiſque homo capiat: tum (b) quod hominem quemvis, *peſſimum* etiam, præcipuâ ſui parte, *Deum* faciat: tum porro (c) cum *ſcelus* ab animâ profluat Matth. XV. 19. *Deus* ſummum bonum, omnis ſceleris *auctor* fiat, contra Pſal. V. 5. 6. Nec (d) Eccl. XII. 7. docetur, animam ut *divinæ* auræ particulam, *relabi* in Deum à morte; ſed *reverti* ad creatorem, aut pœnam, aut præmium à Judice accepturam. Quæ præterea pro animarum *mortalitate* cauſari ſolent, loc. citato refutavimus. Conf. Cl. Hoornbeek. *Socin. confut.* Tom. III. lib. V. c. 1.

Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones.

7. An mors naturalis, omneſque vere fidelium afflictiones temporales

XXIX. Quæritur 7. An mors naturalis, omneſque vere fidelium afflictiones temporales ſint veri ac proprii nominis pœnæ, pro quibus Chriſtus non ſatisfecerit? Pontificii, ut locum habeant ſuis propriis *ſatisfactionibus*, aut hic, aut poſthac in purgatorio, eluendis, niſi intercedant *indulgentiæ*; negant afflictiones temporales eſſe *pœnas* proprie dictas, pro quibus Chriſtus ſatisfecerit. Inter

porales, sint veri nominis pœnæ?

ter Reformatos nuper, quamvis aliis hypothesibus, unus negavit Theologus. Nos istam sententiam ex professo examinavimus, in utramque partem lib. 2. cap. XVIII. §. XIV.

8. An liberum arbitrium excludat omnem non tantum necessitatem, sed etiam certitudinem eventus?

XXX. Quæritur 8. An liberum hominis arbitrium excludat *omnem*, non tantum necessitatem; sed etiam certitudinem & infallibilitatem eventus liberi? Pelagiani & Semi-Pelagiani, Socinniani, Jesuitæ, Arminiani, Anabaptistæ, ut habeant liberum arbitrium, plane ἀντεξούσιον & ἀμφιρρεπὲς, imo plane independens; statuunt libertatem excludere, non tantum omnem *necessitatem*; sed etiam *certitudinem* & *infallibilitatem* eventus. Reformati omnes, necessitatem *naturalem*, quâ homo suâ *natura* sit determinatus ad suum volitum, sicut v. g. Sol, ad splendendum, excludunt à libero arbitrio: sed tamen necessitatem *dependentiæ* à Deo, velut primâ causâ, *infallibilitatis*, ex decreto æterno, *prædeterminationis*, ex providentiâ gubernante; *servitutis* ex peccato, admittunt: alii tamen: qui *necessario* fieri, id solum dicunt, quod fit per causam proximam, *per se* & suâ natura ad hunc effectum determinatam, prout ignis necessario urit: liberaliter largiuntur omnem necessitatem exulare à libertate arbitrii; sed negant certitudinem & *infallibilitatem* eventus, cum ea consistere non posse. Eo quod 1. ex independentia divina, decreti divini *immutabilitate*, providentiâ, singula singulatim prædeterminante ad agendum; non possit non nasci talis certitudo & infallibilitas eventus liberi. Eo quod 2. Scriptura talem *certitudinem* & *infallibilitatem* conjungat cum libertate 1. Cor. IX. 16. Joh. XV. 5. Matth. XVIII. 7. 1. Cor. XI. 17. Prov. XXI. 1. & XVI. 1. 9. Jer. X. 23. Phil. II. 12. Eo quod 3. Scriptura & recta ratio, omnes creaturas, eoque & liberum arbitrium, à prima & suprema causa suspendit Act. XVII. 28. atque aliàs, Deo in arbitrium nostrum non competeret *absolutum dominium* naturale. Eo quod 4. *omnia quæ fiunt*, utcunque *libere*, ex æterno decreto, *infallibiliter* à Deo præsciri, eadem Scriptura docet Act. XV. 18. Eph. I. 11. Act. II. 23. & IV. 28. Eo quod 5. ipsi adversarii coguntur agnoscere, non repugnare libertati, necessitatem, tum *consequentiæ*, quatenus omne quod fit, dum fit, necessariò fit; tum *dependentiæ* ab ultimo judicio intellectus practici, proinde non omnis ei repugnat necessitas. Nec est quod in contrarium

Objectiones.

caussentur: (1) arbitrium liberum esse principium *electionis*, seu *facultatem agendi*, quæ intelligi non possit, cum *necessitate* sive determinatione ad unum. Resp. Facultas eligendi utut concipi non possit, cum necessitate & determinatione *naturali* & intrinseca, nec cum necessitatione ullius causæ *creatæ*; potest tamen concipi, cum certitudine & infallibilitate eventus, ex dependentia universali à causa prima *prædeterminante* Prov. XXI. 1. Phil. II. 12. (2) Ecclesiastici Cap. XV. 14. dici: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adjecitque mandata & præcepta, si volueris, mandata servabis.* Resp. Præterquam quod locus sit libri Apocryphi, & corruptus etiam, ut patet ex editionum varietate; etiam non dicit, certitudinem & infallibilitatem eventus, repugnare voluntatis libertati; sed tantum obedientiam profluere à *libera* voluntate.

9. An libertas arbitrii consistat in merâ indifferentia, & quidem independente?

XXXI. Quæritur 9. An libertas arbitrii consistat in *solâ indifferentiâ*, & quidem absolutâ & independente? Pelagiani, & Semi-Pelagiani, Socinniani, Jesuitæ, Remonstrantes, Anabaptistæ, alique, ut habeant liberum arbitrium, merè ἀντεξούσιον; dicunt illud consistere in solâ *indifferentia independente*. Reformati, quamvis admittant in libertate, aliquam indifferentiam, eam scil. per quam sit indifferens, à determinatione *naturali*, à *coactione*, & à determinatione necessariâ, quæ fiat à creaturâ, & ab objecto; negant tamen eam consistere in indifferentiâ & quidem independente: quin ajunt, illud consistere in facultate agendi consulto, seu ἐκπροαιρέσει, ex deliberatione, & complacentiâ rationali: Quia A. hac ratione, non daretur in rerum naturâ liberum arbitrium, quatenus *nec Deus* indifferens est ad bonum & ad malum 2. Tim. II. 11. Jac. I. 14. 17. nec *Christus*; nec *Angeli* boni; nec Angeli *mali*, indifferentes sunt ad bonum aut ad malum; nec *homines glorificati* in cœlis, utpote qui ad bonum *determinati* sunt; nec contra *irregeniti*, qui non possunt nisi *malum* agere; nec *regeniti*, quamvis jam possint bonum & malum, sunt ad utrumque *ex æquo* indifferentes. Ut non dicam omnes, *solo* Deo excepto, determinari *decreto* & *influxu* divino. Cum igitur *omnes* illi, non obstante quod fuerint destituti *indifferentiâ*, fuerint tamen, procul dubio, prædíti *libero* arbitrio; manet extra omne dubium, liberum arbitrium non consistere in *sola indifferentiâ*. B. Arbitrium *intus* determinatur ab *ultimo judicio* intellectus *practici*, & *extus* à providentiâ divina, & tamen est ac manet liberum; proinde libertas non consistit *in indifferentia*. Taceo C. quod in libero arbitrio, *libertas* & certitudo & infallibilitas eventus concurrant, ut §. præced. docuimus. Argumenta in contrarium, nullius ferè sunt momenti. v. g. *Primum*, voluntas est verè libera: ergo est *indifferens*: petit, ut loquuntur, *principium*: negamus enim, esse eo ipso *indifferentem* quod libera sit, quoniam v. g. Dei voluntas libera est, nec tamen *indifferens* ad bonum & ad malum. *Secundum*, quod sit *Dominus* suarum actionum, non stringit, quia & *Deus* Dominus est suarum actionum, nec tamen est *indifferens*. *Tertium*, quod Deus *prædeterminando* tollens indifferentiam, *causa* ficret *peccati*: infert tantum, Deum esse causam ipsius *actus*, cui inest peccatum (cum prædeterminet

Argumenta.

Objectiones.

terminat tantum ad actum) non autem ipsius peccati seu ἀνομίας, quæ *inest* actui.

1. An libero arbitrio, ante regenerationem, vires competant, quibus possit perpetrare bonum salutare?

XXXII. Quæritur 10. An libero arbitrio, ante regenerationem, *vires* competant quibus possit perpetrare bonum *spirituale*, etiam *spirituali* modo? Pelagiani & Semi-Pelagiani, quia existimant, vires arbitrii penitus intactas fuisse à peccato primo; simpliciter affirmant: Semi-Pelagiani, Jesuitæ, Arminiani, Anabaptistæ aliique, quia actum quidem, læsum & sauciatum agnoscunt; *posse* quidem statuunt, *si velit*; attamen cum difficultate. Reformati, ad bonum *spirituale* spiritualiter *peragendum* negant. Quia 1. Scriptura pronunciat, arbitrium hominis, ante regenerationem, esse (a) *impotens* ad bonum, saltem spirituale Jer. XIII. 23. Matth. VII. 18. & XII. 34. Joh. XII. 40. Rom. III. 12. & VIII. 7. 1 Cor. II. 14. 2 Cor. III. 5. (b) *proclive* ad malum Gen. VI. 5. & VIII. 21. Jer. XVII. 9. Matth. XV. 19. Rom. I. 24. 26. 28. & III. 13. 14. Tit. III. 3. Idque (c) vitio *naturæ* corruptæ Job. XIV. 4. & XV. 14. 16. Jes. XLVIII. 8. Joh. III. 6. Eph. II. 3. Quia (c) *servum* dicitur peccato, & *liberum* à justitiâ Rom. VI. 20. Joh. VIII. 34. 35. 36. Rom. VI. 12. 13.--- & VII. 14. 2 Tim. II. 26. Tit. III. 3. 2 Pet. II. 19. Quia (d) homo *natura* dicitur *mortuus in peccato* Eph. II. 1. 3. 5. *cor* gestare *lapideum* Ezech. XXXVI. 26. Quia (e) omnes necessum habent *vivificari* Eph. II. 5. *regenerari* Joh. III. 5. Nec obstat: A. quod in Scripturâ voluntati irregenitorum, nonnunquam tribui videatur *hæc facultas* Deut. XXX. 15. 29. Jos. XXIV. 15. Luc. VI. 32. 33. 34. Rom. II. 14. 1 Cor. VII. 35. 2 Cor. IX. 7. &c. *Vel* enim (1) hoc non tribuitur *irregenitis*; sed *populo* Dei, qui profitebatur se regenitum esse, & in quo etiam erant complures verè *regeniti*. Sic fit Deut. XXX. 15. 29. Jos. XXIV. 15. 1 Cor. VII. 35. 2 Cor. IX. 7. *vel* (2) quod tribuitur *irregenitis*, non bonum est *spirituale*. Sic Luc. VI. 32. 33. 34. Rom. II. 14. Ejus fere momenti est quod B. objiciunt, tribui *irregenitis* (tum *testimoniis* & exemplis Rom. II. 14. Matth. V. 47. Luc. VI. 32. 33. 34. Exod. I. 21. Jos. II. 9. Dan. IV. 24. tum *experientiâ* prophanâ, in Aristide, Socrate, Scipione, Senecâ aliisque) *indifferenter* boni & mali exercitium. Quæ enim *irregenitis* tribuuntur *bona*, aut non fuerunt *vera* bona; sed eorum tantum *simulacra*; aut si fuerunt verè bona, saltem non fuerunt *spiritualia*, spirituali *modo* præstita; quatenus non fiebant in *gloriam Dei*, sed *sui*; non ad præscriptum *voluntatis* divinæ, sed ad *placitum* proprium aut aliorum; nec ex *corde* regenito & fideli, sed ex *cupiditate* propria, honoris, emolumentorum &c. Ejusdem est farinæ, quod C. instant: Si non sint opera *vere* bona, satius fuisse illo omittere: Resp. Nequaquam, sunt enim (a) *in se* vere bona, sed ex *circumstantiis* mala; sunt (b) bona, licet non *spiritualia* bona, de quibus quæstio impræsens est. Et D. eos irregenitos *provocari* ad bona *spiritualia* mandatis divinis; sed non frustra *provocari*; ergo *posse* ad quod provocantur; neque enim *frustra* statim provocantur, qui provocantur, dum *adhuc dum* non possunt præstandum præstare, quoniam fieri potest, ut provocatione illa (a) *præparentur* ad conversionem Jer. v. 21. cum Cap. VI. 8. Matth. III. 2. imo (b) eo, velut instrumento, *convertantur* 1 Pet. I. 23. Jac. I. 18. aut (c) impii formentur ad obedientiam *externam* Rom. II. 14. Gen. XX. 6. 7. aut (d) manifestetur eorum *hypocrisis* Luc. II. 34. 35. 1 Cor. I. 27. Saltem (e) ut reddantur ἀναπολόγητοι Joh. XV. 22. Rom. I. 20. tandem (f) supremus omnium finis & usus est glorificatio, tum *misericordiæ* versus electos 2 Pet. III. 9. tum *justitiæ* versus reprobos Rom. II. 4.--

Argumenta.

Objectiones.

11. An liberum arbitrium irregeniti, possit non repugnare positivè Spiritui S. bonum spirituale partu-rienti?

XXXIII. Quæritur 11. An liberum irregeniti arbitrium possit, si non *operari* sibi regenerationem, saltem Spiritui S. eam parturienti, *positive* non repugnare? Lutherani, ne in os obloquantur suo Luthero, qui in aureo sub libello *de servo arbitrio* statuit, hominem naturâ *mortuum* esse ad bonum *spirituale*: atque interim habeant, arbitrium hominis *aliquid* posse ad sui conversionem consequendam: statuunt, *solum* Spiritum S. operari quidem conversionem; liberum tamen arbitrium posse Spiritui S. conversionem molienti, *positive* non repugnare, h. e. ei obstanda removere, utendo mediis ad conversionem, audiendo verbum Dei, precando &c. Reformati, quamvis largiantur, hominem posse *negative* non repugnare, sicut homo naturaliter mortuus, potest non repugnare, vivificaturo: quamvis item concedant hominem irregenitum posse frequentare sacra, fundere preces aliaque externa: negant tamen, eum *positive* non-repugnare; negant item bona ista *externa*, irregenitum perpetrare, *puris* arbitrii naturalis viribus; sed per gratiam *communem*, de quâ Paulus Heb. VI. 4. 5. 6. Quia nim. 1. *positive* non-repugnare, est Spiritui S. *obsequi*, quod homo naturalis non potest Rom. VIII. 7. Quia 2. Scriptura testatur irregenitos *semper repugnare* Spiritui S. Act. VII. 51. Jes. LXIII. 10. Conferantur, quæ in *dogmaticis*, imprimis §. 19. & XX. dudum habuimus. Dicent, nil certus esse, quam quod homo irregenitus possit adire templa, audire verbum, fundere preces, capere sacramenta & similia, quibus Spiritus S. regenerare & convertere consuevit, adeoque hactenus *non-repugnare*. Sed occurrimus: 1. Si hoc demus in *externis* illis, addimus tamen, ψυχικὸν omnia illa officia præstantem, & *posse* repugnare, & *repugnare* continuo Spiritus Sancti motibus *interne*, quin per *meras naturæ* corruptæ vires, *non posse* non repugnare

Objectiones.

Rom. VIII. 7. Tum 2. non damus, hominem puris *naturæ viribus*, *salutariter* officia illa obire posse: equidem ab homine, adhucdum extra statum gratiæ constituto, externa illa officia, & plura etiam ac majora, præstari posse; lubenter admittimus: sed *puris naturæ* & arbitrii viribus, hoc ipsum fieri, nequaquam largimur; verùm à gratiâ quadam communi originem trahere, docemur Heb. VI. 4. ubi irregenitis tribuitur, *gustare dona cœlestia*, *participes fieri Spiritus S.* h. e. donorum Spiritus S. quidem, sed non salvificorum, ἐχομένων σωτηρίας. vers. 9. *Neque enim ex nobis ipsis idonei sumus, ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, sed quod idonei simus id ex Deo est* 2. Cor. III. 5. nec magis *propriis* viribus possumus *bonum*, quam *Æthiops potest dealbare cutem suam, aut pardus liventes maculas suas* Jer. XIII.

12. An omnes & singuli homines, per *gratiam*, sibi propter Christum restitutam, possint quodvis bonum, etiam *spirituale*, si modo *velint*; dum interim ipsum illud *velle*, per gratiam *superabundantem* conferatur solis electis? Pelagiani ac Sociniani volunt per vires *liberi arbitrii*, peccato primo illæsas, unumquemque *posse* id omne, quod Deus ab ipso exigit præstandum, modo id sibi proponatur, & commodè *suadeatur*. Semi-Pelagiani Jesuitæ, Remonstrantes, qui vires arbitrii læsas agnoscunt, posse quidem unumquemque quodvis bonum, quod à se Deus exigit, si modo erigantur per gratiam *moralem congruam*. Dominicani etiam omnes & singulos, per vires liberi arbitrii, quodvis bonum posse statuunt; modo illas vires Deus excitet, per gratiam *physicam*. Inter Reformatos illi qui gratiam tuentur *universalem*, existimant omnes & singulos homines posse quodvis bonum, etiam salutare, non equidem per vires liberi arbitrii naturales, quas peccato protoplastorum penitus exstinctas agnoscunt; sed per *gratiam* propter Christum, omnibus & singulis *restitutam*, hac conditione, si modo *velint*, ipsum tamen illud *velle* suspendunt à gratia electis propria, quam *superabundantem* dicunt. Proinde duplicem gratiam tradunt, scil. *objectivam*, sub quâ ipsis est redemptio per Christum, & vocatio sufficiens, seu per præconium *naturæ*, seu per *verbi*: hæc ipsis est plane *universalis*: & *subjectivam*, quæ rursus ipsis, vel *sufficiens* tantum est, ut *possint si velint*, quemadmodum protoplasti in statu integritatis, poterant si vellent, & hæc ipsis est universalis: vel *superabundans*, quâ non possint tantum si velint; sed *velint* etiam actu, hanc solis electis relinquunt. Ex quibus proclive est perspicere, istos Reformatos propius quidem ad Pelagianos & Pelagianissantes Remonstrantes, Jesuitas alioque accedere, quam reliqui Reformati; satis tamen longe ab ipsis distare. Dum enim 1. adversarii omnes gratiam *omnem* faciunt universalem; hi *aliquam* tantum. Dum 2. Illi sic *universalem* tradunt, ut *particularem* excludant; hi *particularem universali* conjungunt. Dum 3. Illi omnes bonum quodvis posse tradunt, per vires *liberi arbitrii*, seu illæsas à peccato primo, seu læsas: per auxilium gratiæ, vel *morale*, vel *physicum*: hi vires illas referunt ad *gratiam*, omnibus *restitutam* per Christum. Dum 4. Illi τὸ *velle* bonum spirituale suspendunt à *sola natura*: hi à sola *gratiâ superabundante* &c. Reformatorum tamen communis sententia verior est & solidior, quæ negat vires perpetrandi bonum salutare, *universaliter* omnibus competere. Quia A. Scriptura nullibi tradit, omnes & singulos homines posse bonum *spirituale*, si velint. Quia B. ex adverso multa occurrunt ejus testimonia, quæ huic exsertè reclamant, docentque dari plurimos qui non possint Jer. XIII. 23. Rom. VIII. 7. 1. Cor. II. 14. C. Quia ex hypothesi sententiæ adversariæ, alterutrum horum necessariò venit asserendum: *vel*, quod vires perpetrandi bonum salutare, non pendeant à *regeneratione*, cui obloquitur Scriptura multis locis Joh. III. 3. 5. 6. Eph. II. 5. *vel*, quod regeneratio sit *universalis*, cui itidem repugnant loca citata. Nec scio, utrum horum magis absurdè asseratur. Fundamentum sententiæ adversariæ in his est, quod statuant, Christum moriendo, omnes & singulos homines restituisse in eum statum, à quo prolapsi erant in Adamo, qui status vires habebat, quibus protoplasti stare poterant in obsequio: quod item homines omnes & singuli vocari debeant ad obsequium, fidem &c. quæ vocatio cassa fuisset & otiosa, si vocati viribus destituantur, quibus possint obsequi. Verum cum universalem *redemptionem*, ex professo, si Deus volet, simus confutaturi lib. V. cap. XVIII Vocationem item universalem lib. VI. cap. 2. non est quod his hypothesibus operose conficiendis immoremur. Nisi quod hic obiter monendum, quod & *redemptio* universalis, & *vocatio* universalis, & *vires* quibus omnes & singuli *possint si velint*, frustrà futura sint, si per gratiam *superabundantem*, non etiam omnibus & singulis conferatur, ut *actu* velint.

Reformatorum rationes.

Fundamenta adversariæ sententiæ.

XXXV. Quæritur 13. An in libero arbitrio, *judicium* sit Actus intellectus, an verò voluntatis? Pelagiani ac Semi-Pelagiani, Sociniani, Arminiani, quo liberum arbitrium habeant, penitus *independens*, & indeterminabile à *quovis* alio: non tantum à *prædeterminatione* divinâ, sed etiam à *judicio* intellectus, agnoscunt quidem, *judicare* ad mentem seu intellectum pertinere; sed tantam tamen statuunt discrepantiam, inter *voluntatem* & *intellectum*, ut illa ab hoc nunquam *determinetur*; sed à se *solâ*. Cartesius cum suis, ut commodius tueantur, hominem de *omnibus* universaliter *dubitare*, vel judicium suum suspendere posse ac debere; quin & immunem esse posse ab *omni errore*,

13. An in libero arbitrio judicium sit actus intellectus; an voluntatis?

Sententiarum collatio.

errore, si velit : statuunt *judicare*, affirmare & negare, esse actus *voluntatis*, ac proinde, *judicium* quodvis nunquam *determinare* voluntatem, sed ex adverso *determinari* à voluntate. Reformati existimant, judicium quodvis ad *intellectum* pertinere, adeo ut, licet voluntas *nonnunquam* possit non agere, quamvis ultimum *judicium* intellectus practici, dictet agendum esse (quoties nim. judicat contra præsentem inclinationem voluntatis) nunquam tamen *agat*, saltem circa *media*, quæ sub deliberationem cadunt, quin *præcedat judicium* intellectus, sicut paragrapho seq. docebimus. Et sic determinant, eo quod sententia Cartesiana 1. ipsa sua novitate seipsam refellat, qua Scripturæ, Patribus, Theologis, Philosophis, & sensui omnium hominum communi, adeoque ipsi ideæ Cartesianæ, hactenus ignotum fuerit, *judicare esse velle*. Tum 2. Si verum esset placitum Cartesianum, sequeretur α. quando Apostolus dicit 1 Cor. II. 15. *Spiritualis homo judicat omnia, judicatur à nomine*; quod tum diceret, spiritualis homo *vult* omnia, & à nemine *volitur*, ut barbarè loquar, in re barbara. Rursus β. quando dicit Act. XXVI. 29. *velim vos omnes esse, sicut ego sum*, quod tum diceret : *judicem* vos omnes esse sicut ego sum. Tum γ. *judicare* rem ita esse; perinde esset, ac *velle* rem ita esse, & judicare hominem esse profanum, foret *velle* ipsum talem esse. Insuper δ. quando Deus *judicat* nos esse peccatores, *vellet* nos tales esse, quando *judicat* diabolum esse juratum suum hostem, idem quoque *vellet*. Magis tamen suspecta nobis est sententia Cartesiana, à suo *ortu* & impulsiva, quam supra notavimus, nim. posse hominem de omnibus *dubitare*, si modo *velit*, posse eum *nunquam errare*, si modo *velit*, quod palam redolet Pelagianismum. Sed 3. maximè suspecta est à *productis seu consequentibus* : per eam enim (a) liberum arbitrium, quod hactenus juxta omnes, fuit in *intellectu* simul & *in voluntate*, jam erit in *sola* voluntate. (b) fides divina, quæ, secundum Pontificios, in *solo* est intellectu, & secundum pleroſque Protestantes, in intellectu & voluntate *simul*; jam in *sola* erit voluntate. (c) in negotio conversionis, *illuminatio*, quæ ab omnibus uno ore, *soli* intellectui fuit afferta ; jam ad solam *voluntatem* erit referenda. (d) voluntatem *nunquam* determinari à dictamine intellectus, quæ omnia notasse, est refutasse. Adde 4. quod hac ratione, in intellectum nullum caderet *peccatum*; eo quod in rei cujusvis *simplici* apprehensione (quæ Cartesio intellectum exhaurit) quantumvis malæ, non hæreat *peccatum* : quoniam, & in Deum, in Angelos, & in ipsum nostrum Servatorem, talis cadat mali simplex *apprehensio*. A quo etiam 5. resultaret, quod φρόνημα τῆς σαρκὸς, non sit *inimicum* Deo Rom. VIII. 7. quia non *pronunciaret* adversus Deum. Quin 6. ex hac hypothesi, intellectus non *pronunciaret*, quid bonum sit aut malum, cui obloquitur Apostolus Eph. v. 17. Μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνίετες, τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου, item Gal. III. 7. γινώσκετε &c. quoniam pronunciare, est *judicare*, est affirmare & negare, quod, secundum Cartesianos, non cadit in intellectum. Denique 7. hoc pacto in intellectum non caderet sapientia, prudentia, eruditio, calliditas, quippe quæ omnia requirunt *judicium* quin ex adverso, omnia ista proprie essent in *voluntate*, quod est contra sensum *communem*, atque adeo ideam quorumvis. Si objiciat Cl. Witichius *Theol. pacif.* §. XLVII. *Sane reperimus, in eo* (intellectu) *id quod plane est essentiale voluntati, quodque à voluntate tolli non potest, nisi ipsa tollatur voluntas, libertatem : libere enim ferimur ad judicandum, non minus ac liberè appetimus & aversamur.* Respondebimus 1. Nos *libere judicare*, v. g. album esse album, aut hominem esse hominem, & nos *posse* aliter judicare, falsissimum est, neque enim diabolus, quamvis maxime *vellet*, potest non judicare *Deum esse*, & esse *unicum* Jac. II. 19. Sed 2. fac *posse* judicare quod vult; nec tamen hinc magis conficietur, judicare esse *actum voluntatis*, quam edere, bibere, ambulare, aliosque actus corporeos ac sensitivos: cum liberè edamus, bibamus; potest enim voluntas perinde suspendere actiones istas, atque *suspendere judicium*. Omnes quidem *actus humani* sunt actus voluntatis *imperati*, non tamen statim *eliciti*, de quibus proprie quæstio est hoc loco. plura in hanc rem diximus, in *Gangræna* nostra Cartesiana, Sect. 2. cap. XXVII.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectio.

XXXVI. Quæritur 14. An in libero arbitrio voluntas semper & necessario determinetur, ab ultimo judicio intellectus practici ? Pelagiani & Sociniani, quo securius habeant, liberum arbitrium consistere in indifferentiâ plane independente; negant illud determinari, vel à *prima* causa Deo; sed tantum determinari *à se*, modo ad operandum excitetur *moraliter*, per rationes *suadentes*, per quas interim ipsi maneat indifferens, se determinare, vel non determinare pro suo lubitu. Qui Cartesium sequuntur, statuunt, Deum talem nexum fecisse, inter intellectum & voluntatem, ut voluntas non possit non determinari ad agendum, si modo intellectus attendat. Reformati quidam, viri cætera doctissimi, Clarissimi, v. g. Joh. Camero, Samuel Maresius, fatentur quidem, voluntatem ad bonum spirituale, non determinari, per meras *suasiones* morales; sed tamen statuunt, voluntatem semper & necessario determinari, per ultimum judicium intellectus practici, adeo ut eo potenter *persuaso*, per illuminationem Spiritus S. voluntas non possit non sequi ultimum tale judicium intellectus practici, nec pro-

5. An in libero arbitrio, voluntas semper sequatur ultimum judicium intellectus practici ? Collatio sententiarum.

inde in hominis converſione neceſſarium eſſe, ut gratia phyſice convertens immediate attingat voluntatem; ſed ſufficere, ut illa adeo potenter illuminetur intellectus, ut ejus ultimum judicium practicum, voluntati, hoc aut illud hic & nunc, conſideratis omnibus conſiderandis, ſibi bonum & faciendum eſſe monſtret & perſuadeat. Sepoſita controverſia cum Pelagianis & Pelagianiſſantibus, Socinianis, Jeſuitis, Remonſtrantibus, ſuper natura libertatis, an conſiſtat in mera indifferentia, & quidem penitus independente, etiam à Deo, utpote quam jam ante determinavimus §. xxxi. Sepoſita etiam ſententia Carteſianorum, per quam, ex *otioſo* nexu divino, inter cogitationem mentis, ad talem cogitationem, talis ſequatur volitio & talis, cogitatione interim ſua virtute & viribus, nihil conferente ad determinationem voluntatis, aut ad ipſum effectum volitum, id omne ſola Dei voluntate procurante, utpote alibi lib. III. cap. VII. §. XXVII. item Cap. VIII. §. XXI. ſufficienter examinavimus. Hic nobis agendum cum Scholaſticis, & cum Reformatis illis, qui exiſtimant, voluntatem *ſemper* ſequi ultimum judicium intellectus practici; &, ut hic τὸ ἀκριβὲς acu tangamus; neceſſario nobis prælibanda nonnulla: 1. De *bono*, in quod voluntas ſua natura fertur, velut in objectum ſibi proprium. De hoc tenendum, quod hic non *ſemper* notet, id quod *vere* bonum eſt, ſeu naturaliter, ſeu moraliter, ſeu theologice ac ſalutariter: quia voluntas frequenter fertur in talia, quæ nullo horum modorum, *vere* bona ſunt, v. g. in adulteria, furta, mendacia &c. Sed quod *bonum* in hoc negotio, id demum notet, quod congruit cum inclinatione & propenſione præſenti voluntatis: v. g. Si voluntas jam propendeat in adulterium, ut videre eſt in Davide; tum voluntati iſtud adulterium *bonum* eſt, quamvis cætera nullo modo bonum vere *ſit*. 2. De *judicio* intellectus, quod componendo aut dividendo, affirmando aut negando, pronunciat de objecti alicujus conſtitutione. Hoc ſi accidat de objecto *contemplando*, judicium theoreticum dicitur; ſi de *agendo*, practicum appellatur. Hujus practici judicium rurſus eſt, vel *ſubordinatum* & abſolutum, quod pronunciat, hoc aut illud bonum eſſe aut malum *in idea*, v. g. caſtitatem eſſe bonum quid: vel *ultimum* & comparatum, quod rem cum aliis rebus & circumſtantiis comparat, & decernit, quid melius, quid deterius. v. g. caſtitas tibi, hic, nunc, conſideratis omnibus conſiderandis, eſt *bona*, & laſciviæ præferenda. His prælibatis, jam dicendum videtur: 1. Si ultimum illud judicium monſtret voluntati, hoc vel illud *ſibi bonum* eſſe, hoc eſt præſenti ſuæ propenſione inclinationique conveniens; tum voluntas ſemper ſequitur. v. g. eſto Davidis voluntas propenſa, in laſciviam & adulterium: occurrat ſibi nuda Bathſeba; dicat intellectus, hæc commoda eſt occaſio ſatiandi libidinem tuam; tum Davidis voluntas non poteſt non ſequi iſtud judicium. Rurſus 2. Si ultimum judicium intellectus practici pronunciet, hoc aut illud eſſe *bonum*, dum voluntas propendet & proclivis eſt in contrarium, nunquam ſequitur. v. g. eſto David impræſens propenſus in laſciviam, pronunciet intellectus pudicitiam ſibi, hic, nunc, eſſe bonam & præferendam; non tamen ſequetur voluntas. Interim tamen 3. voluntas nunquam agit, ſilente penitus ultimo judicio practico, in his ſaltem, quæ ſubſunt deliberationi, qualia ſunt media reſpectu finis, nunquam voluntas intendit hoc vel illud medium præ alio, niſi judicium rationes dicat. Hoc igitur modo, voluntas non ſemper & neceſſario ſequitur ultimum judicium intellectus practici: in qua ſententia confirmor eo, quod

Sententia negans explicatur.

Et probatur.

1. Ex hypotheſi contraria, gratia convertens non neceſſum haberet, operatione phyſica peculiariter occupari circa convertendi *voluntatem*, dum talis illuminatio ſufficeret in intellectu, quæ cieat ultimum judicium intellectus practici: quippe quod non poſſit non ſua ſponte ſequi voluntas. Dum ex adverſo 2. Scriptura talem notat gratiam convertentem, quæ non tantum *ſpiritum* novum conferat, hoc eſt, *mentem* afficiat illuminando; ſed & *cor* novum; quo conſtanter in Scripturis intelligitur *voluntas* Pſal. LI. 12. *Cor mundum crea in me, & ſpiritum rectum innova in me.* Ezech. XXXVI. 26. *dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri.* Quorſum cor conjungeret cum ſpiritu, ſi ſpiritus ſolus ſufficeret? Quin imo 3. Scriptura talem in converſione notat Dei operationem phyſicam, quæ producat ipſum *velle* Phil. II. 13. ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν, καὶ τὸ θέλειν... Nec 4. lumen intellectui collatum, poteſt tollere habitualem, ſeu naturalem illam pravitatem, quæ eſt in ipſa voluntate, v. g. averſionem à Deo & á bono quovis ſalutari, & propenſionem ad malum quodvis Gen. VI. 5. & VIII. 21. Tandem 5. crudum etiam eſt audire, voluntatem propenſam in libidinem, & ardentem laſcivia, neceſſario audire & ſequi qualecunque dictamen intellectus. Nec in contrarium valet,

Objectiones examinantur.

quod voluntas ſit appetitus rationalis: nec ferri poſſit in *malum* qua tale: quod neceſſario feratur in *bonum*, ut tale judicatum; quod ex duobus item bonis, ſemper ſectetur illud, quod hic & nunc melius viſum fuerit: quod alias non ageret ex conſilio: quod nemo rogatus, cur hoc aut illud velit, poſſit aliter reſpondere, quam ita ſibi viſum eſſe: quod flexuri voluntatem alicujus, exquiſitiſſimas conquiramus rationes, quibus perſuadeatur &c. Iſta quidem omnia vera eſſe lubenter recipimus; ſed non feriunt ſcopum: neque enim quæritur, an voluntas unquam operetur

circa

circa media, absque præeunte ultimo judicio intellectus practici, hoc enim nunquam fieri agnoscimus; sed quæritur; an posito ultimo judicio intellectus practici, voluntas *semper* & necessario operetur? Hoc existimo semper fieri, quando intellectus pronunciat congruenter isti propensioni & inclinationi, quæ est in voluntate: ast vero, si ultimum judicium intellectus practici, dictet *bonum* esse, hic etiam & nunc, consideratis omnibus considerandis, quod non congruit cum præsenti inclinatione voluntatis, tum existimo voluntatem non sequi. Hinc in conversione hominis, omnino necessarium, ut primum voluntati infundatur nova propensio, versus Deum & bonum quodvis spirituale; tum intellectus potenter illuminetur, ut practice judicet, hoc aut illud esse bonum spirituale, suæ propensioni conveniens, tum demum voluntas sequetur. Hæc ad omnes objectiones generaliter respondisse sufficerit; juvabit, dicta ad singulas singulatim breviter applicare. Dicebatur ergo A. Quod voluntas sit appetitus *rationalis*, eo quod sequatur dictamen rationis. Resp. Est omnino, & per hoc distinguitur ab appetitu vegetativo & sensitivo, & per hoc etiam fit, quod quotiescunque judicium ultimum practicum, id pronunciat bonum esse sibi, h. e. suæ inclinationi præsenti consentaneum, semper sequitur: ast vero si dictet, quod cum sua ista inclinatione non congruit; tum non sequitur, quia id demum si bonum est, quod congruit cum præsente sua propensione: hinc etiam observatur, quod exquisitissimas rationes frequenter non audiat. Dicebatur B. Quod non possit ferri in incognitum, aut malum qua tale. Resp. Non potest sane, quandó judicatur id sibi bonum esse, quod comcidit cum sua inclinatione; sed potest tamen *non agere*, quando pronunciatur bonum, quod non convenit cum sua inclinatione. Dicebatur C. Quod è duobus bonis semper sectetur, quod hîc & nunc sibi melius visum fuerit. Resp. Utique, sed tum, quando id bonum pronunciatur, quod præsenti suæ inclinationi congruit, aliàs non. Dicebatur D. Quod alias non *ageret* ex consilio. Resp. Hoc verum est, si sic *ageret*; ast vero si *non* agat, non dici potest agere non ex consilio. Dicebatur E. Quod quilibet interrogatus, cur hoc præ illo velit, non possit aliter respondere, quam ita sibi visum esse. Resp. Et hoc verum, quando agit, quando eligit: sed hoc non est verum quando non agit, non eligit, nisi forte, quod id quod suadetur, non conveniat cum sua inclinatione. Dicebatur tandem F. Quod flexuri voluntatem exquisitissimas rationes conquiramus, quibus persuadeatur voluntas. Resp. Sed & hoc verum est, quod voluntas exquisitissimas istas rationes frequenter non admittat, quod tum semper fit, quando rationes illæ non respondent præsenti suæ inclinationi, id tantum sibi bonum est, quod congruit cum sua propensione, & si sequeretur, ferretur in *malum* qua tale, cum id voluntati bonum sit, quod convenit cum præsente suâ inclinatione, & ex adverso *malum*, quod ei repugnat.

Pars Practica.

Praxis respicit, 1. Stuporem & securitatem carnalem sub statu peccati.

XXXVII. Quantum ad praxin, est hîc *primo* quid mireris universalem fere omnium *stuporem*, securitatem & ἀναισθησίαν, qua in reatu *omnimodæ* mortis, in extremâ *miseria*, in statu peccati, servitutis & mortis sepulti, miserrimam suam sortem (1) non *cognoscunt* Apoc. III. 17. (2) non *sentiunt*, non dolent, non horrent Eph. IV. 19. 1 Tim. IV. 2. (3) proinde nec *desiderant*, nec conantur *emergere* Matth. XXIII. 37. Joh. V. 20. (4) imo altum *sertunt*, sibi abblandiuntur Luc. XVIII. 11. 12. Apoc. III. 17. (5) Atque etiam monentibus & reprehendentibus *irascuntur*, obstrepunt, eos persequuntur quantum possunt Gal. IV. 16. Exempla horum prostant in Rege Babylonico Jes. XIV. 13. 14. in Pharisæo Luc. XVIII. 11. 12. in Ecclesia Laodicena Apoc. III. 17. Paulo adhucdum Pharisæo Phil. III. 4. 5. Causæ hujus dementiæ occurrunt: A. *Honestior* natura, urbanitas morum, per quam non sunt sicut *pessimi*, sicut publicani & peccatores Luc. XVIII. 11. 12. *naturam* pro *gratia* capientes Joh. III. 9. B. Praxis *cultus* & officiorum Ecclesiasticorum, constans sacrorum frequentatio, Sacramentorum communio &c. *Jejuno bis hebdomadatim*, *decimas do omnium bonorum meorum* Luc. XVIII. 11. 12. Phil. III. 5. Jes. LVIII. 2. C. Naturæ *pravitas*: omnes homines sunt, inquiunt, peccatores, & quid tum, si & ego sim: imo si vel maximè velim non esse, non possum, quod adeo cum omnibus *sum* corruptus Gen. XIX. 31. 32. D. *Gratia* & misericordia Dei, per quam facili negotio possint peccatorum suorum, quantumcunque multorum & gravium, remissionem consequi Jud. vers. 4. E. Conscientia multorum scelerum à quibus *abhorreant*, & bonorum operum, quibus *operam* dent. Sic Herodes Marc. VI. 20. Gentiles Rom. II. 14. Amazia 2 Paral. XXV. 2. F. Mora *judiciorum* Dei Eccl. VIII. 11. 2 Pet. III. 4. 9. Psal. X. 6. non vident, judicia divina statim profundi in scelera, nec cogitant hoc esse à longanimitate & patientia Dei, per quam ad resipiscentiam compellantur Rom. II. 4. 5. G. Perversa de se *aliorum* judicia, quibus tam perversi non sint, ac aliis quidem nimium morosis Jer. IV. 10. & VI. 14. Luc. VI. 26. H. Conceptus error, quod *sanctitatis* tanta ἀκρίβεια, ad solos spectet Ecclesiastas: contra sententiam Scripturæ Heb. XII. 14. Eph. V. 15. 1 Joh. III. 3. Matth. V. 48. Non addam

Causæ.

1. Infidelitatis & *Atheiſmi* nimiam copiam in quibusvis, quâ nec de Deo, nec de cælo aut inferno, nec de verbi divini veritate & auctoritate divina, ſatis perſuaſi ſunt, proinde intus in corde dicunt; *non eſt Deus* Pſal. XIV. 1.--- & XCIV. 7 Iſthæc ſtupiditas (1) nunquid plus quam bruta eſt *dementia*? aliorum malis, ſæpe levibus, indolere, & ſua centuplo majora non *ſentire*, *dedolere* Eph. IV. 19. (2) graviſſimis Dei *comminationibus* expoſita eſt Amos. VI. 1. 1. Theſſ. V. 3. Imo (3) talis, ut à primo aditu verſus reſipiſcentiam ac ſalutem, arceat Luc. XVIII. 11. 14.

2. Cognitionem ſtatus peccati. Motiva.

XXXVIII. Eſt *ſecundo*, ob quod ſerio inquiramus in ſtatum *proprium*, ſimusne forte & *nos*, adhucdum in *ſtatu peccati* & mortis ſpiritualis Zeph. II. 1. 2. 2 Cor. XIII. 5. Quod 1. hæc inquiſitio ſit primus *gradus*, verſus reſipiſcentiam & ſalutem Thren. III. 40. Jer. III. 13. 14. quâ, velut *ad nos* redimus Luc. XV. 17. Quod 2. tam proclive ſit in hoc negotio *decipi*, cum in *ſtatu* peccati ſint, non tantum *aperte profani* (quos Scriptura *peccatores*, *injuſtos*, *impios paſſim deſignat* Jud. verſ. 10. ipſis brutis deterius viventes Jeſ. I. 13. 1. Tim. I. 9.) quos nullo negotio, in ſtatu peccati conſtitutos agnoſcas; neque etiam homines tantum *naturales*, ψυχικοὶ, qui ductum naturæ ſequuntur 1. Pet. II. 12. Jud. verſ. 19. Phil. III. 19. ſed etiam *civiles* & *honeſti*, quales inter Gentiles quoque, non pauci reperti ſunt Rom. II. 14. imo & *Eccleſiaſtici*, qui in virtutibus moralibus ſtupendos nonnunquam faciunt progreſſus, non tantum in *externis*, quales Phariſæi Luc. XVIII. 11. 12. Phil. III. 4. 5. 6. ſed etiam in *internis*, quales πρόσκαιροι, de quibus Heb. VI. 4. 5. Jeſ. LVIII. 2. Matth. XIX. 17. 18. 19. 20. Num. XXIV. 3. 4. 5. A quibus proinde ſe *certo dignoſcere*, perquam eſt difficile, prout falli ac decipi perquam eſt proclive. Quod 3. hîc falli tam ſit *periculoſum*, imò & *exitioſum*, cum, ſicut diximus, ab ipſo limine converſionis ac ſalutis, hominem penitus excludat, ut facilius accidat, hominem apertè profanum ad reſipiſcentiam perducere, quam talem Matth. XXI. 31. Ne igitur in re tanti momenti fallamur, ante omnia neceſſum eſt, intimè perſpectam habere naturam hujus ſtatus; in quam rem tenendum *primo*, quantum ad *eſſentialia*, eſſe hujuſmodi homines, ex ſeparatione juſtitiæ *originalis* ab animâ ſuâ, generaliter *mortuos* in peccatis Eph. II. 1. 3. 5. proinde privatos (a) omni *calore* ſpirituali Apoc. III. 15. 16. (b) omni *ſenſu ſpirituali* Eph. IV. 19. 1 Tim. IV. 2. velut qui corde *lapideo* ſunt præditi Ezech. XXXVI. 26. *viſu* Matth. XIII. 13. Marc. IV. 12. *auditu* Joh. VIII. 47. *guſtu* 1. Pet. II. 3. &c. (c) omni *motu* ſpirituali (neque enim *aguntur Spiritu Dei* Rom. VIII. 14.) motu *ſermocinationis* ſpiritualis Matth. XII. 14. 34. & IX. 33. &c. *ſecundo*, quantum ad *facultates* animæ: (1) *intellectus* non *percipit ea quæ ſunt Spiritus*, *ſunt ei ſtultitia* 1. Cor. II. 14. *Sunt obtenebrati mente*, eoque *alienati à vita Dei*, *per ignorantiam* Eph. IV. 18. Act. XXVI. 18. (2) *voluntas* à Deo averſa Jer. I. 4. Pſal. XIV. 3. 4. ſe totam *tradit* peccato Rom. VI. 16. Eph. IV. 19. *repugnat legi divinæ* Rom. VIII. 7. Mal. III. 14. (3) *affectus* penitus *averſus* eſt A. à *cognitione* Dei & rerum divinarum Job. XXI. 14. 2. Tim. IV. 3. Jeſ. XXX. 10. B. à *lege* Dei, ejuſque obſequio Jer. VI. 17. & VII. 26. Rom. VIII. 7. & contra *converſus* in voluptates & carnalia quævis 1 Tim. V. 6. Conf. Gal. V. 24. (4) *Cogitationes* conſtanter *malæ* Gen. VIII. 21. v. g. *Deum* non adeo *attendere* factis noſtris Pſal. XCIV. 7. & X. 11. nec adeo *ſeverum* eſſe in puniendis criminibus, ac multi clamitant Deut. XXIX. 19. μάρφωσις pietatis, & externum virtutis *cultum*, ſufficere ad ſalutem 2 Tim. III. 5. Apoc. III. 17. fas eſſe cuivis, cupiditatibus ſuis *indulgere*, ſi modo poſſit Phil. III. 19. Rom. XIII. 14. *Tertio*, quantum ad *vivendi* rationem, componit ſeſe tanquam ad regulam (a) ad *cupiditates* cordis 2. Pet. II. 12. (b) ad *exempla* prædeceſſorum Zach. I. 4. Joh. VIII. 33. (c) ad *conſuetudines* hujus mundi Rom. XII. 2. Eph. II. 2. (d) *mancipat* ſeſe penitus peccatis Jer. XVI. 12. 2. Pet. III. 3. 5. Heb. X. 26. Interim tamen, ne fallaris, & hoc tenendum, omnia quæ diximus, in omnibus illis qui adhucdum hærent in ſtatu peccati, *æqualia* non eſſe: eſſe qui prorſus & palam *mortui* ſunt in peccatis, eſſe etiam qui ſibi aliiſque *videntur vivere*, indigitante Servatore Joh. IX. 40. 41. ut non ſtatim ſit exiſtimandum, nos extra ſtatum peccati conſtitutos eſſe, ſi quando *omnia* iſta, ἐν ἀκμῇ penes nos non ſentiamus.

Status peccati delineatur.

3. Senſum miſeriæ ſub ſtatu peccati. Motiva.

XXXIX. Eſt *tertio*, quod in ſtatu peccati conſtituti, *adnitamur* conſequi *ſenſum* miſeriæ noſtræ, à peccato oriundæ, qui Scripturis, ſub titulis, cordis *contriti & confracti* Pſal. XXXIV. 19. & LI. 19. *fatigati & onerati* Matth. XI. 28. Pſal. XXXVIII. 4. 5. aliiſque commendatur. Eſt in hoc miſeriæ ſuæ *ſenſu* ac dolore: A. *ſecundus* gradus, verſus liberationem à ſtatu peccati, unde *ſpiritus ſervitutis ad metum*, omnibus convertendis, *ſemel* ſaltem, conferri dicitur Rom. VIII. 15. Ut apparet in convertendis & converſis Act. II. 37. & XVI. 27. 30. & IX. 6. Rom. VII. 24. B. Eſt multis modis *neceſſarius*, ad converſionem procurandam: ſcil. 1. ut *ſitiamus* Chriſtum, ſine quo *nihil* poſſumus Jeſ. LV. 1. 2. Matth. V. 6. Apoc. XXII. 17. Pſal. XLII. 1. 2. Ut 2. *quæramus* Chriſtum Jeſ. LV. 6. 7. Pſal. CXLII. 3. -- Ut 3. *accedamus* & confugiamus ad ipſum Matth. XI. 28. tanquam ad *petram* ſalutis unicam Jeſ. XXVI. 4. Pſal. XVIII. 3. 5. 6. 7. Ut 4. ſub ſpe liberationis, poſtulata quævis *duriſſima*: *abnegationem* noſtri Luc. IX. 23. *crucifixionem* carnis & cupiditatum carnalium Gal. V. 24. ſpiritualem *oculorum effodicationem*, *manuum* item *ac pedum* trun-

truncationem ; ſimiliaque, promtiſſime *admittamus* Matth. v. 29. 30. Ut 5. pro Chriſto, *pretioſiſſima* quævis noſtra *ſuſque deque* habeamus Phil. III. 7. 8. Matth. XIII. 45. 46. Pſal. LXXIII. 25. Ut 6. Chriſtum, ejuſque gratiam conſecuti, ſtudioſius *cuſtodiamus* Cant. III. 1. 2. 3. 4. nec mundi hujus, aut voluptatum peccatorumque illecebris, *eripi* ipſum nobis patiamur. Complectitur autem hic ſenſus (1) *horrorem*, è peccatorum, quibus circumdata eſt univerſa vita noſtra, *conſpectu* oriundum Jeſ. VI. 5. Thren. V. 16. Rom. VII. 24. (2) *pudorem*, quod omni ſpirituali bono nudati ſtemus Luc. XVIII 13. Dan. IX. 6. 7. (3) *palpitationem cordis*, à metu imminentium nobis pœnarum 2. Sam. XXIV. 10. Confert hunc peccati & miſeriæ *ſenſum*, Deus quidem (a) per *verbum* legis, per *vocem Domini, quæ parturire facit cervas, & detegit ſylvas* Pſal. XXIX. 9. Jer. XXIII. 29. (b) per *afflictiones*, perſæpe duriſſimas ac diriſſimas Jer. II. 19. Luc. XV. 17. 18. Jer. XXXI. 19. Imprimis (c) per *Spiritum* ſuum, quo *cor lapideum* emollit & aufert Ezech. XXXVI. 26. *Accipimus* autem à Deo, *ſenſum* iſtum peccati & miſeriæ, nos quidem A. profundâ *cogitatione*, tum *habitualis* ac totalis noſtræ corruptionis Rom. VII. 23. 24. tum *actualis* deviationis, toties & tam horrendo modo commiſſæ Act. II. 23. cum verſ. 37. Luc. XV. 18. 19. Pſal. XXXVIII. 5. B. *contemplatione* & applicatione, rigoris & maledictionis legis Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. C. *cogitatione* infinitæ Majeſtatis divinæ, quam ſingulis peccatis noſtris violavimus Pſal. LI. 5. 6. Job. XLII. 5. 6. D. *Invocatione* Dei, qui mentem nobis illuminet, & corda tangat, quo ipſi nobis innoteſcamus Jer. XXXI. 18. 19.

Quid ſenſus ille?

Cauſæ.

4. Deſperationem de ſeipſo.

XL. Eſt *quarto*, quod ſub hoc ſtatu, in negotio liberationis, penitus *deſperemus* de nobis noſtriſque, & omnibus quæ ſunt extra Deum & Mediatorem : *Quis me liberabit?* item, *pereo fame* Luc. XV. 17. Deſperemus, inquam, non de *Deo*, qui non poſſit, aut abſolutè non velit nos liberare: eſt enim *omnipotens* Pſal. CXV. 3. & *multus liberationibus* Pſal. XLII. 6. 12. & XLIII. 5. Nec de *Mediatore*, ſit ne nobis liberandis *ſufficiens*: eſt enim *potentia & ſapientia Dei* 1. Cor. I. 23. in quo *omnes* ſunt *theſauri* Col. II. 19. *in quo redemptionem habemus per ſanguinem ejus* verſ. 14. ſed 1. de *nobis*, omnique dignitate & juſtitiâ propriâ, propter quam liberemur : ſumus enim plus quam *mille talentorum debitores*, *nec quicquam ſuppetit quo ſolvamus* Matth. XVIII. 24. 25. tum 2. De omnibus *noſtris* officiis cultus divini, bonis operibus ; uſque adeo, ut omnia quæ olim *lucrum* nobis *erant*, aut etiamnum videri poſſint, *pro damno*, pro *ſtercore* habeamus Phil. III. 4. ad 9. Jeſ. LV. 2. porro 3. De *viribus* noſtris, ut qui *inepti ſumus*, *vel ad cogitandum quicquam boni* 2. Cor. III. 5. *mortui in peccatis* Eph. II. 1. 3. 5. & *extra* Chriſtum *nihil* omnino *poſſumus* Joh. XV. 4. 5. Quin & 4. de *omnibus*, quæ ſunt *extra* Deum, & Mediatorem unicum 1. Tim. II. 5. *extra quem non eſt ſalus* Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Conf. Matth. XVI. 26. Marc. VIII. 37. Pſal. XLIX. 2. Et ſic quidem *deſperemus* de omnibus iſtis, ut 5. nos ipſos *condemnemus* Dan. IX. 13. Pſal. LI. 6. profitendo cum publicano : *peccavi, non ſum dignus qui filius tuus appeller* Luc. XV. 18. 19. ac proinde etiam 6. *acquieſcendo* in quavis *abjectiſſima* ſorte, in quâ ipſe voluerit, nos conſtitutos eſſe. *Ibid.* verſ. 19. *Fac me ut aliquem è mercenariis tuis.* Eſt hujuſmodi deſperatio (1) abſolutè *neceſſaria*, ad liberationem obtinendam, quatenus ex una parte, *nec Deus* vult nobis abſque illâ, liberationem *conferre* Rom. X. 3. Gal. V. 4. Act. IV. 12. *nec nos* volumus eam apud Deum & Mediatorem ſolum *quærere*: eſt enim nobis naturale, *ubivis* liberationem ac ſalutem quærere, quam apud Deum & Mediatorem, quidvis *alibi experiri*, niſi poſt deſperationem de omnibus Luc. XV. 13. 14. 15. 16. Hoſ. V. 23. Eſt (2) Deo & Mediatori perquam *honorifica* Pſal. CXV. 1. quando *nihil* in nobis, *omnia* in Deo, Mediatore, & utriuſque purâ putâ *gratia* quærimus 2. Cor. III. 5. 1. Cor. XV. 10. Eſt (3) homini *utiliſſima* (a) ad ſui *humiliationem* 2. Cor. V. 7. (b) ad *patientiam* ſub quavis ſorte Luc. XV. 19. (c) ad *gratitudinem* pro liberatione Pſal. CXVI. 3. 4. 5. 8. 9. 12. 16. 17. & XVIII. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Rom. VII. 24. Quo autem pertingamus ad hujuſmodi ſalutarem *deſperationem*, juvabit A. ſerio *expendere* & perſuaſum eſſe, de ineffabili *corruptione* & miſeriâ ſtatus *naturalis*, utpote per quem (a) non ſumus niſi pura puta *caro* Joh. III. 6. nec *eſt in nobis*, h. e. in *carne* noſtrâ, *quicquam boni* Rom. VII. 18. (b) inſuper ſumus *mortui in peccatis* Eph. II. 1. Ezech. XXXVII. 2. 3. 11. (c) dudum geſtamus *ſententiam mortis* æternæ Joh. III. 18. (d) agimur inſtinctu *diaboli* Joh. VI. 70. Eph. II. 2. Act. XXVI. 18. Nunquid igitur ab his omnibus eſt, ob quod de nobis *deſperemus*? B. *Cogitare* inutilitatem & imbecillitatem *omnium* eorum, à quibus quicquam boni nobis poſſemus ſperare. Singulatim α. non poſſumus *reſipiſcere*, aut quicquam boni præſtare : eſt enim nobis cor *durum* Rom. II. 5. *bonum* quod *velles non potes*, *& malum quod non velles, facis* Rom. VII. 15. Nec β. plerumque, quod *poſſumus* bonum, *volumus* Jac. III. 2. Jeſ. LXIV. 7. Matth. XXV. 5. Et γ., fac nos poſſe *optima* quævis, & *velle* etiam: quid poterunt ad noſtri *liberationem*, cum imperfecta ſint *optima* quævis noſtra? Jeſ. LXIV. 6. Gal. V. 16. dum lex exactiſſimam exigit obedientiam Matth. XXII. 37. Gal. III. 10. Et fac δ. nos poſſe, & præſtare perfecta, perfectiſſimo *modo*, nunquid debita ſunt? Luc. XVII. 10. quæ non poſſunt *tollere culpam* reatus *originalis* Gen. II. 17. Et fac

Quid illa & qualis?

Rationes modivæ.

{Media quibus conſequamur.

fac etiam 4. nos posse exhaurire *omnem* culpam, nosque restituere in statum *innocentiæ*, an possumus nos *conservare* in eo statu, plus quam protoplasti? Jes. LXIV. 6. C. *Expendere* irreparabile malum, quod est in contrario, in *fiducia sui*, quatenus 1. nos *excludit* à communione Christi Gal. v. 2. 4. Rom. x. 3. & 2. *enervat* quævis media, quibus alias, in liberatione nostri, uti Deus consuevit, iisque quasi maledicit. Jer. XVII. 5. 6. exemplo Pharisæi Luc. XVIII. 11. 12. collat. cum vers. 14.

5. Desiderium liberationis. Causæ movent.

XLI. Est *quinto* in hoc statu, quod multis modis *desiderium* liberationis erigat: *Quis me liberabit ab hoc corpore mortis!* Sumus enim A. per hunc statum (a) sub *corruptione* pessimâ Jes. 1. 6. (b) sub *reatu* omnimodæ *mortis* Gen. 11. 17. *maledictionisque* Gal. III. 10. (c) sub *servitute* tenebrarum peccati, carnis, mundi, diaboli Col. 1. 13. (d) sub totali *impotentia* liberationis, utpote *mortui in peccato*, proinde absque *Deo*, absque *Christo*, absque *promissione*, absque *spe*, Eph. II. 1. 12. 13. Est interim B. *spes liberationis*, non tantum à misericordia *Dei* Exod. XXXIV. 6. quâ *multus* est liberationibus Psal. XLII. 12. & CXXX. 7. 8. nec tantum à *Filio*, quem ad hoc misit in mundum Joh. III. 16. 1 Tim. 1. 15. 16. verum à *promissionibus* eo factis Jes. 1. 18. Imo C. *manifestata* divinitus ipsa liberationis *ratio*, liberator & liberandi media 2. Cor. v. 19. 20. 21. Nostrum

Media consequendæ liberationis.

est 1. dispicere nobis de *liberatore*, cum liberare, nobis ipsis sit impossibile Rom. VIII. 3. Qui non alius est, quam (1) *Deus*, utpote *penes quem misericordia est & multitudo redemptionis*, quique *redimit Israëlem, ab omnibus iniquitatibus suis* Psal. CXXX. 7. 8. (2) *Mediator* גואל Job. XIX. 25. per quem Deus *promittit*, se liberaturum Israëlem suum Hos. 1. 7. & *qui nos liberavit à potestate tenebrarum* Col. 1. 13. Nostrum est 2. omnia illa *conferre*, quibus Deus & Mediator nobis conciliari possit, videlicet (a) *exquirere* statum & *miseriam* nostram Thren. III. 40. Juxta §. XXXV. (b) *sentire* miseriam nostram Psal. XXXVIII. 3. 4. 5. 6. &c. juxta §. XXXVI. (c) *Desperare* de nobis nostrisque, imo de omnibus creaturis Act. IV. 12. juxta §. XXXVII. (d) *Anhelare* redemptorem & redemptionem Psal. XIV. 7. (e) Vera ac viva *fide*, Deum & Mediatorem amplecti, seque redimendum ei committere Rom. III. 24. 25. Joh. III. 16.

XLII. Est *sexto*, quod liberati, *gratos* Deo nos præstemus: *Gratias ago Deo, per Jesum Christum* Rom. VII. 24. 1. Cor. XV. 57. Luc. 1. 68. 71. 74. 75. Qua gratitudine A. hujus liberationis magnitudinem intus *sentiamus* in *corde*, pro dignitate *extollamus*, Deoque soli & Mediatori *acceptam* feramus Psal. CIII. 1. 2. 3 4. Eph. II. 4. 7. B. Eandem *celebremus ore* Psal. XXII. 27. & CXVI. 3. 4. 5. 6. Marc. V. 19. C. Tandem *referamus opere* Psal. CXVI. 8. 14. *Ut sine metu è manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi, cum sanctitate & justitia coram ipso, cunctos dies vitæ nostræ* Luc. 1. 74. 75. Nominatim studio *sanctitatis*, & quotidianâ corruptissimæ naturæ nostræ *reformatione* Eph. IV. 22 Rom. XII. 1. 2. Hoc enim exigit 1. qualecunque *beneficium*, gratitudinem Deut. XXXII. 6. tale cumprimis ac tantum Gen. XXXII. 10. liberatum esse à pessimâ corruptione, à reatu omnimodæ mortis, &c. sicut diximus. Est 2. in gratitudine & glorificatione Dei, unicum ac totum, quod pro tanto ac tali beneficio rependere possumus Psal. L. 9. 10. 11. 14. Est 3. id cujus ope, velut certissima nota, certitudinem liberationis nostræ assequi, eaque gaudere possimus Luc. VII. 47.

6. Gratitudinem pro liberatione.

XLIII. Tandem *septimo*, cum peccatum causa sit pessimæ istius corruptionis, omnimodæ mortis, duriissimæ servitutis, ineffabilis miseriæ; est quod libertati A. *memoriam* peccati & status sui nativi, frequenter *recolant* Psal. XXV. 7. Eph. II. 1. 2. 3. 12. Tit. III. 3. 4. Quod hac ratione *alatur* & excitetur in ipsis (a) *humilitas* Conf. 2. Cor. XII. 7. (b) *Amor* versus *liberatorem* Psal. XVIII. 3. 5. 6. 7. & CXVI. 1. 3. (c) Gratitudo erga liberatorem Rom. VII. 24. Psal. CIII. 1. 2. 3. 4. Rom. XII. 1. 2. (d) *ἀκρίβεια conversionis* Luc. 1. 74. Tit. II. 11. 12. B. peccati *horror*, utpote quod in tantas sese olim dederit *angustias* Joh. V. 14. C. *Aliis*, qui adhucdum in statu peccati, & velut in *laqueis Satanæ* hærent, tenerrimè condoleant, exemplo Servatoris Luc. XIX. 41. 42. 43. in eorumque *conversionem*, totis viribus adnitantur Luc. XXII. 32. Act. XXVI. 18. D. *Caute* & circumspecte ambulent, quod peccatum, tantæ miseriæ fabrum unicum, continuo *circumferant* in præcordiis Matth. XXVI. 41. Eph. VI. 14. 15. suamque *salutem conficiant*, *cum timore ac tremore* Phil. II. 12.

7. Officia aliquot liberatorum.

THEO-

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ LIBER QUINTUS, DE *REDEMPTIONE CHRISTI.*

CAPUT PRIMUM DE Fœdere Gratiæ.

Gen. III. *Vers.* 15.

Inimicitiam ponam inter te & ipsam mulierem, & inter semen tuum & semen ejus: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.

Methodus & ordo dicendorum.

I. Apostasiam hominis, violatione fœderis operum factam, &, quæ secuta est, extremam violatoris *miseriam*, superiori libro diximus: succedit ejusdem *anastasia* seu restitutio, quâ elevatur è statu *peccati* & *mortis*, in statum *gratiæ* & vitæ. Hæc duobus partibus absolvitur: *redemptione*, & redemptionis *applicatione*. Utraque velut pro normâ agnoscit *fœdus gratiæ*, substitutum violato fœderi operum. *Redemptionem* libro *quinto* expediemus ἐν Θεῷ; ejus *applicationem* libro *sexto*. Dicendum igitur primo de *fœdere gratiæ*, dein de *Mediatore* ejus, seu Redemptore, denique de *redemptione*. Fœdus gratiæ pandemus in prima *promissione*, protoplastis *peccatoribus*, immediate post violationem fœderis operum, factâ, quæ prostat Gen. III. 15.

Pars exegetica.

Resolvitur & explicatur textus.

II. *Quibus verbis*, *licet* exserte sententia *contineatur*, *qua Satanæ seductori exitium dictatur*; *implicite tamen*, *non tantum* promissio *de restitutione seducti*; *sed etiam omnia* materialia *& essentialia fœderis gratiæ*, habentur (*quamvis* appellatio *&* formalia *fœderis non ita prostent*) *id quod suo loco palam faciemus*. *Saltem* mysticum *quendam sensum*; *verbis inesse*, *contra Judæos modernos*, *veteres admisisse videntur*, *quando verba sic interpretantur*: *Targum Hierosolymitanum*, *interprete P. Fagio*, *hoc modo*: Et erit, quando filii mulieris operam dabunt legi & fecerint præcepta, tunc studebunt tibi conterere caput, & occident te. Cum vero deseruerint filii mulieris præcepta legis, nec servabunt mandata, operam dabis, ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis. Verumtamen Remedium erit filiis mulieris; tibi vero serpenti nullum erit remedium, quandoquidem futurum est, ut amoveant morsum, qui factus est in calcaneo, in Fine dierum; scil. in diebus Messiæ. *Eisdem fere verbis*, *idem dicit R. Jonathan*, *expositore Helvico*, *& paulo aliter Onkelos*, *juxta interpretationem Ariæ Montani in Bibliis Regiis*. *Verba tamen*, *ut jacent*, *nobis offerunt* sententiam Dei condemnatoriam, in Satanam seductorem mulieris. *Circa quam notatur*

1. Judex condemnans *seductorem*, *eoque sic satis promittens* liberationem *seducto*, *unaque constituens* fœdus gratiæ. *Involvitur voci* אשית ponam: *sed quis ille? monstratur vs. præcedente*, ויאמר יהוה אלהים & dixit Jehova Elohim. *Hoc est*, *Jehova* unus *essentia*, trinus *personis*, *quibus jungitur verbum singularis numeri*. *Ut significetur Deum* triunum, *esse auctorem* fœderis gratiæ *quatenus in œconomia Trinitatis*, *ab æterno convenerit*, *super* restitutione *peccatoris*: *interim* primam *promulgationem hujus fœderis factam fuisse ope* illius *personæ*, κατ' ἐικονομίαν, *per quam Deus loquitur*, *h. e.* Filii, *qui ab* אמר, *Chaldæis vocatur* מימרא, *Novo T.* λόγος, *scil.* ὁ ἐξαγγελτικὸς, *ut eum Nazianzenus vocat*, *quia interpres est*, τῶν μεγάλων βουλημάτων τοῦ Θεοῦ, *ut Epiphanius loqui-*

tur, Hæres. LXXIII. *ex* finu patris, *enarrans myſteria* Joh. I. 18. *de quo Paulus teſtatur, quod* per eum manifeſtatum ſit myſterium Euangelii, æternis temporibus tacitum Rom. XVI. 25. Eph. I. 9. 10. & III. 9. 2. Tim. I. 10. *Utique non ſolum in temporum plenitudine: ſed & in hoc mundi exordio. Hic condemnavit Satanam* Joh. XII. 31. & liberationem *annunciavit Mulieri, veluſ* Angelus fœderis Mal. IV. 1.

2. Judicium, condemnatorium *quidem in ſeductorem*; *ſed* liberatorium *in ſeductam. Dum enim in ſeductæ gratiam, condemnatur ſeducens*; *ſaltem propenſio & benevolentia in ſeductam ſignificatur*: *dum illi* maledictio *dictatur*, maledictus eſto vſ. 14. *huic* benedictionis *ſaltem rima quædam aperiri videtur, dum* inimicitia *ponitur in homine, âdverſus ſatanam, hoſtem Dei, ſatis clare*; amicitia *videtur dici reſtituenda cum Deo: dum mulieris hoſti* caput *conterendum, omniſque nocendi poteſtas adimenda dicitur; nunquid ſeductus liberandus pronunciatur? Pronunciat autem ſeductori pro pœnâ* inimicitiam, *circa quam obſervanda:*

א. Inimicitia *conſtituta*, inimicitiam ponam, ואיבה אשית, & inimicitiam ponam. *Eſt hic*

1. Conſtitutum, איבה. *Quod vulgata reddit* inimicitias, *rectius inimicitia, duratura ſcil. uſque ad conſummationem ſeculorum. Notat adverſationem extremam & exquiſitiſſimam*, πόλεμον ἄσπονδον, *ubi nullis, vel* induciis, *vel* pacificationibus, *locus erit. Conf.* Deut. XXVIII. 57. Pſal. VII. 6. LXX. *reddunt* ἔχθραν, *idem quod* ἔχθος odium, *& deduci poſſe videtur ab* ἔχεσθαι *harere, ut ſit odium quod animo infixum hæret, ſeu inveteratum. Intelligitur autem* inimicitia, *non* naturalis *tantum, inter ſerpentem animal, & hominem, quâ in mutuum exitium enituntur partes illæ: ſed etiam, & potius quidem* ſpiritualis. *Quæ ab* unâ parte, *mutuam contrarietatem & antipathiam dicit* naturæ, affectuum & ſtudiorum; *& in ſemine quidem mulieris, infert principia, Satanæ & operibus Satanæ, h. e. peccatis inimica, eoque regenerationem, converſionem, ſanctificationem, fidem, reſipiſcentiam &c. ab* altera parte, *amicitiam & reconciliationem cum Creatore: quatenus non tantum inimicus Satanæ, non poteſt non eſſe amicus Dei, ex analogia loci* Matth. VI. 24. *ſed & animus ille inimicus in Satanam, per regenerationem, converſionem, ſanctificationem collatus, aliunde quam ab amore Dei, promanare non poteſt. Proinde una hac inimicitia, totum reſtitutionis negotium comprehenditur, ut ſuo loco diſtinctius monſtrabimus.*

2. Conſtitutio, ponam אשית. *Interp.* LXX. θήσω. *Piſcator* pono *per Enallagen temporis, quod* inimicitia *hac, mox poſt latam hanc ſententiam cœperit, nim.* decretivè, *ita loquar, &* inchoative, *in membris*; completive *autem &* exſecutive *demum, in temporum plenitudine. Significatur igitur, Deum* æterno *decreto redemptionis negotium conſtituiſſe; in* tempore *redemptionem procuraſſe, & applicare, per vocationem, regenerationem, converſionem, ſanctificationem &c.* auctorem, *fontem ac ſcaturiginem exiſtere.*

ב. Inimici, *ſeu partes contendentes, nim. duplex* par *inimicorum*:

α. Primum par, inter te & mulierem, ובינך ובין האשה. *Hic* בין LXX. *Interp. reddunt* ἀνὰ μέσον, per medium, *alii rectius*, inter. *In his*

1. Pars prima *eſt* נחש, ſerpens *in* vſ. 14. *Quiſnam fuerit hic* ſerpens, *non* animal *tantum, ut Judæis nonnullis recentioribus placet. Conf. Rivet. in* Gen. *Exercit.* XXXV. *& Pareum in* Gen. III. 14. 15. *Cum pœna* ſpiritualis, maledictio, inimicitia, & contritio *capitis, ei dicetur: nec* immaterialis *tantum Satanas* Apoc. XX. 2. *ut Patribus nonnullis, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio, aliiſque recentioribus viſum*; *cum pœna etiam* corporalis *dicetur: humi ſerpes, pulverem linges* vſ. 14. *Proin &* materialis *&* immaterialis *intelligitur; hoc inquam, alibi preſſius examinavimus* Lib. IV. cap. I.

2. Pars ſecunda, האשה, & inter hanc mulierem. *Demonſtrativum* ה, *notat* certam *mulierem, nim.* directè *&* reſtrictim, *illam ipſam, quæ ſeducta fuit, quæ in hoc capite non ſemel commemoratur. Quæ ſic vocata fuit à viro, quod ex viro deſumpta eſſet* Gen. II. 23. *Ubi Pagninus* viriſſam *vertit, voce parum Latina. Arias Montanus*, Viraginem, *quæ fœminam notat, non quamvis*; *ſed ſingularem quandam, quod demonſtrativum* ה, *ſatis clare innuit. Scil.* (1) *non mulierem* myſticam Apoc. XII. 1. *ut Anabaptiſtis placet, abſque ulla ratione. Nec* (2) *ſolam B. Virginem, juxta vulgatam Pontificiorum verſionem, probatam Concilio Tridentino, quæ perfidia Guidonis Fabricii, textui originali & authentico, vim fecit, pro* הוא *maſculino, ponendo* הוא: *utrumque* ἀσύστατον *utrique* ſyntaxi *maſculino, pariter & ſubjectæ* materiæ, *cum non illa* propriè, *aut* ſola, *ſerpenti Satanæ* contriverit caput: *ſed* immediatè *Eva, ſola hujus temporis mulier*; mediate *aliæ mulieres, quarum opera, Servator in carnem deſcendit, in quibus proxime & eminenter eſt B. Virgo.*

β. Secun-

β. Secundum par *contendentium*, inter ſemen tuum, & ſemen ejus. *Eſt hic*

A. Semen *Serpentis*, זרעך ſemen tuum, *ſcil. ſerpentis, quem jam dixerat. Uſurpatur* זרע, vel *in ſenſu* proprio, *quatenus eſt in herbis, arboribus, floribus, quatenus item eſt in animalibus, tum brutis, tum rationalibus, nim. illa generationis* ὕλη, *ex qua unumquodque ſibi procreat ſimile*: vel *in ſenſu tropico, idque ſeu* metonymico, materia *pro materiato, ſubjectum pro adjuncto, continens pro contento, ſic frumentum notat* Hag. II. 10. *agros.* I Sam. VIII. 15. *ſeu* ſynecdochico & *collectivo*, poſteritatem, *nepotes, hominumque ex ſemine multitudinem, quæ ſignificatio paſſim eſt obvia. Rurſus uſurpatur, vel de* uno *quodam individuo, v. g. de Setho* Gen. IV. 25. *Iſaaco* Gen. XV. 13. *Iſmaële* Gen. XXI. 13. *vel* ἐξοχικῶς, *de Meſſia, ut jamjam videbimus. Uſurpatur tandem de filiis, non per* generationem; *ſed per* conſenſionem, *qui alicui ſunt adſtricti, qui alium imitantur, ſtudiiſque ſuis ingenium ejus exprimunt. Et hic ſenſus* ſeminis *iterum capitur, cum in* bonam *partem, de adhærentibus Meſſiæ* Pſal. XXXII. 31. Jeſ. LIII. 11. *tum in* malam *partem, de adhærentibus ſatanæ: partim inter* diabolos, *quorum unus eſt Coriphæus, quem cæteri ſequuntur, unde Beelzebub* Matth. XII. 24. *item* diabolus & Angeli ejus Matth. XXV. 41. *partim inter* homines *impios, unde* ſeminis impiorum *fit mentio* Jeſ. I. 4. & filiorum *diaboli* Joh. VIII. 44. *Et hæc ſeminis ſignificatio hic obtinet.*

B. Semen mulieris, ובין זרעה & inter ſemen ejus, *ſcil.* האשה *mulieris. Quod, quia* LXX. *Interp. utrobique per* σπέρμα *reddunt, ejuſque in Novo T. crebra ſit mentio, operæ precium erit obſervare, illud uſurpari; vel* tropice, *de filiis Dei, ſeu regenitis* Matth. XIII. 38. *de verbo Dei* 1 Pet. I. 23. *de poſteris Abrahami, tam* naturalibus Luc. I. 55. Joh. VIII. 33. 37. *quam* ſpiritualibus Rom. IX. 8. Gal. III. 29. *Sunt inter Reformatos, & imprimis inter Lutheranos, qui per ſemen hoc mulieris, non intelligunt niſi* μονοπροσώπως ſolum Chriſtum; *quod ille paſſim in Scripturis appelletur* ſemen, *ſemen* Abrahami Gen. XXII. 18. Iſaaci cap. XXVI. 4. Jacobi cap. XXVIII. 14. Davidis 2. Sam. VII. 12. 1. Paral. XVII. 11. *Sed imprimis, quod Apoſtolus* Gal. III. 16. *de* uno *ſemine loquatur, non de* ſeminibus; *ſed* ὡς ἐφ' ἑνὸς, καὶ τῷ σπέρματί σου, quaſi de uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus, *atque etiam, quod ipſe ſolus contriverit caput ſerpenti: alii vero, meo quidem judicio accuratius, per* ſemen *illud* πληθυντικῶς collectivè *intelligunt* Chriſtum *cum omnibus ſuis electis, ſic Calvinus, Rivetus, Pareus qui in ſuo Calvino orthodoxo* p. 363. *ſic loquitur:* Cum Paulus dicit, ſemen Abrahæ, cui promiſſiones factæ ſunt, eſſe Chriſtum, non negat ſemen eſſe collectivum, & multitudinem ſignificare (nam ſic certè ſumitur in promiſſionibus: *erit ſemen tuum ſicut arena maris; ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui &c.*) ſed contendit, etſi plura ſint ſemina, ex Abrahamo ſecundum carnem orta, tamen numero ſingulari, promiſſiones reſtringi ad unum ſemen, quod eſt Chriſtus, h. e. in ſemine Abraham, cenſeri ſolum Chriſtum cum membris fidelibus, Judæis juxta & gentilibus, reliquos ſemen adulterinum, & à promiſſione alienum eſſe, ſicut alibi dicit: *non qui filii carnis, ii filii Dei ſunt; ſed qui filii promiſſionis cenſentur in ſemine. Nec prioris ſententiæ patroni, adductis Scripturis & rationibus, ulterius pertingunt, quam quod Chriſtus vere ſit* ſemen *illud* mulieris. *Dum autem ſemen* collectivum *hic ſtatuimus, hoc ſenſu intelligi volumus, quod ſolus Chriſtus ſit ſemen mulieris* primarium, *dum electi tantum ſint* ſecundarium: *dum Chriſtus ſolus, in hac inimicitia, ſerpentem* expugnavit; *electi tantum* oppugnant 1. Pet. V. 9. Eph. IV. 27. Jac. IV. 7. *dum Chriſtus ſolus ſerpenti caput* contrivit; *electi tantum* atterunt: *dum Chriſtus ſerpenti caput* contrivit, *pro* omnibus & *ſingulis electis, electi idem atterunt, tantum* pro ſe. *Appellatur autem Chriſtus* ſemen mulieris, *quia factus eſt ex ſola* muliere Gal. IV. 4. *natus ex* virgine Jeſ. VII. 14. *à quo etiam* שילה *nominari videtur* Gen. XLIX. 10. *quod nonnullis à* שליה Deut. XXVII. 57. *membrana cui fœtus involvitur in utero, ſive ſecundina, ut Schilo, ſit* ὁ υἱὸς τῶν ὑστερήσεων filius ſecundinarum, *ſeu* ſemen mulieris.

γ. Inimicatio, *ſeu conflictus inimicorum duplex*:

Prior *ſeminis mulieris in ſerpentem* הוא ישופך ראש, hic conteret tibi caput. *Eſt in hoc conflictu.*

1. Aggreſſor הוא hic, *vel* hoc ſemen mulieris. *Pro quo, ut diximus, Pontificii legunt* היה hæc. *Refertur ad proxime præcedens* זרעה ſemen ejus. *Intelligitur, ut obſervavimus, primo* & primario *Chriſtus, tum electi* ſecundario, *qui diverſo modo confligunt cum ſerpente.*

2. Aggreſſus, tibi, *ſcil. ſerpenti perſonato, cum ſemine tuo.*
3. Egreſſus *conflictus, ſeu victoria*, conteret tibi caput. *Hoc eſt, adimet tibi vitam, omnemque potentiam nocendi ſibi aut ſuis* Heb. II. 14. *Notatur hic*

α. Contritio ישופך, conteret tibi, *à* שוף, *quod ter tantum occurrit in Scripturis, nim. hic,* Job. IX. 17. & Pſal. CXXXIX. 11. *Notat* contrivit, conquaſſavit, contudit, percuſſit. LXX. *Interp. reddunt* ἐκτρίψῃ elidet. *Chaldæus* comminuet, *R. Levi* contundet. *Targum Jonathanis exponit per* vulnerabit, *Hieroſolymitanum per* occidet, *Aben Ezra, per* percutiet. *Omnia eodem fere redeunt, quanquam non eodem ſignificandi modo.*

β. Conterendum, *caput* ראש, *alii Ellipſin hic fruſtra quærunt, ut* בראש, in capite. *Significat caput* proprie, *membrum præcipuum corporis*; metaphorice, ſummam potentiam, excellentiam & auctoritatem. *Saltem ſerpenti in capite* vita *eſt, adeoque capite ejus contrito,* mortuus *eſt* 1 Cor. XV. 54. 55. 56. *Significatur igitur, omnem potentiam Chriſto & ſuis* vere *nocendi, diabolo adimendam eſſe.*

Poſterior *conflictus eſt in verbis* ואתה תשופנו עקב, & tu conteres ei calcaneum. *Eſt hic rurſus*

א. Aggreſſor, ואתה, & tu, *ſcil. ſerpens perſonatus, nim. cum in propria perſona tua* Matth. IV. 1. *tum in* ſemine *tuo, malignis quibusvis perſonis, plebe Judaica, primoribus ejus, Phariſæis, Scribis, Sacerdotibus, in præfectis ejus, Herode, Pontio Pilato, in militibus, ut patet per univerſam hiſtoriam euangelicam.*

ב. Aggreſſus, te, *ſemen mulieris, tum* primarium, *ejus perſona, velut caput; tum* ſecundarium, ejus *membra, p. a* electi *vere fideles, quos perpetuo impugnavit & impugnat Satanas.* 1. Pet. V. 8.

ג. Egreſſus *conflictus, ſeu* victoria *qualiſcunque*, conculcabis ei calcaneum. *Eſt hic rurſus:*

1. Contritio, *ſeu conterendi niſus* תשופנו, conteres ei, *Onkelos hoc reddit per* וכר, obſervabis eum, *h. e. tenax eris memoriâ injuriarum, juxta Venetam editionem eſt* זבר, memor eris *Jonathas, & Hieroſolymitanus habent* vulnerare & occidere, *prout jam ante monuimus: ſic contrivit ipſum & ſemen ejus, ſuis tentationibus, perſecutionibus, calumniis, omnisque generis inimicationibus, ſecundum hiſtoriam euangelicam.*

2. Contritum, *vel conterendum*, עקב, calcaneum, *vel in calcaneo, vel ſecundum calcaneum. Hujus* verbum quidem, *inſidiari* notat, & *ex inſidiis aggredi* Gen. XXVII. 30. Jer. IX. 4. nomen *autem, non niſi* calcaneum עקב, *à curva figura, partem pedis extremam notat, partem hominis ignobiliorem, qua læſus homo, nullum vitæ periculum contrahit. Significatur, ſatanam* Chriſtum *morte* naturali *affecturum, idque ad breve tantum tempus, per triduum ſcil. ſepulturæ, ex quo vulnus ſit ſanandum, glorioſa reſurrectione, aſcenſione in cœlum, ſeſſione ad dextram Dei. Nec ipſum tantum; ſed & ſemen ejus, electos contriturus erat. quoad* calcaneum, *ſuis* tentationibus Luc. XXII. 31. 2 Cor. XII. 2. 3. 4. 7. 1 Pet. V. 8. *perſecutionibus omne genus* Job. I. & II. Apoc. II. 10. & XII. 13.... 17. *tandem* morte *temporali, à quibus* homicida *audit ab initio* Joh. VIII. *ſtatu interim eorum* ſpirituali *illæſo* Rom. VIII. 28.

Pars Dogmatica.

Deum ſuper peccatoris reſtitutione, fœdus gratiæ pepigiſſe.

III. Patet igitur, Deum immediate à lapſu, homini miſero reſtitutionem non tantum *promiſiſſe*; ſed etiam ſuper ea, *gratiæ fœdus* iniiſſe. *Promiſſionem* jam ante indigitavimus, cum poſitam à *Deo inimicitiam* delinearemus, in quâ pleraque latent Euangelii capita, nim. (1.) Deum *auctorem* eſſe omnis ſalutis noſtræ. (2.) Cum homine ad ſuam imaginem condito, *fœdus naturæ* pepigiſſe. (3.) Cujus violatione homo factus fuerit *miſerrimus.* (4.) Huic nihilominus *Mediatorem*, ſe ab hoſte liberaturum, *promiſiſſe.* (5.) Qui futurus eſſet *homo*, utpote *ſemen mulieris*, qui *calcaneum* haberet conterendum: pariter & *Deus*, ut qui Satanam *vincere* poſſet. (6.) Et ſui *contritione*, h. e. paſſione & *morte*, omnem Satanæ *poteſtatem* in ſe & ſuos, eſſet abrogaturus. (7) Atque inſuper *ſuis*, per Spiritum ſuum, *cor* Satanæ & operibus ejus inimicum (regeneratione, converſione ad fidem & reſipiſcentiam; ſanctificatione ad ſtudium bonorum operum) collaturus. (8.) Etiam *diſcrimine* facto, inter *ſemen mulieris* ac *ſemen ſerpentis*, *electos* voce Euangelii eſſet *evocaturus* ad fidem, eâque *unitaurus* ſecum, atque inde communicaturus *beneficia* quævis ſalutaria, juſtificationem, adoptionem, ſanctificationem, glorificationem. (9.) Atque adeo futuram *Eccleſiam*, quæ conſtituat *ſemen mulieris*, ut contradiſtinctum ſemini *ſerpentis* (10.) Eique colligendæ inſerviturum *miniſterium* verbi, cujus ope, *reſtitutionis* facta promiſſio, peccatori *pateſiat*, illeque *invitetur*, ad amplectendum *fide*, tum Mediatorem, tum ejus beneficia, contritione capitis ſerpentini procuranda.

Probatur è textu promiſſa reſtitutio.

IV. Quin-

Monstratur verbis textus erectum fœdus gratiæ.

IV. Quin & in hac promissione, si non omnes *formalitates*, saltem *essentialia fœderis* gratiæ contineri, sic possit patere. In essentialibus istis sunt *auctor* fœderis, *partes* fœderatæ, *materia* & *forma* confœderationis, quæ omnia penes hanc promissionem, licet inæqualiter, coincidunt, A. *Auctor* fœderis gratiæ *Deus* est, ejusque pura puta *gratia*, unde tritum: *fœdus meum*; *Ego fœdus meum pangam* Gen. XVII. 2. Deut. VIII. 18. concurrit πρωτευαγγέλιον nostrum: *Ego ponam inimicitiam*: nec aliam hic esse potuisse προηγουμένην, quam *misericordem* ejus εὐδοκίαν, patet ex *conditione violatoris* miserrimi, rei pariter & mortui. B. *Partes* confœderatæ sunt, *Deus triunus* ab unâ parte; & Christus *mysticus*, h. e. Christus cum suis, ab alterâ: concurrunt in πρωτευαγγελίῳ, ubi 1. *Deus* promittit, se *inimicitiam* positurum. 2. *Semen mulieris*, h. e. Christus cum suis, *accipit* conditionem, & promittit se *contriturum* caput serpentis: neque enim Deus istam *contritionem* tam categorice *promittere* posset, si non ante *recepisset* semen mulieris, seu Filius Mediator, sui juris. C. *Materia* confœderationis, est reciproca *promissio*: quando Deus *promittit* restitutionem lapsi per Mediatorem: Mediator *accipit* redemptionem; ejusque semen, *acceptionem* Mediatoris, ac redemptionis ejus, nec non conversationem Mediatore & redemptione dignam: concurrit promissio textus, qua *Deus* promittit *inimicitiam*, inter semen mulieris & serpentem: *Semen* mulieris, se *contriturum* caput serpentis: & in hoc *Christus* quidem primario, se *contriturum* sua incarnatione, vita & morte; ejus autem semen seu *membra* secundariò, se, in virtute Capitis sui, strenue adversus Satanam suosque pugnaturum: & *universum semen* mysticum, se passurum ut sibi à serpente, tentationibus, afflictionibus, & morte, conteratur *calcaneum*. D. *Forma* confœderationis, est *consensus* partium reciprocus, & emergit ex dictis.

Confirmatur Scripturis & rationibus constitutio fœderis gratiæ.

V. Patet igitur per textum, in *prima* hac promissione, *fœdus* gratiæ repræsentari, Deumque, violato fœdere *operum*, *gratia* fœdus confestim substituisse. Hinc 1. fœderis *novi* fit mentio, seque fœdus novum erecturum, vel *constituendo*, vel *renovando*, Deus promittit Jer. XXXI. 31. 35. & XXXII. 40. Heb. VIII. 8—Neque enim 2. absque universali & plane desperato totius humani generis *exitio*, Deus potuit *non constituere* fœdus gratiæ, semel violato fœdere operum: cum violatori fœderis mortem *non inferre*; aut post peccatum, propter bona opera *vitam* æternam *referre*; aut *perfectam* obedientiam exspectare ab homine in peccatis *mortuo*, ac propter eam, vitam *æternam* ei retribuere; & *Deum* esse, sint ἀσύστατα. Præterea 3. ex fœdere gratiæ, nitidissime fulget divina *bonitas*, φιλανθρωπία, misericordia, longanimitas, beneficentia Rom. IX. 23. Tandem etiam 4. *peccatoribus* restitutis, ex fœdere gratiæ, efficacior *stimulus* ad amorem, gratitudinem, submissionem, reverentiam aliaque religionis officia, suppetit.

Fœdus gratiæ, *æternum*, inter Patrem & Filium.

VI. Est autem fœdus gratiæ duplex: *æternum* alterum, alterum *temporale*. Illud ab æterno coit inter Patrem & Filium, super restitutione peccatoris electi; hoc in tempore coit inter Deum & peccatorem electum. Istud hujus est quasi *prototypum*; hoc ejus velut *ectypum*. Utrumque horum significari videtur Luc. XXII. 29. Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοί ὁ πατὴρ μου. *Et ego vobis per fœdus constituo: sicut Pater per fœdus mihi constituit regnum.* De utroque nobis singulatim est agendum. Primo de fœdere *æterno*. Hujus quidem *appellatio*, apud Scripturas, pariter & Patres, imo & Reformatos vetustiores, si occurrat, rarius saltem prostat; ejus tamen *rem* obtinere, non una ratione patet: 1. Istud commemorari videtur, loco jam citato Luc. XXII. 29. Ubi servator dicit, *regnum* sibi *à Patre per fœdus esse dispositum*: hæc enim est vis vocis διέθετό, cui paronymum est διαθήκη, *fœdus*; huc sibi dispositum, seu *promissum* ait regnum, scil. mediatorium, pro mercede parandæ *electis* redemptionis. 2. Item Gal. III. 17. Ubi commemoratur διαθήκη προκεκυρωμένη εἰς χριστὸν, fœdus jam ante ratificatum in Christum, promulgatum vero ante quadringentos annos Abrahamo, ante legem. Quando autem istud fœdus est προκεκυρωμένον præconfirmatum? utique *ab æterno*, licet prima ejus propalatio in Paradiso: ortum sane commodiorem non possis designare, quam æternitatem, quâ Christus jam ante præcognitus fuisse dicitur 1 Pet. 1. 20. Eodem 3. videtur respicere Psal. II. 7. *Narrabo vobis statutum* (scil. in fœdere) חק, *Dominus dixit ad me, filius meus tu es, hodie genui te, postula à me, & dabo gentes in hæreditatem tuam* &c. Hic statutum narratur inter *Dominum* Patrem, & Filium ejus, & *æternum* etiam, ratum cum nasceretur Filius, *hodie*, h. e. ab æterno. Et tale quidem *statutum* æternum, ex quo Filius *postulare*, seu *stipulari* potuit. Nec abludit 4. locus Zach. VI. 12. 13. *Sic dixit Jehova exercituum, dicendo: ecce vir* צמח *germen, & subter eum germinabit, & ædificabit templum Domini, & ipse exstruet templum Domini; & ipse portabit gloriam, & sedebit & dominabitur super solio ejus, & erit Sacerdos super solio ejus, & consilium pacis erit inter ambos istos.* Hic memoratur *consilium pacis*, seu de *pace* & reconciliatione peccatorum electorum, idem procul dubio, quod *concluſum* in consilio pacis, seu *fœdere*: memorantur personæ confœderatæ, nimirum Jehova & vir צמח seu *germen*; memoratur, *stipulatum* à Jehova ab hoc viro officium, *ædificabit templum Domini*, scil. Ecclesiam *domum Dei* 1 Tim. III. 15. cum Heb. III. 4. & Matth. XVI. 18.

Probatur,

18. Memoratur *promiſſio mercedis*: *& ipſe portabit gloriam, & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ejus, & erit Sacerdos ſuper ſolio ejus.* Conf. Phil. II. 9. Matth. XXVIII. 18. Memoratur conſenſus partium, quando dicitur, hæc certo futura. Idem etiam 5. dici videtur Jeſ. LIII. 10. ubi non tantum partes contrahentes monſtrantur, nim. *Jehova* contrahens, & *ſervus ille juſtus*, ſeu Meſſias; ſed etiam argumentum contractus, puta *ſtipulatio* officii à Meſſia præſtandi: ſi animam ſuam dederit ושם ſacrificium pro peccato, & *promiſſio* mercedis, *videbit ſemen, prolongabit dies, & beneplacitum Domini, per ejus manum proſperabitur*: nec de conſenſu utriuſque partis, quiſquam dubitare poteſt. Quid igitur deeſt, ob quod hic non fuerit *fœdus gratiæ*? Nec 6. de nihilo eſt, quod filius Patrem frequenter appellet DEUM SUUM Pſal. XXII. 3. & XLV. 8. Jeſ. XLIX. 4. 5. Joh. XX. 17. quæ formula eſt *fœderis gratiæ*. Itidem 7. quod Sacramentis uſus fuerit, quæ ſunt ſigilla fœderis gratiæ Rom. IV. 11. Quibus tandem 8. ſubjicimus, quod omnia *eſſentialia* fœderis gratiæ, in negotio redemptionis, inter Patrem & Filium, conſpicua deprehendantur, ut paulo abhinc, per partes oſtendemus. Speciosiſſimum quod dici poſſit in contrarium, in hoc eſt, quod, cum conſenſus partium, per quem voluntates coëunt in eaſdem conditiones, ſit forma fœderis, & talis conſenſus inter Patrem & Filium, obtinere ab æterno non potuerit: eo quod *una* ſit & eadem utriuſque voluntas, etiam fœdus inter eos admitti non poſſit. Huic occurrimus, obſervando, quod, ſicut una eademque numero *eſſentia* in Deo, per proprietates characteriſticas ſic quaſi contrahitur, ut conſtituantur tres perſonæ; ita & *voluntas*, quæ cum eſſentia coincidit, eâdem operâ quaſi contrahitur, ut cuique perſonæ cum eſſentia, ſua competat voluntas. Id quod Sole clarius patet, in operationibus Dei *internis ad intra*, tam *eſſentialibus reciprocis*, quibus v. g. Pater Filium novit, & amat, & viciſſim Filius Patrem; quam in *perſonalibus*, quibus Pater generat Filium, Filius per generationem procedit à Patre &c. Quin & in operationibus *externis*, idem eſt, ſuo modo obſervabile, quatenus Patri *creatio*, Filio *redemtio*, Spiritui S. *ſanctificatio* aſſeritur.

& vindicatur.

Quid ſit fœdus gratiæ æternum?

VII. Non eſt autem hoc fœdus gratiæ *æternum* nobis, niſi perſonalis & œconomica tranſactio, inter Patrem & Filium, quâ, ab æterno, Pater poſtulavit à Filio omnia illa, quæ ad procurandam peccatoribus electis ſalutem æternam eſſent neceſſaria, promiſitque q. pro mercede, inter alia, gloriam mediatoriam: Filius ex adverſo, promiſit Patri poſtulata, & viciſſim poſtulavit ſibi promiſſa, in utriuſque partis emolumentum. Singula horum ſingulatim, paulo curatius enucleanda ſunt.

Eſt pactum œconomicum.

VIII. Eſt hoc fœdus, *primo*, pro naturâ cujusvis fœderis, *pactum* ſeu tranſactio quædam; ſed perſonalis & *œconomica*, qualis etiam, circa primam hominis *conſtitutionem*, fuit inter perſonas Trinitatis Gen. I. 26. & circa ejuſdem *reſtitutionem*, attentius obſervanti, occurrere videtur in Patrem & Filium Prov. VIII. 22---32. ſaltem Jeſ. LIII. 10. Quid autem ſint operationes *œconomicæ*, diximus dudum lib. II. cap. XXIV. §. XII--XVII.

Partes ejus contrahentes:

IX. Patres contrahentes hujus fœderis eſſe debent vere *diſtinctæ*; ſicut enim Mediator non eſt *unius* Gal. III. 20. ita nec fœdus eſt *unius* I. Tim. II. 5. quales hîc ſunt Pater & Filius, velut diſtinctæ perſonæ, non tantum *modis* ſubſiſtendi, ex proprietatibus *characteriſticis*; ſed hac etiam *confœderatione*. Et *Pater* quidem, in hoc confœderationis negotio, velut *Creator*, qui per Filium & Spiritum S. cuncta produxit Pſal. XXXIII. 6. adeoque velut *figulus* Rom. IX. 21. ex Jer. XVI. 6. Jeſ. XLV. 9. itemque *genitor*, Filii Pſal. II. 7. κατ' οἰκονομίαν conſideratur ut *Dominus* & *Legiſlator*, in quem peccavimus Pſal. LI. 6. ut *Judex* Gen. XVIII. 25. ut *legis vindex* Rom. I. 18. Nah. I. 2. proinde *Deus*, non tantum θεολογικῶς, ſed etiam οἰκονομικῶς, quem & ex hoc negotio, Filius frequenter nominat *Deum ſuum* Pſal. XXII. 3. & XLV. 8. Joh. XX. 17. qui, in *ſigno rationis*, ut loquuntur, primus hanc confœderationem ſuſcepit. *Filius*, ut οἰκονόμος *diſpenſator*, Mediator & expromiſſor I. Tim. II. 5. Heb. VII. 22. noſter Goël Jeſ. XXXVIII. 14. Job. XIX. 25. Patris poſtulato annuit Pſal. XL. 7. 8. pro peccatore electo *ſpondet* & expromittit. Spiritus S. item, velut *conſummator* omnium, per quem omnia Trinitas exſequitur, & Emiſſarius, *conſentit* & pacta *exſequitur*, dona ſua in electos *diſtribuit ſicut vult* I. Cor. XII. 8. 9. 11. *regenerat* Joh. III. 5. Tit. III. 5. &c.

Pater,

Filius,

Spiritus S.

Argumentum confœderationis: Promiſſa Patris,

X. Argumentum confœderationis, *generaliter* quidem fuit *reſtitutio* peccatoris electi I. Tim. I. 15. à quo Filius *Jeſus* appellatur Matth. I. 21. item Jeſus, ὁ ῥυόμενος ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης, *ille qui nos liberat ab ira illa futura* I. Theſſ. I. 10. *ſpecialiter* autem ſunt ſtipulationes & promiſſiones mutuæ. Et ab *una* quidem parte, acta *Patris*, verſus Filium. Et in his N. *promiſſiones* Filio factæ, nim. (1) ſe ipſum inveſtiturum honoratiſſimo *Mediatoris* officio Jeſ. XLII. 6. 7. & XLIX. 6. Pſal. LXXXIX. 20. 21. Matth. II. 6. inque eo conſtituturum, *Prophetam lumen gentium* Jeſ. XLII. 6. 7. cum Cap. L. 4. *Pontificem* Pſal. CX. 4. *Regem* Pſal. II. 6. 7. 8. 9. cum Apoc. II. 26. 27. & XIX. 15. ſe (2) acceptaturum, quicquid pro ſuis, ceu Mediator præſtiterit Jeſ. XLIX. 8. & cap. XLII. 1. cum Luc. III. 22. adeoque ſe ipſi datu-

daturum electos in peculium Pſal. II. 7. 8. ſe (3) ipſi in functione muneris ſui mediatorii, *affuturum* ſuâ gratiâ, ſuâ virtute *roboraturum*, adverſus obvias ſibi quaſvis difficultates Jeſ. XLII. 5. 6. 7. Pſal. LXXXIX. 22. 23. 24. 25. & II. 4. 5. 6. ſe (4) ipſum *glorificaturum* Jeſ. LIII. 9. 10. 11. Pſ. CX. 6. Zach. IX. 10. per *ſuſcitationem* è morte Pſal. II. 7. cum Act. XIII. 31. 33. Pſal. XVI. 8. 9. 10. cum Act. II. 25.... 32. & cap. XIII. 35. 36. per *aſſumtionem* in cœlum, velut *thronum gloriæ* Pſal. LXVIII. 18. per collocationem ad dextram ſuam Pſal. CX. 1. per collationem *omnis poteſtatis in cœlo & in terrâ* Matth. XXVIII. 18. per collationem poteſtatis *judicandi vivos & mortuos* Pſal. LXXXIX. 15. cum Joh. V. 22. ſe (5) ipſum *egregie exaltaturum, daturumque ei nomen ſupra omne nomen, ut ſibi genu flectant, omnia quæ in cœlo ſunt, in terrâ & intra terram*, & *agnoſcant ipſum Dominum eſſe* Phil. II. 9. 10. 11. ſe (6) ſemen ei *excitaturum* Jeſ LIII. 10. numero innumerabile Gen. XV. 5. Hæc promiſſa ſunt Patris verſus Filium. ב. *Stipulata* officia à Filio, quæ *generaliter* in eo ſunt, ut præſtet omnia illa, quæ ad reſtitutionem peccatoris electi fuerint neceſſaria I. Tim. I. 15. Hæc eſt illa *voluntas Patris*, de quâ Pſal. LX. 9. cum Joh. VI. 39. *ſpecialiter, ut* α. carnem reſtituendorum, incarnatione quaſi indueret, huc ei *aures perforavit* Pſal. XL. 7. interprete Paulo Heb. X. 5. 10. Ut β. peſſimis illis, quæ propter peccatorem reſtituendum, perferenda erant, ſe lubens ſubmitteret, ſcil. *calicem* illum Matth. XXVI. 39. hauriendo Ut γ. animam ſuam præſtaret, in ſacrificium אשם pro peccatis Jeſ. LIII. 10. Pſal. XL. 7. 8. 9. Ut δ. dona quævis, ad applicationem ſeu poſſeſſionem partæ redemtionis, in peccatoribus reſtituendis neceſſaria, Spiritum S., regenerationem, converſionem, fidem, ſpem, charitatem; reſurgendo, aſcendendo, ſedendo ad dextram Patris, liberaliter in ipſos diſpenſaret Pſal. LXVIII. 19. cum Eph. IV. 8. Et hæc quidem ſunt acta Patris verſus Filium. Acta Filii in hac confœderatione verſus Patrem, ſunt ab *una parte promiſſio*, quâ poſtulata Patris omnia lubens ad ſe recepit Pſal. XL. 6.... 11. cum Heb. X. 5.... 11. Jeſ. LXI. 1. 2. 3. cum Luc. IV. 18. 19. 20. 21. Jeſ. L. 5.... 9. ab *alterâ parte ſtipulatio*, quâ ſibi promiſſam mercedem Pſal. II. 8. *poſtula à me*.... v. g. glorificationem ſui Joh. XVII. 4. 5. conſervationem ſuorum vſ. 11. ſanctificationem eorundem vſ. 17. eorundem glorificationem vſ. 24. &c. petit. Præcipuum igitur hujus confœderationis ἔργον, ſaltem ratione Filii, fuit *ſponſio* pro peccatoribus reſtituendis, à quâ ערב Jer. XXX. 21. ἔγγυος Heb. VII. 22. denominatur, per quam univerſam cauſam, peccatoris reſtituendi, ſimul & ſemel in ſe derivavit Jeſ. LIII. 4. 7. Idque non ſub *conditione* aliquâ, ſi peccator reſtituendus non poſſet præſtanda præſtare; ſed *abſolute*, ibid. & Pſal. XL. 9. Ut ſponſio iſta non tam ſit *fidejuſſio*, quam *expromiſſio*, prout cap. ſequent. uberius dicetur.

Poſtulata Patris à Filio.

Acta Filii reciproca verſus Patrem.

XI. Tandem, ut in quâvis confœderatione, eâ cumprimis, quæ intercedit cum æqualibus, *conſenſus* requiritur contrahentium, iſque & *liber*, non extortus, & talis cujus promiſſa ſint in *poteſtate* pariter & potentiâ utriuſque partis: ſic & in *hoc* fœdere, quod eſt inter æquales, qui ſunt planè ſui *juris*, adeoque & *poteſtatem* habent, quâ de *jure* contrahant, & *potentiam*, qua de *facto* conventa poſſint præſtare; obſervatur *conſenſus* Patris & Filii in pacta: quem, licet ſufficienter poſſimus colligere ex dictis per parag. præcedentem; ſatis etiam clare Scriptura dicit, quando: I. *communiter* pronunciat, *conſilium pacis* coïiſſe inter duos iſtos. virum Zemach. & Jehovam Zach. VI. 13. יעץ שלום תהיה בין שניהם, quem conſenſum dudum vindicavimus §. v. Si dicas, locum iſtum loqui de conſilio *futuro*, facile erit reſpondere, loqui de *futuro*, quoad *exſecutionem* futuram, non quoad conſenſus iſtius primam *conſtitutionem*: niſi addere velis enallagen temporis, Scripturis frequentatiſſimam, in actionibus potiſſimum *continuatis*, qua futurum ſumitur pro præterito Pſal. XVII. 3. eundem conſenſum mutuum Servator ſignificat, quando dicit, ſe veniſſe in mundum, ut voluntatem Patris exſequeretur Joh. IV. 34. & V. 30. & VI. 38. 39. 40. Et ad hunc conſenſum, Patrem fuiſſe plane *liberum* & ἀντεξούσιον, ſeu ſervandi, ſeu condemnandi peccatorem, nemo dubitare poteſt; & Filii etiam conſenſum perinde *liberum* fuiſſe & ἀντεξούσιον, ad oculum patet ex Pſal. XL. 7. Heb. X. 5. Joh. X. 11. 12. Sponte enim fecit, quicquid ſpopondit & fecit pro peccatore Joh. X. 18. Et hæc etiam ſpontanea Filii ſuſceptio, fundamentum præſtat in Patre, *auctoritativæ* illius *miſſionis*, & obſignationis, ad impoſitâ Filio officia mediatoria, quæ paſſim in Scriptura deſignantur Pſal. XL. 7. 8. Heb. X. 5. Joh. X. 11. 12. à quibus etiam Patris *ſervus* deſignatur Jeſ. LIII. 11. & XLII. 1. 6. & XLIX. 9. Zach. XIII. 17.

Conſenſus partium hujus confœderationis.

XII. Vidimus fœdus gratiæ *æternum*; ſuccedit *temporale*, cujus fœdus *æternum* habuit velut ideam, normam ac baſin ac fundamentum, quod eleganter dicitur, paralleliſmo inter *primum* Adamum & ſecundum Rom. V. 14. I. Cor. XV. 22. Scil. quemadmodum I. Fœderis legalis fundamentum fuit *primus*; ita fœderis euangelici fundamentum exiſtit *ſecundus*. Quemadmodum 2. *primus* ſemen ſuum habuit *naturale*, cui peccatum procuraret & mortem Rom. V. 12. ita *ſecundus* ſuum habuit, cui procuraret juſtitiam & vitam vſ. 15. 16. 17. Jeſ. LIII. 10. 11. Pſal. XXII. 30. 31. & CX. 3. Heb. II. 13. id quod præſtant *electi*, ſibi à

Fœdus gratiæ temporale. Hujus.

1. Fundamentum.

à Patre dati Joh. XVII. 2. 9. 24. ejus *oves* Joh. X. 15. 16. 17. 28. 29. Utpote qui electi sunt *in Christo* Eph. I. 4. 5. quasi ab eo geniti, ut *Pater æternitatis* Jes. IX. 6. indeque *filii* Heb. II. 13. Quemadmodum 3. fœderis *naturalis violatio* implicabat ipsum *primum* Adamum, cum universo *semine* suo, ad peccatum & mortem; ita religiosa obedientia fœderis gratiæ, implicat universam progeniem electorum & fidelium, ad justitiam & vitam Rom. V. 18. 19.

Denominatio. XIII. Denominatur hoc fœdus, Scripturis quidem: jam fœdus *novum* Jer. XXXI. 31. Hebr. VIII. 8. quod *naturâ* pariter & *tempore* distet à fœdere operum antiquato vs. 7. 13. jam lex *fidei* Rom. III. 27. quod *fidem* ab electis stipuletur, quando fœdus operum *lex operum*, quod exactam legis obedientiam, velut *δικαίωμα τῦ νόμυ* postularet Rom. VIII. 3. jam *Euangelium pacis* Eph. VI. 15. quod pacem, violatione fœderis sublatam, restituat: jam *Euangelium* Rom. I. 16. quod contenta hujus fœderis nobis aperiantur per præconium Euangelii; sicut fœderis operum nobis aperiuntur per legem: jam *verbum vitæ* Phil. II. 16. quod solum vitam recuperet peccatori; quando fœdus naturæ violatum, *ministerium mortis & condemnationis* audit 2 Cor. III. 7. 9. Apud Theologos, quibusdam *fœdus Euangelicum* dicitur; quando fœdus violatum ipsis dicitur *fœdus legale*: aliis *fœdus fidei* appellari, magis placet, quod *solam fidem* pro conditione stipuletur: mihi maximè arridet denominatio *fœderis gratiæ*, non tam, quod *superstructum* fuerit gratiæ divinæ, quod etiam obtinet in fœdere naturæ; quam quod à gratia, quantum quantum est, *dirigatur*, ut nihil in eo sit, quod non spiret omnimodam gratiam.

Descriptio fœderis gratiæ temporalis. XIV. Non est autem hoc fœdus gratiæ *temporale*, nisi pactum illud gratiosum inter *Deum* trinunum, & peccatorem *electum*, quo electis singulatim, iuxta fœdus gratiæ æternum, propter sponsionem filii sui, *promittit* redemtionem, vocationem, regenerationem, aliaque salutis media, *absolute*, citra ullam conditionem prærequisitam: quoad justificationem, adoptionem, glorificationem, ab ipsis stipulatur *fidem*, quam contestentur resipiscentiâ & studio novæ obedientiæ; electi ex adverso, promittunt Deo à se postulata, ac stipulantur sibi à Deo promissa, ad Dei & Mediatoris gloriam.

Partes contrahentes Deus. XV. Contrahentes hic sunt, ab *una* parte *Deus* triunus, in hoc negotio concurrens, non tantum velut *pars*: sed etiam velut *ductor* Gen. III. 14. 15. & XVII. 1. 1. Sam. XXIII. 5. Psal. LXXXIX. 35. Jer. XXXII. 40. Heb. VIII. 8. 9. 10. ipseque *solus*, utpote, per violationem fœderis naturæ, solus læsus Psal. LI. 8. solus item gratiæ, & remissionis modum & leges adinvenire & designare idoneus, eisque beneficia fœderis promissa conferre solus valens. Concurrit autem Deus ad hanc confœderationem sub duplici consideratione: 1. *Κατὰ θεολογίαν*, non tam ut benevolus *Creator*, fœdus amicitiæ constituturus, sicut olim apud fœdus naturæ, quam ut misericors *liberator*, constituturus fœdus reconciliationis 2. Cor. V. 19. 2. *Κατ' οἰκονομίαν*, quatenus singulæ Trinitatis personæ, singulatim, & singulis modis concurrunt 2. Cor. XIII. 13. *Pater* ut *Dominus* læsus, mundum sibi reconciliaturus 2. Cor. V. 19. Filius ut sequester & expromissor Luc. XXII. 29. Joh. X. 28. Spiritus S. ut consummator & exsecutor confœderationis, stipulata *officia* fidem, resipiscentiam, regenerationem, conversionem producens, & his præstitis, promissa applicans, ac velut sigillum, pignus & arrha obsignans 2. Cor. I. 20. 21. 22. 1. Cor. XII. 3. Eph. I. 13. 14. Causa *movens* proprie nulla fuit in Deo, quia ipse per omnia est *immobilis* & independens, unde purum putum ejus *beneplacitum* hic passim dicitur Eph. I. 4. Matth. XI. 26. *ratio* tamen ex quâ sapienter omnia facit, duplex occurrit; altera respectu *Dei*, manifestatio gloriæ *misericordiæ* suæ Rom. IX. 23. altera respectu *hominum*, nim. eorum gratiosa *restitutio*, & salus æterna Ibid. Unde *τὰ σπλάχνα τῶν οἰκτιρμῶν* commemorantur Luc. I. 54. 55. 72. 73. 77 78. Ezech. XVI. 4-9. & cap. XXXVI. 22. 32. prout eadem ratio, penes renovationem fœderis cum Israële dicitur Deut. VII. 8. cum cap. X. 15. Sic ab una parte, Deus solus per misericordiam hujus confœderationis causa exstitit, pariter & pars altera.

Erhomo electus. XVI. Ab *altera* parte, est homo, sed *electus* tantum, velut 1. *Miser*, & ex violatione fœderis prioris, nullâ contrahendi potestate, nullis conditiones stipulatas præstandi viribus præditus, nihilque habens extra se, cujus ope seipsum Deo ad confœderationem commendare possit Tit. III. 3. 4. Ezech. XVI. 1—6. Velut 2. à Deo, pro absolutissimâ suâ libertate, ad gratiam pariter & gloriam *præcognitus* Luc. XXII. 32. Velut 3. fœdere gratiæ *æterno*, per expromissionem Christi, dudum admissus Heb. VII. 22.

Argumentum confœderationis: Promissa Dei, XVII. *Argumentum*, seu materia hujus fœderis, *generale* quidem fuit, in restitutione electi peccatoris, & ex eâ redundante manifestatione gloriosæ suæ misericordiæ: *speciale* autem fuit in reciprocis promissionibus & stipulationibus. *Deus* quidem hic *promittit*, se 1. electos liberaturum à quavis *miseria*, tum *peccatorum*, tum *pœnarum* Heb. X. 16. 17. 18. Jer. XXXI. 31——35. Rom. XI. 27. Heb. VIII. 8. scil. ut per *primi* Adami inobedientiam, multi constituti sunt peccatores, & mortis rei; ita per obedientiam *secundi* Adami multi constituantur justi & hæredes vitæ Rom. V. 10. 12. Conf. Ezech. XI. 19. 20. & cap. XXXVI. 25. 26. 27. 2. collatio justitiæ & vitæ Rom.

V. 17.

v. 17. 21.... quæ figurata videntur, tum eductione Iſraëlis è ſervitute Ægyptiacâ, & introductione ejuſdem in terram promiſſionis Gen. xv. 13. 14. 15. Deut. v. 2. 3. 6. tum reductione Judæorum, è captivitate Babylonicâ in Judæam patriam Jerem. xxiv. 5. 6. 7. Quæ involvunt ג. ſe ſemen illud electorum, redempturum ſanguine Filii ſui, velut peccatoris redimendi ἀντιλύτρῳ 1. Cor. vi. 20. 1. Petr. 1. 18. 19. Tit. ii. 14. Gal. iii. 13. Item ד. *Mediationem* Redemptoris 1. Tim. ii. 5. Ejuſdem Mediatoris ה. exactiſſimam *ſatisfactionem* pro redimendis Rom. iii. 25. Eph. v. 2. Heb. ix. 13. 14. & x. 11. ----- 15. Hinc ו. eorundem *reconciliationem*, ſatisfactione procurandam & procuratam 2. Cor. v. 19. 20. Porro ז. *applicationem* redemptionis per *Spiritum S.* qui redimendos *convincat* de peccato Joh. xvi. 8. 9. 10. 11. *regeneret* Joh. iii. 3. 5. *vivificet* Eph. ii. 5. 6. *renovet* Tit. iii. 5. *convertat* Act. xxvi. 18. *vocet* efficaciter Rom. viii. 30. *juſtificet* Rom. v. 1. *adoptet* Joh. i. 12. *ſanctificet* 1. Petr. i. 2. 1. Cor. vi. 11. tandem & *glorificet* Rom. viii. 30. ad hoc *ſuſcitet* è mortuis 1. Theſſ. iv. 16. 17. &c. hiſque omnibus, ſe *Deum* ipſis præſtet, per omnem æternitatem Gen. xvii. 2. 7. Jerem. xxxi. 33. Pſal. xxxiii. 12. Hæ ſunt promiſſiones Dei.

Ejuſdem ſtipulata à peccatoribus, & promiſſa eorundem.

XVIII. *Stipulatur* autem Deus, à peccatore reſtituendo, ac promittit etiam & addicit electus Deo, in hac confoederatione, ſe 1. vivâ *fide* recepturum, *Deum* ut ſummum *finem* ſuum, ejuſque *Filium*, velut unicum *Mediatorem* Pſal. lxxii. 25. Joh. i. 12. & cap. xiv. 1. 6. Se 2. *ambulaturum* dignè Deo, & hac confoederatione cum Deo Gen. xvii. 1. 2. 1. Theſſ. ii. 12. 2. Theſſ. i. 5. 11. ſe ei gratitudinem ſuam pro redemtione, & pro beneficiis hujus confoederationis, per omnia, probaturum Col. i. 10.... 14. Se 3. futurum Deo in populum Jer. xxiv. 7. & cap. xxx. 22. Hebr. viii. 10. per *omnia* quæ *ſunt* 1. Cor. vi. 19. 20. & iii. 16. 17. Rom. xii. 1. & xiv. 7. 8. 9. 2. Cor. v. 8. quæ *poſſident* 2. Cor. viii. 3. 4. 5. Phil. iii. 7. 8. quæ *poſſunt*, ſeu *facere* pro Deo Phil. i. 20. 21. ſeu *pati* Act. xx. 24. Hebr. xii. 4. Præſtitis officiis à Deo ſtipulatis, & ipſi viciſſim *ſtipulantur* & exſpectant, ſibi promiſſa à Deo beneficia, in hoc eſt συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, *conſcientia bona ſtipulatio in Deum* 1. Petr. iii. 21. *ut adeamus cum fiducia thronum gratiæ & accipiamus miſericordiam & gratiam* Heb. iv. 12. Conf. Pſal xxvii. 8.

Cum reciproca ſtipulatione electorum.

Conſenſus Dei.

XIX. Ex jam dictis, etiam ſatis ſuperque patet *conſenſus* utriuſque partis contrahentis in reciproca ſtipulata & promiſſa, qui eſt velut forma confoederationum. Hunc à ſua quidem parte *Deus* prodidit, in omnibus ſolennioribus hujus foederis renovationibus, v. g. in prima ejus conſtitutione Geneſ. iii. 15. in renovatione Noachicâ Gen. vi. 18. Abrahamica Gen. xvii. 2. Sinaica cum Iſraële Exod. xxxiv. 10. Davidica Pſal. lxxxix. 4. Iſraëlitica ante Babylonicam captivitatem Ezech. xvi. 60. in promiſſa & præſtita Novi Teſt. Jer. xxxi. 31. Hebr. viii. 7. 8. 9. & viciſſim à ſua parte peccatores electi præſtant, frequenter *explicitè* Joſ. xxiv. 15. 16. 21. 22. 25. 2. Paral. xv. 12. 13. 14. Eſd. x. 3. 4. 12. plerumque *implicite* præſtando à ſe ſtipulata, ut patet in pleriſque renovationibus foederis gratiæ, v. g. cum Noacho, Abrahamo, Iſraële, atque in dies apud uſum Sacramentorum, Baptiſmi & S. Coenæ. Nec deeſt etiam ſæpiſſimè *conſenſus* mere externus oralis & hypocriticus Pſalm. lxxviii. 10. 36. 37. & l. 16. 17. Matth. xv. 8. qui ſi talis ſit, ut conſentientem non palam redarguat mendacii, ipſum idoneum facit, quem Eccleſia admittat ad communionem, & ad privilegia foederis externa tantum & eccleſiaſtica Act. viii. 13. 20. 21.

Foedus gratiæ conditionatum eſt.

XX. Ex dictis patet, quod, quomodo & quatenus foedus gratiæ *conditionatum* agnoſci debeat. Non eſt ſane conditionatum: A. ut à fide aut quovis alio *ſuſpendatur* ipſe *Deus*, in conſtitutione, oblatione foederis, aut collatione beneficiorum ejus: quod volunt quotquot à prævifis ſuſpendunt, & electionem, & confoederationem: cum ſolam εὐδοκίαν θελήματος, cauſam conſtituendi foedus, & hunc præ illo admittendi in foedus, conſtanter declaret *Scriptura* Matth. xi. 26. Rom. iii. 24. & iv. 16. & v. 15.--21. & ix. 15. 16. 18. Eph. i. 4. 5. 9. 11. & recta *ratio*, Deum per omnia independentem pronuncians. B. ut *quævis* conditio, cauſa ſit *meritoria* beneficiorum foederis hujus, vel ex *condignitate* intrinſeca, vel ex *pacto* extrinſeco; cum *gratia* hujus foederis, qua differt à foedere operum, perpetuo Scripturæ tenore, quodvis excludat *meritum*. C. Ut propriis viribus ſit præſtanda: cum non modo, & per hoc diſtet à foedere *operum*, cujus conditio propriis viribus erat præſtanda; ſed etiam, per violatum foedus operum, adeo ſimus in peccatis *mortui*, ut *inepti* exiſtamus, vel ad cogitationem ſpiritualem 2. Cor. iii. 5. 1. Cor. xv. 10. D. Nec ſic, ut *omnibus* & ſingulis hujus foederis beneficiis acquirendis, prærequiratur aliqua conditio: cum & vocatio, regeneratio, converſio, ſanctificatio, fides, reſipiſcentia, & ea omnia, quæ habent rationem *mediorum* ad finem hujus foederis, non pendeant ab ulla *conditione*, per electos præſtanda; ſed ab abſoluto donantis *beneplacito*, quemadmodum & ipſa electio Jer. xxxi. 33. Heb. viii. 10. Sed E. quod *reliqua* beneficia hujus foederis; unio cum Chriſto, indeque fluens communio beneficiorum ejus, juſtificatio, adoptio, ſanctificatio, glorificatio, ea ſcil. quæ magis habent rationem *finis*; à conditore hujus foederis, ſuſpendantur ab aliqua conditione, per electos præſtanda Phil. iii. 9. Galat.

11. 16. Joh. 1. 12. Ut non addam, quod omnia & singula fœderis gratiæ beneficia suspendantur à conditione, per Christum præstanda Jes. LIII. 10. 11.

Quia promissione mutua peragitur.

XXI. Non est igitur penitus expers conditionis: cum, pro natura fœderis *cujusvis* propriè dicti, promissione *mutuâ*, velut sua formâ, constet: quando à suâ parte Deus promittit, se *inimicitiam positurum* Gen. III. 15. Mediatori *semen daturum* Jes. LIII. 10. electis *cor novum* Jer. XXXII. 38. 39. & XXXI. 31. 32. 33. 34. stipulatur à *Mediatore*, seipsum ponat *sacrificium pro delicto* Jes. LIII. 10. ab *electis*, ut se & Mediatorem vivâ *fide* accipiant Act. X. 43. Joh. 1. 12. *Mediator*, admittens *conditionem*; viciſſim promittit Psal. XL. 8. 9. Heb. X. 5. Phil. II. 8. *electi* item, stipulatis sibi à Deo factis promissionibus, *repromittunt* suum officium Psal. XXVII. 8. Cant. II. 16. Ut ne quidem respectu *hominum*, de quo maxima est difficultas, sit prorsus absque *conditione*, prout in *elenchticis* plenius ostendemus.

Quænam sit conditio fœderis gratiæ.

XXII. *Quanam* autem sit fœderis gratiæ, ex parte *hominis* conditio, non uno modo ab omnibus determinatur. Pontificiis bona *opera* placent, ut causæ *meritoriæ*; Socinianis eadem; sed ut per *gratiam* requisita: sunt quibus *fides & respiscentia* junctim hîc placent: nec desunt quibus respiscentia, fides & obedientia arrident: plerique Orthodoxi, cum Scripturis, accuratissimè *solam fidem* hîc admittunt. Interim, quo rem acu tangamus, distinguendum videtur inter conditionem *latissime* & *strictius* dictam: *latissime* dictâ id omne comprehenditur, quod ad fœdus gratiæ, *quomodocunque* requiritur, seu: A. *antecedenter* & quasi *præparatorie*, quo sensu conditio dici possit, *auditio* promulgati fœderis, *assensus* communis verbo divino præstitus, *convictio* de necessitate fœderis gratiæ, efficax ad fidem *evocatio* (fide si non tempore; naturâ saltem prior) agnitio ac *sensus* miseriæ, pia de se ipso omnibusque extra Mediatorem, *desperatio* &c. Seu B. *concomitanter*, quomodo pro conditione recipi possint: *abnegatio* sui, Luc. IX. 23. Phil. III. 4 -- 12. exercitium *pœnitentiæ* Marc. I. 15. Act. II. 38. 39. &c. Seu C. *consequenter*, ut officia fœderalia, quo sensu pro conditione admitti possit *obedientia* Euangelica Gen. XII. 1. 2. 3. & XV. 18. collat. cum c. XVII. 1. 2. & IX. 1.---15. *renovatio* pœnitentiæ Deut. XXX. 1.--9. cum XXIX. 24. ad finem usque: *strictius* & propriissime dicta conditio illud notat, quo in *homine* posito, ex promissione divina, coit fœdus gratiæ, hoc sensu *sola fides* conditionem præstat fœderis gratiæ: hac enim (*a*) à fœdere operum *discriminatur* Rom. III. 27. & X. 5.--14. ab (*b*) hac *lex fidei* denominatur Rom. III. 27. Et ejus justitia (*c*) *justitia fidei* Rom. X. 6. Phil. III. 9. Heb. XI. 7. ejus (*d*) fœderati, *οἱ ἐκ πίστεως* Galat. III. 9.

Fœdus gratiæ non omnibus & singulis offertur, & confertur.

XXIII. Hinc perspicuum est, fœdus gratiæ (*a*) non omnibus *ac singulis offerri*: cum non omnes ac singuli evocentur ad fidem Psal. CXLVII. 19. 20. Multo minus (*b*) omnibus ac singulis *conferri*, seu cum omnibus ac singulis *coire*: cum multo maxima hominum pars destituatur vivâ *fide* Joh. I. 11. Matth. XX. 6. Quamvis interim in fœdus gratiæ *externum* (de quo suo loco) seu in *statum* ejus externum, h. e. in fœdus *ecclesiasticum*, etiam admittantur complures hypocritæ, eo quod conditionem fœderis gratiæ *profiteantur tantum*. Sic olim sub V. T. fœdus gratiæ *rationale*, coiit inter Deum & *Israelem*, Israëlem *universum*, & in eo cum his etiam, quibus Deus *non dederat cor ad intelligendum, oculos ad videndum*, cum quibusvis promiscue; parvulis, mulieribus, peregrinis, lignorum cæsoribus, cum præsentibus & absentibus Deut. XXIX. 1. 2. 4. 10. 11. 14. 15. Psal. LXXXI. 8. 11. 12. Jes. I. 3. 12. Quò sub N. T. spectare videntur parabolæ Matth. XIII. 24. 25. & 47. & III. 12. 2. Tim. II. 20. Verum de fœdere hoc externo & *ecclesiastico*, impræsens nobis non est negotium.

Affectiones fœderis gratiæ.

XXIV. Est itaque (quantum ad ejus proprietates & affectiones) hoc fœdus: 1. maximè *gratuitum* Rom. IV. 16. Quatenus merâ adductus *gratia*, Deus (*a*) fœdus *constituit* (*b*) Mediatorem *dedit* (*c*) Mediationem admisit (*d*) conditionem fœderis *confert* (*e*) per fidem, Mediatorem, cum omnibus ejus beneficiis, *donat*: adeo ut his conferendis, ab ipsis *electis*, non tantum nullam causam *meritoriam*; sed nullam *omnino*, Deus stipuletur; verum in *solâ* acquiescat *conditione* fidei Rom. III. 28. Gal. II. 16. Eph. II. 8. Est 2. *sanctum* Dan. XI. 28. 30. Luc. I. 72. Psal. CV. 42. 43. Quatenus ejus (*a*) *auctor* est τριάγιος iste Jes. VI. 3. ipsa *sanctitas* Psal. LXXXIX. 35. (*b*) *Mediator* ejus *est sanctus ille* Act. II. 27. & XIII. 35. *quem Pater sanctificavit* Joh. X. 36. (*c*) *Partes* ejus sanctæ sunt; *Deus* ab unâ, *electi* ab alterâ Heb. III. 1. 1. Petr. I. 22. & II. 5. Eph. II. 21. Deut. VII. 6. (*d*) *Materia*, seu negotium hujus fœderis *sanctum* est, scil. *sanctificatione* traducere peccatorem è statu *peccati*, in statum *justitiæ* & vitæ. Denique (*e*) *Conditio* ejus, est *sancta fides* Jud. vers. 20. *Ambulare coram Deo in sanctitate & justitia per omnes dies vitæ* Luc. I. 75. *perficere sanctitatem in timore Dei* 2. Cor. VII. 1. Est 3. *compositum* seu *ordinatum in omnibus* בְּרִית עֲרוּכָה בַכֹּל 2. Sam. XXIII. 5. Quatenus, & ejus *materialia*, sibi invicem perquam affabrè sunt *sub-& coordinata*: *Deus*, à suâ parte, restitutionem promittit per Filium Mediatorem, è statu peccati & mortis in statum justitiæ & vitæ; ac tum demum, se fore restitutis *Deum*: *Mediator* peccatoris causam accipit, se in ejus gratiam serpenti caput *contriturum*; *homo* restituendus *accipit* promissionem, accipit sibi Deum & Media-

1. Gratuitum.

2. Sanctum.

3. Ordinatum.

Mediatorem vivâ *fide*, ſe utrique *gratum* præſtat, *ambulat* ut dignum eſt hoc fœdere: & ejus *formalia*, mutuum conſenſum, ſtipulationem & reſtipulationem, obligationem partium involvunt: quam hîc omnia ſunt *nitide* compoſita! Eſt 4. *firmum* & immobile, ex parte *Dei* ſancte in omnibus ſervatum שמרה 2 Sam. xxiii. 5. à שמר, quod (obſervante Mercero ad *Theſaur. Pagn.*) *curam, ſolicitudinem & diligentiam connotat, ne quid omittatur, elabatur aut excutiatur.* Unde *incorruptibile* Jer. xxxiii. 20. 21. *promiſſio firma toti ſemini:* βεβαία παντὶ τῷ σπέρματι, Rom. iv. 16. πρᾶγμα ἀμετάθετον, Dei, qui *mentiri neſcius* eſt, promiſſione & *juramento* confirmatum Heb. vi. 17. 18. dicitur. Scil. (1.) ex *naturâ* Dei immutabili, Dan. ix. 4. Neh. i. 5. & ix. 32. 1. Reg. viii. 23. 2 Paral. vi. 14. ex (2.) *pangendi* ratione ſolidiſſimâ: *promiſit enim* Gen. xvii. 2. *repetiit* ſæpius Deut. vii. 12. Jud. ii. 1. Pſal. lxxxix. 34. 35. & cxi. 5. *ſancivit* ſolennitatibus fœderalibus, ſacrificiis ac cæſionibus pecorum Gen. xv. 8. 9. 10. 17. 18. Pſal. l. 5. Jer. xxxiv. 18. *ſignis* item ac ſigillis Gen. xvii. 11. Rom. iv. 11. *juramento* Heb. vi. 16. 17. 18. Deut. xxix. 12. 14. Pſal. lxxxix. 3. 4. & *morte* Teſtatoris ipſa Gal. iii. 15. cum Heb. ix. 15. 16. 17. 18. ex (3.) accurata ejus, per omnes partes & ſecula, obſervatione *actuali*, ut particulatim ſuo loco pandemus, per omnes periodos utriuſque Teſtamenti, à capite ad calcem mundi conditi. Eſt hinc tandem 5. *æternum* ברית עולם *fœdus æternitatis* Gen. xvii. 19. Jeſ. xxiv. 5. & lv. 3. & lxi. 8. Jer. xxxii. 40. Ezech. xvi. 60. διαθήκη αἰώνιος Heb. xiii. 20. ſcil. quoad ejus *ſubſtantialia*, licet quoad *circumſtantialia*, ſeu adminiſtrandi modum, poſt extremum judicium ceſſaturum veniat.

XXV. Ex dictis, citra negotium innoteſcet, utriuſque fœderis, operum & gratiæ, tum convenientia, tum differentia. *Prior* (convenientia) conſpicitur in (*a*) *auctore* utriuſque fœderis, *Deo* Gen. ii. 16. 17. cum cap. iii. 15. & Jer. xxxii. 38. 39. 40. Heb. viii. 8. (*b*) *impulſiva*, divina ſcil. εὐδοκία Gen. ii. 16. 17. 1. Cor. iv. 7. cum Ezech. xvi. 1---8. & xxxvi. 22. 32. (*c*) *partibus* contrahentibus, Deo & homine, non Angelo aut bruto Gen. ii. 16. 17. cum xvii. 2. (*d*) *materia* & argumento fœderis, quatenus in utroque Deus promittit & ſtipulatur Gen. ii. 16. 17. & iii. 15. Deut. v. 1. 2. (*e*) *conſenſu* & obligatione reciprocâ, quæ velut forma eſt omnis fœderis (*f*) *ſcopo*, manifeſtatione gloriæ, & communicatione beatitudinis. Hactenus convenientia.

XXVI. *Poſterior* (ſcil. differentia utriuſque fœderis) conſpicitur, in A. *Natura*, quando illud fuit quaſi fœdus *amicitiæ*, inter Creatorem & creaturam: dum hoc eſt *reconciliationis* inter inimicos. B. *Cauſa* προηγουμένη, quæ in priori fuit gratia *benevolentia*; in poſteriori *commiſerationis*. C. *Partibus* confœderatis, *illius* enim pars altera Deus fuit, quâ benevolens *Creator*, altera in Adamo *totum* genus humanum: *hujus* altera Deus, quâ miſericors *Redemptor*, altera *Chriſtus myſticus*, ſeu in Chriſto ſemen electum tantum, aut *Semen multum*. D. *Materiâ* pacti, quando in *primo* fœdere Deus *præſcribebat* obedientiam *operum*, & in eâ fidem quoque in *Deum*, ut *Creatorem* ſuum Rom. iii. 27. Gal. iii. 11. 12. ab homine *ipſo*, *propriis* viribus præſtandam Gen. ii. 16. 17. Gal. iii. 10. in quâ conditio erat *naturalis*; & viciſſim *promittebat* vitam, ut *mercedem juſtitiæ*, eamque poſt perfectam, perpetuam & *perſonalem* obedientiam; excluſa, vel poſt minimum ἥττημα, omni reſipiſcentiâ remiſſioneque; nec vires etiam, quibus exacta illa obedientia continuaretur, addebat: in *ſecundo* contrâ, ut coëat fœdus, pro conditione non *præſcribit* proprie niſi *fidem*, eamque non in ſe tantum ut Creatorem; ſed in *Filium* etiam ut *Mediatorem* Joh. xiv. 1. nec *propriis* viribus; ſed ex fœdere communicatis & communicandis, præſtandam: & quidem ut conditionem plane *ſupernaturalem*, eamque, non ut omnibus numeris *perfectam*; ſed ut *ſinceram* tantum: *promittit* viciſſim, non tantum vitam *omnimodam*; ſed etiam *vires*, ad conditionem fœderis præſtandam neceſſarias, imo & conditionem ipſam: inſuper poſt ἥττήματα reſipiſcentiam admittebat, & remiſſionem pollicebatur; imò & vitam promittebat, non ut *mercedem juſtitiæ*; verum ut *donum gratiæ*. E. *Formâ*, ſeu diverſo modo (1.) *Manifeſtandi*; dum enim (*a*) *primum* promiſſum eſt & ſtabilitum ſimul & ſemel Gen. ii. 16. 17. *ſecundum promiſſum* quidem per V. T. ſed *ſtabilitum* demum in ſanguine Mediatoris ſub N. T. Dum (*b*) conditio primi *natura nota* erat; ſecundi non niſi extraordinariâ *revelatione* innoteſcere poteſt (2.) *Sanciendi* ac ſtabiliendi; dum enim *primum* coiit, *mandato* officii, *comminatione* mortis in caſu inobedientiæ, *promiſſione* implicitâ in caſu præſtitæ conditionis, additis duabus arboribus *ſacramentalibus*, abſque ullo Mediatore; *ſecundum* præſcribit conditionem, promittit præmium, additis ſignis; verum cuncta non niſi in Mediatore Jeſu. (3.) *Adminiſtrandi*, quando (*a*) *primum* inſcriptione *naturali* Rom. ii. 14. 15. ſecundum *ſupranaturali* peragitur Heb. viii. 10. (*b*) *primum* voce tantum, *ſecundum* voce & Scripturâ ſimul (*c*) *primum*, vitæ beneficium diſpenſat ut *mercedem*, ex merito perfectæ obedientiæ; *ſecundum*, ut *præmium* ex gratiâ fidei F. *Proprietatibus* & perfectionibus: (1.) *Primum*, à gratiâ reſultabat *benevolentia* tantum, *ſecundum*, à gratiâ *commiſerationis* inſuper (2.) *Primum*, *incertum* erat quoad eventum, *ſecundum*, *certiſſimum* & immobile (3.) *Primum*, conducebat tantum homini *perfecto*, *ſecundum*, *peccatori*.

1. Naturâ.
2. Cauſa impellente.
3. Partibus conflatrahentibus.
4. Materiâ confœderationis.
5. Formâ ejusdem.
6. Proprietatibus.

catori. (4) *Primum* perſtitit ad *breve* tempus inviolatum; *ſecundum* perſiſtet in *æternum* abſque violatione *totali.* (5) *Illud* aboletur ab *hoc*, reſpectu eorum qui *hujus* participes ſunt. G. *Fructibus* & effectis: (*a*) *Primum*, communionem cum Deo *offerebat* ut *Creatore*; *ſecundum*, *præſtat* ut cum *Redemptore* in Chriſto. (*b*) *Primum* hominem *perfecte* juſtum, elevaſſet ad dignitatem *ſervi* Dei, qua paulo *minor* fuiſſet *Angelis* Pſal. VIII. 6. *ſecundum*, in dignitatem *Filii*, *hæredis*, *cohæredis*, & *membri* Chriſti, qua ſuo modo, paulo *major* fit Angelis. (*c*) *Primum*, non excludebat omnem *gloriationem* Rom. III. 27. *ſecundum* excludit penitus Eph. II. 9. (*d*) *Primum*, *præſupponebat* perſeverantiam pro conditione; *ſecundum* confert eandem pro beneficio. Tandem H. *Finibus*: (1.) *Primum*, intendit manifeſtare gloriam *dominii*, libertatis, ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ tantum: *ſecundum*, inſuper divitias *miſericordiæ*, patientiæ & longanimitatis. (2.) *Primum*, gloriam Dei pandebat, in agendo cum creaturis abſque ullo Mediatore; *ſecundum* in Mediatore Filio Joh. v. 22. 23.

7. Fructibus.

8. Finibus.

Sex conſectaria de foedere gratiæ.

XXVII. Ex dictis perſpicuum eſt (1.) *conſtituto* ſemel hoc foedere gratiæ, *abrogatum* penitus fuiſſe foedus operum, ſaltem quoad efficaciam juſtificandi ac ſalvandi, unde etiam *Chriſtus finis legis* dici poteſt, *ad juſtificationem cuivis credenti* Rom. X. 4. (2.) Admiſſa ſemel à *nobis* fideliter conditione foederis gratiæ, evaneſcere ſtatim foedus operum, quoad vim *condemnandi* Rom. VIII. 1. Proinde (3). Eaſdem perſonas eſſe non poſſe *ſimul*, ſub foedere operum & ſub foedere gratiæ Rom. XI. 6. quamvis eſſe poſſint *ſucceſſive*, primo ſub foedere *operum*, tum ſub foedere *gratiæ*; non autem ordine verſo. Hinc etiam (4.) Foedus gratiæ mille paraſangis excedere foedus operum: erat enim A. foedus operum à Deo, ut *liberali Creatore*, eſt foedus gratiæ ab eodem, ut *miſericordi Redemptore.* B. illud ex ſola *benevolentiâ*, hoc inſuper ex *miſericordia.* C. Illud in primo Adamo cum mero homine, hoc in ſecundo Adamo cum Chriſto θεανθρώπῳ. D. Illud exigebat exactam, ac perpetuam *hominis* ipſius obedientiam, hoc juſtitiam & obedientiam *Chriſti* θεανθρώπου. E. Illud fundatum erat in perfectâ *natura* citra Mediatorem; hoc in perfectiſſima *gratia* Mediatoris Chriſti. F. Illud erat mutabile, hoc æternum. G. Illud efficiebat *ſervum* Dei, hoc ἐξόχως *Filium*, hæredem, cohæredem Chriſti. H. Illud ſpectabat ad elevandam gloriam ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ divinæ, hoc inſuper miſericordiæ & longanimitatis. Quamobrem etiam (5.) multis modis præſtat eſſe ſub foedere gratiæ, quam ſub foedere operum: quando, qui ſunt ſub priori, ſunt ſub *maledictione* & morte; dum qui ſunt ſub poſteriori, ſunt ſub benedictione & vitâ. Unde tandem (6.) quamvis omnes, ante lapſum, in protoplaſtis multum Deo fuerimus obſtricti ex foedere *operum*; ſumus tamen poſt lapſum, millies magis obſtricti ex foedere *gratiæ*: quod in eo quidem Deus infinitus, quaſi deſcendebat ad finitam *creaturam*; in hoc inſuper deſcendat ad *peccatorem*, hoſtem ſuum; in illo *multam bonitatem* Deus conferebat in creaturam, quæ nihil quidem *merebatur boni*, in hoc *omnem gratiam* in peccatorem, qui nil meretur niſi *malum*: multo plus pro nobis Deus præſtitit juxta foedus gratiæ in ſecundo Adamo, quam juxta foedus operum, in primo: illo ſimplicem conferebat beatitudinem, hoc duplicem.

Communio foederis gratiæ duplex.

XXVIII. Foederi huic gratiæ tria accidunt, communio foederis, promulgatio ejuſdem, & diſpenſatio. *Primum* eſt communio, ſeu communicatio beneficiorum hujus foederis duplex: cum enim hoc ſoedus habeat *promiſſionem hujus & futuræ vitæ* I. Tim. IV. 8. quemadmodum foedus cum Abrahamo, habebat promiſſionem terræ Caman, aliorumque beneficiorum *temporalium*, ac præterea promiſſionem *ſpiritualem*: *ero Deus tuus.* Gen. XVII. 7. 8. quæ divelli etiam poſſunt, ut patet in Iſraëlitis, quorum alii *temporalibus* tantum gaudebant, alii *ſpiritualibus* inſuper: cum præterea, foederis gratiæ ſtipulata officia à quibuſdam recipiantur, vel *externa* tantum *oris* profeſſione, ut jam ante docuimus ex Matth. XV. 9. Pſal. LXXVIII. 10. 32. 33. Matth. VII. 21. 22. alii *interna* etiam *cordis* Act. VIII. 37. Rom. X. 10. Hinc etiam naſcitur duplex *communio* foederis gratiæ: altera *totalis*, ſeu, ut alii loquuntur, *interna*, qua, qui ſtipulata confoederationis *ingenue*, hoc eſt, *corde & ore* addicunt, ſeu *filii promiſſionis*, Rom. IX. 8. *omnium* promiſſorum 2. Cor. I. 20. tam ſpiritualium, quam corporalium fiunt participes I. Tim. IV. 8. altera *partialis*, ſeu *externa* tantum, qua *filii regni* Matth. VIII. 12. qui non ingenuè, ſed *ore* tantum abſque *corde*, ſeu externa tantum profeſſione, conditiones foederis recipiunt, Matth. VII. 21. 22. &c. privilegiorum eccleſiaſticorum *externorum*, & beneficiorum tantum *temporalium*, fiunt participes, quemadmodum olim ſub *veteri* diſpenſatione, impii & hypocritæ inter Iſraëlitas, qui privilegiis & beneficiis Eccleſiæ gaudebant tantum externis I. Cor. X. 1----6. Pſal. XCV. 9. 10. 11. & ſub *nova*, v. g. Judas Iſcariotes Matth. X. 1. 4. Simon Magus Act. VIII. 13. omneſque πρόσκαιροι Matth. XIII. 3.... *palmites* in Chriſto *fructum non ferentes* Joh. XV. 2. Hoc ſenſu *multi* dicuntur vocati, pauci *electi* Matth. XX. 16. & XXII. 14.

Promulgatio foederis gratiæ ſeu Euangelium.

XXIX. *Secundum* eſt *promulgatio* foederis gratiæ, quæ *Euangelium* efformat, quemadmodum promulgatio foederis operum, *Legem.* Euangelium ab εὐαγγέλλω *bona nuncio*, hîc nobis non eſt *præmium*, bona nuncianti, dari ſolitum: ſed boni

boni nunciatio. *Voce* tenus mutuatum videtur à LXX. Interpp. ex Jeſ. LII. 7. & LXI. 1. Nec etiam nobis hic eſt *inſtrumentum*, quo actus hujus foederis deſcripti proſtant, quo modo *quatuor* Euangelia numeramus: nec ipſa his Euangeliis, totoque Inſtrumento ſacro contenta *doctrina Euangelica*. Quæ minus accuratè inter ſe diſcriminata, adverſariis anſam præbuerunt confundendi foedus *operum*, cum foedere *gratiæ*, quod obſervarent, utrobique tam in Vet. quam in Novo Teſt. ſeu, ut ipſi loquuntur, tam in *Lege*, quam in *Euangelio*, urgeri exercitium bonorum operum. Hinc inſuper ipſis naſcitur lex triplex, *naturalis*, *Moſaica* & *euangelica*, & hinc triplex vitam æternam obtinendi via, ſcil. per obſervationem legis *naturalis* ſub Patriarchis; *Moſaicæ* uſque ad Chriſtum, & *euangelicæ*, uſque ad finem ſeculorum. *Euangelium*, ceu promulgatio foederis gratiæ, duo concludit: nim. *fœdus* gratiæ, velum ſuum *materiale*; & *promulgationem*, velut formale: ſicut *lex*, ceu promulgatio foederis naturæ, totidem complectitur: foedus naturæ, & ejus promulgationem. Ex quo promtum eſt perſpicere, ut conveniant duo iſta, nim. quoad promulgationem; ut item differant, ſcil. ut foedus *naturæ* & *gratiæ*.

Oppo-nitur Legi.

XXX. Non itaque promulgatur *lege* quavis, nominatim non *Decalogo*, utpote qui opera *illa* exigit, quorum præſtatione protoplaſti, in ſtatu creationis, ſibi merituri erant vitam æternam, de quibus obtinet: *fac hoc & vives* Levit. XVIII. 5. Rom. X. 5. Ezech. XX. 11. Luc. X. 28. nec non: *maledictus qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat* Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Qua lege non poteſt non intelligi *Decalogus*. Ut hactenus, reſpectu hominis *lapſi*, ſibi invicem *contrarientur*, ſe invicem *ponant* ac *tollant*, adeo ut qui ſub *lege* ſit, eſſe non poſſit ſub *gratiâ* & Euangelio, & vice verſa Rom. IV. 14. 15. & VI. 14. 15. & VII. 1. & ſequent. & IX. 31. 32. & X. 3. Gal. III. 5. & V. 4. Proinde Euangelium, quà tale, non habet *legem*; ſicut lex quà talis, non habet *Euangelium*, licet ab eo, quod à Deo exigatur fides, ut conditio foederis gratiæ, appelletur *lex fidei* Rom. III. 27. ipſaque præſtatio, *opus fidei* Joh. VI. 29.

Eidem lex ſub-ordina-tur & in-ſervit.

XXXI. Quo tamen non efficitur, ut, diverſa *conſideratione*, ſibi multis modis non *ſubordinentur* & inſerviant, à quo *lex pædagogus dicitur ad Chriſtum* Gal. III. 24. & *finis legis, Chriſtus* Rom. X. 3. 4. quo reſpectu, *lex contraria* negatur *promiſſioni* Gal. III. 21. Inſervit *lex* Euangelio; (1.) quando illa juſtitiam homini *præſcribit* Levit. XVIII. 5. hoc *præſtat* Rom. VIII. 2. 3. (2.) Illa maledictionem peccatori *imponit* Deut. XXVII. 26. hoc ab eo *tollit* Gal. III. 10. (3.) Illa comminatione maledictionis, peccatorem *proſternit* Pſ. LI. 5. cum 10. hoc promiſſione gratiæ proſtratum *erigit* Matth. XI. 28. (4.) Illa neceſſitatem liberationis & liberatoris *monſtrat*, & utriuſque deſiderium *accendit* Rom. VII. 24. Act. II. 37. & XVI. 30. hoc conferendo *ſatiat* Act. II. 38. & XVI. 31. (5). Illa vivendi & gratitudinis rationem *deſignat*, quam hoc *requirit*, Rom. III. 31. Gal. III. 17. 19. Luc. I. 74. 75.

Euange-lium du-plex eſt: promiſ-ſionis & imple-tionis.

XXXII. Hinc Euangelium diſpeſci à Theologis conſuevit, in Euangelium *promiſſionis* & *impletionis*: quatenus, illo non tam *redemptio*, quam *Redemptor*, *promittitur* tantum; hoc autem *exhibetur* Gal. IV. 4. Heb. I. 1. Unde illud multo fuit imperfectius, *obſcurius*, contractius, quam hoc, prout ſuo loco ex profeſſo oſtendemus. Utriuſque Euangelii foedus gratiæ, vel eſt *externum* tantum, eccleſiaſticum & nationale, quo foedus internum *offertur* tantum; hoc ſenſu ante Chriſtum, Deus foedus iniit cum totâ natione Judaica, omnibuſque ac ſingulis ejus membris, etiam improbis, quatenus illam ſolam nationem, Deus, ex quibusvis aliis, elegit ſibi in populum, Deut. IV. 37. & VII. 6. 7. & X. 15. & XIV. 2. Jeſ. XLI. 8. 9. cui ſoli beneficia *ſpiritualia* foederis gratiæ *offerret* Pſal. CXLVII. 19. 20. Rom. IX. 4. quique conditiones foederis, etiam, ſaltem *profeſſione* tenus, *reciperet* Pſal. L. 16. Quemadmodum etiam ſub N. Teſtamento, eodem ſenſu, foedus gratiæ *eccleſiaſticum*, ejuſque beneficia temporalia, ad quosvis extenduntur, qui profeſſione ſaltem, *conditionem* foederis gratiæ, ſibi oblati in Euangelio, *recipiunt*, quamvis illam revera non *præſtent*. Quò ſpectat ſimilitudo *areæ* impuræ Matth. III. 12. *agri* variis partibus variè conſiti Cap. XIII. 3. ſigillatim πρόσκαιροι verſ. 21. *Filii regni* foras ejiciendi Cap. VIII. 12. palmites in Chriſto fructum non ferentes Joh. XV. 2. inter quos Judas Matth. X. 1. 4. Simon Magus Act. VIII. 13. qui *dicunt* & non *faciunt* Matth. VII. 22. quo ſenſu, *multi vocati* dicuntur, *pauci electi* Matth. XX. 16. Sicut jam ante monuimus.

Diſpen-ſatio foederis ſeu Te-ſtamen-tum.

XXXIII. *Tertium* eſt *diſpenſatio* foederis gratiæ, quæ *teſtamentum* efformat, non eſt enim teſtamentum, niſi diſpenſatio foederis gratiæ, quatenus illa nititur morte teſtatoris Chriſti. Proinde (ſicut & Euangelium) duo implicat. nim: *fœdus gratiæ* ejuſque promiſſa, & ejus *diſpenſationem*, pro diverſitate temporum: ſed ſub hac ratione, quatenus illa diſpenſatio nititur *morte teſtatoris*, à quo Teſtamenti denominatio exſurgit. Hinc gratiæ foedus, etiam *Teſtamentum* deſignatur Heb. IX. 15---22. quâ ſignificatione ברית & διαθήκη veniunt Exod. XXIV. 8. cum Heb. IX. 20. Gal. III. 15. Quod I. totum nitatur ac ratificetur morte ac *ſanguine* Teſtatoris. Ibid. Heb. IX. 15. ſive *typico* ſub V. T. Levit. XIV. 4. 5. 6. 7. cum Pſal. LI. 9. ſive *proprio* Zach. IX. 11. Heb. X. 29. & XIII. 11. 12. 20. Rom. III. 25. Matth. XXVI. 28.

Quod 2. *Teſtatorem* agnoſcat, Chriſtum *Mediatorem* Heb. IX. 15. & XII. 24. Quod 3. beneficium *vitæ* æternæ conferat, non ut *mercedem*; ſed ut *hæreditatem*: & confœderatis, ut *hæredibus* Rom. VIII. 17. Gal. III. 18. Matth. XXV. 34. Quod 4. ejus beneficia fœderatis conferantur, non ex ullo ſuo *merito*; ſed ex purâ conſtitutione divinâ Luc. XXII. 29. Atque hoc demum ſenſu, quatenus nim. Teſtamentum cum fœdere gratiæ coincidit; ſemper, à primâ fœderis gratiæ conſtitutione, *unum* fuit eritque, eo quod, unam tantum hæreditatem, unam Teſtatoris mortem, agnovit & agnoſcit: quatenus tamen *Teſtamentum*, non ipſum dicit fœdus gratiæ; ſed ejus tantum *diſpenſationem*, non unum, ſed *duplex* agnoſcitur, *Vetus* & *Novum* Heb. VIII. 8. in quantum illud, fœdus gratiæ *offert*, ratificandum morte Teſtatoris *futura*, & ſanguine adhucdum *fundendo*; hoc autem ratificatum, morte *facta* & ſanguine *fuſo*. Quæ porro de diſpenſatione fœderis gratiæ, ſeu de *Teſtamentis* dicenda reſtant, in ſuum locum, nim. librum *octavum* ſeponimus.

Quæritur.

Pars Elenchtica.

1. An ſponſio Filii, in foedere gratiæ æterno, habuerit rationem *fidejuſſionis*, an *expromiſſionis*?

XXXIV. Quæritur 1. An ſponſio Filii, in foedere gratiæ *æterno*, habuerit rationem *fidejuſſionis*, an *expromiſſionis*? Sociniani, quia negant ſponſorem ab æterno *extitiſſe*, quia item aſſerunt, Deum, mittentem Filium ſuum, homini placatum fuiſſe, adeoque nullâ indiguiſſe ſponſione, quâ ſibi pro homine promitteretur ſatisfactio, ſed pro Deo tantum, homini in tempore ſpopondiſſe fidem præſtandorum beneficiorum, ſi ſuis præceptis obſequeretur; negant omnem ſponſionem *æternam*. Fratres illi, qui celeb. Coccejum ſectantur, poſt ipſius obitum, quo commodius haberent, fideles Vet. Teſtamenti, non obſtante ſponſione *æternâ*, fuiſſe ad actualem uſque ſatisfactionem, ſub reatu; ſtatuunt ſponſionem illam fuiſſe *fidejuſſionem*, per quam debitor principalis maneat ſub reatu uſque ad *actualem* ſolutionem. Reformati reliqui exiſtimant, Filium æternâ illâ ſponſione, ſolutionem ſeu ſatisfactionem *abſolute* ſpopondiſſe, abſque ullâ *reſervatione* beneficiorum ordinis & excuſſionis (quæ Juriſconſulti ſuæ fidejuſſioni relinquunt) univerſam peccatoris electi cauſam & reatum, ſimul & ſemel in ſe ſuſcepiſſe, eoque redimendos, ab omni reatu liberaſſe: quamvis interim adjiciant, divinam hanc *expromiſſionem*, ad leges civilis cujusvis expromiſſionis, non ita rigidè & per omnia, eſſe exigendam. Quia: 1. ab hac *ſponſione* in Vet. Teſtamento ערב Jer. XXX. 21. in Novo autem ἔγγυος Heb. VII. 22. appelletur, quod Scapulæ quidem ad hanc *vocem*, eſt à γῦιον *manus*, quaſi ἐν γυίοις *in manibus*, quod in expromiſſione, creditor certitudinem debiti ſui, q. *in manus* accipiat: ſive à γύη *terra immobili*, ſecundum Suidam alioſque, quod expromiſſio debitum faciat *immobile*; in expromiſſione fuit q. *virtualis* quædam ſatisfactio & reconciliatio, cujus ope, & qui ante *actualem* ſatisfactionem Chriſti crediderunt, liberati ſunt. Quia 2. contraria fidejuſſio repugnat omnibus iſtis locis utriuſque Teſtamenti, quæ tradunt, fideles ante præſtitam ſatisfactionem, conſecutos fuiſſe peccatorum ſuorum ἄφεσιν Pſal. CIII. 45. & LI. 2. 3. 9. 10. 11. & XXXII. 5. Matth. VI. 12. & IX. 5. Quia 3. repugnat ſapientiæ, & *Dei laſi*, & ſponſoris intercedentis, reatum *ladentis* ſuſcipere & admittere eâ lege, ſi lædens non poſſit ſatisfacere; quando uterque perſuaſus eſt, impoſſibile eſſe, ut lædens ipſe ſatisfaciat. Quia 4. repugnat ſaluti fidelium Veteris Teſt. ſi enim, non obſtante fidejuſſione, ſub reatu fuerunt, uſque ad *actualem* ſponſoris ſatisfactionem, qua ratione in coelum potuerunt admitti? Niſi ſtatuere velimus, ſub reatu mortis & æternæ damnationis, adhucdum conſtitutos, in coeleſtem libertatem conſtitui poſſe, quod omnem abſurditatem ſuperat. Quia 5. colludit cum hypotheſibus Pontificiorum, quæ ex hac fidejuſſione, fideles V. T. in limbum Patrum detrudunt, inde liberandos per actualem Chriſti ſatisfactionem. Quia 6. repugnat iſtis locis Scripturæ Veteris, per quæ, jam tum Deus, noſtra peccata in Mediatorem conjeciſſe, & ab eo exegiſſe legitur Jeſ. LIII. 4. 5. 6. 7. collat. cum 2. Cor. V. 19. 21. *virtualiter* ſcil. Id vero fieri qui potuit? niſi propter expromiſſionem, ſeu ſatisfactionem expromiſſam? Nec ſolide objiciunt: A. Mediatorem ἔγγυον dici Heb. VII. 22. cum vox illa *ſponſorem* denotet, tanquam *genus*, ad *fidejuſſorem* & *expromiſſorem*, velut ſuas *ſpecies*, & ſponſio non dicat, niſi quamvis promiſſionem ſtipulationemque: unde apud Theologos, Philologoſque, paſſim convertuntur *ſponſio* & *expromiſſio*. Ita Martinius in ſuo Lexico Philologico, ἐγγυὴ *eſt ſponſio, expromiſſio*, ἀναδοχὴ, & Heſych. ἔγγυος ἀναδόχος, & ἀναδοχὴ Budæo in comment. Græcæ ling. expromiſſionem ſonat: ἀναδέχεσθαι, inquit, *eſt promittere & in ſe recipere, & ſuum agnoſcere, factum vel debitum.* Imò & ἐγγυᾶσθαι, idem Budæus pag. 80. & 90. vult ſignificare, *abſolute promittere*, quin ἀναδέχεσθαι: ſin minus, doceant οἱ ἐξ ἐναντίας, ἔγγυον non aliud ſonare in N. T. quod fidejuſſorem. Nec B. Quod expromiſſor non pro alio; ſed pro ſe ſolo ſolvat, adeoque, ex noſtra hypotheſi luxetur ſatisfactio Chriſti *pro nobis*: dicimus enim ſponſorem expromiſiſſe, non pro *ſuo*; ſed pro noſtro debito. Nec C. quod eâ ratione liberemur, non per ſatisfactionem; ſed per *expromiſſionem*: ſi enim nexus eſt ſolidus, nunquid ex hypotheſi partis adverſæ, fideles V. T. dicendi erunt liberati, non per ſatisfactio

Argumenta.

Objectiones.

ctionem; sed per fidejussionem? Verum non solâ expromissione liberamur; sed satisfactione per expromissionem *suscepta*, eoque certo certius *præstandâ*, adeoque expromissioni *involutâ*. Nec D. solidè concluditur, sponsorem non expromisisse pro nobis, nostrumque debitum absolutè in se derivasse, ex eo, quod, si non solvisset, electi dicerentur *adhucdum* esse in peccatis suis 1. Cor. xv. 17. quoniam impossibile fuit, ut sponsor θεάνθρωπος, expromissum non solveret, adeoque impossibile quoque, ut electi essent in peccatis suis. Tandem E quod peccata nostra, dicantur usque ad solutionem, fuisse in mundo: fuerunt enim, non quidem in peccatoribus; sed in expromissore.

2. An Filius proviuciam mediatoriam potuerit non suscipere, aut susceptam deponere? Collatio sententiarum. Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

XXXV. Quæritur 2. An Filius, postulante Patre, ut provinciam mediatoriam in se susciperet; potuerit eam non suscipere, aut cum suscepisset, oneri ejus se subducere? Episcopius cum suis Remonstrantibus Apologistis, quo commodius habeat, libertatem arbitrii consistere in omnimodâ *indifferentia*; affirmat Apolog. cap. xvii. 187. Reformati agnoscunt & Deum liberrimè postulasse, ut Filius susciperet provinciam mediatoriam, & Filium liberrime quoque eandem suscepisse, quatenus uterque ex consilio & complacentia rationali egit, unde *consilium pacis* dicitur coiisse inter *Jehovam*, & *virum Zemach* Zach. vi. 13. Psal. lx. 7. 8. 9. Agnoscunt itidem, & Patrem & Filium, velut personas divinas, fuisse plane sui juris, adeoque Patrem *in se* & suâ natura confideratum, potuisse non *postulare*, & hactenus Filius quoque, potuit non *recipere* postulatum; sed tamen positâ postulatione Patris, Filium potuisse *non obsequi*, non recipere, durum existimant ac crudum: & postquam recepit provinciam, se oneri ejus subducere, perfidum insuper putant, adeoque Filium resilire non potuisse. Quia: 1. *consilium* inter Patrem & Filium *immobile* dicitur Heb. vi. 18. τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, collat. cum Zach. vi. 13. jurejurando roboratum Psal. cx. 4. Tum 2. quia ex hac *susceptione*, dicitur servus Patris Jes. xlii. 1. & cap. liii. 13. & liiii. 11. qui non potest non obedire Domino, de *jure* saltem. Quia 3. ex eadem susceptione, Pater ipsum subjecit legi, velut suum subditum Galat. iv. 4. *imposuit* ei nostra peccata Jes. liii. 4. eadem ab ipso, suo *jure* exegit vs. 7. ipsum pro nobis *peccatum fecit* 2. Cor. v. 21. Quia 4. Resilire à pactis est *perfidia*; quam de personâ divinâ cogitare, horrenda est blasphemia. Quia 5. Istâ declinatione Filii, Pater excidisset gloria gratiæ & misericordiæ suæ, electi, suâ salute; & ipse Filius gloriâ mediationis suæ. Caussantur interim in contrarium: A. Quod si non potuisset non suscipere provinciam, nec eam non deponere; non *libere* susciperet & gereret. Resp. præsupponitur nunquam probandum, quod libertas consistat in *merâ indifferentia*, cum reverà consistat in facultate agendi *ex consilio*, quam inter Patrem & Filium obtinuisse, jam ante docuimus. B. Quod Christus obediverit Patri, non uti nos divinæ legi obedimus, sub comminatione mortis æternæ. Resp. Non utique Pater Filio provinciam mediatoriam imposuit sub comminatione mortis, quia superfluum & absurdum fuisset: cum Filius Dei, per naturam suam non potuerit peccare, aut non obedire Patri: tum etiam ex eo, quod provinciam Pater Filio non obtulerit cum comminatione; non sequitur, quod Filius postulanti Patri potuerit *non* obsequi, aut à susceptâ potuerit resilire.

Objectiones.

3. An detur fœdus gratiæ universale? Sententia Semi-pelagianorum. Et Reformatorum, cum suis rationibus.

XXXVI. Quæritur 3. An detur fœdus gratiæ universale, cui subsint omnes & singuli homines? Semi-Pelagiani, & inter hos potissimum Remonstrantes, quo efficacius tueantur, gratiam universalem, & prædestinationem ex præviss; statuunt, Deum ab æterno decrevisse, omnibus & singulis hominibus destinare Mediatorem, qui eos suâ satisfactione redimeret, hinc omnes & singulos velle servari, per Christum, si modo ipsi velint, hinc insuper, omnibus & singulis offerre, atque etiam vires *sufficientes* conferre, sub conditione, si per vires liberi arbitrii, volent in Mediatorem credere, & resipiscere à peccatis suis; tum, quos prævidebat crediturros, se electurum, quos contra nolle prævidebat, reprobaturum: statuunt fœdus gratiæ *universale*. Reformati ex adverso, quia negant decretum universale, omnes & singulos servandi, ut docuimus lib. ii. cap. xv. §. xxx. quia item negant Deum omnibus & singulis destinasse redemptionem per Christum, sicut demonstravimus lib. ii. cap. xvii. §. xxxii. quia porro existimant, Christum non esse datum omnibus & singulis, ut demonstrabimus suo loco in cap. de *redemptionis impetratione*, quia tandem non potuerit prævidere, *hunc* præ illo crediturum: statuunt, non dari fœdus gratiæ universale: Cum præsertim: 1. in hoc distet à fœdere *naturæ*, quod illud in Adamo sese extendat ad omnes; dum fœdus gratiæ tantum coit cum *semine mulieris*, contradistincto semini serpentis Gen. iii. 15. cum *domo Israelis* Jer. xxxi. 33. cum *filiis fœderis* Act. iii. 25. *filiis promissionis* Rom. ix. 8. *hæredibus promissionis* Heb. vi. 17. ad illos dicitur pertinere *fœdus* Rom. ix. 4. & *promissio* Act. ii. 39. quando alii sunt *alieni à testamentis promissionis* Ephes. ii. 12. Cum 2. nullibi per universam Scripturam, fœdus gratiæ extendatur ad omnes & *singulos*, quin ex adverso, multi ab eo excluduntur Psal. cxlvii. 19. 20. Actor. xiv. 16. Nec habent quod pro se obtendant οἱ ἐξ ἐναντίας, nisi quæ pro gratia universali adduci consueverunt, quæ jamdudum, locis jam citatis contudimus.

4. An fœdus gratiæ sit conditionatum?

XXXVII. Quæritur 4. An fœdus gratiæ sit conditionatum? Pelagiani ζοντες, ut fœderis gratiæ participium suspendant, à conditionibus, viribus liberi

ditionatum? liberi arbitrii præſtandis, fœdus gratiæ totum, quantum quantum eſt, *conditionatum* tradunt. Ex adverſo Antinomi, ſub prætextu elevandæ gratiæ, Collatio ſententiarum. foedus illud totum *abſolutum* tradunt. Nec deſunt etiam inter Reformatos, qui, ut non tantum efficacius declinent ſtrophas Pelagianizantium; ſed etiam, ut à conditionibus præſtitis, non ſuſpendatur jus ad promiſſa foederis gratiæ: ſtatuunt foedus gratiæ temporale, eſſe prorſus *abſolutum*; ſic tamen, ut nemo ſalutem conſequatur, niſi viâ fidei & ſanctimoniæ. Accuratiſſimè diſtinguendum puto, inter promiſſiones foederis gratiæ, eas quæ habent rationem *mediorum* ad finem, quales ſunt redemptionis impetratio per Chriſtum, regeneratio, converſio, collatio fidei & propoſiti reſipiſcentiæ: & tales quæ habent rationem *finis*, v. g. juſtificatio, adoptio, glorificatio &c. hoc facto, dicendum videtur, quod promiſſiones foederis gratiæ *primi* generis, ſint planè *abſolutæ*: implicat enim manifeſtam contradictionem, ſtipulari ab homine peccatis mortuo, præſtitam conditionem ac redemptionem Chriſti, regenerationem &c. promiſſiones autem *ſecundi* generis, juſtificatio, adoptio &c. omnino ſunt *conditionatæ*, ſic tamen ut præſtatio conditionum non pendeat à viribus liberi arbitrii; ſed à promiſſis hujus foederis abſolutis. Sic ſtatuimus, quia 1. Conſtanter in Scripturis, noſtri *juſtificatio* ſuſpenditur à conditione fidei Joh. III. 16. Act. X. 43. *adoptio* 1. Joh. I. 11. 12. Quia 2. Foedus propriè dictum concipere, quod non conſtet mutuis promiſſionibus & ſtipulationibus, in quo partes non conſentiant in eaſdem conditiones; eſt foedus concipere quod non eſt foedus. Hinc 3. confoederationes cum Deo, paſſim factæ leguntur per propoſitionem & receptionem conditionum Deut XXX. 15. .... Exod. XIX. 5. 6. 8. 2. Paral. XV. 12. 13. Gen. XVII. 1. 2. 2. Cor. VI. 17. 18. &c. Addam 4. quod foedus gratiæ *promiſcue* oblatum, non conferatur huic magis quam illi, niſi ad *præſtitam* aliquam conditionem Joh. I. 12. & III. 16. Act. X. 43. Quod 5. nemo *certus* eſſe poſſit, ſe, præ quovis alio, in foederis participium admiſſum eſſe, niſi ex præſtita quadam ejus conditione Gal. II. 16. Non dicam 6. graviſſima incommoda, quæ ex negatâ fœderi gratiæ *omni conditione*, emergent: qualia A. Quod hac ratione, *una* tantum ex confoederatis pars *obligabitur*, ſcil. Deus. B. Quod foedus gratiæ poſſet coire inter Deum & hominem, *non conſentiente* homine. C. Quod foederati cum Deo, virtute hujus foederis, non magis *poſt* acceptam foederis communionem, erunt obſtricti ad *ullum officium*, amoris, obedientiæ, reverentiæ; quam *ante* ejuſdem conſummationem. D. Quod hoc pacto, confoederatus cum Deo, poſſit *nullâ*, ſeu *extrinſeca* ſeu *intrinſecâ* differentiâ aut qualitate, diſtare à non foederatis. E. Quod *neglectus fidei* ac reſipiſcentiæ, non poſſint hominem ſecludere à participio foederis. F. Quod *fides* & *reſipiſcentia* non ſint via ad remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam. G. Quod hac ratione, univerſum verbi miniſterium fruſtra ſit futurum, cum id non alio ſpectet magis, quam ad præparandum & erigendum hominem, ad recipiendam foederis gratiæ conditionem, ſeu ad fidem in Chriſtum, eique dignè converſandum. Quæ hic objici queant, nullo negotio retundi poſſunt, ex his quæ dudum in *dogmaticis* obſervavimus. v. g A. Quod hac ratione foedus gratiæ non ſit futurum firmum & *æternum* Gen. XVII. 13. 19. ſinim. pendeat à conditione humanitus præſtandâ. Reſp. Verum eſt, ſi pendeat à conditione humanis *viribus* & incertè præſtandâ, qualem in foedere gratiæ non admittimus. B. Quod nihil ab homine requiratur, pro *conditione* ad participium foederis gratiæ Jer. XXXI. & XXXII. Heb. VIII. 10. Joh. VI. 45. Ezech. XXXVI. 25. 26. Reſp. 1. Requiri conditionem, & quâ ratione, ſuo loco docuimus, ex Joh. I. 12. & III. 16. Gal. II. 16. &c. quamvis *illis* locis fortè non exprimeretur: ſed 2. exprimitur ſic ſatis, etiam ipſis illis locis, quando Heb. VIII. 10. additur, *& ipſi mihi erunt in populum*, ſcil. conſenſu fidei: Joh. VI. 45. *ille venit ad me.* ſcil. fide: Ezech. XXXVI. 28. *& eritis mihi in populum, & ego vobis ero in Deum*, ſcil. per conſenſum reciprocum: quamvis his locis, dicatur conditio illa procuranda à Deo. C. Quod conditio propriè dicta, in materiâ foederum ſit talis actio, quæ præſtita, homini *jus* confert ad præmium, quod in foedere gratiæ non valet. Reſp. Conditio præſtita in foedere gratiæ, non *jus* confert in promiſſa conditionata; ſed *poſſeſſionem* tantum, quod in negotio juſtificationis receptum eſt. D. Quod foedus gratiæ ſit *teſtamentum*, quod non implicat conditionem, imò per Jurisconſultos excludit omnem contractum & conſenſum mutuum in conditiones. Reſp. 1. Teſtamentum propriè nihil aliud eſt, quam diſpenſatio foederis gratiæ, quatenus illa nititur morte teſtatoris. Proinde teſtamentum implicat quidem foedus gratiæ, velut ſuum *materiale*; ſed non eſt *ipſum foedus*; verum ejus *diſpenſatio*, quæ eſt quaſi formale teſtamenti. 2. Et Jurisconſulti in ſuis teſtamentis admittunt conditiones, v. g. ſi Titius volet ducere neptem meam, hæres eſto.

Sententia Reformatorum communis, cum ſuis rationibus.

Objectiones.

XXXVIII. Quæritur 5. An foedus gratiæ ab hominibus ſtipuletur ulla bona opera propria? Pontificii, in gratiam ſuorum meritorum ex condigno, ſtatuunt foedus gratiæ ſtipulari bona opera, velut *cauſas meritorias*. Sociniani, ut obtineant, hominem juſtificari, non propter juſtitiam ſatisfactionis & meritorum Chriſti, ſed propter opera propria, non quidem *legis*, ſed *Euangelii*, hoc eſt

5. An foedus gratiæ ab hominibus ſtipuletur ulla bona opera propria?

Collatio sententiarum.

est legis Mosaicæ, quatenus per Christum est correcta & aucta: & propter ea, non ex merito; sed ex gratiâ Dei, statuunt fœdus gratiæ stipulari ista bona opera. Remonstrantes, ut declinent hominem propter solam justitiam Christi imputatam justificari; statuunt fœdus gratiæ stipulari fidem & quidem solam; sed quatenus illa est per bona opera efficax: aut-quatenus fides, per acceptilationem divinam, est pro universali obedientia legis. Reformati, licet admittant, fœdus gratiæ stipulari *opus fidei* Joh. VI. 29. cum suis ingredientibus, notitia, assensu, fiducia & appellatione speciali: sed fidem istam cogitant, non quatenus est *opus aliquod*, aut *opera*; sed quatenus est opus *hoc*, scil. apprehensio Christi: cæterum statuunt fœdus gratiæ nulla omnino stipulari bona opera, eo quod 1. per hoc, vel ex ipsa denominatione, quasi specie, distinguatur fœdus *gratiæ*, quod in *Euangelio* promulgatur, à fœdere *operum*, quod in *lege* propalatur: quod illud habeat doctrinam *credendorum*, hoc *faciendorum* Rom. X. 5. 8. 9. 10. 11. imo & ex hac forma sibi opponantur velut contraria, adeo ut, ex unius affirmatione, alterius inferatur negatio, & vice versa Rom. III. 27. 28. Gal. II. 16. 21. Phil. III. 9. 2. Tim. I. 9. 10. Cum 2. beneficia fœderis gratiæ, perpetuo Scripturæ tenore, suspendatur à *solâ fide* Joh. III. 16. & seqq. Marc. XVI. 16. Eph. II. 8. Rom. III. 28. Gal. II. 16. Cum hinc 3. *lex* à fœdere operum, *ministerium mortis* appelletur, quando *Euangelium* ministerium *Spiritus* ac *vitæ* dicitur 2. Cor. III. 7. 8. Cum denique 4. solum fœdus *operum* in lege, mercedem tribuat *ex operibus*, quando fœdus *gratiæ* in Euangelio, promittit *absque* operibus Rom. IV. 4. 5. 6. ex purâ gratiâ Rom. VI. 23. Jam quæ his opponunt, scil. quod in N. T. (*a*) tradatur doctrina *operum* (*b*) tradantur *leges* propriè dictæ Matth. V. VI. VII. (*c*) addantur *comminationes* adversus contumaces, (*d*) promissiones suspendantur ab *obedientia operum* Luc. XVII. 10. Rom. VIII. 13. &c. nullo negotio expediri possunt, observato & demonstrato πρώτῳ ψεύδει, quo *doctrinam* N. *Testamenti* non distinguunt à *fœdere* gratiæ, & ab Euangelio, quo promulgatur illud fœdus. Confer parag. XXI.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

6. An fœdus gratiæ fidem stipuletur, ut viribus propriis præstandam?

XXXIX. Quæritur 6. An fœdus gratiæ fidem stipuletur ut propriis viribus, seu viribus liberi arbitrii naturalibus præstandam? Pelagiani ac semi-Pelagiani, Sociniani, Jesuitæ, Remonstrantes, Anabaptistæ, ut vires liberi arbitrii, à violatione fœderis operum, non tantum non exstinctas, in ordine ad bona spiritualia; sed & illæsas habeant: statuunt, non tantum *universum* fœdus gratiæ conditionatum esse; sed & conditiones stipulatas, qualescunque illæ tandem sint, seu fidem & resipiscentiam, seu bona opera, præstolari ab hominibus, ut propriis arbitrii sui viribus præstandas. Reformati existimani fœdus gratiæ fidem stipulari, non ut *propriis* viribus præstandam; sed viribus, ex promissionibus ipsius hujus fœderis, *conferendis*. Quia (1) in hoc *essentialiter* distat fœdus *gratiæ* à fœdere *operum*, quod illud coierit, cum homine justitia *originali* beato Eccl. VII. 29. adeoque spiritualiter *vivente*; hoc autem cum homine in peccatis *mortuo* Eph. II. 1. 3. cui impossibile est præstare δικαίωμα τῦ νόμυ Rom. VIII. 3. qui sese *non subjicit* legi divinæ, nec *potest* etiam. Ibid. vers. 7. qui non magis *potest* bonum facere, quam *Æthiops mutare cutem* Jer. XIII. 23. Cui proinde (2) per ipsum gratiæ fœdus, promittuntur & restituuntur vires, *cor novum* & spiritus novus, quo possit ac velit præstare conditionem fœderis gratiæ Jerem. XXXI. 33. 34. & XXXII. 39. 40. Heb. VIII. 8. Ezech. XXXVI. 26. 27. Quia (3) fides exsertè donum Dei appellatur Phil. II. 29. Nec est quod causentur, te frustra stipulaturum conditiones, si non sit in viribus partis adversæ, præstare: cum ipsum gratiæ fœdus vires parti promittat & conferat. Conf. lib. IV. cap. IV. §. 31.

7. An Euangelium obtinuerit etiam sub V. Test.?

XL. Quæritur 7. An Euangelium obtinuerit etiam sub Veteri Testamento? Pelagiani, cum quibus faciunt Pontificii, quia statuunt, fideles sub *Patriarchis*, servatos fuisse observatione legis *naturæ*; sub Mose, observatione legis Mosaicæ, sub Christo, observatione *Euangelii*: statuunt Euangelium non obtinuisse sub Veteri Test. Socinianî, quia idem fere sentiunt cum Pelagianis, & quia Euangelium definiunt, doctrinam de præceptis Christi, & promissionibus spiritualibus, remissione peccatorum & vita æternâ, quia item doctrinam de Christi satisfactione & merito, & fidem quæ recipiat Christi satisfactionem & merita, secludunt à fidelibus V. T. statuunt Euangelium non obtinuisse sub V. T. Anabaptistæ, quia idem fere sentiunt cum Socinianis, atque etiam *Euangelium* confundunt cum libris *Novi* Test. sicut *legem*, cum libris V. Test. negant item Euangelium obtinuisse sub Veteri Test. Celeb. D. Coccejus cum suis, quia omne tempus Ecclesiæ dispescunt in tres periodos, sub promissione, sub lege & Euangelio, ac proinde Euangelium referunt ad Novum Testamentum: quia item Euangelium definiunt doctrinam & promissionem de bonis Novi Test. ἀφέσει peccatorum, ablatione omnis reatus (licet interim agnoscant testamentum æternum & universale, quod vigeat per omnia sæcula Ecclesiæ) sitque de patria cœlesti, dandâ propter Christum, omnibus fidelibus, sub omni ævo, quod plerisque coincidit cum fœdere gratiæ: statuunt tamen, suo isto sensu, Euangelium pertinere ad solum Novum Test. Reformati reliqui, quamvis Euangelium *impletionis* soli relinquant Novo Testamento; Euangelium tamen *promissionis* statuunt originem suam habere à πρωτευαγγελίῳ paradisiaco, adeo-

Collatio Sententiarum.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

adeoque etiam obtinuisse sub Vet. Test. Quia 1. *Euangelium* ipsis non est, nisi *promulgatio* fœderis gratiæ, sicut *Testamentum* ipsis non est, nisi *dispensatio* fœderis gratiæ, quatenus nititur morte testatoris Christi, vel futura, vel præsente, è quo ipsis nascuntur duo Testamenta, vetus & novum, sicut monuimus in *dogmaticis*. Ex quo sequitur, quia promulgatio ista, atque etiam dispensatio promissionum foederis gratiæ, obtinuit etiam sub veteri testamento; etiam obtinuisse sub V. T. fœdus gratiæ. Quia 2. hypotheses sententiæ adversariæ (si modo hypotheses Coccei & suorum excipias) nim. α. Fideles V. T. testamenti non habuisse promissiones *spirituales*, remissionis peccatorum & vitæ æternæ ϐ. Servatos fuisse absque Christo γ. absque fide in Christum δ. Servatos fuisse per opera propria ε. Religionem Vet. Test. totâ essentia diversam fuisse à Religione Novi Test. &c. Religioni Christianæ plane sunt intolerabiles.

8. An foedus gratiæ promulgetur in Decalogo?

XLI. Quæritur 8. An foedus gratiæ promulgatum fuerit in Decalogo? Cl. Camero, quia parum accuratè non distinguebat inter *usum* Decalogi, & ejus *naturam*; statuebat, Decalogum, nec esse foedus *operum*, nec foedus gratiæ; sed foedus quoddam *subserviens*, quatenus, velut pædagogus, propellebat electos ad Christum quærendum Gal. III. 24. Rom. X. 4. 5. Celeb. Coccejus cum suis, quia statuebat, violatione sui, foedus operum plane fuisse abolitum, nec remansisse nisi testamentum gratiæ æternum & universale, usque ad μοιχοποίαν Israeliticam, post quam Decalogus, accessione duplicis carminis: *fac hoc & vives*; & *maledictus sit, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, acceperit, non quidem *essentiam* foederis operum; sed *speciem* tamen ejusdem: statuit, Decalogum esse purum putum *foedus gratiæ*. Ex adverso Reformati reliqui statuunt, in Decalogo nullam esse foederis gratiæ promulgationem; sed solam foederis operum renovationem, quamvis illa renovatio, saltem ratione electorum, habuerit usum euangelicum, ut eos propelleret ad Christum amplectendum. Quia 1. Decalogus nihil habet de Christo, nihil de fide in Christum. Quia 2. si etiam proponeret Christum & fidem in Christum, quod tamen non largimur; habet tamen insuper omnia bona opera moralia; proinde non justificaremur *sola* fide, cum procul omni dubio, justificemur observatione foederis gratiæ. Quia 3. Decalogus habet omnia illa (solo excepto *positivo* mandato, de non manducando fructu vetito) quæ à protoplastis Deus stipulabatur, in *fœdere operum*. Quia 4. etiam sancitur *comminationibus* & promissionibus, perinde ac foedus operum. Nihil igitur obstat quo minus dicatur, illum propriè repræsentare foedus *operum*, quamvis ratione *electorum*, in finem & usum Evangelicum. Nec quicquam obstat, quod inibi subinde mentio fiat formulæ, quæ pertinet ad *foedus gratiæ*: *Ego sum Deus tuus*: cum nihil omnino repugnet, obedientiam foederis operum urgere, argumentis & motivis à beneficiis foederis gratiæ desumtis. Sed hoc argumentum seponemus, in locum ὀικεῖον de *dispensatione foederis gratiæ* sub Mose lib. VIII. cap. 2.

Collatio sententiarum.

Sententia receptior Reformatorum, cum suis tationibus.

Objectio.

8. An foedus gratiæ à foedere naturæ differat, solis gradibus perfectionis accidentalis?

XLII. Quæritur 9. An foedus *gratiæ* à foedere *naturæ* differat solis gradibus perfectionis accidentalis? Pontificii, in gratiam sui monachatus, quia volunt in Euangelio legi accessisse consilia Euangelica, seu vota monastica, ex quibus Euangelium lege sit perfectius, affirmant. Sociniani, ut ex lege efforment Euangelium, & observatione legum Christi, hominem justificari, efficacius habeant, statuunt, Christum legem Mosaicam non correxisse tantum; sed & in singulis præceptis auctiorem, adeoque & perfectiorem reddidisse. Remonstrantes Apologistæ, quo pollicem Socinianis premant quantum possunt, dum in eorum castra transire palam non audent; statuunt Christum legi hæc saltem tria adjecisse: *abnegationem sui, tolerantiam crucis & imitationem sui* Luc IX. 23. Reformati statuunt, foedus *gratiæ* à foedere *naturæ* differre totâ *essentia* tota *specie*, ficut homo & brutum; adeoque etiam perfectionis gradibus; sed *essentialibus*, non autem solis *accidentalibus*: competere cætera, & legi & Euangelio, suam in sua specie perfectionem, quatenus & foedus *naturæ*, sui observatione, quondam homini potuisset conferre vitam, secundum ejus formulam, *fac hoc & vives*; & *foedus gratiæ* jam actu confert salutem æternam. Ista ex dictis dudum, non tantum de foedere naturæ lib. III. cap. XII. sed & ex hoc ipso capite abundè patent. Singulas singulorum obloquentium hypotheses singulatim disjicere, non est hujus loci, cum præsertim Pontificiorum *consilia* euangelica dudum profligaverimus ex professo lib. III. cap. XI. §. XII. Additamenta Socinianorum, quibus Christus Euangelium perfectius reddiderit, nullum fundamentum habent in Matth. V. 21. 22. 27. 28. &c. Cum ibidem Servator, non legem *Mosis* corrigat, aut adaugeat, ut Sole clarius patet ex vs. 45. *Inimicum tuum odio prosequeris*, quod nullibi occurrit apud Mosen; sed eandem vindicet à *glossis* Pharisaicis. Nec etiam additamenta Arminiana in Matth. XVI. 24. Luc. IX. 23. prostant cum in his locis de lege *Mosis*, his officiis aucta, ne tantillum quidem prosset, atque insuper, non modo officia hæc tria; sed omnia etiam Socinianorum illa, quæ pro additamentis legis Sociniani venditant, etiam in Veteri Test. obvia sint, ficut suo loco, de *lege* Mosis ex professo ostendemus. Quæ de Testamentorum, naturâ, numero & differentiis, hic disputari possent, ea huc reducenda sunt, ex libro hujus Theologiæ *octavo*, ubi ex professo ventilabuntur.

Collatio sententiarum.

Sententia Reformatorum.

Objectiones.

Pars

Pars Practica.

Foedus gratiæ: 1. Nos abripit in admirationem.

XLIII. Quantum ad *praxin*, foederis gratiæ contemplatio *primo* nos abripit in piam ſui *admirationem*, ex tot, tantis ac talibus myſteriis quæ prodit, dum A. pandit doctrinam, de *reſtitutione* ac ſalvatione peccatoris per Chriſtum, quæ *myſterium Euangelii* dicitur Eph. VI. 19. *myſterium* fidei, 1. Tim. III. 9. *myſterium Dei & Patris & Chriſti* Col. II. 2. Dum B. explicat doctrinam, de perſona & officio Mediatoris hujus foederis, quæ *ſine dubio magnum pietatis myſterium* appellatur 1 Tim. III. 16. Dum C. aperit *unionem* Chriſti & fidelium, in unum *ſemen mulieris*, & in unum *corpus*, quaſi ſpirituali quodam connubio, id quod *magnum myſterium* appellatur Eph. v. 29---33. Dum D. pandit beneplacitum Dei, de vocandis gentibus ad participium foederis, quod *myſterium Chriſti*, Apoſtolo dicitur *abſconditum à temporibus æternis* Rom. XVI. 25. 26. Dum E. *prodit nobis myſterium voluntatis* divinæ, *ſecundum gratuitam ſuam benevolentiam, quam propoſuerat in ſeſe, εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ* Eph. I. 9. 10. Dum F. varias hujus foederis *diſpenſationes*, per varia ſtatuta Eccleſiaſtica patefacit, à quibus verbi divini Miniſtri, *οἰκόνομοι τῶν μυστηρίων Θεοῦ* dicuntur 1 Cor. IV. 1. Tandem G. dum & *reſurrectionem* carnis, noſtrique in momento ſubitaneam *mutationem* connotat, quam Apoſtolus cum emphaſi *myſterium* Modus. appellat 1. Cor. XV. 51. 52. cum 1. Theſſ. IV. 16. 17. Hæc aliaque, tot ac tanta foederis gratiæ *myſteria*, ſic rememoremur, ut (1.) Solicitè doctrinam foederis gratiæ doceant *myſteriorum divinorum diſpenſatores* 1 Cor. IV. 1. 2 Cor. III. 6. 14. Jer. XI. 1. 2. Exod. XXIV. 7. (2.) Accuratè diſcant *quivis* Heb. VIII. 10. 11. Deut. IV. 23. Jer. XI. 3. Deut. V. 1. 2. (3.) Sæpe multumque cogitent, dies noctesque meditentur, quotquot ejus avent fieri *participes* Pſal. XXV. 14. & L. 5. cum CV. 8.

2. Nobis oſtendit varia Dei attributa, ad ejus glorificationem. Quænam

XLIV. *Secundo* oſtentat gloriam A. liberrimi & abſolutiſſimi *beneplaciti* divini, quo, cum omnes ex *æquo*, operum fœdere excidiſſent, ac rei mortis, æternæque condemnationis facti eſſent, hunc præ illo, in foedus gratiæ *recipere* voluerit Matth. XI. 25. 26. B. Tenerrimæ *miſericordiæ* & *φιλανθρωπίας*, quæ *miſerrimum* peccatorem, non omnis modo gratiæ & *beneficii* indigniſſimum; ſed & omnis indignationis & ſupplicii reum, non gratiâ quavis *vulgari* amplexus eſt; ſed *tali* etiam ac tantâ, ut in foedus ſecum admiſerit, ſeque ipſi debitorem fecerit, *Filium* unigenitum donaverit, è miſeriâ deſperatâ liberaverit, jus vitæ & *gloriæ* æternæ donaverit &c. Joh. III. 16. Rom. v. 8. Conf. Deut. v. 2. 3. Ezech. XXXIV. 25. 30. 31. & XXXVII. 26. C. Rigidiſſimæ *juſtitiæ* Rom. III. 25. quâ, propter peccatum, unigenitum *Filium* ſuum, qui *peccatum non cognovit, pro nobis fecit peccatum, ut in eo ſeremus juſtitia coram eo* 2. Cor. v. 21. D. Infinitæ *potentiæ*, quâ inimicum ſuum, *mancipium* Satanæ, mortuum in peccatis, ſibi *reconciliavit*, in libertatem reſtituit, vivificavit Eph. II. 5. 6. E. Imperſcrutabilis *ſapientiæ*, à quâ Euangelium *ſapientia Dei* 1 Cor. I. 21. *ſapientia Dei in myſterio, abſcondita illa, quam præfiniverit ante ſecula, quam nemo Principum cognovit* Cap. II. 6. 7. 8. & Chriſtus *potentia & ſapientia* Dei, dicitur Cap. I. 24. Quæ enim profundior cogitari poteſt *ſapientia*, quam ea, quâ ſumma juſtitia conciliatur cum ſummâ miſericordiâ, quâ peccatori ſubſtituitur proprius *Filius* Dei &c.? Hîc ſanè, ſi alicubi, exclamare poſſis: *ὦ βάθος πλούτου σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ*! Rom. XI. 33. Imprimis autem F. *Gratiæ* & amoris, plus quam paternæ, à quâ *fœdus gratiæ* per excellentiam appellatur, quam ipſe Servator ſtupet Joh. III. 16. *Adeo dilexit Deus mundum!* & Deus ipſe *commendat* Rom. v. 8. Qua peculiariter 1. *condidit* foedus iſthoc. *Ego vero, ecce ego erigam fœdus meum tecum* Gen. VI. 17. 18. Quâ 2. *dedit expromiſſorem* Heb. VII. 22. *Mediatorem* Cap. VIII. 6. *ſemen mulieris* Gen. III. 15. *inimicitiam poſuit, caput ſerpenti contrivit.* Ibid. Quâ 3. Mediatorem foederis *elegit* ab æterno Eph. I. 5. 6. *promiſit* Luc. I. 72. *præſtitit* in plenitudine temporis, unde *donum Dei* appellatur Joh. IV. 10. Jeſ. IX. 5. Quâ 4. in ipſo *maxima nobis & precioſa promiſſa donat* 2 Pet. I. 4. 2 Cor. I. 20. Quâ 5. quævis nobis, & tam liberaliter *offert* & confert Jeſ. LV. 1. Apoc. XXII. 17. Hæc aliaque plura, foedus gratiæ nobis repræſentat, ut (*a*) agnoſcamus & *magnificemus corde* Luc. I. 46. 47. (*b*) celebremus ore & opere. 1 Pet. II. 9. 1 Cor. VI. 20. 21. &c. Ad quid?

3. Commendat beatitudinem

XLV. *Tertio*, foedus gratiæ ab *una parte* nobis commendat ineffabilem eorum *beatitudinem*, qui ejus ſunt *participes* Pſal. XXXIII. 12. *Beata gens cujus Jehova Deus eſt.* Utpote qui ejus ope (1.) non jam *ſervi* Dei ſunt, quod *multum*, nec *amici* tantum, quod *majus* Joh. XV. 15. ſed *confœderati* etiam, quibus Deus ſuâ gratiâ obſtrictus eſt foedere, חסידי כרתי בריתי, *Benignos meos, ferientes fœdus meum* Pſal. L. 5. (2) Liberati ſunt: A. ab *inimicitia* cum Deo Rom. v. 10. B. à *ſervitute* Satanæ Heb. II. 15. C. *à reatu* peccatorum Pſal. XXXII. 1. D. *à maledictione* legis Gal. III. 13. (3.) Ex adverſo participes fiunt *maximarum ac pretioſarum Dei promiſſionum* 2 Pet. I. 4. Cum *in Chriſto*, juxta fœdus gratiæ, *omnes Dei promiſſiones* ſint *ναὶ καὶ ἀμήν* 2 Cor. I. 20. (4) *Membra* Chriſti fiunt, ſub eodem *mulieris ſemine* comprehenſi, *uniti* cum eo, qui nobis *factus eſt à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio* 1 Cor. I. 30. *ex cujus plenitudine accipimus gratiam pro gratia.* Joh. I. 16. *in quo ſumus conſummati* Col. II. 10. beatitudinem foederatorum.

11. 10. Verba dicam (5) *Deum* ipsum hoc fœdere accipiunt Jer. xxx. 22. *omnisufficientissimum* illum Gen. xvii. 1. 2. qui ipsis sit *portio* & hæreditas Psal. xvi. 5. 6. & lxxiii. 25. 26. *Sol & clypeus* Psal. lxxxiv. 12. *merces magna valde* Gen. xv. 1. sibi suisque usibus, gratiosa foederis promissione, *obstrictus* adeo, ut non possit non ubique inservire illis Jerem. xxxi. 20. Psal. xxiii. 1. & seq. Quin (6.) non *Deum* tantum hoc foedere accipiunt; sed *omnia* etiam ejus attributa: ut cuncta suis *commodis* semper & ubique obstetricentur Rom. viii. 30. 31. V. g. A. Ejus *immutabilitas* efficit, ut *semper* sit sibi Deus Mal. iii. 6. Rom. xi. 29. B. Ejus *veracitas*, ut suis *promissis* semper possint & secure inniti Jes. xxxiv. 16. C. Ejus *charitas*, ut *omnia* ipsis *cooperentur in bonum* Rom. viii. 28. 38. 39. Heb. xii. 6. D. Ejus *misericordia*, ut omnia ipsis *remittantur* peccata Psal. ciii. 8. 10. Exod. xxxiv. 6. E. Ejus *sapientia*, ut *norit* ipsis prospicere *in omnibus*, eosque eripere ex adversis 2 Pet. ii. 9. F. Ejus *omnipotentia*, ut *possit* etiam 2 Thess. i. 11. Eph. iii. 20. Ab *altera parte*, nobis fœdus gratiæ explicat *miseriam* eorum, qui constituti sunt *extra* fœdus gratiæ, quam Apostolus ὡς ἐν τύπῳ repræsentat Eph. ii. 12. quatenus omnibus *malis* obnoxii manent, à quibus, per *fœdus* gratiæ, alii liberantur; & contra privati omnibus illis *prærogativis* ac beneficiis, quibus alii gaudent ex hoc foedere, prout jamjam diximus.

Et declarat miseriam aliorum.

4. Monet nos ipsos exploremus, simusne foederis gratiæ participes.

XLVI. Proinde *quarto*, monet nos serio exploremus, simusne sub fœdere *gratiæ*, an sub fœdere *operum*; sub maledictione *legis*, an sub benedictione *Euangelii*? Ab hac enim exploratione, & quæ inde nascitur, *certitudine*, pendet omnis nostra *securitas* spiritualis, tranquillitas animi, pax, gaudium, consolatio &c. Notæ quibus istud tuto & evidenter innotescet, suppetunt 1. quidem & principaliter, à præstitâ aut non præstita *conditione* fœderis gratiæ, h. e. verâ ac viva *fide* in Deum & Mediatorem Joh. i. 11. 12. & iii. 16. 36. Atque adeo ex *omnibus*, quibus fides illa dignoscitur, de quibus suo loco lib. ii. c. 2. §. xxxiv. usque ad xliv. & in Tractat. *de Fide Salvif.* Cap. xi. xii. xiii. Tum 2. etiam ex *prima* fœderis hujus formula Gen. iii. 15. Si nim. deprehendamus (*a*) nos esse de *semine mulieris*, non autem de *semine serpentis* h. e. si simus cum Christo, Spiritu & fide *uniti*: coit enim fœdus gratiæ cum solo semine *mulieris*, & *in Christo* demum, *omnes Dei promissiones sunt etiam & amen* 2 Cor. i. 20. extra illum *nulla salus* Act. iv. 12. *absque eo nemo venit ad Patrem* Joh. xiv. 6. Si (*b*) deprehendamus, irreconciliabilem *inimicitiam* inter nos & serpentem. Singulatim, si 1. *Deus* eam *constituerit* regeneratione, conversione, sanctificatione Joh. iii. 3. 5. Conf. Joh. viii. 44. Si 2. *hostilis* inter nos & *serpentem* vigeat *affectus*, ortus ex transmutatione *status* nostri, h. e. ex eo quod è *carnalibus* facti simus *spirituales* Joh. iii. 3. 5. 6. ex naturalibus, supernaturales 1 Cor. ii. 14. 15. ex *mortuis* in peccato, *vivi* gratiâ Eph. ii. 1.--10. ex diabolicis, divini Joh. viii. 44. 1 Joh. iii. 12. cum 2 Pet. i. 4. Si 3. inimica & hostilia *studia*, inter nos & serpentem conspiciantur, ut quando ille v. g. *mendaciis* operam dat; nos *veritati* Joh. viii. 44. 1 Joh. iii. 19. quando ille *Principem* agit *tenebrarum*: nos *filios lucis* Eph. vi. 12. cum v. 8. quando ille *impurum spiritum*; nos *purificatos verbo* ac Spiritu, Matth. xii. 43. Joh. xv. 2. 1 Cor. vi. 11. quando ille *Deum hujus mundi*; nos tales, qui cum Christo non *sumus de mundo* 2 Cor. iv. 4. Joh. xv. 19. Si 4. perpetuus vigeat *conflictus* inter nos & serpentem, semenque ejus Gal. v. 17. h. e. *odium* peccatorum, (velut operum Satanæ) & *peccantium* 1 Joh. iii. 8. 9. Psal. cxxxix. 21. 22. *obluctatio* adversus ejus *dominium*, quo nos *captivos ducit, pro sua voluntate* 2 Tim. ii. 25. *agitque in filiis ἀπειθείας* Eph. ii. 2. & studium *obnitendi* ejus *tentationibus*, in virtute Christi, & *παναοπλίᾳ* Spiritus Eph. vi. 12. Si è contrario 4. penes nos servemus animum *amicum* versus Deum, ejusque vias, ac populum Psal. xcvii. 10. 1 Joh. v. 1. Psal. xvi. 3. 4. 5. & cxxxix. 21. 22. Si prædictis omnibus 5. serio conemur, in virtute Christi, *conterere caput serpentis*, abnegatione nostri, crucifixione carnis, mortificatione veteris hominis Luc. ix. 23. Gal. v. 24. Col. iii. 5. corruptioni nostræ tantisper *obnitendo*, quoad plane mortua fuerit. Tandem 6. ex effectis & beneficiis fœderis gratiæ, quæ distinctius exprimuntur, in *sequioribus* hujus fœderis formulis Jer. xxxi. 31. 32. 33. 34. Heb. viii. 8. 9. 10. 11. 12. Si v. g. *leges Dei* observemus *inscriptas menti nostræ* &c.

Notæ.

5. Hortatur, ut enitamur in participium foederis gratiæ.

XLVII. Hinc *quinto*, si facta exploratione, deprehendamus, nos hactenus adhucdum esse *extra* fœdus gratiæ Eph. ii. 12. excitati anhelemus, totisque viribus *enitamur* in ejus participium. Rationes motivæ ad pangendum foedus gratiæ suppetent ex §. xxxvii. Et *modus* pangendi in *consensu* consistit, quo recipimus serio *conditiones*, quibus Deus *promittit* beneficia foederis hujus, h. e. in *fide* vera ac viva Joh. iii. 16. ut huc spectent omnia illa, quibus fides hæc generali consuevit, quæ supra præstitimus lib. ii. Cap. 2. §. xliv. xlv. xlvi. xlvii. Quibus, brevitatis studio, nihil addemus impræsens.

6. Jubet foedus jam contractum religiose servare.

XLVIII. Porro *sexto*, si factâ exploratione, deprehendamus, nos foedus gratiæ dudum *pepigisse* cum Deo; accedit, ut illud intemeratum religiosissimè *observemus*. Gen. xvii. 9. 14. Deut. xxix. 9. Si dicas, temerari *non* potest, ex promissione divina, hoc foedus Heb. viii. 9. 10. dabo, si de *totali ac finali* violatione, h. e. de *totali* infidelitate vere foederatorum intelligatur; negabo, si de *partiali*

An, quatenus, & quibus peccatis possit violari fœdus gratiæ.

tiali dicatur, quæ, *quovis* modo, in officia fœderis hujus incurrit, quo vergunt quævis peccata, quibus sæpius violatum ab Israëlitis legitur Heb. VIII. 9. Deut. IV. 23. & XXIX. 25. XXXI. 20. Jos. XXIII. 16. nominatim A. *Idololatria*, quâ, vel *pro* Deo uno ac vero, vel *juxta* eum, alium recipimus Jer. II. 13. 17. 18. Deut. XXIX. 25. 26. 27. B. *Prophanitas* & atheismus, quo, seu *voce*, seu *re*, *nullum* Deum recipimus Psal. XIV. 1. 2. & X. 4. C. *Superstitio* & ἐθελοθρησκεία, quâ, si non *professione*; saltem *cultu*, alium Deum veneramur Deut. XXIX. 19. 21. 25. Jer. III. 17. D. *Rebellio*, quâ, scientes volentes, in *officia* fœderatorum impingimus Jer. XLIV. 16. 17. Ut itaque fœdus gratiæ intemeratum servemus; necessum, ut ab *una parte* nobis ab istis aliisque sceleribus, religiosissimè caveamus: ab *alterâ*, ut officiis & *virtutibus* fœderatorum religiosissimè incumbamus: A. *Deum* habeamus pro summo *fine* nostro Psal. XXXIII. 12. & XVI. 5. 6. 8. & LXXXIV. 2. 3. B. *Jesum* pro unico nostro *Mediatore* Phil. III. 8. 9. C. His *prærogativam* præ quovis mundano, semper & ubique concedamus Matth. X. 37. & XIX. 27. D. Omnia nostra ad eorum *gloriam* componamus 1 Cor. X. 31. Phil. I. 20. E. Omnia nostra ex eorum *præscripto* agamus Matth. VI. 10.

Officia fœderatorum.

7. Excitat ad renovationem fœderis.

XLIX. Insuper *septimo*, fœdus gratiæ semel contractum, sæpius *renovemus*, exemplo Josuæ Jos. XXIV. 14.--26. & Israëlitarum 2 Paral. XV. 12. 13. A. Renovatâ *memoria* confœderationis Deut. IV. 23. & VIII. 10. 14. 18. 19. B. Sancto *proposito* insistendi *promissis* officiis fœderis Deut. XXIX. 9. & XXIII. 23. Psal. XXV. 14. C. Religiosa usurpatione *sigillorum* fœderis, cumprimis sacræ συνάξεως Gen. XVII. 11. Rom. IV. 11. 1 Cor. XI. 25. Eo quod Deus (1) *toties*, ab initio ad finem mundi, per tot periodos legatur *renovasse* fœdus hoc, cum Noacho, cum Abrahamo, Isaaco, Jacobo, universo Israële apud Sinai, cum Davide & Salomone, imò ad hoc signa dederit & *sigilla*, ut à singulis sæpe renovaretur fœdus. Quod (2) sæpius dicatur *meminisse*, *non oblivisci* fœderis sui Exod. II. 24. & VI. 4. Deut. IV. 31. & ad hoc *recordari*, ut (3) *servet* Deut. VII. 9. VIII. 18.

Motivæ.

8. Hortatur ut fœdus hoc in usus nostros convertamus.

L. Tandem *octavo* fœdus initum, observatum, renovatum in *usus* nostros convertamus Deut. XXIX. 12. tum A. ad *solatium* in quibusvis adversis, tam corporalibus, quam spiritualibus, quod nim. *fœderati* Dei simus Psal. IV. 4. & XXIII. 1. 4. 5. &c. Tum B. ad *sanctimoniam*, ut fœderis hujus cogitatione (*a*) *absterreamur* ab omni peccato, utpote quo fœdus nostrum cum Deo, utut diversis gradibus, læditur, nosque *perfidi in Deum* nostrum reddimur Psal. L. 17. 18. 19. (*b*) ad quodvis *officium* pietatis erigamur, utpote cui ex fœdere cum Deo adstricti sumus Psal. CXVI. 14. C. ad *gratitudinem* ex amore, gratiâ, misericordiâ, redemptione, tot ac tantis beneficiis, quibus Deus se nobis in hoc fœdere, gratuita *obligatione*, debitorem præstitit Deut. XXXII. 6. 7.

CAPUT SECUNDUM,

DE

Mediatore Fœderis Gratiæ.

Heb. IX. 15.

Et ob id novi fœderis Mediator est, ut morte ad redemptionem earum transgressionum intercedente, quæ erant sub priore fœdere; vocati promissam æternam hæreditatem acciperent.

Dicta & dicenda hujus capitis connectuntur.

I. NOrma & *exemplar*, juxta quod omnem gratiam salutarem Deus dispensat, est *fœdus* gratiæ, quod jam diximus: *Procurator* gratiæ, qui juxta fœdus gratiæ, omne beneficium gratiæ acquirit, pariter & applicat, est Mediator Jesus Christus, cujus, hoc quidem libro, repræsentabimus 1. Axioma mediatorium. 2. Nomina. 3. Personam. 4. Officia. 5. Status duos, & tandem 6. Redemptionem.

Pars exegetica.

Resolvitur & exponitur textus.

II. Axioma mediatorium, *Apostolus repræsentat* Heb. IX. 15. *verbis capiti præfixis, penes quod, dicit:*

A. Mediatorem, & ob id Mediator est novi foederis, *seu testamenti. Hic prostat*

1. Ratio *ob quam Mediator est*, διὰ τοῦτο, ob hoc, *scil. quod dixerat vers. praced. nim. per sanguinem belluinum, nullam fieri veri & proprie dicti nominis liberationem à peccato: ergo fideles V. T. aut* nullum *habuisse liberationem à peccato, quod absurdum; aut habuisse per sanguinem Mediatoris hujus, puta Christi: tertium enim non datur.*

2. Ipse Mediator, μεσίτης ἐστὶ, mediator est, *puta Christus, de quo per totum caput, imò per totam Epistolam fuerat locutus. Est autem* μεσίτης, à μέσος medius. *Est autem Christus medius, tum quoad* personam, *per participationem utriusque naturæ, tam divinæ, quam humanæ, adeoque medius est inter Deum & hominem, utrique ex æquo addictus, eoque extra studium partium constitutus, quod omnino necessarium est in Mediatore quovis: tum rationi* officii, *per quod medius intercedit, inter* Deum *offensum, &* hominem *offendentem, ut sibi invicem reconciliet* 1 Tim. II. 5. Heb. VII. 22. *quatenus peccatoris electi reatum, ex consilio Patris, in se suscepit* Psal. XL. 7. 8. 9. *quatenus susceptum* solvit *satisfaciendo in tempore* 2. Cor. V. 18. 19. 21. *& sic morte suâ fœdus gratiæ obsignavit* Heb. IX. 16.

3. Foedus *cujus Mediator est.* Novi foederis, καινῆς διαθήκης. διαθήκη sonat, vel *fœdus*, seu *pactum inter partes; vel* Testamentum, *quod ab* uno *constituitur. Hoc loco, seu per* foedus *novum reddas; seu per* Tastamentum *novum, eodem fere redibit: cum Testamentum, quippe dispensatio fœderis gratiæ, per mortem testatoris, fœdus gratiæ absorbeat. Quamvis interim, per* διαθήκην, *hic malim intelligere* testamentum, *non ob hoc tantum, quod Apostolus vers. sequente mentionem faciat mortis testatoris, quæ testamentum confirmat, quod non adeo propriè requiritur in* foedere, *quatenus tali: sed ob hoc etiam, quod Apostolus mentionem faciat transgressionum, quæ fuerunt sub priore testamento. Hinc* novum *appellat, utpote contradistinctum veteri Testamento, ut significet, sanguinem Mediatoris fusum fuisse, non duntaxat pro transgressionibus præsentis Ecclesiæ; sed & præteritæ, scil. veteris Testamenti. Saltem significat non tria, ut nonnulli volunt; sed duo tantum dari Testamenta.*

B. Mediationem *seu* ἔργον μεσιτικὸν, *seu usum mediationis, qui geminus ab eo commemoratur, puta:*

1. Ablatio mali, ut morte, ad redemtionem earum transgressionum intercedente, quæ erant sub priore Testamento. *Est hic*

א. Medium *ablationis,* ὅπως θανάτου γενομένου, *ut* morte facta. Mortem *dicit medium liberationis, quod* χωρὶς αἱματεκχυσίας, absque effusione sanguinis, *seu absque morte,* nulla detur remissio Heb. IX. 22. *mortem, quam in æterno fœdere gratiæ susceperat præstandam. Mortem intelligit, quam omnes electi, per violationem fœderis naturæ, demeriti erant. Non igitur liberatio fit, sola* annunciatione *qualicunque, nec sola* sponsione *seu expromissione; sed morte expromissa, seu satisfactione per mortem: sed mortem* γενομένην *memorat, non sane eo animo, ut significet,* ante *mortem factam, nulli sub Veteri T. obtigisse* remissionem, *sibi enim ipsi obloqueretur, quando dicit, morte transgressiones sublatas esse, eorum qui erant sub* priore *testamento: quid igitur? Vult innuere,* absque *morte vel futura, vel præsente, nemini unquam obtigisse vel obtingere liberationem.*

ב. Liberatio *per mortem facta,* ἀπολύτρωσις redemtio. *Ut significet, se non* quamvis *liberationem velle, non talem quæ fiat, mera intercessione, aut per vim; sed talem quæ fiat solutione precii* λύτρῳ, *redemtore* 1 Cor. VI. 20. 1 Pet. I. 18. 19. *precio militari, quo præstito, milites captivi liberari ac dimitti consueverunt* Eph. I. 7. 14. Col. I. 14. *sive illa hic fiat à* reatu *sive posthac à* poena.

ג. Terminus *liberationis* à quo: τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ παραβάσεων, earum quæ sub priori Testamento erant transgressionum. *Indigitatur, morte Mediatoris satisfieri pro peccatis, non tantum præsentium & futurorum; sed etiam præteritorum, ac proinde, Mediatorem* eundem esse, & heri, & hodie, & in sæculum Heb. XIII. 8. Διαθήκην *dicit* πρώτην priorem, *ut contradistinguat* præsenti, *atque omne tempus Ecclesiæ dispescat in duo testamenta.*

2. Collatio *boni,* ὅπως τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν, οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας, ut promissionem consequantur vocati, æternam hæreditatem.

א. Possessores *hujus boni,* οἱ κεκλημένοι vocati, *non omnes utique &* singuli; *sed* vocati *tantum. Vocati, non* extrinsecus tantum, *verbo, seu vocatione* communi; *sed* intrinsecus *quoque spiritu, seu* efficaci *electis propriâ; & sic quidem, ut vocatione, ad fide recipiendum Mediatorem, bonum fuerint consecuti. Cætera,* multi sunt vocati, pauci electi Matth. XX. 16.

ב. *Bonum possessum, seu possidendum, quod est*

1. Hæreditas, κληρονομία, à κλῆρος sors, & νέμω distribuo, *quod hæreditatis, & olim, & nunc,*

nunc, *per sortem distribui soleant* Psal. XVI. 6. *sicut patet in distributione terræ Canaan. Intelligitur autem hac hæreditate*, regnum *cœleste* Matth. XXV. 34. Eph. V. 5. *Ut intelligimus vitam æternam electis obtingere, non ex suis operibus aut meritis; sed ex testamento Testatoris Christi, sua morte confirmato.*

2. Æterna ἀΐδιος. *Additur epitheton, ut distinguatur hæc hæreditas* à temporali *quavis, etiam terræ Canaan, atque insuper talem designet hæreditatem, quæ ipsis ab æterno fuerit destinata, & in omnem æternitatem affutura sit.*

3. Promissa, τὴν ἐπαγγελίαν promissionem. Promissio *hic est res promissa. Sic* Luc. XXIV. 49. Act. I. 4. & II. 33. Rom. IV. 13. & *alibi.* Promissa, *ante* jacta mundi fundamenta Matth. XXV. 34. *conferenda, quod* primitias *quidem, in hac vita* Rom. VIII. 23. 24. *quoad plenam* messem, *post hanc vitam in morte* 2. Cor. V. 1. & *in extremo judicio* 2. Tim. IV. 8.

Pars dogmatica.

Necessarius fuit foederi gratiæ verus aliquis, idoneus & sufficiens Mediator.

III. *Necessarius itaque foederi gratiæ fuit verus aliquis, idoneus & sufficiens Mediator.* Fieri enim aliàs, ex sententia textus, non potuisset, ut peccata prioris Testamenti tollerentur, & vocati hæreditatem æternam consequerentur. *Necessarius* inquam fuit, non sanè necessitate (*a*) *absolutissima*, quasi Deus *exiliit*: fieri enim potuisset, ut nullus crearetur, laberetur, redimeretur, beatificaretur homo: nec (*b*) *naturali*. quâ v. g. homo beatitudinem expetit, seu veram seu fucatam: neque enim per naturam, sed pet arbitrium beneplaciti, foedus gratiæ Deus sancivit: sed (*c*) *hypothetica*, præsuppositio scil. decreto creandi hominem, permittendi ejus lapsum, & conferendi salutem lapso. Neque enim foedus gratiæ, coire potest inter Deum & peccatorem, absque interveniente Mediatore ἐιρηνοποίῳ Joh. XIV. 7. I. Tim. II. 5. 6.

Qualis Mediator necessarius fuerit foederi gratiæ.

IV. Hoc modo necessarius est Mediator, non *qualiscunque*; sed A. *verus*, non *typicus*, qualis olim Pontifex maximus Heb. V. 1. B. *Idoneus*, h. e. æqualiter *medius*, tam quoad *personam*, inter Patrem & Spiritum S. qua Filius; quam quoad *naturas*, inter Deum & hominem, quà θεάνθρωπος. C. *Sufficiens*, qui *perfecte* possit, & propriâ virtute, reconciliare partes diffidentes, Deum & hominem Heb. X. 1. cum vers. 14. *Moses* quidem sub V. T. Mediator fuit Gal. III. 19. cum Deut. V. 23. ---: sed nec verus, nec idoneus, nec sufficiens. Non *verus*, quia *typicus*, veri tantum figura Heb. III. 5. Non *idoneus*, quia non æqualiter *medius*, quippe merus homo, eoque hominis propior quam Deo: *servus* tantum, *non filius* Heb. III. 5. 6. Non *sufficiens*, utpote qui ipse Mediatore indiguerit Act. IV. 12. Idem, mutatis mutandis, dici potest de Josua.

Quod sufficiens & omnibus numeris perfectus Mediator necessarius est

V. Verus igitur, idoneus, & omnibus numeris *perfectus* Mediator necessarius est I. Tim. II. 5. collat. cum Joh. XIV. 6. Act. IV. 12. & X. 43. Quandoquidem absque Mediatore, & absque *tali* quidem I. æternum Dei *decretum*, de peccatoris, verâ, spirituali & æternâ beatificatione, *executione* haudquaquam committi potuisset. Sicut enim omnia, quæ beatificationem illam concernunt, decreto æterno *prædefinita* sunt Eph. I. 11. ita non aliter prædefinita sunt, quam in *Mediatore* Ibid. Vers. 3. 4. 5. Tum 2. absque Mediatore, & *tali* etiam, tot vaticinia, promissiones, typi, olim per universum Instrumentum vetus de eo facta, laborarent, cum præsentissimo veracitatis divinæ periculo, imò & dispendio. Porro 3. etiam eâ ratione, foedus *gratiæ*, perinde & magis etiam, *imperfectum*, infirmum & inconstans foret, ac fuit *operum* foedus. Eo quod peccator, suo meritò, exutus sit omnibus *viribus*, quibus conditionem foederis præstaret Rom. VIII. 3. Insuper 4. nec *inimicitia*, quæ per peccatum inter Deum viget & peccatorem, tolli unquam feliciter potuisset, absque *tali* Mediatore Heb. VII. 25. 26. 27. Nec etiam 5. *sanctitati* Deo naturali, justitiæ ejus vindicativæ, sapientiæ gubernatrici, legis postulato, peccatorum merito, satisfieri potuisset absque *tali Mediatore*. Nec tandem 6. homo *lapsus*, in peccatis mortuus, vocari efficaciter, regenerari, converti, justificari, sanctificari, adoptari, glorificari potuisset, absque *tali Mediatore*.

Eatus Mediator fuerit necessarius.

Qui'd Mediator in genere.

VI. Ut igitur axiomatis hujus Mediatorii naturam & ingenium dexterius assequamur, cogitandum nobis ante omnia, Mediatorem *in idea* dici, qui medius intercedit inter partes diffidentes, & eas reconciliet. Hebræis אמצ"ע, veteribus, *sequester*, Jurisconsultis, *interventor*, *internuncius*, *interpres*, *advocatus*, Ulpiano, *interreconciliator* appellatur. Proinde *Mediator non est unius* Gal. III. 20. In præsenti causa illum dicit, qui medius intercedit, inter *Deum* offensum & *hominem* offendentem I. Tim. II. 5. ut *reconciliet* 2. Cor. V. 19. 20. 21.

Mediator est medius inter partem offensam & offendentem.

VII. Est proinde hic, *primo* pars *offensa*, Deus Psal. II. 6. *theologice* quidem trinus personis Jes. LXIII. 9. 10. *œconomicè* Pater, quatenus supremus νομοθέτης, Dominus, Judex 2. Cor. V. 19. Est *secundo* pars *offendens*, non omnes utique ac singuli homines Joh. XVII. 9. sed omnes adeo *dilecti* à Patre, ut Mediatori *dati* sint redimendi Joh. XVII. 11. 24.

II. 24. & III. 16. Est *tertio* Mediator, μεσίτης 1. Tim. II. 5. Heb. VIII. 6. 7. 8. & IX. 14. 15. & XII. 24. Qui medius est (a) inter *Personas* offensas Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. v. 7. (*b*) inter *partes* dissidentes, Deum & hominem, עמנואל Jes. VII. 14. cum Act. X. 38. utriusque naturam ex æquo gestans, ut Θεάνθρωπος, *Deus revelatus in carne* 1. Tim. III. 16. scala *media*, coelum cum terra jungens Gen. XXVIII. 12. (*c*) *Officio*, utriusque causam, apud alterum agens 1. Tim. II. 5. Heb. V. 1. *Dei* quidem apud hominem 2. Cor. V. 20. & *hominis* vicissim apud Deum, pro eo satisfaciens & intercedens 1. Joh. II. 1. Ut non inscitè nonnemo observet, Christum ubivis fere *medium* conspici: nascitur, ut quibusdam placet, *media* nocte, patitur in *medio* mundi, Hierosolymis, crucifigitur in *medio* latronum, moritur *medius* inter coelum & terram, à resurrectione *medius* consistit inter suos discipulos, promittit, ubi duo aut tres in nomine suo fuerint congregati, se *medium* ipsis affuturum, ambulat in *medio* candelabrorum, & quasi cor in *medio* corporis mystici, membris suis spiritum & virtutem impertitur.

Ut idoneus & sufficiens sit Mediator, tria requiruntur.

VIII. Porro, idoneus & *sufficiens* Mediator ut sit, tria potissimum exiguntur: *Primo*, ut sit legitimè eo *vocatus*, neque enim *quispiam sibi ipsi sumit hunc honorem; sed qui vocatur, sicut Aaron* Heb. V. 4. 5. 6. Hoc est, ut (*a*) Ab æterno fuerit *selectus* à Patre, & segregatus ad hoc negotium, tanquam ad *finem* Jes. XLII. 1. (*b*) *Præordinatus* ad omnia quæ huc spectant, tanquam ad *media* 1. Pet. I. 20. Act. IV. 27. 28. (*c*) *Missus in* tempore ad *exsecutionem* Joh. III. 17. A quibus omnibus *obsignatus* dicitur Joh. VI. 27. *Unctus* Jes. LXI. 1. *datus* mundo Joh. III. 16. *Secundo*, ut provinciam istam promptus *admittat* & recipiat Psal. XL. 7. 8. 9. *Tertio*, ut sit instructus necessariis ad hoc *requisitis*, à quo *sanctificatus* audit Joh. X. 36. Singulatim ut esset A. Verus *Deus* Joh. I. 1. 2. quo partes Dei apud homines commodius posset agere Joh. I. 18. tanquam *vitæ* suæ perfectus *Dominus*, eam morte peccatoribus impendere Joh. X. 18. tot myriadum mortem una suâ compensare 1. Joh. I. 7. Act. XX. 28. bonum *infinitum* iis comparare, comparatum, vivificatione, regeneratione, conversione, sanctificatione, glorificatione, iis *applicare*, de quo suo loco plura ex professo. B. Verus *homo* 1. Tim. II. 5. quo hominum reatum posset suscipere Exod. XXXII. 33. Heb. II. 11. 14. pro iis mortem subire Heb. IX. 15. C. Homo *justus*, quo non necessum haberet, primum pro suo reatu satisfacere Heb. VII. 26. 27. eoque ineptus redderetur, qui aliorum peccata tolleret. D. Deus & homo in *unâ* persona, scil. ut *unum* haberemus Mediatorem 1. Tim. II. 5. habituri aliàs *nullum* qui Deus esset & homo. De singulis horum singulatim suis locis.

Munere suo fungitur Mediator: primo sponsorio.

IX. Fungitur autem suis partibus Mediator, *primo spondendo* (quâ de causa, qui Heb. VIII. 6. *novi foederis Mediator* dicitur, Heb. VII. 22. *Sponsor novi foederis* appellatur) quando in æterno *pacis* consilio, quod commemoratur Zach. VI. 13. per singulare quoddam pactum inter patrem & se Jes. LIII. 10. ad voluntatem Patris, ipse reatum & universam electorum causam, in se suscepit, & pater vicissim admisit, cujus pacti quasi formula repræsentatur Psal. XL. 7. 8. *sacrificium & oblationem* (scil. ab ipsis peccatoribus, & quidem typicam) *noluisti; aures autem fodisti mihi* (nim. signum perpetuæ obligationis) *holocaustum & sacrificium non postulasti* (quo nim. satisfieret pro peccatis) *Tum dixi: ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus mi.* Hic voluntas Patris profatur, cui suâ sponsione assurrexerit Filius. Spopondit autem, non *fidejussione* propriè dicta, quâ sub conditione tantum, reatum debitoris spondens admittit, si ipse non solverit aut satisfecerit, adeoque sibi beneficia *ordinis* & *excussionis* reservat, ut ipse debitor prius conveniatur, & excutiatur, eoque reatus principalis maneat penes debitorem; sed *expromissione* potius spopondit, quamvis *extraordinaria* isthæc expromissio, in causa capitali, ad leges ordinariæ Jure-Consultorum expromissionis, non adeo rigidè veniat exigenda. Istam expromissionem dudum cap. præced. vindicavimus §. XXXII.

Non fidejussione:

Sed expromissione.

Secundò nunciando.

X. Fungitur *secundo nunciando* Jes. LXI. 1. *Ad annunciandum mansuetis misit me* Psal. XL. 10. Joh. I. 18. singulatim (*a*) *aperiendo consilium illud pacis* Zach. VI. 13. Jes. XLII. 10. 12. foedus gratiæ, in *Euangelio* profans 2. Tim. I. 10. (*b*) *Manifestando* conditiones, quibus, ex consilio pacis, possit coire foedus gratiæ, inter Deum & peccatorem Joh. III. 16. & I. 12. (*c*) *Invitando* congestis argumentis, ut peccatores admittant istas conditiones Matth. XI. 28. 29. 30. Apoc. III. 20. & XXII. 17. Cant. V. 4. (*d*) *Promittendo* successum admissarum Joh. VI. 37. Ab hac potissimum *nunciatione*, *Legatus* Dei passim appellatur in Johanne Cap. III. 17. 34. & IV. 34. & V. 23. 24. 30. 36. 37. & IX. 4. & X. 36. &c. *Nuncius foederis* מלאך הברית Mal. III. 1. Item ὁ λόγος Joh. I. 1. 1. Joh. V. 7. דבר Psal. XXXIII. 6. quod non tantum Patribus V. T. *dictus* seu promissus sit, futurus *Messias* Heb. XI. 39. nec tantum à τρόπῳ ὑπάρξεως, quo est *sapientiâ* Patris Prov. VIII. 22. unde & λόγος ἐνδιάθετος & προφορικὸς dici consuevit: sed etiam, quod sit *interpres*, *internuncius*, *Orator* & *Legatus* Patris Joh. I. 18. voluntatem Patris nobis declarans, tam in *propria* persona Hebr. I. 1. quam per *Prophetas*, 1. Pet. III. 18 19. & I. 11. Apostolos &c. quæ duo conjungi videntur Matth. XI. 27. Hinc & Paraphrasi Chaldaicæ passim dicitur מימר *sermo*, in Psal. CX. 1. Jes. XLV. 17. Hos. I. 7. & Syriacæ N. Testam.

ſtam. pro λόγος מלתא, dicitur, & hinc inter alia *ſapientia* Patris Prov. VIII. 22. 1 Cor. I. 24. quod nobis annunciando *ſapientiam Dei* 1 Cor. II. 6. 7. factus, ſit à Deo *ſapientia* 1 Cor. I. 30. De hoc plura ξὺν θεῷ, habebimus cap. VI.

Tertio placando.

XI. Fungitur *tertio placando*, reconciliando, redimendo, ſatisfaciendo, ut qui, tanquam *unus Mediator Dei & hominum*, *ſeipſum dedit ἀντίλυτρον* 1 Tim. II. 5. 6. *& purgationem peccatorum noſtrorum* (à quo omne diſſidium oriundum eſt) *fecit per ſeipſum* Heb. I. 3. tanquam *fidelis Pontifex*, *expiavit peccata populi* Heb. II. 17. *Seipſum offerendo*, *æternam redemptionem invenit* Heb. VII. 27. & IX. 12. 14. &c. Hinc εἰρηνοποιῶν Col. I. 20. *Pax noſtra* Eph. II. 13. 14. quâ *nos gratos ſibi Deus fecit*, *in illo dilecto* Eph. I. 6. item גואל *vindex* Job. XIX. 25. Jeſ. LIX. 20. quod in ſuâ emphaſi, ejuſmodi *aſſertorem*, vindicem, liberatorem & redemptorem notat, qui jure *conſanguinitatis* motus, cauſam *propinqui* ſui interfecti aſſerit, ejuſque ſanguinem vindicat, vel quoquo modo devoluta, & contractu quodam implicata, jure *proprietatis* priſtinæ, ſibi rurſus aſſerit & vindicat. Teſte Salom. Glaſſio *Orat. de Ling. Heb. neceſſitate.* Conf. Levit. XXV. 25. Ruth. II. 10. Hinc Græcè ὁ ῥυόμενος appellatur Rom. XI. 26. & λυτρώτης, quod animam ſuam dederit λύτρον ἀντὶ πολλῶν Matth. XX. 28. Marc. X. 45. ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραὴλ Luc. XXIV. 21. Conf. Tit. II. 14. 1 Pet. 18. Latine *redemptor*, qui liberat ſoluto precio 1 Cor. VI. 20. Plura ſuo loco in Cap. *de Redemptione* Cap. VII. & XVIII.

Quarto ratificando fœdus gratiæ.

XII. Fungitur *quarto*, *ratificando* ac ſanciendo *morte* ſuâ, conditum gratiæ fœdus, ut ex eo *teſtamentum* emergat, cujus ope *hæreditatem promiſſam vocati conſequuntur: nam ubi teſtamentum eſt*, *mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris* Heb. IX. 15. 16. Conf. Gal. III. 15. Hinc igitur, non abs re *Teſtator* appellabitur: quod (*a*) *teſtamentum* ſeu fœdus gratiæ (fœdus teſtamentarium) Mediator teſtamentarius, morte q. *obſignaverit*: quod (*b*) omnia beneficia fœderis gratiæ, quaſi totidem legata, ſuis *conferat*, ex mortuo vivus (*c*) idque juxta *Scripturas*, utpote *verbum Chriſti*, tanquam *Inſtrumentum* teſtamentarium Jer. XXXI. 31. (*d*) per Prophetas, Apoſtolos alioſque θεοπνεύστους *amanuenſes*, velut Notarios ac ſcribas ſuos conſignatum: inſuper (*e*) *Sacramentis*, ſigillis novi teſtamenti, obſignatum ſit Matth. XXVI. 27. 28. Nec (*f*) abſque *teſtibus* 1 Joh. V. 6. 7. 8. 9. 10. in cœlo pariter & in terra: quin & (*g*) hujus teſtamenti, è mortuis redivivus, etiam *executor* ipſe exiſtat, per Spiritum ſuum, beneficia fœderis teſtamentarii, efficaciter conferens & *applicans* Luc. XXII. 29.

Quinto intercedendo.

XIII. Fungitur tandem *quinto*, *intercedendo*: (*a*) *orando* pro ſuis, adhucdum in terris exiſtens Joh. XVII. per totum (*b*) *comparendo* pro ipſis coram Patre in coelis Heb. IX. 24. ſcil. ut univerſam eorum *cauſam* ibidem ſedulo agat Rom. VIII. 34. (*c*) eorum preces *offerendo*, & commendando Patri ſuo Apoc. VIII. 3. 4. 5. ad hoc (*d*) merita ſua Patri *repræſentando* Zach. IX. 11. Et ab his παράκλητος appellatur 1 Joh. II. 1. qui advocatur ut alicui *patrocinetur*, item מלאך פנים Jeſ. LXIII. 9. מלאך מליץ Job. XXXIII. 23. quod, ut dictum, in ſuorum gratiam *compareat* coram Patre ſuo. Conf. Matth. XVIII. 10.

Munus Mediatorium tria officia complectitur.

XIV. Ab omnibus iſtis, & forte aliis, axioma mediatorium, in tria abit diſtincta officia: *Propheticum* Deut. XVIII. 15. Act. III. 22. *Sacerdotale* Pſal. CX. 4. Heb. V. 6. & VII. 17. & *Regium* Pſal. II. 6. Joh. XVIII. 33. 36. Idque ad hoc, ut velut Mediator, commode poſſet *ſuccurrere* ſuorum A. *Ignorantiæ*, quatenus *Propheta* eſt. B. *Inimicitiæ*, & abalienationi à Deo, quatenus *Sacerdos*, & C. *Impotentiæ* ac infirmitati eorum, quatenus *Rex* eſt. De ſingulis horum ſigillatim ſuo loco ex profeſſo.

Solus Jeſus noſter eſt Mediator.

XV. Unum reſtat, nim. quod *ſolus* Jeſus noſter, & quidem ut θεάνθρωπος, ſit Mediator ille, quem hactenus delineavimus Heb. IX. 15. 1 Tim. II. 5. 6. 1 Joh. II. 1. Joh. XIV. 6. Act. IV. 12. &c. Ipſe enim ſolus A. æterno Dei *conſilio*, ad hoc eſt *evocatus* Heb. V. 4. 5. 6. præordinatus, ſanctificatus, miſſus, unctus, ut diximus. B. In ipſo ſolo, omnia vaticinia & promiſſiones V. T. de Meſſiâ Mediatore, coëunt. C. Ipſe ſolus omnes figuras ac typos, de Meſſiâ Mediatore ſub V. T. datos, exacte refert. D. Ipſe ſolus hujus axiomatis *teſtimonio* gaudet, non tantum Baptiſtæ, ex divina miſſione, ſui *prodromi* Mal. III. 1 Joh. I. 29. ſed ipſius etiam S. S. Trinitatis Matth. III. 17. *Patris obſignantis* Joh. VI. 27. eoque teſtimonium præbentis Joh. V. 37. *Filii* ſibi ſuis *miraculis* teſtimonium præbentis Joh. V. 36. Matth. XI. 2--7. Act. II. 22. *Spiritus* S. item, ſuo deſcenſu *in Jeſum* Matth. III. 16. 17. in Apoſtolos Act. II. 2. 3. 4. 32. 33. 36. in conſcientiis quorumvis Chriſtianorum, teſtantis 1 Joh. V. 6. E. Ipſe ſolus, omnibus gaudet veri, idonei & ſufficientis Mediatoris *requiſitis*, ut dudum diximus. F. Ipſe ſolus, omnibus *partibus* mediatoriis quas diximus, functus eſt. Plura huc occurrent in *Elenchticis*.

Jeſus Mediator eſt, ut Deus & homo.

XVI. Nec tantum Mediator eſt; ſed etiam quatenus θεάνθρωπος, concurrentibus duabus ejus naturis, non tantum ad *qualificationem perſonæ*, quod vel ipſi Romanenſes agnoſcunt; ſed etiam ad *ipſam functionem* muneris mediatorii. Ita ut *humana* natura opus fere præſtiterit mediatorium, *divina* valorem & precium adjecerit: unde *Deus Eccleſiam* dicitur *redemiſſe proprio ſanguine* Act. XX. 28. Et *ſanguis Jeſu Chriſti filii Dei*, *nos purgare ab omni peccato* 1 Joh. I. 7. Imo & ipſum o-

pus mediatorium, quantum saltem applicationem attinet impetratæ redemptionis, per *vivificationem*, regenerationem, conversionem, sanctificationem, fidei salvificæ collationem, ejus operationem, opem *divinæ* naturæ exigere, suo loco ex professo demonstrabimus.

Quæritur:

Pars Elenchtica.

1. An Christus talis Mediator sit, qui absque ullâ personæ *medietate*, absque utriusque naturæ *participio*, absque *sponsione* æterna, absque placatione partis offensæ, merum præstet internuncium?

XVII. Quæritur 1. An Christus, talis Mediator sit, qui absque ullâ personæ *medietate*, absque utriusque naturæ *participio*, absque *sponsione* æterna, absque placatione partis offensæ, merum præstet internuncium? Sociniani odio æternæ deitatis, & satisfactionis Christi, affirmant, teste Socino, *de Servat.* lib. 1. cap. 1. Reformati ex adverso statuunt, ipsum Mediatorem esse, quod *medius* sit inter Patrem & Spiritum S. utriusque partis inimicæ naturam gestet, & non tantum *annunciando*, voluntatem Dei offensi, hominibus aperiat; sed etiam, suâ satisfactione, Deum homini placaverit: Socini autem hæresin, de mero Internunciò (*qui salutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in sua ipsius persona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifeste ostenderit, vitamque æternam, nobis ei fidem habentibus, ipse daturus sit. Divinæ autem justitiæ, per quam peccatores damnari mererentur, pro peccatis nostris, neque illum satisfeciisse, neque ut satisfaceret, opus fuisse*) repugnare 1. *textui*, qui non tantum mortis ἀπολυτρώσει, seu *redemptione*, illum Mediatorem dicit; sed etiam peccatorum, quæ fuerunt sub *priori* Testamento, ablatione; quod sanè solâ *annunciatione* factum, concipi nequit, nec ab ipso Socino admittetur. Repugnare 2. his, quibus & *spondendo* & *placando*, partes mediatorias præstitisse, in *dogmaticis* jam ante docuimus. 3. Satisfactioni, quam suo loco, in Cap. *de Redemptione*, ex professo docebimus. Nec obstat A. (quod præcipue in contrarium hic causari possint) quod, ex hac hypothesi, Mediatorem egisset apud *seipsum*: neque enim repugnat, *membrum* aliquod societatis læsæ, pro lædente intercedere, apud totam societatem læsam, & in eâ consequenter, apud se. Nec B. quod *Deus*, peccato læsus, dans lædenti Mediatorem, jam videatur ei *placatus*, ac proinde non indigeat Mediatoris *placatione*: Neque enim (1.) repugnat, eum qui *amat* lædentem, non esse lædenti *reconciliatum*, sed adhuc reconciliandum, ut videre est in Davide versus Absolomum 2. Sam. XIV. 21. Tum (2.) Amor *benevolentiæ*, quo læsus expetit *reconciliationem* faciendam; non arguit amorem *complacentiæ*, seu reconciliationem factam 2. Cor. V. 20. Reliqua objecta occurrent in Cap. *de redemptione*.

Rationes orthodoxæ.

Objectiones adversariæ.

2. An æterna.

XVIII. Quæritur 2. An æterna Mediatoris sponsio fuerit *fidejussio*, an expromissio? Habuimus istam controversiam cap. præcedenti §. XXXII. hic tantum indigitamus, ut quæ controvertuntur circa hoc caput, habeas in promptu.

Mediatoris sponsio fuerit fidejussio; an expromissio?

XIX. Quæritur 3. An Messias, olim promissus, debuerit esse Mediator, & an Jesus noster sit ille Messias? Gentiles, quia revelatione destituuntur, seu purâ putâ ignorantia, seu odio Religionis Christianæ; & Messiam, & Mediatorem & Jesum negant, nisi quod suos Dæmones habuerint pro Mediatoribus. Muhammedani Jesum quidem habent pro egregio Propheta; sed odio Religionis Christianæ, & amore sui Muhammedis, Jesum pro Mediatore non recipiunt. Judæi, odio Religionis Christianæ, & Jesu nostri, utrumque negant, scil. Messiam esse debuisse *Mediatorem*, & *Jesum* esse Messiam. Reformati, utrumque affirmant. Et prius quidem demonstrant A. Ex *denominationibus*, quæ ipsis asseruntur in V. T. quando appellatur *Angelus fœderis* h. e. legatus & internuncius fœderis Mal. III. 1. item *Angelus facierum*, qui pro fœderatis comparet coram *facie* Dei Jes. LXIII. 9. מלאך *Vindex* & Redemptor agnatus fœderatorum Joh. XIX. 25. Jes. XLIII. 14. עמנואל *nobiscum Deus* Jes. VII. 14. Qui Deum cum homine *jungit* mediatione. B. Ex *partibus* officii Mediatorii ipsi tributis: quando *Propheta* Deut. XVIII. 15. *Sacerdos* Psal. CX. 4. Rex Psal. II. 6. appellatur, ut supra docuimus. C. Ex *requisitis* Mediatoris, quando *Deus* audit, & *homo*, in *unâ* Personâ עמנואל Jes. VII. 14. *puer* & *filius*, Jes. IX. 6. &c. *justus*, Jes. LIII. 11. D. Ex *functionibus* mediatoriis, *pacto* expromissorio Jes. LIII. 10. 11. *annunciatione* Euangelii Jes. LXI. 1. *placatione* Dei per susceptum *reatum* nostrum Jes. LIII. 12. *obsignatione* fœderis Dan. IX. 24. 27. *intercessione* pro fœderatis Jer. XXX. 21. Gentilibus & Muhammedanis convincendis conducunt quæ infra habebimus cap. XVIII. §. XXIII. Negant secundo, *Jesum* nostrum esse promissum sibi Messiam: quod ut ipsis extorqueamus, non sufficient solida argumenta, nisi commodo quoque ordine ipsis immittantur; quorsum necessarium, ut tria ista distincte demonstremus: *Primo* Messiam sibi promissum, dudum *in carne* præstitum esse, id quod his Veteris Scripturæ testimoniis, certo obtinebimus certius, quæ docent (1.) Sceptrum à Judâ non auferendum, nec legislatorem è medio pedum ipsius, antequam *venerit Schilo* Gen. XLIX. 10. (2.) Messiam dandum post *septuaginta* septimanas annuas Dan. IX. 24. 25. 26. (3.) Stante adhuc templo *secundo* Hag. II. 8. Mal. III. 1. &c. *Secundo* Messiam jam in carne præstitum, non esse nisi nostrum *Jesum*. Si enim sit alius, monstrent Judæi, aut si non sit, *nostrum* fateantur necessum est. Cum præsertim 2. Non sit in quem requisita Mediatoris in V. Scriptura designata, exactius quadrent, quam in nostrum (*a*) Parens *Virgo* Jes. VII. 14. Gen. III. 15. (*b*) locus nativitatis, *Bethlehem* Mich.

3. An Jesus noster sit Mediator & Messias?

Messiam, Mediatorem futurum fuisse.

Jesum nostrum esse Messiam illum promissum:

v. 1. 2. (*c*) *semen* Abrahami, Isaaci, Jacobi Gen. XXII. 18. &c. (*d*) ex familiâ *Davidis* Jes. XI. 1. & 2 Sam. VII. 12. Psal. CXXXII. 10. (*e*) Propheta, Sacerdos, Rex, ut supra demonstratum. (*f*) Rex *pauper* & egenus, inequitans *asinæ* Zach. IX. 9. (*g*) *Miraculis* clarus Jes. XXIX. 18. & XXXV. 4. 5. 6. (*h*) à suis *reprobandus* Psal. CXVIII. 22. (*i*) *crucifigendus*, moriturus aliorum causa Psal. XXII. Jes. LIII. Dan. IX. 24. 26. 27. (*k*) *Resurrecturus* è mortuis Psal. XVI. 10. & CX. 7. (*l*) *Ascensurus* in cœlum, ac sessurus ad dextram Dei Psal. LXVIII. 19. & CX. 1. &c. Et *tertio* quandoquidem in applicatione horum aliorumque vaticiniorum, necessum est in subsidium advocare historiam Euangelicam, si non ut scriptum θεόπνευστον & canonicum (quod ordinis causa hactenus seponendum) saltem ut *historiam* universaliter *veram*, in promptu habenda sunt quæ lib. 1. cap. 2. §. 30. in hanc rem produximus. Nec in contrarium valet: 1. quod *Elias* venturus necdum venerit Mal. IV. 5. cum *Thesbitem* promissum fuisse, illis probandum incumbat, & *spiritualem* venisse, constet Luc. 1. 17. cum Matth. XI. 14. & XVII. 12. Et 2. quod mons *Zion* sub Messiâ exaltandus Jes. II. 2. 3. 4. exaltatus necdum sit. *Ecclesia* enim, quæ per montem intelligitur, & exaltata est, & exaltatur indies, & exaltabitur ad finem usque dierum, vocatione gentium ad participium Christi. Et 3. quod *templum* à Messiâ exstruendum Zach. VI. 12. 15. extructum nondum sit: templum enim *materiale* struendum à Messiâ, probandum Judæis incumbit, templum autem *mysticum* Ecclesia, evocatione gentium, & structum est à Messia, & struitur indies. Reliqua non sunt ullius momenti.

Objectiones Judaicæ.

XX. Quæritur 4. An præter Christum, alii dentur Mediatores, saltem *intercessione* tenus? Romanenses, palliandæ idololatriæ suæ, 1. distinguunt inter *redemptionis* & *intercessionis* Mediatorem, ad hoc, ut 2. præter Christum, alios in cœlis *Mediatores*, Angelos, B. Virginem, aliosque Sanctos demortuos habeant, si non redemptionis, saltem *intercessionis*; affirmant. Quibus tamen 3. etiam *merita* assignant, ex actionibus & passionibus supererogatoriis nata, quæ suis clientibus possint impendere. Ac proinde 4. eos, his nominibus, esse invocandos, quin & Deum, per *merita* eorum & *Angeli custodis*, invocari posse, ut sibi Deus conferat hæc aut illa petita. Nos Reformati, quamvis agnoscamus 1. fideles in terris, ex mandato divino, suis precibus pro *invicem* intercedere posse & debere 1 Tim. II. 1. Quamvis item 2. non abnuamus fieri posse, ut beati cœlites *indefinite* orent pro Ecclesiâ militante, licet ejus certa testimonia mihi hactenus obvia non sint: Attamen 3. dari ex stylo Scripturæ, Mediatores *intercessionis*, qui non sint Mediatores *redemptionis*: aut 4. in cœlis præter Christum dari Mediatores, qui pro fidelibus terrestribus intercedant in *particulari*; multo magis 5. qui aliis sua *merita* aut bona opera impendant, eoque nomine 6. invocandi à nobis sint: ista existimamus Scripturæ adversaria esse, utpote cui α. non datur Mediator *intercessionis*, qui non item sit *redemptionis*; nec nisi *unus* Mediator, tam *intercessionis* quam *redemptionis* 1. Joh. II. 1. cum 1. Tim. II. 5. Joh. XIV. 6. nec β. qui præter Christum *merita* jactare queat, & multo minus *supererogatoria*, quæ aliis impendi possint: nec proinde γ. quemquam præter Christum, pro intercessione *invocari* debere: quod *invocatio*, cognitionem, & cordis & necessitatis, præsupponat (quæ in beatos cœlites non cadit Jes. LXIII. 16.) & cultus religiosus soli Deo sit proprius Matth. IV. 10. Nec est Pontificiis, quo ullâ cum specie, patrocinentur suis istis mediatoribus: si enim causentur A. Sanctos in terris pro sanctis intercedere legitimè; resp. Illud Deus *præcepit* 1 Tim. II. 1. hoc *vetuit*, ut diximus: nec intercedunt, ut intercessores ex officio; sed ut fratres pro fratribus: B. Non esse moris ut ad Regem prorumpamus, absque pararis intercedentibus. Resp. Est nobis Pararius, unus instar omnium, Christus 1. Joh. II. 1.

4. An præter Christum, alii dentur Mediatores, saltem intercessione tenus?

Status controversiæ.

Argumenta.

Objectiones.

XXI. Quæritur 5. An Christus, quoad alterutram naturam tantum: an secundum utramque, sit Mediator? Pontificii, ut commodius *unico* Mediatori, *plures* possint construere; existimant, in mediatoriâ illius *personâ* quidem, coire duas naturas, divinam & humanam; sed non in *functione officii* mediatorii: adeoque Christum ἄνθρωπον, esse quidem hîc principium *quod*, ut loquuntur, sed duas ejus naturas, non esse principia *quo*. Cum his, quoad thesin saltem, colludit Francis. Stancarus, Lutheranus Professor Regiomontanus, seu amore abreptus Pet. Lombardi, seu odio collegæ Osiandri tantum. Et Sociniani, insuper ipsam Mediatoris *æternam deitatem* negando. Reformati ex adverso, cum Mediatorem habeant, qui sit θεάνθρωπος, cujus duæ naturæ totidem sint *principia*, operationum ejus mediatoriarum, sic ut cuivis principio, sua sit peculiaris *efficacia* in his operationibus, & omne opus mediatorium, per istam efficaciam profluat ab utraque naturâ, & à suâ cuique peculiari efficaciâ: statuunt eum esse Mediatorem secundum utramque naturam. Id suadente 1. constanti *Scripturarum* tenore, quando divinam naturam, ejusque divinam operationem, functionibus mediatoriis implicat Act. XX. 28. 2 Cor. V. 19. Joh. X. 17. 18. Suadente 2. *fine* ac scopo unionis personalis, duarum naturarum in uno Mediatore, qui non alius esse potuit, quam ut, *concurrente* utriusque naturæ ἐνεργείᾳ, plenè & planè posset expedire *functiones* mediatorias: ut v. g. posset assumere humanam naturam, & sic *manifestari in carne* 1. Tim. III. 16.

5. An Christus quoad alterutram naturam tantum: an secundum utramque sit Mediator? Collatio sententiarum.

Rationes orthodoxæ.

16. *animam* ſuam moriendo impendere redimendis hominibus Joh. x. 17. 18. *per Spiritum æternum offerre ſeipſum Deo* Heb. IX. 14. *propriis* viribus reſurgere à mortuis Rom. I. 4. ſedere ad *dextram* Dei Pſal. cx. 1. Suadet 3. *natura* & indoles omnium functionum mediatoriarum, ut credamus, & *divinam* naturam ſibi cooperari; neque enim A. ab æterno pro peccatoribus potuiſſet *expromittere*. B. cordibus noſtris, *illuminando* & perſuadendo, *annunciare* omnem voluntatem Dei, de fœdere gratiæ, & quæ illud concernunt. Multo minus C. *una* ſui morte, tot *myriades* placare & reconciliare Deo. D. fœdus gratiæ morte ſua *confirmare* & ratificare. Denique E. *intercedendo*, ſuaque merita Patri repræſentando, ſuorum cauſam *ſatis* efficaciter agere: ſi *Deus* non fuiſſet, ejuſque deitas, humanitati in functionibus mediatoriis, non fuiſſet *cooperata*. Ut non addam 4. eum non potuiſſe talem *Prophetam* eſſe, ſcilicet qui *intus* pariter & *extus* doceret; talem *Sacerdotem*, qui *infiniti* valoris ſacrificium præſtaret: talem *Regem* qui ſalutem ſuis partam, regeneratione, converſione, ſanctificatione *efficaciter applicaret*, qui pro iis, hoſtium *ſpiritualium* tantam catervam, Satanam, peccatum, mundum &c. *profligaret*; ni deitas humanitati efficaciſſimè fuiſſet cooperata. Nec juvat adverſarios, quod (1.) *Mediator Dei & hominum* dicatur *homo* 1 Tim. II. 5. cum & talis ibidem dicatur, *qui ſeipſum dederit redemptionis precium pro multis*, à quo ſanè & *Deus* eſt. Quod (2.) ſic non fuiſſet *medius* inter partes, offenſam & offendentem: non fuiſſet enim, ſi *Deus tantum* fuiſſet; prout nec ſi *homo tantum* fuiſſet: jam vero, cum & Deus ſit & homo, *perfecte medius* eſt per participationem utriuſque. Quod (3.) ſi Mediator fuiſſet qua Deus, *diverſus* non fuiſſet à Filio, vel *perſona* vel naturâ: fuiſſet ſane & eſt quoad ſtatum *œconomicum*, quo exiſtit perſona divina ſub alia forma. Phil. II. 7. Quod (4.) ſi ut *Deus* tantum fuiſſet Mediator; etiam Pater & Spiritus S. fuiſſent Mediator: non enim ſequitur; quia nec Pater, nec Spiritus S. ſunt homo, prout nec ſequitur, ſi ſecundum *divinam* naturam incarnatus eſt; etiam Pater & Spiritus S. incarnati erunt: neque enim dignitas mediatoria divinæ naturæ convenit *ut naturæ*, ſed ut tali *modo* ſubſiſtenti præditus, qui non convenit Patri & Filio. Quod (5.) *confuſionem* videatur inferre operationum, ſi duæ naturæ influant in opus: neque enim eam magis hoc infert, quam quod corpus & anima concurrunt, ad idem ἀνθρώπινον humanum. Conf. caput hujus libri *quartum*, de *Mediatoris perſona*.

Objectionis adverſariæ.

6. An Chriſtus ſit Mediator,

XXII. Quæritur 6. An Chriſtus ſit Mediator, ſecundum divinam naturam tantum? Andreas Oſiander, ut commodius haberet, fideles juſtificari & ſervari propter juſtitiam naturæ *divinæ*, ſibi per fidem unitæ: ſtatuit Chriſtum eſſe Mediatorem, ſecundum divinam naturam tantum. Reformati, admittunt quidem, ipſum eſſe Mediatorem ſecundum divinam naturam; ſed non ſecundum divinam *tantum*. Quod ſententia adverſa 1. Scripturis è diametro repugnet, ut quæ, non tantum *Mediatorem hominem* exſerte declarant; ſed talem etiam qui *ſolutione precii* fuerit Mediator 1 Tim. II. 5. qui *carnis & ſanguinis* particeps eſſe *debuerit*, ut per *mortem* aboleret eum qui mortis imperium habet, &c. Heb. II. 14. 15. 16. 17. qui peccata noſtra *ferret in corpore* 1 Pet. II. 24. qui pro nobis *moreretur* 1 Cor. I. 13. qui noſtras *infirmitates* portaret Jeſ. LIII. 4. 5. 6. & quis omnes repræſentaret Scripturas, quæ hoc dictant? 2. Quod omnem ejus *juſtitiam partam* enervet, nobiſque *inutilem* reddat & ſupervacaneam: cum juſtitia *divinæ perſonæ*, cæteris paribus, non poſſit *non* ſufficere. Imo 3. univerſum mediatorium *officium*, ſic ſatis tollat penitus: quorſum enim ut Mediator intercederet? niſi fortè ad hoc, ut fidem nobis *ſuaderet* ac perſuaderet, cujus opera, vel *eſſentialiter* vel *perſonaliter* ſecum uniremur, eoque juſtitiæ ejus *divinæ* redderemur participes? Non dicam 4. quod hypotheſis hujus erroris, *unio* ſcil. noſtri cum Chriſto *perſonalis* aut *eſſentialis*, prorſus *blaſphema* ſit, eo quod, non tantum non perinde faciat θεάνθρωπος ac Chriſtum; ſed etiam, omnia ei ſic unitorum *peccata*, ei faciat *perſonalia*. Nec video quid ulla cum ſpecie, pro iſta ſententia produci poſſit, quam A. abſurda illa & blaſphema *perſonalis* aut *eſſentialis* noſtri cum Chriſto unio, cui *myſticam* tantum ac ענגדוגאי, ex Scripturæ ſententiâ, ſubſtituendam alibi docebimus. Quam B. quod dicatur יהוה צדקנו Jer. XXIII. 6. qui *factus nobis ſit à Deo juſtitia* 1 Cor. I. 30. cum prior locus non innuat, niſi Meſſiam, non *qua Jehova tantum* eſt, ſed *qui* Jehova eſt, noſtram juſtitiam eſſe: & poſterior non dicat eum *eſſe* juſtitiam noſtram per *eſſentiam* divinam; ſed *factum* nobis eſſe, ſcil. per *ſatisfactionem* & *meritum*, juſtitiam. Conf. Rom. V. 15. cum 18.

Ratiocinationes orthodoxæ.

Objectiones.

7. An Chriſtus ſit omnium & ſingulorum hominum Mediator?

XXIII. Quæritur 7. An Chriſtus ſit omnium & ſingulorum hominum Mediator? Pelagiani cum Socinianis, & Semipelagiani, Jeſuitæ, Remonſtrantes, Anabaptiſtæ, & Lutherani, ut efficaciam gratiæ, commodius ſuſpendant à libero arbitrio; ſtatuunt Chriſtum *æqualiter* eſſe omnium & ſingulorum Mediatorem. Reformati univerſaliſtæ, ut gratiam, ſaltem *objectivam* habeant univerſalem; ſtatuunt, Chriſtum eſſe quidem Mediatorem omnium & ſingulorum, ſed *inæqualiter* tamen: *omnium* quidem, ſi velint, ipſum fide recipere; ſed *electorum* inſuper *ut velint*. Reformati reliqui ſtatuunt, ipſum eſſe Mediatorem *ſolorum* electorum. Dicitur enim 1. in textu Mediator N. *fœderis*, ut *vocati* promiſſam ſibi hæreditatem con-

consequantur. Item 2. Mediator, qui seipsum redemptionis precium dederit *pro multis* Matth. xx. 28. & 23. Qui 3. *populum* suum Matth. 1.21. *oves* suas Joh. x. 11. *Ecclesiam* suam Act. xx. 28. &c. redemerit, & sic quidem 4. ut *excludat* mundum Joh. xvii. 9. Nec obstat, quod A. datus dicatur *mundo* Joh. iii. 16. cum & mundum dicatur *seclusisse* Joh. xvii. 9. proinde per *mundum* non intelligat, nisi quatenus est ab *Ecclesiâ* Judaica distinctus, prout etiam fit Rom. xi. 12. Quod B. pro *omnibus* dicatur mortuus 1 Tim. ii. 6. Rom. v. 18. cum non de omnibus & singulis loquatur; sed de omnium *ordinibus*, de *Regibus & qui in eminentiâ sunt constituti*, aut de omnibus in certo *genere* 2 Pet. iii. 9. Unde quod de *omnibus* dicitur, ad *multos* arctatur Rom. v. 18. cum vers. 15. Alia hujus generis occurrunt, lib. 2. cap. xvii. §. 32. 33. & occurrent suo loco in Cap. *de Redemptione.*

Objectiones.

8. An Christus sit Mediator Angelorum?

XXIV. Controversiis subjungemus problemata quædam. Quæritur ergo 8. An Christus sit Mediator *Angelorum* bonorum, si non *reconciliationis*; saltem *confirmationis?* Quod negatur 1. quia juxta textum, est *Mediator N. fœderis*, cujus participes sunt *homines* 1 Tim. ii. 5. *vocati* Heb. ix. 15. *mundus* 2 Cor. v. 19. ejus *populus* Matth. 1. 21. *oves* Joh. x. 11. *domus Israël* Jer. xxxi. 31. & seq. nec ullibi, per Scripturas, *Angeli.* Quia 2. est Mediator *reconciliationis* 1 Tim. ii. 5. 6. Heb. ix. 15. & xii. 24. & *intercessionis* 1 Joh. ii. 1. quali non *indigent* Angeli. Hinc Angelus Luc. ii. 10. 11. *vobis* inquit, *natus hodie Servator.* Quia 3. Angelorum *naturam* non assumsit Heb. ii. 16. Nec huc valet: A. quod dicatur *omnia* recollegisse, *quæ in cœlis sunt & in terra* Eph. 1. 10. Col 1. 20. intelligendi enim sunt, ex constanti textus tenore, recollecti *illi* tantum, qui *dilapsi* erant, ex vi vocis ἀνακεφαλαιώσθαι, qui reconciliati per *sanguinem* ejus Col. 1. 20. atque *recollectione*, per præconium Euangelii & efficaciam Spiritus S. factâ Eph. 1. 9. 10. quæ item redemptionem, vocationem, justificationem, sanctificationem implicat, ex contextu Capitis 1. ad Eph. Minus huc valet B. quod *Ecclesia* sit Mediator, ad quam pertineant *Angeli* Heb. xii. 22. 23. neque enim ullibi, Angeli Ecclesiæ *membra* dicuntur; licet, per textum adductum, spectent ad *universalem* glorificatorum panegyrin. Nec C. ex eo quod *caput* dicatur *omnis imperii & potestatis* Col. ii. 10. cum id axiomatis ei competat ex creatione, quâ ipsi omnia subesse debent Phil. iii. 21. aut ex illâ potestate, quæ ipsi in *Ecclesiam*, ejusque ratione, in *omnia* data est quæ sunt in cœlo & in terrâ Matth. xxviii. 18. à qua sibi *genu flectere* debet, *omne* quod est in *cœlo* & in terrâ Phil. ii. 9. 10. quæ potestas functiones mediatorias secuta est.

Rationes affirmativæ refutatæ.

XXV. Quæritur 9. An fuerit Mediator, etiam fidelium *Veteris Testamenti?* Sociniani, odio, tam æternæ *deitatis*; quam *satisfactionis* ejus, *simpliciter* exstitisse negant; alii *exstitisse* quidem sub V. T. & fuisse etiam Mediatorem *virtualiter*, agnoscunt; sed *actualiter* negant: quod ad hoc requiratur, ut sit *homo* 1 Tim. ii. 5. Affirmandum utique videtur, & *extitisse* eum, & mediatoriis *operationibus* functum fuisse: modo id intelligatur de his operationibus, quæ magis pendent à *divina persona*, quam ab *humana* natura, cujus generis est A. *Expromissio* ab æterno facta. B. *Annunciatio* & apparitio sæpius Patriarchis facta Jes. lxi. 1. C. *Placatio virtualiter* saltem, quatenus scil. *expromissione* nititur, à quâ Pater *in ipsum* conjecisse dicitur nostra peccata Jes. liii. 4. 5. 6. 9. 2 Cor. v. 21. D. *Intercessio* Zach. iii. 1. 2. 3. & non extendatur ad eas operationes, quæ ab *humanæ naturæ præsentia* dependent, quales (1.) placatio *actualis*, seu expiatio peccatorum per *mortem* factam Heb. ix. 15. (2) *obsignatio* fœderis, per interpositionem *mortis* Heb. ix. 16. & 1. 3. A *prioribus* functionibus: A. etiam sub V. T. dicitur *Angelus fœderis* Mal. iii. 1. *Angelus facierum* Jes. lxiii. 9. *Vindex* גואל Job. xix. 25. Cujus *gratia* B. servati etiam dicuntur fideles V. Testamenti Act. xv. 11. Ex quo patet (in quo præcipua est hujus causæ difficultas) *quatenus* in Mediatore, *humanæ* naturæ præsentia sit necessaria.

9. Problema, an fuerit Mediator fidelium Veteris T.?

Quatenus fuerit Mediator sub V. T.

Quatenus non fuerit Mediator sub V. T.

XXVI. Quæritur 10. An Christus, quatenus Mediator est, sit adorandus? Sociniani, Pontificii, Lutherani, & nonnulli Reformati, *diverso* scopo, diversisque hypothesibus, affirmant: Sociniani quidem (illi saltem, qui cum Socino Christum *invocandum* docent) quod divinam naturam non agnoscant; Pontificii, quo commodius *beatis* cœlitibus, ut *intercessionis*, ita & *invocationis* gloriam afferant; Lutherani, quod *proprietates* divinas, quibus *invocationis* gloria superstruitur, per *unionem* hypostaticam, humanæ naturæ communicatas doceant; Reformati illi, quod *conceptum* Mediatoris, qui *deitatem* implicat, non satis distinguant à *conceptu puræ deitatis.* Ut igitur agnoscimus, Christum *qui* Mediator est θεάνθρωπος, & *quia* est, adorandum esse; ita *quatenus* Mediator est (sic nim. ut mediatio adorationis *tale* sit *fundamentum*, quo *posito* ponatur, & *sublato* tollatur adoratio) propterea negamus: quia 1. si Mediator non esset; tamen adorandus foret *qua Deus.* 2. Pater & Spiritus S. adorari non deberent, quia Mediator non sunt. 3. Si æterna Mediatoris deitas, fundamentum *unicum* non statuatur adorationis, peribit nobis efficacia argumenti, pro æternâ deitate, & Filii, & Spiritus S. quod petitur ab eorum *adoratione* ex Matth. iv. 10. Quicquid in contrarium produci potest, non ulterius pertingit, quam, Christum *qui* Mediator est, vel

10. An Christus, quatenus Mediator, sit adorandus?

Rationes negativæ.

quia Mediator est, adorandum esse. Hypotheses cuique adversariorum propriæ, suis locis diruuntur.

Pars Practica.

Praxis: 1. Ostentat gloriam variorum Dei attributorum.

XXVII. Quantum ad praxin, *primo* in necessitate, sufficientia & perfectione Mediatoris, patet *gloria* divina, tum *severitatis* versus peccatum, tum *benignitatis* versus peccatorem Rom. XI. 22. & III. 25. *Severitatis* inquam, quâ peccatum, non voluit prætermittere, citra *satisfactionem*; legis violationem, citra *mortem*; pœnæ commi-nationem, citra *complementum*. Justitiæ satisfieri debuit, aut pereundum peccatori; peccator non potuit, succedere itaque debuit Mediator expromittens Rom. VIII. 3. *Bonitatis* autem versus peccatorem Joh. III. 16. Rom. v. 8. quâ, ne periret *reus*, (*a*) *reconciliationem* ipse *exquisivit*, ambivit 2 Cor. v. 19. 20. (*b*) *Mediatorem*, expromissorem, reconciliatorem, redemptorem, intercessorem, ipse *dedit*, constituit Joh. III. 16. Rom. v. 8. (*c*) Proprium & unigenitum *Filium* huic negotio designavit Rom. VIII. 32. Joh. III. 16. (*d*) Morti omnigenæ *tradidit* Rom. VIII. 32. eum *peccatum fecit* 2 Cor. v. 21. De qua benignitate admodum patheticè Salvianus *Massil. de Gub. Dei* lib. 4. *Plus* inquit, *nos amat Deus, quam Filium Pater. Evidens quippe res est, quod supra affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos Filio non pepercit. Et, quod plus, addo, & hoc filio justo, & hoc filio unigenito, & hoc filio Deo. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis, pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat? nisi quod justitia Dei tanta est, ut in eum aliquid injustum cadere non possit.* Istud igitur, severitatis & clementiæ, stupendum in hoc negotio *conjugium* 1. summâ attentione *observemus*, contemplemur Rom. XI. 22. *Vide igitur benignitatem & severitatem Dei.* 2. *Illam* horreamus. Ibid. 20. 21. 22. *hanc* cum Servatore ipso Joh. III. 16. miremur. Atque etiam 3. *prædicemus*, glorificemus Rom. v. 8. 1 Joh. III. 1. Tandem 4. *imitemur illam* adversus *peccata* nostra, ut atteramus ea, crucifigamus, mortificemus, absque omni gratiâ Col. III. 5. Gal. v. 24. *hanc* versus proximum Luc. VI. 39. Matth. VI. 12. 14. 15. & XVIII. 27. 35. nominatim *intercessione* pro eo 1 Tim. II. 1. 2. cum vers. 5.

Quo modo hæc attributa contemplanda.

2. Prodit abdita pleraque Euangelii.

XXVIII. *Secundo* etiam, in eadem necessitate, sufficientia & perfectione Mediatoris, patent *abdita* pleraque *Euangelii*: à quibus Mediator *mirabilis* denominatur Jes. IX. 6. ejusque doctrina, ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον, atque etiam στύλος καὶ ἑδράιωμα τῆς ἀληθείας 1 Tim. III. 15. 16. Quanta enim mysteria! A. in delectu *personæ*, quo *medius* præcise in Trinitate, selectus est Mediator, pariter & medius *participatione* utriusque naturæ, qui, dissidentes Deum & hominem, mediatione conjungeret, verus *Immanuel*, qui pro miraculo datus & repræsentatus Ahaso Regi est Jes. VII. 14. Matth. I. 23. *Scala* cœlum terræ jungens, quam piâ reverentiâ, admodum stupet Patriarcha Gen. XXVIII. 12. cum 16. 17. De quo plura forte in Cap. *de Person. Mediatoris* occurrent. B. In ipso mediatorio *officio* est *Deus* offensus, & etiam Mediator, inter Deum offensum & hominem offendentem; est Expromissor pariter & Testator novi testamenti Heb. VII. 22. & IX. 14. 15. 16. est *fœdus* Jes. XLIX. 8. & LV. 3. simul & *Mediator* fœderis Heb. VIII. 6. & IX. 15. Est propheticus & sacerdotalis Rex, propheticus & regius Sacerdos, sacerdotalis & regius Propheta, præstantior Melchizedeko, qui Sacerdos tantum fuit & Rex, & Davide, qui Propheta tantum fuit & Rex: est Sacerdos, sacrificium & altare simul: est mortuus ut Sacerdos, & tamen *vivit in æternum, Sacerdos secundum ordinem Melchizedek* Heb. VII. 26. Erat ἀναμάρτητος, & tamen *factus peccatum* 2 Cor. v. 21. Non *potest* pati, & tamen mortem *patitur*: est Dominus *gloriæ*, & servus abjectissimus: innocens, & condemnatus: *vitæ*, & mortuus: *resurrectio*, & sepultus: descendit in imam miseriæ abyssum, & ascendit in altissimum gloriæ thronum. Quam hæc omnia sunt mysteriosa! C. In *effectis* Mediatoris, nos *mancipia*, ejus ope redimimur: *inimici*, reconciliamur: *alieni*, adoptamur: *mortui*, vivificamur: *sepulti*, resurgimus: *damnati*, benedicimur: *rei* & peccatores, justificamur: *damnati*, beatificamur. D. in *modo* procurandi ista omnia: procuravit enim Mediator, *sui* servitute, condemnatione, reprobatione, morte: sepulturâ, maledictione, & quod factus sit *peccatum*, &c.

3. Stimulat ad gratitudinem.

XXIX. Hinc porro *tertio*, in Mediatore patet argumentum efficacissimum *gratitudinis*, si devote cogitemus: 1. Quod *talis* dederit Deus Joh. III. 16. & tali animo, puro puto amore, misericordia, *adeo Deus dilexit mundum!* Deus ille *omnisufficiens* אל שדי Gen. XVII. 1. Psal. XVI. 2. cui non plus emolumenti poterat sperari, ex *vita* peccatoris, quam ex *morte* ejus; ex salute, quam exitio. Quod 2. *talem* dederit Mediatorem, non *hominem* utcunque illustrem & perfectum; non *Angelum* quendam, vel primi ordinis; non servum aut *amicum*, utcunque sibi gratum; sed *filium*, sed *proprium* non adoptativum, sed *unigenitum* Joh. III. 16. Rom. VIII. 32. sed *innocentem*, obedientissimum, optimum, charissimum 2 Cor. v. 21. Phil. II. 8. Matth. III. 17. Conf. exemplum Abrahami offerentis filium Gen. XXII. 12. Quod 3. *talibus* dederit, peccatoribus, *fœdifragis*, inimicis Rom. v. 6. 7. 8. & III. 12.--20. Quod 4. *ad talia* dederit, *non cui serviretur*; *sed qui serviret*

viret Matth. xx. 28. ad *peſſima* quævis Jeſ. LIII. 2.--8. ad *mortem*, mortem crucis Phil. II. 7. 8. ad *maledictionem* Gal. III. 13. Quòd 5. in *tales* uſus dederit: qui *expromitteret* pro nobis, qui fœdus gratiæ, ejuſque conditiones *referret* nobis, qui nos Patri *placaret*, qui fœdus gratiæ, quo, velut Teſtamento, hæredes ſcribimur, morte propriâ *obſignaret*, qui continuo cauſam noſtram *ageret*, coram Patre ſuo, qui nobis eſſet *ſapientia*, *juſtitia*, *ſanctificatio & redemptio* 1. Cor. I. 30. ex cujus *plenitudine* hauriremus χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. I. 16. ſic ut in ipſo ſimus *conſummati* Col. II. 9. 10. His tot tantiſque nominibus, ad gratitudinem erigit: quâ A. datum nobis talem ac tantum Mediatorem, prompte *recipiamus* Joh. I. 11. 12. B. Dato nos totos *dedamus* redimendos Act. xv. 26. ut qui ei *dati* ſimus à Patre Joh. XVII. 9. C. Verbum reconciliationis, Dei & Mediatoris nomine nobis factum, alacriter *admittamus* 2. Cor. v. 19. D. gratiam reconciliationis, per Mediatorem factam, *agnoſcamus*, & facientem *glorificemus* Rom. v. 8. Atque E. ut ope Mediatoris reconciliatos, redemptos, omni *vita* nos geramus Tit. II. 11. 12. 14. 15.

officia ujus ratitu- inis.

XXX. Inde *quarto* patet, ſuaviſſimum in hoc Mediatore *conſolationis* argumentum. Sicut enim fœderis gratiæ obſignatio perquam *acerba* accidit *Mediatori*; ita perquam *dulcis* ac ſuavis eſt *fœderatis*. Perquam *acerba* fuit Mediatori, ſi devotè cogites, ejus *agoniam* in horto Gethſemane, ejus ſudorem *ſanguineum*, ejus *ſpinis* laceratum caput, ejus *flagellationes*, ejus *perfoſſas* manus ac pedes, ejus vulneratum *cor*, ejus *deſertionem* divinam, ejus ſupplicationes quaſi vanas, Patrique inacceſſas: ſed ex adverſo, perquam *dulcis* eſt ac jucunda fœderatis; quando ipſis conciliat *bona quævis* temporalia, ſpiritualia, æterna: conciliat ipſis ipſum Mediatorem, & omnia quæ Mediatoris ſunt: conciliat Deum, & quæ in Deo ſunt, & à Deo profluunt. Quam delicata & beata, iſtorum omnium appropriatio, accidit clientibus hujus Mediatoris! Ejus agonia, ſua eſt *victoria*; ejus condemnatio, ſua *juſtificatio*; ejus anguſtia, ſua *requies*; ejus flagellationes, ſua *medicationes*; ejus vulnera, ſua *emplaſtra*; ejus maledictio, ſua *benedictio*; ejus mors, ſua *vita*; ejus coronatio probroſa, ſua *exaltatio glorioſa*. O quam ſuaves fructus, radicis tam amaræ! Singulatim hic cogitandæ I. *Perſonæ* quibus à mediatione Chriſti, iſtud ſolatii argumentum competit, nim. A. Qui *ſenſum* habent, ſuæ cum Deo *hoſtilitatis*, pariter & malorum inde emergentium, adeoque deſiderio capiuntur reconciliationis Matth. XI. 28. 29. 30. Jeſ. LV. 1. 2. Apoc. XXII. 17. quod nim. habeant Mediatorem εἰρηνοποιὸν Col. I. 20 qui peccata tollit Joh. I. 29. (quæ diſterminant, velut parietes intergerini, Deum à ſe Jeſ, LIX. 2.) pariter & inimicitiam Eph. II. 16. 17. Tum B. & his, qui Mediatoris interventu, reconciliati dudum ſunt Deo Rom. v. 1. His conſolationis argumentum ſuppetit ab hoc Mediatore: (*a*) Adverſus quotidianas ſuas *infirmitates* 1. Joh. II. 1. quod habeant in eo *Advocatum*, qui continuo cauſam ſuam agit apud Patrem ſuum Rom. VIII. 33. 34. Conf. Heb. IX. 7. (*b*) Adverſus metum *apoſtaſiæ* totalis & finalis Luc. XXII. 31. Joh. XVII. 12. 15. & VI. 39. (*c*) Adverſus *tentationes* omne genus, quod *homines* tentati, Mediatorem habeamus, *Deum* quidem; ſed hominem inſuper *tentatum in omnibus ſicut fratres ejus* Heb. IV. 15. Heb. II. 17. 18. (*d*) Adverſus *inopiam* & defectus quoſvis, tum corporis tum animæ: quod in precibus noſtris, per Mediatorem παῤῥησίαν καὶ προσαγωγὴν habeamus, accedendi ad thronum gratiæ Eph. II. 18. & III. 12. Heb. X. 19. quin & Advocatum, qui preces noſtras *commendet* Patri, ut exaudiat, imo & Mediatorem, cujus *interceſſio* nunquam non admittitur Joh. XIV. 13. & XVI. 23. 1. Joh. v. 14. 15. (*e*) Adverſus angores *mortis* Job. XIX. 25. 1. Cor. XV. 25. 26. Joh. XI. 25. (*f*) Adverſus horrores extremi *judicii*, & condemnationis æternæ Joh. v. 24. & III. 17.

. Præ- tat uaviſſi- num onſola ionis ar- gumen- um,

Quibus perſonis hæc con- ſolatio compe- tat.

Adverſus quæ mala.

XXXI. Porro *quinto* in *neceſſitate*, ſufficientiâ & perfectione Mediatoris, extrema patet omnium eorum *miſeria*, qui deſtituuntur unico hoc Mediatore. Quales 1. *omnes*, ipſâ profeſſione *infideles*, Gentiles, Muhammedani, Judæi moderni, qui omnem penitus reſpuunt Mediatorem, de quibus Eph. II. 12. Qui 2. Mediatorem quidem *admittunt*; ſed ineptum, inſufficientem, adeoque *fictum*, qui abſque ullâ *perſonæ* medietate, aut *naturæ* utriuſque participio, abſque ſponſione æterna, abſque placatione partis offenſæ, merum egerit *internuncium*, quos notavimus & confutavimus §. XVII. Qui 3. verum & ſufficientem *ore* quidem *profitentur*; ſed *re* verâ, multis modis *negant*; quando θεάνθρωπον, aut quà *Deum*, aut quà *hominem tantum*, ad munus mediatorium admittunt: aut Mediatori *mediatores* conſtruunt, Angelos & homines, quos notavimus §. XX. XXI. XXII. Qui 4. Mediatoris neceſſarii, ſufficientis & perfecti, *titulum* quidem ei largiuntur; ſed *functiones* mediatorias, in *propriis* ſatisfactionibus, *meritis*, bonis operibus, liberi *arbitrii* viribus, *ſibi* arripiunt. Quod Pelagianis & pelagianizantibus, omnibus *juſtitiariis* & perfectiſtis familiare crimen eſt. Qui 5. nil horum quidem agunt profeſſione; ſed interim Mediatorem *ignorant*, nec diſcere ſatagunt Joh. I. 10. 26. & VIII. 19. & IV. 22. cum 2. Theſſ. I. 8. Conf. Jeſ. LIII. 11. Joh. XVII. 3. Qui 6. non *amant* 1. Cor. XVI. 22. Matth. X. 37. eum *negligunt*, non recipiunt, rejiciunt Joh. I. 11. 12. & V. 40. 43. Matth. XXII. 3. Act. XIII. 46. Joh. V. 44. *Filium Dei conculcant*, & *ſanguinem fœderis impurum ducunt* Heb. X. 29. Qui 7. ad Mediatorem

5. Declarat miſeriam eorum qui hoc Mediatore deſtituuntur.

Quinam illi.

appro-

appropinquant, *ore quidem*, *& eum honorant labiis*; ſed *corde longinqui* ab eo manent Jeſ. xxix. 13. Matth. xv. 8. qui plenis buccis intonant: *Domine*, *Domine*; ſed *non faciunt* ejus juſſa Matth. vii. 21. 22. qui *nomen Chriſti* uſurpant; ſed *ab injuſtitia ſuâ* non *recedunt*. 2. Tim. ii. 19. qui ſibi *promiſſa* Chriſti pollicentur; ſed *non ambulant ſicut ipſe ambulavit* 1. Joh. ii. 6. & iii. 3. Eoque ipſum pro Mediatore, *peccati miniſtrum* faciunt Gal. ii. 17. ac ſuo modo, *Filium Dei conculcant* Heb. x. 29. Qui 8. reciperent quidem *utcunque*; verum non, ut fieri debebat, velut *integrum* Mediatorem, ſecundum omnes officii mediatorii partes: ut *Sacerdotem* quidem, qui eos *reconciliet* Patri; ſed non ut *Prophetam*, quem *audiant* in omnibus Joh. x. 27. nec ut *Regem*, cui ſeſe *ſubjiciant* Luc. xix. 27. Qui 9. eum non eis *legibus* recipiunt, quibus recipi vult Luc. ix. 23. cum Matth. xvi. 24. Horum omnium *miſeriam* 1. κατ' ἐπιτομὴν quidem; ſed graphicè tamen, repræſentat Apoſtolus Eph. ii. 12. *Vos illo tempore fuiſtis abſque Chriſto*, *abalienati à republica Iſraelis*, *extranei à pactis promiſſionis*, *ſpem non habentes*, *& Dei expertes in mundo*. Col. i. 21. Singulatim 2. ſunt ἄθεοι Ibid quatenus peccato *alienato* à Deo Jeſ. lix. 2. Deum recuperare *non* poſſunt, niſi per Mediatorem Joh. xiv. 6. nullamque προσαγωγὴν habent ad eum, niſi in Mediatore Rom. v. 2. Eph. ii. 12. quo deſtituuntur. Imo 3. habent quidem *Deum*; ſed ſuo malo, habent ſibi *hoſtem* Rom. v. 10. & viii. 7. *ignem conſumentem* Deut. ix. 3. Heb. x. 27. *urſum cui pulli ſunt ablati* Hoſ. xiii. 8. Amos v. 19. Et 4. dum Mediatorem non habent, in quo *omnes promiſſiones Dei ſunt* ναὶ καὶ ἀμήν 2. Cor. i. 20. & ex cujus *plenitudine*, *haurienda* eſt χάρις ἀντὶ χάριτος Joh. i. 1. 6. nihil omnino *habent*. Nec tantum 5. *nihil* habent; ſed nihil etiam *accipere* poſſunt, quoniam abſque Mediatore, nec ipſis *acceſſus* patet, ad *thronum gratiæ* divinæ Heb. iv. 16. Eph. ii. 18. nec eſt, qui pro ipſis accedat, velut Mediator Rom. viii. 34. 1. Joh. ii. 1. Et ſi vel maximè precibus ſuis accederent; abſque Mediatore qui offerret, vel preces, Deo abominationi forent Apoc. viii. 4. 1. Jeſ. i. 13. 14. 15. Prov. xxviii. 9. Quin imo 6. non tantum nihil habent, & nihil acquirere poſſunt à Deo; ſed etiam abſque Mediatore, nihil *facere* poſſunt pro ſe ſuaque ſalute Joh. xv. 5. Phil. iv. 13. Proinde 7. extra *ſpem* ſunt ullius ſalutis Eph. ii. 12. quod in alio, quam in Mediatore, non ſit *ulla ſalus* Act. iv. 12. Joh. xiv. 6. 1. Tim. ii. 5. Addam 8. eos à *fœdere gratiæ*, ejuſque beneficiis ſecluſos, eſſe ſub rigore & *maledictione* fœderis legalis Gal. iii. 13. 14. Proinde 9. ſub *inimicitiâ*, ira, odio & furore Dei, eorumque quæ Deo ſubſunt Eph. ii. 5. Col. i. 21. Pſal. v. 6. 7. quia Mediatorem non habent ἱερησοποιὸν. Inſuper 10. ſunt tot peccatis, *debitores* Dei, in vincula infernalia æternum compingendi Matth. xviii. 25. 34. 35. nec ſuppetit eis Mediator, qui *expromittat* aut ſolvat pro ipſis.

Qualis & quanta eorum ſit miſeria.

XXXII. Quapropter *ſexto*, & *explorationis* neceſſitas patet in Mediatore, ſitne *noſter*, unus ille neceſſarius, ſufficiens & omnibus numeris perfectus Mediator? Quid enim 1. ſodes juvat *eſſe* Mediatorem & eſſe *talem* ac tantum (cum non omnium ſit, ut docuimus §. xxiii.) ſi non ſit *meus*, nec ego *ejus* Cant. ii. 16. Act. viii. 21.? Aut 2. ſi hujus nulla fruar certâ *notitia* Gen. xxviii. 16. cum verſ. 13? Et quam in contrarium 3. ſuave eſt, in *quavis* ſorte, poſſe cum parrheſiâ dicere: *Novi Goelem meum vivere* Job. xix. 25. *perſuaſus ſum*, *quod nec vita*, *nec mors — me ſeparabit à charitate Dei*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu* Rom. viii. 38. 39. Et quomodo 4. cum parrheſiâ ad Deum accedemus, & gratiam conſequemur, ſi non ſciamus, eum *nobis* Mediatorem eſſe Heb. iv. 14. 15. 16? Et quomodo *ſciemus*, niſi ſcrutando *nos ipſos*, *an Jeſus Chriſtus in nobis*, noſterque ſit Mediator? 2. Cor. xiii. 5. Sed quibus tandem *indiciis* hoc certo aſſequemur? His potiſſimum: A. ſi nos ejus ſimus *diſcipuli* Luc. ix. 23. Matth. xvi. 24. ejus vocem *agnoſcamus*, *audiamus*, ab eaque toti pendeamus Joh. x. 16. Si auditum promptè *ſequamur* Luc. ix. 23. imitemur Matth. xi. 29. *ambulemus ſicut ipſe ambulavit* 1. Joh. ii. 6. & iii. 3. Si B. ut diſcipuli Mediatoris, in ejus gratiam, *nos ipſos* promptè *abnegemus* Luc. ix. 23. *carnem cum cupiditatibus ejus crucifigamus* Gal. v. 24. Si C. *Spiritum* ejus nobis communicatum ſentiamus Rom. viii. 9. qui nos de peccatis *convincat* efficaciter Joh. xvi. 9. 10. 11. qui nos *vivificet*, mortuos in peccatis Rom. viii. 10. qui nos *ſanctificet*, *purificet* 1. Cor. vi. 11. qui nos impellat, ut propter Mediatorem, Deum compellemus *Abba* Gal. iv. 6. Rom. viii. 15. Si D. *novæ* facti ſumus *creaturæ* 2. Cor. v. 17. 18. ut qui antea eramus *inimici* Dei, jam ei ſimus *reconciliati* per Mediatorem Rom. viii. 7. cum v. 10. qui ante eramus *filii iræ*; jam ſimus *vaſa miſericordiæ* Eph. ii. 3. cum Rom. ix. 23. qui antea eramus *mortui in peccatis*; jam ſimus *vivificati* in Chriſto Eph. ii. 1. 5. qui antea eramus ſub *poteſtate Satanæ*; jam ſimus ſub *dominio* Dei Act. xxvi. 18. qui antea eramus *cæci* Eph. iv. 18. jam ſimus *lux in Domino* Eph. v. 8. Act. xxvi. 18. qui antea eramus *averſi* & *abalienati* ab eo Eph. ii. 12. Rom. viii. 7. jam *propinqui facti ſimus*, ſanguine Mediatoris Eph. ii. 13. Si E. nos ipſi, ſincerâ *fide* charitateque, *reciprocaverimus* Cant. ii. 16. 2. Cor. viii. 5.

6. Suadet explorare mus nos ipſos, ſitne noſter ille Mediator.

Rationes motivæ.

Signa.

XXXIII. Cumprimis etiam *ſeptimo*, in Mediatore tam perfecto ſufficiente, neceſſario, patet, vivâ *fide* & flagranti charitate, ipſum à nobis *recipien-*

7. Excitat ut Media-

orem de recipiendo. *cipiendum* esse Joh. I. 11. 12. *Ad sua venit & sui ipsum non receperunt, quotquot autem ipsum receperunt, dedit ipsis auctoritatem qui filii Dei fierent.* Psal. II. 12. & XXIV. 7. 8. 9. 10. Apoc. III. 20. Gal. IV. 14. Quid autem sit *recipere* Mediatorem supra docuimus Lib. 2. cap. I. §. XII. Item *Syntagm. de Fide Salvif.* Cap. IV. §. IV. usque ad XIII.

Rationes motivæ. Quibus item rationibus *motivis*, à nobis sit recipiendus, itidem exposuimus Lib. 2. Cap. I. §. XLIV. sed imprimis etiam *Syntag. de fide* cap. XVI. potissimum §. VIII. quibus alia argumenta facili negotio adjici possint. v. g. A. Ab omnimodâ *perfectione*, & absolutissimâ sufficientiâ, qua perfectè *servare potest, quotquot per ipsum accedunt ad Deum* Heb. VII. 25. 26. εἰς τὸ παντελὲς. & X. 14. Col. II. 10. B. Ab ineffabili *utilitate* I. Cor. I. 30. Joh. I. 16. Matth. XI. 25. C. Ab indeclinabili *necessitate* Joh. III. 16. 36. & XIV. 6. Act. IV. 12. I. Tim. II. 5. &c. Recipiendi modum etiam diximus supra lib. 2. cap. I. §. XVII. XVIII. Item *Syntagm. De fide* cap. VI. §. XI.--XXIV.

Modus reciendi.

8. Doctrina, recepto Mediatore edulo uendum esse. XXXIV. Hinc etiam *octavo*, ubi jam fide & charitate Mediatorem recepimus, patet, recepto, pro re nata, imo in omni casu, sedulò & constanter eo *utendum* nobis esse. Scil. *ne frustra gratiam* illam *acceperimus* 2. Cor. VI. 1. *Si modo frustrà* tantum Gal. III. 4. Quid enim A. juvat Mediatorem *habere* tantum ac talem, si non utaris? nunquid perinde est, ac sic non haberes? Nunquid B. non *utendo*, negligendo, quem *ore* recepisti, reipsa *abnegabis*? Tit. I. 16. C. Nunquid negligendo, qui *odor vitæ est ad vitam*; tibi fiet *odor mortis ad mortem?* 2. Cor. II. 16. & qui datur εἰς ἀνάστασιν, tibi cedet εἰς πτῶμα? Luc. II. 34. Rom. IX. 33. Utamur igitur dato nobis Mediatore, in quavis necessitate: est enim D. *fidelis* Mediator Heb. II. 17. cujus nomen est *fidelis & verax* Apoc. XIX. 11. & I. 5. & III. 14. Est E. *misericors* Mediator Heb. II. 17. σπλαγχνίζομαι Matth. XV. 32. & IX. 36. & XIV. 14. adeo ut *lachrymas* ei hominum miseria moveat Luc. XIX. 41. Est F. *potentissimus* Mediator Heb. VII. 25. Jes. IX. 6. אל גבור Matth. XXVIII. 18. Psal. LXXXIX. 19. Est G. perpetuus, imò *æternus* Mediator, qui *semper* succurrere potest Heb. VII. 24. 25. Matth. XXVIII. 20. Est H. *omnipræsens* Mediator Matth. XVIII. 19. Psal. CXXXIX. 7.--His omnibus rationibus adducti, Mediatore nostro utamur: 1. Ad eum, ut Mediatorem, *accedendo*, prout ipse nos invitat ad se, suisque promissionibus allicit Matth. XI. 28. 29. Jes. LV. 1. Apoc. XXII. 17. Tum 2. per eum accedendo ad *Deum* Heb. IV. 16. Singulatim 3. si quando, conscientiâ naturalis nostræ perfidiæ, absterreamur à throno gratiæ, ad ipsum accedendo, ut *sponsorem* nostrum, ἔγγυον Heb. VII. 22. *Goëlem* Job. XIX. 25. eum Deo pro nobis sistamus vadem Job. XVII. 3. 4. Si quando consilii inopes, quid agendum ignoremus; ipsum *adeundo*, velut Patris λόγον Joh. I. 1. velut *consiliarium* nostrum Jes. IX. 6. qui *factus nobis est à Deo sapientia* I. Cor. I. 30. 5. Si quando reatus peccatorum cor angat; ad *Mediatorem* nostrum confugiendo, *qui seipsum redemptionis precium dedit, pro quibusvis* I. Tim. II. 5. *qui factus pro nobis peccatum, ut* &c. 2. Cor. V. 21. in quem Deus *omnium nostrum peccata conjecit* Jes. LIII. 3. 4. 6. Si quando desit, aut nobis, aut nostris, corpore tenus aut animâ, quod necessarium est & utile, accedamus per Mediatorem ad *gratiæ thronum* Heb. IV. 16. I. Tim. II. 1. cum vers. 5. Joh. XIV. 13. 14.

9. Hortatur, ut receptum Mediatorem imitemur. XXXV. Tandem *nono*, ubi jam utimur fruimurque accepto Mediatore, est quoque in eo quod *imitemur*, ob quod *ambulemus sicut ipse ambulavit* I. Joh. II. 6. Col. II. 6. Ad hoc enim A. ipse *venit* ad nos, seque nobis *exemplum* stitit Joh. XIII. 12. 13. 14. Ad hoc B. venientibus ad se, ac fruituris suâ meditatione, suum exemplum imitandum commendat Matth. XI. 29. *Venite ad me-- & discite à me.* Ad hoc C. in istâ imitatione ambulationeque, summam constituit clientum suorum *perfectionem* Joh. XV. 20. Matth. V. 48. Absque hoc D. *indigni* sumus, qui Mediatoris *discipuli* & clientes audiamus, unde Apostolus jubet, περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ Κυρίου, εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες Col. I. 10. Proinde E. in hoc *nota* est, nostræ communionis cum eo, si *ambulemus sicut ipse ambulavit* I. Joh. II. 6. Joh. XV. 10. Imo F. absque hoc, excluси sumus ab omni *spe* communionis cum eo: *Quisquis* enim *habet hanc spem in se* sitam, *is purificat se sicut ipse purus est* I. Joh. III. 3. Sed quo pacto ipsum imitabimur, ambulabimusque sicut ipse ambulavit? Resp. (1.) Mediatorem nostrum *agnoscendo*, ejusque voluntatem, ac vivendi rationem, ut *exemplar*, ob oculos continuè habendo Col. I. 9. 10. *Ut impleamini omni cognitione voluntatis ejus, cum omni sapientia & intelligentia spirituali, ut incedatis sicut Domino dignum est.* Joh. X. 14. & XVII. 3. Phil. III. 7. 8. 9. 10. Eph. III. 18. 19. (2.) Id operam dando, ut in agnito Mediatore magis magisque *radicemur* confirmemurque Col. II. 6. 7. *Sicut recepistis Jesum Christum Dominum; ita ambulate in eo, radicati & stabiliti* Eph. III. 17. 18. (3.) Ejus *vestigia*, dicta & facta, quatenus quidem illa, nostrâ imitatione repræsentari possunt ac debent, continuò *circumferamus*, ad hoc ut ambulemus *sicut ille ambulavit* I. Joh. II. 6. V. g. A. In *mansuetudine* & humilitate cordis Matth. XI. 28. 29. B. In *justitiâ*, veracitate Jes. LIII. 9. Joh. VIII. 26. C. *In zelo & obedientia*, in peragendis sibi commissis Joh. IV. 32. 34. & II. 17. D. In studio *inserviendi*, benefaciendique quibusvis Act. X. 38. Matth. IV. 23. & IX. 35. Marc. VI. 6. E. In *spiritualitate* & conversatione cœlesti, quam, & arreptâ

Modus imitandi.

repta quavis occasione, suis inculcavit Joh. IV. 30. 33. 34. & XV. 1. -- 10. F. In *precationibus* Matth. XIV. 23. Marc. VI. 46. Matth. XXVI. 36. Joh. XVII. 1. --- Heb. V. 7. G. In *misericordia* & sympathiâ, Heb. II. 17. & V. 2. Matth. IX. 36. & XIV. 14. Marc. I. 41. Luc. VII. 13. & XV. 20. H. In *patientia* & tolerantiâ, cujusvis injuriæ sibi ab hostibus illatæ 1. Pet. II. 21. -- 24. Jes. LIII. 7. Luc. XXIII. 34. (4) Studiosè *vitando mala* quævis Rom. XIII. 12. 13. 14. *Abjiciamus omnia opera tenebrarum* --- *induamus Dominum Jesum* Gal. V. 24. (5.) *Superna* cœlestia *quærendo, ubi* ipse *est, sedens ad dextram Dei* Col. III. 1. Phil. III. 20. (6.) In istis omnibus, indies *proficiendo* magis magisque 2. Pet. III. 18. Et (7.) *præstolando* cum desiderio, glorioſum ejus *reditum*, ad judicandum vivos & mortuos, nostrique cum eo beatificationem 1. Thess. IV. 17. Phil. III. 20. 21. 2. Tim. IV. 7. 2. Pet. III. 11. 12. Joh. XIV. 2. 3. Cant. VIII. vers. *ult.* Apoc. XXII. 23. Interim (8) adnitendo, sive præsentes ei simus, sive absentes, ut ipsi *placeamus* 2. Cor. V. 6. 7. 8. 9. ipsi *vivamus* pariter & *moriamur* Rom. XIV. 8. 9. Atque adeo (9.) his omnibus per ipsum, *viam, veritatem & vitam*, contendendo *ad Patrem* Joh. XIV. 6.

CAPUT TERTIUM.

DE

Nominibus Mediatoris.

Act. XV. 26.

Hominibus qui exposuerunt animas suas, pro nomine Domini Jesu Christi.

Transitio à præcedentibus ad sequentia.

DE Mediatore fœderis gratiæ *primum* diximus, scil. ipsum ejus *axioma* mediatorium; *secundum*, sequitur, quod *nomina* Mediatoris expediet, quo scil. eorum ope, nominatus Mediator distinctius nobis innotescat. Ex his vulgatoria Synodus Hierosolymitana commemorat Act. XV. 26.

Pars exegetica.

Textus resolvitur & explicatur.

II. *Cujus verbis* commendatio *quædam continetur, Barnabæ & Pauli, ab eorum* pietate, *versus nomen* Domini Jesu Christi. *In qua occurrunt:*

1. Pii *commendati*, ἄνθρωποι, homines. *Scil. duo illi Apostoli, Paulus & Barnabas, emissarii & dispensatores mysteriorum Dei* 1. Cor. IV. 1. Homines *appellantur, Hebraicè* אנשים viri, *scil. non vulgares; sed egregii* Exod. XV. 3. Jud. VII. 14. 1. Sam. XXVI. 15. *zelo* flagrantes, *quasi ab* אש, ignis, *qui puro puto zelo nominis Christi*, vitam *susque deque haberent. Conf.* Psal. LXIX. 10. Joh. II. 17. cum Act. XX. 24.

2. Pietas *commendatorum, seu officium pietatis*, qui tradiderunt animas. *Penes quod monstratur:*

α. Traditio, παραδεδωκότι. Παραδίδωμι *est* trado, *quasi* transdo. *Fitque* vel *animo inimico seu* odio, *à quo notat* prodere, *sicut Judas prodidit* Matth. X. 4. vel *amico seu* amore, *sic Deus filium unigenitum tradidit* Rom. VIII. 32. *Sic Christus seipsum tradidit pro nobis* Eph. V. 2. 25. *Sic Paulus & Barnabas* tradiderunt. *Nisi quod Christus seipsum pro nobis tradiderit ἀντίλυτρον* 1. Tim. II. 5. προσφορὰν καὶ θυσίαν Eph. V. 2. *Hi in* usum *tantum Christi: interim utrobique traditio sponte fit & libere. Connotat interim* tradere, *q.* transdare *seu traducere, seipsum, amore alterius cui traditur*, privare *eo quod traditur.*

β. Traditum, τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν, animas suas. *H. e. non fortunas tantum, non famam, non quævis à se diversa; sed* seipsos: *nec in se corpus tantum & corporea; sed animam etiam ejusque facultates. Notat* ψυχὴ *anima* 1. *quandoque* interiora *nostra quævis, imprimis voluntatem* Eph. VI. 6. Phil. I. 27. *ut contradistincta* exterioribus. 2. Vitam *ipsam* naturalem Matth. II. 20. & VI. 25. Luc. XII. 23. Joh. X. 15. *Sicut & Servator dicitur venisse*, δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν, ut daret animam suam redemptionis precium pro multis. *Ut sensus sit, hos Apostolos, Christo, se suaque usque adeo addixisse, ut parati fuerint, non tantum omnia sua interiora; sed ipsam etiam* vitam *suam, ei consecrare.*

3. *Pietatis* usus, *seu etiam* causa *movens*: ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος, τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, pro nomine Domini nostri Jesu Christi. *Est hic,*

A. No-

A. Nomen, *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος*, pro nomine. *Est hic ὑπὲρ, non ἀντὶ, quod semper sonat* vicarium *quid, quotiescunque non notat* adversarium *quid, quo modo de* Christo *fere usurpatur* Matth. XX. 28. *à quo dicitur, ἀντίλυτρον, & mortem sustinuit* vice *nostri, licet & ὑπὲρ de eo occurrat* 1 Tim. II. 6. *Sed non ita* propriè, *quin & de aliis dicatur, v. g.* Col. I. 24. *de quibus usurpata particula ὑπὲρ, non notat, nisi in* usum *& commodum qualecunque: sic hoc loco non notat nisi in* usum *qualemcunque nominis Christi.* *Ὄνομα autem, quandoque notat ipsum* nominatum Matth. VI. 9. *& passim alibi: quandoque id* omne, *quo nominatus aliis innotescit, v. g.* voces *illæ, quibus nominatus insigniri solet, item* attributa, operationes *aliaque quibus hoc fit, nominatim etiam* Euangelium Actor. VIII. 12. *collat. cum vers.* 25. *utpote per quod* nomen *Christi portandum erat ad gentiles* Actor. IX. 15. 16. *Et sic hoc loco, ut ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος, non notet, nisi hos Apostolo animas impendisse in usum Euangelii.*

B. Nominatus, Dominus Jesus Christus. *Hic nominatus triplici titulo insignitur, seu totidem nominibus. Horum*

א. Primus *ipsum repræsentat quoad ejus* dominium, *quo passim insignitur* Act. II. 36. Col. II. 6. *&c. nunquam δεσπότης. Sub Veteri Testamento* LXX. *Interpp. nomen* Jehova *referunt per τὸ κύριος. Competit autem Christo duplex* dominium: *alterum* divinum, *quod, velut* Deus *habet in omnes creaturas, alterum* Mediatorium, *à quo passim salutatur Dominus* noster, *de quo* Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 9. 10. Eph. I. 20. 21. 12. *& hoc maxime est hujus loci.*

ב. Secundus, *ipsum repræsentat, quoad ejus* beneficium, Jesus, *quod ex officio sit Salvator, de quo in progressu plura.*

ג. Tertius, *repræsentat ipsum ratione* officii, *quando Christus indigitatur, de quo item in progressu agemus ex professo.*

Pars Dogmatica.

Mediatori in Scripturis varia nomina tribuuntur.

III. Patet igitur, *fœderis gratia Mediatorem, certo consilio, variis nominibus in Scriptura designari, in quibus vulgatissima sunt, Jesus, Christus, Dominus.* Neque enim 1. temere in textu, non *nomen* tantum *ῥητῶς* ipsi tribuitur; sed nonnulla etiam coacervantur, quando *Dominus, Jesus, Christus* indigitatur. Nec 2. absque certo consilio, *plura* nonnunquam, uno quasi halitu, in ipsum congeruntur *nomina* Jes. IX. 6. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.* Prorsus ut varietate istâ nominum, varia in eum coacerventur officii sui Mediatorii *beneficia* 1 Cor. I. 30. Nec 3. citra causam tria ista; *Dominus, Jesus, Christus*, in N. T. plerumque conjugantur Rom. I. 4. 7. & VI. 23. XIII. 14. XV. 6. 30. 1 Cor. V. 5. &c. Idque omne 4. fit, non ab *homine* quovis; sed ab ipso *Deo*, qui nihil temere facit, absque certo consilio Matth. I. 21. Luc. I. 31. & II. 21. Act. II. 36. &c.

Rationes, quibus tanta nominum varietas ipsi tribuitur.

IV. Sed, *quo* tandem consilio hoc ipsum fit? Resp. A. Ut *discernatur* ab aliis quibusvis, quibus non competit *ἀξίωμα* mediatorium Act. IV. 12. 1 Tim. II. 5. Huc enim rebus omnibus imponuntur *nomina*, ut discernantur ab aliis, seu ut diversæ species in eodem *genere*; seu ut individua in eâdem *specie*. Peculiariter Mediatori *diversa* nomina tribuuntur: A. ut commodius *discernatur* (nomen enim quasi *notamen*) 1. quoad *divinam* personam, à Patre & Spiritu Sancto. Huc appellatur *filius* Matth. XXVIII. 19. *λόγος* Joh. I. 1. *character personæ* Patris Heb. I. 3. *Filius hominis* Matth. XVI. 13. quod ipse, inter personas divinas, solus sit *homo*. 2. Quoad *humanam naturam*, à quibusvis aliis individuis. Quamvis enim, inter homines præter ipsum fuerint, qui *disjunctive*, aut nomen *Jesu* gesserint, ut Josua Heb. IV. 8. Hag. I. 1. Jesus Syrach; aut *Christi* Psal. XX. 7. non fuit tamen præter ipsum, qui *Jesus, Christus, Dominus, copulative* fuerit appellatus. 3. Quoad *officium* mediatorium, quamvis & Moses *Mediator* dicatur Gal. III. 19. nemo tamen *unus* ille *Mediator* dicitur, *homo Jesus Christus* 1 Tim. II. 5. Et quamvis etiam *Pater* quandoque nos *servare* dicatur, eoque Servator sit; nullibi tamen aut ei, aut Spiritui Sancto, *Mediatoris* nomen tribuitur. B. Ut distinctius à nobis agnoscatur & *cognoscatur*, (nomen enim quasi *novimen*) Joh. XVII. 3. *ut cognoscant te, & -- Jesum Christum.* Singulatim quoad naturas, personam, officia, status, beneficia, unde quoad singula horum, singula nomina analoga ipsi tribuuntur. C. Ut quæ de personâ *κατὰ πλάτος* cognovimus, in nominibus *ὡς ἐν ἐπιτομαῖς, memoriæ* altius committamus, unde nomina *memorialia* dicuntur Exod. III. 15. Psal. CXXXV. 13. Hos. XII. 6. D. Ut curatius *colatur* Phil. II. 9. 10. *Ut in nomen Jesu se flectat omne genu.* Hinc in textu *pro nomine Domini Jesu Christi, animas suas tradidisse* dicuntur Apostoli. De his autem plura occurrent in *practicis.*

Nominis varia significata.

V. Sonat autem *nomen*, persæpe *nominatum* Mediatorem, citra distinctum respectum ad *quid-vis* ejus; sic v. g. Act. IV. 12. Phil. II. 10. nonnunquam aliquam *affectionem* nominato *intrinsecam*,

cam, v. g. ejus naturam, perſonam, officium &c. aliquando, id quod nominato plane eſt *extrinſecum*, quo ſenſu, *Euangelium* nomen ejus indigitatur Act. IX. 15.

Nominum Chriſti generalior diſtributio.

VI. Cum vero (ut Dionyſius Areopagita de *divinis nominibus* rectè obſervat) *nominum* iſtorum animus ſit, ſummam eorum omnium repræſentare, quæ nobis de *nominato* incumbunt credenda, & profitenda; varia nobis oggeruntur in Scripturis nomina, quibus abſolutiſſimus Mediator, pro variis perfectionibus, quæ ad axioma mediatorium exiguntur, diſtinctè repræſentetur. Hinc quædam obſervamus nomina, quæ reſpectum involvunt ad duas ejus *naturas*, vel divinam, vel humanam: quædam ad *perſonam* univerſam: quædam ad ejus *officia*, propheticum, ſacerdotale, vel regium: quædam ad *ſtatus*, in quibus ſuo officio functus eſt; humiliationis vel exaltationis: quædam ad *beneficia*, ab officiis oriunda. Iſta porro omnia, vel *figurate* ac mataphorice deſignant, vocibus ab *aliis* rebus petitis, quibus illæ *propriæ* ſunt, licet res eis ſignificatæ, excellentius Mediatori competant; vel *proprie*, cum & *ſignificans*, & *ſignificatum*, ei competunt æqualiter.

Specialior nominum diſtributio per Claſſes.

VII. Quandoquidem vero *requiſita* Mediatoris, quibus deſignandis *nomina* inſerviunt, tot ſunt & tam varia, ut diſtinctè recenſere, tantum non infinitum foret; juvabit oppido, ut in certas *claſſes* redigamus præcipua nomina, quo, ſi quando diſtinctè docenda veniant, ſingulorum *emphaſis*, vel ex titulis, & ex iis capitibus quibus tituli illi expediuntur, utcunque innoteſcat. Sunt itaque

1. Claſſis. nomina, quæ 1. *divinam* ejus naturam repræſentant; eaque vel *propria*, qualia ſunt: *Deus*, *verus Deus*, *magnus Deus*, *Jehova*, *Dominus*, *Dei filius*, *proprius*, *unigenitus*, &c. Vel *figurata*, qualia: λόγος, *verbum Patris*, *imago Dei*, ἀπαύγασμα τῆς δόξης, χαράκτηρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς aliaque. Sunt 2. quæ *humanam* deſignant;

2. Claſſis. ſeu *proprie*, ut *homo*, *filius hominis*, *vir*, *puer*, *filius Abrahæ*, *filius David*, *Schilo*, *primogenitus Mariæ*, &c. ſeu *figurate*, ut *ſemen mulieris*, *ſemen Abrahæ*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Davidis*, *fructus lumborum Davidis*, *virga ſeu ſurculus ex radice Jeſſe*, *Zemach* ſeu *germen*, *ſecundus Adamus*;

3. Claſſis. *leo de tribu Juda*, & ſimilia. Sunt 3. quæ integram *Perſonam*, ex utriuſque naturæ unione oriundam, referunt, v. g. *Immanuel*, *Dominus*

4. Claſſis. *omnium*, *hæres*, &c. Sunt 4. quæ *munus* θεανθρώπου in genere exprimunt, idque vel *proprie*, ut *Mediator*, *Redemptor*, *exſpectatio gentium*, *ſalus*, *Angelus fœderis*, *auctor & conſummator ſalutis noſtræ*, & ſimilia: vel *figurate*, ut *ſponſus*, *caput*, *lapis angularis*, *fundamentum*, *vitis*, *petra*; *panis è cœlo*, *ſol*, *lux*, *ſtella matutina*, *arbor vitæ*, &c. Sunt 5. quæ in *ſpecie* de-

5. Claſſis. ſignant officium ejus *propheticum*, qualia: *Prophetæ*, *magnus Propheta*, *Paſtor*, ἀρχιποιμὴν, *Magiſter*, *Rabbi*, *Doctor*, *Apoſtolus*, *miniſter circumciſionis*, *Amen*, *Conſiliarius*, *Epiſcopus animarum*, *teſtis fidelis*, *ſapientia*, &c. Sunt 6. quæ *ſacerdotale* exprimunt, ut *Sacerdos*, *Pontifex*, *Advocatus*, *hoſtia*, *agnus Dei*, *paſcha*, *Angelus facierum*, *arca*, *hircus Haſaël*, ἱλαστήριον, *ſerpens æneus*, &c. Sunt 7. quæ *regium*, ut *Rex*, *Princeps pacis*, *Dominator*, *Dux*, *Judex*, *Caput Eccleſiæ*, *Rex regum*, *Dominus dominantium*, &c. Sunt 8. quæ ſtatum ejus deſignant, *humiliationis*, ut *vermis*, *puer*, *ſervus*, *ſerpens æneus*, *ſignum cui contradicitur*, *peccatum*, *exſecratio*, &c. Sunt quæ ſtatum *exaltationis* exhibent, qualia ſunt omnia quæ officio regio dudum applicuimus, inſuper *Leo de tribu Juda*, *Melchizedek*, *mirabilis*, *Judex*, *Gibbor*, &c. Sunt 9. quæ *beneficia* ejus mediatoria repræſentant, in quibus, quod infinita fere ſint, Scripturæ admodum luxuriant, pro ratione officii prophetici, ſacerdotalis & regii, nec non redemptionis, vocationis, unionis, communionis, juſtificationis, adoptionis, ſanctificationis, confirmationis, obſignationis, glorificationis; à quibus *topica*, in explicatione horum nominum, petenda veniunt. Sic v. g. à beneficiis muneris *prophetici* appellatur *lux*, *via*, *veritas*, *teſtis*, *Amen*, *Conſiliarius*, *ſapientia*, *ſol juſtitiæ*, &c. A beneficiis muneris *ſacerdotalis*, *ſalus*, *victima*, *propitiatorium*, *interceſſor*, *Angelus facierum*, *ſemen benedictum*, λυτρώτης, ῥυόμενος &c. à beneficiis *regii* muneris, *gubernator*, ἡγεμὼν, *paſtor*, *protector* Jeſ. XXXII. 2. *columna nubis & ignis*: à beneficiis *redemptionis*, *Redemptor*, *Mediator*, *medicus*, *Goël*, *Moſes* & *Joſua* antitypicus, *redemptio*, *ſerpens æneus*: à beneficiis *vocationis*, *gallina congregans*, *brachium* Dei ſeſe expandens Jeſ. LIII. 1. cum Prov. I. 20. 21. 22. à beneficiis *unionis*, *ſponſus*, *vitis*, *caput*: à beneficiis *communionis*, *faſciculus* Cant. I. 13. *cornu ſalutis*, Luc. I. 69. à *juſtificatione* יהוה צדקנו, *peſtis mortis*, *Princeps pacis*, *pax noſtra*, *redemptionis precium*: ab *adoptione*, *frater*, *primogenitus*, *Pater æternitatis*: à *ſanctificatione*, *Sanctus Dei*, *Sanctus Iſraelis*, *ſanctificatio*, *Sanctus ſanctorum* Dan. IX. 24. *à confirmatione* & roboratione, *petra*, *fundamentum*, *rupes*, *Deus fortis*, *Leo de tribu Juda*: ab *obſignatione*, *manna*, *panis vitæ*, *paſcha*, *ſignum* Jeſ. XI. 10. à *glorificatione*, *gloria Iſraelis*, *Pater æternitatis*, *vita*, *ſcala cœli*, *liber vitæ*, *lignum* ſeu *arbor vitæ*, &c. Scripturæ loca ſingulis non ſubjicimus, non tam quod infinitum foret; quam, quod adminiculo Concordantiarum, nullo negotio inveſtigari poſſint.

Monitum.

Unum adhuc reſtat monendum, pleraſque appellationes, ad *perſonam* & *officium* ſimul reſpectum habere, cujus ratio pendet à fine incarnationis; ad

ad hoc enim λόγος incarnatus est, ut officio Mediatoris (ad quod divinæ & humanæ naturæ proprietates requirebantur) fungi, & functionis beneficia suis conferre posset, quamvis interim, quædam eorum, magis *directe* & per prius, ad personam, & *indirecte* ac per posterius, ad officium beneficiaque, & vice versa, respiciant.

De nomine Jesu.

VIII. In istâ nominum turba, *tria* eminent, in textu pariter & in symbolo conspicua: *Jesus*, *Christus*, *Dominus*, in quibus primum nomen est *beneficii*, secundum *officii*, tertium *imperii*. Hæc proinde paulo distinctius erunt examinanda. Quantum ad nominis *Iesu etymologiam*, varii sunt variorum, lusus potius caballistici, quam veri nominis derivationes; forte ex superstitiosa nominis veneratione nati. Sunt 1. qui, si non derivant, saltem affinitatem habere volunt, cum Hebræorum יש, quod *existentiam* ac *subsistentiam* sonat; quia Mediator, in duabus naturis, unam tantum habeat *subsistentiam*, seu quia promissiones Dei omnes, in eo, quasi *subsistentiam* habeant 2 Cor. 1. 20. Conf. Heb. XI. 1. 2. Alii ab ἰάω & Syrorum אסא, *sano*; ut Ἰησοῦς sit ἰατρὸς *medicus*. Sic Basilius *in Ascet.* & Cyrillus *Catech.* x. 3. Osiander in *Harmon. Euangel.* statuit esse ipsum nomen יהוה, quod, cum fuerit ἀνεκφώνητον, insertione literæ ש, ex voce, שילה Gen. XLIX. 10. factum fuerit effabile, ut hoc nomine significetur, Mediatorem esse verum *Deum*, ob nomen יהוה, & verum *hominem*, ob literam ש ex שילה, & quod duæ istæ *naturæ* sint unitæ in unam *personam*, sic ut ex divinæ & humanæ naturæ nominibus, factum sit *unum* nomen. Porro incomprehensibilem Deum, assumto homine, cæpisse nobis esse cognoscibilem. Scribi igitur, inquit, proprie debet, suis literis יהשוה & per contractionem ישו. 4. Judæorum blasphemiam nihil omnino moramur, qui nomen istud non pronunciant, propterea quod Exod. XXIII. 13. prohibitum sit, ne *recordentur nominis* alienorum Deorum, & si casu forte pronunciassent, seipsos multant colapho, dicuntque ישו, per apocopam subintelligentes ימח שמו, *deleatur nomen* ejus, teste Fagio in Exod. cap. XXXIII. Insuper loco ישו, quod in numeris efficit 316. legent וריק *& vanitas*, quod totidem dat numeros. Anton. Margarit. lib. de *fide Iudæor.*

Improbabiles & perversæ derivationes.

Genuina nominis Jesu derivatio.

IX. Germanam vocis derivationem Angelus aperit Matth. 1. 21. *vocabis nomen ejus Iesum, quia salvum faciet populum suum à peccatis ipsorum.* Unde R. Hakkadosch in *Gale Rezaia*, Antoninum Consulem alloquens: *quia*, inquit, *Messias homines salvabit, vocabitur* Jeschua: *Gentes autem alterius nationis, quæ fidem ejus sectabuntur, vocabunt eum* Jesus, *& propterea invenies hoc nomen Iesu designatum* Gen. XLIX. יבא שילה ולו, *si enim acceperis primas literas harum dictionum* ישו, *nomen Iesu eadem literæ conficient.* Coincidit ergo Ἰησοῦς & *Iesu*, seu, ut alii rectius scribunt, *Iesus*, cum יהשוע; vel per *crasin* euphonicam, ישוע (prout, non tantum filius Josedeck, qui apud Haggæum & Zachariam dicitur יהשוע, alibi Esd. II. 2. Nehem. VII. 7. ישוע appellatur; sed etiam filius Nun, quem Moses *Iosuam*, Paulus *Iesum* dicit Heb. IV. 8.) Utrumque descendit à ישע ejusque forma Hiphil הושיע, quod *servare* sonat vel *salvare*, ubi in efformatione græca, Scheva sub Jod, *formativo* nominis proprii, propter elisum ה & ו cholem, mutatur in tzere, cui respondet Græcorum η, & Latinorum e: tandem gutturalis ע, Græcis ineffabilis, mutatur in s. quemadmodum pro ח, itidem soni incerti in *Messiah*, ponunt S. Latini quidam scribunt *Iesu*, quod, ad declinandam blasphemam Judæorum calumniam, quam paragr. præcedenti notavimus, alii non ferunt, & dicendum malunt *Iesus*. Alii aspergunt aspirativum h. de quo Jac. Faber Stapulensis, *in nomine Iesu*, inquit, *aspiratio postponenda est, quia in nomine tetragrammato* (à quo derivari perperam præsupponit) *Iod præcedit He; non autem He Iod.* Alii apponendum censent, propter ה in יהשוע, quod Jesuitæ imprimis urgent, ut patrocinentur, *signo* symbolico Societatis suæ IHS; cujus mediæ litteræ crucem superstruunt. Buntingius existimat parum referre, sive cum, sive absque aspiratione scribatur, cum & ישוע absque ה passim pingatur.

Rationes quibus Mediator Jesus appellatur.

X. Ut *Iesus* non sonet nisi σωτῆρα, *servatorem*, aut *Salvatorem*, quorum illud *latinius*, hoc ἐμφατικώτερον censent. Talis verò dicitur, quod Salvatorem agat: 1. Non *typicum*, qualem Moses quondam, Josua, Othniel aliique; sed *verum* & proprie dictum. 2. Quod liberarit à *miseriâ*, non *corporali* tantum, prout typici illi; sed à *spirituali* quoque, peccatis, morte, maledictione Matth. 1. 21. 1 Cor. XV. 55. 56. 57. Nec tantum 3. liberaverit *à miseriâ*, prout Moses tantum eduxit ex *Ægypto*; sed etiam adduxerit omnimodam *felicitatem*, prout Josua è deserto introduxit in *Canaan* Heb. IV. 8. Quod utrumque 4. egerit, non *merito* tantum, redimendo; sed & *efficaciâ*, applicando, à quo non duntaxat ישוע *Salvator*, sed & ישועה σωτηρία, σωτήριον, *salus* ipsa dici meretur Gen. XLIX. 18. Jes. XLIX. 6. Act. XIII. 47. Luc. II. 30. Nec hæc 5. egerit tantum merito & efficaciâ; sed *perfectè* quoque, & *solus* insuper Heb. VII. 25. Act. IV. 12. Quæ omnia distinctius fortè pandentur in Cap. de *Redemptione*.

De nomine Christi.

XI. Hactenus primum Mediatoris nomen *proprium*, *Iesus*, à *beneficio* petitum; succedit secundum *appellativum*, ab officio sumtum, *Christus*, משיח. Utrumque ejusdem est *potestatis* Joh. IV. 25. Illud Hebræum, hoc Græcum. Hoc in N. T. persæpe conjugatur cum nomine *Iesu*, fortè ad designandum, Messiam non *Iudæorum* tantum,

ſed & *Gentilium* eſſe Salvatorem Eph. II. 14. 15. Rom. III. 29. 30. Porro, ut משח à משה, ita χριστὸς à χρίω, utroque idem prorſus, ſcil. *ungere*, deſignante. Nec deſunt inter Veteres, qui, etymologia *alluſiva* potius, quam verâ & *propria*, à χράομαι videntur legiſſe *Chreſtus*, quod *utilem* ſonat & *commodum*. Vid. Juſtin. *Apol.* 2. *pro Chriſtian.* pag. 24.

Quid unctio ceremonialis.

XII. Erat autem *unctio* Veteris œconomiæ, inauguratio *ceremonialis*, quâ, per affuſionem olei ſacri, uncta ſolenniter conſecrabantur Deo, & uſui divino. Erat *inauguratio*, ſeu ſolennis introductio in uſum *ſacrum*, unde ab initio, & ſemel tantum applicabatur unctis. Habebat *oleum* ſacrum, שמן המשחה, conſtans quatuor aromatibus, myrrhâ, cinamomo, calamo & caſiâ. Obtinebat, cum circa *res ſacras*, Deo conſecrandas, v. g. circa *Sanctum ſanctorum*, ejuſque vaſa, arcam, menſam propoſitionis, candelabrum, altare ſuffitus, aliaque, quatenus illa typum geſtabant futuri Meſſiæ Exod. xxx. 26. 27. 28. 29. quibus oleum affundebatur: tum circa *perſonas*; *Prophetas* 1 Reg. XIX. 16. *Sacerdotes* Exod. xxx. 30. Levit. IV. 3. *Reges*, ut patet in hiſtoriâ Saulis, Davidis, Salomonis, Jehu aliorumque. His oleum infundebatur *capiti*, ut inde defluereret in reliqua *membra* Pſal. CXXXI. 1. 2. 3. ſignificabat *generaliter* unctorum *conſecrationem*, quâ Deo dedicabantur, ac uſibus divinis, iiſque adaptanda eſſent per benedictionem, & collationem *aptitudinis* ſufficientis ad uſus iſtos; *ſpecialiter* in *perſonis* ſignificabat, eas legitime evocatas eſſe ad ſuas functiones, & donis Spiritus Sancti, ſufficienter qualificandas etiam Pſal. XLV. 8. *Electe* etiam præfigurabat vocationem Meſſiæ ad munus mediatorium. Ut in unctionis ritu, *ſignum* duplex occurrat; *repræſentans*, oleum; & *applicans*, ejus affuſio: *ſignificatum* olei, *Spiritus* Sanctus ejuſque dona; & affuſionis, communicatio donorum iſtorum: *fundamentum* ſignificationis, eſt in analogiâ, quæ obſervatur, inter oleum & dona iſta Spiritus Sancti, prudentiam, ſapientiam, alacritatem, gaudium, zelum, fortitudinem aliaque, in expediendis tribus illis functionibus admodum neceſſaria Conf. Jeſ. XI. 1. 2.

Unctio appellatio quâ diverſitate Mediatori tribuatur & aliis.

XIII. Tribuitur autem *uncti* nomen, variis in V. Teſtamento, non Hebræis tantum, ſed Gentilibus etiam, v. g. Cyro. Jeſ. XLV. 1. ſed ἐξόχως uſurpatur de *Mediatore* fœderis gratiæ, & cum maximâ diſcrepantiâ, ratione (1) *efficientis*, dum enim illi ungebantur per meros *homines*, Prophetas, Sacerdotes; hic unctus eſt à *Deo* immediate Pſal. XLV. 8. (2) *Materiæ* dum illi oleo *corporali*; hic oleo *ſpirituali*, & ipſo Spiritu S. (3) *Finis*, dum illi ad functiones *terrenas* & evaneſcentes; hic ad functionem *cœleſtem* & æternam Pſal. CX. 4. (4) *Effectus*, dum *illorum* unctio in unctis *ſubſiſtebat* & terminabatur; *hujus* unctio, in alios quoque *defluit*, velut à capite in membra Pſal. CXXXIII. 2. 3. cum Joh. I. 16. Unde Athanaſ. *Orat.* 2. Contr. *Arian. p.* 17, *Non quemadmodum Aaron & David, aut reliqui omnes; ita quoque & ipſe oleo unctus eſt; ſed aliter ſuper omnes conſortes, quod oleum Spiritum S. eſſe, per Prophetam expoſuit: Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me* Jeſ. LXI. 1.

Unctio in Mediatore quid ſignificet.

XIV. In Mediatore *unctio* duo denotat, *primo* ejus *vocationem* ad munus ſuum Hebr. V. 4. 5. æterno quodam *pacto* inter ſe & Patrem factam Jeſ. LIII. 10. per quam, *præ* aliis omnibus, ipſe ſolus in Mediatorem *electus* eſt Jeſ. XLII. 1. *præordinatus* 1 Pet. I. 20. ad omnia expedienda, quæ requirebantur ad electorum redemptionem, & *miſſus* in tempore Joh. III. 17. Et ab his omnibus *unctio* συνεκδίκως appellatur *obſignatio* Joh. VI. 27. *ſanctificatio*, Joh. X. 36. *ſecunda qualificationem*, qua donis, functioni mediatoriæ neceſſariis, inſtructus eſt Pſal. XLV. 8. Jeſ. LXI. 1. Proinde unctus eſt, quoad *utramque* naturam, quatenus unctio deſignat *vocationem*; ſed quoad *humanam* tantum, quatenus notat *qualificationem*.

Officium, cui hac unctione inauguratus eſt Mediator.

XV. *Officium*, cui hac unctione inauguratus eſt, *mediatorium* eſt Heb. VIII. 6. & XII. 24. 1 Tim. II. 5. quod tres functiones, quaſi *partes*, exhauriunt, nim. *prophetica* Deut. XVIII. 15. &c. Act. VII. 37. Jeſ. LXI. 1. 2. quâ hoc agit, ut peccatores ignaros, *extus* verbo, & *intus* Spiritu, erudiat de viâ conſequendæ ſalutis, à quâ *Doctor*, *Apoſtolus noſtræ confeſſionis*, *lux*, *via*, *veritas & vita* appellatur: *ſacerdotalis* Pſal. CX. 4. Heb. VII. 17. quâ peccatores, à Deo alienatos, reconciliat 2 Cor. V. 19. & *regia* Pſal. II. 6. Luc. I. 32. 33. quâ reconciliatos gubernat ac protegit Joh. X. 27. 28. De his ſingulatim ex profeſſo, ξὺν θεῷ agendum ſuo loco.

Dona unctionis, non ſibi ſoli ſed & ſuis accepit.

XVI. *Dona* tandem Spiritus S. quibus hac ſuâ unctione potitur, non ſibi ſoli accepit, ſed ſuis inſuper, ut eis *omnia impleret* Eph. IV. 8. 10. Joël. II. 28. 29. Hinc. Pſal. XLV. 8. *Unxit te Deus tuus oleo gaudii*, משחך h. e. obſervante Illyrico, non tantum *ſupra* ſocios; ſed etiam *pro ſociis tuis*. Quod in *Aarone* quoque præfiguratum Pſal. CXXXIII. 2. balſamo deſcendente à capite ejus, in barbam & veſtimenta, uſque ad imas eorum fimbrias. Ab hoc, qui *unctum* hunc ſequuntur, paſſim non ejus tantum *diſcipuli* dicuntur; ſed *conſortes* etiam Pſal. XLV. 8. ob unctionis conſortium, & *Chriſtiani* Act. XI. 26. & XXVI. 28. 1 Pet. IV. 16. utpote quibus *ſua unctio* competat 2 Cor. I. 21. Joh. II. 20. 27. per quam participes ſunt, non *ejuſdem* per omnia unctionis cum capite ſuo 1 Tim. II. 5. Jeſ. LXIII. 3. ſed tamen nec *abſimilis* per omnia, utpote per quam & ipſi, ſuo modo ſunt: A. *Prophetæ* Act. II. 17. Joël. II. 28. quia (*a*) in doctrinam *ſummi* noſtri

Qui hinc diſcipuli & Chriſtiani appellantur.

ſtri Prophetæ, religioſe inquirant Joh. v. 39. Pſal. I. 2. (*b.*) eandem, pro ratione *muneris*, & pro modulo *virium*, aliis fideliter propinent Col. III. 16. Luc. XXII. 32. I. Theſſ. v. 11. Saltem (*c*) nomen Chriſti ſtrenuè & alacriter profiteantur Matth. X. 32. I. Pet. III. 19. Sunt B. *Sacerdotes*, Apoc. I. 6. & v. 10. & XX. 6. I. Pet. II. 9. Jeſ. LXI. 6. & LXVI. 21. qui (1) *ſeipſos* Deo offerant, ſacrificium ſpirituale ἐυχαριστικὸν Rom. XII. I. & XV. 16. (2) ſuas *preces*, gratiarum actiones Hoſ. XIV. 3. Heb. XIII. 15. (3) *eleemoſynas* Phil. IV. 18. Heb. XIII. 16. (4) *vitam* pro nomine Jeſu. Act. XV. 26. Phil. II. 17. 2. Tim. IV. 6. Sunt C. *Reges* Apoc. I. 6. I. Pet. II. 9. qui (*a*) dum *hic* ſunt, ſtrenuè pro Chriſto & ſub Chriſto *pugnent* 2. Tim. IV. 7. Adverſus *Satanam* I. Pet. V. 8. I. Joh. II. 13. Rom. XVI. 20. *peccatum* Gal. V. 17. *mundum* 2. Tim. II. 26. I. Cor. XV. 32. Et (*b*) poſt hac cum eo glorioſè triumphent Rom. VIII. 17. Apoc. III. 21. & IV. 4. 2. Tim. II. 12.

Tertium Mediatoris nomen, Dominus noſter.

XVII. Reſtat tertium Mediatoris nomen, quo *Dominus noſter* audit, non tantum in textu noſtro; ſed per univerſum S. Scripturæ tenorem Pſal. CX. I. Mal. III. I. & IV. 5. Matth. III. 3. & XXII. 43. 44. 46. Luc. II. 11. Joh. XX. 28. Act. II. 36. I. Cor. VIII. 6. Eph. IV. 5. Phil. II. 11. Apoc. XI. 8. Ubi κύριος ἡμῶν, reſpondet τῷ Hebræorum אדון, ſic ut *dominium*, poteſtatem notet, quam aliquis in *aliquem*, aut *aliquid*, juſto titulo obtinet, quale *Magiſtratus* legitimi obtinent in ſubditos, *Heri* in ſervos. Quod quidem, alii *naturâ* poſſident, per generationem; alii diverſis adminiculis ſibi *comparant* poſſidentque, jure militari, contractus, emtionis &c.

Duplex Mediatoris dominium: Congenitum.

XVIII. Mediatori duplex competit dominium: *congenitum*, quâ Deus eſt, titulo creationis, conſervationis, gubernationis, quâ ratione *Dominus omnium* ſalutatur Act. X. 36. ut hoc ipſo deſignetur perſonæ ἀξίωμα, quæ, ſicut in Veteri T. יהוה, nomine Deo abſolutè *proprio*; ita in N. T. κύριος appellatur Matth. XXII. 44. & *acquiſitum* functione mediatoriâ, quâ ſuos (1.) ſub poteſtate Satanæ conſtitutos *redemit* Col. I. 13. Joh. VIII. 36. (2.) à ſe per peccatum *alienatos*, ſibi revocavit in peculium I. Cor. VI. 20. & VII. 23. Et precium, quo iſtud egit, λύτρον appellari conſuevit, quo milites captivi è ſervitute hoſtium liberantur Matth. XX. 28. Rom. III. 24. I. Cor. VI. 20. quod præſtitit, non aurum aut argentum; ſed proprius & precioſus ejus *ſanguis* Act. XX. 28. Eph. I. 7. I. Pet. I. 18. 19. Apoc. V. 9. Eâdem emphaſi *Dominator* dicitur Mich. V. I. niſi quod *Domini* appellatio magis exprimat *poteſtatem*, jus & ἐξουσίαν dominandi, ſeu agendi pro lubitu; quando *Dominator* dicitur, reſpectu *exercitii* dominandi: atque etiam *Rex* appellatur, eodem ſenſu, unde, quæ ſuo loco occurrent, de officio ejus *regio*, huc traducenda venient, prout vice versâ, quæ hîc, de *dominio* monuimus, eo quoque referenda ſunt.

Quare Dominus noſter appelletur.

XIX. Tandem & Dominus *noſter* deſignatur: hoc eſt, nec *omnium* promiſcuè; nec *unius* alicujus, ſed *plurium*, ſeu certi alicujus ordinis hominum, qui ab hoc *ſui* paſſim dicuntur Joh. I. 11. illius nim. ordinis, in quo Paulus erat & Barnabas, hoc eſt, *electorum* omnium, ut qui I. ipſi peculiariter *dati* ſunt à Patre ſuo Joh. XVII. 9. quos 2. ipſe ſibi *comparavit* precio ſanguinis I. Cor. VI. 19. 20. quos 3. è poteſtate *hoſtium* ſpiritualium, ſibi in *peculium* vindicavit Heb. II. 14. 15. qui 4. cum eo conjuncti & *uniti* ſunt, ut ejuſdem *corporis* myſtici membra cum ſuo capite I. Cor. XII. 12. ut ſponſa ſponſo Hoſ. II. 20. pro quibus 5. ſeipſum, quantus quantus eſt, *tradidit* per fœdus gratiæ Eph. V. 2. prout 6. *ipſi* viciſſim, per idem fœdus, *ſeipſos* ei reciprocârunt 2. Cor. VIII. 5. A quibus omnibus, ipſi *peculiare* quoddam, in hoc hominum genus, dominium competit, à quo ipſi *ejus*, & ipſe *eorum* dicitur Cant. II. 16. ut ab omnibus iſtis, *Dominus noſter*, omni jure, denotetur.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An ad pronunciationem nominis Jeſu, neceſſario ſit flectendum genu?

XX. Quæritur I. An ad pronunciationem nominis Jeſu, neceſſario ſit flectendum genu? Pontificii, & Lutherani, neſcio quâ ſuperſtitione, id *neceſſarium* putant, aut ei ſaltem ſubſtituendam aperturam capitis. Reformati, quamquam agnoſcant, nullam venerationem nimiam eſſe, quæ *perſonæ* Jeſu impenditur, exiſtimant tamen, *ſuperſtitioſum* eſſe, illam venerationem quæ perſonæ competit, iſti *voci* impendere: Quia I. ſuperſtitionem omnino redolet, venerationem quæ *perſonæ* competit, ad unum hoc nomen, præteritis aliis ejuſdem perſonæ nominibus, referre, v. g. non nomini *Dei*, *Chriſti*, *Immanuelis*: cui & hoc 2. accedit, quod vulgus rude, adſuefactum huic *nominis* venerationi, eandem religioſè quoque referat ad creaturas, Joſuam, quando *Jeſus* appellatur Heb. IV. 8. ad Jeſum Pontificem Zach. III. I. Jeſum Syracidem alioſque. Non addam 3. quod manifeſta ſit idololatria, cultum religioſum, qui *perſonæ* competit, ad *nomen* ſeu vocem *transferre*. Superſtitionis unicum præſidium, perperam quærunt in loco Phil. II. 9. 10. Quod ibidem Apoſtolus (1.) nihil omnino habeat, de *pronunciatione* & auditione vocis, ad quam flectendum velit genu, aut aperiendum caput. Quod (2.) de genuflexione *tali* loquatur, quæ etiam in ſpiritus, cœleſtes pariter & infernales cadit, h. e. de genuflexione *ſpirituali*, quæ in ſubjectione, vel *ſpontanea*, vel *invitâ* conſiſtit. Saltem (3.) nihil de *apertione* capitis.

Objectio.

2. An nominis Jeſu, neceſſario ſit flectendum?

XXI. Quæritur 2. An voci ſeu nomini *Jeſu*, pecu-

mini Jesu peculiaris efficacia competat pellendi Satanam &c.?

peculiaris quædam efficacia competat, v. g. pellendi Satanam &c? Pontificii, ad palliandam, quam diximus superstitiosam & idololatricam *vocis* Jesu venerationem, ei voci adscribunt *efficaciam*, pellendi Satanam, abigendi morbos, hostes, non tantum ab hominibus; sed à brutis etiam. A. quo, illa vox, ipsis continuo est in ore, quotiescunque insolitum quodvis occurrit: imò, quod pejus, nomen Jesu chartæ pergamenæ inscribunt, & de collo suspendunt, aut foribus appendunt, additis subinde vocibus *Maria* & *Anna*, velut prophylacticis adversus pestem. Reformati, quamvis omnem efficaciam relinquant *personæ*, nomini tamen nullam, præterquam *significandi* nominatum. Parum memores sunt Pontificii 1. Nominibus, quà *voces* sunt, non aliam vim competere, quam significandi; non autem *physice* producendi, aut efficiendi hoc vel illud. 2. Assuefieri hac ratione populum, ad *profanationem* nominis istius, eoque etiam ad vilipendium ejus. 3. Spectare ad *magiam*, tam severè à Deo prohibitam, pronunciatione vocalarum, actionumque analogarum, Satanam morbosque velle pellere. Nec video, vel tantillum huic superstitioni præsidium, à suis auctoribus afferri, seu è Scriptura, seu è naturâ. Si enim objiciant loca Act. XVI. 18. & similia; ubi Apostoli dicuntur per *nomen Jesu*, ejecisse Satanam; facilis est responsio, per nomen Jesu intelligi *personam* ejus, non *vocem* illam, docente hoc Petro Act. IV. 10. *per ipsum stat hic coram vobis sanus.* Conf. Act. XIX. 13. 15.

3. An liceat seipsum denominare à nomine Jesu?

XXII. Quæritur 3. An liceat seipsum denominare à nomine *Jesu*? Lojolitæ, per fastum intolerabilem, communi *Christianorum* denominatione non contenti, se à Jesu *Jesuitas*, seu de *Societate Jesu* salutari gestiunt. Reformati existimant discipulos Christi, ab alio non esse denominandos, præterquam à nomine *Christi*, seu *Christianos*, eo quod 1. præcedens denominatio plane sit ἄγραφος 2. *Contemtum* spiret reliquorum Christianorum. 3. Ad se rapiat, quod *sibi soli* Christus asserit Jes. LXIII. 3. 5. Ut non addam 4. denominationem istam esse (*a*) novam (*b*) superstitiosam (*c*) schismaticam (*d*) incongruam, ut quæ *rei nominatæ* non conveniat (*e*) ab ipsis sanioribus Pontificiis improbatam, unde in Conventu *Posiaceno*, totius *Ecclesiæ* Gallicanæ nomine, anno MDXLI. d. 15. Decemb. Jesuitis indictum est, ab eâ *denominatione* penitus abstinerent. Unum hoc pro se causantur Lojolitæ: si fideles à Christo rectè denominantur *Christiani*; tum se quoque, & ordinis sui socios, non minus rectè nominari *Jesuitas* à nomine Jesu. Sed non cogitant *dissimilem* rationem, eo quod 1. *Christiani* appellemur in Scripturâ, *Jesuitæ* nullibi. 2. A Christo *Christiani* dicamur, quia *unctionis* spiritualis participes sumus; quando *Jesuitæ* dici non possumus, quia, in promerendâ, vel conferendâ salute, Christus socios nullos admittit. Si instent, non *activè* se vocari Jesuitas, sed *passivè*; respondebimus, omnes verè Christianos, hoc sensu *Jesuitas* esse quidem; sed *nominari* non debere, quod Scriptura nolit, sonetque in *malum*, ac multo etiam minus, sibi hoc nomen appropriare quenquam debere.

Prætextus Jesuitarum removetur.

XXIII. Quæritur 4. An Jesum ingenuè profiteantur, quod in eo solo salutem suam, seu ex toto, seu ex parte, non quærunt? Infideles imprimis Gentiles, salutem suam in Jesu prorsus non quærunt; sed nec profitentur: Judæi item moderni, Jesum insuper abominantur: Muhammedani profitentur quidem ut Prophetam egregium; sed salutem suam in eo non quærunt. Sociniani eum profitentur quidem; sed salutem in propriis operibus quærunt. Pontificii cum Pelagianis, profitentur quidem, & ex parte salutem in eo quærunt; sed ex parte in propriis satisfactionibus, meritis, liberi arbitrii viribus, in intercessionibus Angelorum, B. Virginis, Sanctorum, operibus supererogatoriis, indulgentiis papalibus, purgatorio, Missis, & id genus aliis, sectantur. Jam quæritur, an hi *ingenue* profiteantur *Jesum*? Illi affirmant. Reformati negant. Eò quod *Jesus* sic dicatur, non eâ tantum causâ, quod suos *servet* Matth. 1. 21. sed etiam quod id solus agat Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Jes. LXIII. 3. 5. Act. V. 31. Accedat, quod, qui *Jesum* non agnoscit esse perfectum salvatorem, ipsum hactenus abneget, & sibi ab eo salutem polliceri nequeat Gal. V. 3. 4. Rom. X. 3. Nec video, quid ulla quidem specie, pro se causari possint, nisi suas hypotheses vanas, quas suis locis disjecimus aut disjiciemus.

4. An Jesum ingenuè profiteantur, qui in eo salutem suam, seu ex toto, seu ex parte, non quærunt?

5. An Messias promissus fuit qui esset Salvator spiritualis, & an Jesus noster sit talis Salvator?

XXIV. Quæritur 5. An Messias promissus fuit qui esset Salvator *spiritualis*, & an *Jesus* noster sit talis Salvator? Judæi Messiam salvatorem futurum quidem agnoscunt, sed temporalem tantum, qui Israëlem sit liberaturus ab hostibus suis temporalibus: hinc fortius etiam negant Jesum nostrum esse salvatorem spiritualem: Reformati utrumque affirmant; *prius*, quia 1. Servator promittitur Hos. 1. 7. qui appellari debeat, & sit, יהוה צדקנו Jer. XXIII. 6. Quia 2. prædicitur futurus *lux gentium*, *ad aperiendos oculos cæcorum*, *ad educendos vinctos è captivitate*, *& è carcere*, *eos qui sunt in tenebris* Jes. XLII. 6. 7. Quia 3. talis prædicitur, qui *consumturus sit prævaricationem*, *sigillaturus peccata*, *expiaturus iniquitatem*, *& adducturus justitiam æternam* Dan. IX. 24. qui *roboraturus sit fœdus multis* Ibid. vers. 27. qui redimit *animas* Psal. LXXII. 13. 14. Confer Psal. XLIX. redimit ab *omnibus iniquitatibus* Psal. CXXX. 7. 8. redimit *à morte*, *ab inferno* Jes. XXV. 8. 9. Hos. XIII. 14. idque redemtione *æternâ* Jes. XLV. 17. Erit servator *pauper* & *egenus nequitans asinæ* Zach. IX. 9. 10. Qui ab his omnibus 4. *Sacerdos* appel-

appellatur Pſal. cx. 4. *Goel* Joh. xix. 25. ישועה Gen. xlix. 18. *Redemptor* Jeſ. xliv. 6. Si opponant ea loca, quæ Meſſiæ *temporalem* liberationem ſpirare videntur; cogitent (*a*) ſubordinata non pugnare, cum univerſalis ſit Servator Pſal. cxii. 2. 3. & corporalis & ſpiritualis (*b*) etiam per corporalem liberationem, perſæpe figurari *ſpirituallem*. His præſuppoſitis, *poſterius* etiam, nim. *Jeſum noſtrum* eſſe talem Servatorem, patet omnibus iſtis argumentis, quibus Jeſum noſtrum, eſſe promiſſum Meſſiam, ſupra demonſtravimus cap. ii. hujus lib. §. xix. Quibus non adjiciemus niſi hoc monitum: Si per compendium voles agere cum Judæo, ipſe tibi deſignet κριτήρια, quibus ipſe olim agniturus ſit venientem Meſſiam; probetque Scripturis, tum probata nullo negotio poteris applicare noſtro Jeſu: Si hæſitet circa auctoritatem, vel *hiſtoricam* N. T. ac proinde nullius hiſtoriæ fidem admittere velit; quæras, quibus adminiculis ipſe aliquando ſit percepturus, præſtitas tibi à ſe veri Meſſiæ notas ſuo Meſſiæ competere? quibus item adminiculis eundem aliis, abſentibus aut poſteris, docere velint Judæi, ſi omnis hiſtoriæ, qualis eſt N. noſtrum Teſtamentum, fidem reſpuant. Affinis hæc eſt controverſia, ei quam dudum habuimus Cap. ii. §. xix. & quam habebimus infra Cap. viii. §. xi.

6. An Chriſto competat nomen Jehova?

XXV. Quæritur 6. An Chriſto competat nomen *Jehova?* Judæi, ne cogantur admittere, Meſſiam promiſſum, eſſe Deum ab æterno, cum admittant, nomen illud eſſe ex aſſe Deo proprium, negant hoc nomen tribui Meſſiæ: Sociniani, omneſque Anti-Trinitarii, ne cogantur fateri, Chriſtum & Spiritum S. eſſe Deum Patri ὁμοούσιον; jam negant hoc nomen eſſe Deo proprium; jam ſi ſit; negant hoc nomen Chriſto tribui. Reformati, utrumque profitentur: & Meſſiæ, & Chriſto nominatim tribui, prout ſuo loco in cap. iv. §. viii. & xiii. item cap. xxvi. §. ix. libri ſecundi diximus. Quibus adjicimus, quod Anti-Trinitariis Scriptura obloquatur: 1. Exſertis fere teſtimoniis, v. g. Jeſ. xli. 14. quæ verba, non modo *res* ipſa, de Meſſia eſſe intelligenda monet; ſed Chaldaica etiam paraphraſis, ῥητῶς ad Meſſiam accomodans. Item Jeſ. xlv. 17. *Iſraël ſalvatus erit* ביהוה *ſalvatione ſeculorum* Hoſ. i. 7. *Domus Judâh miſerebor, & ſalvabo eos in Jehova Deo ſuo* Jer. xxiii. 6. *Et hoc eſt nomen quo vocabunt eum,* יהוה צדקנו 2. Collatione locorum Veteris Teſtamenti, quibus abſque dubio ſermo eſt de Jehovâ; cum locis N. Teſtamenti, quibus ea loca applicantur Mediatori noſtro. Sic, qui Iſraëliticum populum liberavit ex Ægypto, verus *Jehova* fuit Deut. xxxii. 12. *Jehova ſolus duxit eum, nec fuit cum eo fortis alienigena:* ſed Mediatori hoc tribuitur Jud. vſ. 5. *Volo vos commonefacere, ut qui ſemel hoc ſciatis, Dominum* (in *Vulg. vers. Jeſu* nomen additur) *cum populum ex Ægypto liberaſſet* &c. quem vſ. 4. affirmat eſſe *Jeſum* Chriſtum. Sic, qui legem *promulgavit* de Sinai, *Jehova* fuit Exod. xx. 1. aſt ille fuit *filius* Dei Act. vii. 36. 37. Rurſus, qui in deſerto *tentatus* eſt, fuit *Jehova excelſus* Exod. xvii. 2. & 7. Num. xi. 1. Cap. xiv. 3. Pſal. lxxviii. 18. ſed is fuit *Mediator* 1 Cor. x. 9. 3. Locis illis N. T. quibus κύριος appellatur Luc. i. 76. Joh. xx. 28. Jud. vſ. 4. quo nomine lxx. Interpp. *nomen Jehovah.* referre conſueviſſe, receptum eſt. Objectiones ſuo loco disjecimus.

Argumenta Orthodoxorum.

7. An nomen Θεὸς Deus, Chriſto competat, eâ emphaſi, quâ Deum ſummum notat?

XXVI. Quæritur 7. An nomen Θεὸς *Deus*, Chriſto competat, eâ emphaſi, qua Deum ſummum notat? Sociniani agnoſcunt ei competere nomen *Deus*, & *verus Deus:* ne tamen cogantur agnoſcere, ipſum eſſe *ab æterno* Deum, ac Patri ſuo ὁμοούσιον; negant, ipſi hoc nomen competere, quatenus notat, ut ipſi loquuntur, *ſummum* Deum. Ita Socinus contra Wiekum Cap. vi. Claſſ. 4. arg. 1. *Nomen* inquit, *Deus ſua natura eſt nomen abſolutum, & idcirco pluribus conveniens, per excellentiam tamen, uni illi ſummo rerum conditori & autori ſingulariter attribuitur, ita ut in N. T. cum ſubjecti locum abſolute obtinet, ſive cum articulo ſit, ſive ſine articulo; vel cum obtinet rationem prædicati, ſi articulum habeat ſimpliciter, aut ſine tali adjuncto, aut conſtructione, quæ articuli vim infringat, nunquam niſi ipſi ſoli, nequidem Chriſto ipſo excepto, tributum inveniatur.* Conf. eundem in *Animadv.* cap. 4. Reformati ex adverſo ſtatuunt, quod ei nomen Θεὸς, tribuatur, in plenâ ſuâ efficacia, quatenus notat Deum ſummum. Eo (1.) Quod *Deus*, cum προσδιορισμῷ ſive additamento, ἐξηγητικῷ & *ampliativo*, deſignetur: ſic Deus *Magnus*, *verus*, *benèdictus ſuper omnes* Tit. ii. 13. 1 Joh. v. 20. Rom. ix. 5. (2.) Quod *Deus* appelletur, non *attributivè* tantum; ſed & *ſubjective* Act. xx. 28. 1 Tim. iii. 16. (3.) Quod *Deus* appelletur cum articulo ὁ Θεὸς Matth. i. 23. Luc. i. 47. Act. xx. 28. Tit. i. 13. Heb. i. 8. (4.) Quod non ſolum *æque*, ſed etiam *æqualiter* cum Patre, *Deus* appelletur Col. ii. 2. εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ Χριστοῦ 1 Theſſ. i. 3. (5.) Quod *Deus* appelletur διακριτικῶς, imo ἀντιθετικῶς ad θεὸς λεγομένους, καὶ μὴ φύσει θεὸς Conf. 1 Cor. viii. 5. Gal. iv. 8. 1 Theſſ. i. 9. cum Matth. xvi. 16. 1 Joh. v. 20. (6.) Quod non tantum ab exaltatione glorificationeque, ut Adverſarii volunt; ſed in media exinanitione *Deus* appelletur Matth. i. 23. 1 Tim. iii. 16. (7.) Quod *Deus Iſraëlis* vocetur (quâ appellatione, neminem præterquam *ſummum* Deum, inſigniri, ipſi fatentur Sociniani) Luc. i. 16. & Malach. iv. 5. Ubi, quem præceſſit Johannes Baptiſta, procul dubio fuit *Deus Iſraëlis*; aſt quem Johannes præceſſit eſt Chriſtus Luc. i. 17. 76. (8.) Quod David Pſal. cx. 1. & Thomas Joh. xx. 28. ipſum ap-

Argumenta Orthodoxorum.

pellent *Dominum* & *Deum ſuum*, cujus emphaſin urget Servator Matth. XXII. 43. 44. & Paulus Phil. XV. 19.

Pars Practica,

Generalis *nominum Servatoris*.

De praxi nominum Chriſti, monitum generale.

XXVII. Ad praxin antequam properemus, præmonendum, non tam à *nominibus* quam à *nominatis*, petendam praxin *ſingulorum* nominum: atque adeo cautè obſervandum eſſe, ſignificet nomen hoc aut illud, *naturam* in Mediatore, ſeu *divinam*, ſeu *humanam*; an *officium* ejus, vel propheticum, vel ſacerdotale, vel regium; an *ſtatum* humiliationis aut exaltationis; an hoc aut illud ejus *beneficium*: tum, ex collatis illis capitibus, ubi ſignificata illa expediuntur, praxeos argumenta petenda venient. E. g. nomen *Jeſu*, quia exprimit beneficium redemptionis, hinc ex capite de *redemptione*, petenda ſunt argumenta praxeos de nomine *Jeſu*. Hoc præmiſſo, pro duplici nominum Mediatoris contemplatione, *generali* ac *ſpeciali*, duplex quoque nobis accidet hujus capitis *praxis*.

Nomina Mediatoris generaliter invitant.

XXVIII. *Generalior* quidem nominum Mediatoris contemplatio nos invitat, *primo* ad *cognoſcendum* Mediatorem. Eſt enim hic primus nominum *uſus*, ut deducant in rei nominatæ *cognitionem*

1. Ad eum cognoſcendum.

nem, à quo *nomen* quaſi *novimen* dicitur. Hinc *nomen* Chriſti peculiariter, pro cognitione Chriſti, in Scripturis uſurpatur Joh. XVII. 6. 26. Rom. I. 5. Act. IX. 15. Huc ſpectat, uſitata Scripturis, tanta nominum ejus *coacervatio* Jeſ. IX. 5. 1 Cor.

Motivæ.

I. 30. 1 Tim. VI. 15. Quod cognitio Mediatoris ſit (*a*) *præſtantiſſima* Phil. III. 8. (*b*) *utiliſſima*, ad *juſtificationem* Jeſ. LIII. 11. ad *vitam æternam* Joh. XVII. 3. quando ejus *ignorantia* maximè eſt exitialis 2 Theſſ. I. 8. (*c*) *maxime neceſſaria*, ad credendum, amandum, colendum Mediatorem, abſque quo non eſt *ſalus*, neque *nomen* aliud dâtum Act. IV. 12. Peculiariter, nominum Mediatoris cogitatio, nos ducit in cogitationem, ejus (1) *perſonæ* ut θεανθρώπου, quo facit nomen v. g. *Immanuel*, *Ithiel* (2) *divinæ* naturæ, quo facit v. g. nomen *Jehova*, Θεὸς, λόγος (3) *humanæ* naturæ, e. g. *homo*, *filius* hominis, *germen* (4) *Officii*, quo ſpectat v. g. nomen *Chriſtus*, *Goel*, λυτρώτης, Propheta, Sacerdos, Rex &c. (5) Status *humiliationis*, à quo v. g. *ſervus*, *vermis indigitatur* (6) *Exaltationis*, à quo e. g. *Rex*, *Dominus*, *Rex Regum*, *Dominus dominantium* dicitur (7) *Beneficiorum*, à quo *Jeſus*, *redemptor*, *Jehova juſtitia noſtra*, *conſiliarius*, *ſapientia*, *juſtitia*, *ſanctificatio*, *redemptio*, *paſtor*, *Sol*, *ſcutum* &c.

Modus cognoſcendi.

denominatur. Conf. §. VI. & VII. hujus Cap. Invitat autem ad cognitionem Mediatoris, non qualemcunque, non A. purè *ſpeculativam* & otioſam; ſed *operoſam* ἐνεργουμένην Gal. V. 6. non B. *frigidam*; ſed *affectuoſam* ac dilectivam, quâ nobis *pretioſus* ſit 1. Pet. II. 7. ſupra omnia quæ in cœlo ſunt & in terra Pſal. LXXIII. 25. quâ ejus vel *ignominia* nobis ſit ſupra omnes *theſauros* hujus mundi Heb. XI. 25. &c.

2. Ad diſcernendum eum à quibuſvis aliis.

XXIX. *Secundo*, ad *diſcernendum* ipſum, à quibuſvis ſpuriis, ac *fucatis* Mediatoribus. Huc enim rebus *nomina* imponuntur, cum *propria*, tum *appellativa* (à quo *nomen* Dei *unum* dicitur Zach. XIV. 9.) ut ab aliis diſcriminentur quoad ſpeciem, pariter & individua Jeſ. XLII. 8. ab hoc nomen quaſi *notamen* audit. Nim. ut A. *Unicum* tantum habeamus Mediatorem 1 Tim. II. 5. B. Reliquos, & reliqua omnia *prætereamus* Pſal. XVI. 4. C. Uni *adhæreſcamus*, in uno fiduciam, ſpem, ſalutem & omnia collocemus Pſal. XVI. 6, Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. D. Unum *colamus*, audiamus Matth. XXIII. 9. 10. & IV. 10. E. Unum ſponſum nobis *eligamus*, unum caput, unum Dominum Cant. V. 10. Eph. I. 21. 22. 23. 1 Cor. VIII. 6. Eph. IV. 5. præteritis, pro ratione amoris *conjugalis*, quibuſvis aliis Pſal. LXXIII. 25.

3. Ad glorificandum eum.

XXX. *Tertio*, ad celebrandum & *glorificandum* Mediatorem. Cum enim (prout ſupra obſervavimus demonſtravimuſque lib. II. cap. IV. §. XVII.) A. *nomen* in ſacris paſſim notet *famam*, gloriam, exiſtimationem ac celebritatem magnam. B. *Viri nominis* ſint, quâcunque prærogativâ, licet *unâ* tantum, celebres. Et C. *nomen habere*, ſit ab omnibus prædicari, *celebrari*. Etiam D. *filii abſque nomine*, ignominioſi habeantur, terræ filii: quod non Mediatori competet? (1) in quem *tot* nomina, quorum quodque, *peculiarem* quandam dignitatem, perfectionem & eminentiam repræſentât, Deus in Scripturis cumulavit. Cui (2) ipſe Deus glorioſiſſimus *nomen dedit*, *quod eſt ſupra omne nomen*, *ut in nomine ejus ſe flectat omne genu*, *eorum qui in cœlis*, *in terra & infra terram ſunt* &c. Phil. II. 9. 10. 11. Idque (3) non purâ tantum ac putâ *gratia*; ſed ſuo inſuper *merito*, διὸ &c. Ibid. Imò & (4) gloriam *retulit*, quam dudum apud ipſum *habuit*, antequam mundi fundamenta jacerentur Joh. XVII. 5. Cum E. præſertim, ab hoc officio, paſſim jubeamur, noſtra perpetrare *in nomine Chriſti* h. e. in gloriam & laudem ejus Col. III. 17. Iſtam igitur Mediatoris noſtri eminentiam, quæ tantorum ac talium nominum congerie, nunquam ſatis repræſentari poteſt, nos, nunquid A. agnoſceremus *corde*? Pſal. XVIII. 2. 3. & CIII. 1. cum *intrinſeca* rei cujuſvis dignitas & eminentia fundamentum præſtet, omnis honoris & gloriæ. Nunquid B. celebraremus *ore*? Pſal. CXVI. 17. 18. 19. & XL. 10. 11. & XXII. 23. 26. Phil. II. 10. 11. Nunquid C. demonſtraremus *opere*? reverentiâ, cultu & quibuſvis aliis noſtris officiis 1. Pet. II. 9. Nunquid in eo ſolo gloriaremur? Phil. III. 3.

Rationes motivæ.

Quomodo glorificandus ſit.

XXXI.

4. Explicat ejus omnisufficientiam.

XXXI. *Quarto*, nominum Mediatoris, tanta in Scripturis coacervatio, quasi per particulas, nobis explicat, & ad animum revocat, absolutissimam, ejus *omnisufficientiam*, quâ servare possit εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 25. Utpote qui nobis sit *via*, *veritas* & *vita* Joh. XIV. 6. *sapientia*, *justitia*, *sanctificatio* & *redemptio* 1 Cor. 1. 30. *Consiliarius*, *Deus fortis*, *Pater æternitatis*, *Princeps pacis* Jes. IX. 5. super quo *requiescat spiritus sapientiæ & intelligentiæ*, *spiritus consilii*, *spiritus cognitionis & timoris Domini* Jes. XI. 2. ex cujus *copia*, possimus *haurire gratiam pro gratiâ* Joh. 1. 16. in quo possimus esse *consummati* Col. 1. 28. & II. 9. 10. sic ut in *nullo alio* sit *salus*, neque *aliud nomen* nobis suppetat *sub cœlo* Actor. IV. 12. Quæ omnia nobis inculcantur, tantâ nominum congerie, & omnisufficientiam Mediatoris repræsentant, ad hoc, ut (1) Ipsum per *fidem*, promptè & securè *recipiamus* Joh. 1. 12. *in nomen ejus credamus*. Ut (2) Ipsum præ omnibus *magnificiamus* Phil. III. 8. 9. 1 Pet. II. 7. (3) Toto corde *diligamus*, præ rebus quibusvis dilectissimis Matth. X. 37. 1 Cor. XVI. 22. (4) Ei indivulse *adhæreſcamus* Psal. LIII. 9. (5) Eum omni studio *quæramus*, desideremus Psal. LXIII. 2. & LXII. 7. 8. (6) In eo *acquiescamus* LXII. 2. 7. & LXXIII. 25. (7) In quavis necessitate, ad eum *confugiamus* Psal. LXII. 9. (8) Eum *exosculemur* Psal. II. 12. &c.

Quorsum.

5. Aluntur & exercitant memoriam Mediatoris.

XXXII. *Quinto*, ejus *memoriam* indesinenter circumferamus. Huc enim *nomina* spectant, ut sint *memorialia* Exod. III. 15. Psal. CXXXV. 13. Hos. XII. 6. Id quod Timotheo suo Apostolus tam solicitè inculcat 2 Tim. II. 8. Ejus nunquam *obliviscamur* Deut. VIII. 11. Alit enim A. hæc Mediatoris *memoria* fidem nostram, item spem, charitatem, fiduciam, solatium &c. Col. II. 2. 7. 10. B. Per eam Christus, quasi *habitat in cordibus nostris* Eph. III. 17. Col. III. 16. Adeoque C. Hæc Christum nobis continuo facit *præsentem* Matth. XXVIII. 20. 1 Cor. XIII. 12. Ut D. In quovis casu necessitateque, perfectionibus nominati *frui* possimus, ad ineffabilem animæ nostræ *dulcitiem* solatiumque 1 Pet. 1. 8. &c.

Motivæ.

Qualis esse debeat ista memoria.

Modo, ista Christi *memoria*, quæ à nominibus ejus recolitur, non sit (1) *Frigida*; sed affectuosa Psal. XLII. 5. (2.) *Iners* & otiosa, sed actuosa Apoc. II. 2. 5. *Memento & fac.* (3.) *Fluxa* & evanida; sed constans & semper præsens, semper vigens, quâ *servemus in memoriâ* 2 Tim. II. 8. nunquam obliviscamur Deut. VIII. 11. & XXXII. 15. &c.

Praxis nominis Jesu.

Praxis nominis Jesu:

1. Abusum no-

XXXIII. Fuit praxis nominum Mediatoris *generalis*; succedit *specialis*, nominum ejus præcipuorum: *Jesu*, *Christi*, *Domini*. Ergo nominis *Jesu* cogitatio, *primo* damnat abusum, qui committitur (1.) A Judæis contemnentibus, & *blasphemantibus* hoc nomen, quando, odio personæ, pro *Iesus* legunt & pronunciant *Ieschu* quod *mendacem* & impostorem sonat, imo auditâ nominis hujus pronunciatione, factâ à Christianis, ter exspuere dicuntur, additis verbis: *Deleatur nomen ejus*, quos, nisi respuerint, ex *ore suo exspuet* Jesus Apoc. III. 16. (2.) A magis, quid ad incantationes & veneficia, nomine *Iesu* blasphemè abuntur, quando v. g. fluxum sanguinis adjuraturi, cyclopicâ impietate, hic loquuntur verbis: *sta sanguis in venâ tuâ*, *sicut Iesus in pœnâ suâ*. Item ægrotas oves, ejus ope curare nituntur. Ad quos suo modo accedunt Pontificii, dum ejus pronunciatione, Satanam fugare, & quævis adversa, nituntur; unde in obvio quovis casu inopinato, continuo ipsis est in ore nomen *Iesu*. Scil. exemplo exorcistarum, qui commemorantur Act. XIX. 13. 14. per nomen *Iesu* conati ejicere dæmonas, atque etiam istius prophanationis pœnas, justo Dei judicio, ab ipsis dæmonibus consecuti. (3.) Ab ipsis, juxta & Lutheranis, qui cultum & gloriam, quæ *nominato* competit, traducunt ad *nomen*, quando nomen Jesu, aliis Mediatoris nominibus, imo ipso nomine *Iehova*, sanctius existimant, & ad ejus pronunciationem *genu* flectendum, aut *caput* aperiendum jubent, quos supra notavimus refutavimusque hujus Cap. §. XX. (4.) A Loiolitis, quibus parùm est, *cum aliis* à Christo denominari, nisi & à *Iesu præ aliis*, & cum contemtu aliorum, se ipsos *Iesuitas* denominent. Quod in *Elenchticis* dudum notavimus. (5.) Denuo à Pontificiis, quando, licet *ore*, ad superstitionem usque, profiteantur nomen *Iesu*; ipso tamen *facto*, (quatenus in seipsis, aut alibi quam in *Iesu*, salutem quærunt) negligunt, atque etiam sic satis abnegant. Quos itidem in *Elenchticis* notavimus. Denique (6.) Ab eisdem ac Lutheranis, quando nimium *luxuriant* in elevatione hujus nominis, dum non tantum reliquis omnibus, tum Mediatoris, tum Dei ipsius, sanctius ac præstantius prædicant, ut dudum monuimus; sed & quæ nominato propria sunt, ad nomen istud traducunt. Quando nomen exclamant, *inexpugnabile*, *adorabile*, *mirificum*, eique tribuunt, quod nos liberet ab insidiis atque tentationibus Satanæ, & ab omnibus calamitatibus: licet omnia ista soli personæ, quocunque nomine designatæ, conveniant. Damnat inquam, nominis *Iesu* devota cogitatio, omnem istum abusum: quod A. corruptio optimi per abusum, semper sit *pessima* 1 Pet. II. 7. 2 Cor. II. 16. 17. B. abusus nominis vergat ad *superstitionem*, quâ nomini tribuuntur, quæ nominato competunt, eoque vulgus rude adsuescat, nomen colere pro nominato Rom. I. 25. Id quod C. in vili-

Primus.

Jesu sextuplicem.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Sextus.

Mala hujus abusus.

pendium cedit *perſonæ* nominatæ Act. XIX. 13. 14. &c.

2. Nomen Ieſu commendat nominatum.

XXXIV. *Secundo* cogitatio nominis *Jeſu*, nominatum Mediatorem nobis commendat, ut 1. *Antiquiſſimum*; eſt enim nomen hoc antiquiſſimum, jam tum Jacobo Patriarchæ, cum teſtamentum conderet, ſic ſatis cognitum Gen. XLIX. 10. ex quo loco, & tribus trium verborum literis initialibus; יבא שילה ורן. R. Hakkadoſch apud Galatin. colligit nomen *Jeſu*, de quo verſ. 18. dicit Jacob, לישועתך קויתי יהוה. quod Chaldæus Paraphraſtes vertit: *redemptionem Chriſti filii David qui venturus eſt*, & LXX. Interpret. σωτήριον *exſpecto*. & Targum: *anima mea reſpicit ad redemptionem*. 2. *Amœniſſimum*, unde Paulus, uſque adeo delectatus eſt uſu hujus nominis, ut plus quam quingentis vicibus illud repetierit in epiſtolis ſuis. Et Bernardus, *mel in ore, melos in corde, jubilus* &c. Item *Jeſus ſpeculum viſui, mel guſtui, balſamus olfactui, floſque delectabilis tactui.* Ut 3. *Mirificum*, cum Apoſtoli perpetraturi miracula, plerumque uſi fuerint hoc nomine Marc. XVI. 17. Act. III. 6. & IX. 34. & XVI. 18. &c. Ut 4. *Invictum* & inexpugnabilem. Conf. Pſal. XX. 8. Prov. XVIII. 10. 1 Sam. XVII. 45. Ut 5. *Adorabilem* Joël. II. 32. cum Act. VII. 59. Ut 6. *Benedictum* ac benedicentem conatibus noſtris Luc. V. 5. Col. III. 17. atque etiam ſalvantem Act. IV. 12. Commendat, inquam, his aliiſque rationibus Mediatorem, ad hoc, ut (*a*) magni ipſum *faciamus* Phil. III. 8. (*b*) *celebremus* Cap. II. 11. (*c*) nos ei promptius *ſubmittamus*, ei genua cordis flectamus. Ibid. verſ. 10. Pſal. II. 11. 12. (*d*) in eo gloriemur Cap. III. 3. & Cap. I. 26. Pſal. XXXV. 9. &c.

Quarſum?

3. Nomen Jeſu præſtat ſolamen.

XXXV. *Tertio*, ſuppeditat in quibusvis adverſis ſuaviſſimum *ſolamen*. Eſt enim *cornu* ſalutis Luc. I. 69. Anſelmus: *omnia nobis eſt Jeſus, ſi curari deſideras, medicus eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt: guſtate igitur quam ſuavis eſt Dominus.* Et Bonaventura: *Jeſu ſalutis hoſtia, ſalutis ſacrificium; Jeſu ſalutis gratia, ſalutis beneficium: Jeſu tuta fiducia, atque, tutum refugium: Jeſu largitor venia: Jeſu ſolamen triſtium: Jeſu ſpes pœnitentium: Jeſu dulcis memoria, ſitibunda dilectio: Jeſu dulcis fiducia, lætabunda refectio: Jeſu ſalutis oſtium: Jeſu porta tutiſſima: Jeſu protector omnium: Ieſu ſalubris veritas, & lux mentem illuminans: Ieſu vita felicitas, dulcor in corde jubilans. O bonitas bone Ieſu, qui es noſtra juſtitia! O veritas vere Ieſu, qui es noſtra ſcientia! O charitas chare Ieſu, qui es noſtra redemptio! O ſanctitas ſancte Ieſu, vera ſanctificatio, tu nos à culpa eximas, & vitæ lumen tribuas* &c.

Mala adverſus

Nominatim ſolamen præſtat (1) In *peccatis* Matth. I. 21. Act. X. 43. (2) In Diaboli *inſidiis* Rom. XVI. 20. Luc. XI. 21. (3) In tentationibus 1 Cor. X. 13. Heb. II. 18. & IV. 15. (4) In cunctis *adverſitatibus* Prov. XVIII. 10. Salvat enim A. à Culpa, per *remiſſionem* Act. X. 43. B. à Pugnâ, per *defenſionem* Pſal. XX. 2. 8. C. à Valetudine adverſa, per *curationem* Marc. XVI. 17. 18. 19. Act. III. 6. &c. Modo (1) ſimus de *populo* ejus Matth. I. 21. *oves* ejus Joh. X. 7. 11. (2) ad ipſum *veniamus*. Ibid. verſ. 9. Matth. XI. 28. Apoc. XXII. 17. Jeſ. LV. 1. (3) in ipſum *credamus* Joh. I. 12. Act. X. 43. (4) ipſi *morigeros* nos præſtemus Apoc. XXII. 14. Heb. V. 9. (5) in ipſo *acquieſcamus*. Pſal. LXXIII. 25. (6) ipſum *invocemus* Pſal. XXV. 3.

quæ ſolatur.

Requiſita illorum quos ſolatur.

4. Erigit nomen Ieſu, ad varia officia nominato præſtanda.

XXXVI. *Quarto*, ſuadet in *uſus* noſtros, hoc nomen ſolicite convertamus, ad erigendam A. *Gratitudinem* noſtram verſus Deum, quod, puro amore, talem nobis dederit *Jeſum* Joh. III. 16. Jeſ. IX. 5. Luc. I. 68. noſque per eum *ſervare* dignetur Hoſ. I. 7. B. *Agnitionem* & ſenſum peccatorum, & miſeriæ noſtræ Matth. XI. 28. à quibus nos liberet Matth. I. 21. C. *Deſiderium* ſalutis Apoc. XXII. 17. Pſal. XLII. 1. Jeſ. LV. 1. Joh. VII. 37. D. *Fidem* in ipſum Act. X. 43. E. *Reſipiſcentiam* à peccatis, odium verſus ea, ſtudium bonorum operum Tit. II. 14. 2 Tim. II. 19. F. *Glorificationem* ejus Phil. II. 11. Luc. I. 32. G. *Cultum*, reverentiam & ſubmiſſionem verſus ipſum Phil. II. 10. Pſal. II. 11. 12. &c. Si enim hæc neglexerimus: A. Nobis *inutilis* erit Gal. V. 4. Joh. V. 40. Imò B. *Noxius* & exitioſus Rom. IX. 32. 33. Pſal. II. 12. Quando C. diligenter uſurpatus, *plenitudinem* præſtabit, *ex qua gratiam hauriamus pro gratia* Joh. I. 16. ut in eo ſimus per omnia *conſummati* Col. I. 19. & II. 9. 10. &c. Conf. præcedentia, & quæ ſuo loco, ἐν Θεῷ, occurrent in Cap. *de Redemptione*.

Rationes motivæ.

Praxis nominis Chriſti & Chriſtiani.

Praxis nominis Chriſti aliunde petenda.

XXXVII. Succedit praxis nominis *Chriſti*: quod, cum non dicat niſi ſegregationem, qualificationem, & inaugarationem ad manus ſuum mediatorium, monet praxin ſui repetendam eſſe ex Capp. de *Mediatore*, & de *functionibus Mediatoriis*: nec eſſe hujus loci, niſi ea officia, quæ reſultant à *communicatione* nominis, qua *Chriſtiani* deſignamur, & *unctionis*, quaſi *conſortes* ſumus Pſal. XLV. 8. Heb. I. 9. Ab hac communicatione nobis argumentum ſuppetit: *primo gloriationis* 1 Pet. IV. 16. Phil. I. 26. & III. 3. Jeſ. LXI. 3. 6. & LXII. 2. Eo quod (1) Nos à *ſeipſo* denominaverit Deut. XXVIII. 10. Jer. VII. 10. 11. 14. 30. Quod (2) eo ipſo nos ſibi redegerit in *peculium* Jeſ. XLIII. 6. 7. & XLIV. 5. in ſponſam, in filios, in membra, utpote quæ à maritis, parentibus, capite, denominari conſueverunt. Conf. Joh. I. 12. 1 Joh. III. 1. Heb. II. 10. 13. Quod (3) unctionis *propria*

Praxis nominis Chriſtiani eſt; 1. Gloriari in Chriſto.

pria nos fecerit participes, à quo *consortes*, חברים, *socii* Psal. XLV. 8. μέτοχοι Heb. I. 9. dicimur, eaque (4) dignitatem *propheticam* Act. II. 7. Joel. II. 28. *sacerdotalem* Apoc. I. 6. & V. 10. XX. 6. 1 Pet. II. 5. 9. Jes. LXVI. 21. & *regiam* Apoc. I. 6. 1 Pet. II. 9. communicaverit. Ad hoc (5) *eodem* secum *Spiritu* unxerit 2 Cor. I. 21. Ut ab his omnibus, quantumcunque contemti & abjecti in mundo, *unctorum Domini* titulo possimus gloriari Psal. CV. 15. & gloriari *in Domino* Jer. IX. 23. 24.

2. Consolari in quibusvis adversis.

XXXVIII. *Secundo consolationis*: (1) In *communibus* quibusvis vitæ hujus miseriis, à peccato oriundis, qualia sunt molestus labor, anxia solicitudo, morbus, paupertas, contemtus, bella, mors, & alia, quæ Apostolus recensèt Rom. VIII. 35. & per catalogum experitur 2 Cor. XI. 23. ad finem usque. (2) In *proprus* Christianorum odiis, contumeliis, persecutionibus hostium, quæ nominis Christiani indivulsa sunt consectaria Matth. X. 38. & XVI. 24. 2 Tim. III. 12. Luc. XXIV. 26. Act. XIV. 22. Unde Tertul. Apolog. c. 3. *Odiosissimum est sine causa hoc nomen. Bonus vir Cajus, Sejus; sed malus tantum quod Christianus; nomen, non crimen in nobis damnatur, & ignotam sectam vox sola prædamnat, quia nominatur, non quia revincitur. Odio est in hominibus innocuis, nomen innocuum.* Conf. Tacitus lib. XV. *Ergo abolendo rumori (scil. quod Nero jussisset accendi Romam, ut spectaret formam Trojani incendii) subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat* &c. (3) In *tentationibus* Satanæ 2 Cor. XII. 7. & XI. 3. quibus maximè expositi sunt Christiani Eph. VI. 12. 2 Cor. X. 3. 4. (4) In *desertionibus* spiritualibus Psal. XIII. 2. & XLIII. 2. & LXXVII. 8. 9. 10. & LXXXVIII. 15. 16. 17. 18. &c. In his aliisve quibusvis, egregie solatur A. pati ut *Christianum* 1 Pet. IV. 16. B. ut *discipulum* (quod cum *Christiano* coincidit) portare *crucem Christi*, imo *suscipere* Luc. IX. 23. in cruce *conformem* fieri Christo Rom. VIII. 17. 29. C. per Christianum nomen *appropriatum* esse Christo, ut ejus *peculium* Jes. XLIX. 15. 16. Jer. XIV. 9. D. Ipsum proinde nostri *curam* in adversis habere, tanquam sui ipsius Act. IX. 4. Conf. Deut. XXXII. 10. Zach. II. 8. Psal. XVII. 8. & qui ad hoc ipse passus sit, ut nobis possit συμπάσχειν Heb. IV. 15. Quin & E. Nos ut suos *consortes* (μετόχους) eodem *Spiritu* gaudii unxisse Psal. XLV. 8. Heb. I. 9. qui nobis præstet *Consolatorem* Joh. XIV. 16. 27. & XV. 26. qui *amorem Dei effundat* in corda nostra, ut possimus *gloriari in adversis* Rom. V. 3. 5. συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν Rom. VIII. 26. &c.

Casus in quibus solatur

Argumenta consolatoria.

3. Reprehendere.

XXXIX. *Tertio reprehensionis*, eorum qui A. *nomen* Christiani captant absque *omine*, qui *dicunt Domine Domine*; sed *non faciunt* &c. Matth. VII. 22. qui *Judæi* sunt in *publico*; sed non in *occulto*, quos notat Apostolus Rom. II. 28. 29. qui B. Christum *ore* profitentur; *facto* etiam *abnegant* Tit. I. 16. qui *nomen* habent quod *vivant*; sed opere ostendunt *se mortuos* esse Apoc. III. 1. qui *dicunt* se *Judæos* esse; sed revera sunt è *synagoga Satanæ* Apoc. III. 9. qui C. Christum profitentur *ore; conversatione* Satanam, mundum, carnem sequuntur Joh. VIII. 44. Psal. XVII. 14. 1 Joh. II. 15. Phil. III. 19. adeoque pro *Christianis*, reapse se *Satanicos*, mundanos, carnales, demonstrant: qui D. In alio quovis *gloriantur*, quam in Christo Phil. III. 3. seque ab *alio*, quam à *Christo*, denominari avent, v. g. à Luthero Lutheranos, de quibus Paulus 1 Cor. I. 12. Isti reapse (1) sese *mendaces* præstant Apoc. III. 9. (2) Christum *abnegant* Tit. I. 16. (3) ab ipso vicissim *abnegandi* Matth. X. 33. (4) *seipsos* fallunt Gal. VI. 3. Jac. I. 22. (5) ab ipso in extremo judicio *reprobandi* sunt Matth. VII. 22. Psal. L. 16.

Quos?

Quibus argumentis.

4. Hortari.

XL. *Quarto adhortationis*, ut omni conatu, sicut sumus *nomine*; ita nos *re* præstemus *Christianos*. Hoc est (1) Cum, ex impositione & receptione *nominis*, facti simus ejus *peculium*: non jam *nobis*; sed *ipsi* vivamus ac moriamur Rom. XIV. 7. 8. 1 Cor. VI. 19. 20. H. e. (a) In ejus *gloriam* Phil. I. 20. (b) ex ejus *præscripto* Heb. V. 9. (c) ex ejus intrinseco *ductu* Gal. II. 20. (2) Cum per communionem *unctionis*, nomine *Christiani* obsignatam Psal. CXXXIII. 2. facti simus (a) *Prophetæ* Act. II. 17. nomen ejus intrepidè *nominemus*, seu profiteamur 2 Tim. II. 19. Matth. X. 32. 1 Joh. II. 23. (b) *Sacerdotes*, *nos* ipsos ei sacrificemus totos Rom. XII. 1. & *vitulos* labiorum nostrorum Hos. XIV. 3. Heb. XXII. 15. atque etiam *eleemosynas* Heb. XIII. 16. (c) *Reges*, pro Christo *præclaram pugnam* decertemus 2 Tim. IV. 7. (3) Cum Christiani simus, eoque *discipuli* Christi, quæ duo quondam *synonyma* erant Act. XI. 26. A. Christum in omnibus *audiamus*, velut unicum nostrum *Doctorem* Matth. XXIII. 8. 10. Deut. XVIII. 18. 19. B. Nos ipsos, omniaque nostra *abnegemus* Luc. IX. 23. Phil. III. 7. 8. 9. C. Christum *sequamur* Matth. XVI. 26. ipsius *vestigia* premamus Matth. XI. 29. 1 Cor. XI. 1. Phil. II. 5. Eph. V. 1. 2. (4) Cum *nomen Christi* nominemus omnem *injustitiam deseramus* 2 Tim. II. 19. (5) Cum *Christiani* simus; omni virtuti *Christianæ* operum demus, ut simus puri, *sicut ipse purus est* 1 Joh. III. 3. 2 Cor. VII. 1. Hac ratione ℵ. *Membra* Christi erimus, & *corpus Christi* mysticum 1 Cor. XII. 12. ב. Christo *moriemur*, & in morte ipsa, *Christi erimus* Rom. XIV. 7. Alias ג. Christi *membra* deturpabimus 1 Cor. VI. 15. ד. Imo ipsum *abnegabimus* Tit. א. 16. & ה. Ab ipso vicissim *abnegabimur* Matth. VII. 22. 23. Conf. §. XXXIX. *Et Casman. Christianum Re & Nomine.*

Ad quæ officia?

Quibus rationibus motivis?

Nomen Domini noſtri ſuppeditat

Praxis nominis Domini noſtri.

XLI. Agmen claudat praxis nominis, *Domini noſtri*, cujus etiam materia ſuppetet ex Capp. de *Officio Chriſti Regio*, & de *Statu glorific.* Suggerit item hic titulus argumentum: *Primo* glorificationis, unde *Dominus gloriæ* appellatur 1 Cor. II. 8. cui *majeſtas* competat & gloria Pſal. XLV. 4. 5. item *Rex Regum*, *Dominus dominantium* Apoc. XVII. 14. & XIX. 16. quem, ad hoc, Deus *Dominum* fecit & Chriſtum Act. II. 36. Jeſ. XLIX. 5. & LV. 5. Jer. XXX. 21. Mich. V. 4. ſcil. ut *Filium honoremus ſicut Patrem* Joh. V. 23. Utpote cujus Dominium eſt (a) *Cœleſte* 1 Cor. XV. 47. Joh. XVIII. 36. (b) *Omnipotens* Matth. XXVIII. 18. Pſal. VIII. 7. (c) *Univerſale* Joh. V. 22. 27. ad extremitates terræ, imo & cœlorum Phil. II. 10. ſeſe profundens Pſal. II. 8. (d) *Æternum* Dan. II. 44. & VII. 14. (e) *Spirituale*, in ipſas animas & *conſcientias* Joh. XVIII. 36. 1 Cor. VI. 20. &c. Glorificamus autem Dominum: A. *Agnoſcendo* corde, naturam & præſtantiam dominii ſui Pſal. CIII. 1. Heb. VIII. 11. Jeſ. XLV. 3. 5. B. *Prædicando* ore Phil. II. 11. Apoc. IV. 10. 11. C. *Demonſtrando* opere Matth. VII. 21. Conf. §. XLV. &c.

1. Argumentum glorificationis.

Officia glorificationis.

XLII. *Secundo* conſolationis, in quavis calamitate, cum corporali; tum ſpirituali: cum publicâ; tum privatâ: cum in vitâ, tum in morte. Huc ſpectat illa malorum congeries Rom. VIII. 35. 36. 38. 39. de quâ tandem triumphat Apoſtolus, cogitatione ejus amoris, qui eſt *in Chriſto Jeſu*, *Domino noſtro*. Et quid tandem efficacius obtundere poſſit aculeum cujusvis mali? quam cogitare: 1. Quod *corpore* & *animâ* 1 Cor. VI. 20. in *vitâ* pariter & in *morte* Rom. XIV. 7. 8. Domino Jeſu ſimus *proprii* 2. Quod Dominus iſte noſter, cujus ſumus peculium, ſit (a) *Sapientiſſimus*, qui omnem noſtram miſeriam intimè perſpiciat Joh. II. 4. Jeſ. LXVI. 1. Marc. VIII. 3. (b) *Potentiſſimus*, qui ſervare poſſit εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 25. qui ſolo *verbulo* graviſſima mala, ipſamque adeo mortem, propulſaſſe, paſſim legitur in Euangelio, per quem & *ſui* omnia poſſunt Phil. IV. 12. 13. (c) *Clementiſſimus*, & maximè miſericors Heb. IV. 15. unde vulgatum illud in Euangelio, σπλαγχνίζομαι Matth. XV. 32. XX. 34. Marc. I. 41. &c. Jeſ. LIV. 8. & XLIX. 14. 15. Quod proinde 3. Dominum habeamus, qui (1) *poſſit* ſervare, ut *Deus fortis* Jeſ. IX. 5. Et qui (2) *velit*, ut miſericors & promptiſſimus Redemptor Matth. VIII. 2. 3. Marc. I. 40. Luc. V. 12. Matth. XV. 28. Imo (3) qui dudum nos emerit proprio *ſanguine* 1 Pet. I. 18. 19. & redemerit à poteſtate Diaboli Heb. II. 14. 15. Inſuper quod talem habeamus Dominum, qui & *liberatos* dudum, poteſt & vult potenter *conſervare* Joh. X. 28. uſque adeo, ut citra ejus *nutum*, ne capillus quidem, poſſit prolabi de capite ſuorum Matth. X. 30. Luc. XXI. 18. Quin & adeo *gubernare*, ut quodvis malum vergat in eorum, non detrimentum; ſed *emolumentum* Rom. VIII. 28. ſic ut etiam poſſint *gloriari* in adverſis Rom. V. 5. 6.

2. Argumentum conſolationis.

Argumenta conſolatoria.

XLIII. *Tertio reprehenſionis*, eorum, qui *Dominum* Jeſum 1. non *agnoſcunt*, ut Gentiles, Judæi, aliique palam *infideles*, de quibus 1 Cor. II. 8. Aut 2. agnoſcunt *voce tantum*; ſed non *facto* Matth. VII. 21. Tit. I. 16. Quin 3. *rejiciunt*, aſpernantur Luc. XIX. 14. Imo 4. palam ei *obtuntur* Pſal. II. 1. 2. 3. Atque etiam 5. eum *perſequuntur* in ſuis Act. IX. 4. 5. Ad minimum 6. licet ipſum profiteantur *ore*, atque etiam utcunque amplectantur *corde* ut Jeſum, ut Chriſtum, ut Sacerdotem; attamen non amplexantur ut *Dominum* Matth. VII. 21. cum Act. II. 36. Col. II. 6. qui volunt quidem cum eo *dominari*; ſed non *pâti* Matth. XX. 21. 22. 25. 26. 28. cum 2 Tim. II. 12. Iſti omnes (1) *Hoſtes* ſunt Chriſti, ſeu palam, ſeu clàm Phil. III. 18. Luc. XIX. 27. (2) Volentes nolentes, ipſum experientur *Dominum*, regnantem in medio *hoſtium* ſuorum Pſal. CX. 1. Act. II. 34. 35. Phil. II. 10. Eoſque (3) conterentem *virgâ* ſuâ *ferreâ*, & confractos ſicut vas figuli, diſpergentem Pſal. II. 9. Et tandem (4) penitus *occidentem* Luc. XIX. 27. Pſal. II. 12.

3. Argumentum reprehenſionis. Peccata reprehendenda. Rationes reprehenſoriæ.

XLIV. *Quarto explorationis*, cum 1. Non omnes, qui *dicunt Domine Domine* Matth. VII. 21. ſint *Domini* Rom. XIV. 7. ſeque multi ſuâ profeſſione turpiter *decipiant* Jac. I. 22. Quin 2. cum æterno ſuo *exitio*, ſeipſos decipiant Matth. VII. 22. & XXV. 44. 46. Dum contra 3. jucundiſſimum, pariter & utiliſſimum accidit, in ſpiritu & veritate perſuaſum eſſe, quod Jeſus ſit *Dominus ſuus* Joh. XX. 28. Gal. II. 20. eſt omnino, quod ſerio nos ipſos exploremus, ſitne Chriſtus peculiariter Dominus *noſter*. Id verò, quibus tandem indiciis certò aſſequemur? Reſp. In his *primum* eſt, *agnitio* ejus Joh. X. 14. Jer. XXXI. 34. Jeſ. LIII. 11. 2 Theſſ. I. 8. Non ſanè *qualiſcunque*, iners & otioſa; ſed experimentalis & *practica* Phil. III. 8. 10. *Secundum*, *abnegatio* ſui ipſius Luc. IX. 23. carnis & *cupiditatum* carnalium Gal. V. 24. rerum quarumvis *mundanarum* Pſal. XVI. 5. & LXXIII. 25. 26. *Tertium*, *receptio* Chriſti per fidem facta Joh. I. 11. 12. Col. II. 5. 6. Gal. II. 20. utpote quâ, ex promiſſione, Chriſtus *noſter* fit Apoc. XXII. 17. *Quartum*, ſui ipſius *redditio* 2 Cor. VIII. 5. *Quintum*, *conſæderatio*, quaſi conjugalis Cant. II. 16. *Sextum*, *dilectio* ſuperlativa. Matth. X. 37. 39. *Septimum*, dilectio cum *præteritione*, & contemptu aliorum omnium Phil. III. 7. 8. Cant. V. 9. *Octavum*, *obedientia* Joh. X. 27. 2 Theſſ. I. 8. *Nonum*, ſtudium *imitationis* & ſanctitatis 1 Joh. II. 6. & III. 3.

4. Argumentum explorationis. Motivæ. Signa.

XLV.

5. Argumentum adhortationis. officia.

XLV. *Quinta adhortationis*, ſi Dominus eſt, & Dominus *noſter*: 1. Nos ejus *ſervos* agnoſcamus Rom. I. 1. Phil. I. 1. Eph. VI. 6. conſequenter 2. Ei *obediamus* Eph. VI. 5. Col. III. 22. cum Heb. v. 9. 2. Theſſ. I. 8. porro 3. Eum *revereamur*, veneremur Mal. I. 6. Pſal. XXII. 24. Joh. v. 23. inſuper 4. Et nos *ſubmittamus* Eph. v. 24. 1. Pet. v. 5. Heb. II. 8. Phil. II. 10. etiam 5. Eum *diligamus* Eph. VI. 23. Matth. X. 37. porro 6. Ejus *gloriam* ubique quæramus Phil. I. 20. Jac. II. 1. ad hæc 7. Ejus *cauſam* ferio agamus Phil. II. 21. 2. Cor. v. 15. Et quæ ſunt ejus generis officia plura, ſervorum verſus Dominos ſuos, ingenuè obſervemus. Sed operam demus, ut id agamus

Modus. (a) Corde & *ſpiritu* Rom. VI. 17. Eph. VI. 6. Col. III. 22. (b) Non dicto tantum, ſed & *facto* Matth. VII. 21. 22. & XV. 8. (c) Non ad tempus, ſed *conſtanter* Phil. II. 12. Pſal. XVI. 8. (d) Non in hoc tantum & illo caſu, ſicut Herodes Johannem audiebat Marc. VI. 20. ſed κατὰ πάντα Col. III. 22. (e) Nec in conſpectu tantum hominum, ἐν ὀφθαλμοδουλείαις, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι Col. III. 22. quemadmodum Phariſæi Matth. VI. 2. 5. *ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum* Eph. VI. 5. 6. (f) Non coactè; ſed *libere* ac promptè Eph. VI. 7. Jer. XXX. 21. Pſal. CX. 3. &c. Ad hoc enim Motivæ. A. *Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, & vivificatus eſt, ut mortuis & vivis dominaretur* Rom. XIV. 9. B. Nos ſibi acquiſivit tanto *precio* 1 Cor. VI. 20. 1 Pet. I. 18. 19. Tit. II. 14. C. Nos redemit è *poteſtate* ſatanæ Heb. II. 14. 15. cum Luc. I. 74. 75. D. Nosipſos Chriſto *addiximus* 2. Cor. VIII. 5. cum Rom. VI. 16---19. & quid E. facilius etiam ac *jucundius eſt*, quam ſervire Domino Jeſu? Matth. XI. 30. 1 Joh. v. 3. Imò F. quid *utilius*? Jeſ. XLIX. 3. 4. 1. Cor. XV. 58. Tandem G. quid magis *neceſſarium*? 1. Cor. XVI. 22. &c.

CAPUT QUARTUM,

DE

Perſonâ Mediatoris.

Joh. I. 14.

Verbum caro factum eſt.

Connexio cum præcedentibus.

A *Nominibus* Mediatoris, ad *nominatum*, ſeu ad contemplationem *perſonæ*, rectâ progredimur, unionem duarum naturarum in unâ perſona, cogitaturi ſecundum manuductionem pericopes Joh. I. 14.

Pars exegetica.

Textus reſolvitur & explicatur.

II. *In quâ* aſſumtio humanæ naturæ, *facta à ſecundâ deitatis perſona, ſeu unio duarum naturarum, in una Mediatoris perſona, repræſentatur tribus particulis: ſcil.*

1. Aſſumens *perſona*, ὁ λόγος, verbum, ſermo. *Significatur procul dubio* Filius Dei 1 Joh. I. 1. Apocal. XIX. 13. Luc. I. 2. *ex collat.* 2 Pet. I. 16. & *ut puto* Act. XX. 32. Heb. IV. 12. *vel ex* Pſal. XXXIII. 6. *vel ex hiſtoria creationis, ubi ſæpius repetitur:* dixit Deus, & factum eſt. *Utpote per quem Deus omnia condidit. Nullibi dicitur ῥῆμα; quod* λόγος *perfectius quid ſignificet: dum enim* illud, vocabulum *proprie ſonat; hoc* orationem: *illud ad* mentem & *voluntatem proprie ſpectat; iſtud* nunquam *eo refertur. Hebræis dicitur* דבר Pſal. XXXIII. 6. & CXLVIII. 8. *Conf. Maimonides* More Nebuch. lib. I. cap. XXIII. & LXV. & LXVI. *Chaldæi, non illis tantum locis, ubi apud Hebræos eſt* דבר; *ſed aliis etiam, illis maxime, ubi de miraculis, de prophetia, aut ſingulari Dei auxilio ſermo eſt: item ubi in Hebræo eſt*, facies Dei, manus, oculus, *obſervante Grotio; utuntur* מימרא. *e. g.* Jeſ. XLV. 12. Ego feci terram, *Chaldæus habet*: ego in verbo meo feci terram, & Cap. XLVIII. 13. Manus mea fecit terram. *Chaldæus habet*: verbo meo fundavi terram, *quos ſequitur Petrus* 2 Pet. III. 5. Cæli erant verbo Dei. *Idem etiam paſſim pro* יהוה, *ponit* מימר יהוה verbum Domini, *ut* Gen. III. 9. & VI. 6. Exod. XIX. 17. Job. XLII. 9. Pſal. II. 4. *Syrus pro* λόγος, *habet* מלתא. *Etiam vox* λόγος *nota fuit Philoſophis, imprimis Platonicis, ſic Heraclitus apud Amelium, Zeno, laudatus à Tertulliano*, adv. Gent. Apud veſtros quoque ſapientes λόγοι, id eſt ſermonem atque rationem, conſtat

ſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione formaverit. *Idem innuit Seneca, Stoicos ſecutus* Epiſt. LXV. *aliique plurimi, imprimis Amelius, qui, lectis verbis Johannis*, per Jovem *inquit*, barbarus iſte, cum noſtro Platone ſentit, verbum Dei in ordine principii eſſe conſtitutum. *Si quaris, quamobrem non* Filium Dei *nominet Johannes? Reſponderi poſſit, quia iſtud nomen, doctis, tum Judæorum, & Gentilium, nec peregrinum, nec ingratum erat, dum Judæi* Filii *nomen in divinis, odio proſequerentur, velut unitati divinæ contrarium; tum etiam accomodatius erat ſuo propoſito*, omnia per ipſum facta eſſe Joh. I. 1. *quatenus omnibus notum erat ex* Pſal. XXXIII. 6. verbo Domini omnia facta eſſe *Si porro quæras, quare Johannes Filium Dei λόγον appellat? Dici poſſit: tum quia ſimilis eſt ſermoni hominis* interno, *h. e. vel inſitæ & naturali* mentis: *rationi; vel* effecto *illius, nim. cogitationi illius, ſive orationi mentis: tum potius, quia Deus omnia quæ ad opus, ſive creationis, ſive redemtionis ſpectant, non manu admota peregit (id quod humanæ imbecillitatis nota eſt) ſed ſolo nutu atque* verbo, *ſive per Filium* Apoc. IV. 11. *Forte etiam, ut ſignificaret, illum eſſe Meſſiam, toties in V. Teſt.* dictum *ſeu promiſſum* 2 Sam. VII. 21. cum 1 Paral. XVII. 19. *addi poſſit, quia unicus eſt, Patris ſeu paterni conſilii* interpres, *ut verbum vocale, noſtræ mentis, atque voluntatis eſt interpres* Joh. I. 18. Matth. XI. 27. *Modo hæc* ſola *ratio non dicatur, quemadmodum Socinani volunt: Socin.* Cont. Wiekum cap. V. *Oſiorodus* Inſtit. Relig. Chriſt. Cap. XVII. *& alii, ſuis hypotheſibus inſervientes, nim. ſic dici à* ſolo *officio Mediatorio, quod* internuncium, *vocem, & oratorem egerit Patris apud homines. Reformati hoc quidem admittunt pro ratione minus principali, ex* Joh. I. 18. *ſed addunt, principaliter eum ſic dici ab æterna perſonæ exiſtentia, qua Patris λόγος* æternus *eſt, per ſe ſubſiſtens, eique ὁμοούσιος, ut vel ex eo patet quod dicatur* omnia per ipſum condidiſſe Joh. I. 1. 2. *Quo ſenſu etiam ejus* ſapientia Prov. VIII. 22. imago Col. I. 14. 15. *& character τῆς ὑποστάσεως Patris indigitatur* Heb. I. 3. *Ut uno hoc nomine, hæc quatuor connotentur:* 1. Perſona *Trinitatis.* 2, *præciſè* ſecunda 3. *non creata; ſed creans*, divina 4. *quæ* Mediatorem *agit, ſeu* Oratorem *Patris.*

2. Aſſumtum, *ſeu natura humana, σὰρξ* caro, *Quæ hic quidem ſonat, non* α. corruptionem carnalem, *ſicut* Joh. III. 6. Rom. VII. 5. *quæ in Mediatorem θεάνθρωπον cadere, nullo modo poteſt: nec* β. *alteram tantum humanæ naturæ* partem *eſſentialem, nim.* corpus Rom. IX. 5. *non quod* animam *humanam non aſſumſerit, ut impie ſtatuebat Apollinaris: ſed notat* 1. *quod in Chriſto contradiſtinguitur* Spiritui, *ſeu* divinæ *naturæ, quod eſt tota ejus humana natura* 1. Tim. III. 16. 1 Pet. III. 18. *paſſim enim per* carnem *in Scripturis ſignificatur* homo *& humanitas* Gen. VI. 12. Pſal. LXV. 2. Jeſ. XL. 5. 6. *&* LXIX. 26. *&* MXVI. 16. Matth. XXIV. 22. *tum* 2. partes *humanæ naturæ corpus & animam* Eph. II. 15. Heb. II. 14. *tandem* 3. affectiones *& infirmitates corporeas, abſque peccato* Heb. V. 7. Pſal. LVI. 4. *&* LXXVIII. 39. *&c. Sed, cum per* carnem *ſignificatam vellet* humanam *naturam; quamobrem non dixit, ſermo* homo *factus eſt? Reſp.* 1. *ut* veritatem *humanæ ſuæ naturæ, efficacius comprobaret.* 2. *ut divinam & humanam naturam accuratius diſtingueret. Judæi enim* carnem & ſanguinem *Deo opponere ſolebant* Matth. XVI. 17. Gal. I. 16. *porro* 3. *ut amplius exaggeraret profunditatem humiliationis ſuæ, quatenus aſſumſerit* carnem, *viliorem humanæ naturæ partem. Ut* 4. *medicinam morbo noſtro convenientem applicaret, carnem à nobis ſpoliatam omni bono, & fœde depravatam ſanaret, ut notat Juſtinus, & ex eo, Lyranus.*

3. Aſſumtio, *ſeu actus aſſumendi, ἐγένετο* factum eſt, *ſeu* evaſit, *ſermo evaſit caro. Non ſane* permutatione, *divinæ naturæ aut perſonæ, in carnem ſeu humanam naturam, ut Anabaptiſtæ multi volunt: cum divina perſona, ſit per naturam*, immutabilis Mal. III. 6. Jac. I. 17. *neque etiam* confuſione *naturarum, ſicut olim volebant Eutychiani. Verum ſic verbum caro factum eſt*, non ut deſineret eſſe quod fuit; ſed ut inciperet eſſe, quod non fuit, ut verbum ſeu Filius Dei, verè homo fieret, *ſicut Theodoretus in tribus dialogis de* incommutabilitate; inconfuſione & impaſſibilitate, *copiose diſſerit. Juxta tritum illud:*

Sum quod eram, nec eram quod ſum, nunc dicor utrumque.

Cum igitur, nec permutatione, nec confuſione, verbum factum ſit caro; quomodo tandem? Aſſumptione Phil. II. 7. Heb. II. 14. 16. *qua non ſignificatur, niſi perſonæ divinæ aſſumentis, cum humana natura aſſumta, perſonalis & individua unio.*

Pars Dogmatica.

In unâ Mediatoris Perſona, duæ ſunt naturæ.

III. Sunt igitur in Chriſto Mediatore *duæ* naturæ, divina & humana, ita ſecum invicem *unitæ*, ut una inde reſultet ejus *perſona*. Huc enim ὁ λόγος (divina perſona) factus dicitur *caro*, non per-

permutatione, ſed *aſſumtione*, ut nim. cum eâ unam conſtitueret *perſonam*. Hinc (1) עמנואל, *nobiſcum Deus* appellatur Jeſ. VII. 14. Matth. I. 23. (2) *puer & filius* Jeſ. IX. 5. illud reſpectu *humanæ*, hoc reſpectu *divinæ* naturæ. Etiam (3) איתיאל *mecum Deus* Prov. XXX. 1. (4) Diſtinctè in Scripturis ei aſſeritur A. *Divina* natura, ut ſupra docuimus lib. II. cap. 26. & B. *Humana*, quando *puer* dicitur Jeſ. IX. 5, *germen* Jeſ. XI. 1. & LIII. 2. *vir* Ibid verſ. 3. *homo* 1 Tim. II. 5. *omniaque* humana ipſi aſſeruntur. C. utriuſque *unio*, à quâ *factus* dicitur caro ὁ λόγος, *aſſumſiſſe* ſemen Abrahæ Heb. II. 14. 16. Phil. II. 7. *Deus manifeſtatus in carne* 1 Tim. III. 16. Ita prorſus, ut aſſumtione illâ, factus fuerit *unus* Mediator 1. Tim. II. 5. *Immanuël*, *Ithiel*, ut jam oſtendimus.

Probatur Scripturis.

IV. Nec tantum talis revera fuit Mediator; ſed etiam eſſe neceſſario *debuit*, ut Mediator eſſe *poſſet* Heb. II. 16. 17. ὤφειλε &c. Ut enim (1) Mediatorem inter *Deum* & *homines* 1 Tim. II. 5. ageret; neceſſum videtur, ut participatione *utriuſque* naturæ, *medius* eſſet inter utrumque. Conf. Gen. XXVIII. 12. (2) ut homines redderet *filios* Dei, *filius* ipſe eſſet Dei, & homo Gal. IV. 4. 5. Rom. VIII. 29. (3) Ut, pro ratione functionis mediatoriæ, pro *hominibus* ex rigore juſtitiæ, Deo ſatisfaceret, de quo ſuo loco ex profeſſo; neceſſarium erat, ut (4) ab *una parte* Patri ὁμοούσιος *Deus* eſſet, quo A. *poteſtatem* haberet à ſe, vitam ſuam deponendi in redemtionis *precium* Joh. X. 18. quæ poteſtas in *vitam* hominis, nemini competit præterquam *ſoli Deo* Gen. IX. 6. hinc ipſe ſibi aſſerit vitæ neciſque poteſtatem Apoc. I. 18. quo B. deponendo *vitam* propriam, pretium præſtaret *infiniti* valoris 1 Joh. I. 7. Act. XX. 28. quo C. *infinitum* reatum, cuilibet peccato, ex læſâ infinita Majeſtate, competentem, tolleret. Idque D. pro *infinitis* ferè ſingulorum electorum peccatis. Atque etiam E. pro *infinito* ferè electorum numero. Quin & F. infinitum *bonum*, unionem, communionem & fruitionem ſummi & *infiniti* boni, ſingulis horum compararet, eiſque *omnia in omnibus* foret 1 Cor. XV. 28. cum 1 Cor. I. 30. Joh. I. 16. Col. I. 19. uſque adeo, ut in eo *perfecti* eſſent Col. II. 9. 10. Ut G. prærequiſita ad participium hujus infiniti boni: *vivificationem* § converſionem, ſanctificationem, fidem &c. potenter *conferret*, eoque partum infinitum bonum, applicaret. Atque etiam H. vivificatos, adverſus *infinitos* ferè, infinitorum hoſtium ſpiritualium inſultus, potenter *conſervaret* Eph. VI. 16. 12. cum Matth. XVI. 18. 1 Pet. I. 5. &c. Iſtis, inquam, omnibus aliiſque, omnino neceſſarium erat, ut Mediator ab una parte *Deus* eſſet: Ab *alterâ parte*, (5) ut verus *homo* eſſet, quo א. *hominum*, qui peccarant, reatum tolleret Exod. XXXII. 33. Ezech. XVIII. 4. 20. Idque ב. *patiendo* & *moriendo*, quod erat δικάιωμα τῦ νόμυ Gen. II. 16. 17. cum Rom. VIII. 3. Jeſ. LIII. 10. Heb II. 9. 14. ג Ad hoc *legi* divinæ ſubjiceretur, ad omnem juſtitiam præſtandam Gal. IV. 4. Matth. III. 15. & v. 17. Etiam ד. ut eſſet *miſericors* Pontifex, δυνάμενος συμπαθῆσαι Heb. II. 17. 18. & IV. 15. Idque ה. ut noſter גאל ἔγγυος Ruth. III. 12. 13. 1 Reg. XVI. 11. cum Job. XIX. 25. Atque inſuper ו ut *frater* Heb. II. 10. 12. His nominibus Mediator non Deus tantum; ſed etiam *homo* eſſe debuit. Tandem (6) *Unio* neceſſaria fuit, duarum iſtarum naturarum, ut (*a*) *unam* perſonam efficerent (*b*) *unum* haberemus Mediatorem 1 Tim. II. 5. & indiviſum 1 Cor. I. 13. ut (*c*) in *uno* eſſet omnis ſalus Act. IV. 12. ut (*d*) Deus in plenitudine temporum, ἀνακεφαλαιώσῃ τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ. ut (*e*) *unum* haberemus Dominum 1 Cor. VIII. 6. Eph. IV. 5.

Confirmatur duarum naturarum unio, rationibus.

Quamobrem Mediator Deus eſſe debuerit.

Quamobrem homo eſſe debuerit.

Quamobrem duæ naturæ unirí debuerint.

V. Jam, ut naturam hujus myſterii dexterius aſſequamur, cogitanda nobis paulo diſtinctius venient, ab unâ parte *extrema* unita; ab alterâ, *unio* extremorum. In extremis *primo* occurrit *divinum* quid, puta: 1. non *natura* divina, in ſua *latitudine* conſiderata, ſic enim (*a*) non *Filius* tantum; ſed & Pater ac Spiritus S. incarnatus eſſet, utpote quibus *eadem* natura divina competit. (*b*) Ex utraque natura unita, unam quandam *tertiam* conflari neceſſum foret, quod volebant Eutychiani. (*c*) Mediator non eſſet *perſona*, quia perſonalitatem, nec à divinâ naturâ non habente, nec ab humanâ accepiſſet. Sic tamen, ut *naturâ* non excludatur, quo *Deus* manifeſtatus dici poſſit in *carne* 1 Tim. III. 16. & *Deus* redemiſſe Eccleſiam proprio ſanguine Act. XX. 28. Sed 2. *perſona* divina, quo ab eâ, ſuam perſonalitatem habeat Mediator; ex duabus enim *naturis* non reſultat *perſona*. Quin & 3. *una* tantum perſonâ: ſicut enim *una* perſona divina, non poteſt duas aſſumere naturas humanas, quod ſic, una perſona fieret plures homines; ita & *plures* perſonæ non poſſunt aſſumere unam naturam humanam: ſic enim (1) plures *perſonæ* unus fierent homo, tum etiam (2) Natura humana aſſumptâ, à perſonâ aſſumente, cum adæquatè terminetur, quouſque terminabilis eſt; ab alia perſona aſſumente, iterum terminari non poteſt. Imo 4. perſona illa aſſumens (*a*) non potuit eſſe *prima*, ſeu Pater; quia hac ratione, eadem perſona divina, Pater eſſet & filius ſimul: neque (*b*) *tertia*, Spiritus S.; quia ſic, in Trinitate *duo* numerarentur *filii*, ſecunda quoad *divinam* naturam, & tertia quoad *aſſumtam* humanam naturam: proinde (*c*) præciſe *ſecunda*, ſcil. A. ut *Filius* filios faceret Gal. IV. 4. B. ut qui *medius* eſt inter *perſonas* divinas *negatione*, medius fieret inter Deum & homines, *participatione* utriuſque naturæ.

Divina perſona aſſumens.

Non natura;

Sed perſona:

Et una perſona.

Quin præciſè ſecunda Trinitatis.

Humana natura aſſumta.

VI, *Secundo*, in extremis unionis occurrit *humanum*

Natura humana assumta, *manum* quid ℵ. Non equidem *persona* humana; sic enim non *unus* foret Mediator 1 Tim. II. 5. sed *duo*, pro duplici ejus naturâ, divinâ & humanâ, & cum neuter horum, Deus foret & homo simul, nullum omnino hac ratione haberemus Mediatorem. Sed ב. *Natura* tantum, id quidem omne habens, quod ad constitutionem *naturæ* humanæ est necessarium, eoque nobis, *quoad naturam*, per omnia similis, solo excepto peccato Heb. II. 16. 17. & IV. 15. sed tamen *personalitate*, per quam incommunicabilis & completa fit natura, penitus destituta: *penitus* inquam, hoc est, non *propria* tantum & sibi peculiari, quæ duplicem inferat personalitatem; sed *participata* etiam, per quam ἐνυπόστατος nonnullis dicitur, destituta: quod ea ratione, humana *natura* subsisteret personalitate *divina*, adeoque humana natura, *persona* foret *divina*. Quin & ג. Naturam humanam (*a*) *veram*, ejusdem cum nostra conditionis & essentiæ, solo excepto peccato Heb. IV. 15. non δοξαστικὴν & apparentem tantum, qualem olim Cerdoniani, Marcionitæ & Manichæi, aliique volebant: sed *veram*, qualem Euangelia inculcant (1) narrando ejus conceptionem, nativitatem, vitam, vigilias, dolores, gaudia & mortem. (2) docendo, eum παραπλησίως, carnis & sanguinis participem factum Heb. II. 14. Eandemque (3) etiam à resurrectione ostentasse Luc. XXIV. 39. ד. Nostræ ὁμοίωσιν, seu per *omnia similem* Heb. II. 17. & IV. 15. De quo plura in *elenchticis* ξὺν θεῷ.

Non persona? sed natura. Quin & natura humana vera, Nostræ per omnia similis.

Unionis hypostaticæ explicatur: 1. Natura, 2. Modus.

VII. Succedit tandem partium extremarum *unio*, & penes eam distinctè, *primo* ipsa *unio* hypostatica, à quâ partes, seu *naturæ*, unam constituunt *personam*, *unumque* Mediatorem 1 Tim. II. 5. indivisum 1 Cor. I. 13. Cujus considerandæ (1) *natura*, quæ non est, nisi ineffabilis quædam relatio divinæ personæ ad humanam naturam, per quam hæc humana natura peculiariter est humana natura, secundæ personæ deitatis. Quæ multis rationibus logicis describi solet, propterea quod non detur una, cujus ope sufficienter repræsentari possit ejus perfectio. Fit א. per eam, ratione *assumtionis*, humana natura, quasi *adjunctum* proprium divinæ personæ: fit B. item, quasi *membrum* integri Immanuëlis seu θεανθρώπου, cujus divina persona est *quasi* pars altera: fit ג. quoad existentiam, quasi *effectum*, singulariter à divina persona sustentatum: fit tandem ד. quasi *subjectum*, in quo divina natura singulariter habitat Col. II. 9. Quos tamen omnes terminos, quibus unitatis fontes continentur, limitatione *quasi* temperamus, quoniam unio hæc mystica arctissimaque, sui similem in rerum naturâ non habet, adeoque nullo uno termino satis repræsentari potest; sed multis, adumbrari potius utcunque debet. (2) *Modus*, qui exprimi commodius vix potest, quam adverbiis illis, quibus Veteres, duos hæreticorum scopulos, prudenter declinaturi, uti consueverunt, definiendo: 1. In θεανθρώπῳ, naturas conjungi, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, sine *divulsione* & *separatione*. Scil. contra *Nestorianos*, *duas* in Mediatore personas statuentes, proinde Deum esse crucifixum, & B. Virginem esse θεοτόκον, negantes: 2. Adversus *Eutychianos*, duas naturas in *unam* conflantes, & idiomata earum confundentes; illas uniri dicebant ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, sine *mutatione* & *confusione*. Unde intelligimus, hanc unionem, nec esse (*a*) συνουσιωδῶς factam, qualis est personarum divinarum inter se, respectu ejusdem *essentiæ*; neque (*b*) φυσικῶς ac naturaliter, ut unitur forma materiæ: Nec (*c*) merè σχετικῶς, qualis est amici cum amico: Nec (*d*) δραστικῶς, aut περιστατικῶς, per meram efficaciam & assistentiam omnipræsentem: Nec (*e*) μυστικῶς, tantum per præsentiam gratiæ, qualis est inter Deum & electos Joh. XVII. 21: sed (*f*) planè ὑποστατικῶς, quatenus natura assumta, in eandem personam cum λόγῳ assumente, salvis utriusque proprietatibus, coaluit. Maref. *Syst. Theol.* Loc. IX. §. 24. Proinde est *personalis* unio, non ratione termini *à quo*, quod sit *personarum*, ut Nestorius volebat; sed ratione termini *ad quem*, quod vergat in *personam*. Est porro *naturarum* quidem, sed non *naturalis*.

Explicatur unitio, quoad. 1. Denominationes 2. Partes quatuor: Incarnationem, Assumtionem, Concenaturæ, Ptionem

VIII. *Secundo unitio*, quam ἐνσάρκωσιν, ἐνανθρώπησιν, ἐπιφάνειαν & θεοφάνειαν, Veteres appellabant Græci. Latinis *incarnatio* dicitur, cum *activa*, quâ Deus incarnavit, tum *passiva*, quâ Christus incarnatus est. *Illa*, pro ratione operationis *ad extra*, toti competit *Trinitati*, quæ ab hoc *aures* ei *perforasse*, seu corpus adaptasse dicitur Psal. XL. 7. Heb. X. 5. *hæc* soli *Filio*, qui hinc *venisse* dicitur in carne. Ibid. vs. 7. 1 Joh. IV. 2. 3. & *assumpsisse semen Abrahæ* Heb. II. 16. Solent hæc, similitudine crassa quidem, sed apposita, declarare Veteres, in tribus confluentibus vestem unam, ab uno suæ societatis membro induendam: quæ tamen similitudo, extra scopum ac tertium suum, nequaquam est extendenda. Est igitur in hac *unitione* A. *Incarnatio*, illa quam *activam* diximus, quâ tota Trinitas, utramque humanæ naturæ partem essentialem, corpus & animam paravit, paratas sibi invicem conjunxit, & eâdem opera conjunctas, cum divinâ personâ perfectè univit. Quæ omnia, ut diximus, significantur, quando filio *aures perforasse* Psal. XL. 7. eique *corpus adaptasse* Heb. X. 5. eundem hominibus *dedisse* Joh. III. 16. denique *misisse* dicitur Gal. IV. 4. B. *Assumtio*, qua filius Dei, paratam à Trinitate humanitatem, sibi appropriavit. A quâ, ὁ λόγος caro factus dicitur Joh. II. 14, *venisse in carne* 1 Joh. IV. 2. 3. *assumpsisse formam servi* Phil. II. 7. *Carnis & sanguinis particeps factus* Heb. II. 14. C. *Conceptio* humanæ

naturæ, ejusque sanctificatio, quæ Spiritui S. appropriatur Luc. 1. 35. qui semen muliebre fœcundavit, ejus *intemperiem*, à quâ oriri potuisset *moralis* animæ corruptio, seu avertit, seu repurgavit, ut *sanctum* nasceretur Luc. 1. 35. Tandem D. *Nativitas*, à quâ B. Virgo Θεοτόκος appellatur. De postremis hisce suo loco ex professo.

Nativitatem.

Unitio ista non arguit totam Trinitatem in carnatam esse.

IX. Nec tamen per hanc *unitionem*, 1. tota *Trinitas* incarnata est: quamvis enim (a) tota Trinitas carnem seu *humanam* naturam produxerit; non tamen sibi *toti* produxit, sed *uni* tantum è societate suâ; & quamvis tota Trinitas *præparârit* carnem; non tamen tota *assumpsit*: quamvis item (b) Persona secunda, quæ assumpsit humanam naturam, connotet *totam* deitatem; non tamen *totaliter* totam, seu in omni suâ latitudine; sed characterizatam, & quasi restrictam ad *unam* personam, per suam proprietatem personalem. Nec 2. Secunda persona, assumendo humanam naturam, *mutata* est, eo quod (1) ista assumtio, *actio* tantum fuerit, non autem *passio*; cum mutatio fiat per *passionem* (quæ, hic quidem, est in solâ naturâ *assumpta*) non autem per *actionem*, (quæ est in *assumente*) (2) Quod productum hujus assumtionis, seu *unio* personalis, respectu *assumentis* quidem, non sit nisi mera *relatio*, quæ nullam infert, veri nominis mutationem; quamvis in naturâ *assumtâ* maximam inferat mutationem, utpote quæ, hujus assumtionis & unionis ope, elevata est ad summam perfectionem, ut jamjam ex professo dicemus. Nec 3. ex duarum naturarum unione, *nova* quædam orta est *subsistentia* seu personalitas, ad cujus constitutionem quælibet suum conferat. Sic enim (a) æterna τῦ λόγυ subsistentia, aut *cessaret*, aut ad novam istam *accederet* (b) *composita* & imperfectior, succederet æternæ ac *simpliciſſimæ*. His adjicimus 4. Quod per assumtionem, unio duarum naturarum semel facta, in æternum maneat planè *indivisibilis* Act. 11. 27. Psal. XVI. 10. quæ ne quidem in *morte*, quando partium essentialium humanæ naturæ, facta est *separatio*, turbata fuit: eo quod partes, utcunque à se invicem divulsæ, nihilominus unitæ manserint cum λόγῳ, quatenus, & caro mansit caro τῦ λόγυ; & spiritus, spiritus ejusdem. Multo minus in *ascensione* Christi, cessavit unio, depositione corporis, ut Socinus somniat cum Manichæis: cum Act. 1. 11. dicatur *ita venturus*, *sicut abierit*. Unum addam 5. Quamvis per hanc unionem, *tota* deitatis plenitudo sit in *humana* naturâ Col. 1. 19. & 11. 9. quod nihilominus etiam, tota sit *extra* eam, eo quod *infinita* sit, ac proinde à finito *adæquate* inhabitari nequeat.

Nec assumtio ista infert mutationem ullam in assumente.

Nec inde nata est nova subsistentia.

Nec unio personalis semel facta cessavit unquam.

Tota deitas est etiam extra humanitatem.

Consectaria unionis quatuor:

X. Succedit *tertio*, *unitum*, seu potius unionis hujus consectaria. Nim. 1. *Communio naturarum* in *persona*, quæ μετοχὴ dicitur Heb. 11. 14. παραπλησίως μέτεσχε αὐτῶν, per quam *duæ* naturæ, *unam* constituunt Immanuëlis *personam*: licet enim in Mediatore sit *aliud* & *aliud*; non tamen est *alius* & *alius*. Nec proinde hæc communio, propriè inter *ipsas naturas* intercedit, ut divina fuerit communicata humanæ naturæ, & vice versa: sic enim *confusio* facta fuisset Eutychiana.

1. Communio naturarum.

XI. 2. *Gratia unionis* personalis, humanæ naturæ communicata, ex quâ porro fluit communicatio *charismatum*, seu *gratiæ habitualis*, in naturam assumtam, pleniſſima collatio, de quâ Jes. XI. 1. 2. Psal. XLV. 8. Joh. 1. 14. Col. 1. 19. & 11. 3. 9. *sine mensura* quidem Joh. 111. 34. sed tamen non *infinita* penitus: cum infinitum, nec *communicari*; nec à finito *recipi* queat, unde *sapientia*, *statura & gratia profeciſſe* dicitur Luc. 11. 52. Nominatim (a) Gratia *sanctitatis* Luc. 1. 35. talis, per quam, nec *peccavit* unquam, nec peccare *potuit*; eo quod implicet Θεάνθρωπον peccare. (b) Gratia *sapientiæ* Col. 11. 3. quæ tamen non fuit *omniscientia* Luc. 11. 52. Marc. XI. 13. & XIII. 32. (c) Gratia *potentiæ* ac potestatis, & qua אֵיתִיאֵל & אֶכָל appellatur Prov. XXX. 1. Nec tamen *divinâ* proprie & infinita, quia in exercitio suæ potentiæ preces adhibuit Joh. XI. 41. 42.

2. Gratia unionis in humana natura.

XII. 3. *Communio idiomatum*, quâ proprietates utriusque naturæ coincidunt in una eademque *persona*, eoque etiam de persona *enunciantur*. Ut circa eam duo veniant observanda: A. Ipsa *communio* proprietatum, quæ non est (a) *realis* earundem *transfusio*, perquam unius naturæ proprietates transeant in alteram, & humana natura accipiat proprietates divinas, & vice versa. Sic enim *humana* natura fieret *divina*, & ex adverso divina fieret humana, adeoque triumpharet Eutyches: nec (b) *realis donatio*, quâ proprietates suas, altera alteri appropriaverit, qualem in *charismatum* communicatione, dudum observavimus in humana natura: sic enim una natura alterius proprietatibus *uti* posset pro lubitu, cujus tamen contrarium, ex ignorantia humanæ naturæ Marc. XIII. 32. & deprecatione Matth. XXVI. 39. 42. patet (B) *Prædicatio*, communioni superstructa. Quâ, non quidem unius naturæ attributa, de alterâ enunciantur, in *abstracto*; sed utriusque naturæ attributa, de persona dicuntur in *concreto*. Quod tamen duobus modis accidit. Vel 1. magis *directe*, quando attributa de personâ (*a*) ab *utraque* natura *æqualiter* denominata, enunciantur, v. g. quando Mediator dicitur *Deus* aut *homo* (*b*) aut *inæqualiter* ab *una* tantum denominata, v. g. λόγος est æternus, omnipotens; filius hominis mortalis est: Vel 2. magis *indirecte*, quando attributa enunciantur, de *persona* quidem; sed ab ea natura denominata, cui attributa illa nequaquam conveniunt; v. g. Act. XX. 28. *Deus* proprio *sanguine* redemit Ecclesiam; Filius hominis in terris existens, simul in cœlis est Joh. 111. 13. Unde patet per hanc idiomatum

3. Communicatio idiomatum, in qua est Communio proprietatum, &

communionem, non esse admittendas *tales* prædicationes, quæ A. personalitatem *creatam* arguant: cum ea τῷ λόγῳ propria sit. B. quæ divinæ naturæ *imperfectiones* humanas tribuant, aut ex adverso, C. quæ humanæ divinas *perfectiones*. Quibus observatis, idiomatum communionem dicimus esse. 1. *realem*, quoad *fundamentum* suum, scil. unionem hypostaticam, per quam utriusque naturæ proprietates, personæ *revera* competunt: 2. *verbalem*, quantum ad *prædicationem*, seu modum loquendi, quin &, quasi *tropicam* & synecdochæ proximam: quando enim plures formæ vel naturæ, in eodem subjecto aut supposito, uniuntur; etsi de se mutuo *in abstracto* (cum sint *disparata*) prædicari nequeant: possunt tamen de illo enunciari *in concreto*.

4. Communio apotelesmatum.

XIII. 4. *Communio* ἀποτελεσμάτων 1 Tim. II. 5. Quæ nihil aliud est, quam *concursus* utriusque naturæ, ad operationes mediatorias, sic ut opera illa procedant, à personâ θεανδρώπε, per efficaciam distinctam *utriusque naturæ*. In quibus hæc quatuor veniunt observanda: 1. *Causa* producens, *persona* θεάνδρωπος, ἐνέργων. 2. *Principia* duo, causæ producentis ἐνεργητικὰ, duæ in Mediatore naturæ. 3. Duplex *efficacia*, pro numero duorum principiorum, seu duplex ἐνέργεια, divinæ & humanæ naturæ. Denique 4. *Opus* unum, ἐνεργούμενον, seu ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν, quod unus Mediator, pro duabus naturis, per cuique peculiarem efficaciam, producit. Sic pro exemplo, unus Mediator λυτρώτης, concurrentibus duabus naturis, velut principiis λυτρωτικοῖς, per duplicem efficaciam seu λύτρωσιν, humanâ *mortem*, divinâ *valorem* morti, conferendo; *unum* procurarunt λύτρον seu λύτρωμα.

Pars Elenchtica.

Dispescuntur controversiæ hujus capitis.

XIV. Elenchtica hujus capitis, seminarium præstat controversiarum & quæstionum, quarum aliæ concernunt *personam* assumentem, aliæ *naturam* assumtam; aliæ utriusque *unionem*; aliæ denique unionis *consectaria*. Circa *personam* assumentem,

Quæstiones circa personam assumentem.

Quæritur.

1. An Mediator quoad suam divinam naturam exstiterit ab æterno.

Quæritur 1. An Mediator verus fuerit Patrique ὁμοούσιος, ab æterno *existens Deus*? Mediatorem exstitisse ante sui nativitatem ex B. Virgine, olim negabant, Cerinthus, Ebion, Samosatenus, Photinus, Muhamed, & Judæi. Carpocratiani, Basilidiani, & Ariani, fatebantur quidem, eum exstitisse ante sui nativitatem è B. virgine; sed eum exstitisse ab *æterno*, Patrique suo fuisse ὁμοούσιον, negabant, adeoque perpetuo in ore habebant ἦν, ὅτε οὐκ ἦν, atque adeo ὁμοιούσιον dicebant; sed non ὁμοούσιον; possis eos appellare ἑτεροουσιάνους. Erant insuper, qui ὁμοούσιον dicerent; sed tamen *inæqualis* essentiæ, sic Aëtiani, Eunomiani, quos ἀνομοίους non incommodè dixeris, quod Arianis, quoad ὁμοιουσιότητα, sese opponerent. Nostri Sociniani, cum primis, negant, ipsum exstitisse ante sui nativitatem è B. virgine. Reformati ex adverso statuunt, eum quoad *divinam* naturam exstitisse *ab æterno*. Adversariorum sententiam debellavimus lib. II. cap. XXVI. Nec quicquam dictis addimus.

Collatio sententiarum. Sententia Reformatorum.

2. An natura divina: an persona, assumserit humanam naturam?

XV. *Secundo*, an divina Mediatoris *natura*, an *persona* carnem assumserit? Hîc, quoad *rem* quidem, nobis convenit cum Lutheranis; sed quoad *phraseologiam* discrepant Lutherani, mordicus statuentes, *naturam* rectius dici incarnatam, quam *personam*, atque etiam traducentes Orthodoxos, ac si existimarent, τρόπον ὑπάρξεως esse incarnatum absque *naturâ divinâ*. Quantum ad statum quæstionis, ex dogmaticis observari possit, nos non negare *naturam* fuisse incarnatam; sed naturam in suâ *latitudine*, abstractâ ejus modificatione *personali*. Rationes sententiæ orthodoxæ, jam ante diximus §. v. Quibus impræsens non addimus, nisi stylum Scripturæ Joh. I. 14. Phil. II. 7. Heb. II. 14. 15. 16. Nec est quod pro se causentur: 1. Scripturæ loca Col. II. 9. 1 Tim. III. 16. quibus diserte mentio fiat *naturæ* divinæ incarnatæ. 2. Quod *natura* & essentia divina, ita communis sit tribus personis, ut tamen *tota* ac indivisa sit in singulis, adeoque incarnatâ secundâ *personâ*, incarnata etiam sit *natura* divina. 3. Quod ὑπόστασις & essentia divina, in quâlibet personâ, non differant *realiter*; proinde incarnatâ personâ, etiam incarnari debeat natura. Resp. Non negamus *naturam* esse incarnatam; sed naturam in suâ *latitudine*, absque modificatione *personali* consideratam. Cum igitur Lutherani agnoscant, *personam* divinam assumsisse humanam naturam: & Reformati vicissim agnoscant, *naturam* divinam, quatenus illa connotatur in personâ, assumsisse humanam naturam; videtur quæstio degenerare in meram λογομαχίαν, natam ex solo pruritu contradicendi odioque versus Reformatos: ei diutius non immorabimur.

Argumenta. Objectiones.

3. An incarnato Filio non sit incarnatus Pater & Spiritus S.?

XXI. *Tertio*, an incarnato Filio, non sit incarnatus Pater & Spiritus S.? Affirmativam tuebantur olim Patripassiani, duabus potissimum rationibus: 1. Quod essentia divina *communis* sit tribus personis, eoque essentiâ filii incarnatâ, etiam incarnati sint, & Pater & Spiritus S. 2. Quod incarnatio sit opus *ad extra*, tribus personis commune. Negativam Orthodoxi defendunt, eo quod A. non natura in suâ *latitudine*; sed natura ut est Filii, adeoque quasi restricta *personalitate*, sit incarnata, cui proinde aliquid καθ' ὑπόστασιν potuit accedere, quod non accederet Patri aut Spiritui San-

Argumenta Orthodoxa.

Sancto. 3. Quia opera *ad extra* communia quidem sint quoad *operationem*, quamvis non sint quoad *terminum* operationis. Quibus cautè observatis, facile responderi potest ad rationes ex adverso.

4. An citra peccatum hominis Filius Deifuisset, incarnandus,

XVII. *Quartò*, an citra peccatum hominis, Filius Dei nihilominus incarnandus fuisset? *Affirmativam* tutati sunt nonnulli è Scholasticis, Alexander Ales, Aquinas, Occam, Bonaventura & alii, quos superiori seculo, peculiari libello, secutus est Andreas Osiander, dogma Scholasticorum, decem argumentis confirmaturus, & tandem etiam Sociniani Scholasticorum πρῶτον ψεῦδος videtur esse, quod incarnatus fuerit, non *nobis* tantum; sed &, ut sibi gloriam mereretur: Osiandri, quod hominem conditum existimet, ad imaginem Christi *incarnandi*: Socinianorum, ut *satisfactionem*, præcipuum incarnationis finem, elevarent. Quibus cautè observatis, non multum remanebit difficultatis circa quæstionem. *Negativam* ergo cum Scripturâ sustinent Orthodoxi, (Quamvis nonnulli è Reformatis, Zanchius *Hexaëm.* p. 3. lib. 3. c. 2. Bucanus *Instit.* Art. x. Willet. de *stat. hominis* lib. 1. diversum videantur sentire) eo quod A. promissiones & *sacrificia*, quæ Messiam præfigurârunt venturum, tantum præsupponant peccatum, eius adventu, seu incarnatione expiandum. v. g. Gen. III. 15. Psal. XXII. & XL. & LXIX. & CX. Jes. LIII. Dan. IX. Zach. IX. 9. Nec datur locus dissimilis. B. Non alius in N. T. traditur incarnationis *finis*, quam peccatorum expiatio Matth. I. 21. Luc. I. 67---& II. 30. Joh. I. 29. Matth. IX. 13. & XX. 28. Gal. IV. 4. 5. 1 Tim. III. 16. Heb. II. 14. 1 Joh. III. 8. &c. Etiam C. *Officium* Mediatorium, quo solo functurus, in mundum venit, peccatum & peccatores præsupponit: sic *propheticum* Jes. LXI. 1. *Sacerdotale* Jes. LIII. 2. 10. Matth. XX. 28. *Regium* Zach. IX. 9. Obnituntur interim 1. *Scholastici*, eo quod (*a*) meritus sit sibi gloriam Phil. II. 9. Resp. ℵ. sed obedientiâ *passivâ* vers. 8. quæ præsupponit peccatum, aut si *activâ* etiam, *propter* peccatores Gal. IV. 4. ב. Meruit gloriam creaturæ, ut homo, quâ non indiguisset si incarnatus non fuisset, non magis quam Pater & Spiritus S. Quod (*b*) incarnatus fuerit, ut suam φιλανθρωπίαν versus homines ostentaret Prov. VIII. 31. Resp. Utique, sed ut *peccatores* Eph. V. 1. Joh. III. 16. Quod (*c*) in V. T. sæpius carnem assumpserit, ut hominibus appareret, citra respectum *ad peccandum* Gen. XVIII. 31. &c. proinde etiam assumere potuerit, ut ei personaliter uniretur. Resp. ℵ. A posse ad esse non valet sequela. ב. Et apparitionum illarum usus aliquis fuit respectu peccatorum. 2. Osiander, quod (1) simus ad imaginem *Christi* conditi. Resp. A. Hoc absque Scripturâ dicitur. Imo B. contra Scripturam, quæ imaginem *Dei* ut Creatoris commemorat Eph. IV. 24. Col. III. 10. Gen. I. 26. (2) Alias caruisset prærogativâ *capitis* supra Angelos & homines. Resp. Non indiguisset etiam, magis quam Pater & Spiritus S. Tandem 3. Sociniani, quod homini etiam integro Christus *tradere* debuerit gloriam. Resp. Probent, cum Deus triunus id facere potuisset. Confer §. IV.

Sententiarum divortium.

Argumenta Orthodoxorum.

Objectiones Scholasticorum.

Objectiones Osiandri.

Objectio Socinianorum:

Quæstiones circa naturam assumptam.

Quæritur:

XVIII. Succedunt controversiæ circa naturam *assumptam*. Quæritur 1. an, quam assumsit λογος, humana natura vera fuerit, nostræque per omnia ὁμοούσιος? Affirmant cum Scripturis Reformati: *Negant*, *directe* quidem 1. *Docetæ* & *Phantastici*, hæretici, statim ab excessu Apostolorum tradentes, non *veram* humanitatem; sed ejus tantum φάντασμα, quod verum existimares, Filium Dei assumsisse, quæ sententia postmodum à *Manichæis* & *Marcionitis* fuit renovata. Hinc de *Cerdonianis* Augustinus, de *Hæres.* c. 21. narrat, quod *Christum ipsum*, *nec natum ex fœminâ*, *neque carnem habuisse*, *neque verè mortuum*, *vel quicquam passum*, *sed simulasse*, docuerint. Eò quod (1) Angeli sic sæpius apparuerint in carne. Resp. Sed (*a*) nullibi assumpserunt *semen Abrahæ*, sic ut fratribus facti sint per *omnia similes* Heb. II. 16. Nec *caro* facti dicuntur. (*b*) Maximum discrimen est, inter φαντάσιαν & πρόσληψιν Heb. II. 16. καὶ ἐπιλαμβάνεται. Quod (2) Spiritus S. apparuerit in *columbâ*, nec tamen columba *factus* sit. Resp. Toto cælo distat *apparitio* Spiritus S. ab *unione* naturarum in Mediatore: Illa enim A. *symbolica* tantum fuit; hæc *personalis*: Illa B. ad *tempus* tantum; hæc *indissolubilis* Heb. VII. 17. illa C. non spectabat ad liberandas *columbas*, quemadmodum hæc ad liberandos *homines*. Quod (3) dicatur missus ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς, *in similitudine carnis* Rom. VIII. 3. Resp. Dicitur, non simpliciter; sed σαρκὸς ἁμαρτίας. Quod (4) seipsum exinaniverit, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, *formam servi accipiens*, *in similitudine hominum factus* Phil. II. 7. Resp: Hoc est, quod divinam naturam & majestatem ad tempus occultaverit, *formâ servi*, naturâ & *similitudine* aliorum hominum *habituque* vulgari; sic tamen, ut nihilominus carnis & sanguinis, juxta cum infantibus *verè* fuerit factus particeps Heb. II. 13. 14. Joh. I. 14. 2. Ετερόδοξοι, qui *veram* quidem humanitatem in eo agnoscebant; sed nostræ ὁμοούσιον negabant. Sic *Valentiniani*, de quibus Irenæus *Advers. hæres.* l. 1. c. 1. testatur, quod statuerint, Χριστὸν διὰ τῆς Μαρίας διοδεύσαντα, κατάπερ ὕδωρ διὰ τῆς σωλῆνος ὀδεύει. *Ghristum per Mariam transfisse*, *sicut aqua transit per canalem*. Colludit etiam Eutyches. Quorum vestigia hodie legunt *Anabaptistæ*, Suenkfeldiani, *Enthusiastæ*, tandem &

1. An natura assumta vera fuerit & nostræ consubstantialis?

Sententiæ hæreticorum:

1. Docetarum.

Objectiones.

2. Heterusiorum.

Sociniani, ſtatuentes ℵ. *tam ex ſanguine Mariæ, quam ex materia à Deo ad gignendum corpus allata, genitum eſſe* Chriſtum. Ita Smal. *Examin. Error. Francii.* Errore 18. ℶ. Ipſum carnem in aſ-
3. Apſychorum. cenſione, depoſuiſſe. Oſtorrod. *Inſtit.* cap. 28. 3. Ἄψυχοι, qui, vel *omnem* animam ei abrogabant, ut Arāni: vel animam tantum *rationalem*, ut *Apollinariſtæ*; ſcil. ut pro animâ rationali, ei eſſet *divina* natura: vel animæ rationali, peculiarem abrogabant *voluntatem*, ſic Monothelethæ. Tot modis, magis *directe* negatur *vera* Mediatoris humanitas; magis *ex obliquo* eam negant A. *Synuſiaſtæ*· Lutherani, & B. *Methuſiaſtæ* Pontificii, qui ut *cruſtum* Chriſtum faciant, tale ei affingunt corpus, quod (*a*) vel *ubique* ſit diffuſum, & nullo circumſcriptum ſpatio (*b*) vel inviſibile, impalpabile, illocatum & inextenſum, ſub puncto inviſibili latens, in multis locis à ſeinvicem diſcretis, *actu* præſens illocabiliter & incircumſcriptivè, idque citra ſui multiplicationem, nec occupato ſpatio medio, quod denique fiat ex *pane*, vi quarundam vocalium, magico more ſuper illo demurmuratarum, quod proinde nobis non ſit per-
Fundamentum ſententiæ Orthodoxæ. *omnia* ſimile, excepto peccato. Quibus omnibus unum hoc generale; ſed invictum opponimus argumentum. Cui, per Scripturas, omnia requiſita, *veræ*, noſtræque ὁμοουσίᾳ humanitatis competunt, ei *vera* competit, noſtræque ὁμοούσιος humanitas: ſed humanæ Mediatoris naturæ, omnia per Scripturas competunt requiſita, *veræ* noſtræque ὁμοουσίᾳ naturæ, Ergo &c. *Major* citra contradictionem negari nequit, nec, ſat ſcio, negabitur. *Minor* ſit patet: cui humana nomina, partes eſſentiales, affectiones & operationes competunt; ei omnia requiſita, *veræ* noſtræque ὁμοουσίᾳ naturæ competunt, quod ad hæc capita *omnia* talia requiſita revocari poſſint: ſed humanæ Chriſti naturæ, humana nomina, partes eſſentiales, affectiones & operationes competunt: ergo omnia talia requiſita ipſi competunt. *Minor* per partes ſic patet A. quoad *nomina*, quando *homo* appellatur 1 Tim. II. 5. *vir* Zach. VI. 12. *puer* Jeſ. IX. 5. *filius Abrahami*, *Davidis* Matth. I. 1. *ſemen mulieris* Gen. III. 15. *de tribu Juda* Apoc. V. 5. *fructus lumborum* Davidis Act. II. 30. *germen* Davidis Jer. XXIII. 5. *Filius hominis* Dan. VII. 13. B. Quoad *partes* eſſentiales; *anima* Matth. XX. 28. & XXVI. 38. Luc. XXIII. 46. *corpus* Matth. XXVI. 26. Col. I. 22. Quin & partes integrales corporis: *caro* Luc. XXIV. 39. *ſanguis* Matth. XXVI. 28. *oſſa* Joh. XIX. 33. *manus*, *pedes*, *oculi*, *caput*, *facies*, *aures*, *os*, *pectus*, *latus* &c. C. Quoad *affectiones* (*a*) *animæ*, *intellectus*, cui paſſim ſcientia & ignorantia tribuitur Jeſ. VII. 15. Luc. II. 40. Marc. XIII. 32. *voluntas* Matth. XXVI. 39. cui *virtutes* tribuuntur Jeſ. XI. 1. Matth. XI. 27. & *affectus*. *amor*, *odium*, *deſiderium*, *fuga*, *lætitia*, *triſtitia*, *ira*, *metus*, &c. qui paſſim ei aſſeruntur. (b) *corporis*, localitas, viſibilitas, finitudo Luc. II. 7. Marc. XVI. 6. palpabilitas Luc. XXIV. 39. (c) *Corporis & animæ*, infirmitates *ſpeciei* humanæ communes; ſitire, eſurire, delaſſari, pati, mori &c. Heb. IV. 15. D. Quoad *operationes*, velle, nolle, loqui, prædicare, edere, bibere &c. Conf. quæ in dogmaticis prælibavimus §. VI. Nec his omnibus obſtat, quod (1) dicatur de *Cœlo deſcendiſſe* Joh. III. 13. 1 Cor. XV. 47. Joh. VI. 50. Intelligendum enim hoc eſt de *divina* naturâ, quæ, dum *manifeſta eſt in carne* 1 Tim. III. 16. *deſcendiſſe* dicitur. Conf. Gen. XVIII. 21. (2) *ſubſiſtentia* deſtituatur; quoniam illa, non in *natura* proprie; ſed in *perſona*, exigitur.

Objectiones.

XIX. Quæritur 2. An λόγος aſſumens, non *naturam* tantum humanam, ſed & *perſonam* aſſumſerit? ſeu, an natura quam aſſumſit λόγος, fuerit deſtituta *ſubſiſtentia* ſeu perſonalitate? poſterius 1. *negabant* Neſtoriani, *duas* in Mediatore *perſonas* admittentes, ſeparabiles etiam. 2. *Limitant* Lutherani, negando quidem ei *propriam* ſubſiſtentiam; ſed largiendo *divinam* ſubſiſtentiam, unione perſonali ſibi communicatam. 3. *Affirmant* Orthodoxi, omnem omnino *ſubſiſtentiam*, humanæ naturæ abrogando. Interim *exiſtentiam*, & quidem *ſubſiſtantialem*, ei largiuntur, licet non *incommunicabilem*, eoque non ſubſiſtentem. Argumenta partis Orthodoxæ adduximus in *dogmat.* §. VI. Nec defectus *ſubſiſtentiæ* derogat 1. *Veritati* humanæ naturæ. 2. *Perfectioni* ejuſdem: cum ad veritatem & perfectionem *naturæ*, non requirantur quæ *perſonæ* ſunt propria.

2. An Filius Dei aſſumſerit humanam perſonam? Diverſitas ſententiarum.

Quæſtiones circa unionem naturarum.

Quæritur:

XX. Circa ipſam naturarum *unionem*, hæc potiſſimum controverti ſolent. An vera detur utriuſque naturæ, in uno Mediatore unio perſonalis? Negant pertinaciter, ridentque *unionem* hanc, omnes Antitrinitarii, Judæi, Sociniani, &c. Affirmant Chriſtiani. Quod demonſtratum jam dudum ſit: (a) Mediatorem ab æterno *Deum*, Patrique ὁμοούσιον eſſe (b) eundem quoque verum, nobiſque ὁμοούσιον *hominem* eſſe; nihilominus (c) *unam* tantum perſonam eſſe, idque (d) ex officio mediatorio, ita eſſe *neceſſario* debere: jam ſuâ ſponte *unio* duarum naturarum ſequitur, cum præſertim Scriptura tot teſtimoniis, & tam clare paſſim eam doceat. v. g. Joh. I. 14. Rom. IX. 5. Col. II. 9. 1 Tim. III. 16. Heb. II. 14. 16. 1 Joh. IV. 2. &c. Ejuſque *neceſſitatem*, tam conſtanter, & tanto zelo urgeat Eccleſia. Vid. Gerh. *Exeget.* loc. IV. §. 35. ut Hilarius *de Trinit.* lib. 9. teſtetur: *Ejuſdem penicili res eſt in Chriſto, vel divinitatem, vel carnem noſtri corporis negare; alterum*

1. An vera detur utriuſque naturæ unio, perſonalis? Argumenta Orthodoxa.

terum sine altero, nihil spei tribuit ad salutem. Nescit, plane nescit vitam suam, qui Christum, ut verum Deum; ita & verum hominem ignorat.

Objectiones adversariorum.

Si igitur causentur: (1) *homo est, ergo Deus non est*, quod Judæi Christo objectabant Joh. x. 33. Respondebimus: non sequitur, quia *utrumque* Christo Scriptura tribuit. (2) *Darentur in Christo duæ naturæ contrariæ.* Resp. Non contrariæ, sed *diversæ* tantum. (3) *Christi humanitas monstrum foret, personalitate destituta.* Resp. Negabimus, quia ad *naturam* personalitas non requiritur. (4) *Deus nec pati nec mori potest.* Resp. Quoad *deitatem* non potest; sed in suâ *humanitate* omnino potest. (5) *Deo essentialis mutatio accidisset.* Resp. Nequaquam, quia personalis tantum *relatio* accessit. (6) *Duos in una personâ filios fore* Resp. Duplex tantum *filiatio*, ad Patrem & ad Matrem, qualis etiam in nobis observatur. (7) *Si vera esset, Matthæus & Lucas eam exposuissent.* Resp. Exposuerunt sane, si non ita ex professo, ut Johannes aliique scriptores θεόπνευστοι, id peculiari causâ factum, quod principaliter ipsis propositum fuerit, humanitatis historiam pertexere.

2. An formale unionis in eo consistat quod subsistentia secundæ personæ sit communicata humanæ naturæ?

XXI. Quæritur 2. An *formale unionis consistat in eo, quod ὑποστασις τῦ λόγυ, sit facta carnis ὑπόστασις?* Lutherani affirmant Joh. Gerard. Exeg. Loc. IV. §. 115. Nos cum Scripturâ negamus. Sententiæ Lutheranæ πρῶτον ψεῦδος est, ut commodius tueantur *communicationem* idiomatum, inter naturas, per περιχώρησιν, & per eam Christi caro sit *omnipræsens*, adeoque etiam in sacrâ cœna. Quæstio in duobus est: an hæc communicatio ὑποστάσεως divinæ sit *forma*? an saltem sit *consectarium* unionis? Utrumque negant Reformati, quia (1) Naturæ humanæ nulla competere potest ὑποστασις sive *propria*, sive *communicata*; fieret enim *persona*: quia (2) ὑποστασις divina, ipsa est *essentia* divina, ac proinde, communicata humanitati ὑποστάσει divina, ipsa fieret *essentia* divina: quia (3) si ὑπόστασις divina communicaretur περιχωρήσει quadam, humanæ naturæ; tum humana natura, fieret persona divina, cui enim *personalitas divina* competit, illud, procul dubio, est *persona divina*: quia (4) Scriptura nullibi unionem illam repræsentat tali communicatione; sed per λαβὴν Phil. II. 7. & ἐπίλημψιν Heb. II. 16. quibus ineffabilis illa relatio significatur, humanæ *naturæ* ad *personam* divinam, quâ, non tantum illa huic conjuncta est indivulsè; sed etiam ab hac *sustentatur* ut existat: non sustentatione *communis* providentiæ; sed *personali*, quâ illa cum hac, ingrediatur constitutionem unius personæ θεανθρώπε Nec I. pro sua sententia, Joh. Gerardus, omnibus arrectis viribus à §. 115. usque ad 121. vel unum producit argumentum, nisi quod præsupponat, non probet, unionem, *personalem* esse non posse nisi *personalitas* seu ὑπόστασις τῦ λόγυ, communicetur carni:

Sententia Lutheranorum.

Sententia Reformatorum ejusque rationes.

Objectiones.

cum ea sufficienter *personalis* esse possit, per eam *relationem* naturæ humanæ ad divinam personam, qua illa cum hac unam constituunt personam. Unde Scriptura, circa hanc unionem occupata, talia tradit, quæ non aliquam *communicationem* seu περιχώρησιν humanæ naturæ factam, indigitent; sed *assumtionem* tantum, luique in *carne manifestationem*. Et si 2. sic velis arguere: vel propriam habuit ὑπόστασιν humana natura, quod Nestorianum est; vel nullam habuit, & sic non *exstitisset*; vel ὑπόστασιν habuit τῦ λόγυ: Ego secundum eligam; nec tamen propterea non *exstitit*; sed tântum non *subsistit*, quæ duo toto cœlo differunt. Et si quid 3. ulla cum specie, pro hac *communicatione* urgeri possit, erit locus Col. II. 9. Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, *ei inhabitat tota plenitudo deitatis corporaliter.* Per quem ipsis deitas inhabitat naturæ humanæ: sed si bene attendas, obsarvabis 1. nullam hic *personalitatis* seu hypostaseos, fieri mentionem; sed *deitatis*. 2. non dici inhabitare humanæ *naturæ*; sed toti *personæ*, ἐν αὐτῷ, & quidem 3. σωματικῶς, h. e. cum carne: ut sensus sit, in una Mediatoris persona, quasi cohabitare deitatem & carnem, seu humanam *naturam*.

Quæstiones circa consectaria unionis.

Absurdæ Lutheranorum quæ spectant ad consectaria unionis personalis.

XXII. Ex communicata humanæ naturæ, ὑποστάσει τῦ λόγυ, syrma profluit apud Lutheranos, perversarum hypothesewn, in ordine ad *consectaria* hujus *unionis*; dum enim, vel ex propriis hypothesibus, ὑπόστασις τῦ λόγυ, non differt realiter ab essentia divina; sequitur communicata ὑποστάσει, communicatam etiam esse *essentiam* divinam: & cum porro, *essentia* divina realiter non differat à suis *proprietatibus*; sequitur, communicata ὑποστάσει, communicatas quoque humanæ naturæ fuisse *proprietates* divinæ essentiæ, atque eadem opera *infinita charismata*. Retexenda igitur hæc sunt paulò distinctius. Quæritur ergo:

Quæritur: 1. An natura divina fuerit communicata humanæ naturæ?

XXIII. 1. An per unionem hypostaticam, natura divina fuerit communicata humanæ naturæ? Lutherani, quo commodius hâbeant, quod proprietates divinæ naturæ, & inter eas omnipræsentia, fuerint communicatæ humanæ naturæ, per quam omnipræsentiam, caro Christi adsit in sacra Cœna, & elementis sacramentalibus, & communicantibus omnibus; statuunt naturam divinam, per unionem hypostaticam, fuisse communicatam humanæ naturæ, quæ coincidit cum ejus proprietatibus, omnipræsentia, omnipotentia, potentia vivificativa. Reformati, ut agnoscunt, per unionem istam, duas *naturas* coisse in una ejus *persona*, ita ut in una persona existat duplex natura, divina & humana; ita negant, quod naturæ *sibi invicem* fuerint communicatæ.

Sententia Lutheranorum.

Et Reformatorum, cum suis rationibus.

Eò

Eo quod 1. de tali communicatione, γε῀ν quidem Scriptura non habeat, utpote, quæ perpetuo loquitur in *concreto* de *perſona* Phil. II. 6. 7. *qui cum exiſteret in forma Dei.... ſeipſum inanivit aſſumta forma ſervi* &c. Heb. II. 14. *Et ipſe*, καὶ αὐτὸς, *conſimiliter participavit* μέτεσχε *de eiſdem*...& vſ. 16. *neque enim Angelos aſſumit*, ἐπιλαμβάνεται; *ſed ſemen Abrahæ aſſumit* ἐπιλάμβανεται &c. Nec datur in Scripturis contrarium exemplum. Eò quod 2. Lutheranorum ſententia apertam implicet naturarum *confuſionem*, adeoque Eutychianiſmum. Si enim 3. Naturæ humanæ communicata fuiſſet divina *natura*; tum humana natura facta fuiſſet divina natura: quod enim habet divinam naturam, id divina natura eſt, & ſic ceſſaret natura humana, & ſuccederet manifeſta *confuſio*. Eò quod 4. Si per unionem perſonalem, humanæ naturæ communicata fuiſſet *divina* natura, tum per eandem unionem, *divinæ* naturæ communicata fuiſſet humana natura, & ſic divina natura facta fuiſſet *humana* natura. Et conſequenter 5. Sicut cum communicatâ divinâ naturâ, communicatæ ſunt proprietates divinæ; ita & vice verſâ, divinæ naturæ communicatæ fuiſſent proprietates humanæ naturæ, & per hoc divina natura facta fuiſſet, viſibilis, palpabilis, paſſibilis, mortalis, non æterna. Addamus 6. Si natura divina fuiſſet communicata humanæ naturæ; tum tota Trinitas fuiſſet incarnata, quia *natura* divina tribus perſonis eſt communis. Atque etiam 7. Si naturâ divina communicata fuiſſet humanæ naturæ; tum humana natura fuiſſet ipſa *omnipotentia*, quia divina natura ipſa eſt *omnipotentia*.

Objectiones. Nec video, quid pro ſe cauſari poſſint οἱ ἐξ ἐναντίας, quam A. quod per unionem iſtam, humanæ naturæ fuerit communicata *ſubſiſtentia* divinæ perſonæ, quæ per eam facta fuerit ἐνυπόστατος: cum ſubſiſtentia divina idem ſit cum ejus naturâ. Reſp. Jam dudum ex profeſſo negavimus *ſubſiſtentiam* divinam communicatam fuiſſe humanæ naturæ. B. Quod Col. II. 9. dicatur *omnem plenitudinem deitatis* in Chriſto *habitate corporaliter*. Reſpondimus dudum, quod omnis plenitudo deitatis habitet in Chriſto θεανθρώπῳ, ſed non in *natura* humana. Quod C. Deus dicatur *manifeſtatus in carne* 1 Tim. III. 16 Reſp. Non dicitur *deitas* communicata carni; ſed in *carne*, propter unionem perſonalem in una *perſona*, Deum *inviſibilem*, quaſi factum fuiſſe *conſpicuum*, ſcil. per ἐμπεριχώρησιν, de qua Servator Joh. XIV. 9. 10. Quod interim D. per iſtam unionem facta fuerit aliqua κοινωνία naturarum. Reſp. Utique in perſona; ſed nequaquam in naturâ humanâ. Adhæc E. Quod fideles dicantur θείας κοινωνοὶ φύσεως 2. Pet. I. 4. quanto magis humana Chriſti natura. Reſp. 1. Si valeret ſequela, omnes fideles, perinde Deus eſſent ac Chriſtus. Sed 2. *natura* intelligitur non *eadem* quæ Deo competit; ſed *ſimilis* quodammodo, ſcil. ratione ſanctitatis divinæ.

XXIV. Quæritur 2. An ex unione duarum naturarum in unâ perſonâ, legitimè ſequatur *communicatio* proprietatum in *naturis*, ita ut proprietates divinæ: omniſcientiâ, omnipotentia, omnipræſentia, vis vivificandi &c. communicatæ ſint *humanæ naturæ*? Lutherani, ex communicatione naturæ, quæſtionis præcedentis, (ſi non falſa eſſet) rectè inferrent affirmativam: Reformati, *communionem* quidem proprietatum in *perſonâ*, admittunt; ſed *communicationem* inter naturas negant. Eò quod 1. *proprietates* divinæ, cum ipsâ divinâ *eſſentia* coincidant, conſentientibus ipſis adverſariis, adeoque communicatis divinis *proprietatibus*, communicata ei fuiſſet divina *natura*; quod parag. præcedenti refutavimus. 2. Si per hanc unionem, *humanæ* naturæ communicatæ ſint proprietates *divinæ*; & *divinæ* naturæ, per eandem unionem, communicatæ fuiſſent proprietates *humanæ* naturæ, compoſitio, finitudo, localitas &c. 3. Si proprietates *quædam*: omnipræſentia, omnipotentia &c. communicatæ fuiſſent, tum *omnes* proprietates fuiſſent, & ſic humana natura fuiſſet ab æterno, fuiſſet ſimpliciſſima, immutabilis, impaſſibilis &c. eo quod *proprietates* divinæ ſint *inſeparabiles*, utpote quæ omnes eandem indiviſam Dei eſſentiam, per inadæquatos conceptus, exprimunt. Addam 4. Quod Scriptura hujuſmodi communicationis, nullam omnino faciat mentionem. Nec eſt fere quod in contrarium cauſentur, niſi A. communicatam humanæ naturæ *hypoſtaſin* τῦ λόγυ, & cum eâ, *eſſentiam* divinam, quæ concludat *proprietates* divinas; quam dudum refutavimus parag. præcedentibus. B. Similia quædam, v. g. quod vita animæ communicetur corpori. Reſp (1) Anima non communicat *vitam* ſuam corpori; ſed in corpore *producit* vitam. Et (2) ſi communicaret, non tamen ſequeretur. 3. Quod humanæ naturæ in Scripturis tribuantur omnipræſentia, omniſcientia, omnipotentia &c. Id enim, cum de attributis iſtis ſingulatim ageremus Lib. II. negavimus refutavimuſque. Addunt, C. Quod *caro* Chriſti, h. e. humana ejus naturâ, dicatur vivifica Joh. VI. 54. 55. quod procul dubio eſt inter proprietates *divinæ* naturæ: Reſp. 1. Dicitur item vſ. 63. quod *caro non proſit* h. e. quod verba ſua non ſint intelligenda *carnaliter* ſeu propriè, eò quod *ſpiritus* ſit *qui vivificet*: ſed *ſpiritualiter* ſeu impropriè, de ſpirituali communione, quam homines per fidem ſecum habeant, per quam ipſe ſit vita eorum Col. III. 4. Gal. II. 20. Joh. XIV. 6. Tum 2. loquitur Chriſtus de totâ ſuâ *perſona* vſ. 53. EGO *ſum panis ille vitæ, qui è cælo deſcendit.* Sic vſ. 33. & vſ. 35. EGO *ſum panis vitæ, qui ad* ME *venit, non eſuriet, & qui in me credit, nunquam ſitiet.* Pergunt D. Pater ipſi

2. An ex unione naturarum in perſonâ ſequatur communicatio idiomatum in naturis? Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

Objectiones.

ipsi *dedit vitam habere in se* Joh. v. 26. id quod procul dubio, pertinet ad proprietates *divinas*, & necessario ad humanam naturam referendum est, quia *divinæ* naturæ nihil dari potest. Resp. Hoc omnino referendum est ad divinam personam, cui Pater vitam *independentem* dedit, non per *gratiam* unionis; sed per æternam generationem, quâ, cum essentia, secundæ Trinitatis personæ communicata est vita independens. Necdum subsistunt; sed adjiciunt E. Quod Joh. xvii. 5. petat sibi communicari *gloriam illam, quam apud ipsum habuerit antequam mundus esset*; ea vero, citra dubium est gloria *divina*, quæ cum communicari non possit *divinæ* naturæ, communicanda ipsi veniat secundum *humanam* naturam. Resp. 1. Petit talem sui glorificationem, quam per unionem hypostaticam, hactenus necdum habuerit, qualem tamen intendunt Lutherani. 2. Nec petit ullam gloriam *dari* aut *communicari humanæ* naturæ; sed petit *glorificari*; *glorifica me*, h. e. gloriam divinæ naturæ, quæ hactenus, per assumtam *formam servi*, occultata fuerat, *manifestari*, eatenus ut agnoscatur ab hominibus. Causantur F. Quod Pater Filio dederit potestatem faciendi judicii, *ὅτι Filius hominis est*, h. e. *quatenus* filius hominis est. Resp. Non vult textus aliud, quam quod Pater Filio Mediatori dederit potestatem judicandi, *quia* ipse solus inter Personas divinas sit filius hominis, qui per humanam suam naturam aptus sit, pronunciandi viva voce sententiam judicialem. Adjiciunt tandem G. Quod humanæ naturæ Deus dederit *sedere ad dextram* suam Marc. xvi. 19. Matth. xxvi. 64. quæ gloria sanè est gloria *divina*. Resp. 1. Negatur quod *sedere ad dextram* Dei, sit gloria divina: sic enim & Pater & Spiritus S. destituerentur illâ gloria divina, & per hoc, non essent Deus, cum ipsis non tribuatur, quod sedeant ad dextram Dei: Sed 2. intelligitur gloria mediatoria quam, ex pacto æterno, sibi meritus fuit sui humiliatione Heb. i. 3. cum Phil. ii. 7. 8. 9. 10. Si quid præterea objectant, id tam elumbe est, ut seipsum sponte refellat.

2. An ab unione personali, Mediator dona acceperit infinita, aut talia quibus nihil potuerit accedere?

XXV. Quæritur 3. An ab unione personali, Mediator dona acceperit *infinita*, aut talia saltem, quibus nulli gradus post nodum potuerint accedere? Lutherani quo efficacius tueantur, proprietates divinas fuisse communicatas humanæ naturæ, *dona* pessimè confundunt cum *attributis* divinis, ut ex eo, quod *dona* non possint cadere in divinam naturam, efficacius conficiant infinita fuisse communicata humanæ naturæ; statuunt *dona* infinita ei communicata fuisse secundum humanam naturam. Scholastici cum suis, *finita* quidem censent; sed talia tamen, ab ipso conceptionis primo momento, quibus nihil omninò potuerit *accedere*. Nec desunt inter eos qui distinguant dona, quoad *habitum*, & quoad *actus*, ut respectu *prioris*, ab ipso momento primo conceptionis, fuerint perfecta; respectu *posteriorum*, creverint. Reformati, *dona* accurate distinguunt ab *attributis* divinis, velut *effecta* à suis *causis*, & admittunt quidem dona Christo mediatori, secundum *humanam* naturam, communicata fuisse, tanta ac talia, quæ in naturam finitam cadere possunt; sed nec *infinita* simpliciter, nec simul & semel; sed quæ lapsu temporis paulatim ad suam ἀκμὴν pergere debuerint, & sic Scriptura *plenum* gratiâ statuit inde ab utero; ut tamen dona illa cum ætate *profecerint*, quod patet (1) Scripturæ disertis testimoniis Luc. ii. 40. 52. Marc. xiii. 32. (2) pleniore Spiritus S. effusione, facta imprimis in *Baptismo*, cujus symbolum erat *requies* Spiritus S. in eo Matth. iii. 16. 17. Joh. i. 32. cum Jes. xi. 1. 2. (3) eo quod nobis per omnia similis fuerit, excepto peccato Heb. ii. 17. & iv. 15. Nec adversarios juvat, quod Deus ei non *admetitus* dicatur Spiritum Joh. iii. 34. Neque enim id excludit *omnem* omnino mensuram; sed eam quam *regulariter* creaturis admetitur Conf. Esth. i. 8. Si addant, omnem potestatem in cœlo & in terra ipsi datam fuisse Matth. xxviii. 18. facilis accidet responsio, non *simpliciter* intelligi *omnia*; sed ea *omnia*, quæ requiruntur ad gubernationem Ecclesiæ, ut patet ex vs. subsequente.

Sententia Reformatorum.

Fundamenta sententiæ Lutheranæ.

4. An ab hac unione, ubicunque exiſtit ὁ λόγος, ibi etiam exiſtat caro?

XXVI. Quæritur 4. An ex hac unione, ubicunque exiſtit ὁ λόγος, ibi etiam exiſtat caro? *Reformati* negant, eo quod (1) Scriptura disertè neget Joh. xi. 15. 32. Luc. ii. 12. 42. Marc xvi. 6. Joh. xvi. 28. & xvii. 11. Heb. viii. 4. &c. (2) Articuli fidei nostræ multis modis reclament. Sic enim (*a*) quoad humanam naturam, non esset nobis per *omnia similis*. (*b*) non potuisset *nasci*, ac prodire ex utero materno. (*c*) non potuisset *mori*, per separationem corporis ab anima. (*d*) non potuisset *resurgere*. (*e*) non posset *reverti* ad judicium. *Omnia* enim ista, *restrictam* ad unum locum, carnis Christi præsentiam præsupponunt. Non addam (3) quod per adæquatam istam carnis & λόγου coëxistentiam, caro Deus fieret. *Lutherani*, in gratiam oralis manducationis in S. Cœnâ, A. unionem personalem fingunt, quæ *profundissimam duarum naturarum* περιχώρησιν, *immanentiam*, *permeationem*, *circumincessionem*, *præsentissimam naturarum præsentiam*, *naturarumque communicationem*, ut loqui amant, implicet, *per quam natura sese quasi intimè permeent*, & *pertranseant*, *ita quidem ut intra carnem λόγος*, & *intra λόγον caro sit & maneat*, adeoque *nec λόγος extra carnem*, *nec caro extra λόγον*; *sed ubicunque est λόγος*, *ibi etiam præsentissimam sibi habeat carnem*. Talem autem unionem nos in præcedentibus dudum refutavimus. B. Per eandem unionem,

Rationes Reformatorum negativæ.

Fundamenta Lutheranorum affirmativa.

nem, existimant, *omnipræsentiam* λόγȣ communicatam esse *carni*, quam *communicationem* propriétatum, nos etiam §. xxv. ex professo confecimus. Addunt C. nonnulla Scripturæ testimonia Eph. iv. 10. & i. 23. Matth. xviii. 20. & xxviii. 20. Sed quæ, non de præsentia *naturæ* humanæ; sed *personæ* totius loquuntur: aut etiam de præsentia, non tam *naturæ*, quam *gratiæ* 2 Cor. xiii. 13. Tandem D. urgent, absque hac *adæquata* coëxistentia λόγȣ & carnis, unionem tolli, & naturas divelli. Resp. Nimium crassè, cum nullibi caro existat, quin ei coëxistat λόγος, eique personaliter maneat unitus; licet λόγος existat, ubi sibi non coëxistit caro. Perinde ut unio inter animam & caput, non tollitur, eo quod caput non existat, ubicunque existit anima, dum anima v. g. in pedibus existit, ubi non existit caput.

5. An unio diversarum naturarum non inferat compositionem in Mediatore?

XXVII. Denique *quinto*, an unio diversarum naturarum, non inferat aliquam compositionem in Mediatore? Resp. Compositionem non fieri in personâ *assumentis* λόγȣ, dudum docuimus: nec etiam in personâ *Mediatoris* fieri, plerique Theologi volunt, quod Deus non possit ingredi compositionem cum creatura: eo quod *totum* semper & necessario perfectius existat, qualibet sua parte, coëunte in toto, perfectione utriusque partis; quod sane verissimum est, in *ordinaria* quavis creaturarum compositione, ubi pars una perfectionem partis alterius, nec formaliter nec eminenter includit: ast vero, si de *extraordinaria* compositione quæratur, ubi pars altera perfectionem alterius, non quidem *formaliter*, attamen *eminenter* absorbet: non video, qua ratione negari debeat; *vel* Deum ingredi posse compositionem *talem*, cum creatura: *vel* λόγον cum carne non posse concurrere ad *compositionem* unius Mediatoris θεανθρώπȣ. Nec enim, hac ratione, θεάνθρωπος *perfectius* aliquid significabit, quam λόγος abstractè, quia omnis perfectio carnis, *eminenter* & perfectius est in λόγῳ. Quemadmodum si Deum concipias *junctim* cum creaturis; tamen non perfectius quid concipies, quam si Deum concipias *separatim*: eo quod omnium creaturarum perfectionem Deus *eminenter* absorbeat. Et sanè concipi nequit, qua ratione, ulla diversarum rerum vera unio, talis cumprimis, quæ in hac observatur unione duarum naturarum personali, fieri possit absque *omni* compositione, vel ordinaria, vel *extraordinaria* tali, quam jam repræsentavimus.

Explicatur quo sensu extraordinaria aliqua compositio admitti possit.

Pars Practica.

Circa *divinam* & *humanam* naturam.

Praxis ab humanâ natura resultans: 1. Repræsentat amorem: Patris,

XXVIII. Praxis hujus capitis respicit, *primo* *personam* divinam assumentem, quam dudum expedivimus lib. 2. cap. xxvi. inde huc traducendam. *Secundo* respicit *naturam* assumtam humanam, qua *primo*, ad vivum nobis repræsentatur ineffabilis φιλανθρωπία, tum *Patris*, Filium, Filium proprium, unigenitum, incarnatione non solum *donantis* hominibus Joh. iii. 16. Jes. ix. 5. sed & *assimilantis* hominibus, quin & *unientis* cum hominibus; nec ad hoc, ut hominibus *imperitaret*; sed ut *puer* fieret Jes. ix. 5. imo *servus* Phil. ii. 7. atque etiam *vermis* Psal. xxii. 7.: nec hoc tantum; sed & legi, infirmitatibus, morbis, omne genus, exponentis Gal. iv. 4. Heb. iv. 15, Jes. liii. 2---6.: tum *Filii*, qua hominum consortio adeo delectatus est Prov. viii. 31. ut non tantum voluerit hominibus *assimilari* Phil. ii. 7. Heb. ii. 17. sed & *homo* fieri, hominis proximus (παραπλήσιος) quin & גואל, hominis consanguineus, imò *frater* Heb. ii. 12. atque etiam *unum* cum hominibus. *Ibid.* vs. 11. eadem cum eis *caro*, idem *sanguis*: scil. ut *pueri* participes sunt *carnis & sanguinis*; καὶ ἀυτὸς παραπλησίως μέτεσχε Heb. ii. 16. Idque non *pro se*, ut sibi inserviret, suisque commodis; sed *pro hominibus*, ut *serviret*, *seque daret redemptionis precium*, pro hominibus Matth. xx. 28. Hæc inquam ineffabilis, Patris & Filii φιλανθρωπία, in incarnatione ad hoc nobis repræsentatur, ut (1) nos ad reciprocum *amorem* versus Deum, versus Christum accendat, per quem vicissim simus φιλόθεοι καὶ φιλόχριστοι, prout illi sunt φιλάνθρωποι Tit. iii. 4. cum 2 Tim. iii. 4. Eph. v. 1, 2. Ut (2) adnitamur vicissim, magis magisque *assimilari* eis, sicut ipse incarnatione nobis voluit *assimilari* Heb. ii. 17. usque ad *formam servi* Phil. ii. 7. cum vers. 5. & Eph. v. 1. 1 Cor. xi. 1. Imo (3) Ut adnitamur fide & *spiritu*, cum ipso *uniri*; sicut ipse uniri nobiscum voluit, *carne* & sanguinè Heb. ii. 14. cum vers. 11. Filii. Quorsum.

2. Profundam Mediatoris humiliationem.

XXIX. *Secundo*, repræsentatur eadem natura humana, profunda *demissio* & *condescensio* Mediatoris, per quam, cum esset *Dei* filius, *proprius* filius Rom. viii. 32. *unigenitus* filius Joh. iii. 16. ἐν μορφῇ θεȣ̃, ἴσος θεῷ. Phil. ii. 6. imo *Deus* ipse *benedictus in sæcula* Rom. ix. 5. ἀπάυγασμα τῆς δόξης, καὶ χαράκτηρ τῆς ὑποστάσεως ἀυτȣ̃ Heb. i. 3. voluit 1. Naturam humanam, non *angelicam* assumere, nostra, infinitis fere parasangis præstantiorem Heb. ii. 16. Eamque 2. non *perfectam*, prout erat in statu integritatis; sed *abjectam*, qualis per peccatum facta erat, quæ *formam servi* referebat Phil. ii. 7. in qua nulla *forma*, nullus *decor* sese proferebat, ob quam placere posset Jes. liii. 2. Imo 3. in ea natura, & naturæ tam abjecta forma, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν ὐρανῶν Heb. vii. 26. *uniri* nobiscum peccatoribus Heb. ii. 11. dum cæterà, Deum & peccatores *divellunt* peccata Jes. lix. 2. & 1. 15. Et quod magis 4. Non natu-

naturam tantum, naturæque affectiones naturales; sed etiam *infirmitates*, atque insuper *omnes* infirmitates, utcunque *viles*, modo non *turpes* sint, & peccaminosæ Heb. IV. 15. usque adeo, ut non tantum *perinde* vilis; sed *vilior* etiam nobis sit factus, qui *reverà* peccatores sumus Psal. XXII. 7. 8. Idque 5. Non *sibi* Matth. XX. 28. sed *nobis*, ut noster fieret *frater*, quasi in hoc tanta esset præstantia, tanta gloria, hominis vilissimi *fratrem* esse: id quod tanta emphasi, Apostolus significat Heb. II. 11. δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν. Et quorsum hæc condescensio, ταπεινώσεις, κένωσις? nisi ut (1) amorem & φιλανθρωπίαν, quam §. præced. designavimus, agnosceremus. Ut (2) pro eo vicissim, nullam nostri ταπείνωσιν, κένωσιν, nullum contemtum, ignominiam, aut simile, quale & quantumcunque, declinemus 2 Cor. XI. 23---30. Ut nominatim (3) nos non *erubescamus Euangelium* Rom. I. 16. & nominis Christi liberam professionem Marc. VIII. 38. Luc. IX. 26. Conf. 2 Tim. I. 8. 12. 16. vel cum quavis contumelia coniunctam.

Quorsum,

3. Egregiam nostri exaltationem.

XXX. Contra *tertiò*, in hac Mediatoris ad nos *descensione*, nostri apparet *ascensio*, in ejus humiliatione, nostrî exaltatio 2 Cor. VIII. 9. Quatenus per eam, nos jam sumus *proximi* filii Dei, *consanguinei* ejusdem Heb. II. 15. *de carne ejus, & de sanguine ejus* Eph. V. 30. *fratres* ejus Heb. II. 11. *filii* ejus Heb. II. 10. *unum* cum eo Ibid. vers. 11. Nunquid in his omnibus, maxima est nostri *exaltatio?* Conf. 1 Sam. XVIII. 23. 26. 27. Quam major etiam suo tempore sequetur, quando *corpus nostrum humile* μετασχηματίσει, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ Phil. III. 21. Ut in hoc Christianis *omnibus*, utcunque cæterà vilibus, argumentum suppetat maximæ *gloriationis* Phil. III. 3. Conf. Jac. I. 9.

4. Plus quam fraternam Christi curam versus suos.

XXXI. Insuper *quartò*, in eadem hac naturæ nostræ assumtione, & quæ in eâ conspicitur, ejus φιλανθρωπία, ac condescensione; etiam apparet plus quam fraterna ejus *cura* pro suis. Quam (1) ut eorum proximus, consanguineus, frater, sponsus, caro de carne, & sanguis de sanguine, erga eos gerit Eph. V. 29. Conf. Gen. II. 23. Jes. LVIII. 7. Gen. XXIX. 4. & XXXVII. 27. tenerius profectò, quam Josephus versus fratres, etiam sibi quondam adeo inimicos Gen. XLII. & seq. Matth. XXV. 40. & X. 40. & XVIII. 5. Marc. IX. 37. (2) Sole clarius ostendit, quod naturam istam assumserit, ad hoc ex professo, ut *misericors fieret & fidelis Pontifex* Heb. II. 15. *potens* συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, utpote πεπειρασμένος κατὰ πάντα, καθ' ὁμοιότητα Heb IV. 15. Atque etiam 3. Ad hoc, ut *aboleret mortem, & liberaret, quotquot timore mortis, per omnem vitam subjecti sunt servituti* Heb. II. 14. 15. Quantum hinc *fidelibus* omnibus suppetit solatium! (1) In casu ignobilis, & abjecti *ortus*, quod nihilominus sint *proximi*, consanguinei, fratres, sponsæ, Filii Dei. Et quod ipse ille *filius* Dei, ex ignobili & spretâ ancillâ, humanam assumserit naturam Luc. I. 48. & ad hoc assumserit, ut nostram *exaltaret*. In casu (2) *paupertatis*, cum & filius Dei *pauper factus* sit, & ad hoc quidem, ut nos *divites* redderet 2 Cor. VIII. 9. In casu (3) *infirmitatum* & morborum, cum & *filius* Dei naturam assumserit, nostris *infirmitatibus* & morbis expositam Jes. LIII. 3. 4. 10. ut infirmitates & morbos nostros *sanaret* Matth. IV. 23. In casu (4) *tentationum* satanicarum, cum & *filius* Dei, in natura *nostra*, fuerit πειραζόμενος κατὰ πάντα, καθ' ὁμοιότητα, & ad hoc quidem, ut nobis *condolere* posset Heb. IV. 15. In casu (5) *mortis*, aut metus mortis, cum & *filius* Dei, ad hoc carnis & sanguinis nostri, fuerit factus particeps, *ut morte suâ aboleret robur habentem mortis* Heb. II. 14. In casu (6) *extremi judicii*, cum eum expectemus Judicem, qui est *proximus* noster, consanguineus, caro de carne nostra, sanguis de sanguine nostro, frater item, ac sponsus, imo qui *unus* est nobiscum.

Ad suavissimum solatium in variis casibus.

XXXII. Interim *quintò*, & ansam præbet justæ *solicitudini*, cum 1. non *tuam* tantum; sed & omnibus *communem*, Mediator assumserit humanam naturam, quibus tamen inde, ne γε quidem suppetit *emolumenti*, aut solatii; ne forte idem nobis accidat: quin 2. ne in *detrimentum* & exitium cedat, violatâ abs nobis *ea* natura, quam Christus assumsit 1 Cor. VI. 15. Est igitur quod solicitè exquiramus, sitne *puer nobis natus?* & *filius nobis* datus? Jes. IX. 5. Luc. II. 11. anne beneficia incarnationis, hactenus commemorata, ad NOS peculiariter pertineant. Sed unde tandem signa: istud certò nobis innotescet? Inde, si (1) per assumtionem carnis *nostræ*, non tantum *nos*, *ejus* facti fuerimus Joh. I. 11. sed & *ipse* vicissim *noster* Cant. II. 16. Si (2) prout sumtione naturæ humanæ, ipse factus est *una* nobiscum *caro* & sanguis; nos vicissim, sumtione ejus, quæ fit per fidem Joh. I. 12. *unus* cum ipso fiamus *spiritus* 1 Cor. VI. 17. Rom. VIII. 9. 11. Si (3) quemadmodum *ipse*, assumtione nostræ carnis, nobis per omnia *similis* factus est, quoad *naturam*, solo excepto peccato Heb. II. 17. ita & *nos* adnitamur ei magis magisque *assimilari* quoad *mores* Phil. II. 5. Eph. V. 1. 1 Cor. XI. 1. Matth. XI. 28. Si (4) quemadmodum *ipse*, naturæ nostræ *humanæ* particeps fieri voluit Heb. II. 14. ita & *nos* vicissim adnitamur, participes fieri *divinæ* ejus naturæ 2 Pet. I. 4. Si (5) quemadmodum *ipse*, puro accensus amore, *nostram* assumsit naturam Prov. VIII. 31. ita & *nos*, pro amore, *ejus* ambiamus naturam, agamusque quicquid agimus 2 Cor. V. 14.

5. Excitat justam in nobis solicitudinem.

Motivæ.

XXXIII. Est interim *sextò*, quod hîc solicitè 6. De-

suadet varios abusus. caveamus. Nim. 1. ut assumtione naturæ nostræ, *venientem* ad nos Filium Dei, non *negligamus*, aspernemur Joh. 1. 11. Apoc. III. 20. Tum. 2. Quinam illi. ut in sola ipsius assumptione humanæ nostræ naturæ non *acquiescamus*, cum & reproborum naturam assumserit, quatenus *humana* est. Sic enim *caro* nobis non *proderit* Joh. VI. 63. Porro 3. ut in unione Christi cum natura *nostra*, & in assumtione carnis, seu humanæ ejus naturæ, quæ fiat *orali* quavis manducatione, salutem non quæramus, cum transubstantiatoribus Pontificiis, & consubstantiatoribus Lutheranis. Sic enim, ex sententiâ ipsius Christi incarnati, *caro* ejus nobis *non proderit* Joh. VI. 63. Quibus rationibus. Atquè ut abusus istos magis solicitè vitemus, juvabit cogitare, (1.) quod abusus optimi semper sit pessimus Luc. II. 34. Rom. IX. 32. 33. 2 Cor. II. 15. 16. Et (2) qui rectè utentibus, sua incarnatione *venit* ad *salutem* Zach. IX. 9. Luc. II. 11. abutentibus olim venturus sit, ad *judicium* planè horrendum 2 Thess. I. 7. 8.

7. Accendit ad varias virtutes: XXXIV. Tandem *septimò*, unio Mediatoris, cum humanâ nostra natura, nos efficacissimè accendit: 1. Generaliter ad studium *sanctitatis*, in culcante Apostolo Hebr. II. 11. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes sunt, propterea non pudescit eos appellare fratres suos.* Specialiter 2. ad studium puritatis, scil. ne *membrâ Christi faciamus membra scorti* 1 Cor. VI. 15. & *corpus* illud, olim *transfigurandum*, *ut conforme fiat corpori ejus glorificato* Phil. III. 21. impuritate *quavis* carnali contaminemus 2 Cor. VII. 1. 1 Joh. III. 3. Porro 3. Exemplo φιλανθρωπίας Christi Prov. VIII. 31. qua *solâ* incarnari voluit, & nos amori, versus membra Christi, operam demus Eph. V. 1. nosque non *subducamus carni* nostræ Jes. LVIII. 7. Insuper 4. Exemplo ταπεινώσεως Christi, quâ seipsum ἐκένωσε Phil. II. 7. usque ad *formam servi*; & nos humilitati & ταπεινοφροσύνη operam demus, ut *idem affectus qui in Christo fuit, etiam in nobis* deprehendatur. Ibid. vers. 3. 4. 5. Matth. XI. 29. Denique 5. Exemplo beneficentiæ Christi, qua humanam *naturam* humanasque *infirmitates* assumsit, *non* sibi, sed *nobis*; & quisque nostrum, *non quæ sua sunt, quærat*: sed *quæ alterius sunt*, ut idem *affectus qui in Christo fuit*, & *in* nobis vigeat Phil. II. 4. 5.

Amorem proximi, Humilitatem, Beneficentiam.

Praxis unionis *duarum naturarum.*

In praxi unionis duarum naturarum occurrit 1. Argumentum admirationis, ex variis mysteriis: ipsius unionis: XXXV. Fuit praxis *naturarum* unitarum; succedit praxis ipsius *unionis*. In qua nobis argumentum occurrit, *primo admirationis*. Dicitur enim 1. Apostolo *mysterium* τῆς εὐσεβείας, h. e. Religionis Christianæ; mysterium *magnum*, & *sine controversiâ* magnum, *Deus manifestatus in carne* 1 Tim. III. 16. Dicitur 2. κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατ' ἀποκάλυψιν μυστηρίου, χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου Rom. XVI. 25. Conf. Col. I. 26. Eph. III. 4. 10. 11. A quo 3. *puer natus & filius datus*, primum nomen obtinet *mirabilis* Jes. IX. 5. Quam etiam unionem 4. Rubo ardente, nec tamen deficiente, in quâ *erat Angelus Jehova* (*Angelus facierum* Jes. LXIII. 9. *Angelus fœderis* Mal. III. 1.) præfiguratam, miratur Moses Exod. III. 2. 3. *Divertam nunc, & videbo visionem magnam.* Et si 5. *unionem* ipsam attendas; nonne stupendum, Deum hominem *fieri*: qui ab æterno *fuit*, in tempore *fieri*; qui *omnipotens* est, *infirmitatibus* humanis subjici, qui cœlum & terram *replet*; utero virginis *concludi*: eum qui nec Patrem habuit, nec Matrem, nec genealogiam; & Patrem tamen, & Matrem, & genealogiam agnoscere &c. Ut non immerito Augustinus Serm. XII. *de Tempor.* *O miracula! O prodigia! Deus nascitur, virgo sine viro gravidatur!* Et Barnard. *Serm. in Vigil. Nativ. Dom. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majestas, in assumtione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius, super terram: conjuncta quippe sunt ad invicem Deus & homo, Mater & Virgo; fides & cor humanum.* Et Damascenus *de Orthodox. fid.* lib. 3. c. 1. hoc mysterium appellat τὸ πάντων καινῶν καινότατον, ὑπὸ τὸν ἥλιον,

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrumque.

Virtutum Dei in unione conspicuarum: Justitiæ, Sanctitatis, Sapientiæ, Potentiæ. Misericordiæ.

Et si porro 6. fontem observes hujus unionis, miraberis confluxum ac sentinam mysteriorum (a) *Justitiæ* Dei vindicativæ, quæ, ne dimitteret peccatum impunitum, non *hominem* quendam egregium, non *Angelum*, non amicum qualemcunque; sed *filium*, filium proprium, unigenitum, charissimum, quasi de solio in hanc miseriam proturbavit, ut eum, qui peccatum *non cognovit*, *peccatum* pro peccatoribus faceret 2 Cor. V. 21. (b) *Sanctitatis* & odii versus peccatum, quo jam non duos Aaronis filios Levit. X. 23. nec decem Bethsemitarum myriadas confecit 1 Sam. VI. 19. sed filium *unigenitum* excusit à throno, ut propter hominum peccata puniret. (c) *Sapientiæ*, quâ unione sui cum carne humana, viam investigavit, conciliandæ *justitiæ* suæ vindicativæ, cum peccatoris æterna *salute*, per unionem sui cum peccatore, à quo Servator *sapientia Dei* appellatur 1 Cor. I. 24. (d) *Potentiæ*, qua deitatem cum humanitate unire potuit personaliter, quo majus, nec cogitari, nec esse potest. Ut de eo pronunciare possis, quod exstat Exod. X. 14. *ejus simile nec exstitisse hactenus, nec futurum.* Imprimis (e) infinitæ *misericordiæ* versus miseros, quâ, per incarnationem, miseris *filium suam unigenitum dedit* Joh. III. 16. ut ab hoc nod immerito Apostolus Rom. V. 8. *Commendat suam ipsius charitatem erga nos, quod, cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit.* Conf. 1 Joh. IV. 9. Et si hæc devotè expendas,

das, quid est Mediator, nisi ipsa Dei *charitas* incarnata? charitas nata ex virgine? charitas è cœlo descendens & obambulans in carne humana?

2. Argumentum modestiæ.

XXXVI. *Secundo*, argumentum *modestiæ*, quâ reprimamus carnalem curiositatem, in investigatione hujus mysterii; quæ inventa videtur, & reprehensa in Mose, volente propius accedere, ut perveſtigaret *mirabile ὅραμμα*, rubi in qua *Angelus* Jehova erat, *ardentis* quidem; sed non *deficientis* Exod. III. 3. 4. *Et vidit Jehova, quod diverteret ad videndum, clamavit ad eum è medio rubi, ne appropinques huc, solve calceamenta tua* &c. Idem agere videtur Angelus apud B. Virginem, nimium forte curiosam, in perveſtigatione ejusdem mysterii Luc. I. 34. *Quomodo hoc esse potest?* respondens: *virtus altissimi obumbrabit* te, significans Spiritum S. unionem istam q. *tecte* & sub *umbra*, perpetraturum, celaturumque, quam proinde non conveniat investigare, & q. retegere. Quam modestiam, ipsa etiam hujus mysterii majestas suadet; nim. cum hujus unionis exemplum non prostet in rerum naturâ; persuasi de *veritate* infallibili hujus unionis, ipso Dei testimonio, circa *modum* ejusdem non simus nimium soliciti.

3. Præstat fundamentum immotum fidei & fiduciæ in Mediatore.

XXXVII. *Tertio*, præstat nobis fundamentum immotum, *fidei* & *fiduciæ* in Mediatore Jesu. Quod 1. inde nobis infallibiliter innotescat, eum esse Mediatorem nostrum; eo quod Mediator esse non possit, qui non sit Deus & homo in unâ personâ; quod Jesus noster sit Deus & homo; & quod præter eum nemo talis sit. Quod 2. sit *sufficiens* noster Mediator, qui *servare possit, εἰς τὸ παντελὲς, quotquot per ipsum accedunt ad Deum* Heb. VII. 25. propterea quod, ut *Deus* possit servare, & ut *homo* velit nobis *συμπαθεῖν*. 3. Quod & *velit* nos servare, eo quod ad hoc dudum nobis voluerit assimilari, una nobiscum caro, noster frater, sponsus, fieri &c; & *possit*, quod assimilatus, *Deus* etiam sit. Quod proinde 4. in eo, ut Deo, pariter & homine, habere possimus, quicquid ad pellendam quamvis *miseriam*, & ad conferendum quodvis *beneficium*, anima tenus & corpore, desiderare queamus.

4. Præstat fundamentum acquiescentiæ in uno Mediatore.

XXXVIII. *Quarto*, suppeditat argumentum, præteritis omnibus, acquiescendi in eo solo: quod ex *unione* divinæ & humanæ naturæ, nobis factus sit *unus* Mediator I Tim. II. 5. *unus Dominus* I Cor. VIII. 6. Eph. IV. 5. In quo proinde *solo* possimus fiduciam collocare; utpote, qui solus sit *via, veritas & vita* nostra, absque quo *nemo* nostrum *possit venire ad Patrem* Joh. XIV. 6. in quo *omnis salus* nostra Act. IV. 12. Psal. XVI. 11. & LXXIII. 25. ut *præterire* & abnegare debeamus, *omnes* reliquas creaturas, proprias vires, merita &c. Phil. III. 7. 8. 9.

5. Invitat ad studium unitatis & concordiæ. Rationes motivæ.

XXXIX. *Quinto*, accendit in nobis studium *unitatis* & unionis. Cum enim tantum in Deo observemus *unionis* affectum studiumque, ut (1) non tantum personæ SS. Trinitatis, in eadem unâ essentia, *unum* esse voluerint I Joh. V. 7. sed & (2) tres illæ personæ, suâ cuique peculiari operatione œconomicâ, unionem divinæ *personæ* cum humana nostra *naturâ*, procurare voluerint: quando, in hac incarnationis unione, Pater *dedit* Filium Jes. IX. 5. Joh. III. 16. *misit* in carnem Joh. XII. 49. & XIV. 24. Filius *venit* in carnem I Joh. IV. 2. & V. 20. Spiritus S. *obumbrando* B. Virginem, carnem præparavit, illam cum anima univit & utrumque horum, cum divina persona; tandem tota individua Trinitas *corpus* ei adaptavit Heb. X. 5. Psal. XL. 7. 8. Insuper (3) Filius Dei ad hoc de *cœlo* descendit I Cor. XV. 47. Joh. VI. 41. 50. ut cum *carne* uniretur Joh. I. 14. in ea *manifestaretur* I Tim. III. 16. Idque (4) ad hoc, ut ex utraque natura unitâ, *unum* haberemus *Dominum* I Cor. VIII. 6. Eph. IV. 5. Insuper (5) ad hoc, ut nos *uniremur* sibi Heb. II. 11. unum *corpus* secum I Cor. XII. 12. unus *spiritus* redderemur I Cor. VI. 17. Quæ omnia (a) Servator, incarnâtione nobiscum unitus, urget ad unionem inter nos procurandam Joh. XVII. 21. *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ita & ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat, quod tu me miseris.* (b) Urget Apostolus Eph. IV. 3. 4. 5. 6. 7. *Studentes servare unitatem spiritus, in vinculo pacis, unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, unus Deus & Pater omnium* &c. Urget (c) ipsa res, quid enim magis absonum cogitari possit, quam hos, qui in eadem *humanitate*, in idem *corpus* mysticum, per eundem Spiritum uniti sunt; inter se, tam divisos, tam diversos & discrepantes existere?

6. Stimulat ad gratitudinem. Motivæ.

XL. *Sexto* denique, unio duarum in Mediatore naturarum, stimulat ad *gratitudinem*. Quod hac incarnationis unione 1. *Pater* adeo nos *dilexerit*, ut *filium unigenitum* nobis *dederit* Joh. III. 16. Jes. IX. 5. & cum filio, *omnia* Rom. VIII. 32. Quod 2. *Filius* ad nos *venerit*, & veniendo *filius hominis* fieri voluerit, ut nos *filios Dei* efficeret Gal. IV. 4. imo *primogenitos* Heb. XII. 23. cum Exod. IV. 22. 23. De quo Irenæus lib. V. *Filius Dei propter immensam suam dilectionem, factus est quod nos sumus, ut nos perficeret esse, quod est ipse. Factus est particeps naturæ nostræ, ut nos redderemur consortes naturæ divinæ* &c. Quod 3. Filius ille Dei se unire voluerit, non tantum cum *natura* nostrâ; sed etiam cum *infirmitatibus* & imperfectionibus nostris naturalibus; ut nostras infirmitates tolleret Heb. IV. 15. cum Jes. LIII. 4. suasque ipsis substitueret perfectiones I Cor. I. 30. Col. II. 9. 10. Proinde hac nostra gratitudine (1) Modus. Deum, puro amore *dantem* nobis filium suum, *amore* reciproco complectamur Psal. XVIII. 2. quo

nos ipsos totos ei *reddamus* 2 Cor. VIII. 5. (2) Filium, hac unione ad nos *descendentem*, venientemque, vivâ fide *recipiamus* Joh. I. 11. 12. ad eum viciſſim *veniamus* Jeſ. LV. 1. Matth. XI. 28. Filium *exoſculemur* Pſal. II. 12. Et quemadmodum ipſe veniendo, uniri nobiſcum voluit in *carne* noſtra; nos ei quoque uniamur *ſpiritu* 1 Cor. VI. 16. 17 Eph. IV. 4. 5. ut *unio* fiat reciproca, ſic ut ſolet in conjugio Joh. XV. 5. Cant. II. 16. Inſuper (3) peccata quævis *horreamus*, utpote quæ unitos cum eo, divellere ab eo, apta nata ſunt Jeſ. LIX. 2. Et ob quæ Pater Filium, quaſi ſeparavit à ſe, & in noſtram naturam, adeo miſeram, excluſit Rom. VIII. 32. Quibus item naturam Filii Dei humanam, cui ſeſe univit, quantum in nobis eſt, dedecore & contumeliâ afficimus, & quaſi conſpurcamus 1 Cor. VI. 15. 16. Conf. Heb. VI. 6. & X. 29. Porro (4) cum Filius Dei adeo delectatus fuerit *eſſe nobiſcum*, & converſari nobiſcum Prov. VIII. 31. Conf. Joh. XVII. 24. ut uniri cum noſtrâ natura voluerit Heb. II. 11. 14. nos viciſſim delectemur eſſe *cum eo*, converſari cum eo Phil. I. 23. Matth. XVIII. 20. Conf. Luc. II. 49. & ei *adhærere*, ut cum eo reddamur *unus Spiritus* 1 Cor. VI. 16. 17. Conf. quæ ξὺν θεῷ occurrent in cap. De *Incarnatione Mediatoris*.

CAPUT QUARTUM.

DE

Trinitate Officii Mediatorii.

Heb. III. 1.

Unde Fratres ſancti, vocationis ſuper-cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ, Jeſum Chriſtum.

Tranſitio ad ſequentia.

I. CONſideravimus fœderis gratiæ Mediatorem, *tum* quoad *nomina*, tum quoad *perſonam*; jam conſiderandus nobis venit, quoad *officium* ejus mediatorium, quod triplici functione exegit: prophetică, ſacerdotali & regia. E quibus duas Apoſtolus commemorat in textu, non quod tertiam non agnoſcat, (ut Sociniani, ſuis hypotheſibus inſervientes, volunt) utpote quam alibi prædicat cap. VII. 1. 2. ſed quod ejus commemoratio ei non viſa fuerit, ad præſentem ſcopum ſuum adeo facere.

Pars exegetica.

Textus reſolvitur & explicatur.

II. *In textu* commendatio *continetur Chriſti, ut Prophetæ ac Pontificis, ad hoc Hebræis facta, ut eum* obſervarent. *Eſt in eâ*

1. Fundamentum commendationis, ὅθεν, unde, *quod relativum eſt ad ea, quæ dixerat, per capita præcedentia: quibus Mediatoris divinam & humanam naturam adſtruxerat, utpote quibus requiſita continentur, ad functionem mediatorii officii, cujus contemplationi ſe jam accingebat, indeclinabiliter neceſſaria.*

2. Perſonæ *quibus Chriſtum* commendat, *quos appellat*

A. Fratres, *h. e. Chriſtianos, qui, ut præſente ſibi adhucdum Magiſtro*, diſcipuli *appellabantur, & eo jam per aſcenſionem, ab ipſis ablato*, Fratres *fere dicebantur, quod jam pares eſſent, & eundem* Patrem *cœleſtem, inter ſe, pariter & cum Magiſtro ſuo Chriſto agnoſcerent* Joh. XX. 17. Heb. II. 11. *ut proinde ſe invicem animo fraterno proſequerentur.*

B. Sanctos, ἁγίους. *Vox nonnullis compoſita cenſetur ex* α. *privativo & γῆ* terra, *ut talem notet, qui ſit* ſine terra, *h. e. non* terreſtris: *aliis deſcendit ab ἄζω* colo, *venerabilis, & talem dicit, qui ab integritate & perfectione ſuâ*, venerabilis *ſit: aliis ab ἄγω, ut talem dicat, qui* activus *eſt, & certaminibus deditus. Scil. mutato ſpiritu, & adſperſo jota. Senſu* ἀντιφραστικῶ, *nonnunquam* pollutum *& impurum notat, à quo tritum*: auri ſacra fames. *Hic talem notat, qui abhorret ab impuritate, & proclivis in puritatem & ſanctimoniam. Sic autem appellabantur Chriſtiani, partim, à ſanctitate* fœderali, *quâv. g. totus populus Iſraëliticus* ſanctus *olim appellabatur, & ſub Novo Teſt. fidelium infantes* ſancti *dicuntur* 1 Cor. VII. 14. *& addulti*, vocati ſancti Rom. I. 7. *quos non incommode* Eccleſiaſtice-ſanctos *dixeris, eo quod in communionem Eccleſiæ ſint adſciti, & privilegiis Eccleſiæ fruantur: partim ſanctitate* reali, *facta per ſanctificationem* Spiritus, *pro qualibus habendi ſunt, judicio charitatis, omnes qui membra ſunt Eccle-*

Eccleſiæ, quamdiu ſuæ profanitatis indicia non produnt, eo quod privilegiorum eccleſiaſticorum ſint participes.

C. Vocationis ſupercœleſtis participes κλήσεως ὑπερανίε μέτοχοι. Κλήσεως vocationis, *ſcil. non ad qualecunque officium, ſeu civile, ſeu eccleſiaſticum; ſed ad communionem redemtionis & gratiæ, cujus primus gradus eſt* vocatio. Ὑπερανίε, cœleſtis *ſeu* ſupracœleſtis: *non terrenæ ſeu humanæ, quæ fit per* externum *præconium verbi tantum; ſed* internæ *quoque, quæ fit per illuminationem & innovationem Spiritus S. Iſtam Apoſtolus* ὑπεράνιον *appellat, ratione* 1. principii, *fit enim à Spiritu S. Sive à Patre, qui in cœlis eſt* Gal. v. 8. Phil. III. 14. *Tum* 2. *ratione,* medii *quo vocamur, quod ſpirituale & cœleſte eſt, nempe verbum & Spiritus.* 3. *ratione* finis, *qui eſt cœleſtis gloria, q. d. quæ non, ſicut lex Moſis, ad terrenam poſſeſſionem terræ Canaan nos ducit, ſed ad ſupercœleſtia, ad hæreditatem patriæ cœleſtis. Hujus vocationis eos* μετόχους *dicit, ut ſignificet, eos una ſecum, & cum quibuſvis aliis vere Chriſtianis, factos eſſe participes, ac proinde ejuſdem ſortis. Coacervat autem omnes hoſce titulos, in Hebræos, non ad hoc tantum, ut ſuum verſus eos affectum, plus quam fraternum ipſis patefaciat, eorumque reciprocum verſus ſe affectum impetret? ſed etiam ut Hebræos à ſe invicem diſcriminet. Erant enim Hebræi, profeſſi Chriſti & Chriſtianiſmi hoſtes; erant etiam, qui ad profeſſionem Religionis Chriſtianæ tranſierant; ſed adhucdum* infirmi, *qui legem Moſaicam, cum Religione Chriſtiana conjugandam exiſtimabant, & ex eo non leviter offendebantur, quod legem ceremonialem à Deo per Moſen latam, Chriſtiani abrogarent, cum his Apoſtolo, per univerſam hanc Epiſtolam, eſt negotium: erant tandem Hebræi, qui Chriſtianiſmum integrè & ingenuè profitebantur: hos fere ab illis, tot epithetis diſcriminare velle videtur.*

3. Commendationis argumentum, *ſeu officium commendatum, cujus notatur*

א. Actus, κατανοήσατε. Κατανοέω *ſonat, non ſimpliciter* intelligere, inſpicere; *ſed magno ſtudio mentem in rem intendere. Jungitur fere cum verbis, quæ notant* videre Act. XI. 6. Jac. I. 23. Κατανοήσατε, *animum diligenter arrigite, conſiderate, ſcil. quantus ſit & qualis, qui legem ceremonialem abrogavit, nim.* Deus, *ipſus ille, qui eam olim rogavit apud Sinai;* & homo *etiam, non vulgaris; ſed qui unitus eſt cum Deo, ipſo Moſe major: non Chriſtiani meri homines eam abrogarunt proprio motu. Nec igitur eſt, quod tantopere offendamini, abrogatam eſſe legem ceremonialem à Deo per Moſen latam. Hic demum præcipuus eſt totius Epiſtolæ ſcopus.*

ב. Objectum *actionis, quod deſcribit ab*

α. Officio *duplici*:

a. Prophetico, *quando illud appellat* ἀπόστολον, *Apoſtolum. Vox nonnullis deſcendit à* στόλος, *quod* claſſem *ſonat nauticam; ſic Demoſthenes, Harpocration aliique: aliis rectius derivatur ab* ἀποστέλλω, *& ſic notat* emiſſarium *publicum, tam* civilem Joh. XIII. 16. *quam* Eccleſiaſticum, *ſic paſſim in Novo Teſt. Et* ordinariè *quidem emiſſarios* Chriſti 1 Cor. XV. 7. Matth. X. 5. 16. *ad annunciandum Euangelium, adeoque miniſtros Eccleſiæ extraordinarios, primipilos, quales ſub Veteri Teſt. erant* Prophetæ; extraordinariè *ipſum* Chriſtum, *quod ipſe à Patre miſſus fuerit, ad annunciandum hominibus, atque etiam ad expediendum negotium Redemtionis* Matth. XXI. 37. Joh. III. 17. & VI. 57. & VII. 29. & IX. 7. *Sic autem appellatur: tum quod Patris ſui* legatum *egerit apud homines, ſeu Mediatorem* 1 Tim. II. 5. *tum quod interpretem* & oratorem *ejus præſtiterit (à quo etiam* λόγος *deſignatur) qui mentem ejus occultam hominibus patefecerit* Joh. I. 18. *Ut una voce & munus ejus* Mediatorium *deſignetur generaliter, & in ſpecie functio ejus* prophetica.

b. Sacerdotali, *quando eum nominat* ἀρχιερέα Pontificem. *Talis apud Romanos dicebatur, qui & rebus ſacris, & ſacrorum præfectis, præerat. Hebræis* כהן הגדול Sacerdos ſummus, *cui omnia Sacerdotum gregariorum officia competebant: ſed cui inſuper peculiare erat, quotannis ingredi Sanctum Sanctorum, atque præeſſe, & ſacris & Sacerdotibus. Hujus antitypus erat Chriſtus, tanto excellentior, quanto corpus umbrâ. Addit Apoſtolus* διαιρετικῶς, *ut nim. hunc noſtrum Pontificem ſub N. T. diſcriminaret ab illo V. T. addit inquam,* τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. *Vox* ὁμολογία *uſus eſt, vel* forenſis *ſeu fœderalis, ſonans* compromiſſum, *conventum, fœdus, ubi* ἐπερωτᾶ, *qui ſtipulatur;* ὁμολογεῖ *qui ſpondet, atque ita convenitur verbis. In divinis,* poſtulabat, *vel hominis miſeria, vel Dei juſtitia;* promittebat *Filii Dei miſericordia, opus redemtionis: vel* eccleſiaſtici, *& ſic rurſus ſonat, vel* profeſſionem, *ſcil. fidei ac Religionis, quam uno animo vos nobiſcum profitemini; vel* confeſſionem, *ſcil. Apoſtoli & Pontificis, quem uno corde & ore confitemur.*

β. Nominibus, Jeſus Chriſtus. *De quibus* Cap. III. *hujus libri ex profeſſo.*

Pars

Pars dogmatica.

Mediator officio suo fungitur, ut Propheta, Sacerdos & Rex.

III. Ex quo patet, Mediatorem θεάνθρωπον, officio mediatorio diversis modis fungi, scil. ut *Prophetam* seu ἀπόστολον, & *Pontificem* seu ἀρχιερέα, quibus nos, ex aliis Scripturis, addemus (utpote apud omnes, qui quidem Scripturas recipiunt usque ad ipsos Judæos & Socinianos, extra controversiam positum) ut *Regem* βασιλέα Psal. II. 6. Zach. IX. 9. Hac causa A. distincte in Scripturis designatur (1) *Propheta* Deut. XVIII. 15. Act. III. 22. Jes. LXI. 1. 2. Conf. Luc. IV. 16. -- 21. (2) *Sacerdos* Psal. CX. 4. Heb. VII. 15. 17. 24. 26. Zach. VI. 12. 13. (3) *Rex* Apoc. XVII. 14. Joh. XVIII. 33. 36.

Rationes sex. 1.

IV. Ipem B. docent *typi* V. T. præfigurantes in Mediatore tres illas functiones, nim. *propheticam*, quam imprimis præfiguravit Moses Deut. XVIII. 15 --- 20. Act. VII. 37. *sacerdotalem* quam Sacerdotes, Pontifex, Melchizedek Heb. II. 17. & V. 4. 5. 6. & VII. 1. usque ad fin. *Regiam*, quam Melchizedek Rex Salem, David, Salomo Heb. VII. 2. Jer. XXIII. Jes. IX. 6. 7. Luc. I. 32. 33. Apoc. 2. XIX. 16. C. *Triplicem* istam functionem insuper exigit peccatoris, per Mediatorem redimendi *triplex* necessitas, per quam peccator laborat (1) crassa *ignorantia* Eph. IV. 17. 18. 1. Cor. II. 8. 9. 14. Apoc. III. 17. (2) Extrema *alienatione* à Deo, & ab omni salute, imò amara inimica versus Deum, ejus legem; & omnia quæ Deum concernunt Eph. II. 12. Col. I. 21. Rom. VIII. 7. (3) Totali *impotentia* revertendi ad Deum Rom. V. 6. & VIII. 3. Eph. II. 1. 2. 3. Jam *ignorantiæ* medetur functio *prophetica*: *alienationi* & inimicitiæ, 3. *sacerdotalis*: *impotentiæ*, *regia*. Eandem D. ostendit salutis per Mediatorem conferendæ *ordo*, utpote quæ (a) *revelari* debuit ignorantibus (b) *procurari* & acquiri alienatis (c) *applicari* impotentibus. Si enim revelaretur & non etiam acquireretur; esset instar remedii, quod in sola medici speculatione ac figmento consistit; si revelaretur impetraretur que, & non applicaretur; esset quasi pharmacum utcunque efficax; sed non applicatum vulneri. Jam salus revelatur à Mediatore, ut *Propheta*; acquiritur, ut *Sacerdote*; applicatur, ut 4. *Rege*. Hinc E. Mediator etiam, primo salutem *annunciavit* in vita sua; tum *acquisivit* morte; tandem *applicat*, mittendo Spiritum S. post ascensionem. 5. Rursus F. primo docuit ut *Propheta*; tum obtulit seipsum, ut *Sacerdos*; tandem ingressus est in gloriam, ut *Rex*. Denique G. triplicem hanc 6. muneris Mediatorii functionem ejus *unctio* evincit, à qua *Christum* denominari jam ante indicavimus: constat enim solos *Prophetas* 1 Reg. XIX. 16. *Sacerdotes* Exod. XXVIII. 41. & XXX. 30. ac *Reges* 1 Sam. XVI. 12. 13. *unctos* fuisse.

Pars Elenchtica.

Quæritur 1. An Messias, olim promissus, habiturus fuerit, non nisi *unam* functionem, puta regiam? Judæi, puro puto *odio* Jesu nostri ut Messiæ, negant, Messiam functionem ullam habiturum, præter unam *regiam*. Reformati trinam agnoscunt, eo 1. quod cum olim, agnoscentibus Judæis, *unctio* fuerit occupata, circa *triplicem* functionem, propheticam, sacerdotalem & regiam: atque etiam Messias *unctus* dicatur per excellentiam: non videatur conveniens, ut ad unam tantum, atque alteram functionem extendatur; sed ad omnes, ut omnium perfectionem absorbeat. Cum præsertim 2. ἀποτέλεσμα triplicis functionis, de Messia repræsentari videatur, Dan. IX. 24. 25. 26. ubi Messias dicitur *ungendus*, & *obsignaturus visionem* atque Prophetiam: *expiaturus* iniquitates: & adducturus *justitiam*, futurusque נגיד. Idem 3. fieri videtur Zach. VI. 12. 13. ubi vir צמח *germen*, (quem ipsi Judæi Messiam intelligunt) dicitur *ædificaturus templum*, ut *Propheta*: futurus *Sacerdos*, denique *sessurus & gubernaturus in solio suo*, ut *Rex*. Adde 4. cum olim non defuerint, qui *duplicem* functionem simul sustinuerint, ut Melchizedek, sacerdotalem & regiam Gen. XIV. David propheticam & regiam; Samuel propheticam & sacerdotalem: hi, ratione functionis, inter unctos *perfectiores* forent Messia, quem tamen ἐξόχως *unctum*, ipsi fatentur Judæi. Imò ἐξόχως *unctus*, qui commodius erit, quam si triplici functioni dicatur inauguratus? Unde triplicem coronam שלשה כתרים Judæi celebrant. R. Simeon in *Pirke Aboth*, c. IV. *coronam legis* dicit, *sacerdotii & regni*. Imprimis 5. Quod differtè appelletur *Propheta*, Deut. XVIII. 15. & talis, qui æquiparatur Mosi כמני, & vs. 18. *Prophetam suscitabo illis, è medio fratrum ipsorum*, SICUT TE, *& dabo verba mea in ore ipsius* &c. dum Cap. XXXIV. 10. expresse dicitur, quod *Propheta in Israële non surrexerit par Mosi*: Quin talis, quem jubentur *audire* תשמעון אליו Vers. 15. Atque etiam *Sacerdos* Psal. CX. 4. Quem Psalmum R. Saadias à Gaon, de Messia intelligendum fatetur, in *Comment. ad* Dan. VII. 13. Item Zach. VI. 12. 13. יהיה כהן, *erit Sacerdos*, quem locum Judæi passim de Messia exponunt. Accedat 6. quod & *prophetica*, & *sacerdotalia*, ipsi non minus tribuantur, quam *regia*. Quid enim *Prophetæ*? Docebant Jer. VII. 25. 26. Neh. IX. 26. & hoc Messiæ competit ex Jes. LXI. 3. & XLII. 1. 2. Quid *Sacerdotes*? Expiabant Levit. IV. 20. 31. & hoc Messiæ tribuitur Dan. IX. 24. Nec habent quod objiciant, nisi 1. Quod locus Deut. XVIII. 15. 18. non de Messia sit intelligendus; sed, vel de Josua, ut censet Aben Ezra; vel de quocunque post Mosen Propheta, ut R. David Kimchi & R. Salomo Jarchi; vel de Jeremia peculiariter, ut alii nonnulli. Quibus reponimus (1) Quod Josua, successor quidem Mosis, ast nullibi Propheta, *singulariter* & διακριτικῶς appelletur. Neque (2) per eum

1. An Messias, olim promissus, habiturus fuerit, non nisi unam functionem, puta regiam?

Objectiones Judæorum: Prima;

eum Deus ita locutus dicitur, quemadmodum per Mosen Deut, XVIII. 18. Nec (3) Vel Josua, vel Jeremias, vel quisquam alius fuit, qui Mosi æquiparandus veniat. Conf. Deut. XXXIV. 10. Nec (4) de omnibus Prophetis sequioribus intelligi illa possunt, quod non modo *Propheta* commemoretur, in singulari, non *Prophetæ*; sed & singulare quid spirare videatur, *suscitabo* אקים verf. 18. & יקים Vers. 15. Plura in hanc rem, fortè suppetent Cap. seq. VI. Quod 2. locus Psal. cx. 4. intelligendus sit, non de Messia; sed, vel de Abrahamo, ut vult R. S. Jarchi & R. Lipman; vel de Davide, ut Aben Ezra & Kimchi putant. Quibus ipse textus obloquitur, nec uno modo, cum (a) non illi collocati sint ad *dextram* Dei. Nec (b) eorum sceptrum emissum sit è *Zione*. Nec (c) illi constituti sint *Sacerdotes*. Nec (d) etiam cum *juramento*. Nec (e) æterni sint. Nec (f) singulatim de Davide, cum juxta ἐπιγραφὴν, David loquatur de *Domino suo*. conf. cap. VII.

Secunda.

2. An pro trinitate muneris Mediatoris in Christo, binitas sit admittenda?

VI. Quæritur 2. An pro *trinitate* muneris mediatorii in Christo, sit admittenda *bonitas*? Sociniani, dum officium sacerdotale cum regio confundunt, ad hoc, ut non fuerit veri ac proprii nominis *Sacerdos*, nec proinde, in terra seipsum sanctificaverit pro nostris peccatis, & sacrificando pro eis satisfecerit, duo tantum agnoscunt Christi diversa officia, nim. propheticum & regium, & sacerdotale cum regio confundunt, ut in cœlo demum se Patri obtulerit. Reformati ex adverso, tria numerant Christi diversa officia, eo quod 1. procul dubio *distincta* sint functiones, sacerdotalis & regia; quæ Mediatori distinctè quoque tribuuntur Psal. II. 6. & CX. 4. neque ulla ratio jubeat, distinctas *in se* functiones, *in Christo* confundere 2. Veri ac proprii nominis, *Sacerdotem* fuisse, qui omnia sacerdotalia in his terris præstiterit, in controversis Cap. VII. id ex professo demonstrandum veniat: nos ex eis hic præsupponemus, officium sacerdotale reapse non idem esse cum regio. Nec eos juvat 1. Quod Heb. III. 1. *duæ* tantum commemorentur functiones, prophetica & sacerdotalis; neque enim hinc conficitur, vel quod *tertiam* non habuerit, cum disertè illi tribuatur regia, non alibi tantum; sed & in ipsâ Epistolâ ad Hebræos Cap. I. 2. 8. vel quod functio sacerdotalis cum regia coincidat, quia actus hujus ab illius planè differunt, prout, ex recensione utriusque, ad oculum patebit.

Objectiones.

Pars practica.

Praxis:

1. Convincit de veritate & sufficientia

VII. Practica hujus observationis nos *primo* convincit de veritate & sufficientia muneris Christi Mediatorii. Cum enim ab *una parte*, sufficiens Mediator esse non possit, qui non sit *Propheta*, ut suos intus & extus doceat; *Sacerdos*, ut reconciliet cum Deo; *Rex*, ut eos gubernet, sanctificet, glorificet: *ab altera* parte, nemo fuerit unquam, qui triplicem hanc functionem gesserit; fuerunt quidem qui *unam* aliquam è tribus, aut qui duas etiam, sustinuerunt; sed qui *tres* simul sustinuerit, non legitur nostro secundus: fieri nequit, quin ipse, & ipse quidem solus, sit sufficientissimus Mediator, qui *servare potest* εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 25. qui *factus sit nobis à* Deo *sapientia* tanquam Propheta; *justitia*, tanquam Sacerdos; *sanctificatio*, & *redemptio* seu glorificatio, ut Rex I Cor. I. 30. Qui solus nobis sit, *via*, ὁδηγὸς, ut Propheta; *veritas*, scil. typorum sacerdotalium & ceremonalium Joh. I. 17. ut Sacerdos; & *vita*, ut Rex: adeo, ut *nemo possit venire ad Patrem nisi per* ipsum Joh. XIV. 6. Et quorsum de hac veritate & sufficientia muneris Christi mediatorii convincit? Nisi ut 1. Mediatorem verum & sufficientissimum verâ ac vivâ fide arripiamus Joh. I. 12. Phil. III. 7. 8. 9. Ut 2. in eo, velut *unico* Mediatore I Tim. II. 5. neglectis & rejectis omnibus aliis, securè acquiescamus Joh. VI. 68. Psal. XVI. 4. 5. & LXXIII. 25. &c.

muneris Christi Mediatorii.

Quorsum.

2. Solatur in quovis casu adverso.

VIII. *Secundo*, suppeditat hæc muneris mediatorii trinitas, indeque emergens pleniffima Mediatoris nostri sufficientia, efficacissimam *consolationem*, in omni casu adverso, ut qui hinc servare potest εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 25. Nominatim in casu *spirituali*, si nos vexet A. *ignorantia*, cœcitas & hebetudo mentis I. Cor. II. 14. Eph. IV. 17. 18. nec suppetat Doctor commodus Psal. LXXIV. 9. quod in Mediatore *unum* habeamus *Prophetam* Doctorem, instar omnium Matth. XXIII. 10. qui *docere* potest extus Matth. IV. 17. & XXII. 16. & *illuminari* intus Joh. I. 4, 5. 7. 8. 9. &c. qui nobis factus est *sapientia* I Cor. I. 30. & sapientiam ingenuè suppeditat petentibus Jac. I. 5. Si vexet B. *inimicitia* cum Deo, habemus *Sacerdotem*, sui oblatione nos reconciliantem Deo Rom. V. 10. Eph. II. 14. 15. 16. Si C. desint quævis *necessaria*, habemus *Sacerdotem*, qui pro nobis ingressus est in sanctum sanctorum, ut pro nobis compareat apud Deum Heb. IX. 11. 12. nobisque paravit προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει Eph. III. 12. ut cum *fiducia possimus accedere ad thronum gratiæ, quo misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus, ad oportunum auxilium* Heb. IV. 16. Usque adeo, ut *quicquid* petierimus in ejus nomine, certo certius simus impetraturi Joh. XVI. 23. Si in casu *corporali* D. urgeamur copia, potentia & crudelitate quorumvis hostium Psal. III. 2. 3. habemus *Regem*, qui omnes *sceptro ferreo* possit *contundere, ut vasa fictilia* Psal. II. 6. 9. Et sic in reliquis quibusvis necessitatibus, prout patebit circa particularem singularum functionum enarrationem. Proinde

3. Hortatur

IX. *Tertio* suadet, totis viribus enitamur, ut A. Mediatoris, qui ex *officio* triplici, abundè sufficit

Media. A. Quæramus B. Retineamus.

torem trinum officiis

omnibus noſtris neceſſitatibus Phil. IV. 19. certo reddamur, per fidem, *participes* Phil. III. 7. 8. 9. B. participes facti, ei individuſſe *adhæreamus*, nec unquam deſeramus Gen. XXXII. 26. Pſal. LXIII. 2. 9. Luc. XXIV. 29. C. Eum ſupra quævis *amemus* Matth. X. 37. amore (a) *concupiſcentiæ* ac deſiderii Pſal. XLII. 2. Apoc. XXII. 17. 20. (b) *complacentiæ* ſeu acquieſcentiæ Pſal. LXXIII. 25. & XVI. 5. 6. (c) *benevolentiæ* & obſequii 2 Cor. V. 9. Denique D. ſufficientiam triplicis functionis mediatoriæ, omni caſu, in uſus noſtros convertamus, ei *innitendo* Jeſ. X. 20. Cant. VIII. 5. &c. Conf. praxis capitis II. *de Mediatore*.

C. Amemus. D. Eo utamur.

CAPUT SEXTUM,

DE

Mediatore Prophetâ.

Deut. XVIII. 15.

Prophetam è medio tui, è fratribus tuis, ſicut me, excitabit tibi Jehova Deus tuus, ad hunc auſcultabis.

Deſcenditur ad officium Propheticum.

I. TRinitatem muneris mediatorii *generalius* examinavimus, quaſi pro præfatione; jam ſingulæ ejus *functiones* ſingulatim ſuccedunt contemplandæ, & in his primo *prophetica* functio, de qua Moſes vaticinatur Deut. XVIII. 15.

Pars exegetica.

Textus reſolvitur & explicatur.

II. *Quibus verbis, illuſtre continetur vaticinium, de Meſſia futuro Propheta. In quo duo occurrunt:*

1. Promiſſio *Prophetæ cujuſdam egregii. Quâ deſignatur*

א. Prophêta *promiſſus.* נבא, *à* נבא *Niph. quod ſignificat acceptionem prophetiæ à Deo, & mandatum loquendi ad alios. Unde* נביא Prophetam, vatem, ſcribam, *atque etiam* interpretem *notat* Exod. VII. 1, *Gracis* προφήτην. *Proprie talem dicit Eccleſia miniſtrum extraordinarium, qui pro Deo loquitur, à Deo infallibiliter Actus* 2 Pet. I. 20. 21. *futura item contingentia prædicit; quamvis nonnunquam ſonet quemvis interpretandis prophetis V. T. occupatum* 1 Cor. XIV. 1. *Hoc loco* egregium *quendam notat. Sed quiſnam ille tandem? Sunt* 1. *qui Joſuam intelligi volunt, ſunt qui Jeremiam: quos rejecimus cap. præced. §. v. Sunt qui quemvis prophetam intellectum malunt, ſic cum Judæis Cel. Grotius, & nonnulli alii; niſi quod Prophetis iſtis Chriſtum connumerandum, cenſeant, id quod colligunt* (1) *ex antecedentibus*: ne augures conſulite, *quia non deerunt prophetæ, quos conſulatis, cum neceſſe erit: quæ ratio non congrueret, ſi de ſolo Chriſto, locus intelligatur.* (2) *Quia reſpondetur ad poſtulatum Iſraëlitarum, ut ſibi Deus per interpretem loqueretur, quod Deus annuit. Quia* (3) *Prophetam hic opponit pſeudoprophetæ. Hinc* 2. *alii de Prophetis quidem locum intelligunt velut de* typis, *de Chriſto autem tanquam de* veritate, *primò & primario. Alii* 3. *locum de* ſolo *Chriſto, intelligendum malunt. Quia affectiones hujus Prophetæ,* junctim *in ſolum Chriſtum quadrent, Nim.* α. *Propheta hic, ex* fratribus *Iſraëlitarum ſuſcitandus prædicitur* vſ. 15. *quod, omnibus agnoſcentibus, etiam Judæis, in Meſſiam cadit* Jeſ. XI. 1. β. *Quod futurus ſit non* minor Moſe, vſ 18. *quando* Deut. XXXIV. 10. *agnoſcentibus etiam Judæis, à Moſe non exſtitit ei ſimilis. Sic Maimonides in* Miſnah, *item in* Moreh Nebuch. *part.* 2. *cap.* 35. *Manaſſe Ben Iſraël in* Quæſt. ad Deut. *Quæſt.* XI. *Jam ſolum Meſſiam Moſi* ſimilem, *imò* majorem, *ipſi agnoſcunt Judæi. Sic R. Iſaac Ben Abraham, in* Chiſſuk Haëmuna, *per totum librum. Quod* γ. *hic Propheta Mediator dicitur inter Deum & Iſraëlem, per quem Deus ei locuturus eſſet.* vſ. 16. 17. *quod de gregario quovis Prophetâ dici nequit. Quia* δ. *hic Propheta officio* doctorali *eſſet functurus* vſ. 18. *quod de Meſſia pronunciatur* Jeſ. L. 4. & LXI. 1, 2. & XLII. 2. 3. *agnoſcente R. Manaſſe Ben Iſraël, de* Reſurrect. lib. III. cap. 3. *Quia* ε. *hunc Prophetam* ἐξοχὼς audire vſ. 18. *idem Meſſiæ præſtandum eſſe, Judæi lubenter concedunt. Quia* ζ. *hic talis Propheta intelligitur, qui non* proprio motu *locuturus eſſet; ſed inſtinctu & mandato divino* vſ. 18. *Et hoc de Meſſia largiuntur Judæi. Quia* η. *hic talis promittitur Propheta, de quo Deus minatur, ſe puniturum eum qui ipſum auditurus non eſſet* vſ. 18. *quod & Judæi de Meſſia*

ſia agnoſcunt, uſque adeo ut Gog & Magog, propterea eradicandos cenſeant à Meſſia, quia ei noluerint obtemperare. Quia &. ipſi Judæi, apud initium Novi T. agnoverint hunc locum de Meſſia eſſe intelligendum Joh. VI. 14. *& Cap. I. 45. juxta quos & Petrus, de Meſſia eum interpretatur* Act. III. 22. 23. 24. 25. 26. *& Stephanus apud Judæos* Act. VII. 37. *Conf.* Matth. XVII. 5. Joh. V. 46. *E tribus iſtis ſententiis maxime mihi arridet ſecunda media, eo quod* 1. *Prima, excludens Chriſtum, aut non includens, niſi ut communem quendam Prophetam, aperte falſa ſit, per rationes ſententiæ tertiæ: tertia vero, per rationes primæ ſententiæ; nec* 2. *ejus rationes ulterius pertingant, quam Chriſtum involvi, ut primarium Prophetam. Et* 3. *ſecunda maxime congruat, & cum ſcopo, & cum univerſa analogia contextus.*

ב. *Affectiones hujus Propheta, nim. ejus.*

α. Stemma, è medio tui, è fratribus tuis. *Petierat populus, ne Deus impoſterum ſibi loqueretur immediate, ſicut factum apud Horeb: annuit Deus, & ipſi promittit Prophetam* hominem, *& quidem è* medio *ipſorum, imò fratrem eorum, quem ipſi cum παῤῥησία poſſent conſulere, & qui cum affectu fraterno ipſis eſſet reſponſurus, ut ὁμοιοπαθὴς, qui ἄνθρωπος eſſet, cui proinde velut* Deo, *qui fallere & falli neſcius eſſet, tuto poſſent obſequi; & velut* homini, *qui ipſis viva voce, nec tam terribiliter ut Deus, veritatem pandere poſſet.*

β. Auctoritas, כמני, ſicut me, *mihi ſimilem, parem, imo majorem. Talis revera fuit Meſſias, & ipſe quidem* ſolus. *Quoad quidem* 1. perſonam, *quatenus uterque fuit verus* homo, *&* Judæus, *è medio fratrum. Quoad* 2. Officium, *quatenus uterque fuit, quanquam diverſo gradu,* Mediator, *intercedens inter Deum & Iſraelitas* Gal. III. 19. *cum* 1 Tim. II. 5. *Quoad* 3. Fidelitatem *in perfunctione officii* Heb. III. 2. 5. 6. *Quoad* 4. Miracula, *in quibus uterque copioſus fuit, & hic quidem illo multo copioſior. Quoad* 5. Excellentiam, *qua uterque cum Deo admodum familiariter converſatus fuit* Joh. I. 18. *&* III. 13.

2. Vocatio *hujus Prophetæ, penes quam notatur*

1. Vocans. *Nim.* α. Jehova *unus eſſentia, de quo alibi.* β Deus אלהים, *trinus perſonis.* γ. Tuus, *ſcil. per fœdus gratiæ.* Neque enim quiſquam ſibi ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur Heb. V. 4.

2. Vocatio, יקים לך, excitabit tibi. *Excitabit, ſtabilet, ſcil. legitima vocatione, præordinatione, miſſione.* Tibi *Iſraeli, ſcil. tum corporali, tum ſpirituali.*

2. Præſcriptio *officii, circa hunc Prophetam obſervandi,* אליו תשמעון, ipſum audietis. שמע, *Græcis* ἀκούω & ὑπακούω, *vel* auribus, *vel* mente, *atque ita ſonat* obedire, *dictum credere, & præſcriptum facere.*

Pars Dogmatica.

Quod Meſſias ſit Propheta;

III. Certum ergo, & indubitatum eſt, quod Meſſias, Iſraëli promiſſus, ſit *Propheta.* Quod 1. ita deſertè appelletur in textu, & Act. III. 22. & VII. 37. & quæ in hanc rem, penes textus explicationem adjecimus loca. Quod 2. *magnus Propheta* Luc. VII. 16. & XXIV. 19. Quod 3. συνοῦμως appelletur, *Doctor à Deo miſſus* Joh. III. 2. *Rabbi, Magiſter, Doctor* Matth. XXIII. 8. 10. *Apoſtolus noſtræ confeſſionis* Heb. III. 1. *Paſtor* Ezech. XXXIV. 23. & XXXVII. 29. *bonus Paſtor* Joh. X. 11. *magnus ille Paſtor ovium* Heb. XIII. 20. Ἀρχιποίμην 1 Pet. V. 4. *Legiſlator noſter* Jer. XXXV. 22. *Conſiliarius* Jeſ. IX. 5. *miniſter circumciſionis* Rom. XV. 8. Quod 4. *actus* officii prophetici ipſi paſſim tribuantur, in utroque Inſtrumento: annunciatio Euangelii, v. g. Jeſ. LXI. 1. 2. Pſal. XL. 10. 11. prædictio futurorum Apoc. 1. 1. Matth. XXIV.--&c. Atque etiam *Prophetam* eſſe convenichat A. Ejus *perſonæ*, quatenus eſt æterna & ſubſtantialis Patris *ſapientia* Prov. VIII. 12. 22. 24. λόγος ὑποστατικὸς, cui convenit, *interpretem* Dei agere apud homines Joh. I. 18. tales autem interpretes Prophetæ indigitabantur Exod. VII. 1. B. Noſtræ *ignorantiæ* naturali, cui efficacius nihil ſuccurrere poteſt, quam ἄνθρωπος, ipſa *mundi lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum* Joh. I. 9. C. *Rebus* docendis, quibus nemo magis ſufficit, quam filius Dei *Propheta* Heb. II. 3. qui in *ſinu Patris eſt* Joh. I. 18.

Probatur Scripturis.

Confirmatur rationibus.

Quid & quid ſit prophetia in genere, nim. facultas à Propheta in genere.

IV. Jam unde dicatur προφήτης, an à προφάναι: Spiritu Dei collata, certis quibuſdam hominibus, citra inſtitutionem humanam, divina, ſublimia & arcana, certo cognoſcendi, & aliis exponendi, ad Eccleſiæ ædificationem: quinam porro in prophetiâ *gradus*; & ſimilia, nos brevitatis ſtudio ſeponemus, ſi quis noſſe aveat, adire poterit Pet. Matyr. in 1 Sam. XIX. 25. Aut Caſp. Peucerum, *De Divinatione*, aut Pet. Molinæi *Vatem*, alioſque. Nobis hic ſufficiet, *propheticam* Mediatoris functionem definiiſſe, quod ſit illa muneris mediatorii pars, quâ hominibus tam ſub Veteri, quam ſub Novo Teſtamento, revelat univerſum Dei conſilium, de ſui reſtauratione ſalu-

Quid Mediatoris functio prophetica.

Inauguratio ad functionem. teque. *Inauguratio* ad hanc functionem, quâ solenniter supremus Ecclesiæ Doctor, ab ipso Patre suo renunciatus est, prostat Matth. III. 16. 17. & repetitur cum auctario: *Hunc audite* Matth. XVII. 5. scil. ut convenit ei, quia æterna est & substantialis *sapientia* Prov. VIII. 1. --- 1 Cor. I. 24. quique in tempore nobis factus est *sapientia* 1 Cor. I. 30. adeoque Patris, apud homines λόγος & Orator Joh. I. 1.

Expedivit functionem propheticam revelando doctrinam. A. Immediatè: 1. Sub V. T. V. Expedivit officium suum propheticum, *partim* revelando & *promulgando* doctrinam suam, *partim illuminando* mentem suorum, ut *recipiant* doctrinam. *Revelat* & promulgat doctrinam *suam*, in verbo suo, quod & hinc *verbum Christi* audit Col. III. 16. *primo immediate*, idque sub duplici *periodo* A. *Veteris* Testamenti 1 Pet. I. 10. 11. Ubi voluntatem Dei, de peccatoris restauratione, per Messiam *futurum* procurandâ, Patriarchis, Prophetis & sanctis Dei hominibus, *visionibus*, *somniis*, *Urim & Thummim*, *inspirationibus*, *oraculis* &c. aperuit Gen. XLVI. 2. Dan. VII. 1. 1 Sam. XXVIII. 6. cum Act. VII. 38. quoad tandem doctrina illa, inspiratione Spiritus S. scripto consignata & obsignata fuit: B. *Novi* Testamenti, ubi, ut θεάνθρωπος, in quo *omnes thesauri sapientiæ & cognitionis jacent absconditi* Col. II. 3. hominibus detexit πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ Θεοῦ Eph. III. 10. & τηλικαύτην σωτηρίαν, *quæ cœpta est enunciari per Dominum* Heb. II. 2. 3. σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην 1 Cor. II. 7. 8. 9. 10. Idque (1) personali *prædicatione*, quando, post Baptismum suum, anno ætatis circiter trigesimo, per triennium cum dimidio (quos annos Baronius, Tornielus, Salianus aliique, efficacissimè colligunt ex quadruplici paschate, cui interfuisse legitur apud Johannem, quorum *primum* legitur Joh. II. 13. *secundum* Cap. V. 1. *tertium* Cap. VI. 4. *quartum* θανάσιμον Cap. XII. 1.) annunciavit *Euangelium* Marc. I. 9. 14. interpretatus est *legem*, eamque vindicavit à corruptelis ac detorsionibus Pharisæorum Matth. V. *novam* erexit fœderis gratiæ *dispensationem*, quæ *Novum* Testamentum dicitur, scil. ut Mediator fœderis novi Heb. VIII. 6. & IX. 15. & XII. 24. (2) *Institutione* Apostolorum, quippe quibus (*a*) mentem *informavit* Luc. XXIV. 45. (*b*) *mandata dedit* prædicandi Euangelium Matth. X. & XXVIII. 19. 20. quos (*c*) *direxit* Spiritu Joh. XVI. 13. 14. & XIV. 26. Quibus tandem (*d*) Canonem N. Testamenti, per Spiritum commisit *litteris* committendum obsignandumque Apoc. XXII. 18. 19. Et hactenus Propheta noster doctrinam salutis revelavit *immediate*, sub utroque Testamento.

2. Sub N. Testamento.

Prædicando quibusvis.

Instruendo Apostolos.

B. Mediate, ab V. pariter & N. Testamento. VI. *Secundo mediate*, idque rursus A. sub *Veteri* T. quando Ecclesiam docuit, ministerio: *vel extraordinario*, tum per *Patriarchas* ac Prophetas, tum per *Spiritum* suum 1 Pet. I. 10. II. 12. & III. 18. 19. 20. *vel ordinario*, Sacerdotum scil' & Levitarum Mal. II. 7. B. sub *Novo* Testamento, quando Ecclesiam (1) *plantavit* ministerio *extraordinario*, Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum Eph. IV. 11. 12. 13. Matth. XXVIII. 20. 2 Cor. IV. 6. 7. (2) *rigat* & conservat, ministerio *ordinario* Pastorum, Doctorum Eph. IV. 11. 12. 13. Qui omnes sunt *Legati Christi*, per quos *rogat*, *ut reconciliemur Deo* 2 Cor. V. 19. 20. Et sic *revelando* ac promulgando, Mediator functus est officio suo prophetico.

Exp divit ei functionem o suam propheticam, etiam illumi nando. VII. Idem etiam agit *illuminando* mentem Luc. XXIV. 45. & *flectendo* voluntatem suorum, ut doctrinam revelâtam intelligant & recipiant Joh. XVII. 18. Hoc præcipuum est officii prophetici ἀποτέλεσμα, hæc *unctio à sancto illo*: *quæ* nos *docet omnia* 1 Joh. II. 20. 27. à quâ *docti à Deo* dicimur Joh. VI. 45. Quæ sub V. T. *obscurius*, & quasi sub *velo* contigit 2 Cor. III. 12. 13. 14. quando sub N. T. clarissimè, *retecta facie*, *ut in speculo gloriam Domini* quasi contiueamur 2 Cor. III. 18.

Objecta functionis propheticæ. VIII. Actus isti functionis propheticæ, distincte occupati fuerunt circa A. *voluntatem* Dei in genere, quam suis universam revelavit Joh. XV. 15. & I. 18. B. *Futura* prædicendo Matth. XXIV. 4. 5. & seqq. eaque suis revelando Apoc. I. 19. C. *Legem*, eam, ut diximus, exponendo & vindicando Matth. V. D. *Vaticinia* Prophetarum, ea *interpretando* & applicando Luc. XXIV. 25. 27. v. g. Psal. CX. 1. *interpretatus* est Matth. XXII. 43. 44. 45. locum Dan. IX. 27. *applicavit* Matth. XXIV. 15. v. g. loca Jes. LXI. 1. & XLII. 7. *explicuit* Luc. IV. 17. 18. E. *Euangelium* Matth. XI. 5. hactenus sub V. T. obscurius propositum, & quasi sub velo latens, in apertam *lucem proferendo* 2 Tim. I. 10. atque etiam Euangelium *impletionis* primum inchoando Matth. IV. 17. Quibus omnibus accedit F. quod variis stupendisque *miraculis*, functionis, doctrinæ, personæque suæ veritatem confirmavit Joh. V. 36.

Virtutes circa functionem propheticam conspicuæ. IX. In his omnibus, per universum vitæ hujus terrenæ, curriculum, occupatus fuit 1. *prudenter*, adhibitis familiaribus parabolis, cujusmodi exstant à *semine*, *zizaniis*, *grano synapis*, *fermento*, *thesauro abscondito*, *margaritâ*, *sagenæ jactu in mare*. Matth. XIII. & alibi. 2. *Libere* citra προσωποληψίαν, ipsis ejus hostibus fatentibus Matth. XXII. 16. porro 3. *Efficaciter*, ut nemo posset ejus sapientiæ resistere Matth. XXI. 25. 27. & XXII. 19. 22. 32. 33. 34. Matth. VII. 29. Insuper 4. *Eloquenter*, ad miraculum usque Psal. XLV. 3. Luc. IV. 22. Joh. VII. 45. 46. Tandem 5. *tanto cum zelo*, ut cibum sæpe propterea neglexerit Marc. III. 20. nihilque non egerit, quo ad resipiscentiam suos auditores provocaret Matth. XXIII. 37. Luc. XIX. 42.

Pars

Pars elenchtica.

Quæritur.

1. An Messias sit Propheta?

X. Quæritur 1. An Messias, olim promissus, futurus fuerit Propheta? Judæi, puro puto odio, Christi & Religionis Christianæ, negant, Christiani affirmant. Rationes Christianorum diximus Cap. præced. §. v., vindicavimus in *exegeticis* hujus capitis, atque per actus ejus propheticos confirmavimus ex Jes. LXI. 1. 2. Psal. XL. 10. 11. Nec Judæis quicquam suppetit in contrarium, præter frivolas suas tergiversationes ad locum Deut. XVIII. 15.

2. An solus Propheta ille magnus? an & Muhammed?

XI. Quæritur 2. An Jesus noster solus sit, *magnus* illi Propheta, olim Israeli promissus? an vero annumerandus, imo & præferendus ei sit Muhammed? Christiani *prius* affirmant, & Muhammedem, non tantum non *magnum* illum; sed *nullum* prorsus fuisse Prophetam; quin potius *pseudo-Prophetam* & impostorem nequissimum, prædicant: Muhammedani ex adverso, Mosen quidem fatentur *magnum* Prophetam fuisse, Christum *majorem*; sed Muhammedem suum *maximum*, imo signate *illum*, quem Moses designaverit Deut. XVIII. 15. 18. Cum autem Muhammedani (1) admittant auctoritatem Legis & Euangelii, quo disertè Christus testatur, se esse *unicum* suorum Doctorem Matth. XXIII. 8. 10. Cum item (2) fateantur *Mosen* Prophetam fuisse *magnum*, Jesum *majorem*; ipsis incumbet probandum Muhammedem suum, Prophetam fuisse *maximum*, imò *ipsum* illum, quem Moses designaverit Deut. XVIII. in quam rem, quod sciam, nullis hactenus argumentis, vel *enisi* sunt. Quibus nos, ex superfluo, adjicimus, quod Muhammed non possit esse *verus* Propheta, & multo minus ille *maximus*, quem prædixit Moses, quia à Mose, & à Jesu, quos ipsi veros esse Prophetas fatentur, toto cœlo discrepet. Imo & vitæ spurcitie fraudibusque, non Prophetam θεόπνευστον sese probet; sed impuro spiritu obsessum. Conf. quæ in hanc rem, jam ante habuimus Lib. I. cap. 2. §§. XXIV. XXV. & XXVI.

3. An præter Christum, & Papa sit infallibilis Scripturæ interpres?

XII. Quæritur. 5. An, cum Christus sit *unicus* ille noster Magister Matth. XXIII. 8. 10. *summus* ille Propheta noster, de quo Moses; an, inquam, eo ipso non sit unicus quoque infallibilis Scripturarum *interpres*, & controversiarum *Judex*? An etiam Papa Romanus, cum & sub Christo, *infallibilis* sit Scripturarum interpres, & controversiarum Judex? *Prius* affirmant Reformati, per ea quæ in *dogmaticis* produximus: *posterius*, plerique Pontificii, quos supra refutavimus lib. I. cap. 2. §. LII. LIII. LIV.

4. An functionem

XIII. Quæritur 4. An munus suum Propheticum Christus exercuerit etiam sub *Veteri* Testamento? Sociniani, quod odio æternæ deitatis Christi, statuant, eum non exstitisse, antequam nasceretur è B. Virgine, *negant*: Orthodoxi *affirmant*, probantque A. Quod 1 Pet. I. 11. *Spiritus Christi* dicatur fuisse in Prophetis. Quod B. 1 Pet. III. 19. olim in *diebus Noah*, dicatur prædicasse, his qui sunt in carcere. Quod C. Act. VII. 37. 38. 39. dicatur locutus Mosi & Patribus Israeliticis in Sinai, dedisseque verba vitæ. Quod D. 1 Cor. X. 9. dicatur ab Israelitis *tentatus*. Conf. Jes. LXIII. 9. & Gal. III. 19. 20. Nec obstat; quod (1) dicatur *cœpisse* qrædicare sub N. T. Matth. IV. 17. cum *cœperit* quà *homo*. Quod (2) *ultimis* temporibus Deus nobis locutus dicatur per Filium Heb. I. 1. cum locutus intelligatur in Filio, non simpliciter; sed ut in *carne* præstito. Quod etiam, mutatis mutandis, responderi debet ad objectionem ex Heb. II. 3. Quod (3) sub V. T. promittatur *futurus* Propheta Deut. XVIII. 15. Ergo tum *non fuit*: Resp. promittitur futurus *in carne*, seu quoad humanam naturam; non autem simpliciter. Prop hereticam exercuerit etiam in V. Te stamento? Objectiones.

5. An fuerit raptus in cœlum, antequam functionem suam aggrederetur, ibidem edocendus?

XIV. Quæritur 5. An in terris exerciturus functionem suam propheticam; per quadragesimam jejunii sui, abreptus fuerit in cœlum, ut ibidem de mysteriis Euangelii, plenè edoceretur? *Affirmant*, odio *omniscientis* deitatis Christi, eidem Sociniani: *negant* Orthodoxi, eo quod (1) tanquam æternus λόγος Joh. I. 1. & *sapientia* Patris Prov. VIII. 14. tali raptu & institutione non indiguerit, utpote in *sinu Patris* constitutus Joh. I. 18. Quod (2) *unctus* fuerit Spiritu sine *mensurâ* Joh. III. 34. Psal. XLV. 7. Heb. I. 9. Spiritu scil. *scientiæ*, *intelligentiæ* & *sapientiæ* Jehova Jes. XI. 2. Quod (3) unctus dicatur *in terrâ*, non in cœlo, quoad donorum necessariorum collationem, idque ante inchoatum suum ministerium Luc. III. 22. & IV. 1. 14. 15. Quod (5) *unica* tantum in Scripturis commemoretur Christi *ascensio* in cœlum, sanctuarium illud supernum Heb. IX. 12. Nec eos juvat A. Quod fuerit *Sermo*, legatus, hominibus voluntatem Dei plenissimè annunciaturus; neque enim hinc juste conficitur, illum de voluntate Dei aliunde informandum fuisse, cum illam exactissimè caluerit quâ θεάνθρωπος; multo etiam minus hinc conficitur, ipsum ad hoc rapiendum fuisse *in cœlum*. B. Quod Scriptura testetur, ipsum *descendisse* de cœlo Joh. VI. 38. 62. & III. 13. 31. & VIII. 23. & XVI. 28.: cum loca illa intelligenda sint de eo, quoad *divinam* naturam, quæ *manifestatione* sui in carne 1 Tim. III. 16. perinde descendisse dicitur, ac Deus Gen. XVIII. 21. C. Quod Moses & Paulus, in *cœlo* dicantur edocti fuisse à Deo: cum non modo plane *dissimilis* sit ratio, inter meros homines & θεάνθρωπον; inter hos qui Spiritum acceperunt ad *mensuram*, & eum qui *absque* mensurâ possidet; sed falsum etiam sit, Mosen abreptum fuisse in *cœlum*. Objectiones.

An Messias quicquam novare debuerit circa legem cultumque ceremonialem?

XV. Quæritur 6. An Messias quicquam novare debuerit, circa legem Mosi *ceremonialem*, cultumque Dei leviticum? Fuit tempore Pauli, inter præcipua Judæorum offendicula, & efficacissimas remoras, quo minus accederent ad professionem Christianam, quod legem & cultum *ceremonialem*, solenniter à Deo per Mosen præscriptum, abrogaret; cui tollendæ, synodus Hierosolymitana sudavit Act. xv. & Paulus in variis Epistolis, potissimum ad Galatas, Philippenses, Colossenses. Romanos, & ex professo in Epistola ad Hebræos occupatus fuit, ostendendo 1. Jesum nostrum qui abrogaverit, filium Dei, *Deum*, adeoque *ipsum* illum esse, qui legem olim apud Sinai rogaverit: atque etiam 2. ex *natura rei* abrogandum illum cultum ceremonialem, quod non habuerit nisi *umbras* ac typos rerum *ut futurarum*; qui proinde, rebus non amplius futuris, sed præstitis, cessare debuerint. Quibus accedit 3. Quod Propheta ille, quem Moses promisit Deut. xviii. 15--19. Jesus noster, qui cultum ceremonialem abrogavit, ejusdem & *majoris* etiam auctoritatis fuerit, cum Mose qui rogavit. Utpote quem (*a*) Deus perinde *excitaverit* ac Mosen, (*b*) cujus *ori* verba sua imponere voluerit, qui (*c*) omnia Judæis dicturus esset, quæ sibi Deus præceperit, quem proinde (*d*) *audire* debeant in omnibus, additâ (*e*) comminatione in eum qui *non* audiverit, se ab eo *requisiturum*. Unum adjiciemus 4. quod Dan. ix. 27. disertè prædicatur, Messiam postquam multis fœdus confirmaverit, facturum ut *sacrificium & oblatio* cesset. Quibus omnibus, non video, quid ullâ quidem cum specie, opponere possint Judæi, quam quod passim in Pentateucho, statuta ceremonialia dicantur *æterna* Exod. xii. 14. Levit. vi. 18. 22. Num. xv. 15. &c. sed illi parum cogitant, לעולם non semper significare durationem *simpliciter* interminatam; sed in *certa* tantum *periodo* non desinentem Exod. xxi. 6. atque adeo non aliud designare, quam ritus illos ceremonialis, *indesinentes* fore, quamdiu duraverit *periodus* Reipublicæ *Judaicæ*. Verum de his suo loco ex professo plura.

Objectio.

7. An omnem penitus legem Christus abrogaverit?

XVI. Quæritur 7. An penitus abrogaverit *omnem* legem, etiam *moralem*? Affirmant Antinomi prætextu libertatis Christianæ, *tum* qui in Germania exstiterunt, auctore Johanne Islebio Agricola, homine Epicuræo, de quo Micrelius Syntag. hist. Eccles. p. 3. §. 48.: *tum* qui in Britannia supersunt, prætextu extollendæ gratiæ, & quod in *justificationis* negotio, legem observarent opponi *gratiæ*: Orthodoxi quamvis fateantur, legem omnem abrogatam esse, quoad facultatem *justificandi*, respectu omnium; atque etiam quoad vim *maledicendi*, respectu fidelium; negant tamen abrogatam esse quoad vim *dirigendi*, quod

Argumenta.

1. exsertè neget *ipse*, se venisse ut *legem solveret* Matth. v. 17. Quin. 2. ibidem vers. 18. exserte pronunciet, *usque dum perierit cœlum ac terra, jota unum, unumque apicem non periturum ex lege.* Quod 3. idem faciat Paulus Rom. iii. 31. Quod 4. Lex moralis, utpote maximâ sui parte, juris, partim Deo, partim homini, *naturalis*, manente eodem Deo & homine, abrogari non possit, ut suo loco ex professo docebimus. Nec repugnat 1. quod Joh. i. 17. *lex ad Mosen, gratia ad Christum* referatur: cum per *legem* ibidem non intelligatur, nisi, aut lex *ceremonialis* typica, aut *dispensatio* fœderis gratiæ plusculum *legalis* sub V. T. jam abrogata per Christum. Nec 2. quod lex subinde *opponi* videatur gratiæ, adeoque fideles esse dicantur, *non sub lege*, sed sub *gratia*: cum hoc tantum restringendum sit ad negotium *justificationis*, & ad fœdus operum.

Objectiones.

8. An Christus legem moralem correxerit, vel auxerit?

XVII. Quæritur 8. An legem moralem *correxerit* vel *auxerit*? Sociniani, quo ex lege Euangelium faciant, hominemque, non ex operibus *legis*; sed ex operibus *Euangelii*, justificari, commodius obtineant; statuunt, Christum singulis *decalogi* præceptis nonnulla adjecisse, & omnibus tria, *abnegationem* sui, *tolerantiam crucis, imitationem* Christi Luc. ix. 23. (in quo postremo cum ipsis colludunt Arminiani) insuper præcepta *aucta*, novis *spiritualibus* promissionibus, *remissionis* peccatorum & *vitæ* æternæ sanciisse, ut hujus *Euangelii* observatione, justificationem consequamur. Orthodoxi contra, ipsum veri ac proprii nominis *legislatorem*, aut ullum legi morali, novum præceptum, adjecisse, non agnoscunt. Quod 1. Lex antiqua *Mosis*, adeo exstat *perfecta* Psal. xix. 8 ut ejus observatione, *vitam* æternam mereri sibi potuerint protoplasti Levit. xviii. 5. Ezech. xx. 13. 25. Luc. x. 28. Quod 2. Officia illa *nova*, quæ ipsum adjecisse volunt Adversarii, jam sub V. testamento prostent præscripta, ut suo loco particulatim docebimus. Quod 3. Officiis illis *novis*, quibus Lex in *Euangelium* convertitur, *satisfactio* Christi excluditur, justificatio ex *operibus* suspenditur, & fœdus *operum* cum fœdere *gratiæ* confunditur: quæ Religioni Christianæ sunt exitialia. Nec eos juvat A. Caput quintum Matthæi, cum ibidem non *corrigat* & *augeat* legem Mosis (ut ad oculum patet, vel ex solo versu 43. utpote quod non modo apud Mosem nullibi habetur; sed cuius etiam contrarium disertè præscribitur Deut. xxxii. 35. Prov. xxv. 21.) sed eandem *vindicet* tantum, à perversis Pharisæorum interpretamentis, ut patet ex adducto versu 43. Nec. B. quod *novi* præcepti subinde in N. T. mentio fiat Joh. xiii. 34. 1 Joh. ii. 7. 8. cum *novi* epitheton, non rarò *egregium* & præclarum quid Johanni designet Apoc. ii. 17. & v. 9. & xiv. 3. &c. Plura hujus generis ἐν θεῷ occurrent suo loco.

Rationes Orthodoxorum.

Objectiones.

XVIII.

9. An Christus primò prædicaverit Euangelium?

XVIII. Quæritur 9. An, ut Propheta, *primus* sit Euangelii auctor? Sociniani, ex hypothesibus controversiæ prioris, per quas Euangelium ipsis non est, nisi lex Mosis aucta, & spiritualibus promissis, de remissione peccatorum & vitâ æterna sancita, *affirmant*: Orthodoxi ex adverso, rejectis istis perversis hypothesibus, *negant*. Quod A. Euangelium exsertè dicatur obtinuisse etiam sub V. Testamento Rom. x. 8. 16. Joh. XII. 38. cum Jes. LIII. 1. Quod B. *Euangelii* capita, integris Scripturæ tmematis, passim prostent in Veteri Testamento. v. g. Jes. LIII. Gen. III. 15. Quod C. *Eodem* Euangelio, quo nos jam servamur sub N. T. etiam fideles V. T. servati dicantur Act. xv. 10. 11. Quod D. Euangelium illud Socinianum reverà sit ἄγραφον, imo ψευδεναγγέλιον, damnatum ab Apostolo Gal. I. 6. 8. Nec eos juvat (1) Quod *principium Euangelii Jesu Christi*, Marcus commemoret Cap. I. 1. cum principium *prædicationis* Christi, non ipsius *Euangelii* intelligatur. Conf. Matth. IV. 17. Quod (2) 2 Tim. I. 10. dicatur *in lucem produxisse Euangelium*: cum (*a*) *in lucem* producere, nihil aliud sit, quam Euangelium sub V. T. *obscurius* revelatum, & umbris ceremonialibus, quasi velo tectum, in *claram lucem* adducere 2 Cor. III. 14. aut (b) Euangelium intelligatur non *omne*: sed Euangelium *impletionis*, ut contradistinctum Euangelio *promissionis*, de quo Rom. I. 1. 2. Tit. I. 1. 2. 3. Quod (3) Euangelium *absconditum* dicatur, à temporibus seculorum Rom. XVI. 25. 26. Eph. III. 9. Col. I. 26. 27. cum (*a*) Euangelium *impletionis* intelligatur, ut dictum; (*b*) aut quoad mysterium *impletæ* vocationis gentium Eph. III. 8. cum 9. Quod (4) *sanctorum via nondum propalata* dicatur, *adhuc stante primo tabernaculo* Heb. IX. 8. cum *per viam sanctorum* non intelligatur *omne* Euangelium; sed Christus, ut in carne exhibitus, qui est *via, veritas & vita* Joh. XIV. 6. absque quo *nemo* sanctorum venit ad Patrem.

Rationes orthodoxæ.

Objectiones.

Pars Practica,

Praxis functionis Propheticæ.

XIX. Praxis functionis Christi *prophetica*, *primò* agnoscit ineffabilem Dei gratiam, *glorificatque*, *quod magnus Propheta apud nos surrexerit*, *& Deus populum suum visitaverit* Luc. VII. 16. Quâ gratiâ (1) *Prophetam* dederit Jer. III. 15. (2) Prophetam, tot seculis *promissum* & exspectatum Deut. XVIII. 15. Joh. V. 46. Act. III. 20--24. & VII. 37. (3) Prophetam *tantum* ac talem, Mosi parem Deut. XVIII. 15. 18. *sicut me*, *sicut te*. Et quantus Moses? Deut. XXXIV. 10. imo *superiorem* Heb. III. 2---6. (4) Prophetam θεόπνευστον ἐξόχως *cui Deus verba sua in os posuerit*, *ut loquatur omnia quæ ei præceperit* Deut. XVIII. 18. (5) Prophetam, qui, vel adversariorum suorum, fucata licet confessione, *Magister* fuerit (non idiota) & *Doctor* etiam; & qui *missus sit à Deo*, ut *doceat viam Dei*, & *in veritate* quidem, absque παραπολήψιᾳ Matth. XXII. 16. (6) Prophetam, qui in *sinu Patris* est Joh. I. 18. *potens opere & sermone*, *coram Deo & omni populo* Luc. XXIV. 19. (7) Prophetam, qui non tantum docère; sed *edocere*: non tantum suadere; sed *persuadere*: non extus tantum *loqui*; sed intus etiam *illuminare* potest Joh. I. 9. Verbo dicam (8) Prophetam *unum è millibus* Job. XXXIII. 23. Cant. V. 10. instar omnium Matth. XXIII. 8. absque quo *nihil* prosunt reliqui Joh. XV. 5. & per quem *omnia* possunt Matth. XVII. 20. cum Phil. IV. 13. Rom. XV. 18. Agnoscit inquam praxis tanti Prophetæ *gratiam*, ut A. Animo grato Deum *glorificet* Luc. VII. 16. B. Missum Prophetam promptè *recipiat* Matth. X. 40. Joh. XIII. 20. C. Receptum submisse *audiat* Deut. XVIII. 15. 19. D. *Exosculetur* Psal. II. 12.

1. Agnoscit ineffabilem gratiam donantis.

Modus agnoscendi.

XX. *Secundo*, agnoscit A. Prophetam *ipsum*, exemplo Cananææ: *Domine video te Prophetam esse*, Joh. IV. 19. ex (a) revelatione arcanorum, & nobiscum agendi ratione. Ibidem. (b) miraculis Joh. VI. 14. & IX. 17. & III. 2. (c) docendi eminentiâ Joh. VII. 40. Agnoscit B. ut Prophetam *illum* magnum, olim promissum. *Hic vere Propheta ille*, *qui venturus est in mundum* Joh. VI. 14. Agnoscit C. ut Prophetam *suum* Joh. XX. 16. *Rabbuni*. Agnoscit D. ut *discipulus* Magistrum Matth. XXIII. 10. A quo Christiani olim *discipuli* appellabantur Act. XI. 26. & sic passim per Euangelia Luc. XIV. 26. Agnoscit E. ut Magistrum *unicum* infallibilem, à cujus solius ore, secure pendeat Matth. XXIII. 8. Job. XXXIII. 23. Agnoscit F. in *omnibus* quæ sibi loquitur, sive secunda sint, sive adversa Deut. XVIII. 18. 19. cum v. 27. & Jer. XLII. 5. 6.

2. Agnoscit ipsum Prophetam.

3. Recipit Prophetam Christum. Quomodo.

XXI. *Tertio*, praxis functionis Christi propheticæ, Prophetam *recipit* Matth. X. 41. Joh. V. 43. Luc. IX. 48. Matth. XVIII. 5. Non *ore* tantum Matth. VII. 22. sed *re*, fideliter ei præstando *officia*, Prophetæ ac Doctori tanto debita. Nim. (a) *Amorem* Gal. IV. 14. 15. Matth. X. 37. (b) *Reverentiam* Phil. II. 29. 1 Tim. V. 17. 1 Cor. IV. 1. Matth. XIII. 57. cum Joh. XIII. 13. unde passim in Euangeliis, à discipulis, imo & subinde à Pharisæis, *Magister* ac *Dominus salutatur* (c) *Fidem*, quâ dicta ejus credimus, exactissimè & universaliter vera Jes. LIII. 1. Rom. X. 16. Joh. IV. 19. 29. 39. 41. & V. 24. 46. 47. (d) *Obedientiam* Heb. XIII. 17. Jos. I. 17. Rom. VI. 17. 2 Cor. II. 9. Deut. XVII. 9--14. cum Heb. V. 9. 2 Cor. X. 5. 6. (e) *Imitationem* Heb. XIII. 7. 1 Cor. IV. 16. Phil. III. 17. 2 Thess. III. 8. 9. cum 1 Thess. I. 6. 1 Cor. XI. 1. Matth. XI. 29. (f) *Sustentationem* Gal. VI. 6. 1 Cor. IX. 7. 11. Prophetæ nostro, non quidem in propriâ *persona* præstandam Psal. L. 12. sed in

in *membris* Matth. x. 41. cum xxv. 40. 45. (g) *Desiderium præsentiæ* & conversationis Jud. xiii. 18. cum Cant. i. 7. Joh. iv. 40. Luc. xxiv. 19. cum 29. Rom. x. 15. Si enim his officiis A. *gregarios* quosvis Prophetas, Doctores, Magistros *recipere* tenemur Phil. ii. 29. 3. Joh. vers. 8. imo, si vel *puerulum in nomine ejus* recipere tenemur Marc. ix. 37. Luc. ix. 48. nunquid, & magis quidem, reciperemus *hunc*, *tantum* & talem Prophetam? quem dudum, ex parte repræsentavimus §. xxvi. Cum præsertim B. qui *ipsum* recipit, *Patrem* suum qui misit ipsum, eadem operâ recipiat Matth. x. 40. Marc. ix. 37. Luc. ix. 48. Joh. xiii. 20. Et C. qui ipsum *recipit*, ἐξουσίαν accipiat, quâ filius Dei sit Joh. i. 12. Dum contra D. qui ipsum *noluit* recipere, ejus justam *excandescentiam*, & omnimodum *exitium* sibi attrahunt Psal. ii. 12. Luc. ix. 53 54. Non addam E. summum *jus* & æquitatem, quo ad *suos* veniens, missus à Patre, apud eos Prophetam & Oratorem acturus, recipi *meretur* Joh. i. 11. 12.

Quibus rationibus.

3. Audit Prophetam Christum.

XXII. *Quarto*, praxis functionis propheticæ nominatim, *audit* missum à Patre, & venientem ad nos Prophetam. Quod hoc exigat A. ipsa illa propheticæ dignitatis ὑπεροχὴ, quâ non Propheta modo; sed tantus etiam ac talis est, qualem jam ante repræsentavimus Matth. xii. 42. Luc. xi. 31. B. Mandatum Patris, *promittentis* ipsum Deut. xviii. 15. 18. Addita C. gravissima comminatio, in hos qui illum *non* audiverint vers. 19. *Et erit, quisquis non audiverit verba, quæ loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo.* D. Solennis *inauguratio*, Patris exhibentis & confirmantis, promissum Prophetam Matth. iii. 17. cum xvii. 5. Luc. ix. 35. Quod E. ex hoc certo colligere possimus, ipsum *nostrum* Pastorem, *nosque* ejus *oves* esse Joh. x. 3. 16. imo ex *Deo natos* Joh. viii. 47. cum 43. Quod F. *auditione ejus*, nobis possimus parare *vitam* æternam Joh. v. 24. Ut nihil addam G. de dictorum ejus præstantiâ Matth. xiii. 17.

Rationes motivæ.

Modus audiendi.

Sed *quomodo audit?* (1) cum *admiratione* ac stupore Matth. vii. 28. 29. & xxii. 33. Joh. vii. 46. cum *applausu* & celebratione Joh. vii. 40. Luc. xxiv. 19. (2) cum *assensu* & fide Joh. v. 24. & viii. 45. 46. (3) cum *gaudio* Matth. xiii. 20. Heb. vi. 5. Aut etiam (4) cum *timore* Luc. x. 24. 26. Jes. lxvi. 2. (5) cum *obsequio* Luc. vi. 47. Matth. vii. 24. Jac. i. 22. (6) cum perpetuâ auditorum *memoriâ* Luc. ii. 49. cum 51.

5. Attendit dictis hujus Prophetæ.

XXII. *Quinto*, praxis functionis propheticæ, & verbum hujus Prophetæ auditum *recipit*, ut *sermo Christi copiose habitet* apud nos, *in omni sapientia* Col. iii. 16. *& abundantius, his quæ audivimus, attendamus, ne quando perfluamus: si enim, qui per Angelos dictus est sermo, firmus factus est, & omnis transgressio & inobedientia justam mercedis retributionem nacta est: quomodo nos effugiemus, tantam negligentes salutem? quæ initium cepit, enarrari per Dominum.* &c. Heb. ii. 1. 2. 3. sive ergo A. *Legem* divinam interpretetur ac vindicet Matth. v. & xxii. 24. 29. &c. sive B. *Euangelium* doceat Matth. iv. 23. Jes. lxi. 1. Luc. iv. 43 2 Tim. i. 10. sive C. *Officia* præscribat Joh. xv. 14. 17. sive D. *Futura* prædicat Marc. xiii. 22. 23. Joh. xvi. 20. sive F. *Beneficia* suis promittat Matth. xxviii. 20. Joh. xvi. 23. 2 Cor. i. 20. sive G. *mala* minetur Matth. xxiii. 13. 14. 15. --- & xviii. 7. Luc. vi. 24. &c. semper operam demus, περισσοτέρως προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι Heb. ii. 1. sic ut convenienti singulis *affectu*, audita recipiamus.

Quamobrem.

Quibus?

Quomodo?

6 Etiam recipit ejus emissarios.

XXIV. *Sexto*, praxis propheticæ functionis, non *ipsum* tantum Prophetam illum, ejusque dicta & docta recipit; sed etiam ejus *emissarios* Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores Gal. iv. 14. Et eisdem quidem *officiis*, amoris, reverentiæ, fidei, obedientiæ, sustentationis, & appetitus præsentiæ & conversationis, quibus *ipsum* supremum Prophetam ac Doctorem recipit, quæ jam ante Parag. xxiii. diximus, brevitatis studio, distinctius hîc non repetenda. Quod (1) per eos *ipse* nos, *extus* saltem, doceat 1 Pet. i. 11. & iii. 19. 20. ejus quasi συνέργους 1 Cor. iii, 9. à quo ministri σύνεργοι appellantur ἐν κυρίῳ Rom. xvi. 3. 9. 21. quibus ipse cooperari, συνεργεῖν dicitur Marc xvi. 20. Rom. xv. 18. & qui ex adverso, Christo cooperantur 2 Cor. i. 24. Quod (2) sint ejus *emissarii*, legati 2 Cor. v. 20. Matth. x. --- 1 Cor. i. 17. Quod (3) quicquid agunt, in *nomine* Christi agant Matth. xviii. 20. & xxviii. 19. 1 Cor. v. 4. Matth. vii. 22. Act. v. 40. Quod (4) qui *ipsos* recipiunt, *seipsum* recipiant: imò & Patrem, qui ipsos miserit Matth: x. 40: Quod ex adverso, qui ipsos non recipiunt, & aspernantur, Christum ipsum, & ejus Patrem, rejiciant & aspernentur Luc. x. 16. Marc. vi. 11. Luc. ix. 5. Quod (5) quicquid ipsis fit, sibi factum existimet Matth. x. 41. 42. Conf. Cap. xxv. 35. 36. 40. 43. & convenienter etiam compensare velit. Ibid. Quod (6) idem cum Christo opus agant Phil. ii. 30. 1. Cor. xv. 58. Quod (7) Christo cooperentur, in commodum eorum 2 Cor. i. 24. Interim tamen cavendum, ut, dum eadem officia Christo præstantur & ejus emissariis; non tamen eodem modo præstemus: A. Illi præstanda sunt ut *Domino*, ut Magistro; his ut *servis*, ut ministris 1 Cor. iii. 5. B. Illi propter *se*, quia meretur Joh. xiii. 13. his propter *ipsum* Marc. ix. 41. C. Illi gradu & *intensiore* absolutè maximo, his comparativè *minimo* Marc. i. 7. Heb. iii. 1---7.

Officia receptionis, emissariis præstanda.

Motivæ.

Modus.

7 Monet ecclesiasticos Christum Joh.

XXV. *Septimo*, praxis functionis Christi propheticæ, vicarios Prophetas, h. e. Doctores & Pastores ecclesiasticos, ejus ministros, monet Magistrum, in suis functionibus, *imitari* studeam

Prophetam imitentur. Joh. XIII. 13. 15. 1 Cor. XI. 1. Luc. VI. 40. A. *Idem* agendo, quod Magiſter egit, ut opus eorum ſit opus Chriſti Phil. II. 30. Joh. VI. 28. ſcil. quemadmodum ipſe Magiſter opus fecit Patris ſui, qui ipſum miſit Joh. X. 37. Luc. II. 49. Et quid Magiſter egit? (1) *Legem* interpretatus eſt vindicavitque Matth. V. 17. & XXXII. 36. idem & ipſi agant Rom. III. 31. (2) *Euangelium* promulgavit Jeſ. LXI. 1. promulgent & ipſi, ut opus præſtent Euangeliſtæ 2 Tim. IV. 5. Rom. I. 1. 4. 1 Cor. I. 17. (3) Adminiſtravit Sacramenta, *baptizavit* Matth. III. 11. Luc. III. 16. adminiſtravit *cœnam* Matth. XXVI. 26--29. adminiſtrent & ipſi, ὡς ὑπηρέται Χριστοῦ, καὶ οἰκόνομοι τῶν μυστηρίων Θεοῦ 1 Cor. IV. 7. Baptizent Matth. XXVIII. 19. adminiſtrent S. cœnam 1 Cor. XI. 23-- (4) *Docuit* ignaros Matth. IV. 23. *reprehendit* præfractos Joh. VIII. 44. *erexit* dejectos animo Jeſ. LXI. 1. faciant & ipſi, reprehendant, hortentur, conſolentur 2 Tim. IV. 2. (5) *Prædixit* futura Dei judicia Matth. XXIV. 4. 5 --prædicant & ipſi; ſed ex verbo ejus 2 Tim. III. 1--6. (6) Seipſum auditoribus *exemplum* præſtitit Joh. XIII. 13. præſtent & ipſi Tit. II. 7. (7) Doctrinam ſuam *confirmavit* operibus Joh. V. 36. confirment & ipſi ſuis operibus. Ibid. Matth. V. 13--- 18. & VII. 21. 22. (8) In omnibus his, non *ſeipſum* ſuaque commoda & emolumenta *quæſivit*; ſed Patris ſui, & ſuorum Joh. V. 41. & VIII. 50. Matth. XX. 28. non quærant & ipſi ſeipſos; ſed ea quæ Chriſti ſunt Phil. II. 4. 5. 21. Nec *eadem* iſta tantum agant, quæ Chriſtus egit; ſed *eodem modo* etiam: ſicut ipſe officium ſuum propheticum exegit: A. *prudenter*, ad captum ſuorum auditorum, adhibitis familiaribus *parabolis* Matth. XIII. --- *pungens* cautè Matth. XXI. 28. cum 45. ita & ipſi prudenter agant Matth. X. 16. 2 Sam. XII. 1.---13. B. *libere* abſque προσωποληψίᾳ Matth. XX. 16. & ipſi agant *libere* 2 Sam. XII. 7. Marc. VI. 18. Act. IV. 19. C. *Efficaciter* Luc. XXIV. 19. Matth. VII. 29. agant & ipſi efficaciter, ut *convincant*, *dijudicent*, *ut abdita cordis pateſiant*, *& auditores concidant in faciem*, *adorent Deum* &c. 1 Cor. XIV. 24. 25. Conf. Heb. IV. 12. D. magno cum *Zelo* Joh. II. 17. agant & ipſi ſancto zelo 2 Cor. XI. 2. E. Admodum *pathetice*, querulando, flendo &c. Luc. XIX. 42. Matth. XXIII. 37. agant & ipſi patheticè Phil. III. 18. 2 Cor. V. 20. &c. Et quo id omne agant magis *curate*, cogitent: 8. ſe aliàs non fore *Prophetas*; ſed *pſeudo-Prophetas*, de quibus Matth. VII. 15. & XXIV. 11. 24. Luc. VI. 26. 2 Pet. II. 1. 1 Joh. IV. 1. *falſos Apoſtolos* 2 Cor. XI. 13. *lupos rapaces* Matth. VII. 15. *canes*, *malos operarios* Phil. III. 2. non *paſtores*; ſed *mercenarios* Joh. X. 12. 13. Nec 9. Emiſſarios ab ipſo *miſſos*, ſed ſponte currentes Rom. X 15. Jer. XXIII. 21. Ac propterea 3. ab ipſo *reprobandos* Matth. VII. 21. 22. 23. &c.

Quo modo.

Quibus rationibus.

XXVI *Octavo*, cum ex participatione *unctionis* 1 Joh. II. 20. 27. omnes Chriſtiani *Prophetæ* ſimus Joel. II. 28. Act. II. 17. praxis functionis Chriſti propheticæ, & nos *omnes* jubet *prophetare* 1 Cor. XIV. 1. 24. 31. 39. Num. XI. 26. 29. uſque ad *mulieres* 1 Cor. XI. 5. Hoc eſt, *doctrinam* illam, quam ſummus Propheta noſter tradidit, exercere. Quod fit A. *addiſcendo* doctrinam Chriſti 1 Cor. XIV. 31. Eph. IV. 20. 1 Tim. II. 11. utpote *Docti à Deo* Jer. XXXI. 34. Jeſ. LIV. 13. Joh. VI. 45. B. *Scrutando* Scripturas, eaſque *interpretando*, hoc enim Apoſtolo eſt *prophetare* 1 Cor. XIV. -- & *Prophetæ* Joel. II. 28. Idque pro *officii* noſtri ratione, donorumque *menſura*, ſeu *publice* aliis; 1 Cor. XIV. 4. ſeu *privatim* nobis, diſcernendo quænam ſit *bona*, *Deo placens & perfecta Dei voluntas* Rom. XII. 2. Ad hoc C. *probando Spiritus* 1 Joh. IV. 1. 1 Theſſ. V. 21. Act. XVII. 11. Joh. V. 39. D. *Docendo* proximum, quiſque pro officii & donorum ratione, ut *verbum Chriſti copiose habitet inter nos* Col. III. 16. E. *Confitendo* fortiter & intrepide nomen Chriſti. Atque ut hæc poſſimus, adnitendum 2. ut ante omnia *unctionis* Chriſti verè reddamur μέτοχοι Heb. I. 9. חבריו Pſal. XLV. 8. Quæ nos *doceat omnia* 1 Joh. II. 27. eamque a *Chriſto accipiamus*. Ibid. & V. 20. Tum 2. ut ad ſummum noſtrum Prophetam *veniamus*, qui ab eo *doceamur* Marc. II. 13. in *templo* Marc. XIV. 49. in *Sabbathis* Luc. IV. 31. in *ſcholis* cap. VI. 6. ad hoc etiam *precibus* eum fatigemus Luc. XI. 1. *Domine doce nos* Pſal. XXV. 4. 5. & LXXXVI. 11. Doceat non tantum *extus*, per ſuos; ſed etiam *intus*, per ſe, *illuminando* Eph. V. 14. Porro 3. ut *Spiritus Chriſti*, qui in *Prophetis* erat 1 Pet. I. 10. 11. & in nobis ſit Rom. VIII. 9. nobiſque communicetur, quemadmodum *ſpiritus Moſis* ſeptuaginta Senioribus communicabatur, *ut prophetarent* Num. XI. 25. idque non ad breve tempus, ſicut illis. *Ibid. prophetarunt*, *& non addiderunt*; ſed conſtanter, ſicut Eldado & Medado Ibid. Verſ. 26. Nec ſicut Sauli, per actum quendam *corruſcationis*, qui *ceſſit* brevi 1 Sam. X. 6. 10. 11. 12. 13. ſed ſicut ſummo Prophetæ Chriſto, qui *requieſcat* ſuper nobis Jeſ. XI. 2. Ad hoc 4. calidis votis ipſum fatigemus, qui Spiritum ſuum nobis *det* Luc. XI. 13. *impetret* ſuâ interceſſione à Patre Joh. XIV. 16. *mittat* Joh. XV. 26. qui nos *in omnem veritatem ducat* Joh. XVI. 13. qui *maneat nobiſcum in æternum* Joh. XIV. 16. 17. exemplo Eliſæi, expetentis menſuram duarum partium Spiritus Eliæ, & impetrantis 2 Reg. II. 9. 15.

8. Jubet omnes prophetare.

Quibus officiis.

Quibus adminiculis.

XXVII. *Nono*, tandem poſtrema praxis efficaciſſimum ſolatium captat, ex functione Chriſti *propheticæ*, in variis caſibus, ſi 1. afflicti ſimus, ſi ſolapauperes, ſi ſpiritualiter deſerti, ſi quovis modo captivi, ſpiritualiter aut corporaliter, ſi ſub metu iræ divinæ, ſi triſtes, ſi anxii ſpiritu: quod *Spiritus*

9. Suppeditat ſolatium. In quibus caſibus?

ritus Domini Jehova sit super ipsum, *unxeritque* ipsum, *ad euangelizandum afflictis*, quod *miserit* ipsum, qui *obtineret contritos corde*, qui prædicaret *captivis libertatem*, & vinctis apertionem carceris, qui prædicaret *annum benevolentiæ Jehovæ, & diem ultionis Deo nostro, ad consolandum omnes lugentes*; qui *lugentibus* Sionis procuraret gloriam & *oleum gaudii*, & pro *luctu amictum laudis, angustis Spiritu* Jes. LXI. 1. 2. 3. Si 2. destituamur Prophetis, Doctoribus, ut gemendum nobis sit: *Non est Propheta amplius, non est cognoscens amplius* Psal. LXXIV. 9. si privemur, seu vi persecutionum, seu providentiâ divina, fidis nostris Doctoribus Act. XX. 37. Si 3. Prophetæ ac Doctores nostri sint *mercenarii* Joh. X. 12. sint *lupi rapaces* Matth. VII. 15. Jes. X. 1. si ignari, mendaces, seductores, canes muti, ut *nox invalescat* nobis *à visione, quæ tenebras afferat* nobis, ut *non prophetemus*, & *occidat Sol super Prophetas* nostros, *attrahaturque super eos dies*, ut *erubescant Prophetæ, & pudore suffundantur divinatores, obvelentque mystacem suum, quotquot erunt, quia nulla responsio Dei* Mich. III. 5. 6. 7. ut cogamur ejulari cum Jeremiâ: *Quod Prophetas attinet; frangitur cor meum in me, eliduntur omnia ossa mea--- quia tam Propheta, quam Sacerdos contaminant* &c. Jer. XXIII. 9. --- 18. Si 4. & ipsi cæci simus, ut non intelligamus *spiritualia*, quin nobis pro *stultitiâ sint* 1 Cor. II. 14. Eph. IV. 17. 18. &c. Quantum solatium tum præstat, cogitare: A. Nos nihilominus *Prophetam* habere, *Nuncium unum è millibus, qui indicet nobis æquitatem Dei* Job. XXXIII. 23. Nos B. Prophetam habere *unum* instar omnium Matth. XXIII. 8. 10. ut qui ipsa Dei sit *sapientia* Prov. VIII. --- nobisque *factus sapientia* 1 Cor. I. 30. qui *in sinu Patris est*, eoque *revelare* solus possit ac velit cognitu *necessaria* Joh. I. 13. Nos C. Prophetam habere, qui non *extus* tantum *docere* possit; sed & *intus illuminare* Joh. I. 9. *aperiendo cor* Act. XVI. 14. Nos D. Prophetam habere, qui Spiritum nobis imperaverit, mittatque, *ducentem* nos *in omnem veritatem, qui maneat apud nos, imò in nobis sit* Joh. XIV. 16. 17. Nos E. Prophetam habere, qui nobiscum *mansurus* sit, *usque ad consummationem seculorum* Matth. XXVIII. 20.

Argumenta consolatoria.

CAPUT SEPTIMUM,

DE

Mediatore Pontifice.

Psal. CX. 4.

Jurabit Dominus & non pœnitebit, tu Sacerdos in seculum, secundum morem Melchizedek.

Connexio capitis hujus cum præcedenti.

I. EXaminavimus muneris Christi mediatorii *primam* functionem, scil. *propheticam*, quâ consilium Dei, de peccatoris reconciliatione *explicavit*; jam ad *secundum* progredimur, *sacerdotalem*, quâ reconciliationem explicatam *impetravit*, eam repræsentaturi juxta manuductionem textus præfixi.

Pars exegetica.

Textus resolvitur & explicatur,

II. *Quo solennis continetur* inauguratio, *seu* collatio dignitatis Sacerdotalis, *à Jehovâ Messiæ facta. Penes quam occurrunt*

1. Conferens, *seu persona inaugurans*, Jehova: *Oeconomice* Pater Psal. II. 7. *Ab hoc enim in æterno fœdere gratiæ constitutus &* vocatus *est, ab hoc in tempore* missus *est Sacerdos* Heb. V. 4. 5. *Et hic quidem* solus: *hic enim solus peccato offensus* Psal. LI. 6. *hic solus reconciliandus erat per sacerdotium: hic proinde solus, reconciliatorem sacerdotem constituere poterat, nec tenebatur, in quovis à se non constituto, acquiescere.*

2. Collatio, *seu actus constituendi Sacerdotem, geminus*:

A. Positivus *alter*: juravit. נשבע *à* שבע septem, *numero perfectissimo, quod juramentum sit* perfectissima *rei confirmatio. Juramentum* Dei *præsupponit rem, non leviculam aut* communem; *sed* raram, *insolitam & incredibilem, magnique momenti: erat enim insolitum, Sacerdotem constituere, qui non esset de tribu* Levi; *sed ex tribu Judah* Heb. VI. 16. & Cap. VII. 11. 12. 13. *procul dubio, ut nostram hæsitationem juramento reprimeret. Proinde ad tria spectat hoc juramentum:* 1. *significat* τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ Heb. VI. 17. Conf. Jes. XLV. 23. & LIV. 9. 10. *tum* 2. *commendat excellentiam hujus sacerdotii, præ quovis alio, utpote quasi*

quasi obsignati juramento divino Heb. VII. 20. 21. Conf. Joh. VI. 27., *tandem* 3. *ad confirmandum peccatorem in suâ* παῤῥησίᾳ Heb. VI. 17. 11.

B. Negativus *alter*: & non pœnitebit eum. *Non retractabit, non mutabit, hoc consilium non suspendet ab hominum obedientiâ, aut inobedientiâ; scil. quemadmodum in aliis rebus*, mutando *consilium* Jer. XVIII. 7. 8. 1 Sam. XV. 11. Jes. XXXVIII. 1. 5. *nominatim in sacerdotio Aaronico, cui antiquato, æternum hoc euangelicum substituit. Porro pœnitentiam Deo competere* θεοπρεπῶς, *non quoad* affectum; *sed quoad* effectum, *alibi monuimus.*

3. Collatum, *seu formula potius conferendi, in quâ designatur*

א. Persona *cui confertur*: אתה tu. *scil. quem descripserat in præcedentibus, nim.* Dominus *Davidis, Messiæ. Sic Christiani omnes*: 1. *auctoritate* Novi *Test.* Matth. XXII. 42. Act. II. 34. 1 Cor. XV. 25. Heb. I. 13. *Ita sensisse videntur Pharisæi, & communiter omnes Judæi ejus temporis.* 2. *Ex universo contextu*: *loquitur enim universus Psalmus de tali, qui* α. *sessurus erat ad* dextram *Dei.* β. *qui futurus erat* Sacerdos in æternum. γ. *de tali qui futurus esset* Dominus *Davidis Regis, eoque superior, qui* δ. *futurus esset Rex & Sacerdos simul. qui* ε. *Sacerdos futurus esset, non Leviticus; sed secundum ordinem Melchizedek.* 3. *Ex consensu Judæorum Veterum. Sic R. Joden, in nomine R. Chiia, super* Psal. XVII. *Sic R. Jizhac in* Genes. *Sic in* Midrash Tehillim *in hunc ipsum Psalmum*: & dixit Messiæ. *Sic R. Obadiah*: hunc Psalmum composuit Psaltes de Messiâ. *De Messiâ interpretatur R. Saadias Gaon in Danielem. Ita & Veteres Judæorum Magistri, Barachias & R. Levi, citati à R. Mose Nachmanide. Hebræi, qui post ortum Christianismum fuerunt, id negare cœperunt solo odio Christianismi. R. Kimchi & alii tamen contradicunt, & Tryphon apud Justinum, Psalmum secundum homogeneum de Messiâ interpretantur. Recentiores Judæi, ut detorqueant in varias formas se torquent. Sunt qui* א. *existimant Eleazarum servum Abrahami psalmum dixisse de Domino suo Abrahamo, postquam reversus esset à debellatione quinque Regum, & huic convenienter, omnia hujus psalmi ingredientia detorquent. Verum, nec auctor psalmi est Eleazar: sed David vers.* 1. *nec Abraham Sacerdos fuit secundum ordinem Melchizedek. Alii* ב. *malunt Davidem hunc psalmum dixisse, de Domino suo* Saule. *Sed, nec Saul unquam sedit ad* dextram *Dei; nec Saul* Sacerdos *fuit, nec secundum* ordinem Melchizedek, *nec sacerdotium* gessit, *habuit æternum, nec populus ei sacrificavit; nec postquam* è lacu bibisset, caput extulit. *Alii* ג. *ad Hiskiam referunt. Verùm, nec hic* Dominus *Davidis fuit; nec sedit ad* dextram Dei, *nec ipse* Sacerdos *fuit; nec talis,* secundum ordinem *Melchizedek; nec existebat, cum David psalmum hunc conciperet; nec ei sacrificatum unquam fuit. Alii* ד. *Salomonem intelligere malunt. Hic autem, nec* Dominus *Davidis Patris sui fuit; nec sedit* ad dextram Dei; *nec* Sacerdos *fuit, nec secundum ordinem Melchizedek, talis fuit: nec sacerdotium habuit* æternum, *nec ei sacrificarunt unquam ejus subditi. Nec desunt* ה. *qui velint, non ipsum hic loqui Davidem; sed milites ipsius psalmum de* ipso *dixisse, cum dicerent: non descendes nobiscum in prælium; ne lumen in Israële exstinguatur* 2 Sam. XXI. 17. *& in ipsum contenta textus detorquent. Verum, præterquam quod Judæi, ne uno quidem jota probare possunt, quod milites hic loquantur; etiam omnia ingredientia Psalmi, ulla quidem cum specie, de Davide pronunciari non possunt, per ea quæ dudum diximus. Non relinquitur ergo, nisi quod hic* אתה, *non sit nisi Messias noster.*

ב. Officium *quod confertur*: es Sacerdos, *seu* esto Sacerdos. כהן ministrum *notat honoratum, tam in Politicis, quam in Ecclesiasticis, nonnunquam* Principem 2 Sam. VIII. 18. & cap. XX. 26. *cum* 1 Paral. XVIII. 17. *& ex* Job. XII. 19. Gen. XLI. 45. & Exod. II. 16. *Sed significatione* analogicâ, *qua significatum proprium & principale est* Sacerdos *seu Minister ecclesiasticus, improprium & minus principale, Minister politicus; scil. quia Sacerdotium, velut nobilissima & divina functio, quia etiam Principibus & primariis familiarum, atque insuper primogenitis sub Patriarchis, incumbebat cura rerum sacrarum, adeoque* sacerdotium: *& quia tandem Principibus incumbit cura cultus divini & rerum sacrarum; hinc* κατ' ἀναλογίαν, *& Princeps appellatur* כהן *Conf. Menoch.* de Republ. Hebr. lib. VII. cap. 7. *Hinc R. Kimchi, ne Messias* Sacerdos *sit, exponit* Regem, *sive Principem, Ducem. Hunc sequuntur Sociniani, ut habeant, officium Christi Sacerdotale & Regium unum esse idemque, ad hoc, ut Christus in terris non egerit Sacerdotem, ac offerendo pro nobis non satisfecerit; sed in cœlis demum apud dextram Dei, ut Rex seipsum offerendo Patri; statuunt, Christum ex hoc loco Principem seu Regem potius dici, quam Sacerdotem. Christianis ex adverso, significatione* propria, *principali & ordinaria, notat* Sacerdotem, *seu ministrum* ecclesiasticum. *Quia* 1. *Vox* Gen. XIV. 18. *unde huc citatur, in Melchizedeko procul dubio notat Sacerdotem, quatenus ille appella-*

tur Rex & Sacerdos. 2. *Quia compluribus aliis locis, Messias* Sacerdos *nominatur* Zach. VI. 13. Conf. Jer. XXX. 21. & XXXV. 15. 18. *Item* Jes. LIII. 10. *ubi ei sacrificium tribuitur. Quia* 3. *sic* R. *Aben Ezra & Veteres RR. teste Kimchio sentiunt. Quia* 4. *nunquam probabunt, vocem usurpari de* Rege, *nedum de Rege qui sedet ad dextram Dei. David Rex, sub se habebat* כהנים 2 Sam. VIII. 18. *cum* 1 Paral. XVIII. 17. *Quomodo igitur David, de quo locum intellectum vult Kimchius, diceretur* כוהן *Princeps, qui minor est Rege? Quia* 5. *Messias omnia sacerdotalia praestitit: sacerdotes enim* α. docebant. Levit. X. 11. Mal. II. 7. & *Messias docuit* Joh. I. 18. β. offerebant *sacrificia ad placandum Deum, ut notum: & Messias sacrificavit* Heb. X. 4. Eph. V. 2. γ. Orabant, *intercedebant pro populo, eique benedicebant* Psal. CXVIII. 26. Num. VI. 23. & *Messias oravit, intercessit & benedixit* Rom. VIII. 26. Heb. VII. 25. *Quia* 6. Heb. V. 6. & VII. 17. 21. *redditur per* ἱερεὺς. *Non addam* 7. *quia à* propria *verborum significatione, non licet ad* impropriam *descendere, citra urgentem necessitatem, oriundam vel ab analogia fidei; vel ab analogiâ contextus, qualis hic non obtinet. Adeoque* כוהן *hic non notat nisi* Sacerdotem. *Nec praetereundum, quod hic Messias simpliciter appelletur* כוהן, *non* Pontifex, כוהן הגדיל Sacerdos maximus, *non quod non fuerit talis: fuit enim,* & ἐξόχως *quidem; sed ut significetur, non tantum ipsum fuisse antitypum Pontificis, ratione ingressus in sanctum sanctorum; sed etiam Sacerdotum gregariorum, ratione oblationis in terris: contra quam statuunt Sociniani, suis hypothesibus servientes.*

ג. Duratio *officii,* לעולם in æternum, *scil. contradistinctim ad sacerdotium leviticum, quod post suam periodum* cessavit. *Neque tamen suo sacerdotio functurus est, nisi ad periodum finiti hujus mundi, à qua* regnum sistet Patri, ut Deus sit omnia in omnibus 1 Cor. XV. 24.

ד. Exemplar *officii sacerdotalis* על דברתי מלכי־צדק, juxta, *vel* super verbum Melchi-zedek. *Paulus* Heb. VII. 11. *verba refert* κατὰ τάξιν Μελχιζεδὲκ. *Cogitandum hic* 1. *Quisnam fuerit Melchi-zedek. Quantum ad vocem* מלכי צדק *sonat, vel* Regem meum, *qui, supple est* Rex justitiæ, *seu* justitia, & *sic erit suffixum pronominale, & sensus emerget,* Rex meus *Melchizedek, qui in* figurâ *est* justitia, *quod in veritate fuit Messias* Jer. XXIII. 6. & cap. XXXVI. 16. 1 Cor. I. 30. *Aliis tamen, auctoritate Pauli est paragogicum, sicut etiam fieri videtur in voce praecedente* דברתי, *ut jamjam observabimus, & tum dicet:* Rex justitiæ, *secundum Paulum* מלך, *vi vocis* consulem *sonat, Hebraeis ordinarie* Regem *notat, seu Monarcham.* צדק *orientalibus omnibus* æquitatem, decentiam, & justitiam *seu convenientiam cum lege, dicit. Suidas à Side filio Regis Libyae, & Astaroth seu Asteria Matre prognatum putat, & hinc forte* צדק *appellatur. Fuisse autem hoc ejus nomen* proprium, *non appellativum, quo ipsum commendaverit Abrahamus, apparet ex eo quod* α. *non dicatur Abrahamus ita eum appellasse.* β. *quod per accentum* Maccaph, *duae voces* מלך & צדק *quasi uniantur in unum nomen proprium, & hinc semper unâ voce* Μελχιζεδὲκ *efferantur* Heb. V. 6. 10. & VI. 20. & VII. 11. 17. 21. *Insuper* γ. & *Salem est nomen proprium urbis,* צדק *non item, unde ὁ* βασιλεὺς Σάλημ Heb. VII. 1. *ex quo constat* βασιλεὺς *esse nomen* appellativum; Σάλημ *vero* proprium. *Quantum ad ejus prosopographiam: R. Jonathan Jerosolymitanus, R. Moses Gerundensis, imo Hebraeorum vetustissimi & optimi, existimant Melchizedecum fuisse Semum, ne scil. tanta persona, ipso Abrahamo excellentior, à suo genere sit extranea: Noachum enim Semum constituisse Dominum terrae Canaan: qui proinde huc venerit, urbem Salem aedificaverit, & hic regnaverit: cum his facere videtur Hieronymus, Primasius & alii. Didymus & Origenes malunt Angelum fuisse: Melchizedeciani, Spiritum S. dicunt fuisse: alii magnam saltem Dei* virtutem: *alii denique statuunt, non hominem fuisse; sed filium Dei, qui Abrahamo in specie hominis apparuerit, quam sententiam ex professo propugnat Cunaeus de* Republ. Jud. Cap. III. *Adversus omnes istas sententias militant A. Quod Scriptura* Gen. XIV. *non aliter de eo loquatur, quam de puro quodam homine, quem describit à* nomine *suo* proprio, *ab* officio, *regio pariter & sacerdotali, à* loco *ubi regnaverit,* Salem. *Quod B. non fuerit* Sem, *ex eo patet, quia de Semo dici non potest, quod fuerit* ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν τῶν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων Heb. VII. 3. *Quod C. non fuerit* Angelus *quivis, patet, quia Angelo nullibi tribuitur, quod sit* Sacerdos. *Quod D. non fuerit* Spiritus S. *quia nec hic ullibi* Sacerdos *aut Rex dicitur, nec in specie humanâ apparuit, aut convivium homini instruxit. Nec E.* filius *Dei, quia dicitur* ἀφομοιώμενος assimilatus *filio Dei. Si dicas,* assimilatum *dici, quia vultum habitumque corporis sibi finxerit, quem postea revera gessit in terris: occurram, quod similitudinem Apostolus non ponat in vultu; sed quod non habuerit* initium dierum *&c. Si insuper dicas quod Christus dicatur* similis *fuisse homini* Phil. II. 7. *quamvis verus fuerit homo; respondebo, ita dici, quod cum esset* θεάνθρωπος, *tamen fuerit similis homi-*

ni

ni communi. *Quis ergo fuit Melchizedek? Fuit homo communis, Rex & Sacerdos in Salem, Abrahamo major, utpote cui* benedixit, *& cui Abrahamus decimas obtulit, fuit ἀπάτωρ, καὶ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Non quod non habuerit reverà; sed quod ista,* destinato *Spiritus S.* consilio, *non commemorentur in Scripturis, ad hoc, ut in his typum gereret Filii Dei. Quin etiam, ratione sacerdotii, ista ipso ab Apostolo tribuuntur, quo significaretur, illud toto cœlo diversum fuisse à sacerdotio Levitico, quippe quod à genealogiâ Levitica & Aaronica pendebat. Jam tenemus, quis fuerit Melchizedek; inquirendum* 2. *qualis fuerit* Ordo *Melchizedeci,* על דברתי *secundum* ordinem, *vel* morem, *vel* ritum, *vel* dispositionem, *vel* conditionem, *vel* negotium, *vel* formam ordinis. *Nonnulli* ' *in* דברתי, *volunt esse suffixum pronominale, ut sensus sit,* secundum verbum meum, *scil.* ad *Melchizedekum vel* de *Melchizedeko. Sic Grotius, quo velificetur Judæis, statuentibus Psalmum loqui de Davide: ast rectius alii existimant illud esse paragogicum & redundans, ut alibi sæpe, teste Buxtorffio* Thesaur. Grammat. pag. 858. *agnoscentibus R. Kimchi, & Aben Ezra. Hinc Apostolus* Heb. v. 6. 10. & VII. 20. & VII. 11. *&c. reddit κατὰ τάξιν, vel κατὰ τὴν ὁμοιότητα,* secundum similitudinem. *Et* ' *paragogicum fortasse metri causa adjectum est. Nota ergo Melchizedekum Sacerdotem fuisse, non equidem Leviticum aut Aaronicum; sed toto cœlo diversum, quemadmodum nec Christus fuerit. Verbo dicam,* secundum ordinem Melchizedek, *est κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου,* secundum vim vitæ indissolubilis Heb. VII. 16. *Scil. non per* corpoream *qualemcunque* unctionem, *aut* legalem *ceremoniam, aut intervenientem* hominis *ordinationem: sed* cœlestem *institutionem, immediatam unctionem* Spiritus vitæ, *extraordinario modo. Restat* 3. *videnda paucis ἀναλογία, inter Melchizedekum & Christum, quam textus indigitat vocula* על, secundum, juxta. *Qua particulâ, ab* unâ *parte excluditur* identitas *sacerdotii Melchizedeciani & Levitici, significaturque* discrimen *inter utrumque: ab* alterâ, convenientia *inter sacerdotium Melchizedici & Messiæ, nec non præstantia, perfectio & perpetuitas sacerdotii Christi præ Aaronico isto* Heb. VII. 11. 12. *& cap.* VIII. 6. *Quam convenientiam nos ξὺν θεῷ distinctius repræsentabimus, in* dogmaticis *nostris.*

Pars Dogmatica.

Messias veri ac proprii nominis Sacerdos est.

III. Est ergo ex textu indubitatum, *Messiam veri ac proprii nominis Sacerdotem esse.* A quo etiam *Minister sanctuarii & tabernaculi veri* Heb. VIII. 2. *Advocatus noster apud Patrem* 1 Joh. II. 1. 2. Heb. VII. 25. *Pascha pro nobis sacrificatum* 1 Cor. v. 7. *Agnus mactatus* Joh. I. 29. cum Exod. XXIX. 38. 39. Apoc. XIII. 8. *propitiatorium* Rom. III. 25. *propitiatio pro peccatis nostris* 1 Joh. II. 1. 2. Variæ ejus denominationes. *λύτρον καὶ ἀντίλυτρον* Matth. XX. 28. אשם Jes. LIII. 10. *peccatum* 2 Cor. v. 21. *Sacerdos æternus, secundum ordinem Melchizedek* Psal. CX. 4. &c. appellatur. Quibus verbis solennis etiam *inauguratio* ad munus sacerdotale, continetur.

Typi præfigurantes sacerdotium Christi.

IV. Typos & figuras functionis *sacerdotalis* habuit: (1) Gregarios quosvis *Sacerdotes* Leviticos, Hebr. VII. 23. 24. utpote qui *hircos, vitulos, tauros, juvencas* offerebant Heb. IX. 12. 13. 21. &c. atque etiam *agnum Paschalem* 1 Cor. v. 7. Joh. XIX. 36. (2) *Melchizedekum* Gen. XIV. 18. Psal. CX. 4. cum Heb. VII. per totum. Hic autem, nec *Angelus* fuit, nec *Spiritus* S. nec *homo* aliquis à Deo *immediate* creatus, nec ipse *Filius* Dei, prout nonnulli somniant; cum Moses de ipso Gen. XIV. 18. & seqq. ut Rege *vicino*, & fœderato Abrahami, qui obviam ei processerit gratulatum de sua victoria, loquatur: sed *typus* tantum Mediatoris, *ἀφωμοιώμενος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ* Heb. VII. 3. prout uberius dixi-

mus in *exegeticis.* Quem gessit, non, ut nugantur Romanenses, quoad *sacrificium panis & vini* missatici: cum hæc, non *Deo*; sed *Abrahamo* ejusque exercitui, pro cibariis *obtulerit,* הוציא Gen. XIV. 18. sed quod A. dictus fuerit *Rex justitiæ,* qualis fuit Filius Dei Jer. XXIII. 6. 1 Cor. I. 30. B. *Rex Salem* seu *pacis,* qualis fuit Filius Dei Jes. IX. 5. Eph. II. 14. C. Simul *Rex hominum, & Sacerdos Dei* Zach. VI. 12. 13, cum Psal. II. 6. D. Abrahamo *benedixerit* & *decimas* ab eo acceperit, eoque *excellentiam* in sacerdotio, supra quosvis Sacerdotes Leviticos, significaverit, qualis in Christo obtinuit Heb. VIII. 4. 5. 6. 8. 9. 10. E. *Destinato* Spiritus S. consilio, ejus genealogia & ætas reticeatur, eoque *ἀγενεαλόγητος, ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ* appelletur, quo ineffabilem Christi *generationem,* præsertim divinam, & æternam ejus *durationem,* præfiguraret. F. Nullos, vel antecessores, vel successores in sacerdotio habuerit, quemadmodum & Christus nullum habuit ante se, nec habiturus est post se, sacerdotii sui *consortem* Heb. XIII. 8. cum X. 2. 3. 4. 10. 11. 12. & VII. 23. 24. (3) Pontificem seu Sacerdotem maximum Heb. III. 1. & V. 1. 5. ab Aharone, successionis vicissitudine descendentem, cui *peculiaris* cultus, & observatio anniversaria, in sancto sanctorum incumbebat; unde & illustrior Christi Sacerdotis typus fuit Levit. XVI. 2. &c. XXI. 12. Heb. XII. 23. & IX. 6. 7. &c. Ratione 1. *ornatus* peculiaris, cui competebat *amicu-*

lum & *pectorale* Exod. xxviii. 2.--- *cidaris* cum *laminâ aurea* Vers. 36. 37. 38. quæ *dignitatem* eminentissimam Pontificis Christi præfigurabant Heb. v. 5. 6. Ratione 2. *unctionis* Levit. viii. 10. 11. quæ unctionem nostri Pontificis præfigurabat Psal. xlv. 8. & cxxxiii. 2. 3. Heb. i. 9. Ratione 3. *ingressus* anniversarii in sanctum sanctorum, cum alieno sanguine, ad faciendam propitiationem Levit. xvi. 2. 3. 4. quæ ingressum *nostri* Pontificis in cœlum præfigurabat Heb. x. 19. 20. Ratione 4. *munditiei* & gravitatis Levit. xxi. 10.--15. quæ *puritatem* sanctitatemque nostri Pontificis adumbrabat Hebr. vii. 26. & iv. 15.

Necessitas hujus Sacerdotis quatuor rationibus innotescit.

V. *Necessitas* hujusmodi Sacerdotis resultat, partim (1) ab *injuriâ*, per nos, peccato tot modis illata, infinitæ Dei majestati, quæ *vindictam* exigit omnimodæ mortis Rom. i. 32. partim (2) ab amicissimo *conflictu*, *justitiæ* vindicativæ pœnam exigentis, pro læsa sui majestate Gen. xviii. 25. cum Hab. i. 13. cum *misericordiâ*, exigente conservationem peccatoris Psal. ciii. 8.--15. Ezech. xvi. 3--7. Jer. xxxi. 20. quibus sese conciliatrix, quasi media interposuit *sapientia* divina, expediens inveniendo, quo & *justitiæ*, & *misericordiæ* satisfieri posset, per filium Sacerdotem, seipsum offerentem pro reatu peccatoris: à quo Christus *sapientia & potentia Dei* nominatur 1 Cor. i. 24. ut qui *æternam redemptionem invenerit* Heb. ix. 12. partim (3) ab amicissima conspiratione, *misericordiæ* divinæ, quæ noluit totalem hominis destructionem Mich. vii. 18. Exod. xxxiv. 6. 7. Jes. lv. 7. Jer. ix. 24. *justitiæ* quæ noluit peccatum impunitum dimitti Psal. v. 6. Zach. viii. 17. Amos. v. 21. 22. Jes. i. 13. 14. & *veracitatis* quæ noluit commination suæ vim inferri, impunitate peccatoris Matth. v. 18. cum Gen. ii. 17. partim denique (4) ab æternâ hominis *impotentia*, qua justitiæ Dei vindici satisfaciat Rom. viii 3. Psal. xlix. 8. 9. Ex quibus *conjunctis*, non potest non emergere absolutissima *necessitas*, Sacerdotis alicujus *sufficientis*, qui seipsum redemptionis precium Patri offerret pro suis Matth. xx. 28.

Sacerdotium quid, & quinam ejus actus?

VI. Sacerdotium illud nihil aliud est, quam *munus Christi mediatorium*, *quatenus illud ordinatur ad peccatorum expiationem*, *& favorem Dei peccatoribus recuperandum* Col. i. 20. 22. 2 Cor. v. 15. Rom. v. 10. Hujus actus *generalis*, est *sacrificare*, seu id agere, quod pro *Deo* apud homines; & pro *hominibus* vicissim apud Deum, agendum est. Cujus *specialia*, omnino quatuor observantur: (1) *docere* populum Mal. ii. 7. hoc, quoniam Prophetis commune erat, illisque excellentius competebat quam Sacerdotibus & Levitis; *prophetico* Christi muneri jam dudum assignavimus. (2) *offerre* Heb. viii. 3. (3) *intercedere* Joël. ii. 17. Heb. v. 1. (4) *benedicere* Num. vi. 23. 24. Quæ quatuor, ut in *typis* præfigurata; ita in *antitypo* repræsentata deprehenduntur.

Actus primus officii sacerdotalis est oblatio.

VII. Actus ergo *primus* officii sacerdotalis Christi, est *offerre* Heb. v. 3. & vii. 27. & ix. 14. 23. Quod nihil aliud est, quam (loquimur de sacrificio ἱλαστικῷ) pro peccatore & peccato, tale quid *præstare* Deo, in quo acquiescat, & ob quod peccatori reconcilietur. Ut in quavis oblatione; ita in hac cumprimis, hæc quatuor occurrant consideranda: (1) *Sacerdos* offerens (2) *sacrificium* oblatum (3) *altare* oblationis (4) *finis* sacrificationis: *α. Sacerdos* in præsenti negotio, est Mediator θεάνθρωπος, quoad utramque naturam Psal. cx. 4. cum Heb. vii. 3. *β. sacrificium*, ipse Heb. vii. 27. maximè propriè, quoad *humanam* naturam, unde *corpori* ejus tribuitur 1 Pet. ii. 24. Col. i. 22. & *sanguini* Col. i. 20. atque etiam *animæ* Jes. liii. 10. Matth. xx. 28. *γ. Altare*, ipse quoad *divinam* naturam Heb. ix. 14. & xiii. 10. quod, sicut ab altari pendebat sacrificii *valor* & efficacia Matth. xxiii. 17. ita à *deitate* pendeat dignitas ex efficacia mortis Christi 1 Joh. i. 7. Act. xx. 28. *δ. Finis* oblationis hujus est (*a*) *satisfactio*, quâ, per traductionem reatus in victimam, peccator liberabatur Levit. iv. 24. & xvi. per totum, cum Heb. ix. 12. 13. & ii. 9. 14. 15. 17. Rom. iii. 24. 25. 26. De quâ *satisfactione*, nobis in cap. de *Redemtione*, ex professo incumbet agendum: indeque secuta (*b*) *reconciliatio* cum Deo, per peccatum offenso, qua peccator, sublato per satisfactionem reatu, in *pacem* & amicitiam cum Deo restituitur Num. xvi. 46. cum Rom. v. 1. 2. 9. 11. Eph. ii. 13. 14. Oblationem istam Pontifex noster, *moriendo* in ligno crucis, simul & semel consummavit Heb. ix. 26. & x. 14.

Actus secundus officii sacerdotalis est inter-cessio.

VIII. Actus *secundus* functionis sacerdotalis est *intercessio* Heb. v. 1. Hinc παράκλητος appellatur 1 Joh. ii. 1. 2. quod in Spiritu S. *consolatorem* denotat Joh. xiv. 16. 17. 26. & xvi. 7. in Christo *Advocatum*, (qui *advocatur* ad causam alicujus agendam, peculiariter pro eo in judicio comparendo, respondendo, ejusque causam agendo adversus ejus ἀντίδικον) eo quod, adversus quemvis nostrum ἀντίδικον 1 Pet. v. 8. cum Matth. v. 25. Apoc. xii. 10. *appareat* pro nobis coram Deo Heb. ix. 24. & vii. 25. pro nobis *respondeat*, nostram *causam* agat, ad dextram Dei ἐντυγχάνῃ Rom. viii. 34. ad hoc, ut *abtineat* quod desideramus. Hæc ergo *intercessio* nihil aliud est, quam gratiosa & constans Christi *voluntas*, apud Patrem suum Joh. xvii. 24. Heb. ix. 24. Rom. viii. 34. ut, propter satisfactionem & merita sua 1 Joh. ii. 1. 2. & personas & spiritualia personarum sacrificia Heb. vii. 24. Apoc. viii. 3. 1 Pet. ii. 5. Rom. viii. 34. omnium & singulorum electorum Joh. xvii. 9. 10. Luc. xxii. 31. 32. in gratiam recipiat; ad quod Pater etiam semper *promtus* est paratusque Matth. xvii. 5. Joh. xi. 42.

IX. In-

Duæ intercessionis periodi: Inchoationis, & consummationis.

IX. Intercessionis hujus duæ observantur *periodi*: prima *inchoationis*, quam in *terris* existens, summâ animi *humilitate*, & gestuum demissione, exegit Joh. XVII. 9. 20. Luc. XXII. 31. 32. Heb. v. 7. Joh. XVII. 1. &c. Matth. XXVI. 37. 38. 39. Marc. XIV. 35. Matth. III. 17. *secunda consummationis*, quam in *cœlis* existens, summâ *majestate* peragit (1) *apparendo* coram Patre pro nobis Heb. IX. 24. cum VIII. 6. & VII. 22. quemadmodum *Judas* pro Benjamine Gen. XLIII. 8. 9. & *Paulus* pro Onesimo apud Philemonem Philem. vers. 9. 10. & *Pontifex* olim in Sancto Sanctorum, nominibus duodecim tribuum in pectore exornatus Exod. XXVIII. 9. 10. 11. 12. 17. --- 22. ad quod sponsa alludit Cant. VIII. 6. (2) *repræsentando* satisfactionem & merita sua, ut propter ea, sui suorumque sacrificia spiritualia accepta sint in conspectu Patris sui 1 Joh. II. 1. 2. Rom. VIII. 34. Heb. VII. 25. Quod olim præfigurabatur in Pontifice, mactante sacrificia ἱλαστικά, eorumque sanguinem introducente, & quasi sistente in Sancto sanctorum, coram arca fœderis Levit. XVI. 11. 12. 15. 16. absque quo, in terris constanter *permanens*, non fuisset *Sacerdos*, scil. perfectus Heb. VIII. 1. 2. 3. 4.

Affectiones & prærogativæ hujus intercessionis.

X. Hinc porro nobis innotescunt affectiones & prærogativæ incomparabiles hujus *intercessionis*. Quod 1. superstructa sit ejus *satisfactioni* ac propitiationi meritoriæ 1 Joh. II. 1. 2. Rom. VIII. 34. Heb. IX. 12. --- quæ nitebatur *dignitate* personæ ejus, ut θεανθρώπου. Quod 2. non fuerit purè *charitativa*, ut nostræ intercessiones: sed *auctoritativa* Joh. XVII. 2. Matth. XXVIII. 18. Joh. V. 21. 22. 26. 27. quod *meruit*. Quod 3. sit *universaliter* prævalens apud Patrem, *semper* Filium exaudientem Joh. XI. 42. Col. I. 13. Heb. XII. 24. Joh. XIV. 16. & XVI. 23. 24. 26. nullis accusationibus, divinæ justitiæ, legis, Satanæ, quicquam obtinentibus in contrarium Rom. VIII. 34. Quod 4. admodum sit *gloriosa*, utpote quæ in cœlis sit, à *sedente* ad dextram Dei. Ibid. Quod 5. *generalis* sit, pro omnibus & singulis electis, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt Joh. XVII. 9. 20. Heb. IX. 24. Quod 6. *perfecta* & *salvifica* Heb. VII. 25. Non est igitur intercessio, quæ cum hac conferri queat: nobis nescientibus quid orare debeamus, prout *decet* Rom. VIII. 26. 27. ipse intercedit, & impetrat pro nobis, nominibus nostris, continuo existentibus in *pectore* & in *humeris* ejus, velut magni nostri Pontificis.

Discrimen inter intercessionem Filii ac Spiritus S.

XI. Verùm, cum & *Spiritus* S. perinde ac *Filius* sit noster παράκλητος, ut patet collatione 1 Joh. II. 1. cum Joh. XIV. 16. 17. 26. & XVI. 7. & uterque dicatur pro nobis *intercedere* Rom. VIII. 34. Heb. VII. 25. cum Rom. VIII. 26. 27. juvabit observare discrimen inter utriusque *intercessiones*: quod nim. 1. Christus intercedat *absque nobis* apud Patrem 1 Joh. II. 1. Rom. VIII. 34. dum Spiritus S. *nobiscum* intercedit apud Deum Rom. VIII. 15. Quod 2. Christus pro nobis intercedat ut *Pontifex* & Advocatus noster, *extra nos*, repræsentatione mortis, satisfactione mortis, vi satisfactionis & meriti sui, suscipiendo causam nostram, adversus quamvis nostri accusationem Heb. VII. 24. 25. & IX. 24. Rom. VIII. 34. dum Spiritus S. ut *assistens*, efficaci suâ operatione *intra nos* Rom. VIII. 26. 27. Apoc. XXII. 17. *efficienter*, ut loquuntur, non *formaliter*. Quod 3. Christus pro nobis intercedat *voce sanguinis* sui, qui *meliora loquitur, quam sanguis Abelis* Heb. XII. 24. dum Spiritus pro nobis intercedit, excitando in nobis *gemitus ineffabiles* Rom. VIII. 26. 27.

Actus tertius officii sacerdotalis est benedictio.

XII. Actus *tertius* officii sacerdotalis est *benedictio*. Neque enim (*a*) tantum Sacerdotes olim, ex præscripto divino, populo *benedicebant* Num. VI. 23. Neque (*b*) tantum Melchi-Zedek, *Sacerdos Dei altissimi* Heb. VII. 1. typus Sacerdotis nostri, Abrahamo *benedixit* Gen. XIV. 19. Heb. VII. 6. 7. sed etiam (*c*) in *semine Abrahami* Gen. XVIII. 18. *Isaaci* Gen. XXVI. 4. *Jacobi* Gen. XXVIII. 14. quod est Sacerdos noster Act. III. 25. benedicendæ dicuntur omnes gentes. Et hinc insuper (*d*) *benedictio Abrahami super gentes*, dicitur *venire in Christo Jesu* Gal. III. 14. eadem nimirum *specie* benedictio, quâ propter *semen* istud suum, Deus benedixit Abrahamo. Hinc (*e*) à resurrectione suâ, suis apparens, *benedictionem* ipsis imperiit, pacem ipsis apprecando Joh. XX. 19. 21. Quod (*f*) Apostolus imitatur, Ecclesiis passim, non tantum gratiam & pacem apprecans: sed etiam signatè: *à Domino nostro Jesu Christo* Rom. I. 7. 1 Cor. I. 3. 2 Cor. I. 2. &c. Tandem (*g*) Deus nobis *benedicere* dicitur, *omni benedictione spirituali, cum Christo Jesu* Eph. I. 3.

Quid benedicere?

XIII. Sonat autem *benedicere*, ברך, εὐλογεῖν (1) *laudare*, commendare, gratias agere, & sic nos Deo benedicimus Psal. C. 4. & CIII. 1. 2. 20. (2) fausta quævis *optare*, precari, prout Parentes liberis Gen. IX. 26. 27. Pastores populo Num. VI. 23. quivis sibi invicem, v. g. Jacob Pharaoni Gen. XLVII. 7. benedicunt (3) *consecrare*, sanctificare, separare in usum sacrum, sic Deus benedixit Sabbatho Exod. XX. 11. Christus pani ac vino eucharistico Matth. XXVI. 26. (4) *conferre* quævis beneficia, sic Jesus Judæis benedicit Act. III. 26. sic Gentiles benedicendi dicuntur in Christo Gal. III. 14. Hoc postremo sensu nobis hic venit benedictionis vox.

Beneficia benedictionis: Spiritualia.

XIV. Et sic benedictione Sacerdos noster suis confert beneficia; (1) *Spiritualia* quævis Eph. I. 3. 2 Pet. I. 3. (2) In specie A. *Redemptionem* Gal. III. 13. 14. B. *Communicationem*, diu promissi Spiritus Ibid. C. *Conversionem* à peccato ad Deum & justitiam Act. III. 25. 26. D. *Adoptionem*, quâ in fami-

familiam Dei intromittimur Gal. IV. 4. 5. cum 1 Joh. III. 1. 2. E. *Justificationem* per fidem Gal. III. 8. 9. Psal. XXXII. 1. 2. F. *Communionem* fœderalem cum Deo Gen. XVII. 7. 8. Heb. VIII. 10. — cum Psal. CXLIV. 15. G. *Glorificationem* æternam Luc. XIII. 28. 29. cum XVI. 23. &c. (2) *Temporalia* quævis, velut appertinentia & corollaria spiritualium Matth. VI. 31. 32. 33. Rom. VIII. 32. 1 Tim. IV. 8. ut patet in benedictione Abrahamo collata (quæ derivari dicitur in omne *semen ejus*, in Christo Jesu Gal. III. 14.) quâ consecutus est (*a*) *opes* Gen. XIII. 2. & XXIV. 35. (*b*) *honores* Ibid & Cap. XXIII. 6. (*c*) *successus* negotiorum Gen. XIV. 14. 15. 16. (*d*) numerosam *sobolem* posteritatemque Gen. XVI. 15. Heb. XI. 11. 12. Omnibus istis beneficiis, Sacerdos noster suis *benedicit*, non *charitative* tantum, precibus suis ea obtinendo aliunde, prout nos benedicimus Psal. CXXIX. 8. sed *auctoritative* & operativè à se, à quâ Deus nobis benedicit beneficiis istis, *propter* Christum, tanquam causam meritoriam Dan. IX. 17. *per* Christum, velut causam conferentem Phil. IV. 13. & 1. 11. *in* Christo, velut in *capite* Eph. 1. 3. 2 Cor. 1. 20.

Temporalia.

Pars Elenchtica.

In elenchticâ hujus capitis, hæ potissimum occurrunt quæstiones:

1, An Christus veri ac proprii nominis Sacerdos fuerit?

XV. Penes *elenchticam* functionis Christi sacerdotalis, posit quæstionem; an Messias, ex promissione divinâ, olim venturus, debuerit esse *Sacerdos*? quam in *elenchtica* capitis *quinti* dudum determinavimus, occurrit *prima* quæstio: an Christus veri & *proprii* nominis Sacerdos fuerit? Socinïani, ne cogantur admittere, eum veri ac proprii nominis *sacrificium* ἱλαστικὸν præstitisse, eoque pro peccatis nostris propriè, per *substitutionem satisfeciisse*; admittunt quidem, eum Sacerdotem aliquando in Scripturis appellari; sed *improprie* tamen sic appellari, propter analogiam & *similitudinem* qualemcunque, quam habuerit cum *Pontifice*, seipsum in Sancto sanctorum quotannis offerente Deo: Reformati contra, cum Scripturis asserunt, eum *veri* ac *proprii* nominis Sacerdotem fuisse: idque his potissimum rationibus: (1) quod, ipsis fatentibus, *Sacerdos* sæpius appelletur, id quod, nulla cogente necessitate, ad sensum *improprium*, torqueri non debet. (2) Quod describatur ut *verus* ac propriè dictus Sacerdos, eique competant, omnia requisita *proprie* dicti Sacerdotis. *Descriptio* enim Sacerdotis propriè dicti, quæ exstat Heb. V. 1.—11. ipsi ibidem applicatur, & Cap. VIII. 3. Singulatim Sacerdos A. legitimam debuit habere *vocationem, neque enim quisquam sibi ipsi sumit hunc honorem; sed qui à Deo vocatur, sicut & Aaron* Heb. V. 4. & Christus eam habuit vers. 5. 10. B. Debet *ex hominibus assumi*. Ibid. vers. 1. & Christus ex hominibus fuit 1 Tim. II. 5. C. Ut pro *hominibus ageret apud Deum* Heb. V. 1. & Christus pro hominibus egit, olim in *terris*, nos non tantum *reconciliando* cum Deo Eph II. 12.—17. Col. 1. 20. 21. sed & pro nobis *intercedendo* Joh. XVII. 9. Luc. XXII. 32. & nunc in *cœlis* Rom. VIII. 34. 1 Joh II. 1. 2. D. Debet *offerre dona & sacrificia* Heb. V. 1. & Christus obtulit seipsum vers 17. Eph. V. 2. E. debuit habere *altare* in quo offerret Exod. XXIX. 23. — & Christus habuit Heb. XIII. 10. F. Debuit habere suum *ordinem* 2 Reg. XXIII. 4. Luc. 1. 5. 9. & Christus suum habuit Psal. CX. 4. Nec adduci potest in Scripturis, quod non fuit in Christo. Imò tam *verus* fuit, ut Levitici omnes, ipso veniente, *cessare* debuerint, prout *umbræ* præfigurantes, exhibito *corpore* Heb. X. 1. 2. 8. &c. (3) Quod dicatur longè *præstantior* Sacerdos, quam levitici omnes Heb. VII. usque ad Cap. X. proin *verus* ac proprius Sacerdos. Addam (4) Quod *veritas omnium*, quæ in lege ceremoniali præfigurabantur, sit in Christo Joh. 1. 17. Col II. 17. Heb. X. 1. ergo etiam *veritas* Sacerdotii. Nec est quod objiciant A. Quod in *sola* Epistolâ ad Hebræos, hujus Sacerdotii fiat mentio. Resp. 1. Ergone *propterea* impropriè dictus Sacerdos est? 2. Fit etiam alibi, tam ἀντολεξει Psal. CX. 4. quam δυνάμει ejus mentio, quando *Mediator* 1 Tim. II. 5. *intercessor* 1 Joh. II. 1. 2. per *oblationem* redemptor, actusque Sacerdotales ipsi tribuuntur. B. Quod ea, quæ *Sacerdotes* legales faciebant, propriè non fecerit, victimas Deo non sacrificarit. Resp. Hinc tantum infertur, quod non fuerit Sacerdos *legalis*, non autem *nullus*: sic enim, nec Melchi-Zedek fuisset *verus* & propriè dictus Sacerdos. C. Quod Sacerdotio Christi Apostolus tribuat *interpellationem*, quæ tamen non est *proprii* nominis *sacrificium*, per quod peccata expientur, sed *impropriè* tantum, quatenus interpellatio conducebat ad expiationem. Resp. 1. Falsum est, quod Sacerdotium Christi confistat in *sola* interpellatione pro nobis; sed etiam in *oblatione* sui pro nobis Eph. V. 2. tum etiam 2. ipsa illa *interpellatio*, quæ fit ab ipso pro nobis in cœlo, ad exemplum Pontificis, in Sancto sanctorum interpellantis pro populo, præsupponit *sacrificium*, oblatum in terris Heb. IX. 7. cum vs. 11—15.

Argumenta Orthodoxa.

Objectiones.

2. An in terris fuerit Sacerdos?

XVI. *Secundo* quæritur, an & in *terris* fuerit Sacerdos? Sociniani, ne *morte* Christi, in terris facta, cogantur agnoscere, seipsum *obtulisse* pro nobis, & offerendo satisfeciisse; existimant ipsum *in terris* non fuisse Sacerdotem; sed in cœlo demum, ubi *interpellando* pro nobis, seipsum Patri *obtulerit*: Reformati, quod etiam *in terris* existens, ibique moriens, & moriendo seipsum offerens, fuerit Sacerdos: probant A. Quia Heb. IX. 11. 12. dicitur *per proprium sanguinem ingressus in sacrarium, æternam redemptionem nactus*. Conf. vs. 15—18. 22. 23. B. Quia *ibid.* vs. 25—28. dicitur.

Argumenta Orthodoxa.

dicitur, *nunc semel---ad peccatum, per immolationem sui ipsius ; è medio tollendum, manifestus factus, se semel obtulisse*, quod procul dubio *in terris* factum. C. Quia Heb. x. 10. dicimur *sanctificari, per oblationem corporis Christi, semel factam*, procul dubio in *terris*. D. Quia *Ibid.* vs. 12. dicitur *unâ pro peccatis oblatâ victima, consedisse ad dextram Dei.* Conf. vs. 14. Tandem E. Quia Eph. v. 2. dicitur seipsum tradidisse pro nobis, προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας: quod citra omne dubium, factum in *terris*. Nec faciat in contrarium, quod 1 Heb. VII. 26. Pontifex noster dicatur *sublimior* futurus *cœlis*, ut, *si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset* Heb. VIII. 4. Resp. Hinc tantum conficitur, eum actus Sacerdotii sui in terris *absolvere* non debuisse; sed factâ sui oblatione in cruce, ascendere debuisse, cum proprio sanguine, in *sacrarium* cœleste, ibidemque *interpellare* pro nobis; aliàs non futurus *sublimior* & perfectior Sacerdos, gregariis leviticis. 2. Quod Heb. VII. 16. dicatur Pontifex factus, *secundum vim indissolubilis vitæ*; ergo, inquiunt, non fuit quamdiu *mortalis* fuit. Resp. (1) Apostolus non vult, ipsum non fuisse Sacerdotem, cum vitam gestaret *dissolvendam*; sed quod, ad interceptionem perpetuam, consequi aliquando debuerit *vitam indissolubilem*. Quin (2) & in terris habuit vitam *indissolubilem*, ratione *divinæ* naturæ, & post resurrectionem, etiam in *terris* adhuc existens, quoad *humanam* naturam. 3. Quod Heb. v. 9. 10. *cum perfectus esset redditus*, dicatur *obedientibus sibi factus, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Sacerdos* &c. Resp. Nunquam simpliciter *imperfectus* fuit, quia semper sibi suoque muneri *sufficiens* fuit, quamvis per periodos, ex actionibus succedentibus, paulatim factus fuerit *perfectior*, donec tandem in cœlis, sedens ad dextram Patris, ibique glorioſe *interpellans* pro nobis, & partam redemptionem efficaciſſimè nobis *applicans*, factus fuit *perfectissimus* Sacerdos.

Objectiones.

3. An solus Pontifex fuerit typus Sacerdotis Christi?

XVII. Hinc *tertio* quæritur, an solus *Pontifex* gesserit typum Christi? an etiam gregarii V. T. Sacerdotes? Sociniani, cum Christum *ingressu* in sacrarium cœleste, factum statuant Sacerdotem, præfigurâto per ingressum *Pontificis* in Sanctum sanctorum; negant *gregarios* Sacerdotes sustinuisse *figuram* Christi: Orthodoxi, etiam gregarios Sacerdotes fuisse typos Christi, docent: 1. Quia non tantum ἀρχιερεὺς appellatur; sed etiam ἱερεὺς, כהן, & cum *gregariis* Sacerdotibus confertur Heb. VII. 4. Quia 2. Pontifex & *gregarii* Sacerdotes ejusdem *speciei* fuerunt, solo fere dignitatis *gradu* diversi; unde, non tantum omnia, solo fere Pontificis *ingressu* in Sanctum sanctorum, excepto, etiam Sacerdotibus competebant: sed etiam Pontifex, eodem cum gregariis Sacerdotibus nomine, passim in V. T. designatur כהן Quia 3. non tantum *sacrificatio* summi Pontificis, quæ circa ejus ingressum in Sanctum sanctorum fiebat, cum sanguine *hircorum & vitulorum*, de quâ Apostolus Heb. IX. 12.: sed omnis omnino sacrificatio, illa etiam quæ fiebat per *sanguinem taurorum, hircorum & cinerem juvencæ*, à quibusvis Sacerdotibus, de qua vs. 13. præfigurabat *sacrificium* Mediatoris conf. vs. 19. Quia 4. etiam *agnus* paschalis, qui non sacrificabatur à *solo* Pontifice, sed à *gregariis* quibusvis Sacerdotibus, typum ferebat Christi 1 Cor, v. 7. Joh. XIX. 36. Quia 5. Apostolus Heb. x. 11. coll. cum vs. 10. *quemvis* Sacerdotem, quoad *sacrificium, oblationem, holocautomata, victimam pro peccatis* vs. 5. 6. 8. confert cum *Christo*, tanquam typum cum antitypo. Quia 6. de *tota* lege ceremoniali pronunciatur, quod habuerit *umbram* futurorum bonorum, ita ut corpus sit Christus Col. II. 17. Heb. x. 1. proinde & Sacerdotes gregarii. Ut non addam 7. Quod ex hypothesi adversariâ, ne *Melchi-Zedek* quidem potuerit præstare typum Christi, quia non fuit particeps *ingressus* in Sanctum sanctorum. Nec video, quid in contrarium, ullâ quidem cum specie veritatis, causari possint adversarii, nisi quod *expressior*, frequentior & amplior comparatio occurrat inter *Pontificem* & Christum, quam inter *gregarios* Sacerdotes & eundem: verum ex hoc, ad summum, non amplius confici potest, quam Pontificem *illustriorem* gessisse Christi typum, idque ratione *ingressus* ejus in Sanctum sanctorum, non autem ipsum *solum* sustinuisse typum Christi.

Argumenta Orthodoxorum.

Objectio adversariorum.

4. An pro seipso obtulerit?

XVIII. *Quarto* quæritur, an Christus etiam pro *seipso* obtulerit? Socinus quo efficacius infringeret, Christum oblatione sacerdotali, pro peccatis aliorum satisfeciſſe; statuit Christum non minus *pro se*. quam pro *aliis* obtulisse, non quidem pro suis *peccatis*, quæ non habuisse agnoscit; sed pro *infirmitatibus* carnis suæ, h. e. mortalitate & patibilitate: Orthodoxi negant, eo quod 1. oblatio constanter in Scripturis dicatur facta propter *peccata* Levit. 7. 11. Heb. v. 3. & 11. 17. à quibus Christus immunis fuit. *Ibid.* vers. 26. Quod 2. *infirmitas* carnis, patibilitas & mortalitas, quatenus sunt absque peccato, (ut in Christo fuerunt Heb. IV. 15.) *sacrificium* non exigant. Ut non dicam 3. vel ex hypothesi adversariorum, quâ oblatio Christi facta fuerit in cœlo, quando omnem *infirmitatem* carnis, patibilitatem mortalitatemque deposuerat: absurdam esse oblationem hanc pro seipso. Unicum, quod aliquâ veritatis specie in contrarium adduci possit, prostat Heb. v. 2. 3. *Qui condolere possit his qui ignorant & errant*, quoniam *& ipse circumdatus est infirmitate, & propter hanc* infirmitatem, *debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre, pro peccatis*: verum non observat, Apostolum loqui de infirmitate *peccaminosa*, quæ communis

Objectio.

munis fuerit populo & *Pontifici*, ob quam Pontifex ſacrificare debuerit, *pro ſe* pariter & pro populo: ſed hactenus non applicat ad Chriſtum, nec applicare poteſt, quia *hujuſmodi* infirmitatibus non fuit obnoxius.

3. An Chriſtus ſolus ſe ipſum obtulerit, & ſemel tantum, nec ullos præter ſe habeat pro prie dictos Sacerdotes? Argumenta Orthodoxorum.

XIX. *Quinto* quæritur, an Chriſtus ſolus ſeipſum obtulerit, & *ſemel* tantum, eoque *Sacerdos ſolus* ſit, ſecundum ordinem *Melchizedek?* An ab *aliis* etiam, & *ſæpius* offeratur, qui propterea cum ipſo ſint Sacerdotes, & quidem ſecundum ordinem *Melchizedek?* Pontificii, in gratiam miſſæ ſuæ, ſtatuunt, Chriſtum *indies* à Sacrificulis offerri, pro peccatis vivorum & mortuorum, qui propterea non tantum Sacerdotes ſint; ſed Sacerdotes etiam ſecundum *ordinem* Melchizedek: Reformati ſtatuunt, Chriſtum *ſolum*, ſeipſum obtuliſſe, idque *ſemel* tantum, ac propterea *ſolum* eſſe, propriè dictum *Sacerdotem*, ſolum juxta ordinem *Melchizedek*. Quod 1. Scriptura nullibi tradat, Chriſtum ab alio eſſe offerendum, quam *à ſe*; nec *ſæpius* quam ſemel; nec ullos habiturum veri ac proprii nominis ſucceſſores *Sacerdotes*; multo minus, *ejuſdem* ſecum ordinis *Sacerdotes*; nim. ſecundum ordinem *Melchi-zedek*. Imo 2. quod Scriptura his omnibus *contraria* doceat, quando ſæpius tradit, Chriſtum *una* ſui oblatione, *conſummaſſe omnes qui ſanctificantur* Heb. x. 14. &c. Non addam 3. maximas implicare *abſurditates*, imò *abnegationem* unici illius ſacrificii, quod in cruce Chriſtus peregit, ſi dicamus Chriſtum ab *hominibus* offerri; nec prodeſſe nobis *unicam* illam ſui oblationem, ſi non *indies* repetatur, idque ab hominibus, qui *ejuſdem* ſecum ordinis ſint Sacerdotes, ſcil. ſecundum ordinem Melchi-Zedek. Nec habent quod

Objectio.

objiciant, niſi locum Mal. 1. 11. *In omni loco offertur incenſum nomini meo, & oblatio munda.* Verum nolunt animadvertere, per incenſum & *oblationem mundam*, non intelligi, niſi verum ac *ſpiritualem* N. T. cultum, & ſacrificia *ſpiritualia*, præfigurata ſacrificationibus hiſce leviticis V. T. Conf. Zach. XIV. 16. 20. Plura hujus generis ξὺν θεῷ occurrent, quando Miſſam ex profeſſo refellemus.

6. An ut Sacerdos verè & propriè ſatisfecerit?

XX. *Sexto* quæritur, an Chriſtus, ut Sacerdos, ſeipſum per mortem offerendo in cruce, pro peccatoribus ſatisfecerit, ex rigore *juſtitiæ* divinæ, eorum debita, *æquivalente* pretio, ſolvendo; eaque ratione eos Deo reconciliaverit? Affirmant Chriſtiani, negant Sociniani. Eſt hæc momentoſiſſima quidem hujus loci controverſia; verum cum in plures una hæc controverſia ſeſe diffundat, nim. de neceſſitate, veritate, univerſalitate &c. ſatisfactionis, quæ ſpectant ad Cap. De *Redemptione*, nos illuc hoc negotium ſeponemus.

7. An Chriſto ſoli competat interceſſio pro nobis? Argumenta Orthodoxorum.

XXI. *Septimo* quæritur, an Chriſtus *ſolus* pro nobis *intercedat?* Pontificii interceſſionibus ἀξίωμα, ad Angelos quoque, & demortuos cœlites traducunt, quos etiam, hoc nomine, *invocandos* docent: Proteſtantes *ſoli* Chriſto illud relinquunt; quod 1. ipſe ſolus, non tantum μεσίτης 1 Tim. II. 5. ſed etiam παράκλητος *interceſſor* dicatur 1 Joh. II. 1. Quod 2. ἀξίωμα ſacerdotale, quoad actus ſuos omnes, in quibus & *interceſſio* eſt, Chriſtus habeat ἀπαράβατον Heb. V. 5. 6. & VII. 4. 6. 7. 11. 16. 17. 21. 22. 24. &c. Quod 3. interceſſio nihil aliud ſit, quam efficax repræſentatio *oblationis* Hebr. IX. 12. 24. Rom. VIII. 34.: hæc igitur, cum Chriſto *ſoli* competat; & illa quoque. Quod 4. *pararii* domeſticis opus nequaquam ſit; cum *filius* ipſe nos tam benignè ad ſe invitet Matth. XI. 28. & tam liberaliter promittat exauditionem precum noſtrarum, in ſuo nomine factarum Joh. XVI. 23. 24. Cum præſertim, *nemo veniat ad Patrem, niſi per ipſum* Joh. XIV. 6. Quod 5. nemo præter ipſum, vel corda noſtra *perſpiciat*, quod hoc ſolius Dei ſit 1 Reg. VIII. 39.; vel neceſſitates noſtras Jeſ. LXIII. 16. Nec eſt quod in contrarium cauſentur: quod jubeamur precari alii pro aliis 1 Tim. II. 1. Jac. V. 16. jubemur enim, dum unâ ſumus in *terris*, & mutuas neceſſitates novimus; non autem in *cœlum* traducti, pro his qui in terris ſunt, utpote quos non novimus Job. XVI. 21. Jeſ. LXIII. 16.

Objectio adverſariorum.

8. An Chriſtus in terris exiſtens pro nobis interceſſerit?

XXII. *Octavo* quæritur, an Chriſtus etiam pro nobis interceſſerit, adhuc *in terris* agens? Sociniani, quod functionem Chriſti ſacerdotalem ad ſolam *interceſſionem* reſtringant, & ſacerdotium in *cœlis* demum cœpiſſe velint; negant eum in terris pro nobis interceſſiſſe: Orthodoxi contrarium affirmant, quod 1. Scriptura, & in terris ipſum interceſſiſſe apertè doceat Luc. XXII. 32. Joh. XVII. — Quod 2. hypotheſes, quibus ſuam ſententiam ſuperſtruunt, ſint apertè falſæ, nimirum, quod (1) Chriſti ſacerdotium *ſolâ* conſtet ejus interceſſione, cum *facta* jam *peccatorum noſtrorum purgatione*, ſederit ad dextram Dei Heb. I. 3. ibidem pro nobis interpellaturus Rom. VIII. 34. Quod (2) ſacerdotium ſuum auſpicatus fuerit in *cœlo* demum, cujus falſitatem, ex profeſſo demonſtravimus. §. XVII.

9. An Melchizedek ſacrificaverit panem & vinum? Argumenta Orthodoxorum.

XXIII. *Nono* quæritur, an Meldhi-Zedek, Abrahamo victori obvius, panem ac vinum Deo obtulerit *pro ſacrificio*, ut hoc ipſo præfiguraret Chriſtum, ut Sacerdotem ſecundum ordinem Melchizedek, ſacrificantem ſeipſum ſub ſpecie panis & vini: Gen. XIV. 18. Pontificii ſi non unicum, ſaltem præcipuum, ſacrificii ſui miſſatici præſidium quærunt in hac ſacrificatione Melchi-Zedek: Proteſtantes negant, hic accidiſſe veri nominis *ſacrificationem*. Quod 1. Scriptura nullius *ſacrificationis* faciat mentionem. Quod hoc 2. textus & hiſtoriæ circumſtantiæ diſertè obloquantur: occurrit enim non העלה, quod de *ſacrificatione* in Scripturis uſur-

usurpatur; sed הוציא *advenire fecit*; seu adduci fecit; panem utique & vinum; sed non *solum* (quandoquidem talis, talem & in tali casu; non solet excipere *solo* pane & vino) sed συνεκδοχικῶς quævis edulia; nec tam *ipse* hoc fecit, quam, ejus jussu, *famuli*, qui tamen eo ipso non *sacrificárunt*. Quod 3. ipsis repugnet Pontificiorum hypothesibus, quæ Servatorem Jesum volunt, non *panem & vinum*, in prima Missa; sed *seipsum*, suam carnem & sanguinem sacrificasse. Nec video quid pro se causari possint adversarii, nisi σύνταξιν: produxit panem & vinum, *erat enim* Sacerdos Deo altissimo, unde Eccius, *produxit*, inquit, ut *offerret Deo*: sed gratis, neque etiam conjunctio *rationalis* prostat in textu, & actus sacerdotii expresse designatur, non in *oblatione*; sed in *benedictione* sacerdotali. Conf. Num. VI. 23.

Objectio Adversariorum.

10. An Christus seipsum in S. cœna obtulerit Deo?

XXIV. Hinc *decimo* quæritur, an ipse Christus seipsum, sub *speciebus* panis & vini, obtulerit in missa? Pontificii, in gratiam sacrificii missatici, affirmant: Protestantes negant: quod 1. in Scripturis, nominatim in institutione S. cœnæ, per omnes Euangelistas, imò & in repetitione Paulina, hujus *oblationis* ne γρὺ quidem occurrat. Quod 2. constanter dicatur seipsum sacrificasse in *cruce*, idque per mortem. Quod 3. cum oblatio sacrificii propitiatorii fiat *destructione* rei oblatæ; Christus seipsum in missa offerendo, *destruxisset*. Quod 4. sacrificium propitiatorium *incruentum*, quale Servatori asseritur ab Adversariis, apertam implicet *contradictionem* Heb. IX. 22. Quod 5. pro institutione Sacramenti, *sacrificium* obtulisset; quæ tota specie à seinvicem distant. Hæc indigitasse hoc loco sufficerit, suo loco plenius, ξὺν θεῷ, dicenda.

Pars Practica.

Sacerdotium Christi 1. ostendit quam sit horrendum ac detestabile peccatum.

XXV. Praxis sacerdotii Christi *primo* nobis ostendit, quam sit res *horrenda* & detestabilis, peccatum. Utpote quod (1) nos adeo fecit *aversos* à Deo Jes. I. 10--16. & LIX. 2. ut Sacerdotem reconciliatorem nobis fecerit absolutè *necessarium*, qui pro nobis apud Deum ageret Heb. V. 1. (2) Nec gregarium quemvis *Leviticum*, Aaronem, Jehoschuam; sed tantum ac talem, *secundum ordinem Melchizedek*, *secundum vim indissolubilis vitæ* Heb. VII. 11. 16. ipsum *Filium* Dei θεάνθρωπον. Ibid. vers. 3-- Quod (3) tantum nobis adduxit *reatum*, ut *sacrificium* nobis fuerit necessarium, non taurorum hircorumque Psal. XL. 7. 8. & LI. 11. Mich. VI. 6. 7. Heb. IX. 13. sed ipsius *Filii* Dei, qui *seipsum* Deo *offerret* Heb. IX. 12. Quod (4) omnia nostra *sacra*, preces optimaque opera, adeo fecit *exosa* Deo & abominabilia Jes. I. 10--16. & LXIV. 6. ut *interceſſor* eis fuerit necessarius, qui in conspectum Dei proferret Apoc. VIII. 3. 4. Quod (5) omni omninò *benedictione*, tam corporali, quam spirituali, nos usque adeo privaverit, ut *Sacerdos* fuerit necessarius, qui *benediceret* Num. VI. 23--cum Eph. I. 3. Gal. III. 13. 14. Quod (6) adeo *legem*, justitiam, & potentiam Dei armavit adversus *nos*, ut non potuerimus reconciliari, nisi maledictâ ipsius *Filii* Dei sacrificatione Gal. III. 13. 14. Proinde, si res est tam detestanda peccatum, idque in conspectu justissimi *Judicis*: est sanè (*a*) quod & nos *detestemur* & horreamus Gen. XXXIX. 9. (*b*) super quo nos profundè *humiliemus* coram Deo Dan. IX. 3. 4.-- (*c*) cujus reconciliationem serio *quæramus*, in sacrificatione unici nostri Pontificis. Ibid. 2 Cor. V. 18. 19. 20. (*d*) quod odio irreconciliabili *prosequamur* Psal. XCVII. 10. & CXIX. 128. (*e*) à quo nos sanguine Sacerdotis nostri magis magisque *repurgemus* Jes. I. 16. Jer. IV. 4. 1 Joh. I. 7. Heb. X. 22. Psal. LI. 4. 9.

Quorsum.

2. Reconciliatum justitiæ & misericordiæ divinæ, compositum per Sacerdotem nostrum.

XXVI. *Secundo* repræsentat, ut miremur concordem discordiam & amicum prælium, inter varia Dei attributa, quibus medium, & quasi Mediatorem sese interposuerit, per sapientiam divinam, Sacerdos noster. Vindex enim Dei *justitia*, à peccatore exigebat æternam *condemnationem* Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Rom. I. 18. 32. cui succurrebat immota ejus *veracitas*, peccatori mortem, & omne genus mali, pro pœnâ dictans Gen. II. 17. & III. 17. ex adverso gratia & *misericordia* contendebat pro peccatoris conservatione, & æterna ejus beatificatione Psal. CIII. 8. Jes. LV. 7. Zach. IX. 11. cui succurrit *gloria*, quæsita ex peccatoris redempti, conversi, sanctificati, *bonis* operibus Joh. XV. 8. Matth. V. 16. pariter ex celebratione bonitatis & clementiæ, quâ non *delectatur morte peccatoris*; *sed ut convertatur & vivat* Ezech. XXXIII. 11. quibus partibus, quasi mediam sese interponit divina *sapientia*, utrique parti contendenti satisfactura, ut & peccatum puniretur, secundum *justitiam*, & peccator conservaretur, secundum *misericordiam*; Sacerdotem monstravit, qui satisfaceret justitiæ, & peccatorem servaret, qui ab hoc, potentia & *sapientia Dei* appellatur 1 Cor. I. 24. utpote quæ, in hoc nostro Sacerdote, gratiam cum justitiâ q. reconciliaverit Rom. III. 25. ut jam *gratia & veritas sibi occurrant*, *justitia & pax se invicem exosculentur* Psal. LXXXV. 10. Ut in hoc conflictu, factaque, per Sacerdotem nostrum, amicissimâ compositione, quatuor ad minimum sese nobis offerant divinæ perfectiones, *justitia*, *veracitas*, *misericordia & sapientia*, *quas* hîc (1) *contemplemur* Rom. XI. 22. (2) *admiremur* Ibid. vers. 32. 33. (3) *celebremus* glorificemusque Ibid. vers. 36. (4) *imitemur*, justitiæ rigorem, perpetuo temperantes misericordiâ & ἐπιεικείᾳ Jac. II. 13.

Quorsum.

3. Movet ad gratitudinem,

XXVII. *Tertio*, movet efficacissimè ad *gratitudinem*, versus Deum quidem *dantem*, & Servatorem dinem,

rem *datum* nobis in Sacerdotem. Si nim. diſtinctè expendamus, A. *Dantem* Jehovam Pſal. cx. 4. *Jehova juravit* &c. *Deus* ille *omniſufficiens* Gen. XVII. 1. qui nullâ *indigentia*; ſed purâ puta gratiæ *abundantia* adductus, æterno conſilio *deſtinavit*, & in tempore *dedit* hunc Sacerdotem. B. *Datum*, non qualemcunque, non *Leviticum* & Aaronicum, Heb. VII. 11. non qualem aut quantumcunque *hominem*: ſed *talem* ac tantum, τοιοῦτον. Ibid. vſ. 26. *ſecundum ordinem Melchi-Zedek* Ibid. 17. 21. ipſum *Filium* Dei Ibid. vſ. 3. *æternum* Ibid. vſ. 17. 21. θεάνθρωπον, ſufficientiſſimum, qui ſervare poteſt εἰς τὸ παντελὲς. Ibid. verſ. 24. 25. qui reconciliare, qui intercedere, qui benedicere, omniaque expedire poteſt, *quæ apud Deum pro nobis agenda ſunt* Heb. V. 1. C. *Dandi modum*, tanta ſolennitate, cum *juramento* Phil. IX. 4. Heb. VI. 16. 17. & VII. 20. 21. cum ſolenni declaratione, conſilii immutabilis: *nec ipſum pœnitebit.* Conf. Heb. VI. 17. Jeſ. XLV. 23. & LIV. 9. 10. Pſal. LXXXIX. 34. 35. quæ agendi ratio, nec fruſtrà eſt, nec vulgaria ſpirat, ut quæ (1) efficaciſſimè nobis *perſuadet*, τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ Heb. VI. 17. (2) *commendat* nobis ὑπεροχὴν Sacerdotis & ſacerdotii hujus, quam paſſim per Epiſtolam ad Heb. extollit Apoſtolus. (3) *confirmat* animum peccatoris, de immutabilitate εὐδοκίας Dei verſus ſe: *Homines enim per majorem jurant, & omnis ipſis controverſiæ finis, ad confirmationem, eſt juramentum: in quo abundantius Deus volens oſtendere immutabilitatem conſilii ſui, ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ, ut per duas res, immobiles, in quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, validam conſolationem habeamus* Heb. VI. 16. 17. 18. Conf. Mich. VII. 20. Hab. III. 9. Unde Tertull. de Pœnit. c. 4. *Quod Deus tantopere commendat, quod etiam humano more ſub dejeratione teſtatur, ſumma utique gravitate, & aggredi, & cuſtodire debemus, ut in aſſervatione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus, & emolumento proinde perſeverare poſſimus.* D. *Perſonas* quibus dedit: *homunciones* Pſal. VIII. 5. cinerem ac pulverem. Gen. XVIII. 27. *perduelles* ipſo jure damnatos, & in peccatis mortuos Eph. II. 1. 5. Ezech. XVI. 3--6. Ex quibus omnibus, *commendat Deus amorem ſuum verſus nos, cum adhuc peccatores eſſemus* Rom. V. 7. 8. E. *Uſus* in quos dedit, nim. ut (1) nos ſibi *reconciliaret* Levit. XIX. 22. cum 2 Cor. V. 19. (2) *pararium* præſtaret, per quem παῤῥησίαν haberemus, & προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει ad thronum gratiæ Eph. II. 18. & III. 12. (3) ut *benedictiones* omne genus in nos cumularet Num. VI. 23. cum Eph. I. 3. Gal. III. 14. Hæc omnia, nunquid talia ſunt ac tanta, ut ad *gratitudinem* efficaciſſimè moveant? quâ (1) *dantem* Jehovam, & tantâ ſolennitate apparatuque dantem, nobis hunc Sacerdotem, interpoſito ſcil. juramento, & declaratione immutabilis conſilii, & puro puto amore dantem, ſincero & flagrante *amore* viciſſim proſequamur Rom. V. 8. 11. (2) *Datum* hunc Sacerdotem promptè & alacriter *recipiamus*, eique cauſas noſtras, apud Deum agendas, ſecurè committamus Heb. V. 1. (3) *Nos* noſtraque viciſſim Deo ſacrificemus Rom. XII. 1.

Motivæ.

Officia gratitudinis.

XXVIII. *Quartò*, monet Sacerdotem hunc noſtrum devotè *contemplemur* Heb. III. 1. κατανοήσατε τὸν ἀρχιερέα &c. *animadvertite*; & VII. 4. θεωρεῖτε πηλικὸς οὗτος. Huc enim (*a*) ſpectabat annua immolatio *agni* Paſchalis ſub V. T. 1 Cor. V. 7. Huc (2) S. *Cœna* ſub N. T. 1 Cor. XI. 26. Huc (3) *toties* repetita, & tam accuratè inculcata *deſcriptio* hujus Sacerdotis, & hujus ſacerdotii, per univerſam Epiſtolam ad Hebræos. Nominatim ejus contemplemur A. *neceſſitatem* plane indeclinabilem, ſi modo cujusvis boni velimus fieri participes Heb. VII. 26. ἔπρεπεν ἡμῖν &c. adeo ut *ſentiamus* eam: cujus defectu tam pauci, & tales etiam, qui ore quidem ipſum profitentur; ejus participium ſincerè *ambiunt*, ejuſque fructus carpunt Joh. IV. 10. B. *Naturam* & excellentiam Heb. VII. 26. τοιοῦτος-- & VIII. 1. ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτολῶν, καὶ ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον Heb. VII. 26. *miſericordem* & fidelem cap. II. 17. ipſum *filium Dei* Heb. VII. 3. θεάνθρωπον &c. C. *Uſum*, ad *reconciliandum* peccatorem perduellem Deo, ad agendam ejus *omnem* cauſam apud Deum, ad parandam ipſi quamvis *benedictionem*, &c. de quibus jam ante in præcedentibus dictum. Et ea quidem ſic κατανοῶμεν, ut eum (1) *profeſſione* noſtra fideliter *recipiamus*, tanquam ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Heb. III. 1. & IV. 14. 15. 16. & X. 23. (2) in eo per fidem ſecurè *recumbamus* Jeſ. X. 20. ut qui *miſericors* ſit & *fidelis Pontifex* Heb. II. 15. *in omnibus tentatus ſicut nos.* (3) ei indivulſe *adhæreamus* Heb. III. 14. Conf. cap. XII. 2. 3. Pſal. LXIII. 9. (4) quavis occaſione, in *uſus* noſtros convertamus, actus omnes Sacerdotii ejus: in caſu *peccati*, ejus oblationem & reconciliationem; in caſu *neceſſitatis* ejus interceſſionem; in caſu *defectus* cujusvis, ejus benedictionem. De quibus ex profeſſo in ſequentibus.

4. Monet ut ipſum contemplemur.

Rationes motivæ.

Particularia hujus contemplationis.

Modus contemplandi.

XXIX. *Quinto* provocat, in *uſus* noſtros convertamus Sacerdotis noſtri *oblationem*, quâ enititur in noſtri *reconciliationem* cum Deo: A. in caſu *peccati*, ſi (*a*) gravet & urgeat Pſal. XXXVIII. 5. 6. & LI. 5. 6. Si (*b*) *conſcientia* accuſet, condemnet, rodat 2 Sam. XXIV. 10. Pſal. XXXII. 3. 4. Si (*c*) *Satanas* κατήγορος τῶν ἀδελφῶν, nos *accuſet coram Deo, dies noctesque* Apoc. XII. 10. Si (*d*) *Lex* ſuis maledictionibus ei ſuccurrat Joh. V. 45. Si (*e*) *cor* proprium adſtipuletur 1 Joh. III. 19. Rom. II. 15. Si (*f*) *ira* & indignatio Dei diſcruciet Pſal. XC. 11. Apoc. VI. 17. Si (*g*) *metus* mortis, & æternæ condemnationis terreat, angat

5. Suadet uſum oblationis.

Caſus in quibus.

angat Heb. II. 14. 15. perpetuo *rodat* ut *vermis*, & urat ut *ignis* ἄσβεστος Jeſ. LXVI. 24. B. In caſu ſpiritualium *deſertionum*, quando *in tenebris ambulamus*, ut lucem nullam videamus Jeſ. L. 10. ut ſuſpiremus: *Jehova deſeruit me, Jehova oblitus eſt mei* Jeſ. XLIX. 14. *Quamdiu Domine perpetuo mei oblivisceris?* Pſal. XIII. 2. 3. Conf. Pſal. LXXVII. — & LXXXVIII. — &c. C. In caſu *judiciorum* divinorum, tam *publicorum*, famis, peſtis, belli Num. XVI. 45. Jer. XXIV. 10. & XXIX. 17.; quam *privatorum* Pſal. XXXII. 3. 4. & XXXVIII. 2—6. His aliiſque caſibus quid efficacius ſuccurret, quam 1. habere *Sacerdotem* qui offerat ad *reconciliandum* Num. XVI. 45. Quam 2. habere *talem*, qui ſit ipſe Dei filius, θεάνθρωπος, ſecundum ordinem Melchi-Zedek, *Rex juſtitiæ & pacis* Heb. VII. — qui non *tauros*, non vitulos; ſed *ſeipſum* offerat Heb. X. 1—15. qui in omnibus *tentatus ſit ſicut nos, ut miſericors ſit* Heb. IV. 15. Quam 3. talem, qui *perfecte ſervare poteſt, quotquot per ipſum ad Deum contendunt?* Heb. VII. 25. Quid igitur in *omni* caſu, magis conſultum, quam tanti Sacerdotis, tantum ſacrificium, in ſuos uſus traducere? ℵ. profundo *ſenſu* peccati & miſeriæ ſuæ Pſal. LI. 5. cum vſ. 9. 2 Sam. XXIV. 10. ג. humili *confeſſione* ejuſdem Pſal. LI. 6. & XXXII. 5. Luc. XV. 18. 19. ג. Fiduciali *appropriatione* ſacrificii præſtiti Gal. II. 20. ר. Eaque ratione *peccata* noſtra ei quaſi imponendo Levit. IV. 4. 15. 24. 29. 33. quod ea Deus dudum ipſi impoſuerit Jeſ. LIII. 4. 5. 2 Cor. V. 21. &c.

Rationes ob quas.

Modus quo.

XXX. *Sexto*, pariliter in uſus noſtros convertamus ejus *interceſſionem*, quotieſcunque cauſam habemus apud Deum agendam. Hîc nobis incumbunt expedienda ℵ. beneficia hujus interceſſionis, nim. (1) *Communio* noſtri cum Patre & Filio Joh. XVII. 21. (2) *Donum* Spiritus S. Joh. XIV. 16. 17. (3) *Protectio* adverſus hoſtes quosvis ſpirituales Rom. VIII. 34. Joh. XVII. 15, (4) *Gloriſicatio* noſtri, quâ ſedens ad dextram Patris, nos olim ſecum collocabit in *cœleſtibus* Eph. II. 6. συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Eo quod (*a*) ibidem ſedeat in *noſtra* carne Heb. II. 14. Eph. V. 30. cum Joh. XVII. 24. & XIV. 23. (*b*) & noſtri *cauſa* ſedeat Heb. VI. 20. Adeoque nobis tam *propinquus* ſit: *natura*, utpote idem nobiſcum; *officio*, ut expromiſſor noſter; & *Spiritu*, utpote cujus communionem nobis impetrat. (5) *Robur* adverſus peccata noſtra, cum ex ejus ſacerdotio *in cœlis*, quod coincidit cum ejus interceſſione, Apoſtolus inferat *inſcriptionem* legis in corda noſtra Heb. VIII. 4. 6. 9. 10. (6) *Sanctificatio* univerſi noſtri cultus, præfigurata in Sacerdotibus leviticis, quando debebant *portare iniquitatem ſanctificationum filiorum Iſraël, in omnibus donis ſanctificationum eorum* Exod. XXVIII. 38. Conf. Apoc. VIII. 3. Eſt enim in nobis *triplex* impuritas: (*a*) *Status*, ex reatu peccatorum, cui Sacerdos noſter medetur, ſui oblatione pro nobis, ut יהוה צדקנו Jer. XXIII. 6. 1 Cor. I. 30. (*b*) *Naturæ* & facultatum, per labem originalem, cui medetur per Spiritum, nobis ſuâ interceſſione impetratum, nos regenerantem, renovantem, convertentem, ſanctificantem Joh. III. 5. Tit. III. 5. (*c*) *Cultus* & obedientiæ noſtræ Jeſ. LXIV. 6. cui medetur *odor ſuavis fragrantiæ* Eph. V. 2. quæ ab ipſo in omnem noſtrum cultum derivatur Phil. IV. 18. Gen. VIII. 21. utpote factos *Sacerdotes* Apoc. I. 6. *Sacerdotium ſanctum, ad offerendas hoſtias ſpirituales* (εὐπροσδέκτους) *bene acceptabiles Deo, per Jeſum Chriſtum* 1 Pet. II. 5. (7) Interna Spiritus S. *interpellatio* Rom. VIII. 26. quem Sacerdos noſter ſuâ *interceſſione* nobis impetravit. (8) *Patientia*, & indefeſſa conſtantia, in officio noſtro Heb. XII. 1. 2. 3. (9) *Fiducia* accedendi cum παῤῥησίᾳ ad thronum gratiæ Heb. IV. 14. 16. & X. 12. 32. Omnia iſta beneficia, aliaque, certa nobis ſunt & indubitata, virtute *interceſſionis* Chriſti; eo quod A. Pater *ſemper* audiat ipſum, & exaudiat Joh. XI. 42. quia ipſemet officio ſacerdotali eum deſtinavit Heb. V. 4. 5. B. ipſum *diligat* Joh. XVI. 26. 27. C. cum *auctoritate* intercedat Joh. XVII. 24. *volo Pater* — & cum poteſtate *conferendi* orata Joh. XVI. 7. *Ego mittam eum* — Conf. Pſal. LXVIII. 18. Eph. IV. 8. D. *promiſerit* Act. II. 33. ג. Media *participationis*, nim. 1. Sacerdotem παράκλητον vivâ *fide* recipiamus Joh. I. 12. in quo *omnes promiſſiones Dei ſunt etiam & amen* 2 Cor. I. 20. Tum 2. *omnem* cauſam noſtram apud Deum peragendam Heb. V. 1. ei *precibus* ſecure committamus Phil. IV. 6. Inſuper 3. *preces* noſtras, vivâ fide, ad hunc noſtrum Sacerdotem *adducamus*, in ejus nomine fundamus Joh. XVI. 23. Dan. IX. 17. eique, velut verè aureo θυμιατηρίῳ imponamus, afferenda in conſpectum Dei, ut ſint *odor* ſuavis fragrantiæ Apoc. VIII. 3. 4. Adhæc 4. *impuritatem* & imperfectionem, omnium officiorum cultus noſtri, huic noſtro Sacerdoti *imponamus*, & merito, & interceſſione ſuâ purgandam, ſarciendam, & in Sanctum ſanctorum efferendam, ad exemplum Aaronis, de quo Exod. XXVIII. 38. *Feretque Aaron iniquitatem ſanctificationum, quas ſanctificabunt filii Iſraël, in omnibus muneribus ſanctificationum ſuarum, in beneplacitum eis coram Jehova.* Et ſic erunt *odor bonæ fragrantiæ, hoſtia Deo accepta & grata* Phil. IV. 18. 1 Pet. II. 5.

6 Suadet uſum interceſſionis.

Beneficia interceſſionis.

Fundamenta beneficiorum.

Uſus interceſſionis, ſeu media participandi beneficia.

XXXI. *Septimo*, etiam in uſus noſtros convertamus *benedictionem* Sacerdotis noſtri. Beneficia hujus *benedictionis*, uſu captanda, dudum deſignavimus in *dogmaticis* §. XV. à quibus *caſus* ſuppetunt, in quibus uſus hujus benedictionis eſt faciendus, quibus addimus caſum *perſecutionis* & maledictionis, nobis ab hoſtibus imminentem, quatenus, per hanc benedictionem, Deus Abrahamo pro-

7. Suadet uſum benedictionis.

Caſus in quibus.

promittit, se *maledicturum* omnibus, qui ei maledixerint Gen. xii. 3. & Cap. xxii. 17. cujus exemplum etiam illustre præstat, in gloriosâ *victoria*, quam ipsi indulsit in inimicos suos Cap. xiv.-- & in conservatione *conjugis* Cap. xii. 14.-- & xx. 2. 3. 4. 18. quod non contrahendum ad hostes *corporales*; sed extendendum etiam in *spirituales* Matth. xvi. 18. Joh. x. 28. 2 Thess. i. 6. 7. &c.

Modus & media consequendi beneficia hujus benedictionis.

Modus & media consequendi isthæc benedictionis beneficia, in his sunt ut 1. omnibus viribus enitamur, qui simus, de *semine* Abrahami spirituali: sunt enim beneficia ista in *benedictione Abrahami*, in gentes ventura Gal. iii. 14. utpote quæ promittitur, non tantum Abrahamo, sed etiam *ejus semini*, eique soli Gen. xvii. 7. & xxii. 17. Ut 2. simus in *fœdere gratiæ*: promittitur enim hæc benedictio Abrahamo ejusque semini, per *fœdus* gratiæ Gen. xvii.-- Ut 3. simus *in Christo*, cumque eo uniti: confert enim Deus beneficia hujus benedictionis *in Christo Jesu* Eph. i. 3. utpote *in quo omnes Dei promissiones* sunt ratæ, *etiam atque amen* 2 Cor. i. 20. Proinde 4. ut verâ ac vivâ *fide* semen benedictum apprehendamus Gal. iii. 14. Joh. i. 12.

8. Monet nos ipsos exploremus; sitne noster Sacerdos? Rationes motivæ.

XXXII. *Octavo*, serio inquiramus, sitne *noster*, ille Sacerdos, qui seipsum pro *nobis* sacrificaverit, qui pro *nobis* interpellet, qui *nobis* benedicat. Cum enim 1. non *omnium* promiscuè sit Sacerdos (quia Apostolus sacerdotium sic satis restringit Heb. iv. 15. *Nos habemus Pontificem*, & Sacerdos ipse Joh. xvii. 9. *Non rogo pro mundo*) sed certi cujusdam hominum *generis*: Cum 2. tanta sit *felicitas* & beatitudo, eorum quibus seipsum impendit Sacerdotem, tantaque ac talia beneficia oblationis, intercessionis, benedictionis: Cum ex adverso 3. tanta sit eorum *miseria*, qui tanto Sacerdote destituuntur, & excluſi sunt à participio tam sibi necessariorum beneficiorum: Et 4. tanta sit *tranquillitas* animi, gaudium, solatium, in certâ & infallibili persuasione hujus participii: Cum 5. totum hoc pendeat ab accuratâ quadam *perscrutatione*: quis dubitaverit, omnino *necessarium* esse, suscipere serium examen sui ipsius? Sed quibus tandem

Indicia.

indiciis hoc certo assequemur? Resp. Quædam Apostolus nobis oggerit Heb. iii. 1. *Quapropter sancti fratres, qui cœlestis vocationis estis participes, animadvertite Apostolum & Pontificem professionis nostræ.* Hinc qui Christum habent Sacerdotem, sunt 1. *Fratres*, non tantum *inter se* Matth. xxiii. 8. sed &, vel imprimis, *cum Christo* Heb. ii. 11. ut habeant *unum* cum eo, & *Deum* & *Patrem*: sic enim, ut Sacerdos interceſſurus, ascendit etiam pro ipsis Joh. xx. 17. sunt 2. *Sancti, qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes sunt, quapropter non erubescit eos appellare fratres suos* Heb. ii. 11. quo nim. sicut *frater fratribus*, ita & fratres fratri, *per omnia*, ac proinde etiam per *sanctitatem*, sint similes, ut ipsis existat *fidelis Pontifex: in his quæ pro ipsis apud Deum peragenda sunt, ad reconciliandæ peccata populi.* Ibid. vers. 17. sunt 3. *vocationis cœlestis participes: neque enim quisquam sibi ipsi sumit hunc honorem* (ut nim. aut Sacerdos sit, aut Sacerdotis Christi communionem habeat) *sed qui vocatur* Heb. v. 4. non vocatione tantum *vulgari*, de quâ Matth. xx. 16. sed *cœlesti*, de quâ Rom. viii. 30. ea quæ cum *electione* conjuncta est, quâ imagini filii conformes reddimur, ad hoc ut ipse *primogenitus sit inter multos fratres.* Ibid. vers. 29. sunt 4. *Confessionis Christianæ*: est enim *Pontifex confessionis nostræ*, h. e. Christianæ, non Judaicæ, non gentilis &c. Idque non *nomine* tantum; sed *re* quoque 2 Tim. ii. 19. His addo, sunt 5. non de *hoc mundo*: neque enim sacerdotii interceſſione fungitur, pro eis qui *sunt de hoc mundo* Joh. xvii. 9. Sunt 6. ex his, qui Christo *dati sunt* à Patre. Ibid. h. e. qui per fidem ei *appropriati* sunt. Ibid. vers. 20. 21. qui appropriati *abnegatione sui, tolerantiâ crucis, ipsum imitantur* Luc. ix. 23. *crucifigunt carnem, cum cupiditatibus ejus* Gal. v. 24. Confer, mutatis mutandis, quæ supra Cap. 2. §. xxxii. de Mediatore diximus.

9. Obstringit ad officia Sacerdoti nostro præstanda. Motivæ.

XXXIII. *Nono*, obstringit, Sacerdoti nostro, tanto ac tali, debita præstemus *officia*. Si enim 1. *Justa* sua gregariis Sacerdotibus debebant Israëlitæ, unde משפט הכהנים 1 Sam. ii. 13. Si 2. quâ *Patribus* Jud. xvii. 10. & xviii. 19. Conf. 2 Reg. ii. 12. & vi. 21. & xiii. 14. 1 Cor. iv. 15. *officia* paterna, seu filialia, honorem, amorem, obsequium, fidelitatem. Si 3. quâ *Sacerdotibus* signatè *decimas*, quasi tesseram homagii, non tam Sacerdotibus præstandi, quam Deo, quæ ab hoc; decimæ *Domino sancta* appellantur Levit. xxvii. 32. Si 4. ipse *Abrahamus*, tantus ac talis Patriarcha, honorem, velut *majori*, & decimas, velut *Sacerdoti* præstitit Melchizedeko Gen. xiv. 20. id quod Apostolus, uno eodemque capite, quater aut quinquies observat Heb. vii. 2. 4. 6. 8. 9. nunquid nos, Sacerdoti nostro, tanto ac tali, ipso Melchi-Zedeko, infinitis parasangis, majori *justa* præstabimus, officia sacerdotalia, & decimas? sed

Quænam illa sint officia.

quænam tandem hæc *justa*, hæ legitimæ ac *decimæ* sunt, quæ Pontifici nostro debemus? sunt A. *honor*, *tali* Pontifici congruus Heb. vii. 26. quem ipse *Abrahamus* ei in Melchi-Zedeko præstitit Ibid. vers. 1. 4. 7. & ipsi *Sacerdotes* levitici in lumbis Abrahami vers. 9. B. *Amor*, versus Sacerdotem, ut Patrem Jud. xvii. 10. cum Matth. x. 37. ut Pontificem, tam *fidelem* Heb. ii. 17. & *misericordem*. Ibid. & c. iv. 15. qui *seipsum* pro nobis obtulit, pro nobis intercedit, nobis benedicit, quovis beneficio, spirituali pariter & temporali, ut diximus. Conf. 1 Cor. xvi. 22. C. *Obsequium* seu obedientiam. Confer. Hag. ii. 12. Levit. x. 10. 11. Deut. xxxiii. 10. Mal. ii. 7. cum Heb. v. 11.

2 Cor.

2 Cor. x. 5. D. *Homagium* pro decimis Pſal. 11. 12. ſcil. ut Sacerdoti *regali*. Conf. 1 Pet. 11. 9. quale ſuſtinebat Melchi-Zedekus Heb. VII. 1. E. *ſuſtentationem*, quaſi *decimis* præſtandam, non equidem in *propriâ* perſona; ſed in ſuis *membris*, emiſſariis, pauperibus. Conf. Heb. VII. 5. 6. cum 1 Cor. IX. 13. 14. Hiſque omnibus, aliiſque F. *animadvertamus* (κατανοῶμεν) *Pontificem noſtrum* Heb. III. 1.

10. Hortatur, & nos præſtemus Sacerdotes.

XXXIV. Tandem *decimo*, ad exemplum ſummi noſtri Sacerdotis, & nos *Sacerdotes ſimus*, & Sacerdotes agamus: ſumus enim (*a*) & nos *Sacerdotes*, ab eo facti Apoc. I. 6. imo (*b*) *regale Sacerdotium* 1 Pet. II. 9. ſi non (*c*) ad *idem* per omnia, ſaltem ad *ſimile* ſacerdotium *uncti* 2 Cor. I. 21. exinde ejus μέτοχοι Heb. I. 9. חבריך Pſal. XLV. 8. Quapropter enitendum nobis omni conatu: I. in *requiſita* Sacerdotum *perſonalia*, ipſiuſque adeo *ſummi* noſtri Pontificis, quibus A. ſimus legitime *vocati* Heb. III. 1. κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι. Neque *enim quiſquam ſibi ipſi ſumit hunc honorem; ſed qui vocatur, ſicut Aaron* Heb. V. 4. quemadmodum & ſupremus noſter Sacerdos. Ibid. vſ. 5. B. ſimus ἄμωμοι 1 Cor. I. 8. Eph. I. 4. Phil. II. 15. Col. I. 22. 1 Theſſ. V. 23. prout Sacerdotes *levitici* vocandi, debebant eſſe abſque *vitio* corporis, alioque defectu, à quo probrum adnaſci poterat ſunctioni Levit. XXI. 18. 19. 20. 21. Conf. c. XXII. 22. quemadmodum etiam ſupremus noſter Sacerdos 1 Pet. I. 19. Heb. IX. 14. Simus C. *uncti* 2 Cor. I. 21. 1 Joh. II. 20. 27. prout Sacerdotes legales Exod. XXIX. --- Levit. VIII. --- & IV. 5. atque ipſe etiam ſummus Sacerdos noſter Heb. I. 9. ex Pſal. XLV. 8. Jeſ. LXI. 1. Simus D. *induti* veſtibus puris, albis, ſacerdotalibus Apoc. III. 4. 5. 18. & c. IV. 4. Conf. Jud. vſ. 23. Jeſ. LXI. 10. quemadmodum & Sacerdotes levitici indui debebant בגדי לבן *veſtibus albis*, *veſtibus ſacris* Exod. XXVIII. 2. 4. & XXXV. 19. 21. veſtibus *lotis* Levit. XI. 25. Num. XIX. 7. quibus deſtitutus Pontifex, מחוסר בגדים *defectus veſtibus* dicebatur, & prophanus habebatur: quemadmodum & ſummus noſter Sacerdos Jeſ. XI. 5. Apoc. III. 4. Simus E. *ſancti* 1 Pet. II. 9. Heb. III. 1. Rom. XI. 16. 1 Pet. I. 15. quemadmodum & ſancti eſſe debebant Sacerdotes levitici Exod. XIX. 22. Eſd. VIII. 24. 28. Pſal. CXXXII. 9. & ſummus noſter Sacerdos fuit Heb. VII. 26. Tandem F. in his omnibus, *purificati* ſanctificatique, nos oſtendamus ſummo noſtro Sacerdoti. Conf. Matth. VIII. 4. Marc. I. 44. Luc. XVII. 14. Et ſic, requiſitis Sacerdotum *perſonalibus*, inſtructi, etiam ſacerdotio noſtro *fungamur*, ſicut Pontifex noſter functus eſt, א. *offerendo* (1) *noſmetipſos* Rom. XII. 1. (ſicut noſter Pontifex ſeipſum obtulit Heb. V. 3. & VII. 27. & IX. 25.) non quidem in ſacrificium ἱλαστικὸν, prout ille; ſed in ſacrificium εὐχαριστικὸν. (2) *Spiritum contritum* & humiliatum Pſal. LI. 18. 19. (3) *vitulos labiorum* Hoſ. XIV. 3. (4) *beneficentiæ & communicationis, quibus delectatur Deus* Heb. XIII. 16. ב *Intercedendo* 1 Tim. II. 1. 2 Cor. I. 11. ג *Benedicendo* Matth. V. 44. Luc. VI. 28. Act XX. 1. Rom. XII. 14. 1 Cor. IV. 12. 1 Pet. III. 9

Quam obrem.

Quomodo.

Quoad requiſita Sacerdotum perſonalia.

Quoad actus Sacerdotales.

CAPUT OCTAVUM.

DE

Mediatore Rege.

Pſal. II. 6.

Et ego conſtitui Regem meum ſuper Zion, montem ſanctitatis meæ.

Præcedentia cum ſequentibus connectuntur

I. ETſic tandem ad *tertiam* deſcendimus, muneris mediatorii functionem, *regiam* ſcil. per quam beneficiorum, præcedentibus duabus, partorum, *applicationem* intendit Mediator. Hujus naturam ipſe conſtitutus Rex, ex decreto & conſilio Patris conſtituentis, repræſentat Pſal. II. 6.

Pars exegetica.

II. *Quibus verbis* conſtitutio *continetur*, *ſeu* inauguratio Mediatoris, in functionem ſuam regiam, *in qua patet*

1. Conſtituens *ſeu inaugurans*, ואני, & ego. *Præfixum* ו *quamvis perſæpe ornatui magis inſerviat, quam ſententiæ; hic tamen adverſative ſignificat* ſed, aſt, *ſicut* Jeſ. XXIX. 13. Mal. I. 4. *ut ſenſus emergat: quamvis Reges terræ ſe efferant; ego tamen Regem meum unxi. Sunt Verba ſignum iræ accenſæ; ſicut* Act. XXIII. 3. *Et* אני *emphaticum eſt, ego ipſus ille, de quo* vſ. 2. 3. *ego Jehova, qui Reges* removeo & ſtabilio Dan. II. 21. *Hoc loco, non tam* θεολογικῶς *conſideratus, ut* Deus; *quam quidem* οἰκονομικῶς *ut* Pater (*quia loquitur de Filio* vſ. 7.) *qui in æterno fœdere gratiæ filium conſtituit Mediatorem & Regem.*

2. Con-

2. Conſtitutio, נסכתי. *Nonnullis ſenſu* paſſivo *ſonat* perfuſus ſum, *ut loquatur Filius de ſe: ſed non neceſſum eſt, cum vox in Kal*, activè *ſonet, ut patet ex voce ſequenti* מלכי, *ubi* ' *paragogicum facere, nimium videtur coactum*; *nec neceſſum eſt diſcedere à ſenſu communi, cum præſertim ſi* activè *capias, contextus evadat elegantior & facilior: in hunc modum: tum hoſtes ſic alloquetur; aſt ego inunxi &c. Et quis inſuper ſenſus*: ego conſtitutus ſum Rex meus? *unde Vulgatus coactus fuit verba reddere, ego conſtitutus ſum Rex* ejus. *Chald. active reddidit* דביתי magnificavi. *Symmachus* ἔχρισα unxi Act. IV. 27. ὃν ἔχρισας, quem unxiſti. *Alii eſt* ἐμφατικοτερῶς perfudi, *ſcil. non* delibuendo, *ut alios*: *ſed* imbuendo & perfundendo *ipſum*, ſupra conſortes Pſal. XLV. 8. Conf. Joh. I. 16. *Aliis eſt* creavi, *q. d. Scitote, Meſſiam, quamvis vobis diſpliceat, non ſibi hanc dignitatem arrogaſſe, aut humanis conſiliis accepiſſe* Heb. V. 4. 5. Conf. Joh. IV. 15. & XVIII. 36. *ſed ego ſolenniter ipſum creavi*, ſeu *unxi. Nec prætereundum, quod dicatur* unxi, *in tempore præterito, ut innuatur, eam factam fuiſſe* olim, *in æterno perſonarum conſilio, quo Filius deſignatus eſt futurus Rex mediatorius* Jeſ. XLII. 1. *ſeu etiam, per enallagen præteriti pro futuro, ego eum* conſtituam, *innungam, mittam ſuo tempore, idque tam certo, acſi dudum* unxiſſem.

3. Conſtitutus, *cujus hic notatur*

A. Poteſtas regia:

1. Rex מלך, *hoc eſt Monarcha, caput regni. Sed quis ille? In partes hic abeunt interpretes. Sunt* 1. *qui* μονοτρόπως, *de ſolo* Davide *Pſalmum totum interpretantur, ſic Judæi; ſed* recentiores *tantum, idque odio Chriſti & Religionis Chriſtianæ, nominatim R. S. Jarchi*: Doctores noſtri, *inquit*, expoſuerunt ſignificatum de Rege Meſſiâ: ut, prout ſonat & reſpondeatur Minæis (*Chriſtianos intelligit, ut notum eſt*) *quamvis iſta ejus verba in editione Buxtorffii & Venetâ non reperiantur, à Chriſtianis procul dubio eraſa, monente Peakokio, in ſuis* Miſcell. ad portam Moſis, *R. Maimonidis. Eodem propendet R. Kimchi. Cum his faciunt noſtri Sociniani, odio æternæ deitatis Chriſti. Alii* 2. *inter quos Calvinus. Paræus, Rivetus, ſaltem pleraque hujus Pſalmi, de Davide interpretantur in* figurâ, & *de Chriſto in* veritate, *quod multa hujus Pſalmi quadrent etiam in* Davidem. *Alii* 3. *totum Pſalmum ad ſolum Chriſtum referunt. Quia de quo loquitur*, 1. *Filius Dei abſolute appellatur* vſ. 7. *ſicut* Matth. III. 17. & cap. XVII. 5. *quod ſoli Chriſto competit* Heb. I. 4. 5. *Quia* 2. *Filius dicitur à* Deo genitus, & *quidem* hodie, *hoc eſt ab æterno. Talis* 3. *qui habiturus ſit gentes pro hæreditate* vſ. 8. 9. *Quia* 4. *cultus ipſi aſſeritur religioſus* vſ. 11. 12. *Quia* 5. *in N. T. ſoli Chriſto applicatur* Act. IV. 35. & XIII. 33. Heb. I. 4. & V. 5. *Quia* 6. *Auctorem Pſalmi Davidem, de ſe loqui, nullo indicio patet. Quia* 7. *ab ejus irâ, vel leviter accenſa, gentium & regum immorigerorum exitium ſuſpenditur* vſ. 12. *Quia* 8. *tandem, à fiduciâ in eum ſalus eorum pendet. Ibid. Quæ omnia in ſolum Jeſum quadrare, notiſſimum eſt. Nec Davidem juvat, quod in eum nonnulla hujus pſalmi applicari poſſint: cum toto cœlo diſtent*, applicari *poſſe nonnulla, & eundem à ſcriptore* intendi & intelligi.

2. Meum, מלכי Regem meum: *eum ipſum ſcil. Meſſiam* meum, *cujus facta eſt mentio* vſ. 2. *Particula* ' *hic* paſſivè *ſignificat, à me unctum, qui meo juſſu regnabit, ſic* 1 Sam. XVI. 1. Regem mihi, *h. e. qui mea juſſa exſequatur: non autem* active, *ut* Pſal. LXXIV. 12. *h. e. qui imperium habet in me. Proinde Rex Domini dicitur: tum ratione* 1. *æternæ* generationis, *hodie* genui te; *tum ratione* miſſionis, *prout* paſtor meus *dicitur* Zach. XIII. 7. *porro ratione* ſingularitatis *regni, quod à mundanis, plane diverſus habiturus eſſet* Joh. XVIII. 36. *etiam ratione* auctoris, *qui immediate Deus erat; non Reſpublica. Addam, ratione excellentiæ*, meum, *q. d. qui me* dignus *eſt, ut in nomine* meo, & mecum *regnet. Licet enim Reges à Deo conſtituantur, eoque* Dei *ſint*, & uncti Dei *vocentur*, Jeſ. XLV. 1. *neminem tamen Deus* Regem meum *appellat: hunc autem* meum *deſignat, quia ſecum unus Deus, ſuus Filius proprius & unigenitus eſt* Pſal. II. 7. *ac* ſuum regnum *gubernat* Matth. VI. 10. 13. 1 Cor. XV. 24. 25.

B. Regnum, ſuper Sion montem ſanctitatis meæ. *Repræſentatur regnum iſtud, nomine*

a. Proprio, ſuper Zion. *Erat Zion quondam fortalitium Jebuſæorum; ferme inexpugnabile, quibus à ſe pulſis, David ſibi illud addixit in regiam* 2 Sam. V. 9. 1 Reg. VIII. 1. & urbem David *appellavit: erat in ejus contiguo collis* Moria 2 Paral. III. 1. Jeſ. XXXI. 4. *in quo templum exiſtebat, ut cohærerent poteſtas regia & ſacerdotalis, prout in Melchizedeco & Meſſia* Pſal. CX. 4. Conf. 1 Pet. II. 9. Myſtice *Zion eſt Eccleſia, tum primis N. T.* Jeſ. LX. 14. Heb. XII. 22. Apoc. XIV. 1. *tum* inexpugnabilitatis *ratione* Matth. XVI. 18. *tum etiam*

tiam quod ex Zion proditurum esset Euangelium Psal. cx. 2. & lxxxvii. 3. & cxxxii. 13. Jes. ii. 3. Mich. iv. 2. Zach. ix. 9. Luc. xxiv. 47. Act. i. 4. *Prout Rex Zionis David, mystice non raro Christum notat* Jer. xxx. 9. Ezech. xxxiv. 23. & cap. xxxvii. 24. Hos. iii. 5.

β. Appellativo, *seu descriptione quadam,* montem sanctitatis meæ, *scil. à colle contiguo* Moria, *in qua templum erat, quod alibi dicitur* templum sanctitatis Psal. lxxix. 1. *à quo* urbs sanctitatis Dan. ix. 24. Matth. iv. 5. & populus sanctus Jes. lxiii. 11. *Ita vero dicitur, non à sanctitate* inhærente; *sed* relativa. *Mystice autem mons sanctitatis est* Ecclesia, *cumprimis N. T. extendenda usque ad fines terræ.* Conf. Jes. lx. 14. Heb. xii. 22. Apoc. xiv. 1. *Ita vero appellatur quod in ea Deus* sanctissimus *quasi habitet* Jes. xxxi. 9. *quod in ea vigeat sanctissimus Dei* cultus Rom. xii. 1. *quod ipsa sit sancta* 1 Pet. ii. 9. 2 Cor. i. 1. Eph. i. 1. *quod sanctificata sit sanguine & Spiritu Christi* 1 Cor. vi. 11. *quod ipsi incumbat studium sanctitatis* Heb. xii. 14. *quod olim perfecte sit sanctificanda* Eph. v. 26. 27.

Pars dogmatica.

Functionis regiæ, docetur 1. Veritas.

III. In partibus muneris Mediatorii, succedit tandem *tertia* ejus functio, *Regia.* Hujus *veritas* patet (1) tot *vaticiniis* olim sub V. T. de ipso factis, Gen. xlix. 10. Psal. ii. — cum Act. iv. 25. 26. 27. 28. Psal. cxxxii. 11. 12. cum Luc. i. 31. 32. 33. Act. ii. 30. Conf. Jes. xi. 1. 2. 3. Hos. iii. 5. Ezech. xxxiv. 23. 24. & xxxvii. 24. 25. Dan. ix. 25. (2) *Typis* & figuris, Melchizedek Heb. vii. — Davidis Jer. xxx. 9. Hos. iii. 5. Ezech. xxxiv. 34. 24. Salomonis Matth. xii. 42. Luc. xi. 31. (3) *Titulis* regiis, qui ipsi passim tribuuntur, quod sit *caput Ecclesiæ* Eph. v. 23. & i. 22. *Dux Israëlis* Matth. ii. 6. Mich. v. 0. ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας ἡμῶν Heb. ii. 10. *Princeps* pacis Jes. ix. 6. 7. *Princeps vitæ* Act. iii. 15. *Dominus gloriæ* 1 Cor. ii. 18. *Dominus dominantium* Apoc. xix. 16. *Judex & legislator* Jes. xxxiii. 22. *Rex Sionis* Psal. ii. 6. *Rex Regum* Apoc. xix. 16. &c. (4) Ipsa Christi agnitione & confessione coram Pilato Joh. xviii. 33—38. ob quam causam etiam damnatus est ad mortem, affixa cruci hac inscriptione: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum* Joh. xix. 12—23. agnoscente insuper & profitente regiam ejus potentiam, altero è latronibus qui cum eo crucifixus est: *memento mei, ubi veneris in regnum tuum* Luc. xxiii. 42. 43.

2. Natura & species.

IV. *Secundo natura*, quatenus ea est muneris mediatorii functio, qua, cuncta cum auctoritate & potentia dispensat & gubernat, quæ spectant ad suorum salutem Dan. ii. 44. Luc. i. 32. 33. Est verò 1. *Essentialis* seu divina, ipsi, quà *Deo*, cum Patre & Spiritu S. communis, de quâ egimus lib. 2. cap. xx. De *potestate & potentia Dei.* 2. *Personalis*, œconomica seu mediatoria Psal. ii. 6. Joh. xviii. 36. Eph. i. 20. 21. 22. ipsi, quà θεανθρώπῳ & Mediatori, à Patre delegata Act. ii. 36. Matth. xxviii. 18. Joh. v. 21. 22. 26. 27. Phil. ii. 8. 9. Et hæc rursus gemina est: *N. Universalis*, sese in *omnes* creaturas extendens, in ordine ad Ecclesiam suam Eph. i. 19. 20. 21. 22. 23. Apoc. xvii. 14. 1 Pet. iii. 22. Quæ concludit (*a*) ab *una* parte, supremum & absolutissimum dominandi ac gubernandi *jus* & ἐξουσίαν Psal. cx. 1. 2. 3. Matth. xxviii. 18. (*b*) ab *altera*, *exercitium* juris, in subjugatione hostium, tam diu duraturâ, donec omnes subjecerit pedibus suis Psal. cx. 1. Heb. i. 6. Phil. ii. 9. 10. 11. 1 Cor. xv. 27. ɔ. *Particularis*, sese extendens in solum regnum *mediatorium*, hoc est, in Ecclesiam, ut eam colligat, gubernet, defendat & æternum exaltet Luc. xix. 12. 15. Psal. ii. 8. & xxviii. 9. Quæ fit A. *in hoc sæculo* Matth. xxviii. 19. 20. Act. i. 8. & xiii. 47. & xxvi. 17. 18. B. *In fine* hujus sæculi Matth. xxv. 1. — 1 Thess. iv. 14. — 1 Cor. xv. 24. — Apoc. xx. 11. — Eph. v. 27. C. *Post* hoc, seu in *futuro* sæculo Matth. xxv. 46. 1 Joh. iii. 2. 2 Tim. iv. 8. Ex dictis jam facile est conficere, quinam hujus regni sint subditi, nim. *generaliter* totus mundus & omnia ejus contenta; *specialiter* Ecclesia, seu populus Dei.

V. *Tertio* ejus *regalia*, nim. (1) *Unctio*, Regibus imprimis conferri solita 1 Sam. xvi. 12. 13. cum Psal. xlv. 6. 7. Act. x. 38. quâ *Spiritum* accepit, & *potestatem* Act. x. 38. non ad *mensuram* Joh. iii. 34. sed ad omnimodam *plenitudinem* Col. i. 19. Joh. i. 14. 16. De quâ suo loco uberius. (2) *Inauguratio*, quâ ex æterno *decreto* designatus est Rex Psal. ii. 6. 7. 8. tum *promissus* & præfiguratus, ut diximus §. iii. porro quasi *proclamatus* circa suam nativitatem Luc. i. 31. 32. 33. Luc. ii. 10. 11. imo etiam *agnitus* in morte Joh. xviii. 33 — 38. & xix. 12 — 23. Luc. xxiii. 42. 43. sed solenni *investitura*, renunciatus est in ascensione versus solium suum, & sessione ad dextram 1 Pet. iii. 22. Eph. i. 20. 21. 22. (3) *Coro-* C. Coronatio, tum morituro facta per coronam *spinosam* Matth. xxvii. 29. tum resurgenti à mortuis, ascendenti in cœlum, & sedenti ad dextram Dei, facta, per coronam *gloriosam* Heb. ii. 9. Phil. ii. 9. 10. 11. (4) *Thronus*, seu solium regium 1 Paral. xxix. 23. 2. Paral. ix. 17. 18. 19. cum Apoc. iii. 21. Eph. i. 20. Heb. i. 3. Col. iii. 1. quem occupaturus est, usque ad *restitutionem* rerum omnium Act. iii. 21. Psal. cx. 1. 2 Thess. i. 9. 10. indeque possessurus in omnem usque æ-

3. Regalia. A. Unctio. B. Inauguratio. natio. D. Thronus.

E. Sceptrum. ternitatem Heb. 1. 8. Pſal. xlv. 6. 7. (5) *Sceptrum* virga regia, index Majeſtatis ac Dominii regii Eſth. v. 2. cum Heb. 1. 8. pſal. xlv. 6. Competit autem ei duplex ſceptrum: *alterum* quaſi *aureum*, quo gubernat ſubditos, *extus* quidem *verbo*, potiſſimum Euangelii Pſal. xlv. 6. & cx. 2. *intus Spiritu*, qui hinc *digitus* & *brachium Domini* appellatur Luc. xi. 20. Matth. xii. 28. Jeſ. liii. 1.: *alterum ferreum*, quo confringit & contundit inimicos Pſal. ii. 9. Apoc. ii. 27. (6) *Leges*, juſtæ, ſanctæ, bonæ Rom. vii. 12. a quibus *Legiſlator* appellatur Prov. viii. 15. cum Jac. iv. 12. quas non tantum *rogat* extus verbo; ſed & intus *inſcribit* cordi Heb. viii. 10. (7) *Prærogativæ* regiæ, v. g. *tributa* Rom. xiii. 6. 7. cum Pſal. xcvi. 8. *armamentaria* adverſus hoſtes Jeſ. xxxix. 2. cum Eph. vi. 11—19. Rom. xiii. 12. 2 Cor. x. 4. *legati* 2 Paral. xxxii. 31. cum 2 Cor. v. 20. 21. *poteſtas judicialis* coactiva Joh. xix. 10. cum Joh. v. 22. quo ſpectat, *uſurpata* ſaltem Regibus, *poteſtas* remittendi maleficis; Chriſto *vere* & ἐξουσιως competens Marc. ii. 5. 9. 10. 11.

F. Leges.

G. Prærogativæ.

4. Adminiſtratio? VI. *Quarto adminiſtratio* functionis regiæ, pro ratione duplicis regni, duplex quoque obſervatur; *prior*, quæ reſpicit regnum *eſſentiale*, ſeu divinum, reſpectu *Eccleſiæ*, in omnes creaturas ſeſe extendens, peragitur 1. *ſuſtentando* Heb. 1. 3. Col. 1. 17. Eph. 1. 22. quoad omnes electi fuerint congregati. 2. *Permittendo*, tentationes & perſecutiones ſubditorum ſuorum, in ſapientiſſimos uſus Apoc. ii. 10. & xii. 2. 4. 17. & xiii. 6. 7. & xix. 19. & xx. 7. 8. 9. 3. *Coërcendo*, hoſtium furores & impetus Apoc. ii. 10. & xx. 1. 2. 3. 4. *Protegendo* Apoc. xii. 2.—16. & xiv. 1.—6. 5. *Ordinando*, vel peſſima quævis in bonum ſuorum Rom. viii. 28. 2. Cor. iv. 17. Phil. 1. 12. 13. 14. 6. *Vindicando* ac deſtruendo inimicos ſuos Pſal. ii. 9. & cx. 1. 2. 1 Cor. xv. 25. Tandem 7. *Liberando* ſuos totaliter & finaliter Apoc. xxi. 1. 2. 3. 4.

regni eſſentialis?

regni perſonalis? VII. *Poſterior* adminiſtratio, reſpiciens regnum *perſonale* ſeu mediatorium, circa *Eccleſiam* ſuam peculiariter, pro tribus ejus (Parag. iv. notatis) *periodis*, occupatur: *Primo* circa ſeculum *præſens* quoad periodum ſeculi currentis, (1) *effundendo* copioſe & efficaciter Spiritum, ad procurandam applicationem meritorum redemtionis & beneficiorum ſuorum Joh. vii. 38. 39. Act. ii. 2. 3. 4. 33. Joh. xvi. 7.—16. (2) *emittendo* miniſtros ſuos, tum extraordinarios, tum ordinarios Eph. iv. 8.—13. Matth. xxviii. 19. 20. (3) *inſtituendo* N. Teſtamenti *ritus* eccleſiaſticos, ab emiſſis ſuis miniſtris religioſe obſervandos, qualia ſunt *præconium* Euangelii Marc. xvi. 15. *diſpenſatio* ſacramentorum Matth. xxviii. 18. 19. 1 Cor. xi. 23. *preces* publicæ 1 Tim. ii. 1. 2. 3. Act. vi. 4. *pſalmodia* publica Col. iii. 16. Eph. v. 19. *cenſura eccleſiaſtica* Matth. xviii. 15.—22. 1 Cor. v.—*ſanctificatio* diei dominicæ Act. xx. 7. 1 Cor. xvi. 1. 2. *congregatio* Eccleſiæ Matth. xxii. 2.—11. Act. xxvi. 17. 18. *ædificatio* & confirmatio Eccleſiæ collectæ Act. xiv. 22. donec *omnes evadamus in virum perfectum, in menſuram ſtaturæ plenitudinis Chriſti* Eph. iv. 10.—13.

quoad periodum ſeculi currentis.

VIII. *Secundo* circa ſeculum *conſummatum*: (a) *deſcendendo* ad judicium 1 Theſſ. iv. 16. 1 Cor. xv. 52. (b) *ſuſcitando* mortuos, & mutando viventes. Ibid. (c) *elevando* electos in aërem, ſibi in occurſum 1. Theſſ. iv. 16. 17. 18. (d) *congregando* omnes nationes ad tribunal ſuum, ſegregandoque oves ab hircis Matth. xxv. 31.—(e) *pronunciando* ſententiam abſolutionis & condemnationis. Ibid. (f) *innovando* purificandoque univerſam creaturam, ut evadat *novum cœlum, nova terra, in quâ habitet juſtitia* 2 Pet. iii. 10.—13. Apoc. xxi. 1. 2. 5.

quoad periodum ſeculi æterni.

IX. *Tertio* circa ſeculum æternum: A. *diſtribuendo* præmia æterna, ſecundum opera Rom. ii. 6.—17. Jud. vſ. 6. B. *aſſumendo* electos, ut ſecum ſint in æternum, ipſum contemplantes in gloriâ ſuâ Joh. xvii. 24. 1 Joh. iii. 1. 2. 1 Theſſ. iv. 17. C. *abjiciendo* reprobos à conſpectu ſuo, in lacum igne & ſulphure ardentem Matth. xxv. 30. 41.—Apoc. xx. 10. 14. 15. D. *regnando* immediatè ſupra Eccleſiam triumphantem, ſuiſque regnantibus ſecum Luc. i. 32. 33. Apoc. xxii. 5. 2 Tim. ii. 12. poſtquam regnum ſuum mediatorium, ſubactis omnibus ſuis adverſariis, *Patri ſtiterit* 1 Cor. xv. 24.—29. non equidem ſimpliciter quoad ipſam regni *eſſentiam*, cum æternum illud dicatur Luc. i. 32. 33. Heb. i. 8. ſed quoad *modum* adminiſtrandi organicum, per miniſtros, verbum, ſacramenta, diſciplinam &c.

Affectiones regni.

X. Ex dictis tandem facile confeceris præcipuas hujus regni *affectiones*: nim. quod ſit 1. *univerſale*, reſpectu (*a*) omnium ſeculorum Heb. xiii. 8. Matth. xxii. 43. 44. 45. (*b*) omnis generis hominum Dan. vii. 14. Apoc. xvii. 14. (*c*) omnium creaturarum, prout ſpectare poſſunt ad ſalutem ſuorum promovendam, aut illuſtrandam Matth. xxviii. 18. Phil. ii. 10. cum Eph. i. 1. 12. Quod ſit 2. *ſpirituale*, in ipſam etiam hominum animam & conſcientiam ſeſe extendens Joh. xviii. 36. cum Rom. xiv. 17. 1 Cor. vi. 19. 20. Quod 3. *vitam & mortem* æternam diſpenſet Apoc. i. 18. Quod ſit 4. *æternum* Dan. ii. 44. Quod 5. altam *pacem*, tranquillitatem & perfectam felicitatem, afferat omnibus his, qui verè ejus ſunt ſubditi Rom. xiv. 17. Jeſ. ix. 6. Eph. ii. 16. A quibus *regnum Dei*, paſſim regnum *pacis* & *gloriæ*, regnum *lucis* & *gloriæ*, regnum *cœlorum*, & *mundus futurus*, in Scripturis denominatur Heb. ii. 5.

Pars

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An Messias debuerit esse Rex temporalis?

Affirmant Judæi.

Negant Christiani.

Argumenta Christianorum.

XI. Circa functionem regiam disputatur: *primo*, an Messias olim promissus, regnum gerere debuerit *spirituale*, an *temporale*? Judæi, quo commodius obtineant, Jesum nostrum non esse Messiam, utpote qui tale non sustinuerit regnum; posterius eligunt, cum quibus, in prima Christianismi sui infantiâ, ipsi colludebant Apostoli Matth. xx. 21. Luc. xxiv. 21. Christiani cum Christo Joh. xviii. 33. 36. prius malunt. Quod 1. *Jesum* nostrum verum esse Messiam, invictis argumentis jam ante docuerimus cap. 2. §. xix. qui tamen regnum *temporale* non gessit. Quod 2. regno temporali, seu potestate regiâ jam à Judæis ablata, Messias venturus prædicatur Gen. xlix. 10. Quod 3. venturus prædicatur, *Rex pauper & egenus*, inequitans asino Zach. ix. 9. Quod 4. ab ipsis suis dicatur aspernandus, rejiciendus Jes. liii. 2. 3. 8. Psal. lxix. 15. quin & occidendus Dan. ix. 26. Zach. xii. 10. Cui frustrà mederi conantur Judæi, ridiculo figmento de *duplici* Messiâ Rege, altero *Ben Joseph*, ex tribu Ephraim, ab Armillo occidendo; altero *Ben David*, ex tribu Judah, glorioso bellatore, triumphatoreque: scil. pro duabus unius Messiæ *naturis*, & pro duobus ejus *statibus*, duos Messias delirantes. Quod 5. absque temporalibus armis, equis, curribus, prædicatur regnaturus Zach. ix. 9. 10. Hos. i. 7. Jes. ix. 3. 4. 5. Quod 6. pro armis corporalibus, sit usurus *virga oris sui*, & *spiritu labiorum suorum* Jes. xi. 4. Quod 7. absque externâ violentiâ, non nisi comitate & mansuetudine, sibi dicatur subacturus gentes Jes. lxv. 1. 2. & xlii. 1—4. Quod 8. *spiritualia* sit præstiturus, Regibus temporalibus prorsus impossibilia. v. g. (*a*) Diabolum subacturus Gen. iii. 16. (*b*) omnibus gentibus benedicturus Gen. xxi. 12. quæ promissio vel septies repetitur. (*c*) fidelibus salutem procuraturus Gen. xlix. 18. Jes. xlix. 6. (*d*) consumturus prævaricationes, obsignaturus peccata, expiaturus iniquitates, adducturus justitiam æternam Dan. ix. 24. Zach. xiii. 1. (*e*) sui cognitione justificaturus Jes. liii. 11. (*f*) suos liberaturus à morte Jes. xxv. 8. Imo (*g*) ab inferno Hos. xiii. 14. Quod 9. per universum Psalmum septuagesimum secundum, qui (consentiente Targum, & antiquis Judæis, testibus R. Sal. Jarchi, & R. Aben Ezra) regnum Messiæ describit, nil, nisi *spiritualia* beneficia prostent, quod v. g. populum sit adducturus ad justitiam, miserumque liberaturus vers. 2. quod ejus tempore futurum sit, ut *justus floreat, & multitudo pacis, donec non sit luna* vers. 7. quod omnes Reges ipsum sint adoraturi, & omnes gentes ipsi serviturae vers. 11. quod sit liberaturus egenum clamantem, & afflictum cui non est auxiliator vers. 12. & sic porro per totum Psalmum. Hæc omnia si congeras, pro invicto argumento emerget: Rex ille qui futurus est *pauper*, armis *temporalibus* destitutus, *abjectus* à suis & occidendus, *virga oris* sui, & *spiritu labiorum* suorum, cuncta sua peracturus, *mansuetudine* & comitate gentes subacturus, *spiritualia* beneficia suis procuraturus &c. ille procul dubio Rex est, non *temporalis*; sed *spiritualis*: ast Messias promissus talis est: proinde Rex est, non temporalis, sed spiritualis. Ex his quæ in contrarium adduci possint à Judæis, præcipua sunt: A. Quod *bella* dicatur gesturus secularia, contra Gog & Magog Ezech. xxxviii. & xxxix. Psal. ii. 9. & fictitium Armillum seu Antichristum: præterquam enim, quod nullibi dicatur, Messiam *pugnaturum* contra Gog & Magog; etiam nihil obstat, si pugnare dicatur, quo minus pugnet *spiritualiter*, velut Rex spiritualis. B. Quod ædificaturus prædicatur *templum* tertium Ezech. xl.— Neque enim (1) ullius *tertii* templi in Scripturis fit mentio; quin (2) *secundum*, ad quod Messias venturus prædicatur Mal. iii. 1. Hag. ii. 8. 10. postremum fore, colligitur ex Dan. ix. 26. Imò (3) non dicatur apud Ezechielem, Messiam *ullum* templum ædificaturum. Et, quod (4) templum ab Ezechiele delineatur, non est nisi *mysticum*, scil. Ecclesia, potissimum Novi T. scil. *mons* ille Dei, exaltandus super omnes montes Jes. ii. 2. quod templum hactenus ædificatum est, adhuc ædificatur, & imposterum ædificabitur, ad finem usque seculorum, à Messiâ nostro.

Objectiones Judæorum.

2. An Mediator Rex sit tantum subalternus & dependens?

XII. *Secundo* quæritur, an Mediator Jesus Rex sit *tantum* subalternus & dependens? Sociniani, quod æternam Mediatoris Deitatem respuant, non aliud regnum in eo agnoscunt, quam collatum, subalternum, dependens: Orthodoxi, licet regnum in eo agnoscant *mediatorium*, collatum ac dependens Matth. xxviii. 18. Phil. ii. 9. Psal. ii. 6. insuper tamen regnum agnoscunt *naturale*, divinum, independens, quod, suppositâ Regis nostri Jesu *æterna Deitate*, quam alibi ex professo demonstravimus, nim. lib. 2. cap. 29. §. v.— x. ne ipsi quidem Sociniani negarent. Conf. 1 Tim. i. 17. cum cap. vi. 14. 15. 16. Apoc. xix. 16. propter omnia illa loca, utriusque instrumenti, quibus Deo regnum, & potentia, & gloria *independens* tribuitur, in secula seculorum Matth. vi. 10. 13.

3. An Mediator in terris agens, vel de jure, vel de facto fuerit Rex temporalis?

XIII. *Tertio* quæritur, an Mediator, in terris agens, vel de jure, vel de facto, fuerit Rex temporalis? Canonistæ, parasitæ Pontificis Romani, quo non tantum *spiritualem*; sed & *temporalem* potestatem, ei adferere commodius possint; statuunt Mediatorem, si non *de facto*, saltem *de jure*, habuisse potestatem *temporalem* in universum orbem: nisi enim habuisset, etiam ab eo derivari non potuisset in Petrum, & ab eo in Papam. Protestantes, licet ei quà *Deo*, omnem omninò potestatem afferant, licet item, quà Mediatorem, post

Status controversiæ.

resurrectionem, eum accepisse à Patre *omnem* potestatem in cœlo & in terra, submisse agnoscant ex Matth. xxviii. 18. &c. attamen *ante* istud tempus, vel de *jure*, vel de *facto*, aut habuisse, aut traduxisse in Petrum, *temporalem* potestatem, propterea negant 1. Quia inter *censitos* Augusti descriptus est Luc. ii. 4. 5. quæ descriptio quasi *homagium* præstabat Augusto. 2. Quia exsertè protestantur, se *non venisse*, *cui ministraretur* ut Regi temporali, sed *qui ministraret*, *daretque animam suam*, *redemtionis pretium pro multis* Matth. xx. 28. Quia 3. testatur, quod non habeat, *ubi caput reclinet* Matth. viii. 10. Luc. ix. 58. Quia 4. exsertè pronunciat, regnum suum *non esse de hoc mundo* Joh. xviii 36. Quibus frustra objiciunt Romanenses, (1) ipsi promissum fuisse *solium Patris sui Davidis* Luc. i. 32. Sam. vii. 12. Psal. cxxxii. 11. Jes. ix. 6. cum id intelligendum veniat *mystice*, de tali regno, quod non modo *æternum*; sed etiam *infinitum* sit Luc. i. 33. 2 Sam. vii. 13. 16. (2) Quod fuerit ex semine *Davidis* oriundus secundum carnem Rom. i. 3. 2 Tim. ii. 8. Neque enim (*a*) omnes qui ex *semine* regio sunt oriundi, statim, vel jure, vel facto *Reges* sunt. Cum præsertim (*b*) id juris, ante Messiam natum, diu perierit in familia Davidis, Judææ imperio, per varias vicissitudines, post captivitatem, primo in Assamonæos, dein Herodem, denique in Romanos traducto; quibus etiam, ceu legitimis Dominis, censum esse persolvendum, ipse docuit Matth. xxii. 21. Ut non addam (*c*) dudum Jechoniæ, ex quo legaliter descendit Messias, per Josephum Matris suæ maritum desponsatum Matth. i. 12. regnum Judææ abrogatum fuisse Jer. xxii. 30.

Argumenta Orthodoxorum.

Objectiones adversariorum.

4. An nulla potestas temporalis regia competat Papæ?

XIV. Proinde *quarto* quæritur, an potestas *temporalis* regia, in Reges, Principes, regna, principatus, personas ac res seculares, omnium Christianorum, Papæ competat quomodocunque? Papales hîc in partes abeunt: sunt enim, qui *omnem* potestatem temporalem *simpliciter* Papæ abrogant, prout Pontificii Gallicani; sunt qui *omnem* potestatem ei arrogant, idque *directe* ac simpliciter, prout Alexand. Carerius *de Potest. Papæ*. lib. 2. Azorius *Instit. Moral. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. & plerique Itali & Hispanienses: sunt qui potestatem omnem largiuntur quidem; sed *indirecte* tantum, in ordine ad spiritualia, sic Bellarm. De *temporal. potest. Papæ lib.* 5. usque etiam adeo, ut Reges ac Principes solio movere possit, subditosque absolvere à juramento fidelitatis. Protestantes agnoscunt quidem, potestatem aliquam *spiritualem*, à Christo derivatam esse in *legitimos* Euangelii præcones Matth. xvi. 19. & xviii. 18. Joh. xx. 22. 23. sed nullam *temporalem*, multo minus *regiam*; verùm *spiritualem* tantum, eamque ministerialem. Quia 1. ipse Mediator, saltem ante suam resurrectionem, non habuit, per parag. præcedentem; ergo etiam non communicavit Petro, multo minus Papæ, non-enti. Quia 2. suis Apostolis abrogat Matth. xx. 21. 25. 26. Quia 3. ipsi Apostoli sic satis respuunt Act. vi. 2. exemplo ipsius Christi Luc. xii. 14. Quia 4. eandem taxant in aliis 2 Tim. ii. 4. Quia 5. nullas tabulas, imò ne γεὼ quidem ex Scripturâ, pro ista Papæ temporali potestate, vel conantur producere *ei ἐξ ἐναντίας*. Ratiunculæ adversariorum, nullius omninò sunt momenti, quales, A. *potestas temporalis subjecta est potestati spirituali, quia temporalia subjecta sunt spiritualibus, nec vice versa: ex quo sequitur, si Princeps secularis suâ administratione aliquid moliatur, quod est contra bonum spirituale, illum à potestate spirituali in ordinem redigi posse.* Sic Bellarminus ratiocinatur loc. citat. Resp. 1. Ergo Papa habet potestatem temporalem? 2. Nunquid his hypothesibus, quivis sacrificulus potestatem hanc temporalem haberet? 3. Potestas spiritualis (regia quidem) quæ in ordinem redigat aberrantem potestatem secularem, penes solum Deum & Christum est. 4. Tandem potestas, aberrantem potestatem temporalem in ordinem redigens, non est nisi spiritualis, & spirituali modo agens. B. *Alias Respublica ecclesiastica sibi suoque fini, non sufficeret.* Resp.. Reipublicæ ecclesiasticæ caput est Christus, in quo sibi omnino sufficit, absque *ulla* potestate Papæ. C. *Judicare de Rege hæretico, & Ecclesiam pervertente deponendo, est penes Papam; ergo potestas temporalis.* Resp. 1. Rex hæreticus pervertens Ecclesiam, deponendus est, à solo sibi superiore Deo & Christo. 2. Judicare de Rege hæretico, non pertinet ad Papam, hæreticum & Antichristum. 3. Et si pertineret judicare, non tamen hinc sequeretur potestas temporalis, quemadmodum monetariis, licet competat judicare de monetâ adulterata; non tamen *potestas* competit in adulteratores. D. *Reges omnes Christiani, pacto, vel expresso, vel tacito, sceptra sua subjecerunt Christo, etiam sub pœna perdendi imperii.* Resp. 1. Ergone Papæ? 2. Ergone, ut aberrantes, quomodocunque ab officio, Christo competente, *deponantur* à Papâ? 3. Nunquid hac ratione, Papæ competet potestas, bonis exuendi, imò vitâ privandi, omnes Christianos *non christiane* viventes? E. *Pastori necessaria est potestas arcendi lupum.* Resp. 1. Sic quilibet gregarius *pastor* habebit temporalem *potestatem*, in Principem hæreticum. 2. Habet potestatem arcendi; sed *spiritualem* tantum, & *spirituali* modo pellendi, convincendo ex verbo Dei, non autem habet *temporalem*, deponendi. F. *Uzias, propter lepram, à Sacerdote judicatus, ejectus, & sic potestate regnandi privatus est.* Resp. 1. Si exemplis V. T. validè agatur in his casibus, exemplo Salomonis, judicantis & deponentis Abiatharem Sacerdotem summum 1 Reg. ii. 27. eviden-

Divortium sententiarum.

Negant Protestantes.

Affirmant Pontificii, his ratiunculis:

1.

2.

3.

4.

5.

6.

evidentius confeceris, Regibus poteſtatem competere in Pontifices. 2. Uziah non fuit privatus *poteſtate* regiâ; ſed tantum impeditus *uſu* ejuſdem, idque non tam à Sacerdote, quam à Deo, ipſi immittente lepram. Quin 3. forte ne *uſu* quidem: potuit enim regnare per alios, quemadmodum, 7. juxta Papanos, Papa per Epiſcopos. G. *Jojada Pontifex juſſit interfici Athaliam Reginam, & Joam Regem creari* 2 Paral. XXIII. Reſp. 1. Non fuit legitima Regina. 2. Nec à Jojada ſolo facto ſunt iſta; ſed à *tota* congregatione confœderatâ. 3. Quod Jojada fecit, non fecit præciſe ut *Pontifex*, ſed ut, ex affinitate, *tutor* Regis legitimi. 4. Et, ſi ex hoc exemplo, conſequentia ſit ſolida, licebit etiam Papæ Reges interficere, quod (quicquid ſentiant) ne ipſi quidem auſint addicere Pontificii.

5. An Mediator ſolus ſit Rex Eccleſiæ? XV. *Quinto* quæritur, an Mediator *ſolus*, ſit Rex & Monarcha Eccleſiæ? Pontificii, ut Papam ſuum ſtabilant Regem & Monarcham univerſalem, & *Eccleſiæ* & *orbis*; volunt Regem Jeſum poteſtatem ſuam regiam traduxiſſe in *Petrum*, velut ſuum in terris vicarium, & cum Petrus fuerit Epiſcopus *Romanus*, ejuſque in cathedrâ Romanâ, ſucceſſores exiſtant Papæ, eâdem operâ, regiam ſuam poteſtatem commiſiſſe *Pontificibus* Romanis omnibus: Ex adverſo Proteſtantes 1. Chriſtum *ſolum* recipiunt Regem & Caput ſuum Matth. XXIII. 8. 10. 11. 1 Tim. II. 5. Pſal. II. 6. Nec 2. quoad dignitatem regiam, ullum admittunt ejus, vel *vicarium*, vel ſucceſſorem: eo quod (*a*) exſerte *prohibeat* ipſe Luc. XXII. 25. 26. (*b*) & ipſe, qui vicarius prætenditur, Petrus, id dignitatis *recuſet* 1 Pet. V. 1. 2. 3. & (*c*) Chriſtus ipſe, ſuis negotiis immediatè præſens, non *indigeat* Matth. XVIII. 20. & XXVIII. 20. Nec proinde 4. Petro *ſingulatim* vicariatum unquam contuliſſe: quod non tantum collationis hujus nullæ proſtent *tabulæ*; ſed *patres* etiam voluerit eſſe omnes Apoſtolos Luc. XXII. 25. 26. Nec 4. Petrum fuiſſe Epiſcopum *Romanum*, ſolidis rationibus demonſtrari poſſe arbitrantur, imò ne Romæ quidem *fuiſſe* unquam. Et 5. ſi fuerit vel maximè, exiſtimant probari non poſſe, iſtam *vicariatus* dignitatem, & conſtitutione Regis Chriſti, magis ad ſucceſſores tranſire, quam dignitatem *apoſtolatus*. Porro 6. Pontifices Romanos negant *veros* eſſe Petri ſucceſſores, quia ab ejus *doctrina* toto cœlo diſſident. Addunt 7. ſucceſſionem, ſi fuerit, ſæpius fuiſſe *interruptam*, per interregna, Anti-papas &c. Atque adeo hæc omnia Papanis antea incumbunt demonſtranda, quam obtinere queant, Pontificem eſſe Regem & Monarcham totius Eccleſiæ univerſalis. Omne fundamentum partis adverſæ, eſt in *monarthia* Petri, ipſi A. *promiſſa* Matth. XVI. 18. 19. Reſp. 1. His verbis Petro ullam poteſtatem *promitti*, non patet, cum per Petram intelligi poſſit, vel ipſe *Chriſtus* 1 Cor. III. 11. vel Petri *confeſſio* de Chriſto. 2. Si promiſſa gratis detur, non tamen *regia* & monarchica, ſufficere enim poſſit *ſacerdotalis*, agnoſcentibus eum Magiſtro ſententiarum, veteribus Scholaſticis. Nec 3. Sorbona & Facultas theologica Pariſienſis admittit, poteſtatem regiam Petro promitti: & B. *tradita* Joh. XXI. 17. *Paſce oves meas.* Reſp. Hic ne γρῦ quidem eſt de poteſtate *regia* & monarchica, ſed 2. officium, *omnibus* Apoſtolis, verbique divini miniſtris commune 1 Pet. V. 1. 2. 3. Matth. XXVIII. 19. Jer. III. 15. ſingulari emphaſi inculcatur Petro. His C. addunt corraſas quaſdam Petri *prærogativas*, magnâ parte *fictitias*, omnes ineptas, quæ inferant inferendum, ſcil. poteſtatem *monarchicam*, cum Paulus exſertè ſe Petro *parem* teſtetur 2 Cor. XI. 5. & XII. 11. Fundamenta ſententiæ orthodoxæ dudum deſignata ſunt, quibus non addemus, niſi *paritatem* Apoſtolorum, quam non tantum *mandat* Servator, ſed etiam *inculcat* Apoſtolus, locis jamjam citatis, & Gal. II. 6. 7. 9 II. 14. Expectamus igitur, ut fundamenta ſuæ ſententiæ ſtabiliant Romanenſes. Fundamenta Proteſtantium.

Sententia Romanenſium.

Sententia Proteſtantium, cum fundamentis.

Fundamenta ſententiæ Romanenſis.

XVI. *Sexto* quæritur, an Mediator, ab aſcenſione ſuâ, demum factus fuerit Rex? Sociniani, quia officium *ſacerdotale* confundunt cum *regio*; & ſacerdotale cœpiſſe cum aſcenſione ſtatuunt, ad hoc, ut in *terris* ſeipſum non obtulerit, & offerendo ſatisfecerit: coguntur etiam negare, ipſum *ante* aſcenſionem fuiſſe Regem. Unde Smalcius *Contr. Franc.* diſp. 3. §. 80. concludit: *aſcenſione igitur incipit, non manifeſtatio tantum, & uſurpatio potentiæ Chriſti; ſed ipſa etiam ejus potentia, quam antea reipſa nunquam habuit, & qua antea uti nullo modo potuit:* Proteſtantes in Rege tria diſtinguunt, *jus* ſeu poteſtatem regnandi, quod habuit, ratione Deitatis ſuæ ab *æterno*; *exercitium* & *manifeſtationem*: tum *exercitium*, ſaltem *totale*, poteſtatis regiæ, atque etiam *manifeſtationem*, plenam ſaltem & perfectam, ad ſtatum *exaltationis* referunt Matth. XXVI. 63. 64. Conf. Joh. XVII. 5. Act. II. 36. Phil. II. 9. 10. *jus* tamen ipſi aſſerunt ab ipſa ſui nativitate. Quod 1. Rex Judæorum *natus* à Magis quæritur Matth. II. 2. Quod 2. ipſe ſe Regem *natum* confiteatur coram Pilato Joh. XVIII. 37. Quod 3. *Puer natus, poteſtatem* habere dicatur, ſuper *humeris* ſuis Jeſ. IX. 6. 7. Quod 4. ſe ut *Regem* geſſerit, etiam ante aſcenſionem, licet pro ratione ſtatus *humiliationis* Matth. XXI. 4. 5. Quod 5. Regem ut venientem in carne, recipere jubeantur Judæi Pſal. XXIV. 7. — Zach. IX. 9. Quod 6. *omnem* poteſtatem in cœlo & in terra, habuerit *ante* ſuam aſcenſionem Matth. XI. 27. & XXVIII. 19. Quod 7. ſtatim à ſua *nativitate* fuerit *Filius* Dei Gal. IV. 4. de quo Pſal. II. 6. 7. *Conſtitui Regem meum — filius meus tu es.* Nec eſt quod objicere queant, quam (1) *Chriſtum* 6. An Mediator ab aſcenſione ſua demum factus ſit Rex? Argumenta partis negativæ. Objectiones partis affirmativæ.

ſtium in terris non fuiſſe Sacerdotem Heb. VIII. 4. *ergo etiam non fuiſſe Regem.* Reſp. Argumentum duplici nititur falſa hypotheſi: A. quod functio Chriſti *regia*, eadem ſit cum *ſacerdotali*, quam ſupra cap. V. §. VI. ex profeſſo rejecimus. B. quod in *terris* Mediator non fuerit Sacerdos, quam refutavimus cap. VII. §. XVI. (2) Quod poteſtas *illa* omnis, in cœlo & in terrâ, quæ cum regiâ coincidit, de qua Matth. XXVIII. 19. poſt aſcenſionem demum ei collata fuerit, cum Apoſtoli emitterentur per univerſum orbem terrarum, id quod factum demum poſt aſcenſionem. Reſp. Imò exſertè *datam* ſibi eſſe poteſtatem profitetur in *præterito*, cum adhuc in terris ageret cum Apoſtolis, eamque poteſtatem etiam jamtum exercuit, quando in Apoſtolos à ſe derivavit poteſtatem annunciandi Euangelium, per univerſum orbem terrarum, exercendam demum, poſt ſolennem Spiritus S. effuſionem pentecoſtalem Act. I. 4. (3) *Quod actus regios, in terris exiſtens, non exercuerit.* Reſp. A. Poteſt habere jus & ἐξουσίαν, qui non *exercet*. B. Et *exercuit* etiam, ut jam demonſtratum, licet pro ratione ſtatus humiliati, non tam plenè, prout in ſtatu glorificato.

7. An regnum Mediatoris duraturum ſit in æternum? Divortium ſententiarum.

XVII. *Septimo* quæritur, an regnum Chriſti duraturum ſit in *æternum?* Sociniani, neſcio qua vertigine, jam regnum *æternum* ipſi aſſerunt, Smalc. de *Divinit. Chriſt.* cap. 15. jam regnum *depoſiturum* docent in extremo *judicio*, ad hoc procul dubio, ut potentius obtineant, eum non eſſe ab *æterno* Deum, ut qui aliquando coriturus ſit *poteſtate* regnandi: Orthodoxi diſtinguunt inter *potentiam regiam* ſeu poteſtatem regnandi, & colophonem *œconomiæ* mediatoriæ, ſeu modum illum regnandi qui jam viget; tum negant, illum *poteſtatem* regnandi unquam eſſe depoſiturum, licet *modum* regnandi, depoſiturum agnoſcant. Quod 1. regnum ei *promittatur æternum*, 2 Sam. VII. 12. 13. Quod 2. illud *deſcribatur* ut regnum *æternum* Dan. VII. 27. Quod 3. *prædicatur* ut *æternum* ab Angelo Luc. I. 33. Apoc. XI. 15. Adverſarii negativæ ſuæ unicum præſidium quærunt in 1. Cor. XV. 24. *cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Sed non cogitant, verba illa, ſicut diximus, non de regia *potentia* & poteſtate regni agere; verum de colophone *œconomiæ* mediatoriæ, & de ſiſtenda Patri, *Eccleſia* glorificata, quæ regnum ipſius dicitur *objective*, quia ſuper illam unctus eſt Rex. Conf. Cloppenb. *Anti-Smalc.* diſp. LV. à §. 30. & deinceps.

Argumenta affirmativa.

Objectio.

8. An Mediator, qua Rex tantum, legem ceremonialem & forenſem abrogaverit? Divortium ſententiarum. Quid Judæi? Quid Sociniani? Quid Orthodoxi?

XVIII. *Octavo* quæritur, an Mediator, quà Rex tantum, abrogaverit legem ceremonialem & forenſem? Judæi ſimpliciter negant, Meſſiam Regem habiturum poteſtatem *abrogandi* legem, vel ceremonialem, vel forenſem, quos in terminis refellit Daniel cap. IX. 26. 27. & nos alibi ex profeſſo refellemus. Sociniani, quia *ſacerdotium* Chriſti in *terris* tollunt, & confundunt cum ejus functione *regiâ*, quam conſecutus demum fuerit & exercuerit, poſt aſcenſionem in cœlum; abrogationem iſtam referunt, ad ſolam ejus functionem *regiam*, & peractam demum poſt dictam illam aſcenſionem, ſtatuunt. vid. Smalc. de *Divinit. Chriſti* cap. 20. Orthodoxi, abrogationem iſtam diſtinguunt, quoad *jus*, & quoad *factum*; tum abrogationem iſtam *quoad jus* quidem referunt ad ejus *ſacerdotium*, quatenus illo implevit typos & figuras V. T. eoque ſuſtulit, juxta prædictionem Dan. IX. 27. quod Chriſtus, & *verbo* teſtatus eſt, in cruce pendens Joh. XIX. 30. & *facto* ipſo comprobavit, ſciſſo templi velo Matth. XXVII. 51. ſimul Rempublicam Judaicam, à qua pendebant leges *forenſes*, ſic ſatis ſuſtulit: *quoad factum*, abrogationem iſtam, ad functionem ejus *regiam* referunt, qua, *partim* per prædicationem *Euangelii*, promulgandam curavit immunitatem ab onere ceremoniarum typicarum, jam *morte* ſua impletarum; *partim* etiam per *deſtructionem* templi, urbis, & politiæ Judaicæ, earum finem adveniſſe declaravit. Ut probata abrogatione legum ceremonialium, per ſacerdotium in cruce facta, quoad *jus*; jam concidat ſententia Sociniana, quâ per *ſolam* poteſtatem *regiam*, abrogatio illa facta fingitur: & rationes illorum nil efficiant adverſus Orthodoxos, utpote qui non negant, leges iſtas ceremoniales ac forenſes *de facto* abrogatas eſſe, per poteſtatem *regiam*.

9. An adminiſtratio regni mediatorii, poſt aſcenſionem, uſque ad finem mundi, uniformis ſit futura? Divortium ſententiarum.

XIX. *Nono* quæritur, an adminiſtratio regni mediatorii, ab aſcenſione Chriſti, *uniformis* futura ſit, uſque ad conſummationem ſeculorum? Chiliaſtæ craſſiores auctore Papia, ſtatuebant, poſt univerſalem reſurrectionem, Chriſtum cum ſanctis, in *terra* regnaturum per mille annos, non tam in *ſpirituali* felicitate, quam carnalibus *voluptatibus* peragendos: remotis Epicuræis voluptatibus, multi è Patribus antiquioribus, v. g. Juſtinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, Victorinus & infiniti alii, quin & Auguſtinus primò quidem, & Hieronymus, in eandem iverunt ſententiam. Ab his non adeo longè abeunt recentiores nonnulli, niſi quod *principium* mille horum annorum & *finem*, ante ultimum terminent judicium, & Joh. Piſcator quidem *indefinite*, poſt Antichriſti interitum, reſurrectionem quandam Martyrum urget *corporalem*, generalem reſurgentium, *mille annis* antecedaneam, iſtoſque Martyres, *non in terra*; ſed *in cœlo* regnaturos cum Chriſto. Joh. Henric. Alſtedius, Piſcatoris diſcipulus, in ſua *Diatrib.* de *Mille annis Apocalypt.* in duobus recedit à Præceptore: 1. quod regnum iſtud Martyrum cum Chriſto, millenarium, non in *cœlis*, ſed in terra futurum exiſtimet. 2. Quod ejus exordium futurum determinet A. 1694. Qui *quintam* Monarchiam in Anglia & alibi profitentur,

tentur; statuunt, sanctos *primæ* resurrectionis, remansuros in *terris*, & familiariter conversaturos cum Christianis superstitibus, Christo *visibiliter* & *personaliter* utroque regente, ex urbe Jerosolymâ, ubi sedem & thronum, *quintæ* istius Monarchiæ, sit erecturus. Celeb. Coccejus existimat, *indefinite* ante diem extremum, Ecclesiæ statum fore longè felicissimum, cum Judæorum *universali* conversione conjunctum, adeoque, *cœlum novum, novam terram, in qua habitet justitia*, juxta Apoc. xxi. 1.—Communis Orthodoxorum sententia, licet in *circumstantialibus* Ecclesiæ, *vicissitudines* aliquas lubenter admittat; attamen in *substantialibus* administrationes regiæ, imprimis quoad regnum *millenarium* personale ipsius Christi in terris, tantamque Ecclesiæ beatitudinem, quæ omnes excludat hostium *persecutiones*, aut ipsius etiam Ecclesiæ *vitia*; nullam omnino admittit varietatem. Quod 1. Scriptura tempora postrema nobis repræsentet ut *difficillima*, tam quoad *spiritualia* Luc. xviii. 8. quam quoad *temporalia* 2 Tim. iii. 1.—5. Quod 2. Scriptura, sicut Ecclesiam *triumphantem* in cœlis tantum; ita non nisi *militantem* in terris agnoscat Job. vii. 1. 2 Tim. iv. 7. 8. Quod 3. Scriptura *Antichristum*, atrocissimum Ecclesiæ persecutorem, non nisi in apparitione Christi, spiritu oris ejus conficiendum doceat 2 Thess. ii. 8. Quod 4. sententia Chiliastica, inter Antichristi interitum, & seculorum consummationem, interponat spatium, ad minimum *mille* annorum, cum tamen Paulus duo ista immediatè conjungat. 2 Thess. ii. 8. Quod 5. hypotheses Chiliasticæ alterutrum præsupponant: vel *animas* Martyrum, ante extremum judicium, retrahendas, reduniendasque suis corporibus, in *terra*, ut ibidem regnent cum Christo; vel *corpora* assumenda in cœlum. Quod 6. introducant aliam *corporum* resurrectionem, præter *universalem* illam, quæ, secundum Scripturas, accidet in extremo *judicio*. Quod 7. *uniformem* administrationem regni mediatorii, per annunciationem Euangelii, Scriptura futuram prædicat usque ad finem seculorum Matth. xxiv. 14. Quibus omnibus, ὁι ἐξ ἐναντίας, non opponunt ferè, nisi locum Apoc. xx. 1.—8. satis obscurum, quod prophetiam contineat, quæ fermè non prius intelliguntur, quam eveniunt. Saltem eo loco 1. non dicitur de Christo, quod incepturus sit *novum* aliquod regnum; sed tantum de Martyribus, quod sint *regnaturi* cum Christo mille annos. 2. non exprimitur ibi *locus*, ubi regnum illud futurum sit, quo futurum sit in *terrâ*, ut plerique volunt Chiliastæ: possunt autem Martyres regnare cum Christo, quamvis Christus non agat cum ipsis in terris. 3. *Mille* illi anni, dudum præterlapsi, intelligi possunt, sive supputentur ab *incarnatione*, aut *passione* Servatoris; sive ab excidio *Hierosolymitano*; sive ab imperio *Constantini* Magni: si ab incarnatione, desinent mille anni in Sylvestro secundo, mago celeberrimo; si à passione, in Benedicto nono, à diabolo in sylvis suffocato; si ab excidio Hierosolymitano, in Gregorio septimo, bipedum nequissimo; si ab initio Constantini M. in obortu Bonifacii octavi, & in ortu familiæ Ottomanicæ, & Waldensium funestis persecutionibus, circa seculum decimum tertium. Vid. Cornel. à Lapide in Apoc. xx. Porro 4. Resurrectio Martyrum intelligi possit *spiritualis*, quæ fit à peccatis per fidem & resipiscentiam, de quâ Joh. v. 25. quæ *prima* textui dicitur resurrectio, contradistincta *secundæ* corporali, quæ fiet in extremo judicio. Porro 5. per regnum Martyrum cum Christo, intelligi possit regnum *gratiæ* hic gerendum, contradistinctum regno gloriæ, posthac in cœlis accipiendo. Denique 6. *ligationem* Satanæ intelligi, non talem, quâ *simpliciter* non potuerit moliri quicquam in Ecclesiam; sed talem, quâ non potuerit *seducere* integras *gentes* vs. 3. Ut sensus loci universi emergat, Satanam, seu ab incarnatione Christi, seu potius ab imperio Constantini M. ligatum fuisse, *eatenus*, ut non amplius seduceret integras *gentes*, ad idololatriam, aut persecutiones Christianorum tam *cruentas*, usque ad Bonifacium octavum, Anno MCCC. tum ad *breve* tempus, scil. usque ad *reformationis* tempus, *solutum* fuisse, ut seduceret integras *nationes*, partim per *Antichristum*, maximè tum invalescentem in Occidente; partim per imperium *Muhammedanum*, tum exoriens: & per mille annos ligati Satanæ, Martyres ante Constantinum trucidatos, *spiritualiter* fuisse resuscitatos, non in *individuis*, sed in *specie*; & sic etiam *spiritualiter* regnasse, hoc est, in pretio & honore fuisse, velut Sacerdotes Dei & Christi.

Ortho-doxo-rum communis sententia.

Argumenta Ortho-doxo-rum.

Objectiones Chilia-starum.

Pars practica.

In functione regia patet

XX. In functione Mediatoris *regiæ*, patet *primo*, *gloria Regis* (à qua exserte *Rex gloriæ* salutatur Psal. xxiv. 7. 8. 9. 10. & *Dominus gloriæ* 1 Cor. ii. 8.) tam magnifice ei promissa & præfigurata, in gloriâ Davidis ac Salomonis Psal. lxxxix. 24. 25. 27. Ubi distincte ei promittitur (*a*) *gloria* exaltanda: *in nomine meo cornu ejus exaltabitur*: *cornu* (explicante Calvino) designante, *gloriam*, *dignitatem*, *potestatem* &c. Luc. i. 69. (*b*) *dominium* ac potentia, usque ad maria fluminaque: *ponam manum ejus in mare, & dextram ejus in flumina* Psal. lxxxix. 26. (c) *eminentia* supra Reges terræ, *faciam eum primogenitum meum, eminentiorem Regibus terræ*, Ibid. 28. Quæ gloria variis etiam similitudinibus insignitur, nim. A. *Cornu*, utpote in quo ferarum decus ac potentia consistit. B. *Lampadis* Psal. cxxxii. 17. Luc. ii. 32. quæ spargit

1. Gloria Regis.

Variis similibus.

git ſplendorem ſeu gloriam. Conf. 1 Reg. XI. 36. & XV. 4. Job. XVIII. 6. C. *Coronæ* florentis Pſal. CXXXII. 18. *ſuper eo florebit corona ejus* Cant. III. 11. Conf. Prov. XVI. 31. Pſal. LXXXIX. 40. D. *Throni*, Luc. 1. 32. 33. Pſal. XLV. 7. in quo gloriam ſuam manifeſtant Monarchæ. Conf. Jer. XIV. 21. & XVII. 12. Job. XXXVI. 7. Præfigurata hæc Mediatoris gloria, in magnificentia Davidis ac Salomonis 2 Paral. I. 1. 12. 15. & VI. 23. 24. & IX. 26. coll. cum Matth. XII. 42. Iſta vero gloria potentius nos feriet, ſi diſtinctius cogitemus ℵ. *Regnantem*, qui non tantum (*a*) ſapientiſſimus eſt, ipſa quippe Dei *ſapientia* Prov. VIII.—1 Cor. 1. 24. datus nobis in *ſapientiam* Ibid. vſ. 30. *conſiliarius* Jeſ. IX. 5. proinde aptiſſimus ad regnandum. (*b*) *juſtiſſimus* Jeſ. LIII. 11. nobis datus in *juſtitiam* 1 Cor. 1. 30. imo ipſa *juſtitia* Zach. IX. Jer. XXIII. 6. (*c*) *humaniſſimus*, clementiſſimus, benigniſſimus Matth. XI. 29. & XII. 19. 20. Zach. IX. 9. (*d*) *potentiſſimus* אל גבור Jeſ. IX. 5. ipſa *potentia* Dei 1 Cor. 1. 24. cui competit *omnis poteſtas in cœlo & in terra* Matth. XXVIII. 18. quæ omnia Regem faciunt glorioſum: ſed etiam Deus ipſe & homo, unâ perſonâ. Si ב. cogitemus *regnum* א. *ampliſſimum*, ſeſe ad maria & flumina Pſal. LXXXIX. 25. ad ultimos uſque *terræ* fines Pſal. II. 8. imo ad *cœlos* ipſos Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 10. Eph. 1. 21. 22. extendens. β. *durantiſſimum* ac plane æternum Luc. 1. 33. Dan. II. 44. Pſal. CXLV. 3. γ. *florentiſſimum* Pſal. CXXXII. 18. δ. *pacatiſſimum*, Rom. XIV. 17. Pſal. LV. 15. ε. *obedientiſſimum*, optimum Pſal. CX. 3. Matth. VI. 10. &c. Si ε. cogitemus *regnationem* ſeu regendi modum, Regi convenientiſſimum, h. e. ſapientiſſimum, juſtiſſimum, clementiſſimum, potentiſſimum Pſal. XLV. 7. 8. & IX. 9. & XCVI. 13. & XCVIII. 9. Ea vero Regis noſtri *gloria* ad hoc patet, ut A. eam *videamus* & agnoſcamus Joh. XVII. 24. Pſal. XCVII. 6. & CII. 16. 17. ut B. eam ei *referamus* Pſal. XXIX. 2. 1 Tim. 1. 17. & VI. 16. ut C. in eo *gloriemur* Phil. 1. 26. & III. 3. Jer. IX. 23. Conf. lib. II. cap. 22. §. XVI. Item lib. V. cap. 3. §. XXX.

In tribus potiſſimum conſpicua.

Quorſum pateat.

2. Patet beatitudo Regni & ſubditorum.

XXI. Hinc *ſecundo* patet regni & ſubditorum hujus regni *beatitudo* & felicitas Pſal. XXXIII. 12. Quod hinc (*a*) *regnum Dei* paſſim appellatur Rom. XIV. 17. Luc. XIV. 15. item (*b*) regnum *Chriſti* Eph. V. 5. (*c*) regnum *cœlorum* 2 Tim. IV. 18. (*d*) regnum *lucis* Col. I. 12. (*e*) regnum *pacis* & *gaudii* Rom. XIV. 17. (*f*) regnum *gloriæ* Matth. XIX. 28. & XXV. 31. & XVI. 27. Quæ beatitudo nominatim patet A. in conditione *Regis*, utpote ſapientiſſimi, juſtiſſimi, clementiſſimi, potentiſſimi, quam *parag.* præcedenti deſignavimus. E. In conditione *Regni*, quippe ampliſſimi, conſtantiſſimi, ſanctiſſimi, omnibus bonis affluentiſſimi Rom. XIV. 17. de quibus itidem *parag.* præced. C. In *adminiſtrationis* ratione, per 1. ſceptrum Euangelii Pſal. CX. 2. & XLV. 7. per 2. leges *juſtiſſimas* Deut. IV. 8. per 3. regendi rationem *ſuaviſſimam*, internâ cordis flexione Gen. IX. 27. יפת. Conf. Prov. XXI. 1. Jer. XXXI. 33. à quo regnum Dei dicitur eſſe *intra* nos Luc. XVII. 21. & jugum ejus *ſuave* Matth. XI. 30. D. In *conſectariis* regni, (1) *ſecuritate* ſubditorum Matth. XVI. 18. Heb. XII. 28. (2) dum hic agimus in terris, *pace & gaudio in Spiritu S.* Rom. XIV. 17. (3) poſt hac in cœlis, *corona gloriæ* 2 Tim. IV. 8. Heb. XII. 28. Matth. XXV. 34. Eſt igitur in hac beatitudine, ob quod ℵ. ſibi *gratulentur*, veri ejus ſubditi, & *latentur* Zach. IX. 9. Quod ב. *admittamur* omni conatu, ut reddantur ac ſint *filii regni* hujus Matth. XIII. 38. Quod ſit (*a*) *regeneratione* Joh. III. 5. (*b*) *reſipiſcentia & fide* Marc. 1. 18. (*c*) *quærendo* regnum Dei ejuſque juſtitiam Matth. VI. 33.—ג ejus cogitatione, communione & ſpe, nos *erigamus* adverſus quaſvis perſecutiones Luc. XII. 32. Act. XIV. 22. quorumvis hoſtium, tam corporalium, quam ſpiritualium.

In quo illa conſtat.

Quorſum cogitanda.

3. Patet miſeria eorum qui non ſubſunt Regi Chriſto.

XXII. Et ex hoc etiam *tertio*, patet *miſeria* omnium eorum, qui non ſubſunt huic Regi. Quales ſunt 1. qui ipſâ *profeſſione* ipſum rejiciunt Luc. XIX. 11. 27. Job. XXI. 14. ſcil. omnes infideles, Gentiles, Muhammedani, Judæi. Qui 2. ſeſe Regi noſtro *opponunt*, quemadmodum *Antichriſtus* 2 Theſſ. II. 4. Reges *terræ* Pſal. II. 2. 3. Act. IV. 26. 27. & qui potentiam ſuam commodant *beſtiæ* Apoc. XVII. 12. 13. Qui 3. pro eo quod *coronas* illi capiti proprio detractas, projicere debebant ad pedes Regis noſtri Apoc. IV. 10. ei ſuam ſic ſatis *detrahunt*, ſuoque capiti quaſi imponunt, ad exemplum Antichriſti 2 Theſſ. II. 4. quando regimen ejus *ſpirituale* & eccleſiaſticum, & jura regni Chriſti, ad ſe rapiunt. Qui 4. plenis quidem buccis intonant *Domine, Domine* Matth. VII. 21. 22. h. e. qui *profeſſione* tenus, ſunt *filii regni* Matth. VIII. 12.: ſed non *faciunt* voluntatem hujus Regis, adeoque reipſa *abnegant* Tit. I. 16. Verbo dicam 5. quotquot non ſunt verè *regeniti* Joh. III. 5. Horum omnium miſeria patet in eo, quod A. omni *beatitudine* & felicitate regni Chriſti, atque omnibus *beneficiis*, quæ fidelibus ejus ſubditis competunt per *parag. præced.* penitus deſtituantur Eph. II. 12. Quod B. ſint *hoſtes* ejus, qui *Rex* eſt *Regum* & Dominus dominantium Phil. III. 18. qui regnaturus eſt in medio *hoſtium* ſuorum, idque donec omnes poſuerit *ſcabellum* pedum ſuorum Pſal. CX. 1. Quod C. Regem habeant *teterrimum*, *Principem* ac *Deum hujus mundi* Joh. XII. 31. 2 Cor. IV. 4. Quod D. ſint ſub *poteſtate tenebrarum* Col. I. 13. Quod E. ſint *mancipia* Satanæ Heb. II. 14. 15. ſub ejus *laqueis* 2 Tim. II. 26. Act. XXVI. 18. Adeoque F. *ſervi* perditionis 2 Pet. II. 19. Quos G. Rex noſter *ſceptro ferreo* ſit contriturus, in furore ſuo Pſal. II. 5. 9. 12. Eſt igitur quod ℵ. nos ipſos ſerio *exploremus*, ſimuſ-

Quinam illi.

Quanta eorum miſeria.

Quænam media.

simusne è numero horum, qui sunt *hostes* Christi, mancipia Satanæ, obnoxii tantæ miseriæ Zephan II. 1. 1 Cor. XIII. 5. ב. Si deprehendamus, nos hactenus fuisse sub regno tenebrarum, totis viribus enitamur *eripi* ex eo, & *traduci in regnum filii Dei* Col. I. 13. quod fit α. à *Deo*, ut *qui nos liberavit*. Ibid. β. per *Mediatorem*, qui potestatem abstulit Satanæ Heb. II. 14. γ. ope *fidei* Joh. I. 12. δ. obstetricante Euangelii *præconio* Act. XXVI. 18. ג. Si erepti simus, nos corde, ore & opere, *gratos* Deo præstemus Col. I. 12. 13. ד Nobis sedulo *caveamus* ab igneis *telis*, & occultis Satanæ laqueis 1 Tim. III. 7. Prov. XII. 14. & XIV. 27. imo ei totis viribus obnitamur Eph. VI. 11. 12.

4. Excitat ad quærendum regnum Christi.

XXIII. E tribus præcedentibus *quarto*, motivum suppetit efficacissimum, ad *studium* quærendi regnum Christi Matth. VI. 33. Quod studium complectitur 1. *amorem* versus illud Psal. XXVI. 8. & CXXII. 6. 7. tum 2. *laborem* (1) *accipiendi*, seu ut *adveniat* regnum Dei Matth. VI. 10, 33. h. e. ut *plantetur* passim Ecclesia 1 Cor. III. 6. 7. 8. Psal. LXXX. 9. 16. Rom. XV. 18. 19. (2) *retinendi*, adversus impetus hostium Matth. XVI. 18. Apoc. II. 25. 26. (3) *ædificandi* ac reformandi Psal. LI. 20. & LXXX. 14. 15. (4) *propagandi* & amplificandi, usque ad extrema terræ (Psal. II. 8. & XXII. 28. & LXXII. 8. & XLVII. 8. 9.) regnum *gratiæ*, seu Ecclesiam militantem. Quæ omnia intenduntur & obtinentur, A. *orando* Psal. CXXII. 6. 7. & LI. 20. B. *Utendo* mediis, quibus Deus ea procurare consuevit, qualia sunt (1) *præconium* verbi Matth. IV. 23. Luc. VIII. 1. 10. Act. XIX. 8. & XX. 26. & XXVIII. 23. 31. (2) *erectio* Ecclesiarum 1 Cor. III. 6. 7. 8. Marc. XII. 1. Psal. LXXX. 16. Jes. V. 1.— (3) *emissio* fidelium operariorum Matth. XX. 1. 2. 4. Luc. XX. 9. (4) cooperatio Dei, seu *benedictio* laborum 1 Cor. III. 6. 7. Rom. XV. 18. Gal. II. 8. (5) *plantatio* scholarum ac seminariorum Gal. VI. 6. Psal. XXXIV. 12. (6) *constitutio magistratus* fidelis, qui sit *nutritius* Ecclesiæ Jes. XLIX. 7. 23. (7) *disciplina* domestica Eph. VI. 4. Deut. VI. 7. 20. 2 Tim. I. 5. cum III. 15. C. *Pugnando*, & expugnando hostes hujus regni Eph. VI. 10.— 1 Tim. VI. 12. 2 Tim. IV. 7. Apoc. XII. 11. Atque, ut sic quæramus regnum Christi, nos excitare debet (1) *Glorificatio* Regis, quam diximus §. XX. Conf. Prov. XIV. 28. (2) *Beatitudo* regni, quam diximus §. XXI. (3) *Miseria* eorum, qui non sunt hujus regni subditi Eph. II. 12. (4) *Benedictio*, quam quærentibus imprecatur Psaltes Psal. CXXII. 6. & Rex ipse promittit Matth. VI. 33. Confer Scriptores ad *secundam* petitionem *Orat. Domin.*

Quid intendat quærere regnum Christi.

Quibus actibus constet.

Quænam moveant ad quærendum.

5. Nos obstringit ad officia Regi isti debita.

XXIV. Insuper *quinto*, regia Mediatoris dignitas nos obstringit, ut justa ei præstemus *officia*, nim. (1) *Osculum* homagii Psal. II. 6. 12. novis Regibus conferri solitum 1 Sam. X. 1. & signum cultus religiosi Job. XXXI. 26. 27. 1 Reg. XIX. 18. Hos. XIII. 2. *Osculum* A. *amoris*, & quasi *eris*, de quo Cant. I. 2. & VIII. 1. quo ipsum supra omnia diligimus Matth. X. 37. 1 Cor. XVI. 22. B. *Dependentiæ*, & quasi *manuum*, de quo Sirac. XXIX. 5. per quod, in omnibus, ab ipso solo *pendemus*, utpote fine quo nihil possumus Joh. XV. 5. vitam, salutem & benedictionem quamvis, ab ejus quasi *manibus*, exspectamus Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. 2 Cor. I. 20. C. *Submissionis*, & quasi *pedum*, de quo Luc. VII. 46. per quod ab ejus ore solo pendemus Deut. XVIII. 15. ejus placita religiosè præstamus 2 Cor. V. 9. Matth. VI. 10. nos, omniaque nostra, ad ejus quasi pedes projicimus Apoc. IV. 10. Psal. CXV. 1. Phil. II. 21. (2) *Honorem* & æstimationem, quâ *unus* nobis sit supra Patrem & Matrem Matth. X. 37. supra decem millia 2 Sam. XVIII. 3. imò supra *cœlum* & *terram* Psal. LXXIII. 25. (3) *Timorem* & reverentiam Psal. II. 11. & XXXIII. 18. Apoc. XV. 4. Mal. I. 6. (4) *Fiduciam*, in sapientiâ, potentiâ & bonitate ejus Psal. II. 12. & XX. 7. 8. (5) *Obedientiam* & observantiam Psal. II. 11. Rom. I. 9. Col. III. 24. Apoc. VII. 15. & XXII. 3. (6) *Dona* ac munera nostra Psal. LXXII. 10. & LXXVI. 12. & XCVI. 8. Matth. II. 11. (7) *Celebrationem* & gloriam Apoc. V. 12. 1 Tim. I. 17. & VI. 16. Omnia ista officia Regi nostro conferenda sunt, propterea, quod ℵ. ipsi omni *jure* competant Apoc. IV. 11. tanquam scil. *Regi regum & Domino dominantium* Apoc. XIX. 16. *Domino* gloriæ 1 Cor. II. 7. Quod ב. ipse suis subditis gloriam & beneficia *conferat*, quatenus per suam gratiam *digni sunt* &c. Apoc. III. 4. & XVI. 6. Quod ג. conferre, ipsis conferentibus, ad quævis *utilissimum* sit Matth. XIX. 27. 28. 29. Conf. Job. XXI. 10. & Mal. III. 14. Matth. VI. 33. Quod ד. conferre maxime sit *necessarium*, si justam ejus vindictam, & quodvis exitium, tuto & feliciter declinare velimus Psal. II. 12.

Quamobrem conferenda.

6. Reges & Principes instigat ad imitationem Regis Christi: 1. Quoad justitiam in regendo.

XXV. Imprimis *sexto*, *Reges*, Principes & Magistratus quivis hujus mundi, in functione Mediatoris nostri regiâ, habent quod *imitentur*, ut nim. cum Regibus, Davide & Salomone, Regis nostri *typis*, atque ipso etiam Rege nostro, gubernent *juste & religiose* 2 Sam. XXIII. 3. Dixit *Deus Israëlis mihi, locutus est rupes Israëlis mihi*: *Dominator* erit *in hominibus justus*, *Dominator in timore Dei*. Seu textum Hebræum, ex diastole verbi substantivi, ambiguum, *imperative* reddas, ut præscribat Davidi officia justitiæ & pietatis: *eris*, *vel esto*, Dominator *justus* &c. sive *prophetice*, ut promittat Dominatorem *justum*: *erit* Dominator *justus* &c. sive etiam de Davide ut *typo*, qui reverâ fuit Dominator *justus* & Deum timens: sive de Messiâ, ut antitypo capias, Dominator fuerit ὑπερέχως *justus* & *religiosus* Psal. XLV. 3. 4. 5. 6. 7. & LXXII. 1. 2. 3. 4. 7. 12. 13. 14. Jes. XI. 1.— 10. Jer. XXIII. 5. 6. Zach. IX. 9. 10. *verus* מלכי צדק Heb. VII. 1. 2. 3.

quomodocunque inquam capias, hoc saltem habebis, *Dominatores in hominibus*, ad exemplum Davidis & Messiæ Regum, in suâ gubernatione, studere debere ℵ. *justitiæ*, duplici, nim. α. *personæ*, quâ justi sint, cum *extus*, per *actualem*; tum *intus*, per *habitualem* justitiam, de quâ Psal. CI. 1. Prov. XX. 28. cum Prov. XXIX. 4. per quam proclives sint ad exercendam *justitiam* & clementiam versus omnes, circa προσωποληψίαν Prov. XXIV. 23. & XXVIII. 21. Psal. LXXXII. 2. Deut. I. 16. 17. supra *metum* aut *spem*, quibus pervertant justitiam Deut. I. 17. Jes. I. 23. Prov. XXIX. 4. Cui justitiæ *habituali* variæ implicantur virtutes, v. g. (1) *Studium* cognoscendi jus & *justitiam* Psal. II. 10. Prov. XXVIII. 16. Eccl. X. 16. Jes. III. 3. 4. (2) *Clementia* & misericordia Prov. XX. 28. quâ *oppressis* succurrat Jes. I. 17. 23. (3) *Fortitudo*, quâ non *terreatur* aliunde; sed terrori sit maleficis Prov. XX. 2. Rom. XIII. 3. (4) *Modestia* & humilitas, ut se non efferat supra subditos suos, ad eos *opprimendos* Deut. XVII. 9. 20. quemadmodum Roboamus 1 Reg. XII. 14.— (5) *Castitas*, ut cupiditatibus non *avertatur* à justitiâ Deut. XVII. 17. Prov. XXXI. 3. (6) *Temperantia* & sobrietas Prov. XXXI. 4. 5. Eccl. X. 13. 14. (7) Αὐτάρκεια & studium vitandi *avaritiam* Deut. I. 16. 17. & XVII. 17. Prov. XXVIII. 16. & his omnibus, Dominator in hominibus, studere debet α. justitiæ *personæ*; tum insuper studere debet β. justitiæ *officii* & *regiminis*, quæ duo ista comprehendit, nim. justitiam A. *vocationis*, quâ justo *titulo*, ut legitimus Dominator; non merâ *usurpatione*, ut tyrannus, gubernet, sicut Athaliah 2 Reg. XI. 1. 2. 3. ut sicut *unctus* h. e. legitime vocatus, sit Messias Psal. II. 6. Heb. V. 4. 5. B. *Exsecutionis*, qua 1. *protegat* ac defendat justos Jes. XXXII. 1. 2. scil. adversus α. hostes tam *internos*, quam *externos* Psal. CI. 5. 7. 8. β. *violentiam*, oppressiones & injurias quasvis & quorumvis. Ibid. v. 3. & LXXXII. 3. 4. Jes. I. 17. γ. *defectus* quosvis, tam spiritualium, quam corporalium necessitatum Job. XXIX. 14. 15. 2 Reg. VI. 25. 26. 27. quâ 2. *gubernet* Rom. XIII. 3. 4. 1 Tim. II. 2. (*a*) condendo & promulgando *leges* justas & utiles Amos. V. 15. Esd. I. 1. & VI. 1. 2. 3. (*b*) *remunerando* bonos Rom. XIII. 3. 4. (*c*) *puniendo* malos, *Ibid.* Jud. XVIII. 7. Psal. CI. 8. Sic Reges seu *Dominatores in hominibus* studere debent, ad exemplum Davidis & Messiæ, *justitiæ*: Debent 1. *timori Dei*, per quem non *juste* tantum, sed & piè & *religiosè* gubernent, Religionis curam habeant, non negligant Act. XVIII. 14. 15. 16. sed ei se totos impendant: quod hæc potissimum tria complectitur: 1. *cor* habere, fideliter affectum timore & reverentiâ Dei, per universam gubernationem Gen. XLII. 18. 2 Paral. XVII. 3. 4. 5. 6. & XXXIV. 1.— Tum 2. universum gubernationis *filum* dirigere ad præscriptum verbi divini, quorsum Rex Israëlis sibi volumen legis describere teneatur Deut. XVII. 18. 19. 20. 2 Paral. XVII. 6. Porro 3. pro *scopo* præcipuo universæ gubernationis, sibi præfigere *glorificationem* Regis nostri, propagationem & amplificationem regni ejus, procurare omni modo utramque ejus prosperitatem, spiritualem & temporalem Rom. XIII. 3. 4. Jes. LX. 10. 16. 1 Tim. II. 2. Quæ his fere adminiculis obtinentur: (1) *fovendo* & excitando, exercitium Religionis & cultus divini 2 Paral. XV. 9.— 16. & XX. 7. 8. 9. & XXIX. XXX. XXXI. XXXIV. XXXV. Capp. Deut. XVII. 18. 19. 20. (2) *removendo* quævis *impedimenta* Religionis, quoad doctrinam, cultum, disciplinam: qualia impedimenta fere suppetunt, ab idololatriâ, hæresi, prophanitate, persecutionibus &c. Deut. XIII. 1.—6. Zach. XIII. 3. 1 Reg. XV. 14. cum 2 Paral. XIX. 17. 1 Reg. XXII. 44. 2 Reg. XII. 3. & XXIII. 8. 13. 19. 20. 24. 25. (3) *reformando* Ecclesiam, si quando in doctrinâ, cultu aut moribus fuerit corrupta: exempla prostant Exod. XXXII. Jos. XXIV. 2 Paral. XV. & XVII. 2 Reg. XVIII. & XXIII. (4) *convocando* synodos, ad reformandas dirigendasque res Ecclesiæ 1 Paral. XIII. 1. 2. & XXIII. 1. 2. & XXIX. 4. 1 Reg. VIII. 1. 2 Reg. XXIII. 1. 2. (5) *stabiliendo* leges & statuta *Christi*, suâ auctoritate civili, constituendoque & infligendo pœnas violatoribus 2 Paral. XXIX. 5. 24. & XXX. 1. & XXXIV. 33. Neh. XII. 13.—Dan. III. 28. 29. & VI. 26. 27. (6) *prospiciendo* Ecclesiæ de quibusvis sibi necessariis, quoad *externa*: sustentationem ministrorum, scholarum &c. 1 Paral. XXII.— 2 Paral. III. 1.— & XXXIV.— 1 Tim. V. 17. 18. 1 Cor. IX. 6.— 15. cum 2 Paral. XXXI. 4.— 9. (7) *puniendo* violatores, non *secundæ* tantum; sed & *primæ* legis tabulæ Deut. XIII. 1.—6. Zach. VIII. 3. Exod. XXII. 1.—15. Levit. XX. 11. 12. 14. 17. 19.— 25. &c. Verbo dicam, his omnibus *inserviant* Regi Christo Psal. XI. 11. suas *coronas*, hoc est, universam suam auctoritatem potestatemque ad pedes Regis Jesu abjiciant Apoc. IV. 10. suas opes ei impendant Matth. XXI. 3. 7. 8. exemplo Davidis, Salomonis aliorumque, atque adeo suas *monarchias* faciant *Theocratias*, in quibus Deus, ejusque unctus, supremus Rex sit, 1 Sam. VIII. 7. & XII. 12. Apoc. XI. 15. Psal. LXXXII. 1.— Atque ut hæc omnia promptius velint Reges hujus mundi, serio expendant, ℵ. Jesum esse *Regem* illum *regum*, & *Dominum dominantium* Apoc. XIX. 16. cujus sunt regna hujus *mundi* Apoc. XI. 15. usque ad finem terrarum Psal. II. 8. cui competat *omnis potestas in cœlo & in terra* Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 21. 22. Phil. II. 10. 2. Ab eo proinde se *accepisse* quicquid habeant dignitatis, & auctoritatis Dan. II. 37. ei proinde fideliter *referendum* esse Rom. XI. 36. 3. per *ipsum* eos regnare Prov. VIII. 15. h. e. omnia requisita ad regnandum; potentiam, sapientiam, benedictionem, prosperitatem

Justitia personæ Regum.

Justitia vocationis regiæ.

Justitia regiminis regii: In progendo,

In gubernando.

2. Quoad pietatem in regendo

Argumenta motiva.

tem &c. *ab eo* solo consequi. 7. Si negligant sua officia versus Regem *hunc*, certo certius esse privandos suis regnis 1 Sam. XIII. 13. Dan. VI. 26. 28. & ad *pecora* dejiciendos Dan. IV. 33. tandem virga *ferrea* ab eo confringendos ac conterendos Psal. II. 9. 12. Apoc. XIX. 15. 19. Ex adverso 7. Si officia debita ipsi *fideliter* præstent, in regno *stabiliendos* esse 2 Sam. VII. 12. 13. 1 Reg. II. 24. 46. & IX. 5. &c. atque etiam, à Deo quovis bonorum genere *benedicendos* esse, ut *corona floreat in capite eorum* Psal. CXXXII. 18.

7. Quosvis excitat, ut Regem Christum imitentur.

In quibus.

XXVI. Etiam *septimo*, in functione Mediatoris regia, quibusvis suppetit Christianis, quod *imitentur*: 1. Ratione *personæ* Regis nostri, ut, quatenus ille fuit sapiens, justus, fortis, clemens, ἐπιεικὴς: & quivis Christiani, ut regiæ dignitatis participes, eisdem virtutibus operam dent Phil. IV. 8. Tum 2. ratione *regiminis*, prout Rex noster omnibus imperat; ita & ipsi sibi imperent, suisque affectibus & cupiditatibus Gal. V. 24. Rom. V. 21. & VI. 12. 13. nec patiantur se à quovis *subjugari* 1 Cor. VI. 12. Etiam 3. ratione *certaminis* & pugnæ; prout Rex noster cum hostibus spiritualibus pugnavit, cum *Satana* Matth. IV. 1—11. Joh. XII. 31. & XIV. 30. Rom. XVI. 20. 1 Joh. II. 13. cum *mundo* Joh. XVI. 33. ita & ipsi decertent *præclarum certamen* 2 Tim. IV. 7. cum hostibus spiritualibus, Satana 1 Pet. V. 7. 8. mundo 1 Joh. V. 4. 5. Rom. XII. 2. carne Gal. V. 17. & sic quidem, ut certando, spirituales illos hostes, ope Regis Jesu Apoc. V. 3. & XVII. 14. *vincant* etiam Rom. XII. 21. 1 Joh. II. 13. 14. & V. 4. Apoc. II. 7. 11. 26. & III. 5. 21. & XXI. 7. Denique 4. ratione *conversationis*, prout Rex noster regnum duxit non *mundanum* Joh. XVIII. 36. neque cum *fastu* mundano Zach. IX. 9. Luc. XVII. 20. Conf. Act. XXV. 23. quo regnum, etiam sibi oblatum, fugiit Joh. VI. 15. ita & ipsi *spirituales* sint Gal. VI. 1. fastum, aliaque mundana 1 Joh. II. 15. 16. velut quæ sunt infra *dignitatem* suam regiam, aspernentur 1 Pet. II. 9. Atque ut in his omnibus, Regem suum promtius velint *imitari*, juvabit expendere, A. eos ad hoc, regiæ ejus dignitatis factos esse *participes* (μετόχους) Heb. I. 7. 8. Apoc. V. 10. ut ei, & in his, magis magisque assimilarentur Rom. VIII. 29, B. In hoc summam eorum esse *perfectionem*, ut & in regia hac perfectione, Regi perfectissimo assimilentur Luc. VI. 40. Matth. V. 48. C. Si in his omnibus, Christo Regi fuerint assimilati *gratia*, assimilandos quoque eidem fore, quoad *gloriam* æternam Luc. XXII. 28. Rom. VIII. 17. 1 Tim. II. 12. Apoc. III. 28. & V. 10. & XX. 4. 6. & XXII. 5. 2 Tim. IV. 8. Luc. XXII. 29.

Quibus argumentis motivis.

8. Suppeditat solatium.

In quibus casibus.

Quibus argumentis consolatoriis.

XXVII. Tandem *octavo*, in functione Christi regia, *consolatio* suppetit efficacissima Zach. IX. 9. In casu A. *paupertatis* & oppressionis Psal. LXXII. 13. B. *tentationum* satanicarum Apoc. XII. 7. 9. C. *persecutionum*, quando copia, viribus & astutia hostium angimur Psal. III. 2. 3. quid in his, milleque aliis casibus, potentius animum nostrum sustentare & erigere queat, quam (1) nos Regem habere, tam α. *justum* Psal. XLV. 7. & IX. 9. & XCVI. 13. & XCVIII. 9. Jer. XXIII. 15. cum Psal. XLIII. 2. 3. β. tam *potentem* Jer. IX. 6. Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 20. 21. 22. γ. tam *benignum* Zach. IX. 9. *misericordem* Heb. II. 15. Psal. LXXII. 13. quam (2) nos habere Regem, qui regnet in *medio hostium* suorum nostrorumque, eosque positurus sit *scabellum* pedum suorum Psal. CX. 1. (3) pro sua *fidelitate* facturus sit, ut de suis nostrisque hostibus glorioſe *triumphemus* 1 Cor. XV. 54. 55. nosque ab *omni* malo liberati Rom. VIII. 37. alta pace, & suavissima requie, perfruamur.

CAPUT NONUM,
DE
Mediatoris Humiliatione.

Phil. II. 6. 7. 8.

Qui, in forma Dei existens, non duxit rapinam parem esse Deo; sed ipse se inanivit, forma servi sumpta, similis hominibus factus, & habitu compertus est ut homo, se humiliavit, factus obediens ad mortem, mortem autem crucis.

Transitio à præcedentibus ad sequentia.

I. MEdiatorem fœderis gratiæ contemplati sumus, quoad ἀξιώματα mediatorium, quoad *nomina*, quoad *personam*, & quoad *officia*: jam considerandus idem nobis, quoad *statum* geminum, in quo officia exegit: statum scil. *humiliationis*, & *exaltationis*. Et *humiliationis* quidem statum examinabimus primò *generalius*, tum *specialius*. *Generalior* contemplatio hujus loci erit, eique fundamentum struent verba Apostoli Phil. II. 6. 7. 8.

Pars exegetica.

Textus resolvitur & exponitur.

II. *Quibus verbis*, *Apostolus*, *in exemplum humilitatis*, *Philippensibus repræsentat* humiliationem Filii Dei, *in quâ duo occurrunt*:

§. Humiliatus, *seu persona*, *seipsum humilians*, *qui in forma Dei existens*.

Quibus verbis, *humiliati notatur*

1. Persona, *in pronomine relativo*, ὃς qui. *Scil. idem ille*, *qui in præcedentibus in exemplum commendatus fuerat* abnegationis *& humiliationis sui*, τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, idem enim sentiatur in vobis, quod & in Christo Jesu, *supple* sentiebatur *seu erat*. *Et quodnam illud? Dixerat dudum*, nihil per contentionem, aut inanem gloriam; sed humilitate versus invicem arbitrantes, superiores vobis ipsis, ὑπερέχοντες ἑαυτῶν; *quibus immediate subjungit*: hoc enim sentiatur in vobis, quod erat in Christo Jesu. *Est ergo humiliatus*, *Jesus Christus* θεάνθρωπος, *non quoad hanc aut illam naturam* tantum; *sed quoad integram* personam, *& utramque ejus personæ naturam*, divinam *&* humanam, *licet* diverso modo; *quoád illam*, occultatione *divinæ majestatis*; *quoad hanc*, acceptione *humilitatis*.

2. Forma *præexistens*, *adducta in exaggerationem humiliationis*, *quod in formâ Dei existens*, *seipsum humiliaverit*. Ἐν μορφῇ Θεοῦ. *Hic egregie disceptatur*, *quid sibi velit* μορφὴ Θεοῦ? *Ariani ac Photiniani*, *negantes* ὁμοούσιον *deitatem Christi*, *& cum illis Erasmus*, *Grotius & Socinianí*, *intelligunt per illam*, externam *quandam & accidentalem tantum* ὁμοιώτητα, similitudinem, תמונה *vel* תבנית, *quæ fuerit in egregiâ ejus potestate faciendi miracula*, *ejiciendi dæmonas*, *suscitandi mortuos &c.* *Rectius*, *qui æternitatem deitatis recipiunt*, *existimant eâ designari ipsam ejus* essentiam, *naturam cum proprietatibus ejus essentialibus*, *idem scil. quod* οὐσία, φύσις, *nisi quod* οὐσία *sonet* nudam *essentiam*, φύσις *eandem*, *ut vestitam suis* proprietatibus, *majestate*, *potentiâ*, *sapientiâ*; *dum* μορφὴ, *addit in creaturis accidentia*, *rei naturam consequentia*, *quibus quasi lineamentis*, οὐσία *&* φύσις *natura*, *confirmatur & depingitur*, *quomodo & naturam* humanam, *cum suis proprietatibus consideratam exprimit*; *atque hinc factum videtur*, *ut* μορφὴν Θεοῦ, *&* δοῦλος, *&* σχῆμα ἀνθρώπου, *potius quam* Θεὸν *&* ἄνθρωπον *dixerit*. *Cujus sententiæ rationes habent*: 1. *Antithesis formæ* servi, *quæ citra dubium notat naturam humanam*; *proin & forma* Dei, *notat ipsi naturam divinam*. 2. *quod hanc phrasin explicat*, *per* εἶναι ἴσα Θεῷ. 3. *quod vox* ὑπάρχειν *exigat substantiam*; *neque enim res subsistit in suis accidentibus*. 4. *quod in hoc consentiant*, *omnes Patres*, *quos sistit Zanchius & Erasmus*. *Quibus accedit*, *demonstrata suo loco*, veritas *æternæ deitatis in Christo*, *quâ præsuppositâ*, *nihil est quod* μορφὴν *ad accidentia cogat restringere*. *Nec valet in contrarium*: *A. Quod non sit probabile*, *Apostolum*, μορφὴν *usum fuisse in significatione solis philosophis nota*: *cum ejus conjugatum* Gal. IV. 19. ὡς μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, quo formetur Christus in vobis, *item ejus synonyma* φύσις, οὐσία, χαράκτης τῆς ὑποστάσεως, εἰκὼν Θεοῦ, *ipsis nota fuerint*, *& si nota non fuissent vulgo*, *ab eorum Doctoribus explicari potuerint*. *B. Quod* μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα, *idem sonent Apostolo*: *quæ tamen posteriora*, *non naturam*; *sed accidentia dicunt*, *cum Christus* μορφὴν δούλου *deposuerit in ascensione suâ*. *Resp. Non* μορφὴν δούλου *deposuit*; *sed ejus tantum* humilitatem: *tum &* μορφὴ *notat*, *cum* essentiâ, *&* attributa.

3. Existentia, ὑπάρχων, existens, *vel* subsistens. *Scil. etiam antequam formam servi*, *h. e. quam humanam naturam assumeret* Joh. VIII. 58. *Ut hinc duo intelligamus*, *nim. personam ab æterno subsistentem*, *h. e. ab æterno* Deum, *seipsam humiliasse*: *& talem ab æterno fuisse sui* juris, *quo posset seipsum humiliare*, *posset item non*; *proinde puro puto arbitrio seipsum humiliasse*, *ex quo invalescit etiam ejus* ταπεινοφροσύνη.

2. Humiliatio, *quæ complectitur*

1. Abnegationem, *seu actum quendam* negativum *quo velut pro* suo *non agnovit*; *saltem*, *pro suo non habuit*, *quod reverà suum erat*: Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, non duxit spolium parum *esse Deo*. *Est in his*

a. Actus *abnegandi*, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, non pro spolio habuit. Ἁρπαγμὸν *interpretes*, *unanimiter per* rapinam, *spolium referre solent*, *& per vim & injuriam habet*. *Existimo tamen distinguendum esse*, *inter rapinam* privatam, *quæ nunquam acquiritur absque injustitiâ*, *qualis erat in Achane* Jos. VII. 21. *&* publicam *justo bello partam*, *qualis observatur in Israëlitis*, *Cananæorum bona rapientibus*, *ex largitione Dei facta*. *Illam raptores* occultare *solent*, *ut patet in Achane dicto*; *hanc autem victores*, *in triumphum* manifestare *solebant*, *ut in Romanis Triumphatoribus perspicuum est*. *Posteriorem hic intelligi*, *ex scopo* mani-

manifeſtum videtur: *intenditur enim abnegatio gloriæ, ex ſpoliis, per victoriam juſtam paranda.* ἡγεῖσθαι *eſt, habere* pro *ſpoliis*, tanquam ſpolia *juſte parta, inque eis* gloriari: *ut ſenſus emergat, Chriſtum in majeſtate ſuâ, quam habebat in* formâ *Dei, noluiſſe* gloriari, *ut Triumphatores in ſpoliis ſuis; ſed abnegare potius, honorem æqualitatis cum Deo, ſive vere competentem, eam non oſtentando, nec ea ſuperbiendo.*

β. Objectum *abnegatum*; τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, eſſe æqualem Deo. *Sunt qui exiſtimant, ſupplendam eſſe Ellipſin* ἑαυτὸν, *vel* τὰ ἑαυτῶ, *ut ſenſus ſit, eſſe ſe & ſua, quæ habebat ex* forma Dei, æqualia Deo, *idque ne in voce plurali* ἴσα, *cogantur admittere Enallagen numeri pluralis pro ſingulari; quam alii coguntur aſſerere, ut* ἴσα *ſit pro* ἴσον, *vel adverbialiter pro* ἴσως æqualiter. *Prius mihi magis arridet, ut conſtructioni ordinariæ magis congruum.* Ἰσότης *autem hic non* ὁμοιότητα ſimilitudinem *notat, ut Sociniani vellent cum Arianis & Photinianis, ut pro* ὁμοουσίῳ, *habeant* ὁμοιούσιον: *ſed* æqualitatem, *ſcil. eſſentiæ & majeſtatis eſſentialis.* Conf. 2 Cor. VIII. 9. 14. Col. IV. 1. *Vocula* Θεῷ, *hic capi poſſit, vel* eſſentialiter, *ut ſignificetur eum* eſſentia *divina, omnibuſque* perfectionibus *divinis, toti Trinitati eſſe parem; vel* perſonaliter, *eum eſſe parem* Patri *ſuo, quod videtur convenientius analogiæ contextus, quo ſenſu venit verſ.* 9.

2. Inanitionem, *ſeu actum* poſitivum *humiliandi ſeipſum* verſ. 7. ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, ſed inanivit ſeipſum. *Scil. omni gloriâ & æqualitate cum Patre: non ſanè quoad* κτῆσιν *ſeu* poſſeſſionem; *ſed quoad* χρῆσιν, *quoad* uſum: *non quoad* jus; *ſed quoad* manifeſtationem *ordinariam*: ordinariam *inquam, quoniam, extra ordinem, pro re natâ, etiam illam miraculis ſuis manifeſtavit.* τὸ ἀλλὰ, *hic procul omni dubio* adverſative *ſignificat* ſed, *ſenſu commodiſſimo: cum eſſet eſſentiâ & majeſtate Deus, eique æqualis, non ſuperbivit eis, tanquam ſpoliis in triumpho;* ſed *ſeipſum inanivit.* Ἐκένωσε inanivit, ריק evacuavit, *q. ab omni ad nihilum, ſeipſum redegit, ſeipſum orbavit* æqualitate *cum Deo: non ſimpliciter & abſolutè, quaſi Deus ac Deo æqualis eſſe deſierit: ſed ratione ſtatus comparatè, divinam ſuam gloriam occultando, ac ſi eam non haberet, non* deponendo *propriè, aut penitus* abnegando; *neque enim Deus* ſeipſum negare poteſt 2 Tim. II. 13. *Hinc non dicit* ἀδένωσε, annihilavit. Ἑαυτὸν ſeipſum, *ſignificat, ipſum, non ab alio, à Patre ſuo, non* invitum *propter propria peccata inanitum fuiſſe: ſed ſeipſum ſponte inaniviſſe. Inanitio iſta, ex gradibus, triplex notatur:*

A. Ortus, *quæ eſt in aſſumptione naturæ humanæ,* μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, formam ſervi accipiens, cum in ſimilitudine hominum fieret. *Et hic*

α. Aſſumtum, μορφὴ δούλου forma ſervi. Μορφὴ *hic A. nonnullis ſonat* ſimilitudinem *ſervi, quemadmodum commate præcedente notabat* ſimilitudinem Dei, *ut non* verus *ſervus factus fuerit; ſed ſervo* ſimilis. *Sic Eraſmus aliique, qui unioni hypoſtaticæ duarum in Chriſto naturarum inſidiantur. Hoc autem* 1. *adverſatur ſcopo Apoſtoli; quomodo enim inanire & evacuare dicitur, qui tantum* ſimilitudinem, *non* veritatem *ſervi aſſumit? Quis item* 2. *credat,* μορφὴν *hic dici de eo quod* videtur *tantum eſſe & non eſt reverà, Alii B. malunt intelligi* conditionem *ſervilem, humilem & abjectam, prout* μορφῇ Θεοῦ, *ſtatum* divinum, *id quod in præcedentibus dudum refutavimus: nec etiam, ut diximus, huc valet, quod in cœlum aſcendens, procul dubio,* formam *ſervi depoſuerit: cum non formam ipſam ſervi depoſuerit; ſed* humilitatem *tantum ejus formæ. Accuratiſſimè igitur C. ſentiunt, qui exiſtimant per* formam ſervi, *hic intelligi ipſam humanam ejus naturam; ſed veſtitiam ſuis qualitatibus ſervilibus; prout per* formam Dei *intelligunt ipſam naturam divinam, cum ſuis proprietatibus, majeſtate & gloriâ divinâ. Eſt autem Chriſtus,* ſervus *ſeu mancipium Dei* Jeſ. LIII. 11. *non tantum ex eo, quod in æterno fœdere gratiæ, omnem reatum & cauſam peccatorum electorum in ſe ſuſceperit, à quâ tamen ſervitute, ſeipſum jam peracta ſolutione exoneravit: ſed etiam ex humana natura, juxta quam omnes homines ſervi Dei ſunt.*

β. Aſſumtio, λαβὼν aſſumens. *Significat Chriſtum hanc formam ad ſe ſumſiſſe, vel ſibi aſſumſiſſe in unitatem perſonæ, per unionem perſonalem, quod eſt* ἐπιλαμβάνεται Heb. II. 16. *ac proinde naturam* aſſumtam, *non fuiſſe partem perſonæ* aſſumentis.

γ. Aſſumendi modus, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, in ſimilitudine hominum factus. *Ex quo olim Marcionitæ & alii perperam colligebant, Chriſtum, non* verum *hominem factum eſſe; ſed* ſpeciem *tantum & phantaſma hominis geſſiſſe, nec proinde verè mortuum fuiſſe, reſurrexiſſe &c. Sed parum obſervabant, hominem homini* ſimilem *eſſe in naturæ & ſpecie, ſicut ovum ovo* ſimile *dicitur; nec ſimilitudinem ſemper excludere identitatem* Rom. VIII. 3. Heb. IV. 15. *quo ſenſu, Chriſtus dicitur* ſimilis fratribus *ſuis* Heb. II. 19.

& *Adamus, genuisse filium Seth*, ad imaginem *seu similitudinem suam* Gen. v. 3. *qui ex hypothesi Phantasticorum, non fuisset* verus *homo. Fuit ergo Christus in similitudine hominum, vel vulgarium & abjectorum, qui subinde homines appellantur* Jud. XVI. 7. 11. Psal. LXXXII. 7. *vel aliorum quorumvis hominum, quorum unus non erat, qui non erat merus homo, nec peccator. Nec prætereundum, quod dicatur γενόμενος* factus, *quo unio significatur hypostatica, persona divina cum humana natura, sine qua unitione, non posset dici* factus homo; *sed tantum* adjunctus homini.

B. Vitæ, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, & habitu inventus ut homo. *H. e. habitu, gestu, totaque vivendi & conversandi ratione externa, deprehensus homo.* σχῆμα *à* σχέω, *sicut habitus ab habeo: notat habitum, gestum, speciem omneque externum, quod incurrit in sensus, à quo quid agnoscitur, quo veritatem humanæ suæ naturæ passim Christus demonstravit* Luc. XXIV. 39. Joh. XX. 20. 27. *Non est idem cum* μορφῇ, ὁμοιώματι, *non inanis figura & species corporis, quasi Christus non esset verus homo; sed talis habitus qui demonstrat rei veritatem, sicut* τύραννον σχῆμα ἔχειν, *apud Sophoclem, est se* tyrannum præstare, *demonstrare. Hinc* εὑρεθεὶς *dicitur*, inventus, *compertus, certissimis argumentis est,* ὡς ἄνθρωπος, sicut homo, *scil.* verus, *vulgaris, ut* ὡς *hic sit affirmantis, seu* veritatis *nota, non* similitudinis, *sicut* Joh. I. 14. *q. d.* habitum hominis, *nim. id omne, per universam vitam & conversationem præ se ferens, quod vere erat, scil. homo.*

C. Mortis, humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Est hic*

1. Humiliatio, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, humiliavit seipsum. *Quis? Christus, Filius Dei. Quem humiliavit? seipsum, non, volens nolens, humiliatus est ab alio; sed sponte humiliavit seipsum: & quidem velut* θεάνθρωπος: *quoad* divinam *naturam, occultando, & quasi subducendo, majestatem æqualitatis cum Patre suo; quoad* humanam *naturam, suscipiendo statum ac sortem demissam, abjectam, quasi malefici; atque etiam in isto statu, se quam humillime gerendo vers.* 5.

2. Argumentum *seu* materia *humiliationis*, factus obediens ad mortem. *Obediens* ὑπήκοος, *ab* ὑπακούω submisse audio, *scil. ut superioris voluntatem percipiam primo, tum exsequar promte. Fuit Christus obediens, tum Deo* Patri; *tum etiam* hominibus, *Parentibus, Magistratui, Judæo, Romano.* Ad mortem usque. μέχρι usque, *hic non* exclusivè; *sed* inclusivè *capiendum, ut significetur, ipsum obedientem fuisse, non tantum* usque *ad mortem; sed &* in *morte; imo tantam fuisse ejus obedientiam, ut ad* mortem *etiam pertigerit, quin ad mortem omnimodam, naturalem, spiritualem & æternam.*

3. Gradus *humiliationis ad mortem*, θανάτου δὲ σταυροῦ, mortem autem crucis. *Non ordinariam ac* naturalem, *nec violentam etiam qualemcunque, comburii, lapidationis — sed præcise* crucis. Σταυρὸς, *à* T. *cujus figuram gestat crux, sonat* stipitem defixam, *eam nominatim à quâ suspendebantur egregie malefici: Christianis notat istud lignum in quo Christus mortuus est* Matth. XXVII. 32. 40. *metonymicè non raro universam Christi passionem, cujus præcipuam præstabat partem* Heb. XII. 2. Eph. II. 16. *hic mortis Christi illud genus ignominiosissimum, quod Latini* malam crucem, infelicem arborem, infamem stipitem, damnatum stipitem *appellant, quod, sententia Appiani* Civil. lib. 2. *servis dictabatur: Hebræis insuper* maledictum Deut. XXI. 23. *quod Christus subire debuit, ut eos suos à maledictione liberaret* Gal. III. 13.

Pars Dogmatica.

Mediator seipsum ad maledictam usque crucis humiliavit.

III. Ex dictis igitur manifestum est, quod Filius Dei, Jesus Christus, per varios gradus, ad extremam usque crucis maledictionem, seipsum demiserit. Dicitur enim, in *formâ Dei*, h. e. in essentia & majestate Dei *existens, spolium non duxisse*, quod Deo esset æqualis: seipsum *inaniviss*e, formam servi assumsisse, hominibus gregariis seipsum assimilasse, seque ipsum *humiliasse*, in nativitate, vitâ & morte. Similia, quoad rem, Apostolus prodit Heb. II. 7. 9. 10. 17. 18. 2 Cor. VIII. 9. & ipse Servator Matth. XVII. 22. Marc. IX. 31. & X. 33. 34. Luc. IX. 44. & XXIV. 26. quæ prædicta etiam leguntur Jes. LIII. — Psal. XXII. & VIII.

Probatur, 1. Scripturis. 2. Rationibus.

5. 6. Fundamentum extremæ hujus humiliationis, est in *expromissione* Christi mediatoria. Quia enim (1) protoplasti, transgressione mandati divini, & violatione fœderis legalis, & nos omnes in ipsis, nos *elevaveramus* supra Deum, ejusque legem, eoque demeriti eramus extremam humilitatem, usque ad *mortem*, & æternam *exsecrationem* Rom. V. 12 — Gal. III. 10. Deut. XXVII. 26. ideo necessum fuit, ut expromissor, pro redimendis, extremam subiret *humiliationem* Jes. LIII. 2 — 7. 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. & IV. 4. 5. Quia etiam (2) redimendi isti, ad summum altitudinis & gloriæ gradum, per ipsum elevandi erant Eph. II. 4. 5. 6.

hinc

hinc ipſe extremum *humiliandus* erat 2 Cor. VIII. 9. Gal. III. 13. 14. Quia (3) in hac filii ſui humiliatione, manifeſtanda erat, ab *una parte* rigidiſſima Dei *juſtitia* vindicativa, verſus expromiſſorem 2 Cor. V. 21. Rom. III. 25.: ab *altera parte*, inexhauſta ejus *miſericordia*, verſus peccatorem redimendum Eph. II. 4. 7. 8. conveniens omninò erat, ut expromiſſor ad extremam humilitatem & miſeriam dejiceretur, per quam *ſervus* fieret Phil. II. 7. Jeſ. LIII. 10. 11. &, quod pejus, *vermis* Pſal. XXII. 7. imò, quod peſſimum, κατάρα Gal. III. 13. & *peccatum* 2 Cor. V. 21.

Quid ſtatus humiliationis,

IV. Eſt autem ſtatus *humiliationis*, ille, quo Mediator θεάνθρωπος, quoad *divinam* quidem naturam, ſeipſum privavit uſu & manifeſtatione gloriæ, ſibi aliàs competente; & quoad *humanam* naturam, cum extremâ humilitate, ſubjectus eſt *legi* divinæ, ad perferenda & agenda omnia, quæ ad reſtitutonem peccatoris requirebantur Phil. II. 7. 8. Gal. IV. 4. 5. Hic humiliationem aſſerimus toti θεανθρώπῳ, eo quod ei competat ut *Mediatori*, quem agit ut θεάνθρωπος, ſicut alibi ex profeſſo demonſtravimus Cap. II. hujus lib. &

Quoad divinam naturam.

quidem, quoad utramque naturam: quoad *divinam* quidem, ratione *occultationis*, quâ ſeipſum, in humanâ naturâ abdidit, ut in tabernaculo (ἐσκήνωσε Joh. I. 14.) & *manifeſtatione* gloriæ ejus, quam ab æterno habuit apud Patrem Joh. XVII. 5. ſeipſum orbavit, ut nulla *forma*, nullus *decor*, in eo obſervaretur, quo aut honorabilis aut acceptablis eſſe poſſet Jeſ. LIII. 2. niſi quod *extra ordinem*, perpetratione miraculorum, aliiſque modis, ſeipſum ſubinde manifeſtaverit 1 Tim. III. 16. 1 Joh. I. 1. 2. Luc. II. 9. 11. 12. Matth. XVII. 2. 3. 4. 5. Joh. XIV. 8. 9. 10. 11.: quoad

Quoad humanam naturam.

humanam, ratione intrinſecæ *depretiationis* ac miſeriæ quam accepit, de quâ Jeſ. LIII. 2.—quâ viliſſimo mancipio fuit abjectior Phil. II. 7. *vermis non vir*, opprobrium hominum & contemptus populi Pſal. XXII. 7. Cujus humiliationis *ſcopus* fuit, ut legi ſubjiceretur Gal. IV. 4. ad præſtandum ejus δικαίωμα pro redimendis Rom. VIII. 3. tum *agendo*, tum *puniendo*, ut ſuo loco, ξὺν Θεῷ, ex profeſſo oſtendemus.

Humiliatio iſta apparet

V. Apparet iſta humiliatio *primo* in ejus *conceptione*, quatenus 1. aſſumendo humanam naturam, in unitatem ejuſdem ſecum perſonæ, æternus Dei Filius, Creator omnium, quaſi *factus* eſt in tempore, & è muliere, cujus ipſe creator erat

1. In conceptione.

Gal. IV. 4. cum 1 Tim. III. 16. eaque ratione quaſi *occultatus* eſt in carne Joh. I. 14. quatenus 2. humanam iſtam naturam aſſumpſit, ex ſubſtantiâ virginis, è regio quidem Davidis ſanguine oriundæ: ſed maxime tamen *pauperis*, humilis & abjectæ conditionis Luc. I. 48. Matth. XIII. 55. Marc. VI. 3.

2. In natalitate.

VI. *Secundo* in *nativitate*, in quantum 1. qui ab æterno, in æternum, Deus *erat* vivens, benedictus in ſecula; nihilominus in plenitudine temporum, *naſci* voluit ex muliere Pſal. XC. 2. cum Matth. I. 25. & qui omnibus, & vitam, & halitum, & omnia ſubminiſtrat Act. XVII. 25. à miſerâ mulierculâ vitam & halitum accepit. In quantum 2. ipſa ejus *nativitas* circumſtantiis laborabat contemptiſſimis, quando natus eſt, non domi Matris ſuæ; ſed apud peregrinos Luc. II. 4. 5. 6. non in palatio, ſed diverſoriolo; non in commodo quodam ejus conclavi, ſed in ſtabulo apud pecudes, quod locus ei non eſſet in diverſorio Luc. II. 6. 7. quod ſplendor gloriæ & majeſtatis divinæ, obvolutus fuerit faſciis, & collocatus in præſepi. *Ibid.*

3. In vitæ ſtatu.

VII. *Tertio* in *vita*, qua 1. qui ſummus erat νομοθέτης, Jeſ. XXXIII. 22. ſubjectus fuerit *legi* Gal. IV. 4. Matth. V. 17. Gal. III. 19. Quâ 2. qui *Satanam* catenis caliginis conſtrictum ſervat, ad judicium magni diei Jud. VI. 6. Satanæ violentiſſimis & ſubtiliſſimis *tentationibus* fuerit expoſitus Matth. IV. 1.—12. Luc. IV. 1.—14. Quâ 3. qui eſt *Dominus gloriæ* 1 Cor. II. 8. *Deus benedictus in ſecula* Rom. IX. 5. tot quorum vis, vel viliſſimorum odia, opprobria, perſecutiones, & quæ non? expertus eſt Joh. XV. 18. Matth. XIII. 55. Pſal. XXII. 6. Heb. XII. 2. 3. Marc. III. 21. Matth. XII. 10. 24. & XXVI. 14. 15. 16. Quâ 4. qui nihil *mali* fecerat, ipſo Judice, ſibi cætera ſatis iniquo, & quidem pro tribunali, in os ſuorum adverſariorum, pronunciante Matth. XXVI. 23. nihilominus *omne malum* ſubiit Heb. IV. 15. h. e. non eas tantum infirmitates, quibus ex humanæ naturæ conditione, promiſcuè ſumus obnoxii, famem, ſitim, dolorem, moleſtias &c. ſed & alia quævis, magis peculiaria abjectiſſimæ iſti conditioni, cui ſeipſum pro nobis expoſuit Jeſ. LIII. 2.— Uſque adeo, ut univerſa ejus vita non fuerit niſi ſentina miſeriarum & paſſionum.

4. In morte.

VIII. *Quarto* in *morte*, ubi (1) perfide *proditus* à proprio diſcipulo Matth. XXVI. 14. 15. 16. & XXVII. 4. (2) turpiter *defertus* ab omnibus ſuis diſcipulis Matth. XXVI. 56. (3) à dilectiſſimo *diſcipulo* ter, & tam enormi modo, abnegatus Matth. XXVII. 69.—(4) falſis teſtimoniis, ludificationibus, percuſſionibus, colaphis &c. indigniſſimè *exagitatus* Matth. XXVI. 59. 69. (5) ſine ullâ cauſâ, tam à curiâ *Judaica*, quam *gentili* Pilati, injuſtiſſimè ad extremum ſupplicium condemnatus Matth. XXVII. 11.—27. (6) à militibus barbare tractatus Matth. XXVII. 27.—35. (7) crucifixus ignominioſiſſimo modo, medius inter duos latrones, extra urbem, in Golgotha, loco infami Joh. XIX. 17. 18. Matth. XXVII. 38. (8) pendens in cruce, diriſſimis cruciatibus *excarnificatus*, animam trahens, etiam ſarcaſtice *deriſus*, ab omni ſpectatorum genere Matth. XXVII. 39.—44. (9) præciſe *maledictum* iſtud mortis

tis genus admisit, ut *maledictio fieret* pro peccatoribus maledictus Gal. III. 10. 13. Atque adeo morte istâ, *lux* mundi *extincta*, *sanitas* mundi *vulnerata*, *vita* occisa, & *Servator* mundi, qui *peccatum non cognoverat*, pro peccatoribus *factus est peccatum* 2 Cor. v. 21.

5. In sepultura. IX. *Quinto* in *sepulturâ*, quâ A. qui clavem possidet *inferni & mortis* Apoc. I. 18. 1. Cor. xv. 55. 56. 57. qui non debebat videre *corruptionem*; nihilominus conjectus est in specum corruptionis Jes. XXXVIII. 17. quâ B. qui Rex regum erat, & Dominus dominantium, funeratus est, absque ullis solemnibus funeralibus, neque C. in sepulchrum *majoribus* suis conveniens; sed in sepulchrum *alienum*, ut qui non habeat quo caput reclinaret Luc. IX. 58. nec D. à *suis*: sed *alienis*, quamvis clam ejus discipulis, Josepho Arimathensi, & Nicodemo Joh. XIX. 39. 40.

6. In descensu ad inferos. X. *Sexto* in *descensu ad inferos*, utpote per quem, non tantum A. ad triduum fuit quasi *captivus* mortis & peccati, non aliter, quam si ipse peccatum commisisset Act. II. 24. 25. 26. 27. 31. Psal. XVI. 13. Rom. VI. 9. & quasi sub triumpho Satanæ, peccati, mundi ac potestatis tenebrarum Heb. II. 14. Rom. VI. 23. 9. Matth. XXVIII. 62.—Sed etiam B. in animâ suâ, *infernales* pœnas, nostris peccatis debitas, sustinuit, tam ratione *damni* Matth. XXVII. 46. ex Psal. XXII. 2. quam ratione *sensus* Matth. XXVI. 38. Joh. XII. 27. Hæc omnia, eo tantum, hic quidem adducimus, ut perspiciamus extremam Mediatoris humiliationem, in subsequentibus, singula horum, in suâ latitudine expedituri.

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An Mediator humiliatus fuerit secundum humanam naturam tantum?

XI. Controversiæ hujus capitis, ingredientia hujus humiliationis particularia, conceptionem, nativitatem &c. concernunt, suis locis, ἐν θεῷ, peculiariter dicenda sunt, hujus loci tria tantum sunt κρινόμενα, *primo*, an Mediator humiliatus sit *tantum* secundum humanam naturam? Sociniani quia *divinam* non recipiunt: Pontificii, quia *secundum* naturam tantum *humanam*, eum Mediatorem prædicant: Lutherani, quia inanitionem nihil aliud volunt esse, quam evacuationem *divinæ majestatis*, humanæ naturæ communicatæ; affirmativam tuentur: Reformati ex adverso, Mediatorem quoad *utramque* naturam humiliatum statuunt: quoad naturam *divinam* quidem, ratione *occultationis* gloriæ seu quoad χρῆσιν tantum; quo modo Sol obscurari dicitur, quando per interjectas nebulas, aliudve opacum, non spargit ad nos radios suos: quoad humanam autem; ratione *depressionis* intrinsecæ: adeoque quæstionem negant, quia 1. κένωσις seu μορφῆς Θεῦ, seu ἰσώτητος Θεῦ, factâ assumtione μορφῆς δούλου, non potest non designare occultationem gloriæ, quæ non potest non respicere *divinam* naturam. 2. Quia gloriam & majestatem naturæ divinæ *occultatam* satis clarè significat ipse Servator, quando eâ se glorificandum à Patre petit Joh. XVII. 5. Quia 3. Apostolus testatur 2 Cor. VIII. 9. eum quando *dives erat* (procul dubio secundum divinam naturam) *pauperem factum* fuisse; non sanè *privatione* divitiarum divinæ naturæ Col. II. 9. proinde *occultatione*, quæ, citra omne dubium, respicit naturam *divinam*. Quia 4. omnibus fatentibus, divina Mediatoris natura, per periodum humiliationis, *latuit sub velo* & quasi tabernaculo carnis, nisi quod extra ordinem & suis tantum aliquando patuerit Joh. I. 14. 15. Quia 5. si *divina* natura ac majestas non fuisset *occultata* per assumtam carnem, utique omnibus patuisset, & manifestus fuisset, ut *Dominus gloriæ*: jam autem *non patuit* Jes. LIII. 2. 3. 1 Cor. II. 8. Phil. II. 7. 8. In contrarium duo ferè causantur Pontificii: nim. 1. quod ex nostrâ hypothesi, divina natura *mutata* fuisset. 2. quod *imperfecta* etiam. Utriusque consectarii falsitas satis superque perspicitur è dictis: ex gloriâ enim divinæ naturæ occultatâ, non infertur aliqua intrinseca ejus aut mutatio, aut imperfectio. Socinianorum sententia corruit, per divinæ Christi naturæ veritatem, alibi assertam. Lutheranorum itidem, per negatas cap. IV. proprietates divinæ naturæ, ut communicatas, unione hypostaticâ, humanæ naturæ.

Objectiones negativæ refelluntur.

2. An forma Dei significet naturam, an Majestatem Dei, an utrumque? Divortium sententiarum.

XII. Hinc etiam *secundo* quæritur, an per μορφὴν Phil. II. 6. intelligenda sit forma *substantialis*, an *accidentalis*? seu, an *forma Dei* denotet *essentiam* Dei, an *majestatem* Dei, an *utrumque*? Et si postremum; an *primario* gloria & majestas, & *secundario* ipsa Dei essentia? Convenit apud omnes, tam veteres, quam recentiores, tam Reformatos, quam Lutheranos (Antitrinitarios enim hic non moramur) formam duplicem esse, substantialem & accidentalem, adeoque per *formam Dei*, intelligi posse ipsam *naturam*, seu id per quod Deus est, ut esse in formâ Dei sit, esse naturâ Deum: atque etiam majestatem & gloriam Dei, idem esse cum naturâ ejus; diffidium tantum est, an in textu per *formam Dei*, intelligenda sit *natura*, an *majestas* Dei, E veteribus atque Reformatis nonnulli, v. g. Joh. Piscator, statuunt *non naturam*; sed *gloriam* hic intelligi ab Apostolo, cum his faciunt Lutherani, quamvis hæsitanter: *Hoc loco*, (inquit Joh. Gerard. Exeges. loc. IV. §. 495.) *negamus*, (scil. per μορφὴν Θεῦ πρώτως καὶ κυρίως *significari hac phrasi ipsam divinam essentiam: in se & absolute secundum* τὸ εἶναι *consideratam*; *sed dicimus intelligi per eam* statum divinum, *seu conditionem divinam, nempe gloriam & majestatem divinam.* Fatetur ergo, *secundario* & minus principaliter, etiam intelligi *naturam* & essentiam Dei. Ex adverso

Refor-

Reformati communiter, cum plerisque Patribus, per μορφὴν Θεοῦ, intelligunt primo & *principaliter*, *naturam* Dei; secundo & minus principaliter, majestatem Dei. Etenim 1. id procul dubio per μορφὴν Θεοῦ, primo & primariò intelligitur, per quod erat ἴσος Θεῷ; ast per *naturam* divinam erat ἴσος Θεῷ. 2. id per μορφὴν Θεοῦ primario intelligitur; quod in ἀντιθέσει commatis sequentis correlativi, intelligitur per μορφὴν δούλου: ast per eam *primario* intelligitur *natura* hominis servilis. Tum etiam 3. ad scopum Apostoli efficacius stringet, si sic arguat: Christus, cum esset Deus, ac proinde in *æquali gloria* cum Patre; ita tamen se demisit, ut *naturam* servi, h. e. hominis assumeret, fieretque servus Deo Patri, usque ad ignominiosissimam crucis mortem. Non addam 4. unanimem fere antiquitatis consensum: & quod 5. nihil obstet in contrarium. Si enim causentur, quod 1. nostra vocis significatio sit nimium philosophica, regeram fuisse, apud Græcos Philippenses, ex receptâ Aristotelis philosophia, vulgarem: Quod 2. Marc. XVI. 12. aliâ veniat significatione: fatebor quidem; sed dicam, non necessario eadem significatione hoc loco venire. Quod 3. tres voces in textu, μορφὴ, ὁμοίωμα & σχῆμα sint synonima; id probandum ipsis incumbet, cum in parte *exegetica* satis commode distinxerimus. Quod 4. per *formam servi*, in ἀντιθέσει non intelligatur ipsa *natura* hominis; sed *conditio* tantum *servilis*, quia formam servi in exaltatione suâ deposuerit (negabo ipsum in exaltatione *formam servi* deposuisse, cum servus Dei constanter maneat; sed *humilitatem* tantum formæ deposuit. Quod 5. *forma*, & *esse in* formâ, sint distincta, cum idem dici nequeat esse in seipso; cum igitur Filius Dei *sit ipsa* Dei forma secundum divinam naturam, dici non possit secundum eandem naturam, esse *in forma* Dei: agnoscam, quod forma non sit in forma, Deitas in Deitate, natura in natura; sed negabo filium Dei, quâ secunda persona est, esse *ipsam formam*, Deitatem seu naturam Dei, sed *habere* eandem formam, Deitatem & naturam divinam cum Patre suo, eoque sensu dici esse *in forma Dei*. Quod 6. si *in forma* Dei esse, non aliud sit, quam esse *natura Deum*, etiam Pater & Spiritus S. dici possint esse in forma Dei: dicam nihil in eo esse absurdi, perinde ut non est, si dicantur, ex adversariorum sententia, esse in *majestate* & *gloria* Dei. Quod 7. per formam Dei talis intelligatur gloria, quam *videre* possent Philippenses, ut ejus κένωσιν imitarentur, de quâ Joh. 1. 14. regeram, intelligi *naturam* illam, quâ persona erat ἴσος Θεῷ, & *gloriam* illam, de qua, ex institutione Pauli, non ex oculari visione, persuasi erant, quod in incarnatione fuerit *occultata*; extremâ humiliatione, quam imitari deberent. Confer partem *exeget.* & *dogmat.*

Argumenta orthodoxa.

Objectiones.

3. An humiliatio in eo consistat, quod majestatem & gloriam, unione personali, humanæ naturæ communicatam, non quidem quoad κτῆσιν & σύσιαν, sed quoad χρῆσιν & ἐξουσίαν, deposuerit? Lutherani in gratiam omnipræsentiæ *carnis* Christi in S. cœnâ *oraliter* manducandæ, & communicatas humanæ naturæ *proprietates divinas*, in quibus est majestas & gloria divina, affirmant: ex adverso negant Reformati, eo quod 1. Christum non tantum secundum *humanam*; sed etiam secundum *divinam* naturam, humiliatum fuisse jam ante §. x. docuerimus. 2. Fundamentum sententiæ Lutheranæ, nim. communicata humanæ naturæ idiomata *divina*, supra cap. IV. §. XXIV. ex professo destruxerimus. Accedit 3. quod Lutherani, affirmantes, quibus proinde, ex lege, incumbit probatio, in hoc humiliationem consistere, nec probaverint, nec probare conati sint.

XIII. *Tertio* quæritur, an humiliatio Mediatoris in hoc consistat, quod majestatem & gloriam

humiliatio in eo consistat, quod Christus majestatem & gloriam divinam, humanæ naturæ communicatam, deposuerit?

Pars practica.

Praxis humiliationis Christi:

XIV. Prout *elenchus* humiliationis Christi; ita & *praxis* ejusdem, respicit ingredientia ejus particularia, conceptionem, nativitatem &c. suis locis peculiariter docenda: generalior tamen hujus humiliationis contemplatio *primo* nobis commendat ineffabilem Mediatoris *gratiam*, juxta Apostolum 2 Cor. VIII. 9. *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quod propter vos, pauper factus sit, ut vos illius paupertate ditesceretis.* Quam gratiam evidentius etiam perspiciemus, si distinctius cogitemus 1. *Personam*, seu humiliatam seu humiliantem, quæ fuit, non *homo* quivis, vel humilis vel illustris; neque *Angelus* etiam, vel supremi ordinis: sed ipse *Filius Dei*, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, Patri suo ἴσος, tam quoad naturam, quam quoad gloriam, *effulgentia gloriæ*, & *character personæ ejus* Heb. 1. 3. *imago Dei invisibilis* Col. 1. 15. πλούσιος ὤν 2 Cor. VIII. 9. in quo *omnes thesauri absconditi sunt* Col. 11. 3. Si 2. cogitemus ipsam *humiliationem*, quâ *non duxit rapinam*, *æqualem esse Deo*, non superbivit, ut victores triumphantes, spoliis suis; sed seipsum ἐκένωσε *evacuavit* penitus omni majestate & *gloria* nativâ, atque ita seipsum humiliavit, ad *mortem* usque ignominiosissimam crucis. Si 3. cogitemus *gradus* humiliationis, per singula ejus ingredientia, quoad *conceptionem*, *nativitatem* &c. quoad ingressum, progressum & egressum vitæ suæ &c. Si 4. addamus *causas* humiliationis impellentes, *intus* quidem puram putam *gratiam* 2 Cor. VIII. 9. *extus* extremam hominis *miseriam*, fastu adversus Deum contractam. Cont. Jes. XIV. 11.—20. Matth. XI. 23. Si 5. conferamus humiliationis *finem*, ut miseros & abjectos *exaltaret* 2. Cor. VIII. 9. Ista omnia si devote coacervemus, suppetet sanè A. quod *animo* profunde *miremur divitias grâtiæ* Eph. 1. 7. Imo

1. Nobis commendat Mediatoris gratiam,

Argumenta commendationis.

Usus commendationis.

τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς, *exundantes divitias gratiæ ipsius, in benignitate super nos* Eph. II. 7. B. Quod *ore* pleno prædicemus, exclamando: *Quis sicut Dominus Deus noster! qui habitat in excelso, qui humiliat se, ad videndum in cœlo & in terra, qui erigit de pulvere tenuem, qui elevat de sterquilinio egenum, ut sedere faciat eum cum magnificis populi* Psal. CXIII. 5.—8. C. Quod quavis gratitudine, promptissime referamus Psal. CXVI. 12.

2. Præstat solatium. XV. *Secundo*, præstat humiliatio Mediatoris, suavissimum *solatium*, his 1. qui sunt in *formâ servi*, hoc est, extremum humiliati, seu abjecti & contemti in mundo 1 Cor. IV. 13. Rom. VIII. 36. Conf. Jes. LIII. 2. 3. His 2. qui cum Christo sunt humiliati ad ignominiosissimam *mortem crucis*, h. e. quos hostes Christi, ad ignominiosissimam mortem persequuntur 1 Cor. IV. 9. Psal. XLIV. 23. His 3. qui sunt quasi *vermiculi* in mundo Jes. XLI. 14. Conf. Psal. XXII. 7. His 4. quî sunt *pauperes* in mundo, & quasi *servi* & mancipia, infirmæ conditionis homines 2 Cor. VIII. 2. 9. Rom. XV. 16. Psal. XXII. 25. In his aliisque humiliationis casibus, quantum juvat devotè cogitare A. & Mediatorem nostrum, quamvis in *forma* Dei existentem, ac Deo *parem*, fuisse *evacuatum* omni *gloria* & honore. Idque B. *sui* causa 2 Cor. VIII. 9. ut *se* exaltaret. Atque adeo C. in hac suâ humiliatione, se *conformes* fieri *imagini* Filii Dei Rom. VIII. 29. in quo summa eorum consistat perfectio Luc. VI. 40. *se crucem Christi* portare, eoque sese genuinos Christi discipulos probare Luc. IX. 23. Etiam D. *indecorum* esse, ut discipulus sit melioris conditionis, quam *magister* suus Matth. X. 24. Tandem E. si cum magistro *humilientur*, cum eo etiam *exaltandos* fore Rom. VIII. 17. cum Phil. II. 10. quod ad hoc *ipse* humiliatus, ac *pauper* factus sit, ut ipsos exaltaret, seu *divites* faceret 2 Cor. VIII. 9. Quibus argumentis *latari* possunt in Rege suo *paupere* Zach. IX. 9. imo *gloriari* in humilitate sua Jac. I. 9. 10. Rom. V. 3. Modo ℵ. ad exemplum Christi, qui non tantum humiliatus est aliunde, à Patre Jes. LIII. 3. 4. 6. sed & *seipsum* inanivit, humiliavit: non tantum *humiliari* nos patiamur ab aliis, Deo aut hominibus: sed & nos ipsos sponte *humiliemus* 1 Pet. V. 6. crucem nostram sponte *tollamus* Luc. IX. 23. ut & in hoc Christum *sequamur*, eique assimilemur. Modo ג. cum Christo, in humiliatione nostri, *Deo obediamus*, ei non obmurmurando; obediamus *ad mortem* usque, imo ad mortem *crucis*, h. e. ad ignominiosissima & pessima quævis 1 Cor. IV. 9. 13. Modo ד. cum Christo, istam nostri humiliationem, & si quid nobis adest boni & excellentis, non *habeamus pro rapina*, h. e. eo non elevemur, *superbiamus* 1 Cor. IV. 6. 7. & XV. 10. Psal. CXV. 1.

In quibus casibus.

Quibus argumentis consolatoriis.

Quibus legibus.

3. Reprehendit. XVI. *Tertio*, reprehendit *fastum* & perversitatem eorum, qui 1. cum revera non sint nisi in *forma servi*, adnituntur esse *in forma Domini*, imo in formâ *Dei* Gen. III. 5. Jes. XIV. 12. 13. 14. Quatenus, pro eo quod Christus in *forma Dei existens, se ipsum evacuavit, humiliavit*; ipsi tumentes & inflati animo 2 Cor. XII. 20. 2 Tim. III. 4. seipsos extollunt A. *supra Deum* Exod. V. 2. Jes. XIV. 12. 13. 14. Act. XII. 22. 23. 2. Thess. II. 4. Deumque aspernantur Job. XXI. 14. 15. Jer. XLIV. 16. 17. B. *supra seipsos*, quatenus ὑψηλοφρονοῦντες Rom. XI. 20. se *majores* faciunt, quam reverà *sunt*, sibi arrogando quæ *non* habent Apoc. III. 17. Gal. VI. 3. aut supra modum elevando, quæ *habent* 2 Reg. X. 16. C. *supra alios* 1 Cor. IV. 6. Luc. XVIII. 11. Qui 2. quasi pro *spolio ducunt*, h. e. externo fastu, ut victores sua spolia, manifestant, quod possident aut sibi arrogant *divini*, aut boni; v. g. potestatem & potentiam, virtutem, opes &c. Idque ℵ. *ore*, & sermone tumido Exod. V. 2. 2 Paral. XXXII. 11.—20. Psal. LXXIII. 6. 8. 9. 11. Jud. vs. 8. Psal. XII. 4. & XVII. 10. ב. *gestibus* magnificis Luc. XVIII. 11. *stans* Apoc. XVII. 7. *sedeo Regina* &c. Psal. CI. 5. Prov. XXI. 4. ג. *habitu* & vestitu fastuoso Jes. III. 19. 20. ד. *conversatione* superbiâ Jer. XLVIII. 29. Psal. XXX. 7. Jam mihi cogita 1. quam sit *iniquum*, turpe & perversum, ut Filius *Dei*, in *forma Dei* existens, Patri suo *æqualis*, seipsum *inaniat*, formam servi assumat, seipsum humiliet, ad ignominiosissimam usque crucis mortem: & filius *hominis*, in formâ *servi* existens, quasi formam *Dei* assumat, seque Deo *æqualem* faciat, seipsum inani *fastu* repleat, suaque bona ac dona puerliter ac stulte ostentet. 2. Quam *justum* sit, ut talis *inaniatur* omni *forma* quam habet, ut *humilietur* ad *formam* usque servi abjectissimam, ut abjectissimis similis reddatur, ut subjiciatur morti, vel ignominiosissimæ, crucis. 3. Quam sit *abominabilis* iste fastus, in conspectu Dei 1. Pet. V. 5. Prov. VI. 16. 17. & XVI. 5. Luc. XVI. 15. & XVIII. 11. 14. ut cum fremitu *videat* Job. XL. 6. 7. cum indignatione *audiat* Job. XLII. 2. 3. irâ *frangat* Levit. XXVI. 19. Jes. II. 12. furore suo *perfundet* Ezech. XXX. 6. Quam 4. horrendis judiciis exagitaverit factum, in Babele Jes. XIV. 4.—27. Nebucadnezare Dan. IV. 29.—34. Herode Act. XII. 21. 22. 23. &c.

Quibus argumentis reprehensoriis.

4. Hortatur ad humilitatem. XVII. *Quarto* hortatur, ut adnitamur *eundem affectum* habere, *qui erat in Christo*. Hic scopus est propositi universi hujus argumenti. Affectus scil. (1) *Modestiæ*, quâ cum Christo, (οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο &c.) nec *arrogemus* nobis eam excellentiam, quæ nobis *non* competit Apoc. II. 9. 1 Cor. IV. 6. nec *jactemus* eam, quæ nobis *vere* competit 1 Cor. IV. 7. nec ex nostris prærogativis, *inanem* sectemur *gloriam*, nostra elevemus *supra* modum Gal. V. 26. nec *ambiamus* honores dignitatesque

Officia humilitatis.

Psal.

Psal. cxxxi. 1. (2) κενώσεως, quâ cum Christo (ἐκένωσε ἑαυτὸν) nos ipsos *inaniamus*, ἐξεδενώμεν, pro *nihilo* habeamus, imprimis cum *Deo* collatos 1 Cor. i. 28. Gen. xviii. 27. quemadmodum Servatorem nostrum Herodes Luc. xxiii. 11. & Primores Judæorum, & ipse seipsum *inanivit*, à quo *lapis* dicitur ἐξουδενηθεὶς ὑπ' οἰκοδομούντων Act. iv. 11. ex Psal. cxviii. 22. (3) Ταπεινοφροσύνης, quâ cum Servatore (ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν) simus *humiles corde* Matth. xi. 29. nos ipsos *abnegemus* Luc. ix. 23. *voluntatem* propriam, quasi ad pedes Dei *projiciamus* Matth. xxvi. 39. (4) Ὑπακοῆς, quâ cum Christo (ὑπήκοος μέχρι &c.) submisse *audiamus* Deum, & ad voluntatem ejus præstandam, nos humillimè componamus Joh. v. 30. 1 Sam. iii. 10. Conf. Jer. xlii. 5. 6. ad *mortem*, imo ad *ignominiosissimam* usque Act. xx. 23. 24. (5) σχήματος καὶ μορφῆς δούλου, quâ, in *externis* etiam, cum Servatore, per universam nostram *conversationem*, nos geramus, non ut *Dominos*; sed ut *servos*, quoad A. *vocem* ac sermonem, absque omni grandiloquentiâ Jud. vers. 8. loquacitate & clamoribus Jes. xxix. 4. Matth. xii. 19. abjectè de nobis ipsis *loquamur* Psal. xxii. 7. 1 Sam. xxiv. 15. nostram vilitatem & indignitatem coram Deo confiteamur Dan. ix. 5. 6. Quoad B. *gestus*, quibus & Servator, σχήματι ὡς ἄνθρωπος inventus est, v. g. genuflexionem Matth. xxvi. 39. Phil. ii. 10. incurvationem Gen. xviii. 2. oculorum demissionem Psal. cxxi. 1. &c. Quoad C. *habitum* externum humilem Matth. iii. 4. qualem in V. T. significabat *saccus* 1 Reg. xxi. 27. 2 Reg. xix. 1. Psal. xxx. 12. Quoad D. universam *conversationem*, familiarem, mitem, æquabilem Matth. xi. 29. Act. xx. 19. Joh. xxxi. 34. Atque hic *affectus* ille est, *qui erat in Christo Jesu*, cui, ex mandato Apostoli Phil. ii. 6. omni conatu

Argumenta suasoria ad humilitatem.

adnitendum, ut *& in nobis sit*. Hac enim ratione, 1. magis magisque *assimilabimur* Christo Matth. xi. 29. in quo omnis nostra consistit *perfectio* Matth. x. 25. Imo 2. *uniemur* cum Christo; ubi enim affectus Christi est & vivit, ibi ipse etiam Christus est vivitque Gal. ii. 20. Etiam 3. consequemur *tranquillitatem* animi Matth. xi. 29. *Discite à me, quia.--humilis sum corde, & tranquillitatem invenientis animabus vestris*: eo quod Christiana humilitas æstuosos affectus, à quibus omnes animi turbæ resultant, componat, atque etiam in omni statu, conditione ac sorte, hominem ad voluntatem Dei componat Psal. xxxix. 10. Insuper 4. ex promissione Dei, *gratiam* consequemur 1 Pet. v. 5. Luc. i. 53. *justificationis* & remissionis peccatorum Luc. xviii. 14. *præsentiæ* & unionis divinæ Jes. lvii. 15. Tandem 5. cum Christo humiliati, etiam cum eo *exaltabimur* Phil. ii. 9. Jac. iv. 10. Luc. xviii. 14. Prov. xxii. 4. Istum vero

Media ad humilitatem consequendam.

humilitatis affectum, qui erat in Christo, hæc nobis efficacissimè procurabunt adminicula: א. Ob oculos habere præluentem *Christum*, quem ad hoc, suis Philippensibus proponit Apostolus in textu, quod ipse etiam Servator commendat Matth. xi. 28. Joh. xiii. 12—16. ב. Devotè comparare nostram *vilitatem*, cum immensa Dei *perfectione*, majestate & gloriâ Gen. xviii. 31. Prov. xxx. 1. 2. Job. xlii. 3. 4. Jes. vi. 1. 2. Rom. ix. 20. 21. ג. Seriò *nos ipsos* contemplari: *quid est homo?* Psal. viii. 5. *quis tu?* Rom. xiv. 4. *quid habes?* 1 Cor. iv. 7. Singulatim, (*a*) qui & quales *fuerimus* per creationem, & ex quo perfectionis & gloriæ gradu ceciderimus Rom. iii. 23. Conf. Esd. iii. 12. (*b*) qui & quales *simus* post peccatum, *filii iræ, mortui in peccatis* Eph. ii. 2. pessimi Tit. iii. 3. miserrimi Rom. vii. 24. (*c*) quales propediem *futuri* simus per mortem, & æternam condemnationem Matth. xxv. 41. nisi pura puta misericordia, eam Deus avertet. ד. Attente contemplari *peccatorum* nostrorum multitudinem, turpitudinem, pœnas Luc. xviii. 13.

XVIII. *Quinto* instigat, ut Mediatorem, quo profundius ipse se pro nobis *humiliavit*, eo nos altius *elevemus* Phil. i. 20. Quod fit, (1) ipsum *efferendo supra omnia* in corde nostro, prout Deus, hac causa, ipsum ὑπερύψωσε Phil. ii. 9. ipsum præstantissimis quibusvis præponendo Matth. x. 37. Phil. iii. 7. 8. Psal. lxxiii. 25. (2) Ei *nomen* tribuendo, quod sit *supra omne nomen* Phil. ii. 9. Eph. i. 21. cum non aliud, ejusdem generis & efficaciæ *nomen* sit sub cœlo Act. iv. 12. *nomen ejus* non nisi summa cum *reverentia nominando* 2 Tim. ii. 19. pro *nomine Domini nostri Jesu Christi*, *animas* nostras confidenter deponendo Act. xv. 26. (3) *Genua* & corporis & cordis, ei religiose *flectendo* Phil. iii. 9. h. e. nos ipsi (tanquam *Domino* nostro, cui *omnem potestatem* Deus dedit *in cœlo & in terra* Matth. xxviii. 18. quem constituit *caput supra omnia* Eph. i. 21. 22. cujus *pedibus omnia subjecit* Psal. viii. 7. 8. 9. 1 Cor. xv. 27.) quanti quanti sumus, totos *submittendo* Eph. v. 24. 1 Pet. iii. 22. (4) *Lingua* nostra confitendo, quod *Dominus* sit, Jesus Christus Phil. ii. 9. Matth. x. 32. 33. Joh. i. 20. (5) *Formam* Dei, & *æqualitatem* cum Deo, quâ seipsum *evacuavit*, & quam plenissimè *asserendo* Matth. xvi. 16. (6) Pro *forma servi*, quam assumsit, formam *Dei*, in qua ab æterno fuit, ei quam liberalissimè *restituendo* Joh. xvii. 1. 5. eum pro *Domino* recipiendo Act. ii. 36. Col. ii. 6. imo pro Domino *dominantium* Apoc. xvii. 14. & xix. 16. pro *Domino gloriæ* 1 Cor. ii. 8. (7) Pro eo quod ipse se *submiserit* Patri, eique *obediens* factus sit ad mortem crucis; nos ei vicissim *submittendo*, eique obediendo, usque ad mortem, & omnium quidem ignominiosissimam Heb. v. 8. 9. Act. xx. 24. Eo quod A. Deus ipse, pro sui humiliatione, hanc exaltationem ei *decreverit* & *contulerit*

5. Instigat, ut Christum humiliatum exaltemus.

Exaltationis hujus officia.

Argumenta motiva.

Phil. II. 9. διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε &c. Quod B. μορφὴ Θεῦ, & æqualitas cum Deo, ipsi *natura* competat, quodque ab æterno eam de *jure* habuerit Joh. XVII. 5. Quod. C. *pro nobis*, ut nos *exaltaret* 2 Cor. VIII. 9. seipsum *evacuaverit* omni gloria, seque eo humilitatis ac miseriæ demiserit: ipsi pro gratitudine, hujusmodi *exaltatio*, omni jure à nobis debeatur Apoc. V. 9. 10. Quod D. ipse viciſſim nos olim *exaltaturus* sit Luc. XXII. 29. ut cum eo *regnemus* Rom. VIII. 17. ac *sedeamus in thronis* Apoc. III. 21. & IV. 4. Matth. XIX. 28.

CAPUT DECIMUM,
DE
Mediatoris Incarnatione.

Luc. I. 35.

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo & quod nascetur ex te sanctum, Filius Dei appellabitur.

Connexio præcedentium & consequentium.

I. HUmiliationem Mediatoris hactenus cogitavimus *generalius*, eadem jam cogitanda venit paulo *specialius*, per quatuor hos gradus: 1. incarnationem, 2. vitam, 3. mortem, 4. & descensum in sepulchrum & ad inferos. Et *incarnatio* quidem duo ista involvit, Mediatoris *conceptionem* & *nativitatem* (assumptionem enim humanæ naturæ, factam à divina persona, unionemque humanæ naturæ cum divina persona, dudum examinavimus cap. IV.) quæ indigitantur pericopa Luc. I. 35.

Pars exegetica.

Textus resolvitur & explicatur.

II. *Cujus pericopes verbis, angelica continetur* prædictio, incarnationis, *seu miraculosæ* conceptionis & nativitatis *Christi. Prædicitur ergo Mediatoris*

1. Conceptio, *cujus notatur*

A. Procurator: *ejusque nomen*

1. Proprium, Spiritus S. (*Cui Servetus audacter substituit* τὸν λόγον) *de quo ex professo diximus lib.* 2. Cap. XXVI. *Quamobrem conceptionis procuratio peculiariter tribuatur tertiæ personæ, cum tribus sit communis, in Elenchticis, forte explicabitur. Interim hic observandum, cum adversus Socinianos, quod Spiritus S.* persona *sit, eo quod ipsi operationes personales asserantur, nim.* supervenire, obumbrare: *tum adversus Macedonianos, Pneumatomachos, Joh. Bidellum, quod sit persona* divina, *ex eo quod fœcundatio Virginis, quæ istis operationibus designatur, sit operatio* divina.

2. Appellativum: virtus altissimi. *Per quam hic non venit intelligendus ipse Christus, qui objecto corpore, Virginem quasi umbrâ texerit, ut nonnulli è Patribus senserunt, teste Maldonato ad h. l. Sed Spiritus S., cum corpus tum temporis nondum habuerit Servator. Proinde* τὸ καὶ, *hic non est* copulativum *diversarum personarum; sed* exegeticum *seu explicativum unius personæ. Unde* virtus *& Spiritus S. frequenter in Scripturis copulantur, sic* Act. I. 8. *&* XXIV. 49. Luc. IV. 14. Act. X. 33. Rom. I. 4. *&* XV. 13. 1 Cor. II. 4. Eph. III. 16. 1 Thess. I. 5. *Per* virtutem *autem non intelligi potentiam quanquam* accidentalem, *ut volunt Sociniani, cum in Deum non cadant accidentia, nec attributum* omnipotentiæ, *ut alibi* Lib II. cap. XXVII. §. XVIII. *diximus. Nec* ὑψίστου, *hic* διακριτικῶς, *ut Deum* summum *distinguat à Deo inferiore, qualis Socinianis est Christus; sed* explicativè, *ut idem valeat ac* Deus, *qui summus est in omni genere entium, ut patet ex fœcundatione miraculosa Virginis, quæ nullis creaturis, ceu Deis subordinatis competit* Jes. VII. II. 14.

B. Procuratio *conceptionis, cujus notatur actus duplex:*

א. Superveniet in te, ἐπελεύσεται ἐπί σε, descendet in te, *non equidem loco, quia omnipræsens; sed efficacia: non* vulgaris *providentia; sed* extraordinaria, *quali Deus olim descendit* Gen XVIII. 21. Conf. Jud. XIV. 6. *tali quæ Patris generationem supplet. Malo tamen reddere* superveniet in te. *H. e. id aget in te* spiritualiter, *quod vir in hujusmodi negotio agit* carnaliter: *nim.* 1. *segregabit aliquam partiunculam carnis & sanguinis tui ad partum.* 2. *illam præparabit in hunc usum.* 3. *arcebit omnem intemperiem ab illâ, à quâ postmodum pecca-*

peccatum oriri posset, scil. ut sanctum *nasceretur ex eâ.* 4. *humanam naturam uniet cum divinâ personâ. Non autem aliquam substantiam heterogeneam ac divinam semini tuo admiscebit: à quo natum ex te, Filius Dei appellatur, prout, odio aternæ & ineffabilis generationis Christi, volunt Sociniani.*

ב. Obumbrabit tibi, ἐπισκιάσει σοὶ. *Sunt inter Patres, qui interpretantur hoc,* obteget te, refrigerabit carnem tuam, *ut sine ullo libidinosa voluptatis sensu concipias: sic Augustinus, Gregorius, Beda. Vid. Maldonatus ad h. l. olent enim* LXX. *Interp.* τὸ סכך, *reddere per* ἐπισκιάζειν Psal. XCI. 4. & CXL. 8. & *alibi. Melius tamen Theophylactus aliique putant hic tralationem esse, sumtam ab avibus, pullos excludentibus, ut ita ostendat Angelus, eâ virtute oriturum hunc fœtum, quâ mundus ipse exordium sumsit: nam in historia Mosis* Gen. I. 2. Spiritus Dei מרחפת על פני המים, motabat super facies aquarum, *quod verbum de tali* incubitu *exponunt Hebræi doctissimi, & aperte hic est usus ejusdem verbi* Deut. XXXII. 11. *ubi* LXX. *Interp. utuntur* σκεπάσαι *pari significatu. Optimè, meo quidem judicio, dicitur, quod* umbræ *vox,* occultæ & *incomprehensibilis* ἐνεργείας *Spiritus S. index sit, quâ fœcundationis istud negotium adeo tectè egerit, ut ejus modus, ne ipsi quidem B. virgini innotuerit, atque insuper monitum voluerit, ne istius modum curiosius nos inquiramus. Quo spectare videtur nubis obumbratio, in tabernaculo fœderis* Exod. XL. 35. & *quod Cherubim obumbrarint arcam* 2 Paral. v. 8. Conf. 1 Reg. VIII. 12. Num. IX. 22.

2. Nativitas, quapropter natum ex te sanctum, Filius Dei vocabitur. *Est in his verbis*

A. Natum, *seu nasciturum,* sanctum διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, *ideo, etium quod ex te nascetur sanctum:* ἐκ σοῦ *in Græcis codicibus, nec in antiquis Latinis, nec in Theodotione: habent tamen Syrus Arabs, & Veteres scriptores, Irenæus, Tertullianus, Novatianus, Epiphanius, Athanasius, observante Bezâ, Grotio aliisque; & ideo retinendum judicantibus.* τὸ ἅγιον, illud sanctum *puta quod ex te nascetur,* τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ, *non aliud quodvis, proinde* διακριτικῶς *videtur usurpari articulus* Αγιον *pro* ἅγιος, *usitatâ Enallage generis, ut significetur* ὑφισάμενον *aliquod, quod jam ante exstiterit, quoad naturam* divinam, *& nasciturum sit, quoad* humanam *naturam. Illud autem* ἅγιον *appellatur, non ab eo, quod nasciturum ex semine sancto, quod Spiritus S. defœcaverit ab omni impuritate* originali: *neque enim de* semine *loquitur; sed de personâ sanctâ: neque etiam* semen, *quippe* ἄλογον, *subest impuritati* morali: *sed quod sit* sanctus ille Israëlis Jes, X. 20. *quem Pater, in æterno fœdere gratiæ* sanctificavit, *h. e. ab omnibus aliis hominibus futuris segregavit, & in tempore misit in mundum, futurum Mediatorem, quique futurus esset* ἐξόχως sanctus, *sanctissimo modo concipiendus, & immunis futurus, ab omni corruptione, tam* originali, *quam* Actuali 2 Cor. v. 21.

B. Nativitas, γεννώμενον, *Enallage præsentis pro futuro, ut* Matth. II. 4. *Non loquitur propriè de* conceptione: *sic enim dixisset* ἐν σοι; *sed de* nativitate, ἐκ σοῦ *Hinc Paulus:* γεννώμενον ἐκ γυναικὸς Gal. IV. 4. *Hic porro* γίνεσθαι *idem sonat quod* γεννᾶσθαι Luc. I. 13. Act. VII. 20. *Istam nativitatem Christi, per suas circumstantias referunt Euangelistæ, imprimis* Luc. II. *ut ex eis clarum esset, eum esse promissum illum Messiam.*

C. Nomen *nati,* Filius Dei appellabitur. Διὸ τὸ γεννώμενον... *Non quod extraordinaria & miraculosa ejus conceptio & nativitas sit ratio fundamentalis, ob quam sit appellandus* Filius Dei, *ut volunt Sociniani, excludendæ æternæ ejus generationi, à qua proprie est Filius Dei* Psal. II. 7. Mich. V. I. *Sed quod ope extraordinariæ hujus* conceptionis *per Spiritum S. facta fuerit unio divinæ personæ cum humana natura, è quâ natus, in concreto est* Filius Dei: *& a nativitate, Deus* manifestatus est in carne 1 Tim. III. 16. Κληθήσεται ergo, *idem hic vult, quod manifestabitur, jam dudum ab æterno* existens *Filius Dei, agnoscetur Filius Dei unigenitus* Joh. I. 18. *Significatur ergo toto commate:* 1. *Servatorem carnem suam accepturum,* EX *substantia B. Virginis.* 1. *Illam carnem, operatione Spiritus S. uniendam esse, & cum animâ rationali, ut emergeret verus* homo; *& cum personâ divina, ut eadem opera, esset verus* Deus, *adeoque* θεάνθρωπος. 3. *Ob hanc unionem cum secunda persona Deitatis; hominem illum natum ex B. Virgine, appellandum esse* Filium Dei.

Pars dogmatica.

Incarnatio Filii Dei, facta est modo plane extraordinario & mirabili.

III. Incarnatio igitur Filii Dei, facta est modo plane extraordinario & mirabili. Quia facta dicitur 1. per extraordinariam quandam efficaciam Spiritus S. quam phrasis: *Sp. S. superveniet in te,* indigitat. 2. per ἐπισκιασμὸν, h. e. talem Sp. S. efficaciam, quæ sub *umbra,* in occulto, modo plane imperceptibili, fuerit procurata. 3. contra *ordinem* communem: ex *solo* femine *muliebri,* produ-

extraordinario & mirabili.

Probatur Scripturis, & rationibus.

ctâ carne humana. Quia 4. *virgo* peperit, & 5. peperit *Filium Dei.* His nominibus incarnatio *myſterium* appellatur, & *magnum* etiam, quin ὁμολογουμένως 1 Tim. III. 16. Conf. Rom. XVI. 25. 26. Eph. I. 9. & III. 9. Col. I. 26. & *res nova* Jer. XXXI. 22. à quo, incarnando nomen tribuitur *mirabilis* Iſ. IX. 5. Conf. Jud. XIII. 18. Et conveniebat ſanè incarnatio *extraordinaria* & mirabilis: A. Quia *perſona*, & *incarnanda*, ſecunda ſcil. Trinitatis; & *incarnata* θεάνθρωπος, extraordinaria eſt, & *mirabilis* 1 Tim. III. 16. Joh. I. 14. B. Quia *opus*, cui incarnabatur, *redemtio* ſcil. humani generis, extraordinarium & mirabile fuit 1 Tim. I. 15. C. Quia *conditio* Mediatoris incarnandi, quâ immunis eſſe debebat ab *omni labe* originali 2. Cor. V. 21. extraordinaria & mirabilis eſſe debuit.

Conceptionis principium paſſivum: Virgo,

IV. Conſtat autem mirabilis iſta incarnatio duabus partibus: conceptione & nativitate. In *conceptione*, quæ primò loco dicenda nobis occurrit, tria concurrunt principia: *paſſivum*, *activum* & *materiale*. *Paſſivum* principium fuit (1) *Virgo*, ex quâ Mediator naſci voluit A. ut *vaticiniis* satisfieret Gen. III. 15. Iſ. VII. 14. Jer. XXXI. 22. Cant. IV. 12. B. ut pateret, ſe à labe *originali*, utpote quæ generatione *ordinaria* & naturali propagatur, eſſe immunem. Conf. Pſal. LI. 7. Joh. III. 6. cum Heb. VII. 26. Non quod Matris *virginitas* ſit *unica* aut formalis cauſa hujus immunitatis; ſed quod extraordinaria conceptio & nativitas certum præſtent hujus immunitatis *argumentum*. C. ut eſſet ἀπάτωρ, antitypus Melchizedeci Heb. VII. 3. D. ut oſtenderet ſe eſſe γενόμενον illud ἅγιον Luc. I. 35. de quo Dan. IX. 24. *Ad ungendum ſanctitatem ſanctitatum*, למשח קדש קדשים

Virgo è tribu Juda,

(2) Virgo de *tribu Juda*, ex ſemine Davidis Rom. I. 3. Act. II. 33. & Luc. I. 27. ubi illud, ἐξ οἴκου Δαβὶδ, neque poteſt referri ad *Mariam* ac ad Joſephum Heb. VII. 14. Matth. I. 2.—15. Luc. III. 23.—38. ſcil. ut eſſet *leo* ille *de tribu Juda* Apoc. V. 5. Gen. XLIX. 9. *Filius* ille *David*. Matth. IX. 27. & XII. 23. & XXI. 9. & XXII. 41. 42. 45. Jer. XXXIII. 15. imò ipſe *David* antitypicus Jer. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. 24. & XXXVII. 25. Hoſ. III. 5. (3) Virgo

Virgo deſponſata.

deſponſata Matth. I. 18. Joſepho, viro ex tribu *Juda* Matth. I. 20. qui ab hac deſponſatione (quatenus conſenſus matrimonium facit) Chriſti *Pater* ſubinde appellatur Luc. II. 48. ſcil. non tantum, quod pro Patre ejus vulgo *haberetur* Luc. III. 23. & quod paternè verſus eum fuerit affectus Matth. II. 14.: ſed etiam quod fuerit verus *maritus* Matris ſuæ, cum quâ verum ei interceſſit *matrimonium* (unde *mulier* appellatur Joh. II. 4.) *ratum* ſcil. quamvis non *conſummatum*. An autem, poſt partum Servatoris conſummatum, virga manſerit, ex Scriptura *certo* determinari nequit: quod ab *una* parte minus probabile videtur, vas illud à Spiritu S. ſemel imprægnatum, ab homine poſtmodum carnaliter fuiſſe cognitum. Conf. Ezech. XLIV. 1. 2. & ab *altera* parte non deſint Scripturæ dicta, quæ *conſummatum* ſpirare prima fronte videantur Matth. I. 18. 25. & XIII. 55. 56. Marc. VI. 3. Quamvis ad ea commodè reſponderi poſſe à parte negativa, non diffitear: ſufficit certo *certius* eſſe, quod *ante* partum & *in* partu virgo exſtiterit, & quod ex *voto* virginitatis ſaltem, non fuerit *non* conſummatum, cum non modo ejus Scriptura nullam omnino faciat mentionem; ſed & abſurdum ſit, *virginitatem* Deo, & *nuptias* Joſepho promittere, cum nupta non ſit *ſui juris* 1 Cor. VII. 4. Voluit autem Servator, ex virgine præciſe *deſponſata* naſci, quo A. ex mariti cohabitantis teſtimonio, perſuaſiores eſſemus, de virginitate Matris ſuæ, citra quam non potuiſſet eſſe verus Meſſias; quo B. velut *illegitime* natus, non *rejiceretur*. Conf. Matth. I. 18.— Quo C. opera Joſephi, & Mater & filius, commodius alerentur defenderenturque. (4) Virgo *pia* quidem, & præ reliquis omnibus mulieribus κεχαριτωμένη καὶ εὐλογημένη Luc. I. 28. attamen, nec abſque peccato *originali* nata; cum Scriptura unum tantum ab eo excludat Servatorem Rom. V. 12. 1 Cor. XV. 22. nec abſque omni peccato *actuali* Joh. II. 4. (5) Virgo cujus nomen *Maria*, ſeu illud derives à מרר, ut *amaram* dicat. Conf. Luc. II. 35. cum Ruth. I. 19. ſeu à ירה, ut *doctricem* notet Luc. I. 46. ſeu ab אור, ut *illuminatam* ſignificet Luc. I. 31. 45. ſeu à רום, ut *exaltatam* ſonet Luc. I. 28. cum 48. ſeu per compoſitionem quaſi מָרִים, ut *ſtillam maris* denotet: ex quo monachi, per ignorantiam Hebraiſmi, fecerunt, eamque appellaverunt *maris ſtellam*; parum refert. Proſopographiam B. Virginis qualemcunque, habebis apud Nicephorum lib. 2. c. 23.

Virgo pia, ſed non abſque peccato.

Virgo appellata Maria.

Activum principium conceptionis, Trinitas.

V. *Activum* principium conceptionis Chriſti, fuit univerſa quidem Trinitas, quatenus opus eſt *ad extra* Act. XIII. 32. Pater, *corpus* ei *adaptando* Heb. X. 5. Gal. IV. 4. Filius, *formam ſervi* accipiendo Phil. II. 7. quem etiam nonnulli è veteribus intelligendum volunt per δύναμιν ὑψίστου Luc. I. 35. Conf. 1 Cor. I. 18. Spiritus S. *ſuperveniendo* Luc. I. 35. ſed tamen, per appropriationem, *Spiritus S.* ob peculiarem ejus operationem A. in *fœcundando*. Conf. Gen. I. 1. B. *ſanctificando*, ſeu procurando, ut *ſanctum* à Maria naſceretur Luc. I. 35.

Spiritus S.

Operatio Sp. S. textuplex.

Habuit autem Spiritus S. operatio, *ſuperveniendo* & *inumbrando* ſignificata, hæc ferè ingredientia, quod 1. particulam aliquam *ſubſtantiæ* virgineæ ſegregaverit, ex qua formatum eſt corpus Chriſti Heb. X. 5. Quod 2. ſegregatæ vim *plaſticam* contulerit, cujus ope, *ſolum* ſemen virgineum, id potuit in conceptione, quod, ex ordine naturæ, *utrumque*, virile & muliebre, poteſt. Quod 3. ſemen illud virgineum, *quaſi* defœcaverit, non quidem ab impuritate *morali* ſeu peccato,

to, utpote cui ſemen necdum animatum, non eſt obnoxium; ſed ab intemperie *phyſica*, à quâ, ſuo tempore, peccatum potuiſſet reſultare, aut ſaltem nativitatem ab omni impuritate præſervavit, ad hoc, ut, quod ex eo naſceretur, eſſet *ſanctum* Luc. I. 35. Quod 4. ſemen illud virgineum paulatim *efformaverit* in membra humana, eo modo, quo in ordinaria generatione, illa efformantur Heb. x. 5. Quod 5. corpori jam efformato, animam *copulaverit* rationalem Zach. XII. 1. Quod 6. uniendo animam corpori, ſimul & ſemel, utrique parti unitæ *divinam* perſonam copulaverit inſeparabiliter. Nec tamen ab his omnibus, Spiritus S. recte dicitur *Pater* Chriſti, etiam ſecundum humanam naturam: quia (*a*) non præſtitit cauſam *materialem*, ex quâ formata fuiſſet Chriſti caro, qualem Pater præſtat in generatione filii; ſed *efficientem* tantum. (*b*) quia Chriſtus, ſecundum humanam naturam, non eſt *ejuſdem* ſpeciei cum eo: neque (*c*) ullibi in Scripturâ, Chriſtus *Filius Spiritus* S. appellatur.

Materiale principium conceptionis.

VI. *Materiale* principium hujus conceptionis, non fuit 1. ipſa eſſentia τῦ λόγυ, quæ *converſa* fuerit in naturam humanam: etiam eſſentia τῦ λόγυ, (1) non modo *ſpiritualis* fuit, & carni planè heterogena; ſed (2) etiam *immutabilis* ipſa Dei, Patrique ac Spiritui S. ὁμοούσιος, eſſentia Mal. III. 6. Jac. I. 17. Quin & (3) ipſa *Deitas*, quâ mutatâ, jam non daretur Deus. Nec 2. fuit *eſſentia* Spiritus S. per eaſdem rationes. Nec 3. quidvis à Deo in cœlo productum *immediate*, & in uterum B. Virginis dejectum, quod ejus nullam omnino faciat mentionem Scriptura, neque id aliunde ſcire poſſimus: Sed 4. *ſemen* B. Virginis, à quo natus *ſemen mulleris* dicitur Gen. III. 16. ab Adamo, per Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Davidem &c. traduce ordinario, ad Mariam derivatum, ut eſſet ſemen *Abrahami*, Iſaaci, Jacobi, Davidis &c. Rom. IX. 5. Iſtud autem ſemen, licet per *peccatores* ad Mariam fuerit propagatum; *peccato* tamen, ſeu malitiæ morali, non fuit obnoxium, cum malitia iſta non cadat in *inanimatum* & irrationale, licet intemperiem *naturalem* poſſit habere, quæ poſtmodum peccato poſſit occaſionem præbere, quam hinc, à ſemine Mariano, per Spiritum S. ſublatam diximus. Atque ab hoc *ſemine* (1) verus fuit filius *Mariæ* Matth. I. 25. & XIII. 55. Marc. VI. 3. & *Filius hominis*, ut paſſim in Euangelio appellatur Matth. VIII. 20. & IX. 6. &c. Et (2) cum *humana* natura, ex ſemine Mariæ prognata, virtute Spiritus S. fuerit *unita* perſonæ divinæ, recte B. Virgo appellatur Θεοτόκος Luc. I. 43. quemadmodum Servator, ratione *divinæ* perſonæ, ab *æterna* ejus generatione, recte dicitur Θεοτόκος. Nec (3) tamen propterea Servator *duplex* fuit filius, cum *filius* epitheton ſit, non *natura*, ſed *perſona*: quamvis necdum videam; quamobrem duplex *filiatio*, altera ratione *divinæ*, altera ratione *humanæ* naturæ, admitti in eo non poſſit; cum filiatio non ſit niſi relatio, & quilibet homo, duplicem filiationem obtineat, ratione *Patris* alteram, alteram ratione *Matris*: unde etiam Servator noſter, *Filius Dei* appellatur, & *filius hominis*.

Quæ non præſtiterit:

Quid præſtiterit.

Quæ hujus confectaria.

VII. A conceptionis hujus primo momento, facta duarum naturarum unione perſonali, Chriſtus plenitudinem conſecutus fuit, omnis gratiæ habitualis, ſcil. quoad κτῆσιν ſeu ἕξιν ſlicet, quoad χρῆσιν & ἐξουσίαν, ſeu quoad actus *ſecundos*, & per extenſionem ad plura objecta, incrementa indies fecerit Luc. II. 52. Quo autem temporis *articulo*, an in puncto annunciationis Angelicæ, an poſt eam, facta fuerit conceptio, curiose quæritur, & incerte determinatur. Hoc certum, eam non accidiſſe, *antequam* Angelus ſuam legationem abſolviſſet Luc. II. 21. cum I. 31. Hactenus de conceptione, primâ incarnationis parte.

Tempus conceptionis.

VIII. Succedit *nativitas*, non (1) *æterna* illa, de quâ Pſal. II. 7. Mich. V. 1. quoad *divinam* naturam ei competens, à quâ *Filius* appellatur Jeſ. IX. 5. primamque Trinitatis perſonam, pro Patre habet Matth. III. 17. Nec (2) *ſpiritualis* illa, quæ per Spiritum & verbum fit in cordibus fidelium, indigitata Gal. IV. 19. Sed (3) *temporalis* illa, quâ conceptus de Spiritu S. à Matre virgine, excluſus eſt in hanc lucem. Juxta tot A. *vaticinia* V. T. Gen. XLIX. 10. Num. XXIV. 17. Jeſ. VII. 14. & XI. 1. & IX. 5. Jer. XXXI. 22. Mich. V. 1. Hag. II. 8. B. *Figuras* ac typos: in *rubo ardente* Exod. III. 3. *virga Aaronis* Num. XVII. 8. *vellere Gedeonis* Jud. VI. 37. — cum Pſal. LXXII. 6. Jeſ. XLV. 8. C. *Hiſtoriam* quæ exſtat Luc. II. — Matth. I. 11. Hujus conſideranda veniunt:

Nativitas, temporalis,

prædicta,

præfigurata,

præſtita.

IX. *Primo* cauſæ *procurantes*: nim. (1) ab *una* parte *Deus*, qui hac nativitate ad nos *miſit* Filium ſuum Gal. IV. 4. eumque nobis *dedit* Joh. III. 16. Jeſ. IX. 5. qui hinc *domum* Dei appellatur Joh. IV. 10. Adductus (*a*) inexhauſto verſus nos *amore* Joh. III. 16. Rom. VIII. 32. (*b*) *gloriæ* ſuæ manifeſtandæ ſtudio Luc. II. 14. (*c*) *miſeria* noſtræ ſenſu Pſal. XIV. 2. — Rom. III. 10. — 26. Quis tamen Deus, ab hac nativitatis procuratione, *Pater* Chriſti appellari non debet: neque enim ſic, natus eſſet ἀπάτωρ Heb. VII. 3. quia nim. nec præſtitit *ex ſe* materiam, ſeu ſemen *ex quo* natus fuiſſet; nec ejuſdem eſt cum nato naturæ & *ſpeciei*: (2) ab *altera* parte B. Virgo, Mater: de cujus proſopographia, quantum ſatis eſt, delibavimus §. IV. nec addimus, niſi, quod Deus ad hunc partum deſtinare dignatus fuerit virginem *pauperculam*, fabri lignarii ſponſam, *truncum ſuccifum* Iſai Jeſ. XI. 1. interim *regia* ſtirpis, ut filii *exilitatem*, & Matris *gloriam* deſignaret, velut κεχαριτωμένης καὶ εὐλογημένης ἐν γυναιξί Luc. I. 28.

Cauſæ nativitatis: Deus,

Maria virgo.

quæ

quæ tamen, pariendo, virginitatem *non amiserit*, utpote quæ, non nisi *concubitu* cum viro, amitti aut lædi potest.

Ipse natus,

X. *Secundo procuratum* à Deo, ex virgine Mariâ, per nativitatem, fuit A. *Puer* & *filius* Jes. IX. 5. *Filius* quidem ratione *divinæ* naturæ Psal. II. 7. Dei *proprius* Rom. VIII. 32. *unigenitus* Joh. III. 16. *Puer*, quoad *humanam* naturam Matth. II. 20. Luc. II. 12. 16. 17. 21. 27. 40. 43. Act. III. 13. Voluit autem *puer* nasci, ut (*a*) ostenderet, se *promissum* illum esse Messiam, ex Jes. IX. 5. (*b*) se profundius demitteret Phil. II. 7. Heb. II. 15. Gal. IV. 4. (*c*) nobis tanquam *frater*, & in hoc assimilaretur Heb. II. 15. & IV. 15. (*d*) amorem versus infantes proderet Marc. X. 14. Psal. VIII. 3. (*e*) infirmitatibus nostris, imæ etiam infantiæ, condoleret succurreretque Heb. IV. 15. Fuit etiam *primogenitus* Matris suæ Matth. I. 25. Non quod plures *post eum* nati fuerint ex Mariâ; sed quod nemo *ante ipsum* ex eâ natus fuerit. Conf. Num. XVIII. 15. 16. Exod. XIII. 2. Luc. II. 23. Scil. quod esset *primogenitus creaturarum* Col. I. 15. & primogenitus *è mortuis* Ibid. vs. 18. *primogenitus in mundum* introducendus Heb. I. 6. simul tamen fuit *filius Dei* Matth. XVI. 16. *unigenitus* Joh. III. 16. imo *Deus* ipse *manifestatus in carne* 1 Tim. III. 16. Ut hinc Mater ejus omni jure dicatur *Deipara*, Θεοτόκος; & ipse, quoad personam, Θεάνθρωπος, & quoad officium, electorum *Redemtor*, *Christus*, *Dominus* Luc. II. 11.

Et puer, ratione humanæ naturæ.

Primogenitus.

Deus & homo simul.

Ipsa nativitas fuit.

Vera,

XI. *Tertio*, *procuratio*, seu nativitas ipsa. Quæ fuit 1. *vera* quidem Luc. I. 35. nostræque ὁμογενὴς Luc. II. 6.—Psal. XXII. 10. per *apertionem* uteri Num. VIII. 16. cum Luc. II. 23. cum *doloribus* aliisque partui ordinariis: quod non modo, propter peccatum, *eidem* conditioni cum Eva, aliisque mulieribus, fuerit obnoxia Beata Virgo Gen. III. 16. Joh. XVI. 21. sed ut ipse Servator, sicut in omnibus *naturalibus*; ita & in hoc, nobis *assimilaretur* Heb. II. 14. cum IV. 15. Sed 2. *mirabilis* tamen & extraordinaria, unde *novum* dicitur Jer. XXXI. 22. ut cum mirabilibus comparari possit; v. g. cum productione *Evæ*, ex uno sexu Gen. II. 22. 23. cum *rubo* ardente, quæ ab igne non consumebatur Exod. III. 2. 3. Conf. Deut. IX. 3. & IV. 12. & v. 4. cum Aaronis *virga*, eâdem nocte florente & fructus ferente Num. XVII. 8. cum *vellere* Gideonis Jud. VI. 37. Et sanè nunquid mirabile est (*a*) *virginem* parere Jes. VII. 14. Jer. XXXI. 22. (*b*) absque viro, ex Spiritu S. parere Luc. I. 35. (*c*) parere Θεάνθρωπον Jes. VII. 14. parere (*d*) illum, qui sibi ab *æterno* præexstiterit Joh. VIII. 56. 57. 58. Interim 3. *& miserabilis* fuit Exod. II. 3. si cumprimis attendas, (a) *Matrem* miseram & pauperculam Luc. I. 48. 53. si (b) locum nativitatis, in *urbecula* vili, Bethlehem, in *diversorio*, *in stabulo*, in præsepi, fasciis &c.

Mirabilis,

Miserabilis.

XII. *Procurationis*, seu nativitatis περιστατικὰ & circumstantialia, tam *antecedentia*, aut concomitantia, in quibus est 1. *Templum*, *dilatum* quidem, pro amore Dei Exod. II. 23. 24. 25. ad excitandum desiderium Prov. XIII. 19. cum Jes. LXIV. 1. sed non *ablatum* tamen, aut protractum diutius quam conveniebat, & promissum erat Dan. IX. 24. 25. 26. cum Num. XXIII. 19. Speciatim (*a*) sub *quarta* monarchiâ Dan. II. 40. 44. 45. sub *Augusto* Luc. II. 1. cum *sceptrum & legislator* à Juda traduceretur ad Romanos Gen. XLIX. 10. Quamvis (*b*) *annus* nativitatis, non adeo exacte definiri possit, quod hodiernus calculus, quo Christi tempora signantur, sero demum usurpatus fuerit, auctore Dionysio Exiguo, unde temporum ratio, præsertim anterioribus seculis, non parum confusa deprehenditur. Communissimus autem Chronologorum calculus natalem Christi ponit in annum mundi 3928. aut 3949. aut 3970. aut 4020. Procul omni dubio, ad imperium Augusti referenda est, quod per 44. annos, post victoriam Actiacam duravit, cujus anno *trigesimo primo*, nativitatem Christi, præstantissimi Chronologi asserunt. Baptizatus vero putatur anno 15. aut ineunte 16. successoris Tiberii. Et multo etiam minus (*c*) *dies* nativitatis designari certo potest: quod Scriptura illis locis, quæ temporum Christi characterem habent (nim. Matth. II. 1. Luc. II. 1. 2. & III. 1.) *generalem* tantum eorum notam tradat, ac de *die* nihil determinet. Veteres orientales diem *sextum Januarii*, pro natali Christi celebrarunt, quem Θεοφανείας appellabant: Scaliger ad festum σχεδοπηγίας refert. mense Septembri celebrari solitum: nec desunt qui 22. Aprilis, aut etiam 22. Maji ad hoc designent. Communis Occidentalium sententia, pro natali, diem 25. Decembris celebrat. Quæ sententia, à Romanis, ex tabulis censualibus accepta, per universum orbem Christianum dimanavit, ad quas tabulas vetustissimi Patrum sæpe provocârunt. Tertul. lib. 4. *Cont. Marc* Saltem ex Scripturâ, de *die* natali determinari quicquâm certi vix potest. Interim *noctu* factâm esse nativitatem, patet ex Luc. II. 8. quâ autem vigilia, ignoratur.

Tempus nativitatis.

Genarale:

Quarta Monarchia.

Annus incertus est.

Et magis etiam dies.

XIII. 2. *Locus* nativitatis fuit (*a*) Bethlehemum Luc. II. 5. κώμη vicus ignobilis, propter vaticinium Mich. V. 1. & fortè præludium 2 Sam. VI. 12.—& XXIII. 15. cum Joh. IV. 14. (*b*) Bethlehemi *diversorium* Luc. II. 7. quod, quale fuerit, & ubi, an in, an extra urbem, ab otiosis nimium curiosè quæritur. Et quidem (*c*) in diversorii *stabulo*. *Ibid.* quod in diversorio ipsis locus non esset. Ad hoc, ut A. profunditatem *humiliationis* magis inde perspiciamus Phil. II. 7. B. forte etiam, mysterium in eâ habeamus, quod בית לחם *domum panis* significet. Conf. Exod. XVI. 15. Joh. VI. 33. 2 Sam. XXIII. 15.

Locus nativitatis.

XIV. Tum 3. circumstantialia nativitatis *consequentia*,

Circumstantialia

ſtantia-lia conſequentia, quæ ad humiliationem ſpectant, ſunt, quod faſciis filium involverit Mater.

quentia, fuerunt *duum* generum: altera ſpectabant ad deſignandam *humilitatem* nativitatis; altera ad *gloriam*: quo nim. & utraque Mediatoris natura, humana humilis, & divina glorioſa; & uterque ſtatus mediatorius, inanitionis & exaltationis, in ipſâ ſtatim Mediatoris nativitate præfiguraretur. Ad ea circumſtantialia, quæ referunt *humiliationem* ejus, pertinent: Quod A. natum filiolum Mater *ipſa* faſciis involverit Luc. II. 12. 16. procul dubio, quod & obſtetrice, & curatrice fuerit deſtituta, obſervante Chryſoſtomo *Homil.* 35. in Joh. *Faſciis*, inquit, *Mater involvit, & ipſa reclinavit, quia Joſeph attingere non audebat, quem de ſe non generatum eſſe ſciebat: mirabatur & gaudebat natum, at natum attingere non audebat*: poſterius quidem incertum, prius paupertatem & humilitatem ſpirabat. Quod B. involutum (cunis,

Quod in præſepe reclinaverit.

ob paupertatem deficientibus) in præſepe, jumentorum pabularium, reclinaverit, procul dubio ad repræſentandam extremam *paupertatem*, miſeriam humilitatemque. Conf. Matth. VIII. 20. 2 Cor. VIII. 9. Quod C. mox à nativitate, ad *necem* ab Herode quæſitus fuerit, & tanto etiam fervore, ut ejus cauſa, infantes omnes, à bimulis & inferioribus, totius diſtrictus Bethlehemitici, ſuſtulerit tyrannus Matth. II. 16. Ad hoc procul dubio, ut ad *necem* ſe natum, mox in ipſâ ſua nativitate proderet Matth. XX. 28. Quod D. propterea *fuga* in Ægyptum, vitæ ſuæ conſulere debuerit, uſque ad obitum Herodis Matth. II. 13. 14. 15. ut vaticiniis ſatisfaceret Matth. II. 15. cum Hoſ. XI. 1. & eâdem operâ ſignificaret, ſe ad quodvis miſeriæ genus natum eſſe, ut nos ex *ſpirituali* Ægypto, in cœleſtem Canaan traduceret.

Ad necem quæſitus ſit.

Fugâ in Ægyptum vitæ conſuluerit.

Conſectaria nativitatis hujus, quæ ad gloriam nati ſpectant, ſunt, quod à Magis quæſitus

A ſtellâ indicatus,

Ab Angelis annunciatus,

A paſtoribus quæſitus & manifeſtatus fuerit.

XV. Circumſtantialia nativitatis conſectaria, quæ ad *gloriam* ejus ſpectant, fuerunt 1. Quod à *Magis* orientalibus, prolixo itinere, tam fervidè quæſitus, adoratus, muneribus: auro, thure & myrrhâ, ditatus fuerit Matth. II. 1. 2. 11. Quinam verò iſti fuerint Magi ſeu ſapientes, ex qua Orientis plaga, quot numero, quorum nominum, fuerintne Reges, quorſum præcisè, & qua quantitate aurum, thus & myrrham, aliaque; cum Scriptura ſileat, nimium curioſè ab otioſis monachis determinantur. Quod 2. peculiari *ſtella*, ſeu recens condita; ſeu in novum hunc uſum recenter deputata, natum Regem Judæorum, ad extremas uſque gentes, Deus manifeſtare voluerit, quæ propterea *ejus* ſtella appellatur Matth. II. 2. 10. Conf. Num. XXIV. 17. 2 Pet. I. 19. Apoc. XXII. 16. & I. 16. Quod 3. ab Angelo, & qui *gloria Domini* venerat ſtipatus, primum manifeſtata fuerit *paſtoribus*, apud greges ſuos, noctu excubias agentibus Luc. II. 9. 10. 11. 12. & ab *exercitu cœleſti*, hymno celebrata fuerit. *Ibid.* vſ. 13. 14. Quod 4. à paſtoribus ſtudioſe *quæſitus*, *inventus* & Judææ manifeſtatus fuerit *Ibid.* vſ. 15. 16. 17.

XVI. Reſtant narratæ nativitatis *fines*, nim. 1. *Glorificatio* Dei, hinc Angelus præco, nativitatem nunciaturus, ſtipatus ad fuit *gloria Domini* Luc. II. 9. & exercitus angelicus, in hymno ſuo, *gloriam* ante omnia Deo tribuit: *gloria in excelſis Deo Ibid.* vſ. 14. Quod in hac nativitate, gloria ſapientiæ, potentiæ, juſtitiæ, bonitatis & miſericordiæ, tot radiis fulgeat; ut ſuo loco diſtinctius oſtendemus. 2. *Pax in terris*, ſeu reconciliatio Dei cum peccatoribus 2 Cor. V. 19. procuranda nati hujus ſatisfactione & merito Eph. II. 12. 13. 14. Jeſ. LIV. 10. & LXVI. 12. Hinc 3. Hominibus *εὐδοκία* Luc. II. 14. Jeſ. LXII. 4. חפץ *voluntas mea*, & LXV. 18. quod in hoc nato ſolo, fide apprehenſo (*a*) Deo *placeamus* Eph. I. 6. Heb. XI. 6. & (*b*) chariſmata quævis, velut fructus ac *teſtes* hujus *benevolentiæ*, conſequamur Eph. I. 3. Porro 4. *Adoptio* noſtri, quod ad hoc, nativitate iſta, *filium* ſuum Deus miſerit in mundum, ut *υἱοθεσίαν* conſequeremur Gal. IV. 4. Joh. I. 12. Denique 3. *Redemptio & vita* æterna; huc enim, in nativitate, *Deus filium ſuum unigenitum* mundo *dedit, ut quotquot in eum credunt, non pereant; ſed vitam æternam habeant* Joh. III. 16. Ab his omnibus, aliiſque, ſuo loco indicandis, Angelus præco jubet *non timere; ſed gaudere*, quod *annunciet gaudium magnum omni populo*, nim. *quod natus ei ſit Servator, Chriſtus Dominus* Luc. II. 10. 11.

Fines nativitatis: gloria Dei. Pax in terris, benevolentia hominum, adoptio noſtri. redemptio & vita æterna.

XVII. Tandem, quod *productum* attinet hujus *conceptionis* ac *nativitatis*, eſt (*a*) *Incarnatio* filii Dei, variis nominibus, partim ſcripturariis, partim eccleſiaſticis, deſignari ſolita; nim. *ἐνσάρκωσις*, ex Joh. I. 14. *θεοφάνεια*, ex 1 Tim. III. 16. Jeſ. XL. 5. *ἐνανθρώπησις*, ex Phil. II. 7. *ἐξαποστολὴ*, ex Gal. IV. 4. *ἐπιφάνεια*, ex Luc. I. 78. 2 Tim. I. 10. *viſitatio filii hominis*, ex Pſal. VIII. 5. Luc. II. 78. ſeu (*b*) unio duarum naturarum, in Mediatore *θεανθρώπῳ*, de qua nobis ſupra Cap. IV. ex profeſſo fuit negotium.

Effectus conceptionis & nativitatis: eſt: incarnatio & unio duarum naturarum.

Pars Elenchtica.

Quæritur 1. An incarnatio toti Trinitati ſit communis?

XVIII. Præteritis ergo omnibus eis quæſtionibus, quæ perſonam Chriſti, & naturarum in ea unionem concernunt; quæritur *primo*, an incarnationis cauſa tota ſit Trinitas, & ſingulæ ejus perſonæ? Ratio dubitandi eſt, ab *una parte*, quod incarnatio ſit operatio *ad extra*, adeoque toti Trinitati communis; ab *altera parte*, quod *ſoli Spiritui* S. tribui videatur, ſupervenienti, & obumbranti B. Virgini Luc. I. 35. aut etiam *ſoli Filio* aſſumenti, qui *caro factus ſit* Joh. I. 14. Reſpondendum ergo cum diſtinctione: incarnatio *activa*, qnæ produxit, toti Trinitati communis eſt, juxta ſcitum Auguſtini: *Viſibilem enim ſolius Filii Dei naturam, inviſibilis Trinitas operata eſt.* De *Trinit. lib.* 2. c. 10.: quia non tantum operatio eſt *ad extra*

Incarnatio activa communis eſt

quæ occupatur circa aliquid à Deo *diversum*; sed etiam singulis personis singulariter asseritur: *Patri* qui *misit* Joh. x. 36. qui Davidi *germen excitavit* Jer. XXIII. 5. *corpus* adaptavit Heb. x. 5. *Filio* qui *assumsit* carnem, & assumendo *caro factus est* Joh. I. 14. *Spiritus* S. qui *supervenit*, & *obumbravit* virginem Luc. I. 35. per *appropriationem* tamen, ob peculiarem illum operandi *modum*, quem Sp. S. *superveniendo* & *obumbrando* præstitit, §. v. à nobis explicatum; incarnatio *activa* Trinitati communis est; incarnatio *passiva*, soli secundæ personæ competit Joh. I. 14. & VI. 38. 41. 42. & XVI. 28. I Tim. III. 16. Col. II. 9. Heb. II. 14. & X. 5. I Joh. III. 8. & IV. 2. quatenus caro, incarnatione *activa* producta, peculiariter terminatur ad *secundam* personam assumentem, cui unitur, & cujus sit: quod similitudine crassa, cum Patribus nonnullis, de *tribus* consuentibus unam vestem, ab *uno* tantum suorum, induendam, suo loco declaravimus.

Passiva Filio peculiaris.

2. An respectu hujus nativitatis, Deus, aut Spiritus S. recte dicatur Christi Pater?

XIX. *Secundo*, an Deus, aut Spiritus S. quod *supervenerit*, & obumbraverit Mariam; recte dicatur *Pater* Christi, & ipse Christus *propterea* Filius Dei? Sociniani (quo commodius *æternam* deitatem, ejusque generationem *æternam* Servatori detrahant, admittunt quidem, Christum hominem, ex ipsa Dei *substantia*, non esse genitum, imò ex substantia Matris, essentiam non minus accepisse, quam alii ex suis Matribus accipiunt; comminiscuntur tamen Spiritum S. *substantiam* aliquam, immediatè creatam, in uterum virginis immisisse, aut ibidem creasse, ex quâ Christus, juncto eo quod ex virginis substantia accepit, *verus* homo generatus sit: adeo ut *ab hoc*, Christus, ut homo, non *Matrem* tantum habuerit; sed *Patrem* quoque, Deum, aut Spiritum S. à quo *Filius Dei* dicatur;) affirmant: Orthodoxi negant: quod (*a*) ipsis adversariis fatentibus, non sit prognatus ex *substantia* Dei, aut Spiritus S. Quod (*b*) non sit *ejusdem* naturæ, aut speciei cum Deo. Quod (*c*) nullibi in Scripturis appelletur *Filius Spiritus* S.; aut Spiritus S. Christi *Pater*. Quod (*d*) ex hac hypothesi, duo in Trinitate forent Patres. Quod (*e*) sic nullo sensu dici posset ἀχάτωρ Heb. VII. 3. Non addam (*f*) quod dicatur materialiter esse *ex Maria*, ejus carne & sanguine Matth. I. 20. Luc. I. 35. Gal. IV. 4. unde *fructus* ventris ejus dicitur Luc. I. 42. Interim pro se causantur adversarii: A. Quod Maria dicatur imprægnata ἐκ πνεύματος ἁγίου Matth. I. 18. 20. Resp. Præpositio ἐκ, hoc loco non notat causam *materialem*: sed *efficientem*, prout fit Rom. XI. 36. I Joh. V. I. cum substantia Dei ac Spiritus S. *immaterialis*, infinita & immutabilis, non possit præstare materiam, ex quâ generetur corpus. B. Quod Spiritus S. dicatur *superveniisse* & obumbrasse Virgini Luc. I. 35. Resp. Non alio modo quam diximus §. v. C. Quod alio modo non possit dici Filius *Dei*. Resp. Hoc ipsum est πρῶτον ψεῦδος, cujus contrarium nos supra demonstravimus lib. 2. c. XXVI. §. 16. 17. 18.

Argumenta Orthodoxorum.

Objectiones adversariorum.

3. An extraordinariam Dei operationem, virgo concipere & parere possit? Rationes negativæ.

XX. *Tertio*, an, ut virgo conciperet pareretque, *absolute* necessaria fuerit Spiritus S. *extraordinaria* operatio? Jesuitæ nonnulli affirmant fieri *posse*, ut virgo mente & corpore, nihilominus ex semine *virili*, citra coitum illato, concipiat imprægneturque. Christiani omnes, & ipse Jesuita Delrio *Disq. Magic.* lib. 2. quæst. 15. negant, *à viro mulierem cognosci posse, sine virginitatis jactura, aut impregnari, nisi cognoscatur.* Quod I. aliàs superflua fuisset, *extraordinaria* illa Spiritus S. operatio, quæ commemoratur Luc. I. 35. Quod 2. pro signo *miraculoso* à Deo detur Ahaso Jes. VII. 11. 14. Quod 3. excedat ordinem *naturæ particularis*, ut virgo pariat; proinde operatio, *naturam* superans, ad hoc requiratur. Quod 4. ex hypothesi notata, sanguis & semen extra vasa, non necessario putrescat, vimque plasticam amittat, quæ tamen est *communis* Physicorum & Medicorum sententia. Quod 5. ex eadem hypothesi, quis Patrem habere posset, quem Mater ejus nunquam *viderit*. Addam 6. quod prophana hæc Jesuitarum petulantia, natalia Servatoris, adversariorum manifestis calumniis exponat. Nec habent quod pro se adducant, nisi mendicata quædam exempla, nunquam *probata*.

Fundamentum affirmativæ.

4. An Messias debuerit nasci ex virgine? Affirmativa probatur.

XXI. *Quarto*, an Messias ex *virgine* nasci debuerit? Judæi, odio Christi, negant pertinaciter: Christiani affirmant. Quia I. Jes. VII. 11. 14. dicitur: *ideo dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet & pariet, & nominabit ipsa nomen ejus, Immanuël*; Ubi hæc observanda: 1. promitti rem *miraculosam*, אות 2. Non Regi tantum, sed & toti populo, seu domui Davidis, *vobis*: adeoque rem promitti cujus interesset *omnium*. 3. signum omnino *diuinum*, à solo Deo exhibendum: *ideo dabit Dominus ipse signum*. 4. signum admirandum, *ecce* 5. in eo situm, quod העלמה *illa virgo* paritura esset. 6. quod paritura filium *Immanuelem*. Quæ omnia, cum nulli adaptari possint, quam Messiæ, sequitur hic prædici Messiam nasciturum ex *virgine*. Quia 2. Jer. XXXI. 22. prædicitur, *Dominum* in terrâ *creaturum novum* quid, ut mulier *circumdet* (scil. in utero) *virum*. Ubi per נקבה *virginem* intelligi, ex eo colligi potest, quod non tantum *Dominus* יהוה, & quidem per *creationem* (ברא) & tanquam rem *novam*, & in terra *inauditam*, procuraturus dicatur; sicut per גבר, *virum* fortem & singularem, quod nomen Messiæ tribuitur Zach. XIII. 7. Conf. Jes. IX. 5. quod etiam confirmatur ex scopo hujus & præcedentis capitis, quo afflictam Ecclesiam erigere intendit, per adventum Messiæ, Regis David, quem Deus populo suo excitaturus sit Jer. XXX. 9. Conf. Zach. IX. 9. Quia 3. Gen.

III. 15. prædicit *semen mulieris*, tale, quod ſerpenti ſatanæ caput conterere *poſſit*, quod procul dubio nemini niſi *Meſſiæ* competit. Quia 4. Gen. XLIX. 10. Meſſias promiſſus appellatur שִׁילֹה à שָׁלָה *ſecundina*, ut Schilo ſit quaſi *filius ſecundinæ*, cui ſecundinæ, fœtus in utero materno involvitur. Conf. Deut. XXVIII. 57. Ut ſenſus promiſſionis ſit: uſque dum *illius* mulieris filius veniat, quem ipſa ſola, abſque viro conceperit & perpererit: nim. Filius ille, qui *ſemen mulieris* audit Gen. III. 15. Poſſis addere 5. locum Levit. XII. 2. ubi mentio fit mulieris, *quæ ſeminificaverit* (תזריע) *& pepererit maſculum*, eam impuram fore: ſcil. διακριτικῶς ad ſignificandum, futuram aliquando mulierem, quæ non *ſeminificaverit*, & tamen paritura ſit maſculum, quæ non ſit futura impura. Ex veteribus Rabbinis 6. non deſunt, qui huc uſurpent, quod Jeſ. IX. 7. in voce לסרבה, mem *clauſum* reperiatur, contra conſuetudinem linguæ Hebrææ, ad indigitandum, quod Mater Meſſiæ *occluſa* virgo ſit futura. Vid. Galatin. *de Arcan. Cathol. Verit.* lib. VIII. c. 2. Ex quibus omnibus tale colliges argumentum: Vir ille qui (*a*) ex עלמה, in divinum ſignum, eſt naſciturus; quem (*b*) Mater ſua, modo *novo* & inaudito, eſt circumdatura in utero, qui (*c*) futurus eſt tantum *ſemen mulieris*, qui (*d*) procreandus eſt à Matre non *ſeminificata*: ille procul dubio naſci debuit *ex virgine* clausâ; ſed Meſſias vir talis futurus erat; ergo naſci debuit ex virgine. Exceptiones Judæorum declinatoriæ, duobus obnituntur locis noſtris fundamentalibus: nim. A. Ad Jeſ. VII. 11. 14. cauſantur (1) per עלמה *ſæpius* quidem; ſed non *ſemper* intelligi virginem, & pro inſtantia, unicum tantum adducunt Prov. XXX. 19. *via viri in* עלמה h. e. in meretrice. Reſp. α. *Viva viri* non notat niſi mirandos *conatus*, aut technas, quibus amator utitur verſus virginem, ut eâ potiatur, quod nihil omnino detrahit veræ virginitati. β. ſi demus Prov. XXX. 19. עלמה ſonare *meretricem*, non tamen idem ſonat Jeſ. VII. 14. reclamantibus non tantum tot circumſtantiis, quas jam ante expreſſimus; ſed ipſis etiam Judæis, quando vel prophetæ, vel Ahaſi *uxorem* intelligi clamant. (2) Quod pro *ſigno* promittatur Ahaſo, non nativitas poſt tot demum ſecula futura: ea nim, cum non videretur ab Ahaſo, quomodo concidentem Ahaſi animum erigere & ſuſtentare potuiſſet? Reſp. א. Non tam *Ahaſum* erigebat promiſſio hujus ſigni, qui illud ſic ſatis ſpreverat: ſed totam *domum Davidis* vſ. 13. 14. uſque ad Meſſiæ adventum perduraturam. ב. Erigit ſigno non tantum προγνωστικῶς, quod eventum *præcedit*, quale proſtat Jud, VI. 37. ſed ἀναμνηστικῶς etiam, quod eventum *ſequitur*, ejuſque memoriam renovat, quale proſtat Exod. III. 12. I Sam. II. 34. & X. 2. 3. I Reg. XXII. 25. Jer. XLIV. 27. 29. 30. Ut ſenſus loci ſit: domus Davidis non poteſt exſtirpari; quia poſt aliquot ſecula virgo quædam ex domo Davidis, filium pariet, quem appellabit *Immanuelem*, ſeu θεάνθρωπον, quod domui Davidis pro infallibili ſigno futuræ liberationis eſt (3) Quod Propheta per עלמה intelligat propriam uxorem, ut conſtet ex cap. VIII. 2. 3. 4. Reſp. A. locum illum, nonnulli ex circumſtantiis, non *hiſtorice*, ſed *prophetice* intelligendum volunt, ut Hoſ. I. 2. 3, & alibi. Saltem B. illam prophetæ uxorem non fuiſſe עלמה, quæ promittitur Jeſ. VII. 14. quia in conceptione & partu uxoris, non erat *ſignum* illud, quod univerſam domum Davidis ſolari potuiſſet, adverſus imminentes Reges; neque natus ejus filius, *Immanuel* erat, ſeu Dominus totius illius regionis Jeſ. VIII. 8. (4) Quod (juxta R. Kimchi) per עלמה intelligi debeat *Ahaſi* uxor, cui Deus promittat filium, puta Hiskiam, qui futurus eſſet Rex Juda. Reſp. 1. iſte partus non præſtitiſſet *ſignum*, quo tota domus Davidis, in præſenti neceſſitate, confirmari potuiſſet. 2. Repugnat iſta interpretatio: cum Hiskias tum temporis jam per novem annos natus fuerit, ut patet ex collatis locis 2 Reg. XVI. 2. & VIII. 2. dicitur enim priori loco, Ahaſum regnaſſe tantum per annos ſedecim, & Hiskiam cæpiſſe regnare anno vigeſimo quinto ætatis ſuæ; his igitur ſi detrahas ſedecim illos annos regni Patris, manebit, Hiskiam novem annorum fuiſſe, cum Pater ſuus regnum capeſceret. Nec deeſt (5) qui urgeat præfixum demonſtrativum העלמה, eoque ſignificari talem mulierem, quæ tum temporis *nota* fuerit in Judâ; eique præſens. Reſp. 1. quâmvis nomen Mariæ incognitum Judæis fuerit, nulluſque Propheta *in terminis* dixerit, Matrem Meſſiæ fore virginem, non tamen eſſe potuit, ex eo quod Meſſias dicatur *ſemen mulieris* Gen. III. 15. & שילה *filius ſecundinæ* Gen. XLIX. 9. & innoteſcere etiam potuit, vivâ Prophetæ orali *expoſitione*; ſi dixiſſet: illa mulier, illa Mater, cujus Meſſias filius futurus eſt, concipiet & pariet Immanuelem. 2. Falſiſſimum autem eſt ה. demonſtrativum aut emphaticum, ſemper notare rem *præſentem*. Vid. Mal. III. 1. & IV. 5. Addunt nonnulli (6) Mariam filium ſuum non appellaſſe *Immanuel*; ſed *Jeſum*. Reſp. Geſſit *utrumque* nomen, poſterius pro *proprio*; prius pro *appellativo* Matth. I. 23. 25. Conf. Jeſ. IX. 5. (7) Eſt etiam qui *ſigni* vim in eo conſtituit, quod עלמה eſſet *conceptura*, quod non omnibus *maritatis* eveniat; nec *conceptura* tantum; ſed etiam *paritura*, quod non omnibus concipientibus eveniat, quando multæ abortiunt; nec paritura tantum, ſed *filium* præciſe, & filium talem, qui pro lacte butyrum & mel eſſet comeſturus; & talem tandem, qui *Immanuel* eſſet appellandus. Reſp. Scilicet hoc *tantum* eſſet ac tale ſignum, quod univerſam domum

Negativa refutatur.

Exceptiones ad locum Jeſ. VII. 14.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octava.

Davidis, in tantâ anguſtiâ, ſuſtentare & conſolari deberet; quod Deus ſubſtituiſſet oblato ſigno, illi quod Ahaz Rex, *in cœlo aut in terrâ* petere deberet verſ. 11. *Pete tibi ſignum à Jehova Deo tuo, profunda petitionem, vel eleva teipſum in excelſum.* Imprimis etiam (8) urgent, quod ſignum dandum, impleri, & filius ille naſci debuerit, *ante* diſceſſum duorum Regum inimicorum vſ. 16. Reſp. Negatur, quia vſ. 8. determinantur LXV. anni, quando Ephraim, h. e. *decem* tribus Iſraëlis, eſſent traducendæ in Aſſyriam, eoque *terra quam deteſtabatur* Ahaz, terra nim. Iſraëlis, eſſet *deſerenda.* Ex quo ſequeretur puerum illum, mox à data promiſſione naſciturum, intra LXV. annos comedendo butyrum & lac, eoſque non perventurum, ut poſſit diſcernere inter bonum & malum. Scopus ergo verborum verſ. 16. eſt: adhuc procul abeſſe nativitatem Meſſiæ, antequam ille natus fuiſſet, & comedendo butyrum & lac, cibum Judæis familiarem, ad annos diſcretionis perveniſſet, terram Syriæ, cui præerat Rezin, & terram Iſraëlis, cui præerat Pekah filius Ramailah, à quibus ſibi tantopere metuebat Ahaz, deſertam fore: ex quo domus Davidis, ad ſui ſolatium, commodè poterat colligere, ſe à duobus iſtis Regibus, ſibi jam inſultantibus, non eſſe exſtirpandam; ſed perſtituram, ut ex ſe promiſſus filius Immanuel naſci poſſit. Hæc fere ſunt, quæ Judæi ad locum hunc illuſtrem excipiunt, quæ ſolito liberius repræſentare voluimus, quod apud Locorum communium ſcriptores rarius occurrant, & interim cauſæ Chriſtianæ fundamentum tangant.

Exceptiones ad locum Jer. XXXI. 22. Prima.

Ad locum Jer. XXXI. 22. excipiunt A. non loqui textum, de partu mulieris aut virginis propriè dicto; ſed per *mulierem* intelligere populum Judaicum; per *virum*, Deum iſtius populi, quem verâ reſipiſcentiâ, populus ille *novo* exemplo ſit quæſiturus, & conſtanter *amplexaturus*: ſcil. quando ordinarie vir mulierem quærat; hîc extraordinarie mulierem virum quæſituram, atque hoc demum novum illud eſſe, quod Deus ſe perpetraturum, tam magnificè promittat. Reſp. 1. Non erat novum in Iſraele, Deum verâ reſipiſcentiâ quærere, ut patet ex libris, Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, &c. Nec 2. verum, quod populus prius quæſiverit pœnitentiâ Deum ſuum, quam Deus populum gratia ſua. verſ. 18. *Converte me & convertar; tu enim es Deus meus, ubi converſus fuero, pœnitentiam agam.* Nec 3. *novum* eſt, ſi mulier virum quærat, ut patet in Rebecca Gen. XXIV. in Hagar Gen. XVI. 9. in ſponſa ſpirituali Cantic. III. 1. 2. 3. Nec 4. verbis: *mulier virum amplectetur*, intelligi poteſt ipſa Judæorum pœnitentia: cum adducantur tanquam cauſa iſtius reſipiſcentiæ: *quouſque reverteris filia rebellis? quia creabit Jehova novum in terra: fœmina circumdabit virum*; nunquid ſenſus foret; revertere, quia reverteris? Tandem 5. non dicitur, mulier *revertetur*, & ſequetur virum; ſed *amplectetur* virum, quo nunquam pœnitentia deſignari in Scriptura conſuevit; & ſi etiam deſignaretur, non tamen hoc tantum *novum* eſt, quod reſipiſcens anima Redemptorem ſuum fide amplexatur, ut Deus tam magnificè promittere debuerit, ſe *novum* hoc *in terra* facturum. Excipiunt B. vocula נקבה, ſemper *maritata* intelligi, non virginem. Reſp. Eſt nomen ſexus *fœminini*, non ſtatus; prout זכר ſexus eſt *maſculini*, non ſtatus: proinde falſum eſt, per נקבה ſemper intelligi *maritatam.* Conf. Levit. III. 1. & XII. 7. Gen. I. 27. & VI. 19. cum Spanhem. *Dub. Euangel. dubio* XXIV.

5. An Maria fuerit virgo ex voto? Sententia Pontificium.

XXII. *Quinto*, an Maria virgo fuerit *ex voto* continentiæ & cœlibatus? Pontificii, quo votis monaſticis, & peculiariter voto cælibatus, commodius patrocinari poſſint, affirmant, cum paucis Patribus: ſed non ſine magno hypotheſeωv divortio, quando alii exiſtimant, antequam naſceretur virgo, aut ſaltem ex infantia excederet, fuiſſe eam à *parentibus* Deo conſecratam, in qua conſecratione *votum* virginitatis contineatur: alii, votum illud factum malunt, *ante* ſui deſponſationem: alii *poſt* eandem. Vid. Maldonat. *in* Luc. I. 34. Orthodoxi, ſicut non negant, fiere potuiſſe, ut propoſitum liberum habuerit, conſentiente ſponſo, abſtinere ab *uſu* matrimonii; tamen *voto* ſeipſam obſtrinxiſſe ad perpetuam virginitatem, ſtatuunt probari nullo modo poſſe. Fulcrum unicum hujus *voti*, quærunt adverſarii in verbis Luc. I. 34. *Quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco?* Hic, inquiunt, verbum *cognoſco*, non ſignificat *notitiam*; ſed conſuetudinem: eamque non de præterito tantum aut præſenti, ſed etiam de *futuro*, quaſi diceret, neque cognovi, neque cognoſcere *poſſum*: impotentiam autem objicere non *naturalem*, ſed *moralem*; eam vero non aliunde contrahi, quam ex voto. Reſpondeo verbis Caietani Cardinalis ad hunc locum: *Quærit modum, quo fieret Mater, cum expers fuit virilis commercii. Non dixit, non cognoſcam, ſed non cognoſco, quia intellexerat verba Angeli tum implenda, dicentis Angelo: ecce concipies: quomodo nunc concipiam, quoniam impræſens viri cognitionem non habeo.* Seu potius verbis Alphonſ. Salmeronis. *Alio modo, fortaſſe non minus probabili, dici poſſet, Mariam virginem ſacrarum literarum bene peritam & ſcientem, intellexiſſe, matrem Meſſiæ futuram virginem, ac propterea quæſiviſſe ab Angelo modum, quo, ſalva virginitate, mater fieri poſſet; quo cognito, ſtatim acquievit, Angeloque promto animo aſſenſit. Atque is ſenſus directe proponit ſcripturæ auctoritatem, aſſerentis matrem Meſſiæ virginem futuram.* Salmer. *Tom.* 3. *Tractatu* VII. Ex quibus hypotheſibus nullum votum neceſſarium eſt.

Sententia Orthodoxorum.

XXIII.

6. An Maria fuerit oriunda ex tribu Aaron? Divortium sententiarum.

XXIII. *Sexto*, an B. virgo fuerit ex tribu *Judah* oriunda? Judæi, quo efficacius negent Jesum nostrum esse Messiam; calumniantur Christianos ostendere non posse, quod Mater ejus fuerit de tribu *Judah*. Olim Faustus Manichæus existimabat, Mariam Patre Sacerdote fuisse prognatam Augustin. *Contr. Faust. Manich. lib.* 23. *c.* 9. Baronius, ex Augustino & aliis Patribus, vult, Annam, Mariæ Matrem, fuisse Sacerdotis filiam, nuptam Joachimo, ex tribu *Juda*, quod misceri potuerint tribus regia & sacerdotalis. Baron. *Apparat.* Sect. 30. 31. 32. Ut nim. *admirabili quadam consensione, utriusque unctionis mysterium, regni scil. & sacerdotii, in una & eadem persona Christi, qui regnum susciperet & sacerdotium, ac regale sacerdotium institueret, simul jungeret.* Cujus rationis imbecillitatem, & absurda inde emergentia, Casaubonus notat, ad *Annal. Baron. Exercit.* 1. *Num.* xxx. Orthodoxi omnes tuentur, ipsam ex solâ tribu *Juda* fuisse oriundam: propter (1) vaticinia Gen. xlix. 10. Mich. v. 1. (1) promissiones 1 Paral. xvii. 14. 2 Sam. vii. 12. 13. 16. cum Luc. 1. 32. 33. Jes. xi. 1. &c. (3) Quod passim appelletur *filius David* Matth. ix. 27. & xv. 22. Luc. xx. 41. Rom. 1. 3. (4) Quod nullibi, ortus ejus, ab alia tribu accersatur, quam à tribu Juda, & quod adeo q. aversus videatur fuisse à tribu Levi, ut ne unum quidem ex suis Apostolis inde accersiverit, observante Casaubono loco citato. Quod (5) Apostolus sic ἐντῶς pronunciet Heb. vii. 12. 13. *Is de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua NULLUS attendit altari. PALAM enim est, ex tribu Juda ortum esse Dominum nostrum.* Quod (6) ejus sacerdotium exserte referatur, non ad ordinem Aäronicum; sed Melchi-Zedek Psal. cx. 4. Heb. vii. 11. à quo etiam, ratione sacerdotii, dicitur ἀγενεαλόγητος. Ibid. vs. 3. Quod (7) ab utroque Euangelista, Matthæo cap. 1. & Luca cap. iii. Christi ortus referatur ad Davidem & Judam. Cui non obest A. quod genealogia Josephi, non Mariæ, ab Euangelistis explicari videatur, cum α. Euangelistæ in genere, Josephi simul & B. Virginis, genus complecti videantur, eo quod, agnoscentibus omnibus interpretibus, inusitatum apud Hebræos fuerit, genealogias per mulieres pertexere. Cum β. Eli, qui Luc. iii. 23. dicitur *Pater Josephi*, potuerit esse ejus Socer, qui frequenter appellantur Patres, revera Pater Mariæ. Aut γ. illud, *qui fuit Eli*, referri possit ad ipsum Jesum, ut sit quædam in verbis oppositio parenthetica, hoc tenore: *Ipse erat Jesus, quasi annorum triginta, incipiens, existens (ut putabatur filius Josephi) Eli*, scil. filius, h. e. *nepos*; quia Patrem Euangelista non habebat, quem præmitteret, & Matrem, ex more, in genealogia non debebat referre. Non addam quod δ. Maria potuerit esse virgo ἐπίκληρος, cui ex lege Num. xxxvi. 6. 8. fas non fuerit, nubere extra tribum suam. Quod tamen Casaubono aliisque doctis parum placet: quia, non tantum apud Judæos ista constitutio non fuerit *observata*; sed *restricta* ad illud tempus, quo primum terra inter Israëlitas distribuebatur: quod etiam vix probari possit, puparculam virginem fuisse ἐπίκληρον. Neque etiam obest B. nominum diversitas, quæ observatur in genealogiis duorum Euangelistarum, quod inde diversæ tribus solide confici non possint: *cum Judæorum plerique duo nomina habuerint, & υἱωσις assumtio in filium, filiique appellatio, ex variis causis contingerent: puta vel naturâ, vel ex lege Moïs de semine fratri mortuo excitando; item adoptione, vel arrogatione: nec non propter affinitatem: nam gener Socero filius dicebatur: adde successionem in regnum, vel privatam hæreditatem; nam etiam hi eorum filii censebantur quibus successerant.* Verba sunt doctissimi Casauboni. Hæc paulo prolixius repræsentare visum, si quid fortè lucis, obscurissimis litibus genealogicis, afferre possint. Pro contraria sententia, qua nim. vel ex *sola* tribu Levi, vel ex *utraque* Juda & Levi, oriunda fuerit B. Virgo, adduci possit: ℵ. Quod Maria dicatur συγγενὴς Elisabethæ Luc. 1. 36. quæ ex filiabus Aaron dicitur fuisse vers. 5. Verum non stringit: si enim Pater Elisabethæ, uxorem sibi junxisset è tribu Judah & cognatione B. virginis; rectè quidem diceretur Elisabetha Mariæ cognata; sed Maria ex tribu Levi orta, inde non rectè diceretur. Quod ב. inter Josephi majores, unus à Luca nominetur *Levi*. Resp. Atque nomina Patriarcharum, communia fuisse omnium tribuum, non ignorant, qui Esdram & Nehemiam attente legunt. Quod ג. Christus fuerit summus *Sacerdos*, ac propterea Lucam in genealogia, pro Salomone commemorare voluisse Nathanem, quod per Salomonem regia dignitas ad posteros Davidis fuerit propaganda; per Nathanem sacerdotium. Resp. Sed, ut summum Sacerdotem fuisse, ambabus ulnis amplectimur; sic ex eo fuisse, quod genus è tribu *Levi* traxerit, cum Scriptura negamus: quod Sacerdos fuerit secundum *ordinem* Melchi-Zedek, non secundum *Aaronis* Heb. vii. 11. 12. 13. Neque etiam intelligi potest, quo modo David sacerdotium Aaronicum in Nathanem filium transferre potuerit, quod ipse non *habuit*.

Rationes Orthodoxorum.

Objectiones contrariæ.

XXIV. *Septimo*, an B. Virgo fuerit ἀναμάρτητος, seu expers omnis peccati, tam originalis quam actualis? Pontificii hic in partes abeunt, Franciscanis, Jesuitis aliisque existimantibus, eam plane ἀναμάρτητον, *omni* peccato destitutam fuisse; Dominicani, peccato quidem actuali destitutam, cum reliquis agnoscunt; sed *originali* tamen obnoxiam fuisse, strenuè defendunt. Quæ controversia gravissimas turbas dedit in regno pontificio, in Concilio Tridentino, in Hispania & alibi, re-

7. An B. Virgo expers fuerit omnis peccati, nominatim originalis.

Sententia Pontificiorum.

ferente Paulo Suavis, in suâ *Historia Concil. Tridentini*, & imprimis peculiari volumine, Luca Waddingio Minorita Hiberno, *De legatione Philippe III. & Philippi IV. ad Paulum V. & Gregorium XV. pro definienda controversia de Conceptione virginis.* Cujus voluminis contenta summatim repræsentat Rivetus noster, in sua Apologiâ pro Virgine Mariâ lib. 1. capp. 5. 6. 7. & 8.

Sententia Protestantium.

Protestantes unanimiter censent, eam non tantum peccato *originali*; sed & *actualibus* infirmitatibus fuisse obnoxiam. Argumenta in utramque partem produximus lib. IV. cap. 2. §. 27. Si quis plura hujus negotii desideret, Chamierum adeat *Panstrat. Tom.* 3 *lib.* 5. *toto.* Joh. Gerard. *Loc. com.* Tom. 2. à 14. §. 112. ad 122. Rivet. Apol. pro virg. Maria l. 1. c. 4. & seq.

8. Quomodo Servator ex Matre, peccato contaminata, purus nasci potuerit?

XXV. *Octavo*, quomodo Servator, ex Matre, labi *originali*, atque etiam infirmitatibus actualibus obnoxiâ, *ἀναμάρτητος* nasci potuerit? Socinianni nodum incidunt, negando penitus peccatum originale, omnemque peccati propagationem; præter eam quæ fit imitatione. Anabaptistæ veteres, quo Servatorem immunem præstarent à labe originali; statuunt, illum carnem suam, conceptione & nativitate, non accepisse ex *semine* aut substantia Matris suæ; sed è *cœlo* deduxisse. In

Variæ variorum sententiæ.

Patribus non desunt, qui existiment, labem originalem propagari, per solum *æstum libidinis* in parentibus generantibus, quem *æstum* restinxerit Spiritus S. in B. Virgine, eam *obumbrando*, quod umbra soleat refrigerare. Alii, qui propagationem animæ per traducem seminalem recipiunt, existimant per solum semen *virile* propagari animam, & cum eâ labem *originalem*; aut saltem ex *utriusque* parentis semine concurrente, ac propterea, quia ex solo semine *fœminino* prognatus fuerit Servator, labem illam *originalem* in ipsum propagari non potuisse. Alii propagationem labis illius pendere censent ex *ordinaria* generatione; proinde ad Christum, *extraordinarie* prognatum, non pertingere. Alii hoc factum volunt

Eligitur optima sententia.

eo, quod Spiritus S. semen maternum *repurgaverit* ab omni corruptione. Singulas harum aliarumque, sententiarum, singulatim examinare, infinitum foret; sufficerit veram hujus immunitatis causam paucis repræsentare. Fuit ergo immunis à labe *originali*, quia 1. non fuit, *fœderaliter* quidem, in Adamo, cum Deus fœdus operum cum eo pangeret; fuit quidem in eo *naturaliter*, velut in capite & radice *naturæ* humanæ (unde Lucas, recensens ejus genealogiam, Luc. III. usque ad Adamum ascendit) sed non *fœderaliter*, quatenus Deus non censuit ipsum in Adamo (prout censuit in eo omnes alios ejus posteros) cum ei manducationem fructus *arboris scientiæ boni & mali* prohiberet, eoque fœdus naturæ pangeret. Hinc 2. in Adamo etiam non peccavit, neque peccatum illud protoplastorum, ipsi *imputari* potest. Proinde 3. propter istud peccatum, orbari non potuit imaginis divinæ *justitia originali*, ex cujus absentia, in *mente* existit illa *cæcitas*, qua verum spirituale spirituali modo non percipit homo; & in *voluntate*, perversa ista *propensio*, qua bonum omne spirituale aversatur, & in quodvis malum propendet. Et in his consistit labes *originalis*. Ubi ergo probatum fuerit, eum *non exstitisse fœderaliter* in Adamo; constabit ratio, ob quam *immunis* natus est à labe originali. Non exstitisse autem *eo modo* in Adamo, his patet rationibus: 1. Quia Deus fœdus operum in Adamo, non pepigit cum *θεανθρώπῳ*; sed cum meris hominibus. 2. quia illud pepigit, non cum *natura* humana qua tali; sed cum *persona* humana, qualis Servator nunquam fuit. 3. Quia pepigit cum *primo* Adamo, non autem cum *secundo*, qui primo illi hac causa contradistinguitur. Quia 4. pepigit cum iis qui peccare *possent*, (imputare enim peccatum, cui repugnat peccare, contra justitiam est) non autem cum *eo*, qui peccare nullo modo *potest*, qualis Christus; implicat enim *θεάνθρωπον* esse peccatorem. Addam 5. quia pepigit cum iis, qui, cum fœdus pangeretur, ex ordine *naturæ*, exstituri erant; non autem cum Mediatore, qui, nondum existente peccato, ex rei *natura*, futurus non erat. Non dicam 6. quia pepigit cum iis, qui vi naturæ, *ordinario* ejus modo, ab eo propagandi essent, quâ vi, & quo modo, Servator noster propagatus ab Adamo non fuit. Conf. ea quæ lib. III. §. 9. cap. IV. §. 10.

Probatur Servatorem fœderaliter non fuisse in Adamo.

9. An B. Virgo Deipara sit adoranda?

XXVI. *Nono*, an B. virgo, quod sit *θεοτόκος*, cultu religioso sit prosequenda? Pontificii, Collyridianorum æmuli, non contenti cultum religiosum *δουλίας*, quo sanctos cœlites prosequi solent, *ὑπερδουλίας* religionem ei assignant; & quamvis *λατρείας* gloriam, Deo propriam, *verbis* ipsi abrogent; *re* tamen satis liberaliter ipsi arrogant, quando (*a*) *titulis* gravant, qui latriam requirunt, eam salutando *Dominam nostram, Reginam cœli*, cui *spirituale regnum competat, in omnes simul Angelos atque homines, & in totam eorum universitatem, in his quæ spectant ad gratiam & gratia bona.* Eam non solum *in homines, Angelos & Dæmones, jus, id est, potestatem jurisdictionis habere; sed etiam jus dominii, cujus ratione vere & proprie, servi illi mancipati, vel mancipia, sub ejus ditione constituta, appellari debeant.* Nam cum illud *de filio fatendum sit, de Matre sane non posse negari. Omnes etiam alias irrationales creaturas, sub tanta Reginæ dominio esse, nihilque ulli esse tam proprium, cujus virgo quasi anticipatum dominium non habeat; non enim aliud de matre, quam de filio ejus, Jesu Christo Domino, judicium ferendum esse.* Verba sunt Ferd. Quirin. de Salazar, Jesuitæ Hispani, Comment. in Prov.

Sententia Pontificiorum.

XXXI.

xxxi. Num. 202. & 140. (*b*) Decem officiis cultum ejus religiosum definiunt, quæ non nisi latriam spirant: 1. Honore interno & externo. 2. Salutatione angelicâ sæpius iteratâ, per rosarium. 3. Invocatione. 4. Statis diebus & feriis sacris. 5. Templis, oratoriis & altaribus, Deo erectis, in honorem & memoriam Matris. 6. Sacrificiis pro ejus gloriâ, & in ejus honorem Deo oblatis. 7. Votis ipsi nuncupatis, & *in ipsum terminatis.* 8. Imaginibus cujuscunque generis, seu sculptis, seu pictis; seu in compitis ac triviis, seu alibi positis. 9. Peregrinationibus ad loca illi sacra, & miraculis celebria: quæ obeundæ sint fide integra, spe magnâ, charitate fervidâ, intentione puriſſimâ; spectato animæ fructu, potius quam corporis. 10. Sodalitiis, sub augusto ejus nomine, institutis. Hæc omnia cultus Marialis officia recensent *Manuale sodalitatis B. Mariæ collectum à Sodal. Leodiens. Mussiponti*, Ao. 1608. Posses addere (*c*) Litanias, & imprimis Psalterium B. Virginis, quo omnia, quæ de Deo dicuntur in Psalmis, ad Mariam traducuntur: quod Bonaventuræ tribuitur. Protestantes, ut lubenter ei tantum tribuunt honoris & cultus *civilis*, quantum ulla creatura admittit: A. Agnoscendo & celebrando virtutes egregias, quibus clarissima fuit. B. Eas etiam pro virili, per gratiam Dei, imitando, & imprimis. C. Agnoscendo gratiam, quâ omnes creaturas superat, quâ nim. pro Matre Messiæ, θεανθρώπου, & ipsius Dei, electa fuit, quâ juxta Angelum κεχαριτωμένη καὶ εὐλογημένη ἐν γυναιξὶν Luc. 1. 28.: at ei cultus *religiosi* officia conferre non audent. Quod 1. illa sibi soli reservaverit Deus Matth. iv. 10. &c. 2. naturam & conditionem omnis creaturæ supperent: adeoque 3. in manifestam idololatriam abeant. 4. ipsa etiam B. virgo, pro singulari suâ modestiâ & humilitate Luc. 1. 48. honorem Deo proprium non magis admittat, quam Angeli Apoc. xix. 10. & xxii. 8. Nec adversarii, pro suâ Mariæ-latriâ, ullum possunt ex Scripturis producere, sive mandatum, sive exemplum, sive analogum quidvis, cui justitiam hujus cultus superstruant: & quæ per consequentiolas, q. ex naturâ rei, in hanc rem moliuntur, tanta non sunt, ut recenseri mereantur. Non addam, quod multis Pontificiis in Belgio Hispanienſi, cultus istius luxuria vehementer displicuerit, à quo ipsis à Jesuitis aliisque lites graviſſimæ motæ sunt. Fortè plura hujus argumenti suo loco occurrent, ubi de *cultu religioso* ex professo dicemus.

Sententia Protestantium.

10. An ab operationibus Sp. S. in conceptione & nativitate Sp. S. rectè dicatur Pater Christi, & Christus Filius Dei? Sententia Sociniani.

XXVII. *Decimo*, an ab operationibus Spiritus S. circa conceptionem & nativitatem Christi, Sp. S. rectè dicatur *Pater* Christi, & Christus *filius* Dei? Sociniani, æternam Christi deitatem negantes, quo commodius illudant argumentis Catholicorum, pro *æterna* ista deitate, quæ petuntur ab iis Scripturis, quæ ipsum appellant, non modo *Filium* Dei, sed *proprium* etiam, quin & *unigenitum*; statuunt Spiritum S. in ejus conceptione præstitisse vices *Patris* propriè dicti, non tantum fœcundando Mariam; sed etiam substantiam aliquam creando, inque uterum virginis immitendo, ex quâ cum semine virginis conjuncta, conceptus & natus fuerit Servator, qui etiam ab hac Spiritus S. operatione, *filius Dei* appelletur. Nec inter Orthodoxos etiam desunt, qui licet *æternam* Christi deitatem recipiant; tamen & ab hac Sp. S. operatione, *Filium* Dei, secundum *humanam* naturam, ipsum appellari posse affirmant. Rationes eorum sunt: 1. Quod promittatur obumbratio Sp. S. per quam pudice non aliud significetur, quam actio *Patris* procreantis filium. Resp. Non præsupponendum, sed probandum est, præter operationes istas Sp. S. quas in dogmaticis designavimus, ullam talem à Sp. S. profectam fuisse, qualis ab adversariis significatur. Quod 2. dicatur conceptus EX Spiritu S. Matth. 1. 16. 20. Luc. 1. 35. Resp. τὸ EX, de Maria intelligitur *materialiter*, & de Sp. S. *efficienter* tantum, pro ratione *virtutis: virtus altissimi* &c. Et sic fit Rom. xi. 36. Joh. iii. 6. Et 3. si, propter istam Sp. S. generationem, non fuisset filius Dei, tum postmodum factus fuisset, cui & textus, & res ipsa obloquitur. Resp. Verum esset, si ab *æterno* non fuisset genitus à Patre Psal. ii. 7. Prov. viii. 22-31. Mich. v. 1. & ab eo *filius Dei* non fuisset. Quod 4. Luc. 1. 35. expresse dicatur, *propterea etiam* (διὸ καὶ) quod *ex te nascetur sanctum, filius Dei appellabitur*. Resp. Propter *unitionem* illam personalem, divinæ personæ cum humana naturâ, procuratam à Sp. S. totum illud complexum, ex divinâ & humana natura constans, *Filius Dei* appellabitur: non autem propter solam illam Sp. S. operationem. Quod 5. nos dicamur *filii* Dei, quia renascimur ex Sp. S. proin multo magis Christus dicendus est filius Dei, quia conceptus est ex Sp. S. Resp. Est maximè dissimilis ratio, quia de nobis Scriptura passim pronunciat, quod *filii Dei* simus per gratiam regenerationis; de Christo nusquam hoc dicit. Ergo orthodoxi rectius negant, ab hâc Sp. S. operatione circâ conceptionem & nativitatem Christi, Sp. S. esse ejus *Patrem*, ipsumque ab hac operatione Sp. S. seu ex *toto*, ut Sociniani volunt, seu ex *parte* quoad humanam naturam, ut alii, esse *filium Dei*. Rationes hujus sententiæ dudum in *dogmaticis* notavimus §. v. Quibus addimus: 1. quod, ex hypothesibus hujus sententiæ, nullo modo esset ἀπάτωρ, contra Paulum Heb. vii. 3. Quod 2. Scriptura *unum* tantum ei tribuat Patrem, primam scil. Trinitatis personam Joh. 1. 18. & v. 17. à quâ, subsistendi modo, diversus est Spiritus S. Quod 3. per conceptionem & nativitatem, Servator in Scripturis *missus* dicatur Joh. iii. 16, 17. Gal. iv. 4. Rom.

Nonnullorum ex orthodoxis.

Eorum rationes refelluntur.

Sententia orthodoxorum confirmatur rationibus.

viii.

VIII. 3. &c. jam autem Filius *mittere* quidem dicitur Spiritum S. Joh. XV. 26. & XVI. 7. sed nullibi dicitur *mitti* à Sp. S. Quod 4. Pater propriè dictus, filium gignat sibi *similem*, per communicationem essentiæ suæ: sed Spirit. S. suis operationibus non produxit sibi *similem*, quia produxit talem, qui *carnem* & *ossa habet*; quæ non competunt spiritui Luc. XXIV. 39. neque etiam suis istis operationibus, suam genito communicavit *essentiam*, ipsis fatentibus adversaris. Etiam 5. si Servator; secundum *humanam* naturam, propter conceptionem ex Sp. S. esset *filius* Dei: tum in unâ personâ, non tantum filius Dei distingueretur à filio hominis, quoad naturas; sed etiam filius Dei distinguendus foret à filio Dei, ut naturæ distinguuntur in personâ. Addam 6. Quod eâ ratione, *tres* filiationes numerarentur in unâ personâ, duæ nimirum divinæ, altera respectu Patris; altera Sp. S. quoad humanam naturam: & una humana, respectu Matris suæ. Pergam 7. Quod hoc pacto duo in Trinitate sunt futuri Patres: primus, *prima* persona, respectu divinæ naturæ Christi; secundus, *tertia* persona respectu humanæ ejus naturæ. Non dicam 8. quod ex hac sententia foret filius Dei *factus*; dicitur enim *factus ex muliere* Gal. IV. 4. dum juxta Scripturas Psal. II. 7. & synodum Nicenam, *genitus* est.

XXVIII. *Undecimò*, an corporis Christi efformatio in utero materno, per Sp. S. procurata, fuerit momentanea, an successiva? Scholastici hîc distinguunt inter segregationem & præparationem materiæ, quæ semen præstaret; efformationem corporis ex illâ materia, quoad membra; & perfectionem corporis, incrementumque membrorum. Segregationem & præparationem admittunt factam non fuisse in instanti, quod motum requirat, qui in momento non peragitur: atque etiam incrementum concedunt successivè factum, quod fœtum Mater gestaverit per novem menses: at efformationem membrorum, non 42. demum diebus, more solito; sed sine morâ aut successione, *momento* peractam volunt. Hos vulgus sequitur Pontificiorum, ut ex concipiendi ratione extraordinariâ & miraculosa, majorem virgini fœneretur majestatem; dum Scriptura ea plerumque sectatur, quæ spectant ad majorem Christi *humiliationem*. Protestantes cum nonnullis Scholasticorum, efformationem illam successivè factam, Scripturis magis consentaneam existimant. Quod 1. in historia conceptionis, gestationis, nativitatis Johannis Baptistæ, tempus ordinarium notetur Luc. I. 38. 56. 57. nec dissimile observetur circa conceptionem & nativitatem Christi Luc. II. 6. Dum igitur, ex his, *præparationem* & *incrementum* corporis successivè factum, admittunt; non est ob quod in efformatione extraordinarium quid fingant. Quod 2. in assumtione humanæ naturæ, facta per conceptionem & nativitatem, nobis dicatur similis factus per *omnia*, excepto peccato Phil. II. 6. 7. Hebr. II. 14. 15. 17. & IV. 15. Quod 3. corpus Christi nati, extra uterum B. virginis creverit ad modum aliorum Luc. II. 40. 52. Quod 4. miracula temerè fingi non debeant, præter & extra Scripturas. Ex adverso plerique Pontificii pro se urgent: 1. Quod humanam naturam assumserit ὁ λόγος, non massam informem. Resp. Non ante unionem *factam* existimamus cum divinâ personâ, quam facta fuit partium organicarum delineatio, earumque cum animâ rationali unio. Quod 2. Sp. S. in momento potuerit efformare. Resp. à *posse* ad *esse* non valet sequela: potuisset etiam segregationem materiæ, præparationemque & incrementum *post* nativitatem uno momento peragere. Quod 3. *primus* Adamus subitò efformatus fuit, proinde & *secundus*. Resp. α. Nec *primi* Adami corpus in momento efformatum est. β. Brevi illo temporis spatio, quo efformatum est corpus primi Adami, plenam staturam consecutum illud fuit; dum *secundi* Adami corpus plenitudinem istius staturæ, fatentibus ipsis adversariis, successivè consecutum est. Quod 4. si non *simul* & semel efformatum est corpus Christi, ὁ λόγος, vel unitus fuerit corpori necdum *efformato* seu humano; quod, quovis fatente, absurdum est: vel si non fuerit ei unitus, exstiterit *informe* istud corpus absque λόγῳ. Resp. *Exstitit* necdum efformatum, quemadmodum exstitit cum præpararetur, atque etiam antequam in conceptione præpararetur, videl. in *causis*; sed non *substitit*, quemadmodum etiam post unionem cum λόγῳ non *subsistit*: neque ante *efformationem* partium, seu antequam corpus *humanum* esset, exstitit personaliter sustentatum à λόγῳ, prout existere cœpit cum uniretur cum λόγῳ, quod tum demum factum, cum corpus *esset* efformatum, & corpus humanum efficeret.

XXIX. *Duodecimò*, an natus fuerit utero clauso? ac proinde citra dolores partus in pariente? Pontificii, non tantum ut miracula venentur, in gratiam suæ Mariæ-latrias; sed etiam ut commodius ostendant, quo modo corpus Christi sit in cœlo simul & in sacramento, ut non sit in medio; subinde docent, Christum natum fuisse, non transeundo per medium; sed ab extremo in extremum immediatè transiliendo: Lutherani etiam, ut efficacius demonstrent, corpus Christi in resurrectione, per saxum monumenti, & postea per januas clausas penetrasse; affirmant Christum utero clauso natum fuisse. Cujus sententiæ fundamentum in hoc solo est, quod aperturâ uteri & claustri virginalis, tollatur *virginitas*; ubi illa reverà non alio tollitur, quam *congressu* maritali: ex adverso Reformati, juxta simplicem Scripturæ narrationem, natum modo ordinario, docent.

Quod

XI. An efformatio corporis Christi in utero Matris, facta fuerit in momento? Scholasticorum sententia.

Reformatorum sententia.

Rationes Pontificiorum examinantur.

XII. An natus fuerit, utero Matris clauso, & citra dolores partus? Sententia & fundamentum Pontificiorum & Lutheranorum.

Scripturæ Sententia.

Reformatorum, cum rationibus.

Quod 1. *sicut pueri* participes fiunt carnis & sanguinis, Christus παραπλησίως μέτεσχε Heb. II. 14. Quod 2. satis apertè numeretur inter hos, qui uterum Matris *aperuerunt* Luc. II. 22. 23. Quod 3. alias vere *natus* non fuisset, cum nasci non sit, nisi *prodire* ex utero. Quod 4. penetratio dimensionum præsupponat contradictionem, cum α. corpus sit, habere partem extra partem, quæ partes discriminentur peculiari spatio, adeoque corpus in corpore per penetrationem dimensionum, non sit corpus: cum β. per istam penetrationem dimensionum, seu existentiam duorum corporum in eodem spatio, *duo* corpora essent *unum* corpus.

13. An ex ipsa substantia B. Virginis efformatum fuerit Christi corpus?

XXX. *Decimo-tertio*, an ex ipsa *substantia*, seu semine B. Virginis, efformatum fuerit Christi corpus? Varias veterum hæreticorum sententias supra diximus cap. IV. §. XVIII. Moderni Anabaptistæ existimant corpus Christi, nihil omnino accepisse ex *substantia* B. virginis, ne scil. cogerentur admittere, Servatorem nobiscum obnoxium esse labi *originali*: Sociniani, ne cogantur largiri, Christum *filium Dei* esse, ab æterna ejus generatione: adeoque *ab æterno* Deum esse; admittunt quidem, Christum hominem ex ipsâ Dei *substantiâ* non esse genitum; imo ex substantiâ Matris, suam non minus accepisse, quam alii ex suis Matribus accipiant; sed tamen etiam comminiscuntur, virtutem Dei, h. e. Spiritum S. in uterum virginis immisisse *substantiam* quandam *immediate* creatam, ex quâ, cum substantia virginis junctâ, verus homo genitus fuerit, qui ab hoc *Filius Dei* appelletur: Orthodoxi ex adverso, ex solâ substantiâ virginis corpus suum accepisse, statuunt: eo quod A. diserte dicatur *semen mulieris*, Gen. III. 15. cum Heb. II. 14. semen *Abrahami* Gen. XXII. 18. cum Gal. III. 16. ex semine *Davidis* Rom. I. 3. Act. XIII. 33. Quod B. dicatur *fructus ventris Mariæ* Luc. I. 42. fructus *lumborum Davidis* Act. II. 30. juxta promissionem 2 Sam. VII. 12. 1 Paral. XVII, 11. Quod C. termini conceptionis, imprægnationis, partus, in hac generatione, à Scripturâ usurpentur Matth. I. 16. 18. 20. 23. & alibi. Quod D, ἐξόχως passim *filius hominis* appelletur Matth. VIII. 20. & IX. 6. &c. quin *filius Mariæ* Marc. VI. 3. prout Maria vicissim *Mater Jesu* Matth. I. 18. Luc. I. 43. Joh. XIX. 25. Quod E. genealogia ejus, ab Adamo deducatur ad B. virginem, eique deponsatum maritum. Nec obstat 1. quod dicatur conceptus *ex* Sp. S. Matth. I. 18. 20. Resp. (*a*) Præpositio EX non semper *materialem* causam designat; sed aliquando *efficientem* Rom. XI. 36. (*b*) Sociniani ipsi non admittunt, ipsum ex substantia Dei, aut Sp. S. conceptum esse. Quod 2. dicatur *panis Dei qui è cœlo descendit* Joh. VI. 33. 51. Resp. Sic dicitur à *persona divina*, quæ per incarnationem *descendit*, quando *manifestata* est in carne 1 Tim. III. 16. prout Deus *descendere* dicitur, quando extraordinariam suam præsentiam, extraordinario quodam signo, manifestam facit Gen. XVIII. 20. 21. cum vs. 2. Quod 3. dicatur *Dominus è cœlo* 1 Cor. XV. 47. Resp. Itidem quoad divinam personam, quæ, modo quam diximus, incarnatione è cœlo *descendit*. Quod 4. si ex Mariâ suscepisset corpus suum, obnoxius foret labi originali Joh. III. 6. Resp. Quâ ratione nihilominus immunis fuerit ab ista labe, nos jam ante ex professo exposuimus §. XXV.

Sententia Orthodoxorum, cum rationibus.

Objectiones adversariorum.

14. An Christus à primo instante suæ conceptionis, fuerit via tor simul & comprehensor? Sententia adversatiorum. Sententia Reformatorum, ejusque rationes.

XXXI. *Decimo-quartò*, an Christus, à *primo* conceptionis momento, viator fuerit simul & comprehensor, omnis nescientiæ & imperfectionis expers; quoad *humanam* naturam? Pontificii affirmant, cum quibus hic colludunt Lutherani, in gratiam perversæ suæ communicationis idiomatum: Reformati admittunt, ipsum in primo conceptionis momento, accepisse gratiæ plenitudinem, & comquoad *actum*, ut loquuntur, *primum* Joh. I. 14. Luc. II. 40. ita tamen, ut augeri potuerit quoad actus *secundos*, & per extensionem ad objecta nova. Quod 1. dicatur *profeciisse sapientia & statura* Luc. II. 52. Quod 2. laboraverit qualicunque *nescientia*, potius quam ignorantia Marc. XIII. 32. & XI. 13. Quod 3. variis infirmitatibus, quamvis absque omni peccato, in Scripturis deprehendatur obnoxius. Quod 4. tristitiæ, pavori, aliisque *affectibus*, qui imperfectionem spirant, in Scripturis pronuncietur obnoxius. Quod 5. viatorem esse & simul comprehensorem, sit ambulare per *fidem & aspectum* simul, quæ Scriptura sibi invicem opponit 2 Cor. V. 7. 1 Cor. XIII. 12. 2 Cor. III. 18. Nec habent quod objiciant, nisi loca illa Joh. I. 14. Luc. II. 40. &c. quibus jamjam satisfactum est. Controversias, de personali duarum in Christo naturarum unione, suo loco expedivimus cap. IV. *De Mediatoris persona.*

Pars practica.

Conceptio & nativitas Christi: 1. Confirmat fidem nostram de Messia exhibito. Ex testimoniis.

XXXII. Praxin incarnationis Christi, dudum occupavimus cap. IV. nec hic restat, nisi ut speciolegium quoddam faciamus. *Primo* igitur conceptio & nativitas Jesu, egregie *confirmat* fidem nostram, quod Messias, olim promissus, indubitato *venerit*; & quod *Jesus* noster, ipseque solus, sit *Messias* ille. Quod ei testimonium præbeat (1) Angelus *prænuncians* Gabriel, à Deo missus Nazaretham, ad ipsam ejus matrem, qui ei conceptionem & nativitatem Messiæ insinuaret Luc. I. 26. 31. 35. (2) Angelus *annuncians*, jam dudum natum Luc. II. 11. (3) *Angelorum* integer *exercitus*, Deum, à nativitate Messiæ, hymnis celebrans. *Ibid.* vs. 13. 14. Insuper (4) experientia *pastorum*, qui monitu Angeli, ipsum studiosè quæsiverunt, & invenerunt. *Ibid.* vs. 15. 16. (6) experientia *magorum*, qui tanto studio & apparatu, per extraordinariam

ſtellam moniti, ipſum quæſiverunt, & invenerunt Matth. II. I.—13. (6) experientia *Simeonis*, qui Spiritus S. oraculo monitus, poſtquam ulnis ſuis ipſum excepiſſet, Deum lætabundus eo nomine celebrat Luc. II. 25.—36. (9) experientia *Hannæ* prophetiſſæ *Ibid* vſ. 36. Addamus (8) experientiam *Johannis* Baptiſtæ, etiam digito eundem monſtrantis Joh. I. 15. 19. 29. Ut in his omne genus teſtium habeamus: Angelorum & hominum: virorum & fœminarum: literatorum & idiotarum. Quibus omnibus accedit (9) ipſius *rei* teſtimonium, quando in hiſtoriâ conceptionis & nativitatis, eas omnes obſervamus circumſtantias, quæ de Meſſiâ prædictæ ſunt. Si enim A. *tempus* attendas, natus eſt populo Judaico Romanis ſubjugato, cum Auguſtus, in rei indicium, gentem ad cenſum deſcriberet Luc. II. I. proinde *ſceptrum* & legiſlator ſublata eſſent, quod prædictum erat Gen. XLIX. 10. *ſeptuaginta* ſeptimanis annuis, jam expletis Dan. IX. 24. adhuc *ſtante* ſecundo *templo* Hag. II. 8. Mal. III. I. Si B. *locum* ſpectes, natus eſt *Bethlehemi*, juxta vaticinium Mich. V. I. Si C. *familiam*, natus eſt è tribu *Judah*, ut filius & germen Davidis Luc. III. 23.—Matth. I. I.---16. juxta prædictiones Gen. XLIX. 10. Jeſ. XI. I. &c. Si D. *parentem*, fuit ex *virgine* natus Luc. I. 17. 34. ut eſſet ſemen illud *mulieris*, quod prædictum fuit Gen, III. 16. Jeſ. VII. 14. Si E. *prodromum*, natus eſt *poſt* Johannem Baptiſtam Luc. I. 13. 17. quod prædictum fuit Mal. III. I. & IV. 5. Jeſ. XL. 3. 4. 5. Nec oſtendi è Scripturis poteſt *ulla* circumſtantia, de conceptione & nativitate Meſſiæ prædicta, quæ non ſit conſpicua in conceptione & nativitate Jeſu noſtri. Ut jam nulla ratio patiatur, vel minimum hæſitare, circa duplicem veritatem, fidei Chriſtianæ fundamentalem, quod nim. I. Meſſias dudum *natus ſit*, & 2. *Jeſus* noſter ſit ille *Meſſias*. Fide igitur in his benè confirmatâ, multo etiam promptiores erimus, tum (*a*) ad *beneficia* exſpectanda, quæ nobis in Meſſiâ tam copiosè ſunt promiſſa, tum (*b*) ad *officia* illa Meſſiæ reciprocanda, quæ Meſſiæ à nobis ſunt debita: de quibus, in ſubſequentibus paulo uberius veniet philoſophandum.

Ex circumſtantiis.

2. Urget, perveſtigare nitamur myſterium incarnationis. Motivæ.

XXXIII. *Secundo*, urget ut, perſuaſi jam, tot Angelorum, hominum & rei ipſius teſtimoniis, de veritate Meſſiæ noſtri incarnati; nos ipſos alioſque excitemus, qui myſterium incarnationis, tantum ac tale, quantum fieri poteſt, perſpiciamus ac perveſtigemus. Exemplo I. *paſtorum* Luc. II. 15. qui, ut primum diſceſſerant Angeli annunciatores, ſe invicem excitant; *eamus* ſane Bethlehemum uſque, & videamus, verbum illud quod Dominus notum fecit nobis. 2. *Moſis* Exod. III. 2. 3. cum apparuiſſet ei Angelus *Jehova*, in medio rubi ardentis & non deficientis, ſeipſum excitat: *declinabo nunc, ut videam viſionem magnam hanc.* 3. tot *Prophetarum* & *Regum* V. T. Luc. X. 24. qui *deſiderarunt videre* quæ Apoſtoli videbant, ſcil. Meſſiam incarnatum; nominatim *Abrahami* Joh. VIII. 56. & totius *Eccleſiæ* veteris Jeſ. LXIV. I. Imò 4. ipſorummet *Angelorum* I Pet. I. 12. εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι. Conf. Exod. XXV. 20. Invitat 5. *rei* ipſius *majeſtas*, utpote quæ *myſterium* præſtat, myſterium *magnum*, *ſine controverſia* magnum, myſterium εὐσεβείας, *pietatis*, ſeu fidei Chriſtianæ I Tim. III. 16. myſterium *ſilentio* involutum, *à temporibus ſeculorum* Rom. XVI. 25. à quo incarnati primum nomen eſt *admirabilis* Jeſ. IX. 5. Atque etiam 6. ejuſdem *ſuavitas*, ad ſuaviſſimum gaudium excitandum nata Luc. II. 10. *Ne timeatis: ecce enim, annuncio vobis gaudium magnum. Videre* igitur conemur, nec audire tantum contenti, ut A. *cognoſcamus* magis magiſque; proinde ut *ſcrutemur*, ſicut Prophetæ I Pet. I. 10. *De qua ſalute, exquiſiverunt* & exſcrutati ſunt (ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρέυνησαν) *Prophetæ*. Conf. Luc. II. 19. B. ut *miremur*, cum B. Virgine Luc. I. 34. cum paſtoribus & auditoribus eorum Luc. II. 15. 18. Conf. ſupra cap. IV. §. XXXV. ut C. *annunciemus* aliis, cum Angelo Luc. II. 10. *annuncio vobis* &c. & paſtoribus *Ibid.* vſ. 17. *Quum vidiſſent autem, divulgarunt* id &c. ut D. *comiter habeamus*, non nimium *curiose* ſcrutemur myſteria ingredientia, v. g. partus virginei, unionis duarum naturarum, ut dicamus: *quomodo hoc eſſe poteſt?* Luc. I. 34. prohibiti ab ipſo Deo Exod. III. 5. Conf. cap. IV. §. 39.

Quorſum.

XXXIV. *Tertio*, provocat ad *glorificationem Deo*, exemplo exercitus angelici canentis: *gloria in excelſis Dei* Luc. II. 13. 14. & paſtorum Luc. II. 20. Simeonis Luc. II. 28. & ipſius B. Virginis Luc. I. 46. cum hic præcipuus *ſcopus* ſit, ut univerſæ redemptionis; ſic hujus etiam incarnationis Eph. I. 6. & in hac incarnatione glorioſiſſimæ pateant Dei *perfectiones*. V. g. A. Gloria *fidelitatis* & conſtantiæ divinæ, in ſervandis *promiſſis* ſuis, eo quod Meſſiam toties, tam ſanctè, & tam diu etiam promiſſum; tam accurate, præſtituto *tempore* Gal. IV. 4. *loco* Mich. V. I. 2. aliiſque circumſtantiis prædictis convenienter, exhibuerit. B. Gloria *providentiæ*, quâ & Auguſtum, ejuſque deſcriptionem mundi, & parentes Servatoris, ut aſcenderent Bethlehemum, adeo ſapienter potenterque conjugavit, ut eo præcisè tempore ac loco, mundo exhiberetur Meſſias. Atque etiam adeo potenter conſervavit adverſus inſidias, impetuſque Herodis, ut hium detrimenti ipſi non potuerint afferre. C. Gloria *ſapientiæ*. D. Gloria *juſtitiæ* vindicativæ. E. Gloria *bonitatis*, gratiæ & miſericordiæ. F. Gloria *omnipotentiæ*, de quibus ſingulatim monuimus ſupra c. IV. §. XXXV.

3. Provocat ad glorificationem Dei.

XXXV. *Quarto*, format ad *gratitudinem* verſus Deum, qui pura putâ adductus gratiâ ac φιλανθρωπίᾳ,

4. Format ad gratitu-

diuem versus Deum.

Rationes motivæ,

δωρεᾶς. incarnatione filii sui, *donum* nobis præstitit, quo majus nec *cogitari*, nec *esse* potest Jes. IX. 5. Joh. III. 16. & IV. 10. Quod magis etiam agnoscemus, si distinctius expendamus א. *Donantem*, Deum omnisufficientissimum, אל שדי Gen. XVII. 1. qui nihil prorsus emolumenti, ex tantâ donatione, sibi potuit polliceri. Conf. Psal. XVI. 2. & L. 8. — 13. ב. *Donatos*, homines, qui non nisi *cinis* sunt *ac pulvis* Gen. XVIII. 27. Jes. XL. 15. 17. horrendi *peccatores*, omnimodæ mortis & æternæ condemnationis rei Rom. V. 6. 8. ג. *Donum*, quod est (1) *gratiæ* ac favoris: non *communis*, qualia *terrena* quævis sunt; sed *specialis* ac *salvificæ*, *productum* Joh. III. 16. ὅτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς &c. quæ incompatibilis est cum odio, quemadmodum quævis alia, utcunque egregia Dei dona. Est (2) *æternum*, non æterno tantum amore oriundum; sed *in æternum* quoque perdurans, scil. de genere eorum, quæ Apostolus appellat ἀμεταμέλητα Rom. XI. 22. quo, ne mors quidem, privare nos potest Rom. VIII. 38. (3) adipsam *animam* pertingens, eamque *satiare* valens Psal. LXXIII. 25. & XVI. 5. 6. Conf. Jes. LV. 2. & Gen. XXXIII. 11. cum vers. 9. (4) *comprehendens quævis alia dona*, unde *fasciculus* dicitur Cant. I. 13. 14. & Apostolus, Deum nobis benedixisse ait, *omni benedictione cœlesti in Christo Jesu* Eph. I. 3. ut *ex ejus gratia*, *gratiam* possimus haurire *pro gratia* Joh. I. 16. Conf. I Cor. I. 30. & III. 22. (5) quævis alia Dei dona *sanctificans*, ac defectus omnium aliorum farciens, absque quo omnia alia sunt δῶρα ἄδωρα, καὶ μὴ ὀνήσιμα. Confer Gen. XV. 2. cum cap. XII. 3. est enim Christus *omnia in omnibus* Col. III. 11. in quo *dilecto*, *nos* nostraque omnia *dilecta* sunt Eph. I. 6. (6) Est donum plane *mirabile* Jes. IX. 5. ad *omnia utile*, quod de Christo magis etiam usurpare possis, quam de pietate Apostolus I Tim. IV. 8. Præstat enim A. in quavis ἀπορίᾳ *consiliarium*, B. in quavis re desperata, *Deum fortem*, C. in quavis rerum inconstantia volubilitateque, *Patrem æternitatis*, D. in quavis inimicitia, cum Deo, cum hominibus, cum propriâ conscientia, in quavis inquietudine, *Principem pacis*, Jes. IX. 5. In his omnibus, aliisque plurimis, nunquid abundè est, quod nos ad gratitudinem stimulare debeat? quâ (*a*) Deum cordicitus diligamus Psal. XVIII. 2. qui nos *adeo dilexit*, *ut filium unigentium nobis dederit* Joh. III. 16. (*b*) amore isto quasi *coacti* 2 Cor. V. 14. charissima nostra quævis, usque ad nos ipsos, nostramque vitam, ipsi promptè reciprocemus Matth. X. 37. 2 Cor. VIII. 5. Matth. XVI. 24. 25. quemadmodum ipse charissimum sibi Matth. XVII. 5. & in eo seipsum nobis pura gratia contulit; (*c*) nos etiam, omniaque nostra, omnibus ejus usibus alacriter impendamus Phil. I. 20. 21. Act. XX. 24. (*d*) vel omnibus aliis donis, opibus, honoribus, voluptatibus, valetudine, destituti; hoc uno dono placidè

Modus gratitudinis.

acquiescamus Psal. LXXIII. 25. & XVI. 5. 6. Phil. III. 7. 8. 9.

XXXVI. *Quintò*, exquiramus, an *puer* NOBIS. etiam sit *natus*, & *filius* ille NOBIS sit *datus* Jes. IX. 5. ut & nobis nunciatum sit illud angelicum: VOBIS *natus est hodie Servator ille* Luc. II. 11. Quid enim (*a*) juvat quibusvis *natum* ac *datum* esse, si nobis datus & natus sit? Et (*b*) si natus ac datus etiam sit *nobis*, quid gaudii aut solatii nobis afferet, si de eo *certis* indiciis persuasi non simus? Et (*c*) quî de eo *certò* persuadebimur, absque accuratâ inquisitione? Imo verò (*d*) nunquid immensum augebit nostram *solicitudinem*, si natus mundo sit tantus ac talis Servator, cujus nullum nobis competat participium, nullum commercium? qui contra nobis positus sit εἰς πτῶσιν? Luc. II. 34. in *lapidem offensionis & in petram scandali?* Rom. IX. 33. de quo proinde cum horrore exclamare debeamus cum satana: *quid mihi tecum, fili Dei altissimi? adjuro te ut me non torqueas* Marc. V. 7. aut: *an venisti ut nos perderes?* Luc. IV. 34. Sed quibus tandem indiciis hoc certò assequemur? Resp. A. si in ipsum credamus: ita enim *dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum ei dederit, ut quotquot credunt in eum, non pereant; sed vitam æternam habeant* Joh. III. 16. Si B. credendo, ipsum venientem recipiamus: *venit enim ad suos, & sui ipsum non receperunt, quotquot autem ipsum receperunt* &c. Joh. I. 11. 12. Si C. fide tali recipiamus, quæ *sit per charitatem efficax* Gal. V. 6. Si D. non *ipse* tantum nobis datus sit; sed *nos* vicissim ei à Patre datos sentiamus Joh. XVII. 9. Confer ea quæ diximus cap. IV. §. XXXII.

5. Monet, exquira ne nobis natus, nobis datus? Argumenta motiva.

Signa.

XXXVII. *Sextò*, si necdum *deprehendamus* eum *nobis* natum, *nobis* datum esse; *quaramus* ipsum, ut *noster* fiat, exemplo pastorum Bethlehemiticorum Luc. II. 15. & magorum Matth. II. 1, — (*a*) excitati ab Angelis Luc. II. 12. (*b*) invitante & prælucente stella Matth. II. 2. 10. Num. XXIV. 17. (*c*) indicantibus ipsissmet ejus inimicis Matth. II. 4. 5. 6. (*d*) mandante Deo Jes. LV. 6. 2 Paral. XV. 2. (*e*) exemplo Parentum ejus Luc. II. 44. 45. 48. (*f*) impellente ipsa rei quærendæ *præstantia* 1 Pet. II. 4. 6. 7. *utilitate*, utpote qui nobis est *omnia in omnibus* Col. III. 11. in quo solo sumus *consummati* Col. II. 10.: *necessitate*, utpote absque quo, *nulla* omnino est *salus* Act. IV. 12. *sine quo nemo venit ad Patrem* Joh. XIV. 6. sine quo *nihil possumus* Joh. XVI. 5. &c. Quæramus ipsum, A. non *odio*, sicut Herodes Matth. II. 13. nec *labiis* tantum, seu externis quibusvis officiolis Jes, XXIX. 13. Matth. XV. 7. 8. sicut Judas Matth. XXVI. 47. 48. 49.: aut *panis* aclucri causa Joh. VI. 26. sed *amore* & corde Cant. III. 2. propter se Psal. LXXIII. 25. Quæramus B. flagrantissimo *desiderio* Jes. LXIV. 1. quasi *fame* & siti Psal. XLII. 2. Jes. LV. 1. Matth. V. 6. Quæra-

6. Hortatur, natum quæramus.

Rationes motivæ.

Quomodo.

mus ipsum C. indefesso *labore* & studio, sicut *magi* Matth. II. 1. — ardua & longinqua peregrinatione, diligenti inquisitione: & sicut *pastores* Luc. II. 15. 16. *cito*, utprimum discessissent Angeli annunciatores, noctu, desertis gregibus, se invicem ad hoc excitantes. Quæramus D. *Bethlehemi* Luc. II. II. 15. in *templo* Luc. II. 27. ubi est; ex promissione sua Matth. XVIII. 20. Exod. XX. 24. Quæramus E. in *stabulo*, in præsepi, in fasciis Luc. II. 7. Non in splendido quodam *palatio*, h. e. humilem quæramus humiliter, absque ambitione & fastu Matth. VIII. 19. 20. cum XX. 20. — 24.

7. Excitat ut venientem alacriter recipiamus.

XXXVIII. *Septimò*, venientem etiam ad nos sua incarnatione, promtè & alacriter *recipiamus*, ad exemplum Simeonis Luc. II. 28. ne & de nobis ea ipsi suppetat querulandi ratio, quæ de Judæis Joh. I. 11. *ad suos venit, & sui eum non receperunt*: aut etiam in Bethlehemi ingratitudinem incidamus, quæ hospitium pro eo non habebat; sed in *stabulum* ad pecora seponebat Luc. II. 7. conf. Luc. IX. 52. 53. 54. Recipiamus ergo, in *urbes*, in *Ecclesias* nostras, *in Bethlehem*; in *domos* nostras, non in *stabula*; in familias nostras Col. III. 16. in *ulnas*, h. e. in corda nostra Luc. II. 28. ut *habitet* in cordibus nostris Eph. III. 17.

Rationes motivæ.

Ad hoc (1) tam splendidè *invitamur* Psal. XXIV. 7. 8. 9. 10. *Elevate portæ capita vestra, elevate vos fores seculi, ut ingrediatur Rex gloriæ* &c. Ad hoc (2) emissus est ejus prodromus Baptista, *præparaturus* viam, ut veniat ad suum templum Dominus Luc. I. 76. Matth. III. 3. Jes. XL. 3. Mal III. 1. Invitat insuper (3) ipse recipiendus, non *homo* quivis vulgaris, non *Angelus* etiam; sed *Dominus gloriæ* Psal. XXIV. 9. 1 Cor. II. 8. *Rex Regum, Dominus dominantium* Apoc. XIX. 16. Et quod (4) recipiendo *nostrer* fiat, *nobis* natus, *nobis* datus sit Jes. IX. 5. ut cum B. virgine: *Deus Servator meus* Luc. I. 47. & istud angelicum nobis applicare queamus: *VOBIS natus est hodie Servator* Luc. II. 11. Quod insuper (5) recipiendo, nobiscum *uniatur*, & *inhabitet* cordibus nostris Eph. III. 17. fiatque *frater nostrer* Heb. II. 11. 12. 13. nosque cum recepto, nobisque unito, *filii Dei* fiamus Gal. IV. 4. Joh. I. 12. & XX. 17. Quod etiam (6) ipsum recipiendo, *omnia* ejus accipiamus Rom. VIII. 32. 1 Cor. III. 21. 22. Porro (7) si ejus *emissarios* recipimus, propter *ipsum* Matth. X. 41. Gal. IV. 14. 15. Matth. XVIII. 5. 6. nonne ipsum magis reciperemus, propter se: Addam (8) ipsum recipiendo, accipiemus *salutem* Luc. XIX. 6. Conf. c. X. 36. 42. ut non dicam (9) si nos ipsum hîc receperimus suâ gratiâ; futurum, ut *ipse nos* vicissim recipiat in suam *gloriam* Matth. XXV. 34. Act. VII. 59.

Modus recipiendi.

Recipiendus autem nobis est A. *brachiis* Luc. II. 28. veræ ac vivæ fidei Joh. I. 12. ut eâ deducamus *dominum* nostram, prout Johannes Matrem suam Joh. XIX. 27. Cant. III. 4. ut *inhabitet* nobis Eph. III. 17. Recipiendus B. & reclinandus est in *præsepe* cordis Luc. II. 7. h. e. (*a*) tenerrimo *amore*, seu magno gaudio Luc. XIX. 6. (*b*) maxima *æstimatione* Cant. V. 10. Phil. III. 7. 8. Conf. Phil. II. 29. (*c*) invicto impetu, *toto* corde Act. VIII. 37. Jer. XXIX. 13. Recipiendus C. ut *Servator* Luc. II. 11. & I. 69. & quidem ut Servator *unicus* 1 Tim. II. 5. in quem omnem fiduciam nostram collocemus Act. IV. 12. qui nobis sit *omnia in omnibus* Col. III. II. qui nobis sit *sol* ad refocillandum, & *clypeus* ad protegendum Psal. LXXXIV. 12. qui nobis sit *nutrimentum* Joh. VI. 48. 55. 56. & *tegumentum* Rom. XIII. 14. Jes. LXI. 10. Recipiendus D. ut *Rex* noster Luc. I. 31. 32. cui nos devotissimè subjiciamus Psal. II. 11. 12. Luc. XIX. 11. 27. Recipiendus E. non ut Rex tantum in throno, in *gloria* sua Matth. XX. 20. 21. sed ut *puer* etiam, in *stabulo*, in præsepi, in *miseria* sua, h. e. ut non tantum *regnemus* cum eo; sed etiam ut *patiamur* cum eo 2 Tim. II. 12. Rom. VIII. 17. ut non tantum *potiamur* ejus bonis; sed etiam *exuamur* bonis nostris Matth. XIX. 27. Phil. III. 7. 8. 1 Cor. IV. 13. Ita demum recipiemus ipsum, *eis* legibus quibus seipsum nobis offert, & à nobis recipi vult Matth. XVI. 24. Luc. XIV. 26. Recipiendus F. justa methodo, qua non tantum *bona* ejus recipiamus; sed & *personam*: & prius quidem personam, tum bona; primò *eum*, tum ab eo δωρεαὶ Joh. I. 12. scil. ea methodo qua Pater *tradit*, nos *accipiamus* Rom. VIII. 32. tradit *primò* filium, & *cum* eo omnia.

8. Invitat ad gaudium. Rationes motivæ.

XXXIX. *Octavò*, recepto *gaudeamus* ac delectemur. Huc enim Angelus nunciat *gaudium magnum* Luc. II. 10. Quod (1) nativitate jam potiamur eò, quem tanta impotentia anhelarunt veteres Jes. LXIV. 1. *Utinam cœlum rumperes ac descenderes, & montes diffluerent à facie tua!* Cujus *diem*, scil. natalitium, tam impensè desiderabat *videre* Abrahamus, & cum in spiritu *vidisset* è longinquo, adeo *gavisus* est Joh. VIII. 56. Conf. Gen. XVII. 17. & post eum Jacobus Patriarcha, in ipsa sua agonia, ejus cogitatione ac desiderio, adeo se recreavit & oblectavit, ut exabrupto erumperet: *salutem tuam exspecto, Domine* Gen. XLIX. 18. Quin &, falsa licet spe, Eva, cum pessimum Cainum enixa esset, exclamat: קניתי איש את יהוה Gen. IV. 1. Ut non immerito Servator, hoc nomine discipulos suos tam *beatos* prædicet Luc. X. 24. Conf. Heb. XI. 13. Hinc B. Virgo, ex promissione Messiæ ex se nascituri, adeo *exsultat* in Deo *Servatore* suo Luc. I. 47. Quod (2) hac Servatoris nativitate, tam amica Dei ad nos facta fuerit appropinquatio Luc. I. 41. 43. Conf. Jes. LIX. 2. Eph. IV. 18. cum Joh. XIV. 6. & I. 9. Jes. IX. 1. & LX. 2. Quod (3) eadem facta fuerit, tam

tam arcta noſtri cum Deo & filio Dei *cognatio* Eph. v. 30. Heb. II. II. 2 Pet. I. 4. Joh. I. 12. Imò etiam (4) ſpiritualis quædam *deſponſatio* Jer. LXII. 5. Ezech. XVI. 8. Hoſ. II. 19. Eph. v. 29. Cum autem gaudium quodvis, à tribus potiſſimum nobis oboriatur: à *præſtantia* boni poſſeſſi, à *certitudine* poſſeſſionis, & ab *uſu* boni poſſeſſi; juvabit, quo gaudio iſto ſuavius perfundamur: A. *Frequenter* & devotè *cogitare*, præſtantiam & ὑπερίχον Servatoris, nobis *nati* ac *dati*: exemplo Mariæ & Joſephi Luc. II. 19. 33. B. Id ſedulò curare, ut de *poſſeſſione* infallibiliter *certi* ſimus, ſeu ut perſuaſi ſimus, ipſum *nobis* eſſe natum, *nobis* datum Jeſ. IX. 5. Luc. II. II. quod fiet accurata noſtri exploratione, quam ſuaſimus §. XXXIV. C. Quavis oblata occaſione, uti ac *frui* nato ac dato nobis Servatore. v. g. in rebus *dubiis*, ut *conſiliario*: in rebus *arduis* ac difficilibus, ut *heroe* ſeu *Deo forti*; in rebus *turbatis* per inimicitias, cum hominibus, cum conſcientia, cum Deo, ut *Principe pacis*: in rerum *vanitate*, *inconſtantia*, aut mortis metu, ut *Patre æternitatis* &c.

Media fruendi gaudii.

9. Ad officium nato præſtandum.

XL. *Nonò*, dum *beneficiis*, nati nobis ac dati Servatoris, gaudemus, ei viciſſim *officia* noſtra fideliter referamus. Exemplo B. Virginis Luc. II. 7. Joſephi Matth. II. 13. 14. Magorum. *Ibid.* verſ. 11.: quomodo enim natus Servator nobis impertietur ſua *beneficia*; ſi nos ipſi ſubduxerimus ſua *officia*? quo argumento perſuadebimur, ipſum *nobis* natum, *nobis* datum eſſe; ſi juſta ipſi perfidè ſubtraxerimus? Sed quænam tandem iſta ſunt officia? Reſp. (1) Officium *venerationis* & *adorationis*, quod ipſi præſtiterunt *Magi* Matth. II. 11. πίσαντες προσεκύνησαν αὐτῷ: tanquam ſcil. *Deo* Pſal. XCV. 6. Matth. IV. 10. (2) Officium *ſubjectionis* & homagii, tanquam *Regi* Pſal. II. 12. quo *filium. oſculemur*: oſculo A. *oris*, ſeu *amoris* de quo Cant. I. 2. cum VIII. 1. 2 Sam. XIX. 39. Gen XLVIII. 10. B. *manuum*, ſeu dependentiæ univerſalis, de quo Syrac. XXIX. 5. quod *manibus* omnia ſuſtentet Heb. I. 3. Pſal. VIII. 4. & CII. 26. C. *pedum*, & ſubmiſſionis Luc. VII. 38. 46. quippe quibus *omnia* Deus ei ſubjecit Pſal. VIII. 7. 1 Cor. XV. 27. Heb. II. 8. Eph. IV. 10. (3) Officium *muneralionis*, quo cum Magis Matth. II. II. theſauros noſtros aperiamus, inde proferamus, eique offeramus ℵ. *Aurum*, h. e. pretioſiſſima quævis in bonis noſtris, ejus uſibus, & conſervationi ſuorum impendamus Prov. III. 9. Joh. XII. 3. 5. Act. II. 45. ג. *Thus*, h. e. ſacrificia, preces, laudes Pſal. CXLI. 2. Apoc. V. 8. Pſal. I. 14. 15. Mal. I. II. ד. *Myrrham*, h. e. ſeriam reſipiſcentiam, amaram quidem Matth. XXVI. 75. ſed benè olentem Luc. XV. 10. Denique (4) Officium *celebrationis*, δοξολογίας, exemplo exercitus angelici, intonantis Luc. II. 14. *Gloria in excelſis Deo* &c. B. virginis Luc. I. 46. — 56. paſtorum Luc. II. 20. Simeonis Luc. II. 28. — 33. Apoc. V. 9. 10. Eph. V. 19.

Quadruplex.

XLI. *Decimò*, omni conatu enitamur Chriſtum *ſpiritualem*, ſpirituali modo per converſionem, intra nos concipere, in cordibus noſtris geſtare, efformare, ac tandem, converſatione noſtrâ parere, & excludere in publicum. Fundamentum hujus praxeos ſtruit Apoſtolus Gal. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, uſque dum Chriſtus efformetur in vobis.* & Apoc. XII. 1. 2. 5. forte etiam Servator ipſe Matth. XII. 48. *Ecce mater mea — quiſquis enim fecerit voluntatem patris mei in cœlis, ipſe mihi — mater eſt.* Ea enim quæ in Chriſti *naturalis*, naturali conceptione & nativitate facta ſunt circa B. virginem; ea in Chriſti *ſpiritualis*, ſpirituali conceptione & nativitate (quæ fit per regenerationem & converſionem) ſuo etiam modo fiunt. Hic verò per *Chriſtum ſpiritualem*, non aliud intelligimus, quam *conformitatem* cum Chriſto, ab unione ejus cum animâ noſtrâ, &, hujus ope, communicatâ ei vitâ & viribus Chriſti, oriundam: à quâ nos Chriſto vivere, & *Chriſtum in nobis vivere*, Apoſtolus docet Gal. II. 20. quæ conformitas procuratur noſtri regeneratione, converſione, & ſanctificatione. Ut igitur analogiam duplicis hujus nativitatis Chriſti, *naturalis* & *ſpiritualis*, ejus quæ facta eſt *extra* nos, in B. virgine; & ejus quæ fit *intra* nos, in cordibus noſtris, percipiamus; juvabit conferre I. triplex *principium* nativitatis naturalis, nim. (a) *paſſivum* B virgo, ejuſque venter, cuius fructus prædicatur Chriſtus Luc. I. 42. (b) *materiale*, ſemen B. virginis, ex quo concepta & efformata eſt ejus *caro*. (c) *activum*, Spiritus S. qui *ſupervenit ei*, & *virtus altiſſimi quæ obumbravit ei* Luc. I. 35.: huic analogum triplex principium etiam obſervamus, in generatione ejus *ſpirituali*, nim. ℵ. principium *paſſivum*, pro B. virgine, eſt *cor* cujuſvis electi, a quo *in* nobis (ἐν ὑμῖν Gal. IV. 19.) eſſe, & in cordibus noſtris *habitare*, dicitur Eph. III. 17. Et ſicut α. in *naturali* nativitate, mater ejus *virgo* fuit Jeſ. VII. 14. intacta & incontaminata viro. Luc. I. 34.: ita in *ſpirituali* ejus nativitate, cor requiritur *virgineum*, intactum mundo & mundanis cupiditatibus 2 Cor. XI. 2. Apoc. XIV. 4. Jud. verſ. 8. prout enim Pontifex olim, quo Pontificem procrearet; non meretricem, nec viduam ducere debebat; ſed *virginem* Levit. XXI. 13.: ita & Pontifex Jeſus concipi & naſci non vult, niſi in corde *virgineo*: ſicut etiam β. in naturali ejus nativitate, mater ejus virgo *deſponſata* fuit Luc. I. 27; ita ad *ſpiritualem* nativitatem, cor requiretur *deſponſatum Deo* Hoſ. II. 19. Ezech. XVI. 8. Conf. Ruth. III. 9.: ſicut porro γ. in naturali nativitate, mater ejus *virgo manſit*, quo Patres uſurpant locum Ezech. XLIV. 2.; ita ad *ſpiritualem* ejus nati-

10. Ad ſpiritualem Chriſti in cordibus noſtris conceptionem & nativitatem.

Triplex ejus principium:

I. Paſſivum, ſcil. cor,

virgineum,

deſponſatum Deo,

perpetuum in virginitate.

vitatem, cor requiritur *constans* in virginitate spirituali Cant. IV. 12. 3. principium *materiale*, pro semine B. Virginis; in *spirituali* ejus nativitate, est *verbum Dei.* 1 Pet. I. 23. 1 Joh. III. 9. Jac. I. 18. ex quo Christus *spiritualis*, seu conformitas cum Christo, nascitur. 3. Principium *activum*, prout in naturali Luc. I. 35. ita & in spirituali ejus nativitate, est Spiritus S. Joh. III. 5. 6. absque cujus superventu & inumbratione spirituali, nec Mater, nec semen, quicquam possunt ad hanc spiritualem nativitatem Rom. XV. 19. Joh. VI. 63. 1 Cor. III. 7. atque adeo per Spiritum, & Mater, & semen fœcundari debet. Præter triplex hoc principium, in *spirituali* hac, perinde ac in naturali Christi nativitate, occurrit *periodus* triplex, conceptionis, efformationis & partus. Sicut enim A. in naturali ejus nativitate erat *conceptio*, quæ seminis concludebat *præsentiam* & ejusdem *vivificationem* Matth. I. 20. Luc. I. 31.: ita *spiritualis* etiam, *conceptionem* requirit, quâ semen spirituale (a) *accipitur*, auditione verbi Matth. XIII. 23. Rom. X. 17. prout etiam in naturali ejus conceptione, verbum promissionis, à B. Virgine ab Angelo annunciante, est *acceptum* Luc. I. 30.—39. (b) *vivificatur* Joh. VI. 63. cum cæterà mortuum sit 2 Cor. III. 6. quæ conceptio *spiritualis*, regeneratione strictius ita dictâ, peragitur; quâ verbum spirituliter accipitur, cor spiritualiter vivificatur, & infuso ei vitæ spiritualis actu primo, semina omnium virtutum salvificarum, animæ conferuntur Joh. III. 3. 5. 7. Sicut B. in *naturali* nativitate Christi, fuit gestatio seu efformatio membrorum, per suos menses; ita & in *spirituali*, indigitante Apostolo Gal. IV. 19. *usque dum efformetur Christus in vobis.* Quod peragitur *conversione* stritius ita dictâ, qua virtutes illæ salutares, (quarum conformitate Christus spiritualis intelligitur) seminaliter in regeneratione collatæ, *efformantur* per distinctos habitus, idque per varios gradus & ambages, ut suo loco ex professo tradimus. C. sicut in *naturali* nativitate ejus, post conceptionem & efformationem, accidit *partus* Luc. II. 6.: ita & in *spirituali*, Christus spiritualis, seu *conformitas*, per quam in nobis vivit, excluditur: quando virtutes, *seminaliter* in regeneratione, & *habitualiter* in conversione, collatæ; per *sanctificationem*, conversatione quasi in publicum excluduntur Matth. V. 16. & VII. 17. 18. 19. Gal. V. 22. Et sicut *partus* hic naturalis non abiit (1) absque *doloribus* partui *naturalibus*, nec absque multiplici miseria in *circumstantialibus*, quod pepererit post molestam peregrinationem, Bethlehemum versus, tempore, ut putatur brumali, in stabulo, apud fœtorem pecudum, cum extrema pauperie; ita & *spiritualis* non abit citra dolores partus Gal. IV. 19. ὃς πάλιν ὠδίνω. Quod ad eum requiratur *a. contritio*, sensus profundus peccati & miseriæ spiritualis Rom. VII. 24. & *spiritus servitutis ad metum.* Rom. VIII. 15. *β. humiliatio* Luc. XV. 21. 22. Jer. XXXI. 19. 2 Sam. XXIV. 10. *γ. desperatio* pia, de seipso atque omnibus aliis, præter Deum & Mediatorem, liberatoribus Act. II. 37. & XVI. 30. 31. Rom. VII. 24. Et quod *δ.* ad præcedentia, plerumque accedant *contemtus* proximorum, & persecutiones hostium Matth. II. 13. Luc. 35. Ut ab omnibus hisce *partus* doloribus, non rarò cum Rebecca querulentur Gen. XXV. 22.: *si ita, quorsum? gravidata sum.* Sicut (2) partus *naturalis* non abiit absque *gaudio* Joh. XVI. 21. cum Luc. I. 47——: ita partus ejus *spiritualis* non abibit absque *gaudio* ineffabili 1 Pet. I. 3. cum vers. 6. Act. XIII. 52. & XVI. 34. Phil. IV. 4. conf. Luc. XV. 9. & XIX. 5. 6. Hac igitur ratione Christus *spiritualis*, spiritualiter à nobis concipitur, efformatur & nascitur: regeneratione, conversione & sanctificatione, quando virtutes Christi nobis conferuntur *seminaliter*, efformantur *habitualiter*, & excluduntur *actualiter.* Jam huc nobis enitendum, ut sic enitamur Christum. Sic enim 1. quisque nostrum fiet *Mater Domini*, de qua Angelus; *benedicta tu inter mulieres* Luc. I. 28. h. e. benedictissima; & Elisabetha: *unde hoc mihi, quod Mater Domini veniat ad me?* Luc. I. 43. conf. Luc. XI. 27. si enim tantum felicitatis, tantum gloriæ est in maternitate *naturali*, majus sanè etiam est in *spirituali*, agnoscente & prædicante ipso Servatore Matth. XII. 48. A. quo Augustinus l. de S. *Virginit.* c. 3. *beatior Maria percipiendo fidem Christi; quam concipiendo carnem Christi.* Et postea: *materna propinquitas Mariæ nihil profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gessisset.* Si 2. nos Christum spiritualiter conceperimus, efformaverimus, pepererimus; erit ipse q. *filius* noster, ac proinde etiam (*a*) nostri curam in quovis casu habebit: sicut Matris suæ naturalis habuit, cum Johanni eam moriturus commendaret Joh. XIX. 26. 27. (*b*) preces nostras semper *exaudiet*, ut nunquam pudefiamus, sicut Salomo Matris Bathsebæ 1 Reg. II. 20. atque etiam (*c*) olim in extremo judicio, nobis q. *solium* collocabit à dextra sua, prout Salomo Matri suæ 1 Reg. II. 19. conf. Apoc. III. 21. Cogitemus ex adverso 3. miseriam & probrum *sterilitatis* spiritualis, quam sentiunt & queruntur eunuchi spirituales Jes. LVI. 3. *Ne dicat eunuchus: ecce ſum arbor arida.* Et si sterilitatem suam *naturalem* tanta molestia sensit Rachel, ut mortem ei præferret Gen. XXX. 1. & Hanna propter eam, se quasi mortuam & apud inferos existentem censet 1 Sam. I. 10. & II. 6. quid non censebimus de sterilitate spirituali, qua destituimur *fructu* hoc *benedicto*, non *ventris*; sed *cordis?* Luc. I. 42. Tandem 4. quid nobis proderit *quævis* fœcunditas, tam in sobole, quam in bonis, si benedicta *hac*, pariter & benedicente sobole

2. Materiale, verbum Dei.

Triplex nativitatis spiritualis periodus:

1. Conceptio spiritualis, seu regeneratio.

2. Efformatio, seu conversio.

3. Partus, seu sanctificatio, in quo sunt

A. Dolor.

B. Gaudium.

Rationes motivæ.

le destituamur? Nunquid majori jure querulabimur cum Abrahamo: *Ach! Domine Jehova, quid mihi dabis, cum ego incedam absque liberis?* Gen. xv. 2. cum in hoc uno semine benedicto, benedicamur & nos, & omnia nostra Eph. i. 3. & absque eo, omnis *benedictio*, non sit nisi *maledictio* Mal. ii. 2.

11. Ut Christo pariamus filios spiritualiter.

XLII. *Undecimo* tandem, cum Christus *nobis* nasci voluerit *puer*, & dari *filius* Jes. ix. 5. & nos vicissim operam demus, ut Christo filios generemus & pariamus *spiritualiter*. Innuit hanc praxin Apostolus Gal. iv. 19. τέκνα μοῦ οὓς πάλιν ὠδίνω, ab hac se *Patrem* appellat, sibique *generationem* tribuit 1 Cor. iv. 15. Philem. vs. 10. atque etiam *dolores partus* Gal. iv. 19. & à se conversos, *filios* suos denominat. *Ibid.* 1 Cor. iv. 17. 1 Tim. i. 2. 18. Tit. i. 4. 1 Pet. v. 13. Et qui sic spiritualiter generantur, *Christo* generantur, ejusque *filii* dicuntur Heb. ii. 13. Psal. cx. 3. Jes. liii. 6. Fit autem partus hic spiritualis, *annunciatione* Euangelii & conversione animarum 1 Cor. iv. 15. Philem. vs. 10. Est enim & in hoc partu, sicut ad præcedentem commemoravimus, i. triplex principium: (*a*) *passivum*, Mater & q. uterus concipiens: *Ecclesia* Gal. iv. 26. (*b*) *materiale*, semen incorruptibile verbi divini 1 Pet. i. 23. *ros cœlestis* Psal. cx. 3. (*c*) *activum*, Spiritus S. verbum q. imprægnans & vivificans Joh. vi. 63. 2 Cor. iii. 6. & q. vim πλαστικὴν conferens Joh. iii. 3. (*d*) sunt συνεργοῦντες Spiritus S. *ministri* 1 Cor. iii. 9. 2 Cor. i. 24. semen quasi spargentes Marc. iv. 14. atque etiam nascentibus quasi obstetricantes. Sunt hîc 2. ties periodi: A. *Conceptionis*, quâ verbum ab auditoribus primo *admittitur* Marc. iv. 20. 1 Thess. ii. 13. B. *Gestationis*, quâ conservatur admissum & efformatur Gal. iv. 19. μορφωθῇ Luc. ii. 19. C. *partus* & exclusionis, quâ fructus proferunt Marc. iv. 20. Jam ut ministri sic Christo filios pariant; requiruntur in eis A. *labores*, & conatus enitendi 2 Cor. xi. 27. 2 Thess. iii. 8. B. dolores partus Gal. ii. 19. οὓς ὠδίνω: *metus* jacturæ Gal. iv. 11. 2 Cor. xi. 3. C. *gaudia* 1 Thess. ii. 19. 20. & iii. 8. 2 Tim. i. 4. etiam D. in ministris parturientibus ardens requiritur *concupiscentia* pariendi Christo, per annunciationem indefessam verbi 2 Tim. iv. 2. 1 Thess. iii. 10. Act. xx. 18. 19. 20. 21. Atque, ut in hoc enitantur promptius, juvabit serio cogitare, ℵ. *aquissimum* esse: cum Christus pro nobis nasci voluerit, quo nos filii Dei fieremus Gal. iv. 4. ut & nos serio conemur, filios *ei* procreare. Conf. Heb. ii. 10. cum 2 Cor. xi. 2. ℶ. Quos, annunciatione verbi, & conversione, *Christo* procreaverint filios, *suos* fore filios Gal. iv. 19. Adeoque ג. & suum olim, coram Christo, *decus* fore, suam *gloriam* Phil. iv. 1. 2 Cor. i. 14. Phil. ii. 16.

Requisitæ

Rationes motivæ.

Quisnam hic partus, & ejus quænam ingredientia.

CAPUT UNDECIMUM,

DE

Mediatoris Vitâ.

2 Cor. iv. 10.

Ut vita illa Jesu, in corpore nostro manifesta fiat.

Secundus gradus humiliationis Christi, est in ejus vitâ. Textus resolvitur & explicatur.

I. HUmiliationis Christi gradum primum in ejus *incarnatione*, jam examinavimus; succedit *secundus*, in ejus *vita* & conversatione, usque ad mortem, cujus contemplationi syn opticæ ansam præstabit Apostolus 2 Cor. iv. 10.

Pars exegetica.

II. *Ubi Apostolus* scopum *ostendit & usum miseriarum, & afflictionum quarumvis Christianarum nim. ut in eis misera & afflicta repræsentetur* vita Christi. *Penes quam repræsentationem occurrit*

1. Exemplar *repræsentandum: ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ*, ut & vita illa Jesu. *Est hic* 1. vita, *quæ generaliter non est, nisi* actuositas *animati. Estque triplex, vel* vegetativa, *quæ operatur absque* omni *cognitione objecti, per quam v. g. planta, arbores aliaque vivunt, nutrimentum attrahunt, crescunt, fructus protrudunt: vel* sensitiva, *quæ cum aliquâ quidem cognitione conjuncta est; sed* sensitiva *tantum, seu quam habent à sensibus, per hanc bruta vivunt & actuosa sunt: & vita* rationalis, *quæ cum cognitione rationali conjuncta est, per quam* homines *vivunt & operantur. Et hac demum proprie est hujus loci. Consideratur autem vita, vel quoad actum suum* primum, *ut loquuntur, quæ non est, nisi facultas seu potentia operandi à se in ordine causarum secundarum, per quem* possunt *tantum operari: vel in actu* secundo, *per quam operantur actu. Ab hac in* hominibus *est* conversatio, *quæ frequenter appellatur* vita. *Oritur illa viventium actuositas, ab unione quadam partium conjungendarum, v. g. in vitâ* natu-

rali,

rali, *ab unione corporis cum animâ, qua sublata vivens dicitur mortuum; in vita* spirituali, *ab unione imaginis divinæ, seu justitiæ originalis, à qua homo potest operari* spiritualia. *Hæc est natura vitæ in genere. Est autem hic* 2. *signate vita* Jesu, *& illa quidem triplex observatur:* α. divina, *seu divinæ personæ, de qua supra libro secundo* cap. XII. *sumus philosophati; sed illa proprie non est hujus loci.* β. *vita* humana, *eaque cum* naturalis, *quam vixit ex unione corporis cum anima sua; tum* spiritualis, *quam vixit ex unione perfectissima* justitiæ *cum anima sua.* γ. *vita* mediatoria, *quam proprie* nobis *vixit, ex unione duarum naturarum, divinæ & humanæ. Quam autem vitam Christi intelligit hoc loco? Intelligit A. vitam ejus* interiorem, *seu vivendi* potentiam, *seu efficaciam, qua vivit etiam in* nobis Gal. II. 20. *qua, ex unione nostri cum eo mystica, nobis confert vires operandi* spiritualiter, *unde vita* nostra *appellatur* Col. III. 4. *item,* via, veritas & vita Joh. XIV. 6. *utpote absque quo* nihil possumus Joh. XV. 5. *& per quem* omnia possumus Phil. IV 13. *Tum B. vitam ejus* exteriorem, *seu universam ejus* conversationem *quatenus illa est representabilis in nobis, à qua jubet ut se sequamur* Luc. IX. 23. *ab eo discamus* Matth. XI. 29. *à qua ejus* imitatores *sumus* 1 Cor. XI. 1 Phil. II. 5. *Et hæc maxime proprie est hujus loci. Notatur autem* 3. illa *vita Jesu,* ἡ ζωὴ. *Cum enim Jesus duxerit vitam* ℵ. miseram, *usque ad sui resurrectionem* ב. *vitam* gloriosam, *post suam resurrectionem: quanquam utraque hic intelligi potest, cum utraque in eo conjuncta fuerit* Luc. XXIV. 26. Phil. II. 7. 8. 9. & *in nobis conjungenda sit* Rom. VIII. 17. 18. 2 Cor. IV. 17. *attamen* prior *hic magis intenditur, scil. vita ejus misera & ærumnosa, ut patet ex contextu antecedentium* vs. 8. 9. 10. *ubi de Apostolorum ærumnis loquitur, ut vita illa Jesu in eis manifesta fiat.*

2. imago *representata aut representanda. Ubi notatur*

A. Subjectum *representationis* recipiens, in corpore nostro. *In* corpore, *utique & in anima, & principaliter quidem, in ea gestamus imaginem Dei* 1 Thess. v. 23. *quoad intellectum* Col. III. 10. *quoad voluntatem, in* justitiâ & sanctitate Eph. IV. 24. *adeoque quoad totum hominem, qui phrasi synecdochica, quandoque* corpus *indigitatur* Rom. VII. 1. Heb. X. 5. *Nominatur autem corpus tantum, quod hemistichio præcedenti,* νεκρώσεως mortificationis, *quæ per varias afflictiones peracta fuit, tum in* Christo, *velut* exemplari 1 Pet. II. 24. 25. *tum in* nobis: *velut* imagine Gal. VI. 17. *quodque afflictiones fidelium, de quibus in præcedentibus, potissimum attingant* corpus. *Addit, in corpore* nostro, *utque Christianorum* omnium, *qui tenentur gestâre imaginem vitæ Christi* Luc. IX. 23. Matth. XI. 29. *sed signate* Apostolorum, *de quibus Paulus in præcedentibus locutus fuerat, utpote in quibus ἐξόχως manifesta fuit vita Christi.*

B. Actus *representationis,* φανερωθῇ, manifesta fiat. φανερόω *est à* φανερὸς, *& hoc à* φαίνω, *quod à* φῶς *deducunt, sonat facere ut quid conspiciatur, seu in oculos incurrat, quemadmodum in effigie, effigiatum absens conspicitur. Manifestatur autem vita Christi in Christianis, potissimum triplex:* 1. interior, *seu* potentia *ejus vivens & vivificativa, quatenus vos vivificat spiritualiter, ut possimus* spiritualia: *absque eo nim nihil possumus in hoc actionum genere* Joh. XV. 5. *& per ipsum* omnia *necessaria* Phil. IV. 13. *à quo ipse dicitur* vivere *in nobis* Gal. II. 20. *imo* vita nostra Col. III. 4. *ut diximus. Tum* 2. exterior, *seu conversatio, per imitationem earum virtutum, quas ipse nobis objecit representandas, v. g. fortitudinis, patientiæ, mansuetudinis, humilitatis* Matth. XI. 29. Phil. II. 4. 5. 6. *Tandem* 3. *vita ejus* gloriosa, *ab ejus resurrectione, utpote quæ per unionem nostri cum eo mysticam, individuum habet nexum cum ejus* νεκρώσει Rom. VI. 4. 5. *Unde Paulus:* συνεσάυρωμαι τῷ Χριστῷ, καὶ ζῶ, unà cum Christo crucifixus sum, & vivo Gal. II. 20.

Pars Dogmatica.

Mediator non tam sibi, quam nobis vixit. Probatur scripturis, & rationibus.

III. Mediator ergo, prout non tam sibi, quam nobis *natus* est Jes. IX. 6.: ita etiam non tam sibi, quam nobis *vixit* in terris. *Vivit* enim, ut (*a*) suam vitam suis *communicet*, quo sua sit *eorum* vita Col. III. 4. per quam & ipsi *vivant* spiritualiter Gal. II. 20. (*b*) suâ vita ipsis *exemplum* præstet imitationis, per omnem eorum vitam Matth. XI. 29. Joh. XIII. 14. 15. 16. 1 Cor. XI. 1. Nec (*c*) *sibi* ipsum; sed *nobis* vixisse, passim testatur Matth. XX. 28. &c. Si enim A. *sibi* vivere voluisset, in *nostram* vitam non descendisset; erat enim *dives* antequam descenderet, & factus est *pauper* pro nobis, cum descenderet 2 Cor. VIII. 9. B. si etiam descendere *sibi*, non *nobis* voluisset; descendisset, non ut *ministraret*; sed ut sibi *ministraretur*, cujus contrarium est Matth. XX. 28. C. Descendisset in *gloriam*; non in *miseriam*: cum ex adverso, in formâ Dei existens, jam *rapinam non duxerit* Θεῷ ἴσον εἶναι; *sed seipsum inaniverit, formam servi assumserit, & hominibus*, gregariis, miseris, *assimilari voluerit* Phil. II. 6. 7. 8. ad hoc, ut D. nobis *vitam* acquireret: α. *justificationis*, h. e. liberatos à reatu mortis, in statum *vitæ* restitueret Joh. III. 16. 17. β. *sanctificationis*, quâ spiritualiter mortuos

tuos *vivificaret* Eph. II. 5. 6. à quo *vita noſtra* dicitur Col. III. 4. abſque quo *nihil* Joh. XV. 5. & à quo *omnia* ſpiritualiter poſſumus Phil. IV. 13. γ. *Glorificationis*, ſeu vitam æternam Joh. III, 16. 36. Eph. II. 6. Joh. V. 24. ut diximus.

Vita Chriſti duplex, æterna, & temporalis: nim. ſpiritualis,

IV. Vita iſta, quam non ſibi, ſed nobis impendit, duplex occurrit: *alteram* in ſe ab æterno habet, ut ſecunda Trinitatis perſona, ſibi ineffabili generatione, à Patre ſuo communicatam Joh. V. 26.: *alteram* in tempore, ut homo accepit, conceptione à Spiritu S. & nativitate è B. virgine, de quâ Luc. I. & II. Quæ, juxta cum communi noſtrum vita, non aliud eſt, quam facultas operandi à ſe, in ordine ad cauſas ſecundas, oriunda ab unione partium conjungendarum, prout jam ante monuimus. Et ſic א. ab unione imaginis divinæ, & juſtitiæ originalis cum anima ſuâ, vitam habuit *ſpiritualem*, & facultatem quodvis bonum, etiam ſpirituale (quam peccato nos perdidimus, ut *mortui* ſimus in peccato Eph. II. 1. & inepti ad bonum ſpirituale 2 Cor. III. 5.) perpetrandi, utpote ab eo in nos derivatam Col. III. 4. à quâ poſſumus quicquid poſſumus Joh. XV. 5. Phil. IV. 13. ſic etiam ב. à perfectâ ejus unione cum Deo, vitam habet *æternam*, qua *videre* Deum facie ad faciem 1 Cor. XIII. 12. eoque *frui* ac *gaudere* poteſt Joh. XVII. 13. & III. 29. & XV. 11. ſic ג. ab unione animæ cum corpore ſuo, habuit vitam *naturalem*, qua privatus fuit per mortem temporalem. Et hæc potiſſimum noſtræ conſiderationis eſt impræſens. Confer quæ de his dudum habuimus in *exegeticis*.

æterna,

naturalis.

Cujus triplex fuit periodus: 1. Ingreſſus, in quâ fuit A. Circumciſio.

V. Vita hæc *naturalis*, poſt nativitatem, peracta eſt, ſub tribus periodis; ingreſſu, progreſſu & egreſſu. Primam harum præſtitit ejus *infantia*, in qua א. per ſui *circumciſionem*, die octavo vitæ ſuæ factam, (de qua Luc. II. 21.) adivit & obſignavit *fœdus* cum Deo, quoad ejus initiationem: fœdus nim. triplex, (1) *nationale*, quod ſibi commune erat cum *tota natione* Judaica: agnovit ac demonſtravit, ſe è *medio* & *ex fratribus* Judæis eſſe, è quibus Meſſiam Prophetam, ſe excitaturum Deus promiſerat Deut. XVIII. 15. 18. ac *ſemen* illud benedictum *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi*, toties olim, & tam ſplendide promiſſum. (2) *perſonale*, quod ſibi cum *electis* omnibus eſt commune, quo Deus ipſi obſignavit, ſe *Deum* ejus eſſe Gen. XVII. 8. 10. cum Pſal. XXII. 1. (3) *mediatorium*, quod in *æterno* pacis *conſilio* Zach. VI. 13. Jeſ. LIII. 10. coiit inter Patrem & ipſum, quo ſe pro nobis præſtitit vadem & expromiſſorem, de quo Matth. XXVI. 28. Luc. XXII. 20. Hujus potiſſimum fœderis obſignatio in ejus circumciſione peracta fuit: (*a*) amputatione præputii *carnalis*, per quod *ſpirituale* illud, quo nos natura, per peccatum laboramus Deut. X. 16. Rom. II. 25. 26. 27. ſuâ vita auferendum ſignificabat, obſignabatque Deut. XXX. 6. Ezech. XVI. 30. cum Col. II. 10. 11. (*b*) effuſione molestâ *ſanguinis*, ut mox in exordio vitæ, fœdus illud mediatorium, ſuo ſanguine ratificandum, præmoneret, obſignaretque: qui *ſanguis fœderis* propterea appellatur Exod. XXIV. 8. cum Matth. XXVI. 28. Marc. XIV. 24. & ab hac fœderis mediatorii renovatione, factaque per fuſionem ſanguinis, initiali ratificatione; ſuaviſſimum nomen *Jeſu* in ſua circumciſione, auctoritate divina conſecutus eſt, de quo nos ex profeſſo monuimus cap. III.

B. Dedicatio.

VI. Circumciſioni in infantia ג. ſucceſſit *dedicatio*, die ætatis quadrageſimo Luc. II. 22.---Scil. ut, qui *ſeipſum* dudum dedicaverat Deo, per renovationem fœderis in circumciſione; etiam ex præſcripto divino, Deo offerretur dedicareturque à parente. *Præceſſit* A. hanc dedicationem, ſicut etiam circumciſionem, *purificatio* Matris, ex lege Levit. XII. 2. 3. 4. 6. 7. 8. quod donum impuris manibus ſibi offerri nollet, & quod ab impuritate originali, quam figurabat impuritas ceremonialis puerperæ, expianda prius eſſet, antequam, aut ipſa, aut natus, in conſpectum Dei, in templum prorumperet, aut ſacrum quidvis attingeret: in quam rem, aut agnellum anniculum, cum filio columbæ, aut turture, ſi tantum poſſet; ſin minus, vel duos turtures, vel duos columbos adducere debebat, verſus oſtium tabernaculi, ad Sacerdotem, qui ſacrificaret, & ſacrificando legaliter expiaret, impuritatem illam ceremonialem, in ſignum purificationis veræ, per ſacrificationem Meſſiæ, ſuo tempore procurandæ. De quo ſuo loco ex profeſſo: ſecuta eſt B. ipſa *dedicatio* Luc. II. 22. 23. qua, velut *primogenitus*, διανοίγοντα μήτραν, Deo ſingulariter appropriatus, ex lege Exod. XIII. 2, Num. III. 13. & VIII. 16. 17. eoque Jeroſolymam, civitatem Dei, & in templum Jeroſolymæ, in domum & conſpectum Dei adductus fuit, nec abſque munuſculis, pro fortuna parentum. Scil. ut figuraretur ipſum eſſe *primogenitum Dei* Heb. I. 6. Pſal. II. 7. primogenitum *omnis creaturæ* Col. I. 15. primogenitum è *multis fratribus* Rom. VIII. 29. primogenitum *è mortuis* Col. I. 18. Apoc. I. 5. reliquis omnibus præſtantiorem, & quaſi unum inſtar omnium, adeoque Deo peculiariter appropriandum ſanctificandumque, ut in *uno* omnes electi ſanctificarentur, appropriarenturque Deo. Conf. Rom. XI. 16. Dedicationem ſeu ſecuta, ſeu comitata eſt C. Simeonis Juſti εὐλογία qua (*a*) venientem ad templum ſuum, Jehovam Meſſiam Mal. III. 1. primus cum gaudio excepit, ulnis, corporis pariter & cordis Luc. II. 25. 26. 27. tum (*b*) & venienti, & ſibi gratulatus eſt hymno. *Ibid.* vſ. 29.---33. porro (*c*) parentibus benedixit *Ibid.* vſ. 34. denique (*d*) dura fata, ipſis ab hoc nato ſuo imminentia, prædixit. vſ. 34. 35. Ac tandem D. Hannæ Prophetiſſæ ἐξομολογία, Meſſiam ſibi perſpectum, aliis manifeſtans Luc. II. 36. 37. 38.

purificatio matris præcedens.

dedicatio Filii.

Simeonis benedictio,

Hannæ confeſſio.

VII. Dedicationem, ג. ſi non ſecuta eſt, ut

C. Reli-

giosa visitatio Magorum.

nonnulli volunt, parentibus secundo profectis Bethlehemum; saltem immediate præcessit *religiosa visitatio* Matth. II. 1.—13. quâ Magi aliquot, seu sapientes ac Philosophi Persæ, divina revelatione, ope extraordinariæ cujusdam stellæ, de nativitate Regis Judæorum, extraordinarii ac spiritualis, edocti; longo ac difficili itinere Jerosolymam verius, ubi templum, ubi sacerdotium, ubi sacra quævis Judæorum sacerrima; proficiscuntur, ubi curatè in Regem natum inquirunt; instructi ab hominibus, & prælucente sydere cœlesti, exquirunt; exquisitum religiose, tanquam Deum, adorant, ut hominem, suis muneribus prosequuntur, & divino oraculo ducti, declinato Herode, Persecutore hypocrita, ad suos revertuntur, primi ex Gentilismo ad Christum conversi, adeoque *primitiæ gentium*, instantis vocationis universalis gentium, præludium futuri. De quo nos jam ante *cap. præced.* §. XV. nonnulla prælibavimus.

D. persecutio Herodis, & fuga Jesu.

VIII. Istud autem pietatis & honoris religiosi officium, mox ר excepit diristissima Herodis magni *persecutio* Matth. II. 13. — usque ad ejus mortem continuata, quâ decèptus in suâ astutiâ tyrannus, ad necem quæsivit natum, prout Magi ad religionem, quo natus significaret, honores & persecutiones pari passu ambulare: quamobrem, ut pro ratione status, ad quem se pro nobis demiserat, humano amore vitæ consuleretur, à parentibus, divino somnio monitis, in Ægyptum, domum illam servitutis abducitur, indeque, mortuo persecutore, reducitur in patriam: ut ab initio statim judicaret, se esse eum, qui assumtâ *servi* formâ Phil. III. 7. in domum servitutis, è solio detrusus fuerit, atque etiam ex Ægypto spirituali, in libertatem & quietem filiorum Dei, suos reducturus sit Gal. V. 1. Heb. IV. 8.

E. Reditus ad Nazareth.

IX. Tandem ex Ægypto redux ה domicilium educationis Nazarethum occupavit Matth. II. 23. Luc. II. 39. Matth. XXVI. 71. Marc. XIV. 67. Act. III. 6. ubi conceptus erat ex Spiritu S. à quo, per contumeliam quidem vulgi (Conf. Joh. I. 47.) *Nazarenus* fuit cognominatus Joh. XIX. 19. sed tamen non absque consilio Dei, quo nimirum, vel sono ac tono, fidelium aures animique monerentur, ipsum esse *surculum* illum נצר, quo Messias frequenter in Scripturis insignitur Zach. VI. 12. Jes. XI. 1. cui affine עמר Jer. XXIII. 5. A. quo postea, per contemtum, ejus discipuli *Nazareni*, & secta Nazaræorum, fuerunt appellati Act. XXIV. 5. Et hæc omnino sunt, quæ Spiritus S. de *infantia* Mediatoris, nos scire voluit: ut non immeritò & veteres & recentiores, etiam Pontificii, cætera nugis hujus generis nimium addicti, librum apocryphum *de infantia Jesu*, velut spurium ac suppositicium, damnârint.

2. Progressus

X. Ingressum sequitur *progressus* vitæ Christi, qui duas habet periodos, *adolescentiam*, solito latius extensam, quatenus totam vitam ejus *privatam* exhaurit; & *virilem ejus ætatem*, quâ vitam *publicam* exegit. *Adolescentia*, paucis repræsentatur Luc. II. 40. ad finem capitis, (1) quoad *incrementum* Jesu, in (*a*) *statura* (*b*) *sapientia* ratione *intellectus*, habituali, actuali, experimentali, humanæ naturæ, quatenus illa indies ad plura extendebatur objecta. (*c*) *gratia*, seu donis ac virtutibus gratiæ, ratione *voluntatis* (*d*) *favore*, apud Deum & homines Luc. I. 80. & II. 40. 52. Quoad (2) *conversationem*, tam A. *religiosam*, quâ non modo sacra publica illius œconomiæ, *frequentavit*, jam duodecennis, cum parentibus, pedes ascendens Jerosolymam, paschatis festum celebraturus; Luc. II. 41. 42. sed etiam in sacris *actuosus* fuit, inquirendo in veritatem, alios erudiendo, συζητήσεις cum Doctoribus in templo ambiendo, in quo specimen quoddam, & præviam testificationem præstitit, publicæ illius vocationis, quâ ordinatus ac missus est, *Doctor* ac magister Israëlis; atque etiam judicium, spientiam ac sapientiam suam probavit, non esse sola institutione humanâ, tractu temporis; sed divinâ *unione*, modo extraordinario, haustam. Quibus omnibus, suam quoque pietatem prodidit, quâ supra parentes naturales, Patrem suum cœlestem dilexit, ac pro summa voluptate habuit, esse *in his quæ sunt Patris sui* Luc. II. 49. quam B. *civilem* quâ (1) parentibus se *subjectum* ac morigerum præstitit, eoque manifestissimum fecit, se non venisse ut legem *solveret*; sed *impleret* Matth. V. 17. cum nulla sit pars obedientiæ moralis, quæ magis aliena videri queat, à Domino cœli ac terræ, quam subjectio erga homines. (2) opificium mechanicum fabri lignarii exercuit Marc. VI. 3. ut humilitatem ac paupertatem, *pro nobis* admissam 2 Cor. VIII. 9. manifestaret, & maledictionem, ex violatione legis divinæ oriundam Gen. III. 19. à nobis in se derivaret: quanquam & honori sibi ducerent, celeberrimi apud Judæos Doctores, cum vitâ contemplativa artificium conjungere, quorum exemplo & Paulus σκηνοποιὸς fuit Act. XVIII. 3. Ab hac adolescentiæ periodo, usque ad annum ætatis trigesimum, quo vitam publicam auspicatus est Servator, latuit in deserto Luc. I. 80. Nec tamen in tanto otio, sibi *soli* vixit; sed seipsum, & universam vitam suam, nobis sanctificavit, & *subjectum legis* Gal. IV. 4. *paupertati* Luc. IX. 58. 2 Cor. VIII. 9. *precibus*, & continua præparatione ad mortem, & ad munus *publicum*, seipsum nobis impendit.

vitæ Christi; habet.

Adolescentiam. Ubi incrementum, tum, conversatio religiosa, & civilis,

latitatio in ærumnoso.

β. Virilis ætas, quâ munus mediatorium egit.

XI. Successit tandem *virilis* ejus ætas, qua vitam *publicam* egit Luc. I. 80. anno ætatis trigesimo Luc. III. 23. scil. ex instituto Levitarum Num. IV. 57. Muneris mediatorii, quod hac ætatis periodo susceptit, duo nobis veniunt cogitanda: initiatio & peractio. Et *initiatio* quidem, tria complectitur: A *præparationem*, factam ministerio Jo-

Hujus

hannis

A. Initiatio, seu trimembris præparatio, per Baptistam facta.

hannis Baptistæ, parentibus Zachariâ Sacerdote & Elisabethâ effœtis, non sine miraculo nati Luc. 1. 5.—26. sæpius olim, tanquam Messiæ *prodromi*, Israelitis promissi Mal. IV. 5. Jes. XL. 3. quæ oracula ad Baptistam refert N. Testamentum Matth. XI. 14. Luc. I. 17. Matth. III. 3. Huic igitur pro officio incumbebat, *in Spiritu & virtute Eliæ, prægredi coram facie* Messiæ, ut viam ei præpararet Matth. III. 3. Præparavit autem α. *clamando* resipiscentiam Matth. III. 1. 2. quâ non tantum pravos mores Judæi emendarent; sed & perversos de justitiâ & justificatione errores deponerent, sic Messiam redemtorem avidius recepturi. β. *baptizando*, h. e. proselytos suos, futuros imminentis Messiæ discipulos Matth. III. 11. Act. XIX. 4. ex more Judæorum, aquâ lustrando, eoque in fœdus gratiæ, exorientis jam novæ dispensationis, recipiendo. γ. *præbendo* tam illustre testimonium, Messiæ pone se venienti, imò jam præsenti, eum quasi digito monstrando, ipsumque supra se infinitùm elevando Joh. I. 27. Matth. III. 11. id quæ ex revelatione Dei extraordinariâ Joh. I. 33. Quibus omnibus, veterem fœderis gratiæ dispensationem concluſit, pariter & novam aperuit, meruitque, qui *præcedentibus* omnibus *major*, & *sequentibus minor*, appellaretur Matth. XI. 11.

B. Inauguratio per Baptismum.

XII. Initiatio in munus mediatorium complectitur B. *inaugurationem* Baptismo factam Joh. III. 13.—utpote qui non fuit, nisi publica & solennis introductio, qua muneris mediatoriitres functiones (1) *asseruntur* testimonio Patris, publicè pronunciantis, Jesum esse *filium* suum, adeoque *Regem*, à se constitutum, super montem sanctitatis suæ Psal. II. 6: esse item *Sacerdotem*, in cujus sacrificio ἱλαστικῷ acquiescat Jes. XLII. 1. esse denique *Prophetam*, quem in omnibus exactissimè velit *audiendum* Matth. III. 17. & XVII. 5. cum Deut. XVIII. 15. 18. (2) *confirmantur* adjectis signis, apertione cœli, descensu Spiritus S. invisibili columbæ forma, & *requiscente* super eum, auditaque cœlitus voce, qua testimonium Patris fuit significatum. Cui alius etiam accedit hujus Baptismi scopus & usus, videl. *obsignare* toti Christo mystico (h. e. ei & omnibus suis) *fœdus* gratiæ, cujus ipse basin præstabat: eoque etiam confirmare & sanctificare baptismum nostrum, ac monstrare, in quo vis ejus & efficacia quærenda & invenienda sit.

C. Exploratio per tentationem Satanæ.

XIII. Initiatio C. complectitur *explorationem*, factam *tentatione* satanæ Matth. IV. 1.—qua, post quatuor graviſſimos insultus, fortiter debellatos, de satana triumphans, nobis indubitatum fecit, se (a) *primo* Adamo, tentationibus succumbente, fortiorem esse; quin & (b) ipso diabolo robustiorem, adeoque (c) verum illud *mulieris semen*, quod serpenti caput *contriturum* venerit Gen. III. 15. cum Rom. XVI. 20. (d) se juxta nobiscum, tèntatum esse in omnibus, quo nobis tentatis posset συμπαθεῖν Heb. IV. 15. ad hoc, ut tanto majore fiducia, in quibusvis tentationibus, ad ipsius opem confugere possemus *Ibid.* vers. 16.

B. Peractio vitæ publicæ, facta fuit 1. Prædicando,

XIV. *Initiationem* vitæ publicæ, secuta est ejusdem *peractio*, seu muneris, potissimum prophetici, *functio*, facta 1. *prædicando* & docendo, non nova præcepta, nec consilia euangelica, nec mixta è præceptis & consiliis; sed *legem* Mosis interpretando vindicandoque; *Euangelium*, *impletionis* potissimum, annunciando; 2. *futura* prædicendo. Quibus omnibus adjuncta semper fuerunt (1) quoad *ipsum* quidem, tum (a) *gratia* & auctoritas Joh. VII. 46. Matth. VII. 28. 29. tum (b) *labor* & molestia, quatenus dies noctesque, peregrinando à vicu ad vicum, fuit occupatus Marc. VI. 6. Matth. IX. 35. Luc. XIII. 22. tum (c) *fidelitas*, qua non *per se* tantum; sed & per *emissarios*, opus istud peregit Matth. X. 1.—Marc. VI. 7.—Luc. VI. 13.—: (2) Quoad *alios*, vel *apertio* cordis Joh. II. 23. seu conversio; vel *obduratio* Marc. IV. 11. 12. Hæc omnia ex professo diximus, in cap. de *Mediatore Propheta*.

Cur in parabolis adeo fuerit frequens?

XV. Peculiariter hîc observandum, quod inter prædicandum, adeo frequens fuerit in *parabolis*, à rebus quibusvis *terrenis* mutuatis Matth. XIII. &c. cujus consilii varias habuit rationes: A Respectu *sui* (a) animum prodere voluit, qui in ipsis corporalibus *spiritualem*, in terrenis cœlestem, quo in omnibus carnalibus ac terrenis, aliquid spirituale ac cœleste perspicere potuerit, eundemque affectum, & nobis suaderet affricaretque. Conf. Joh. III. 12. ut (b) Scripturarum vaticiniis satisfaceret Psalm. XL. IX. 5. Matth. XIII. 35.— B. Respectu aliorum *quorumvis*, ut (1) eo liberius & efficacius reprehenderet corrigeretque. Conf. Jud. IX. 7.—cum Matth. XXI. 43. 46. ut (2) commodius doceret: quod α. similia *illustrent* Jer. XIII. 1.—XIX. 1.—Ezech. IV. 5.—& VIII. 1.—β. *afficiant*, oblectent, moveant 2. Sam. XII. 1.—γ. *memoriam* juvent Jes. LVII. 8. C. respectu diversi in auditoribus *ingenii*, &. piis ac docilibus ad *perspicuitatem* Marc. IV. 33. 2. reprobis ad *occultationem* & ruinam Matth. XIII. 11.— Marc. IV. 11.—Conf. Psal. CIX. 17.

2. Perpetrando miracula.

XVI. Vitam *publicam* Servator 2. exegit *perpetrando miracula*, id quod omnibus qui quidem Euangelium recipiunt, extra dubium est. Quid autem *miraculum* sit in idea, dudum explicuimus lib. III. cap. 10. §. XXVI. cui impræsens non adjicimus, nisi quod ad illud requiratur; A. ut sit opus stupendum & *naturæ* sphæram excedens, quo *divinæ* virtuti testimonium præstare idoneum sit Marc. I. 27. & V. 42. Luc. V. 26. & IX. 43. B. ut non inangulo; sed *palam* in conspectu publico fiat Marc. I. 23.—Matth. XIV. 14. 19. nec C. multis ambagibus, & longo molimine: sed *repente*, ad purum putum jussum Matth. VIII. 26. & XVII. 18. Marc. IX. 25. nec D. per *gradus* seu paulatim;

Requisita miraculorum.

sed in momento, simul & semel Matth. VIII. 3. & XX. 34.

Quænam miracula Servator perpetrârit.

XVII. Miracula autem Servator perpetravit in *omni* creaturarum genere: A. In *spiritibus* impuris, ejiciendo Matth. VIII. 16. & IX. 33. & XII. 22. & XV, 22. 28. & XVII. 18. Marc. I. 26. 39. Luc. IV. 35. &c. B. In *hominibus*, sanando: (1) *ægrotos* Matth. IV. 23. — & IX. 35. & XII. 15. & XV. 30. & XIX. 2. Marc. I. 34. Luc. IV. 40. & VI. 18. (2) leprosos Matth. VIII. 3. Marc. I. 42. Luc. V. 13. & XVII. 14. (3) paralyticos Matth. VIII. 6. 13. & IX. 7. Marc. II. 3. 11. Luc. V. 24. Joh. V. 8. (4) hydropicos Luc. XIV. 2. 4. (5) febricitantes Matth. VIII. 15. Marc. I. 30. 31. Luc. IV. 39. Joh. IV. 45. cum vers. 52. (6) cœcos Matth. IX. 30. & XII. 22. 23. & XX. 34. & XXI. 14. Marc. VIII. 25. Joh. IX. 7. (7) surdos Marc. VII. 35. (8) incurvatos Luc. XIII. 11. 12. (9) tabidos Matth. XII. 10. 13. Marc. III. 1. 5. Luc. VI. 8. 10. (10) hæmorhagia laborantes Matth. IX. 20. 22. Marc. V. 29. Luc. VIII. 44. (11) surdos Marc. VII. 32. & aure mutilatos Luc. XXII. 51. (12) mortuos, suscitando; Matth. XI. 5. & IX. 25. Marc. V. 41, Luc. VIII. 54. & VII. 14. Joh. XI. 44. Matth. XXVII. 52 — C. in ἀλόγοις: (*a*) in *cœlis* Matth. XXVII. 45. Marc. XV. 33. Luc. XXIII. 44. (*b*) in *terris* Matth. XXI. 19. Marc. II. 14. & VI. 41. 42. & VIII. 1. 8. 9. Luc. IX. 17. Joh. VI. 12. Matth. XV. 37. Joh. XXI. 9. &c. (*c*) in *aquis* Joh. II. 9. Luc. V. 6. Joh. XXI. 11. Matth. XVII. 27. (*d*) in regione *aëris* Matth. VIII. 26. coercendo ventos.

Fines miraculorum sex.

1. XVIII. Miracula autem, tot ac tanta Servator perpetravit, ad hoc, A. ut se, nec purum *hominem*, nec purum *Deum*; sed θεάνθρωπον demonstraret: ministerium enim membrorum corporeorum, contactus manuum, jussa oris, aliaque, *hominem* sanè arguebant: & ἀποτελίσματα *à seculis inaudita* Joh. IX. 32. tantâ copia, in omni naturæ parte, & propriis etiam viribus Matth. VIII. 2. & IX. 28. & in solam Dei gloriam, facta; 2. tis arguebant, ipsum *plus* quam creaturam exstitisse Joh. V. 17. — 24. B. ut se *Messiam* demonstraret, tam diu, & tanto etiam apparatu promissum Joh. V. 36. & VII. 31. Quatenus (1) *omnia* illa opera perpetravit, quæ ex prædictione Scripturæ veteris, Messiæ incumbebant perpetranda Conf. Jes. XXXV. 5. & XXIX. 18. cum Matth. XI. 5. Et eis (2) *circumstantiis*, quæ ex observatione doctorum, hoc egregiè confirmant: v. g. quod 1. ante ipsum, per multa secula, *nulla* omninò facta fuerint miracula. 2. Ex ejus majoribus, nemo exstiterit miraculis clarus. 3. Ipsâ etiam ejus ætate, tot ac tanta, aut ea ipsa miracula, nemo ante eum ediderit, ne Johannes quidem ejus prodromus Joh. X. 41. 4. Præter ipsum Matth. XXI. 14. nemo unquam miracula *in templo* perpetrasse observetur. 5. Quod nullius unquam nativitas & mors miraculis legatur nobilitata, quam illius solius. Quod 6. ad ejus nutum, *quotiescunque* vellet, universa natura, Angeli, cœlum, terra &c. exstiterint ei parata ad obsequium, cum miracula vellet perpetrare. C. Ut doctrinæ euangelicæ veritatem *operibus* confirmaret Joh. X. 38. & XIV. 11. eo quod Deus (cujus solius opera sunt, miracula Luc. XI. 20. Matth. XII. 28. utpote prima veritas ἀψευδὴς Tit. I. 2. Num. XXIII. 19. 2 Tim. II. 13. Heb. VI. 18. falli & fallere nescia) falsitati testimonium perhibere, nullo modo possit. D. Ut *universalem* suam in omnes creaturas *potestatem*, de quâ Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 20. 21. 22. Psal. XXIV. 1. miraculis in *omni* creaturarum genere perpetratis, patefaceret. Imprimis etiam E. ut ineffabilem *bonitatem* & misericordiam versus homines, quibus servandis venerat, ostenderet: eo quod omnia sua miracula, hominibus miseris, aut sanandis, aut servandis, impenderit; nisi quod duo tantum, peculiaribus causis, *severitati* dederit, nec ea etiam in hominibus; sed in Gadarenorum porcis Matth. VIII. 31. 32. & in sterili ficu Matth. XXI. 19. Hinc etiam sibiipsi miracula fecisse, nullibi legitur: ne esuriens aut sitiens quidem, aliter quam naturæ manibus, cibari aut potari voluit. Matth. IV. 2. 4. Joh. IV. 6. 7. & XIX. 28. 29. F. Ut miraculorum *spiritualium*, corporalibus analogorum, virtutem sibi assereret: quâ v. g. spiritualiter *mortuos* possit suscitare Eph. II. 5. 6. *cœcis* mente, sua illuminatione, visum restituere Eph. I. 18. spiritualiter *leprosos* purgare Psal. II. 12. spirituali paralysi, hydrope, febri, surditate, tabe, aut morbo quovis laborantes sanare. Quod ad hujusmodi miracula spiritualia, *major* virtus non requiratur, quam ad corporalia quævis, cum utrobique vis infinita, qualis in creatione, exigatur Psal. II. 12.

Rationes quibus miracula sua propalare vetuerit, quinque.

XIX. Si quæras, quamobrem ergo miracula perpetrata *propalare*, sæpius prohibuerit: Matth. VIII. 4. & IX. 30. Marc. VIII. 26. Matth. XVII. 9. Respondebo (1) quod non *saltu*, sed *paulatim* voluerit innotescere & invalescere, prout Sol ab aurorâ, pergit ad matutinum & meridianum Psal. XIX. 5. 6. 7. (2) fortè etiâm, ne miraculorum copia Judæos quasi obrueret, & ut singula *singulatim* examinandi, tempus præstaret, eoque certius & commodius ipsis innotesceret Messias Joh. VII. 21. (3) quod reliqua *patefacta*, sufficere judicaret tempori præsenti Matth. XVI. 1. 2. (4) quod tempus *post* suam resurrectionem, quibusvis, imò omnibus miraculis suis, per orbem terrarum propalandis, videatur selegisse, ut à miraculo omnium maximo, & divini favoris testimonio splendidissimo, reliqua miracula, & doctrina ejus universa, pondus & *auctoritatem* acciperent. Unde & eo usque, non tantum miracula; sed & se Messiam esse, nimis liberè divulga-

1. 2. 3. 4.

ri

ri prohibuit Matth. XVI. 20. Luc. IX. 21. quo ſpectare videtur, quod Judæis flagitantibus ſignum, non aliud polliceri voluerit, quam *reſurrectionem* ſuam, poſt triduum mortis Matth. XII. 38. 39. 40.

5. Nunquam autem (5) pati voluit, miracula ſua propalari à *ſatana* Marc. I. 34. 35. & III. 11. 12. quod hoc, non niſi ad infamandam ejus doctrinam, facere poſſet.

Miracula perpetravit, per ſe, & per ſuos.

XX. Tandem, cum non *per* ſe ſolum, Servator miracula perpetrârit; ſed etiam *per ſuos*, communicatâ ipſis poteſtate, *moraliter* perpetrandi miracula Marc. XVI. 17. non *eadem* tantum; ſed, ſuo modo Matth. X. 1. etiam *majora* Joh. XIV. 12.: operæ pretium erit, obſervare *diſcrimen* inter miracula Chriſti & Apoſtolorum: quod nim.

Quâ differentiâ,

A. Chriſtus *propria* virtute, & in honorem proprium Joh. V. 17. & II. 11.; Apoſtoli, virtute *Chriſti*, & in gloriam ejus miracula fecerint Act. III. 6. 12. 13. B. Chriſtus facultatem perpetrandi *communicare* potuerit Luc. X. 19. Matth. X. 1. 8.: Apoſtoli nequaquam. C. Chriſtus quaſi *per habitum*, quoties & ubicunque vellet, facultatem illam ad manum habuerit; dum Apoſtoli per *actum coruſcationis*, ad promiſſionem aliquam divinam, precibus à Deo eblandiri eam debuerunt. Atque adeo D. quod Chriſtus *phyſicè* perpetrarit, *ſua* virtute immediatè attingendo, miraculum; quando Apoſtoli, virtute *aliena*, ſuis tantum precibus, aliunde obtinebant miracula: ut non tam ipſi, quam Chriſtus miraculorum ſuorum exiſteret auctor.

3. Patiendo adverſa quævis.

XXI. Sic Servator vitam publicam exegit prædicando, & perpetrando miracula: exegit 3. *patiendo* adverſa quævis, ab utero ad ſepulchrum, ut vita ejus non fuerit niſi continuata *paſſio*. Paſſus enim eſt 1. ab *amicis*, (a) *Deo* & Patre ſuo,

A quibus paſſus ſit.

omnia ſua adverſa, non tantum ab æterno ſibi *decernente* Zach. XIII. 7. Act. II. 23. & IV. 18. ſed etiam *infligente* Jeſ. LIII. 4. 5. 6. Matth. XXVI. 31. *deſerente* Pſal. XXII. 1. Matth. XXVII. 46. (b) Apoſtolis, ipſum *tentantibus* Matth. XVI. 22. 23. *prodentibus* Pſal. LV. 13. 14. 15. Matth. XXVI. 21. 25. 47. 48. *deſerentibus* Matth. XXVI. 31. 56. *abnegantibus*. *Ibid.* verſ. 69. — Paſſus eſt 2. ab *inimicis* omne genus; A. à *diabolo* Matth. IV. 1. — 10. B. Ab *hominibus* α. *politicis*, *Regibus* Pſal. II. 1. Herode Luc. XXIII. 7. 8. 11. Pontio Pilato Matth. XXVII. 2. &c. *ſubditis*, militibus Luc. XXIII. 36. Joh. XIX. 2. 23. &c. β. *Eccleſiaſticis*, Scribis, Phariſæis, Sacerdotibus, Pontificibus, Senioribus, & univerſo Sanhedrim Matth. XXVI. 3. 62. 63, Paſſus etiam

Quænam paſſus ſit.

eſt 3. in *anima* Jeſ. LIII. 11. quæ ſæpius *tentata* Matth. IV. 1. — Hęb. II. 18. *turbata* Joh. XII. 27. *contriſtata* Matth. XXVI. 36. contumeliis omne genus *vexata* Matth. XI. 19. & XII. 24. Joh. VIII. 48. cruciatibus infernalibus exagitata eſt Matth. XXVI. 37. 38. & XXVII. 46. Marc. XIV. 33. 34. Luc. XXII. 44. Heb. V. 7. tum 2. in *corpore*, ſubeundo *exilia* Matth. II. 14. 15. *famem* Matth. IV. 2. & XXI. 18. *ſitim* Joh. IV. 6. 7, varia vitæ *pericula* Matth. II. 16. Marc. III. 6. 7. Joh. VII. 1. & VIII. 59. & XI. 53. 54. *capturam* & vincula Matth. XXVI. 50. Joh. XVIII. 24. viliſſimorum hominum *ſputa* Matth. XXVI. 67. & XXVII. 30. Marc. XIV. 65. *colaphos* Matth. XXVI. 67. & XXVII. 30. Marc. XIV. 65. & XV. 19. *flagellationes* Matth. XXVII. 26. Joh. XIX. 1. *coronam* ſpineam Matth. XXVII. 29. Marc. XV. 17. Joh. XIX. 2. *crucem* Luc. XXIII. 26. Joh. XIX. 17. ejuſque *dolores* per omnia membra ſua Pſal. XXII. 17. Matth. XXVII. 35. Marc. XV. 24. 25. Porro 3. in *forma* per varias *calumnias* Matth. XI. 19. XII. 24. Joh. VIII. 48. *accuſationes* Matth. XXVI. 59. — 67. & XXVII. 12. *ludificationes* geſticulationeſque *Ibid.* vſ. 27. — 32. 37. 38. 39. 40. 41. &c. Tandem 4. paſſus eſt in *fortunis* extremam *pauperiem* Matth. VIII. 20. Luc. IX. 58. 2 Cor. VIII. 9. orbatus *veſtimentis* ſuis Matth. XXVII. 35. atque etiam neceſſariis alimentis *Ibid.* vſ. 34. Et talia quidem per *omnem* vitam paſſus eſt; ſed maxime per poſtremum ætatis quadriennium, ejuſque poſtremum quatriduum, ac quadrihorium, de quo plura ex profeſſo capite ſequenti. Ex quibus perſpiciemus, Servatorem, non *quævis* tantum perpeſſum fuiſſe, quæ nobis incumbebant ex peccato ferenda; ſed omnibus etiam nobis *plura*, ac valore & pretio plane infinita. Conf. Thren. I. 12.

4. Prælucendo vitâ, & cunctis ejus actionibus.

XXII. Vitam publicam Servator tandem 4. exegit, *prælucendo* vitâ & actionibus, quibuſvis in exemplum Matth. XI. 29. 1 Cor. XI. 1. conf. 1 Theſſ. I. 6. Eph. V. 2. 3. 25. &c. 1 Joh. II. 6. 1 Pet. II. 21. 22. 23. Joh. XIII. 14. 15. Quod tamen non ſine grano ſalis venit capiendum fuerunt enim inter ejus actiones, 1. *divinæ potentiæ*, quales in miraculis patent, ſunt 2. divinæ *poteſtatis* ac *prærogativæ*, qualis in ſolutione aſinæ, inſalutatis Dominis, præſcripta Matth. XXI. 2. 3. ſunt 3. *mediatoriæ*, propheticæ, ſacerdotales, regiæ, de quibus ſuis locis: ſunt 4. *accidentales*, occaſionales, incidentales & circumſtantiales: qualis v. g. quod S. cœnam, tempore nocturno, poſt peractam cœnam ordinariam, celebraverit, quod cum ſolis maribus, & eccleſiaſticis, & pane azymo: ſunt denique 5. *morales*, ut Matth. XI. 29. Eph. V. 2. 3. 25. — ſuperſtructæ rationibus & fundamentis moralibus Joh. XIII. 14. 15. Jam Chriſtum in *primi* generis actionibus imitari, penitus eſt *impoſſibile*; in *ſecundi* generis, *injuſtum*; in *tertii* generis, *iniquum*, Chriſtoque Mediatori derogatorium; in *quarti* generis; *ſuperſtitioſum*: ut in ſolis *quinti* generis actionibus, nobis præluxerit ad exemplum imitationis; ita tamen, ut & reliquæ ejus actiones omnes, nobis *uſus* præſtent varios. Virtutes igitur *morales*, earumque actiones, nobis repræſentavit imitandas. Præluxit ergo & *pietate* ver-

Quibus legibus Chriſti actiones imitandæ.

Virtutes quibus Servator nobis præluxerit.

Pietas versus Deum.

sus *Deum*, idque (*a*) officiis cultus Deo *naturalis* (1) *cognitione* Dei Joh. VII. 29. & I. 18. (2) *glorificatione* & reverentiâ Joh. VIII. 49. & XVII. 4. (3) *obedientiâ* Phil. II. 7. Joh. V. 30. & VI. 38. (4) *patientia* Jes. LIII. 7. 1 Pet. II. 23. (5) *humilitate* Phil. II. 7. Matth. XI. 29. (6) *fiducia* in Deo Matth. XXVI. 53. & XXVII. 46. (7) detestatione *idololatriæ*, etiam subtilissimæ Matth. IV. 8. 9. 10. &c. (*b*) officiis cultus *instituti*: *α. circumcisionis* Luc. II. 21. quâ totius legis ceremonialis exactissima observatio obsignabatur Gal. V. 3. *β. præsentationis* in templo Luc. II. 22. *γ. Paschatis* celebratione Matth. XXVI. 17. -- *δ. festorum* leviticorum sanctificatione Luc. II. 41. 42. *ε. baptismi* susceptione Matth. III. 13. -- & institutione Matth. XXVIII. 19. *ζ. Ecclesiarum* collectione Matth. XVI. 18. *η. ministrorum* ecclesiasticorum missione Matth. X. — *ϑ. disciplinæ* ecclesiasticæ constitutione Matth. XVIII. 15. — 19. *ι. precum* publicarum commendatione. *Ibid.* vers. 19. *κ. templi* repurgatione Matth. XXI. 12. *λ. verbi* preconio Matth. IV. 17. *μ.* sacrorum *frequentatione* Luc. II. 49. *ν.* omnis *ἐϑελοϑρησκείας* aversatione Matth. XV. 9. (*c*) *Reverentia*, devotione & singulari *zelo*, in cultu divino Matth. XXI. 12. 13. & fugâ omnis prophanationis nominis divini Joh. VIII. 49. (*d*) *Sanctificatione* Sabbathi Marc. I. 21. Luc. IV. 31. & XIII. 10. ejusque vindicatione, à superstitiosis, misericordiæ & humanitati adversis, Pharisæorum & Scribarum institutis Matth. XII. 1. -- 12. Marc. II. 23. --

Justitia versus proximum.

Justitia versus proximum, quam repræsentavit, (1) *Honore* proximi, veneratione *parentum* Luc. II. 51. & *magistratus* Matth. XXII. 21. & XVII. 27. studio *humilitatis* Matth. XI. 29. & fugâ omnis *superbiæ* Phil. II. 6. 7. (2) *Humanitate* versus proximum demonstratâ, *amore* Eph. V. 2. Joh. XV. 13. *commiseratione* Matth. XV. 32. & XX. 34. *beneficentia* Matth. IV. 23. -- & IX. 35. tot miraculis succurrendo miseris quibusvis, ut suo loco ostendimus: odio omnis *crudelitatis* Matth. XII. 11. 12. (3) *Castitate*, ac detestatione, vel leviissimæ impudicitiæ Matth. V. 27. 28. 29. (4) Justitiâ *commutativa*, suum cuique tribuendo Matth. XXII. 21. & XVII. 27. (5) *Veracitate* Joh. XIX. 37. & VIII. 40. & exsecratione omnis mendacii. *Ibid.* 44. (6) *ἀυταρκείας*, quâ sorte suâ, vel tenuissima & abjectissima, *contentus* Phil. II. 6. 7. alta nunquam sapuit, & ab omni prava *concupiscentia* alienus

Temperantia versus seipsum.

fuit Joh. VI. 15. 3. *Temperantia* versus seipsum, qua cœlestibus corde intentus Joh. VI. 27. & voluntati Patris Joh. IV. 34. voluntatem propriam abnegavit Joh. V. 30. & VI. 38. Matth. XXVI. 39. 42. crucem sponte susceptit Phil. II. 6. 7. 8. fastum mundanum fastidivit Joh. XVIII. 36. & VI. 15. Atque in omnibus istis, adeo fuit exactus, ut *omnem* justitiam impleverit Matth. III. 15. & V. 17. 19. peccatum ullum ne *agnoverit* quidem 2 Cor. V. 21. & rigidissimos observatores suos provocare potuerit; *Quis ex vobis arguit me de peccato?* Joh. VIII. 46. Quod talis nos deceret Pontifex, *ὅσιος ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus* Heb. VII. 26.

Egressus vitæ Christi.

XXIII. Et sic tandem, ad tertiam pertingimus vitæ Christi periodum, *egressum* scil. ex hac vita, qui fuit in *præparatione* ad mortem, quam satis accuratè repræsentat Johannes in Euangelio Capp. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Huc spectant A. tot, ac tam clara mortis instantis *præsagia* Matth. XVI. 21. & XVII. 22. 23. & XX. 18. Marc. VIII. 31. & IX. 31. & X. 33. Luc. IX. 22. 44. & XVIII. 31. ad hoc, ut morte inscium & *invitum* obrui, non suspicarentur discipuli. B. *Tranfiguratio* in monte Matth. XVII. 1. —9. ut discipulorum animi confirmarentur, adversus mortis instantis scandalum, unaque *προγνωστικὸν* haberent, glorificationis quæ mortem suam secutura fit Luc. XXIV. 26. C. *Sacramentorum* illorum, quæ singularem ad mortem suam respectum habebant, usurpatio, nim. *paschatis* Luc. XXII. 15. ejusque abrogatio Matth. XXVI. 17. —21. ut significaret, se esse *pascha* illud, pro hominibus *mactandum* 1 Cor. V. 7. & Cœnæ sacramentalis institutio Matth. XXVI. 26. —29. utpote mortis suæ, & instantis præsagium, & præteritæ rememorationem. Matth. XXVI. 28. 1 Cor. XI. 24. 25. 26. D. Humilitatis & *φιλαδελφίας* excolendæ *ὑποτύπωσις*, in discipulorum *lotione* Joh. XIII. 4. —12. E. Concio quasi *valedictoria*, qua discipulorum animos, cum adversus instantis mortis *sua* tristitiam; tum adversus secuturas *persecutiones*, confirmare conatus est Joh. XIV. XV. XVI. Denique F. *preces* emortuales, quibus, jam decessurus, discipulos suos commendavit in manus Patris sui Joh. XVII. —

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An circumcisio, oblatio, pascha, aliaque ceremonialia, Mediatori conveniant?

Rationes affirmativæ.

XXIV. Quæritur *primò* circa *infantiam* Christi. an circumcisio, dedicatio, frequentatio paschatis, aliaque ceremonialia, in personam Mediatoris quadrent? Ratio dubitandi est, quod omnia illa ceremonialia *peccatum* præsupponant, à quo immunis fuit Mediator. Dicendum nihilominus, *quadrare*, quia (1) Infans fuit *Hebræus*, sub fœdere Dei *nationali*, quales, ex præscripto divino, ceremonialibus illis erant obnoxii Gen. XVII. 10. cum. Gal. V. 3. (2) quia cum *Judæis* ipsi erat agendum, utpote misso, qui *oves deperditas domus Israël servaret* Matth. XV. 24. quod absque circumcisione, aliisque ceremonialibus, non ita fieri potuisset. Conf. Act. XVI. 3. (3) quia *omnis* justitia ipsi pro nobis implenda incumbebat Matth. III. 15. &. V. 17. Rom. VIII. 3. 4. (4) quia omnia ceremonialia *umbræ* fuerunt, sua observan-

ſervantiâ tollendæ, ab ipſo tanquam *corpore* Col. II. 17. Heb. X. 1. Singulatim (5) *circumciſio* ipſi conveniebat, quia ſigillum erat *fœderis gratiæ* Gen. XVII. 10. 11. Act. VII. 8. Rom. IV. 11. cujus ipſe mediator erat & baſis Heb. VIII. 6. & IX. 15. & XII. 24. Etiam (6) *oblatio* ipſi conveniebat, quia erat *primogenitus* Dei Rom. VIII. 29. Heb. I. 6. qui nos, peccato à Deo *alienatos* Jeſ. LIX. 2. referre Deo debebat Jeſ. XLIX. 6. ad quod ſeipſum offerre Patri debuit Eph. V. 2. Tandem etiam (7) *Paſcha* ipſi conveniebat, quia ejus ſeſe antitypum demonſtrare debebat 1. Cor. V. 7. Nec obſtat quod peccatum omnia iſta ceremonialia præſupponant: quamvis enim *perſonaliter* fuerit immunis à peccato; *fœderaliter* tamen *factus eſt pro nobis peccatum*, ut nos *fieremus juſtitia in eo* 2 Cor. V. 21.

2. An baptiſmus ei conveniebat?

XXV. *Secundo* quæritur: an & baptiſmus ei conveniebat? Ratio dubitandi gemina eſſe poſſit, prima quod circumciſio & baptiſmus *reipſa* coincidant Col. II. 11. quatenus utrobique eſt ſacramentum *initiationis* & introductionis in fœdus gratiæ; ſecunda, quod baptiſmus obſignet *remiſſionem* peccatorum Act. II. 38. & XXII. 16. & *regenerationem* Spiritus S. Tit. III. 5. quibus non indigebat Mediator. His tamen non obſtantibus ipſi conveniebat baptiſmus: quatenus enim 1. baptiſmus eſt ſacramentum *ordinarium* introductionis in fœdus gratiæ Act. II. 38. 39. cum Gen. XVII. 10. cui potius conveniebat, quam ei, qui Mediator eſt & baſis fœderis gratiæ? Heb. XII. 24. Quatenus etiam 2. baptiſmus ſacramentum erat *extraordinarium*, introductionis ſeu inaugurationis in *munus* mediatorium Matth. III. 16. 17. cui conveniebat præterquam ipſi ſoli? qui *unicus* eſt *Mediator* 1 Tim. II. 5. Quatenus autem 3. obſignatio erat *remiſſionis* peccatorum, & regenerationis per Spiritum; non *proprio*; ſed *ſponſorio* nomine ſuſcepit: quia omnis remiſſionis, & Spiritus S. regenerantis, unicâ cauſa eſt meritoria. Non addam 4. baptizari ipſum voluiſſe, ut baptiſmo à ſe inſtituendo præluderet, eumque nobis commendaret ſanctificaretque. Proinde non obſtat, quod A. obſignaverit remiſſionem & regenerationem: neque enim *ſibi perſonaliter* obſignabat; ſed *nobis*. Quod B. idem fuerit baptiſmus cum circumciſione; fuerit enim quoad *ſubſtantiam*; non fuit tamen quoad *circumſtantiam*: quatenus utrobique obſignabatur quidem fœdus gratiæ, quoad gradum *initiationis*; ſed tamen cum reſpectu ad diverſam *œconomiam*, veteris & novi Teſtamenti.

Rationes affirmantis ſententiæ.

Fundamenta negantis.

3. An tempore jejunii ſui fuerit abreptus in cœlum?

XXVI. *Tertio* quæritur, an per jejunium ejus quadrageſimale, quod Baptiſmum excepit, abreptus fuerit in cœlum, ut ibidem de myſteriis Eu-angelii; hominibus prædicandis, plenius edoceretur? Reſp. Quo conſilio, & quibus rationibus affirment Sociniani, & negent Orthodoxi, diximus ſupra cap. VI. §. 14.

4. An quadrageſimale Chriſti jejunium nobis imitari cumbat?

XXVII. *Quarto*, an quadrageſimale illud Chriſti jejunium nobis in imitationis cedat exemplum? Pontificii, amore ſuperſtitionis ſuæ ſectæ peculiaris, affirmant; *Jejunio ſuo* (inquit Granatenſis ad Dominical. *Invocavit*) *quadrageſimale jejunium ſacravit, & cœleſtem ei virtutem atque dignitatem contulit.* Orthodoxi, omnes quidem Chriſti actiones, ad *inſtitutionem* nobis conſignatas fatentur; ſed non omnes ad *imitationem*: hoc etiam jejunium ad *imitationem* accidiſſe, quoad *genus*; ut, invitante occaſione, cum Chriſto jejunemus; non autem quoad *ſpeciem*, ut per quadraginta dies, ſingulis annis, ſolâ abſtinentiâ à carnibus, jejunemus. Quod 1. Servator, qui jejunia ſuis non râro commendat Matth. VI. 16. 17. & IX. 15. & XVII. 21. Marc. II. 20. nunquam tamen, propoſito iſtius ſui jejunii exemplo. Quod 2. jejunium iſtud ſit inter *miraculoſa* ſua, quæ non ad *imitationem*; ſed ad *inſtructionem* conſignata, in *dogmaticis* docuimus. Quod 3. ne ipſi quidem adverſarii, aut *poſſint*, aut *velint*, imitari iſtud Chriſti jejunium, quatenus (*a*) nec Chriſtus *ſingulis* annis, ſed *ſemel* tantum ita jejunavit, (*b*) nec ſuos ad jejunium *tale* per quadraginta dies, vel aſſuefecit, vel invitavit, (*c*) nec per ſolos *piſces*; ſed per *univerſalem* omnis cibi potuſque abſtinentiam, jejunavit. Quod proinde 4. jejunium Pontificiorum, quadrageſimale, non ſit niſi pura puta ἐθελοθρησκεια, ipſi Chriſto damnata Matth. XV. 9. & exploſa Apoſtolo Col. II. 20—Non addam 5. quod iſtud Pontificiorum jejunium, ne jejunium quidem ſit: utpote quod *omnem* omnino victus abſtinentiam requirit, ut patet inductione omnium jejuniorum, quæ in Scripturis commemorantur. Nec habent quod pro ſe, in contrarium cauſentur Pontificii, quam generale *imitationis* præſcriptum 1 Pet. II. 21. Phil. II. 5. 1 Cor. XI. 1.; hoc autem, quibus legibus reſtringendum veniat, jam ante in *dogmaticis* §. XXII. monuimus. Conf. Chamier. *Panſtrat.* lib. XIX. c. 7.

Argumenta Orthodoxorum.

Fundamentum Pontificiorum.

5. An tentatio Chriſti hiſtoricè facta fuerit?

XXVIII. *Quinto* quæritur, an tentatio diaboli; quam poſt jejunium ſubiit mediator, facta fuerit *hiſtorice*, per viſibilem apparitionem cacodæmonis, ejus alloquium, oſtenſionem lapidis, tra ductionem in montem excelſum, & faſtigium templi &c. an verò *exſtatice*, per ſuggeſtiones internas? E Proteſtantibus Lutherani omnes, & Reformatis plerique, cum Pontificiis, affirmant prorſus *hiſtorice* & κατὰ τὸ ῥητὸν, iſtam narrationem proceſſiſſe. Nonnulli Reformati, inter quos Oecolampadius, Bucerus aliique ex adverſo, agnoſcunt, Satanam vere quidem Chriſtum tentaſſe; ſed iſtud non apud ejus corpus egiſſe; verum apud mentem potius ſeu phantaſiam ejus, id egiſſe. Beckerus, quod exiſtimet malignos ſpiritus,

ritus, non agere extra se, vel per proprias vires: vel per σύνταξιν, quam Deus voluerit esse inter eorum cogitationes, & tales effectus extra se: negat Satanam vere tentasse Christum; sed *quod Deus voluerit, ut hic Filius suus perdilectus, in solitudinem profectus, sibi semel repræsentaret diabolum, ut qui hominibus tot adversa adduxisset, cujus operi jam adversus iret, & qui etiam sibi cunctis viribus esset oppositurus, si posset. Ipse qui in omnibus tentatus esset sicut nos (sed absque peccato* Heb. IV. 15.) *per jejunia & preces diu exercitatus, videbat, quemadmodum sibi videbatur, tentatorem adventantem, qui hoc aut illo modo, niteretur ad apostasiam perducere* &c. Verba ejus sunt Mundi fascinat. lib. II. cap. XX. Attamen sibi in hoc suo figmento, ut videtur, parum satisfaciens, sub finem concludit in hæc verba: *Vultne quis dicam, quomodo ipse intelligam*, istam scil. narrationem? *illud huc non quadraret, nisi sententiam in hoc capite, uberius declarem, ne forte perperam intelligar.* Et sic nullam omnino interpretationem hujus narrationis subjungit. Nec desunt tandem inter Reformatos, qui mediam viam sectantur, inter quos est Cl. Ligthfoot ad Matth. IV. statuuntque *fuisse diaboli illusionem, & deceptionem visus — Christum in montem duxisse diabolum; non ut hac vere ostenderet; sed ut fucum ipsi faceret, quamquam Christus minime deceptus fuit, nec pro veris, ut voluit diabolus; sed pro fictis repræsentationibus hac accepit. Objecit ergo diabolus oculis Christi, aëreum horizonta, in quo hac phantasmata producit diabolus, qui est Princeps aëris, in quo interdum veris effectis, ut in tempestatibus excitandis; interdum autem phantasticis speciebus, ut hic, & in Ægypto per Magos, operatur. In quibus aëra primum condensat, dein figuram & colorem imponit — id quod ipsi facile est, tanquam spiritui, ad fraudem faciendam parato* Verba sunt D. Ligthfoot. Mihi prima harum sententiarum maxime arrîdet, quod nihil habeat veræ difficultatis; ut patebit per sequentia.

Argumenta. Eo quod, ex sententia Beckeri 1. Christus seipsum tentasset, pro eo quod historia Satanam tentasse narrat. 2. Christus sibi ipsi insultasset, eis blasphemiis, quas textus Satanæ tribuit: sibi dixisset: *Si filius Dei es, dic ut hi lapides panes fiant: projice te deorsum*: hæc *omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* 3. Suis imaginationibus, Christus seipsum duxisset in pinnaculum templi, in excelsum montem, sibi ipsi ostentasset omnia regna mundi: sibi ipsi dixisset: *omnia ista tibi dabo*, si procidens adoraveris me: seipsum refutasset adductis Scripturis: *non vivit homo pane solo: Dominum Deum tuum adorabis: ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ.* &. Fuisset hæc egregia vel-tatio, quâ Christus secum congressus, sibi ipsi insultaverit, seipsum debellaverit. 5. Ex hoc personato conflictu, ut Beckerus vult, Christus *tantam tristitiam, angorem & metum conceperit.* Nec quicquam obstante 6. quod Christus certo erat persuasus certius, diabolum à prima hominis seductione, sic damnatum esse ad perpetuos carceres, ut sibi jam amplius permissum non sit, quicquam cum hominibus agere. Scil. sibi repræsentabat Christus Satanam adventantem, tentantem, qui non posset adventare, tentare. Accedat 7. Quod D. Beckerus nullum potuerit repræsentare, hujus narrationis sensum, qui vel sibi ipsi satisfaceret. Interim magno conatu venatur difficultates, quibus obtineat, Satanam proprie non tentasse Servatorem, nec textum historice esse intelligendum. Causatur A. sic Satanam fatuum futurum fuisse, qui θεάνθρωπον ad peccatum voluerit adducere. Resp. 1. Fuerit fatuus, & infatuatus ab eo *qui sapientes capit in calliditate sua* Job. V. 13. cum præsertim totum hujus tentationis negotium non alio spectarit, quam ut infatuaretur Satanas. 2. Quid si etiam cum Pelagianis & Jesuitis, existimaverit, filium Dei, ceu libero arbitrio pollentem, potuisse peccare? B. parum futurum fuisse ex *gloria* filii Dei, si tentationibus viliſſimi spiritus expositus fuisset. Resp. 1. An magis ex gloria Christi fuit, quod viliſſimorum Pharisæorum, Scribarum, militum tentationibus & ludibriis fuerit expositus? 2. Non fuerît ex gloria Christi, modo fuerit ex *humiliatione ejus*, per quam ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, ἴσος Θεῷ, formam servi assumpsit Phil. II. 7. 8. Etiam 3. fuit ex *gloria* ejus, quod hoc conflictu suis demonstraverit, se potentissimum spiritum superare & *conterere* posse. C. Quod viliſſimus spiritus filium Dei provocasset ad *miraculum*, quo ex lapidibus panem conficeret. Resp. 1. An ipsi ad hoc non satis impudentiæ competit? 2. Non videtur animus Satanæ fuisse, ut ad miraculum provocaret; sed ut extremam ipsi egestatem exprobraret, quâ post tot dierum jejunium, indeque contractam famem, ne panem quidem haberet, quem latranti stomacho *filius Dei* objectaret: atque hinc ad pusillanimitatem adduceret, quâ parum crederet se *filium Dei* esse; quasi dixerit: Tune *filius* Dei es? Deus tuus Pater? qui per tot dies jejunasti, fame excruciaris, & ne panem quidem habes, quo spiritum alas, lapides devora, aut si *filius* Dei es, ex lapidibus panem confice. Hoccine tam est insultum? Quod D. inexplicabile sit, quomodo ex deserto potuerit traduci in excelsum montem, ut interdiu quidem, non videretur ab hominibus, & noctu viderêt regna mundi? Quomodo ex monte, quantumvis excelso, ipsi diabolus ostendere potuerit *omnia* regna mundi, ea etiam quæ apud Antipodes existunt? Quomodo ipsum elevaverit in pinnaculum templi, ut inde seipsum dejiceret? Resp. 1. Pone quod nec tu, nec nos, nec quis-

Objectiones.

quam

quam istas difficultates possit expedire; an propterea totius historiæ fidem, unanimi ferè omnium Euangelistarum suffragio traditam Matth. IV. 1.—12. Marc. I. 12. 13. Luc. IV. 1.—14. in dubium trahere, pium est & Christianum? 2. Nec tu tot difficultates, circa primam Satanæ tentationem, expedire, & quo modo: consilio, an exemplo protoplastos seduxerit, extricare potuisti: & tamen verè factam fuisse istam tentationem, necdum ausus fuisti negare. 3. Quin tibi hic usu venit, quod habes §. 12. *Ego mallem dicere, quod Scripturam in hujusmodi negotiis non intelligam?* 4. Quid si etiam dicamus, istas tralationes factas fuisse, apud ejus phantasiam? in *visione*, quali Ezechiel traductus videtur ad flumen Chebar? Sed necdum ad istas extremitates descendimus. Quid si 5. Satanas ipsum peditem, per vias ordinarias, secum deduxerit in pinnaculum templi, in montem excelsum, quo spectare videtur vox ἐπιλαμβάνει Matth. IV. 5. 8. *assumsit* Act. IX. 27. & XVII. 19. & XXIII. 19. Heb. VIII. 9. id quod lapsu temporis commode fieri potuit; non autem per aëra rapuit. Sed quomodo ipsi ostendere potuit *omnia* regna mundi, etiam apud Antipodes existentia? Resp. Ostendit ei *verbis* per alloquium, repræsentando ei historice *omnia* regna mundi, quo sensu vox δείκνυμι occurrit 1 Cor. XII. 31. Act. X. 28. cum præsertim *gloria mundi* vix aliter ostendi possit. His positis, quid jam restat difficultatis in historia? Tandem E. Quod spiritus creati, quippe meræ cogitationes, non operentur extra se, nec per proprias vires, quod etiam in Angelis bonis obtineat; nec per σύνταξιν Dei, qui voluerit, ut ad tales spirituum malignorum cogitationes, tales sequerentur operationes. Resp. Hoc est πρῶτον ψεῦδος, quod ex professo disjecimus supra lib. III. Cap. VIII. §. XXI. Conf. *Epanorthosin* nostram ad Bekkerum §. XXIII.

6. An prædicando legem correxerit, auxerit?

XXIX. *Sexto*, an Servator prædicando, legem Mosis correxerit, auxerit, promissionibus spiritualibus sanciverit, eoque ex lege Euangelium procreaverit? Quo consilio & quibus rationibus Sociniani affirment, & Orthodoxi negent, nos supra cap. VI. §. 17. indicavimus.

7. An quæ Christus prædicavit, omnia sint vera?

XXX. Quæritur *septimo*, an omnia illa, quæ Christus prædicando docuit, sint infallibiliter vera? Judæi, odio, & Christi, & Religionis Christianæ, negant: Christiani ex adverso affirmant, cujus affirmationis demonstrandæ methodum aperuimus lib. I. cap. 2. §. XXX. ut hic non restet agendum, quam præcipuas Judæorum calumnias paucis refellere.

Objectiones Judæorum.

Causantur ergo, (1) Mosi contrarium esse quod docuit Matth. V. 43. *inimicum odio habebis*. sic R. Isaac Ben Abraham *adversus* N. T. Resp. Christus hoc non docuit; sed tantum recensuit sententiam majorum, h. e. Pharisæorum & Scribarum, illudque taxat & corrigit, sub nomine justitiæ pharisaicæ vs. 20. (2) Messiæ contrarium esse, quod dicit Matth. X. 34. *Ne putetis me venisse qui pacem emittam in terram; sed gladium* &c cum de Messia dicatur, quod gentes docturus sit *pacem* Zach. IX. 10. Jes. 11. 4. Resp. Christus, ut receptum Judæis errorem, de Messiâ futuro Rege *temporali*, qui, subjugatis omnibus gentibus, suis altam *pacem terrenam* esset conciliaturus (nimium etiam apud suos discipulos radicatum) efficacius eyelleret, denunciat, se non venisse, qui *talem* pacem mundo afferret; quin potius, occasione doctrinæ suæ, oboritura mundo truculentissima dissidia & bella vs. 20. 21: interim non negat se venisse, ut pacem *spiritualem*, quam de Messiâ Prophetæ prædicunt, mundo restitueret: quin eam sibi ex professo asserit Joh. XIV. 27. & XX. 19. &c. Conf. Rom. V. 1. Eph. II. 14. Quin & pacem passim suis inculcavit Matth. X. 13. Luc. XXIV. 36. Joh. XX. 19. 21. & Cap. XIV. 27. Conf. Rom. XII. 18. (3) Christum sibi ipsi obloqui, quando Matth. XI. 13. *Omnes Prophetas & legem* dicit prophetare usque ad Johannem: & cap. V. 17. negat se venisse, *ut legem & Prophetas tollat; sed ut impleat.* Resp. *Priore* textu, non aliud vult, quam omnes Prophetas usque ad Johannem, Messiam dixisse ut *futurum* Jes. II, 2. Jer. XXXIII. 15. Joël III. 1. Num. XXIV. 17. cum Hebr. XI. 13. quando Johannes *præsentem* monstraverit Joh. I. 29. 36: *posteriore* autem textu significat, se non venisse, ut scriptis legalibus & propheticis auctoritatem obligandi adimeret, nec ut legem *moralem* abrogaret; sed ut pro nobis eam exactissimè *impleret*. Quænam in his contradictio? Nec magis pugnat, quod (4) criminantur, Johannem Eliam *affirmari* à Christo Matth. XI. 13. & *negari* ab ipso Johanne Joh. I. 21: si modo distinguas Eliam *spiritualem*, qui promissus erat Messiæ prodromus Mal. IV. 5. de quo Luc. I. 17, & Matth. XVII. 10. 11. 12. ab Eliâ *corporali* seu Thesbite: *spiritualem* Christus affirmat, nec Johannes negat; Thesbiten se esse Johannes negat, nec affirmat Christus. Causantur (5) falsum esse, quod extat Matth. XV. 17. 18. *non quod ingreditur; contaminat*; cum protoplastos contaminarit quod ingrediebatur Gen. III. contaminent animalia immunda, os ingredientia Levit. XI. 43. contaminet suffocatum & sanguis Act. XV. 20. Resp. si distinguas (*a*) impuritatem *corpoream*, seu ceremonialem, de quâ Levit. XI. 43. ab impuritâte *spirituali* seu morali, de quâ Christus; agnosces non pugnare: rursus quoad impuritatem *moralem*, si (*b*) distinguas *cibum* ipsum ingredientem, de quo Christus, v. g. fructum arboris scientiæ boni & mali, vinum Noachi; ab *abusu* cibi: deprehendes verissimum, non cibum ingredientem; sed abusum cibi, qui progreditur à corde, contaminare, & contaminasse protoplastos & Noachum. Criminantur (6) praxi, Christum

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

ſtum propriæ doctrinæ adverſarum fuiſſe, quando Matth. v. 39. jubeat, alapam impingenti uni maxillæ, alteram obvertas; quod ipſe non fecerit, coram Pontifice exiſtens Joh. xviii. 22. Reſp. Matth. v. 39. Chriſtus vindictam *privatam* prohibet, cum Moſe Levit xix. 18. & Salomone Prov. xxiv. 29. pro quâ, tanquam licitâ, Phariſæi detorquebant loca Exod. xxi. 24. & Deut. xix. 19. 21. quæ loquuntur de vindicta *publica*; & quo remotiores à privata iſta vindicta ſui ſint, præſcribit, ut, ſi alterutrum ipſis eligendum veniat, aut *privata* vindicta; aut ſecunda alapa *alteri* maxillæ impingenda; poſterius malint quam prius: cui ipſe non adverſatur coram Pontifice, cum non utatur vindicta; ſed placida tantum reprehenſione; quin & ſic ſatis ipſum arrexiſſe, non *maxillam* tantum alteram; ſed univerſum corpus, patet ex Matth.
Septima. xxvi. 68. cum Jeſ. l. 6. Calumniantur (7) Chriſtum ſuâ doctrina abrogaſſe omnia judicia criminalia Joh. viii. quod dixerit vſ. 7. *Qui veſtrum immunis eſt à peccato, primus in illam* (adulteram) *lapidem jaciat:* & vſ. 11. *nec ego te condemno.* Reſp. Animus Chriſto eſt, non abrogare cruminalia, utpote quæ alibi diſerte confirmat Matth. xxvi. 52. conf. Rom. xiii. 1. 2. 3. 4. ſed prudenter declinare ſtrophas inſidiantium Phariſæorum, quæ notantur vſ. 6. in quam rem, artificioſe ipſis ad animum revocat proprium reatum, cujus conſcientia, proximi accuſatoria fugerent: tum porro, deficiente judicio publico, negavit *ſibi ex officio* in-
Octava. cumbere, accuſatam condemnare. Tum (8) criminantur, *novum* præceptum à Chriſto appellari Joh. xiii. 34. quod *vetuſtiſſimum* ſit Levit xix. 18. Reſp. Sed non advertunt *novum* appellari, id quod eſt præclarum Jeſ. lxii. 2. & lxv. 15. Marc.
Nona. xvi. 17. Pſal. xxxiii. 3. Etiam (9) criminantur Chriſtum prohibuiſſe *divortia* Matth, xix. 8. 9. quæ Moſes præceperit Deut. xxiv. 1. 2. Reſp. Moſes non *præcepit*; ſed *permiſit*, propter *duritiem cordis* Judaici, de quâ Exod. xxxii. 9. & xxxiii. 3. Jeſ. xlviii. 4. quâ Judæi, quamvis ob cauſam, uxores deſerebant, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν Matth. xix. 3. & permiſit quidem Deus, non *ethice*, ut non eſſet peccatum; (utpote quod exſerte prohibitum obſervatur Mal. ii. 14. 16.) ſed *politice* tantum, ut civiliter non puniretur: Chriſtus autem, non niſi *ethice* prohibet, ex primævâ matrimonii inſtitu-
Decima. tione. Cauſantur (10) Chriſtum Matth. xix. 22. omnia *vendere*, & pauperibus dari voluiſſe, quod in *lege* Deus nullibi juſſerit. Reſp. Non juſſit *univerſaliter*; ſed *ſingulariter*: ob ſingularem huic juveni cauſam, ut animum opibus nimium addictum ablactaret. Cauſantur (11) Chriſtum per-
Undecima. miſiſſe uſum ciborum impurorum, quem Moſes prohibuerit, aliaque ceremonialia abrogaſſe, quæ Deus præceperit. Reſp. Chriſtus non abrogavit, niſi ea quæ Deus ad certam uſque *periodum* præceperat Dan. ix. 27. neque ante iſtam periodum abrogavit. Tandem criminantur (12) ipſum Sab- Duodecima.
bathum multis modis violaſſe, ſanando ægrotos, permittendo diſcipulis, ut ſpicas vellicarent &c. Reſp. Vetus Phariſæorum calumnia eſt Joh. v. 16. & ix. 16. quam ipſe refutavit ex profeſſo Matth. xii. 10.-- oſtendendo opera *charitatis*, tempore Sabbathi nequaquam fuiſſe prohibita; ſed præcepta potius, &c. Hæc præcipua ſunt, quæ R. Iſaac Ben. Abraham, *adverſus N. Teſtamentum*, calumniatur.

XXXI. *Octavo* quæritur, an veri nominis *mi-* 8. An veri
racula ſint, h. e. divina, & talia quæ Meſſiam nominis
comprobare valeant; ea quæ Jeſus Nazarenus per- miracula
petravit? Chriſtiani affirmant, eo quod 1. No- Chriſtus
vum T. quod, adverſariis conſentientibus, talia perpe-
ipſi miracula tribuens; *univerſalis* ſit veritatis, ac traverit?
divinæ auctoritatis, perinde ac V. T. id quod alibi Lib. i. cap. 2. §. xxx. xxxi. demonſtravimus. 2. Quod Jeſus Nazarenus ſit verus ille *Meſſias*, prout Fundaſupra demonſtravimus cap. 2. §. xix. cui Vetus T. menta
ipſis Judæis fatentibus, vera, maxima, imo ipſa Chriſtiailla, quæ N. T. Jeſu noſtro tribuit miracula. norum
Quod 3. Fl. Joſephus, Judæus, ſcriptor coætaneus lib. 18. cap. iv. exſerte ipſi tribuat multa miracula. Judæi, odio Jeſu Nazareni, varia calumniantur in miraculis Chriſti, nec ſibi ſatis convenientia, quæ breviter examinabimus. Jam enim calumniantur, 1. miracula Chriſti non fuiſſe niſi *figmenta* Apoſtolorum, qualia Turcæ Muhammedi ſuo, Lucianus Apollonio, Pontificii ſuis ſanctis, paſſim tribuunt. Reſp. (*a*) Probent: poſſis aliàs idem criminari, in miraculis Moſis, Eliæ, Eliſæi aliorumque. Imo (*b*) eiſdem argumentis, quibus Judæi veritatem miraculorum *Moſis*, Eliæ &c. nobis probabunt, modo vera fuerint; & nos ipſis probabimus veritatem miraculorum *Chriſti*. (*c*) veritas miraculorum Chriſti teſtimonium habet, non tantum ab *Apoſtolis* & Euangeliſtis, probatæ fidei hominibus, qui vel ſanguine ſuo obſignârunt: ſed etiam à *Gentilibus*, v. g. Juliano Apoſtatâ, extenuante quidem; ſed tamen agnoſcente miracula lib. 6. *Contr. Chriſtian.* imo & Judæis, Fl. Joſepho, Talmude, quod in *Avoda Zara* agnoſcit, filium ſororis R. Joſua, à veneno *in nomine Jeſu* ſervari voluiſſe Cap. 1. בשם רבי ישו *in nomine Præceptoris ſui Jeſu.* Imo quotquot è Judæis ſtatuunt, ipſum opera ſua perpetraſſe, per שם המפרש *nomen expoſitum*, præſupponunt eum miracula perpetraſſe. (*d*) Miraculorum autem Muhammedis, Apollonii, & Pontificiorum ratio toto cœlo *diverſa* eſt: quatenus illorum miracula, ſeu *mirabilia* rectius, non in *publica*, etiam adverſantis turbæ, frequentiâ (ſed hic aut ibi, in privato angulo) perpetrata ſunt, ſicut Jeſu Nazareni paſſim; neque etiam tot tantorumque teſtium præſentia nituntur; ſed unius tantum atque alterius.

Objectiones Judæorum negantium:
Prima,

Secunda. rius. Jam calumniantur 2. ipsum *magicis* artibus, ut magi Pharaonis, ut Simon Magus, miracula edidisse. Resp. (*a*) Probandum istud. (*b*) Idem alias de miraculis *Mosis*, Eliæ, Elisæi, dici eisdem rationibus posset. (*c*) Christum, inimici Pharisæi hoc nomine accusassent coram Sanhedrim, cujus erct hujusmodi negotia judicare. Ut est in *Sanhedrim* Cap. דיני ממנות (*d*) Quantum ad magos Ægyptios, convicti tandem sunt, & refutati per *digitum* Dei Exod. VIII. 19. Christus nunquam.

Tertia, Jam causantur 3. Mosen multo majora & clariona edidisse miracula. Resp. 1. Id si verum esset, non tamen argueret, Christi miracula veri nominis *non* fuisse. 2. Etiam falsum est Mosen *illustrioria* edidisse miracula: si enim *numerum* attendas, R. Manasse Ben Israël *Concil. in Deut. Quæst.* XI. ait Mosen edidisse, aut sui causâ edita fuisse miracula septuaginta sex, quando Jesus tot edidisse fertur, ut numerantium *librorum* copiam mundus non

Quarta, ferret Joh. XX. 30. & XXI. 25. Nec desunt 4. qui dicunt, ipsum miracula perpetrasse, per שם המפרש *schem hammephorash*, h. e. *nomen expositum*, Jehova: quo non intelligunt, quam tetragrammatum, quod Salomo, in templo suo, lapidi cuidam insculpi jusserit, & memoriæ committi prohibuerit: & ne id fieret, duos canes æneos, ante fores sanctuarii collocasse, in duabus columnis, qui conantem ediscere, in egressu, horrendo suo latratu, adeo terrefecerint, ut nominis obliviscereturr: Jesum autem, nomen illud chartæ pergamenæ inscripsisse, & lacerato femori inseruisse, hinc memoriam nominis refricasse, ejusque virtute, miracula sua edidisse. Resp. Anile istud commentum ex professo refutavit Lutherus peculiari tractatu, quem *Schem hamphoraſch* inscripsit, operum *Jenensium* tom. VIII. & profectò tanti non est, ut

Quinta. mereatur pluribus examinari. Etiam non desunt 5. qui causentur, multa *casu* evenisse, quæ non ad *miracula* redigimus, idque factum providentiâ Dei, ut Judæi tentarentur. Resp. (1) Inauditum est, *casu* mortuos vitæ, cœcos visui, surdos auditui, ægrotos sanitati restitutos fuisse, idque tantâ copia. (2) Nunquid idem, & majore specie, excipere posses ad miracula Mosis, Eliæ, Elisæi? Hæc fere præcipua sunt, quæ adversus γνησιότητα miraculorum Christi, producunt R. Isaac Ben Abraham, *adversus* N. T. & R. Lusitanus in *colloquio Mittelburgensi*. Conf. Hoornb. cont. Jud. *lib.* 3. c. 1.

9. An vita Christi immunis fuerit ab omni peccato? Fundamenta affirmantium.

XXXI. *Nonò* quæritur, an vita & conversatio Christi fuerit immunis ab *omni* peccato? Christiani affirmant, A. non tantum Novi T. testimoniis nixi, cujus universalem veritatem & auctoritatem divinam lib. 1. c. 2. §. XXX. XXXI. demonstravimus; sed etiam B. muneris suis conditione, per quod *Messias* est, prout etiam demonstravimus lib. V. c. 2. §. XIX. cui *innocenti* seu justo imponenda prædicuntur nostra peccata Jes. LIII. 4. 5. 6. qui positurus esset animam suam אשם *reatum*; pro peccatis aliorum, ac proinde immunis ipse ab omni *peccato* esse debuit. E quibus sic arguimus: Si Messias immunis esse debuit ab omni peccato, & Jesus noster fit Messias; tum immunis fuit ab omni peccato. Judæi ex adverso, tam veteres, quam recentiores, puro *odio*, non tantum *peccata* ei tribuunt; sed & *vitam* sceleſtam, quâ fuerit Samaritanus, blasphemus, seductor, dæmoniacus, seditiosus, ob furta crucifixus, qui Matrem non honoraverit; sed contemtui habuerit, eam reprehendendo Luc. II. 49. Joh. II. 4. Marc. III. 33. nec omnia ista probare nituntur, nisi Pharisæorum, Scribarum, Seniorum, Sacerdotum, Pontificum, non *testimoniis*; sed *accusationibus*, quæ passim citantur in N. T. quibus, saltem ex obliquo, *veritatem* Novi T. præsupponere videntur. Resp. 1. Fuerunt adducti testes, jurati ejus *hostes*. 2. Per *opprobria* hostium istorum, crimina ista fuisse ei imputata; quin & de nonnullis, coram Judice fuisse *accusatum*, nos ex narratione euangelica lubenter agnoscimus: sed unquam ullius criminis, coram competente Judice, *convictum* fuisse, ipsis incumbit probare. Imo, ex abundanti 3. ipsa Judicis sententia *innoxium* declaratum fuisse, ejusdem Euangelii fide probamus, qua ipsi scelera ei impingunt, nim. Matth. XXVII. 23. 24. accedit testimonium uxoris Pilati Ἐπάθον verſ. 19. proditoris verſ. 4. custodis centurionis Luc. XXIII. 47. &c. Speciatim 4. Matrem suam non *dehonestavit*; sed justè tantum *reprehendit*: nec reprehendit ut ejus *filius*, sed ut ejus *Deus*: unde non dicit, *Mater*, quid mihi tecum? Sed *mulier* &c. Joh. II. 4.

Objectiones Judæorum.

10. An Christus etiam passus fuerit in anima sua? Duæ Pontificiorum hypotheses refutatæ. Fundamenta Orthodoxorum.

XXXIII. *Decimò* quæritur, an Christus etiam passus fuerit in anima sua, aut saltem in superiori animæ parte? Pontificii negant, duplici causa: 1. quod statuant, animam Christi, à primo conceptionis momento, fuisse perfectè beatam, cui contradicit ejus *incrementum* Luc. II. 40. 52. & *ignorantia* Marc. XIII. 32. Tum 2. ut commodius defendant, *localem* animæ Christi descensum ad inferos, seu in limbum Patrum, quem descensum Reformati plerique ponunt in passionibus *animæ* ipsius: Dum & (*a*) historia docet, *corpus* ejus vel pependisse à cruce, vel depositum hæsisse in sepulchro; *animam* autem receptam fuisse in manus Patris Luc. XXIII. 46. & (*b*) res ipsa desuadet *hujusmodi* descensum, quod inutilis sit animabus fidelium V. T. dudum ante Christum traductis in cœlestem gloriam, ut in Enocho patet Heb. XI. 5. Elia 2 Reg. II. 1. aliisque. Reformati ex adverso statuunt, etiam ipsum passum fuisse *in anima*: quod 1. hoc Scriptura exsertè doceat Matth. XXVI. 38, Joh. XII. 27. Jes. LIII. 10. Er 2. res ipsa urgeat; nisi enim cruciatus in *anima*, nobis ex peccato incumbentes, sustinuisset, non *sustulisset*. De his suo loco, plura.

11. An, quæ Christus passus est ante postremum suum triho-rium, fuerint satisfactoria? Sententiarum divortia.

XXXIV. Quæritur undecimo, an quæ Christus passus est, ante trihorium postremum vitæ suæ, seu obscurationis solaris, perinde spectarint ad satisfactionem pro reatu nostro, atque illa quæ passus est, per trihorium illud? Sociniani, nullas Christi passiones volunt fuisse satisfactorias; sed tantum cessisse *in bonum* nostrum, ut nim. doctrinam suam eis confirmaret, exemplar patientiæ nobis præberet, viam nobis monstraret, quâ, per angusta, enitamur ad augusta, ut passionibus suis, Pontifex misericors factus, nobis tentatis opem promte ferret, ut veritati prædictionum, & significationi typorum satisfaceret: nihil autem perpessum fuisse, ut pro nostris peccatis satisfaceret. Hypotheses Viri cujusdum docti. Est ὁ δεῖνα inter Reformatos, vir doctus, & scriptis etiam clarus, qui passiones Christi aliquas fuisse satisfactorias agnoscit contra Socinum, eas nim. *solas* quas pertulit, per trihorium postremum vitæ suæ; reliquas autem impensas fuisse nostro *bono* tantum generaliter: imo ne *mortem* Christi *temporariam* fuisse satisfactoriam. Hinc distinguit inter passiones Christi, *convincentes*, per quas homo peccati sui convincatur, ita tamen, ut earum perpessione, non satisfiat justitiæ divinæ vindicativæ, nec tollatur reatus noster: & *compensantes*, quibus satisfiat justitiæ divinæ, de quâ agitur Rom. II. 5. 6. 8. 9. quæ vocatur ira futura Matth. III. 17. 1 Thess. I. 10. Item inter passiones *bellicas*, quibus expositus fuit, decertans cum Satanâ, fugiens ab Herode, sustinens persecutiones & maledicta hostium, juxta dictum Dei Gen. III. 15. & passiones *judiciarias*, quæ ipsi inflictæ sunt à Deo, ut severo Judice, in compensationem justitiæ suæ: *priores* extendit ad omnem vitam suam, *posteriores*, ad postremum tantum vitæ suæ trihorium. Hypotheses ejus hæ potissimum sunt: 1. Quod *mors* homini, si peccaret, denunciata, ea tantum fuerit, quam eo ipso die quo peccavit, expertus est: ea vero fuit non corporalis illa; sed *ira* divina, quam subiit eo ipso die quo peccavit, quando se abscondidit à facie Dei, in densitate arborum horti, haud secus ac damnandi optabunt olim Apoc. VI. 15. Tum 2. hac protoplastorum morte, satisfactum Deo fuisse quoad *veritatem* comminationis; sed non *justitiæ* divinæ, plenam compensationem postulanti: cui intervenerit, ex fœdere mediatorio, inter Patrem & filium, μακροθυμία Dei, usque ad diem iræ & judicii ultimi. 3. Istam mortem hominis, adhucdum ex unione corporis & animæ, integri, Christum sustinuisse in plenitudine temporis, quando in cruce pendens, à Deo desertus fuit, simulque expertus est iram Dei acerbissimam, qui, dum exegit ab ipso satisfactionem, ejus contritione delectatus fuerit. 4. Istam contritionem homines non potuisse animadvertere, propter circumfusas densissimas tenebras. Mortem istam sustinuisse adhucdum vivum, donec plenè satisfactum esset justitiæ divinæ. 5. Id demum factum fuisse in cruce, quando clamavit, *ut quid dereliquisti me*: adventantem metuisse in horto, quæ hoc nomine προπάθεια ei appellatur, à qua liberatus fuerit, cum diceret: *consummatum est*. 6. Hanc solam esse mortem quam in fœdere gratiæ æterno, pro nobis susceperit ut sponsor, & quam in cruce solverit, nullam autem *corporalem*, quæ proinde spectat ad satisfactionem, non *promerendam*; sed *repræsentandam*. Ex adverso, communis Reformatorum sententia habet, Deum protoplastis peccaturis denunciasse omne mortis genus, corporalis, spiritualis & æternæ, omnemque miseriam huc spectantem, ceu ingrediens, ceu ut præparans: istam mortem, Christum in fœdere mediatorio, ab electis, expromittendo in se derivasse, & in cruce solvisse: ac proinde omnes ejus miserias, per universam ejus vitam, usque ad extremum halitum, simul sumtas, absolvere λύτρον nostris peccatis competens. Quia. A. omnes ejus languores & dolores, quos procul dubio, per omnem vitam suam, tulit & bajulavit, *nostri* fuerunt Jes. LIII. 4. vulneratus est ex prævaricationibus *nostris*. vers. 5. quippe quas Dominus *incurrere fecit in eum* vers. 6. Quæ omnia citra dubium, ante trihorium ejus postremum facta sunt. Hinc B. *διὰ παθημάτων consummatus* dicitur Heb. II. 10. *ut redimeret*. vers. 15. *omnes* utique totius vitæ suæ, *ex quibus obedientiam didicit* Cap. V. 8. & *consummatus*, factus est obedientibus sibi *causa salutis* vers. 9. Huc C. *passus* dicitur *pro nobis* 1 Pet. II. 21. ea utique omnia, quibus nobis *exemplum* patientiæ reliquit: quæ dum *pro vobis* ὑπὲρ ὑμῶν, passa dicuntur, certè *satisfactoria* pronunciantur. Cumprimis D. Mors ejus *corporalis*, satisfactoria dicitur Jes. LIII. 10. postquam animam suam posuerit ὑπὲρ *propitiatorium pro peccato*. Mortem corporalem intelligi, docet Christus Matth. XX. 28. Joh. X. 15. 17. Idem E. Paulus habet Col. II. 22. Rom. V. 10. Heb. IX. 15. & Petrus 1 Pet. III. 18. Et quænam illa mors? certè corporalis, quæ *testamentum* confirmabat Heb. IX. 16. 17. Eodem spectant F. ejus flagellationes & *vibices*, quibus nos *sanati sumus* Jes. LIII. 5. 1 Pet. II. 24. Et imprimis etiam G. λυπὴ, τάραξις, ἀδημονία, ἐκλάβεια, θάμβος, περιλυπία ἕως θανάτου, de quibus Euangelistæ, quæ ipsum humi projecerunt in faciem, grumos sanguinis extorserunt, & preces ac supplicationes, cum lachrymis & clamore valido: quæ sanè præcesserunt trihorium ejus postremum. Ista autem omnia ad προπάθειαν referre, nimium est jejunum, omnique insuper ratione destitutum. Quantum ad hypotheses adversarias: 1. gratis dicitur, id tantum ad pœnam peccati primi spectare, quod *ipso* peccati die inflictum est: cui obloquitur textus Gen. III. 16. nec fic ad pœnam peccati spectarent,

Sententia Reformatorum communis; cum suis rationibus.

Objectiones Viri docti.

ctarent, quæ κατὰ πλάθος commemorantur Levit. xxvi. 14. — 40. & Deut. xxviii. 15. — Nec tamen abnuimus, protoplastos ipso transgressionis die contraxisse *reatum* omnimodæ mortis, atque ipsam *pœnam* mortis spiritualis, de quâ Apostolus Eph. ii. 1. 3. Quantum 2. ad distinctiones inter passiones *convincentes* & *compensantes*, item inter *bellicas* & *judiciarias*, existimamus eas esse absque differentiâ, h. e. nullas: cum & ira illa Dei, quam sensit sub trihorio suo extremo, nos *convicerit* de peccati gravitate, nec doceri possit ulla pœna *convincens* & bellica, quæ non fuerit eadem operâ compensans & judiciaria. Quantum ad objectiones; caussatur 3. *uno die totius terræ peccatum expunctum esse* Zach. iii. 9. & Paulum testari, *unicâ* Christi *oblatione*, *semel* in cruce peractâ, *sacrificium* ejus expiatorium consummatum esse Heb. ix. 28. & x. 12. 14.: agnoscimus in cruce *consummatum* fuisse; sed non agnoscimus, illud non *cœpisse*, per passiones præcedentes: ex omnibus enim ejus passionibus coalescit unicum illud sacrificium, in cruce peractum & consummatum. Rursus 4. ipsum ante passiones crucis; non fuisse *Sacerdotem*: cum ab ipsa sua nativitate fuerit Messias, unctus, Christus; quamvis *functio* istius officii sacerdotalis, præcipuâ sui parte, consummata fuerit in cruce. Conf. Joh. xix. 37. Luc. ii. 49. atque etiam intercesserit pro Ecclesia Joh. xvii. — Zach. i — 12. 13. Ad hæc 5. quod ante passiones trihorii postremi, fuerit sub favore Dei Luc. ii. 52. Matth. iii. 17. & xvii. 2. Luc. x. 21. &c. Fuerit perintervalla, ut alia etiam Sacerdotalia posset expedire; ex eo non sequitur, pugnare dilectum Dei filium esse, & tamen sub ira, ut patet in Absalomo respectu Patris Davidis 2 Sam. xiii. 38. 39. cum cap. xiv. 21. 24. Nam ut filius, ut dilectus, ut morigerus Patri, usque ad mortem, Christus etiam in trihorio crucis, sub ira existens, Patri nihilominus placuit; quamvis ut sponsor, propter suscepta aliorum peccata, sub ira fuerit, Reliqua ejus nullius omninò ponderis sunt. Hæc igitur nostra sufficiant, cum præsertim, non modo ipse auctor istam caussam doluerit, ut patet ex ejus epistolis, post fata ejus editis; sed & sectatores, quod sciam, impræsens nullos habeat. Egit istam caussam nitidissimè ac solidissimè Clarissimus & conjunctissimus Collega D. Witsius, Oeconomiæ suæ lib. vi. cap. vi. edit. tertiæ, quem in his nostris consuluimus.

12. An pedum lotio sit sacramentum? Sententia adversariorum.

XXXV. Tandem *duodecimò* quæritur, an pedum lotio (quæ in præparatione Christi ad mortem, media intercessit inter Paschatis abrogationem, & S. Cœnæ institutionem) facta fuerit in sacramentum ordinarium Ecclesiæ Christianæ? Pontifices Romani, κακοζηλίᾳ Christi, feria quinta ante Paschatis festum, pauperculis quibusdam maribus pedes lavare consueverunt. Etiam in Mediolanensi, aliisque nonnullis Ecclesiis receptum fuisse, testatur Corn. à Lapide, *in Joh.* xiii. 7. ut baptizandis pedes abluerentur ab Episcopo, ac deinde à Sacerdotibus & clericis, in fonte, qui ad hoc erectus stabat ante fores templi: Deinde, inquit, Episcopus pedes à se ablutos osculabatur, & posterior pars pedis super Episcopi caput imponebatur. Inter Anabaptistas est secta, quam ποδονιπτῶν seu *pedum lotorum* appellant, qui pro *signo*, id est, pro Sacramento Ecclesiæ habent: Reformati exemplum *humilitatis* & humanitatis, Christum omnibus suis præscripsisse, agnoscunt (quemadmodum etiam *longanimitatis* & humilitatis præscribit Matth. xi. 29.) sed ritu planè *extraordinario*, & orientalibus plagis, ac Patriarchis etiam sub V. T. non *sacro*; sed *civili*. Id quod patere possit 1. ex eo, quod *hujus* ritus, post primum hoc exemplum, nullum in toto N. T. legatur vel mandatum; vel imitatio. 2. Ex eo, quod, pro more Sacramentorum, in cœtu ecclesiastico, utriusque sexus, non satis *honestè* & decorè usurpari possit. E quo ipsi Anabaptistæ, in suâ *confess. contr. Faukelium.* p. 261. concludunt, *non esse lotionem pedum, personis singulis necessariò dicatam, ac propterea non esse usurpandam in loco conventus publico.* 3. Ex eo, quod ritus ille Christi, prout per septem aut novem circumstantias, prolixè repræsentatur Joh. xiii. 14. 15.; quod nim. Christus 1. surrexerit à cœnâ. 2. pallium exuerit. 3. acceperit linteum. 4. præcinxerit se. 5. miserit aquam in pelvim. 6. laverit pedes. 7. lotos exterserit linteo, quo erat præcinctus, quibus adhuc includuntur duæ, 8. quod Magister ipse 9. laverit discipulorum pedes: quod, inquam *ritus* ille, pro more Sacramentorum, in publicis congregationibus, per omnia observari vix possit. Nec adversarii pro sua sententia habent, nisi unum locum Joh. xiii. & in eo, *exemplum* Christi prælucens, cum *mandato* imitationis: verùm absque ulla difficultate, & exemplo, & mandato satisfieri potest, imitatione & observatione; non ritus *externi* tanquam signi; sed *humilitatis* & humanitatis, velut rei significatæ. Conf. 1 Tim. v. 10. cum annotatione marginali Belgarum interpretum.

Sententia Orthodoxorum, ejusque fundamenta.

Fundamentum adversariorum.

Pars practica.

Praxis vitæ Christi: 1 Parentibus exemplar præstat in educatione liberorum. Cura corporalis.

XXXVI. Quantum ad praxin, *primò infantia* Mediatoris, seu ingressus in hanc vitam, parentibus Christianis exemplar præstat, in educatione liberorum suorum. Sicut enim in educatione Christi, parentes duplicem *curam* ei præstiterunt, *corporalem* & *spiritualem*: ita Christianis parentibus totuplex incumbit circa suam sobolem. Quantum enim ad curam *corporalem*, observamus parentes Christo prospexisse, 1. de *victu*, quatenus Mater, propriis uberibus procul dubio alimenta suppeditavit, conf. Luc. xi. 27. ad exemplum Saræ Gen.

xxi. 7. Pſal. xxii. 10.: proſpiciant item parentes liberis ſuis de victu & alimentis commodis Luc. xi. 11. 13. tum 2. de *amictu*; quatenus recens natum faſciis implicarunt Luc. ii. 7. parentes itidem liberis ſuis de *veſtitu* neceſſario proſpiciant. Exemplo Jacobi Gen. xxxviii. 3. conf. xxvii. 15. Porro 3. de *commoditate* vivendi, quatenus faſciis involutum, reclinârunt in præſepe, ad dormiendum Luc. ii. 7.: ita & parentes liberis ſuis, quantum ſatis eſt, proſpiciant, non de his tantum, quæ pertinent ad *neceſſitatem* vitæ; ſed etiam ad *commoditatem* licitam, v. g. in honeſto conjugio Jer. xxix. 6. 1 Cor. vii. 26. 38. &c. Tandem 4. de *ſecuritate* corporeâ, quatenus *inſidias* Herodis declinaturi, cum filiolo in Ægyptum aufugiunt Matth. ii. 14. & poſtmodum etiam, egeſtatem filii evitaturi, ipſum formant in *opificio* fabrili Marc. vi. 3. Matth. xiii. 55. parentes itidem liberis ſuis proſpiciant de *ſecuritate* quavis corporali, quâ fruantur, non tantùm dum ipſis adſunt in vivis; ſed etiam poſt mortem ſuam: ad hoc curent, ut ad honeſtam quandam *vocationem* tempeſtivè formentur Prov. xxii. 6. & xx. 11. Quantum ad curam *ſpiritualem*, multo adhuc curatiorem; obſervamus, parentes Chriſti curaſſe A. ut filiolus ſecum eſſet ſub *fœdere* gratiæ, ejuſque ſymbolum, *Sacramentum* initationis; ſcil. circumciſionem, ex præſcripto divino, perciperet Luc. ii. 21.: parentes itidem, id ſedulò agant, ut liberi ſui ſint *confœderati* Deo, & Sacramentum initiationis S. *Baptiſmum* tempeſtivè accipiant Gen. xvii. 10. cum Act. ii. 38. 39. & xvi. 33. Pſal. xxii. 11. Tum B. filiolum, quem Deus jam in fœdus ſuſceperat, & cui ſeipſum dederat; ei quaſi reciprocaſſe, ſolenni ejus *dedicatione* Luc. ii. 22.: parentes itidem, & magis etiam, liberos ſuâ culpâ à Deo abalienatos, curent Deo quaſi reſtitui, ac de novo *Deo dedicari*, votis Gen. xvii. 18. pâriter & conatibus Eph. vi. 4. Conf. 1 Sam. i. 11. Ad hoc C. filiolum Bethlehemo Jeroſolymam, ad templum addûcunt Luc. ii. 22. ſcil. ad domum Dei, ubi Deus habitabat; ad hoc, ut tempeſtivè fieret domeſticus Dei Eph. ii. 19. & in his eſſet, quæ *Patris ſui ſunt* Luc. ii. 49.: idem agant parentes quivis, liberos ſuos tempeſtivè adducant in *templum* Luc. ii. 42. 1 Sam. i. 22. 24. Joel. ii. 16. ut paulatim ſecum *aſſueſcant* Deo, & converſationi cum Deo Job. xxii. 21. Atque etiam D. pro ſuâ pariter & *filii* impuritatè (cujus reatum filius à nobis in ſe ſuſceperat) Deo ſacrificant, turtures & columbas gemellas Luc. ii. 24: idem agant quivis parentes, offerant, pro ſuâ pariter & liberorum ſuorum impuritate nativâ, cum gemitibus turturum & columbarum, h. e. cum verâ & profunda pœnitentia, unicum ſacrificium, turturibus & columbis præfiguratum Job. i. 4. 5. Inſuper E. filiolum ſuum Simeoni tradunt in ulnas, recipiendum loco Dei, benedicendum Luc. ii. 28. 34. idem agant quivis parentes, liberos ſuos tradant in *ulnas Sacerdotum*, ut eos recipiant eiſque benedicant, monitu & exemplo Servatoris Matth. xix. 13. 14. Marc. x. 13. 14. Luc. xviii. 15. 16. & Hannæ 1 Sam. i. 25. tradant liberos Sâcerdotibus imbuendos & catechizandos Prov. xxii. 6. Deut. vi. 7. 8. Eph. vi. 4. Pſal. xxxiv. 12. 13. Tandem F. ſanctitate & *cultu* religioſo filio prælucent, quotannis Jeroſolymam aſcendunt, feſtum Paſchatis celebraturi Luc. ii. 41. 42: idem quivis faciant parentes Pſal. ci. 2. Jeſ. xxiv. 15. Iſtis omnibus officiis verſus liberos ſuos, ſi ad exemplum parentum Chriſti, fideliter fuerint defuncti quivis parentes Chriſtiani; etiam cum parentibus Chriſti, ℵ. videbunt cum voluptate, filios *creſcentes*, & *invaleſcentes ſpiritu*, qui *repleantur ſapientia*, *ſuper quibus gratia Dei requieſcat* Luc. ii. 40. ב. Filios habebunt ſibi *morigeros* & obſequentes Luc. ii. 51. à quibus ב. eſſe *beati*, & beati celebrari poſſint Luc. xi. 27. in quibus ד. ſeu in quorum fama, ad *miraculum* delectari & gaudere poſſint Luc. ii. 33. Prov. x. 1. & xxiii. 25. Qui viciſſim ה. ſui curam, uſque ad mortem, fideliter ſint habituri. Conf. Joh. xix. 26. 27.

Cura ſpiritualis.

Motivæ.

XXXVII. *Secundo adoleſcentia* & juventus Chriſti, (quam Spiritus S. breviter quidem, ſed nervoſè repræſentat Luc. ii. 40. —) *adoleſcentibus* & juvenibus exemplar præſtat *imitationis*. Sunt enim in adoleſcentia & juventute Chriſti, conſpicua 1. tria *dona* adoleſcentibus & juvenibus ſummè neceſſaria, adeoque omni conatu expetenda: A. Incrementum & *roboratio ſpiritus*, cum incremento & roboratione corporis, pari paſſu ambulans Luc. ii. 40. *& puer creſcebat & corroborabatur ſpiritu*, ἐκραταιοῦτο πνεύματι. Sive verba iſta reddas: *roborabatur in ſpiritu*, ſcil. proprio, h. e. quoad mentem & *ſpiritualia*; ſive roborabatur *per Spiritum*, ſcil. Dei, parùm refert: cum conjungi commodè poſſint, ut ſenſus ſit: puer, ſicut corpore creſcebat, Spiritu S. roborante animum; ita in ſpiritualibus quoque proficiebat in valeſcebatque. Conf. Luc. i. 80. & ii. 52. Talis ergo corroboratio ſpiritus adoleſcentibus juvenibuſque maximè eſt neceſſaria, & proinde avidiſſimè expetenda, propterea quod hæc ætatis periodus tentationibus Satanæ periculoſiſſimè ſit expoſita, quibus ſuperandis, maximum robur ſpirituale exigitur 1 Joh. ii. 13. 14. Eph. vi. 10. ii. 12. C. *plenitudo ſapientiæ* ſpiritualis Luc. ii. 40. *plenus* ſeu repletus *ſapientia*, ſub qua, velut præcipua ſpecie, reliqui omnes habitus intellectuales; intelligentia, ſcientia, prudentia & ars, comprehenduntur: etiam quidem *civilis*; ſed tamen præcipue *ſpiritualis*, quæ non tantum *ſpiritualia* reſpiciat; ſed *ſpiritualis* ipſa ſit, & ſpiritualiter circa ſpiritualia occupetur, de qua Apoſtolus 1 Cor. i. 21. & ii. 6. 7. 13.

2. Adoleſcentia Chriſti & adoleſcentibus pro exemplo eſto.

A. Tria Chriſti adoleſcentis dona:

Robur ſpiritus.

Plenitudo ſapientiæ.

7. 13. 15. Talis ſapientia adoleſcentibus juvenibus eo magis eſt neceſſaria & exoptanda, quod adnata adoleſcentibus & juvenibus ſit *ſtultitia* Prov. xx. 15. & vii. 7. quæ pellenda eſt, non ad hoc tantum, ut artium & ſcientiarum facultatem ſibi parare; ſed & ſtrophas Satanæ, & mundi ſeducentis, agnoſcere & declinare, ſecurius poſſint. Conf. Gen. xli. 12.---Hujus proinde conſequendæ medium juvenibus oſtendit Salomo ſapientiſſimus. Prov. i. 4. nim. α. *verbum* Dei Pſal. cxix. 9. & xix. 8. 9. addit β. *timorem Dei* Prov. i. 7. & ix. 10. Pſal. cxi. 10. & xxv. 12. quibus γ. addendæ *preces* Jac. i. 5. C. *Gratiæ divinæ communio* Luc. ii. 40. *Et gratia Dei erat in eo.* Sive per gratiam Dei, hic intelligas ipſum *favorem* Dei, ſeu gratiam gratis *dantem*; ſive *producta* hujus favoris chariſmata, ſeu gratiam gratis *datam*, de quibus 1 Cor. xii. 4. Utrâque enim Chriſtus pollebat; *favore* quidem Matth. iii. 17. Jeſ. xlii. 1 Matth. xii. 18. Luc. ix. 35. 2 Pet. i. 17. & *chariſmatis* Jeſ. xi. 1. 2. Utraque gratia adoleſcentibus ſummè eſt neceſſaria & expetenda, ut, ſicut gratiâ *ætatis* ſeſe commendant hominibus; ita & gratiâ *virtutis* ſeſe commendent Deo; ac proinde, ſicut in Chriſto; ita & in ipſis coëat *gratia apud Deum*, & *apud homines* Luc. ii. 52. Ab hoc triplici dono, in adoleſcente & juvene Jeſu, reſultabat. 2. *Religio*, ſeu cultus Dei, per varios Actus: α. cultus Deo *naturalis*, puta amor verſus Patrem ſuum cœleſtem, & ea quæ ſunt Patris ſui Luc. ii. 49. quo, ex ſententia ipſius Matth. xxii. 37. 40. omnia reliqua officia, cognitio, reverentia, obedientia, fiducia, ſubmiſſio &c. comprehenduntur. Eidem operam dent adoleſcentes Pſal. lxxi. 6. juvenes Eccl. xii. 1. Thren. iii. 27. juxta præſcriptum primi præcepti. β. Actus cultus *inſtituti*, per quos ad ſacra *publica*, in congregatione eccleſiaſtica, Jeroſolymis, ex præſcripto divino, ſtatis temporibus, circa ullam ἰθελοθρησκείαν, interfuit Luc. ii. 41. 42: idem agant adoleſcentes juvenes, exemplo Samuelis 1 Sam. ii. 18. ex præſcripto ſecundi præcepti. Idque γ. egit Chriſtus, non perfunctoriè; ſed cum magno *zelo* ac devotione, in tenella duodecim annorum ætate, tantum iter, Nazaretho Jeroſolymam verſus, faciens, idque itinere pedeſtri Luc. ii. 41. 42. zelum ac *devotionem* in cultu divino, imitentur adoleſcentes noſtri juvenes, ſicut Joſias 2. Reg. xxii.---Idque ex præſcripto tertii præcepti. Etiam γ. Jeſus ſtata *tempora*, cultui divino dicata, religioſe ſanctificat, quotannis cum parentibus ad feſtum *Paſchatis* proficiſcens Jeroſolymiam Luc. ii. 41. 42. ibidem per ſtatutum tempus perdurans, imo & amore cultus, triduum addens, vſ. 43. 46. illudque tempus officiis, non tantum *ceremonialibus* & *ordinariis* impendens; ſed moralibus etiam & *extraordinariis* diſquiſitionibus. vſ. 46. Similia præſtent noſtri adoleſcentes juvenes, juxta præſcriptum quarti præcepti. Præter iſta π. in Jeſu noſtro conſpicua eſt egregia *abnegatio mundi* & rerum mundanarum, quâ, amore Patris ſui cœleſtis, & eorum quæ Patris iſtius ſunt, amore item cultus divini; parentes terrenos, cum cognatis carnalibus, quæ alias nobis in hoc mundo dilectiſſima chariſſimaque ſunt, deſerit, ut cultui divino vacare poſſit vſ. 43. cum vſ. 46: imitentur & noſtri adoleſcentes juvenes, ex ſententia ipſius Jeſu Matth. x. 37. Conf. c. xix. 27. 29. Et ρ. ſtudium *cognoſcendi* Deum & res divinas, quo, relictis Parentibus & cognatis, per triduum, diſquiſitionibus, concertationibus, cum Doctoribus incumbit Luc. ii. 46: imitentur & noſtri juvenes, illi cumprimis, qui ſe præparant ad S. miniſterium, exemplo Timothei 2 Tim. iii. 15. Reſultabat denique 3. *Juſtitia* ſeu humanitas, potiſſimum circa *parentes* occupata, per quam A. parentum pietatem *imitatur*, *cum parentibus* aſcendens ad feſtum Luc. ii. 41. 42.: ita prorſus & noſtri juvenes adoleſcentes, in parentum & majorum, piorum quidem, veſtigia promte deſcendant, prout de Joſua dicitur 2 Reg. xxii. 2. B. Reprehenſionem Matris, quamvis iniquam, *patienter* ſuſtinet, & comiter refellit Luc. ii. 49. & ratione corrigit: ita & noſtri juvenes adoleſcentes, parentum, præceptorum aliorumque infirmitates patienter ferant, nunquam oblatrent 1 Pet. ii. 18. 1 Sam. xx. 34. Conf. 2 Sam. xvi. 23. 24. cum xix. 24. 26. 27. 28. C. *Obedientiam* juſtam ipſis præſtat Luc. ii. 51: præſtent etiam noſtri adoleſcentes juvenes Prov. i. 8. Eph. vi. 1. 5. Col. iii. 20. D. Parentum inſtructioni ſeipſum ſubjicit, addiſcendo ab ipſis artificium fabrile, idque etiam poſtmodum exercendo Matth. xiii. 55. Marc. v. 3. ſubjiciant etiam adoleſcentes noſtri juvenes, ut, ex ſententia parentum, ad opificia mechanica, aut ad artes liberales formentur Prov. xxii. 6. & xx. 11. In his omnibus, ſi adoleſcentes noſtri juvenes fideliter calcaverint veſtigia adoleſcentis & juvenis Jeſu, (1) *famam* ſibi comparabunt, per quam cunctis admirationi ſint, ſicut Jeſus adoleſcens Luc. ii. 47. (2) Præfectos etiam ſuos, parentes, Doctores, cognitione ſuperabunt Pſal. cxix. 99. ſicut adoleſcens Jeſus Luc. ii. 46. 47. 50. (3) Invaleſcent gratiâ & favore apud *Deum*: ut cum Salomone appellari poſſint *Jedidiah* 2 Sam. xii. 25. Sicut Jeſus adoleſcens, hinc invaluit *gratia apud Deum* Luc. ii. 52. Invaleſcent item (4) gratia & favore apud *homines*, ſicut Daniel Dan. ix. 23. & x. 11. איש חמודות, *vir deſideriorum* Rom. xiv. 17. 18. quemadmodum Jeſus adoleſcens Luc. ii. 52.

XXXVIII. *Tertio virilis* ætas, quâ vitam publicam & functionem propheticam exegit, his qui vitam publicam aggrediuntur, imprimis *eccleſiaſticam*, exemplar præſtat in multis: (1) Ut illotis manibus non profiliant ad *publicam*, imprimis

Commu-nio gratiæ divinæ.

B. Religio adoleſcentis Jeſu, per varios actus:

Cultus naturalis; Cultus inſtituti.

Zelus & devotio in cultu,

Sanctificatio temporum ſacrorum,

Abnegatio mundi.

Studium cognoſcendi Deum & divina.

C. Juſtitia verſus homines, ejuſque actus quatuor.

Motivæ.

3. Virilis ætas Eccleſiaſticis exemplum præſtans.

mis ministerii ecclesiastici functionem; sed per sufficiens tempus, sese ad aliud præparent: quo admovendi, δοκιμὴν, seu specimen præstare possint 1 Tim. III. 10. & sint ἀνεπαίσχυντοι 2 Tim. II. 15. Quemadmodum Jesus, quamvis anno ætatis *duodecimo*, specimina suæ aptitudinis præstitisset incomparabilia Luc. II. 46. 47. tamen inde ad annum usque trigesimum, *privatim* latere, seque ad functionem publicam præparare voluit Luc. III. 23. (2) Ut absque *legitima* vocatione, *sponte* non prorumpant ad S. ministerium Jer. XIV. 14. 15. & XXIII. 21. 32. multo minus *vi*, aut artibus simoniacis, seipsos obtrudant Ecclesiis; sed justam præstolentur Dei *missionem*. Quemadmodum Christus functionem publicam in Ecclesia non suscepit, antequam baptismo solenniter ad eam inauguratus fuisset Matth. III. 16. 17. (3) Ut S. ministerio admovendi, non sibi halcyonia quævis polliceantur; sed *tentationes* omne genus diriissimas, certamina, persecutiones, stimulos carnis, colaphismos diaboli 2 Cor. XII. 7. & XI. 23. — 2 Tim. IV. 7. 8. seque jejuniis & *precibus*, tempestivè adversus talia obfirment Act. XIII. 2. 3. Exemplo Christi, qui functioni *prophetica*, per baptismum jam inauguratus, per Spiritum in desertum abductus, à Satana, tribus validissimis insultibus, ante exagitatus est, postquam quadraginta dierum jejunio, adversus eos, probe seipsum obfirmasset Matth. IV. 1. — 12. (4) Ut, sat's jam *præparati*, legitime vocati, & adversus insultus quosvis armati, alacriter sese accingant *prædicationi* verbi 2 Tim. IV. 2. Quemadmodum Christus, per octodecim vitæ privatæ annos, studiaque, satis præparatus, tum baptismo solenniter inauguratus, & adversus tentationes armatus: protenus sese accinxit functioni suæ Marc. I. 14. 15. Idque agant ministri fideliter & laboriose 2 Cor. XI. 27. ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, & jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Nec *publice* tantum; sed *privatim* etiam, κατ' οἴκους *domatim*, dies noctesque Act. XX. 20. 31. quemadmodum Christus, de vicu in vicum peregrinando docuit, ut in *dogmaticis* ostendimus. (5) Ut non tantum doceant, *dicendo*; sed etiam *faciendo*, quæ docent Act. XX. 35. Tit. II. 7. Conf. Matth. VII. 22. & ubique suorum salutem sectentur, non tantum *spiritualem*; sed etiam, quantum in se est, *temporalem* Heb. XIII. 17. 1 Thess. II. 7.: quemadmodum Christus, non *animas* suorum tantum curavit prædicando; sed *corpora* etiam, sanando, ejiciendo dæmones, ut in *dogmaticis* ostendimus. Ut (6) non tantum *doceant* & id agant fideliter; sed etiam quævis adversa *patiantur* fortiter 2 Cor. XI. 27. — Act. XX. 22. 23. 24. quemadmodum Christus, adversa quævis, in famâ, in fortunis, in corpore, imo & in animâ perpessus est, prout ostendimus in *dogmaticis*. Tandem (7) Ut suis exemplo *vitæ* præluceant Tit. II. 7. 1 Cor. XI. 1. nec, sicut Pharisæi, onera aliis imponant, quæ vel digito ipsi non attingant Matth. XXIII. 3. 4. 5. Rom. II. 21. 22. 23.: quemadmodum Christus, in omnibus, quæ aliis præscripsit *facienda*, proprio ipsis præluxit *exemplo*, ut in *dogmaticis* ostendimus.

Quoad præparationem ad functionem ecclesiasticam,

Quoad vocationem legitimam,

Quoad tentationes,

Quoad prædicationem.

Quoad operationes,

Quoad passiones,

Quoad præludicationem & exemplum vitæ.

XXXIX. *Quarto*, *senectus*, seu præparatio Christi ad mortem, exemplar imitationis præstat quibusvis, provectioris cumprimis ætatis, adeoque morti vicinioribus. Sicut enim in hac suâ præparatione, Christus (1) *mortem* frequenter, & seriò meditatus est, quando eam toties suis discipulis prædixit instantem, prout in *dogmaticis* ostendimus, eoque morti paulatim se assuefecit, ne ab eâ, quasi laqueo, obrueretur: ita & nos, frequenti & seriâ mortis nostræ *meditatione*, mortis nostræ assuescamus Psal. XXXIX. 5. 6. & XC. 12. Jac. IV. 13. 14. cum Eccl. VII. 2. 1 Cor. XV. 31. ne ab eâ subitò obruamur 1 Thess. V. 6. 1 Pet. IV. 7. Rom. XIII. 13. (2) sicut Christus, sermones *aliorum*, monitaque de suâ morte instante, non molestè tulit; sed lubenter admisit, nominatim Mosis & Eliæ, quando *dicebant ejus exitum* Luc. IX. 31.: ita & nos non horreamus colloquia & monita, de instante morte nostrâ Jes. XXXVIII. 1. (imprimis *Mosis*) qui merita peccatorum nostrorum Gen. II. 17. nobis ad-mentem revocet, quo super eis profundè *humiliemur* coram Deo, & tempestivè ante mortem ab eis convertamur ad Deum, ne in peccatis moriamur Luc. XXI. 34. 36: tum & *Eliæ*, prodromi Christi, qui cor nobis *præparet*, ad Christum vivâ fide recipiendum, antequam decedamus Jes. XL. 3. Marc. I. 3. cum Luc. II. 28. 29. (3) Sicut Christus in suâ præparatione voluit μεταμορφοῦσθαι Matth. XVII. 2. eoque, glorificationis post mortem secuturæ, *prægustum* ac primitias experiri, eisque obfirmari adversus horrorem, amaroremque instantis mortis: ita & nos ante mortem, omnibus viribus adnitamur, μεταμορφώσεσθαι. Rom. XII. 2. non tantum ad veram *respirascentiam Ibid.* sed & ad primitias & *prægustum* cœlestis & æternæ gloriæ, quæ mortem sequetur Act. VIII. 55. 56. 2 Cor. V. 1. 2. quo mortis stimulus obtundatur 1 Cor. XV. 54. 55. 56. 57. & *desiderium* mortis ei succedat Rom. VIII. 23. Phil. I. 21. 23. (4) Sicut Christus in suâ præparatione, ante obitum suum, *fœdus* cum Deo suo solenniter renovare, ac renovati, sigillis sacramentalibus, Paschatis & Cœnæ, *certificari* voluit, cum ingenti desiderio Luc. XII. 15.: ita & nos, antequam hinc decedamus, *fœdus* nostrum cum Deo renovare, ejusque (si fieri *commodè* potest) sigilla sacramentalia experiri, anhelemus Matth. XVII. 32. Psal. XXXIX. 13. 14. (5) Sicut in præparatione suâ, Christus discipulis suis, & verbo & exemplo auctor fuit, *charitatis*, *humilitatis* & huma-

4. Senectus Christi exemplar præstat præparationis ad mortem, in septem particularis:

1.

2.

3.

4.

5.

manitatis, ipsis pedes lavando Joh. XIII. 15. ita & nos morituri, nostris auctores simus, pietatis versus Deum, justitiæ & humanitatis versus proximum 1 Reg. II. 2. Jes. XXXVIII. 1. (6) Sicut Christus in suâ præparatione, amplissima quadam *concione*, suorum dolores ac metus, à suo discessu orituros, mitigare, eosque adversus persecutiones & insidias hujus mundi, obfirmare, in concione valedictoria, multis rationibus conatus est Joh. XIV. XV. XVI.: ita & nos, nostrorum dolores allevare Luc. XXIII. 27. 28. eosque, adversus imminentia quævis mala, obfirmare adnitamur Gen. XLIX.—Act. XX. 29. 30. 31. Tandem (7) sicut in præparatione suâ Christus, ardentissimis *supplicationibus*, seipsum moriturum, suosque discipulos, Patri suo commendavit Joh. XVII.—: ita & nos morituri, *precibus* flagrantissimis peccata nostra deprecemur Psal. CXLIII. 1. 2. & CXXX. 1. 3. *animas* nostras in manus Dei deponamus Act. VII. 59. Psal. XXXI. 6. nostrosque à nobis superstites, curæ & custodiæ divinæ committamus Act. XX. 32.

6.

7.

3. Passiones Christi, nobis in passionibus nostris exemplar præstant;

patientiæ,

fiduciæ,

prudentiæ.

XL. *Quinto*, peculiariter παθήματα Christi, quæ in circumcisione suâ, in exilio Ægyptiaco, per omnem vitam, à Deo & ab hominibus: ab amicis & ab inimicis, ecclesiasticis, politicis, militaribus; in animâ, in corpore, in fama, in bonis, perpessus est; in exemplar capiamus: (1) *Patientiæ* & longanimitatis 1 Pet. II. 23. Jes. LIII. 7. Apoc. I. 9. imitandum in quibusvis adversis Heb. X. 36. Jac. V. 10. 11. (2) *Fiduciæ* & solatii 1 Pet. II. 23. Matth. XXVII. 46. quod solatium, in adversis nostris quibusvis, ex ipsis Christi passionibus, eo possumus haurire efficacius; quod, quicquid passus est, pro nobis passus sit, ut omne noxium, à nostris passionibus, penitus tolleret Jes. LIII. 4. 5. 1 Cor. XV. 55. 56. 57. (3) *Prudentiæ*, per quam cautè discernamus ea παθήματα, quæ nobis, seu ex nota *Dei voluntate* Matth. XXVI. 53. 54. seu ex officio Heb. II. 17. 18. necessario perferenda sunt; ut ea intrepide aggrediamur Matth. XXVI. 45. 46. & vel sponte suscipiamus Luc. IX. 23: ab his quæ *declinari* possunt, ut ea, per fugam, aliaque remedia, quæ Deus & natura suggerit, prudenter *declinemus*, exemplo Christi Matth. II. 13. 14. Marc. III. 6. 7. & ipsius Christi præscripto Matth. X. 23.

6. Tentationes Christi often dunt nobis: quibus tentationibus simus obnoxii.

XLI. *Sexto*, in *tentationibus* Christi, Matth. IV. 1.—12. & XVI. 22. 23. exemplar nobis suppetit: A. Quibus & quam validis tentationibus omnes Christiani, & imprimis verbi divini ministri, sint obnoxii Job. VII. 1. Eph. VI. 12. nim. (a) ad *infidelitatem*: Matth. IV. 3. *si filius Dei es.* Quasi dicat: existimas quidem, tibi jamjam dictum esse, *hic est filius meus dilectus* Matth. III. 17. ne credas: qui enim *filius* Dei fame laborare posset? ita quivis veri Christiani, & imprimis ministri verbi, ex inopiâ, persecutionibus & malis pessimis, quæ sibi obveniunt, tentantur, ut credant se non esse *filios* Dei Jud. VI. 13. aut à Deo esse desertos Jes. XLIX. 14. Psal. XIII. 2. (2) ad *diffidentiam* Matth. IV. 3. *Fac ut hi lapides panes fiant.* Quasi dicat; necessariis vivendi mediis, pane aliisque destitueris, vescere lapidibus: ita quivis veri Christiani, in periculis adversisque constituti, diffidentia tentantur 1 Sam. XXVII. 1. Matth. VI. 25. & VIII. 25. 26. Ex adverso (c) ad *præsumtionem* Matth. IV. 6. *si filius Dei es, projice te deorsum, scriptum enim est* &c. Ita quivis Christiani, ad præsumtionem tentantur, quotiescunque, seu in *spiritualibus*, seu in *corporalibus*, periculis sese sponte exponunt Matth. XXVI. 58. 2 Sam. XI, 2. (d) ad *superbiam* & avaritiam Matth. IV. 8. 9. *ostentabat ei omnia regna hujus mundi, eorumque gloriam, & dicebat, omnia ista tibi dabo, si* &c: ita quivis Christiani tentantur 2 Tim. IV. 10. 1 Joh. II. 15. Jac. I. 13. 14. (1) ad *idololatriam* Matth. IV. 9. *si procidens adoraveris me*: ita & Christiani quivis tentantur 1 Joh. V. 21. seu ad *crassam* illam, in quam Salomo incidit 1 Reg. XI. 4. seu *subtilem*, qua *ventrem* pro Deo colant Phil. III. 19. B. Quâ ratione obnitendum omnibus istis tentationibus, nim. (1) ut quotiescunque divinâ providentia inducimur in istas tentationes, Deo non *obstrepamus* & obmurmuremus Matth. VI. 13. Apoc. III. 10. Quemadmodum Christus, à *Spiritu ductus in desertum*, *ut tentaretur à Satanâ*, non recalcitravit; sed obsecutus, ivit. (2) jejuniis & precibus eisdem *obnitamur* 1 Pet. V. 8. Matth. XVII. 21. Eph. VI. 18. Quemadmodum Christus, *cum jejunasset per quadraginta dies noctesque*, seque eâ ratione præparasset sustinendis Satanæ tentationibus, perrexit in eremum, ut tentaretur. (3) *adhæreamus* fortiter dictis & promissis divinis Heb. XII. 4. 5. & XIII. 5. quemadmodum Christus, tentatus, num esset filius Dei, constanter & immote adhæsit pronunciationi divinæ, sibi in baptismo suo factæ Matth. III. 17. (4) utamur *gladio* verbi divini Eph. VI. 17. singulisque Satanæ tentationibus congrua opponamus Scripturæ dicta. v. g. si tentemur ad *avaritiam*, opponamus Heb. XIII. 5. 1 Tim. VI. 9. 10. si ad *iracundiam*, locum Eccl. VII. 9. si ad fastum & superbiam, textum Prov. XVI. 18. Jac. IV. 6. si ad *ebrietatem* & gulam Prov. XX. 1. si ad *luxuriam*, 1 Thess. IV. 3. 4. 5. Heb. XIII. 4. si ad *verbositatem* Psal. XXXIX. Jac. III. 2. &c. Quemadmodum Christus singulis Satanæ insultibus opposuit suum *scriptum est* Matth. IV. 4. 7. 10. (5) *horridioribus* cumprimis tentationibus, cogitationibusque nostris; non immoremur, non disputemus: sed ut primum fuerint obortæ, protinus cum detestatione repellamus, & exemplo *ignea* Satanæ *tela* extinguamus Eph. VI. 16. Quemadmodum Christus, ad *idololatriam* tentatus, *abi*, inquit,

Quâ ratione obnitendum Satanæ tentationibus,

Quibus adminiculis obfirmandus & erigendus sit animus adversus horrores tentationum Satanicarum.

inquit, *à me Satana* Matth. IV. 10. C. Quibus *adminiculis* animus confirmandus & erigendus sit, adversus *horrores* tentationum satanicarum, de quibus Paulus 2 Cor. XII. 7. Jes. LXIII. 17. Nim. cogitandum, ℵ. nos divina *providentia* induci in tentationem Matth. VI. 13. *Spiritum* S. in ea nobis adesse sua virtute & corroboratione Jes. XLIII. 2. Psal. XXIII. 4. Quemadmodum Christus à *Spiritu* Dei *deductus est in desertum, ut tentaretur à Satana* Matth. IV. 1. qui & constanter ipsi adfuit. ג. Christum etiam tentatum fuisse, & in *omnibus* tentatum fuisse sicut nos, & tentatum *ad hoc*, ut nobis posset συμπαθεῖν Heb. IV. 15. Nec nos discipulos melioris conditionis esse debere, quam Magistrum nostrum Matth. X. 24. 25. Nosque eâ ratione conformari *imagini filii* Dei Rom. VIII. 29. in quo summa Christiani consistit perfectio Matth. X. 25. ד. Nos Satanæ tentationibus exponi, non ut ab eo *subigamur*; sed ut *functionibus* Christianismi nostri adaptemur Act. IX. 16. Jac. I. 2. 3. Quemadmodum Christus ad hoc Satanæ tentationibus expositus est, ut ad munus suum mediatorium qualificaretur Heb. IV. 15. & II. 10. 18. ה. Tentationes istas non *perpetuò* duraturas; sed nos à tentationibus certò certius esse liberandos 2 Pet. II. 9. 1 Cor. X. 13. Quemadmodum Christus, post tres Satanæ insultus fortiter repulsos, liberatus est à Satanâ Matth. IV. 11. ו. Nos à tentationibus feliciter superatis, gloria potituros devicti & triumphati Satanæ 1 Joh. II. 13. 1 Cor. XV. 55. 56. 57. Quemadmodum Christus hac gloriâ potitus est Joh. XIV. 30. Tandem ז. *lætissimam*, superatis tentationibus, aliquando fore catastrophen Apoc. VII. 13. 14. & II. 7. 11. 17. 26. 27. & III. 5. 12. 21. Quemadmodum Christo, postquam Satanæ tentationes & insultus profligasset, *Angeli* adfuerunt, eique inservierunt Matth. IV. 11.

7. Universa Christi vita omnes Christianos excitat ad imitationem. Quibus particulis.

XLII. *Septimò*, universa Christi vita omnes Christianos monet, arrectis omnibus viribus suis in hoc enitantur, ut *vita illa Jesu in ipsis manifesta fiat* 2 Cor. IV. 10. h. e. ℵ. ut vitam & conversationem Christi, in omnibus, sibi proponant in exemplum *imitationis*: urgente hoc ipsum Servatore Matth. XI. 20. Joh. XIII. 14. 15. & Apostolis Eph. V. 2. 1 Cor. XI. 1. 1 Thess. I. 6. 1 Pet. I. 21--. Lineamenta autem vitæ & conversationis Christi, à nobis imitatione repræsentanda, quoad (*a*) *virtutes* quidem, religionem versus Deum, justitiam versus proximum, fortitudinem & temperantiam versus nosipsos; quoad (*b*) ἀσκησιν, ratione infantiæ, adolescentiæ & juventutis, virilis ætatis, & senectutis, sicut diximus: item (*c*) quoad officii functionem, peractam docendo, benefaciendo, patiendo, præludendo: quoad (*d*) perpessiones & adversa quævis: quoad (*e*) tentationes hostium spiritualium; adeoque tandem (*f*) in vita pariter & in morte: lineamenta inquam conversationis dudum repræsentavimus in præcedentibus, ut in eis exemplar nobis proponamus imitandum; Tum ב. ipsam etiam imitandi *potentiam*, à vita Christi hauriant, ut *vita* Christi ipsis non tantum *exemplar* præstet; sed etiam principium: in commendante Apostolo Phil. II. 5. Gal. II. 20. à quo Christus *vita* nostra dicitur Col. III. 4. Joh. XIV. 6. & I. 4. & XI. 25. absque enim vita Christi, nobis communicata, non modo *nihil possumus*, quod faciat ad ejus imitationem Joh. XV. 4. 5: sed etiam, si vel maximè possemus, gratum Deo non foret, nisi in *illo dilecto* factum Eph. I. 6. quicquid enim *ex carne nascitur*, non *nisi caro est* Joh. III. 6. Duplici ergo hoc modo, enitendum nobis omni conatu, ut *vita Jesu in nobis manifesta fiat*. Propterea quod A. ad hoc Servator venerit in *carnem*, & universam vitam apud nos duxerit, ut non tantum nos justificaret; sed & sanctificaret 1 Cor. I. 30. Tit. II. 11. 12. 14. ejusque sanctitatis exemplar imitandum præstaret, vita & conversatione sua Rom. VIII. 29. Quod B. hoc sit argumentum invictum, nostræ *unionis* & communionis cum Christo, si *vita* ejus *in nobis manifesta sit*: *qui enim dicit se in eo manere, debet* (ὀφείλει) *ambulare, sicut ipse ambulavit* 1 Joh. II. 6. & III. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat seipsum, sicut ipse* (Christus appariturus) *sanctus est*: ut sic Christus *vivat in eo* Gal. II. 20. & IV. 19. quatenus vita eadem est in *membris*, cum capite unitis, quæ est in ipso *capite* 1 Cor. XII. 27. Heb. II. 11. Quod C. ab hoc *Christiani* appellemur Act. XI. 26. & *discipuli* Christi, eo quod vivendi modum, à Christo præscriptum, & *exemplar vita* præstitum, *imitari* nobis conveniat Luc. IX. 23. Matth. X. 38. & XVI. 24. Marc. VIII. 34. Luc. XIV. 27. adeoque, ipso facto *abnegemus* universum nostrum Christianismum, si non imitemur 2 Tim. II. 19. ab ipso vicissim *abnegandi* Matth. X. 33. interficiendi Luc. XIX. 27. Quod D. omnes Christiani sint, non tantum *servi* Christi Rom. I. 1. 9. sed etiam ejus *filii* Hebr. II. 10. quos docet esse similes *parentibus* suis, eorumque vestigia premere Eph. V. 1. Quod E. in *conformitate* vitæ & conversationis nostræ, cum vita & conversatione Christi, omnis, omnium Christianorum, consistat *perfectio* Luc. VI. 40. Joh. XIII. 15. 16. & XV. 20. cum Matth. V. 48. Et quo tandem ג. rationibus erecti, facilius & certius consequamur, ut *vita Jesu in nobis manifesta fiat*; necessum est, ut 1. vivâ *fide* arripiendo Christum Joh. I. 12. uniamur cum eo, ipseque *habitet* in nobis Eph. III. 17. *vivat* in nobis Gal. II. 20. ejus vita, *nostra* fiat Col. III. 4. ipseque nobis, ceu anima corpori, *Spiritum* & vitam suam communicet Joh. I. 16. ut ab ea *spiritualiter* vivamus Gal. II. 20. Ut 2. vitæ illius Jesu, quam in nobis manifestam fieri studemus, distinctam nobis parare *cognitionem*, magis.

Quibus rationibus motivis.

Quibus adminiculis.

gis magisque adnitamur 2 Pet. I. 2. 8. & III. 18. neque enim exemplar feliciter imitari potest, qui ejus non habet sufficientem cognitionem Joh. IV. 10. Ut 3. in singulis vitæ & conversationis nostræ passibus, oculos mentis nostræ *intentos* habeamus, in vitam & conversationem Christi, velut πρωτότυπον, ὑπογράμμον 1 Pet. II. 20. ὑπόδειγμα Joh. XIII. 15. idque cum *aversione* oculorum à quibusvis aliis, suadente Apostolo Heb. XII. 2. ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν, καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, *aspicientes* (scil. cum aversione) *in fidei nostræ auctorem & consummatorem Jesum.* Interim 4. cum in singulis actibus non *semper* nobis in promtu sit exemplar in Christo; ut etiam oculos convertamus in hos, qui se præstiterunt *imitatores* Christi 1 Cor. XI. 1. 1 Thess. I. 6. 1 Cor. IV. 16. Phil. III. 17. Qui aut Christum sibi habuerunt *præsentem*; aut ab his qui ei immediate præsentes fuerunt, ejus vivendi rationem audiendo perceperunt Act. I. 3. Luc. I. 2. Quamvis nec hoc, in omnibus promiscuè, aut sine prudenti *circumspectione*, faciendum veniat; cum omnes, vel sanctissimi, suis infirmitatibus, suis nævis observentur obnoxii: à quo tritum, *non exemplis, sed legibus vivendum*, & Apostolus ipse imitationem sui, apud Corinthios limitat ac restringit 1 Cor. XI. 1. *Estote imitatores mei, sicut*, seu quatenus *ego sum Christi.* De quo plura monuimus in *dogmaticis.*

CAPUT DUODECIMUM.

DE

Mediatoris Morte.

Matth. XXVII. 26--51.

Tunc absolvit illis Barrabam: at Jesum flagellans, tradidit ut crucifigeretur-- vs. 35. crucifigentes verò ipsum-- vs. 50. Et Jesus iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum.

Sequitur tertius humiliationis gradus.

I. SUccedit *tertius* humiliationis gradus, qui est in morte Mediatoris, quam hîc, nec tam *late* cogitamus, ut omnia universæ vitæ ejus παθήματα connotet: quo sensu capite præcedenti, passiones Christi examinavimus; nec tam *stricte*, ut solam dicat animæ & corporis divulsionem: sed ut *divulsionem* illam notet, cum omnibus suis præparatoriis & connexis, quæ *postrema* vitæ septimana, quam *pœnosam* nonnulli appellant; quin duobus ante istam dissolutionem *diebus*, sustinuit. Considerationi nostræ, pro fundamento in priore editione, struebamus exegesin verborum Phil. II. 8. ast quia ista verba dudum exposita sunt, pro eis jam interpretabimur textum Matth. XXVII. 26--ad 51.

Pars exegetica.

Textus aperitur.

II. *Quo continetur* historia condemnationis, crucifixionis & mortis Christi. *Et circa eam*

1. Condemnatio *Christi* vers. 26. *An his verbis contineatur* condemnatio *Christi*, dubitat *Tertullianus, apud Grotium in hunc locum*; negat *Lactantius* Instit. lib. IV. cap. XVIII. & *Chrysostomus* Orat. secund. *de* Eleemosynâ, *solidioribus argumentis, cum Ignatio, Cypriano aliisque* affirmat *Grotius. Quod eam evincant*, 1. *Locus* tribunalis *in quem processit Pilatus.* 2. *Quod per solos milites* Romanos *exactum fuerit supplicium.* 3. *Quod pœna* crucis *proprie fuerit juris Romani, nam crux Judæis legibus ignota est.* 4. *Titulus suppliciî à Pilato dictatus, corpus crucifixi à Pilato postulatum, aliaque circumstantia. Accedat* 5. *quòd, cum Pilatus dixisset: Vos de eo ex lege vestra judicate: Judæi respondeant; sibi capitalium judiciorum potestatem esse ademptam.* 6. *Etiam Judæorum clamores ad Pilatum*: crucifigatur, *scil. sententia Pilati. Accedat* 7. *continua Christianorum, & τεσσαρεσκαιδεκατῶν ad* acta Pilati *provocatio, tum proculdubio exstantia, ut obtinerent, rem judicii specie gestam fuisse. Nec de nihilo est* 8. *judicialis* absolutio *Barrabæ, cum condemnatione Christi, immediate connexa* vers. 26. τότε ἀπέλυσεν αὐτοῖς τὸν Βαρραβᾶν: tunc absolvit ipsis Barrabam. *His igitur argumentis obtinetur, hoc versu contineri* condemnationem *Christi. Occurrunt autem hîc*

a. Absolutio *Barrabæ*, tunc absolvit ipsis Barrabam. *Scil. Pilatus, contra jus & contra conscientiam*, absolvit *Barrabam latronem infamem. Prout etiam condemnavit Jesum.*

A Judice legitimo hoc factum, non per tumultum & seditionem Judæorum, ut nomine Dei *fieret* Rom. XIII. 1. 2. Prov. VIII. 15. 16. Dan. IV. 32. Joh. XIX. 11.

β. Flagellatio *Christi*, τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας, Jesum autem, postquam flagellasset. *Id verò fecit, vel* 1. *quia legis Romanæ erat, ut crucifigendus, prius flagellaretur, ut viri docti observant, Hieronymus, Luc. Brugensis, Lipsius, Ligtfoot aliique; vel potius* 2. *ut Judæorum crudelitati satisfaceret, ut constat collatione* Luc. XXIII. 22. cum Joh. XIX. 1. *Flagellatus autem fuit, non virgis, quod levius* 2 Cor. XI. 24. 25. *sed flagris: idque non à Judæis, juxta* Deut. XXV. 3. *sed à militibus ethnicis, quorum immani flagellatione multos obiisse, docet Ulpianus* l. VIII. Digest. de pœnis, *qui etiam flagella ossiculis & hamis exasperare solebant. Certum est, Christum dire flagellatum fuisse* Psal. XXXV. 15. Jes. I. 6.

γ. Traditio *Christi, ad crucifixionem.* Tradidit *scil. jam condemnatum. Tradit, vel Judæis, vel potius militibus, ut patet ex sequentibus.* Ut crucifigeretur: *eam enim pœnam ei crimini dictant Leges Romanæ, ut notat Paulus* lib. V. Sent. Tit. 22. Phil. II. *ad mortem, mortem autem* CRUCIS, *pro quâ* furcam *legimus in Pandectis, cujus crucis usum Constantinus sustulit.*

2. Exsecutio *sententiæ condemnatoriæ. Penes quam narrantur, circa Christum gesta,*

א. In Prætorio; *scil. injuriæ & ludibria ei à militibus illata. Ubi notantur*

1. Injuriantes, *nim.* milites, *quatuor* Joh. XIX. 23. *qui apud Romanos* lictores *erant, & supplicia administrabant. Hi ipsum abripiebant in* prætorium. *Sententiam enim condemnatoriam videtur extra prætorium accepisse. Erat autem* πραιτώριον (*vox originis Latinæ*) *locus tribunalis, forte ut ipsum, ceu Regem in tribunali, seu throno collocarent. Aliis est domicilium Pilati, alibi* aula *sive* atrium *appellatur. Quamvis aliis tribunal non fuerit in prætorio; sed in* stadio magno, *ut Josephus loquitur, quod erat non procul à prætorio: area, cujus pars erat lapidibus constrata, unde* λιθόστρωτος *Johanni dicitur* Joh. XIX. 13. *Nec hi tantum quatuor milites lictores; sed & universa cohors, injuriantes agebant.* Tunc *inquit* vers. 27. milites Præsidis, âssumentes Jesum in prætorium, coëgerunt in eum universam cohortem. Τότε, *scil. dum exsecutio supplicii appararetur; coëgerunt* in eum, *id est adversus eum, totam cohortem, futuros, seu spectatores, seu actores futuræ fabulæ.* Totam cohortem, *aliam scil. ab eâ, cui custodia templi & Sacerdotum erat demandata, observante Grotio, quæ* custodia *appellabatur.* σπεῖρα proprie *sonat,* funiculum contortum, tralatitie, *teste Ennio & Appiano, militum catervam, prout* חבל *Hebræis propriè* funem *notat, tropice,* cœtum, catervam 1 Sam. X. 5. *Erat autem* cohors *decima pars Legionis, constans L. manipulis, manipulus autem habebat* 25. *milites, vel, ut Vegetius, decem. Tantam militum vim congerebant, ut potentius Christo insultarent, & suum quisque conferret, ad ejus ludificationem.*

2. Injuriæ, *ipsi conferendo per ludibrium pleraque insignia regia. Nim.* 1. Vestem *regiam* vs. 28. Exuentes eum, circumdederunt ei chlamydem coccineam, *seu tunicam rubram, vestem* purpuream, *ut Marcus habet* cap. XV. 17. 20. *id est, ejus coloris, qui purpuram mentiretur. Hebræi* תולע *vocant, quod nos vulgò,* cramosinum *dicimus. Sunt quibus ex hoc* coccum & purpura *idem sunt, Salmasio differunt colore, materiâ & usu, quo purpurâ soli utebantur Imperatores; cocco etiam privati; pro synonymis nihilominus usurpari, putat Brodæus* Misc. lib. I. cap 8. *Quicquid sit, saltem vestis fuit clari coloris, quam alii* coccineam, *alii* purpuream *dixêre, qui duo colores in vestibus sunt eximii.* 2. Coronam *regiam* vs. 29. Et plectentes coronam ex spinis, imposuerunt super caput ejus. *H. e. ramusculos aliquot spinosos, in orbem torquentes, coronam confecerunt, ligno auri vice, & spinis gemmarum loco, constantem.* 3. sceptrum *regium:* & calamum in dextram ejus, *supple dederunt.* 4. Homagium *regium:* & genuflectentes coram eo illudebant, ei dicentes: salve Rex Judæorum. 5. *Pro* cultu *& quasi tributo regio,* inspuerunt in eum, *Syrus,* in ejus faciem, *& calamo percusserunt caput ejus.*

3. In via. *Ubi narratur*

A. Deductio *ejus ad locum supplicii* vs. 31. *postquam nim.* ∞. illusissent ei, *ad satietatem in prætorio.* β. detraxissent chlamydem, & induissent propria vestimenta, *scil. ut à quovis in viâ commodius agnosceretur ludificareturque.* γ. abduxerunt eum ad crucifigendum. *Scil. extra prætorium, per urbem, extra castra tria, Dei scil. Levitarum & populi* Num. XV. 35. 1 Reg. XXI. 13. Act. VII. 58. Heb. XIII. 12. *ad locum supplicii.*

B. Le-

B. Levamen *ipsis procuratum, in Simone* Cyrenæo, *sic dicto forte quod oriundus esset è Cyrene, urbe seu* Decapoleos *in Syriâ, de quâ Plinius, Strabo & Mela; seu* Pentapoleos *in Lybiâ, quæ plena erat Judæis* Act. 11. 10. & VI. 9. *Saltem Judæo (quamvis Hilario & Ambrosio magis placeat ipsum* gentilem *fuisse, ut significaretur non-credentibus Judæis, Gentiles Christi crucem & jugum portaturos) & Christo favente. Hunc* adegerunt, *seu vi; seu rationibus, qui crucis portandæ onus susciperet, vel junctim cum Christo; vel separatim, ne forte delassatus in prætorio oneri succumberet, ipsique crucifixionis jucundo spectaculo frustrarentur; seu etiam ut commodius festinarent in itinere, & crucifixionem Christo accelerarent.*

5. In Golgotha, vers. 33. Et pervenientes in locum dictum Golgotha.. γολγοθᾶ, *ab Hebræorum* גלגלת, *i. e.* calva *seu* calvaria, *per elisionem literæ* ל. *In Syriaco & Arabico, ut & Zohar, plene legitur. Vocem interpretatur Matthæus,* κρανίου τόπος, cranii locus, *quod ibidem crania seu capita maleficorum conspicerentur, qualia loca Romæ erant Sestertium & Gemoniæ. Fuit saltem locus infamis & ignominiosus. Narrantur hoc loco facta:*

1. Potatio *crucifigendi, diversa à potatione crucifixi, de quâ* vers. 48. *Notatur circa hanc*

α. Oblatio *potus: dederunt ei* ὄξος, μετὰ χολῆς. Ὄξος acetum, *Marcus habet* vinum Marc. XV. 23. *Ut & Versio Æthiopica & exemplar quoddam vetustissimum Bezæ. Utrumque rectè: si enim per* acetum *reddas, quid acetum,* nisi vinum *acidum? si per* vinum, *fuit* acetosum *& acerbum, cumprimis ex admistione* fellis: μετὰ χολῆς, cum felle mistum, *Marcus* ἐσμυρνισμένον οἶνον, myrrhatum vinum. χολὴ *h. l. non significat præcise* fel; *sed* amarorem *in genere, sive fellis, sive absynthii, sive myrrhæ: à quo &* לענה absynthium LXX. *Interpp. referunt per* χολὴν Prov. V. 4. Thren. III. 15. *& locus* Psal. LXIX. 22. *unde hic locus est petitus, pro* ראש, *apud eosdem habet* χολὴν, *quod* ראש, *iisdem ipsis* Deut. XXIX. 18. *est* πικρία, *sicut etiam* Jer. XXIII. 15. מי ראש, *interpretantur per* ὕδωρ πικρὸν. *Hujusmodi potus damnatis & jam morituris dabatur, juxta* Prov. XXXI. 6. *qui mentem eorum exsternaret, ut eo exhilarati, mortem minus considerarent, & facilius tolerarent.*

β. Rejectio *ejusdem*; & cum gustasset, noluit bibere. *Marcus*: ipse non accepit, ἔλαβε. γευσάμενος *est*, cum leviter gustasset, *implendo tantum vaticinio* Psal. LXIX. 2. *non ut imbiberet, quod est* λαμβάνειν *Marco. Matthæus igitur agnoscit eum* accepisse, *h. e.* gustasse; *Marcus negat eum accepisse, h. e. bibisse. Voluit ergo* gustare, *ut vaticinio satisfaceret, ne contemnere videretur, & ut se vere sitire, indicaret: noluit autem* bibere, *quod daretur menti exsternandæ, ut ostenderet, se placide mori, nec impatientiâ præcipitem ferri, aut ultro sibi accersere mala, nec hujusmodi medicamentis indigere; quamvis postea in cruce pendens, quia sitiebat vehementer,* ἔλαβε τὸ ὄξος, imbibit.

2. Crucifixio (σταυρώσαντες vers. 35.) *quam sic ferè describunt: ambæ manus, brachiis expansis, in ligno crucis transverso, clavis affigebantur, ex* Luc. XXIV. 39. Joh. XXII. 25. 27. & XXI. 18. *pedes autem ambo, ligno cuidam, ab hastâ, seu erecto tigno crucis prominenti, velut basi insistentes, & juxta se mutuo positi, itidem clavis affigebantur. Erat supplicii genus, dolorificum, ignominiosum & maledictum.*

3. Distributio *vestimentorum. Scil. ex more Romanorum, quo supplicii exactores spolia sibi vindicabant. Vestes ad hoc ei detrahunt, & ut vilissimum & abjectissimum hominum, nudum prostituunt. Sed non absque numine,* ut impleretur quod dictum erat per Prophetam, *scil.* Psal. LXIX. 22. *Hoc comma ex* Joh. XIX. 24. *adjectum esse, non dubitant Beza & Grotius, quod illud non habeant optima exemplaria Græca, nec ulli vetusti codices, nec multi etiam Latini, nec Syrus, nec Origenes, nec Hieronymus: habent interim editio Vulgata, Arabica & Hebræa Matthæi.*

4. Custodia *crucifixi*, & sedentes servabant ipsum. *Ex more Romano, scil. ne quo modo elaberetur. Nobis prodest ista militum & Sacerdotum vigilantia; ut certiores simus de veritate mortis, pariter & virtute resurrectionis.*

5. Inscriptio, *quæ habebat* αἰτίαν *causam supplicii, eamque sermone* Latino, *ob majestatem Imperii,* Hebræo, *ob locum supplicii;* Græco, *ob maximam Helleniſtarum turbam festo præsentem. Hac* ἐπιγραφὴν *Pilatus eum appellat* Regem Judæorum, *equidem ut Christo illuderet; sed tamen etiam ut Judæos pungeret* Joh. XIX. 21. 22.

6. Con-crucifixio *duorum latronum, unius à dextra, alterius à sinistrâ ipsius, ut me-*

dius penderet, velut Princeps & Antesignanus latronum. Sic factum, cum consilio Dei, ut satisfieret vaticinio Jes. LIII. 12. Marc. XV. 28. *tum consilio Pilati, ut compesceret latratus conscientiæ, pariter & famæ succurreret, ne dum innocentem occideret, nocentibus videretur parcere; atque etiam ut Christus, ex consortio maleficorum, maleficus haberetur, eisque, uti pœna, ita & culpa similis.*

7. Ludibria, *seu insultationes hostium, & quidem*

A. Vulgi, *seu prætereuntis populi, qui ei insultabat: partim* gestibus vers. 39. *motitando caput; quod signum præstabat contemptus & irrisionis, ut* 2 Reg. XIX. 21. Psal. XXII. 7. & CIX. 25. Jes. XXXVII. 22. Thren. II. 15. *partim* linguâ *& voce* vers. 40. Vah, qui templum destruis, & tribus diebus restituis; teipsum serva. *Locutus autem hoc fuerat Christus, non de templo propriè dicto; sed de templo corporis sui* Joh. II. 19. *quod jam tum in cruce destruebatur.* Serva te ipsum: *ast non venerat qui seipsum servaret.*

B. Primorum *seu Principum*, vers. 41. 42. 43. similiter verò, *h. e. eadem ferè Principes Sacerdotum cum Scribis, Senioribus & Pharisæis, quorum erat, tumultus & insultus vulgi compescere*; dicebant .... *abutendo insuper Scripturis* Psal. XXII. 9. *Nec absque numine, quod sic agnoscere videantur, Psalmum de eo loqui.*

C. Latronum. *Id ipsum & latrones concrucifixi ejus, ipsi exprobrabant* vers. 44. Latrones: *sive quod initio uterque Christum blasphemaverit; quando alter miraculis tum factis, & summa Christi patientia, observatis, in ipsum crediderit, & socium pergentem conviciari, reprehenderit: sive potius,* unus *horum per Syllepsin, vel Enallagen numeri, Scripturis non inusitatam* Heb. XI. 33. *Ubi, quod de solo Daniele dictum, &* vers. 37. *quod ad solum Jeremiam spectat, ad multos refert. Sic* Matth. XXI. 2. Joh. I. 5.

8. Tenebræ vers. 45. *circa quas notantur,*

α. Initium *earundem*, à sextâ autem horâ. *Sexta Judæorum respondet nostræ duodecimæ. Ordiebantur enim Judæi diem suum* artificialem, *à sexta nostra matutina, tum diem dispescebant in quatuor trihoria, & quæ contingebant intra duo trihoria, referebant jam ad* prius, *jam ad* posterius. *Ex hoc commodè tolli potest* ἐναντιοφανὲς, *quo Johannes Christum à Pilato damnatum ait, hora* sexta Joh. XIX. 14. *Marcus crucifixum narrat hora* tertia Marc. XV. 25. *Et sic crucifixio, quæ accidit intra tertiam & sextam, à Johanne ad* sextam *refertur, à Marco ad* tertiam. *Conf. Grotium, Maldonatum aliosque.*

β. Natura *earundem*, tenebræ factæ sunt super universam *terram. Vel super* 1. *totam terram*, Judææ *scil. de qua hic agebatur; vel* 2. *super totum* orbem terrarum, *quod probat Mornæus*, de Verit. Relig. Christ. cap. ultimo. *Non equidem super totum telluris globum: multis enim in partibus, tum dies non erat; sed nox, ubi tenebræ non* fiunt; *sed* sunt: *proinde super totum illud hemisphærium, quod occupabat dies. Habet etiam isthæc caligo, præter* θεοπνεύστους *Evangelistas, suos testes apud gentiles Astrologos & Chronographos, v. g. Phlegontem* Olymp. lib. XIII. *Tallum*, Histor. lib. III. *apud Africanum, imo ipsa quoque* acta *Romana publica, ad quæ Tertullianus provocat in suo* Apologetico. *Conf. Grotius. Fuit autem hæc caligo planè miraculosa, quia* 1. *facta est, non in novilunio, cujus tempore Eclipses solares unicè fiunt; sed in plenilunio: facta enim est in die Paschatis, qui incidebat in diem* XIV. *mensis Nisan: erant autem menses lunares synodici, quorum primus dies semper incidebat in novilunium; sicut decimusquartus, aut decimusquintus in plenilunium. Quia* 2. *fuit* universalis; *quia* 3. *per tres horas duravit. Quæ omnia cum intelligeret Dionysius cum Apollophane Philosopho, ipse adhuc dum Ethnicus, dixisse scribitur à Suida: aut Deitas patitur, aut compatitur ei, qui patitur. Voluit his tenebris Deus contestari.* α. *Judæorum cæcitatem.* β. *quam detestandum sit Judæorum & Romanorum scelus, quod ne Sol quidem ferre posset.* γ. *iram suam, quam Solis deliquio subinde testatam fecit* Jer. XV. 9. Exech. XXXII. 7. 8. Joël. II. 10. 30. 31. & Cap. III. 14. 15. 16. δ. *Filium suum sustinere iram suam propter hominum peccata.*

9. Exclamatio *Christi* prior vers. 46—50. *Ubi est*

1. Tempus *exclamationis:* circa circiter nonam, *quæ respondet tertiæ nostræ pomeridianæ.*

2. Argu-

2. Argumentum *exclamationis* : ELI, ELI, LAMAH SABACHTANI, Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me. *Ex* Psal. XXII. 2. *ut psalmum illum sibi appropriaret. Marcus habet pro* Eli, *Eloi* Marc. XV. 34. *quod Syriacum est, sensu eodem, nisi quod prius magis sit Hebraeum.* Σαβαχθάνι, *pro* Σαβακθάνι, *i. e.* שבקתני, *pro quo in Hebraeo* Psal. XXII. 2. *est* עזבתני. *E quo colligetur Christum, neque veteri usum fuisse Hebraico, neque puro Syriaco sermone; sed dialecto usitata.* שבק *Syris idem sonat, quod Hebrais* עזב. *Dereliquit autem Filium suum Deus;* 1. *non* ipsa *gratia; sed gratia* sensu, *ut* Jes. XLIX. 14. *Sive* 2. *quoad* humanam *naturam, cruciatibus dirissimis expositam: quâ destituebatur, non modo externa liberatione; sed & omni solatio, externo, interno; corporis, animi; divino, humano, Sive* 3. *quod luctaretur cum tristissima tentatione de sui abjectione (quanquam absque omni peccato) certabat enim cum mortis doloribus. Deum sentiebat quodammodo alienum à se, & velut Judicem, sibi iratum, & dolores vere* infernales, *peccatis nostris debitas infligentem. Hic praecipuus ejus fuit conflictus, omnibus aliis durior.*

3. Calumniae *duae:*

א. Prior. Quidam: *non tam Romani, qui Eliam ignorabant, quam quidem Hellenistae Hebraice imperiti, qui existimabant Eliam adhucdum esse venturum* Matth. XVII. 10. *Nisi forte verba haec calumniaverint pervertendo, ut data opera, Christo illuderent. Hanc excipiebat secunda potatio cum aceto, parato, ex usu Romanorum, ut crucifixis daretur, seu ad acerbitatem mortis infringendam; seu potius ad pellendum animi deliquium. Pro* καλάμῳ, *Johannes habet* ὑσσώπῳ περιθέντες, hyssopo imposuerunt: *seu quod baculus fuerit ex hyssopo confectus; seu quod hyssopus contusus aceto spongiae fuerit admixtus, ad amaritudinem auzendam, ut adimpleretur vaticinium* Psal. LXIX. 22.

ב. Posterior *vs.* 49. *Reliqui dicebant:* sine videamus an Elias sit venturus ad eum redimendum. *Sic* ἄφες *esset* prohibitivum, *ne offeras, ne appropinques: quod existimarent, Eliam sic facilius ad eum* solum *venturum: aliter vox possit esse pleonastica, subjunctivo sequenti inserviens, ut sit:* age videamus.

10. Mors Christi *vs.* 50. *post* repetitam *exclamationem succedens, sive potius de novo exclamaverit* τετέλεσται consummatum est: *item,* Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, *ut est* Joh. XIX. 28. *à quo spiritum dimisit. Quod pro miraculo accepit Centurio, è quo colligebat, animam ejus à Deo suscipi: acclerata quippe mors erat, antequam vires ejus naturales defecissent.* Ἀφῆκε τὸ πνεῦμα *dimisit spiritum, idem quod* גוע, *pro quo Marcus* Cap. XV. 37. *& Lucas* Cap. XXIII. 46. *habent* ἐξέπνευσε, exspiravit. *Est periphrasis mortis, qua anima corpus deserit.*

Pars dogmatica.

Mediator ex voluntate Patris, maledictam crucis mortem suscepit.

III. Mediator ergo, ex voluntate Patris sui, pro suis maledictam crucis mortem suscepit. Quod Scripturae, (1) praeter textum, exserte *dicunt*, Phil. II. 8. Heb. II. 9. 10. 14. 15. Eph. II. 15. 16. & v. 2. 25. Col. I. 21. 22. Gal. III. 13. & significant συνονύμως 2 Cor. V. 21. &c. (2) *praedicunt* vaticiniis Psal. XXII. 14. 17. 18. Jes. LIII. 4.--12. Dan. IX. 26. 27. Zach. XIII. 7. (1) *praefigurant*, non tantum in Isaaco Gen. XXII. 2. 10. cum Heb. XI. 17. 18. & in serpente aeneo Num. XXI. 9. 2 Reg. XVIII. 4. sed etiam in quibusvis sacrificiis propitiatoriis Heb. IX. 12. 13. 14. 15. 22. 23. & sacrificatione paschatis 1 Cor. V. 7. cum Exod. XII.--& tandem (4) *insinuant* omnibus illis locis, quae ad sanguinem Christi, (quo mors, & universa ejus passio connotantur) nostri redemptionem referunt 1 Joh. I. 7. Heb. IX. 13. 14. 1 Pet. I. 19. Rom. III. 25. & V. 9. Eph. I. 7. &c.

Probatur

Scripturae testimoniis

& ratio.

IV. Mortem istam, multis etiam modis, dura exigebat necessitas, nata (1) ex *reatu* & demerito peccatorum nostrorum Gen. II. 17. Rom. VI. 23. & V. 12. 1 Cor. XV. 22. (2) ex *justitia*, seu naturali Dei odio, versus peccatorem Psal. V. 5. 6. 7. Hab. I. 13. Rom. I. 32. 2 Thess. I. 6. (3) ex *veracitate* comminantis Dei Gen. II. 17. Ezech. XVIII. 13. cum Num. XXIII. 19. Psal. LXXXIX. 15. (4) ex *misericordia* & φιλανθρωπίᾳ, Patris pariter & ipsius Filii, versus peccatorem perditum Joh. III. 16. Rom. V. 8. Eph. V. 2. (5) ex ipsa Christi *expromissione*, quâ, in aeterno pacis consilio, peccatoris, mortis rei, universam causam in se suscepit. Psal. XL. 7. 8. 9. Heb. VII. 22. à quo גואל *vindex* Job. XIX. 25. cum Jes. LIX. 20. & Levit. XXV. 25. & μεσίτης *Mediator* dicitur 1 Tim. II. 5. Heb. VIII. 6. & IX. 15. & XII. 24. cum Heb. X. 5. Jes. LIII. 10. 11. (6) ex proposito Dei, manifestandi gloriam *misericordiae* suae, in gratiosa peccatoris redemptione Rom. IX. 23. Eph. I. 5. 6. 7.

3 multimodâ necessitate.

V. Est autem *mors* illa, quam expromissor pro suis suscepit, actus ille *humiliationis*, quo univer-

Quid sit mors.

sam

Christi ? fam illam miseriam, quæ suis ex peccato debebatur, in se suscepit. Non est igitur 1. mera *passio*, quemadmodum mors nostra; sed *actio*, quatenus seipsum *humiliasse* dicitur Phil. II. 8. sese Patri *obedientem* præstitisse, ad mortem usque. *Ibid.* vitam sponte *deposuisse* Joh. X. 11. 18. seipsum redemtionis *pretium dedisse* Matth. XX. 28. 1 Tim. II. 6. Jes. LIII. 10. Nec 2. nudam suscepit animæ

An eadem sit, an æquivalens morti nostræ ? & corporis dissolutionem, in qua sola mors nostra consistit: sed universam illam *miseriam*, quæ suis ex peccato debebatur: seu *idem* illud malum, quod suis ex peccato incumbebat, si non *specie*, aut *numero* potius; saltem pondere & *valore*. Neque enim omnia & singula mala, quæ nobis ob peccatum imponi poterant, v. g. pestem, cæcitatem, omniaque, quæ recensentur Deut. XXVIII. 15. — in se admisit, nec admittere potuit; v. g. privationem imaginis divinæ, & justitiæ originalis, æternitatem mortis, aliaque: attamen quoad *species*, eadem illa suscepit, quæ nobis incumbebant perferenda: ad minimum quoad pondus ac *valorem*, nostris miseriis æquivalentia. Ut in morte hac, non tam veri ac proprii nominis fuerit *solutio*, qua, per Jureconsultos, *idem* præstatur, quod est in obligatione; & quæ à creditore repudiari non potest: quam *satisfactio*, qua *tantundem* præstatur, & quæ à creditore reprobari potest. Quo uno cautè observato, plurimæ difficultates, in negotio satisfactionis, evanescent.

Mors Christi triplex: VI. Proinde, cum peccatis reatum contraxerimus, *triplicis* mortis; naturalis, spiritualis & æternæ: prout supra Lib. IV. cap. 4. docuimus; & expromissori Jesu triplex aliqua mors sustinenda

1. Naturalis, cujus historia per tres periodos, ex Evangelistis repræsentatur: fuit; nim. *primò* naturalis seu *corporalis*, cujus historiam uno quasi calamo describunt omnes Evangelistæ, per tres ejus *periodos*, quarum *prima*, *præparatoria* repræsentat ad mortem, numero decem: (1) *Prædictionem* mortis jam instantis Matth. XVI. 21. Marc. XIV. 1. Luc. XXII. 1. Joh. XIII. 1. (2) *Deliberationem* Judæorum de occiendo Christo Matth. XXVI. 3. 4. 5. (3) *Unctionem* Bethaniæ factam, à muliercula, in domo Simeonis Leprosi Matth. XXVI. 6. — 13. Marc. XIV. 3. Luc. VII. 37. 38. Joh. XI. 2. & XII. 3. (4) *Proditionem* Judæ Matth. XXVI. 14. 15. 16. Marc. XIV. 10. 11. Luc. XXII. 3. 4. 5. 6. (5) *Usum* & abrogationem Paschatis Matth. XXVI. 17.--21. Marc. XIV. 12.--18. Luc. XXII. 7. — 17. (6) *Institutionem* S. Cœnæ Matth. XXVI. 26. — 31. Marc. XIV. 22. — 27. Luc. XXII. 19. 20. (7) *Lotionem* pedum discipulorum suorum Joh. XIII. 3. — 17. (8) *Detectionem* proditoris sui Matth. XXVI. 21--26. Marc. XIV. 17. 22. Luc. XXII. 21. 22. 23. Joh. XIII. 21---31. (9) *Prædictionem scandali*, fugæ & abnegationis discipulorum Matth. XXVI. 31 — 35. Luc. XXII. 31--39. Marc. XIV. 27--32. (10) *Compositionem* contentionis inter discipulos, super prærogativa Luc. XXII. 24. — 31. *Secunda* periodus, ipsam repræsentat *passionem* & *mortem* Christi, per quatuor actus: quorum A. *primus* ea habet, quæ in *horto Oliveti* ei obvenerunt, scil. tum *agonia* Matth. XXVI. 36---46. Marc. XIV. 32--42. Luc. XXII. 39---46. Joh. XVIII. 1.: tum *traditio* in manus Judæorum Matth. XXVI. 47 — 56. Marc. XIV. 43 — 53. Luc. XXII. 47--54. 63. 64. 65. Joh. XVIII. 3--13. B. *Secundus* actus ea habet, quæ cum eo acta sunt in *curia Pontificis*, nim. (a) examen Matth. XXVI. 57. 59--63. Marc. XIV. 53. 55--61. Luc. XXII. 54. Joh. XVIII. 19--24. (b) lapsum & conversionem Petri Matth. XXVI. 58. 69. Marc. XIV. 54. 66 — Luc. XXII. 55--62. Joh. XVIII. 15--18--25. 26. 27. (c) condemnationem Matth. XXVI. 65--69. Marc. XIV. 61--66. Luc. XXII. 66 — C. *Tertius* actus ea recensetur, quæ cum eo acta sunt coram Pilato: quoad (1) *deductionem* ad Pilatum Matth. XXVII. 1. 2. Marc. XV. 1. Luc. XXIII. 1. Joh. XVIII. 28. cui conjuncta fuit desperatio & suspendium Judæ Matth. XXVII. 3 — 10. (2) *accusationem* Judæorum, & examen Pilati Matth. XXVII. 11--14. Marc. XV. 2--6. Luc. XXIII. 2 — 12. Joh. XVIII. 28--39. (3) *justificationem* Pilati Matth. XXVII. 15--24. Marc. XV. 7--14. Luc. XXIII. 4. 13 — 23. Joh. XVIII. 38 — & XIX. 4 — 15. (4) *flagellationem* Matth. XXVII. 26. Marc. XV. 15. Joh. XIX. 1. (5) *condemnationem* Matth. XXVII. 26. Marc. XV. 15. Luc. XXIII. 24. 25. Joh. XIX. 16. D. *Quartus* actus ea refert, quæ circa *crucifixionem* facta sunt: penes quam occurrunt, α. eductio ad Golgotha, & in ea concio ad lugentes fœminas Luc. XXIII. 26 — 31. Matth. XXVII. 27 — 33. Marc. XV. 16 — 22. Joh. XIX. 16. 17. β. potatio aceto facta cum felle admixto, & interceptio pro crucifigentibus Matth. XXVII. 33. 34. Marc. XV. 23. Luc. XXIII. 32. γ. crucis ἐπιγραφὴ Joh. XIX. 19--25. Matth. XXVII. 37. Marc. XV. 26. Luc. XXIII. 38. δ. cura Matris demandata Johanni Joh. XIX. 25. 26. 27. Matth. XXVII. 55. 56. Marc. XV. 40. Luc. XXIII. 49. cum contumeliis, ipsi in cruce pendenti, ab omni hominum genere, illatis Matth. XXVII. 38 45. Marc. XV. 27 — 33. Luc. XXIII. 35. 36. 37. ε. conversio latronis, eclipsis solaris, & querela de desertione divina Matth. XXVII. 44. 45. 46. Marc. XV. 33. 34. Luc. XXIII. 39 — 44. ζ. querela de siti, protestatio de consummatis omnibus, demandatio animæ suæ in manus paternas, & mors Joh. XIX. 28. 29. 30. Matth. XXVII. 47 — 50. Marc. XV. 35. 36. 37. Luc. XXIII. 45. *Tertia* periodus habet confectaria mortis & crucifixionis: nim. η. miracula, quæ successerunt morti Matth. XXVII. 51--55. Marc. XV. 38. 39. Luc. XXIII. 44 — 49. θ. sepultura, de quâ suo loco.

ipsius passionis & mortis, per actus quatuor.

1.

2.

3.

4.

& confectaria.

Mors Christi, naturalis, eadem fere fuit cum

VII. Ex his mortis naturalis periodis, certum est, ipsum non modo verè & propriè mortuum esse; sed *eandem* etiam sic satis suscepisse mortem, quæ nobis incumbebat ex peccato. Ac proinde,

sicut

morte nostrâ: sicut mors nostra suas habet *partes*, (quoad damnum, & quoad sensum; & suos *gradus*, quoad inchoationem, & quoad consummationem, atque etiam his admixtam qualemcunque moderationem; juxta ea quæ docuimus lib. IV. cap. 4. §. XIII. XIV. ita & mors naturalis Christi, suam habuit ℵ. *inchoationem*, & in eâ, præter connatam sibi mortalitatem, (1) debilitationem, variis excogitationibus, deductionibus è loco in locum, impositione crucis, aliisque, extrinsecus sibi illatam Psal. XXII. 1. (2) quod, ex discipulis, fuerit à Judâ proditus Matth. XXVI. 47—50. à Petro abnegatus Matth. XXVI. 69---74. ab omnibus desertus vs. 56. (3) ab omni hominum genere, præsertim à primariis, insanus, dæmoniacus, Samaritanus, commessator, profanus, impostor, blasphemus, seductor, magus, rebellis & alieni regni invasor, proclamatus Joh. XIX. 7. 12. Matth. XXVI. 65. Luc. XXIII. 2. quod à populo fuerit reprobatus, pessimo ficario, postpositus Matth. XXVI. 20—25. & inter latrones medius crucifixus Joh. XIX. 18. (4) vestibus nudatus Matth. XXVII. 28. 29. (5) Quod porro fuerit apprehensus, huc illuc à curiâ ad curiam, probrosè raptus, quasi latro Matth. XXVI. 50. 55. 56. & XXVII. 2 Marc. XIV. 46. 48. 49. Luc. XXII. 52. 53. 54. Joh. XVIII. 12. (6) Quod judicia iniquissima, tam *ecclesiastica*, sub Pontificibus, Annâ & Cajapha Joh. XVIII. 13. 14. 19—24. Matth. XXVI. 57. 59.---66. & XXVII. 1. Marc. XIV. 53. 55—64. Luc. XXII. 66. 71. & XXIII. 1. 2.: quam *politica*, sub Pilato, & sub Herode Tetrarcha Matth. XXVII. 11. 26. Marc. XV. 2—15. Luc. XXIII. 1—25. Joh. XVIII. 28--40. & XIX. 1—16. (7) Quod fuerit irrisus, consputus, percussus, coronâ spinea carnificatus, primò quidem apud Cajapham Matth. XXVI. 67. 68. Marc. XIV. 65. Luc. XXII. 63. 64. 65. deinde apud Herodem Luc. XXIII. 11. denique apud Pilatum, ejusque ministros & milites Matth. XXVII. 26.--31. Marc. XV. 16.—20. Porro (8) quod, ut furcifer, nudato corpore, in loco infami, inter duos latrones, truculentum, probrosum & maledictum supplicii genus, fuerit expertus: præviis etiam mille contumeliis, potatione, felle & myrrhâ delibutâ, sarcastica tituli inscriptione Matth. XXVII. 31. 33.--49. Marc. XV. 20. 22.--36. Luc. XXIII. 25. 32. 33. 35---39. Joh. XIX. 16---20. Gal. III. 13. Tandem (9) in omnibus corporis *partibus* & *membris* passus est: *aures* sarcasmis fuerunt repletæ Matth. XXVII. 39. 40.: *caput* arundine quassatum *Ibid.* vs. 30. & spinis laceratum *Ibid.* vs. 29.: *corpus* flagellatum *Ibid.* vs. 26.: *os* aceto & felle potatum *Ibid.* vs. 34. Marc. XV. 23.: *facies* sputo dehonestata Matth. XXVII. 30.: *humeri* crucis ligno onerati Luc. XXIII. 26.: *latus* perforatum Joh. XIX. 34.: *brachia* per crucem extensa, *manus* ac *pedes* clavis cruci affixa Psal. XXII. 17. 18. Matth. XXVII. 35.: *sanguis* ex omnibus venis profusus Joh. XIX. 34.: *cor* angore liquefactum Psal. XXII. 15. &c. Quibus interim, perinde ac morti nostræ, *mitigatio* qualiscunque adfuit: A. in potentiæ & majestatis divinæ manifestatione, quâ captores voce prostravit Joh. XVIII. 6. auriculam Malchi sanavit Luc. XXII. 50. 51. B. quod ab Angelo confirmatus Luc. XXII. 43 C. innocentiæ testimonium multiplex, ab ipso Judice, & ejus uxore Matth. XXVII. 18. 19. 24. Marc. XV. 10. 14. Luc. XXIII. 4. 14. 20. 22. Joh. XIX. 4. 6. imo ab ipso sui proditore Matth. XXVII. 3. 4. 5. & à spectatoribus aliis Luc. XXIII. 47. D. auxilium Simonis Cyrenæi, & turbæ compassio Luc. XXIII. 26--31. Matth. XXVII. 32. Marc. XV. 21. Et hæc fuit mortis naturalis inchoatio: habuit præterea 2. *consummationem* suam, per quam anima divulsa fuit à corpore Luc. XXIII. 46. Matth. XXVII. 50. Joh. XIX. 30. manente interim inviolata unione hypostatica, unde *Dominus gloriæ* crucifixus dicitur 1 Cor. II. 8. & *Dominus* jacuisse in sepulchro Matth. XXVIII. 6. Ab hac porro consummatione, mors hæc fuit α. *vera*, non simulata aut ficta: quippe verâ segregatione partium essentialium, corporis & animæ, procurata Luc. XXIII. 46. Matth. XXVII. 50, β. *violenta* quidem, quatenus ab externis causis illata fuit, sed γ. *naturalis* tamen, quatenus à causis naturaliter efficacibus, fuit procurata: nisi quod δ. & *supernaturalis* dici queat, ac *voluntaria* etiam, quatenus vitam pro lubitu deposuit Joh. X. 18. seipsum tradidit Eph. V. 2. & variis miraculis supernaturaliter fuit condecorata: Solis extraordinariâ obtenebratione Matth. XXVII. 45. Luc. XXIII. 44. 45. aulæi fissurâ Matth. XXVII. 51. Luc. XXIII. 45. terræ motu, petrarum hiatibus, monumentorum aperturâ, mortuorum resurrectione Matth. XXVII. 51. 52. 53. Hactenus mors Christi naturalis. Sustinenda ei fuit.

quoad inchoationem: ratione perpessionum, quoad consummationem. ratione mitigationis:

VIII. *Secundo spiritualis*, non eadem quidem *specie* aut *numerò*, quæ nobis incumbebat ex peccato; sed similis tamen, & *eadem* etiam valore & pretio. Quando enim nobis mors spiritualis incumbit, quæ concludit *privationem imaginis* divinæ, & *justitiæ originalis* cum servitute peccati, mundi, Satanæ, carnis conjuncta; prout lib. IV. cap. 4. §. 8. 9. 10. 11,: in Christum *ista* quidem cadere non potuit mors spiritualis: fuisset enim, non modo ineptus ad munus mediatorium; sed etiam θεάνθρωπος peccator: fuit ergo malum aliquod triste *spirituale*, morti nostræ spirituali analogum, valore & pondere idem cum nostra morte spirituali. Fuit igitur morte suâ *spirituali*, Christus (1) orbatus *gaudio* & delectatione, quam anima ejus ex fruitione Dei, & plenitudine gratiæ, haurire alias potuisset: eo quod, pro nobis *peccatum* factus, objectum iræ divinæ eâdem opera fieri debuerit 2 Cor. V. 21. cum Psal. XXII. 2. 3. Jes. LIII. 10. (2) iram divinam, ob suscepta in se peccata

2. Mors Christi spiritualis; non eadem quidem cum nostrâ; sed nostræ tamen analoga & æquivalens, quinque articulis inter-

noſtra deguſtavit Apoc. XIX. 15. ac poteſtati *tenebrarum* vexandus, fuit expoſitus Joh. XII. 27. Et
1. in his proprie fuit ille *calix*, qui Chriſto à Patre ſuo propinatus fuit, ebibendus Matth. XXVI. 39. Luc. XXII. 34. *Iræ* autem divinæ objectum præſtitit, non abſolutè, quoad *affectum* divinum; erat
2. enim filius ille ſibi adeo *dilectus* Matth. III. 17. & XVII. 5. ſed quoad *effectum*, ſeu pœnas illas, quæ ipſi, ex ſuſcepto reatu noſtro, debebantur. Nec *ſubjectio* ad poteſtatem tenebrarum, fuit ad *ſervitutem* propriè dictam; ſed ad *vexationem* tantum: idque non *ſemper*; ſed ad tempus tantum, quoad ſerpenti caput contriviſſet Gen. III. 15.
3. Conf. Joh. XIV. 30. Hinc (3) *anima* ejus tantam triſtitiam, horrorem, pavorem, concepit: non tantum in *horto*; ſed etiam *antea* Luc. XII. 50. Joh. XII. 27. Matth. XXVI. 37. 38. Ex his etiam nata
4. eſt (4) *deprecatio* vehemens, animum attonitum oſtendens. & naturam talem, quæ mortis *acerbitatem* fugerit, ſine quo pœnam non ſuſtinuiſſet: quæ tamen omnia, cum profundiſſimâ *ſubjectione* ad voluntatem divinam, fuerunt ſociata Joh. XII. 27. Matth. XXVI. 39. Marc. XIV. 35. Luc. XXII. 42. Conf. Heb. V. 7. Atque etiam (5) *ſudor ſanguineus*, verus ſanè, & angoris vehementia ei extortus Luc. XXII. 44. conf. Gen. XLIX. 11. Jeſ. LXIII. 2. Apoc. XIX. 13. Morti huic ſpirituali acceſſit.

3. Mors Chriſti æterna. IX. *Tertiò* mors *æterna*, noſtris peccatis debita, ut ſupra lib. IV. cap. 4. §. XV. XVI. licet non acceſſerit *æternitas* mortis; eo quod 1. iſta ad *eſſentiam* pœnæ non pertineat, ſed à conditione *puniti* accedat, quando ille talis eſt, ut ferendo, pœnam non poſſit exhaurire Matth. XVIII. 34. Quod 2. peccatum, infinitam lædens Dei majeſtatem, *uno* tantum modo, infinitam demereatur pœnam, vel *intenſive*, ſeu pondere infinitam, quam mera creatura ſuſtinere nequit; vel *extenſive* ſeu durationè infinitam: cum igitur Servator θεάνθρωπος, pœnam ſuſtinuerit *pondere* & valore infinitam; neceſſum non erat, ut *durationè* infinitam, ſeu æternam admitteret. Cum præſertim 3. ineptum præſtitiſſet ipſum hæc mortis *æternitas*, iſtis officiis mediatoriis, quæ poſt mortem ipſi incumbebant præſtanda. *Æternam* igitur mortem ſuſcepit, à quâ dicitur κατάρα *maledictio* factus Gal. III. 13. & in ejus ſignum, ligno ſuſpendi voluit. Sed æternam iſtam mortem admiſit, quoad ſua *eſſentialia* tantum; nequaquam quoad *circumſtantialia* illa, quæ in damnatis eam concomitantur. Et quænam tandem mortis *æternæ* ſunt eſſentialia? Reſp. Quantum ad pœnam *damni*, ſegregatio à gratioſa præſentia, conſpectu & fruitione Dei, ut ſummi boni: quantum ad pœnam *ſenſus*, eſt tortura intolerabilis *animæ* & corporis Matth. XXV. 41. 2 Theſſ. I. 9. utrumque ergo horum, ſi ſuſtinuit Servator, utique *eſſentialia* mortis *æternæ* ſuſtinuit; ſed ſuſtinuit: quoad pœnam quidem *damni*, quando derelictus à Patre omni ſenſu conſolationis & lætitiæ ſpiritualis, exutus ad tempus, ejulare coactus eſt: *Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me?* Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. ex Pſal. XXII. 2: quoad pœnam *ſenſus*, quando, in *maledictione* Gal. III. 13. extrema iræ & judiciorum Dei ſubiit Apoc. XIX. 15. *dolores mortis* expertus Act. II. 24. imo à *doloribus mortis circumdatus, & à doloribus inferni occupatus fuit* Pſal. XVIII. 5. 6. 7. iſtiſque omnibus, *animam* ſuam *contriſtatam* queritur *ad mortem* uſque Matth. XXVI. 38. & *cor* ſuum factum *ſicut cera*, quæ ſe *liquefecerit in medio viſcerum ſuorum* Pſal. XXII. 15. agnoſcitque, animam ſuam *ad infernum*, in quo mors æterna perferri conſuevit, detruſam Pſal. XVI. 10. Conf. XXX. 4. & LXXXVI. 13. de quo plura cap. ſeq.

Quod & quatenus à Chriſto ſuſcepta.

X. Ex dictis ergo Sole clarius eſt, Mediatorem paſſum eſſe, non *corpore* tantum; ſed *animâ* etiam, & eâ potius quidem: ideo quod (1) non Scriptura tantum παθήματα ad animam diſertè referat Pſal. XXII. 15. Jeſ. LIII. 10. Matth. XXVI. 38. Joh. XII. 27. ſed (2) ipſa etiam peccati noſtri natura, utpote ab animâ potiſſimum oriundi Marc. VII. 19.--23. pœnam exigat, expromiſſoris animæ infligendam, ſi modo à cruciatibus animæ, ſuos clientes feliciter liberare vellet. Quin &, ex eadem ratione, non in parte animæ tantum *inferiore*, ut loquuntur, ſeu *ſenſitiva*; ſed & *ſuperiore*, ſeu *rationali*: cum non modo in Scripturis per *cor* (quo ſe pati Servator querulatur Pſal. XXII. 15.) paſſim intelligatur *voluntas*, facultas animæ *rationalis*; ſed & à *corde* noſtro ſcaturire dicantur peccata noſtra Matth. XV. 18. 19. 20. Neque *mediantibus* corporis doloribus tantum, paſſa eſt anima Chriſti, per ſolam ſympathiam; ſed *immediate* etiam, quod ex his angoribus patet, quæ in Gethſemane perpeſſus eſt, cum corpus hilum necdum pateretur, cum exclamaret: *anima mea contriſtata eſt ad mortem uſque* Matth. XXVI. 38. cum inciperet λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν Matth. XXVI. 37. 42. Marc. XIV. 33. 36.

Paſſus eſt Servator non corpore tantum; ſed & anima.

Paſſus eſt, non ut homo, nec ut Deus tantum; ſed ut Deus & homo ſimul.

XI. Cuncta iſta ſeu corpore, ſeu animâ tenus, Mediator perpeſſus eſt, nec ut *homo* tantum; nec ut *Deus* tantum: ſed ut θεάνθρωπος, ut Deus & homo ſimul, ſic ut, pro natura, ἀποτελεσμάτων θεανδρικῶν, quælibet natura ſuum contulerit ad παθήματα Chriſti: dum humana natura ſola ſuſtinuit & perpeſſa eſt (cum in divinam naturam non cadat potentia paſſiva Mal. III. 6. Jac. I. 17. & multo minus *mors*, eo quod ſit ἄφθαρτος Rom. I. 23. 1 Tim. I. 17. & VI. 16.) divina natura paſſionibus *pondus*, valorem & pretium infinitum præſtitit, ut eſſent παθήματα *Dei* Act. XX. 28. & *ſanguis filii Dei* 1 Joh. I. 7. aptus, qui nos *purget ab omni peccato*.

Cauſa mortis

XII. *Cauſam* univerſæ mortis, *primam* & præcipuam, Chriſtus habuit *Deum*, Patrem proprium,

Christi suprema, Deus fuit.

prium, ſupremum Judicem Jeſ. LIII. 6. 10. Zach. XIII. 7. 2 Cor. V. 21. Act. II. 23. & IV. 28. unde querulatur: *Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me?* Pſal. XXII. 2. Nec *uno* modo, Deus occupatus fuit circa *παθήματα* & mortem filii ſui: nim. (1) *prædeſtiniendo* Act. II. 23. & IV. 28. Rom. VIII. 29. Luc. XXIV. 26. 46. Act. XVII. 3. (2) *prædicendo* Pſal. XXII. — Jeſ. LIII. — Zach. XIII. 7. Dan. IX. 26. (3) *ſuſtentando* patientem Pſal. XXII. 12. cum 25. (4) *permittendo* inimicis Joh. XIX. 10. 11. (5) *limitando* Act. IV. 28. Joh. XIX. 31. 32. 33. (6) in ſibi præſtitutum finem *dirigendo* 2 Cor. V. 21. Jeſ. LIII. 5. Cauſam quaſi *moventem* Deus habuit; A. *Gratiam* & miſericordiam verſus peccatorem Rom. IX. 23. cum 2 Cor. V. 21. Jeſ. LIII. 6. Rom. VIII. 32. B. *Juſtitiam* vindicativam, verſus expromiſſorem filium Rom. III. 22. & VIII. 3. C. *Gloriam* utriuſque, & gratiæ & juſtitiæ Rom. III. 25.

Cauſæ ſecundæ fuerunt homines, omne genus,

XIII. Cauſas præterea *ſecundas* habuit *homines*, omne genus: (a) *Amicos* Zach. XIII. 6. *fucatos* pariter, ut proditorem Judam Matth. XXVI. 14. 15. 16. 47. 48. 49. 50. & *ingenuos*, Petrum quidem abnegatorem *Ibid.* verſ. 69. — &c. (b) *inimicos*: A. *Eccleſiaſticos*, Pontifices, Sacerdotes, Phariſæos, Scribas, Seniores, Sanhedrim *Ibid.* verſ. 57. — 69. & cap. XXVII. 1. &c. B. *Politicos*, tam *Principes* Pſal. II. 2. Herodem Tetrarcham, & Pilatum Legatum Cæſareum Act. IV. 27. Matth. XXVII. 2. — Luc. XXIII. 7. 8: quam *miniſtros Ibid.* II. C. *Militares* Matth. XXVII. 27. Luc. XXIII. 36. Joh. XIX. 2. 23. 24. 32. 34. Marc. XV. 16. (a) Judæos pariter & Gentiles Act. IV. 27. (b) Doctos & idotas (c) Viros & fœminas Matth. XXVI. 69. 71. & XXVII. 19. 55. (d) Univerſam turbam *Ibid.* verſ. 39. 40. ſcil. ut, ſicut ab omnibus; ita pro omnibus, mortem guſtaret Heb. II. 9.

Fructus mortis Chriſti.

XIV. *Fructus* & effectum univerſæ iſtius mortis, (1) in *genere* quidem, eſt *ſatisfactio* pro peccatis noſtris, quatenus eam mortem ſuſtinuit, quæ peccatis noſtris, ex juſtitiâ, veracitate, & lege divina debebatur Jeſ. LIII. 4 — 10. Gal. III. 13. 2 Cor. V. 21. Rom. VIII. 3. &c. quam ſuo loco. *ξὺν Θεῷ*, ex profeſſo docebimus. Ex qua in *ſpecie* (2) profluebat electorum univerſalis *redemtio* Matth. XX. 28. 1 Tim. II. 6. Matth. I. 21. Hinc porro (3) *reconciliatio* noſtri cum Deo Rom. V. 1. 6. 7. 8. 2 Cor. V. 19. 21. Inſuper (4) liberatio ab *ira* Dei Rom. V. 2. 1 Theſſ. V. 9. Etiam (5) à *maledictione* legis Gal. III. 13. Rom. VIII. 3. (6) à poteſtate *Satanæ* Heb. II. 14. 15. (7) à *morte* & inferno 1 Cor. XV. 54. 55. 56. 57. Rom. VII. 24. Ex adverſo (8) *benedictio Abrahæ* Gal. III. 14. Joh. III. 14. 15. & (9) *vita* æterna *Ibid.* verſ. 16.

Hujus rei fundamentum duplex,

XV. Horum omnium *fundamentum* in his duobus potiſſimum eſt: 1. Quod abſque omni *propria* culpa, planè innocens, cuncta illa perpeſſus eſt Jeſ. LIII. 9. 2 Cor. V. 21. 1 Pet. II. 22: ac proinde, ex *juſtitia* Dei, mortem, quæ ſolis peccatoribus debebatur Gen. II. 17. Rom. VI. 23. Rom. V. 12. *pro ſe* ſuſtinère non potuerit; & hinc, cum ſuſtinuerit, non niſi pro *aliis* ſuſtinuerit. 2. Quod ſeipſum vadem & expromiſſorem, in æterno pacis conſilio, pro nobis ſtiterit Heb. VII. 22. Pſal. XL. 7. 8. Jeſ. LIII. 4.

Nec tamen pro omnibus & ſingulis mortuus eſt,

XVI. Interim tamen, quæ perpeſſus eſt; non pro *omnibus & ſingulis* peccatoribus capitatim, perpeſſus eſt: nominatim non pro his, qui in propria *perſona condemnantur* Rom. VIII. 33. 34. utpote pro quibus, jamjam moriturus, ne *orare* quidem voluit Joh. XVII. 9: licet interim ejus mors omnibus & ſingulis liberandis (ex infinita perſonæ ſuæ *dignitate* 1 Joh. I. 7. Act. XX. 28. infiniti vâloris exiſtens) per ſe ſufficere potuiſſet; ſi modo, ex voluntate Patris, omnibus eam *deſtinare* voluiſſet. Interim illam *quibuſvis* citra diſcrimen deſtinavit 1 Tim. II. 6. nominatim omnibus *credentibus* Joh. III. 14. 15. 16. *populo* ſuo Matth. I. 21. *ovibus* ſuis Joh. X. 15. *filiis* Heb. II. 10. *fratribus* ſuis *Ibid.* verſ. 17. & quotquot per ipſum, viva *fide* ad Patrem accedunt Heb. VII. 25. & *ſeriò volunt* per ipſum ſervari Apoc. XXII. 17. Jeſ. LV. 1. Matth. V. 6.

Sed pro quibuſvis tamen, nominatim pro ſuis,

Pars elenchtica.

Quæritur 1. An Chriſtus verè paſſus & mortuus ſit?

XVII. Circa paſſiones & mortem Chriſti quæritur *primò*, an verè paſſus & mortus fuerit Chriſtus? Manichæi, Gnoſtici, Theopaſchitæ, & Aphtharto-docetæ, hæretici veteres, nugabantur, Filium Dei paſſum ac mortuum eſſe, *κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν* tantum; ut qui revera habuerit corpus *ἄφθαρτον*, id eſt; *τῶν φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν ἀνεπίδεικτον*, *quod paſſiones phyſicas admittere non poſſet.* Muhammedani item Chriſtum, ante ſui crucifixionem, ad ſidera abreptum volunt, ut non niſi opinione Judæorum crucifixus ſit. Cæterùm inter hos, qui Chriſtum profitentur, noſtro tempore non ſunt, qui ore quidem non profiteantur, atque etiam propugnent, Chriſtum *ὄντως* ac propriè mortuum eſſe. Idemque nominatim etiam agunt Lutherani, quamvis interim cum eorum hypotheſibus vix ac ne vix quidem conciliari poſſit: dum enim ſtatuunt, per unionem hypoſtaticam, humanæ naturæ communicatas eſſe proprietates divinas, & inter eas nominatim omnipræſentiam; concipi ſanè non poteſt, qui caro omnipræſens ab anima ſua verè & propriè divelli, eoque Chriſtus propriè mori potuerit: Reformati, per veram partium eſſentialium ſeparationem, mortuum profitentur. Quod 1. Scriptura infinitis locis mortem illam doceat, imò ipſam animæ & corporis divulſionem Luc. XXIII. 46. Matth. XXVII. 50. Marc. XV. 37. Joh. XIX. 30. Quod 2. Scriptura Vet. Teſt. ſæpius prædixerit mortem Jeſ. LIII. 10. Dan. IX. 26. Quod 3. tot victimis, verè morientibus, præfigurarit. Quod

Rationes Reformatorum.

4. verè à mortuis resurrexerit Matth. XXVIII. 6. Marc. XVI. 6. Luc. XXIV. 6. Joh. XX. 9. Quod 5. aliàs mortem, nostris peccatis dictatam & competentem, reverà non sustuliſſet Jes. LIII. 4. proinde nec satisfeciſſet, nosque adhuc eſſemus in peccatis nostris 1 Cor. XV. 3. 4. 13. 14. 16. 17. 18. Nec est, quod ullâ quidem cum specie, adversus fundamentalem hanc veritatem objici possit; quam, si verè mortuus fuiſſet, verus homo non manſiſſet, cum homo mortuus non sit homo; & consequenter etiam non fuiſſet verus θεάνθρωπος: quem nodum, qui multos egregriè torquet, sic solvi posse existimamus, negando, ipsum sub morte, verum hominem non fuiſſe: quamvis *merus* homo mortuus, *verus* homo non sit; eo quod separatione partium semel factâ, nulla omninò apud ipsum sit partium essentialium unio superstes, à quâ homo dici & esse possit; secus tamen sit apud θεάνθρωπον, cujus partes essentiales, corpus & anima, licet *immediata* unione sublatâ, fuerint divulsæ: *mediata* tamen unione, manserunt copulatæ in personâ divinâ: unde Deus, seu divina natura, ipsum in sepulchro non *deseruiſſe* dicitur Act. II. 27. ex Psal. XVI. 10.

Objectio fundamentalis.

2. An per mortem redactus sit in statum non-existentiæ?

XVIII. *Secundo* quæritur, an Christus per mortem suam redactus sit in statum *non-existentiæ*, quia statuunt, mori nihil aliud esse, quam *non amplius* existere, (quatenus per mortem, *corpus* quidem relabatur in perpetuum cinerem; & *anima*, quæ ipsius non est, nisi *virtus* aliqua & efficacia Dei, redeat ad Deum, h. e. *relabatur* in Deum. Vid. *Compendiol. Socin.* confut. à Cl. Cloppenburg. cap. VIII. & Smalc. *de divinit. Chr.* cap. XIII.) & Christum, *tunc cum mortuus esset, fuiſſe in eadem conditione, in qua omnes alii mortui sunt* (ut loquitur Smalcius loco *citato*) eâdem operâ statuunt, Christum post mortem, usque ad suam resurrectionem (quæ ipsis nihil aliud est, quam *iterum existere*) *non existitiſſe*: quod etiam Deus persuasum nobis voluerit, ejus sepulturâ ac descensu in infernum: qui itidem ipsis non est, nisi status *non-existentiæ*, quem ingrediantur *omnia morientia*, tam bruta quam homines; tam pii quam impii, nisi quod pii (sub N. T.) per resurrectionem, reducendi veniant ad statum *existentiæ*. Ex adverso Christiani omnes existimant, ut mors est in *genere*; ita & mortem Christi non fuiſſe nisi veram animæ & corporis separationem. Quod exsertè Scriptura testetur, (1) *animam* ejus per triduum mortis exstitiſſe, in manum Patris commendatam Luc. XXIII. 46. Psal. XXXI. 6. (2) *corpus* ejus exstitiſſe, vel in cruce, vel in sepulchro Matth. XXVII. 59. 60. (3) totum compositum: *non vidiſſe corruptionem*, & multo minus *non-existentiam* Psal. XVI. 10. Act. II. 31. & XIII. 35. Etiam (4) ipso mortis die, cum latrone converso, exstitiſſe *in paradiso* Luc. XXIII. 43. Addam (5) quod vitam *habuerit in seipso* Joh. V. 26. quod sit ipsa *vita* Joh. XIV. 6. & potentiam habeat *indiſſolubilis vitæ* Heb. VII. 16. 1 Cor. XV. 45. Non dicam (6) quod hac ratione, Christus bis, ἐξ ὄντων emerſiſſet; semel in incarnatione, & iterum in resurrectione. Plura hujus generis, suo loco de *resurrectione carnis*. Argumenta pro Socinianis, Smalcius adducit *loco citato*: A. Quod dicatur seipsum *inaniviſſe* Phil. II. 7. Resp. Istud verò, ἑαυτὸν ἐκένωσε, quomodocunque torqueatur, per *annihilationem* explicari nullo modo potest, quin agnoscatur in personâ Christi natura duplex, quarum una, vi majore alteram in *nihilum* redegiſſet, quæ quidem vis major, non potest esse alia, quam τῆς θείας φύσεως, seu Dei ipsius, cujus est ex nihilo creare: ἐκένωσε autem Apostolo, non notat statum Christi mortui; sed viventis gratiam, quâ ipse, vivens in carne, ad humilem obedientiam vitæ & mortis, se stitit Patris servum. B. Quod hac ratione, *generationi* assimiletur resurrectio Act. XIII. 32. 33. & Christus, per resurrectionem, dicatur *hodie genitus*, ex Psal. II. 7. Resp. Non est verum, quod generationi assimiletur resurrectio Christi Act. XIII. 32. 33. neque sequitur ex eo, quod assertioni suæ, de excitato ex mortuis Jesu, Apostolus attexit ista: *ut etiam in Psalmo secundo scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te*: verùm hoc agit Apostolus, ut doceat, die resurrectionis Christi, potenter ipsi à Patre vindicatum & assertum esse nomen istud *filii*, Angelorum nomine excellentius, cujus nulla est vera definitio, extra generationem æternam, ante omnem creaturam: conferenda enim hic loca Heb. I. 4. 5. & Rom. I. 4. C. Quod mortui in Scripturis subinde dicantur *non esse* Matth. II. 18. ὅτι οὐκ εἰσὶ Jer. XXXI. 15. אינם quibus parallela exstant Psal. CIV. 35. Thren. V. 7. Resp. pro ratione vitæ præsentis transitoriæ 1 Cor. VII. 29. 30. non aliud volunt illa loca, quam mortuos non esse amplius in civitatibus & familiis, aut inter vivos.

Sententia Socinianorum.

Argumenta Orthodoxorum.

Objectiones Sociniano-rum.

3. An Messias debuerit pati & mori?

XIX. *Tertio* quæritur: an Messias, ex tenore Vet. Testamenti, debuerit pati & mori? Judæi duplicem Messiam sibi fingunt: alterum Ben *Joseph* seu Ephraim, cujus nomen futurum sit, *Nehemias filius Huſiel*, hunc variis ærumnis & ipsi etiam morti obnoxium fore, passim ferunt in Talmude *Massecoth sucha*, in Paraphrasi Chaldaica Cant. IV. 4. unde vulgâti apud ipsos sunt חבלי המשיח, *dolores Messiæ*: alterum Ben *David*, hunc, præcipuum suum Messiam, passionibus & morti obnoxium fore, omnes negant. Muhammedani cum Judæis faciunt, nisi quod unum tantum nobiscum agnoscunt Jesum, quem verè crucifixum negant, per parag. præcedentem. Christiani *unum* tantum, cum Scripturis agnoscentes Messiam, ipsum passionibus & morti ignominiosæ obnoxium fore, credunt; non ob hoc tantum (*a*) quod Petrus

Rationes Christianorum.

trus 1. Epist. 1. 11. & Paulus Act. xxvi. 23. ita Prophetas vaticinatos testentur; sed etiam quod (*b*) Prophetæ dolores istos Messiæ particulatim recensent, v. g. (1) ipsi *conterendum* esse à serpente calcaneum Gen. III. 15. (2) manus ac pedes ipsi, scil. in cruce, *perforandos* esse Psal. xxii. 17. (3) esse *potandum* aceto & felle Psal. lxix. 23. (4) faciem ejus sputo *conspurcandam*, ejusque dorsum *verberandum* esse Jes. l. 6. (5) esse *ludibrio* & contemtui habendum Psal. xxii. 7. 8. 9. (9) esse *vendendum* triginta argenteis Zach. xi. 12. 13. (7) esse *transfigendum* Zach. xii. 10. (8) esse *gladio* verberandum, seu generaliter *vulnerandum* esse Zach. xiii. 7. (9) esse *interficiendum* Dan. ix. 26. (10) esse vulnerandum, percutiendum, è terra viventium abripiendum, sepeliendum Jes. liii.--&c. Quibus (*c*) ad hominem adjicimus: si ipsis Judæis nihil absonum habeat, Messiam Ben *Joseph* variis ærumnis, imo & morti obnoxium fore; quid absoni habebit, verum Messiam eisdem obnoxium dici? Nec habent ferè quod objiciant, nisi *generaliter* quidem, quod à maledicto, qualis est crucifixus Deut. xxi. 23. non possit exspectari benedictio. Resp. 1. Textus loquitur, de tali, qui ob *propria* crimina suspensus fuisset, quod de Messia *justo* Jes. liii. 11. dici non potest. 2. loquitur de suspenso qui sit *merus* homo, qualis non est Messias, יהוה צדקנו Jer. xxiii. 6. Et 3. talis suspensus, ob *aliorum* scelera maledictus, vere maledictis benedictionem omnino conciliare potest Gal. iii. 9--15. Tum *specialiter* excipiunt adversus illa loca quibus passiones & mortem Messiæ probare conamur, quod non loquantur de Messiâ: quibus vindicandis Antagonistæ Judæorum ex professo distinentur. Vid. Hoornb. Conf. Jud. lib. vi. cap. 1. & alii, imprimis commentatores anti-judaici.

Objectiones Judæorum.

4. An Christus passus sit in animâ suâ;

XX. *Quarto* quæritur, an mortem etiam sustinuerit *spiritualem*? seu an passus etiam fuerit in *anima*, ejusque parte superiore seu rationali, idque *immediate*, nec per solam compassionem cum corpore? Pontificii (quo duo ista facilius obtineant: A. animam Christi, à primo conceptionis instanti, beatificâ Dei visione, adeoque omnimodâ *beatitudine* fuisse beatam. B. Descensum ejus ad inferos, non fuisse in passionibus animæ) negant: Reformati affirmant, rationibus §. viii. adductis, quibus aliud impræsens non addimus, quam 1. quod distributio adversariorum, in animæ partem inferiorem & superiorem, nobis parum videatur accurata, nec *simplicitati* animæ spiritualis consentanea: 2. quod ex hypothesi adversaria, vix solide possimus esse persuasi, quod Christus suis passionibus, à passionibus *animæ*, quæ nobis imminent ex peccatis nostris, nos liberaverit, nisi seu quoad *idem*, seu quoad *tantundem*, passus fuerit in *anima*: eo quod, quæcunque Mediator in se non susceperit, ab iis nos non liberaverit, ex tenore locorum Jes. liii. 4. Gal. iii. 13. 14. 2 Cor. v. 21. &c. Confer. §. viii. & x. item quæ ad hanc ipsam quæstionem diximus cap. *praced.* §. xxxiii. Hypotheses adversariorum ibidem attigimus: & primam etiam earum, ex professo contecimus cap. x. §. xxx. secundam etiam, ἐν Θεῷ, examinabimus cap. sequenti.

5. An sustinuerit pœnas gehennales?

XXI. *Quinto* quæritur, an etiam sustinuerit mortem *æternam*, seu pœnas gehennales? Negant Sociniani, ne Christus pœnas *omnes*, peccatis nostris debitas, in se susceperit, & suscipiendo, verè nostri loco, Deo *satisfecerit*, ex rigore justitiæ suæ: cum quibus colludunt Arminiani, nominatim inter eos Vorstius, statuentes mortem duntaxat temporariam, ipsum admisisse, eamque plenæ satisfactionis *loco*, per *acceptilationem*, à Deo habitam esse. Reformati, modo & rationibus §. ix. expositis, affirmant: quibus etiam probè expensis, his quæ in contrarium dici ab adversariis possent (nim. de æternitate pœnarum, de desperatione, blasphemiis, aliisque inordinatis *circumstantialibus* pœnarum gehennalium, ut quæ ad ipsam earum essentiam nequaquam requiruntur) satisfieri citra negotium potest. Arminianorum acceptilationi suo loco ex professo occurremus, in cap. de *Redemptione*.

6. An ex sententiâ Calvini aliorumque Reformatorum, desperaverit?

XXII. *Sexto* quæritur, an sustinendo pœnas illas, ex sententia Calvini, verè desperaverit? Fœdam illam blasphemiam Calvino, aliisque Reformatis, per insignem diabolismum, affricare nituntur Pontificii, Lutherani aliique. Quibus nemo felicius ora obturaverit, quam ipse Calvinus *Instit.* lib. ii. c. 16. §. 12. & in *Harmon.* Neque ullibi dicit Christum *desperasse*; sed tantum objectionem, ex mente adversariorum fingens, Christo tantum desperationis *vocem* tribuit. h. e. talem, qualem homines fermè, ex desperatione edere solent. Et res etiam ipsa loquitur, eum *desperare* non potuisse: quod non modo tantum scelus in θεάνθρωπον cadere, repugnet; sed & ipse omnia ea, quæ (ex decreto Dei Act. iv. 28. juxta & suâ expromissione, sibi probe nota) pro nobis in se susceperat perferenda, declinare nec potuerit, nec voluerit Matth. xvi. 21. 22. 23. & xxvi. 51. 52. 53. 54. neque ex ullâ Dei promissione spem haurire poterat, eorum declinandorum; à quâ, per desperationem, aberraret.

7. An mortem perpessus fuerit, ut Deus & homo simul?

XXIII. *Septimo* quæritur, an mortem perpessus fuerit ut θεάνθρωπος? Nestoriani, quod naturas in Christo divellerent: statuebant, *ut hominem* tantum perpessum esse, unde ipsis in ore erat; *ne gloriare Judæe, non Deum*; *sed hominem occidisti*. Ex adverso Eutychiani, qui naturarum *confusionem* docebant; existimârunt, tam in *divina*, quam in *humana* natura passum fuisse; quod ex duarum naturarum confusione, unam *naturam*

Sententiarum divortia.

emerſiſſe dicerent: Pontificii: quia ipſum eſſe Mediatorem ſecundum humanam naturam *tantum*, tradunt cum Franc. Stancaro; ipſum paſſum tantum fuiſſe ut *hominem*, ſtatuunt: cum quibus faciunt Sociniani, quia divinam Mediatoris naturam non recipiunt: Lutherani, quia per unionem *hypoſtaticam*, divinam *naturam* humanæ communicatam volunt; Deum propriè & ſine tropo, adeoque ipſam divinam naturam pro nobis paſſam ferunt: cum quibus, quoad theſin ſaltem, ſentiunt Anabaptiſtæ Flandri; eo quod Chriſti humanam naturam, è cœlo deductam, aut ex ſubſtantia divina natam, *divinam* eſſe putent: Reformati, quod Chriſtum Mediatorem ſtatuant, juxta utramque naturam, prout docuimus lib. v. c. 2. §. 16. & cap. IV. §. 4. & vindicavimus §. 21. 22. affirmant mortuum eſſe ut θεάνθρωπον, ſecundum utramque naturam, eo ſenſu, & eis rationibus, quas adduximus §. XI. Quantum ad hypotheſes adverſariorum; Neſtorianorum quidem, & Eutychianorum, cum quibus colludunt Lutheranorum, eas examinavimus lib. v. c. 4. §. 7. & §. 23. Pontificiorum & Stancari lib. v. c. 2. §. 21. Socinianorum lib. 2. cap. XXVI. §. 5.—11. Anabaptiſtarum & Enthuſiaſtarum cap. X. §. VI. & XIX.

Sententia Reformatorum.

8. An Mediator paſſus ſit loco noſtri?

XXIV. *Octavo* quæritur, an, quæ Mediator perpeſſus eſt, omnia loco vel *vice* aliorum perpeſſus ſit? Sociniani, quo ſatisfactionis fundamenta commodius tollant, admittunt quidem, ipſum *pro nobis* generaliter, h. e. in uſum & *commodum* noſtrum mortuum eſſe, ut nim. morte ſuâ veritatem doctrinæ ſuæ obſignaret, & promiſſionem reſurrectionis à mortuis, & vitæ æternæ ſecuturæ, exemplo ſuo confirmaret; ſed *loco* & *vice noſtri* mortuum eſſe, negant; Chriſtiani affirmant: 1. omnibus iſtis locis, quibus exſertè dicitur *pro nobis* mortuus Rom. v. 6. 8. 2 Cor. v. 14. 15. 1 Theſſ. v. 10. eo ſcil. modo, quo Paulus pro nobis *non* eſt mortuus 1 Cor. I. 13. & eâ efficacia, ut condemnationem tollat Rom. VIII. 34. Tum. 2. eis locis, quibus exſertè dicitur, pœnam peccatorum *noſtrorum* in ſe ſuſcepiſſe Jeſ. LIII. 4. *animam* ſuam ſtitiſſe אשם, *ſacrificium pro peccatis* verſ. 10. *factus pro nobis peccatum, ut nos fieremus juſtitia coram Deo* 2 Cor. v. 21. Porro 3. eis locis, quibus fertur ſolviſſe *pro nobis redemtionis pretium* Matth. XX. 28. 1 Tim. II. 6. Eph. I. 7. 14. Col. I. 14. Heb. IX. 15. Etiam 4. eis locis, quibus dicitur *tradidiſſe ſeipſum pro nobis, oblationem & victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ* Eph. v. 2. Heb. VII. 27. & VIII. 3. & IX. 22. 23. & X. 5.—13. Nec eſt ferè quod objiciant, niſi A. quod *iniquum* ſit, juſtum interficere pro injuſto Gen. XVIII. 23. Reſp. Eſt quidem injuſtum, *nolentem*, aut qui non habeat poteſtatem in propriam vitam; non autem injuſtum eſt, *volentem* Pſal. XL. 7. Heb. IX. 5. 6. 7. & qui vitæ propriæ habet *poteſtatem*, punire Joh. X. 18. B. Quod non ſit neceſſarium, *interficere* juſtum pro injuſto, cum Deus *condonet* peccata gratis Matth. XVIII. 32. Reſp. Condonat gratis *nobis*, & propter Chriſtum Eph. I. 7. Col. I. 14. Heb. IX. 22. ſed nullibi condonaſſe dicitur *Chriſto*. Quod C. ſit *impoſſibile*, ut *unus* pro tot myriadibus mortem exhauriat. Reſp. Impoſſibile eſt, ut unus *merus* homo ſuſtineat; ſed non eſt impoſſibile, ut *filius* Dei 1 Joh. I. 7. ipſe *Deus* Act. XX. 28. θεάνθρωπος, *Immanuel* Jeſ. VII. 14. Matth. I. 21. exhauriatur.

Argumenta Chriſtianorum.

Objectiones Sociniano-rum.

9. An præciſe mortem ſuſcipere debuerit?

XXV. *Nonò* quæritur, an Chriſtus pro nobis præciſe *mortem* ſuſcipere debuerit? Pontificii, ſub ſpecie extollendæ mortis Chriſti, quam tot modis extenuant, affirmant *unicam ſanguinis guttulam* cunctis redimendis ſufficere: ad hoc, ut reliqua, velut ſuperflua, in theſaurum Eccleſiæ conderentur, eroganda, per indulgentias, à Pontifice, in hos, qui auxiliares manus, h. e. nummos, præſtiterint: Reformati affirmant *mortem* præciſe fuiſſe neceſſariam. Quod 1. peccatum noſtrum, ex juſtitiâ Dei Rom. I. 32. ex commiſſione legis Gen. II. 17. Rom. VI. 23. & ex naturâ propriâ, infinitam Dei majeſtatem lædens, *mortem* exigat pro pœna. Quod 2. ex contrariâ hypotheſi, mors Chriſti ſupervacanea foret, guttulâ ſanguinis ſufficiente: adeoque 3. crudelis (abſit blaſphemia) fuerit Deus, qui filio unigenito *mortem* tam diram inflixerit citra neceſſitatem. Nec eſt quod nobis objiciant, *infinitatem* valoris, qui adeſt ſingulis paſſionum particulis, cum (*a*) ex hypotheſi objicientium, falſum hoc ſit; quia ſecundum humanam tantum naturam paſſus ſit, & (*b*) ex juſtitiâ, veritate Dei, & naturâ peccati, *mors* præciſe exigatur, ut diximus.

Argumenta.

Objectio.

10. An mors Chriſti, æquivalens fuerit omnibus & ſingulis pœnis?

XXVI. *Decimo* quæritur, an mors quam perpeſſus eſt Mediator, ex rigore juſtitiæ divinæ, *æquivalens* fuerit omnibus pœnis, quæ omnibus electis, ex peccato debebantur? Vorſtius & Arminiani, ut pollicem ſubdolè premerent Socinianis, propriè dictam ſatisfactionem Chriſti negantibus; abnuunt, ſtatuuntque, quod Chriſtus perpeſſus fuerit *qualecunque*, *quod* per *acceptilationem* admiſerit Deus, pro *æquivalente* ſolutione compenſationeque: Orthodoxi, quamvis *gratiam* quidem admittant, quâ, pro *nobis*, Deus admiſerit, quod filius ſuus præſtabat; ex juſtitiæ tamen *rigore*, exiſtimant, Deum à filio plus exigere non potuiſſe, pro noſtro reatu, quam ab eo accepit: eo quod, ex dignitate perſonæ, quæ *filius Dei* eſt 1 Joh. I. 7. & *Deus* ipſe Act. XX. 28. *infinitum* pretium acceperit, quo majus, nec peti, nec impetrari poteſt: cum *infinito* majus cogitari non poſſit. Fundamentum ſententiæ adverſæ hæret in negatâ æternâ Mediatoris deitate, quâ aſſertâ lib. 2. cap. XXVI. à §. VI. ad XI. immobilis manet ſatisfactionis *æquivalentia*.

XXVII.

11. An mortem Christus pro omnibus & singulis perpessus sit?

XXVII. *Undecimo* quæritur, an mortem Christus pro omnibus & *singulis* perpessus sit? Pelagiani & Pelagianissantes, quotquot sunt extra communionem reformatam, affirmant Christum *ex æquo* pro omnibus mortuum esse; ita ut *applicatio* seu communio beneficiorum mortis hujus, suspendatur à cujusvis libero *arbitrio:* inter Reformatos illi, qui gratiam *universalem* propugnant, existimant, hactenus Christum pro omnibus & *singulis* mortuum esse sub *conditione*, ut possint, *si modo* velint, credere; sic tamen, ut pro solis electis mortuus sit *absolute*, h. e. ut non modo possint *si velint*; sed etiam ut *actu* velint. Omnes Reformati in hoc consentiunt, tantum valoris ac pretii, ex infinita dignitate personæ, inesse morti Christi, ut ea sufficere *possit* omnibus & singulis hominibus servandis: sed quia, nec Pater, nec filius mortem illam destinatam voluerint, redimendis omnibus & *singulis* hominibus; dici commodè non posse, quod pro omnibus & *singulis* hominibus Christus sit mortuus: eo quod (1) restringatur passim ad *multos* Matth. xx. 28. Rom. v. 19. Jes. LIII. 11. 12. Heb. IX. 28.: nominatim ad *vocatos* Heb. IX. 15. *fideles* Rom. III. 22. 25. 26. *sanctificatos* Heb. X. 14. *Ecclesiam* Act. XX. 28. *oves* suas Joh. X. 14--16. 26--28. excluso etiam *mundo*, utpote pro quo, ne quidem orare, & multo minus, *mori* voluit Joh. XVII. 9. Quod (2) individuam habeat connexionem cum æterna eorum salute, pro quibus mortuus est Rom. VIII. 34. & v. 10. Plura in hanc rem, ἐν Θεῷ, occurrent in cap. *de Redempt.* Nec est quod causentur: 1. Ipsum morte sua tollere peccata *mundi* Joh. I. 29. & III. 16. & Deum adeo dilexisse *mundum*, ut ei filium dederit; cum per *mundum* non intelligat nisi Gentilismum, contradistinctum Judaismo Rom. XI. 12. ut sensus sit: ipsum peccata tollere, non tantum Judæorum; sed etiam Gentilium quorumvis. 2. Ipsum sese dedisse redemtionis pretium pro *omnibus* 1 Tim. II. 6. Heb. II. 9. Rom. V. 18. Resp. Hoc est pro *quibusvis*, ex quovis hominum ordine Conf. Matth. IV. 23. & XII. 32. Rom. XIV. 2. Apoc. V. 9. Nominatim 3. mortuum esse, pro his qui ipsum *abnegant* 2 Pet. II. 1. Resp. Non dicitur hic *Christus mortuus*, aut *pretio* sanguinis mercatus apostatas; sed δεσπότης (quo nullibi intelligitur Christus) Deus, *mercatus* (non pretio Jes. LV. 1.) h. e. sibi acquisivisse præconio verbi, pseudoprophetas illos apostatas, eo usque, ut professione externa, se pro Domino suo agnoscerent, eademque opera, fidem in Christum profiterentur, quam postmodum abnegarint. Etiam 4. filium Dei *denuo sibi* crucifigere Heb. VI. 6. adeoque semel saltem pro ipsis crucifixum esse. Resp. Non aliud vult textus, quam hujusmodi apostatas tale commisisse peccatum (illud, quod blasphemia in Sp. S. appellatur Matth. XII. 31.) pro *quo* nunquam Christus fuit crucifixus, adeo ut, si ab isto peccato liberari deberent; Christus, eorum causa denuo crucifigendus foret. Quin imo 5. & pro eo, mortuum esse, qui *filium Dei conculcat*, & *sanguinem fœderis*, PER QUEM SANCTIFICATUS ERAT, *prophanum ducit*, & *Spiritum gratiæ contumelia afficit* Heb. X. 29. Resp. Textus non dicit *peccatores* istos sanguine fœderis sanctificatos esse; sed *Christum* ipsum, in sanguine proprio sanctificatum esse, interpretante ipso Apostolo cap. II. 10.

Divortium sententiarum.

Sententia orthodoxa probatur.

Sententiæ adversariæ rationes examinantur.

XXVIII. Sunt alia quæ circa mortem Christi quæri possent, hoc loco quidem indigitanda; sed brevitatis studio, in alia loca, sibi magis domestica, impræsens seponenda: v. g. *Duodecimo*, an mors Christi veri ac proprii nominis *satisfactionem* præstiterit? Quam seponemus in caput *De Redemptione. Decimo tertio*, an reconciliatio, quam sua morte Christus procuravit, sit μονόπλευρος tantum, quâ solum non vice versa hominem placaverit Deo? Quam in idem illud caput seponemus. *Decimoquarto*, an sub triduo mortis ac sepulturæ, Christus fuerit, *verus* homo, & consequenter θεάνθρωπος? quam in caput de *descensu* ad inferos seponemus. *Decimoquinto*, an morte Christi, divina persona separata fuerit, vel à corpore, vel ab anima ejus, eoque unio hypostatica suspensa fuerit? Quæ cum priori quæstione multum coincidit, itidem ergo ad caput proximum seponenda.

Adhuc quatuor quæstiones, quæ seponuntur in alia capita, sibi magis propria.

Pars practica.

Praxis hujus loci: 1. Commendat nobis mediationem passionis & mortis Christi.

XXIX. Praxis passionis & mortis Christi exigit *primo*, ut frequentes, imo toti simus, in *meditatione* passionis & mortis Christi; utpote (1) quæ tanta fuit apud Paulum, ut pro ejus cognitione, omnem sapientiam, quæ sane (educato *ad pedes* magni *Gamalielis* Act. XXII. 3. imo in *tertium usque cœlum abrepto*, ubi vidit ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἔξον ἀνθρώπῳ λαλῆσαι: *verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui* 2 Cor. XII. 4.) non vulgaris ei suppetebat, abnegare voluerit 1 Cor. II. 1. 2. ut in sola cruce Christi *gloriari* posset Gal. VI. 14. In quam (2) ipsi B. Angeli *desiderant παρακύψαι* 1 Pet. I. 12. deque ea cum Christo sermocinari gestiunt Luc. IX. 31. 35. Cujus (3) argumentum, *sapientiam* habet talem, quæ viget *apud perfectos*, quam *primores hujus mundi* ignorant; talem quæ est *sapientia Dei*, & quidem sapientia Dei *in mysterio*, quæ *occulta* fuit, & *destinata in nostri gloriam, antequam mundus existeret*; quam (scil. in mundo) *oculus non vidit, auris non audivit, & quæ in cor hominis non descendit*; quam Deus *nobis revelavit per Spiritum suum.* Prout, cum maximo affectu, Apostolus de ea loquitur 1 Cor. II. 2--10. Quæ (4) nobis recludit omnes thesauros æternæ *sapientiæ*, justitiæ vindicativæ, gratiæ & misericordiæ, potentiæ, veracitatis &c. de quibus jamjam paulo distinctius monebimus. Qua (5) nihil *dulcius*,

Motiva.

cius, nihil efficacius, ad erigendam, quorumvis malorum ſenſu, quaſſatam conſcientiam: utpote quæ nobis repræſentat, imo in corda noſtra *effundit*, *ineffabilem Dei amorem*, cujus ſenſu *gloriari* etiam, in quavis afflictione ſuaviter poſſumus Rom. v. 3—12. Qua (6) nihil etiam *utilius*, ad A. *juſtificationem* Jeſ. LIII. 3—11. B. ad imitationem *ſanctificationis* 1 Pet. II. 21.—C. ad *gloriam* Gal. VI. 14. 1 Cor. II. 2. 6. 7. 8—Quâ (7) nihil magis eſt *neceſſarium*, ut Chriſtum *lucrifaciamus*, cum eo uniamur, ejuſque juſtitiæ participes reddamur Phil. III. 7. 8. 9. 10. conf. 1. Cor. II. 2.

Quædam in paſſione & morte Chriſti meditando ſingulatim expendenda:

Eſt autem nobis iſta meditatione devotè expendendum: *α. Quis* paſſus ſit, nim. non filius *hominis* qualiſcunque gregarius, terræ filius, qualis fictitius Judæorum Meſſias *Ben Joſeph*; nec egregius aliquis Princeps & *Monarcha*, qui unus ſit inſtar *decem millium* 2 Sam. XVIII. 3.: nec *Angelus* etiam creatus, unus ex illis quos Pſaltes extollit Pſal. CIII. 20.: ſed *Meſſias*, *Angelus* ille *fœderis*, *Rex Regum*, *Dominus dominantium*, filius Dei, עמנואל *θεάνθρωπος*, imo ipſe *Deus* Matth. XXVII. 54. *β. Quid* paſſus ſit, non *afflictionem* qualemcunque leviculam; ſed omnium malorum *maximum*, omnium ſummam, *mortem*; nec *unum* tantum mortis genus: non *naturalem* tantum, quæ ab hominibus aliquando expetita & deſiderata legitur, quod liberationem ipſis præſtaret ab urgentibus malis, & introitum in vitam meliorem 2 Cor. v. 1. 2. Phil. I. 23. ſed *ſpiritualem* inſuper, quâ à Deo *deſertus*, contriſtatus uſque ad mortem, in *tenebris ambulavit & lucem* nullam conſpexit Jeſ. I. 10. quin & *æternam* etiam, ſeu infernalem, quam damnati experiuntur apud inferos: per quam fuit exſecratio *κατάρα* Gal. III. 13. prout in *dogmaticis* oſtendimus. *γ. quibus partibus* paſſus ſit: videl. non *corpore* tantum, omnibuſque ejus membris, juxta ea, quæ in *dogmaticis* delineavimus, ſed & *anima*: nec per *compaſſionem* tantum, ex doloribus corporis: ſed per immediatum *ſenſum* horrorum ſpiritualium, juxta ea quæ in dogmaticis adduximus. Quibus & hoc impræſens adjicimus, quod, ex hypotheſi Scripturæ, quâ *anima* ejus *laboraſſe* dicitur Jeſ. LIII. 10. omnino tenendum, quod omnia illa, quæ in ſamâ, in bonis, in corpore perpeſſus eſt *extrinſece*; etiam *κατ' ἀναλογίαν*, *intrinſece* perpeſſus fuerit ſpiritualiter: e. g. quando à ſuis omnibus extrinſece *deſertus* fuit; cogitandum, ipſum quoque intrinſecè & *ſpiritualiter* deſertum à Deo, à Patre proprio; cœleſti: quando corporaliter *traditus* eſt in manus Ethnicorum; eâdem opera *ſpiritualiter* traditum fuiſſe à Deo, in poteſtatem tortorum infernalium; quando ad mortem *condemnatus*, eſt, cum à curiâ eccleſiaſtica, tum civili, corporaliter; eâdem opera condemnatum fuiſſe *ſpiritualiter*, coram tribunali divino: quando ejus caput coronatum ſpinis, facies commaculata ſputo, corpus dilaceratum flagellis, idque à viliſſimis; eadem, *κατ' ἀναλογίαν*, paſſum fuiſſe, in animâ ſua ſpiritualiter: quando corpus ejus, eſt *crucifixum* naturaliter, etiam in animam ejus crucifixam ſpiritualiter. Et ſic, per omnes & ſingulas paſſionis partes, pergendum, ut paſſionis pondus & gravitatem diſtinctius perſpiciamus, repræſentemuſque. *δ. Quibus auctoribus* omnia iſta, & intus & extus, perpeſſus fuerit: nim. (a) ab inimicis & amicis (b) ab inimicis eccleſiaſticis: politicis, militaribus (c) à Dominis & à ſervis (d) à literatis & rudibus; ut omne hominum genus, & quaſi totus mundus, congeſtis viribus, conſpiraverit in ejus excarnificationem. Conf. Pſal. III. 1. & XXII. 13. 14. 15. Et, quod longe graviſſimum (e) eadem perpeſſus eſt à *Deo*, à Deo *ſuo*, à *Patre* proprio, à Patre ſuo *cœleſti*, utpote qui omnia iſta non tantum *permiſit* Act. IV. 28. infligenda; ſed inflixit ipſe Jeſ. LIII. 6. 10. Zach. XIII. 7. ex quo immenſum crevit gravitas cujuſque paſſionis. *ε. Quo modo* perpeſſus iſta ſit, nim. A. plane *innocens*, quoad perſonam ſuam 2 Cor. v. 21. cujus teſtes, omne genus, nobis ſiſtit hiſtoria paſſionis: *Judam* Matth. XXVII. 4. *Herodem* Tetrarcham Luc. XXIII. 14. 15. *uxorem* Pilati Matth. XXVII. 19. *Pilatum*, ipſum judicem, quando ſtatim, poſt inſtitutum primum examen, ipſum inſontem *pronunciat* Joh. XVIII. 38. idque confirmat conſenſu Herodis Luc. XXIII. 14. 15. ipſum abſolvere cunctis viribus adnititur Matth. XXVII. 23. Joh. XIX. 6. 12. tandem, cum omnibus conatibus ſuis nihil proficeret in abſolutionem; lotis coram populo manibus, proteſtatur ſe *innocentem* eſſe à *ſanguine hujus juſti* Matth. XXVII. 24. B. culpam & reatum *aliorum* in ſe ſuſcepit Jeſ. LIII. 4. 10. 2 Cor. v. 21. Ad hoc C. *ſciens volens* Pſal. XL. 9. Joh. XIII. 1. 3. paſſionem & mortem, per ſuas circumſtantias ſæpius prædixit Luc. XVIII. 31. 32. ab ea liberari noluit Matth. XVI. 22. 23. & XXVI. 51. 52. 53. 54. morti obviam ivit. *Ibid.* vſ. 46.; ſeque hoſtibus capiendum obtulit Joh. XVIII. 4. 7. 8. Ad hoc procul dubio, ut ſua paſſio, ſua mors, à ſe innocente, pro aliis, ſponte ſuſcepta; cedere poſſet in aliorum redemptionem. Iſta omnia aliaque, meditando, devotè à nobis ſunt expendenda. ad hoc, ut ℵ. magis magiſque gravitatem & atrocitatem paſſionis & mortis hujus *aſſequamur* Pſal. XL. 13. Conf. Thren. I. 12. Nec aſſequamur tantum mente: ſed ℶ. *ſentiamus* etiam corde, compaſſione tenerrimâ Zach. XII. 10. Ac porro ג. in uſus noſtros convertamus feliciter: juxta ea, quæ impoſterum monebimus.

1. quis paſſus?

2. quid paſſus?

3. quibus partibus paſſus?

4. quibus auctoribus paſſus?

5. quo modo paſſus?

Quorſum ea meditanda.

XXX. *Secundo*, repræſentat, velut in ſpeculo nitidiſſimo, A. profunda *ſapientiæ* divinæ, quâ, in paſſione & morte Chriſti, medium excogitare potuit, quo, & juſtitiæ & miſericordiæ ſuæ ſatisfieri

2. Repræſentat:

α. sapientiam Dei,

β. providentiam,

γ. sanctitatem,

δ. justitiam vindicativam,

ε. charitatem?

ζ. potentiam, &

η. veracitatem.

Quorsum hoc.

tisfieri posset Rom. III. 25. conf. cap. XI. 33. à quo Christus *sapientia Dei* appellatur 1 Cor. I. 24. scil. non tantum *formaliter*, quatenus ipsa est sapientia Dei ὑποστατικὴ Prov. VIII. 1. 22. sed & *objective*, quatenus in eo, ejusque cruce, sapientiam suam Deus manifestam fecit 1 Cor. II. 2. 7. B. Abdita *providentiæ* divinæ consilia, quibus tam accurate prædefinivit omnia illa παθήματα, quæ filio Mediatori à pessimis essent inferenda Act. II. 23. & IV. 28. Joh. XIX. 11. C. Puriſſimam *sanctitatem* Dei, qua, pessima ista, à pessimis, circa mortem filii proprii, unigeniti, innocentissimi perpetrata; prædefiniendo, permittendo, dirigendo, immunis nihilominus perstitit, ab injustitia & crudelitate Psal. XXII. 2. 3. 4. Jes. LIII. 5. 6. 7. D. Rigorem *justitiæ* divinæ, qua, ne peccatum impune abiret; *filium*, proprium, unigenitum, dilectissimum, innocentissimum, tot tormentis, totuplici morte, in corpore & in anima exagitare maluit Jes, LIII. 4. 6. 2 Cor. V. 21. Rom. VIII. 3. E. Thesauros inexhaustæ *charitatis* & misericordiæ, versus desperatos peccatores; quibus *filium*, filium proprium, unigenitum, optimum, dilectissimum, *effulgentiam gloriæ, & characterem* personæ Heb. I. 3. perdere maluit; quam inimicum peccatorem Rom. V. 5.--10. & VIII. 32. Joh. III. 16. F. Infinitam *potentiam*, qua, ex tot tantisque *malis*, unigenito filio illatis, potuit mundo tantum procreare *boni*, ex morte Creatoris, vitam creaturæ 1 Pet. I. 18. 19. 1 Cor. VI. 20. Conf. Rom. XI. 11. 12. G. Immotam *veracitatem*, qua, comminationibus peccatori factis, vel *morte* proprii & unigeniti *filii* sui, fidem præstare voluit Matth. XXVI. 53. 54. Istas vero perfectiones suas, Deus in passione & morte filii sui, ad hoc nobis repræsentat, ut 1. agnoscamus & celebremus, quemadmodum in hoc, *amorem suum Deus commendat versus nos, quod Christus pro nobis mortuus sit, cum adhuc peccatores essemus* Rom. V. 8. Joh. III. 16. Ut 2. in nostris passionibus, quibus imagini filii sui nos conformare nititur Rom. VIII. 29. easdem virtutes Dei: sapientiam 2 Pet. II. 9. providentiam, Matth. X. 29. 30. sanctitatem, Psal. XXII. 4. justitiam, Apoc. XVI. 5, 7. & XIX. 11. bonitatem, Apoc. III. 19. Heb. XII. 6. potentiam 1 Pet. V. 6. veracitatem Apoc. XVI. 7. analogice observemus, inque eis placide acquiescamus, Psal. XXIX. 10. Mich. VII. 9.

3. Ostendit beatitudinem eorum, qui communionem habent cum passionibus ejus.

XXXI. *Tertio*, in passionibus & morte Christi, patet ineffabilis *beatitudo* eorum, quibus competit κοινωνία παθημάτων αὐτῦ. Utpote ob quam Apostolus *cuncta*, non tantum hujus mundi egregia; sed ipsas etiam *justitiæ* suæ *legalis* prærogativas, pro stercore, imo pro damno habuit Phil. III. 7. 8. 10. Quinam autem sunt ii, quibus *communio* competit & participium in passionibus Christi? Resp. (1) quos Deus ab æterno *elegit*, *conformandos imagini filii sui* Rom. VIII. 29. (2) quos filio suo *dedit*, sua passione & morte redimendos Joh. XVII. 9. 12. (3) pro quibus seipsum *tradidit* in mortem Eph. V. 2. pro quibus animam suam *dedit redemptionis pretium* Matth. XX. 28. pro quibus *mortuus est* Rom. V. 6. 8. (4) qui seipsos Christo *tradunt* redimendos 2 Cor. VIII. 5. Cant. II. 16. ipsum *sitiunt* Matth. V. 6. ad ipsum *veniunt* Apoc. XXII. 17. Quænam autem & quanta horum est *beatitudo*? Resp. A. Liberati sunt ab omni *eo*, quod vident Christum esse perpessum: à morte omnigena, *naturali, spirituali, æterna*: ab omni eo quod Christus perpessus est, *extus & intus*, in fama, in bonis, in corpore, per omnes ejus partes: ab omnibus quæ perpessus est, à Deo, ab hominibus omne genus, ab ipsa universa tenebrarum potestate. Omnia enim ista nobis, in propria persona perferenda fuissent, si non eadem *qualitate*, saltem *quantitate* ac pondere, idque in omnem usque æternitatem. Jam, quanta, bone Deus! est *beatitudo*, liberatum esse à tanta malorum caterva, æternum sustinenda Psal. XXXII. 2. B. Ejus liberationis *infallibile argumentum* habent, in passionibus & morte expromissoris sui. Cum enim Deus, per immotam suam justitiam, nec *innocentem* punire possit, pro *propriis* delictis Gen. XVIII. 23. 25. nec, quem *semel* punivit in sponsore, *denuo* punire in debitore ipso; manet impossibile esse, ut pœnas istas, quas ab innocente expromissore exegit, secundum rigorem justitiæ suæ; easdem denuo exigat, ab his qui communionem habent passionum ejus. Hinc, *eum qui peccatum non cognovit, feciſſe* dicitur *peccatum pro nobis*, ad hoc, *ut nos fieremus justitia coram eo* 2 Cor. V. 21. Hinc *nostros languores* dicitur *tulisse*, & *nostros dolores bajulasse, percussus à Deo, humiliatus, vulneratus propter prævaricationes nostras, attritus propter iniquitates nostras*, ad hoc, *ut nos pacem haberemus, & ejus livore sanaremur* &c. Jes. LIII. 4. 5. 6. 7. 8. 10. ut jam possint gloriari? *Quis condemnabit? Christus mortuus est* Rom. VIII. 34. C. Ex adverso, omnium *bonorum*, malis à sponsore suo perpessis adversantium, *jus* obtinent: scil. pro omnimoda morte, corporali, spirituali, æterna; *vitam* omnimodam. Joh. III. 16. *ut quisquis credit non pereat, sed vitam habeat æternam*: pro traditione ejus in manus hostium ac tortorum; ipsi à tortoribus liberati, à Deo recipiantur in gratiam Matth. XXV. 34. Heb. II. 14. 15: pro condemnatione ejus justificentur ipsi Rom. VIII. 33. 34: pro ejus flagellationibus, gaudium: pro eus ignominia, gloriam: pro ejus maledictione, benedictionem consequantur: & sic per omnes passionis partes, ex analogia 2 Cor. VIII. 9. Denique D. omnium *fructuum* passionis & mortis Christi (quos §. XIV. diximus) communionem obtinent. Et quanta, bone Deus! in his omnibus est *beatitudo*, ut non

Quinam illi?

Quænam horum beatitudo?

Quibus mediis obtineri possit communio passionum Christi?

abs re, *in sola cruce Christi*, Apostolus *gloriari* voluerit Gil. VI. 14. Quibus autem adminiculis consequemur istam communionem passionum Christi? Resp. Adnitendum nobis omni conatu, 1. ut *uniamur* cum Christo, ut *inveniamur in Christo* Phil. III. 9. 10. una *planta* (σύμφυτοι) *cum eo reddamur*, *ad similitudinem mortis* Rom. VI. 5. quo cum Paulo nobis dicere liceat: συνεσταύρωμαι τῷ Χριστῷ, *una crucifixus sum cum Christo* Gal. II. 20. *Unionem* enim non potest non sequi *communio*. Ad hoc 2. vivâ *fide* Christum arripiamus Joh. III. 15. 16. Rom. IV. 24. 25. Fit enim unio nostri cum Christo, quam communio sequitur, per fidem Eph. III. 17. Gal. III. 26. 27. Hinc 3. cum Christo, hortum passionis ingrediamur, &, ex voluntate ejus, unâ cum eo *patiamur*: sic enim & cum eo regnabimus Rom. VIII. 17. 2 Tim II. 11. Porro 4. seriò inquiramus, num per fidem simus ùniti cum crucifixo, & ex unione, communionem passionum ejus *vere* consecuti simus 2 Cor. XIII. 5. quo, si deprehendamus, nos hactenus non fuisse consecutos, impositum curatius eniti possimus. Tandem 5. si inquirendo certiores facti sumus, nos communionem passionis & mortis Christi consecutos esse, Deo gratias agamus Rom. VII. 24. 25. 1 Cor. XV. 55. 56. 57. Idque omnibus istis officiis, quæ ex secuturis nullo negotio colligi poterunt. Ex adverso

4. Ostendit miseriam eorum, qui sunt inimici crucis Christi.

XXXII. *Quarto*, in passione & morte Christi, velut in speculo, conspicitur profunda eorum *miseria*, qui *hostes sunt crucis Christi*, quorum sortem Apostolus deplorat Phil. III. 18. qui sibi Christum *de novo crucifigunt* Heb. VI. 6. & qui *sanguinem fœderis*, *per quem sanctificatus est* Mediator, *impurum ducunt*, *& filium Dei conculcant* Heb. X. 29. Et quinam tandem illi? Resp. Sunt, diversis licet gradibus, qui A. crucifixum penitus *ignorant* 1 Cor. II. 8. 2 Thess. I. 8: quales Pontifices, Sacerdotes, Seniores, Pharisæi, Scribæ, Pilatus, Herodes, & quotquot cum his, ejus morti operam dederunt Act. III. 17. quibus omnes infideles: Judæos, Gentiles, Muhammedanos notamus. B. Qui non ignorant quidem, sed *fucatâ professione*, salutatione orali, osculis & quibusvis officiolis externis, cum Judâ Matth. XXVI. 47. 48. 49. 50. ipsum produnt: quod ab omnibus hypocritis fit Matth. VII. 21. 22. C. Qui cum discipulis, Christum crucifigendum, quem professione receperunt, metu persecutionum (non ex solâ infirmitate, sicut discipuli; sed) *odio* & malitiâ *deserunt*, quod προσκαίρους Servator tribuit Matth. XIII. 21. & Demæ Paulus 2 Tim. IV. 10. D. Qui insuper ipsum abnegant, nec ex *infirmitate* tantum (sicut Petrus Matth. XXVI. 69.--75.) sed ex *malitia*: de quibus Apostolus Heb. VI. 6. proprie dicit, quod *sibi denuo filium Dei crucifigânt*; & cap. X. quod *filium Dei conculcent*, *& sanguinem fœderis impurum ducant*. Quemadmodum pseudo-prophetæ 2 Pet. II. 1. E. qui, cum Judæis, Christum in membris suis persequuntur Act. IX. 5. ad necem quærunt, captivant, ad tribunalia, seu ecclesiastica, seu secularia rapiunt, falso accusant, condemnant, ludibrio habent, conspuunt, flagellant, occidunt, crucifigunt. F. Qui alimentis, vestimentis aliisque necessariis, ipsum *in membris privânt*, sicut Judæi & milites; imò afflictò afflictionem addituri, in angustia aceto & felle potant Matth. XXVII. 33. 34. 35. G. Qui jam oppressum ac sepultum, in membris *custodiunt*, nec aliis permittunt, ut vel ex sepulchro liberent, sepulchrum obsignant, militibus muniunt, ne vel rima pateat fugæ, quemadmodum Judæi Matth. XXVII. 36. 62.---exemplo Pharaonis, torquendis, nec dimittere volentis populum Dei Exod. V. 1. 2. Jam quænam, & quanta istorum est *miseria*? Resp. Quamdiu ad communionem Christi non pertigerunt & *omnia* illa quæ Christus est perpessus, si non qualitate, saltem quantitate & pondere: si non hic, saltem posthac, *hâbent perferenda*. Quando igitur vident (1) omne genus hominum *consultâre*, & junctis viribus *conspirare* in exitium Christi, (2) Christum à toto mundo, ab amicis pariter & inimicis, quin & à Deo, *deseri*, abnegari, (3) ab hostibus suis ad *necem quæri*, tradi, capi, vinciri, (4) ad tribunalia quævis rapi, conquisitis calumniis, falsisque testimoniis accusari, condemnari, (6) ignominiosissimis dicteriis, flagellationibus, conspurionibus: ab infimo hominum genere pessime exagitari, (6) ab Ecclesiasticis pariter & politicis ad mortem condemnari, (7) maledictæ cruci imponi, omnia ejus membra extendi, manus, pedes, latusque perforari. Quando audiunt (8) ipsum miserrime ejulare: *anima mea contristata est usque ad mortem*: item *Deus mi*, *Deus mi*, *quare dereliquisti me*? (9) sensu furoris divini, & horrore calicis, à se jamjam exhauriendi; grumos sanguinis sudare, in terram projici, calicem frustra sæpius deprecari, (10) Deum aures omnibus ejus supplicationibus obturare, faciem ab eo avertere, (11) omnibus necessariis, in extrema siti, usque ad haustum frigidæ aquæ, privari, (12) aceto & felle potari; (13) omni mortis genere, naturalis, spiritualis & æternæ, excarnificari &c. Est quod sibi certo persuadeant, ista omnia sibi, seu corporaliter, seu spiritualiter: tum hic, tum posthac, in propriâ persona esse perferenda: idque non ad breve aliquod tempus, sicut Christus, personæ dignitate mortis æternitatem, compensans, sed in omnem usque æternitatem, quoad *ultimum quadrantem* persolverint Matth. XVIII. 34. Quicquid enim pœnarum, suis peccatis debitarum, Christus in se non suscepit ut sponsor, hoc ipsis debitoribus manet persolvendum. Idque 2. tam certo & indeclinabiliter, quam

Quænam & quanta eorum miseria?

Deus

Deus *justus* est Rom. 1. 32. 2 Thess. 1. 8. quam *verax* in suis comminationibus Gen. 11. 17. quam *sanctus*, & *purior oculis*, quam ut absque punitione *aspiciat* peccatum Hab. 1. 13. quam *odium* gestat peccati Psal. v. 5. 6. Si enim peccatis *posset* parcere, peperciisset proprio & unigenito filio, crudelitatis notam aliàs vix declinaturus. *Quodsi igitur hæc facta sunt in viridi ligno, quid fiet in arido?* Luc. xxiii. 31. ut absque ullâ impunitatis spe, non amplius existente pro peccatis suis ullâ victimâ, non maneat eos, *nisi horribilis quædam exspectatio judicii, & ignis ardor, qui eos devoret* Heb. x. 26. 27. Idque 3. vel propterea etiam magis & certius, quod filius Dei tot tantaque perpessus sit pro peccatis hominum, omniaque sibi gratis obtulerit, solâ fide arripenda: quæ, juxta cum perferente, exemplo Judæorum, ipsi pertinaciter reprobaverint Matth. xxvii. 17. 20. 21. ut non possit non eos urgere, horrendum illud judicium, quod in seipsos pronunciârunt Judæi: *sanguis ejus esto super nos & filios nostros* Matth. xxvii. 25. Et quam hæc omnia sint intolerabilia non *audire* tantum possint, ex sententiâ ipsius Judicis, in hostem proditorem dictâ: *Væ homini illi*, per quem filius hominis proditur, præstaret ei nunquam natum esse Matth. xxvi. 24.: sed *videre* etiam in ipso proditore, quando, vel cogitatione sceleris, & inde sibi imminentis mali, territus, seipsum suspendio multavit Matth. xxvii. 5. Quid igitur hic consilii? desperandumne ipsis cum Juda? Neutiquam: quod igitur? Admitendum ipsis, α. ut miseriam suam agnoscant, exclamando: *miser ego, quis me liberabit ab hoc corpore mortis?* Rom. vii. 24. β. ut videant quem peccatis suis transfixerint, plangantque &c. Zach. xii. 10. Quin γ. *exemplo* (quamvis non animo) Judæ, *pœnitentiam* concipiant, μεταμεληθεὶς Matth. xxvii. 3. δ. peccata sua confiteantur: *peccavi, prodito sanguine innoxio. Ibid.* vers. 4. ε. peccata sua *abjiciant. Ibid.* vers. 3. Interim ζ. Christum sequantur in aulam, cum Petro; quamvis modo diverso Matth. xxvi. 58. η. in memoriam sibi revocent verbum Christi, promittentis gratiam remissionis Matth. xxvi. 75. cum cap. xi. 28. θ. excitentur è suâ lethargiâ, gallicinio verbi, comminantis pariter & promittentis Matth. xxvi. 75. ι. egrediantur è consortio mundi peccatorumque *Ibid.* κ. deplorent amarè sua scelera, indeque resultantem miseriam *Ibid.*

Quid ipsis pro remedio agendum?

§. Suadet inquiramus, sitne pro nobis mortuus?

XXXIII. *Quinto* suadet, serio inquiramus, sitne pro *nobis* mortuus? Cum enim (*a*) non pro omnibus & *singulis*; sed pro multo minimâ hominum parte, sit mortuus, juxta §. xvi. Cum item (*b*) tanta eorum sit beatitudo, pro quibus mortuus est, juxta §. xxx. cum, ex adverso (*c*) tanta sit eorum miseria, qui nullam habent passionis & mortis hujus communionem, juxta §. xxxi. Et cum (*d*) ex accuratâ quadam inquisitione, eaque solâ, pendeat hujus rei determinatio 2 Cor. xiii. 5. Atque etiam (*e*) ex hujus determinationis certâ cognitione, universa pendeat cujusque tranquillitas, pax, solatium, gaudium Gal. vi. 4.; quia non videt, esse hunc inquisitionis laborem promptè & alacriter suscipiendum? Sed quibus indiciis hoc certò assequemur? Resp. His potissimum: (1) si simus *populus ejus* Matth. 1. 21. h. e. si confœderatione quadam, per fidem, ipsum receperimus, ut Deum, ut Mediatorem nostrum. Conf. Deut. xxvi. 16. 17. (2) si simus *oves* ejus Joh. x. 11. 15. h. e. eum, ut pastorem nostrum, *cognoscamus* vers. 14. ejus vocem *audiamus*, eum sequamur vers. 27. Luc. ix. 23. (3) si simus de ejus *Ecclesiâ* Eph. v. 25. h. e. ejus discipuli, qui ab ejus solius ore pendeant Matth. xxiii. 8. 10. (4) si nos *redemerit ab omni injustitiâ, nosque sibi purgaverit populum peculiarem, zelotem bonorum operum* Tit. ii. 14. (5) si jam *non amplius nobis vivamus; sed ei qui pro nobis mortuus est* 2 Cor. v. 15. Signa.

Motivæ.

XXXIV. *Sexto* præstat egregiam *consolationem*, in quovis adverso: tam corporali, quam spirituali. Si enim (1) *consilia* agitentur de nobis eradicandis, sive ecclesiastica sint, sive politica Gen. xxxvii. 18. 19. 20. (2) si à fucatis amicis *prodamur* Psal. lv. 13. 14. 15. (3) si ab ipsis veris amicis, & omnibus etiam, & optimis, *deseramur* Psal. xxvii. 10. & xxxviii. 12. (4) si in furores hostium *tradamur* Matth. x. 17. 18. 19. 21. 22. 23. si (5) ad diriissima quævis *condemnemur* Dan. iii. 19. 20. 21. 22. (6) si quavis ignominiâ injuriaque *afficiamur* Psal. lxix. 8. 10. 20. 21. & lxxiv. 4. Rom. xv. 3. Heb. x. 30. 1 Cor. iv. 9. si (7) fortunis nostris, & necessariis vitæ sustentaculis, *privemur* 2 Cor. xi. 27. aut alia quævis adversa *corporalia* nobis eveniant, si in *spiritualibus* (8) *agamur* metu iræ divinæ Psal. vi. 1. & lxxxviii. 8. 17. si (9) Deus ipse *nos deserere* & abjicere videatur *Ibid.* vers. 15. & xiii. 2. 3. & xlii. 8. His omnibus, & aliis quibusvis casibus, quid efficacius animum hominis fidelis erigere possit? quam cogitare, A. istud quicquid sit, etiam suum *Jesum* perpessum fuisse, magistrum suum: nec decere, ut melioris conditionis sit *discipulus* quam *magister* Matth. x. 24. 25. B. Jesum suum per se *innocentem*, passum esse; dum quisque nostrum, propter *peccata* propria patimur Luc. xxiii. 41. Mich. vii. 9. C. Nec παθήματα nostra, quanta & qualiacunque sint 2 Cor. iv. 17. *gravitate* comparari ullo modo posse, cum his quæ Christus sustinuit Heb. xii. 3. 4. Quin & D. omnia ista pro nobis passum esse, ut nos *liberaret* Jes. liii. 4. 5. 2 Cor. v. 20. Eoque E. suis istis passionibus, omnibus nostris, *virus* & aculeum ademisse, ut jam ipsis possimus insultare: *mors ubi aculeus tuus* &c. 1 Cor. xv. 55. 56. 57. imò & *gloriari* de afflictionibus Rom. v. 3. exemplo Pauli 2 Cor. xi. 23. — Gal. vi. 17. Imo F. jam omnia

Præstat solatium in adversis quibusvis.

Casus adversi.

Argumenta consolatoria.

ista adversa nobis cooperari in *bonum* Rom. VIII. 28. Addam G. cedere in *gloriam* nostram Rom. V. 2. quatenus eis magis magisque *conformamur* imagini filii Dei Rom. VIII. 29. Ex quo H. insuper, velut certo *indicio*, colligere possumus, nos à Deo electos esse *Ibid.*

7. Excitat ut cum Christo, & pro Christo patiamur.

XXXV. *Septimo*, passio & mors Christi efficacissimè nos instigat, ut sicut ille pro *nobis* passus est; ita & nos pro *illo* patiamur: sicut ille pro *nostris peccatis*; ita & nos pro *ejus nomine*, pro ejus regno, & pro ejus gloriâ, pessima quævis fortiter patiamur. Ut, sicut ejus *discipuli*, cum eo, ad montem Oliveti pergamus Matth. XXVI. 30. & in hortum Gethsemane alacriter *ingrediamur Ibid.* vers. 36. ut eum *sequamur* crucifigendum, ad Golgotha, cum Simone Cyrenæo *tollamus ejus crucem. Ibid.* vers. 32. *stemus sub cruce* ejus Joh. XIX. 25.26. *patiamur cum eo* Rom. VIII. 17. ejus *crucem* sponte *tollamus*, atque *indies* etiam Luc. IX. 23. imò cum ipso *crucifigamur* Gal. II. 20. Quod fit 1. si *insidias* propter Christum experiri cogamur, contra vitam nostram, quemadmodum Christus Psal. LXII. 3. 4. Si 2. propter Christum *patiamur* ab ipsis *domesticis* nostris, quemadmodum Christus à Judâ, à discipulis Matth. X. 35. Mich. VII. 5.6. Si 3. propter Christum, à *reverendis* Pontificibus, Sacerdotibus, Scribis, Senioribus Act. XXIV. 1.-- ab Antichristo 2 Thess. II. 4. cum Apoc. XII. & seq.: sicut ipse pro nobis. Si 4. falsis *testimoniis*, propter Christum, in judicio gravemur Psal. XXVII. 12. cum XXVI. 1. Si 5. calumniis & *ludibriis* omne genus, obruamur propter Christum 1 Cor. IV. 9. 13. Si 6. *opibus*, & quibusvis, ad hanc vitam sustentandam necessariis, propter Christum, exuamur Matth. XIX. 27. conf. §. *præced.* Si his omnibus, aliisque infimitùm recensendis, pro Christo, urgeamur, fortiter patiamur. Si enim (1) *Dominus* & magister præit; nunquid sequerentur servi ac discipuli? Si (2) ipse *tantum*; nos non tantillum? si calicem repletum *irâ* divinâ, usque ad fæces ipse exhausit; nos *guttulas* quasdam, nec tam iræ, quam *amoris* paterni, non delibaremus? Conf. Psal. LXXV. 9. Apoc. XIV. 10. & XVI. 19. cum 2 Cor. IV. 17. Si (3) ipse *insons*, pro nobis, ut nos liberaret; nos *rei*, non pro eo? ut nos gratos tantum ei quomodocunque præstemus. Cum præsertim (4) non *soli* patiamur, sed *cum* eo Matth. XXVI. 40. Rom. VIII. 18. Ipsumque (5) nobis in horto *passionum*, suo amore, suâ curâ, continuo habeamus præsentem Psal. XXIII. 4. & XCI. 15. Nos (6) nostris passionibus, quantis, & qualibuscunque, non nisi imagini filii Dei, Domini & magistri nostri absolutissimi, *conformari* Rom. VIII. 29. eoque extolli ac glorificari Phil. I. 29. Nos (7) patiendo, probare, nos genuinos esse ejus *discipulos* Luc. IX. 23. & cum eo (8) unitos, ut qui *unâ cum* ipso crucifigamur, Gal. II. 20. & σύμφυτοι simus, τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ Rom. VI. imo (9) ab æterno *electos* Rom. VIII. 29.: in quorum infallibili persuasione omne nostrum hæret *solatium*, tranquillitas, gaudium. Accedat (10) si cum eo *patiamur*, nos etiam cum eo *coronandos* esse Luc. XXIV. 26. Rom. VIII. 18. 2 Cor. IV. 16. 17. Non dicam (11) nos patiendo, quodammodo supplere ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, pro *corpore*, h. e. Ecclesia suâ: in quo adeo gaudebat Apostolus Col. I. 24. Nec tamen sufficit pati *cum* Christo, nisi & patiamur *sicut* ipse: h. e. operam demus, A. ut cum ipso patiamur, respectu hominum saltem) *innocentes*, nec tanquam *malefici* 2 Tim. II. 9. B. *sponte*, crucem nostram *tollendo* Luc. IX. 23. sicut (demtâ temeritate) Petrus Matth. XXVI. 35. Act. XX. 24. C. bene *præmoniti* Matth. XXVI. 31. ex verbo divino Act. XIV. 22. 2 Tim. III. 12. Matth. X. 38. Luc. XXIV. 26. cum Joh. XVI. 2.--D. *muniti* adversus scandalum crucis Matth. XXVI. 31. Joh. XVI. 1. Gal. V. 11. 1 Cor. I. 23. E. *obfirmati* renovatione, & recordatione *fœderis* nostri cum Deo: in quam rem, usum utrius Sacramenti, Paschatis & Cœnæ, Servator passionibus suis præmisit Matth. XXVI. 17—30. ut, in mediis angustiis, possimus nos erigere voce Christi fiduciali: *Deus mi, Deus mi* Matth. XXVII. 46. F. Non nisi à Christo (h. e. non nisi providentiâ divinâ) adducti, ingrediamur hortum passionum Matth. XXVI. 36. 37. nec temerè nos conjiciamus in pericula, sicut Petrus *Ibid.* vers. 58. G. solicitè nobis caveamus à *præsumptione*, & fiduciâ in propriis viribus, ne cum Petro labamur Matth. XXVI. 33.34. 35. Proinde H. non nisi *cum* Christo ingrediamur hortum passionis *Ibid.* vers. 37. h. e. non in *propriâ*; sed in *Christi* virtute & robore Phil. IV. 13. utpote absque quo *nihil* possimus Joh. XV. 5. I. in horto passionum jam constituti, *vigilemus* cum Christo, ne in *tentationem adducamur* Matth. XXVI. 40. 41. & vigilantes, oculos continuo intentos habeamus in Christum Heb. XII. 2. 3. 4. K. Nec vigilemus tantum; sed & *precemur* Matth. XXVI. 41. exemplo Christi vers. 39. 42. Interim L. nobis solicitè caveamus, ut *vindicta* cupiditate, vim illatam vi repellere, non satagamus; aut ad liberationem nostram, à remediis externis, non *nimium* pendeamus, quemadmodum discipuli Matth. XXVI. 51. 52. Nec M. propter periculi, & persecutionum atrocitatem, Christum *deseramus*, aut intempestiva fuga, incolumitati nostræ consulamus, sicut discipuli Matth. XXVI. 56. & Demas 2 Tim. IV. 10. Nec N. technis, aut *perversis* artibus imminentia mala declinare satagamus, sicut Petrus Matth. XXVI. 58. Nec O. veritatis christianæ professionem, vel sub extremis angustiis *declinemus*: quemadmodum Christus *Ibid.* vs. 63.64. multo minus.

In quibus casibus.

Quibus motivis.

Quo modo.

nus, cum Petro abnegemus *Ibid.* vers. 69-- Quin potius P. nos, noſtramque cauſam, Deo placidè *committamus* Luc. XXIII. 46. 1 Pet. II. 23. Atque inſuper Q. pro ipſis noſtris *inimicis* perſecutoribus *oremus* Luc. XXIII. 34. Et R. etiam in extremis noſtris anguſtiis, aliorum æternam *ſalutem* promovere ſtudeamus, quemadmodum Chriſtus Luc. XXIII. 43. Interim S. *peccata* noſtra, quibus & Servatori, & nobis, talia Dei judicia attraximus; agnoſcamus, confiteamur, deteſtemur, cum latrone Luc. XXIII. 40. 41. Zach. XII. 10.

8. Excitat, ut virtutes, in paſſione ejus conſpicuas, referre ſtudeamus:

XXXVI. *Octavo* etiam excitat, ut virtutibus Chriſti, circa ſuam paſſionem conſpicuis, conformari & aſſimilari pro virili ſtudeamus 1 Pet. II. 21. Rom. VIII. 29. Joh. XIII. 15. 16. Matth. XI. 29. 30. Et quænam illæ? (1) *obedientia* Phil. II. 8. Pſal. XL. 8. Heb. X. 7. idem *affectus* in nobis ſit Phil. II. 5. (2) *ſubmiſſio*, & abnegatio propriæ voluntatis Matth. XXVI. 39. 42. Joh. V. 30.; ſit & in nobis Luc. IX. 23. 1 Pet. IV. 19. quâ, vel in graviſſimis afflictionibus, memores ſimus:

1. obedientiam,

A. nos non magiſtros eſſe, ſed miniſtros; non Dominos, ſed ſervos, quibus competat, non præſcribere Deo noſtram voluntatem; ſed accipere voluntatem ejus 1 Cor. VI. 19. Act. XXI. 14. Rom. IX. 19. B. Ipſum eſſe *Patrem*, nos *filios* Matth. XXVI. 39. 42. Heb. XII. 7. 9. Nec C. voluntatem *noſtram*, unquam tam ſanctam, tam ſapientem, tam bonam eſſe; quam quidem *Dei* voluntas ſit Rom. XII. 2. Jeſ. LVIII. 5. 13. (3) *patientia* Jeſ.

2. ſubmiſſionem,

3. patientiam,

LIII. 7. cum Heb. XII. 1. 2. 3. 4. per quam, nec multitudo nobis inſultantium Pſal. III. 1. nec crudelitas eorum Pſal. XXII. 13. 14. 21. 22. & CXVIII. 10. nec diuturnitas perſecutionum Pſal. CXXIX. 1. ad impatientiam dimoveant Mich. VII. 7— (4) *charitas* Cant. VIII. 7. verſus *quoſvis*

4. Charitatem,

Joh. XV. 13. Rom. V. 8. verſus diſcipulos ſuos, etiam deſertores & fugitivos Matth. XXVI. 31. 32. abnegatorem Petrum Luc. XXII. 61.: mulieres deplorantes ipſum Luc. XXIII. 28.: Matrem propriam Joh. XIX. 26.: imò verſus inimicos, *proditorem* Judam Matth. XXVI. 50. & qui ſe crucifigebant Luc. XXIII. 34.: eadem etiam in nobis ſit Eph. V. 1. 2.

5. humilitatem,

Matth. V. 44. 1 Cor. IV. 12. (5) *humilitas*, quâ ſeipſum ἐκένωσε, ἐταπείνωσε, non tantum Patri ſuo, ad *mortem*: ad mortem etiam *crucis* Phil. II. 8. ſed hominibus etiam, Judæis, Pilato, Herodi, & viliſſimis militibus, idque ad peſſima quævis, idem affectus & in nobis ſit. *Ibid.* vers. 5. quando ab

6. manſuetudinem,

hominibus exagitamur. (6) *manſuetudo* & humanitas, verſus crudeliſſimos hoſtes Matth. XXVI. 50 Luc. XXII. 48. cui etiam per omnem vitam ſuam operam dedit Matth. XII. 18. 19. 20. ex Jeſ. XLII. 2.: eſto & ea in nobis 1 Pet. II. 21. 22. 23. Matth.

7. preces,

XI. 29. (7) *preces*, quibus in paſſione ſuâ uſus eſt *a.* tam *fervidis* Matth. XXVI. 39.: ſimus & nos in precibus fervidi Jac. V. 16. *b.* ſæpius repetitis Matth. XXVI. 39. 42. 44.: repetamus & nos 2 Cor. XII. 8. Luc. XVIII. 1. & XXI. 36. & *γ.* cum profundâ *ſubmiſſione* & *humilitate*, in genua conjectus, imò in faciem Matth. XXVI. 39.: ita & nos Pſal. XCV. 6. *δ.* cum filiali *fiducia* exauditionis Matth. XXVI. 53. Pſal. XXII. 3. cum vers. 24. 25. eâdem & nos precemur Jac. I. 6. Marc. XI. 23. 24. (8) *pugnandi* & vincendi ratio, in illatis quibusvis injuriis;

8. pugnam,

per *ſilentium* Matth. XXVI. 63. Joh. XIX. 9. 10. Jeſ. LIII. 7. per tolerantiam Jeſ. L. 6.: pugnemus & nos his armis 1 Pet. II. 20. 24. Pſal. CXXIX. 3. (9) *ars moriendi*, quâ, confectis omnibus negotiis,

9. mortem,

cum exclamaſſet, *conſummatum eſt*; ſpiritum ſuum *tradidit in manus* Patris ſui Joh. XIX. 30. Luc. XXIII. 46. Plura ejus de *præparatione ad mortem*, habuimus *cap. præced.* §. XXIII. & XXXIX. ita & nos Pſal. XXXI. 6. Act. VII. 59.

9. Commendat nobis charitatem in quidem, in multis ſeſe commendat: A. quatenus

XXXVII. *Nono*, commendat nobis etiam, vel imprimis, paſſio & mors Chriſti, ineffabilem *charitatem* Rom. V. 8. tam *Patris* Joh. III. 16. Rom. VIII. 32.: quam *filii* Eph. V. 2. 25. *Patris*

effabilem:

(1) non jam mundum tantum univerſum in gratiam hominis condidit, omniaque ſua bona terrena ei donavit Gen. I. 26. Pſal. VIII. 5—10. 1 Cor. III. 21. 22. 1 Tim. VI. 17. Nec (2) Regem quemdam, aut Principem egregium donat, quales fuerunt Moſes, Joſua, David, Salomo, Hiskias, Joſias &c. Nec (3) Angelum quemvis Exod. XXXIII. 2. Pſal. XCI. 11. Nec (4) amicum quendam, tenerrimè dilectum, qualis Abraham Jac. II. 23. & Apoſtoli Joh. XV. 14. 15. ſed *filium* Gal. IV. 4. Nec (5) filium quendam *adoptivum*, vel primogenitum, qualis Iſraël Exod. IV. 22. Heb. XII. 23.: ſed filium *proprium* Rom. VIII. 32. Nec (6) è *multis unum*; ſed *unigenitum* Joh. III. 16. Nec (7) *rebellem*, ut Abſolom, aut exoſum; ſed *obedientiſſimum* Phil. II. 8. eoque & *dilectiſſimum* Matth. III. 17. Jeſ. XLII. 1. 2 Pet. I. 17. Eumque tradidit (8) non tam ad hoc, ut nobis *imperaret*, & cui nos *inſerviremus*; ſed qui *ſerviret*, & animam ſuam daret ἀντίλυτρον pro multis Matth. XX. 28. Nec (9) qui ſerviret tantùm; ſed qui tanta & talia pateretur: in bonis, in famâ, in corpore, in animâ, quæ recenſuimus in *dogmaticis*. Quin & (10) qui *mortem* pateretur, omnigenam, *naturalem*, *piritualem*, *infernalem*; qui *ſpeccatum* fieret & *exſecratio*. In his omnibus, nunquid apparet ineffabilis Dei *charitas*? ſi cumprimis B. conferat *perſonam*, hæc omnia præſtantem, *Deum*, omni ſufficientiſſimum Gen. XVII. 1. qui, ut ab æterno, abſque nobis fuit; ita in æternum abſque nobis manere, & exiſtere potuiſſet *beatiſſimus*, abſque omni tali traditione Rom. XI. 35. 36. Pſal. XVI. 2. & L. 9--14. Et ſi C. pergas ad *eos*, quibus eo modo tradidit filium ſuum; quid ſunt? *homunciones*, qui *ſpiritum geſtant in naribus* Jeſ. II.

1. Patris

22. *pulvis* ac *cinis* Gen. XVIII. 27. peccatores, perduelles, inimici sui, qui pessima quæuis demeriti erant, nunquid ab hoc egregiè invalescit charitas Dei? Rom. v. 8. Et si cunctis istis addas Dei *usus*, in quos, filium suum, Deus pro hominibus tradidit, ac beneficia quæ ipsis traditione sua contulit, quod §. XIV. indigitavimus, quid dices? an amoris hujus *latitudinem*, *longitudinem*, *profunditatem & altitudinem* comprehendes? Eph. III. 18. Conf. Psal. CIII. 13. Jes. XLIX. 15. Jam, si tanti fuit apud Deum ipsum, Abrahami charitas, tradentis filium Isaacum Deo Gen. XXII. 2. 16.: si Hagaris versus Ismaëlem, siti pereuntem Gen. XXI. 16. Jacobi versus Josephum Gen. XLI. 33. 34. 35. imò & Davidis versus Absolomum, utcunque immorigerum & rebellem 2 Sam. XVIII. 32. 33. quid de amore Dei suspicabimur versus filium, proprium, unigentum, obedientissimum? & quid de amore ejus versus nos? quos, suo quodam modo, dilexit supra filium illum suum, tantopere dilectum? utpote quem pro nobis etiam tradidit, & ad tanta ac talia tradidit? Jam si à Patre transeas ad *Filium*, quam ineffabilis ejus est amor versus nos! *Non est enim, qui majorem habeat charitatem, quam si vitam tradat pro* AMICO Joh. XV. 13. & ipse tradidit pro INIMICIS suis Rom. v. 10. Si cumprimis cogites, ipsum (1) non alium quemvis, utcunque sibi pretiosum ac dilectum, sed *seipsum* tradidisse Eph. v. 2. 25. Nec (2) *sua* tantum quævis, famam, fortunas; sed ipsam *animam* suam Matth. XX. 28. Nec (3) ad *quævis* tantum, ad contumelias, injurias, flagellationes omne genus tantùm; sed ad *mortem* Rom. v. 10. Nec (4) ad *unam* tantùm mortem quandam, *corporalem*; sed ad *omne* genus mortis: naturalem, spiritualem & æternam, ut in *dogmaticis* ostendimus. Nec (5) invitus; sed cum summâ *voluntatis* promptitudine Psal. XL. 7. 8. Nec (6) pro Angelis Heb. II. 16. sed pro hominibus 1 Tim. II. 5. 6. Nec (7) pro amicis; sed pro peccatoribus, inimicis, Rom. v. 10. crucifigentibus Luc. XXIII. 33. 34. Nec (8) in proprium qualecunque emolumentum Matth. XX. 28. sed in nostrum: pro nobis *traditus* in manus hostium Marc. XIV. 41. ne nos traderemur in manus *tortorum* Matth. XVIII. 34. 35. Heb. II. 14. 15. quin ex adverso, ut in gratiam & in gloriam acciperemur à Deo Matth. XXV. 34.: pro nobis innocens, accusatus & condemnatus est, ut non veniremus in *judicium*: sed per mortem *transiremus in vitam* Joh. v. 24. Rom. VIII. 33. 34.: pro nobis *factus est maledictio*, ut nos à maledictione liberaret, quin ex adverso *benedictionem Abrahami* impetraret Gal. III. 13. 14.: pro nobis mortuus est, ne nos moreremur; sed *vitam æternam* consequeremur Joh. III. 16. Et sic per omnes passionis ejus partes, eâdem analogiâ, pergere possemus, si nimiæ prolixitudinis metus non retraheret. Quorsum autem passio & mors Christi adeo commendat charitatem & Patris, & Filii? Procul dubio, *Ut redamemus* 2 Cor. v. 14. 15. nec enim est, quod efficacius accendat amorem, quam amor. Conf. 2 Cor. XII. 15. B. ut nos *Deo*, puro amore tradenti nobis filium, & *Mediatori* seipsum tradenti pro nobis, puro amore, & ingenuâ gratitudine, *reddamus* 2 Cor. VIII. 5. Cant. II. 16. & VI. 3.: parati C. qui *nos* nostraque *optima*, corpus, animam, fortunas, famam, & omnia eorum regno & gloriæ vicissim impendamus. 1 Cor. VI. 19. 20. Phil. I. 20. 21. qui insuper D. *pessima* quævis, in persecutionibus, opprobriis, exagitationibus, usque ad *mortem*, quin ignominiosissimam *crucis*, pro ipsis alacriter admittamus. *Ibid.* Act. XX. 24. Singulatim E. vel cum ipso Judâ Matth. XXVI. 49. (quanquam animo planè diverso) Christum α. flagranti desiderio *quaramus* Jes. LV. 6. vel intempestivâ *nocte*, donec ipsum inveniamus Cant. V. 6. 7. β. *amplectamur* viva fide Joh. I. 12. γ. *exosculemur* amore ἀναπόκριτο Psal. II. 12. δ. *salutemus* humanissimè, forti & ingenua nominis sui professione Matth. X. 32. Joh. I. 20. 26. 27. ε. ejus magisterium ac dominium agnoscamus Matth. XXIII. 8. 10. eaque non *ore* tantùm, sicut Judas; sed *facto* insuper Matth. VII. 21. 22. Quin & F. cum pessimis *militibus* Matth. XXVII. 29. sed animo optimo, (a) *coronam* gloriæ, quantum in nobis, ei imponamus Cant. III. 11. saltem coronam nostram ad *pedes* ei *projiciamus* Apoc. IV. 10. ejus (b) *purpurum* veneremur Cant. VII. 5. & III. 9. 10. (c) ejus *sceptrum*, *ferreum* seu furoris quidem, horreamus Psal. II. 9. *aureum* verò gratiæ nobis arrectum, attingamus Psal. XLV. 7. cum Eph. V. 2. (d) in *genua* nos coram eo projiciamus Psal. XCV. 6. Phil. II. 9. 10. (e) *corde* & ore ipsum salutemus: *salve Rex Judæorum.* Quin potius G. cum Petro (demta tamen temeritate) aliisque genuinis Christi discipulis, id per gratiam Dei, immotè nobis proponamus, vel cum Christo *mori* Matth. XXVI. 35. Act. XX. 24. Phil. I. 20. 21. nec proponamus tantum; sed actu etiam Christum in palatium passionis usque sequamur, exclusâ tamen Petri temeritate Matth. XXVI. 58. & pro ejus trina abnegatione, constanter usque ad mortem, nomen ejus fortiter, per quævis pericula, confiteamur Act. IV. 28. 29. 31. 32. Insuper H. cum Mariâ puro accensi amore, nardum nostrum pretiosissimum, impendamus inungendo ejus capiti & pedibus Matth. XXVI. 7. Joh. XII. 3. h. e. pretiosissima quævis in bonis nostris, ejus membris refocillandis applicemus Matth. XXV. 35. 36. 40. Poro I. cum Simone Cyrenæo, dum crucem bajulat, eam sublevare pro virili conemur Matth. XXVII. 32. Luc. XXIII. 26. h. e. piis, propter Christum, afflictis & oppressis, condoleamus, eisque, quan-

Filii.

Quorsum.

quantum possumus, succurrere nitamur Heb. XIII. 3. Ad hæc K. cum mulieribus piis, cum Mariâ Matre ejus, Clope, & Magdalena, & cum reliquis cognatis ejus, amore pertrahamur ad *crucem* ejus, ut sub cruce constituti, ejus angores contueamur oculis vivæ fidei, ut ei serviamus Matth. XXVII. 55. Luc. XXIII. 49. Joh. XIX. 25. Heb. XII. 2. 3. Imo & L. post mortem ei officia quævis charitatis, cum Josepho Arimathensi, & mulieribus, ipsum sepelientibus, aut inungentibus, præstare satagamus Matth. XXVII. 57. 58. 59. 60. Luc. XXIII. 55. 56. &c. His & id genus aliis officiis, amorem ineffabilem & Dei, & Mediatoris, charitate reciprocâ retaliare, utcunque conabimur.

10. Pungit corda ad profundam pœnitentiam.

XXXVIII. *Decimo*, pungit passio & mors Christi, ad profundam *pœnitentiam* de peccatis nostris: quibus, & *Patrem* quasi coëgimus, qui filio suo tot tantaque infligeret, eum pro nobis *peccatum faceret* 2 Cor. V. 20, nostraque supplicia ei imponeret Jes. LIII. 5. 6. 7; & *Filio* nostra debita q. imposuimus Jes. XLIII. 24. ut ipsum, ipsi quasi transfixerimus. Hujusmodi profundam pœnitentiam, (*a*) per Spiritum gratiæ & precum, olim N. T. temporibus conferendum, prædicitur Zach. XII. 12. (*b*) eandem mulieribus jam lugentibus, in cruce pendens Servator commendat Luc. XXIII. 27. 28. Ad hanc (*c*) exempla provocant Petri Matth. XXVI. 75. Judæorum conversorum in festo Pentecostes Act. II. 22. 23. cum vs. 37. centurionis Matth. XXVII. 54. imo ipsius proditoris Matth. XXVII. 3. 4. quin & rerum inanimatarum, v. g. veli dilacerati Matth. XXVII. 51. conf. Joël. II. 13. mortuorum, qui in sepulchris suis quiescere non poterant *Ibid.* vs. 52. Solis obtenebrati Luc. XXIII. 44. 45. terræ motæ, & rupium fissarum Matth. XXVII. 51. Ut universa rerum natura videretur esse quasi in agoniâ, cum filius Dei agonizaret: & nos soli non? Imo (*d*) res ipsa urget: si expendâmus, ab *una* parte, *α.* quanta & qualia passus sit, à Judâ, à discipulis, à Petro, à Judæis, à Pilato, ab Herode, à militibus, à turbâ, quin ab ipso Deo & Patre suo: in corpore, in animâ, in fama, in bonis &c: ab *altera* parte *β.* non Judam tantum, non Judæos, Pilatum &c. tot ipsi indixisse quasi vulnera, ejusque corpori & animæ; sed quemque nostrum, nostris peccatis Zach. XII. 10: etenim absque peccatis meis ac tuis, nec Pater ipsi inflixisset, nec infligi passus fuisset omnia ista filio innocenti Jes. LIII. 3. 4. 2 Cor. V. 20. nec Pilato aliisque tantillum potestatis fuisset in eum Joh. XIX. 10. 11, si cum primis *γ.* addamus, quisnam sit, cui omnia ista peccatis nostris infliximus? non homo, non Angelus quivis; sed ipse *filius* Dei Matth. XXVII. 54. Cuncta ista, si devote construamus, nunquid lachrymas nobis extorquebunt? nunquid corda lacerabunt? Sed cum hoc simpliciter factum, non sufficiat, ipso crucifixo corrigente Luc. XXIII. 28. tenendum etiam, ad hanc pœnitentiam requiri A. non tantum profundam animi *contritionem*, qualis & in Juda observatur Matth. XXVII. 3. qua *pectora tundamus*, cum turba Luc. XXIII. 48: nec tantum B. submissam peccatorum *confessionem*, qualis etiam, vel in Juda conspicitur Matth. XXVII. 4: nec porro C. qualemcunque insuper *satisfactionem* operis, qualem etiam Judas præstitit: Nec in his, per se bonis, à Juda nos superari patiamur: sed etiam D. ut *fide*, quamvis pusilla, Christum sequamur cum Petro, usque in aulam afflictionis Matth. XXVI. 58. quando Judas facta traditione, ipsum desperabundus deserit. Ut insuper E. commissis peccatis, cum eodem Petro, post trinam suam abnegationem, nihilominus oculos mentis ac fiduciæ intentos habeamus in Christum, *respicientem* oculis gratiæ ad nos Luc. XXII. 61. Zach. XII. 10. Porro ut F. in memoriam nobis revocemus verbum Dei, tum *comminationis*, tum *promissionis*, cum Petro Matth. XXVI. 75. Ut præterea G. calidis lacrymis deploremus peccata nostra, cum eodem Petro *ibid.* & Zach. XII. 10: Præterea H. ut *deseramus* aulam, periculosas conversationes, omnemque ad peccandum ansam solicite caveamus *ibid.* Tandem I. pœnitentia propellamur, ad exquirenda peccatorum *remedia* Act. II. 37. 38.

Motiva urgentia.

Modus & requisita ejus.

11. Abstinet, ut non denuo filium Dei crucifigamus.

XXXIX. *Undecimo* absterret, ne filium Dei, nostris peccatis, *de novo crucifigamus* Heb. VI. 6. nec, cum Petro, abnegationis scelus secundo ac tertio repetamus Matth. XXVI. 72. 74. Nunquid enim sufficit, filium Dei *semel* transfixisse, fidelissimum Dominum, magistrum, fratrem nostrum, tot cruciatibus *semel* excarnificasse, nisi idem sæpius repetamus 1 Pet. IV. 3. Quibus autem peccatis Christus denuo crucifigitur? Equidem in plenâ & perfecta sua emphasi; sola denuo crucifigitur ex *malitia* (non ex *infirmitate*, sicut in abnegatione Petri factum Matth. XXVI. 33. 35. cum 70.) profecta, *sui*, & veritatis euangelicæ abnegatione, seu horribili in Spiritum S. blasphemia: teste Apostolo Heb. VI. 6. sensu autem *latiore*, & diminutiore, de novo quodammodo Christum crucifigimus *omnibus* nostris peccatis, quibus semel ipsum crucifiximus, seu ejus crucifigendi, causæ & auctores existimus Jes. XLIII. 24. 1 Joh. I. 7. sed sensu *strictissimo*, iis peccatis quæ nobis sunt in deliciis, quibus, non per *infirmitatem*, sed per *voluptatem*, quasi cum militibus Matth. XXVII. 27.--32. per peccata talia, caput ejus corona spinea, & corpus ejus flagellis & fustigationibus lacerare &c. & cum turba ac Pharisæis, pendentem à cruce, dicteriis, & omne genus contumeliis afficere, pro lusu & voluptate nobis est. Unde ἀναστανροῦντας Filium Dei, & eundem παραδειγματίζοντας, conjungit Apostolus Heb. VI. 6.

Quibus peccatis hoc fiat.

Generalius,

Specialius,

vi. 6. & explicat per ἑκουσίως ἁμαρτάνειν Heb. x. 26. Nominatim autem Christus *denuo* crucifigitur, omnibus istis peccatis, quibus semel crucifixus est. Videlicet (1) si cum primoribus Judæorum, cum Pontificibus, Scribis, Senioribus populi, consilia agitemus, de Christo in *membris* occidendo Matth. xxvi. 3. 4. Act. iv. 5. 15. 16. 18. (2) Si cum Judâ aliisque discipulis insultemus his qui Christum inungere, h. e. ipsi in membris suis benefacere studeant Matth. xxvi. 7. 8. cum xxv. 42. 46. (3) Si φιλαργυρίᾳ & amore rerum terrenarum, cum Judâ, Christum quasi prodamus Matth. xxvi. 14. 15. 16. aut saltem deseramus 2 Tim. iv. 10: aut (4) si ejus passionibus, morte, ignominiis, cruce scandalizemur, offendamur Matth. xxvi. 31. 33. 1 Cor. i. 23. Gal. v. 11. (5) Si in ejus agonia, cum ejus discipulis quasi dormiamus Matth. xxvi. 40. 43. 45. h. e. si patienti in membris suis, non condoleamus Heb. xiii. 3. aut pro viribus nostro succurrere non admitamur Prov. xxviii. 10. Joh. iii. 16. (6) si Christum, in membris, per omnem crudelitatem, clam aut palam quæramus ad *necem*, sicut Judas cum cohorte suâ Matth. xxvi. 47. 55. Act. ix. 24. 2 Cor. xi. 32. (7) Si Christum, in membris, tradamus *tribunalibus* hostium, sicut Judas cum suâ caterva Matth. xxvi. 57. & xxvii. 1. 2. & x. 17. 21. (8) Si Christum, in membris, *condemnemus* ad quævis, &, convenienter condemnationi, abripiamus ad contumelias, & ad mortem, sicut Judæi & Pilatus Matth. xxvi. 66. & xxvii. 26. Act. xii. 1. 2. (9) Si in Christum etiam post crucifixionem, in suis membris, *serviamus*, quemadmodum Judæi Matth. xxvii. 34. 35. 49. 45. Psal. lxxix. 2. (10) Tandem si externa professione, absque animo, aut non nisi fucato, eum amplectamur, osculemur, salutemus, sicut Judas Matth. xxvi. 48. 49. cap. vii. 21. 22. aut per ludibrium veneremur, imponendo ipsi coronam, tradendo ipsi sceptrum, induendo eum purpura, & procidendo coram eo in genua, sicut milites Matth. xxvii. 27. 32. His aliisque modis, κατ' ἐξοχὴν, Christus *denuo crucifigitur*: atque ut ab hoc, cave pejus & angue noxio caveamus: cogitandum nobis, A. quantum scelus sit, filium Dei, vel semel crucifixisse, prodidisse Luc. xxii. 48. B. quantum in eo periculi, quando his gradibus paulatim præparamur, ac properamus, citato gradu, ad horrendam illam ἀναστάρωσιν, quam absolutè *irremissibilem* pronunciat Apostolus Heb. vi. 4. 5. 6. Et C. quam horrenda Deus, in hoc peccatum, exerceat *judicia* Luc. xxiii. 29. 30. Heb. vi. 7. 8. & x. 26. 27. 28. [Quibus 29. quæ, velut ad oculum, explicuit in Judâ proditore Matth. xxvii. 5. Act. i. 18. 25. & in Judæis crucifigentibus Matth. xxvii. 25.] Et quo magis simus ab iterata hac Christi crucifixione securi: solicite nobis cavemus α. ab *avaritia* φιλαργυρίᾳ, & amore mundi ac rerum mundanarum, quibus adductus Judas, Dominum suum prodidit Matth. xxvi. 8. 9. Joh. xii. 4. 5. 6. 2 Tim. iv. 10. β. à *præsumptione* & temeritate, qua propriis viribus nimium tribuimus; per quam Petrus, in tam horrendam Servatoris sui abnegationem perductus fuit Matth. xxvi. 33. 35. 70. 72. 74. Rom. xi. 20. 1 Cor. x. 12. γ. à *neglectu* verbi divini & præmonitionum divinarum, per quem Petrus incidit in horrendam istam abnegationem Matth. xxvi. 31. 34. Joh. xvi. 1. 2. 3. 4. Gen. ii. 17. δ. ab *audacia* in quærendis aut adeundis periculis, qua factum, ut Petrus, inani curiositate videndi, quid de Christo futurum esset, secutus in aulam Pontificis; in periculum, & in abnegationem, seipsum conjecit Matth. xxvi. 57. 58. Gen. iii. 2. 6. ε. ab inutili commercio & *conversatione* cum impiis, qua in scandalum & abnegationem Petrus seductus est Matth. xxvi. 58. 69. Deut. xiii. 2. ζ. à *socordia*, somnolentia & oscitantia, qua, ex sententia Christi, in tentationem abripimur Matth. xxvi. 41. & xxv. 5. 6. 11. 12. 13. η. à nimio persecutionum *metu*, quo discipuli in fugam acti sunt Matth. xxvi. 55. 56. & xiii. 21. Ex adverso 9. juvabit (dempta præsumptione, & vana in propriis viribus fiducia) immotum *propositum*, in virtute Dei, perdurandi apud Christum: hujus enim ope, immunis fuisset, procul dubio, Petrus à scandalo & abnegatione Act. xiv. 22. 2 Tim. iii. 12. Quibus omnibus ι. accedant *preces* devotæ, commendante eas Servatore Matth. xxvi. 41. & Apostolo Eph. vi. 18. Scil. ut nos non *inducat in tentationem*; *sed liberet à malo* Matth. vi. 13. Agmen claudat κ. παῤῥησία, quam Apostolus Ephesiis accingit Eph. vi. 12.—

Quibus cautionibus ab hoc peccato cavendum.

XL. *Duodecimo*, crucifixio & mors Christi quemvis verum ejus amicum instigat, ut peccatum *crucifigat*, quod Christum crucifixit (quemadmodum Pontifices & Seniores populum instigarunt, ut Christum occiderent Matth. xxvii. 20.) Ut *carnem crucifigat*, *cum affectibus & cupiditatibus suis* Gal. v. 24. ut *mortificet membra sua*, *quæ in terris sunt*, *fortationem* &c. Col. iii. 5. ut, virtute *crucis Christi*, *mundus* sibi *crucifigatur* Gal. vi. 14. h. e. ut pia vindictæ cupiditate crudelitateque, prorsus eodem modo *spiritualiter* agamus cum peccatis, quo, justa Dei vindicta, propter peccata nostra, & Judas, & Judæi, & Pilatus, & Herodes, & milites, & turba Judaica, *corporaliter* egerunt cum Christo. Singulatim irreconciliabili, & universali odio Psal. xcvii. 10. Rom. xii. 9. & vii. 15. Jud. vs. 23. quali Christum, Judæi crucifigentes Matth. xxvii. 18. (1) peccata nostra abnegemus Luc. ix. 23. quemadmodum Petrus Christum Matth. xxvi. 72. *non novi hominem*: scil. quemadmodum Christus *peccatum non cognovit* 2 Cor. v. 20. scil. approbando

12. Instigat ad crucifigendum peccatum.

Quibus actibus crucifigatur.

Matth.

Matth. VII. 23. *non novi vos, abite*: quia ad exemplum Petri, non semel; sed sæpius & cum *dejeratione*, abnegemus, (2) peccata deseramus, fugiamus: quemadmodum discipuli, metu adacti, omnes Christum deseruerunt Matth. XXVI. 55. 56. Jes. I. 16. Prov. XXVIII. 13. (3) tradamus captivanda, vincienda: quemadmodum Judas Christum Judæis tradidit Matth. XXVI. 48. & Judæi Pilato. *Ibid.* cap, XXVII. 2. & Paulus incestuosum 1 Cor. V. 4. 5.: quemadmodum peccatum nos cāptivos ducit Rom. VII. 23. h. e. nullam peccato libertatem, nullum imperium permittamus Rom. VI. 12. & VII. 5. 6. (4) peccata nostra condemnemus, ad mortem, ad crucem: quemadmodum Judæi Christum condemnarunt Matth. XXVI. 66. & turba condemnandum & crucifigendum postulavit Matth. XXVII. 22. 23. imo quemadmodum Deus in Christo, *peccatum condemnavit in carne* Rom. VIII. 3. h. e. mortis & excidii reum existimemus, pronunciemus Rom. VI. 23. (5) peccatum, tanquam blasphemum, quasi colaphis afficiamus, quemadmodum Judæi Jesum, pro blasphemo perperam condemnatum Matth. XXVI. 67. & Satanas, animum Pauli 2 Cor. XII. 7. imo à Pilato condemnatum, & truculenti milites quāvis ignominia affecerunt Matth. XXVI. 27. 32. h. e. omnibus modis subigamus peccatum 1 Cor. IX. 27. (6) peccatum ejiciamus ex cordibus nostris, quemadmodum Judæi Jesum condemnatum exagitatumque Jerosolymis ejecerunt Marc. XV. 20. & quemadmodum Paulus, ex Ecclesia ejiciendum vult, eum qui malus est 1 Cor. V. 7. 13. h. e. ut longe à nobis removeamus Eph. IV. 31. (7) peccatum, quasi inter latrones medium extollamus in furcam, suspendamus, tanquam & cœlo & terra indignum, crucifigamus (quemadmodum Judæi Christum, inter latrones medium. quasi pessimum, suspenderunt, cructfixerunt Marc. XV. 27. 28. & quemadmodum Deus *chirographum peccatorum nostrorum, affixit cruci* Col. II. 14.) h. e. peccata nostra, ad exemplum Christi crucifixi, & virtute crucis ipsius, morte afficiamus Gal. V. 24. Col. III. 5. tamdiu carnificemus, donec tandem mortuum sit. Atque, ut piā istā crudelitate agamus cum peccato: A. ipsum exigit ejus *meritum*: est enim *blasphemia*, quatenus, & Deo abrogat supremum in creaturas suas dominium, potestatemque νομοθετικὴν; & creaturis gloriam obsequii. Conf. Luc. XIX. 27.: jam ex lege divina Levit. XXIV. 16. pariter & ex sententia fori Judæorum ecclesiastici Joh. XIX. 7. blasphemia mortem meretur lapicidii, & ab universa congregatione, inferendam; quæ etiam Christo ob eandem. licet falso imputatam, summā cum indignatione est illata. Quin insuper *Deicidium* est in se, eoque enitītur, ut è medio tollatur Deus (pro natura odii) nec sit amplius Psal. X. 4. & XIV. 1. imò & filium Dei, qui *Deus est*, *benedictus in secula* Rom. IX. 5. *verus Deus*, & *vita æterna* 1 Joh. V. 20. crudelissimè *occidit*: quid enim, & hostibus causa fuit occidendi, nisi peccatum odii & crudelitatis? & Deo ipsi, justa crudelitate q. sæviendi in viscera unigeniti filii, nisi peccatum humanum? 2 Cor. V. 20. Jes. LIII. 6. B. Etiam justa stimulat *vindictæ* cupido: quæ, ex justitia talionis, homicidio, vel in vilissimum perpetrato, homicidium pro pœna dictat Gen. IX. 6. agnoscente ipso homicidā, cum Christo crucifixo Luc. XXIII. 41. & magis etiam in *Regem* Joh. XIX. 15. *Egone Regem vestrum crucifigerem?* & maximè in *filium* Dei Matth. XXVII. 5. quin *Deum* ipsum Act. XX. 28 in Regem *nostrum*, qui nobis *venit* Zach. IX. 9. in *consanguineum* Heb. II. 17. Eph. V. 30. *Goelem* Job. XIX. 25. imo *fratrem* Heb. II. 11. quod igitur גואל, הדם (seu *vindicem* interpreteris *consanguineum*; seu *vindicem sanguinis*, in consanguineo effusi) fetvore sanguinis exacerbato, fas erat occisorem consanguinei sui persequi ac trucidare Deut. XIX. 6. nunquid *peccatum* consanguinei, fratris nostri homicidam persequeremur, trucidaremusque? cum præsertim ad vindictæ cupiditatem, natura tam simus proclives. C. Urget præterea ira divina, occidens peccatorem, si peccatum peccator non occidit Psal. VII. 12. 13. 14. cujus illustre nobis præstitit exemplum in filio, proprio, unigenito; ut cogitemus: *si hoc factum est in ligno viridi, quid non fiet in arido?* Luc. XXIII. 31. si adeo excanduit in filium proprium, tantopere sibi dilectum, adhuc viventibus peccatis nostris; quid non excandesceret in nos, si peccatis parcamus? & si possibile esset parcere peccatis, sanè filio pepercisset; toties, & tam anxiè sibi supplici, ut calix iræ à se præteriret Matth. XXVI. 38. 39. 42. 44. & si filio non pepercit Rom. VIII. 32. qui parcet ei, qui pepercerit peccator? Est igitur hic quod contemplemur, non tantum *benignitatem* Dei, versus hos, qui peccatum crucifigunt; sed & ejus ἀποτομίαν seu *severitatem præcisam*, in reliquos Rom. XI. 22. *D.* suadet etiam, quod nulla nobis κοινωνία, nullum participium competat, passionis & mortis Christi, qualis-& quantæcunque, quamdiu peccatum non crucifigimus: *quotquot* enim *Christi sunt*, *crucifixerunt carnem cum cupiditatibus suis* Gal. V. 24. Et quod proinde E. omnia illa, quæ Christum videmus perpessum esse, intus & extus; quoad animam, quoad corpus, in propriā personā, idque in omnem usque æternitatem, debeamus perferre, si non crucifixerimus peccata, quod in æternum à Deo simus abnegandi Matth. X. 33. reprobandi Matth. VII. 23. non militibus crudelibus; sed tortoribus infernalibus tradendi Matth. XXVIII. 34. 35. & XXV. 41. judicio divino fistendi Psal. I. 5. condemnandi, & exquisitissimis cruciatibus, animæ & cor-

Quibus rationibus motivis.

poris, absque remedio, excarnificandi Jes. LXVI. 24.: alterutrum enim indeclinabiliter fieri debet: ut, aut nos peccatum tempestivè crucifigamus, aut à peccato æternum crucifigamur Rom. VIII. 6. 13.

15. Proponit exemplar Christianæ moriendi artis.

XLI. Denique *decimo tertio*, in morte Christi, exactissimum nobis proponitur ἐνδειγμα exemplar. Quemadmodum enim cap. *præced.* §. XXXIX. exemplar habuimus *præparationis* ad mortem; sic ipsa jam moriendi ratio succedit. Peracta igitur cum Christo, designatis capitibus, præparatione, integra adhuc valetudine, aut urgentibus jam morbis, & instante morte: homini feliciter morituro, incumbit, (1) *cura* rerum domesticarum Jes. XXXVIII. 1. exemplo Christi, Matrem suam committentis discipulo Joh. XIX. 27. (2) *consolatio* eorum, qui de morte sua anxii & soliciti sunt 1. Thess. IV. 13. 14. exemplo Christi Joh. XVI. 7. mulieres contristatas à cruce suâ, reficientis Luc. XXIII. 27. 28. (3) *præmonitio* suorum, de statu eorum futuro, sibi posthumo Gen. XLIX. 1——exemplo Christi morientis Luc. XXIII. 28. 29. 30. 31. (4) *conversio* aliorum Act. VII. 51. 52. 53. exemplo Christi morientis, latronem convertentis Luc. XXIII. 42. 43. (5) *condonatio* injuriarum, sibi ab inimicis illatarum, & reconciliatio cum eis Gen. L. 14——22. exemplo Christi morientis Luc. XXIII. 34. (6) *expeditio* negotiorum, ante mortem *expediendorum* Act. XX. 24. 2 Tim. IV. 7. exemplo Christi Joh. XIX. 28. 30. His præmissis, præcipua tandem succedat (7) *animæ cura*, ut illa Deo reconcilietur Luc. XXIII. 42. Apoc. XIV. 13. & piis suspiriis, in manus Dei tradatur Act. VII. 59. Psal. XXXI. 6. exemplo morientis Christi Luc. XXIII. 46. Plura hujus generis, Deo volente, in *asceticis* occurrent.

CAPUT DECIMUM TERTIUM,
DE
Mediatoris Descensu.

Psal. XVI. 9. 10.

Etiam habitat caro mea confidenter; quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre foveam.

Quartus & postremus humiliationis Christi gradus est in ejus descensu.

I. AD quartum tandem humiliationis Christi gradum pergimus, ad *descensum* ejus, sensu latiore. Cum enim (præter descensum gloriosum, ad judicandum vivos & mortuos 2 Thess. 1. 7. 10.) triplex in Scripturis numeretur Christi descensus, (1) è cœlo in *terram*, factus in ejus *incarnatione* Joh. III. 13. VI. 50. 58. 62. 1 Cor. XV. 47. Et hic descensus est *personæ* divinæ, in *carnem* humanam (2) à terrâ in *sepulchrum*, factus sepultura Eph. IV. 9. 10. Act. II. 29. 31. conf. Jes. XXXVIII. 18. Et hic descensus est *corporis* (3) quasi è cœlo in *infernum*, seu è *statu* cœlesti & beato, in *statum* infernalem & miserum Matth. XXVI. 38. cum Psal. LXXXVIII. 5. 6. 7. 8. Et hic descensus est (præcipuè saltem) *animæ*. Primo descensu in cap. IV. *de Incarnat.* sepositio; posteriorem duplicem hoc capite complectemur. Fundamentum nostræ considerationis ponemus in verbis Psal. XVI. 9. 10.

Pars exegetica.

Textus resolvitur & explicatus.

II. *In quibus fiducialis* Messiæ exspectatio *continetur* bonorum sibi imminentium. *Circa quam considerandæ.*

1. Exspectans *Messias*, *qui quidem non* dicitur *in textu*; *sed* innuitur *tamen*, *cum suffixo pronominali* ', *in caro* mea; *anima* mea; *tum in periphrasi*: sanctum tuum: *dicendus tamen à nobis, ut in verbis solidum fundamentum habeamus descensus Christi ad inferos. Sunt qui volunt Davidem per universum Psalmum loqui de populo Judaico; nequaquam de Messia: sic Judæi. Sunt qui malunt Davidem loqui & de se & de Messia: sed non uno modo; alii de se quidem principaliter; de Messiâ, per accomodationem tantum minus principaliter: alii de Messia principaliter, de Davide per accommodationem tantum: de se velut typo, de Messia, velut veritate: alii, ex parte priori, de Davide; ex posteriori, de Messia tantum. Nec desunt, qui totum psalmum ad Christum solum referant, sic Piscator, hoc argumento: qui loquitur* vs. 10. *ille loquitur per totum psalmum, quod probat ex serie sermonis, & singularum sententiarum cohærentia, quæ ostendit, eandem personam in toto Psalmo loqui: sed qui loquitur* vs. 10. *teste Petro* Act. II. 25. *& Paulus* Act. XIII. 35. *etiam per* sanctum illum *Domini sane intelligitur Christus* Jes. LIV. 5. Dan.

5. Dan. IX. 24. *Nec porro, nisi unus Christus, non vidit corruptionem. In hanc sententiam, & ego maxime sum proclivis. Quicquid sit, saltem verba textus de Messiâ loquuntur.*

2. Exspectata *bona. Quæ respiciunt Messiæ*

א. Corpus: אַף בְּשָׂרִי יִשְׁכֹּן לָבֶטַח, etiam caro mea habitabit confidenter. *Est hic*

1. Securum, caro mea. *Est τὸ πολύσημον. Accipitur enim α. pro* omni animali, *cum sibi adest* כל; sic Gen. VI. 16. & VIII. 17. *β. pro* homine *toto* Deut. V. 26. Psal. LVI. 5. *γ. pro* corpore humano, *quod carne constat* Gen. II. 24. Psal. XXXVIII. 4. 8. *Et sic hoc loco.*

2. Securitas *corporis,* יִשְׁכֹּן לָבֶטַח habitabit. LXX. *Interp.* κατασκηνώσει, *id est, commorabitur in sepulchro, velut in tabernaculo*: jacebit, requiescet, *sic* Deut. XXXIII. 20. Psal. VII. 6. & XCIV. 17. Jes. XXVI. 19. לָבֶטַח, confidenter, securè, tutò, in spe *seu fiducia α. conservationis à sui putrefactione. β. resurrectionis ad gloriam, ut sequentia declarant.* Spes *carni tribuitur* figurate, *ut creaturæ* ἀποκαραδοκία Rom. VIII. 19. & spes vers. 20. *spes corporis etiam sumitur pro* re sperata.

ב. Animam; non derelinques animam meam in inferno. *Est hîc*

A. Subjectum *cui bonum exspectatur:* anima, נֶפֶשׁ, ψυχή; *per quam intelligi possit* (1) *pars hominis* formalis, *quâ compositum* vivit Matth. X. 28. (2) *pars ejusdem* materialis *seu corpus: sive* animatum, *seu vivum* Psal. XXXV. 13. & CVII. 18. *sive* exanime, *seu mortuum* Num. V. 2. & IX. 10. Levit. XIX. 28. & XXI. 1. (3) *totum* compositum *humanum, seu personæ* Gen. XIV. 21. Psal. CVII. 9. Prov. XXV. 25. 1 Pet. III. 20. *Et sic non rarò sonanti pronomina reciproca:* נַפְשׁוֹ seipsum Jes. V. 14. נַפְשָׁם ipsi Jes. XLVI. 2. (4) vitam *personæ* Job. II. 6. Psal. LIV. 5. Matth. II. 20. (5) *voluntatem* & affectus Exod. XV. 9. Psal. XXV. 1. & XLI. 3. *Hoc loco per* animam, *intelligendam censeo, partem hominis* formalem Matth. XXVI. 36. *quatenus illa fuit in* statu infernali, *quippe privata beatificâ visione Dei, seu sensu gratiæ ac favoris divini* Matth. XXVII. 46. *atque insuper exagitata* cruciatibus infernalibus Matth. XXVI. 36. contristata est ad mortem, *scil.* infernalem.

B. Locum, *aut* statum *subjecti,* in quo *bonum exspectat:* לִשְׁאוֹל ad *infernum, seu* in *inferno.* שְׁאוֹל, ἅδης: (1) *ordinarie notat locum damnatorum* Deut. XXXII. 22. Psal. XLIX. 15. Jes. XIV. 15. Matth. XI. 23. Luc. XVI. 23. Apoc. I. 18. & XX. 13. 14. (2) *sepulchrum* Gen. XLII. 38. Psal. VI. 6. Jes. XXXVI. 18. Act. II. 27. 31. (3) *commune omnium mortuorum receptaculum, ac statum, tam bonorum, quam malorum* Eccl. IX. 10. Ezech. XXXII. 21. 27. Job. XIV. 13. *cum* XVII. 13. (4) *statum afflictissimum* Psal. XVIII. 6. & XXX. 4. & XXVIII. 1. & CXVI. 3. *Huic loco postrema significatio maximè propriè convenit; quoniam anima Christi in* loco damnatorum *nunquam fuit, quicquid censeant Pontificii ac Lutherani, quippe ante mortem ejus in manus Patris tradita.*

C. Bonum *subjecto, in statu* infernali *exspectatum:* non derelinques *h. e. omnino præsens eris: tum* (1) *præsentia* naturæ, *quâ post mortem:* & corpori *adfuit unione personali, fecitque, ut illud* confidenter, *absque metu putrefactionis, in sepulchro quasi habitaret per triduum;* & animæ, *ut ea, in manu Dei existens, unita maneret divinæ personæ:* & *toti* personæ mediatoriæ, *ut naturali præsentiâ personæ divinæ,* Sanctus *Dei, seu Mediator* θεάνθρωπος, *etiam in morte continuaret esse: tum* (2) *præsentiâ* gratiæ, *per quam,* carnem *quidem, post brevem in sepulchro habitationem, vitæ naturali restituit;* animam *in angustiis infernalibus sustentavit, ne deficeret; totum* Sanctum *suum, à potestate & dominio mortis, sub quo fuit per triduum sepulturæ, in plenam libertatem asseruit.*

ג. Hominem *totum, anima & corpore compositum*: nec dabis sanctum tuum videre foveam. *Hoc est, non permittes, me Sanctum tuum (Sanctum illud Israelis* Jes. X. 20. *quem sanctificasti, mittendum pro Messiâ, in mundum* Joh. X. 36.*) permanere in* foveâ, *sub potestate & dominio mortis* Act. II. 24. conf. Thren. III. 43. *sed ipsum suscitabis. Cum igitur indubitatum sit, ex* Act. II. 24—33. & XIII. 35. 36. *Messiam, textu nostro, vaticinari de suâ resurrectione, quæ præsupponit mortem, sepulturam, & statum ac dominium mortis usque ad resurrectionem; cum item per hanc resurrectionem, distincte bonum aliquod præstoletur,* (*a*) corpori *suo, nim. illud in sepulchro secure habitaturum, absque periculo putrefactionis* (*b*) animæ, *illam in inferno non esse deserendam* (*c*) *toti personæ,* (Sancto) *eam non visuram foveam, seu non* mansuram *in foveâ, vel sub statu & dominio mortis: apparet textu universo significari, sepulturam corporis, descensum animæ, & dominium mortis super totum hominem.*

Christus descendit ad infernum.

Pars dogmatica.

III. Mediator ergo seipsum pro nobis demisit ad sepulchrum, ad infernum, & ad dominium ac potestatem mortis: quæ tria nos, uno ejus *descensu*, comprehendemus: utpote quo, & in se-

pulchrum, & in infernum, & in dominium mortis, se demisit. Descensus hujus *exserta* quidem mentio rarior accidit in Scripturis; unde, non tantum Bellarminus cum Pontificiis, ad *traditionem* illum referunt; sed Symbolum etiam, quod *Apostolicum* vocant, & cum eo Nicænum, nullam ejus faciunt mentionem: & Patres vetustiores, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Augustinus, Ruffinus in suis expositionibus hujus Symboli, ejus ne γρὺ quidem habent, & Ruffinus etiam exsertè subjicit, illum *non haberi in Symbolo Romano, nec Ecclesiarum orientalium.* Apud Cyprianum pag. 570. sect. 20. edit. A. 1593. apud Le Preux. Idque usque ad Carolum M. seculo octavo. Prima ejus mentio legitur in Symbolo, quod (perperàm) Athanasio tribuitur: dum pro eo, quod Symbolum, omisso descensu, legit, *sepultus*; habet, *descendit ad inferos*, sequentibus autem seculis, ad verba Symboli Nicæni, explicationis ergo, in margine adjecta conspiciebantur verba: *descendit ad inferos*, quæ postea in textum ipsius Symboli irrepserunt, & eodem, cum reliquis tenore, recitata sunt: ut patet ex variis codicibus manuscriptis. Ab eo tempore, generaliter recepta deprehenduntur, & ab omnibus Symboli interpretibus, tam Protestantibus, quam Pontificiis exponuntur, velut peculiaris quidam ejus articulus.

In Symbolo Apostolorum, usque ad Athanasium non prostat articulus de descensu ad inferos.

IV. Interim tamen, nec in Scripturis deest expressa ejus mentio: v. g. Eph. IV. 9. 10. *Jam autem, quod ascenderit, quid est, nisi quod etiam prius descenderit, εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est qui ascendit* Rom. X. 7. *Quis descendet in abyssum? hoc enim est Christum à mortuis reducere.* Addimus verba textus Psal. XVI. 10. cum Act. II. 27. Referunt huc Psal. LXXXVIII. 5. 7. quem Psalmum propheticum esse, & in sua emphasi, in Christo impletum, nonnulli volunt: sicut etiam Psal. XVIII. 5. 6. & CXVI. 3. Typus hujus descensus etiam esse possit in Josepho Gen. XXXVII. 20. 22. 24. 28. 29. item & XXXIX. 20. & in Jona Jon. II. 2. — cum Matth. XII. 40. Jud. XVI. 3. Rationes esse possint: (1) quod per peccata ad *suprema* nos extulerimus Conf. Jes. XIV. 13. 14. imò supra Deum. Conf. 2 Thess. II. 4. ac propterea ad *ima*, usque ad infernum, se dejicere debuerit ac voluerit Servator. Conf. Jes. XIV. II. 12. Matth. XI. 23. ut cum maledictis inferis, maledictio, *κατάρα* fieret Gal. III. 13. (2) ut nos à reatu infernali, & *à fovea, in quâ non est aqua*, (solatii) *vinctos liberaret, per sanguinem fœderis* Zach. IX. II. quod de corporali Judæorum liberatione dictum, Christo etiam applicari, *κατ' ἀναλογίαν* consuevit: saltem ut ab inferorum *κατάρᾳ* suos liberaret Gal. III. 13. (3) ut ab imo inferorum reatu & abysso, suo descensu, ad summam cælorum gloriam suos extolleret Eph. II. 6. & I. 3.

Probatur Scripturis, & rationibus.

V. Sed quid tandem est hic descensus? Sepositis in locum suum, heterodoxorum opinionibus; inter Orthodoxos sunt, qui 1. ad *sepulturam* restringunt, ut in Symbolo sit exegesis articuli de sepultura: sic Beza noster in Act. II. 26. 27. Quod aliis non satisfacit, propterea, quod (1) non tantum accuratissimo Symboli breviloquio, tautologiam adduceret; sed etiam (2) satis clarum per obscurius explicare niteretur; alii 2. ad passiones *animæ* Christi restringunt, ut Calvinus cum plerisque Reformatorum; quod aliis duplici hac ratione non placet: (*a*) quia istæ passiones *animæ* ad mortem ejus spectant, de qua in præcedentibus Symboli actum fuerat, adeoque tautologia Symbolum gravet (*b*) quod passiones animæ post sepulturam ponat, eoque Symboli ordinem turbet: hinc alii 3. nec sepulturam, nec dolores animi, per descensum hunc significari volunt; sed *statum* ac *dominium* mortis, sub quo fuerit, per triduum sepulturæ. Sic Sohnius *ad Conf. August.* Perkinsius ad Symbolum, Amesius, Catechesis utraque, major & minor, Synodi Westmonasterienses, aliique. Quid si, conciliandis Orthodoxorum, in speciem dissidentibus sententiis, sub-aut coordinata conjungamus, & triplicem Christi descensum numeremus: *corporis*, in sepulchrum; *animæ*, in statum infernalem; *totius* Christi, in potestatem & dominium mortis? Cum 1. Scriptura *descensus* voce, tria non tantum designare soleat, sed etiam Christo distincte asserat: ut, per secutura, clarius patebit. 2. sic descensus & humiliationis profunditas ex eo magis amplificabitur, & agnoscetur; 3. & ipsum Symbolum, à *ταυτολογία*, & ab *ἀμετροδοξία*, commodius vindicabitur.

Quid sit descensus Christi. Orthodoxorum variæ sententiæ. Descensus triplex in Christo conjungendus;

VI. Esto igitur primus descensus *corporis*, quam & textus primo loco innuit, & Symbolum primo loco tradit, scil. descensus in *sepulchrum*. Certo enim certius est, per *τὸ* שאול, & per descensum in שאול, frequenter apud Scripturas significari sepulturam Gen. XLII. 38. Psal. VI. 6. Jes. XXXVIII. 18. Act. II. 27. 31. etiam Servatorem, quoad corpus sepultum fuisse Matth. XXVII. 59. 60. Marc. XV. 46. Luc. XXIII. 53. Joh. XIX. 41. quin & in hac sepultura, fuisse descensum Christi, per collationem textus nostri cum Act. II. 27. 31. & XIII. 34. 35. 36. cum quo omnia vetera Symbola, usque ad Athanasium & Carolum magnum, ut diximus, apertè colludunt. Prædicta olim erat hæc sepultura, teste Apostolo 1 Cor. XV. 4. potissimum Jes. LIII. 9. ubi interficiendus dicitur, (*a*) cum improbis, seu morte facinorosorum; sed (*b*) sepeliendus in sepulchro *divitis*, nim. Josephi, hominis divitis Matth. XXVII. 59. 60. modo etiam sic satis honorifico vers. 57.

1. Descensus corporis in sepulchrum.

VII. Quantum ad circumstantias sepulturæ: facta est A. ipsa *vespera* diei emortualis, jam imminente Sabbatho Judaico, ejusque *παρασκευῇ* Matth. XXVII.

Circumstantiæ hujus sepulturæ;

xxvii. 57. quod Sabbathum (*Judaicum* saltem) seu septimus à creatione dies, typum habuerit
α. tempus, hujus quietis in sepulchro, unde etiam propterea, absoluta requie, ut umbra, præsente corpore, exspiravit Col. ii. 16. 17. Quo etiam invitabat Lex Deut. xxi. 23. quâ prohibebatur, ut cadaver suspensi in ligno pernoctaret, quoniam *suspensus Dei esset exsecratio*: unde, cum in *morte* Christi abolenda esset exsecratio; conveniebat corpus ejus, factâ morte, & sublatâ exsecratione,
β. auctores, in ligno exsecrationis non relinqui. B. *Auctore* Joseph Arimathæo, viro divite, Senatore honorato, *clam* discipulo Christi, propter metum Judæorum Joh. xix. 38. Matth. xxvii. 57. cæterà *pio* quidem; sed fidei adhuc *debilis*, ut colligitur ex Marc. xv. 43. Huic sese adjunxit Nicodemus, Joh. xix. 39. è primoribus Pharisæorum, fidei item *imbecillis*; sed genuinæ tamen: unde noctu ad Christum venit, ab eo erudiendus, atque etiam ab eo eruditus & conversus Joh. iii. 2. — hinc porro invalescens fide, liberius pro Christo egit Joh. vii. 51. accesserunt fortè honestæ aliquot *mulieres*, Maria Magdalena, Maria Joses aliæque, quæ Christum secutæ erant ex Galilæâ, ipsi inser-
γ. Modus, viturae Matth. xxvii. 55. C. *Modo* perquàm honorifico, quando α. Josephus ejus corpus involvit sindoni mundo. Matth. xxvii. 59. β. Nicodemus addidit *mixturam ex myrrha & aloe, ad libras centum* Joh. xix. 39. pro more Judæorum
δ. loeus, in sepulturis honoratiorum, recepto Gen. l. 2. D. *loco* honesto, non sub *furcâ*; sed in *horto* Josephi, non longè remoto à loco crucifixionis, fortè ut in horto *resurgeret*, prout nos in horto *cecideramus* Gen. iii. — E. Et quidem in monu-
ε. monumentum, mento: α. *novo* Matth. xxvii. 60. ne alium quemvis resurrexisse suspicari, aut calumniari possent Judæi: quin & β. *saxeo Ibid. atque insuper* γ. *lapide* bene vasto supernè obserato, non tantum ex more Judæorum honoratiorum Gen. xxxv. 20. Joh. xi. 38. sed etiam ex divinâ providentiâ, ne fucum Judæi suspicari possent. Addam δ. publico Pilati *sigillo* obsignato, additis insuper custodibus, ex pravo quidem Pharisæorum consilio Matth. xxvii. 60. — conf. Psal. xli. 9. sed tamen etiam non absque numine, quo nos certiores redderemur veræ
ζ. duratio. resurrectionis Matth. xxviii. 11. — F. *Durationē*, per *triduum*, seu tria νυχθήμερα, juxta ipsius vaticinia Matth. xii. 40. & xxvii. 40. 63. Jon. i. 17. nec tamen integrum; sed in universum horarum circiter *quadraginta*: unde natum videtur veteribus, jejunium quadragesimale, quod per totidem horas sponsus ablatus esset Matth. ix. 15.

Fines sepulturæ Christi. VIII. Fines hujus sepulturæ fuerunt: (1) ut vaticiniis satisfieret Psal. xvi. 10. & xxii. 16. Jes. liii. 9. (2) ut invictis argumentis persuasi essemus de veritate mortis ipsius, à quâ omnis nostra pendet redemtio Heb. ii. 14.: hinc, non ante sepeliendum tradere Pilatus voluit, quam exploratum haberet, eum certo mortuum esse Marc. xv. 42. 43. (3) ut execrationem, morte ablatam, sepultura obsignaret Deut. xxi. 23. Gal. iii. 13. (4) ut se à *summo* cœli, ad *ima* terræ humiliaret, Eph. iv. 9. 10. (5) ut peccata nostra secum sepeliret, cujus veritas nobis obsignatur in Baptismo Rom. vi. 4. Col. ii. 12. Addam (6) ut (non quidem Sabbathum *quarti præcepti*, quod *indefinitè* præscribit sanctificationem *illius* diei septimi, quam Deus hominibus determinaret: hoc enim Sabbathum, non tantum cum reliquis omnibus Decalogi præceptis, juris fuit *moralis* & inabrogabilis Matth. v. 17. 18. 19.: sed etiam, nullam omninò figuram gessit quietis Christi in sepulchro) Sabbathum præcisè *Judaicum*, h. e. *illum* diem septimum, quem numerabat, & numerandum Judæis præscribebat, à *septimo creationis* die, *abrogaret*, cum in eo quievisset Servator, adeoque typo satisfeciisset: quod Sabbathum, juxta cum reliquis omnibus festis Judæorum, Apostolus intelligit Col. ii. 16. 17. atque eâdem opera, Sabbathum *Christianum*, post labores humiliationis Jes. liii. 11. substitueret, septimumque præcepti quarti diem, determinaret numerandum à Christianis, ab hac sua *resurrectione*: unde Sabbathum illud Christianum, *Dies domini* appellatur Apoc. i. 10. cui, ipso resurrectionis die, *benedixit* Joh. xx. 19. à quo etiam ille dies, à Christianis, pro *Sabbatho* constanter observatus legitur Act. xx. 7. 1 Cor. xvi. 2. quod, nisi ad damnatam ἐθελοθρησκείαν referre velis; ad institutionem divinam referre cogeris: à qua proinde dies *domini* appelletur, ac *cœna domini* 1 Cor. xi. 20. cum 23. Accedat, cum sanctificatio alicujus septimi diei, ex quarto præcepto, juris sit *moralis*: ac proinde, abrogato Sabbatho *Judaico*, Ecclesia, ne per horam quidem, absque Sabbatho esse potuerit; substitutio illa mox à resurrectione fiere debuerit: de quo suo loco, si Deus volet, plura ex professo.

2. De animæ Christi in statum infernalem descensus. IX. Esto secundus descensus *animæ* Christi, non *in locum*; sed in *statum infernalem*, quo infernalia, seu infernales pœnas, in anima sua expertus est. Cum enim שאול in Scripturis, non rarò statum talem infernalem, in cruciatibus & angoribus animæ, designet 1 Sam. ii. 6. Psal. xviii. 6. & cxvi. 3. à quo, sustinentes hujusmodi angores, infernales, in *infernum detrudi* dicuntur Psal. lxxxviii. 5. 7. aut etiam ab inferno liberari Psal. xxx. 2. 4. 10.: cum etiam status ille infernalis animæ Christi manifestè tribuatur: quando & *desertus* dicitur à Deo Matth. xxvii. 46. & sub sensu *iræ* & *excandescentiæ* divinæ sudasse Apoc. xix. 15. cum Matth. xxvi. 39. 42. & ab his, anima ejus contristata, usque ad *mortem*, scil. æternam seu *infernalem* Matth. xxvi. 38. Hac ratione nec ταυτολογία notari potest in Symbolo: cum de descensu

ſcenſu animæ nihil omnino, exſerte quidem, dixiſſet; nec ἀμεθοδία: cum de deſcenſu *corporis* prius, quam de deſcenſu *animæ*, ex lege methodi, dicere debuerit. Quis autem ſit hic deſcenſus animæ, ſeu quæ per eum paſſus ſit, tum quoad *damnum*, tum quoad *ſenſum*, capite præcedenti §. §. VIII. IX.. X. XI. XX. expoſuimus.

3. Deſcenſus totius hominis Chriſti, in poteſtatem & dominium mortis.

X. *Tertius* igitur deſcenſus, eſt *totius* hominis Chriſti, in poteſtatem & dominium mortis & tenebrarum: quatenus per tres dies ſepulturæ, corpus ejus fuit mortuum, & anima deſtituta fuit (ſibi naturali) *unione* cum corpore, atque hactenus totum compoſitum fuit ſub morte: unde Petrus Act. II. 24. ipſum, per reſurrectionem demum, dicit *ſolutum* (conſequenter hactenus quaſi ligatum) fuiſſe *à doloribus mortis, quod impoſſibile ſit, κρατεῖσθαι ἀυτὸν ὑπ' ἀυτῦ*, puta θανάτυ: a quo evidentiſſimum manet, ipſum per triduum mortis, ſeu ad reſurrectionem uſque, fuiſſe *ὑπὸ κράτος, ſub poteſtate* mortis, in ejus quaſi vinculis & carcere. Conf. Pſal. XVIII. 5. 6. & CXVI. 3. & LXXXVIII. 7. Et hæc etiam fuit hora & *poteſtas tenebrarum*, quam innuit Luc. XXII. 53. *hora* accepta pro *univerſo* tempore paſſionis humiliationiſque, quod duravit uſque ad ejus reſurrectionem Act. II. 24. quod etiam *tenebræ*, mortem ejus concomitantes & ſecutæ, ſignificaſſe videntur Luc. XXIII. 44. 45. Cujus deſcenſus ſcopus fuit, ut nos à poteſtate & *dominio* mortis, poteſtatiſque tenebrarum liberaret Hoſ. XIII. 14. 1 Cor. XV. 54. 55. 56. 57. Col. I. 13. Nec tamen hic totius hominis Chriſti deſcenſus ita venit accipiendus, ac ſi *anima* ejus poſt mortem quicquam fuerit paſſa, præter privationem *unionis naturalis* cum corpore; cum jam moriens, animam tradiderit in *manus* Patris Luc. XXIII. 46. quæ in paradiſum continuo recepta eſt. *Ibid.* vſ. 42. 43: aut *corpus* etiam ullum dolorem ſenſerit; ſed quod, per hoc tempus, fuerit quaſi ſub *triumpho* univerſæ poteſtatis tenebrarum.

Pars elenchtica.

Quæritur 1. An deſcenſus Chriſti ad inferos, non ſit niſi demonſtratio ejus non-exiſtentiæ?

XI. Circa deſcenſum Chriſti quæritur *primo*, an deſcenſus Chriſti ad inferos, nihil aliud ſibi velit, quam demonſtrare, Chriſtum certò mortuum eſſe, ſicut alii quivis homines moriuntur, h. e. in ſtatum *non-exiſtentiæ* tranſiiſſe? Affirmant Sociniani, Smalc. *de Divinit. Chriſt.* cap. XIII: ſcil. quod ſtatuant *mori* non aliud eſſe, quam non *amplius exiſtere*; & Chriſtum, à morte uſque ad reſurrectionem ſuam, *non extitiſſe*. Cujus falſitatem nos cap. præcedenti, ex profeſſo demonſtravimus §. XVIII. Et hujus *non-exiſtentiæ* Chriſti, quo fideles, ad ſuam conſolationem, ſe derentur certiores; in Symbolo volunt adjectos fuiſſe articulos de *ſepultura*, pariter & *deſcenſu* ad inferos. Nec pro hoc ſuo deſcenſu ad inferos, adverſarii vel tantillum adducunt, præter hypotheſes, loco citato à nobis notatas ac deſtructas. Ut non ſit neceſſum huic quæſtioni diutius immorari. Niſi quod omnino notandum veniat, ex hac ſententia, qua infernus eſt *non-exiſtentia*, ſequi, (1) quod omnis tollatur *differentia*, inter pios & impios morientes, uſque ad extremum judicium; (2) quod pii perinde ac impii, poſt mortem detrudantur *in infernum* (3) quod per iſtam non-exiſtentiam, animarum *immortalitas* pereat; (4) quod idem ſit ſtatus præſens hominis morientis & bruti; (5) quod nulla expectanda ſit carnis reſurrectio, homini magis quam bruto; (6) quod omnis *infernus* revera tollatur & (7) pro Chriſtianiſſimo, Sadduceiſmus conſtituatur.

2. An localiter deſcenderit ad inferos?

XII. *Secundo* quæritur, an Chriſtus *localiter* quoad animam deſcenderit ad inferos? Pontificii, in gratiam *limbi Patrum*, ut inde fideles veteris Teſtamenti, ante actualem ejus ſatisfactionem mortuos, traduceret in cœleſtem beatitudinem, affirmant quidem; ſed non abſque ſententiarum divortio: aliis 1. exiſtimantibus, non quoad *eſſentiam* animæ; ſed quoad *efficaciam*, & certos ibidem effectus, deſcendiſſe. Sic Durandus *in lib.* 3. *ſentent.* diſt. 22. quæſt. 3. quem Bellarminus refellit lib. 4. *de anima Chriſti* cap. 15. Communiter 2. ſtatuunt, quoad *eſſentiam* animæ, localiter ipſum deſcendiſſe. Sic Bellarminus *ibid.* cap. 10.--16. Lutherani, neſcio quo motu, adverſus proprias hypotheſes, *localiter* item deſcendiſſe ſtatuunt, ut ibidem de diabolis *triumpharet*. Interim & deſcenſum *animæ* in ſtatum infernalem, agnoſcunt, adeoque duplicem ejus deſcensum comminiſcuntur. Hinc variis quæſtionibus ſeipſos torquent: an deſcenſus ad ſtatum humiliationis, an exaltationis ſit referendus? an poſt ſepulturam confeſtim, an diu poſt; acciderit? an in divina, an humanâ naturâ? an in ſolâ animâ, an in totâ perſona acciderit? Reformati omnem localem deſcenſum negant, eo quod (1) nec ſecundum *divinam* naturam deſcendiſſet (quæ, per ſuam omnipræſentiam, omnem motum *localem* reſpuit) nec ſecundum *humanam*; ut quæ rurſus, nec quoad *corpus* deſcendit, quod per iſtud triduum, partim in cruce pependit, partim in ſepulchro jacuit: nec quoad *animam*, utpote quam jamjam moriturus, in manus *Patris* commendavit, quæque ipſo etiam illo die, in paradiſum aſcendit Luc. XXIII. 43. quemadmodum Adamus ipſo peccati die, ejectus fertur è paradiſo Gen. III. 23. 24. (2) quia deſcenſus ille *localis* prorſus eſt inutilis & otioſus; nec enim deſcendit in infernum, ut ibidem pro nobis *pateretur*; hoc enim in cruce dudum *conſummatum* erat Joh. XIX. 30: nec, ut deſcenſu iſto, pro noſtris peccatis *ſatisfaceret*; hoc enim dudum præſtitum erat morte Heb. II. 14. & IX. 12. 1 Theſſ. I. 10: nec ut Patres V. Teſtamenti ex inferno educeret, quoniam nunquam in *inferno* fuerunt, ut patet

Diverſæ affirmantium ſententiæ.

Reformatorum negantium ſententia probatur.

patet in Enocho Heb. xi. 5. & Eliâ 2 Reg. ii. 11. nec ut de diabolis *triumpharet*; factum enim illud dudum erat in cruce Heb. ii. 14. 15. Col. ii. 14. 15. & postmodum etiam in ascensione Eph. iv. 8--12. Addam (3) quod *limbus* Pontificiorum, non sit nisi otiosum *figmentum*, omni Scriptura & ratione destitutum. Est tamen quod in contrarium moliantur; nim. causantur A. locum Ecclesiastici cap. xxiv. 45. *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Resp, 1. Est liber Apocryphus. 2. verba ista non extant in textu Græco, nec 3. agunt de *animâ* Christi; nec 4. de descensu *locali*, nec 5. de limbo quodam infernali, nec 6. de educendis inde fidelibus V. T. B. Matth. xiii. 40. *Ita filius hominis, per tres dies & tres noctes, erit in corde terræ.* Conf. Eph. iv. 9. Resp. Intelligitur *sepultura*, non autem locus *damnatorum*, multo minus *limbus* infernalis: & per *cor*, interiora terræ notantur, nec præcisè *centrum*, aut quod centro proximum sit. Conf. loca Exod. xv. 8. Deut. iv. 11. 2 Sam. xviii. 14. Prov. xxiii. 34. & xxx. 19. Ezech. xxvii. 4. 25. 26. 27.: neque etiam animæ *separatæ* ulla hic existit mentio. C. Act. ii. 27. *non derelinques animam meam* לשאול, *in inferno.* Resp. τὸ שאול in Scripturis frequenter designare *statum* infernalem, cruciatus infernales, jam ante §. ii. vii. docuimus. D. Rom. x. 7. *Quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reducere.* Resp. Ad summum hinc nihil aliud conficitur, quam, animam Christi inter moriendum, in *statum* infernalem descendisse. E. Eph. iv. 9. *Quod prius descenderit in imas partes terræ.* Resp. Intelligi debet, *vel* descensus à summo cœlo, in imas *mundi* partes, terram, factus sui incarnatione Joh. vi. 38. 1 Cor. xv. 47. *vel* descensus corporis in *sepulchrum*, ut diximus. F. 1. Pet. iii. 18. 19. dicitur *per spiritum profectus, prædicasse spiritibus qui sunt in carcere.* Resp. *Spiritu* qui fuit in Prophetis 1 Pet. i. 11. atque etiam olim in Noacho, immorigeris illis prædicavit adhuc *in terrâ* viventibus, qui jam sunt in carcere. Proinde non de animabus *fidelium* V. T. Apostolo sermo est; sed de animabus *immorigerorum* tempore Noachi. Tandem G. causantur, ante factam morte Christi solutionem, ipsos fuisse sub reatu, & consequenter, è carcere infernali, in libertatem cœlestem admitti non potuisse. Resp. (1) Refellit istud manifestum Enochi & Eliæ exemplum Heb. xi. 5. 2 Reg. ii. 11. (2) liberati & admissi sunt propter satisfactionem, *expromissione* æterna, à Christo ab iis in se susceptam Jes. liii. 4. 5. Act. xv. 11. cum Heb. xiii. 8.

Argumenta adversariorum.

3. An Christus per triduum

XIII. *Tertio* quæritur, an Christus per triduum mortis & sepulturæ, veri ac proprii nominis *homo* fuerit? Aquinas *part.* 3. *quæst.* 50. *art.* 4. negat, & contrarium etiam hæreticum censet, quod *mors* Christi sit de fide: fatetur tamen, quod fuerit *homo mortuus.* Cum eo facit Vener. nuper Collega D. Burmanus *Synopf.* lib. v. c. 18. §. 3. *Subnascitur*, inquit, *quæstio, num mortis hoc triduo Christus verus fuerit homo? Quod merito negatur à Thomâ, licet æquivoce homo dici possit, id est homo mortuus; non autem univoce. Quo vero modo desit esse homo, eo etiam hactenus desitit esse ἄνθρωπος: licet cæteroquin, laxato vinculo animæ & corporis, illæsa manserit utriusque unio cum λόγῳ, & soluta unione naturali, præstitit tamen personalis.* Hugo de S. Vict. *De Sacram. lib.* 2. part. 1. cap. xi. affirmant quidem: sed subtili fundamento, quod *anima sola sit homo*, quâ ratione Christus, ut homo fieret necessum non habuisset, ut *caro* fieret, aut carnis ac sanguinis particeps, cui obloquitur Apostolus Heb. ii. 14. 15. Joh. i. 1. Affirmat idem Lombardus *lib.* 3. *sent. distinct.* xxii. §. 7. sed ratione itidem invalidâ: quod ad constitutionem hominis non requiratur partium essentialium, corporis & animæ *unio*: cui omnis reclamat sana Philosophia. Reformati agnoscunt, Christum verè fuisse mortuum, eoque unionem *naturalem* animæ & corporis, per hoc triduum, fuisse sublatam, & hinc etiam *hominem mortuum* quidem; sed tamen etiam veri ac proprii nominis *hominem*, quod aliàs (1) per istud triduum, aut non fuisset *Sanctus* ille Domini, qui *sanctificatus à Patre, in mundum venit* Joh. x. 36, aut destructus fuisset: cui contradicit textus Psal. xvi. 10. Aliàs (2) non fuisset *Sacerdos* ille *æternus* Psal. cx. 4. Heb. v. 6. & vi. 20. & vii. 17. cui repugnat Apostolus Heb. ii. 17. Aliàs (3) per hoc triduum non fuisset *Jesus Christus.* Sequelam Agnoscit Franc. Sylvius *Comment. ad Thom.* part. 3. quæst. 50. art. iv. *Difficultas autem est*, inquit, *an illo triduo fuerit Christus? Ratio dubitandi est, quia Christus significat suppositum existens in divina & humana naturâ, tunc autem humanâ naturâ non erat, desierat enim humanitas per hoc, quod unio animæ & corporis (quæ est de essentiâ humanitatis) desierat. Quapropter verius videtur, quod proprie non erat Christus, nisi per Synecdochen, quomodo, sicut jam dicitur Sanctus Petrus esse, ita verum est, tunc fuisse Christum.* Confirmat insuper sequelam Apostolus 1 Tim. ii. 5. *Homo Jesus Christus.* Aliàs etiam (4) per id triduum non fuisset *Mediator*, & sic mundus, per hoc triduum, fuisset absque Mediatore: quoniam ad Mediatoris constitutionem, perinde humanitas ac Deitas requiritur, unde Apostolus 1 Tim. ii. 5. Unus *Mediator—homo Jesus Christus.* Nec etiam (5) proprie dictus ἄνθρωπος; adeoque pro duobus subsistendi modis, hactenus receptis, *ante* & *post* incarnationem; jam tres venient numerandi. Nec insuper (6) extremus ille humiliationis Christi gradus, qui in sepulturâ

mortis & sepulturæ fuerit verus homo?

Variæ variorum sententiæ.

Reformatorum sententia probatur.

pulturâ, & in exiſtentia ejus ſub poteſtate ac dominio mortis, erat; fuiſſet mediatorius, & pro hominibus ſuſceptus. Imo (7) velint nolint, ex hac hypotheſi, luxata fuerit *unio* duarum uaturarum hypoſtatica: ſublata enim partium unitarum alterâ, tollitur etiam ipſa unio. Maneat igitur (8) Jeſus Chriſtus, à primo ſuæ incarnationis momento, in omnem uſque æternitatem, verus homo, θεάνθρωπος, Mediator, *heri*, *& hodie*, *& in æternum idem* Heb. XIII. 8. Si cauſentur in contrarium, quod ſublatâ partium eſſentialium, corporis & animæ *unione*, non ſuperſit veri & proprii nominis homo: largiar, ſublata *omni* partium iſtarum unione, non ſupereſſe veri ac proprii nominis hominem; ſed cum, omnium Chriſtianorum conſenſu, in incarnatione duplex per Spiritum S. fuerit procurata unio: altera *naturalis*, per quam homo *verus* erat; altera *perſonalis*, per quam eadem perſona non *Deus* tantum fuit; ſed & *homo*: ceſſante priore, reſtat nihilominus *poſterior*. Proinde, cum partes hominis eſſentiales in morte, non fuerint deſtitutæ *omni* unione (ſicut ordinariè fit in mortuis, qui per hoc etiam, non niſi æquivocè homines ſunt) ſed eâ tantum, quæ *vivum* faciebat hominem: ipſum nihilominus veri & proprii nominis *hominem*, per triduum mortis & ſepulturæ manſiſſe, concludimus.

Fundamentum ſententiæ adverſariæ tollitur.

Pars practica.

Deſcenſus Chriſti: 1. Argumentum præſtat gratitudinis. Quibus rationibus motivis.

XIV. Deſcenſus Chriſti, ſeu ima ejus humiliatio, *generaliter* quidem, *primo* argumentum præſtat ſummæ gratitudinis 1 Cor. XV. 54--58. Rom. VII. 24. 25. Quod non tantum 1. incarnatione, è ſummo cœlo deſcenderit, in imas mundi partes, terram Eph. IV. 8. 9. Nec tantum 2. è *forma Dei*, in *formam ſervi* Phil. II. 6. 7.: Nec tantum 3. è vitâ, velut *princeps vitæ* Act. III. 15. in *mortem exſecrandam* crucis *Ibid*; ſed etiam 4, quoad corpus, à terrâ in ſepulchrum, in *cor terræ* Matth. XII, 40. in cadaverum ſtabulum: 5. quoad *animam*, in *ſtatum* & conditionem infernalem Pſal. LXXXVIII. 5. 6. 7. quo deſertus eſt à Deo Patre ſuo Matth. XXVII. 46. & *doloribus mortis*, ſcil. infernalis, excarnificatus, cap. XXVI. 37. 38. Act. II. 24. ipſaque factus exſecratio Gal. III. 13. Denique 6. quoad integram *humanitatem*, in poteſtatem & *dominium* mortis, & totius poteſtatis tenebrarum: ut morti & inferno fuerit quaſi triumphus & ludibrium 1 Cor. XV. 55. 56. Quo deſcensu profundior, nec eſſe, nec cogitari poteſt. Idque factum 1. quia nos, peccatis noſtris, quaſi in *cœlum* nos extuleramus, cœlorum Regi Deo pares futuri Gen. III. 5. Conf. Jeſ. XIV. 13. imò ſupra cœlos, h. e. *ſupra* Deum ipſum. Conf. 2 Theſſ. II. 4. Exod. V. 2. Adeoque 2. nobis indeclinabiliter *deſcendendum* fuiſſet, in eandem foveam horridi ſepulchri, in eundem *ſtatum* infernalem, in idem *dominium* & ludibrium, univerſæ poteſtatis tenebrarum; niſi ipſe deſcendendo nos liberaſſet Zach. IX. 11. Heb. II. 14. Hoſ. XIII. 14. Conf. Jer. XXXVIII. 6. 10. 12. Dan. VI. 17. 18. 24. Ad hoc 3. ut ex abyſſo miſeriæ *infernalis*, in *cœleſtem* extolleret gloriam Eph. II. 6. noſque ſecum collocaret in *thronis* Apoc. III. 21. & XI. 16. In his omnibus, nunquid argumentum nobis ſuppetit *gratitudinis*? quâ, A. ſenſu peccatorum noſtrorum, quaſi in infernum uſque, nos coram eo humiliemus Luc. XV. 21. Mich. VII. 9. quod filium Dei, noſtris peccatis, in infernum detruſerimus Jeſ. XLIII. 24. Ex adverſo B. quem in infernum uſque depreſſimus peccatis; eum in cœlum uſque, imo ſupra cœlos, extollamus gratitudine & laudibus noſtris 1 Paral. XXIX. 11. 1. Reg. VIII. 23. 27. Phil. I. 21. Imo C. propter ejus exaltationem, nos ad ima, ad peſſima quævis, humiliemus Joh. I. 27. &, ſi pote, ad infernum nos humiliari patiamur 1 Cor. IV. 9. 10. 13. Atque etiam D. ipſam *gloriam* noſtram, coronas noſtras, ad ejus pedes promptè projiciamus, qui ſeipſum tam profunde abjecit pro nobis Apoc. IV. 10. 11. Conf. praxin Cap. IX. de *Mediat. humiliat.*

Quibus officiis.

2. Præſtat fundamentum fiducia. Quibus caſibus.

XV. *Secundo*, præſtat deſcenſus Mediatoris *fundamentum fiducia*, ſolatii & gaudii Chriſtiani; ut cum Mediatore, velut capite noſtro, pſallamus: *propterea lætatum eſt cor meum, & exſultavit gloria mea, etiam caro mea habitabit in ſide* &c. Pſal. XVI. 9. 10. item 1 Cor. XV. 55. 56. Fundamentum inquam fiduciæ præſtat, quotieſcunque 1. cogitamus & horremus inexhauſtam *abyſſum*, eorum qui deſcendunt in infernum, cum diabolo Apoc. XX. 3. horrente ac deprecante deſcenſum ſuum Luc. VIII. 31. cum epulone Cap. XVI. 23. 25. cum Core; Dathan & Abiram Num. XVI. cum dracone Apoc. XII. 9. & XX. 2. & pſeudopropheta *Ibid.* VI. 10. quotieſcunque nobis videmur audire horrendam Judicis vocem: *abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus* Matth. XXV. 41. item ejulatus & ſtridores dentium, eorum qui conjecti ſunt in tenebras *infernales* Matth. XXII. 13. & cogitamus *vermem* nunquam moriturum, & *ignem* nunquam extinguendum Jeſ. LXVI. 24. Quid, hoc caſu, efficacius ſolari poſſit? quam Mediatorem, non *pro ſe*; ſed pro *ſuis*, in abyſſum miſeriæ deſcendiſſe tam profundam Rom. X. 7. ejuſque claves conſecutum fuiſſe Apoc. I. 18. & III. 7. & egrediendo q. recluſiſſe, ſuoſque *vinctos è fovea* liberaſſe Zach. IX. 11. Quotieſcunque 2. horror *ſepulchri* terret, ubi corpora noſtra computreſcunt, quorumvis animantium cadaveribus olentiora, hominibus abominationi, ac vermibus eſcæ fiunt Job. IV. 19. & XVII. 14. & XXI. 26. Jeſ. LI. 8. Conf. Act. XII. 23.: tum, quid efficacius erigere poſſit? quam cogitare: & Jeſum noſtrum,

in

in *ſepulchrum* deſcendiſſe, non *pro ſe*; ſed pro *ſuis*: eoque, ex ſepulchro κοιμητηριον, aut habitaculum potius, feciſſe: in quo corpora noſtra, uſque ad reſuſcitationem, *habitare* poſſint *ſecure* Pſal. XVI. 9. Quotieſcunque 3. *animæ* in horrores inferni deſcendunt, cum Davide Pſal. XVIII. 4. 5. 6. cum Hemane Pſal. LXXXVIII. 5. 7. 15. 16. 17. cum Aſapho Pſal. LXXII. 8. 9. 10.: quid tum eſt efficacius? quam cogitare, & *Chriſtum* deſcendiſſe, nec *pro ſe*; ſed pro *ſuis*: & ſicut ipſum non dereliquit in inferno Deus; ita, propter ipſum, nec ſe derelicturum. Quotieſcunque 4. *dominium mortis*, tyrannis *Satanæ* Heb. II. 14. ac *tenebrarum* Col. I. 13. ut nobis imminens, excarnificat: quid efficacius cogitabimus? quam *Sanctum* Domini in illud etiam deſcendiſſe: nec pro ſe; ſed pro ſuis: proinde, nos cum ipſo, (שחת, ſeu) *exitium* æternum, nunquam viſuros. Modo 1. cum *Chriſto* deſcendente, verâ fide ſimus *uniti*, ut in eâ, cum ipſo *moriamur* Rom. VI. 8. *ſepeliamur*, ibid. vſ. 4. in *vallem umbræ mortis* deſcendamus Pſal. XXIII. 4. Modo 2. in *noſtro* iſto deſcenſu, h. e. in omnibus iſtis caſibus (cum Chriſto deſcendente) Deus noſtra ſit *portio*, qui noſtram *ſuſtentet ſortem* Pſal. XVI. 5. qui *deficiente corde noſtro*, *ſit rupes*, *& portio noſtra*, *in æternum* Pſal. LXXIII. 25. Modo 3. Deum, atque etiam Chriſtum pro nobis deſcendentem, in deſcenſu noſtro continuo habeamus *ob oculos*: ut qui nos *ſuſtentet*, ut *non vacillemus* Pſal. XVI. 8. qui *ambulantibus in umbra mortis*, *adſit* ſuâ gratiâ, *fulciatque* Pſal. XXIII. 4. Modo 4. vel in ipſo noſtro deſcenſu, his fulcris, *cor* noſtrum *exhilarâri*, & *gloria* noſtra, cum Chriſto deſcendente, *exultare* conetur Pſal. XVI. 9. Job. XIX. 25. 26. 27.

Quibus conditionibus?

3. Monet nos ipſos non elevemus in cœlum uſque.

XVI. *Tertio*, deſcenſus Chriſti ad abyſſum imæ miſeriæ, efficaciſſimè monet, ſerio caveamus nos ipſos *elevare*, ad ſuprema cœli, ut cum Babylone, dicamus *in corde* noſtro, *aſcendam in cœlum*, *& thronum meum ſupra ſtellas Dei exaltabo* Jeſ. XIV. 13. & cum Capernaum, *ad cœlum uſque nos elevemus* Matth. XI. 23. & velut *aquila*, in *excelſis nidum noſtrum ſtruamus* Job. XXXIX. 30. Nunquid enim 1. *turpiſſimum* eſt, ut filius Dei è cœlo deſcendat in infernum uſque, & homuncio q. ab inferno aſcendat in cœlum, ſeque collocet in throno Dei, imò extollat ſupra Deum? 2 Theſſ. II. 4. Nunquid 2. *iniquiſſimum* eſt, cum filium Dei, profunditate miſeriæ noſtræ, quaſi in infernum detraxerimus; ut nos ejus quaſi *ſolium* occupemus in cœlis? Nunquid 3. *juſtiſſimum* eſt, ſi nos ipſos extollamus in *cœlum* uſque, ubi filius Dei ſeipſum demiſit in *infernum* uſque; ſi nos thronum noſtrum juxta Deum, aut ſupra ipſum collocaverimus; ut ab ipſo, cum Babylone Jeſ. XIV. 11. cum Capernaitis Matth. XI. 23. cum Nebucadnezare Dan. IV. 25. 29---34. in *infernum detrudamur*, & cum Herode à vermibus, quaſi in ſepulchro, devoremur Act. XII. 21. 22. 23.: quiſquis enim *ſeipſum exaltaverit*, *humiliabitur* Luc. XVIII. 14. Matth. XXIII. 12. Prov. XXIX. 23. Dum ex adverſo 4. ſi nos ipſos, coram Deo dejecerimus in *infernum* uſque; ipſe nos elevaturus eſt in *cœlum* uſque Pſal. CXIII. 4---9. Fuit deſcenſus hujus praxis *generalior*; ſuccedit *ſpecialior*: primò *ſepultura*:

Exempla.

Rationes deſuaſoriæ.

4. Sepultura Chriſti confirmat:

α. fidem noſtram.

XVII. *Quarto*, deſcenſus corporis Chriſti in *ſepulchrum* peculiariter: 1. confirmat egregiè, A. *fidem* noſtram 1 Cor. XV. 2. cum vſ. 4. quod α. verè & infallibiliter *mortuus* ſit: in quam rem, divinâ providentia, Pilatus Judex, adeo ſolicitus fuit in exquirendo, an *mortuus* eſſet Marc. XV. 44. & milites, adeo ſecuri de morte ejus, ut confractis latronum cruribus, ipſius crura non contigerint: quorſum etiam ſpectabat triduana in ſepulchro *commoratio*: ut nim. ſi forte ſuſpicari poſſemus, ipſum *in cruce* vere mortuum non fuiſſe: ſaltem in *triduo* ſepulturæ mortuum fuiſſe; non poſſemus non credere. Quod proinde β. verè etiam pro peccatis noſtris ſatisfecerit, noſtrumque *reatum* ſecum in ſepulchrum, & in carcerem abripuerit, quamobrem fortè in alienum ſepulchrum, Matth. XXVII. 60. & cum othoniis *peccatorum* noſtrorum Joh. XIX. 40. q. *vinctus* deſcendere, eaque reſurgens, in ſepulchro relinquere voluit Joh. XX. 5. ut ſignificaretur, in reſuſcitatione Judicem, ſolutis omnibus *vinculis*, quibus, propter peccata noſtra, conſtrictus tantiſper tenebatur Pſal. XVIII. 5. 6. ipſum liberum è carcere dimiſiſſe: quod, præſtita jam pleniſſimâ ſatisfactione, *impoſſibile* eſſet, ipſum à morte, in *vinculis mortis* & carceris, diutius detineri Act. II. 24. Ut jam, cum diſcipulis, poſſimus *introſpicere ſepulchrum* ejus, & ibidem *contemplari* (θεωρειν) τα δεδομενα ἐν-μενα Joh. XX. 6. 7. ſcil. in confirmationem fidei & fiduciæ noſtræ, quod præſtita ſatisfactione, vincula peccatorum noſtrorum, quibus in carcere ſepulchri ligatus *jacebat*; jam ſoluta, & in carcere relicta ſint.

β. Confirmat animum noſtrum contra horrorem ſepulchri.

XVIII. *Quinto*, nec tantum fidem noſtram; ſed B. *animum* etiam, confirmat ſepultura Chriſti, quotieſcunque *ſepulchrum* (quod reverâ peccatoribus non eſt, niſi porticus & præliminare τῦ שאול, ἅδης: à quo & nomen commune obtinet; *carcer* juſtiſſimi Judicis Dei, in quo mortis æternæ reos catenis caliginis conſtrictos ſervat, uſque ad extremum judicium: interea vermibus, ſerpentibus, (quorum *ſemen* erant) & bufonibus devorandos tradit; ubi ipſismet diabolis, ſuis olim tortoribus, cohabitent Marc. V. 3.) quotieſcunque, inquam, *ſepulchrum* noſtrum hoc modo cogitamus; quid efficacius nobis, pro ſolatio, repræſentabimus? quam 1. & Mediatorem noſtrum

Argumenta confirmantia. descendisse in *sepulchrum*, & nos proinde, in hoc etiam ei *conformes* futuros; in quo Christiani præcipua perfectio consistit: quod simus ejus *consepulti* Rom. VI. 3.: cum præsertim non doceat, *discipulum* melioris conditionis esse suo *Magistro* Matth. X. 24. 25. Quin 2. non *sibi*; sed *nobis* sepultum esse, eoque omne nocumentum, horrorem, & virus ei detraxisse 1 Cor. XV. 55. 57. Nec 3. cum eo nos vivos sepeliri; sed *mortuos*, omnis sensus & horroris cassos. Nec 4. ut *pereamus*; sed ut cum eo *quiescamus à laboribus* Apoc. XIV. 13. Nec 5. ut *æternum* putrescamus; sed ut cum Christo *resurgamus* Joh. XI. 25. ceu semen agro mergitur, non ut putrescat; sed ut putrescendo, cum multo auctario refloreſcat: id Apostolo admodum emphatice docente 1 Cor. XV. 35—50. Ab his omnibus 6. sepulchrum nobis, ceu Mediatori nostro, non tam sepulchrum est; quam κοιμητήριον, cubile Jes. XXVI. 20. ubi cum Christo, à *laboribus* mortis & morborum, ab exagitationibus mundi, ut *cervæ aurorâ*, paulisper quiescamus, ac respiremus Joh. VII. 1. 2. 3. imò & asylum etiam, ubi ab inimicis, persecutoribus omne genus spiritualibus & corporalibus, securi; q. vasto *lapide*, quem nullus possit removere Marc. XVI. 3. & q. *sigillo* Judicis omnipotentis Matth. XXVII. 64. 65. 66. muniti, *carne* nostrâ, cum Mediatore capite nostro, usque ad resuscitationem (ישכן לבטח) *habitemus secure*. Et ab his omnibus, cum Christo, *lætabitur cor* nostrum, & *exultabit gloria* nostra: quod *etiam caro nostra habitabit secure*. Quin & 7. si, vel per crudelitatem hostium, vel per quamvis Dei providentiam, *honesta* sepultura nobis non obtingat; quid adversus hujus mali metum efficacius confirmari possit? quam Christum, caput nostrum, pro nobis sepultum esse 1 Cor. XV. 3. 4. imò nos per Baptismum, ei dudum esse *consepultos* Rom. VI. 4. Col. II. 12. modo, sicut jam ante §. XIV. monere cœpimus: (1) *in Domino* simus mortui Apoc. XIV. 13. (2) *cum ipso* simus sepulti Col. II. 12. ut membra, ejusdem cum eo corporis mystici 1 Cor. XII. 12. adeoque Christum, in sepulchro etiam, nobis habeamus quasi præsentem Psal. XXIII. 4. (3) modo caput istud nostrum, pro nobis sepultum, *semper* nobis *ponamus ob oculos*, *ut sit nobis à dextra*, *ne declinemus* Psal. XVI. 1. Modo (4) in fiducia לבטח, cum Mariâ Magdalena, *summo mane*, *cum adhuc tenebræ sunt*, Joh. XX. 1. & cum discipulis, *curramus* ad sepulchrum Christi, id per fidem confidenter conemur introspicere, imo & ingredi cum Petro sepulchrum Christi: sane deprehendemus, omnem *lapidem* nobis fore avolutum: reperiemus, jam *Angelos* sedentes in sepulchro, nosque erigentes, horrore sepulchri prostratos, monstrabuntque locum, ubi *Jesus* jacuit: imo repetimus ipsa ejus othonia, cum sudario cui caput ejus involutum fuerat; cui etiam, per fidem, nos totos poterimus quasi involvere Marc. XVI. 1—8. modo denique (5) cum Christo in *novum* sepulchrum *spirituale* condi, illudque tempestivè præparari, curemus cum Josepho.

Requisita confirmandorum.

XIX. *Sexto*, sepultura Christi nos efficaciſſime instigat, ut virtute ejus, sepeliamus quævis peccata nostra Rom VI. 4. Col. II. 12. h. e. serio conemur, ut 1. Christo, quoad sepulturam, magis magisque conformemur: quod fit diversis actibus, nim. α. per *contemtum* & *vilipendium* peccati: quemadmodum enim Christus, jam sepultus, hostibus contemtui & opprobrio fuit, tanquam *impostor* Matth. XXVII. 63. 64. (à quo gutura impiorum, *aperta sepulchra* appellantur Psal. V. 10. Rom. III. 13.: quod pii in ea incidant, velut in putrida sepulchra) ita & peccata quævis non *diligamus* 1 Joh. II, 15. sed *odio* prosequamur, tanquam *impostores* turpissimos Jud. *vſ.* 23. cum Heb. III. 13. contemtui habeamus; & abominemur velut cadavera, & *opera mortua* Heb. VI. 1. & IX. 14. cum Rom. VII. 24. β. per *abnegationem* ejusdem: sicut enim primores Judæorum, Christum sepeliendum, dicuntur *abnegasse* Act. III. 14. ita & nos, velut discipuli Christi, peccata quævis *abnegemus* Luc. IX. 23. γ. per *mortificationem* ejusdem: idque diversis *gradibus*: sicut enim (1) Pontius Pilatus, antequam Christum traderet crucifigendum ac sepeliendum, prius ipsum *vulnerandum* & flagellandum tradidit Joh. XIX. 1. ejusque milites corona spineâ caput ejus vulnerarunt; ita & nos peccata nostra sepelienda, *vulneremus*, flagellemus, imo ipsum eorum caput, quod præstant peccata maximè nobis dilecta, *vulneremus*, flagellemus, *amputemus* Matth. V. 29. & XVIII. 8. *torqueamus* 1. Cor. IX. 27. Quæ vulneratio propriè fit per punctura & remorsus conscientiæ, peractis peccatis, à sensu turpitudinis, & comminationibus legis, oriundas Act. II. 37. Luc. XV. 21. Sicut (2) Judæi, priusquam Christum crucifigendum sepeliendumque postularent; ipsum accusârunt, examinarunt, condemnarunt, ut seductorem, blasphemum Matth. XXVI. 59.-67. ita & nos, præmisso accurato *examine* Zephan. II. 1. Gal. VI. 4. institutа rigidâ accusatione Rom. II. 15. tandem, ut seductores & blasphemos, absque gratia, cum Deo *condemnemus* Rom. VIII. 3. tanquam *mortis* reos. Sicut (3) condemnatum Christum Judæi & Pilatus *crucifixerunt* Matth. XXVII. 26.: ita & nos peccata condemnata *crucifigamus* Gal. V. 24. & II. 20. h. e. clavis comminationum divinarum, velut cruci Christi affigamus. Conf. Col. II. 14. Sicut (4) crucifixum Judæi penitus *interfecerunt*, etiam in mortuum, perfosso ejus latere, sæviendo Joh. XIX. 32. 33. 34.: ita & nos peccata nostra *mortificemus*, h. e. ab eis non desistamus, donec *penitus* confecerimus Col. III. 5. Tandem

6. Sepultura Christi nos instigat ad spirituale m peccatorum sepulturam. Hæc quibus actibus gradibusque peragatur.

(5)

(5) ſicut Judæi crucifixum & mortuum; ut *ſpectaculum* abominandum & exſecrabile, confeſtim ante veſperam, curârunt ſepeliendum, & à conſpectu hominum, infra terram detrudendum, appoſitis etiam, ne emergeret, cuſtodibus, ac ſigillo Judicis Matth. XXVII. 61.--ita & nos peccata, utcunque crucifixa & mortificata, ut abominandum quid & exſecrabile, totum quantum eſt, à conſpectu *Dei* & *hominum*, in *ſepulchrum* detrudamus Rom. VI. 4. eique, ne quando erumpat, cuſtodes affigamus Prov. IV. 23. Joh. XXXI. 1. Nec tantum in his omnibus, aliiſque, ſepulturam Chriſti imitari ſatagamus: ſed etiam 2. quicquid ſatagimus, virtute ſepulturæ Chriſti conemur, h. e. ℵ. per *meritum* ſepulturæ Chriſti: quatenus, non *pro ſe*; ſed pro *nobis*, noſtriſque peccatis onuſtus, in ſepulchrum deſcendit, ut ea ibidem conderet aboleretque: in cujus rei ſymbolum, non *proprium*; ſed *alienum* monumentum ſubire voluit Matth. XXVII. 60. ג. per *promiſſionem* Mich. VII. 19. quâ ſepeliendus olim, & ſicut Jonas, abjiciendus in abyſſum Matth. XII. 40. promiſit, ſe peccata noſtra conjecturum, & quaſi ſepulturum in profundo maris: utique, non tantum per *juſtificationem*; ſed etiam per *ſanctificationem*, quâ vires nobis conferuntur, quibus peccatum mortificemus & ſepeliamus. Imprimis ב. per *unionem* cum Chriſto, quâ cum eo *coaleſcimus* in *unam plantam*; ſicut *aſſimilatione mortis & reſurrectionis*, ita & *ſepulturæ* Rom. VI. 5. adeoque *unà* cum eo *ſepelimur* vſ. 4. Hinc etiam ד. per *fidem*, qua cum Chriſto *unimur*, Chriſtum quaſi *induimus* Gal. III. 27. ipſeque in cordibus noſtris *habitat* Eph. III. 17. ac proinde ejus virtutem, quâ peccata ſepelimus, in nos quaſi transplantat. Tandem ה. per *Baptiſmum* noſtrum, cujus efficaci rememoratione & uſu, cum Chriſto, ſpiritualiter peccatis *ſepelimur*, & *per fidem*, in *virtute Dei, qui Chriſtum ſuſcitavit*, relictis in ſepulchro peccatis, in vitam meliorem *reſurgimus* Col. II. 12. Rom. VI. 4. 6.

Quibus item adminiculis.

7. Monet, fideles in Chriſto, & pro Chriſto mortuos ſepeliamus.

XX. *Septimo* monet, Chriſtum *myſticum* 1 Cor. XII. 12. in membris ſuis noſtriſque mortuum; ſi cumprimis, per crudelitatem hoſtium ejus Pſal. LXXXIX. 2. nominatim Antichriſti, (cui hoc ſolenne eſt in hæreticos, quos vocat Apoc. XI. 9.) propter Chriſtum, non tantum vita indignè fuerint privati; ſed etiam honeſti ſepultura: officio charitatis extremæ, in honeſta funeratione, mactemus, noſtris linteis, aromatibuſque q. involvamus: 1. Exemplo Joſephi, Nicodemi, Joh. XIX. 38. 39. Mariæ Magdalenæ Joh. XII. 3. 7. Quod 2. hoc *ipſi* Chriſto præſtabimus Matth. XXV. 40. Quod 3. hoc argumentum nobis præſtet, unionis cum Chriſto, & *communionis* ſanctorum, per amorem & συμπάθειαν 1 Cor. XII. 12.---28. Ex quâ porro 4. quod aliis præſtamus Chriſti membris, *nobis* ipſis præſtamus. Cum præſertim 5. & ipſi, juxta nobiscum, olim à Deo, cum honore veniant ſuſcitandi 1 Cor. XV. 42. Atque etiam 6. his officiis, temporibus præſertim periculoſis, ac difficilibus; fidei & *charitatis* robur demonſtrabimus, cum Joſepho Arimathæo Marc. XV. 43.

Rationes motivæ.

8. Solatium præſtat in deſertionibus ſpiritualibus.

XXI. *Octavo*, deſcenſus *animæ* Chriſtum in *ſtatum* infernalem, efficaciſſimum præſtat ſolamen, eis fidelibus, quos Deus ſubinde detrudit in *infernum* 1 Sam. II. 6. quos deducit in *vallem umbræ mortis* Pſal. XXIII. 4. ut in *tenebris* ambulent, & ſpiritualibus. lucem *nullam* videant Jeſ. L. 10. quos, ſenſu omni gratiæ ſuæ, adeo deſerit, ut cum Chriſto ejulare cogantur: *Deus mi, Deus mi, quare deſeruiſti me?* Pſal. XXII. 2. Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. quorum animos tot tantiſque angoribus replet, ut cum Chriſto erumpant: *anima mea contriſtata eſt uſque ad mortem* Matth. XXVI. 37. 38. quibus calicem *iræ* & indignationis adeo porrigit copioſe, ut dies nocteſque lamententur: *Pater, ſi poſſibile eſt, abeat à me hic calix* Matth. XXVI. 39. 42. 44. quorum ejulationibus, ſæpius iteratis, ut Chriſto, aures obturat: à quibus gratiæ ſuaviſſimæ faciem, ad *longum* ſæpè tempus, penitus avertit Jeſ. LXIV. 7. Pſal. XXX. 8. & quos à memoria ſua penitus removiſſe videtur Pſal. XIII. 2. 3. quos *Satanæ* tradit colaphizandos 2 Cor. XII. 7. Exempla illuſtria; ſed horrenda, proſtant, in Heman Pſal. LXXXVIII.--Aſaph. Pſal. LXXVII. 3.--11. David. Pſal. XXX. 9. 10. 11. Jobo cap. VI. 2. 3. 4. Et quid eſt in ſtatum *infernalem* deſcendere, ſi non hoc? His omnibus, efficaciſſimum eſt ſolatium, in hoc Chriſti deſcenſu ad inferos; ſi devotè expendant, 1. & *Chriſtum* deſcendiſſe ad inferos, nec ſibi ſtatum magis proſperum congruere, quam Magiſtro ſuo Matth. X. 24: ſibi, ut diſcipulis ſufficere, ſi *pares* ſint Magiſtro vſ. 25. imo in hoc ſummam eſſe *perfectionis* ſuæ Luc. VI. 40. hunc ſupremum electionis finem, ut *conformes reddamur imagini filii* Dei Rom. VIII. 29. Si expendant 2. Chriſtum pro *ſe*, non *ſui* ipſius cauſâ, deſcendiſſe ad inferos, ut ſe à terroribus infernalibus æternum liberaret Gal. III. 13. ut ipſi de inferno triumphare aliquando poſſint 1 Cor. XV. 55. Hoſ. XIII. 14. Rom. VII. 24. 25. Si expendant 3. ſe non *ſolos* ingredi in hoc Gethſemane; ſed à *Chriſto*, cum diſcipulis, adduci Matth. XXVI. 37. proinde ſe Chriſtum habere ſibi in hoc ſtatu *præſentem* vſ. 36. ſuique curam tenerrimam gerentem. *Ibid.* & vſ. 41. Pſal. XXIII. 4. & XCI. 15. Conf. Rom. VIII. 31. Si expendant 4. ſe, in hoc ſtatu, à Deo deſeri cum Chriſto, non quoad ipſam *gratiam*, quemadmodum reprobi, v. g. Saul 1. Sam. XVI. 14: ſed quoad *ſenſum* tantum Pſal. XXII. 10. Jeſ. XLIX. 14. 15. 16. Si expendant 5. ſe, cum Chriſto, non *perpetuo* futuros ſub miſero hoc ſtatu; ſed vix ad *triduum*, ſicut Chriſtus

Argumenta conſolatoria.

ſtus fuit Matth. XII. 40. imo ad *biduum* Hoſ. VI. 1. 2. imo ad *horam* Luc. XXII. 53. Apoc. III. 10. quin ad breve *momentum* Jeſ. LIV. 7. ad definitam *horam* gratiæ Jeſ. XLIX. 8. cum Joh. II. 4. Si expendant 6. interea animam ſuam, ſicut & Chriſti, in hoc inferno, à Deo non *deſertam* iri Pſal. XVI. 10. Heb. XIII. 5. Deut. XXXI. 6. 8. Jeſ. LIV. 6.--12. Jer. XXXI. 16.--21. ſed occultâ gratioſæ providentiæ divinæ *virga & baculo* fulciendos eſſe Pſal. XXIII. 4. Si expendant 7. quo amarior fuerit miſeria ſua, eo dulciorem ſibi fore liberationem ſuam Pſal. XXX. 8. 9. 10. cum vſ. 11. 12. 13. & CXVI. 3. 7. quando *omnes ſuas lacrymas Deus abſterget* Apoc. VII. 17. quando, pro *momento* derelictionis, *æterna* gratiâ recipiet Jeſ. LIV. 7. 8. imò, quo *profundior* fuerit ſuus deſcenſus, eo *altiorem* fore aſcenſum ſuum: quando Deus ſe, unâ cum Chriſto, reſuſcitaverit, & cum eo collocaverit ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Eph. II. 6. Modo 1. in *ſtatu* ſuo infernali, oculos mentis ſuæ continuo defixos habuerint, in *Jeſum* deſcendentem ad inferos Heb. XII. 2. 3. ſicut Chriſtus deſcendens *Jehovam ponebat ob oculos, qui ſibi eſſet à dextris ſuis* Pſal. XVI. 8. Modo 2. in ſtatu ſuo infernali, fiduciam ſervent qualemcunque in *Deo* Jeſ. L. 10. ſicut Chriſtus, non modo deſcenſurus jam ad inferos Pſal. XVI. 10. *non derelinques*; ſed etiam in ſuo inferno jam exiſtens Pſal. XXII. 5. exclamando: *Pater mi* Matth. XXVI. 39. 42. *Deus mi, Deus mi* cap. XXVII. 46. Et ſi ſibi non ſuppetat fides *evidentia*, qualis Jobo cap. XIX. 25. foveant ſaltem, & excitent fidem *adhærentia* Pſal. LXIII. 9. ſicut Job. cap. XIII. 15. & Aſaph. Pſal. LXXIII. 25. Modo 3. ſua iſtâ qualicunque fiduciâ, ſuſpiriis indefinenter inſtent apud Deum, pro *liberatione*: ſicut Chriſtus Matth. XXVI. 39. 42. Pſal. XXII. 3. Aſaph. Pſal. LXXVII. 2. 3. & Paulus 2 Cor. XII. 8. Modo interim 4. univerſam ſortem ſuam, *voluntati* divinæ placidè ſubmittant: ſicut Chriſtus Matth. XXVI. 39. 42. & Aſaph. Pſal. LXXVII. 11. Modo 5. adminiculis conſolatoriis, quæ ſibi per providentiam Dei ſuppetunt, circumſpectè utantur: ſicut Chriſtus Angelo Luc. XXII. 43. & diſcipulis Matth. XXVI. 37. 40. Modo 6. ſub omnibus iſtis adminiculis, *horam* liberationis patienter exſpectent Pſal. XXVII. 13. 14. & CXXX. 5. 6. 7. Tandem.

Leges hic obſervandæ.

XXII. *Nono*; quod Chriſtus, per triduum ſepulturæ; poteſtatem & *dominium* mortis ſubierit, non ut ſuccumberet, *videretque* שחת; ſed ut *morte* ſuâ *poteſtatem adimeret ei, qui mortis poteſtatem habet*, h. e. *Satanæ, & liberaret, quotquot metu mortis, per omnem vitam ſervituti obnoxii ſunt, ut Apoſtolus loquitur* Heb. II. 14. hoc, inquam, 1. infallibile nobis præſtat *indicium*, ipſum eſſe *ſanctum* illum Domini, ut appellatur Pſal. XVI. 10. quem Pater pro Meſſiâ *ſanctificavit* & in mundum miſit Joh. X. 36. verum illud *ſemen mulieris* quod contritione *calcis* ſui, à ſerpente factâ, ſerpenti caput contriturum erat, ex promiſſione Gen. III. 15. cui proinde *fide innitendum nobis* veniat Jeſ. X. 20. Hoc 2. efficaciſſimè movet ad *gratitudinem*: quod poteſtatem & imperium mortis, per triduum ſubire voluerit, ut nos, & à *metu mortis*, & à ſervitute quavis ſpirituali liberaret Col. I. 12. 13. & in libertatem filiorum Dei reſtitueret Rom. VIII. 21. Conf. Jer. XXXVIII. 11. Hoc 3. invitat, ut redempti, (ejus deſcenſu in poteſtatem mortis) à *poteſtate hoſtium* noſtrorum ſpiritualium, ei *ſerviamus, abſque metu, in ſanctitate & juſtitia, in conſpectu ejus, per omnes dies vitæ noſtræ* Luc. I. 74. 75. Atque 4. ut pro libertate *ſpirituali*, acquirenda & conſervandâ, tanto Mediatoris deſcenſu; adverſus ejus noſtroſque hoſtes ſpirituales, Satanam, mundum & peccata, fortiter decertemus Eph. VI. 12.

9. Mediatoris deſcenſus in poteſtatem ac dominium mortis, ad quadruplex officium nos provocat.

1.

2.

3.

4.

CAPUT DECIMUM QUARTUM,

DE

Mediatoris Exaltatione.

Phil. II. 9. 10. 11.

Quapropter etiam, Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donavit ipſi nomen, quod eſt ſupra omne nomen: ut ad nomen Jeſu, omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium & ſubterraneorum: omniſque lingua confiteatur, quod Dominus ſit Jeſus Chriſtus, ad gloriam Patris.

Humiliationem ſequitur exaltatio, &c.

I. MEdiatoris humiliationem hactenus contemplati ſumus; ad ejuſdem *exaltationem* pergimus. Et ſicut circa illam occupati fuimus cogitatione, primò *generaliter*, tum *ſpecialiter*, per ſingulos ejuſdem gradus; ita circa hanc occupabimur, primò in *genere*, tum in *ſpecie*, juſque quoad ſingulos ejuſdem gradus. Prius quidem, hujus capitis erit argumentum, manducente Apoſtolo Phil. II. 9. 10. 11.

contemplatio generalior.

Pars exegetica.

II. *Quibus verbis repræſentatur, ſecuta humiliationem*, Mediatoris exaltatio; *quoad*

1. Fundamentum *exaltationi ſubſtructum:* quapropter *διὸ. Intelligitur præcedens Mediatoris profunda humiliatio; & ſubmiſſa obedientia, ſive ut* cauſa meritoria *exaltationis, ut Pontificiis, & multis etiam Orthodoxis, ſano ſenſu, placet; ſive ut neceſſarium ac naturale* antecedens, ſine quo non *debet, nec poteſt, ſequi exaltatio. Utrumque commodè conjungi poſſe cenſeo, ut humiliatio ſit &* antecedens *glorificationis* Luc. XXIV. 26. *& etiam* cauſa, *& quidem rigide* meritoria: *non tantum ex pacto æterno inter Patrem & Filium, qui ipſi, pro præmio humiliationis & obedientiæ, addixit glorificationem* Jeſ. LIII. 8. 10. 11. 12. *quin & ex natura* legis, *promittentis obedienti pro præmio glorificationem; ſed & ex natura ipſius humiliationis &* obedientiæ, *quæ infiniti erat* valoris, *quo, & ſibi & nobis, potuerit mereri glorificationem, prout in* dogmaticis *monebimus. Conf.* XVIII. §. XX.

2. Exaltationem, *fundamento humiliationis ſuperſtructam, cujus notatur*

A. Exaltans *cauſa:* Deus. Theologicè *quidem tota SS. Trinitas, cum exaltatio ſit operatio* ad extra: Oeconomicè *& per appropriationem*, Pater Joh. XVII. 1. *utpote cui ſeipſum ſubmiſerat* Phil. II. 8. *quem glorificaverat* Joh. XVII. 4. *& qui inſuper in redemptionis univerſo negotio, κατ' οἰκονομίαν, ut* Judex, *qui ſuum cuique addicit, & ut* Dominus *qui ſua diſtribuit, conſiderari debet.*

B. Exaltatus: eum. *Mediator ſcil. totus, ſecundum utramque naturam, licet diſſimili modo, ut in* dogmaticis *monebimus.*

C. Exaltatio, *quoad actus duos:*

1. Generalem: *ὑπερύψωσε*, ſuperexaltavit, *in ſummam extulit ſublimitatem. Ipſum efferendo,* 1. *ſupra* ſepulchrum, *per reſurrectionem:* 2. *ſupra* terram, *per aſcenſionem:* 3. *ſupra* cœlum *ſeu cœleſtia, Angelos pariter, & homines in fide mortuos, per ſeſſionem ad dextram.*

2. Specialem: dedit ipſi nomen quod eſt ſupra omne nomen. *Penes quam duo notantur:*

α. Altitudo *collata:* nomen ſuper omne nomen. *Ubi per* nomen *intelligitur, non tam* (a) *nomen illud* Jeſu, *utpote quod, ante exaltationem, dudum obtinebat à circumciſione* Matth. I. 21. *Nec* (b) *tantum* celebritas, *quæ paſſim in utroque Teſtamento ſignificatur, per* nomen Gen. VI. 4. Marc. VI. 14.: *ſed etiam* (c) gloria: *tam* interna, *quæ conſiſtit in iis* perfectionibus, *à quibus quis gloriam meretur, v. g. ſapientia, potentia, actionibus illuſtribus: quam* externa, *quæ conſiſtit in* agnitione, *& publica* teſtificatione, *gloriæ internæ: præcipuè autem* (d) auctoritas, *poteſtas, & dominium, in alios & alia. His omnibus, Chriſtus, ſuper omnes qui in cœlo ſunt, & in terra,* nomen *dicitur habuiſſe, quod eſt* ſupra omne nomen.

β. Collatio *altitudinis:* donavit (*ἐχαρίσατο*) *h. e. per gratiam contulit, ut ſignificetur, ſecundum humanam naturam, non tam* merito, *rigide quidem ſic dicto; cum ſic creatura, quæ à ſuo Creatore nihil poſſit mereri* Rom. XI. 36.: *quam gratiâ temperato, collatum ei fuiſſe hoc nomen; prout protoplaſti, ſua obedientia, ſibi ex* gratiâ *promiſſionis, merituri fuiſſent vitam æternam: quamvis interim, ſecundum utramque naturam, Mediator θεάνθρωπος, ſtrictiſſimo jure, propter* infinitum *valorem obedientiæ, adeoque ex condignitate, ſibi meritus omnino ſit glorificationem.*

D. *Exaltationis* finis *duplex: nim. glorificatio*

N. Mediatoris, *proximus finis ſcil.*

1. Subjectio cordis: ut ad nomen Jeſu *&c. Hic notatur*

α. Auctoritas, *cui ſubjectio præſtanda,* ad nomen Jeſu. *Non intelligitur* pronunciatio *nominis Jeſu, cui genu flectendum, aut caput aperiendum ſit; ſed ipſe Jeſus, poteſtate ac dominio præditus. Nomen pro nominato, Metonymia ſigni pro ſignificato.*

β. Subjectio, *auctoritati præſtanda:* genu flectat, *h. e. honoret, obediat, ſe ei ſubjiciat. Sive id* ſponte *fiat & ingenuè; ſive* invite *& per hypocriſin. Neque enim alia genuflexio, à ſpiritibus, Chriſto præſtari poteſt.*

γ. Perſonæ, *quæ ſubjectionem auctoritati præſtent:* eorum qui in cœlis ſunt: *h. e. Angeli & animæ beatorum cœlitum: qui* in terris *exiſtunt, h. e. homines qui in terris agunt, ſeu pii ſint, ſeu impii; & qui* infra terram *degunt, h. e. Dæmones, & impii.*

2. Confeſſio oris: *& omnis lingua confiteatur, quod* Jeſus Chriſtus ſit Dominus. *Ille ſcil. cui* poteſtas omnis collata ſit, in cœlo & in terrâ Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 21. 22. Heb. II. 7. 8. 9. *Intelligitur autem, non tantum dominium* Mediatorium, *per loca citata; ſed etiam* Divinum, *quod ipſi competit cum* Jehovæ, *Deo, Creatori* Heb. I. 5. 8. 10.

3. Dei: in gloriam Dei Patris. *Quæ ultimum finem præſtat, in quem omnis glorificatio Filii ſeſe tandem exonerat* Joh. V. 22. 23. I Cor. XV. 23—29.

Pars Dogmatica.

Chriſtus ad ſummam gloriam à Deo elevatus eſt.

III. Ex dictis ergo manifeſtum eſt, quod filius Dei, prout ſeſe in imam miſeriam demiſerat; ad ſummam gloriam à Deo elevatus ſit. Fuit iſta Mediatoris exaltatio (1) *prædicta* Pſal. VIII. 6. cum Heb. II. 7. Jeſ. LII. 13. Zach. VI. 12. Pſal. CX. 7. & LXXXIX. 20. (2) *præfigurata in Joſepho* Gen. XLI. 14. cum 37. & XLII. 6. in *Davide*, qui, cum *bella Domini* fortiter geſſiſſet I Sam. XXV. 28. ſubjugatis & triumphatis hoſtibus ſuis 2 Sam. XXII. 1.— Pſal. XVIII. 38. 39. gloriâ admodum invaluit 2 Sam. V. 10. & VII. 9. & *nomen* obtinuit, *juxta nomen magnorum, qui in terra ſunt*: prorſus ad eum modum Servator, geſtis fortiter Dei bellis, adverſus univerſam poteſtatem *tenebrarum* Luc. XXII. 53. omnibus glorioſe ſubactis, triumphavit Col. II. 13. 14. 15. Eph. IV. 8. Joh. XVI. 11. 33. & *nomen* conſecutus eſt *ſupra omne nomen* Phil. II. 9. Præfigurata inſuper hæc Mediatoris exaltatio fuit in *Salomone*: ſicut enim Salomo quietem conſecutus eſt, ab omnibus ſibi circumjectis inimicis I Paral. XXII. 9. & regnum habuit *opulentiſſimum* 2 Paral. II. 15. & IX. 22. *glorioſiſſimum*, ſuper omnes qui fuerunt, ſeu ante, ſeu poſt ſe Reges 2 Paral. IX.— Eccl. II.— *ampliſſimum* Pſal. LXXII. 8. 9. 10. 11. 2 Paral. IX. 24. 26.: prorſus ita Chriſtus, ſubjugatis hoſtibus, regnum habet admodum, ſpiritualiter ſaltem, *pacatum* Jeſ. XI. 6. *opulentiſſimum*, quoad ſpiritualia Eph. III. 8. Joh. XVI. 15. Col. I. 17. *glorioſiſſimum* Heb. I. 3. Apoc. XIX. 11.—17. *ampliſſimum*, ad extremitates terrarum ſeſe extendens Pſal. II. 8. & LXXII. 8. (3) *impleta* Phil. II. 9. 10, Heb. II. 7. 8. 9. I Pet. I. 11. Eph. I. 19. 20. 21. & IV. 9. 10.

Probatur Scripturis,

& rationibus.

IV. Et impleri etiam *debebat* Luc. XXIV. 26 ut non tantum (1) *veracitati* divinæ, promiſſionum & typorum ſatisfieret; ſed etiam (2) quod ita *deceret*, ut tanta humiliatio compenſaretur tanta exaltatione. Et quod (3) hoc adeo ſpectaret ad glorificationem *Dei* Phil. II. 11. ut *in Filio* glorificaretur Pater Joh. V. 22. & quod univerſalis & poſtremus totius redemptionis finis ſit, glorificatio Dei Eph. I. 6. Rom. IX. 22. 23. Quod (4) Filius *glorificaverit* Patrem, adeoque conveniens fuerit, ut viciſſim *glorificaretur* à Patre Joh. XVII. 4. 5. Quod (5) noſtri *redemptio* exigeret, ut non tantum nobis redemptionem *impetraret*, ſuâ humiliatione; ſed impetratam etiam *applicaret* ſui exaltatione, comparendo pro nobis in cœlo, ad dextram Dei coram Patre Rom. VIII. 34. Joh. XVII. 20. Heb. IX. 11. 12. demittendo Spiritum ſuum, Joh. XVI. 7. qui nos vivificaret Joh. III. 5. Tit. III. 5. & fidem in nobis procrearet 2 Cor. IV. 13. Quod (6) in æterno fœdere gratiæ, Deus Pater filio ſuo pro mercede, ſi opus redemtionis abſolviſſet, promiſerit exaltationem, prout cap. 1. hujus libri demonſtravimus.

Quid ſit exaltatio.

V. Non eſt autem nobis hæc exaltatio, niſi *glorioſus ille, ac beatiſſimus ejus ſtatus, quem ingreſſus eſt, poſtquam redemptionis negotium ſub humiliatione abſolviſſet.* Sumitur quidem exaltationis vox, ſubinde pro *virtuali* illa glorificatione, quam expertus eſt; in ipſâ ſui profundiſſimâ humiliatione, ſeu crucifixione Joh. III. 15. & XII. 32.: ea autem, quæ hujus eſt loci, *ſecuta* eſt ejus inanitionem. Cujus hæc fere ſunt ingredientia: *primo*, quod, non *formam ſervi*, ſeu humanam naturam; ſed *ſchema ſervile* humanæ naturæ, depoſuerit Pſal. VIII. 6. Heb. II. 9. *Secundo*, quod de ſuis noſtriſque hoſtibus glorioſe triumpha-verit Pſal. CX. 1. Col. II. 15.: de *morte* quidem, magno animo illam *perferendo* Heb. XII. 2. I Cor. XV. 55. de *peccato*, pleniſſimè pro eo *ſatisfaciendo*, quando *peccatum* pro nobis factus eſt, *ut nos redderemur juſtitia* coram Deo 2 Cor. V. 21. Rom. VII. 24. 25. de *Satanâ*, ipſi caput *conterendo* Gen. III. 15. eum poteſtate ſuâ exuendo Heb. II. 14. Col. II. 15. Eph. IV. 8. cujus victoriæ *perfectio* & manifeſtatio eſt in exaltatione: quamvis enim triumphus virtualis & *meriti*, fuerit in cruce & morte, in quâ propterea extolli dicitur Joh. III. 15. & XII. 32. non *ſitu* tantum & loco; ſed *virtute* etiam & merito: *actualis* tamen triumphus, quoad ſtatum, non fuit in humiliatione; ſed in *exaltatione*. In cruce quidem triumphavit, velut in *campo* victoriæ; in exaltatione quaſi in *ſolio*, regiâ & curru triumphali. *Tertio* manifeſtatio *formæ Dei*, per quam ἴσος erat Θεῷ, quæ, aſſumta *forma ſervi*, & figura hominis gregarii, tandem per tot adverſariorum opprobria, egregiè erat occultata Phil. II. 7. 8. nec, niſi per radiolos quoſdam, perpetratis miraculis, in vita ſua terrena, ſubinde obſcurius emicuerat Joh. II. 11. & I. 14.: Illuſtriſſima *manifeſtatio* Joh. XVII. 1. 2. Matth. XXVI. 64. atque etiam potentiæ & poteſtatis divinæ, quæ, per periodum humiliationis, ſeſe

Ejus ingredientia.

1.

2.

3.

se velut compresserat Joh. XIX. 11. Matth. XXVI. 53. 54. quasi *relaxatio*, & usus plenissimus Psal. 4. II. 9. 12. Eph. I. 22. Heb. II. 8. 9. *Quarto* collatio *omnis* perfectionis in humanam naturam, quæ in creaturam cadere possit Psal. LXVIII. 19. cum Eph. IV. 8. 9. 13. ubi *dona* dicitur accepisse, quæ in homines profunderet, quibus omnia in Ecclesia impleret, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. In *animâ* enim vigebat omnimoda *sapientia* & gratiæ plenitudo, non tantum quoad *principium* & *habitum* (eatenus enim ex unione hypostatica, dudum consecutus erat Joh. I. 14. & III. 34. Jes. XI. 1. 2.) sed etiam, quoad *actum* & *exercitium* Col. II. 2. 3. 9 10. *corpus* item, summa *puritate* 5. ac splendore fuit exornatum Phil. III. 21. *Quinto* abundantia *gloriæ*, ex agnitione ac celebratione universæ illius perfectionis, quæ sub hoc statu, seu ei collata, seu in eo manifestata & illustrata, est Luc. XXIV. 26. Psal. VIII. 6. Heb. II. 9. Et in hac, est *nomen* illud, *quod est supra omne nomen* Phil. II. 9. ob quod omnis lingua agnoscet & profitebitur, *Jesum Christum esse Dominum* illum 6. vs. 11. Tandem *sexto*, potestas & *dominium* absolutissimum, in *Ecclesiam* quidem, tanquam regnum & corpus suum Eph. I. 20. 21. 22. 23. Psal. II. 6. Act. II. 36. & respectu Ecclesiæ, in *omnia* Matth. XXVIII. 18. cœlestia, terrestria & subterranea: à qua potestate, genu dicuntur flexura ad nomen ejus, *omnia quæ in cœlis, & in terra, & infra terram sunt* Phil. II. 10. quo etiam spectat Psal. VIII. 7. 8. 9. Heb. II. 7. 8.

Quo modo Christus secundum totam personam & utramque naturam, exaltatus sit.

VI. Jam ex dictis, non magno negotio conficiet, quod *totus* Christus exaltatus sit, non tantum *qui* θεάνθρωπος est, quod passim, vocibus in *concreto*, totam ejus personam designantibus, innuitur, v. g. *quapropter Deus EUM exaltavit* Phil. II. 9. Eph. I. 20. Act. II. 36. *MIHI data est omnis potestas* Matth. XXVIII. 18: sed etiam *qua talis est*, seu quoad utramque ejus naturam, licet diverso modo: quoad *divinam*, non quidem *collatione* novarum perfectionum, quas una ejus *infinita* perfectio respuit; sed quoad occultatæ istius perfectionis *manifestationem*; quo etiam sensu Deus ipse frequenter à nobis *exaltari* dicitur Psal. XLVI. 11. & CXLV. 1. Jes. V. 16. Luc. I. 46. & quoad potestatis, sub humiliatione quasi jacentis, excitationem & *usum*: quoad *humanam* autem, non per plenam usurpationem proprietatum *divinarum*, ei, ex unione hypostatica cum divinâ personâ, communicatarum: cum proprietates illæ, naturæ finitæ, nec communicatæ fuerint unquam, nec communicari possint, sicut alibi docuimus & docebimus: sed, quod ei communicata sit omnis ista perfectio creata, quæ in creaturam cadere potest, ut jam dudum ostendimus: quoad totam igitur *personam* exaltatus est; quantum α. ad depositionem schematis *servilis*: quantum β. ad *triumphum* supra omnes ejus inimicos: quantum γ. ad *gloriam*: & quantum δ. ad potestatem ac *dominium* Mediatorium.

Causæ hujus exaltationis:

VII. Quod attinet exaltationis hujus causas: *meritoria* quidem, satis commode dici possit ipse Christus Mediator: quatenus sua demissione & obedientia, meritus est gloriam, ex duplici promissione, (1) fœderis *operum*: *fac hoc & vives.* Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. Gal. III. 12. Rom. X. 5. Quamvis enim, cum *primum* conderetur fœdus operum, non fuerit censitus in Adamo; postquam tamen pro nobis subiit *legis* conditiones Gal. IV. 4. Rom. VIII. 3. etiam legis promissiones & *præmia* suscepit: (2) fœderis *gratiæ*, quatenus, æterno pacis consilio, inter Patrem & filium, filio recipiente humiliationem & obedientiam pro suis; Pater ex adverso ei addixit retributionem Jes. LIII. 10. 11: quatenus, inquam, ex duplici hac promissione, meritus est suam exaltationem. His adde (3) quod ex *condignitate* & infinito valore humiliationis & *obedientiæ* suæ, promeritus sit & sibi, & nobis infinitam gloriam. Unde post humiliationem & obedientiam, significanter dicitur: διὸ καὶ, *quapropter etiam Deus ipsum ὑπερύψωσεν* Phil. II. 9. & Heb. II. 9. *videmus Jesum (διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου) propter passionem mortis, gloria & honore coronatum* & cap. XII. 2. *pro sibi proposito gaudio (ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς) sustinuit crucem.* Nec hic obstat, quod *nobis* meruerit gloriam: potuit enim & sibi, & nobis mereri: sibi quà *homo*, nobis qua Mediator θεάνθρωπος: qui per legem divinam, non *obstringebatur* ad obedientiam. Causa conferens, *Deus* notatur Phil. II. 9. θεολογικῶς quidem, quoad singulas Trinitatis personas: à quo distinctè ad *Patrem* refertur, ut glorificantem Joh. XVII. 1. ad *Filium*, ut resurgentem, ascendentem, sedentem ad dextram Dei; in quibus glorificatio consistit, ut suo loco dicemus: ad *Spiritum S.* ut annuncientem Joh. XVI. 13. 14.: οἰκονομικῶς autem, & per *appropriationem* (ut in *exegeticis* monuimus) *Pater* causa exaltationis habetur. Sunt & *homines* causæ exaltationis, altitudinem ei collatam agnoscendo, celebrando, ejusque potestati sese submittendo, seu *sponte* & ingenue Phil. I. 23. seu *invite* Psal. CX. 1. Imo & *Angeli*: tam *boni* Heb. I. 6. Matth. IV. 11. quam *mali* Marc. III. 11. 12. à quo, in textu dicitur, *omne genu ad nomen Jesu se flexurum*: eorum *qui in cœlis sunt*, in *terra* & *infra terram*, & *quamvis linguam confessuram, quod Jesus Christus Dominus sit.*

meritoria, confe-rens, agnoscentes & celebrantes,

Gradus exaltationis,

VIII. *Gradus* per quos in summam sublimitatem ascendit, variè à variis numerantur. Sunt qui *quatuor* numerant, & diverso quidem modo, sunt qui primum collocant in ejus *descensu* ad inferos; tum resurrectionem, ascensionem & sessionem ad dextram subjungunt, de quibus suo loco:

alii

alii primum conſtituunt in *reſurrectione*, & poſtremum in reditu ad judicandum vivos & mortuos: alii tres tantum admittunt, ſicut humiliationis, ita & exaltationis gradus: *reſurrectionem*, oppoſitam paſſioni & morti; *aſcenſionem*, oppoſitam deſcenſui in ſepulchrum; & *ſeſſionem* ad dextram Dei, oppoſitam deſcenſui ad inferos. Nos, prout quatuor diximus humiliationis gradus, incarnationem, vitam, mortem ac deſcenſum ejus; ita quatuor etiam eis opponemus gradus exaltationis: *reſurrectionem* à mortuis, quâ exaltatus eſt ſupra *ſepulchrum*, *aſcenſionem* in cœlum, quâ elevatus eſt ſupra *terram*; *ſeſſionem* ad dextram Dei, qua exaltatus eſt ſupra omnes creaturas; & *reditum* ejus ad judicandum vivos & mortuos, quo ut Judex elevabitur, ſupra omnes judicandos. Tres priores gradus per ſequentia capita ſucceſſivè contemplabimur: poſtremum verò in locum ſibi magis ἴδιον ſeponemus.

Pars Elenchtica.

Quæritur: 1. An per exaltationem carō Chriſti ejuſdem cum Deitate ſit eſſentiæ & virtutis?

IX. Penes elenchum hujus capitis, quæritur *primo*, an caro Chriſti, in ſtatu gloriæ, ſecundum ſubſtantiam ſuam, *ejuſdem* cum Deitate eſſentiæ & virtutis ſit? Eutyches olim hujuſmodi naturarum *confuſionem* factam docebat, circa incarnationem Chriſti: Enthuſiaſtæ moderni; Swenckfeldius, Weigelius aliique, in exaltatione demum factam iſtam confuſionem ſtatuunt: Lutherani, volentes nolentes, ad Eutychem propius accedunt, quando in incarnatione, divinam ſubſiſtentiam, eſſentiam, & *proprietates* communicatas volunt humanæ naturæ; quamvis proprietatum iſtarum plenam manifeſtationem & *uſum* quaſi ſepoſuerit uſque ad ſuam exaltationem. Chriſtiani, per exaltationem, humanam naturam, ſua eſſentia & proprietatibus, nihilominus *diſtinctam* manſiſſe, prout & divina manſerit; quod 1. Scriptura iſtius confuſionis nullam omnino faciat mentionem, quin 2. ex adverſo, veritatis naturæ, diſtinctarumque ejus affectionum, diſertam paſſim faciat mentionem Luc. xxiv. 15. 30. 39. 43. Joh. xx. 20. 27. Apoc. i. 7. Non dicam 3. quod, hac confuſione, *duplex* introducatur Deitas: altera æterna, altera temporalis: & quod 4. differentia inter Deitatem & humanitatem ſatis tolleretur: tandem 5. quod apertam implicet contradictionem, carnem Chriſti, ejuſdem factam eſſe eſſentiæ cum Patre, & tamen non eſſe abolitam. Nec video, quid vel minima ſpecie poſſit objici, quam 1. quod *verbum* dicatur *factum caro* Joh. i. 1. Hoc enim (1) majore ſpecie argueret, *divinam* naturam mutatam fuiſſe in *humanam*, quam humanam confuſam fuiſſe cum divinâ. Tum (2) phraſis illa non aliud arguit, quam, divinam perſonam *aſſumſiſſe* humanam naturam Phil. ii. 7. 8. Heb. ii. 16. ſeu *Deum manifeſtatum fuiſſe in carne* 1 Tim. iii. 16. Quod 2. humanæ naturæ tribui videantur divina, v. g. poteſtas, omnipræſentia divina Matth. xxviii. 18. 20. & viii. 20. Verùm iſta & ſimilia loca non loquuntur de carne, ſeu *humana* natura in abſtracto; ſed de *tota* Chriſti perſonâ in concreto.

Sententiarum divortia.

Partis negantis rationes.

Objectiones affirmantis.

2. An exaltatio in eo conſiſtat, quod humana natura per eam acceperit plenum uſum proprietatum divinarum?

X. *Secundo* quæritur, an exaltatio in eo conſiſtat, quod humana natura per eam acceperit *manifeſtationem*, & plenum *uſum* earum proprietatum divinarum, quarum communionem acceperit per unionem hypoſtaticam? Lutherani, quia in gratiam omnipræſentiæ carnis Chriſti, docuerant, per unionem hypoſtaticam ei communicâta fuiſſe idiomata divinæ perſonæ, omniſcientiam, omnipotentiam, omnipræſentiam aliaque: ut ſeſe, ſaltem aliquâ cum ſpecie, explicare poſſent, à tot tantiſque difficultatibus, quæ iſtam ſententiam urgent; proprietates illas diſtinguunt, quoad κτῆσιν, & quoad χρῆσιν: quoad *poſſeſſionem*, & quoad *uſum*; ut, licet proprietates divinas, ſibi per unionem hypoſtaticam, communicatas habuerit. quoad κτῆσιν ſeu *poſſeſſionem* & ἕξιν, non habuerit tamen, uſque ad ſuam exaltationem, quoad χρῆσιν ſeu *uſum* & ἐξουσίαν: Reformati, licet agnoſcant μορφὴν Θεοῦ, ſeu divinam naturam in Mediatore, per aſſumtam μορφὴν δούλου ſeu humanam naturam ejuſque σχῆμα ἀνθρώπινον, egregiè fuiſſe obſcuratam, ſeque ipſam quaſi *cohibuiſſe* uſque ad exaltationem, ac per eam demum, mundo plenè *manifeſtatam* fuiſſe, ſeque, per attributa ſua, quaſi explicuiſſe, ea ſaltem per quæ operari conſuevit extra ſe; negant tamen iſtam manifeſtationem & *uſum* proprietatum divinarum, factam fuiſſe in *humanâ* naturâ, utpote quæ proprietates iſtas nunquam habuit ſibi communicatas, prout cap. iv. hujus libri ex profeſſo demonſtravimus. Ut hic quidem non reſtet agendum, niſi ut Lutherani demonſtrent, humanam Chriſti naturam per unionem perſonalem, ſub ſtatu humiliationis *habuiſſe* virtutem, gloriam & proprietates divinas, ſaltem quoad *poſſeſſionem*: quod non docent adducta ab eis Scripturæ loca Matth. xi. 27. Joh. iii. 34. Act. x. 38. Matth. ix. 6. Joh. ii. 24. 25. cum nullus horum locorum loquatur de *humanâ* natura in abſtracto; ſed de totâ perſonâ, licet ab humanâ naturâ quandoque denominata: & multo etiam minus docet, humanam naturam habuiſſe proprietates divinas.

3. An Chriſtus exaltatus fuerit etiam ſecundum divinam naturam?

XI. Hinc *tertio* quæritur, an Chriſtus exaltatus fuerit, etiam quoad *divinam* naturam? Lutherani, quo commodius obtineant, proprietates divinas in *humana* Chriſti naturâ exaltatas fuiſſe, earundem manifeſtatione & *uſu plenario* negant, ipſum quoad divinam naturam exaltatum fuiſſe. Reformati, quamvis largiantur *divinam* naturam, hac exaltatione, nihil perfectionis *intrinſecæ* acceperiſſe; docent tamen, eam exaltatam eſſe, eo modo, quo (fatentibus ipſis Lutheranis) Deitas,

extra

extra unionis personalis considerationem, exaltari passim docetur in utroque Testamento: nim. per *manifestationem* & *operationem*, sicut in *dogmaticis* ostendimus. His cautè observatis, nullo negotio responderi potest, ad quævis objicienda: Scripturæ enim testimonia quæ objiciuntur, aut objici possint, v. g. Act. 11. 32. — vel non loquuntur de *humana* natura abstractè; sed de tota θεάνθρωπῳ persona, licet ab humana natura magisquam divina, denominetur: vel, si de *natura* loquantur *humana*; non tamen exclusivè, de ea *sola* exaltata loquuntur, id quod solum est in quæstione. Rationes autem, v. g. (1) quod exaltatio inferat *mutationem*, quod (2) præsupponat *defectum* & indigentiam, quod (3) inferat evectionem, *meliorationem*; stringunt tantum in exaltationem Christi, quatenus *humanam* naturam respicit: sin minus, omnia illa perperàm illata, ipsos adversarios, ex propriis hypothesibus, efficacissimè ferient: docent enim, (*a*) divinas proprietates, in unione personali, humanæ naturæ fuisse communicatas; docent, (*b*) istas proprietates, per formam servilem, in Christo fuisse *occultatas*, & plenario *exercitio* destitutas; eâsdem (*c*) per exaltationem, humilem formam servi deposuisse, seque exercitio & operatione plenè explicuisse: jam si exaltatio inferat mutationem: si præsupponant defectum & indigentiam; si inferat evectionem, & meliorationem: nunquid illa cadent in proprietates divinas, humanæ naturæ, per unionem hypostaticam, communicatas:

Objectiones.

4. An per exaltationem, humanæ naturæ dona communicata sint tantum finita?

XII. *Quartò* quæritur, an per exaltationem humanæ naturæ, dona tantum *finita* ei communicata fuerint? Affirmativam tuentur Reformati: eo quod (*a*) finitum *infiniti* non sit capax; quod (*b*) dona *infinita* involvant manifestam contradictionem: quod (*c*) ea quæ §. v. diximus, velut exaltationis ingredientia: depositio figuræ servilis, triumphus in hostes, &c. non nisi *finita* dicant: quod (*d*) ipsi adversarii exaltationem collocent, partim in depositione formæ servilis; partim in plena usurpatione proprietatum divinarum, humanæ naturæ, per unionem, communicatarum: in quibus sanè non est ulla *infiniti* boni nova communicatio. Interim tamen Lutherani hoc in Reformatis taxant, quod per exaltationem humanæ naturæ, non nisi dona *finita* collata statuant: absque ulla ratione.

5. An primus gradus exaltationis sit in descensu ad inferos?

XIII. *Quintò* quæritur, an primus exaltationis gradus sit in *descensu* ad inferos? Pontificii, quia statuunt, Christum *localiter* descendisse ad inferos, ut Patres V. T. in fide mortuos, inde secum traduceret in cœlum, affirmant; Lutherani quamvis *localem* descensum cum Pontificiis recipiant, hac differentia, non ut educeret fideles V. T. sed ut de inferno triumpharet; nihilominus in partes abeant: quibusdam referentibus ad statum *humiliationis*, aliis ad statum *exaltationis*; nonnullis ad statum quendam *intermedium*: ita ut *inchoativè*, seu ratione initii, ad humiliationem; *terminativè* autem, ad statum exaltationis pertineat: nec etiam desunt inter ipsos, qui suum judicium plane suspendunt, & quemlibet suo abundare sensu, permittunt: sic *Liber concordiæ*: Reformati, juxta caput præcedens existimant cum Scripturis, in *descensu* Christi postremum fuisse humiliationis gradum.

Pars practica.

In Christi exaltatione 1. patet individuus humiliationis & exaltationis nexus.

XIV. In Mediatoris exaltatione, *primò* ad solatium, patet individuus apud Deum ταπεινώσεως & ὑψώσεως nexus: quod Christum Deus, postquam se ipsum *inanivisset*, postquam *formam servi assumsisset*, postquam Patri suo *obediens* factus fuisset *ad mortem*, *etiam crucis*: Pater ὑπερύψωσε, ei *nomen* dederit supra omne nomen, eique omnia subjecerit, quæ in cœlis sunt, in terra & infra terram, idque propter ipsam illam ejus ταπείνωσιν (διὸ) *propterea* &c. Qui nexus alibi etiam, & passim quidem, in Scripturis significatur, non tantum in Mediatore Luc. XXIV. 26. Heb. II. 6. 7. Psal. VIII. 5. 6. 7. Jes. LIII. 10. Heb. XII. 2. 1 Pet. I. 11. sed in quibusvis etiam ejus membris, seu vere fidelibus Luc. XVIII. 14. 1 Pet. V. 6. Rom. VIII. 17. 18. 2 Cor. IV. 16. 17. qui ad hoc, dicuntur cum Christo *crucifigi* & cum Christo *vivere* Gal II. 20. una cum ipso *planta fieri*, *ad similitudinem mortis*, ut etiam *fiant ad similitudinem resurrectionis* Rom. VI. 5. & qui *mortui sunt* peccato... *cum eo vivificati*, *etiam in cœlum collocentur in Christo Jesu* Eph. II. 5. 6. Conf. 1 Cor. XV. 42. 43. 44. Cujus nexus fundamentum etiam est (1) in æterna Dei *constitutione* Rom. VIII. 29. (2) in *unione* nostri cum Christo, ut membrorum cum capite 1 Cor. XII. 13. à qua ejus σύμφυτοι dicimur, tam *morte* quam *resurrectione* Rom. VI. 5. *una* cum ipso *crucifigi* Gal. II. 20. pariter & cum ipso *resurgere* Col. III. 1. (3) in immota Christi promissione Matth. XVI. 25. & XIX. 28. 29. 30. (4) in ipsa nexus istius *congruentia*: quamvis enim humiliatione nostrâ, (sicut Christus) nihil à Deo *mereri* possimus Rom. VIII. 18. & XI. 36. & nostra bonitas ad ipsum non pertingat Psal. XVI. 2. congruum tamen est, & æquitati consentaneum, ut qui propter ipsum humiliantur, etiam cum ipso exaltentur Rom. VIII. 17. 18. Heb. VI. 10. Proinde, si 1. mundus nos propter Deum & Christum *inaniat*, pro nihilo habeat 1 Cor. I. 28. & si nos ipsos cum Christo inaniverimus seu abnegaverimus Luc. IX. 23. Si 2. *formam servi*, aut plus etiam quam servi, in mundo geramus 1 Cor. IV. 13. aut si nos ipsos in conversatione ut *servos* geramus Luc. XXII. 25. Joh. XIII. 13. 14. non autem ut Dominos 1 Pet. V. 3. Matth. XX. 21. Si 3. per hostium infectationes, Patri nostro cœlesti, coga-

Fundamenta hujus nexus.

Usus solatii.

In quibus casibus.

cogamur esse *obedientes* usque ad mortem, imo mortem quamvis ignominiosissimam, *crucis* Act. xx. 24. Heb. xi. 35. 36. 37. & x. 32. 33. Phil. i. 20. 21. His ac similibus casibus, quid conduxerit efficacius? quam seriò cogitare, A. indissolubilem hunc nexum, inter humiliationem præsentem, & exaltationem futuram: ac proinde B. quod, si cum Christo hic fuerimus *inaniti*, & nos ipsos inaniverimus; etiam cum eo certo certius simus *exaltandi* Luc. xviii. 14. 1 Pet. v. 6. Quod C. si pro Christo, & cum Christo, *formam servi* gesserimus, viliissimam & abjectissimam hic; *nomen* cum Christo simus consecuturi, verè *novum*, seu præclarum Apoc. iii. 12. Luc. x. 20. posthac cum ipso simus regnatu i Rom. viii. 18. Apoc. iii. 21. Quod D. si cum Christo, Patri fuerimus obedientes ad *mortem*, quin mortem crucis ignominiosissimam; adeo simus cum Christo, à Deo *exaltandi*, ut omnis *forma servilis* à nobis, sicut à Christo auferatur, & conformes reddamur *glorioso* corpori Christi Phil. iii. 21. adeo E. ut, cum eo, super omnes nostros inimicos, simus *triumphaturi* 1 Cor. xv. 55, 56. Rom. viii. 37. Ut insuper F. præclara illa *natura Dei* in nobis 2 Pet. i. 4. tot miseriis hic quasi occultata, sicut in Christo Jes. liii. 3. sit ad omnium oculos *manifestanda* Matth. xiii. 43. Ut porro G. cum eo simus exornandi donis quibusvis *splendissimis* Eph. v. 27. Ut etiam H. cum eo simus coronandi honore & *gloriâ aternâ* Psal. viii. 6. 2 Tim. iv. 7. Ut tandem I. *quodammodo* nobis subjiciantur omnia Psal. viii. 7. & judicaturi cum Christo simus mundum universum 1 Cor. vi. 2.

Quibus argumentis consolatoriis,

2. Reprehendit eos, qui exaltatum deprimunt.

XV. *Secundo*, Christi exaltatio pessimè notat hos, qui à Deo exaltatum deprimere nituntur, qui *filium Dei conculcant*, & *sanguinem fœderis prophanum ducunt* Heb. x. 29. qui *rursus filium Dei crucifigunt sibi*, & *ludibrio etiam exponunt* cap. vi. 6. Et quinam tandem hi? Resp. ℵ. Diversis gradibus hoc agunt, qui, pro eo quod Deus ipsum ὑπερύψωτε, maximè *extenuare* adnituntur: quod faciunt α. *apertè* quidem, & ex professo, infideles: Gentiles, Muhammedani, Judæi 1 Cor. xii. 3. qui, cum suis majoribus, Pontificibus, Pharisæis, Scribis, Christum pessimè insectantur. in vincula compingunt, condemnant, crucifigunt, ludibrio habent. Qui β. magis *tectè*, imò cum externa professione, ejus regnum subjugare, ejus subditos persecutionibus diriissimis attenuare, imò exstirpare satagunt Psal. ii. 1. 2. Act. ii. 23. & iv. 26. 27. quod imprimis Antichristo, ejusque satellitibus, est familiare, bestiæ apocalypticæ, meretrici coccineæ, inebriatæ sanguine martyrum Apoc. xvii. 6. γ qui *seipsos* supra Christum extollunt, ut Antichristus 2 Thess. ii. 4. hæretici & quivis alii Pseudo-Christiani, *omnisque sublimitas, qua extollitur adversus cognitionem Dei* 2 Cor. x. 5. Qui *nomen ejus quod*, ex constitutione Dei, *est supra omne nomen*, calumniantur, prophanant: seu (a) honorem, qui *nominato* competit, per superstitionem, in *nomen* traducendo, quod Pontificiis & Lutheranis est familiare, quos cap. iii. §. xx. jam ante notavimus; seu (b) Christum perperam *nominando*, conversatione parum Christianâ, injuria & *contumelia afficiunt* 2 Tim. ii. 19. Rom. ii. 23. 24. seu (c) in solâ nominis Christi confessione *acquiescendo* Matth. vii. 21. 22. Conf. Rom. ii. 17. 28. 29. 3. Qui *nomen* quidem ipsi admittunt, quod *sit supra omne nomen*, & titulos etiam adjiciunt prolixissimos; sed *genu* ipsi non *flectunt*, nisi forte (a) per ludibrium, cum militibus ipsum crucifigentibus Matth. xxvii. 29. aut (b) per superstitionem, cum Pontificiis & Lutheranis, genu tantum corporis non cordis: saltem (c) ejus potestatem & dominium *in se* non recipiunt Job. xxi. 14. Jer. xliv. 16. imò ei sese totis viribus opponunt Luc. xix. 14. 27. Psal. ii. 1. 2. 3. 7. Qui α. non *confitentur Jesum Christum*, *Dominum esse*, quemadmodum infideles, quos jam ante diximus; aut β. non Dominum *suum*, quemadmodum Thomas fecit Joh. xx. 28. aut linguâ *tantum* Matth. vii. 21. 22. sicut Judas Matth. xxvi. 49. Jam A. quid *turpius*, aut Deo magis indignum, cogitari possit? quam istum, quem Deus *exaltavit*, & *adeo* exaltavit (ὑπερύψωτε) *superexaltavit*: cui *nomen* dedit quod est *supra omne nomen*: cujus pedibus omnia subjecit, quæ in cœlis sunt, in terrâ, & infra terram: quem ab *omnibus* vult agnosci & prædicari pro *Domino*, idque in *gloriam* suam; eum extenuare, ei sese opponere? Tales profectò B. an unquam Deus exaltabit? nisi forte: ut pastor Pharaonis exaltatus est Gen. xl. 19. nunquid, ab omni sua altitudine, in *infernum* usque dejiciet? Matth. xi. 23. Nunquid C. *nomen* eorum, quam clarum fuerit & illustre apud homines, ex libro vitæ penitus exstinguet? Psal. lxix. 29. Nunquid D. ponet *scabellum* pedum suorum? Psal. cx. 1. *sceptro* suo *ferreo* eos, tanquam vas fictile, confringet? Psal. ii. 9. perire faciet in *furore* suo vs. 12. & in conspectu suo interfici curabit? Luc. xix. 27. Nunquid E. hos, qui *lingua* suâ noluerint confiteri, ipsum *Dominum* esse, aliquando *abnegabit* coram Patre suo cœlesti? Matth. x. 33.

Reprehendendi.

Argumenta reprehensoria.

XVI. *Tertio*, exaltatio Christi Christianis *fulcrum* præstat & basin ℵ. *fiducia*, quod Servatorem habeant, non qui *humilis* tantum fuerit, qui merus homo, qui *formam servi* gesserit, qui habitu fuerit sicut quivis gregarius, qui crucifixus tantum fuerit (in quo *scandalum* consistit Judæorum 1. Cor. i. 18. 23. omniumque infidelium) sed, qui insuper in *forma Dei* sit, Deo æqualis, qui à Deo *exaltatus*, & superexaltatus sit, cui Deus nomen dederit, quod est supra omne nomen, cui incurvare sese debeat *omne* genu, tam cœleste

3. Fundamentum Præstat. Fiduciæ.

leſte, quam terreſtre, quam ſubterraneum, quemque omnis lingua confiteri debeat eſſe *Dominum*. Huic igitur, tanto ac tali Mediatori, nunquid ſecurè *innitemur per fidem?* Heb. I. 4—14. cum Jeſ. x. 20. per tantum ac talem Mediatorem, nunquid cum παῤῥησίᾳ properabimus ad thronum gratiæ, in quovis caſu? Heb. IV. 14. cum 15. talis ac tantus Mediator, nunquid nobis ſufficiet ad quævis? in quo πᾶν πλήρωμα eſt Col. I. 19. & II. 9. ex quo proinde haurire poſſimus χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. I. 14. 16. in quo ſolo poſſimus eſſe *conſummati* Col. II. 10. Conf. *Prax.* cap. II. *de Mediatore*. Tum 2. fundamentum præſtat *gloriationis* Chriſtianæ Phil. I. 26. & III. 3. Dum nihil omnino ſuppetit Chriſtianis, in quo glorientur, *omnia* ſuppetunt in Mediatore ſuo: qui ſit exaltatus à Deo; qui nomen ab eo habeat, quod eſt ſupra omne nomen; cui omnia quæ ſunt in cœlo, in terra, infra terram, genu flectere debeant, quem omnis lingua confiteri debeat eſſe Dominum, qui *Dominus gloriæ* ſit 1 Cor. II. 8. *Rex Regum, Dominus dominantium* Apoc. XIX. 16. Præſtat denique 3. fundamentum omnis *cultus* religioſi. Neque enim adoramus *idola*, quæ oculos non habent, ut videant, Pſal. CXV. 5. 6. 7. 8. prout Gentiles; neque *Angelos* συνδούλους noſtros Apoc. XIX. 10. & XXII. 8.: neque Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, B. Virginem, alioſque ſanctos cœlites Jeſ. LXIII. 16. ſicut Pontificii: neque ψιλὸν ἄνθρωπον ſicut Sociniani: ſed quem Deus ὑπερύψωσε *ſuperexaltavit*, cui nomen dedit quod eſt ſupra omne nomen, cui omnia ſubjecit, cui omnia in cœlis & in terrâ, & infra terram, genu flectere debent, quem omnis lingua confiteri debet, eſſe Dominum, in gloriam Patris.

gloriationis,

adorationis.

XVII. *Quartò*, exaltatio Chriſti nobis argumentum præſtat profundiſſimæ *humiliationis*: ut, quo magis ipſum Deus exaltavit; eo magis coram ipſo nos humiliemus, genuque noſtrum promptius ei flectamus. Si enim (1) cum adhuc eſſet in ſtatu humiliationis, in forma ſervi, habitu ſicut homo quivis gregarius: ad leviora quædam divinæ excellentiæ ſpecimina; facta collatione inter ejus excellentiam ac ſuam vilitatem, *Petrus accidit ad genua Jeſu, dicens: exi à me Domine, nam homo peccator ſum* Luc. v. 8. & Maria Joh. XI. 32. & Jairus Marc. V. 22. & ἀμοῤῥοῦσα Luc. VIII. 47. & Syrophœniſſa gentilis Marc. VII. 25. Si (2) ad qualemcunque glorificationem ejus in monte, diſcipuli præſentes, coram eo humiles ceciderunt in faciem ſuam, ac timuerunt vehementer Matth. XVII. 6. Imo (3) ſi ipſi diaboli in obſeſſis, coram necdum glorificato, cum primum viderunt, *procidebant, exclamando: Tu es filius Dei* Marc. III. 11.: quid nos non faceremus tam ſolenniter glorificato? Si cumprimis expendamus (4) rei convenientiam & *æquitatem*: ſi enim Deus ipſum *exaltavit* ſupra nos omnes; nunquid æquiſſimum eſt, nosipſos *dejiciamus* infra ipſum? Si (5) Deus ei dedit nomen quod eſt ſupra omne nomen, h. e. gloriam, quæ eſt ſupra omnem gloriam: nunquid nos cum Pſalte Pſal. CXV. 1. *Non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam?* nunquid cum Senioribus apocalypticis, coronas noſtras projiceremus ad pedes ejus? Apoc. IV. 10. Si (6) poteſtatem omnem ei dedit in cœlo & in terra Matth. XXVIII. 18. ſi omnia ſubjecit pedibus ejus Pſal. VIII. 6. 7. ſi omne genu cœleſte, terreſtre ac ſubterraneum, vult ei flectendum: in his omnibus nunquid eſt, ob quod nosipſos profundiſſimè coram eo humiliemus? Si (7) ex præſcripto Dei, omnis lingua confiteri debeat ipſum eſſe Dominum; nunquid noſtrum eſt, ut ſervos, nos ei ſubmittere? Conf. Mal. I. 6. His igitur ac ſimilibus motivis adducti, nos coram Chriſto humiliemus, *intus* pariter, & *extus*: & *intus* quidem primo, quoad (a) *intellectum* noſtrum, ταπεινοφροσύνῃ ſeu ταπεινώσει τῆς φρενὸς, qua noſtram vilitatem, cum ſublimitate Chriſti, religiosè conferamus, agnitaque imensâ noſtri diſtantia ab eo, abjectiſſime de nobis ſentiamus: quemadmodum Agur ad אִיתִיאֵל וְאֻכָל *mecum Deus & prævalebo* (quo Chriſtus deſignatur Jeſ. VII. 14.) *ſanè* inquit *ſtultior ſum quolibet, nec eſt intelligentia hominis in me* Prov. XXX. 1. 2. 3. Conf. Job. XLII. 5. 6. Gen. XVIII. 27. 31. Quoad (b) *voluntatem*, qua ſimus ταπεινοὶ τῇ καρδίᾳ Matth. XI. 29. voluntatem noſtram ejus voluntati prompte ſubjiciamus 2 Cor. X. 5. id velimus quod ipſe vult Apoc. II. 6. ſicut ipſe Servator Matth. XXVI. 39. Phil. II. 7. 8. & glorificationem ejus nobis præfigamus, pro ſupremo ſcopo Phil. I. 20. Pſal. CXV. 1. ad hoc, parati, qui *minimi* ſimus in mundo Joh. I. 27. pro cujus gloria, diriſſima quævis ſubeamus Act. XX. 24. Verum non intus tantum: ſed ſecundo *extus* etiam, coram Chriſto nos humiliemus, quævis externa interioris humiliationis & reverentiæ ſigna, ei promptiſſime præſtando, v. g. *genu flectendo* &c. Phil. II. 10. &c.

4. Argumentum præſtat humiliationis.

Motivæ.

Ingredientia hujus humiliationis.

XVIII. *Quinto*, exaltatio invitat, exaltato fideliter præſtemus officia, exaltationi ſuæ congrua. Et quænam tandem iſta? Reſp. (1) *Exaltatio cordis*, qua, æſtimatione & amore noſtro, quem *Deus exaltavit*, & nos exaltemus Phil. I. 20. & ſicut Deus ipſum *ſupra omnia* exaltavit, ὑπερύψωσε; ita & nos ipſum ſupra *Patrem & Matrem*. h. e. ſupra chariſſima noſtra Matth. X. 37. ſupra *nos* ipſos, & ipſam quoque *vitam* noſtram efferamus Ibid. vſ. 39. Marc. VIII. 35. Act. XX. 24. imo ſupra *totum* mundum Marc. VIII. 36. 1 Joh. V. 4. quin & ſupra ipſos cœlos Pſal. LXXIII. 25. uſque adeo, ut præ ipſo, alia quævis pro *nihilo*, pro ſtercore, pro damno habeamus Phil. III. 7. 8. 9. in eo ſolo, præteritis omnibus, acquiſcamus Pſal. XVI.

5. Invitat ad officia exaltationi congrua: Exaltationem cordis,

Glorificationem oris.

5. 6. ipse nobis unus sit instar omnium, in quo solo simus *consummati* Col. II. 10. (2) *Glorificatio oris*, quâ, cui Deus *nomen dedit quod est supra omne nomen*, ei & nos ingenuè demus: eum *celebrando* Apoc. IV. 8. 9. 10. 11. α. ab excellentia divinæ ejus *naturæ* Rom. IX. 5. à qua omnia in eum quadrant, quæ de *Majestate & gloria Dei diximus* lib. II. cap. XXII. β. à dignitate *personæ* θεανθρώπε, quâ *Immanuel* est Jes. VII. 8. & איתיאל Proverb. XXX. 1. *puer & filius* Jes. IX. 5. utriusque naturæ perfectiones absorbens. γ. ab *officii* mediatorii præstantia 1 Tim. II. 5. Heb. VIII. 6. & IX. 15. & XII. 24. ejusque dignitate *prophetica* Deut. XVIII. 15. 18. 19. 20. *pontificali* Psal. CX. 4. Heb. VII. 26. 27. & VIII. 1. 3. *regia* Psal. II. 6. δ. ab *incarnatione* 1 Tim. III. 16. quam ipsi Angeli celebrant Luc. II. 13. 14. ε. à *virtutibus*, quas per omnem vitam prodidit, in exemplum Jes. XI. 1. 2. ζ. à *miraculis*, quæ per omnem vitam, & in omni creaturarum genere, præstitit Luc. XXIV. 19. Act. II. 22. Et sic porro η. à beneficiis, resurrectione, ascensione, sessione ad dextram, reditu ad judicandum vivos & mortuos, &c. (3)

Submissionem totius hominis.

Submissio totius compositi humani, qua *genu* ei reverenter ac devotè *flectamus*, eum *exosculemur* Psal. II. 12. interiora cogitationum & ratiocinationum ei promptè subjiciamus, *captivemus* 2 Cor. X. 5. quod fit A. *obedientia* ejus placitis legibusque exactissimè præstitâ Heb. V. 9. 2 Thess. I. 8. B. ejus reprehensiones castigationesque, placidè ac *patienter* accipiendo, ferendo Apoc. III. 10. 19. & II. 3. 10. &c. idque nec *fictè* Eph. VI. 5. Col. III. 22. 23. nec *coactè* 1 Pet. V. 2. quomodo hypocritæ, atque etiam impuri spiritus, volentes nolentes, ei genua flectunt Marc. III. 11.

Confessionem linguæ.

(4) *Confessio linguæ*, qua *nomen ejus*, h. e. veritatem euangelicam, quæ *Jesum Christum esse Dominum* profitetur, intrepide confiteamur Apoc. III. 8. Matth. X. 33. Marc. VIII. 35. 38. 1 Pet. III. 15. His igitur officiis Christus à nobis est exaltandus: quia 1. Deus ipsum exaltavit, & exaltandum nobis præscripsit Phil. II. 9. 10. Quia 2. exaltari meretur: *διὸ καὶ αὐτὸν ὑπερύψωσεν ὁ Θεὸς, quapropter ipsum Deus superexaltavit.* Apoc. IV. 11. *Tu Domine dignus es, qui accipias gloriam & honorem, & virtutem.* Quia 3. in ejus exaltatione, *nostra* peragitur exaltatio, quatenus ipse caput nostrum est, nos ejus membra Eph. I. 22. 23. Quia 4. si nos ipsum exaltaverimus; ipse vicissim nos exaltabit, jure talionis 1 Sam. II. 30. & vs. 1. 8. Phil. III. 21. Joh. XII. 32. & XVII. 24. Quia ex adverso 5. si nos ipsum non exaltaverimus nostris officiis; Deus ipsum exaltabit nostri depressione & exitio Psal. CX. 1. & II. 2. 3. cum 5. 9. Conf. lib. II. cap. XXII. de *majestate & gloriâ Dei*, item lib. V. cap. III. quoad praxin nominis *Domini* nostri; item cap. VIII. de *Mediatore Rege*, & infrà cap. de *Sessione ad dextram*; denique praxin singulorum graduum exaltationis, scil. resurrectionis, ascensionis, sessionis &c.

Motivæ

CAPUT DECIMUMQUINTUM,

DE

Mediatoris Resurrectione.

Marc. XVI. 9.

Cum autem resurrexisset Jesus, mane, primo die hebdomadis, apparuit primum Mariæ Magdalenæ &c.

Primus exaltationis gradus est resurrectio.

I. JAm ad exaltationis gradus singulos, singulatim dicendos, progredimur: exorsi à *primo*, per quem supra mortem ac sepulchrum, exaltatus est Servator, scil. *resurrectione* à mortuis.

Pars exegetica.

Textus aperitur.

II. *Cujus historiam, ἀναχεφαλαιώσει quadam, concludit Marcus* cap. XVI. 9. *In qua tria ista prostant:*

1. Resurrectio: cum resurrexisset Jesus. *Penes hanc observa*

A. Personam resurgentem: Jesus θεάνθρωπος. *Idem ille qui ceciderat morte, idem qui resurrexerat, juxta præcedentia. Non ergo in statum non-existentiæ transierat morte; quod enim non existit, non resurgit.* Jesus *quoad utramque naturam, divinam pariter & humanam, de quo suo loco in* dogmaticis.

B. Actum resurgendi: *cum* resurrexisset. Ἀναστὰς, cum resurrexisset. Personam *notat quæ resurrexit, non* tempus, *ac si immediate post resurrectionem Mariæ Magdalenæ apparuisset. Hoc qui non observarunt, hoc comma expunxerunt, eadem temeritate, qua alii totum hoc caput, & alii rursus,*

rursus, totam partem priorem hujus capitis, quod existimarent, in hoc cum narratione Matthæi, cap. XVIII. *à* vers. 1. *ad* 9. *esse pugnam irreconciliabilem.* Resurrexit, *scil. redunione partium essentialium corporis & animæ, & egressu ex monumento, de quo item in* dogmaticis *plura.*

2. Tempus *resurrectionis, geminum:*

א. Strictius: mane πρωὶ Matth. XXVIII. 1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων, ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων: vespere autem Sabbathorum illucescente *sole, in unam Sabbathorum. Lucas* Cap. XXIV. 1. τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, ὄρθρου βαθέος. At unâ sabbathorum diluculo profundo, *venerunt. Johannes* Cap. XX. 1. Maria Magdalene venit mane, tenebris adhuc existentibus. *Ex his Maldonatus in* Matth. XXVIII. 1. *nostro parallelum conficit, locum suum, omnium judicio difficillimum esse, quod non tantum sibi adversari videatur, quatenus* ὀψὲ vespera *construat cum* ἐπιφωσκούσῃ, cum illucescret, *scil. Sol; sed etiam cum reliquis Euangelistis pugnare videatur, & alii hac causa, totum caput Marci nostri, vel saltem ad versum nostrum expunxerint. Rectius Grotius ad eundem locum, dicit, si quid obscurum aut ἐναντιοφανὲς hic sit, id non ex scribentium; sed legentium vitio proficisci, imò se non videre in his narrationibus tantum esse difficultatis. Conciliare variis modis textus, nituntur varii. Sunt qui τὸ ὀψὲ latius capiendum existiment, pro totâ nocte, quæ secuta est Sabbathum, eaque tum recedente, ut illucescenti aurorâ hic locum faciant, hucque referunt locum Gellii* lib. 7. cap. 21. Tempora duo, cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum alterius initio misceatur: non refert, utrum per extremitatem prioris, an per initium sequentis, locus ipse confinis demonstretur. *Hinc ergo Matthæum* ὀψὲ vesperam *appellare τὴν ἐπιφώσκουσαν* diem illucescentem. *Huic alii adjiciunt, Hellenistis* ὀψίαν *dici interdum* noctem, *ut Hebræi* ערב Gen. 1. 5. 8. *&c.* Exod. XVI. 6. *atque ita hic* ὀψὲ *esse* noctu. *Alii* ὀψίαν sacram *distinguunt à* civili, *ut quod ratione* sacræ *fuerit vespera; ratione civilis fuerit nox usque ad diluculum. Alii mulieres distinguunt properantes ad sepulchrum, ut aliæ circa vesperam exierint, aliæ circa auroram, aut eadem bis, & circa vesperam & circa auroram. Mihi maximè satisfacit Grotius:* nimirum, *inquit*, primo diluculo surrexerant mulieres: dum aliæ aliam operiuntur, dum parant aromata, dum progrediuntur per urbem, & extra urbem ad sepulchrum, facilè tantum temporis præteriit, ut, cum ad sepulchrum ventum esset, aliquid jam Solis appareret. *Quo vergere videtur D. Ludov. de Dieu*, Existimamus, *inquit*, fœminas ipsa vespera Sabbathi, cum ex more Judæorum primus dies Septimanæ initium caperet, accinxisse se ad iter sepulchrum versus, in eo itinere emisse aromata, exiisse ex urbe, totâ nocte hæsisse in suburbio, in summo mane antequam portæ urbis aperirentur, & ab ullis conspici possent, ad sepulchrum contendisse, inde excurrisse Mariam, σκοτίας ἔτι οὔσης Joh. XX. 1. reliquas deinde ad sepulchrum venisse ὄρθρου βαθέος Luc. XXIV. 1. *Et sic nulla erit in Euangelistis pugna. Resurrexisse ergo videtur, vespera Sabbathi Judaici finita, cum jam illucesceret, h. e. inciperet primus dies hebdomadis, intra vesperam Sabbathi, & diluculum feriæ primæ; mulieres autem ad sepulchrum pertigisse, cum dudum resurrexisset.*

ב. Latius: primo die hebdomadis, πρώτῃ σαββάτου, prima Sabbathi. *Lucas* cap. XXIV. 1. τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, una autem Sabbathorum. *Ita Johannes* Cap. XX. 1. prima Sabbathi, *h. e. prima die post Sabbathum, id est, prima hebdomadis. Sabbathum enim, per synecdochen membri, usurpatur pro hebdomade, quia est ultimus hebdomadis dies qua illa perficitur. Sic & Judæorum Magistris passim feriæ appellabantur:* prima, secunda, tertia Sabbathi. *Hinc illud* Levit. XXIII. 15. Numerabis septem שבתות Sabbatha integra. *Hellenistæ, item Chaldæus, R. Saadias & Judæi Hispani, vertunt* hebdomadas integras, *uti &* Levit. XXV. 8. *Atque ex hoc loquendi usu, etiam Gentiles diem quemlibet, in ordine hebdomadico, vocabant* diem Sabbathicum, *h. e. hebdomadicum, observante Seldeno. Resurrexit igitur Christus, circa vesperam Sabbathi* finitam, *i. e. prima hebdomadis, vergente ad diluculum. Postquam scil. per tres dies in sepulchro, & sub dominio mortis hæsisset, secundum Scripturas: ut abhinc diem istum Christianis pro Sabbatho suo præscriberet: apparuit autem melieribus primo diluculo.*

3. Apparitio *prima*: apparuit Mariæ Magdalenæ. *De prima hac apparitione prolixius videri poterit* Joh. XX. 14. 15. 16. 17.

Pars dogmatica.

Christus tertio die resurrexit.

III. Certo igitur certius est, Christum tertio die à morte resurrexisse. Quod (1) *prædictum* sæpius legitur 1 Cor. XV. 4. non tantum sub V. T. Prob. Psal. XVI. 10. cum Act. II. 27. 31. Jes. LV. 3. cum tur scri- Act. XIII. 34. Psal. LXVIII. 1. cum Eph. IV. 8. pturæ Psal. CX. 7. Jes. LIII. 8. 9. 10. Dan. IX. 26. Hos.

vi. 2. & xi. 11. 13. 14. Conf. Mich. ii. 13. sed etiam sub N. T. ab ipsomet resurrecturo Joh. ii. 19. Matth. xii. 38. 39. 40. & xvi. 1. 4. & xvii. 12. 23. Luc. xviii. 33. Item (2) *præfiguratum*, in Adamo evigilante Gen. ii. 21. Isaaco Gen. xxii. 11. Heb. xi. 18. 19. Josepho, per triennium in carcere detento, postea vero totius Ægypti domino constituto Gen. xxxvii. 28. cum cap. xli. 41. Jonâ Jon. i. 17. cum Matth. xii. 40. Conf. rubum ardentem, nec tamen consumtam Exod. iii. 2. virgam Aaronis aridam; sed revirentem Num. xvii. 8. cum Jes. xi. 1. Simsonem noctu portam perrumpentem Jud. xvi. 3. Danielem è foveâ leonum liberatum Dan. vi. 17. 18. 24. Adde carnem sacrificii eucharistici, quæ ante diem tertium debebat comedi Levit. vii. 16. 17. 18. (3) *impletum*, juxta historiam N. T. ejusque seriem universam, quâ corpus è monumento novo & saxeo prodiit Luc. xxiii. 53. Joh. xix. 41. nec furto ablatum, ex discipulorum timiditate, & admotâ monumento, militum custodiâ, facile conficitur. (4) *testificatum* effatis α. *Angelorum*, qui istud apud monumentum ipsum prodiderunt, imo & cum reprehensione demonstrarunt mulieribus Luc. xxiv. 5. Matth. xxviii. 7. β. ipsius *monumenti* Marc. xvi. 6. *Ecce locum ubi jacuit.* Adde γ. ipsius *Jesu* Marc. xvi. 9. 1 Cor. xv. 6. δ. *mulierum* Joh. xx. 18. Matth. xxviii. 9. ε. *Apostolorum* Joh. xx. 20. 25. Act. x. 41. ζ. *militum* Matth. xxviii. 11. 12. 13. (5) *demonstratum* frequentissimis apparitionibus, quarum *decem* ad minimum, à doctis observantur. Imò (6) *comprobatum* ipsorummet sensuum testimonio, quatenus frequentissimè, se videndum, audiendum ac palpandum præstitit.

Et rationibus.

IV. Nec tantum resurrexit certò certius; sed resurgere *necessario* etiam debuit Act. ii. 24. Cujus necessitatis fundamentum hæret: (1) in æterno Dei *decreto*, quo perinde, quæ ad ejus resurrectionem spectant, determinata sunt, atque ea, quæ ejus mortem concernunt Act. ii. 23. 24. (2) in *prædictionibus* Scripturæ 1 Cor. xv. 4. dudum recensitis. (3) in ipsa resurgentis Christi *persona*, quâ non modo *Sanctus* Domini erat Psal. xvi. 10. sed humanam etiam naturam gerebat, quæ cum divina personâ unita erat, ac proinde contabescere non poterat (4) in ipsius *glorificatione*, in quam necessario introire *debebat* Luc. xxiv. 26. (5) in ejus *officio* mediatorio, quo mortem vincere, & nos à morte liberare debebat Hos. xiii. 14. 1 Cor. xv. 54. 55. 56. 57. (6) in *æternitate* regni mediatorii Luc. i. 33. (7) necessitate *introitus* in sacrarium cœleste. Heb. ix. 24. inde *mittendi* Spiritum S. Joh. xvi. 7. *conficiendi* peccata Heb. ix. 26. (8) in *prærogativis*, quibus esse debebat *Spiritus vivificans* 1 Cor. xv. 21. (9) in destinata ipsi extremâ *judicatura*, vivorum & mortuorum Joh. v. 27. Ex quibus omnibus maximè perspicuum est, ipsum necessario resurgere debuisse à mortuis.

V. Resurrectio illa Servatoris, quâ à statu & loco mortuorum, exaltatus est in vitam gloriosam, hæc ferè tria comprehendit ingredientia: 1. *Revivificationem*, per quam, partes naturæ humanæ essentiales, corpus & anima, licet in personâ divinâ, suo modo unitæ, à se invicem tamen per mortem divulsæ; sibi denuo restitutæ & redunitæ sunt. 2. *Transmutationem* gloriosam, qua *anima* quidem, si non novis perfectionibus induta fuit, ut nonnullis placet, saltem à statu, sibi præternaturali, separationis à corpore, ad statum sibi nativum revocata est: *corpus* autem incorruptibilitatem & gloriam, corporum *spiritualium & cœlestium*, de quâ 1 Cor. xv. 42. 43. 53. consecutum est Phil. iii. 21. Act. xiii. 34. Rom. vi. 9. 10. Heb. ii. 9. 14. Matth. xxvi. 29. Sic tamen, ut *naturam* corporis humani, finitatem, localitatem, palpabilitatem, nequaquam deposuerit; nec deponere, citra interitum humanæ naturæ, potuerit. 3. *Exitum* è sepulchro, quo, relictis ibidem othoniis, quibus sub *dominio* mortis quasi vinctus erat, prodiit ad vivos Matth. xxviii. 6. Resurrectionis hujus, natura & ingredientia.

VI. Dicendum tamen paulo distinctius, quali corpore resurrexerit: nim. A. *vero* Luc. xxiv. 39. 1 Joh. i. 4. B. *proprio* Luc. xxiv. 39. Joh. xx. 20. 27. C. *immortali* Rom. vi. 9. Apoc. i. 18. D. *glorificato*, nullis amplius infirmitatibus, fatigationi, fami, siti, doloribus, aliisque obnoxio. Quamvis ista corporis ejus gloria, post ascensionem demum, maximè fuerit conspicua 2 Cor. xiii. 4. Apoc. i. 14. Phil. iii. 21. Quali corpore resurrexerit.

VII. Causas resurrectionis expertus est, *duum* generum: 1. *principalem*, universam S. S. Trinitatem; *Patrem* Act. ii. 32. Eph. i. 20. *seipsum* Joh. ii. 19. 21. & x. 17. ut inde potenter *demonstratus* dicatur, *filius Dei*, *secundum spiritum sanctificationis*, *ex resurrectione à mortuis* Rom. i. 4. virtute scil. divinæ suæ naturæ: non autem alicujus divinæ potentiæ, humanæ suæ naturæ, per unionem personalem, communicatæ: & *Spiritum* S. Rom. viii. ii. 1 Pet. iii. 18. Cujus quidem cooperationis fundamentum est, in *unitate* virtutis, quæ tribus personis communis est, à qua omnes operationes *ad extra* procurantur: observato nihilominus, pro diverso singularum personarum *subsistendi* modo, diverso quoque operandi *ordine*, ut Pater per Filium, & *Spiritum sanctificationis* Rom. i. 4. suscitaverit *humanam* Filii naturam: 1. causæ *exitus* è sepulchro, suo modo *administra*, fuit *Angelus*, saxum devolvens ab orificio monumenti Matth. xxviii. 2. non sanè ex indigentia divinæ naturæ adhibitus; prout nec Angelus ad hoc ipsum in agonia corroborans Luc. xxii. 43. sed ex arbitrio, ad majestatem resurrectionis hujus augendam. Causæ resurrectionis: principalis, administra.

VIII.

Tempus resurrectionis:

VIII. Tempus hujus resurrectionis fuit 1. *tertius* à morte, aut descensu, dies 1 Cor. xv. 4. Quod (1) ita Deo visum fuerit, in æterno *decreti* consilio, quo cuncta, quæ ad mortem pariter & resurrectionem ejus spectant, prædeterminata sunt Act. ii. 23. Quod (2) ita habeant *vaticinia* V. T. Psal. xvi. 10. ne scil. *corruptionem videret*, prout vidit cadaver Lazari, post triduum sepulchro conclusum Joh. xi. 39. Quod (3) ita *præfiguratum* fuerit in Jonâ, Matth. xii. 40. Quod (4) ita resurrecturus ipse prædixisset Matth. xii. 40. & xvi. 21. & xvii. 23. Marc. viii. 31. Horum autem trium dierum supputatio sic venit instituenda, ut in die Parasceves, qui cum nostro *Veneris* coincidit, fuerit reclinatus in sepulchrum Joh. xix. 42. per totum Sabbathum *Judaicum quieverit* in monumento Matth. xxvii. 62. die proximè sequenti, qui primus σαββάτων, primo diluculo surrexerit Marc. xvi. 9. Adeoque observandum, *integros* dies noctesque non raro in Scripturis poni pro partibus, v. g. 1 Sam. xxx. 12. cum 13. Esth. iv. 16. cum v. 1. Hoc præsuppositio, alii triduum istud auspicantur, à primâ ejus crucifixione, quâ, licet necdum mortuus aut sepultus: tamen sub statu ac potestate mortis & tenebrarum exstitit. Alii paulo strictius illud auspicantur à morte quæ circa meridiem accidit Matth. xvii. 23. cum Luc. xxiv. 21. Joh. ii. 19. Alii strictissimè à tempore sepulturæ Matth. xii. 40: alii latissimè, per triduum illud intelligunt totum illud tempus humiliationis, quod à postremâ cœnâ fluxit, usque ad primam vesperam, quâ vivum sese discipulis exhibuit, quod integrum efficit triduum. Nec desunt etiam, qui calculum institui posse autument, ex computo Romano, qui diem auspicatur à mediâ nocte. Quicquid sit, triduum illud rectè dixeris, si per Synecdochen, sub tribus his diebus, eorumque partibus, noctes quoque comprehendas, quod Judæis & Scripturæ frequentissimum esse, dudum monuimus. Conf. Gen. i. 5. &c. Quibus autem rationibus, præcisè ad *triduum*, in sepulchro hærere voluerit, non est quod solicitè investigemus: possunt tamen hæ causæ observari; quod non *diutius* commorari in monumento voluerit, factum, partim ne corpus putredinem experiretur Psal. xvi. 10, partim, ut spem fidelium nimis diu non suspenderet Luc. xxiv. 21: quod non *citius* prodire voluerit, factum videtur; partim, ut mortem suam redderet certiorem, partim, ut diei dominicæ, pro Sabbatho Christianis sanctificandæ, ansam haberet, de quo jamjam.

3. Tertius dies.

2. Primus dies hebdomadis.

IX. Tempus resurrectionis 2. fuit ἡ μίαν σαββάτων, *prima hebdomadis*, quod, Sabbatho *Judaico*, suæ quietis in sepulchro figurâ ac typo, cessante (sicut cap. xiii. §. ix. ostendimus) Sabbathum *Christianum* vellet substituere, unde dies iste *dominicus* appellatur Apoc. i. 10. scil. à *Domino* & institutione *Sabbathi* Matth. xii. 8. sicut cœna, ab eodem, *cœna dominica* celebratur 1 Cor. xi. 20. cum 23. Huc etiam discipulis, ipso illo die, in nomine suo congregatis, se medium stitit, ac benedictionem Sabbathicam impertiit Joh. xx. 19. & quis determinaverit, Christum non immediatè à suâ resurrectione, aut in primo congressu cum discipulis, aut saltem per conversationem quadraginta dierum, cum discipulis, quando loquebatur de rebus quæ pertinent ad *regnum Dei* Act. i. 3 non determinasse in Sabbathum N. T. hunc diem? Quicquid sit, in usu saltem hic dies fuit, apud Ecclesiam *apostolicam* 1 Cor. xvi. 1. 2. Act. xx. 7. antequam ullæ constitutiones *ecclesiasticæ*, *apostolicis* contradistinctæ, in Ecclesiam fuissent receptæ. Ut perperam quidam, suis hypothesibus inservientes, ad Ecclesiæ *primitivæ*, apostolicam secutæ constitutiones referant, de quo, suo loco, si Deus volet, uberius dicendum.

3. Summum ejus mane.

X. Denique tempus determinantissimum hujus resurrectionis 3. fuit summum *mane*: πρωΐ. Postquam scil. & vaticiniis, & figuris, & negotio suo satisfecisset; otiosus in sepulchro hærere diu non voluit: sed primo mane, operi se denuo accinxit, atque etiam, suo exemplo determinare voluit, exordium Sabbathi *Christiani* faciendum esse à diluculo. Proinde resurrectio Christi nequaquam accidit circa *vesperam* Sabbathi, Sabbatho scil. adhucdum stante, ut nonnullis è Veteribus, nominatim versioni Syriacæ, placuit; quod Matth. xxviii. 1. dicatur ὀψὲ δὲ σαββάτων: aut præcisè circa *mediam* noctis, ut Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo: sed intra vesperam Sabbathi, incipientem, & illucescentem in primam hebdomadis, hoc est quod Matthæus vult, per ὀψὲ τῶν σαββάτων, ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων Matth. xxviii. 1. prout in *exegeticis* observavimus.

affectiones resurrectionis.

XI. Modus resurrectionis, per quem differt ab omni aliorum resurrectione, in his patet affectionibus circumstantiisque: quod fuerit 1. *potentissima*, quatenus non alterius, sed sua ipsius virtute procurata est, quâ ratione non *resuscitatus* 1, tantum aliunde dicitur; sed *resurrexisse* etiam, sua virtute, prædicatur Matth. xxviii. 6. Joh. ii. 19. & x. 18. usque adeo, ut sua resurrectione, seipsum *potenter declaraverit filium Dei* Rom. i. 4. Proinde 2. plane *miraculosa*, conjuncta cum terræ motu, & sub ministerio Angelorum: non tantum saxum devolventium, quo commodior sibi foret egressus è monumento; sed etiam factam resurrectionem, hominibus annunciantium Matth. xxviii. 2. --- Hinc 3. etiam per quam *gloriosa*, quatenus non tantum Angelorum comitatu stipatus prodiit; sed etiam custodes hostes terrore ac tremore tantum non excarnificavit Matth. xxviii. 4. atque velut victoriosus *triumphator*, de diabo-

lo, morte, inferno, & universa tenebrarum potestate 1 Cor. xv. 55. 56. se eum ostendit, qui claves abyssi infernalis, omnesque ejus incolas, in sua potestate circumferet Apoc. i. 18. Denique 4. *consolatione* suavissimâ scatens, à qua Angeli ad tremulas mulieres, *ne timeatis* inquiunt, & ipse suis sæpius apparendo, eorum fidem & fiduciam excitavit, confirmavit, metu hostium in unum coactis, *pacem* denunciavit, aliaque ad solatium ac tranquillitatem facientia, præstitit: testibus Euangelistis Matth. xxviii. Luc. xxiv. Joh. xx.

Usus resurrectionis: XII. Finis & usus resurrectionis, *primo Christum* ipsum resurgentem respicit: quatenus eâ 1. *Sanctitas* ejus demonstrata fuit, imò quod *Sanctus* ille *Israëlis* esset Jes. x. 20. quem, ut pro-

1. Christum ipsum respicit. missum Messiam, Pater *sanctificaverit*, & in mundum miserit Joh. x. 36. quod ex resurrectione patet Psal. xvi. 10. cum Act. ii. 31. Etiam 2. æterna ejus *Deitas* Rom. i. 4. quatenus propriâ virtute resurrexit Joh. x. 18. Insuper 3. infinita ejus *potentia*, qua *serpenti* infernali caput conterere Gen. iii. 17. ut robustus Simson, & fores inferni effringere Jud. xvi. 3. *morti aculeum*, *inferno virus* 1 Cor. xv. 55. 56. diabolo *potestatem* adimere posset Heb. ii. 14. adeoque *vivorum* pariter *ac mortuorum Dominatorem* se ostentaret Rom. xiv. 9. Denique 4. cœlestis ejus *gloria*, quam, per resurrectionem suam, *ingredi necessario* debebat Luc. xxiv. 26. *nomenque* illud consequi, *quod est supra omne nomen* Phil. ii. 9. 10. & sic *gloria & honore coronari* Heb. ii. 7.

2. Christianos. Usus resurrectionis *secundo* Christianos respicit, utpote quibus hæc resurrectio A. plenissimam *victoriam*, de morte & universa potestate tenebrarum, obsignat 1 Cor. xv. 57. Col. ii. 15. B. præstitam pro peccatis suis, exactissimam *satisfactionem*, indubitatam facit Rom. iv. 25. 1 Cor. xv. 17. quod Vas & expromissor, è carcere non demittatur, antequam reatum exhauserit Conf. Matth. v. 26. & xviii. 34. C. Viam aperit ad ea beneficia, quæ per reliquos exaltationis gradus, ascensionem in cœlum, & sessionem ad dextram Dei, dispensari solent, v. g. ad *intercessionem* pro nobis indesinentem Rom. viii. 34. Heb. vii. 16. 17. cum vs. 24. 25. ad emissionem Spiritus S. Joh. xvi. 7. procreationem fidei, per donatum nobis *Spiritum* fidei 2 Cor. iv. 13. aliaque, de quibus peculiariter, ad *gradus* exaltationis sequentes. D. Resurrectionis, tam *spiritualis*, quam *corporalis* beatæ, hypostasin, exemplar & initiationem ipsis præstat, quatenus α. eos in peccatis naturâ mortuos, *secum vivificat* Eph. ii. 5. 6. β. exemplar eis præstat, ad quod, in resurrectione suâ *spirituali*, se componant Rom. vi. 5. γ. & indubitatum præsagium, securaræ olim beatæ resurrectionis *naturalis*: eo quod, velut membra cum capite suo, coaluerint. Ibid.

XIII. Restat breviter vitam & acta Christi attingamus, à resurrectione ad suam ascensionem, per dies omnino *quadraginta* Act. i. 3. *Primo* se conspiciendum præbet Mariæ Magdalenæ, & post pauca, agnoscendum quoque Marc. xvi. 9. à quo resurrectionis certitudo propagari cœpit discipulis Joh. xx. 14.--18. *Secundo*, iterum apparuit mulieribus, à sepulchro revertentibus Matth. xxviii. 9. 10. *Tertio* duobus discipulis Emaunta petentibus se comitem præbet, eos ex Scriptura, de necessitate humiliationis & exaltationis Messiæ, instruit, ac tandem in fractione distributioneque panis, se eis agnoscendum præbet Luc. xxiv. 13.-31. Marc xvi. 12. Tum etiam Petro apparet Luc. xxiv. 34. & reliquis Apostolis, absente Thomâ, se eis palpandum præbet, cum ipsis cibum capit, non equidem *necessitate*; sed *utilitate* conversationis, motus: quo omnem ipsis dubitandi de suâ resurrectione potentiam adimeret Joh. xx. 24. 25. & xxi. 4. 5. 6. Iterum *quarto*, post octiduum Thomâ præsente, suis adest, ac Thomæ manus ac latus suum præbet exploranda Joh. xx. 26. Porro in Galilæa, discipulis in mari Tiberiadis piscantibus apparet, Petrum, de sinceritate amoris sui versus se, explorat, pastorale officium identidem ei committit, & alia monet Joh. xxi. --- *Rursus* Apostolis, in monte Galilææ Matth. xxviii. 16. --- aliquando etiam fratribus quingentis & amplius simul, & denuo Jacobo 1 Cor. xv. 6. 7. Tandem omnibus Apostolis, ad montem Oliveti, circa Bethaniam eductis, jam ascensurus in cœlum, loquitur de rebus, quæ *regnum Dei* concernunt Act. i. 4.--9. 11. Hoc est, de annunciatione Euangelii; formatione Ecclesiarum, dispensatione Sacramentorum, disciplina Ecclesiastica, sanctificatione *diei* dominicæ pro Sabbatho Christiano, & aliis, quæ in textu sacro non ita distinctè exprimuntur, procul dubio, agit, & præsentiam gratiæ suæ ipsis pollicetur, usque ad finem sæculorum Matth. xxviii. 16.-- Marc. xvi. 14.--19. Joh. xxi. 44.-- 1 Cor. xi. 23. Ut rationi omnino consentaneum sit, ab his ultimis Christi, Apostolos pleraque hausisse, quæ ad gubernationem & ἐυταξίαν ecclesiasticam, observationem diei dominicæ, aliaque ritualia, in Ecclesiis constituerunt.

Conversationem Christi cum Apostolis post resurrectionis certitudo propagari cœpit discipulis Joh. xx. 14.--18. *Secundo*, iterum apparuit mulieribus, à sepulchro revertentibus Matth. xxviii. 9. 10. *Tertio* duobus discipulis Emaunta petentibus se comitem præbet, eos ex Scriptura, de necessitate humiliationis & exaltationis Messiæ, instruit, ac tandem in fractione distributioneque panis, se eis agnoscendum præbet Luc. xxiv. 13.-31. Marc xvi. 12. Tum etiam Petro apparet Luc. xxiv. 34. & reliquis Apostolis, absente Thomâ, se eis palpandum præbet, cum ipsis cibum capit, non equidem *necessitate*; sed *utilitate* conversationis, motus: quo omnem ipsis dubitandi de suâ resurrectione potentiam adimeret Joh. xx. 24. 25. & xxi. 4. 5. 6. Iterum *quarto*, post octiduum Thomâ præsente, suis adest, ac Thomæ manus ac latus suum præbet exploranda Joh. xx. 26. Porro in Galilæa, discipulis in mari Tiberiadis piscantibus apparet, Petrum, de sinceritate amoris sui versus se, explorat, pastorale officium identidem ei committit, & alia monet Joh. xxi. --- *Rursus* Apostolis, in monte Galilææ Matth. xxviii. 16. --- aliquando etiam fratribus quingentis & amplius simul, & denuo Jacobo 1 Cor. xv. 6. 7. Tandem omnibus Apostolis, ad montem Oliveti, circa Bethaniam eductis, jam ascensurus in cœlum, loquitur de rebus, quæ *regnum Dei* concernunt Act. i. 4.--9. 11. Hoc est, de annunciatione Euangelii; formatione Ecclesiarum, dispensatione Sacramentorum, disciplina Ecclesiastica, sanctificatione *diei* dominicæ pro Sabbatho Christiano, & aliis, quæ in textu sacro non ita distinctè exprimuntur, procul dubio, agit, & præsentiam gratiæ suæ ipsis pollicetur, usque ad finem sæculorum Matth. xxviii. 16.-- Marc. xvi. 14.--19. Joh. xxi. 44.-- 1 Cor. xi. 23. Ut rationi omnino consentaneum sit, ab his ultimis Christi, Apostolos pleraque hausisse, quæ ad gubernationem & ἐυταξίαν ecclesiasticam, observationem diei dominicæ, aliaque ritualia, in Ecclesiis constituerunt.

Conversationem Christi cum Apostolis post resurrectionem per quadraginta dies usque ad ascensionem.

Pars Elenchtica.

Quæritur 1. An Jesus vere resurrexerit?

XIV. Circa resurrectionem controvertitur: *primò*, an Jesus *verè* resurrexerit à mortuis? Non sunt inter Christianos qui negent, nisi fortè, qui per phantasma, ipsum mortuum esse calumniati sunt. Judæi morticus negabant olim, & negant etiamnum, quos in amplissimâ πανηγύρει, unicâ concione, adeo potenter convicit Petrus, ut uno die ad tria millia sibi aceesserint Act. ii. 40. 41. Atque ut nos quoque, si non pari; saltem aliquali, nostros convincamus Judæos; juvabit in congressu

greſſu cum ipſis, hanc obſervare methodum; Ut 1. exemplis Petri Act. 11. 24.--33. & Pauli Act. XIII. 32.--38: ante omnia demonſtremus, Meſſiam olim promiſſum, & mori & reſurgere *debuiſſe* Luc. XXIV. 25. quò ſpectant vaticinia & figuræ, adductæ §. 11. Tum 2. conferamus impletionem ex hiſtoriâ Euangeliſtarum, aliaque N. T. teſtimonia. Et quo illa fortius ſtringant; juvabit 3. in promptu habere argumenta, quibus, & univerſalis N. T. veritas, & divina ejus auctoritas, de monſtrari poſſit, quæ ſuggeſſimus lib. 1. cap. 11. Tandem 4. adjici poſſunt omnia illa argumenta, quibus demonſtramus, *Jeſum* noſtrum eſſe promiſſum illum *Meſſiam*: ſi enim Meſſias, per Scripturas, reſurgere ex mortuis debuit; & Jeſus noſter ſit Meſſias, quis dubitare poſſit, ipſum reſurrexiſſe? His ergo feliciter præſtitis, non video, quid, ullâ quidem cum ſpecie, adverſus reſurrectionem Chriſti moliri poſſint Judæi.

2. An reſurrectio nihil aliud ſit quam ex non exiſtente, iterum exiſtere?

XV. *Secundò* quæritur, an reſurrectio Chriſti nihil aliud ſit, quam *ex non-exiſtente, iterum exiſtere?* Sociniani ῥητῶς affirmant; ſic Smalcius, *de divinit. Chriſt.* cap. XIII. ſcil. ut mori ipſis eſt, *non amplius* exiſtere; ita reſurgere ipſis eſt, *iterum* exiſtere, nec deſcenſus Chriſti ad inferos ipſis aliud eſt, quam certificatus ſtatus *non-exiſtentiæ*, in quem Servator deſcenderit, veritate mortis ſuæ. Chriſtiani ex adverſo, reſurrectionem, cum Scripturis, exiſtimant non aliud eſſe, quam partium eſſentialium, corporis & animæ, per mortem ſeparatarum quidem; ſed tamen exiſtentium, reunitionem. Nos ſententiæ Socinianæ fundamenta ex profeſſo deſtruximus cap. XII. §. XVIII. & cap. XIII. §. XII. nec hic addimus, niſi quod ſententia Sociniana revera tollat; (1) *reſurrectionem* Chriſti, cui tantum, imo plus, quam ejus morti, videri volunt tribuere: cum talis reſurrectio non ſit, niſi *nova* novi corporis *creatio*. (2) *omnem* omninò carnis reſurrectionem: flagitat enim ipſa nominis definitio, ut hominis *cadaver* (quod à *cadendo* Hebræis, Græcis & Latinis derivatur) à caſu ſuo, quo proſtratum eſt, erigatur & ſuſcitetur, ut vera ſit ἀνάστασις, prout ſcitè vocem interpretatur Damaſcenus: δευτέρα τῆ πεπτωκότος στάσις: *ſecunda ejus quod ceciderat ſtatio.*

Objectiones

Cauſantur interea, pro ſuâ ſententiâ Sociniani præter ea quæ loc. cit. cap. XII. adduximus, quod A. ab iteratâ hac reſurrectionis exiſtentiâ, appellet ur *primogenitus è mortuis* Col. 1. 18. Apoc. 1. 15. Reſp. 1. Falſum hoc; eſſet enim eâ ratione, Chriſtus bis vel ter genitus: nim. primò ab æterno Pſal. 11. 7. dein ex B. Virgine, denique per reſurrectionem: ſed 2. ita dicitur à jure & poteſtate *primogenituræ*, qua viventibus ac mortuis dominatur Rom. XIV. 9. ſibi ex æterna ſui generatione competente, à qua πρωτότοκος πάσης κτίσεως appellatur Col. 1. 15. Quod B. *primitiæ* dicatur *eorum qui obdormiverunt*: ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο. 1 Cor. XV. 20. Reſp. Non ſane à novâ quavis exiſtentia, per reſurrectionem accepta; ſed a benedictione illa, qua per Chriſti reſurrectionem ſanctificata eſt, univerſa fidelium reſurgentium maſſa, juxta illud Rom. XI. 15. *ſi primitiæ ſanctæ, etiam maſſa.* Quod C. hinc dicatur *Pater æternitatis* אבי עד Jeſ. IX. 6. quod à tali reſurrectione, cœptum ſit vivere vitam *æternam*, ſicut ab Adamo cœptum ſit vivere vitam *caducam*, ut loquitur Smalcius *de divin. Chriſti* cap. XIII. Reſp. 1. Talis Chriſti reſurrectio non niſi chimæra eſt. 2. Nec ſua reſurrectione, ſuis æternitatis Pater & auctor eſſe poſſet, ſi *in ſeipſo* non haberet vitam æternam Joh. V. 27. ut ipſe *verus Deus* 1 Joh. V. 20.

3. An propriâ; ſolius divinæ ſuæ naturæ potentiâ, reſurrexerit?

XVI. *Tertiò* quæritur, an propria ſolius divinæ ſuæ naturæ virtute reſurrexerit? Sociniani, quia divinam Chriſti *naturam* negant; negare etiam coguntur κενόμενον. Lutherani, ſuis hypotheſibus inſervientes, quibus, per unionem hypoſtaticam, humanæ naturæ communicata ſint divina *idiomata*, & in his, divina potentia; agnoſcunt quidem, potentia divinæ naturæ ipſum reſuſcitatum fuiſſe; ſed addunt, ipſum etiam & *humana* natura, virtute communicatæ ſibi divinæ potentiæ, reſuſcitatum fuiſſe. Hinc ſtatuunt, quod Chriſtus ſeipſum ſuſcitaverit tribus modis: 1. ἰσιωδῶς, propria divinæ naturæ virtute. 2. ὑποστατικῶς, potentia ſibi à Patre, per æternam generationem, communicata. 3. per συγκοινώνησιν, ſecundum humanam naturam, per unionem perſonalem. Reformati, *primò* adverſus Socinianos affirmant, Chriſtum propria virtute reſurrexiſſe: eò quod (1) hoc diſertè dicatur Joh. II. 19. & X. 18. 1 Cor. XV. 45. Zach. VI. 12. Joh. V. 26. Act. 1. 3. Quod (2) demonſtratum jam ante lib. II. cap. XXVI. ſit, eum verum, æternum, Patrique ſuo ὁμοούσιον Deum eſſe, qui humanam naturam aſſumſerit in unitatem perſonæ. Quibus ipſi peram opponunt: A. quod à Patre ſuo paſſim dicatur ſuſcitatus Act. II. 24. Eph. I. 19. 20. Reſp. Subordinata hic non pugnant, quemadmodum Pater *Filium* tradidiſſe dicitur Rom. VIII. 32. & Filius ſeipſum Gal. II. 20. Eph. V. 2. 25. Pater Filium collocavit ad dextram ſuam Eph. I. 20. & ipſe filius conſedit Marc. XVI. 19. Pater ei ſubjecit hoſtes ſuos Pſal. CX. 2. & ipſe ſibiipſi 1 Cor. XV. 25: ita & Pater ipſum ſuſcitavit, & ipſe ſeipſum: quod una utriuſque perſonæ potentia eſſentialis. B. Ridiculum ſtatuunt, quemquam ſeipſum ad vitam revocare. Reſp. Non eſt ridiculum ei, qui duas in Chriſto, cum Scriptura, agnoſcit naturas: ut divina humanam potuerit excitare. C. quod à Patre ſuo reſuſcitationem ſui efflagitaverit Pſal. XVI. 8. 9. 10. Act. II. 26. 27. Reſp. Nec dicitur iſtis locis, quod à Patre *efflagitaverit* ſui reſuſcitationem;

Affirmatur contra Socinianos.

Objectiones.

sed tantum exponit certitudinem futuræ suæ resurrectionis: nec si diceretur, sequeretur, ipsum propriâ virtute non resurrexisse: nam, & Lazarum Christus potuit propriâ virtute excitare Joh. v. 21. & tamen, per preces, Patri acceptum retulit Joh. xi. 42. Tum *secundo*, Reformati adversus Lutheranos sustinent, Christum viribus potentiæ *divinæ*, humanæ naturæ per unionem hypostaticam communicatæ, seipsum nequaquam excitasse: quod non tantum hypothesis, de *communicata* per unionem hypostaticam, humanæ naturæ potentia divinâ, figmentum sit, prout cap. xv. ex professo demonstravimus: sed quod etiam, hac ratione humana natura seipsam suscitasset, quod absonum.

Atque etiam contra Lutheranos.

4. An Christi resurgentis corpus, per saxum & ostium clausum penetraverit?

XVII. *Quarto* quæritur, an Christi resurgentis corpus per saxum, orificio monumenti advolutum, & per ostium clausum, penetrarit? Lutherani, quo commodius defendant præsentiam carnis Christi in pane eucharistico, non obstante dimensionum penetratione, affirmant utrumque: Reformati negant: quod (1) Scriptura ejus ne γρύ quidem habeat, imò (2) contrarium disertè testentur omnes Euangelistæ: quando factum terræ motum, & Angelum è cœlo accessisse commemorant, qui saxum amoverit Matth. xxviii. 2. Marc. xvi. 4. Luc. xxiv. 2. Joh. xx. 1. Quod (3) *penetratio* dimensionum, contradictionem manifestissimam implicet, & ipsam corporis naturam tollat: ex quo Christus non amplius foret θεάνθρωπος, nobisque per omnia similis, excepto peccato. Addam (4) quod ipsis contradicat adversariorum hypothesibus: si enim, ab unione personali, quoad κτῆσιν; & à glorificatione, quoad χρῆσιν, caro Christi omnipræsentiam habuit; quâ ratione penetrando, locum *mutare* potuit? Nec est ipsis quod opponant, nisi A. quod Angelus saxum devolverit, resurrectione jam facta Resp. Negatur; probent: amovit, instant, ut factam mulieribus venientibus ostenderet: unde digito indice, quasi ad sepulchrum arrecto, προσφωνήσει utitur Angelus: *surrexit, non est hic, videte locum ubi jacuit.* Resp. Subordinata non pugnant: Angelus removit saxum, cum Christus egressurus esset, tandem mulieribus venientibus, ostendit locum Angelus, ubi Servator jacuisset. B. Si *potuit* seipsum suscitare, potuit etiam, clauso per saxum sepulchro, resurgere. Resp. 1. A. posse ad esse non valet sequela. 2. Est dissimilis ratio, quia penetratio dimensionum contradictionem implicat, & veritatem corporis humani tollit C. Declaravit potenter resurrectione suâ, se esse Filium Dei Rom. 1. 4. Jam quale fuisset argumentum, si alterius ope *indiguisset*, qui sepulchrum aperiret Resp. 1. Non ex *indulgentia* ministerio Angeli usus est; sed ex abundantia potestatis, utpote quæ se in Angelos etiam extendat Heb. 1. 14. quemadmodum ad patefaciendam suam resurrectionem, Angelorum ministerium adhibuit, non ex indigentia, sed ex *abundantia* potestatis. Tum etiam 2. non obstante hoc ministerio Angelico in removendo saxo, sua resurrectione, potentissimè se demonstravit Filium Dei, quâtenus propria virtute seipsum vivificavit D. Joh. xx. 19. *Existente autem vesperâ, die illo primo Sabbathorum, & foribus clausis, ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum, venit Jesus & stetit in medio* &c. Ergo per fores clausas penetravit. Resp. Non dicitur: διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, quod unice controvertitur; sed tantum *tempus* designatur, quo ad eos venit, scil. vespera cum fores clausi essent.

Objectiones.

5. An resurrexerit corpore glorificato.

XVIII. *Quinto* quæritur, an surrexerit corpore glorificato? Sociniani negant corpus, quod in resurrectione habuerit, glorificatum fuisse, sed glorificationem accepisse demum, post ascensionem: Reformati, ut fatentur fulgorem corporis glorificati, magis visum & cognitum fuisse ab ascensione; sic glorificationem ipsam habuisse statim à resurrectione, existimant, per rationes in *dogmaticis* notatas. §. v. per quas cogitari non potest, fideles, in sua resurrectione, immortalitatem & incorruptibilitatem, imò & gloriam, accipere, teste Paulo 1 Cor. xv. 52. 53. 54. & Christum non accepisse. Urgent interim adversarii: A. quod *comederit* & biberit Luc. xxiv. 42. 43. Resp. Non *necessitate* adductus; sed *voluntate*: non fame; sed ut his probaret, se spiritum aut spectrum non esse. B. Quod vibices & *cicatrices* vulnerum, in manibus & pedibus, ostentarit Joh. xx. 25. Resp. Non equidem ex *infirmitate* ostentavit; sed ut certius faceret, se ipsum illum esse, qui mortuus sit, urgente Thomâ Joh. xx. 27. C. quod locus glorificationis sit in cœlo. Resp. *Ordinarius* quidem; sed cui non repugnat, *extra* ordinem etiam, in terris glorificationem fieri, ut patet in Mose & Eliâ, cum Christo glorificatis Matth. xvii. D. Quod *petat* glorificari, utique per ascensionem & sessionem ad dextram Dei Joh. xvii. 5. Resp. Verum; sed hoc non obstat, quominus ante quoque, & in resurrectione, glorificatus fuerit Joh. xii. 28. & 1. 14.

Objectiones Socinianorum.

6. An plus momenti sit in resurrectione, quam in morte Christi? Sententia Socinianorum.

XIX. *Sexto* quæritur, an *plus* momenti rebus Christianis sit in resurrectione, quam in morte Christi? Sociniani, quo potentius satisfactionem & meritum, à morte Christi eliminent; statuunt, Christum his qui sibi credunt, & suo Euangelio (quod ipsis non est, nisi lex Mosis, prout à Christo correcta & aucta est) obediunt; promisisse remissionem peccatorum, & per resurrectionem, vitam insuper æternam. Atque ut hoc securius crederent, & promptius obsequerentur, voluisse mori, ut posset resurgere, ascendere, & sedere in gloria: ut sic exemplo suo compro-

probaret resurrectionem & vitam æternam. Proinde resurrectionem esse finem mortis; & consequenter, plus momenti esse in resurrectione, quam in morte ejus. Quin & Reformatos calumniantur, quod resurrectioni & glorificationi detrahant, quando remissionem peccatorum, vim novæ obedientiæ, omnesque benedictiones, ac salutem æternam, inferant ad mortem & humiliationem Christi. Reformati, sicut salutis, omnisque boni *impetrationem*, cum Scripturis referunt ad mortem & humiliationem Christi; ita ejus *applicationem* referunt ad resurrectionem & exaltationem: &, sicut applicatio impossibilis est absque impetratione; ita impetrationem cassam esse & inutilem, absque applicatione. Exinde humiliationem & exaltationem; mortem & resurrectionem, considerant ut co-non sub-ordinata: quæ proinde sibi sint æqualia in sua specie, idque cum Scriptura Rom. IV. 25. Hypotheses sententiæ Socinianæ examinare, partim ad cap. II. de *Mediatore*; partim ad cap. de *Redemptione* spectat.

Sententia Reformatorum.

7. An in memoriam resurrectionis peculiare festum Ecclesiæ sit præscribendum?

XX. *Septimo* quæritur, an in *memoriam* resurrectionis Christi, peculiare quoddam festum Ecclesiæ sit præscribendum? Pontificii, quo traditiones, & potestatem Papæ νομοθετικὴν, efficacius propugnent (exemplo Victoris Episcopi Romani, qui jamtum exeunte seculo secundo, totius Asiæ παροικίας, cum aliis finitimis, à se dissentientes in causa Paschatis celebrandi, à communione Ecclesiæ secluserit. Teste Euseb. *Hist. Eccl. lib.* V. edit. Latin. capp. 22. 23. 24.) mordicus affirmant. Lutherani, nescio quibus causis, contra proprias hypotheses, ac Scripturæ perfectionem, cum Pontificiis affirmant, & *plus* venerationis in festum illud congerunt, quam in ipsum diem dominicum. Reformati, quamvis largiantur quodvis tempus, rememorationi egregiorum beneficiorum Dei (quale nobis præstitum in resurrectione Christi) impendi posse: negant tamen *peculiare* quoddam festum toti Ecclesiæ præscribendum esse. Quod α. Scriptura hujusmodi festum planè ignoret. β. Christum non legatur Ecclesiæ potestatem fecisse, nova festa indicendi. γ. Omnia festa Judæorum abrogaverit Col. II. 16. 17. Gal. IV. 10. 11. δ. Quod dies *dominicus*, revera in *memoriam* resurrectionis institutus, sufficiat. Hæc, hîc quidem, tetigisse suffecerit, alibi ex professo tradenda.

Pars practica.

Resurrectio Christi 1. Præstat fidei nostræ sustentaculum.

XXI. Resurrectio Christi *primo* egregium præstat fidei nostræ sustentaculum 1 Cor. XV. 14. *si Christus non resurrexerit — inanis est fides vestra*, Unde (1) Deus sua providentia, adeo fuit solicitus, ut facta resurrectio hominibus quamprimum revelaretur, imo invictis documentis, ipso illo die, summo ejus diluculo, hominibus demonstraretur Matth. XXVIII. 1. Marc. XVI. 2. 9. Ut (2) Revelatores ejus primos adhibuerit, non homines quosvis; sed *Angelos*, & tanta majestate coruscantes Matth. XXVIII. 3. nec *unum* aliquem; sed duos: ut in *duorum*, ac tantorum *testium ore*, *omnis consisteret veritas*, Deut. XVII. 6. qui resurrectionem illam non semel; sed quater *testificasse* dicuntur: α. Matth. XXVII. 2 — β. Luc. XXIV. 4 — γ. Joh. XX. 12 — δ. Marc. XVI. 12 — Nec *testificârunt* tantum; sed multis modis curatissimè *demonstraverunt*: A. *refutando* vanos mulierum conatus, quibus vivum quærerent inter mortuos Luc. XXIV. 3. B. *Negando*, ipsum esse in sepulchro. *Ibid.* vers. 6. C. *Affirmando* diserte resurrectionem; *resurrexit enim*. *Ibid.* D. *Rememorando* prædictionem ipsius Christi: *recordamini, ut locutus sit vobis, cum adhuc esset in Galilæa* vers. 6. 7. E. *Monstrando* locum ubi jacuisset Matth. XXVIII. 6. Marc. XVI. 6. F. *Mandando* ut & discipulis, revelatam sibi resurrectionem, mulieres communicarent Marc. XVI. 7. idque *cito* facerent Matth. XXVIII. 8. Unde (3) ipse Servator, mox à resurrectione, toties suis apparuit, cum ipsis familiarissimè conversatus est, edit, bibit, locutus est, per dies omninò quadraginta, ut in *dogmaticis* ostendimus. Hinc (4) Paulus adeo prolixè ac solicitè Corinthiis *inculcat* resurrectionem Christi 1 Cor. XV. 3—21. velut præcipuam partem universi Euangelii sui, narrando varias ejus apparitiones, explicando insigne ejus momentum ad fidem, ad spem, ad salutem æternam. Pendet enim ab hac resurrectione א. *Fides* æternæ *Deitatis* Christi Rom. I. 4. ב. *Veritas* officii mediatorii, quod *Messias* sit, qui resurgere debebat, *secundum Scripturas* Act. XIII. 32 — 37. ג. Certitudo exactissimæ *satisfactionis*, & justificationis nostræ Rom. IV. 25. ד. Immobilis successus beatæ nostræ *resurrectionis* 1 Cor. XV. 18. 19. 20. Verbo dicam ה. Universa ὑπόστασις Religionis Christianæ: si enim Christus non resurrexit, aut Messiam *nullum* habemus; aut *mortuum*, qui nullus sanè est. Est igitur quod omni conatu id agamus, ut 1. immotè convincamur de infallibilitate resurrectionis Christi: huc enim tantus est Apostolus 1 Cor. XV. 3 — 21. ut 2. naturam ejus magis magisque perspiciamus Phil. III. 10. Ut 3. memoriam ejus ubique circumferamus 2 Tim. II. 8. Luc. XXIV. 6. 7. 8. Ut 4. eam intrepide confiteamur Rom. X. 9.

Quot modis?

Quórsum?

2. Præstat argumentum glorificationis divinæ.

XXII. *Secundo*, præstat resurrectio Christi nobis argumentum *glorificationis* divinæ. Est enim *gloria* Dei, ut universi operis redemtionis; ita etiam resurrectionis hujus scopus *ultimus* Rom. VI. 4. *Ut sicut ipse suscitatus est in gloriam Patris* &c. Phil. II. 11. Patet in eâ 1. gloria *veracitatis* & *fidelitatis* divinæ, in servandis promissis, Mediatori filio olim præstitis Jes. LIII. 10. Patet 2. gloria *justitiæ* distributivæ, qua gloriam Christo, ex sponte susceptâ humiliatione & obedien-

dientiâ, competentem Deus præstitit Phil. II. 7. 8. 9. Patet 3. gloria *potentiæ*, quam exseruit in suscitatione filii Eph. I. 19. 20. Patet 4. gloria *sapientiæ*, qua, ex tam profunda humiliatione & exinanitione, tam sublimem potuit provocare exaltationem: qua supra omnia, mortem, infernum, universamque tenebrarum potestatem, potuit triumphare Mediator Phil. II. 7. 9. Col. II. 15. Patet 5. gloria *gratiæ* & *misericordiæ*, quâ, non tantum Mediatorem, Regem, Dominum, caput, fratrem, sponsum nostrum, idque in gratiam nostri, è morte provocavit in vitam: sed & nos, in & cum eo, *vivificavit* & suscitavit Eph. II. 4. 5. 7. Has omnes aliasque, tam glorioſas Dei *perfectiones*, in resurrectione Christi obvias, glorificando: 1. agnoscamus *mente*, 2. celebremus *ore*, 3. referamus *opere*, ut *sicut Christus suscitatus est in gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus* Rom. VI. 4.

Quomodo.

3. Excitat. gratulemur resurgenti,

XXIII. *Tertio*, resurrectio Christi nos excitat, Christo è mortuis resurgenti, ac de morte, inferno & omnibus suis nostrisque hostibus, glorioſe triumphanti, ex animo *gratulemur*, eique ἐπινίκιον læti canamus, cum Apostolo I Cor. XV. 54. 55. 56. 57. *Absorpta est mors in victoriam: ubi tua, ô mors, victoria? ubi tuus, ô infernum, stimulus? — Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Ex Jes. XXV. 8. Hos. XIII. 14. Si enim Moses cum suis, Deo cecinerunt ἐπινίκιον, cum hostes suos Ægyptios Deus mari rubro confeciſſet Exod. XV. 1.—22. Si Davidi, Israëlitæ gratulati sunt, profligatum hostem suum Goliath. I Sam. XVIII. 6. 7. Si quatuor animalia apocalyptica, si viginti quatuor Seniores, si myriades myriadum Angelorum, si omnes creaturæ, quæ sunt in cœlo, & in terrâ, & sub terrâ, & in mari, & quæ in omnibus iis continentur, ei *qui vivit in sæcula, honorem, & gloriam, & robur* gratulati sunt, *in sæcula sæculorum* Apoc. IV. 9. 10. 11. & V. 11—: nunquid & nos gratulabimur? cum, non tam sibi, quam nobis resurrexerit? Nunquid gratulabimur A. *liberationem*, è tam profunda humilitatis & miseriæ abyſſo Phil. II. 7. 8. 9. Act. II. 24. B. *recuperatam*, post tot ac tam ignominioſas mortes, tam glorioſam *vitam* Psal. XVI. 9. 10. Act. II. 27. 28. Psal. CX. 7. C. *triumphatos* omnes, tam suos, quam nostros hostes I Cor. XV. 55. 56. 57. Col. II. 15. D. *Partam sibi* gloriam ineffabilem Heb. II. 6.— 10. ex Psal. VIII. 5. 6. 10. & E. *restitutam* nobis *justitiam* Rom. IV. 25. Gratulemur ergo ℵ. *gaudendo*, cum discipulis Joh. XX. 20. *gavisi sunt, cum viderent* Dominum ב. *Vovendo* prosperitatem Psal. CXVIII. 22. 25. 26. ל. *Celebrando* resurgentem. Ibid. vſ. 22.—26. ד. *Gratias* agendo I Cor. XV. 57. Rom. VII. 24. pro omnibus istis beneficiis, quæ suâ resurrectione, nobis acquisivit, juxta §. XII.

Argumenta.

Modus.

XXIV. *Quarto* præstat egregium *solatium* resurrectio Christi: (1) pellendo metum Matth. XXVIII. 5. (2) erigendo *spem vivam* I Pet. I. 3. & III. 21. (3) concitando *gaudium* Joh. XX. 20. (4) conciliando *pacem* Joh. XX. 19. (5) *abstergendo* lacrymas Joh. XX. 13. Hac ratione solatium efficaciſſimum præstat, si caſu (a) *peccati*, si urgeat & angat: *surrexit* enim *ad nostram justitiam* Rom. IV. 25. I Cor. XV. 17. (b) *iræ* divinæ, à peccato nostro accensæ: convincit enim ejus resurrectio, quod Patrem nobis reconciliaverit Rom. V. 10. (c) *Satanæ* tentantis; quod suâ resurrectione Satanam subegerit, triumphaverit Col. II. 15. Psal. CX. 1. (d) *inimicorum* terrestrium, quod resurgens, custodes hostes terrore excarnificaverit, fugaverit Matth. XXVIII. 4. (e) quarumvis animi *perturbationum*, quod metuentibus sibi, à persecutionibus hostium, discipulis medius adstiterit, & *pacem* denunciaverit Joh. XX. 19. 20. & ab obitu magistri, egregiè turbatis (σκυθρωποῖς) incognitus licet, adfuerit consolator Luc. XXIV. 17. (f) *inferni* exterrentis, quod resurgens, nec ipse in inferno fuerit derelictus; nec suos derelicturus sit Psal. XVI. 10. & *inferno victoriam* ademerit I. Cor. XV. 55. 57. (g) *mortis*, quod resurgendo, mortem superaverit, ei stimulum ademerit I. Cor. XV. 55. ipsa sit *resurrectio & vita* Joh. XI. 25. Quæ omnia efficacius erigent, si expenderimus pleraſque hujus resurrectionis *circumstantias*, nim. α. *resurgentem*; quod idem ille sit, qui mortuus est, ut nos à metu mortis liberaret Heb. II. 14. & *per vitam suam, nos* servaret Rom. V. 10. β. *Resurrectionis ἐνέργειαν*, quatenus indicium præstat, ipsum pro nobis pleniſſimè *satisfeciſſe*, ipsum potentiorem esse morte, diabolo, inferno; ipsum vivere in æternum, proinde nos servare posse, εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 24. & claves gestare mortis & inferni Apoc. I. 18. γ. *cœlum* resurrectione suâ *apertum* fuiſſe, ut anima ejus corpori reduniretur, Angelos descendiſſe, qui trementibus mulieribus metum excuterent Matth. XXVIII. 5. & quasi scalam quandam, à terrâ in cœlum pertingentem, erectam fuiſſe, eo loco, ubi cœlestis hic Jacobus jacuerat dormiveratque Gen. XXVIII. 12. qua imposterum ascendere cum eo possimus, ad *Deum* suum & ad Deum *nostrum* Joh. XX. 17. δ. *Candidas* vestes, quibus angeli resurrectionem nunciarunt, quasi pignus præstitiſſe candidarum vestium, quibus Christi sponsa Apoc. XIX. 8. & quilibet suorum cap. VI. 11. ex promiſſione Christi resurgentes, venient induendi cap. III. 5. ut in eis coruscent sicut Sol Matth. XIII. 43. sintque ἰσάγγελοι cap. XXII. 30. ε. *Angelos*, resurrectionis nuncios, ostendere, se nunc amicos nostros factos esse, quia resurgens *Christus* factus sit: se jam nobis factos esse, πνεύματα λειτουργικὰ Heb. I. 14.

3. Præstat efficaciſſimum solatium: in qui. bus caſibus.

Quibus argumentis consolatoriis.

14. noſtros συνδούλους Apoc. XIX 10. paratos, qui nobiſcum *familiariter* agant, ut cum mulieribus Marc. XVI. 6. utpote cum quibus olim ſimus congregandi in beatiſſimam πανήγυριν Heb. XII. 22. ζ. Horrendos *hoſtes*, factâ reſurrectione exanimatos, fugâ ſignificaſſe, & *nos liberatos à quibuſvis hoſtibus*, *Deo ſervituros abſque metu*, *omnibus diebus vitæ* noſtræ Luc. I. 74. η. *Reſurgentem* ipſum, vix ſuſcitatum, quaſi ſolicitum de conſolatione contriſtatorum diſcipulorum, curaſſe reſurrectionem ſuam ipſis *annunciandam* Matth. XXVIII. 10. ad eos, metu congregatos, *acceſſiſſe*, eos humaniſſimè ſalutaſſe, pacemque impertiiſſe Joh. XX. 19. mandaſſeque Euangelium hujus reſurrectionis, per univerſum terrarum orbem diſſeminare Matth. XXVIII. 18. Marc. XVI. 15. Tandem 9. declaraſſe, ſe nequaquam ad hoc ſurrexiſſe, ut ſuos *deſereret*; ſed ut ſuâ gratiâ, ſuoque Spiritu, ipſis *adeſſet uſque ad conſummationem ſeculorum* Matth. XXVIII. 20. ipſos protegeret, æternumque beatificaret, utpote ad quod jam *vivit in æternum* Heb. VII. 25. Quantum bone Deus! & quam ineffabile, in his omnibus exiſtit ſolatium! Ex adverſo

5. Reſurrectio Chriſti hoſtibus terrorem incutit. Quinam illi hoſtes.

XXV. *Quinto*, hoſtibus reſurrectio Chriſti *horrorem* incutit ac tremorem Matth. XXVIII. 4. Et quinam tandem iſti hoſtes? 1. Qui Chriſtum *interficiunt*, & è medio tollere conantur; ſi non in ſe, ſaltem in membris ſuis, quemadmodum Judæi, Sacerdotes, Phariſæi Matth. XXVII. 22. qui, & poſt ejus mortem, ejus diſcipulos perſequuntur Joh. XX. 19. Qui 2. ſibi *metuunt* ab ejus reſurrectione: ſic ut Pontifices & Phariſæi Matth. XXVII. 62. 63. qui non expetunt ejus ἐπιφάνειαν 2 Tim. IV. 8. Qui 3. in ſubſidium advocato brachio ſeculari, eandem conantur impedire: ſicut eidem Matth. XXVII. 64. Qui 4. armata militum manu, aliiſque adminiculis, v. g. obſignatione ſepulchri, ei obnituntur; ſicut cum eiſdem, Pilatus, Matth. XXVII. 65. 66. Qui 5. operam ſuam quovis modo commodant ad hoc, ut Chriſtus *non ſurgat* aut vivat: quemadmodum milites cuſtodes Matth. XXVIII. 4. Qui 6. de veritate reſurrectionis in conſcientia convicti, eam *detinent* in injuſtitia Rom. I. 18. quemadmodum Pontifices & Phariſæi, ad hoc tranſigentes, cum militibus cuſtodibus Matth. XXVIII. 11.--14. Qui 7. junctis conſiliis viribuſque, per mendacia, per fraudes, per nummos, per promiſſiones ſecuritatis, aliis auctores ſunt, ut veritatem ſupprimant, oppugnent; quemadmodum Synedrium Judaicum Matth. XXVIII. 12. 13. 14. Qui 8. amore nummorum ſibi *os obturari* patiuntur, ut veritatem non profiteantur, quin eam mendaciis ſupprimant: ſicut milites cuſtodes Matth. XXVIII. 15. Qui 9. *mendaciis*, quibus veritas Chriſti ſupprimitur, patulas aures præbent, & veritatem ſcientes noluſt agnoſcere & profiteri; quemadmodum Judæi ſparſa militum cuſtodum mendacia avide ſuſceperunt Matth. XXVIII. 15. Qui 10. ob *profeſſionem* veritatis, diſcipulos Chriſti crudeliſſimè perſequuntur Joh. XX. 19. Act. IV. 16. 17. 18. & V. 17. 18. 28. 40. Iſtis omnibus Chriſti reſurrectio, prout militibus cuſtodibus, terrori erit, uſque adeo, ut *metu concuſſi*, fiant *ut mortui* Matth. XXVIII. 4. Propterea quod A. *Angelos*, diſcipulis miſſos, qui eos à metu liberarent, experturi aliquando ſint, odii, homicidii & hoſtilitatis in Chriſtum ſuoſque exerciti, vindices, majeſtate, robore & flammeis gladiis armatos Gen. III. 24. quos à reſurrectione ſuâ, *miſſurus* eſt filius hominis, ut *omne ſcandalum*, *omnemque injuſtitiæ operatorem è medio tollant* Matth. XIII. 41. ut ſecum, *flammis ignis* vindictam capiant de ipſis 2 Theſſ. I. 7. Quod B. ipſum illum Jeſum, quem crucifixerint, cujus reſurrectionem totis viribus impedire, & gloriam ſuffocare conati ſint, videant viventem, tantâ majeſtate revertentem, ut vindictam capiat. *Ibid.* vſ. 7. 8. 9. quantum iſta creabunt tremorem! ut exclament: *montes & petræ*, *cadite ſuper nos & abſcondite nos à conſpectu ejus*, *qui throno inſidet* Apoc. VI. 16. Quod C. *iram Dei*, *e cœlo manifeſtatam* experiantur, ſuper ſuam *impietatem & injuſtitiam*, quâ *veritatem detinuerint in injuſtitia* Rom. I. 18. Quod D. ipſam ſuam *conſcientiam* ſentiant, ſe *accuſantem & condemnantem* Rom. II. 15. quod *Dominum gloriæ* crucifixerint 1 Cor. II. 7. Act. II. 36. eique gloriam reſurrectionis ſuæ adimere conati fuerint. &c. Proinde

Quamobrem his terrori ſit reſurrectio Chriſti.

6. Jubet explorare num pro nobis reſurrexerit.

XXVI. *Sexto*, reſurrectio Chriſti quemvis impellat, ſeipſum accurate *excutiat*, num & *pro ſe* Chriſtus reſurrexit. Cum enim 1. non pro omnibus & *ſingulis* reſurrexit, non pro Pontificibus, Phariſæis, Judæis, Pilato, Herode, militibus crucifigentibus, non pro cuſtodibus, ejus reſurrectionem impedientibus & ſuffocantibus, cum 2. tanta ſint beneficia, tanta ſolatia, hujus reſurrectionis, ut diximus: cum 3. tantus terror, tanta miſeria, hos omnes maneat, in quorum gratiam non reſurrexit; nunquid operæ pretium eſt, ſedulo inveſtigare, num & *nobis* reſurrexerit? Sed quibus tandem indiciis hoc certo aſſequemur? Reſp. Reſurrexit 1. pro *omnibus* eis, eiſque *ſolis*, pro quibus mortuus eſt Rom. IV. 25. Rom. VI. 5. proinde, omnibus iſtis indiciis perſuaderi poſſumus, ipſum pro *nobis* reſurrexiſſe, quibus certi reddimur, ipſum pro nobis mortuum eſſe, quæ ſuo loco in cap. *de redempt.* exponemus. Reſurrexit 2. pro *diſcipulis* ſuis, quibus reſurrectionem ſuam annunciandam vult Matth. XXVIII. 10. Quinam autem genuini ejus ſint *diſcipuli*, ipſe deſignat Luc. IX. 23. & alibi. Reſurrexit pro his 3. qui cum ipſo mortui & *crucifixi* ſunt Gal. II. 20. Rom. VI. 5. Reſurrexit 4. pro

Indicia.

his, qui, vel mortuum sincerè *diligunt*, sepeliendum curant, ungunt, quærunt summo manè, dolent ipsum sibi subtractum, gaudent ipsum resurrectione sibi restitutum esse; quemadmodum Josephus Arimathæus, Nicodemus, mulieres, Maria Magdalena, Petrus, Johannes, omnesque ejus discipuli: ut patet ex historia resurrectionis. Resurrexit 5. pro his qui *credunt*, qui Angelis, resurrectionem nunciantibus, fidem habent, qui cum Thomâ, jam non amplius sunt *infideles*; sed fideles Joh. xx. 27. qui *corde credunt*, *quod Deus ipsum suscitaverit è mortuis* Rom. x. 9. h. e. qui vera *fide* mortuum & resurgentem apprehendunt Joh. i. 12. Resurrexit 6. pro his qui vivâ fide cum eo *uniuntur*, ut *cum ipso resurgant* Col. iii. 1. Eph. ii. 5. 6. Resurrexit 7. pro his, qui, cum resurgente, *in novitate vitæ ambulant* Rom. vi. 4. Resurrexit 8. pro his, qui non amplius *sibi vivunt*; sed *ei* Rom. xiv. 7. 8. 9. 2 Cor. v. 15. Resurrexit 9. pro his, qui ejus *ἐπιφάνειαν diligunt* ac desiderant 2 Tim. iv. 8. secus ac Pontifices & milites.

7. Accendit desiderium experiundi vim resurrectionis Christi.

XXVII. *Septimo*, resurrectio Christi accendit *desiderium* studiumque experiundi *vim resurrectionis* istius Phil. iii. 10. 11. qua *primo*, cum Christo suscitemur, è morte *spirituali*, de quâ Eph. ii. 5. 6. *tum* suscitati, communionem consequamur, fructuum resurrectionis Christi. *Prioris* illustre specimen ipse Servator, immediatè post suam resurrectionem, præstat in conversione duorum discipulorum Emmaunta peregrinantium Luc. xxiv. 13.—36. ut in eâ, velut speculo quodam 1 Tim. i. 16. repræsentaret, quâ methodo, & quibus ambagibus, Deus ordinarie hominem à statu peccati in statum gratiæ traducere, eoque *vim* mortis & resurrectionis applicare soleat. Constat ea methodus, *præparatione* ad conversionem, ipsa *conversione*, & *consectariis*. Singula horum conspicua sunt, in his peregrinatoribus. Erant hi *discipuli* quidem, h. e. professione Christiani; sed *ἀνόητοι* tamen, *καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν*: *amentes & tardi corde ad credendum* vs. 25. referuntque naturalem nostrum omnium conditionem, quamdiu sumus in statu peccati: sumus enim cum ipsis, (*a*) mente & *intellectu*, *ἀνόητοι* 1 Cor. ii. 14. Eph. iv. 18. Gal. iii. 1. (*b*) corde seu *voluntate*, *tardi*, *βραδεῖς*: destituti omni propensione, versus bonum *spirituale* Eph. iv. 18. 19. 22. (*c*) proclives ad *ἀπιστίαν*, quâ Deo credamus & Scripturis Joh. xx. 25. Et ex his omnibus, *mortui sumus in peccatis* Eph. ii. 1. 5. Hos igitur, in exemplum, conversurus, inque eis *vim* resurrectionis explicaturus, ℵ. *præparat* immediate sua providentia, per *quatuor gradus*, qui repræsentantur in discipulorum *egressu* ex urbe Jerosolyma, in vicum Emmaus. *Primus* horum graduum est, in immediata Dei *vivificatione* suscitationeque Eph. ii. 5. His enim discipulis, forte fortuna deambulatum exeuntibus, nec vel tantillum de sua conversione cogitantibus: qui tot ipsius Christi concionibus, tot ejus miraculis; tam familiari conversatione cum eo, adeoque tot tamque efficacibus gratiæ mediis, à sua amentia, *σκληροκαρδίᾳ* infidelitate, morte ista spirituali, liberari non poterant: his, inquam, Deus inter peregrinandum, sua gratia vivificante adest, de qua Eph. i. 19. 20. & conversionis negotium auspicatur. Ita se *inveniri finit*, *ab his qui non quærebant eum* Jes. lxv. 1. 2. Rom. x. 20. sic Petrum & Andream, piscatura occupatos Matth. iv. 18. 19. Matthæum sedentem in telonio Matth. ix. 9. Paulum peregrinantem, & furentem etiam adversus Christianos Act. ix.— Commentariensem Act. xvi. 27—35. aliosque subito apprehendit, vivificat, antea mortuos peccatis. *Secundus* gradus est in contritione, humiliatione & salutari quadam desperatione. Quid enim discipulos hos exegit in hanc deambulationem, nisi profundus mœror vers. 17. ex magistro suo jam Jerosolymis crucifixo, in quo omnis eorum spes hærebat vers. 21. cui mœrori, desperationique, utcunque mederi conantur, hac deambulatiuncula. Ita Deus, ubi convertendos vivificavit; eos ad profundum, ex sensu peccatorum, & reatus urgentis, miseriæque, dolorem redigit, omnem ipsis remedii spem; vel in se, vel in quovis alio, extra Christum, adimit, eoque *Spiritum servitutis ad metum* confert Rom. viii. 15. item *πνεῦμα δειλίας* 2 Tim. i. 7. exemplo Israëlitarum pentecostalium Act. ii. 37. Commentariensis Act. xvi. 27. Pauli Act. ix. 3. 4. 5. 6. aliorumque. *Tertius* gradus est in *fastidio* mundi & rerum mundanarum, utpote quibus Christus q. crucifigitur. Quid enim discipulos Jerosolymis exegit, urbe totius orbis ocello, nisi fastidium, quod inibi Magister suus crucifixus esset? quid Emmaunta, vicum ignobilem & miserrimum, jussit præferendum, nisi fastidium? Ita Deus, in convertendis, contemtum excitare solet, & fastidium fastus & pompæ omnis mundanæ 1 Joh. ii. 15. 16. 17. ut *exeant* Heb. xiii. 13. Conf. Gen. xii. 7. Psal. xlv. 11. 12. *Quartus* gradus præparationis, est in desiderio conversationis cum *piis*, & in hujusmodi colloquiis, quæ spiritualia promovere possint: discipuli enim, jam vivificati, mœrore ac tristitia repleti; postquam Jerosolymam deseruissent, quam conversationem ambiunt, nisi secum invicem; & quæ colloquia, nisi de magistro *suo crucifixo*? Luc. xxiv. 4. Ita in convertendis & conversis, amorem & desiderium excitat piæ conversationis Psal. xvi. 3. & xlii. 5. His gradibus *præparatione* præmissa; ipse Servator, ב. statim à sua resurrectione, conversionis negotium in his discipulis aggreditur, per varias ambages: (1) Ipsis in angustiis *adest*, licet incognitus: ita contristatis & contritis spiritu, jam con-

Quoad suscitationem spiritualem.

Præparatio ad conversionem, quatuor gradibus integra.

1.

2.

3.

4.

Ipsa conversio per varias ambages & actus.

1. convertendis, *adeſt* gratia ſuâ Pſal. xxxiv. 19. & 11. 19. & xci. 15. licet eorum oculi teneantur, ut ipſum non agnoſcant ſibi præſentem (2) ipſos 2. *examinat*, ut in ſuiipſorum cognitionem adducat Luc. xxiv. 17. prout convertendi, ſeipſos ſolent Thren. iii. 40. 2 Cor. xiii. 5. Zeph. ii. 1. Gal. vi. 4. (3) ipſis extorquet manifeſtationem ſtatus 3. ſui ſpiritualis, per ingenuam confeſſionem Luc. xxiv. 17. 25. ſta Deus agit cum convertendis protoplaſtis Gen. iii. 8.—14. & Nathan cum Davide 4 2 Sam. xii. 1.—8. (4) extorquendo, poſt oblatrationem vſ. 18. diſcipulis confeſſionem fidei ſuæ: *α.* de *perſona* Jeſu: de *Jeſu Nazareno* vſ. 19. *β.* de ejus *officio*, *prophetico* tantum. *Ibid, qui Propheta erat, potens & verbis & factis.* *γ.* de ſtatu *humiliationis* & mortis ejus vſ. 20. *δ.* De ejus ſtatu *exaltationis*, in *reſurrectione* vſ. 22. 23. 24. *ε.* de ſuâ in ipſum *fide* & ſpe vſ. 21. *Non autem ſperabamus* &c. Quâ confeſſione, communem repræſentant, omnium adhuc convertendorum, ſtatum *naturalem*, quoad A. *cæcitatem* mentis, quâ eorum oculi tenentur, ut nec Deum, nec Chriſtum, nec ipſos cognoſcant vſ. 16. Satanâ, menti eorum fumum offundente, opum, gloriæ & voluptatum mundanarum 2 Cor. iv. 4. B. *contumaciam* voluntatis, qua converſionem ſuam molientibus ogganniunt vſ. 18. *Tune ſolus* &c. motibus Spiritus S. & ejus miniſtrorum obſtrepunt, repugnant Act. vii. 51. Jeſ. lxiii. 10. Pſal. xcv. 7.—& lxxxi. 12. 13. 14. & lxxviii. 8. C. *Cognitionem* rerum divinarum qualemcunque ſpeculativam, qua confeſſionem edere poſſunt ſatis ſpecioſam; ſed tamen in principalibus mutilam vſ. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Conf. Matth. vii. 21. 22. Rom. ii. 18. 19. 20. 21. 1 Cor. i. 20. D. *Amorem*, *fidem* & ſpem qualemcunque in Deo, in Chriſto; ſed ſolido *fundamento* deſtitutam. vſ. 21. *Sperabamus quidem, fore ut Iſraëlem liberaret*, ſcil. à violentia Romanorum. Qualis etiam in aliis non converſis ſubinde obſervatur Heb. vi. 4. 5. Matth. xiii. 20. Poſtquam iſta confeſſione, diſcipuli καχεξίαν ſtatus ſui ſpiritualis prodidiſſent; Servator (5) eos acriter *pungit*, reprehenditque, eorum 5. ſtultitiam quoad *mentem*, ἀνόητοι: σκληροκαρδίαν quoad *voluntatem*, βραδεῖς καρδίᾳ; infidelitatem, quoad *utramque* animæ facultatem vſ. 25. Scil. ut convertendis, non tantum cognitionem καχεξίας ſuæ ſpiritualis, conferre; ſed etiam *ſenſum* miſeriæ ſuæ ſpiritualis, quo exclament; *Miſer ego! quis me liberabit?* Rom. vii. 24. *Viri fratres, quid faciemus ut ſervemur?* Act. ii. 37. & xvi. 27. 30. ſic convictos, humiliatos, ad cognitionem ac ſenſum, ſuæ καχεξίας & miſeriæ ſpiritualis re- 6. dactos, Servator (6) accurate informat *de ſe*: *α.* ut *Chriſto*, quem ipſi hactenus non agnoverant, niſi ut Prophetam qualemcunque egregium, & *Jeſum Nazarenum* vſ. 26. *Nunquid Chriſtus* &c. *β.* de ſua *paſſione*, morte & humiliatione: *Nunquid Chriſtus debebat pati?* Ibid. *γ.* de ſua *exaltatione*. Ibid. *& in gloriam ſuam ingredi.* Indicaturus, tum demum hominem in ſtatu eſſe, qui *Chriſtum* audiat ſibi annunciari; quando, agnitione & ſenſu peccatorum ac miſeriæ ſuæ, ſufficienter contritus, humiliatus, & ad *ſalutarem* deſperationem, de ſe, & quibuſvis aliis extra Chriſtum, redactus eſt Matth. xi. 28. & v. 6. Jeſ. lv. 1. Apoc. xxii. 17. His igitur præmiſſis, tandem (7) accendit ſalvificæ *fidei* ardorem (de quo diſcipuli Luc. xxiv. 32: *nunquid ardebat in nobis cor noſtrum?*) & ſequiores ejus actus: quibus Chriſtum amant, ejus communionem anhelant vſ. 29. *cogebant ipſum, dicendo*: *mane nobiſcum* &c. Et hic actus poſtremus eſt *converſionis*, quo in ſtatum gratiæ, peccator actu conſtituitur, & reſurrectionis Chriſti, revera particeps fit. Hoc igitur peracto, Chriſtus progredi, ipſosque deſerere conatur. Reſtant *conſectaria* hujus converſionis, quibus ad ſuam ἀκμὴν promovetur converſio. In his *primum* eſt *unio* cum Chriſto: ſolicitatus enim, ingreditur cum ipſis, *cum & in* ipſis futurus: 1. quæ unio finis proximus eſt fidei ſalvificæ Apoc, iii. 20. Eph. iii. 17. Phil. iii. 9. *Secundum*: 2. ex unione fluens, eſt *communio* cum Chriſto: quatenus non tantum ingreditur; ſed etiam cum ipſis *accumbit*, *panem accipit*, ei *benedicit*, *frangit*, *tradit* vſ. 30. qua communione, omnes ſuas opes, juſtificationem, adoptionem, ſanctificationem, conſervationem & glorificationem, ſuis communicat 1 Cor. i. 30. Phil. iii. 9. Rom. viii. 32. Unionem hanc, & communionem, excipit *tertium* 3. conſectarium, diſtinctior & magis ſpiritualis, Dei, Chriſti & rerum ſpiritualium, *agnitio*. vſ. 31. *& aperiebantur oculi eorum, ut ipſum agnoſcerent*: ut qui antea non cognoſcebant Jeſum, niſi ut peregrinum quemvis itineris ſui comitem, aut hortulanum; jam ex unione & communione, ex fractione panis, cognoſcant ut *ſuum* magiſtrum, ſuum Dominum. Ex quo *quartum* etiam oritur converſionis conſectarium, *intenſior* verſus Deum, & verſus Chriſtum *amor*: quo cor eorum *ardet* verſus Deum, verſus Chriſtum vſ. 32. *Nunquid ardebat cor noſtrum in nobis?* 2 Cor. v. 14. Et hinc porro, *quintum* etiam reſultat converſionis & vi- 5. vificationis conſectarium, *zelus*, & fervidum ſtudium bonorum operum, per quod non jam *otioſus* amor, & fides in Chriſtum 2 Pet. i. 8: ſed *per charitatem efficax* Gal. v. 6. quod diſcipuli, vivificati & converſi, produnt, quando *ſtatim*, *ea ipſa hora*, *ſurgunt*, vſ. 33. non obſtante delaſſatione, à recenti itinere oborta, non obſtante cœna & convivio, non obſtante nocte horrida. Accedit etiam *ſextum* conſectarium, *amor* &c. ſcil. verſus proximum, & ſtudium communicandi gaudium ſuum, bonaque ſpiritualia, fratribus ſuis:

Conſectaria converſionis.

ſuis : *revertuntur* enim diſcipuli *Jeroſolymam*, *offendunt undecim* Apoſtolos *congregatos*, *nunciant*, *quæ ſibi contigiſſent in itinere* vſ. 33. 35. Confer Luc. XXII. 32. Ex quo *ſeptimum* etiam pullulat confectarium, *confirmatio fidei* reciproca, & augmentum gaudii ſpiritualis : dum enim ipſi aliis experta *narrant*, & narrando eorum gaudium confirmant ; alii reciprocè ipſis narrant, narrandoque, ſuam fidem confirmant, augentque gaudium ſuum, vſ. 34. *Hi dicunt eis* : *Dominus verè reſurrexit*, *& Simoni apparuit*, & ſic, quaſi utrinque reflectendo, pedetentim invaleſcit gaudium, quoad tandem *conſummatum* evadat Joh. XV. 11. Et ſic denique ſuccedit *octavum*, fidei & gaudii ἀκμὴ, quando ipſe Chriſtus omnibus *præſens* eſt, omnemque hæſitationem ſuâ præſentiâ tollit, ipſis pacem ſuam imprecatur communicatque : vſ. 36. *Et cum de his rebus colloquerentur*, *ſtabat Jeſus ipſe in medio ipſorum*, *& dicebat* : *pax vobis*. His igitur ambagibus, reſurrectionis ſuæ *primam* efficaciam exſerit, in diſcipulis, eos vivificando, ſuſcitando ſpiritualiter, convertendoque : *ſecunda* inſuper efficacia ejuſdem eſt, in *communicatione* fructuum ſuæ reſurrectionis, quos dudum recenſuimus §. XII. nec, brevitatis ſtudio, hic denuò inculcabimus. Jam, quid nobis hic incumbet agendum ? niſi ut totis viribus enitamur, quò duplicem hanc efficaciam reſurrectionis Chriſti, etiam in nobis experiamur ? ſin minus, nunquid, A. quantum eſt in nobis, ſaltem ratione noſtri, *reſurrectionem* Chriſti *enervabimus*, caſſam & otioſam reddemus, infando ſcelere ? Nunquid B. nos ipſos, viciſſim *privabimus* fructibus reſurrectionis hujus, tot ac tam præclaris ? Nunquid C. nos ipſos privabimus omni ſolatio & gaudio, quod ex reſurrectione Chriſti redundare in hos, qui efficaciam ejus experiuntur ? ut diximus §. XXIV. Nunquid ex adverſo D. reſurrectio Chriſti nobis erit terrori & horrori æterno ; ſicut monuimus. §. XXV. Quid igitur hic agemus ? 1. Ante omnia adnitendum nobis, ut ex dictis methodum & *ambages*, quibus vim ſuæ reſurrectionis Chriſtus conferre conſuevit, ad ſuſcitationem ſpiritualem ; magis magiſque perſpiciamus : ad hòc, ut 2. ei, vim iſtam nobis conferre, eaque nos vivificare ſuſcitareque conanti, non *obnitamur* : quin potius 3. ei nos ſtudioſe obvertamus, accommodemuſque, quo commodius procedat. Imprimis 4. adnitendum nobis, ut viva fide, Mediatorem qui è mortuis reſurrexit, amplectamur, & amplectendò, cum eo uniamur Col. II. 6. 7. ad hoc, ut *in & cum* eo *ſuſcitemur* Eph. II. 5. 6. & cum eo *reſurgamus* Col. III. 1. &c.

XXVIII. *Octavò* monet, ut efficaciâ reſurrectionis Chriſti jam vivificati ac ſuſcitati, cum ipſo *reſurgamus*, hoc eſt, ejus reſurrectioni magis magiſque *conformemur* Rom. VI. 5. Col. III. 1. Eph. II. 6. Idque in his ferè particulis : quemadmodum 1. reſurrectio Chriſti naturalis ſecuta eſt *mortem* ejus ; ita & nos *prius* moriamur *peccatis* noſtris Rom. VI. 5. ab eis religioſè abſtinendo Pſal. XXXIV. 14. Jeſ. I. 16. 17. 1 Pet. III. 11. Quemadmodum 2. Reſurrectio Chriſti (noſtraque olim naturalis) non fuit, niſi *motus à morte ad vitam* ; ita & noſtra reſurrectio ſpiritualis ſit motus ſeu tranſitus, à morte ſpirituali, ad vitam ſpiritualem Joh. V. 25. ut, qui *mortui* naturâ ſumus in peccatis Eph. II. 1. 5. 6. & *ſepulti* in peccatis ; *ſuſcitemur* Eph. II. 5. & in *novitate vitæ* ambulemus Rom. VI. 4. & *in ſpiritu* Gal. V. 16. 17. Quemadmodum 3. Chriſtus *totus* reſurrexit, omniaque ſua membra eduxit è ſepuchro, relictis ibidem ſolis ὀθονίοις ; ita & nos *toti* ſpiritualiter reſurgamus 1 Theſſ. V. 23. ut in *intellectu* noſtro novum exiſtat, & ſpirituale *lumen* Eph. IV. 23. in *voluntate* novi *motus* verſus ſpiritualia Col. III. 1. *membra* corporis noſtri, *arma* ſint *juſtitiæ* Rom. VI. 13. & totus homo ſit *nova creatura* 2 Cor. V. 17. Quemadmodum 4. Reſurrectio Chriſti, opus fuit maximæ *difficultatis*, utpote procurata per ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ : ita & noſtra, in ſe maximæ difficultatis, ab æquali Dei procedat virtute Eph. I. 19. 20. Quemadmodum 5. in *corpore* Chriſti mortuo, perinde ut in *noſtris* corporibus mortuis, nulla fuit diſpoſitio, nulla præparatio ad reſurrectionem ; ita & ad *ſpiritualem* noſtram reſurrectionem, nullam omninò in nobis imaginemur diſpoſitionem, potentiam aut præparationem ad reſurrectionem *ſpiritualem* Rom. V. 6. & VII. 3. 2 Cor. III. 5. quin &, ex adverſo, totalem ab eâ averſionem Act. VII. 51. Quemadmodum 6. Chriſtus in ſuâ reſurrectione (noſque olim in naturali noſtrâ) cauſas habuit, *principalem* quidem, *Deum* ſuſcitantem Eph. I. 19. 20. *miniſtram*, Angelum removentem ſaxum ab orificio ſepulchri Matth. XXVIII. 2. & prævium *terræ motum*. *Ibid.* ita & nos reſurgere concinur, virtute *Dei* ſuſcitantis Rom. IV. 17. idque miniſterio Angelorum *eccleſiaſticorum* Apoc. II. 1. &c. ac clangore tubæ Euangelicæ Conf. 1 Theſſ. IV. 16. quo motum quendam (σεισμὸν) excitent in cordibus noſtris Act. II. 37. 2 Cor. VII. 8. Quemadmodum 7. Chriſtus reſurrexit ad vitam plane *aliam*, ſecus ac factum in omnibus, qui unquam reſurrexerunt ad vitam naturalem 1 Reg. XVII. 22. 2 Reg. IV. 34. 35. & XIII. 21. Joh. XI. 43. Act. IX. 40. eandem ſcil. quam antea duxerant ; nos ad *aliam* cum Chriſto ſurgamus vitam Rom. VI. 4. ſpiritualem ſcil. de quâ ſuo loco plura. Denique 8. quemadmodum Chriſtus reſurrexit in *gloriam Patris* Rom. VI. 4. ita & nos reſurgamus & vivamus in gloriam Dei 1 Cor. X. 31. de quo ex profeſſo paulò abhinc. Atque, ut in hanc reſurrectionem *ſpiritualem* enitamur

7. magiſque aſſimilari conemur.

Quibus particularis.

8. Rationes motivæ.

modus agendi.

8. Monet, ut Chriſti reſurrectioni magis

Quibus rationibus motivis.

camur promptius; cogitemus, 1. *mandatum* Spiritus S. Eph. v. 14. *excitare qui dormis, & surge ex mortuis, & illucescet tibi Christus* 1. Cor. xv. 34. ἐκνήψατε, scil. à peccatis, tanquam somno vinoque sepulti. Conf. Gen. ix. 24. Joël. i. 5. cogitemus, 1. quemque nostrum affari Christum spiritualiter: *surge Lazare* Joh. xi. 43. Conf. Act. ix 40. 2. Cogitemus 2. cum nobis omnibus resurgendum sit *naturaliter* 2 Cor. v. 10. nisi hic resurrexerimus *spiritualiter*; utilius nobis fore, ut nullo modo resurgeremus. Conf. Matth. xviii. 6. & Marc. xiv. 21. quod sic resurrecturi simus in *opprobrium* 3. *æternum* Dan. xii. 2. Cogitemus 3. si *primæ* hujus resurrectionis, h. e. *spiritualis*, fuerimus participes; nos *beatos* fore *& sanctos*, & quod tum *secunda mors nullam sit in nos habitura potestatem*: sed, quod *futuri simus Dei & Christi Sacerdotes, regnaturi cum eo mille annos*, h. e. in æternum Apoc. xx. 6. Cogitemus 4. si cum Christo resurrexerimus *spiritualiter*, nos cum eo etiam collocandos fore in *cœlis* Eph. ii. 4. 5. Sed quid nobis agendum incumbit, ut cum Christo *spiritualiter* resurgamus? Præsuppositâ immediatâ Dei *vivificatione* suscitationeque Rom. iv. 17. de quâ 5. §. *praced.* (1) admittenda nobis *vociferatio* filii Dei excitantis Joh. v. 28. 29: quemadmodum enim Lazarus, admittendo omnipotentem Christi *vocem*, surrexit à morte *naturali* Joh. xi. 43.: ita &, *qui audiverit vocem filii Dei, vivet* Joh. v. 25. Et quemadmodum è somno *naturali*, admittendo *vociferationes*, excitamur; ita & è somno *spirituali* Eph. v. 14. Admittenda igitur A. vox *legis*, qua σεισμὸς quidam excitatur in cordibus nostris, prout non tantum circa Christi resurrectionem factum Matth. xxviii. 2. sed & voce Mediatoris, ad Sinai legem promulgantis, concussa est terra Heb. xii. 26. montes Exod. xix. 18. ipse Moses Heb. xii. 21. & qui circa mortem Christi, resurgebant è monumentis suis, experiebantur prævium terræ motum Matth. xxvii. 51. 52.: ita, voce legis, faciendus in cordibus resurgentium motus, *compunctionis* Act. ii. 37. *contritionis* Psal. li. 19. *spiritus servitutis ad metum* Rom. viii. 15. salutaris *desperationis*, qua exclamemus: *quis me liberabit?* Rom. vii. 24. *quid faciam ut* server? Act. xvi. 30. B. Vox *Euangelii* Matth. xi. 28. Conf. 1 Reg. xix. 11. 12. (2) Admittendus nobis *spiritus* 2. Dei vivificans. Hujus enim operatione, ficut resurrectio *naturalis* Christo procurata est 1 Pet. iii. 18. ita & nobis *spiritualis* procurari debet Rom. viii. 11. Et quemadmodum resurrectio *naturalis* non fit nisi *reversione* spiritus in corpus suum Luc. viii. 55. Ezech. xxxvii. 13. 14.: ita nec *spiritualis*, à quo *spiritus vitæ* appellatur Rom. viii. 2. item πνεῦμα ζωοποιοῦν 1 Cor. xv. 45. utpote qui vivificare debet *intellectum* nostrum, *illuminando*, eique instillando novam lucem Heb. vi. 4. 1 Cor. ii. 11—15.: & *voluntatem* insuper, excitando in eâ novam propensionem versus bonum *spirituale*, & novos motus Rom. viii. 13. 14. (3) Ipsa *vita Christi* nobis est admittenda, ut 3. spiritualiter resurgamus; unde *resurrectio* dicitur, *& vita* Joh. xi. 25. via, veritas & *vita* Joh. xiv. 6. *vita nostra* Col. iii. 3. 4. Unde Paulus: *una cum Christo crucifixus sum, & vivo, non jam ego; sed Christus vivit in me* &c. Gal. ii. 20. Requiritur (4) fides viva, per quam cum 4. Christo *uniamur. Ibid.* ut *unà* cum ipso & crucifigamur, & vivamus, & cum ipso *resurgamus* Col. iii. 1. ut *una planta* cum eo reddamur, ad *conformationem mortis*, pariter *& resurrectionis* Rom. vi. 5. Requiritur (5) ut solicite attendamus 5. *mediis* illis, quibus Deus nos excitare consuevit: exemplo clinici illius Joh. v. 4. 5. v, g. auditioni verbi Ezech. xxxvii. 4. Act. x. 15. utpote quod est quasi tuba, quâ excitare solet mortuos 1 Cor. xv. 52. Tandem (6) cavendum nobis à tribus: 6. *primo*, ut Christo seu extus, seu intus, vocanti, non obstrepamus Heb. iii. 7. ex Psal. xcv. 7. 8. Act. vii. 51. motus Spiritus excitantes, non extinguamus 1 Theff. v. 19. Caveamus (7) *secun-* 7. *do*, à *procrastinatione* resurrectionis spiritualis, qualis observatur in Judæis, suscituturis templum Hag. i. 2. in *pigris* Prov. vi. 9. ut opus resurrectionis seu conversionis, longè difficillimum, seponamus in tempus senectutis maximè incommodum. Conf. Joh. xi. 39. Gen. xviii. 12. viribus nostris senio debilitatis: quod incertum sit, an futurum sit, ut nobis Deus; aut *senium*, aut in senio, *voluntatem*, aut *vires* sit indulturus, ut resurgamus. Conf. Matth. xxvi. 45. Prov. i. 21—Caveamus (8) *tertio*, à *desperatione*, quâ existi- 8. memus nimis *ferum* esse, nos nimium diu hæsisse in peccato, consenuisse in eodem, negotium jam desperatum esse. Qualem, in casu fratris mortui suscitandi, prodit Martha Joh. xi. 39. & Christus corrigit v/ 40. cogitemus hic ex adverso, *nunquam fero, modo* verè; & quamvis nobis in senectute, viribus exantlatis, difficilius accidat *resurgere*; Deo tamen difficilius non esse *suscitare*, peccatorem, vel centagenarium Jes. lxv. 20. sicut latronem in extremitate vitæ excitavit Luc. xxiii. 42. 43.

Quibus mediis.

XXIX. *Nono* monet resurrectio Christi, ut 9. Mo-
cum eo transeamus in *novam vitam* Rom. vi. 4. net, cum
Ut quemadmodum Christus suscitatus est in glo- Christo
riam Patris; sic & nos in novitate vitæ ambule- transea-
mus. Sed qualis vita, in quam à resurrectione novam
suâ Christus transiit & ambulavit? Resp. Fuit vitam.
vita 1. plane *alia*, tota specie: prorsus aliter Quibus
atque factum in *bis mortuis*, qui è vita naturali, particu-
in vitam naturalem restituti sunt; quando Chri- lis.
stus, suâ resurrectione, à vita naturali transiit in vitam spiritualem: nos igitur cum Christo potius, ἐν καινότητι ζωῆς *ambulemus* Rom. vi. 4. quoad

(a) nova vivendi *principia* Rom. VIII. 1. *non secundum carnem*; *sed secundum spiritum* Eph. II. 3. κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης Rom. I. 4. cum cap. VIII. 11. 2 Tim. I. 14. Gal. V. 25. Quoad (b) novam vivendi *regulam*: non secundum *consuetudines* hujus mundi Rom. XII. 2. κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου Eph. II. 2. ἀτάκτως 2 Theſſ. III. 11. ſed ſecundum *regulam* regenerationis Gal. VI. 16. ſecundum *voluntatem* Dei Pſal. CXIX. 133. 9. Quoad (c) novum vivendi *ſcopum*, quo non *nobis* Rom. XIV. 7. 8. non mundo, non opibus, gloriæ & voluptatibus vivamus 1 Joh. II. 15. 16. 17. ſed *Deo* Rom. VI. 11. *gloriæ* divinæ 1 Cor. X. 31. Quoad (d) novam vivendi *methodum*, non ſecundum ματαίαν ἀναστροφὴν 1 Pet. I. 18. quæ procedit à *vanitate mentis* Eph. IV. 17. & in vanitatem vergit Hab. II. 13. Rom. VI. 21. Eph. II. 3. ſed ſecundum talem, quæ *convenit Euangelio* Phil. I. 27. quæ *bona* eſt Jac. III. 13. quæ *honeſta* 1 Pet. II. 12. *proficua* (εὔχρηστος) Philem. vſ. 11. 12. *ſancta* 1 Pet. I. 15. *cœleſtis* Phil. III. 20. *ſincera* Pſal. XXXVII. 14. Fuit 2. vita Chriſti *immortalis*, h. e. quæ A. adminiculis naturalibus non ſuſtentabatur, ſicut aliorum reſurgentium Luc. VIII. 55. Equidem, poſt reſurrectionem ſuam, legitur cum diſcipulis comediſſe piſces & favos mellis Luc. XXIV. 42. verùm hoc non faciebat neceſſitatis; ſed confirmandæ diſcipulorum fidei causâ: ita & nos, rebus hujus vitæ, quamdiu in hac vitâ naturali ſumus, non tam *fruamur*, quam *utamur* 1 Cor. VII. 30. 31. cæterà ſolo *Deo* contenti Pſal. CXIX. 57. veſcamur corpore & ſanguine Chriſti Joh. VI. 35: quæ B. fuit *indefinens* Rom. VI. 9. 10.: ita & nos *indefinenter* Deo vivamus Joh. XI. 25. 26. de tali *vita* ipſe loquitur Servator *Ibid.* Conf. 2 Cor. IV. 16. Apoc. XX. 6. Fuit 3. vita Chriſti, poſt reſurrectionem, *in gloriam Patris* Rom. VI. 4. tam (a) *activè*, ut *glorificaret* Patrem Joh. XVII. 4. Phil. II. 11. quam (b) *paſſivè*, ut *glorificaretur* à Patre *Ibid.* Ita & nos vita noſtra, & *glorificemus* Deum 1 Cor. X. 31. & VI. 20. Matth. V. 16. & *glorificari* ab eo præſtolemur 2 Pet. I. 3. hinc ſub *glorificatione* noſtri, ſanctificatio comprehenditur Rom. VIII. 30. Fuit 4. vita Chriſti, quam à reſurrectione traxit, *æterna* Rom. VI. 9.: & nos vita noſtra enitamur in beatam *æternitatem* Matth. XXV. 46. Luc. XX. 35. 36. 1 Cor. XV. 53. Conf. Jeſ. LXVI. 24. Atque ut ſuſcitati, in hac vitæ novitate ambulemus, neceſſum etiam eſt 5. ut ipſe *Chriſtus* vivat in nobis Gal. II. 20. ut α. ejus ἀναμαρτησία 1 Pet. II. 22. Heb. VII. 26. vivat in nobis Matth. Χ. 16. Act. XX. 26. β. Ejus *longanimitas* Zach. IX. 9. Matth. XXI. 5. 2 Cor. X. 1. vivat in nobis Matth. XI. 29. Jac. III. 13. 1 Pet. II. 1. γ. Ejus *patientia* 1 Pet. II. 23. Jeſ. LIII. 7. vivat in nobis Apoc. I. 9. & XIII. 10. & XIV. 12. δ. Ejus *humilitas* Matth. XI. 29. Phil. II. 6. 7. vivat in nobis Phil. II. 5. cum 7. 8. Jeſ. LVII. 15. Jac. IV. 16. ε. Ejus *obedientia* Phil. II. 7. Joh. V. 30. vivat in nobis Jeſ. I. 19. ζ. Ejus *charitas* verſus ſuos Eph. V. 2. 25. Joh. XV. 13. Rom. V. 8. vivat in nobis: verſus *Deum* Matth. XXII. 37. 39. verſus Chriſtum Eph. VI. 24. verſus *ſanctos* Eph. I. 15. verſus inimicos Matth. V. 45. η. Ejus *mundi contemtus* Joh. XVIII. 36. & VI. 15. Matth. IV. 8. vivat in nobis 1 Joh. II. 15. 16. 17. Rom. XII. 2. θ. Ejus *converſatio cœleſtis* Joh. III. 13. vivat in nobis Phil. III. 20. Col. III. 1. 2. Conf. praxin cap. undecimi, de *Mediatoris vita*.

XXX. *Decimo*, reſurrectio Chriſti nos jubet præſtolari beatam noſtri reſurrectionem *naturalem*. *Si enim una cum eo planta facti fuerimus, ad conformitatem mortis; etiam erimus ad conformitatem reſurrectionis* Rom. VI. 5. Quod noſtræ hujus reſurrectionis beatæ, reſurrectio Chriſti ſit 1. πρωτότυπον ſeu *exemplar*: quemadmodum enim (a) Chriſti reſurrectio *vera* fuit & proprie dicta reſurrectio Joh. II. 19. Luc. XXIV. 39. 40. Joh. XX. 27.: ita & noſtra *vera* erit, quâ idem illud quod cecidit, reſurget Job. XIX. 25. 26. 27. 1 Cor. XV. 53. 2 Cor. V. 10. Quemadmodum (b) Chriſti reſurrectio fuit ad *vitam* Rom. VI. 9.: ita fideles, in hoc diverſi ab infidelibus, reſurgent ad vitam Joh. V. 29. qui ab hoc, *filii reſurrectionis* appellantur Luc. XX. 36. quod *meliorem* obtineant *reſurrectionem* Heb. XI. 35. & eorum reſurrectio ſit non ἀνάστασις tantum: ſed ἀναβίωσις etiam, ſeu ἀνάστασις ζωῆς Joh. V. 29. item *reſurrectio juſtorum* Luc. XIV. 14. futura ſit: dum aliorum reſurrectio erit ἀνάστασις κρίσεως Joh. V. 29. ſeu condemnationis Matth. XXV. 46. Quemadmodum (c) Chriſtus reſurrexit ad vitam *ſpiritualem*, quæ non ſuſtentabatur à naturalibus, ut diximus; ita & nos reſurgemus ad vitam *ſpiritualem*, ipſis noſtris corporibus, factis ad hoc, ſuo modo, *ſpiritualibus* 1 Cor. XV. 44. Matth. XXII. 30. Quemadmodum (d) Chriſtus reſurrexit ad vitam *glorioſam*, cujus *præludium* ſenſit in ſuâ μεταμορφώσει Matth. XVII. 2. & revera expertus eſt Luc. XXIV. 26.: ita & noſtra, *glorioſa* erit 1 Cor. XV. 43. Phil. III. 20. Col. III. 4. Quemadmodum (e) Chriſtus reſurrexit ad vitam *æternam* Rom. VI. 9.: ita & nos reſurgemus ad vitam *æternam* & immortalem 1 Cor. XV. 53. Matth. XXV. 46. Luc. XX. 35. 36. Quod beatæ hujus noſtræ reſurrectionis, reſurrectio Chriſti 2. *ſcaturigo* ſit, quatenus noſtra, per *unionem* cum ipſo (quâ ejus σύμφυτοι ſumus Rom. VI. 5.) ab ejus reſurrectione profluit, tanquam è *cauſa*: tam *meritoriâ* (prout in *Adamo*, ut in cauſa meritoriâ, omnes morimur: ita in *Chriſto*, tanquam in cauſâ meritoria, omnes fideles reſurgunt 1 Cor. XV. 21.) quam *efficiente* Joh. V. 28. 29. κατὰ τὴν ἐνέργειαν Phil. III. 20. δύναμιν ἐξελθοῦσαν Marc. V. 30. Quod inſuper

10. Jubet præſtolari beatam noſtri reſurrectionem.

Hujus exſpectationis fundamenta.

1. Quod noſtræ reſurrectionis, Chriſti reſurrectio ſit exemplar.

1. Scaturigo.

3. ſit

5. Pignus initiatio.

3. ſit beatæ iſtius noſtræ reſurrectionis ὑπόστασις, pignus & initiatio 1 Cor. xv. 20. 21. 23. quatenus cum ipſo in unum corpus *myſticum* coaluimus 1 Cor. xii. 12. cujus ipſe *caput*, nos *membra* ſumus: à quo fit, ut in *Chriſto* (ἐν Χριστῷ) dudum reſurrexiſſe dicamur 1 Cor. xv. 22. & *cum ipſo reſuſcitati* Eph. ii. 6.: ipſeque *primitiæ* eorum qui obdormiverunt 1 Cor. xv. 20. ordine *naturæ*, primo reſurgens. *Ibid.* 23. atque adeo *primogenitus* è mortuis appellatur Col. i. 18. De quo ſuo loco plura in cap. *de reſurrect. mortuorum.* His igitur fundamentis, noſtrum eſt, ex glorioſa Chriſti reſurrectione, A. noſtram præſtolari cum *patientia* & *fiducia*, uſque dum hora beatæ hujus reſurrectionis advenerit 2 Cor. v. 1. 4. 1 Joh. iii. 2. Rom. viii. 23. 1 Cor. i. 7. Job. xiv. 14. Rom. viii. 25. 1 Pet. i. 13. quemadmodum & Chriſtus, à reſurrectione ſua, per *quadraginta* dies in terris exiſtere, & glorioſam ſuam ἀνάληψιν exſpectare voluit: interea B. magis magisque ſpiritualiter reſurgere à peccatis, *de turma ad turmam*, h. e. à virtute ad virtutem, *progredi, donec conſpiciamur coram Deo in Zion* Pſal. lxxxiv. 8. ut dum *decreſcit exterior* noſter homo, *interior invaleſcat à die in diem* 2 Cor. iv. 16. Scil. quemadmodum *indies* nobis eſt moriendum cum Paulo 1 Cor. xv. 31. ita & *indies* nobis eſt reſurgendum: quemadmodum vel juſtus quotidie *ſepties* cadit Prov. xxiv. 16. ita &, vel *ſepties* quotidie ſurgat: inſuper etiam C. Deo gratias agere, qui nos *primæ* reſurrectionis dudum fecerit participes, per ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος Eph. ii. 7. & per ὑπερβάλλον μέγεθος δυνάμεως αὐτοῦ Eph. i. 19. eâque prima reſuſcitatione, pignus præſtiterit *ſecundæ*, glorioſæ Apoc. xx. 6.: porro D. cane pejus & angue cavere, ne unquam revertamur ad ſepulchrum *peccati*, quemadmodum naturaliter Lazarus aliique bis mortui; ſed ſicut Chriſtus, qui, poſtquam *ſemel* reſurrexiſſet, jam *non* amplius moritur Rom. vi. 9. ita & nos Joh. xi. 26.: tandem E. nos ipſos paulatim *præparare* ad beatam iſtam noſtri reſurrectionem: tempeſtive abſolvendo opus noſtrum, quod hic nobis incumbit agendum 2 Tim. iv. 8. quemadmodum Servator, per quadraginta dies uſque ad ſuam aſcenſionem, totus fuit in expediendis his, quæ ſpectabant ad regnum ſuum Act. i. 3. Matth. xxiii. 18. 19.

Modus exſpectandi noſtram reſurrectionem.

CAPUT DECIMUMSEXTUM, DE *Mediatoris Aſcenſione.*

Act. i. 11.

Hic Jeſus, qui ſurſum receptus eſt à vobis in cœlum: ita veniet, quemadmodum ſpectaſtis eum proficiſcentem in cœlum.

Secundus gradus exaltationis.

I. SUccedit *ſecundus* exaltationis gradus, *aſcenſio* in cœlum: cui teſtimonium perhibent duo Angeli, forma duorum virorum, candidis veſtimentis amicti, Apoſtolis adſtantes, cum Jeſum, abeuntem in cœlum, oculis & affectibus ſuis perſequerentur Act. i. 11.

Pars Exegetica.

Textus reſolvitur & exponitur.

II. *Quo teſtimonio, Angeli, Viris Galilæis, Chriſtum cœlum verſus proficiſcentem, oculis & affectibus ſuis proſequentibus, rationem* profectionis *iſtius, ad eorum conſolationem* repræſentant & *deſcribunt, inque eo notant*

1. Proficiſcentem: ὅτος Ἰησοῦς Hic Jeſus. *Reprehenderant diſcipulos, non tam quod intentis oculis aſcendentem proſequerentur; quam quod* tali animo, *ſcil. dolore exorbitante, mixto cum qualicunque infidelitate proſequerentur, nim. quod Jeſum ſuum, quem morte ſibi abreptum querulati fuiſſent, & reſurrectione vix ſibi reſtitutum gaviſi fuiſſent, cujus ſuaviſſima converſatione, per tantillum tempus, quadraginta ſcil. dies erecti fuiſſent; jam viderent æternum ſibi ſubduci: adverſus iſtum* infidelem dolorem, *quo efficacius ſoiarentur,* ὅτος *inquiunt* Ἰησοῦς, *quaſi dicant: ipſus ille Redemptor, quem amiſiſtis morte, quem recepiſtis reſurrectione, quem habuiſtis per quadraginta dies, qui jam à vobis diſceſſit cœlum verſus; ipſus ille certo certius olim vobis reſtituetur.*

2. Profectionem, *qua continetur*

A. Abitus, *ſeu aſcenſio in cœlum*, qui receptus eſt à vobis in cœlum. *Hujus dicitur*

α. Motus *abeundi, ſeu aſcendendi*: qui receptus eſt. ὁ ἀναληφθεὶς, *qui* vſ. 10. *dicitur* πορευόμενος proficiſcens. Ἀναλαμβάνομαι, *vox compoſita eſt ex* ἀνὰ & λαμβάνομαι. *Nonnullis ſigni-*

ficationis est forensis, *sumta à Patribus, à quibus si quando filii diu à domo abfuerunt; rursus in familiam recipiuntur. Sic Pater cœlestis filium, quem ob suscepta nostra peccata, velut degenerem quasi dimiserit, & agnegaverit, facta satisfactione, velut in gratiam receperit, & dimissum revocaverit receperitque. Aliis est* rursum accipere, *quasi quod perdideris aut abjeceris, sicut Pater filium suum perditum recepit* Luc. xv. *Aliis est* sursum assumi, *quasi ex ἄνω & λαμβάνεσθαι, quod Pater filium suum, quem demiserit εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς* Eph. iv. 9. *susceperit in supremas mundi partes, in cœlum.* Ἀναληφθεὶς *significatione passiva, designat, ipsum virtute alterius* personæ *assumtum fuisse, puta Patris sui, sicut virtute propriæ* essentiæ, *quippe eâdem cum Patris sui essentiâ* ascenderit, *unde* πορευόμενος *dicitur,* proficiscens. *Ab his ascensionem Christi in cœlum, &* Scriptura Marc. xvi. 19. 1 Tim. iii. 16. *& primitivæ* Ecclesia *Græca* ἀνάληψιν *appellare consueverunt. Euseb.* Hist. Eccl. lib. ii. cap. 1. 2. *& alibi.*

β. Termini *motus, duo:*

1. A quo, à vobis, ἀφ' ὑμῶν. *A terra, à monte* Oliveti, *ubi extremam humiliationem ingressus erat, ut passionem & ascensionem eodem spectare, & connexa esse doceret* Luc. xxiv. 26. Rom. viii. 17. *A* vobis: *non à quibusvis, non ab infidelibus, impiis, hypocritis, quibus datus nunquam fuerat, qui ipsum non habebant* Eph. ii. 12. *sed à suis Apostolis, discipulis. Ex quibus manet, Christum ascendentem, corpore tenus, & suos, & terram, vere deseruisse.*

2. Ad quem εἰς τὸν οὐρανὸν, in cœlum, *cum articulo, ut significetur locus definitus, terris oppositus* Joh. xvi. 28. In cœlum, *non per* aëreum *tantum, nec per sydereum tantum; quemadmodum recentiores Lutherani volunt, ut habeant, eum motu locali usque ad nubes sublatum fuisse, quod* omnipræsentiam carnis *habuerit quidem quoad* possessionem; *sed ea* uti *noluerit, usque ad ascensionem, à qua omnipræsens facta fuerit ejus caro, de quo suo loco in* elenchticis; *sed in tertium,* empyreum, *quod ἐξόχως in Scripturis* cœlum *appellatur, alias* domus *Dei, in qua multæ sint* mansiones, *è qua se reversurum discipulis promittit* Joh. xiv. 2.

B. Reditus. *Cujus notantur:*

1. Motus, ἐλεύσεται, veniet. *Vox ἔρχομαι in N. Test. cum singulari Emphasi usurpatur: jam* (1) *de adventu* incarnationis Joh. iii. 2. *&* xvi. 28. *& passim apud Johannem, jam* (2) *de adventu* humiliationis Matth. xx. 28. *jam* (3) *de adventu* gratiæ *seu sanctificationis, quæ fit per verbum & sacramenta* Matth. ix. 13. Joh. i. 5. 7. 9. *&* iii. 19. *&* xii. 46. 47. *&* xviii. 37. *Hoc loco* (4) *de adventu* gloriæ, *ut &* Matth. xxv. 31. 1 Cor. xi. 26. *Sic loquuntur Angeli, ut efficacius erigerent nimium dejectum ab abitu Magistri, discipulorum animum: abit quidem; sed revertetur: quemadmodum ipse Servator* Joh. xiv. 3. revertar, ut vos ad me assumam.

2. Modus *movendi. Est hic*

α. Idea *videndi,* ὃν τρόπον, ἐθεάσασθε *eo* modo quo vidistis. Ὃν τρόπον *ergo spectat ad proxime sequens* ἐθεάσασθε, *non autem ad* rem visam: *paulò enim aliter Christus reversurus est, ac discesserit* Matth. xxv. 31. 32. 2 Thess. i. 7. 8. *Notatur ergo indubitata* certitudo *reditus, quod suis oculis eum olim sint spectaturi* revertentem, *quemadmodum jam spectent* abeuntem, *& sicut non dubitent de ejus discessu; ita non dubitare eos debere de ejus reditu.* Θεᾶσθαι *plus est quam* ὁρᾶν: *hoc enim notat simpliciter* videre, *etiam per transennam; illud autem diu & diligenter, intus & in cute contemplari, ceu rem novam, & admirandum spectaculum; refertur ad oculos, tum* corporis, *tum* cordis 1 Joh. i. 1. Joh. i. 14. *Unde* verf. *præced.* ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ. *Est enim* ἀτενίζειν *oculis defixis, immotis & intentis intueri.*

β. Res visa, αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν, ipsum proficiscentem in cœlum. Πορεύομαι *est* abeo, iter facio. *Usurpatur de profectione Christi ad mortem* Luc. xiii. 33. *Complectitur autem ejus resurrectionem, ascensionem & sessionem ad dextram Patris* Joh. xiv. 2. 3. 12. 28. *&* cap. xvi. 7. 28. *hic ex istis, solam ascensionem, ut patet connexo, in* cœlum, *de quo diximus in præcedentibus. Significatur toto commate ejus reditus ad judicandum vivos & mortuos, qui quartus & postremus gradus est glorificationis, qui* visibiliter *sit futurus; quemadmodum abitus visibiliter sit factus. De quo reditu, quo suo loco, si Deus voluerit, ex professo philosophabimur.*

Pars

Pars dogmatica.

Christus localiter & visibiliter ascendit in cœlum.

III. Testibus ergo duobus Angelis, idem Jesus, qui à mortuis resurrexit, *localiter* & *visibiliter* in cœlum ascendit. Juxta 1. *vaticinia*, tam *Veteris* Testamenti Psal. LXVIII. 18. 19. & CX. 1. conf. Act. II. 34. Psal. XLVII. 6. Mich. II. 13.: quam *Novi* Matth. XXVI. 64. Joh. XVI. 28. & XX. 17. Juxta 2. *typos* & figuras: v. g. *Pontificem*, qui semel quotannis, & quidem post exordium novi anni, ingrediebatur in Sanctum Sanctorum Levit. XVI. cum Heb. IX. 23. 24. *Enochum* Gen. V. 24. *Eliam* 2 Reg. II. 11. Conf. Gen. XXVIII. 12. cum Joh. I. 52. Juxta 3. *historiam* Marc. XVI. 19. Luc. XXIV. 51. Act. I. 9. 10. 11. Juxta 4. *testes Angelos* Act. I. 11. undecim *Apostolos*, testes oculares & auritos Act. I. 9. Juxta 5. *testimonia* Eph. I. 20. 21. & II. 6. & IV. 8. 10. Rom. X. 6. Heb. I. 3. Conf. Luc. XIX. 12.

Probatur Scripturis.

Et rationibus.

IV. Nec tantum ascendit; sed & necessario ascendere *debuit*. Idque non tantum (1) propter *Scripturas*, ut vaticiniis ac typis, jam designatis, satisfieret: sed etiam propter (2) *justitiam* meritorum suorum, quæ pro mercede, glorificationem cœlestem exigebant Luc. XXIV. 26. Heb. XII. 2. Phil. II. 8. 9. Insuper (3) ex *officio* mediatorio quod suscepterat, quo ingredi debebat in sanctuarium cœleste, ut ibidem appareret coram Patre, pro nobis Heb. IX. 24. cujus tanta erat necessitas, ut, si jam adhuc *esset in terra*, *non esset Sacerdos* Heb. VIII. 4. (4) propter *commoda* suorum Joh. XVI. 7. *bonum vobis est ut abeam*, de quibus commodis, nos in progressu plura.

Quid ascensio? Ubi distincte repræsentatur:

V. Ascensio ista, quantum ad *denominationem*, variis modis designatur in S. paginâ: *assumptus* est Act. I. 9. *cum ascendisset* Eph. IV. 8. *sublimior factus cœlis* Heb. VII. 26. *introiit in sanctuarium* Heb. IX. 12. *abeo ad Patrem* Joh. XIV. 2. in *domum Patris mei* Joh. XVI. 7. *abeo* vers. 28. *desero mundum*, & *abeo ad Patrem*: quantum *ad rem*, nihil aliud est, quam secundus exaltationis gradus, quo, *relicta*, quantum ad corpus, terrâ, *localiter* tranfiit in cœlum. Circa quem considerandæ veniunt.

1. ascendens,

VI. *Primo ascendens*, seu motus: *Hic Jesus*. Seu tota ejus *persona*, pro ratione operationum mediatoriarum, & quoad *utramque* etiam personæ naturam, licet dissimili modo: quoad *divinam* naturam, nonnisi *active*, *elevando* tantum humanam; quia ipsa omnipræsens est: quoad *humanam*, *ascendendo* proprie: idque secundum *utramque* ejus partem *essentialem*, ut eadem anima pariter & idem corpus ascenderint: & rectè dixerint Angeli: *Hic Jesus — ita veniet, quemadmodum ipsum spectastis proficiscentem.*

2. ascensionis ingredientia.

VII. *Secundo ascensio*, quæ complectitur (1) *terminos* N. à *quo*, à terrâ, à monte Oliveti, octo stadiis distantis Jerosolymâ Act. I. 12. qui erat in tractu Bethaniæ, ad quindecim stadia projecto à Jerosolymis Joh. XI. 18. cui etiam monti ascendentem Servatorem vestigia sua impressisse, veteres tradunt, parum probabiliter. Erat hic mons, locus ille, ubi extremam suam humiliationem ingressus erat Luc. XXII. 39. dum igitur hinc in gloriam suam properare vult; docere videtur, humiliationem & exaltationem eodem spectare Luc. XXIV. 26. Rom. VIII. 17. terminus 2. *ad quem*: in cœlum, locum *altiorem* Psal. LXVIII. 19. non *aëreum* tantum, ut disparuerit in nubibus; sed in cœlum *empyreum*, quo *altior* factus est *cœlis* inferioribus Heb. IV. 14. & VII. 26. *supra omnes cœlos* Eph. IV. 10. ubi nos olim erimus, post beatam nostram ἀνάλυσιν Joh. XIV. 2. Phil. III. 20. 1 Thess. IV. 16. Heb. XII. 23. (2) *motionem*, quâ terminum *à quo* reverà, saltem corpore tenus, *deseruit* Joh. XVI. 28. & terminum *ad quem*, *occupavit* Act. III. 21. (3) *motorem*, Patrem quidem, à quo *assumptus* dicitur Act. I. 11. 1 Tim. III. 16. & *propriam* illam potentiam, quâ seipsum excitaverat Joh. X. 18. à qua *ascendisse* dicitur Luc. XXIV. 51. Joh. XX. 17. & III. 13. item *proficisci* Act. I. 11. Joh. XIV. 2. quo insuper conducebat corporis glorificati conditio: quod, ad modum spiritus, eadem facilitate, sursum ac deorsum fertur.

3. ascensionis affectiones.

VIII. *Tertio affectiones*, per quas (1) *vere* ascendit, non per φάντασμα, nec cum addubitatione, quemadmodum Pauli fuit ascensio exstatica 2 Cor. XII. 2. nec solo animo, cogitationeque, quomodo & nobis indies spiritualiter incumbit ascendere in cœlum Phil. III. 20. Col. III. 1. sed per *totalem* sui assumptionem: ut *Dominus assumptus fuerit in cœlum* Marc. XVI. 19. (2) *visibiliter* Act. I. 9. II. (3) *localiter*, quatenus *assumptus* dicitur Act. I. 9. à *nube subductus*, *discessit* à discipulis Luc. XXIV. 51. abiit & reversurus est Joh. XIV. 28. Act. I. 11. *mundum deseruit* Joh. XVI. 28. *cœlos penetravit* Heb. IV. 14. (4) *subito* & inopinato, cum discipulis loqueretur Act. I. 9. (5) *celeriter*, non diu intra cœlum & terram hærens, mox visum discipulorum excessit Act. I. 9. 10. (6) *gloriosè*, tanquam scilicet triumphator Col. II. 15. Psal. LXVIII. 19. splendidâ quadam nube, velut curru triumphali, vectus Act. I. 9. relictis post se duobus Angelis præconibus Act. I. 10. (7) *spectantibus* undecim Apostolis Act. I. 8. quibus intererant, quos spectatores antea habuerat; tum ἀγωνίας Matth. XXVI. 37. tum transfigurationis, seu glorificationis præliminaris in monte Marc. IX. 2. — ut eosdem testes haberet, tam glorificationis, quam inanitionis. Act. I. 8. Joh. XIX. 35.

4. termi-nus a-quo ascensionis:

IX. *Quartò tempus*, quadragesimus scil. à resurrectione dies Act. I. 3. qui numerus satis frequentatus deprehenditur, tum in Mose, Eliâ aliisque: tum nominatim etiam in Christo, secun-

dum varios excellentiæ gradus Luc. II. 22. Matth. IV. 2. Act. I. 3. Quibus autem rationibus, nec *citius*, nec *serius* voluerit ascendere, non est quod scrupulosius investigemus, cum pro rationibus esse possit, una ascendentis voluntas Act. I. 7. Est tamen hic, quod probabiliter cogitemus: non *citius* quidem ab unâ parte, quo, non modo suæ resurrectionis *veritatem* discipulis comprobare posset; sed eos etiam sufficienter *informaret*, de rebus regni sui, à discessu suo, tenendis & observandis Act. I. 3: nec *serius* ab alterâ, ut non tantum promissam Spiritus S. effusionem, præcisè in festo Pentecostes præstaret; sed etiam, ut regni terreni suspicionem cogitationemque discipulis adimeret Act. I. 6.

5. fines, & fructus ascensionis.

X. *Quintò fines* & fructus: nim (1) ut naturam humanam, resurrectione jam ex parte glorificatam, in throno gloriæ collocaret Eph. I. 20. 21. seque *Dominum è cœlo* demonstraret 1 Cor. XV. 47. 48. 49. Joh. VI. 58. 61. 62. & de hostibus suis glorioſè trumpharet Eph. IV. 8. Psal. LXVIII. 19. Col. II. 14. 15. eoque plenam de eis victoriam obsignaret 1 Cor. XV. 57. (2) Ut ea quæ in cœlis, ad suorum salutem, sibi erant peragenda, intercessione & potentia sua, glorioſè ibidem expediret: α. ut ipsis *cœlum reseraret* Heb. IX. 1. β. ipsis in cœlo mansiones pararet Joh. XIV. 2. 3. Rom. VIII. 34. γ. in cœlo coràm Patre, pro suis compareret Advocatus Heb. IX. 24. δ. atque alium etiam suis Advocatum demitteret Joh. XVI. 7. ε. inde quævis dona salutaria in suos distribueret Psal. LXVIII. 19. Eph. IV. 8.--11. (3) Ut suorum nomine, regni cœlestis possessionem adiret, & pro eis, locum in cœlis occuparet Joh. XIV. 2. 3. nostramque carnem, futuræ nostræ ascensionis pignus, in cœlo collocaret, atque etiam futuræ istius ascensionis indubitatum argumentum præstaret Eph. II. 6. 1 Cor. XV. 49. Joh. XII. 26. & XVII. 24. Apoc. III. 21. (4) Ut mentem & cor nostrum, h. e. cogitationes, desideria & studia nostra, sursum provocaret Col. III. 1. Phil. III. 20. &c.

Pars elenchtica.

Quæritur.

1. An Christus verè ascenderit?

XI. Quæritur hic *primo*, an Christus *verè* ascenderit in cœlum? *Docetæ* & Phantastici (statim ab excessu Apostolorum exorti, quibus postea sese sociârunt Manichæi, Marcionitæ & Cerdoniani) ut veritatem humanæ ejus naturæ; ita & veritatem mortis & resurrectionis, proinde & ascensionis, inficiabantur: teste Augustino *de hæres.* cap. XXI. Quorum πρῶτοι ψευδεῖς cap. V. §. XVIII. refutavimus. *Carpocratiani* seculo primo, volebant ipsum ascendisse *sola* anima: *Apellos*, seu *Apellita* statuebant, ascensionem fuisse διάλυσιν corporis in quatuor elementa: *Seleuciani* & *Hermiani* dicebant, Christi corpus syderibus fuisse alligatum, maximè verò Solis orbi: *Muhammedani* hoc tantum tenent, quod Christus hostium Judæorum manus effugerit, & ad cœlum elementare pervenerit, ibi, coram Creatore suo, inter astra fulgens. Hos errores jam exoletos, refricare, nullius usus est. Judæi, ut Jesum nostrum *vere* resurrexisse; sic & *ascendisse* mordicus negant: Christiani uno ore affirmant; his fundamentis, A. quod Messias promissus olim, per vaticinia & figuras, necessariò debuerit ascendere, prout §. III. demonstratum. Quod B. Jesus noster sit verus ille olim promissus Messias, juxta cap. II. §. XIX. Quod C. duorum Angelorum, pariter & undecim, ad minimum, testium, omni exceptione majorum ore, & qui mortem pro suo testimonio susceperant, certum sit, eum ascendisse. Ac proinde, si unius Elisæi testimonium jure admittant Judæi, pro ascensione Eliæ; nunquid nos duorum Angelorum, & undecim, ad minimum, testium deposita recusabimus? Et quod D. Novum Testamentum, cujus fide hoc docemus, perinde sit universalis veritatis ac divinæ auctoritatis, ac est Vetus Instrumentum, quod lib. I. cap. II. ex professo demonstravimus. Nec habent quod opponant, nisi rancidas suas hypotheses: (1) quod Jesus noster non sit *Messias*, cui nos opposuimus cap. II. §. XIX. (2) quod non resurrexerit, id quod nos demonstravimus cap. *præced.* Quod (3) Novum T. non sit universalis veritatis, cui obnitimur loco jam citato. His igitur sublatis, non est quod excipiant.

Fundamenta partis affirmantis.

Objectiones.

2. An eodem corpore, quo natus est, & resurrexit, ascenderit in cœlum? Sententia Socinianorum.

XII. *Secundò* quæritur, an *eodem* corpore ascenderit, quo vixit, quo mortuus est, quo resurrexit? Sociniani, quod statuant, hominem morte redigi ad statum *non-existentiæ*, ac proinde resurgentem, novam existentiam, novumque corpus accipere; scil. *spirituale* quoddam; cum caro & sanguis non possint introire in regnum Christi: existimant, Christum consimiliter corpus, quo hic vixit in terris, nequaquam *introduxisse* in cœlum; sed aliud, ac spiritnale accepisse: Christiani ex adverso existimant, Christum eodem corpore, quo vixit, quo resurrexit, *transisse* in cœlum. Quod 1. Angeli exsertè dicant, *eundem* Jesum, quem discipuli viderint ascendentem, & eodem etiam modo, reversurum, quo abierit Act. I. 11. Quod 2. corpus carneum & osseum, post resurrectionem ei ascribatur Luc. XXIV. 39. quo etiam ascendit Act. I. 11. Quod 3. talis olim appariturus dicatur Zach. XII. 10. Apoc. I. 7. Quod 4. caro ejus corruptionem non senserit Psal. XVI. 10. Quod 5. ex contraria hypothesi, Christus in cœlis, duplici constaret, aut triplici spiritu: nim. æterno, *deitatis* Heb. IX. 14. *animæ* Luc. XXIII. 46. & in ascensione *assumpto*. Quod 6. si in cœlo corpus *humanum* non haberet: necibidem esset verus homo: & cum exsententiâ Socinianorum, nec verus Deus sit, nec Angelus; quid

Sententia & argumenta Christianorum.

erit?

erit? Nihil. Saltem 7. si idem corpus in cœlis non haberet, non foret idem homo, qui in terris erat. Et si 8. in cœlis non haberet idem corpus, quod habebat in terris, cum Baptista diceret: *Ecce agnus Dei*--- Joh. 1. 36. non posset nunc post ascensionem ita nuncupari, quod tamen de eo in cœlo existente dicitur Apoc. v. 9. Quod 9. in primâ ejus ascensione (ex hypothesi adversaria) corpore suo, quod ex B. virgine acceperat, ascenderit in cœlum, sub jejunio quadragesimali. Hypotheses adversariorum, (1) de non-existentia mortuorum, alibi confecimus, & suo loco, si Deo videbitur, in cap. *de resurrectione carnis* nostræ, ulterius conficiemus (2) de carne & sanguine, non introituro regnum Dei, ex 1 Cor. xv. 50. vana est, cum locus ille, non de *ipsa* carnis nostræ substantia; sed de ejus corruptione *morali*, prout Gal. 1. 16. Joh. III. 6. aut saltem de ejus infirmitate & corruptibilitate, intelligendus veniat. (3) Est Dominus *è cœlo*, *cœlestis* 1 Cor. xv. 47. Resp. Est, quatenus secundum *divinam* naturam, è cœlo descendit Joh. VI. 33. 38. hoc est, *manifestatus est in carne* 1 Tim. III. 16. prout Deus descendisse legitur Gen. XVIII. 21. (4) *Venter escæ, & esca ventri, Deus utrumque destruet* 1 Cor. VI. 13. Resp. Destruet, quoad usum, quem *hic* habent; non simpliciter, nec quoad *omnem* usum, eum etiam, quem olim habebunt.

Hypotheses Socinianorum.

3. An cœlum in quod Christus ascendit, sit definitus aliquis locus? Sententia Lutheranorum.

XIII. *Quarto* quæritur, an cœlum illud, in quod corpus Christi, usque ad nubes localiter elevatum, ascendit; sit locus aliquis determinatus ac definitus? Lutherani ubiquetistæ, ut corpus Christi *essentialiter* præsens habeant, in symbolis S. cœnæ statuunt, illud corpus, ex unione personali, cum divinâ personâ, attributum omnipræsentiæ quidem accepisse quoad κτῆσιν, sed quoad χρῆσιν, ea *uti* noluisse, nisi postquam elevatus fuisset supra nubes, quando pervenerit in cœlum illud, in *quo* Deus est, quod *ubique* sit. Hinc, ut historiæ ascensionis quomodocunque satisfaciant; negant quidem, ascensionem Christi fuisse nudam ἀοράσιαν & ἀφανισμὸν; & fatentur fuisse μετάβασιν τοπικὴν: verum addunt: 1. visibilem hanc & localem ascensionem non esse factam, ex *necessaria* corporis Christi conditione; sed ex *liberrima* dispensatione. Tum 2. distinguunt inter ascensionis *inchoationem*, à terra usque ad nubes, quousque visibiliter & localiter ascenderit; & ejusdem *consummationem*, postquam à nube fuisset susceptus: tum negant, localiter ac successivè Christum *à nubibus*, per orbes planetarum, & primum mobile, in cœlum empyreum intrasse: quod illud sit ubi Deus est, hoc est, ubique.

Sententia Reformatorum, cum suis.

Reformati omnia ista effugia, & κρυπτὰ τῆς ἀισχύνης, cum Scripturis ignorant. Quod 1. Scriptura semper de cœlo loquatur, tanquam *definito* quodam loco Deut. XXVI. 15. Psal. II. 4. & XXIII. 14. Jes. LXVI. 1. &c. qui manifestè distinguitur à *terra*, aliisque locis. Quod 2. cœlum in quod Christus ascendit, ut *determinatus* locus notetur, quem Christus *occupare* debuerit Act. III. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, unde ascendisse dicitur, ὑπὲρ ἄνω πάντων οὐρανῶν Eph. IV. 10. item factus ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν scil. inferiorum Heb. VII. 26. item διειληλυθὼς τοὺς οὐρανούς. Heb. IV. 14. Quod 3. idem illud Christi cœlum talibus synonymis designetur, quæ non possunt non peculiarem quendam locum, à reliquis distinctum, denotare. v. g. quod *domus Patris* appelletur Joh. XIV. 2. *cœlum supremum* Heb. I. 3. *cœlum cœlorum* 1 Reg. VIII. 27. *cœlum tertium* 2 Cor. XII. 2. *cœlestis Jerosolyma* Gal. IV. 26. *paradisus* Luc. XXIII. 43. locus Angelorum Matth. VI. 9. 10. ex quo Christum exspectamus Phil. III. 20. Quod 4. hypotheses, quibus adversariorum error, seu superstruitur, seu stabiliri vult: nim. *essentialis* præsentia carnis Christi, in symbolis S. cœnæ; omnipræsentia, per idiomatum communicationem, humanæ naturæ collata &c., alibi refutatæ sint, aut refutandæ. Nominatim 5. quod distinctio, inter omnipræsentiæ κτῆσιν & χρῆσιν, quâ poterit, pro suo arbitrio, præsens esse & non præsens esse, absurda sit: quia hac ratione, *Deus* quoque, pro lubitu, possit esse præsens, aut *non* præsens: quoniam eadem est Dei & Christi omnipræsentia. Addam 6. quod Scriptura nullibi tradat, Christum, usque ad nubes *tantum*, visibiliter & localiter ascendisse: quin exserte contrarium testetur, omnibus illis locis, quos pro secunda & tertiâ ratione dudum adduximus. Nec habent quod pro se causentur Lutherani; nisi 1. quod, per nonnulla Scripturæ loca, *supra cœlos*, *in cœlis* &c. denotetur incomprehensibilis Dei potentia & gloria Psal. VIII. 2. & CVIII. 5. Job. XI. 8. & XXII. 12. Resp. (1) An his locis dicitur, quod cœlum *non* sit *definitus* locus? eo quod Deus inibi ostentet incomprehensibilem suam potentiam & gloriam: nunquid, eâdem ratione, & *terra* non erit *definitus* locus? (2) An ullus Scripturæ locus prostat, per quem ascendere in cœlum, fit abire in locum *indefinitum?* Causantur 2. quod sic, non nisi longo temporis spatio, ascensum suum Christus consummare potuisset, nonnulli determinant plus quam quingentos annos: cum (*a*) Servator exserte dicat, *hodie* latronem secum futurum in paradiso Luc. XXIII. 43. Cum (*b*) nec infinitam Dei potentiam, nec in ipsâ naturâ, velocissimum astrorum motum, considerent. Causantur 3. quod in novissimo die cœli sint perituri, quando Christus in cœlo sit mansurus in æternum. Resp. Sunt perituri α. non *omnes*, non empyreum: ubi enim manerent beati cœlites: 2 Cor. v. 1. 2. nec β. quoad substantiam; sed quoad vanitatem Rom. VIII. 21. ut evadat *cœlum novum*, *nova terra* Apoc. XXI.

Rationibus.

Objectiones Lutheranorum.

1. Cau-

1. Causantur 4. Stephanus vidit Christum, seu *spectavit*, stantem à dextris Dei Act. VII. 56. & Paulus Act. IX. 27. Resp. (1) Ergone cœlum ubi viderunt Christum, non fuerit locus definitus? (2) Quidsi Deus elevaverit facultatem eorum, ut viderent in empyreo cœlo? Sed (3) viderunt Christum in *ecstasi*, in *visione*; non in substantia, declarente Paulo 2 Cor. XII. 2. 3. 4. Causantur 5. Non descendit propriè & localiter in terram, in in carnatione; ergo etiam non ascendit ita in cœlum. Resp. (1) Descendit in locum definitum, *terram* Eph. IV. 9. εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς (2) Descendit quoad *divinam* naturam, *manifestatus in carne* 1. Tim. III. 16. sed ascendit quoad *humanam* naturam.

4. An post ascensionem suam adhuc sit in terris? Sententia Lutheranorum & Pontificiorum.

XIV. *Quartò* quæritur, an, post ascensionem suam, Christus, quoad humanam naturam, adhuc sit *in terris*? Lutherani & Pontificii, in gratiam oralis manducationis in S. cœna, affirmant: sic tamen, ut Lutherani tueantur *omnipræsentiam*, qua semper sit in terra, & ubique: dum Pontificii, in *Missâ* tantum, præsentem volunt. Reformati, cum Scripturis, post resurrectionem, usque ad reditum postremum, humana sua natura tantum in cœlo existere docent. Quod 1. expressè dicatur, ipsum sua ascensione terram *deseruisse* Joh. XIV. 3. & XVI. 5. 7. 28. & XVII. 11. 12. 13. Matth. XXVI. 11. Luc. XXIV. 51. Act. I. 9. 11. Quod 2. ascendendo, cœlum supremum *occupaverit*, oppositum terræ Marc. XVI. 19. Act. III. 21. Joh. XVI. 28. Quod 3. ex hypothesi absentiæ suæ corporalis, *moneat* adversus seductiones Matth. XXIV. 26. hortetur ad officia Col. III. 1. 2. 2 Cor. V. 6. 8. Phil. I. 23. Heb. VIII. 4. Quod 4. dicatur *reversurus* è cœlo in terram Act. I. 11. Matth. XXIV. 27. 30. 44. & XXV. 31. 32. & XXVI. 64. 1 Cor. XI. 26. 2 Tess. I. 7. Quod 5. adversariorum παντοπία & πολυτροπία *naturæ* veri corporis repugnet, & apertam inferat contradictionem. Quod 6. ipsi repugnet S. *cœna*, utpote quæ, in ejus *memoriam* instituta est, usque dum *venerit* 1 Cor. XI. 25. 26. Conf. quæ supra cap. IV. adversus humanæ naturæ communicatas proprietates divinas, & nominatim *omnipræsentiam*, diximus. Nec habent, quod his apponant: nisi A. quod post ascensionem sæpius *visus* legatur: à Stephano Act. VII. 55. 56. à Paulo Act. IX. 4. 17. & XXII. 6. & XXVI. 19. à Johanne Apoc. I. 10. 12. 13. Resp. (1) Non dicitur visus in *terrâ existens*; sed à terra visus *in cœlo* Act. VII. 55. 56. (2) fuerunt istæ visiones *exstaticæ*, in *visione* interna Act. XVIII. 9. 1 Cor. IX. 1. 2 Cor. XII. 2. vel *emblematicæ*, qualis Johanni obtigit in *Apocalypsi*: cujusmodi visiones nequaquam inferunt rei visæ veram *præsentiam*. Quod B. dicatur suis futurus *præsens*, usque ad finem seculi Matth. XXVIII. 20. Resp. Præsentia *gratiæ*, de qua 2 Cor. XIII. 13. Item C. *omnia replere* Eph. IV. 10. Resp. *Donis* suis Psal. LXVIII. 19.

Sententia Reformatorum cum suis rationibus.

Objectiones.

Porro D. *manducari* in S. cœna Matth. XXVI. 26. 28. Resp. *Sacramentaliter*, non oraliter; cum fiat in *memoriam venturi*. Quod E. alias duæ ejus naturæ *divellerentur*. Resp. Nequaquam, cum nullibi sit *humana* natura, ubi ipsi non adsit *unita* divina *persona*. Quod F. per unionem personalem, humanæ naturæ communicatæ sint proprietates divinæ, & in his *omnipræsentia* quoque. Resp. Ista ex professo refutavimus cap. IV.

5. An solus ascenderit in cœlum?

XV. *Quinto* quæritur, an *solus* ascenderit? Sunt qui existiment, ipsum ascendentem, secum in cœlum adduxisse, hos qui sub morte ejus resurrexerunt Matth. XXII. 53. sed nullis omninò nituntur Scripturæ fundamentis. Pontificii, ut limbum Patrum commodius tueantur; ficut statuunt, ante *actualem* satisfactionem, hoc est, ante mortem Christi, nullos fideles in coelum fuisse admissos: ita ipsum ad hoc volunt descendisse ad inferos, ut fideles illos ibidem existentes inde *educeret*; & ascendisse, ut secum traduceret in coelum: Reformati *solum* ascendisse credunt; quod 1. nullius *societatis* Scriptura faciat mentionem Act. I. 9. 11. Quod 2. sub V. T. in *fide* mortui, virtute satisfactionis expromissæ, recepti fuerint in coelum, teste Enocho Heb. XI. 5. & Eliâ 2 Reg. II. 11. Conf. Heb. XI. 16. Abrahamo Luc. XVI. 22. Quod 3. ejus mors extendatur ad *fideles* V. T. Rom. III. 25. Heb. IX. 15. ejusque virtute, transire potuerint in coelum. Quod 4. fideles V. T. etiam fuerint *membra* sui corporis, *caro* de *carne sua* Eph. V. 30. adeoque in terris existentes, perinde pignus habuerint suæ ascensionis, in *futura* Christi ascensione, ac nos habemus in *præterita*. Conf. Rom. IX. 5. Gal. III. 16. & Psal. LXVIII. 19. Nec est quod speciosius objicere possint, quam, quod *ante* exhibitum Messiam, nondum *manifesta* fuerit *via* ad coeleste sacrarium, *adhuc stante priore tabernaculo* Heb. IX. 8. Resp. Non intelligitur per *viam*, nisi Christus Joh. XIV. 6. filius Dei, incarnatione sua *manifestatus in carne* 1 Tim. III. 16. qui cæterà, virtute satisfactionis, in æterno pacis consilio expromissæ, perinde admisit *fideles* V. T. ac N. T. ficut diximus.

Sententia Pontificiorum.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

Objectio.

6. An in cœlum ascenderit, ut Sacerdos fieret?

XVI. *Sexto* quæritur, an Christus in coelum ascenderit, ut ibidem *Sacerdos* fieret? Sociniani, ut morte sua, in terris facta, ipsum non satisfeciſſe, commodius tuerentur; statuunt, ipsum in *terris* non fuisse *Sacerdotem*; sed factum demum ascendendo, seque Patri in coelis sistendo pro nobis: Reformati, duos observant præcipuos Sacerdotii actus, *oblationem* sacrificii, & *intercessionem*: utroque suo Sacerdotio Servator functus est adhuc in *terris*: *oblatione* quidem Eph. V. 2. cum 1 Pet. II. 24. *intercessione* Joh. XVII — Luc. XXII. 31. 32. eoque *perfectus* fuit Sacerdos, etiam adhucdum in *terris* existens; quamvis, cessante jam oblatione, intercessionem *continuet* in coelis Rom. VIII. 34.

Heb.

Heb. VII. 25. Controverſiam hanc in utramque partem examinavimus cap. VII. §. XVI.

7. An plus quam ſemel Chriſtus aſcenderit?

XVII. *Septimo* quæritur, an hæc prima fuerit & *unica* Chriſti aſcenſio? Lutherani & Pontificii, in gratiam corporalis ejus præſentiæ in ſymbolis euchariſticis, diſtinguunt in *viſibilem* & *inviſibilem* Chriſti aſcenſionem: illam *ſemel* tantum factam agnoſcunt; hanc *continuo* fieri ſtatuunt. Sociniani etiam, (odio æternæ ejus Deitatis) ſemel ſtatuunt ipſum aſcendiſſe, poſt baptiſmum ſuum, tempore jejunii quadrageſimalis, ut de myſteriis Euangelii, ibidem perfectius edoceretur: tum ſecundo, poſt ſuam reſurrectionem aſcendiſſe. Reformati cum Scripturis, non niſi *unam* agnoſcunt Chriſti aſcenſionem Heb. IX. 12. Act. I. 9. II. Joh. XX. 17. Sententiam Socinianorum ex profeſſo examinavimus cap. VI. §. XIV.

Pars practica.

Praxis aſcenſionis à nobis exigit: 1. Ut contemplemur ejus aſcenſionem.

XVIII. Praxis aſcenſionis Chriſti à nobis exigit *primo*, ut cum diſcipulis Chriſti, à Chriſto *aſſumti* Luc. XXIV. 50. Jeroſolymis egrediamur, ad montem *Oliveti*, ejus aſcenſionem glorioſam contemplaturi, & eo mente perducti, oculos in eum habeamus intentos Act. I. 9. 10. ἀτενίζοντες: quod fit, ſæpius & devote cogitando, & memoriâ noſtra circumferendo, glorioſam hanc aſcenſionem, donec revertentem conſpiciamus, prout obſervavimus aſcendentem vſ. 1. Ad hoc enim 1. *Diſcipulos* ſuos, non alios, ſecum *aſſumſit*, h. e. *mandavit* ut ſecum egrederentur. Sic etiam 2. fides noſtra magis magiſque confirmabitur, de *veritate*, tum reſurrectionis, tum aſcenſionis Act. I. 3. Sic 3. & nobis intus loquetur, noſque inſtruet de rebus regni ſui. *Ibid.* Sic 4. & nos *accipiemus promiſſionem Patris, baptizabimurque Spiritu S.* vſ. 4. 5. Sic 5. & nos cum ipſo *colloqui* poterimus, de his quæ pertinent *ad reſtitutionem regni Iſraëlis* h. e. Eccleſiæ. vſ. 6. Sic & nos 6. poterimus eſſe *teſtes* reſurrectionis & aſcenſionis ſuæ, apud quoſvis vſ. 8. Sic 7. ſuper nos elevabit *manus* ſuas, nobiſque benedicet Luc. XXIV. 50. *omni* benedictione *ſpirituali* Eph. I. 3. Sic 8. & pro *nobis*, & in gratiam noſtri, aſſumtus erit Act. I. 9. Sic 9. & nobis *Angelos* ſuos poſt ſe relinquet, qui nos in *veritate* informent vſ. 10. 11. Sic 10. & nos, majori cum fiducia, ipſum adorabimus Luc. XXIV. 52. Sic 11. & nos *cum magno gaudio* revertemur Jeroſolymam, h. e. ad Eccleſiam. *Ibid.* Sic 12. & nos *in templo*, majori ſpiritu, *Deum celebrabimus*, eique *gratias agemus Ibid.* vſ. 53. Quin inſuper 13. ad hoc, veſtigia ſua, monti Oliveti impreſſit Zach. XIV. 4. non quidem *naturalia* (ut nonnulli è Veteribus, ex hoc loco, perperam colligebant) ſed *ſpiritualia*: veſtigia (a) *amoris* verſus ſuos diſcipulos, quos, in hunc finem, Jeroſolymis eduxit in Olivetum, ut pro *ipſis* aſcenderet, eos ibidem informaret, eis benediceret, gaudii *ſpiritualis* participes faceret: veſtigia (b) *patientiæ* cum *glorificatione* conjunctæ; quando ab eodem Oliveti loco, ubi paſſiones ſuas exorſus erat, *aſcendere* in gloriam ſuam, voluit: veſtigia (c) *curæ* & providentiæ gratioſæ, verſus diſcipulos ſuos, quando ibidem *manus* ſuper ipſos elevavit, & forte etiam ipſis impoſuit: veſtigia (d) *benedictionis*, è cœlo ſuper ſuos effundendæ Pſal. LXVIII. 19. Eph. I. 3.: veſtigia (e) *promiſſionum* ſalvificarum: nominatim Spiritus S. & corroborationis per Spiritum iſtum Act. I. 4. 5. 8.: veſtigia (f) *deſertionis* ſpiritualis, quando in media converſationis ſuavitate, diſcipulis ſubducitur, & ex eorum oculis quaſi evaneſcit vſ. 9. Conf. Pſal. XXX. 7. 8: veſtigia (g) ſubſtituti, in his deſertionibus, novi *conſolatoris*, novæque conſolationis, in Angelis, erigentibus diſcipulos, in ſpe & promiſſione reditus Chriſti Act. I. 10. 11.: veſtigia (h) contemtus & *deſertionis* hujus mundi; quatenus, cum negotia ſua apud diſcipulos expediviſſet, per breve quadraginta dierum ſpatium, ſtatim mundum deſeruit vſ. 9. Joh. XVI, 28.: veſtigia (i) deſiderii *converſationis* cœleſtis, quatenus, deſerta terra, recta properavit in cœlum ad Patrem ſuum. Conf. Col. III. 1. Phil. III. 20. Prov. XV. 24.

Motivæ.

2. Ut aſcendenti gratulemur, ovemus.

XIX. *Secundo* exigit aſcenſio Chriſti, ut aſcendenti ex animo gratulemur triumphum: 1. Exemplo diſcipulorum, ab aſcenſione lætantium, celebrantium, gratias agentium Luc. XXIV. 52. 53. quibus pleraque comprehenduntur, carminis gratulatorii argumenta. Huc enim 2. provocamur Pſal. XLVII. 6--Hoc 3. ipſa à nobis exigit gloria *triumphi* Pſal. LXVIII. 18. 19. 20. Col. II. 14. 15. Sicut enim (1) apud Romanos, (ad quorum triumphos manifeſtè alluditur, ſaltem textu poſtremo) belli duces non triumphabant, niſi poſt victoriam, nec vulgarem; ſed egregiam: ita nec Jeſus noſter, niſi poſt victoriam Apoc. VI. 2. & quidem de potentiſſimis hujus mundi, *morte*, *inferno* 1 Cor. XV. 55. 56. *dracone* infernali Apoc. XII. 11. *Imperiis*, *Poteſtatibus*, univerſaque adeo tenebrarum poteſtate, reportatam Col. II. 15. & I. 13. Heb. II. 14. Sicut (2) triumphatores Romani illuſtri *curru* triumphali vehebantur: ita & Jeſus noſter ſplendidâ vehitur nube Act. I. 9. Conf. 2 Reg. II. 11. Sicut (3) triumphatores *trophæa* oſtentabant, ſpolia & victos hoſtes: ita & Jeſus noſter Col. II. 14. 15. Pſal. LXVIII. 19. Eph. IV. 8. Sicut (4) triumphatores *nummos* profundebant in populum: ita triumphator noſter Jeſus *dona accepit*, quæ in homines diſtribueret Pſal. LXVIII. 19. Eph. IV. 8. Sicut (5) triumphatores Romani, curru triumphali, ad *Capitolium* contendebant: ita & Jeſus noſter in *cœlum* ipſum 1 Pet. III. 22. Proinde, ſi triumphatoribus ſuis Romani, effuſi in

gaudia glorioſiſſimis titulis acclamabant, gratias agebant, & fauſtiſſima quævis precabantur: nunquid nos, cum Apoſtolis, ab abſcenſione, noſtri tanti actalis triumphatoris, Jeroſolymam reverſis, gaudio ineffabili, & acclamaremus, fauſtaque omnia ipſi exoptaremus? Conferantur, mutatis mutandis, quæ cap. *præcedenti* §. XIII. diximus.

§. Aſcenſio præſtat ſolatium.

XX. *Tertiò*, aſcenſio Chriſti efficaciſſimum præſtat verè fidelibus *ſolatium*, in quibuſvis adverſis: à quo mœſtis, ex ſuo diſceſſu, diſcipulis, abiturus pronunciat: *bonum vobis eſt quod abeo* Joh. XVI. 6. 7. cujus quidem ſolatii hæc ſunt præcipua fundamenta, quod 1. ab aſcenſione, jam habeant in cœlis *Advocatum*, omnibus numeris perfectum, apud Patrem cœleſtem 1 Joh. II. 1. Quicquid enim in Advocato deſiderare poſſis, hoc deprehendes exactiſſimè in Chriſto: v. g. in Advocato deſideratur, (1) ut *juſtus* ſit: talis eſt Jeſus noſter 1 Joh. II. 1. Jeſ. XLII. 1. (2) ut *dicendi* facultate præditus ſit: talis noſter Jeſ. L. 4. Pſal. XLV. 3. Luc. IV. 21. (3) talis qui ordinariè *triumphet* in foro: noſter ille ſemper triumphat Apoc. VI. 2. & impetrat apud Patrem omnia quæ deſideramus Joh. XVI. 23. (4) ut ſit *humanus* & affabilis verſus clientes; talis noſter Matth. XI. 28. (5) ut ſit *gratus* Judici: talis noſter Jeſ. XLII. 1. Matth. XVII. 5. (6) ut ſit juris & æqui *peritus*: talis noſter Prov. VIII. 6. 12. Jeſ. XI. 2. (7) ut non confidat calmoribus importunis, ſed placidè, rationibus agat pro tribunali: ita noſter Jeſ. XLII. 2. Matth. XII. 19. (8) ut *expertus*, ſeu experientiâ doctus, agat: ita noſter Heb. IV. 15. & V. 8. (9) ut proclivis ſit ad ſuccurrendum oppreſſis: ita & noſter Heb. II. 17. Jeſ. LXI. 2. (10) ut oppreſſo nulli ſua officia neget: talis noſter Jeſ. LXI. 2. Matth. XI. 28. Joh. VI. 37. Prout igitur in tali Advocato, oppreſſis & afflictis in hoc mundo, efficaciſſimum eſt ſolatium: ita & fidelibus, in ſuo iſto Advocato, quem ex aſcenſione, in cœlis habent: nunquid efficaciſſimum eſt ſolatii fulcrum? Hoc primum. 2. quod ab aſcenſione conſequantur Spiritum S. conſolatorem Joh. XVI. 7. 8. qui *infirmitatibus noſtris ſuccurrat* (συναντιλαμβάνεται) ut *quando*, *ſicut oportet*, *non novimus precari*; *ipſe Spiritus pro nobis intercedat* (ὑπερεντυγχάνει) *ſuſpiriis ineffabilibus* (ἀλαλήτοις) Rom. VIII. 26. In hoc, nunquid ineffabile eſt ſolatii fundamentum? Porro 3. quod promittat, ſe, ne quidem poſt diſceſſum, ſuos deſerturum, quin ſe ipſis *affuturum* gratiâ ſuâ, *uſque ad conſummationem ſeculorum* Matth. XXVIII. 20. Inſuper 4. quod ab aſcenſione, dona acceperit, in ſuos profundenda Pſal. LXVIII. 19. Eph. IV. 8. Tandem 5. quod promiſerit, ſe certo certius, ſuo tempore reverſurum Joh. XIV. 3. 18. ſuoſque ſecum aſſumpturum Joh. XIV. 3. & XVII. 24. Addam 6. quod ad hoc aſcenderit in cœlum, ut ſuis ibidem locum pararet Joh. XIV. 2. Jam ſi A. Satana (*accuſator fratrum* Apoc. XII. 10.) peccata, conſcientia, verè fideles accuſent; quid efficacius ſuccurret, quam cauſidicum habere in cœlis, & tantum quidem? Conf. Rom. VIII. 33. 34. Si B. deſint maximè neceſſaria, corpore tenus, aut animâ, à ſolo cœlo obtinenda; quid magis ſolari poſſit, quam talem in cœlis habere interceſſorem, qui ſemper apud Patrem prævaleat? Joh. XVI. 23. Si C. fatum quodvis, in terris eos urgeat intolerabile, per morbos, paupertatem, aliaque; neque in eo ſit, qui ſolletur: quid efficacius eriget? quam, ab aſcenſione Chriſti, ſibi promiſſum habere ipſum Spiritum S. pro *conſolatore*? Si D. in mundo, à quibuſvis, ab amicis optimis, uſque ad Patrem & Matrem Pſal. XXVII. 10. deſeramur: quid efficacius ſolabitur? quam Jeſum jamjam aſcenſurum, ſibi promiſiſſe, ſe ſuis affuturum ſuâ gratia, uſque ad finem ſeculorum. Si E. donis, ad ſalutem neceſſariis, ſe deſtitutos ſentiant; quid eriget? quam Chriſtum aſcendentem accepiſſe dona in ſuos effundenda? Si F. ſe deſertos ſuſpicentur à Deo & à Chriſto Hoſ. IX. 12. quid efficacius eriget, quam diſcedentem promiſiſſe, ſe reverſurum Jeſ. LIV. 7. 8. ſuoſque ſecum ſumturum in cœlum? Si G. ſibi migrandum ſit, ſeu è patria, ſeu è mundo; quid eriget efficacius? quam cogitare in cœlo multas eſſe μονὰς, & fratrem ſuum, qui pro ſe reſurrexerit, aſcendiſſe, ut locum ſibi ibidem pararet? Et ſic, per quoſvis alios caſus adverſos, ſi ſolatium quæras ſuppetet ab aſcenſione Chriſti. Conferatur, mutatis mutandis, *cap. præced.* §. XXIV.

Caſus adverſi.

2°. Monet ut accurate inquiramus, num & pro nobis aſcenderit.

XXI. *Quartò*, monet etiam aſcenſio Chriſti, ut accurate inquiramus, num & *pro nobis* aſcenderit Chriſtus, cum enim (a) non in omnes & *ſingulos* quadrat ſolatim paragraphi præcedentis, cum (b) non omnes Jeroſolymis adduxerit in Olivetum, quos aſcenſionis ſuæ participes faceret, nec (c) omnibus Advocatum agat apud Patrem, nec (d) omnibus manſiones in cœlo paret: neceſſum ſanè eſt, ſoliciti ſimus, num & pro nobis aſcenderit? cum præſertim (e) longè plurimis, in cœlo ſedeat hoſtis, quos ſibi ponat ſcabellum pedum ſuorum Pſal. CX. 1. de quibus in cœlo triumphet Col. II. 15. & (f) ab accurata exploratione pendeat univerſa ejus diſcriminis *certitudo*, cui omnis noſtra innitur, genuina tranquillitas, pax, gaudium, ſolatium. Quibus autem indiciis, hujus participii reddemur certiores? Reſp. 1. Eiſdem indiciis, quibus eſſe pro nobis *mortuum*, pro nobis reſurrexiſſe, capp. *præcedentibus* oſtendimus: quod cum his, aſcenſio individuum habeat nexum Rom. VI. 3. 4. 5. 8. Eph. II. 5. 6. Gal. II. 20. Si 2. viva *fide* cum Chriſto fuerimus *uniti*, velut membra cum capite: ſic enim *in* & cum ipſo, collocati cenſebimur *in cœlis* Eph. II. 6. ipſumque aſcendendo, abiviſſe ad *Deum* ſuum, & ad *Deum* noſtrum: ad *Patrem* ſuum & ad *Patrem* noſtrum Joh. XX. 17. Si

Indicia.

Si 3. simus ex *discipulis* ejus, quos describit Luc. IX. 23. de quibus exserte pronunciat: *conducit VOBIS quod abeam* Joh. XVI. 7. & XIV. 2. 3. &c. Si 4. cum discipulis suis, & nos *eduxerit Jerosolymis* Luc. XXIV. 50. h. e. è mundo Heb. XIII. 13. 1 Joh. II. 15. 16. Si 5. educti, cum eo & discipulis ejus, ascenderimus in montem *Oliveti*, & *Bethaniæ* Act. I. 12. Luc. XXIV. 50. hoc est, ad *domum afflictionis*, & locum passionum, ut inde, non tantum *suspiciamus* ascendentem; sed &, ex passionibus, cum eo, quasi transeamus in participium gloriæ Luc. XXIV. 26. Rom. VIII. 17. Si 6. ut cum discipulis, per quadraginta dies Act. I. 3. *corporaliter*; ita & nobiscum *spiritualiter* conversatus sit, eoque amicitiam familiaritatemque cum eo contraxerimus; prout Enochus, non nisi post continuatam conversationem cum Deo, assumebatur ab eo Heb. XI. 5. cum Gen. V. 24. Si 7. per istam conversationem, Christus se nobis *manifestaverit*, multis certis indiciis, adeo ut eum non tantum *audiverimus*; sed etiam *viderimus* Act. I. 3. Si 8. sufficienter ab eo fuerimus edocti, de his *quæ pertinent ad regnum Dei*. *Ibid.* Si 9. ejus promissis fidem, & præscriptis obedientiam præstiterimus *Ibid.* vs. 4. Si 10. eum (demtâ tamen curiositate) interrogemus de his, quæ restitutionem regni ejus spiritualis in nobis, concernunt. *ibid.* vs. 7. Si 11. vim Spiritus sanctificantis & convertentis fuerimus experti *Ibid.* vs. 8. Si 12. eadem Spiritus S. vi, nos fideles præstiterimus Christi *testes*. *Ibid.* Si 13. oculos mentis habeamus intentos cœlum & Christum versus, ut eum ferventi affectu *exspectemus*, qui revertatur è cœlo: sicut eum fide vidimus ascendentem in cœlum. *Ibid.* Si denique 14. ex præscripto Christi, *Jerosolymam* fuerimus reversi, exspectantes, ut Spiritus S. quoad dona sua salutaria, in nos magis magisque effundatur, juxta ascendentis promissionem. *Ibid.* vs. 10. cum vs. 4.

5. Excitat, ut conemur vim ascensionis Christi experiri.

XXII. *Quinto* instigat ascensio Christi, ut *vim* hujus ascensionis, per quævis media, magis magisque conemur experiri. Habet enim ascensio, perinde ac mors & resurrectio, *vim* suam: in hoc diversa, ab ascensione Enochi & Eliæ, qui *sibi* tantum ascenderunt. Est autem vis ista 1. in confirmatione *fidei* nostræ Act. I. 3. est 2. in *intercessione* pro nobis Rom. VIII. 34. Heb. IX. 24. est 3. in demissione *Spiritus* S. Joh. XVI. 6. est 4. in communicatione *donorum* illorum, quæ necessaria sunt, ad applicationem partæ nobis redemtionis Eph. IV. 8. 10. est 5. in subjugatione *captivitatis* nostræ spiritualis vs. 8. est 6. in *attractione* spirituali Joh. XII. 32. quâ oculos mentis continuò intentos habeamus (ἀτενίζοντες) cœlum versus, & corda & affectus sursum elevemus, ut quæramus ea *quæ supra sunt*, ubi Christus est, sedens ad dextram Dei Col. III. 1. 2. est 7. in præparatione & occupatione *loci*, ubi post hanc vitam æternùm habitemus Joh. XIV. 2. 3. Jam enitendum nobis, arrectis omnibus viribus, ut vim istam totuplicem ascensionis Christi experiamur. Sin minus, 1. glorioſissimam Christi ascensionem, quantum in nobis est, aut saltem ratione nostri, penitus enervabimus, & re ipsâ abnegabimus, horrendo scelere. 2. Nos ipsos, miserasque animas, crudelissimè mulctabimus, privatione omnium eorum beneficiorum, quæ, ab ascensione Christi, ejusque efficaciâ, in verè fideles redundant. Ex adverso 3. Christum, qui à suâ ascensione, jam glorioſissimus sedet ad dextram Patris, adversus nos armabimus, ut, vel ob hunc neglectum, hoc vilipendium glorioſissimæ suæ ascensionis, nos, ut hostes suos, ponat scabellum pedum suorum Psal. CX. 1. & nos, cum potestatibus & imperiis infernalibus, exspoliatos, in triumphum trahat palàm Col. II. 15. Modus autem enitendi, his potissimùm duobus occupatur: 1. *mediis* illis, quibus in unionem cum Christo, & communionem beneficiorum Christi, enitimur; nim. *fide* & *spiritu*, quæ duo sunt quasi *vincula* nostræ unionis cum Christo: dum enim uniti sumus cum Christo, omnia ejus beneficia, ut mortis & resurrectionis; ita & *ascensionis* & intercessionis, nostra sunt. 2. *usu* mediorum, per quem ista unionis beneficia actu in nos derivantur: in quo præcipuum est (1) fiducialis προσαγωγὴ per preces ad Patrem Rom. V. 2. Eph. II. 18. & III. 12. In quâ tamen (2) necessum est, ut preces nostras, quasi in manus Christi tradamus, facti per ascensionem, unici nostri intercessoris in cælo 1 Joh. II. 1. 2. ut, cum discipulis Luc. XXIV. 50. non nisi assumti & adducti, eamus *ad Patrem* 1 Pet. III. 18. nec quicquam petamus, nisi *in nomine* ejus Joh. XVI. 26. Atque etiam (3) ut *purificato corde*, *à conscientia mala*, *accedamus* Heb. X. 22. quod peccata nos divellant à Deo Jes. LIX. 1. 2. Deus peccatores non audiat Prov. XV. 29.

Quæ nam vis ista.

Quibus motivis captanda.

Quo modo enitendum.

6. Urget ascensio Christi, ut mundum deseramus.

XXIII. *Sextò* urget, ut, cum Christo ascendente, *mundum* deseramus Joh. XVI. 28. Per *mundum* autem hic non intelligimus ipsam *terram*, quo sensu Christus *ascendendo*, mundum deseruit, & nos olim *moriendo* eundem deseremus; sed (a) *mundana* ac terrena, opes, honores, voluptates mundanas 1 Joh. II. 15. Jac. IV. 9. Joh. VIII. 23. (b) mundanam *conversandi* rationem Rom. XII. 2. Et mundum *deserere*, nobis hic non est, mundum & mundana simpliciter non habere; aut in *copia* non habere: videas enim & hos, qui cœlum & cœlestia ferventissimè sectarunt, mundana habuisse, & in copiâ, imò abundantiâ habuisse, v.g. Abrahamum, Isaacum, Jacobum, de quibus nihilominus Apostolus testatur, quod civitatem quæsiverint, *quæ fundamenta habet*, *cujus τεχνίτης est Deus* Heb. XI. 8. 9. 10. & Paulum Phil. IV. 12: sed *mundum deserere*, nobis impræsens non

Quid sit mundum deserere.

est, nisi 1. mundum non immoderatè *amare* 1. Joh. II. 15. hoc est, (a) non nimium *æstimare* Phil. III. 7. 8. (b) non nimium *desiderare*, quærere, anhelare Col. III. 1. 2. Matth. VI. 33. (c) non nimium *gaudere* ac lætari, possessione & usu rerum mundanarum Psal. IV. 8. & LXII. 11. (d) non nimium *angi*, ex jacturâ rerum mundanarum Heb. X. 34. (e) mundum & mundana, non diligere *supra* Deum 2 Tim. III. 4. supra Christum Matth. X. 37. supra cœlum, & cœlestia ac spiritualia Col. III. 1. 2. Matth. VI. 33. Tum 2. mundum deserere, non est nisi, mundo non *abuti* 1 Cor. VII. 29. 30. 31. quod fit A. mundum possidendo, velut *absque Deo* Psal. X. 3. 4. B. elevando *supra Deum* 2 Tim. III. 4. ut sit nobis quasi pro Deo Phil. III. 19. C. collocando in corde nostro *juxta Deum*, tanquam Deum alienum Exod. XX. 3. D. opponendo *Deo*, nostris opibus & dignitatibus στομαχῶντες Act. XXIII. 9. Porrò 3. mundum deserere, non est nisi, ei ejusque *moribus* ac vivendi rationi, se non *conformare* Rom. XII. 2. Denique 4. non est, nisi mundum & mundana quævis, seu propter Deum & propter *Christum* Marc. X. 28. Matth. XIX. 27. 29. & XVI. 25. 26. seu per *mortem* naturalem, desiderium *cœlestis* vitæ, *promtè abdicare* Phil. I. 20. 21. 23. 2 Cor. V. 1. 2. Jam, ut sic mundum deseramus, suadet: 1. Quod aliàs non possimus spiritualiter *ascendere* in cœlum: quemadmodum enim Christus *naturaliter* ascendere non potuit in coelum, nisi deserendo terram; ita nec nos *spiritualiter* Col. III. 1. 2. Tum 2. quod mundus omninò *mereatur*, qui à nobis deseratur: est enim (1) *vanus* Eccl. II. 8. 1 Cor. VII. 31. Psal. XXXIX. 7. Prov. XXIII. 5. dum coelum, in quod, mundum deserendo, cum Christo tendimus, *urbs est*, *quæ fundamenta habet* Heb. XI. 10. Est (2) *evanidus* & transitorius 1 Joh. II. 17: sic honos Jer. XXII. 22. opes Prov. XXIII. 5. vastissima hominum ædificia Matth. XXIV. 2. voluptates Heb. XI. 25: quando coelum, in quod, mundum deserendo, cum Christo contendimus, *immobile regnum* est Heb. XII. 28. Est (3) *vilis* & abjectus, *densum lutum* Hab. II. 6. *stercus* Phil. III. 7. 8. quando coelum (*sancta Jerosolyma* Apoc. XXI. 10.) quod, deserendo mundum, cum Christo quærimus, bona habet, quæ *oculus non vidit*, *auris non audivit*, *& cor hominis nunquam percepit* 1 Cor. II. 9. Est (4) *fallax*, speciosis suis promissis Job. XV. 31. sicut Deus suus Matth. IV. 8. 9. quando Jesus, cum quo mundum deserimus, *fidus* est in præstandis suis promissis, deserentibus mundum, factis Matth. XIX. 27. 28. Joh. XIV. 2. Est (5) *inutilis* ad veram beatitudinem Prov. XI. 4. Psal. XLIX. 8. 9. quando coelum, quod, mundum cum Christo deserendo, quærimus, maximè *necessarium* est Matth. XVI. 26. Est (6) etiam quandoque *noxium*, *impediendo* veram beatitudinem Matth. XIII. 22. & XIX. 23. & *obstruendo* viam ad coelum 1 Tim. VI. 9. Jac. IV. 4. quando Jesus, cum quo mundum deserimus, viam *novam ac vivam* parat Heb. X. 19. 20. imò ipsa *via est* Joh. XIV. 6. nosque mundum deferentes, ponit in coelum Eph. II. 6. Suadet 3. quod nihil magis *absurdum* & absonum cogitari possit, quam si mundum, quem Christus deseruit, Christianus depereat. Imo etiam 4. nihil magis *stultum*, quam id nolle deserere, quod brevi *debeas* deserere Luc. XII. 19. 20: item malle *cœlum* deserere, quam *terram*.

Quibus motivis sit deserendus.

XXIV. *Septimo*, excitat Christi ascensio, ut cum Christo ascendente, *spiritualiter* enitamur in coelum: quemadmodum discipuli assumpti ab ascensuro, oculos, & cogitationes, & procul dubio etiam corda, habuerunt intenta coelum versus Act. I. 10. ἦσαν ἀτενίζοντες εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ. Hoc est (1) *ascendamus* cum ipso spiritualiter, cum sponsa Cant. III. 6. quod fit, enitendo, ut cor nostrum, & affectus, & desideria nostra, sint in coelo, *ubi Christus est*, *sedens ad dextram Dei* Col. III. 1. Eph. II. 6. Joh. XVII. 24. Heb. XI. 10. 14. 15. Phil. I. 23. ut, non tantum corporibus & externis; sed ipsa anima & interioribus, simus apud Deum & Christum Matth. XV. 8. ex Jes. XXIX. 13. (2) *Habitemus* constanter cum Christo in coelis, tanquam in nostra μονῇ Joh. XIV. 2, tanquam *in patria* nostra Heb. XI. 14. tanquam in *civitate* nostra, cujus *cives* sumus Eph. II. 19. Heb. XI. 10. Phil. III. 20. Quemadmodum Apostoli desiderabant, dum essent cum Christo glorificato in monte Matth. XVII. 4. & David Psal. XXVII. 4. & LXXXIV. 2. 3. 5. & XV. 1. ut qui *peregrini* simus in terra Psal. XXXIX. 13. & CXIX. 19. Heb. XI. 13. 1 Pet. II. 11. (3) *Vivamus* tanquam in coelo, modo coelesti, sic, ut πολίτευμα *nostrum habeamus in coelo* Phil. III. 20. h. e. habeamus A. *animum* coelestem, qui coelestia seu spiritualia *sapiat* Rom. VIII. 6. 7. coelesti ac divina indole præditus sit 2 Pet. I. 4. Habeamus B. *scopum* coelestem, quem coelestis monstrat *vocatio* Phil III. 14. quem sectantur cum Christo, qui in coelis sunt Rom. XIV. 17. quo, non nobis; sed Deo & Christo vivimus. *Ibid.* vs. 7. 8. 2 Cor. V. 15. C. *Occupationibus* distineamur coelestibus: tam *intellectu* nostro, cogitando, meditando Rom. VIII. 6. quam *voluntate*, quærendo, sectando ea, quibus coelites occupantur, v. g. *videndo* Deum Matth. XVIII. 10. 1 Cor. XIII. 12. *glorificando* eum Jes. VI. 3. Apoc. IV. 8. &c. D. agendi *normam*, nobis proponamus coelestem Matth. VI. 10. quâ, non secundum *carnem*, nec consuetudines hujus mundi; sed secundum *spiritum* agamus Rom. VIII. 1. & XII. 2. E. *Societatem* ambeamus coelestem Psal. XVI. 3. quâ olim in coelis gaudebimus Heb. XII. 22. 23. 24. Matth. VIII. 11. F. *Studiis* incumbamus coelestibus Matth. VI. 10. ut in terris tempestivè *discamus*,

7. Exercitat ut cum Christo enitamur in cœlum.

α. ascendendo,

β. commorando,

γ. conversando,

mus, quorum scientia perseverat in cœlis Joh. XVII 3. ut non tantum, in *spiritualibus* nostris negotiis, simus spirituales & cœlestes Apoc. I. 10. sed etiam in *temporalibus* nostris, v. g. inter edendum & bibendum Luc. XIV. 15. Joh. VI. 26. 27. in congerendis opibus Matth. VI. 19. 20. &c. (4) *Commercium* alamus cum cœlo, velut mercatores cœlestes Matth. XIII. 45. (a) *merces* quæramus regni cœlestis Matth. VI. 33. βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως Phil. III. 14 unionem pretiosam cœli Matth. XIII. 45. 46. (b) quævis alia, propter cœlestia vendamus, contemnamus. *Ibid.* Phil. III. 7. 8. Matth. XIX. 27. 28. (c) *nundinas* cœlestes, h. e. εὐκαιρίας quasvis, lucrifaciendi cœlestia, religiose captemus 2 Cor. VI. 2. Gal. VI. 10. Apoc. X. 6. (d) *peritiam* mercaturæ cœlestis, mercium cœlestium, εὐκαιριῶν nobis paremus Matth. XXIII. 52. & 45. & XVI. 3. Hac igitur ratione, ut enitamur in cœlum, omnino suadet: N. Exemplum præcursoris (Heb. VI. 20. *Ubi præcursor pro nobis introiit Jesus*) capitis, Regis, fratris, sponsi nostri, qui in cœlos ascendit, ibique sedet ad *dextram Dei* Col. III. 1. Quod 3. præter, & extra cœlum, non sit *dignum*, in quod enitatur *Christianus*, quatenus est Christianus: enitatur in alia quatenus est *homo*, & homo *terrenus* ac catnalis Psal. XVII: 14: sed quatenus est Christianus, non est in quod enitatur *jure*, nisi cœlum, ubi existunt ejus *omnia*: unde Chrysostomus *in* Phil. IV. *homil.* 13. πάντα ἡμῶν ἐν οὐρανοῖς, καὶ σωτὴρ, καὶ πόλις, καὶ ὁ, τί ἂν εἴποι τις ibi *Pater* noster Matth. VI. 9. *Mater* nostra Gal. IV. 26. Heb. XII. 22. *frater* noster Heb. II. 10. 11. *caput* nostrum Eph. I. 22. *patria* nostra Heb. XI. 15. *hæreditas* nostra 1 Pet. I. 4. *mansio* nostra Joh. XIV. 2. 2 Cor. V. 1. *substantia* nostra Heb. X. 34. *spes* nostra Col. I. 5: nunquid ergo enitemur sursum? *elevaremus portas* cordis nostri? Psal. XXIV. 7. 9. 4. Quod hæc *spiritualis* nostra ascensio, per quam superna quærimus, infallibile nobis præstet indicium, *unionis* & communionis nostræ cum Christo, per quam, cum eo mortui simus, & resurrexerimus Col. III. 1. 2. à qua omnis pendet animi tranquillitas: si enim cum Christo non ascendamus, etiam cum eo non resurreximus, neque consequenter, cum eo mortui sumus, proinde nec cum eo uniti sumus. Conf. Rom. VI. 5. Gal. II. 20. 5. Denique, *spiritualis* hæc nostra ascensio cum Christo, nobis certum præstat argumentum, futuræ nostræ ascensionis *naturalis* Phil. III. 20. Eph. II. 5. 6. Plura hujus generis supra diximus lib. III. cap. VI. §. XLI. XLII. Jam, quo magis simus proclives & idonei, qui hac ratione, spiritualiter enitamur in cœlum; iuvabit, α. cor nostrum magis magisque *desuefacere* à mundo: unde Apostolus exoptabat *dissolvi*, ut esset *cum Christo* Phil. I. 23. neque possumus anhelare *domicilium cœleste*, antequam *terrestris hujus tabernaculi domus*, (saltem affectu nostro) *destructa* sit 2 Cor. V. 1. 2. 4. cui significando, Christus ascensurus, discipulos Jerosolymis eduxit in Olivetum Luc. XXIV. 50. Conf. Psal. CXXXI. 2. 2 Tim. II. 4. juvabit β. tempestive *thesauros* colligere in cœlo; ubi enim thesaurus noster, ibi *cor* nostrum erit Matth. VI. 20. 21. quemadmodum ex adverso, quorum thesaurus est in terra, eorum quoque cor eidem adglutinatum est. Juvabit γ. *animum* habere *cœlestem*, spiritualem ac subtilem, qui sursum enitatur Psal. XXV. 1. sicut crassa ac *terrena* deorsum tendunt: habeamus cor *igneum*, quod ascendat sicut flamma, aut *columnæ fumi* Cant. III. 6. Juvabit etiam δ. magis magisque *assuescere* cœlo ac cœlestibus. Conf. Dan. VI. 11. quasvis occasiones captare, quibus cor nostrum possit elevari sursum, quales sunt, in exercitiis cultus divini, colloquiis, meditationibus, conversationibus cœlestibus Luc. XXIV. 32. &c.

XXV. *Octavo*, damnat ascensio Christi hos, qui, cum se Christianos profiteantur, hoc est, tales, qui Christum sequuntur Luc. IX. 23. cumque Christum agnoscant ascendisse in cœlum; attamen ipsum eo sequi abnuunt, ut cum eo conversentur in cœlo. Et quinam tandem hi? Sunt 1. quorum conversatio tantum abest à *cœlo*, ut in ipso sit *inferno*; tantum à Christo, ut sit cum ipso Satana: eorum scil. qui *vitiis infernalibus* & satanicis assuescunt, odiis, imprecationibus, mendaciis, blasphemiis, invidiis; seu quicunque *palam* impii sunt Joh. VIII. 44. quo nomine Judas dicitur abiisse *in locum suum* Act. I. 25. Sunt 2. quorum conversatio saltem est in *terra* & terrenis Joh. III. 31. qui solis rebus terrenis ac mundanis, opibus, honoribus, voluptatibus operam dant, ἐπίγεια φρονοῦντες Phil. III. 19. 1 Joh. II. 15. 16. Sunt 3. quorum conversatio, nec in *cœlo*, est, nec in *inferno* penitus; sed quasi *in medio*, h. e. qui nec vere *pii*, nec apertè *impii* sunt, qui utriusque nonnihil *participant*: quoad *exteriora* pietatis officia, pii videntur; quoad *interiora* & spiritualia, impii penitus: quales hypocritæ 2. Tim. III. 5. Matth. VII. 22. & XXII. 23. 24. 25. 26. 27. Sunt 4. quorum conversatio saltem non est cum *Deo*, cum Christo, cum cœlitibus & cœlestibus, h. e. qui non delectantur exercitiis cœlitum: cognitione, celebratione, fruitione Dei, qui non conantur facere *voluntatem* Dei *in terris*, quemadmodum illa fit *in cœlis* Matth. VI. 10. Job. XXV. 14. 15. Isti omnes α. ut *alieni* sunt à cœlo & cœlitibus Eph. II. 12. ita indolem produnt terrenam, infernalem ac diabolicam Joh. VIII. 44. utpote in quibus *Deus hujus seculi operatur* Eph. II. 2. Sunt β. *seclusi* ab unione cum Christo, utpote in quibus non est *spiritus Christi* Rom. VIII. 9. 14. in quibus *Christus non vivit* Gal. II. 20. Nec proinde γ. *communionem* habent cum Christo, & bene-

Ratiocinationes motivæ.

β. Negotiando.

Media.

8. Damnat hos qui Christum sequi non volunt in cœlum.

Quinam illi.

Quantum horum miseria.

beneficiis ejus: cum ejus *morte*, utpote cujus *hostes* sunt Phil. III. 18. cum ejus *resurrectione* Col. III. 1. cum ejus *ascensione* Eph. II. 5. 6. Tandem ∂. sicut *cœlo* ac cœlestibus non delectantur, imo *inferno* & infernalibus operam dant; ita, justo Dei judicio, à cœlo & cœlestibus, æternum secludentur, & in locum, suæ indoli, suis cupiditatibus analogum, h. e. in infernum, detrudentur cum Juda Act. I. 25. Matth. XI. 23. Malis his ut succurramus efficaciter; investigandæ veniunt, ac tollendæ causæ, quales, A. Mentis *cæcitas*, quæ cœlestia, divina, spiritualia, prout sunt in se, *non cognoscit*, imo pro *stultitia habet* 1 Cor. II. 14. & I. 23. B. Cordis *aversio* à cœlestibus & spiritualibus, & contraria propensio in terrena & carnalia Rom. VIII. 5. 6. 7. Phil. III. 19. C. Nimia rerum terrenarum *cura* & sollicitudo, quâ animus gravatur, & deorsum deprimitur Luc. XXI. 34. & quævis cœlestia ac spiritualia *suffocantur* Matth. XIII. 22. D. *Incredulitas*, qua ea quæ de cœlo, de Deo, de Christo, de spiritualibus, de cœlestis gloriæ pondere, in Scripturis pronunciantur, non satis credunt Heb. III. 12. E. Perversa hujus mundi *exempla*, à cœlestibus efficacissimè ad terrena allicientia 1 Joh. V. 19. Rom. XII. 2.

Causæ mali.

9. Præstat pignus futuræ nostræ ascensionis.

XXVI. *Nono*, ascensio Christi nobis præstat, futuræ nostræ ascensionis naturalis, infallibile *pignus*. Quatenus 1. ejus est immota voluntas, ut, ubi *ipse* est, ibi & *nos* simus, qui ejus gloriam contueamur Joh. XVII. 24. Quatenus 2. hoc sua intercessione, quæ nunquam non efficax est Joh. XI. 22. à Patre nobis exoravit Joh. XVII. 24. Quatenus 3. ad hoc ipsum, ascendit in cœlum, ut nobis ibidem mansionem pararet Joh. XIV. 2. Quatenus 4. adjecit promissionem infallibilem, se rediturum, & nos assumturum. *Ibid.* & quidem *omnes* Joh. XII. 32. Quatenus 5. *introiit* in cœlum *pro nobis*, seu vice nostri Heb. VI. 20. Quatenus 6. ascendit, ut nobis viam *aperiret* Heb. IX. 8. & X. 19. 20. imo *viam* ipse præstaret, per quam *veniamus ad Patrem* Joh. XIV. 6. Quatenus 7. per ascensionem Christi, ipsum *caput* nostrum Eph. I. 22. 23. & *carnem* nostram Eph. V. 30. dudum habemus in cœlo existentem. Nec tamen omnibus *ac singulis*, Christi ascensio tale præstat pignus; sed (1) his demum qui sunt ejus *discipuli*, h. e. verè Christiani: his enim solis promisit Joh. XIV. 2. & exoravit Joh. XVII. 24. Qui (2) cum eo spiritualiter *mortui* sunt, & *vivificati*, & cum eo *resurrexerunt* Eph. II. 5. 6. Qui (3) cum eo, *mundum* dudum deseruerunt: neque enim pro mundo & mundanis orat Joh. XVII. 9. nec eorum præsentiam expetit. vers. 24. Qui (4) spiritualiter dudum cum eo *ascenderunt* Col. III. 1. & suum πολίτευμα dudum habent in cœlo Phil. III. 20. Qui (5) viam vitæ, quæ sapientes *sursum ducit*, calcant Prov. XV. 24. *viam illam vivam & recentem* Heb. X. 20. Qui (6) reditum, seu ἐπιφάνειαν ejus, cum desiderio *exspectant*, interim *præclarum certamen decertant*, *fidem & bonam conscientiam*, illibatam *servant* 2 Tim. IV. 7. 8.

Quot modis,

& quibus personis præstet hoc pignus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM,

DE

Mediatoris Sessione ad dextram Dei.

Eph. I. 20. 21. 22.

Et collocavit ad dextram suam in cœlis, longè supra omne imperium ac potestatem & potentiam, & omne nomen, non solum in seculo hoc; verùm etiam in futuro: & omnia subjecit sub pedes ejus, eumque constituit caput super omnia, ipsi Ecclesiæ &c.

Tertius exaltationis gradus est sessio ad dextram.

I. ET sic, ad tertium ascendimus, exaltationis Christi gradum, qui est, in *sessione* ejus ad *dextram Dei*: quam repræsentat Apostolus Eph. I. 20. 21. 22.

Pars exegetica.

II. *Quibus verbis*, elevatio Christi ad dextram Patris sui,

A. Proponitur vers. 20. *ubi notatur*

Textus exponitur.

1. Elevans, *implicatus in copulativa* ET, *significaturque* Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriæ, *utpote cui conveniebat*, *filio suo*, Domino gloriæ 1 Cor. II. 8. *per* Spiritum gloriæ 1 Pet. IV. 14. *conferre* gloriam *sessionis ad dextram suam*. *Proinde*, *quamvis elevatio hæc*, theologicè *quidem considerata*, *toti competat Trinitati*, *utpote operatio* ad extra: *attamen* œconomicè *Patri primo competit*, *qui Filium* collocavit *in hanc gloriam*; *sicut Filius* consedit *in eadem*.

2. Elevatio, ἐκάθισεν; Καθίζω, *quamvis non raro* intransitive, *notet* sedere (*sicut Hebræorum* יָשַׁב,

ישב, commorari, habitare, *ſedere cum tranquillitate*) *prout* Heb. I. 4. ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ: *hoc tamen loco* tranſitive *notat* ſedere facio, *ut etiam* Matth. XXI. 7. I Cor. VI. 4. *Scil. ut ſolent* Judices *ac Domini. Ibid.* & Deus 2 Theſſ. II. 4. *Quanquam* & ſtantem à dextris Dei, *Jeſum viderit Stephanus* Act. VII. 55 *Ut* ſedere *videatur notare ipſum* dominium, & ſtare *dominii* exercitium. *Dum autem* collocatus *dicitur ad dextram*, *innuitur ipſum* alterius *virtute elevatum fuiſſe*, *ac proinde ipſum*, *non* ſimpliciter *ut* Filium *Dei*, *ſeu quoad* divinam *ejus naturam tantum ſedere ad dextram Dei*, *utpote quæ* elevari *non poteſt*; *ſed* & *quoad* humanam *naturam*, *ſeu potius*, *velut Mediatorem* θεάνθρωπον; *quoad utramque ſimul*, *ut* Deum manifeſtatum in carne—receptum in gloria 1 Tim. III. 16.

3. Elevatus, *ſcil.* Chriſtus, *quem juxta hemiſtichium præcedens*, *Deus infinita virtute ſuſcitavit à mortuis*, ipſum ἀυτὸν, *ut habet Camerarii codex manuſcriptus*: καὶ καθίσας ἀυτὸν. *Elevatus ergo in concreto fuit quoad* perſonam, *non quoad naturam humanam tantum*, *cui communicata fuerit* gloria divina, *omnipræſentia*, *omnipotentia*—*ut volunt Ubiquetiſtæ Ut autem quoad utramque naturam*, *elevatus fuerit ad dextram Dei*, *ſuo loco exponemus.*

4. *Elevationis* terminus, ἐν δεξιᾷ ἀυτῦ *ad dextram*, *ſeu* in *dextra ſui. Sæpius etiam* ἐκ δεξιῶν, *ſenſu plurali* Heb. I. 13.—*forte ut ſignificetur*, *Deum dextram* propriè *non habere*, *ſenſu anthropomorphitico*; *nec dextram Dei notare locum*, *ut inde colligas cum Ubiquetiſtis*, *naturam Chriſti humanam*, *cum ſedeat ad dextram Dei*, *eoipſo eſſe omnipræſentem*: *ſed*, *ſenſu* impropr.o, *notare gloriam Dei*, *cum unus homo non habeat niſi unam dextram*, & *ſedere ad dextram alicujus*, *non ſit niſi potiri gloria ei proxima*, *unde ad* ſiniſtram *Chriſti ſedere*, *perinde notat gloriam*, *ac ad dextram* Matth. XX. 21. Conf. Pſal. XLV. 10.

5. *Elevationis* locus, ἐν ἐπουρανίοις, in cœleſtibus, *aut* ſupercœleſtibus, *ſubintellige locis*, *in cœlo ſupremo & glorioſo*, *Dei & beatorum ſede* Joh. III. 12. I Cor. XV. 40. 48. 49. Phil. II. 10. 2 Tim. IV. 18. *Ut deſignetur* locus, *ubi Dextra Dei gloria potitur. Quamvis enim dextra Dei non ſit* locus; ſupercœleſtia *tamen locum gloriæ deſignant*, *unde poſt reſurrectionem ſuam*, *Chriſtus aſcendit in cœlum*, *ut gloriam ibidem conſequeretur.*

B. Exponitur vſ. 21. *quoad ſeſſionis iſtius*

א Gloriam, *quâ excellit* omne. Ὑπεράνω (*non ſimpliciter ἄνω ſupra*; ſed) valdè ſuper, *ſubintellige*, *exaltatus eſt*, *ſedet ad dextram Dei*, *non modo ſitio* corporis ἐν ὑπερουρανίοις, *ut diximus*; *ſed* & *multo magis ſuperexcellentiâ* gloriæ. Ἀρχὰς. ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, principatum, auctoritatem, potentiam & dominium. *Originem & differentiam vocum iſtarum*, *nonnulli referunt*, 1. *ad imperia* terrena, *ut* ἀρχαὶ *ſint* Reges; ἐξουσίαι *alii quivis magiſtratus ſubalterni*, δυνάμεις, *poteſtates*, *etiam tyrannica*; κυριότητες, *quivis Domini*, *etiam privati*, *in Republica*, *Eccleſia*, & *alibi. Scil. ab idea imperii Perſici*, *ſub quo olim erant Hebræi*, *ubi* ἀρχαὶ *ſunt*, רברבי Dan. V. 2. δυνάμεις שרין Eſth. II. 18. ἐξουσίας שלטנין *à* שלט, *quod* ἐξουσιάζω *eſt Chaldæis. Sic* ἀρχαὶ *ſive* ἄρχοντες, *ſunt* ראשין Job. XII. 24. & XXXIX. 25. & *apud Ezechielem* & *Eſdram*: κυριότητες *ſive* κυρίαι משלות Dan. II. 4. 5. *Eſt autem populorum omnium orientalium*, *abſtracta uſurpare pro concretis. Sic Grotius exiſtimat in* Rom. VIII. 38. *Alii* 2. *ad Angelos referunt*, *eorumque claſſes*, *ordines*, *choros*, *quorum hæc ſint nomina*, *eaque apud Hebræos frequentia*, *ut apparet*, *tum ex phraſi* ἐν ὑπερουρανίοις; *tum ex collatione* Rom. VIII. 38. I Cor. XV. 24. Eph. III. 10. Col. I. 16. *quaſi dicas*, *ſi ex imperio Romano derives nomina*: *præfectos*, *Prætores*, *Vicarios*; *Præſides*, *Comites. Adduntur* θρόνοι Col. I. 16. Reges, *quales nonnulli erant ſub magno Perſarum Monarcha*, *qui ob id dictus fuit* Rex Regum. *Similis ordinum diſtinctio etiam in regno Satanæ obſervatur* Eph. VI. 12. *Chriſtus igitur omnibus illis*, *etiam excellentiſſimis ſpiritibus*, *ſuperior pronunciatur*, *velut* Rex Regum, & Dominus dominantium, Apoc. XVII. 14. *Alii* 3. *dici putant de utriſque*, & *terreſtribus & cœleſtibus*, *tam malis*, *quam bonis*, *ut patet ex ſcopo Apoſtoli*, *quo demonſtrare conatur*, *Chriſtum ſupra omnes creaturas exaltatum fuiſſe*, *item ex* Matth. XXVIII. 18. Conf. Col. I. 15. 16. 17. I Pet. III. 22. *Addit Apoſtolus*, καὶ παντὸς ὀνόματος, ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ; ἀλλὰ ἐν τῷ μέλλοντι, & omne nomen, quod nominatur, non ſolum in ſeculo hoc; ſed etiam in futuro. *Hic* ὄνομα *accipit*, *vel* 1. *pro nominato*, *ſeu te exiſtente*, *ut ſenſus ſit*, *quicquid exiſtit in rerum natura*, *omne enim quod exiſtit*, *nomen habet*, *vel* 2. *pro perſona quavis* excellente, *ſive humana ſit*, *ſive angelica*, *quæ*, *ratione excellentiæ alicujus*, *cum famâ nominari meretur*: שם *enim Hebræis dignitatem ſæpe ſignificat*, *unde celebres*, viros nominis *deſignant*: *ſicut Græci* ὀνομαστούς. Nomen *pro re celebri*, & nominari *pro celebrem eſſe*. Ὀνομαζόμενος, *participium* præſens, *per* σύλληψιν *connotat etiam* futurum. *Hæc clauſula referri poteſt*

vel 1. *ad totum complexum orationis præcedentis, sive ad illa verba*, sedet ad dextram, *ut doceat, Christum, non solum* sedere jam, *h. e. regnare super omnia in* hoc seculo; *sed etiam regnaturum in futuro, eoque regnum ejus* æternum *esse, & futurum seculum comprehendere, sine omni exceptione: quod* futurum *appellat, non quod jam non existat; sed quia nobis futurum est. Vel* 2. *ad verbum proximè præcedens* nominatur, *ut sensus sit, Christus non solum est supra prænominatos Angelorum ordines; verum & si qui alii sint sublimiores, aut aliquæ res præstantiores, quæ in seculo quidem hoc nominari non possunt; sed in alio cognoscentur, si quæ sint adhuc illis nominibus augustiora Angelorum vocabula, quales apud Ezechielem nomine* חיות, *obscure denotari putantur ab Hebræis* Ezech. I. 14. 15. 19. *quos* αἰῶνας *nominarunt veteres Christianorum hæretici, ut & Tatianus, quorum in futuro seculo, cognoscenda sint nomina, & munera: etiam in hos Christum imperium habiturum, nulla natura excepta, præter Patrem* 1 Cor. XV. 27. Conf. *quæ de Angelorum ordinibus habuimus supra* lib. III. Cap. VII.

ב. Potestatem *dominandi geminam*:

1. Communem *in* omnia: καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, & omnia subjecit sub pedes ejus. Πάντα, *scil. tam Angelos, quam homines, & bonos, & malos, omnesque creaturas, ut patet ex collatione verborum præcedentium &* Phil. II. 10. Matth. XXVIII. 18. *etiam hostes suos & Ecclesiæ* Psal. CX. 1. *Omnia ista* subjecit pedibus ejus, *h. e. subjectione* perfectâ, *qualis nobis competit in ea & eos, quæ sub pedibus habemus, quæ conculcamus & conterimus.* Conf. Jos. X. 24. *Adamo* primo *subjecerat pecora, armenta & quævis terrena* Gen. I. 26. secundo *etiam exercitus cœlestes, & ipsum infernum, & mortem subjecit* 1 Cor. XV. 27. Phil. III. 21.

2. Propriam, *in Ecclesiam suam:* καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, *scil. Gentium & Judæorum: Angelorum & hominum: militantem & triumphantem. Vel, & eum qui est super omnia, dedit caput Ecclesiæ: seu ipsum supra omnia* (*supple* positum, *dedit Ecclesiæ, ut caput ejus: magno scil. Ecclesiæ bono & solatio, & sic in verbis esset trajectio. Aliis hic supplendum videtur:* ὥστε εἶναι αὐτὸν ὑπὲρ πάντα κεφαλὴν τῇ ἐκκλησίᾳ, *h. e. adeo ut summum esset & omnipotens Ecclesiæ caput, vel etiam* solum & unicum *caput Ecclesiæ.* Ἔδωκε, dedit, *per Hebraismum, pro* κατέστησε *constituit, ut* Gen. XLI. 43. *nisi quod prius singularem constituentis gratiam connotet. Dedit, non* βασιλέα Regem *tantum: cujus est tantum* gubernare *subditos; non autem* influere *sua virtute immediata in eos: sed* κεφαλὴν caput, *prout declarat versu subsequente* 23. *Hoc est, non tantum ratione* ordinis, *ut* præcipuum *membrum, quale est in corpore nostro caput; sed etiam per* unionem *cum membris suis, singulis virtutem, spiritum & gratiam suam communicat, eosque sustentat, gubernat ac dirigit in omnibus spiritualibus* 1 Cor. XII. 12. *Istam porro Ecclesiam distinctius repræsentat* vs. 23. *quod nos in caput* de Ecclesia *seponimus.*

Pars Dogmatica.

Christus sedet ad dextram Patris.

III. Christus ergo, non tantum ascendit in cœlum, sicut & alii; sed etiam, ibidem elevatus est à Patre, ad *dextram* suam. Fuit enim hoc

Probatur Scripturis, α. prædictum in V. T. sibique promissum Psal. CX. 1. & in N. T. ab ipso Christo Matth. XXVI. 64. Fuit β. præfiguratum in *arca fœderis*, quatenus illa cum tabernaculo, post varios motus & ambages, tandem magnificentissimè in gloriosum Salomonis templum est adducta, ut in sellâ gloriæ, glorioſe requiesceret. Conf. Psal. XXIV. 7. 8. Unde γ. etiam exactissimè *impletum* legitur Act. II. 34. 35. Rom. VIII. 34. Col. III. 1. Heb. I. 3. & ratiocinatus. & VIII. 1. Marc. XIV. 62. Heb. XII. 2. teste Stephano Act. VII. 56. Quin & impleri necessario *debuit*: (1) non tantum, propter *veracitatem* & fidelitatem, prædicentis & promittentis; sed (2) etiam propter *justitiam*: quatenus, extrema sua humiliatione & obedientiâ, promeritus erat istud exaltationis fastigium Phil. II. 7. 8. 9. 1 Pet. I. 11. Quod etiam (3) status *Ecclesiæ*, gubernandæ, amplificandæ, protegendæ, istud potestatis & potentiæ fastigium exegerit Eph. I. 21. 22. Matth. XXVIII. 18. 19. 20. Quod denique (4) *functio* officii prophetici, sacerdotalis & regii, glorioſior & efficacior, *exigeret* Heb. VIII. 1. 2. 3. 4.

Quid sibi velit phrasis sedere ad dextram.

IV. Jam, ut naturam hujus sessionis dexterius assequamur; præsupponendum, ab infinitâ Dei simplicitate; ei *dextram* & sinistram propriè non competere: sed ἀνθρωποπαθῶς, per metaphoram à Regibus, qui gloriâ singulari afficiendos, sibi collocant à dextra ut patet in Nerone, Jubam Armeniæ Regem, à dextra sibi collocante, juxta Suetonium; & in Bathsebâ Salomoni à dextris collocata 1 Reg. II. 19. Conf. Psal. XLV. 10.) significare, potentiam, auctoritatem & gloriam Dei. Conf. Jes. XLVIII. 13. Psal. CXVIII. 14. 15. 16.

Hab.

Hab. II. 16. Unde Christus Heb. I. 3. *collocatus* dicitur ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλοσύνης ἐν ὑψηλοῖς Luc. XXII. 69: & *sedere* dicitur, ad modum *Judicum*, qui pro tribunali, non stare, sed sedere consueverunt: nisi forte *sedere* etiam dicatur διακριτικῶς ad Pontificem V. T. qui introibat quidem in Sanctuarium; sed *stabat*, non sedebat. Quamvis etiam ratione, in *exegeticis* explicatâ, *stare* dicatur Act. VII. 56. Præcipua vero difficultas hic est, quod Christus, hac sessione ad dextram, videatur elevari *supra* Patrem suum, utpote qui ei sedeat à *sinistra*. Quam tollere nonnulli conantur, statuendo, sinistram *digniorem* esse, adducendo in hanc rem, quædam è Scriptoribus gentilibus: ad quos nonnulli accedunt è Pontificiis, qui, cum in sigillis quibusdam episcopalibus, observassent Paulum tenentem dextram Petri, ne primatui Petri hac ratione quicquam decederet, existimarunt sinistram prævalere dextræ: cui infinita reclamant auctorum probatorum testimonia, atque etiam Scriptura passim, v. g. Gen. XLVIII. 17. 18. 19. Matth. XXV. 33. 34: alii malunt, Christum ad dextram Patris sedere *comparative*, respectu aliorum, qui ei sedeant à *sinistra*; sic Maldonatus in Matth. XVI. 18, 19: alii rursus sic dici volunt, cum relatione ad τὸ *sedere ad sinistram*, quo præstantius sit, *sedere ad dextram*. Sed difficultatem istam tollit Apostolus 1 Cor. XV. 27. quando Deum quidem ait, omnia subjeciisse filio Christo; sed *excipiendum* tamen addit, eum, qui *omnia ipsi subjecerit*: cum quo colludit usus Scripturæ, in Bathseba, Salomoni Monarchæ, sedente à dextra 1 Reg. II. 19. & in Ecclesia, Christo consistente à dextra Psal. XLV. 10. &c. quod potissimum in eo quod Pater à *dextris* dicatur Filio Psal. CX. 5. atque etiam Psal. XVI. 8. Videtur ergo alludi ad confessum supremæ curiæ Judaicæ: in quo אב דין *Pater judicii*, seu אב בית דין *Pater domus judicii*, dextram claudebant נשׂי *Principis Sanhedrin*, qui judicata exsecutioni mandabat: Conf. *Targum* in Cant. VII. 4. Conf. Joh. V. 22.

Quid sit sedere ad dextram Dei. Particularia hujus sessionis: 1. Majestas & gloria.

V. Proinde sedere ad *dextram Dei*, in Christo notat supremam potestatem, potentiam & gloriam Eph. I. 20. 21. Heb. I. 3. Phil. II. 9. Heb. II. 9. Non equidem potestatem & gloriam *essentialem*, sibi *natura* divina competentem, plane æqualem, ei quæ Patri competit, & Spiritui S.: sed *mediatoriam*, sibi communicatam à Patre Matth. XXVIII. 18. Hæc igitur Mediatoris sessio ad dextram.

VI. *Primo* consistit in *majestate* & gloria, tantum non infinita; tanta tamen, quanta in Mediatorem Θεάνθρωπον cadere potest. Quâ se ostentat *Regem* Monarcham unicum Psal. II. 6. & *caput* supremum Ecclesiæ suæ Eph. I. 20. 21. 22. cui omnis competat *potestas in cœlo & in terra* Matth. XXVIII. 18. Psal. VIII. 6. 7. Heb. II. 6—10. imo & in *potentia*, cum *omnia* in cœlo, in terra, infra terram, seu velint, seu nolint, subesse debeant Phil. II. 9. 10. Verbo dicam, qua *proximus* sit Deo Patri.

2. Consummatio operis mediatorii.

VII. *Secundo*, præsupponit exactam *expeditionem* consummationemque negotii mediatorii, sibi in terris peragendi: unde Apostolus Heb. I. 3. *postquam*, inquit, *per seipsum peregisset purgationem peccatorum nostrorum; sedit ad dextram Dei*: & cap. X. 12. Hinc ipse etiam Servator, non nisi peracta *glorificatione* Dei, per consummationem negotii mediatorii; petit sui *glorificationem* apud Patrem Joh. XVII. 4. 5. & Apostolus, *postquam* seipsum inanivisset, Patrique obediens factus fuisset ad mortem, *exaltatum* testatur Phil. II. 8. 9. Atque ita etiam fieri necesse fuit *debuit*, agnoscente ipso Servatore Luc. XXIV. 26. 46. quod sedendi *quies* non conveniat, nisi absoluto *opere* Heb. IV. 10. nec regnare, nisi ei qui passus fuerit Rom. VIII. 17. nec triumphare, nisi qui vicerit 2 Tim. II. 5.

3. Administratio potestatis regiæ.

VIII. *Tertio* implicat *administrationem* actualem potestatis *regiæ*. Hinc sessionem ad dextram, quæ promittitur Psal. CX. 1. Apostolus exponit 1 Cor. XV. 25. per *regnare debet*. Conf. Rom. XIV. 9. Quæ complectitur 1. νομοθεσίαν, seu potius, promulgationem Euangelii. Unde *virga fortitudinis*, emittenda *ex Zion* Psal. CX. 2. à Prophetis exponitur, per legem & verbum, exiturum Jerosolymis Jes. II. 3. Mich. IV. 2. Qua operarios suos excludit in messem suam, qui Euangelium promulgent hominibus, fidei & resipiscentiæ sint auctores; eorum laboribus adspirat sua efficacia & benedictione, ut Ecclesia sua colligatu, conservetur, adaugeatur. Complectitur 2. *subjugationem* hostium, quæ fit potenti peccatorum conversione Act. XVI. 14. procurata, tum per verbi præconium Rom. X. 14. 15. tum per Spiritus S. illuminationem renovationemque Rom. XV. 18. 19. quo, à Satana transeant in castra Christi. Complectitur 3. *gubernationem*, qua traductor conversione in regnum suum, verbo ac Spiritu suo potenter dirigit, excitat, omniaque ad vitam spiritualem & pietatem necessaria suppeditat Jes. II. 2. 3. 1 Cor. I. 4. 8. Jes. XXX. 21. 1 Pet. I. 1. Complectitur 4. *conversationem* & roborationem adversus insultus Satanæ, mundi & carnis, &c. ne flaccescant, aut concidant Act. XXIII. 11. Joh. XVI. 33. 1 Cor. X. 13. 2 Cor. I. 5. Phil. IV. 7. 19. Complectitur 5. *confusionem* hostium, quoad eorum conatus, insidias, persecutiones, pariter & personas Psal. II. 3. 4. 5. 9. & CX. 1. à quo, Stephanus *stantem* vidit, in cœlis ad dextram Dei Act. VII. 56.

4. Extraordinaria Spiritus S. effusio.

IX. *Quarto* præstitit *extraordinariam* Spiritus S. effusionem, tam magnifice promissam: non tantum sub V. T. Joel. II. 27. 28. cum Joh. XIV. 26. Zach. XII. 10. Jes. XLIV. 3. sed etiam sub N. T. per ipsum Christum Joh. XVI. 7. Act. I. 4. 5. Præ-

Tempus effusionis.

ſtita eſt iſta effuſio: quantum ad *tempus*, quinquageſimo diè poſt reſurrectionem, ac decimo, poſt aſcenſionem; ipſo illo die, quo olim Mediator Act. VII. 35. 38. cum Gal. III. 19. religionem Judaicam, lege *morali* & Euangelio (quod erat in lege ceremoniali) integram è cœlo tradidit, ſolis Iſraëlitis promulgandam; nim. die *Pentecoſtes* Act. II. 1 — ut eâdem die, idem Mediator, religionem Chriſtianam, per Spiritum S. pleniſſimè traderet Apoſtolis, omnibus, totius orbis, nationibus publicandam, & publicatam etiam plurimis Act. II. 9. 10. 11. tanta emphaſi, ut ipſo illo die, quaſi pro primitiis futuræ meſſis, ex omnibus gentibus ſanctificandæ, in caſtra Chriſti tranſierint, ad tria animarum millia vſ. 41. Tum 2. quantum ad *modum*, præſtita eſt hæc effuſio, variis & egregiis ſymbolis efficaciam effundendi Spiritus, repræſentaturis. v. g. (1) *ſono* vſ. 2. quem haurirent Apoſtoli, in promulgatione Euangelii, referendum Pſal. XIX. 5. Matth. XXVIII. 19. Rom. X. 18. Conf. Jeſ. LVIII. 1. (2) ſono *cœleſti*, ſeu è *cœlo* Act. II. 2.: ſcil. dona Spiritus S. *cœleſtia* figuraturo Eph. I. 3. nim. *illuminationem & ſanctificationem*: motuſque cœleſtes excitaturo, tum in Apoſtolis, tum in eorum auditoribus. (3) ſono *venti* alicujus Act. II. 2. ſcil. penetrantis Heb. IV. 12. 13. purgantis Pſal. LXVI. 10. Zach. XIII. 9. refocillantis, Joh. XVI. 7. impellentis Rom. VIII. 14. operationes ſignificaturi (4) venti *vehementis*, ſeu proſtèrnentis Job. I. 19. Matth. VII. 27. cum Act. II. 37. atque etiam diſſipantis Pſal. I. 4. & XXXV. 5. (5) *linguis* Act. II. 3. utpote quibus per Spiritum S. inſtruendi eſſent, ad annunciandum Euangelium Jeſ. L. 4. Pſal. XLV. 2. 1 Cor. XIII. 1. (6) linguis *diſpertitis* ſeu variegatis, quo nim. apti redderentur Apoſtoli, Euangelium omnibus nationibus annunciandi Act. II. 3. 6. cum Matth. XXVIII. 19. (7) linguis *igneis* Act. II. 3. quo igneos, ſeu fervidos & efficaces redderent Apoſtolos, qui cum magna parrheſia loquerentur vſ. 14. & IV. 8 — Eph. VI. 19. atque etiam in ſuis auditoribus, fervorem ac zelum excitarent Rom. XII. 11.: *α.* In *fide* Matth. XV. 28. Rom. IV. 20. *β.* In *confeſſione* veritatis Pſal. CXVI. 10. & CXIX. 46. *γ.* In *pietate*. Ibid. vſ. 138. 139. *δ.* In *precibus* Rom. VIII. 27. Quantum 3. ad efficaciam & *effectus*, A. occupavit totam *domum* Act. II. 2. in ſignum occupandæ & implendæ totius *Eccleſiæ* 1 Cor. III. 16. cum Eph. IV. 9. 10. B. *Inſedit* omnibus & *ſingulis*, qui erant in domo Act. II. 3. Adeo C. ut omnes *replerentur Spiritu Sancto* vſ. 4. Act. VII. 55. & VI. 8. & quoad omnes eorum facultates 1 Theſſ. V. 23. Ut D. *inciperent aliis linguis loqui* Act. II. 4. h. e. alii *homines* Eph. IV. 22. 23. 24. *nova creatura* 2 Cor. V. 27. fieri, qui alio modo quam antea, loquerentur, cogitarent, agerent Rom. XII. 2. Conf. 1 Cor. III. 12. Ut E. loquerentur *magnalia Dei* Act. II. 11. Idque F. in *ſtuporem* auditorum vſ. 7. 12. Et G. *converſionem* plurimorum. vſ, 41.

Efficacia effuſionis.

Modus effundendi.

X. *Quintò*, adhuc præſtat *ordinariam* Spiritus S. effuſionem, quæ conſiſtit in communicatione donorum *ſpiritualium*, qua *omnia*, ſedens ad dextram Dei, *replet* Eph. IV. 10. ex Pſal. LVIII. 19. Eph. I. 3. multo ampliore menſurâ, quam olim ſub V. T. factum. Quod in his tribus potiſſimum eſt conſpicuum, (1) in *modo* communicandi dona ſua, quando olim ſub V. T. per ſomnia, viſiones, per figuras & umbras, ſufficientem rerum divinarum cognitionem, communicabat: jam ſub N. T. cognitionem confert per *demonſtrationem* & evidentiam *Spiritus* 1 Cor. II. 4. 5. à quo *Spiritus ſapientiæ & revelationis* nominatur Eph. I. 17. utpote à quo, *ſecundum donum gratiæ Dei*, nobis manifeſtatur per Euangelium, ἀνεξιχνίαστος πλοῦτος τοῦ χριστοῦ, & *myſterium abſconditum à ſeculis in Deo*, in quo eſt πολυποίκιλος ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ Eph. III. 7. 8. 9. 10. Quod etiam ſignificatum videtur, quando ſub figuris *venti vehementis*, *ignis*, *linguarum diſperſarum*, *terræ motus*, ſub N. T. communicatur Spiritus Act. II. 2. 3. & IV. 31: dum olim ſub V. T. Dominus erat *in voce tacitâ & tenui* 1 Reg. XIX. 11. 12. (2) in *objecto*, ejuſque amplitudine: quando olim in ſolos Judæos effundebatur Spiritus; jam in *omnem carnem* Joel. II. 28. Joh. IV. 21. 23. Act. X. 34. 35. (3) in ipsâ donorum ſpiritualium *copiâ* & menſura: quâ, dum olim, non niſi *guttatim*, ad modum *roris* Deut. XXXIII. 28.: jam ad modum *fluminis* inundat penitus Jeſ. XLIV. 3. à quo, *terra* univerſa, *replenda* dicitur *cognitione Dei*, *quemadmodum aquæ tegunt mare* Jeſ. XI. 9. Jer. XXXI. 34. Joh. XVI. 12. 13.

5. Ordinaria Spiritus S. effuſio, ampliori menſurâ quam ſub V. T. In tribus particulis: *α.* Quoad modum, *β.* quoad objectum, *γ.* quoad donorum copiam.

XI. *Sexto* præſtat *interceſſionem* Rom. VIII. 34. qua cauſam ſuorum agit, non *humili* oratione, prout in terris exiſtens interceſſit Luc. XXIII. 32. ſed modo planè glorioſo: repræſentando Patri ſuam pro ipſis ſatisfactionem, ſua merita, eiſque *volendo* &c. Joh. XVII. 24. De qua interceſſione, cum ad functionem ejus ſacerdotalem pertineat, nos ſuo loco, in cap. VII. ex profeſſo egimus.

6. Interceſſio ejus glorioſa.

XII. *Septimo* excluſit etiam, & excludit indies conſtitutionem *miniſterii* eccleſiaſtici; tam extraordinarii, quam ordinarii Eph. IV. 4 — 13 ejuſque fœcundationem, protectionemque, per præſentiam gratiæ ſuæ, uſque ad conſummationem ſeculorum Matth. XXVIII. 18. 19. 20. de quâ alibi.

7. Conſtitutio miniſterii eccleſiaſtici.

XIII. *Octavo* denique, repræſentabit nobis poteſtatem *judicandi* vivos & mortuos Joh. V. 22. quando olim, in extremitate temporum, omnes ſiſtet coram tribunali ſuo 2 Cor. V. 10. ſuoſque elevabit ad ſupremam gloriam Matth. XXV. 34. & hoſtes deprimet, ſubjugabitque in ſcabellum pedum Pſal. CX. 1. & Matth. XXV. 41. de quo plura ſuo loco.

8. Poteſtas judicandi vivos & mortuos.

XIV. Sedet autem Servator ad dextram Dei,

ut

ſtus, ut Deus & homo, ſedet ad dextram Dei.

ut θεάνθρωπος, ſecundum utramque ejus naturam, divinam pariter & humanam; quamvis modo plane diverſo: quoad *divinam*, non utique novæ alicujus majeſtatis, gloriæ, aut perfectionis cujuſvis, acquiſitione; ſeu de *jure*, ſeu de *facto*: ſed 1. gloriæ divinæ, quam *apud* Patrem, imò *cum* Patre, poſſedit ab æterno Joh. XVII. 5. quamque ſub humiliatione q. cohibuerat, occultaveratque; gloriosa manifeſtatione. 2. poteſtatis & potentiæ divinæ, in collectione, conſervatione, gubernatione, protectione Eccleſiæ, *uſu* & exercitio irreſiſtibili: quoad *humanam* verò, novæ majeſtatis, poteſtatis, & potentiæ, ſibi *datæ* acceptione (à qua, magis propriè *collocatus* à Deo dicitur, ad *dextram* ſuam Eph. I. 20.) & acceptæ uſu & exercitio.

Circumſtantiæ, 1. loci, 2. temporis.

XV. Quantum ad circumſtantias, *tam* 1. *loci*, ſedet ad dextram Dei *in cœlo* Eph. I. 20. in coelo *ſupremo* Heb. I. 3. throno majeſtatis divinæ Heb. VIII. 1. quorſum elevatus narratur ſua aſcenſione Marc. XVI. 19. Eph. IV. 8: *quam* 2. *temporis*, qua (a) *Deus* quidem, ſi gloriam eſſentialem intelligas, ſedit ab omni æternitate Joh. XVII. 5. qua (b) *promiſſus* Mediator, necdum in carne præſtitus, deſignatus fuit, qui ſuo tempore ſederet ad dextram Dei Pſal. CX. 1. eoque, ſuo modo, ſedit etiam *potentia* & q. de *jure* Pſal. II. 6. Jeſ. IX. 5. qua (c) *homo*, coepit demum ſedere ad dextram Dei, poſt ſuam *humiliationem* Heb. I. 3. Phil. II. 8. 9. *aſcenſionemque* in coelum Marc. XVI. 19. quà (d) θεάνθρωπος denique, elevatus etiam eſt poſt aſcenſionem, quatenus gloria *divina* perſonæ illuſtrior facta eſt, & efficacius ſeſe exſeruit: *humana* autem, accepta nova gloria, poteſtate & potentia, in plena emphaſi, ſeſe gerere coepit, ut *caput* Eccleſiæ ſuæ Eph. I. 20. 21. Et prout ab aſcenſione ſedit; ita in omnem uſque æternitatem, ſedebit ad dextram Dei Heb. X. 12.

Pars elenchtica.

Quæritur, 1. An Mediator, ab hac ſeſſione, ſaltem ex parte, dicatur filius Dei?

XVI. Controverſias hujus loci, pleraſque cap. VIII. de *Mediatore Rege*, & in cap. XIV. de *Mediatoris exaltatione*, præoccupavimus, ut hic non veniat, niſi ſpicilegium quoddam faciendum. Quæritur ergo *primo*, an Mediator, ab hac ſeſſione ad dextram Dei, ſi non ex toto, ſaltem ex parte, appelletur *filius Dei*? Sociniani, odio συναιδίου καὶ ὁμοουσίου Deitatis Chriſti; ſtatuunt ipſum filium Dei appellari; jam α. quidem, ab ejus *conceptione* è Spiritu S.; jam β. à perpetratis divinis *miraculis*; jam γ. à *reſurrectione* à mortuis; jam δ. à *ſeſſione* ejus ad dextram Dei, per quam Pater adeo in ipſum derivaverit *omne* regnum Eccleſiæ, ut ipſe jam non regnet; ſed ſuo iſti vicario omnem regnandi poteſtatem commiſerit, qui etiam ab hac, ſuo quodam modo, ſit *ſuperior* Patre. Cum Socinianis, eatenus ſaltem, colludunt Remonſtrantes, ut ſtatuant, plures eſſe hujus filiationis cauſas, idque puro puto Socinianorum amore. Reformati, ut agnoſcant plures eſſe cauſas, quarum ope, à nobis *agnoſcitur* ut filius Dei, quales conceptio à Spiritu S. Luc. I. 35. miracula Joh. V. 19 — & vſ. 36. reſurrectio Rom. I. 4. Act. XIII. 32 — 37. quibus adjungi poſſit (licet eam Scriptura, in hunc finem, nullibi, quod ſciam, adducat) ejus *ſeſſio ad dextram*: attamen cauſam *conſtitutivam* hujus filiationis, aliam non legunt, quam *æternam* ejus è Patre *generationem* Pſal. II. 7. à qua filius Dei *proprius* Rom. VIII. 32. *unigenitus* Joh. III. 16. appellatur, cujus *exitus ſint ab antiquo, à diebus æternitatis* Mich. V. 1. Ut etiam largiuntur, poteſtatem *mediatoriam*, qua gaudet ſedendo ad dextram Dei, eſſe ſibi *delegatam* Pſal. II. 6. Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 20 — Phil. II. 9. 10. Pſal. CX. 1.: non tamen admittunt, α. delegantem Patrem ſeipſum *exuiſſe* regno; β. poteſtatam delegatam excludere poteſtatem *eſſentialem* divinæ perſonæ: ſed præſupponere potius: ex eo, quod ſedens ad dextram Dei, Eccleſiam colligere, amplificare, gubernare, defendere, potenter non poſſit, niſi per virtutem *divinæ* perſonæ ſuæ. Unde emittens Apoſtolos ſuos, ad colligendam Eccleſiam, poſtquam ipſis inculcaſſet, ſibi *datam omnem poteſtatem*; promittit ſe ipſis *affuturum*, *uſque ad finem ſeculorum* Matth. XXVIII. 18. 19. 20. Fundamentum ſententiæ orthodoxæ, eſt in æterna ejus Patrique *conſubſtantiali Deitate*, nec [non in] æterna] ejus *generatione*, quam ex profeſſo demonſtravimus lib. II. cap. XXVI. Fundamentum cauſæ adverſariæ in eo eſt, quod ad alias rationes in Scripturis referatur filiatio Mediatoris. Nos, ſicut jam dudum agnovimus referri, tanquam ad cauſas *manifeſtationis*; ita negamus referri ad illas, velut ad cauſas *conſtitutivas* filiationis, in quam rem, ne ἐγὼ quidem adduxerunt adverſarii, nec adducere poſſunt, præter ſuam hypotheſin, negationem ſcil. æternæ Deitatis Chriſti.

Fundamenta utriuſque ſententiæ oſtendunt.

Sententia Socinianorum, Remonſtrantium, & Reformatorum.

2. An ſedere ad dextram Dei, ſit communicatis ſibi attributis divinis plenariè uti?

XVII. *Secundò* quæritur, an ſeſſione Chriſti ad dextram Dei, in eo conſiſtat, quod *humana* ejus natura, communicata ſibi, per unionem perſonalem, attributa divina: potentiam, omnipræſentiam, omniſcientiam, *plenariè* uſurpet? Lutherani, quo carnem Chriſti, in S. cœna habeant præſentem, ore manducandam; ſtatuunt, ei, per unionem hypoſtaticam, communicatas eſſe proprietates divinas; ſed quoad κτῆσιν tantum & δόσιν: verum quoad χρῆσιν & ἐξουσίαν, h. e. quoad *plenum* earundem *uſum*, demum accepiſſe, in ſui exaltatione, & imprimis in *ſeſſione* ſua ad dextram Dei. Reformati, ut negant, ullas proprietates divinas, per unionem hypoſtaticam, communicatas fuiſſe humanæ naturæ; ſic etiam negant, humanam illam naturam *uſum* habuiſſe divinarum iſtarum pro-

prietatum : quamvis largiantur *perſonam* Mediatoris, ſedentem ad dextram Dei, utriuſque naturæ proprietatibus plenariè uti. Fundamenta utriuſque ſententiæ examinavimus cap. XIV. §. X. Hinc.

3. An ſecundum divinam naturam quoque ſedeat ad dextram Dei?

VIII. *Tertio* quæritur, an ſecundum *divinam* naturam quoque ſedeat ad *dextram* Dei? Sociniani, quia naturam divinam in Mediatore non agnoſcunt; coguntur negare. Lutherani, quod (per parag. præcedentem) ſeſſionis ad dextram Dei, naturam conſtituant in *pleno uſu* proprietatum divinarum, humanæ naturæ collatarum, negant etiam. Reformati, cum ſtatuant, *totam* Mediatoris perſonam, ſecundum utramque naturam, ſedere ad dextram Dei, eo modo, quem in *dogmaticis* expoſuimus, affirmant. Fundamenta utriuſque partis examinavimus cap. XIV. §. XI.

4. An per ſeſſionem ad dextram, ſolus ſit caput Eccleſiæ?

XIX. *Quarto* quæritur, an per ſeſſionem ad dextram Dei, Mediator ſolus ſit Monarcha & caput Eccleſiæ? Sicut Sociniani, ex ſeſſione ad dextram, Chriſtum faciunt *vicarium* Dei; ita Pontificii, ab aſcenſione, & à ſeſſione Chriſti ad dextram. primò *Petrum* ſtatuunt ejus vicarium in terris, tum & Petri *ſucceſſores*, Pontifices Romanos. Verùm iſtam ſententiam, cum ſuis fulcris, examinarimus cap. VIII. De *Med. Reg* §. XV.

5. An à ſeſſione ad dextram, ut homo, aut Mediator, adorandus ſit?

XX. *Quinto* quæritur, an à ſeſſione ad dextram, Chriſtus, qua *homo*, aut etiam qua *Mediator*, ſit adorandus? Sociniani, quia ipſum ab æterno Deum non agnoſcunt; affirmant: Lutherani, quia humanam naturam, in ſeſſione ad dextram, plenum uſum, communicatarum ſibi proprietatum divinarum, conſecutam tradunt, omninò affirmandum cenſent. Pontificii, quo commodius ſanctis cœlitibus honorem adorationis conferre poſſint, itidem affirmant. Reformatorum *nonnulli*, quia conceptum puræ *Deitatis*, à conceptu *Mediatoris* non ſatis cautè diſtinguunt, itidem affirmant. Communis Reformatorum ſententia negat. Notavimus hanc controverſiam lib. V. cap. II. §. XXVI.

6. An Chriſtus ſedens ad dextram Dei corpore tantum ſit in cœlo?

XXI. *Sextò* quæritur, an Chriſtus, ſedens ad dextram Dei, corpore ſuo tantum ſit in cœlo? Pontificii in gratiam *tranſubſtantiationis* & Miſſæ ſuæ, & Lutherani omnes in gratiam *conſubſtantiationis*, ut corpus ejus in S. cœna, oraliter manducetur à communicantibus: ſtatuunt corpus ejus etiam jam ſedentis ad dextram Dei, eſſe præſens & ſymbolis & communicantibus: cui etiam Ubiquetiſtæ addunt, illud eſſe ubique, idque inter alia probare nituntur ex ejus ſeſſione, eo nimirum, quod dextra Dei ſit ubique, & conſequenter humana Chriſti natura, ſedens ad *dextram* Dei, ſit ubique. Circa iſtam quæſtionem dudum occupati fuimus, non ſemel, v. g. lib. II. cap. 10. lib. V. cap. 4. & occupabimur lib. VII. cap. 3.

Pars practica.

Praxis hujus loci nobis præſtat.

XXII. Quantum ad praxin, cum majeſtas Mediatori, per ſeſſionem ad dextram Dei, competens proprie & formaliter ſit *regia*: univerſa fere praxis, quam *Mediatori Regi* diximus cap. VIII. mutatis mutandis, & in præſens argumentum, paulo diſtinctius accommodatis, huc abſque negotio traduci poteſt: ut hic nobis non incumbat, niſi qualecunque ſpicilegium.

1. Argumentum glorificationis.

Primo igitur, ſeſſio Mediatoris noſtri ad dextram Dei, nobis præſtat efficaciſſimum argumentum *glorificationis*: exemplo quatuor animalium, & viginti quatuor Seniorum apocalypticorum; *gloriam*, & *honorem*, & *gratiarum actionem*, deferentium ei, *qui ſedet in throno* Apoc. IV. 9. 10. 11.

Motivæ.

In cujus enim glorificatione, 1. Pater gloriam ſuam, gloriam *roboris* & *virtutis* ſuæ, adeo fecit illuſtrem & ſtupendam Eph. I. 19. 20. Quam 2. adeo etiam glorificavit, ut *ſibi à dextris* collocaverit; h. e. majeſtate, poteſtate & potentia, ſibi *proximum*, & quaſi *ſocium* fecerit verſ. 20. Zach. XIII. 7. Quem 3. elevavit *longe ſupra omnem principatum, poteſtatem, potentiam, dominationem* Eph. I. 21. Cui 4. *nomen* dedit ſupra *omne nomen*, quod nominatur, *non tantum in hoc; ſed & in futuro ſeculo.* verſ. 21. Phil. II. 10. Cujus 5. *pedibus omnia ſubjecit* verſ. 22. Heb. II. 7. 8. Cui 6. *flectendum* voluit *omne genu, eorum qui in cælis, in terra, & infra terram ſunt* Phil. II. 10. Quem 7. *adorari* vult ab *omnibus Angelis* Heb. I. 6. Quem 8. conſtituit *caput* ſeu Regem *Eccleſiæ*, cujus nos, per ejus gratiam, membra ſumus Eph. I. 22. Ut 9. eſſet *ſupra omnia.* Ibid. Qui 10. *omnia in omnibus*, ſua gratia, ſuis donis *implet* Ibid. verſ. 23. & IV. 8. 10. Joh. I. 16. Qui inſuper 11. omni gloria *dignus* eſt Apoc. IV. 11. quique eam ſua humiliatione & obedientia *promeruit* Phil. II. 7. 8. 9. 10. Et hinc 12. ſuo *jure*, glorificationem ab ipſo Patre ſuo expetit Joh. XVII. 1. 5. Cui 13. tot beneficiis, ad gratitudinem & glorificationem *obſtricti* ſumus Apoc. V. 8. 9. In cujus 14. gloria & glorificatione, ipſa *noſtra* conſiſtit gloria Phil. I. 26. Hunc igitur, quem Pater tantopere glorificavit; qui per ſe omnem gloriam meretur, & à quo nos omnis gloria manet; hunc, inquam, nos non glorificaremus omni ſtudio? Sed qua ratione glorificabimus?

Quomodo glorificandus ſit.

Reſp. Dum 1. quem Deus *longe ſupra omnia* excellentiſſima totius mundi elevavit Eph. I. 21. nos *cordibus* & affectibus noſtris elevamus ſupra univerſum mundum, & omnia, quæ in eo nobis pretioſa eſſe poſſint Phil. III. 7. 8. Matth. X. 37. Dum 2. *ore* noſtro, cum animalibus apocalypticis, *majeſtatem, gloriam & gratiarum actionem* aſſerimus, *ei qui ſedet in throno* dextræ divinæ Apoc. IV. 9. Dum 3. *proſternimus* noſipſos, cum viginti quatuor

tuor Senioribus apocalypticis, ei *qui insidet throno* dextræ divinæ *Ibid.* vs. 10. noſtraque *genua* ei ſubmiſſe *flectimus* Phil. II. 9. 10. Dum 4. cum eiſdem *adoramus* eum, qui in *throno* dextræ Dei *vivit in ſecula ſeculorum* Apoc. IV. 10. Heb. I. 6. Pſal. XCV. 6. Dum 5. cum eiſdem Senioribus, *coronas* noſtras *projicimus ante thronum* ejus Apoc. IV. 9. h. e. in ejus gloriam, omnem gloriam propriam ſuſque deque habemus Pſal. CXV. 1. imò omnem noſtram gloriam, auctoritatem, potentiam, & quicquid ſumus, aut poſſumus, ejus glorificationi promptè impendimus Phil. I. 20. 21. Dum tandem 6. in eo ſolo *gloriamur* Phil. I. 26. & III. 3. Jer. IX. 24. quod caput habeamus, dextram Dei claudens. Conf. quæ ſupra diximus cap. VIII. §. XX.

2. Præſtat ſuaviſſimum ſolatium.

XXIII. *Secundò*, præſtat ſuaviſſimum *ſolatium*, ſeſſio Chriſti ad dextram Dei: commendante in hunc uſum, contemplationem ejus Apoſtolo Heb. XII. 2. ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγόν--*qui, pro ſibi propoſito gaudio, crucem ſuſtinuit: cum probrium contemſiſſet, ad dextram throni Dei conſedit.* Præſtat ſolatium. A. in quavis & quantacunque afflictione; ſeu ſpiritualis ſit, ſeu corporalis: quod Dominum, imò *caput* habeamus, Deo proximum; qui ſedeat ad *dextram potentiæ* Dei Luc. XXIV. 49. quâ, in ſortem noſtram *reſpicere* Jeſ. LXVI. 1. eamque, ſolo nutu, mutare poteſt Pſal. LXXVII. 11. Nominatim B. in caſu *perſecutionum*, quando hoſtes copiâ, robore & fraudibus, nobis imminent Pſal. III. 1.: quod caput habeamus, *ſedens ad dextram Dei, longè ſupra omne imperium, poteſtatem, potentiam & dominium* Eph. I. 20. 21. qui omnes ſuos noſtroſque inimicos *poſiturus ſit ſcabellum pedum ſuorum* Pſal. CX. 1. & CXVIII. 15. C. In caſu quarumvis *contumeliarum*, quod caput noſtrum, cum *contumelias contemſiſſet*, collocatum fuerit ad *dextram throni Dei* Heb. XII. 2. & quod nos, eadem lege, *collocandi* ſimus Apoc III. 21. D. In caſu *infirmitatis*, qua, ſuſtinendis tot ac tantis afflictionum inſultibus, impares ſimus: quod *excellens* illa *magnitudo potentiæ*, qua Chriſtum collocavit ad dextram ſuam, etiam in *nobis operetur qui credimus* Eph. I. 19. 20. & quod *omnia valeamus*, per eum *qui nos roborat*, *Chriſtum* Phil. IV. 13. E. In caſu *mortis* & agoniæ: ſi cum Stephano, oculos mentis & fidei noſtræ intendamus cœlum verſus, ut videamus Jeſum *ſtantem ad dextram* Dei, paratum, qui ſpiritum noſtrum ſuſcipiat Act. VII. 55. 60.

In quibus caſibus.

3. Præſtat ſeſſio ad dextram, horrorem hoſtibus.

XXIV. *Tertiò*, præſtat ſeſſio Chriſti ad dextram Dei, *horrorem* ac tremorem omnibus ejus hoſtibus: ut cum *Regibus terræ, proceribus, divitibus* — ſe *abſcondant* in *ſpeluncis, petrisque montium*, & exclament; *cadite ſuper nos, abſcondite nos à conſpectu ejus, qui inſidet throno* Apoc. VI. 15. 16. Sed quinam hi ſunt Chriſti hoſtes? Sunt 1. apertè *impii*, qui ejus majeſtati, & imperio, quod ad *dextram* Dei obtinet, *palàm* reclamant Job. XXI. 14. Luc. XIX. 14. 27. Pſal. II. 1. 2. 3. Sunt 2. *clam hypocritæ*, qui in *externis*, quæ minoris momenti ſunt, ipſi blandiuntur Matth. VII. 21. 22. ſed in *internis*, maximi momenti, ſeſe oſtentant *hoſtes crucis* Chriſti Phil. III. 19. — 2 Tim. III. 5. Sunt 3. qui regno ejus, ſeu *Eccleſiæ* palam inſultant, cum Regibus & populis terræ Pſal. II. 1. 2. 3. Act. IV. 26. 27. cum Saule Act. IX. 1. 2. & imprimis cum Antichriſto, falſo illo Prophetâ, meretrice coccinea, cui ſolenne eſt, cum dracone rufo, Michaëli noſtro, cum ſuis, bellum palam indicere Apoc. XIII. 7. 8. & XIX. 19. &c. His terrorem incutiat A. Majeſtas ſedentis in *throno* majeſtatis in excelſo, ad quam, ſibi in viſione quadam repræſentatam, vel ipſe Johannes amicus ejus exhorruit Apoc. I. 13 — 18. Incutiat B. virga ejus *ferrea*, quâ contriturus eſt hoſtes iſtos ſuos, velut *vaſa fictilia* Pſal. II. 9. Incutiat G. *promiſſio* Patris, hoſtes iſtos filio ſuo, ſedenti à dextris ſuis. certo certius poſituris in *ſcabellum* pedum ſuorum Pſal. CX. 1. Incutiant D. ipſa ejus horrenda *judicia*, in hoſtes ſuos exercita Apoc. XIX. 19. & XVI. 10.

Argumenta exterrentia.

Quinam illi hoſtes.

4. Præſtat motivum pugnandi cum eo adverſus hoſtes ſpirituales.

XXV. *Quartò*, calcar addit efficaciſſimum, fortiter *pugnandi* adverſus hoſtes Chriſti noſtrique ſpirituales: A. *Satanam*, draconem illum rufum, qui *mulierem* (Eccleſiam) cum *filio* ſuo ſuffocare, totis viribus adnititur Apoc. XII. 4. 12. 17. 1 Pet. V. 8. Eph. VI. 11. B. *carnem* & cupiditates 1 Pet. II. 11. Gal. V. 16. 17. C. *mundum* & mundana Jac. IV. 4. 1 Joh. II. 15. 16. Rom. XII. 2. Adverſus iſtos hoſtes fortiter nobis pugnandum: quod 1. Belli ducem habeamus, qui ſedet ad dextram *virtutis Dei* Luc. XXIV. 49. *longe ſupra omnes magiſtratus, poteſtates, dominia* Eph. I. 21. qui hoſtes iſtos dudum potenter *ſubegit* Joh. XIV. 30. & XVI. 11. qui *principatus ac poteſtates* ſua potentia *exuit* Col. II. 14. *conteretque brevi* Rom. XVI. 20. qui itidem in *omnibus tentatus* eſt ſicut nos, ut miſericors ſit, nobiſque oppugnatis *poſſit* & velit συμπαθεῖν Heb. II. 17. & IV. 15. Quòd 2. cum Chriſto, ſedente ad dextram Dei, in thronum ejus, niſi fideliter pugnaverimus 2 Tim. II. 5. Apoc. III. 21. 2 Tim. IV. 7. 8. non ſimus extollendi: quemadmodum Chriſtus non ante elevatus eſt, in thronum dextræ in cœlis, quam pugnaſſet & *viciſſet* Apoc. III. 21. Quod 3. cum Chriſto fortiter in virtute Dei pugnando, cum eo hoſtes ejus, noſtroſque, ſuo modo, collocabimus *ſcabellum pedum noſtrorum* Pſal. CX. 1. 1 Joh. II. 13. & IV. 4.

Quibus motivis.

5. Monet juſta capiti præſtemus officia.

XXVI. *Quinto* monet, ut membra capiti noſtro, ſedenti ad dextram Dei, juſta præſtemus *officia* noſtra. Et quænam iſta? (1) Eum quem Deus noſtro collocando ad dextram ſuam, conſtituit *caput* Eccleſiæ ſuæ Eph. I. 22. 23. eumque *ſolum* Heb. I. 13.

agnoſcamus: quemadmodum Iſraëlitæ Davidem 2 Sam. XIX. 42. 43. (2) cum eo, velut membra cum capite, quam arctiſſime *uniamur*: ut *unus cum eo* reddamur *ſpiritus* 1 Cor. VI. 17. *radicati cum eo, confirmatique* Col. II. 7. *teneamus* (κρατῶμεν) *caput, ex quo totum corpus, per commiſſuras & compages, ſuppeditatum & compactum, augeſcit augmento Dei* Col. II. 19. Etiam (3) *communionem* cum eo colamus, ut membra cum capite, & ſubditi cum Principe 1 Joh. I. 3. 1 Cor. I. 9. Inſuper (4) *amorem* ipſi præſtemus, ut membra capiti, ſubditi Principi: hunc à ſuis exegit ante mortem Joh. XIV. 21. hunc, poſt reſurrectionem, conteſtatus eſt Petrus Joh. XXI. 17. hunc, ſub pœna anathematis, præſcribit Paulus 1 Cor. XVI. 22. & in fidelibus commendat Petrus 1 Pet. I. 8. Porro (5) ipſum, tanquam *caput* noſtrum, *extollamus*, quovis honore, quavis gloria: utpote qui ad hoc, *honore & gloriâ coronatus* dicitur Heb. II. 7. quem Pater ὑπερύψωσε, ipſique *nomen dedit, quod eſt ſupra omne nomen* Phil. II. 9. 10. Eph. I. 21. quem, his convenienter, honorat *omnis creatura* in cœlo Apoc. V. 13. Ad hæc (6) ſub eo, tanquam ſub capite, & ſalutis noſtræ ἀρχηγῷ Heb. XII. 2. fortiter pugnemus contra hoſtes ejus noſtroſque, velut *milites Chriſti* 2 Tim. II. 5. ipſo, cum Angelis ſuis, pugnante cum dracone Apoc. XII. 7. de quo plura §. *præcedent.* Etiam (7) *genua* noſtra, ipſi velut capiti noſtro, ſponte & ingenuè *flectamus* Phil. II. 9. 10. ipſi in omnibus *obedientes* nos præſtemus Heb. V. 9. 1 Joh. II. 4. oculis in ipſum, tanquam caput noſtrum, converſis; ambulemus in omnibus, *ſicut ipſe ambulavit* 1 Joh. II. 6. & III. 3. prout Saulus, loquenti ſibi è cœlo, confeſtim ſe morigerum præſtitit: *Domine quid vis, quod faciam?* Act. IX. 6. Denique (8) *fiduciam* in eo, velut in capite noſtro, quod ſedet ad dextram Dei, confidenter collocemus, in quovis caſu Act. XVIII. 10. Heb. XIII. 6. Apoc. II. 10. Atque, ut hæc, aliaque officia, capiti noſtro promptius exhibeamus, cogitandum nobis: A. quod ipſe *exigat* à nobis Joh. XV. 17. B. Quod ex natura rei ipſi *competant*: eſt enim à Deo elevatus ad *dextram* ſuam, *longe ſupra omnes principatus* &c. Eph. I. 21. obtinet *nomen*, ſupra *omne nomen* Phil. II. 9. 10. eſt *Dominus è cœlo* 1 Cor. XV. 47. Quod C. ſit caput *ſanctum* Jeſ. X. 20. *juſtum* Act. III. 14. & VII. 52. cujus juſſa ſancta ſunt & juſta Rom. XII. 2. qui juſtus *venit* Zach. IX. 9. juſtus *paſſus* eſt 1 Pet. III. 18. juſtus *abiit* in cœlum 1 Joh. II. 1. *regnatque* in juſtitia Leb. VII. 2. Pſal. IX. 9. Quod D. ſit caput *manſuetum* Matth. XI. 28. 29. *miſericors* Heb. II. 17. proclive ad συμπάθειαν Heb. IV. 15. humanum ac facile, ut admittat ad thronum gratiæ Heb. IV. 16. Quod E. ſit caput, ſuis membris *ubique præſens*, in medio ipſorum exiſtens Matth. XVIII. 20. & XXVIII. 20. Quod F. caput ſit, *è cœlo* in omnia, oculis ſuis flammeis, *proſpiciens* Apoc. II. 18. & talem in cœlis viderit Johannes Apoc. I. 14. qui corda & renes ſcrutatur Apoc. II. 23. qui omnia noſtra exactiſſimè novit *Ibid.* vſ. 2. Quod denique G. caput ſit *potens*, imò omnipotens Apoc. I. 8. armatum *ſceptro fortitudinis* Pſal. CX. 2. ſceptro *ferreo*, quo contundat inimicos Pſal. II. 9. pariter & *aureo*, ſicut Ahaſſuerus Eſth. V. 2. in gratiam ſuorum: imo quod *poteſtatem omnem* habeat, *in cœlo & in terra* Matth. XXVIII. 18.

Quænam illa.

Quibus rationibus motivis.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM,

De ipſa Mediatoris Redemptione.

Matth. XX. 28.

Filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur; ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam, redemptionis pretium pro multis.

Redemptorem ſola ſequitur redemptio.

I. COntemplati ſumus hoc libro circa ſtatum *gratiæ*, ejus fundamentum ac normam, juxta quam omnis gratia & ſalus in peccatorem diſpenſatur, nim. *fœdus gratiæ*: cogitavimus procuratorem omnis gratiæ ac ſalutis, Mediatorem *Jeſum* Chriſtum: reſtat ut tranſeamus ad *procurationem* gratiæ, circa quam quatuor venient examinanda, nim. *redemptio*, quâ gratiam Mediator peccatori impetravit; tum impetratæ *applicatio*; porro utriuſque *objectum*, Eccleſia; denique foederis gratiæ variæ diſpenſandi rationes. Primum hoc capite expediemus, ſecundum per univerſum librum ſextum; tertium per librum ſeptimum; poſtremum per librum octavum. Redemptionis *naturam* ſatis commode nobis repræſentabit ipſe procurator gratiæ Matth. XX. 28.

Pars Exegetica.

Textus explicatur.

II. *Quibus verbis Servator, reprehenſa & rejecta vanâ ac ſuperba petitione Matris filiorum Zebedæi,*

dei, convocatis discipulis humiliationem & ταπεινοφροσύνην, post alias rationes, suadet exemplo adventus *sui ad procurandam peccatoribus* redemptionem. *Penes quem notatur*

1. Adveniens *ad redimendum*, filius hominis, *ipse redemtor loquens, qui pro duabus naturis, jam* Filius Dei *designatur* Psal. II. 7. Matth. XVI. 16. *& alibi: jam* filius hominis, *ibid.* vers. 13. Psal. VIII. 4. *collat. cum* Heb. II. 6. 7. 8. 1 Cor. XV. 27. Psal. LXXX. 16. Dan. VII. 13. *& passim in Euangeliis, v. g.* Matth. IX. 6. Marc. II. 10. Luc. V. 24. Joh. I. 21. Act. VII. 56. Apoc. I. 13. *Notat autem* אדם, *&* בן אדם, homo *&* filius hominis, *Hebræis sæpissime hominem* contemptæ *sortis* Psal. LXXXII. 7. *Sic* בנות אדם Gen. VI. 2. *Hebræi veteres interpretantur, hisque opponunt* בני האלהים filios Dei, *item* בני האיתנים filios potentum, heroum Psal. XLIX. 2. *item* בני איש, *ut* בני אדם, *sint* γηγενεῖς terræ filii. *Ita Ezechiel, Daniel, Zacharias, dum cum Angelis conversantur, appellatione* filii hominis, *suæ fragilitatis admonentur. Ita etiam Christus plerumque, si non semper, seipsum appellat, dum vix ac ne vix quidem ab alio sic denominatur; ad hoc* 1. *ut humanæ suæ naturæ veritatem innueret,* 2. *ut ab aliis personis divinis seipsum discriminaret, utpote qui solus in eis* homo *sit,* 3. *ut ex plurimis elogiis, quæ Messiæ data leguntur, modestissimum seligeret, suamque κένωσιν de qua* Phil. II. 7. *significaret, quo etiam spectat, quod appelletur* בר איש Dan. VII. 13. *eodem sensu, quo* Jes. LIII. 3. נבזה וחדל אישים *dicitur, qui non habeat domum propriam, ubi fessus* caput reclinet, *id quod appositissime huic loco convenit, ubi discipulos ad modestiam, & contemtum fastus humani, formare nititur. Quasi dicat, Ego Dominus & Magister vester, quo certè majores vos non estis, qui filius Dei sum, me* filium hominis *dico, ego exemplum vobis dedi: neque enim quicquam feci, ex meæ utilitatis rationibus, neque splendore aut deliciis egi Regem, sed quævis incommoda sustinui, meorum causa, & porro majora sustinebo, ipsam mortem ignominiosissimam: scil. contra quam fit in regnis mundanis, ubi subditi moriuntur pro Regum gloria & magnitudine: ita & vos &c.*

2. Adventus *ad redimendum,* οὐκ ἦλθε, non venit, *scil.* in carnem, *ut distinguatur hic adventus ab adventu ejus ad gloriam, ad judicandum vivos & mortuos, qui erit cum summa gloria* Matth. XXV. 31. 2 Thess. I. 7. *Significatur eadem opera, ejus existentia ante adventum istum: neque enim venit, qui non est. Non est autem iste ejus adventus incarnationis, nisi præparatio ad humiliationem, mortem & redemtionem.*

3. Scopus *adveniendi, duplex, nim.*

A. Rejectus, non ut sibi ministraretur, *sicut Regibus mundanis fieri solet.* Διακονηθῆναι, *id est,* ἵνα διακονηθῇ, ut ministraretur *sibi, ut pateretur sibi ministrari. Phrasis græca est, qualis* Matth. II. 18. 1 Tim. I. 11. Heb. VII. 11. Διακονέω *est* ministro, servio, *alium pro Domino meo habeo, ei me submitto, ejus gloriam & emolumenta quæro. Hunc igitur negat fuisse adventus sui primi scopum primum &* immediatum, *scil. ut* exaltaretur; *sed ut humiliaretur, seipsum inaniret,* formam servi *susciperet* Phil. II. 6. 7. *licet interim scopus adventus sui primi, atque etiam secundi,* mediatus *omnino fuerit ejus glorificatio* Luc. XIV. 26. Phil. II. 8. 9. 10.

B. Admissus *& assertus, itidem geminus:*

א. Generalior, ἀλλὰ διακονῆσαι, sed ut ministraret. *Scil. non Deo tantum, cujus* servus *factus erat per æternam sponsionem* Jes. LIII. 11. Conf. Jes. XLII. 1. *&* LII. 13. Zach. III. 8. *quem sibi ac legi suæ subjecit* Gal. IV. 4. *quippe ipsi* obediens *fuit ad mortem usque crucis* Phil. II. 7.: *sed etiam hominibus* Joh. XIII. 5. 12. 13. 14. *Significatur ista* διακονία, *universus status humiliationis ejus.*

ב. Specialior, *scil. redemptio:* ut animam suam daret redemtionis pretium pro multis. *Quibus verbis exprimitur:*

1. Pretium, *redemtionis,* τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, animam suam. *Non minora & viliora quævis; sed præstantissimum, ipsam* animam: ψυχήν, נפש, *cujus significata occupavimus* cap. XIII. *in* Exeget. *Hic, si nobiliorem hominis partem notet; significabit, Christum non* corporalem *tantum mortem nobis impendisse; sed* spiritualem *insuper: si* corpus exanime; *indigitabit, ipsum ex adverso non spiritualem tantum; sed &* corporalem *etiam, pretium redemtionis præstitisse: si* hominem *notet, dicet Christum* seipsum *dedisse redemtionis pretium non* hominem *tantum; sed &* Deum *insuper* Act. XX. 28. 1 Joh. I. 7. *adeoque pretium planè infinitum, proinde tantum, quo majus nec esse nec cogitari potest, & redimendis, omnibus numeris par: si denique* vitam *notet; significabit, eum vitam* omnem, *quam habuit naturalem, spiritualem & æternam, præstitisse in redemptionis pretium.*

2. Solutio *hujus pretii,* δοῦναι λύτρον ἀντὶ — ut daret redemtionis pretium pro *&c. Ubi* λύτρον *sonat* redemtorium, *seu illud pretium, quod liberandis militibus captivis, solvi de-*

bet,

bet. Dicitur à λύω, solvo, *sive quod per illud redemtorium, vincti seu captivi* solvantur: *sive quod pro captivorum liberatione* solvatur. *Ut significetur, liberationem nostri ex captivitate spirituali, non mera remissione; sed solutione pretii, seu redemtorii, peractam esse* 1 Cor. VI. 20. 1 Pet. I. 18. 19. *A quo passim ἀπολύτρωσις designatur* Rom. III. 24. Eph. I. 7. 14. Col. I. 14. Heb. IX. 15. *Particula ἀντὶ, de personis usurpata, quotiescunque* oppositionem *non notat*, substitutionem *indicat* Matth. XXVII. 27. *teste H. Grotio de* Satisfact. Christ. *Et δοῦναι actum ipsum notat solutionis, quatenus, & sponte, & gratis peragitur, ab eo qui vitæ & mortis potestatem habet à* divina *sua natura* Joh. X. 18.

3. Debitores personæ, *pro quibus pretium solvit.* Ἀντὶ πολλῶν. *Non pro* paucis; *licet* comparate *ad rèliquos non redemptos, & hoc dicatur:* vers. 16. & cap. VII. 14.: *nec pro* omnibus. *Ibid.* vers. 21. 22. Joh. XVII. 9. *sed pro certi cujusdam* ordinis *hominibus, qui alibi* populus *suus* Matth. I. 21. *alibi,* oves *ejus* Joh. X. 11. 15.: *alibi,* Ecclesia *ejus appellantur* Act. XX. 28. *&c. ejusque ordinis omnibus ac* singulis, *qui,* absolute *quidem considerati, non pauci sunt; sed* multi, *ut arena maris* Gen. XIII. 16. & XXII. 17. *ut* stellæ cœli Gen. XV. 5. & XXII. 17. *licet* comparate *pauci etiam sint* Matth. XX. 16. & VII. 14.

Pars dogmatica.

Mediator, suis substitutus, solvendo pretium, eos liberavit a servitute, in libertatem spiritualem. Probatur Scripturis.

III. Mediator ergo; quem hactenus repræsentavimus, suis substitutus, deponendo animam suam redemptionis pretium, à statu servitutis spiritualis eos vindicavit in statum libertatis. Hoc enim 1. prædictum olim sub V. T. v. g. Hos. I. 7. Psal. CXXX. 8. Hos. XIII. 14. cum 1 Cor. XV. 55. Jes. XXV. 8. Psal. XLIX. 16. Hoc 2. *præfiguratum* fuit in Mose, educente Israëlitas è servitute Ægyptiacâ: in Josua, introducente eos in Canaan: in Judicibus, Israëlitas è servitute hostium, in libertatem asserentibus, qui hinc *redemptores* subinde appellantur Jud. III. 9. 2 Reg. XIII. 5. in Pontifice & Sacerdotibus leviticis, quando, liberandis à reatu peccatoribus, substituebant animas, seu mortem sacrificiorum Levit. I. 5---& III. 2---cum Joh. X. 17. 18. & XVIII. 4. 5. 6. Heb. IX. 22. 23. 26. Hoc 3. *impletum* sub N. T. per omnia illa loca, quibus dicitur λυτροῦσθαι Matth. XX. 28. Marc. X. 45. ἀντιλυτροῦσθαι 1 Tim. II. 5. 6. ἀπολυτροῦσθαι Eph. I. 7. Col. I. 14. Rom. III. 24. Heb. IX. 12. Tit. II. 14. 1 Pet. I. 18. ἀγοράζειν 1 Cor. VI. 20. Apoc. V. 9. ἐξαγοράζειν Gal. III. 13. παραδοῦναι ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, προσφορὰν τῷ Θεῷ Eph. V. 2. Heb. IX. 14. σώζειν τὸν λαὸν αὐτῶ Matth. I. 21. σώσειν τὸ ἀπολωλὸς Luc. XIX. 10. Ab hoc 4. passim appellatur גואל Jes. XIX. 20. Job. XIX. 25. ῥυόμενος Rom. XI. 26. *Jesus* Matth. I. 21. σωτὴρ Tit. II. 13. σωτήριον Luc. II. 30. & III. 6. ישועה Gen. XLIX. 18. Jes. XLIX. 6. Act. XIII. 47. &c.

Fundamenta redemptionis.

IV. Fundamentum hujus redemptionis, est 1. in. φιλανθρωπία, & tenerrima Dei *misericordia*, versus peccatorem perditum Ezech. XVI. 3---7. Joh. III. 16. Rom. V. 8. & III. 24. Tum 2. in immota ejus *justitia* Gen. XVIII. 25. cum Hab. I. 13. Rom. I. 32. 2 Thess. I. 6. quæ noluit peccatum impunitum dimitti Psal. V. 6. Zach. VIII. 17. Jes. I. 13. 14. Porro 3. in immutabili ejus *veracitate*, Matth. V. 18. quod peccatori mortem dictasset Gen. II. 17. Exod. XXXII. 33. Et imprimis 4. in-*expromissione* Heb. VII. 22. Jer. XXXI. 21. qua, peccatoris electi, in æterno pacis consilio Zach. VI. 13. universam causam in se suscepit Psal. XL. 7. 8. 9. cum Heb. X. 5. Jes. LIII. 10. Conf. cap. VII. §. v. & quæ paulo abhinc, pro *necessitate* satisfactionis Christi, dicemus.

Quid sit redemptio:

V. Redemptio, quantum ad *nomen* (λύτρωσις Luc. I. 68. & II. 38. Heb. IX. 12. ἀπολύτρωσις Rom. III. & VIII. 23. Eph. I. 7. 14. Col. I. 14. Heb. IX. 15.) proprie liberationem notat, quæ fit *solutione* constituti *pretii*, quali milites captivi liberantur: & quamvis forte, semel atque iterum, in Scripturis notet liberationem, *absque* solutione pretii, procuratam Act. VII. 35. id tamen improprie fit, neque extendi potest ad illam liberationem, cujus ipsum *pretium* exserte notetur. Etiam circa *vocem* non est negligendum, quod aliquando *futuram* notet, magis actualem & perfectam Luc. XXI. 28. Rom. VIII. 23. Eph. IV. 31. Heb. VI. 35. aliquando *præsentem*, magis virtualem & imperfectam, v. g. 1 Cor. I. 30. Eph. I. 7. Heb. IX. &c. Quantum ad *rem*, non est redemptio, nisi *vindicatio peccatoris, à servitute spirituali, in libertatem gratiæ.* Cujus α. terminus *à quo*, est servitus spiritualis Heb. II. 14. Luc. I. 71. 74. cum omni miseriarum caterva, quæ hac servitute continetur: v. g. *inimicitia* & ira Dei, condemnatione æterna, aliisque; de quibus plura in progressu: terminus *ad quem*, est *libertas* spiritualis Gal. V. 1. cum omnibus ejus ap- & dependentibus: gratia Dei, omniumque bonorum affluentia Eph. I. 3. de quibus suo loco distinctius: β. *actus*, est *vindicatio* seu liberatio *virtualis*, applicatione conferenda: γ. *medium* est, non preces, nec potentia, quæ suum etiam usum habent in applicatione; sed justi *pretii* depositio.

quoad nomen, quoad rem.

Redemptionis causa prima Deus solus est.

VI. Redemptionis hujus *causa* est, non quisque sibi, *propriis* passionibus & actionibus Matth. XVI. 26. nec homo quivis, passionibus & actionibus *vicariis* Psal. XLIX. 8. nec Angelus, aut mera quævis creatura; quod ea, *infinitus* reatus veniat tollen-

lendus, & infinitum bonum recuperandum: ſed cauſa ejus, prima quidem & *præcipua* Deus ipſe Pſal. xxxiv. 23. & xxxv. 3. Jeſ. xli. 10. Rom. viii. 3. 2 Cor. v. 18. 19. minus quidem principalis ſeu *impellens*; *extus* quidem, fuit noſtra miſeria Ezech. xvi. 3. 4. 5. 6: *intus* autem, ex parte quidem: α. *miſericordia* Rom. xi. 32. quâ, cum ex violatione fœderis legalis, obnoxii eſſemus condemnationi Rom. iii. 19. 20. fœdus gratiæ ſubſtituere Heb. x. 14--17. ſponſorem & Mediatorem, filium ſuum, nobis dare Joh. iii. 16. Rom. viii. 3. 32. ejus λύτρου pro nobis admittere voluit 1 Tim. ii. 3--6: ex parte β. *juſtitia* Rom. iii. 25. 26. quâ ſponſorem *tradidit* in mortem *propter peccata noſtra* Rom. iii. 25. cum viii. 32. Deus autem, in negotio hujus redemptionis, quatenus propter compenſationem ſatisfactoriam redimit ſeu liberat: conſiderari debet, non tanquam (α.) pars à peccatore redimendo *læſa*; ut talis enim lædentem non poſſet punire: cum ad hoc requiratur ὑπεροχὴ judicialis: nec (β.) ut *abſolutus Dominus*: ſic enim abſque ullâ compenſatione lædentem liberare potuiſſet; cum abſolutus Dominus de ſuo ſtatuere poſſit pro lubitu Matth. xx. 15. & liberalitatis ac clementiæ fuiſſet argumentum, nullam compenſationem admittere Matth. xviii. 27. ſi, pro abſoluto dominio ſibi hîc agendum fuiſſet: ſed (γ.) conſiderari debet, ut *Rector*, cujus eſt pœnas infligere, & à pœnis liberare, quem poſſet punire pro rigore, jus & juſtitiam cuſtodire, tanquam δίκαιον ἔμψυχον, idque in commodum univerſitatis.

Quomodo Deus in negotio redemptionis conſiderandus veniat.

VII. Conſequenter actus Dei, quo propter expromiſſorem punitum, liberavit reos, non fuit actus abſoluti *dominii*; ſed judicialis, ſeu *juriſdictionis*: cui competit juris normam præſcribere, leges ſancire, cauſas cognoſcere, judicare, & judicata exſecutioni committere. Nec, puniendo unum pro alio, vel A. Legem ſuam *abrogavit*, eoque vim obligandi ei ademit; cum infideles ejus ſanctioni comminatoriæ adhuc maneant obnoxii Joh. iii. 36. 1 Theſſ. ii. 16: quin, ne per fidem quidem, abrogatur; ſed ſtabilitur potius Rom. iii. 31. ne dicam, legem, *moralem* quidem, utpote maximâ ſui parte, juris *naturalis*, ſeu Deo, ſeu homini, abrogari non poſſe Matth. v. 18: vel B. de obligatione legis *diſpenſavit*, à vi ejus obligatoriâ eximendo hanc aut illam perſonam aut cauſam: quoniam circa jus *naturale*, non datur diſpenſatio; nec eo violato, obligatio naturalis ad pœnam tolli poteſt: nec ſublata in noſtri redemtione fuit à nobis; verùm traducta duntaxat, à nobis in expromiſſorem noſtrum: ſed tantum C. *declaravit*, animum legis non eſſe, ut ipſe præciſè peccans puniatur; ſed ſufficere, ſi pœna perferatur, peccato dictata, ſeu ab ipſo peccatore; ſeu ab ejus expromiſſore: adeoque penes legiſlatorem relinqui delectum.

Actus Dei, puniens expromiſſorem pro reis, qualis?

VIII. Præter Deum, redemptionis cauſa, quaſi *ſecundaria*, eſt *Mediator*, quatenus *talis* eſt: qui, præſtando *redemptorium* pro nobis, ipſius redemptionis cauſa *meritoria* factus eſt Jeſ. liii. 7. 10. 12. Pſal. xl. 7. 8. 9. cum Heb. ix. 5 — 10. Præſtandi cauſa *impellens* ei fuit, tum 1. *miſeria* noſtra extrema, æterna & penitus indeclinabilis Eph. ii. 1. 3. 5. Ezech. xvi. 4. 6. tum 2. ejus *commiſeratio*. Ibid. vſ. 5. Jer. xxxi. 20. tum 3. ejus ſolius *aptitudo*, ad redemtionis negotium peragendum: quâ, ipſe ſolus, abſque exitio ſui, potuit miſeros homines redimere, eo quod, ipſe ſolus, omnia requiſita Redemptoris obtineat: ſit *Deus*, ſit *homo*, ſit homo *juſtus*, ſit Deus & homo *una* perſonâ: abſque quibus, neminem ſufficere poſſe, ad redemptionis negotium, ſuo loco, ex profeſſo docuimus: à quibus *unus* Mediator dicitur 1 Tim. ii. 5. unum *nomen* in quo ſalus ſit Act. iv. 12. *via*, *veritas & vita*, abſque quo, *nemo veniat ad Patrem* Joh. xiv. 6. qui nobis factus à Deo ſit *ſapientia*, *juſtitia*, *ſanctificatio & redemptio* 1 Cor. i. 30.

Redemptionis cauſa ſecunda eſt Mediator.

Redimendi cauſæ impellentes.

IX. Redemit autem Mediator, duplici adminiculo: (1) *liberando* nos à *reatu* peccatorum, à quo omnis ſervitus ſpiritualis, omnis miſeria noſtra, omne malum ſcaturit: ut, eo ſublato, omne malum noſtrum ceſſet; (2) acquirendo *jus* omnis boni. Quantum ad *primum*, reatus tolli poteſt vel A. pura puta *condonatione*: quando *nihil* omninò exigitur aut præſtatur, in *compenſationem* pro reatu, vel ab ipſo *reo*, vel ab ejus *ſponſore*: qualis condonatio pugnat cum *ſapientia*, juſtitia & veracitate Rectoris Gen. xviii. 25. Rom. i. 32. cum 2 Theſſ. i. 6. & cum bono publico 1 Cor. v. 6. 7. Pſal. ci. 8. quamobrem, in noſtro redemptionis negotio, locum habere non poteſt. B. *acceptilatione*, condonationi proximâ, qua *aliquid* pro reatu exigitur & præſtatur; ſed quod longè ſit infra *æquivalentiam* reatus: v. g. ſi creditor, pro mille florenorum debito, accipiat unum obulum: quæ vix quicquam diſtat à condonatione, ac proinde, eisdem rationibus, in hoc negotio, admitti non poteſt. C. *ſolutione* propriè ſic dictâ Matth. xviii. 26. qua *id* præciſè præſtatur, quod eſt in obligatione: in qua creditor tenetur acquieſcere, & reus, ipſo facto, citra ullam gratiam, liberatur à reatu. Hæc etiam, in præſenti redemptionis noſtræ negotio, locum habere non poteſt, quod 1. ſolutio tantum tollat reatum *civilem*: quando reatus noſter eſt *criminalis*: quod 2. in ſolutione præſtetur *idem*, quod eſt in obligatione; quando Mediator non omnes pœnas, tam corporales, quam ſpirituales admiſit, v. g. non ſurditatem, peſtem aliaque, quæ commemorantur Deut. xxviii. 15--nec *noſtram* mortem ſpiritualem, nec pœnæ infernalis *æternitatem*, aliaque ejus corollaria inordinata; quod 3. in his, quæ Mediator pro nobis præſtitit,

Redemptionis actus duo:

1. Liberatio à reatu peccatorum,

stitit, Deus per justitiam, non *obligatus* fuerit acquiescere, quodque potuisset respuere, per absolutam suam potestatem, juxta id quod exstat Exod. xxxiii. 19. Ezechi. xviii. 4. 20.: quod proinde ea, quæ Mediator pro nobis præstitit, non excludant omnem *gratiam*, tam admissionis & *acceptionis*, respectu ipsius Mediatoris præstantis: quam *condonationis* respectu nostri, pro quibus præstitit Rom. iii. 24. 25. quamvis interim sensu *latiore* & minus proprio, sicut peccata nostra, *debita* appellantur; ita etiam id, propter quod tolluntur, *solutio* appellari possit. Tandem D. Reatus tollitur *satisfactione*, qua non *idem* præcise, quod est in obligatione, creditori præstatur; sed *tantumdem*, seu æquivalens: quod tamen, per justitiam creditor non *tenetur* accipere: adeoque, in satisfactione, aliqua requiritur ἐπιείκεια seu gratia, qua strictum jus non urgetur. Talis satisfactio, vel pro reatu *proprio* præstatur; vel pro *alieno*. Et posterior demum satisfactio, ob quam reatus *noster* tollitur, præsentis nostræ considerationis est.

per satisfactionem.

Quid satisfactio:

X. Satisfactio igitur, quantum ad *vocem*, ἀντιλεξει in Scripturis non occurrit, forte quod forensis sit, & temporibus Scripturæ non adeo recepta, ut ad civitatem ecclesiasticam traduci potuerit: nec vim ejus satis repræsentat τὸ ἱκανὸν ποιεῖν Marc. xv. 15. eo quod nullam, vel substitutionem, vel compensationem connotet: *æquivalentium* tamen, in nostro cumprimis negotio, Scripturis abunde suppetit, v.g. in λυτρώσει, ἀπολυτρώσει, ἀγοράσει, ἐξαγοράσει &c.: quantum *ad rem*, satisfactio in præsenti argumento, non notat nobis, quam actum Christi mediatorium, quo, peccatoribus electis substitutus, præstando λύτρον Deo, reatui eorum æquivalens, eos Deo reconciliavit. Ut naturam ejus ingrediantur eumque exhauriant:

quoad vocem,

quoad rem.

Ejus ingredientia sunt,

1. Innocentia,

XI. *Primo innocentia* satisfacientis, qua immunis fuit ab omni reatu *proprio*. Unde, qui *peccatum non cognovit*, *pro* nobis dicitur *peccatum factus* 2 Cor. v. 21. ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος Heb. vii. 26. omnium judicio, proditoris, Judicis, concrucifixi latronis, *justus*; ut supra penes mortem ejus, docuimus. Qui enim sub *proprii* alicujus peccati reatu est, is *aliorum* reatum expedire nequit, & multo etiam minus, *sacrificium immaculatum* offere potest, quale noster obtulit, & offerre debuit Heb. ix. 14. cum Levit. x. 17. Intelligimus autem hic, non justitiam *meriti*, quæ ipsum λύτρον seu redemptorium, ut ejus pars, ingreditur: sed justitiam *personæ*: quæ, ex causis jam designatis, in satisfacturo præsupponitur, ut idoneus sit ad præstandam satisfactionem.

2. Substitutio,

XII. *Secundo substitutio*, quæ, non *propriis*; sed *vicariis* aliorum pœnas admisit: sive susceptas sponte Matth. xx. 28. Eph. v. 2. 1 Tim. ii. 6. Joh. i. 29. sive à Deo sibi impositas imputatasque, propter æternam ejus expromissionem Jes. liii. 6. 2 Cor. v. 21. Quæ substitutio (præfigurata olim sacrificiis quibusvis, imprimis in hirco Hasaël Levit. xvi. 20.) variis modis designari solet in Scripturis: quando v.g. (1) exserte *sponsor* appellatur Heb. vii. 22. qui principali debitori apud creditorem, omnium consensu, substituitur Philem. vs. 18. 19.: ita & Christus, in æterno pacis consilio, seipsum nobis substituit, ut pro nobis fieret ערב seu *reatus* Jes. liii. 10. Conf. Psal. xl. 7. 8. 9. Quando (2) Deus, procul dubio ex sponsione ista, ipsum feciſſe dicitur *peccatum*, h. e. victimam pro peccato 2 Cor. v. 20. in ipsum *incurrere feciſſe*, *pravitatem nostram* Jes. liii. 6. feciſſe *exsecrationem* pro *nobis* Gal. iii. 13. cum Deut. xxi. 23. Quando (3) dicitur seipsum dediſſe λύτρον *pro multis* Matth. xx. 28. ἀντίλυτρον *pro quibusvis* 1 Tim. ii. 6. *nostros morbos tuliſſe*, *& nostros dolores bajulaſſe* Jes. liii. 4. Joh. i. 29. *vitam* suam *poſuiſſe pro ovibus* suis Joh. x. 15. 17. 18. Quando (4) *pro* nobis passus & mortuus dicitur: *justus pro injustis*, *passus & mortuus* 1 Pet. iii. 18.--cujusmodi phrasibus Novum T. abundat, v.g. Marc. x. 45. Joh. xi. 50. Heb. ii. 9. 2 Cor. iv. 14. & v. 21. 1 Cor. xv. 3. 2 Cor. v. 15. Per quas, mortuus est, non tantum ὑπὲρ ἡμῶν Rom. v. 8. idque alio prorsus modo ac Paulus Col. i. 24. cum 1 Cor. i. 13.: sed etiam ἀντὶ πολλῶν Matth. xx. 28. quam particulam, quotiescunque non notat *oppositionem*, notare *subrogationem*, nos ante in *exegesi* monuimus Conf. 1 Pet. iii. 9. Marc. v. 38. Quando (5) peccata nostra ipse *portaſſe* dicitur *in proprio corpore*, *in ligno* 1 Pet. ii. 23. 24. *traditus pro noſtris peccatis* Rom. iv. 25. Gal. i. 4. Quando (6) dicitur obtuliſſe *sacrificium* pro peccatis nostris, semel Heb. x. 12. Eph. v. 2. Conf. Levit. v. 17. & xvii. 11.

3. Redemptorium.

XIII. *Tertio redemptorium*, seu λύτρον. Quod itidem non uno modo in Scripturis Christo tribuitur: quando 1. in terminis λύτρον & ἀντίλυτρον ipsi asseritur Matth. xx. 28. 1 Tim. ii. 6. & redemptio, per illud procurata, ἀπολύτρωσις Eph. i. 7. 14. 1 Cor. i. 30. Col. i. 14. Heb. ix. 15. & λύτρωσις Luc. i. 68. & ii. 38. Heb. ix. 12. quando 2. dicitur *emiſſe pretio* 1 Cor. vi. 20. Apoc. v. 9. *perfecte redemiſſe* (ἐξηγόρασε) Gal. iii. 13. & iv. 5. Quando 3. redemptorium illud exserte *nominatur*, *pretioſus ſanguis* 1 Pet. i. 18. 19. Rom. iii. 25. *mors* Christi Heb. ix. 15.

Quodnam illud redemptorium.

XIV. Istud autem ἀντίλυτρον non præstitit, vel 1. justitia & sanctitas *essentialis* divinæ ejus *naturæ* cum a Deo, nec offerri pro nostro reatu, nec accipi ab eo potuerit; quod illam ab æterno *habuerit*; λύτρον autem, in tempore ei ablatum, Scripturis constanter prædicetur, per omnia illla loca, quæ in præcedentibus dudum adduximus: nec 2. *nostra*, ulla ratione fieri possit, nisi Deus ipse fiamus, & cum Deo uniamur, seu *naturali-*

ter

ter, prout divinæ Trinitatis personæ inter se unum sunt; seu *personaliter*, prout in personâ Mediatoris, divina & humana natura uniuntur: atque etiam γ. si, per impossibile, nostra fieret quocunque modo, omnem necessitatem & usum justitiæ Christi, *partæ* per mortem & obedientiam, penitus tolleret; eo quod, cum Infinitâ sit, sola nobis omninò sufficeret: addam δ. quod divina illa justitia, ad compensationem, læsæ per nostra peccata majestatis & legis divinæ, spectare non possit. Nec etiam 2. ἀντίλυτρον istud præstat, justitia *humanæ* naturæ *originalis*: quod ea ad qualificationem Mediatoris satisfacturi necessariò prærequirebatur: quatenus Sacerdos, oblaturus pro nobis, ἅγιος esse necessariò debuit, ἄκακος, ἀμίαντος, & *à peccatoribus segregatus* Heb. VII. 26. qui peccatum *ignoraret* 2 Cor. v. 21. Hæc igitur, justitia *personæ* rectius dicitur, quam justitia *meriti*: Sed 3. justitia Mediatoris θεανθρώπε, *parta*, quam præstant A. ejus παθήματα, mors, sanguis Apoc. v. 9. 1 Pet. 1. 18. 19. utpote quibus nos ἐξηγόρασε, ab *exsecratione legis*, *factus pro nobis exsecratio* Gal. III. 13.: hæc enim suâ naturâ spectat ad *compensationem* ejus mortis, cujus reatum peccatis nostris contraximus. B. *obedientia* vitæ & conversationis, quâ legem divinam à nobis violatam, à cujus exactâ observatione, meritum vitæ æternæ Deus suspenderat Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. 13. Rom. X. 5. Gal. III. 12. præstitit: ab hac igitur justitiâ *activa*, *per obedientiam unius justi*, *multi justi constituti* dicuntur Rom. V. 19. & *per unius justitiam*, *in omnes homines* derivari *justificatio vitæ* vs. 18. Gal. IV. 4. 5. Rom. V. 19. & X. 4. Matth. III. 15. & V. 17. ab hac, Mediator *factus* nobis dicitur δικαιοσύνη 1 Cor. I. 30. & יהוה צדקנו Jer. XXIII. 6. Quæ duplex justitia, passiva & activa, *divelli* in satisfaciente nequaquam debent: cum utraque nobis sit necessaria, ad participium redemptionis, utraque requiratur ad compensationem injuriæ Deo illatæ, quæ non alio commodius tollitur, quam patiendo pœnas, & præstando obedientiam legi: imò si divellas, utramque injuria afficeris, privando utramque dignitate, satisfaciendi, vel merendi. Imò, nec curiosè nimis *distinguenda* est, in hoc negotio, duplex illa justitia, ita ut *priori* solâ nos liberaverit à reatu, satisfeceritque: *posteriori* solâ nobis comparaverit jus vitæ æternæ, meruerit que: ita enim justitiam *passivam*, privaveris axiomate merendi, & justitiam *activam*, dignitate satisfaciendi: cum præsertim in nostro negotio, satisfactio & meritum non differant *re*; dum, qui satisfactione liberatur à reatu *condemnationis* æternæ, ei una opera restituatur jus vitæ æternæ; sed *ratione* tantum, quatenus enim justitia illa geminata Deum respicit, *satisfactio*; quatenus hominem, *meritum* audit: de quo fortè plura suo loco. Quare concludendum, quod utraque justitia Christi, *passiva* & *activa*, velut totidem partes, ingrediantur constitutionem unius λύτρου, cujus ope satisfiat pro *reatu* nostro, eademque opera, nobis comparetur *jus* vitæ æternæ. Hinc G. indefinitè *seipsum* (ἑαυτὸν) tradidisse dicitur pro nobis ἀντίλυτρον 1 Tim. II. 6. Gal. I. 4. & II. 20. Eph. V. 2. 25. Tit. II. 14. Heb. IX. 14. 15. Quatenus seipsum *totum*, quantus quantus est, nobis impendit; licet diverso modo: quoad justitiam quidem *originalem*, qualificandæ pro nobis, personæ mediatoriæ: quoad utramque justitiam *partam*, tam activam quam passivam, qualificando ἀντιλύτρῳ, seu ἀπολυτρώσει: quoad *vitæ* exempla, & miracula; commodo hominum, confirmationi fidei nostræ, & imitationi vitæ: quoad *intercessionem* sacerdotalem, universam item exaltationem, resurrectionem, ascensionem, sessionem ad dextram, applicandæ nobis redemptioni.

XV. Fuit ergo redemptorium istud reatui omnium redimendorum exactè *æquivalens*, adeo ut, ex rigore *justitiæ* suæ, Deus eo plus, nec exigere, nec à Mediatore accipere potuerit: cum enim omnium redimendorum reatus non sit nisi infinitus (eo quod infinitum infinito majus esse; aut infinito aliquid addi posse, cogitare, sit infinitum cogitare, quod infinitum non sit) dum merito & valore infinitum præstitit ἀντίλυτρον; utique *æquivalens* præstitit, pro infinito reatu, infinitum redemptionis pretium. Præstitit autem λύτρον *infinitum*: quia præstitit *pretiosum sanguinem*, omni auro & argento digniorem 1 Pet. I. 18. 19. 1 Cor. VI. 20. sanguinem ipsius *filii Dei* 1 Joh. I. 7. imò sanguinem ipsius *Dei* Act. XX. 28. *seipsum* θεάνθρωπου 1 Tim. II. 6. idque perfectissimo præstandi *modo*, in qua nihil non possis desiderare; imò ne Deus quidem Heb. IX, 14. eo quod *divinus* fuerit à persona offerente, quæ *Deus* ipse fuit & homo Act. XX. 28. Proinde, licet multiplex Dei gratia in hoc negotio sit conspicua, v.g. qua sponsorem nobis *dedit* filium suum; qua sponsionem oblatam, & λύτρον ei convenienter præstitum, *admisit*; qua præstitum, ad hos aut illos redimendos, exclusis aliis, *restrinxit*: nulla tamen ipsi λύτρῳ, aut offerenti Mediatori, facta legitur gratia, per quam *acceptilasse* dici possit. Sicut autem per istam æquivalentiam, non *minus* præstitit, quam exigebat noster reatus; ita etiam non *magis*, eo quod redimendorum reatus valore sit *infinitus*. Et sicut porro, licet *singulorum* redimendorum reatus infinitus sit; & tamen omnium reatus *collectivè* consideratus, non major evadit, quod infinitum in indivisibili consistat, nec incrementi, nec decrementi capax: ita etiam, licet Mediator singulis redimendis infinitum ἀντίλυτρον impendat; non tamen, per eandem infinitatis rationem, omnibus redimendis simul *majus* pretium impendere potuit aut debuit.

Redemptorium præstitit, reatui redimendorum exactè æquivalens.

Cui redemptorium, & quâ ratione tradiderit.

XVI. Redemptorium istud Mediator tradere debuit, non diabolo, quamvis mortis potestatem in redimendos habuerit Heb. II. 14. quod in foro, commentariensi, aut carnifici non fiat satisfactio: sed Deo ut Judici, unde passim seipsum obtulisse dicitur *Deo* Heb. IX. 14. Apoc. v. 9. Nec tamen ita tradidisse pretium Deo intelligendus est, ac si Deus quicquam ab eo *acceperit*, quo *perfectior* fieret: cum non tantum uni Dei infinitæ perfectioni nihil possit accrescere; sed pœna etiam, secundum Jurisconsultos, creditorem non habeat, adeoque talem etiam traditionem non requirat: sed *tradidisse* dicitur, quatenus redemptorium utriusque suæ justitiæ, activæ & passivæ, placando Judici irato, & sarciendæ injuriæ Deo illatæ, destinavit & impendit, ex ejus postulatione. Et sic satisfactionem ingreditur æquivalentis redemptorii depositio. Eandem denique.

4. Reconciliatio cum

XVII. *Quartò* ingreditur propitatio & *reconciliatio* redimendorum cum Deo, quâ, per præstitum æquivalens ἀντίλυτρον, inimicitia inter Deum & redimendos, ex peccato oriunda Jes. LIX. 2. Eph. II. 3. (posita scil. fide, & resipiscentia, saltem quoad propositum deserendi peccata) penitus cessat Rom. v. 10. eique perfecta succedit pax & amicitia vs. 1. 2. Tribuit istam reconciliationem passim Scriptura, redemptorio mortis Christi 2 Cor. v. 18. 19. 20. 21. Eph. II. 16. Col. 1. 20. 21. 22. Indigitat autem locus 2 Cor. v. 18 — geminam reconciliationem, alteram *meritoriam & virtualem*, quâ *Deus*, ob peccatum, à redimendis aversus Jes. I. 15. & LIX. 2. homini placatur, à quâ Christus dicitur *propitiatio* (ἱλασμός) *pro peccatis nostris* 1 Joh. II. 2. & IV. 10. & *propitiatorium* (ἱλαστήριον) *per fidem in sanguine ejus* Rom. III. 25: alteram *ministerialem & actualem*, quâ animus *hominis* aversus à Deo, ei per conversionem, ope Spiritus S. & ministerii euangelii, placatur 2 Cor. v. 19. *Et posuit verbum reconciliationis in nobis — reconciliamini cum Deo*: Posterior hæc reconciliatio fructus est & consectarium prioris, quæ (prior) hujus potissimùm est considerationis, utpote cui obtinendæ maximè necessaria erat depositio ἀντιλύτρου.

Veritas satisfactionis Christi.

XVIII. Et hæc quatuor ingredientia, cum naturam exhauriant, propriæ & perfectæ satisfactionis, pro alio præstitæ, ἀναντιῤῥήτως, invictum nobis suppeditant argumentum, pro veritate satisfactionis Christi: cui enim, ex sententia Scripturæ, omnia competunt veræ ac perfectæ satisfactionis ingredientia; ei non potest non competere, veræ & perfectæ satisfactionis ratio: & cui hæc quatuor competunt, ei omnia ingredientia competunt. Alia in hanc rem argumenta, magis particularia, forte succedent in *elenchticis*.

Ejusdem necessitas.

XIX. Nec tantum *vera* est hæc Mediatoris satisfactio; sed etiam omninò *necessaria*. Idque nos ex uno tantum capite: 1. ex immutabilitate propositi ac *decreti* divini, de non remittendo peccato, citra justam punitionem; quo *sontem* non vult habere *pro insonte* Exod. XXXIV. 7. Psal. I. 20. 21. Ex 2. immota *veracitate*, comminationi divinæ Gen. II. 17. quæ peccatori pœnam mortis dictavit & maledictionis Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Ex 3. nativâ Deo sanctitate & *justitia*, qua non potest non *odisse* peccatum Psal. v. 5. 6. 7. Hab. I. 13. Jes. I. 15. quod odium in Deo non *affectum* notet, sed effectum, seu *voluntatem* puniendi. Ex 4. intrinseco peccati *demerito*, à quo perpetrantes *digni sunt morte* Rom. I. 32. cui proinde Deus, ut justus terræ Judex, non potest non justum suum facere Gen. XVIII. 25. à quo *justum* dicitur *apud Deum*, *retribuere* mala malis 2 Thess. I. 6. Ex 5. natura *legis*, quæ, cum non fit, nisi præscriptio officii, sub comminatione pœnæ, vel expressæ, vel subintellectæ (quatenus per hoc lex distat à consilio, aut simplici directione, qualis est v. g. in præscriptis medicorum, aut in placitis consiliariorum) & Deus creaturis rationalibus non possit non præscribere legem; non potest non exigere exsecutionem dictatæ violatoribus pœnæ. Ex 6. *sapientia* & prudentia Dei, ut Rectoris: utpote quæ non patitur leges, in bonum publicum justè latas, impunè violari, cum detrimento publico. Conf. Psal. CI. 2. cum 8. Denique 7. ex puniti ipsius *filii Dei* consideratione: si enim, absque dispendio gloriæ suæ, Deus dispensare *potuisset* de pœnis peccatorum; sanè filio suo, filio proprio, unigenito, dilectissimo perpercisset Rom. VIII. 32: &, si nulla sibi fuisset ejus puniendi *necessitas*; fuisset sanè (absit blasphemia dicto) crudelitatis non gloriosæ argumentum, non *nude* punire propter alios; sed *adeo* etiam punire, propter alios. Hæc omnia, meo quidem judicio, ad demonstrandam hujus satisfactionis necessitatem, commodius compinguntur in unum argumentum, & validius stringunt in adversarium negantem, quod vis unitâ fortior existat; quam si arguamus, ex hoc aut illo solo capite, v. g. naturali Deo justitia, per quam, abstracta voluntate, decreto & comminatione, vel per *absolutam* suam potestatem, non possit non punire peccatorem.

2. Acquisitio juris ad bonum.

XX. Fuit primum redemptionis adminiculum, liberatio à reatu peccatorum, per *satisfactionem*: succedit *secundum*, impetratio juris ad bonum, per *meritum*: quatenus redemptorium præstitum, ordinatur, non tantum ad tollendum à nobis *reatum* omnis mali; sed & ad acquirendum *jus* omnis boni. Ita scil. *ut quemadmodum regnavit peccatum ad mortem; ita etiam gratia regnaret, per justitiam ad vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum* Rom. v. 21. Competit autem redemptorio Christi, merendi dignitas: 1. Ex ipsa *satisfactionis* natura, quatenus ea nos liberando à reatu mortis.

mortis, omnimodæque maledictionis; eâdem opera nos restituit in jus vitæ & benedictionis omnimodæ Gal. III. 13. 14. Hinc 2. ex *promissione* legis, quatenus præstando δικαίωμα τῦ νόμυ Rom. VIII. 3. 4. non tantum *perferendo* pœnas, inobedientiæ dictatas; sed etiam *præstando* exactissimè officia ab eâ præscripta: jus acquisivit ad eam mercedem, quam obedientibus lex promisit Levit. XVIII. 5. Zzech. XX. 11. 13. Rom. X. 5. Matth. XIX. 17. Rom. II. 6. 7. 8. 9. 10. Porro 3. ex *condignitate* præstiti redemptorii, quatenus illud, ex persona præstantis, *infiniti* est valoris, ut jam ante ostendimus, eoque meretur, ut non tantum, ejus efficacia liberemur à malo; sed & bonum consequamur. Ex quo etiam perspicimus, meritum Christi non nasci, vel α. ex puro puto *pacto*, quemadmodum meritum protoplastorum, si legem exactè servassent; nec β. ex qualicunque *congruentia*, ex qua, citra ullum debitum promissionemque, irregenitorum bonis operibus, qualecunque subinde, confert præmium externum Exod. I. 19. 20: Sed γ. ex *condignitate* obedientiæ: quatenus, non duntaxat persona divina, ἐν μορφῇ Θεῦ ὑπάρχων, ἴσος Θεῷ, obedivit Phil. II. 8. 9. sed ipsa etiam obedientia, ut à θεανθρώπῳ profecta, indebita fuit, & superabundans: quod lex, non θεάνθρωπον; sed homines tantum obstringat ad obedientiam: addam quod plura etiam præstiterit, quam lex ab hominibus exigit, puta tot miracula, tot beneficia extraordinaria, hominibus præstita; ex quibus omnibus infinitus valoris evasit ejus obedientia.

Objectum redemptionis, XXI. Habuimus redemptionis naturam, causas, adminicula; succedit ejus *objectum*. Quod præstant, non *Angeli*, vel *boni*, qui non indigent; vel *mali*, æternis tenebrarum catenis vincti, extra omnem redemptionis spem constituti 2 Pet. II. 4. Jud. vs. 16. Apoc. XX. 2: sed *homines*, eorumque, nec absolutè *pauci*; nec *omnes* & singuli; sed *multi* Matth. XX. 28. Quamvis enim præstitum redemptionis ἀντίλυτρον infiniti sit valoris, ut ejus ope, omnes & singuli facilè redimi potuissent: à quo nonnulli, Christum pro omnibus & singulis, *sufficienter* dicunt mortuum esse; licet non *efficaciter*: quia tamen non à solo *valore* suo pendet ejus efficacia; sed etiam à *destinatione* Patris, & ab intentione redimentis Joh. XVII. 9. hinc non omnes & *singulos* redemisse, cum Scripturis dicimus: nominatim, suum ἀντίλυτρον non præstitisse pro his, qui ante suam mortem damnati erant 1 Pet. III. 19. 20. nec pro damnandis, post mortem suam Rom. VIII. 34: sed (1) pro sua *Ecclesia* Eph. V. 23. 25. 26. 27. Act. XX. 28. Apoc. V. 9. & I. 5. Tit. II. 13. 14. (2) pro suis *ovibus* Joh. X. 11. 15. Heb. XIII. 20. exclusis *hircis* Matth. XXV. 32 — (3) pro *populo* suo Matth. I. 21. Tit. II. 14. (4) pro *fratribus* suis Heb. II. 11 — (5) pro *filiis* & semine suo Heb. II. 3. 14. 15. Jes. LIII. 10. Psal. XXII. 30. (6) pro *filiis* seu *populo Dei* Joh. XI. 50. 51. 52. Tandem (7) pro his quos Pater ei *dedit* redimendos Joh. XVII. 2. 9. Conf. Joh. VI. 50. 51. 53. 54. cum XVII. 24.

non omnes & singuli homines;

sed sui.

Fructus redemptionis. XXII. Restant *fructus* & producta redemptionis, mortis & satisfactionis: nim. (1) *Sanctio* & confirmatio fœderis gratiæ, omniumque ejus beneficiorum Matth. XXVI. 28. Heb. IX. 15. 16. quatenus fœdus illud, pro ratione testamenti, confirmatur morte testatoris Heb. IX. 16. 17. nec ullum fœderis gratiæ beneficium, *salutare* quidem, ad nos transire potest, nisi sublato, per redemptorium, peccato Jes. LIX. 2. unde in Christo demum omnes promissiones hujus fœderis dicuntur esse ναὶ καὶ ἀμὴν 2 Cor. I. 20. (2) *Reconciliatio* nostri cum Deo, posita fide: qua, ab *una parte* sublata est omnis *inimicitia* nostri cum Deo Col. I. 20. Eph. II. 16. Rom. V. 10. 2 Cor. V. 18. 19. 20. 21. sublata enim omnis odii & inimicitiæ causa, per præstitum redemptorium; omnis necessariò cessat effectus odii: ab *altera parte*, restituta nobis est *pax* cum Deo, à qua Christus *pax* nostra dicitur Eph. II. 14. *propitiatio* nostra 1 Joh. II. 1. 2. & *propitiatorium* Rom. III. 25. quatenus sublata per redemptorium inimicitiæ causa, non potest non succedere pax & εὐδοκία Dei Luc. II. 14. (3) *Liberatio* ab omni *vere malo* Apoc. XIV. 4. Matth. VI. 13. Tit. II. 14: nominatim, α. à *peccato* originali & actuali Heb. I. 3. 1 Joh. III. 8. 1 Pet. I. 18. β. ab *ira futura* 1 Thess. I. 10. γ. à *maledictione legis* Gal. III. 13. 14. δ. à stipendio peccati, *morte* Heb. II. 14. 15. ε. à *dominio* & tyrannide Satanæ, omniumque nostrorum inimicorum spiritualium. *Ibid.* Luc. I. 74. ζ. à præsenti malo *seculo* Gal. I. 4. Apoc. XIV. 3. 5. (4) Collatio *benedictionis* Abrahami, & in ea, *Spiritus* S. Gal. III. 13. 14. (5) *Adoptio* & receptio in familiam Dei Gal. IV. 4. 5. 6. (6) *Justificatio* & remissio peccatorum Eph. I. 7. Col. I. 14. Rom. V. 19. 2 Cor. V. 20. 21. Apoc. I. 5. Rom. V. 9. Heb. X. 16. 17. 18. (7) *Sanctificatio* 1 Cor. VI. 11. & I. 30. Tit II. 14. (8) *Libertas* spiritualis Gal. V. 1. (9) παῤῥησία & προσαγωγὴ ad thronum gratiæ, in quavis necessitate Heb. X. 19. 20. Quæ tamen omnia, quoad *possessionem*, præsupponunt prærequisitas conditiones, fidem & resipiscentiam.

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An detur vera per Christum redemptio?

XXIII. Est in hoc capite, velut seminarium controversiarum. Quæri possit *primo*, an detur vera per Christum redemptio: Negant omnes palam infideles, Gentiles, Muhammedani, Judæi: affirmant quotquot Christum, vel *ore* tantum profitentur, & N. T. veritatem recipiunt. Infidelibus, si pote, feliciter convincendis, conducet premere vestigia Pauli, agentis super hoc negotio

tio cum Gentilibus: v. g. cum Athenienſibus Act. XVII. 22 — cum Felice & Druſillâ cap. XXIV. 25. cum Romanis, in ſuâ Epiſtola ad eos. Ut nim. ex principiis rectæ rationis, ſi cum Gentilibus; aut inſuper ex ſcriptis receptis, ſi cum Judæis & Muhammedanis nobis ſit negotium, eo convincere conemur, de indeclinabili *neceſſitate*, aut æterni, totius generis humani, exitii, aut redemtionis alicujus. Quod fieri poſſit, per has hypotheſes, ſolidè demonſtratas: (1) eſſe *Deum*, à quo omnia, pro ſuâ cujuſque naturâ, dependeant & gubernentur: qui proinde (2) non poſſit non creaturis rationalibus præſcribere *leges*, quibus, convenienter ſuæ naturæ, gubernentur morali modo: Iſtas (3) leges divinas ſuâ naturâ implicare comminationes pœnæ, violationi legis analogas: Quare (4) cum quavis legis violatione, infinita legiſlatoris majeſtas violetur; infinitum, quovis peccato, contrahi reatum: quem reatum (5) per naturalem legiſlatoris ſanctitatem, juſtitiam, & odium verſus peccatum & peccatorem, Judex legiſlator non poſſit abſque condigna punitione prætermittere: quare (6) neceſſum eſſe, ut vel ipſe peccator æternùm pereat; vel alius intercedat, qui pro eo pœnam iſtam ſuſcipiat, & ſuſcipiendo, eum redimat: Et cum (7) ipſe peccator *finitus* pœnam *infinitam* non poſſit ſuſtinere, niſi æternam: neceſſum eſſe, ut perſona aliqua, dignitate *infinita*, ſuccedat, quæ infinitam *valore* pœnam perferat: & cum (8) *hominis* peccatum Deus per juſtitiam non velit punire, niſi in *homine*; neceſſum quoque, ut pœnam iſtam perpeſſurus, ablaturuſque, eadem opera ſit verus *homo*, adeoque Deus & homo ſimul: & cum (9) non detur θεάνθρωπος, niſi Jeſus noſter, qui per ſe innocens, diriſſima quævis perpeſſus ſit: manet (10) ipſum *ſolum* eſſe hominis redemptorem, qui, præſtando legis δικαίωμα, hominem peccatorem liberaverit à *reatu* mortis æternæ, ac pro ea, recuperaverit *jus* vitæ æternæ; aut ſi (11) *Jeſus* noſter non ſit iſte redemptor; neceſſum eſſe, ut adverſarius alium quemvis deſignet; quem facili negotio refutabimus, per neceſſaria redemptoris requiſita, divinam & humanam naturam, per ſe innocentem, in eo deficientia; Et cum (12) iſtud tale ſit, quod *ratio* humana non poſſit inveſtigare; neceſſum eſſe, ut hoc à Deo ſit *revelatum*: atque adeo (13) iſtud *ſcriptum*, cujus ope nobis hoc revelatur, originis & auctoritatis *divinæ* eſſe. Denique (14) reſpondendum eſt ad quævis, quæ adverſarius in contrarium cauſari poſſit.

Hypotheſes hîc demonſtrandæ.

2. An redemptio Chriſti in hoc ſolo conſiſtat, quod remiſſionem, & vitam æternam promiſerit obſervantibus legem Moſaicam à ſe correctam & auctam &c. Sententia Chriſtianorum.

XXIV. *Secundo* quæritur, an redemptio Chriſti in *his ſolis* conſiſtat: quod à Deo miſſus, peccatoribus annunciaverit promiſſiones Dei, de remiſſione peccatorum, & vitâ æternâ, ſub conditione obedientiæ, legi Moſaicæ, prout illa à ſe correcta fuerit & aucta, præſtitæ: quod porro in iſtâ obedientiâ, ſuo exemplo præluxerit: quod factas promiſſiones morte & reſurrectione ſua confirmaverit, & poſt aſcenſionem, peccatorum cauſam, in cœlis, cum Patre ſuo agat, & in extremo judicio, poſt reſurrectionem, vitam promiſſam ipſis collaturus ſit? Sociniani, odio, totum æternæ *Deitatis*, tum conſequenter, æquivalentis *ſatisfactionis* Chriſti; prædictis ingredientibus redemptionis negotium terminant: Chriſtiani ex adverſo, ſicut largiuntur, Chriſtum à Deo miſſum, viam ſalutis annunciaſſe, ſuo exemplo præluſſe, veritatem doctrinæ ſuæ morte confirmaſſe, à reſurrectione & aſcenſione ſuâ noſtram cauſam in cœlis agere, atque etiam coronam juſtitiæ, in extremo die, collaturum eſſe; ita negant, (1) ab ipſo *primùm*, promiſſiones remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, fuiſſe annunciatas; (2) ipſum legem Moſaicam *correxiſſe* & auxiſſe; (3) ab *obedientiæ*, legi cuivis præſtita, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam ſuſpendiſſe: affirmant (4) à ſatisfactione *æquivalente*, ab ipſo quidem præſtitâ; à nobis verò viva fide arripienda, pendere. Perverſas Socinianorum hypotheſes: A. Chriſtum *primum* fuiſſe promiſſionum ſpiritualium, de remiſſione peccatorum, & vitâ æternâ, propalatorem; infinita ferè refellunt Veteris Scripturæ teſtimonia: de *remiſſione* quidem Levit. IV. 20. 31. 35. 2 Paral. VII. 14. Jer. XXXI. 34. & XXXIII. 8. Zeph. III. 17. Pſal. XXXII. 1. & LXV. 4. & CIII. 3. &c.: de *vita æterna* Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. cum Rom. X. 5. Matth. XIX. 16. 17. Gal. III. 12. &c. B. Legem Moſis ipſum *correxiſſe & auxiſſe*, refutavimus lib. V. cap. VI. §. XVII. & ex profeſſo refutabimus ſuo loco. C. Ipſum ab *obedientia*, legi cuivis præſtanda: ſeu à bonis operibus ſuſpendiſſe remiſſionem peccatorum & vitam æternam, ſuo loco conficiemus in cap. *de Juſtif.* Chriſtum autem D. ſatisfactione æquivalente nos redemiſſe, in *dogmaticis* dudum demonſtravimus, & in ſequentibus vindicabimus.

3. An Chriſtus ſatisfecerit per meram Dei acceptilationem?

XXV. *Tertiò* quæritur, an, ſi *ulla* veniat, in negotio redemptionis, admittenda ſatisfactio; non alia ſit, quam quæ nititur mera Dei *acceptilatione*? Sociniani, quo, ſi non tollant penitus, ſaltem allevent, invidiam negatæ ſatisfactionis Chriſti: & quo inter Chriſtianos commodius latitare poſſint; affirmant, Chriſtum dici poſſe *ſatisfeciſſe*, quatenus ad omne exactiſſimè præſtiterit, quod à Deo ſibi erat impoſitum, abſque ulla ſubſtitutione aut pretio. Ad Socinum, ſubtilius quidem, accedunt Socini ζῆλοι, Arminiani, Curcellæus *Diſſert. de vocib. Trinit.* &c. §. XXX. Epiſcopius in *Apolog.* cap. VIII. fol. 94. aliique: & inter hos, Conradus Vorſtius, ne in terminis negata Chriſti ſatisfactio obeſſet vocationi ſuæ ad profeſſionem Leidenſem, admiſit quidem qualemcunque

ſub-

subſtitutionem Chriſti, & pretium etiam? ſed quod *ex ſe* non eſſet reatui noſtro *æquivalens*; verum ſola Dei *acceptilatione* ſufficiens; quo modo ſatisfacit, qui creditori accipienti, v. g. pro mille imperialibus, unum præſtat. Chriſtiani largiuntur quidem, eum exactiſſime præſtitiſſe, quod Pater voluerit: ſed addunt, Patrem voluiſſe, ut ſe ipſum peccatoribus electis ſubſtitueret, & æquivalens redemptionis pretium præſtaret Pſal. XL. 7. 8. 9. cum Heb. X. 5—11. Jeſ. LIII. 10. Duo hic controverſa nos in *ſubſeq.* controverſiis diſtincte vindicabimus.

4. An Chriſtus in ſatisfactione nobis ſubſtitutus ſit?

XXVI. *Quarto* quæritur, an ſatisfaciendo, Chriſtus ſuis ita *ſubſtitutus* ſit, ut eorum peccata & univerſus reatus, ei fuerit imputatus? Sociniani, odio ſatisfactionis *æquivalentis*, admittunt quidem, Chriſtum *pro* nobis mortuum eſſe, hoc eſt, in *bonum* noſtrum mortuum eſſe, quemadmodum etiam Paulus Col. I. 24. nominatim, ut 1. in gratiam noſtri, novum fœdus *obſignaret*, ejuſque novas & ſpirituales promiſſiones, de remiſſione peccatorum & vita æterna, ſibi obedientibus præſtandas, morte confirmaret: ut 2. homines ad amplectendam conditionem fœderis iſtius novi, ſcil. *obedientiam* mandatorum ſuorum, potentius alliceret: ut 3. paſſionibus & morte, *miſericordiam* edoctus, & ſupremam *poteſtatem* adeptus, commodius poſſet pro nobis intercedere. Pontificii, licet ſatisfactionem Chriſti *pro* nobis, utcunque fateantur; negant tamen obedientiam & juſtitiam Chriſti nobis *imputari*: ad hoc, ut *propriam* juſtitiam commodius juſtitiæ Chriſti nobis imputatæ poſſint ſubſtituere, cujus ope vitam æternam mereantur. Reformati docent, Chriſtum ſatisfacientem *ita* nobis fuiſſe *ſubſtitutum*, ut peccata, & reatus noſter univerſus, fuerint ei imputata, adeoque *loco* noſtri, paſſus & mortuus ſit. Fundamenta ſententiæ orthodoxæ monſtravimus §. XII. Nec addimus, niſi A. quod ſententia Sociniana paſſioni & morti Chriſti *plus* non tribuat, quam quorumvis *martyrum* paſſionibus Col. I. 24. cum 2 Tim. II. 10. cui ipſe reclamat Apoſtolus 1 Cor. I. 13. B. Quod, ex ſententia Sociniana, fructus mortis Chriſti ſe non poſſet extendere ad fideles Veteris T. cui Paulus ἐπιτῶς obloquitur Heb. IX. 15. C. Quod Scriptura nullibi doceat, Chriſtum paſſum & mortuum eſſe, ut Prophetam aut *martyrem*; verum expreſſiſſimis verbis, ut *teſtatorem* Heb. IX. 15. 16. 17. Gal. III. 17. D. Quod, ex hypotheſi Socini, paſſio & mors Chriſti non faciat ad demonſtrationem *juſtitiæ* Dei, cui reclamat Apoſtolus Rom. III. 25. E. Quod ex eadem ſententia, Chriſtus dici non poſſet factus pro nobis *exſecratio* Gal. III. 13. cum Deut. XXI. 23. Nec habent quod obtendant, niſi (1) unum atque alterum Scripturæ teſtimonium, quod iſtam ſubſtitutionem videtur *rejicere* Exod. XXXII. 33. Ezech. XVIII. 17. 18. 26. Reſp. Verum ea loca non rejiciunt *omnem* ſubſtitutionem; ſed *eam* tantum, qua Moſes ſubſtituatur Iſraelitis, aut Pater *quivis* filio, & ex adverſo Patri filius, aut homo *merus* homini: non autem *extraordinariam* ſubſtitutionem, quâ, ex pacto Patris & filii, hic ſurrogatus eſt iis electis. (2) Quod in *capitalibus* non obtineat ſubſtitutio Deut. XXIV. 16. 2 Reg. XIV. 6. Reſp. Verum; ſed, quamvis 1. Deus prohibuerit *aliis*; non tamen *ſibiipſi* ademit poteſtatem ſubſtituendi: quia 2. nulla *creatura* poteſtatem habet in *vitam* hominis innocentis: proinde, nec Judex *accipere* poteſt vitam unius pro vita alterius; nec unus pro altero, vitam ſuam Judici *offerre* juſtè poteſt. Verum, cum & ſupremus Judex abſolutiſſimum habeat vitæ neciſque *jus*; & Chriſtus, ut *Deus*, illud ſibi arroget Joh. X. 18. apparet hic ratio, maxime diſſimilis. (3) Quod *injuſtum* ſit, innocentem pro nocente punire, & crudele inſuper, *filium* innocentem punire pro reis. Reſp. 1. Injuſtum eſt, innocentem *invitum* pro nocentibus punire; non eſt autem *volentem*, ſi ſui juris ſit, punire: volenti enim non fit injuria. 2. Nec injuſtum aut crudele eſt, ſi Pater Filium *volentem* puniat, quando id cum emolumento & *commodo* maximo, pariter & abſque Filii *exitio*, fieri poteſt. 3. Perinde injuſtum & crudele eſſet, innocentem Filium in commodum nocentium *affligere* (quod Sociniani in Chriſto factum agnoſcunt) ac innocentem loco nocentium *punire*.

Sententia adverſariorum, &

Reformatorum.

Objectiones.

5. An per ſubſtitutionem, peccata noſtra ſuſcepererit, quoad reatum tantum; an etiam quoad maculam? Reformati quid concedant, & quibus rationibus.

XXVII. Quæritur *quinto*, an per hanc ſubſtitutionem, Chriſto impoſita & ſuſcepta fuerint electorum peccata, non tantum quoad *reatum*; ſed etiam quoad *maculam*? *Peccata* electorum, per ſubſtitutionem iſtam, in æterno conſilio pacis, a Patre impoſita, & à Chriſto *ſuſcepta* fuiſſe, omnes Reformati uno ore agnoſcunt, quod 1. niſi peccata ab ipſo ſuſcepta fuiſſent, non potuiſſet ab eo juſte exigi pœna eorundem; qui enim nullo modo peccatum habet, propter illud juſtè puniri non poteſt. Hinc 2. Scriptura paſſim dicit, quod Jehova fecerit *incurrere in ipſum pœnam omnium noſtrum* ויהוה הפגיע בו את עון כלנו Jeſ. LIII. 6. & verſ. 11. *& iniquitates ipſorum ipſe portabit* יעונתם הוא יסבל & verſ. 12. *ipſe peccatum multorum tulit* והוא חטאת רבים נשא 1 Pet. II. 24. *qui peccata noſtra*, ἁμαρτίας ἡμῶν, *ipſe pertulit in corpore ſuo*. Hinc *Deus* dicitur *ipſum qui peccatum non norat*, *peccatum pro nobis feciſſe* 2 Cor. V. 21. Ab hoc *fatuitas* ipſi tribuitur Pſal. LXIX. 4. 5. & Pſal. XL. 13. *Circumdederunt me* עונות *iniquitates meæ*. Hoc 3. præfiguratum legimus in impoſitione manuum & peccatorum in pecudem ſacrificio deſtinatam, à quo ſacrificium *peccatum* & reatus אשם & חטאת dicebatur Levit. XVI. 26. 28. Num. XIX. 7. 8. Sed quæſtio remanet: an peccatum

Sociniani.

catum electorum ipsi impositum fuerit, quoad *reatum* tantum, an insuper quoad *maculam*? quoad *reatum* ipsi impositum fuisse, omnes Reformati uno ore fatentur: ast quoad *maculam* etiam tradunt Antinomi, ad hoc ut habeant, electos ex hac substitutione & susceptione tam puros, tam justos, tam sanctos esse, ac Christus ipse: imò quadantenus puriores etiam, quam Christus, utpote qui peccatorum suorum *maculam* ab ipsis in se derivaverit: atque insuper ut habeant restipiscentiam & sanctitatem, qua prævia potiantur redemptione Christi, in electis non esse necessariam, eo quod Christus omnia peccata sua, non tantum quo ad *reatum*; sed etiam quoad *maculam*, in se derivaverit. Reformati negant peccata electorum Christo *imposita* esse, quoad *maculam*; sed *imputata* tantum fuisse dicunt, quoad *reatum*, quatenus ita à Deo tractatus fuerit, ac si peccatorum *maculam* haberet; secus enim 1. peccator fuisset inhærenter, si non per *commissionem*; saltem per *impositionem*; cui enim imposita est peccati macula, ei inhæret. Secus 2. à susceptа *macula* ebrietatis & incestus à Lotho, mendacii ab Abrahamo & Isaaco, latrocinii à latrone; fuisset inhærenter ebrius, incestuosus, mendax, latro, quod apertam spirat blasphemiam. De hoc in progressu uberius. Secus 3. vel in mente divina error esset, quo putet peccata ab electis commissa à Christo perpetrata esse; vel peccati corruptionem in Christum propagatam, saltem *impositam* esse: quod autem horum impossibile est. Porro 4. impositio maculæ peccatorum cassa fuisset & inutilis: quia susceptio peccatorum nostrorum in Christo non spectabat aliò, quam ut satisfaceret pro eis, & satisfaciendo tolleret ac liberaret à reatu; cui quicquam non conferebat suscipere maculam ac turpitudinem peccatorum. Insuper 5. ille qui tam solicitè cavit, ne corpus suum videret *corruptionem*; procul dubio magis cavit, ne animus ejus videret *pollutionem* peccati. Ad hæc 6. Non posse dici, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *sanctus, immunis à malitia, impollutus, segregatus à peccatoribus*; si habuisset sibi impositas maculas tot electorum. Imò 7. ineptus ea ratione fuisset, qui satisfaceret pro peccatis electorum: illa enim persona, quæ *maculam* & turpitudinem tot peccatorum gestat, ne pro se quidem potest satisfacere, & multo minus pro aliis. Hinc Apostolus Heb. VII. 24. *Talis enim nobis decebat Pontifex, sanctus* &c. & in satisfactione justus debet substitui injustis, 1 Pet. III. 18. *justus pro injustis, ut nos* &c. Huc sacrificia V. T. debebant esse pura ἄμωμα, à quo etiam Christus dicitur per Spiritum Sanctum obtulisse seipsum ἄμωμον Heb. IX. 14. Nec juvat excipere, quod immunis esse debuerit à peccato *proprio*, seu à se commisso: ea enim *macula* peccatorum nostrorum quæ ipsi imposita est, eodem loco est cum eâ, quæ originaliter esset ab ipso. Tandem 8. si peccatorum nostrorum *maculam* à nobis in se ita traduxisset, ut nos ab eâ penitus liberasset, ut peccata non amplius sint *nostra*; sed *Christi*: tum non pro nobis; sed pro propriis peccatis, satisfeciisset. Nec video quid pro contraria sententia dici possit, nisi quod peccata nostra imputata fuerint, dudum a nobis citata, per quæ non sequitur, *maculam* peccatorum nostrorum ipsi *impositam* fuisse: sed tantum per imputationem, ipsum à Deo habitum & punitum fuisse; ac si ipse eadem perpetrasset. Videntur igitur peccare adversarii, quod α. peccata considerent velut positivum quid, quod physica traductione alicui imponi possit: dum reverà imponi non possunt, nisi quoad *reatum*, per imputationem. Quod β. cum ex obligatione *civili*, soluturus consideretur ut *debitor*: etiam ex obligatione *criminali*, reddatur idololatra, blasphemus, adeoque non tantum *reatum*, sed etiam ipsum peccatum habeat: quando Christus, solvens nostra debita, fuerit satisfactor seu solutor *criminalis*, qui non præstat nisi *pœnam* reatus, non autem maculam suscipit: cum planum sit; quod si quis suscipiat pœnam pecuniariam, v. g. pro furto, ille eo ipso non reddatur fur. Ex hoc.

Quid negent.

Fundamenta sententiæ adversariæ.

XXVIII. Quæritur *sexto*, an Christus ex susceptione peccatorum nostrorum per substitutionem factus fuerit *peccator*, ebriosus, mendax, blasphemus, & quid non; quin & magis dici debeat peccator quam nos, imo maximus peccator, cum nostra peccata in se traduxerit, & ab eis nos liberaverit? Antinomi, quod, per præcedentem controversiam, statuant peccata nostra in eum traducta fuisse, non tantum quoad *reatum*, sed etiam quoad *maculam* ac turpitudinem, affirmare coguntur. In patribus non desunt, licet mente diversâ, qui fictiarum loquantur, v. g. Chrysostomus Homil. XI. *ad Corinth.* Oecumenius in cap. IX. *ad Heb.* nec etiam inter Reformatos, v. g. Calvinus in Gal. III. 13. Jac. Altingius, *Dissert. Theol. Hept.* II. Diss. I. §. 4. 5. 6. 7. 8. Patres tamen, & Reformati, quin & quivis Christiani communiter, sic nec loquuntur, nec sentiunt, quod 1. per quæstionem præcedentem, Christus peccata electorum susceperit, non quoad *maculam*; sed quoad *reatum* & pœnam tantum. Quod 2. Scriptura nullibi doceat, Christum *peccatorem* factum, mendacem, ebriosum, blasphemum &c. Quod 3. blasphemiam spiret, & veritatem Christianam hostium dicteriis & calumniis exponat, Servatorem nostrum esse peccatorem, blasphemum &c. Nec A. verum est, quod pro fundamento horrendæ hujus sententiæ struunt, Christum peccata nostra susceptisse, non quoad *reatum* tantum; sed etiam quoad *maculam*, prout docuimus penes quæstionem præcedentem. Nec B. huc pertingit, quod dicatur factus pro nobis

6. An Christus per hanc substitutionem fit factus peccator, ebriosus, mendax &c? Sententiarum divortium.

Negativa cum suis rationibus.

Affirmativa cum suis objectionibus.

bis *peccatum* 2 Cor. v. 21. & *peccatum* etiam plus dicat, quam *peccator*: cum *peccatum* Apostolo idem valeat, quod חטאת, *victima* & sacrificium pro peccato Jes. LIII. 10. quod sine labe, sine vitio, substituebatur peccatoribus, ut eorum *reatum* ex peccatis contractum typicè tolleret, eoque peccatorem Deo reconciliaret, non autem ut victimam *peccatorem* faceret, & peccatorem non peccatorem. Nec C. quod dicatur *peccatoribus connumeratus* Jes. LIII. 12. cum hoc, ex continuo tenore ejus capitis, dicatur tantum de *pœnis* ei pro nostris peccatis impositis, quibus ita à Deo tractatus est, ac si peccator esset. Nisi malis dicere annumeratum ipsum peccatoribus fuisse, ab hostibus suis, quando ipsum, ceu latronem, seductorem, blasphemum, rebellem, medium inter pessimos latrones, in furcam egerunt, quo ipso huic vaticinio suum complementum fecerunt. Nec D. quod in hac Christi substitutione, in locum peccatorum, facta fuerit quædam personarum *permutatio* qua Christus *peccator*, & peccatores *justi* facti fuerint. Reformati permutationem *quandam* personarum, inter Christum factam fuisse, lubenter agnoscunt; sed non *omnimodam*, non talem, qua Servator factus fuerit peccator: & peccatores ex adverso servatores: nec in ista permutatione ipsius peccati *macula* transierit in Christum expromissorem, sed *reatus* tantum. Nec E. quod ita nobis fuerit substitutus, ut nullam speciem, nullam gloriam, habuerit, quin contemptus fuerit Jes. LIII. 2. 3. Hoc enim apud homines tantum habuit. Ibid. qui ipsum habebant pro egregio quodam peccatore, ex tot tantisque pœnis, quas ipsi Pater imponebat propter peccata nostra, ut docet contextus istius capitis, non autem quod peccatorum *maculam* gereret. Nec F. quod Patri etiam abominabilis fuerit, & ab eo rejectus & desertus, quod sanè non obtinuisset, si peccator non fuisset: quoniam *abominabilem* ipsum Deo fuisse, nullibi legamus: nec etiam quod rejectus ab eo fuerit, velut filius degener; licet *desertus* ab ipso fuerit, non quod peccator esset; sed quod hæc esset *pœna* peccatorum nostrorum, quæ ipsi debebatur ex eo quod peccatorum nostrorum *reatum* in se susceperisset.

7. An translatio peccatorum nostrorum actualis, inchoanda sit à crucifixione Christi, & terminanda in ejus resurrectione?

XXIX. Quæritur *septimò*, quando & quamdiu Christus portaverit peccata electorum? An translatio peccatorum in Christum, eorumque portatio à Christo, inchoanda sit ab illius crucifixione, & terminanda in ejus resurrectione? Quantum ad *obligationem* sustinendi, constituto tempore, peccatorum nostrorum, non maculam; sed *pœnas*, omnibus saltem Reformatis extra dubium est, Christum suscepisse ab *æterno*, scil. in consilio pacis inter Patrem & Filium, ubi Pater postulavit, & Filius suscepit satisfacere pro peccatis nostris: quanquam in *modo* suscipiendi, nuper convertere cœpit, an certis legibus, velut *fidejussor* suscepit, ita ut peccatores electi nihilominus sub reatu manerent usque ad actualem solutionem: an absolutè ceu *expromissor* susceperit, ut omnem reatum à peccatoribus electis, simul & semel in se derivaverit, & hactenus peccatores omnes electos, etiam V. T. liberaverit à reatu? Hanc quæstionem examinavimus supra lib. v. cap. 2. Quantum autem ad *exsecutionem*, non deest, qui statuat, ipsum pœnas nostras inchoasse & terminasse, in trihorio crucifixionis. Et hanc quæstionem determinavimus lib. v. cap. XI. §. 34. Antinomi in Anglia volunt, Christum peccata nostra portare cœpisse, cum cruci affigeretur, & terminasse cum sua resurrectione. Reformati censent, Christum pœnas peccatorum nostrorum portasse, à prima sua incarnatione, quamvis eminenter in cruce & morte: terminasse autem in morte cum exclamaret, *consummatum est* Joh. XIX. 30. nisi malis adjicere triduum sepulturæ: quatenus eo, non quidem passus fuerit quicquam pro peccatis; sed sub statu & dominio mortis fuerit Act. II. 24. Sic verò statuunt, quia 1. ipsa naturæ humanæ assumtio, agnitio fuit suscepti peccatorum nostrorum debiti Psal. XL. 8. cum Heb. X. 5. 7. 9. & sanguine circumcisionis, quasi signatum est chirographum peccatorum nostrorum. Quia 2. *forma servi*, & ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας, ab initio vitæ ad mortem usque durans, translati in ipsum peccati argumentum est Phil. II. 7. 8. Quia 3. *mors*, quam peccaturis protoplastis Deus denunciavit, suo ambitu concludebat omnes miserias, quibus peccator per omnem vitam suam est obnoxius: proinde par fuit, ut & Christus, ad suscepti debiti solutionem, vitam degeret, plurimis miseriarum vicissitudinibus obnoxiam. Quia 4. omnes dolores illi, quos Christus tulit per omnem vitam, ad satisfactionem pro nostris peccatis spectabant Jes. LIII. 3. 4. 5. Quia 5. inter Christianos vix reperietur, qui ausit dicere, Christi humillimam nativitatem, qua minor factus est Angelis, ejus paupertatem, tentationem, lapidationem, flagellationes, agoniam in Gethsemane, sudorem sanguineum, condemnationem in utroque foro, ecclesiastico & politico, coronam spineam, tot ludificationes & sexcenta alia, non eo spectasse, ut pœnas nostras portaret. Cum præsertim 6. Apostolus exsertè pronunciet, ipsum *pauperem* factum esse, ut nos *divites* redderet 2 Cor. VIII. 9. Nec est quod in contrarium causentur: A. quod reconcilia tio peccatorum nostrorum à Paulo passim referatur ad *crucem* Christi Col. I. 20. Eph. II. 16. & Christus dicatur reconciliasse nos, chirographo peccatorum nostrorum deleto, & sublato in cruce Col. II. 14. Neque enim nos negamus præcipuam solutionis partem factam fuisse in cruce: imò absque morte *crucis*, reliqua ejus παθήματα omnia valitura non fuisse, eo quod mortem pro pœnâ peccati mi-

Sententiarum divortia.

Reformatorum sententia, cum suis ratiocinationibus.

Objectiones adversariæ.

natus fuerit Gen. 11. 16. Rom. VI. 23. nec absque sanguinis effusione fiat remissio Heb. IX. 7. tantum negamus, *solis* passionibus crucis, hoc fuisse factum. B. Quod per tempus crucem præcedens, sæpius expertus fuerit favorem Patris versus se. Resp. Sicut Deus multa iræ dilatione utitur versus peccatores, & vitæ hujus amaritudines, aliquo patientiæ dulcore temperat, donec dies iræ & justæ retributionis venerit, quando omne maledictionis pondus in peccatorem congeret Rom. 11. 4. 5. 6. ita nec Christus in conditione suâ servili, per omnem vitam, peccatorum sibi incumbentium pondere ita semper pressus fuit, quin insigni divinæ gratiæ sensu subinde recrearetur, usque dum advenit hora & potestas tenebrarum, quando in judicium vocatus, diriſſima quæ vis expertus est.

8. An sola impositio reatus nostri in cruce, electum liberaret immediatè ab omni pœna Sententiarum discrepantia.

XXX. Quæritur *octavò*, an in hac substitutione, *sola* impositio reatus nostri, quem Christus sustinuit in cruce, peccatorem electum immediatè liberet ab omni reatu & pœnâ peccatorum suorum? Antinomi in Angelia affirmant. Reformati agnoscunt quidem. α. Christum plenam in cruce præstitisse satisfactionem, β. eamque suo tempore electis certo certius esse applicandam, ad actualem remissionem peccatorum, velut ejus effectum. γ. Nos ista satisfactione, quatenus est in cruce præstita, eatenus esse liberatos ab omnibus peccatis nostris, ut Deus jam non possit exigere pro eis satisfactionem à nobis, aut à quovis alio, si modo ea per fidem nobis fuerit applicata. δ. Pœnis in cruce à Christo portatis, legi divinæ & læsæ Dei majestati eo usque satisfactum esse, ut peccata non obstent, quominus Deus offerat & promittat peccatorum remissionem & salutem æternam. ε. Peccata, quando jam sunt remissa, pro causâ meritoriâ remissionis, non agnoscere nisi solam satisfactionem Christi, & quæ à peccatoribus prærequiruntur, ut fides, pœnitentia, non præstare nisi *conditiones*, sine quibus Deus non vult nobis applicare satisfactionem Christi. ζ. Quod satisfactio Christi sit unica via ad remissionem peccatorum, quam fide apprehendimus: ast negant ipsam impositionem peccatorum nostrorum in Christum, in cruce, esse absolutionem electi ab omnibus peccatis suis. Quia 1. nec Dei, nec Christi voluntas aut propositum fuit, ut sola ista impositione, electus immediatè absolveretur Joh. III. 16. & VI. 40. 1 Pet. 1. 2. Act. X. 43. quò spectant illa loca, quæ ad remissionem peccatorum obtinendam, prærequirunt fidem & resipiscentiam, & declarant infidelibus & impœnitentibus servari sua peccata, v. g. Prov. XXVIII. 13. Jes. 1. 16. 17. 18. Marc. 1. 4. 5. Matth. VI. &c. Proinde 2. contrariâ ratione, evertitur sapientissimum illud Dei consilium, quo constituit fructus mortis Christi non impertiri nisi sub conditione fidei & resipiscentiæ, conferendæ per exaltationem Christi Act. V. 31. & per Spiritus S. influxum in applicatione mortis Christi ad remissionem peccatorum 1 Cor. VI. 11. Act. XXVI. 18. Quia 3. si per oppositum errorem, electi absoluti fuissent, perinde esset, ac si vel nunquam Christus resurrexisset à mortuis: si enim sola impositio reatus nostri in Christum sufficeret; tum si Christus nunquam resurrexisset, nos tamen liberati essemus à reatu peccatorum nostrorum, quatenus illa cessarent nostra esse, propter solam impositionem istam? cum impositio ista ante resurrectionem Christi facta fuerit, atque adeo continuatio in morte Christi, fuisset certissima ratio nostræ liberationis, cujus contrarium obvium est in Scripturis 1 Pet. 1. 3. & 1 Pet. III. 21. Imò 4. si impositio peccatorum nostrorum *sola* fuisset liberatio nostra; liberatio nostra fuisset ante mortem Christi: quandoquidem peccata nostra Christo imposita fuerunt ante mortem ejus, atque adeo ablata ab electis: ex quo sequeretur electos fuisse exoneratos, ante mortem Christi, eoque liberatos fuisse, quamvis Christus non fuisset ea in morte sua. Quia 5. contraria sententia præsupponit fœdus gratiæ, ex cujus tenore dispensantur omnia beneficia, esse omnibus modis *absolutum*, cujus contrarium alibi ex professo demonstravimus lib. V. cap. 1. §. XX. XXI. XXII. XXXVII. Quamvis enim ex parte Dei & Christi, fœdus illud non fuerit suspensum ab ulla conditione, movente Deum ad condendum fœdus; ab eo tamen beneficia istius fœderis nonnulla, justificatio, adoptio, glorificatio, suspensa fuerunt à certis conditionibus, ab hominibus præstandis. Tandem 6. ex hypothesi contraria, homines electi ante sui nativitatem, ante fidem, ante resipiscentiam, habuissent plenam remissionem: eo quod ante ista, peccata eorum imposita & tolerata fuissent à Christo, eoque ab ipsis ablata? quod omni Scripturæ est contrarium. Nec est quod objiciant: A. quod Deus Filio suo *absolutè* imposuerit peccata omnium electorum, & quod Christus eadem absolutè susceperit. Resp. Verum est, quod Deus absolutè peccata imposuerit, & Christus in se derivaverit, à nulla suspensus conditione, à creaturis præstanda: sed hoc non obstat, quominus applicationem, & actualem possessionem omnium fructuum ejus impositionis, suspenderit à certis conditionibus, à creaturis electis præstandis: sicut in prædestinatione, ipse quidem absolutè elegit; sed tamen salutem suspendit à mediis & conditionibus, fide & resipiscentia, ab electis præstandis. B. Quod fœdus gratiæ *absolutum* sit ab omnibus conditionibus, ab electis præstandis. Resp. Quatenus fœdus gratiæ sit *absolutum*, atque etiam conditionatum, nos alibi declaravimus; scil. quoad ea fœderis gratiæ beneficia, quæ habent rationem *mediorum*, v. g. regenerationis, conversionis &c. fœdus gratiæ esse *absolutum*; quoad ea verò, quæ habent rationem *finis*; nim. justifica-

Rationes partis negativæ.

Objectiones.

ſtificationis, ſub quâ comprehenditur actualis remiſſio peccatorum; adoptionis, glorificationis, eſſe *conditionatum*, quatenus ea non voluit obtineri, abſque fide & reſipiſcentiâ. C. Quod Apoſtolus doceat, Deum ſibi reconciliaſſe mundum, faciendo Chriſtum, qui peccatum non cognovit, pro nobis peccatum, ut nos redderemur juſtitia coram eo 2 Cor. v. 19. 20. 21. Reſp. ſed addit: *poſuit verbum reconciliationis in nobis... reconciliamini Deo*, ſcil. credendo & reſipiſcendo. Eſt ergo reconciliatio per Chriſtum abſolute impetratâ; ſed tamen adhucdum applicanda, præſtando conditiones fidei & reſipiſcentiæ, quorſum alias peteret: *reconciliamini Deo?* quorſum, qui reconciliatus eſt abſolutè, adhucdum reconciliaretur? D. Chriſtus ſibi impetraverit jus in omnes electos, quod & lubens meritoque ipſi Pater largitur Pſal. II. 8. *Pete à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem.* Hoc eſt operæ prætium apud Deum Patrem ſuum, ut *ut non modo cuſtoditos in Iſraele reduceret; ſed ut ſalus Dei ſit, uſque ad fines terræ* Jeſ. XLIX. 46. idque ex pacto Jeſ. LIII. 10. *Si poſuerit anima ſe victimam pro reatu videret ſemen.* Reſp. 1. Omnino ſibi impetravit *jus* in omnes electos; ſed eadem opera jus ut ſua beneficia ſuis diſpenſaret ex ſuo arbitrio, & eo ordine ac legibus, quibus convenit in conſilio pacis, nim. ita *dedit, ut quiſque credit non pereat, ſed habeat vitam æternam* Joh. III. 16. Tum 2. etiam impetrato jure ſuo in omnes electos, adeo fruitur abſolute, ut ne *unus* quidem ſibi pereat ex eis Joh. XVII. 12. ſed intercedentibus conditionibus fidei & reſipiſcentiæ. E. Quod Chriſtus electis impetraverit, non tantum *poſſibilitatem* remiſſionis peccatorum; ſed *remiſſionem* ipſam Matth. XXVI. 28. Eph. I. 7. & gratiam *ut* credant. Reſp. Ita eſt, nim. ut ipſam illam certo certius conſequantur; ſed intercedente fide & reſipiſcentiâ, velut præviis conditionibus, quas & ipſas certo certius, per Spiritum ſuum ipſis eſt collaturus.

9. An electi ex ſubſtitutione & ſatisfactione Chriſti, nunquam non ſint juſtificati &c?

XXXI. Ex præcedentibus *nonò* quæritur, an Electi, cum ex decreto æterno, tum ex ſubſtitutione, quâ Pater Filio impoſuit; & Filius, ex voluntate Patris ſuſcepit, & in tempore ſolvit; nunquam non ſint juſtificati, adoptati, nunquam filii iræ, & rei condemnationis, tum etiam, quando adhucdum ſunt ſub dominio peccati, quando ſe in omni ſcelere volutant, quando adhucdum fide ſalvificâ & ſincerâ reſipiſcentiâ deſtituuntur? Antinomi, hypotheſibus dudum in præcedentibus controverſiis deſignatis, affirmant: Reformati ſtatuunt etiam electos, pro quibus Chriſtus ſatisfecit, antequam vocati fuerint efficaciter, ſeu antequam regeniti, converſi & ad fidem ac reſipiſcentiam pervenerint, quamdiu in peccatis vivunt, eſſe ſub irâ Dei, ſub condemnatione, & ſi, per impoſſibile, ſic moriantur, æternum eſſe condemnatos. Interim ut ſtatum quæſtionis acu tangamus, tenendum, non quæri: α. An Deus ab æterno decreverit, certas perſonas ab eo electas, certo certius aliquando eſſe juſtificandas, adoptandas, adeoque remiſſionem peccatorum conſecuturas, & æternum ſervandas. Nec β. an electi ſint objectum amoris & benevolentiæ, etiam dum adhucdum ſunt peccatores. Nec γ. an Deus continuet gratioſum ſuum propoſitum, ipſis benefaciendi, modo à ſe conſtituto, non obſtantibus eorum peccatis. Nec δ. an Chriſtus præſtiterit pro eis perfectam ſatisfactionem, eiſque meruerit vitam æternam, quam conſequantur tempore & modo à ſe deſignato, adeoque nihil ipſis in cumbere faciendum, quo ſatisfaciant pro ſuis peccatis, aut mereantur vitam. Nec ε. an ſit maxima differentia inter peccatores electos & alios, ratione ejus quod aliquando futuri ſint in tempore. Hæc omnia extra controverſiam ſunt utrobique: ſed quæſtio manet, an electi peccatores ante ſui regenerationem, fidem & reſipiſcentiam, *actu* ſint juſtificati & filii Dei, item an electi, adhuc dum mortui in peccatis ſuis, adhucdum infideles, ſint filii iræ, nec juſtificati promiſſione divinâ. Hæc affirmant Antinomi, negant Reformati. Quia 1. Scriptura conſtanter affirmat, electos ante ſuam converſionem, ante ſuam fidem, eſſe *filios iræ* Eph. II. 1. 2. 3. *inimicos* Col. I. 21. non populum Dei, nec dilectos Rom. IX. 25. Quia 2. Euangelium removet omnes infideles & impœnitentes à remiſſione peccatorum actuali, ipſiſque denunciat continuationem condemnationis, & reſtringit ſua beneficia ad ſolos fideles Joh. III. 18. *qui non credit, is jam condemnatus eſt* verſ. 36. *ira Dei manet ſuper eum* 1 Cor. XVI. 22. *Si quis non diligit Dominum Jeſum, anathema eſt maranatha*, additque 1 Cor. VI. 11. *tales eratis quidam ex vobis, ſed abluti eſtis* &c. Quia 3. ex hypotheſibus adverſariis, nec ſpiritus, nec verbum Dei, ullam haberent efficaciam & influxum, ad ſervandum peccatorem, quam toties teſtatur, Spiritum & verbum Dei habere. Certum enim eſt. quod omnis efficacia Spiritus & verbi Dei, converſura peccatorem, præſupponat eum adhucdum eſſe in ſtatu peccati, extra ſtatum ſalutis Tit. III. 5. Joh. V. 34. 2 Theſſ. II. 10. Jacob. I. 21. Jam defectus Spiritus & verbi, nullam electis crearet jacturam, ſi ante fidem, ante reſipiſcentiam, dudum ſint filii Dei & hæredes vitæ æternæ, & liberati ab irâ Dei. Quia 4. beneficia Euangelica præſupponunt & important, eſſe tempus, quo *actu* ſumus rei & miſeri: jam autem non poteſt liberari à reatu peccatorum ſuorum, qui non ante eſt ſub reatu Rom. IV. 7. Quia 5. perinde poſſes inferre, hominem eſſe ſanctificatum & glorificatum in utero materno, quod Deus ad hæc eum elegerit ab æterno, ejus peccata in conſilio pacis, Filio ſuo impoſuerit, & Chriſtus pro ejus peccatis ſatisfecerit:

Status controverſiæ.

Sententia Reformatorum cum ſuis rationibus.

fecerit: ac jam infers, eum justificatum & adoptatum esse. Quia 6. Scriptura dicit, hominem electum justificari actu, postquam *vocatus* fuerit efficaciter Rom. VIII. 30. quod tantum gaudium in cælis existat, super conversione peccatoris Luc. XV. 7. 10. hoc qui obtinebit, si peccator ante suam conversionem, dudum sit in statu gratiæ & salutis? Non addam 7. Quod Scriptura de peccatoribus ante suam conversionem loquatur, velut de vulneratis, miseris, perditis Ezech. XXXIII. 11. Act. XXVI. 18. 2 Tim. II. 25. 26. quæ omnia admodum dicerentur dure & crude, si jam ante conversionem dudum essent perfecta. Nec est quod objiciant: A. Jacobum à Deo dilectum dici, in utero materno, antequam boni quicquam fecisset, resipuisset &c. Rom. IX. 10. 11. Resp. Utique dilectus fuit amore *benevolentiæ*, quo ipsi voluit suo tempore conferre regenerationem, fidem & resipiscentiam: sed non fuit amore *complacentiæ*, quo ipsi placeret, ut remissionem peccatorum haberet actu, antequam esset regenitus, conversus, vere fidelis. Quod B. filius, etiam in utero materno adhucdum existens, sit hæres. Resp. Est potentiâ; non actu: *futurus* est; sed non est: prærequiritur enim mors parentum, & ut gestet requisita legitimorum hæredum: & Scriptura ad consequendam ἐξουσίαν υἱοθεσίας, exserte prærequirit, ut Christum fide recipiamus Joh. I. 12. Gal. III. 26. Quod G. Deus æterno & immutabili decreto, electis addixerit remissionem peccatorum, & hæreditatem cœlestem. Resp. Addixit, h. e. destinavit, suo tempore, certis legibus conferendam. Gal. III. 8. *Scriptura prævidens, Deum gentes ex fide justificaturum*: non autem per decretum contulit *actu*: est enim decretum Dei, actio interna & immanens, quæ nihil producit extra Deum; tantum prædeterminat certam & infallibilem rei decretæ futuritionem seu eventum. Quod D. Deus omnia electorum peccata à peccatoribus abstulerit, & in filium simul & semel traduxerit. Resp. Utique imposuit Pater peccata electorum filio, & filius eadem portavit, ut plenum & unicum δικαίωμα impetraret, ob quod peccator electus justificaretur, & peccatorum suorum veniam consequeretur, modo illud sibi applicaret fide &c. quemadmodum in præcedentibus controversiis uberius repræsentavimus.

Objectiones.

3. An peccator electus, à substitutione & toleratione Christi, non amplius sit peccator?

XXXII. An ergo decimo ex præcedentibus, per substitutionem Christi, in æterno consilio pacis factam, & in tempore præstitam in cruce satisfactionem, electorum peccata non sint eorum peccata; sed Christi, ita ut Christus sit adulter, homicida, ebriosus, mendax &c. non ipsi electi? Antinomi ex hypothesibus, jam ante in præcedentibus, à se structis, affirmant: Reformati ex adverso, ex hypothesibus à se destructis, negant. Observandum, 1. quantum ad *maculam* seu ἀνομίαν peccatorum, cum respectu ad eam, secundum gradus innocentiæ & sanctitatis eorum, eos esse magis aut minus peccatores. 2. Quantum ad *reatum* peccatorum, qui spectat ad sanctionem legis comminatoriam, peccatores magis aut minus esse peccatores; quatenus ea aut remissa sunt, aut non. 3. Quantum ad *obligationem* facti peccaminosi, & respectum ad illam, neque ante, neque post peccatum, remissione aut sanctificatione sublatum, transgressorem legis sic liberari, ut à transgressione, perpetratio peccati non maneat ejus factum. Itaque à facto seu commissione peccati, homo proprie denominatur *peccator*; sicut à remissione & sanctificatione, peccator *non puniendus*. Antinomi, secundum suas hypotheses, existimant, electum ut electum, cessare esse peccatorem: adeoque, quando de fideli loquuntur, non volunt, quod ante suam fidem sit peccator; sed ab eo tempore, quo Christus suscepit & pertulit sua peccata, ipsum non esse peccatorem; sed Christum ejus loco: ex adverso Reformati statuunt, ab impositione peccatorum suorum in Christum, toleratione eorundem, eum esse & permanere peccatorem, quoad *maculam* usque ad ejus sanctificationem, quamvis immunis sit à maledictione quoad *reatum*, à remissione: & purgandus à turpitudine seu *macula*, post perfectam ejus sanctificationem: & quamvis Christus portaverit pœnas peccatorum; nihilominus peccata ista non esse Christi maculas: sed electorum. Proinde non quæritur; α. an peccator, post remissionem, sit liberatus à condemnatione? Nec β. an Deus peccatore justificato, jam non amplius cum eo agat, velut cum peccatore? Nec γ. an remissio tollat omnem ejus obligationem ad pœnam? Nec δ. an Christi satisfactio, peccatori applicata, ab ipso removeat omnem *reatum*, & purget insuper ipsum ab omni *macula*? Sed, an ab istâ suâ *impositione*, transgressor non amplius sit peccator; sed Christus ejus loco? item an peccata electorum actu sint remissa, tum quando Christus ea pertulit in cruce? tandem, an quando electi peccant, non sint transgressores, & peccata quæ committunt, non sint eorum peccata? Posteriora affirmant Reformati. Quia א. nemo dubitare potest, quin legem Dei transgrediens, sit peccator: nec, quin actum peccaminosum perpetrans, sit ejus actor: nec quin ejus sit peccatum, qui perpetrat illud. Quia ב. Christus fideles ipsos jubet, remissionem peccatorum precari, quatenus sunt peccata eorum Luc. XI. 4. Quia ג. Sancti in Scripturis peccata à se perpetrata, habuerunt pro peccatis suis Jer. XIV. 7. Jes. LIX. 12. Job. VII. 21. Psal. XXV. 11. Nunquid erant peccata Petri, pro quibus *flevit amare* Matth. XXVI. 75.? Quia ד. Deus censet peccata, etiam fidelium, pro peccatis eorum, eaque remittit tanquam peccata eorum 1 Joh. II. 12. Jer. XXXIII. 8. Apoc. II. 20.

Status controversiæ.

Argumenta Reformatorum.

ה

& III. 19. 2 Tim. IV. 16. Hac ratione ☐ electorum peccata nullis subessent justis Ecclesiæ censuris: nullus verè Christianus, propter sua facta perversa esset puniendus, quia perperàm perpetrata, non sunt ejus; sed Christi peccata: & hujus generis sexcenta alia absurda, hinc justè elici possent. Ne addam, quod sententia contraria colludat cum erroribus Pontificiorum, qui statuunt, quod justificatio non *reatum* tantum tollat; sed ipsam quoque peccati *maculam*. Quod 1. Deus observet peccata, etiam suorum fidelium, eaque visitet rigidissimis suis judiciis, atque insuper ipsis imponat necessitatem, sibi parandi fide & resipiscentia, peccatorum remissionem. Fundamenta sententiæ adversariæ dudum in præcedentibus sunt sublata, videlicet; A. Christum, non tantum *reatum*; sed & *maculam* omnium peccatorum, quæ sunt in electis, in se transtulisse. Hunc errorem ex professo confecimus §. XXVI. B. Christum, quod peccata electorum susceperit ac toleraverit in cruce, factum esse pro electis peccatorem, quod refutavimus §. XXVII. Hinc C. quia Deus removeat peccata ab electis per remissionem, eos liberando à pœnis demeritis: ideo peccata electorum cessare esse eorum peccata: quod falsissimum est, per præcedentia. Porro D. quia peccator justificatus, liberatus est à condemnatione & à reatu; ideo ipsi non competere denominationem *peccatoris* à violatione legis divinæ: quod itidem falsissimum esse, abundè patet è præmissis. Tandem E. quia Christus satisfecerit pro peccatis electorum; ideo nullam peccati maculam posse inhærere transgressoribus electis, nec ipsos dici posse peccatores & transgressores, quæ ex præcedentibus sua absurditate corruunt. Controversiam hanc, cum præcedentibus quinque, Antinomismum concernentibus, ideo liberius & explicatius repræsentare visum; quod, non modo, sicut Antinomismus olim Germaniam auctore Joh. Agricola Islebio: tum novam Angliam à Joh. Cottono: hinc Angliam, à Doct. Crispo turbavit; ita sub nomine *Hebræorum*, ab obscuris quibusdam hominibus, nostro Belgio obrepat; sed quod etiam omnem pietatis & Christianismi praxin enervare apta nata sit.

Fundamenta Antinomorum.

11. An pretio æquivalente nos redemerit? Adversariorum sententiæ.

XXXIII. *Undecimò* quæritur, an Christus pretio *æquivalente* suos redemerit? Sociniani, odio satisfactionis *æquivalentis*, omne pretium pro reatu nostro præstitum, negant: Vorstius *aliquod* præstitum agnoscit; sed nostro reatui *æquivalens* negat, atque per *acceptilationem* Dei solam, ratum ac sufficiens dicit: cum quo colludunt Arminiani Socinizontes: statuendo, Christum huic pretio impendisse solam sui mortem *temporalem*, absque ullis pœnis *infernalibus*, eamque *solam* mortem temporalem, plenæ satisfactionis loco, fuisse a Deo acceptam: Pontificii ex adverso, ut suis indulgentiis locum faciant; statuunt, pretium præstitisse *superabundans*; atque unicam sanguinis *guttulam* parem fuisse omnibus nostris peccatis tollendis, quos suo loco, si Deus volet, peculiariter refellemus. Reformati, *exactè* æquivalens pretium præstitisse, hoc fundamento docent: quod nec reatus redimendorum *omnium* major esse possit quam infinitus, infinito enim *majus* cogitari non potest; & Christus pretium præstiterit *infinitum*. Id quod §. XV. ex professo demonstravimus: nominatim etiam in cap. XII. De *Mediat. morte* §. VIII. IX. X. XX. XXI. docuimus, ipsum *plus* quam mortem temporalem perpessum fuisse. In contrarium causantur Sociniani: A. pretium esse aliquid *externi* & adventitii, ut aurum & argentum. Resp. Pretium id omne intelligitur, quod requiritur & præstatur ad *reatum* tollendum, atque adeo, pro diversitate reatus, *civilis* seu pecuniarii, aut *criminalis* seu capitalis, pretium variat: ut *civilis* quidem, si res aut actio præstanda: *criminalis* pœna sustinenda, utpote quibus reatus seu debitum tollitur. B. Pretium *cuiquam* solvendum esse, quando in morte, à Christo *nihil* cuiquam fuerit solutum. Resp. Pretium, λύτρον & ἀντίλυτρον, Scripturæ dicitur id *omne*, quod præstatur *tollendo* nostro reatui, & restituendæ libertati: &, dum ad hoc Christus dicitur seipsum obtulisse *Patri* Heb. IX. 14. Eph. V. 2. satis indicatur, quod & cui solverit. C. Deum *condonare* & remittere, per *gratiam* peccata nostra, proinde non accipere pretium. Resp. Condonat & remittit *nobis* per gratiam peccata nostra, ac proinde etiam à *nobis* non accipit pretium: sed non condonat gratis expromissori nostro. Nec valet instantia: quod pretium, etiam per *alium* præstitum, tollat gratiam remissionis: tollit sanè, quando reus expromissorem *constituit*, aut solventem sibi *substituit* delegavitque: non autem tollit, quando expromissor seipsum immediatè *offert* creditori, & præstat, non rogatus à debitore.

Reformatorum fundamentum.

Socinianorum objectiones.

12. An Christus homines tantum Deo; an etiam Deum homini reconciliaverit? Sententia Sociniana.

XXXIV. *Duodecimò* quæritur, an reconciliatio, redemptione Christi parta, sit μονόπλευρος, seu talis, qua animum peccatoris à Deo aversum ei placaverit tantum; an δίπλευρος, seu qua insuper, & potius quidem, animum Dei, à peccatore aversum, ei placaverit? Sociniani, quo commodius tueantur, Christum, nulla pretii solutione, adeoque nulla proprii nominis satisfactione, nos redemisse; statuunt Deum, cum mundo daret Filium, dudum ei placatum ac reconciliatum fuisse: nec proinde misisse Filium, ut se placaret mundo; sed ut mundum reconciliaret sibi, ei conditiones offerendo, quibus præstitis remissionem & vitam consequi posset. Reformati ex adverso docent, Christum redimendo, nos Patri suo, ex peccatis irato, reconciliasse: per ea argumenta, quæ in *dogmaticis* §. XVII. adduximus. Quibus impræsens adjicimus, A. Quod ante datum nobis expromissorem,

Reformati cum suis fundamentis,

factamque æquivalentem pro nobis satisfactionem, fuerimus sub *ira* Dei Eph. II. 3. Rom. I. 18. sub *odio* Psal. v. 5. 6. 7. Jes. LIX. 2. sub *inimicitia* Rom. v. 8. 9. 10. B. Quod nos, præstito redemptorio, *expiaverit* Rom. III. 25. à peccatis nos *purgaverit* 1 Joh. I. 7. C. Quod ad reconciliationem, filium pro nobis *peccatum fecerit* 2 Cor. v. 21. imo *exsecrationem* Gal. III. 13. Nec obstat, quod suos ab æterno amaverit, & amore ductus, *filium* redemptorem dederit Joh. III. 16. cum ille amor *benevolentia* spectarit ad reconciliationem parandam 2 Cor. v. 19. 21. Nec amor iste necessario infert reconciliationem factam, ut patet in Absolomo, quem tenerrimè David adamabat, neque tamen eo ipso, reconciliatus ei erat 2 Sam. XIII. 30. cum cap. XIV. 1--24. 32. 33.

Objectio.

13. An satisfactio ad redemptionem sit necessaria? Sententiæ discrepantes.

XXXIV. *Decimotertio* quæritur, an satisfactio, per substitutionem & æquivalens redemptorium, procurata; fuerit *necessaria* ad redemptionem? Socinianí, quia ipsam hujus satisfactionis veritatem inficiantur, eadem opera ejusdem necessitatem negant. Durandus aliique Scholastici, quamvis satisfactionis veritatem admittant; ejus tamen *necessitatem* inficiantur. Reformati, quotquot sunt, *necessariam* agnoscunt satisfactionem; sed non uno eodemque modo: sunt enim qui necessariam statuunt, ex sola Dei voluntate, factaque comminatione, qua Deus simpliciter non velit peccata remittere, absque pœna, aut ejus æquivalente satisfactione; licet, si ita sibi visum fuisset, per absolutam suam potestatem, aliter potuisset: alii rursus, ex naturali ejus sanctitate, justitiaque vindicativa, ejusque egressu, existimant, Deum, vel abstracta voluntate comminationeque, non *potuisse* peccatum existens non punire, aut peccatorem, citra æquivalentem compensationem læsæ suæ majestatis, dimittere & in gratiam recipere.

Probatur necessitas.

Nos dudum §. XIX. docuimus, ex multis capitibus congestis, commodius & efficacius demonstrari *necessitatem*. Nec adductis ibidem rationibus, addimus, nisi (1) quod certo punire, aut puniturus, imo sontem pro insonte non habiturus dicatur Exod. XXXIV. 7. ne scil. ei *similis* videatur Psal. L. 20. 21. jam autem id sponte facere, puro adductus *arbitrio*, non est credendus Ezech. XXXIII. 11. Psal. LXXXI. 14. 15. cum in punitione *per se*, nihil sit boni aut appetibilis, proinde ex quavis *necessitate*. (2) Quod, non tantum *jus* puniendi à peccato oriundum; sed ipsum etiam *exercitium* puniendi referatur ad justitiam Dei 2 Thess. I. 6. ut non punire, videatur spectare ad injustitiam. Imo quod (3) dicatur *purior oculis, quam ut aspiciat malum*: scil. absque punitione Hab. I. 13. Nec Socinianos juvat, A. quod dicatur *gratiose remittere* Exod. XXXIV. 6. 7. 11. absque compensatione Matth. XVIII. 26. 27. Resp. Remittit enim gratiose, non *expromissori* Christo; sed *nobis*, quatenus, nec à nobis hilum accipit in compensationem; nec à Christo, ut *à nobis delegato*; sed à Deo, nobis gratiose dato. B. Quod, ut quisque, ita & magis supremus Dominus, possit remittere de jure suo. Resp. Deus, quamvis ut supremus *Dominus*; in hoc tamen negotio, considerari non debet *ut Dominus*; sed ut *Judex* & Rector Gen. XVIII. 25. qui non tam *sibi*, quam publico *punit*. C. Quod etiam supremus *Judex* juri *suo* renunciare possit. Resp. Potest quidem, α. qua *læsus*; sed non qua *Judex*: β. si qua Judex etiam, non *de jure* tamen; sed *de facto* tantum: & si γ. de *facto* renunciat, non absque violatione *legis* suæ facit, quod de Deo cogitare blasphemum est. D. Quod *quisque* possit condonare absque compensatione, ac proinde magis, *Deus* omnipotens. Resp. 1. Non pugnat cum puritate & justitia *hominis* naturali, ex permissione & præscripto supremi legislatoris, condonare absque compensatione; sicut pugnat cum puritate, *sanctitate* & justitia, *Deo* naturali. Nec 2. quicquid *homo* potest, id etiam *Deus* potest: cum homo se abdicare possit suo *dominio*, seipsum etiam negare; quod tamen *Deus* non potest 2 Tim. II. 13.

Objectiones Socinianorum.

14. An redimamur per justitiam divinæ personæ?

XXXV. *Decimoquarto* quæritur, an Servator θεάνθρωπος nos redimat justitia *essentiali* divinæ naturæ? Andreas Osiander, quo fortius obtineret, Christum, secundum solam *divinam* naturam, nostrum esse Mediatorem; statuebat per *essentialem* Christi justitiam divinæ personæ Christi, cui, seu *naturaliter*, seu *personaliter* fide uniamur; nos justificari. Quam sententiam supra examinavimus cap. II. §. XXII.

15. An sola justitia passiva Christus nos redemerit?

XXXVI. *Decimoquinto* quæritur, an Christus sola sua justitia *passiva* nos redemerit; an insuper etiam justitia *activa*? Johannes Piscator, cætera egregius Theologus, cum nonnullis aliis, quod existimarent, aboleri *necessitatem* justitiæ passivæ & mortis, si statueretur, exactissimè *loco* nostro servasse legem divinam: eo quod exacte servans legem, non possit puniri morte; prius eligebant: Protestantes communiter posterius malunt, & recte quidem; sed non uno omnes modo: quidam justitiam Christi passivam & activam sic *divellunt*, ut sola justitia passiva, nostri loco *satisfecerit*, pro non observata lege, eaque, tantum nos liberaverit à reatu pœnæ: sola item justitia activâ, *loco* nostri, perfecte servaverit legem, & servando nobis acquisiverit jus vitæ æternæ: alii, sepositâ subtiliori illa *divulsione*, malunt statuere, Christum utramque istam justitiam nobis impendisse ad hoc, ut pro non observatâ à nobis lege divinâ *satisfaceret*, & satisfaciendo, etiam nobis *mereretur* jus vitæ: ita ut satisfactione istâ, simul nos liberaverit ab omni *malo*, & consecutus fuerit jus omnis *boni*. Rationes hujus sententiæ adduximus §. XX. quibus præsuppositis, non adeo difficile est, respondere ad difficultates Piscatorianas. Si enim

Divortium sententiarum.

Tollunturdifficultates.

A.

Piſcatorianæ. A. cauſetur, quod lex non niſi *alterutrum* exigat. aut obedientiam, aut pœnam; reſpondebimus, legem, ab homine quidem integro, ſolam exigere obedientiam, ſub comminatione pœnæ; ſed à peccatore *pœnam* exigere pro peccato præterito, & *obedientiam* in futurum: quod pœna non poſſit liberare ab obedientia Deo debita: quare utrumque Redemptori præſtandum fuiſſe. Si B. cauſetur, mortis & Juſtitiæ paſſivæ *neceſſitatem* & uſum tolli, dum pro nobis pleniſſimè ſervaverit legem: reſpondebimus, nequaquam tolli: quod utraque juſtitia ei fuerit neceſſaria ad *ſatisfaciendum*, pro injuria majeſtati divinæ, ejuſque legi, à nobis illata; & ad ſatisfaciendo, nobis merendum *jus* vitæ æternæ. Si cauſetur C. quod Scirptura conſummationem ſalutis noſtræ referat ad unicum ejus *ſacrificium*, in cruce peractum; reſpondebimus, per illud ſacrificium ſynecdochicè intelligi univerſam ejus *ſatisfactionem*, cujus egregiam quandam partem præſtitit *mors* ejus in cruce: quemadmodum eadem ſynecdocha, ſanguis Chriſti eandem ſatisfactionem deſignat 1 Joh. 1. 7. Act. xx. 28. Si pergat D. quod obedientia *ſibiipſi* fuerit neceſſaria ut *homini*, adeoque nobis impendi non potuerit; reſpondebimus, 1. quod obedientia, quatenus reſultabat à θεανθρώπῳ, ipſi non fuerit neceſſaria: eo quod lex non θεάνθρωπον obſtringat ad obedientiam; ſed hominem merum. 2. quod obedientia illa θεανθρώπου, *infiniti* ſit valoris, per quem, & ſibi & nobis potuerit ſufficere: cum pro eo & pro nobis ſimul obedientia major, quam *infinita*, aut exigi, aut præſtari, non potuerit.

16. An Chriſtus plus præſtiterit, quam ad noſtri redemptionem fuit neceſſarium? Sententia Pontificiorum.

XXXVII. *Decimoſexto* quæritur, an Chriſtus *plus* præſtiterit, quam ad noſtri redemptionem fuit neceſſarium? Pontificii admodum perverſi ſunt in hoc capite, & ſibi ipſis obnitentes fovent hypotheſes: jam enim, in gratiam ſuarum indulgentiarum, vel *guttulam* ſanguinis ſufficere omnibus redimendis, atque adeo, quod præterea præſtiterit, *ſuperabundans* fuiſſe, adeoque in theſaurum Eccleſiæ, juxta cum paſſionibus & operibus Sanctorum ſupererogatoriis, relatum eſſe, laborantibus in purgatorio indulgendum: jam rurſus, ſtatuunt ipſum ſatisfeciſſe pro ſolis peccatis *ante-baptiſmalibus*: pro ſolis peccatis *mortalibus*; pro reatu *culpæ*, non *pœnæ*: pro pœna peccatorum *æterna*, non autem pro *temporalibus*: ad hoc, ut locus ſit ſatisfactionibus humanis: de quo jamjam. Reformati exiſtimant, univerſam ſatisfactionem Chriſti *infiniti* fuiſſe valoris (ex dignitate infinita, ſatisfacientis, pretii in ſatisfactionem oblati, & ex modo offerendi) quo major cogitari, aut eſſe non poſſit, eamque *neceſſariam* quoque fuiſſe, ad tollendum cujuſvis electi infinitum reatum, eique parandum jus infiniti boni: ac proinde, ſi minus præſtitiſſet (ſaltem quoad ſubſtantiam rei) quam præſtitit, futuram non fuiſſe ſatisfactionem *ſufficientem*; adeoque ſuperſtitioſum eſſe & impium, docere *guttulam* ſanguinis Chriſti ſuffeciſſe, cum (1) ad ſatisfactionis ſufficientiam fuerit neceſſarium, ut ea pœna perferretur, quam reatus læſæ infinitæ Majeſtatis, demeritum peccati, & comminatio legiſlatoris præſcripſerat, quæ non fuit *guttula* ſanguinis; ſed *mors* Gen. 11. 17. Rom. VI. 23. (2) in effuſione guttulæ ſanguinis, Deus non *ſufficienter* patefeciſſet naturale ſuum *odium* verſus peccarum Pſal. v. 5. 6. 7. (3) in guttuta ſanguinis, Deus, pro violata lege, & læsâ majeſtate, ex æquo ſanctificatus non fuiſſet. Addam (4) quod crudelitatis blaſphemiam Patri affricare videatur, Filium proprium & unigenitum, pro ſanguinis guttula, *maledicta morte* exagitare. Nec eſt quod objiciant, guttulam *ſanguinis* Chriſti infiniti valoris eſſe; ſi enim 1. ſit infiniti valoris, ei ſanè nihil *adjici* potuiſſet, atque adeo effuſione tantæ ſanguinis copiæ, ipſum majus præſtitiſſe pretium quam *infinitum*, per apertam contradictionem, dicendum eſſet. Si 2. quicquid ſupra guttulam ſanguinis perpeſſus eſt, ſit *ſupererogatorium*, in Eccleſiæ theſaurum referendum; tum plus eſſet in theſauro *Eccleſiæ*, quam oblatum eſſet Patri, adeoque in theſauro *Dei*. Solidius itaque 3. dicitur, id omne quod impendit ſatisfactioni ſuæ, conferre in *unum infinitum* valorem, cui nihil adjici aut detrahi poſſit.

(1) Ejus rationes.

Objectio.

16. An ſatisfactio Chriſti omne peccatum, omnemque ejus reatum tollat? Sententia Pontificiorum.

XXXVIII. *Decimoſeptimo* quæritur, an ſatisfactio Chriſti tanta ſit, ut *ſola* omnem omnium electorum reatum tollat? Pontificii, ut locum faciant ſatisfactionibus humanis, purgatorio & indulgentiis, culinæ papali tam proficuis; diſtinguunt inter peccata *ante* Baptiſmum commiſſa, & *poſt* eundem; inter peccata *mortalia* & *venialia*; inter reatum *culpæ* & *pœnæ*; inter pœnam *temporalem* & *æternam*: tum Chriſti ſatisfactionem reſtringunt ad peccata antebaptiſmalia, mortalia, reatum culpæ, & pœnam æternam, ut hominibus ipſis ſatisfaciendum incumbat, pro peccatis poſt Baptiſmum perpetratis, pro peccatis venialibus, pro reatu pœnæ, & pro pœnis temporalibus: ſive id fiat in hac vitâ, per opera pœnalia, jejunia, cilicia, macerationes, flagellationes, peregrinationes, proceſſiones &c. ſive poſt hanc vitam, per purgatorium, cujus pœnis ſuccurrant indulgentiæ, & miſſæ. Reformati ſtatuunt, ſatisfactionem Chriſti, omnem noſtrum reatum tollere: eo quod 1. non tantum *infiniti* valoris ſit, cui nihil omnino poſſit à quovis addi, citra contradictionem; ſed etiam 2. *talis*, ut nos purget *ab omni peccato* 1 Joh. 1. 7. Quod 3. factus dicatur *pro nobis peccatum*, ut nos redderemur *juſtitia in eo* 2 Cor. v. 21. Sic ut 4. propter ejus ſatisfactionem, *nulla* jam amplius reſtet *in nobis condemnatio* Rom. VIII. 1. ut 5. ſatisfactio quævis alia deroget *plenitudini* ſatisfactionis Chriſti: atque adeo 6. nos excludat à participio ſatisfactionis Chriſti Rom. x. 5. Gal.

Sententia Reformatorum, cum ſuis rationibus.

Gal. v. 3. 4. Cum præsertim 7. omne peccatum, ex læsâ infinitâ Dei majestate, sit *mortale* Gal. III. 10. ex Deut. XXVII. 26. Jac. II. 10. Conf. lib. IV. cap. III. §. XX. & distinctio inter reatum culpæ & pœnæ, vana sit, & absque differentiâ, ut alibi docuimus lib. IV. cap. IV. §. XXIII. & pœnæ temporales in Scripturis nullibi divellantur à pœnis æternis: Vid. lib. IV. cap. IV. §. XXIV. & purgatorium, indulgentiæ, missæ, non sint nisi figmenta, ut suo loco demonstrabimus. Nec est, quod ulla quidem cum specie, obtendi in contrarium possit, nisi quod 1. mala temporalia subinde in Scripturis commemorentur, verè fidelibus in hac vitâ, inflicta; sed hæc non arguunt, veri nominis *pœnas*, ex justitia, à Deo ut Judice, in quamcunque compensationem, illis dictatas: verum paternas tantum *castigationes*, occasione peccati commissi, ex amore, in eorum emendationem inflictas Heb. XII. 6. 7. Apoc. III. 19. Conf. Aquin. 2. 2dæ. quæst. XVII. art. VII. Et quod 2. *satisfactionis* humanæ vox subinde occurrat apud Patres: Verùm non intelligunt satisfactiones *Deo* præstandas; sed *canonicas* tantum, ad reparationem dati scandali, *Ecclesiæ* præstandas.

Fundamenta sententiæ papalis.

17. An pro aliis satisfecerit, aut *jus* aliquod acquisiverit, quam electis?

XXXIX. *Decimoseptimò* quæritur, an pro aliis satisfecerit, aut *jus* aliquod acquisiverit, quam electis? Est in hac quæstione seminarium quoddam contentionum: 1. Remonstrantes existimant, Christum suâ satisfactione ipsi Deo *jus* acquisivisse, ut salvâ suâ justitia, jam cum peccatoribus possit agere, eisque novas consequendæ salutis leges, pro arbitrio suo, dictare. Addunt 2. iidem, Christum suâ satisfactione sibi ipsi *jus* acquisivisse, non tantum salvandi fideles; sed & damnandi infideles. 3. Olim Origenes cum suis existimabat, Christum etiam pro diabolis satisfecisse, eosque, post sufficiens pœnæ tempus, aliquando salvandos esse. 4. Sociniani, absque ullâ substitutione, aut pretii solutione, Christum statuunt, *bono* omnium & singulorum hominum, mortuum esse. 5. Arminiani, agnita qualicunque Christi substitutione, ac pretii solutione; statuunt, illum satisfecisse, seu mortuum esse, pro *omnibus & singulis* hominibus: quibus, licet redemptionem *impetraverit*; tamen non *applicet*, nisi verè fideles sint: sic, ut impetratio, ex intentione Patris & Christi, facta sit pro omnibus ac singulis; & applicatio pendeat ex arbitrio cujusque: idque statuunt per diversas hypotheses: α. Deum morti ac satisfactioni filium suum destinasse, antequam quenquam destinasset saluti. β. redemptionem in se *indeterminatam* esse; proinde mortem Christi ad omnes pertinere. γ. Deum non intendisse, eam mortis satisfactionem alicui *applicare* ad salutem: sed scopum suum assecutum fuisse, in ipsâ morte & satisfactione filii, adeo ut ejus satisfactione, non legata fuerit cuiquam vita æterna; sed via tantum patefacta N. fœderi, in quâ, ex præscripto Christi, vitam æternam quilibet consequi *possit*. Atque adeo δ. salutis *impetratio*, satisfactione & morte ejus procurata, in eo ipsis est, quod Deus, salva justitia, peccatorem servare possit, seu per fidem, seu per opera; ex quo etiam aliud quoddam decretum subsequens fabricant. Inde ε. modo tam indeterminato & vago, mortuum esse Christum sustinent ut nec pro fidelibus, nec pro infidelibus (utrisque qua talibus) mortuus sit; sed pro *omnibus*, ex quibus postmodum quidam fideles, quidam infideles, pro lubitu, futuri essent. Et quicquid ζ. deinceps fiat in *applicatione*, post præstitam ab homine conditionem requisitam, id non conferri, tanquam finem à satisfactione intentum; sed tanquam præmium ac mercedem, adeoque ad *justitiam* potius, quam ad gratiam spectare. Nec desunt η. inter ipsos, qui dicant non tantum *impetrationem universalem* satisfactione & morte Christi intentam fuisse; sed *applicationem* quoque: quatenus omnibus & *singulis* gratia etiam ac vires sufficientes conferantur, quibus possint si velint, conditiones stipulatas præstare. Cum his, quoad universalitatem, diversis licet gradibus, colludunt Anabaptistæ, Pontificii, atque etiam Lutherani. 6. Ex Reformatis, illi qui gratiam universalem tuentur *objectivam*, existimant, Christum pro *omnibus & singulis* satisfecisse sub conditione, *si velint* ipsum viva fide apprehendere; sed pro *solis electis* absolutè, *ut velint*: adeoque, omnium quidem *bono*; sed solorum electorum *loco*, mortuum esse. Communis Reformatorum sententia est, Christum sua satisfactione, nec *Deo* quicquam juris acquisivisse, quod *omne* jus in omnes, ab ὑπεροχῇ suæ Deitatis, dudum habeat: nec *sibi ipsi* quicquam impetrasse, nisi immunitatem à *reatu expromissorio* Col. II. 14. & gloriam *exaltationis* Phil. II. 7. 8. 9.: nec Angelis, ut cap. II. §. XXIV. docuimus: nec *omnibus & singulis* hominibus; sed solis electis, qui sibi à Patre *dati* sunt redimendi Joh. XVII. 6. 7. ut diximus §. XXI. Quibus addimus, 1. quod nullibi in S. pagina satisfecisse, aut mortuus dicatur, pro omnibus *& singulis*, quod proprium est hujus capitis χριόμενον. Quod 2. non satisfecerit pro his, qui *ante* suam mortem erant in *carcere* 1 Pet. III. 19. 20. Nec 3. pro his, qui peccant in *Spiritum* S. Matth. XII. 31. 32. col. cum 1 Joh. V. 16. nec pro Juda Joh. XVII. 12. Joh. VI. 70. & XIII. 11. Quod 4. pro omnibus & singulis non voluerit *orare*; multo minus pro iis moriendo, *satisfacere* Joh. XVII. 9. Quod 5. individua mortis & satisfactionis consectaria: α. liberatio à condemnatione Rom. VIII. 34. β. actualis cum Deo *reconciliatio* Rom V. 10. γ. vocatio ad *participium* partæ redemptionis Eph. I. 13. δ. remissio peccatorum Matth. XXVI. 28. ε. sanctificatio Joh. XVII. 19. ζ. *amor* Dei Joh. XV. 13.

Sententiarum diversia.

Communis Reformatorum sententia, cum suis rationibus.

13. cum 1 Joh. III. 16. 2. vitæ æternæ participium Heb. IX. 15. quod, inquam, individua hæc satisfactionis consectaria, aut connexa, ipsis adversariis, cum experientia, testibus, non cadant in omnes & *singulos*. Quod 6. saltem ex adversariorum quorundam hypothesibus, non satisfecerit pro his, qui in *infantia* decedunt, cum, ex sua sententia, peccatum *originale* non habeant: nec pro his adultis, qui sibi *cavent* ab omni peccato actuali, quod, per vires liberi arbitrii, in eorum potestate constitutum existimant. In contrarium causantur, quod 1. pro *omnibus* passim dicatur mortuus 2 Cor. v. 15. Heb. II. 9. 1 Tim. II. 6. Rom. v. 18. Resp. (1) Nullibi mortuus dicitur pro omnibus & *singulis*, quod solum est in quæstione. (2) Nota universalitatis *omnis*, frequenter in Scripturis, solam excludit διαφορὴν seu *distinctionem*, non autem exceptionem Rom. x. 11. 12.: *Dicit Scriptura, omnis qui credit in eum, non pudefiet, non enim est* διαφορὴ *Judæi & Græci*--- Gal. III. 26. 27. 28. Col. I. 20. 28. Rom. XI. 32. *Conclusit omnes* (h. e. tam Judæos, quam gentes) *sub inobedientia, ut omnium misereretur.* Ut vocula *omnis* hic non intendat, nisi tollere *discrimen* inter Judæos & Gentiles Eph. II. 14. 15. 16. Rom. III. 29. & alludatur ad promissionem, olim Abrahamo factam: benedicentur in te *omnes familiæ* terræ Gen. XXII. 18. & XII. 3. & XXVIII. 14. à qua *hæres mundi* indigitatur Rom. IV. 13. Gal. III. 8. quod tamen distertè restringitur Gen. XXI. 12. Rom. IX. 6. (3) τὸ *omnis* non semper notat *singula* generum; sed frequenter *genera* singulorum, prout loquuntur in scholis Matth. IV. 23. & XII. 31. Rom. XIV. 2. Apoc. V. 9. &c. Quod 2. frequenter dicatur mortuus pro *mundo* Joh. I. 29. 2 Cor. V. 19. Joh. III. 16. & pro *toto mundo* 1 Joh. II. 2. Resp. Mutatis mutandis, responsio secunda ad objectionem præcedentem, huic facili negotio applicari potest, nim. per *mundum* non rarò intelligi, quicquid contradistinguitur Ecclesiæ *Judaicæ*, seu gentilismus Rom. XI. 12. & IV. 13. ut sensus sit, Christum mortuum esse, non tantum pro Judæis; sed etiam pro Gentilibus. Quod 3. dicatur mortuus, pro his qui *perduntur* Rom. XIV. 15. 20. 1 Cor. VIII. 11. Resp. Hoc est, qui abusu rerum adiaphorarum, v. g. escæ aut potus, offenduntur: seu quibus occasio præbetur peccandi, eoque, si pote, pereundi Matth. XXIV. 24. prout apparet ex toto contextu locorum objectorum. Quod 4. mortuus dicatur pro falsis Prophetis, qui ipsum *abnegant* 2 Pet. II. 1. Resp. Hoc falsum est, neque enim textus loquitur de *Christo*, qui nunquam δεσπότης appellatur; sed de *Deo* Luc. II. 29. Jud. vs. 4.: nec τὸ ἀγοράζειν, notât acquirere *pretio* sanguinis, prout fit 1 Cor. VI. 20. 1 Pet. I. 19. sed simpliciter sibi *acquirere* Jes. LV. 1. ut sensus loci sit: Deum Pseudoprophetas illos præconio veritatis adduxisse ad communionem externam Ecclesiæ, in quâ se agnoscerent & profiterentur δεσπότην suum. Quod 5. dicatur mortuus, pro eo, *qui filium Dei conculcarit, & sanguinem fœderis, per quem sanctificatus fuit, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit* Heb. X. 29. Resp. Res ipsa loquitur, non esse *sanctificatum*, qui filium Dei pedibus conculcat, sanguinem fœderis impurum ducit, & horrendam committit in *Spiritum* S. blasphemiam Joh. XVII. 19. sed per sanguinem fœderis, sanctificatum Apostolus dicit ipsum *filium* Dei, ipso interprete Heb. II. 10. Quod 6. omnes *teneantur* credere, Christum *pro se* mortuum esse: & consequenter etiam pro omnibus sit mortuus, nisi obstringerentur credere id quod falsum est. Resp. Omnes quibus annunciatur Euangelium (id quod non omnibus & singulis contingit Psal. CXLVII. 19. 20. Act. XVI. 6.) tenentur credere in Christum, h. e. ipsum viva *fide* recipere Joh. I. 12. & hoc demum facto, ac non ante, tenentur inde concludere, Christum *pro se* mortuum esse.

Objectiones.

XL. *Decimooctavo* quæritur, an Christus vere & proprie suis aliquid boni *meritus* sit? Cum meritum à satisfactione, non nisi *ratione* differat, ac proinde, cum ea substitutionem ac pretii solutionem implicet; Sociniani, quia satisfactionem, substitutionem ac pretium negant, coguntur eâdem opera, & meritum negare. Protestantes ex adverso, ut satisfactionem, sic & *meritum* Christi recipiunt, his fere rationibus: 1. Quia pro nobis subjectus fuit *legi* Gal. IV. 4. Matth. V. 17. ejusque δικαίωμα, obediendo & patiendo, exactissime præstitit Rom. VIII. 2. 3. 4. ideo etiam, promissæ legis *mercedis* particeps fuit Levit. XVIII. 5. Matth. XIX. 17. Rom. X. 5. Quia 2. est *secundus* Adamus, ac proinde, sicut *primus*, sua inobedientia, sibi suisque *meritus* est reatum mortis, ita *secundus*, sua obedientia, meritus est jus vitæ: explicante luculenter analogiam istam Apostolo Rom. V. 14. 18. 19. 21. 1 Cor. XV. 21. 22. 45. Quia 3. pro nobis, utraque, passiva & activa obedientia, *infinitum* pretium præstando, dum ex rigore justitiæ divinæ, satisfecit, eoque à reatu mortis liberavit: eadem opera nobis *jus vitæ*, ex dignitate λύτρου, acquisivit. Sicut in *dogmaticis* ostendimus. Objicit Socinus, *de Servat.* lib. III. cap. 5. A. Nec ut *Deus*, nec ut *homo*, mereri potuit, cum homo ne *sibi* ipsi quidem possit mereri vitam, & Deus etiam mereri non possit. Resp. Datur *tertium*, ut θεάνθρωπος. B. Christus, ut *creatura rationalis*, omnem obedientiam pro *se ipso* debebat Deo; nihil ergo per eam *aliis* mereri potuit. Resp. Christus ut *homo*, omnem obedientiam Deo debebat, *pro se*; sed ut θεάνθρωπος, non debebat: quia non θεάνθρωπον, sed *hominem* merum, lex obstringit. C. *Sibi meritus*

11. An Christus aliquid suis meruerit?

Rationes Protestantium affirmativæ.

Objectiones Socinianorum negativæ.

est gloriam mediatoriam, ex vestrum quorundam hypothesi; ergo non *aliis*. Resp. Ex plenitudine præstiti *infiniti* pretii, & sibi & nobis meruit: quatenus ad parandam utrique gloriam, nec requiri, nec præstari potuit, majus quam *infinitum* pretium.

19. An suis meruerit regenerationem & fidem?

XLI. *Decimonono* quæritur, an suis meruerit, non tantum *vitam* æternam; sed etiam ad illam consequendam *necessaria*, regenerationem, fidem &c.? Remonstrantes, quo fidem & resipiscentiam commodius suspendant, à libero cujusvis arbitrio, negant: Reformati affirmant. Quia 1. exserte dicitur, *seipsum* dedisse & sanctificasse pro nobis, ut nos *sanctificaret* in veritate Joh. XVII. 19. Eph. v. 25. 26. Heb. II. 10. 11. Quia 2. Deus in Christo, & propter Christum, nobis dare dicitur, non vitam tantum; sed *omnia*, quæ *ad vitam & ad pietatem* sunt necessaria 2 Pet. I. 1. 3. Eph. I. 3. 4. nominatim *resipiscentiam* Act. V. 31. & XI. 18. 2 Tim. II. 25. & *fidem* Phil. I. 29. Quia 3. regeneratio & fides nobis conferuntur ex promissione *fœderis gratiæ* Jer. XXXI. 33. 34. Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. cum Heb. VIII. 8—12. & X. 16. cujus basis & ratificatio est in solo *sanguine* Christi Matth. XXVI. 28. Heb. IX. 15—18. ut qui *purgat* nos ab omni peccato 1 Joh. I. 7. Quia 4. & *sigilla* fœderis gratiæ, Sacramenta, nobis gratiam regenerationis obsignant Tit. III. 5. Rom. VI. 3. 1 Cor. XII. 13. sed non obsignant nisi *in* Christo, in quo *omnes promissiones Dei, sunt ναὶ καὶ ἀμήν*. 2 Cor. I. 20. in quo omnem *benedictionem spiritualem* nobis confert Eph. I. 3. Conf. Disput. Cel. Voetii super hac ipsa quæstione. In contrarium urgent, A. quod fides & resipiscentia sint *conditio* fœderis gratiæ, quæ prærequiritur, collationi beneficiorum fœderis ejusdem. Resp. Quo modo fides & resipiscentia, & *conditionem* præstent, & *beneficium* fœderis gratiæ, nos supra cap. I. §. XIV. XV. XVI. ex professo docuimus, atque etiam vindicavimus §. XXVII. & XXXI. B. Quod sic Pater, ex vi *meriti* illius, obligatus fuisset ad conferendum nobis fidem, & efficiendum in nobis omnia, quæ nobis, sub comminatione mortis, præscribit. Resp. Imò ex pacto illo gratioso, quod inter Patrem coiit & Filium, Pater obligatus fuit, qui præstaret, ut, postquam Filius animam suam præstitisset redemtionis pretium; *semen* spirituale videret Jes. LIII. 10. quod absque collatione fidei & resipiscentiæ fieri non potuit.

Rationes sententiæ affirmativæ.

Objectiones sententiæ negativæ.

20. An Christus solus suis meruerit jus vitæ æternæ?

XLII. *Vigesimo* quæritur, an Christus *solus* suis meruerit jus vitæ æternæ? Pontificii, sicut passionibus humanis, *satisfaciendi* dignitatem præstiterunt; ita & actionibus eorum bonis, *merendi* dignitatem conferunt geminam: alteram *ex congruo* qua irregenitorum bonis operibus, non ex debito; sed ex superabundanti *liberalitate*, beneficia quædam retribuat, quod ita *congruum* sit: alteram *ex condigno*; quâ regenitorum bonis operibus vitam æternam ex *justitia* retribuat, ob condignitatem; quod sint opera producta à Spiritu S. & Christus meruerit, ut bona nostra opera mereri possint. Reformati omnem *merendi* dignitatem soli Christo relinquunt. Quod 1. ad *infinitam* mercedem, qualis est in vitâ æternâ 2 Cor. IV. 17. Rom. VIII. 18. prærequiratur ex condignitate, *infinitum* pretium: quale solus Christus, *Deus supra omnia benedictus* Rom. IX. 5. præstare potuit, & præstitit. Quod 2. ad meritum propriè dictum requiratur *opus indebitum* Luc. XVII. 10. quale solus *Θεάνθρωπος*, *per se*, nulli legi subjectus, præstare potuit. Quod 3. meriturus, præstare debeat quod *suum* est, non autem *ejus*, à quo mereri intendit: solus autem Christus Patri præstare potuit quod *suum* erat, quando nos omnes non præstamus, nisi quæ *Dei* dona sunt Jac. I. 17. 1 Cor. IV. 7. Quod 4. opus bonum, ex condignitate, meriturum vitam æternam, debeat ex esse *perfectum* esse, cui nulla imperfectionis *condonatio* sit necessaria: tale autem opus solus Christus præstare potuit ac præstitit. Nec est quod obtendant, A. bona renatorum opera, esse opera *Spiritus* Sancti, efficienter saltem; proinde *infiniti* valoris, adeoque ex condigno, meritoria. Resp. Imo, vel *propterea* non sunt meritoria, quia Deus, aut Spiritus S. non potest mereri. B. Christum, *suo* merito bonis *renatorum* operibus merendi dignitatem meruisse. Resp. 1. Tum operibus *Spiritus* S. quæ in se infiniti sunt valoris, merendi dignitatem meruisset. 2. Scriptura nullibi docet, Christum suo merito nostris operibus *merendi* dignitatem meruisse. Reliqua de merito bonorum operum, seponemus in Caput *de Justificatione*.

Sententia Pontificiorum.

Sententia Reformatorum cum suis fulcris.

Objectiones Pontificiorum.

Pars practica.

XLIII. Praxis redemptionis Christi nobis commendat, *primo* veritatem, divinitatem & excellentiam, Religionis *Reformatæ* supra quamvis aliam. Dum enim alii 1. omnem penitus *ignorant* peccatoris redemptionem, sicut Gentiles: alii 2. redemptionem *respuunt*, quæ procurata sit per Jesum Christum; sicut Muhammedani & Judæi: alii 3. redemptionem fingunt, quæ contingat absque *ulla* Christi Mediatoris *substitutione*, aut pretii *æquivalentis* solutione, per meram condonationem, aut acceptilationem; sicut Sociniani, ac Socini*zantes*; Remonstrantes & Anabaptistæ: alii 4. redemptionem à Christo quidem repetunt, ejusque satisfactione & merito; sed *ex una parte* tantum, ex *altera* vero, ab humanis satisfactionibus, meritis, purgatorio, indulgentiis, missis, & bonorum operum meritis; sicut Pontificii: aut saltem 5. ab observatione *legis* Mosaicæ, prout illa

Redemptio Christi: 1. Commendat religionis Reformatæ excellentiam supra quamvis aliam.

la per Christum *correcta* & aucta est; sicut Sociniani: alii 6. redemptionem quærunt à satisfactione qualicunque *conditionata*, cujus omnis efficacia pendeat à cujusvis libero arbitrio: prout, cum Pelagianis, Remonstrantes & Jesuitæ: alii 7. redemptionem, satisfactione & merito Christi procuratam, quidem agnoscunt; sed *talem* tamen, cum quâ æternùm possis perire, cum qua multo plurimi æternùm damnentur, imò quæ plurimis cedat in aggravationem æternæ suæ condemnationis; prout Lutherani: quando Reformati talem *soli* tradunt redemptionem, quâ Mediator, suis substitutus, æquivalens pro eis præstitit pretium, quo certo certius, omnes sibi dati servantur. Adeoque redemptionem tradunt, 1. quam ipse Deus manifestavit in *verbo* suo: quæ 2. Deum maximè *decet*: ejusque gloriam *α.* justitiæ vindicativæ, *β.* φιλανθρωπίας, ac misericordiæ, *γ.* sapientiæ, *δ.* omnimodæ independentiæ &c. maximè præstat illustrem & conspicuam: ut *parag. seq.* distinctius ostendemus: quæ 3. hominem efficacissimè ducit ad æternam *beatitudinem*, deprimit ad profundam *humilitatem*, ac dependentiam à Deo, ejusque pura puta gratia: quæ 4. beatitudinem redempti *immotam* præstat, & ad gratitudinem, sanctamque conversationem, exactissimè efformat: ut per subsequentia clarissimè patebit.

2. Commendat immensam Dei gloriam.

XLIV. *Secundo*, commendat immensam Dei *gloriam*, incomparabile & ineffabile redemptionis facinus. Hic extimus scopus universi hujus, tam illustris moliminis, à capite æternæ *electionis* Eph. 1. 5. 6. Rom. IX. 22. 23. per medium *liberationis* in tempore Tit. II. 14. ad calcem æternæ *beatificationis*. *Ibid.* vs. 15. Fulget enim in redemptione, gloria 1. *Sanctitatis*, odii in peccatum, *justitiæ* vindicativæ: qua, ne peccatum impunitum abiret; peccatori, *filium*, filium proprium, & unigenitum substituit, ei universum peccatoris electi reatum imposuit, pro eo peccatum, imo exsecrationem fecit Jes. LIII. 4. 5. 6. 10. 2 Cor. v. 21. Gal. III. 13. Quinimo, in hac una vindicta, à proprio suo filio sumta, major apparet justitiæ divinæ rigor, quam, si *universum* mundum condemnasset. Gloria 2. φιλανθρωπίας, gratiæ & *misericordiæ*, quam Deus extollit Rom. v, 7, 8. & ipse Redemptor miratur Joh. III. 16. & Apostoli celebrant; Paulus Eph. II. 4. 5. Tit. III. 4. 5. Johannes 1 Joh. III. 1. quæ sanè, in hoc est illustrissima, quod misero *peccatori*, læsæ infinitæ majestatis reo, non nudè *condonaverit* offensam; sed proprium & unigenitum *filium* suum subornaverit, qui peccatum & exsecratio pro eo fieret. Gloria 4. infinitæ *sapientiæ*, πολυποικίλου σοφίας τοῦ Θεοῦ, quæ *ipsis principatibus & potestatibus cœlestibus* revelari meretur Eph. III. 10. ad quam, meritò Apostolus exclamat: ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ &c. Rom. XI. 33. 34. & quid mirabilius excogitari possit? quam infinitam *justitiam* vindicativam, & infinitam *misericordiam* simul exercere in eadem re. Quam sapientiam clarius etiam agnoscemus, si, facta collatione (inter beatificationem hominis, juxta tenorem fœderis operum, per *præservationem* à peccato; & beatificationem peccatoris, juxta tenorem fœderis gratiæ, per *redemptionem*) rationes, quibus adducta divina sapientia, *redemptionem* prætulerit *præservationi*, expendamus. Possis enim, haud abs re, mirari, cum Deus, citra dubium, hominem nullo negotio *potuisset conservare* à lapsu, perinde ut beatos Angelos conservavit: quid causæ fuerit Deo, peccatum permittendi, rem tam turpem, & adeo sibi exosam, & quæ, citra substitutionem proprii & unigeniti *filii* sui, & citra *mortem* ei tam rigidè inflictam, tolli non potuit: ast si rem devotè expendas, deprehendes, viam *redemptionis* Deo placuisse, præ via *præservationis*, quod uberior gloria, multis modis, ei naticatur, ex illa, quam ex hac beatificandi ratione. Si enim 1. hominem beatificasset, *præservatione* à peccatis, quemadmodum bonos Angelos; aut si condemnasset, rigida ejus rejectione, prout malos Angelos: non præstitisset tam glorioſum *specimen*, sapientiæ, potentiæ, & misericordiæ, quod etiam *peccatorem* beatificare posset. Præstiterat specimen *gratiæ*, in præservandis bonis Angelis à peccato, & in confirmandis in immoto perfectionis statu; præstiterat item specimen *justitiæ* & rigoris, in æterna rejectione malorum 2 Pet. II. 4. Jud. vs. 6. præstandum etiam erat specimen sapientiæ, potentiæ & *misericordiæ*, qua *peccatorem* servare & beatificare posset; à quâ Christus *sapientia & potentia Dei* appellatur 1 Cor. I. 24. Eph. I. 19. Si 2. hominem, per *præservationem* à peccato beatificasset, ut Mediatore nullo indigeret; tum destitutus fuisset universâ *illa* gloria, qua jam fulget, in tam glorioso, & omnibus numeris perfecto *Mediatore* filio Joh. XIII. 31. 32. à quo *splendere*, dicitur τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, *qui est imago Dei invisibilis*: & *cognitio gloriæ Dei in facie Jesu Christi* 2 Cor. IV. 4. 6. & ipse Servator, *effulgentia gloriæ, & character personæ Patris — purgatione peccatorum nostrorum facta, collocatus in dextra throni majestatis, in excelsis* Heb. I. 3. Atque hæc Patris glorificatio, in *Filio* ut Mediatore passim notatur, ut supremus totius redemptionis scopus Phil. II. 9. 10. 11. Rom. VI. 4. à qua filius, Patrem *glorificasse*, & glorificare dicitur Joh. XVII. 4. Si 3. hominem *præservatione* beatificasset; tum *Filius* Dei caruisset, ita dicam, universâ gloriâ suâ *mediatoria*, quæ ei oborta est à glorioso redemptionis negotio, de qua Eph. I. 20. 21. 22. Phil. II. 9. 10. quam, post *sui* glorificationem, primariò Deus intendit, per universum redemptionis o-

Quibus rationibus Deus maluerit hominem beatificare, per redemptionem à peccato; quam per præservationem à peccato.

1.

2.

3.

pus Joh. v. 22. 23. Usque adeo, ut, licet Christus multis modis, quantus est, sit *pro nobis*, Eph. v. 2: attamen, ex adverso, pluribus modis, nos simus *pro eo*: scil. quemadmodum Christus Deo medium præstat nostræ *beatificationis*; ita & nos, magis etiam, Deo præstamus medium 4. *glorificationis* filii sui Phil. II. 10. 11. Si 4. hominem *præservatione* beatificasset, certè ansam non habuisset, in *peccatore* manifestandi gloriam tantæ bonitatis, amoris & *misericordiæ*, quantâ jam per redemptionem fulget Joh. III. 16. 1 Joh. III. 1. Tit. III. 14. Eph. III. 18. 19. Si 5. *præ-* 5. *servatione* hominem beatificasset; non *fuisset manifestatus in carne — visus Angelis* 1 Tim. III. 16. & sic, invisibilis & inaccessa nobis immensa deitas, quasi æternùm latuisset in se 1 Tim. I. 17. & VI. 16. Exod. XXXIII. 20. quando jam conspicitur, in *filio* Mediatore θεανθρώπῳ Joh. XIV. 9. 10. Job. XIX. 27. Si 6. *præservatione* hominem beatificasset, Deus non fuisset homini factus tam propinquus Deut. IV. 7. atque jam est, in filio incarnato Prov. VIII. 30. 31. nec homini fas fuisset, tantâ παῤῥησίᾳ appropinquare ad Deum, quanta, jam quidem, ei suppetit, in filio incarnato Heb. IV. 16. Joh. III. 12. Si 7. *præservatione* homi- 7. nem beatificasset; tum non tanta fuisset hominis dependentia à Deo, nec tam frequens, per fidem ac preces, ad Deum προσαγωγὴ; quanta jam, existente peccato, majoreque indigentia & necessitate 1 Pet. III. 18. Rom. V. 2. Eph. III. 12. Si 8. 8. *præservatione* beatificasset, nec turpitudo & abominabilitas peccati, utpote non existentis; nec pulchritudo & gratia sanctitatis, ex oppositione, tam illustris fuisset, ac jam est, existente peccato Jes. I. 15. 16. Psal. V. 5. 6. 7. Nec 9. tanta fuis- 9. set hominis obligatio ad quodvis officium Deo præstandum, ex sola creatione, & promissione fœderis operum; ac jam quidem est, ex redemptione, & nova creatione, prioribus superadditis 1 Cor. VI. 20. Tit. II. 12. 13. 14. Nec 10. tan- 10. ta homini integro necessaria fuisset humiliatio, & abnegatio sui, quanta jam est ex peccato Luc. XIV. 11. Rom. VII. 24. Luc. V. 8. Nec 11. sta- 11. tus beatæ immortalitatis, non existente peccato, aut redemptione; tam *clarè* fuisset homini explicatus, & repræsentatus in Scriptura, atque quidem jam exstitit explicatus 2 Tim. I. 10. & 1 Tim. III. 16. Nec 12. salus æterna tam *firmo* & im- 12. mobili stetisset talo, in propriis lubricæ voluntatis viribus, atque quidem jam stat, suffulta meritis & intercessione Mediatoris θεανθρώπου 1 Tim. II. 12. Joh. XVII. 2. & VI. 39. & X. 26. 27. 28. 29. Ex his (quæ paulò distinctius repræsentare visum est, quod rarius observentur inculcenturque) aliisque manifesta est, πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ, in redemptionis negotio fulgens, ad gloriam Dei.

Quorsum ista meditanda.

Jam nostrum est, (1) *meditando*, redemptionis ineffabile facinus, argumenta hujus glorificationis studiosè investigare, cum Prophetis, imò cum ipsis B. Angelis 1 Pet. I. 10. 11. 12. (2) pro sua dignitate *celebrare*, laudibusque apud alios efferre, cum cœlesti Angelorum exercitu Luc. II. 9. 10. 13. 14. Eph. III. 9. 10. 11. 1 Pet. II. 9. Tandem (3) universâ nostra conversatione, redemptionis hujus tantam gloriam Deo promptè & liberaliter *referre*: imprimis ipsum glorificando, in *filio* suo, Mediatore tam glorioso Luc. I. 68. 69. 71. 72. De quo plura in progressu.

3. Commendat gloriam Redemptoris.

XLV. *Tertiò*, commendat eâdem operâ, redemptio Redemptorem, ejusque *gloriam*, quippe quam *Deus* primariò intendit, per universum hoc redemptionis negotium Joh. V. 23. & XII. 23. quam ipse etiam *Redemptor*, velut præmium redemptionis, expetit à Patre Joh. XVII. 1. 4. quam *Pater* velut mercedem redemptionis, profundissima sua humiliatione partam, ipsi tanto apparatu retribuit Phil. II. 8. 9. 10. Eph. I. 19. 20. 21. 22. Heb. I. 3. quam ipsi tam magnifice offunduut, exercitus cœlestes, animalia apocalyptica, Seniores, & myriades myriadum, ex ipso *redemptionis* capite Apoc. V. 8 — 12. quam tanto impetu, seu per *vitam*, seu per *mortem*, sectatur Apostolus Phil. I. 20: commendat, inquam, gloriam, 1. non tantum *axiomatis* mediatoriis, quam supra diximus cap. II. Nec tantum 2. gloriam non *nominum* ac titulorum gloriosissimorum. quos diximus cap. III. Nec tantum 3. gloriam *personæ* θεανθρώπου, quam observavimus cap. IV. Nec tantum 4. gloriam triplicis functionis, propheticæ, pontificalis & regiæ, quam notavimus cap. V. VI. VII. VIII. Nec tantum 5. gloriam quadripartitæ *humiliationis* profundissimæ, quam exposuimus cap. IX. X. XI. XII. XIII. Nec tantum 6. gloriam triplicis *exaltationis*, quam repræsentavimus capp. XIV. XV. XVI. XVII. quæ totuplex ac tanta Redemptoris gloria sese penitus exonerat, in hoc unum redemptionis caput: sed peculiariter 7. ipsa redemptionis *gloria*, qua, stupenda penitus φιλανθρωπίᾳ Tit. III. 4. & amore Eph. V. 2. non *sua* tantum; sed *seipsum*, quantus quantus est (*Ibid.*) impendit: non justis; sed peccatoribus, rebellibus, lædæ infinitæ majestatis reis, Patris fuique hostibus Rom. V. 6. 7. 8. nec impendit nude, sed sic impendit, ut ipsis seipsum *substituerit*, & omnem pœnam, ipsis competentem, *in se* susceperit: idque, non ad hoc modo, ut ipsos *liberaret* ab omni malo Gal. III. 13. 2 Cor. V. 21. sed etiam ut *jus* omnis boni *acquireret* 2 Cor. I. 20. Eph. I. 3. 1 Cor. III. 22. 23. usque adeo, ut, cum vel ipsa Dei infinita *bonitas*, utcunque naturaliter sui communicativa, se ad ipsos non posset explicare: obstantibus, violatione fœderis operum, demerito peccati, comminationibus legis, & clamoribus justitiæ vindicativæ; remotis per hanc redemptionem, quibusvis obstaculis;

culis; jam divina bonitas seipsam in ipsos exoneret, & effundat quavis benedictione Eph. I. 3. justificationis, adoptionis, sanctificationis, glorificationis, ut, præstita redemptione, jam habeant προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει Eph. III. 12. & II. 18. haurire possint ex ejus plenitudine χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. I. 16. in ipso sint *consummati* Col. II. 10. ipseque sibi sit *omnia in omnibus* Col. III. 11. Istam Redemptoris gloriam sic commendat redemptio, ut 1. frequentes simus, imo assidui, in devota *contemplatione* gloriosæ hujus redemptionis Eph. III. 17. 18. 19. ut 2. Redemptorem eo nomine, corpore & spiritu nostro, *glorificemus* 1 Cor. VI. 20. ut 3. Redemptorem supra omnia *extollamus*, propter eum, quævis susque deque, pro damno, pro stercore, habeamus, quo ipsum solum lucrifaciamus Phil. III. 7. 8. 9. Heb. XI. 24. 25. 26.

Quorsum commendet

4. Commendat beatissimam redemptorum sortem, ex quinque capitibus:

XLVI. *Quarto*, commendat nobis redemptio *beatissimam* redemptorum sortem, quam ipsis gratulantur beati Angeli Luc. II. 10. 11. & XV. 7. quin ipse Deus. *Ibid.* vers. 23. 24. 32. Si enim expendant, 1. sortem *à qua*, per hanc redemptionem, liberati sunt, *mala*, tot ac talia, α. *iram*, odium & inimicitiam cum Deo, quam tam anxie deprecatur David Psal. VI. 1. & XXXVIII. 2. β. *servitutem* spiritualem, plus quam Ægyptiacam Exod. I. 11. 12. 13. 14. & II. 23. & V. 13. 14. cum Luc. I. 68. 69. 71. γ. *mortem*, infernum, æternam maledictionem 1 Cor. XV. 55. 56. Gal. III. 13. δ. universum illud *corpus* mortis, super quo adeo querulatur Apostolus Rom. VII. 24. *Miser ego! quis me liberabit ab hoc corpore mortis?* ε. tormenta infernalia Psal. XVIII. 5. 6. 7. & CXVI. 3. *calicem* illum, qui tam amarus accidebat ipsi Redemptori Matth. XXVI. 37. 38. 39. imò ζ. æternum illud *divortium* à summo, imò ab omni bono, cum tormentis consectariis, intolerabilibus Matth. XXV. 41. 46. Jes. LXVI. 24. Marc. IX. 44. Si, ex adverso, expendant 2. *bona* tot ac tanta, quorum *jus* ipsis acquisitum est hac redemptione, v.g. A. reconciliationem & *pacem* cum Deo 2 Cor. V. 19. 21. Rom. V. 1. *amorem*, gratiam & benevolentiam ejus *Ibid.* vs. 5. Luc. II. 14. amicitiam & familiaritatem cum eodem Joh. XV. 15. B. libertatem adeundi Deum cum *fiducia*, in quavis necessitate Rom. V. 2. Eph. II. 18. & III. 12. Heb. X. 22. C. Communicationem cujusvis *benedictionis* Gal. III. 13. 14. Eph. I. 3. 2 Pet. I. 3. Col. II. 9. 10. Joh. I. 16. D. Pacem ac tranquillitatem *animi*, consolationem in adversis quibusvis, gaudium inenarrabile Matth XI. 28. 29. Rom. V. 1. 3. 1 Pet. I. 8. E. Ipsam *vitam* æternam Joh. III. 16. Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. F. Ejusque immotam *certitudinem* Joh. X. 27. 28. Rom. VIII. 32. 38. 39. 1 Pet. I. 2. 5. &c. Si 3. *modum* acquirendi expendant, quo, non per puram putam *potentiam*, nec per solas *preces*, aut precario redempti sint; sed per substitutionem *filii* Dei, proprii & unigeniti Rom. VIII. 32. Eph. V. 2. 25. quia, universa illa, quæ sibi ex peccatis incumbebat, usque ad maledictionem, perpessus est Gal. III. 13. 2 Cor. V. 21. Jes. LIII. 4. 10. Ut jam sibi redemptio ista competat, non ex pura puta Patris *gratia*; sed & ex *justitia*, propter satisfactionem & meritum filii Dei Rom. VIII. 33. 34. Si 4. expendant causam, ac scaturiginem hujus redemptionis, superlativum, ac plane stupendum amorem *Patris* Joh. III. 16. Rom. V. 8. 1 Joh. III. 1. & *Filii* Eph. V. 2. 25. versus se peculiariter. Si 5. expendant redemptionem istam procuratam fuisse, non *Angelis* Heb. II. 15. 16. 2 Pet. II. 4. Jud. vers. 6. Apoc. XX. 2. nec omnibus & *singulis* hominibus Joh. XVII. 9. sed sibi privative, quos Pater filio *dederit* redimendos Joh. XVII. 6. 9. Conf. mutatis mutandis, quæ in hanc rem diximus Cap. XII. §. XXX.

1.

2.

3.

4.

5.

XLVII. *Quinto*, repræsentat ex adverso, ineffabilem non redemptorum *miseriam* Eph. II. 1. 2. 3. 11. 12. Heb. III. 3. cum vs. 10. 11. 17. 18. Per quam (*a*) non modo obnoxii sunt *omnibus* istis malis, à quibus liberatos fuisse redemptos, *parag. præced.* monuimus: sed (*b*) privati etiam, omnibus istis, tot tantisque beneficiis, quibus redempti gaudent, ac fruuntur, per §. *præced.* Quin insuper (*c*) ex ipsa Mediatoris redemptione, miseria ipsorum immanè quantum invalescit! quod, cum α. Deus, puro puto adductus amore, mundo *dederit* Redemptorem Joh. III. 16. pro Redemptore ipsummet *filium* suum, filium *proprium* Rom. VIII. 32. *unigenitum* Joh. III. 16. *dilectissimum* Eph. I. 6. Matth. III. 17. cum β. ipsum peccatoribus *surrogaverit*, universumque eorum reatum in ipsum conjecerit Jes. LIII. -- ipsum pro nobis *peccatum fecerit*, *ut nos fieremus justitia coram se* 2 Cor. V. 21. imo *exsecrationem* Gal. III. 13. cum γ. ipsum *promiscue* offerat, fide recipiendum Joh. III. 16. imo, exquisitissimis motivis & promissionibus *invitet* ad recipiendum Jes. LV. 1. 2. cum δ. ipse Redemptor tam *proclivis* sit ad impertiendam suam redemptionem, tam liberaliter offerat, tanto conatu instet, ut se recipiamus Matth. XI. 28. 29. 30. Joh. VII. 37. 38. Apoc. III. 20. & XXII. 17. Cant. V. 2. cum ε. non stet, nisi à purâ putâ eorum *contumacia* & nolitione, quominus tantæ redemptionis reddamur participes Matth. XXII. 3. 4. 5. & XXIII. 37. Joh. V. 40. nunquid, ab his omnibus, immensum invalescet miseria non redemptorum? Heb. III. 3. cum vs. 10. 11. 17. 18. Sed quinam hi non redempti? A. Qui nullum omnino *profitentur*, aut Redemptorem, aut redemptionem; quales Ethnici, Muhammedani & Judæi, nisi forte *temporalem* tantum, ut Judæi. B. Qui profitentur quidem *ore*, sed *reipsa* negant, & talem qui non redemerit; sed redemptionem tantum annunciarit; ut Sociniani, *substitu-*

5. Repræsentat miseriam non redemptorum.

Quænam eorum miseria,

Quinam miseri,

tionem, seu pœnas vicarias Redemptoris, & æquivalentiam mortis Christi cum nostro reatu, penitus negantes. C. Qui redemptorem quidem profitentur; sed *ex parte* tantum, qui à pœnis tantum æternis &c. non autem à temporalibus liberaverit, & qui *jus merendi* potius nobis impetraverit, quam revera nobis *meruerit* jus vitæ æternæ: sicut Pontificii. D. Qui *seipsos*, si non ex *toto*; saltem ex *parte*, habent pro sui Redemptoribus: quando, in liberi arbitrii viribus, in satisfactionibus propriis, in meritis bonorum suorum operum: aut in aliis præter Christum, in Angelorum, B. Virginis, aliorumque cœlitum intercessionibus, meritisque supererogatoriis; aut saltem in *obedientia* præceptorum Christi, salutem suam quærunt: sicut, diversis licet gradibus, Sociniani, Anabaptistæ, Arminiani, aliique. E. Qui Christum *solum* quidem, pro sufficientissimo Redemptore agnoscunt & *profitentur*; sed tamen redemptionem apud ipsum non *quærunt*: prout, qui fidem reformatam profitentur quidem; sed non *vivunt*. Et quænam hujus mali causæ? א. Est crassa *ignorantia*, in palàm infidelibus Rom. x. 3. Psal. lxxix. 6.: ב. *Hæresis*, in Socinianis, Pontificiis, Arminianis, aliisque: qui redemptionem, vel extoto, vel ex parte, extra unicum Redemptorem Jesum quærunt Act. iv. 12. Joh. xiv. 6. 1 Tim. ii. 5. cum Gal. v. 4. Rom. x. 3. ג. *Socordia*, qua, & qui Christum profitentur unicum Redemptorem, *seipsos* ignorant 2 Cor. xiii. 5. suamque miseriam non *sentiunt* Apoc. iii. 17. Matth. xix. 20. ד. *Desperatio*, qua plus peccati in se sentiunt, quam, aut misericordiæ in Deo, aut *sufficientiæ* in Redemptore Gen. iv. 13. Matth. xxvii. 3. 4. 5. ה. *Pusillanimitas*, qua, turpitudinis propriæ *conscientia*, quamvis sufficientiam Redemptoris recipiant; non *audent* tamen ad eum, cum fiducia, seipsos conferre Luc. xviii. 13. & v. 8. Jes. xxxiii. 14. Ezech. xxxiii. 11. Quæ causæ, in medicatione, analogis remediis caute sunt tollendæ. Conferatur, mutatis mutandis Cap. xii. §. xxxi.

Quænam miseriæ causæ.

6. Jubet inquirere, num & nos redemerit?

XLVIII. *Sexto* jubet redemptio, seriò inquiramus, num & *nos* redemerit Christus. Cum enim 1. non omnes & *singulos* homines redemerit, per §. xxi. & xxiv. cum 2. tanta sit redemptorum *beatitudo*, per §. xlvi. cum 3. tanta sit *miseria* non redemptorum per §. xlvii. cum 4. à devota suiipsius *exploratione* pendeat, si non ipsa redemptio, saltem ejus *certitudo* 2 Cor. xiii. 5. Gal. vi. 4. omniaque suavissima hujus certitudinis consectaria, pax & tranquillitas conscientiæ, consolatio, gaudium, & ipsius vitæ æternæ indubitata persuasio: est omninò, eo quod seriò inquiramus, num & *nos* redemerit. Quibus autem indiciis hoc certò assequemur? Resp. *primum* indicium suppetit ex *objecto*, cui redemptionem adstrictam ostendimus §. xxi. si nim. simus viva membra Ecclesiæ Redemptoris; ex ovibus, non hircis; ex populo ejus &c. *Secundum*, ex illo *medio*, cujus ope, Redemptor cum sua redemptione, noster fit: puta, viva fide Joh. iii. 16. & i. 12. cujus ope, cum Redemptore *unimur* Gal. ii. 20. Eph. iii. 17. & *communionem* consequimur ejus justitiæ Phil. iii. 9. *Tertium* ex præcipuo ejus *consectario*, scil. *reconciliatione*: qua Redemptor non tantum *Deum* nobis placavit; sed & *nos* viciſſim Deo: ex quo sequitur, si animum in nobis sentiamus *Deo placatum*, omnes hostilitatis actus & arma, scil. peccata, abjicientem, & se ut amicum Dei gerentem Tit. iii. 3. 4. Act. v. 39. & xxiii. 9. nos certò redemptos esse. *Quartum* ex *fructu* præcipuo: fugâ impietatis, cupiditatum carnalium, vanæque conversationis, & opposito studio pietatis, justitiæ & temperantiæ Tit. ii. 12. 13. 14. 1 Pet. i. 18. Conf. mutatis mutandis cap. xii. §. xxxii.

Motivæ.

Signa.

7. Eritgit, ut enitamur in communionem redemptionis.

XLIX. *Septimo* erigit, ut omni studio eniamur in *communionem* hujus redemptionis: suadente Apostolo 2 Cor. v. 19. 20. & prælucente suo exemplo Rom. vii. 24. *Miser ego, quis me liberabit?* insuper auditoribus Petri pentecostalibus Act. ii. 37. & commentariense Act. xvi. 30. & publicano Luc. xviii, 13. suadente 1. ipsa rei *natura*. Si enim Deus nulla, seu necessitate, seu lucri aut emolumenti spe; sed pura puta adductus φιλανθρωπίᾳ Joh. iii. 16. Rom. v. 8. 1 Joh. iii. 1. redemptionis rationem exquisivit, præparavit, *filium*, filium *proprium*, *unigenitum*, dilectissimum, peccatoribus redimendis substituit, universum eorum reatum ipsi imposuit; si filius Dei seipsum tradidit, ut redimerentur: quæ dementia foret, tantam redemptionem, tanto pretio 1 Cor. vi. 20. 1 Pet. i. 19. procuratam, negligere? susque deque habere Matth. xxii. 2. 3. 4. 5. Suadente 2. tanta tantorum malorum *copia*, à qua nos liberat redemptio, *juxta* §. xlvii. Suadente 3. tanto *beneficiorum* ineffabilium pondere & copia 2 Cor. iv. 17. 18. quæ diximus paragrapho xlvi. Suadente 4. tam liberali ejus *oblatione*, tam efficaci invitatione, tot tantarumque promissionum illecebris Jes. lv. 1. 2. Matth. xi. 28. 29. & xxii. 2. 3 — Suadente 5. conditionis, ad participium redemptionis stipulatæ, *facilitate* Matth. xi. 30. 1 Joh. v. 3. Conf. Mich. vi. 6. 7. quatenus, pro accipienda redemptione, non stipulatur Deus, nisi ut Redemptorem redemptionemque vera *fide* apprehendamus Joh. i. 12. & iii. 16. Suadente tandem 6. dura & indeclinabili *necessitate*: quatenus, aut redimi, aut æternùm perire debemus Joh. iii. 16. 36. Sed, quid factu opus, ut hujus redemptionis reddamur participes? 1. Cavendum nobis α. ab omnibus perversis redemptionis *mediis*; quibus, aut β. *intra nos*, redemptionem nobis polliceamur, seu à proprii *arbitrii* no-

Ratiocinationes motivæ.

Media.

noſtri viribus: ſeu à propriis paſſionum *ſatisfactionibus*; ſeu à virtutibus, bonorumque operum noſtrorum *meritis*: aut *extra nos*, à beatis cœlitibus, vel vivorum interceſſionibus: aut *ullibi*, extra ſolum Redemptorem Chriſtum Phil. III. 7. 8. 9. Gal. VI. 14. 1 Cor. II. 2. Rom. X. 3. 4. Gal. V. 2. 4.: tum cavendum etiam γ. à *præjudiciis* vulgi, quibus redemptionem nobis polliceamur, à purâ putâ Dei *miſericordiâ*, abſque ullâ ſatisfactione Chriſti, per meram peccatorum noſtrorum *condonationem*; aut per redemptionem quandam *univerſalem*. Cavendum δ. ab imaginationibus vanis, quibus redemptionem nobis polliceamur, ſeu ab *interceſſionibus* piorum Exod. VIII. 8. 28. 1 Sam. II. 25. ſeu à propriis *ſuſpiriis*, in horâ mortis: *eſto mihi Deus propitius* &c. Sed 2. adnitendum nobis, ut ſufficientem tempeſtivè hauriamus *cognitionem*, de naturâ noſtræ redemptionis, per ſatisfactionem & meritum Redemptoris Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. 1 Tim. II. 5. idque, ne in *diverticula* ſeducamur. Hinc 3. id agendum nobis, ut habeamus A. *cognitionem* practicam & *experimentalem* peccati Luc. XV. 21. *peccavi Pater* Pſal. LI. 5. B. *ſenſum* miſeriæ, ex peccato indeclinabilis Rom. VII. 24. quo ex utroque, in nobis ſuccreſcat *agnitio* neceſſariæ nobis redemptionis. *Ibid. Quis me liberabit?* C. ſalutaris *deſperatio*, de propria & aliorum quorumvis *ſufficientiâ* ad noſtri redemptionem. *Ibid.* Pſal. XLIX. 8. 9. & CXXX. 3. & CXLIII. 2. D. *agnitio* ejus ſufficientiæ & plenitudinis, quæ ad redemptionem, eſt in Chriſto Jeſu Phil. III. 8. 9. Joh. I. 14. 16. Eph. III. 8. Pſal. LXXIII. 25. E. *Egreſſus* ad Chriſtum ſolum Phil. III. 8. 9. Joh. VI. 67. 68. Matth. XI. 28. F. *Conſenſus* in quasvis *conditiones*, ad redemptionis participium ab eo, à nobis ſtipulatas Luc. IX. 23. Gal. V. 24. G. Fiducialis *apprehenſio* ejus Joh. I. 12. & *acquieſcentia* in eo ſolo Jeſ. X. 20. Pſal. LXXIII. 25. De quibus ſuo loco diſtinctius.

3. Præſtat redemptis efficaciſſimam ſolatium. Argumenta conſolatoria.

L. *Octavo*, præſtat redemptis efficaciſſimam *conſolationem*, & quaſi panaceam, adverſus quodvis malum, in vitâ & in morte; quod 1. *Redemptorem* habeant Job. XIX. 25. Quod 2. *talem*, qui eſt *Deus altiſſimus* Pſal. LXXVIII. 35. Jeſ. XLIV. 6. 24. cum Rom. IX. 5. ac proinde *poteſt* liberare & liberabit; qui idem eſt *homo*, in *omnibus tentatus* ſicut ipſi, ut ipſis poſſit & velit συμπαθεῖν Heb. IV. 15. & II. 17. adeoque θεάνθρωπον. Quod 3. talem habeant Redemptorem, qui, cum ipſe peccatum *non noſſet*, ſeipſum *ſubſtituit* univerſo eorum reatui, pro ipſis *factus eſt peccatum* 2 Cor. V. 21. imo *exſecratio* Gal. III. 13. ut omne exſecrabile ab ipſis tolleret Rom. VIII. 1. Quod 4. talem habeant Redemptorem, qui *pretium* pro ſuo reatu præſtitit, ex divinæ juſtitiæ rigore, exacte *equivalens*, imo plane *infinitum*: cui proinde, ex ipſa Dei immota *juſtitia*, redemptio debeatur. Quod propterea 5. in ipſo ſibi ſuppetat *certa* redemptio 1 Cor. I. 30. *multiplex*, quin *omnimoda* redemptio Pſal. CXXX. 7. 8. adeo, ut extra ipſum *nulla* ſit redemptio Act. IV. 12. Quod 6. talem, qui pretioſo ſuo *ſanguine* 1 Pet. I. 18. 19. Act. XX. 28. ipſos ſibi acquiſivit *in peculium* Tit. II. 14. 1 Cor. VI. 19. 20. Quod 7. talem, qui curam eorum gerit, perinde *exactam*, ac ſui ipſius Pſal. CV. 15. Act. IX. 4. Matth. X. 40. & qui, uſque ad *capillum*, eos conſervat Matth. X. 29. 30. 31. & adverſa etiam, qualiacunque in eorum *emolumenta* dirigit Rom. VIII. 28. Proinde (1) ſi *morbus* urgeat, Redemptor morbos eorum in ſe ſuſcepit ac portavit Jeſ. LIII. 4. & ſanat *omnes* eorum *infirmitates* Pſal. CIII. 3. Matth. VIII. 17. Si (2) quorumvis neceſſariorum *egeſtas*; ipſe, *cum dives eſſet*, *pauper pro nobis factus* eſt 2 Cor. VIII. 9. Matth. VIII. 20. Si (3) *contemptus* & vilipendium, ipſe quodvis contumeliæ genus pro ſuis ſponte admiſit Pſal. LXIX. 8. 9. 10. Jeſ. L. 5. Si (4) *perſecutiones* atrociſſimæ, & ipſe eas admiſit pro ſuis Pſal. LXIX. 27. Pſal. XXII. 17. Si (5) *peccatum*, ipſe *factus eſt* pro ſuis *peccatum*, ut ipſi *fierent juſtitia coram Deo* 2 Cor. V. 21. Si (6) *mors*, ipſe pro ſuis *mortuus* eſt Rom. V. 6. 8. Si (7) æterna *condemnatio*, ipſe pro ſuis *factus eſt exſecratio* Gal. III. 13. Si (8) angores *animi*, & deſertiones ſpirituales; ejus anima pro ſuis *contriſtata eſt*, *uſque ad mortem* Matth. XXVI. 37. 38. ipſe, pro ſuis, à Patre ſuo deſertus, exclamavit: *Deus mi, Deus mi, quare deſeruiſti me!* Pſal. XXII. 2. Matth. XXVII. 46. Atque iſta omnia Redemptor pro ſuis, *ad hoc* admiſit, ut ſuos liberaret ab iſtis omnibus Jeſ. LIII. 5. Quanta, bone Deus, in his eſt redemptio! quantum in hac redemptione ſolatium! Modo certis indiciis perſuaſi ſint, quod SUUS ſit Redemptor, ut cum Jobo: *novi quod meus Redemptor vivat* Job. XIX. 25. & cum Paulo: *qui ME dilexit, & ſeipſum tradidit pro ME* Gal. II. 20.

(1) Caſus in quibus ſolatium redemptio præſtat.

LI. *Nono*, inculcat, ut jam redemptionis participes facti, pro redemptis nos *geramus* Luc. I. 74. h. e. redemptionis *fines* per omnem vitam exprimamus: quod fiet, 1. etiam *poſt* redemptionem, cognitionem & ſenſum turpiſſimi & deteſtabilis peccati foveamus Rom. VII. 24. Pſal. LI. 5. utpote à quo, non niſi ipſiſſimus Dei filius, & quidem ſubſtitutus noſtro reatui, & perferens omnia, à nobis perferenda, redimere nos potuerit, Si 2. ob redemptionem noſtri, & Deum, ineffabili amore gratiaque, Redemptorem & redemptionem nobis procurantem Joh. III. 16. & Mediatorem redimentem, ingenti *æſtimatione* & affectu proſequamur Luc. VII. 47. Phil. III. 7. 8. 9. 1 Pet. II. 4. 6. 7. Si 3. redemptio, tanta mole, tanto pretio, nobis per filii Dei ſatisfactionem & meritum procurata, nos efformet ad profundam

9. Inculcat officia, poſt redemptionem obſervanda.

humi-

humilitatem Gen. xxxii. 10. Si 4. nos faciat in omnibus *dependentes* à Deo & à Servatore, ejusque gratiâ 1 Cor. xv. 10. 2 Cor. iii. 5. 6. cui ſecurè innitamur Cant. viii. 5. Jeſ. x. 20. Si 5. nobis pium incutiat *ſtuporem*, de puriſſimâ Dei ſanctitate Hab. i. 13. deteſtatione peccati Pſal. v. 5. 6. 7. ſeveriſſimâ ejus juſtitia verſus peccatorem Levit. x. 2. 3. quam, in negotio redemptionis, longè præſtitit illuſtriſſimam Rom. viii. 32. Si 6. quotidie nobis ob oculos ponat cogitandam & mirandam Dei φιλανθρωπίαν Tit. iii. 4. incomprehenſibilem amorem Joh. iii. 16. tenerrimam miſericordiam, verſus miſerum hominem Pſal. viii. 5. Heb. ii. 6. 7. quæ, ſi ullibi fulgent, ſaltem in redemptionis negotio Rom. v. 8. 1 Joh. iii. 1. Si 7. nos efficaciter erigat ad *amorem* reciprocum, & ad ſtudium gratitudinis, pro tanto pretio, nobis partâ redemptione Rom. vii. 24. & xii. 1. 2. 1 Cor. xv. 54—58. Luc. i. 68. 69. Si 8. in gratitudine nos inſtiget ad ſerium *ſtudium ſanctitatis* & juſtitiæ Luc. i. 74. Tit. ii. 11. 12. 13. 14. 1 Cor. vi. 19. 20.

10. Excitat, quosvis imprimis Eccleſiaſtas, ut

LII. *Decimo*, exemplum Redemptoris & redemptionis Chriſti quosvis excitet, imprimis *Eccleſiaſtas*, ut, pro muneris, aut donorum ratione, alios redemptionis hujus participes facere, omni ſtudio conentur, Fundamentum hujus præceptionis ſtruitur 2 Cor. v. 18. 19. 20. 21. Atque ut hoc promptius & animoſius agant; cogitent 1. quanto *fervore* redemptionis iſtud negotium Deus Opt. Max. ab æterno pacis conſilio, in hoc uſque tempus egerit, agat & acturus ſit, uſque ad finem ſeculorum Joh. iii. 16. Rom. v. 8. cogitent 2. quanto *pretio*, filius Dei unigenitus redemptionem illam miſeris peccatoribus impetraverit 1 Cor. vi. 19. 20. 1 Pet. i. 18. 19. Act. xx. 28. Cogitent 3. ſibi redemptionis iſtud negotium, διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, à Deo *impoſitum* eſſe 2 Cor. v. 8. 1 Cor. ix. 16. Cogitent 4. ſe, hac ratione, συνεργοὺς fieri Dei 1 Cor. iii. 9. Imo 5. ſuo modo, *ſervatores* hominum cum Chriſto 1 Tim. iv. 16. Act. xxvi. 18. 2 Tim. ii. 25. 26. Cogitent 6. præclaras *promiſſiones*, & ampliſſima hujus laboris præmia Dan. xii. 3. 1 Theſſ. ii. 19. 1 Cor. ix. 17. 24. 25. 26. Qua autem ratione propagabunt redemptionem Chriſti, aliosque ſervabunt? A. *Verbum reconciliationis*, quod in eis Deus poſuit, *annunciando*; idque cum omni affectu & fervore 2 Cor. v. 19. 20. 2 Tim. iv. 2. B. Exemplis ubique *præludendo* 1 Tim. iv. 15. 16. 1 Cor. ix. 20. 21. 22. C. Adverſa quævis pro hac aliorum redemptione *perferendo*: ut exemplo Chriſti, *patiendo* redimentis, & ipſi, ſuo modo, pro redimendis patiantur, & patiendo, quaſi *ſuppleant* ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, *pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia* Col. i. 24.

alios hujus redemptionis participes facere conentur. Motivæ.

Media.

THEO-

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ

LIBER SEXTUS,

DE

REDEMPTIONIS APPLICATIONE.

CAPUT PRIMUM,

DE

Naturâ applicationis.

1 Pet. 1. ℣. 2.

Electis — ex prænotione Dei Patris, ad ſanctificationem Spiritus, per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.

Redemptionem ſequitur ejus applicatio: ejuſque contemplatio generalior.

I. REſtitutionis partem *priorem*, in *redemptione* peccatoris, per Mediatorem Jeſum, hactenus contemplati ſumus; *poſterior* ſuccedit, in redemptionis iſtius *applicatione*. Circa quam occupabimur, *primo* paulo *generalius*, repræſentando ejus naturam: *tum* paulo diſtinctius, explicando ejus ingredientia. *Prius* hoc capite præſtabimus, juxta mandictionem Petri 1 Epiſt. 1. 2.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus verbis Apoſtolus* παρεπιδήμους διασπορᾶς, *quibus hanc Epiſtolam deſtinabat; deſcribit inter alia*, *ab* applicatione ſanguinis, *ſeu redemptionis Chriſti*, *factæ per* aſperſionem, *penes quam notantur*

1. Deſcripti, *quibus competit applicatio redemptionis*, ἐκλεκτοῖς, electis. *Non tantum non omnibus & ſingulis* παρεπιδήμοις, *non erat deſtinata* redemptio *Chriſti*, *ejuſque* applicatio; *nec ſpeciatim* reprobis, *rigidiſſime ab eis ſecluſis: ſed electis* ſolis & omnibus, *quibus electio præſtabat, redemptionis pariter & applicationis univerſæ baſin & exemplar* Rom. VIII. 29. 30. *Eſt autem* electio ἐκλογὴ 1. *ad* munus *aliquod* Joh. VI. 70. *tum* 2. *ad* populum Deut. IV. 37. *Porro* 3. *ad* ſalutem Eph. I. 4. 5. *tandem* 4. *ad* ſanctificationem, *quæ peragitur* vocatione Joh. XV. 19. *à quo* electio *nonnunquam* vocationem *deſignat* 1 Cor. I. 26. 27. *Duo poſteriora hoc loco* electionis *voce intendere videtur Apoſtolus.*

2. Deſcriptio, *in qua hujus applicationis notantur*

A. Cauſæ, *nim.*

1. Exemplaris: κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς, ſecundum præcognitionem Dei Patris. *Hoc addi videtur, ad diſcernendam* hanc *electionem & vocationem*, *à* communi, *prout fit* Rom. VIII. 28. *Notatur autem*

α. Præcognitio, κατὰ πρόγνωσιν. *Non ad ſignificandum quidvis, in redimendo* præviſum (*ſeu fidem; ſeu bona opera*) *quod Deum adduxerit ad applicationem iſtam, huic magis quam illi deſtinandam: ſed quod, vel cognitio decreti ſui, quæ rei ipſius exiſtentiam ab æterno apud Deum præceſſerit, temporalem eorum electionem, quæ fit in vocatione: ſeu potius, quod præcognitio* dilectiva, *ſive amor* benevolentiæ, *quo electis, præ aliis, redemptionem illam applicandam voluerit, ſignificet cauſam unicam fuiſſe hujus electionis, redemptionis applicationiſque. Sonat autem* præcognitio, *vel* latiore *ſenſu, univerſam* præordinationem, *ſic* verſ. 20. *ubi* ordinati *dicuntur. Hoc ſenſu præſcientia, providentia & prædeſtinatio differunt, ſic ut* præſcientia *ſe extendat ad* omnia *futura, ſive per* Deum, *ſive per aliud quidvis, imo etiam ad peccata* Act. II. 23. & IV. 28. Providentia *ad omnia quæ ipſe vult, vel efficere, vel permittere: prædeſtinatio ad ſolum creatura rationalis*

ſtatum æternum: ſtrictiore *ſenſu*, *eſt vel* abſoluta, *qua ab æterno novit omnia abſolute & ſimpliciter, ſic uſurpatur* 2 Pet. III. 17. *vel* limitata *& reſtricta ad ſolos electos, qui ſunt* ſui 2 Tim. II. 19. *cum approbatione* Rom. VIII. 28. 29. *&* XI. 2. Pſal. I. 6. Matth. VII. 23. *Ea proprie eſt hujus loci.*

β. Præcognoſcens, Dei Patris. Dei, *ut qui fons eſt & ſcaturigo univerſæ ſalutis noſtræ* Rom. XI. 16. *per electionem* Eph. I. 4. *per donationem, qua nos dedit filio redimendos* Joh. III. 16. *&* Cap. XVII. 6. 7. 9. 11. Dei, *ut* immutabilis *in ſua electione & electionis amore* Rom. XI. 29. Joh. XIII. 1.: ut omnipotentis, *è cujus manibus nemo & nihil electos eripere poteſt* Joh. X. 28. 29. *In quo validiſſima eſt electorum & præcognitorum fiducia, gaudium & ſolatium. Dei* Patris, *non excluſive ad Filium & Spiritum S. ſed per appropriationem & excellentiam quandam, qua ad illum, ut primam ordine ſubſiſtendi perſonam, à qua, & reliquæ perſonæ ſuum ſubſiſtendi modum habent, & omnes actiones Dei externæ fere referri ſolent. Interim* Patris *vox hoc loco conſiderari poteſt, &* eſſentialiter, *prout omnes Trinitatis perſonas connotat, ut ſignificetur, Deum triunum, amore plane* paterno, *ſuos præcognoviſſe & elegiſſe, quo ſenſu venit* 1 Joh. III. 1. *&* perſonaliter, *ut* prima *Deitatis perſona* Joh. X. 15. 17. *Quod* Pater, *in œconomia Trinitatis, ſuſtineat perſonam Heri, Domini, Judicis, cujus eſt deſignare ac delineare omnia negotia familiæ, ex quo omnis* familia *denominatur* Eph. III. 15.

2. Efficiens *quaſi inſtrumentalis applicationis, ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, ἐν pro διὰ ἁγιασμοῦ, ex Hebraiſmo. Hic*

α. Sanctificans *notatur Spiritus, cujus officium œconomicum eſt* ſanctificare Rom. I. 4. 1 Cor. VI. 11. *à quo etiam nomen Sancti obtinet, quod ſanctificationem ex officio peragat. Vocis Spiritus ὁμωνυμίαν alibi, in Cap. de Spiritu S. deſignavimus. Non poteſt ullo ſenſu hic intelligi Spiritus* Angelicus, *quia ſanctificatio nullibi tribuitur Angelis: Spiritus* humani *ſignificatio aliquo ſenſu admitti poſſit extra contextum, ut innuatur, non tam* corpus *noſtrum ſanctificari, quam* animam, *quoad intellectum, illuminatione; quoad voluntatem, emendatione; quoad affectus, directione: ſed quia contextus mentionem facit Patris, quoad electionem; Filii, quoad redemptionem per ſanguinem: hinc* ſpiritus *convenientiſſime notat tertiam Deitatis perſonam, cui paſſim in Scripturis aſſignatur* ſanctificatio: *ut dicatur, Spiritum S. per appropriationem, electos* ſanctificare *regeneratione, converſione, & ſanctificatione, ſtrictius ſic dicta.*

β. Sanctificatio. *Sanctificare vel* latiore *ſenſu capitur in Scripturis, quatenus notat univerſam operationem Spiritus S. applicantem electis partam ſibi per Chriſtum redemptionem; ſcil. vocationem, regenerationem, converſionem & ſanctificationem, ſtrictius ita dictam: ſic ſonat, quotieſcunque juſtificationi præmittitur* 1 Cor. VI. 11. *& ſic hoc loco, ut ſuo loco uberius monebimus: vel* ſtrictiore; *ſanctificat autem Spiritus, vel* 1. negative, *prout in conceptione Chriſtum videtur ſanctificaſſe, præſervando eum ab omni impuritate, ut ex Maria naſceretur* ſanctum Luc. I. 35. *vel* privative, *ex non ſancto faciendo ſanctum, per regenerationem, converſionem & ſanctificationem, ut diximus: vel* cumulative, *ex minus ſanctis efficiendo magis ſanctos, quod circa dudum ſanctificatos quotidie procurat.*

3. Formalis, *in qua applicatio ipſa proprie conſiſtit, penes quam notatur*

A. Obedientia *εἰς ὑπακοήν*, ad obedientiam. *Poſſet per* obedientiam, *ſaltem extra contextum, intelligi obedientia* Chriſti, *de qua* Phil. II. 8. *ut ſignificetur per Spiritum S. electis applicari, non tantum* ſanguinem *Chriſti, ſeu juſtitiam ejus* paſſivam: *ſed etiam ejus obedientiam, ſeu juſtitiam* activam: *ſed tum videtur dicendum fuiſſe, εἰς ὑπακοὴν & ſanguinis Chriſti aſperſionem; dum jam dicitur εἰς ὑπακοήν, ut ſignificetur obedientia electorum, ad quam perducantur per ſanctificationem Spiritus. Intelligitur ergo, citra dubium ὑπακοὴ πίστεως de qua* Rom. I. 5. *&* XVI. 26. *ſive per* fidem *intelligatur* profeſſio *fidei Chriſtianæ, procurata præconio Euangelii* Rom. XV. 18. *ſive potius interior cordis ſubjectio, qua propendent ad præſtandam voluntatem Dei, cum profunda ſubmiſſione ſua, quæ reſultat à fide ſalvifica, quatenus illa eſt per* charitatem *efficax* Gal. V. 6.

B. Aſperſio ſanguinis *Jeſu Chriſti, penes quam notantur,*

1. Actus *aſpergendi*: *ῥαντισμὸν*, aſperſionem. *Vox notat purgationem, quæ fit per aſperſionem rei purgantis. Alludit procul dubio ad aſperſiones legales ſub Veteri T. quarum quatuor q. ſpecies numerantur. Harum* prima *peragebatur aſperſione ſanguinis juvencæ rubræ, & aquæ ex cinere iſtius vaccæ* Num. XIX. 2--11. *ubi juvenca rubra, integra, ſuper quam jugum non aſcenderit, extra caſtra, à Sacerdote mactata, ſangu-*

guis

guis jubetur digito ejuſdem, ſepties ſpargi ad tabernaculum conventus, & cremata ejuſdem juvenca cinis, collectus & repoſitus extra caſtra, in locum mundum, dicitur futurus in aquam ſeparationis, in oblationem pro peccato לחי נדה חטאת הוא, *Videtur notari duplex aſperſio: altera* ſanguine *facta juvencæ; altera* cinere *ejuſdem.* Secunda *aſperſio fiebat ſanguine agni paſchalis* Exod. XII. *ubi Iſraëlitæ jubentur anniculi agni, perfecti, ſanguine conſpergere ambos domorum poſtes & ſuperliminare* verſ. 7. *additurque* verſ. 13. & erit ſanguis vobis in ſignum — & videbo ſanguinem & transibo ſuper vos, & non erit in vobis plaga &c. Tertia *aſperſio peragebatur citra purgationem tabernaculi, Sacerdotum & populi* Levit. XVI. *in die propitiationis, ubi ſanguinem tauri, & hirci mactati, Sacerdos aſpergebat propitiatorio, cornubus altaris.* Quarta *denique aſperſio erat ſanguinis holocauſti in altare, ad ratificationem fœderis* Exod. XXIV. 6. *In omnibus his aſperſionibus præſupponebatur mactatio & effuſio ſanguinis, tum ſuccedebat aſperſio. Hic ſanguis Levitibus procul dubio figurabat ſanguinem Chriſti* Heb. IX. 13. 14. 15. 1 Joh. I. 7. *qui primo fundendus erat in cruce, tum* aſpergendus, *ſeu applicandus purgandis à peccatis, & reconciliandis Deo, ut ſignificaretur χωρὶς αἱματεκχυσίας, non fieri* remiſſionem peccatorum Heb. IX. 22. *nec ſufficere αἱματεκχυσίαν abſque aſperſione ſeu applicatione, quemadmodum emplaſtrum, cætera efficaciſſimum, non conducit ſanationi, niſi applicetur vulneri: iſtaque omnia ſeſe exonerare in reconciliationem cum Deo* Levit. XVI. 16. 17. 18. 24. 27. 30. 33. 34. *cum* 2 Cor. V. 18. 19. 20. Heb. IX. 13. 14. 15. *Fit autem hæc aſperſio ſeu applicatio, per* ſanctificationem Spiritus, *velut cauſam* principalem, *& per* fidem, *velut* inſtrumentalem Act. XV. 9.

2. Res *aſpergenda, eſt*

α. Sanguis. Αἷμα *ſonat,* 1. *ordinarie* ſanguinem Luc. XIII. 1. Joh. XIX. 34. *Aliquando* 2. mortem, *cædem, homicidium* Matth. XXIII. 30. 35. & XXVII. 24. *ſubinde* 3. reatum *ſanguinis* Matth. XXVII. 25. Act. V. 28. *Frequenter* 4. mortem *& univerſam* paſſionem *Chriſti, per ſynecdochen* Rom. III. 25. & V. 9. *& ſic frequenter in Epiſtola ad* Heb. *Omnia iſta ſignificata hoc loco ſibi invicem coordinari & ſubordinari commode poſſunt, ut ſignificetur pleniſſima redemptio, ſanguine, morte & reatu ſanguinis in ſe ſuſcepto, procurata.*

β. Jeſu Chriſti *præciſe, nullius alius, ſanguis* filii *Dei* 1 Joh. I. 7. *imo ipſius* Dei Act. XX. 28. pretioſus *ſanguis Chriſti, ut* agni *immaculati & incontaminati, utpote quem* Deus præconſtituit propitiationem... in ſanguine ejus Rom. III. 25. *Sanguis* Jeſu, *qui ab hoc nomen obtinet, quod populum ſuum liberet ab omni peccato* Matth. I. 21. *Sanguis* Chriſti, *uncti illius, qui* peccata *erat* obſignaturus, injuſtitiam expiaturus, & æternam juſtitiam adducturus Dan. IX. 24. 25. *Qui proinde pleniſſime ſufficit nobis redimendis, modo à Spiritu ſanctificationis, per fidem congrue aſpergatur, & electis applicetur.*

Pars Dogmatica.

Redemptio Chriſti hominibus applicari debet. Probatur Scripturis.

III. Neceſſum ergo, ut redemptio, ſanguine Chriſti parta, hominibus *applicetur*, ſeu, ut ſanguis Chriſti ipſis aſpergatur. Hoc ſibi quondam volebant 1. *Typi*, quos in *exegeticis* dudum adduximus, Num. XIX. 18. 19. 20. ſignificante ferventiſſimo Davidis voto Pſal. LI. 9. Hoc ſibi 2. volebant *promiſſiones* & præſagia, ſub N. T. olim implenda Ezech. XXXVI. 25. Jeſ. LII. 15. Hoc 3. manifeſtè docent typorum iſtorum explicationes & *applicationes* in N. Teſtamento 1 Pet. I. 2. Heb. X. 22. & XII. 24. cum *aſperſio* nihil aliud ſit quam *applicatio* ſanguinis, ad purgandum & expiandum. Huc 4. Chriſtus, ejuſque ſanguis, paſſim talibus comparantur, quæ non proſunt, niſi *applicata*; v. g. Rom. XIII. 14. pharmaco Jeſ. LIII. 5. cibo & potui Joh. VI. 53. Hinc 5. ſpectabat formula *fœderis* gratiæ: *ero Deus tuus* Gen. XVII. 7. h. e. ego me tibi applicabo. Huc 6. Miniſtris verbi, verba *applicatoria* Deus præſcribit 2 Cor. V. 18. 19. 20. Jeſ. XL. 2. Luc. II. 11. Huc 7. *Sacramenta* vergunt: Baptiſmus Gal. III. 27. S. Cœna 1 Cor. X. 16. Hinc 8. ex *defectu* hujus applicationis, multi partem in Chriſto non habere dicuntur Joh. XIII. 8. Act. VIII. 21. Hoc tandem 9. *res* ipſa loquitur: cum enim redemptio *infiniti* ſit valoris; niſi applicatione quaſi reſtringeretur, omnes & ſinguli homines neceſſario ſervarentur, nec ullus damnaretur, quod eſt contra principia Scripturæ, omniſque Religionis. & ratione.

IV. Quid igitur eſt redemptionis *applicatio?* Verbo dicam: eſt Chriſti & beneficiorum ejus appropriatio, quâ omnia illa, quæ Chriſtus ut Mediator paſſus eſt & egit, actu efficacia redduntur, in certis quibuſdam hominibus. *Appropriatio* iſta procuratur, partim à *Deo*, partim ab *ipſis* redimen- Quid ſit applicatio.

dis; quatenus hi 1. præstant *conditiones*, appropriationi à Deo prærequisitas; tum 2. his præstitis, sibi firmiter *persuadent*, Redemptorem, & redemptionem sibi à Deo *appropriâtam* esse. Singula horum paulo distinctius examinabimus.

Causa applicationis universa S. Trinitas: idque per tres actus:

V. *Primæ* ergo & primariæ vices, in negotio hujus applicationis, *Deo* competunt, ut ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ τῆς πίστεως, adeoque & salutis Heb. XII. 2. Et quidem singulis Deitatis *personis*, juxta textum 1 Pet. 1. 2. diversa cujusque personæ operandi ratione; *Patri* per πρόγνωσιν, seu *determinationem* redimendorum; *Filio*, per *destinationem* sanguinis, seu redemptionis suæ, his solis, quos Pater designaverit redimendos; *Spiritui* sancto, per redimendorum ἁγιασμόν. His igitur auctoribus, applicatio redemptionis tres actus complectitur:

Primus actus est designatio personarum, quibus applicatio obtingat.

VI. *Primo* προορισμὸν. seu designationem *individuorum*, quibus redemptio procuranda & apprehenda veniat: κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς, *secundum præcognitionem Dei Patris* 1 Pet. 1. 2. Qui, ab hoc, dicuntur scripti in *libro vitæ* Exod. XXXII. 32. 33. Apoc. XIII. 8. & XVII. 8. & XX. 12. quod tam certum habeat eorum notitiam. non tantum quoad numerum *numerantem*, seu *quot* sint redimendi; sed etiam quoad numerum *numeratum*, seu *quinam* sint redimendi 2 Tim. II. 19. acsi in memoriali essent consignati. Hinc porro, juxta hanc πρόγνωσιν designatos filio suo *dedit* redimendos Joh. XVII. 6. 9. qui etiam ex adverso, eos *accepit*, ut ipsis suam redemptionem destinaret & impenderet Jes. LIII. 10. Joh. XVII. 19. & VI. 39. In hac *prædeterminatione*, quæ ad æternam *electionem* spectat, prima radix est, & imum fundamentum hujus applicationis: unde *solidum Dei fundamentum* appellatur; habens *hoc sigillum: novit Dominus qui sint sui* 2 Tim. II. 19.: imo & *virtualis* quædam applicatio, ab æterno facta, quæ ad *actualem* illâm, quæ in tempore fit, sese habet, ad modum efficacis cujusdam *exemplaris*.

Secundus est præscriptio conditionum, quas applicatio sequatur.

VII. *Secundo* præscriptionem *conditionum*; quibus à redimendis, præstitis, *actualis* applicatio succedat: nim. *fidei* & *resipiscentiæ* Joh. III. 16. Marc. I. 15. Et hic actus, οἰκονομικῶς, & per appropriationem, âd *Filium* spectat Mediatorem, tanquam *unicum Dominum* Act. II. 36. 1 Cor. VIII. 6. Rom. XIV. 9. Est enim *Domini*, suis subditis præscribere leges, prout etiam fecit Joh. I. 12. Marc. XVI. 15. 16. unde in *nomine* ejus, seu auctoritate & promissione ejus, *remissionem peccatorum* dicuntur consecuturi, quotquot *in ipsum crediderint* Act. X. 43. Hic actus spectat ad *fœdus gratiæ*, cujus conditiones designavimus lib. V. cap. I.

Tertius est sanctificatio redimendorum.

VIII. *Tertio*, redimendorum ἁγιασμὸν, quâ, *latiore* vocis sensu, procuratur, ut præscriptæ ad applicationem leges à redimendis actu præstentur, ad hoc, ut actualis appropriatio succedat. Hic ἁγιασμὸς, κατ' ἐξοχὴν. exserte tribuitur Spiritui Sancto 1 Pet. 1. 2. à quo, *per unum Spiritum, omnes in unum corpus baptizati* dicimur 1 Cor. XII. 13. Circa quem Spiritus S. ἁγιασμὸν, varia occurrunt consideranda: nim.

Actus hujus sanctificationis. 1.

IX. 1. *Actus* ἁγιασμοῦ, quibus applicationem procurat, *tres* potissimum: quorum *primus* redimendis *offert* conditiones, recipiendas, ut appropriatio redemptionis succedat, & ad receptionem *allicit*; & hic actus appellatur *vocatio* Rom. VIII. 30. *secundus*, redimendis, *natura mortuis in peccato* Eph. II. 1. 5. adeoque penitus ineptis, qui oblatas sibi conditiones recipere possint; *vires* restituit, quibus conditiones oblatas, seu spiritualia *possint* 2 Cor. III. 5. 1 Cor. XV. 10. Act. XVI. 14. idque, per *vivificationem* spiritualem Joh. VI. 63. Eph. II. 5. per *regenerationem* Joh. III. 5. quæ & *renovatio Spiritus* S. appellatur Tit. III. 5. Conf. Ezech. XXXVII. 5. 8. 9.: *tertius*, vivificatos ac regenitos eo perducit; ut, quod jam *possunt* per regenerationem, *velint* etiam: actuque stipulatas ad applicationem redemptionis conditiones recipiant, credant, resipiscant Phil. I. 29. à quo *Spiritus fidei* appellatur 2 Cor. IV. 13. Hi tres, quia *unum* ingrediuntur generalem Spiritus ἁγιασμὸν, atque eodem tendunt individui; & in Scripturis, & à Theologis, promiscue passim usurpantur; suâ naturâ tamen, eo quem diximus modo distinguuntur. De quibus distinctius suo loco, si Deus volet, nobis erit agendum. 2. 3.

Fundamentum applicationis est unio & communio cum Christo.

X. 2. *Fundamentum* applicationis, quod in receptis conditionibus struitur: nim. tum *unio* cum Christo; tum *communio* beneficiorum, resultans ex unione Phil. III. 8. 9. Sicut enim reatus Adami *primi*, cum omnibus pœnis consectariis, nobis non applicatur, nisi per *unionem* quandam fœderalem, quâ in Adamo exstitimus, peccavimus, morimur, ita redemptio à reatu *secundi* Adami, cum suis consectariis, gratiâ & vitâ, nobis non applicatur, non per *unionem* quandam fœderalem & *mysticam*, quâ sumus *in* Christo, cum ipso morimur, resurgimus, æternum vivimus; explicante analogiam hanc, passim Apostolo Rom. V. 12. & VI. 3. 4. 5. 6. Gal. II. 20. Eph. II. 5. 6. Hinc, extra Christum, *nulla* salus relinquitur Act. IV. 12. extra Christum *nil posse* dicimur Joh. XV. 4. 5. prout, ex adverso, *in* Christo *vita* ponitur Joh. I. 4. ipseque *vita nostra* appellatur Col. III. 4. & *omnia* se posse, pronunciat Apostolus *in Christo* Phil. IV. 13.

Beneficia applicata.

XI. 3. *Beneficia* redemptionis nobis in applicatione appropriata. Quæ Petrus in textu, & Paulus passim, ad *gratiam* & *pacem* refert: sic, ut *gratia* omne bonum *honestum* comprehendatur; *pace*, omne bonum *jucundum*. Paulo expressius ac distinctius quatuor numerantur beneficia, nobis approprianda: (1) *Justificatio*, quâ, propter redemptionem Christi, cum eo uniti, absolvuntur

tur ab omni reatu mali, ipsique adjudicatur jus omnis boni Rom. v. 1. (2) *Adoptio*, quâ, jam justificati, in familiam Dei, & quidem ut *filii*, recipiuntur, ipsisque hæreditas æterna decernitur Joh. 1. 12. 1 Joh. III. 1. (3) *Sanctificatio*, qua, in justificatis & adoptatis, impuritas peccati paulatim aboletur, & fulgor imaginis divinæ, in sanctitate & justitia, redintegratur Eph. IV. 22. 23. 24. (4) *Glorificatio*, per quam ab omni miseria liberantur, & in statum beatum ac felicem traducuntur Rom. VIII. 30: quoad gradum *inchoationis*, in hac vita Rom. VIII. 24: quoad gradum *consummationis*, post hanc vitam Matth, XXV. 34. 46. His quatuor beneficiis, omne bonum applicatur, quod ad perfectam beatitudinem desiderari possit.

Objectum applicationis:

XII. 4. *Objectum* hujus applicationis: quod, singulatim ac *distributivè* consideratum, præstant omnes ac *singuli* fideles Joh. 1. 12. 1 Pet. 1. 9. *collectivè* consideratum, est *Ecclesia*, *corpus Christi & plenitudo ejus*, *qui omnia implet in omnibus* Eph. 1. 22. 23. cui *seipsum* Redemptor *dedit*, *ut eam sibi sanctificaret* — Eph. v. 2. 25. 26. Quæ non aliud est, quam collectio verè fidelium: sive *universalis* illa intelligatur collectio omnium, qui fuerunt unquam, sunt, aut erunt Heb. XII. 23.: sive *particularis* illorum fidelium, qui speciali fœdere ecclesiastico seipsos obstrinxerunt, ad communionem sanctorum, constanter inter se exercendam 1 Cor. 1. 2. Huic enim beneficia redemptionis destinata sunt Matth. 1. 21. Joh. XVII. 9. 19.

fideles singuli, Eccle. sia.

Media applicationis quatuor:

XIII. 5. *Media*, quorum opera applicatio peragitur. In quibus *primum* est, *ministerium verbi*, quod, ab hac applicatione, *ministerium reconciliationis* indigitatur 2 Cor. v. 18. 19. utpote quo Deus homines instruit; qui *ministri novi fœderis* sunt, *non in litera*, *sed in spiritu*; qui ab hoc συνεργοὶ τοῦ Θεοῦ designantur 1 Cor. III. 9. & χαρᾶς fidelium 2 Cor. 1. 24. & VIII. 23. Sive ministerium intelligatur *extraordinarium*, θεόπνευστον & infallibilis directionis Gal. 1. 1. sive *ordinarium*, quod universam suam directionem habet ab ordinaria illa regula, quam, per extraordinarios, Deus Ecclesiæ præscripsit Eph. IV. 11. 12. Horum enim opera, Spiritus S. in redimendis, conditionem procurat, qua præstita, beneficia redemptionis appropriantur Rom. X. 14. 15. 17. Act. XXVI. 17. 18: *Secundum* est, *administratio sacramentorum*, qua conditio applicationis, jam procurata, *obsignatur*, ut redempti beneficia redemptionis sibi *appropriare* possint Rom. IV. 11. & conditio redemptionis, fides, conservatur, confirmatur & augetur 1 Cor. XI. 24: sive hoc fiat, secundum gradum *initiationis*; olim in circumcisione Gen. XVII. 10. 12. cum Rom. IV. 11. nunc in Baptismo Act. II. 38. 39. Col. II. 11. 12.: sive secundum gradum *roborationis*, quod olim factum, per sacram eucharistiam *Paschatis* 1 Cor. v. 7. 8. nunc per S. *Cœnam* 1 Cor. XI. 23 — 30. *Tertium* est *disciplina ecclesiastica*; Matth. XVIII. 14. 15. 16. qua conditiones, applicationi prærequisitæ, quasi sepimento quodam muniuntur, ne per scandala suffocentur 1 Cor. v. 6. 7. 9. 13. sicut enim per ministerium verbi, voluntas Dei *proponitur*, ad fidem & resipiscentiam (quæ conditiones sunt, applicandæ redemptioni prærequisitæ) gignendam & augendam; sicut item, per Sacramentorum administrationem, voluntas Dei personaliter applicatur, ad fidem & resipiscentiam *confirmandam*: ita per exercitium disciplinæ ecclesiasticæ, voluntas Dei personaliter applicatur censuris ecclesiasticis, ad vitia, seu scandala *præcavenda*, aut *removenda*, quibus fides & resipiscentia impediri, aut, si pote, suffocari possent. Ex quibus *quartum* etiam nascitur, *gubernatio Ecclesiæ* Act. XX. 28. à qua κυβερνήσεως mentio fit 1 Cor. XII. 28. & καλῶς προεστῶτες commemorantur 1 Tim. v. 17. cujus gubernationis ope procuratur, ut per præcedentia media, applicatio redemptionis *commodius*, certius & *efficacius* peragatur.

1. Ministerium verbi.

2. Administratio Sacramentorum.

3. Disciplina Ecclesiastica.

4. Gubernatio Ecclesiæ.

Modus applicandi, diversus sub Veteri & Novo Testamento.

XIV. 6. *Modus* applicandi, per diversas temporum *periodos*. Quamvis enim, quoad rei *substantiam*, applicatio uniformis sit, per omnia sæcula; quoad *circumstantias* tamen, plurimum differt sub Veteri, & sub Novo Testamento: quatenus redemptio, sub Veteri Testamento applicabatur, adhuc, per Messiam *incarnandum*, *impetranda*; sub N. T. applicatur, per Messiam *incarnatum*, *impetratam*. Diversitas autem applicationis, sub utroque testamento, per quatuor illustres epochas observatur: quarum *prima* à paradiso procurrit ad Mosen, quando per Patriarchas applicatio facta est, absque ulla Scriptura, sola viva voce: *secunda* à Mose ad Messiam, quando, per varios typos & umbras, applicatio obscurius & difficilius procurata est: *tertia*, à Messia ad extremum judicium, aut consummationem seculorum: quando, remotis velis, umbrisque, applicatio, retecta facie, per ministerium, Sacramenta, disciplinam, & gubernationem humanam, peragitur: *quarta*, ab extremo judicio, seu potius, à consummatione seculorum, in omnem usque æternitatem: quando applicatio, procurata in *tempore* absque ullis intercedentibus mediis, *immediate* à Deo & Mediatore, continuabitur & consummabitur, in omnem usque æternitatem. Hæc designasse, hoc quidem loco, sufficerit, per residuam nostræ Theologiæ partem, distinctius repræsentanda.

Applicatio ab ipsis redimendis peragitur.

XV. Fuit redemptionis applicatio, quatenus *à Deo* peragitur: succedit eadem, quatenus *ab ipsis* redimendis profluit. Ea scil. eorum actio, qua Redemptorem, redemptionem, omniaque ejus beneficia, sibi *appropriant*. Quæ quidem actio

præstando conditiones, applicationi divinæ prærequisitas.

ctio gemina obſervatur: *altera*, qua id præſtant, ad quod redemptio ſibi propria *ſit*: altera, ad quod *facta* cognoſcitur. *Fit* appropriatio, præſtando conditiones eas, ad quas Deus, illam ſe facturum, promiſit. Et quænam illæ conditiones? Non ſanè, vel propriis, vel aliorum quorumvis paſſionibus ſatisfacere pro reatu peccatorum qualicunque; & meritis bonorum operum, ſibi *jus* pârare ad vitam æternam: multo minus, præſtando *legem* Chriſti (h. e. legem Moſis â ſe correctam & auctam, ex gratia promiſſionis) ſibi acquirere jus remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ. Quænam igitur? Reſp. Quantum ad *primum* applicationis momentum, quo appropriatio conſtituitur, eſt *ſola fides*, qua Redemptorem & redemptionem apprehendimus, & apprehendendo, ex divina promiſſione, noſtram facimus Joh. III. 16. & I. 12. Act. X. 43. quoad *ſecundum* momentum, quo facta continuatur, & à *jure* in beneficia redemptionis, ſola fide parto; ad *poſſeſſionem* perducit, eſt, præter fidem, *etiam obſervantia*, ſeu ſtudium bonorum operum: quo ſenſu Jacobus ad juſtificationem *actualem*, quâ, viva Judicis *voce*, in extremo die, ipſa vitæ æternæ *poſſeſſio* fidelibus adjudicabitur, non *ſolam* exigit fidem, ſed bona etiam *opera* Jac. II. 13. 14. & ipſe Redemptor his qui ſibi *obtemperant*, *cauſa vitæ æternæ factus* dicitur Heb. V. 9. quo etiam vergit *obedientia fidei* Rom. I. 5. & XVI. 26. Conf. lib. V. cap. 2. §. XVI. Nec tamen conditiones illæ, à redimendis *ſic* præſtandæ intelliguntur, ut à viribus liberi arbitrii profluant; cum & redimendi, juxta cum reprobis, ante ſui regenerationem, ut *peccatis mortui* ſint Eph. II. 1. 5. Tit. III. 3. adeoque ad præſtandas iſtas conditiones penitus *inepti* 2 Cor. III. 5. Joſ. XXIV. 19. ſed ex ipsâ Redemptoris & redemptionis gratia Phil. I. 29. 1 Cor. XV. 10. per *ſpiritum fidei* 2 Cor. IV. 13. ſic tamen, ut *formaliter* ab ipſis redimendis eliciantur & præſtentur.

Applicatio etiam à redemptis peragitur, perſuaſione ſpeciali.

XVI. Sic applicatio, à redimendis, præſtando conditiones, à Deo redemptionis applicationi præ-requiſitas, *fit*, tum *facta* cognoſcitur, quando, ex præſtitis conditionibus, redemptus ſibi infalliliter perſuadet, & Redemptorem, & redemptionem *ſuam* eſſe Gal. II. 20. *Quod vivo, vivo per fidem filii Dei, qui me dilexit, & ſeipſum tradidit PRO ME* Rom. VIII. 38. 39, 2 Tim. IV. 17. 1 Tim. I. 12. Hujus naturam repræſentavimus lib. II. cap. I. §. LV. & *de fide ſalvif.* cap. XXI. nec his addimus, niſi ſtudiosè cavendum eſſe, ne hæc appropriatio admittatur, antequam *prior* illa certò præceſſerit, aliàs in fallacem degeneratura *præſumptionem*.

Quæritur:

Pars Elenchtica.

XVII. Controverſiæ capitis hujus prælimina-

ris, ad ipſa ſpectant applicationis ſingula *ingredientia*, ibique expedienda. Hoc loco quæri poſſit, *primo*, an, ſicut ipſa redemptio, ita ejus etiam applicatio, ſit univerſalis? Origenes olim univerſalem omnium creaturarum rationalium, uſque ad ipſos diabolos, ſalutem ſtatuens, affirmabat: hujus veſtigia, ſuperiori ſeculo, legit Franciſcus Puccius, Italus, & Samuel Huberus, Helvetius, ex Reformato Lutheranus; ſed ab ipſis Lutheranis, ob enorme placitum, ejectus. Chriſtiani communiter, & imprimis Reformati, negant: quod 1. ne *redemptio* quidem ſit univerſalis; ſicut capite præcedenti demonſtravimus, multo minus ejus applicatio: quod 2. univerſali omnium & *ſingulorum* ſaluti non tantum Scriptura æternùm reclamet Matth. VII. 22. 23. cum cap. XXV. 41. Jeſ. LXVI. 24. Marc. IX. 44.: ſed &, quotquot Chriſtum vel *ore* tantum profitentur: addam 3. quod hac ratione, omnia ſalutis æternæ media, verbum, ſacramenta, diſciplina, caſſa forent; atque omnis Religio ceſſaret. Nec video, quid adverſari pro ſe obtendere poſſint, niſi fortè, A. quod Deus ſit infinitùm *miſericors*. Reſp. Eſt & infinitum *juſtus*, ac proinde, ſicut ex infinitâ juſtitiâ vindicativa non profluit omnium univerſalis damnatio; ita ex *infinita* miſericordia, non omnium reſultat ſalvatio. B. Quod *non delectetur morte peccatoris*; *ſed ut convertatur & vivat* Ezech. XVIII. 23. Reſp. Additur nihilominus, *in peccatis ſuis morietur* verſ. 24. 26.: non igitur *ſimpliciter*, non delectatur morte peccatoris; ſed *ejus* tantum, qui convertitur. C. Quod filium dederit redemptionis pretium, pro *omnibus* 1 Tim. II. 6. Reſp. Dedit pro *quibuſvis*, ſed, qui ad cognitionem veritatis, ſeu ad veram fidem perveniunt. verſ. 4. D. Quod redemptio Chriſti *infiniti* ſit valoris. Reſp. Hinc, omnibus quidem & ſingulis redimendis ſufficere *poſſet*, ſi modo, ex intentione Patris, omnibus deſtinare, & impendere Redemptor voluiſſet, cujus contrarium ipſe profitetur Joh. XVII. 9.

1. An applicatio redemptionis ſit univerſalis

Argumenta ſententiæ negativæ.

Objectiones affirmativæ.

XVIII. *Secundo* quæritur, an applicatio à redemptione *divelli* poſſit, ſic ut redempti ſint, quibus redemptio non applicetur? Pelagiani & Pelagianiſſantes, Sociniani, Arminiani, Anabaptiſtæ, Pontificii, & quotquot ſunt extra Eccleſiam Reformatam, uſque ad ipſos Lutheranos, (diverſis licet gradibus & hypotheſibus) quo commodius applicationem ſuſpendant à libero cujuſque *arbitrio*; redemptionem ſtatuunt, ad omnes & *ſingulos* homines ſeſe extendere, quando *applicatio* ad ſolos fideles ſpectet. Nec deſunt inter eos, qui exiſtiment, per *libertatem* arbitrii, fieri potuiſſe, ut redemptio *nulli* omnino fuiſſet applicata. Quin inter ipſos Reformatos, hi qui univerſalem gratiam defendunt, quoad *theſin* quidem inæqualis latitudinis, cum reliquis conſen-

2 An applicatio à redemptione *divelli* poſſit?

sentiunt; quoad *hypothesin*, in hoc egregiè à reliquis dissentiunt, quod applicationem non ab *arbitrio* humano; sed à *gratia* Dei *superabundante* suspendant. Communis Reformatorum sententia negat, quod sic divelli possit, ut redemptus sit, cui redemptio non applicetur; quia 1. applicatio est *finis* redemptionis, in intentione divina Eph. 1. 9. 12. 1 Tim. 1. 15. quo Deus, per infinitam potentiam & beatitudinem, frustrari non potest: ex quo sequitur, omnibus quibus *impetrata* est, etiam *applicari* redemptionem: quia 2. Scriptura redemptionem cum salute *indivisibiliter* connectit; consequenter etiam cum applicatione Rom. VIII. 34. *Quis condemnabit? Christus mortuus est.* Quia 3. demta *applicatione*, redemptio *non* erit redemptio, multo minus, ex hypothesibus adversariis, *universalis* redemptio, ut pote per quam nemo redimitur: num pharmacum non applicatum sanatio erit, quando ejus ope nemo sanatur? Quia 4. *insulsum* foret consilium Dei sapientissimi, filium unigenitum destinare, indeclinabili & dirissimæ morti, per quam *nemo* redimeretur. Imò 5. quæ gloria misericordiæ, tantopere celebratæ, redundaret è *tali* redemptione? Quæ 6. consolatio & gratitudo ex tali redemptione nasceretur, à quâ nulla beatitudo? Addam 7. *injuriam* pessimam fieri ipsi redemptioni, quando universa ejus efficacia suspenditur ab hominis libero *arbitrio*. Nec video, quid in contrarium dici possit, nisi quod redemptio passim universalis celebretur, quando interim ipsa salus maximè sit particularis: cum prius, capite præcedenti, ex professo refutaverimus.

Fundamentum affirmativæ sublatum.

3. An redemptionis applicatio pendeat à redimendorum arbitrio?

Argumenta negativa.

XIX. *Tertio* quæritur, an redemptionis applicatio pendeat ab hominis libero *arbitrio*? Adversarii pelagiani ζῶντες, Sociniani, Arminiani, Jesuitæ, affirmant, & in hoc πρῶτον ψεῦδος est, universi consilii adversarii Reformati omnes negant; quod 1. Scriptura Christum prædicet, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν τῆς σωτηρίας ἡμῶν Heb. XII. 2. Quod 2. à voluntate Dei *miserente*, eadem Scriptura suspendat universam salutem nostram, remotâ etiam expresse hominis *voluntate* Rom. IX. 15. 18. Quod 3. ipsum nostrum *velle* referat ad productionem *Dei* Phil. II. 13. Quod sic 4. omnis redemptio *cassa* foret; cum omnes *mortui* simus in peccato Eph. II. 1. 5. inepti, qui vel bonam cogitationem concipiamus 2 Cor. III. 5. Quod 5. sic quisque seipsum *discerneret*, contra Paulum 1 Cor. IV. 7. & gloriandi potestatem in *seipso* haberet, contra eundem Paulum Rom. III. 27. Eph. II. 8. 9. Sic 6. quisque suus *Redemptor* foret, potius quam Christus omnium. Prout alibi ex professo docemus.

Objectiones affirmativæ.

Quibus frustrà opponunt adversarii, A. quod passim redemptio & salus videantur referri ad liberum *arbitrium* Matth. XXIII. 37. & XXII. 5. Psal. LXXXI. 14. Resp. His & similibus locis, non *applicatio* redemptionis refertur ad liberum arbitrium; sed tantum *damnatio* æterna Joh. V. 40. B. quod Deus *invitet* ad recipiendas conditiones, à quibus applicatio pendet Deut. XXX. 15. Apoc. XXII. 17. Jes. LV. 1. Resp. Invitat 1. ad præstandas redemptionis conditiones, *populum* suum: non viribus sui *arbitrii*; sed viribus *gratiæ*, per conversionem operantis, & *velle & facere* Phil. II. 13. Invitat 2. *sitientes* gratiam Apoc. XXII. 17. Jes. LV. 1. quales non *natura* sumus; sed *gratia* vivificante & regenerante Eph. II. 5. 8. C. Quod arbitrium humanum, sua natura *indifferens* ad opposita, cogi non possit ad præstandas applicationis conditiones. Resp. Non consistit arbitrium in *indifferentia*; sed in facultate agendi *ex consilio*, ut alibi demonstravimus. 2. Nec *cogitur* arbitrium per gratiam; sed *flectitur* tantum suaviter Prov. XXI. 1.

4. An applicatio pendeat à gratiâ tantum moraliter suadente?

XX. *Quarto* quæritur, an redemptionis applicatio, seu præstare conditiones applicationis, pendeat à mera gratia *morali*, aut à vocatione congrua? Quos diximus, liberi arbitrii patroni, ne aperti videantur *omnis* gratiæ hostes; admittunt quidem gratiam, sed moraliter *tantum suadentem*, ut conditiones applicationis *liberè* admittamus, quas etiam, pro arbitrio, respuere *possimus*: quibus aliquando gratia addat, quod *congruenter* dispositioni arbitrii nostri, curet vocandos, ut conditiones applicationis admittamus. Reformati, ut gratiam *moraliter* suadentem lubenter admittunt: sic *dispositionem naturalem*, ad præstandas conditiones applicationis, cui congruenter vocari possit, ulli adesse, negant: adeoque gratiam *moraliter* suadentem nequaquam sufficere; sed præter eam, requiri gratiam *physice* vivificantem, regenerantem, cor novum conferentem, statuunt; per rationes, ad controversiam præcedentem, indigitatas, & capitibus sequentibus, de *vocatione*, *regeneratione* & *conversione*, ex professo tradendas.

5. An applicationis beneficia, remissio peccatorum, & jus vitæ æternæ, pendeant à quovis alio, præterquam à fide?

XXI. *Quinto* quæritur, an applicationis beneficia: remissio peccatorum, & jus vitæ æternæ, pendeat ab *operibus* propriis, aut à quovis *alio* quam à *receptione* Redemptoris, quæ fit per fidem? Sociniani beneficia ista suspendunt ab obedientia *præceptis Christi* præstita: Pontificii, ex parte quidem, suspendunt à satisfactione & meritis Christi, fide admissis; ex parte verò à satisfactionibus *humanis*, & *meritis* propriorum operum. Reformati, *jus* beneficiorum istorum suspendunt à sola fide, quâ Redemptorem recipimus; sed *possessionem* illorum insuper suspendunt à studio bonorum operum, ut diximus §. XV. Sententia Sociniana corruit per *cap. præced.* §. XXIV. Pontificiorum itidem, per §. XXXIII. & XXXVIII. atque amplius etiam, si Deus volet, per *cap. de justif.*

6. An fidelis,

XXII. *Sexto* quæritur, an verè fidelis mediis *ordinariis* sibi certò & infallibiliter possit applicare

ordinariis mediis sibi certò possit applicare redemptionem?

care, seu appropriare redemptionem? Pelagiani, & Pelagianissantes Sociniani, Arminiani, Jesuitæ, aliique, propter liberi *arbitrii* perpetuam *inconstantiam*, & mutabilitatem, negant: Pontificii largiuntur, infallibilem appropriationem obtineri quidem posse; sed non nisi adminiculis *extraordinariæ* revelationis divinæ: *ordinariis* autem non posse obtineri, nisi incertam & fallibilem *spem* redemptionis. Reformati, *imperfectam* quidem, pro ratione omnis boni, in hac imperfectione; sed *certam* tamen & infallibilem, à vere fidelibus obtineri posse, statuunt, his fere rationibus: 1. Quod Scriptura diserte testetur Gal. II. 20. Rom. VIII. 36. 2 Cor. V. 1. 1 Tim. IV. 7. 8. 1 Joh. III. 14. Cant. II. 16. Jes. LXIII. 16. Job. XIX. 25. Psal. XXII. 2. 3. 1 Joh. V. 19. & infinitis fere locis aliis. Quod 2. fidelis possit esse infallibiliter certus de veritate utriusque præmissæ, in Syllogismo practico, cujus ope, appropriatio illa peragitur: *quicunque vere credit, ei Redemptor cum redemptione proprius est: Ego vero credo*: *Ergo* &c. Major ipsi certa esse potest, ex diserto & infallibili ipsius Dei testimonio Joh. I. 12. & III. 16. Act. X. 43. &c. Minor item, ex *sensu* spirituali 2 Cor. XIII. 5. *examine* conscientiæ. *Ibid. discretionis* dono Phil. I. 10. 1 Thess. V. 21. Spiritus S. συμμαρτυρίῳ Rom. VIII. 15. 1 Cor. II. 12. Quod 3. Deus jubeat, *vocationem & electionem* suam *firmam facere* (βεβαιῶσθαι) 2 Pet. I. 10. Quod 4. frequenter jubeat, nos ipsos *exploremus*, *num in fide* simus 2 Cor. XIII. 5. 1 Cor. XI. 28. Gal. VI. 4. Zephan. II. 1. Thren. III. 40. Quod 5. absque *certa* tali appropriatione, non possimus cum fiducia Deum compellare *Patrem nostrum* Luc. XI. 2. nec cum παῤῥησίᾳ, *accedere ad thronum gratiæ* Heb. IV. 16. & X. 19. neque *gaudere* in Deo 1 Thess. V. 16. *anhelare* adventum Redemptoris Apoc. XXII. 17. 20. 2 Thess. I. 10. *gloriari* in Deo Heb. III. 6. 2 Cor. I. 12. Nec ullius momenti sunt, quæ in contrarium urgent adversarii: nim. 1. urgent Eccl. IX. 1. *nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Resp. Amoris aut odii divini nemo certus esse potest, *ex his quæ sunt ante faciem ejus*, h. e. ex eventibus externis, seu prosperis, seu adversis vs. 2. Urgent 2 Prov. XX. 8. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Resp. Locus ille non tollit *certitudinem* applicationis; sed tantum ἀναμαρτησίαν 1 Joh. I. 8. Psal. XIX. 13. Urgent 3. Scriptura nullibi dicit: Christus te Petrum, aut Paulum singulatim redemit. Resp. Scriptura dicit, Christum *omnes* credentes redemisse Joh. III. 16. & I. 12. tradit item infallibilia indicia, quibus fidelis, explorans conscientiam, cooperante Spiritu S. certò potest colligere, se vere fidelem esse 2 Cor. XIII. 5. Urgent 4. quod generet *superbiam*. Resp. Carnalis quidem *præsumtio* generat Luc. XVIII. 11. 12. Apoc. III. 17. non autem *vera* appropriatio, quin potius contrariam illa generat *humilitatem* 1 Cor. XV. 9. 10. nisi forte *sanctam* intelligas superbiam, seu gloriationem in *spe Dei* 2 Cor. XII. 9. 10. Rom. V. 2. Urgent 5. quod generet *socordiam*, qua salutis curam, & media negligamus. Resp. Eam generat *securitas* carnalis, non *vera* appropriatio, quin socordiam illam suffocat potius, & ad curam majorem accendit 2 Pet. I. 10. διὸ μᾶλλον σπουδάσατε — *magis operam date, qui vocationem & electionem vestram firmam faciatis.*

Objectiones partis negantis.

Pars practica.

Praxis applicationis: 1. Commendat Deum, velut inchoatorem & consummatorem universæ salutis nostræ.

XXIII. Et praxis hujus applicationis ad ejus ingredientia particularia spectat; hujus tamen loci, sequens esse possit: *primò* Deum nobis repræsentat & commendat, velut *inchoatorem & consummatorem* universæ salutis humanæ Heb. XII. 2. Phil. II. 13. 2 Cor. III. 5. Utpote qui 1. *Redemptorem*, pura puta adductus gratia, dederit Joh. III. 16. qui 2. *redemptionem* procurarit Luc. I. 69: qui 3. *redimendos* designarit Rom. IX. 13. Eph. I. 4. 5. 2 Tim. II. 19. qui 4. eosdem filio dederit redimendos Joh. XVII. 6. 9. qui 5. applicandæ redemptionis conditiones & leges *designarit* ac præscripserit Joh. III. 16. qui 6. conditiones præscriptas, per Spiritum suum, in redimendis *procurat* & efficit 1 Pet. I. 2. Phil. II. 13: qui 7. Redemptorem redemptionemque redimendis *offert*, fide recipiendum, & recipientibus promittit redemptionem Joh. III. 16. & I. 12. Act. X. 42. 43. & XVI. 30. 31. 2 Cor. V. 18. 19. idque per gratiam *vocationis*: qui 8. mortuos in peccatis, adeoque penitus ineptos, ut Redemptorem, & redemptionis conditiones, admittant ac præstent, *vivificat* Eph. II. 5. 6. *regenerat* Joh. III. 5. Tit. III. 5. adeoque recipiendi *voluntatem* Phil. II. 13. & *vires* restituit 2 Cor. III. 5. 1 Cor. XV. 10. qui 9. non tantum vires, quibus *possint* recipere; sed ipsam etiam *receptionem* confert, efficaciter eos *trahendo* ad Christum Joh. VI. 44. 65. Cant. I. 4. Jer. XXXI. 3. Joh. XII. 32. idque per conversionem: qui 10. tractos potenter *conservat*, ne deficiant Joh. X. 28. 29. 1 Pet. I. 5. Rom. VIII. 38. 39: qui 11. ad hoc ministerium redemptionis, seu, reconciliationis, non tantum *edit* 2 Cor. V. 18. 19. sed etiam *facendat* 1 Cor. III. 6. 7. 9. Rom. XV. 16. 18. 19. 2 Cor. III. 5. 6: qui 12. redemptionem applicatam redemptis *insinuat*, per Spiritum 1 Cor. II. 12. *obsignat* eodem, velut *arrhabone* 2 Cor. I. 21. 22. Eph. IV. 30. additis etiam in hunc finem, visibilibus *signis* & sigillis Rom. IV. 11. Gen. XVII. 7. 10: qui 13. factâm his omnibus applicationem *munit*, & quasi obsepit, adversus quævis pericula scandalorum, per disciplinam ecclesiasticam 1 Cor. V. 4. 5. 6. 7. Commendat hoc modo, inchoatorem

Quorsum commendat.

rem & consummatorem universæ salutis nostræ, ad hoc, ut A. *gloriam* ejus, nobis ipsis, omnibusque ab eo diversis, ademptum, ipsi soli transscribamus Psal. CXV. 1. Eph. 1. 4. 5. 6. Ut B. salutem acceptam, humili *gratitudine*, ei referamus Rom. XI. 36. & VII. 24. 25. Eph. 1. 3. Ut C. in omni negotio, quod salutem nostram concernit, à Deo solo pendeamus, qui nobis facienda *monstret*. Psal. LXXXVI. 11. facturos, Spiritu *ducat* Psal. CXLIII. 10. & V. 9. Joh. XVI. 13. facientes, sua virtute *confirmet* 2 Cor. XII. 9. Eph. VI. 10. &, *qui bonum opus in nobis accepit, idem consummet, in diem Jesu Christi* Phil. 1. 6. Ut innterim D. cum profundâ humilitate, & ex propriæ ineptitudinis conscientiâ, *cum timore ac tremore . propriam conficiamus salutem; quod Deus sit, qui in nobis operatur, & velle & perficere, pro suo beneplacito* Phil. II. 12. 13. Rom. XI. 20. 21. 22. Psal. II. 11. Prov. XXVIII. 14.

2. Commendat beatitudinem eorum qui hujus applicationis sunt participes.

XXIV. *Secundo*, commendat beatitudinem eorum; quos hujus applicationis Deus facit participes Psal. LXV. 5. Eo quod 1. non *unus* tantum omnipotens Deus: sed *tres* divinæ personæ, quarum quælibet est omnipotens, occupari voluerint, in procurandâ *applicatione* redemptionis eorum, & quidem peculiari ac distinctâ operandi ratione: *Pater eligendo*, & ex præcognitione amoris, determinando *personas*, quibus redemptionis applicatio sit conferenda: *Filius*, secundum electionem & præcognitionem Patris, *intendendo* applicationem, & quasi *aspergendo* sanguinem suum, his præ aliis: *Spiritus*, *sanctificando*; per vocationem, regenerationem & conversionem, *efformando* ad receptionem, & participium redemptionis 1 Pet. 1. 2. 2 Cor. XIII. Eo quod 2. *Pater*, discretivo ac superlativo *amore* adductus, eos, præ quibusvis aliis (hujus amoris & applicationis perinde capacibus) filio suo *dederit* redimendos 1 Joh. III. 1. Joh. XVII. 6. 9. Eo quod 3. *Filius* item, *gratia* peculiari διαχειτικῇ præterito *mundo*, se suaque omnia, quanta sunt, ipsis *solis* destinârit & impendat 2 Cor. XIII. 13. Eph. V. 2. Eo quod 4. *Spiritus Sanctus*, tribus quasi conatibus, distineri voluerit, in *applicatione* istâ perficiendâ: nim. ad recipiendam redemptionem, *evocando* & invitando; ut recipere possint, *vires* conferendo, &, ut acceptas vires receptioni arrigerent, *conversione* excitando. Eo quod 5. applicationem istam Deus triunus peragere non voluerit, nisi per redimendorum *unionem* & communionem, cum filio Dei unigenito, ut in eo, tanquam in capite, *omnia recolligeret sibi* Eph. 1. 10. adeoque, redimendos faceret *membra* filii sui, *unum* cum filio suo, imò & cum Patre Joh. XVII. 21. Eo quod 6 beneficia, hac applicatione ipsis appropriata, tot sint, *tanta* ac *talia*, ut ab eis perfectè, & æternùm beati esse possint: nim. justificatio, adoptio, sanctificatio, glorificatio 1 Cor. 1. 30. ut in solo hoc Redemptore, ejusque redemptione, possint esse *consummati* Col. II. 10. Eo quod 7. ab hoc applicationis, tanto ac tali beneficio, Deus multo maximam hominum partem *secludat* Joh. XVII. 9. Matth. XX. 16. Eo quod 8. Deus, ad applicationem istam peragendam, tanto utatur *mediorum* apparatu; ministerio verbi 2 Cor. V. 18. 19. administratione sacramentorum 1 Cor. IV. 1. cum XI. 23. Matth. XXVIII. 19 disciplinâ ecclesiasticâ Matth. XVIII. 17. 18. 19. & XVI. 19. Eo quod 9. factæ applicationis *cognitionem* & sensum infallibilem redemptis conferat per Spiritum suum Rom. VIII. 15. 16. 1 Cor. II. 12. Ex his omnibus, aliisque, quanta, bone Deus! oritur eorum beatitudo, qui hujus applicationis facti sunt participes! quanta animi *tranquillitas!* Psal. CXVI. 7. quanta *pax!* Rom. V. 1. quanta *consolatio!* 2 Cor. 1. 5. *gaudium!* 1 Pet. 1. 8. Rom. XIV. 17. Est igitur in hac redemptionis applicatione, ob quod participes A. sibi *gratulentur* 2 Pet. 1. 3. & 1 Pet. V. 10. B. Deo *gratias agant* Eph. 1. 3. 1 Cor. XV. 57. C. Redemptione sibi applicatâ *fruantur*, gaudeant 1. Pet. 1. 8. Rom. XIV. 17. D. Ejus interim *curam* habeant, cum timore & tremore Phil. II. 12. 1 Cor. X. 12.

Quorsum.

3. Invitat ad studium applicationis.

XXV. *Tertio*, invitat, ut omni voto ac conatu enitamur in participium applicationis *passivæ*, seu, ut Deus nos *conspergat* sanguine, aut redemptione filii Psal. II. 9. cum Levit. XIV. 4. 5. 6. 7. Num. XIX. 6. 9. Eo quod 1. *tanta* sit eorum *beatitudo*, quibus hæc applicatio, per Dei gratiam, obtigit, per §. *praced.* Conf. lib. V. cap. XII. §. XXX. & cap. XVIII. §. XLI. Eo quod 2. ex adverso, ineffabilis sit eorum *miseria*, quibus non applicatur redemptio Christi, ut ostendimus lib. V. c. XVIII. §. XLII. Conf. cap. XII. §. XXXI. Eo quod 3. negligendo studium applicationis, quantum ad nos, pretiosissimam redemptionem *cassam* reddamus & inanem. Conf. Gal. IV. 11. & III. 4. Eo quod 4. negligendo studium applicationis & Deum, & Redemptorem, & Sp. S. & redemptionis apparatum *contemnamus* Matth. XXII. 2---15. imò, *quodam* saltem modo. sanguinem fœderis impurum ducamus Heb. X. 29. Eo quod 5. redemtio, non applicata ad salutem, applicetur suo modo, ad incrementum *reatus*, & æternæ *condemnationis* Luc. II. 34. Rom. IX. 32. 33. 2 Cor. II. 15. 16. Heb. X. 29. Ut autem nobis enitendum est, in participium hujus applicationis? Resp. 1. Admitendum nobis ante omnia, ut *perspectam* habeamus naturam hujus applicationis, ac viam & methodum, quâ Spiritus S. in applicationem illam eniti consuevit, quo ei nos quasi advertere & conformare possimus Psal. XXV. 4. 5. cum Joh. XVI. 8. 9. 10. 11. Tum 2. cavendum nobis, à perverso applicationis *studio*, & mediis: quo α. applicationis perversas sectemur *conditiones*, & applicationis beneficia, remissionem

Motivæ.

Modus.

peccatorum, & jus vitæ æternæ, quæramus in *propriis*, *aliorumque* operibus, satisfactionibus, aut meritis: ita enim Christus nobis *inutilis* fit Rom. IX. 31. 32. & X. 3. Gal. V. 2. 4. quo β. veras quidem sectemur conditiones, fidei & resipiscentiæ; sed in eas enitamur *propriis viribus* 2 Cor. III. 5. 6. 1 Cor. XV. 10. Hinc 3. in virtute Dei Eph. VI. 10. & *Spiritus fidei* 2 Cor. IV. 13. vivificantis, regenerantis & convertentis Rom. VIII. 2. Joh. III. 5. Tit. III. 5. Christum vivâ fide apprehendamus Joh. I. 12. & III. 16. quo præstito, ex promissione divina, *facta* est applicatio, quoad constitutionem. Tandem 4. facta jam applicationis *constitutione*, per fidem, incumbendum nobis etiam in ea *officia*, quibus continuatur, & ad possessionem beneficiorum hujus applicationis, promovetur; quales *abnegatio sui*, *susceptio crucis*, *& imitatio Christi* Luc. IX. 23. Gal. V. 24.

4. Excitat ut enitamur, in applicationem activam.

XXVI. *Quarto*, excitat, ut adepti jam applicationem *passivam*, etiam enitamur in applicationem *activam*: qua *redemptionem* Christi, *peculiari* persuasione, nobis appropriemus, cum Apostolo Gal. II. 20. *quod vivo*, *vivo per fidem filii Dei*, *qui ME. dilexit*, *& seipsum tradidit pro ME.* Nec proinde contenti simus (a) persuasione amoris divini, ex communibus, seu *temporalibus* beneficiis oriundi, qualia in Cainum Gen. IV. 17. in divitem epulonem Luc. XVI. 19. aliosque fuerunt collata; sed in applicationem *peculiarem* illam enitamur, qua certi simus de amore *redemptionis* 1 Joh. IV. 9. 10. Nec (b) persuasione illa, qua certi simus, Deum *communiter* dilexisse mundum, adeo ut ei dederit filium unigenitum Joh. III. 16: sed in illam *applicationem*, qua cum Paulo dicas: *qui me dilexit*, *& seipsum tradidit pro me:* Nec (c) ea persuasione, qua, absque *solido* fundamento, benè speres de tui redemptione; sed in illam applicationem, *qua vocationem & electionem tuam FIRMAM facias* 2 Pet. I. 10. Atque, ut huc promptius enitamur, cogitemus 1. quod, licet non absque maxima difficultate; obtineri tamen *possit*, ex promissione divina Jes. LX. 16. Job. XIX. 25. Psal. LXIII. 2. 1 Tim. I. 15. 1 Joh. III. 14. Jes. XLV. 24. 25. Cant. III. 16. Cogitemus 2. quantus sit, & quam ineffabilis hujus appropriationis usus & utilitas: A. Ad confirmandum *animum*, adversus tot motus, terrores & angores, quibus vita nostra est obnoxia Job. VII. 1. Psal. XC. 10. Gen XLVII. 9. quos omnes suffocare potest appropriatio Redemptoris & redemptionis Psal. XXIII. 3. 4. 5. & XLVI. 2. 3 — & XXVII. 1. seu *præsentia* Christi in corde nostro. Conf. Marc. VI. 51. B. Ad solamen efficacissimum, in quovis statu *adverso*: in casu *inopiæ*, quid efficacius est? quam cogitare, eum, *qui filio proprio non pepercit*; *sed eum pro nobis dedit*, *omnia* necessaria, *cum ipso*, *nobis donaturum* Rom. VIII. 32. rursus in *morbis* Job. XIX. 25. in *persecutionibus* Rom. VIII. 39. & v. 2. 3. in *belli* tempestatibus Psal. XLVI. 2 — 7. Hab. III. 17. 18. 19. C. Ad *oblectationem* in *secundis* Neh. IX. 25. Psal IV. 8. Quid enim dulcius in quavis dulcedine, quam persuasum esse, illam derivari à Deo nobis reconciliato, pacato? à paterno ejus amore, versus nos? Psal. XXIII. 1. & XXXIV. 9. esse quævis *secunda*; totidem pignora divinæ versus nos benevolentiæ Psal. CXXXVIII. 2 — D. Ad sustentandum animum, in ipsis, ex peccato, conscientiæ *angoribus*; si velut Christum audiamus nobis acclamantem: *confide fili*, *remissa sunt tibi peccata tua* Matth. IX. 2. Psal. XXXII. 2 — 6. E. Ad conciliandam nobis, in quavis necessitate, παῤῥησίαν καὶ προσαγωγὴν, ad thronum gratiæ. Sicut enim, nec Aaroni, nec filiis ejus Sacerdotibus, fas erat, appropinquare ad Deum, nisi *aspersis* sanguine sacrificiorum Exod. XXIX. 21: ita nec nobis Sacerdotibus *spiritualibus* fas est, supplicationibus nostris appropinquare ad Deum, nisi *cordibus conspersis* sanguine Christi, & purgatis *à prava conscientia* Heb. X. 22. Conf. lib. II. c. I. §. XVI. Modus autem ac methodus hujus applicationis, in his est sequentibus: 1. ut solicitè caveamus, ne saluberrimæ applicationi substituamus fallacem & perniciosissimam *præsumptionem*, de qua Salomo Prov. XIV. 16. & Job. XXI. 23. qua seipsos miserè fefellerunt: Bileam Num. XXII. 18. Israël Hos. VIII. 1. 2. 3. Pharisæus Luc. XVIII. 11. Laodicea Apoc. III. 17. & infiniti alii. Proinde operæ pretium erit, hanc ab illa cautè discernere: sicut enim in *applicatione* vera, est α. persuasio redemptionis factæ, nixa *solidis* fulcris 1 Joh. III. 14. 19. ita in *præsumtione* est persuasio, absque ullo *solido* fundamento Apoc. III. 17.: sicut β. in *illa* est exspectatio boni, seu redemptionis futuræ, ex prævia *promissione* Dei Rom. VIII. 32.: ita in *hac*, est spes & exspectatio boni, & redemptionis, absque *ulla* Dei promissione, exemplo Judæorum Jer. VII. 4. 10. Mich. III. 11: sicut γ. in *illa*, est animi *securitas*, pax & tranquillitas, ex *sensu* reconciliationis, & amoris divini, oriunda Phil. IV. 4. Rom. V. 1. 2. & XIV. 17: ita in *hac*, est animi securitas, qua omnem inferni metum procul à se jubent esse Jes. XXVIII. 15. Amos. VI. 3. 4. 5. 6. gaudent ac lætantur; sed non nisi ex sensu *prosperitatis temporalis* Luc. XII. 19. Ut discrimen, inter *applicationem* & *præsumptionem*, in duobus potissimum observetur: A. In *fundamentis* utriusque, quando *illa*, solido nititur fundamento, non applicans sibi, nisi, quod dudum sibi Deus, credenti in Christum, applicavit Joh. I. 12: hæc sibi applicat, absque *ullo*, aut non nisi *lubrico* fundamento, quod Deus ei non applicavit. Quænam autem ista sint præsumptionis *lubrica* fundamenta, alibi ex professo diximus, in *Syntag. de fide salvif.* p. 615. B. In *effectis* & fructibus utriusque: quando *illa* effectuum.

Rationes motivæ.

Methodus applicandi exigit, 1. Nobis caveamus à præsumptione. Quomodo applicatio distet à præsumptione: ratione fundamentorum, ratione effectuum.

illa (a) *purgat* ab iniquinamentis 2 Cor. VII. 1. 1 Joh. III. 1. 2. 3.: *hæc* poſſeſſores ſuos magis *inquinat*; ſitim addit ebrietati Deut. XXIX. 19. ut patet in Judæis Jer. VII. 8. 9. Mich. III. 11. & in Babele Jeſ. XIV. 8. 9. Dum (b) *illa* ſuos erigit ad ſincerum Dei *amorem* Pſal. XVI. 5. 6. & XVIII. 2. & LXXIII. 25. 26. *deſiderium* Pſal. LXXXIV. 2. *gaudium* Pſal. IV. 8. & XVI. 9. *curam* placendi Deo 2 Cor. V. 1. cum verſ. 5. 9.: *hæc* ſuos excitat ad odium, fugam ac tædium verſus Deum Job. XXI. 12. 14. 15. Pſal. X. 8. & L. 16. 21. cum vſ. 17. 18. 19. 20. Dum (c) *illa* fovet ſalutarem *timorem*, & ſuſpiciones de fallaciâ proprii cordis Rom. XI. 20. Phil. II. 12. Heb. XII. 28.: *hæc* ad *ſocordiam* format & *negligentiam* Jer. VII. 10. Jeſ. XLVII. 8. Conf. *Syntag. de fide ſalvif.* p. 623. & ſeq. ubi plura hujus generis. Methodus applicandi exigit 2. ut curate noſipſos *exploremus*: ſitne redemptio per Spiritum S. nobis *vere* applicata & appropriata, quod his aliiſque indiciis patere poſſit: 1. ex eo, quod Spiritus S. redemptionem non applicet, niſi *ſenſu* peccati & miſeriæ noſtræ fuerimus antea humiliati ac proſtrati Rom. VIII. 15. 2 Sam. XII. 13. Quod 2. non applicet, niſi vere *fidelibus* Joh. I. 12. & III. 16. 36. Act. XVI. 31. & *reſipiſcentibus* à peccatis ſuis Luc. XV. 21. 22. Prov. XXVIII. 13: ſunt enim hæc, ut in *dogmaticis* monuimus, applicationi conditiones prærequiſitæ. Quod 3. non applicet, niſi his qui *Chriſti ſunt* Joh. XVII. 9, & quinam Chriſti ſunt? Reſp. Qui ejus ſunt *diſcipuli*, & ut diſcipuli, *ſeipſos abnegant*, *crucem ſuam quotidie tollunt*, & Magiſtrum *ſequuntur* Luc. IX. 23. qui *ſeipſos crucifigunt cum affectibus*: *qui ſe purificant*, *ſicut* Chriſtus *purus eſt* 1 Joh. III. 3. *qui ambulant*, *ſicut ipſe ambulavit* 1 Joh. II. 6. *qui præcepta ejus obſervant*. *Ibid.* 2. 3. 4. 5. &c. Methodus applicandi exigit, 3. ut removeamus *impedimenta*, quibus applicationis, à Spiritu S. revera factæ, agnitio & *ſenſus* obſtruitur, quod in ſpiritualiter deſertis uſitatiſſimum deprehendimus. Quænam vero ſunt iſta impedimenta? Sunt, α. *Ignorantia* Gen. XXVIII. 16. Joh. IV. 10. quâ ſenſus non habent exercitatos, πρὸς διάκρισιν, καλοῦ τε καὶ κακοῦ Heb. V. 14. quâ naturam *fidei*, ejus notas, ac diſcernendi rationem ignorant, quâ *ſeipſos* ignorant; ex præmiſſis concluſionem formandi rationem ignorant. β. gratiæ ſalvificæ, cui applicatio paſſiva innititur, nimia *exilitas* ac *tenuitas*: quâ ejus præſentiam agnoſcere ac dignoſcere, vix ac ne vix quidem, poſſunt Marc. IX. 24. cum Luc. VIII. 25. γ. *obſtructiones* & interpoſitiones, quales præſtant *peccata*, cumprimis *enormiora* Pſal. LI. 11. 13. 14. Matth. XXVI. 70. 72. 74. cum verſ. 75. & *delicatiora*, & aliquoties *repetita*, *ſuſpicio* item commiſſi peccati in Spiritum S: aliquando tentationes ſatanicæ, ſuggeſtiones blaſphemicæ: aliquando afflictiones *externæ*: aliquando averſio faciei divinæ, & *ſubtractio* luminis, aliaque de quibus in *Syntag. de fide ſalvif.* pag. 635 — Exigit methodus applicandi 4. *ſtudium* aſſiduum 2 Pet. I. 10. occupatum, *partim* in acquirendâ, conſervanda, adaugendâ *fide* ſalvificâ, quæ fundamentum præſtat omnis applicationis: *partim* in conficienda applicatione, ſeu certitudine redemptionis, in recuperatione amiſſæ, in conſervatione recuperatæ; in confirmatione & augmento conſervatæ, denique in poſſeſſione & uſu confirmatæ. De quibus omnibus, ex profeſſo in *Syntag. de fide* cap. XXI.

2. Ut exploremus nos ipſos.

3. Ut removeamus applicationis impedimenta.

4. Ut ſtudeamus fidei.

CAPUT SECUNDUM,

DE

Redimendorum Vocatione.

1 Pet. II. 9.

Ejus, qui ex tenebris vos vocavit, in admirabilem ſuam lucem.

Actus Sp. S. applicativus primus, eſt in vocatione.

I. APplicationem redemptionis *generalius*, & quaſi præliminariter contemplati ſumus; jam ad ejus *ſpecialia* nos ordo provocat. In quibus, primo ſeſe offerunt actus Spiritus Sancti, applicativi; nim. α. *oblatio* redemptionis recipiendæ, β. *collatio* virium, quibus oblatam recipiamus γ. ipſa receptionis *procuratio*. Primum horum peragitur *vocatione*, quam Petrus repreſentat 1. Epiſt. II. 9.

Pars exegetica.

Textus explicatur.

II. *Quibus verbis Apoſtolus ſuis argumentum præſtat glorificationis divinæ, in* deſcriptione vocationis divinæ. *Penes quam notantur*

1. Vocans: *in relativâ* qui, *seu* ejus; *est enim in toto hoc commate periphrasis ἐγκωμιαστικὴ, à beneficio vocationis, quo efficacissime* Deus *conatur suos erigere ad prædicandas virtutes ejus, qui illos evocaverit. Intelligitur ergo, procul dubio* Deus, *aut Christus, cui passim* vocatio *asseritur*, Rom. VIII. 30. & XI. 29. *cujus enim est* conferre *redemptionem, & redemptionis beneficia; ejus quoque est* offerre, *in vocatione patefacere redemptionem, ejusque consequendæ leges, & ad accipiendas leges istas invitare. Quamvis id fiat subinde* immediate Gal. I. 1. *ordinarie*, mediantibus *ministris suis* 2. Cor. V. 18. 19. 20.

2. Vocati: Vos. *Significat, non omnes &* singulos *homines vocari; sed certum hominum genus, quod passim in Scriptura designatur, nim.* fideles 1 Pet. I. 2. 3. 1 Cor. I. 2. Rom. I. 7. *quos etiam peculiariter describit* vers. 10. vos, qui olim eratis non-populus, jam autem facti estis populus Dei: qui olim eratis (οὐκ ἠλεημένοι) non sub misericordia: nunc vero (ἐλεηθέντες) misericordiam consecuti: *hos igitur, quibus redemptio, in vocatione, non tantum* oblata; *sed etiam* collata *erat.*

3. Vocatio: vocavit καλέσαντος. Καλέω *frequenter notat invitationem* ad convivium Matth. XXII. 3. *Etiam* καλεῖσθαι *aliquis dicitur Hebræis, nomine quo nunquam appellatus est; sed quod statum ejus pulchrè exprimit* 1 Joh. III. 1. Jacob. II. 23. *ut excellentia hujus vocationis efficacius exprimatur.* Significatur igitur *quod non tantum redemptionem per Christum patefecit, & redemptionis consequendæ leges revelavit; sed etiam, ad recipiendas leges, exquisitissimis motivis invitavit, quin & sua efficacia, ipsam receptionem procuravit. Ut suo loco distinctius repræsentabimus.*

4. *Vocationis* termini *duo*:

A. A quo: ex tenebris, ἐκ σκότους, *ab* ἴσχω fisto, *scil. lucem; sicut* tenebræ *à teneo, quod nocte oppressi gradum sistere cogamur. Sunt autem* tenebræ *non unius generis. Sunt* 1. *tenebræ absentia luminis solaris oriundæ* Gen. I. 4. 5. 15. Exod. X. 22. *Sunt* 2. *tenebræ status nostri externi, tenebræ* afflictionum, *quæ* afflictiones, *non uno nomine tenebræ appellantur, nim.* α. *quod oriantur à defectu luminis faciei divinæ, seu ab* ira *ejus.* β. *quod obscurent gloriam status nostri externi* Jes. V. 30. & VIII. 22. *sic Deus creare dicitur tenebras.* Ibid. XLV. 7. *& quod tenebras excitent in mente afflicti, quibus non possit viam emergendi invenire.* γ. *quod afflictum obruant* occulte, *ex improviso, ut nesciat unde sibi obveniant* Job. XX. 26. *Sunt* 3. *tenebræ cæcitatis, unde mors & sepulchrum* tenebræ *dicuntur* Job. XVII. 13. & X. 21. 22. Psal. LXXXVIII. 13. *Sunt* 4. *tenebræ spirituales, defectus cognitionis Dei & Christi* Eph. IV. 16. 17. 18. 19. 20. *Tandem* 5. *sunt tenebræ miseriæ omnimodæ, tam corporis, quam animæ in inferno* Matth. VIII. 12. & XXII. 13. *Ut per* tenebras *hic non designetur nisi status peccati, mortis & condemnationis, omnibus modis miser, tum hic, tum posthac in inferno.*

B. Ad quem: in admirabilem lucem suam. *Notatur*

1. Status *in quem vocati fuerunt:* in lucem, εἰς φῶς. *Intelligitur universus status gratiæ redemptione & redemptionis applicatione integer* Job. XXXIII. 28. 30. Jes. XLII. 16. *cæterum lux varii generis est. Est lux* (1) increata, *ipsa Dei essentia quasi lucens*, lux inaccessa 1 Tim. VI. 16. 1 Joh. I. 6. (2) creata, *producta & quasi genita à* Patre luminum Jac. I. 17. *Et hæc rursus, vel* naturalis *est, Sol in firmamento cœli: vel* spiritualis, *collecta post lapsum in solo Christo, qui hinc* sol justitiæ Mal. IV. 2. *ipsa* lux Joh. VIII. 12. illuminans omnem hominem venientem in mundum Joh. I. 9. *cujus radii diffusi in homines, ipsis præstant lumen, cum* temporale, *quod est in* externa *prosperitate* status, *glorioſi & fulgentis* Job. XXIX. 3. Esth. VIII. 16. *aut* interna mentis, *quæ consistit in* cognitione Act. XXVI. 18. fide Act. VIII. 12. *& diffunditur, seu per* verbum, *quod hinc Scripturis* lux *dicitur* 2 Pet. I. 19. *per verbum* legis, *quæ hinc* lux *audit* Psal. XIX. 9. & CXIX. 105. Prov. VI. 23. *per verbum* Euangelii, *quod itidem* lux *dicitur* 2 Tim. I. 10. 2 Cor. IV. 6. *tum* æternum, *quod in cœlo splendebit indesinenter* Col. I. 12. Apoc. XVIII. 19. *A pleriſque horum status gratiæ, est status* lucis, *unde* filii lucis *dicimur* Joh. XII. 36. 1 Thess. V. 5. & lux in Domino Eph. V. 8.

2. Excellentia *& gloria status hujus, duobus designatur, nim. quod sit lux*

א. Divina, *in* suam lucem, αὐτοῦ suiipsius, *scil. Dei aut Christi vocantis: non eam quidem, quæ* Deus *est; hæc enim nobis est* inaccessa 1 Tim. VI. 16. *sed eam tamen, quæ singulari modo & gratiâ*, ab ipso *est, velut Patre luminum* Jac. I. 17. *adeoque Deo dignam, & eo usque divinam, seu glorioſissimam.*

ב. Admirabilis, θαυμαστὸς. *à* תמה, admiratus, attonitus fuit, obstupuit, veneratus est Psal. XLVIII. 6. Jes. XXIX. 9. Eccl. V. 7. *vel à* θέομαι aspicio, *ut* θάυματα *sint quasi* θεάματα, *quæ spectatu digna sunt, quæ invitant spectantium oculos, seu* spectabilia, *quæ*

cum

cum summa animi intentione, voluptate & stupore spectamus; item quæ spectantur ceu miracula, *insolita & ordinarium naturæ cursum excedentia, adeoque admodum sunt honorabilia & glorioſa. Et ſic ſtatus* lucis, *ſeu ſtatus* gratiæ, *in quem evocati erant hi* παριστάμενοι, *multis modis* ſpectabilis *& mirabilis erat, quatenus* lux *ſpiritualis, ſplendens in cordibus converſorum, eſt* mirabilis, *tum quod* 1. *eos abripiat in ſummam ſui admirationem, utpote qui egregium quoddam periculum, quod ſibi imminebat, declinaverint, aut qui theſauros Chriſti ſibi comparaverint: tum quod* 2. *in ſe tam ſit* admirabilis, *utpote cujus participium* α. *non obtinetur abſque mediatore, dum alius cujuſvis lucis uſura eſt* Jeſ. XLII. 1. *eum* VI. 6. 7. ... *&* cap. XLIX. 6. β. *non niſi poſt longas tenebras ignorantiæ & peccati* Jeſ. IX. 1. 2. Matth. IV. 16. γ. *quod à Deo provocatur ex ipſis tenebris* 2 Cor. IV. 6. *Quæ lux* δ. *collata cum tenebris & umbris ſub lege ceremoniali, eſt* mera *lux, quæ* ε. *non reſultat à creatura quavis; ſed à Deo* ſolo Jeſ. VI. 19. Act. XXII. 6. *Quia* ζ. *ſplendet, non in meridie, ſicut Sol, ſed circa* veſperam, *imo in ipſa* nocte Zach. XIV. 6. 7. *Quia* η. *talis eſt, ut excedat omnem rationem, quippe lux* fidei. *Quia ſplendet ſolis Iſraelitis, velut in* Goſen, *dum tenebræ occupant univerſam Ægyptum. Quia* ϑ. *eſt lux* æterna, *nunquam occidens* Jeſ. LX. 19. *Ab his omnibus ſtatus lucis, omni ratione* mirabilis *dicitur.*

Pars dogmatica.

Redemptionis applicatio, primò fit per vocationem.

III. Quibus igitur Deus vult applicare redemptionem, hos ante omnia *vocat*, ad præſtandas conditiones, ei prærequiſitas: ut vocatio primus ſit applicationis actus. Quod patet (1) Scripturæ teſtimoniis Act. II. 38. 39. *Quotquot advocaverit* (προσκαλέσηται) *Dominus Deus noſter.* Heb. IX. 15. *Ut vocati, accipiant promiſſionem æternæ hæreditatis.* (2) *Emiſſione* Apoſtolorum, qui redimendos evocarent ex mundo Matth. XXVIII. 18. 19. 20. Marc. XVI. 15. 16. Act. XXVI. 17. 18. & Apoſtolorum *executione* Luc. XXIV. 46. 47. Act. II. 14—37. 41. & X. 34— & XIII. 46. &c. (3) particulatim, ex redimendorum *unione* & *communione* cum Chriſto, quæ peragitur vocatione 1 Cor. I. 9. 1 Pet. II. 9.

Probatur Scripturis.

& rationibus.

IV. Et *rationes* etiam hujus conſilii in promptu ſunt, quia Deus partam redemptionem applicaturus, 1. cum *hominibus* agere voluit, *convenienter eorum naturæ:* cum creaturis rationalibus, rationali modo; cum creaturis, ſeipſas libero conſilio determinantibus, operatione moraliter arbitrium determinante. Quia 2. redemptionem Deus applicare non vult, niſi per *confœderationem*, quæ conſenſum exigit, in conditiones redemptioni præſtipulatas, non impetrandas niſi oblatione, invitatione, promiſſione vocationis Deut. XXX. 15— Joſ. XXIV. 15. Quia 3. ipſa *fides*, redemptionis applicationi unicè prærequiſita, in *conſenſu* conſiſtit & electione; utpote qua Chriſtum, in Euangelio ſeipſum nobis offerentem, ac recipi poſtulantem, admittimus Apoc. III. 20. Cant. V. 2. Matth. XI. 28. 29. Joh. VII. 37. 38. Apoc. XXII. 17.: qui conſenſus vocatione procuratur. Quia 4. Deus a creaturis rationalibus *liberum obſequium* præſtolatur, in admittendis conditionibus redemptionis Pſal. CX. 3. Act. II. 41. Pſal. CXIX. 108. Rom. XII. 1. hinc per vocationem offert & invitat. Quia 5. reprobis etiam vult eſſe notam cauſam, ob quam à redemptionis participio ſecludantur Matth. XXIII. 37. Joh. V. 40. hinc promiſcue, per vocationem, offert redemptionem, invitat ad accipiendas redemptionis conditiones Matth. XXII. 2. 3. 4. 5. 6. 7. —

Obſervanda circa vocationis

V. Ut igitur vocationis hujus naturam & ingenium de cæterus aſſequamur, monendum ante omnia, circa *vocem*: 1. Nos hic nullatenus intelligere vocationem ad *munus* quàlecunque, ſive vocem, in Eccleſiâ, ſive in Republicâ capeſſendum: quo ſenſu venit Heb. V. 4. Exod. XXXI. 2. & alibi 2. Quod vocationis vox capiatur aliquando ſenſu *latiore*, quatenus *univerſam* illam Spiritus S. operationem notat, quâ redemptionis applicationem perficit, adeoque complectitur oblationem Chriſti recipiendi, collationem virium, quibus oblatum recipiant, & excitationem collatarum virium, ut oblatum actu recipiant; hoc ſenſu frequenter venit, tam in Scripturis, quam apud Theologos: aliquando ſenſu *ſtrictiore*, quatenus *ſolam* dicit Redemptoris & redemptionis oblationem, diſtinctam ab omni collatione & receptione Matth. XX. 16. Prov. I. 24. Matth. XXIII. 37. Hoc ſenſu impræſens veniet explicanda. Et ſic 3. variis modis deſignari conſuevit in Scripturâ, vocatio: ſubinde *pellicere* Gen. IX. 27. Hoſ. II. 13. Jeſ. V. 26. aliquando *trahere* Joh. VI. 46. Cant. I. 4. Jer. XXXI. 3. *pulſare* Apoc. III. 20. Cant. V. 2.

Quid vocatio,

VI. Quantum ad *rem*, vocatio non eſt, niſi invitatio ad Redemptorem & redemptionem recipiendam, eis legibus quibus offertur Matth. XI. 21. 29. 30. Jeſ. LV. 1. Scil. quemadmodum ſponſus ſeipſum ſeipſum omniaque ſua offert ſponſæ, recipiendum ab eâ, tanquam ſponſum ac maritum futurum: prorſus ad eum modum, Redemptor, in Euangelio, ſeipſum, ſuam redemptionem, ſuaque omnia, peccatori *offert*, nec exigit niſi ut recipiatur, eo modo, quo ſeipſum offert Cant. V. 2. Hoſ. II. 12. Apoc. III. 20. *Actus* igitur vo-

cationis generalis, est *oblatio*, *invitatio*, quæ varia involvit, partim *intellectum*; partim *voluntatem*; partim ipsam *receptionem* concernentia, quæ paulò distinctius veniunt repræsentanda.

Vocatio occupatur, 1. Circa intellectum.

VII. Actus igitur oblationis *primus*, circa *intellectum* occupatur, ei *offerendo* recipiendum (1) *Deum* Joh. I. 18. velut supremum applicandæ redemptionis finem; prout ille non tantum à *Deo* intenditur Rom. XI. 36. Prov. XVI. 4. Eph. I. 6. Phil. II. 11. sed ab ipso etiam *peccatore* redimendo: utpote qui, per Christum non quærit, nisi *venire ad Patrem* Joh. XIV. 6. & æternùm beatificari in Deo Psal. XXXIII. 12. Hunc igitur vocatio, redimendo repræsentat, velut, ex tot gloriosissimis ejus attributis & perfectionibus *omnisufficientissimum* Gen. XVII. 1. qui solus ei sufficiat ad æternam & infinitam beatitudinem Psal. IV. 7. 8. & XVI. 5. 6. & XXIII. 1. & XXXVI. 9. 10. 11. & LXV. 5. & LXXIII. 25. (2) *Redemptorem* 1 Cor. I. 23. 24. velut unicum Mediatorem, per quem ad *Patrem veniamus* Joh. XIV. 6. in quo proinde solo, sit *salus* nostra Act. IV. 12. Heb. VII. 25. qui sui cognitione suos justificet Jes. LIII. 11. Joh. XVII. 3. (3) *Redemptionem* Eph. I. 7. 8. 9. & III. 8. 9. Col. I. 26. 27. 28. ejus impetratæ rationem, per satisfactionem & meritum filii Dei Heb. IX. 14. 15. (4) Redemptionis applicandæ *conditiones*: tam has, quæ redemptionis *jus* applicant, nim. fidem & resipiscentiam Joh. I. 12. & III. 16. Act. XVI. 31. & XXVI. 17. 18. quam eas, quæ ad *possessionem* promovent, quales sunt *abnegatio* sui ipsius, *susceptio crucis*, *imitatio* Redemptoris, studium bonorum operum Luc. IX. 23. &c.

2 Circa voluntatem.

VIII. *Secundus*, circa *voluntatem* occupatur, *suadendo*, ut intellectui oblata recipiat. Ab hoc, vocatio propriè dicitur *invitare*, Matth. XXII. 3. *pellicere* Hos. II. 13. Quatenus recipienda voluntati oggerit, ut *bona*, quæ proinde mereantur, ac debeant recipi, adductis etiam omnegenus argumentis, à rerum *oblatarum* dignitate & præstantia, ab ipsius etiam *receptionis* honestate, utilitate, necessitate, facilitate &c. quod est *ad cor loqui* Hos. II. 13. Addit (ne, difficultate receptionis collata, cum recepturi imbecillitate, absterreatur ab opere) varia *adminicula*, quibus juvari possit, ad receptionis opus feliciter peragendum Matth. XI. 28. 29. 2 Pet. I. 5. 6. 7. 8.

3. Circa ipsam receptionem.

IX. *Tertius*, circa *receptionem* ipsam occupatur, ut factis *pretiosis & maximis promissis* 2 Pet. I. 4. non tantum ipsam promoveat rerum oblatarum recceptionem; sed & recipientes confirmet, de indubitato appropriationis successu Matth. XI. 28 29. Joh. VI. 37. Apoc. XXII. 17. Jes. LV. 1. 2.

Peragitur oblatio

X. Peragitur autem hæc vocationis oblatio duobus modis: *primo* externè, quando, mediantibus externis *sensibus*, potissimum auditu, recipienda offert animo Rom. X. 14. 15. per externum verbi præconium Act. II. 38. 39. duplex, (1) *legis*, ut peccator præparetur ad recipiendum Redemptorem, quæ, ab hoc, *pædagogus* prædicatur ad *Christum* Gal. III. 24. cujus *finis* sit *Christus* Rom. X. 4. utpote cujus ope, peccator recepturus Redemptorem, & redemptionis conditiones, adducatur ad *agnitionem* peccati Rom. III. 20. & VII. 7. ad *sensum* reatus ac miseriæ, ex peccatis oriundæ, item ad *ἀπολογίαν* Rom. III. 29. Gal. III. 22. Conf. Joh. XVI. 8. ut ex his tandem percipiatur *necessitas* redemptionis & Redemptoris recipiendi Rom. VII. 24. Act. II. 37. & XVI. 30. Et ab hoc *legis*, usu, Spiritus S. *Spiritus servitutis ad metum* appellatur Rom. VIII. 15. item *Spiritus timoris* 2 Tim. I. 7. (2) *Euangelii* 2 Thess. II. 13. 14. Act. IX. 15. & XIII. 38. 39. ad hoc, ut peccator, jam agnoscens peccata sua Psal. LI. 5. *sentiens* miseriam suam Rom. VII. 24. perspiciens indeclinabilem redemptionis *necessitatem*: adeoque *contritus* & *humiliatus corde* Psal. XXXIV 19. & LI. 19. *laborans & oneratus* Matth. XI. 28. agnoscat, etiam suppetere *remedium* suæ miseriæ Matth. IX. 12. Jer. VIII. 22. dari redemptionem, qualis illa, per quem, & quibus legibus obtinenda sit, quibus item rationibus illam ambire debeat. Utriusque tamen verbi, & legis, & Euangelii, efficacia in vocatione, non est *physica*, ut sibi propria virtute, immediatè producat quæsitum obsequium: sed *moralis* duntaxat, quod animo tantum offerat præstandum obsequium, ad quod seipsam voluntas determinet; prædeterminata tamen physica Spiritus S. operatione.

1. Externè per verbum, legis, Euangelii.

2. Internè per Spiritum S.

XI. *Secundo* internè, quando verbum oblationis arrigitur, non tantum sensibus externis, *auditui*; sed etiam *animo* Rom. X. 8. ut non tantum audiant; sed etiam *intelligant* Matth. XIII. 14. 15. 51. nec intelligant tantum; sed & fide qualicunque *recipiant*, imo cum affectu, & *gaudio* recipiant Matth. XIII. 5. 6. 20. 21. Luc. VIII. 6. 13. Hæc oblatio interna Spiritui S. competit, qui gratia quadam *communi* potenter intellectum collustrat Heb. VI. 4. ut *veritatem*, *in se* salutarem, perspiciant theoreticè; imo & ejus *bonitatem* agnoscant, practice quidem; sed in *thesi* tantum, non autem in *hypothesi*. Quæ illuminatio *communis*, respectu intellectus; & gratia *coërcens* & *cohibens* dici consuevit, respectu voluntatis: ab illuminatione *salvifica*, & à renovatione regnerationis, item à conversione, quas capp. *sequent.* præstabimus, caute est discriminanda. *Oblationi* huic internæ Sp. S. *communi*, si quis malitiose obsistat, Heb. VI. 4. 5. 6. peccatum committit, quod Scriptura *blasphemiam* appellat *in Spiritum S.* Matth. XII. 31. de qua alibi ex professo.

Vocationis causæ: principalis,

XII. Oblationis hujus causa, *principalis* quidem, *Deus* est Rom. VIII. 30: cujus enim est, Redemptorem dare, redemptionem procurare, redemptionis

ptionis leges figere; ejusdem procul dubio est, redemptionem offerre 2 Tim. i. 8. 9. 1 Cor. i. 9. idque per *Filium* 1 Pet. v. 10. & *Spiritum* S. Apoc. xxii. 17: *impulsiva*, non fuit, nisi pura ejus *gratia* 2 Tim. i. 9. qua determinavit, *qui*, *quando*, *per quos*, & *quo modo* vocarentur Rom. ix. 15. 16. 18. 1 Cor. i. 26. 27. 28. Utitur interim, pro causis *instrumentalibus*, ministris, quos emittit in universum orbem terrarum, evocaturos ad participium redemptionis Matth. x — & xxviii. 19. 20. Marc. xvi. 15. 16. Act. ix. 15. & xxvi. 17. 18. 2 Cor. v. 18. 19. 20. Qui, ab hoc, *plantatores* & *rigatores* 1 Cor. iii. 6. 7. 8. & ix. 7. συνεργοὶ τοῦ Θεοῦ 1 Cor. iii. 5. 9. *architecti*, qui solidum struunt fundamentum *Ibid.* vs. 10. 11. appellantur.

impulsiva?

instrumentalis.

Vocationis fines.

XIII. *Finis* oblationis cogitari potest, vel ratione α. *operis*, seu vocationis, qui, *per se* quidem, non est, nisi redemptionis applicatio, seu ipsa vocati *salus* Phil. iii. 14. Rom. viii. 30. licet *ex accidenti*, quandoque sit vocati ἀναπολογησία, & gravior *condemnatio* Matth. xxii. 3. 4. 5 — & xxiii. 37. 38. 39. Prov. i. 20 — 30. Luc. xii. 48. β. *operantis* seu vocantis, qui diversus observatur: nim. (a) *generalis* quidem, vocatos obstringere ad obsequium, seu receptionem, qui finis est omnium mandatorum divinorum 1 Thess. iv. 3. 4. *specialis* (b) vocatorum non obsequentium, ἀναπολογησία Rom. i. 32. cum cap. ii. 1. 2. 4. Nonnunquam (c) vocatos, communi quadam gratia, perducere ad *agnitionem* veritatis, ejusque externam *professionem* Matth. xiii. 5. 20. 21. & vii. 21. 22. 2 Pet. ii. 1. Nonnunquam (d) vocatos adducere ad genuinum *obsequium*, & actualem Redemptoris & redemptionis apprehensionem 1 Pet. ii. 9. Rom. viii. 30. Ex quibus apparet, vocationem, si *vocantis* intentionem spectes, semper esse *efficacem*, & nunquam non assequi, quod intendit Jes. lv. 11. 2 Cor. ii. 15. 16: quia Deus omnipotens, ac perfectè beatus, semper suum assequitur finem Jes. xlv. 23. Psal. cxv. 3. Quamvis enim ipsa *vocatio* finem sibi nativum non semper assequatur. scil. *obsequium* vocati; vocans tamen, sua intentione nunquam excidit. Hinc etiam perspicuum est, quo sensu Theologi vocationem *inefficacem* frequenter doceant.

Vocationis termini duo.

XIV. Vocationis hujus termini duo sunt: (1) *à quo*, à *tenebris* 1 Pet. ii. 9. scil. α. *ignorantia* Eph. iv. 17. quibus Deum ignoramus, nos ipsos, peccatum & miseriam nostram; quibus Redemptorem, redemptionem, redimendi leges, ignoramus 1 Cor. ii. 14: & β. *alienationis* à Deo; *qui antea non eratis populus Dei* Eph. iv. 18. Quibus duobus, universus designatur status peccati, mortis & condemnationis Act. xxvi. 17. 18. Eph. ii. 11. 12. 13. (2) *Ad quem*: *ad mirabilem ejus lucem*. Per quam intelligitur cognitio Dei & rerum spiritualium Joh. xvii. 3. & reconciliatio cum Deo Act. xxvi. 18. universusque, gratiæ, vitæ ac salutis æternæ status, sicut diximus in *exegeticis* Conf. Gal. i. 6. 1 Cor. i. 9. 1 Pet. i. 21. Col. i. 12. 13.

Triplex vocatio:

XV. Quantum ad distributionem, *triplex*, omninò vocatio numerari possit: nim. *primò universalis*, qua, per præconium naturæ, omnes homines sui compotes, invitantur ad *Deum*, ut *Creatorem* suum, quem agnoscant, revereantur, colant, cujus dictis audientes sese præstent Rom. i. 19. 20. 21. Act. xiv. 16. 17. & xvii. 27. Psal. xix. 1. Hæc tamen vocatio, quamvis sua natura, vocatos ad obsequium obstringat; quia tamen ad mortuos etiam in peccatis dirigitur, proinde obsequium suum sæpe non impetrat; spectare non potest, nisi ad ἀναπολογησίαν, vocatis afferendam, ut os obturetur ipsis Rom. iii. 19. & ipsi aliquando coram tribunali agnoscant, quibus causis condemnentur: aut, si quid insuper intendat & assequatur, non est, nisi ut extrema *barbaries*, omnem humanitatem excludens, à Gentibus arceatur. Notandum tamen, hoc naturæ præconium, non nisi perquam impropriè & ἀμυθμως, vocationem appellari; quia in terminis nullum officium præscribit; sed præsupponit tantum, à creaturâ rationali, ex operibus Dei colligendum. Nulla igitur ratione confundenda est hæc vocatio, cum ea, qua Redemptor offertur recipiendus, & redemptionis participium, quæ nostræ hujus considerationis sola est.

1. Universalis,

XVI. *Secundo communis*, quæ per præconium verbi revelati peragitur, & ad *omnes* quidem redimendos extenditur; sed non *solos*, verum ad reprobos insuper seipsam explicat, licet non ad omnes Psal. cxlvii. 19. 20. Act. xiv. 16. qua *Redemptor* offertur recipiendus, & *redemptio* recipientibus promittitur. Hujus efficacia, (1) *universalis*, apud omnes & singulos vocatos est, eos *obstringere* ad receptionem Redemptoris & redemptionis Matth. xi. 28. Jes. lv. 1. Matth. xxii. 3. 4. 5. & xxiii. 37. 38. (2) *principalis*, electos *formare* ad conversionem, fidem & resipiscentiam, adeoque ad participium redemptionis Joh. x. 27. 28. 1 Pet. ii. 9. (3) *Accidentalis*, reprobis vocatis *os obstruere*, omne effugium adimere Heb. ii. 1. 2. 3. 4. & eorum condemnationem aggravare Joh. xv. 22. & ix. 41. (4) *Communis* toti mundo, quod ex vocatione Euangelica, omnes promiscuè verbum salutis audiant, quod omnes ad salutis curam invitentur, veras, de Deo, ejusque creatione, providentia, peccato, virtute, conceptus hauriant: adeoque mundus, à barbarie ad honestatem, & virtutes domesticas ac civiles, ejus ope efformetur. Ut quondam patebat in Israële Deut. iv. 6. 7. 8. & etiamnum patet, collatione earum nationum, quibus vocatio euangelica obtigit, cum his, quæ eâ destituuntur.

2. Communis,

tur. (5) *singularis* quædam, in nonnullis hypocritis ac reprobis: ut in externis, & internis etiam *non-salutaribus* officiis, ad egregium quoddam fastigium enitantur, adeo ut regno Dei ac cœlo, *proximi* fiant Marc. XII. 34. Act. XXVI. 28. Matth. XI, 23. ut verbum vocationis audiant, ei fidem habeant, illud recipiant, egregios fructus excludant, ope vocationis & gratiæ *communis* Matth. XIII. 20. Heb. VI. 4. Jes. LVIII. 2. Num. XXII. 18. & XXIV. 2. 3. Luc. XVIII. 11. 12. Phil. III. 5. 6. verbo dicam, ut quævis præstent, præterquam ἐχόμενα σωτηρίας Heb. VI. 9. v. g. Redemptorem & redemptionem eis legibus recipiant, quibus offeruntur. Joh. I. 11. 12.

3. Electis propria.

XVII. *Tertiò peculiaris*, seu electis *propria*, quâ vocantur, eâ Dei intentione, ut *veniant* Joh. VI. 44. 45. quâ, gratia sic eis offertur, ut etiam recipiant, quæ cum regeneratione conjuncta sit, qua ad conversionem enitamur. Ab hac, vocati, κατὰ πρόθεσιν κλητοὶ appellantur Rom. VIII. 28. 30. Cujus efficacia non pendet à *dispositione*, vocationi congruâ, aut à viribus liberi arbitrii: cum occupetur circa homines, *ante* regenerationem, in peccatis *mortuos* Eph. II. 1. 5. sed à *solâ* gratiâ vocantis Dei Rom. IX. 11. 16. 18. 1 Pet. 1. 9. Est tamen hic cautè observandum, quod vocatio hæc *duplicem* habeat respectum ad regenerationem: vel α. ut eam *præcedens*, quatenus Deus homini, ex suo proposito, infallibiliter *regenerando*, adhuc tamen in peccatis mortuo; redemptionis rationem exponit, & ad accipiendas ejus leges invitat; hactenus vocatio nullas dispositiones prævias admittit: vel β. ut eam *consequens* 1 Cor. 1. 24. in quantum hominem, *jam regenitum*, Deus vocat ad fidem & respiscentiam actualem; hæc vires & dispositiones bonas, per regenerationem collatas, præsupponit. Possis, differentiæ causâ, illam appellare vocationem *primam*; hanc *secundam*.

Pars Elenchtica.

Quæritur: 1. An vocatio ad Redemptorem & redemptionem sit universalis.

XVIII. Quæritur *primo*, an vocatio ad *Redemptorem* & redemptionem, sit *universalis*? Pelagiani & Pelagizantes, Sociniani. Arminiani, Pontificii, Lutherani, quo commodius defendant gratiam & redemptionem *universalem*, utpote quæ absque *vocatione universali*, obtinere non potest: atque etiam, ut vocationis efficaciam à libero *arbitrio* suspendant; affirmant. Ex Reformatis, illi qui gratiam universalem *objectivam* asserunt (licet diverso scopo, & diversis hypothesibus) itidem affirmant. Communis Reformatorum sententia, quamvis vocationem qualemcunque, ad *Deum ut Creatorem*, universalem admittat; quamvis item vocationem ad Redemptorem, *communem* largiatur; *universalem* constanter negat. Quod 1. cum Scripturis exsertè pugnet Psal. CXLVII. 19. 20. Act. XIV. 16. Rom. XVI. 25. 26. Eph. III. 8. 9. per quæ loca: sub V. T. à vocatione, etiam *externâ*, secluſæ fuerunt *omnes* rationes, à Judæis diversæ. Quod 2. sub N. T. Servator prohibuerit, ante suam resurrectionem, Euangelium *extra* Judæam proferre Matth. X. 5. Quod 3. etiam post ascensionem Christi, Spiritus S. Paulo *prohibuerit* Act XVI. 6. Quod 4. ipsâ experientiâ sit exploratissimum, plurimas nationes dari, qui de Redemptore & redemptione, fando *non audiverint*. Quod 5. hypotheses universalis *gratiæ*, & liberi arbitrii, quibus universalis *vocatio* inservire debet, superstruiturque, vanæ sint ac lubricæ. Nec est sententiæ affirmativæ, quod ullâ ferè cum veritatis specie obtendat, nisi quod A. vocatio subinde ad *omnes* homines videatur extendi Tit. II. 11. 1 Tim. II. 4. Col. I. 6. Marc. XVI. 15. Resp. Hoc est, ad omnis *generis* homines Apoc. 5. 9. nullibi ad omnes & *singulos*. Quod B. præconium naturæ se extendat ad *omnes* homines Psal. XIX. 3. 4. 5. Rom. I. 19. 20. 21. & II. 14. 15. Act. XIV. 17. & XVII. 27. Resp. Vocationem per præconium *naturæ*, ad Deum *ut Creatorem* Act. XVII. 27. licet impropriè sic dictam, universalem agnovimus; quæritur autem, an vocatio per præconium *verbi* revelati, seu Euangelii, ad *Redemptorem* & redemptionis participium, sit universalis? Hoc verò non dicunt loca adducta. Quod C. etiam in gentilibus, aliisque, qui pereunt, multa conspiciantur, & egregia *dona*. Resp. Hæc gratiam quidem arguunt *communem*; nequaquam autem, seu gratiam, seu vocationem *universalem*: cum ista dona non in omnes & singulos cadant; nec vocationem *universalem* arguant.

Argumenta sententiæ negativæ.

Objectiones sententiæ affirmantis.

2. An vocationis efficacia pendeat à quovis, præterquam à gratiâ Dei.

XIX. *Secundo* quæritur, an vocationis *efficacia* ad procurandum obsequium, à *quovis* alio pendeat, præterquam à *gratia* regenerante & convertente? *Pelagiani*, cum suis assecl is, Arminianis, Jesuitis, aliisque; quo commodius tueantur liberi *arbitrii* vires, ad spiritualia & salutaria; à duobus suspendunt efficaciam vocationis; statuunt enim (1) in uno suâ *natura* aliam, & majorem esse *dispositionem* ad obsequium, quam in alio; proinde, si Deus convenienter isti dispositioni suæ, hominem curet vocandum, tum vocationem sortiri posse suam efficaciam ad obsequium: Pontificii etiam hic meritum ex *congruo* fingunt, quo Deus his, qui donis *naturalibus* rectè utantur, conferat etiam *supernaturalia*. Quod Arminius emollire & incrustare studens, docet ad *rectum primæ* gratiæ usum, quando homo, per eum facit quod *in se* est; uberiorem ipsi gratiam obtingere: interim tamen, & magis etiam (2) è *libertate* arbitrii humani, quâ velit admittere vocationem, sive *congruè*, sive *non congruè* factam: quod aliàs homini periret sua *libertas*. Sociniani, efficaciam itidem ad duo referunt:

Divortium sententiarum.

Sententiarum divortium.

sunt ? ad ipsum *verbum*, & cujusque *arbitrium*. Lutherani etiam, ℵ. partim ad *verbum* referunt, ejusque efficaciam *physicam* in conversione : ℶ. partim ad *gratiam* Dei convertentem. Reformati (saltem in vocatione *prima*, de quâ hic nobis negotium) nullas agnoscunt *meliores* dispositiones ad obsequium, in uno quam in alio : neque ullas liberi *arbitrii vires* naturales, ad obsequium vocationi præstandum ; verbi quidem operationem recipiunt ; sed *moralem* tantum : adeoque universam vocationis efficaciam, quantum scil. ad *obsequium* procurandum, suspendunt à *gratia* Dei, & quidem *physicè* regenerante & convertente. Eo quod 1. Scriptura referat ad solam grâtiam electionis 2 Tim. 1. 7. 8. 9. Rom. VIII. 28. 30. Quod 2. Scriptura vocationem universaliter referat ad *gratiam* Rom. IX. 15. 16. 18. 24. Tit. III. 4. 5. 1. 1 Cor. 1. 24. 29. Quod 3. vocatio *prima* circa homines occupetur, ut in peccatis *mortuos* Eph. II. 1. 5. II. 17. ineptos, qui *quicquam boni* cogitent 2 Cor. III. 5. 6. in quibus proinde, nullæ sunt *dispositiones*, respondentes vocationi, quæ in uno magis, quam in alio, obsequium vocationis possint excludere. Quod 4. omnis prærogativa *melioris* dispositionis, in uno quam in alio, per Scripturam, non aliunde pendeat, quam à *gratia* regenerationis & conversionis, quæ vocationem *sequitur* 1 Cor. IV. 7. Quod 5. vocationis apostolicæ efficaciam Scriptura distertè referat ad operationem *divinam* Act. II. 47. & XIII. 48. Quod 6. vocatio obsequium non rarò obtinuerit, apud hos, in quibus, non tantum *nullæ* erant bonæ aut congruæ *dispositiones* ; sed pessimæ quoque, & *adversæ*. v. g. in Saule Act. IX. 1. 2. 1 Tim. 1. 13. quando, ex adverso, hi qui *commodioris* naturæ videbantur esse, vocationi obsequium negârunt : v.g. Juvenis Pharisæus Matth. XIX. 16—24. Marc. X. 17—23. Nec habent Pelagiani quidem cum suis, quod opponant, nisi A. Parabolam quæ exstat Matth. XXV. 29. *Nam habenti omni dabitur ut abundet, & qui non habet, ei auferetur etiam, quod videbatur habere.* Resp. Textus non loquitur de his, qui per *naturam* rectius fuerint dispositi, ad præstandum vocationi obsequium, quam alii : nec de talibus, qui rectiori *usu* donorum *naturalium*, seu meruerint *de congruo*, ut loquuntur Pontificii ; seu modo quovis alio obtinuerint, sibi propter rectiorem *naturalium* usum, conferri dona *supernaturalia*, ut Arminius vult : sed de *servis bonis & fidelibus* vs. 21. utique per *gratiam* conversionis talibus : qui, non tam *naturalibus*, quam *supernaturalibus*, sibi per *gratiam* concreditis donis ; rectè utendo, deo auctores fuerunt, sibi conferendi *plura* & majora dona. B. Quod Scriba irregenitus dicatur à Christo, *non procul à regno Dei* Marc. XII. 34. ex quo colligunt, in irregenitis, unum regno Dei propiorem esse, quam alium. Resp. Servator, non tam *personam* hujus legisperiti respiciens, quam sapientem ejus *responsionem* ; *Jesus videns quod sapienter respondisset* ; significare vult, istam ejus responsionem *non procul esse à Regno Dei*, seu a veritate Euangelica. Quod C. Cornelius Centurio, necdum regenitus, ambierit, vocationem Petri, eique obsecutus fuerit Act. X—— Resp. Non fuisse irregenitum, patet ex vs. 2. ubi *pius* dicitur, *& Deum timens, eleemosynis & precibus* frequens : quando *extra Christum, nihil possumus* Joh. XV. 5. Etiam fide præditus fuit ; sed, pro ratione istius temporis, *indeterminatè* in Messiam : quamvis *Jesum* esse Messiam illum, adhucdum ignoraret, ad cujus *determinatam* cognitionem, adhuc convertendus erat à Petro D. Quod dentur *præparationes* ad conversionem, adeoque conversionem antecedentes. Resp. Dantur præparationes, ad *exercitium* fidei & respiscentiæ, per *conversionem* procurandam, quæ *sequitur* vocationem & regenerationem ; proinde *vocationis* & regenerationis nulla observantur præparatoria, ut in capp. de *regener.* & *convers.* ostendemus. E. Quod, per ipsam experientiam, unus irregenitus sit commodioris *naturæ*, quam alter. Resp. Hoc quidem verum est ; sed commodiorem istam naturàm, *dispositionem* præstare, à quâ obsequium vocationis pendeat ; hoc ipsum est quod negamus, & adversariis est probandum. Neque etiam F. Sociniani & Lutherani habent, quo verbi divini efficaciam *physicam*, ad procurandum vocationis obsequium, demonstrent, quam locum Rom. I. 16. cum parallelis ; v. g. 1 Cor. I. 18. & XV. 2. quibus, *Euangelium δύναμις τοῦ Θεοῦ* appellatur, *ad salutem cuivis credenti.* Resp. Significatur, verbum Dei esse efficax *instrumentum* ad salutem ; sed non nisi *morale*, quod non agit, nisi in virtute suæ causæ *principis*, Dei, physicè regenerantis & convertentis.

XIX. *Tertio* quæritur, an vocatio *jam* fiat, absque verbo *externo*, per solum verbum *internum* ? Enthusiastæ, vilipendio Scripturæ, velut *solis* pueris destinatæ, afflatus divinos captantes, & crepantes, quibus sibi perinde Deus facienda inspiret, ac olim Prophetis & Apostolis : affirmant. Christiani, quamvis agnoscant, 1. per verbum *internum*, absque externo, Deum olim Patriarchis, Prophetis & Apostolis observanda patefeciisse : 2. ipsum idem *adhuc* posse, si velit : 3. verbum *externum*, absque internâ Spiritus S. illuminatione, electis ordinariâ, *nihil posse* ad regenerationem & salutem : negant tamen, *etiamnum*, quando regula credendi & vivendi, tam exactè, in verbo Scripturæ, prostat ; Deum ad salutem necessarium Christi quicquam revelare, quod non exstet in Scripturis, adeoque vocationem, per solum verbum *internum*, captandam, aut crepandam esse. Quod 1. ad *Scripturam* nos passim ableget Deus Jes. VIII.

An vocatio jam fiat, absque verbo externo, per solum verbum internum ?

Quid hic Enthusiastæ.

Quid Christiani, & quibus rationibus.

20. Joh. v. 39. Luc. xvi. 29. Quod 2. Scripturæ quidvis *adjicere*, constanter prohibeat Deut. iv. 2. & xii. 32. idque sub pœnâ *anathematis* Gal. i. 6. 7. 8. 9. Apoc. xxii. 18. 19. Quod 3. per solum illud verbum Scripturæ externum, *homo Dei perfectus sit, & ad omne opus bonum ἐξηρτισμένος* 2 Tim. iii. 16. Psal. xix. 8. 9. 2 Sam. xxii. 31. 2 Pet. i. 19. Quod 4. verbum illud *internum* & enthusiasticum erroribus ac seductionibus variis sit obnoxium; tam ratione eorum qui *crepant*; quam qui *audiunt* 1 Joh. iv. 1. adeoque *probare* oblata jubeamur *Ibid.* 1 Thess. v. 21. idque ad normam verbi *scripti* Act. xvii. 11. Addam 5. quod fidem Paulus referat ad *auditum*, adeoque ad verbum *externum* Rom. x. 14. 15. Nec habent quod pro se obtendant Enthusiastæ, præter 1. *literam mortuam* 2 Cor. iii. 6. tum 2. revelationes seu *illuminationes* fidelibus ordinarias; quibus satisfecimus lib. i. cap. ii. §. xxxiii. Reliqua, circa vocationem agitari solita, pertinent ad capita *seqq.*

Objectiones.

Pars practica.

Praxis

XX. Praxis hujus capitis, *primo* nobis commendat *vocantem: ut virtutes ejus prædicemus, quis nos vocavit* — 1 Pet. ii. 9. Et quænam illæ? Si (1) vocationem spectes *universalem* (quamvis, nec vocatio illa, nec vocans, ipsam *intendat* vocatorum salutem; attamen) *vocantis* patefacit, tum *providentiam*, & curam ejus versus homines, qua se non vult *ἀμάρτυρον* Act. xiv. 17. & xvii. 26. 27. Rom. i. 19: tum *bonitatem* universalem, qua per ipsam naturam, dum eos invitat ad agnoscendum & colendum *Deum*; allicit ad id, in quo maxima hominis consistit *perfectio* Joh. xvii. 3. imò id agit, quo extrema *barbaries*, ipsa humanæ consociationis pestis, arceatur. Si (2) pergas ad vocationem *communem*, qua peccatores *quosvis* ad Redemptorem invitat, & redemptionis participium, sub lege præstandarum conditionum: tum vocatio patefaciet virtutem *α. gratiæ*, qua offensus offendentem admittit ad reconciliationem, eam offert, media proponit, & exquisitis motivis allicit 2 Cor. v. 18. 19. *β. justitiæ* vindicativæ, qua offendentem, si nolit audire, si reconciliationem oblatam protervè respuat, *severius* puniat Matth. xxii. 2 — 9. & xxiii. 37. 38. Jes. v. 2 — 8. Prov. i. 20 — *γ. φιλανθρωπίας* communis, qua genus humanum hac vocatione liberat à cyclopica *barbariæ*, & ad honestatem civilitatemque perducit. Si (3) pertingas ad vocationem *electis propriam*, quâ non tantum *offerre*; sed etiam *conferre* intendit, gratiam; quantam! hæc vocatio manifestat A. *misericordiam*, *σωτήριον* Tit ii. 11. *abundantem*, *πλῆτος χάριτος* Eph. i. 7. 8. *ὑπερβάλλοντα πλοῦτον* Eph. ii. 4. 7. B. *Potestatem* independentem, qua, pro *lubitu*, hunc vocat, illum relinquit Matth. xxiv. 40. 41. Rom. ix. 15. 16. 24. Joh. iii. 8. Gal. i. 15. C. *Sapientiam* imperscrutabilem Eph. i. 8. 9. & iii. 10. in explicanda divina Euangelii sapientia 1 Cor. ii. 6. 7. 13. in designandis & præscribendis legibus redemptionis Eph. i. 9. 10. 11. Ut & hic exclamare debeas: O! *profunditatem divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei.* Rom. xi. 33. 34. Has, aliasque *vocantis* virtutes nobis commendat vocatio, ad hoc, ut *prædicemus* 1 Pet. ii. 9. h. e. ut (a) *agnoscamus* mente 1 Cor. ii. 8. 10. ut (b) *celebremus* ore Rom. xi. 33. (c) *referamus* opere, quantum est in nobis, *imitando* 1 Pet. i. 15. 16.

1. Commendat virtutes vocantis, quo ad vocationem universalem, communem, & salutem.

Quorsum commendet.

XXI. *Secundo*, commendat beatissimam sortem eorum, qui vocationis, non communis tantum, sed & *sanctæ* hujus 2 Tim. i. 9. & *supernæ*, *τῆς ἄνω κλήσεως* Phil. iii. 14. & *cœlestis* Heb. iii. 1. & *salutiferæ* Tit. ii. 11. sunt facti participes. Si enim paulò distinctius expendas, 1. *Vocantem*, circa ipsos occupatum, *Deum*, 1 Thess. iv. 9. 1 Cor. i. 9. & singulas quidem Trinitatis personas: *Patrem* Matth. xvi. 17. Joh. vi. 45. *Filium* Prov. i. 20. Matth. xi. 28. *Spiritum* S. Joh. iii. 8. Si 2. Vocationis *causam προηγουμένην*, *gratiam*: non vulgarem, sed *διακριτικὴν* Gal. i. 15. Matth. xi. 25. æternæ *electionis* Rom. viii. 30. 2 Tim. i. 9. *super eminentem gratiæ opulentiam* Eph. ii. 4. 7. Si 3. *Vocatos*, non *Angelos* lapsos Heb. ii. 16. quos *catenis æternæ caliginis vincivit* 2 Pet. ii. 4. Jud. vs. 6. Apoc. xx. 2. sed *homines* Joh. iii. 16. non *sapientes*, *potentes*, *nobiles*; sed quod *stultum* est in mundo, quod *infirmum*, *ignobile*, imò quod *nihil* est 1. Cor. i. 26. 27. 28. & quidem *peccatores* Matth. ix. 13. inimicos & perduelles Rom. v. 6. 8. 10. *filios iræ*, *mortuos in peccatis* Eph. ii. 1. 5. Si 4. vocationis *efficaciam*, qua circa eos Deus occupatur: scil. *ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ — κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ* Eph. i. 19. Si 5. vocationis *terminos*: *α.* à quo, *tenebras*, quibus, in Scripturis *omnimoda* miseria designari consuevit Jes. l. 10. Psal. xxiii. 4. Matth. xxii. 13. & xxv. 30. *β. ad* quem: *lucem*, lucem *suam admirabilem* 1 Pet. ii. 9. qua, *omnimoda* felicitas, in Scripturis exprimi solet Psal. xxxvi. 10. Joh. viii. 12. à qua vocati, *filii lucis* audiunt Joh. xii. 36. Luc. xvi. 8. Si 6. vocatione *præteritos*, relictos in viis *suis* Act. xiv. 16. in viis damnationis Eph. ii. 12. 13. & tanta quidem copia præteritos Matth. xxii. 14. Si tandem 7. vocationis *finem*; ad gloriam suam 1 Thess. ii. 12. 1 Pet. v. 10. ad *acquirendam gloriam Domini nostri Jesu Christi* 1 Thess. ii. 19. ad *benedictionem* 1 Pet. iii. 9. & communionem omnium *promissionum* divinarum Act. ii. 39. quibus cuncta vocatis cooperantur in *bonum* Rom. viii. 28. hæc aliaque, si devotè construas, quantum bone Deus! excludent vocatorum *beatitudinem*. Jam, quorsum sortem istam, tam beatam, vocatis commendat vocatio? Resp. 1. ut

2. Commendat beatissimam sortem vocatorum.

Ex quibus capitibus.

In quem finem & usum.

ag-

agnoſcant Eph. I. 18. ut *ſcitatis*, *quænam ſit ſpes vocationis* — Rom. VIII. 28. *Novimus* — *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Ut 2. ſentiant, & lætentur *gaudio ineffabili* 1 Pet. I. 3. 8. Ut 3. *gratias*, eo nomine, Deo agant Col. I. 12. 13. Ut 4. enitantur magis magiſque, *in ſcopum*, *εἰς βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως* Phil. III. 14. 1 Tim. VI. 12. Ut 5. *ambulent convenienter* (*ἀξίως*) *vocationi*, *qui vocati ſunt* Eph. IV. 1. 1 Theſſ. II. 12. & cap. I. 11.

. Re-
ræſen-
at mi-
eriam
orum.
ui ſalu-
uriter
on ſunt
ocati.

XXII. *Tertiò*, repræſentat ex adverſo, *miſerimum* eorum ſtatum, qui, aut *α.* prorſus *non* ſunt vocati ad gratiam Act. XIV. 16. Pſal. CXLVII. 19. 20. quos Deus, ſua providentia, vocare prohibet Act. XVI. 6. aut *β.* non ſunt vocati, vocatione *ſalutari* Matth. XXII. 14. Et quinam iſti? Sunt 1. qui non *audiunt* vocantem Prov. I. 24. qui, *aſpidis* inſtar, *aures* ei *obturant* Pſal. LVIII. 5. 6. Qui 2. audiunt quidem; ſed *cor obfirmant* adverſus vocationem Pſal. XCV. 7. 8. negliguntque Heb. II. 3. Qui 3. vocati, renuunt *venire* Matth. XXII. 3. & XXIII. 37. Joh. V. 40. Qui 4. vocationem *contemnunt* Matth. XXII. 5. rebus quibuſvis terrenis poſtponunt Luc. XIV. 17 — 21. Qui 5. vocantes inſuper *perſequuntur* Matth. XXII. 6. & XXIII. 37. & X. 17. 18. Qui 6. in vocatione ſibi oblatum Redemptorem non *recipiunt* Joh. I. 11. Luc. IX. 53. Qui 7. receptionem, aut receptionis potius *leges*, *præſtare* recuſant: v. g. fidem Joh. III. 16. 36. abnegationem ſui, ſuſceptionem crucis, imitationem Chriſti Luc. IX. 23. crucifixionem carnis, & cupiditatum propriarum Gal. V. 24. Jam miſeriam iſtorum hominum, vel ex lachrymis poſſis perſpicere, quas ipſe Redemptor vocans, ejus cogitatione fundit Luc. XIX. 41. pariter & ex querela conſectaria: *O ſi noſſes*, *& tu*, *& hoc ipſo tuo die*, *ea quæ ad pacem tuam faciunt* — *propterea quod non agnoviſti diem viſitationis tuæ.* vſ. 42. 44. Conf. Matth, XXIII. 37. Quam miſeriam clarius etiam perſpicies, ſi diſtinctius expendas. A. ab *una* parte *turpitudinem*, neglectæ & ſpretæ vocationis, qua 1. *contemnunt* Deum vocantem, Regem nuptias filio parantem, & emittentem, iteratis vicibus, qui invitatos vocent Matth. XXII. 2. 3. 4 — Tum 2. quantum in ſe, Deum ſuo conſilio *fruſtrare* conantur Luc. VII. 30. Act. VII. 51. Ad hæc 3. turpiſſimè *ingratos* ſe præſtant, verſus, non tantum humaniſſimam vocantis *invitationem* Matth. XXIII. 37. & XXII. 3. Apoc. III. 20. Cant. V. 2. ſed & *beneficia*, in vocatione oblata Jeſ. V. 1. 2. 4. Inſuper 4. peccant multis modis in *ſeipſos*, in propriam animam ac ſalutem ejus, negligendo oblatum ſibi Redemptorem, æternæ ſalutis *ἐυκαιρίαν* Joh. I. 11. Matth. XXIII. 37. 2 Cor. VI. 1. 2. Luc. XIX. 42. 43. *diem viſitationis* ſuæ, *ſuum* iſtum diem, ad *pacem* procurandam, deſtinatum: Etiam 5. peccant in *ſervos*, legatos Dei Matth. XXII. 3. 4. 6. quibus *miniſterium reconciliationis* Deus commiſit 2 Cor. V. 18. 19. B. Ab *altera* parte, ſi conferas turpiſſimi neglectus condignas *pœnas*: ſcil. *α.* ſeipſos *indignos* faciunt tanta vocatione Matth. XXII. 8. & vitæ æterna Act. XIII. 46. *β.* concitant in ſe vocantis Dei *excandeſcentiam.* Ibid. vſ. 7. *γ.* excludunt ſeipſos ab omni *ulteriore* vocatione, pariter & à beneficiis, in vocatione oblatis Luc. XIV. 24. *δ.* horrendam vocantis ſpreti *vindictam* in ſe concitant Matth. XXI. 43. 2 Theſſ. I. 8. Quibus omnibus *ε.* accedit, quod cunctis iſtis beneficiis, quæ §. *præced.* ſalutariter vocatis addiximus, *careant* æternum; & ex adverſo *ζ.* ineffabili *miſeria*, quam Apoſtolus repræſentat Eph. II. 12. cum vſ. 17. ſe exponant.

uænam
orum
iſeria.

XXIII. *Quarto*, jubet ſeriò inquiramus, num & *nos* Deus vocaverit Rom. IX. 24. & quo vocationis genere: num *communi* tantum; an *ſalutari* etiam. Si enim 1. vocatio, *primus* eſt Spiritus S. conatus applicativus redemptionis Chriſti Rom. VIII. 30. *quos vocavit*, *hos etiam juſtificavit*, adeoque primus gradus, ad omnem gratiam. Si 2. tanta ſint vocationis ſalutaris *beneficia*, ut diximus §. XXI. Si ex adverſo 3. tanta ſit eorum *miſeria*, qui aut vocati non ſunt; aut non niſi vocatione communi, ut oſtendimus §. XXII. Si 4. Spiritus S. velut præcipuum quoddam Chriſtianæ diligentiæ officium præſcribat: *vocationem* noſtram *firmam* (*βεβαίαν*) *facere* 2 Pet. I. 10. utique *explorando* 2 Cor. XIII. 5. Si 5. Apoſtolus, ſuis apud Deum votis, tam fervidus ſit, in expetendo ſuis Epheſiis, hoc beneficio, ut eis *Deus largiatur ſpiritum ſapientiæ*, *& illuminatos mentis oculos*, cujus ope *cognoſcerent*, *quæ ſit ſpes vocationis* divinæ Eph. I. 17. 18. Si 6. ab explorata certitudine vocationis noſtræ *ſalutaris*, pendeat *certitudo* gratiæ, & amoris divini, à qua vocatio reſultat Eph. II. 4. 7. certitudo item, *electionis* noſtræ 2 Pet. I. 10. *vocationis & electionis* — Rom. VIII. 30. quos *prædeſtinavit*, *hos vocavit* —, certitudo *juſtificationis & glorificationis* noſtræ, *quos vocavit*, *hos juſtificavit* — Ibid. certitudo univerſæ noſtræ *communionis* cum Chriſto 1 Cor. I. 9. adeoque, omnis animi *tranquillitas*, *conſolatio* in adverſis, gaudium in ſecundis; ab hac certitudine ſit oriunda. Si 7. *agnitio* & perſuaſio defectus, quo necdum ſimus facti participes ſalutaris hujus vocationis, primus eſt gradus, ad ejus deſiderium, & conſequens participium Luc. XV. 17. 18. Act. II. 37: nunquid, his omnibus rationibus, operæ pretium eſt, omnem *diligentiam* impendere accuratæ explorationi? Sed quibus indiciis hoc expiſcabimur? Reſp. 1. Tum *ſalutariter* ſumus vocati, ad recipiendum Redemptorem & redemptionem; ſi Redemptorem *fide* viva recepimus Joh. I. 11. 12. ſi *ad ipſum venerimus* Joh. VI. 45. Tum etiam 2. ſi redemptionis *conditiones*, quæ in vocatione offeruntur præſtandæ:

4. Jubet explorare, num vocationis ſalutaris factiſimus participes.

Rationes motivæ.

Signa.

dæ, *fidem* Joh. III. 16. *abnegationem* noſtri, *tolerantiam* crucis, *imititationem* Chriſti Luc. IX. 23. *crucifixionem* carnis, cupiditatumque carnalium Gal. V. 24. admiſerimus. Tum inſuper 3. ſi à *tenebris* tranſierimus in *lucem* 1 Pet. II. 9. Eph. V. 8. h. e. ſi à priſtinâ Chriſti ignorantiâ, tracti fuerimus, in ejus ſalutarem *cognitionem* Gal. I. 16. 2 Cor. IV. 6. Tum porro 4. ſi, e vocatione, ſentiamus ſincerum *amorem* verſus *verbum* Dei Joh. VIII. 47. ejuſque annunciatores, quorum operâ Deus nos vocavit 1 Joh. IV. 5. 6. Tum præterea 5. ſi per vocationem, liberati fuerimus ex *poteſtate tenebrarum* Col. I. 13. h. e. ab *operibus* tenebrarum Rom. XIII. 12. ſi non amplius *ambulemus* in tenebris 1 Joh. I. 6. ſed *averſemur* quamvis peccati impuritatem 1 Theſſ. IV. 7. Gal. V. 8. Tum denique 6. ſi operam ſeriò demus *ſanctitati*, ad quam à Deo vocamur 1 Theſſ. IV. 7. à quâ *vocati*, *ſancti* appellantur Chriſtiani Rom. I. 6. ſcil. 1 Cor. I. 2. & ipſa vocatio, *ſancta* 2 Tim. I. 9. ſcil. ut *ſancti ſimus*, *ſicut is, qui vocavit nos, ſanctus eſt* 1 Pet. I. 15. unde vocati, *à Deo Patre ſanctificati*, dicuntur Jud. vſ. 1.

5. Excitat amorem ac deſiderium participii. Motivæ.

XXIV. *Quinto*, excitat *amorem* ac deſiderium ſui, h. e. ut vocationis *ſalutaris* fiamus participes. Eſt enim 1. vocatio *peccatoris* Matth. IX. 13. Act. XXVI. 18. Eph. II. 13. Eſt 2. vocatio ad Redemptorem, & *redemptionem* Matth. XI. 28. Joh. VI. 37. Eſt 3. vocatio ad *regnum*, ad *gloriam* 1 Theſſ. II. 12. ad gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti 2 Theſſ. II. 14. 1 Pet. V. 10. Eſt 4. vocatio *ſancta* 2 Tim. I. 9. *ſuperna* Phil. III. 14. *cœleſtis* Heb. III. 1. *ſalvifica* (σωτήριος) Tit. II. 11. Eſt 5. maxime *proficua*, per §. XXI. Eſt 6. abſolute *neceſſaria* Joh. VI. 44. Conf. Heb. V. 4.

Quale deſiderium.

Nec amorem ac deſiderium excitet *otioſum*; ſed (a) maxime *ſtudioſum* 2 Pet. I. 10. διὸ μᾶλλον σπουδάσατε Conf. Prov. II. 4. & VIII. 17. qui amor, & deſiderium, verum eſſe & germanum, non poteſt, niſi ſit *negotioſum* (b) maxime *attentum* & arrectum *verbo*, cujus ope, Deus nos evocare ſolet 1 Pet. II. 2. Act. XVI. 14. Matth. XIII. 20. 23. (c) idque non ſubinde; ſed *conſtanter*, quotidie Prov. VIII. 34. *dies noctesque* Pſal. I. 2. Deut. VI. 6. 7. & XVII. 19. Nec (d) *obiter*; ſed *ſcrutando* (ἐρευνῶτε) Joh. V. 39. Joſ. I. 8. Pſal. I. 2. &c.

6. Hortatur ad officia vocationi congrua. Quæ nam illa.

XXV. *Sexto* hortatur, ut vocationis immenſo beneficio nos reſpondeamus congruis noſtris *officiis* Gall. I. 15. 16. Quænam autem ſunt officia vocationi congrua? Reſp. (1) *Audire* & auſcultare: vocanti enim convenit, qui *audiat* Prov. XXV. 12. 1 Sam. III. 9. imprimis ſi vocando *clamet*, h. e. magno impetu vocet, ſicut ſapientia hypoſtatica Prov. I. 20. *ſapientia foris clamat*: & tum maxime, ſi vocans & loquens *Deus* ſit Amos. III. 6. 8. Unde πολυθρύλλητον propheticum, *audite verbum Domini* Jeſ. I. 2. 10. Jer. II. 4. Thren. I. 8. &c. item: qui *aures habet ad audiendum*, *audiat quid Spiritus dicat* Apoc. II. 7. 17. 29. & III. 6. 13. 22. & vocati omnes, *audire* dicuntur vocem Chriſti Joh. X. 27. (2) *venire* ad vocantem, Matth. XI. 28. Joh. VIII. 37. Jeſ. LV. 1. Apoc. XXII. 17. & *ſequi* vocantem Matth. IV. 19. Apoc. XIV. 4. (3) *obſequi* Act. IX. 4. 6. Matth. IV. 21. Pſal. XLV. 11. (4) *recipere* oblatum ſibi in vocatione Redemptorem Joh. I. 11. 12. ſunt enim relata: offerre & accipere; & hoc unicum vocationis opus eſt, offerre Redemptorem, ut recipiamus Phil. III. 12. *apprehendam apprehenſus*. (5) *præſtare* conditiones, vocatione requiſitas, ad participium redemptionis: *fidem* Joh. III. 16. *reſipiſcentiam* Matth. IX. 13. *abnegationem* ſui, *ſuſceptionem* crucis, *imitationem* Chriſti Matth. XVI. 24. 25. *crucifixionem* carnis & cupiditatum Gal. V. 24. (6) *anhelare* ad βραβεῖον vocationis cœleſtis Phil. III. 14. 1 Cor. IX. 24. Eph. I. 18. (7) *ambulare* digne vocatione Eph. IV. 1. 1. Theſſ. II. 12. 2 Theſſ. I. 11. (8) *abnegare impietatem, & mundanas concupiſcentias, temperanter, juſte & pie vivere* Tit. II. 11. 12. (9) *apprehendere ſalutem*, ad quam vocati ſumus 1 Tim. VI. 12. Atque, ut his *officiis*, vocationis beneficio, promptius reſpondeamus: ſerio nobis cogitandum, A. *quis* vocet, *Deus* 1 Theſſ. IV. 7. Joh. XV. 16. 1 Joh. IV. 10. & ſingulæ quidem Trinitatis perſonæ Eph. I. 17. 1 Joh. V. 7. *Pater* Joh. VI. 45. Eph. I. 17. 18. *Filius* Prov. I. 20. Eph. II. 17. Matth. XI. 28. *Spiritus* S. Apoc. II. 11. 17. & XXII. 17. B. *Qua cauſa* adductus, vocet, nim. purâ puta miſericordiâ & φιλανθρωπίᾳ, *opulentiâ gratiæ* Eph. I. 7. 8. 1 Pet. V. 10. C. *Quos* vocet peccatores Matth. IX. 13. D. *A quo*, & *ad quid* vocet, à *tenebris*, *ad lucem ſuam admirabilem* 1 Pet. II. 9. ad *communionem* filii ſui 1 Cor. I. 9. ad *redemptionis* participium 1 Theſſ. II. 19. 1. Pet. V. 10. E. *Per quos* vocet, non per *ſeipſum* immediate, nec per Angelos, nobis formidabiles: ſed per homines ὁμοιοπαθεῖς Jac. V. 17. quibus *miniſterium reconciliationis* commiſit, ut *pro Chriſto*, *legatione fungantur* 2 Cor. V. 18. 19. F. *Quo modo*, & quantis affectibus vocet, *clamando* Prov. I. 20. Joh. VII. 37. blandiendo Cant V. 2. pulſando. *Ibid.* Apoc. III. 20. obteſtando Deut. V. 29. & XXXII. 29. Pſal. LXXXI. 14. Jeſ. XLVIII. 18. imo flendo Luc. XIX. 41. 42. expoſtulando Ezech. XVIII. 31. & XXXIII. 11. Jer. II. 5. & VIII. 5. Mich. VI. 3. Matth. XXIII. 37. omnia movendo Jeſ. V. 4. per beneficia & judicia Rom. XI. 22. Jeſ. XLIV. 22. cum Hoſ. V. 15. inſtando πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, non ſemel; ſed *ſæpius*, & continuo, jam per hæc, tum per iſta Jer. III. 1. 22. Hoſ. XIV. 2. Matth. XXIII. 37. *quoties*--promittendo infallibilem gratiam, obſequentibus Jer. III. 22. Joh. VI. 37. Luc. XV. 22. 23. Sed quo *modo* etiam, officiis noſtris, vocationi reſpondebimus? Reſp. a. *Statim*, hodie Pſal. XCV. 7. 8.

Quibus motivis.

Cant.

Cant. v. 2—7. εὐθέως Matth. VI. 19. 22. & VIII. 21. 22. β. *prompte*, animo lubenti & integro, cum omni προθυμία Act. XVII. 11. Pſal. CX. 3. 7. etiam cum diſpendio *fortunarum* noſtrarum Matth. IV. 20. & XIX. 27. δ. *abſolutè* & illimitatè Act. IX. 6. Ad hoc ε. *occaſiones*, motuſque Spiritus, curatè *obſervando* Cant. II. 8. Rom. VIII. 14.

CAPUT TERTIUM,
DE
Redimendorum Regeneratione.

Joh. III. 5.

Amen amen, dico tibi, niſi quis iterum genitus fuerit ex aquâ & Spiritu; non poteſt introire in regnum Dei.

Applicationis actus ſecundus eſt in regeneratione.

I. APplicationis actum *primum* expedivimus, quo Spiritus S. Redemptorem & redemptionem redimendis *offert*, recipienda; ſuccedit: *ſecundus* ſuccedit, quo recepturis *vires confert*, quibus recipere *poſſint*, quod fit per *regenerationem*, cujus neceſſitatem ipſe præſtat Redemptor Joh. III. 5.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus verbis gravis continetur & valida Redemptoris* aſſeveratio de neceſſitate regenerationis. *Penes quam notatur*

1. Aſſeverans: ego dico tibi. *Ubi* ego *involvitur verbo* λέγω. Ego, *quem dudum ſalutaſti* Rabbi, Magiſtrum, *Magiſtrum à* Deo miſſum, *de quo convictus es tot miraculis* vſ. 2. *qui eſt* Amen, *ſeu* verus *ille* Deus Amen Jeſ. LXV. 16. vſ. 3. *de quo jamjam, ipſa* veritas Joh. XIV. 6. *falli & fallere neſcia* Tit. I. 2. Heb. VI. 18. *Cui proinde tibi ſecure eſt credendum.* Dico, λέγω, Dicere *eſt Oratoris*; loqui *vulgi*. *Dico ut* Orator *Patris*, λόγος. Dico, *aſſevero*, teſtor Joh. VIII. 14. Tibi *nec tibi tantum*; *ſed & univerſæ nationi, quin omnibus inſuper futuris ſeculis* Joh. III. 7.

2. Aſſeveratio, amen, amen. Ἀμὴν, ipſum eſt Hebræorum אָמֵן *ab* אָמַן, *quod in Græco retinetur, ſimiliter â Syro & Arabe, & ab omnibus Latinis, quin & à linguis vulgaribus. Eſt adverbium* aſſeverantis: *h. e.* verè, certò, *ſive id quod res habet, aut quod* verum *eſt. Aquilæ refert* πεπιστωμένως fideliter, LXX. *Interp.* γένοιτο fiat; *aliquando vertunt*, Amen *eſt. Eſt vel* 1. confirmantis *ante dicta, ut* Num. V. 22. Deut. XXVII. 26. 1 Cor. XIV. 16. *vel* affirmantis *dicenda. Prior uſus frequentiſſimus in V. T. poſterior in N. T. Eſt confirmandi particula, quæ, aut* vere *exponitur*; *aut* fiat: *illo modo adhibetur ad confirmationem eorum quæ* affirmantur; *iſto ad eorum quæ* optantur. *Si ſermo ſit* ἀποφαντικὸς aſſeverans, *valet* ἀληθῶς; *ſi ſit* optativus, *vel precans, valet* quæſo, fiat, γένοιτο. *Utramque ſignificationem complectitur vox* ναὶ, *ut quæ, modo* aſſeverat; *modo deſiderii vehementiam exprimit. Unde* τὸ ἀμὴν, *Lucas voce* ναὶ, *tranſtulit; Paulus conjunctim*, ναὶ καὶ ἀμὴν *poſuit* 2 Cor. I. 17. *ut unum* ἐμφατικῶς *exponeret aliud. Geminat Servator* ἀμὴν, *forte diverſo ſenſu, ut nim.* prius *ſeipſum ſignificet: ego* Amen; Deus *ille* Amen Jeſ. LXV. 16. *ſicut fit* Apoc. III. 14. τάδε λέγει ὁ ἀμὴν hæc dicit *Amen*, teſtis ille fidelis & verax: poſterius *rem veram, ut emergat: ego Deus* verus, verum *tibi dico. Poſſit etiam ſpectare, ad intendendum & roborandum veritatem paradoxi ſui, de abſoluta neceſſitate regenerationis, & ad fidem ejus, apud Nicodemum efficacius procurandam: ego Magiſter ille à Deo miſſus, dico tibi* vere, *& iterum dico. Non deſunt qui exiſtiment, geminationem iſtam non ſimpliciter: ſed cum* juramento *aſſeverare, atque idem eſſe cum* חי אני, *ſub V. T.* vivo ego, *vel* vivens *ego, dicit Dominus, pro quo Chaldæus* קים אנא, conſtans, *ſtabilis, firmus, ſeu* Amen *ego, à quo ipſi* קים *idem eſt quod Hebræorum* נשבע, *&* קים אלהא, juravit Deus. *Sed non videtur mihi conſentaneum, tam religioſum temerarii juramenti vindicem* Matth. V. 33. 34. *adeo frequentem fuiſſe in jurando; ferunt enim, ipſum quinquaties uſum ſuiſſe hac voce; eſto igitur* gravis *ſaltem* aſſeveratio, *ſeu ut Hebræi loquuntur*, corroboratio ſermonis, *paradoxo de indeclinabili neceſſitate regenerationis, admodum conveniens.*

3. Aſſeveratum, *penes quod notatur*

A. Regeneratio, γεννηθῇ natus fuerit, *idem quod* verſ. 2. *dixerat* γεννηθῇ ἄνωθεν, natus fuerit iterum, *ſeu* ſuperne. *Ibi* ἄνωθεν, *aliis* iterum, *denuo*, δεύτερον *ſignificat, prout ipſe Nicodemus vocem accepiſſe videtur* verſ. 4. *qui ſenſu item venit* Gal. IV. 9. *& hoc loco interpretatur Syrus & Nonnus, atque etiam Petro eſt* ἀναγεννηθῆναι 1 Pet. I. 3. 23. *aliis* ἄνωθεν *eſt* deſuper, *ſive* è ſupernis, *ut* verſ. 31. *&* Joh. XIX. 11. Jac. I. 17. *&* III. 17. *quod & Servator ſignificatum velle videtur, quando* τὸ ἄνωθεν vſ. 3. *interpretatur* vſ. 5. *per* ex ſpiritu & aqua *ſeu ſpiritualiter ac ſuperne & cœlitus gigni. Quid ſi duo ſubordinata conjungamus, ut naſci* ἄνωθεν, *ſignificet, &* ſuperne, *cœlitus ac ſpiritualiter naſci &* denuo *ſeu iterum naſci? cum* ſuperna *illa ſeu ſpiritualis nativitas ſit iterata etiam nativitas, quippe ſequens primam & naturalem, quæ eſt ſecundum carnem.* Γεννηθῇ, natus fuerit. Nativitatem *appellat, ut* univerſalem *deſignet hominis* ἐπανόρθωσιν *ſeu renovationem: non hujus tantum aut illius partis & facultatis; ſed totius hominis totalem correctionem neceſſariam innuat, quæ ſit nova & iterata nativitas, per quam* novus homo, *nova* creatura *fiat, & in novitate vitæ ambulet* 2 Cor. V. 17. Gal. VI. 15. Apoc. XXI. 5. *De quo plura occurrent in* dogmaticis.

B. *Regenerationis* origo, ex aqua & Spiritu. Τὸ ἐκ, *non* materialem; *ſed* efficientem *cauſam, prout fit* Rom. XI. 36. Luc. I. 35. *hoc loco notare, ex jubjecta materia, eſt indubitatum; cum regeneratio ſpiritualis nec ex aqua, nec ex ſpiritu fiat.* Ὕδατος καὶ πνεύματος, *nonnulli ut duo diverſa conſiderant, ſic ut per* aquam, *cauſam* inſtrumentalem, *per* ſpiritum, principalem *intelligant, quod per aquam Spiritus regenerationem procuret. Et hoc rurſus, non uno modo: nim. per aquam, vel* βαπτισμὸς *Judaicos intelligunt, quibus Judæi, & inter hos cumprimis Phariſæi, ſuos proſelytos, jam admittendos in Eccleſiam Judaicam, abluere ſolebant, itidem manus, veſtes, cibos, membra corporea, de quibus dici videtur* Marc. VII. 8. Hebr. IX. 10. Marc. VII. 4. *quibus, ceu Phariſæus, addictus videtur & Nicodemus noſter: vel per* aquam *intelligunt aquam ſacramentalem* Baptiſmi, *quod per eam Spiritus regeneret. Et hic rurſus nonnulli hoc loco, aquam Baptiſmi, vel* directe *intendi volunt, ſic plerique Veteres; alii tantum, per allujionem quandam; alii rectius per* ἓν διὰ δυοῖν, unum *intelligunt: ſeu* aquam *Spiritus, aquam ſpiritualem; ſeu* Spiritum *aqueum, qui, ceu aqua, purget regeneratione; neque enim Servator intendit. Nicodemum adducere ad Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendum (quod tum temporis, ſaltem ut ordinarium & univerſale Sacramentum, necdum erat inſtitutum) ſed ad ambeundam regenerationem Spiritus S.* Tit. III. 5. *unde in continuatione hujus ſermonis, ſolius Spiritus, nullius aquæ facit mentionem* verſ. 6. 7. 8. *Per* Spiritum *autem intelligi tertiam Trinitatis perſonam, cum relatione ad operationem* purgationis *ſpiritualis, qua peragitur regeneratione & renovatione* Tit. III. 5. *non eſt quod moneamus.*

C. Neceſſitas *hujus regenerationis, quâ notatur*

1. Formula *deſignandi, tum neceſſitatem, tum univerſalitatem ejus.* Ἐὰν μή τις γεννηθῇ. Niſi quis. *Ubi* τις *neceſſitatem extendit ad omnes &* ſingulos, *ita ut ne unus quidem excipiatur ab hac neceſſitate. Interim tamen minus dicitur hac formulâ, quam intenditur, nim. non tantum* neminem *citra hanc regenerationem eſſe ſervandum; ſed* omnes *etiam regenitos ſervatum iri. Non quod nihil ad ſalutem requiratur, niſi regeneratio (ſaltem ſtrictiore ſuo ſenſu) cum inſuper, &* converſio *& ſanctificatio aliaque prærequirantur, quibus regenerationis* poſſe, *in actum fidei & reſipiſcentiæ promoveatur; ſed quod omnes & ſinguli regeniti, etiam ad* converſionem, *ſanctificationem, fidem & reſipiſcentiam, adeoque ad ſalutem perducantur.*

2. Uſus, *ſeu res cui regeneratio inſervit:* ingredi in regnum Dei. *Hic* regnum *Dei notat, cum regnum* gratiæ *in terris, ſeu* Eccleſiam, *de qua* Matth. IV. 17. Col. IV. 11. *ut ejus verum & vivum membrum fiat; tum regnum* gloriæ *in cœlo* Luc. XIV. 15. *&* XXIII. 42. *cum omnibus, quæ ad utrumque regnum pertinent* Luc. VIII. 10. *h. e. omnia beneficia ſpiritualia:*

3. Poſſeſſio *& fruitio hujus regni:* non poteſt ingredi, verſ. 3. non poteſt videre. *Hic regeneratio extenditur ad* potentiam, δύναται, non poteſt, *cujus ratio redditur,* verſ. *ſequente ſexto:* natum ex carne, *h. e. generatione* naturali; caro eſt, *ſeu carnale peccaminoſum;* & natum ex ſpiritu, ſpiritus *eſt, ſeu* ſpirituale *ac ſalvificum. Quod regeneratio ſtrictius dicta, hominem deprehendat, ut ſpiritualiter* mortuum Eph. II. 2. 5. *cui actum primum* vitæ *ſpiritualis adducat, quâ* poſſit *ſpiritualia. Proinde citra eam non* poteſt, *vel* videre *regnum Dei, ſcil.* mente, *utpote cæcus, qui nec* percipiat ea quæ ſunt Spiritus Dei, quod ei ſint ſtultitia; nec poſſit ea intelligere, ut ſpiritualiter dijudicet 1 Cor. II. 14. *nec, ſi poſſet* videre, *poſſet* ingredi *in regnum Dei, utpote qui* ſe non ſubjicit Legi divinæ, nec

po-

poteſt quidem Rom. VIII. 7. *quique* ex ſe ineptus ad cogitandum quicquam *ſpiritualiter bonum* 2 Cor. III. 5. *qui proinde neceſſum habet, ut per regenerationem* illuminetur *ut* videat, *&* renovetur *quoad voluntatem, ut velit* ingredi *in regnum cœlorum, quæ potentia, poſtmodùm in actum fidei & reſipiſcentiæ erigitur, per converſionem & ſanctificationem, quo ſic* videat *pariter &* ingrediatur *in regnum Dei.*

Pars dogmatica.

Ad redemptionis applicationem præter vocationem, neceſſaria etiam eſt regeneratio. Probatur Scripturis,

III. Non ergo, ad redemptionis applicationem, communionemve, ſufficit, Redemptorem, & redemptionem, per *vocationem*, redimendis offerri, ad recipiendum, niſi & *vires* ipſis conferantur per *regenerationem*, quibus oblata *poſſint* recipere. Negat enim exſerte, ipſe Redemptor, citra *regenerationem*, quemquam *poſſe*, aut *videre* ſpiritualia; aut appetere, *ingrediendo.* Hinc Joh. I. 12. 13. fides, per quam ſolam, Chriſtus nobis applicatur, & communio redemptionis acquiritur, ad hos tantum refertur, qui *ex Deo nati* ſint. Et, paulò clarius etiam, Apoſtolus Tit. III. 4. 5. poſtquam docuiſſet, *benignitatem Dei Servatoris noſtri apparuiſſe hominibus*, ſcil. per *vocationis* oblationem, ſubjicit, ipſam eos ſervaſſe: hoc eſt, *benignitatem*, ſeu redemptionem Servatoris ipſis applicuiſſe, *per regenerationem & renovationem Spiritus S.* Huc omnia ſpectant Scripturæ loca, quæ redemptionis communionem, ſeu ſalutem, referunt: (1) in terminis ad *regenerationem* & renovationem Spiritus S. qualia, præter citata, ſunt Jac. I. 18. 1 Pet. I. 3. 23. (2) ad *circumciſionem cordis* Deut. XXX. 6. Rom. II. 29. Col. II. 11. 13. (3) ad *ablationem* cordis lapidei, & *ſubſtitutionem* cordis carnei, donationem cordis *novi*, & ſpiritus *novi* Ezech. XXXVI. 26. & XI. 19. Jer. XXXII. 39. & XXXI. 32. (4) ad *creationem* cordis *puri* Pſal. LI. 12. Eph. II. 10. & IV. 24. 2 Cor. V. 17. (5) ad *tractionem* ſpiritualem Cant. II. 3. Joh. VI. 44. 65. niſi illam malis ad *converſionis* gratiam referre (6) ad *illuminationem* mentis Eph. I. 18. & *correctionem* voluntatis Phil. II. 13. (7) ad *reſuſcitationem & vivificationem* ſpiritualem Eph. II. 5. 6. Joh. V. 25. quæ omnia regenerationis ſunt ſynonyma, idem diverſo modo ſignificantia.

& ratione.

IV. Fundamentum hujus neceſſitatis eſt in *univerſali* omnium redimendorum *morte ſpirituali*: per quam, juxta cum reprobis, natura *mortui* ſunt peccatis Eph. II. 1. 5. & V. 14. Luc. XV. 24. Matth. VIII. 22. Ezech. XXXVII. 2. 3. 4 — cor habent *lapideum* Ezech. XXXVI. 26. *incircumciſum* Act. VII. 51. ſunt *mente* cœci 1 Cor. II. 14. Eph. IV. 17. 18. *voluntate* averſi à Deo, à vita Dei, & ab omni bono ſpirituali, ac ſalvifico Eph. IV. 18. 19. proinde penitus inepti, vel ad *cogitatiunculam* bonam 2 Cor. III. 5. Joſ. XXIV. 19. & per conſequens, etiam ad recipiendum, fide viva, oblatum ſibi in vocatione Redemptorem, & redemptioni prærequiſitas leges; niſi, per regenerationem, *vires*, in nova *vita* ſpirituali, à Spiritu S. conferantur. Quamvis interim, homo mortuus ſpiritualiter, poſſit *audire* ſpiritualia, poſſit item, *grammatice* ſaltem, *intelligere* audita, poſſit porro intellecta, judicio, ſaltem *theoretico*, approbare, poſſit denique voluntate, approbata, generaliter *diligere*: neque enim Spiritus S. regeneraturus & vificaturus, cum redimendis agit, tanquam cum *ſtipitibus* aut brutis; ſed ut cum creaturis *rationalibus*, quibus per vocationem, jam ante, Redemptorem & redemptionis conditiones *obtulit*, recipiendas: ad quas recipiendas, exquiſitis motivis, *invitavit*; imò poteſt, adhucdum ſpiritualiter mortuos, ſi non per vires *naturæ*; ſaltem per vires *communis gratiæ*, pertingere ad quævis, non *ἰχόμενα σωτηρίας*, ſeu quæ *nexum* non habent cum ſalute Heb. VI. 4. 5. 6. 9. Ne exiſtimemus, nihil omninò agendum eſſe cum irregenitis. Interea, dum *omnia* iſta præſtant, *nihil* omninò præſtant, quod *ſpirituale* ſit; aut ſaltem, non *ſpirituali modo*, *πνευματικῶς* 1 Cor. II. 13. 14.

Quid regeneratio, nomine tenus.

V. Quo igitur, regenerationis hujus, tam neceſſariæ, *naturam* dexterius aſſequamur; circa *vocem*, ante omnia tenendum, quod, tam Scripturis, quam Theologis, aliquando *latiori* ſenſu uſurpetur, quatenus *univerſam* deſignat Spiritus S. operationem, qua, circa redimendorum *interiora* occupatur, ut eos traducat in ſtatum gratiæ; ſic ut, præter vocationem, connotet converſionem, imò & ſanctificationem inchoatam: quo ſenſu, *notas* regenerationis, motivas & media, explicant practici: aliquando *ſtrictiori* ſenſu, prout diſtinguitur à vocatione, à converſione, & à ſanctificatione; ſic, ut *vocatio oblationem* tantum notet, redemptionis recipiendæ: *regeneratio vires* conferat, quibus redimendus *poteſt* recipere: *converſio*, vires in *actum* promoveat, ut *actu* recipiat: *ſanctificatio*, intercedente (ſaltem ordine *naturæ*, ſi non etiam *temporis*) *unione* cum Chriſto; & juſtificatione, *fructus* excludat converſionis, ſeu fidei & reſipiſcentiæ, in ſtudio bonorum operum. Hoc demum *ſtrictiori* ſenſu, regenerationis negotium impræſens examinamus. Et ſic, ſenſu coincidit cum *circumciſione* cordis, cum *ablatione* cordis *lapidei*, & *ſubſtitutione* cordis *carnei*, cum nova *creatione*, cum *tractione*, cum *illuminatione*, cum *flexione* voluntatis, & imprimis cum *reſuſcitatione* & *vivificatione* ſpirituali, de quibus jam ante §. III. monuimus. Græcis *ἀνακάινωσις* Tim. III. 5. *ἁγιασμὸς πνεύματος* 2 Theſſ. II. 13. *καινὴ κτίσις* 2 Cor. V. 17. *παλιγγενεσία* Matth. XIX. 28. *ἀναζώπυρησις* 1 Pet. I. 3. 23. Sic regeneratio, quantum

Synonyma.

tum ad vocem; non est nisi *iterata* & spiritualis *generatio*, per quam, *vita spiritualis* perinde confertur *animæ*, ac, per primam generationem, *vita* naturalis confertur corpori. Ut *Pater*, hic sit *Deus*; à quo, *ex Deo* nati dicimur Joh. I. 13. & regeniti *filii Dei* appellantur 1 Joh. v. 1. 2. *Mater*, in cujus quasi utero, concipimur & fovemur, Ecclesia Gal. IV. 26. *semen*, *verbum Dei vivum & æternum* 1 Pet. I. 23. per vocationem conceptum. A. quibus omnibus, dum regenito communicatur *natura divina* 2 Pet. I. 4. Deo, quoad *sanctitatem*, suo modo similis, satis commode *generatio* dicitur, utpote quæ non est, nisi communicatio vitæ cum similitudine.

Quid sit regeneratio quoad rem.

VI. Quantum ad *rem*, regeneratio nobis nihil aliud est, quam illa Spiritus sancti operatio, *physica*, quâ hominibus, electis; redemptis & vocatis, vitæ spiritualis *actum primum* confert, per quem *possint* Redemptorem & redemptionis conditiones, sibi oblatas, recipere, & præstare. Ut penes hanc descriptionem, considerandæ veniant:

Regenerans causa.

VII. *Primo regenerans*, θεολογικῶς quidem, *Deus* Joh. I. 13. Eph. II. 5. *Pater ille luminum*, à quo omne descendit *bonum ac perfectum donum* Jac. I. 17. 18. eo quod regeneratio sit operatio *ad extra*, toti Trinitati communis: unde οἰκονομικῶς quidem, jam α. *Patri* tribuitur, ut ejus *paternitati* maxime congruens 1 Pet. I. 3. Jac. I. 17. 18. à quo, *omnis paternitas nominatur*, *in cœlo & in terra* Eph. III. 15. qui proinde, sicut filium genuit ἴδιον; ita & nos generat: ut, & *Pater* ejus, & pater noster sit Joh. XX. 17: jam β. *Filio*, ut causæ *meritoriæ* 1 Pet. I. 2. 3. qui, ab hoc etiam, *Spiritus vivificus* audit 1 Cor. XV. 45. & quod vivimus, per fidem *filii* Dei *vivere* dicimur. Gall. II. 20. Conf. Phil. I. 21. Coll. III. 4. Joh. XIV. 6: jam γ. *Spiritui S.* Joh. III. 3. 5. Tit. III. 5. unde *Spiritus vitæ* dicitur Rom. VIII. 2. 10. quod Spiritus S. suâ operatione *immediate* attingat regenerationem: & spiritualis vita, *Spiritui vitæ* maxime conveniat. Causa autem quasi *movens* non est, nisi *ingens* ejus *amor* Eph. II. 5. 6. *ingens misericordia* 1 Pet. I. 2. 3. Tit. III. 5. gratiosum ejus *beneplacitum* Jac. I. 17. Neque enim, cumprimis ante regenerationem, (quamdiu sumus filii *iræ*, *mortui* in peccatis Eph. II. 1. 5.) in nobis quicquam est, quod tale quid promereri possit. *Instrumentum* (sed *morale* tantum) est *verbum Dei* 1 Pet. I. 23. in vocatione, jam ante oblatum & conceptum, sicut diximus.

Regenerandi.

VIII. *Secundo*, *regenerandi*, sunt 1. *Homines*, intellectu & voluntate præditi, quibus, convenienter naturæ suæ *rationali*, redemptionem recipiendam dudum *obtulit*; cum quibus proinde, non tanquam cum stipitibus aut brutis, agere vult, sicut diximus. 2. *Electi* 1 Pet. I. 2. 3. & cap. II. 9. est enim regeneratio, non donum *commune*; sed à gratiâ maxime διακριτικῇ, quippe ab *ingenti* amore Eph. II. 5. ab *ingenti* misericordiâ, 1 Pet. I. 2. 3. profluens. 3. *Redempti*, unde Petrus regenerationem vendicat, *conspersis sanguine Jesu Christi* 1 Pet. I. 2. 3. Denique 4. adhucdum tamen *mortuis in peccato* Eph. II. 1. 5. 6. neque etiam, regenerando vivificari potest, nisi *mortuus*. Addam 5. *toti*, quanti quanti sunt 1 Thess. v. 23. quoad intellectum, voluntatem, affectus, facultates sensitivas &c. ut *omnia* viva & *nova* fiant 2 Cor. v. 17. quemadmodum, per naturalem generationem, *omnes* hominis partes vivificantur: prout etiam, per peccatum, *totus* homo æger & mortuus est Jes. I. 5. 6.

IX. *Tertiò regeneratio*, seu regenerandi *actus*. Non *moralis* utique, offerendo, & invitando occupatus, quemadmodum *vocatio*; sed *physicus* vitam spiritualem potenter introducens: id arguente, non modo 1. *Scriptura* constanti phraseologiâ, quando, ὑπερβάλλον commemorat μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτῦ, — εἰς τὰς πιστεύοντας, κατὰ τὴν ἐνέργειαν, τῦ κράτους, τῆς ἰσχύος αὐτῦ, imò eandem, quam in suscitatione *Christi* e mortuis exseruit Eph. I. 19. 20 quæ sane efficaciam *moralem* minime sapiunt: imo & spiritualis *circumcisio*, ablatio cordis lapidei, & substitutio cordis carnei, creatio cordis novi, tractio, operari τὸ *velle* & perficere, suscitare e *mortuis*, quæ supra diximus §. III. num operationem spirant pure *moralem*? sed etiam 2. ipsâ rei *natura*, quod regeneratio occupetur circa spiritualiter *mortuos*, ut ipsis *vitam* adducat Eph. II. 1. 5. 6. quænam autem operatio *moralis*, docendo, offerendo, suadendo, circa *mortuum* occupari, cum ratione, possit?

Regeneratio.

X. *Terminus* operationis hujus physicæ, seu *productum* primum & immediatum regenerationis, non uno modo designatur in Scripturis. Aliquando 1. *gratia* appellatur Zach. XII. 10. *effundam Spiritum gratiæ* h. e. effundam, *per* Spiritum meum, *gratiam* 2 Tim. II. 1. *confortare in gratia* Heb. XIII. 9. 1 Pet. II. 19. Per quam *gratiam*, hic quidem non intelligimus α. ipsum Dei *favorem* gratuitum, quem, *gratiam gratis dantem*, & gratiam exteriorem, appellant: à qua, non *homo* tantum; sed quævis *creatura* habet, quicquid habet *boni*. A quâ etiam homo, jam regenitus, & vires spirituales nactus, gratioso influxu providentiæ, excitatur ad arrigendas vires acceptas, operationibus *spiritualibus*: quo sensu, de concursu & *influxu* gratiæ, monebimus ξὺν Θεῷ, capite sequenti: sed β. per gratiam hic intelligimus, favoris hujus *productum*, *gratiam gratis datam*, seu gratiam *interiorem*, quæ Scripturis χάρισμα appellatur Rom. XII. 6. & I. II. 1 Cor. I. 7. Nec γ. *quodvis* intelligimus favoris hujus productum, cum omne bonum, quod omnis possidet creatura ipsaque rerum quarumvis *natura*, sit à *gratia* Dei, &

Termi-nus, seu primum produ-ctum re-generationis.

I. Gratia.

& hoc ſenſu, gratia admitti debeat *univerſalis*: ſed gratiam intelligimus, quæ contradiſtinguitur *naturæ*, & in homine, viribus libero *arbitrio* naturalibus: imo &. nec *quodvis* gratiæ productum, quo, in ſua ſpecie, unus homo alium ſuperat, verbi gratia, donum *ſapientiæ* mechanicæ, aut civilis Exod. xxxi. 2. 3. quæ gratiæ *communis* appellari poſſit, cujus etiam ope, in *moralibus*, homo quævis eorum præſtare poteſt, quæ non ſunt ἐχόμενα σωτηρίας, ſeu, quæ non habent individuum *nexum* cum æterna ſalute: ſed i. per *gratiam*, hic quidem, intelligimus illud favoris divini *productum* ſeu χάρισμα, quo, hic præ illo, *poteſt* ſpiritualia, & talia quidem, quibus Deus ſalutem addixit æternam, quæ, ἐχόμενα σωτηρίας Paulus appellat Heb. vi. 9. Et hoc demum ſenſu, *gratia*, per regenerationem collata, nobis notat *vires* illas ſupranaturales, quibus homo poteſt præſtare conditiones fœderis gratiæ, viva *fide* apprehendere Redemptorem, redemptionis conditiones præſtare, reſipiſcere à peccatis, Deum & Mediatorem ſupra omnia diligere. &c.

2. Spiritus

XI. Frequentius 2. terminus regenerationis, *ſpiritus* appellatur Joh. iii. 6. *quicquid ex carne natum eſt—quicquid ex ſpiritu, ſpiritus eſt* Gal. v. 16. 17. 18. 22. à quo regeniti, *ſpirituales* appellantur Gal. vi. 1. 1 Cor. iii. 1. qui habeant φρόνημα τῦ πνίυματος Rom. viii. 7. qui *percipiant* τὰ τῦ πνίυματος 1 Cor. ii. 14. idque πνευματικῶς *dijudicent*. *Ibid.* Intelligimus autem hoc loco, non Spiritum *dantem*; ſed ſpiritum *datum*, niſi malis *datum*, cum relatione ad *dantem*: h. e. illum *ſpiritum*, quem *Spiritus* S. per regenerationem confert, cujus præſentia perinde animam vivificat *ſpiritualiter*; ac ſpiritus *animalis* præſentia corpus vivificat *naturaliter* Ezech. xxxvii. 5. Act. xx. 10. Hinc, *Spiritus vivificare* dicitur Joh. vi. 63. hinc πνεῦμα τῆς ζωῆς appellatur Rom. viii. 2. quod præſentia ſpiritus hujus, *dati* in anima, vitam *ſpiritualem* conſtituat, & perinde ad *ſpiritualia* pronum & idoneum faciat, ac ſpiritus naturæ, ad *naturalia*. Et hic quidem ſpiritus, per Spiritum S. in regeneratione collatus, pro varia ſua determinatione, jam *ſpiritus gratiæ*, jam *ſpiritus precum* Zach. xii. 10. *ſpiritus fidei* 2 Cor. iv. 13. convenienter illi virtuti & operationi, quam in regenitis elicit, appellatur. Conf. Jeſ. xi. 1. 2. Quare, per ſpiritum iſtum, hic non intelligimus, niſi *vires ſpirituales*, quibus *ſpiritualia* poſſumus, ſpirituali *modo*. Tum *ſpiritualia* nobis non ſunt, niſi, interprete Apoſtolo, τὰ τῦ πνίυματος 1 Cor. ii. 14. ſeu, ut Servator ipſe loquitur: τὰ τῦ πατρός μȣ Luc. ii. 49.

3. Vita.

XII. Magis etiam clare 3. *vita* ſpiritualis, quo ad actum ſuum *primum*: à qua, mortuos in peccato, *vivificaſſe* Deus dicitur cum Chriſto Eph. ii. 5. ut cum eo ſpiritualiter etiam *reſurgamus*. *Ibid.* Col. iii. 1. per cujus abſentiam, irregeniti in peccatis *mortui*, alienatique dicuntur à *vita Dei* Eph. iv. 18: & à cujus præſentia, ex adverſo, dicimur *vivere Deo* Gal. ii. 20. & *voluntati* Dei, *ſecundum Deum* 1 Pet. iv. 2. 6. Conſiſtit autem hæc *vita* ſpiritualis in *reduunione* imaginis divinæ & *juſtitiæ* originalis, cum anima noſtra: per quam, olim in ſtatu integritatis, protoplaſti poterant *vivere Deo*, aptique erant ad quaſvis operationes ſpirituales Eph. iv. 24. Col. iii. 10. Sicut enim in *unione* animæ cum corpore, vita conſiſtit *naturalis*; ita in unione, juſtitiæ originalis cum anima, vita *ſpiritualis*: & ſicut à vita *naturali*, homo vires habet, ad quaſvis operationes *naturales*; ita à vita ſpirituali, vires regenitus habet, ad operationes *ſpirituales*: & ſicut tandem, in vita naturali, virtualiter latent omnes hominis virtutes *naturales*, quæ poſtmodum, organis ſatis commode diſpoſitis, prodeunt in actum; ita in vita hac ſpirituali, virtualiter latent omnes virtutes *ſpirituales*, quæ, elaborante gratia convertente, in actum paulatim, ſuo tempore, excluduntur.

4. Semen Dei.

XIII. Hinc etiam 4. *ſemen Dei* 1 Joh. iii. 9. quod in *gratia*, in *ſpiritu*, & in *vita* ſpirituali, quæ in regeneratione electis conferuntur, *ſemina* contineantur omnium illarum virtutum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ: quæ, poſitis ponendis, irrigante gratia convertente, paulatim quidem; ſed certo tamen certius, ſuo tempore, effloreſcunt, & in *actum* excluduntur. Et 5. *nova creatura* 2 Cor. v. 17. Gal. vi. 17. à qua, regeniti dicuntur Dei ποίημα, *creati in Chriſto Jeſu*, *ad opera bona*, *ut in eis ambulent* Eph. ii. 10. Item 6. *cor novum*, & *ſpiritus novus* Ezech. xxxvi. 26. quod per ea, totus regenitus, & omnia ejus: *ſpiritus* ſeu intellectus, & *cor*, ſeu voluntas, *nova* fiant 2 Cor. v. 17. 1 Theſſ. v. 23. à quo *novus homo* naſcitur Eph. iv. 23. 24. Col. iii. 10. Hactenus terminus regenerationis generalis, *vita ſpiritualis*, quoad actum ſuum *primum*, quæ, aliis nominibus, jam *gratia*, jam *ſpiritus*, jam *ſemen Dei*, jam *nova creatura*, &c. inſignitur.

5. Nova creatura.

6. Cor novum & ſpiritus novus.

Regeneratio intellectus, per illuminationem.

XIV. Vita iſta ſpiritualis, *totum* regenitum, omneſque & ſingulas ejus partes, & facultates, informans & vivificans, pro diverſis illis facultatibus, diverſa etiam *nomina* induit. Quatenus eſt in *intellectu*, dicitur *ſpiritus novus* Eph. iv. 23. Rom. xii. 2. *lux* ſeu lumen ſpirituale Eph. v. 8. ejuſque collatio, per regenerationem, *illuminatio* Eph. i. 18. 2 Cor. iv. 6. & illuminati, *filii lucis* Luc. xvi. 8. Eph. v. 8. 1 Theſſ. v. 5. & *ambulare in luce* Domini Jeſ. ii. 5. quæ confert *cognitionem gloriæ Dei*, *in facie Domini noſtri Jeſu Chriſti* 2 Cor. iv. 6. Col. iii. 10. item ſalvificam *cognitionem* Dei Joh. xvii. 3. & Mediatoris Jeſ. liii. 11. Imbuit autem lux iſta ſpiritualis rege-

nerandorum : α. simplicem *intelligentiam* seu perceptionem 1 Cor. II. 14. quâ spiritualia cognoscant, non tantum *theoretice*, sub ratione *veri*; sed etiam *practice*, sub ratione *boni*; β. *judicium* 1 Cor. II. 14. quo, de spiritualium bonitate, regeniti pronunciant, non tantum *in thesi*, quid spiritualiter bonum sit *in idea*; sed etiam in *hypothesi*, quid sibi, hic & nunc, consideratis omnibus considerandis, bonum sit & commodum Psal. LXXIII. 28. Est interim hæc regenerationis illuminatio *salvifica*, caute distinguenda ab illuminatione vocationis *communis* Heb. VI. 4. qua lumen spirituale *offertur* potius, quam *confertur* Joh. I. 5. aut, si confertur etiam aliquod lumen, per vocationem internam Num. XXIV. 3. 4. illud tamen, vel mere *theoreticum* est, solam extorquens veritatis agnitionem & professionem Matth. VII. 21. 22. Rom. II. 17—23. vel si *practicum* etiam, *in thesi* tantum, seu generaliter bonitatem veritatis agnitæ sibi repræsentans Matth. XIII. 20. 21. Heb. VI. 4. non autem *in hypothesi*, *amorem* ejus excitans 2 Thess. II. 19. aut in *obsequium* illius pelliciens, ut in eâ ambulent Gal. II. 14. & III. 1. quin potius *veritatem in injustitia detinens* Rom. I. 18.

Regeneratio voluntatis.

XV. Quatenus autem vita spirituâlis, regeneratione collata, est in *voluntate*, dicitur *cor novum* Psal. LI. 12. *cor carneum* seu flexile Ezech. XXXVI. 26. cui Deus *inscripsit timorem* sui Jer. XXXII. 39. 40. Heb. VIII. 10. quo *ambulent in institutis* suis Ezech. XI. 19. 20. Confert autem Spiritus S. *cordi* seu voluntati, per regenerationem, novam quandam *inclinationem*, seu propensionem, versus bonum *spirituale*. Ut enim, per naturam suam, voluntas propensionem habet, versus bonum qualecunque *morale* Rom. II. 14. 15. & *ecclesiasticum* Luc. XVIII. 10. II. 12. Phil. III. 5. 6. cujus ope, in officiis *non-salutaribus*, stupenda nonnunquam præstare potest Marc. X. 19. 20. 21. Heb. VI. 4. 5. sic propensionem, versus bonum spirituale & *salvificum*, per peccatum penitus amisit, à quo *mortui* dicuntur *peccato* Eph. II. 1. 5. & inepti ad concipiendam vel cogitatiunculam spiritualiter bonam 2 Cor. III. 5. Quare necessum est : ut *inclinatio* nova, versus bonum *spirituale*, voluntati restituatur Rom. VII. 22. 2 Thess. III. 5. Quamvis enim voluntas suâ naturâ sequatur *ultimum* judicium intellectus practici, ut, illuminato sufficienter *intellectu*, immediata emendatio *voluntatis* non videatur necessaria : attamen hoc non ulterius admittendum, quam, si intellectus ultimo suo judicio, convenienter voluntatis *inclinationi* judicet. Id enim voluntati *bonum* est, quod congruit cum sua propensione : adeo, ut, si per impossibile divortium, *intellectus* quam potentissime illuminaretur, & non emendaretur *voluntas*, ea non sequeretur judicium practicum, quia non judicaret juxta suam propensionem. V. g. si intellectus Davidis judicaret, pudicitiam sibi, hic & nunc, & consideratis omnibus considerandis, esse præferendam adulterio; dum tamen voluntas propendet in adulterium, quia intellectus non judicat secundum præsentem voluntatis *inclinationem*, nequaquam obsequitur. In hac igitur spirituali voluntatis inclinatione, semina continentur omnium virtutum, quæ ad salutem præcise sunt necessariæ : unde *semen* dicitur manere in regenitis, per quod non possint sese *tradere* peccatis 1 Joh. III. 9.

Regeneratio in facultatibus inferioribus.

XVI. Nec tantum facultatibus hisce *superioribus*, intellectui & voluntati, *vita spiritualis* confertur in regeneratione : sed etiam facultatibus *inferioribus*, sensitivis; affectibus, sensibus, imò & membris corporis : unde ἁγιασμὸν Apostolus exserte refert, non tantum ad πνεῦμα, quo facultates spirituales, solis spiritibus competentes, intellectum & voluntatem, intelligere videtur : sed etiam ad ψυχὴν (à quâ ψυχικοὶ appellamur) qua facultates *inferiores*, & bruris communes indigitat : imo & ad *corpus*, ac membra corporea 1 Thess. V. 23. Sicut enim & his facultatibus, est *mors* spiritualis adducta, per peccatum, & ἀταξίαν, qua obnituntur spiritui Gal. V. 17. quæ distincte reprehenditur à Spiritu S. α. in *affectibus* seu passionibus animæ Rom. VII. 5. Gal. V. 24. Col. III. 5. 1 Thess. IV. 5. Rom. I. 26. β. in facultatibus *sensitivis*, v. g. *visu* 2 Pet. II. 14. *auditu* Psal. LVIII. 5. γ. *membris* corporeis Rom. VI. 19. & III. 13. 14. 15. 16. &c. ita & ipsis, per regenerationem, est restituenda *vita spiritualis*, qua suis officiis debito modo fungantur Rom. VI. 10. Vita illa, in facultatibus *inferioribus*, est *virtus obedientialis*, qua spiritui, seu intellectui & voluntati, non obstrepere; sed subesse, seu *duci per Spiritum*, apti nati sint Gal. V. 17. 18. Rom. VI. 12. 13. 14. 17. Jac. I. 20. quemadmodum olim, in statu integritatis, per justitiam originalem, imaginis divinæ, facultates illæ inferiores, quam accuratissime stabant sub imperio mentis.

Regeneratio vitam spiritualem confert, quoad actum primum tantum.

XVII. Confertur autem, per regenerationem, vita ista spiritualis, quoad *actum primum* tantum; non autem quoad *actus secundos*, sive *habituales* illi intelligantur, sive *actuales*. Sicut enim, per generationem *naturalem*, homini non confertur; aut habitus, aut actus ratiocinandi, loquendi, scribendi; sed *potentia* tantum, quæ, positis adhuc ponendis, suo tempore exeat in actus : ita etiam, per regenerationem quidem, redimendis non confertur ulla *fides*, spes, charitas, resipiscentia &c. seu quoad habitum, seu quoad actum; sed quoad *potentiam* tantum, qua, non actu adhuc credit regenitus, aut resipiscit; sed *potest* tantum : unde Joh. III. irregenitus emphatice dicitur, *non posse*, aut *videre*, quoad intellectum vs. 3. aut *ingredi*,

di, quoad *voluntatem*, regnum Dei vers. 5. quæ, positis, per succedentem conversionem, ponendis, suo tempore exeat in *actum*. Ut *vere* regenitus possit, quantum ad habitum & actum, esse ad tempus infidelis, resipiscentia destitutus, & in peccatis ambulans: prout Sole clarius patet in his, qui in utero materno, aut in baptismo suo regenerantur, sicut Jeremias Jer. 1. 5. Baptista Luc. 1. 15. Timotheus 2 Tim. III. 15. qui tamen, ante annos discretionis, nullos aut fidei, aut resipiscentiæ actus præstiterunt. Ut *regeneratio*, qua vita spiritualis confertur, quoad actum *primum* tantum: à conversione, qua ad actus *secundos* promovetur, differat, non ordine tantum *naturæ*; sed nonnunquam, insuper ordine *temporis*. Licet hoc ipso nolimus negare, fieri posse, & fieri etiam persæpe, ut *generalis* sanctificatio Spiritus, quatenus vocationem, regenerationem, conversionem & sanctificationem specialiorem complectitur, *eodem* tempore simul peragatur: quod factum videtur in latrone, per Christum in extremis converso Luc. XXIII. 40--44: sed tantum significare intendimus, divelli ad tempus *posse*, atque etiam frequenter divelli *actu*.

XVIII. Cum ergo regeneratio vitam spiritualem conferat, quoad actum *primum*; agnosci absque difficultate potest, A. quod ad eam homo se aliter habere non possit, nisi mere *passive*; quemadmodum ad receptionem primam vitæ naturalis, resuscitandus se non potest habere nisi *passive* Joh. XI. 43. cum Eph. II. 5. 6. si quid enim *ageret*, ad sui vivificationem; ut *vivus* ageret, cum mortuus non agat; & si *vivus* esset; non vivificaretur utique.

XIX. B. Quid de *præparatione* ad regenerationem statui debeat. Possit enim duplex in hoc negotio cogitari præparatio; *altera*, quæ ab *ipso* regenerando procedat, qua seipsum præparet ad recipiendam regenerationem; seu, qua, per arbitrii sui vires ad regenerationem aptior & præparatior fit, aliis. Hæc, citra evidentem contradictionem, nullo modo admitti potest: cum regeneratio circa hominem occupetur, ut spiritualiter *mortuum*, cui primus vitæ spiritualis actus introducatur: jam si seipsum præpararet, id procul dubio ageret, per *vitam* præviam, adeoque vivus præsupponeretur, antequam vivificatus esset: *altera*, quæ à *Deo* regenerante procedat. Et hæc rursus Dei præparatio, regenerationem respicere potest, vel *latiori* sensu acceptam, prout ipsam etiam connotat conversionem, ejusque terminum, fidem scil. & resipiscentiam actualem, in quam enititur conversio: hoc sensu, multis ambagibus præparatoriis Deum uti, quarum ope ad fidem istam, & resipiscentiam pertingat, nos capite *sequenti*, ζῶν Θεῷ, ostendemus: vel *strictiori* sensu, quatenus *solam* dicit introductionem actus *primi* vitæ spiritualis: nec sic ulla, veri quidem & proprii nominis, præparatio admitti potest, magis quam in Lazari vivificatione naturali, conspicua fuit Joh. XI. 43. si tamen hic velis *aliquam* admittere in subjecto recepturo vitam spiritualem, præparationem, qualis est v. g. in ligni exsiccatione, cui flamma est introducenda, quali etiam Deus in creationis negotio usus est, quando informem massam creavit primo die, cui, per sequentes dies, formas introduceret substantiales Gen. 1-- & quali etiam peculiariter usus est, in creatione hominis, efformando primum, corpus ex luto, aut è costa, cui postea inspiraret נשמת חיים *spiraculum vitarum* Gen. II. 7. si inquam, hoc sensu voles, cum multis orthodoxis Theologis, admittere *præparationem* quandam Dei, non magnopere repugnabo; & tum præparatio esse possit, in prævia *vocatione*, quatenus oblatione gratiæ, regenerandi mentem informavit, de natura & conditionibus redemptionis, regenerandumque invitavit ad ejus conditiones amplectendas.

XX. C. Quod, & quo sensu, regeneratio fit *irresistibilis*. Si enim adhuc *regenerandum* cogites, *filium iræ*, *in peccatis mortuum*; habet sane pravitatis abunde, qua obnitatur Act. VII. 51: ast si *regenerantem* & vivificantem Deum spectes, non magis resistere Deo *potest* regenerandus, quam Lazarus olim Christo, naturaliter vivificanti Joh. XI. 43. 44. nec *vult* etiam resistere, quod, per vitam spiritualem, momento introductam, reprimatur, aut tollatur proclivitas & appetitus resistendi Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. Jer. XXXII. 39. 40. Conf. Gal. I. 13. Act. IX. 2--6. & XXII. 5. cum 10. & XXVI. 9. 10. 14. cum vers. 19.

XXI. D. Quod, & quatenus etiam, sit *inamissibilis* 1 Joh. III. 9. Ezech. XXXVI. 27. & XI. 19. 20. Jer. XXXII. 39. 40. In hoc scil. diversa à *prima* vivificatione spirituali, facta in creatione, per collationem justitiæ originalis, cujus amissione per peccatum, protoplasti *mortui* sunt *spiritualiter* Eph. II. 1. 5. quando vita spiritualis, per regenerationem collata, nunquam penitus exstinguitur. Quæ tamen vitæ hujus indesinens constantia, repetenda nequaquam est, ab ipsa regenitorum *fortitudine*, aut vitæ ipsius spiritualis *robore* & *perfectione*: est enim, & manet semper, in ipsis regenitis, tantum pravitatis, quo vitæ hujus exstinguendæ, perinde auctores esse possent, ac protoplasti: & eo etiam magis, quod hi, ante exstinctionem, essent *perfecte* justi ac sancti Eccl. VII. 29. sed inamissibilitas regenerationis, pendet tum α. à gratia *electionis*, & propositi divini, à qua, χαρίσματα καὶ κλῆσις Θεοῦ, ἀμεταμέλητα existunt Rom. XI. 29. Matth. XXIV. 22: tum β. à gratiâ *conservationis* 1 Pet. I. 5. Joh. X. 28. 29.

XXII. E. Quod vita illa spiritualis, quatenus quidem per regenerationem confertur, sit admo-

3. Quatenus irresistibilis sit.

4. Quatenus item inamissibilis sit.

5. Quatenus

imperfecta fit.

dum *imperfecta*, eo quod *solum* actum primum, & *semina* tantum, virtutum spiritualium præstet, quæ paulatim succrescant in herbam, & flores & fructus. Hinc regeniti, ut tales, ἀρτιγέννητα βρέφη appellantur 1 Pet. II. 2. item νήπιοι ἐν Χριστῷ 1 Cor. III. 1. qui adhuc *educari* debeant, & quidem nutrimento *infantili*: *Ibid.* & Heb. v. 12. 13. 14. ut *crescant & invalescant spiritu*, quod de Baptistâ dicitur Luc. I. 80. hoc est, ut actus ille vitæ *primus*, regeneratione collatus, per *conversionem* quidem, ad fidem & resipiscentiam actualem, velut actus *secundos*, & quasi *ramos*, efformetur; & hinc per *sanctificationem* tandem, ad bona quævis opera, velut ad *fructus* spiritus Gal. v. 22. Quin adeo tenuis est, ut non nisi in suo incremento, & in actibus *secundis* agnosci & *dignosci* solidè possit: quemadmodum nec *habitus* quivis agnoscuntur, aliter quam in suis *operationibus*.

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An regeneratio sit emendatio morum?

XXIII. Controversiæ hujus capitis pleræque, ex hypothesibus *dogmaticis*, non adeo magno negotio determinari possint. Quæritur *primo*, an regeneratio consistat in *morum* emendatione? Pelagiani crassi, quod peccatum originale, amissam justitiam originalem, & *mortem* spiritualem, non agnoscant; non nisi gratiam *externam* admittebant, quæ homini officium *præscriberet*, & ad præstandum, argumentis *excitaret*: adeoque regenerationem non recipiebant, nisi quæ consisteret in emendatione morum, procurata, ab *externa* illa Dei gratia. Horum vestigia legunt Sociniani, crassissimi Pelagiani, & cum ipsis affirmant. Reformati, emendationem morum, non ad *regenerationem*, propriè & strictè dictam; sed ad *conversionem* & *sanctificationem*, referunt; dum regenerationem, in sola emendatione *interiorum*, intellectus, voluntatis aliarumque facultatum, collocant, ut in *dogmaticis* aperuimus. Quia 1. per violationem fœderis operum, homo privatus est justitia *originali*, in quâ consistit vita animæ *spiritualis*, & cujus solius ope, protoplasti poterant præstare bonum *spirituale*: prout lib. III. cap. IX. §. XXX. XXXI. XXXII. XL. dictum, adeoque peccato *mortem spiritualem* contraxerunt. Item lib. IV. cap. II. §. XV. XVI. XVII. XXII. & cap. IV. §. VIII. IX. Quia 2. Scriptura regenerationem exsertè extendit, ad renovationem *interiorum* animæ, ad *cor novum*, spiritum novum, ad *inscriptionem* legis in mentem, in cor: sicut in *dogmaticis* ostendimus. Quia 3. emendatio *morum* non potest resultare, nisi à prævia *vivificatione*, & emendatione mentis ac cordis 2 Cor. III. 5. 6. 1 Cor. II. 14. Rom. VIII. 7. Nec habent, quod in contrarium urgeant, nisi perversas suas hypotheses: quod A. Imago Dei non habuerit justitiam *originalem*, qua sola, homo potuerit spiritualia; quam refutavimus loco citato lib. III. cap. IX. §. XXX. XXXI. XXXII. XL. Quod B. transgrediendo legem paradisiacam, homo non fuerit privatus imagine Dei, quoad *justitiam originalem*: quam refutabimus lib. IV. cap. II. §. XIII — XVIII. Quod C. privatione ista non contraxerit *mortem* spiritualem, & universalem impotentiam, ad bonum spirituale ac salvificum: quam refutavimus lib. IV. cap. IV. §. VIII. IX. XIX. XX. XXVI. Quod proinde D. non restet in homine emendandum, nisi *mores*, cujus falsitas ex præcedentibus sua sponte emergit.

Fundamenta adversaria.

XXIV. *Secundo* quæritur, an regeneratio profluat a libero cujusque *arbitrio*, an à Deo *solo*? Pelagiani crassi, cum quibus ex asse faciunt Sociniani, quia existimant, per peccatum primum, naturam & arbitrium humanum, ne sauciatum quidem fuisse; ad *solum* liberum arbitrium referunt regenerationis suæ emendationem, nisi quod gratiam *exterius* dirigentem, & *moraliter* excitantem admittant; sed quæ ab arbitrio *respui* queat. Semipelagiani, cum quibus colludunt Jesuitæ & Arminiani, admittunt quidem, naturam humanam peccato *læsam* fuisse: intellectui quidem *cæcitatem*, & voluntati *teporem* quendam, à peccato accessisse; adeoque gratiam quandam *internam* admittunt, quæ excitetur, etiam quoad voluntatem, gratiâ *externa*, moraliter *suadente*: sed quæ nihilominus *respui* possit ab arbitrio. Synergistæ apud Lutheranos, quibus Micrelius *Hist. Eccles.* part. 3. p. 520. Victorinum Strigelium accensent; statuunt, vires *naturæ* etiam *aliquid* posse, in suâ regeneratione. Lutherani communiter existimant, per vires *arbitrii* sui, hominem posse, saltem Spiritui S. regenerationem molienti, positivè *non repugnare*, h. e. vitam spiritualem introducturo, per usum externorum mediorum, quasi valvas aperire. Reformati, ut largiuntur, facta jam, per regenerationem, vivificatione spirituali, hominem in *conversione*, ad fidem & resipiscentiam, posse Deo *cooperari* Cant. I. 4. Jer. XXXI. 18. ita negant, in *regeneratione* strictè dictâ, quicquam posse; sed *pure passive* se habere. Quod 1. *ante* factam regenerationem, homo spiritualiter sit *mortuus*; adeoque, nec ex toto, nec ex parte, quicquam possit conferre, ad sui vivificationem: eo quod, conferendo, *viveret*. Quod 2. in regeneratione conferatur *cor* novum, *spiritus* novus, cui inscribatur lex Dei; quod sanè *solius* est Dei. Quod 3. in regeneratione fit *creatio* quædam Psal. LI. 12. & nova *creatura* 2 Cor. V. 17. quæ non convenit nisi *soli Deo* Jes. XLV. 7. Quod 4. ex *nobis-ipsis*, ne cogitatiunculam quidem *salutarem* possimus concipere 2 Cor. III. 5. Quod 5. ipsum nostrum *velle Deus* operari dicatur, secundum suum beneplacitum Phil. II. 13. Quod 6. Scriptura

2. An regeneratio pendeat à libero arbitrio?

Sententiarum divortia.

Sententiæ orthodoxæ rationes.

ptura expresse neget, esse *volentis aut currentis*; sed miserentis Dei Rom. IX. 16. Quod 7. si, vel ex *toto*, vel ex *parte*, sibi homo procuraret regenerationem; seipsum *discerneret*, contra Apostolum 1 Cor. IV. 7. Nec eos juvat: quod A. aliquando jubeamur *circumcidere præputium cordis* nostri Deut. X. 16. Jer. IV. 4. *facere* nobis *cor novum*, & *spiritum novum* Ezech. XVIII. 31. *renovari spiritu mentis* nostræ Rom. XII. 2. *convertere nos* Joël. II. 13. Matth. IV. 17. Resp. 1. Non repugnat, idem *juberi* & *dari* à Deo, juxta tritum Augustini: *da quod jubes* — ita *charitatem* Deus jubet. Matth. XXII. 37. & tamen *infundit* Rom. V. 5. 2. Loca illa loquuntur, non de *regeneratione* strictè dictâ, quâ vitam Deus primò *infundit*; sed de *conversione*, quâ vitam collatam in *actum* promovet Cant. 1. 4. Jer. XXXI. 18. Joh. VI. 44. 65. Quod B. si nihil conferret ad sui regenerationem homo, seque haberet purè *passive*, regeneraretur ut *truncus* & stipes. Resp. Nequaquam, cum regeneretur, per *vocationis* oblationem & invitationem *moralem*, jam *edoctus*. Quod C. hac ratione laboraret *libertas* arbitrii, si seipsum non determinaret ad regenerationem. Resp. Nequaquam; cum 1. homo se non magis liberè *regeneret* spiritualiter; quam se *generat* naturaliter: cum 2. regeneratio non sit *actio* humana, quam liberè cieat homo; sed *passio*, quâ, per virtutem obedientialem, actionem Dei admittit tantum.

Objectiones heterodoxæ.

3. An actio Dei regenerans, moralis sit, an physica?

Sententiarum diversitas.

XXV. *Tertio* quæritur, an actio Dei, hominem regenerans, sit *moralis*, an *physica*? Pelagiani crassi, cum quibus Sociniani sentiunt, quia liberi arbitrii naturam in *indifferentia* constituunt; quia item illud à peccato *illæsum* statuunt, adeoque suis *viribus* posse, quicquid Deus ab eo exigit: non admittunt in regeneratione, nisi actionem Dei *moralem*, qua *doceat*, *quid* agendum, & *suadeat* motivis, *quare* agendum. Semipelagiani, cum quibus faciunt Jesuitæ & Arminiani, sicut agnoscunt, corruptionem quandam *interiorem* à peccato accessisse; ita etiam, actionem aliquam Dei *physicam* recipiunt in regeneratione, quæ corruptionem illam emendet: verùm, sicut corruptionem à peccato oriundam, ad facultates animæ *inferiores*, aut ad summum, ad *intellectum* restringunt; ita tantum respectu *istarum* facultatum, operationem quandam Dei physicam admittunt; sed circa *voluntatem* & arbitrium, non nisi *moralem*, quin & *physicam* illam Dei actionem, per libertatem arbitrii respui posse, statuunt. Reformati, sicut in *vocationis* oblatione, & invitatione, quæ regenerationem præcedit, *moralem* Dei actionem agnoscunt; sicut item in *conversione*, quæ regenerationem sequitur, *moralem* & *physicam* operandi rationem simul admittunt, ita in *regeneratione* strictè dictâ, non admittunt, nisi puram putam operationem *physicam*. Quia

Argu-

1. regeneratio *prima* est vitæ spiritualis introductio, antequam regenerandus adhuc spiritualiter *mortuus* est Eph. II. 5. cui proinde moralis *suasio* non magis sufficit aut conducit, quam vivificationi *naturali*. Quia 2. *circumsio* illa spiritualis Deut. XXX. 6. nova *creatio* Psal. LI. 12. Eph. II. 10. *ablatio* cordis lapidei, *substitutio* cordis carnei, & *inscriptio* legis Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. Jer. XXXI. 33. *tractio* Joh. VI. 44. 65. quibus regeneratio absolvitur; non est operatio *moralis*; sed *physica* tantum. Quia 3. *supereminens illa magnitudo virtutis* divinæ, quam operatus est, in *suscitatione* Christi è mortuis, non fuit *moralis*; sed maximè *physica*: eandem verò in regeneratione nostrî occupari, testatur Apostolus Eph. I. 19. 20. Præcipuum quod obtendere possint in contrarium, in his est: A quod *jubendo* (quod procul dubio, *moralem* dicit operandi rationem) regenerationem procurare Deus legatur Deut. X. 16. Jer. IV. 4. *circumcidite præputium cordis vestri* Ezech. XVIII. 31. *facite vobis cor novum*: Phil. II. 13. *operamini salutem vestram*. Resp. *Jubendo* Deus occupatur apud *Ecclesiam*, apud populum suum, jam dudum sibi *dilectum* vs. 15, adeoque *regenitum* etiam, quod absque regeneratione, nemo possit videre & *ingredi* in regnum Dei Joh. III. 3. 5. Proinde, *jubendo*, non intendit procurare *regenerationem*, quatenus illa dicit *primam* vitæ spiritualis infusionem: sed infusæ illius, per regenerationem, vitæ; explicationem in actus *secundos*, quos disertè narrat Deut. X. 12. 13. quæ fit in *conversione*, regenerationi succedente, in qua homo, *tractus currit cum Deo* Cant. I. 4. *conversus*, *convertitur*, seque ipsum in virtute Dei convertit Jer. XXXI. 18. Quod B. si solius Dei *physica* operatione regeneratio perficeretur, absque ulla cooperatione hominis; homo regeneraretur, ut truncus & stipes. Resp. 1. Regeneratio, per Scripturas, hominem attingit, ut spiritualiter *mortuum* Eph. II. 5. ut *corde lapideo* præditum Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. ut *ineptum* ad quamvis operationem *spiritualem* 2 Cor. III. 5. jam, qui ut mortuum, ut lapideum, ut ineptum ad operationes vitales attingit, nunquid (sano sensu) revera, ut *truncum* & stipitem attingit? Sed 2. regeneratio hominem attingit, ut *vocatum*, cui gratia *moraliter* est oblata, qui ad ejus receptionem est invitatus: sic, hactenus saltem, non ut *truncus* & stipes regeneratur; sed ut *homo*. Quod C. *physica* regeneratione, lædatur ac tollatur libertas arbitrii. Resp. Quando libero arbitrio *mortuo*, per regenerationem, confertur *vita* spiritualis: tum sanè non *læditur*, aut tollitur; sed perficitur ac vivificatur.

menta orthodoxa.

Objectiones heterodoxæ.

4. An physica regenerationis

XXVI. *Quarto* quæritur, an regenerationis operatio physica etiam *voluntatem* attingat *immediate*? Pelagiani crassi, cum Socinianis, nullam

operatio voluntatem etiam immediate attingat?

lam omnino regenerationis admittunt operationem Dei *physicam*; sed *moralem* tantum, hominique extrinsecam: Semipelagiani, cum Jesuitis & Arminianis, *aliquam* admittunt regenerationis operationem physicam; verum quæ ad *voluntatem*, seu liberum arbitrium, non pertingat; sed ad *alias* tantum animæ facultates. Reformati nonnulli, v. g. Joh. Camero & complures alii, operationem physicam admittunt quidem, occupari circa *voluntatem*: sed *mediante* tantum intellectu, quem Deus in regeneratione, adeo *potenter illustret* & convincat, ut voluntas non possit non sequi ultimum ejus judicium practicum. Synodus Dordracena, cum plerisque Reformatis, physicam regenerationis operationem, ad voluntatem, & quidem *immediate*, extendit, quippe cui novam *propensionem*, versus bonum *spirituale*, conferat: quæ, meo quidem judicio, veritati maxime est consentanea. Quod 1. physicam regenerationem Scriptura in terminis traducat ad *voluntatem* Phil. II. 13. *Deus enim est ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν, καὶ τὸ θέλειν*. Quod 2. terminis synonymis, extendat ad *cor*, quo nunquam non voluntas designari in Scripturis consuevit Psal. LI. 12. Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. quod Deus *cor* novum *creet*, sublato lapideo, *ponat*, eique legem suam *inscribat*: procul dubio operatione *physica*. Quod 3. perinde *voluntas* suam corruptionem contraxerit à peccato, atque intellectus, ac facultates inferiores Gen. VI. 5. & VIII. 21. unde *cor obduratum* passim commemoratur, per quod, seipsum *legi* divinæ non *subjiciat* homo, & nec *possit* quidem Rom. VIII. 7. Quod 4. corruptio illa *voluntati* intrinseca, per illuminationem *intellectus*, non tollatur: nec voluntas ultimum judicium intellectus practici sequatur, nisi pronunciet secundum *propensionem* voluntatis: v. g. si voluntas propendeat ad *carnalia*, & intellectus maxime judicaret, spiritualia, hic & nunc, consideratis omnibus considerandis, esse præferenda; non tamen obsequeretur: quod id voluntas solum pro *bono* habeat, quod est *congruum* suæ propensioni. Nec est quod hic objiciant *οἱ ἐξ ἐναντίας*, nisi quod A. hac hypothesi, videatur laborare *libertas* arbitrii; quam difficultatem sustulimus, ad controversiam *præced.* Quod B. voluntas *semper* sequatur *ultimum* judicium intellectus practici: adeoque illuminato potenter intellectu, sic ut judicet, spiritualia corporalibus *sibi* esse præstantiora; voluntas non possit non sequi: adeoque operatio Dei immediata, circa voluntatem videatur supervacanea, si intellectus sufficienter fuerit illuminatus. Resp. 1. *Actuale* illud judicium ultimum, *intellectus* practici, non tollit *habitualem* corruptionem quæ est in *voluntate*. 2. Id demum voluntati *bonum* est, quod congruit cum sua *propensione*; quare, si congruenter isti voluntatis propensioni, intellectus practicus judicet, semper sequitur voluntas: ast si contra istam propensionem, quomodocunque pronunciaret intellectus practicus, non tamen obsequeretur voluntas. Proinde necessum est, ut regeneratione, voluntati infundatur nova *propensio*, versus bonum *spirituale*, juxta quam pronunciet intellectus practicus.

Rationes sententiæ affirmativæ.

Objectiones sententiæ negativæ.

XXVII. *Quinto* quæritur, an regeneratio sit *irresistibilis*, nec ne? Pelagiani crassi, cum Socinianis, quia operationem Dei in regeneratione, non nisi *moralem* agnoscunt, & liberum arbitrium plane *ἀμφιῤῥεπῆ*, ad accipiendam aut rejiciendam suasionem divinam; *posterius* affirmant: Semipelagiani cum Jesuitis & Arminianis, quia operationem regenerantem, ex parte *physicam* agnoscunt; quoad intellectum & facultates inferiores, ex parte *moralem* tantum, quatenus arbitrium respicit: in *potestate* statuunt arbitrii, operationi divinæ obniti adeo, ut regeneratio prorsus non succedat. Nonnullis inter Reformatos, vox *irresistibilis* non satisfacit, quamvis *insuperabilem* recipiant. Nos *vocationem moralem*, atque etiam *conversionem*, quatenus *moraliter* agit, *resistibilem*, in *dogmaticis* agnovimus: sed regenerationem plane *irresistibilem* affirmamus. Quia 1. regeneratio per *voluntatem* illam Dei peragitur Jac. 1. 18. quam Paulus diserte dicit *irresistibilem* Rom. IX. 19. Quia 2. ipsum *velle* operatur & *perficere* Phil. II. 13. eoque tollit *velle resistere*. Quia 3. per regenerationem, Pater, qui *potentior est omnibus* Joh. X. 29. regenerandos *trahit* Joh. VI. 44. 65. Et 4. trahit, *eadem excellenti magnitudine roboris, qua Jesum suscitavit è mortuis* Eph. I. 19. 20. Quia 5. sic regenerando trahit, ut *tracti* infallibiliter *veniant* Joh. VI. 37. cum vers. 44. Quia 6. cor *lapideum*, quo resistimus, regeneratione tollit Ezech. XI. 19. & XXXVI. 25. 26. 27. Quia 7. regeneratione generat Joh. I. 13. cui proinde homo non magis potest resistere, quam sui generationi *naturali*. Quia 8. eâdem *vivificat* Eph. II. 5. cui proinde regenerandus non magis resistere potest, quam mortuus *naturaliter* vivificanti, v. g. Lazarus Christo Joh. XI. 43. 44. Quia 9. si resistere *posset*, propter *totalem* naturæ corruptionem Rom. VII. 19. & VIII. 7. Jes. I. 5. 6. *non nisi* resisteret Act. VII. 51. Quia 10. si resistere *posset*, & non resisteret actu; non-resistentiæ & *regenerationis* gloriam haberet à se, ut qui *seipsum* discerneret, contra Paulum 1 Cor. IV. 7. Quia 11. si pro libitu proprio, quivis regenerationi divinæ *resistere posset*; tum & *omnes* potuissent: & sic fieri potuisset, ut nullus regeneraretur, atque adeo totum redemptionis tam illustre consilium, *exinaniretur* penitus: contra Paulum 2 Tim. II. 19. & sic prædestinationis aurea catena rumperetur Rom. VIII. 30. Quæ objiciunt adversarii, nullius omnino ponderis sunt: v. g. 1. Causantur

5. An regeneratio sit irresistibilis, nec ne? Sententiarum differitas.

Argumenta orthodoxa.

Objectiones

locum

hetero-doxæ.

locum Stephani Act. VII. 51. *semper Spiritui Sancto resistitis.* Resp. Resistebant. Spiritui S. non regeneranti; sed *vocanti*: & quidem vocanti, non immediatè; sed per homines, *morali* modo, ut patet ex *versu* seq. *quem Prophetarum non persecuti sunt Patres vestri?* Causantur 2. locum Matth. XXIII. 37. *Ego volui congregare, — sed vos non voluistis.* Resp. Ego volui congregare, non equidem *regenerando*; sed vocando *moraliter*: quemadmodum etiam *Prophetæ*, in hoc, *ad eos missi*; quos lapidaverant. Causantur 3. locum Psal. LXXXI. 14. Resp. textus manifestè loquitur de resistentiâ, non regenerationi; sed *vocationi* facta, ut apparet ex versi. 9. 12. Causantur. 4. locum Jes. V. 4. Resp. Propheta loquitur. α. de beneficiis à Christo *Ecclesiæ* præstitis; in communi: non autem de beneficio, quod *singulis* electis singulatim præstatur: β. loquitur de beneficiis *externis*; non autem de beneficio *regenerationis*, singulis *interno.* Causantur 5. ex hypothesi nostrâ, neminem *posse* regenerari, nisi qui regeneretur actu. Resp. Respectu *hominum* nemo potest regenerari, nisi qui actu regeneratur; quia omnes mortui sunt peccatis; respectu *Dei*, omnia sunt possibilia Matth. XIX. 26. Causantur 6. resistentes, hac ratione, facere *voluntatem* Dei. Resp. Repugnant voluntati *præcepti*, quæ tântum officium rationali creaturæ præscribit: sed non repugnant voluntati *decreti*, quæ eventum dirigit.

5. An regeneratio præparationem admittat?

XXVIII. *Sextò* quæritur, an regeneratio *præparationem* admittat? Pelagiani & Semi-pelagiani, cum assectis omnibus, Socinianis, Jesuitis, Remonstrantibus (quia gratiæ convertentis efficaciam suspendunt à *libero* arbitrio: existimant, *unum naturâ* magis præparatum esse ad gratiam convertentem, quam *alium*, aut se præparare posse suis viribus) affirmant. Reformari quidem admittunt, in regeneratione præparationem, quatenus illa coincidit cum conversione, sic Perkinsius *Cas. Conscient.* sect. 1. c. V. VI. XI. *Amesius Cas. consc.* lib. II. c. IV. Nos, quatenus admitti possit, & quatenus non, explicuimus in *dogmaticis* §. XIX. nim. quatenus regeneratio *primam* dicit vitæ spiritualis introductionem, nullam admittere præparationem, nisi fortè eam, quæ est à *vocationis* oblatione & invitatione *morali*: quod prima illa vitæ spiritualis introductio fiat in momento, perinde ac vivificatio naturalis, nec inter spiritualiter viventem & mortuum, detur medium.

7. An regeneratio sit amissibilis?

XXIX. *Septimo* quæritur, an regeneratio semel collata, sit *amissibilis*? Pelagiani & Pelagianissantes omnes, quia *liberum* arbitrium tuentur, quod perinde possit gratiam admissam excutere, atque admittere pro lubitu (cum quibus, saltem in hoc capite, faciunt Lutherani, statuendo verè regenitum *totaliter* deficere posse) affirmant. Reformati, non quidem ex viribus *regenitorum*; sed ex immutabili Dei *electione*, & ex omnipotenti conservatione ejus, *inamissibilem* statuunt; quod 1. regenerationis *semen*, in ipsis mansurum dicatur 1 Joh. III. 9. Quod 2. per collationem cordis *carnei*, regeniti dicantur ambulaturi in institutis divinis, Deique jura *non deserturi* Ezech. XXXVI. 26. 27. Quod 3. ex prædestinatione, regeniti dicantur *infallibiliter* glorificandi Rom. VIII. 30. Quod 4. ex *solido fundamento*, habente sigillum, Deus norit, *qui sunt sui* 2 Tim. II. 19. Quod 5. regeniti per *veritatem Dei* dicantur conservandi 1 Pet. I. 3. 4. 5. Joh. X. 28. 29. Nec adversarios juvat, A. quod justus possit *deficere* à suâ justitiâ Ezech. III. 20. & XVIII. 24. Resp. Propheta loquitur 1. de potentiâ *causæ*, quâ etiam verè justi, in se considerati, possint deficere; non autem de potentiâ *effectus*, quâ, etiam à Deo sustentati, possint profluere in totalem apostasiam. 2. *conditionaliter*, Si justus deficiat, moriturum: non autem *absolutè*, verè justum posse actu deficere. Nec 3. de *verè*, seu per regenerationem, conversionem & sanctificationem, intrinsecè *justis*, qui nunquam deficiunt Psal. XXXVII. 17. 18. 23. 24. & CXXV. 1. 2. 3. sed de in *speciem* tantum, aut *sibi* justis Matth. IX. 13. cum Luc. XVIII. 9. 10-- Quod B. exempla prostent, eorum qui defecerunt: Judæ Joh. XVII. 12. Demæ 2 Tim. IV. 10. Hymenæi & Alexandri 1 Tim. I. 19. 20. &c. Resp. Probandum, quod verè fuerint *regeniti*: repugnat in terminis locus 1 Joh. III. 9. Imo C. quod etiam verè regenitorum exempla prostent, in Noachi ebrietate, Davidis adulterio & homicidio, Petri abnegatione. Resp. Omiserunt, seu neglexerunt potius *actus* quosdam, vitæ spiritualis *secundos*; non autem ipsum ejus actum *primum*, qui regeneratione confertur, excusserunt totaliter Psal. LI. 13. Quod D. si regenitus non *posset* excutere regenerationem, privaretur *libero* arbitrio. Resp. Nequaquam, cum vitæ spiritualis constans præsentia in arbitrio, *confirmet* potius, quam *tollat* libertatem.

Rationes orthodoxæ.

Objectiones heterodoxæ.

8. An regeneratio fit universalis?

XXX. *Octavo* quæritur, an regeneratio sit *universalis*? Pontificii *omnes*, tam Dominicani, quam Jesuitæ (quatenus *gratiam sufficientem* statuunt, per quam quivis *possit*) faciunt *universalem* (cum, per Scripturas, regeneratione propriè dictâ, non conferatur, nisi *potentia* ad bonum spirituale, ut diximus in *dogmaticis*) quamvis in explicatione gratiæ istius sufficientis, egregiè discrepent: quando Dominicani quidem gratiam *sufficientem* omnibus tribuunt; sed quæ in *actum* se explicare non possit, absque gratia *efficace* antecedente; sed Jesuitæ gratiam sufficientem docent, cujus *efficacia* pendeant à libero cujusque arbitrio. Pelagiani crassi cum Socinianis, quia regenerationem constituunt in *emendatione morum*, juxta §. XXIII. *omnibus* quidem peccatoribus vires *naturales* tribuunt, quibus *possint* se regenerare, seu mores suos emendare;

Sententiarum differentiæ.

dare; *actualem* autem morum emendationem non tribuunt omnibus & singulis; sed *volentibus* tantum: nominatim regenerationem excludunt ab *infantibus*, tum, quod in illos non cadat peccatum; tum quod, per rationis defectum, non possint emendare mores. Inter Reformatos, qui tuentur gratiam *universalem*, non desunt qui statuant, per gratiam *omnibus* & singulis hominibus *restitui* vires, quibus possint, *si velint*; quamvis solis *electis* conferantur vires, quibus *actu* velint. Cl. Coccejus, quamvis non neget, regenerationem etiam obtinuisse sub V. T.: tamen in emphasi suâ, ad N. T. tempora restringit. Communis Reformatorum sententia habet, regenerationis gratiam *electis* omnibus esse maxime privatam: atque etiam, ad ipsos *infantes* nonnunquam se extendere. Quia 1. Scriptura, quotiescunque regenerationis facit mentionem, non ad *omnes* promiscue; sed ad *electos* tantum extendit 1 Pet. 1. 3. Eph. 11. 3. 4. 5. Jac. 1. 18. Joh. 111. 3—8. Idque 2. cum *secluſione* aliorum Joh. VI. 43. 44. 64. 65. Quia 3. Scriptura diserte dicit, esse qui *non possint* Rom. VIII. 7. Jer. XII. 23. Imò etiam 4. peculiariter ad *infantes* extendit Jer. 1. 5. Luc. 1. 15. 2 Tim. 111. 15. Nec in contrarium, ullus ab adversariis produci potest Scripturæ locus, qui testetur, aut regenerationem, aut vivificationem spiritualem, aut vires præstandi bonum spirituale, aut gratiam sufficientem, in omnes & *singulos* cadere.

Communis Reformatorum sententia, cum suis fulcris.

XXXI. *Nono* quæritur, an regeneratio sit alligata Baptismo? Sociniani negant quidem rectè; sed perversa hypothesi, quod Baptismus aquæ non sit nisi ritus adiaphorus, absque mandato Christi ab Apostolis usurpatus, nullum usum, nullam efficaciam habens. Itidem Anabaptistæ, qui usum & efficaciam ejus nullam agnoscunt aliam, quam *significandi* fœdus *ecclesiasticum*, & discriminandi hos qui sunt in *illo fœdere*, ab aliis qui sunt extra illud fœdus. Ex adverso Pontificii, ut habeant, Sacramenta Novi T. gratiam producere ex *opere operato*; statuunt Baptismum aquæ producere regenerationem, à quo regenerationem & Baptismum frequenter pro eodem usurpant. Lutherani, nullam quidem *efficaciam* regenerandi, aquæ baptismali tribuunt; sed tamen efficaciam Spiritus S. ad regenerationem, ita adstringunt Baptismo, ut ordinarie nemo regenerari possit absque Baptismo. Reformati, quamvis uno ore & animo profiteantur, Baptismo nullam competere efficaciam *physicam* ad regenerationem; sed *moralem* tantum, quæ est in *significatione* & *obsignatione*. Nec gratiam regenerationis ulli alligatam esse sacramento; nec interim Baptismum esse nudum & inane *signum*; sed efficacissimam *obsignationem* fœderis gratiæ ac *regenerationis*, convenienter institutioni ipsum accipientibus, quin & *infantibus* fidelium *electis*: attamen circa *modum* operandi & *tempus* operationis, nonnihil discrepant. Quantum quidem ad Baptismum *adultorum*, ille, si modo *legitimus* sit, certo certius, omnium orthodoxorum consensu, prærequirit regenerationem ut factam, quia diserte à baptizando, stipulatur fidem, & talem quidem, quæ præcedat ex *toto corde* Act. VIII. 36. 37. quæ non potest obtinere, citra præviam regenerationem: quicquid enim ex carne est, caro est; & quicquid ex spiritu, spiritus est Joh. III. 6. Quantum vero ad Baptismum *infantium*; hic in partes abeunt orthodoxi; sunt qui negant regenerationem posse *præcedere* Baptismum, qui proinde non obsignet nisi regenerationem *futuram*, ubi infans electus pervenerit ad annos discretionis, quando demum credere & resipiscere potest, sic celeb. Amyraldus. Sed parum accurate confundit *regenerationem*, quæ *vitam* spiritualem confert, quoad actum ejus *primum*, quo *potest*, organis sufficienter dispositis, credere & resipiscere; cum *conversione*, qua actu credit & resipiscit, quod fieri non potest ante annos discretionis. Alii, modestiæ litantes, existimant ab arbitrio Dei stare, num *ante*, an in Baptismo, an post Baptismum velit conferre regenerationem, sic Zanchius, *comment.* in Eph. v. *digressione de Baptismo*, & Amesius in *Bellarm. Enervat.* Tom. III. XIV. *Quæst.* III. Spanhemius Pater *Dub. Euang.* part. III. Dub. XXVII. Alii malunt regenerationem fieri, *in* ipso Baptismo, *ordinarie* saltem; sic cum Pontificiis & Lutheranis, Ludovicus Le Blanc, qui *semper* id fieri volunt; sic Clariss. Pet. Jurieu, Beza, alii. Communis Reformatorum sententia habet: quod Baptismus infantum (*electorum* saltem) præsupponat regenerationem factam; quod *obsignari* non possit Baptismo, id quod non est. Et hæc quidem sententia mihi quidem, veritati maxime videtur consentanea. Saltem, nec *efficit* regenerationem Baptismus ipse, ut Pontificii volunt. nec Spiritus S. regeneratio *alligata* est Baptismo *externo*, prout Lutherani volunt. Quia 1. Baptismi *efficacia* est in solâ *obsignatione*, prout natura omnium Sacramentorum, quatenus *sigillum* est Rom. IV. 11. quæ præsupponit regenerationem à qua profluat fides, consistit. Quia 2. per Baptismum aquæ non purgantur sordes animi 1 Pet. III. 21. proinde ei non est alligata regeneratio. Et si 3. alligata esset, omnes baptizati regenerarentur, & eo tempore, cum baptizantur: cui Scriptura obloquitur Act. VIII. 13. 20. 21. 23. pariter & experientia, per quam plurimi baptizati perditissime vivunt, & non servantur: etiam *ante* suum Baptismum regeniti leguntur Eunuchus Act. VIII. 36. 37. Centurio cum sua familia cap. X. 2. 22. quin & prorsus *absque* Baptismo, ut latrò Luc. XXIII. juxta tritum: *non privatio Baptismi*; *sed contemtus damnat.* Quia 4. nulli sacramento alligata est regeneratio: non *circumcisioni* Rom. II. 25. 27. 28. non *Paschati* 1 Cor.

9. An regeneratio alligata sit Baptismo? Sententiarum divortia.

Remonstrantium sententia communis. Ejus rationes.

Cor. x. 3. 4. non *cœna* Domini. Ibid. cap. xi. 27. nec ablutiones quævis legales Heb. ix. 10. & x. 4. Proinde nec Baptismo, cum præsertim & baptizatus, si non crediderit, damnandus dicatur Marc. xvi. 16. Non addam 5. Quod Spiritus S. pro suo arbitrio dicatur regenerare: *sicut ventus quo vult spirat — ita quisquis genitus est è Spiritu* Joh. iii. 8. In contrarium interim urgetur: A. quod Christus regenerationem alligaverit *aquæ & Spiritui* Joh. iii 3. 5. Resp. Non intelligit aquam externam Baptismi, qui eo tempore, pro ordinario & universali N. T. Sacramento, necdum institutus erat: sed per Hendyadin, aquam Spiritus; seu Spiritum sicut aqua mundantem regeneratione, sicut Matth. iii. 11. *Baptizabit vos Spritu S. & igne*, h. e. Spiritu quasi igneo; quod ipse Servator satis clarè dicit, quando regenerationem ad solum Spiritum refert Joh. iii. 6. 8. Conf. quæ in hanc rem diximus apud partem *exegeticam*. B. Quod ablutio peccatorum Act. xxii. 16. regeneratio Tit. iii. 5. salus 1 Pet. iii. 21. Baptismo tribuatur; proinde regenerationem vel operatur ipse suâ virtute, vel saltem ei Spiritus S. suam regenerationem alligavit. Resp. Neutrum; sed quod Spiritus S. per Baptismum, regenerationem electis obsignet, ut diximus. C. *Quotquot in Christum baptizantur, in mortem ejus baptizantur* Rom. vi. 3. Resp. Tantum dicitur quod omnibus electis verè fidelibus, ritè baptizatis, communio & participium mortis Christi competat, Baptismo obsignata: non autem dicitur quod per Baptismum præcisè ista communio fiat, & minus etiam, quod ista communio alligata sit Baptismo. Quod D. qui in Christum baptizantur, Christum induant, adeoque regenerentur Gal. iii. 27. Resp. Textus non dicit, quod per Baptismum *inducant* Christum; sed quod baptizati dudum *induerint*, ἐνδύσασθε. Proinde quod communio cum Christo, quæ induitionis termino significatur, in baptizatis jam facta fuerit, non autem per eum fiat, sed facta obsignetur Sacramento Baptismi. Quod E. recepta sit Patrum sententia, atque insuper magnorum apud ipsos Reformatos sententia, v. g. Augustini, Prosperi, Parei, Davenantii, Wardi, Forbesii. Resp. Patres quandoque circa Baptismum luxuriant sermone: interim, nec rarò regenerationem & fidem Baptismo præsupponunt, sic Justinus Martyr, praxin Ecclesiæ primitivæ repræsentans: *quicunque*, inquit, *persuasi fuerint & crediderint .... & vivere se ita posse receperint — Deinde adducuntur à nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus*, REGENERANTUR: qui proinde sibi ipsis conciliari commodè vix possunt, absque distinctione regenerationis, in *realem* quæ baptismum *præcedit*, & *sacramentalem*, quæ consistit in solenni *realis* professione, declaratione & obsignatione: quo sensu & Reformati Theologi tuentur regenerationem fieri per Baptismum. Conf. quæ in capite de Sacramentis *regenerationis*, suo loco occurrent.

Objectiones

Pars practica.

Monitum practicum.

XXXII. Praxin, lector, illustris hujus argumenti, tibi procul dubio polliceberis amplissimam, cum in eo, auctores practici se cumprimis profundere soleant. Sed, si minus expectationi isti respondero; duo cogitabis: 1. quod practici isti, *laxiori* sensu, regenerationis negotium suscipiant, quatenus nim. *universum* complectitur Spiritus S. operationem interiorem, circa redimendos, ad quam concurrent vocatio, vivificatio, conversio, sanctificatio; dum nos *strictius* capimus, ut sonet solam collationem *actus primi* vitæ spiritualis: hinc, quæ ad conversionem & ad sanctificationem propriè spectant; illi ad regenerationem referunt. Si eâdem latitudine, cum ipsis hoc argumentum tractare, lectori visum fuerit, poterit, ex capp. de *conversione*, & de *sanctificatione*, materiam practicam, non admodum magno negotio, huc traducere. Sed 2. hîc cogitandum, quod actus *primus* vitæ non conferatur, nisi *propter* actus *secundos*, prout habitus non sunt, nisi propter actus secundos: nec etiam agnoscatur, ac discernatur; nisi in actibus secundis; imò quod irregenitus ad sui vivificationem eniti, aut se ad eam disponere non possit: cum ad receptionem vitæ spiritualis, se non habeat, nisi *passivè*: quare non miraberis, si eo hîc non enitamur. Interim regeneratio.

1. Docet quantæ molis sit, peccatorem traducere ad vitam.

XXXIII. *Primò* ostendit, quantæ molis sit, peccatorem traducere ad vitam: ut ratio non abs re quærat, cum Nicodemo: *quomodo potest homo renasci, jam senex existens?* Joh. iii. 4 & non abs re, in simili argumento, obstupescant Apostoli Matth. xix. 25. *quis ergo potest servari?* Si enim 1. cogites *traducendum* ad vitam; est spiritualiter *mortuus*, in peccato Eph. ii. 1. 5. qui *videns, non videt, & audiens non audit, nec intelligit* Matth. xiii. 13. 14. 15. Si 2. traductionis *operationem*; non fit, nisi secundâ quâdam *generatione* Joh. iii. 3. 5. *creatione* Psal. li. 12. Eph. ii. 10. *vivificatione* Ibid. vs. 5. 6. ablatione *cordis lapidei*, substitutione *cordis carnei*, inscriptione legis *in animum* traducendæ Ezech. xxxvi. 25. 26. totali ejus *innovatione* 2 Cor. v. 17. Si 3. operationis *modum*, qui in traducturo exigit, 1. infinitam *potentiam* ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως Eph. i. 19. 20. quanta est (&, si fieri posset, major etiam, quam) in *creatione*: quod non modo ad creationem non requiratur *mors* ipsius filii Dei, quemadmodum ad traductionem peccatoris ad vitam; sed etiam in eâ non occurrat *contraria* objecti dispositio, cor videlicet saxeum, ce-

Requirit 1. in Deo, 1. Infinitam potentiam.

dere neſcium, non niſi *infinito* robore ſuperabile: quanta item eſt, in ſuſcitatione mortuorum Eph. I. 20. Exigit 2. infinitam, ſeu inexhauſtam *bonitatem* & miſericordiam Eph. II. 4. 5. & III. 8. 9. qua, ne primâ generatione, omnes *periremus* æternùm, voluit ſecundam adjicere: & ne vitâ *primâ*, mortem contraheremus æternam, voluit adjicere vitam *ſecundam*; & ne anima noſtra mortua foret, in corpore *vivo*, voluit ei admiſſam peccato vitam *ſpiritualem* reſtituere. Exigit 3. infinitam, ſeu abſolutiſſimam *independentiam* Rom. IX. 15. 16. 18. quâ vitam iſtam ſpiritualem, pro arbitrio, diſpenſat in quos *vult*; præteritis, quibuſcunque vult: quâ, præteritis plerumque nobilioribus, & quaſi *dignioribus*, diſpenſat in *viliores* ineptioreſque 1 Cor. I. 25 — 29. & ex materialibus tam *ineptis*, vult exſtruere ædificium tam *magnificum*: ut apparet in Zachæo Luc. XIX. 2. 5. 8. Paulo 1 Tim. I. 13. 14. meretricibus præ honeſtis Phariſæis Matth. XXI. 31. Et tantæ molis eſſe, peccatorem traducere ad *vitam*, propterea inculcat regeneratio: A. Ut diſtinctius agnoſcamus, quantum Deo ſimus *obſtricti*, ex regeneratione vivificationeque, nobis, præ tot millibus collatâ, magiſque promtos nos præſtemus ad *gratitudinem* 1 Tim. I. 13. Ut B. ab infinitâ potentiâ, bonitate & *εὐδοκίᾳ*, quam exhibuit in noſtri regeneratione, curatiores ſimus in ejus glorificatione 1 Pet. I. 3. Ut C. in negotio beatitudinis noſtræ, magis demiſſè pendeamus ab ejus *gratiâ*, noſtramque ſalutem conficiamus, cum *timore & tremore*: quod *Deus* ſolus ſit, qui in nobis efficit, & *velle & perficere* Phil. II. 13. Ut D. ex ſorte noſtrâ, aliis meliore, nos non *efferamus* ſupra alios Luc. XVIII. 11. non *gloriemur* Eph. II. 5. quod *ſolus* Deus ſit, qui, per regenerationem, nos diſcernit à peſſimis, & quicquid præ ipſis habemus boni, ab eo ſolo habeamus 1 Cor. IV. 7. Ut E. non miremur, ſi efficaciſſimis hominum monitis ad converſionem, non ſemper reſpondeat ſucceſſus; eo quod, *non Pauli ſit, qui plantat, nec Apollinis, qui rigat; ſed Dei, qui dat incrementum* 1 Cor. III. 6. 7. quod Spiritus, ſuâ regeneratione, *ſpiret* quo *vult* Joh. III. 8. quod homo *naturalis*, naturaliter *mortuus ſit peccato* Eph. II. 1. 5. & quod Pater non omnes *trahat* Joh. VI. 44. 64. 65. Ut F. de *nullius*, quantumvis obſtrepentis, converſione facilè deſperemus 2 Tim. II. 25. 26. quod Spiritus S. *potens* ſit, qui regeneret vivificetque, quando ipſi viſum fuerit Rom. XI. 23. Proinde.

2. Infinitam bonitatem.

3. Abſolutiſſimam independentiam.

Quorſum doceat.

XXXIV. *Secundo*, commendat ſortem eorum *beatiſſimam*, qui tanta mole, per regenerationem, traducti ſunt ad vitam ſpiritualem 1 Pet. I. 3. *Benedictus — qui nos regenuit ad ſpem vivam —* Sunt enim iſti 1. non ex *carne*, *nec ex voluntate* viri; *ſed ex Deo geniti* Joh. I. 13. Sunt 2. ex *mortuis vivi* Luc. XV. 32. Sunt 3. *κατ' ἐξοχήν* *opus Dei* Eph. II. 10. Pſ. c. 3. Conf. Deut. XXXII. 6. Jeſ. XLIII. 21. peculiari modo ſibi partum Tit. II. 14. Sunt 4. *nova* creatura 2 Cor. V. 17. multis modis excellentior quavis alia creatura. Dum enim *α.* alia *quævis* creatura profluxit à *communi* quadam Creatoris bonitate Pſal. CIV. 31. & CXLV. 9. *nova* hæc creatura, ex *gratia* profluit & promiſſione *ſingulari* Eph. II. 4. 5. Dum *β.* alia quævis creatura, opus præſtat *communis* providentiæ Act. XVII. 25. 28. *nova* hæc creatura, opus præſtat gratioſæ prædeſtinationis Rom. VIII. 29. 30. Jac. I. 18. Dum *γ.* quævis alia, non niſi *naturalibus* gaudet Dei beneficiis; *nova* hæc, *ſpiritualibus* cumulatur Pſal. IV. 7. 8. & XVII. 14. 15. Eph. II. 4. 5. 6. & I. 3. Habent 5. pro corde *lapideo* & immobili, cor *carneum* flexile, quod ſibi inſcriptam geſtat legem divinam Ezech. XXXVI. 25. 26. Sunt 6. ex mortuis, ſpiritualiter-*viventes* Eph. II. 5. 6. Geſtant 7. ſibi reſtitutam imaginem divinam, præcipuam ſui prærogativam, h. e. *juſtitiam originalem* Eph. IV. 23. 24. Col. III. 10. Et quod magis eſt 8. participes facti ſunt *naturæ divinæ* 2 Pet. I. 4. Imò per regenerationem, quod *ex Deo geniti* ſint Joh. I. 13. & 1 Joh. V. 14. *filii Dei* ſunt; non modo per adoptionem, ſeu *declarationem*, quo modo Jacob Patriarcha, Ephraim & Manaſſen adoptavit Gen. XLVIII. 5. ſed etiam, per *generationem* ſpiritualem; & quanta in hoc eſt regenitorum *nobilitas!* 1 Joh. III. 1. quanta *hæreditas*! Rom. VIII. 15. *libertas filiorum Dei*! Rom. VIII. 21. quanta, in quovis caſu *προσαγωγή*! Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. quanta *ſecuritas*, ſub Patris cœleſtis, paterna & domeſtica cura! Eph. II. 18. 19. Sunt 9. per ſpiritualem hanc generationem, *oculis* præditi, quibus regnum Dei *poſſint videre* Joh. III. 3. ejuſque ſpiritualia, *ſpiritualiter* diſcernere 1 Cor. II. 14. 15. atque inſuper *corde*, quo poſſint, ac velint *ingredi* in regnum Dei Joh. III. 5. Jam, ſi ex his omnibus calculum ſubducas, quanta, bone Deus, *ἐμπορία*, verè regenitorum *beatitudo*! quam propterea curatius ipſi repræſentamus, ut A. ſibi ipſis *gratulentur*, ex beneficio Dei tam ineffabili. Conf. Pſal. CXVI. 16. B. Deo impenſius *grati* ſint 1 Pet. I. 3. C. Aliis etiam *oſtentent*, quaſi ad movendam eis ſalivam, ſeu excitandum eorum deſiderium Luc. VIII. 39. Matth. V. 16. cum 1 Pet. I. 2.

1. Ex quibus capitibus.

2. Commendat beatitudinem regenitorum.

Quorſum.

XXXV. *Tertio* repræſentat ex adverſo, ineffabilem eorum *miſeriam*, qui regenerationis gratia deſtituuntur. Quod 1. *non poſſint* vel *videre* regnum Dei, & multo minus *ingredi* in illud; adeoque, ab ipſo limine ſalutis æternæ, ſint remoti Joh. III. 3. 5. Quod 2. dum non ſunt geniti *ex Deo* Joh. I. 13. geniti ſint ex *Patre* ſuo *diabolo*, adeoque filii diaboli Joh. VIII. 42. 44. ſub ejus *la-*

3. Repræſentat miſeriam irregenitorum, per ſex particulas.

queis

queis inextricabiles 2 Tim. II. 26. Quod 3. sint *mortui* spiritualiter in peccatis Eph. II. 1. 5. Ezech. XXXVII. 1. 2. qui non *videant* quæ sunt spiritus 1 Cor. II. 14. *lapidei* cordibus, *obdurati* in malo Act. VII. 51. & *immobiles* ad bonum Ezech. XXXVI. 25. 26. Sunt eadem opera *stupidi*, ἀναίσθητοι Eph. IV. 18. 19. *impenetrabiles*, quibusvis Spiritus S. operationibus moralibus Jer. VI. 10. imo & *renitentes* (ἀντιπίπτοντες) Act. VII. 51. qui *non subjiciunt* se legi divinæ, neque etiam *possunt* Rom. VIII. 7. Conf. 2 Cor. III. 3. ut *citius ex pumice aquam* extorqueas; quam ex ipsis, resipiscentiam. Sunt, ut saxa, *frigidi*, destituti omni calore, omni amore *spirituali*, versus Deum, versus gratiam, versus propriam animæ salutem. Conf. Psal. XXXII. 9. ἄσοργοι Rom. I. 31. & ab his omnibus, extra *fœdus gratiæ*: quod Deus non sit Deus *mortuorum* Matth. XXII. 32. Quod 4. dum non sunt *regeniti*, sibi præstaret, nunquam fuisse *genitos*, quod de Juda, Servator pronunciat Marc. XIV. 21. Conf. Job. III. 3—9. Jer. XX. 14. 15. & ipsi irregeniti; olim in inferno, agnituri sunt exsecrandum diem *nativitatis* suæ. Dum 5. non sunt *opificium* Dei, per gratiam regenerationis Eph. II. 10. præstaret ipsos nunquam à Deo *creatos* fuisse, aut saltem, creatos non fuisse *homines*; sed vermes potius, serpentes aut bufones: eo quod, ex immortalitate animæ; immortalis, & plane æterna, sit futura eorum *miseria* Matth. XXV. 41. Jes. LXVI. 24. reliquis creaturis æternum ἀναισθήτοις. Quod 6. dum per regenerationem, non sunt reducti ad Deum; sint *abalienati à vita Dei* Eph. IV. 17. 18. *elongati* à Deo Eph. II. 13. 17. quasi per interjectum immensum χάσμα Luc. XVI. 26. ejecti, cum Cain, à *facie Dei* Gen. IV. 14. ἄθεοι Eph. II. 12. elongati α. à *cognitione* Dei, rerumque divinarum Eph. IV. 18. 1 Cor. II. 14. quasi *palpando* quærentes Deum Act. XVII. 27. β. ab *amore* & gratia Dei salvifica Jes. LIX. 2. γ. à *Christo*, à *politia* Israëlis, à fœderibus promissionis, ab omni salutis spe Eph. II. 12. Juvat, istam irregenitorum tantam *miseriam* sæpius ad vivum repræsentare: A. *Nobis*, ut majorem inde concipiamus, hujus status *horrorem*, & cum Davide ingemiscamus: *cor mundum crea in me, & spiritum rectum innova in interiori meo* Psal. LI. 12. & *salutem nostram conficiamus cum timore & tremore*: *quod Deus sit, qui in nobis operatur, & velle, & perficere* Phil. II. 13. ut in accepta regenerationis gratia, *exsultemus in tremore* Psal. II. 11. B. *Aliis*, necdum regenitis, ut, cooperante Deo, (ἀνανήψωσι) *evigilent ex laqueis diaboli, sub quibus captivi sunt, ad ejus voluntatem* 2 Tim. II. 26.

Quorsum.

4. Monet, non acquiescamus

XXXVI. *Quarto*, monet, ut cane pejus & angue *caveamus*, in negotio salutis nostræ, acquiescere in *quovis*, quam speciosum esse possit, absque *regeneratione*. Quod α. ex duplici gravissima Servatoris asseveratione, absque regeneratione impossibile sit, aut *videre*, aut *ingredi* in regnum Dei Joh. III. 3. 5. & quod β. quicquid ex *carne* nascitur, h. e. ab homine *carnali*, ψυχικῷ, seu irregenito procedit; non sit nisi *carnale* Joh. III. 6. quod γ. milleni, *naturalia* pro *spiritualibus*, naturam pro gratia, τῇ φύσει pro regeneratione capiendo, se miserè fefellerint, & fallendo æternum perierint Luc. XVIII. 11. 12. & Servator, publicanos & meretrices, *præ* Pharisæis, pronunciet, introituros in regnum Dei Matth. XXI. 31. Nominatim cavendum, ut ad salutem, non acquiescamus 1. in *honestiore* quadam *naturæ* indole: quâ, per congenitam quandam τῇ φύσει, quasi ex meliori quodam luto efformati, in ipsis Gentilibus, hi procliviores sunt ad mansuetudinem, humanitatem, civilitatem, clementiam, æquitatem, & similia; quam alii: à quibus honestior *Pharisæus*, Deo gratias agit, quod non sit sicut alii, & nominatim, sicut proximus sibi publicanus Luc. XVIII. 11. 12. Nec 2. in *donis* naturæ accessoriis, quibus, in Gentilibus, pariter & Christianis personatis, alter alterum *superat*, v. g. doctrina, sapientia, prudentia, peritia mechanica, philosophica, v. g. Architophel 2 Sam. XVI. 23. Bezaleel & Aholiab Exod. XXXI. 2—Nec 3. in *virtutibus moralibus*, à quibus Gentiles *legem Dei scriptam* dicuntur gessisse, *in cordibus suis* Rom. II. 15. imo per *naturam facere ea quæ sunt legis* vers. 14. quibus v. g. Plato, Cato, Scipio, Cicero, Aristides, Seneca, Antonini, Catilinam, Caligulam, Neronem, Heliogabalum aliosque, mille parasangis superarunt: quin & Gentiles, *professum* Dei populum post se reliquerunt: v. g. Tyrus & Sidon, incolas Chorazin & Bethsaida Matth. XI. 21. Sodomæi, Capernaitas vs. 23. Regina Austri, Judæos Matth. XII. 42. Nec 4. in *officiis* qualibuscunque *ecclesiasticis*: α. *agnitione* veritatis Rom. II. 18. 22. 1 Cor. XIII. 2. ejusdem *professione* Rom. II. 17. Matth. VII. 21. 22. ejusdem *propugnatione* 1 Cor. I. 19. 20. in frequentatione sacrorum Luc. XVIII. 11. Jes. I. 15. usu Sacramentorum 1 Cor. X. 2. 3. 4. Act. VIII 13. Gal. V. 6. 1 Cor. XI. 27. erogatione eleemosynarum Luc. XVIII. 12. 1 Cor. XIII. 3. in jejuniis Luc. XVIII. 12. in martyrio pro veritate 1 Cor. XIII. 3. in *præconio* verbi Matth. VII. 21. 22. 1 Cor. XIII. 1. in *zelo* professionis Phil. III. 6. Nec 5. in externa qualicunque *justitia* Matth. V. 20. honesta conversatione Luc. XVIII. 11. 12. irreprehensibilitate legali Phil. III. 6. Nec 6. in donis gratiæ *communis* Heb. VI. 4. v. g. (a) *illuminatione Spiritus S.* communi Num. XXIV. 3. 4. quâ veritatem salutarem, agnoscamus, recipiamus cum gaudio, profiteamur animosè, prædicemus cum zelo (b) vi *coërcente* & refrænante Gen. XX. 6. (c) *detestatione* & fugâ qualicunque, enormiorum scelerum 1 Cor. V. 1. (d) *pœnitentia* qualicunque, de perperam commissis,

in quovis, quod cum regeneratione non sit conjunctum.

Quænam illa in quibus non est acquiescendum.

missis, qua peccata agnoscamus, doleamus, confiteamur, utcunque corrigamus, cum Juda Matth. XXVII. 3. 4. 5. 1 Reg. XXI. 27. (e) in *exteriori* observantia legis & præceptorum divinorum Matth. XIX. 18. 19. 20. His igitur omnibus, aliisque pluribus, in negotio salutis, nequaquam homini est *acquiescendum*, si nolit decipi: quod omnia ista, excluso Spiritu, ejusque vera *regeneratione*, possint repræsentari à *carne*, adeoque non nisi *caro* esse. Joh. III. 6. quamvis in vere *regenitis*, à Spiritu, & infusa vita spirituali, originem ducant. Quamobrem omnino necessum est, ut in his omnibus, exacte *naturam* discriminemus à regenerationis *gratia*, & defectus notemus, ex quibus liceat dignoscere, quod non à *spiritu*, seu vita regenerationis spirituali profluant; sed à *carne* h. e. à natura irregenita. Differunt ergo *moralia* illa à *spiritualibus*. 1. Quoad *originem*: dum enim spiritualia à *Spiritu* oriuntur Joh. III. 5. & *fructus Spiritus* sunt Gal. V. 22. & à *lege* Dei, per Spiritum inscripta cordi Jer. XXXI. 33. Ezech. XXXVI. 26. 27. moralia, *sola* industria, studio & exercitatione comparantur, ac viribus liberi arbitrii exercentur, nec proinde sunt, nisi opera *naturæ*, non *Spiritus*. 2. Quoad *normam*: dum *spiritualia* sese componunt ad regulam *novæ* creaturæ Gal. VI. 16. & spirituales ambulant secundum *Spiritum* Rom. VIII. 1. secundum voluntatem Dei Matth. VI. 10. *moralia* illa sese componunt, ad qualemcunque *mediocritatem*, quam determinent ratio & placita sapientum. Proinde moralia illa obsequium intendunt, *non Deo*; sed *rationi* & sapientibus, præstare. 3. Quoad *finem*: dum *spiritualia* enituntur in *glorificationem* Dei 1 Cor. X. 31. Phil. I. 20. in unionem & communionem cum eo, in quo summa ipsis est beatitudinis Psal. XVI. V. & LXXIII. 25; *moralia* illa plerumque gloriam & emolumenta *propria* sectantur, ut patet in Pharisæis Matth. VI. 2. 5. aut, si quid præterea, arrigat ad studium *virtutis*, ad summum non est, nisi *pulchritudo* virtutis, quoad *rationi* sit consentanea. 4. Quoad *causam* proximam: dum *spiritualia* excluduntur *à fide* Rom. I. 17. Gal. II. 20. quæ pro peccato habet, quicquid non fit *à fe*, quantumvis in se videatur speciosum Rom. XIV. 23. *moralia* illa *fidem* penitus ignorant, ex *naturæ* seminibus succrescunt, solis exercitiis, absque ulla auxilii divini imploratione, rigantur. 5. Quoad *fundamentum*: dum *spiritualia* omnia sunt & fiunt *in Christo*, absque quo *nihil possumus* Joh. XV——5. & in quo, *omnia* Phil. IV. 13. nec etiam, nisi *in Christo*, dilecto illo, Deo grata sunt Eph. I. 6. utpote qui omnes eorum defectus, sua justitia, tegit, sarcit, & sic Patri suo repræsentat; *moralia* irregenitorum, *nihil* Christi penes se habent, ac proinde non sunt, nisi *vizania naturæ*, propria justitia, & velut panniculus *menstruatus*, abominabilia in conspectu divino Jes. LXIV. 6. Quoad 6. *affectionem* humilitatis: dum *spiritualia*, cum perpetua agnitione, & sensu nativæ suæ ineptitudinis & corruptionis, adeoque cum profunda humiliatione, conjuncta sunt Luc. XVII. 10. & XVIII. 13. 2 Cor. III. 5; *moralia* illa *turgent* ac fœtent fastu & superbia Matth. VI. 2. 5. 8. Luc. XVIII. 11. 12. Jes. LVIII 2. 3. Matth. VII. 26.

Ut differant moralia à spiritualibus.

XXXVII. *Quinto*, commendat ingenuam *exploralionem*, qua ex oratum nobis evadat, num vere simus regeniti. Quamvis enim actus *primus* vitæ spiritualis, qui regeneratione confertur non sit conspicuus *in se*, prout nec vitæ naturalis actus *primus* est, nec habitus, ac virtutes quævis; est tamen maxime conspicuus, in suis *operationibus*, quas per conversionem elicit: & quamvis etiam, saltem *conversatione* honestus, non facilè certus esse possit, se *non* esse regenitum, quod regenerationis vita (sicut semina in terris) nonnunquam ad tempus aliquod lateat; potest tamen, qui vere regenitus & conversus est, ex *fructibus Spiritus* Gal. V. 22. Matth. VII. 16——21. infallibiliter certus esse, se regenitum & conversum esse 1 Joh. III. 14. & V. 1. Saltem, qui *non* excludit fructus, resipiscentia dignos, jure de sua regeneratione *dubitare* potest, ad hoc, ut necessitatem futuræ concipiat. Quibus ergo indiciis, certo assequar, me regenitum esse? Hisce, 1. Quicunque intra se experitur generalem quandam *innovationem*, per quam, ex homine ψυχικῷ, carnali, & mundano, factus fuerit *spiritualis* ac cœlestis, ille procul dubio regenitus est: quod regeneratio sit *renovatio* Spiritus S. Tit. III. 5. & regenitus *nova creatura* 2 Cor. V. 18. qui *novum* cor, *novum* spiritum accepit Ezech. XXXVI. 26. *transformatus* est (μεταμορφώμενα) ad *imaginem Dei* 2 Cor. III. 18. ut jam non amplius *ipse vivat*; sed *Christus in eo* Gal. II. 20. Quicunque 2. pro veteri *cœcitate*, jam novam experitur *lucem*, qua spiritualia, *spiritualiter* cognoscere ac discernere potest, ille procul dubio regenitus est Eph. I. 18. & V. 8. 1 Cor. II. 14. 15. 2 Cor. IV. 3. 6. Act. XXVI. 18. Quicunque 3. in *corde* & voluntate sua, novam experitur, versus spiritualia, *propensionem*, ille procul dubio regenitus est Phil. III. 7. 8. Psal. IV. 7. 8. & XVI. 5. & LXXIII. 25. Phil. I. 20. Quicunque 4. in *affectibus*, seu animi passionibus, amore & odio; desiderio & fuga; gaudio & tristitia, item in ira, timore, audacia, *spiritualiorem* experitur constitutionem, quam antea; ille procul dubio regenitus est Gal. V. 16. 17. 24. Rom. VIII. 1. 2. & VII. 20. 21. Quicunque 5. in spiritualibus, serio enituntur ad *incrementum*, ut in his, quæ ad regnum Dei spectant, magis magisque *invalescant*, & immutentur in melius; illi procul dubio regeniti sunt 1 Pet. II. 2. Matth. XVIII. 3. Quicunque 6. *proclives* sunt ad bona quævis opera; procul dubio

5. Comploralionem, num veré simus regeniti.

Quibus indiciis certus esse possis, te regenitum esse.

bio ſunt regeniti: ſumus enim, in Chriſto Jeſu, per regenerationem, *creati ad bona opera* Eph. II. 10. Col. I. 10. Act. IX. 6. Rom. I. 9. & VII. 22. 2 Pet. I. 4. 5. 6. 7. 8. Ex adverſo, juſtas rationes habent, *dubitandi* de ſuâ regeneratione: quotquot A. non ſecundum *ſpiritum*; ſed *ſecundum carnem vivunt*: quicquid enim *ex carne natum eſt, caro eſt* Joh. III. 6. qui ſub *dominio* peccati, & ſub laqueis Satanæ circumâguntur 2 Tim. II. 25. 26. Eph. II. 1. 2. 3. 4. 5. Rom. VIII. 13. & VI. 12. & VII. 4. 5. 6. Quotquot B. *media* gratiæ & ſalutis *contemnunt*, & ſuſque deque habent Joh. VIII. 45. 2 Tim. II. 25. 26. Quotquot C. *acquieſcunt* in vitâ civiliter *honeſtâ* & phariſaicâ Matth. V. 20. Luc. XVIII. 11. 12. Phil. III. 4. 5. 6. Rom. II. 17 — Quotquot D. in externâ pietatis *profeſſione* ſubſiſtunt, nec ad *interiora* pietatis emituntur 2 Tim. III. 5. Matth. VII. 21. 22. 23. Jeſ. LVIII. 2. Ezech. XXXIII. 31. 32. 1 Cor. XIII. 3. Quotquot E. nunquam ſerio fuerunt *ſolliciti* de ſalute ſuâ, aut de ſtatu gratiæ Jer. XXXI. 19. Act. II. 37.

Juſtæ rationes, ob quas dubitare poſſis de tuâ regeneratione.

6. Excitat ſtudium enitendi in aliorum regenerationem.

XXXVIII. *Sexto*, inculcat ſtudium enitendi in regenerationem *aliorum*: quod imprimis incumbit verbi divini *miniſtris*. Cum enim ipſi verè irregeniti nihil omninò poſſint conferre, ad *ſui* regenerationem; neceſſum eſt, ut quivis, & hic cumprimis, quibus iſtud negotium Deus ex *officio* impoſuit, hoc agant. Atque, ut hoc promptius agant, juvabit devotè cogitare: (1) Se ad hoc, à Deo *vocatos* eſſe Act. XXVI. 17. 18. 2 Cor. V. 18. 19. 2 Tim. II. 25. 26. 27. (2) Se ſic agere *συνεργὸς* Dei 1 Cor. III. 9. 2 Cor. VI. 1. (3) Se, hoc nomine, *Patres* appellari, quod ſpiritualiter generent 1 Cor. IV. 15. (4) Quam ſit res ingens, *anima* humana Matth. XVI. 26. Luc. IX. 25. & (5) quam ſit præclarum, animas *lucrari* Prov. XI. 30. Matth. IV. 19. ut non ineptè Auguſtinus, converſionem animæ, quodvis ſuperare *miraculum*, pronunciet. (6) Quam *glorioſum* ſibi hoc olim futurum ſit, in extremo judicio, multos ſpiritualiter *genuiſſe* Heb. II. 10. 13. 1 Theſſ. II. 19. 2 Cor. I. 14. Dan. XII. 3. Ex adverſo (7) quam turpe & horrendum ſibi futurum ſit, neglectarum *animarum* reum convinci Ezech. III. 18. 20. Jer. XLVIII. 10. 1 Cor. IX. 16. 17. Quâ autem ratione enitentur in regenerationem aliorum? A. Docendo & informando, de naturâ regenerationis, quemadmodum Chriſtus Nicodemum Joh. III. 4 5. B. Inculcando indeclinabilem regenerationis *neceſſitatem*, citra quam, nec *videre* poſſint, nec *ingredi* regnum Dei Joh. III. 3. 5. C. Explicando ineffabilem *miſeriam* eorum, qui abſque regeneratione decedunt Rom. VII. 24. 2 Tim. II. 26. Luc. XIII. 3. juxta §. XXXIV. D. Exaggerando beatiſſimam eorum *ſortem*, qui verè regeniti ſunt, juxta *parag.* XXXII. E. Oſtendendo, quibus *adminiculis*, regenerationis reddamur participes; qualia ſunt, v. g. *α.* declinare cum Nicodemo Joh. III. 2. conſortia irregenitorum Act. II. 38. 40. & appetere, cum eodem Nicodemo, præſentiam & informationem eorum, qui nobis poſſint monſtrare vitam regenerationis 1 Cor. IV. 15. Prov. XIII. 20. Eph. IV. 29. *β.* concipere *ſemen* regenerationis, verbum Dei 1 Pet. I. 23. 1 Cor. IV. 15. *γ* urgere promiſſionem fœderis gratiæ Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. & XI. 19. Jer. XXXII. 39. *δ.* ſuſpirare cum Davide; *cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in me* Pſal. LI. 12. &c. F. Removere *præjudicia*, cavillationes & impedimenta, quibus, ſibi ipſis irregeniti viam obſtruere ſolent, ad regenerationem, qualia v. g. (a) Quod ea ratione ſe ipſos condemnare, omnemque anteactam vitam palàm proſtituere teneantur, cum ſummo ſuo dedecore. Reſp. (*α*) Iſtud quantulumcunque contumeliæ, devorandum nobis, ut æternum declinemus opprobrium Dan. XII. 2. (*β*) condemnatio vitæ perverſæ, & confeſſio peccatorum, nunquam puduit optimos Pſal. LI. — &, omnium Chriſtianorum conſenſu, ad ſalutem abſolute eſt neceſſaria 1 Cor. XI. 31. Prov. XXVIII. 13. (*γ*) imo argumentum gloriæ eſt, generoſe retractare perperam acta 2 Cor. III. 11. &, in gloriam gratiæ divinæ, recenſere præterita ſcelera 1 Tim. I. 13. Tit. III. 3. 4. 1 Cor. VI. 10. 11. (b) Quod hac ratione, omnia ſua de novo ſibi veniant exordienda, atque omnia hactenus ſtructa, deſtruenda. Reſp: Perperàm ſtructa, omnino veniunt deſtruenda, ne ſe deſtruant; prout, in fundamentis ædificiorum ruinoſis, palam eſt Matth. VII. 26. (c) Quod in dubium adducendo omnem priſtinam agendi rationem, videantur ad deſperationem adducendi. Reſp. 1. Præſtat hic deſperare *cum ſpe*, quam olim æternum deſperare *ſine ſpe*. 2. Salutaris illa deſperatio de aviis præteritis, non eſt niſi ſolida *ſpes*, imo indubitatum medium reductionis in viam ſalutis æternæ. (d) Quod regenerationis, & novæ creaturæ *ἀκρίβεια* ſibi non conveniat. Reſp. *α.* Per *anguſta* tendendum ad auguſta Matth. VII. 13. 14. *β.* quod vere regenitis via iſta non ſit *anguſta*; ſed ſuavis Matth. XI. 28. 29. Rom. VII. 22. (e) Quod reprehenſionibus, contemptui & perſecutionibus quorumvis, hac ratione veniant exponendi. Reſp. 1. Eſt hæc religionis Chriſtianæ ſors propria: beatus eſt, qui ea *non offenditur*, ex ſententia Chriſti Matth. XI. 6. 1 Pet. IV. 12. 1 Theſſ. III. 3. Eſt 2. in his ipſis *adverſis*, *beatitudo* quædam Chriſtianorum Matth. V. 10. 11. 1 Pet. IV. 14. G. Orare pro regenerandis, ut ſuis plantationibus Deus præſtet *incrementum* 1 Cor. III. 5. 6. 7. ut regenerandos vivificet, illuminet, innovet, à corde lapideo liberet &c. Eph. I. 16. 17. 18. Rom. XV. 13. Nec eſt: quod in his omnibus ſuſpicentur, ſe ſurdis narrare fabulam, & demortui fores pulſare; cum *α.* ſuum agendo, ſecuri de ſucceſ-

Rationes motivæ.

Modus enitendi.

Impedimenta regenerationis removenda.

ſu, *debitum* præſtent officium, & propriam animam liberent Ezech. III. 17—21. β. licet forte agant cum *ſpiritualiter*-mortuis; agunt tamen cum *naturaliter*-viventibus, intellectu & voluntate præditis, qui ſenſum grammaticum & hiſtoricum poſſint percipere. γ. quod Deus, mediantibus hujusmodi alloquiis, ſoleat regenerare Jeſ. LIX. 21. Rom. XV. 18. 19. 1 Cor. III. 5. 6. 7.

7. Hortatur ut incumbant officiis, regenerationi congruis. Quænam illa.

XXXIX. *Septimo*, hortatur *regenitos*, incumbant officiis regenerationi congruis. Nim. 1. ut agnoſcant ineffabilem *gratiam*, ſibi præ tot millenis, in regeneratione, purâ putâ Dei εὐδοκίᾳ, collatam, inque eâ exſultent Jac. I. 17. 18. Eph. II. 5. 6. Conf. Luc. XV. 32. Ut 2. ſenſu ineffabilis beneficii, Deo *gratias* ingenue agant 1 Pet. I. 3. 4. Ut 3. à Deo toti *pendeant*, velut à primâ ſcaturigine vitæ ſuæ ſpiritualis 2 Cor. IV. 4. 5. 6. qui *operatur* in nobis, & *velle & perficere* Phil. II. 13. Ut 4. conſtitutis mediis, enitantur, in vitæ ſpiritualis, ſibi per generationem communicatæ, continuum *incrementum* 1 Pet. II. 2. Ad hoc 5. calidis *precibus* Deum fatigent Pſal. LI. 12. Imprimis etiam 6. operam dent, ut vitæ illius ſpiritualis actum *primum*, quem per regenerationem acceperunt, omni ſtudio in actus *ſecundos* promoveant: ut, qui per Spiritum *vivunt*, in ſpiritu quoque *ambulent* Gal. V. 25. Rom. VIII. 1. Eoque 7. tracti, *currant* Cant. I. 4. corde lapideo privati; ſibi *cor novum faciant*, & *ſpiritum novum* Ezech. XVIII. 31. circumciſi, *circumcidant ſeipſos Domino*, & magis magisque *removeant præputium cordis* ſui Jer. 14. 4. h. e. regeneratione jam vivificati, deponant, per *converſionem* & reſipiſcentiam, quoad *priorem converſationem*, *veterem hominem*, ut *renoventur quoad ſpiritum mentis*, & *novum hominem induant*, qui *ſecundum Deum creatus* eſt, *in vera juſtitia & ſanctitate* Eph. IV. 22. 23. 24. meminerintque, ſe, per generationem, eſſe Dei ποίημα, *creatos in Chriſto Jeſu*, *ad bona opera*, *ut in eis ambulent* Eph. II. 10. Hæc autem ſpectant ad *converſionem* & *ſanctificationem*, quæ fines præſtant regenerationis, ſicut actus *ſecundi*, ſunt fines actus *primi*.

CAPUT QUARTUM,
DE
Redimendorum Converſione.

Jer. XXXI. 18. 19.

Converte me, & convertar; quia tu Jehova Deus meus; nam poſtquam converſus fuero, pœnitebit me, poſtquam innotui mihi, percuſſi femur, confuſus fui & etiam erubui; quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.

Tertius actus Spiritus S. applicativus; eſt converſio.

I. REſtat *tertius* applicationis actus, quo Spiritus S. vitæ ſpiritualis actum *primum*, regeneratione collatum, ad *ſecundos* promovet, ut Redemptorem, & redemptionis conditiones, vocatione *oblatas*; per eas vires, quas in regeneratione acceperunt, amplectantur & expediant. Et hoc peragitur *converſione*: cujus natura ſatis commode repræſentatur Jer. XXXI. 18. 19.

Pars exegetica.

Textus aperitur.

II. *Quibus verbis* votum *continetur Eccleſiæ*, *ſeu petitio*, pro ſui converſione. *Circa quam notatur duplex converſio:*

1. Petita, converte me, השיבני. *Eſt hic rurſus*

A. converſio *petita*. השיב, converte, *à* שוב reverti, *in Hiphil*, reverti facere: *ſeu ad* locum, *unde digreſſus fueris*; *& ſic ſenſus emergeret*: *fac ut revertar in patriam*. *Sed perperam verbum alio ſenſu ſumitur*, *quam in præcedentibus*; *cum manifeſtum*, *converſionem ad Deum peti*: *ſeu ad* terminum *unde digreſſus fueris*: *& ſic hoc loco*; *ut Eccleſia petat converſionem animi ſui*, *ad Dominum à quo peccatis digreſſa fuerat*. *Non autem intelligitur* regeneratio *ſtricte ſic dicta*, *qua actus vitæ ſpiritualis* primus *confertur*, *per quem* poſſumus tantum; *quod patere poteſt* 1. *ex eo quod verba præſupponant* deſiderium *converſionis*, *quod potentiam præſupponit*. 2. *quod in eam enitatur* voto, *&* 3. *voto quidem apud Deum* grato *& accepto*, *ut patet ex contextu antecedentium & conſequentium*. *Quæ omnia*, *in hominem adhuc dum irregenitum*, *& in peccatis mortuum cadere poſſe implicat*. *Intelligitur ergo* converſio, *quæ regenerationem ſequitur*, *qua actus* primus *vitæ ſpiritualis jam collatus*, *in* ſecundos *promoveatur*, *nim. illa Dei operatio*, *per quam à peccato*, *ad Deum revertimur* Thren. V. 21.

B. Con-

B. Convertendus *qui petit* : Me. *Solicita eſt de* ſui *converſione potius, quam aliarum nationum, ſcil. pro ratione Eccleſiæ V. T. quæ coarctata erat intra limites unius Judææ, extendenda demum ſub N. T. per univerſam terram : ut doceat, à propriâ converſione inchoandum eſſe, juxta Servatoris apophtegma* Math. VII. 5

2. Promiſſa, & convertar *&c. penes hanc traduntur*,

א. Res promiſſa, ואשובה & convertar, *ſenſu* paſſivo, *potius* & revertar *ſenſu magis* activo, *ut habeat rationem* promiſſionis, *ſi nim. per regenerationem mihi contuleris vitæ ſpiritualis actum* primum, *quo* poſſim *reverti; ſi iſtum actum* primum *potenter excitaveris, ut non tantum* poſſim; *ſed &* velim; *tum revertar ad te fide & reſipiſcentia, unde per peccatum digreſſus fueram* Phil. II. 13. *ſi me* traxeris, *tum curram tecum* Cant. I. 4. Joh. VI. 44. 45. Conf. Jeſ. XL. 31. Jer. XXXI. 3. *Et ſic* τὸ & *ſignificabit* tum, *non* ante. *Etiam & poſſit ſonare* ut, *converte me*, ut *revertar, ut notet, abſque prævia converſione, non revertar, nec potero : quod abſque gratia excitante, actus ille vitæ* primus *non poſſit in ſecundos, nim. fidem & reſipiſcentiam exire, ea autem poſita*, volam *& faciam, atque adeo actu reſipiſcam.*

ב. Ratio *promittendi*, כי אתה יהוה אלהי, quia tu *es* Jehova Deus meus. כי *rationem motivam dicit, qua adducta* velit, *fide & reſipiſcentia reverti, quia nim. Jehova ſit Deus* ſuus, *non tantum per fœdus gratiæ* nationale, *quod Deus ſecum pepigerit apud Sinai* Exod. XIX. 5. *ſed etiam per fœdus* perſonale, *quod cum ſingulis coit vere fidelibus, quo promittit Dominus, ſe Deum eorum futurum* Gen. XVII. 7. *quodque fideles fide recipiunt, ſeque Deo reciprocant : ex quo porro fœdus reſultat* διπλευρον, *quod ab utraque contrahentium parte ratificatur. Id quod efficaciſſimum motivum præſtat, ad Deum reſipiſcentia revertendi, à quo, per peccata digreſſus fueris. Poſſit etiam deſignare* terminum, *ad quem ſe reverſurum promittit, ſcil. ad* Deum, *& ad Deum* ſuum : *ſicut enim per peccatum à Deo digredimur; ita per fidem & reſipiſcentiam, quam operatur divina converſio, ad Deum revertimur. Porro* יהוה אלהים, *Deum triunum indigitat, Patrem, Filium & Spiritum, cum quo in fœdere gratiæ paciſcimur, quique converſionis opus in nobis producunt.*

ג. Actus *converſionis, & quaſi præcipua ejus ingredientia, tria numero; nim.*

1. Pœnitentia, ubi converſus fuero, pœnitebit me, כי אחרי שובי נחמתי. *Notatur hic*

α. Prærequiſitum *neceſſarium* : nam poſtquam converſus ſum. *Particula* כי *quamvis varia in Scripturis ſignificet, nim. quandoque* rationem *illationis, unius ex alio, prout* Luc. VII. 47. τὸ ὅτι; *hic tamen cauſam notat, adeoque inſeparabilem* nexum *inter* converſionem *divinam, & pœnitentiam humanam, per quam, poſita converſione, non poteſt non ſequi pœnitentia ſalutaris; & non poſita, non poteſt ſequi.* שובי *hic intranſitive potius ſignificat* reverti : *poſtquam* ſum *converſus à Deo*, reverſus ſum, *h. e. à peccato ad Deum, & ad ſaniorem mentem*, pœnituit me.

β. Actus pœnitentiæ *ſubſequens, de peccatis præteritis* נחמתי, *à* נחם, *quod* LXX. *Interpp. promiſcue reddunt, jam per* μεταμέλεσθαι pœnitere; *jam per* μετανοεῖν reſipiſcere. *Significat actum* internum *doloris de quibuſvis, vel in ſpecie de* ſuis, *ſive dictis, ſive factis, quod eſt* μεταμέλεσθαι; *tum & mutationem ſententiæ, quod eſt* μετανοεῖν. *Utrumque hoc loco notare poſſit, &* dolere *de perperam factis, & mutare ſententiam in melius ſeu reſipiſcere. Notat inſuper* נחם conſolari, *& conſolationem accipere, & hoc obtinere hic poſſit, quod ex vera pœnitentia & reſipiſcentia naſcatur ſolida conſolatio* 2 Cor. VII. 10.

2. Triſtitia. Et poſtquam mihi innotui, percuſſi femur. *Notatur his verbis*

A. Cauſa *triſtitiæ* ואחרי הודעי : הורעי *variis modis redditur ab interpretibus* ; & poſt notum eſſe mihi : *alii* poſtquam oſtenſum eſt mihi : *alii*, ubi oſtenderis mihi : *alii*, & nunc cum notum fuit mihi : *alii*, & poſtquam mihi res eſt patefacta; *alii*, & poſtquam agnovi, *vel* cognovi, *vel* recognovi : *alii*, & poſtquam cognitus ſum mihi. *Significationes pleraque conjungi & ſubordinari poſſunt, cum reſipiſcentiam pleraque iſtorum ingrediantur. Poſtquam in converſione mihi patefeceris Deus, meipſum, peccata & miſeriam meam, extus verbo, intus illuminatione Spiritus; poſtquam ex ea patefactione, qui hactenus meipſum, meæ peccata, meam miſeriam, ſtupidus ignorabam, mihi cognitus fui : poſtquam vitam meam anteactam recognovi. Verbum* ידע *importat* cognitionem, *& certam quidem ac manifeſtam, & cum affectu congruo conjunctam. Fatetur ergo, ſe uſque ad ſui converſionem ſtupidum fuiſſe excæcatum, prout ante converſionem omnes ſumus, ſe per converſionem ad ſe rediiſſe.* Luc. XV. 17. *Se per verbum Dei, & illuminationem redargutionemque Spiritus S.* Joh. XVI. 8. *ad ſui, ſuorum peccatorum & miſeriæ ſuæ cognitionem perveniſſe, indeque ſolicitudinem & curam de ſua ſalute concepiſſe.*

B. Effectus *seu gestus tristitiæ*, כפקתי על ירך, percussi super femur. *Non voce tantum; sed & gestibus patefeci atrocitatem tristitiæ ac doloris mei.* כפק *Hebræis dicitur de* percussione manus super femur; טפח *de* complosione manuum, *uterque gestus doloris & tristitiæ atrocitatem exprimit. Signum est*, 1 *profundi* mœroris Ezech. XXI. 12. *tum* 2. *admirationis ac stuporis, ex sensu iræ Dei, & judiciorum ejus, quæ antea contempserat peccator.* 3. *detestationis sui & peccatorum suorum.* 4. *contritionis ac desperationis, quæ omnia diverso modo ingrediuntur resipiscentiam, & coincidunt cum spiritu* servitutis ad metum Rom. VIII. 15. spiritu timoris 2 Tim. I. 7. compunctione *cordis* Act. II. 37. *& ordinarie præcedunt Spiritum υἱοθεσίας.*

3. Pudor., *penes quem notatur*

א. Affectus *pudoris, qui* α proponitur. בושתי rubore perfusus sum. β. exaggeratur, וגם נכלמתי & etiam ignominia affectus sum. בוש *igitur minus sonat, quam* כלם: בוש *enim* ruborem *notat, ex* modestia *oriundum, & signum est modestiæ, Græcis* αἰδώς verecundia 1 Tim. II. 9. Heb. XII. 28. *ubi pudorem notat, qui homines in officio continet: ab* α. *privativo, & εἴδω* video, *quod pudore suffusi, non videant bonum in se; unde proverbium*; pudor in oculis: כלם *Græcis est* αἰσχύνη, *ab* αἰσχρὸς, *qua ob turpia erubescimus* Luc. XIV. 9. 2 Cor. IV. 2. Phil. III. 19. Jud. VI. 13. *Hic conjunguntur gradatione quadam, ad pudoris magnitudinem exaggerandam. Est autem pudor, dolor seu tristitia ex conscientia turpitudinis oriundus, qualis in conversione observatur, ex agnitione & sensu peccatorum suorum* Luc. XV. 18. 21. & cap. XVIII. 13.

ב. Causa *pudefaciens*, כי נשאתי חרפת נעורי, quoniam sustinui opprobrium pueritiarum mearum. חרפת נעורי, *nonnulli restringunt ad peccata olim ab Israele commissa in deserto: rectius extendi potest ad peccatum* originale, *de quo* Gen. VIII. 21. *atque etiam ad peccata* adolescentiæ Psal. XXV. 7. *quo tempore maxime, & ad pudorem usque luxuriari solent homines, quando in senibus observatur moderatio. Possit etiam* חרפה *notare* opprobrii pœnam Jes. XXV. 8. *quod non male conveniet τῷ* נשאת, tuli, *scil. pœnas scelerum meorum probrosorum. Quanquam &* נשא (*vox πολύσημος*) *nonnunquam significat* proferre, proloqui, *cum magno affectu & dolore; sic Cainus* Gen. IV. 13. Major est iniquitas mea מנשא, quam ut feram. *Saltem significatur, vere conversos non tantum dolere, pudere; sed & fontem dolorum persentiscere, peccata, quibus Deum provocaverint ad iram: nec peccata tantum ætatis* adultæ; *sed & pueritiæ & adolescentiæ: nec tantum persentiscere* intus; *sed &* efferre, *eloqui, &* confiteri extus, *scil. pro natura veræ resipiscentiæ.*

Pars Dogmatica.

Vitæ spiritualis actus primus per regenerationem collatus, traducendus est in actus secundo, per conversionem. Probatur Scripturis & rationibus.

III. Non sufficit ergo ad redemptionis applicationem, vitam spiritualem, qua *possimus*, regeneratione consecutum esse; nisi etiam vita illa, per conversionem, in *actus* promoveatur, ut conditiones redemptionis applicationi prærequisitas, fidem & resipiscentiam *actu* præstemus, idque per efficacem Spiritus S. operationem. Huc enim Ecclesia, in textu, jam regenita, adeo solicita est, suis precibus apud Deum, ut *ipse* converteret, quo & *ipsa* se converteret, tum ad recipiendum Deum per *fidem*, tum ad actus *resipiscentiæ*. Idem agit Thren. V. 21. & aliis terminis Cant. I. 4. *Trahe me & curremus*; unde Servator, neminem, ait, *venire* ad se, nisi Pater eum *traxerit* Joh. VI. 44. 65. Neque enim 1. ut in naturalibus; ita in spiritualibus, vitæ spiritualis actus *primus*, & quivis habitus conferuntur, nisi propter *operationes*: ac proinde, his destituta vita spiritualis, frustra foret & supervacanea. Nec 2. ad participium redemptionis & salutis, Scriptura solam stipulatur credendi & resipiscendi *potentiam*, quæ per regenerationem acquiritur, sed constanter ipsum *credere* & *resipiscere* exigit. Nec etiam 3. *potentia* credendi & resipiscendi, regeneratione collata, sese in *actum* explicare potest, nisi, per gratiam conversionis *excitetur*, & ad objectum applicetur; non potest *currere*, nisi *tracta*, nec se convertere, nisi conversa.

Confideratio vocis.

IV. Ut naturam hujus *conversionis* dexterius assequamur, operæ pretium est, quantum ad *vocem* tenere, (1) quod ea utamur, significatione strictiore, quatenus distinguitur, tum à *regeneratione*, tum à *sanctificatione*: sic, ut *regeneratio* non conferat, nisi actum primum vitæ spiritualis, per quem, positis ponendis, *possimus*: *conversio* actum istum primum traducat in actus illos secundos, quibus conditiones præstamus redemptionis applicandæ, nim. fidem & resipiscentiam: *sanctificatio* eundem promoveat, ad *fructus*, seu ad exercitium bonorum operum, quibus *fides* sese præstet, *per charitatem* ἐνεργουμένην Gal. V. 6. producat *obedientiam fidei* Rom. I. 5. & XVI. 25. & *resipiscentia*, *fructus se dignos* Matth. III. 8. & VII. 17. 18. (2) Quod nonnunquam capiatur, pro transitione ab *erroribus* & hæresibus, ad professionem *veritatis* Jac. V. 19. (3) Quod conversio,

versio, à statu ad statum, seu à vitio ad veritutem, quæ præsentis est considerationis, duplicem obtineat σχέσιν: alteram ad *Deum*, convertentem, velut causam purè *efficientem*; alteram ad *hominem*, qui convertitur, & conversus, convertit se, velut ad causam *formalem*. Ut hinc, non *duplex* resultet conversio, Dei & hominis; sed *una* tantum, quæ causas duas agnoscit, sibi subordinatas, efficientem & formalem.

Quid sit conversio.

V. Quantum *ad rem*, conversio, illam nobis dicit operationem Dei, qua regenitos erigit, ad exercitium fidei & resipiscentiæ, quo conditiones, redemptionis applicationi prærequisitas, præstando, ipsius redemptionis communionem nanciscantur. Ex quo proclive est perspicere, conversione, non *novas* qualitates convertendis infundi, prout fit in regeneratione, & sanctificatione; sed vitam tantum spiritualem, quam regeneratione, dudum sunt consecuti, in *actum* erigi. Penes quam conversionem, considerandæ sese offerunt: 1. convertens, 2. convertendi, 3. conversio, 4. conversionis termini, seu producta, 5. ejusdem finis, & 6. species.

1. Causa convertens, Deus est per gratiam.

VI. *Primo*, inquam, causa *convertens*, procul dubio *Deus* Jer. XXXI. 18. *converte me*, nec quisquam *currit*, nisi *tractus* Cant. I. 4. Ejus enim est vitam *excitare*, cujus est *conferre*. Unde Psaltes: *crea*, inquit, *in me cor novum* Psal. LI. 12. item, *trahe me* Cant. I. 4. idque pura puta adductus *gratia*, agit; à qua *dedisse* dicitur *Gentibus resipiscentiam ad vitam* Act. XI. 18. 2 Tim. II. 25. Quod tamen non ita venit intelligendum; acsi convertendus, *nihil* omninò conferret, ad sui conversionem; *vivificatus* enim per regenerationem vires obtinet, quibus potest Deo *cooperari*, ad sui conversionem, à quo, tam frequens in Scripturis, accidit adhortatio ad conversionem, & tracti venire, & currere dicuntur: sed quod convertendus, in se nihil omnino experiatur, quod vitam, regeneratione sibi collatam, in actum promovere possit: ageret enim, non actus à causa *prima*.

2. Conversionis objectum.

VII. *Secundo* objectum conversionis, seu *convertendi*, homines peccatores Matth. IX. 12. quin *pessimi* & egregii, frequenter Luc. XV. 21. Gal. I. 13. 14. 1 Tim. I. 13. Matth. XXI. 31. 32. Rom. V. 20. imò *quivis*, h.e. cujuscunque generis & ordinis Act. XI. 17. 18. Joh. III. 8. Nec tamen omnes & *singuli*; sed *electi* tantum Rom. VIII. 30. Act. XIII. 48. Imò electi jam *regeniti* Jer. XXXI. 19, *postquam conversus fuero*, *resipiscam*: neque enim conversio novam vitam *confert*; sed collatam *erigit*.

3. Conversionis actus:

VIII. *Tertio*, actus convertendi, seu *conversio*: duplex, *moralis* alter, alter *physicus*. *Moralis* conversi peragitur mediante *verbo* Jes. LIX. 21. Rom. I. 16. & X. 17. Psal. XIX. 8. lecto, audito, considerato, quod, in *vocatione* quidem, sese habet ut semen *sparsum*; in *regeneratione*, ut semen *vivificatum*; in *conversione*, ut *instrumentum*, per quod convertendis, officium Deus designat, & ad præstandum allicit: adeoque non *physicum*, quod sua virtute immediatè producat conversionem, seu quod gratiam conversionis sibi inclusam, traducat ad animum convertendi; effectus enim conversionis *spiritualis*, per causam *corporalem*, & minus etiam, per talem, quæ non agit nisi significando & repræsentando, produci non potest: sed *ethicum* & morale tantum, per quod rationes convertendo Deus oggerit, ad quas, seipsum liberè determinet ad conversionem. Dum tamen verbum *instrumentum* dicitur, satis intelligitur, illud ad conversionem, non agere in virtute *propria*; sed causæ *principis* Jes. LIX. 21. Verbum autem duplex usurpat Deus: *primo* legis, quæ ab hoc, *prædagogus* appellatur *ad Christum* Gal. III. 24. utpote cujus *finis sit Christus*, *ad justificationem credentis* Rom. X. 4. Hujus ope, convertendum prosternit, ad *agnitionem* & *sensum* peccati & miseriæ suæ, ad *ἀνακολογησίαν*, & *desperationem* salutarem, perducit; ut redemptionis & Redemptoris indeclinabilem *necessitatem* perspiciat Rom. III. 19. in quem finem, Deus legi non rarò adjungit *calamitates* quasvis externas, ut velut fustibus, *moraliter* quasi compellat intrare Job. XXXVI. 10. 2 Paral. XXXIII. 13. II. 1 Cor. XI. 32. Jer. II. 19. Luc. XV. 17. 18: *secundo* Euangelii Rom. I. 16. cujus ope, convertendus, redemptionis rationem agnoscat, ejus spem concipiat, & in ejus studium excitetur Matth. XI. 28. Jes. LV. 1. 2 Cor. V. 19. 20. actus moralis per verbum.

IX. Alter conversionis actus *physicus* est, quo convertendum potentet *trahit* Cant. I. 4. Joh. VI. 44. 65. ei *cor aperit* Act. XVI. 14. cor *novum ei creat* Psal. LI. 12. in eo *efficit velle & perficere* Phil. II. 13. & sic *convertit*, ut convertatur Thren. V. 21. Jer. XXXI. 18. 19. Neque enim α. sola operatio *moralis* producere potest effectum *physicum*, qualis est conversio: & si β. produceret homo, & per moralem illam suasionem, seipsum determinaret ad conversionem, non determinatus à Deo *physice*; primum foret sui ipsius determinans, in genere entis *physice* non determinatum, adeoque primum *movens*, non motum; primum agens, non actum ab alio; proinde, istius determinationis *prima* causa, primum principium *ἀναίτιον*, & sic plures essent causæ primæ, nec Deus solus causa esset *absolute* prima. Ut non dicam γ. vitam spiritualem, *jacentem*, in *actum* se erigere non posse, nisi à causâ primâ excitetur. *Physica* ista Dei operatio, non tantum 1. in *convertendum* influit, ut ejus existentia, facultas intelligendi & volendi, atque etiam vita spiritualis, regeneratione collata, potenter conserventur; quæ per providentiam *universalem* fiunt Act. XVII. 28. nec 2. tantum in *effectum* influit, qui ab homine, postquam seipsum deter- actus physicus.

minavit, & à Deo simul producatur: cum *prima* illa determinatio, utpote ens, non possit subtrahi prædeterminationi *primæ* causæ Rom. XI. 36: neque 3. in ipsum determinationis *actum*, concursu tantum *universali*, qui determinetur specificeturque, ab ipso convertendo: cum ipsa illa *specificatio* sit ens physicum, ac proinde pendeat à *prima* causa. Occupatur ergo 4. physica conversionis operatio, *excitando* vitam spiritualem, & prædeterminando convertendum, ut *actu* velit præstare conditiones, redemptionis applicationi prærequisitas Phil. II. 13. Prov. XXI. 1.

Conversionis operatio circa convertendi intellectum

X. Utroque conversionis actu, morali & physico, Deus occupatur circa vitam spiritualem, regeneratione collatam, tum intellectui; tum sensui & affectibus; tum voluntati. Vitam, seu lumen spirituale, A. *intellectui* collatum, Deus excitat; *primo*, *instruendo* eum Joh. VI. 45. Jer. XXXI. 33. Heb. VIII. 10. de fundamentalibus omnibus veritatibus, quæ ad redemptionis participium, cognitu sunt necessariæ: v. g. de fœdere naturæ, ejus violatione cum consectariis, peccato, pœna, miseria: de fœdere gratiæ, ejus mediatore, redemptione, & redemptionis applicatione &c. *Secundo*, *convincendo* Joh. XVI. 8. de universali & infallibili veritate, & auctoritate divina, Scripturæ 2 Pet. I. 19. 20. Nominatim de his, quæ de turpitudine, pœna & miseria peccati, item de redemptionis natura & necessitate, de Redemptoris sufficientia, redemptionis consequendæ modo & mediis, &c. passim Scriptura tradit. Neque enim, ad redemptionis participium, sufficit; de his aliisque edoctum esse, ut *noris*; nisi & de infallibili eorum veritate *convictus* sis, ut animum ad operandum arrigant Joh. XIII. 17. B. Vitam spiritualem, in facultate ἀισθητικῇ, erigit in *sensum* earum veritatum, de quibus intellectus edoctus & convictus est Jer. XXXI. 19. *ubi mihi ipsi innotuero*, *percutiam femur* — ut exclament: *miser ego!* Rom. VII. 24. & *compuncti corde* (κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ) lamententur; *viri fratres*, *quid faciemus?* Act. II. 37. Neque enim sufficit, cerebrum habere oppletum veritatibus egregiis, quæ haustæ sint, ab institutione *externa*, exemplis aliorum, aut honestiore educatione; nisi illæ penetrent ad *interiora*, ut affectus & sensum cieant, odii, timoris, fugæ, tristitiæ, pro natura veritatis cujusque cognitæ 1 Cor. XIII. 2. Conf. Matth. XIII. 12—24.

Sensum spirituale.

Occupantur istæ operationes, circa peccatum,

XI. Triplex illa Dei operatio, in informando intellectu, & acuendo convertendi sensu spirituali, circa hæc potissimum quatuor occupatur: *primo*, circa *peccatum*, quod convertendus, usque ad hanc Dei operationem, habuit in deliciis Prov. IX. 17. & fulcrum unicum, suæ felicitatis temporalis; jam agnoscat & sentiat, in detestabili sua turpitudine Jer. XXXI. 19. Psal. LI. 5. 6. Luc. XV. 21. Matth. XXVII. 3. 2 Sam. XXIV. 10. *Secundo*, circa *miseriam*, ex peccato urgentem, quam, usque ad hanc operationem, convertendus non sensit Apoc. III. 17. jam sentiat velut *plagam* cordis sui 2 Paral. VI. 29. jam continuo habeat ob oculos Psal. LI. 5. & exclamet: *miser ego! quis me liberabit ab hoc corpore mortis?* Rom. VII. 24. *Tertio*, circa creaturarum omnium *vanitatem*, & insufficientiam Eccl. I. 2. non tantum, ad procurandum sibi *liberationem*, à peccato & miseria peccati Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. ut exclamare cogantur: *quis me liberabit?* Rom. VII. 24. Psal. XLIX. 7. 8. 9. sed etiam, ad procurandam sibi, *ullam* veri nominis felicitatem Matth. XVI. 26. prout hactenus sibi imaginatus fuerat convertendus, quando opes, honores, voluptates, quasi pro Deo suo habebat Phil. III. 19. & pro sua trinitate 1 Joh. II. 16. à quibus sibi omnimodam spondebat beatitudinem Psal. IV. 7. & XVII. 14. quando liberationem à peccato & miseria ejusdem, à seipso, proprii arbitrii viribus, suaque justitia, sibi pollicebatur Rom. X. 3. *Quarto*, circa Redemptoris absolutissimam *necessitatem* Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. plenissimam *sufficientiam* Col. I. 19. Joh. I. 16. ineffabilem *excellentiam* (ὑπερέχον) Phil. III. 8. ut possit quemvis, & liberare ab *omni malo* Rom. VIII. 1. & cumulare quovis *bono* Eph. I. 3.

creaturarum vanitatem.

sufficientiam & necessitatem Christi.

Horum tria sunt corollaria: Contritio, Conversio,

XII. Ex dictis conversionis operationibus, quatenus præparatoriæ sunt, ad conversionis terminos, fidem & resipiscentiam; tria resultant in convertendis: A. *Contritio*, quam *spiritum servitutis ad metum*, Apostolus appellat Rom. VIII. 15. item πνεῦμα δειλίας 2 Tim. I. 7. & *compunctionem* (κατανύγησαν) Act. II. 37. *cor contritum* Psal. XXXIV. 19. & LI. 19. Jes. LVII. 15. quo, convertendi sunt κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι Matth. XI. 28. qualem contritionem auditores Apostolorum ostendunt Act. II. 37. commentarienses Act. XVI. 29. 30. & ipse Saulus convertendus Act. IX. 6. Consistit autem hæc contritio (1) in profunda apprehensione *turpitudinis* & detestabilitatis, commissorum à se scelerum: hinc iræ divinæ, & sibi imminentis æternæ condemnationis Luc 15. 21. Matth. XXVII. 3. 2 Cor. II. 7. (2) In horrendo mortis *metu* Heb. II. 15. (3) In qualicunque *apprehensione* fatuitatis ac stultitiæ, in committendis sceleribus admissæ, conjuncta cum qualicunque pœnitentia, pudore & conscientiæ remorsibus, quales in Juda observantur Matth. XXVII. 3. in Saule 1 Sam. XV. 24. quemadmodum etiam in regenitis 2 Sam. XXIV. 10. Dan. IX. 5. 7. Jer. XXXI. 19. (4) In acerrimo quodam *dolore* ac tristitia, conjuncta cum gemitibus & lachrymis, quales observantur in Esavo Gen. XXVII. 38. Heb. XII. 17. & in regenitis, v. g. Maria Magdalena Luc. VII. 37. 38. (5) In humili peccatorum *confessione*, non tan-

tantum coram Deo; sed etiam coram hominibus, qualis in Pharaone Exod. x. 16. Saule 1 Sam. xv. 24. & in regenitis Psal. LI — Dan. IX — Luc. xv. 21. (6) In indignatione, & vindicta de seipso, qualis in Juda Matth XXVII. 3. 4. & in regenitis 2 Cor. VII. 11. B. *Humiliatio*, per quam contritus, cogitatione scelerum, & sensu miseriæ sibi imminentis, vilis est & abjectus in oculis propriis Job. XLII. 6. (quemadmodum Deus de Achabo, apud Eliam quasi gloriatur 1 Reg. xx. 27. 28. 29. & de Josia 2 Reg. XXII. 18. 19. *emollitum est cor tuum, & demisisti te coram facie Jehovæ*) seipsum condemnat, judiciorum Dei justitiam, seque æternæ condemnationis reum agnoscit & profitetur Dan. IX. 5. 6. 7. 11. 14. Psal. LI. 6. 2 Sam. XXIV. 17. seipsum omni gratia penitus indignum agnoscit Luc. XV. 21. *non sum dignus* Matth. VIII. 8. Luc. v. 8. & imo pudore suffunditur Luc. XVIII. 13. Ezech. XVI. 61. Jer. III. 25. & XXXI. 19. C. *Desperatio* salutaris, qua sensu indigentiæ nostræ, α. nihil habemus, quod pro liberatione nostra, solvamus Matth. XVIII. 25. in quo spiritualis nostra *paupertas* consistit Matth. v. 3. Luc. IV. 18. ex Jes. LXI. 1. & LXVI. 1. Apoc. III. 17. β. neque etiam quicquam *possumus*, ad nostram liberationem Rom. VIII. 3. & exclamare cogimur: *Miser ego, quis me liberabit?* Rom. VII. 24. *Viri fratres quid faciemus?* Act. II. 37. & XVI. 30. Ea tamen non intelligimus, desperationem de *Dei* sufficientiâ, potentia, fide in servandis promissis; nec de Mediatoris aptitudine; aut promissionum infallibilitate: quali, in sui exitium, laborabat Cain Gen. IV. 13. & Judas Matth. XXVII. 3. 4. 5. quæ impia est, & exitialis: sed desperationem de *seipso* Matth. XVI. 26. & *omnibus* creaturis Act. IV. 12. quæ gradum præstat ad liberationem Luc. XV. 17. Joh. VI. 68.

2. Humiliatio.

3. Desperatio salutaris.

XIII. Jam his tribus, efficax præstatur, & perquam necessaria *præparatio*, non equidem ad regenerationem, sicut cap. præcedenti monuimus; neque ad conversionem *totam*; cum ipsam illa ingrediantur conversionem, velut ejus actus; sed ad conversionis tantum *terminos*, fidem & resipiscentiam. Quibus viam sternunt, (1) In eis subigendo ψυχικὴν αὐτόνητα, qua peccator, aut nullam agnoscit Redemptoris & redemptionis *necessitatem* Apoc. III. 17. Luc. XVIII. 11. Matth. IX. 12. aut redemptionem à seipso, propriis viribus operibusque, sibi pollicetur Matth. XIX. 16. 20. (2) Eos excitando ad *desiderium*, versus Redemptorem & redemptionem Rom. VII. 24. *Quis me liberabit?* Phil. III. 7. 8. 9. Matth. v. 6. Jes. LV. 1. Apoc. XXII. 17. (3) Eos adducendo, ut promptius admittant quasvis *leges* redemptionis applicationi prærequisitas Act. IX. 6. & II. 37. & XVI. 30: videlicet abnegationem sui, susceptionem crucis, imitationem Christi Luc. IX. 23. crucifixionem carnis, & cupiditatum carnalium Gal. v. 24. mortificationem sui

Quorsum requirantur ista præparatoria.

Col. III. 5. qualia, absque præparatoriis istis, nemo unquam admiserit Rom. x. 3. (4) Excitando in ipsis studium, curatius conservandi redemptionem, ubi jam acquisita fuerit, & cavendi quasvis ejus obstructiones, à peccatis oriundas: utpote quam, præparationibus tam molestis, nobis comparaverimus Gal. III. 4. Job. XLII. 6. Atque, ut finem istum commodius ac certius obtineat, triplex illa præparatio, & convertendum erigat ac disponat, ad recipiendum viva fide Redemptorem; Deus convertens, id agit, ut contritio, humiliatio & desperatio præparatoria, non fit: ab *una* parte, nimium *remissa*, & inepta, quæ convertendum adigat ad *absolutam* Redemptoris receptionem, quibuscunque legibus oblati Matth. VIII. 19. sed tantum ad qualemcunque *velleitatem*, qualis in juvene Pharisæo observatur Matth. XIX. 21. 22. in Agrippa Act. XXVI. 28. quæ causa prodigo erat tantæ cunctationis Luc. XV. 14. 15. 16: nec ab *altera* parte nimium *intensa*, ut ad *exitialem* desperationem adigat, sicut in Caino, Saule, Juda aliisque factum: aut saltem, corpus & animam ineptum reddat, ad operationes quasvis rationales; tam civiles, quam sacras peragendas Psal. LXXVII. 3. 4. 5. 9. 10. & LXXXVIII. 4 — 9. imo excludat omnem conversionem Jer. XVIII. 12.

Cavendæ extremitates, in defectu & excessu.

XIV. Monendum etiam, circa triplicem istam præparationem: 1. Quod *materialiter*, suo modo, etiam quandoque in reprobis observentur, ut in Caino, Achabo, Juda aliisque: in quibus, ex intentione divina, nihil omnino commercii habent, cum conversione, neque apud tales, etiam profluunt à vita regenerationis, neque enituntur in receptionem Redemptoris; sed in seipsis subsistunt, nec proinde vergunt, nisi in horrenda præsagia, imo in primitias, horroris æterni. 2. Quod, ratione convertendorum, ex divina intentione, tria illa immittantur, ut *præparent* eos ad *receptionem* Christi, sic in auditoribus Petri Act. II. 17. in Paulo Act. IX — in commentariense Act. XVI. 27. 30. imò (quanquam per diversos gradus, in uno sensibilius, quam in alio) in *omnibus* convertendis, indigitante Paulo Rom. VIII. 15. οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας, πάλιν εἰς φόβον, *non enim accepistis spiritum servitutis, DENUO ad metum.* Et sic, quamvis sint præparatoria ad *actum* fidei, quatenus Redemptorem recipit; non sunt tamen præparatoria, vel ad *regenerationem*, ut *cap. præced.* monuimus, neque ad *totam conversionem*: interim profluunt à vita spirituali, in regeneratione collatâ, & per conversionem excitatâ, adeoque à fide *seminali*, & ab hoc quoque *salutaria* sunt 3. Quod præpararoria ista, ipsam Redemptoris *receptionem*, quæ fit per fidem, etiam sequantur, & quidem cum amplissimo auctario, velut ingredientia resipiscentiæ, & sanctificationis, prout suo loco ostendemus.

Circa præparationem istam monitum triplex.

Conversionis operatio, quatenus occupatur circa voluntatem.

XV. Sic conversionis operationem occupatam videmus, circa intellectum, & facultatem *διανοητικὴν*, ut ejus vitam, regeneratione infusam, excitaret ad contritionem, humiliationem & desperationem, velut necessaria receptionis Christi præparatoria: hinc ad *voluntatem* progreditur conversionis operatio, qua, ad desperationem *salutarem*, convertendum adductum, ut cum prodigo dicat: *pereo* Luc. xv. 17. Excitat (1) ad *votum* liberationis, *utinam liceat* &c. Matth. ix. 21. (2) Ex consideratione misericordiæ divinæ, & sufficientiæ, quæ est in Mediatore; ad qualemcunque spem Joël. ii. 13. *Est enim gratiosus, misericors, longanimis, multus benignitate & pœnitens super malum: quis scit* (מי יודע) *num convertatur, & pœniteat eum mali.* (3) Ad qualemcunque conatum emergendi: *quid faciamus viri fratres?* Act. ii. 37. & xvi. 30. *quid faciam?* Quibus; convertendus in proximam potentiam redigitur, ad recipiendum Mediatorem.

4. Conversionis termini duo:

XVI. *Quarto* conversionis *termini*, seu producta. Vita enim spiritualis, collata *intellectui*, & facultati *sensitivæ*, excitata per conversionem, ad contritionem, humiliationem & desperationem; & *voluntati*, ad votum, ad spem, & ad conatum acquirendi liberationem; hominem, concurrente gratia convertente, compellit: ut 1. Redemptorem, sibi oblatum, *recipiat* quibuscunque legibus, quod est *fidei*, 2. ut sibi proponat, *peccatum*, quomodocunque sibi hactenus dilectum, per gratiam Dei *deserere*, quod est *resipiscentiæ*. Quæ duo, in conversionis negotio, pessime à nonnullis divelluntur: quando conversionem alii soli *fidei* adstringunt; alii soli *resipiscentiæ*, dum Servator conjungit Marc. i. 15. Act. ii. 38. cum cap. xvi. 31.

Prior, recipere sibi oblatum Mediatorem, per fidem.

XVII. *Primus* ergo conversionis terminus est *recipere* oblatum sibi Mediatorem Joh. i. 11. 12. Col. ii. 5. 6. 7. Phil. iii. 8. 9. cum vs. 12. Matth. xxvi. 26. Ad participium enim redemptionis, ante omnia requiritur, *ingenua* receptio Redemptoris, quæ fit per fidem Joh. iii. 16. Act. xvi. 31. *Ingenua* inquam, h. e. talis, quâ (1) ipsum velimus *pure* & absolute, absque ullâ conditione, limitatione, aut restrictione Jos. xxiv. 15. Job. xiii. 15. Psal. lxxiii. 25. (2) Eis terminis, seu conditionibus, quibus seipsum offert: nim. ut A. recipiamus, non *sua* tantum beneficia; sed *seipsum* etiam, & quidem primo *sa*, tum *sua* Joh. i. 12. Rom. viii. 32. Ut B. se *totum* recipiamus; non tantum ut *Sacerdotem*, qui nos liberet è reatu peccatorum; sed etiam, ut *Regem*, cui nos per omnia submittamus: non tantum, ut *Redemptorem*; sed etiam, ut *sanctificatorem*: cum ad utrumque indivisim, nobis datus sit 1 Cor. i. 30. Tit. ii. 11. 13. 14. Ut C. se recipiamus *solum*, exclusis & præteritis quibusvis aliis competitoribus Psal. lxxiii. 25. 26. & xvi. 4. Phil. iii. 7. 8. 9. cum *abnegatione* suipsius Luc. ix. 23. crucifixione carnis & cupiditatum Gal. v. 24. Hæc alibi copiosius diximus Lib. ii. cap. i. Item de *fide salvif.* cap. iv. §. ix. x.

Posterior, vel: le à peccatis transire ad virtutem, per resipiscentiam.

XVIII. *Secundus* est, serio *velle* peccata sua deserere, per resipiscentiam. Quantum ad *vocem*, dicitur resipiscentia Hebræis תשובה, quasi *redire ad cor* Luc. xv. 17. Græcis *μεταμέλεια*, quæ proprie *pœnitentiam* notat, post perperam commissum: & *μετάνοια*, quæ notat post factum *sapere*. In Scripturis promiscue usurpantur, quod in vera resipiscentia semper coeant *μεταμέλεια* Matth. xxi. 29. 32. & *μετάνοια* Matth. ix. 13. quatenus vere conversus, ratione termini *à quo*, *pœnitentiam* concipit præteritorum scelerum; ratione termini *ad quem*, *resipiscentiam* ad studium virtutis: quamvis, si quando duo hæc divellantur, sola *μεταμέλεια* cadat in hypocritas Matth. xxvii. 3.

Ejus denominatio.

Ejus natura & ingredientia.

XIX. Quantum ad *rem*, resipiscentia *generatim* notat profundum dolorem de peccatis præteritis, & serium propositum emendationis: *specialius*, resipiscentia 1. *incipit* in intellectu 2. *radicatur* in voluntate, 3. *operatur* in affectibus 4. *ostentatur*, pro re nata, in externis gestibus, & 5. *desinit* in odio peccati, ac proposito illud deserendi. *Primo* inquam, incipit in *intellectu*, excitando ibidem æstimationem de se ipso, perquam humilem & abjectam: quâ conversus seipsum deprimit, extenuat (conf. Phil. ii. 8.) condemnat Luc. xv. 18. 19. 21. & xviii. 13. Psal. li. 6. idque ex profundâ quâdam, & solidâ *apprehensione*, A. *Peccati*, quam turpe illud sit, ac detestabile coram Deo 2 Sam. xxiv. 10. Psal. v. 5. 6. 7. Jes. i. 15. B. *Reatus*, peccato contracti, æternæ scil. condemnationis Psal. cxxx. 3. & cxliii. 2. Job. ix. 3. C. *Miseriæ*, ex peccato & reatu oriundæ Rom. vii. 24. Job. xlii. 6. Circa quam *apprehensionem*, id curate observandum: *α.* ut scaturiat à devotâ contemplatione glorioſissimæ *majestatis* divinæ, nostro peccato læsæ Psal. li. 6. 1 Sam. ii. 25. Dan. ix. 4. 5. Item *β.* ex cogitatione, *status* tam *glorioſi*, tam beati, à quo, per peccata excidimus Rom. iii. 23. tum vs. 12—19. Hinc *γ.* ut *miseriam* nostram, ex peccato & reatu oriundam, longe graviorem æstimemus, quam eam, quæ ex quavis jactura resultare queat Rom. vii. 24. Jer. xxxi. 19.

1. Incipit in intellectu.

2. Radicatur in voluntate.

XX. *Secundo* radicatur in *voluntate*, quæ propria est resipiscentiæ *sedes* Joel. ii. 12. Luc. i. 17: est enim Scripturis, *cor* voluntas. Est in hac, per conversionem: A. *fixa* quædam *displicentia*, & fastidium versus *seipsum*, suaque peccata Job. xlii. 6. Ezech. xxxvi. 31. & vi. 9. qua sibi conversus, quasi iraſcitur. B. *Profunda* pœnitentia Joh. xlii. 6. Jer. xxxi. 19. quâ pectus tundit, ob commissa scelera Luc. xviii. 13. scil. in signum palpitan-

pitantis cordis, ex angore commissorum scelerum 2 Sam. XXIV. 10. C. Proclivis *voluntas* in tenerrimum, ob peccata, dolorem & pœnitentiam, quâ doleas, quod non satis dolere possis Ezech. VII. 16. Jer. XXXI. 19. Jud. II. 4. 5. Luc. VII. 38. 44. Unde Chrysostomus *Homil.* XII. in *Coloss.* IV. *Est quadam flere*, inquit, *voluptas. Nihil est his lachrymis jucundius.* Est per eam, resipiscens D. promptus, qui carnem peccaminosam subigat, cum cupiditatibus suis Gal. V. 24. 1 Cor. IX. 27. qui, propter commissa, vindictam sumat 2 Cor. VII. 11. Est E. proclivis, qui admodum humiliter & abjecte, de seipso sentiat, & sentiri ab aliis patiatur Luc. XV. 18. 19. 21. 1 Tim. I. 13. Et hæc omnia, oriunda apud ipsum sunt α. ab ingenuo, versus Deum, peccato suo læsum: amore Psal. LI. 6. 2 Cor. V. 14. β. ab odio peccati 2 Sam. XXIV. 10. γ. à consideratione amoris & παθημάτων Christi, quæ tam prompte, sciens volens admisit, ut peccatum condemnaret Rom. VIII. 2. 3. Eph. V. 2. & nos à peccato liberaret 2 Cor. V. 21.

3. Operatur in affectibus.

XXI. *Tertio* operatur in *affectibus* & passionibus animi, in odio, dolore, metu, tristitia, fuga &c. 2 Cor. VII. 11. Penes quos tamen affectus, id religiose cavendum, ut ingenuitatem resipiscentiæ non discernamus, tam ex *quantitate* motuum in passionibus, quam quidem ex *sinceritate*: videas enim in hypocritis, tenerioris ac mollioris potissimum temperiei, admodum dominari passiones Jes. XXXIII. 14. ut patet in Juda Matth. XXVII. 3. & Esavo Gen. XXVII. 38. Heb. XII. 17. Quin, non tam in *affectibus*, quærenda est resipiscentiæ γνησιότης, quam quidem in *voluntate*; si ingenue *velles*, vehementiores resipiscentiæ affectus: cum *voluntas*, gratiæ cujusvis salutaris, subjectum sit δεικτικὸν, non autem *affectus*.

4. Se ostentat in actionibus externis.

XXII. *Quarto*, seipsam, pro re nata, ostentat in *actionibus* externis Jer. XXXI. 19. vix enim genuina est *interior* resipiscentia, si nolit apparere in *externis* 1 Sam. XV. 30. quamvis etiam, ex adverso, eadem γνησιότης, non possit tuto discerni, ex operationibus quibusvis *externis*, ut patet in Agabo 1 Reg. XXI. 27. 30. Interim si *nolit*, ubi potest & debet, manifestari in *externis*, indicium certum est, spuriæ resipiscentiæ. Ostentat ergo genuina resipiscentia se ipsam, (1) in humili ac demissa peccatorum *confessione* 1 Joh. I. 9. Marc. III. 6. Prov. XXVIII. 13. coram *Deo* Psal. LI.—Dan. IX.—Luc. XV. 18. 19. 21. pariter & coram *hominibus*, quoties, & quantum id spectare potest, ad glorificationem Dei. *Ibid.* & Jac. V. 16. tum imprimis, cum scandalo affecerit, aut injuria proximum Luc. XVII. 4. Idque *libere* facit & *ingenue*; non tantum *generaliter*, aut ex consuetudine, aut circa leviora tantum peccata, aut, quando nullus contemptus, aut vilipendium, sibi ex confessione, oboriri potest; nec *ea* tantum peccata, quæ manifestiora sunt, quam ut celari possint; aut quando latrans, & mordens conscientia, confessionem extorquet, ut in Juda factum Matth. XXVII. 3. (2) in gestibus externis, v. g. *lachrymis* Matth. XXVI. 75. Jud. II. 4. 5. Luc. VII. 38. 44. *jejuniis* Joel II. 15. humili ac demissa *conversatione*; vestitu, aliisque, quæ spectare possint ad repræsentandam genuinam pœnitentiam 1 Reg. XXI. 27. 29.

5. Desinit in odio peccati, & propositio desciscendi,

XXIII. *Quinto* denique, definit in *detestatione* peccati, & ingenuo *proposito* illud vitandi ac deserendi. In his præcipuum est totius resipiscentiæ pondus. Quantum A. ad *odium* peccati, ut ingenuum sit, & veræ resipiscentiæ congruum, α. desciscaturire debet, à sincero *amore* versus *Deum*, quod ejus gloria & majestas peccato violetur Psal. XCVII. 10. & LI. 6. β. ab amore *virtutis* Amos. V. 15. γ. ab amore *animæ* propriæ, & æternæ ejus salutis Prov. VIII. 36. Debet esse δ. *universale*, ut se profundat in *omnia* peccata, quatenus peccata sunt Col. III. 8. 1 Thess. V. 22. etiam ε. *irreconciliabile* & æternum Psal. LXXX. 19. Hos. XIV. 4. Heb. X. 38. 39. Ab hoc odio, sua sponte manat B. fixum & immotum *propositum*, *deserendi* peccata, & *adhærendi* Deo Dan. I. 6. Act. XI. 23. προθυμία τῦ θέλειν 2 Cor. VIII. 11. Et hæc, in conversione & resipiscentia quidem, non procedant ultra fixum ac sincerum animi *propositum*; ipsa vero *exsecutio*, intercedente unione & communione cum Christo, item justificatione & adoptione (si non semper ordine temporis; saltem ordine naturæ) procuratur demum, per sanctificationem, quippe quæ in hoc tota est, ut regeniti & conversi excludant *obedientiam* fidei Rom. I. 4. 5. & XVI. 26. & opera *digna conversione* Luc. III. 8. Act. XXVI. 20. Eph. IV. 1.

Quotuplex conversio & resipiscentia.

XXIV. Conversio autem & resipiscentia triplex observatur: (1) *inchoata* seu *prima*, quâ regenitum Deus traducit è statu peccati, in statum gratiæ: qualis apparet in prodigo Luc. XV. 12.—Auditoribus pentecostalibus Act. II. 38.—43. Paulo Act. IX.—commentariense Act. XVI. 30. 31. (2) *continuata*, qua *conversi* indies se *convertunt*, à quotidianis lapsibus Prov. XXIV. 16. Psal. XIX. 13. Matth. VI. 11. 12. Conf. Luc. XVII. 3. 4. (3) *renovata* seu particularis, post lapsum graviorem Psal. LI.—Matth. XXVI. 75. Jes. I. 16. Esd. X. 11. Apoc. II. 5. Universum tandem hujus conversionis negotium, quatenus in *fidem* & *resipiscentam* sese exonerat, eo tendit, ut conversus, præstando conditiones, à quibus, redemptionis *communionem* seu applicationem Deus suspendit; beneficiorum, redemptionis reddatur particeps.

Pars elenchtica.

Quæritur.

XXV. Quæritur *primo*, an conversio divina occupetur, circa vitam spiritualem, peccatori, per

1. An conversio occupetur circa vitam spiritualem, homini in regeneratione restituta.

regenerationem, de novo collatam? Pelagiani & Sociniani, quia negant, hominem, violatione fœderis operum, *mortem* spiritualem, & sibi, & posteris contraxisse; negant quoque, vitam ullam *spiritualem* ei restitui in regeneratione: proinde totam conversionis operationem occupari volunt, in erigendo vires liberi *arbitrii*, ut jacentes ac torpentes excitentur ad respiscentiam. Pontificii, quia statuunt, justitiam *originalem*, quæ peccato periit, homini fuisse *supranaturalem*, & naturæ accessoriam, quæ *carnem*, seu facultates inferiores, quasi frænum compesceret, ne *spiritui*, seu facultatibus superioribus, obstreperent: existimant intellectui & voluntati, per peccatum, seu violationem fœderis primi, nullam vitam *spiritualem* periisse; proinde etiam, regeneratione non restitui; adeoque conversionis gratiam, existimant occupari tantum, circa vires liberi arbitrii, ut illæ à potentia promoveantur in actum: sive per operationem *moralem*, ut volunt Jesuitæ; sive per operationem *physicam*, ut malunt Dominicani & Jansenistæ. Reformati, quia statuunt, vitam spiritualem, peccato perditam, regeneratione restaurari quoad actum *primum*; existimant, conversionem non occupari, nisi circa actum illum primum vitæ *spiritualis*, ut ille promoveatur in actum *secundum*, juxta Paulum Phil. II. 13. *qui in vobis operatur, & velle & agere, pro suo beneplacito.* Verum, cum sententiam istam, capite *præced.* ex professo demonstraverimus, eâ ulterius hic non distinebimur.

2. An in conversione, Deus operatione physica, voluntatem excitet ac prædeterminet ad agendum?

XXVI. *Secundo* quæritur, an, in conversione, Deus influxu *physico*, voluntatem convertendi prædeterminet, ad operationes spirituales? Pelagiani, cum quibus perfecte sentiunt Sociniani; ut liberi arbitrii indifferentiæ & *independentiæ* efficacius patrocinentur: statuunt, Deum, per providentiam communem, convertendum, ejusque arbitrium ac vires conservare, tum *moraliter* invitare, ut seipsum determinet ad conversionem, proinde circa voluntatem non occupari, nisi influxu *morali*. Inter Scholasticos, Durandus cum suis, influxum quidem *physicum* admittit necessarium, ut facultas à potentia transeat in actum; sed *generalem* tantum (qualis v. g. est Solis, Lunæ & astrorum) qui determinetur ac specificetur, à quovis pro sua natura: quemadmodum in organo pneumatico, follis tubos omnes æqualiter & uniformiter vento replet, absque quo sonus elici non potest; sed determinatio & specificatio, à structura tuborum procuratur, & à phonasco: Jesuitæ cum Semi-Pelagianis, cum videant, generalem illum influxum, nequaquam satisfacere; requirunt, præter moralem suasionem, *influxum* physicum *concurrentem*, quem *concursum* appellant: quo Deus voluntatem, jam partam ac determinatam ad volendum, quasi *comitetur*, in productione actus, & sic, juxta *cum* eâ, velut causa partialis, influat in *effectum*, ita, ut *prima* determinatio independenter procedat, à convertendi voluntate. Reformati cum Dominicanis, in conversione, præter morales suasiones, operationem Dei *physicam* exigunt, qua facultas, etiam voluntatis, *excitetur* ac *prædeterminetur* ad operandum. Rationes adduximus §. IX. Conf. cap. *præced.* §. XXIV. XXV. XXVI. & Lib. III. cap. X. §. XXXV.

3. An actus fidei salvificæ, sit receptio Christi?

XXVII. *Tertio* quæritur, an *fidei* actus, quem efformare nititur conversio, consistat in *receptione* Christi? Sociniani quidem, ut commodius eliminent satisfactionem Christi, fidem in assensu, & *obedientia* præceptorum Christi, collocant. Pontificii, quo certitudinem salutis, & specialem applicationem Christi commodius excludant; & salutis participium, ex parte saltem, à satisfactionibus & meritis humanis, efficacius suspendant; fidem salvificam solo terminant assensu *generali*, revelatorum divinorum. Lutherani, cum multis Reformatis, fidem, quatenus quidem salvifica est, in assensu *speciali* ponunt, per quem sis persuasus, Christum *tuum* esse Servatorem. Reliqui Reformati, *obedientiam* quidem mandatorum Christi, penitus removent, ab ipsa quidem *essentia* fidei; assensum *generalem* omninò requirunt ad constitutionem fidei; sed actum ejus, proprie & formaliter salvificum, collocant in *receptione* ipsius Christi: tum assensum quoque *specialem* ad fidem requirunt quidem; sed non nisi *consectarium*, ad actum priorem, velut κυρίως salvificum. Sententiam istam ex professo demonstravimus supra lib. II. cap. I. §. XI—XVI. & §. XXII. XXIV. XXVI.

4. An Pœnitentia sit sacramentum N. T.?

XXVIII. *Quarto* quæritur, an conversionis *pœnitentia*, sit solenne N. T. *Sacramentum*? Pontificii, in gratiam culinæ papalis, cui non pœnitendum accrescit, ex his pœnitentiis, juxta taxam pœnitentiariam cancellariæ pontificiæ, se admodum perverse habent in hoc negotio: jam enim pro *pœna* habent, à confessario confitenti dictata, propter delictum; jam pro *virtute*, peccatoribus à Deo præscriptâ; jam pro *Sacramento* N. T. cujus *materiam* præstent, contritio, confessio auricularis, & satisfactio; *formam* verò, absolutio sacerdotalis. Reformati habent pro effectu conversionis divinæ, & pro parte respiscentiæ, quam Euangelium stipulatur, ad participium redemptionis Christi, eoque negant *Sacramentum* esse. Eo quod 1. ex ipsis adversariorum hypothesibus, parum conveniat, idem *pœnam* esse pro peccato, adeoque, respectu sustinentis saltem, *malum* quid; & simul *virtutem*, quâ pœna declinatur; & tandem etiam *Sacramentum*, quo gratiam Deus nobis obsignet. Quod 2. duo tantum commemorentur N. T. Sacramenta, prout suo loco ex professo demonstrabimus. Quod 3. *essentialia* Sacramenti, Argumenta negativæ.

menti, in pœnitentia deficiant, vel ex hypothesibus pontificiis: nec enim adest externum *elementum*; nec verbum, quod, ex institutione Christi, accedat ad elementum, ut forma: quo evadat Sacramentum. Quod 4. ipsi adversarii inter se digladientur, quid recipiendum veniat, pro materia & forma, imaginarii hujus Sacramenti: dum plerique pro materia ejus habent contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis; quando Scotistæ ista omnia ad dispositiones prævias referunt, & totum Sacramentum, in *sola absolutione* sacerdotali collocant. Quantum ad *contritionem*, plurimi illam non necessariam volunt, quod sufficiat *attritio*: atque omnes agnoscant, eam non præstare elementum externum. Quantum ad *satisfactionem*, eam postponunt absolutioni, quæ formam ipsis constituit hujus Sacramenti, sæpe post annos præstandam; eoque, formam præexistere fingunt, suæ materiæ. Quantum ad absolutionem sacerdotalem, eam omnes Pontificii non *necessariam* censent, ad remissionem consequendam: quod per contritionem, omne peccatum, etiam mortale, extra Sacramentum, condonari posse, fateantur, juxta Ezech. XVIII. 21. Quod 5. pœnitentia cum absolutione 2 Sam. XII. 13. etiam obtinuerit sub V. T. quando, vel ex hypothesibus adversariorum, non fuit Sacramentum. Quod 6. licet eadem sit pœnitentia, ante & post resurrectionem Christi; nihilominus, ex sententia adversariorum, ante resurrectionem, non fuerit Sacramentum. Quod 7. verbi ministri, licet administratores audiant Sacramentorum; nullibi tamen dicantur administrare, aut administrasse pœnitentiam. Nec habent, quod pro se causentur adversarii, nisi locum Joh. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittentur ipsis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex *istis verbis*, inquit Bellarminus, *colligitur symbolum divinitus institutum, ex promissio gratia justificantis.* Resp. 1. Nihil hic de pœnitentia, magis quam de fide. 2. Nihil de symbolo externo, neque id ex his verbis, justa consequentia, colligi potest. 3. Nihil de verbis determinatis absolutionis, quæ accedant ad elementum, ut fiat Sacramentum. 4. Nulla gratiæ promissio, quæ *adstricta* sit usui elementorum.

Fundamentum adversariorum.

XXIX. *Quinto* quæritur, an pœnitentia absolvatur, contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis? Pontificii affirmant. Reformati, quamvis admittant, ad constitutionem veræ resipiscentiæ, requiri profundum dolorem de peccatis: quamvis item fateantur, humilem peccatorum confessionem *Deo* præstandam esse, & pro re nata etiam *hominibus*, v. g. *Ecclesiæ*, in casu præstiti scandali: *proximo*, in casu offensionis; & animarum *pastoribus*, in casu commodius sanandæ conscientiæ: quamvis denique satisfactionem *canonicam*, in foro ecclesiastico, in casu læsæ perscandala Ecclesiæ, non abnuant: attamen *a.* nec *contritionem* pontificiam, quæ præcise *adæquata* sit, commissis delictis; nec *confessionem auricularem*, qua, remissionem consecuturus, omnia peccata mortalia, cum omnibus suis circumstantiis, quantum, diligentissimo conscientiæ scrutinio, memoria assequi potest, in *aurem* Sacerdotis teneatur effundere; nec *satisfactionem*, in foro *divino*, pro commissis præstandam, admittunt; quin satisfactioni Christi derogatoriam censent: imo & tria ista, ad veram resipiscentiam sufficere negant. Quod generaliter (1) Scriptura ista omnia a nobis nullibi exigat, ac proinde, pro *vera* resipiscentia, non nisi meram superstitionem efforment, de qua Servator Matth. XV. 9. & Paulus Col. II. 20.—Jes. I. 12. Quod (2) omnia ista sese conspicua præstent in pœnitentia Judæ Matth. XXVII. 3. *contritus* enim est, de prodito Magistro suo; *confitetur* Sacerdotibus, *satisfacit*, projiciendo ad pedes eorum, argenteos injuste acquisitos; proinde, si, pro sententia adversariorum, ista pœnitentia *satisfaciat* Deo, & *mereatur* remissionem; aut Judæ injuria facta est, aut servatus est. Quod 3. universale *odium*, & irreconciliabilis *detestatio* peccati, quæ longe præcipuum est, in genuina pœnitentia Psal. XCVII. 10. ab hac Pontificiorum pœnitentia penitus exulet. Nec scio, quid ulla quidem cum specie, pro integritate & sinceritate hujus suæ pœnitentiæ, causari possint *οἱ ἐξ ἕνστασεως*.

5. An pœnitentia absolvatur contritione, confessione & satisfactione? Sententiarum discrepantia.

Rationes negativæ.

Objectiones affirmativæ.

XXX. *Sexto* quæritur *spiritualiter*, an ad veram pœnitentiam necessarium sit, ut quisque adultus & baptizatus, saltem semel in anno, peccata sua moralia omnia, quorum, post exactum conscientiæ scrutinium, meminisse poterit, cum omnibus eorum circumstantiis, confiteatur *Sacerdoti*, ut eorum remissionem consequatur? Pontificii (ut majorem suis Sacerdotibus concilient *auctoritatem*, eaque gradum struant ad monarchiam Papæ atque etiam, ut inde rerum quæ aguntur, sibi cognitionem comparent) affirmant; Reformati negant. Quod hujusmodi confessio 1. non sit juris *divini*, nec prostet in Scriptura, agnoscentibus nonnullis è Pontificiis. Vid. Becan. Cap. XXXVI. *de Sacr. Quæst.* 1. Adrianus Papa nostras, eam ad *Lateranense* concilium, sub Innocentio III. referat. Quod 2. sit impossibilis Psal. XIX. 13. Quod 3. sit carnificina conscientiæ. 4. scelerum & impuritatum schola. 5. tyrannidis & rapacitatis papalis machina. Quod 6. ipsi Canonistæ, reclamantibus licet Theologis, eam juris esse *pontificii*, non divini, agnoscant. Conf. Maref. loc. XIII. §. XVII. *cum notis.* Pro se causantur adversarii: A. Nonnulla Scripturæ loca, quæ de confessione peccatorum loquuntur 2 Sam. XII. 13. Matth. III. 6. Act. XIX. 17. 18. & si quæ sunt alia. Resp. non evincunt nisi *eam* confessionem, quam dudum admisimus B. Quod Ecclesiastis tribuatur potestas

6. An pœnitentiam requiratur auricularis confessio?

ligandi

ligandi & *solvendi* Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. Joh. XX. 23. adeoque necessum sit, ut, per confessionem, hauriant peccatorum cognitionem. Resp. Remittant, *nomine* Dei, generaliter, & pro re natâ, etiam singulariter confitentibus, sufficit, ut Deus habeat singulorum commissorum cognitionem. C. Servator jussit, ut à leprâ sanatus, se ostenderet Sacerdoti: ergo & spiritualis lepra Sacerdoti, per confessionem est ostendenda. Resp. Missit, ex præscripto legis ceremonialis Levit. XIV. nondum abrogatæ, *sanatum*; non *sanandum*: cujus contrarium urgetur ab adversariis. D. Jubemur alii aliis confiteri peccata Jac. V. 16. Resp. Respondet Cajetanus Cardinalis: *non est sermo de confessione sacramentali, ut patet ex eo, quod dicit: confitemini invicem.*

7. An ad veram pœnitentiam requiratur satisfactio quævis humana?

XXXI. *Septimo* quæritur, an ad pœnitentiam requiratur, ut absolvendus à peccato, Deo *æquivalens* præstet, pro reatu pœnæ *temporalis*: sive susceptum sponte; sive impositum sibi à Sacerdote? Pontificii α. per satisfactionem hîc intelligunt, redditionem *æquivalentis*, voluntarii, aliàs indebiti: tum β. existimant, remissa *culpa*, remanere aliquando reatum *pœnæ* temporalis, seu in futurâ, seu in præsenti vitâ luendæ: γ. reatum *temporalis* istius pœnæ, *redimi* posse, seu, quod idem ipsis est, pro reatu istius pœnæ satisfieri posse: δ. opera illa satisfactoria, vel sponte à peccatoribus eligi posse; vel à Sacerdotibus, pro *arbitrio*, sibi injuncta, recipi debere; ε. opera illa bona, quibus satisfieri possit, esse orationem, jejunium, & eleemosynam, & quæ ad tria hæc capita revocantur! proinde ζ. opera illa nostra verè ac propriè *Deo* satisfacere, pro reatu pœnæ *temporalis*, qui, præter culpam demissam, remanet expiandus. His capitibus satisfactionis negotium definit Bellarminus, *De pœnit.* lib. IV. Reformati, præter veram *fidem* & *resipiscentiam*, ad redemptionis participium, unicè à Deo stipulatas, non admittunt, nisi *satisfactionem* Christi.

Rationes sententiæ negativæ.

Quod. 1. ea sola omnibus numeris sibi sufficiat Heb. VII. 25. Heb. X. 10. & IX. 26. Quod 2. exsertè dicatur, ipsum *omnem condemnationem* à suis sustulisse Rom. VIII. 1. Quod 3. alienam ipsi construere satisfactionem, *perfectioni* & plenitudini ejus satisfactionis, *derogatorium* sit Act IV. 12. Psal. CXXX. 8. Quod proinde 4. *intentio propria* satisfactionis, hominem excludat à communione satisfactionis *Christi*, & remissionis peccatorum Rom. X. 3. Gal. V. 4. Phil. III. 8. Quod 5. bonum, ex ipsâ Pontificiorum confessione, pro satisfactione præstandum, debeat esse aliàs *indebitum*, Scot. *ad lib.* IV. *sentent.* dist. XV. quale non datur in rerum naturâ Luc. XVII. 10. Quod 6. fulcra, quibus innituntur Pontificiorum satisfactiones, sint *vana* & arenosa; v. g.

Fundamenta affirmativæ de-

A. Distinctio inter reatum *culpæ* & *pœnæ*, per quam, sublatâ culpâ, nihilominus maneat pœna; sit distinctio sine differentiâ: cum *omnis* reatus sit obligatio ad pœnam. B. Quod pro pœnâ *temporali*, à nobis satisfieri possit, falsum est Matth. XVIII. 25. quicquid enim præstare posset homo, Deo jam ante *debet*. C. Quod, oratio specialiter, jejunium & eleemosyna, sint officia quibusvis *præscripta*. Psal. XCI. 15. Joel. II. 15. 16. Heb. XIII. 16. Conf. Ames. *Bellarm. Enervat.* lib. V. Cap. IV.

struuntur.

Pars practica.

Praxis:

XXXII. Praxis hujus loci, *primo* ipsos regenitos format ad absolutissimam *dependentiam* à divinâ gratiâ: quod α. ne vita quidem spiritualis, ipsis in *regeneratione* collata, eos possit perducere ad præstandas conditiones applicandæ redemptionis, nisi gratia quædam secunda *conversionis ei*. accedat, excitando & applicando efficiens ipsum *operari* Phil. II. 13. Quod β. pro *secunda* ista gratia, ne quidem *moralis* sufficiat; sed *physica* insuper ad hoc necessaria sit, quæ *convertat*, ut curramus, ut veniamus Joh. VI. 44. Est igitur, ob quod ipsi regeniti, in omnibus, quæ ad salutem suam requiruntur, quasi pendeant ab uberibus Dei: (1) ardentissimis *supplicationibus* anhelando, cum Ecclesia: *converte me, ut convertam me* Jer. XXXI. 18. *crea in me Deus cor mundum, & spiritum rectum innova in me* Psal. LI. 12. *trahe me post* te, & curremus Cant. I. 4. (2) quod se in omnibus *humilient* coram Deo, quam abjectissimè, de suâ impotentiâ sentiant 2 Cor. III. 5. 6. 1 Cor. XV. 10. alios quosvis præ se *non* contemnant 1 Cor. IV. 7. Rom. XI. 18. Quod (3) studiosius Deo *gratias agant*, vel cum Pharisæo Luc. XVIII. 11. Eph. I. 3. 1 Pet. I. 3. Quod (4) salutem suam conficiant, *cum timore & tremore*: eo quod *Deus sit*, qui in se *operatur*, & velle & efficere Phil. II. 13. Rom. XI. 20. Psal. II. 11. Quod (5) gratiam, non tantum *regenerationis* nacti; sed etiam *conversionis*: impensius sibi gratulentur, inque eâ exsultent *gaudio* ineffabili, in medio etiam tribulationum suarum fervore 1 Pet. I. 3. 6. Psal. XXXII. 11. & XXXIII. 1.

1. Regenitos format, ad absolutam dependentiam à gratiâ Dei.

XXXIII. *Secundo* monet, in negotio conversionis, *fidem*, quâ Deum recipimus, velut supremum nostrum finem; & Jesum, velut unicum Mediatorem, à *resipiscentia* nunquam divellamus: *converte me, tu es Deus meus: ubi conversus fuero, pœnitentiam agam.* Jer. XXXI. 18. 19. Quod fides & resipiscentia duos constituant *unius* conversionis terminos, & quasi partes essentiales, ad participium redemptionis requisitas Marc. I. 15. Act. II. 38. cum vs. 44. Non quod vera fides, & vera resipiscentia, à se invicem, in negotio conversionis divelli *possint*: sed quod, & *Doctores* subinde, conversionis gratiam adeo adstringant, vel

2. Monet in conversione, fidem & resipiscentiam non vellamus.

soli

ſoli fidei, ut reſipiſcentiam videantur negligere; vel *reſipiſcentiæ* ſoli, ut fidei nullam faciant mentionem: & *vulgus*, ſua praxi, ſibi imaginari ſoleat, ita ſolam fidem requiri, ad remiſſionem & ſalutem conſequendam, ut vera à peccatis reſipiſcentia non ſit neceſſaria: aut, vice verſa, converſionem ita referat ad reſipiſcentiam à peccatis, ut fidei nullam ſentire videantur neceſſitatem. Quo, inter alios, defectu, Judæ pœnitentia laborans, quamvis exquiſitè ſentiret ac *doleret* ſcelus ſuum, quamvis item ingenue *confiteretur* palàm, atque inſuper perperàm accepta, *reſtitueret*, & cum indignatione, ad pedes priorum poſſeſſorum projiceret; nihilominus excluſus eſt à remiſſione & *ſalute* Matth. xxvii. 3. 4. Proinde.

3. Monet, in converſione noſtrâ, non acquieſcamus, antequam pertigerit ad receptionem Chriſti.

XXXIV. *Tertio*, regenitos monet, non acquieſcant, priuſquam ſuâ converſione, actu *Deum* receperint, ut ſupremum ſuum finem, & *Chriſtum*, ut *unicum* ſuum Mediatorem, per veram ac vivam fidem. Quod 1. univerſæ converſionis primus ac primarius terminus ſit receptio iſta *fidei*. Conf. §. xvi. xvii. Quod proinde 2. converſio abſque fide, præcipuo ſuo ſcopo fruſtretur, atque adeo, præcipua ſui parte eſſentiali, mutila ſit, imò nulla, & ad redemptionem inepta Act. iv. 12. Quod 3. ipſa reſipiſcentia non ſcaturiat, niſi à *receptione* Chriſti, per fidem facta Luc. xv. 18. *Pater — peccavi* &c. Verùm, quia de hac receptione fidei, ex profeſſo à nobis actum eſt lib. ii. cap. 1. ei impræſens diutius non immorabimur; ſed ad reſipiſcentiam recta progrediemur.

4. Reprehendit irreſipiſcentiam.

XXXV. *Quarto*, notat contumaciam eorum, qui ſæpius, & exquiſitiſſimè invitati ad reſipiſcentiam, pertinaciter *nolunt* Matth. xxiii. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem — quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, ſub alas, & noluiſtis.* Miſeriam iſtorum Apoſtolus, ὡς ἐν ἐκτομῇ, repræſentat Act. xxvi. 18. Quod 1. ſint cœci, oculis *clauſis*; ut *aperias* oculos. Hoc eſt, amentes, ſtulti (prout impii paſſim in Scripturis notantur Pſal. xiv. 1. cum x. 4.) utpote qui peccatum, juſtitiæ; voluptatem evanidam, beatitudini æternæ præferant Matth. xvi. 26. Quod 2. ſint ſub *tenebris*, quibus omne genus miſeriarum Scriptura deſignat Jeſ. l. 10. Pſal. xxiii. 4. Matth. xxii. 13. Quod 3. ſint ſub *poteſtate Satanæ*, ejuſque mancipia 2 Tim. ii. 26. 1 Joh. iii. 8. 10. Quod 4. ſecluſi ſint ab omni *gratia* ſalutari & favore Dei (*ad Deum*) *abſque Deo in mundo* Eph. ii. 12. qui enim peccatum *facit*, non eſt ex *Deo* 1 Joh. iii. 9. ſed filius *diaboli* Joh. viii. 44. 1 Joh. iii. 10. Quod 5. exiſtant ſub reatu *peccatorum* ſuorum; quoniam remiſſio non obtinetur, abſque *reſipiſcentia* Ezech. xviii. 27. Marc. iv. 12. Quod 6. *ſortem* nullam *habeant inter ſanctos* Joh. iii. 3. 4. quin ex adverſo, ſint de *ſemine ſerpentis* Gen. iii. 15. Quoniam, ex ſententia iſtius dicti, apertura oculorum, traductio à tenebris ad lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum, remiſſio peccatorum, ſors inter ſanctos, non acquiritur niſi per *converſionem*. Addam, quod 7. ſint craſſiſſimi ἀντιφωνεῖς Ezech. xviii. 31. 32. & xxxiii. 11. Et quod 8. æterna eorum *condemnatio* α. ſit à *propria* eorum culpa, eo quod Deus ipſos toties, & tanto affectu invitaverit ad reſipiſcentiam Hoſ. xiii. 9. Proinde β. eorum condemnatio ſit omnibus modis *juſta*, à nulla *Dei* ſeveritate aut crudelitate; ſed à propria in ſeipſos *crudelitate*, oriunda Act. xiii. 46. Atque etiam γ. planè inexcuſabilis & αὐτοκατάκριτος, quod remedium condemnationis, ſæpius oblatum, *noluerint* Matth. xxii. 3. 5. & xxiii. 37. Inſuper δ. planè *indeclinabilis*, quia ſeipſos obfirmarunt, adverſus condemnationis *remedium* Prov. xxix. 1. Pſal. xcv. 8. 11. Porro etiam ε. omni *commiſeratione* indigna; quia voluntaria Prov. i. 23 — 33. Tandem ζ. planè *intolerabilis*, ex conſcientia contumaciæ, continuò rodente, qua ſibiipſis tantam contraxerint miſeriam Jeſ. lxvi. 24. Marc. ix. 44. In medicatione irreſipiſcentiæ, ante omnia inquirendum, in præcipuas ejus cauſas, in quibus (1) eſt cordis *duritiæ* Rom. ii. 5. Neh. ix. 16. 17. Jer. vi. 10. (2) craſſa *ignorantia* & ſtupiditas Jeſ. vi. 10. Eph. iv. 18. Luc. xix. 42. Unde Laodicenſibus convertendis Servator commendat, *collyrium ut videant* Apoc. iii. 18. (3) *Obniti* motibus Spiritus S. Act. vii. 51. Jeſ. lxiii. 10. 1 Theſſ. v. 19. Conf. Rom. viii. 14. (4) continuatus *neglectus* & contemptus oblatorum mediorum Matth. xxii. 3 — Heb. vi. 7. Luc. xiii. 6. 7. (5) conceptus phariſaicus *propriæ juſtitiæ*, per quam reſipiſcentia non indigeas Luc. xv. 7. & xviii. 11. 12. 13. 14. Apoc. iii. 17. Matth. xxi. 31. 32. Luc. v. 32. (6) longa continuatione, contracta peccandi *conſuetudo* Jer. xiii. 23. Hoſ. ix. 9. qua, cum Lazaro, in peccatorum ſepulchro, quaſi computreſcimus Joh. xi. 39. (*dedoluerunt* Eph. iv. 19.) & conſcientiam contrahimus, quaſi cauterio reſectam 1 Tim. iv. 2. (7) immoderatus mundi, & rerum mundanarum *amor* Joh. ii. 15. ſub quo converſionis media ſuffocantur Matth. xiii. 22. (8) prava cum impiis *converſatio* 1 Cor. xv. 32. Pſal. l. 17. 18. (9) juſta Dei *excæcatio* & induratio Jeſ. vi. 9. 10. Matth. xiii. 14. 15. Pſal. xcv. ii. Accedunt (10) varii prætextus, quibus, apud *nos ipſos*, cor obfirmare adverſus reſipiſcentiam; & apud *alios*, tus adnotam ejus neglectæ, declinare nitimur, in medicatione ſolicitè tollendi. Nim. A. obtendunt ſuam *impotentiam*: quod converſio & reſipiſcentia ſit *donum* Dei 2 Tim. ii. 25. Reſp. Aut falſum eſt te *non poſſe*, ſi nim. *ſerio* velis (quod is qui dedit *velle*, det etiam *poſſe* & perficere Phil. ii. 13. & qui, dando *velle*, inchoavit bonum opus; promittat, ſe etiam conſummaturum, conferendo *poſſe* Phil. i. 6. Heb. xii. 2.) aut, ſi non *potes*; falſum

Fontes irreſipiſcentiæ.

Rationes reprehenſoriæ.

Prætextus adverſus reſipiſcentiam.

est te *velle*? ac proinde Deus te exagitabit, non tam quod non *possis*, quam quod non *velis* Matth. XXIII. 37. 38. imò, quod, *non volendo*, tibi ipsi causa sis tuæ istius *impotentiæ*: addam, quod ne hoc quidem facias, in usu *externorum mediorum*, quod 2. vel per gratiam communem, *potes*. Alii B. obtendunt, se feciſſe *dudum*, & facere etiamnum quod poſſint, expendere ac dolere peccata, audire ac recipere verbum, orare, eleemoſynas erogare, facere quæ Chriſtianum decent Matth. XIX. 20. Luc. XVIII. 10. 11. 12. Phil. III. 5. 6. adeoque ſe converſos eſſe, nec converſione novâ indigere Luc. XV. 7. Reſp. Per iſta opera, ſi vera ſint, *nequaquam* converſus es, nec juſtificaberis Luc. XVIII. 14. Matth. XIX. 16. cum vſ. 22. reverà *neſcis* cum Laodiceâ Apoc. III. 17. te eſſe miſerum, &c. diceres enim: *inutilis ſervus ſum* Luc. XVII. 10. *quis novit quoties aberret? ab occultis munda me* Pſal. XIX. 13. Proin nequaquam converſus es: clamares enim, cum conversâ Eccleſiâ: *converte me, ut convertar* Jer. XXXI. 19. imò, abſque converſione & reſipiſcentiâ, omnia iſta, utcunque ſpecioſa, Deo *abominationi* ſunt, ſicut tumidi Phariſæi Luc. XVIII. 14. & Judæi Jeſ. I. 11 — 17. & LXVI. 2. 3. Obtendunt C. quicquid de ſuis exterioribus ſit; *interiora* ſua, propoſitum ſuum, cor ſuum; perinde 3. bona, perinde converſa eſſe, ac optimorum quorumvis: quamobrem ſe ulteriore reſipiſcentiâ non indigere. Reſp. Simpliciter falſum eſt, *exterioribus* planè corruptis, *interiora* ſana, cor converſum eſſe; ex ſententia Chriſti Matth. VII. 16--21. & XV. 18. 19. Nec deſunt D. qui obtendant *naturalem* ſuam proclivitatem, ad hoc peccatum præ 4. illo: adeoque Deum ſibi in hoc fore propitium, quamvis ab eo non reſipiſcant. Reſp. (1) Tanto *odioſius* eſt iſtud tuum peccatum, in conſpectu divino, quanto fortior eſt ad iſtud propenſio tua, adeoque tanto magis eſt neceſſaria reſipiſcentia ab eo: unde David, iſta ſua inclinatione ad peccatum, fortius adigitur ad reſipiſcentiam Pſal. II. 7. 8. (2) Naturalis illa, in peccatum hoc præ illo, *proclivitas* corrigenda & tollenda eſt; per ipſum reſipiſcentiæ conatum: *crea in me Deus cor mundum, & ſpiritum rectum innova in me* Pſal. II. 12. *converte me, & convertar* Jer. XXXI. 18. *Miſer ego? quis me liberabit ab hoc corpore mortis?* Rom. 5. VII. 14. Sunt etiam E. qui *ſtatum* ſuum & *ætatem* obtendunt, cui parùm conveniat reſipiſcentia, cui potius conveniat, mundo & peccato frui: quos repræſentat Salomo Eccl. XI. 9. 10. Reſp. Reſpondebo cum eodem: *Scito, quod propter omnia iſta, Deus te adducet in judicium; proinde aufer iram à corde, & remove malitiam à carne tuâ*: quod reſipiſcentiæ mandatum & *neceſſitas*, abſque privilegio, ſit *univerſalis* Joh. III. 3. 5. Luc. XIII. 3. Conf. Hoornb. *Theol. pract.* lib. VI. cap. IV. pag. mihi 618 —

XXXVI. *Quinto*, notat *procraſtinationem* reſipiſcentiæ: ubi quidem, non ſimpliciter contemnis, aut planè negligendam cenſes reſipiſcentiam; ſed *differendam* tantum, & proferendam, ad tempus, tua opinione, commodius. Rationes; quæ veternum iſtum excutiant, vix nervoſius & efficacius repræſentavero, quam verbis Ameſii *Caſ. Conſcient.* lib. II. Cap. III. *Nefas*, inquit, *eſt, vel per minimum ſpatium temporis, differre ſtudium converſionis.* Rationes ſunt 1. Quia Deus hoc poſtulat in *præſenti* Pſal. XCV. 7. Heb. IV. 7. cum autem peccatum debitum ſit, & injuria Deo irrogata; manifeſtum eſt, quod emendatio ejus non debeat, niſi ex aſſenſu & voluntate *Dei*, vel ad momentum *differri*. Quam *cito* igitur à Deo exigitur vitæ correctio & converſio; tam *cito* debet repræſentari. Præterea furem, latronem aut hoſtem publicum, apud ſe tenere, nemo ſubditorum poteſt, præter voluntatem ſuperioris Judicis, & crimine gravi carere — 2. Quia omnis *dilatio* reſipiſcentiæ duritiem cordis auget. *Ibid.* conſuetudinem peccandi producit, & reſipiſcentiam reddit difficiliorem Jer. XIII. 23. Ratio eſt, quia habitus pravi magis obſirmantur, intellectus magis obſcuratur Eph. IV. 18. voluntas magis obduratur, & addicitur peccatis Heb. IV. 7. omnes facultates magis vinciuntur catenis, & ſtringuntur nodis Act. VIII. 23. novella planta facilius eradicatur, quam, cum profundius radices egerit — 3. Quia perſiſtentia in peccatis, peccatorum *numerum*, *reatum* noſtrum, & *iram* Dei adauget Pſal. XCV. 10. 11. peccatum enim, quod, per reſipiſcentiam, non tollitur, ex ſua naturali inclinatione, & maledictione divina, ſimile quid habet illius, quod in bonis provenit, à benedictione Dei: *creſcit & multiplicatur*: ſuo enim pondere trahit ad alia peccata, quemadmodum abyſſus abyſſum dicitur invocare Pſal. XLII. 8. Quia 4. *vitæ* noſtræ duratio maximè eſt *incerta* Jac. IV. 13. 14. periculum eſt in mora Luc. XII. 20. ſtulte, *hac nocte*, animam tuam repetent abs te, quam verò diſtuliſti converſionem, ubi erit? Nempe igitur, dum *oportunum* tempus habemus, hoc agamus. 5. Quia reſipiſcentia eſt *donum* Dei, quod ipſe etiam largitur tempore ſibi conſtituto, non ex *arbitrio* noſtro 2 Tim. II. 26. 2 Cor. VI. 2. Luc. XIII. 9. nulla igitur ejus occaſio eſt prætermittenda; ſed *hodie* reſipiſcendum: juſtum enim eſt coram Deo, ut, ſi negligamus officia hujuſmodi, eaque, dum poſſumus aggredi, nolumus, ex ejus judicio & deſertione fiat, ut cum vellemus, non poſſimus. Quia 6. *propoſitum* differendi reſipiſcentiam, non poteſt ſimul conſiſtere cum ſincero *propoſito reſipiſcendi* 1 Pet. IV. 3. cavillatio eſt, & fraus mali nominis, vel debitoris deſperati nota, ſi pecuniam ſibi creditam refundere non vult, ſi de die

5. Reprehendit procraſtinationem reſipiſcentiæ. Rationes de ſuaſoriæ. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

in

7. in diem extrahat solutionem. 7. Quia resipiscentia *sera* est rarissime *vera*, & semper fere suspecta. Latronis exemplum *unicum* exstat in Scriptura. Neque de ipso tamen legitur, aut de alio quoquam postea conversо, quod resipiscentiam *distulerit*. Imo contrarium ejus, tali homini denunciatur Matth. xxiv. 48. &c. 8. Quia, si certi esse possemus de resipiscentia vera *futura*, — indignum tamen foret, sic agere cum Deo, quomodo non licet cum hominibus agere Levit. xi. x. 13. Prov. iii. 28. & quomodo nolimus, ut Deus nobiscum agat Psal. xiii. 2. 3. & cii. 3. Quia 9. procrastinatores isti, ex sensu communi, *stultitiæ* & insaniæ convincuntur; insanus enim ab omnibus habetur, qui extinctionem incendii, in domum suam grassantis, vel ad *horam* unam differret; aut qui venenum ex corpore suo non statim expellere conaretur; aut qui vulneris gravis curationem non cumprimis acceleraret &c. in peccati autem incendio, veneno, vulnere negligendo, prout periculum est majus; ita stultitia multo magis pernicioſa. Eadem habet & alia, dictis Patrum etiam exornata, Hoornbekius *Theol. Pract.* lib. vi. 4. *Causæ* hujus procrastinationis, medicatione tollendæ, hæ potissimum sunt: A. Naturalis & innata nobis *socordia*, quâ proponendo nobis, & sperando Dei gratiam, subsistimus Prov. vi. 9. 10. & xxiv. 33. Conf. Hag. i. 2. & resipiscentiæ ac cultus divini labores declinamus Jes. xxviii. 10. Cui opponendum, quod regnum Dei, non absque labore & violentia acquiratur Matth. xi. 12. B. amor versus peccata & *voluptates*, in quibus vivimus, conjunctus cum conscientiâ convictâ, de resipiscentiæ necessitate, qualis in Agrippa observatur Act. xxvi. 28. qui cunctando periit. C. *Fiducia* in proprii arbitrii viribus, quibus possimus resipiscere, quandocunque nobis visum fuerit. Cui opponendum, quod Deus sit, qui in nobis operatur, & *velle & perficere*, *pro suo beneplacito* Phil. ii. 13. qui & tempus suum habet 2 Cor. vi. 2. Joh. ix. 4. & suum gratiæ καιρὸν, seu tempus *oportunum*, quod neglectum, hominem orbat gratiâ in perpetuum Luc. xix. 44. Apoc. ii. 21. Matth. 3. 10. Psal. xcv. 7. 8. Jes. lv. 6. Heb. iii. 13. Col. iv. 5. D. Vana *vita* longioris imaginatio Amos. vi. 3. Cui opponenda vitæ nostræ *brevitas*, & vanitas, per quam, ne ad horam quidem, ejus possumus esse certi Jac. iv. 13. 14. Psal. xxxix. 5. 6. 7. & xc. 3—7. E. Exemplum latronis, in articulo *mortis* conversi Luc. xxiii. 40—44. Cui opponendum quod *unicum* tantum hujus, in Scripturis occurrat exemplum; nec de ipso tamen, aut quoquam conversо, legatur, quod resipiscentiam procrastinârint.

Causæ procrastinationis removendæ.

Notat pœnitentiam fucatam.

XXXVII. *Sexto*, notat *hypocriticam* & fucatam resipiscentiam, non oriundam à vera cordis *conversione*; sed à conscientiâ *naturali*: qualis conspicua fuit in Caino Gen. iv. 13. 14. Pharaone Exod. ix. 27. Saule, 1 Sam. 15. 13. Achabo 1 Reg. xxi. 27. 29. Juda Matth. xxvii. 3. 4. 5. quæ non prodest, nisi ad æternam miseriam inchoandam. Proinde invitat ad *examen* serium resipiscentiæ nostræ, cujus γνησιότητα, non alio assequemur certius, quam si spuriam hanc resipiscentiam cum genuina sic conferamus, ut ab *una* parte, assequamur utriusque convenientiam, ab *altera* differentiam. Quantum ergo A. ad *convenientiam*, observabis, fucatam pœnitentiam stupendos gradus posse facere, quoad pleraque resipiscentiæ ingredientia: observabis in eâ: (1) *Contritionem*, in quâ sit agnitio peccati, sensus miseriæ, ex peccato oriundæ, profundus dolor & horror conscientiæ, v. g. in Caino Gen. iv. 13. 14. 15. *Major est iniquitas mea, quam ut remittatur, ejecisti me hodie—à facie tua*: & in Juda Matth. xxvii. 3. 4. (2) *Humiliationem* talem, super quâ Deus ipse: apud suos quasi glorietur. v. g. in Achabo 1 Reg. xxi. 29. *observasti, ut sese humiliaverit Achab, coram facie mea?* (3) *Desperationem* de seipso, & quovis extra se, qui se liberare possit: *major est iniquitas mea, quam ut remittatur*, scil. à quovis, inquit Cain: idem patet in Juda. (4) *Confessionem* peccatorum, v. g. in Pharaone Exod. ix. 27. *peccavi hac vice, Jehova est justus; ego vero, & populus meus impii sumus*: in Saule 1 Sam. xxvi. 21. (5) *Gestus* pœnitentiæ congruos, v. g. in Achabo 1 Reg. xxi. 27. peculiariter (6) *lachrymas*, v. g. in Esavo Heb. xii. 16. 17. (7) *Jejunia*, v. g. in Achabo. (8) *Preces*, cum affectu qualicunqe, v. g. in Judæis Jes. i. 15. (9) *Emendationem* qualemcunque, qualis v. g. apparet in restitutione Judæ Matth. xxvii. 4. Et quidni addam (10) *odium* qualecunque? quo detestentur scelus commissum, optarent nunquam fuisse commissum, nec unquam illud committerent: nunquid & hoc satis emicat in Juda, cum detestatione projiciente nummos, ad pedes Pontificum? Matth. xxvii. 4. Vides ergo, quousque & *hypocrita*, in negotio resipiscentiæ, stimulatus *naturali* conscientia, subinde possit pertingere. Hactenus *convenientia* & συμβίβασις fucatæ & genuinæ resipiscentiæ: quantum B. ad *differentiam*, quâ à se invicem *secedunt*, observari ea in sequentibus possit, aliisque: (1) Dum *fucata* procedit à *naturali* conscientiâ, ab atrocitate commissi sceleris, &, ex eo, indeclinabilis miseriæ metu, prout patet exemplis adductis; *genuina*, à *conversione* divina oritur Jer. xxxi. 18. 19. *Converte me & convertar, ubi conversus fuero, percutiam femur*—(2) Dum *fucata* fere, à rigore legis, & diris ejus comminationibus extorquetur Gal. iv. 24. cum Cap. iii. 10. *genuina*, ex promissionibus euangelicis *gratia* scaturit Jer. iii. 13. 14. 15. 16. Joel ii. 13. (3) Dum fucata, secluſa est à fide salvifica, ut patet in Juda: genuina, à fide resultat

Quousque illa pertingere possit.

In quibus dif. à genuina.

Act. xv. 9. (4) Dum fucatæ contritio est, à mero mortis & damnationis horrore Exod. x. 16. 17. *genuina*, est ab amore Dei & justitiæ Psal. li. 6. (5) Dum *fucata* confessio, fere peccata vulgo nota respicit, & ad homines tantum dirigitur, ut patet in Saule: *genuina* insuper, & primo quidem, Deo fit Psal. li. 6. eique peccata, etiam occulta, aperit Psal. xix. 13. (6) Dum *fucata* humiliatio, absque corde, in exteriori φάτνῃ ferme terminatur, ut patet in Achabo; *genuina*, à cordis interioribus, procedit ad exteriora Psal. li. 8. 12. 15. 21. Joel. ii. 13. 15. 16. (7) Dum *fucata* desperatio *universalis* est, & absque omni spe gratiæ, ut patet in Caino & Juda, *genuina*, ad *creaturas* tantum extenditur, & cum aliqua gratiæ spe ac desiderio conjuncta est Psal. lxxxviii. 2. 3. 16. (8) Dum *fucata* agnitio & sensus peccati, & miseriæ inde oriundæ, possessori perquam *molesta est*, eaque malit immunis esse; ut patet in Saule, quando omnes artes captabat, ei averruncandæ 1 Sam. xvi. 16. 23. *genuina*, possessori cum qualicunque *solatio* adest, quam propterea etiam pro virili alere nititur 2 Cor. vii. 10. 11. exemplo Jobi Job. xiii. 23. (9) Dum *fucata* à peccatis abstinet, non *odio* ducta; sed vel *tædio*, vel *metu* pœnæ, vel *amore* contrarii peccati, vel *defectu* mediorum, quibus cupiditati satisfaciat 2 Pet. ii. 20. 21. 22: *genuina*, peccatum declinat amore *Dei* & *virtutis* Gen. xxxix. 9. (10) Dum *fucata*, si quando peccatum odit; non *quatenus* peccatum est, odit; nec *omne* peccatum; nec tam *in se*, quam in *aliis* 1 Cor. v. 1: *genuina*, peccatum odio prosequitur, amore *Dei* & justitiæ Psal. xcvii. 10. & li. 6. & cxxxix. 21. 22. Gen. xxxix. 9. (11) Dum *fucata* pœnitentia *transitoria* est, & momentanea, ut patet in Pharaone Exod. ix. 29. 30. & in Felice Act. xxiv. 25. 27: *genuina constans* est Psal. li. 5. atque etiam recurrit ad peccata *juventutis* Psal. xxv. 7. Job. xiii. 26. Jer. iii. 25. & Cap. xxxi. 19. Alia veræ resipiscentiæ signa habet Amef. *Cas.* lib. ii. Cap. viii. q. 3.

7. Urget ad veram resipiscentiam.

XXXVIII. *Septimo*, urget ad *veram* & sinceram resipiscentiam, qua peccata præterita doleamus, super ipsis nos coram Deo, profunde humiliemus, de liberatione, extra solum Redemptorem penitus desperemus, ea humillime coram Deo confiteamur, quibusvis signis, indiciis, gestibus, pro re nata contestemur, *odium* universale & implacabile, versus peccatum quodvis concipiamus, & serium etiam *propositum* emendandi &c. Urget istam resipiscentiam Scriptura Deut. x. 16. Jer. iii. 7. 14. & iv. 4. & xviii. 11. Joel. ii. 13. Jon. iii. 8. Matth. iii. 2. & infinitis aliis locis. Provocant exempla Israelitarum in Bochim Jud. ii. 14. 1 Sam. xii. 1—14. 2 Sam. xxiv. 10. Psal. li. 1—Manassis 2 Paral. xxxiii. 12. 13. Ninivitarum Jon. iii. & iv. peccatricis Luc. vii. 38. Petri Matth. xxvi. 75. Judæorum Act. ii. 37. Suadent rationes: quia (1) peccatum *omnino* malum est, quin *solum* malum, & omnis mali *scaturigo*; proinde ab eo resipiscendum 1. Cor. v. 2. Esd. ix. 2. 3. (2) Quia *justum*, ut pœnitentia, aliquo saltem modo, *experiamur* & sentiamus, quam acerbum sit, peccare in Deum Jer. ii. 19, quid mereantur peccata, &, quid sit *incidere in manus Dei viventis* Heb. x. 31. (3) Quia, ex constitutione Dei, *æternos* dolores declinamus, *temporali* resipiscentia: aliquando enim dolendum, aut hic, aut posthac; præstat igitur, pœnitentia seipsum *hic* judicare, quam, ob peccatum *æternum* condemnari 1 Cor. xi. 32. Hos. v. 15. Luc. xiii. 3. Matth. iii. 7. 8. & xi. 20—25. (4) Quia resipiscentibus à Deo factæ sunt omne genus *promissiones* Luc. iv. 18. 19. Psal. xxxiv. 19. (5) Quia Deus vere resipiscentes *tenerrime* complectitur, reficit, fovet, ἀναπάυει Matth. xi. 28. Psal. cxvi. 7. consolatur in adversis Jes. xl. 1. 2. sublevat Job. x. 20. 21. liberat à malis 2 Pet. ii. 9. imo, apud ipsos habitare gestit Jes. lvii. 15. & lxvi. 2. (6) Quia exoptati veram resipiscentiam excipient *fructus*, quorum catalogum qualemcunque texit Apostolus 2 Cor. vii. 11. (7) Quia resipiscentia peccatoris, *exhilarantur* cœli Luc. xv. 10. quin ipse, suo modo *Deus* vs. 22. 23. 24. atque etiam illa gaudere debent homines vs. 32. Conferantur quæ Amesius habet *Cas.* lib. ii. cap. viii. *quæst.* 2da. Et quo etiam magis simus proclives, & expediti in studio resipiscentiæ; juvabit devote expendere resipiscentiæ terminos: A. *Peccatum*: ut sit res *detestanda* Jes. i. 4. Apoc. iii. 17. sicut enim perversa peccati consideratio, sub fucata, jucundi & utilis specie, in peccatum *inducit*: ita genuina ejus consideratio, sub vera & propria ejus specie, animum *reducit* à peccato, per veram resipiscentiam. Juvabit B. cum peccato conferre infinitam Dei *majestatem*, illo læsam Psal. li. 6. Atque etiam C. infinitam illam *obligationem*, qua, ad complacentiam Deo obstricti sumus, ex creatione, conservatione, gubernatione, alimentatione, liberatione varia, evocatione ad gratiæ participium Deut. xxxii. 4—16. Jud. ii. 1. 2. 4. Insuper D. horrendam Dei *excandescentiam*, adversus peccata Psal. v. 5. 6. 7. Porro E. tot tentaque *bona*, quibus nos orbat peccatum Hos. ii. 7. 8. F. Etiam ineffabile *malum*, quod adducit Deo ejusque gloriæ, proximo, & nobis ipsis, ratione corporis, animæ, famæ, fortunarum &c. Luc. xxiii. 28. 29. 30. Conducet imprimis etiam G. devote cogitare *dolores* Christi, quos anima tenus, & corpore sustinuit, pro eis peccatis, de quibus nobis æternum *pœnitendum* fuisset Jes. liii. 4—Matth. xxvi. 38. 39. & xxvii. 46. Denique H. obedientiæ Deo præstandæ, cui, per resipiscentiam, nos advertimus, summam *æquitatem*

Motivæ.

Admincula.

Requisita genuinæ resipiscentiæ.

tem, utilitatem, necessitatem Jes. I. 2. 3. 4. His ergo adducti *rationibus*, & adjuti *adminiculis*, non enitamur tantum in resipiscentiam; sed justo etiam & convenienti *modo*, h. e. A. *toto corde* Joel. II. 12. Quid autem est *toto corde* resipiscere? Est 1. *sincere* resipiscere, h. e. non tantum quoad *exteriora*, gestibus, quemadmodum Achabus; sed etiam, & imprimis quidem, quoad *interiora* cordis Psal. LI. 8. 12. Joël. II. 12. 13. Est 2. nullam cordis *particulam* subducere Deo, & reservare peccato, quemadmodum Herodes, *multa* faciendo, sed non *omnia*, partem cordis incestui commodabat Marc. VI. 20. cum vs. 17. & Ananias avaritiæ Act. V. 1. 2. 3. Omnes *vires* impendere resipiscentiæ, eisque eniti in summam ejus *perfectionem* Luc. X. 27. cum Gal. III. 10. Cant. III. 4. Est 4. conatus cordis, absque distractionibus, divisionibusque; unitos habere, in *unum* resipiscentiæ negotium Psal. LXXXVI. 11. Uni (יחד) *cor meum ad timendum nomen tuum* Ezech. XI. 19. Luc. X. 40. 41. 42. Est 5. ita converti ad Deum, & adhærere Deo; ut cordi nostro, nihil sit *supra* Deum, nihil *contra* Deum, *nihil* juxta Deum; sed ejus omnia *sub* Deo sint, & *pro* Deo Psal. LXXIII. 25. Matth. X. 37. & XVI. 25. 26. B. *Conatus resipiscendi constans* & perdurans, usque ad vitæ terminum Ezech. XVIII. 23. 24. Heb. X. 38. ut patet in Davide Psal. LI. 5. & XXV. 7. C. conjunctus etiam cum *fide*, imo oriundus ab eadem Act. XV. 9. cum Heb. IX. 14. & hac, quia laborabat pœnitentia Judæ, ipsi exstitit exitiosa. Et cum tandem resipiscentia suas habeat *periodos*, supra indigitatas §. XXIV: necessum est, ut α. qui hactenus nondum converti sunt, in eam, absque ulla *mora*, totis viribus enitantur Psal. XCV. 7—Heb. III. 7. juxta ea, quæ hactenus monuimus. β. Qui converti revera sunt, eam, pro commissis quotidie novis peccatis, *quotidie renovent* Jer. IV. 14. & vs. 4. ad hoc, indies Deum *fatigent*, cum Ecclesia: *converte me, ut convertam me*, &c. Imo & γ. commissis peccatis extraordinariis, modo etiam *extraordinario*, per extraordinariam pœnitentiam, perperam facta, sarciant. Psal. LI. 1—1 Cor. V. 2. 2 Cor. VII. 9. & XII. 21.

Resipiscentiæ periodi.

CAPUT QUINTUM,

DE

Redimendorum Unione cum Christo.

1 Cor. I. 30.

Ex ipso autem, vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo; justitiaque, & sanctitas, & redemptio.

Fundamentum applicationis est unio & communio cum Christo. Textus aperitur.

I. DIximus applicationis *naturam*, & actus Spiritus S. quibus illa procuratur; succedit *fundamentum* applicationis, *unio* cum Redemptore, quæ *proximum* terminum præstat, in quem enititur fides; tum ex unione cum Christo, suâ sponte profluit *communio* beneficiorum ejus. Utriusque contemplationem superstruemus verbis quæ exstant 1 Cor. I. 30.

Pars exegetica.

II. *Quibus verbis Apostolus, suos Corinthios ablactaturus à schismatica fiducia à suis Doctoribus, ipsis ad mentem revocat*, eos *non sapientia, & eloquentia eorum aut sui etiam, perveniisse ad* unionem & communionem *beneficiorum Christi; sed Dei solius, velut causæ principalis: adeoque repræsentat.*

1. Causam *principalem unionis & communionis cum Christo*: ex ipso autem. *Hic particula ἐξ, non causam* materialem *notat, sicut ordinarie fit: sed* efficientem, *ut* Rom. XI. 36. Luc. I. 35. & *alibi, ut significetur, eos non sapientia sui aut aliorum, pertigisse ad unionem Christi & communionem beneficiorum ejus; sed per ejus electionem, vocationem, regenerationem, conversionem, sanctificationem.* Αὐτῷ ipso, *scil.* Deo, *quem designaverat* vs. 27. 28. 29. *cujus est nos* inserere *Christo* Rom. XI. 23. 29. Δὲ autem *oppositionem notat, ad virtutem ad* sapientiam *quamvis humanam & carnalem* vs. 17. 19. 20. 21. *ut omnibus, omne gloriationis & fiducia in quovis alio, argumentum præcideret.*

2. Objectum & *subjectum hujus virtutis divinæ, unientis cum Christo*, vos ὑμεῖς. *Scil. Corinthii, quos jam ante designaverat ac descripserat* vs. 1. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jesu Christi,

in quovis loco, tum ſuo, tum noſtro. *Non tantum ad hoc ut eos diſcriminaret ab aliis quibuſvis, qui tum Corinthi, cum alibi exiſterent, non pertinentes ad Eccleſiam, non ſanctificatis in Chriſto Jeſu, non vocatis ſanctis: ſed inſuper, ut Corinthiis hiſce characteres ac notas ſuppeditaret infallibiles, quibus ſeipſos tuto poſſent diſcernere ab aliis quibuſvis, an in ipſa etiam externa communione Eccleſiæ exiſterent: quin & ſignificaret, omnes & ſolos electos, ſanctificatos, vocatos virtute Dei, eſſe unitos cum Chriſto, & communionem beneficiorum ejus nactos.*

3. Unionem *ipſam cum Chriſto*, eſtis in Chriſto Jeſu. *Qua phraſi, quotieſcunque ad Chriſtum refertur*, unio *cum eo ſignificatur* Eph. 1. 3. 4. 7. 10. 11. 12. 13. 15. Phil. III. 9. Joh. XV. 4. 5. 6. *& alibi. Opponitur τῷ eſſe* extra *Chriſtum*, *χωρὶς Χριστοῦ* Eph. II. 12. 13. *Scil. ſicut* IN *Adamo*, *ἐν τῷ Ἀδὰμ*, *ſeu cum Adamo* uniti, *communionem accipimus* mortis; *ſic etiam ἐν τῷ Χριστῷ*, *communionem accipimus vitæ* 1 Cor. XV. 22.

4. Communio *cum Chriſto*, qui factus eſt nobis à Deo, & Sapientia ET juſtitia, & Sanctificatio, & redemptio. *Hujus hic notatur*

א. Conſtitutio. *Ὃς ἐγενήθη. Ὃς scil. Chriſtus. Ἐγενήθη*, fuit; *ſcil. ab æterno*, factus eſt, *idque* à Deo. *Nim. α. in* æterno *pacis conſilio inter Patrem & filium* Pſal. II. 7. *in quo Pater ipſum conſtituit, & Filius admiſit provinciam expromiſſoris: β. In* tempore *dedit Filium* Joh. III. 16. *γ. Miſit in mundum* Gal. IV. 4. *δ. Sanctificavit* Joh. X. 36. *ε. Promittit communionem filii ſui omniumque ejus beneficiorum, ſingulis fidelibus* 2 Cor. I. 20. *In hac divina conſtitutione fundamentum habet omnis communionis cum Chriſto.*

ב. Perſonæ, *quibus conſtitutus eſt*, nobis *ἡμῖν. Dixerat præcedente hemiſtichio ὑμεῖς* vos; *jam* nobis *ſeipſum implicans, eoque* univerſalitatem *indicat conſtitutionis divinæ, qua nomine excepto*, omnibus *& ſingulis electis ac vere fidelibus conſtitutus ſit Chriſtus, Mediator.*

ג. Beneficia *hujus communionis:* ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio. *Eſt in his perpetua Metonymia* effecti pro cauſa. *Eſt enim Chriſtus, ex conſtitutione divina, factus nobis cauſa per quam ſapiamus, juſtificemur &c. Beneficium quadruplex numeratur, ad quod reliqua, innumera fere, revocari poſſunt:*

α. Sapientia, *σοφία*. Ipſa *ſcil. Dei ſapientia* perſonalis Prov. VIII. 1. *Qui inſuper nobis* factus *eſt ſapientia. Sive* (1) *ut* objectum *ſapientiæ noſtræ, in cujus cognitione omnis noſtra conſiſtit ſapientia ſpiritualis* 1 Cor. I. 23: ſapientia illa Dei, in myſterio Cap. II. 7. *Sive* (2) *ut* cauſa *omnis noſtræ Sapientiæ ſalutaris, cujus merito & efficacia, Deus nobis largitur ſapientiam, ut* Lux mundi illuminans Joh. I. 9. *Idque ut* Propheta, *docens Euangelium* Marc. I. 4. myſterium abſconditum à temporibus ſeculorum Rom. XVI. 25. *Cum per* emiſſarios *ſuos extus.* Ibid. vſ. 14. 16. 18. *tum per* Spiritum S. intus.

β. Juſtitia, *ut* Jehova juſtitia noſtra Jer. XXIII. 6. *qui* æternam juſtitiam *adduxit* Dan. IX. 14. *Qui, ceu* Sacerdos, *factus pro nobis* peccatum, *ut nos fieremus* juſtitia *coram Deo* 2 Cor. V. 21. *ob cujus* juſtitiam, *juſtificaremur à Deo per fidem* Rom. III. 26. Phil. III. 9.

γ. Sanctificatio, *ut* Sanctus Iſraëlis Jeſ. XII. 6. *&* X. 20. *quem* ſanctificavit *Pater* Joh. X. 36. *qui* ſeipſum ſanctificavit pro nobis Joh. XVII. 19. *ut nos* ſanctificaret Eph. V. 23. *idque per* Spiritum ſanctificationis Rom. I. 4. *&* XV. 16. *Idque velut Rex, dirigens nos verſus ſanctitatem*, extus *verbo*, intus *Spiritu* 1 Pet. I. 2.

δ. Redemptio, *ἀπολύτρωσις, quæ talem dicit liberationem, à quovis malo, & imprimis à captivitate, quæ fit non vi, precibus, interceſſione ſola, aut quovis alio; ſed per ſolutionem juſti ac ſufficientis λύτρου ſeu pretii ac redemptorii, qualis apud milites captivos obtinet. Ut in hac ἀπολυτρώσει concurrant*, liberatio *à malo, nominatim à captivitate*; & reſtitutio *in ſtatum libertatis, omniſque boni, idque per* ſolutionem *pretii. Notat tamen quandoque* actualem, *totalem, omnibuſque numeris exactam liberationem* Rom. VIII. 23. Luc. XXI. 28. *qualis fidelibus accidet, poſt extremum judicium; quandoque* potentialem *& incompletam, quæ facta eſt, cum Chriſtus pro eis ſatisfaceret* Eph. I. 14. *& fit quotidie dum hic ſumus.* Ibid. vſ. 7. Col. I. 14. *Utraque hoc loco non incommode intelligi poſſit. De poſteriore diximus ex profeſſo* lib. V. cap. XVIII. *de priore infra, hujus libri* Cap. IX.

Pars dogmatica.

Redemptionis applicatio non dispensatur, niſi per unionem & communionem cum Chriſto.

III. Redemptor igitur & redemptio fidelibus non applicatur, niſi per *unionem* & communionem cum Chriſto. Veritatem iſtam ex profeſſo docet Apoſtolus Eph. I. quando teſtatur, Deum nos elegiſſe IN Chriſto vſ. 4. nos gratos ſibi reddidiſſe, IN *illo dilecto* vſ. 6. omnia *recollegiſſe* (*ἀνακεφαλαιώσασθαι* IN *Chriſto* vſ. 10. nobis *ſortem* addixiſſe IN *eo* vſ. 11. non eſſe IN *eo*, — IN *eo*, poſtquam credidimus, obſignari Spiritu S. vſ. 13. Eccleſiam eſſe *corpus* Chriſti, cum eo, velut capite unitum vſ. 23. Chriſto. Si per unionem & communionem cum

vſ. 23. Idem Apoſtolus facit Rom. VI. quando dicit: nos baptizari IN *Chriſtum* & in mortem ejus vſ. 3. nos *una ſepeliri* cum eo, per Baptiſmum *συνετάφημεν αὐτῷ*) vſ. 4. nos unam *plantam* cum Chriſto fieri (*σύμφυτοι*) vſ. 5. inde communionem accipere; & mortis, & reſurrectionis. *Ibid.* unâ crucifigi cum eo vſ. 6. *mori cum* Chriſto, & *vivere cum* eodem vſ. 8. Hinc Gal. II. 20. dicit, ſe una *crucifixum cum Chriſto* (*συνεσταύρωμαι τῷ Χριστῷ*) & *vivere*, ſcil. in Chriſto, & Chriſtum vivere in ſe Conf. Col. III. 1. Hinc, tantâ rerum omnium jacturâ, anhelat *inveniri* IN Chriſto, ut non *ſua*; ſed *ejus* juſtitiâ potiatur Phil. III. 9. Et ipſe Servator, nos extra ſe, nihil omninò poſſe Joh. XV. 4. Et Petrus: *non eſt*, inquit, *in alio quovis ſalus, nec aliud nomen* — IN *quo ſervari poſſimus* Act. IV. 12.

Probatur Scripturis, & rationibus.

IV. Sic enim 1. in æterno prædeſtinationis conſilio, Deo viſum eſt, peculiariter agere cum hominibus, non ut in ſe *ſingulatim* conſideratis, prout agere voluit cum Angelis; ſed ut *junctis*, in uno quodam principio & capite. Ita pœnas, *in Adamo*, diſpenſat in reprobos: præmia *in Chriſto*, in electos, à quo nos elegiſſe dicitur *in Chriſto* Eph. I. 4. Hinc 2. in omnibus *confœderationibus* ſuis, nunquam cum ſingularibus perſonis, ſingulatim conſideratis, egiſſe deprehenditur; ſed ſemper ut unitis cum capite quodam: ſic cum poſteris Adami egit, *in* Parente, ut capite Rom. V. 12. 1 Cor. XV. 22. cum familiâ Noachi, *in* ipſo velut Patre-familias Gen. VI. 18. cum ſemine Abrahami, Iſaaci & Jacobi, *in* ſuis parentibus Gen. XVII. 2. cum vſ. 7. 8. cum filiis & ſucceſſoribus Davidis, in Patre 2 Sam. VII. 11 — 17. Pſal. LXXXIX. cum Iſraëlitis, in Iſraële Jeſ. LIX. 20. 21. cum Act. II-39. Prorſus ad eundem modum, per fœdus gratiæ, cum electis, non agit niſi *in capite* ſuo, in Chriſto. Proinde 3. ſicut, ex tenore fœderis operum, mortis & condemnationis, non reddimur participes, niſi per *unionem* quandam cum *Adamo*; ita vitæ & ſalutis non reddimur participes, niſi per *unionem* cum *Chriſto* Rom. V. 12. 17. 18. 19. Ad hoc 4. beneplacitum Patris fuit, ut in Chriſto *omnis habitaret plenitudo* Col. I. 19. & II. 9. ut *IN EO* h. e. per *unionem* cum eo, *eſſemus conſummati* Col. II. 9. 10. Cujus beneplaciti 5. ſupremus ſcopus eſt, glorificatio *filii* ſui, ut nim. quia *in nullo* alio eſt ſalus, præterquam in eo; etiam non ſit aliud *nomen ſub cœlo*, in quo ſervari poſſimus, præterquam IN nomine Jeſu Act. IV. 12. adeoque ad *nomen* iſtud, omne genu ſubmiſsè ſeſe flectat Phil. II. 9. 10. atque in omnibus omnes, ab eo toti pendeamus Phil. IV. 13. Addam 6. ſic vult Deus, ut ipſa electorum ſalus *certior* eſſet ac tutior, *in Chriſto* ut capite ſuo, quam in ſeipſis Matth. XVI. 18. Joh. X. 28.

Unionis hujus var a denominatio?

V. Ob ſummam hujus unionis perfectionem, qua, unica voce aut ſimilitudine, repræſentari non poteſt; varias Scriptura adhibet, tum voces, tum ſimilitudines: quando non duntaxat, nos *unitos* cum Chriſto, teſtatur Rom. VI. 4. 5. Gal. II. 20. Eph. II. 5. 6. Col. III. 1. ſed &, *in* Chriſto eſſe: loca diximus parag. III. *cum Chriſto conjungi* Col. II. 19. imò & ipſum *eſſe* in nobis 2 Cor. XIII. 5. *habitare* in nobis Eph. III. 17. *indui* à nobis Gal. III. 27. Rom. XIII. 14. *vivere* in nobis Gal. II. 20. quin & *reciproce*, ipſum in *nobis*, & nos viciſſim in *ipſo* eſſe Joh. XV. 4. 5. ipſum eſſe nobiſcum unam *carnem* Eph. V. 30. unum *ſpiritum* 1 Cor. VI. 17. Rom. VIII. 9. 11. Addam, quotquot ferè ſunt unionum *ſpecies*, in rerum natura, ex uſu Scripturæ, ſuam ſymbolam conferunt, ad unius hujus perfectionem, pro dignitate deſignandam: in naturalibus enim, ſeu *botanicis*, cum unione arboris & ramorum, palmitum & vitis, furculorum & oleæ Joh. XV. 4. 5. Rom. VI. 5. & XI. 17. in *anthropologicis*, cum membrorum & capitis Rom. XII. 5. 1 Cor. VI. 15. & XII. 12. in *mechanicis*, cum lapidum & fundamenti 1 Pet. II. 4. 5. Eph. II. 21. in *phyſicis*, cum nutrimenti & corporis Joh. VI. 33. 35. in *œconomicis*, cum uxoris & mariti Ezech. XVI. 8. Jeſ. LXII. 4. 5. Hoſ. II. 18. Pſal. XLV — Cantic. — Eph. V. 32. 1 Cor. VI. 16. 17. in *politicis*, cum ſubditorum & Regis ſui Pſal. II. 6. Zach. IX. 9. unionibus æquiparatur. In quibus tamen comparationibus, non *unio* tantum ſignificatur & communio, quæ inter Chriſtum intercedit & ſuos; ſed etiam *ordinis* ratio, quo Chriſtus ſuis, eſt omnis dignitatis, vitæ, virtutis & perfectionis principium, ut ſuo loco diſtinctius videbitur.

& comparatio.

Quid ſit unio Chriſto.

VI. Cum autem hæc unio nobis planè ſit *ineffabilis*, &, in ſua perfectione, imperceptibilis; accurata *definitione*, vix à nobis repræſentabilis eſt: dici tamen utcunque poteſt, quod ſit *myſtica illa relatio*, *per quam uniti cum Chriſto*, *jus acquirunt ad omnes illas benedictiones*, *quæ in ipſo præparantur* 1 Joh. V. 12. Rom. VIII. 1. 1 Cor. I. 30. Phil. III. 8. 9. Dum tamen *relationem* dicimus, dictum nolumus, non eſſe *realem* unionem, aut in mera *σχέσει* tali conſiſtere, quam ratio tantum apprehendat; ſed quod, (pro natura cujuſvis unionis, per quam diverſa coëunt) ſit *talis* relatio, cujus *fundamentum*, maximè *reale* eſt, & conſectaria, ſeu *communio* beneficiorum, maximè vera & propria eſt.

Qualis relatio per unionem intercedat inter nos & Chriſtum.

VII. Hac igitur unione, eandem relationem *realem*, cum eisdem *conſectariis*, acquirimus cum Chriſto, quam 1. ſurculus obtinet cum ramo, quam palmites cum vite, quam truncus cum radice Joh. XV. 4. 5. unde *σύμφυτοι* dicimur Rom. VI. 5. *Ἐνεκεντρισθέντες καὶ συγκοινωνοὶ τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας* Rom. XI. 17. proinde *radicati in ipſo* Col. II. 6.

11. 6. h. e. non tantum perinde *uniti*; sed etiam perinde vitæ, gratiæ, Spiritus Christi *participes*, ac rami, palmites, surculi; radicis, vitæ, pinguedinis & nutrimenti. 2. Membra gestant cum capite Eph. v. 30. & 1. 22. 23. 1 Cor. XII. 12. ut perinde, vitam, sensum, motus, robur spirituale, habeamus à Christo; atque membra corporaliter, habent à capite. 3. Conjunx habet ad conjugem (loca §. *præced.* diximus) ut perinde cum Christo, simus unus *spiritus* 1 Cor. VI. 17. atque conjuges, sunt una *caro* Eph. v. 30. ut perinde *jus* habeamus, in Christum ejusque opes spirituales, ac sponsa habet in sponsum, ejusque fortunas temporales: usque adeo, ut eodem Christi *nomine* 1 Cor. XII. 12. & eadem *plenitudine* fruamur Eph. 1. 23. ut ex eo *semen* suscipiamus spirituale, quo fœcundi simus, ad *ferendos Deo fructus* Rom. VII. 4. Quam 4. structura, seu lapides ædificii, habent cum fundamento 1 Pet. II. 4. 5. ut ei superstruamur 1 Cor. III. 11. & in eo ædificemur (οἰκοδομέμενοι) Col. II. 7. in ædificium, & templum, in quo Deus habitet & Spiritus S. 1 Cor. III. 16. & VI. 19. Quam 5. nutrimentum habet cum corpore, ut perinde alamur, subsistamus, roboremur & reficiamur ejus carne & sanguine *spiritualiter*, ac corpus à suo nutrimento *corporaliter* Joh. VI. 56.

Unio ista quomodo non procuretur.

VIII. Procuratur autem, hæc nostri cum Christo unio; non 1. *compositione*, aut mixturâ essentiarum, quemadmodum aqua, per confusionem, unitur cum vino, &, secundum Eutychem, in Mediatore, duæ ejus naturæ, per σύγχυσιν, coalescebant in unam naturam. Cum unionis termini, Christus & fidelis, essentiâ & personis, à seinvicem, salvâ hac unione, maneant distincti: Nec 2. *transmutatione*, prout aqua, in nuptiis Cananæis, mutata est in vinum Joh. II. 9: cum nec Christus transubstantietur in Christianum; nec Christianus, in Christum. Et quamvis *realis* sit nostri cum Christo unio, ut suo loco docebimus; manent tamen utriusque *essentia distincta* & incolumes. Nec proinde fidelis, per hanc unionem, *Christificatur* aut deificatur, ut imprudenter olim Nazianzenus, & insulsè, vocibus χριστοποιεῖν & θεοποιεῖν; ac tantum non blasphemè, moderni quidam Enthusiastæ, Weigeliani, aliique phanatici, ex *Theologiâ Germanica*, somniant. Nec 3. *immediata conjunctione*, quomodo duæ naturæ in Christo, absque ullo interveniente *vinculo*, in unam coaluerunt personam: cum hujus unionis duplex notetur *vinculum*, fides & Spiritus S. ut

Quo modo procuretur.

suo loco ostendemus: Sed A. *attractione* quadam divinâ, quâ, & *Pater*, per Spiritum S. vocando, regenerando, convertendo, electum & redemptum *trahit* Joh. VI. 44. Jer. XXXI. 3. & *Filius* Cant. 1. 4. B. *Consensu* matrimoniali, quod, à suâ parte Christus, ut procus, seipsum nobis *offert*, ad unionem matrimonii spiritualis Cant. v. 2. Hos. II. 18. Apoc. III. 20: nos *consentiendo*, Christum accipimus Joh. 1. 11. 12. ex quo *matrimonium* spirituale nascitur Ezech. XVI. 8. Eph. v. 32. & hinc *unio matrimonialis* 1 Cor. VI. 16. 17. per quam, nos Christi reddimur, & Christus nostri Cant. II. 16. & VI. 3. C. Spirituali quodam *contactu*, seu contiguitate, quâ, substantia substantiæ conjuncta (v. g. in constructione lapidum ad ædificium) in unum coalescunt 1 Pet. II. 4. 5. sic Christus, attingendo per *Spiritum* suum, animam nostram 1 Joh. III. 24. & anima vicissim, attingendo Christum, per *fidem* suam Cant. III. 4. Col. II. 19. coalescunt in unum. D. per vincula, quibus quasi interjectis, Christus & fideles colligantur & quasi conglutinantur 1 Cor. VI. 17. ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ. Unde ἁφαὶ commissuræ memorantur Col. II. 19. quæ nos Christo devinciunt, & per quæ, cœlestia bona nobis suppeditantur: per has enim, Christus tangit nos, & nos Christum.

Duplex vinculum hujus unionis:

IX. Vincula ista, quibus mediantibus, cum Christo unimur, *duo* numerantur in Scripturâ: alterum *principale*, scil. Spiritus Christi Rom. VIII. 9. per quem Christus, humanâ natura tenus, in cœlo existens, animam nostram quasi contingit: scil. quemadmodum spiritus animales corpus & animam nostram quasi colligant, & conservant in unione: ita Spiritus Dei, qui & in Christo, & in nobis est; Christum cum animâ nostra quasi constringit Rom. VIII. 11. ut *unus* Spiritus fiant 1 Cor. VI. 17. Hinc *per unum Spiritum*, *nos omnes*, *in unum corpus* mysticum, *baptizari* dicimur: sicut, ut uno eodemque *Christi* nomine, cum ipso fruamur ab hac unione 1 Cor. XII. 11. 13. Et *per hoc*, inquit Johannes, *cognoscimus*, *quod ipse*, scil. Christus, *in nobis maneat*, *in Spiritu quem dedit nobis* 1 Joh. III. 24. & *quod in ipso maneamus*, *& ipse in nobis*: *quia nobis dedit de Spiritu suo* 1 Joh. IV. 13. alterum *instrumentale*, scil. *fides* nostra, qua Christum, vel in cœlis existentem, prehendimus Joh. 1. 12. attrahimus, retinemus Cant. III. 4. ei adhæremus Psal. LXIII. 9. conglutinamur 1 Cor. VI. 17. Atque adeo, dum *Christus* nos prehendit suo Spiritu; & *nos* vicissim, Christum prehendimus fide nostra; cum eo conjungimur, & *in unum* coalescimus.

Spiritus S. &

Fides.

Affectiones hujus unionis:

X. Ex dictis etiam, non magno negotio, colliguntur hujus unionis *affectiones*: nim. *primo*, quod sit *realis*, non imaginaria tantum, aut intentionalis, qualis inter intellectum concipitur & rem intellectam; nec accidentalis tantum, quæ, convenientia solorum accidentium, terminetur: h. e. in unitate opinionum, affectuum, in consensu mentis aut cordis; in similitudine dispositionis, aut conversationis; qualem unitatem Sociniani somniant, inter Patrem & Filium, in divinis:

1. Est realis,

sed,

sed suo modo, *substantialis* insuper, quatenus per eam substantiæ, & personæ coalescunt; dum persona credentis, cum persona Christi unitur.

Quatuor rationibus. Quia 1. hæc unio talibus repræsentatur in Scripturâ, quæ *realem* & substantialem conjunctionem exprimunt, v. g. radicis & ramorum, quibus una conficitur arbor; capitis & membrorum; corporis & animæ &c. in quibus omnibus, unio observatur, non tantum accidentium; sed etiam 2. *substantiarum*. Quia 2. hæc unio peragitur *fide*, quæ *recipiendo attrahit* receptum, cumque eo unitur: jam autem fides, non tantum *beneficia* Christi, gratiam, consolationem (aliaque accidentalia apprehendit; sed Christum *ipsum*, ejusque personam Joh. 1. 12. Col. 11. 6. Cant. 111. 4. & apprehendendo, secum unit. Quia 3. Christianus, *eodem* modo Christum sibi recipit, ut cum eo uniatur, *quo modo* seipsum Christo reddit: est enim, ut connexio; ita & proportio perpetua, inter dare & accipere, prout apparet in reciprocatione *matrimoniali* Cant. 11. 16: jam autem Christianus, non *sua* tantum Christo reddit dona, fortunas, talenta, tempus, impendenda in gloriam ejus, sed *seipsum* totum, *corpus:* Rom. VI. 13. 19. cum XII. 1. nec animæ tantum cogitationes & affectus; sed ipsam *animam* Prov. XXIII. 26. proinde seipsum totum 2 Cor. VIII. 5. prorsus ergo ad eundem modum, Christianus Christum recipit: non tantum quoad *beneficia*; sed etiam quoad *personam*, ut ei uniatur, ipseque sibi per Spiritum suum inhabitet Rom. VIII. 9. 10. Quia 4. Christus & Christianus ita uniuntur, ut sibi *insint* invicem; Christus in Christiano, & Christianus in Christo Joh. XV. 5: jam autem Christus & Christianus sibi invicem insunt realiter: nec enim Christianus est in beneficiis Christi; sed in ipso Christo, in ejus persona, quatenus in ipso est ut membrum in corpore, ut palmes in vite Joh. XV. 2. 4. 5. 6. 7. Eph. IV. 15. proin & Christus ipse, est in Christiano, nec sola ejus beneficia 2 Cor. XIII. 5. Col. 1. 27. ejus Spiritus habitat in eo Rom. VIII. 9. 11. Hinc Christus etiam *vivere* dicitur, in eo qui sibi unitus est Gal. 11. 20. scil. eo modo, quo radix in ramis, caput in membris: & sic quoque *manere* in ipso Joh. XV. 4. per Spiritum suum 1 Joh. 111. 24.

2. Est totalis. XI. *Secundo*, quod sit *totalis*; quatenus totus *Christianus* unitur toti *Christo*: corpore & animo tenus; cum divina & humana Christi natura. Quemadmodum totus Adamus, toti Evæ conjugatus fuit. Ipsum etiam corpus nostrum unitur cum Christo 1 Cor. VI. 15. adeoque nos sumus *caro de carne ejus*, & os de ossibus ejus Eph. V. 30. à quo etiam *corpora* nostra olim suscitanda dicuntur, virtute hujus unionis Rom. VIII. 11. quod *Spiritus* Christi, corpus Christiani uniat cum Christo, pariter & animam ejus. Hinc etiam Christianorum *corpora* dicuntur templa Spiritus S. 1 Cor. VI. 19. qui in ipsis habitet, eorumque corpora vivificet; prout etiam eorum animas, per regenerationem.

3. Est indissolubilis XII. *Tertio*, quod sit *indissolubilis* & æterna, pro ratione unionis *matrimonialis*, quæ durat, quamdiu pars utraque conjugata durat Rom. VII. & 1 Cor. 2. 3. Hinc Hos. 11. 18. *desponsabo te mihi in æternum.* Rom. VIII. 38. 39. *Nec mors nec vita — me separabit ab amore Dei, qui est in Christo Jesu.* Quamvis enim, quoad communionem *externam*, quæ hominis externa *professione* consummatur, fieri possit divortium inter nos & Christum, per *adulteria* spiritualia Hos. 11. 1. quamvis item in unione vera & *interna*, variæ possint intervenire *obstructiones*, quæ familiaritatem inter nos & Christum impediant, prout non raro in carnali conjugio fieri consuevit, ut divortium accidat quoad *thorum* & mensam Hos. 11. 2 — 12. attamen veri & proprii nominis, quoad *vinculum*, non datur Joh. XIII. 1. & X. 28. Rom. XI. 29. Imo nec in *morte*, divortium inter Christum & Christianum accidit, prout fit in matrimonio carnali Rom. VII. 2. sed *spiritus* noster, per Spiritum Christi, cum Christo, constanter unitus manet, & caro etiam, vel in pulverem redacta, manet caro uniti secum; ferme ad eum modum, quo in morte Christi, sublata non fuit unio personalis; inter divinam & humanam ejus naturam; & in fœdere gratiæ, etiam in *morte*, Deus manfit Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi Matth. XXII. 31. 32.

4. Est spiritualis & mystica. XIII. *Quarto*, quod sit *spiritualis*, quatenus fit per *Spiritum* unum, qui est in Christo & Christianis Rom. VIII. 11. in Christo quidem ut in *Capite*; in Christianis autem ut in *membris*: atque etiam *mystica*, quatenus vergit in corpus, non naturale; sed *mysticum* 1 Cor. XII. 13. quod persistit, corporibus utriusque uniti, maxime inter se diffitis, Christi corpore in cœlo existente, & nostris in terra hærentibus Joh. XII. 32. ferme ad eum modum, qui obtinet in unione matrimoniali, ubi conjugatorum uno existente v. g. in Hollandia, altero in extrema India; unio nihilominus conjugalis manet. Quod alia hypothesi declarat Perkinsus *Comment.* in Gal. III. 28. Suppone, inquit, esse cujus caput jaceat v. g. in Italia, brachia in Germania aut Hispania, pedes in Anglia; suppone insuper, unam eandemque animam, partes adeo inter se dissitas informare & vivificare: nunquid unitæ erunt partes adeo à se invicem dispersæ, per animam omnibus coëxistentem, omnesque informantem? Ita prorsus, omnes beati, qui existunt in cœlo, & omnes fideles, qui agunt in terris, dum eodem Spiritu aguntur, vivificanturque; nunquid unum sunt, & in Christo, & inter se?

Caveat hic tria: XIV. Ne tamen, quod dextrâ dedimus, siniſtrâ accipias, cave statuas 1. Christum, per hanc

nim. unionem hanc inferre

unionem nobiſcum coaleſcere in *unam ſubſtantiam*, quo modo in SS. Trinitate, tres perſonæ unam obtinent eandemque numero ſubſtantiam. Eſt quidem *ſubſtantialis*, reſpectu ſubſtantiarum coaleſcentium; ſed non ſubſtantiæ *unius*: quod ſubſtantiæ unitæ, non obſtante conjunctione, maneant diſtinctæ, abſque ulla confuſione: haud ſecus ac lapides, cœmento ad ædificium conſtructi, coaleſcunt quidem; ſed ſic tamen, ut diſtincti maneant quoad eſſentiam, neque unum lapidem conſtituant: atque conjuges, unione matrimoniali, ſibi invicem uniti, non coaleſcunt in unam numero eſſentiam, quolibet conjugatorum, ſibi ſuam ſervante eſſentiam peculiarem. 2. Chriſtum, virtute hujus unionis, nobiſcum coaleſcere in unam *perſonam*; quemadmodum duæ in Chriſto naturæ in unam coaleſcunt *perſonam*. Quandoquidem duæ partes eſſentiales, in unâ humanâ Chriſti naturâ, corpus & anima, non efficiebant *perſonam*, ut duæ perſonæ coaleſcerent in unam perſonam; dum Chriſtus & Chriſtiani uniti, *duas* nihilominus diſtinctas conſtituunt perſonas. Cætera enim quilibet Chriſtianus, quia cum Chriſto unitus eſt, perinde Θεάνθρωπος eſſet; ac Chriſtus. 3. Chriſtum, per hanc unionem, cum Chriſtiano, coaleſcere in unum *corpus naturale*; licet coaleſcant in unum corpus *myſticum*, ſicut diximus. Quamvis enim hic accidat unio corporum; non tamen in *unum* corpus. Quia Chriſti corpus in ſolo cœlo exiſtit, & exiſtet uſque ad rerum omnium conſummationem Act. III. 21. dum noſtra corpora exiſtunt in terra tantum, uſque ad extremum judicium. Hinc *corpus* noſtrum dicitur, olim conformandum glorioſo corpori Chriſti Phil. III. 21. quod non fieret, ſi unum eſſet cum eo, corpus. Fundamentum autem horum omnium, in hoc uno eſt, quia unio noſtri cum Chriſto, non eſt *immediata*, quemadmodum eſt unio perſonarum in una eſſentia divina, & unio naturarum, in una Mediatoris perſona; ſed *mediata* tantum, per intercedentia duo *vincula*, Spiritum Chriſti, & fidem noſtram, per quæ jam ſit, ut ab invicem diſtent; tum eſſentiis tum perſonis, tum corporibus.

1. Unitatem eſſentiæ.

2. Unitatem perſonæ

3. Unitatem corporum.

Unionis conſectaria quatuor.

XV. Jam, ex hac unione noſtri cum Chriſto, quadruplex fere emergit conſectarium: *Primo poſſeſſio* Chriſti, per quam ipſe *Chriſtus*, quantus quantus eſt, quoad divinam, quoad humanam ſuam naturam: quoad corpus & quoad animam: quoad omnes ejus opes ac theſauros, noſter eſt. A qua, cum B. Virgine, in fiducia pronunciamus: *Domine* MI; *Servator* MI Luc. I. 47. & cum Thoma: *Domine* MI; *Deus* MI Joh. XX. 28. & cum ſponſa myſtica; *dilectus meus, eſt* MEUS; *& ego ejus* Cant. I. 16. Scil. ut in unione *matrimoniali*, conjuges poſſeſſionem mutuam ſibi acquirunt, in alterius corpus & bona 1 Cor. VII. 4. Rom. VII. 2. 3. Eph. V. 31.

1 Poſſeſſio Chriſti.

XVI. *Secundo* communicatio (1) *vitæ ſpiritualis*, à qua, *vita noſtra* appellatur Col. III. 4. & in nobis *vivere* dicitur Gal. II. 20. ſcil. ut furculus à trunco, truncus à radice, ut palmes à vite, vitam accipit. Hinc panis appellatur è cœlo deſcendens, *qui dat mundo vitam* Joh. VI. 33. 48. 51. cujus carnem, ni comedamus, & cujus ſanguinem ni bibamus, *vitam* in nobis non habeamus vſ. 53. 54. (2) *Gratiæ* omnimodæ. In Chriſto enim eſt *gratia* & veritas Joh. I. 17. ipſe *plenus gratia* vſ. 14. in eo *omnis plenitudo* gratiæ Col. I. 19. ut ex eo *haurire*, & quaſi ſugere poſſimus, *gratiam pro gratia* Joh. I. 16. & in *ipſo*, *qui eſt caput*, ſimus *conſummati* Col. II. 10. Ipſe enim, nobis unitus, per Spiritum ſuum nobis *communicat*; & nos ei uniti, per fidem ex ipſo *attrahimus* omnem gratiæ ſuccum Rom. XI. 27. (3) Virtutis & *roboris* ſpiritualis. Eſt enim ipſe *Deus fortis* Jeſ. IX. 5. *potentia Dei* 1 Cor. I. 24. abſque quo nihil poſſimus Joh. XV. 5. 2 Cor. 5. & in quo *omnia poſſumus* Phil. IV. 13. 1 Cor. XV. 10. (4) *Spiritus* S. qui *habitet in nobis* 1 Cor. III. 16. qui *ducat* nos Rom. VIII. 26. *in omnem veritatem* Joh. XVI. 13. qui ſcienda nobis in memoriam revocet Joh. XIV. 26. qui intercedat pro nobis *ſuſpiriis inenarrabilibus* Rom. VIII. 26. qui nos efficaciſſime ſoletur in adverſis Joh. XIV. 16. De quibus omnibus, forte plura occurrent in practicalibus.

2. Communicatio vitæ, gratiæ, roboris & Spiritus.

XVII. *Tertio* communio Sanctorum *inter ſe*, de qua 1 Joh. I. 7. Eph. IV. 16. Dum enim cum Chriſto uniuntur, ut membra cum capite, dum eodem uniuntur Chriſto Spiritu, eadem fide; in unum coaleſcunt inter ſe corpus myſticum, ſibique invicem membra præſtant 1 Cor. XII. 12—23. & Eph. I. 22. 23. V. 25. Et dum, per unionem cum Chriſto, ſibi invicem præſtant, non tantum *membra*; ſed etiam *fratres*, ex eodem *Patre* cœleſti oriundi Eph. IV. 6. eadem opera obſtricti ſunt; qui ſibi invicem ut membra, ut fratres, per quævis officia, ſpiritualia & temporalia, ſuccurrant, in bonum *totius* corporis Eph. IV. 16. 1 Pet. IV. 10. inque alterius incolumitate, perinde exſultent ac in propria Phil. II. 17. De hac Sanctorum communione, ſuo loco ex profeſſo.

3 Communio ſanctorum.

XVIII. *Quarto*, participium omnium earum benedictionum, quibus fideles opus habent, ad bene beateque vivendum, fluens ex unione cum Chriſto. Unde Deus nobis *benedicere* dicitur, *quavis benedictione ſpirituali*, IN *Chriſto Jeſu* Eph. I. 3. & *cum filio ſuo omnia gratificari* Rom. VIII. 32. Benedictiones illæ ſpirituales, prout ex unione cum Chriſto præfluunt, ad quatuor ſumma capita non incommode rediguntur: (1) *Juſtificationem*; illis enim qui ſunt *in Chriſto Jeſu*, Chriſtus à Deo factus dicitur *juſtitia* 1 Cor. I. 30. Hinc Paulus, vel per diſpendium rerum omnium anhe-

4. Participium quatuor benedictionum ſpiritualium.

anhelabat *reperiri in Christo*, ut, qui non habeat ſuam *juſtitiam*, quæ ſit ex lege; ſed eam quæ ſit per fidem, *Chriſti* Phil. III. 8. 9. quod *nulla* ſit *condemnatio*, *his qui ſunt* IN *Chriſto Jeſu* Rom. VIII. 1. (2) *Adoptionem* Joh. I. 12. cum Chriſto enim uniti, ejus quaſi *fratres* reddimur Heb. II. 11. & eundem cum eo *Patrem* conſequimur Joh. XX. 17. eoque momento, quo filium Dei recipimus, & recipiendo cum eo unimur, etiam Pater nos recipit in *filios*, prout eodem die, quo Zachæus Chriſtum *recipiebat* fide, *recipiebatur* in filium Abrahæ Luc. XIX. 6. 9. (3) *Sanctificationem* 1 Cor. I. 30. & cap. VI. 11. *abluti eſtis--ſanctificati eſtis—in nomine Domini Jeſu, & per Spiritum Dei noſtri.* Tandem (4) *Glorificationem*, qua in ſtatum omnibus numeris beatum traducendi, liberamur ab omni miſeria. Unde in Chriſto exiſtentibus, Chriſtus factus dicitur *redemptio* 1 Cor. I. 30. quæ cum *libertate gloriæ filiorum Dei*, συνόνυμος eſt Rom. VIII. 21. 23. De ſingulis harum benedictionum, nos per ſubſequentia capita ex profeſſo videbimus.

Pars practica.

Quæritur:

1. An ita uniamur cum Chriſto, ut vel Deus in homine incarnetur; vel homo in Deo deificetur?

XIX. Quæritur *primo*, an talis unio ſit admittenda, per quam Deus in homine quaſi *incarnetur*, & ex adverſo, homo *deificetur* aut Chriſtificetur: Ἀκυρολογίαι iſta, primo uſus deprehenditur Greg. Nazianzenus, in vocibus Θεοποιεῖν, Χριστοποιεῖν: hunc poſtea ſecutus eſt Johannes Taulerus, ſub profundis Papatus tenebris, luſcus inter cœcos, & libellus, qui *Theologia Germania* inſcribitur, Taulero à pleriſque tributus, quem ſuperioris ſeculi anno XVIII. Lutherus Wittembergæ edidit, præmiſſa præfatione συσατικῇ, frequentiſſimis hujuſmodi obſcuris phraſeologiis. Hunc excepit turba fanaticorum in *Germania*, in qua Theophraſtus Paracelſus, Caſpar Swenckfelt, Sebaſtianus Frank, Franciſcus Davidis, Henricus Nicolai, & imprimis Valentinus Weigelius, cum ſuis Weigelianis; pariter & in Nova Angelia. Proteſtantes omnes iſtas ἀκυρολογίας toto corde averſantur, quod manifeſtas blaſphemias ſpirent, neque ullum fundamentum habeant in vera, quam hactenus declinavimus, unione noſtrî cum Chriſto: quod, licet intercedat inter eſſentiam Chriſti & noſtrî; non tamen vergat in unitatem eſſentiæ aut perſonæ, quia non fit, niſi intercedente Spiritu & fide, per quæ, diſtinctæ eſſentiæ & perſonæ remanent, ut nec Deus in homine incarnetur; nec homo viciſſim Deificetur, aut Chriſtificetur. Quo probè obſervato, ſua ſponte corruit omne fundamentum ſomnii enthuſiaſtici. Verùm, quia blaſphemia iſta, noſtro tempore, ſic ſatis exſtincta eſt, non erit quod ei operoſè confutandæ immoremur. Conf. Hoorneek *Sum. Controv.* lib. VI. qui eſt *de Enthuſiaſtis & Libertinis.*

2. An per hanc unionem, divina Chriſti natura nobiſcum coaleſcat in unam ſeu eſſentiam, ſeu perſonam?

XX. *Secundo* quæritur, an per unionem noſtrî cum Chriſto, divina ejus natura cum noſtra, in *unam* coaleſcat, ſeu *naturam*, ſeu *perſonam*? Andreas Oſiander ſenior, primò Paſtor Norimbergius, tum Profeſſor Regiomontanus, quo fortius, adverſus collegam ſuum, Franciſcum Stancarum Italum (ſtatuentem cum Pontificiis, quod ſecundum ſolam naturam *humanam*, Chriſtus eſſet Mediator) obtineret, Chriſtum ſecundum *divinam* naturam eſſe Mediatorem; per ἀμετρίαν τῆς ἀνθρωκῆς eo primùm delapſus eſt, ut ſtatueret, Chriſtum ſecundum *ſolam* divinam naturam, eſſe Mediatorem; atque, ut hoc etiam obtineret, nos juſtificari propter juſtitiam *eſſentialem* divinæ ejus naturæ; & in gratiam hujus ſtatuti, eo tandem delapſus eſt, ut defenderet, unione noſtrî cum Chriſto, quæ fit per fidem, *eſſentialem* divinæ naturæ juſtitiam nobiſcum ſic uniri, ut in *unam* nobiſcum coaleſcat, ſeu *eſſentiam*, ſeu *perſonam*. Vid. Oſiand. *in Diſp.* 24. Octob. 1549. Swenkf. *Tract. de verbo.* Weigel. part 3. *Poſtil.* p. 16. Sententiam iſtam excuſſimus Lib. V. cap. 2. §. XX. cum quibus, ſi jungas quæ monuimus *parag.* hujus capitis XIV. & XIX. non video, quid addendum reſtet, niſi quod cauſetur pro ſe, locum 2 Pet. I. 4. *Ut per hæc*, ſcil. promiſſa, *divinæ efficiamini conſortes naturæ.* Reſp. 1. Nhil hîc de *unione* noſtrî cum Chriſto. 2. Non negamus *totum* Chriſtum, ac proin, divinam quoque ejus naturam, mediante Spiritu & fide, nobiſcum uniri; ſed hoc tantum eſt quod negamus, ſic uniri ut unam nobiſcum conſtituat, ſeu *eſſentiam*, ſeu *perſonam*, quod non dicit textus. Addam 3. quod conſortium divinæ naturæ, Apoſtolus non repetat ab unione noſtrî cum Chriſto; ſed ex eo, quod *elapſi* ſimus, *à corruptione quæ eſt ex mundo per cupiditatem.*

3. An caro & ſanguis Chriſti, cum carne & ſanguine noſtro, in unum coaleſcant naturaliter? Rationes negativæ.

XXI. *Tertio* quæritur, an ad ſalutem noſtram requiratur, ut *caro* & ſanguis Chriſti, cum *carne* & ſanguine noſtro, in unum coaleſcant *naturaliter*? Pontificii & Lutherani, in gratiam manducationis *oralis*, quæ fiat in ſacra ſynaxi, affirmant. Reformati negant: quod 1. Chriſtus ipſe neget Joh. VI. 63. *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.* h. e. carnalis munducatio, & ejus conſectaria *unio* carnalis, non conducit ad ſalutem. Quod 2. *carnalis* iſta unio ſit impoſſibilis, carne & ſanguine Chriſti exiſtente in *cœlo* tantum Act. III. 21. quando noſtra caro & ſanguis in *ſola terra* exiſtunt: tanta igitur exiſtente intercapedine, corporis heterogenei Luc. XVI. 26. quî unio *carnalis*, inter tam diſſitos terminos, obtinere poſſet? Nec eſt quod objiciant: A. Membra noſtra, *membra Chriſti* appellari 1 Cor. VI. 15. Reſ. Membra enim *Chriſti*, cum eo unita

Objectiones affirmativæ.

dicuntur, non *naturaliter*; sed *mysticè*, unde vs. 17. non una *caro*; sed unus cum eo *Spiritus* dicuntur. B. Quod dicamur *membra sui corporis, caro de carne ejus, & os de ossibus ejus* Eph. v. 30. Resp. Sumus enim membra ejusdem corporis, non *naturalis*; sed *mystici* Eph. IV. 15. 16. quo modo, & nos invicem, ex *mystica* hac unione, *nobis* membra præstamus 1 Cor. XII. 12. non sanè *naturalia*, sed mystica. C. Quod caro & sanguis Christi, *nutrimentum* nostrum dicatur, & quod à manducatione ejus, dicamur *manere in eo*, & ipse in nobis Joh. VI. 53 — 57. eo quod nutrimentum *naturaliter* uniatur cum nutrito. Resp. Sicut nutrimentum *naturale*, cum nutrito in unum coalescit *naturale*; ita nutrimentum *spirituale* & mysticum, caro & sanguis Christi (per quod totus Christus intelligitur) in unum nobiscum coalescunt corpus *mysticum*. Plura in hanc rem, si Deus volet, occurrent in cap. de *Sacram. Nutritionis.*

Pars practica.

Praxis 1. Commendat dignitatem & excellentiam eorum, qui uniti sunt cum Christo.

XXII. *Praxis* unionis cum Christo, *primo* commendat dignitatem & excellentiam verè fidelium, ut qui virtute hujus unionis, non tantum sint (1) *Servi* Dei & Christi Rom. I. 1. nec tantum (2) *amici* Christi Joh. XV. 14. nec tantum (3) *fratres* Christi Heb. II. 11. nec tantum (4) *filii* Christi Ibid. vs. 10. sed etiam (5) *membra* Christi 1 Cor. XII. 12. Eph. v. 30. (6) *sponsa* Christi Hos. II. 18. Eph. v. 32. 2 Cor. XI. 2. (7) mysticè *unum* cum Christo, unus *spiritus* 1 Cor. VI. 17. una *caro*, seu caro de carne ejus, & os de ossibus ejus Eph. v. 30. Qui (8) unum cum ipso (*Christi*) *nomen* obtineant 1 Cor. XII. 12. quorum proinde (9) *curam* habeat tanquam sui ipsius Act. IX. 4. Zach. II. 8. Matth. X. 40. Imo (10) qui cum Christo unitus est, & cum *Deo* unitus est 1 Thess. I. 1. 2 Thess. I. 1. Etiam (11) cum *Spiritu* S. unitus est 1 Cor. VI. 17. eique templum præstat, in quo habitet 1 Cor. III. 16. Sunt etiam virtute unionis (12) ejusdem cum Christo *unctionis* participes 1 Joh. II. 27. Et ex eâ (13) sunt cum eo *Sacerdotes*, *Reges* Apoc. I. 6. imò *regale sacerdotium* 1 Pet. II. 9. Qui, eadem opera (14) *pervenerunt ad πανήγυριν & Ecclesiam primogenitorum, qui adscripti sunt in cœlis, ad Deum — ad spiritus perfectè justorum, ad Mediatorem fœderis novi* Heb. XII. 23. 24. Quorsum commendet.

Iltam eorum, tantam ac talem dignitatem & excellentiam, commendat, ad hoc, ut A. *gloria* eorum in *Christo Jesu*, *abundans sit* Phil. I. 26. & III. 3. ut B. sibi solicitè caveant, cum tales sint, ne moribus & conversatione, se ad mancipia Satanæ, & cupiditatum mundanarum dejiciant 2 Pet. II. 19. 20. Joh. VIII. 34. Rom. VI. 16. 17. 20. ut C. imprimis etiam sibi caveant, membra Christi peccatis deturpare 1 Cor. VI. 15. Nec tamen D. suâ istâ præsentia, inflentur ad factum, aut socordiam Rom. XI. 18. 20. quin potius, ex ea, ad humilitatem formentur 1 Sam. XVIII. 18. 23.

2. Præstat unitis cum Christo, efficacissimum solatium, in casu contemtus, pauperis, morborum, mortis, peccati, extremi judicii, cujusvis defectus, nobis benedicit, omni benedictione spirituali! Eph. I. 3. ex cujus copia possimus haurire χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. I. 16. IN quo possimus esse *consummati* Col. II. 9. 10. Et quod tandem hæc omnia multo securius possideamus in *capite* nostro, quam in *nobismetipsis* Matth. XVI. 18. Joh. X. 28.

XXIII. *Secundo*, efficacissimum *solatium* fideli præstat, cum Christo unitum esse, idque in quovis adverso: v. g. in casu (1) *contemtus* & vilipendii humani 1 Cor. IV. 9. 10. quantum juvat, cogitare excellentiam hujus suæ *unionis* cum Christo! propter quam Apostolus *omnia*, quæ sibi lucro erant, pro *stercore*, imò pro *damno* habuerit, tantum ut IN *Christo reperiretur* Phil. III. 8. 9. quam juvat cogitare! se nihilominus Christi fratrem, Christi membrum, Christi sponsam, imò mysticè unum & idem cum Christo esse. (2) In casu *egestatis* & miseriæ, quando *miser es*, *pauper*, *cœcus*, *nudus* Apoc. III. 17. quam juvat te unitum esse cum eo, qui ad hoc pauper factus est, ut suos locupletaret! 2 Cor. VIII. 9. *omnia tua* esse, quod tu Christi sis! 1 Cor. III. 21. 22. 23. (3) In casu *morborum* quorumvis Psal. VI. 3. 4. 7. 8. quam juvat & unitum esse ei, qui *Medicus* est! Exod. XV. 26. Matth. IX. 12. qui suorum *morbos portavit* & aufert Jes. LIII. 4. Matth. VIII. 17. qui tentatus in omnibus sicut nos, ut misericors esset Heb. IV. 15. qui proinde, & potest & vult sanare omnes infirmitates tuas Psal. CIII. 3. (4) In casu *persecutionum*, 2 Cor. IV. 8. 9. 10. quam juvat unitum esse cum Christo, ejusque vocem audire: *Saul, Saul, quid persequeris* ME? Act. IX. 4. (5) In casu *mortis*, quæ corpus separat ab animâ: quam juvat, unitum esse cum eo, qui est *resurrectio & vita!* Joh. XI. 25. *Nec mortem*, nec vitam — se *posse separare ab amore Dei, qui est* IN *Christo Jesu* Rom. VIII. 38. 39. (6) In casu *peccati*, & gravatæ conscientiæ Psal. XXXVIII. 5, quam juvat unitum esse cum eo, qui pro suis *factus est peccatum*! 2 Cor. V. 21. IN eo esse, qui factus est suis *justitia* 1 Cor. I. 30. qui condonat *omnia peccata* Psal. CIII. 3. (7) In horrore extremi *judicii*, & æternæ condemnationis Act. XXIV. 25. Apoc. VI. 15. 16. 17. quam juvat IN eo esse, qui factus nobis est *redemptio*, qui ipse *Judex* est futurus Rom. II. 16. 2 Cor. V. 10. qui suis fidem fecit, eos in *judicium* condemnationis nunquam venturos Joh. V. 24. (8) Verbo dicam, in quovis defectu spirituali, quam juvat unitum esse cum eo, IN quo Deus

XXIV. *Tertio* monet, ut accuratè seipsum quisque *exploret*, num & *ipse* beatissimæ hujus unio- 3. Moneat nos,

ipsos explore-mus, si-musne uniti Christo.

unionis cum Christo, sit factus particeps. Sed quibus tandem indiciis hoc certo assequemur? Resp. Sunt cum Christo uniti, quotquot 1. *Spiritum* Christi, ab eo, velut capite, in omnia sua membra profluentem: in se experiuntur 1 Joh. III. 24. & IV. 13. *actuosum*, in retrahendo ab omni malo, & excitando ad quodvis bonum Rom. VIII. 9. 10. 14. Quotquot 2. Christum in se *sentiunt viventem* Gal. II. 20. UNA *cum Christo crucifixus sum*, & vivo, non jam ego, sed vivit Christus IN *me*: est enim ipse *vita* nostra Col. III. 4. ac proinde, ubi non *vivit*, ibi non *est*. *Vivit* autem, ubi ejus mansuetudo, humilitas, charitas, obedientia, φρόνημα πνευματικὸν, vigent: his igitur, *vita illa Jesu in nobis manifestatur* 2 Cor. IV. 11. Quotquot 3. in Christo *augescunt*, ac multos fructus proferunt Joh. XV. 4. 5. quicum fructibus Spiritus S. commemoratis Gal. V. 22. plane coincidunt. Quotquot 4. *fide viva* sunt præditi Gal. II. 20. *una cum Christo crucifixus sum — vivit in me Christus — quod vivo, vivo per fidem*: fide enim, dum Christum recipimus, ipsum quasi attrahimus, eâdem operâ, cum eo unimur Joh. I. 12. & Christus IN nobis habitat Eph. III. 17. Quotquot 5. Christo *conformati* sunt, similitudine mortis *spiritualis*, quod fit odio & aversatione peccati Rom. VI. 5. Phil. III. 9. 10. *ut deprehendar in eo — ut conformis reddar ejus morti.* Quotquot 6. capiuntur ac *delectantur* ejus præsentia Phil. III. 9. 10. *ut deprehendar* IN *eo*... cum cap. I. 23. *cupio dissolvi & esse cum Christo.* Quotquot 7. serio *abhorrent* ab omni eo, quod se *divellere* possit ab eo Jes. LIX. 2. 1 Joh. I. 6. 7. Quotquot 8. delectantur communione sanctorum *mutua* 1 Joh. I. 3. 7. & V. 1. Atque ut his aliisque indiciis, felicius pertingamus in certitudinem infallibilem, nostræ unionis cum Christo: α. Sæpius & familiariter nobis agendum est cum propria *conscientia*, ut perspiciamus, an, quomodo, & quibus fundamentis Christum fide receperimus 2 Cor. XIII. 5. β. Fatigandus est Deus calidis *precibus*, qui illuminet intellectum nostrum, quo, sicut per Spiritum suum, est auctor nostræ *unionis* cum Christo; ita per eundem Spiritum, etiam *una testetur cum spiritu nostro*, nos vere unitos esse cum filio suo, atque, μετὰ παῤῥησίας, clamare posse: *Abba Pater* Rom. VIII. 15.

Indicia.

Adminicula explorationis.

4. Excitat, enitamur in hanc unionem.

XXV. *Quarto* excitat, ut omni conatu *enitamur* in beatissimam hanc unionem, exemplo Pauli Phil. III. 7. 8. 9. *Omnia Christi causa, pro damno habeo — ut comperiar* IN *eo.* Et quid ad hujusmodi conatum efficacius eriget? quam 1. dignitas & *excellentia* ineffabilis, eorum qui vere sunt uniti cum Christo, quam diximus §. XXII. Quam 2. exoptatissima *beneficia* hujus unionis, quæ diximus §. XVI. XVIII. XXIII. Quam 3. indeclinabilis *necessitas* hujus unionis Joh. XV. 4. 5. 6. 7. extra Christum enim, quicquid professi fuerimus, quicquid egerimus, quicquid petierimus, universum aspernabitur, & reprobabitur à Deo; si clamaverimus; *Domine Domine, nunquid in nomine tuo prophetavimus? nunquid dæmonia ejecimus? nunquid multas virtutes perpetravimus? occurrit: non novi vos, recedite à me* Matth. VII. 22. 23. si cum fatuis virginibus: *Domine Domine! aperi nobis*; respondebit: *Amen amen, non novi vos* Matth. XXV. 11. quicunque enim ipsum non admiserint, nec receperint, ut *unum* cum eo fierent; hos & ipse nunquam recipiet, nunquam admittet: quam cogitare 4. quod, *absque unione* cum Christo, Christus ipse, tantus ac talis mediator, *qui servare potest* εἰς τὸ παντελὲς *quotquot per eum accedunt ad Deum* Heb. VII. 25. universum ejus munus mediatorium, ejus functio prophetica, sacerdotalis, regia; ejus incarnatio, vita, mors, descensus; ejus resurrectio, ascensio, gloria ad dextram Dei; ejus tam pretiosa redemptio, omniaque nobis sint futura cassa & *inutilia*: quod extra Christum nulla existat salus Act. IV. 12. & nisi in ipso, & *per ipsum*, *nemo veniat ad Patrem* Joh. XIV. 6. Quod 5. citra unionem cum Christo, nulla existat communicatio, vitæ, gratiæ, virtutis, Spiritus Joh. VI. 53. nullum participium sapientiæ, justitiæ, sanctitatis, redemptionis 1 Cor. I. 30. nulla divinarum promissionum, nobis sit ναὶ καὶ ἀμὴν 2 Cor. I. 20. nulla *benedictio* nostra: non enim Deus benedicit, nisi IN *Christo Jesu* Eph. I. 3. Jam ut eo feliciter pertingamus, enitendum nobis. (1) Ut *Spiritu* potiamur: qui primum est hujus unionis *vinculum*, cujus ope Christus nos ad se trahit: potiemur autem fervidis ad Deum *supplicationibus* Luc. XI. 13. quæ nitantur, tum *promissionibus* divinis Ezech. XXXVI. 26. 27. tum *meritis* Christi, in quo omnes Dei promissiones sunt *etiam & amen* 2 Cor. I. 20. *cujus* est Spiritus, quem Pater mittit Gal. IV. 6. imo qui *ipsis* mittit suum Spiritum Joh. XVI. 7. Ut (2) viva *fide* Christum apprehendamus Joh. I. 12. attrahamus, & in interiora cordis nostri deducamus Cant. III. 4. ut per eam *habitet* in *cordibus* nostris Eph. III. 17. Ut (3) Christum, quando seipsum nobis offert ut sponsum, nobiscum, spirituali connubio uniendum, nunquam *respuamus* Cant. V. 2. 3. Apoc. III. 20. sed omni promptitudine, & aviditate intromittamus, Cant. V. 5. 6. imo ipsum, usu quorumvis *mediorum*, solicite *quæramus*, ut cum eo uniamur Cant. III. 1. 2. & V. 6. 7. 8. Ut (4) parati simus, qui ab omnibus aliis *divellamur*, quo cum eo solo arctius *conjungamur*, coalescamusque Eph. V. 31. cum Psal. XLV. 10. 11. Phil. III. 7. 8. Psal. LXXIII. 25. quo enim magis *divelleris* ab aliis quibusvis, eo intimius coalescis cum Christo: scil. pro ratio-

Media.

Rationes motivæ.

ne unionis *matrimonialis*, quæ talem exigit unionem cum hoc *uno*, ut aliorum omnium *prætermissionem* involvat Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Eph. V. 31. Ut (5) Christum fide electum & receptum, fervidissimo *amore* amplectamur Eph. V. 25. cum Cant. I. 2. & VIII. 1. nosque ipsos totos, quanti quanti sumus, ei *reddamus* Cant. II. 16. & VI. 2. & in amplexus ejus projiciamus Cant. VII. 9 — quo enim fervidior est *amor*; eo arctior *unio*.

5. Excitat ad fovendam unionem cum Christo,

XXVI. *Quinto* hortatur, ut sartam tectam, hanc nostri cum Christo unionem habere; omnibus modis, curatissime nitamur: ne quid interveniat, quod ullo modo eam luxare, aut *divellere*, aptum natum sit: nullum peccatum Jes. LIX. 2. nulla sordities, qua *membra Christi* prophanemus I Cor. VI. 15. qua Spiritus S. vinculum unionis nostræ cum Christo, *contristetur*, pellatur Eph. IV. 30. exstinguatur I Thess. V. 19. Imprimis autem & nominatim, religiosissime caveamus sequentes *obstructiones*, quibus unio dilatatur, commercium nostri cum Christo intercluditur, & communicatio profluxusque vitæ, gratiæ, virtutis ac Spiritus, impeditur: nim. (1) *Ignorantiam* Christi, qua ejus excellentiam, omnisufficientiam, & necessitatem receptionis & unionis cum eo, non satis habeamus perspectam I Tim. I. 15. Hinc Christum *mundus* non recipit, nec cum eo unitur, quia ipsum *ignorat* Joh. I. 10. 11. & ipsi ejus discipuli, ab ipso, ad se veniente, abhorrebant; quia *ignorabant* Joh. VI. 19. 20. 21. Hinc Paulus, (διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως τὸ Χριστοῦ) propter *excellentiam cognitionis Christi*, *omnia prò stercore & pro damno* habuit, *ut Christum lucrifaceret*, ET *in eo reperiretur* Phil. III. 7. 8. Qui enim *norunt*, quærunt ipsum, recipiunt, & uniuntur cum eo Psal. IX. 11. Hos. VI. 3. (2) Ἀναισθησίαν *insensibilitatem*, qua non sentimus nostram inopiam & miseriam, nec necessitatem Christi, unionisque cum eo Apoc. III. 17. Luc. XVIII. 11. 12. hinc fame & siti versus Christum destituimur, proinde ad Christum non accedimus, eum non recipimus, & sic cum eo non unimur Matth. V. 6. Jes. LV. 1. Matth. XI. 28. Apoc. XXII. 17. prout satiatus respuit cibum, etiam delicatissimum Prov. XXV. 16. Deut. XXXII. 15. (3) *Amorem* & ardorem versus peccatum, quo nolis *divortium* facere à voluptatibus, & tenerius tibi dilectis peccatis, ut ei possit succedere *unio* conjugalis inter te & Christum Hos. II. 1. 4. Jer. III. 8. 9. peccatum enim dilectum, quasi vallum, aut nubes densa, sese interponit inter Christum & nos, ut non possimus coire Jes. LIX. 2. quasi obtenebrat & excæcat oculos, quominus Christum apprehendendum agnoscamus 2 Cor. IV. 4. quasi debilitat manus, quominus Christum prehendant; occludit cor, quominus intromittat Christum Psal. LXXXI. II. 12. qui enim vult habere *peccatum*, nec vult, nec potest habere *Christum* 2 Cor. VI. 14. 15. 16. 17. (4) *Metum* crucis, persecutionum, jacturæ, contemtus apud Christum; quo Christum Gergeseni excludebant à suis confiniis Matth. VIII. 34. & XIII. 21. & XXVI. 56. Hinc Christus in discipulo, qui quidem se velit habere Magistrum; *propositum* exigit, indies tollendi *crucem* suam Luc. IX. 23. (5) Αὐτότητα seu φιλαυτίαν, amorem immoderatum, versus nos ipsos, & acquiescentiam in propriis: qua sic nobis ipsis sufficimus, in *propria* justitia, ut nullum Jesum recipiendum, nobis *necessarium* ducamus Apoc. III. 17. Luc. XVIII. 11. qua adeo sumus pleni, nobis ipsis, ut Jesum, nec desideremus, nec capiamus. Conf. I Cor. IV. 8. Ut non abs re, Servator in discipulo, qui se habere velit Magistrum, exigat primo loco, ut seipsum abneget, exemplo Pauli Phil. III. 7. 8. (6) *Pusillanimitatem*, qua inordinato sensu nostræ vilitatis, indignitatisque, collatæ cum excellentia Christi, non audemus ad Christum appropinquare Matth. IX. 20. 21. Luc. XVIII. 13. Ab his ergo, aliisque *obstructionibus*, quibus receptio Christi, & *unio* cum eo impeditur, quibus communicatio vitæ, Spiritus, gratiæ, universumque nostri cum Christo commercium, intercipitur, cane pejus & angue caveamus.

& cavendas sex potissimum obstructiones.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

6. Hortatur, ut uniti cum Christo, ex eo trahamus

XXVII. *Sexto* tandem, auctor nobis est hæc unio, ut uniti, ex unito, quasi *fugamus*, attrahamus, & ad nos derivemus quævis nobis necessaria Phil. IV. 19. ut rami ex arbore, palmites ex vite, truncus ex radicibus. Cum enim, ex consilio & beneplacito divino, *omnis plenitudo* sit in Christo Col. I. 19. cum Christus *omnia in omnibus repleat* Eph. I. 23. imò cum ipse *sit omnia in omnibus* Col. III. 11. adeoque cunctis nostris necessitatibus, plus quam sufficiat; conducet utique, imò necessum erit, ut omnia nobis necessaria *ab eo arcessamus*. Nominatim, A. *Spiritum*, per quem vivimus spiritualiter. Est enim (a) hic Spiritus, *Spiritus Christi*, quem suis communicat Rom. VIII. 9. Gal. IV. 6. cui, in hunc finem, Pater contulit *Spiritum*, *non ad mensuram* Joh. III. 34. scil. ut *omnia repleret* Eph. IV. 7. 8. 10. & I. 23. nim. pro cujusque mensura & capacitate. Hunc (b) à Patre nobis *exoravit* Joh. XIV. 16. Hunc (c) Pater nobis *promisit* Ezech. XXXVI. 27. effundendum magna copia Joel II. 28 Jes. XLIV. 3. Et (d) ipse etiam *Filius* Joh. XVI. 7. & VII. 38. 39. proinde avide ex Christo *Spiritum* attrahamus, ut reddamur *pleni Spiritu* Act. VII. 55. & II. 24. urgente Paulo Eph. V. 18. repleti enim Spiritu, pleni erimus *virtute* spirituali, sicut Stephanus Act. VI. 8. *fide & bonitate*, sicut Barnabas Act. XI. 24. B. *Gratiam* salutarem, fidei, spei, charitatis, sapientiæ, humilitatis &c. Est enim Christus *fons* & scaturigo omnis gratiæ Cant. IV. 15. Zach. XIII. 1. Joh. VII. 38.

spiritum.

gratiam.

28. Pſal. xxxvi. 10. Proin affatim ex eo hauriamus
robur. χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. i. 16. C. *Robur* ſpirituale: α. *Subigendi* peccata, & tumultuoſas carnis cupiditates Rom. vi. 5. 6. β. *Reſiſtendi* ſatanæ ejuſque tentationibus Jac. iv. 1. 7. quo robore Chriſtus, in omnibus tentatus ſicut nos Heb. iv. 15. ſatanam, cum ſuis tentationibus *vicit* Marth. iv. 2—11. Joh. xiv. 30. γ. *Præſtandi* Deo officia ei quotidie à nobis debita Phil. iv. 13. Zach. x. 12. Col. i. 29. δ. *Perferendi* pro Deo & Chriſto, quamvis ſortem Col. i. 11. Rom. viii. 35. 37. Phil. iv. 11. 12. 13. ε. *Perdurandi* in fide & obſervantia, uſque ad ultimum vitæ noſtræ halitum Job. xxvii.
Motivæ. 3—7. Act. xx. 24. 2 Tim. iv. 7. 8. Et quo omnia iſta, Spiritum, gratiam & robur ſpirituale, liberius ambiamus, & avidius è Chriſto ad nos trahamus, cogitanda nobis, A. *Bonitas* Chriſto naturalis Matth. xix. 16. 17. per quam eſt communicativus ſuiipſius, omniumque bonorum ſuorum Pſal. xxix. 68. à qua cum his confertur, quæ maxime ſunt communicativa ſui, v.g. cum Sole Mal. iv. 2. &c. B. Ejus *fides*, qua, bona iſta, quæ *pro ſuis* à Patre accepit Pſal. lxviii. 19. promte etiam, ac fideliter in ſuos *diſpenſat* Eph. iv. 8. eiſque *omnia* in omnibus replet Eph. i. 23. Imo C. Ejus *juſtitia*, per quam bona iſta diſpenſat, quæ ſuis meritis, ipſis *acquiſivit* Eph. v. 25. 26. 27. quæ teſtamento ſuis legavit Luc. xxii. 20. Joh. xiv. 27. Heb. ix. 15. D. Ejus *veracitas*, qua, communicando nobis bona iſta; non niſi *promiſſa* præſtat 2 Cor. i. 10. E. Ejus *obligatio*, ex tot relationibus, ab unione noſtra oriundis: ſumus enim ejus ſponſa, membra, corpus, familia Eph. v. 25. 26. 27. & i. 22. 23. Conf. 1 Tim. v. 8. Ezech. xvi. 11. 12. F. Ejus *invitationes* Joh. vii. 37. Apoc. xxii. 17. Matth. xi. 28. Jeſ. lv. 1. G. Ejus *indignatio*, in hos qui *nolunt* venire, nolunt haurire Joh. v. Media 40. Matth. xxiii. 37. Interim, quo commodius omnia iſta ex Chriſto hauriamus, attrahamuſque; cum fons & ſcaturigo vitæ profunda ſit, inſtrumenta nobis erunt neceſſaria Joh. iv. 11. quibus hauriamus. Scil. (1) *manus* fidei qua trahamus Joh. vii. 38. 39. Matth. xv. 18. & viii. 13. (2) *Os* precum, Pſal. lxxxi. 11. quo velut fugamus Matth. vii. 7. quo expetamus *Spiritum* Luc. xi. 13. *gratiam* Joh. iv. 10. *robur* ſpirituale Jeſ. xl. 29. Eph. iii. 14. 16. Col. i. 9. 11. (3) *Cor inane* & famelicum Luc. i. 52. Matth. v. 6. Jeſ. lv. 1. Apoc. xxii. 17. (4) *Vaſa* ac tubi inſtitutorum eccleſiaſticorum, h. e. uſus verbi divini 1 Pet. ii. 2. Sacramentorum Matth. xxvi. 26. 27. 28. &c. Atque hæc omnia (5) concurrant & cooperentur in profunda *humilitate* animi Jac. iv. 6. exemplo Cananææ Matth. xv. 18. Jairi Marc. vii. 25. peccatricis Luc. vii. 28. Centurionis vſ. 6. 7. 8.

CAPUT SEXTUM,

DE

Redimendorum Juſtificatione.

Rom. iii. 22.-----27.

Juſtitia autem Dei, per fidem Jeſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes qui credunt: non eſt enim diſtinctio ---- juſtificantur gratis, ejus gratia, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem in ejus ſanguine, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, ad remiſſionem præfactorum delictorum &c.

Applicationis & unionis primum beneficium eſt juſtificatio.

I. REdemptionis applicationem conſideravimus, quoad ejus *naturam*, *actus* Dei applicativos, & fundamentum; reſtat ut ad *beneficia* applicanda tranſeamus, atque adeo, ad *communionem* beneficiorum, quæ fluit ex unione cum Chriſto, eo ordine, quem cap. *præced.* §. xviii. diximus. In quo primum locum obtinet *juſtificatio*. Cui ſedem claſſicam præſtat, capitis tertii ad Romanos pars poſterior, ex qua verba excerpta, pro fundamento noſtræ conſiderationis ſtruemus.

Pars Exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus verbis* doctrinam de juſtificatione peccatoris, *Apoſtolus*, *velut in compendio repræſentat*, *in qua notantur*:

1. Juſtificatio, juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti: *Eſt hic*

A. Juſtitia *propter quam juſtificamur coram Deo*, *nim.* juſtitia Dei: *non utique* ipſius *Dei*, *ſeu* *ejus*

ejus justitia essentialis, *ut somniabat Osiander quæ nostra fieri nequit, quin fiamus ipse* Deus; *est enim justitia Dei* ipse *Deus*: *sed justitia Christi, qui* & Deus *est, quippe* Jehova justitia nostra Jer. XXIII. 6. qui factus est nobis à Deo justitia 1 Cor. I. 30. *Proinde justitia illa quæ à Deo, ad hoc peculiariter constituta est in æterno pacis consilio, quæ coram tribunali Dei,* sola *valet ad justificationem peccatoris, quæ sola ab eo ad hoc admittitur pro peccatore electo, quam solam nobis revelavit in Euangelio, quæ opponitur justitiæ illi quæ est* ex lege, *seu ex fœdere legali, quæ non est* ex fide Gal. III. 12. *quæ proprie est* nostra *justitia, utpote viribus* nostris, *ex tenore fœderis legalis, præstanda.*

B. Appropriatio *istius justitiæ, quæ justitia illa Dei,* nostra *fit,* per fidem Jesu Christi. *Intelligitur justitia Christi, non* essentialis *illa, vel* divinæ, *vel* humanæ *ejus naturæ; sed mediatoria, seu* parta, *quam sua satisfactione & merito peccatoribus acquisivit. Quæ nostra fit* per fidem, *qua Christum apprehendimus ejusque justitiam illam, & ex promissione divina, nostra fit, h. e. nobis* donatur, *nobis* imputatur. *Appellatur* fides *Christi, non sensu* activo, *qua Christus credit; sed* passivo, *qua in ipsum creditur, quo sensu* fides Dei Marc. XI. 22. *fides* nominis Jesu Act. III. 16. *fides* Filii Dei Gal. II. 20. *ut casus possessivus hic objectum notet seu materiam circa quam fides occupatur,* ut fides Jesu Christi, *idem valeat quod* διὰ πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Observanda item est Ellipsis articuli:* ἡ διὰ πίστεως, *per quam justitia Dei, quæ est per fidem Jesu Christi, discernitur à justitia quæ est ex lege, de qua* vs. 21. *dictum fuit.*

2. Justificandi, in omnes & super omnes qui credunt. *Notatur justificationis adæquatum* objectum: omnes *credentes* Joh. I. 11. 12. & cap. III. 16. 36. Εἰς πάντας, καὶ ἐπὶ πάντας. *Posterius* ἐπὶ πάντας *non habet Arabs, nec quædam manuscripta; habet tamen Vulgata versio & Syra: nec superfluum est, sed maxime emphaticum. Hinc universalitatem objecti, Apostolus*

α. Probat, ὃ γάρ ἐστι διαστολή: non est enim distinctio, *seu discrimen, scil. hominum, seu inter Judæos & Gentiles, per quod illi potius quam hi ex operibus justificentur, & non ex fide Jesu Christi. Conf.* vs. 9.

β. Confirmat *argumento bimembri, quorum*

1. Prius *ei suppetit à* peccato *universali* πάντες γὰρ ἥμαρτον, omnes enim peccârunt; *proinde nulla est differentia, nulla exceptio.* Omnes, *Gentiles pariter & Judæi, sicut capite primo & secundo demonstraverat. Dixerat efficacius* vs. 9. προῃτιασάμεθα Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας, πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι; ex causis enim demonstravimus, omnes sub peccato esse, h. e. ὑπόδικους reos *esse* vs. 19. *seu sub* potestate *peccati esse, consequenter si jam vel accuratissime servarent legem, propter commissum peccatum damnandos esse. Intelligit autem* peccatum, *cum* originale, *tum* actuale, *utrumque enim peccatorem reum facit.*

2. Posterius *ei suppetit à* pœna, *seu consectario peccati,* καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, deficiuntur gloria Dei. Καὶ *hic vim causalis habet,* propterea *deficiuntur:* ὑστεροῦνται, *Vulgata reddit* egent, *quasi* χρείαν ἔχουσι, *parum accurate; Erasmus* desituntur, *rectius quidem; se tamen non satis expresse:* ὑστερεῖσθαι *proprie de eis dicitur, qui in cursus certamine, deficientibus viribus, relinquuntur à tergo, ita ut ad metam non pertingant. Ex quo etiam assequimur, quid per* gloriam Dei *intelligat Apostolus, nim. vitam æternam. Conf.* 1 Cor. IX. 24. Phil. III. 12. 13. 14. *Nisi malis hic per* gloriam Dei *intelligere, causam gloriandi apud Deum, qua possis ex operibus propriis justificari, quod apprime congruit scopo Apostoli, qui in hoc est, neminem posse justificari ex operibus.*

3. *Justificationis* causæ,

א. Impellentes, *duæ.*

1. Προηγουμένη *seu* intrinsecus *movens,* δικαιούμενοι δωρεὰν, τῇ αὐτοῦ χάριτι: justificati gratis ipsius gratia. Δικαιούμενοι, justificati: *vel justificantur, subintellige* δὲ autem, *quasi pro* δικαιοῦνται: *vel* ut qui justificentur, & *sic pendebit à verbo* ὑστεροῦνται. Δωρεὰν, gratis, à δωρεὰ donum, *seu datio talis, quæ causam juris antecedentem non habet: absque* pretio, *absque* merito, *Hebr.* חנם Jes. LV. 1. 2. Τῇ αὐτοῦ χάριτι, *additur* ἐξηγητικῶς, *ut planius fieret quod jamjam dixerat.* Ejus *scil. Dei* gratia, *seu* amore indebito Rom. IV. 2. 3. 4. 5. *Opponitur* debito, & *operibus quibusvis, & quomodocunque consideratis* Rom. XI. 6. *alibi* χρηστότης καὶ φιλανθρωπία *dicitur* Tit. III. 5.

2. Προκαταρκτικὴ *seu* extrinsecus *movens,* διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. *Notatur causa* meritoria *justificationis, & circa eam,*

A. Redemptio, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, per redemptionem. *Est ἀπολύτρωσις in sua emphasi, talis liberatio, qua miles captivus, non vi, nec sola intercessione; sed* solutione pretii *liberatur. Si objies; quomodo igitur* gratis *justificamur pura Dei* gratia, *si per*

solu-

ſolutionem pretii : reſpondebo : gratis, *non reſpectu* Redemptoris, *huic enim incumbebat redemptionis pretium dare* Matth. xx. 28 : *ſed reſpectu* redimendorum, *quos* gratis *ab æterno dilexit, quibus* gratis *Redemptorem dedit, redemptionem admiſit* Joh. III. 16. Rom. v. 8.

B. Redemptor τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ejus quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Non ejus quæ olim fuit in Moſe, Joſua aliiſque; nec ejus quæ eſt in* nobis ipſis, *per proprias ſatisfactiones; ſed ejus præciſe quæ eſt* in Chriſto Jeſu, *quam ſua ſatisfactione & merito, impetravit Chriſtus Jeſus ſolus. Eſt igitur hoc unicum* δικαίωμα *noſtræ* δικαιώσεως *coram tribunali divino.*

3. Efficiens *principalis, ſeu conſtitutio propitiatorii, penes quam notatur*

1. Conſtitutus *propitiator*, ὃν quem, *ſcil. Chriſtum Jeſum, extra quem non eſt ſalus* Act. IV. 12. *qui ſolus eſt* via, veritas & vita, *abſque quo* nemo venit ad Patrem Joh. XIV. 6. *in quo ſibi complacuit Pater* Matth. III. 17.

2. Conſtituens, ὁ Θεὸς Deus, *ſeu* Pater οἰκονομικῶς, *ſeu tota* Trinitas θεολογικῶς: *à cujus ſolius* beneplacito *& arbitrio pendet* Matth. XI. 26. 27. *à quo Chriſtus omnem poteſtatem accepit* Cap. XXVIII. 18.

3. Conſtitutio, προέθετο propoſuit, *ſcil.* (1) *in æterno pacis conſilio* Pſal. II. 6. 7. 1 Pet. I. 20. Jeſ. XLII. 1. *Propoſuit, ſeu* præconſtituit. (2) *In prima promulgatione Euangelii* Gen. III. 15. & inimicitiam אשית ponam..... *&* IPSE *&c. Præconſtituit* (3) *in umbris* legis ceremonialis, *v. g. in* propitiatorio *arcæ, quem præconſtituit* ἱλαστήριον, *utpote quorum corpus eſt Chriſtus* Col. II. 17. *Quem* (4) præconſtituit *palam in promulgatione Euangelii exhibitionis, offerendo ipſum recipiendum, & promittendo, præſtita receptione per fidem, remiſſionem peccatorum* Joh. III. 16. Act. X. 43. *In hac præconſtitutione Dei, omnis hæret vis & efficacia mortis & obedientiæ Chriſti* Act. II. 36. Pſal. CXVIII. 22. Jeſ. XXVIII. 16.

4. Terminus, *ſeu uſus conſtitutionis,* ἱλαστήριον, *Hebræi* כפרת, *erat quondam tegmen arcæ, ubi Deus præſens erat, undereſponſa dabat, ſe placatum oſtendebat, cui inſidens, nubes quædam immiſſa, certum faciebat populum, ſui verſus eum favoris: de hoc videre eſt* Levit. XVI. 2. Num. VII. 89. *Fuiſſe typum Chriſti, textus docet, & Apoſtolus confirmat* Heb. IV. 16.

2. Inſtrumentalis, διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, per fidem in ſanguine ejus. *Eſt hic*

α. Actus *fidei*, διὰ τῆς πίστεως. *Hæc deſunt in manuſcripto Grotii, atque etiam in Chryſoſtomo, juxta Bezam; adeſt tamen in Ambroſio, & pleriſque codicibus.* Per *fidem*, διὰ *non* propter *fidem, ut fides ſit ipſum noſtrum* δικαίωμα, ob *quod juſtificamur, ut nonnulli volunt ex Remonſtrantibus: ſed* per *fidem velut* inſtrumentum, *non equidem juſtificationis* activæ; *Deus enim nos juſtificat per fidem noſtram: ſed* paſſivæ *tamen, quatenus nos non juſtificamur, nec ſenſum habemus noſtræ juſtificationis à Deo factæ, niſi per fidem: niſi malis fidem dicere* conditionem, *abſque qua Deus non vult nobis impertiri juſtitiam filii ſui, ob quam juſtificemur.*

β. Objectum *fidei*, in ſanguine ipſius. *Verba hæc alii connectunt cum* ἱλαστηρίῳ, propitiatorio, *ut ſignificetur propitiationem non fieri, niſi in ſanguine; & quidem* αὐτοῦ *ipſius Chriſti, non autem in ſanguine typico, quem Sacerdos introducebat in ſanctum Sanctorum* Heb. X. 4. *ſed in ſanguine* ipſius *Chriſti, illo typico præfigurato, ſeu in ſanguine* proprio: *non eſt tamen quod obſtet, quominus referamus ad* fidem, *velut ejus* objectum, *vel potius in Chriſtum ipſum, quatenus ille ſanguinem ſuum dedit in redemptionis pretium. Tum per* ſanguinem *intelliguntur omnia ejus* παθήματα, *ab initio vitæ ejus, uſque ad ejus exitum.*

3. Finalis, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, per remiſſionem præfactorum delictorum. *Notatur hic*

1. Finis, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ad demonſtrandam juſtitiam ſuam. Δικαιοσύνη αὐτοῦ *hic ſignificare poſſit α. juſtitiam illam propter quam nos juſtificamur coràm Deo; ut nim. eam hominibus oſtenderet, non eſſe* noſtram *juſtitiam quæ ſit ex lege, ſeu ex operibus propriis* Phil. III. 9. *ſed* ſuam, *puta juſtitiam Chriſti, quæ eſt ex fide, de qua* Rom. I. 17. *&* Phil. III. 9. *quam ipſe conſtituerit* (προέθετο) *quæ ſola apud ipſum valeat, quam ſolam peccator juſtificandus ſectari debeat: β. juſtitiam Dei eſſentialem* vindicativam, *quæ efficaciſſime oſtenditur in* ſanguine *Chriſti, propitiatorio pro noſtris peccatis, quatenus* proprio filio non peperçit Rom. VIII. 32. *γ. juſtitiam* remuneratoriam, *quatenus*

facta jam solutione in sanguine Jesu Christi, pro peccatore credente, Deus jam per justitiam, non potest non remittere peccatori peccata 2 Cor. v. 21.

2. Medium *ad finem obtinendum, penes quod notatur*

A. Remissio, *διὰ τὴν πάρεσιν. Vox alibi in toto Instrumento sacro non occurrit. Ab interpretibus communiter redditur per* remissionem, *ut coincidat cum ἀφέσις: nisi quod Celeb. Coccejus maluerit referre per* transmissionem, *qua Deus peccata fidelium V. T. transmiserit in Christum, in eo suo tempore punienda, & tum demum ipsis remittenda, ut huc usque non habuerint ἄφεσιν, seu plenam suorum peccatorum* remissionem. *Communior sententia mihi magis placet, quod inter alia, posterior sententia nimium videatur coarctare scopum Apostoli. De hoc autem ulterius videbitur in progressu.*

B. Remissum *ἁμαρτημάτων* peccatorum, *scil. omnium, tam* originalis; *quam* actualium, *idque omnium electorum, utpote in quibus* non videt peccatum, *scil. ad puniendum* Num. XXIII. 21. *Προγεγονότων* præfactorum, *non ideo tantum, quod peccata necdum perpetrata,* actu *etiam non possint condonari in se, quamvis Deus ab æterno decreverit, se condonaturum suo tempore, cum commissa fuerint* Gal. II. 16. *Ex quo nequaquam sequitur, peccata electorum ab æterno remissa fuisse, non magis quam ex æterno decreto creandi mundum, sequitur, mundum ab æterno creatum fuisse: non hoc, inquam nomine, πάρεσις προγεγονότων ἁμαρτημάτων commemoratur; sed etiam, quod peccata sub Veteri Test. commissa non nisi propter sanguinem Christi remittantur* Heb. IX. 15. *non autem, quod peccata fidelium V. T. præterita ac dissimulata tantum, & non plene* remissa *fuerint. Additur, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ*, in tolerantia Dei, *quod connectendum videtur, non cum πάρεσιν, quasi πάρεσις consistat in hac ἀνοχῇ, illiusque sit exegesis: sed cum participio προγεγονότων, ut sensus emergat: peccata fidelium V. T. à Christo, per æternam expromissionem* in se *traducta, adeoque in se (non in ipsis fidelibus) adhucdum existentia, toleravit, ut* nunc *tandem simul in Christo puniret, & puniendo demonstraret justitiam suam vindicativam.*

Pars dogmatica.

Uniti cum Christo propter ejus justitiam, fide apprehensam, justificantur.

III. Uniti ergo, per fidem cum Christo, IN ejus sanguine, seu justitia reconciliatoria, justi à Deo censentur, ad remissionem peccatorum, & consequenter ad possessionem vitæ æternæ. Hinc illis, qui *in* Christo sunt, Christus à Deo factus dicitur (*δικαιωσύνη*) *justificatio* 1 Cor. I. 30. & Apostolus, cum abnegatione & dispendio omnis *propriæ* justitiæ, anhelabat inveniri IN *Christo*, ut non sua potiretur ex lege *justitia*; sed ea, quæ est per fidem, *Christi* Phil. III. 8. 9. eo quod Christus, ex constitutione Dei, sit *Jehova justitia* NOSTRA Jer. XXIII. 6. utpote cui Deus omnem nostram *injustitiam* imposuit Jes. LIII. 4. 5. quique animam suam pro nobis præstitit אשם *propitiatorium* vs. 10. atque adeo factus est pro nobis *peccatum*, ut nos redderemur *justitia coram Deo*, IN eo 2 Cor. V. 21. Hinc CUM *eo sepulti* dicimur IN *mortem ejus* Rom. VI. 4. Huc item spectabant omnia Veteris œconomiæ *sacrificia*, omnes aspersiones sanguinis, scil. ad præfigurandam *aspersionem*, seu applicationem & unionem, *sanguinis Christi* 1 Pet. I. 2. Heb. IX. 13. & X. 22. qui nos *purgat* ab *omnibus peccatis* nostris 1 Joh. I. 7. Et quis tandem I. dubitare posset, quin *uniti* cum Christo, ejus membra, ejus corpus, ipsum ejus *nomen* gestantes 1 Cor. XII. 12. qui *unà cum eo crucifixi* sunt (*συνεσταύρωμαι τῷ Χριστῷ*) Gal. II. 20. qui cum eo sepulti sunt *in mortem* ejus Rom. VI. 4. qui *una cum ipso planta* facti sunt, ad similitudinem *mortis* ipsius vs. 5: quin, inquam, tales in Christo censeantur *justi*? nisi Christum ipsum, & postquam satisfecit, in membris, in corpore suo, velit *injustum* dicere, & sub reatu mortis constitutum pronunciare. Conf. 2 Cor. VI. 14. 15. Cum præsertim 2. ex *constitutione* Dei, Christus sit *secundus* Adamus, IN quo perinde justificemur, atque in primo condemnabamur Rom. V. 12—1 Cor. XV. 22.

& ratiocinibus.

Probatur Scripturis.

Confœderatio vocis.

IV. Hujus igitur justificationis, in qua universæ Religionis nostræ cardo, pariter & compendium versatur, naturam & ingenium quo dexterius assequamur; ab ovo, & à *voce* ordiendum. *Justificare*, quantum ad *notationem*, ex nomine *justus*, & verbo, *facere* constituitur. Tum *justus* est: qui culpæ (qua quis contra *jus*, alicui injuriam fecit, eoque pœnam meretur) reatu vacat, & proinde *puniri* non debet: & *justum-facere* est, vel *conferendo* & infundendo justitiam, prout in creatione, per justitiam originalem protoplastis factum Eccl. VII. 28. vel *declarando*, demonstrando, absolvendo, justum, seu immunem à pœna præstare: quantum ad usum, *justificare*, apud Latinos, & qui à Latinis vocem acceperunt, vix, nisi sensu posteriore capitur, & sic *τῷ* צדק & *δικαιοῦν* in Scripturis perpetuo respondet.

det. Ac proinde, si rem in genere observes, *justificare* non est, nisi aliquem in discrimine constitutum vindicare à *condemnationis* merito; prout *condemnare*, quacunque ratione culpæ reum; pœnâ *dignum asserere*; ut condemnationi è diametro opponatur justificatio Prov. XVII. 15. Rom. VIII. 33. 34. Sive ista justificatio & vindicatio peragatur, ab ipso *reo*, accusato aut injustitiæ suspecto; sive ab ejus *advocato*, sive à testibus, sive, quod potissimum est, à *Judice*. Fit autem hæc justificationis, vindicatio, vel propter *propriam & reo inhærentem* justitiam, quando probari non potest, ipsum culpam ullam commisisse, qualis ante lapsum in protoplastis admitti posset justificatio; quamvis justificatio vix dici queat, quia nulla aderat, vel accusatio, vel culpæ suspicio, unde rectius *laudatio* diceretur: vel propter *imputatam*, qua, per se injustus, putatur justus propter aliquid, quod admittitur loco illius justitiæ, quæ ei inesse & inhærere debuerat. Et sic justificatio nostri peragitur, vel in foro *humano*, seu civili, vel in foro *divino*: sive *internum* hoc intelligatur, seu *conscientiæ*; sive *externum* illud, quod, seu immediate ab hominis discessu, existit; seu in extremo demum judicio, existet.

Definitio justificationis.

V. Nobis de justificatione, coram foro *divino*, hic proprie est negotium. Quo modo justificatio nobis non est, nisi Dei declaratio gratiosa, qua peccatorem, propter justitiam Christi, ei imputatam, & viva fide ab eo apprehensam, absolvit à reatu omnium peccatorum suorum, & justum eum pronunciat ad vitam æternam. Hac definitione repræsentatur, justificationis.

1. Causa justificans, Deus:

VI. Primo *efficiens* causa, seu justificans, *Deus* solus Rom. III. 26. 30. & VIII. 30. 33. Gal. III. 8. Luc. V. 21. velut supremus *Dominus* Gen. XIX. 30. & *legislator* Jac. IV. 12. Jes. XXXIII. 22. *Judex* Heb. XII. 23. atque etiam, quasi *creditor* Psal. LI. 6. Matth. VI. 12. quem peccato offendimus, & cui, per peccatum, sumus facti *debitores*, qui proinde solus nobis potest remittere peccata nostra, qui etiam solus nobis procuravit expromissorem, velut auctorem unicum justificationis nostræ Joh. III. 16. 1 Cor. I. 30. Rom. III. 24. 25. & IV. 24. 25. & V. 16. 17. 18. 19. & admittit pro nobis, ejus promissionem sanctificationemque Eph. V. 2. imo & justificandos *unit* cum filio Mediatore, ut in eo, communionem justitiæ ejus consequamur Rom. VIII. 29. 30. 32. 1 Cor. V. 21. Quin, non Deus tantum θεολογικῶς, quoad *essentiam* consideratus, est causa justificans, in quantum justificatio, operatio est in creaturam, *extra* Deum tendens: sed

Pater, Filius & Spiritus S.

& οἰκονομικῶς, singulæ essentiæ divinæ personæ, peculiari modo, ad eam distincte concurrant: *a. Pater* quidem Rom. VIII. 34. constituendo, admittendo, & imputando justitiam filii sui, pro nostra justificatione Rom. VIII. 30. 2 Cor. V. 21. *β. Filius* Jes. LIII. 11. Matth. IX. 2. 6. satisfaciendo Matth. XX. 28. Eph. V. 2. & intercedendo, velut advocatus 1 Joh. II. 2. *γ. Spiritus S.* 1. Cor. VI. 11. testificando Rom. VIII. 15. & obsignando 2 Cor. I. 22. Eph. IV. 30.

2. Ipsa actio.

VII. *Secundo*, ipsa justificationis *actio*, quæ consistit in judiciali declaratione, seu *sententiæ* pronunciatione Rom. VIII. 33. Quæ (1) in *mente* Dei, quasi concepta est, ab æterno, per decretum justificandi Gal. III. 8. (2) in *Christo* q. pronunciata, velut capite, è mortuis resuscitato 2 Cor. V. 17. 19. Rom. IV. 25. (3) virtualiter, in *conscientia* nostra, per primam illam relationem, quæ est *ex fide*, in nobis resultat; quatenus ex ea, per promissionem divinam, nos justificatos percipimus Rom. VIII. 1. (4) Efficienter per Spiritum S. una cum spiritu nostro *testificantem*, nos, propter satisfactionem, justificatos esse & reconciliatos Rom. VIII. 15. cum Cap. V. 5. (5) *Instrumentaliter* denique per Euangelium Rom. II. 16. quatenus ejus voce, quasi per sententiam *juris*, credentes immunes pronunciat, ab accusatione legis Gal. III. 12. 13. à reatu peccatorum; & jus addicit vitæ æternæ Joh. III. 16. Act. X. 43. Quin, si ullum, veri quidem & proprii nominis, in justificatione Dei, veniat admittendum instrumentum, per quod, in hac vita, justificet; non aliud admittes rectius, quam *Euangelium*.

3. Objectum justificationis.

VIII. *Tertio objectum* actionis justificantis: Non *Angeli* Heb. II. 16: neque enim *boni* justificantur, utpote qui nullius injustitiæ, vel accusatione, vel suspicione laborant, adeoque *laudari* magis, quam *justificari* aut absolvi possunt: neque *mali*, quippe quos catenis æternæ caliginis vinctos, *judicio* condemnationis, absque remedio addixit 2 Pet. II. 4. Jud. vers. 6. sed B. *Hominis* 1 Tim. II. 5. Non *quivis*; sed (1) *electi*, omnes & soli Rom. VIII. 30. Interim (2) *peccatores* Rom. IV. 5. & cap. III. 23. 24. sed tamen (3) *redemti* per sanguinem Christi Rom. III. 24. (4) *vocati* ad recipiendum Redemptorem, & redemptionis conditiones Rom. VIII. 30. 1 Pet. II. 9. 10. (5) *regeniti* & vivificati Eph. II. 5. *illuminati* mente Eph. I. 17. 18. 19. *renovati* corde seu voluntate Ezech. XXXVI. 26. quo vocationi *possint* obsequi, & oblatum sibi Redemptorem ac redemptionis leges recipere (6) *conversi* Jer. XXXI. 18. 19. ut per vires, regeneratione acceptas, fide Deum & Mediatorem *actu* recipiant Phil. III. 12. & à peccatis ad justitiam se convertant Jer. XXXI. 19. (7) *uniti* cum Christo, ut non nisi *in Christo* potiantur, non *sua*, sed *Christi* justitiâ, quæ est per fidem Phil. III. 9. 1 Cor. I. 30. Act. IV. 12. Ex quibus una opera perspici potest *ordo* & processus Dei, quo miseri peccatoris justificationem procurare consuevit.

4. Causa impulsiva.

IX. *Quarto*, causa quasi *movens* intrinsecè, pura scil. & puta ejus gratia Rom. III. 24. *gratis*, *ejus gratia* Et IV. 24. Eph. II. 8. Tit. III. 5. 6. 7. Quatenus justificamur, non ob *propriam* & inhærentem nobis justitiam, bona opera, aut quidvis in nobis, quod justificari mereatur: *omnes enim peccavimus, & destituimur gloria Dei* Rom. III. 23. Nec est nostri justificatio, nisi peccatorum nostrorum *deletio* Jes. XLIII. 25. *remissio*, *tectio* Psal. XXXII. 1. unde passim Scriptura pronunciat, nos justificari *absque operibus* legis Rom. III. 28. Gal. II. 8. 9. adeo, ut à nobis excludatur omnis *gloriationis* ansa Rom. III. 27. & IV. 2. Eph. II. 9. eadem etiam gratia, qua Redemptorem mundo *dedit* Joh. III. 16. & IV. 10. qua electos vocat ad recipiendum Redemptorem sibi datum 2 Tim. I. 9. qua fidem ipsis largitur, cujus ope ipsum recipiant Phil. I. 29. & cum eo uniantur Phil. III. 9: eadem, inquam, gratia, eosdem *in* Christo censet & pronunciat *justos*.

5. Causa meritoria.

X. *Quinto*, causa *extrinsece* movens ad justificandum, est *justitia* aliqua, propter quam, justificando justos pronunciat. Cum enim *justus* sit Judex Gen. XVIII. 25. & *verax* etiam Apoc. XV. 3. cujus proinde *judicia*, & *justa* sunt & *vera* Apoc. XVI. 7. non potest justum declarare, qui *nullam* justitiam habet. Cum etiam justificandus sit *peccator*, & in se impius Rom. III. 23. 24. & IV. 5. qui proinde nullam habet justitiam *intrinsecam* Rom. III. 10—21. ob quam justificari, aut justus declarari possit Psal. CXLIII. 2. & CXXX. 3: necessum est, ut alterius justitia interveniat, ob quam justus declaretur: nec alterius *cujusvis* justitia intervenire potest, quod quævis creatura rationalis suam justitiam Deo debeat *pro se* Luc. XVII. 10. sola igitur justitia Christi superest, ob quam justificemur Phil. III. 9. *non habens meam justitiam — sed quæ est ex fide, Christi*: qui ab hoc factus nobis dicitur *justitia* 1 Cor. I. 30. & *Jehova justitia nostra* Jerem. XXIII. 6. & *per unam justitiam* (δι' ἑνὸς δικαιώματος) *in omnes homines* (scil. justificandos) *justificationem* redundare ad vitam Rom. V. 18. Idque ex divina constitutione, qua Christum fecit *peccatum*, ut nos *fieremus justitia in eo* 2 Cor. V. 21. qua ipsum *proposuit ἱλαστήριον* Rom. III. 25. à quo ipse etiam Christus, *justus ille*, sui cognitione, *justificaturus* dicitur *multos* Jes. LIII. 11. Proinde, sicut Adami *injustitia* est illud κρίμα: ob quod omnes condemnantur; ita Christi *justitia* est illud δικαίωμα, ob quod omnes justificandi absolvuntur. Est etiam Christi ista justitia, nostræ justificationis *causa meritoria*, quatenus talis est ac tanta, ut injuriæ, quæ peccatis nostris, majestati divinæ est illata, farciendæ planè sufficiat, ut propter eam, Deus nos immunes ab omni reatu pronunciare, jure possit, &, ex pacto, debeat.

XI. Cum autem duplex in Christo observetur justitia: *essentialis*, tam *divinæ*, quam *humanæ* naturæ, cum qua natus est Luc. I. 35. & *parta* seu acquisita, per omnem vitam suam in terris; ut commodius assequamur, quâ Christi justitia justificemur, tenendum α. quod *totus* quidem Christus, omnisque ejus justitia, nobis *conducat* ad justificationem: eo quod totus à *Deo datus* sit mundo, ut quisque credit in eum, *non pereat*; sed *vitam æternam habeat* Joh. III. 16. quodque non *sibi* natus sit, veneritque in mundum, ut *sibi* ministraretur; sed *nobis*, ut *seipsum* daret redemptionis pretium pro multis Matth. XX. 28. Eph. V. 2. 25. 26. quamvis non *uno* eodemque modo *conducat*. Nominatim β. quod justitia ejus *essentialis*, tam divina, quam humana, ad justificationem nequaquam conducat, ut δικαίωμα nostrum, ob quod justificemur, quod non tantum eam sibi requirat; sed quod etiam superfluam faceret & cassam justificationem, per justitiam *partam*: si enim propter justitiam *divinæ* personæ, quæ *infiniti* valoris est; aut etiam propter justiam *humanæ* naturæ, velut δικαίωμα nostrum absolveremur, quorsum requireretur justia *mortis*, aut *vitæ* ejus? Conducit tamen & hæc justitia essentialis, ut prærequisitum in persona Mediatoris, citra quam nobis non potuisset parare δικαίωμα 2 Cor. V. 21. Jes. LIII. 11. Itaque γ. sola Christi justitia *parta* δικαίωμα præstat, ob quod à Deo justificamur. Verùm cum *duplex* rursus observetur *parta* Christi justitia: altera *activa*, qua legem exactè servavit Matth. III. 15. & V. 17. Gal. IV. 4: altera *passiva*, qua passus est, pro lege à nobis violata Rom. IV. 25. Phil. II. 8. Tenendum δ. quod justitia *activa sola* non sufficiat justificationi procurandæ: quia δικαίωμα pro *peccatoribus* exigebatur, qui mortem demeriti erant Gen. II. 17. Rom. V. 12. & VI. 23. quæ ex decreto divino, commination legis, naturali Dei versus peccatum modio, perferenda necessariò erat Rom. I. 32. 2 Thess. I. 6. Atque etiam ε. quod *solam* suam justitiam *passivam* nobis non impenderit: eo quod non tantum justitia ejus *passiva* passim ad nostram salutem referatur Jer. XXIII. 6. 1 Cor. I. 30. Rom. V. 19. Phil. III. 9: sed etiam ad *amplitudinem* gratiæ spectet, quod *totus* quantus est, nobis impendatur Rom. VIII. 32. Proinde ζ. quod *utraque* ejus justitia coalescat in *unum* nostrum δικαίωμα, quod satisfecit pro justificandorum peccatis Rom. VIII. 3. 4. proinde *ita* η. ut non *divellatur* duplex ista justitia: quin ne *sic* quidem *distinguatur*; ut *passivæ* soli tribuatur efficacia *satisfaciendi* pro reatu nostro, eoque nos liberandi à malis: & *activæ* soli, virtus *merendi* nobis jus vitæ æternæ. Cum, non tantum satisfacere & mereri, in hoc negotio non differant *realiter*; sed nec *passiva* orbanda veniat digni-

Qua Christi justitiâ justificemur.

dignitate *merendi*; nec *activa* dignitate *satisfaciendi*, ut alibi demonstravimus.

6. Appropriatio justitiæ Christi quæ pendet

XII. *Sexto*, justitiæ hujus *appropriatio*; neque enim sufficit, qualis & quantacunque justitia, si illa plane à nobis sit *aliena*. Hinc qui *absque* Christo sunt, *abalienati* à Republica Israëlis, *extranei* à pactis promissionis, spem non habentes, & ἄθεοι in mundo pronunciantur Eph. II. 12. Et si nulla omninò exigeretur *appropriatio* (cum justitia Christi, *infiniti* sit valoris, sicut alibi ostendimus) omnes sanè & *singuli* justificarentur, salvarenturque. Pendet autem hæc *appropriatio*, partim *extra* nos: 1. à *donatione* divina Rom. v. 15. 16. *Multo magis gratia Dei, & donum per gratiam* (ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι) *quæ est unius hominis in Jesu, in multos abundavit*--quod autem *gratificatur*, scil. Deus (χάρισμα) *datur ex multis offensis, ad justificationem*, εἰς δικαίωμα. Qua donatione, Deus *nos* filio suo *dedit* Joh. VI. 39. & XII. 9. 11. 12. 19. & vicissim *filium* nobis, cum omni causa & justitia Joh. III. 16. 1 Cor. I. 30. scil. juxta *pactum* æternum, inter Patrem & Filium, in consilio pacis Jes. LIII. 10. Zach. VI. 12. 13. qua item donatione, Christus seipsum cum omni sua justitia nobis donat Eph. v. 25. 26. 27. & hæc quidem donatio Dei *absolute* facta intelligitur, quatenus ipsum decretum donandi in Deo, atque ipsa etiam donatio Christi, nequaquam suspensa fuerit à conditione ab hominibus præstanda, licet ipsi donantes ejus participium susscenderint à conditione *fidei*, ab hominibus præstanda, ad hoc ut ipsis applicetur & conducat donatio, certò tamen & infallibiliter, ex decreto præstanda, 2. Ab *imputatione*, λλογισμῷ, qualis narratur Phil. vers. 18: *quod si quid læsit te, aut debet, hoc mihi imputato*, τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει: quo modo etiam *injustia* fit alicujus Rom. v. 13. ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται. Unde & in ipso justificationis negotio usurpatur Rom. IV. 3. 4. 7. ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην — ὁ λογίζεται κατὰ χάριν. Neque enim, qui *inhærentem* justitiam non habet, ob quam justificetur, ullo modo justificari potest, nisi per *imputationem*. Ea vero imputatio nobis non constitit, in pura puta Dei *putatione*, qua revera *injustos*, Deus propter Christum, *putet* esse justos, seu *habeat* pro justis: talis enim imputatio non nisi *errorem* spirat, aut saltem falsiloquium; unde commodior hîc est vox Græca ἐλλογισμῷ, quæ nullam sonat *putationem*; sed metaphora à mercatoribus traducta, sonat, hujus *debitum* referre in alterius *rationes*, ut ille culpa & debito liberetur, quod sanè, consciis mercatoribus, non fit mera *putatione* Philem. vs. 18. Neque etiam in eo nobis consistit imputatio, quod Deus ipsam Christi justitiam, sive *habitualem*, sive *actualem*, *putet* nostram esse *inhærenter*: esset enim, ut diximus, error & falsiloquium.

partim extra nos, à Dei 1. donatione,

2. Imputatione.

Quid igitur nobis est *imputatio*? Resp. Quando passiones & actiones Christi justas eatenus in rationes nostras Deus refert, ut eis liberemur à reatu condemnationis, & jus consequamur ad vitam æternam. Et sic justificatio rei, non *inhærenter* justi, est, cum culpa ipsa, de qua aliquis accusatur, commissa agnoscitur; sed justitia passionum & actionum Christi pro eo obtenditur, ut à condemnationis merito vindicetur. Hactenus appropriatio justitiæ Christi, pendet *extra* nos, à solo Deo.

partim intra nos: à

XIII. Partim B. *intra* nos. Quamvis enim δικαίωμα, *propter* quod justificamur, totum sit *extra* nos, in Christo; quamvis item ejus appropriatio à pura Dei, dantis & imputantis εὐδοκίᾳ & *gratia*; potuisset enim non imputare si ita visum sibi fuisset Eph. I. 5. Matth. XI. 26: est tamen, quod in *nobis* prærequirat, ut imputet, ut donet. Et quid hoc tandem? Est *fides*, qua Deum seriò fide velimus habere, pro summo nostro *fine*, & Christum, pro unico nostro *Mediatore* Joh. I. 11. 12. & III. 16. Act. X. 43. Rom. I. 17. & III. 22. 25. 28. & IV. 3. 5. 11. 12. 14. & V. 1. 2. & X. 9. 10. 11. Gal. II. 16. & III. 6. 7. 8. 26. & V. 6. Eph. II. 8. Phil. III. 9. &c. Et fides quidem *sola*, quia passim sola à justificationis negotio excluduntur bona *opera* Rom. III. 23. 24. 28. & IV. 2 — 9. Gal. II. 16. Eph. II. 8. 9. &c. licet non *solitaria*, h. e. talis, quæ bonis operibus planè destituatur Gal. v. 6. talis enim fides, *mortua*, adeoque *nulla* audit Jacobo Cap. II. 17. Atque, ut hoc commodius ac dexterius percipiamus; tenendum, α. quod bona opera *simpliciter* nihil omninò conferant ad *jus* vitæ æternæ nobis conciliandum, quod ea purum putum fit Dei χάρισμα Rom. v. 23. impetratum *sola* justitia Christi; quod interim β. eorum *præsentia* multis rationibus requiratur, si non *ante omnem* justificationem, saltem *cum* justificatione, & *post* eandem. Proinde tres justificationis *periodi* hîc diligenter veniunt observandi: nim. 1. *Constitutionis*, qua *primùm* homo justificatur: hîc operum, non tantum *efficacia* ad procurandam justificationem; sed ipsa etiam eorum *præsentia* excluditur, quatenus Deus *peccatorem* justificat Rom. III. 23. & *impium* Rom. IV. 5. 2. *Continuationis*, hîc bonorum operum, licet nulla admittatur *efficacia* ad justificationem; requiritur tamen eorundem *præsentia* Gal. v. 6. Et hoc fortè sensu, Jacobus nos justificari negat *sola* fide; sed opera insuper requirit Jac. II. 14. 17. 18. 20. 21. 22. 24. 25. 26. Tandem 3. *Consummationis*, in quâ vitæ æternæ *jus*, sub primâ periodo collatum, & sub secunda continuatum, ad *possessionem* etiam promovetur: hîc bonorum operum non tantum *præsentia* requiritur; sed etiam qualiscunque *efficacia*, quatenus saltem Deus *possessionem* vitæ æternæ, cujus *jus* solo dudum obtinemus Christi merito,

non vult conferre, nisi, præter fidem, *præviis* bonis operibus. Heb. XI. 14. Matth. VII. 21. & XXV. 34. 35. 36. Rom. II. 7. 10.

Quomodo fides influat in justificationem. Quomodo non influat.

XIV. Operæ pretium insuper est, inquirere *quo modo* fides influat in justificationem, seu quo modo se habeat ad justificationem: 1. Non influit sane, ut causa ejus *meritoria*, sive ex toto, sive ex parte; quod Scriptura non modo testetur constanter, nos justificari *gratis*, Dei *gratia* Rom. III. 24. Eph. II. 8. 9. sed etiam, justificationem nostram referat ad justitiam *Christi*, velut unicum nostrum δικαίωμα, ob quod justificamur Rom. III. 25. Phil. III. 9. Nec 2. *propter* fidem nostram, quomodocunque censideratam, ut justitiam nostram, quæ à Deo per acceptilationem, in Euangelio admittatur, pro plena legis obedientia: quia Scriptura nullibi dicit, nos *propter* fidem justificari; sed *per* fidem tantum; atque insuper, id *propter* quod justificamur, in solidum refert ad justitiam *Christi* Rom. V. 18. & III. 25. Nec 3. per fidem, *quatenus* illa dicit & implicat, *obedientiam* mandatorum Christi, ob quam, per puram Dei gratiam, justificemur: quia Scriptura passim fidem *contradistinguit* obedientiæ, seu bonis operibus Rom. III. 27. 28. Eph. II. 8. 9. Gal. II. 16. Forte 4. justificat ut *instrumentum*, quo Christum apprehendimus. Sic communiter Protestantes existimant, & vere quidem, si modo cum distinctione debita hoc accipias. Atque, ut hoc facias, distinguendum inter justificationem *passivam*, qua persuademur, nos à Deo justificatos esse, seu ex quâ concludimus, nos à Deo justificatos esse. Sic omnino dici potest, nos justificari per fidem, velut instrumentum: quatenus in Syllogismo practico, cujus ope conficimus, non infallibiliter justificatos esse, fides se habet, ut medius terminus: qui credit justificatus est; ego credo, ergo justificatus sum: & *activam*, qua nos Deus *justificat*: & hæc rursus vel *immediata* est, quæ vivâ ipsius Judicis Dei voce peragetur, in extremo judicio; hæc *nullum* omnino instrumentum admittit: vel *mediata*, quâ Deus in hac vitâ, hominem in conscientiâ suâ justificat, seu absolvit à reatu peccatorum suorum; hæc instrumentum quidem admittit, sed non aliud, quam *Euangelium*, cujus voce, credentes omnes Deus absolvit: *ut qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam* Joh. III. 16. An ergo fides non est instrumentum, quo Christum ejusque justitiam apprehendimus? an non ea ratione justificat? Resp. 1. Esto instrumentum, quo Christum apprehendimus; non tamen eo ipso instrumentum est, *per* quod Deus nos justificat. 2. Est *ipsa* Christi *apprehensio*, seu actus apprehendendi Christum Joh. I. 12. Col. II. 5. 6. eaque ratione procul omni dubio, rationem Deo præstat nos justificandi Rom. III. 24. 25. Sed 3. non est instrumentum *per* quod Christum apprehendimus, nisi admodum ὁμωνύμως: quemadmodum ipse videndi *actus* parùm accuratè dicitur *instrumentum*, per quod videmus. Quo pacto ergo fides concurrit ad justificationem Dei activam? Resp. Ut *conditio* à Deo prærequisita justificationi; seu ut causa *sine qua non* vult Deus, filium suum nostrum esse Mediatorem, & propter solam ejus justitiam, nos justificare. Ut universam suam efficaciam, in negotio justificationis, fides habeat, à liberrima Dei *constitutione*, quâ fidem, præ reliquis omnibus, Deus selegit in *conditionem* justificationis nostræ. Si enim, in intrinsecam quamvis aptitudinem apprehendendi Christum, seu in suam *instrumentalitatem*, quâ motus, Deus non justificet, ultimo resolvas fidei efficaciam, minus accidet gratuita. Si verò ulterius quæras, quâ ratione adductus, Deus *fidem* selegerit in conditionem conferendæ justificationis? possem respondere: 1. stat pro ratione Dei voluntas. Sed 2. dicam, quia α. fides est apprehensio Christi; adeoque β. hæc justificandi ratio maxime vergit in glorificationem Dei Rom. IV. 20. quatenus in eâ maximè lucet gloria gratiæ & misericordiæ suæ, versus miserum peccatorem, quem propter justitiam filii sui voluerit justificare, sola fide accipiendam Rom. III. 26. cum 2 Cor. V. 21. Joh. III. 16. Rom. VIII. 5. 1 Joh. IV. 9. Idem γ. ad glorificationem ipsius *filii* Mediatoris, quam in universo hoc redemptionis & justificationis negotio, post suam maximè intendit Joh. V. 25. Jes. XLIX. 6. Conf. Jes. XLIV. 24. 25. Denique δ. hæc justificandi ratio per *solam* fidem efficacissima est, ad dejiciendum hominis *fastum*, quatenus ad sui justificationem nihil omnino confert, nisi solam fidem Eph. II. 9. Rom. III. 27. cujus etiam universa efficacia pendeat à solâ Dei *constitutione*, factaque ei promissione. Quid autem fides illa sit, qua justificamur, & in quo consistat, nempe in eo, quod serio Deum velimus habere pro supremo nostro fine, & Christum pro unico nostro Mediatore; diximus ex professo lib. II. cap. 1.

Quomodo igitur influat.

XV. *Septimo* partes justificationis, duæ: nim. 1. *Absolutio*, quatenus *reatum* tollit, seu obligationem ad pœnam Heb. II. 15. *ut liberaret, quotquot metu mortis*; *per omnem vitam* (ἔνοχοι ἦσαν δουλείας) *obnoxii erant servituti*, ut, per eam nullus locus relinquatur ulli pœnæ, accusationi aut condemnationi Rom. VIII. 1. 33. 34. Non quod tollat ipsam *maculam* peccati, quod postmodum fit, per *sanctificationis* gratiam; nec quod omne effectum peccati, simul & semel tollat; remanent enim in ipsis justificatis, variæ afflictiones, ipsaque mors temporalis 1 Cor. XV. 19. sed quod tollat omne malum, quatenus habet α. rationem *pœnæ*, h. e. quatenus spectat ad *compensationem* injuriæ, Deo per peccatum illatæ; quatenus β. illud infligitur a *justitia* Dei vindicativâ: quatenus γ. vergit in *detrimentum* afflicti Psal. VI. 2. & XXXVIII. 2: non autem

7. Partes justificationis: 1. Absolutio à reatu,

autem tollit, quatenus ab *amore* affligentis profluit, velut paterna ejus castigatio, occasione peccati facta Apoc. III. 19. Heb. XII. 6. 8. nec quatenus vergit in *emolumentum* afflicti Rom. VIII. 28. & v. 3. 4. 5. Cum autem duplex existat reatus: alter *potentialis* & remotior, quo peccatum *demeretur* pœnam Rom. I. 32. alter *actualis* & proximus, ob quem peccator *actu* punitur, seu ipsum κατάκριμα Rom. VIII. 1: non *prior* tollitur justificatione, nec tolli potest; eo quod contradictorium sit, esse *peccatum*, & non *mereri* pœnam; sed *posterior* tantum, quatenus, obligatione ad *pœnam*, à peccatore traductâ in suum expromissorem, ipse peccator ab ea liberatur.

Hujus absolutionis varia consideratio & denominatio.

XVI. Cum porrò reatus peccati inferat (1) *servitutem* Heb. II. 15. & captivitatem quandam Matth. XVIII. 34. (2) *debitum* quoddam & subjectionem ad pœnam Matth. VI. 12. cum Luc. XI. 4. (3) *inimicitiam* Rom. V. 20. *odium* Psal. V. 5. 6. 7. *iram* Eph. II. 3; etiam *absolutio* justificationis, triplicem potissimùm induit denominationem; dicitur enim A. respectu *servitutis* & peccati, ἀπολύτρωσις, *redemptio* Eph. I. 7. Heb. IX. 15. quæ non est, nisi liberatio militis captivi, & in servitutem redacti, per constituti λύτρα solutionem B. respectu *debiti* & pœnæ, *remissio*, Hebræis שְׁאֵת Gen. IV. 7. à נשא *tollere* & סליחה à סלח *condonare* Psal. CXXX. 4. Neh. IX. 7. Exod. XXXIV. 9. Num. XV. 28. Græcis ἄφεσις Rom. III. 25. Heb. X. 18. sive ἄφεσις seu *dimissio* illa nitatur satisfactione adhuc *præstanda* Matth. IX. 2. qualis fidelibus obtigit sub V. T. Heb. IX. 22. Rom. IV. 7. Act. X. 43: sive satisfactione jam *præstita* Matth. XXVI. 28. Eph. I. 7. item πάρεσις *transmissio* Rom. III. 25. sed vix alibi. Sunt igitur voces illæ omnes, tam Hebrææ, quam Græcæ, etiam ἄφεσις & πάρεσις, sensu quidem, Scripturis planè synonymæ: si quis tamen, pro *lubitu* suo, remissionem illam quæ facta est, cum respectu ad satisfactionem *futuram*, velit appellare πάρεσιν: illam autem, quæ fit cum respectu ad satisfactionem *præstitam*, ἄφεσιν, modo utrobique intelligat veram & plenam remissionem; nolim super voce cum eo litigare. Neque etiam, si dicat, Deum, versus Christum, ut expromissorem, usum fuisse πάρεσει usque ad *actualem* ejus satisfactionem, quâ plenè liberatus fuerit ab omni reatu, quem à nobis in se susceperat, eoque ἄφεσιν consecutum fuisse. C. Respectu *inimicitiæ*, odii & iræ, per justificationem sublatæ, dicitur *reconciliatio*, quatenus ejus notat applicationem, quæ redemptione Christi, nobis impetrata dudum fuit, per quam, sublato reatu peccatorum, unicâ omnis inimicitiæ causâ, *pacem* habemus cum Deo Rom. V. 1. 2. 9. 11. Jes. XXXVII. 17. imò & *amicitiam* cum eo Jac. II. 23. Hactenus prior justificationis pars.

B. Adju-

XVII. 2. *Adjudicatio* vitæ æternæ, quoad *jus* Rom. VI. 22. Joh. III. 16. sublato enim per absolutionem, *reatui* mortis æternæ, non potest non succedere *jus* vitæ æternæ. Ut ex hoc nullo negotio perspiciatur, non esse *reale* discrimen, inter absolutionem à morte æternâ, & adjudicationem vitæ æternæ: prout etiam non est inter satisfactionem & meritum, ut *absolutio* quæri debeat in solâ satisfactione, & *jus* vitæ æternæ in solo merito: & illa denique, scil. satisfactio, in *sola* justitiâ *passiva*; hoc in *sola activa*. Δικαίωμα enim ob quod justificamur, sicut utramque Christi justitiam indivisim comprehendit; ita etiam indivisim causam præstat, ob quam, & liberamur à reatu pœnæ, & jus accipimus ad quodvis bonum, sicut alibi ex professo docuimus. dicatio boni.

XVIII. Est quidem, justificatio hactenus tradita, *una* & unica; tum 1. ratione *decreti* divini immutabilis Gal. III. 8. Rom. VIII. 30. quo, sicut *omnia* sunt Act. XV. 18. ita etiam justificandorum numerus, numerans pariter & numeratus, ei ab æterno 2 Tim. II. 19. notus est; quamvis ex hoc decreto æterno dici non debeat, *actu* ab æterno justificasse Gal. III. 8. 2. ratione *Christi*, cui, ut justificandorum communi principio & capiti, Deus omnium & singulorum electorum, omnia & singula peccata, simul & semel imposuit 2 Cor. V. 19. Denique 3. & ratione *sui*, quatenus, post fidem, semel cœpta, absque ullâ interruptione, in æternum continuanda est, nec peccata, semel verè justificatorum, unquam *actu* revictura sunt, licet, per succedentia peccata, revivisscere *mereantur* Ezech. XVIII. 24: attamen tali unitate, quæ *in fluxu* consistat, quatenus singulis peccatis, utprimùm perpetrata sunt, post fidem & resipiscentiam particularem, satisfactio & merita Christi singulatim applicanda sunt. Eaque ratione, sicut jam antè monuimus, suas periodos habet: *α. inchoationis* quæ immediatè post primum actum fidei accidit Joh. III. 16. & cap. I. 12. *β. continuationis*, quæ per continuatos, credendi & resipiscendi actus, peragitur, pro repetitione & renovatione peccatorum 2 Sam. XII. 13. *γ. consummationis*, quæ in extremo judicio, pro tribunali, quasi vivâ Judicis *voce* peragetur Matth. XXV. 34. Et sic etiam quisque *semel* justificatus, de suâ justificatione, ex fide & resipiscemia suâ, virtute immotæ Dei promissionis, infallibiliter *certus* esse potest Joh. III. 16. Act. X. 43. quia Deus est ἀψευδὴς Tit. I. 2. Heb. VI. 17. 18. Justificatio, quod, & quo modo una & immobilis sit.

Pars elenchtica.

XIX. Quæritur *primo*, an justificandi vox, in Scripturis, ullibi sonet *interiorem* justificandi *mutationem*? anne verò significationis tantum sit moralis & *forensis*? Pontificii, quo justificationi ex *meritis* bonorum operum, commodius obstricentur, diversimodè loquuntur: Alexander Alexdicit Quæritur: 1. An justificatio sonet interiorem justificandi

mutationem? dicit non esse justificationem, nisi liberi arbitrii rectitudinem; Aquinas motum compositum statulit: partim *physicum*, qui in infusione justitiæ consistat; partim *ethicum*, in remissione peccatorum: moderni plerique justificationem cum *sanctificatione* confundunt, unde Becanus *Manual.* lib. 1. cap. xv. §. 1. *Justificatio*, inquit, *nihil aliud est quam mutatio, qua quis ex impio, seu peccatore fit justus, sicut sanatio* &c. quos hactenus Anabaptistæ sequuntur; fatentur interim Pontificii, non deesse Scripturæ loca, quibus significatione forensi gaudeat. Protestantes, nunquam interiorem hominis *mutationem* denotare existimant; sed semper exteriorem, per declarationem procuratam, v. g. Exod. xxiii. 7. Prov. xvii. 15. Jes. v. 23. Matth. xii. 37. Act. xiii. 39. Rom. viii. 33. 34. quibus addunt, non dari dissimile exemplum: quod proinde ipsis proferendum incumbit. Si enim causentur, A. Verbi præcones *multos justificare* Dan. xii. 3. Resp. Non dicuntur justitiam *infundere*, seu intrinsecus mutare; possunt enim α. *suadendo* fidem procurare, per quam justi pronuncientur à Deo: aut β. per usum *clavium*, solvendo justos pronunciare. Conf. 1 Tim. iv. 16. Matth. xviii. 18. Joh. v. 23. B. *Qui justus est, justificetur adhuc* Apoc. xxii. 11. Resp. Hoc est, qui justificatus est, pergat se justificatum declarare, seu, qui justificatus est quoad primam justificationis constitutionem, repetendo fidem, id agat ut *continuetur* justificatio. C. *Abrahamus nonne ex operibus justificatus est?* Resp. 1. Ad summum non sequitur, nisi ipsum, propter bona opera *declaratum* fuisse à Deo justum, significatione forensi. Sed 2. nec hoc dicitur; verum operibus suis *declarasse*, se viva fide præditum, apud Deum, seu etiam apud homines, justificatum esse. Urgent D. vim vocis *justificare*, quæ perinde physicam *mutationem* notet, ac sanctificare, ædificare, ludificare. Resp. Fac significet *notatione*; non tamen significat *ex usu*, quo verba valent. 2. Nec Scriptura utitur voce Latinâ; sed Hebræâ הצדיק, & Græcâ δικαιῶν, quæ commodius repræsentari possent, per *justare*, si modo vox in usu esset, utpote quæ perinde *justum declarare* notaret, atque *justum* facere. Addunt E. vulgatam suam versionem, quæ Hebræum חקים *leges, statuta*, frequenter, licet barbare, refert per *justificationes* Psal. cxix. 8. &c. Resp. 1. Ex perversa versione futile resultat argumentum. Nec 2. vulgata determinate dicit, חקים observantes *justos facere*; sed potius, leges observatas *declarare* justos qui observant, sive justitiâ *personæ*, sive justitiâ *causæ*.

Objectiones.

2 An gratia justificationis excludat omne

XX. *Secundo* quæritur, an *gratia* justificationis, quâ *gratis* justificamur, tollat omne meritum? Hic ab *una* parte Pontificii, in gratiam *meritorum* humanorum, simpliciter negant: eo quod bona opera *mereantur* per gratiam; & licet justificatio *prima*, quâ habitus justi infunduntur, adeo existat à purâ Dei gratia, ut omne meritum excludat, saltem quod sit ex condigno; justificatio tamen *secunda*, quâ habitus justi procedunt in actus, vitam æternam mereatur ex condigno: ab *altera* parte Sociniani, odio satisfactionis & meritorum Christi, simpliciter negant. Reformati adversus Pontificios affirmant, *gratiam* justificationis excludere omnia merita *humana*; sed adversus Socinianos negant, *gratiam* excludere merita Christi. Et adversus Pontificios quidem affirmant, eo quod 1. Scriptura constanter gratiam & merita humana opponat Rom. iii. 24. *justificamur gratis, ejus gratia*, & cap. iv. 4. 5. & xi. 6. Gal. v. 4. Eph. ii. 8. 9. Quod 2. Scriptura nullibi doceat, bona opera *mereri* ex gratia: multo minus 3. quod ulla opera mereantur *ex condigno*. Nec video, quid in contrarium causari possint, nisi quæ cavillantur de *meritis*, de quibus nos suo loco. Ex adverso, contra Socinianos negamus, quod gratia Dei versus homines, tollat *merita* Christi: eo quod α. gratiam Dei & merita Christi amicissime construat Scriptura Rom. iii. 24. Justificamur gratis, ejus gratiâ, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Joh. i. 17. Gal. v. 4. Eph. ii. 7. Eo quod β. non obstante *gratuita* nostri justificatione, nihilominus, infinitis Scripturæ testimoniis, doceatur satisfactio & meritum Christi, prout suo loco lib. v. cap. xviii. ex professo asseruimus. Eo quod γ. gratia justificationis ad peccatorem se non possit explicare, obstante justitia vindicativa (prout loco citato docuimus) nisi intercedente satisfactione. Nec eos juvat, A. quod gratia & meritum per Scripturas *opponantur* sibi invicem, sicut diximus: opponuntur enim, (ex legibus oppositionis, *ad idem, eodem respectu*) gratia Dei, & meritum hominis: non autem gratiâ Dei versus hominem, & meritum in Christo. Nec B. quod Deus passim *remittere* dicatur peccata nostra: remittit enim, purâ putâ gratiâ, NOBIS; quatenus pro peccatis, hilum non accipit à nobis; non autem remittit *expromissori* nostro; sed ab eo exigit, pro justitiâ suâ, rigidissimam satisfactionem Rom. iii. 24. 25. Nec est quod instent; sive solutio fiat per debitorem ipsum, sive per ejus expromissorem, cessat gratiâ remissionis. Resp. 1. Non est in Christo proprii nominis *solutio*, quæ omnem gratiam excludit; sed *satisfactio*, quæ non absque omni gratia, à creditore admittitur. Tum 2. satisfactio, per *debitoris* delegatum procurata, excludere possit gratiam; non autem, quæ per ipsum *creditorem* procuratur.

meritum?

Affirmatur contra Pontificios.

Negatur contra Socinianos.

3. An ob solam justitiam Christi justificemur?

XXI. *Tertio* quæritur, an id, propter quod justificamur coram Deo, sit justitia *Christi*, & quidem *sola*? Gentiles, quotquot suarum animarum, ac salutis aliquam curam habuerunt, eam in bonis operibus, partim in pœnitentia de perperam factis, partim

partim in ſuis ſacrificiis, luſtrationibus; partim in jejuniis, & voluntariis corporum afflictionibus, nullo modo extra ſe, aut in Chriſto captarunt. Judæi, non negant quidem, ſe peccatores eſſe, & condemnationis reos; nec etiam, ſibi neceſſarium eſſe aliquod δικαίωμα, propter quod liberentur; ſed illud quærunt, partim in gratiâ Dei remittente, partim in juſtitiâ propriâ, quæ ipſis reſultat ex obſervatione legis, tum moralis, tum ceremonialis Rom. IX. 31. 32. & X. 3: proinde ſimpliciter negant, in Meſſiâ, aut in Jeſu ullum eſſe δικαίωμα, ob quod juſtificemur, Chriſtiani Judaizontes, cum quibus Apoſtolo negotium eſt Act. XV. & in Epiſtolis, ad Rom. Galatas, Coloſſ. & Heb. juſtificari hominem cenſebant ex parte quidem, per juſtitiam Chriſti, & ex parte, ex uſu legis ceremonialis. Sociniani, odio ſatisfactionis Chriſti, quoad rei ſummam, cum Judæis colludunt, ſtatuendo, nos ſola gratia remiſſionis, abſolvi à reatu noſtro; ſed ejus remiſſionis *participium* conſequi, obſervatione, non ſolius legis *naturæ*, ſicut factum ante Moſen, nec legis *Moſaicæ*, prout ſub Moſe & poſt Moſen; ſed legis *euangelicæ*, quam Chriſtus annunciavit: proinde negant, nos propter juſtitiam *Chriſti* juſtificari. Pontificii, quoniam ſatisfactionem Chriſti admittunt: ex *parte* propter eam; ex *parte* propter bona opera, ſe remiſſionem peccatorum, & vitam æternam conſequi profitentur. Proteſtantes, nos propter *ſolam* juſtitiam Chriſti, juſtificari docent. Et hoc quidem obtinere conantur א. adverſus Judæos: ab *una parte*, iis Veteris Scripturæ teſtimoniis, quibus (1) Meſſias *Jehova juſtitia noſtra*, יהוה צדקנו appellatur Jeſ. XXIII. 6. noſter *redemptor* גואל Job. XIX. 25. Jeſ. XLIII. 14. *Angelus advocatus, dicens, redime ipſum, ne deſcendat in foveam, inveni lytrum* Job. XXXIII. 23. 24. (2) prædicitur *injuſtitiam occluſurus, peccata obſignaturus, injuſtitiam expiaturus,* — ad hoc *exſcindendus, non ſui cauſa*—: *multis fœdus obſignaturus* Dan. IX. 24. 26. 27. (3) dicitur quod Deus, pœnas peccatorum noſtrorum *ei impoſuerit*, quod animam ſuam præſtiturus ſit אשם Jeſ. LIII. 4—12. (4) item, quod juſtitia *propria* qualiscunque, non ſufficiat ad noſtri juſtificationem Pſal. XLIX. 8. 9. & CXXX. 3. & CXLIII. 2. Jeſ. LXIV. 5. (5) porro quod juſtitia *ceremonialis*, & ſanguis pecudum, *per ſe*, non poſſit δικαίωμα præſtare, pro peccatis noſtris Pſal. L. 18. 21. Mich. VI. 6. 7. & illa pecorum mactatio, *per ſe* Deo non potuerit eſſe grata, adeoque procul dubio, propter Meſſiam, non *pro ſe* Dan. IX. 26. ſed propter *nos*, mactandum Jeſ. LIII. 7. 8. Et (6) quod propterea Deus promittat, ſe ſuos velle ſervare, per *Jehovam Deum* ipſorum Hoſ. I. 7. & per *ſanguinem fœderis* Zach. IX. 11: ab *altera parte* omnibus iſtis argumentis, quibus *Jeſum* noſtrum, eſſe Meſſiam demonſtrare ſolemus Conf. lib. V. cap. 2. §. XIX. 3. Adverſus Socinianos, inſuper omnibus iſtis argumentis, quibus *ſatisfactionem* Chriſti lib. V. cap. XVIII. demonſtravimus 3. Adverſus Pontificios, eo quod α. per juſtitiam *Chriſti*, abſque *propria* bonorum operum juſtitiâ, paſſim juſtificari dicamur Rom. III. 24. 25. Phil. III. 9. β. una Chriſti juſtitia nobis abunde ſufficiat Heb. VII. 25. Col. I. 14. 19. & II. 9. 10. γ. Deus etiam, quoad negotium juſtificationis, reſpuat omnem *propriam* juſtitiam Rom. IX. 30. 31. 32. & X. 3. 4. Gal. V. 4. plura hujus generis occurrent ad controv. ſequentem.

Sententiarum divortia.

XXII. *Quarto* quæritur, an juſtificationi præ-requirantur bona opera? 1. Pontificii, prærequiri affirmant, ut vitæ æternæ cauſas *meritorias*, ſic tamen, ut diſtinguant inter opera, quæ converſionem *præcedunt*, & hæc quidem mereri ajunt; ſed ex *congruo* tantum: & ea quæ converſionem *ſequuntur*, & hæc ex *condigno* mereri ſtatuunt. 2. Sociniani præcedere quidem affirmant, ſed non ut cauſas *meritorias*: cum juſtificatio, ex eorum hypotheſibus, adeo ſit *gratuita*, ut omne meritum, tam Chriſti, quam cujusque juſtificandi, excludat: verum ut *conditionem* quomodocunque prærequiſitam. 3. Remonſtrantes, fidem prærequirunt, non quatenus illa eſt *receptio* Chriſti; ſed quatenus eſt *opus* bonum, quod per *acceptilationem* Deus admittat, pro perfectâ legis obſervatione: & quatenus etiam, iſta fides eſt *efficax*, per alia bona opera, imo etiam perdurat uſque ad finem vitæ, adeo, ut in extremo vitæ demum credenti & pœnitenti cœlum intrepidè non auſint addicere. Cum quibus & Sociniani eatenus faciunt, ut fidem collocent, non tantum in *aſſenſu*; ſed etiam in *operibus*; per aſſenſum excluſis. Non multum ab his diſcedunt Anabaptiſtæ, ſtudium bonorum *operum* prærequirendo juſtificationi. 4. Nec deeſt unus atque alter, profeſſione Reformatus, qui ſtatuat, cum fide ad juſtificationem prærequiri ſtudium bonorum operum, non equidem ut δικαίωμα ob quod juſtificemur; ſed ut conditionem, *ſine qua non* velit Deus nobis donare juſtitiam Chriſti, ob quam ſolam juſtificemur. 5. Imo nec deſunt inter novitios, qui juſtificationem juſtificati tradant, quæ fiat præviis operibus, quâ ſeipſum juſtificatus juſtificet ab hypocriſi: quæ nitatur ſanctitate inhærente, quamvis imperfectâ, ſincerâ tamen. 6. Antinomi, ne fidem quidem prærequirunt juſtificationi; ſed ad hoc tantum requirunt, ut teſtimonium præſtet conſcientiæ juſtificationis iam factæ, eo quod juſtificationem actualem, factam dicant, in ſatisfactione, quam Chriſtus in cruce præſtiterit. 7. Communiter Proteſtantes, cum Auguſtino exiſtimant, bona opera non juſtificandum *præcedere*; ſed juſtificatum *ſequi*, obſervatis tamen periodorum differentiis: ſic ut ad iuſtificationis primam *conſtitutionem*, præter

4. An juſtificationi Prærequiranturbona opera? Sententiarum divortia.

fidem, ne præsentia quidem bonorum operum sit necessaria, quemadmodum ad matrimonii carnalis primam constitutionem, non requiritur, nisi consensus conjugum; eo quod Deus justificet impium Rom. IV. 5; ad *continuationem* requiratur coëxistentia, quemadmodum ad matrimonii continuationem, requiritur coëxistentia officiorum matrimonialium; quod requiratur fides per charitatem efficax Galat. v. 6: ad *consummationem* denique (quatenus possessio vitæ æternæ decernitur) requiratur etiam præexistentia bonorum operum ad *possessionem* vitæ æternæ Matth. XXV. 35. Rationes sententiæ orthodoxæ

Rationes Reformatorum.

sunt quod 1. ad justificationis constitutionem, perpetuus Scripturæ tenor solam requirat fidem Joh. I. 12. & III. 16. Act. X 43. exclusis etiam diserte operibus Rom. III. 24. 25. 28. & IV. 3. 4. 5. Gal. II. 16. Quod 2. Scriptura justificationem tradat, quæ sit ex *sola gratia* Rom. III. 22. 24. quæ excludat *opera* Rom. XI. 6. Eph. II. 8. 9. Quod 3. justificationem doceat, quæ excludit omnem *gloriationem*, quam non excludunt præcedentia bona opera Rom. III. 27. 28. Eph. II. 8. 9. Quod 4. opera non justificati, adeoque adhucdum impii, utcunque speciosa, Deo *abominationi* sint Jes. I — II. 16. Prov. XV. 8. 9. proinde ad justificationem conducere nullo modo possint. Quod 5. opera, ut *meritoria*, etiam *derogent* meritis Christi, & hactenus etiam excludant à participio meritorum, & justificationis Christi Rom. X. 3. Gal. V. 4. Quod 6. opus, ex *condigno* saltem, meritorum, debeat esse omnibus numeris *perfectum* Matth. XXII. 37. quod alias pro mercede, æternam mereatur condemnationem Gal. III. 10. Jac. II. 11. quando opera nostra, optima etiam, sunt sicut panniculus menstruatus Jes. LXIV. 6. Quod 7. opus ex condigno *meritorium* proportionem habere debeat, cum sua mercede: quando nostra opera toto cœlo differunt à sua mercede Rom. VIII. 18. 2 Cor. IV. 17. Quod 8. opus, ex condigno meritorium, debeat esse *indebitum*, adeoque proprie nostrum: quando nostra opera, non tantum a Deo in nobis procurantur; sed ei etiam omni jure *debentur* Luc. XVII. 10. Quod 9. opus ante conversionem ac fidem, coram Deo, non sit nisi *peccatum* Rom. XIV. 23. Heb. XI. 6. adeoque non tantum non mereatur ex congruo, *bonum*; sed etiam æternum *exitium* Matth. VII. 19. Quod 10. Socinianorum etiam fides, quæ ipsis in assensu, & *obedientia* euangelica, seu in observatione legis Mosaicæ, à Christo correctæ & auctæ, consistit; non tantum α. Scripturis e diametro sit *contraria*, ut quæ fidem operibus quibusvis constanter contradistinguunt Rom. III. 24. 28. & IV. 5. atque insuper *propriam* justitiam, quam fides excludit, implicat Rom. X. 3. sed etiam β. quatenus *justitiam* Christi, seu satisfactionem ejus, *excludere* nititur, *impia* est; utpote quam Scriptura ei constanter implicat Rom. III. 24. 25. Phil. III. 9. imo plane *exitiosa* justificationi Gal. V. 4. Rom. IX. 31. 32. Quod 11. bona *opera* una cum fide, justificationi quomodocunque *prærequirere*, Scripturis sit adversum, utpote quæ (a) *solam* fidem exclusis operibus, requirunt, sicut docuimus, atque etiam (b) *gloriandi* ansam præstant, quam Scriptura solicite tollit. Quod tandem 12. Justificatio justificatorum, quæ fiat ex operibus, Scripturæ penitus sit ignota, atque etiam egregie periculosa, & ad hostium hypotheses de justificatione ex operibus, perquam proclivis. Nec juvant A. Pontificios, ad merita sua stabilienda, illæ Scripturarum phrases, quæ prima fronte, videntur spirare *merita* bonorum operum: qualia (1) quæ *dignitatem* aliquam fidelibus eorumque operibus asserunt, quæ meriti fundamentum est 2 Thess. I. 5. Resp. *Dignitas* hic notat convenientiam *qualitatis*, non æqualitatem *quantitatis* aut valoris, quæ in merito proprie dicto requiritur. Conf Eph. IV. 1. Phil. I. 27. Col. I. 10. 1 Thess. II. 12. Matth. III. 8. (2) Quæ *mercedem* nominant Gen. XV. 1. 2 Paral. XV. 7. Prov. XI. 18. Jes. XL. 10. Matth. V. 12. 1 Cor. III. 14. Apoc. XXII. 12. Resp. Mercedem utique, non ex *debito* Rom. XI. 35. sed ex *gratia* cap. IV. 4. (unde *merces* & *gratia* synonymice usurpantur Matth. V. 46. cum Luc. VI. 32.) nec ex *proportione* 2 Cor. IV. 17. Gen. XV. 1. sed ex qualicunque *convenientia*, qua bonum bono convenit, ac retribuitur ex gratia. Conf. Ezech. XXIX. 18. 19. 20. (3) Quæ videntur spirare *proportionem* aliquam, inter opus ac præmium, qualis est inter pœnas & delicta Psal. LXII. 13. Matth. XVI. 27. Luc. VI. 38. Rom. II. 5. 6. 7. 1 Cor. III 8. Gal. VI. 7. 8. Apoc. XII. 12. Resp. 1o *secundum*, solam sæpe notat retributionis *convenientiam*, boni cum bono, & mali cum malo, absque ullo *debito*, aut proportione, quæ in merito necessario requiruntur, agnoscente ipso Bellarmino *de Justif.* lib. I. cap. XXI. quod agnoscendum in eis saltem retributionibus, quibus Deus, *secundum* bona opera, in bonos dispensat bona: cum nemini *debitor* existat ad præmium Rom. XI. 35. Luc. XVII. 10. nec ulla etiam detur *proportio*, inter nostra opera, & infinitum præmium vitæ æternæ 2 Cor. IV. 17. quamvis in retributione pœnarum, aliter sese res habeat, quod, per *reatum* peccato nativum, & per naturalem Deo *sanctitatem* & justitiam, odium que peccati; Deus non possit non punire peccata Conf. Rom. VI. 23. (4) Quæ vitam æternam à bonis *operibus* videntur repetere; tanquam à *causis* Matth. XXV. 34. 35. Apoc. VII. 14. 15. Resp. Particulæ istæ, locis adductis, non sunt *causales*, ut causam meritoriam exprimant; sed *rationales* tantum, quæ *rationem* exprimunt consequentiæ, non causam consequentis, ut cum dico: Sol ortus est, lucet enim,

Objectiones pro meritis.

enim. (5) Quæ videntur dicere, quod bona opera salutem *efficiant* 2 Cor. IV. 17. Gal. IV. 8. Phil. II. 12. Resp. Loca illa non dicunt, opera mereri *jus* vitæ æternæ; sed tantum, efficientiam aliquam prærequiri, ad obtinendam *passionem* vitæ æternæ, cujus *jus* gratis obtinemus à meritis Christi, per fidem. (6) Quæ præmium bonis operibus ex *justitia* addicunt 2 Thess. 1.4—7. 2 Tim. IV. 7. 8. Heb. VI. 10. Jac. I. 12. Apoc. II. 10. Prov. IX. 17. 1 Cor. IX. Resp. Utique ex justitia, non *meriti*; sed *promissionum* divinarum, quibus pietati, propter Christum, *præmia* Deus addixit 1 Tim. IV. 8. (7) Quæ docent, vitam æternam *promissam* esse bonis operibus Matth. XIX. 17. 29. Jac. I. 12. 1 Tim. IV. 8. Resp. Non magis inferunt loca, quam vitæ æternæ *possessionem* non obtineri absque prævio bonorum operum studio. (8) Quæ docent, Deum vitam æternam dispensare, ut justum *Judicem*, absque omni προσωπολημψίᾳ Rom. II. 11. Gal. II. 6. 1 Pet. I. 17. Resp. Utique ut justus *Judex*, quæ fidelibus competunt, ex *meritis* Christi, suaque promissione, absque omni studio partium, adjudicat. (9) Quod Jacobus exsertè doceat, hominem justificari ex *operibus*, non ex fide sola Jac. II. 14. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Resp. α. Locus nihil habet de meritis. β. Agit manifestè de fide *sterili*, seu quæ operibus constanter est destituta, qualem non justificare, lubenter cum Paulo agnoscimus Gal. v. 6. γ. Locus etiam intelligi possit, de justificatione quæ accidet in extremo judicio, quatenus illa bonorum operum præsentiam prærequiret. Ut non dicam δ. locum, de justificatione seu declaratione *fidei*, apud Deum & homines, intelligi posse vs. 18. Nec juvat B. hos, qui sepositа omni meriti opinione, quomodocunque bona *opera* prærequirunt justificationi, quod *obedientia fidei* subinde urgeatur Rom. I. 5. & XVI. 26. Resp 1. Ab ea non suspenditur justificatio: 2. Ὑπακοὴ πίστεως, idem est quod ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας 1 Pet. I. 22. Denique 3. intelligitur *obedientia*, non quæ fidei constitutionem ingrediatur: sed quæ, constitutam, intercedente justificatione, sequitur, & ab ea excluditur: πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη Gal. v. 6. Nec C. Remonstrantes juvat, qui fidem per acceptilationem justificare statuunt, quod *fides* Abrahamo *imputata* dicatur ad justitiam Rom. IV. 3. cum, metonymiâ continentis pro contento, per *fidei* imputationem intelligatur justitia *Christi* fide recepta eo quod fides nostra, per justitiam Dei, pro infinito peccatorum nostrorum reatu, admitti non possit, sicut alibi ex professo demonstravimus. Conf. lib. VI. cap. XVIII. §. XXV.

Objectio pro operibus justificationi prærequisitis.

Objectio pro fide per acceptilationem justificante.

5. An justificemur propter justitiam

XXIII. *Quinto* quæritur, an δικαίωμα, ob quod justificamur, sit *essentialis*, *divinæ* Christi naturæ, justitia? Andreas Osiander, ut sæpe diximus, affirmat, quod justitiam Christi partam rejecerit: quod tamen ejus filius, Lucas Osiander professor Tubingensis, non agnoscit: saltem, ex hypothesibus ejus reijci debere, certum est: quod α. essentialis ista divinæ *naturæ* justitia, per infinitum suum valorem, sic sufficeret, ut alteram procul dubio cassam faceret. Taceo β. quod *essentialis* fidelium unio cum Christo, (quam præsupponit,) blasphema sit, non uno nomine, sicut alibi docuimus. Et γ. quod secundum solam *divinam* naturam, ipsum Mediatorem esse, falsum existat. Et quod δ. *essentialis* istius justitiæ consortium intelligatur 2 Pet. I. 4. absurdum, dudum ostenderimus. Confer. lib. VI. cap. 2. §. XXII. & cap. XVIII. §. XIV. XXX. & cap. V. hujus libri §. XX. Item hujus cap. §. XI. Nec superest, quod pro se dicant, nisi, justitiam illam ob quam justificamur, *justitiam Dei* appellari Rom. I. 17. & III. 21. 22. & X. 3. 2 Cor. V. 21. 2 Pet. I. 1. Cui respondemus, (1) quod δικαιοσύνη Θεοῦ, aliquando *partam* justitiam designet Jac. I. 20. (2) quod justitia Christi parta, sit *justitia Dei*: quatenus qui peperit illam, θεάνθρωπος, adeoque Deus est Act. XX. 28. (3) Quod justitia Christi *parta*, *justitia* Dei appelletur, eo quod à Deo constituta sit, & pro nobis à Deo admittatur Rom. III. 25. 2 Cor. V. 21.

essentialem divinæ ejus naturæ?

6. An justificemur propter solam Christi justitiam passivam?

XXIV. *Sexto* quæritur, an justitia illa parta, ob quam justificamur, consistat in solis Christi passionibus? Affirmant Olevianus, Piscator, Cargius, Lubbertus aliique: Negant Protestantes, quamvis modo paulum diverso. Utriusque partis argumenta dudum examinavimus lib. VI. Cap. XVII. §. XXXI.

7. An justitia Christi nostra fiat per imputationem? Sententiarum divortia.

XXV. *Septimo* quæritur, an justitia illa, ob quam justificamur, ex parte Dei, nostra fiat per *imputationem*? Sociniani, quia omnem Christi satisfactionem, omne meritum, omnem expromissionem negant; adeoque absque *omni* justitiâ, purâ putâ *condonatione*, nobis peccata remitti clamant: omnem quoque justitiæ Christi *imputationem* repudiant. Arminiani cum suis affectis, licet *imputationem* quandam *fidei* nostræ, loco totalis obedientiæ, per *acceptilationem* fateantur, ex Rom. IV. 3. 5. 9. 10. 11. 22. 24. attamen justitiæ *Christi* imputationem inficiantur. Pontificii, quo *propria* justitiâ, nos coram tribunali divino consistere, vitamque *mereri* æternam, commodius tueantur: rident etiam *imputationem* justitiæ Christi, ut idolum explodunt, & anathemate insuper percusserunt, in suo Conciliabulo Tridentino. Protestantes, licet justitiam *essentialem* Christo soli relinquant, velut prærequisitam functioni ejus mediatoriæ; *partam* tamen satisfactione & merito (quatenus propter eam, nos liberari à reatu nostro, & jus vitæ obtinere docent) omninò nobis *imputari*, seu in rationes nostras referri, affirmant. Et Socinianorum quidem hypotheses, lib. VI. Cap. XVIII. in cap. de *Redemptione*, cum pro satisfactione & merito Christi militare-

mus, deſtruximus, Arminianorum item ſententiam parag. hujus capitis XXII. exploſimus: imputationis denique Proteſtantium, naturam genuinam repræſentavimus §. XII. Porro *imputationis* iſtius cauſam ex his potiſſimum capitibus agimus: 1. Quod per juſtitiam, non *propriam*, ſed *ſolius* Chriſti, nos juſtificari dudum aſſeruerimus §. X. & XXI. quæ noſtra fieri nullo modo poteſt, niſi per *imputationem*, qua in noſtras rationes refertur. Quod 2. Chriſtum expromiſſorem noſtrum egiſſe, demonſtraverimus lib. VI. cap. II. §. IX. & XVIII. jam autem expromiſſoris juſtitia ſolvens, aut ſatisfaciens, in rationes primi debitoris refertur, procul dubio, per imputationem. Quod proinde 3. ſi imputationem neges; ſatisfactionem & meritum Chriſti, eadem opera negare cogaris. 4. Ex ipſis Pontificiorum hypotheſibus, quibus non tantum *α.* unica ſanguinis Chriſti guttula ſufficit ad redemptionem, reliqua autem ejus merita in theſaurum Eccleſiæ referuntur, ut ab ea in fideles diſpenſentur, pro re nata; quod ſane aliter, quam per imputationem fieri, concipi non poteſt: ſed etiam *β.* ſanctorum ſatisfactiones & merita ſupererogatoria, per Pontificem, ad indulgentias, diſpenſantur in alios; id vero, quomodo fieri poteſt; niſi per imputationem, qua in eorum rationes cedant?

Rationes ſententiæ orthodoxæ.

In contrarium tamen nituntur his fere ratiuncu-
lis: A. Quod non magis per alterius juſtitiam, juſti eſſe poſſimus, quam ex alterius eruditione & ſapientia, docti & ſapientes. Reſp. 1. Ratio arguit a juſtitia eſſentiali ſeu *inhærente*, quæ, per imputationem alterius fieri non poteſt, ut per eam inhærenter cenſeatur juſtus: neque nos hoc docemus: tum 2. etiam diſſimilis ratio in hoc eſt, quod alter cum altero non ſit unitus, quemadmodum omnes fideles, ut membra cum capite, uniti ſunt. B. Quod detur in fidelibus, juſtitia & ſanctitas *inhærens*; atque adeo ab hac intrinſeca juſtitia potius, quam ab intrinſeca & imputata, juſti pronunciari debeant. Reſp. Nos nullam habemus juſtitiam & ſanctitatem: ob quam coram tribunali divino conſiſtere, a reatu peccatorum abſolvi, & jus vitæ æternæ obtinere poſſimus: quſa omnis juſtitia propria imperfecta eſt, & infinitis defectibus laborat Jeſ. LXIV. 6. Pſal. CXLIII. 2. Quod C. imputata iſta juſtitia, ne in Adamo quidem exſtiterit, nec ab eo omiſſa, ac proinde nec à Chriſto reddita ſit. Reſp. Nec indiguit; quia, nec peccatum habuit, nec reatum, cui tollendo juſtitia Mediatoris ipſi imputaretur; ſecus autem in nobis res ſeſe habet. Denique D. quod homo injuſtus, per imputatam ſibi Chriſti juſtitiam, non magis juſtus dici queat, quam Æthiops, per obductam ſibi veſtem albam, albus. Reſp. Non procul iſta abſunt à blaſphemiâ, quibus ſatisfactio & meritum Chriſti ridentur, quæ non aliunde profluunt, quam quod non norint, niſi juſtitiam inhærentem Chriſti, quæ nobis injuſtis, q. obducatur, ut propter eam Deus, pro *inhærenter* juſtis reputet eos qui revera inhærenter juſti non ſunt: dum nos, cum Scripturis, per juſtitiam Chriſti non aliud intelligimus, quam ſatisfactionem & meritum ejus, quatenus id in noſtras rationes refertur, ad hoc, ut propter illud abſolvamur à reatu condemnationis, & jus conſequamur ad vitam æternam.

Objectiones Pontificiorum.

XXVI. *Octavo* quæritur, an ad juſtitiæ iſtius *imputationem*, ex parte noſtri, aliud quidvis requiratur, quam *fides viva*? Seu, quod idem nobis eſt, an juſtificemur *ſola* fide? Sociniani affirmant quidem; ſed ea lege, ut fidei naturam ingrediatur *obedientia* euangelica, licet *imperfecta*, quam Deus prærequirat, ut purâ putâ *condonatione*, abſque ulla *juſtitia*, nos gratis juſtificet. Pontificii, quia *α.* juſtificationem cum ſanctificatione fere *confundunt*, *β.* quia *propria* juſtitia hominem juſtificari ſtatuunt, *γ.* quia per *fidem*, non intelligunt, niſi merum *aſſenſum* verbo divino præſtitum: ad ſuam iſtam juſtificationem, fidem requirunt; ſed non ſolam, verum conjunctam cum bonis *operibus*. Niſi quod opera ceremonialia V. T. & *ante* converſionem perpetrata, ſecluſa velint à juſtificationis participio. Proteſtantes, quia ſe propter *ſolam* Chriſti juſtitiam *imputatam* juſtificari credunt, licet *præſentiam* operum à juſtificatis non excludant, imo includant; *efficientiam* tamen ad juſtificationem penitus negant: ſic nim. ut, juxta ea quæ in *dogmaticis* prælibavimus §. XIII. ad juſtificationis primam *conſtitutionem* bonorum operum, ne *præſentia* quidem exigatur: ad *continuationem*, *ſola* præſentia *concomitans*: ad *conſummationem*, qua *poſſeſſio* vitæ æternæ indicatur, præſentia etiam *præexiſtens* neceſſaria ſit. Sententiæ ſuæ, Proteſtantes, has fere rationes urgent: 1. Quod Scriptura non tantum *fidei* ſolæ juſtificationem addicat, quoties pronunciat, *credentes* in Chriſtum juſtificari Act. XIII. 39. Rom. III. 28. Gal. II. 16. Phil. III. 8. Rom. IV. 5. & III. 26. ſed etiam, cum excluſivis: μόνον Marc. V. 36. Luc. VIII. 50. ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Gal. II. 16. εἰ μὴ ὁ πιστεύων I Joh. V. 5. unde Lutherus, in ſua verſione *Germanica* Rom. III. 28. excluſivam *ſolæ* aſperſit. Quod 2. non *opera*, ſed fides; proinde fides *ſola*, in Euangelio promiſſionem habeat remiſſionis, & vitæ æternæ Rom. I. 16. & IV. 14. Gal. III. 22. & V. 4. quando à promiſſione Dei, omnis omnium pendet, ad ſalutem & juſtificationem, efficacia. Conf. 2 Cor. I. 20. Quod 3. in negotio *juſtificationis*, per Scripturas, *oppoſitus* ſit fidei & operum reſpectus; unde ſic argumentari licebit: aut fides ſola juſtificat, aut opera ſola, aut fides & opera ſimul: atqui non *ſola* opera, fatentibus ipſis adverſariis; nec fides *& opera* ſimul, quia oppoſitum habent in hoc negotio reſpectum, ita

8. An ſola fide juſtificemur?

Divortia ſententiarum.

Negativa probatur contra Pontificios.

ita ut se mutuo excludant Rom. IV. 5. & XI. 6. Gal. II. 16. Eph. II. 8. 9. Tit. III. 5. non superest igitur, quam *sola* fide hominem justificari: cum præsertim, fides *propriam* justitiam excludat; opera *alienam*. Quod 4. non generatim tantum, Apostolus, à justificatione secludat opera *quævis*, quæ *gloriandi* ansam nobis præbere possent Rom. III. 27. Eph. II. 9. ejus legis, ex qua *agnitio* peccati acquiri potest Rom. III. 20. quæ *iram* operatur cap. IV. 15. quæ omnes arguit *peccati* Rom. III. 19. quæ cordibus inscripta est Rom. II. 15. sed speciatim etiam, *opera* ante datam legem *ceremonialem* perpetrata, & quidem *post* conversionem, ut patet in Abrahamo, qui ante legem ceremonialem vixit Rom. IV. 9. 10. 11. & in Davide, qui regenitus jam, profitetur nec se, nec quemquam, *propria* justitia coram Deo subsistere posse Psal. CXLIII. 2. & CXXX. 3. Quibus 5. adjici possent, quæ jam ante §. XXI. & XXII. adversus *propriam* justitiam & bona opera, diximus. Obnituntur tamen Pontificii A. omnibus istis locis, quæ justificationem ex *operibus* spirare videntur, quibus satisfecimus §. XXI. & XXII. B. Omnibus illis locis, quæ fidem, ad spem, charitatem & obedientiam, se *dispositive* tantum habere dicunt, adeoque ad justificationem concurrere videntur. Resp. Habet quidem fides, ad spem, charitatem, & obedientiam, sese ut causa *efficiens* Gal. V. 6. Rom. I. 5. 17. & XVI. 26. Gal. II. 20. sed eo ipso, nec statim sese habet *dispositive* tantum, ad justificationem; nec ut *con-causa* ejusdem. C. Quod fides à spe, resipiscentia & bonis operibus *separata*, non justificet Jac. II. 14. — Resp. Utique, quia non est *vera* fides, sed *mortua*, proinde nulla. Et quamvis fides & opera connexa sint; non tamen, ex constitutione & promissione, opera *cum fide* concurrunt, ad *justificationem* procurandam. D. Quod fides sit bonum *opus*, adeoque, si absque operibus justificaremur, etiam absque fide. Resp. Fides, quamvis sit bonum *opus* Joh. VI. 29. in negotio tamen justificationis, non consideratur ut *opus*, quia sic operibus passim *contradistinguitur* Rom. III. 28. & IV. 5. & XI. 6. sed ut apprehensio Christi Joh. I. 12. Col. II. 5. 6. E. Quod *pœnitentia* & bona opera sint dona Dei, proinde à justificatione nequaquam excludenda. Resp. Sunt quidem *dona* Dei: sed non sunt *receptio* Christi; nec ex promissione Dei, ipsis addicitur *justificatio*. F. Quod Scripturæ justificationem apertè suspendant à *pœnitentia* Ezech. XVIII. 21. 22. Luc. XIII. 3. Joh. III. 3. 5. Resp. Non suspendunt à pœnitentia *justificationem*; sed *possessionem* vitæ æternæ, cujus *jus* dudum consecuti sumus per *fidem solam*, ut patet ex textibus. G. Quod etiam Sacramenta requirantur ad justificationem. Resp. Non *acquirendam*; sed *obsignandam* & confirmandam Rom. IV. 11

Objectiones Pontificiorum.

3. An

XXVII. *Nono* quæritur, an fides justificans consistat in persuasione quod sis justificatus, seu quod remissionem peccatorum habeas, & Christus tuus sit redemptor? aut saltem, an ista persuasio ingrediatur ipsam fidei justificantis essentiam, adeo ut verè fidelis non sit, qui istam persuasionem non habeat? Pontificii & Pelagianissantes omnes, quod hominis liberum arbitrium ponant in mera indifferentia independente, quæ in horas mutari possit; statuunt hujusmodi certam persuasionem, ordinariis mediis, in hac vita obtineri non posse: hinc existimant non modo in ista persuasione fidem justificantem non consistere; sed etiam ad eam non pertinere, nec quærendam esse. Lutherani plerique existimant, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, omnibus & singulis remissionem peccatorum impetrasse, adeo, si modo quis credat, Christum pro se mortuum esse, & sibi acquisivisse remissionem peccatorum, eum hoc ipso justificatum esse, ac remissionem peccatorum suorum habere, facili via ad justificationem, scil. si modo quis credat, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, & se hominem esse, eum hoc ipso justificatum esse, & remissionem habere. Reformatorum, saltem Germanorum plerique, quibus accedunt nonnulli Angelorum & Gallorum aliorumque, non quidem statuunt, Christum pro omnibus ac singulis mortuum esse; sed tamen existimant, pro omnibus illis mortuum esse, qui persuasionem illam habeant, Christum pro se mortuum esse, adeoque in ista persuasione collocant naturam fidei salvificæ. Britannorum plerique, cumprimis recentiores practixótatoi, illud negant, quin & istam persuasionem ingredi tosam essentiam fidei salvificæ. Antinomi, quia statuunt, Christum in cruce sustinuisse peccata omnium fidelium, eosque eo ipso justificatos esse, & remissionem peccatorum suorum habere; existimant fidem salvificam consistere in ista *persuasione*. Reformatorum, saltem recentiorum plerique, agnoscunt lubenter, certam istam persuasionem obtineri quidem posse ordinariis mediis, quin & in istam enitendum esse cuique verè fideli 2 Pet. I. 10. Gal. II. 20. quin & fidem verè justificantem non esse, ex qua ista persuasio infertur non possit: sed tamen negant ipsam fidei salvificæ essentiam consistere in ista persuasione, aut ad eam pertinere, adeo ut fidem salvificam non habeat, qui ista persuasione destituatur. Rationibus illis, quas dudum lib. 2. cap. 1. §. XXV. & XXVI. adduximus; quibus impræsens addimus: 1. Quod reperiantur, qui ista persuasione fuerunt præditi, qui tamen fide salvifica fuerunt destituti Luc. XVI. 11. Matth. VII. 22. Ex adverso 2. Quod multi dentur verè fideles, cumprimis spiritualiter deserti, qui ista persuasione destituuntur Psal. LXXVIII. 7. 8. 9. 10. & LXXXVIII. 2. 8. 15. 16. 17. & XXX.

fides justificans consistat in persuasione particulari, quod sis justificatus?

Divortium sententiarum.

Sententia Reformatorum, cum suis rationibus.

& xxx. 10. id comprobante quotidianâ experientia, in querulis fidelibus. Quod 3. ista persuasio debeat præsupponere fidem salvificam, ut ex eâ, velut certo argumento, istam persuasionem colligant: qui enim per fidem non est in Christo, iste falso sibi persuadet se esse in Christo. Ac proinde certum est, nos examinare nos ipsos debere, num simus in fide, antequam certi esse possimus, nos esse in Christo 2 Cor. XIII. 5. Quod 4. Scriptura nullibi faciat istam propositionem: Christus est meus Servator, si modo de eo persuasus sim; nisi præsupponas, Christum esse universalem omnium & singulorum redemptorem. Quod 5. jam, ante lib. 2. cap. 1. abundè demonstraverimus, fidem, quatenus salvifica seu justificans est, non esse nisi receptionem Dei velut summi *finis*, & Christi, velut unici nostri *Mediatoris*, ad hoc ut cum Christo uniamur, & uniti communionem consequamur omnium ejus beneficiorum, in quibus primum est justificatio, seu remissio peccatorum. Nec valet in contrarium, A. quod justificatio electorum, seu remissio peccatorum, peracta fuerit cùm in æterna impositione & fusceptione reatus nostri facta in æterno fœdere gratiæ; tum in toleratione ac depositione ejusdem reatus in cruce: cum, jam ante lib. v. cap. XVIII. §. XXXII. demonstraverimus, substitutionem Christi in nostrum reatum, non esse ipsam justificationem nostri, seu remissionem peccatorum nostrorum, quanquam sit ejus fundamentum unicum, seu causa ejus meritoria juris, ad cujus possessionem prærequiritur ejus applicatio facta per fidem. B. Quod fides dicatur ἔλεγχος οὐ βλεπομένων Heb. XI. 1. h. e. certitudo & persuasio eorum quæ non videntur. Resp. 1. Apostolus eo loco non *definit* essentiam fidei; sed eandem tantum *describit* eam ab effectu suo, quod res futuras & invisibiles ex promissione divina apprehendat velut præsentes & visibiles. Tum 2. fides fundamentum est ejus certiorationis seu persuasionis, quod justificati simus: neque enim absque prævia fide, eo pertingere possumus Gal. II. 20. C. Quod verbum gratiæ promittit justificationem omnibus verè fidelibus, proinde certitudo nostræ justificationis est vera fides. Resp. Utique verbum gratiæ promittit justificationem; sed non nisi prævia receptione Christi Joh. III. 16.

Objectiones Antinomorum.

n

10. An fides influat in justificationem, velut conditio?

XXVIII. Quæritur *decimo*, an fides influat in justificationem velut *conditio*, seu causa *sine qua non* vult Deus nobis donare justitiam filii sui, ut propter eam solam justificemur? Tetigimus hoc negotium, dudum in *dogmaticis* §. XIV. operæ pretium videtur, illud hoc loco nonnihil distinctius repræsentare. (1.) Pontificii volunt fidem & charitatem, in prima justificatione gratis infusam, mereri *ex congruo* incrementum sanctificationis, cujus bona opera mereantur *jus* vitæ æternæ *ex condigno*: proinde negant fidem influere in justificationem, velut meram conditionem. Hunc errorem rejecimus §. XX. (2) Sociniani influere in justificationem, quatenus involvit *obedientiam* mandatorum Christi: scil. ut excludant *justitiam Christi*, velut nobis imputatam, propter quam justificemur. Contra §. X. (3) Remonstrantes influere volunt, quatenus *producit* bona *opera*, non autem quatenus recipit Christum ejusque justitiam, ut propter eam justificemur. Quod est adversus §. XXI. Rursus (4) iidem fidem influere statuunt in justificationem, quatenus apud Deum per ejus *acceptilationem*, est pro perfectâ observatione legis: & sic esset ipsum δικαίωμα nostrum, seu justitia, ob quam justificamur coràm Deo, non autem sola justitia Christi: quod refutavimus §. X. (5) Reformatorum plerique statuunt eam influere in justificationem, quatenus est instrumentum, quo apprehendimus Justitiam Christi, qua sola justificamur, seu sub ratione *instrumentalitatis*: hoc verum esse, quatenus justificatio sonat justificationem nostri *passivam*, in quantum ex sola sua fide, fidelis colligit se justificatum esse, & si etiam justificationem Dei *activam* intelligas, quatenus est instrumentum *morale*, quod eam Deus prærequirat, ut nobis donet & imputet justitiam filii sui, ut propter eam solam à se justificemur: & sic instrumentum morale non erit, nisi *conditio sine qua non* vult nobis applicare justitiam filii sui. Rursus (6) Remonstrantes agnoscunt quidem, eam influere in justificationem, velut *conditionem*; sed quæ propriis viribus, pro arbitrio, non autem ex merito Christi, à nobis veniat præstanda. (7) Antinomi, quia justificationem, seu peccatorum remissionem, actu peractam volunt, in æterno decreto, quo filio imposuit peccatorum nostrorum reatum, & Christus eum pertulit in cruce: negant fidem esse conditionem justificationi actuali prærequisitam; sed tantum requiri, velut signum, ex quo dudum justificatus certioratur, se dudum justificatum esse. Quam hypothesin destruximus lib. v. cap. XVIII. §. XXVI. Tandem (8) Reformatorum alii statuunt, eam quidem esse *conditionem*, qua præstita, & non ante, Deus nobis velit impertiri justitiam fili sui ob quam *solam* justificemur; sed ita tamen, ut illa fides nostra nequaquam sit δικαίωμα nostrum, aut pars ejus: nec à viribus nostri arbitrii pendeat; sed ab ipso merito Christi, quæ electis etiam, ex decreto Dei immutabili, certo certius sit conferenda: σχίσις ingredi justificationem nostram. Et hæc demùm sententia nobis videtur omnium esse accuratissima, propter rationes dictas §. XIV. Nec video, quid pro instrumentalitate fidei in negotio justificationis afferri possit, nisi quod passim in Scripturis dicamur justificari *per fidem*, διὰ τῆς πίστεως Rom. III. 22. 25. 30. 31. Gal. II. 16. & III. 14. 26. Eph. II. 8. &

Divortium sententiarum.

8. & III. 12. Phil. III. 9. Col. II. 12. 2 Tim. III. 15. 1 Pet. I. 5. quando διὰ ordinarie sonat instrumentum. Resp. Quo sensu fides sit instrumentum in justificatione, ex sententia Reformatorum, jam ante exposuimus.

II. An justificatio uniformis sit sub utroque testamento?

XXIX. Quæritur *undecimo* an justificatio *uniformis* sit, sub Veteri & Novo Testamento? Pelagiani, quod negarent, gratiam Christi ad veteres pertinuisse, statuebant, sub Patriarchis, homines justificatos fuisse, per legem *naturæ*; sub Mose per legem *scriptam*; sub Christo, per *Evangelium*: Sociniani quoque (cum quibus, per diversos gradus, faciunt Remonstrantes & Anabaptistæ) quia satisfactionis necessitatem ac veritatem inficiantur; exserte etiam cum Pelagianis negant, Patres V. T. justificatos esse, per *fidem* in Christum. Unde Smalcius *Cont. Francium* Disp. IV. *Justificatio*, inquit; *per fidem, nunquam fuit hominibus proposita ante Christum, vel fœderi inclusa, nec unquam promissum fuit, hominem fide justificatum iri* &c. Antinomi in Anglia, quia censent, actualem remissionem peccatorum nostrorum factam esse, partim in æterna impositione reatus nostri in Christum; partim in ejus toleratione in cruce: statuunt, ex defectu posterioris, justificationem sub Veteri Test. non tam perfectam fuisse ac est sub Nov. Test. Pontificii existimant Patres Vet. Test. usque ad actualem Christi satisfactionem, fuisse sub *reatu* peccatorum suorum, ac propterea, in cœlum non fuisse admissos; sed in limbo sibi peculiari detentos hæsisse, usque dum Christus eos post mortem suam, inde secum traduxerit in cœlum. Aquinas part. III. q. 52. art. v. Becan. *Theol. Schol.* part. I. Tract. I. c. I. q. 12. Celeberrimus Coccejus, quod in animo haberet, novam moliri fœderum divinorum σύνταξιν, per quam Veteri Testamento (quod ipsi à Mose cœpit) œconomia durior, & magis pœnalis & iracunda competeret, quam seculis, aut præcedentibus, aut consequentibus: primo quidem statuebat, justificationem *activam*, quatenus dicit *amorem* justificantis, versus justificatos, ut in Christo consideratos; in utroque testamento fuisse eandem: sed *passivam*, quatenus *notat sententiam Dei, de justitia pronunciatam, ad animam hominis peccatoris, qua Deus ipsi quasi dicit, & intimat: ego sum Deus tuus*, fuisse imperfectiorem in V. T. quia consolationi illic miscebantur effecta iræ, ideoque *paresin* & dissimulationem peccati, nondum expiati, appellari: sic Coccejus de *Fœdere* §. 353. postea vero, mutata in rigidius mente, in ipsa etiam justificatione *activa*, differentiam invenit, inter V. & N. Testamentum, statuendo: (1) Fideles omnium seculorum, usque ad satisfactionem Christi, fuisse sub *reatu* peccatorum, & qualicunque etiam eorundem dominatione. (2) Eis etiam *imputare* Deum potuisse peccata sua, & imputasse etiam, cumprimis sub Mose, per accusationem, exprobrationem ad metum, per chirographum legis ceremonialis debitum exigens, per spiritum servitutis ad metum, per jugum legis ceremonialis, ut iram præ se ferentis. (3) Eos fuisse sub *maledictione* & exsecratione legis, neque ab ea liberatos fuisse, nisi per mortem Christi præstitam. (4) Fuisse insuper, suo modo, sub ira Dei, quod *actu* necdum reconciliati essent cum Deo. (5) Eos, ut *non-redemtos*, immundos, & peccati conscientiam habentes, apud Deum fuisse. (6) semper conscientiam, *accusantem*, nunquam tranquillam, & cordis pavorem, ex peccato nondum expiato, circumtulisse. (7) Eos non habuisse προσαγωγὴν μετὰ παῤῥησίας ad Deum. Proinde (8) non *immediate* accessisse ad Deum; sed mediante Sacerdote, ex hominibus sumpto. Atque etiam (9) *fidem*, sub ea periodo fuisse *spem*, qua detenti in puteo, in quo non est aqua, *exspectarint* sui liberationem. Fuisse etiam (10) sub servili *mortis metu*: atque insuper (11) sub *servitute* ac dominatione Angelorum: nec non, aliquo modo, sub potestate Satanæ, item sub imperio Principum ac Sacerdotum, velut Deorum λεγομένων: quin & (12) sub *jugo* legis, non tantum *ceremonialis*, ut exprobrantis peccatum, illud accusantis, conscientiam turbantis; sed & *moralis*, quæ saltem à μοιχοποιὸς, acceperit σχῆμα legis operum. Nec (13) in *emphasi* habuisse spiritum adoptionis. Atque adeo (14) non habuisse ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, hoc est, *plenam & consummatam* remissionem peccatorum; sed πάρεσιν tantum, h. e. prætermissionem, *dissimulationem*, convenientiam. Quæ omnia ex hoc uno ipsi resultant, quod non habuerint justificationem talem, quæ sustulerit *omnem reatum*. Reformati communiter largiuntur quidem, reatum ab expromissore *Christo* non fuisse ablatum, ante actualem ejus satisfactionem: & circa ipsum, πάρεσιν (si quæ ejus admitti debeat differentia; ab ἄφεσει) admitti posse: largiuntur insuper fideles veteris œconomiæ justificatos fuisse, non propter satisfactionem *præstitam*, qua nos impræsens justificamur: sed propter satisfactionem *præstandam*, virtute expromissionis, qua Mediator, pro omnibus electis spopondit, & Deus Mediatoris expromissionem, pro omnibus electis, utriusque testamenti, simul & semel admisit. Et hoc demum sensu affirmant, *uniformem* esse justificationem omnium electorum: nec justificationem fideles V. T. reliquisse sub *ullo reatu*, imputatione peccati, maledictione, ira, &c. Eo quod (1) *uniformis* dicatur Act. XV. 11. καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι. 1. Cor. X. 3. 4. *eandem escam spiritualem comederunt, eundem potum &c.* —*qui erat Christus*. Unde Act. X. 43. dicitur: *Huic omnes Prophetæ testimonium præstant, remissionem* (ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν λαβεῖν) *peccatorum consequi*, per

Divortia sententiarum.

Sentent. Celeb. Cocceji.

Sententia communis Reformatorum.

Argumenta sententiæ affirmativæ. I.

per nomen ejus omnem credentem. Ex quo manifestissimum est: cum eundem nobiscum habuerint *Redemptorem*, eandem *fidem*, eandem communionem *manducando, bibendo:* cum etiam ad *eundem modum* servati dicantur ac nos: eos quoque, ex testimonio Prophetarum, eâdem *ἀφέσει* potitos fuisse, & consequenter *uniformem* esse omnium
2. seculorum justificationem. (2) Eo quod *vere* justificati fuerint fideles V. T. adeoque veram habuerint remissionem: quæ non aliud est, quam liberari *à reatu*, ut qui adhuc est sub reatu, non habeat *remissionem*, nec consequenter vere sit *justi-*
3. *ficatus.* Eo quod (3) eundem nobiscum habuerint *expromissorem*, eandem ab æterno factam *expromissionem*, h. e. talem sponsorem, qui omnem omnium electorum *reatum* in se susceperit, sicut lib. v. cap. 2. §. IX. XVIII. docuimus. Expromissor autem, ex sententiâ omnium Jurisconsultorum, principalem debitorem liberat ob *omni reatu.* Eo quod
4. (4) Scriptura vetus talia tradat de justificatione, Patrum V. Testamenti, quæ non possunt non tam plenam & perfectam spirare justificationem, quam quæ impræsens obtinet sub N. T: quando passim dicit, Deum non *cogitare*, *tegere*, *tollere*, *condonare*, *transferre peccata*, non *recordari* eorundem &c. Psal. CIII. 3. & CXXX. 4. & LXV. 4. & LXXXV. 3. XXXII. 1. 2. Mich. VII. 18. 19. Jes. XXXVIII. 16. Num. XXIII. 21. Psal. XXV. 7. & LI. 3. 4. 9. 11. Jer. L. 20. Eo quod (5) fide-
5. libus V. T. perinde *imputata* fuerit justitia Christi, (à quâ imputatione omnis nostra justificatio pendet) ac nobis sub N. T: proinde *eandem*, ex eâ, justificationem obtineant, quam nos obtinemus. Eo quod (6) Patres V. T. perinde ac nos sub N. T.
6. præditi fuerint *fide* Rom. IV. 3. 5. Heb. XI — quâ perinde Christum ejusque justitiam apprehenderint, ac nos: proinde, *eandem* etiam ex eâ apprehensione consecuti fuerint, quam nos consequimur,
7. justificationem. Eo quod (7) fideles V. T. perinde liberati fuerint ab omni *pœna*, intromissique in cœlestem beatitudinem, ac nos liberamus, & intromittimur: proinde *eandem* habuerint justificationem, quam nos habemus. Si (8) reatus peccato-
8. rum non fuisset *ablatus* ab eis, ante actualem Christi satisfactionem; cum reatu peccatorum suorum, fideles V. T. in cœlum recepti fuissent, id quod omnem absurditatem superat, & tamen admitti debet, & admittitur, ab his qui existimant, reatum tolli non posse, nisi *actuali* satisfactione. Quodsi autem talem intelligant reatum, qui cum ipsa cœlorum beatitudine consistit; non est ob quod eundem removeamus à fidelibus N. T: neque enim beatior status esse potest fidelium N. T. in *terris*,
9. quam fuit Patrum V. T. in *cœlis.* Eo quod (9) Patres V. T. per satisfactionem Christi *futuram* liberati fuerint, non tantum ab omni pœnâ; sed etiam ab omni *dominio* peccati, & ab omni ejus macula post mortem: proinde etiam *à reatu.* Vix enim concipi potest, per futuram Christi satisfactionem, liberatum à pœnâ, dominio & maculâ peccati; liberatum non esse ab ejus *reatu.* Eo quod
10. (10) si fideles V. T. sub reatu fuissent; fuissent item sub *ira* Dei, & sub maledictione: utpote quæ, vel ex hypothesibus partis negantis, *reatus* sunt consectaria: aut si ab ira Dei, & à maledictione, per futuram Christi satisfactionem, liberati dicantur; quidni etiam à *reatu* liberati dicentur? Eo
11. quod (11) ubi est *reatus* peccati; ibi non possit obtinere *jus* cœlestis vitæ: &, per consequens, rectius, secundum has hypotheses, excusi censerentur à Pontificiis cœlesti beatitudine, quam admissi. Juvabit etiam expendere rationes eorum, qui negant Patres V. T. nobiscum *uniformem* habuisse justificationem; sed sub *reatu* mansisse, usque ad *actualem* Christi satisfactionem: 1. Causantur lo-
1. ca, quibus Christus *traditus* dicitur *propter nostra peccata* Rom. IV. 25. *seipsum dedisse pro peccatis nostris* Gal. I. 4. 1 Cor. XV. 3. 1 Pet. II. 24. è quibus manifestum videatur, Christum satisfeciisse pro peccatorum *reatu*, & eorum reatum exstitisse tempore passionis. Resp. Si demus utrumque, nihil habebit pro se, sententia negativa: exstiterit enim reatus omnium electorum, citra tempus passionis; non tamen eoipso statim exstitit in *ipsis* electis: sufficit exstitisse in *satisfaciente*, qui eum æternâ expromissione, ab electis in se susce-
2. pit. 2. Quod ad multorum peccata ferenda, *semel* oblatus dicatur Heb. IX. 28. Resp. Imo omnium electorum peccata tulit in cruce, eaque etiam existebant, non *in electis*; sed in SE: utpote per æternam expromissionem ab ipsis *in se susceptа.*
3. 3. Quod fideles V. T. habuerint *conscientiam* peccati, & quidem, in contradistinctionem ad conscientiam, quam fideles sub N. T. habent Heb. X. 2. Resp. (1) *Conscientiam* habere peccati simpliciter, non infert esse sub *reatu*, aliàs & nos sub N. T. essemus sub reatu, quia conscientiam habemus peccatorum nostrorum. Nec (2) hoc etiam infert, conscientiam habere; *contradistinctè* ad conscientiam sub N. T: neque enim solide sequitur: habuerunt *contradistinctè* conscientiam &c. ergo ex eo habuerunt, quod præ illis fuerint *sub reatu.* Sed (3) hoc tantum intendit Apostolus significare Heb. X. 2. fideles V. T. *per sacrificia* ceremonialia, velut umbras tantum futuræ sacrificationis Christi, non potuisse liberari à conscientiâ peccatorum suorum, adeoque sæpius repeti debuisse sacrificia ista: sed non negat, per Christum, velut *corpus* umbris illis præfiguratum, virtute expromissionis, non potuisse liberari, & liberatos actu fuisse à conscientia peccati, eo saltem modo, quo nos sub N. T. per Christum liberamur à conscientia peccati. Quod (4) in an-
4. nuo sacrificio, quatenus facta fuerit *commemoratio peccati* Heb. X. 3. & diversa etiam ab eâ quæ

Argumenta sententiæ negativæ.

sit

fit ſub N. T. Reſp. 1. Ergone ſtatim hoc ideo factum eſt, quod adhucdum in fidelibus exiſteret *reatus?* Quid enim 2. ſi commemoratio iſta facta dicatur, ad ſignificandum, reatum *adhucdum exſtare* in Meſſia exhibendo? quod eum, expromiſſione, ab electis omnibus, in ſe derivârit; ad hoc, ut fide, à ſola ejus *ſatisfactione* ſalutem expeterent, non autem ab *ipſa* ſacrificiorum mactatione? quod exſerte notat pro ratione, verbis proxime ſequentibus: *Non enim ſanguis taurorum & hircorum poteſt auferre peccata* verſ. 4. Quod (5) 5. peccata Patrum, non fuerint expiata *ante* Chriſti immolationem. Reſp. Non fuerunt ſane, atque etiam *exſtitit* eorum reatus: verum non in *ipſis* fidelibus; ſed in eorum *expromiſſore*, qui reatum iſtum, expromiſſione à fidelibus in ſe derivaverat. 6. Quod (6) peccator ſecundum legem fuerit ſub *reatu*, quoad ſtatum carnalem, uſque ad *actualem* typicam expiationem. Reſp. Non alio modo, quam & nos ſub N. T. ſub reatu ſumus, uſque dum viva fide (quam ſuis ſacrificiis Patres Veteris Oeconomiæ teſtabantur) expiationem Chriſti recepérimus, utpote cujus fidei ope, expiatio Chriſti ſingulis peccatis applicari debet. Imprimis etiam 7. (7) quod Patres V. T. obſtricti fuerint ad ſcriptionem *chirographi* Col. 11. 14. quod *nobis erat ſubcontrarium*. Reſp. Chirographo, non aliud confitebantur, quam α. ſe peccatores eſſe. β. peccatis mortem omnimodam demeritos. γ. eâ etiam tam certò mactandos eſſe, quam ſacrificia illa morte mactentur; niſi δ. mortem illam, expromiſſione ſuâ, Meſſias ab ipſis in ſe derivaſſet: ſe proinde ε. viva fide, fiduciam omnem habere in futuro illo ſacrificio Meſſiæ, quod ſua hac ſacrificatione adumbraretur. Hoc ergo *chirographo*, non teſtabantur, ſibi *poſt* fide receptum ſacrificium Chriſti, ullum incumbere reatum; ſed *antecedenter* ad fidem illam (quam ſacrificatione teſtificabantur) ſe eſſe ſub reatu illo, quem expromiſſor in ſe traduxerit, & ſuo tempore, per mortem à 8. *ſeipſo* amoliturus ſit. (8) Quod Patribus cibi in ſe puri, fuerint *impuri*: eo quod exſtante chirographo, ex iis potuerint judicari Col. 11. 14. 15. 16. 17. Reſp. Inde non ſequitur, ipſos *abſolute* fuiſſe impuros: ſed *tantum* extra Chriſtum fide apprehenſum, qui, expromiſſione omnem ſuam impuritatem in ſe ſuſceperit, impuros fore. (9) Quod 9. omnia fuerint *purificanda*, ſub veteri œconomiâ, & quod illæ ceremoniales lotiones, ab Apoſtolo vocentur, *juſtificationes carnis*. Reſp. 1. Non poteſt ergo, per purificationes iſtas, ſignificari *reatus*: cum illi non ſubſint, tabernaculum, altare &c. niſi admodum ὁμοιώμως; ſed 2. tantum ſignificabatur, ex peccato humano, omnia omnibus impura fore, niſi per ſanguinem Chriſti, fide apprehenſum, purificentur Tit. 1. 15. *infidelibus nihil purum*. Quod (10) Chriſtus *cruce* ſua, tam 10. Judæos, quam Gentes Deo reconciliaverit Eph. 11. 16. Col. 1. 20. ac proinde tam diu fuerint ſub *reatu*. Reſp. Veriſſimum eſt quod omnes electi, omnium temporum, *per* mortem Chriſti, Deo fuerint reconciliati; ſed alii per mortem *præſtandam*; alii per mortem *præſtitam*. Quod (11) re- 11.
miſſio peccatorum ſit fructus & *effectum effuſionis* ſanguinis Chriſti Matth. XXVI. 28. Heb. IX. 14. Reſp. Eſt ſane fructus ſanguinis; ſed vel *fundendi* (qui per infallibile Dei decretum, exſponſionem ipſius Chriſti, utriusque varias promiſſiones, *phyſice* quidem abſens adhuc, *moraliter* Deo præſens fuit, à quo agnus *mactatus* dicitur à jacto mundi *fundamento* Apoc. XIII. 8. Chriſtus, *& heri, & hodie idem eſt, & in ſeculum* Heb. XI. 1. Joh. VIII. 56.) vel *fuſi*: quomodo & ſanctificatio, & fides Patrum, fructus fuit ſanguinis Chriſti *futuri*, ipſis agnoſcentibus, qui ſtant pro ſententia negante. 12.
Quod (12) *amoturus* dicatur *iniquitatem terræ iſtius uno die* Zach. III. 9. Heb. IX. 28. proinde terra, uſque ad *unum* illum diem expiationis, fuit ſub reatu. Reſp. Non dicit, ſe amoturum iniquitatem *à terra*; ſed iniquitatem *terræ*, ſcil. quam expromiſſione in ſe ſuſceperat, amoturum *à ſeipſo*, per actualem ſatisfactionem. Eodem ſenſu, morte ſua, multorum peccata ſemel abſtuliſſe dicitur Heb. X. 28. Quod (13) obligatio ad cer- 13.
tam pœnam, ex peccato oriunda, inſolubilis ſit, *maneatque*, uſque dum pœna plene lata fuerit. Reſp. Eſto; ſed hanc obligationem à fidelibus veteris œconomiæ, expromiſſor *in ſe* ſuſcepit, inque eo hæſit, uſque dum pœna plene exhauriretur in cruce. Quod (14) Deus ſacrificium *juge*, 14.
à populo ſuo, nullo fundamento potuiſſet exigere, ſi non fuiſſet ſub *reatu*. Reſp. Quo fundamento chirographum exegit, eo etiam ſacrificium *juge* impoſuit: chirographi autem fundamentum aliud, quam urgentem fideles reatum, oſtendimus in reſponſione ad objectionem ſeptimam. Quod 15.
(15) Jer. XXXI. 33. 34. Heb. VIII. 13. perfecta condonatio peccatorum traditur, ut beneficium peculiare *novo* Teſtamento: *& peccata eorum non amplius recordabor*. Reſp. Non *nova* ibidem promittuntur Eccleſiæ N. T. beneficia (cum quæ ibidem commemorantur vſ. 33. *dabo legem meam in interioribus eorum, & inſcribam cordibus eorum, & ero ipſis in Deum* — etiam, agnoſcentibus ipſis, qui hic ſunt ἐξ ἐναντίας, obtinuerint ſub V. T.) ſed *novus* tantum conferendi *modus*: ſcil. non eo *modo* quo ad Sinai, per *dogmata ceremonialia*, quæ adulterio ſpirituali populus violaverat; ſed obolito illo agendi modo, abſque omnibus illis dogmatis ceremonialibus, ſe ſub N. T. legem ſuam daturum in interiora eorum — & ſic abſque omnibus etiam ſacrificiis, peccata ipſis condonaturum, eorumque non amplius recordaturum. Ut non promittatur *nova* quædam remiſſio

peccatorum, quæ antea non obtinuerit, aut quæ perfectior futura sit; sed quæ non amplius per *sacrificia* ceremonialia sit conferenda. Hunc sensum planum facit contextus & scopus capitis octavi ad Hebræos, imò universæ istius Epistolæ: nim. remissionem peccatorum, jam non esse quærendam in typis & *umbris* ceremonialibus; sed his sepositis, immediatè in earundem *corpore*, Christo. Cum præsertim de veteri etiam Ecclesia dicatur Num. XXIII. 21. *Non aspicit iniquitatem in Jacob, nec videt laborem in Israël.* Sane qui non *aspicit*, qui non videt iniquitatem; ille etiam non *imputat*, nec tanquam sub *reatu* constitutum habet.

16. Quod (16) verbis emphaticis Matth. XXVI. 27.28. dicatur: *Hoc est sanguis meus, qui pro multis funditur, in remissionem peccatorum:* proinde *ante* sanguinis istius effusionem, non fuit remissio. Resp. Sive sanguis *novi fœderis*, scil. fœderis gratiæ; sive *novi testamenti*, seu novæ fœderis gratiæ dispensationis, reddatur; non dicitur ANTE sanguinis istius effusionem, non fuisse peccatorum remissionem, sub. V. T.: sed ABSQUE ejus effusione, nullam omnino remissionem esse, ut A-

17. postolus loquitur Heb. IX. 22. Quod (17) Act. XIII. 38. dicatur: *notum sit vobis* (scil. qui vivitis sub N. T.) *quod per hunc Jesum, vobis annuncietur remissio peccatorum:* proinde sub V. T. illa annunciata non fuit. Resp. Addenda erant verba versus 39: *ab omnibus, quibus non potuistis per legem Mosis justificari,* PER HUNC, *credentem quemvis justificari*: ut Sole clarius appareret, non voluisse Paulum, nisi quod, nulla omnino remissio, sive sub V. sive sub N. T. detur per legem Mosis; sed per *solum Christum.* Non dicam, Apostolum non loqui de remissione *perfecta*; sed de remissione *simpliciter*, quam ne ipsi quidem dixerint, non fuisse sub V. T. Quod (18) Apostolus Rom. III. 25. dicat: *quem*, Christum Jesum, *Deus proposuit in placamentum, per fidem in sanguine ejus, ad demonstrationem justitiæ suæ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ; ad ostensionem justitiæ suæ præsenti tempore* &c. Ubi *πάρεσις* nativa sua vi, significat *transmissionem*, ut verba optime transferantur: *propter transmissionem peccatorum antefactorum.* Hic Patribus adjudicatur *πάρεσις transmissio*, quæ nunquam adscribitur fidelibus N. T. proinde minus dicit quam *ἄφεσις*. Resp. 1. Variam esse vocis *ἀφέσεως* crisin, apud probatos auctores, agnoscunt *οἱ ἐξ ἐναντίας*, eandem, per Scripturas etiam, cum *ἄφεσει* significatione coincidere, docuimus §. XVI. interim ex voce, semel tantum in toto Instrumento sacro usurpatâ, ipsi nobis volunt conficere diversam ejus significationem ab *ἀφέσει*. 2. Demus *πάρεσιν* hic præcisè significare *transmissionem*, eamque ab Apostolo urgeri tanquam causam impulsivam: nunquid tum verborum sensus huc ibit? *transmissionem* reatus Patribus inhærentis, causam esse impulsivam, ob quam Deus Christum proposuerit placamentum, per fidem in sanguine ejus. 3. Si paresis sit *transmissio* reatus, vel *Dei* actionem notabit, quâ Patrum reatum *transmiserit*; vel *Patrum*, qui reatum suum transmiserint: quicquid eligas, senties Patres *παρέσει transmissione* ista exoneratos fuisse à *reatu*, sive *Deus* illum transmiserit, sive *ipsi* transmiserint. Quid si ergo 4. dicas, hanc esse loci paraphrasim: quod Deus Jesum Christum proposuerit in placamentum, per fidem in sanguine ejus accipiendum, propterea, quod in æterno pacis consilio, omnium electorum peccata ac reatum *transmiserit* in filium suum expromissorem, ut in ejus sanguine seu crucifixione, justitiam suam vindicativam ostentaret, etiam versus peccata *προγεγενότα*, quæ in filio suo expromissore toleraverit, usque ad actualem ejus satisfactionem: quid obstabit huic paraphrasi? Et sic reatus, per *πάρεσιν transmissus*, erit, non in *Patribus*; sed in eorum *expromissore*, ac consequenter, Patres liberati erunt à *reatu*, & plenissimam habuerunt remissionem. Quod (19) Apostolus Heb. X. 18. testetur *ἄφεσιν* non ob- 18.
tinere, ubi adhuc obtinet *oblatio* ceremonialis; & consequenter, cum usque ad Christum, apud Patres *fuerit oblatio* ceremonialis; manifestum videatur, non obtinuisse apud ipsos *ἄφεσιν*. Resp. Si religiose attendatur scopus principalis totius Epistolæ ad Hebræos, & singulatim etiam capitis hujus; nullo negotio assequeris, Apostolum hoc agere, ut convincat Hebræos, remissionem peccatorum nequaquam esse quærendam, in *sacrificationibus* legalibus; sed in *Christo*, eis quasi umbris præfigurato. Quo præsuppositâ, scopus vs. 18. erit significare, à sacrificiis legalibus, *nullam* omnino peccatorum remissionem, sive *ἄφεσις*, sive *πάρεσις* appelletur; sive perfecta, sive imperfecta intelligatur, impetrari posse, aut impetratam fuisse: sin minus, necessum non fuisse, ut sæpius repeterentur. Ex dictis omnibus patet, Fons erroris monstratur.
nidum erroris, in omnibus fere examinatis argumentis, in hoc esse, quod *οἱ ἐξ ἐναντίας*, reatum illum, qui, per expromissionem, *Christo* incumbebat usque ad *actualem* satisfactionem, imponant *Patribus* V. T. & ex hoc, *plenam* eos remissionem, eandemque nobiscum justificationem habuisse, negent. Visum paulo curatius & prolixius examinare hanc controversiam, quod plurimorum *πταισμάτων*, & mutati systematis Theologici scaturigo existat.

Pars practica.

Praxis justificationis: 1. Celebrandam præstat

XXX. Justificationis doctrina, *primo* celebrandam præstat *gloriam* Dei, & mediatoris. Quæ, sicut omnium operationum divinarum supremus scopus est Rom. XI. 35.36: ita, & magis etiam universæ

gloriam Dei: sapientiæ, justitiæ, gratiæ, Mediatoris. Quorsum. 2. Explicat beatitudinem.

versæ redemptionis, justificationisque Eph. I. 6. Præstat justificatio, peculiariter gloriam, (1) *Sapientia* divinæ, quâ, citra crimen illud quod ipse abominatur Prov. XVII. 15. rationem invenit, quâ *injustum* justè absolveret Rom. IV. 4. (2) *Justitia* & veritati Rom. III. 25. 26. quâ, quia *juste judicat* 1 Pet. I. 17. 2 Thess. I. 5. injustum, absque omni justitia, justificare, nec voluit, nec potuit: adeoque, ne propter propriam injustitiam, justè condemnarentur; justitiam filii proprii & unigeniti, injustus imputare voluit, ut propter eam justè justificarentur Rom. III. 25. nec hujus justitia *essentiali* contentus, seu divinæ, seu humanæ naturæ; justitiam mortis, & mortis quidem maledictæ, ipsis imputavit 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. (3) *Gratia* & misericordiæ Rom. III. 24. Eph. II. 8. & I. 6. Quia α. (non *justitia*) motus, cum nullam in justificandis, justificationis causam inveniret; purâ putâ adductus *misericordia*, justificat Hos. XI. 8. Jer. XXXI. 20. β. non Angelos justificat 2 Pet. II. 4. Heb. II. 16. sed homines: eosque γ. non justos, sed *impios* Rom. IV. 5. & V. 7. Ezech. XVI. 3. 4. 5. 6. *filios iræ*, mortuos peccatis Eph. II. 1. 5. Conf. Matth. XVIII. 24. 25. 26. 27. idque δ. non propter justitiam qualemcunque, *acceptilatione* admissam; sed propter justitiam ipsius *filii* sui 1 Joh. I. 7. propter justitiam *Dei* Rom. III. 22. Act. XX. 28. Et hanc etiam justitiam ε. non propter quidvis confert; sed *gratis* donat Rom. V. 15. 16. Joh. III. 16. & in rationes eorum confert, imputando Rom. IV. 3. 4. Nec ζ. ab ipsis justificandis exigit, nisi ut *arripiant* vivâ *fide* Rom. III. 28. & IV. 5. Gal. II. 16. Quod porro η. propter justitiam istam filii sui, *gratis* donatam, & solâ fide receptam, absolvat ab omni *reatu*, liberetque ab omni malo Rom. VIII. 1. tanto actali Matth. XVIII. 24. Atque insuper θ. ipsi *jus* addicit omnis boni Eph. I. 3. usque ad ipsam *vitam* æternam Rom. V. 21. Joh. III. 16. Præter gloriam Dei, justificatio etiam (4) præstat gloriam *Mediatoris*, in qua, Deo fuit præcipuus *finis*, ut redemptionis, ita & *justificationis* Jes. XLIX. 6. Joh. V. 23. quatenus nim. *unus* ipse præstat justitiam *omnium* electorum, ut ne *unus* quidem eorum, coram Deo consistere possit, nisi *una* ejus justitiâ Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Jes. LIII. 10. Gloriam autem istarum virtutum, ad hoc repræsentat justificatio, A. ut *agnoscamus* ac celebremus 1 Pet. II. 9. Eph. I. 6. B. Ut caveamus *gloriari* in propria justitia Rom. III. 27. Eph. II. 9. C. Ut, ex adverso, in Jehova *solo*, qui nostra est *justitia* Jer. XXIII. 6. & justitiam nostram quæramus dicendo: *profecto in Jehova* sunt *justitia & fortitudo*, *ad eum* oportet *venire* —: & gloriemur: *in Jehova justificabunt se*, *omnes qui sunt semen Israël* Jes. XLV. 24. 25. Rom. V. 1. 2.

XXXI. *Secundo*, explicat *beatitudinem* justificatorum, quam *proponit* David Psal. XXXII. 1. 2. *Beatus* (אשרי *beatitudines*) *cui dimissa est prævaricatio*, *cui tectum est peccatum*; *beatus homo*, *cui non imputat iniquitatem*: & *exponit* Apostolus Rom. IV. 6. 7. 8. 9. atque insuper amplificat Rom. V. 1 — 12. Habent enim justificati (1) *pacem cum Deo* vs. 1. pacem illam, quæ *omnem intellectum superat* Phil. IV. 7. quæ pacem *cum conscientia* propria generat Psal. CXVI. 7. & cum inimicis etiam Prov. XVI. 7. in qua pace, ipsum consistit *regnum Dei* Rom. IV. 17. quam proinde, & Servator post resurrectionem suam, pro prima & præcipuâ benedictione, discipulis suis imprecatur Joh. XX. 19. & Apostoli suis Ecclesiis Rom. I. 7. 8. 1 Cor. I. 3. per pleraque epistolas suas 1 Pet. I. 2. 2 Pet. I. 2. 2 Joh. vs. 3. Jud. vs. 2. Apoc. I. 4: quod pacem, ex sententia Hebræorum, omne exoptandum contineatur. (2) προσαγωγὴν ad Deum, & ad omnem *gratiam* Rom. V. 2. imò παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει, *libertatem & accessum cum fiducia* Eph. III. 12. Quantum autem est, bone Deus! in quavis necessitate, liberum habere accessum ad eum, qui solus juvare potest & vult Heb. IV. 16. (3) *perseverantiam* & continuationem, in statu hoc beato Rom. V. 2. *per quam stamus*, ut nec portæ inferorum nobis possint prævalere Matth. XVI. 18. imò *nec mors*, *nec vita* — nos possint *separare ab amore Dei*, *qui est in Christo Jesu* Rom. VIII. 38. 39. (4) *gloriationem in spe gloriæ Dei* Rom. V. 2. quâ ipsis non tantum *sperare* licet *gloriam Dei*, olim in se manifestandam Rom. VIII. 18. utpote cujus titulum & jus, sibi dudum adjudicatum habent in justificatione; sed etiam in ea spe *gloriari*, idque constanter, ad finem usque Heb. III. 6. (5) *Gloriationem etiam*, *in adversis* qualibus-& quantis-cunque Rom. V. 3. 4. quâ non tantum adversa quævis ferre fortiter; sed etiam in eis *lætari* possint Jac. I. 3. quod ea sibi immittantur à Deo per justificationem reconciliato, perque ejus amorem, sibi *cooperari debeant in bonum* Rom. VIII. 34. (6) Sensum *amoris* divini, *effusi in corda sua*, *per Spiritum S. qui datus est ipsis* Rom. V. 5. 8. & VIII. 16. sublata enim, per justificationem, ira & odio divino Rom. V. 10. non potest non succedere amor Dei, ejusque sensus in cordibus justificatorum. (7) *Certitudinem* infallibilem, suæ reconciliationis cum Deo, non obstantibus plurimis & gravissimis peccatis suis Rom. V. 6. 7. 8. quod per justificationem nobis justitia *Christi* imputetur Phil. III. 2. quæ omnibus peccatis tollendis abundè sufficit Rom. V. 15. 1 Joh. I. 7. (8) Liberationem securam, ab *ira* Dei Rom. V. 8. 9. *futura* illa 1 Thess. I. 10. & V. 9. h. e. ab æterna condemnatione. (9) Indubitatam communicationem *vitæ* æternæ Rom. V. 10. Tit. III. 7. utpote, quam justificatione dudum ipsis adjudicavit. (10) *Gloriationem in* ipso *Deo* Rom. V. 11. quod per justificationem, justificatorum *Deus* sit

1. Beatitudinem justificatorum.

Quorsum commendata.

factus, in quo omne beatitudinis punctum hæret, juxta Psal. xxxiii. 12. His ergo capitibus, beatitudinem justificatorum amplificat Apostolus Rom. v. ad hoc procul dubio, ut ex ea A. fervidiores simus ad gratiarum actionem Rom. vii. 24.25. 1 Cor. xv. 57. Psal. cxvi. 12.13.14.17.18 19. Ut. B. nobis ipsis gratulemur justificationis beatitudinem Jes. xlv. 25. *In Jehova justificabuntur se, & laudabuntur* se -- Rom. v. 1. 2. Justificati--pacem habemus — *gloriamur*. Ut C. & alios justificare, pro virili conemur Dan. xii. 3. Conf. Luc. xxii. 32.

3. Repræsentat miseriam non justificatorum.

XXXII. *Tertio* patet hic, ex adverso, *miseria* eorum, qui absque justificatione, adhucdum sunt *in peccatis* suis 1 Cor. xv. 17. sub *condemnatione* Rom. viii. 1. sub κατάρᾳ Gal. iii. 10. 13. Deut. xxvii. 26. Quinam autem, absque justificatione sunt? Resp. α. Qui Christum palam rejiciunt. Gentiles, Judæi, Muhammedani, aliique professione *infideles*, qui nolunt Christum recipere Joh. i. 11. & v. 40. Act. xiii. 46. cujus *cognitione justificamur* Jes. liii. 11. β. Qui ore quidem & professione ipsum recipiunt; sed ejus *justitiam* in justificatione rejiciunt, ejusque imputatione justificari nolunt; ut Sociniani eorumque assecłæ, Arminiani aliique, qui *propriam* justitiam sectando, justitiæ Christi non fiunt participes Rom. x. 3. γ. Qui justitiam Christi, h. e. ejus satisfactionem & meritum, profitentur quidem; sed ejus justitiæ *imputationem* respuunt, ut in propriis satisfactionibus & meritis, justitiam & salutem quærant; eoque ex gratia excidunt, & Christum sibi inutilem faciunt Gal. v. 2. 3. 4. δ. Qui justitiæ Christi *imputationem* quidem agnoscunt & profitentur; sed tamen viva *fide* non recipiunt Joh. i. 11. 12. & iii. 36. ε. Qui fidem etiam *jactant*, sed *respiscentia* & bonis operibus cassam, adeoque *mortuam*, & sic nullam Jac. ii. 14. 17. 18. 20. 21. 24. 26. quæ quidem *per charitatem efficax* fit Gal. v. 6. Omnes isti, quia justificatione destituti sunt, *miseri* sunt.

Quænam eorum miseria?

Si enim (1) *vitam* eorum spectes, quamdiu injusti sunt quoad personas, & *impura est eorum mens & conscenntia* Tit. i. 5. miseri sunt: A. in *secundis*: α. quoad *opes* & fortunas; non sunt apud Deum, nisi meri earundem *usurpatores*, quatenus omne earum *jus* ac titulus, ex Christo, per justificationem, pendet 1 Cor. iii. 22. 23. β. quoad *voluptates*, mensa eorum ipsis cedit *in laqueum* Rom. xi. 9. omnisque eorum prosperitas in æternam desinet calamitatem Psal. lxxiii. 3 — 10. 12. 17. 18. 19. 20. B. in *adversis*, quæ ipsos non minus urgent quam justificatos Psal. xxxii. 10. ea ipsis non sunt, nisi *primordia* & præsagia ineffabilis & *æternæ* miseriæ: quando à Deo, ipsorum hoste, nulla ipsis suppetit emergendi spes Eph. ii. 12. & Deus, ipsis non reconciliatus, procul ab omni commiseratione, *ridebit* etiam in eorum miseria Prov. i. 24 — 29. Jes. x. 3. Jer. xiii. 21. Si (8) *mortem* eorum spectes, longe adhuc miserior erit eorum conditio: quando *in peccatis* suis *morientur* Joh. viii. 21. 24. absque ullo solatio, *cum horrore subito deficient* Psal. lxxiii. 19. Si (3) extremum *judicium* spectes, quando non habebunt injusti, qui causam eorum agat, coram tremendi Judicis tribunali, nec propter quod consistant in judicio Psal. i. 5. nec proinde exspectare possunt, nisi horrendam sententiam: *abite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus* Matth. xxv. 41. Si denique (4) statum *æternitatis* spectes, absque ulla liberationis spe, ibunt in cruciatus æternos Matth. xxv. 46. ubi *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & omni carni abominationi erunt* Jes. lxvi. 24. Quam miseriam eo significat justificatio, ut necdum justificati, dum tempus est, α. seriò cogitent Luc. xix. 41. 43. β. de sui reconciliatione solliciti 2 Cor. v. 20. γ. omnes suas vires per gratiam Dei intendant, qui justificationis requisita, fidem & respiscentiam, præstando, justificationis reddantur participes Matth. iii. 7. 8. 9.

Quinam non justificati illi.

Quorsum repræsentetur?

XXXIII. *Quarto* monet, nos ipsos seriò exploremus, simusne ὄντως justificati. Cum enim (1) tanta sit verè justificatorum beatitudo, per §. xxxi. (2) tanta item non-justificatorum miseria per §. xxxii. Cum (3) tot sint, qui in tanto negotio seipsos fallant Prov. xvi. 2. & xxi. 2. Luc. xvi. 19. (4) Cum à certitudine justificationis nostræ, omnis pendeat animi nostri pax, tranquillitas, solatium in adversis, gloriatio, gaudium, fiducia & προσαγωγὴ ad Deum, in quovis casu Rom. v. 1 — 10. Cum (5) omnis ista certitudo pendeat ab accurata sui ipsius exploratione 2 Cor. xiii. 5. Gal. vi. 3. 4. non erit, qui diffiteatur, operæ pretium esse, ut in serium examen conscientiæ nostræ omnes vires nostras intendamus.

4. Monet, nos ipsos exploremus, simusne justificati.

Motivæ.

Signa.

Quibus autem *indiciis* hoc certò assequemur? Resp. Primum & primarium indicium, est *fides* viva & efficax Rom. v. 1. Act. x. 43. eam enim *solam* Deus requirit ad justificationis constitutionem Rom. iii. 22. 25. 28. Hac ergo bene constituta & explorata, justificatio in vado est. Sunt tamen præter fidem alia, ex quibus justificationem certò possumus assequi, qualia sunt 2. *Vocatio*, ea scil. quæ cum regeneratione, conversione & sanctificatione conjuncta est, à quâ κατὰ πρόθεσιν κλητοὶ appellamur Rom. viii. 28. quæ cum justificatione, ex prædestinatione divina, individuum nexum obtinet Rom. viii. 30. Matth. ix. 13. porro 3. *Agnitio* ac sensu peccatorum, cum profunda super ipsis humiliatione, qua *procul stes*, *oculos* non ausis *extollere*, *pectus percutias*, & erumpas in votum: *Deus esto mihi peccatori propitius*: his enim *justificatus*, descendit in domum suam publicanus Luc. xviii. 13. 14. 1 Pet. v. 5. Insuper 4. salutaris *Christi*

ſti cognitio, per quam *juſtus ille*, *multos juſtificat* Jeſ. LIII. 11. à quo Paulus, τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως τοῦ Χριστοῦ, tanti fecit: ut nim. *in eo inveniretur*, *non habens ſuam juſtitiam*, *quæ eſt ex lege*; *ſed eam*, *quæ eſt ex fide*, *Chriſti* Phil. III, 8. 9. Etiam 5. *confeſſio* pœnitentialis, cum viva fide conjuncta, & ex viva fide oriunda Rom. x. 10. cum Cap. IV. 24. 25. Tandem 6. *Sanctificatio*: habet enim ſanctificatio individuum nexum cum juſtificatione, ex ſententia Pauli 1 Cor. VI. 11. Jac. II. 18. Quibus omnibus adjicere poſſis ea indicia, quibus, redemptionis applicationem, vocationis efficaciam, regenerationis, converſionis, unionis cum Chriſto, γνησιότητα, in præcedentibus, exploratam fecimus.

5. Excitat ut ſerio enitamur in juſtificationis participium.

XXXIV. *Quinto* excitat, ut collectis omnibus viribus enitamur in participium juſtificationis, præeunte Apoſtolo Gal. II. 16. *credimus ut juſtificemur*, & magis etiam Phil. III. 7. 8. 9. omnia, uſque ad ipſam juſtitiam ſuam, pro ſtercore, imò pro damno habente, ad hoc, ut cum Chriſto unitus, non propria; ſed ejus juſtitia, per fidem juſtificaretur. Idem ſuadet (1) *beatitudo* Motivæ. inæſtimabilis juſtificatorum, quam diximus §. XXXI. (2) ineffabilis *miſeria* non-juſtificatorum, quam diximus §. XXXII. (3) abſolutiſſima habendi *neceſſitas* Joh. III. 36. niſi æternum exitium, ſtultiſſimo conſilio, æternæ beatitudini velimus præferre Deut. XXX. 19. Ezech. XXXIII. 11. (4) conſequendi ſumma *facilitas*, utpote ad quam non niſi *fides* vera & viva exigitur Eph. II. 8. 9. Rom. III. 28. à quo *jugum* Chriſti, tam *lene*, & *onus* ejus, tam *leve* dicitur Matth. XI. 30. ſi cum primis conferatur cum eâ conſequendi ratione, quæ obtinebat ſub Veteri Oeconomia Act. XV. 10. (5) *Decus* & ornamentum juſtificationis, quatenus, tecta ejus ope, omni iniquitate & injuſtitia noſtra Pſal. XXXII. 1. imputata Chriſti juſtitia Media. fulgemus Zach. III. 3. 4. 5. Luc. XV. 22. Quibus autem *adminiculis*, conſequemur iſtud juſtificationis participium? Reſp. (a) *Cognitione* Chriſti, totiuſque doctrinæ de juſtificatione: *cognitione* enim — juſtus ille, multos *juſtificat* Jeſ. LIII. 11. quam adeo exiſtimabat Paulus neceſſariam, ad juſtificationis communionem, ut omnia ſuſque deque haberet, propter excellentiam *cognitionis* Chriſti, ut in eo inveniretur, non habens ſuam juſtitiam, ſed quæ per fidem eſt Chriſti Phil. III. 9. niſi enim perſpecta nobis fuerit juſtificationis *natura*; nunquam etiam recta methodo in eam contendemus. (b) *Abnegatione* omnis juſtitiæ *propriæ*, quo juſtitiæ *Chriſti*, ob quam ſolam juſtificamur, poſſimus fieri participes Phil. III. 4. 5. 6. 7. 9. qui enim propria juſtitia turget, juſtitiam alienam nec quærit, nec capit. Luc. XVIII. 11. 12. 14. (c) Profunda *humiliatione* & contritione, ſuper multitudine & atrocitate peccatorum ſuorum Luc. XVIII. 13. 14. Act. II. 37. quo *neceſſitas* alienæ juſtitiæ concipiatur, atque ad eam fide quærendam, efficacius inſtigemur Act. XVI. 30. Sic tamen (d) ut conſcientia indignitatis noſtræ, & ſenſu turpitudinis noſtræ, à Chriſto *abſterreri*, aut ad deſperationem nos adigi nunquam patiamur; ſed ſub profundiſſima humiliatione, cum publicano conſtituti, ſpe aliqua fulti, cum eo exclamemus; *eſto Deus mihi peccatori propitius* Luc. XVIII. 13. quod Deus ſit, qui *impios juſtificat* Rom. IV. 5. & atrociſſimos etiam peccatores in gratiam recipit 1 Tim. I. 15. Tandem (e) *fide viva* Chriſtum arripere Joh. I. 12. inque ſolo recumbere Jeſ. X. 20. eo quod hæc fides *ſola* à Deo ſit conſtituta, ut ejus ope, juſtitiam Chriſti conſequamur Phil. III. 9. & propter eam juſtificemur Rom. V. 1.

6. Monet, cavendos eſſe juſtificationis abuſus quatuor.

XXXV. *Sexto*, monet ut ſolicitè caveamus *abuſus* inſignis doctrinæ de juſtificatione: eſt enim rei optimæ abuſus peſſimus. Sunt autem quatuor potiſſimum, quos caveamus, abuſus: 1. Ne *nos ipſos condemnemus*, quando Deus *juſtificat* Rom. VIII. 33. 34. & cum Deus peccata noſtra, juſtificando, impoſuerit filio expromiſſori; ne nos eadem nobis imponamus ipſis, quod his admodum eſt familiare, qui deſertionibus ſpiritualibus laborant Pſal. XXXVIII. 5. Conf. 2 Sam. XII. 13. Eſt enim hoc A. *Deo* ſupremo Judici quaſi in os *obloqui* Rom. IX. 20. Conf. Gen. XVIII. 27. Act. X. 15. B. *Exſponſori* & Redemptori Chriſto, qui peccata illa in ſe ſuſcepit Joh. I. 29. *injuriam* facere. Conf. Rom. X. 5. 6. 7. C. propriæ *tranquillitati* obniti Pſal. XLII. 6. 12. & XLIII. 5. D. injuſtum accuſatorem agere, adverſus propriam animam 1 Joh. III. 20. 21. & quaſi ſatanam agere, ſeu κατήγορον adverſus ſeipſum Apoc. XII. 10. Potius ergo, quod Pontifex olim agebat cum hirco vivo, nos agamus cum Chriſto: Levit. XVI. 21. *Imponetque Aaron ambas manus ſuas ſuper caput hirci vivi, & confitebitur ſuper illud, omnes iniquitates filiorum Iſraël* — penes quem ritum, Judæi tria iſta obſervant: α. quod ambas manus, arrectis inſuper omnibus ſuis viribus, ei impoſuerit. β. quod nihil omninò interceſſerit, inter manus Pontificis, & caput ſacrificii. γ. quod confeſſus fuerit ſuper eum, peccata ſua, & peccata totius Iſraëlis, dicendo: *Domine peccavi, & hanc, aut illam iniquitatem commiſi; verum revertor ad te, & affero ſacrificium expiationis, teque oro, bone Deus, illud accipias*: ita & nos, ambabus manibus innitamur Chriſto, omniaque noſtra peccata in eum conjiciamus, eo ſaltem uſque, ut poſt fidem, nullam actualem noſtri condemnationem metuamus. Interim 2. nec ſic peccata noſtra Servatori Jeſu imponamus, ut omnem eorum *ſenſum*, *memoriam* & *conſcientiam* penitus excutiamus: reclamat enim

1. Ne nos ipſos condemnemus, quando Deus juſtificat.

2. Ne ex juſtificatione, omnino;

sensum & conscientiam peccati, deponamus.

praxis verè-justificatorum Rom. VII. 24. Psal. XXV. 7. XXXI. 19. Ezech. XVI. 36. Conducit omnino, etiam post justificationem nostram, (a) frequenter & seriò examinare conscientiam nostram, & eniti in agnitionem & sensum peccatorum nostrorum Thren. III. 40. (b) agnoscere reatum æternæ condemnationis, quem peccatis nostris contraximus Rom. I. 32. & III. 19. 20. 23. Job. XIII. 24. 26. (c) ex peccatorum conscientia, sensum alere perpetuæ necessitatis Christi, qui peccata nostra tollat Psal. CXXX. 3. 4. & CXLIII. 2. cum Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. (d) tantam circumferre peccatorum conscientiam, tantum sensum, quantus necessarius est, ad concipiendum profundum odium peccati 2 Cor. VII. 10. Modo his omnibus, vere justificati, peccata Redemptorum imposita, in suas rationes non recipiant. Imprimis 3. ne, cum nos Deus non justificat, aut condemnat potius; nosipsos iustificemus Luc. XVIII. 9. sunt enim (a) tales *Deo abominationi* Prov. XVII. 15. (b) seipsos fallunt Gal. VI. 3. Prov. XXX. 12. (c) sibiipsis viam obstruunt ad veram justificationem Matth. IX. 13. Luc. XVIII. 11. 12. cum vs. 14. Matth. XXI. 31. Facimus autem istud, quando absque ullâ *viva fide*, aut vera resipiscentia, nobis remissionem peccatorum, & vitam æternam imaginamur: h. e. vel A. absque omni *fundamento* 1 Thess. V. 3. vel B. saltem *non sufficienti* fundamento: v. g. privilegiis externis ecclesiasticis Jer. VII. 4. Matth. III. 9. Rom. II. 17—21. vel C. nixi inhærente *propria* justitia Luc. XVIII. 2. 11. 12. Rom. X. 3. Apoc. III. 17. vel D. sola *generali* Dei misericordia, aut *universali* merito Christi Rom. VI. 1. Ante omnia 4. ne suavissima justificationis doctrina abutamur ad *socordiam*, licentiam carnalem, & neglectum bonorum operum: qui abusus, ipso tempore Apostolorum, dudum in usu fuit Rom. VI. 1. Jud. vs. 4. quando *gratiæ* justificationis fiducia, studium bonorum operum seponimus, & peccatis securius indulgemus Rom. VI. 1. quod absque bonis operibus, gratis, per solam justitiam, satisfactionem & merita Christi, nos justificari, ex Scripturis doceamur. Sic A. Doctrina saluberrima & suavissima, de gratia peccatoris justificatione abutimur. B. Adversariis calumniandi ansam præstamus Rom. II. 24. quod justificationis doctrina, bonis operibus inimica, impietati fores & fenestras aperiat. Et C. nos non tam sanctificationis, quam justificationis curâ tangi, prodimus: unaque opera D. & justificationis certitudine, nos ipsos exuimus Jac. II. 17. 18. 21. 22. eo quod justificationis & sanctificationis gratia, indivulso nexu, in Scripturis copulentur 1 Cor. I. 30. Tit. II. 14.

§. Ne nos justificemus, quando Deus non justificat.

4. Ne ex gratia justificationis, peccatis indulgeamus.

7. Præstat solatium.

XXXVI. *Septimo*, vere-justificatis ingens *solatium* creat Matth. IX. 2. (1) In angoribus & horroribus *conscientiæ*, super multitudine & atrocitate peccatorum nostrorum Rom. II. 15. 2 Sam. XXIV. 10. 14. Luc. XVIII. 13. Rom. VII. 24. (2) In *calamitatibus* qualibus- & quantis-cunque, si ex iræ, odii, & inimicitiæ divinæ suspicione angant Psal. VI. X. & XXXVIII. 2. (3) In metu *mortis* Heb. II. 15. Rom. VI. 23. Gen. II. 17. (4) In metu extremi *judicii* 2 Cor. V. 10. Matth. XXV—Psal. I. 5. (5) In cogitatione & horrore æternæ *condemnationis* Jes. LXVI. 24. Matth. XXV. 41. 46. 2 Thess. I. 7. 8. quarum omnium aculeus est in conscientia peccatorum 1 Cor. XV. 55. 56. (6) In accusationibus & condemnationibus injustis *hominum* 1 Cor. IV. 3. 4. 5. Quid in omnibus hisce casibus, efficacius succurret erigetque? quam cogitare, A. *Deum* esse qui justificet, adversus quem, nullius; nec Satanæ, nec mundi accusationes condemnationesque valeant hilum Rom. VIII. 33. 34. imò ne propriæ quidem conscientiæ; quod Deus *major* sit corde & conscientia nostra 1 Joh. III. 19. 20. 21. B. Deum non *justos* justificare Matth. IX. 13. sed *peccatores*, nec levioris tantum reatus; sed atrocissimos etiam *impios* Rom. IV. 5. C. Idque facere adductum, non *justitia*, ex qua non possimus ullo modo subsistere coram ejus tribunali; sed pura puta *gratia* Rom. III. 24. qua *non videt iniquitatem* in justificandis Num. XXIII. 21. Imò D. propter ipsam justitiam *filii* sui, proprii & unigeniti Rom. III. 25. & V. 15. 1 Joh. I. 7. ejusque morte & obedientia partam 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. Nec E. ad ejus communicationem à nobis exigere, nisi *fidem* veram & vivam Gal. V. 6. Rom. III. 28. Porro F. hac justificatione fideles liberare à *reatu* omnium peccatorum, qualia & quantacunque fuerint Jes. I. 18. Rom. VIII. 1. Psal. CIII. 3. Atque insuper G. *jus* vitæ & gloriæ æternæ, conferre Joh. III. 16. & I. 12. In quibus capitibus fundamenta jacent omnis *consolationis* & *patientiæ* Christianæ.

In quibus casibus.

Quibus] argumentis consolatoriis.

XXXVII. *Octavo*, justificatum justificatio instigat, ad studium *gratitudinis*, versus justificantem Rom. VII. 24. Psal. CXVI. 12. 13. 16. & CIII. 1. 2. 3. Movet huc (1) *justificationis* beatitudo, quam diximus §. XXXI. exigit enim quodvis beneficium reciprocationem *gratitudinis*; nunquid ergo *tantum* ac tale? Movet (2) *justificantis* honos & gloria Eph. I. 6. Matth. V. 16. Joh. XV. 8. Movet (3) *justificandorum* conditio: quatenus non justos, non dignos; sed *peccatores* Matth. IX. 13. impios Rom. IV. 5. hostes, perduelles Rom. V. 8. 10. v. g. publicanum Luc. XVIII. 13. 14. latronem Luc. XXIII. 42. &c. justificat. Movet (4) justificandi *modus*: α. per puram putam *gratiam*, β. per imputatam ac donatam justitiam *filii* sui, γ. nec à nobis exigendo, nisi vivam *fidem*, δ. non auferendo tantum *reatum*; sed insuper ε. conferendo *jus* vitæ & gloriæ æternæ, de quibus ad parag. *præced.* dixi-

§. Provocat ad gratitudinem. Motivæ.

diximus. Movet (5) ipsius *justificati* securitas, tranquillitas, gaudium, consolatio &c. quam ex gratitudine colligit; ex operibus γνησιότητα fidei, ad justificationem requisitæ, ex fide certitudinem justificationis, suavissimos illos fructus conficiendo Jac. II. 18. 1 Joh. I. 6. 7. cum Rom. V. 1—12. & XIV. 17. Movet (6) *aliorum justificatio* Dan. XII. 3. quæ, exemplo gratitudinis & bonorum operum, haud parum promovetur Matth. V. 16. 1 Pet. II. 12. Quo autem pacto gratitudinem istam exercebimus; Resp. 1. *corde*, justificationis immensum beneficium α. *agnoscendo* Rom. V. 1. β. *æstimando* Phil. III. 8. 9. *Omnia pro damno habui — non habens meam justitiam — sed quæ per fidem Christi est.* Psal. CXVI. 12. *Quid referam — ? omnia ejus beneficia sunt super me, calicem salutum* (ישועות כוס) *accipiam.* γ. Deo soli, ac puræ putæ ejus *gratiæ*, eam *adscribendo* Psal. CXVIII. 23. 27. Eph. II. 7. 8. δ. ejus *memoriam* ac sensum continuo circumferendo Psal. CIII. 1. Tum 2. *ore*, justificantem & justificationis virtutes; sapientiam, justitiam, misericordiam, supra notatas §. XXX. corde agnitas, apud alios celebrando, exaggerando Marc. V. 19. Psal. CIII. 1. 3. Luc. I. 68. Tandem 3. *opere:* (a) *cavendo* solicitè quævis peccata, quorum reatum, gratiosa justificatione, Deus à nobis abstulit Rom. VI. 1. 2. Jud. vs. 4. 2 Pet. II. 19. (b) *studendo* quibusvis virtutibus & bonis operibus Luc. I. 75. Tit. I. 14. ut sicut, in gloriam *gratiæ* divinæ, nolumus justificari per & propter bona nostra opera; ita palam faciamus, nos etiam nolle justificari *destitutos* bonis operibus: nec fide *otiosa* & mortuâ, sed per charitatem *efficaci* Gal. V. 6. &, cum Deus *gratis* nos justificaverit, absque bonis operibus; nos *gratos* ei præstemus, ferventiori studio bonorum operum. (c) *Imitando*, quantum fieri potest, virtutes Dei in justificatione peccatoris conspicuas: nim. A. sicut in justificatione Deus nobiscum agit, non secundum strictum *jus*; sed secundum *gratiam* & ἐπιείκειαν Matth. XVIII. 27: ita & nos *clementiæ* & æquitati operam demus Phil. IV. 5. B. sicut per justificationem, Deus nobiscum agit, ex stupendo *amore* & φιλανθρωπίᾳ Joh. III. 16. Rom. V. 8: ita & nos, per charitatem ἀνυπόκριτον, cum proximo agamus Eph. V. 2. Rom. XII. 10. C. sicut Deus, in justificatione, suam versus nos *longanimitatem*, patientiam & ἀνοχὴν demonstrat Rom. III. 25. Matth. XVIII. 26. 27. Rom. II. 4: ita & nos versus proximum Eph. IV. 2. Col. I. 11. D. Sicut Deus, in justificatione, animum versus nos ostendit *reconciliabilem* 2 Cor. V. 19. Rom. V. 10. nobisque peccata nostra condonat *gratis*; ita & nos, versus proximum nostrum, ostendamus animum placabilem, qui facilis sit ad condonandum proximo offensas suas Matth. VI. 12. 14. & XVIII. 26. 27. Eph. IV. 32. Matth. XVIII. 32—

Modus.

CAPUT SEPTIMUM,

DE

Redimendorum Adoptione.

1 Joh. III. 1.

Videte quantam charitatem nobis dederit Pater! ut filii Dei nominemur.

Sequitur adoptio.

I. SEcundum unionis & communionis nostræ beneficium, est *adoptio.* Cujus contemplationem suspiciemus, jacto fundamento, in exegesi verborum quæ exstant 1 Joh. III. 1.

Pars Exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus elogium continetur, seu egregia* commendatio adoptionis nostræ: *penes quam occurrunt:*

1. Formula *commendandi:* videte ἴδετε. *Ab εἶδω seu ἴδω. Quæ particula usurpari solet ad excitandam attentionem, ex rei alicujus novæ, admirandæ & insolitæ prædicatione* Jes. VII. 14. Zach. IX. 9. Matth. XXI. 5. *&c. Est ab εἶδω* video, *arrigere oculos mentis, ut rem accuratè percipiamus, quemadmodum solemus arrigere oculos corporis, si quid mirabile occurrat* Joh. I. 29. *idem ad significandam certitudinem rei monstrandæ, ut de ejus præstantia non minus persuasi simus, ac si eam coram oculis nostris contueremur.*

2. Beneficium *commendatum, nim.* adoptionis *gratia, cujus explicatur*

A. Charitas *adoptans, velut causa movens, qualem seu* quantam charitatem! *Est hic* charitas *adoptans, ἀγάπη, vel ab ἄγαν ποιεῖν, quod charitas semper sit operativa, vel ab ἄγειν κατὰ πᾶν, omni modo se movere ad rem amatam: vel ἄγαν & ποιεῖσθαι, quia amans acquiescit in re amatâ. Significat, non vulgarem, sed vehementem affectum versus amatum, seu benevolum*

nevolum affectum, quo bonum non tantum volumus, *sed & facimus amato; is enim vere amat, qui re ipsa juvat quos diligit* Luc. x. 27. *Et talis affectus causa movens est adoptionis: est praterea hic* gradus *amoris:* ποταπὸς, *qualis aut quantus amor! Usurpatur ordinarie de* qualitate Matth. VIII. 27. *atque etiam de* quantitate Luc. I. 29. *Habet etiam emphasin quasi admirationis* Marc. XIII. 1. *ut innuatur, charitatem moventem ad hanc adoptionem divinam, esse plane* admirabilem, *quod nim. Deus omnisufficiens, nullius creatura indigus, hominem, & peccatorem, cum filium proprium habeat, propter eum voluerit suscipere, non in* servum, *nec in amicum tantum: sed & in* filium, *quod proximam dicit relationem, velut ad parentem. Istam etiam proponit,* interrogative: *vos ipsi dicite, judicate, si modo potestis, quantus ille & qualis sit Dei amor, quo homines adoptat in filios! Addit* ἔδωκε dedit, *ut significet esse amorem plane* indebitum, *non dignitatem aliquam, non meritum in hominibus, qui istud efformaverit apud Deum; sed purum putum affectum gratiosum.*

B. Filii *adoptati, nobis* ἡμῖν, *non omnibus & singulis hominibus, nec quibusvis; sed* nobis *privative, scil.* fidelibus, *qui* communionem *habemus* cum Patre, & Filio suo Jesu Christo 1 Joh. 1. 3. Joh. 1. 12. *In quo fundamentum est adoptionis.*

C. Pater *adoptans,* ὁ πατὴρ, *cum articulo emphatico. Intelligitur Pater ille* cœlestis, *ita dictus, non tantum à generatione filii naturalis, proprii & unigeniti* Psal. II. 7. *sed etiam ab adoptione aliorum* Joh. I. 12. *quod ex eo sit* πᾶσα πατριὰ, omnis familia Eph. III. 15. *Sicut enim filii reddimur, ita ille per quem reddimur,* Pater *esse peasupponitur, & per adoptionem Pater fit.*

D. Adoptatio *ipsa,* ἵνα τέκνια Θεοῦ κληθῶμεν. ut filii Dei vocemur. Τέκνα *Theodorus reddit per* liberos, *illud nomen latius patere vult quam filiorum. Beza, per* prolem. *Syrus, Arabs, Erasmus & alii per* filios, *ut* Matth. IX. 2. & XXI. 28. & XXII. 24. & *passim apud Græcos. Interim, & ad filios, item ad nepotes spectat, ut sit verbum generale, significans, omne filiorum genus, cujusvis sexus, ætatis & gradus* Matth. III. 9. Τέκνα Θεοῦ, filii Dei, *non hominis cujusvis, quantumvis egregii, Regis aut Principis; sed Dei.* κληθῶμεν, *non intelligitur otiosus titulus; sed* res *filiationis, cum honorifica denominatione, per metonymiam consequentis pro antecedente, sicut fit* Gen. XXI. 12. *cum* Rom. IX. 7. 8. Matth. XXI. 13. *cum* Luc. XIX. 46. *sic* Jes. LIV. 5. & LXI. 6. Matth. V. 9. *Nec tamen absque emphasi dicit* κληθῶμεν, *non tantum ut significet, hanc adoptionem consistere in* nominatione, *seu declaratione forensi, qua distinguitur à filiatione naturali, quæ est per generationem: sed etiam ut connotet egregium honorem & gloriam, quæ est in hac adoptione.*

Pars dogmatica.

Uniti cum Christo adoptantur in filios Dei.

III. Hos ergo, qui fide cum Christo uniti sunt, seu *communionem habent cum Patre, ejusque filio Jesu Christo* 1 Joh. 1. 3. Deus non justos tantum declarat, sicut hactenus docuimus; sed etiam *filios suos* Joh. 1. 12. Idque per gratiam (1) *prædestinationis*, quâ, ad hanc filiationem, eos ab æterno elegit Eph. 1. 5. Rom. VIII. 29. (2) *Redemptionis* & meriti filii sui Gal. IV. 4. 5. (3) *Generationis* spiritualis Joh. 1. 13. per spiritum suum Joh. III. 3. 5. (4) *Unionis* cum filio *proprio*, per quam, filii sui proprii & unigeniti *fratres* facti Heb. II. 11. eundem cum eo *Patrem* cœlestem nacti sunt Joh. XX. 17. (5) *Promissionis*, qua credentibus omnibus ἐξουσίαν filiationis addixit Joh. 1. 12. (6) *Resuscitationis* è mortuis, quâ, velut de novo generabuntur à Deo Luc. XX. 36. à quo Paulus adeo anhelat beatam resurrectionem Phil. III. 11.

Considerationis vocis.

IV. Sumus autem *generalius* filii alicujus: vel 1. per *generationem*, ut Isaac Gen. XXII. 2. vel 2. per *adoptionem*, ut Moses Exod. II. 10. Heb XI. 24. Ephraim & Manasse Gen. XLVIII. 5. Esther Esth. II. 7. vel 3. per *affectum* paternum, ut paralyticus Matth. IX. 2. vel 4. per *conversionem*, ut Timotheus 2 Tim. 1. 2. Peculiariter filii *Dei* sunt: vel α. per *generationem*; sive *æternam*, quo modo solus *Jesus* Dei filius est, & *proprius* Rom. VIII. 32. & *unigenitus* Joh. III. 16. sive *temporalem*, quo modo fideles, filii Dei sunt, ex generatione *spirituali* Joh. 1. 13: vel β. per *creationem*, quo modo & *Adam* Luc. III. 38. & *spiritus* beati Job. 1. 6. & XXXVIII. 7. *filii Dei* designantur: vel γ. per communem *providentiam* Dei, fœcundantem & nutrientem; sic modo ordinario nati Jes. LXIV. 8. Mal. II. 10. Jes. 1. 2. vel δ. per *communicationem potestatis* civilis Psal. LXXXII. 6. vel ε. per *vocationem* generalem, quatenus vocati ad professionem nominis divini, & ad extremam Ecclesiæ communionem perducuntur Gen. VI. 2. vel ζ. per amorem & *electionem* communem, quomodo totus Israël, *filius* Dei appellatur Exod. IV. 22. eique adoptionem tribuit Paulus Rom. IX. 4. vel η. per *adoptionem* specialem, quam Paulus υἱοθεσίαν appellat Gal. IV. 5. Et hæc demum, hujus nostræ considerationis erit.

Considerationis rei, circa

V. Sic igitur adoptio nobis nihil aliud est, quam, *gratiosa Dei declaratio, qua justificatos, in familiam suam, tanquam filios admittit, ejusque* pra-

quum traditur: *prærogativas filiorum Dei communicat.* Circa quam conſideranda *primo declaratio*; qua filios ſuos *vocat* 1 Joh. III. 1. ut filii Dei *vocemur.*

1. Declaratio adoptionis. Declarat autem (1) In *mente* ſua, ſeu propoſito æternæ electionis Eph. I. 5. à quo etiam electi necdum vocati, per προέγνωσιν, *filii* Dei vocantur Joh. XI. 52. (2) In *Chriſto*, velut capite, quicum ſunt *uniti* Gal. III. 26. à quo *coharedes* Chriſti dicuntur Rom. VIII. 17. (3) In *Euangelio* & promiſſionibus ejuſdem, quando credentibus *dignitatem* filiorum, Deus addicit Joh. I. 12. (4) In *conſcientia*, ſeu ſpiritu noſtro, quatenus ibidem, per Spiritum ſuum, Deus *teſtatur*, nos eſſe filios Dei Rom. VIII. 15. 16. Gal. IV. 6. *partim* conferendo, certa & infallibilia adoptionis *indicia*, v. g. fidem, reſipiſcentiam; *partim* mentem illuminando acuendoque, ut indicia adoptionis collata: *agnoſcere*, dignoſcere, & ex eis, ſui adoptionem inferre poſſint.

2. Cauſæ ejuſdem. VI. *Secundo*, declarationis hujus *cauſa*, ſeu *adoptans*, κατὰ θεολογίαν quidem, *Deus* in genere, quem ab hoc invocamus *Patrem* noſtrum Matth. VI. 9. κατ' οἰκονομίαν ſeu appropriationem, *Deus Pater* 1 Joh. III. 1. Eph. I. 5. quod Patri conveniat habere filios: hinc ex eo dicitur *eſſe omnis familia*: ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ Eph. III. 15. Interim & *Filio* tribuitur, proprio illi & unigenito, filios habere Heb. II. 10—13. imo & Spiritui S. qui ab hoc πνεῦμα υἱοθεσίας appellatur Rom. VIII. 15. quatenus ille *teſtatur cum Spiritu noſtro*, nos eſſe *filios Dei* verſ. 16. *Intrinſece* movens cauſa, eſt *amor* ſuperlativus 1. Joh. III. 1. ποταπὴν ἀγάπην Eph. I. 5. *extrinſece*, meritum filii unigeniti, utpote quem miſit, legique ſubmiſit. ut *adoptionem* acciperemus. Gal. IV. 4. 5.

3. Objectum. VII. *Tertio*, objectum ſeu *adoptandi*, homines quidem, natura *filii iræ* Eph. II. 3. Jeſ. I. 4. Ezech. XVI. 3. ſed *electi* tamen, & ab æterno dilecti Eph. I. 5. 1 Joh. III 1. *regeniti* Joh. I. 13. cum 1 Pet. II. 2. *uniti* cum Chriſto 1 Joh. I. 3. cum cap. III. 1. *juſtificati*, in quibus *nulla condemnatio* Rom. VIII. 1. cum verſſ. 15. 16. Gal. IV. 5. neque enim juſtificatio, adoptionis, aut pars eſt, aut effectus: eo quod nullibi dicamur, per adoptionem *juſti* fieri, ſeu juſtificari; neque etiam convenit, ut necdum cum Deo reconciliatus, & adhucdum ejus hoſtis, in filium ab eo recipiatur. Quamvis autem cum *fide*, adoptionis ἐξουσία conjungatur à Servatore Joh. I. 12. *quotquot crediderunt, dedit ipſis poteſtatem, qui filii Dei fierent*: ea tamen conjunctio non tam arcta intelligitur, quin, ſi non ordine *temporis*; ordine ſaltem *naturæ* intercedat juſtificatio, ſic ut juſtificationi adoptio adjiciat, illuſtrem quendam dignitatis gradum 1 Joh. III. 1.

4. Fundamentum. VIII. *Quarto*, *fundamentum* adoptionis, genus: 1. *Generatio* ſpiritualis, per quam Deus nos *genuit* 1. Joh. V. 1. noſque *ex Deo* geniti ſumus Joh. I. 13. 1 Joh. II. 29. cum cap. III. 1. *ex ſpiritu & aqua* Joh. III. 3. 5. per *incorruptibile ſemen* verbi ſui 1 Pet. II. 2. adeo ut hac generatione, *vita* ſpiritualis, imo & *divina natura* (quatenus quidem illa communicabilis eſt creaturis.) reddamur participes 2 Pet. I. 4. & imaginem ejus, quoad *ſapientiam* Col. III. 10. *ſanctitatem & juſtitiam* accipiendo Eph. IV. 24. *imagini filii* ſui conformemur Rom. VIII. 29. perinde ac naturali generatione, filii vitam, naturam & ſimilitudinem, à parentibus ſuis nanciſcuntur. 2. *Unio* cum Filio Dei, *proprio* & unigenito Heb. II. 11. utpote quem huc miſit in mundum, ut *adoptionem acciperemus* Gal. IV. 4. 5. Dum enim cum Filio Dei unimur, ejus *fratres* reddimur, unumque cum eo *Patrem* conſequimur Joh. XX. 17. Imo ab hac unione cum Chriſto, quia tam arcta eſt, fit, ut quamvis Chriſtus ſit unicus Dei Filius *naturalis*, adeoque magis *primogenitus* Dei; nos tamen, per gratiam hujus adoptionis, dicamur, non tantum filii Dei: ſed etiam *primogeniti* Heb. XII. 23.

5. Terminus. IX. *Quinto*, terminus adoptionis, in hoc eſt, quod ejus ope, traducamur in *familiam* Dei, ejuſque reddamur *domeſtici* Eph. II. 19. Gal. VI. 10. non ut *ſervi*, quod multum ſane. Conf. 2. Paral. IX. 7. Pſal. LXXXIV. 11. nec ut *amici* gregarii, quod majus etiam Gen. XV. 6. Jac. II. 23. Joh. XV, 14. 15. ſed ut *filii* Rom. VIII. 15. quibus proxima intercedit, & arctiſſima cum parentibus conjunctio Heb. III. 5. 6. Ex quo fit, ut Deus ſe verſus nos *gerat*, *tanquam filios* Heb. XII. 7. & nos ſub paterna Dei *tutela* conſtituti, ab ipſo ſecuri pendeamus, pro enutritione, educatione & conſervatione perpetua. Sicut olim apud Hebræos, adoptio, non alia ratione, fuit perſæpe teſtificata, quam ex conſanguineorum *enutritione & educatione* Eſth. II. 7.

6. Diſcrimen inter adoptionem divinam & humanam. X. *Sexto*, diſcrimen, inter adoptionem hanc *divinam*, & vulgarem quamvis *humanam*, in his potiſſimum quatuor eſt conſpicuum: 1. Quod humana prorſus *alienum*, omnique *jure* deſtitutum, adſciſcat, ad augendam familiam, ut videre eſt in adoptione Jacobi Gen. XLVIII. 5. quando divina, *natura* quidem alienos Eph. II. 12. ſed *gratia* tamen, per *vocationem* 1. Pet. II. 9. 10. *regenerationem* Joh. III. 3. 5. *juſtificationem* Rom. V. 1. 2. propinquos, & juris hæreditatis beatos, recipit in familiam. Quod 2. humana, fit *extrinſeca* tantum denominatio, & communicatio eorum, quæ ſunt *externa* Eſth. II. 7. quando divina, tam realis eſt relatio, ut in *intrinſeca* fundetur Dei actione, per quam *vita* ſpiritualis 2. Pet. I. 3. & *divina natura Ibid.* verſ. 4. adoptatis communicatur. Quod 3. humana: plerumque ex *defectu* ſobolis naturalis, originem ducat Exod. II. 10.

divina, ex abundantia bonitatis, quamvis filium naturalem, proprium & unigenitum habeat, in quo sibi Deus *complaceat* Matth. III. 17. alios tamen admittat, quibus *similitudinem* filii naturalis, communicet Rom. VIII. 29. Quod 4. humana, hæreditatem traducat in adoptatum, non nisi *mortuo* Patre Gen. XLVIII. 6. quando divina, hæreditatem confert, Patre, pariter & Filio naturali, admodum *viventibus* Rom. VIII. 17.

7. Adoptionis consectaria? denominatio.

XI. *Septimo* fructus & consectaria hujus adoptionis. Nim. 1. *Denominatio* gloriosa 1 Joh. III. 1. Joh. I. 12. Sicut enim *civiliter* adoptati, nomen *adoptantis* Patris, gestare consueverunt Gen. XLVIII. 5. ita & *spiritualiter* adoptati, nomen *Patris* sui cœlestis recipiunt 2 Paral. VII. 14. 1 Joh. III. 1. Conf. Jer. VII. 10. 11. 14. 30. & XXV. 29. atque etiam *fratris* sui 2 Tim. II. 19. Act. XI. 26. quatenus à Deo appellantur, non *servi* tantum Dei, aut *unici* Dei, ut diximus; sed etiam *filii Dei* 2 Cor. VI. 18. Quâ denominatione, non *nomen* tantum inane communicatur Apoc. III. 1. sed, suo modo, *nominatum* insuper, videl. *imago* Dei Conf. Matth. XXII. 20. & *natura* Dei. 2 Pet. I. 4.

Spiritus adoptionis.

XII. Tum 2. *Spiritus adoptionis*, cui opponitur *Spiritus servitutis ad metum* Rom. VIII. 15. item *Spiritus timoris* 2 Tim. I. 7. Dicitur Spiritus *adoptionis*, alio nomine *Spiritus Filii* Gal. IV. 6. non tantum, quod ejusdem essentiæ sit cum *Filio* 1 Joh. V. 7. nec tantum, quod à *Filio* nobis communicetur & mittatur Joh. XVI. 7. sed etiam quod *propter* Filium, ejusque meritum, nobis conferatur Gal. IV. 5. atque insuper idem *Abba*, in eo operetur quod in nobis Marc. XIV. 36. Hujus autem Spiritus operatio duplex observatur: 1. *Una testari cum spiritu nostro*, h. e. nos infallibiliter certos reddere, *quod simus filii Dei* Rom. VIII. 16. non equidem per *enthusiasmum*, alloquium, aut oraculum quoddam immediatum; sed quod hoc agat in *conscientia* nostra, ut indubitato sciamus, nos esse *filios* Dei: nobis γνωρίσματα υἱοθεσίας communicando; atque insuper mentis aciem, eo elevando, ut γνωρίσματα illa in nobis *sentiamus*, à spuriis quibusvis caute *discernamus*; & tandem ex eis, nos esse filios Dei, certo *colligamus*: à quibus Spiritus S. *arrhabo hæreditatis* nostræ insignitur Eph. I. 13. 14. collat. cum cap. IV. 30. item *primitiæ* Rom. VIII. 23. Hinc 2. in nobis efficere, ut cum filiali fiducia clamemus: *Abba Pater* Rom. VIII. 15. seu, quod idem est, qui *clamat*: *Abba* Pater Gal. IV. 6. quod apud Israëlitas, non *servis*; sed *ingenuis* tantum fas esset, clamare אבא vel אמא h. e. cum filiali *fiducia*, in quavis necessitate, ad parentes accedere, eosque compellare: *Abba*. Conf. Rom. VIII. 26. cum Heb. IV. 16.

Hæreditas.

XIII. Porro 3. *hæreditas* Rom. VIII. 17. cœlestis scil. & æterna beatitudo. Unde Servator Matth. XXV. 34. κληρονομήσατε *pro hæreditate accipite*, *regnum vobis paratum*, *à jactis mundi fundamentis*. Hinc etiam per adoptionem in Scripturis, subinde intelligitur universa illa gloria, quæ præparatur fidelibus, & ab eis in cœlis exspectatur; quæ ab hoc, tanto erit illustrior, quod *jure* ac titulo, non puræ tantum *donationis*; sed etiam *hæreditatis*, æternum à nobis possidebitur, ex immobili Dei promissione Gal. III. 29. *Quod si estis Christi*, *Abrahami semen estis*, *& secundum promissionem*, *hæredes*.

Conformitas cum Filio Dei naturali.

XIV. Insuper 4. *conformitas* qualiscunque, cum *naturali* & proprio Dei Filio 1. Joh. III. 1. 2. *Ut filii Dei apellemur — nunc Dei filii sumus*, *& nondum apparuit*, *quid futuri simus*: *novimus autem*, *ubi apparuerit*, *nos* SIMILES *ei futuros*. Rom. VIII. 29. Ad quam conformitatem spectat, non modo *gradus* ille filiationis tam excellens, per quem *primogeniti* Dei insignimur Heb. XII. 23. sed etiam *communio* dignitatis ejus *prophetica* Act. II. 17. 18. ex Joel II. 28. 29. *sacerdotalis* Apoc. I. 6. 1. Pet. II. 5. 9. *regia* Apoc. I. 6. 1 Pet. II. 9. quæ κατ' ἐξοχὴν conspicua fuit, in Filio Dei *naturali* & proprio, quatenus ille Mediatorem egit.

Dominium & usus omnium creaturarum.

XV. Ad hæc 5. *dominium* & possessio omnium *creaturarum* 1 Cor. III. 21. 22. Gal. IV. 1. quatenus non tantum omnia propter eos Deus *creavit* Gen. I. 26. sed etiam omnia ipsis *destinavit*, licet diverso modo: sic nim. ut 1. pleraque sublunaria in eorum sint *potestate*, *dominio* & usu puto Psal. VIII. 7. 8. 9. alia 2. ipsis inserviant, sicut de *Angelis* affirmatur Psal. XXXIV. 8. & XCI. 11. Heb. I. 14. imo 3. ipsa *mala* & noxia, per gratiosam Patris sui directionem, adversus propriam suam indolem, ipsis *cooperentur* in bonum Rom. VIII. 28. 37. adeoque nullius vere boni penuria laborent Psal. XXXIV. 10. 11. omnibusque terrenis, modo quoad forum *humanum*, justo titulo possideantur, libera conscientia ipsis frui liceat, à quo omnia *munda mundis* dicuntur Tit. I. 15.

Libertas christiana.

XVI. Tandem 6. *libertas* christiana, quam filius in familia terrena possidet præ servo Heb. III. 5. 6. Conf. Gal. IV. 22. 23. & quam in familia spirituali, Filius *naturalis*, filiis adoptivis, acquisivit suo sanguine Gal. V. 1. Joh. VIII. 32. 36. Implicat autem ista libertas, immunitatem: 1 *communem*, utrique fœderis œconomiæ, nim. (α) à *reatu* peccatorum, impetratam dudum, per justificationem; confirmatam autem & ampliatam, libertate filiationis Rom. VIII. 1. (β) à *dominio* eorundem peccatorum, quoad *jus*; licet *de facto* conferendam per *sanctificationem* Rom. VI. 12. 14. (γ) à legis *condemnatione* Gal. III. 13. atque etiam ab eo ejus *rigore*, quo pœnam inobedientiæ, præ-

præciſe exigit ab ipſo transgreſſore, quod Filium *proprium* Deus *peccatum fecerit*, ut adoptivi, juſtitia eſſent coram eo 2 Cor. v. 21. nullo autem modo, per iſtam libertatem, immunes ſumus, ſeu ab ipſa *obedientia*, ſeu à rigore obedientiæ legis moralis Matth. v. 17. 19. Rom. III. 31. (δ) ab obligatione *traditionum* quarumvis humanarum, in rebus quæ fidem & cultum divinum concernunt Matth. xv. 9. Col. II. 20— (ε) ab omni *ſervitute*, in rebus, quæ religionem & conſcientiam concernunt, quibusvis creaturis, ſeu *Angelis* Col. II. 18. Apoc. XXII. 9. ſeu *hominibus* præſtanda 1 Cor. VII. 23. quamvis, in rebus ſecularibus & civilibus, per hanc libertatem, non ſimus immunes, ab obedientia *magiſtratibus* præſtandâ Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 1. 2. 4. 5. Tit. III. 1. 1 Pet. II. 13. Tum 2. *peculiarem* novæ œconomiæ, ſub quâ immunes ſumus ab *obſervatione* legis *ceremonialis*, quatenus *jugum* erat Act. xv. 10. Gal. v. 1. Col. II. 14. & gratiam, adhuc in Mediatore *exhibendo*, præſtandam præfigurabat Col. II. 17. Heb. x. 1. De quâ ſuo loco, ſi Deus volet, ex profeſſo.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An ſatis accurate dicatur, quod fideles V. T. non habuerint Spiritum adoptionis?

XVII. Quæritur *primo*, an ex eo, quod libertas *minor* fuerit fidelium Veteris Teſtamenti, quam eſt fidelium N. T. ſatis accuratè de illis loquamur, acſi Spiritum adoptionis *plane* non habuerint? Celeb. Coccejus, quo majorem faceret hiatum, inter ſtatum Veteris & Novi Teſtamenti, & ſtatum illius duriorem & magis ſervilem redderet: agnoſcit quidem fideles V. T. fuiſſe *filios* Dei, atque etiam habuiſſe eundem Spiritum Sanctum, quem habemus ſub N. T. ſed qui *ipſis* fuerit Spiritus *ſervitutis*, quando *nobis* ſit Spiritus *adoptionis*; & hinc de illis paſſim ita loquitur, acſi Spiritum *adoptionis* plane non habuiſſent: v. g. *Summ. Theol.* Cap. LXVIII. §. 6. *Qui in V. T. crediderunt, Spiritum ſervitutis acceperunt; qui in N. T. credunt, eo ipſo quod credunt, habent Spiritum adoptionis*--. Sic Cap. XIII. §. 53. In V. T. fuit & Spiritus, ſed *Spiritus ſervitutis*, datus *ad metum* Rom. VIII. 15. --at *in* N. T. eſt *Spiritus filiationis*. Conf. *Diſp. de fœd. gratiæ.* part. 2. §. XV. & imprimis in Comment. ad Rom. VIII. 15. & paſſim alibi. Communis Reformatorum ſententia, quamvis agnoſcat, in gradibus *libertatis*, egregiam eſſe diſtantiam, inter fideles V. & N. T. negat tamen ſatis accurate dici, Spiritum tantum *ſervitutis*, non autem *adoptionis*, ſub V. T. Viguiſſe. Eo quod Scriptura, non modo nullibi Spiritum *ſervitutis* reſtringat ad vetus, & Spiritum *Adoptionis* ad novum T. ſed alia etiam videatur ſpirare & effari de Eccleſiâ V. T. v. g. Exod. IV. 22. *Iſraël eſt filius meus primogenitus.* Jer. XXXI. 9. *Sum Iſraëli Pater, & Ephraim eſt filius meus primogenitus:* & verſ. 20. *Nunquid filius pretioſus eſt mihi Ephraim? nunquid puer delectabilis?*-- Imprimis Jeſ. LXIII. 9. ubi clamant: tu *Pater noſter*-- & LXIV. 8. & Pſal. LI. 14. ubi David, *gaudium ſalutis* Dei ſibi *reddi*, & *Spiritu ingenuitatis* (רוח נדיבה) ſeu ſpiritu ingenuorum, qui ſervis contradiſtinguuntur, ſe *fulciri* expetit: nunquid *Spiritus* ille *ingenuitatis*, idem eſt, cum *Spiritu adoptionis?* &c. Sed, cum hæc controverſia, aliis nitatur hypotheſibus, quæ ad diſcrimen V. & N. T. ſpectant; nos brevitatis ſtudio, illam ad l. 8. c. 2. §. 48. ſeponemus.

2. An per libertatem chriſtianam, ſimus immunes ab obligatione civili?

XVIII. *Secundo* quæritur, an per libertatem Chriſtianam, immunes ſimus à *civili* obligatione, ſervitutibus, & magiſtratuum jurisdictione? Thomas Muncerus Anabaptiſtarum auctor, perperam lecto & intellecto, Lutheri libro de *libertate Chriſtiana*, anno ſuperioris ſeculi, circiter XXIV. affirmabat; excitato in ejus gratiam bello ruſticano: idem fere præſtiterunt Anabaptiſtæ monaſterienſes, Knipperdolling, Bocolt &c. anno circiter MDXXIII. Moderni Anabaptiſtæ, quia ſtatuunt, Chriſtianum ſalva conſcientia, non poſſe gerere magiſtratum, adeoque magiſtratui, jure divino, nullam competere poteſtatem in alios: eadem opera ſtatuunt, nos, per libertatem Chriſtianam immunes eſſe, ab omni *civili* obligatione; licet interim de facto, magiſtratui ſubſint, & ſubeſſe cogantur. Pontificii clericos ſaltem, magiſtratui *civili* non ſubeſſe docent, eo quod ſoli ſubſint Papæ Romano. Reformati ex adverſo, exiſtimant, non obſtante libertate Chriſtiana, omnes ſubeſſe ſuo magiſtratui civili Rom. XIII. 1. Matth. XXII. 21. Tit. III. 1. 1 Pet. II. 13. Verum, quia & hæc controverſia, ſuum locum habet in moralibus, ad quintum præceptum, nos, brevitatis ſtudio, illuc ſeponemus.

3. An per libertatem chriſtianam, conſcientia independens ſit à quavis poteſtate creata?

XIX. *Tertio* quæritur, an per libertatem Chriſtianam, conſcientia humana, immunis ſit ab omni *dependentia*, à quavis poteſtate creata? Pontificii, quia omnium *conſcientiam* ſubeſſe volunt Papæ Romano, ſimpliciter negant. Sociniani, Vorſtius & Remonſtrantes, ita rigidè affirmant, ut non tantum libertatem ſentiendi *privatim*, in rebus religionis, ex dictamine conſcientiæ; ſed etiam publicam *prophetandi*, hoc eſt, publice docendi & propagandi quævis, libertatem, quibusvis indulgeant. Cel. Coccejus cum ſuis, quo majorem Veteri Eccleſiæ ſervitutem aſſereret, eaque, à libertate Chriſtiana, longius removeret; ſtatuit fideles *veteris* œconomiæ, quoad *conſcientiam*, fuiſſe ſub poteſtate Angelorum, & magiſtratuum, velut θεῶν λεγομένων. Reformati hic caute diſtinguendum monent: 1. inter veram *libertatem*, quæ in bonis, aut adiaphoris exſeritur; & *licentiam*, quæ in malis uſurpatur. 2. inter *privatim* ſentire, & *publice* propalare, docere ac pro-

pagare quævis. 3. inter capita religionis *theologica*, & ea quæ dicuntur *de fide*. 4. ea quæ sunt *necessaria*, & ea quæ sunt *adiaphora*: quibus præsuppositis, ab *una* parte, adversus Papæ tyrannidem in conscientias, pariter & Cl. Cocceji placitum, determinant, conscientiam fidelium, à *nulla* omninò potestate creata pendere, non *humana* tantum 1. Cor. VII. 23. sed etiam *angelica* Col. II. 18. Heb. II. 5. verum à *solo* Deo Prov. XVI. 2. & XXI. 2. & XXIV. 12. ab *altera* parte; contra Socinianos, Vorstium & Arminianos, existimant *licentiam*, & quævis falsa propalandi, docendi, disseminandi potestatem, ad *libertatem* conscientiæ, nequaquam pertinere: sed à magistratu, velut Dei in terris vicario Rom XIII. 1. 2. 4. & Ecclesiæ nutricio Jes. XLIX. 23. cohibendam esse, ne quid gloria Dei, ejusque regnum capiat detrimenti. Et de his alibi ex professo.

4. An conscientia adstringenda sit constitutionibus 1. & cæremoniis ecclesiasticis?

XX. *Quartò* quæritur, an per libertatem christianam fas sit, fidelium conscientias astringere *constitutionibus* & ceremoniis ecclesiasticis? Pontificii, extollendæ papalis potestatis causâ, Papæ, velut Christi in terris vicario, potestatem asserunt ferendi leges, quæ *conscientias* obligent, sub peccato *mortali*: etiam decretis papalibus, & canonibus synodalibus à Papâ approbatis, perinde *conscientias* submittunt, ac mandatis divinis; eaque ratione, cæremoniarum superstitiosarum mole, Ecclesiam, omni libertate christianâ spoliatam, obruerunt, ac jugum ἀβάσακτον, plus quam judaicum, ei imposuerunt. Lutherani etiam, quo major esset hiatus inter suas & nostras Ecclesias, & schisma ab ipsis factum, speciosius esset, multos retinuerunt, ex superstitiosis istis Pontificiorum ritibus, ac pro eis, velut aris & focis, pugnant: v. g. pro exorcismo, baptismo mulierum, pane in eucharistiâ non frangendo, panibus orbicularibus, altaribus, albis ministrorum vestibus. confessione & absolutione, imaginibus &c. Nec etiam ex adverso, inter ipsos Reformatos desunt, qui nihil, aut justo minus tribuut *legitimis* constitutionibus ritibusque ecclesiasticis. Communiter Reformati, viâ mediâ incedunt, ac distinguunt inter illas constitutiones ac ceremonias, quæ novum *cultum* Dei moliuntur; & eas, quæ cultum à Deo constitutum, quoad *circumstantialia* locorum ac temporum, dirigere nituntur ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην: *prioribus* quidem constitutionibus ceremoniisque, conscientiam, non tantum non subesse; sed etiam obesse debere statuunt, ex præscripto Christi Matth. XV. 9. Apostoli Col. II. 18. & libertatis Christianæ Gal. V. 1. Act. XV. 10. 1. Cor. VI. 12. in *posterioribus* agnoscunt aliquid divini, & aliquid humani: *divina* sunt quoad *fundamentum*, quatenus Deus *generaliter* præscribit, ut *omnia in* Ecclesia εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως fiant 1. Cor. XIV. 40. *humana*, quoad determinationem particularem, qua, hoc aut illud spectare dicitur ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην. Proinde, si in ista determinatione nullus committatur *error*, ac constitutum, ceremoniaque, spectet vere, ad *ordinem ac decorem*, cultus à Deo instituti; tum ex præscripto Dei, conscientia ei subesse tenetur, eoque nullo modo læditur, christianæ conscientiæ libertas, prout alibi, si Deus volet, distinctius monebimus.

Pars practica.

Praxis.

XXI. Praxis, *primo* ineffabilem explicat *gloriam* & beatitudinem verè fidelium, utpote, qui non tantum evocati sunt, è *tenebris ad lucem admirabilem* 1. Pet. II. 9. nec tantum *geniti* sunt *ex Deo* Joh. I. 13. nec tantum conversi sunt, *à potestate satanæ ad Deum* Act. XXVI. 18. nec tantum *uniti* sunt cum Christo 1. Cor. XII. 12. nec tantum *justificati* sunt Rom. V. 1. sed etiam ad ἐξουσίαν *filiorum* Dei evecti sunt Joh. I. 12. Quod tanti, merito est apud Apostolum, ut cum exclamatione commendet: *videte qualem amorem nobis dedit Pater! ut filii Dei appellemur -- nunc sumus filii Dei, necdum apparuit quid futuri simus; scimus autem -- nos futuros sicut ipse est* 1. Joh. III. 1. 2. Quod clarius etiam agnoscemus, si distinctius expendamus: (1) *adoptantem*: quantus ille est *altissimus* Luc. VI. 35. *Rex Regum, Dominus dominantium* 1. Tim. VI. 15. Conf. 1. Sam. XVIII. 23. Heb. XI. 24. (2) adoptionis *impulsivam*, non meritum nostrum; sed purus ejus *amor*: nec vulgaris; sed *tantus*, ut sit incomprehensibilis, ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην! (3) *adoptatos*, non nobiles εὐγενεῖς 1. Cor. 26. -- 30. sed *naturâ filios iræ, mortuos in peccatis* Eph. II. 3. Jes. I. 4. Ezech. XVI. 3. (4) *pretium*, cujus ope parta nobis est adoptio, non magna quædam *summa*, quemadmodum civitas *Romana* Act. XXII. 28. nec centena præputia Philistæorum 1. Sam. XVIII. 27. sed *humiliatio* ipsius *Filii* Dei Gal. IV. 4. 5. ejus qui erat *in forma Dei*, & *æqualis Deo* Phil. II. 6. 7. & talis etiam humiliatio, qua infra *vermem* detrusus, *opprobrium* hominum Psal. XXII. 6. imo *peccatum* 2. Cor. V. 21. & *exsecratio* factus est Gal. III. 13. (5) *prærogativas*, quot & quantas, bone Deus! Si: 1. nomina spectes, ac *titulos* tam gloriosos, quibus *filii Dei* &c. Joh. I. 12. 2. Cor. VI. 18. nominantur. Si 2. *progeniem* & cognationem, sunt *ex Deo* prognati Joh. I. 13. adeoque *filii Dei*, *fratres* Christi Heb. II. 11. Joh. XX. 17. Si 3. *statum* & conditionem, sunt *Filio Dei per generationem* proximi: eo quod, juxta cum eo, licet diverso modo, *ex Deo* sint geniti Joh. I. 13. & *naturæ divinæ* participes 2. Pet. I. 4. Si 4. *officia*, sunt cum Christo, suo modo, *Prophetæ*, *Reges*, *ac sacerdotium regale* Apoc. I. 6. 1. Pet. II. 9. Si 5. *opes* ac fortunas, possident *omnia*, quæ sunt Patris:

1. Repræsentat gloriam & beatitudinem adoptatorum, ex quinque fontibus:

1.

2.

3.

4.

5.

Patris eorum cœleſtis 2. Cor. III. 21. Si *immunitates*, ſunt emancipati, liberi Gal. v. 1. & IV. 26. quorum uſui omnes proſtant creaturæ, libera & pura conſcientia uſurpandæ Tit. I. 15. 1. Tim. IV. 4. ſubducti maledictioni *legis* Rom. VI. 14. & *padagogiæ* legis ceremonialis Gal. III. 24. quibus libera ad Deum patet προσαγωγὴ Eph. III. 12. Si 7. *ſervitium* & famulatum, *omnia* ipſis *cooperantur in bonum* Rom. VIII. 28. 29. uſque ad ipſos Angelos Heb. I. 14. Si 8. *curam* paternam, quam Pater, in omnibus, ipſis gerit: quoad *benedictiones ſpirituales*, quæ ad animam ſpectant Eph. I. 3. quoad *peccata*, ne ab iis ſubjugentur Rom. VI. 12. eiſque ſuccumbant Pſalm. XXXVII. 24. quoad *delicta*, ipſis *parcit*, quemadmodum *Pater filio* Mal. III. 17. quoad *anguſtias*, ipſos conſolatur 2 Cor. I. 3. quoad *dubia*, ipſos informat ac dirigit Pſal. XXV. 12. quoad *vacillationes*, ipſos confirmat, ne collabantur 2. Theſſ. II. 17. Si 9. eandem curam ſpectes, quoad *temporalia*, qua ipſis proſpicit, quoad *omnia*, quæ ad corporis ſuſtentationem, ipſis ſunt neceſſaria Pſalm. XXIII. 1—& XXXIV. 10. 11. nunquam eos plane deſerit Pſalm. XXXVII. 25. 28. Heb. XIII. 5. Deut. XXXI. 6. 8. Jeſ. XLIX. 15. & poſſidendam ipſis tradit *terram* Pſal. XXV. 13. & XXXVII. 11. 22. 29. proinde non *parce*; ſed *abundanter* Pſalm. XXIII. 5. nec tantum ad *neceſſitatem*; ſed etiam ad *voluptatem*, quouſque nim. illa ſuis conducit Pſalm. XXXVI. 9. & LXV. 4. Si 10. eorum *adverſa*, *caſtigat* ipſos ut Pater Heb. XII. 6. 2 Sam. VI. 14. 15. ad hoc, ut non pereant cum mundo 1 Cor. XI. 32. proinde *non affligit ex corde ſuo* Thren. III. 33. ſed *miſeretur, ut pater filii* Pſalm. CIII. 13. exaudit eorum ſuſpiria Pſalm. XXXVIII. 10. adſtat ægrotantium lectulo Pſal. XLI. 3. traducit per mortem ad vitam Joh. V. 24. & XIV. 2. Luc. XVI. 23. adeo *precioſa* Deo eſt! ipſa ſuorum *mors* Pſalm. CXV. 15. Si 11. Spiritum *adoptionis*, quem certo adoptatis, ſuo modo ac tempore confert Gal. IV. 6. cujus ope, de *præſenti* omnium prærogativarum, quas hactenus diximus, eos reddit *perſuaſos* 1. Cor. II. 12. ac de *futuro*, æternæ hæreditatis Rom. VIII. 17. Si tandem 12. pro omnium ſumma, quod Filio Dei naturali, imo Deo ipſi, adoptati dicantur futuri SIMILES 1 Joh. III. 1. 2. *ſumus Filii Dei, necdum apparuit, quid futuri ſimus, ſcimus autem ubi apparuerit, nos ei ſimiles fore* Phil. III. 21. *Ut conforme fiat glorioſo corpori*—Rom. VIII. 16. cum vſ. 29. *conformandos imagini filii ſui* His addantur quæ in *dogmaticis* à §. XI. ad XV. diximus. Iſtam autem gloriam & beatitudinem, eo nobis repræſentat adoptio: A. Ut *contemplemur*, & miremur magnitudinem *amoris* divini: ἰδετε ποταπὴν ἀγάπην: amplitudinem *gratiæ*, qua indignis, immeritis, imo contrarium merentibus, *natura filiis iræ*, *donavit* (δέδωκεν) axioma adoptionis 1. Joh. III. 1. Conf. Rom. V. 8. Joh. III. 16. B. Ut *prædicemus* iſtas aliaſque virtutes Patris noſtri Matth. V. 16. cum 1. Pet. II. 9. Mal. I. 6. C. Ut nobis ipſis *gratulemur: ſumus filii Dei* 1. Joh. III. 2. aliiſque Eph. II. 19. in eo *latemur* Luc. X. 20. gaudio *ineffabili* 1. Pet. I. 8. D. Ut nos *geramus*, non velut filios diaboli, & mancipia hujus mundi; ſed ut *filios Dei altiſſimi* Luc. VI. 35. Col. III. 12. Ut interim E. ſollicitè *caveamus*, ne tanta gloria inflati, nos ipſos extollamus. Conf. Matth. III. 9. *Nec ſuſtineatis* (δόξητε) *dicere in vobis, habemus in Patrem, Abraham* cum 2. Cor. XII. 7. & ſi omninò gloriandum nobis, non *gloriemur* niſi *in Domino* Jer. IX. 24. & in propria humilitate Jacob. I. 9. 10.

Uſus horum.

XXII. *Secundo*, repræſentat ex adverſo, *miſeriam* eorum, qui ſunt abſque Chriſto, *alieni* a *Republica Iſraëlis* Eph. II. 12. à *familia Dei*, hoſpites & peregrini. *Ibid.* verſ. 19. Et quinam iſti? Reſp. 1. Qui Chriſtum viva *fide* non recipiunt Joh. I. 11. 12. *Sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt, dedit ipſis poteſtatem qui filii fierent.* Quinam? Qui proinde 2. non habent *communionem cum Deo* illi, *Patre: ejuſque filio Jeſu Chriſto* 1. Joh. I. 3. Qui 3. nullo capiuntur, hujus dignitatis & beatitudinis *amore* ac deſiderio, qui adoptionis hujus *primogenituram*, cum profano Eſavo, edulio venderent Heb. XII. 16. qui pro gloria adoptionis divinæ, gloriam nobilitatis & genituræ humanæ admitterent Matth. III. 9. Joh. XII. 43. pro pace & gaudio ſpirituali Rom. XIV. 17. quod ex adoptione naſcitur, voluptates carnis Luc. XVI. 19. Amos. VI. 6. Phil. III. 19. pro filiorum Dei ornatu interiori ac ſpirituali 1. Pet. III. 3. 4. Pſ. XLV. 14. 1. Pet. V. 5. Conf. Ezech. XVI. 10. 11. 12. 13. Jeſ. LXI. 10. Luc. XV. 22. faſtam apparatus & veſtitus externi Jeſ. III. 19. Luc. XVI. 19. Patet profunda horum miſeria, in his potiſſimum, quod: α. Ab omnibus, *parag. præced.* commemoratis filiorum Dei *prærogativis*, niſi reſipiſcant, æternum ſint excluſi. β. pro *amoro* Dei ſuperlativo, quo in adoptatos fertur (ποταπὴν ἀγάπην!) ſuperlativam experiantur, & experientur, *iram* & *odium* Eph. II. 3. Pſal. V. 5. 6. 7. Matth. XXV. 41. γ. pro gratia, qua *donavit* (δέδωκε) adoptatis jus filiationis, & hæreditatem gloriæ cœleſtis Matth. XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete hæreditario* (κληρονομήσατε) *regnum, vobis paratum à jactis mundi fundamentis*: indictam experientur æternæ reprobationis 2. Theſſ. I. 8. 9. Matth. XXV. 41. δ. Pro eo, quod fideles ſunt *filii* Dei Joh. I. 12. 1. Joh. III. 2. ipſi ſint *progenies viperarum* Matth. III. 7. filii *diaboli* 1. Joh. III. 10. Joh. VIII. 44. utpote qui nunc ſe *efficacem præſtat*, *in filiis inobedientiæ* Eph. II. 2.

2. Reliquam miſeriam præſentem non adoptatorum. Quinam? Quænam horum miſeria.

XXIII. *Tertio*, jubet ſerio nos ipſos *explorare*, num ſimus filii Dei. Cum enim: α. non omnes

3. Jubet nos ipſos explorare.

fos explorem mus, num fimus filii Dei.

omnes homines sint filii *Dei*; Joh. I. 11. 12. sed dentur etiam, qui filii sint *diaboli* 1 Joh. II. 10. & qui profitentur Deum esse suum Patrem, absque rei veritate Mal. II. 10. Cum β. tanta sit gloria & *beatitudo* filiorum Dei, ut diximus §. XXI. Et ex adverso γ. tanta eorum miseria, qui hac gratia destituuntur, sicut monuimus §. XXII.

Motivæ. Cum δ. hujus *certam* possimus consequi cognitionem 1 Joh. III. 2. *scimus autem* — quod hoc certis indiciis *manifestum* sit 1 Joh. III. 10. Rom. VIII. 16. Et cum ε. absque hujus rei certitudine, nunquam μετὰ παῤῥησίας, Deum possimus compellare *Patrem nostrum* Luc. XI. 1. Cum ζ. certa hujus rei cognitio, comparari nequeat, absque seria sui ipsius exploratione 2 Cor. XIII. 5. Gal. VI. 3. 4. nunquid omnibus modis necessarium est, ut nos ipsos excutiamus accurate? Zephan. II. 1. ut omnem lapidem moveamus, quo ad infallibilem hujus adoptionis persuasionem, feliciter per-

Notæ. tingamus? Requiruntur huc: 1. Indubitata indicia, quibus hoc certo possit confici, qualia: α. Viva *fides*, qua Deum ut Patrem, & Filium ejus proprium apprehendimus Joh. I. 12. Gal. III. 26. 1 Joh. V. 1. β. *Amor* filialis 1 Joh. V. 1. 2. γ. *Obedientia* filialis 1 Joh. III. 10. 1 Pet. I. 14. Conf. Jer. XXV. 6. δ. Appetitus *communionis* & præsentiæ paternæ 1 Joh. I. 3. cum Luc. II. 49. Psal. XVI. 8. & XLII. 2. 3. & XLIII. 3. 4. & LXXXIV. 2. 3. ε. *Sigillum* & *pignus* Spiritus S. 2 Cor. I. 22. & V. 5. Eph. I. 13. & IV. 3. qui omnibus filiis Dei (licet diverso gradu, ac diverso tempore) communicatur Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. Rom. VIII. 9. cujus fructus & indicia designantur Gal. V. 22. Rom. VIII. 14. ζ. *Charitas* versus fideles, ut fratres 1 Joh. V. 1. 2. 1 Joh. III. 14. η. *Reverentia* filialis, versus Deum ut Patrem Mal. I. 6. 1 Pet. I. 16. ϑ. *Fiducia* filialis & accessus ad Deum ut Patrem Matth. VI. 9. Jes. LXIII. 16. clamando: *Abba Pater* Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. quamvis hoc indicium, non semper adsit, adeoque non nisi *affirmative* concludat. Ad hæc requiritur 2.

Testimonium Spiritus S. Testimonium Spiritus S. (cujus naturam tetigimus §. XII.) conjunctum cum testimonio spiritus *proprii* Rom. VIII. 15. Neque enim, quæ diximus, *indicia* adoptionis, à nobis percipi possunt, citra testimonium Spiritus S. 1 Cor. II. 11. 12. 16. nec Spiritus S. testimonium genuinum est, nisi *una* testetur spiritus proprius 1 Joh. III. 19. 20. 21. Si enim cor nostrum, indicia genuina υἱοθεσίας non præstet, tum Spiritus fallax est, qui testatur nos esse filios Dei. Caute ergo discernendum est testimonium Spiritus Sancti, à testimonio spiritus fallacis, qui millenis testatur, eos esse filios Dei, quando revera non sunt. Agnoscitur autem Spiritus S. genuinum testimonium, his & similibus κριτηρίοις: si à tali procedat, qui: (1) nos *promptos* reddit & paratos ad *vivendum Deo*: hoc enim solus agit, & agere potest Spiritus Sanctus Ezech. XXXVI. 27. Qui (2) ita in nobis *agit* Rom. VIII. 14. ut ab *una* parte *convincat* de peccatis, & ab eis retrahat Joh. XVI. 8. quo, ejus ope, *carnis opera mortificemus* Rom. VIII. 13. ab *altera* parte convincat de *justitia* Joh. XVI. 8. ut impellat ad serium pietatis studium Psal. CXLIII. 10. quo *secundum Spiritum* ambulemus Gal. V. 16. 25. 26. Qui (3) in nobis excludit *fructus* illos, qui commemorantur Gal. V. 22. Spiritus autem qui testatur nos esse filios Dei, dum his aliisque κριτηρίοις destituitur, vanus est & fallax. Denique

Obstacula seu obstructiones. 3. cavenda etiam *obstacula* & obstructiones, quibus adoptionis certitudo impediri solet & suffocari, in quibus sunt: A. *Peccata*, graviora comprimis, & enormiora, quibus Patri nostro obstrepimus, illeque filios castigare cogitur 2 Sam. VII. 14. ut ablato *Spiritui adoptionis*, quem David רוח נדיבה *Spiritum ingenuum*, seu ingenuorum appellat (qui servis contradistinguuntur) substituat spiritum *servitutis* ad metum Rom. VIII. 15. spiritum *timoris* 2 Tim. I. 7. quo ejulemur cum Davide: *ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctitatis tuæ, ne auferas à me* Psalm. LI. 13. B. *Desertiones* spirituales, plerumque ex peccatis gravioribus oriundæ, quando, propter ea, faciem paternam a filiis avertit Jes. I. 15. ut suspicentur, se nunquam fuisse genuinos Dei filios, quod filios suos Deus nunquam deserat Heb. XIII. 5. Psal. IX. 11. & XXXVII. 28. Hic cogitandum, esse duplex apud Deum *desertionis* genus; *alterum*, quo *hostes* suos deserit, quoad *ipsam* gratiam. 1 Sam. XVI. 14. Jer. VII. 15. 16. Conf. Ezech. XII. 3. . . 12. hoc desertionis genere filios, nunquam se deserturum promittit: *alterum*, quo *filios* suos non raro deserit; non quoad ipsam gratiam; sed quoad gratiæ *sensum* tantum Jes. XLIX. 14. 15. Ps. XXII. 1. 2. sic frequenter filios suos, Pater cœlestis deserit, non obstante adoptionis fide & constantia. Discerni potest duplex illa desertio, ex sensu, dolore, ac desiderio gratiæ, quibus prior desertio caret, ut patet in Saule deserto; posterior laborat Ps. XIII. 3. & XLIII. 3. 4. C. *Metus* de futuro, seu apostasiæ, ex sensu peccatorum & infirmitatis suæ, item ex hostium obnitentium copia & robore, oriundus Psal. LI. 13. 14. Conf. Psalm. LXXI. 9. & 1 Sam. XXVII. 1. Adversus hunc animus confirmandus est: α. *promissionibus* divinis Heb. XIII. 5. Psal. XXXVII. 28. Matth. XVI. 18. β. *virtute* Dei conservante 1 Pet. I. 5. Joh. X. 29. γ. *precibus* Ps. XXXVIII. 23. & LXXI. 9.

4. Excitat studium acquirendi adoptionem.

XXIV. *Quarto*, excitat desiderium & conatum nobis comparandi gratiam adoptionis. Cum enim (1) acquiri certo *possit* tantum beneficium, per promissionem Patris cœlestis infallibilem 2 Cor. VI. 17. 18. pariter & experientiam omnium & singulorum electorum, qui sibi acquisiverunt Gal.

III.

Motivæ. III. 26. Cum (2) Deus adoptaturus, ipſe *medium* oſtendat, cujus ope, infallibiliter conſequamur dignitatem adoptionis Joh. I. 12. Cum (3) medium quod oſtendit, tam *facile* ſit: *quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem, qui filii Dei fierent.* Cum (4) tanta ſit *gloria*, & beatitudo eorum, qui adoptionem adepti ſunt, ſicut diximus §. XXI. Cum. (5) tanta ſit *miſeria*, eorum qui illa deſtituuntur, adeoque tam indeclinabilis ejus ſit neceſſitas, ut monuimus §. XXII: nunquid operæ pretium eſt, ut omni ſtudio, in ejus communionem enitamur? Si Paulus *civitatis Romanæ jus* magno pretio ſibi comparare voluit Act. XXII. 28. nunquid nos, abſque tanto pretio, *jus civitatis cœleſtis*, & *familiæ divinæ*, nobis comparare ſtudebimus! Eph. II. 19. Si David filiationem legalem cum Saule, tanti fecit I. Sam. XVIII. 23. ut cum præſentiſſimo vitæ ſuæ diſcrimine, ducentis Philiſtæorum præputiis, eam ſibi comparare voluerit *Ibid.* verſ. 25. 27. nunquid filiatio adoptionis divinæ, tanta erit apud nos, ut eam abſque ullo diſcrimine, nobis comparare adnitamur? Sed quo tandem pacto, ad adoptionis gloriam pertingemus?

Modus acquirendi. Reſp. Præſuppoſita I. prædeſtinatione, qua Deus, adoptandos elegit ab æterno, quos conformaret imagini filii ſui Rom. VIII. 29. Præſuppoſita 2. redemptione, qua Filius Dei naturalis, pretio ſanguinis ſui, ἐξαγοραν υἱοθεσίας nobis acquiſivit Gal. IV. 5. Præſuppoſitâ 3. ſpirituali generatione ex Deo Joh. I. 13. & Spiritu S. per regenerationem Joh. III. 3. 5. quæ fundamentum præſtat hujus adoptionis, ad quæ nihil conferre poſſumus; enitendum nobis 4. in *fidem*, cui adoptionis infallibile participium Servator addixit Joh. I. 12. ut ejus ope, Filium Dei naturalem, ſe nobis offerentem in Euangelio, promtè recipiamus, ut receptionis ope, cum Filio Dei naturali uniamur, & unionis ope, ejus fratres reddamur, & ſic, eundem cum eo Patrem conſequamur Gal. III. 26. 27. 29. Joh. XX. 17. Proinde, ut adoptionem conſequamur, enitendum nobis in omnia illa, quibus fides comparatur, excitatur, confirmatur, & augetur, qualia ſunt v. g. præconium verbi Rom. X. 14. uſus ſacramentorum; *baptiſmi*, quo Chriſtum *induimus* Gal. III. 27. & S. *cœnæ* in quâ Chriſtum recipimus Matth. XXVI. 26. *preces*, quibus Spiritum fidei nobis comparamus Luc. XI. 13. cum 2. Cor. IV. 13. Enitendum inſuper 5. in veram *reſipiſcentiam*, utpote cui Deus adoptionis gratiam exſertè promittit 2 Cor. VI. 17. 18.

5. Suadet adoptionis gratiam in uſus noſtros convertamus. XXV. *Quinto*, ſuadet, ut jam adoptionem nacti, eam in uſus noſtros prudenter convertamus: I. In *ſecundis* quidem, exſultemus in ſuperlativo Patris noſtri amore: *videte quantum amorem* -- I. Joh. III. I. *amor Dei effuſus eſt in corda noſtra* Rom. V. 5. *adeo dilexit Deus* -- Joh. III. 16. & præ gaudio ipſum frequenter compellemus: *Abba Pater* Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. Jeſ. LVI. 5. Tum 2. in quavis *neceſſitate*, ut filii ad parentem, accedamus cum parreſia Heb. IV. 16. orando: *Pater noſter, qui es in cœlis* Luc. XI. 2. ut qui *ſciat*, Quibus caſibus. hæc aut illa nobis eſſe neceſſaria Matth. VI. 22. Porro 3. in *adverſis*: ſive illa jam nos *urgeant*, qualia & quanta cunque ſint, ut confugiamus ad *miſericordiam* ejus *paternam* Pſal. CIII. 13. Jeſ. XLIX. 15. 16. & LXIII. 16. ſive: α. *inopia* ſit, confugiamus ad opulentiam Patris noſtri Rom. X. 12. Eph. II. 4. qui ſuis *omnia præbet copioſe ad fruendum* I. Tim. VI. 17. cui *terra* competit, *& omnis ejus plenitudo* Pſal. XXIV. I. quamque etiam ſuis tradit *poſſidendam* Pſal. XXV. 13. & XXXVII. 22. 29. adeo ut *nullius* boni inopiam patiantur Pſal. XXIII. I. --- & XXXIV. 10. 11. Sive β. *morbus* ac tabes ſit, confugiamus ad Patrem noſtrum, *medicum* Pſal. CIII. 13. cum verſ. 3. Exod. XV. 26. qui *contabeſcente carne & corde noſtro, robur eſt cordis noſtri* Pſal. LXXIII. 25. ut tutò ad eum nos poſſimus conferre Pſal. XXXVIII. 6. — 12. 22. 23. Sive γ. animi *anguſtia*, & deſertiones ſpirituales; animum Dei nobis repræſentemus ut *paternum* Jeſ. XLIX. 14. 15. 16. & LIV. 7. 8. Pſal. XXII. I. ſive δ. quævis perſecutio aut *calamitas*, ad ipſum confugiamus, ut ſub umbra omnipotentis latitemus Pſal. XCI. I. & XXIII. 1. 3. Denique 4. quoad *futurum*, in paterna ejus, quam hactenus pro nobis geſſit, cura, placide requieſcamus Pſal. XXXVII. 5. & LV. 23. de hoc uno tantum ſolliciti, ut ſeu filii bonæ indolis, cum Patre noſtro tam benignò, ſanctam colamus *converſationem* Gen. V. 22. id operam dando, ut ei per omnia *placeamus* Heb. XI. 5. 2 Cor. V. 9. & *fugiamus* omnia, quæ ipſi diſplicere poſſint Gen. XXXIX. 9. 2. Cor. IV. 2. In qua filiali cum Deo converſatione, omnis profecto hujus vitæ dulcedo ac jucunditas conſiſtit Pſal. XVI. 1. 9. & XLII. 5. & LXXXIV. 2. 3. 11.

6. Hortatur ad officia filialia verſus Deum ut Patrem. XXVI. *Sexto*, hortatur inſuper, ut *officiis* filialibus verſus *Patrem* noſtrum cœleſtem, ſedulò ſimus intenti. Nim. (1) *Honori* & venerationi filiali Exod. XX. 12. cum Mal. I. 6. non tantum, ut à *nobis* procedat Pſal. CIII. I. ſed ab *aliis* etiam quibuſvis verſ. 20. 21. 22. Matth. VI. 9. idque cum ferventiſſimo *zelo* Pſal. LXIX. 10. Num. XII. 3. Exod. XXXII. 6. (2) *Timori* filiali Mal. I. 6. I. Pet. I. 17. (3) *ſubmiſſioni*, tum etiam, cum caſtigationibus paternis, circa nos occupatur Heb. XII. 5. 9. Joh. XVIII. 11. (4) *Obedientiæ* I. Pet. I. 14. Phil. II. 15. Jer. III. 19. Matth. XXVI. 36. (5) *Invocationi* nominis ejus Matth. VI. 9. Rom. VIII. 16. (6) *Fiduciæ* in ejus paterna cura Matth. VI. 32. Jeſ. LXIII. 16. (7) *Imitationi* Eph. V. I. Luc. VI. 35. Matth. V. 44. 45. 48. (8) Ut alios etiam Dei filios, velut fratres noſtros, charitate & *curâ* fraterna proſequamur, eo quod unum cum ipſis habeamus *Patrem* Matth. XXIII. 9. I. Joh. V. 2. Nonnullis

minatim (9) ut Filium Dei naturalem, qui non *dedignatur, nos fratres* suos appellare Heb. 11. 11. in cujus filiatione fundamentum nostræ adoptionis, consistit Gal. IV. 4. 5. quique est noster συγκληρονόμος Rom. VIII. 17. summo *amore*, honore & obsequio prosequamur Joh. I. 17. 1 Cor. XVI. 22. Joh. XV. 10. Imprimis etiam (10) ut cane pejus & angue *caveamus*, ne libertate Christiana, quæ præcipuum quoddam præstat, adoptionis nostræ privilegium, *abutamur* ad licentiam Gal. V. 13. 1 Pet. II. 16. 2 Pet. II. 3. Jud. vers. 4. Si enim A. ex præscripto divino, ista officia, Patribus *terrenis* debemus, quidni, Patri *cœlesti?* Mal. I. 6. Si B. Patribus qui purâ adducti *natura*, nos sibi filios procreârunt, absque ullo versus nos amore: quanto magis Patri *cœlesti*, qui ineffabili *amore*, nos sibi adscivit filios 1 Joh. III. 1. Si C. *Patribus carnis*, vel tum, cum nos castigant; quanto magis *Patri spirituum*, cum nobis benedicit Heb. XII. 9. Et D. si non præstiterimus, nunquid ansam ipsi suppeditabimus querulandi? *filios educavi; sed rebelles facti sunt* Jes. I. 2. 4. Imo etiam E. ut *hostem* sese versus nos gerendi Jes. LXIII. 8. 9. 10.

Quare præstanda.

CAPUT OCTAVUM,

DE

Redimendorum Sanctificatione.

1 Thess. v. 23.

Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus, & anima, & corpus, inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur.

I. Tertium unionis & communionis nostræ cum Christo beneficium, est *sanctificatio*: cujus indolem satis nervose delineat Apostolus 1 Thess. v. 23.

Pars Exegetica.

II. *Quibus verbis* votum *continetur*, *pro* Thessalonicensium sanctificatione. *Penes quam notantur:*

1. Sanctificans, *nim.*

A. Deus, τρισάγιος Jes. VI. 3. *ipsa* sanctitas Exod. XXVIII. 36. Mal. II. 11. *Pater, Filius & Spiritus S. quanquam diverso modo, pro diversa subsistendi ratione, prout suo loco in* dogmaticis *ostendemus. Hic solus auctor est sanctificationis nostræ. Quamvis enim detur sanctificatio, qua homines sanctificant, v. g. populum* Exod. XIX 10. 14. *Sabbathum* Exod. XX. 8. 11. *domum suam* Levit. XXVII. 14. *caput suum* Num. VI. 11. *seipsos* Ibid. XI. 18. Jos. VII. 13. *Deum* cap. XX. 12. Jud. XVII. 3. Jes. LVIII. 13. *nomen Dei* Matth. VI. 9. &c. *est tamen ista sanctificatio, toto cœlo diversa à sanctificatione, qua nos Deus sanctificat, atque insuper à Deo, ut primo suo auctore, suam repetit originem.*

B. Pacis. *Hortatus fuerat ad pacem Apostolus* vers. 13. *etiam pax non minima existit pars sanctitatis* Rom. XV. 13. & XVI. 20. 1 Cor. XIV. 33. 2 Cor. XIII. 11. *Hinc* Deum pacis *compellat.* Pax *Scripturis passim sonat quodvis bonum jucundum, à quo Christus & Apostoli sæpe suis apprecantur* pacem. *Numeratur autem pax triplex: cum* Deo, *quam Christus nobis acquisivit suo sanguine, nos reconciliando cum Deo* Eph. II. 14. 15. Rom. V. 1. *cum* proximo Rom. XII. 18. Heb. XII. 14. *cum propria* conscientia Phil. IV. 7. *Omnis pacis auctor & fautor est Deus, ipsius ille Deus pacis.*

2. Sanctificatio ἁγιάσαι sanctificet: *scil. non tantum hortando & suadendo, ut vos ipsos componatis ad studium sanctitatis; sed & quasi infundendo* sanctitatem, *seu talem inclinationem ac propensionem, qua aversi sitis ab omni impuritate, & proclives in quodvis bonum morale. De quo uberius in* dogmaticis.

3. Sanctificandi, *quos sanctificationi objicit: quoad*

α. Personas, ὑμᾶς vos, *scil. Thessalonicenses, qui dudum estis* in Deo Patre, & Domino Jesu Christo 1. Thess. I. 1. *Ut hinc intelligamus, in sanctificandis, saltem strictiore sensu, prærequiri unionem cum Deo & Christo* Eph. I. 4. *à quo Christus nobis dicitur factus* sanctificatio 1 Cor. I.

30. *qua*

30. *qua peragitur per* fidem, *vocatione*, *regeneratione*, *converſione procuratam.*

β. Gradum *ſeu perfectionem*, ὁλοτελεῖς omnino perfectos, *ex* ὅλος & τέλειος, per omnia perfectos, *ſeu ex* omni parte *perfectos*, perfecte totos, per omnia plenos: *non equidem quoad* gradum, *ut nihil deſit in omnimoda perfectione*, *qualis perfectio*, *in hac rerum perfectione*, *non datur* 1 Cor. XIII. 9. 10. Phil. III. 12. *Sed quoad* partes, *qua omnes partes ſanctificentur*, & *ad omnes partes ſanctitatis homo contendat* Phil. III. 14. 15. *id quod ſignificatum Apoſtolus vult*, *quando verbis ſequentibus addit*, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα -- & integer veſter ſpiritus, & anima & corpus: *niſi quod poſthac*, id adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, *conſecuturi ſimus perfectionem omnimodum gradum* Eph. V. 27. 1 Cor. XIII. 10.

γ. Partes, ſpiritum, animam, corpus. *Proinde quoad:*

A. Spiritum, ὁλόκληρον ὑμῶν πνεῦμα. Τὸ ὁλόκληρον, *hic*, *adſtringi poſſit ad* πνεῦμα; *vel potius extendi ad ſingulas harum* partium, *per* πρόζευγμα, *ut*, & *ſpiritus*, & *anima*, & *corpus dicantur* ὁλόκληρα, & *ſingularis* numerus, *moneat epithetum ad ſingulas harum partium eſſe adſtringendum. Sonat autem* ὁλόκληρος *haredem ex aſſe*, *ſeu potius qui omnia poſſidet*, *quæ ſortito ei obtigerunt*, &, *per Synecdochen ſpeciei*, integrum, totum, ex ὅλος totus, & κλῆρος ſors, *adeoque* ſolidum, *in Gloſſario*, *omnibus ſuis* partibus *bene conſtans*, *quamvis non* gradibus; *ſicut monuimus. Vox* πνεῦμα, *etiam quando de creaturis uſurpatur*, *eſt* πολύσημος. *Sonat enim quandoque*: 1. *univerſam hominis* animam, *quoad omnes ejus facultates*, *intellectum & voluntatem*, *ſic* Joh. XIX. 30. Luc. XXIII. 39. Act. VII. 59. *Quandoque* 2. intellectum *hominis contradiſtinctum voluntati* Eph. I. 17. Heb. IV. 12. Luc. I. 46. 47. *ut anima & ſpiritus ſonent intellectum & voluntatem: ſic in omnibus locis ſit*, *ubi* ſpiritus & anima *conjunguntur*, *nominatim hoc loco*, *ad ſignificandum*, *in ſanctificatione intellectum hominis illuminari ſapientia ſpirituali* Eph. I. 17. *quo ſpiritualia ſpiritualiter diſcernat* 1 Cor. II. 14. 15.

B. Animam, καὶ ἡ ψυχή. ψυχὴ *Hebraïs* נֶפֶשׁ, *à* ſpirando *ſeu reſpirando*, *quandoque* vitam *notat*, *ut* anima *phraſi Hebræâ* Matth. II. 20. & VI. 25. Luc. XII. 23. Joh. X. 15. *quandoque* animam, *præcipuam hominis partem eſſentialem* Matth. X. 28. *quandoque* voluntatem & *affectus*, *ſeu facultatem* παθητικὴν & αἰσθητικὴν *qua affectus exercemus ac ſenſus*, *à qua irregeniti* ψυχικοὶ *appellantur* 1 Cor. II. 14. Jud. verſ. 19. *Sic hoc loco voluntatem & affectus notari videtur* Eph. VI. 6. Phil. I. 27. *Sic* ἐκ ψυχῆς Col. III. 23. *Ut intelligamus*, *ſanctificatione*, *non tantum intellectum ſpirituali lumine perfundi*; *ſed & voluntatem cum affectibus*, *nova inclinatione*, *propenſione*, *verſus bonum quodvis etiam ſpirituale & ſalvificum.*

C. Corpus, σῶμα, *quod ſubinde notat* totum *hominem* Rom. VI. 12. & XII. 1. *Græci enim* σώματα uſurpant *pro perſonis: nonnunquam etiam* ſocietatem *unitorum*, *velut membrorum unius corporis: frequentiſſime partem hominis minus principalem*, *contradiſtinctam animæ: ſed ita tamen*, *ut connotet omnia membra*, *ſenſus*, & *facultates ſenſitivas. Ut innuatur*, *non tantum animam ſanctificari à Deo*; *ſed etiam corpus*, *ejus membra*, *ſenſus & facultates ſenſitivas*, *hac ſanctificatione*, *fieri* arma juſtitiæ Rom. VI. 19. Col. III. 5.

4. Sanctitas, *ſeu potius ſanctificationis* gradus: inculpate ἀμέμπτως, & *quidem* (ἐν παρουσίᾳ) in præſentia judiciali Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Ubi* ἄμεμπτος *talem notat*, *qui jure reprehendi non poteſt*, *idque in ipſa præſentia judiciali*, *ſeu in conſpectu*, & *coram tribunali juſtiſſimi Judicis Chriſti.* Παρουσία *enim frequenter in Scripturis notat* præſentiam *Chriſti* ad judicium, *ſeu in judicio*; *ſic* 1 Theſſ. IV. 15. Matth. XXIV. 3. *Ut* ἄμεμπτον *eſſe*, *in ipſa* παρουσίᾳ *Judicis Chriſti*, *non poſſit non ſignificare talem ſanctitatem*, *quæ ſit omnibus numeris completa. Talem igitur Apoſtolus*, *hic Theſſalonicenſibus vovet ſanctificationem*, *per quam ſint*, *non modo* ὁλοτελεῖς & ὁλόκληροι: *ſed etiam*, *per omnes partes & facultates*, ἄμεμπτοι, *idque in præſentia Chriſti judiciali*, *ſeu talem*, *qua ferre poſſint præſentiam ac judicium Judicis Chriſti*, *in quam*, *ſanctificationis gratia*, *per omnem eorum vitam*, gradatim *enitatur*, *uſque ad articulum mortis*, *in quo ſuam* ἀκμὴν *conſequatur. Et quando Theſſalonicenſibus exoptat ut tales* ſerventur (τηρηθείη) *non aliud intendit*, *quam*, *ut per gratiam ſanctificationis*, *ſeipſos accurate obſervent*, & *operam dent*, *quo tales evadant*, *tales conſtanter maneant*, & *tales reperiantur* ἐν παρουσίᾳ τῷ Χριστῷ. *Ut hinc abſoluta hujus vitæ perfectio*, *quoad ſanctitatem*, *conſici nulla ſpecie poſſit: cum* α. *ex* voto *perfectionis*, *ſanctis familiari*, *parum recte inferatur* præſentia *ejuſdem* Phil. II. 11—16. *cum* β. *perfectionem ipſis precetur*, *non habendam* ἐν ἀκμῇ, *dum ſint in hac vita*; *ſed* ἐν παρουσίᾳ *Chriſti.*

Pars dogmatica.

Uniti cum

III. Unitos ergo cum Chriſto, Deus *pacis*, non tantum juſtificat, & in familiam ſuam adoptat; ſed etiam *ſanctificat*. Hinc Apoſtolus Theſſalonicenſibus, qui erant *in Deo Patre*, & *Domino noſtro* Jeſu Chriſto, non tantum juſtifican-

tur; sed etiam sanctificantur.

Probatur; Scripturis,

Jesu Christo, quibus item *gratiam & pacem* precatus erat cap. 1. vers. 1. hîc etiam sanctificationem exoptat, à *Deo pacis*. Ad hoc, unionis, justificationis & sanctificationis dona, frequenter in Scripturis conjunguntur 1. Cor. 1. 30. *estis in Christo, qui factus est nobis -- justitia & sanctificatio* -- & cap. VI. 11. *Abluti estis*, (per sanguinem redemptionis Christi 1. Joh. 1. 7.) *sanctificati estis*, (scil. per *communem* illam Spiritus S. operationem, quæ vocationem, regenerationem conversionem & *sanctificationem*, strictius ita dictam, complectitur) *justificati estis*, per fidem, idque *in nomine Domini Jesu*, seu quæ in Domino Jesu existit. Sic justificatio & sanctificatio copulantur. Tit. II. 14. Quamvis enim justificatio & sanctificatio, à se invicem *distinguantur*; nunquam tamen *divelluntur*.

Et rationibus.

IV. Est enim 1. sanctificatio præcipuus scopus, æternæ nostræ *electionis* Eph. 1. 4. 1. Pet. II. 1. 2. 2. Thess. II. 13. Est 2. præcipuum ingrediens, ac beneficium *fœderis gratiæ* Jer. XXXI. 33. Heb. VIII. 10. Conf. Ezech. XXXVI. 26. 27. Est 3. præcipuus fructus *redemptionis* Christi Eph. V. 25. 26. 27. Joh. XVII. 19. Tit. II. 14. Heb. IX. 14. & X. 10. & XIII. 12. 2. Cor. V. 15. Est 4. præcipuum ἔργον *vocationis* 1. Thess. IV. 7. 1. Pet. 15. 16. Est 5. præcipua efficacia *regenerationis* 1. Pet. II. 1. 2. & cap. 1. 2. 3. & vers. 22. 23. Est 6. egregius conatus *conversionis* & resipiscentiæ Act. XXVI. 18. Luc. VI. 8. Est (7) primaria intentio *justificationis* Psal. CXXX. 4. Rom. V. 21. cum cap. VI. 1. Est etiam (8) scopus *adoptionis* 1. Pet. 1. 14. 17. Est denique (9) necessarium prærequisitum *glorificationis*: quod Deus, purus oculis Hab. 1. 13. nec *possit* Psal. V. 5. 6. 7. nec *velit* cohabitare impiis Apoc. XXI. 27. & XXII. 14. 15. Ut in una sanctificatione peccatoris, coëant fines omnium actionum divinarum, quæ spectant ad universum gloriosissimum redemptionis opus.

Considerationis vocis.

V. Naturam ergo & ingenium hujus sanctificationis, quo dexterius assequamur; notandum ante omnia circa *vocem*; (1) quod ea nobis, hoc loco, non veniat *generalissima* sua significatione, quatenus universam notat Spiritus S. *operationem*, circa *interiora* electorum, v. g. vocationem, regenerationem, conversionem, quo sensu omnibus illis Scripturæ locis venit, quæ sanctificationem *præmittunt* justificationi; v. g. 1. Cor. VI. 11. 1. Pet. 1. 2. sed sensu *strictiore*, quatenus illam notat Spiritus S. operationem, qua vitam spiritualem, regeneratione prognatam, & conversione ad fidem & resipiscentiam, quæ in *proposito* consistit, emendandi vitam, perductam; in *fructus* virtutum & bonorum operum, protrudit: quo sensu justificationem sequitur. (2) Quod *sanctificare*, hîc nobis non notet: α. *moliri* quodvis, ut Jer. VI. 4. Mich. III. 5. Nec β. *separare* aliquid, in eximium quendam usum, licet prophanum Jes. XIII. 3. Jer. XII. 3. Nec γ. *idoneum* reddere ad licitum aliquem usum 1. Cor. VII. 14. 1. Tim. IV. 5. Nec δ. *destinare* & præparare ad *cultum* divinum: seu *externum* tantum Exod. XIII. 2. & XIX. 10. Act. XXI. 24. seu externum & *internum simul* Exod. XX. 8. sed ε. talem actionem, quæ respectum habet ad *moralem* & intrinsecam *sanctitatem*: & sic; *vel*: a. *homines* sanctificant Deum, agnoscendo & *celebrando* ejus sanctitatem 1. Pet. III. 15. Matth. VI. 9. *vel* b. *Deus* sanctificat *seipsum* Levit. X. 3. Num. XX. 13. Ezech. XXVIII. 22. & XXXVI. 23. *vel* c. *Filius* Dei sanctificat seipsum, pro nobis patiendo Joh. XVII. 19. manifestando sanctitatem suam; *vel* d. homines sanctificant *seipsos* Rom. VI. 16. 22. 1. Thess. IV. 3. 2. Cor. VII. 1. probando se sanctificatos & sanctos esse: *vel* e. *Deus* sanctificat *homines* 1. Thess. V. 23. *operando* in ipsis sanctitatem. Et hoc demum sensu, sanctificatio præsentis est negotii.

Differentia inter vocationem, regenerationem, conversionem justificationem & sanctificationem.

VI. Et sic sanctificatio accuratè discriminanda est: 1. à *vocatione*, quâ, cum fide, sanctitatis studium, *exigitur* & suadetur. 2. à *regeneratione*, qua, *vita* spiritualis & vires conferuntur, sine quibus *non possumus* studere sanctitati. 3. à *conversione* qua vita & vires, ad *propositum* tantum eriguntur, studendi sanctitati: quando *sanctificatio* ipsam sanctitate confert, ejusque studium & exercitium procurat: imprimis. 4. à *justificatione* Apoc. XXII. 11. Dum enim: α. justificatio operatur *circa* hominem; sanctificatio *in* homine: dum β. justificatio tollit peccati *reatum*; sanctificatio *maculam*: dum γ. illa justitiam *alienam* imputat; hæc *propriam* & inhærentem infundit: dum δ. illa singulis momentis est *perfecta*; hæc per *gradus* invalescit: dum ε. illa *præcedit*, saltem ordine naturæ; hæc *sequitur*.

Quid sit sanctificatio.

VII. His prælibatis, per *sanctificationem*, illam Dei intelligimus operationem physicam, qua sanctitatem suis infundit, ejusque exercitium procurat. Ut duo hîc nobis distinctius cogitanda veniant: 1. quid sit *sanctitas*. Hebræis dicitur קדש *sanctitas*, & צדקה *justitia*: Græcis ἁγιωσύνη ac δικαιοσύνη, sanctitas & *justitia*, quæ voces, ad Deum quidem relatæ, in re *significata* coincidunt, quatenus rectam animi *dispositionem* notant, in ordine ad Deum; quamvis in significandi *modo*, sic differant, ut *justitia* connotet dispositionis istius *convenientiam* cum sua regula. Unde *justitia*, absque gradibus, semper, perfecta censetur (quod enim cum sua regula exactè non congruit, *justum* non est) quando *sanctitas* imperfecta esse potest. Non nego tamen, sensu strictiore, ἁγιωσύνην ad Deum, & δικαιοσύνην ad proximum referri posse Eph. IV. 24. Addi possint Græcorum ἱερὸν, & Latinorum *sacrum*, quæ abstractis destituuntur, & rebus potius, quam personis tribuuntur, earumque sanctitatem *relativam* fermè denotant, qua Deo *dedicata* sunt, aut respectum qualemcunque obtinent, ad *cultum* divinum. Quo referri possit sanctitas

Quid sanctitas.

ctitas *fœderalis*, qua olim universus populus Israëliticus Deut. xxvi. 12. & xxviii. 9. & nunc, qui membra sunt Ecclesiæ Christianæ, atque ipsi etiam fœderatorum infantes, *sancti* appellantur Rom. i. 7. 1 Cor. i. 2. & vii. 14. Nobis hoc loco *sanctitas*, eam notat cordis *dispositionem*, qua proclive est, *aversari* quæ Deo sunt adversa, & *expetere* quæ ei sunt accepta: seu ut verbo dicam, *ambulare in statutis* Dei Ezech. xxxvi. 27. Et hactenus sanctitas est *qualitas* ac donum inhærens, quæ studio & exercitio sese prodit. Tum tenendum 2. qualis sit *operatio* sanctificans: puta, non *moralis* tantum, quæ fiat: α. per *declarationem*, qualis est in *justificatione*; aut β. per *institutionem*, qualis est in sanctificatione *Sabbathi* Exod. xx. 8. aut γ. per *significationem*, qualis est in sanctificatione elementorum sacramentalium, aquæ, panis & vini: sed est operatio *physica* etiam, seu *intrinseca* sanctificandi mutatio, qua: α. dispositionem Deo convenientem, Deus cordi infundit Jer. xxxi. 33. Ezech. xxxvi. 26. tum β. infusam promovet in exercitium, in actiones, quibus *in statutis* Dei *ambulemus*, & *jura* eius *servemus, ac faciamus* Ezech. xxxvi. 27. quibus *fructus feramus*, *respicientia dignos* Matth. iii. 8. Luc. iii. 8.

Quid sanctificatio.

Causæ sanctificationis.

VIII. Excludit in hominibus, hanc sanctitatem *Deus* triunus 1 Thess. v. 23. Ezech. xxxvi. 25. 26. 27. singulatim, *Pater* Joh. xvii. 17. *Filius* Eph. v. 25. 26. sed, per appropriationem, *Spiritus Sanctus* 2 Thess. ii. 13. Rom. xv. 16. qui ab hoc *Spiritus Sancti* denominationem obtinet Rom. i. 4. πνεῦμα ἁγιωσύνης, quod ipse sanctitatem, personali sua operatione, *immediate* attingat, sanctificandis *inhabitet* Rom. viii. 9. 11. eos *vivificet* 1 Cor. xv. 45. *agat* Rom. viii. 14. Gal. v. 8. eos *ducat in via*, (ὁδηγεῖ) Joh. xvi. 13. ab hoc etiam sanctificati *in Spiritu* esse, in Spiritu *vivere* Gal. v. 25. in Spiritu *ambulare*. *Ibid. vs.* 16. *incedere vers.* 25. *mortificare carnem per Spiritum* Rom. viii. 13. dicuntur. Introducit interim Spiritus S. hanc sanctitatem in sanctificandos, quasi acceptam à Filio Joh. xvi. 14. ut communi sanctificandorum capite, in quo, ex Dei beneplacito, omnis eorum *plenitudo habitat* Col. i. 19. ex cuius copia, eius operatione, hauriunt χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. i. 16 Causa *movens*, *intrinsecus* quidem, est amor Dei, & gratia superlativa Eph. ii. 4. 5. item amor Christi Eph. v. 2. 25. 26. *extrinsecus*, Christi meritum 1 Pet. i. 2. secundum promissionem ac tenorem fœderis gratiæ Ezech. xxxvi. 25. 26. Heb. viii. 10. *instrumenta* sunt, verbum Dei Joh. xvii. 16. 1 Pet. ii. 2. & Sacramenta Rom. vi. 4. Causa *administrans* & cooperans, est ipse sanctificandus, per eam vitam ac vires, quas in regeneratione, dudum accepit, & quæ per conversionem excitantur, quibus *tractus* à Deo, cum Deo currit Cant. i. 4. omnemque *diligentiam confert*, *ut fidei addat virtutem* 2 Pet. i. 5. 6. Rom. xii. 2.

Obiectum sanctificationis: homo totus: ejusque

IX. Obiectum sanctificationis præstant, soli *electi* Eph. i. 4. Rom. viii. 29. 30. *redempti* Tit. ii. 14. *vocati* vocatione *sancta* 2 Tim. i. 9. cum Eph. iv. 1. 2 Thess. i. 11. 2 Pet. i. 10. *regeniti* 1 Pet. ii. 2. Eph. ii. 10. *conversi* Jer. xxxi. 19. *uniti* cum Christo 1 Cor. i. 30. *estis in Christo, qui factus est nobis* — *sanctificatio* Joh. xv. 5. *justificati* Gal. ii. 17. Rom. v. 21. cum cap. vi. 1. Rom. viii. 1. 2. *adoptati* Eph. v. 1. 1 Joh. iii. 10. Et hos quidem Deus sanctificat *totos*, quanti quanti sunt, ὁλοτελεῖς, ὁλοκλήρους, quoad omnes partes: quoad α. *spiritum* ac *mentem*, seu *intellectum*, ut intelligant, seu *probent* quænam sit *bona* illa, *ευάρεστος & perfecta Dei voluntas*, cui, per sanctificationem, se conformare debent Rom. xii. 2. Ezech. xxxvi. 26. cuius sanctificatio, hinc divina *informatio* & *doctrina* appellatur Jes. liv. 13. Jer. xxxi. 44. Joh. vi. 45. atque etiam *illuminatio* Heb. x. 32. Rom. viii. 6. Eph. i. 17. 18. per quam sanctificatus: a. *historice cognoscit* & assentitur veritatibus fundamentalibus Jac. ii. 19. Act. xxiv. 14. b. *spiritualiter dijudicat* spiritualia 1 Cor. ii. 15. Phil. i. 10. c. *practice percipit* turpitudinem & miseriam suam Psal. li. 5. Rom. vii. 24. d. *cogitat* & meditatur, cœlestia potius quam terrena 1 Cor. xv. 48. 1 Joh. ii. 15. *spiritualia* potius, quæ *animam* spectant, quam *carnalia*, quæ *corpus* concernunt Rom. viii. 7. Joh. vi. 27. Matth. xvi. 25. 26. *futura* potius & æterna, quam *præsentia* & evanida 2 Cor. iv. 18. &c. Quoad β. *cor* & *voluntatem* Phil. ii. 13. Deut. xxx. 6. ut simus *populus spontaneus*, עַם נְדָבוֹת Psal. cx. 3. ei conferendo spirituales habitus seu *virtutes*, quibus proclivis sit in studium bonorum operum, quod est, *cor novum & spiritum novum dare* Ezech. xxxvi. 25. 26. Psal. li. 12. *legem inscribere cordi* Jer. xxxi. 33. Heb. viii. 10. quod proclive sit *ad ambulandum* in statutis *Dei*, & *faciendum* iura eius Ezech. xxxvi. 27. tollendo insuper à corde & voluntate, pristinam *duritiem*, contumaciam & ἀναισθησίαν, eique substituendo *sensibilitatem*, mollitiem, flexibilitatem; hoc est, pro corde *lapideo*, cor *carneum* largiri Ezech. xxxvi. 26. Quoad γ. *conscientiam*, eam *purgando ab operibus mortuis, ad serviendum Deo vivo* Heb. ix. 14. ignaram Luc. xxiii. 34. 1 Tim. i. 13. Prov. xix. 3. & erroneam Joh. xvi. 2. *illuminando* Eph. i. 17. Phil. i. 9. 10. dirigendo ac *ducendo* in veritate Psal. xxv. 4. 5. & lxxxvi. 11. Joh. xvi. 13. parasitantem ac partibus studiosam Deut. xxix. 19. ad iustam æquanimitatem dirigendo, qua, pro re nata, accuset pariter & excuset iustè Rom. ii. 15. insensibilem, cauterizatam & emortuam 1 Tim. iv. 2. vivificando, excitando Eph. v. 14. 2 Tim. ii. 25. 26. ut sentiat 2 Sam. xxiv. 10. suoque munere fungatur Act. xxiv. 16. Quoad δ. *affectus* seu pas-

1. intellectus.

2. voluntas,

3. conscientia,

4. affectus:

fiones, inordinatos, exorbitantes, tumultuosos, distractos Gal v. 17. Rom. VII. 5. 14. 15. ut jam sanctificatus, *crucifigat carnem*, cum παθήμασι καὶ ἐπιθυμίαις Gal. v. 24. omnesque & singuli affectus sint ἐυτακτότεροι: prout patet in unius Davidis *amore* Psal. XVIII. 2. *odio* Psal. CXXXIX. 21. 22. *desiderio* Ps. LXXXIV. 3. *timore* Ps. CXIX. 120. *gaudio* Ps. XXXV. 9. *tristitia* Ps. CXIX. 136. &c. Quoad 5. *memoriam* Joh. XIV. 26. debilem & labilem confirmando, ut bona & utilia, avidè colligat, fideliter conservet & promptè reddat Luc. II. 51. Thren. III. 20. &c. Quoad 6. *corpus* & membra corporea Rom. VI. 12. Col. II. 11. 1. Cor. VI. 20. ea *subtrahendo* usibus quibusvis carnalibus, & imperio Satanæ, cupiditatumque mundanarum 1. Cor. VI. 15. Psal. CXLI. 3. Job. XXXI. 1. & ex adverso, *consecrando* sibi suisque usibus 1. Cor. VI. 19. 20. Rom. VII. 1. Quamvis autem circa *totum* hominem, omnesque ejus facultates ac partes, occupetur sanctificatio; non tamen absque *ordine* occupatur: primò quidem & præcipuè *animam* attingit, tum *corpus*; quatenus quidem illud, per potentiam obedientialem, una cum anima, subjicitur voluntati divinæ 1. Theff. v. 23. Matth. XV. 20. II. & in anima etiam, intellectum occupat *radicaliter*, quatenus omne sanctitatis studium, incipit ab intellectu Joh. XIII. 17. in voluntate *formaliter*, quatenus voluntas subjectum recipiens est, maximè proprium, omnis sanctitatis Rom. VII. 19. Matth. XV. 19. Phil. II. 13. in reliquis facultatibus, & in universa vita *operative*, quatenus vera sanctitas, seipsam prodit, in omnibus operationibus humanis Gal. v. 22.

X. Sanctitas, quam sanctificatio operatur, duos terminos respicit: (α) *à quo*, nim. turpitudinem & corruptionem peccati, à qua sanctificatus declinat Eph. IV. 22. 2. Cor. VII. 1. (β) *ad quem*, puritatem imaginis divinæ, quæ in Scripturis designatur *sanctitas & justitia* Eph. IV. 24. *conformitas* cum lege divina Jac. I. 25. *novitas vitæ* Rom. VI. 4. *nova creatura* 2. Cor. v. 17. Eph. II. 10. *divina natura* 2 Pet. I. 4. Pro duobus hisce terminis, duas sanctificatio numerat partes quasi essentiales: *mortificationem* veteris, & *vivificationem* novi hominis, de quibus Eph. IV. 22. 23. 24. Col. III. 9. 10. Jes. I. 16. 17. XXXIV. 15. Rom. VI. 4. 5. 6. Utraque harum duplex est: *altera Dei*, qua ipse, per Spiritum suum mortificat & vivificat: quoad *initium*, in regeneratione; quoad *progressum*, in conversione; quoad *complementum*, in sanctificatione, ut quasi *radix* sit in regeneratione; *rami* in conversione; *fructus* in sanctificatione: *altera nostri*, qua, per sanctificationem divinam, mortificati & vivificati, mortificamus & vivificamus indies, veterem ac novum hominem, subigendo peccatum, & erigendo virtutem, *tracti currimus* Cant. I. 4. *converti nos convertimus* Jer. XXXI. 18. 19. *apprehensi apprehendimus* Phil. III. 12. De singulis harum partium singulatim:

XI. Prior sanctificationis pars, est *mortificatio veteris hominis*, qua, *qui Christi sunt*, *crucifigunt carnem cum affectibus & concupiscentiis ejus* Gal. v. 24. Hic ab *una* parte: 1. per *veterem hominem* (qui aliàs dicitur *corpus peccati* Rom. VI. 6. *caro* Rom. VIII. 6. 7. *membra* nostra, quæ *in terra* sunt Col. III. 6.) intelligitur *corruptio* 2. Pet. II. 19. *peccatum* Rom. VII. 13. 14. tam *originale in habitans. Ibid.* vers. 20. quam *actuale*, seu *peccans peccatum* Rom. VII. 13. Quod quidem: α. *homo* appellatur, quoniam *totum* hominem occupat, & per omnes ejus partes, facultates, membra diffusum; integrum quendam *hominem* efformat Rom VII. 18. qui & *corpus peccati* Rom. VI. 6. item *corpus mortis* cap. VII. 24. insignitur: cui etiam sua *membra* tribuuntur Col. III. 5. β. *vetus* etiam homo, quia jam cum Adamo cœpit Rom. V. 12. & cum quovis nostrum nascitur Ps. LI. 7. ac proinde renovationem præcedit 1, Cor. XV. 49. ab *altera* parte 2. per τὸ *mortificare* Col. III. 5. (alias *crucifigere* Gal. v. 24.) non intelligitur, nisi illam *corruptionem*, quovis modo *subigere*, ὑποπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν 1 Cor. IX. 27. tantisper, donec, cum ipsa vita nostra naturali, tandem penitus exspiret, & quasi *sepeliatur* Rom. VI. 4.

XII. Causa hujus mortificationis; 1. *principalis* Deus est in *genere*, qui vires, quibus *possumus*, dudum per *regenerationem* contulit, easque, per conversionem, ad *propositum* mortificandi erexit, & jam, per sanctificationem, ad *exsecutionem* promovet, ut mortificationi nos alacriter accingamus: in *specie*, & per appropriationem, Spiritus S. Rom. VIII. 13. *si per Spiritum*, *actiones corporis mortificetis*: solet enim Spiritus obniti carni Gal. v. 17. & *operationes carnis* subigere, *adulteria*, *fortationes* — vers. 19. 20. 21. ut qui *in Spiritu* (h. e. in virtute Spiritus) *ambulant*, *cupiditates carnis*, *non perficiant* vers. 16. Causa 2. *meritoria*, est Christus, utpote qui ad hoc *venit* in carnem, ut *opera diaboli*, h. e. peccata, *destrueret* 1 Joh. III. 8. qui sua morte & crucifixione, *vim* nobis impetravit, qua possimus mortificare & crucifigere peccata; unde Paulus, *per crucem*, inquit, Christi, *mihi mundus crucifixus est*, & *ego mundo* Gal. VI. 14. qui item vim istam nobis communicat, in *gratia* sua Joh. I. 16. absque qua *nihil possumus* Joh. XV. 5. à qua, *mortui* cum Christo, *mortificamus membra nostra* Col. III. 3. 5. tandem & Spiritum S. impetravit, mittitque, *per* quem *Spiritum*, *opera carnis mortificamus* Rom. VIII. 13. Causa 3. *exemplaris*, ipsa est mors & crucifixio Christi. Unde σύμφυτοι τῷ Χριστῷ dicimur, τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, quod *vetus noster homo*, *cum ipso crucifixus sit*, *ut corpus peccati annihila-*

5. memoria.

6 corpus ejusque membra.

Ordo Sanctificationis, circa ista objecta.

Partes sanctificationis, duæ!

1. Mortificatio veteris hominis.

Quid vetus homo.

Quid mortificare.

Causæ mortificationis, 1. principalis,

meritoria,

exemplaris.

nihiletur, & peccato non amplius ſerviamus Rom. VI. 5. 6. à quo ſe *cum Chriſto crucifixum* profitetur Apoſtolus Gal. II. 20. quod, non tantum per virtutem crucis Chriſti; ſed etiam, ad exemplum ejus, carnem crucifigat. Cauſa 4. *adminiſtra* ſeu inſtrumentalis, eſt *fides*, quatenus ejus ope: (a) ex morte & crucifixione Chriſti, noſtri mortificationem colligimus Rom. VI. 11. (b) officia mortificationis percipimus Col. III. 5. (c) argumenta excitantia ad mortificationem, admittimus Rom. VI. 8. 9. 10. Col. III. 2. 3. Imprimis (d) quatenus ejus ope, Chriſtum recipimus Joh. I. 12. cum eo unimur, ut *in nobis habiter* Eph. III. 17. una cum ipſo *planta* reddimur, *ad aſſimilationem mortis ejus* Rom. VI. 5. ipſeque ſuam nobis virtutem & vitam communicat, qua *membra* noſtra *in terris*, poſſimus *mortificare* Col. III. 3. 5.

instrumentalis.

Mortificationis connexum eſt abnegatio ſui ipſius.

XIII. Cum mortificatione veteris hominis, ſi non penitus coincidit; ſaltem indivulsè connexa eſt *abnegatio ſui ipſius*. Vix enim mortificatio veteris hominis concipi poteſt, abſque abnegatione ſuiipſius; nec, vice versâ, abnegatio, abſque mortificatione: niſi forte mortificationem velis reſtringere, ad abſolutè mala; & abnegationem, ad *per ſe* adiaphora; quamvis & abnegatio referatur ad abſolutè mala Tit. II. 12. Præſcribitur, velut primum Chriſtianiſmi elementum, *abnegatio ſui* Matth. XVI. 24. Marc. VIII. 34. Luc. IX. 23. Penes quam tenendum: 1. ab *una parte*, quid ſit ἀυτότης abneganda. Sonat illa: α. ipſam noſtram *perſonam abſolute*, & hæc dici poſſit ἀυτότης *naturalis*. β. eandem cum relatione ad *temporalia*, eorumque uſum, quæ appellari poſſit ἀυτότης *terrena*. γ. eandem ut *corruptam*, per inordinatas cupiditates, quæ dici poſſit ἀυτότης *carnalis*. δ. eandem, ut *ſanctificatam*, quam poſſis dicere ἀυτότητα *ſpiritualem*: 2. ab *altera parte*, quid ſit *abnegare*, ἀπαρνεῖσθαι. Quod non eſt, *negare ſeipſum*, ut vulgata & Eraſmus vertunt; cum negare ſeipſum dicatur, qui, quod ipſe dixerit, aut fecerit, inficiatur 2. Tim. II. 13. potius *abdicare* ſeipſum, ut Beza vertit, eſt, nullam ſui rationem habere, quæ ipſum, vel tantillum, ab iis quæ Deo debet, abducat. Vocis compoſitio ſignificatum auget, ut ſonet, *omnino negare*, metaphora ſumpta, ab iis, qui partes alicujus deſerunt, idque palam profitentur: ita ἀρνεῖσθαι, de tali deſertione figuratè uſurpatur, quæ non tam verbis, quam reipſa fit 1. Tim. V. 8. 2. Tim. II. 12. Tit. I. 16. Heb. XI. 24. 2. Pet. II. 1. Ut *abnegare* ſeipſum non ſit, niſi *renuntiare ſibi ipſi*, & omnibus aliis, in ordine ad ſe, quatenus illa ſeſe Deo, aut opponere, aut ſubſtituere, aut conſtruere nituntur. Quod quidem *renuntiare*, duobus peragitur: *negligendo* ac deſerendo partim Matth. XVI. 24. 25. & XIX. 27. partim *opponendo* ſe eis 1. Cor. IX. 27. Hujus ergo abnegationis *naturam*, ut diſtinctius aſſequamur; tenendum ante omnia, in quo ἀυτότης hujus vitioſæ, morbus aut vitium conſiſtat, abnegatione curandum. Scil. 1. ab *una* parte, *non* conſiſtit in eo (a) quod ſimus perſonæ, naturaliter diſtinctæ à Deo ut Creatore: ut, ſub prætextu abnegationis, fas ſit *ſeipſum* deſtruere Rom. XIV. 20. nec in eo (b) quod vitam circumferamus & corpus, *capax*, delectationis, & averſionis: ex uſu creaturarum: nec in ipſa illa *delectatione*, averſione aut amore, ex uſu creaturarum oriundis: ut, ſub prætextu abnegationis, liceat odiſſe aut negligere *propriam* vitam; aut ſuffocare ſenſum & appetitum creaturarum; aut improbare & reprobare ſimpliciter, omnem complacentiam ac diſplicentiam, ex creaturis oriundam Eph. V. 29. Col. II. 23. quia creaturæ omnes, producta ſunt Creatoris, in uſum hominis, ex ejus voluntate deſtinatæ 1. Tim. IV. 4. Pſalm. VIII. 7. 8. & XXXVI. 9. nec (2) in *natura* ipſa peccato corrupta: ut prætextu abolendæ corruptionis, fas ſit violentas ei inferre manus: quod hoc ſit contra voluntatem Dei Eph. V. 29. 1. Reg. XVIII. 28. Multo minus (d) hic intelligitur ἀυτότης *ſpiritualis* & ſanctificata: ut, prætextu abnegationis, negemus, nos eſſe quod reverà ſumus, v. g. regenitos, converſos, fideles; aut habere quod reverà habemus, v. g. fidem, ſpem, charitatem: contrarium patet 1. Cor. XV. 10. Pſ. CXII. 2. Nec in eo (e) quod, oblatas nobis à Deo, quaſvis benedictiones *externas*, licet communes tantum, opes, honores, valetudinem &c. reſpuamus: ſed 2. ab *altera* parte, *conſiſtit* omnino morbus & vitium ἀυτότητος abnegandæ, in his ſequentibus: (1) Quod *anima* noſtra (pro prima propenſione & inclinatione ſua, quam, per creationem, habebat in *juſtitia* originali, verſus Deum, ut *ſupremam finem* ſuum, in cujus communione, univerſa ſua beatitudo conſiſteret, jam per lapſum, *averſionem* conceperit à Deo, & *propenſionem* verſus creaturas, ut in eis, ſupremum ſuum finem ac beatitudinem quærat Phil. III. 19. ut per abnegationem, iſta propenſio à Deo in nos ipſos, & creaturas detorta, ad Deum retorqueri debeat. 2. Theſſ. III. 5. quo non amplius in nobis ipſis, aut terrenis; ſed in Deo & cœleſtibus ſupremam felicitatem ſectemur Phil. III. 19. 20. Col. III. 1. Pſal. LXXIII. 25. & XVI. 5. (2) Pro eo, quod olim à creatione, homo omnium creaturarum uſum, dirigebat ad beneplacitum & gloriam Creatoris, utpote ad quam creatæ erant Prov. XVI. 4. Rom. XI. 36. jam dirigat ad ſe, in propriam gloriam ac voluptatem Phil. II. 21. Joh. VII. 18. Jac. IV. 3. ut, per abnegationem, homo creaturas ſibi ipſi ſubtractas, referat ad Deum, dirigatque in ejus gloriam 1. Cor. X. 31. Col. III. 17. 1. Tim. IV. 4. (3) Pro eo, quod olim à creatione, homo omnem ſuam proſperitatem *corpora-*

Quid phraſis ſonet.

Quid non.

lem, ſubordinabat *ſpirituali*, & voluntati Creatoris ſui: jam in ſola *corporali* acquieſcat, eamque ipſi vitæ æternæ præferat Phil. III. 19. Pſ. XVII. 14. ut, per abnegationem reſtaurandus ſit, quo corporalia ſpiritualibus ſubordinet, poſtponat Matth. VI. 33. Joh. VI. 27. 2 Cor. IV. 18. (4) Pro eo, quod olim à creatione, homo ingenue Deum recipiebat pro *ſolo* Domino ſuo, eique ſe totum ſubmittebat, nullamque penitus ſibi arrogabat, proprietatem dominiumque in ſeipſum, proinde nec ſibi vivebat; ſed Domino ſuo: jam, in Deum rebellis, excuſſo ejus dominio, ſibi arroget proprietatem ac dominium, & convenienter, ſibi vivat Pſal. II. 2. 3. Exod. V. 2. Luc. XIX. 14. 27. Job. XXI. 14 15. Jer. XLIV. 15. 16. ut, per abnegationem, reducendus ſit homo, qui priſtinum Dei dominium proprietatemque in ſe, ingenue agnoſcat, eique prompte ſeſe ſubmittat 1 Cor. VI. 19. 20. Rom. XIV. 9. (5) Pro eo, quod olim ſub integritate, nihil omnino ſibi arrogabat, velut *abſoluto* Domino & proprietario; ſed omnia poſſidebat, ut vicarius & œconomus Dei, in ejus uſum dirigenda, cuique rationem redderet: jam, ubi deſcivit à Deo, ut ne ſervus quidem ejus ſit amplius; ſibi arripit Dei bona, eisque utitur tanquam perfectè ſuis Pſal. XII. 5. Conf. Hoſ. II. 8. 9. ut, per abnegationem, eo veniat reducendus, ut ſeipſum omnibus exuat, omnia velut ad pedes Dei projiciat Act. IV. 34. paratus, qui ad ejus nutum, & poſſideat, & deſerat Job. I. 21. 1 Sam. III. 18. Matth. XX. 15. Phil. IV. 12. (6) Pro eo, quod olim ſub integritate, homo, per omnia à Deo pendebat, omnemque ſuam fiduciam habebat, in paterna ejus curâ & providentiâ, procul ab omni diffidentiâ, inani metu, aut etiam fiducia, in propriâ virtute, ſapientiâ, fortitudine, quibus ſibi ipſi poſſit proſpicere: jam, ubi defecit à Deo, omni fiduciâ verſus Deum, vacuus Jer. XVII. 5. curis ac timoribus hujus vitæ, refertus Matth. VI. 25. 28. curam ſui ſuſcipit vſ. 32. in ſeipſo, propriis viribus, ſapientiâ, ſtudiis, præſidium quærit Hoſ. XIV. 4. & in quovis potius, quam in Deo, fiduciam ſuam collocat Pſal. XX. 8. ut, per abnegationem, eo ſit perducendus, ut agnitâ ſuâ, omniumque creaturarum inſufficientia & impotentiâ Eccl. IX. 11. ſibi omnibusque diffiſus, totus recumbat in Deo Jer. XVII. 5. Pſal. II. 12. liber ab omni ſollicitudine Phil. IV. 6. 7. (7) Pro eo, quod olim ſub integritate, homo acquieſcebat, in eâ ſorte, quam ſupremus ſuus Dominus, ſibi decreverat: jam poſt lapſum, ſibi ſuam decernit, ac determinare nititur ſortem, velut ſuus Dominus, quin & aliorum quorumvis: imò omnia à ſe ſuoque nutu vellet pendere, ac dirigi. Conf. Matth. XX. 21. Jeſ. XIV. 13. 14. quare, per abnegationem, eò perducendus eſt, ut in ſorte ſibi à Deo decreta, placide acquieſcat Phil. IV. 12. agnitaque propria ſtultitia, voluntatem Dei malit fieri, quam propriam Matth. IV. 10. Act. XXI. 14. Matth. XXVI. 39. 42. (8) Pro eo, quod olim ſub integritate, homo ſe promtiſſimè ſubmittebat, legibus ac præſcriptis Dei, velut ſupremi ſui Domini & legiſlatoris: jam rebellis factus, ſeſe opponit legibus divinis Rom. VIII. 7. Deumque mallet ſuis ſubeſſe placitis Rom. IX. 20. 21. ejusque leges, tanquam inſulſas, ad ſuum modulum fingeret refingeretque: ut, per abnegationem, formandus ſit, qui æquitatem & juſtitiam legum divinarum agnoſcat Rom. VII. 12. 14. qui *rationcinationes everſat, omnemque ſublimitatem, quæ extollitur adverſus cognitionem Dei, & captivam ducat omnem cogitationem, ad obediendum Chriſto* 2 Cor. X. 5.

4. 5. 6. 7. 8.

XIV. Fuit ſanctificationis pars *prior*, mortificatio veteris hominis; ſuccedit *poſterior*, *vivificatio novi hominis*. Per quam, hic quidem non intelligimus, *primam* illam vivificationem, quæ *regeneratione* peragitur, quando mortuis in peccato, primus actus vitæ ſpiritualis refunditur, quam appellare poſſis, *vivificationem* VETERIS *hominis*: ſed *ſecundam* quandam vivificationem, qua jam vivificati, per gratiam ſanctificantem, ſe vivificatos oſtendunt, exſerendo actus vitales: quam non incommode, poſſis deſignare *vivificationem* NOVI *hominis*. Diſpiciendum ergo: 1. quid ſit *novus* homo: nim. *puritas imaginis* divinæ, quâ turpitudinem peccati ſequitur, vita illa ſpiritualis quatenus mortificationem peccati ſequitur. Variis nominibus repræſentatur, v. g. *novitas vitæ* Rom. VI. 4. *nova creatura* 2 Cor. V. 16. *natura divina* 2 Pet. I. 4. *homo interior* Rom. VII. 22. homo *occultus* 1 Pet. III. 4. *ſcientia*, *ſanctitas*, *juſtitia* Col. III. 10. Eph. IV. 24. Et hæc quidem *puritas*, HOMO indigitatur, quod *totum* hominem occupet, & in omnibus ejus partibus & facultatibus, ſeipſam conſpicuam præſtet 1 Theſſ. V. 23. & NOVUS etiam homo, quia: α. non ex principiis, primæ & *antiquæ* noſtræ generationis, ortum trahit; ſed ex principiis ſecundæ & *novæ* cujuſdam generationis, de quâ Joh. I. 13. & III. 3. 5. β. novam quandam, & *diſpoſitionem* internam, & faciem externam conciliat, toto cœlo diverſam ab antiqua illâ, quam ante ſanctificationem geſſimus 2 Cor. V. 17. 1 Cor. VI. 10. 11. Tit. III. 3. 4. Tum 2. quid ſi *vivificatio* novi hujus hominis: nim. hominem iam ante vivificatum, & renovatum, per regenerationem & converſionem; magis *vivum* facere, partim infuſione novorum *habituum*, quando *fidei adjicitur virtus* — 2 Pet. I. 5. 6. 7. Conf. Jeſ. XI. 1. 2. partim excitatione infuſorum habituum, ad *ſtudium* & exercitium, bonorum operum, à quo fides *viva* & mortua ſignificatur Jac. II. 17. 20. & ἐνεργεμένη Gal. V. 6.

2. Vivificatio novi hominis.

XV. Cauſas easdem ferè agnoſcit hæc *vivifica-* Cauſæ

tio,

vivificationis: *tio*, quas jam ante agnovit *mortificatio* veteris hominis. Nim. 1. *principalis*, est Deus in *genere*, qui & hinc, Deus *vivens* passim appellatur, & principalis. *vivificans* Psal. XLII. 3. quod non tantum vitam *naturalem* infundat Gen. II. 7. Act. XVII. 25. 28. sed etiam *spiritualem* Eph. II. 5. in *specie*, *Pater* I. Pet. I. 3. *Filius*, qui mundo *vitam* dat Joh. VI. 33. in quo *vivimus*, & qui vivit *in* nobis Gall. II. 20. & hinc *vita nostra* appellatur Col. III. 3. Joh. XIV. 6. & XI. 25. sed per appropriationem, *Spiritus Sanctus*, qui *vivificare* dicitur Joh. VI. 63. & exemplaris, *Spiritus vitæ* Rom. VIII. 2. Spiritus *vivificus* I Cor. XV. 45. per quem & nos *vivere* dicimur Rom. XIII. 13. item Spiritu *duci* Psal. CXLIII. 10. Joh. XVI. 13. Rom. VIII. 14. Tum 2. *exemplaris*, ad quam efformatur nostri vivificatio, est *resurrectio Christi* Rom. VI. 4. 5. II. à quo *resurgere* dicimur cum Christo Col. III. 1. & Christus *vivere in* nobis dicitur Gal. II. 20. imo ipsa *vita* nostra Col. instrumentalis. III. 3. Denique 3. *instrumentalis*, *fides* nostra, unde *fide vivere* dicimur Rom. I. 17. Habac. II. 4. Gal. II. 20. Quatenus illa: α. vitam *gratiæ*, efficaciter *colligit*, ex vivificatione seu resurrectione Christi. β. quatenus argumenta, vitam sanctam suadentia, *admittit* Rom. VIII. 17. γ. vitam Christi nobis proponit in *exemplum* imitationis, ut ei assimilemur Rom. VI. 5. Matth. XI. 28. Joh. XIII. 15. ut oculos in ipsum continuò habeamus defixos, velut in *fidei* nostræ *ducem ac perfectorem* Heb. XII. 2. quatenus δ. Christum apprehendendo, cum ipso apprehendentes *unit*, ut *ipse* vivat in nobis, & *nos* vicissim in eo Gal. II. 20. ut in ipso *maneamus*, & ipse in nobis, eaque ratione multos *fructus* feramus Joh. XV. 5.

Producta vivificationis, sunt: XVI. Vivificationem novi hominis, duo sequuntur: 1. *virtutes* 2. Pet. I. 5. seu *spiritus* sapientiæ, intelligentiæ, fortitudinis — Jes. XI. 2. 1. virtutes, seu *fructus* spiritus Gal. V. 22. quæ regenitis & conversis, per vivificationem sanctificationis, infunduntur Eph. I. 17. nec sunt nisi habitus, per quos voluntas *proclivis* est ad benè operandum 2. bona opera. Heb. V. 14. Tum 2. *bona opera*, seu actiones virtutum, quibus *lux*, seu gratia vivificationis splendet, seque foris conspicuam facit Matth. V. 16. Per quæ hîc non aliud intelligimus, quam opera Deo *grata* ad salutem Col. I. 10. Heb. XI. 5. ad quorum constitutionem, hæc tria *conjunctim* re-

Horum requisita. quiruntur; (1) ut profluant à *corde regenito* seu renovato 1. Tim. I. 5. Matth. XII. 35. quod *arbor mala* non possit proferre *bonos* fructus Matth. VII. 18. & quod à carne *nascitur*, non fit nisi *caro* Joh. III. 6. quemadmodum à corde pravo, non nisi pravæ cogitationes Matth. XV. 19. nec tantum à corde regenito; sed etiam à corde *fideli*, seu à fide ἀνυποκρίτῳ 1. Tim. I. 5. eo quod *absque fide*, *impossibile* sit *placere Deo* Heb. XI. 6. imò quod *à fide* non resultat, quantumvis existat specioſum, apud Deum quidem, sit *peccatum* Rom. XIV. 23. & optima nostra opera, extra Christum fide apprehensum, in conspectu divino, non sunt nisi *panniculus menstruatus* Jes. LXIV. 6. Nisi enim illa imperfectio, quæ optimis nostris operibus adhæret, per Christi perfectionem sarciatur, & illa impuritas, quæ ipsis, à nostra impuritate naturali, adhæret, tegatur puritate justitiæ Christi, Deo abominationi sunt; quo sensu, *extra Christum nihil* posse dicimur, scil. quod Deo *gratum* sit Joh. XV. 5. in Christo autem sumus, eique unimur, per fidem Eph. III. 17. (2) Ut à nobis dirigantur in *gloriam* Dei, velut ultimum finem 1. Cor. X. 31. Matth. V. 16. Joh. XV. 8. Phil. I. 11. cujus defectu, opera Pharisæorum, aliorumque hypocritarum, quantumvis alias specioſa, à Christo reprobantur Matth. VI. 2. 5. & XXIII. 5. Non quod præcisè necessarium sit, ut gloria ista Dei, semper intendatur *actu* (quamvis & hoc, quantum fieri potest, à perpetrantibus accurari debeat) sed quod *virtualis* & generalis, omnium operum nostrorum scopus ultimus, debeat esse glorificatio Dei 1. Cor. VI. 20. (3) Ut præstentur ad præscriptum *legis divinæ* Gal. VI. 16. Jes. VIII. 20. Deut. IV. 2. Jes. XLIX. 13. Matth. XV. 9. Col. II. 22. Si enim ab eo non sint *præscripta*, non præstant obedientiam Deo gratam; unde Deus, *quis*, inquit, *hoc postulavit de manu vestra?* Jes. I. 12.

Normam & compendium virtutum & bonorum operum, præstat lex Dei. XVII. *Normam* igitur, atque etiam *compendium*, virtutum pariter, & bonorum operum, præstat *lex* Dei, per ea quæ citavimus paragrapho præcedenti. Non quidem: 1. *ceremonialis* illa, quæ cultum dirigebat Judæorum, *quatenus judaicus* erat: hæc enim, cum judaica Religione, & quod Mediatorem præfiguraret ut *futurum*, sic ut *umbra*, *corpus*; Mediatore jam exhibito, abrogata est, quoad *usum* Col. II. 16. 17. Nec 2. *forensis*, quæ Rempublicam dirigebat judaicam: hæc enim, cessante ipsâ illâ republicâ, quatenus quidem eam *peculiariter* observabat; jam abrogata est: proinde 3. sola lex *moralis*, cujus ne jota quidem aut κεραία concidet Matth. V. 17. 18. Hæc nihil aliud est, quam lex *universalis*, quæ omnes homines, omni tempore & loco, obstringit ad sui observantiam. Hujus virtutes ac vitia, sibi invicem opposita, ὡς ἐν ἐπιτομῇ, sic repræsentamus: (1) virtus generalis totius legis, est *charitas* Matth. XXII. 37. *diligies* — hinc Apostolus Gal. V. 14. *tota*, inquit, *lex*, *hoc uno verbo* Lex moralis breviter repræsentatur. *completur*: *diliges* — quamvis hoc *ibidem*, suis causis adductus, restringat ad secundam tabulam. Proinde, ex adverso, *vitium* generale totius legis est *odium*. (2) Charitas ista, ex objecto, duplex est: versus *Deum*, & versus *proximum* Matth. XXII. 37. sic, ut sub posteriori, comprehendatur charitas versus *semetipsum*, *ibid.* (*sicut semetipsum*)

Eph.

Prior tabula.

Eph. v. 29. Matth. VII. 12. (3) Charitas versus *Deum* omnia comprehendit officia, quæ Deo *immediate* debentur. Hæc omnia, una *Religionis* voce connotantur, quatenus illa dirigit *cultum* divinum, prout *justitia curam* proximi. Prioris ergo tabulæ, virtus generalis est *sanctitas* Eph. IV. 24. latiore scil. significatione: prout, ex adverso, *vitium* generale totius prioris tabulæ, est *prophanitas* 1 Tim. I. 9. Heb. XII. 16. (4) Cultus Dei, quem Religio dirigit, duplex est: *naturalis* alter, quem ipsa Dei natura exigit, v. g. agnitio Dei, fides, spes, charitas, obedientia, reverentia &c. quæ per *naturam* suam, Deus non potest non exigere à creaturâ rationali: *Virtus* generalis, quâ cultus hic naturalis dirigitur, est *pietas*, εὐσέβεια 1 Tim. II. 2. & IV. 7. 1 Pet. I. 7. θεοσέβεια 1 Tim. II. 10. Joh. IX. 31. *Vitium*, ex adverso, duplex: *atheismus*, quo *nullum* Deum veneramur Eph. II. 12. & *idolatria*, qua *alium* pro Deo veneramur, sive *loco* veri Dei; sive *cum* vero Deo 1 Cor. X. 14. Gal. V. 20. sive vitium illud utrumque *crassius* & aperta professione 1 Cor. X. 7. Exod. XXXII. 1. sive *subtilius* & praxi tantum, exerceatur Col. III. 5. Psal. X. 4. & XIV. 1. 2. Cultui huic naturali dirigendo, quia per naturam quoque nobis potest innotescere, Deus *unum* tantum, sed primum tamen & primarium præceptum destinavit. (5) Alter Dei cultus, est *institutus*, quem *voluntas*, ut distincta à natura Dei, exigit: quem Deus, absque ulla naturali necessitate, pro mero sub beneplacito, hominibus, præscribit, v. g. Deum colere sacrificiis. Hunc cultum, quia *natura* nobis nequaquam est perspectus; Deus, tribus posterioribus, prioris tabulæ præceptis dirigit, hoc ordine: ut (6) *primo* designet *officia*, quæ ad cultum istum veniant observanda, in quibus est totus cultus Dei externus, v. g. conventus ecclesiasticus, publica verbi divini annunciatio, publicæ precationes, psalmodia, administratio & usus sacramentorum, exercitium disciplinæ ecclesiasticæ, vocatio ministrorum &c. Ista omnia dirigit *secundum* præceptum, prohibendo ut *nihil* hic pro officio cultus instituti admittatur, ex propria *imaginatione*; sed ex solo *præscripto* divino Deut. IV. 2. & XII. 32. Generalis ergo secundi præcepti *virtus* est, *obedientia*, quatenus strictiore significatione, notat id velle præstare, quod rectum videtur, non in oculis propriis, aut in oculis aliorum hominum Deut. XII. 8. sed quod rectum est in oculis Domini vers. 32. *Vitium* oppositum generale secundi præcepti, est ἐθελοθρησκεία *cultu voluntarius* Col. II. 23. δεισιδαιμονία *superstitio* Act. XXV. 19. quæ non est, nisi *cultus indebitus* Jes. I. 12. proscriptus Matth. XV. 9. Col. II. 22. possis etiam appellare *imaginationem*, qua nobis facimus *imaginem*: *non facies tibi sculptile*——

primi præcepti virtus generalis & opposita vitia.

Secundi præcepti virtus & vitium

Tertii (7) *Secundo*, ut designet *modum*, quo circa officia cultus instituti occupari debemus: scil. ut omnia quæ pertinent ad cultum istum, tractemus congruenter majestati divinæ, utpote quibus impressit *nomen* suum, quæ sibi dedicavit: quod fit, *α. præcedenti præparatione* debita Eccl. V. 1. 2. *β. concomitante*, tum *reverentia* Psal. XCV. 6. 7. Gen. XVIII. 2. cum vers. 27. tum *devotione* Psal. V. 8. & CVIII. 2. 3. *γ. subsequente* usu, quo vim præstitorum officiorum, conemur experiri apud nos ipsos, in gloriam Dei Jac. I. 21. 22. 23. Ut generalis tertii præcepti *virtus* sit, *reverentia nominis divini*, qua circa officia cultus divini occupamur, cum justa eorum æstimatione: cum congruo timore nimiæ familiaritatis, & cum animi promptitudine, & suavi cordis delectatione: *vitium* generale est *profanatio nominis divini*, quæ perpetratur *acedia* 2 Tim. IV. 3. *pigritia* Rom. XII. 11. *negligentia*, contemptu & *abusu* Luc. XIX. 46. *torpore* & evagatione mentis Heb. V. 11. Ezech. XXXIII. 31. *oblivione* Jac. I. 24. 25. *confusione* 1 Cor. XIV. 33. inter sacra: item usu *temerario* nominum & titulorum Dei Levit. XXIV. 11. 16. (8) *Tertio*, ut designet *fixum tempus*, exercitio cultus instituti impendendum, nim. septimum *illum* diem, quem quidem ipse designaverit: sive ille numeretur à *creatione*, ut factum sub veteri œconomia; sive à *resurrectione* Christi, ut fit sub nova œconomia, modo monstratus fuerit ille septimus dies ab ipso *Deo*. Huc spectat *quartum* præceptum, cujus *virtus* generalis est *sanctificatio Sabbathi*: quæ peragitur, partim *abstinendo* à negotiis *propriis*, hoc est, talibus, quibus terrena lucrari intendimus Exod. XX. 9. *sex diebus facies opus tuum*; partim *incumbendo* operi *divino*, h. e. ejus cultui, seu officiis cultus instituti: vitium oppositum est *prophanatio* Sabbathi: quæ fit, partim perfectione operis *proprii* Jes. LVIII. 13. partim neglectu operis *divini*. Ibid. Sic repræsentavimus argumenta *prioris* tabulæ decalogicæ. (9) Charitas versus *proximum*, omnia illa comprehendit officia, quæ ex præscripto Dei, proximo debemus, quæ omnia una *justitiæ* voce designantur Eph. IV. 28. quæ proinde *summaria* est, totius secundæ tabulæ *virtus*, qua, quod justum est, proximo præstamus: prout *vitium* summarium, est *injuria* Rom. I. 18. Quæ justitia pariter & injuria, singulatim exercentur: (10) *primo* circa *honorem* proximi, quatenus ille complectitur omnia ea officia reciproca, quæ ab *una* parte inferiores quivis, præstare debent suis superioribus: v. g. reverentiam, amorem, observantiam, submissionem, obedientiam, fidelitatem &c. ab *altera* parte, quæ superiores quivis, Magistratus, Pastores Patresfamilias, Præceptores.——præstare tenentur suis subditis, nim. *justitiam jurisdictionis*, & *charitatem*: quæ circa inferiores occupantur, tum *protegendo* a malis; Job. XXIX. 14. 15. 1 Tim. V. 8. tum *regendo*

præcepti virtutes generales & vitium oppositum.

Quarti præcepti virtus generalis, cum opposito vitio.

Posterior tabula.

Quinti præcepti virtus summaria cum opposito vitio.

gendo ac dirigendo ad bona, legibus, remuneratione, & punitione Rom. XIII. 4. 1 Tim. II. 2. Virtus autem universalis, quâ omnia ista officia reciproca diriguntur, est *humilitas* erga proximum, quâ proclives sumus, ad agnoscendam & testificandam illam excellentiam, quam Deus cuique contulit 1 Pet. v. 5. Phil. II. 3. prout oppositum generale vitium quinti præcepti, est *superbia*, qua, per contemtum proximi, ea negligimus officia, quæ, ex præscripto Dei, ipsi debemus 2 Tim. III. 2. (11) *Secundo* circa *vitam* proximi, conservandam, focillandam, promovendam: tam α. *spiritualem*; quod fit, *interpellatione* apud Deum 1 Tim. II. 1. *exemplo* bono, ad imitationem præstito Tit. II. 7. *adhortatione* Col. III. 16. quam β. *corporalem*, quod fit: a. eis virtutibus, quibus alieni sumus ab omni *læsione* proximi, nim. mansuetudine, patientiâ, longanimitate & placabilitate. b. eis virtutibus quibus inclinamur, ad *vitæ* conjunctionem fovendam, quales sunt concordia & benevolentia, quæ conjunctam habent affabilitatem, comitatem, & æquanimitatem. *Virtus* generalis, hæc omnia dirigens, est *humanitas*, φιλανθρωπία Act. XXVII. 3. & *vitium* generale oppositum, est *homicidium*, quo non tantum injusta proximi occisio continetur; sed etiam, quævis sævitia, crudelitas & similia. (12) *Tertio* circa *puritatem* quod matrimonialia, quæ ad propagationem spectant, per *verecundiam* & *honestatem* Phil. IV. 8. Virtus, hæc omnia generaliter dirigens, est *castitas* seu puritas personæ, quoad matrimonialia 1 Thess. IV. 3. 4. 5. prout, ex adverso, vitium generale, est *luxuria*, quatenus strictiore sensu, notat illicitum usum, eorum quæ pertinent ad generationem, quæ, eodem sensu, *impuritas*, *mollities* & *cupiditas mala* Col. III. 5. *lascivia* Rom. XIII. 13. *morbus cupiditatis* designatur 1 Thess. IV. 3. cui luxuriæ accensentur, omnes ejus causæ, effecta, signa aliaque: nec non omnes ejus species; scortatio, adulterium, incestus, polygamia simultanea, raptus, concubitus contra naturam, & illegitimum divortium. (13) *Quarto* circa *fortunas* & bona proximi externa, quæ justo titulo possidet, coram foro civili, sive occupatione, sive mercede, aut quovis contractu: ut nim. ea *conservet*, & adaugeat pro virili. Cui dirigendæ *virtus* generalis est, justitia *commutativa*, sic dicta, quod circa commutationes occupetur Levit. XIX. 36. Psal. XV. 2. Prov. XVI. 11. quam juvant *parsimonia* & *frugalitas* Prov. XXI. 15. item *liberalitas* 2 Cor. VIII. 15. Rom. XII. 13. Levit. XXV. 35. Psal. XXXVII. 21. *Vitium* oppositum generale octavi præcepti, est *furtum* seu injusta rei ablatio, invito Domino; sive illud *palam* fiat, per rapinam & latrocinium Exod. XXII. 1. Hos. VI. 8. 9. 1 Cor. VI. 8. 9. sive *clam*, per qualemcunque fraudulentiam Luc. XIX. 8. (14) Circa *fecuritatem* quamvis proximi, quatenus illa, seu conservari possit studio veritatis; seu lædi quovis falso testimonio. Sive id fiat *extra* judicium, quovis falsi-loquio, aut perfidâ promissione Eph. IV. 25. & v. 9. Jac. III. 14. sive *intra* judicium, quovis falsi-loquio, in actore, reo, Judice, testibus, advocato, procuratore Prov. XVI. 10. *Virtus* generalis noni præcepti, quâ hæc omnia diriguntur, est *veracitas*, per quam proclives sumus, ad loquendum secundum conscientiam Eph. IV. 15. prout *vitium* generale, est quodvis *mendacium*, quo contra conscientiam loquimur, nostraque auctoritate, falsum, scientes volentes, confirmamus Eph. IV. 25. (15) Circa quamvis proximi *fortunam*, quatenus illa, seu promoveri, seu lædi possit, interiori nostra *concupiscentia*; in honore, vita, matrimonio & fortunis. *Virtus* generalis, qua hæc in tuto sunt, est αὐτάρκεια seu *contentatio*, qua sic acquiescimus in sorte, nobis à Deo decreta, ut alienum quidvis, ne *cupiamus* quidem, *illegitimo* modo 1 Tim. VI. 6. Heb. XIII. 5. Phil. IV. 11. quin, ex adverso, *lætemur* super qua vis prosperitate proximi Rom. XII. 15. *Vitium* autem adversarium, est *concupiscentia prava* Heb. XIII. 5. Rom. VII. 7. oriunda à perversa φιλαυτία 2 Tim. III. 4. ex qua porro nascitur *invidia* Matth. XX. 15. & ἐπιχαιρεκακία, qua lætamur etiam de proximi adversis Psal. LXX. 3. Obad. vers. 11. 12. Et sic breviter repræsentavimus normam & compendium, omnium virtutum & vitiorum, ad quam, omne sanctitatis & justitiæ studium componi debet. Singulares singulorum præceptorum virtutes & vitia, cum suis controversiis & casibus conscientiæ, ad *moralia* nostra seponimus.

XVIII. Sanctificationis & sanctitatis, quam huc usque delineavimus, in virtute & bonis operibus, tres potissimum considerandæ affectiones; nim. *primo*, *necessitas* Heb. X. 36. cujus fontes dudum ostendimus §. IV. Est autem gemina: 1. *præcepti* & voluntatis Dei indeclinabilis 1 Thess. IV. 3. Levit. XI. 46. & XIX. 2. & XX. 7. 1 Pet. I. 14. 15. 16. Matth. V. 16. 48. Tum 2. *medii*, non equidem, ut sanctitas & studium bonorum operum, *jus* nobis paret ad vitam æternam: justificamur enim gratis, absque operibus Rom. III. 24. 28. nec ut ipsam vitam æternam sua efficientia, conferat: hoc enim soli Christo tribuitur 2 Tim. IV. 7. sed quod, ex voluntate Dei, ad *possessionem* vitæ æternæ prærequiratur Heb. XII. 14. & quasi *via* sit, quæ certissime eo diducat Jes. XXX. 21. Matth. VII. 12. 13. 14. Hinc præcepta Dei, passim *viæ* ejus appellantur Psal. XXV. 10. & vivere juxta præcepta illa, dicitur *ambulare in viis Domini* Deut. VIII. 6. Jos. XXII. 5. 2 Reg. II. 3. &c. quod nim. talis ambulatio ducat ad vitam Prov. XI. 19. & XII. 28. Hinc

Sexti præcepti summaria virtus, cum opposito vitio.

Septimi præcepti summaria virtus & vitium.

Octavi præcepti virtus generalis, & oppositum vitium.

Noni præcepti virtus generalis, eque oppositum vitium.

Decimi præcepti virtus generalis, eitque oppositum vitium.

Sanctificationis, & bonorum operum necessitas.

Efficacia & usus sanctitatis.

XIX. *Secundo* efficacia & *usus*, à quo *utilis* dicitur 1 Tim. IV. 8. Respectu: (1) *justificationis*, non equidem *acquirendæ*, ut *jus* vitæ æternæ ejus ope nobis comparemus. Sic enim, non tantum non est *utilis*; sed etiam *noxia*, quod gratiæ Dei, & merito Christi fit derogatoria Rom. XI. 6. unaque hominem excludat, à participio justificationis per Christum Rom. X. 3. 4. Gal. V. 4. sed ad acquisitæ *continuationem* Apoc. XXII. 11. ut suo loco docuimus. Respectu (2) *fidei*, efficax & utile est studium sanctitatis, ad ejus sinceritatem manifestandam Gal. V. 6. Jac. II. 18. Matth. VII. 16. 17. 18. quod fides sanctitate, seu bonis operibus destituta, *informis* sit ac *mortua* Jac. II. 17. 20. 22. ac proinde, non melior quam nulla. Respectu (3) *salutis* æternæ: quamvis nobis non conciliet mercedem *debitam*, secundum justitiam commutativam, ex intrinsecâ operis dignitate, nec, ut diximus, quicquam conferat ad *jus* salutis: attamen, dum viam præstat, ducitque, ad salutem, eaque ratione, ex pacto divino, *possessionem* conciliat *salutis* æternæ, *mercedem* Matth. V. 12. *coronam* 2 Tim. IV. 7. 8. *hæreditatem* Matth. XXV. 34. 35. καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης, *excellenter excellens æternum gloriæ pondus* OPERARI dicitur 2 Cor. IV. 17. Nec hoc tantum posthac; sed hic etiam, indubitatam præstat futuræ salutis *certitudinem* 2 Cor. V. 1. Joh. II. 5. 6. & III. 2. 3. Addam (4) respectu *proximi*, efficax est ad ejus ædificationem Matth. V. 16. & conversionem 1 Pet. II. 12.

Perfectio & imperfectio sanctitatis.

XX. *Tertio*, perfectio & imperfectio. Competet, procul dubio sanctitati, *post* hanc vitam *omnimoda* perfectio Eph. V. 26. 27. & IV. 13. competit eidem *in hac* vitâ, sua quædam duplex perfectio: (1) *Sinceritatis* Gen. XVII. 1. Jes. XXXVIII. 3. per quam non fucata est, & personata verbis solis, ac gesticulationibus externis Psal. XII. 3. Ezech. XXXIII. 31. sed ab imo procedit corde Deut. VI. 5. Psal. CXXXIX. 23. 24. (2) *partium* Luc. I. 6. quatenus vere sanctificati conatus, sese extenderit, non ad hæc tantum aut illa legis officia, sibi magis congrua Marc. VI. 20. sed ad omnia & singula 2 Reg. XXIII. 25. Luc. I. 6. quali v. g. infans, omnia membra corporis humani proferens, *perfectus* dicitur: Sed (3) perfectionem *graduum*, qua omnia sanctitatis officia, in quæ sincere enititur sanctificatus, ultimum consequantur gradum; in hac vitâ, præter Christum, non obtinuit quisquam, nec obtinebit 1 Cor. XIII. 9. 10. 11. Phil. III. 11. 12. 13. Prov. XX. 9. Eccl. VII. 20. 1 Reg. VIII. 46. Jes. LXIV. 6. Jac. III. 2. 1 Joh. I. 8. 9. 10. Rationes divinæ hujus dispensationis, sic nervose repræsentat Maresius loc. XII. §. LI. Sic enim, inquit: 1. discrimen apparet, inter justificationem & sanctificationem, 2. Ecclesiam militantem & triumphantem, 3. viam & patriam, 4. tum pii, infirmitatum suarum sensu & conscientia, ad humilitatem formantur. 5. ex sola Dei gratiâ salutem exspectant. 6. avidius ad cœli felicitatem adspirant. 7. mortem excipiunt alacrius. Et 8. sicut Israëli, Cananæorum hostilitates; ita nobis reliquiæ peccatorum, inserviunt ad exercitium spirituale. Ex dictis patet, sanctitatem suas habere, periodos, suos gradus, non tantum ratione: α. hujus & futuræ vitæ; nec tantum ratione β. præteritæ & præsentis œconomiæ, quatenus *illius* sanctitas, utpote sub ætate infantili Gal. IV. 1. ordinarie minor fuit, quam *hujus*, virilem jam & adultam agentis Zach. XII. 8. quod copiosior procul dubio, communicatio Spiritus S. jam vigeat, quam olim Joël. II. 28. 29. Act. II. 17. 18. Zach. XII. 10. sed etiam ratione γ. præsentis œconomiæ, sub quâ, ratione graduum, alii *infantes* sunt 1 Cor. III. 1. 2. & XIII. 11. 12. Eph. IV. 14. alii *adolescentes* 1 Joh. II. 13. alii *adulti*, *Patres*. *Ibid.* Eph. IV. 13. & hi demum, comparate ad infantes, τέλειοι, *perfecti*, seu potius *adulti* appellantur Phil. III. 15. cum Eph. IV. 13. 14. Heb. V. 14. Jac. III. 2.

Ex sanctificationis imperfectione, in sanctificatis, est caro & spiritus.

XXI. Ex hac sanctificationis imperfectione, omnes vere sanctificati, omnesque eorum partes, & facultates, tam *superiores* seu rationales, intellectus & voluntas; quam *inferiores* seu sensitivæ, imo & optima eorum opera, à duplici principio informantur, *carne* & *spiritu* Gal. V. 17. quæ in eo se habent, ad modum duplicis hominis; *veteris* & *novi* Eph. IV. 21. quorum illud, scil. *caro* hominem afficit, quatenus corruptus est: hoc, puta *spiritus*, eundem quatenus conversus & sanctificatus est: nec *hominum* tantum afficiunt sanctificatum (in non-sanctificatis enim, non est, nisi mera caro Joh. III. 6.) sed omnia etiam ejus *bona* opera, usque ad *optima*, quæ à carne seu corruptione adeo inficiuntur: ut, licet peccata non sint; peccaminosa tamen imperfectione ita laborent, ut per se, Deo non tantum placere non possint; sed & propter istam labem, sibi perpetuo adhærentem, puniri etiam mereantur Jes. LXIV. 6. Rom. VII. 21. 22. 23. Marc. IX. 24. Hinc omnino necessarium est, ut imperfectio illa sarciatur, & labes operiatur, perfectione & puritate sanctitatis Christi, per fidem apprehensæ Psal. XXXII. 1. & ut nobis, opera nostra bona sarcienda & operienda, Christo per fidem tradamus, qui ea Patri suo, pro nobis offerat Apoc. VIII. 3. 4. Joh. XVI. 23. 24. Dan. IX. 17.

Carnis & Spiritus in sanctificatis, triplex conflictus.

XXII. Duplicis porro istius principii, tria hæc in sanctificatis observantur *conflictaria*: 1. Perpetua in ipsis *contentio*, inter *carnem* corruptam, concupiscentem; & *spiritum* sanctificatum, obnitentem Gal. V. 17. carnis desideria compescentem & mortificantem Rom. VIII. 13. ejusque jugum ac dominium, adeo excutientem Rom. VI. 12. ut, licet

licet carnem non possit penitus debellare; tamen
1. Lucta, eo usque subigat, ut *sponte* nunquam ei subsit *Ibid.* quamvis ut tyranno, velut coactus, subinde cedere cogatur Rom. VII. 14. Cujus contentionis, illustre specimen Apostolus præstat in seipso Rom. VII. 14 — quando: α. non statum hominis sub œconomia *legali* constituti, confert cum statu hominis sub *Euangelica* agentis; cum Paulus tum non vixerit sub œconomia legali: nec β. statum suum præteritum & irregenitum à vs. 14. usque ad 25. confert, cum statu suo præsenti & regenito vs. 25. sed statum suum *præsentem* examinat, sub duplici principio, carne & spiritu, perpetuò sibi invicem obnitentibus, ut non semper præstet quod velit; sed nonnunquam quod odio habeat: imo & tum, si quod bonum est, velit ac præstet; sibi adhæreat malum. vs. 21. ut semper cogatur suspirare: *Miser ego! quis me liberabit?* vs. 24. Cum autem nondum sanctificati, mere sint *caro*, omnique spiritu destituti; in eos quoque non cadit, veri ac proprii nominis lucta inter carnem & spiritum: ac proinde, quæ in ipsis quandoque observatur contentio, non est inter carnem & spiritum; sed inter carnem concupiscentem, & carnem metuentem. Discernendæ duplicis hujus contentionis rationem, ad practicalia seponimus.

2. Gravissima sanctificatorum peccata.

XXIII. 2. Gravissima peccata, in quæ, ipsi etiam verè sanctificati, non raro incidunt: quod videre est v. g. in *Noachi* ebrietate Gen. IX. 21. *Abrahami* & *Isaaci* mendaciis Gen. XII. 13. 19. m. XX. 2. & XXVI. 7. *Lothi* ebrietate & incestu Gen. XIX. 33. 34. *Aaronis* idololatria Exod. XXXII. 4. ejusdem & *Mosis* infidelitate Num. XX. 11. 12. *Davidis* adulterio & homicidio 2 Sam. XI. 4. 15. *Salomonis* idololatria & polygamia 1 Reg. XI. 1 — *Hiskiæ* fastu Jes. XXXIX. 2 — *Petri* lapsu Matth. XXVI. 70--&c. Usque adeo, ut de justo dicatur, quod *septies cadat* in die Prov. XXIV. 16. Quæ omnia resultant à reliquiis carnis, ipsis inhabitantibus Rom. VII. 18. 19. Quæ tamen sanctificatorum peccata, utcunque gravia, toto cœlo distant ab impiorum sceleribus: quando enim: α. illorum peccata resultant ab *infirmitate*, validiore tentatione expugnata Matth. XXVI. 41. 2 Sam. XII. 4. horum resultant à *contumacia* Num. XV. 30. Ps. XIX. 13. 14. Quando β. illorum peccata, cum qualicunque *reluctantia* spiritus perpetrantur Rom. VII. 15. 19. Gal. V. 17. horum scelera, puro puto *carnis obsequio* excluduntur Eph. IV. 19. Quando γ. illorum peccata *subacta* sunt 1 Cor. IX. 27. horum scelera plenè *dominantur* Rom. VI. 12. 1 Reg. XXI. 20. Quando δ. illi à commissis peccatis, recidunt ad *resipiscentiam* 2 Sam. XXIV. 10. Matth. XXVI. 75. hi suis sceleribus *immoriuntur* Joh. VIII. 21.

Discrimen inter peccata sanctificatorum & impiorum.

3 Quotidiana eorum

XXIV. 3. Quotidiana resipiscentia. Si enim per carnem ἐνπερίσατον, *quotidie* labimur, nec semel; sed *septies* & sæpius Prov. XXIV. 16. nunquid necessarium, ut quotidie renovata resipiscentia, resurgamus? Conf. Luc. XVII. 4. quotidie lapsus nostros coram Deo, humiliter exoneremus? *Ibid.* cum Deo reconciliemur? 2 Cor. V. 20. curatius nobis advigilemus? ne à peccato ἐυπερισάτῳ fallamur Heb. XII. 1. & III. 13. & in sanctitate progressus & incrementa quotidie facere, omni conatu admitamur? 2 Cor. VII. 1. Phil. III. 12. 13. 14. 2. Pet. III. 18. Col. I. 10.

resipiscentia.

Pars elenchtica.

Quæritur:

XXV. Quæritur *primo*, an, per sanctificationem, Deus voluntati nostræ, novos habitus bonos conferat, per quos proclives simus ad benè operandum? Pelagiani cum quibus Sociniani faciunt ex asse, quia negant, à peccato protoplastorum primo, posteros quicquam, aut labis aut vitii contraxisse; ac libero nostro arbitrio, vires suas adhucdum integras supereresse, ad volendum & perpetrandum bonum quodvis: *habituum* bonorum collationem, necessariam esse negant, totumque sanctificationis opus, ponunt in excitanda voluntate, ut suis viribus seipsam accingat, studio bonorum operum; idque sanctificationem agere *suasionibus* mortalibus tantum. Pontificii, quia pugnam carnis & spiritus, h.e. corporis & animæ, statuunt, ab ipsa creatione, homini fuisse *naturalem*, cui ordinandæ & compescendæ, justitia *originalis*, naturæ extrinsecus, ut frænum quoddam, fuerit superaddita; quæ proinde sola, spiritu illæso, fuerit, propter peccatum protoplastorum, ablata: non existimant necessarium esse, ut spiritui, seu voluntati illæsæ, *novi* conferantur *habitus*; tantum hîc requiri, ut gratia spiritui naturalis, excitetur, sive hoc fiat sola suasione *morali*, ut volunt Jesuitæ; sive insuper operatione Dei *physica*, ut Dominicani: saltem novos *habitus* voluntati, per sanctificationem infundi, non admittunt. Reformati, quia, cum Scripturis statuunt justitiam *originalem*, homini olim fuisse naturalem, eamque peccato protoplastorum planè periisse, ut jam voluntas mortua sit in peccato, & inepta ad quodvis bonum *spirituale*: existimant, electis: primò *vitam* spiritualem restitui *regeneratione*; hanc deinde *excitari* & promoveri in *actum*, eatenus ut Deum & Mediatorem apprehendat vera fide, & *propositum* serium concipiat deserendi peccata, ac studendi bonis operibus, idque fieri *conversione*; tandem homini converso, ejusque voluntati, *habitus* bonos, seu virtutes *infundi*, & hos porro ad quævis bona *opera* promoveri, *sanctificatione*. Eo quod (1) Apostolus exsertè doceat, Deum, & spiritum, & animam, & corpus nostrum adeo sanctificare, ut evadamus ὁλοτελεῖς καὶ ὁλόκληροι 1 Thess. V. 23. quod, procul dubio peragitur collatione novorum habituum. (2) Deus suis conferat *spiritum novum* Psal. LI. 12.

1. An sanctificatio novos habitus voluntati confert?

sententiarum discrepantia.

sententiæ affirmativa, cum suis rationibus.

Ezech. xxxvi. 27. (utique *ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ--ſpiritum fortitudinis & timoris Domini* Jeſ. xi. 2. quibus procul dubio, habitus boni intelliguntur, ut patet ex 1 Cor. xii. 8. 9. 10. 11.) cujus ope in *ſtatutis ſuis ambulent*, bonis operibus ſtudendo. (3) *Fructus* illi, quos Spiritus Sanctus procul dubio per ſanctificationem, in fidelibus producit: *lenitas*, *benignitas*, *bonitas*, *fides*, *manſuetudo*, *temperantia* Gal. v. 22. procul omni dubio ſint *habitus* boni, ſeu virtutes. (4) Deus dicatur operari in nobis *velle* bonum, pariter & *perficere* Phil. ii. 13. (5) *omne bonum & ſalutare donum* (cui procul dubio, *habitus* quivis boni, ſeu virtutes, ſunt accenſendi) dicatur *ſuperne* eſſe, *à Patre luminum* Jac. i. 17. (6) Apoſtolus, *omnem* ſuam ἱκανότητα (quæ coincidit cum *virtute*, per quam *apti* ſumus, & proclives ad operandum bonum) referat ad Deum 2 Cor. iii. 5. 6. 1 Cor. xv. 10. Nec habent adverſarii pro ſe, quod cauſentur, niſi perverſas ſuas hypotheſes, v. g. hominem non fuiſſe creatum cum *juſtitia originali*, quam refutavimus Lib. iii. cap. ix. §. 31. 32. 40. 41. proinde iſtam *juſtitiam originalem*, etiam peccato non perdidiſſe, quam refutavimus lib. iv. cap. ii. §. 13.--23. hinc liberi arbitrii vires, per peccatum integras manſiſſe, & illæſas, quam refutavimus lib. iv. cap. iv. §. 31. inde porro, non neceſſarium eſſe, ut ei *nova vita* ſpiritualis regeneratione conferatur, quam refutavimus lib. vi. cap. iii. §. 15. 23. Denique ex his omnibus non neceſſarium eſſe, ut voluntati noſtræ, novi habitus conferantur.

Negativæ fulcra.

2. Quid cenſendum de mortificationibus Pontificiorum.

XXVI. Quæritur *ſecundo*, quid cenſendum de *mortificationibus* Pontificiorum, per cilicia, lectos duriores, victum tenuem & vilem, veſtes aſperas, flagellationes, aliaque id genus, quæ carnem affligunt, ſuaſque ei commoditates ſubtrahunt? Pontificii, pro ſueta ſua ſuperſtitione, in his potiſſimùm ac ſimilibus, exercitium *mortificationis* ponunt, eaque in ſuis aſceticis commendant, & his, velut præcipua ſua religione, ſuperbiunt. Reformati, quamvis fateantur, carnem ſeu corruptionem, eſſe etiam in corpore, imò & corpus, carni in anima perſæpe, anſam præbere peccandi: adeoque corpus etiam, præſcriptis mediis eſſe ſubigendum 1 Cor. ix. 27. nec frænum ejus deſideriis laxandum eſſe Jud. vſ. 10. 2 Pet. ii. 10. hanc tamen Pontificiorum ſpecioſam mortificationem, non probant, eo quod: 1. præſupponat, per *carnem* in Scripturis, quando ſpiritui opponitur, non intelligi, niſi *corpus*, & ſenſualitatem ſeu cupiditates corporeas; nec per *ſpiritum*, quando opponitur carni, intelligi, niſi *animam rationalem*, ſeu animæ facultates ſuperiores, quæ (per ablatam juſtitiam originalem, utrique hominis parti eſſentiali *extrinſecam*, velut donum extraordinarium) non fuerit ſauciata, aut ſpiritualiter necata: adeoque omnia iſta externa, impendunt ſubigendo ſoli corpori, ejuſque ſenſualitatibus cupiditatibuſque; quando Scriptura, & *carnis* & *ſpiritus inquinamenta* expurgare jubet 2 Cor. vii. 1. ac Paulus, & *ſpiritum*, *& animam*, *& corpus*, ſanctificari petit 1 Theſſ. v. 23. Quod 2. *externæ* illæ Pontificiorum mortificationes, nullibi à Deo nobis commendentur in verbo ſuo, adeoque meram ſpirent *ſuperſtitionem* Matth. xv. 9. & *plantas*, *a Patre* cœleſti *non plantatas*, adeoque *eradicandas* vſ. 13. Jeſ. i. 12. Quod 3. ſint Scripturis, ſic ſatis damnatæ, quatenus in corpus proprium ſæviunt Col. ii. 23. Eph. v. 29. & in fucatis mortificationibus notantur 1 Reg. xxi. 27. Quod 4. inordinatæ iſtæ corporis fatigationes debilitationeſque, operationes animæ carnem mortificaturas, impediant. Hinc Apoſtolus mortificationem Timotheo ſuadens 1 Tim. v. 22. (*teipſum purum ſerva*) verbis immediatè ſequentibus, ipſi commendat ſtudium conſervandæ valetudinis, & pellendarum infirmitatum corporis vſ. 23. Quod 5. ab externis iſtis macerationibus corporis, in negotio mortificationis, adeo pendeant; ut vix, quicquam audias apud ipſos, de cooperationibus Spiritus S. quibus, ſi non ſolum; ſaltem præcipue, inſiſtit Scriptura Rom. viii. 13. Gal. v. 16. 18. 19. Quod 6. omnia iſta, apud Pontificios ſtipata uſurpentur, cum impia fiducia *ſatisfactionis*, meriti ac ſuperbæ ſupererogationis, quæ corruptionem fovet potius, quam mortificat. Nec video, quid, ulla quidem cum *φάσει*, pro ſe poſſint cauſari ἀντικείμενοι, niſi illa Scripturæ loca, quæ jubent *abnegare ſeipſum* Luc. ix. 23. *carnem crucifigere* Gal. iv. 24. *mortificare membra* quæ in terris ſunt Col. iii. 5. quibus ipſi, per *ſeipſum*, non intelligunt, niſi ipſam hominis naturam; per *carnem*, corpus; & per *membra*, ipſas corporis noſtri partes: quando Scriptura per ea non intelligit, niſi *veterem* hominem, *corpus peccati* & mortis, hoc eſt, *corruptionem* illam, quæ in toto homine eſt, ipſo Paulo interprete Col. iii. 5. Matth. v. 29. 30. & xviii. 8. 9.

Sententia Reformatorum, proponitur; & probatur.

Fundamentum mortificationum pontificiarum ſubruitur.

3. An ſtudium bonorum operum ſit neceſſarium?

XXVII. Quæritur *tertio*, an ſtudium bonorum operum, ſit *neceſſarium* ad ſalutem? Pontificii neceſſarium ſtatuunt, ad impetrandam juſtificationem, & promerendam vitam æternam, & quia hoc non ferimus; calumniantur, nos *contemnere* bona opera, imo negare bonorum operum neceſſitatem (Vid. Bellar *de Juſtif.* lib. iv. c. 1.) poſt Valentinianos, de quibus Epiphanius lib. i. Tom. 2. *Hæreſ.* xxxi. poſt Eunomianos, de quibus Auguſtinus *Hæreſ.* liv. & poſt Simonianos, Carpocratianoſque, de quibus Irenæus lib. i. cap. xii. & xiv. Antinomi tempore Lutheri, negabant bona opera eſſe *neceſſaria*. Sleid. lib. ix. *Hiſtor.* quibus, ut vehementius ſeſe opponeret Nicolaus Amſdorffius, in colloquio Aldenburgenſi, per ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, ſtatuebat, bona opera ad ſalu-

Sententiarum diſcrepantia.

salutem esse *perniciosa*. Lutherani communiter, licet variis modis, necessaria esse fateantur bona opera; imò etiam, sano sensu, *ad salutem* necessaria dici posse: attamen, absque justis rationibus, scrupulosi sunt, qui sic loquantur. Reformati, cum Georgio Majore, Conrado Horneio, aliisque Lutheranis, negant necessitatem bonorum operum, ad jus vitæ æternæ nobis parandum, imò hac intentione perpetrata, ex ea, etiam *mala* esse & *pernicosa* dicunt, ut in *dogmaticis* monuimus; sed affirmant, ea necessaria esse, ex præscripto divino, ad vitæ *possessionem* accipiendam, ut *conditiones*, *sine quibus*, *non* vult Deus nobis conferre salutem, seu, ut Bernardus loquebatur: *sunt*, *non causa regnandi*; *sed via ad regnum*. Et sic sentiunt, quia Scriptura bonorum operum studium urget, non nudè tantum; sed etiam: (1) ut Prærequisitum *salutis* Heb. XII. 14. Phil. II. 12. Rom. VIII. 13. 1 Tim. II. 15. Heb. X. 36. Jac. I. 21. 22. (2) ut *finem* electionis, egregium in grediens fœderis gratiæ, fructum redemptionis, ἔργον vocationis, regenerationis, conversionis, ut intentionem justificationis, adoptionis, & ut prærequisitum glorificationis, quæ singulatim ostendimus §. IV. Quia (3) operam dantibus bonis operibus, Deus vitam æternam *promittit* ut præmium Rom. II. 6. 7. 10. 1 Tim. IV. 8. Quia (4) Judex, adjudicans vitam æternam, eamque conferens, non aliter, quam ut *præmium* adjudicat Matth. XXV. 34 — Nec est adversariis, quod speciosius causentur in contrarium, quam locus Eph. II. 8. 9. qui gratis nos *servari* dicit absque operibus. Resp. Loquitur de salute, quam *hic* obtinemus; *gratia servati* ES TIS, h. e. de salute quoad JUS, quod justificatione consequimur, sola fide absque cooperatione operum Rom. III. 24. 28. Gal. II. 16. non autem loquitur de salute, quam *post hac* consequemur, seu de ipsa salutis *possessione*, quam nullibi, absque operibus obtineri, Scriptura docet.

Reformatorum sententia, cum suis rationibus. Fundamentum adversariorum.

4. An usus bonorum operum sit ad parandam justificationem?

XXVIII. Quæritur *quarto*, an bonorum operum usus & efficacia sit, ad parandam nobis *justificationem*? Pontificii, bonis operibus, efficaciam *merendi* justificationem & salutem assignant, sive *ex congruo*, seu mera Dei liberalitate; sive *ex condigno*, seu stricta justitia, propter condignitatem intrinsecam; sive *ex pacto*, seu promissione, ut nonnulli volunt. Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ, aliique, usum quidem tribuunt bonis operibus ad parandam justificationem; sed efficaciam *merendi* negant. Reformati negant ea conducere ad *parandam* justificationem, licet fateantur conducere ad *continuandam*, ad certiorandam, & ad *possessionem* vitæ æternæ, nobis per justificationem adjudicatæ. Quæstionem hanc ex professo examinavimus cap. VI. §. XXII. Conf. etiam §. XIII. ejusdem.

5. An sanctificatio hic possit esse perfecta? Sententiarum discrepantia. Sententia Reformatorum, cum suis rationibus. Fundamenta adversariorum.

XXIX. Quæritur *quinto*, an sanctificatio, dum hîc simus, unquam adeo sit perfecta, ut immunes possimus esse ab *omni* peccato? Pelagiani, odio peccati originalis, & amore liberi arbitrii, cujus viribus homo possit, quicquid Deus sibi præscribit; affirmant. Sociniani insuper sic urgent perfectionem, ut peccata sua adhuc lugentes, infimi ordinis Christianos, indigitent. Sic & Antinomi. Anabaptistæ, perfectionem insuper, non cuivis tantum Christiano singulatim tribuunt; sed integris etiam Christianorum cœtibus. Remonstrantes, saltem bona fidelium opera *immunda* negant, & provectioribus in Christianismo, perfectionem quandam tribuunt *ex æquo & bono*, quam *evangelicam* appellant. Pontificii regenitos, peccato mortali, omnique malo habitu carere *posse*, justosque in omni bono opere, ne *venialiter* quidem, & multo minus *mortaliter* peccare, contendunt. Reformati, quamvis perfectionem *sinceritatis*, & *partium* agnoscant, perfectionem tamen *graduum*, adeo negant hîc obtineri, ut vel optima regenitorum opera labi & imperfectioni morali obnoxia censeant, ut docuimus §. XIX. Quod patet (1) Distertis Scripturæ *testimoniis* 1. Cor. XIII. 9. 10. 11. Rom. VIII. 23. 1 Reg. VIII. 46. Eccl VII. 20. Prov. XX. 9. Job. XIV. 4. & XV. 15. 16. Jac. III. 2. 1 Joh. I. 8. 9. 10. (2) *Perpetuis* sanctorum *querelis* Psalm. CXXX. 3. & CXLIII. 2. & XIX. 13. Job. IX. 2. 3. & V. 15. Dan. IX. 18. (3) Universali *remissionis* necessitate Matth. VI. 12. Ps. XIX. 13. & XXXII. 1. 2. 6. (4) Exemplis peccatorum, vel in sanctissimis hujus vitæ: Adamo, Noacho, Lotho, Abrahamo, Mose, Davide, Hiskia, Josia, Petro, Paulo, B. Virgine, quæ suo loco distinctius repræsentavimus (5) Perpetua carnis & spiritus *contentione* Gal. V. 17. Rom. VII. 14-- (6) Indesinenti studio proficiendi 2 Cor. IV. 16. Phil. III. 12. 14. Causantur interim in contrarium ἀντιξίμιστοι (1) Scripturæ testimonia, quibus Deus *perfectionem* à suis exigit Matth. V. 48. quibus Christus sponsam suam, *integram & perfectam* prædicat Cant. IV. 7. quibus fideles *justi* prædicantur Gen. VI. 9. Luc. I. 6. qui *in omnibus Dei præceptis ambulaverint* 1 Reg. XV. 5. Luc. I. 6. quibus Episcopus jubetur esse *irreprehensibilis* 1 Tim. III. 2. quibus regenitus *non peccare* dicitur 1 Joh. III. 9. quibus opera justorum *Deo placere* dicuntur Act. X. 35. & in *judicio Dei consistere* Psal VII. 9. Resp. Istis locis, vel perfectio *sinceritatis* intelligitur, cui hypocrisis opponitur, sic Cant. IV. 4. Gen. VI. 9. Luc. I. 6. vel perfectio *partium*, ut sit 1 Reg. XV. 5. Luc. I. 6. vel perfectio conversationis *externæ*, ut 1 Tim. III. 2. vel ἀναμαρτησία tantum *habitualis*, qua peccatum non facias, velut opificium *facimus*, ut 1 Joh. III. 9. vel propter *imputatam* Christi justitiam Deo *placemus* Eph. I. 5. 6. sic Act. X. 35.

& per fidem in ipsum, *consistimus in judicio*, seu in *condemnationem* non adducimur Joh. III. 17. 18. & v. 24. sic Ps. VII. 9. (2) Illa loca quibus *jugum* suum, Christus dicit esse *facile*, & onus suum *leve* Matth. XI. 30. & mandata ejus, non esse *gravia* dicitur 1 Joh. v. 3. Resp. α. Per *jugum* & *onus* suum, Christus non intelligit, *perfectam* observationem legis Mosaicæ, quam non adeo facilem ac levem esse, ipsi facile agnoscent adversarii: prout etiam β. lex Dei regenitis *non gravis* dicitur: non quod ejus exacte observatio, tam *facilis* sit; sed quod *jucundum* regenitis accidat, observare legem Dei, secundum interiorem hominem Rom. VII. 22. 23. (3) Quod Paulus, se *omnia valere* pronunciet per Christum, *qui* se *corroboret* Phil. IV. 13. Resp. Non loquitur de observatione *legis*; sed de tolerantia & victoria, in quavis sorte adversa Rom. VIII. 35. 37.

6. An in luctâ per carnem, corpus & appetitus, sensitivus; & per spiritum, anima & appetitus rationalis, veniant intelligenda?

XXX. Quæritur *sexto*, an in luctâ fidelium, per *carnem* intelligatur corpus, ejusque appetitus sensitivus; & per *spiritum*, anima rationalis, & appetitus rationalis, quorum contentio in eo consistat, quod corpus carnalia, & spiritus spiritualia concupiscat? Item, an in hac contentione, sit veri nominis peccatum? Pontificii communiter existimant, hominem, ex creatione divina, naturaliter constare carne & spiritu, ex quarum diversis, vel contrariis propensionibus, ad bonum scil. corporale & spirituale, in uno eodemque homine, pugna quædam existat, & ingens bene agendi difficultas: quæ quidem pugna, sit *morbus* quidam & languor naturæ, quæ, ne in nervum erumperet; Deum *justitiam originalem*, naturæ addidisse, qua, velut fræno quodam aureo, pars *inferior*, seu propensio corporis in corporalia, *superiori*, seu propensioni spiritus in spiritualia; & pars *superior* Deo facile subjecta contineretur: proinde, *justitiam* hanc *originalem*, fuisse donum quoddam, extrinsecus ad naturam accedens, adeoque *supranaturale*: hac ergo, per peccatum protoplastorum, ablata; corpus & animam, naturalibus

Quid hic Pontificii?

suis propensionibus, sibi invicem, libere obniti, & in hoc consistere luctam carnis & spiritus.

Quid Reformati?

Reformati, admittunt quidem, cum corpore & anima hominem creatum fuisse, & utrique harum partium, suam etiam fuisse propensionem peculiarem; sed eas sibi invicem ita fuisse subordinatas, per naturam suam, ut corpus non obniteretur spiritualibus, nec anima corporalibus, adeoque *natura*, hic nullam omnino fuisse pugnam, nullum morbum, nullum naturæ languorem: & in hac subordinatione naturali, seu in hac rectitudine, fuisse justitiam *originalem*: ea vero, per peccatum excussa, successisse repugnantiam & *corruptionem*, quæ in Scripturis, appelletur *caro*, occupans corpus pariter & animam; per regenerationem autem, & sanctificationem, dum justitia originalis paulatim restituitur, carni accedere spiritum. Adeoque per *carnem* Scripturis in hoc negotio, non intelligi *corpus* ejusque propensionem in corporalia; sed universalem illam *corruptionem*, quæ totum hominem, omnesque ejus facultates, tam superiores, quas appellant, quam inferiores occupat; sicut ex adverso, per *spiritum*, *rectitudinem* illam, quæ per regenerationem & sanctificationem, toti homini, atque omnibus ejus partibus, ac facultatibus restituitur: & sic in contentione hujus corruptionis & rectitudinis, consistere luctam carnis & spiritus. Idque propterea statuunt: 1. Quia voces σάρξ & πνεῦμα, sunt πολύσημοι; licet in sensu *naturali*, corpus & animam significent in Scripturis; attamen in sensu *morali*, vox *caro*, nunquam ipsum corpus, aut corporis propensionem in corporalia, simpliciter sonat; sed semper *corruptionem*, quæ est, non tantum in corpore ejusque propensione; sed etiam in anima ejusque facultatibus propensioneque Joh. III. 6. Rom. VIII. 1. 3. 2 Cor. 1. 17. prout ex adverso *spiritus*, moraliter *rectitudinem* sanctificatorum, constanter notat Gal. v. 17. 24. Rom. VIII. 1. 13. &c. Ut *caro* idem Scripturis sit, quod *vetus homo* Rom. VI. 6. Eph. IV. 22. Col. III. 9. seu corruptio moralis, totum hominem pervadens, quæ alio modo, non corpus simpliciter; sed *corpus peccati* dicitur, & corpus *mortis* Rom. VI. 6. & VII. 24. Quia 2. non tantum corpori, sed etiam animæ seu *spiritui*, sua tribuitur corruptio 2 Cor. VII. 1. Adeoque 3. sanctificatio, non corpori tantum, sed etiam *spiritui*, est necessaria 1 Thess. v. 23. Imo 4. carni tribuuntur operationes animæ Gal. v. 19. 20. *opera carnis sunt--idololatria--hæreses*, adeoque in ipsis operationibus animæ, *caro* agnoscitur. Nec habent, quod ulla specie pro se causentur Pontificii, quam quod corpus & anima rationalis, velut substantia materialis & immaterialis, sibi invicem sint contraria, & contrariis etiam propensionibus studiisque, sint prædita; quæ proinde sua natura, pugnent. Cui respondemus, quod partes illæ humanæ, & propensiones partium, seu *naturæ*, sibi invicem non sint *contrariæ*; sed per creationem *subordinatæ*, & quæ jam inter eas observatur pugna; non à natura; sed à *carne* seu corruptione originali, sit oriunda. Conf. quæ supra diximus lib. III. Cap. IX. §. XLIII.

Argumenta Reformatorum.

Fundamentum Pontificiorum.

Pars practica.

Praxis commendat: 1. Studium exercendi sanctimoniam.

XXXI. Praxis sanctificationis, *primo* nobis commendat studium *exercendi sanctimoniam* Rom. VI. 19. 2 Cor. VII. 1. 1 Thess. IV. 3. 4. 2 Pet. III. 11. Quia: 1. in sanctimonia *finis* est, electionis redemptionis, vocationis, regenerationis, conversionis &c. ut docuimus §. IV. Quia 2. in ea præ-

præcipuum eſt hominis *ornamentum* ac formoſitas 1 Pet. v. 5. Pſal. xlv. 12. 14. prout in peccato, maxima, imò unica eſt ejus *deformitas* & turpitudo 2 Pet. iii. 14. 2 Cor. vii. 1. Eph. v. 27. Eſt enim in ſanctitate, *pulchritudinis*: α. *perfectio partium* 1 Theſſ. v. 23. 2 Tim. iii. 17. β. *harmonia* ſeu συμμετρία partium, inter intellectum, voluntatem, affectus & facultates ſenſitivas, quatenus, per ſanctitatem, poſteriores illæ facultates, imperio rationali obſequuntur Joh. xi. 33. γ. *ſplendor* quidam glorioſus Matth. v. 16. Quia 3. eſt *imago* & conformitas quædam cum Deo 2 Cor. iii. 18. Eph. iv. 24. Matth. v. 48. 1 Pet. i. 15. Quia 4. eſt præcipua ipſius Dei excellentia & *gloria*, à quâ celebratur ab ipſis Angelis Jeſ. vi. 3. & à beatis in glorià Apoc. iv. 8. Quia 5. ſanctus & Chriſtianus, ſynonyma ſunt Pſal. xvi. 2. 3. & xxxiv. 10. & lxxxix. 6. Act. ix. 13. Rom. i. 7. 1 Cor. i. 1. &c. ut qui ſanctus non eſt, Chriſtianus non ſit. Quia 6. ſanctitas ad omnia *utilis* eſt 1 Tim. iv. 8. ſanctificat omnia noſtra Tit. i. 15. Quia 7. infallibile nobis præſtat, electionis, redemptionis, vocationis, regenerationis, converſionis, unionis cum Chriſto, juſtificationis & adoptionis indicium; per ea, quæ diximus §. iv. adeoque omnis veræ tranquillitatis, pacis, conſolationis & gaudii *ſcaturiginem* præſtat: unde, vocationem & electionem ſuam, *firmam* facturis, Apoſtolus ſuadet, *fidei* ſuæ adjicere *virtutem*, *virtuti cognitionem*. 2 Pet. i. 5—11. Quia 8. abſque ſanctitate, impii Pſal. v. 5. 6. Hab. i. 3. omniaque eorum opera, optima etiam, Deo abominationi ſunt Jeſ. i. 10—18. Quia 9. ſanctitatis ſtudium, ad ſalutem, abſolute eſt *neceſſarium* Heb. xii. 14. Apoc. xxi. 27. ſicut enim ejus defectus, Angelos excluſit è cœlo 2 Pet. ii. 4. Jud. verſ. 6. & protoplaſtos è paradiſo, & à fruitione arboris vitæ Gen. iii. 22. 23. 24. ita impios æternum ſecludet à cœlo. Quibus autem adminiculis, in ſtudio ſanctimoniæ juvabimur? Reſp. (1) Operam demus, ut *uniamur* cum Chriſto; extra Chriſtum *nihil poſſumus* Joh. xv. 4. 5. per unionem enim cum Chriſto, Chriſtus in nobis vivit, & nos in Chriſto Gal. ii. 20. h. e. Spiritus, gratiæ ac virtutis Chriſti, per quæ *omnia* poſſumus Phil. iv. 13. reddimur participes, ut *ex* ejus *plenitudine*, hauriamus *gratiam pro gratia* Joh. i. 16. (2) Proinde operam demus fidei vivæ, & *per charitatem efficaci* Gal. v. 6. utpote per quam *Chriſtus vivit* in nobis, noſque vivimus in Chriſto Gal. ii. 20. Rom. i. 17. ex Hab. ii. 4. quæque *corda* noſtra *purificat* Act. xv. 9. Inſuper (3) communicationem Spiritus Sancti, ferventiſſimis *precibus* à Deo expetamus Luc. xi. 13. cujus ſolius ope, *carnis operationes* poſſumus *mortificare*, *ut vivamus* Rom. viii. 13. cujus *fructus* ſunt; *charitas*, *gaudium* — Gal. v. 22. Porro (4) vires illas, quas in regeneratione & ſanctificatione, accepimus à Deo, fideliter *arrigamus* 1 Pet. i. 13. Heb. xii. 14. 2 Pet. i. 10. μᾶλλον σπεδάσατε: in virtute illa Dei, *fortes* ſimus Eph. vi. 10. à virtute ad virtutem, pergamus Pſal. lxxxiv. 8. In eadem etiam virtute (5) tentationibus hoſtium ſpiritualium, ſatanæ, carnis, mundi, quæ *militant adverſus animam*, ejuſque ſanctificationem; fortiter obnitamur Eph. vi. 10.—1 Pet. ii. 11. Nominatim (6) in lucta ſpiritus adverſus carnem, *fortes* ſimus & fideles Gal. v. 16. 17. Etiam (7) pro *exemplari*, ob oculos continuo habeamus ſanctitatem *Dei*, quatenus illa, in lege ſuâ eſt repræſentata Matth. v. 48. 1 Pet. i. 14. & Chriſti Eph. v. 1. 2. Joh. xiii. 15. Matth. x. 29. omniumque ſanctorum Heb. xiii. 7. 1 Cor. xi. Heb. xi. 1. Denique (8) *mediis* iſtis externis, quæ promovendæ ſanctitati, à Deo deſtinata ſunt, v. g. uſui verbi divini & ſacramentorum, converſationi cum ſanctis &c. fideliter, intenti ſimus Joh. xvii. 17. Rom. vi. 3. 4. Heb. x. 24.

Admini-cula.

XXXII. Commendat *ſecundo*, ſtudium *explorandi* ſanctificationem noſtram Gal. vi. 4. Datur enim ſanctimonia: (1) *Superſtitioſa*, ritibus occupata, à Deo nequaquam præſcriptis, in quibus univerſa conſiſtit ſanctimonia papatus, quatenus talis eſt, v. g. in ſanctis altaribus, ſanctis crucibus, aqua luſtrali, roſariis, feſtis, litaniis &c. quæ ſanctimonia, damnata eſt à Prophetis Jeſ. xxix. 13. à Chriſto Matth. xv. 9. ab Apoſtolo Col. ii. 22. (2) *Mimica* ſeu theatrica, geſticulationibus externis, vultus, veſtitus, ſordida converſatione, ac pſeudo-mortificationibus monachalibus occupata, de qua Apoſtolus Col. ii. 18. 21. qualis in Achabe ſeſe prodidit 1 Reg. xxi. 27. 29. & in Phariſæis Matth. xxiii. 25—29. quam ἐξόχως *hypocriticam* poſſis appellare, rejectam ac damnatam à Servatore Matth. xxiii—(3) *Truncata* & mutila, quæ circa officia à Deo quidem præſcripta occupatur, v. g. circa cultum publicum, auditionem verbi, adminiſtrationem ſacramentorum —: ſed, vel non omnia; vel ſola illa; vel abſque animo ſancto: quæ *ſpeciem* tantum ſanctitatis præſtat, re abnegata 2 Tim. iii. 5. qualis conſpicua fuit in Phariſæis Matth. vi. 3. 5. & xxiii. 23. Herode Marc. vi. 20. juvene phariſæo Matth. xix. 20. & notatur ab Apoſtolo 1 Tim. iv. 8. damnatur à Chriſto Matth. xv. 8. & vi. 2. 5. & xxiii. 23. 24. Hac plerique in externa Eccleſiæ communione, ſeipſos fallunt ac pereunt Luc. xviii. 11. 14. Apoc. iii. 17. (4) *Fœderalis*, quâ olim univerſus populus Iſraëliticus, ſanctus erat Deut. vii. 6. & xiv. 2. 21. & ſub N. T. totæ Eccleſiæ paſſim ſanctæ dicuntur Rom. i. 7. 1 Cor. i. 2. 2 Cor. i. 1. &c. quatenus, profeſſione Chriſtianiſmi, ſunt ſub fœdere eccleſiaſtico, & ſub participio externorum privilegiorum eccleſiaſticorum. Hoc ſenſu,

2. Studium explorandi ſanctificationem noſtram. Eucata ſanctitas quadruplex: 1. 2. 3. 4.

&

& infantes Christianorum, *sancti* dicuntur 1 Cor. VII. 14. Cum igitur totuplex sit sanctimonia fucata & personata, per quam inepti manemus ad beatificam Dei visionem Heb. XII. 14. nunquid omnino necessum est, ut nos ipsos religiose examinemus? Cum præsertim, per naturam corruptam, tam proclives simus, qui nos ipsos fallamus Gal. VI. 3. & multo plurimi in Ecclesia, seipsos fallant Matth. VII. 21. 22. Quibus ergo indiciis, genuinam à fucatâ quavis, tuto discriminabimus? Genuinæ sanctitatis indicia.

Resp. (1) Dum *fucata* quævis sanctitas, resultat à *natura* quadam *εὐγενεστέρᾳ*, & ab impetu quodam generosiore ejus naturæ, adeoque non nisi à *carne nascitur* Joh. III. 6. *genuina*, à *spiritu & corde novo* resultat, cujus ope in statutis & viis Domini ambulamus Ezech. XXXVI. 26. 27. Eph. II. 10. (2) Dum *fucata* à corpore incipit, & in corporalibus exercitiis desinit Joh. III. 6. cum 1 Tim. IV. 8. *genuina*, à spiritu incipit, ab animâ ad corpus & corporalia pergit, & in spiritualibus desinit 1 Thess. V. 23. ac toto *corde* coram Deo ambulat Deut. IV. 29. & X. 12. 1 Reg. II. 4. (3) Dum in *fucatis* est & agit *spiritus hujus mundi* 1 Cor. II. 12. cujus ope, per universam sanctitatem suam, non nisi mundum & mundana sectantur, ut patet in Pharisæis Matth. VI. 2. 5. *genuini* Spiritum sanctificationis habent, sibi inhabitantem, & in se *ἐνεργέμενον* 1 Cor. II. 12. cujus ope *ducuntur* Rom. VIII. 14. *opera carnis mortificant, ut vivant* Deo vers. 13. ut *fructus Deo ferant* Rom. VII. 4. qui fructus *Spiritus Sancti* dicuntur Gal. V. 22. Eph. V. 9. (4) Dum *fucata* sanctitas, non intendit *obedientiam* Deo præstandam; sed emolumenta & gloriam propriam, ut in Saule videmus 1 Sam. XV. 9. 21. 23. & in Pharisæis Matth. VI. 2. 5. & XXIII. 14. *genuina* non intendit, nisi gloriam obedientiæ *Deo* præstare, unde *sanctificatio Spiritus ad obedientiam* commemoratur 1 Pet. I. 2. ut patet in Davide Psal. XL. 9. & in Paulo Act. IX. 6. (5) Dum *fucata*, absque *corde*, & absque ulla delectatione spirituali, sacris suis fungitur Matth. XV. 8. ex Jes. X. 13. Ezech. XXXIII. 31. *genuina*, exercitiis externis, profunda *delectatione* incumbit, ut per ea invalescat in sanctitate *interna* Psal. XXVII. 4. & LXXXIV. 2. 3. 5. 6. 8. cum Joh. XVII. 17. Jes. LVIII. 13. (6) Dum *fucata*, suis officiis fungitur, absque ullâ prævia *præparatione*, devotione, & animi attentione, quasi ex opere operato Jac. I. 21. 22. 23. 24. Prov. VII. 14. *genuina* suis occupatur, cum summâ devotione, & reverentiâ, nec absque prævia *præparatione* Eccl. IV. 17. & V. 1. Marc. IV. 24. & XIII. 33. teste Davide Psal. V. 4. 8. & LVII. 8. & publicano Luc. XVIII. 13. collatis. (7) Dum *fucata*, post qualemcunque pœnitentiam, regreditur ad vomitum 2 Pet. II. 20. 21. 22. *genuina*, post peccatum, magis abhorret à peccato, seque magis nititur purgare ab eodem 2 Tim. II. 21. 2 Cor. VII. 1. (8) Dum *fucata* penitus inepta manet, ad quævis spiritualia officia 1 Cor. II. 14. Rom. VIII. 7. *genuina*, per sanctificationem, *vas est in honorem sanctificatum, & perutile* (*εὔχρηστον*) *Domino, ad omne opus bonum paratum* 2 Tim. II. 21. & III. 17.

XXXIII. Commendat *tertio*, studium *mortificandi* veterem hominem Col. III. 5. Rom. VIII. 13. Eph. IV. 22. Est enim: (1) mortificatio *universale* omnium Christianorum, usque ad optimos, officium 1 Cor. IX. 27. eo quod: α. *vetus* homo, seu peccatum inhabitans mortificandum, omnibus constanter *adsit* Rom. VII. 21. 24. Heb. XII. 1. 2 Cor. VII. 1. Nec *adsit* tantum; sed β. *operetur* etiam in omnibus, & obnitatur spiritui Gal. V. 17. Rom. VII. 23. Jac. I. 14. & IV. 5. Idque γ. ad *extremum* virium suarum, quoad hominem, nisi mortificetur, præcipitet in turpissima scelera Gal. V. 19. 20. 21. Heb. III. 13. ut videre est v. g. in Davidis otio, adulterio, homicidio 2 Sam. XI. 2. 3. 4. 15. Est (2) quodvis peccatum, exclusum à vetere homine, *tale*, ut omnino mortificari debeat: quatenus 1. repugnat infinitæ Dei *majestati* Psal. LI. 4. *eumque* concitat adversus nos, qui solus potest *servare ac perdere*. Jac. IV. 12. quatenus 2. Filium Dei in *crucem* egit Heb. VI. 6. Zach. XII. 10. quatenus 3. carnem & spiritum nostrum *polluit* 2 Cor. VII. 1. Jes. LXIV. 6. quatenus 4. nos *abominabiles* reddit in conspectu divino, omnemque insuper *cultum* nostrum Jes. I. 10--16. Hab. I. 1. Psal. V. 5. 6. 7. Apoc. III. 16. quatenus 5. nos in turpissimam *servitutem* redigit Rom. VI. 12. 20. Joh. VIII. 34. & 6. turpissime nos *decipit* Heb. III. 13. Eph. IV. 22. promittendo *optima*, & præstando *pessima*. quatenus 7. excœcat *mentem*, indurat *cor*, præcipitat in quodvis scelus Eph. IV. 17. 18. 19. etiam 8. turbat omnem *pacem* nostram spiritualem Jes. XLVIII. 22. & LVII. 18. Psal. XXXII. 3. 4. & XXXVIII. 3. 4. quatenus 9. adducit certum & æternum *exitium* Rom. VIII. 13. & VI. 23. Verbo dicam, quatenus 10. peccatum non mortificatum, nos orbat *amore* Dei, communione Christi, gratiæ & gloriæ æternæ, imo & pretiosa ac immortali *anima* : ex adverso nobis adducit, iram, odium & *judicia* Dei quævis; temporalia, spiritualia, æterna; æternum fletum, stridorem dentium, apud diabolum, ejusque Angelos, in lacu, sulphure & pice, æternum ardente Psal. V. 5. 6. 7. Matth. XXII. 13. & XXV. 41. 46. Jes. LXVI. 24. His ergo, aliisque rationibus excitati, mortificationis negotium aggrediamur, hac methodo: ut 1. in limine impingamus; enitamur, qui *naturam* ejus habeamus perspectam, teneamusque, eam non consistere, in: α. ipsa *morte*, seu totali abolitione peccati, quam in hac rerum imperfectione, nunquam assequemur, licet eo nobis ingenue sit *contendendum*.

3. Commendat studium mortificandi veterem hominem. Rationes motivæ.

Methodus mortificandi.

In quibus non consistat mortificatio.

dum Phil. III. 12. 15. neque β. in qualicunque *diſſimulatione*, qua, ob certas rationes, hic & nunc, peccatum latens *cohibeatur*, ne in actus erumpat, quod, remotis iſtis rationibus, malles perpetrare: hæc enim diſſimulatio, mera eſt hypocriſis, gratiæ illi plane contraria, quam Apoſtolus notat Rom. VII. 19. Neq. γ. in *natura ſedatiore*, violentiam & impetus, tumultuoſiorum affectuum, utcunque *reprimente*; aut, adhibita *naturali* prudentia fortitudineque, ſic moderante, ut noxam commodis & emolumentis noſtris, non afferant: videas enim hoc in peſſimis, paſſim, pro re nata, uſu venire, v. g. in Abſolomo, *comprimente* ad tempus, odium & vindictæ ſtudium, contra Amnonem fratrem 2 Sam. XIII. 20.22.23. Neque eſt δ. concupiſcentiæ impetum, ab uno peccato *divertere* in aliud, v. g. à publica prophanitate in hypocryſin: ut videre eſt in Simone Mago, quando relicta, aut ſupoſita potius pauliſper, magia ſua, chriſtianiſmum profeſſus, concupiſcentiæ vires, in *avaritiam* & ambitionem, convertit Act. VIII. 9. 11. 13. 18. 23. Conf. 2 Pet. II. 20. 21.22. Neque eſt ε. *occaſionalis* aliqua, ab hoc aut illo peccato abſtinentia, v. g. ſi damnum aliquod egregium nobis conciliaverit; aut ſi tempus aliaque, alio vocent Pſal. LXXVIII. 52. 38. Tum 2. cavendum ſedulo: α. ne circa mortificationem, quicquam conemur viribus *naturæ*: neque etiam viribus *gratiæ*, per regenerationem acceptis; niſi cum perpetua *dependentia*, ab excitatione & cooperatione Spiritus S. Rom. VIII. 13. Ezech. XI. 19. & XXXVI. 26. Gal. V. 25. ut Spiritus communicatio & efficacia, hic nobis ante omnia, veniat exoranda Pſal. CXLIII. 10. Luc. XI. 3. Hinc β. cavendum, ne quicquam hic conemur, abſque verâ ac vivâ *fide*, quâ: (a) corda noſtra *purificantur* Act. XV. 9. quâ (b) cum Chriſto *uniti*, ſpiritum, vires ac gratiam, ab eo in nos derivamus Rom. VI. 3. 4. Joh. I. 16. quâ (c) *promiſſiones* gratiæ mortificantis apprehendimus Mich. VII. 16. Rom. VI. 14. Jeſ. LVII. 17. 18. 19. Ezech. XXXVI. 26. Zach. XIII. 1. Porro 3. Concipiendum univerſale *propoſitum*, omne peccatum, citra ullam exceptionem aggrediendi & expugnandi 2 Cor. VII. 1. 1 Joh. III. 3. hinc ſpurius fuit Herodis conatus, qui notatur Marc. VI. 17. 20. Inſuper 4. in ſpecie animus *obfirmandus* eſt, adverſus iſtud peccatum, in quod *natura*, maxime ſumus proclives Heb. XII. 1. ut adverſus ejus vim, nos indies muniamus, egregio quodam Scripturæ teſtimonio, promiſſione, comminatione, exemplo: Si v. g. ſimus proclives ad *iracundiam*; nos ipſos obfirmemus cogitatione locorum Eph. IV. 26. 27. Eccl. VII. 9. Jac. I. 20. ſi ad *avaritiam*; devota meditatione locorum Heb. XIII. 5. 1 Tim. VI. 9. 10. ſi ad *ſuperbiam*; cogitatione locorum Prov. XVI. 18. & XXIX. 23. Jac. IV. 6. 1 Pet. V. 5. 6. ſi ad *impuritatem* & laſciviam; meditatione locorum 1 Theſſ. IV. 3. 4. 5. Heb. XIII. 4. 1 Cor. VI. 9. 10. & ſic per omnia vitia, animus obfirmandus eſt Scripturis. Nec hoc tantum, ſed etiam 5. fortiter, in virtute Dei, adverſus illa *dimicandum* eſt Gal. V. 17. Rom. VII. 23. 1 Cor. IX. 27. aſſumpta παναπλία, quam Apoſtolus in hanc rem commendat Eph. VI. 10--21. Ad hæc 6. in ſubſidium vocandus eſt, uſus conſtans & religioſus: α. *verbi* divini, velut gladii ſpiritualis Eph. VI. 17. cujus ope, ſatanam feliciſſimè debellavit Servator Matth. IV. 7. 10. β. *ſacramentorum* (quibus in Chriſti *mortem baptizamur*, & cum ipſo *ſepelimur* peccatis Rom. VI. 3. 4. Chriſtum *recipimus*, cumque eo unimur Matth. XXVI. 6. ut ex eo hauriamus *gratiam pro gratia* Joh. I. 16.) γ. *precum* 2 Cor. XII. 8. Tandem 7. adjungenda eſt *vigilantia* 1 Pet. V. 8. Marc. XIII. 1. quâ *ſpiritui* noſtro attendamus Mal. II. 15. 16. ut pravæ cogitationes motusque ei non obrepant Pſal. XXXIX. 1. Job. XXXI. 1. &, ſi quando obrepſerint, continuo ſuffocentur Gal. V. 24. occaſiones ad peccatum provocatoriæ, caute declinentur Luc. XI. 34. Pſal. XVIII. 24. & 1. 1. Et ne factum exiſtimemus, quod adhuc faciendum eſt; neceſſum etiam, ut ſucatam mortificationem, à genuinâ, caute diſcernamus. In hanc rem diligenter obſervandum: (1) Quomodo tibi *inſit* peccatum? mortificatum enim eſt, quando tibi adeſt, velut *extra* locum ſuum naturalem, velut piſcis extra aquam, & avis extra nidum, ut Cain fugitivus in Nod Gen. IV. 14. 16. & columba Noachi Gen. VIII. 8. 9. quando *gravitat*, ſicut elementa extra ſuum locum elementarem; aut ſicut eſt peregrinus extra patriam 2 Sam. XII. 4. (2) Quomodo tu ſis *affectus* verſus peccatum? mortificatum enim eſt, cum tibi diſplicet, à te condemnatur, inferno addicitur; abſque amore, deſiderio, voluptate, imo cum odio, deteſtatione & contentione, adeſt Rom. VII. 15. 16. 19. 20. 23. 24. Tum nominatim eſt mortificatum, cum odium iſtud eſt: α. *univerſale* adverſus omne peccatum Pſal. XXXIX. 10. & CXIX. 104. β. *conſtans* & implacabile Pſal. LXXX. 19. 2 Pet. II. 20. 21. 22. (3) Quomodo *committas* peccatum? mortificatum enim eſt, cum committitur obſtrepente *voluntate* Rom. VII. 15. 16. 20. 1 Joh. III. 9. (4) Quomodo *reſiſtas* peccato? mortificatum enim eſt, quando: a. non *actibus* tantum peccati, & quaſi ramis ejus utcunque præcidendis, occupamur; ſed ipſis habitibus atterendis, & ipſi q. radici evellendæ, operam impendimus Jer. IV. 4. 14. nec. b. ipſi tantum *peccato* obnitimur; ſed omnibus etiam, verſus illud *motibus*, omnibus ad illud occaſionibus, imo in ipſa provocatione ei obnitimur 2 Sam. XVI. 10. Gen. XXXIX. 11. 12. 13. 1 Pet. IV. 4. nec c *aliquid* tantum agimus adverſus peccatum; ſed *omnes* vires

Cavenda circa mortificationem.

Ordo obſervandus.

Mortificatio fucata, à genuina diſcriminatur.

ei exſtirpando advertimus Heb. XII. 4. Jeſ. I. 16. (5) Quid ſequatur peccatum? mortificatum enim, conſtanter ſequitur, ejus virtus *contraria* Jeſ. I. 16. v. g. impudicitiæ; ſtudium caſtitatis Pſal. LI. 2. cum verſ. 12. ſuperbiæ; ſtudium humilitatis 1 Pet. V. 5. 6. &c.

4. Commendat ſtudium abnegandi nos ipſos.

XXXIV. Commendat *quarto*, ſtudium *abnegandi* nosipſos. Eſt hoc primum & univerſale, omnium Chriſtianorum officium Luc. IX. 23. *dixit autem Jeſus ad omnes* Matth XVI. 24. *εἴ τις θέλει — ſi quis vult —* Tit. II. 12. Quicunque enim: 1. non abnegat *ſeipſum*, abnegat *Deum*: quia *ſeipſum* pro Deo ſuo habet Phil. III. 19. hinc avaritia *idololatria* dicitur Col. III. 5. Conſequenter 2. ſeipſum privat *amore* Dei 1 Joh. II. 15. 16. Jac. IV. 4. utpote qui ſeipſum, aliaque, plus diligat quam Deum. Atque etiam 3. ſeipſum privat *communione* cum Chriſto & ineffabilibus ejus beneficiis Gal. V. 24. Luc. IX. 23. Inſuper 4. ſeipſum indignum præſtat nomine *diſcipuli* ſeu Chriſtiani. *Ibid.* Quem proinde 5. utpote, Deum & Chriſtum reapſe abnegantem, Chriſtus olim reciproce *abnegaturus* eſt Matth. X. 23. Quippe qui 6. ſeipſum aliaque, ipſi præferendo; ſui ſe indignum fecerit *Ibid.* verſſ. 37. 38. Imo etiam ſeipſos 7. ſuo dominio ſe ſubduxerint, ipſumque, quantum eſt in ſe, ſuo peculio orbaverint 1 Cor. VI. 20. Eo quod 8. non Chriſto; ſed *ſibiipſis* vixerint 2 Cor. V. 15. Proinde etiam 9. non Chriſto; ſed ſibiipſis morituri ſint Rom. XIV. 8. Eſt præterea 10. *αὐτότης* ſeu *φιλαυτία*, omnis omnino *vitii*, fons ac ſcaturigo; quando ſcil. nosipſos, ſupra Deum diligimus 2 Tim. III. 4. Phil. III. 19. Eſt item 11. omnium animi *perturbationum*, contentionum, bellorum origo Jac. IV. 1. 2. Addam 12. quod *æquiſſimum* ſit abnegare nos ipſos; cum & Deus, noſtri cauſa proprium & unigenitum *filium* ſuum, quaſi abnegarit Rom. VIII. 32. & filius Dei, ſeipſum omnemque ſuam beatitudinem, pro *nobis* quaſi abnegaverit Phil. II. 6. 7. 8. cum Eph. V. 2. Matth. XXVI. 39. 42. 2 Cor. VIII. 9. Cum præſertim 13. ſi ſui cauſa, nosipſos, noſtraque omnia abnegaverimus, *promittat* ſe nobis futurum pro omnibus, אל שדי Gen. XVII. 1. Pſal. XVI. 5. in profundiſſimis etiam noſtris anguſtiis neceſſitatibuſque Pſal. LXXIII. 25. imo ſe quævis, ſui cauſa abnegata deſertaque, *centuplo* compenſaturum Matth. XIX. 28. 29. omniaque noſtra deſideria, affatim ſatiaturum Pſal. IV. 7. 8. & XX. 5. & XXXVII. Non dicam 14. quod omnia, quæ abnegare jubemur, non ſint niſi *noxia* nobis 1 Tim. VI. 9. Pſal. LXXIII. 7. 13. cum verſſ. 17. 18. 19. Jac. IV. 9. noſque exuant poſſeſſione *omnium* verè-bonorum, & ineptos reddant ad poſſeſſionem felicitatis *æternæ* Matth. VI. 24. Joh. XII. 43. & V. 44. Luc. XVI. 25. Et quo magis ſimus prochives ac parati, ad negotium longe difficillimum; his utamur *adminiculis*: (1) *Fidem* noſtram arrigamus, conſiderationi immenſæ beatitudinis ac gloriæ, quæ abnegationem iſtam, ex divinâ promiſſione, certo excipiet 2 Cor. IV. 17. 18. & V. 1. 2. Rom. VIII. 18. Heb. XII. 2. (2) Expendamus noſtri, rerumque omnium, pro Deo abnegandarum, *vanitatem* & inſufficientiam 1 Pet. I. 24. Pſal. XXXIX. 5. 6. 7. & XC. 2--12. & LXII. 10. Eccl. I. 2. (3) Expendamus devote, quis *Deus* ſit, in cujus gratiam, omnia abnegemus, quorſum nos redemerit, ſanguine proprii & unigeniti *filii* ſui Joh. III. 16. Rom. VIII. 32. annon ſit *dignus*, in cujus gratiam omnia abjiciamus, eique projiciamus ad pedes ſuos Apoc. IV. 10. 11. annon ei nos redemerit, ut jam non *nobis*; ſed *ipſi* vivamus & moriamur Rom. XIV. 7. 8. 9. 2 Cor. V. 15. 1 Cor. VI. 19. 20. (4) Conſideremus, quid ſimus *perdituri*, non abnegando, nos noſtraque immoderate ſectando Matth. XVI. 25. 26. (5) Quid ex adverſo *lucraturi*, abnegando Phil. III. 7. 8. Matth. XIII. 46. Heb. XI. 26. 27. & X. 34. (6) Conſideremus inſuper, quid mali ineffabilis, *αὐτότης* abneganda, rebus humanis, dudum non *adduxerit*: ſi ordiamur ab ipſis protoplaſtis; ſi pergamus ad tantam confuſionem, tot bella cruenta, ſcelera infanda, quæ per omnes hiſtorias repræſentantur, quæque oculis noſtris, indies coram contuemur; nunquid omnia originem obtinent à *φιλαυτίᾳ*? Jac. IV. 1. 2. 2 Tim. III. 2. 3. 4. (7) Conſideremus, nos abnegatione noſtri, pertingere ad veram *libertatem* 2 Tim. II. 26. Act. XXVI. 18. Joh. VIII. 34. Rom. VI. 20. & VII. 14. 23. ad animi *tranquillitatem* Jac. IV. 1. 2. Rom. VII. 5. ad verum *imperium* ac dominium 1 Cor. VI. 12. Prov. XVI. 32. (8) Nos ipſos conſtanter exerceamus in *amore* Dei: quo enim magis invalescit amor *Dei* in nobis, eo magis decreſcet amor *noſtri* inordinatus & omnium rerum *creatarum* Pſal. LXXIII. 25. 1 Joh. II. 15. 16. (9) Ob oculos continuo habeamus exempla *ſanctorum*: Davidis Pſal. CXXXI. 1. 2. Moſis Heb. XI. 24. 25. 26. Martyrum Heb. X. 34. Apoſtolorum Matth. XIX. 27. nominatim Pauli Phil. III. 7. 8. imprimis ipſius Servatoris, quod commendat Apoſtolus Phil. II. 5. 6. 7. 8. quamvis enim *corruptam αὐτότητα*, abnegandam non habuerit: oſtentavit nobis tamen ad exemplum, abnegationem *quandam* Rom. XV. 3. Heb. XII. 2. 3. 4. Phil. II. 6. 7. 8. 2 Cor. VIII. 9. Eſt etiam penes hanc abnegationem caute obſervandus ejus *modus*, ut ſit: A. *Univerſalis*, ſeſe extendens ad omnia, *quatenus* Deo ſunt adverſa Matth. XIX. 27. *Ecce omnia deſeruimus, ac te ſecuti ſumus.* B. Juſto *ordine* procedens, ſic ut abnegando aggrediamur: *α. αὐτότητα ipſeitatem*, perverſum noſtri amorem Luc. IX. 23. *abneget ſeipſum* 2 Tim. III. 2. *β. vitam* noſtram Matth. XVI. 25. Act. XX. 24. *γ. intellectum* noſtrum 2 Cor. X. 5. Gal. I. 16. *δ. voluntatem*

Motivæ.

Adminicula.

Modus abnegationis.

tatem noſtram Matth. xxvi. 39. 1 Pet. iv. 3. Conf. Gen. iii. 16. ε. *affectus* & paſſiones Gal. v. 24. 1 Pet. iv. 2. Rom. i. 24. Tit. ii. 12. ζ. *ſenſus* ac ſenſualitatem, *φρόνημα τῆς σαρκὸς* Rom. viii. 7. cum vſ. 13. Phil. iii. 19. *corpus* ſeu *membra* noſtra Col. iii. 5. Rom. vi. 19. & xii. 1. 3. quævis etiam externa. v. g. *honores* Joh. v. 41. 44. & vii. 18. & viii. 50. 54. 2 Cor. vi. 8. 1 Theſſ. ii. 6. Phil. ii. 3. *opes* Heb. xi. 26. & x. 34. Matth. xix. 27. *voluptates* 1 Pet. iv. 2. 3. *mundum* omniaque mundana 1 Joh. ii. 15. 16. 17. Jac. iv. 4. *amicos* ac propinquos Matth. x. 37. & xix. 29. Deut. xxxiii. 9. ipſam etiam *juſtitiam* propriam Phil. iii. 5. 6. 7. 8. 9. C. *libera* ac ſpontanea, quin cum *gaudio* Heb. x. 34. & xi. 24. 25. Rom. v. 3. prompte & alacriter fieri debet Matth. iv. 20. 22. *ἐυθέως* Act. xx. 24. 1 Cor. ix. 19. D. *conſtans* & perpetua, ſic ut nunquam revertamur ad vomitum 2 Pet. ii. 22. ſicut Petrus Chriſtum *ter* abnegavit Matth. xxvi. 72. Tandem etiam, ne fucata, aut ſaltem inſufficiente abnegatione, fallamur, & ab opere abſtrahamur; neceſſum eſt, abnegationem noſtram ſcrio *examinemus*, ſitne talis, qualem Servator, ad ſalutem exigit, cujus *nota generalis* in hoc eſt: ſi *Deum* ac *divina*, ſeu ſpiritualia ac cœleſtia, nobis ipſis, mundo, omnibuſque mundanis, *habitualiter* præferamus; tum abnegatio noſtra *genuina* Matth. x. 37. & vi. 33. 1. Joh. v. 4. ex adverſo, ſi *φιλαυτία*, ſi mundus ac mundana, ſi peccata quævis, & cupiditates carnales, Deo præferantur ac divinis; quantumque ſpecioſa appareat; non eſt tamen, niſi *fucata* ac ſpuria Luc. xiv. 26. Joh. v. 44. 2 Tim. iii. 4. exemplum eſt in Jehu 2 Reg. x. 16. Anania Act. v. 2. 3. Et, ut hoc etiam tutius aſſequaris: teipſum *explora*: ℵ Quis ſit vitæ tuæ, omniumque conatuum tuorum, præcipuus *ſcopus*? num glorificare Deum, placere Deo, eoque æternum frui; an conſequi terrena, aut quævis Deo inferiora, opes, honores, voluptates &c? Si prius; abnegatio omnino *ſufficiens* eſt Rom. xiv. 7. 8. 2. Cor. v. 15. Phil. i. 20. 21. ſi poſterius, certe *fucata* eſt Matth. 21. 22 Pſal. xvii. 14. Phil. iii. 19. ב. Quibus ſtudiis ac negotiis *lubentius* occuperis: num ſpiritualibus; quæ Deum concernunt & ſalutem æternam; an temporalibus, quæ hujus vitæ commodis proſpiciunt? ſi ſpiritualibus, res in vado eſt; ſi temporalibus, nequaquam Matth. vi. 33. Joh. vi. 27. Col. iii. 1. 2. ג. Qua vivendi *regula*, ordinarie, in vita & actionibus tuis dirigaris? num Spiritus ducentis, verbi divini, novæ creaturæ; an cordis proprii imaginationibus? ſi prius, abnegatio genuina erit; ſi poſterius, perſonata tantum Rom. viii. 1. 13. Gal. vi. 16. Eph. iv. 17. Porro ד. Ubi genuina eſt abnegatio, ibi continuus eſt conatus *oppugnandi*, ſubigendi & mortificandi carnem, cum ſuis cupiditatibus 1. Cor. ix. 27. Gal. v. 17. Rom. vii. 5. 6. ה. Ubi genuina eſt abnegatio, ibi nihil tam carum nobis eſt ac pretioſum, quod propter *Deum*, non velimus prompte deſerere Luc. xiv. 13. Matth. xvi. 25. & xix. 21. 22. cum verſ. 20. ו. Genuina abnegatio, ſemper ſcaturit a ſalutari Dei & Servatoris *cognitione* Phil. iii. 7. 8. & ab intimo cordis amore verſus ipſum Pſal. lxxiii. 25. 2 Cor. v. 13. 14.

Abnegationis genuinæ ſigna

XXXV. Commendat *quinto*, ſtudium vivificandi *novum* hominem: qua vivificatione hic non intelligimus, ut ſupra monuimus, *vel* primam illam *regenerationis* vivificationem, qua è mortuis vivos, Deus facit; quam hic præſupponimus: *vel* ſecundam illam *ſanctificationis*, quæ à *ſolo Deo* peragitur, infuſione novorum habituum; qua nos potius *vivificamur*, quam nos *vivificamus*: ſed illam, qua jam vivificati à Deo, nos ipſos *vivificamus*, vitam illam ſpiritualem, habituſque ſpirituales, quos accepimus, exſerendo & manifeſtando, quod Scriptura appellat: *in novitate vitæ ambulare* Rom. vi. 4. eo quod *Dei ποίημα ſimus, creati in Chriſto Jeſu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus* Eph. ii. 10. Et hæc *nova* illa *creatura* Gal. vi. 15. qua, *vetera præterierunt, & omnia nova fiunt* 2. Cor. v. 17. qua *novum hominem induimus*, qui ſecundum *Deum creatus eſt, in vera ſanctitate & juſtitia* Eph. iv. 24. qua *novus homo, indies renovatur* 2 Cor. iv. 16. Peragitur autem ita *novi* hominis vivificatio, *renovatione*: 1. *interiorum*, qua omnia noſtra reſultent: (1) à nova *vita* (*ἐν καινότητι ζωῆς*) Rom. vi. 4. non à *naturali* illa, qua *ex carne caro* naſcitur Joh. iii. 6. quod *naturalis* (*ψυχικὸς*) non *norit ea, quæ ſunt Spiritus* Dei 1 Cor. ii. 14. (2) à novis vitæ principiis ſeu *habitibus*, à *corde novo*, & à *ſpiritu novo*, cujus ope *in ſtatutis* Dei ambulemus Ezech. xxxvi. 26. 27. non *in fermento veteri, malitiæ & nequitiæ* 1 Cor. v. 8. (3) in novos *fines*, non jam *nobis* amplius *vivamus* (noſipſos noſtraque quærendo) ſed *Domino* noſtro Rom. xiv. 7. 8. 2 Cor. v. 15. non *propriam* gloriam & emolumenta ſectemur; ſed ejus Pſal. cxv. 3. 1 Cor. x. 31. Phil. i. 20. 21. & ii. 21. (4) juxta novam *normam*, novæ ſcil. creaturæ Gal. vi. 16. non ſecundum *carnem*; ſed ſecundum *ſpiritum* Rom. viii. 1. 13. non ſecundum conſuetudines hujus mundi Rom. xii. 2. (5) per novas *occupationes*, nova ſtudia, non terrena; ſed cœleſtia Col. iii. 1. 2. non circa *πράξεις τοῦ σώματος* Rom. viii. 13. ſed circa *fructus ſpiritus* Gal. v. 18. 22. Tum 2. *exteriorum*, qua omnia noſtra *opera nova* ſint 2 Cor. v. 17. *novemus* nobis *novale* Jer. iv. 3. *deſiſtamus à malo*, ac *faciamus bonum* Jeſ. i. 16. operam demus quibuſvis *bonis* operibus, tam *internis* Gal. v. 22. quam *externis* Matth. v. 16. 2 Pet. i. 5. occupatis, tam circa *Deum* Jeſ. xxxviii. 3. Tit. ii. 12. juxta

5. Commendat ſtudium vivificandi novum hominem.

In quo conſiſtat ista vivificatio.

priorem legis tabulam Matth. XXII. 37. quam circa *proximum* 1 Pet. II. 12. juxta *posteriorem* legis tabulam. *Ibid.* imo & circa *nos ipsos* Tit. II. 12. Provocat ad istam vivificationem, seu vitæ renovationem, studiumque bonorum operum: præter α. *mandatum* ac voluntatem divinam Deut. X. 12. 13. Jes. I. 17. 1 Thess. IV. 3. β. quod sit regenerationis & sanctificationis nostræ *scopus* Eph. II. 10. γ. quod sit infallibilis *nota*, unionis & communionis nostræ cum Christo 1 Joh. I. 6. 7. 2 Cor. V. 17. Gal. V. 6. & VI. 15. & sinceræ etiam *fidei* nostræ Jac. II. 18. 26. à qua omnis certitudo salutis, omnis animi tranquillitas & pax, omneque gaudium spirituale scaturit. Quoad δ. egregiè faciat, ad promovendam *gloriam* Dei Matth. V. 16. Joh. XV. 8. 1 Cor. X. 31. Atque etiam ε. ad ædificationem *proximi* Rom. XIV. 19. Matth. V. 16. 1 Pet. III. 1. & cap. II. 12. Quod ζ. multis modis conducat *huic* ac *futuræ* vitæ 1 Tim. IV. 8. Deut. X. 13. Tit. III. 8. Rom. II. 6. Quod η. non uno modo, indeclinabiliter sit *necessarium* istud studium, non tantum quod Deus *requirat* à nobis 1 Thess. IV. 3. nec tantum, quod requirat, ut *conditionem* præviam beatificationi nostræ Heb. XII. 14. sed quod etiam, justificationem, sanctificationem & glorificationem, indivisibili *nexu* inter se copulaverit Tit. II. 14. & III. 5. 8. 1 Cor. I. 30. Juvant denique vivificationem & renovationem vitæ: A. Quotidianæ *preces: sanctificetur* à nobis *nomen tuum*, *fiat* à nobis *voluntas tua* Matth. VI. 9. 10. Joh. XVII. 19. 1 Thess. V. 23. B. usus sacrorum *externorum*, v. g. verbi divini Joh. XVII. 7. *sacramentorum* Rom. VI. 4. Eph. V. 26. &c. C. *studium* intensum 1 Pet. I. 5. --σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες, ἐπιχορηγήσατε-- & *exercitatio* continua 1 Tim. IV. 7. Act. XXIV. 16. qua vires per regenerationem nobis collatas, arrigimus operi-, & habitus per sanctificationem infusos, excitamus, idque universum, in *virtute Dei* Eph. VI. 10. ut *tracti* curramus Cant. I. 4. per fidem *innixi dilecto* nostro, *ascendamus* Cant. VIII. 5. &c.

Rationes motivæ.

Admiracula.

6. Commendat studium dedicandi nos Deo.

XXXVI. Commendat *sexto*, studium *dedicandi* & resignandi nos ipsos, & imprimis cor nostrum, Deo 2 Cor. VIII. 5. Prov. XXIII. 26. Rom. XII. 1. Sicut enim *mortificatione* veteris hominis, abnegationeque, nosipsos nobis quasi adimimus; ita *vivificatione* novi hominis, nosipsos totos, & imprimis cor nostrum, Deo *addicere* debemus. Hac autem dedicatione, nos ipsos, nostraque, nobis subducta, Dei gloriæ, præscriptis & usibus, prompte consecramus. Ut ℵ. dedicandum Deo, sit: non α φάσις quævis externa, μόρφωσις quævis εὐσεβείας 2 Tim. III. 5. cum Juda osculans ac salutans Christum Matth. XXVI. 49. Nec β. *externum* tantum quodvis officium, professio nominis, usus verbi & sacramentorum Matth. XV. 8. ex Jes. XXIX. 13. Ezech. XXXIII. 31. Matth. VII. 21. 22. sed γ. *corpus* nostrum Rom. XII. 1. 1 Cor. VI. 20. ejusque membra Rom. VI. 19. *aures*, ad audiendum Jes. I. 10. *os*, ad laudandum Ps. LI. 16. 17. *pedes*, ad currendum in semitis Dei Psalm. CXIX. 32. *manus*, ad faciendum bonum Jes. I. 15. 16. 17. Imprimis δ. *Intellectus* Phil. III. 10. ad intelligendum ipsum ac voluntatem ejus Rom. XII. 2. Phil. I. 9. 10. & ante omnia ε. *voluntas* & *cor* Prov. XXIII. 26. omnesque ejus affectus: *amor* Psal. XVIII. 2. *desideria* Psal. XLII. 2. 3. *gaudia* Psal. LXXXIV. 2. *acquiescentia* Psal. LXXIII. 25. & XVI. 5. *odia* Psal. CXXXIX. 21. 22. &c. Nec cor tantum: sed cor *totum* Matth. XXII. 37. Deut. VI. 5. omnesque ejus vires, ut ei arrigantur Psal. LXXXVI. 11. יחד לבבי, *uni cor meum*, h. e. facultates & conatus cordis mei &c. Hæc omnia ב. Deo dedicantur; quando (1) impenduntur promovendæ Dei *gloriæ* Phil. I. 20. 21. 1 Cor. X. 31. Psal. CXV. 1. Quando (2) componuntur ac diriguntur, ad præscriptum *voluntatis* suæ 1 Pet. IV. 2. 3. Luc. XI. 2. seu *faciendo* Psal. XL. 9. seu *patiendo* Matth. XXVI. 39. 22. Act. XX. 24. & cap. XXI. 13. 14. Quando (3) nos, nostraque omnia, Deo *impendimus*, ejusque usibus 1 Tim. II. 21. Rom. XIV. 7. 8. 2 Cor. V. 15. Prov. III. 9. Matth. XXI. 2. 3. Act. IV. 37. Exod. XXXVI. 5. Quando (4) nos, nostraque omnia, imprimis *cor* nostrum, & affectus nostros, *mundo* subtrahimus & mundanis 1 Joh. II. 15. 16. Rom. XII. 1. 2. & *Satanæ* 2 Tim. II. 26. 1 Pet. V. 8. 2. & *peccato* Rom. VII. 5. 6. Gal. V. 24. ut castum servetur, imprimis *cor* nostrum 2 Cor. XI. 2. & *sanctificatum* Domino 2 Tim. II. 21. 1 Pet. III. 15. Levit. XX. 6. Et sic λ. Nosipsos, nostraque omnia, & imprimis cor nostrum, Deo addicere ac sanctificare debemus: 1. Quia multis nominibus ac titulis, *Dei sumus* Rom. XIV. 8. *Domini sumus* 1 Cor. III. 23. titulo: α. *creationis* 1 Pet. IV. 19. β. *redemptionis* 1 Cor. VI. 19. 20. Rom. XIV. 9. 1 Pet. I. 18. 19. Apoc. V. 9. γ. *liberationis* è potestate Satanæ, quasi jure *militari* Heb. II. 14. 15 Tit. III. 14. δ. *Generationis*, adeoque paternitatis Joh. I. 13. 1 Pet. I. 23. ε. *sanctificationis*, qua nos sibi separavit 1 Pet. II. 9. suam *imaginem* nobis impressit Gen. I. 26. cum Col. III. 10. & Eph. IV. 24. Conf. Matth. XXII. 20. ζ. *obsignationis*, quâ suum *sigillum* nobis imposuit Conf. Cant. VIII. 6. jam autem, quæ Dei sunt, Deo omnino danda & reddenda sunt Matth. XXII. 21. Quia 2. hac nostri, & imprimis cordis nostri *dedicatione*, Deus maxime delectatur. Est enim *cor*, seu anima nostra, donum: A. Deo maxime *conveniens* ac homogeneum, sicut enim ipse *spiritus* est, ita *spiritu* maxime delectatur Joh. IV. 20. Jes. LVI. 1. 2. Psal. XXXIV. 19. & LI. 19. Est donum B. quod quævis alia *concludit*, & producit: ubi enim cor, Deo dedi-

Quænam dedicanda.

Quid dedicatio.

Quamobrem dedicandum.

dedicatum fuerit, ibi omnia reliqua dedicata erunt, aut dedicanda: si cor Deus habet, eadem opera, *linguam* habet, ad celebrandum Ps. LVII. 8. 9. 10. habet *aures*, ad audiendum Psal. LXXXV. 9. habet *manus*, ad faciendum quod bonum est 1 Thess. IV. 11. habet *pedes*, ad ambulandum, imo ad currendum, in viis suis Ps. CXIX. 32. 59. 101. 105. &c. Quia C. donum est, quod omnibus aliis donis, *gratiam* conciliat & valorem Psal. LI. 8. absque corde enim *nihil* Deo placet, quantumcunque speciosum alias Matth. XV. 8. 2 Reg. X. 30. 31. & à *corde* profectum Deo placet, quantumvis leve 2 Cor. VIII. 11. 12. Conf. Marc. XII. 42. 43. Imò cor Deo ingenuè addictum, compensat quosvis sanctorum *defectus* & exorbitationes, v. g. Davidis adulterium, homicidium, numerationem populi 1 Reg. XI. 4. sic Abrahami mendacia &c. Quia D. donum est, Deo *dibitum*, eo quod, inito cum Deo fœdere gratiæ, eoque sæpius renovato, in baptismo, sacra cœna, moribus, diebus jejunialibus, teipsum solennibus promissionibus, Deo addixeris Psal. CXVI. 14. 15. 16. Cant. VI. 3. 2 Paral. XV. 12. 13. 14. &c. *Modus* quoque dedicandi, ד. nequaquam venit negligendus: nim, ut cor nostrum Deo demus: α. *promte* & alacriter 2. Cor. IX. 7. Psal. CX. 3. Conf. Philem vs. 14. β. *cito* ac tempestive: bis enim dat, qui cito dat; à prima juventute Eccl. XII. 1. Thren. III. 27. 1 Reg. XVIII. 12. *hodie* cum audiverimus-- Psal. XCV. 7. 8. nec unquam dicamus: *nondum tempus est* Hag. I. 2. Act. XXIV. 25. γ. *gratis, demus*: תנה לי, *da mihi* Prov. XXIII. 36. non vendamus, non *propter panes* Joh. VI. 26. vel si *necaret* Job. XIII. 15. Psal. LXXIII. 25. δ. *constanter*, non ad tempus, quasi *commodando*, suo tempore, pro re nata, repetendum, tibique ipsi, peccato, aut cupiditatibus impendendum; *ad tempus credunt* Matth. XIII. 21. ut Joas, vivente Joiada 2 Reg. XII. 2. sed ad dies vitæ Apoc. II. 10. 26. ε. *plene*, ut *totum* cor, omnesque ejus inclinationes, ei tribuas: non partem tibi, tuisque usibus, mundo, cupiditatibus serves; sed *toto* corde, toto animo, tota cogitatione, omnibus viribus, ejus amori, ejus usibus, ejus cultui, teipsum impendas Matth. XXII. 37. Ps. CXIX. 2.

Modus dedicandi.

7. Commendat studium pugnandi adversus carnem.

XXXVII. Commendat *septimo*, ut in *lucta* spirituali carnis ac spiritus, quam omnes vere-sanctificati, dum hic sunt, ipsique soli, experiuntur Gal. V. 17. Rom. VII. 19. 22. 23. causam *spiritus* adversus carnem, fortiter ac fideliter agamus. Ad hoc, ut feliciter succedat: 1. accurate discernendum est, inter luctam *carnis* cum carne, irregenitis etiam, non inusitatam; & luctam *spiritus* cum carne. Discrimen inter *duplicem* istam luctam, Amesius Cas. lib. 2. cap. XI. breviter & accurate repræsentat: א. in *causis*: nam inquit: α. reluctatio improborum, vel ex *horrore*, ac servili pœnæ metu provenerit Gen. XX. 3. 4. vel. ex civiliore quadam dispositione, quæ facile superatur Rom. II. 15. sed lucta spiritualis, est ex nova quadam *natura*, quæ sua sponte fertur in illa, quæ Deo placent, & contraria firmiter & constanter avertatur h. e. à *spiritu* Gal. V. 16. 17. 18. Rom. VIII. 13. ab *interiore* homine Rom. VII. 22. β. pugna & reluctatio illa, quæ in improbis reperitur, non solet habere locum, nisi in *crassioribus* illis sceleribus, quæ, vel a *naturæ* luce condemnantur 1 Cor. V. 1. Exod. I. 17. Act. XXV. 16. vel ab omnibus illis, qui *paululum* illuminantur, abominationi maximæ solent haberi Luc. XVIII. 11. spiritualis autem lucta regenitorum, est adversus *omnem* pravitatem, quamvis nunquam in crimine aliquo *perficiatur* Psal. CXIX. 101. 104. 128. 1 Thess. V. 22. Jud. vs. 23. ב. Differunt *objectis*, quia pugna illa, quæ in improbis reperitur, est, vel inter *conscientiæ* dictamen, & *voluntatis* inclinationem 1 Reg. XXI. 2. 4. 6. vel inter voluntatis etiam, leviorem inclinationem ad *moralia* quædam bona; & improbos affectus, qui prædominantur Act. XXV. 25. Matth. XXVII. 22. 23. 24. sed lucta illa, quæ est propria *regenitorum*, consistit in oppositione & concertatione; novæ cujusdam, & supernaturalis *qualitatis*, aut vitæ spiritualis, in voluntate præcipue, sedem habentis, adversus corruptas inclinationes, cohabitantes quidem; sed non *prædominantes* Rom. VII. 15.--24. & cap. VIII. 13. Gal. V. 16. 17. 18. ג. Differunt *effectis*. Nam: α. pugna illa naturalium hominum, consistere potest ac solet, cum quotidiano peccatorum *exercitio* Rom. II. 15. cum cap. I. 21. sed lucta spiritus id semper efficit, ut quamvis in multis impingatur; tamen *vitæ cursus* & series, instituatur secundum Dei voluntatem 1 Joh. III. 9. 10. β. pugna illa *naturalium* hominum, quamvis in causa sit aliquando, ut, quod bonum est, agatur; non tamen constituit bonum *principium* Joh. III. 6. bonum *finem*, Matth. VI. 2. 5. & bonum agendi *modum* Luc. VIII. 12. 13. 14. 15. cum vs. 18. *spiritus* vero luctans adversus carnem, hæc omnia secum adfert Matth. XII. 37. & VI. 1. γ. Pugna hominum naturalium, *admittit* ordinarie, facta quoad substantiam ipsam mala Matth. XXIII. 23. 24. sed spiritus ita *prævalet*, maxima ex parte, ut peccatum non admittat in ipso facta; quamvis deficiat in modo & gradu Psalm. XVIII. 22. 23. 24. cum CXLIII. 2. Marc. IX. 24. δ. In malis quæ committuntur, pugna hominum irregenitorum non impedit, quin peccatum, sit omni ex parte *consummatum*, quoad consultationem & propositum antecedens, allubescentiam comitantem, & pertinaciam ac impœnitentiam consequentem 2 Pet. III. 5. *volentes ignorant*-- Eph. IV. 19. spiritus autem sua lucta *minuit* vim peccati: partim antecommissionem; partim dum committitur, & post-

1. Differentia inter luctam carnis cum carne; & spiritus cum carne: in causis, in objectis, in effectis.

ea planè *frangit* Psal. LI. 2. II. 12. 13. Matth. XXVI. 75. ε. *Pugna* illa naturalium hominum, non amplius aliquid quærit, quam *repressionem* peccati Gen. XX. 2. 6. sed spiritus in sua lucta, contendit semper ad *mortificationem* ipsam peccati, & ad summam gratiæ perfectionem, quamvis ante mortem, non possit illam *adipisci* Col. III. 5. Gal. V. 24. Phil. III. 12. 13. 14. Hactenus Amesius, Scripturis nonnihil confirmatus. Tum, ut partes spiritus adversus carnem, felicius tueamur, necessum 2. ut in promptu habeamus, *rationes* quæ animum nobis erigant ad fortitudinem. Suppetunt illæ: (1) à *Jehova* exercituum, supremo hujus militiæ ἀγωνοθέτῃ, qui nobis sua voluntate, pugnandi necessitatem imposuit Rom. VI. 12. Gal. V. 16. Tit. II. 11. 12. Eph. IV. 12. Col. III. 5. Gal. V. 24. Rom. VIII. 13. (2) Ab hoste, *carne*, ut inimico: α. *periculosissimo* & *malitiosissimo*, utpote in quo *nihil* omninò *est boni* Rom. VII. 18. cujus φρόνημα *inimicitia* est versus Deum Rom. VIII. 7. cujus intellectus ipsa caligo cœcitatis & ignorantiæ Rom. III. 18. Eph. IV. 18. cujus omnes cogitationes tantummodo malæ Gen. VI. 5. Jer. XIII. 23. voluntas aversa ab omni bono, & proclivis ad omne malum Eph. IV. 19. 2 Tim. II. 26. Est *Oceanus* omnium scelerum Gal. V. 19. 20. 21. Rom. III. 18. 19. & cap. I. 24--32. Rom. VII. 8. usque adeo, ut nullum existat scelus, quin excludatur à carne corrupta, ut matre; sicut è diabolo, ut Patre Jac. I. 14. 15. 1 Joh. III. 8. 10. imò *caro*, ipso diabolo deterior est 1 Cor. V. 5. adeo nos corrumpit ac deturpat, ut simus *abominabilis* coram Deo Psal. V. 5. 6. 7. Jes. I. 15. Rom. VIII. 8. conciliat nobis *inimicitiam* cum Deo Rom. VIII. 7. Jac. IV. 4. 1 Joh. II. 15. 16. Eph. II. 3. 1 Cor. X. 22. procurat nobis omnes *pœnas*, temporales pariter & æternas Rom. VII. 5. & VIII. 6. 13. Gal. VI. 8. 2 Pet. II. 10. Gal. V. 21. Heb. XII. 14. Quæ omnia propterea magis sunt periculosa, quia sub specie *amicitiæ* nobis à carne intenduntur Jac. IV. 4 Conf. Joh. XIII. 18. Ps. LV. 13. 14. Conf. Mich. VII. 5. Ut β. inimico *potentissimo*, cui etiam regeniti subsunt, velut *tyranno*, prout ad oculum patet in Paulo Rom. VII. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 24. Gal. V. 17. quando *spiritus* noster debils est, unde *primitias* tantum *spiritus* habere dicimur Rom. VIII. 23. hinc *pueri* esse in Christo 1 Cor. III. 1. 2. *carnales*, *venditi sub peccato* Rom. VII. 14. cui accedit, quod myriadibus cupiditatum, caro veniat armata Gal. V. 19. 20. 21. Col. III. 5. Matth. XV. 19. 1 Pet. II. 11. Ut γ. *fraudulentissimo* Jer. XVII. 10. Rom. VII. 11. Vid. Dan. Dyck de *Fraudul. cordis humani.* (3) Ab ipsomet *conflictu*: ejusque, tum α. indeclinabili *necessitate*; aut enim pugnandum nobis, aut moriendum est æternum Rom. VIII. 13. aut pugnandum, aut subeunda *servitus*, ipsâ morte deterior Rom. VII. 12. Heb. II. 14. 15. Act. XXVI. 18. 2 Tim. II. 26. tum β. *præstantia*, unde *certamen præclarum illud* (ἀγῶνα τὸν καλὸν) appellatur 2 Tim. IV. 7. utpote quo *fidem* & *bonam conscientiam* servamus, & *justitiæ coronam* consequimur. Tandem (4) *à victoria* 2 Tim. IV. 7. 8. *partiali* quidem hic, sub hac imperfectione Gal. V. 16. 17. Rom. VII. 17. 20. Job. VII. 1. *plena* tamen post hanc vitam Psal. CX. 1. interim A. *gloriosa* admodum Apoc. III. 21. 2 Tim. IV. 8. B. *certa* & infallibili, ex promissione divina Heb. XIII. 5. Psal. XXXVII. 24. C. *facili* etiam suo modo, in *virtute Dei* Eph. V. 10. sub ductu & umbone sapientissimi potentissimique ἀρχηγοῦ Heb. XII. 2. Gen. XV. 1. Denique 3. tenenda etiam est *legitima* certandi ratio 2 Tim. II. 5. qua: (1) *perspectas* habeamus artes ac stratagemata hostis 2 Cor. II. 10. 11. quibus persuadere conatur, v. g. α. *peccatum non esse*, quod revera peccatum est Joh. XVI. 2. avaritiam non esse nisi parsimoniam; prodigalitatem, liberalitatem &c. β. aut saltem *leve* tantum esse peccatum, quod à sanctissimis etiam deprehendatur commissum: v. g. ebrietatem à Noacho; mendacium, ab Abrahamo? adulterium à Davide &c. quin & peccato, procuratum aliquando fuisse maximum *bonum*; & *leviore* peccato commisso, non raro declinatum fuisse, *majus* aliquod peccatum: saltem non tantum periculi, aut mali nobis imminere, à perpetratione peccati: posse etiam nos ab eo, denuò resipiscere; quæ perspecta habere, plurimum conducit feliciter pugnaturis (2) Nihil hic moliamur in virtute *propria* Matth. XXVI. 33. 35. cum vs. 69--sed in sola virtute *Dei* Eph. V. 10. in virtute *Christi* Joh. XV. 5. Phil. IV. 13. (3) Induamus universam *armaturam* Dei Eph. VI. 11. 2 Cor. X. 3. 4. (4) Inter pugnandum observemus: ut A. Inimici expugnandi vires non *nutriamus* Rom. XIII. 15. 1 Pet. II. 11. Jac. V. 5. prout David nutriebat 2. Sam. XI. 2. imò *contundamus* 1 Cor. IX. 26. Imprimis B. sollicitè nobis caveamus, ab eis peccatis, quæ præ cæteris *roborare* solent carnem, v. g. ab *amore* rerum terrenarum immoderate 1 Joh. II. 15. Jac. IV. 4. 1 Tim. VI. 9. 10. nimia earundum *cura* 2 Tim. II. 4. Luc. XXI. 34. &c. C. studeamus moderationi, etiam in *adiaphoris* Tit. II. 12. 1 Cor. VI. 12. D. carnis insultibus fortiter *obnitamur* 1 Pet. V. 8. 9. E. Advigilemus Matth. XXVI. 41. cordi Prov. IV. 23. Jer. XVII. 9. Matth. XV. 18. 19. affectibus & sensibus Job. XXXI. 1. Psal. CXIX. 37. Prov. XXIII. 2. etiam linguæ Psal. XXXIX. 1. & XXXIV. 13. Prov. XVIII. 21. & XIII. 3. & XXI. 23. Jac. III. 5. 6. 7. 8. Eph. IV. 29. imò ipsi nostro *cultui* divino Luc. VIII. 18. Matth. VI. 4. F. obnitamur carnis motibus *primis* Eph. V. 4. 1 Thess. V. 22. omnique *occasioni* Job. XXXI. 1. Psal. CXIX. 115. imò & peccatis in speciem *minimis* Jud. vs. 23. G. nunquam negli-

3. Argumenta excitantia ad fortiter certandum.

3. Genuina pugnandi ratio.

ga-

gamus *preces* Eph. VI. 18. Matth. XXVI. 41. &c.

2. Commendat studium proficiendi in sanctitate.

XXXVIII. Commendat *octavo*, studium magis magisque *proficiendi* in sanctitate Col. II. 19. Phil. I. 9. 1 Tim. IV. 15. 2 Pet. I. 5. 1 Thess. IV. 1. 1 Cor. XV. 58. Eo quod: (1) vel in sanctissimis, dum hîc sunt, tantum superst imperfectionis & peccati Rom. VII. 14—25. Jes. LXIV. 6. Ps. CXLIII. 2. ut omnibus, cum Apostolo, semper contendendum sit *ulterius* Phil. III. 12. 13. 14. (2) Ex promissione divinâ, hæc omnium verè-sanctificatarum sit indoles, ut perpetuò *proficiant* 2 Cor. VII. 1. Psal. XCII. 13. 14. 15. & 1. 3. & LXXXIV. 8. Jer. XVII. 8. Quod proinde (3) in hoc profectu, certum sit indicium *vitæ* spiritualis præsentis 1 Pet. II. 2. 3. Joh. XV. 4. 5. Quod (4) qui non accrescit, etiam decrescat Matth. XII. 13. sicut enim calor noster vitalis, nunquam permanet in eodem statu; sed vel accrescit, vel decrescit: ita etiam in vita gratiæ, nisi operam demus incremento; consumptio aliqua necessario sequetur, per continuam illam oppugnationem, quam patitur à carne. Perinde etiam, ut, qui adverso flumine remigat, nisi proficere, omni conatu studeat; semper deficit. Quod (5) ab hoc sanctificatorum sinceritas, passim *perfectio* appelletur Gen. VI. 9. & XVIII. 1. Jes. XXXVIII. 3. quod sua natura in perfectionem enitatur Phil. III. 12. 13. 14. 15. Et quo felicius proficiamus in sanctitate; juvabit: A. Indies *mortificare* carnem: quo enim magis *decrescit* peccatum; eo magis *accrescit* sanctitas 2 Cor. VII. 1. *purgemus nos— perficientes sanctificationem* Eph. IV. 22. 23. 24. B. Indies magis magisque invalescere in *timore Dei* 2 Cor. VII. 1. *perficientes sanctificationem in timore Dei.* Neque enim est, quod efficacius retrahat à *malo*, & accendat ad *bonum*, quam *scire timorem Domini* 2 Cor. V. 11. eoque, in conspectu Dei continuo *ambulare*, & sic *perfectum* esse Gen. XVII. 1. & VI. 9. C. *Abnegare seipsum*, quæ prima regula Christianismi est Luc. IX. 23. ex quo profluit, *abnegare cupiditates, temperanter, juste & pie vivere*, ac *zeloten* fieri *bonorum operum* Tit. II. 12. 13. 14. neque enim est, quod efficacius obluctetur *incremento* sanctitatis, quam *αὐτάρκης* Phil. II. 21. D. Continuata *exercitatio* in pietate 1 Tim. IV. 7. qua habitum contrahimus Heb. V. 14. virtutem virtuti indies adjiciendo 2 Pet. I. 5—9. E. Quotidiana *examinatio* conscientiæ, ac profectuum nostrorum, conjuncta cum serio proposito emendandi, quæ perperam se apud nos habere deprehenderimus Thren. III. 40. Gal. VI. 4. F. Religiosus usus *mediorum* illorum, quæ promovere nos possint ad sanctitatatem, v. g. verbi divini, Sacramentorum— 1 Pet. II. 2. G. Prædictis omnibus adminiculus, succurrere perpetuis *supplicationibus* Eph. III. 16. Marc. IX. 24. Eph. VI. 18. cum Joh. XVI. 23.

Motivæ.

Adminicula.

CAPUT NONUM,

DE

Redimendorum Glorificatione.

Rom. VIII. 30.

Quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.

Agmen claudit glorificatio.

I. ET sic tandem pertingimus ad postremum, unionis cum Christo beneficium, scil. ad *glorificationem.* Cujus tres numeramus gradus: nim. 1. *Inchoationis*, qui peragitur, dum fidelis vivit: 2. *Progressus*, cum moritur: 3. *consummationis*, cum resurgit à mortuis. Sepositio postremo hoc gradu, in postrema hujus voluminis, duobus reliquis breviter repræsentandis, hic occupabimur, structo fundamento in exegesi verborum Rom. VIII. 30.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus* postremum electionis beneficium *Apostolus repræsentat, scil.* glorificationem, *designando:* 1. Glorificandos, *οὓς δὲ ἐδικαίωσε*, quos autem justificavit. *Vim vocis alibi in Cap.* de justificatione *declaravimus, scil. ea non intelligi* sanctificationem, *ut suis hypothesibus inservientes, volunt Pontificii; sed absolutionem judicialem à reatu peccatorum, & adjudicationem juris vitæ æternæ, propter imputatam ipsis justitiam Christi. Hos omnes, & hos solos glorificari vult. Proinde & hos quos vocavit, & hos quos elegit, & quos amore discretivo præcognovit. Ut nequaquam veniat admittenda, peculiaris hujus loci interpretatio facta ab Ambrosio Catharino Menacho, damnata non tantum à Reformatis nostris;*

ſtris; ſed & ab ipſis ſuis Pontificiis, Eſtio, Pererio aliiſque. Hic putat, Deum omnes homines ad ſalutem ordinaſſe, quamquam non eodem modo, nim. 1. *Deum quoſdam præ cæteris dilexiſſe, & ſingulariter elegiſſe, atque immutabili decreto, abſolute voluiſſe ſalvari, quos tantis gratiæ & providentiæ ſuæ præſidiis muniat, ut, ſalva etiam arbitrii libertate, nullatenus excidere queant, ad hos refert B. Virginem, Apoſtolos, Prophetas & alios ſanctos inſigniores.* 2. *Alios autem non abſolute, ſive immobili & fixo decreto elegiſſe; ſed conditionaliter velle ſalvos fieri, ſi nim. cooperentur ſuæ gratiæ: & his Deum ait, dare auxilium ſufficiens, à qua tamen excidere poſſint, ac proinde ex his alios glorificari, alios non: quaſi electio omnium non implicaret contradictionem: quaſi, quos præſcivit & prædeſtinavit Deus, non etiam certo juſtificentur ac glorificentur, ex tenore textus. Pluribus ſententiam iſtam exagitare, ſuperfluum eſt, cum & ipſe Pererius Jeſuita, eam* commentum *appellet* novum, abſurdum & hæreticum.

2. Glorificationem, τούτους καὶ ἐδόξασε, hos & glorificavit. *H.e.* partim *glorificavit dudum* 2 Cor. III. 18. *ſeu gloria dignos fecit, conferendo excellentiam talem, quæ agnoſci & glorificari mereatur*; partim *glorificabit magis magisque dum hic ſunt, & glorificabit plene poſthac in futura vita* Eph. V. VI. Phil. III. 21. *Præteritis utitur Apoſtolus: cum ut certitudinem ſignificet, more prophetico; tum ut actum continuum declaret, quæ hujusmodi temporum Enallagis, deſignari ab Hebræis conſuevit.* Glorificavit *enim dudum ſuos, per electionem, redemtionem, vocationem, juſtificationem, adoptionem* — glorificat *indies magis magisque per ſanctificationem*, & glorificabit *olim in extremo judicio, eos intromittendo in Domini ſui gloriam* Matth. XXV. 21. 23. 34. *Quid autem ſit glorificare, laudare & honorare, & qui differant inter ſe, olim diximus* lib. 2. cap. XXII. *Hic quæri poſſet, cum ad glorificationem, citra dubium præ-requiratur ſanctificatio* Heb. XII. 14. *quamobrem ejus in ſua hac ſalutis catena, nullam mentionem? Pontificii ſuis hypotheſibus attenti, volunt illam dici, aut ſaltem includi in juſtificatione, quos alibi rejecimus: ſunt qui ſanctificationem omitti volunt, quia hic agitur quo* jure, *non quo ordine, ſalutem conſequimur: jus autem ad ſalutem, non in ſanctificatione hæret; ſed in juſtificatione ſeu in juſtitia Chriſti, à Deo donata, & ab homine per fidem recepta: rectiſſime, opinor, dixeris, quod ſanctificatio, ſub glorificatione comprehendatur, ut patet ex* Eph. V. 26. 27. Pſal. XLV. 14. & XCIII. 5. *eo quod fundamentum omnis gloriæ, ſit intrinſeca ſanctitatis excellentia, qua deſtituti, carere dicuntur* gloria Dei Rom. III. 23. *Nec vere glorioſus eſſe poteſt, qui non eſt ſanctus. Unde & ipſa Dei glorificatio, deſignatur nomine* ſanctificationis: ſanctificetur nomen tuum Matth. VI. 9.

Pars dogmatica.

Poſtremum unionis beneficium, eſt glorificatio.

III. Poſtremum ergo, unionis noſtræ cum Chriſto beneficium, eſt *glorificatio*: poſt ſui glorificationem; primum in intentione Dei, & ultimum in exſecutione univerſi conſilii divini. Hinc in ſalutis catena, poſtremum ei locum tribuit Apoſtolus: quod in eam ſeſe exoneret: (1) æterna Dei *electio*; *quos præſcivit*, — *hos glorificavit* Rom. VIII. 29. 30. & cap. IX. 23. Matth. XXV. 30. (2) *redemptio* Heb. II. 10. (3) *vocatio* 2 Pet. I. 3. (4) *regeneratio* 1 Pet. I. 3. 4. (5) *fides* 1 Pet. I. 9. (6) *converſio* & reſipiſcentia Act. XXVI. 18. (7) *unio* cum Chriſto Eph. II. 6. Nos UNA *collocavit in* COELO, IN *Chriſto Jeſu*, & cap. I. 3. *omni benedictione in* COELO, IN *Chriſto* (8) *juſtificatio* Rom. V. 1. *juſtificati fide*, cum verſ. 3. *gloriamur in ſpe gloriæ Dei* (9) *adoptio* Rom. VIII. 17. 1 Pet. I. 4. (10) *ſanctificatio* Eph. V. 26. 27. Rom. II. 6. 7. 10. Quod per eam, velut proximam cauſam, Deus pertingat, ad manifeſtationem glorioſæ gratiæ & miſericordiæ ſuæ Rom. IX. 21. 23. *Vaſa honoris* —. *Ut patefaceret divitias gloriæ ſuæ, in vaſis miſericordiæ, præparatis ad gloriam.*

Quid glorificatio.

IV. *Gloria* nihil aliud eſt, quam agnitio & celebratio, egregiæ alicujus excellentiæ, quæ eſt in glorificando: & *glorificatio*, conſiſtit vel: α. in *ſola* agnitione & propalatione iſtius excellentiæ, quo modo nos Deum glorificamus Matth. V. 16. & filius glorificari petit à Patre Joh. XVII. 1. 5. & Ahaſſuerus Mardochæum glorificavit Eſth. VI. 6. vel β. in ipſa *collatione excellentiæ*, ob quam glorificandus ſis Rom. II. 7. 10. & cap. IX. 23. προητοίμασεν εἰς δόξαν 2 Cor. III. 18. *gloriam Dei in ſpeculo intuentes, in eandem imaginem transformantur, ex gloria in gloriam.* Et hoc demum ſenſu, glorificatio nobis impræſens venit cogitanda: ut non ſonet, niſi id omne, omnem iſtam vilitatem & miſeriam, *auferre*, quæ nobis poſſit adducere contemptum ac vilipendium; & ex adverſo id *conferre*, per quod ſimus glorioſi, ſeu tales, quorum egregia excellentia, agnoſci & celebrari mereatur. voce tenus.

Quid glorificatio, quantum ad rem.

V. Atque ita, ſi rem ſpectes, glorificatio nobis nihil aliud eſt, quam illa Dei actio realis, quâ unitos cum Chriſto, ex conditione miſera ac vili, traducit in ſtatum felicem ac glorioſum. Dicitur actio *realis*, ut diſtinguatur, non tantum à *morali* illa, quam diximus paragrapho *præced.* ſed etiam à *virtuali* illa, quæ eſt in electione, redemptione, vocatione &c. prout oſtendimus §. III. Hujus porro actionis, duo ſunt termini, à quibus etiam varias accipit denominationes: eſt hic 1. terminus *à quo*, nim. quævis conditio miſera, per quam:

quam homo vilis est, & ignominiosus; tum: (α) *peccatum* ipsum, per quod destituimur *gloria Dei* Rom. III. 23. apud Deum *putidi* sumus Psal. XIV. 3. & *immundi* Jes. LXIV. 6. Jer. III. 24. 25. ut propter illud abhorreat à nobis Psal. V. 5. 6. 7. & ab ipso cultu nostro Jes. I. 11-16. Et hoc omninò tollitur, per glorificationem *latius* dictam: tollitur, in hac quidem vita, per glorificationem *virtualem*, in sua radice, quod fit in vocatione, regeneratione, conversione; atque etiam per *actualem*, in suis fructibus, scil. vitiis & pravis actionibus, in sanctificatione: hinc sub glorificatione sanctificationem comprehendi Rom. VIII. 30. parag. II. monuimus: tolletur planè in morte Rom. VI. 10. 1 Cor. XV. 55. 56. Tum, & imprimis (β) *pœna* peccati, quam solam tollit glorificatio *strictius* dicta Apoc. XXI. 4. Ab hoc termino, glorificatio in Scripturis appellatur *redemptio* Eph. I. 14. 1 Cor. I. 30. quatenus illa sonat, *actualem* liberationem à malis pœnæ, distinctam à *virtuali* illa, quæ est in *satisfactione* Christi, nobisque adjudicatur in *justificatione* Eph. I. 7. Col. I. 14. utpotè quæ *actu* liberat à *pœnis* eis, quarum *reatum* abstulerat justificatio, propter redemptionem satisfactionis Christi Rom. VIII. 23. Luc. XXI. 28. Est hîc 2. terminus *ad quem*, status *felix*, bonorum quorumvis, imprimis spiritualium ac cœlestium, copia abundans & glorioſus Eph. I. 3. Psal. XXXVI. 8. 9. 10. & LXV. 5. & XVI. 11. Ab hoc termino, glorificatio in Scripturis *beatificatio* appellatur Joh. XII. 47. Matth. XVIII. 11. Rom. X. 14. & glorificati *beati* dicuntur Psal. I. 1. Matth. XIII. 16. Marc. XIII. 13. Matth. V. 11.

1. Glorificationis prima periodus inchoationis. Ejus gradus:

VI. Glorificationis hujus tres observantur periodi, ut jam ante indigitavimus: *prima inchoationis*, quæ incidit in hanc vitam, quando glorificandis, Deus quasi *primitias* confert futuræ messis Rom. VIII. 23. cum cap. XI. 16. & *prægustum* Psal. XXXIV. 9. & XXXVI. 8. 9. 10. 11. & LXV. 5. & XVII. 11. quibus imperfectio, quæ glorificationi, sub hac periodo, familiaris est, quomodocunque sarcitur. Habet rursus, inchoata hæc glorificatio, suos *gradus*: in quibus (1) primum locum obtinet, ipsa peccatoris traductio è *statu peccati*, mortis & condemnationis: in *statum gratiæ*, vitæ & beatitudinis; quæ traductio, universa peragitur applicatione illa, quam hactenus diximus, nim. vocatione, regeneratione, conversione, unione cum Christo, justificatione, adoptione & sanctificatione: in quibus *fundamentum* est omnis glorificationis, utpote quibus, ex hostibus Dei, amici ejus reddimur Joh. XV. 15. Jac. II. 23. & Deus charitatem suam *effundit* in corda nostra, per Spiritum S. Rom. V. 5. In his potissimum est glorificatio hujus vitæ Psal. XXXIII. 1. 2. Matth. V. 3-11. Joh. III. 36. & cap. XVII. 3. Rom. V. 10.

(α) primus est traductio in statum gratiæ & beatitudinis.

(β) Con-

VII. (2) Secundum, in gradibus inchoatæ glorificationis, locum obtinet *conversatio* in statu gratiæ Rom V. 10. 1 Pet. I. 5. Thess. V. 23. 24. 2 Thess. III. 3. qua, per omnipotentem Dei virtutem Joh. X. 28. 29. 1 Pet. I. 5. glorificandi, adeo fulciuntur, ut nunquam, aut *totaliter*, aut *finaliter* deficiant 1 Joh. III. 9. 1 Pet. I. 23. Psal. XXXVII. 23. 24. Ab hac igitur conservatione, est glorificandorum immobilis *perseverantia* in statu beatitudinis, multis fundamentis nixa: nim. (α) immutabili electionis consilio Rom. VIII. 29. 30. Matth. XXIV. 24. (β) fœderis gratiæ immutabilitate Jes. LIV. 10. & LV. 3. & LXI. 8. Jer. L. 5. Ezech. XVI. 60. cujus Deus æternam memoriam gestat Psal. CV. 8. & CVI. 45. (γ) redemptionis per Christum, valore & pretio Joh. X. 11. cum vers. 28. & cap. XIII. 1. (δ) Christi intercessione Joh. XVII. 11. 15. Luc. XXII. 32. (ε) omnipotente custodia Dei Patris 1 Pet. I. 5. Joh. X. 28. & filii Joh. XVII. 12. & Spiritus S. cujus unctio manet in nobis 1 Joh. II. 27. per quem *obsignamur in diem redemptionis* Eph. IV. 30. (ζ) promissionum divinarum constantia Heb. XIII. 5. Matth. XVI. 18. cum Heb. VI. 17. (η) ipsius vitæ spiritualis immortalitate, utpote ex semine *incorruptibili* oriunda Joh. IV. 14. cum 1 Pet. I. 23. 1 Joh. III. 9. (θ) ipsorum glorificandorum cura & vigilantia, qua, sub directione Dei, *salutem* suam *conficiunt*, cum *timore* & tremore Phil. II. 12. *stantes*, cavent *ne cadant* Rom. XI. 20. 1 Cor. X. 12. *cor* suum *inclinant*, *ad servanda statuta* Dei *ad finem* Psal. CXIX. 112. 2 Tim. IV. 7. 8. continuatis precibus apud Deum, ut non *inducantur*, *in tentationem*; *sed liberentur à malo* Matth. VI. 13. Neque tamen, dum *talem Dei* confervationem, & *talem glorificandorum* perseverantiam asserimus; abnuimus fieri posse, ut justo Dei judicio, propter ipsorum peccata: 1. adeo *obscuretur* in ipsis, sit. omnis gratiæ salutaris γνωσιότης, ut vix ac ne vix quidem, illam *sentiant*: prout fit, non tantum in desertionibus spiritualibus, quando ipsi glorificandi, in *tenebris ambulant*, ut *lucem nullam videant* Jes. L. 10, sed alias etiam propter enormiores exorbitationes, ut patet in Davide Psal. LI. 13. Tum 2. ut gratia *habitualis*, continuatis aliquamdiu peccandi actibus, aut saltem non excitando eam, egregie *debilitetur*. Conf. 2 Tim. I. 6. Porro 3. ut ejus *actus*, per tempus aliquod, plane cessent, prout fit in λειποθυμίαι, aut in profundo sopore Rom. XIII. 11. Eph. V. 14. 1 Thess. V. 6. Matth. XXV. 5. Insuper 4. ut omnes ejus *fructus* jucundi: *pax & gaudium in Spiritu S.* Rom. XIV. 17. certitudo salutis, consolatio; penitus auferantur, etiam ad longum tempus Psal. LI. 14. His tamen non obstantibus, per gratiam conservationis, *semen* gratiæ, cui status gratiæ innititur, constanter manet 1 Joh. III. 9. quod, suo etiam tempore, reflorescit Psal. XXXVII. 24. Matth. XXVI. 75. Conf. Jes. VI. 13.

servatio in statu beatitudinis.

Quousque glorificandus desinat cere pos-

γ. Corroboratio in eodem statu,

VIII. (3) Tertium in gradibus glorificationis inchoatæ locum, obtinet *roboratio*, qua glorificandos, adhuc debiles Matth. xxvi. 41. Rom. viii. 26. 2 Cor. xii. 9. Deus confirmat 2 Cor. i. 21. 2 Theſſ. iii. 3. ut in ſua virtute poſſint: α. ſubigere *carnem cum affectibus & cupiditatibus ejus* Gal. v. 24. Rom. vi. 5. 6. β. obniti tentationibus Eph. vi. 10. 13. Jac. iv. 2. γ. vincere mundum & mundana 1 Joh. v. 4. δ. proficere in quibusvis officiis pietatis Col. i. 10. 2 Cor. iii. 5. Pſal. lxxxiv. 8. Eph. iv. 15. 16. ε. fortiter ſuſtinere quævis perſecutiones, quævis adverſa Phil. iv. 13. Col. i. 13. Rom. viii. 35. 37. ζ. perſeverare uſque ad finem Job. xxvii. 3-7. Act. xxvi. 22. cum Rom. xiv. 4. Jud. verſ. 24. 1 Cor. i. 8. 9. 1 Pet. i. 5. Nec tamen hæc corroboratio impedit, quo minus glorificandi, per infirmitates carnis, & atrocitatem tentationum, permittente ac dirigente Deo, non rarò peccatis ſuccumbant, quoad hunc aut illum *actum*, ut patet in omnibus ſanctis: ſufficit enim, quod per divinam corroborationem, *habitualiter*, totaliter ac finaliter, peccatis nunquam ſuccumbant Rom. vi. 12. Pſal. xxxvii. 24.

δ. Obſignatio ſtatus gratiæ:

IX. (4) Quartum locum, in gradibus inchoatæ glorificationis, habet *obſignatio* 2 Cor. i. 22. Eph. i. 13. & cap. iv. 30. Apoc. vii. 3. qua Deus glorificandos, velut ſignis & ſigillis, certos reddit, quod in ſtatum gratiæ ſint traducti, in eo conſervandi, & ſua virtute, magis magiſque corroborandi, donec tandem perfectæ gloriæ gradum conſequantur. Ad hanc obſignationis certioirationem, duo concurrunt: 1 Ex *parte Dei*, certa quædam adminicula, quibus certitudinem illam, glorificandis *offert*, nim. α. *Promiſſiones* verbi Heb. xiii. 5. Luc. xxi. 18. Jeſ. liv. 8 — & cap. xlix. 14. 5. 16. Joh. x. 27. 28. 29, &c. quæ *promiſſiones omnes, in Chriſto ſunt etiam & amen* 2 Cor. i. 20. Tum β. promiſſionibus adjungit *juramenta* Heb. vi. 17. Addit γ. *ſigna* & ſigilla, nim. Sacramenta Gen. xvii. 11. Rom. iv. 11. à quibus certioratio propriè *obſignatio* appellatur, & certiorando Deus nos *obſignare* dicitur 2 Cor. i. 22. Imò & δ. *arrham* addit, ipſum Spiritum ſuum Eph. i. 13. 14. *obſignati eſtis, Spiritu illo promiſſionis Sancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* 2 Cor. i. 22. & cap. v. 5. Ubi per Spiritum intelligenda veniunt, dona illa Spiritus S. quæ cum ſalute nexum habent individuam, ἐχόμενα σωτηρίας Heb. vi. 9. puta fides, ſpes, charitas, reſipiſcentia aliaque, quibus, velut arrha quadam, certi eſſe poſſumus, quod ſimus in ſtatu gratiæ. Quin ε. ne quid deſit, adjungit *primitias* futuræ meſſis conſummatæ Rom. viii. 23. ſeu præguſtum quendam futuri gaudii cœleſtis Rom. xiv. 17. Jeſ. lxiv. 4. 1 Cor. ii. 9.

ex parte noſtri.

2 Cor. xii. 4. Tum 2. ex *parte noſtri* concurrunt quædam, quibus oblata illa Dei *recipimus:* nim. A. *Senſus* quidam ſpiritualis, cujus ope, *Spiritus*, ſeu donorum Spiritus ſalvificorum, veram præſentiam percipimus Phil. i. 9. B. *Diſcernendi* donum, quo gratiam, veram à fucata; communem à ſalvifica, dignoſcimus Heb. v. 14. Phil. i. 10. 2 Cor. xiii. 5. C. *Diſcurſus* conſcientiæ, quo, ex donorum ſalvificorum præſentia, colligimus, nos in ſtatu gratiæ exiſtere 1 Joh. iii. 14. 16. D. *Teſtimonium* Spiritus S. Rom. viii. 15. 1 Cor. ii. 12. quo præcedentia omnia, adeo illuſtrat & confirmat, ut non minorem certitudinem glorificandis afferant, quam quæ eſt *fidei* divinæ 1 Joh. iv. 16. Unde etiam à Theologis paſſim, *certitudo fidei* appellatur, non quod proprie ſit actus *fidei* divinæ: iſtud enim nullibi Deus dicit, tu Petre, aut Paule ſervaberis; ſed quod, non modo fidei ſalvificæ dono innitatur, & ex illa colligatur Joh. iii. 16. ſed etiam, quod eandem certitudinem præſtet, quam fides præſtat.

ε. Communicatio bonorum ſpiritualium.

X. (5) Quintum locum, in gradibus inchoatæ glorificationis, obtinet *communicatio* bonorum ac donorum, præcipue *ſpiritualium*, cum abundantia & exundatione Col. ii. 2. 7. 10. 2 Pet. i. 2. 3. Eph. i. 3. quibus glorificandi, non modo paulatim glorioſiores reddantur in ſe Jeſ. lxi. 10. Pſal. xlv. 17. 1 Pet. iii. 3. 4. ſed etiam præparentur ad *plenam* gloriam, quin & *ampliorem* introitum nanciſcantur ad regnum gloriæ 2 Pet. i. 8-12.

Præcedentium conſectaria.

XI. Ex prædictis omnibus, ad glorificationem inchoatam, reſultant: 1 *Conſolatio* ſolida, in quibusvis adverſis, qualibus — aut quantiſcunque: ſive vitæ immineant; ſive morti Col. ii. 2. adverſus imperfectionem enim, inchoatæ glorificationis, quæ à malis inſurgentibus reſultat; quoniam dum hîc ſumus, nunquam ceſſat, nihil quæritur impenſius, aut obtinetur felicius, quam *ſolatium*, ſeu tale quid, quod adverſus malum quodvis, animum efficaciter erigat & confirmet 2 Cor. i. 3. 4. 5. Jeſ. xl. 1. Quod ex hactenus dictis, ſua ſponte ſcaturit: qui enim eſt traductus in ſtatum gratiæ; in eo potenter conſervatur; adverſus quosvis quorumvis inſultus à Deo roboratur; cui iſta per Spiritum S. obſignantur, & qui inſuper donis ſpiritualibus cumulatur: quid malorum non poſſit fortiter ſuſtinere? Phil. iv. 13. in quo non poſſit inſuper exſultare? Rom. v. 3. 4. & cap. viii. 35 — Tum 2. *apprehenſio.* & ſenſus amoris divini Rom. v. 5. oriunda ex ſenſu *traductionis* è ſtatu mortis, in ſtatum vitæ 1 Pet. ii. 9. potentis in hoc ſtatu *converſationis* 1 Pet. i. 3. cum verſ. 5. Rom. viii. 35. & continuandæ *corroborationis* Rom. v. 10. 11. *obſignationis* item & certiorationis Rom. viii. 38. ſpiritualiumque bonorum communicationis Eph. i. 2. 3. Hinc 3. *amicitia* cum Deo, quæ conſiſtit in amore mutuo Joh. xv. 14. 15. Jac. i. 23. Eph. ii. 19. Inſuper 4. *pax* ſeu tranquillitas animi, ex inchoatæ glorificationis præſenti *ſenſu*, & conſummandæ indubitata *ſpe*, oriunda

oriunda Rom. v. 1. ſeu εὐνοία mutua inter *Deum* & nos Phil. iv. 7. Eph. ii. 14. inter nos & *conſcientiam* propriam 1. Tim. i. 19. Heb. xiii. 18. 1 Pet. iii. 16. inter nos & *creaturas* quaſvis Jeſ. xi. 6. 7. 8. 9. Hoſ. ii. 18. Inſuper 5. *gaudium* ineffabile, profunda animi delectatio, ex cogitatione præſentis, & immota fiducia futuræ glorificationis, 1 Joh. i. 3. 4. Phil. iv. 4. 1 Pet. i. 7. 8. Luc. x. 20. Joh. xvi. 11. Tandem 6. *experientia* benevolentiæ & benignitatis divinæ Pſalm xxxi. 20. & xxxvi. 8. 9. 10. 11. & lxv. 5. Nec tamen cogitandum, hæc ſex conſectaria, omnibus glorificandis *ſemper*, aut eodem *gradu* adeſſe: accidunt enim frequenter nubila, ſeu per *deſertiones* ſpirituales Pſ. xxx. 8. & lxxvii. 3. 4. 5. 8. 9. 10. & lxxxviii. ſeu per *calamitates* quaſvis Pſ. xliii. 2. ut omni ſenſu amoris divini, omni ſolatio, pace & gaudio caſſi, lamententur: *quamdiu mei continuo obliviſceris?* Pſ. xiii. 2. 3. Jeſ. xlix. 14. quo tamen non obſtante, ſunt ſub ſtatu glorificationis *inchoatæ*, quoad traductionem in ſtatum gratiæ, converſionem, corroborationem, & communicationem variorum donorum ſpiritualium: quantum etiam ad obſignationem, & reliqua inchoatæ hujus glorificationis ingredientia; ſunt in eo ſtatu, ut ordinariis adminiculis, ad ea pertingere poſſint, & ordinarie etiam pertingant, ut videre eſt in Davide Pſ. vi. 3. 4. 6. 7. cum vſ. 9. 10. 11. & xxx. 8. 9. cum vſ. 12. 13. & cxvi. 3. 4. cum vſ. 7. 8. 12. in Jobo aliiſque, juxta Jeſ. xlix. 14. cum vſ. 16. & liv. 8.

Quid ſit damnatio inchoata.

XII. Ex his glorificationis inchoatæ ingredientibus, per legem contrariorum, facile eſt perſpicere, quid ſit, & in quo conſiſtat *damnatio inchoata*, de qua Joh. iii. 18. 36. Eſt nim. ſtatus vere *miſer* Eph. ii. 1. 3. 12. Rom. ii. 8. 9. *turpis* & ignominioſus Pſal. xiv. 3. Jeſ. lxiv. 6. deſtitutus omni vero *ſolatio* Luc. vi. 24. Conf. Thren. i. 2. 9. 17. ſub *ira* Pſal. vi. 1. Eph. ii. 1. *odio* & abominatione Dei Pſ. v. 5. 6. 7. Jeſ. i. 14. 15. ſub *inimicitia* cum Deo Rom. v. 10. (θεοσυγεῖς Rom. i. 30.) abſque ulla pace, ſub turbis, terroribus & horroribus Jeſ. xlviii. 22. & lvii. 20. 21. Prov. xxviii. 18. 19. 20. ſub mortis *meta* Heb. ii. 15. abſque ulla ſalutis ſpe Eph. ii. 12. Job. viii. 14. in quorum miſeria Deus quaſi ridet, & ſubſannat Prov. i. 26. 27. 31. 32. &c. Conf. lib. iv. cap. iv——

2. Glorificationis ſecunda periodus.

XII. *Secunda* glorificationis periodus, ſcil. *progreſſus*, eſt in glorificandorum *morte* Apoc. xiv. 13. Pſal. cxvi. 15. & lxxii. 14. Quamvis enim ſua natura, mors non ſit niſi peccati *ſtipendium* Rom. v. 12. & cap. vi. 23. & horrendum omnis miſeriæ compendium Gen. ii. 17. Rom. viii. 7. quamvis item reprobis præſtet ingreſſum, in æternæ condemnationis miſeriam Luc. xvii. 23. 34. Heb. ix. 27. glorificandis tamen, per gratiam, gradum præſtat glorificationis, quatenus *pretioſa* eſt coram Deo Pſal. cxvi. 15. & introductio animæ in æternam gloriam Joh. v. 25. Si enim: α. quoad corpus *corpus* ſpectes, illud morte ſaltem liberatur, à *ſenſu* omnis miſeriæ præteritæ, eaque velut abſterguntur omnes eorum lachrymæ Apoc. vii. 17. & cap. xxi. 5. quieſcunt ab omnibus laboribus ſuis Apoc. xiv. 13. Job. vii. 1. 2. abſconduntur ab imminentibus quarumvis miſeriarum procellis Jeſ. xxvi. 20. abeunt ad pacem, dormiunt & quieſcunt in ſuis κοιμητηρίοις Jeſ. lvii. 2. unde glorificandorum mors, paſſim *ſomnus* appellatur Joh. xi. 11. 14. quamobrem etiam, in ſpem beatæ evigilationis, corpora fidelium, honeſte, abſque faſtu & ſuperſtitioſis Pontificiorum ritibus, cereis, hymnis, univerſoque funebri ſacerrimo ſacro, ſunt humanda, exemplo corporis Chriſti Matth. xxvii. 57——62. Jacobi Patriarchæ Gen. l. 2——12. Si β. quoad animam *animam*, cui accidet: (a) perfecta *liberatio* à peccato Rom. vi. 7. (b) perfectior *communio* cum Deo, cum Chriſto 2 Cor. v. 6. 8. Phil. i. 23. (c) perfectior *ſanctitas* Heb. xii. 23. (d) perfectius *habitaculum* Luc. xxiii. 43. & cap. xvi. 22. 2 Cor. v. 1. (e) perfectior *gloria*, *corona* quædam juſtitiæ 2 Tim. iv. 8.

Duo hujus periodi præſuppoſita.

XIV. Hæc ergo glorificationis ſecunda periodus, duo præſupponit: A. *Exiſtentiam* animæ, poſt animal, ejuſque immortalitatem: qua, licet, per *abſolutam Dei* potentiam, *annihilari* poſſit; *mori* tamen per nativam ſibi ſimplicitatem; aut annnihilari etiam, per potentiam *ordinatam*, ex decreto pariter & *juſtitia* vindicativa, non poteſt Eccl. xii. 7. 2 Cor. v. 10. Si enim poſt mortem, anima non exiſteret: mortui eſſe *beati*, nullo modo poſſent B. *ſenſum* doloris aut gaudii in exiſtentia 2 Cor. v. 8. Apoc. vi. 9. 10. 11. magis *gratum* nobis eſſe, abeſſe à corpore; niſi enim gaudii capaces eſſent animæ mortuorum; nec *beati* dici poſſent, qui in Domino moriuntur Apoc. xiv. 13. nec *expetere* etiam mortem, ſana ratione poſſent 2 Cor. v. 2. Phil. i. 23.

Quis ſit progreſſus condemnationis.

XV. Hinc etiam, ex lege oppoſitorum, facilè agnoſces, quis ſit *progreſſus* damnationis in morte infidelium, quatenus: 1. Exuentur omnibus hujus vitæ, opibus, honoribus. voluptatibus Luc. xvi. 25. *bona tua accepiſti in vita tua* Pſalm. xlix 13. & lxxiii. 18. 19. Quatenus 2. opera eorum *peſſima*, ipſos ſequentur in *judicium*, haud ſecus ac juſtorum juſta, juſtos ſequuntur Apoc. xiv. 13. 2 Cor. v. 10. Matth. xii. 36. Quatenus 3. per mortem ibunt in *carcerem* 1 Pet. iii. 19. 20. in locum *tormenti* Luc. xvi. 28. in *tartarum detrudentur*, *ut ibi catenis caliginis vincti*, *damnationi aſſerventur* 2 Pet. ii. 4. Quatenus 4. per mortem in ſe ſuſcipiunt, *pœnas & cruciatus* Jud. vſ. 7. Luc. xvi. 23. 24. 25. ignem ἄσβεστον Jeſ. lxvi. 24. Marc. ix. 44. Quatenus 5. ipſa *mors*, per ſuam natu-

ram, ipsis accidit plane *horribilis* Psal. LXXIII. 19. &c.

3. Glorificationis tertia periodus.

XVI. Tertia glorificationis periodus, seu *consummatio*, est in glorificandorum *resurrectione*, extrahenda in omnem æternitatem 2 Cor. v. 1. Matth. xxv. 34. 36. Quando: 1. glorificandi *perfecte* unientur cum Deo, summo bono. 2. Deus infinitam suam perfectionem, per omnia sua attributa, ipsis beatificandis impendet. 3. ipsi glorificati, unione & communione cum summo bono, ineffabili delectatione & gaudio, æternum fruentur. 4. omnem æternitatem, glorificationi divinæ, cum summa voluptate impendent. Ad hoc 5. eorum, & corpora, & animæ, in summam evehentur perfectionem; hisque omnibus, glorificati 6. dulcissimæ societati; Dei, Christi, Angelorum & electorum omnium, per omnem æternitatem coëxistent. Verum, cum hæc omnia ad *statum æternitatis* pertineant; nos ea in calcem hujus voluminis seponemus, ibidem, si Deus volet, ex professo dicenda.

XVII. Hinc opponitur æterna *condemnatio*, quæ alibi appellatur *opprobrium* & contumelia Dan. XII. 2. Ea vero consistit: tum in consummata & æterna separatione à communione cum *summo* bono Matth. xxv. 41. 2 Thess. I. 2. & ab *omni* vere bono Luc. XVI. 25. tum in tormentis intolerabilibus, animæ pariter & corporis Matth. xxv. 46. 2 Thess. I. 9. Quibus separabuntur, totaliter, ab unione, communione & fruitione Dei, pro glorificatione Dei in beatis; Deum, & intollerabilitate tormentorum, calumniabuntur in corruptione naturæ suæ, & quoad animam pariter & corpus relinquentur: Societate diabolorum, pariter, & damnatorum omnium coexistent, idque in omnem usque æternitatem Matth. xxv. 41.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An glorificandus in statum gratiæ vere tradactus, totaliter & finaliter ab eo possit deficere?

XVIII. Quæritur *primo*, an glorificandi, in statum gratiæ vere traducti, seu *totaliter*; seu *finaliter*, ab eo possint deficere? Pelagiani & Pelagianissantes, Sociniani, Arminiani, Pontificii; simpliciter præjudicio liberi arbitrii, indifferentis, & independentis, quod in horis mutari possit, affirmant: Lutherani, nescio quo consilio, licet fateantur hominem suæ salutis infallibiliter certum esse posse; licet item in hac fiducia, actum fidei *salvificum* constituant; affirmant tamen, vere fidelem, *totaliter* deficere posse, licet non *finaliter*: quamvis nec inter eos desint, qui *finaliter* simul deficere posse affirmant. Reformati, quamvis in *multis*, vere fidelem deficere posse, agnoscant, ut declaravimus §. VII. quamvis iidem *in se* & propriis viribus consideratum, agnoscant, totaliter ac finaliter deficere posse; attamen, per *gratiam* conservationis divinæ, & per immortale *semen* gratiæ, in regeneratione acceptum; totaliter ac finaliter ipsum deficere posse, constanter negant. Hujus sententiæ fundamenta diximus §. VII. quibus pauca hæc adjicimus: quod in statum gratiæ vere traducti: 1. *electi* sint Eph. I. 4. Rom. VIII. 29. 30. quales *totaliter* & *finaliter* deficere non possunt Matth. XXIV. 24. Rom. XI. 7. 2 Tim. II. 18. 19. Psal. XXXVII. 23. 24. Quod sint 2. regeniti ex semine *incorruptibili* 1 Pet. I. 23. 25. Quod 3. vocati sint ἀμεταμελήτως Rom. XI. 24. Quod 4. adeo *plane* sint justificati Rom. VIII. 1. ut peccatorum suorum Deus non amplius velit *recordari* Jer. XXXI. 34. Mich. VII. 18. 19. Quod 5. propter intercessionem Christi, Deus omnes adeo accuratè *custodiat*, ut nemo eorum pereat Joh. XVII. 2. 12. 19. 20. & cap. X. 28. 29. 1 Pet. I. 5. Luc. XXII. 32. Quod proinde 6. *perseverent* in communione Ecclesiæ 1 Joh. II. 19. Quod hinc 7. ex *Deo* nati, non *posse peccare* dicantur 1 Joh. III. 9. & cap. v. 18. scil. ad *mortem* usque 1 Joh. v. 16. quod per Dei gratiam, ante mortem, certo *restituantur* Psal. XXXVII. 34. Prov. XXIV. 16. In contrarium tamen pro se urgent adversarii: (1) Quod *deleri* possint è libro *vitæ* Exod. XXXII. 32. Ps. LXIX. 29. Apoc. XXII. 19. Resp. E. libro *hujus* vitæ, seu è catalogo *hic* viventium: aut etiam ex libro Ecclesiæ deleri possunt (hoc Moses mavult, quam deleri *totam* Ecclesiam Exod. XXXII. 32.) quod aliter dicitur *exscindi* è *populo suo* Exod. XXX. 33. 38. Levit. VII. 25. 27. non autem è libro *futuræ* vitæ, de quo Phil. III. 3. Luc. X. 20. Jes. IV. 3. Dan. XII. 1. (2) Quod *justi* deficere possint, & perire Ezech. XVIII. 24. 25. 26. Resp. A. Propositio est *conditionalis*, nexum tantum, antecedentis cum consequente; non *eventum* significans. B. possunt à justitia *legali*, in *externis* tantum conspicua, qualem sibi Apostolus tribuit, adhuc Pharisæo Phil. III. 5. 6. cui innitebantur auditores Ezechielis cap. XXXIII. 13. (3) Quod multi *ad tempus* credant, ac postea deficiant Matth. XIII. 21. Resp. Sunt πρόσκαιροι, qui in textu discriminantur à *vere* fidelibus vs. 21. 23. Quod (4) vere fideles, in horrenda peccata, non tantum prolabi; sed etiam *perire* in eis possint Heb. VI. 4. 5. 6. 7. 8. & cap. X. 26. 27. 28. 29. Resp. textus loquuntur de his, qui incidunt in peccatum *in Spiritum S.* Heb. X. 29. quod in electos & vere fideles cadere non potest 1 Joh. III. 9. & cap. v. 18. Quod (5) possint abnegare *Dominum qui eos mercatus est* 2 Pet. II. 1. Resp. Non intelliguntur tales, quos Christus *sanguine* suo redemerit; sed tales, quos Deus, ut δεσπότης (herus) in sua familia, per præconium Euangelii, sibi absque *ullo* sanguine filii sui, eousque acquisivit, ut professione externa, se receperint, qui hactenus etiam, *per agnitionem Jesu Christi, inquinamenta mundi effugisse* dicuntur vs. 20. 21. Quod (6) Exempla talis apostasiæ

Sententiarum differentiæ.

Fundamenta partis negativæ.

Objectiones adversariorum.

fiæ proſtent, in Davide 2 Sam. XI. XII. in Salomone 1 Reg. XI. 1. 2.-- Hymenæo, Phileto, Alexandro 1 Tim. I. 18. 19. 20. 2 Tim. II. 17. 18. in Dema 2 Tim. IV. 10. Reſp. Vel non fuerunt *vere fideles*, ut Hymenæus, Philetus, Alexander, & forte etiam Demas, ſi defecerunt totaliter 1 Joh. II. 19. vel non totaliter defecerunt, ut David, Salomo Pſ. LI. 13. Quod (7) Indubitata perſeverantia, obtundat adhortationes, promiſſiones, comminationes, & univerſam miniſterii eccleſiaſtici vim; imo & curam ac diligentiam ad perſeverandum. Reſp. Non tollit: vere enim fideles nôrunt, Deum, per adhortationes, promiſſiones & comminationes, per miniſterium eccleſiaſticum, per pias curas ad ſollicitudines, ſe velle conſervare Phil. II. 12. 13.

2. An quis poſſit ſuæ glorificationis eſſe certus?

XVIII. Quæritur *ſecundo*, an glorificandus, de ſui traductione in ſtatum gratiæ, & æterna glorificatione, poſſit eſſe infallibiliter perſuaſus? Nos hanc controverſiam, in utramque partem, ex profeſſo examinavimus, cap. *primo* hujus libri *ſexti* §. XVII. XXII.

3. An glorificandis, mors naturalis ſit pœna peccati?

XIX. Quæritur *tertio*, an glorificandis mors *naturalis*, ſit peccati *pœna* proprie dicta? Sociniani, ne ex morte infantium, ſolide conficiamus veritatem peccati originalis: & ne Chriſtum morte ſua naturali, pœnam peccatorum noſtrorum ſuſtinuiſſe, & ſuſtinendo ſatisfeciſſe, ſolide dicamus: negant ſimpliciter mortem *temporalem* eſſe pœnam peccati: hos refutavimus lib. III. cap. IX. §. XXXIII. & XLII. Pontificii, in gratiam culinæ papalis, quo commodius tueantur, cuſſibet pro peccatorum ſuorum pœnis temporalibus eſſe ſatisfaciendum; mortem *temporalem*, ipſis etiam glorificandis, eſſe veri ac proprii nominis *pœnam* affirmant. Ex Reformatis, unus tantum eſt, quod ſciam, Rationaliſta, qui, cum obſervaret mortem fidelium naturalem, ut & reliquas afflictiones eorundem, eſſe ſua natura, peccati pœnas, & tamen eos in hac vita urgere; exiſtimat eas eſſe veri & proprii nominis pœnas, quo quibus Servator non ſatisfecerit, inque eo, licet diverſo ſcopo colludit cum Pontificiis, proinde & cum eis, per argumenta, alibi producta, cadit. Cæterum Reformati, mortem *naturalem*, ſua quidem natura, pœnam eſſe peccati, tuentur adverſus Socinianos; ſed per *gratiam*, glorificandis, non eſſe pœnam peccati, ſed *beneficium* potius: cujus fundamenta diximus §. XIII. quibus hoc unum tantum addimus, quod ab omni *proprie* dicta pœna, Chriſtus, ſua ſatisfactione, nos liberaverit Rom. VIII. 1. 1 Joh. I. 7. Pſam. CIII. 3. quando a morte *naturali* quatenus eſt malum quid, ſeu pœna, nos non liberavit ſimpliciter Heb. IX. 27. Nec video, quid pro ſe poſſint proferre omnes iſti, niſi iſta loca, quæ mortem *pœnam* eſſe peccati, pronunciant Gen. II. 17. Rom. V. 12. & VI. 23. Ea vero, non evincunt *fidelibus* eſſe pœnam; ſed *in ſe* tantum & ſua natura, quod dudum largiti ſumus.

4. An animæ humanæ, poſt mortem hominis ſuperſint ac ſentiant?

XX. Quæritur *quarto*, an poſt mortem cujusvis hominis, ejus anima ſit *ſuperſtes*, atque etiam ſenſu prædita? Ex Philoſophis, Athei, Epicuræi, Somatiſtæ, Hobbeſiani, cum quibus inter Medicos faciebat Galenus; inter Judæos Sadducæi; interpſeudo Chriſtianos, Arabes Ὑπνοψυχίται, quos olim Origenes, ad ſaniorem mentem revocavit; negant. Noſtro tempore Sociniani, quia ſtatuunt, *mori* non eſſe, niſi tranſire in *non exiſtentiam*; exiſtimant corpus quidem, relabi in perpetuum cinerem; & animam, quia non ſit niſi virtus aliqua & efficacia Dei, relabi in Deum (Vid. *Compendiol. Socinianiſmi* à D. Cloppenburgio refutatum cap. VIII. & Smalc. *De divinit. Chriſti* cap. XIII.) proinde nec exiſtere; nec ſentire, uſque ad extremum judicium, quando fidelium quidem animæ, veniant reſuſcitandæ. Anabaptiſtæ, ſupereſſe quidem animas poſt mortem agnoſcunt, ſed cum Pſychopannychitis, uſque ad extremum judicium, abſque ullo *ſenſu* boni & mali, dormire ſtatuunt. Reformati animam rationalem, poſt mortem, non tantum *ſupereſſe*: ſed voluptatem aut dolorem experiri, docent. Cauſam iſtam, in partem utramque, diximus lib. III. cap. IX. §. XV. & XVI. Confer. etiam quæ ſupra, contra Socinianos obſervavimus lib. V. cap. XII. §. XVIII. & cap. XIII.

5. An pro animabus mortuorum, plura quam duo ſint admittenda receptacula?

XXI. Quæritur *quinto*, an poſt mortem, animabus humanis, duobus plura competant receptacula? Veteres, plerisque hominum quorumvis (ſi forte martyrum excipias) mortuorum animabus, ſpecus ſubterraneos tribuebant, quibus, velut carceribus, uſque ad diem reſurrectionis aſſervarentur: ad quos accedere dicuntur Græci, &, ſuo etiam modo, ex Socinianis & Anabaptiſtis illi, qui mollius de anima ſeparata philoſophantur. Pontificii, præter recepta *duo*, cœlum & infernum, tria inſuper fingunt: α. *limbum Patrum*, quo fidelium œconomiæ Veteris animæ, concluſæ hæſerint, uſque ad actualem ſatisfactionem Chriſti: jam vacuum, β. *limbum infantium*, quo abſque Baptiſmo decedentium infantium animæ, abſque tormentis quidem; ſed etiam abſque beatifica Dei viſione, aſſerventur, & γ. *purgatorium*, quo animæ concludantur eorum, qui cum peccato veniali deceſſerint, tantiſper dum pro temporali pœna ſatisfactum fuerit. Inter Reformatos non deeſt unus, forte & alter, qui bis mortuis, tribuant locum quendam extraordinarium, quem *diſpenſationis* appellant: conſtans & ordinaria Reformatorum ſententia eſt, *duo* tantum animarum receptacula dari, cœlum & infernum, in quibus à morte, univerſa æternitas veniat exigenda: eo quod Scripturæ loca ignorent, nec aliunde, ullam

lam talium cognitionem haurire queamus, quam è Scripturis. Verum & hanc controversiam, hic tetegisse suffecerit, in fine hujus syntagmatis, si Deus volet, ex professo agendam.

Pars practica.

Praxis.

1. Commendat beatitudinem eorum, qui sunt uniticum Christo.

XXII. Quantum ad praxin: *primò* glorificatio *hujus vitæ*, seu inchoata, nobis egregiè commendat, beatitudinem eorum, qui uniti sunt cum Christo: quod non tantum: 1. immutabili Dei *decreto* sint destinati ad glorificationem futuram 1 Pet. 1. 2. 3. 4. Rom. IX. 27. 1 Cor. II. 7. Matth. XXV. 34. qua ipsius filii Dei gloriosæ imagini conformentur Rom. VIII. 29. cum 2 Cor. IV. 4. Nec tantum 2. ipsius filii Dei sanguine redempti sint ad futuram gloriam 1 Pet. 1. 18. 19. Nec tantum 3. ad participium gloriæ evocati 1 Pet. II. 9. 2 Thess. II. 14. Nec tantum 4. ad eandem gloriam regeniti 1 Pet. 1. 3. 4. Nec tantum 5. ad eandem conversi Act. XXVI. 18. Nec tantum 6. eandem sibi adjudicatam habeant ab ipso Dei tribunali, per justificationem Rom. V. 2. *justificati--gloriamur in spe gloriæ Dei*: quod inquam, non tantum, his omnibus modis, certo *glorificandi* sint in extremo judicio: sed etiam 7. dudum *glorificati* sint: non modo, in glorioso *capite* suo Christo, per *unionem* arctissimam cum eo Joh. XVII. 10. 22. sed insuper 8. in *seipsis*, quatenus è miserrimo peccati, mortis & condemnationis statu, traducti dudum sunt in statum gratiæ, vitæ & beatitudinis 1 Pet. II. 9. 1 Joh. III. 4. Quatenus item 9. in statum hunc glorioſum semel traducti, per omnipotentem Dei conservationem, in eo constanter, in omnem usque æternitatem perdurant 1 Pet. 1. 4. 5. Joh. X. 28. 29. 1 Joh. III. 24. Quatenus insuper 10. adversus hostes quales & quantoscunque, qui eos hujus gloriæ βραβείῳ spoliare, seu καταβραβεύειν conantur Col. II. 18. adeo potenter roborantur, ut *nec mors nec vita* — eos *separare possint ab amore Dei, qui est in Christo Jesu* Rom. VIII. 35. 37. 38. 39. imò ne *porta* quidem *inferorum* Matth. XVI. 18. Quin & 11. obsignantur; seu potius, ipsis, quasi signis & sigillis obsignatur, status ille glorioſus in quo sunt, quoad inchoationem, & in quem traducendi sunt, quoad consummationem, prout docuimus X. §. 11. unde *beati* pronunciamur *spe* Rom. VIII. 24. usque adeo, ut *gloriemur in spe gloriæ Dei* cap. V. 2. Tandem, ne quid desit 10. gloriæ *arrhabonem Spiritum* glorificandis confert 2 Cor. 1. 22. ejusque *fructus* dulcissimos Gal. V. 22. quin & *primitias*, ejus amoris Dei, pacis, gaudii omniumque illorum bonorum, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in ullius cor invaserunt*, quæque *Deus præparavit his, qui se diligunt* 1 Cor. II. 9. Hæc omnia, si compingas velut in fasciculum; nunquid tanta evadet, vel hujus vitæ gloria, ut: A. ab ea, nos infinitis rationibus obstrictos agnoscamus, ad glorificationem Dei 1 Pet. II. 9. ut simus *imago & gloria Dei* 1 Cor. XI. 7. & Christus glorificetur *in nobis*, ceu in gloria nostra Joh. XVII. 10. sitque *intensissimus* noster *conatus* (ἀποκαραδοκία) ut *Christus, cum omni fiducia, in nobis magnificetur*, seu *per vitam, seu per mortem* Phil. 1. 20. Ut B. nobis ipsis gratulemur tantam gloriam: non modo *gaudendo, gaudio ineffabili* 1 Pet. 1. 7. 8. sed etiam humiliter *gloriando in spe gloriæ Dei*, quod *charitas Dei effusa sit in corda nostra, per Spiritum S.* Rom. V. 2. 3. Ut C. glorificationem hanc in usus nostros convertamur, quotiescunque contumeliis & opprobriis adversariorum obruimur 1 Pet. IV. 12. 13.

Quæs tum.

XXIII. *Secundo*, monstrat glorificatio *inchoata*, unde omnis defectus & miseria hujus vitæ, per quem distinguitur à glorificatione consummata, sarciri commode possit. Seu enim: 1. *peccatum* horreas, omnis defectus & miseriæ scaturiginem, imo miseriam & ignominiam unicam Jac. 1. 21. seu 2. *pœnas* & afflictiones, plurimas & gravissimas, quas non tantum impii Psal. XXXII. 10. sed pii etiam, hic plerumque sustinent Ps. XXXIV. seu 3. *hostes*, tam corporales, quam spirituales, qui continuo fidelibus imminent: diabolum, mundum, carnem corruptam 1 Pet. V. 8. — 1 Joh. V. 19. & cap. II. 15. 16. seu 4. mortem Joh. XVIII. 14. extremum judicium. 2 Cor. V. 11. æternam condemnationem Jes. LXVI. 24. quid efficacius, in his omnibus aliisque succurret, quam, cogitare per glorificationem hanc inchoatam: 1. te constitutum esse in statu *gratiæ*, vitæ & gloriæ æternæ? eoque *gloriari* etiam posse, in quovis adverso, *sub spe gloriæ* Dei Rom. V. 2. Quam 2. te in eo statu tam beato, etiam, per virtutem Dei, adeo conservari potenter, ut ne *porta inferorum* quidem, tibi possint *prævalere* Matth. XVI. 18. Joh. X. 28. 29. teque avellere possint ab amore Dei, qui est in Christo Jesu Rom. VIII. 35. — Quam 3. te sub hac divina conservare, adeo roborari, per virtutem Dei, ut omnibus tuis hostibus, quam potenter & artificiose, tibi insultent; possis esse par, imo superior Rom. VIII. 37. Phil. IV. 13. Quam insuper 4. te de hoc statu nostro, tam beato, per ipsum Dei Spiritum velut arrhabonem infallibiliter certiorari 2 Cor. 1. 22. Quam 5. istius nostræ beatitudinis, tot indicia, promissiones, juramenta divina, sigilla, imo & primitias: in sensu *amoris* divini, in corda nostra effusi, in *pace* & tranquillitate animi, quæ omnem intellectum nostrum excedit Rom. V. 1. Phil. IV. 7. in gaudio ineffabili 1 Pet. 1. 8. in communicationem bonorum quorumvis spiritualium Col. II. 2. 7. 10. velut totidem pignorum immotæ suæ gratiæ Eph. 1. 3. 4. Quam 6. paternæ ejus curæ, qua

2. Præstat efficacissimum solatium.

Quibus casibus.

Quibus argumentis consolatoriis.

in

in omni casu, quantumvis adverso, nobis advigilet in bonum Rom. VIII. 28. Matth. X. 29. 30. 31. Neh. II. 8. Quam 7. ex præcedentibus omnibus, consummatam etiam, glorificationem, immotis argumentis, sibi polliceri posse 2 Cor. V. 1. 2. 1 Pet. 1. 4. 5. Rom. V. 2. Addam 8. quid, ipsa nostra hujus vitæ secunda, suavius afficere & edulcare possit, quam præcedentium omnium, pia cogitatio? Luc. XIV. 15. Psal. XXIII. 1 --

3. Explicat miseriam non glorificatorum.

XXIV. *Tertiò*, explicat ex adverso, inexplicabilem *miseriam* eorum, qui glorificationis hujus *inchoatæ*, non sunt participes. Utpotè qui: 1. non tantum, ex prædictis, omnis pacis, consolationis & gaudii primitiis, sunt destituti Jes. LVII. 21. Nec tantum 2. sunt *damnandi*, ex immutabili Dei decreto Rom. IX. 22. Jud. vers. 4. sed 3. *damnati* dudum Joh. III. 18. 36. eo quod: α. jam existant in *statu* mortis Eph. II. 1. 3. quod β. asserventur ad *diem judicii*, ut puniantur æternum 2 Pet. II. 9. *quibus etiam damnatio jam olim non tardat, & quorum exitium non dormitat* 2 Pet. II. 3. Quod γ. virtute Dei *roborant* penitus destituti, expositi sint furoribus, non tantum propriarum cupiditatum Rom. I. 24. sed ipsius etiam Satanæ Act. XXVI. 18. sub cujus *laqueis captivi*, rapiuntur *ad* omnem *ejus voluntatem* 2 Tim. II. 27. Quod δ. pro fidelium certitudine salutis, ullo quidem jure, non suppetat ipsis, nisi *horrenda quædam exspectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios* Heb. X. 27. Quod proinde ε. pro fidelium *amicitia* cum Deo, & suavissimo amore mutuo; pro consolationibus, pro pace & gaudio; ipsis non suppetat, nisi ex quo *iram*, odium & abominationem Dei Psal. V. 5. 6. 7. Eph. II. 1. 3. ex quo continuos conscientiæ angores & horrores Jes. XXXIII. 14. ex quo continuum mortis metum, concipiant Heb. II. 14. quibus, velut damnationis infernalis *primitiis*, exagitentur, tanquam furiis Jes. LXVI. 24. Quod ζ. pro piorum experientia beneficientiæ divinæ, ipsis non immineant, nisi horrenda Dei judicia Psal. LXIX. 23. 24. 25. 26. & XI. 6. 7. Donec tandem η. omnia præcedentia, sese exonerent in *consummatam* damnationem Psal. LXXIII. 17. 19. Phil. III. 19. Apoc. XXI. 8. Quæ omnia huc repræsentamus, ut: α. ex eis *sensum* urgentis damnationis concipiant impii Jes. XXXIII. 14. Et β. dum adhuc tempus est, emergere, omni conatu nitantur Act. II. 37. & XVI. 30. Psal. XCV. 7. 8. &c.

Quorsum.

4. Jubet nos ipsos explorare, num inter glorificatos, an damnatos simus?

XXV. *Quarto* jubet etiam, seriò nos ipsos *exploremus*, simusne inter *glorificatos*, an *damnatos*? Cum enim: α. tanta sit glorificatorum beatitudo, sicut diximus §. XXII. XXIII. cum etiam β. tanta sit damnatorum miseria, ut diximus §. XXIV. cum item γ. & damnati, per socordiam & securitatem carnalem, sibi frequenter imaginentur, gratiam & amicitiam Dei, pacem, gaudia, aliasque glorificationis primitias, tum etiam, cum sunt in suburbiis inferni Jes. XIV. 13. 14. 15. 1 Thess. V. 3. Cum porro δ. à certitudine hujus status, exploratione impetrata, pendeat omnis hujus vitæ nostræ securitas Gal. VI. 3. 4. Cum etiam ε. si in statu damnationis hæremus, ab exploratione primus emergendi gradus suppetat Luc. XV. 17. 18. quis non agnoscet operæ precium esse, ut nos ipsos accuratè *excutiamus, antequam decretum pariat diem, in quo* simus, *sicut gluma quæ transit: antequam veniat super* nos *ira furoris Domini; antequam veniat super* nos, *dies iræ Domini?* Zeph. II. 1. 2. Explorationis indicia, nobis suppetunt ab omnibus eis, quibus vocationis & fidei nostræ, quibus unionis nostræ cum Christo; quibus justificationis, adoptionis & sanctificationis nostræ sinceritatem, nobis innotescere, suis locis ostendimus: eo quod omnia ista, velut totidem annuli, in salutis nostræ catena aurea, individuo nexu cohærent: quos enim prædestinavit, hos etiam vocavit, quos vocavit, eos etiam justificavit; quos justificavit, hos etiam glorificavit Rom. VIII. 30. Egimus explorationis hujus causam, ex professo, quantum ad rem ipsam, capite 1. hujus libri §. XXVI. quibus plura non addemus.

Motivæ.

Indicia.

XXVI. *Quinto* instigat, ut collectis omnibus viribus nostris, *enitamur* ad communionem glorificationis *inchoatæ*, seu, quod idem est, ad *primitias* gloriæ consummandæ Heb. IV. 11. Quod: 1. tantam beatitudinem conferat suis possessoribus, per parag. XXII. Quod 2. tantum solamen, in quovis adverso, tantam dulcedinem, ipsis etiam secundis nostris conciliet per §. XXIII. Quod proinde 3. sit cœlum nostrum in terris, & beatitudo etiam in miseria nostra Act. VII. 55. 56. 2 Cor. XII. 2. 4. Matth. XVII. 2. 4. Psal. IV. 7. 8. 9. & XVI. 8. 11. Quod 4. sit gradus ad consummatam glorificationem, quando *de virtute in virtutem*, continuò *pergimus, donec apud Deum tandem in Zione, appellamus* Psal. LXXXIV. Imo quod 5. idem sit, cum glorificatione *consummata*, nec aliter quam gradu ab ea diversa: à quo, non tantum *beati* dicimur *spe* Rom. VIII. 24. sed & *vitam æternam* habere, *manentem* in nobis 1 Joh. III. 15. Joh. III. 36. Proinde qui glorificationis *inchoatæ*, nullo gradu sit particeps; ille etiam *consummatæ*, nunquam reddatur particeps: prout, qui ne inchoat quidem, nunquam etiam consummabit. Quibus autem adminiculis assequemur primitias istas? *Resp.* Conducunt: 1. omnia illa, quibus à statu peccati, traducimur in statum gratiæ, in quibus præcipua sunt, fides & resipiscentia Joh. V. 25. Marc. I. 15. Matth. IV. 17. Conducunt 2. omnia illa, quæ faciunt, ad parandam nobis infallibilem certitudinem futuræ gloriæ, qualia sunt, v.g. *præclarum certamen decertare, fidem* & bonam conscientiam *servare* 2 Tim. IV. 7. 8.

§. Instigat, ut glorificationem inchoatam.

Motivæ.

Adminicula.

7. 8. conſcientiam ſuam, ſuper ſtatu ſuo ſpirituali, frequenter & ſeriò examinare Gal. VI. 4. 2 Cor. XIII. 5. &c. Couducunt 3. omnia illa, quæ nos certiores præſtant de perſeverantia ſanctorum, quod faciunt, hæc potiſſimum aliaque Scripturæ teſtimonia Matth. XXIV. 24. Rom. VIII. 38. 39. & cap. XI. 29. Joh. XIII. 1. & X. 28. 29. 1 Pet. I. 5. Conducit 4. frequens ac devota gloriæ cœleſtis mediatio Col. III. 1. qua πολίτευμα noſtrum habeamus in cœlis Phil. III. 20. eoque glorificationi conſummatæ, tempeſtivè aſſueſcamus, & eam ſummo fervore quæramus Matth. VI. 33. Phil. III. 14. Conducit 5. univerſalis ἐυζωία, quam *juſtus vivit* per fidem Hab. II. 4. Gal. II. 20. qua peculiariter, univerſam vitam noſtram, ita inſtruimus, ut ſemel perſuaſi de amore Dei verſus nos, ceu filii ingenui cum parentibus ſuis, nos cum Deo familiariter converſemur Gen. VI. 9. & cap. V. 24. cum Heb. XI. 5. id ſollicite agimus, ut ei in omnibus placeamus 2 Cor. V. 9. 2. Theſſ. I. 11. cane pejus & angue cavemus, Deum & Spiritum S. quo nos obſignat Deus 2 Cor. I. 22. peccatis quibuſvis, imprimis conſcientiam vaſtantibus, contriſtare Eph. IV. 30. & ſi quando aberratum fuerit, per infirmitates noſtras, non ante quieſcamus, quam fide, reſipiſcentia, & deprecationibus, ſarcitum coram Deo fuerit Pſal. XI. 3 -- Matth. XXVI. 75. Et, dum ſic agimus, & à peccatis contumaciæ Pſal. XIX. 14. immunes ſumus; nihil admittamus omninò, quod familiaritatem ſuaviſſimæ converſationis noſtræ cum Deo, quovis modo obſtruere, aut turbare valeat Heb. III. 6. cum Matth. XVI. 23. & IV. 10. His veſtigiis ſi fideliter inſiſtamus, amore Dei conſtanter fruendo, quaſi in cœlo vivimus, & primitias gloriæ, uſque ad meſſem, ſuaviter circumferemus.

6. Monſtrat beatitudinem eorum qui in Domino moriuntur.

XXVII. *Sexto*, monſtrat beatitudinem eorum, qui in Domino *moriuntur* Apoc. XIV. 13. Jeſ. LVII. 2. imò beatitudinem *mortis*, eorum, præ beatitudine *vitæ* eorum Eccl. VII. 1. Eo quod: 1. Mors juſtorum, ſecunda ſit glorificationis periodus, prima, quæ eſt in hac vita, mille paraſangis præſtantior, prout §. XIII. jam ante obſervavimus: ſingulatim quod 2. totum hominem, quoad utramque ſuam partem eſſentialem, corpus & animam; liberet ab omni eo mali *ſenſu*, quo laborabat, ſub priori periodo. Atque etiam 3. animam, ad *plenam* fere perducat unionem & communionem cum Chriſto Phil. I. 23. in paradiſum cœleſtem Luc. XXIII. 43. ad beatiſſimum etiam conſortium Heb. XII. 22. 23. ad perfectiſſimam viſionem ac fruitionem Dei & Servatoris Job. XIX. 25. 1 Cor. XIII. 12. de quo, ſuo loco, plura ex profeſſo. Monſtrat inquam, hanc mortis beatitudinem: non 1. ad hoc quidem, ut eam ſimpliciter contemnamus, prout per temeritatem & affectatam quandam ſapientiæ, aut fortitudinis laudem nonnullis uſu venit, exemplo Gentilium. 1 Sam. XV. 32. Eſt enim: α. *ſua natura*; graviſſimum Dei judicium, adverſus hominum peccata Gen. II. 17. Rom. VI. 23. & noſtra merita, & Dei iram repræſentans. Conf. Prov. XVI. 14. Eſt β. ſua quidem natura, aditus ad æternam ſeparationem à Deo Act. I. 18. cum verſ. 21. Eſt γ. ſua nativa indole, conjugium amiciſſimorum, corporis & animæ, crudeliſſimum divortium Luc. XII. 20. & alterius etiam partis, totalis deſtructio Gen. III. 19. Eſt δ. cum intolerabilibus fere, præviorum morborum, tormentis copulata Pſal. CXVI. 3. 2 Sam. XXII. 5. 6. 7. Eſt ε. lictor truculentiſſimus, qui nos ad tremendis Judicis Dei, tribunal abripit Heb. IX. 27. 2 Cor. V. 10. quibus rationibus, ipſis etiam fidelibus, utcunque à *ſtimulo mortis* liberatis 1. Cor. XV. 55. horrori fuit Jeſ. XXXVIII. 14. Job. XVIII. 14. Matth. XXVI. 38. 39. 2 Cor. V. 4. ut non, prout vulgo fit, ſtatim veniant condemnandi, qui mortem horrent: quin potius hi, qui alia quavis causa, quam perveniendi ad Chriſtum, contemnunt: ſed 2. ut hebetet tamen egregie in fidelibus, horrorum iſtorum acrimoniam, cogitatio, quod, per infinitam Dei bonitatem, ſibi præſtet ſecundam periodum glorificationis & introitum ad glorificationem conſummatam, ſeu ad vitam æternam Joh. V. 24. Phil. I. 23. Apoc. XXII. 17. 20.

Quorſum.

7. Inculcat ſtudium benè moriendi.

XXVIII. *Septimo*, inculcat nobis ſtudium ἐυθανασίας: cum mors non omnibus, ſit gradus *glorificationis* (quin potius longe plurimis ſit gradus *damnationis* Luc. XVI. 23. & introitus in infernum Pſal. LXXIII. 18. 19.) ſed juſtis tantum, qui rectè, ſeu *in Domino* moriuntur Apoc. XIV. 13. Pſal. CXVI. 15. Occupat hæc ἐυθανασία fidelem, dum, 1. adhuc ſanus eſt, & Dum adhuc ſanimus. vel ſua aliorumque opinione, à morte remotior: ut α. horrorem mortis exorbitantem, reliquis omnibus officiis, remoram facturam, potenter reprimat & moderetur, cogitando: (1) quod Servator Jeſus, ſua morte, *maledictionem*, à ſuorum morte abſtulerit Heb. II. 14. 15. 1 Cor. XV. 54. 55. 56. 57. Quod (2) etiam in morte, Deus ſuis adſit, tenerrimamque eorum curam gerat, ne quid ea detrimenti capiant Pſal. XXIII. 4. Rom. VIII. 38. 39. Matth. X. 28. 29. 30. 31. Quod (3) mors nos omnibus hujus vitæ miſeriis liberet, & ad quietem, ceu ad dormitorium, introducat 2 Cor. V. 1. cum Heb. XI. 10. 16. ut β. frequenti ac devota *meditatione* mortis, dies noſtros numeremus Pſal. XC. 12. & XXXIX. 5. Jac. IV. 14. morti paulatim aſſueſcamus, frequenti cogitatione, & alienæ, & propriæ mortis Eccl. VII. 2. 1 Cor. XV. 31. imo aſſueſcendo morti, vanitatibus hujus mundi, paulatim moriamur, & ab eis deſueſcamus Eccl. I. 2. Matth. XVI. 26. continua memoria circumferendo, quod ab una mortis horula, totum pendeat æternitatis

pondus

pondus Eccl. xi. 3. Tandem γ. ut incumbamus: A. acquirendæ & corroborandæ fidei in Chriſtum: quod, qui in ipſum credunt, è morte in vitam tranſeant Joh. v. 24. 2 Tim. iv. 7. B. Repurgandæ magis magisque conſcientiæ Heb. x. 22. cum 2 Tim. iv. 7. ut olim in agone noſtro, cum Hiskia, poſſimus ea ſubmiſſe quaſi gloriari apud Deum: *momento* &c. Jeſ. xxxviii. 3. C. vitæ cœleſti tempeſtive aſſueſcamus Phil. iii. 20. Col. iii. 1. nosque geramus hic, ut municipes cœlorum, quo promtius olim, mortem, nos introducturam in cœlum, poſſimus præſtolari Pſal. lxxxiii. 25. Pſal. xlii. 2. 3. & lxxxiv. 2. 3. Apoc. xxii. 17. 20. Cum 2. appropinquat morbus & mors: & quidem duplici cura; quarum: א. *altera* diſtinea-tur rebus *terrenis* Jeſ. xxxviii. 3. circa *hæredes*, ne poſt obitum, jurgia oriantur inter ſuperſtites Gen. xlix. — circa *familiam*, ut monitis ſalubribus dimittatur 1 Reg. ii. 2. 3. circa *inimicos*, ut cum illis reconcilietur Matth. vi. 15. & xviii. 35. ב. *altera* circa *ſpiritualia*, imprimis circa propriam *animam*, ut *in Domino* moriamur Apoc. xiv. 13. in quam rem, anima efformanda eſt: (1) ad *reſipiſcentiam*, in agnitione & ſenſu peccatorum Pſal. li. 19. & xxxviii. 5. impetrandam ſtricto conſcientiæ *examine*, quo copiam & gravitatem eorum ſentias Zeph. ii. 1. cum Pſal. xxxviii. 5. & cxxx. 3. & cogitatione *imminentis* mortis, qua de omnibus, rationem debeat reddere Deo 2 Cor. v. 10. cum Heb. iv. 13. (2) ad *fidem* vivam in Chriſtum, cogitando: quantus ſit Servator, *ſuffi-cientiſſimus*, qui *poſſit* Heb. vii. 24. 25. *benevolentiſſimus*, qui *velit* etiam, condonare & ſervare Matth. xi. 28. Rom. v. 20. modo abjecta omni propriæ juſtitiæ fiducia Phil. iii. 9. Jeſ. lxiv. 6. ad ipſum ſolum confugiamus Jeſ. lv. 1. Apoc. xxii. 17. ipſius juſtitiam ſitiamus Matth. v. 6. (3) ad *patientiam* Jac. i. 4. Luc. xxi. 19. ad perferendam morborum acrimoniam, & horrores agoniæ, cogitando: α. eſſe Deum qui nobis imponat 1 Pet. iv. 19. Pſal. xxxix. 10. moderetur Jeſ. xliii. 1. 2. ne quo modo noceant Matth. x. 29. 30. Rom. viii. 28. β. nos etiam plura & majora mala demeritos eſſe Mich. vii. 9. Pſal. cxliii. 2. γ. quanta pro nobis paſſus ſit Servator Matth. xxvi. 37. 38. 39. quanta martyres Heb. xi. 37. δ. eſſe hoc poſtremum, quod nobis incumbat perferendum, quod jamjam excepturum ſit æternum gaudium Apoc. xxi. 4. 1 Cor. xv. 26. (4) ad *ſpem* vivam, imminentis vitæ æternæ: per operationem fidei Heb. xi. 1. per conſcientiam ſinceritatis noſtræ Jeſ. xxxviii. 3. Pſal. xxxii. 2. cum xv. 2. per contemplationem reſurrectionis Chriſti, ut capitis noſtri 1 Pet. i. 3. 1 Cor. xv. 20. per meditationem fœderis gratiæ, quo non mortuorum, ſed viventium Deus ſit Matth. xxii. 32. Talis εὐθυναοία, nos traducet ad confinia Canaan. Conf. Deut. xxxiv. 1. imo introducet in vitam Joh. v. 24. conferetque *finem fidei* noſtræ, ſalutem animæ 1 Pet. i. 9. donec tandem tertia accedat glorificationis periodus, in omnibus numeris, ac totius hominis, conſummatiſſima beatificatione 2 Tim. iv. 8. Matth. xxv. 34. 46.

Cum appropinquat morbus & mors.

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ, LIBER SEPTIMUS, DE *Ecclesiâ & Ecclesiasticalibus.*

CAPUT PRIMUM, DE NATURA ECCLESIÆ.

Eph. v. 25.

Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ.

Nexus dicendorum cum dictis.

I. Circa redemptionis applicationem, diximus superiore libro: ejus naturam, actus Dei applicativos, fundamentum applicationis, & beneficia applicata, & his, ejus quasi interiora, absolvimus: hoc libro, ad ejus *objectum* & media properamus. *Objectum*, circa quod redemptio & ejus applicatio distinetur, est *Ecclesia:* cujus contemplationi, pro fundamento struemus pericopen Eph. v. 25.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *Qua Apostolus*, amorem Christi versus Ecclesiam *suam*, *ejusque efficaciam*, *Ephesiis ad exemplum*, *sic proponit*, *ut notet.*

1. Amantem: Christus, *Ecclesia sponsus.* vers. 32. Hos. II. 18. caput Eph. I. 22. & IV. 16. *fundamentum* Eph. II. 20. 21. Matth. XVI. 18. *Penes quem omnis est potestas* magisterialis *in Ecclesia.* Ibid. cap. XXVIII. 18. Phil. II. 9. 10. II. *absque cujus auctoritate, Ecclesia colligi non possunt, nec in Ecclesiâ quicquam geri potest: quamvis potestatem* ministerialem, *in suos derivaverit ministros* Eph. IV. 11. 12.

2. Amatum: Ecclesiam, *suam sponsam, sibi Spiritu & fide unitam, h. e. complexum eorum, qui, ope vocationis efficacis, per fidem, sibi uniti sunt. Hæc sola præstat* objectum *amoris Christi: sic tamen, ut etiam præstet ejus* effectum *& subjectum: ubi enim, secundum æternam electionem, per redemptionem & vocationem efficacem, semel est constituta; objectum fit, & subjectum recipiens, omnium benedictionum salvificarum. Sonat autem* Ecclesiæ *vox, cœtum* vocatum, à *καλέω, non coactum seu congregatum, ut* Synagoga: *&* evocatum, *ex aliis præteritis; non* convocatum, *ex eis qui jure aliquo ad cœtum istum pertinent: unde (observante Camerone prælect. in* Psal. LXXXVIII.) *Ecclesia dicit evocationem ex populo &* plebe I Cor. I. 26. convocatio *ex nobilibus & optimatibus. Reliqua occurrent in* dogmaticis.

3. Amorem; dilexit: *ἠγάπησε*, amavit, generaliore *significatione*, *idem notat quod* dilexit I Joh. II. 10. specialiore *& magis propriâ: amare adhærendo alicui corde & animo, acquiescere in aliquo, adeo ut non aliud desideres* Matth. VI. 21. & XXII. 37. *Ἀγαπάω plus dicit quam φιλέω, utpote compositum ex ἄγαν* valde *& πάω* possideo: *aut πάνομαι acquiesco, quæ enim amamus, ea corde possidemus, & in eis acquiescimus.* Amavit, *propensione in Ecclesiam, non communi tantum: qua in omnes creaturas suas, Deus promiscue propendet* I Tim. IV. 10. Psal. XXXVI. 7. *sed διακριτικῶς, superlativa & salvifica* Psal. XXXVI. 8. 9. 10. 11. & LXV. 5. I Tim. IV. 10.

4. *Amoris* productum: seipsum tradidit pro ea: *quo* donum *redemptionis, impetratæ pariter & applicatæ, significatur: penes quod notatur.*

A. Donum: seipsum: *non* alium *quemvis qualem aut quantumquo quemque; nec* suum *tantum quodvis: sed* seipsum, *totum, quantus quantus est, quoad personam, quoad opes &c.* I Cor. I. 30. Conf. Rom. VIII. 32.

B. Do-

B. Donatio: tradidit. παρέδωκεν *ex* παρὰ trans, & δίδωμι do, *dono: ut* παραδίδωμι, *sit* transdare: *respectu* prioris *exprimit* voluntariam *ac spontaneam traditionem*; *respectu* posterioris, *traditionem ad* mortem, *in satisfactionem*; *in sacrificium & hostiam Deo*, *ad odorem suavis fragrantiæ* Eph. v. 2.

D. Donati, *seu donata potius Ecclesia*: pro ea, *h. e. non quomodocunque tantum*, *in usum & commmodum ejus*; *sed etiam ejus loco. Scil. ut* eam sanctificâret, postquam *eam* purgavit, lavacro aquæ in verbo, ut *&c.*—Eph. v. 25. 26. 27. *Nec pro aliis quibusvis*; *sed pro sola Ecclesia.*

Pars dogmatica.

Redemptio pariter & ejus applicatio, circa solam occupantur Ecclesiam. Probatur Scripturis.

III. Ex quo sequitur, quod redemptio & ejus applicatio occupetur: circa *solam Ecclesiam*: cum constituendam; tum constitutam. Quamvis enim Deus, amorem gestet versus omnia opera sua Ps. civ. 31. & per istum amorem, in quosvis dispensset egregia dona *communia* Ps. xxxvi. 7. 8. Matth. v. 45. Job. xxxix. 3. Psal. cxlvii. 9. ille tamen amor, quo *seipsum* tradidit, seu amor ille salvificus, quo dispensat ἰχόμενα σωτηρίας Heb. vi. 9. non occupatur nisi erga Ecclesiam. Unde non tantum *generaliter*, gratiam & pacem, à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo, suis Ecclesiis, passim imprecatur Apostolus Rom. i. 7. 1 Cor. i. 3. 2. Cor. i. 1. 2. sed & *singularia* quævis, talia quidem beneficia, in Scripturis ad solam referuntur Ecclesiam: v. g. (1) *Electio* Joh. xv. 19. Tit. i. 1. 1 Pet. i. 12. & ii. 9. Apoc. xvii. 14. (2) *Redemptio* Act. xx. 28. Eph. i. 1. cum vs. 7. (3) *Vocatio* 1 Pet. ii. 9. 1 Cor. i. 1. 2. Rom. i. 7. (4) *regeneratio* 1 Pet. i. 3. vivificatio Eph. ii. 5. 6. cum cap. i. 1. (5) *conversio* Jer. xxxi. 18. Ezech. xxxvi. 24—30. (6) *unio* cum Christo, unde *sponsa* Christi Apoc. xxii. 17. *corpus* Christi appellatur Col. i. 24. Eph. i. 22. 23. (7) *justificatio* 1 Cor. i. 2. cum cap. vi. ii. (8) *adoptio* Rom. ix. 4. i. Joh. iii. i. 2. (9) *sanctificatio* Eph. v. 26. Rom. viii. 30. 1 Cor. vi. ii. (10) Glorificatio Eph. v. 27. Nec ullum legitur donum *salutare*, quod Deus subtrahat Ecclesiæ: cum ex adverso, nullum *talium* beneficiorum, legatur unquam dispensasse in hos, qui sunt *extra* Ecclesiam Eph. ii. 12. Apoc. xxi. 27. Nec mirum: est enim Ecclesia α. *Regnum* Christi Col. i. 13. β. *sponsa* Christi Apoc. xxii. 17. & xxi. 9. Ps. xlv. 10. γ. *corpus* Christi 1 Cor. xii. 12. Eph. i. 22. 23. & iv. 15. 16. &c. Dum, qui sunt extra Ecclesiam, sunt A. *extra* Christum Joh. xv. 4—8. proinde extra salutem, Act. iv. 12. B. *hostes* Christi Phil. iii. 18. Luc. xix. 27. C. *canes*, arcendi, ab omnibus beneficiis salutaribus Matth. vii. 6. & xv. 26.

& rationibus.

Considerationis quoad etymologiam.

IV. Ecclesia, ab ἐκκαλέω dicitur, ut notet societatem *convocatam*, seu *concionem*: Hebræis קהל *congregationem*, & עדה societatem *conditam*: Græcis, in Scripturis saltem, planè συνονόμως, συναγωγὴ Jac. ii. 2. & ἐπισυναγωγὴ Heb. x. 25. quamvis hæc, usu sequiore, ad conventus judaicos, ut Christianis contradistinctos, restricta fuerit. Notat aliquando, quamvis congregationem hominum Act. xix. 31. vel pessimorum Psal. xxvi. 5. usu restrictiore, notat congregationem *religiosam*. Et sic aliquando *universum* complexum notat, omnium fidelium, qui fuerunt, sunt & erunt Eph. i. 22. 23. Heb. xii. 23. aliquando *particularem* aliquot fidelium consociationem *publicam* 1 Cor. i. 2. Apoc. i. ii. nonnunquam privatam ac *domesticam* Col. iv. 15. Rom. xvi. 15. Philem. vs. 2. subinde πρόσωπας, qui Ecclesiam repræsentant Matth. xviii. 17. nunquam, saltem in Scripturis, locum congregationis notat, quamvis hoc sensu, apud Patres non raro veniat. Appellatur, alio modo *Ecclesia Dei* 1 Cor. xv. 9. 2. Cor. i. 1. Ecclesia *Christi* Matth. xvi. 18. *sponsa* Christi Psal. xlv. 10. Apoc. xxii. 17. sponsa *agni* Apoc. xxi. 9. *magnus mons Israelis* Ezech. xvii. 23. *mons Zion*, *mons sanctitatis* Psal. ii. 6. *civitas Dei vivi* Heb. xii. 22. *cœlestis Jerosolyma* Apoc. xi. 2. & xxi. 2. 10. *vinea* Christi Jes. v. 1. *vitis* Psal. lxxx. 9. *domus* Dei Heb. iii. 16. 1 Pet. iv. 17. *hæreditas Domini* 1 Pet. v. 3. *corpus* Christi Eph. i. 22. 23. & iv. 16. & v. 23. Col. i. 18. 24. *Christus*, scil. mysticus 1 Cor. xii. 12. *ovile* Dei 1 Pet. v. 2. Psal. lxxx. 1. *genus electum* 1. Pet. ii. 9. *sancti* Rom. i. 7. & viii. 27. *Christiani* Act. xi. 26. &c.

homonymiam. synonymiam.

Quid sit Ecclesia.

V. Nobis hic non est, nisi *cœtus hominum*, *efficaciter ad Christum evocatorum* α. *Cœtum* dicimus, ne in *uno*, quovis constituatur, ne in Christo quidem, *personaliter* considerato: à quo *corpus coagmentatum*, & *compactum* ex variis membris, dicitur Eph. iv. 16. item *familia*, *civitas*, *regnum*, *grex* &c. Cœtum β. *hominum* dicimus: ut excludantur non tantum *bruta*; sed etiam *Angeli*, qui licet cum Christo *uniti* sint, velut cum capite Col. ii. 10. & propterea *aliquo* modo, membra præstent Ecclesiæ Heb. xii. 22. non sunt tamen *homogenea* membra, qui efficaciter *vocati* sint ad Christum; & γ. cœtum *vocatorum* & *efficaciter* vocatorum; ut non tantum ad *electos* non extendatur, necdum regenitos (licet hi *potentia*, certo traducenda in actum, ad illam referri possint) sed etiam *hypocritas*, vocatos quidem; sed non *efficaciter*, excludamus. Quia autem vocationis istius terminus est *fides*, & fide opus est *insito* in Christum, & unio cum Christo, *communionem*

secum rapit: hinc eodem sensu definitur, *cœtus fidelium*, cœtus eorum qui sunt in Christo, cœtus eorum qui communionem habent cum Christo.

Ecclesiæ causæ procurantes.

VI. Ecclesia hæc, quia est *Ecclesia Dei* 1. Cor. xv. 9. 2. Cor. 1. 1. *Deum* solum agnoscit, sui causam *principalem* Heb. iii. 4. & singulas etiam deitatis *personas*: (1) *Patrem* quidem, δεσπότην κατ' οἰκονομίαν Act. iv. 24. quatenus per *appropriationem* α. membra, Ecclesiam olim constitutura, ab æterno *elegit* Eph. 1. 4. Rom. viii. 29. Act. xiii. 48. β. in tempore ministros *emisit*, qui, ad Ecclesiam electos, colligerent Matth. ix. 37. 38. cum Heb. 1. 1. γ. ordinem illum, qui est inter *caput & membra* Eph. 1. 22. & inter membra invicem, eorum qui gubernent & gubernentur 1. Cor. xii. 27. 28. ipse constituit δ. efficaciam ministerio congregationis, & successum collectionis, ipse procurat Eph. 1. 19. (2) *Filium* οἰκόνομον, qui *fidelis fuit in propria domo* Heb. iii. 5. 6. tanquam Ecclesiæ *caput* Eph. 1. 22. 23. qui Ecclesiam sibi acquisivit proprio *sanguine* Act. xx. 28. Eph. v. 2. 25. 26. collegit ejus membra Joh. x. 16. ædificavit & conservat Matth. xvi. 18. gubernat; *extus*; per ministerium Eph. iv. 11—15. *intus* per virtutem & Spiritum suum Rom. xv. 18. 19. Matth. xxviii. 20. & tandem glorificat Eph. v. 25. 26. Joh. xvii. 24. (3) *Spiritum S.* qui verbum inspiravit, cujus prædicatione Ecclesia colligitur 2. Pet. i. 21. verbi præcones mittit Act. xiii. 2. & xx. 28. necessariis donis exornat 1. Cor. xii. 4. 11. corda auditorum præparat & convertit Tit. iii. 5. Joh. iii. 5. consolationibus sustentat & refocillat Joh. xiv. 16. Act. ix. 31. Causas tamen *ministeriales* agnoscit homines, Ecclesiæ ὁμοιοπαθεῖς Act. xiv. 15. qui ab hoc, σύνεργοι τῷ θεῷ indigitantur 1. Cor. iii. 9. qui, nec *potestate*, nec *potentia* propria, Ecclesiam colligunt; sed potestate sibi delegata, & potentia communicata à Deo 1. Cor. iii. 5. qui donis etiam necessariis, ut *idonei sint ministri*, eos instruit 2. Cor. iii. 6. & laboribus eorum adspirat, sua efficacia & benedictione 1. Cor. iii. 6. 7. 8. Rom. xv. 18. 19.

Causæ ministeriales.

Homines qui Ecclesiam constituunt.

VII. Quos Deus, per ministros suos, ad constitutionem Ecclesiæ colligit: sunt, ut diximus, soli *homines*; sed ex toto genere humano Matth. xxviii. 19. cujusvis nationis, sexus, ordinis Apoc. v. 9. Gal. iii. 28. Col. iii. 11. idque ab initio mundi usque ad ejus exitium evocati Gen. iii. 17. cum Matth. xxviii. 20. Homines perditi quidem & *pessimi*, antequam colligerentur; sed *sanctificati*, postquam collecti sunt Eph. ii. 1. 2. 3. Tit. iii. 3. 4. 1. Cor. vi. 10. 11. Ut Ecclesiæ *constitutionem*, velut genuina ejus membra, non ingrediantur quivis, non impii aut hypocritæ Apoc. xxi. 27. sed soli *fideles*, sancti, vocati Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2. 2. Cor. 1. 1. Eph. 1. 1. Phil. 1. 1. 1. Pet. ii. 9. Isti autem homines, ad hoc colliguntur, ut *uniantur* cum Christo, & cum eo coalescant, in unum corpus *mysticum* 1. Cor. xii. 12. cujus caput sit Christus, reliqui membra Eph. 1. 22. 23. & cap. iv. 15. 16. Ex qua unione, affectio inter partes unitas, talis existit: ut non tantum Ecclesia *domus*; Christus Pater familias Heb. iii. 6. Ecclesia *sponsa*; Christus *sponsus* Apoc. xxii. 17. Matth. ix. 15. sed etiam *Christus* dicatur esse Ecclesiæ, & Ecclesia Christi Can. ii. 16. & vi. 2. & vii. 10. Christus *in* Ecclesia, & Ecclesia in Christo Joh. xv. 4. 1. Joh. iii. 24. imo & Ecclesia appelletur *Christus* 1. Cor. xii. 12. ac *complementum ejus*, *qui omnia in omnibus replet* Eph. 1. 23. Quibus tamen omnibus, non unionis tantum *relatio* significatur; sed *ordo* etiam, quo Christus Ecclesiæ, omnis dignitatis, vitæ, virtutis & perfectionis, principium & scaturigo est. Huic porro, unioni superstruitur *communio sanctorum* mystica: tam illa, quæ est inter fideles ut membra, & Christum ut caput, de quâ lib. *præced.* cap. v. ex professo: quam illa, quæ est inter fideles *invicem*: sive *latior* intelligatur, quam quilibet fidelis habet cum Ecclesia *universa* Heb. xii. 22—25. Eph. iv. 16. sive *strictior*, quam habet cum tota Ecclesia *militante* in terris 2. Cor. viii. 4. Heb. x. 34. sive *strictissima*, quæ est inter fideles *unius* congregationis Eph. 1. 1. Rom. 1. 7. &c. de quibus distinctius suis locis.

Fides, per quam Ecclesia constituitur, ut forma.

VIII. In hanc unionem & communionem ecclesiasticam, homines coalescunt *per fidem*, veram ac vivam, qua Christum recipiunt Joh. 1. 12. Col. ii. 6. Christus in ipsis *habitat* Eph. iii. 17. in ipsis *vivit*, & ipsi vicissim in Christo Gal. ii. 20. Joh. xv. 4. 5. Hinc, quod Ecclesiam constituit ut *formam*, accuratissimè dicitur esse *fides*. Sicut enim, à parte Christi non est, quo nos ipse q. attingat, ad unionem sui nobiscum Rom. viii. 9. 10. 1. Cor. vi. 15. 17. ita à parte nostrî non est, quod Christum spiritualiter q. attingat, ad unionem nostrî cum eo. neque etiam in Ecclesiæ membris est, quod adeo omnibus commune sit, & quo se invicem, arctius quasi attingant ad unionem, quam fides: qua, dum omnes uniti sunt cum Christo ut capite; uniti quoque sunt inter se ut membra: *unum corpus*, *unus spiritus*—*unus Dominus*, *una fides* Eph. 4. 5. Unde, quia unus nobis omnibus est *magister*; etiam *omnes fratres* dicimur Matth. xxiii. 1. Fides tamen considerari potest, vel ut in singulis fidelibus, *singulatim* existit; & sic est forma vocatorum: vel ut in omnibus fidelibus *collective* existit, & sic demum est forma Ecclesiæ. Eidem enim homines fideles, *singulatim*, *vocati* appellantur; *conjunctim*, *Ecclesia*: ex quo porro sequitur, omnes illas promissiones, quæ Ecclesiæ facta sunt in Scripturis, ad singulos etiam fideles extendi.

IX. Eccle-

Affectiones Ecclesiæ, tres.

IX. Ecclesia sic per fidem compacta: 1. *sancta* est 1 Pet. II. 9. Rom. I. 7. 1 Pet. I. 1. & II. 5. Jac. I. 1. Tit. II. 14. non tantum: α. quod sanctitatem, omnia & singula ejus membra *profiteantur*, quæ ὑποταγὴ ὁμολογίας nostræ dicitur 2 Cor. IX. 13. Conf. Rom. X. 10. Nec tantum β. quod, per confœderationem ecclesiasticam cum populo sancto, *sint* sancti, sicut olim, sub V. T. totus populus, per fœdus *nationale*, sanctus erat Deut. VII. 6. & XIV. 2. 21. quæ *fœderalis* sanctitas Theologis indigitatur: sed etiam γ. quod sanctificati sint per *Spiritum S.* 1 Cor. VI. 11. Eph. V. 26. & sanctitati *operam* dent Eph. II. 21. & operam dare debeant Luc. I. 74. 1 Pet. I. 15. 16. Tum 2. *una* est, unde *Ecclesia* Eph. IV. 23. & *corpus* Christi Eph. I. 23. in singulari, notatur: cujus unitatis fundamentum, in variis ponit Apostolus Eph. IV. 4. 5. *unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quæ tamen unitas, non excludit *varietatem* membrorum 1 Cor. XII. 12. 13. neque etiam pluralitatem Ecclesiarum *particularium* Gal. I. 2. de quibus suo loco. Denique 3. *catholica* est, quamvis epitheton istud, apud Scripturas, vix reperiatur, nisi forte in voce πανήγυρις Heb. XII. 23. competit ei tamen *vere*, non quidem ut sonat *generale*, seu universalem quandam Ecclesiam; quæ sub se plures habeat ecclesias, ut sibi subordinatas species, aut individua; sed ut aliquid *integraliter* totum, prout *orbem* dicimus *universum*: nec quatenus universam notet Ecclesiam militantem, quæ in terris agat sub uno quodem visibili capite, quo sensu Romanenses se *catholicos* jactant. Et sic catholica dicitur 1. ratione *fidei*, quod fidem teneat, omnibus temporibus communem, qua ratione, quævis ecclesia particularis, modo vera sit, *catholica* dici possit, quatenus fidem possidet, omnibus electis communem 2. ratione *locorum*, quod per *totum orbem*, & omnes ejus partes, sese dispergat Matth. XXVIII. 19. Psal. II. 8. etiam 3. ratione *temporum*, quod à mundi *initio* exstiterit Gen. III. 15. & exstitura sit, usque ad ejus *exitium* Matth. XXVIII. 20. Eph. IV. 13. Psal. CX. 1. Porro 4. ratione quarumvis *nationum*, personarum & sexuum Apoc. V. 9. 1 Pet. I. 2. Gal. III. 28.

sanctitas,

unitas,

catholicismus.

Ecclesia universalis dispescitur: in triumphantem,

X. Hinc dispescitur, in: α. *triumphantem*, de qua Heb. XII. 23. Apoc. VII. 14. 15. 16. Eph. V. 27. Hac nihil aliud intelligimus, quam illam Ecclesiæ universalis partem, quæ in *cœlis* existens, *consummata* communionis cum Christo, facta est particeps 1 Cor. XIII. 11. 12. ad quam pertinent omnes illi fideles, qui à mundi exordio, in hunc usque diem, decesserunt, quæque indies augetur accessione fidelium, usque ad consummationem seculorum Eph. IV. 13. Præsupposita enim animarum immortalitate, quæ à morte fidelium transeant in paradisum Luc. XXIII. 43. 2 Cor. V. 1. Phil. I. 23. præsuppositio insuper, quod sua communione cum Deo fruantur, & fruendo, gaudio ineffabili capiantur, adeoque *sentiant* Apoc. VI. 9. 10. 11. Luc. XVI. 25. non potest non agnosci veritas, talis Ecclesiæ triumphantis.

Et militantem,

XI. β. *Militantem*, quæ *inchoata* tantum communions cum Christo est particeps 1. Cor. XIII. 9. 12. 1. Joh. III. 2. 3. Col. III. 4. cui perpetuò *luctandum* est Job. VII. 1. 2. Cor. VII. 5. 2. Tim. II. 3. Jam: 1. cum *miseriis* quibusvis hujus vitæ, velut peregrinis, donec perveniant in Patriam Psal. XXXIX. 13. Gen. XLVII. 9. 2. Cor. V. 4. Act. XIV. 22. Jam 2. cum *diabolo* Eph. VI. 12. 1. Pet. V. 8. Apoc. XII. 7. Jam 3. cum *mundo*, & persecutoribus omne genus 2 Tim. III. 12. Joh. XV. 12. & XVI. 2. 33. Jam 4. cum propria *carne*, ejusque corruptionibus 1. Pet. II. Gal. V. 17. Observatur hujus Ecclesiæ duplex quasi forma: *essentialis*, quam præstat *fides* salvifica, eadem scil. quæ format Ecclesiam Catholicam, quam diximus §. VIII. altera *accidentalis* Rom. X. 10. Heb. IV. 14. & X. 23. 1. Tim. VI. 12. 13. Ex quo duplex etiam nascitur Ecclesiæ status: *interior*, à forma essentiali, seu à *fide*; & *exterior* à forma accidentali, seu à *professione* fidei: adeo diversus ab invicem, ut aliquis possit esse membrum Ecclesiæ, quoad statum *externum*, qui non sit quoad statum *internum* 1. Joh. II. 15. Apoc. II. 9. Matth. VII. 21. 22. Nec tamen *quævis* ad hoc sufficit professio; sed talis omninò requiritur, quæ *moraliter* saltem, possit docere, professionis animum vera & viva *fide* præditum esse: unde fidem cordis, & professionem oris, Apostolus conjungit Rom. X. 10. Nominatim non sufficit professio *assensus*, quem præstes capitibus veræ religionis Jac. II. 19. Marc. I. 24. sed insuper requiritur professio *consensus*, quod corde IN Patrem, Filium & Spiritum Sanctum Matth. XXVIII. 19. cum Marc. XVI. 16. hic, quod Deum habeas pro *summo fine*, & Christum pro *uno Mediatore* tuo Joh. XIV. 1. & talis etiam, quam non redarguat professionis *vita* & conversatio Matth. VII. 21. 22. Tit. I. 16. Apoc. II. 2. & III. 9.

Communio

XII. Ex hac communis fidei professione 2. Pet. I. 1. nascitur *communio* illa sanctorum 1. Joh. I. 6. 7. Matth. XIII. 8. Qua *viva* totius Ecclesiæ sanctæ militantis membra, communionem habent: (1) cum *Deo*: Patre & filio 1. Joh. I. 3. & Spiritu S. 1. Cor. VI. 19. 2. Cor. XIII. 13. (2) cum Ecclesia *triumphante* Heb. XII. 22. 23. Col. I. 20. (3) cum *beneficiis* Dei salvificis: (α) *electione* Eph. I. 4. 1. Pet. II. 9. β. *redemtione* Apoc. V. 9. Act. XX. 28. γ. *vocatione* 1. Cor. I. 2. Rom. I. 7. 2. Tim. I. 9. δ. *regeneratione* 1. Pet. I. 3. ε. *conversione* Act. XXVI. 18. ζ. *unione* cum Christo Eph. V. 30. η. *justificatione* Rom. V. 1. θ. *adoptione* Rom.

Actus communionis sanctorum.

IX. 4. Joh. I. 12. & *justificatione* 1. Cor. VI. 11. & *glorificatione* Luc. XXII. 29. Matth. XXV. 32. Actus *visibilis* communionis sanctorum, duum generum observantur: illi 1. quibus se sistunt *Deo* in Christo, ad percipiendas ejus benedictiones, & ad gloriam earum Deo referendam; quales sunt congregationes illæ, in quibus voluntas Dei annunciatur, sigilla fœderis gratiæ dispensantur, nomen Dei invocatur, & benedictiones spirituales exspectantur Heb. X. 25. Matth. XVIII. 19. 20. Exod. XX. 24. tum 2. quibus alii *aliis* benefacere student: 1. Pet. IV. 10. imprimis quidem quoad *spiritualia* 1. Thess. V. 14. Heb. III. 13. tum etiam quoad *corporalia* 2. Cor. VIII. 1. 2. 7. 19. & IX. 12. 13. 1. Joh. III. 17. Rom. XII. 13. Jac. II. 15. 16.

Ecclesiæ militantis affectiones, quod sit: 1. visibilis & invisibilis.

XIII. *Militantis* Ecclesiæ, has potissimum observamus affectiones: 1. Quod sit *visibilis* simul & *invisibilis*: quatenus per *visibile* intelligitur, non id tantum, quod oculis corporeis percipitur: sed etiam, quod quovis alio sensu externo admittitur Sic autem, Ecclesiam *visibilem* dicimus & *invisibilem*; non quod aliam statuamus Ecclesiam invisibilem, aliam visibilem: est enim nobis *una* tantum militans Ecclesia Eph. IV. 4. 1. Cor. XII. 12. 13. 14. 20. 21. nec quod Ecclesiæ militantis, una *pars* sit visibilis, *altera* invisibilis: est enim militans Ecclesia, *unum* tantum corpus; sed quod eadem numero Ecclesia, quoad formam & statum suum *internum* (unionem scil. cum Christo, quæ fide peragitur) sit *invisibilis*; quando secundum formam & statum *externum*, professionem scil. est *visibilis* Jes. II. 2. 3. 14. cum Matth. V. 14. nec quod tota *simul* sit visibilis; sed quod in suis *partibus* sit visibilis; non tantum in *membris singularibus*, fidem Ecclesiæ communem positentibus Act. XIX. 1. (quamvis singularis ista professio, non tam Ecclesiam in statu suo *integrali* & organico, faciat visibilem; quam quidem *membra* quædam visibilia) sed etiam in *congregationibus* membrorum distinctis; per quas, non tantum Ecclesia militans *visibilis* sit; sed etiam in plures abit Ecclesias particulares, quæ sunt quasi partes Ecclesiæ Catholicæ *similares*, ejus nomen pariter & naturam participantes, 2. Quod, licet *absolute* considerata, visibilis in professione & congregationibus; *comparative* tamen, respectu diversorum locorum, aut temporum, sit, vel *conspicua*, quando numerus membrorum est *major*, professio liberior & magis *publica* Jes. II. 2. 3. 14. Rom. I. 8. Act. VII. 17. & XII. 21. & XIX. 20. Rom. II. 18. vel *latens*, cum numerus membrorum est *minor*, professio minus aperta: quod fieri solet per hæreses, persecutiones, & profanos mores grassantes Rom. IX. 27. ex Jes. X. 22. & Rom. IX. 29. ex Jes. I. 9. Rom. XI. 3. Apoc. XII. 6. Quod 3. eadem ratione, sit *purior* & *impurior*: prout professio, vel *perfectior* est vel *imperfectior* Rom. I. 8. 1. Thess. V. 8. 9. & IV. 9. 10. cum Gal. III. 1. 2. 4. Per Quod 4. sit constans & *indefinens* Matth. XXVIII. 30. Eph. IV. 12. 13. Psal. CX. 1. Matth. XVI. 18. Quamvis enim hujusmodi vicissitudinibus sit obnoxia, ut *quamlibet* mundi partem deserere possit Apoc. II. 5. Matth. XXI. 41. nunquam tamen *totaliter* deficit, ab initio collectionis, usque ad finem mundi, quando regnum Patri Servator tradet 1 Cor. XV. 24.

2. conspicua & latens.

3. Purior & impurior.

petua & indefinens.

XIV. Dispesci possit Ecclesia *militans*, *primo* in *veteris* & *novi* testamenti. Per Ecclesiam *veteris* testamenti, congregationem fidelium intelligimus, ab Adamo usque ad Messiam, quæ primo collecta fuit in familiis *Patriarcharum*, quatenus & vetetempore Seth, & Enos, non tantum exstiterunt *filii Dei* Gen. VI. 2. sed etiam *invocatum* est, publicis procul dubio congregationibus, *nomen Domini* Gen. IV. 26. & Noachus, post diluvium Deo fertur struxisse *altare* Gen. VIII. 20. Porro tempore Abrahami, adstricta fuit ejus familiæ, in *Isaaco* propagandæ Rom. IX. 7. Gen. XXI. 12. A Mose statum accepit, magis *publicum* & *organicum* Deut. XII. 11. & quoad aggregationem externam, *unica* tantum fuit, quatenus tota illa communio solennis, quæ tum temporis fuit præscripta, ab uno *templo* pendebat, ibidem publica professione, & certis ritibus, ex præscripto divino, exercenda Exod. XX. 24. Ps. CXXXIII. 13. Hac ratione, fuit suo modo *catholica* & universalis quatenus fideles proselyti, ex omni natione sub cœlo, sese debebant adjungere, uni illi Ecclesiæ Act. II. 5. 6. 8. 9. 10. 11. & VIII. 27. De hac suo loco, si Deus volet, paulò uberius agemus.

Dispescitur Ecclesia militans, in: veteris & novi testamenti:

XV. *Secundo* N. testamenti, quæ ex *omnibus* nationibus, totius orbis terrarum, colligi cœpit post ascensionem Servatoris nostri, ex ejus præscripto Matth. XXVIII. 20. De qua itidem suo loco ex professo. Hæc rursus considerari potest sub duplici statu: 1. *universali*, quatenus complexum notat omnium fidelium, qui existunt per totum terrarum orbem, quo sensu eam hactenus cogitavimus: 2. *particulari*, quatenus fideles illi, in certas coëunt societates particulares, quæ totidem *Ecclesias* constituunt Apoc. I. 3. 2. Cor. VIII. 1. 19. Rom. I. 7. 1. Cor. I. 2. 2. Cor. I. 1. &c. Istæ Ecclesiæ, sunt *catholicæ* seu mysticæ quasi partes homogeneæ ac similares, ejus nomen ac naturam participantes, ac proinde, respectu communis naturæ, quæ in omnibus particularibus reperitur, sunt quasi *species* Ecclesiæ mysticæ & generalis quæ habet rationem totius *integralis*, ex variis Ecclesiis particularibus coalescens. Communiter quidem discriminantur particulares istæ Ecclesiæ à locis particularibus, quibus coëxistunt.

Universalem & particularem.

XVI. Reipsâ non est Ecclesia ista *particularis*, nisi societas fidelium, speciali vinculo, inter se conjunctorum, ad communionem sanctorum constanter

Quid sit Ecclesia particularis.

Auctor Ecclesiæ particularis.

stanter inter se exercendam. Sic definit Amesius *Medul.* lib. 1. cap. XXVII. §. 6. Ecclesiæ hujus particularis, idem est auctor Deus, qui catholicæ, triumphantis & militantis jam ante fuit: nisi quod hîc ministerio hominum utatur Heb. III. 3. 4. 5. & in aggregatione Ecclesiæ particularis, coëant, cum mandato & efficacia Dei Heb. X. 25. etiam officium & coöperatio hominum; quando Ecclesiam catholicam, immediatè fere Deus congregat. *Auctoritas* ergo colligendi Ecclesiam, etiam particularem, penes solum Deum est; *ministerium*, ex mandato Dei, penes homines: neque enim *ex se* potestatem quisquam habet, instituendi & formandi Christo Ecclesiam; neque ex voluntate Dei revelata, commissam sibi quisvis habet istam ἐξουσίαν, maximus hominum honos est, esse famulum in domo Dei Heb. III. 5. Ex quo hoc etiam sequitur, quod: 1. penes hominem quemvis, non sit, vel tollere quicquam eorum, quæ Christus Ecclesiæ suæ concessit 1 Cor. XI. 23. vel alia ejusdem generis eis adjicere Matth. XV. 13. quamvis id debeant homines, omni legitima ratione curare, ut illa quæ Christus instituit, promoveantur 1 Cor. XIV. 40. Phil. IV. 8. 9. Quod 2. Ecclesia quævis particularis à Christo pendeat, tanquam à capite Eph. IV. 15. 16. ita ut si separate a Christo consideretur, non sit corpus completum Eph. I. 22. 23. Hinc etiam 3. ipsa Ecclesia, sibi ipsi nullas novas leges potest ferre, de rebus instituendis novis, quod ipse solus sit *magister* Matth. XXIII. 8. 10. & legislator Jac. IV. 12. sed illud tantum agere debet, ut voluntatem Christi probe exquirat, & ipsius instituta, ordine & decenter observet, cum maximo fructu ædificationis 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. cum 1 Cor. IX. 12. & XIV. 40.

Membra Ecclesiæ particularis; quænam.

XVII. Membra, ex quibus Christus per ministros suos, compingit ecclesiam particularem, eadem sunt, quæ ecclesiæ catholicæ, hoc est *fideles* Eph. I. 1. Col. I. 2. 2 Pet. I. 1. Hinc *societatem fidelium* diximus §. *præced.* idem enim illud, in professione constituit visibilem ac particularem; quod internâ & reali sua natura, constituit ecclesiam Eph. IV. 12. 13. Rom. XII. 4. 5. 1 Cor. XII. 13. Quia autem fides sibi conjunctam habet sanctitatem, quam efficaciter, operatur Act. XV. 9. Gal. V. 6. atque adeo professio veræ fidei, disjungi non potest à professione sanctitatis: idcirco promiscue & eodem sensu, dicitur societas *fidelium*, & societas *sanctorum* Rom. I. 7. 1 Cor. I. 2. 2 Cor. I. 1. Eph. I. 1. Eadem etiam ratione Ecclesiæ *particularis*, quoad fidem quam profitentur, recte dicuntur esse *in Deo Patre*, & *in Domino* nostro Jesu Christo 1 Thess. I. 1. à quo non improbabile est, vix dari alicujus numeri Ecclesiam particularem, in qua veræ fidei professio viget, quæ non habeat etiam nonnullos fideles. Illi tamen, qui *professione* sola sunt fideles, ubi post justam *professionem*, recepti fuerint pro membris istius Ecclesiæ Act. II. 37. 38. 41. Act. VIII. 12. 13. 14. cum vers. 26. & cap. XVI. 30. 31. cum vers. 33. & VIII. 36. 37. 38. quamdiu manent in illa societate, & impia sua conversatione, non redarguunt suam professionem, ut ab Ecclesia, per potestatem clavium excludantur rursus (prout factum videtur in Simone Mago Act. VIII. 13. cum vers. 20. 21.) sunt membra illius Ecclesiæ, prout etiam Ecclesiæ catholicæ, quoad statum tantum *externum*, non autem quoad statum *internum*, aut essentialem 1 Joh. II. 19. ut patet exemplo Simonis Magi, ante suam excommunicationem Act. VIII. 12. Fidelibus, etiam tanquam Ecclesiæ membra, annumerandi sunt eorum infantes 1 Cor. VII. 14. participes enim sunt ejusdem fœderis, & ejusdem etiam professionis cum suis parentibus Gen. XVII. 17. cum Act. II. 39. Matth. XIX. 13. 14. & tum magis etiam, cum in parentibus suis, cum baptizarentur, professi sunt fidem suam in Patrem, Filium & Spiritum S. Gal. III. 27. Rom. VI. 3. Neque tamen, adeo perfecta sunt Ecclesiæ membra, ut possint actus communionis sanctorum exercere, aut ad omnia Ecclesiæ privilegia admitti, quoad incrementum fidei suæ probaverint: ab eis vero quæ pertinent ad initium fidei, & ingressum in Ecclesiam; non sunt excludendi, ut suis locis ex professo ostendemus. Idem statuendum videtur de adultis baptizatis, si adolescentes, per mentis impotentiam aliaque, fidei professionem elicere non possint: cum per impotentiam naturalem, absque sua culpa, non possint privari, eis privilegiis, quæ per generationem habent, ipsisque per Baptismum obsignata sunt.

Fideles in Ecclesiam particularem coëunt per confœderationem ecclesiasticam.

XVIII. Fideles autem, Ecclesiam particularem non constituunt, per nudam cohabitationem in eodem loco: sed per *vinculum* quoddam *speciale*, quo sibi invicem conjunguntur, ad hanc consociationem. Sicut enim, per fidem *intrinsecam*, membra fiunt Ecclesiæ mysticæ seu catholicæ, & per eandem, junctam cum fide *extrinsecâ*, seu professione fidei, redduntur membra Ecclesiæ militantis: ita per vinculum *speciale*, formaliter constituitur hæc *particularis* societas ecclesiastica. Est autem vinculum illud, *confœderatio* ecclesiastica: vel explicita; vel implicita, qua fideles particulatim se obstringunt invicem, ad omnia illa officia præstanda, & erga Deum, & erga se invicem, quæ spectant ad Ecclesiæ rationem & ædificationem. Hinc apud veterem Ecclesiam, toties fere legimus de renovatione *fœderis*, quoties refertur solennis aliqua Ecclesiæ reformatio Deut. XXVI. 16—— Jos. XXIV. 14--23. 2 Paral. XV. 12. 13. 14. Neh. IX. 38. Peragitur & continuatur ista confœderatio, in receptione singulorum membrorum in communionem ecclesiasticam: sicut in veteri Ecclesia per *circumcisionem* (quæ *fœdus* Dei appellatur Gen.

Gen. XVII. 10. non ob hoc tantum, quod penes eam confœderatio fiebat interna, inter Deum & circumcidendum, sed eâdem operâ, etiam inter populum Dei & circumcidendum: unde non circumcisus, exscindendus dicitur è populo Israëlitico. *Ibid.* vs. 14.) ita in nova Ecclesia, per analogum *Baptismi* Sacramentum, quatenus per eum, baptizandus introducitur, non tantum in fœdus *internum* cum Deo; sed etiam in *externum* cum Ecclesia, unde in *unum corpus baptizari* dicimur 1 Cor. XII. 13. quo spectat Baptismi *stipulatio* (ἐπερώτημα) *bonæ conscientiæ* 1 Pet. III. 21. quam Ecclesia, baptizandum receptura in gremium suum, ab eo stipulatur, & addicit baptizandus, in quibus, procul dubio est confœderatio *ecclesiastica*. Eadem confœderatio, & expressius etiam fit, quando baptizatus ad S. *cœnam* admittitur: dum admittendus, post editum fidei suæ confessionem, solenniter nomine Ecclesiæ à recepturo rogatus; promittit, se in eâ confessione constanter perduraturum, editæ confessioni christianæ congruenter ambulaturum, seque, pro re nata, ecclesiasticæ disciplinæ submissurum. Juxta praxin laudatissimam in Ecclesiis Belgicis receptam. Neque in Ecclesiæ particularis communionem, quisquam rite admittitur, nisi per talem confœderationem.

Confœderatio ecclesiastica, non alio spectat, quam ad communionem sanctorum, constanter exercendam.

XIX. Fœderata ista conjunctio, eatenus tantum constituit Ecclesiam particularem, quatenus spectat ad *communionem* sanctorum exercendam 2 Paral. XV. 12. *Inieruntque fœdus illud, quod quærerent Jehovam, Deum Patrum suorum, toto corde suo, & tota anima sua.* Jos. XXIV. 16. 17. Heb. X. 24. 25. Eidem enim homines fideles, possunt seipsos fœdere conjungere, ad *civilem* aliquam societatem constituendam, qua immediate spectant bonum commune civile; sed Ecclesiam non constituunt, nisi quatenus confœderatione sua, spectant sanctam communionem cum Deo, & inter se. Hinc eidem homines possunt constituere *civitatem*, aut societatem politicam, dum non constituunt Ecclesiam: aut *Ecclesiam*, dum non constituunt civitatem: aut *Ecclesiam & civitatem* simul, ut patet in Ecclesia judaica. Neque etiam sufficit subitanea aliqua conjunctio, & sanctæ communionis exercitium, ad Ecclesiam constituendam; nisi etiam *constantia* accedat, quoad intentionem saltem, quæ statum adfert corporis & membrorum, in spirituali quadam politia. Inquit Amesius *Medul.* l. 1. c. XXXII. §. XXI.

Notæ quibus particularis Ecclesia sit dignoscenda.

XX. Ex dictis non magno negotio perspici potest, quibus notis *vera* Ecclesia particularis, agnosci possit, ac discerni, à quavis alia societate, & imprimis ab *Ecclesia* quavis *malignantium* Psal. XXVI. 5. Est enim hæc, procul omni dubio, vera Ecclesia, quæ veram profitetur sanctorum communionem 1 Joh. 1. 3. 1 Cor. 1. 2. veram autem profitetur, quæ præscriptam à Deo in verbo suo, profitetur. Hinc ex orthodoxis nonnulli, *unam* tantum veræ Ecclesiæ notam admittunt, scil. *professionem* veræ fidei, qua omnia comprehenduntur. Cum autem vera sanctorum communio, exerceatur usu communi verbi divini, sigillorum ecclesiasticorum, & disciplinæ ecclesiasticæ; *tres* nonnulli paulo distinctius numerant veræ Ecclesiæ notas: veræ fidei professionem, legitimam Sacramentorum dispensationem, & ecclesiasticæ disciplinæ prudens exercitium. Res utriusque sententiæ, eodem redit: est enim veræ fidei professio, Ecclesiæ particularis non maximè essentialis & reciproca, qua *eandem* cum Apostolis *preciosam fidem* tenet 2 Pet. I. 1. quæ καλὴ est ὁμολογία 1 Tim. VI. 12. 13. quam Paulus *servare* jubet Heb. IV. 14. & per veram ὁμολογίαν, Johannes Christianos ab Anti-christianis discriminat 1 Joh. IV. 2. 3. 15. Conf. Matth. X. 32. Rom. X. 9. 10. Heb. XIII. 15 hac posita, procul dubio ponitur vera Ecclesia particularis, & sublata etiam tollitur: ab hac, Ecclesia Ephesina superstructa dicitur fundamento *Prophetarum* & Apostolorum Eph. II. 20. hinc ovile suum, Pastor Jesus, *suam* audire ac dignoscere dicit *vocem* Joh. X. 27. Ab hac nota *primaria*, fluit pro *secundaria*, legitima Sacramentorum administratio Marc. XVI. 16. Eph. V. 26. & disciplina, qua secundum voluntatem Dei, cuncta ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην diriguntur 1 Cor. XIV. 33. 40. Col. II. 5. Quæ notæ, quo purius in societate aliqua micant; eo etiam puriorem arguunt Ecclesiam, nec ulli omnino cœtui, *Ecclesiæ* nomen abrogandum est, quæ caput & fundamentum retinet Col. II. 18. 19. 1 Cor. III. 12—16.

Pars elenchtica.

Quæritur:

XXI. Quæritur *primo*, an *solus* Papa Romanus possit constituere Ecclesiam, & quidem catholicam? Pontificii, quia existimant Papam esse *caput* Ecclesiæ catholicæ, & radicem etiam infallibilitatis in Ecclesia: ut statuta papalia, statuta audiant Ecclesiæ; Papam statuunt esse Ecclesiam, procul dubio, sensu *representativo*. Protestantes quamvis Ecclesiam aliquam *representativam* admittant, in *presbyterio*, Ecclesiæ cujusque particularis: aut etiam in *classe*, Ecclesiæ diœcesanæ: aut in *synodo* provincialis: & nationalis: negant tamen unam quamvis personam, constituere posse Ecclesiam, etiam repræsentativam: quod nec α. vox, quæ convocationem notat; nec β. Scriptura; nec γ. usus communis ferat, unum quodvis individuum, *Ecclesiam* appellari. Fulcra sententiæ adversariæ, arenosa sunt, eo quod: A. non tantum probari nullo modo possit, Papam esse Ecclesiæ *caput*, & radicem *infallibilitatis*; sed etiam B. si probatum sit, non inferat eum esse Ecclesiam; cum præsertim C. ex ipsis adversariorum

1. An Papa constituere possit Ecclesiam?

hypo-

hypothesibus, Papa possit esse, non verum Ecclesiæ membrum: si, vel non fuerit legitime baptizatus, vel simoniacus, vel occulte hæreticus, aut quovis modo, ipso facto excommunicatus.

2. An possit esse membrum Ecclesiæ qui non sit vere fidelis?

XXII. Quæritur *secundo*, an possit esse membrum Ecclesiæ, qui non est vere fidelis, aut hypocrita? Cathari quondam, Donatistæ aliique, simpliciter negabant: cum quibus nostro tempore faciunt Anabaptistæ, & ex nostris, nuper Labadias cum suis. Ex adverso Pontificii, quo commodius tueantur Papam, si quando impius sit, & Episcopos si prophani sint, nihilominus esse capita Ecclesiarum suarum; statuunt enim hypocritas esse vera Ecclesiæ membra, si modo fidem profiteantur, sub Pontifice Romano. Reformati mediâ incedunt viâ, distinguunt in Ecclesiâ formam & statum *essentialem*, qui est à *fide* salvificâ; & hactenus negant contra Pontificios, quenquam qui verâ & vivâ fide præditus non sit, esse posse verum Ecclesiæ membrum: & formam ac statum *accidentalem*, qui oritur à *professione* fidei; hactenus admittunt hypocritas esse posse vera Ecclesiæ membra. Sententiæ hujus mediæ naturam & veritatem, dudum explicuimus ac demonstravimus §. VIII. & XI. quibus probè observatis, utriusque extremi erroris argumenta, nullo negotio expediri possunt.

3. An Ecclesia universalis accurate dispescatur, in triumphantem & militantem.

XXIII. Quæritur *tertio*, an Ecclesia universalis, satis accurate dispescatur, in triumphantem & militantem? Sociniani, quia hominem post mortem suam, vel animâ, vel corpore tenus, *existere* negant; in defectu peccando, triumphantem Ecclesiam inficiantur: Anabaptistæ, licet animam supereresse post mortem admittant; *dormire* tamen, absque ullo gaudii sensu statuunt; proinde cum Socinianis, in cœlo triumphare negant. Pontificii ex adverso, quia præter triumphantes in cœlo, & militantes in terrâ, *laborantes* insuper in purgatorio fingunt; in excessu peccando, in *tres* partes analogas Ecclesiam dispescunt. Reformati, quia post mortem piorum, animas eorum, non supereresse tantum; sed & gaudia in cœlis experiri statuunt: Ecclesiam triumphantem docent. Et quia purgatorium, pro otioso Monachorum figmento habent; eliminatâ Ecclesiâ laborante in purgatorio, in duplici membro superstite acquiescunt. Sententiæ orthodoxæ fundamenta, adversus Socinianos & Anabaptistas, diximus & tutati sumus lib. VI. cap. IX. §. XIII. XX. & adversus Pontificiorum purgatorium, ibidem diximus §. XXI.

4. An ad Ecclesiæ militantis unitatem & cathol. requiratur esse sub Papa Romano.

XXIV. Quæritur *quarto*, an ad Ecclesiæ militantis unitatem & catholicismum requiratur, esse sub uno quodam in *terris* visibili capite, Pontifice scil. Romano? Pontificii in gratiam monarchiæ papalis, affirmant: Protestantes quia unitatem & catholicismum illum, à sola suspendunt *mystica* unione & communione cum Christo, unico Ecclesiæ suæ capite; negant. Eo quod: 1. unitas & catholicismus Ecclesiæ, per Scripturas non aliunde pendeat, quam ab unione mysticâ cum Christo, unico ejus capite, per veram & vivam fidem ejusque professionem, sicut lib. VI. cap. V. ex professo demonstravimus, prout etiam hujus capitis §. §. VIII. XI. XII. XVII. Quod 2. visibile aliquod Ecclesiæ militantis caput, à Christo non sit constitutum; & quod proinde 3. Papam Romanum esse illud visibile caput, demonstrari non possit: imo 4. ejus contrarium, suo loco à nobis demonstrandum sit.

5. An Ecclesia Romana sit vera Ecclesia?

XXV. Quæritur *quinto*, an Ecclesia Romana *hodierna*, sit vera Christi Ecclesia? Pontificii non tantum affirmant; sed suam insuper Ecclesiam, *solam* veram esse jactitant. Inter Protestantes pauci, impuram quidem & multis modis corruptam; sed tamen *veram* Ecclesiam, appellant: communis horum sententia, pro verâ Christi Ecclesiâ, nullatenus eam agnoscit. Eo quod: 1. impingat in ipsam fidei Christianæ fundamentum, quando: α. Christo, unici & sufficientissimi Servatoris axioma, ipso facto adimit, dum salutem in satisfactionibus humanis, in meritis bonorum operum, in interessionibus sanctorum cœlitum, in eorundem operibus supererogatoriis, in viribus liberi arbitrii &c. quærit: quando β. omnia illa quæ Christo tribuuntur in S. Scripturâ, ad placentulam farinarum, ut in Christum transsubstantiatum refert: quando γ. talem salutis viam monstrat, per propria bona opera, quæ, ex sententiâ Pauli Gal. V. 4. cum Rom. X. 3. 3. Christum inutilem reddit. Quod 2. multis modis sit idololatrica, quatenus: (a) placentulam in Missa jubet adorare pro Christo, (b) sanctis cœlitibus cultum religiosum addicit, itidem (c) imaginibus, & (d) reliquiis, nec non (e) rebus consecratis. Denique (f) Pontifici Romano. Quod 3. infinitis superstitionibus scateat, in fictitiis quinque Sacramentis, monachatu, peregrinationibus &c. usque adeo, ut, demptis quas cum Protestantibus communes habet, veritatibus paucis; reliqua (à quibus proprie & formaliter est *pontificia*) non sint nisi superstitio, aut idololatria, aut hæresis, aut error. Quod imprimis 4. in Missa, in qua velut cardine, tota fere religio pontificia vertitur, placentula adoretur & religiose colatur pro Christo; in elevatione hujus placentulæ, sacrificatio Christi collocetur, à quâ elevatione, tota hominis Christiani salus pendeat: usque adeo, ut sacrificatio à Christo olim in cruce peracta, hilum Christiano non prosit, si non indies hac elevatione sacerdotali offeratur Deo: & elevatione facta, ore deglutiatur. Quod 5. pro capite habeat Antichristum. Quod 6. dirissimam tyrannidem exerceat, non tantum in corpora, fortunas & vitam eorum, qui suis placitis non ap-

Argumenta sententiæ negativæ

plaudunt; sed etiam in ipsas eorum conscientias, teste quotidiana experientia. Singula horum, aliaque plurima, singulatim demonstrare, infinitum foret, factum tamen, aut fiet etiam suis locis. Conf. Joseph. Hall. *Roma irreconciliabilis*, & Conrad. Vorstii, *Causæ deserendi Papatus* &c. Pro contrario, Pontificii quidem non habent quod causentur: nisi quod: A. suæ Ecclesiæ, absque ulla ratione justa, applicent, quæ in Scripturis de Ecclesia vera prædicantur. B. futiles suas Ecclesiæ notas, quas suo loco detegemus. Nec etiam molliores quos diximus è Protestantibus habent, nisi quod Pontificii: α. habent verbum Dei, ejusque prædicationem. Resp. 1. Et Sociniani, Anabaptistæ, aliique habent. 2. Habent multis modis corruptum, ut docuimus lib. 1. cap. 11. Habent 3. ut corrumpant. 4. Non habent apud ipsos Laici. Quod β. habeant Sacramenta. Resp. 1. Non sufficit, habent etiam Sociniani aliique. 2. habent Baptismum corruptum; S. cœnam Missa sustulerunt. 3. Baptismo corrupto sex spuria adjecerunt. Quod γ. retineantur & defendantur vera dogmata, de Deo, persona Christi, creatione, providentia, aliisque Resp. 1. Non sufficit: quia non retinent omnia fundamentalia. 2. pleraque suis erroribus conspurcata retinent. Quod δ. sint in ea electi etiam, suo tempore evocandi. Resp. 1. Non electio; sed *vocatio* Ecclesiam actu constituit: Nec 2. constituunt Ecclesiam Romanam. Quod ε. sint qui in ejus communione servantur Resp. Nemo PER ejus communionem, aut per ejus religionem servatur: per idololatriam enim & errores, nemo servatur. 2. Qui servantur, per fundamentalia Reformatorum servantur, quæ, per errorem, existimant obtinere apud Pontificios.

Argumenta partis affirmativæ.

3. An Ecclesia Reformata, quod secesserit à Romanâ, sit schismatica?

XXVI. Quæritur *quinto*, an Ecclesia *Reformata*, eo quod secesserit à Romana, sit *schismatica*? Pontificii, amore sui, & odio nostri, affirmant: Reformati negant. Quia: 1. schisma, seu secessio culpabilis, non fit, nisi a *vera* Ecclesia, qualem non esse Romanam §. *præced.* demonstravimus. Quia 2. jussu Dei, tum *generali*, 2 Cor. VI. 17. 1 Joh. v. 20. 2 Joh. vers. 10. tum *speciali* Apoc. XVIII. 4 secesserunt. Quia 3. exemplis Christi & Apostolorum, à synagoga Judæorum secedentium, pari ratione adducti, secesserunt. Quia 4. non tam *sponte* secesserunt; quam excommunicationum fulminibus, imò fere & igne ejecti sunt à Pontifice. Quia etiam 5. in suis erroribus fundamentalibus, idololatriis & abusibus pertinaciter, non tantum retinendis ac defendendis: sed etiam crudelissimis persecutionibus, convincentes & monentes exagitando, perdurat. Nec pro calumniis, Ecclesiæ Reformatæ, velut schismaticæ, intentatis, habent quod obtendant, nisi spurias illas notas, quibus veritatem suæ Ecclesiæ, propugnare nituntur, quas suo loco examinabimus.

6. An Ecclesia Reformata, ortum petat à Zwinglio, Luthero, Calvino? Ubi Ecclesia Reformata fuerit ante reformationem?

XXVII. Quæritur *sexto*, an Reformata Ecclesia, ortum suum repetat à Zuinglio, Luthero, Calvino &c. Pontificii, quia veritatem doctrinæ reformatæ, cui veritas Ecclesiæ innititur, argumentis solidis ingenuè aggredi & expugnare non possunt; mille technis ac fraudibus se suosque adsuefaciunt, identidem quærunt ubi Ecclesia vestra, per quindecim secula Christiana hæsit, usque ad Zuinglium, Lutherum, Calvinum? Quibus Protestantes solent respondere: (1) Quod hæc sit non *fidei*, sed *historiæ* quæstio, ac talis, ut ei commodè explicandæ tempora & volumina requirantur: cui etiam, per duodecim tantum priora secula explicandæ, *Centuriæ* nostræ *Magdenburgenses*, tria spissa volumina impenderint, quibus examinandis, Cæsar Baronius Cardinalis, duodecim tomos opponere debuerit: quibus insuper, ad annum superioris seculi LXV. continuandis, Abrahamus Bzovius adhuc octo volumina adjicere debuerit: quod proinde iniquissimum sit, talem quæstionem, gregariis quibusvis Christianis proponere, & quidem per discursus alicujus breve tempus, explicandam. (2) Ipsi prius suum *possessorem*, per quindecim ista secula repræsentare & demonstrare tenentur, quo patefiat, nostros ab Ecclesia Romana secedendo, à vera & antiqua Ecclesia perperam secessisse: hoc facto, & non ante, nobis incumbet explicare, ubi per ista secula subsliterit nostra Ecclesia. (3) Ipsi nobis explicent, ubi doctrina Ecclesiæ Romanæ, cui ejus veritas superstruenda est, v. g. de Monarchia & infallibilitate Papæ, de justificatione per satisfactiones & merita humana, de transsubstantiatione, de invocatione sanctorum, imaginum &c. imò ubi doctrina; sancti scil. & œcumenici concilii Tridentini, tot fulminibus & anathematismis stabilita; ubi inquam fuerit tempore Christi & Apostolorum, & sequioribus primitivæ Ecclesiæ seculis prioribus tribus? quænam Regio, quænam urbs, aut pagus, aut domus, aut singularis quævis persona, illam fuerit per omnia professa? His per adversarios expeditis, nos (4) dicemus Ecclesiam nostram exstitisse tempore Christi & Apostolorum, quia eandem cum his fidem profitetur, & parata est ejurare, quicquid doctrinæ Christi & Apostolorum est adversarium: ut jam Pontificiis incumbat demonstrare, Reformatam Ecclesiam, Christo & Apostolis contraria docere; & donec hoc fecerint, Ecclesia Reformata, eadem manebit, cum Ecclesia Christi & Apostolorum. Et cum Ecclesia Christi & Apostolorum, ipsis adversariis agnoscentibus, sit absque interruptione duratura usque ad finem seculorum: manebit Ecclesiam Reformatam certo certius exstitisse ante Zuinglium, Lutherum, Calvinum, licet non possemus ostendere, *ubinam* præcise exstiterit. Sed (5) possumus etiam ostendere, *ubi* exstiterit: scil. seu primis purioribus seculis, ubicunque exstitit Ecclesia Christiana, ibi etiam

etiam exſtitit Eccleſia Reformata, quatenus eandem profeſſa eſt fidem, quam nunc profitetur Reformata, prout per ſecula docent *Centuriæ Magdeburgenſes*, Jac. Uſſerius *de Succeſſ. Eccl. in Occidente* Cap. 1. Guil. Perkins. in *Problm. Catholico*, Joh. Juellus aliique: ut Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, & quicquid Patrum hæc ſecula inſuper habuerunt, in Eccleſia Reformata vixerint: ſuccedentibus quatuor ſeculis, in Occidente paulatim invaleſcente Antichriſto, Eccleſia egregie quidem obtenebrata & corrupta fuit; ſed nihilominus in fundamentalibus conſtans, Eccleſia vera, & Reformata manſit, exiſtentibus paſſim in ea, qui ſe Antichriſto opponerent, propinanti Eccleſiæ, præter ſuam monarchiam, transſubſtantiationis propudium[1], atque etiam in juſtificationis negotio, veteribus parum conſona, licet ab Eccleſia univerſa necdum admiſſa fuerint, reliquis fidei articulis, nondum ita ex profeſſo impugnatis. Vid. Uſſerius lib. citat. Cap. 2. A ſeculo decimo (de quo Bellar. ait *De Pontif.* lib. IV. Cap. X. quod eo nullum indoctius & infelicius exſtiterit, & Baron. Tom. X. *Annal.* An. 900. §. 1. quod fuerit *ferreum* & plumbeum, in quo viguerit abominatio deſolationis in templo &c.) à quo ſatanam hactenus ligatum, ſolutum fuiſſe, ipſi agnoſcunt ſcriptores Pontificii, à quo etiam ad ſuam ἀκμὴν Anti-Chriſtus pertigit: quamvis Eccleſiam inter ipſos-Antichriſtianos latuiſſe & gemuiſſe agnoſcamus (prout etiam temporibus *Arianis*, de quibus Hieronymus *Contr. Luciferianos: ingemuit*, inquit, *totus orbis, & ſe Arianum eſſe miratus eſt*, & Elianis etiam, de quibus Paulus Rom. XI. 2. 3. —) exſtitit tamen, per omnes fere terras, in numeroſis Waldenſium cœtibus: de quibus Rainerius Inquiſitor Italus, in *Rerum Bohemicarum Scriptoribus* à Marq. Frehero editis, p. 222. 223. ait, quod *tribus reliquis omnibus hæreticorum* (quod appellat) *ſectis*, Waldenſium *perniciosior* fuerit, tribus cauſis: *prima*; *quod fuerit* DIUTURNIOR: *quidam dicunt quod duraverit à temporibus Sylveſtri; alii quod à tempore Apoſtolorum. Secunda, quia eſt* GENERALIOR, *fere enim nulla terra eſt, in qua hæc ſecta non ſerpat. Tertia, quod immanitate blaſphemiarum* &c. quibus acceſſerunt Albigenſes, Huſſitæ, Thaboritæ &c. Ad quos tandem tempore reformationis, in præcipuis capitibus, acceſſerunt Reformatores primi, Zuinglius, Lutherus &c. Hæc craſſius projeciſſe, hic quidem ſuffecerit, forte ſuo loco paulo diſtinctius dicenda.

7. An Eccleſia ſemper ſit conſpicua?

XXVII. Quæritur *ſeptimo*, an Eccleſia vera ſemper ſit conſpicua? Pontificii, quo commodius obtineant, Eccleſiam Reformatam, ante primos Reformatores, non obtinuiſſe, quod cœtus, ejus religionem profitentes, non fuerint conſpicui: atque etiam, ut ſuam Eccleſiam magis veram demonſtrent; ſtatuunt Eccleſiam veram, ſemper eſſe conſpicuam. Reformati, quamvis fateantur, veram Eccleſiam, quoad formam ejus externam, quæ eſt in profeſſione fidei, in fundamentalibus ſaltem, ſemper eſſe *viſibilem*: attamen propter graſſantes paſſim hæreſes, aut profanos mores, aut diriſſimas hoſtium perſecutiones; eo devenire poſſe, ut vix cœtus aliquis monſtrari poſſit, cui te in cultu, per omnia ſociare poſſis; negant ergo ſemper eſſe *conſpicuam*. Quod probant: 1. temporibus Elianis, de quibus Rom. XI. 2. 3. &c. 2. temporibus Antichriſti, quando mulier Eccleſia, in eremum avolatura, & ibidem per aliquod tempus, latitura prædicitur Apoc. XII. 1. —7. Porro 3. temporibus Machabæis. Conf. Heb. XI. 36. 37. 38. & 4. temporibus Arianis, de quibus *parag. præced.* Nec habent adverſarii, quod pro ſe obtendant, quam loca quædam, quibus monti Eccleſia N. T. comparatur excelſo, qui non poſſit non eſſe conſpicuus Jeſ. II. 2. 3. 4. 5. Mich. IV. 1. Reſp. Textus illi, non aliud volunt, quam Eccleſiam N. T. *aliquando*, imprimis temporibus Apoſtolorum, per univerſum orbem, ad colligendas in communionem Eccleſiæ gentes, adeo fore conſpicuam, ut ad eam confluere poſſint gentes; nequaquam autem dicunt *ſemper* talem fore. Conf. Matth. V. 12. 13. 14.

8. An Eccleſia militans planè poſſit deficere?

XXIX. Quæritur *octavo*, an Eccleſia militans planè poſſit deficere? Sociniani, cum quibus colludunt Arminiani, quia, per libertatem arbitrii, omnes *fideles* deficere poſſe docent; affirmant: Pontificii ex adverſo: non tantum univerſam Eccleſiam militantem; ſed etiam particularem ſuam Romanam, deficere poſſe negant. Reformati, adverſus Socinianos & Arminianos ab una parte, negant totam Eccleſiam militantem deficere poſſe: ab altera parte; omnes partes, omnes particulares Eccleſias, non quidem per apoſtaſiam ſanctorum; ſed vel morte; vel perſecutionibus fidelium, vel alio quovis modo, *ſucceſſive* penitus deficere poſſe, & Romanam etiam actu defeciſſe, contra Pontificios affirmant, ſuamque ſententiam, adverſus *Socinianos* quidem & *Arminianos*, probant, eo quod: 1. Chriſtus miniſtris ſuis, collecturis ſibi Eccleſiam, ex univerſo mundo, ſe aſſuturum promittat, uſque ad conſummationem ſeculorum Matth. XXVIII. 20. Quod 2. perpetuum verbi & Sacramentorum miniſterium, à Chriſto prædicatur, & promittatur Eph. IV. 11. — 1 Cor. XI. 26. Quod 3. Chriſtus regnum habiturus, & regnaturus dicatur, in medio hoſtium ſuorum; uſque dum poſuerit inimicos ſuos, ſcabellum pedum ſuorum Pſal. CX. 1. quod procul dubio fiet in extremo judicio. Quod 4. Chriſtus promittat, Eccleſiæ ſibi ut petræ ſuperſtruendæ, portas inferorum non eſſe prævalituras Matth. XVI. 18. Quod 5. hiſtoria Eccleſiæ, in Apocalypſi pertexatur uſque ad finem ſeculorum Apoc. XXII. 17. 20. Quod 6. Regnum

Contra Sociniános & Arminianos negatur.

Christi dicatur *æternum* fore, *absque fine* Luc. 1. 33. Quod 7. in fine seculorum regnum Patri traditurus dicatur 1 Cor. xv. 24. *Postea finis erit, quando regnum Deo & Patri sistet.* Nec juvat in contrarium A. Quod singulæ Ecclesiæ possint *singulatim* deficere: neque enim eo ipso, omnes possunt deficere *collective*. B. Quod omnes regni Christi subditi, libere Christo Regi pareant Psal. cx. 3. ac propterea omnes possint deficere Resp. Deus in ipsis *efficit velle & perficere* Phil. II. 13. proinde, licet *in se* considerati, possint deficere; attamen, quatenus *per virtutem* Dei conservantur in fide, non possunt 1 Pet. 1. 5. Ex adverso, contra Pontificios, singulatim Ecclesias, usque ad ipsam Romanam, deficere posse, docent: 1. Quia nulli Ecclesiæ particulari, promissio perpetuæ durationis facta legitur. Quia 2. omnes Ecclesiæ, quarum mentio fit in N. T. Corinthi, Galatiæ, Ephesi, &c. septem Ecclesiæ Asiaticæ, de quibus in Apocalypsi, absque exemplo in contrarium, defecerunt. Quia 3. ipsa Romana Ecclesia defecit, ut Sole clarius patet, per collationem ejus fidei, quæ olim obtinuit apud Romanos, cum eâ quæ etiamnum apud eam obtinet. Nec habent quod pro se obtendant Romanenses, quam, quod per Ecclesiam, cui, ex promissione Servatoris, portæ inferorum non sunt prævalituræ, intelligatur Ecclesia Romana. Sed hoc gratis dicitur, cum ne γρὺ quidem suppetat in Scriptura, quo probent.

Contra Pontificios, de quavis Ecclesia particulari, affirmatur.

9. An Ecclesia V. & N. T. quoad substantiam eadem sit?

XXX. Quæritur *nono*, an Ecclesia veteris & novi Testamenti, quoad substantiam, eadem sit Ecclesia? Sociniani, quia doctrinam veteris Testamenti, toto cœlo diversam statuunt à doctrina N. T. quatenus sub V. T. nullus mediator, nulla fides in mediatorem, nullum Euangelium, nullæ promissiones spirituales, de remissione peccatorum & vita æterna: & fœdus V. T. substantia diversum à fœdere N. T. statuunt Ecclesiam quoque ipsa substantia diversam fuisse. Anabaptistæ, quia existimant, Ecclesiam veterem fuisse sub lege, quando nova sit sub gratia, à quâ etiam V. T. abrogatum sit; idem concludunt cum Socinianis. Reformati, quamvis in accidentalibus, tam doctrinæ, quam Ecclesiæ, discrimen satis latum agnoscant, inter V. & N. tamen in substantialibus, unam eandemque statuunt, & doctrinam, & fœdus gratiæ, & Ecclesiam. Egimus istam causam, in utramque partem lib. v. cap. 1. §. xxx. Nec addam quicquam, nisi quod: 1. non modo militans & triumphans Ecclesia (inter quas major est distantia, quam inter Veteris & N. T.) una dicatur Matth. VIII. 11. Heb. XII. 22. 23. sed etiam 2. Judaica & gentilis Eph. II. 15. 16. & utriusque hujus congregatio 3. futura prædicatur in *Zion* Psal. II. 6. & LXXXVII. 5. Jes. II. 2. 3. &c. per quam procul omni dubio, Ecclesia Judaica, & quidem V. T. connotatur.

10. An quilibet Christianus sese adjungere debeat certæ alicui Ecclesiæ veræ?

XXXI. Quæritur *decimo*, an quilibet Christianus, si modo potest, teneatur se associare, certæ alicui veræ Ecclesiæ particulari? Swenkfeldiani, Libertini, Enthusiastæ, aliique fanatici, cum quibus etiam faciunt Sociniani, negant. Reformati agnoscunt dari posse latentem Ecclesiam, ut docuimus §. XXVIII. quando non possis te adjungere alicui Ecclesiæ; ast ubi potes, necessarium omnino statuunt. Rationes suppetunt: (1) à mandato divino Heb. X. 25. Joël II. 15. 16. (2) à promissionibus Exod. XX. 24. Jes. LIX. 21. Matth. XVIII. 20. & XXVIII. 20. (3) à fine & fructibus annunciati in congregationibus verbi divini, & dispensatorum Sacramentorum: ut nim. fides salvifica generetur & confirmetur Rom. I. 16. & X. 17. Gal. III. 2. Gal. III. 27. 1 Cor. X. 16. & XI. 26. (1) à fine & usu ministerii, quod congregationes ecclesiasticas præsupponit Eph. IV. 11.— (5) ab exemplis sanctorum congregatorum, tam sub V. T. Gen. IV. 26. in familiis Patriarcharum, in tabernaculo, templo & synagogis; quam sub N. T. Joh. XX. 19. Act. I. 2. 3. 12. 16. 20. 1 Cor. XI. 24. 26. &c. (6) à sanctorum desideriis, quibus congregationes anhelabant Ps. XXVI. 8. & XXVII. 4. & XLII.— & XLIII. 3. & XLVII. 10. &c. Quia (7) Ecclesia mystica, per congregationes externas Ecclesiarum institutarum, colligitur, formatur & augescit. Conf. Alting. *Probl. Nov.* loc. XII. probl. X.

11. An necessarium sit, veram à falsa Ecclesia, certis notis discriminare.

XXX. Quæritur *undecimo*, an necessarium sit, certis notis Ecclesiam agnoscere ac dignoscere? Fanatici, quos §. *præced.* diximus, quia necessarium esse negant, se certæ alicui Ecclesiæ addicere, & imprimis etiam Sociniani, quo commodius per omnes Ecclesias latitare, & Christianis imponere possint; negant. Christiani omnes affirmant: eo quod 1. dentur Ecclesiæ *malignantium* Psal. XXVI. 5. *Synagoga satanæ* Apoc. II. 9. quæ non nisi certis notis, a vera Christi Ecclesia discriminari possunt. Quod 2. Ecclesiæ veræ, Ecclesiæ Christi Matth. XVI. 18. Ecclesiæ sanctorum Rom. I. 7. 1 Cor. I. 2. in qua Christus suos constituit ministros ad ædificationem Eph. IV. 11. nos associare teneamur; quam absque certis notis dignoscere non possumus. Quod 3. pseudo-prophetas, lupos rapaces, ut caveamus, certis notis discriminare jubeamur Matth. VII. 15. 16. Quod 4. Sacramenta illa tantum, quæ Christus instituit, & eo etiam modo, quo ipse jussit, participare jubeamur 1 Cor. XI. 23. Luc. XXII. 19. 20. quod non sit, nisi in Ecclesia vera. Nec est, quod Sociniani causentur, sufficere quod quisque sibi bene credat, bene vivat Rom. I. 17. cum hoc nullatenus pugnet cum congregationibus: proinde illud faciendum, & hoc non omittendum est Heb. X. 25. Act. II. 24.

12. An professio veræ fidei, sit

XXXIII. Quæritur *duodecimo*, an professio veræ fidei, tum præsertim, cum conjuncta est, cum legitima sacramentorum dispensatione, & disciplinæ

genuina veræ Ecclesiæ nota?

næ ecclesiasticæ exercitio; sit infallibilis veræ Ecclesiæ nota? Pontificii, quod his notis, suæ Ecclesiæ metuant, & nostræ veritatem recipere tenerentur; negant. Reformati, quamvis agnoscant, fidem veræ alicujus Ecclesiæ, imperfectiorem & impuriorem esse posse, itemque Sacramentorum administrationem, prout ipsa Ecclesia fuerit imperfectior & impurior: attamen in essentialibus capitibus, fidem semper integram esse statuunt, prout ostendimus *parag.* xx. adeoque tutissimam præstare Ecclesiæ notam. Pontificii pro se causantur: 1. Quod Ecclesia, quippe visibilis societas, notior sit, quam ejus fides & doctrina; atque adeo, quod prius Ecclesia sit cognoscenda, antequam ejus fides & doctrina cognoscatur. Resp. (1) Esto Ecclesia, quatenus est visibilis quædam hominum *societas*, notior sua fide; attamen, quatenus *vera* est & Christiana societas, non aliunde cognoscitur, quam ex ejus fide 2 Joh. vs. 10. (2) Tum & fides & doctrina, agnosci ac discerni ex Scriptura potest, ubi non existit Ecclesia: sed Ecclesia num vera sit, agnosci non potest, nisi ex ejus fide, per Scripturam 1 Joh. IV. 1. 2. 3. Quod 2. Ecclesia sit prior sua doctrina, quatenus sit Ecclesia, antequam suam fidem profiteatur Resp. Hoc omnino falsum est: constituitur enim Ecclesia per vocationem, fidem & sanctitatem, hinc Ecclesia *fidelium in Christo Jesu* appellatur Eph. 1. 1. Col. 1. 2. constituta autem, fidem suam etiam propalat, ad eum modum, quem Paulus describit 1 Cor. XI. 23. Quod 3. fides falsa possit esse in vera Ecclesia, & viciſſim, vera doctrina, in falsa Ecclesia. Resp. Fides in *fundamentalibus* falsa non potest esse in vera Ecclesia, nec vice versa, vera fides in falsa Ecclesia Conf. 1 Cor. III. 11. 12. 13. cum 1 Joh. IV. 2. Quod 4. quævis Ecclesia hæretica & schismatica, istam sibi arroget notam. Resp. Sed arrogat tantum, non demonstrat: neque enim potest, nisi una fides vera esse. Conf. 2 Cor. I. 19. 1 Joh. III. 18. Eph. IV. 4. 6.

13. An præter professionem veræ fidei, plures dentur Ecclesiæ notæ?

XXXIV. Quæritur *decimotertio*, an præter veræ fidei professionem, conjunctam cum legitima Sacramentorum, & disciplinæ ecclesiasticæ dispensatione; plures admittendæ sint infallibiles Ecclesiæ notæ? Pontificii, prout animo conceperunt ideam Ecclesiæ, similem monarchiæ civili; ita notas congruentes fingunt, & Ecclesiæ suæ applicant, de quarum tamen numero & ordine, ne inter ipsos quidem convenit. Horantius contra Calvinum, unam tantum agnoscit, puta *continuationem* Sacerdotum, & imprimis Pontificum successionem; Catechismus Tridentinus duas ponit; τὸ *catholicum & apostolicum*. Canisius *in Catechesi*, totidem; sed paulo ab his diversas recepit; Romanum Pontificem, & Cathedram Romanam. Stapletonus *De principiis fidei*, tres numerat, multitudinem, visibilitatem & perpetuitatem. Costerus *in Encheiridio* quatuor numerat, ex quatuor epithetis Ecclesiæ; quod sit *sancta*, *catholica*, *una*, & *apostolica*, ad quas cæteras omnes revocari posse, Bellarminus fatetur. Jesuitæ Posnanienses septem, Medina undecim: ex his quindecim conflavit Bellarminus lib. IV. *de* Eccl. cap. IV. & seq. Nim. 1. Nomen Ecclesiæ catholicæ & Christianæ. 2. Antiquitas. 3. Duratio diuturna & nunquam interrupta. 4. Amplitudo, seu multitudo & varietas credentium. 5. Successio Episcoporum 6. Consspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua & Patribus. 7. Unio membrorum inter se, & cum capite suo. 8. Sanctitas doctrinæ. 9. Efficacia doctrinæ. 10. Sanctitas vitæ primorum auctorum. 11. Gloria miraculorum. 12. Lumen propheticum. 13. Confessio adversariorum. 14. Infelix exitus eorum qui Ecclesiam oppugnant. 15. Felicitas temporalis. Reformati, una veræ fidei professione, velut nota catholica & reciproca, contenti; Pontificiis suas quindecim primo verificandas, tum de sua demonstrandas relinquunt: & dum hæc præstiterint, non tenebuntur eorum congregationem pro vera Christi Ecclesia agnoscere. Ex abundanti, ad notas illas quindecim observamus: 1. Quod, *vel* cum professione veræ fidei coincidant, quales, sano sensu, sunt sexta, octava & nona: *vel*, cum legibus infallibilis notæ, collatæ, causa cadant, & fallaces existant. Si enim, agnoscentibus ipsis adversariis, nota genuina non sit, quæ notando, aut non competit *vere*, aut non *omni*, aut non *soli*, aut non *semper*; tum notæ illæ non sunt genuinæ: quod per singulas sic patet. *Prima*, denominatio *catholici* & *Christiani*, non *omni* competit veræ Ecclesiæ, quia non competebat Ecclesiæ V. T. nec *semper*, neque enim Ecclesia N. T. in Scripturis ullibi exserte *catholica* appellatur, nec ante Paulum Act. XI. 26. *christiana* dicta fuit: nec etiam *soli*, quod & Donatistæ, & Ariani, se Catholicos & Christianos appellarent. *Secunda*, antiquitas, & *tertia*, diuturna & nunquam interrupta duratio, nec *semper* competebat, scil. cum primum colligeretur; nec *soli*, cum & synagoga satanæ, absque ulla interruptione, ab exordio mundi duraverit & duratura sit, usque ad finem seculorum. *Quarta*, amplitudo & varietas membrorum, Ecclesiæ non *semper* competebat Luc. XII. 32. Matth. XXII. 32. & VII. 13. ut patet in temporibus Noachi, Patriarcharum, & Ecclesiæ primitivæ Act. I. 15. nec *soli*, quum amplissima olim fuerit Ecclesia Arianorum, totum fere orientem & occidentem occupans. *Quinta*, successio Episcoporum, localis & personalis, non *soli* competit ei, cum & Annas & Cajaphas, Aaroni successerint in cathedra Mosis; nec *semper*, cum nascenti Ecclesiæ non possit tribui. *Sexta*, quatenus dicit consensum doctrinæ cum Patribus Ecclesiasticis, non *vere* competit, cum & Patres ad u-

Quod quindecim Bellarmini notæ, non sint genuinæ.

num omnes, ſuos habeant nævos; nec *ſemper*, ſaltem non primitivæ Eccleſiæ, cum Patres nec-dum exiſterent. *Septima*, unio membrorum cum capite, *viſibili* quidem ac diverſo à Chriſto, non *vere* competit Eccleſiæ, utpote quæ hujusmodi caput, penitus ignorat: nec *propria* eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, quia etiam antichriſtianæ tribuitur Apoc. XVII. 13. *Octava*, ſanctitas doctrinæ, cum veritate, adeoque cum profeſſione veræ fidei coincidit. *Nona*, efficacia doctrinæ, ſi *quævis* intelligatur, & Antichriſto tribuitur 2 Theſſ. II. 9. ſi *ſanctificationis*: à veritate profeſſionis reſultat. *Decima*, ſanctitas vitæ primorum auctorum, ſi auctores intelligantur Romani Pontifices, vel Dominicus, Franciſcus, Loiola &c. non vere competit Eccleſiæ, quia fucata tantum fuit: ſi Chriſtus & Apoſtoli, vitæ eorum ſanctitas, non aliunde patet, quam ex doctrina & verbo eorum. *Undecima*, gloria miraculorum: *vera* quidem miracula, agnoſcente Bellarmino, non *ſemper* competunt Eccleſiæ; *fucata* Antichriſto etiam competunt 2 Theſſ. II. 9. Apoc. XIII. 13. *Duodecima*, lumen propheticum, non *ſoli* competit Eccleſiæ, ut patet in Bileamo Num. XXIV. 16. Cajaphâ Joh. XI. 51. nec *ſemper* competit: quia cum quibusvis extraordinariis Spiritus S. donis, ab exceſſu Apoſtolorum ceſſavit. *Decimatertia*, confeſſio adverſariorum: ſi per confeſſionem intelligatur boni qualiscunque laudatio, non *ſoli* competit veræ Eccleſiæ, cum & in hoſte virtus ſit laudanda; ſi per confeſſionem intelligatur veræ & puræ Eccleſiæ, *nunquam* tali confeſſione adverſariorum gaudet Eccleſia vera. *Decimaquarta*, infelix exitus hoſtium, temporalis ſaltem & conſpicuus: non *ſemper obtinet*, cum & impii non raro cum externâ pace decedant Pſal. XVII. 14. Luc. XVI. 23. dum judicia Dei urgent Eccleſiam 1 Pet. IV. 17. *Decimaquinta*, felicitas temporalis, non *ſemper*, imo vix unquam veræ Eccleſiæ competit Joh. XVI. 21. 33. Act. XIV. 22. 2 Tim. III. 1. 2. nec *ſoli*, quin potius Babiloni, Anti-chriſto, mundo Apoc. XVII. 2. 4. & XVIII. 7. Joh. XVI. 2. Jer. XII.—

Quod Eccleſiæ Romanæ, maxima ſui parte, non conveniunt.

Obſervamus circa has XV. notas 2. quod, ſi cum pleriſque earum conferatur congregatio Romana; cauſam veræ Eccleſiæ ſit perditura. Dum enim eſt *Romana* ſeu particularis, non eſt catholica; dum ante ſeculum decimum, ſeu adultum Anti-chriſtum, imo ante Concilium Tridentinum, ſaltem quoad ſuam ἀκμήν, non obtinuit; non habet antiquitatem: dum ſucceſſio Pontificum, tot tantaque paſſa fuit interregna; non habuit non interruptam ſucceſſionem: dum doctrinam profitetur, toto cœlo à doctrinâ Chriſti, Apoſtolorum, & orthodoxæ omnis antiquitatis diverſam; non gaudet conſpiratione in doctrinâ cum Eccleſiâ antiquâ: dum tot in eâ ſunt diſſenſiones, & quoad ipſum etiam fidei fundamentum, v. g. inter Eccleſias nationales Gallicam & Italicam, circa radicem infallibilitatis, ſitne illa in Concilio generali, an in Papa? inter ordines Dominicanos, Franciſcanos, & Jeſuitas, in capitibus de prædeſtinatione & gratiâ, item de immaculatâ conceptione B. Virginis; non gaudet unione membrorum cum capite: dum doctrinam fovet, Chriſto & Apoſtolis, in ipſo fundamento contrariam; ſanctitate & efficaciâ ſalutari, penitus deſtituitur: dum Pontifices auctores habuit impuriſſimos, Platinâ, Bellarmino aliiſque domeſticis, teſtibus; auctores ſane non habet ſanctitate vitæ claros: dum vera miracula & lumen propheticum, apud ſe viguiſſe demonſtrare nequit; de gloriâ miraculorum & lumine prophetico, nullo jure gloriari poteſt, niſi forte de miraculis Anti-chriſti 2 Theſſ. II. 9. dum ne unus quidem adverſariorum Eccleſiæ Romanæ, profitetur eam eſſe *puram* ac ſinceram Eccleſiam; non poteſt obtendere confeſſionem adverſariorum: dum primi Eccleſiæ Romanæ impugnatores, v. g. Lutherus, Calvinus, Oecolampadius, & infiniti alii, non niſi morte communi occubuerunt; non poſſunt obtendere infelicem exitum adverſariorum ſuorum: dum cauſa pontificia, in partibus Germaniæ præcipuis, in Angliâ, Scotiâ, Hybernia, Suecîâ, Daniâ, Belgio &c. plane ſuccubuit; de felicitate temporali, quicquam ſolidi gloriari non poſſunt. Proinde, per ipſas ſuas notas, Eccleſiæ Romanæ veritas, plane concidit. Tandem 3. obſervamus, ſi veræ ſint iſtæ notæ; quod triumphatura ſit Eccleſia Reformata: eſt enim Chriſtiana & catholica: quatenus fidem Chriſtianæ & catholicæ Eccleſiæ profitetur: eſt antiquiſſima, quia ipſam habet Chriſti & Apoſtolorum, primam fidem & antiquitatem: & proinde etiam durantiſſima, omniſque interruptionis expers; quatenus Chriſtus ſemper habuit Eccleſiam, fide eandem cum Reformata; eſt eadem ratione ampliſſima; quicquid enim Chriſtus, per univerſum orbem, ope ſuorum Apoſtolorum, collegit Eccleſiarum; idem fide fuit cum Eccleſiâ Reformatâ: eſt etiam continua miniſtrorum in Eccleſiâ Reformata ſucceſſio, quotquot enim, per omnes ætates, exſtiterunt veri Eccleſiæ miniſtri, profeſſione fidei, Reformati fuerunt: conſpirat doctrina, quam exactiſſime, cum doctrina Chriſti Apoſtolorm, omniſque antiquitatis orthodoxæ: omnia ejus vera membra, unita ſunt cum Chriſto capite & inter ſe, per vinculum ejuſdem fidei & Spiritus: eadem ratione patet ſanctitas doctrinæ, ejuſque efficacia; quia ejus ope, ad ſanctam fidem converſi ſunt, quotquot unquam ſunt converſi: & gloria miraculorum, lumenque propheticum; dum in Eccleſia prophetica & apoſtolica viguit, eadem opera in Eccleſia reformata viguit: & ſi unquam Eccleſiæ veræ hoſtes, infelicem habuerunt exitum; habuerunt Eccleſiæ Reformatæ: tandem, licet de ſua

Imo quod Eccleſiæ Reformatæ conveniant.

felicitate

felicitate temporali, gloriari nolit Ecclesia Reformata; habuit tamen subinde sua halcyonia, in Anglia Belgio, Gallia, Germania &c. Proinde, per ipsas Pontificiorum notas, Ecclesia Reformata erit vera Ecclesia.

14. An iuvet Ecclesias, quæ Christum profitentur, communionem inter se colere?

XXXV. Quæritur *decimoquarto*, an juvet Ecclesias, quæ Christum profitentur, communionem inter se colere: seu, quod idem nobis, per syncretismum inter se uniri? Sociniani, sublatis in hanc rem è medio, præcipuis fidei Christianæ fundamentis: de Trinitate, deitate æternâ filii, personalitate Spiritus S. de peccato originali, satisfactione Christi, justificatione per fidem in merita Christi, regeneratione, aliisque; fundamentalibus ad numerum pauciſſimum contractis, per excessum, ad Samaritanismum enituntur: Lutherani ex adverso, per defectum, cum Reformatis, in fundamento nequaquam ab eis dissidentibus, communionem fraternam detrectant: Reformati mediam viam sectantur: A. Socinianorum Samaritanismum, h. e. communionem fraternam cum his, qui IN fundamento errant, illudque nobis inutile præstant; rejiciunt 1 Cor. III. 12. cum Rom. X. 3. 4. Gal. V. 4. adducti: α. Dictis Matth. VII. 15. Tit. III. 10. 1 Joh. II. 19. β. Exemplis pseudapostolorum Gal. I. 8. 9. Cretensium Tit. I. 11. Hymenæi, Alexandri & Phylethi 1 Tim. I. 20. 2 Tim. II. 17. γ. Rationibus, quia communio corporis mystici, nititur unitate fidei fundamentalis Eph. IV. 4. 5. B. cum Ecclesiis quæ errant *circa* fundamentum, h. e. quæ talia docent, quibus per necessariam *sequelam* labefactatur fundamentum; non temere rumpendam volunt communionem ecclesiasticam, nisi fortè ipsæ nos excludant 1 Cor. III. 12. Eph. IV. 4. 5. Col. II. 19. exemplo Pauli, qui ob hujusmodi errores, ab Ecclesiis Corinthi, Galatiæ, Colossinequaquam secessit. C. Cum his quæ errant *præter* fundamentum, in curiosis quæstionibus 1 Cor. III. 13. 14. quales reprehenduntur passim in Epistolis ad Timotheum & Titum, aut circa ritus non plane idololatricos, aut disciplinam remissiorem, nec planè ablatam: existimant non esse rumpendam communionem, quod in talibus non consistat ratio unitatis, aut regnum Dei Rom. XIV. 17. Eph. IV. 3. 4. 5. 7. Col. II. 16.

15. An, per communionem sanctorum, bona Christianorum sint communia?

XXXVI. Quæritur *decimoquinto*, an, per communionem sanctorum, bona Christianorum temporalia, possessione tenus, debeant esse communia? Fuerunt inter Pythagoricos & Platonicos, qui *meum & tuum* è Republica sublatum volebant; inter hæreticos item Tatiani & Encratitæ, quos superiori seculo, refodere conati sunt fanatici quidam Anabaptistæ, expositis etiam publicæ libidini uxoribus ac liberis: & adhuc Anabaptistæ Moravi, communionem bonorum tuentur. Reformati, communionem sanctorum, primariò quidem referunt ad spiritualia 1 Cor. X. 16. 17. & XII. 21 -- Eph. IV. 4. 5. 6. secundario etiam ad corporalia & βιωτικὰ, sic, ut non κτήσει quidem seu *possessione*, quæ distincta esse, & manere debet; sed χρήσει tantum, seu usu & dispensatione, idque per puram sanctorum liberalitatem, ut aliorum necessitati impendantur; communia sint: quando nim. α. pauperibus de nostro largimur Luc. VI. 38. β. mutuum damus. *Ibid.* verss. 34. 35. γ. quavis alia ratione fratribus egenis succurimus Matth. XXV. 35. 36. Ut controversia superſit, super sola *possessione* & proprietate, an illa per communionem sanctorum sit tollenda? Hoc negant Reformati: quia 1. bona ista temporalia, salva pietate, emuntur, venduntur, possidentur 1 Cor. VII. 30. 31. Luc. XII. 33. Act. V. 4. & XX. 33. Quia 2. sub communione Ecclesiæ Christianæ, varii fuerunt divites. v. g. Josephus Arimathæensis Matth. XXVII. 57. piæ mulieres Luc. VIII. 3. Tabitha Act. IX. 36. Cornelius cap. X. 2. Lydia cap. XVI. 14. 15. Philemon Philem. vers. 2 -- Quia 3. in N. T. prohibetur furtum Matth. XIX. 18. Luc. XVIII. 20. Rom. XIII. 9. Eph. IV. 28. 1 Thess. IV. 11. 12. Quia 4. commendantur eleemosynæ & collectæ Rom. XII. 8. 13. 1 Cor. XVI. 2. 2 Cor. VIII. 10. 11. Gal. II. 10. & VI. 9. Objiciunt in contrarium. exemplum Ecclesiæ Apostolicæ Act. II. 44. & IV. 32. Resp. (1) Præsuppositis eleemosynis, & collectis in usum pauperum, Ecclesiæ Christianæ *ordinariis* (quæ possessionem, & proprietatem bonorum præsupponunt 1 Cor. XVI. 2. sicut jamjam demonstravimus) non potest non in his esse, exemplum *extraordinarium*, Ecclesiæ ex peregrinis, è quavis orbis plaga collectæ, & à propriis fortunis remotæ, in fide Jerosolymis, ab Apostolis formandæ, quod fieri nullo modo poterat, absque hujusmodi communione: proinde hoc exemplum extraordinarium, Christianos non obstringit, ad imitationem, nisi in eodem casu. 2. Neque etiam intelligendum est, omnes Christianos, *omnia* sua de necessitate, contulisse in communionem; cum non tantum Ananias potuisset agrum venditum, sibi servare Act. V. 4. sed &, qui his interfuit Philippus diaconus, sibi domum legatur habuisse Act. XXI. 2. verùm *in his* bonis, quæ quisque contulerat in communionem, nemo ullam sibi amplius arrogabat proprietatem. (2) Quod incompatibilia sint, Christianum & divitem esse Matth. X. 9. *ne comparetis vobis aurum* & cap. XIX. 21. 24. si vis perfectus esse, *vende omnia tua, & da pauperibus*. Resp. 1. Per hæc loca, non minus communio bonorum laboraret, quam divitiæ. 2. Loca adducta non inferunt inferendum; sed specialis & *extraordinaria* obligationis sunt; quæ non nisi in eisdem casibus obstringunt: *priori* Matth. X. 9. non nisi discipuli, jam ad euangelizandum emissi per universam Judæam, prohibentur colligendis opibus

Rationes seu tentiæ negativæ.

Rationes seu tentiæ affirmativæ.

bus occupari & impediri: *posteriori* Matth. XIX. 21. 24. juveni fiduciam in opibus collocanti, *peculiare* remedium Christus præscribit, & præceptum convictorium præstat (3) Quod charitas Christiana exigat communionem bonorum. Resp. Exigit *communicationem* pro re nata Heb. XIII. 16. sed non *communionem* universalem, quæ excluderet communicationem.

Praxis: *Pars practica.*

1. Jubet inquirere in veram Ecclesiam. XXXVII. Praxis, *primo* jubet accuratè inquirere in *veram* Ecclesiam, eamque discernere à quavis *falsa*. Eo quod: 1. Detur Ecclesia malignantium Psal. XXVI. 5. detur synagoga satanæ Apoc. II. 9. dentur pseudo prophetæ, lupi rapaces, & qui veniunt vestitu ovium Matth. VII. 15. quos jubemur cavere, explorare 2 Joh. vers. 10. Rom. XVI. 17. ac proinde probare 1 Joh. IV. 1. Apoc. II. 2. Eo quod 2. jubeamur *nostras*, h. e. Christianas congregationes, non deserere Heb. X. 25. quæ superstructæ sunt *fundamento* Prophetarum & Apostolorum Eph. II. 20. quæ sunt *columna & fundamentum* veritatis 1 Tim. III. 15. quas absque accurato scrutinio nunquam agnoscemus. Eo quod 3. congregationi *veræ*, quæ *in nomine* Jesu coit: Christus *præsentiam* gratiosam adstrinxerit Matth. XVIII. 20. & Deus insuper omnimodam benedictionem Exod. XX. 24. in qua Spiritum S. seipsum profundit Act. X. 44. cui denique aggregantur, quotquot salvi fiunt Act. II. 47. quæ proinde cautè est discriminanda. Cum præsertim 4. tam sit *proclive* hîc aberrare, idque cum æternæ salutis dispendio, & multò maxima hominum pars aberret actu; existentibus passim; tot falsis, hæreticis & schismaticis, imò & tam numerosis Ecclesiis Apoc. XII. 9. 1 Tim. IV. 1. 2 Joh. vers. 7.

Motivæ.

Notæ. *Notas* in hanc rem, dudum designavimus §. XX. quibus hîc non aliud addimus, quam, non nudam *veritatis* professionem, quærendam esse in Ecclesia dignoscenda, sed etiam *praxeos* pietatis, ut sit Ecclesia *sanctorum* pariter & fidelium Eph. I. 1 Col. I. 2.

2. Jubet se veræ Ecclesiæ associare. XXXVIII. *Secundo* hortatur etiam, ut *agnitæ veræ* Ecclesiæ, nos promptè associemus, non ut qualiacunque, sed ut vera ac *viva* ejus membra, inque ejus communione ad finem perduremus Act. IV. 22. Est enim 1. *Ecclesia* Dei, & Christi *regnum* Matth. VI. 10. 13. Psal. II. 6. Luc. XXII. 16. 18. *civitas* Psal. XLVI. 5. *familia* 1 Tim. III. 16. *sponsa* Apoc. XXI. 2. 9. & XXII. 17. Psal. XLV. 10. *corpus* 1 Cor. XII. 13. Eph. I. 23. ac proinde, qui ei se associant, sunt *subditi* Dei & Christi 1 Cor. XV. 27. Eph. V. 24. sunt *domestici* Dei Eph. II. 19. sunt *membra* Christi Rom. XII. 4. 5. Quanta dignitas! Est 2 Deus & Christus intra Ecclesiam, non quavis; sed *gratia* præsentia Psal. XLVI. 6. Matth. XVIII. 20. & XXVIII. 20. cum 2 Cor. XIII. 13. Quanta felicitas! Proinde 3. eam velut suum *regnum*, suam civitatem, suam familiam, suam sponsam, suum peculium, adversus hostes quos-quales-& quantos-cunque adeo *defendet* Psal. XLVI.... Jes. XXXI. 4. Psal. XXIII. 4. ut portæ inferorum ei nunquam sint prævaluræ Matth. XVI. 18. Quanta securitas! Nec defendet tantum; sed etiam 4. ei *benedicet* Exod. XX. 24. Psal. XXVIII. 9. & CXV. 12. 13. 14. quavis benedictione Eph. I. 2. 3. Quanta opulentia! Hinc 5. Deus, in utroque testamento, toties & tam emphaticè urget congregationem fidelium Deut. XXXI. 11. 12. Joel. II. 16. cum in consuetudinem abiisset apud Judæos Ezech. XXXIII. 31. Act. XV. 21. prohibetque deserendam congregationem Heb. X. 25. Non addam 6. aggregandi *necessitatem*, ut salvemur Act. II. 47. quam diximus §. XXXI. Nec tamen acquiescendum hic in *nuda* associatione 1 Cor. XI. 20. quæ fiat: A. sola *professione* externa *veritatis* ecclesiasticæ Matth. VII. 21. 22. Apoc. II. 9. vers. 2. Tit. I. 16. B. sola observatione *officiorum* ecclesiasticorum Jes. I. 12—16. Luc. XVIII. 10. 11. frequentatione sacrorum Ezech. XXXIII. 31. Jes. LVIII. 2. usu sigillorum 1 Cor. X. 2. 3. 4. & XI. 20. & precum publicarum Jes. I. 15. C. sola externa nominis Christiani *gloriatione* 2 Tim. II. 19. Rom. II. 17. 18. Apoc. III. 1. & D. communione privilegiorum *ecclesiasticorum* Phil. III. 4. 5. 6. Jer. VII. 4. quanquam & hæc ipsa, nequaquam sint negligenda Luc. XI. 42. sed E. adnitendum nobis, ut in associatione, *viva* præstemus membra Ecclesiæ 2 Cor. VI. 16. 1 Tim. III. 15. Heb. XII. 22. cum 1 Pet. II. 4. 5.

Modus associationis.

3. Mos nos ipsos explorem us, simusne vera ac viva Ecclesiæ membra. Rationes motivæ.

XXXIX. *Tertio* excitat, ut associati jam Ecclesiæ, seriò nos ipsos exploremus, simusne *vera* & *viva* ejus membra. Eo quod; 1. non omnes sint *vera* & *viva* ecclesiæ membra, qui professione se ei associant 1 Joh. II. 19. neque *omnes qui sunt ex Israël*, *Israël sunt*—sunt & *filii carnis* Rom. IX. 6. 8. qui *dicunt se Judæos esse*; *sed sunt de synagoga satanæ* Apoc. II. 9. se *Apostolos esse*—sed *mendaces reperti sunt* vers. 2. qui *dicuntur vivere*; *sed mortui sunt* Cap. III. 2. neque Judæus is omnis est, *qui in propatulo est* Rom. II. 28. sunt *rami*, *qui fructus non ferunt* Joh. XV. 2. Eo quod 2. Amor Christi, redemptio & redemptionis applicatio, omniaque illa beneficia seu promissiones, quæ in Christo sunt *etiam atque amen* 2 Cor. I. 20. ad sola spectent vera & *viva* Ecclesiæ *membra*, velut Christi sponsam Eph. V. 25. 26. 27. velut suas *oviculas* Joh. X. 15. 28. Dum 3. qui *dicunt* tantum, non agnoscuntur à Christo; sed reprobantur Matth. VII. 23. & *rami qui fructum non ferunt*, *tolluntur* Joh. XV. 2. & tales *filii regni*, *foras ejicientur* Matth. VIII. 12. Apoc. XXI. 27. Matth. XIII. 30. Eo quod 4. salutis *media*, præconium verbi,

verbi, dispensatio sigillorum, suam efficaciam exserant, circa vera & *viva* Ecclesiæ membra, utpote quæ audiunt Christi vocem & *sequuntur* Joh. x. 16. 27. quos Christus *purgat*, *ut fructum copiosum proferant* Joh. xv. 2. Non addam 5. quod ab exploratâ hujus rei conscientia, pendeat indubitata *certitudo*, omnium privilegiorum & immunitatum, quas Christus addixit veræ Ecclesiæ, v. g. amoris Christi Eph. v. 25. protectionis Matth. xvi. 18. benedictionis omnigenæ Psal. xxviii. 2, &c. Potest autem hoc ipsum, certò nobis innotescere: (1) generaliter omnibus illis *indiciis*, quibus electionis, redemptionis, vocationis, regenerationis, conversionis, unionis cum Christo, justificationis, adoptionis, sanctificationis, glorificationis communionem, suis singulatim locis, exploratam dedimus; quandoquidem vera Ecclesia, ex solis talibus conflatur: speciatim (2) si non *dicamus* tantum nos *Judæos* esse; sed simus etiam Apoc. ii. 9. nec simus tantum *in propatulo*, externa professione & conversatione; sed *in occulto* quoque Rom. ii. 29. si (3) simus verè *fideles*: est enim vera Ecclesia cœtus fidelium Eph. i. 1. si (4) simus per fidem *uniti* cum Christo: est enim Ecclesia cœtus eorum, qui sunt *in Christo Jesu* 1 Thess. i. 1. 1 Joh. i. 3. si (5) simus *sanctificati*: est enim cœtus *sanctorum* Rom. i. 7. 1 Cor. i. 2. 2 Cor. i. 1 Phil. i. 1. 1 Pet. ii. 9. pro quibus *seipsum dedit* Christus, *ut ipsos sanctificaret* Eph. v. 26. &c.

Notæ.

XL. *Quarto*, vera ac viva ecclesiæ *membra* *factos* accendit, ut *corpus* nostrum, h. e. Ecclesiam, tenerrimo *amore* complectamur Psal. xxvi. 8. & xxvii. 4. & xliii. 3. 4. & lxxxiv. 2. 3. 4. 5. tantum scil. regnum Christi, civitatem Dei, familiam, sponsam, corpus ejus, ut diximus §. *præced.* Quo amore: (1) *publicum* Ecclesiæ bonum, *privatis* quibusvis nostris emolumentis, longè præferamus, exemplo Mosis Exod. xxxii. 32. Ecclesiæ in Babilone Psal. cxxxvii. 5. 6. Nehemiæ Neh. ii. 10. Pauli Rom. ix. 2. 3. (2) *Curam* fideliter agamus Ecclesiæ, exemplo Pauli 2 Cor. xi. 28. & Timothei Phil. ii. 20. 21. (3) Calidissimas *preces*, indesinenter fundamus pro Ecclesia 1 Sam. xii. 22. 23. nominatim: α. pro *amplificatione* regni Christi, & propagatione Euangelii, usque ad extremitates terræ Psal. ii. 8. cum Matth. vi. 10. β. pro *pace* & prosperitate Ecclesiæ Psal. cxxii. 6. 7. γ. pro *liberatione* Ecclesiæ à peccatis suis Psal. cxxx. 8. ab hostibus & persecutoribus ejus Psal. xxviii. 9. pro confusione inimicorum Psal. v. 11. & iii. 8. δ. pro *benedictione* & exaltatione Ecclesiæ Psal. xxviii. 9. ε. pro *ministris* Ecclesiæ fidelibus, ad ædificationem ejus Eph. vi. 19. Col. iv. 3. 1 Thess. v. 23. 2 Thess. iii. 1. Imo ζ. & pro *hostibus* Ecclesiæ, ut convertantur Matth. v. 44. Act. vii. 60. Luc. xxiii. 34. (4) Tenerrimè tangamur & condoleamus *malis* Ecclesiæ Psal. cxxxvii. — Ezech. ix. 4. sive: A. *scandala* sint, quibus offenditur & denigratur, intùs pariter & extus: exemplo Lothi 2 Pet. ii. 1. Davidis Psal. cxix. 136. Jeremiæ Jer. xiii. 17. Pauli 2 Cor. xi. 29. sive B. *judicia* sint, quæ observaverimus *imminere* Ecclesiæ Jer. ix. 1. 2. — quibus certa præsagia præstant: (a) *Universalis* quorumvis scelerum exundatio Gen. vi. 11. 12. Ezech. viii. 6. (b) Migratio *gloriæ Dei ab* Ecclesia, Hos. ix. 11. quando observatur, quod Deus sua gratia recedat ab Ecclesiâ Hos. ix. 12. quod Spiritus S. operationes cessent Gen. vi. 3. mediorum salutis, verbi & sacramentorum, efficacia evanescat Heb. iv. 2. Jes. lvii. 1. quod sanctitas, quæ est *gloria domus Dei* Psal. xciii. 5. quod planè succumbat, & ex adverso scelera quævis invalescant. His quasi passibus, *gloria Dei* ab *Israëlitis* recedit: 1. *à Cherub*, *super quem fuerat*, *ad limen domus* Ezech. ix. 3. tum 2. ab *inferiore limine*, versus superius (observante Junio in Ezech. x. 4.) hinc 3. à *limine* domus, supra Cherubim vers. 18. 19. inde 4. versus *medium* urbis Cap. xi. 22. 23. tandem 5. recessit gloria Dei ab *urbe*, stetitque super montem, qui est ab oriente urbis. Ibid. vers. 23. & sic evolavit in cœlum, cum totali ruina, Ecclesiæ & reipublicæ Psal. xcii. 5. (c) Invalescens contemptus Dei, statutorum ejus, ministerii, verbi Sacramentorum, Sabbathorum 2 Paral. xxxvi. 15. 16. 17. 2 Reg. xxii. 13. Jer. xxv. 1. — 12. Hos. viii. 1. 3. 12. Jes. xxx. 8. 9. 10. Ezech. xxii. 8. 31. (d) *Apostasia* à Deo, adulteratio veritatis & cultus divini, refrigeratio zeli & ἀκριβείας pro pietate Jes. i. 4. — 7. Zeph. i. 6. Apoc. iii. 16. (e) Præludia judiciorum *spiritualium*, invalescentibus erroribus, novitatibus, contentionibus, odiis domesticis; si comprimis accedat *spiritus soporis* Jes. xxix. 10. h. e. securitatis carnalis Amos. vi. 3 — 8. Zeph. i. 12. Jes. vi. 10. 11. (f) *Contumacia* sub castigationibus & judiciis, qua non *audimus* virgam castigantem Mich. vi. 9. Jes. xxvi. 9. & xlviii. 17. 18. (g) Decessus *justorum*, seu virorum præclarorum, tam in Ecclesia; quam in republica Jes. lvii. 1. per quem, appropinquante exitio, Deus Noachum in arcam Gen. vii. 1 — 16. Lothum in Zoar Gen. xix. 22. Judæos in Pellam, evocat & abscondit. Hæc præcipua sunt imminentium judiciorum divinorum, imò totalis excidii Ecclesiarum, præludia & præsagia. Sive C. *miseria* quævis sit, Ecclesiam dudum urgens, in persecutionibus hostium, aut aliis malis Amos. vi. 6. 1 Sam. iv. 19. 20. 21. Neh. i. 5. 5. & cap. ii. 23. Jes. xxii. 4. 5. Jer. iv. 19. 20. & ix. 1. Luc. xix. 41. 42. (5) *Bonum* Ecclesiæ ipso facto promovere nitamur, arrectis omnibus viribus nostris Gal. vi. 10. nominatim arrectis: α. *bonis* nostris Prov. iii. 9. 10. Rom. xii. 13. 20. Matth. xxv. 34 —

§. Exercitatio ad amorem Ecclesiæ.

Officia amoris.

Cura,

preces,

commi-

Indicia immissorum judiciorum divinorum.

Procurare bonum Ecclesiæ.

41. β. *donis* noſtris, animi pariter & corporis 1 Pet. IV. 10. Heb. X. 24. γ. *auctoritate* & potentiâ, quod in Magiſtratus potiſſimùm cadit Jer. V. 1. & XXI. 12. & XXII. 3. 4. 5. δ. *conſiliis*, conſolationibus, admonitionibus 1. Theſſ. V. 14. quibus ſorti & conditioni quorumvis, nos accommodemus 1 Cor. IX. 20. 21. 22. (6) *Peſſima* quævis perferamus, pro: A. *Chriſto*, ejus nomine, Euangelio Phil. I. 29. Act. XXI. 13. & XX. 24. 2 Tim. II. 9. pro B. Chriſti *Eccleſia* Phil. II. 17. Col. I. 24. 2 Cor. XII. 15. 1 Joh. III. 16. Et quo ad hæc aliaque amoris officia, verſus Eccleſiam, ſimus procliviores; cogitemus, tot & tam arctas *relationes*, quibus: α. ab *una* parte Chriſto obſtricti ſumus, velut capiti Eccleſiæ, velut Regi, ſponſo, patrifamilias; tanquam ejus membra, ſubditi, ſponſa, domeſtici &c. β. ab *altera*, Eccleſiæ, Pſal. CXXII. 8. velut ejuſdem corporis membra, ejuſdem regni ſubditi, ejuſdem familiæ domeſtici &c. Rom. XII. 5. cum 1 Cor. XII. 25. Ac proinde γ. quæ, ſeu ſecunda, ſeu adverſa, *Eccleſiæ* eveniunt; ea *nobis* ipſis evenire, quatenus una eademque navicula, omnes vehimur Matth. VIII. 23. 24. cum Pſal. CXXII. 6.

pati pro Eccleſia, Cauſæ impellentes, ad hæc officia.

5. Commendat cuivis ædificationem Eccleſiæ. Quibus rationibus.

XLI. *Quinto* commendat imprimis, omnibus & ſingulis Eccleſiæ membris, pro ſua cujusque ſtatione, viribus ac modulo, *ædificationem* Eccleſiæ. Eſt enim: 1. Eccleſia *domus* Dei 1 Tim. III. 15. 2 Tim. II. 20. quæ proinde ædificari debet Heb. III. 2. 3. 4. 5. Eſt 2. domus cui *Deus* ipſe inhabitat Jeſ. XXXI. 9. Pſal. XLVI. 6. quam ipſe ſibi ab initio mundi ædificavit, & ad finem uſque ædificabit Eph. IV. 12. 13. 14. Matth. XXVIII. 20. jacto ejus *fundamento*, in pretioſo *lapide angulari*, Chriſto Pſal. CXVIII. 22. Jeſ. XXVIII. 16. 1 Cor. III. 9. 11. Cui 3. *quodlibet* Eccleſiæ membrum ſuperſtruxit Eph. II. 20. 22. Idque ad hoc 4. ut velut *lapides vivi*, ſeipſos in Eccleſia ædificarent 1 Pet. II. 45. Jud. verſ. 20. Cui etiam ædificationi 5. univerſum *miniſterium* deſtinavit Eph. IV. 11. 12. Commendat autem hanc ædificationis curam, peculiariter: A. *Magiſtratibus* in Eccleſia, tanquam *nutritoribus* ejus Jeſ. XLIX. 23. exemplo Davidis, Salomonis, Joſaphati, Hiskiæ, Joſiæ aliorumque. B. *Quibusvis* in Eccleſia, ut pro virili ſeipſos, alioſque ædificare nitantur 1 Pet. II. 4. 5. Jud. verſ. 20. Col. II. 7. ſed C. imprimis *anteceſſoribus* in Eccleſia, quibus ex *officio* incumbit *ædificare*, à quo *Architecti* audiunt 1 Cor. III. 10. *Dei cooperarii* in *ædificio* Eccleſiæ verſ. 8. quibus omnem ἐξουσίαν Dominus dedit ad *ædificationem* 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. Ædificatur autem Eccleſia, omnibus illis adminiculis, quibus fides & obſervantia, ſeu, quod idem eſt, vera *ſanctitas* procuratur & promovetur, quatenus ſanctitas, non modo præcipuus *decor* eſt *domus*, ſeu Eccleſiæ Dei Pſal. XCIII. 5. ſed &, juxta cum fide, ejus quaſi *forma*, ut Eccleſia cum *ſanctis* reciprocetur paſſim in epiſtolis paulinis Rom. I. 7. 1 Cor. I. 2. &c.

Quibus perſonis.

Quibus adminiculis procurandam.

Promovetur ſingulatim ſanctitas Eccleſiæ: (1) *ſanctitate* doctrinæ Joh. XVII. 17. Pſal. XCIII. 5. Joh. VIII. 32. ejuſque ſancta & efficaci annunciatione Act. XX. 20. 21. 2 Tim. IV. 2. ſi comprimis accedat ſancta annunciantium *converſatio* 1 Tim. IV. 12. Tit. II. 7. 8. 1 Theſſ. II. 10. 11. 12. (2) religioſa diſpenſatione *ſigillorum* fœderis gratiæ: utpote quo, non modo ſanctificatio fœderatis à Deo *promittitur* Jer. XXXI. 33. Heb. VIII. 10. ſed etiam ab eis, Deo viciſſim *addicitur* Deut. XXVI. 16. 17. 18. Joſ. XXIV. 14. 15. 17. 22. 2 Paral. XV. 12. quæ utrinque *obſignantur* ſigillis Gen. XVII. 7. 11. cum Rom. IV. 11. (3) prudenti adminiſtratione *diſciplinæ* eccleſiaſticæ, qua ſcandala, quæ ſanctitatem ſuffocant, efficaciter ab Eccleſiâ tolluntur 1 Cor. V. 3. 4. 5. 2 Theſſ. III. 6. 7. Rom. XVI. 16. 17. 1 Tim. V. 20. (4) *viſitationibus* domeſticis Act. XX. 20. 1 Theſſ. II. 11. quibus per Patres familiarum, domus Chriſtianorum, ad ſanctitatem efformentur, ἄτακτα ab eis eliminentur, officia pietatis eis introducantur, ut præſtent *Eccleſias domeſticas* Rom. XVI. 5. Col. IV. 15. Philem. verſ. 2. (5) pia juventutis *educatione* Eph. VI. 4. Deut. VI. 6. 7. 8. & XI. 18. 19. in ſcholis & Academiis: & imprimis *catechizationibus*, eo prudenter directis, ut non tantum *cognitio* veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem, tenellis animabus inſtilletur; ſed etiam ejus *praxis* Eph. VI. 4. Joh. XIII. 17. quibus *vitia* quævis ab Eccleſiâ eliminanda, vivis ſuis coloribus coram juventute, præſentibus etiam adultis, adeo denigrentur, ut horrorem eorum concipiant: & ex adverſo, *pietatis* officia, in Eccleſiam introducenda, quibuſvis rationibus commendentur, ſuggeſtis etiam adminiculis, ut amorem eorundem concipiant. (6) religioſa cura, circa *conſtitutionem* præfectorum eccleſiaſticorum, eorum imprimis, qui paſtores agant in Eccleſia, ut non admittantur, niſi qui, & doctrina, & converſationis ſanctimonia, & zelo, *fideles* ſint & *idonei ad docendum* 2 Tim. II. 2. 15. 1 Tim. III. 2. -- Act. XVIII. 24. 26. Tit. III. 8. (7) exacta ſanctificatione *Sabbathi*, quod eſt *ſignum inter Deum* & Eccleſiam, quo hæc *ſciat*, quod *Jehova ſit*, *qui* ſe *ſanctificat* Ezech. XX. 12. 20. obſervatum enim eſt, quo religioſior alicubi fuerit Sabbathi ſanctificatio, eo ſanctior ibidem fuerit Eccleſia. (8) ſancta membrorum cohabitatione *converſationeque* Phil. II. 15. 1 Pet. III. 2. 2 Pet. III. 24. qua ſe invicem ædificent, veluti *vivi lapides* 1 Pet. II. 4. 5. Tandem (9) cura *Magiſtratus* Chriſtiani externa, circa exteriora Eccleſiæ, quæ ipſis commendatur Jeſ. LX. 10. 16. qua poteſtatem & potentiam ſuam impendant: α. *defendendæ* Eccleſiæ, velut *miniſtri Dei in bonum* Chriſtianorum Rom. XIII. 4. ut tranquillam & quietam vitam ducant, *cum omni pietate & honeſtate* 1 Tim. II. 2. β. proſpiciendo

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

ciendo de *externis* subsistendi mediis 2 Paral. XXII — 2 Paral. XXXI. 2. 3. 4 — & XXXIV. 5. γ. curando, ut Ecclesiæ ministri suis *officiis*, debito modo fungantur 2 Paral. XXIX. 5. 24. atque etiam, ut populus Cap. XXX. 1. & omnes, in præceptis & statutis Domini ambulent 2 Paral. XXXIV. 33. 2 Reg. XVIII. 6. Deut. XVII. 18. 19. 20. hisque omnibus, aliisque, sese præstent *custodes* utriusque tabulæ.

6. Commendat reformationem Ecclesiæ.

XLII. *Sexto*, commendat insuper *reformationem* Ecclesiæ, si quando declinaverit, vel: α. à *fidei* puritate Tit. I. 13. 14. 2 Cor. XI. 3. vel β. à *pietate* morum Apoc. II. 5. Jes. I. 21. vel γ. à *cultus*, divini sinceritate Hos. IX. 1. Jes. III. 8. vel δ. ab εὐταξίᾳ ellesiastica 1 Cor. V. 2. & XI. 20. 21. 22. Tum reformanda est: quia est sponsa Christi; quam tanta *zelotypia ambiebat* Apostolus, & *præparabat*, *ut eam uni viro*, *pro virgine pura sisteret*, nempe *Christo* 2 Cor. XI. 2. exemplo ipsius Dei Hos. XIV. 5. Jes. IV. 4. Incumbit hæc *reformandi* cura: Ministris. N. Ecclesiæ *ministris* 1 Cor. XI. 17. 18, 19. 20. cum vs. 33. 34. Jes. I. 17. & LVIII. 2. Jer. VI. 10. ut reforment: (α) patheticis suis *concionibus* Ezech. VI. 11. Mal. III. 7. 8. urgendo comprimis initum cum Deo fœdus Jos. XXIV. 22. 26. 27. Deut. XXVI. 17. 18. 19. (β) restitutione *disciplinæ* Ecclesiasticæ 1 Tim. V. 20. 2 Thess. III. 14. Cant. II. 15. (γ) ferventissimis *precibus* Joël. II. 17. Jer. XIII. 17. & XXXIII. 3. (δ) sancto vitæ *exemplo* 1 Tim. IV. 12. Tit. II. 7. 8. Incumbit reformationis cura Magistratibus. 2. *Magistratibus* Christianis, exemplo Davidis Psal. CI. 7. 8. Mosis Exod. XXXII. 19. 20. 21. Josuæ Jos. V. 2 — II. & XXIV. 1 — 26. Asæ 2 Paral. XV. — Josaphati 2 Paral. XVII. 6. 7. Hiskiæ 2 Reg. XVIII. 4. Josiæ 2 Reg. XXIII. — 2 Paral. XXXIV. — Incumbit inquam Magistratui, ut reforment: A. Removendo externa *impedimenta*, veræ religionis & sinceri cultus divini; hæreses, idololatriam, superstitionem, profanitatem, persecutiones, quo liberius veritas & pietas florere possint: exemplis Regum Judæorum, quos jam diximus. Hinc, ob non excisa *excelsa*, & monumenta idololatriæ sæpius *reprehenduntur* 1 Reg. XV. 14. cum 2 Paral. XV. 17. 1 Reg. XXII. 44. & 2 Reg. XII. 3. & ob præstitum hujus generis *officium*, commendantur 2 Paral. XV. 8. 16. & cap. XVII. 3. 4. 6—10. & XXXI. 1. & XXXIII. 15. 2 Reg. XXIII. 8. 13. 19. 20. 24. 25. B. Convocando *synodos*, cum quibus consilia jungant de reformanda Ecclesiâ: exemplis, Davidis 1 Paral. XIII. 1. 2. Salomonis 1 Reg. VIII. 1. Hiskiæ 2 Paral. XXIX. 4. Josiæ 2 Reg. XXIII. 1. 2. & Romanorum Imperatorum, Constantini M. convocantis Constantinopolitanam, Theodosii junioris, convocantis Ephesinam, Marciani, convocantis Chalcedonensem. C. Decretis & constitutionibus *synodalibus* legitimis, suam auctoritatem commodando, ut observentur à quovis 2 Paral. XXXIV. 33. Neh. XII. 24. Incumbit reformationis cura 3. singulis *Patribus familias*, ut suam quilibet reformet familiam Gen. XXXV. 2. Jos. XXIV. 15. Patribus familias.

XLIII. *Septimo*, commendat nobis studium *propagandi* & amplificandi Ecclesiam, duplex: 1. versus hos qui sunt *intra* Ecclesiam, *sola* professione tenus; nim. impios, hypocritas, scandalosos, revera extraneos & proditores Ecclesiæ 1 Joh. II. 19. ut illi, per conversionem, adducantur ad communionem Ecclesiæ *mysticæ* Act. XXVI. 18. tum 2. versus hos, qui ipsa professione tenus, sunt *extra*, Ecclesiam, quales sunt, Gentiles, Muhammedani, Judæi, Hæretici, Schismatici; ut scil. horum omnium vera *conversione*, Ecclesia propagetur & amplificetur. Et quo huic amplificationi, studia nostra promptius impendamus; cogitandum: (1) quod hæc *amplificatio* regni sui, usque ad extrema orbis, Christo Regi, tam magnificè fuerit *promissa* Psal. II. 8. & XXII. 28. & LXXII. 8. 9. Jes. XLIII. 5. 6. & XLIX. 6. 12. 18. 20. 22. Quod (2) toties & tam diu fuerit *prædicta* Gen. XLIX. 10. Jes. XLIX. 20. & LII. 10. 15. & LVI. 6. Jer. XVI. 19. Quod (3) velut inscrutabile *mysterium*, ac prærogativa N. T. elevetur Rom. XVI. 25. Eph. I. 9. 10. & III. 8. 9. Col. I. 26. 2 Tim. I. 10. 11. Quod (4) in *multitudine* subditorum, consistat *gloria Regis* nostri, sicut *in paucitate*, *est ejus attritio* Prov. XIV. 28. Quod (5) ad propagationem & amplificationem istam procurandam, Christus per universum orbem, emiserit *Apostolos* suos Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Quod (6) ipse *Christus*, hac amplificatione occupari voluerit Joh. X. 16. Quod (7) in ipsa illa, præcipuam *gloriam* suam ponat Apostolus Rom. XV. 16—22. Occupatur autem studium propagandi: A. Efficaci *præconio* verbi divini Rom. XV. 16. 19. quo non aliud qnæratur impensius, quam ut *intra* Ecclesiam, hypocritæ, per veram conversionem, Ecclesiæ mysticæ aggregentur, & ut extranei alliciantur 1 Thess. V. 14. B. *Conversatione* Christiana, qua, vitatis solicite *scandalis* quibusvis 1 Cor. X. 32. hoc agamus, ut, & *exempli* splendore Matth. V. 16. 1 Pet. II. 12. & III. 16. & *alloquii* comitate, & extranei & domestici alliciantur Jes. II. 3. Psal. XCV. 6. 7. & C. — C. Ferventissimis *precibus* Matth. VI. 10. Ut Deus α. colligendæ & propagandæ Ecclesiæ, idoneos *ministros*, & justa copia in messem suam extrudat Matth. IX. 37. 38. Luc. X. 2. Ut β laboribus eorum sua *gratia* aspiret Eph. VI. 19. 2 Thess. III. 1. Rom. XV. 18. 19. Ut γ. *hostium* conatus in contrarium efficaciter reprimat Act. IV. 29. Psal. VII. 7. & LXVIII. 2. & LXXX. 2. 3. Ut δ. Magistratus det; qui sint *nutritores* Jes. LIX. 23. Ut ε. ipse quotidie *addat* Ecclesiæ, qui salvi fiant Act. II. 7. Motivæ. Media.

47. & v. 14. & xi. 21. Conferantur, mutatis mutandis, quæ duobus paragraphis præced. diximus.

8. Commendat studium procurandæ & fovendæ unitatis & concordiæ Ecclesiasticæ.

XLIV. *Octavo*, commendat studium, procurandæ & fovendæ *unitatis* ac concordiæ ecclesiasticæ, quam magno affectu Apostolus passim inculcat Eph. iv. 3. 4. 5. Rom. xii. 4. 5. 1 Cor. vii. 12. 13. 14. 15. Phil. ii. 2. & iv. 2. *Fundamenta* hujus unitatis & concordiæ, quæ etiam Christianos formare debent, ad ejus studium, sunt: (1) Universalis omnium Christianorum, *adoptio*, per quam unum habent, eundemque *Patrem* Matth. vi. 9. Eph. iii. 13. 14. 15. (2) *Unio* eadem, cum eodem capite Christo, ut membrorum ejusdem corporis mystici 1 Cor. xii. 12. 13. (3) Unitas *Spiritus*, qui habitat & agit in omnibus Christianis Rom. viii. 9. 11. Eph. iv. 3. (4) Unitas *fidei* Eph. iv. 5. (5) Unitas *sigillorum* fœderis gratiæ, *Ibid.* quibus unum idemque fœdus gratiæ, omnibus obsignatur, omnesque in unum *corpus* compinguntur 1 Cor. x. 17. (6) Unitas *Euangelii*, quæ apud omnes est, quoad ejus essentialia Gal. i. 6. 7. 8. (7) Eadem *spes* vocationis Eph. iv. 4. (8) Idem fidei *finis*, vita æterna 1 Pet. i. 9. (9) Eadem *æterna* cohabitatio Heb. xii. 22. 23. Addamus (10) *bona* unitatis & concordiæ, repræsentata Psal. cxxxiii — &, ex adverso (11) *mala* schismatum, ac discordiarum ecclesiasticarum, quibus; *α. iram* Dei in nos concitamus Jes. ix. 2. *β. hostium* conatus adversus nos juvamus, ipsisque jucundum præstamus nostri ludibrium Hos. vii. 16. *γ. nobis ipsis* exitium creamus Gal. v. 15. Matth. xii. 25. 26. 27. Quo igitur concordia ecclesiastica, felicius foveatur & restauretur, juvabit: A. studiose vitare *contentiones*, super negotiis minoris momenti 1 Tim. vi. 3. 4. 5. & cap. i. 4. B. prudenter discernere inter *ceremonialia*, & doctrinalia: & in his rursus, quæ sunt *fundamentalia*, de quibus etiam Orthodoxi quandoque diversum sentiunt: ut in ceremonialibus, & quæ fundamentum non lædunt, dissensum in aliis feramus Phil. iii. 15. prout diximus §. xxxv. Juvat comprimis etiam C. φιλαδελφία inter antecessores Ecclesiarum, qua alter alterius *infirmitates*, quas non potest corrigere, patienter ferat 2 Pet. i. 7. Rom. xii. 3. 4. cum vers. 10. Juvant D. conventus ac *synodi* ecclesiasticæ Act. xv. -- Nec non E. prudens interc essio, ac directio. *Magistratus* politici, qui partes citra necessitatem contendentes, sua auctoritate non fulciat; sed ad concordiam efformare serio nitatur 1 Tim. ii. 2.

Rationes motivæ.

Media.

9. Commendat officia communionis sanctorum.

XLV. *Nono*, commendat officia *communionis* sanctorum Heb. xiii. 16. 1 Joh. i. 7. qua, N. ab *una parte:* (1) studiose vitemus *invidiam* versus alterius dona, ipsi præ nobis collata: eo quod, unius ejusdemque corporis mystici, membra simus, quo omnium dona in communis corporis *emolumentum* contendunt 1 Cor. xii. 12. --- Rom. xii. 4. 5. 6. Eph. 12--17. (2) alii alium, ob *minora* dona non contemnamus Rom. xiv. 2. 10. Jac. ii. 6. 1 Cor. xvi. 11. (3) Nos invicem nullo modo *offendamus* 2 Cor. vi. 3. 1 Cor. x. 32. sive id fiat: *α. exemplo* malo Rom. xiv. 13. sive *β. abusu* libertatis christianæ in adiaphoris Rom. xiv. 21. 1 Cor. viii. 12. 13. sive *γ. conversatione* ἀτάκτῳ 1 Sam. ii. 17. Mal. ii. 8. Matth. xviii. 6. sive *δ. verbis* offensivis Tit. iii. 2. 2 Cor. vii. 2. Nec (4) *scandala* data accipiamus Psal. cxix. 165. Nec (5) quia fratres sumus, *mendaciis* utamur versus nos invicem Eph. iv. 25. sive, *α. verbis* decipiendo Levit. xix. 11. Col. iii. 9. sive *β. opinionibus*, seducendo 1 Reg. xxii. 22. Ezech. xiii. 10. Apoc. ii. 20. sive *γ. factis* abnegando Jes. lviii. 7. Matth. xxvi. 70. 71. 74. 2 Tim. iv. 16. Psal. xxxviii. 11. sive *δ. conversione* hypocritica Jes. lxiii. 8. 2 Tim. iii. 5. Matth. xxiii. 25. 27. 2. Ab *altera parte*, velut ejusdem corporis ecclesiastici membra, justa nobis *invicem* præstemus: tam A. *Interna*, seu εὐνοίαν mutuam, per quam ἓν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ Phil. i. 27. αὐτὸ φρονεῖμεν cap. ii. 2. juxta tritum: δύο φίλοι, ψυχὴ μία Conf. Jer. xxxii. 39. Ezech. xi. 19. exemplo apostolicæ Ecclesiæ Act. iv. 32. per quam ἑνοίαν, simus: *α.* ejusdem *mentis* ac judicii 1 Cor. i. 10. Rom. xii. 16. *β.* ejusdem *cordis* & affectus: per (a) *amorem* reciprocum Phil. ii. 2. qui est σύνδεσμος τῆς τελειότητος Col. iii. 14. Joh. xiii. 35. Heb. xiii. 1. Rom. xii. 9. 10. 1 Thess. iii. 12. (b) per συμπάθειαν mutuam 1 Cor. xii. 26. 1 Pet. iii. 8. Conf. Heb. iv. 15. in *spirituali* alterius intemperie 2 Cor. xi. 29. in *corporalibus* angustiis Heb. xiii. 3. Quam B. *externa* Gal. v. 13. 1 Pet. iv. 11. *docendo* nos invicem Col. iii. 16. *monendo*, reprehendendo. *Ibid.* Levit. xix. 17. *adhortando* Heb. iii. 13. & x. 24. 25. *consolando* 1 Thess. v. 11. in publicis calamitatibus Mal. iii. 16. in privatis 1 Thess. v. 14. (tam verbis 1 Thess. iv. 18. Ps. xlix. 10. 2 Cor. i. 4. quam factis auxiliis Job. xxix. 13.) *ferendo* mutuas infirmitates Col. iii. 13. Eph. iv. 2. *condonando* offensas mutuas Eph. iv. 32. *defendendo* nos invicem in quovis casu, exemplo Abrahami Gen. xiv. 14. -- *communicando* nobis invicem, consilia nostra Psal. lv. 13. Prov. xxvii. 9. opes nostras Act. ii. 44. 45. 1 Cor. xvi. 1. Eccl. xi. 1. mensam Act. ii. 46. Luc. xiv. 12. 13. 14. &c. Imprimis C. commendat communionem in officiis *cultus divini*, in *auditione* verbi Act. ii. 46. usu *Sacramentorum* 1 Cor. x. 16. 17. conjunctione *precum* Thren. iii. *psalmodia* Eph. v. 19. Col. iii. 16. &c.

CA-

CAPUT SECUNDUM,
DE
ECCLESIÆ MINISTRIS.

Eph. IV. 11. 12.

Et ipse dedit, hos quidem Apostolos, hos autem Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores: ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi: donec &c.

Applicationis media quatuor.

I. HAbuimus applicationis *objectum*, Ecclesiam; succedunt *media*, quibus: 1. colligitur ad fidem, per *ministerium* verbi 2. collecta confirmatur, usu *sigillorum* ecclesiasticorum 3. munitur adversus scandala, per *disciplinam* ecclesiasticam. 4. dirigitur & gubernatur, per *politiam* ecclesiasticam. De singulis horum singulatim. Primi, seu *ministerii ecclesiastici* contemplationem superstruemus verbis Apostoli Eph. IV. 11. 12. 13.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus, facta à Christo* ministerii ecclesiastici institutio *continetur, qua notantur:*

1. Instituens: ipse, *scil. Christus* vs. 7. *velut Ecclesiæ caput* Eph. I. 22. *& Rex.* Ps. II. 6. *cui omnis competit* potestas Matth. XXVIII. 18. *& a quo in Ecclesiam ejusque ministros derivatur* 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. *ut quicquid faciunt, in nomine Christi faciant* 1 Cor. V. 4.

2. Instituti *ministri, duum generum:*

A. Extraordinarii, *nim.*

1. Apostoli, *inter ministros N. T. extraordinarios, primarii, Christi* legati *quasi a* latere, *qui Ecclesias passim plantarent, nullique peculiariter essent adstricti.* Ἀπόστολος, *ab* ἀποστέλλω, *notat emittere cum mandato, seu cum* auctoritate. *Subinde significat quemvis emissarium etiam in Republica* Joh. III. 16. Heb. III. 1. Phil. II. 25. *Hinc* ἀποστολεῖς, *qui &* ἀπόστολοι, *Atheniensibus erant præfecti triremium, teste Demosthene, Harpocratione aliisque, observante Heinsio. Tribuitur etiam discipulis Apostolorum* 1 Cor. XV. 7. *ipsi etiam Christo* Heb. III. 1. *sed maxime proprie notat, extraordinarios illos N. T. ministros, qui immediate erant missi à Christo* Rom. I. Gal. I. 1. *qui supremum locum inter ministros tenerent.*

2. Prophetæ *scil. N. T. peculiares, qui interpretandis & applicandis Scripturis propheticis, videntur fuisse occupati, seu modo extraordinario & infallibili; seu ordinario & fallibili* 1 Cor. XIV. 1. 3. 4. 5. *Distinguendi caute sunt à Prophetis V. T. qui prænunciandis explicandisque, his quæ ad Christum pertinent, prædicendisque aliis erant destinati* Luc. XVI. 29. Act. III. 24. & X. 43. *Usurpatur etiam de Christo, qui ὁ προφήτης* Matth. XXI. 11. *προφήτης μέγας* Luc. VII. 16. *Dicitur etiam de his qui, sub initium N. T. speciali dono prædicendi futura, præditi erant* Act. XI. 2. & XXI. 10. 1 Cor. XII. 28. *item de his, qui absque dono prædicendi futura, interpretandis Prophetis occupabantur* 1 Cor. XIV. 29. 32. *Apostolus etiam poëtas gentiles vocat Prophetas* Tit. I. 12. *Dicitur vel à προφημὶ ante dico: vel ἀπὸ τῦ προφᾶναι, unde Antistites phanorum seu templorum, appellabantur Prophetæ: vel ἀπὸ τῦ φωνεῖν, quod interpretarentur* oracula obscuriora. *Observante Aretio* in probl.

3. Euangelistæ; *secundi ab Apostolis, eorum parastatæ & emissarii, rigandis quæ plantaverant Apostoli, occupati: eoque nulli certæ Ecclesiæ addicti. Ast postmodum fundatis sufficienter ac disseminatis Ecclesiis, ab excessu Apostolorum & Euangelistarum* θεοπνεύσων, *appropriari ferme cepit, quatuor famosis Christi prosopographis: Matthæo, Marco, Lucæ & Johanni. Dicuntur ab* εὐαγγέλλω, bona, *sancta & felicia* nuncio, *scil. de redemptore & redemptione peccatoris. Vox à* LXX. *Interpp. accepta videtur ex* Jes. LXI. 1.

Ordinarii, *nim.*

1. Pastores, Ποιμὴν *est* opilio, *ovibus datus. Ad fideles transfertur, quatenus illi ministris observantur, ceu* oves, *contradistincti hircis seu infidelibus. Usurpatur de Christo, qui dicitur ὁ ποιμὴν, scil.* ἐξόχως ille *Pastor, scil. primarius, summus & independens nisi à Deo, qui ipsi* omnem *potestatem dedit, in Ecclesiam* Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 9. 10. 11. *Unde & ἀρχιποίμην dicitur* 1 Pet. V. 4. ποιμὴν τῶν προβάτων ὁ μέγας, Pastor ovium magnus ille Heb.

XIII. 20. & *ſub Chriſto de* miniſtris Matth. IX. 36. & XXVI. 31. Joh. XXI. 16. Act. XX. 28. 1 Cor. IX. 7. 1 Pet. V. 2. *Horum cura verſus oves, repræſentatur κατὰ πλάθος* Pſal. XXIII. —— *notatque, tum alimentationem, tum gubernationem Eccleſiæ. Forte per* paſtores & doctores, *eidem intelliguntur; ut ſignificetur paſtores etiam eſſe debere doctores, διδακτικὸς: forte per paſtores διακριτικῶς intelliguntur ii, qui applicationibus practicis magis ſunt intenti, quam Doctores, qui interpretandis Scripturis, magis ex profeſſo vacant: forte per paſtores, ſignificatione latiore, notantur, quotquot paſcendæ Eccleſiæ, quomodcunque occupantur, illi etiam qui Apoſtolo alibi κυβερνήσεις deſignantur, ſeu presbyteri* gubernantes 1 Cor. XII. 28.

2. Doctores. *Διδάσκαλος, notat eum qui docet, ſeu literas, ſeu mores, aut quamvis artem, à quo diſcentes* diſcipuli *dicuntur. Per appropriationem de his uſurpatur, qui doctrinam Chriſti tradunt* Eph. IV. 11. *Tribuitur Chriſto* Matth. XVII. 5. Joh. XIII. 14. *cuivis Doctori* Matth. X. 24. Luc. VI. 40. Heb. V. 12. Jac. III. 1. *Eccleſiæ miniſtris, nominatim & Eccleſiæ Iſraelitica Doctoribus* Luc. II. 46. Joh. III. 10. Rom. II. 20. *Apoſtolis Chriſti* 1 Tim. II. 7. 2 Tim. I. 11. *quibusvis Eccleſiæ Doctoribus* Act. XIII. 1. 1 Cor. XII. 28. *Notat etiam* præceptorem, *nam præcipere potius eſt* docere, *quam* mandare: *itidem* Magiſtratum, *quod* præfecturam *declarat. Dicitur qui* laborant in verbo 1 Tim. V. 17. *ſive interpretando tantum; ſive applicando etiam,* idque cum induſtria.

3. Inſtitutio: dedit, *ἔδωκε. H. e. pura puta adductus gratia, conſtituit in bonum Eccleſiæ. Notat miſſionem ad miniſterium.*

4. Inſtitutionis fines, *tres:*

A. Coagmentatio *corporis: Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον.* &c. *Eſt trajectio, quod genuina conſtructio ſit: εἰς ἔργον διακονίας πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. Καταρτισμὸν Tremellius ex ſyriaca verſione reddit:* concinnationem integram, *& ſic vulgata. H. e. ad complendum numerum Chriſtianorum, ad perficiendam eorum* ſanctitatem, *ut ſanctos, & Chriſto per fidem, ac charitatem inter ſe conglutinent, ut membra, per peccatum luxata corrigant, ac, ceu manu chirurgi, in ſuum locum reponant, ibique conſtabiliant* ad coagmentationem ſanctorum. *Καταρτισμὸς, igitur ordinatam ſignificat rerum conſtructionem, juxta certam συμμετρίαν & proportionem: ſicut in magnis ædificiis, in corpore humano, imo & Republica, debent omnia ordinate, & certa proportione conſtitui. Significatur ergo ordinata Eccleſiæ collectio.* Sancti *ſunt Eccleſiæ membra, ſeu Chriſtiani, ſaltem fœderaliter tales, prout Chriſtianorum infantes* 1 Cor. VII. 14.

B. Opus miniſterii: *εἰς ἔργον διακονίας. Εἰς ἔργον, pro ἐν ἔργῳ, vel διʼ ἔργον, ſcil. per Hebraiſmum. Διακονίας,* miniſterii, *vel* diſpenſationis, *ſeu ad docendum Euangelium, ad ſtrenue obeundum omne munus ſuum. Hic ἔργον excludit* otium, *& διακονία* dominium, *& ſignificatur, ab* una *parte, functionem eccleſiaſticam quamvis, non eſſe niſi* miniſterium, *magiſterio manente penes ſolum Chriſtum; ab* altera *parte, miniſtros Eccleſiæ, vocatos eſſe, non ad otium; ſed ad* negotia.

C. Ædificatio corporis Chriſti. *Ubi per* corpus *Chriſti, procul dubio, Eccleſia intelligitur* Eph. I. 23. *& per* ædificationem, *id omne, quo Eccleſia colligitur, conſervatur, propagatur, & promovetur in fide & ſanctimonia.*

5. *Inſtitutionis* duratio: donec evadamus omnes in unitatem fidei *&c.* Quod, *cum futurum non ſit, ante extremum judicium, quando regnum Patri Chriſtus tradet conſummatum; ſignificat miniſterium verbi, continuandum eſſe ad finem uſque ſeculorum* Matth. XXVIII. 20. *In verbis eſt Metaphora, ab his, qui e diverſis locis egreſſi, in unum locum conveniunt. Nos* omnes, *ſcil. electi & ſancti, tam Judæi; quam Gentiles: tam infirmi, quam firmi. In* unitatem, *vel* in unitate *fidei, h. e. ea ſumma conjunctione, cujus vinculum eſt fides;* Et agnitionis, *ἐπιγνώσεως, non γνώσεως: ἐπίγνωσις enim, non eſt nuda* cognitio; *ſed quæ conjunctam habet fiduciam & dilectionem.* Filii Dei, *ſcil. non adoptatitii; ſed naturalis, Jeſu Chriſti. H. e. uſque dum fiamus unum cum Chriſto corpus, conjuncti per unam eandemque fidem & agnitionem Chriſti.* In virum perfectum. *Εἰς ἄνδρα τέλειον,* in virum *adultum, ut non ſemper infantes ſimus ſeu parvuli; ſed perfecti, viriles, conſtantes. Metaphorice denotatur, continuus profectus in fide & ſanctimonia Chriſtiana. Nam Chriſtus ſpiritualiter nobis inhabitans, ſuas habet diverſas ætates.* Ad menſuram ſtaturæ, *εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ, ad menſuram ſtaturæ plenitudinis. Ἡλικία eſt ſtatura ſeu ætas.* Statura plenitudinis, *eſt per Hebraiſmum, ſtatura ſeu ætas* plena, *perfecta, adulta. Ut dicat, quæ fides & cognitio, eſt plena ſtatura ſeu ætas hominis Chriſtiani. Spectatur enim Chriſtus hic non in ſe; ſed quatenus in nobis adoleſcit* Gal. IV. 19. *Eſt igitur in his meta-*

metaphora à corpore naturali Christi, quod diversos habuit, ætatis & quantitatis gradus Luc. II. 52. *sic inquit, singula Christi membra, & totum Christi corpus mysticum, suam habet infantiam, suam adolescentiam, suam habebit virilem ætatem* 1 Joh. II. 12. 13. 14.

Pars dogmatica.

Placet Christo Ecclesiam sibi congregare per ministerium hominum.

III. Placet ergo, Christo capiti, Ecclesiam sibi colligere, conservare & progagare, non *immediate*; sed per *ministerium* hominum, ad hoc à se designatorum. Potuisset sanè *immediate*, pro independente illa potestate, quam habet in cœlo & in terra Matth. XXVI. 1. 19. potuisset opera solius sui *Spiritus*, à quo omnis ministerii potestas & efficacia, suo modo pendet immediate, quatenus virtus convertendi, *realis* quidem, creaturis quibusvis, est incommunicabilis 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. III. 5. Potuisset ope *Angelorum*, spirituum λειτουργικῶν Heb. I. 14. sua natura ad hoc multis modis aptiorum: placet autem adhibere ministerium *hominum* ὁμοιοπαθῶν Act. XIV. 15. nec *quorumvis* tamen; sed *talium*, quos ipse huic negotio deputaverit, qui *moraliter* sibi cooperarentur 1 Cor. III. 9. in præparandis eis, qui ecclesiæ essent aggregandi, sic tamen, ut universus successus, pendeat à *reali* Spiritus sui operatione 1 Cor. III. 7. Placet autem hoc consilium, non *defectu* potentiæ; sed *abundantia* clementiæ & bonitatis, ut: 1. cum hominibus ageret per *homines* ὁμοιοπαθεῖς, qui, per infirmitatem naturæ, divinæ majestatis, immediata alloquia Exod. XX. 19. Jer. XXIII. 29. Luc. V. 8. imo & Angelorum præsentiam, ferre non ita possunt Luc. II. 9. 10. Ut 2. miseris homuncionibus, *dignitatem* communicaret, sibi cooperandi, in negotio tam *excellente* tantique momenti 1 Cor. III. 5--11. Eph. III. 7. 8. 9. & I. 8. 9. 10. Rom. XVI. 25. 26. Ut 3. hac agendi ratione, magis commendaret & extolleret infinitam suam *potentiam*, ut qui miserorum hominum, stulta prædicatione, infinitam ferè hominum multitudinem, absque ulla vi externa, filio suo potuerit subjugare 1 Cor. I. 21. 25. 2 Cor. IV. 7. juxta effatum proprium 2 Cor. XII. 9. Ut 4. gratiam conciliaret suis *institutis*; hinc eunuchum aggregare voluit, per ministerium Philippi Act. VI. I. 29. Paulum, per ministerium Ananiæ Act. IX. 11. Cornelium, per Petrum Act. X. 5. 6. Corinthios, per Paulum 1 Cor. IV. 15. Davidem, per Nathanem 2 Sam. XII. 1.... Manassen, per videntes 2 Paral. XXXIII. 18. quosvis, per missos à se præcones Rom. X. 14. Act. XXVI. 18. Conf. Jes. LVII. 19.

Rationes hujus consilii.

Unde ministerium dicatur.

IV. Est autem opera illa, quam colligendæ Ecclesiæ, homines Christo impendunt, merum *ministerium* 2 Cor. IV. 1. & V. 18. εἰς ἔργον διακονίας Eph. IV. 12. 1 Cor. III. 5. unde ὑπηρέται τῷ χριστῷ, καὶ οἰκονόμοι tantum, salutari & haberi avent 1 Cor. IV. 1. eo quod potestas illa, quæ Ecclesiasticis competit, *delegata* tantum sit, agatque ex *imperio* Christi, & mero erga ipsum obsequio 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. dum *magisterium*, seu potestas imperii, regalis & αὐτοκρατορικὴ, quâ quis agit pro mero arbitrio, non est nisi penes Christum *solum* Matth. XXIII. 28. cum XXVIII. 18. & XXIII. 8. 10. Phil. II. 9. 10. 11. Ex quo etiam sequitur, quod minister Ecclesiæ, suo officio fungi per *se-ipsum* teneatur, eo quod vicarium sibi substituere, non *ministerii* sit; sed *magisterii*: quod item in Ecclesia, novi saltem testamenti, nulla admittenda sit *hierachia*; sed *hierodulia* potius: quodque ministrorum unus, in sua dispensatione, non subjiciatur potestati alterius: eo quod omnia ista, non ad *ministerium*; sed ad *magisterium* spectent.

Quid sit ministerium.

V. Ministerium hoc, non est nisi *functio ecclesiastica*, *qua homo selectus*, *ex jure speciali*, *res sacras dispensat.* α. Functio dicitur *ecclesiastica*, quod differat à functione quavis *civili*, scholastica, domestica: cui β. competat *potestas dispensandi sacra*, ἐξουσία 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. præsupponens (ordinarie) *potentiam* seu aptitudinem: qui enim penitus *inepti* sunt ad dispensandum, si ab hominibus constituantur, non Dei; sed hominum tantum sunt ministri Hos. IV. 6. Nec γ. potestas tantum, seu *jus* dispensandi sacra; sed potestas etiam *specialis*: quatenus, non tantum specialia quædam *officia* respicit, aliis illicita, v. g. publicam Euangelii annunciationem, Sacramentorum dispensationem &c. sed ea, etiam, quæ aliis sunt communia, v. g. privatam hominum institutionem, admonitionem, increpationem; *speciali* modo, jure & emphasi, ex officio, agit. Ut ab hoc ministerio, *tertius* quidem nascatur Ecclesiæ *status*: sicut enim per fidem, habet statum suum *essentialem*; & per congregationem, *integralem*; ita per ministerium accipit statum suum *organicum*, quatenus apta sit, ad omnes illas operationes exercendas, quæ pertinent ad bonum totius, quarum operationum ratio & directio, est *politia ecclesiastica*, de qua nos suo loco, si Deus volet, ex professo.

Origo ministerii ecclesiastici.

VI. *Prima* potestatis hujus ecclesiasticæ scaturigo, est *Deus*, διστάτης ἀνεξάρτητος, supremus Ecclesiæ Rex, omnia gubernans Psal. CIII. 19. & LIX. 13. & XXII. 28. & CXXV. 1. à quo, ipsa etiam mediatoris suprema potestas dispensatoria descendit Matth. XXVIII. 18. Joh. III. 35. Eph. I. 20. 21. 22. 23. Hinc Ecclesiæ ministri, *servi Dei* audiunt Jos. I. 1. 2. 13. Tit. I. 1. Jac. I. 1. *Secunda*, est filius Mediator. 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. à quo omnis potestas in ministros descendit Matth. XXVIII. 18, 19.

18. 19. qui Apoſtolos *mittit* Matth. x.--à quo *ſervi Jeſu Chriſti* appellantur Rom. i. 1. Gal. i. 10. Phil. i. 1. 2 Pet. i. 1. & quicquid agunt, in *nomine*, & ex auctoritate Chriſti, agunt 1 Cor. v. 4. *Tertia*, eſt Spiritus S. *mittens* Act. xx. 28. *Actus* quo confertur, eſt *vocatio* Heb. v. 4. Rom. x. 15. utpote qua, *jus* diſpenſandi ſacra, determinatur & reſtringitur ad *hanc* aut illam perſonam. Concludit duo, *oblationem* vocantis, & *acceptionem* vocati Exod. iii. 10. 11. cum cap. iv. 18. Jer. i. 5--11. Jeſ. vi. 8. 9. quamvis vocatio ordinaria, nonnulla inſuper habeat, ſibi peculiaria, de quibus ſuo loco.

Diſcrimen inter miniſterium extraordinarium & ordinarium.

VII. Eſt autem miniſterium eccleſiaſticum duplex: *extraordinarium*, quod res ſacras *infallibiliter* diſpenſat; & *ordinarium*, quod *falli* & *fallere* poteſt. Diſcrimen utriuſque, in his tribus potiſſimùm apparet: (1) in *vocatione*, quæ penes *extraordinarium*, vel prorſus *immediate à Deo* Gal. i. 1. vel ſaltem mediantibus θεοπνεύστοις accidit 1 Reg. xix. 19. Act. i. 23. quando penes *ordinarium* non eſt, niſi *mediata* per Eccleſiam 2 Cor. viii. 19. Act. xiv. 23. (2) in θεοπνευγίᾳ, qua *extraordinarium* gaudebat 2 Pet. i. 20. 21. Num. xii. 6. *ordinarium* caret. Hinc (3) in *donis* & agendi ratione: quatenus *extraordinarium* extraordinariis *miraculorum donis* Heb. ii. 3. 4. Rom. xv. 18. 19. infallibilique & immediata Spiritus S. directione plerumque gaudebat Gal. i. 15. 16. 17. cum verſ. 8. quibus *ordinarium* carebat. Proinde 4. etiam *auctoritate*, qua, ſicut *extraordinarii* miniſtri, *immediate* pendebant à Deo; ita *ordinarii*, ſuo modo, ab extraordinariis (prout congregationes particulares, ſuo etiam modo, pendebant ab ordinariis) v. g. Sacerdotes & Levitæ, à Moſe & Prophetis Levit. i. 5. 7. 9. ii. 12. 13. 15. 17. &c. Joel. ii. 17. Titus, à Paulo Tit. i. 5. Heb. xiii 17. Tandem (5) in hoc, quod, cum *ordinarii* miniſtri, ſuis cœtibus erant adſtricti; *extraordinarii*, quibusvis paſſim plantandis & rigandis advigilabant Matth. xxviii. 19. Rom. xv. 19. 1 Cor. iii. 6.

Uſus miniſterii extraordinarii.

VII. *Extraordinarii* miniſterii uſus erat: 1. ad *formandas* novas Eccleſias, aut ſaltem novam Eccleſiis *œconomiam*, ac novam faciem conciliandam, ut patet in Moſe, in Eſdra, Haggæo, Zacharia, Malachia ſub V. T. & in Apoſtolis, Prophetis & Euangeliſtis, ſub N. T. Ethic uſus, ſibi fere conjunctum habuit, teſtimonium *miraculorum* Heb. ii. 3. 4. Rom. xv. 18. 19. niſi quod Baptiſta, quo majus eſſet, & clarius etiam pateret, diſcrimen, inter præcurſorem & Dominum, miraculis fuerit deſtitutus Joh. x. 41. Tum 2. ad *conſervandas* extraordinario modo formatas Eccleſias, quod plerique à Moſe, egerunt V. T. Prophetæ v. g. Samuel, Nathan, Gad, &c. 3. Ad *reformandam* Eccleſiam, conatu extraordinario, ſi quando, vel in doctrina; vel in moribus, egregie collapſa erat: & hoc potiſſimum agebant Prophetæ, poſt ſchiſma inter Judam & Iſraëlem, Elias, Eliſæus, Azaria &c. & poſt captivitatem Eſdras, Nehemias, Haggæus, Zacharias, Malachias. Imprimis 4. ad Eccleſiam *inſtituendam*, non tantum *viva* voce; ſed *ſcriptis* etiam divinis, ut perpetuus eſſet uſus & fructus hujus miniſterii in Eccleſia, etiam poſt obitum ipſorum miniſtrorum 2 Pet. i. 21. 2 Tim. iii. 16. & in his *ſcriptis*, perpetuam Eccleſia haberet fidei & vitæ ſuæ *normam* Gal. vi. 16. In quam rem Deus, his miniſtris, ſuam voluntatem patefaciebat; *partim* κ. ἀποκαλύψει, *extrinſecus*: (1) *viva voce* Apoc. i. 10. cui ſubinde accedebat apparitio & allocutio Angeli, aut Chriſti ipſius, velut Angeli fœderis Exod. iii. 2. Act. vii. 30. & xxiii. 9. & xxvii. 23. (2) *viſione*, quâ ſimul cum verbo, ſpecies rerum indicandarum, *vigilantium* oculis fuerunt repræſentatæ v. g. Jer. xxvii. 2. 8. ii. 12. Zach. i. 8. 18. &c. ii. 1. & Act. xxi. 11. Apoc. i. 10.--(3) *ſomniis*, quibus ſimilia fuerunt expoſita *dormientium* animis Num. xii. 6. Gen. xxxvii. 5.--(4) familari *converſatione* Num. xii. 6. 7. 8. *partim* δ. θεοπνευγίᾳ, *intrinſecus*: quando veritates mentibus eorum *inſpirabat*, eis ſcripto conſignandis, & viva etiam voce propalandis, adeo dirigebat; ut nec *errarent*, nec errare *poſſent*. Hac θεοπνευγία, exaratæ proſtant S. Scripturæ 2 Tim. iii. 16. 2 Pet. i. 21.

Ordinarium quibus rationibus dicatur.

IX. *Ordinarium* miniſterium ita dicitur: 1. ab *ordinariis* ſacris, & ordinariâ etiam eorundem diſpenſatione, à quibus latum unguem ipſis non licet recedere Deut. iv. 2. & xii. 32. tum 2. quod ab ordinaria *norma*, per extraordinarios miniſtros, in Scripturis revelata, & ab eis mediis, quæ Deus in Eccleſia conſtituit, ad ipſius perpetuam ædificationem, ſtrictiſſimè pendeat Jeſ. viii. 20. 2 Tim. iii. 15. 16. 17. porro 3. ab ordinaria *vocatione*, cujus ope confertur. *Ordinaria* autem vocatio eſt, quæ non tantum ad ordinariam ſacrorum *diſpenſationem* vergit; ſed etiam, per Eccleſiam, *ordinariis* hominibus integram, confertur. Quod ſic intelligendum, ut *jus* ipſum diſpenſandi, à Deo ſit immediate, à quo vocati, legitimè quidem, *miniſtri* Dei ſunt; ſed *deſignatio* perſonæ, in quam conferatur, fiat *mediante* Eccleſia Act. xiii. 2. 1 Tim iv. 14.

Vocationis ordinariæ ingredientia.

V. Vocatio *ordinaria*, qua poteſtas diſpenſandi *ordinaria* confertur, duabus partibus eſſentialibus conſtat: 1. *oblatione* vocantis, & 2. *acceptione* vocati; alterutra deficiente, non eſt vocatio *plena*: quamvis enim poteſtas miniſtrandi legitimè *offeratur*; ſi juſtis rationibus, non poſſit *accipere* vocatus; non eſt vocatio *divina*, cui obſequi teneatur vocatus. Complectitur autem oblatio: (1) *electionem* per χειροτονίαν Eccleſiæ, aut analogum quid

quid Act. 1. 15—26. & XIV. 23. (2) *examinationem*, an vocandus donis neceſſariis inſtructus ſit 1 Tim. III. 10. quia enim, ſua electione & deſignatione, Eccleſia dona neceſſaria *conferre* non poteſt, quemadmodum Deus facit in vocatione extraordinaria; neque etiam Deo *præſcribere* poteſt, ut ab eo conferantur: idcirco eos tantum *jure* eligere & vocare poteſt, quos antea deprehendit aptos, nec deprehendere poteſt, niſi per prævium *examen*. Examen autem explorare debet, an quoad *doctrinam*, vocandus ſit διδακτικὸς 1 Tim. III. 2. 6. & quoad *vitam* & converſationem ἀνέγκλητος 1 Tim. III. 10. Tit. 1. 6. 7. καὶ ἀνεπίλημπτος 1 Tim. III. 2. & VI. 4. & ex his duobus, perfectus & ad omne bonum opus ἐξηρτισμένος 2 Tim. III. 17. Hinc *duplex* examen in Eccleſiis Belgicis prudenter obtinet: *præparatorium*, quo candidatus admittitur, ad publica γυμνάσματα *præparatoria*; & *peremptorium*, quo ad ſolennem *functionem* admittitur. (3) *confirmationem*, aut ſolennem electi & examinati *introductionem*, in functionem ſacram: quæ antiquitus fiebat per *ordinationem*, ſeu χειροθεσίαν 1 Tim. IV. 3. qua vocatus *conſecratur* precibus & benedictionibus. Conf. Levit. I. 4. Gen. XLVIII. 17. 18. Act. VI. 6. & cap. XIII. 31. 1 Tim. V. 22. Quæ apud Eccleſias Belgicas, in conventu *claſſicali* peragitur, circa hos, qui mittuntur ad Eccleſias, clandeſtinas, aut valde remotas, cætera in *ipſis* Eccleſiis ad quas mittuntur: ſed in primâ eorum vocatione tantum (4) *Approbationem*, eorum quorum intereſt Act. I. 25. & VI. 6. nim. tum ab *Eccleſia* admittente, tum à *magiſtratu* fideli, alente vocatum; tum denique, apud Eccleſias Belgicas, à *Claſſe* recipiente.

Veteris teſtamenti miniſtri extraordinarii.

XI. Utrumque miniſterium, & extraordinarium & ordinarium; vel *veteris* eſt, vel *novi* teſtamenti. Vetus teſtamentum, pro *extraordinariis* miniſtris habuit: 1. *Patriarchas*, ſeu Patres familiarum fidelium θεοπνεύστους, qui vixerunt *ante* Scripturas exaratas, & ante ſacerdotium leviticum conſtitutum, tam ante, quam poſt diluvium. De his (quantum ad *vocem*) legitur Act. VII. 8. quantum ad rem, certum videtur ex tenore Geneſeos, inter alia, poſt promulgatum πρωτευαγγέλιον Gen. III. 15. penes ipſos fuiſſe, illud θεοπνεύστως interpretari & applicare, ſacrificiorum item uſum & efficaciam, hominibus monſtrare. 2. *Prophetas*, quibus *illos* intelligimus Eccleſiæ miniſtros *extraordinarios*, qui, citra reſpectum ad tribum aut familiam certam, à ſacris literis, ſub Moſe exarari cœptis, & cultu ceremoniali conſtituto, myſteria divina *revelarunt*, futura contingentia *prædixerunt*, præſertim de Meſſia venturo, ejusque vitâ, officiis, paſſionibus, gloria, beneficiis Act. III. 21—24. & X. 43. Heb. I. 1. 1 Pet. I. 10. 11. 12. ſive id fecerunt *conſignandis Scripturis*, ſicut Moſes, David, Salomo, Jeſaias &c. ſive *viva* tantum voce: quidam etiam *miraculis* fuerunt clari, ut Moſes, Elias, Eliſæus aliique; alii non. Prophetis accenſemus *Prophetiſſas*, Deboram, Jud. IV. 4. Huldam 2 Reg. XXII. 14. &c.

V. T. miniſtri ordinarii:

XII. Pro *ordinariis* miniſtris, V. Teſtamentum habuit: 1. *primogenitos* tempore Patriarcharum, quibus ante legem, *jus* ſacerdotii & liturgiæ, tribuunt Judæi, & ex Chriſtianis multi: quibus etiam accenſent *Patres* familiarum fidelium, ſub directione Patriarcharum, quamvis hæc necdum viderim ſolide demonſtrata. 2. *Pontificem* Levit. XXI. 10— totius miniſterii ordinarii *caput*, imo ſacrorum quaſi Regem, politico Regi proximum, ex tribu Levi, & peculiari ejus quadam familia, oriundum. Hujus: (1) *vocatio* quidem, prima in Aarone & Eleazare, facta eſt juſſu & deſignatione ipſius Dei, per Moſen Exod. XXXIII. 1. Num. XX. 26. exin, juxta Judæos, penes Sanedrim & Regem fuit (2) *ordinatio* per *veſtitum* pontificalem: tam *aureum*, in femoralibus, tunicâ, baltheo, cidari, pallio, ephod, pectorali, frontali, de quibus Exod. XXVIII.— in quo indies miniſtrabat Pontifex; quam *album* in tunica, braccis, cingulo & pileo, quibus utebatur, adytum interius ingreſſurus Levit. XVI. 4. 32. (3) *unctio*, per ſeptem dies continuos fieri ſolita fuit, quamdiu duravit ſacrum oleum, ſemel à Moſe confectum Exod. XXX. 23.— quod per nongentos annos factum ferunt: eo amiſſo, inauguratio ſolo veſtitu facta dicitur. Idem fuiſſe unguentum videtur, cum eo, quo Reges nonnunquam inaugurabantur, quamvis alii diverſum fuiſſe exiſtiment: alios eodem perfundi, nefas erat Exod. XXX. 32. 33. Omnes ungebantur Pontifices; ſed Reges illi tantum, qui rebus turbatis creabantur, ut patet in Salomone 1 Reg. I. 39. & Joa 2 Reg. XI. 22. (4) *ſacrificium* inaugurale, ipſi cum gregariis Sacerdotibus commune Levit. VI. 20. (5) *ſucceſſio* in ſola familiâ Aaronis, & quidem filii primogeniti *Eleazaris*, ſicut gregariorum ſucceſſio, erat per filios *Ithamaris* Num. XX. 28. niſi quod ſucceſſio turbata nonnullis videatur in Eli, qui ex Ithamaridis fuiſſe creditur, cujus poſteri ſucceſſione exciderunt, tempore Salomonis in Abiathare remoto, & Zadoko Eleazaride ſubſtituto 1 Reg. II.—(6) *requiſita* ejus erant: α. corporis animique *dignitas* & integritas Levit. XXI. 17. *corporis* vitia, quæ irregularem faciebant, Judæorum magiſtri 142. numerant. β. *conjugii* ſanctitas, cujus leges exſtant Levit. XXI. 14. γ. abſtinentia à contactu *mortui* Levit. XXI. 1. 3. 10. 11. 12. & à luctu ex propinquorum obitu. (7) *functio*, ei ex parte *communis* erat, cum functione gregariorum Sacerdotum: nim. α. *ſacrificare* 1 Paral. VI. 49. cum Luc. I. 9. niſi quod *gregarii*, per ſuas ſtationes, facta inter ſe ſortitione, ſacrificarent; Pontifex autem quoties &

α. Primogeniti.

β. Pontifex.

quando ſibi viſum eſſet. β. *intercedere*, & *benedicere* populo Num. VI. 23. 24. 25. 26. γ. *judicare* de lepra Levit. XIII. 2. ex parte *propria* & peculiaria, nim. ſemel quotannis ſacrificium piaculare offerre, & templi adyta intrare Levit. XVI. 2. Heb. IX. 7. quo die ipſe omnia ſacra, ea etiam, quæ iſti feſto propria non erant, expediebat. Si quando neceſſitate prohibebatur, ab hoc ſolenni ſacro; quotannis in die jejunii, ipſi vicarius creabatur, qui ſub primo templo, *ſecundus Sacerdos* appellabatur 2 Reg. XXV. 18. Jer. LII. 24. ſub ſecundo *Sagan*, His accedebat ſuprema ἐπισκοπὴ, & directio omnium ſacrorum.

γ. Sacerdotes, XIII. Habuit 3. pro ordinariis miniſtris, V. Teſtamentum, *Sacerdotes* gregarios, perpetua ſucceſſione *ex familia* Aaronis deſumptos, qui ſacra diſpenſarent, primò in tabernaculo, tum in templo: *docendo* Mal. II. 7. Deut. XVII. 9. Ezech. VII. 26. *ſacrificando* Levit. I. 13. *intercedendo* Joel. II. 17. *benedicendo* Num. VI. 22.—ſingulatim inſuper, indies *bis ſuffitum* in altari aureo faciendo Exod. XXX. 7. 8. *lampades* in atrio templi inſtruendo & accendendo, *ignem* ſacrum, ne exſtingueretur, curando Levit. VI. 12. 13. aram mundando, cineresque everrendo Levit. I. 16. quolibet Sabbatho, panes ſacros recentibus permutando Exod. XXV. 30. Levit. XXIV. 6. prophanos à limine arcendo Num. V. 2. Deut. XXIII. 10. Debebant eſſe ab omni *corporis vitio* immunes, & functionibus ſuis *idonei* Levit. XXI. 17--24. *Inaugurabantur* ſuæ functioni, coram plena Eccleſia Levit. VIII. 3. adhibita latione Exod. XXIX. 4. veſtitu ſacro, femoralibus, tunica, baltheo, cidari Exod. XXVIII. 4--40. 42. 43. & XXIX. 8. 9. ſacrificiis *ſpecialibus*, cum applicatione ſanguinis ex ariete, ad auriculam infimam, & pollices dextros Exod. XXIX. 15. 20. 24. 25. quibus accedebant: *conſperſio* ex oleo ſacro, & ſanguine de altari, in ipſos & veſtimenta eorum verſ. 21. Levit. XXII. 2. 3. 10. & mandata ſingularis abſtinentia, mundicies & gravitas Levit. XXI. 1--9. Diſtributi erant in varias claſſes, partim à Moſe, partim à Davide, qui in XXIV. claſſes redegit, in quarum ſedecim erant Eleazaridæ, octo Ithamaridæ 1 Paral. XXIV.--Conf. Neh. VII. 39. & X. 1. XII. 1. Veniebant iſtæ claſſes, per vices Hieroſolymam, ſingulæque in templo, per hebdomadam unam ſacris fungebantur: & quælibet claſſis, rurſus in ſeptem ordines diſpeſcebatur, juxta ſeptem hebdomadis dies, quibus illi incumbebat miniſtrare.

δ. Levitæ, XIV. Habuit 4. *Levitas*, primogenitorum totius Iſraelis loco, cultui divino conſecratos, ut Sacerdotibus, ad minora officia in templo, quaſi manus commodarent Num. III. 9. 12. 13. Quibus nonnunquam, *latiore* ſenſu, intelliguntur quotquot de tribu Levi erant; nonnunquam *ſtricliore* ſenſu, qui genus ab Aarone non ducebant, & Sacerdotibus Aaronicis contradiſtinguuntur. Sic in tres *familias*, Kahatitas, Gerſonitas & Meraritas diſpeſcebantur, quæ ſingulæ ſuos præfectos habebant. Horum, qui dignitate primus erat, univerſæ tribus leviticæ, caput erat ac Princeps. In deſerto occupabantur inſuper, transferendo tabernaculo, juxta familias ſuas Num. IV. 4. 25. 26. 31. 32. in Canaan, exſtructo templo, per ordines ſuos, miniſtrabant, *vel* Sacerdotibus, in cædendis victimis aliisque, inſerviendo; vel cantorum, ædituorum, Doctorum, legiſperitorum, Judicum munera præſtando Deut. XXXIII. 10. 1 Paral. XXIV. XXV. & cap. XXVI. 29. 2 Paral. XIX. 8. imo multi ipſorum, cum Iſraëlitarum primoribus, in ſupremum ſenatum adſciſcebantur. Menſis nati, Deo offerebantur & conſacrabantur Num. III. 15. collat. cum verſ. 40. ab anno ætatis XXV. manuum impoſitione, initiabantur Num. VIII. 24. jamque in templo adeſſe ac miniſtrare fas erat: impleto XXX. ætatis anno, à *miniſterio miniſterii*, ad *miniſterium oneris* traducebantur Num. IV. 47. 49. anno L. ceſſabant ab onerioſioribus tabernaculi miniſteriis, non autem à cuſtodiis, & reliquo ejus cultu Num. VIII. 25. 26. Exſtructo templo, ceſſante oneroſa tabernaculi tranſportatione, ex conſtitutione Davidis, anno ætatis vigeſimo, miniſterium ſuum ingrediebantur 1 Paral. XXIII. 27. coll. cum 2 Paral. XXXI. 17. & Eſd. III. 8. Sacerdotibus autem & Pontifici, non eadem ætas præſcripta erat, Levitis dati poſtmodum pro miniſtris ſunt *Nethinæi*, quaſi *deditities* dicas Eſd. II. 58. & VIII. 20. qui ſub Joſua erant *Gibeonitæ*, Joſ. IX. 21--& ſub Salomone, alii inſuper ex devictis Cananæis Eſd. II. 43. cum verſ. 58.

N. T. miniſtri extraordinarii ſunt:

XV. Novum Teſtamentum, pro *extraordinariis* miniſtris, habuit: *primo* Johannem Baptiſtam, ſacerdotalis generis, Patre Zacharia, Matre Elizabetha effœtis, prognatum Luc. I. 5. 6. qui utrumque miniſterium, veteris & novæ diſpenſationis conjunxit, illud Matth. XI. 9. 13. concludendo, hoc auſpicando. *Promiſſus* fuit *Elias* myſticus, Meſſiæ præcurſor Jeſ. XL. 3. Mal. IV. 5. *præſtitus* Matth. XI. 14. Luc. I. 17. Matth. III. 3. Meſſiæ prælufit, eique *viam* præparavit: (1) *præconio* reſipiſcentiæ Matth. III. 1. 2. (2) *Baptiſmo*, quo, ſicut Judæi ſuos proſelytos, abluendo in communionem ſuam admittebant; ipſe in communionem primam Eccleſiæ Chriſtianæ, intromittebat. Quamvis autem hic Baptiſmus, quatenus à Johanne collatus, non videatur habuiſſe rationem *ordinarii*, ſaltem *univerſalis* Sacramenti (quam à reſurrectione Chriſti demum nactus videtur Matth. XXVIII. 19.) fuit tamen ejusdem cum hoc *eſſentiæ*. pariter & auctoritatis; licet nonnihil *diverſus*, tum in hoc potiſſimum, quod à baptizandis ſtipularet fidem in Meſſiam jamjam *inaugurandum* & redempturum Matth. III. 11. Act. XIX. 4. de quo ſuo

α. Johannes Baptiſta,

loco

loco plura. (3) *teſtimonio* illuſtriſſimo, quod Meſſiæ præſenti præſtitit Joh. I. 17. 33. Matth. III. 11.

§. Apoſtoli. XVI. *Secundo* Apoſtolos Eph. IV. 11. 12. 1 Cor. XII. 28. 29. Rom. XII. 5. Fuerunt miniſtri θεόπνευστοι primi ordinis; à Chriſto vocati ad formandas, propagandas & reformandas, extraordinario modo, Eccleſias; extraordinariis donis exornati. Initio quidem duodecim tantum Matth. X. 1. — poſtmodum, ſublato Juda, ſubſtitutus fuit Matthias Act. I. 21--26. &, juxta nonnullos, allectus quoque Barnabas, ex Act. XIII. 2. 3. & XIV. 26. ad hoc potiſſimum creati, ut Chriſto *teſtes* eſſent per univerſum orbem, ſuæ reſurrectionis è mortuis Act. I. 8. cum verſ. 21. 22. & cap. X. 41. & XXII. 15. 1 Cor. IX. 1. Horum *prærogativa*, ſupra omnes utriusque Teſt. miniſtros, fuerunt: 1. quod Chriſtum in carne *viderunt*, ejusque conſortio ac disciplina uſi ſunt, adeoque teſtes vivos & αὐόπτας præſtiterunt 1 Cor. IX. 1. Quod 2. ab ipſo Jeſu immediate *vocati* fuerunt Joh. XX. 21. conf. cap. XVII. 18. Gal. I. 1. quamobrem & ipſe Matthias, *ſorte* vocari debuit Act. I. 25. 26. Quod 3. *legati* Chriſti eſſent 2 Cor. V. 20. ut qui illos audiret, Chriſtum audire cenſeretur Luc. X. 16. quippe quibus *ſigna Apoſtoli* Chriſtus contulit 2 Cor. XII. 12. quæ in ordinariis miniſtris, non niſi ſenſu admodum diminuto, comparent. Quod 4. *immediata* Chriſti ac Spiritus S. inſtitutione, myſteriorum divinorum cognitionem haurirent Luc. XXIV. 45. Joh. XX. 22. Gal. I. 12. Quod 5. in adminiſtratione ſacrorum, eſſent *infallibiles* & ἀναμάρτητοι Joh. XVI. 13. quamvis myſteria euangelica, ipſis per gradus videantur innotuiſſe Act. X. & XV. Quod 5. *claves* Regni cœlorum, *primi* à Chriſto acceperunt Matth. XVI. 19. Joh. XX. 23. Quod 6. per *impoſitionem* manuum; fuſasque preces, Spiritus S. dona, in alios potuerint derivare Act. VIII. 6. 7. 15. 16. 17. 18. 19. & XIX. 6. Quod 7. habuerunt donum *miraculorum* Marc. XVI. 18. 20. Heb. II. 3. 4. Rom. XV. 18. 19. Joh. XIV. 12. Matth. X. 1. Quod 8. prædicatio eorum conjuncta fuerit, cum egregia quadam *convincendi* & convertendi potentia, efficaciaque Act. II. 41. Rom. XV. 19. Quod 9. nulli *loco* affixus fuerit apoſtolatus Matth. XXVIII. 19. cum Marc. XVI. 15. 2 Cor. XI. 28. Rom. XV. 19. Quod 10. *ſucceſſorem*, in prærogativa Apoſtolatus, non admiſerint: eo quod unum Euangelium ab eis conſtitutum, alios, qui conderent, nec quæſiverit, nec admiſerit Gal. I. 6. 7. Quod 11. *prærogativam* habuerint, ſupra *quodvis* aliud miniſterium eccleſiaſticum, utpote cui præponuntur Eph. IV. 11. 1 Cor. XII. 28. quo etiam ſpectat peculiaris promiſſio Matth. XXVIII. 18. Luc. XXII. 29. 30. Porro *fungi* cœperunt Apoſtoli ſuo miniſterio, ante mortem quidem Chriſti, intra ſolam *Judæam* & Galilæam Matth. X. 7. poſt reſurrectionem vero & aſcenſionem Chriſti, apud *Gentiles* etiam, per univerſum terrarum orbem Joh. XX. 21. Matth. XXVIII. 19. ſic, ut primo quidem Euangelium annunciaverint Jeroſolymis Jeſ. II. 2. Pſ. CX. 2. Act. II. -- tum in Samaria Act. VIII. 5. deinceps in reliquis orbis terrarum partibus, per Aſiam, Europam, Græciam, Illyricum, Italiam, Hiſpaniam, mox etiam per Africam, & extremis etiam temporibus, per utramque Indiam. Idque Apoſtoli egerunt non vago ordine; ſed quisque juxta canonem & lineam Apoſtolatus ſui, ſingulis à Deo dimenſam 2 Cor. X. 13. 16. quamvis; quæ de *ſortitione* Apoſtolorum, qua Thomæ, Parthi; Andreæ, Scythæ; Marco, Ægyptus; & reliquis Apoſtolis, reliquæ orbis partes obtigerint, narrantur; parum ſolida ſint.

Horum functio.

prærogativæ.

XVII. *Tertio* Prophetas Eph. IV. 11. & cap. II. 20. & III. 5. 1 Cor. XII. 28. Act. XIII. 1. & XV. 32. quibus accenſentur Prophetiſſæ Act. XXI. 8. 9. & II. 17. His ſub N. T. intelliguntur illi, qui peculiari dono, Scripturas propheticas interpretabantur, arcana Euangelica explanabant, nonnunquam etiam, futura contingentia prædicebant Act. XI. 27. 28. & XXI. 10. 11. Solebant autem Prophetæ & Doctores, ſua dona conferre in ædificationem Eccleſiæ Act. XIII. 1. 2. 1 Cor. XIV. 32. ex quo naſcebantur *exercitia prophetica*, quibus dono prophetico inſtructis, ſe adjungebant alii, exſpectantes, ſi forte Deo videretur, & ſibi donum iſtud conferre, aut ſaltem, ut in Scripturarum cognitione proficerent, quod Apoſtolus inſigniter commendat 1 Cor. XIV. 1. 3. 4. 24. 25. 26. 29. 30. 32. -- 35. 1 Theſſ. V. 19. 20. 21. collapſum vero ſub Papatu, per Reformatores reſtaurari cœptum eſt.

γ. Prophetæ & Prophetiſſæ.

XVIII. *Quarto* Euangeliſtæ Eph. IV. 11. fuerunt Apoſtolorum comites & συνεργοὶ, qui, ipſis volentibus & jubentibus, ad plantatas à ſe Eccleſias mittebantur, ut rigarent 1 Cor. III. 6. aut à diſcedentibus, poſt ſe relinquebantur, ut ſtructo à ſe fundamento, ſuperſtruerent, inconverſis prædicando, converſos baptizando, quæ ad τάξιν ſpectant, adornando Tit. I. 5. Tales fuerunt Philippus Euangeliſta Act. XXI. 8. Timotheus 2 Tim. IV. 5. Titus, Marcus, Silas, & ſenſu ſtrictiore, quatuor vitæ & mortis Chriſti hiſtoriographi. Quibus etiam adjungemus LXX. *diſcipulos*, quos non longe ante exceſſum ſuum, poſt inſtitutos jam Apoſtolos, Chriſtus miſit, ut brevi itinere Judæam peragrarent, eam Meſſiæ jam præſentis fama replerent, regnumque ejus appropinquare nunciarent Luc. IX. 2. & X. 1. Dictis functionibus extraordinariis, extraordinaria diſtribuebat *dona* Spiritus S. Rom. XII. 3. 6. dona ſanationum, virtutum, diſcretionis ſpirituum, linguarum, interpretationum 1 Cor. XII. 4. 11. Marc. VI. 5. & XVI. 17. 18. pro ſua gratia & beneplacito 1 Cor. XII.

4. Euangeliſtæ.

LXX. diſcipuli.

Dona miniſteriorum extraordinariorum.

ordo prædicandi.

xii. 11. Act. 11. 4. à quibus donis, etiam peculiares denominationes habuisse videntur 1 Cor. xii. 29. 30.

N. T. ministri sunt: 1. Pastores,

XIX. *Ordinarios* ministros N. Testamentum habet: *primo* Pastores (in quibus ἐξόχως ipse est Christus Joh. x. 11. 14. 16. 1 Pet. 11. 25. Heb. xiii. 20. 1 Pet. v. 4.) Eph. iv. 11. qui & *presbyteri* Act. xx. 17. *præfecti* Heb. xiii. 7. 24. προϊστῶτες 1 Tim. v. 17. imo & *Episcopi* promiscuè dicuntur Act. xx. 28. 1 Tim. iii. 1. 2. Phil. 1. 1. Tit. 1. 7. 9. Appellantur etiam ὑπηρέται χριστῦ 1 Cor. iv. 1. οἰκονόμοι μυστηρίων θεῦ. *Ibid. operarii* in vinea Domini Matth. ix. 38. προϊστάμενοι ἐν κυρίῳ 1 Thess. v. 12. Quamvis pleraque horum, ad extraordinarios etiam referantur; quia, demtis *extraordinariis* quæ diximus, *essentia* functionis, ordinariis, eadem competit. Sunt autem, ministri ordinarii N. T. qui *laborant in verbo*, explicando & applicando 1 Tim. v. 17. 2 Tim. iv. 2. Tit. 1. 9. Horum: (1) *vocationem* expedivimus §. x. (2) *requisita* & qualitates, Apostolus repræsentat 1 Tim. iii. 2.—8. Tit. 1. 5.—10. (3) *officium* exigit: α. publicam *annunciationem* verbi 2 Tim. iv. 1. 2. ipsis cum extraordinariis communem Marc. xvi. 15. Matth. xxviii. 19. 20. 1 Cor. ix. 16. 17. hæc conferantur cum Act. xx. 28. & 1 Pet. v. 1. 2. 3. 4. β. *dispensationem* Sacramentorum Matth. xxvii. 18. 19. 20. Joh. 1. 33. 1 Cor. xi. 20. 23. Luc. xxii. 19. 20. γ. exercitium *disciplinæ* ecclesiasticæ 1 Tim. v. 20. Tit. 1. 13. 2 Cor. ii. 6. cum Matth. xviii. 15. 16. 17. Joh. xx. 23. δ. *vivificationem* domesticam Act. xx. 20. ε. *catechizationem* rudium Heb. v. 12. & vi. 1. 2. 1 Cor. iii. 1. 2. Gal. vi. ult. ζ. *preces* publicas Act. ii. 42. & vi. 4. (4) *necessitas* indeclinabilis in Ecclesia, pendet: A. ab *institutione* ad finem seculorum duratura Eph. iv. 11. 12. 13. Matth. xxviii. 19. 20. B. à *praxi* constitutionis Episcoporum & presbyterorum, ab ipso Sp. S. & Apostolis oriundæ Act. xx. 17. 28. & xiv. 23. Tit. 1. 5. Phil. 1. 1. C. ab *usu* & efficacia ministerii, in explicandis & applicandis Scripturis, convertendis animabus, & perpetua Ecclesiæ ædificatione Eph. iv. 11. 12. 13. 1 Tim. iv. 16. Rom. x. 13. 14. 15. D. à miseranda ejus Ecclesiæ *sorte*, quæ ministerio destituitur Ps. lxxiv. 9. Amos viii. 11. 12. Matth. ix. 36. 37. 38. (5) *æqualitas*, ratione *potestatis* ecclesiasticæ, excludit omnem *hierarchiam* ecclesiasticam Matth. xx. 25. 26. & xxiii. 8.—11. 1 Pet. v. 3. (6) *sustentatio*, per sufficiens *stipendium* est procuranda Matth. x. 10. 1 Cor. ix. 4.—14. Gal. vi. 6. 1 Tim. v. 17. 18.

2. Doctores,

XX. Habet *secundo* Doctores Eph. iv. 11. quos tamen alii cum pastoribus confundunt: eo quod, loco citato, non videantur distingui, & alibi 1 Cor. xii. 28. 29. soli exprimantur, omissis pastoribus: ac proinde à duplici parte ministerii sui, scil. a *gubernatione*, ποιμένης καὶ ἐπίσκοποι appellentur: ab *institutione* vero, per νουθεσίαν καὶ παράκλησιν, *Doctores* dicantur. Alii ad extraordinarios referunt. Doctorum quidem & *Professorum* in scholis, gradus, qui apud nos obtinent, recentiores sunt, quam ut in scriptis Apostolicis occurrant; videntur tamen, si rem ipsam spectes, diversi fuisse, tam ab extraordinariis ministris, quam à Pastoribus, cum in Ecclesia nunquam defuerint hujusmodi Doctores, sive κατηχηταὶ magistri, qui doctrinam tradebant, non promiscuo fidelium vulgo; sed aliis præcipuè, qui & ipsi Ecclesiæ pastores, aut magistri fierent. Sic in V. T. observamus *Prophetas* & *Prophetarum filios* 2 Reg. ii. 3. 5. 15. & iv. 1. 38. 1 Sam. x. 5. 10. 11. & xix. 20. qui in sequiore Ecclesia dicti sunt νομικοὶ Matth. xxii. 35. Luc. xi. 45. 46. Convenit ipsum *Doctorum* nomen, cum Magistrorum titulo *Rabbi* Matth. xxiii. 7. 8. qui eis peculiariter tribuebatur, qui legis divinæ periti, eam alios docendi potestatem gerebant, quales Gamaliel Act. v. 34. cum xxii. 3. Nicodemus Joh. iii. 10. unde & Christo ipsi, titulus iste sæpius tribuitur, v. g. Joh. xi. 8. & xiii. 13. & Paulo etiam, quod *publicus gentium* doctor esset. 1 Tim. ii. 7. Eph. iii. 8. 1 Tim. i. 11. Quoad Ecclesiam *primitivam*, celebratur potissimum hoc nomine Ecclesia Alexandrina, ubi frequentes fuerunt διατριβαὶ & scholæ, eisque præfecti catechetæ: Panthenus, Clemens Alexandrinus, Origenes aliique: tum saltem diversum fuit officium doctorum, ab eo quod Presbyteri & Episcopi sustinebant: nec quicquam repugnat, etiam tempore Apostolorum diversum fuisse. Huic non obloquitur Servator Matth. xxiii. 10. non enim *munus* & *titulum* damnat, ut patet in Paulo, sed magistrale *supercilium* ac fastum Rom. ii. 19. 20.

3. Presbyteri gubernantes.

XXII. Habet *tertio* presbyteros gubernantes, quos κυβερνήσεις, Apostolus appellat 1 Cor. xii. 28. & προϊσταμένους Rom. xii. 8. 1 Thess. v. 12. qui etiam disertè distinguuntur à presbyteris *docentibus* 1 Tim. v. 17. & in officiorum ecclesiasticorum catalogo Rom. xii. 8. 1 Cor. xii. 28. Horum discrimen à pastoribus, in hoc est, quod *publice* docendi potestas, illis non competat 1 Tim. v. 17. quippe quæ nullibi ipsis tributa legitur: & si quando presbyteris tribuatur 2 Tim. ii. 2. & iv. 3. Tit. 1. 9. non *gubernantes*; sed *docentes* intelligendi veniunt. Est ergo potestas hujus presbyterii, perinde *divina*, ac pastorum: *confertur* per electionem & vocationem presbyterii, seu confessus presbyterialis, de quo 1 Tim. iv. 13. *exercetur* conjunctim cum pastoribus, in gubernatione Ecclesiæ, à quo nomen habent κυβερνήσεων, & in exercitio disciplinæ ecclesiasticæ 1 Cor. v. 4. 5.

4. Diaconi.

XXIII. Habet denique *quarto*, diaconos, qui in catalogo officiorum ecclesiasticorum appellantur

tur ἀντιλήψεις 1. Cor. XII. 28. & *miſerentes* Rom. XII. 8. ſatis alias notos in Eccleſia Phil. I. 1. Circa Eccleſiæ βιωτικὰ, colligendis & erogandis eleemoſynis, ex officio occupabantur. Ipſa illa poteſtas primo penes Apoſtolos fuit Act. VI. 1. 2.--& IV. 34. 35. poſtea, cum creſcentibus oneribus, huic curæ Apoſtoli non ſufficerent; electi ſunt ſeptem viri, honeſto teſtimonio clari & Spiritu S. pleni, qui iſtam curam ſuſciperent Act. VI. 1--7 quibus accedebant *Diaconiſſæ* 1 Tim. V. 9 Rom. XVI. 1. Horum (1) *qualitates* & vocatio repræſentatur *Ibid.* (2) opus generale erat διακονεῖν τραπέζαις Act. VI. 3 à quo procul dubio, diaconorum nomen invaluit. Varia olim, in *primitiva* Eccleſia, fuit eorum cura, dum alii ægris, alii ſenibus, alii hoſpitibus, alii orphanis, alii pauperibus advigilabant: quæ omnia in primitivæ Eccleſiæ anguſtiis, perquam liberaliter fuerunt accurata; nunc autem, auctis Eccleſiarum rebus, ſola *eleemoſynarum* collectione & erogatione, ſatis commode præſtantur.

Miniſtrorum conſeſſus: ſub V. Teſtamento.

XXIV. Miniſtri porro, tam extraordinarii; quam ordinarii: tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, duobus *modis* cogitari poſſunt: nim. *primo* ſingulatim, ut hactenus à nobis factum; *ſecundo* in *conventibus* conjunctim. In Veteri quidem Teſtamento, duplex ſaltem, ſi non triplex etiam, conſeſſus eccleſiaſtici genus obſervamus, nim. *Sanedrim*, *Presbyterii* & *ſynagogæ*: haud abſimile triplici N. T. conventus generi, ſynodali, claſſicali, & presbyteriali. Habebant ergo veteres: *Sanedrim*, conſeſſum, tam *eccleſiaſticum*, quam civilem, gravioribus ac difficilioribus Eccleſiæ cauſis occupatum: inſtitutum Exod. XVIII, 13.--Num. XI. 16. 17. & ubi paulatim collapſus eſſet, reſtitutum à Joſaphato 2 Paral. XIX. 8. Nec deſunt, qui exiſtiment, ſolennem Eccleſiæ Judaicæ reformationem, poſt reditum e captivitate babylonica, auſpiciis hujus conſeſſus procuratam fuiſſe Neh. VIII. 14. & Cap. IX. X. Quicquid ſit, *graviores* momentoſioreſque Eccleſiæ cauſas, v. g. apoſtaſiæ à Deo, idololatriæ, corruptæ religionis; curatas fuiſſe à conſeſſu *Sanedrim*, omnes agnoſcunt unanimiter. Videntur 2. habuiſſe πρεσβυτήριον, de quo Luc. XXII. 66. Act. XXII. 5. quod ſolis perſonis *eccleſiaſticis*, videtur confectum, & ad eccleſiaſticas v. g. impuritates & irregularitates ceremoniales, ſcandala, aliaque determinanda, deſtinatum fuerit. Habuerunt 3. *Synagogas*, ſeu conſeſſus congregationales, quæ non tantum prælectione & expoſitione verbi, precibus aliisque cultus divini officiis; ſed etiam *cenſuris* eccleſiaſticis erant occupatæ, & gubernatione, iſtius quaſi *peculiaris* Eccleſiæ: teſte, non tantum Servatore Joh. XVI. 2. ſed ipſa etiam *praxi* Saulina Act. XXVI. 11. *punientis in quavis ſynagoga* Chriſtianos, idque auſpiciis Pontificis Act. IX. 1. 2. Unde etiam ἀρχισυναγώγων mentio fit, non rarò, in N. T. Marc. V. 35. 36. 38. Luc. VIII. 41. & XIII. 14. Act. XVIII. 8. 17. quibus ſignificatur, *ſynagogas* iſtas, ſuos habuiſſe προεστῶτας, quorum conſeſſus, clarius etiam repræſentatur Act. XIII. 15. ubi *uni* ſynagogæ, *plures* præfuiſſe Rectores, & analogice ſingulis etiam ſynagogis, ſuos præfuiſſe Rectores, ſatis clare innuitur.

Miniſtrorum conſeſſus ſub N. T.

XXV. Sub Novo Teſtamento, *triplex* numeratur miniſtrorum eccleſiaſticorum conſeſſus: *presbyterialis*, *diocæſanus* ſeu claſſicalis, & *ſynodalis*. *Primo* inquam *presbyterialis*, in quo Presbyteri, cùm docentes, tum gubernantes, hujus aut illius Eccleſiæ particularis, coëunt, ad curandas eas res, quæ ſuæ Eccleſiæ ſunt *peculiares*. Jus *divinum* hujus presbyterii, ſtruit: 1. Servator Matth. XVIII. 15--21. ubi, α. non modo *Eccleſiam* oſtendit, ad quam gravatus, certo ordine, poſſit deferre cauſam ſuam, ut ibidem cognoſcatur, examinetur & determinetur, h. e. *Eccleſiam repræſentativam*, ex præfectis integram: neque enim cauſarum talis cognitio: citra ἀταξίαν, ad totam *multitudinem*, deferri poteſt, ſed etiam β. Eccleſiam monſtratam, armat poteſtate *clavium*, qua poſſit ligare & ſolvere, hoc eſt, pro re nata, condemnare & abſolvere miniſterialiter. Tum 2. Apoſtolus 1 Tim. IV. 14. ubi non tantum *presbyterium* commemorat, quod, procul omni dubio, ſonat conſeſſum Presbyterorum, quos capite ſequenti, in *gubernantes* & *docentes* diſpeſcit 1 Tim. V. 17. ſed inſuper huic presbyterio, *poteſtatem* in Eccleſiam tribuit, videl. per χειροθεσίαν vocandi & ordinandi miniſtros. Accedit 3. res ipſa: cum enim, omnium conſenſu, dentur Eccleſiæ *inſtituta* ſeu particulares, de quibus cap. *præcedenti* vidimus; cum quælibet *harum*, ſuos habeat Doctores & πυθέρησεις 1 Cor. XII. 28. nunquid dabitur conſeſſus, quo ſuum quiſque conferat, in bonum *totius* Eccleſiæ communis? Eſt

1. Presbyterialis.

2. Diœceſanus ſeu claſſicalis.

XXVI. *Secundo diocæſanus*, quem *claſſicum* nos hic appellamus. In quo, non *unius* Eccleſiæ particularis; ſed *plurium* eccleſiarum προεστῶτες, certi alicujus diſtrictus, qui peculiare fœdus, de communi ædificatione inierunt, coëunt, ad ea curanda, quæ pertinent ad iſtum diſtrictum. Jus divinum hujus conſenſus diœceſani, ſeu *claſſicalis*, niti videtur: ℵ. tribus his hypotheſibus (1) quod per Scripturam, plures congregationes eccleſiaſticæ, ſeu plures Eccleſiæ *particulares*, una appellenter Eccleſia: id quod patere videtur in Eccleſiis, Hieroſolymitana, Antiochena, Epheſina, & Corinthiaca; quarum ſingulæ appellantur *Eccleſia*, α. omnes fideles *Hieroſolymitani*, una dicuntur *Eccleſia* Act. VIII. 1. & XI. 22. & XV. 4. Rurſus β. omnes fideles *hieroſolymitani*, una appellantur *Eccleſia* Act. XIII. 1. & XI. 26. Idem γ. de fidelibus *Epheſinis* pronunciatur Act. XX. 17. 28. Apoc. II. 1. Atque etiam δ. de fidelibus *Corinthiis* 1 Cor. 1. 2. 2 Cor. 1. 1. Tum (2) quod in ſingu-

Hujus jus divinum docetur, exemplo 4. Eccleſiarum diœceſanarum: 1. Hieroſolymitanæ.

lis harum Ecclesiarum, fuerint *plures* congregationes, seu Ecclesiæ particulares, quod patet: 1. ex *multitudine* fidelium, qui non potuerint coire in *unam* congregationem; dicuntur enim in Ecclesia hierosolymitana fuisse, multæ *myriades* Act. xxi. 20. *vides fratres* (πόσαι μυριάδες εἰσιν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων) *quam multæ sint myriades Judæorum credentium*, quibus insuper multi tribuuntur *ministri* Act. iv. 34. 35. 37. & xv. 2. 4. 6. 22. 23. & xi. 30. qui in *una* quadam congregatione, suo officio, publica prædicatione, fungi non poterant: cum præsertim non habuerint spacioſa templa; sed in ædibus *privatorum* v. g. Mariæ Act. xii. 12. in schola cujusdem *Tyranni* Act. xix. 9. in cœnaculo quodam cap. xx. 8. in domo *Aquilæ* & Priscillæ Rom. xvi. 5. ad sacra coierint. Similia demonstrari possunt de Ecclesia *Antiochena*, ubi magna dicitur fuisse *multitudo* fidelium Act. xi. 21. cui per præconium Barnabæ, accessit *turba magna* vs. 24. 25. 26. quæ multos etiam habebat *ministros* Act. xi. 20. 27. 28. & xiii. 1. 2. 3. & xv. 35. atque etiam de Ecclesia *Ephesina*, cujus *multitudinem* & frequentiam, agnoſces ex Act. xix. 9. 18. adeo ut libri περίεργα πραξάντων, post conversionem combusti, quoad precium, ad quinquaginta *millia* argenteorum pertigerint: copiam item *ministrorum* agnoſces ex vers. 6. Tandem etiam in Ecclesia *Corinthiaca*, *copiam* fidelium colliges ex Act. xviii. 1. 7. 8. 9. 10. & *ministrorum* ex 1 Cor. iii. 10. ubi Paulus se Architectum prædicat, qui fundamentum jecerit, cui alii superstruxerint, & schismata eorum reprehendit, ex diversitate *ministrorum* oriunda 1 Cor. i. 12. imo, hyperbolice quidem, copiam ministrorum innuit 1 Cor. iv. 15. per *myriadem* pædagogorum, & imprimis copiam istam docet 1 Cor. xiv. 30. 31. *loquantur Prophetæ duo aut tres, reliqui judicent-Spiritus Prophetarum subjecti sunt Prophetis.* Cum ergo in *una* Ecclesia Hierosolymitanâ, in *una* Antiochena, Ephesina & Corinthiaca, plures fuerint congregationes particulares, quibus plures competebant *ministri*, qui pluribus etiam Ecclesiis, in eodem districtu præerant (quod de Ecclesia *Corinthiaca* diserte significat Apostolus 1 Cor. xiv. 34. *Mulieres vestræ sileant in* ECCLESIIS) quid obstat quominus concludamus, ministros *districtus* illius, seu Ecclesiæ diœcesanæ, suos habuisse *consessus*, quibus ea curarent, quæ spectarent ad *communem*, congregationum suarum particularium ædificationem? Cum præsertim, congregationes illas, quæ tot habebant fidelium myriadas Act. xxi. 20. fuisse concluſas intra *mœnia* istarum urbium, & non exstitisse etiam in earum territoriis ac districtibus circumjectis, nulla ratione credamus, eo quod Apostolus exserte testetur, se ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ, *à Jerusalem & per* CIRCUITUM, omnia Euangelio Christi impleviſse Rom. xv. 19. Tum 2. his etiam *rationibus*, quæ cum jure *divino* coincidunt: quod α. casus accidant, qui *plures*, aut omnes unius districtus Ecclesias concernunt v. g. examinatio, vocatio, ordinatio, depositio ministrorum: determinatio controversiarum; decisio casuum conscientiæ, quæ *omnes* tangunt, ut proinde ab omnibus tractari debent. Quod β. Ecclesiæ *debiles*, aut extrinsecus impugnatæ, sibi invicem succurrere debeant. Quod γ. casus incidant, qui in Ecclesia *particulari* determinari non possunt, v. g. si membrum Ecclesiæ, sententia presbyterii, se *gravatum* existimet: aut contentio inter ipsa presbyterii membra oboriatur. Non addam δ. quod *unio* Ecclesiarum, & *exclusio* schismatum ac contentionum, in quibus est exitium Ecclesiarum, commodiori adminiculo non curetur, quam consessu ministrorum *vicinorum* & περιοικόντων. Est consessus. rationibus.

Antiochenæ, Ephesinæ, & Corinthiacæ. Confirmatur

XXVII. *Tertio* synodalis: sive *provincialis*, sive *nationalis*, sive *œcumenicus*, pro ratione causæ, quæ occurrit determinanda. Si enim causa *provinciam* aliquam tangit, v. g. Hollandiam; exigitur synodus *provincialis*: si universam aliquam *nationem*, v. g. Belgicam; exigitur *nationalis*: si tandem causa concernat *universam* Ecclesiam militantem: exigitur *œcumenica*, quamvis illa nunquam data sit, & vix dari possit. Quare synodus *provincialis* nihil aliud est, quam consessus ministrorum, deputatorum à *classibus* ejusdem provinciæ, ad determinandas causas, quæ bonum integrarum *istarum* Ecclesiarum concernunt: *nationalis*, est consessus ministrorum, deputatorum à synodis *provincialibus*, integræ alicujus nationis, in causis, quæ Ecclesias istius *nationis* concernunt: & *œcumenica* (si detur) consessus est deputatorum, à synodis *nationalibus* per universum orbem, ad dirigendas causas, quæ universam Ecclesiam militantem tangunt. De his synodis, *generaliter* tenendum: 1. quod differant consessus *synodales*, à consessibus *presbyterialibus* & diœcesanis seu classicalibus: α. *extensione*, quatenus ad *presbyteriales*: coëunt ministri tantum unius *Ecclesiæ* particularis. & ad *classicales*, ministri Ecclesiarum unius alicujus districtus; quando ad *synodales* concurrunt ministri integrarum *provinciarum*, aut *nationum*, aut omnium Ecclesiarum *totius* orbis; & consequenter, potestas κατ' ἀναλογίαν, amplior aut contractior est: β. quoad exercitium gubernationis, consessus *presbyterialis*, magis frequens & *ordinarium* est, quam aut classicalis, aut synodalis. Interim 2. omnium eadem, & natura, & species, & potestas *eadem* est, ut probato jure *divino* consessus unius indefinite & *generaliter*; una opera jus presbyterii, classis & synodi: tam provincialis, quam nationalis pateat. Hinc Scriptura, in horum determinatione, non ita descendit ad *particularia*, quæ innumerabilia sunt, cum præsertim omnes Ecclesiæ, 3. Synodalis triplex.

nec

nec ſemper admittant conventus ſynodales, ſeu provinciarum ſeu nationum. Jus divinum conſeſſus ſynodalis, nititur 1. *Unitate* Eccleſiæ militantis: ſi enim eſt *una* quædam Eccleſia in terris Matth. XVI. 18. ſi in illa Eccleſia, eſt *gubernatio* quædam 1 Cor. XII. 28. ſi gubernatio illa vergat ad *ædificationem*, *primario* quidem *totius* Eccleſiæ viſibilis Eph. IV. 12. 13. tum *ſecundario particularium* etiam Eccleſiarum 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. nunquid ſequitur, quo magis *generaliter* & extenſive, gubernatio illa exercetur in majoribus & amplioribus conſeſſibus; eo plenius ac *perfectius* obtineri finem omnis gubernationis, ſcil. ædificationem Eccleſiæ, totius corporis Chriſti: ſicut ex adverſo, quo magis *reſtricta* & limitata eſt gubernatio illa, in conſeſſibus presbyterialibus, & diœceſanis; eo *imperfectius* finem gubernationis, h. e. ædificationem, obtineri. Conſequenter, ſi jure *divino* detur gubernatio per conſeſſum *presbyterialem*, & per conſeſſum *claſſicalem*; nunquid multo magis dabitur jure divino, gubernatio per conſeſſum *ſynodalem*, pro re natâ, aut ampliorem, aut reſtrictiorem? 2. *Praxi* apoſtolicâ, in primitivâ & puriſſimâ Eccleſiâ, poſt exceſſum Chriſti, cujus idea proſtat Act. XV. Vides enim hic (α) *Occaſionem* conſeſſus, *corruptionem* doctrinæ, & hinc nata diſſidia in Eccleſia. verſ. 1. 2. collat. cum verſ. 5. atque etiam cum verſſ. 23. 24. Vides (β) *membra* conſeſſus, ſcil. deputatos ab Eccleſia Antiochena, Paulum & Barnabam cum nonnullis aliis, & Apoſtolos Presbyteros Eccleſiæ Hieroſolymitanæ verſſ. 1. 2. & 23. quibus etiam adfuiſſe videntur, deputati *aliarum* Eccleſiarum, ſignificati per *fratres* qui toti *multitudini* verſ. 12. & 22. item Presbyteris Eccleſiæ Hieroſolymitanæ adduntur verſ. 23. Hic per πᾶν τὸ πλῆθος, & per *totam Eccleſiam*, non poteſt intelligi, confluxus omnium *membrorum* Eccleſiæ hieroſolymitanæ: erant enim plura, quam ut *una* domo, ad ſynodum coire potuerint: proinde totus *cœtus ſynodalis*, Apoſtolis, ſenioribus & *fratribus* integer, intelligendus venit: qui *fratres*, fuiſſe videntur aliarum Eccleſiarum *deputati*, ut Judas & Silas verſ. 24. &c. cum præſertim cauſa cenſeſſus, *communis* fuerit Eccleſiis Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ verſſ. 22. 24. quæ hinc procul dubio, ſuos ibidem habuerunt *deputatos*. Ubi autem eſt conſeſſus *deputatorum*, à diverſis Eccleſiis diœceſanis; ibi eſt ſynodus. Vides (γ) *poteſtatem* ſynodalem, omnibus aſſeſſoribus *æqualem*: quatenus ipſi etiam Apoſtoli, hic agebant, non ut *Apoſtoli*; ſed ut Eccleſiarum *delegati*, prout patet in Paulo & Barnaba, cum nonnullis aliis, miſſis ab Eccleſiâ *Antiochena* verſſ. 1. 2. Vides (δ) *Proceſſum* ſynodalem, Apoſtolorum, Presbyterorum & fratrum, cum conveniſſent ὁμοθυμαδὸν verſ. 25. A. in *deliberando*, diſputando, inquirendo verſ. 7. B. in *decidendo* & concludendo verſ. 22. C. in *canones* concipiendo vſ. 23. -- D. in concluſa *exſecutioni* mandando. vſ. 30. Vides (ε) *autoritatem* ſynodalem, miniſterialiter agendi, in cauſa: 1. *hæreſeos*, *decidendo* miniſterialiter verſ. 2. & 7--23. tum 2. *ſchismatum*, cenſuram eccleſiaſticam exercendo verſſ. 1. 2. cum verſ. 24. denique 3. *ſcandalorum* verſſ. 1. 2. 19. 24. ordinando & regulando ἀταξίαν verſ. 28. 29. Ut in una hac ſynodo, ὡς ἐν ἐπιτομῇ, repræſententur ad imitationem, omnia conſeſſus *ſynodalis eſſentialia*.

Jus divinum conſeſſus ſynodalis, probatur:

1. Unitate Eccleſiæ viſibilis.

2. Praxi Synodi Hieroſolymitanæ.

XXVIII. Conſeſſuum eccleſiaſticorum: 1. *convocatio* quidem, olim ſub V. Teſtamento: *ordinaria*, τῶν Sanedrim, Presbyterii & Synagogæ, dependiſſe videtur, à conſtitutione ipſorum conſeſſuum; prout etiam ſub N. T. ſaltem apud nos, pendent à conſtitutione & cenſenſu *eccleſiaſtico*: *extraordinaria*, olim etiam pendebat à conſenſu & arbitrio *Regum* 1 Paral. XIII. 1. 2. 1 Reg. VIII. 1. 2 Paral. XXIX. 4. 2 Reg. XXIII. 1. 2. prout ſub N. T. concilia *generalia*, ab Imperatoribus convocabantur: v. g. Nicenum *primum*, à Conſtantino: Conſtantinopolitanum *primum*, à Theodoſio Seniore: *Epheſinum* primum, à Theodoſio Juniore: *Chalcedonenſe*, à Marciano. Sub N. T. necdum exiſtente Magiſtratu *fideli*, non ab aliis legitur uſurpatum convocandi *jus*, quam ab Eccleſiis, ex conſenſu mittentibus: ſed tamen Magiſtratui *fideli*, jam exiſtenti, ut nutritio Eccleſiæ Jeſ. XLIX. 23. non eſt negandum jus convocandi, & ordinandi, quoad *externa*. 2. Conſtitutio à moderatoribus pendet, & aſſeſſoribus, ut patet in ſynodo Hieroſolymitanâ Act. XV. 7. 9. quorum illi actiones conſeſſus dirigunt, proponendo tractanda, colligendo vota, & concipiendo concluſa: aſſeſſores cum moderatoribus concludunt, & acta conſignant. 3. Jus conſeſſuum horum, nequaquam: α. *civile* eſt, ut ad cauſas *civiles* ſe extendat, aut pœnis ac mulctis *civilibus*, pecuniariis, aut corporalibus agat: ſed mere *ſpirituale*, in ſpiritualibus cauſis, *ſpirituali* modo, ſpiritualibus cenſuris, & in ſpirituales fines, procedens Act. XV. -- Nec β. jus conſeſſus amplioris, *tollit* aut imminuit libertatem & auctoritatem contractiorum: v. g. *jus* ſynodi, non tollit aut imminuit libertatem & auctoritatem *Claſſis*; nec Claſſis *presbyteriorum*: ſeu *dirigit* tantum & perficit: e. gr. eligat eccleſia miniſtrum *ineptum*, rejiciat vocationem *Claſſis*, exigat ut commodior eligatur; non tollitur hoc ipſo *libertas*, & *jus* eligendi miniſtrum à presbyterio; ſed *dirigetur* tantum, & perficitur. Nec γ. jus conſeſſus *cujusvis*, vel ſupremi, eſt abſolutum, independens & infallibile: proinde quævis decreta, quorumvis conſeſſuum, conferre debent cum *Scriptura*. Interim tamen δ. non eſt etiam mere *charitativum*, conſulendo tantum & ſuadendo efficax, aut, ad ſummum, ultra *non-communionis* ſententiam valens, ut Indepen-

Conſeſſuum eccleſiaſticorum affectiones aliquot generales:

convocatio,

conſtitutio,

jus & poteſtas.

pendentes volunt: ſed vere & proprie *poteſtativum*, ut patet in ſynodo Hieroſolymitana Act. xv. 28.29. Quin triplicem ἐξουσίαν eccleſiaſticam, in *ſynodis* obſervamus: A. *dogmaticam*, quatenus circa *doctrinam* occupatur, non *novos* articulos fidei condendo; ſed *veram* doctrinam explicando, aſſerendo, vindicando Act. xv. 2. & verſ. 7. 23. à quibus *columna & firmamentum veritatis*, vulgo appellatur Eccleſia, ex 1 Tim. III. 15. B. *didacticam*, quatenus circa *ordinem* & decorum cultus divini, in *circumſtantialibus* occupatur, ex generali Scripturæ præſcripto 1 Cor. XIV. 26. cum verſ. 40. C. *Criticam*, quatenus *cenſuris* ſpiritualibus, admonitionibus, excommunicationibus, depoſitionibus &c. adverſus hæreticos, ſcandaloſos, contumaces agit, juxta verbum Dei Matth. XVIII. 15—20. 1 Cor. v. 4. 5. Tandem 4. *ſubordinatio*, per quam gravatus, à ſententiâ confeſſus *inferioris*, v. g. presbyterialis; provocare poteſt ad confeſſum ſuperiorem, v. g. *claſſicalem*, & amplius, ab hoc ad *ſynodalem*. Quam ſubordinationem, demonſtrato jure *divino*, triplicis confeſſus, presbyterialis, diœceſani & ſynodalis; ipſa docet *natura* confirmat κατ' ἀναλογίαν Servator Matth. XVIII. 15. 16. 17. & oſtendit praxis Eccleſiæ diœceſanæ *Antiochenæ*, ſuam cauſam ſubmittentis, judicio *ſynodi* Hieroſolymitanæ Act. XV. 1. 2.

ſubordinatio.

Pars elenchtica.

Quæritur.

1. An miniſtri eccleſiaſtici, recte appellentur clerici?

XXIX. Quæritur *primo*, an *miniſtri* Eccleſiæ, à *populo*, rectè diſtinguantur, *clericorum* & laicorum appellatione? Appellatio iſta à Tertulliano cœpta, à Pontificiis avide hauritur, ad venandam ſuis ſacrificulis dignitatem & auctoritatem (notat enim κλῆρος *ſortem*, ſcil. Domini) quâ tandem ad *Papatum* pertigerunt. Reformati, incommodam ſtatuunt iſtam appellationem: eo quod: 1. non tantum Scripturis; ſed duobus etiam primis Chriſtianiſmi ſeculis, penitus ſit *ignota*. 2. Apoſtolus eam *toti* Eccleſiæ aſſerat 1 Pet. v. 3. Conf. Jer. XII. 10. 14. & 3. vergat in contemtum *populi* eccleſiaſtici: tandem etiam 4. ad miniſtrorum *faſtum* ac ſupercilium faciat. Nec pro Pontificiis Bellarminus urget: niſi (1) Jer. XII. *cleri eorum non proderunt ipſis*, alludens ad verſ. 13. Reſp. In textu originali nil tale proſtat, imo ne in ipſa quidem editione *vulgata*. (2) Num. XVI. 13. Dathan & Abiram clamabant adverſus *Sacerdotes* V. T. Reſp. Non erat lis ſuper *nomine*; ſed ſuper *munere* ſacerdotali. (3) Patres *quosdam*; ſed neminem producit, qui vixerit ante Tertullianum, & ſeculum tertium.

2. An miniſtris Eccleſiaſticis potestas competat, conficiendi, & offerendi corpus Chriſti?

XXX. *Secundo* quæritur, an *jus* miniſtrorum diſpenſandi ſacra publica, implicet poteſtatem conficiendi *corpus* Chriſti, illudque *offerendi* Deo, in ſacrificium pro vivis & mortuis? Pontificii, quod in veneratione Chriſti, è pane confecti, & ad ſacrificium in Miſſa oblati, cardinem ponant univerſi *cultus* ſui, totum ordinem Eccleſiaſticum definiunt, per relationem ad hoc *ſacrificium* miſſaticum, à quo etiam ſuos ſacrificos, *Sacerdotes* appellant: atque in hoc inſuper venantur, præcipuam *dignitatem* Sacerdotum ſuorum, quod *conficiant* corpus Chriſti, & ſint quaſi Creatores ſui Creatoris, quodque Chriſtum à ſe factum, Deo *ſacrificent*, & ſacrificando, ſuos Deo reconcilient, adeoque ab ipſis univerſa pendeat populi *ſalus*: abſque qua *dignitate* & veneratione, *monarchia* papalis ſubſiſtere nequit. Proteſtantes cum Scriptura, *talem* poteſtatem in miniſtris eccleſiaſticis non agnoſcunt: nec Pontificii pro ſe quicquam hic urgere poſſunt, quam *transſubſtantiationem* &[Miſſam ſuam, quam ſuo loco, ex profeſſo conficiemus.

3. An ad ordinariam ſacrorum publicorum diſpenſationem neceſſaria ſit legitima vocatio?

XXXI. *Tertio* quæritur, an ad ordinariam diſpenſationem ſacrorum publicorum, neceſſaria ſit legitima *vocatio?* Sociniani, ut cuique Chriſtiano idoneo, miniſtrandi poteſtatem faciant; ſimpliciter negant. Anabaptiſtæ diſtingunt, inter *Epiſcopum* & *hortatorem*, in illo neceſſariam agnoſcunt *vocationem*; in hoc non. Arminiani etiam mediatam vocationem, non *ſemper*, nec præciſe neceſſariam eſſe docent. Reformati, licet caſu *extraordinario* fieri poſſe fateantur, ut ſacrum à non-mediate *vocato* diſpenſetur: *ordinarie* tamen neceſſariam eſſe vocationem docent. Eo quod: (1) *Scriptura* hoc diſerte tradat Rom. x. 14. 15. Heb. v. 4. 5. Act. XIII. 2. 1 Tim. v. 17. cum verſ. 22. (2) *reprehendantur* currentes *abſque* vocatione Jer. XXIII. 21. (3) *exempla* vocationis ſub utroque teſtamento, hoc confirment Exod. III. 10. Jeſ. VI. 8. Matth. x. 1—5. Joh. 1. 6. 33. Luc. x. 1. Act. 1. 21—26. & XIV. 23. Tit. 1. 5. (4) ſint *legati* Dei & Chriſti 2 Cor. v. 19. 20. qualibus, procul omni dubio, *miſſio* & mandata ſunt neceſſaria. (5) nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Euangeliſtæ, nec Paſtores & Doctores, nec Presbyteri gubernantes, nec Diaconi, in Eccleſia apoſtolica & primitiva, functionem eccleſiaſticam admiſerint; abſque legitima *vocatione*. Pro ſe nihilominus cauſantur adverſarii: A. Quod cuivis idoneo fas ſit, *concupiſcere* epiſcopatum 1 Tim. III. 1. Reſp. Sed non eſt fas *fungi* epiſcopatu, absque legitimâ *vocatione*. B. Quod in Eccleſia apoſtolicâ, nonnulli docuerint *abſque* vocatione Act. VIII. 4. & XI. 19. Reſp. 1. Non dicitur quod *abſque* vocatione prædicaverint. 2. Et ſi absque vocatione, intelligendi ſunt *privatim* tantum docuiſſe. 3. Nominatim Philippus, Euangeliſta fuit Act. XXI. 8. adeoque cum Apoſtolis *extraordinarie*, aut etiam *immediate* vocatus fuit. C. Quod prædicare ſit *officium charitatis* 1 Theſſ. v. 11. Reſp. *Privatim* docere & hortari, officium eſt *charitatis* communis, de

Argumenta affirmantia.

Objectiones negantes.

quo

quo Apostolus loquitur loco citato: sed *publice* docere, officium quidem charitatis est; verum, ut ita dicam, *ex officio*, quod non confertur, nisi per *vocationem*. Quod D. prophetare singulis fuerit *liberum* 1 Cor. XIV. 3— Resp. Prophetare quidem *singulis* licebat, per Apostolum; sed qui *Prophetæ* erant vers. 29. 32. & consequenter *vocari* Jer. XXII. 21. Eph. IV. 11.

4. An vocatio ministrorum, ulli competat, præterquam Ecclesiæ?

XXXII. *Quarto* quæritur, an vocatio ministrorum, ministerialis quidem, ulli competat, præterquam *Ecclesiæ*? Thomas Erastus Medicus, & post illum Remonstrantes, Grotius, & Utenbogardus, potestatem *vocandi* ad Magistratum referunt, nec Ecclesiam vocare, nisi potestate sibi *ab eo* delegatâ. Independentes Angli, jus vocandi, ad totam *congregationem*, & singula ejus membra, referunt. Politici quidam, ad *Patronos* referunt, jus nominandi: aut eligendi! aut nominandi & eligendi simul. Sive Patroni illi sint *clerici*, ut fit apud Pontificios; sive *seculares*, ut fit inter Protestantes. Pontificii, cum quibus, suo modo, faciunt *hierarchici* quivis, *jus* vocationis universum, referunt ad *Episcopos*, nisi quod, *electionem*, ex concessione & conniventia Pontificis Romani, *aliis* etiam relinquant. Reformati, jus divinum vocandi, *soli* tribuunt Ecclesiæ: quatenus illa, non notat omnia & *singula* alicujus Ecclesiæ particularis membra: sed Ecclesiam *repræsentativam*, seu præsbyterium: nisi quod Magistratui *fideli*, quatenus vocandi *cives* fiunt, & ex publico aluntur, jus *approbandi* & confirmandi relinquunt. Aft in casu *extraordinario*, ubi necdum est presbyterium, aut vocandus destinatur Ecclesiæ *clandestinæ*, quæ non ita possunt vocare; ad *Classem* aut Synodum referunt.

Rationes Reformatorum.

Rationes suæ sententiæ habent Reformati; 1. Quod sic factum deprehendant, apud Ecclesiam *apostolicam*, penes; α. vocationem *Matthiæ*, in locum Judæ Act. 1. 14. 15. 23. 26. quæ non ad *unum* quemvis Episcopum; sed ad plures refertur: penes ε. vocationem *Diaconorum* Act. VI. 2. 3. 5. 6. item γ. penes vocationem *Barnabæ* & Pauli cap. XIII. 1. 2. 3. & δ. penes *Presbyterorum* vocationem, per Ecclesiæ χειροτονίαν cap. XIV. 23. ε. penes vocationem *Timothei*, quæ ipsi obtigit per χειροθεσίαν τῦ πρεσβυτηρίε 1 Tim. IV. 14. Iterum ζ. penes Presbyteros, per *suffragia singularum* Ecclesiarum, in Lystra, Iconio & Antiochia, a Paulo & Barnaba constitutos Act. XIV. 23. Quod 2. Ecclesiæ, potestas *gubernandi* competat Matth. XVIII. 18. 1 Tim. III. 15. cujus pars est, constitutio seu *vocatio* ministrorum suorum Act. XIV. 23. Quod 3. ne *Apostoli* quidem *soli* vocarunt ministros, ut patet ex dictis Act. 1. 23. & VI. 3. 5. 6. &c. proinde multo minus *Episcopi*, Apostolis inferiores 1 Cor. XII. 28. 29. Eph. IV. 11. Quod 4. *episcopatus* presbyterio *major*, & etiam potificatus. jure divino, sint *non entia*, ut suo loco demonstrabimus. Nihilominus pro Episcoporum vocatione, Pontificii obtendunt: (1) Quod *jus* mittendi ad pascendum oves Christi, Christus Petro contulerit Joh. XX. 21. & XXI. 15. Resp. 1. Jus *pascendi* quidem Christus Petro contulit; sed non jus *mittendi* ad pascendum. Nec 2. Petrus fuit *Episcopus*; sed Apostolus. (2) Quod Ecclesia, seu membra Ecclesiæ, sint *oves* Joh. X. 15. 16. jam autem oves non eligunt pastorem. Resp. α. Et Episcopi, si non sint *oves* Christi, sunt *hirci* Matth. XXV. 32. 33. aut *lupi* rapaces Joh. X. 12. quibus neutiquam competit *jus* vocandi. β. Ecclesia *repræsentativa*, seu presbyterium, cui vocatio ministrorum competit, non meras *oves* dicit; sed ovium *pastores* & προεστῶτας Eph. IV. 11. 1 Tim. V. 17. 1 Thess. V. 12. præterea γ. quod de ovibus *brutis* vere dicitur, de ovibus *rationalibus* falsum esse potest. (3) Quod jus vocandi *solis* Episcopis Scriptura vindicet Tit. 1. 5. 2 Tim. 1. 6. Resp. α. Nec Titus, nec Paulus, *hierarchici* Episcopi fuerunt. β. Tito quidem potestas asseritur *constituendi* ministros: sed modo *ordinario*, qui repræsentatur Act. XIV. 23. quo ipsi Apostoli constituerunt Act. 1. 23. & XIII. 3. 5. 6. scil. ut *membra*, aut etiam *præsides* presbyterii: prout Paulus Timotheo manus imposuisse dicitur, velut *membrum* presbyterii, quid Sole clarius patet collatione 2 Tim. 1. 6. cum 1 Tim. IV. 14. Nec Erastus cum Arminianis, pro vocatione *soli* Magistratui competente sub N. T. quicquam urgent, nisi jus *commune* majestatis circa sacra, de quo nos ex professo videbimus inferius.

Objectiones Pontificiorum.

5. An in Ecclesia reformata, sit legitima ministrorum vocatio?

XXXII. *Quinto* quæritur, an in Ecclesia Reformata, sit legitima ministrorum *vocatio*? Pontificii, cum momentum causæ, h. e. *veritatem* doctrinæ reformatæ, viâ regia aggredi non possint; *præjudiciis*, imperitorum animos fatigare nituntur, calumniando, Reformatores nostros, non habuisse legitimam *vocationem*; nec proinde ad sequiora tempora *propagare* potuisse: ut tandem concludant, non esse veram Ecclesiam; sed *schismaticam*, quam, sepositâ doctrinæ consideratione, protenus deserere debeamus. Reformati, licet agnoscant, vocationem, quatenus à Clero *pontificio* descendit in Reformatos, non fuisse absque *vitio*; statuunt tamen fuisse veram vocationem quoad *essentialia*: quemadmodum Pontificii Baptismum à nostris collatum, quamvis *vitiosum* (falso) *verum* tamen agnoscunt. Sic autem Reformati statuunt, quia in communione Romana, *Reformatores* vocati sunt, ad sacra publice dispensanda, vera sane, quoad intentionem *generalem* (neque enim ad alia vocari debuerunt, aut *jure* potuerunt) proinde, si *vera* sacra reformando administrarunt, prout fecerunt; *veram* etiam habuerunt vocationem, nisi sibiipsis vocandi *potestatem* abrogare velint Pontificii. Quod autem *se-*

Sententia Reformatorum, cum suo fundamento.

quiores attinet, in Ecclesia Refotmata ministros, habuerunt illi, & habent per Anteceſſores eccleſiaſticos, adſtipulante *populo*, juxta præſcriptum verbi divini, & conſequenter *legitimam* vocationem: convenienter eis, quæ repræſentavimus §. x. Nec valet quod objiciunt: A. Fuiſſe *excommunicatos* ab Eccleſia Romana: neque enim Eccleſia Romana, *vim* habet excommunicandi, quia *vera* Eccleſia non eſt: & ſi eſſet etiam, *injuſte* excommunicavit. B. Si *veram* habuerunt Reformatores vocationem, ab Eccleſia Romana; quod tum Romana habeat poteſtatem *legitime* vocandi, & conſequenter *vera* ſit Eccleſia: Reſp. 1. Erat Eccleſia periculoſiſſimè *corrupta*, & hinc neceſſariò *reformanda*, C. Jus vocandi, à *Romano* Pontifice in Epiſcopos derivari. Reſp. Hoc ſimpliciter *falſum* eſt, ut ſuo loco patebit.

Objectiones Pontificiorum.

6. An miniſterium recte diſpeſcatur, in ordines & dignitates?

XXXIV. *Sexto*, quæritur, an miniſterium eccleſiaſticum ſub N. T. rectè diſpeſcatur in *ordines & dignitates*: & *ordines* rurſus in *minores*, puta Oſtiarios, Acoluthos, Lectores & Exorciſtas; & *majores*, in Subdiaconos, Diaconos & Sacerdotes, tam *ſeculares* quam *regulares*: *Dignitates* autem, in Epiſcopos, Metropolitanos, Patriarchas, Cardinales & Papam? Pontificii, in gratiam *monarchiæ* papalis, quæ niſi his fulcris, ſubſiſtere poteſt, affirmant: Proteſtantes negant, eo quod: 1. in ſeptem quidem his ordinibus, *quinque* (fatentibus Pontificiis) nullam habeant in Scripturis expreſſam mentionem, Filiucius *De caſ. Conſc. Tractat.* IX. cap. 1. (nec etiam in *primitiva* Eccleſia obtinuerint, teſte Durando, *Rational.* lib. 2. cap. 1.) neque *dignitates* etiam; Metropolitani, Patriarchæ, Cardinales, Papæ: quando α. omnes miniſtri, à Chriſto *conſtitui* debent in Eccleſia 1 Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. item à Spiritu S. Act. XIII. 2. & XX. 28. β. donis item neceſſariis *inſtrui* à Spiritu S. 1 Cor. XII. 4. γ. miniſteria obire debent, à Chriſto Domino directè *pendentia*. *Ibid.* verſ. 5. Quod proinde 2. peccent in Deum, Chriſtum ac Spiritum S. quorum locum ac thronum non verentur *invadere*: inſuper ipſis iſtis creaturis humanis, injuriam faciant: quando omni facultate idonea, & ſpe benedictionis divinæ caſſos, quaſi truncatos pedibus, ad negotia *ardua* protrudunt: imò etiam *injuriam* faciant Eccleſiæ, dum tales functiones conſtituunt, quæ & *inutiles* ſunt ſibi, & Domino etiam ſuo ingratæ, ut loquitur Ameſ. *Bellar. Enervat.* Tom. 2. lib. 3. cap. 3. Eo quod 3. tota hæc ordinum *turba*, non alio ſpectet, quam ad idololatricum *Miſſæ* choragium. Eo quod 4. hæc diſtributio præſupponat Epiſcopum, jure *divino*, diverſum eſſe à *presbytero*, imo ſuperiorem, quod paulò abhinc ex profeſſo refellemus. Nec pro fictitiis *quinque ordinibus*, prout nec pro *dignitatibus* Archiepiſcoporum, Patriarcharum & Cardinalium, quicquam moliuntur ex Scripturis, & quæ ex *antiquitate* pro quibuſdam adducunt, adeo ſunt jejunâ, ut refelli non mereantur.

7. An miniſtris quomodocunque annumerandi ſint Monachi? Quid Pontificii ſtatuant? Quid Proteſtantes? Monachatus.

XXXV. *Septimo* quæritur, an miniſtris Eccleſiæ ſub N. T. quomodocunque annumerandi ſint *Monachi*? Pontificiis duplex eſt ordo, quorum alter miniſterium confert ad *ſacrificium* Miſſaticum, de quo diximus parag. *præcedenti*: alter *ſecus*, ad quem referunt *Monachos*, per varias quaſi ſpecies, quas *ordines* appellant. His *medium* locum tribuunt inter clericos & ſeculares. *Monachos* tamen propriè appellant, qui vitam *contemplativam* ducunt, quales Ciſtertienſes, Carthuſiani; alios qui Epiſcopos in concionando aliisque ſacris *juvant*, quemadmodum Franciſcani, Dominicani, hos *Regulares* ſeu *religioſos* appellant. Tum religio, hîc quidem, ipſis eſt ſtatus hominum, ad *perfectionem* Chriſtianam tendentium, per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota. Proteſtantes hoc omnibus tribuunt ac ſingulis Chriſtianis, quod ad *perfectionem* tendat Phil. III. 12. 13. 14. per paupertatem *Spiritus* Matth. V. 3. per continentiam à *cupiditatibus* carnalibus Tit. II. 12. & *obedientiam*, imprimis Deo & Chriſto 2 Cor. X. 5. tum etiam ſibi à Deo *præpoſitis*, præſtandam Heb. XIII. 17. idque ſecundum votum in Baptiſmo, & S. cœna factum Pſal. CXVI. 13. 14. cætera vitam iſtam *monaſticam* adjiciunt, eo quod: (1) *ſuperflua* ſit, (2) *ſuperſtitioſa*, quam Deus in Scripturis nullibi *præſcribit*, quin potius *proſcribit* Matth. XV. 6. Col. II. 22. 23. (3) quoad intentionem *merendi*, Chriſti meritis derogatoria ſit (4) Chriſtianæ perfectioni, imprimis per votum cælibatus, maximè *præjudicialis* (5) quoad obedientiam *religioſam*, hominibus præſtandam, *idololatrica* (6) quoad *conſilia* Euangelica, quæ præſupponit, *hæretica*. Et his omnibus, *planta quam non plantavit Pater* cœleſtis, ac proinde *eradicanda* Matth. XV. 13. Quæ pro ſuo *monachatu*, Pontificii ex Scripturis producunt, adeo ſunt jejuna, ut vix recenſeri mereantur: Num. A. Quod ſub Enoſcho, *peculiaris* quidam cultus *ſublimior* fuerit inſtitutus Gen. IV. 25. B. quod Enochus *ambulaverit* cum Deo. C. quod *Naziræi* vota fecerint. D. quod Elias & Eliſæus cum filiis Prophetarum, *ſine* uxoribus ac divitiis, vitam traxerint auſteram. E. quod *Rechabitæ* Jer. XXXV. fuerint figura Monachorum. F. quod Baptiſta Princeps fuerit *monachorum* & eremitarum. G. quod *Apoſtoli*, primi fuerint monachi Chriſtiani, vitam cœnobiticam inſtituentes Act. IV. 33. In omnibus enim his, ne γρὺ quidem occurrit, vel de *monachatu*, vel de voto *paupertatis*, *cælibatus*, & *obedientiæ*, quæ tamen monachatui ſunt eſſentialia.

8. An Epiſcopus, jure divino,

XXXVI. *Octavo* quæritur, an Epiſcopus Presbytero, jure *divino*, ſit ſuperior, poteſtate ordinis & *jurisdictionis*? Anabaptiſtæ ſic diſtinguunt, inter

Sit superior Presbytero?

inter suos paracletos & Episcopos, ut illis sola competat *annunciandi* verbi potestas; his insuper administratio *Sacramentorum*, & gubernatio Ecclesiæ. Pontificii, ut gradatim enitantur ad fastigium, primo, per jus *divinum*, Episcopum Presbytero superiorem fecerunt, *ordine*, quo solos possit *ordines* ecclesiasticos conferre, & *jurisdictione* seu gubernatione Ecclesiæ; ut eadem ratione possit distinguere, inter Episcopum & Archiepiscopum, item inter Archiepiscopum & Patriarcham, & sic tandem pertingere ad *universalem* Episcopum. Reformati fatentur, sequioribus Ecclesiæ temporibus, invaluisse; inter Presbyteros, uni cuidam, seu ætate, seu ministerio antiquiori, primum in confessu *locum* concedere, eumque, sicut apud Judæorum synagogas, πρωτοκαθεδρίτην, synedrii præsidem & *Episcopum*, appellare: postea, non *ordine* amplius; sed *electione*, Episcopum hunc fuisse constitutum; tandem etiam, ne solo *titulo* superior esset, prærogativam *ordinis* seu ordinationis, & *jurisdictionis*, seu gubernationis, adjectam fuisse; ut jam ordine, electione, ordinandi & gubernandi potestate, Episcopus Presbytero major esset: in quam rem, etiam Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores & Ostiarii sunt introducti in Ecclesiam: jure tamen *divino*, usque ad Augustinum, quantum ad *ordinem* & *jurisdictionem*, Episcopum eundem fuisse cum Presbytero. Sic vero statuunt ex tenore Scripturæ, quo: (1) ele-

Ejus rationes.

emosynæ mittuntur ad Seniores in Judæa, nulla Episcoporum facta mentione Act. xi. 29. 30. (2) creantur in singulis Ecclesiis *Presbyteri*, de Episcopo vero tacetur Act. xiv. 23. (3) mittuntur Paulus & Barnabas, ad Presbyteros Jerosolymam Act. xv. 2. conf. vs. 6. nihil autem de Episcopo, conf. vs. 22. 23. (4) accersuntur *Presbyteri* Ephesini Act. xx. 17. qui vs. 28. vocantur *Episcopi*, & quidem *plures* unius Ecclesiæ: (5) in catalogo officiorum Ecclesiasticorum Eph. iv. 11. enumerantur præter extraordinarios, Pastores & Doctores; non *Episcopi* (6) Phil. i. 1. *Episcopi* & Diaconi, unius urbis nominantur, omissis Presbyteris: eodem sensu, etiam (7) 1 Tim. iii. 2. 8. ab Episcopis transitur ad Diaconos, & (8) *Presbyterium* dicitur Timotheo *imposuisse* manus 1 Tim. iv. licet, ex sententia Pontificiorum, esset Episcopus, cui, ex legibus pontificiis, non est fas creare Episcopum (9) 1 Tim. v. 17. Presbyteri *in verbo* laborantes, dulici honore digni judicantur, quando de Episcopis, qui illis excellentior sit, altum accidit silentium (10) Tim. i. 5. constituuntur oppidatim *Presbyteri*, qui vs. 7. vocantur *Episcopi*. Conf. vers. 9. (11) 1 Pet. v. 1. 2. Petrus ut συμπρεσβύτερος, alloquitur πρεσβυτέρους, quos vs. 2. jubet ἐπισκοπεῖν, non *coacte*; sed *libere*, h. e. *Episcopos* agere, idcirco duo illi, erant *iidem* officio (12) 2 Joh. vs. 1. & 3. Joh. vs. 1. Johannes seipsum *Presbyterum* vocat, qui etiam Epist. 3. vs. 9. reprehendit *primatum* ambientem Diotrephen. Nihilominus in contrarium

Objectiones,

caussantur: A. quod Timotheo Episcopo, asseratur *jurisdictio* in Presbyteros 1 Tim. v. 19. *adversus Presbyterum accusationem* ne admittito, & Tito Episcopo Cretensi, *ordinatio* Presbyterorum Tit. i. 5. Resp. 1. Probandum, Timotheum ac Titum fuisse Episcopos *hierarchicos*. Quin potius 2. fuerunt *Euangelistæ*, seu ministri extraordinarii 2 Tim. iv. 5. quorum prærogativæ, non sunt transferendæ ad ordinarios quosvis ministros, 3. Quid si dicatur, Timotheum & Titum, non tanquam *Episcopos*; sed velut *præsides* cum presbyteriis suis egisse, prout ordinatio, & Timotheo, & presbyterio tribuitur. Conf. 1 Tim. iv. 14. cum cap. v. 22. Proinde 4. dum Timotheo tribuit actum *jurisdictionis*, & Tito, *ordinationis*; non eo ipso statim excludit ab eis *presbyteria*; cum ordinationem diserte referat ad presbyterium 1 Tim. iv. 14. & non admittere accusationem, non sit actus gubernationis, ut qui procul dubio competit κυβερνήσεσι 1 Cor. xii. 28.

Sententia adversariorum.

Sententia Reformatorum.

XXXVII. *Nono* quæritur, an inter ministros Ecclesiæ, jure *divino*, detur *universalis* aliquis Episcopus, qui sit vicarius Christi *infallibilis*, cui omnis potestas competat, non tantum *spiritualis*; sed etiam *temporalis*? Pontificii, ex constitutione *Christi*, Episcopum universalem, fuisse statuunt, primo Petrum, tum ex jure successionis, Episcopos Romanos: sed ejus infallibilitatem, ac temporalem potestatem, negat contra reliquos, Ecclesia *Gallicana*: aliis *indirectam* saltem potestatem *temporalem*, in ordine ad spiritualia, ei asserentibus; aliis *directam* etiam. Protestantes simpliciter negant, talem Episcopum *universalem* jure *divino* dari in terris; eo quod: 1 Petrus, reliquis Apostolis *æqualis* fuerit 1 Cor. iii. 21. 22. 23. & 2 Cor. xii. 5. Quod 2. Paulus Euangelium præputii, sibi; ac Petro circumcisionis creditum testetur Gal. i. 7. 8. 9. atque etiam, se Petro in os restitisse, quod esset redarguendus cap. ii. 11. Quod 3. Servator Apostolis omnibus, de primatu certantibus, omnem *primatum* abrogaverit Matth. xx. 26. Luc. xxii. 26. Conf. Matth. xxiii. 6. — 12. Quod 4. Petrus primatum illum sibi abroget, se συμπρεσβύτερον appellando 1 Pet. v. 1. 3. Pontificii nihilominus nobis objiciunt: A locum Matth. xvi. 18. 19. *Tu es Petrus, & super hanc Petram — tibi dabo claves regni cœlorum.* Resp. 1. *Petra*, super quam ædificanda dicitur Ecclesia, non *Petrus* erat; sed *Christus* 1 Cor. iii. 11. & x. 4. aut *confessio* Petri de Christo. Nec 2. potestas clavium *soli* Petro; sed & *reliquis* Apostolis datur Matth. xviii. 18. Joh. xx. 21. 22. 23. Proinde 3. potestas *clavium*, non episcopatum dicit *universalem*; sed potestatem *spiritualem*, omnibus legitimis ministris communem. B. Quod

Objectiones partis affirmantis.

9. An inter ministros N. T. detur Episcopus aliquis universalis?

Rationes partis negantis.

Petrus, inter Apostolos *primus* nominetur Matth. x. 2. Resp. Primus appellatur *ordine*, quo ad apostolatum evocatus erat Matth. iv. 18. 19. unde nequaquam sequitur, quod *potestate* fuerit superior. Quod C. sæpe *omnium* nomine loquatur v. g. Matth. xvi. 15. 16. Resp. Nec hinc solide infertur *primatus potestatis*. Quod D. ordo & *unitas* Ecclesiæ, Episcopum *universalem* requirat. Resp. Si requireret, Christus instituisset; sed non instituit: ergo aliis adminiculis, ordo & *unitas* ista conservari potest Eph. iv. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Conf. quæ in hanc rem diximus lib. v. cap. vii. §. xv.

10. An Papæ competat, convocare concilia generalia, in eis præsidere, & auctoritatem infallibilem eis conferre?

XXXVIII. *Decimo* quæritur, an Pontifici Romano, jure competat, concilia *generalia* convocare, in eis *præsidere*, eorumque decretis auctoritatem *infallibilem* conferre? Pontificii, solis fere *Gallis* exceptis, Papæ proprium esse volunt: α. indicere & convocare *generalia* concilia, quæ constent ex Episcopis, Cardinalibus, Abbatibus & ordinum Generalibus: β. eisdem *præsidere* per legatos, ac consessum *moderari*: γ. eis *auctoritatem* conferre, per quam decreta eorum, non tantum *infallibilis* sint veritatis; sed talis etiam *potestatis*, sine ulteriore examine, in eis acquiescendum sit. Reformati, synodi convocationem, aut ad *Ecclesiam* referunt; aut ad *Magistratum*, si fidelis sit, ut diximus §. xxviii. præsidium duplex agnoscunt: *politicum*, quoad ea quæ pertinent ad ordinem *externum*; & *ecclesiasticum*, quoad ea quæ *spiritualium* discussionem & decisionem concernunt: auctoritatem denique canonum synodalium, *divinam* esse & infallibilem, quatenus materia congruit cum verbo *divino*; *humanam* autem & fallibilem, quatenus decisio fit per homines fallibiles. Proinde negant *jus* convocandi, præsidendi, & auctoritatem *infallibilem* conferendi, esse penes Pontificem Romanum. Eo quod: 1. hujus potestatis, Pontifex nullas possit proferre *tabulas*: Quod 2. *jus universalis* Episcopi, cui hæc omnia superstruuntur, parag. *præcedenti* Pontifici, justis rationibus, ademerimus. Quod 3. jus convocandi confessus ecclesiasticos, *extraordinarios* quidem, sub V. œconomia, fuerit penes supremum Magistratum, Judaicum, per §. xxviii. Urgent nihilominus in contrarium Pontificii: A. Quod hoc juris *Petrus* acceperit à Christo Joh. xxi. 15. — Luc. xxii. 32. & exercuerit Act. xv. 7. — &, per *successionem*, Pontifex. Resp. Utrumque falsum esse, nos §. *præced.* & lib. v. cap. viii. §. xv. ostendimus. Nec textus citati quicquam habent, de convocatione aut præsidio Synodorum, nec de Synodis, nec quicquam, quod non spectet ad quosvis ministros 1 Pet. v. 2. Quod B. *Pontifex* V. T. hoc *jus* habuerit Deut. xviii. 9. 10. 11. proinde & Pontifex N. T. habeat. Resp. Utrumque falsum est, nec enim habuit Pontifex V. T. quod loco citato, nihil prostet, vel de *Pontifice*, vel de *convocatione* synodi; nec si habuisset, in Papam, qui jure divino est *non ens*; sed in Pontificem Christum, *verum* ejus antitypum Heb. vii. viii. ix. derivatum fuisset. Quod C. in *nomine* Christi indici & haberi debeant Matth. xviii. 18. Resp. 1. Ergone in nomine *Pontificis*? 2. in nomine Christi agere, est *obsequio* mandati, & fiducia gratiæ Christi agere Matth. xxviii. 19. Act. iii. 6. dum ergo sic convocat *Magistratus* fidelis; in nomine *Christi* convocat. Nec 3. ibidem quicquam dicitur de synodis, aut convocatione synodorum.

Argumenta.

Objectiones.

11. An Papa sit Antichristus.

XXXIX. *Undecimo* quæritur, an *universalis* ille Episcopus, qui omnia illa sibi arrogat, quæ Christo competunt, seu Papa Romanus, sit magnus ille *Antichristus*! Per Anti-Christum hic non intelligimus, *gregarium* quemvis Christi & doctrinæ ejus inimicum, quo sensu venit 1 Joh. ii. 18. 2 Joh. vs. 7. conf. Phil. iii. 18. & *quilibet* hæreticus, Anti-Christus est; sed *egregium* illum de quo 1 Joh. ii. 18. sive ille (ex virtute particulæ ἀντὶ) talem notet, qui est *pro* Christo, seu *vice* ejus; sive qui est *contra* Christum; sive utroque modo: quod Anti-Christus se gerat *pro* Christo, & *contra* eum. Sic alio nomine ὁ ἀντικείμενος indigitatur 1 Tim. v. 14. 2 Thessal. ii. 4. *bestia* Apoc. xiii. ii. & *Pseudo-Propheta* Apoc. xvi. 13. & xix. 20. & xx. 10. cujus sedes *Sodoma* & *Ægyptus* Apoc. xi. & xii. item *Babel* cap. xvii. & xviii. mystice appellatur. Cujus etiam *spiritus jam* tempore Apostolorum, *erat in mundo* 1 Joh. iv. 3. quando, *mysterium iniquitatis*, jam tum *peragebatur* 2 Thess. ii. 7. & *ultima* jam *aderat hora*, in qua *multi Antichristi exstarent* 1 Joh. ii. 18. idque in ψευδαδελφοῖς Gal. ii. 4. & ψευδαποστόλοις 2 Cor. ii. 13. qui tandem se exonerabant, in Episcoporum πρωτοκαθεδρίαν, nominatim Episcopi Romani. His prælibatis, Pontificii simpliciter negant, *Papam* esse Antichristum: quod in eo, omnis eorum causa vertatur. Protestantes affirmant, ita ut per Antichristum intelligant, universam *seriem* Episcoporum Romanorum, quæ fluxit ab aliquot retro seculis: eo quod omnia, quibus Antichristum hunc designavit Scriptura, in Pontificem Romanum, exactissime quadrent: si enim cum eo conferas, ea quibus: 1. Paulus Antichristum designat 2 Thess. ii. 3. 4. — quod: (α) quod sit futurus *auctor* & *caput* ἀποστασίας, à Christo & doctrina ejus; apparebit in collatione doctrinæ Christi, quoad legem & Euangelium, cum doctrina Papæ, in concilio Tridentino repetitæ & sancitæ: (β) quod sit *homo ille peccati*: ex flagitiis conflatus; apparebit in *vitis* Paparum, testibus Platina, Mantuano, Lyrano, scriptoribus Pontificiis (γ) quod sit *filius perditionis*, h. e. perditus & perdens alios; patebit

Quid & quis Antichristus.

Argumenta partis affirmantis.

Primum ex 2 Thess. ii. 3. 4. —

patebit vel ex Jure Canonico Dist. XL. cap. *si Papa* (δ) quod *se opponat Christo*, non *aperta*, quali Judæi & Muhamedani; sed *occulta*, & Christianissimi professione larvata oppositione: apparebit in Papæ *vita*, moribus Christi humilis & mansueti, planè contraria; in *regimine* Papæ mundano, terrestri, spirituali ac cœlesti Christi, plane contrario; in religione, religioni Christi, prorsus adversa: (ε) quod *se efferat supra omne, quod dicitur Deus & numen* hoc est, supra *Magistratus* & Monarchas; apparet in Papa, quando diabolico fastu, ad *pedum* suorum oscula, suos adigit; quando *Angelorum* Judicem se jactat; quando Sacramenta, a Christo instituta, mutat, mutilat, aut plane nova superinducit: (ζ) quod *sedeat in templo Dei tanquam Deus, præ se ferens se esse Deum:* apparet in Papa, quando in Ecclesia, ut *numen* aliquod se ostentat: quando sibi *absolutam jus* vendicat in eam: quando honores usurpat divinos: quando *nomen* ipsum Dei, sibi sumere, aut ab aliis sibi delatum, admittere non veretur (η) quod *exlex* (ἄνομος) *sit*, quatenus facit quod lubet: apparet in Papa, quando in divinis, voluntas ei est pro ratione: quando nullius legibus subjici, & à nemine judicari vult: (ϑ) quod *adventus ejus, est ex efficacia Satanæ, cum omnipotentia, & signis & prodigiis mendacibus, fraudibusque injustitiæ:* apparet in Papa, quando mendacia & fallacia *miracula*, sudorem, lachrymas, risus, incessus statuarum, sanationes ægrorum ad sanctorum reliquias & monumenta, crepat: quando ex pane & vino, se corpus & sanguinem Christi creare docet.

Secundum ex 1 Joh. IV. 3. & 1 Tim. IV. 1. 2. 3. 4.

Si 2. conferas quibus Johannes 1 Joh. IV. 3. & Paulus 1 Tim. IV. 1. 2. 3. 4. Antichristum designant, quod nim. A. negaturus sit *Christum in carne venisse*, indirecte equidem & *interpretative*; quod Papa facit, fugillando variis modis Christi munus *propheticum*, *sacerdotale & regium*: reipsa *negando*, Christum esse unicum & perfectum Ecclesiæ Servatorem: *affirmando*, se, quasi Prophetam, ex cathedra pronunciantem, perinde *infallibilem* esse, ac Christum: se item esse Principem Sacerdotum, summumque Pontificem, qui Christum in Missa sacrificet: se esse Regem Regum, Dominum dominantium, caput ac sponsum totius Ecclesiæ catholicæ: item destruendo proprietates *humanæ* Christi naturæ, in transsubstantiatione: retinendo innumeras ceremonias & umbras *legales*, quibus, Christum in carne venisse, negatur. Quod B. *prohibiturus* sit *conjugium*: hoc Papa facit in Clericis suis: Quod C. delectum *ciborum* sit introducturus: hoc Papa facit, prohibendo certis temporibus esum *carnium*. Quod D. utrumque horum facturus sit *insigni cum hypocrisi*: hoc Papa facit, quando in his singularem *sanctimoniam* collocat, dum alias, scortationes & adulteria facilius tolerat, quam conjugium, aut esum carnium temporibus prohibitis. Si 3. conferas ea, quibus Antichristum Johannes repræsentat Apoc. XIII. 11. quod sub specie *humilitatis*, usurpaturus sit supremam in omnes *potestatem*, cum ecclesiasticam, tum politicam; perpetraturus miracula, & per ea seducturus homines; formaturus *novam* religionem; ad ejus professionem nolentes *coacturus*, excommunicatione & persecutione; nomine suo habiturus *numerum* bestiæ: ea exactissime quadrant in Papam: α. nominat se *servum* servorum. β. arrogat sibi *utramque* potestatem, spiritualem & temporalem, γ. crepat *miracula*, eaque facit Ecclesiæ suæ notas, δ. fingit novam *religionem*, quoad genus doctrinæ, & cultus idololatrici, ε. ad ejus professionem volentes nolentes *cogit*, fulminibus excommunicationum & persecutionum, ζ. gerit *numerum* nominis bestiæ, qui est sexcentorum sexaginta sex, in nomine λατεῖνος, jam olim ab Irenæo observatum. Si denique 4. conferas ea, quibus idem Johannes, Antichristum notat Apoc. XVII. 5. 9. 18. quando: α. sedem ei tribuit *Babylonem* magnam vs. 5. non *Chaldaicam* illam, quæ jam olim, cum suo axiomate monarchico defecerat, ex prædictione Jesaiæ; sed *Italicam* sive Romanam, id quod Jesuitæ, aliis intenti, & ipsius rei evidentia convicti, jam non amplius diffitentur; urbem, quæ *septem* colles habeat, quos omnes agnoscunt in Roma; quando β. *regimen* ipsi tribuit in Reges terræ. vs. 18. Nunquid hæc omnia, evidentissime conspicua sunt in Papa, cujus sedes est Babylon Romana, urbs ἑπτάλοφος, ubi regimen habet in Reges terræ? Omnia ista, aliaque plura Antichristi indicia, à nostris spissis voluminibus, sunt monstrata & appplicata Pontifici Romano. Pontificii, quo vim horum aliorumque argumentorum, commodius declinent; sibi fingunt Antichristum, qui futurus sit *unus* tantum homo, religione *Judæus*, ex tribu *Dan*, qui restauraturus sit politiam & cultum *Judaicum*, ipsumque *templum* Hierosolymitanum, regnaturus tantum per *tres* annos cum dimidio, cujus tempore, Enochus & Elias reversuri sint ex paradiso, cum illo dimicaturi, ab illo interficiendi, sed qui tertio die sint *resurrecturi* à morte: qui porro Antichristus *orbem* sit subacturus, usque dum à Christo in monte Oliveti vincatur & interficiatur. Sed cum nec *Judæi* ex tribu Dan Messiam exspectent: nec cultus Judaicus unquam restituendus sit: nec tantillo temporis spatio tanta fieri possint, & illa omnia quæ de Antichristo prædicta sunt, aliaque Pontificiorum, tam futilia sint, ut ex professo refutari non mereantur: operam nostram paulo utilius impendemus, examinandis Pontificiorum objectionibus. Causantur: A. Antichristum fore *hostem* Christi, & ejus æmulum, qualis non sit Papa. Resp. 1. Hostis & æmulus futurus erat, non *professus*; sed *occultus*: *agno* *si-*

Tertium ex Apoc. XIII. 11.

Quartum ex Apoc. XVII. 5. 9. 18.

Pontificiorum Antichristus.

Objectiones partis negativæ prima,

similis Apoc. XIII. 11. *revelandus* à Christo 2 Thess. II. 8. Tum 2. talis est hostis & æmulus Christi Pontifex, qui se gerit pro Christo, atque etiam doctrina, cultu & gubernatione, se Christo opponit. B. Antichristus una tantum futurus
secunda, est *singularis* persona Joh. v. 43. ἄλλος, qui est Antichristus 2 Thess. II. 3. 4. ὁ ἀντικείμενος, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, cum articulo 1 Joh. II. 22. & IV. 3. ὁ ἀντίχριστος Apoc. XIII. & XVII. ψευδοπροφήτης Resp. Est una persona; sed in *serie:* hinc à suis temporibus Antichristum Paulus diducit 2 Thess. II. 7. & Johannes eum, jam tum *fuisse* in mundo, & nihilominus *venturum* dicit 1 Joh. II. 18. & in Apocalypsi cap. XIII. & seq. historiam ejus, longis temporum intervallis distinguit. Ergo ἄλλος Joh. v. 43. indefinitè quemvis impostorem & pseudo-Christum notat, prout Matth. XXIV. 24. & articulus ὁ, sæpe personam notat ἀόριστον, ut Matth. XII. 35. Marc. II. 27. & τὸ κατέχον, Imperatores Romanos communiter notat: & τὸ δεύτερον θήριον, non magis cum articulo enunciatur, quam τὸ πρῶ-
sertia, τον. C. Antichristus adhuc *venturus* est, quia: α. Euangelium nondum prædicatum est in toto orbe, quod fieri debet ante adventum Antichristi Matth. XXIV. 14. quia β. Imperium Romanum necdum plane abolitum est, juxta 2 Thess. II. 7. quia γ. necdum venit Enoch & Elias Apoc. XI. 3. quia δ. necdum cessant publicæ religionis ceremoniæ & exercitia, ut futurum tempore Antichristi Dan. XI. 31. quia ε. necdum constat de *nomine* & charactere bestiæ: quia ζ. inter ipsos Protestantes, necdum convenit de tempore adventus Antichristi, quando alii illum referunt ad ætatem Apostolorum; alii ad Constantinum M. alii ad Phocam, alii ad Carolum M. alii ad Henricum IV. Resp. Antichristus omnino venit, nec quicquam in contrarium valent ratiunculæ adversariæ: Matth. XXIV. 14. non aliud dicitur, quam ante *finem* seculorum, Euangelium ubique prædicatum iri, non autem ante Antichristum: 2 Thess. II. non dicitur Imperium Romanum, ante Antichristum, *simpliciter* destructum fore; sed Romæ tantum & in Italia, ἕως ἐκ μέσου γένηται, scil. τῆς Ῥώμης: Apoc. XI. nihil habetur de Enocho & Elia, venturis ante Antichristum; sed de duobus tantum *testibus*, seu *paucis* tantum veritatis assertoribus: nec locus Dan. XI. 31. de Antichristo; sed Antiocho Epiphane loquitur: & quamvis apud Protestantes Antichristi *nomen* ignoraretur, utpote occultum & mysticum, potest nihilominus in rerum natura *existere*; sed non ignoratur apud Protestantes, nomen numerale bestiæ, græcum λατεῖνος, & hebræum רמיוש, vel ut alii, רומית. Constat etiam inter Protestantes, de *tempore* adventus Antichristi: nempe ætate Apostolorum, ipsum venisse in hæreticis: tempore Constantini M. in ambitiosis Episcopis, velut prodromis: tempore Phocæ, quoad potestatem spiritualem: tempore Caroli M. quoad transslationem imperii: tempore Henrici IV. & deinceps, etiam quoad potestatem temporalem. His gradibus paulatim venit, & ad supremum tyrannidis culmen
quarta, ascendit. D. Antichristus Judæus erit, Judæorum Messias, è meretrice nasciturus, tribu Dan. Resp. His næniis, ne Bellarminus quidem, multum tribuit. E. Antichristus imperii *sedem* habiturus est
quinta, Jerosolymis, in templo Domini restaurando, ut constat, partim ex Apoc. XI. 8. partim ex 2 Thess. II. 4. Resp. Apocalypsis sedem ipsi tribuit in urbe *septicolli*, habente tum imperium in Reges terræ Apoc. XVII. 9. scil. Roma, in qua mysticè Dominus noster crucifixus dicitur, in membris suis Apoc. XI. 8. Nec templum, de quo 2 Thess. II. 4. notat aliud quam *Ecclesiam*, sicut 1 Cor. III. 16. & VI. 19. 2 Cor. VI. 15. 16. F. Papa non *ne-*
sexta, *gat* Patrem & Filium, item Christum venisse in carne; sicut Antichristus 1 Joh. II. 22. 23. & IV. 3. Resp. Non negat *aperte* Papa; nec Antichristus apertè negaturus prædicitur: sed negat Papa *occultè*, ipso facto, sicut jam ante ostendimus ex parte. G. Papa *miracula* Antichristi non præstat, ignem
septima, de cœlo non elicit, imagini bestiæ loquelam non tribuit &c. Apoc. XIII. Resp. Tribuuntur ista miracula Antichristo, non *proprie*; sed *allegorice*, propter analogiam effectuum: & sic etiam competunt Papæ, qui ignem seu *fulmina* anathematum vibrat in imperatores: tribuit *loquelam* bestiæ, condito imperio Papæ cæsareo, simili priori, cujus statuta edictaque omnia, à Papa præcipue, vim suam habent. H. Papa *regna* multa non est adeptus,
octava, per fraudem Judæorum, quod de Antichristo dicitur Dan. VII. & XI. Resp. Loquuntur capita Danielis, proprie de Antiocho Epiphane, ejusque victoriis, contra Syriæ & Ægypti Reges. Et, si in his typus fuerit Antichristi; etiam in Papa impleta cernuntur, quando universam suam potestatem, non nisi fraudibus & tyrannide sibi acquisivit. Conferri poterunt Antagoniste Pontificiorum, in his ex professo occupati.

XL. *Duodecimo* quæritur, an ullis Ecclesiæ mi-12. An nistris, prohibitum sit *matrimonium?* Ne opes Ec- Ecclesiæ clesiasticæ, quæ præcipuum præstant monarchiæ ministris papali fulcrum, ex conjugio, in liberos diffluerent; visum Pontificiis est, statuere, quod cle- prohibiricis (hoc est, eis personis ecclesiasticis, quæ circa tum sit sacrificium missæ, immediate aut mediate occu- matripantur; sive *dignitatem* gerant, ut Episcopi, Metropolitani, Cardinales, Papæ (sive *ordines* superiores, ut Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes) fas non sit contrahere *matrimonium*. Idque, seu jure *divino*, ut nonnullis placet; seu jure *ecclesiastico*, ut aliis videtur. Protestantes statuunt, ut Ratio- quibusvis; ita & ecclesiasticis omnibus, fas esse nes sencontrahere matrimonium. Eo quod: 1. conju- tentiæ gium *quibusvis*, Scriptura permittat Heb. XIII. 4. negati-
Nomi- væ.

Nominatim 2. *Eccleſiaſticis* 1 Tim. III. 2. 3. Tit. 1. 6. 1 Cor. IX. 5. Idque 3. *exemplis* conjugatorum Apoſtolorum confirmet, Petri, Johannis Matth. VIII. 14. & XIX. 27. 29. 1 Cor. IX. 5. quibus accedit exemplum Philippi Euangeliſtæ Act. XXI. 8. 9. Quod 4. præceptum *cœlibatus*, doctrinæ Antichriſti ac dæmoniorum accenſeatur 1 Tim. IV. 3. Quod 5. non omnes Eccleſiæ miniſtri, dono continentiæ inſtructi ſint; adeoque ex præſcripto divino, teneantur matrimonium inire. Conf. Matth. XIX. 10. 11. cum 1 Cor. VII. 9. Accedat 6. quod cœlibatus ille, originem ducat, ab Eſſæis, Marcionitis, Encratitis, Montaniſtis, Origenianis aliisque hæreticis. Obnituntur tamen Pontificii: A. Quod cœlibatus ſit inter *requiſita* Epiſcopi Tit. 1. 8. σωφρόνα καὶ ἐγκρατῆ. Reſp. 1. Hac ratione cœlibatus eſſet juris *divini*, quod plerique Pontificii negant. 2. Epiſcopatus, apud adverſarios, jure divino differt à presbyteratu, diaconatu, ſubdiaconatu, proinde ſolus *Epiſcopus* hic ad cœlibatum obſtringeretur. 3. σωφροσύνη non Eccleſiaſticis tantum præſcribitur; ſed *quibusvis* 1 Tim. II. 9. 15. 2 Tim. I. 7. prout etiam ἐγκράτεια, quæ proinde abſtinentiam notant, non à conjugio (quomodo enim alioquin, *Epiſcopum unius uxoris virum*, *habentem liberos* Tit. 1. 6. juberet eſſe ἐγκρατῆ) ſed ab impuris quibusvis *cupiditatibus*. Quod B. *militibus* ſpiritualibus, quales ſunt clerici, Paulus interdicat omnia quæ impediunt, proinde & conjugium 2 Tim. 2. 4. Reſp. (1) Sunt qui *ita* habent uxores; acſi *non* haberent 1 Cor. VII. 22. (2) Datur uxor ad *auxilium*, non ad impedimentum Gen. II. 18. 20. (3) Sic etiam *curam* propriæ domus, Apoſtolus *Epiſcopo* prohiberet, quam tamen in priori Epiſtola exſerte præſcribit. Quod C. conjugati, ab uſu matrimonii jubeantur abſtinere ad *tempus*, ut precibus poſſint vacare 1 Cor. VII. 5. ſed clericis *ſemper* eſt vacandum precibus Reſp. 1. Jubet ut abſtineant ad preces, non ordinarias; ſed *extraordinarias*, cum jejunio conjunctas: *ad jejunia & preces*. 2. Etiam conjugatos jubet *indeſinenter orare* 1 Theſſ. V. 17. Luc. XVIII. 1. & ſic, juberet *omnes* indeſinenter abſtinere à conjugii uſu. Quod D. in V. T. ſtatis vicibus, quando appropinquandum erat ad Deum, Sacerdotibus incumbebat, vacare ab uſu matrimonii Exod. XII. 11. & XIX. 15. & XXVIII. 43. 1 Sam. XXI. 6. 1 Paral. XXIV. 5. proinde & Sacerdotibus N. T. hoc incumbit, & *perpetuo* quidem, quia quotidie & quaſi continue ſacrificent. Reſp. Non dantur ſub N. T. præter Chriſtum *Sacerdotes* proprie dicti. 2. Nec Sacerdotibus tantum; ſed & plebi, certis caſibus, ibidem præſcribitur abſtinentia à conjugii actibus. 3. Pertinuit hoc ad ceremonialia V. T. jam abrogata. Interim 4. & Sacerdotes conjugati erant.

Objectiones ſententiæ affirmativæ.

13. An verbi miniſtris liceat ab Eccleſia ſtipendium accipere?

XLI. *Decimotertio* quæritur, an verbi divini miniſtris liceat, ab Eccleſia *ſtipendium* accipere? Anabapiſtæ negant: Reformati affirmant, licere ſtipendium accipere, non quidem ut *mercedem* pro labore; eſt enim hoc mercenariorum: nec ut *precium*, pro verbo; eſt enim hoc ſimoniacum: ſed ut *liberius* ſeipſos totos impendant ſacris: nec ut per prædicationem verbi, *vivant* ex ſtipendio; ſed vivunt ex ſtipendio, ut verbum prædicent. Sic ideo ſtatuunt, quia: 1. Servator Euangelii miniſtrum, velut operarium, mercede ſua dignum pronunciat Matth. X. 10 quia 2. hoc ex profeſſo Paulus docet 1 Cor. IX. 4—14. ac proinde 3. idem hoc Eccleſiæ mandat Gal. VI. 6. 1 Tim. V. 17. 18. quia 4. miniſtris V. T. Deus de honeſta ſuſtentatione proſpexit Levit. XXVII. 30. Num. XV. 20 21. Deut. XXVI. 2. &c. proinde, ex communi æquitate, idem competit miniſtris N. T. Nec in contrarium valet, quod objiciunt, ex: A. Ezech. XXXIV. 2. 3. de paſtoribus, qui ſeipſos paſcunt. Reſp. Reprehenduntur enim *carnales* illi paſtores, qui *ſuis* duntaxat commodis carnalibus intenti ſunt, & gregem negligunt. B. Ex Matth. X. 7. 8. *gratis accepiſtis*, *gratis date*. Reſp. Neque enim pro ſtipendio miniſtri *vendunt*, aut verbum Dei; aut laborem ſuum in verbo: hoc autem *ſolum* eſt; quod Servator ibidem prohibet. C. Ex Act. XX. 34. 35. 1 Theſſ. II. 9. Reſp. Neque enim Paulus à *quibusdam* Eccleſiis, ſtipendium propterea non admiſit, quod ſibi ſimpliciter non *liceret* 1 Cor. IX. 4. 5. 6. 12. ſed quod, peculiaribus cauſis, propter *calumniatores*, hoc ſibi, tum, & ſic, non expedire judicaret verſ. 12. 15. 2 Cor. XI. 7. 8. 9. 12. D. Ex eo, quod ſit *ſimonia* ſpecies. Reſp. Eſſet, ſi verbum Dei, aut laborem ſuum in verbo, *venderent* pro ſtipendio, tanquam precio; non eſt autem, dum accipiunt ſtipendium, ut liberius *laborent* in verbo.

Rationes ſententiæ affirmativæ.

Objectiones ſententiæ negativæ.

Pars practica.

Praxis occupatur: 1. Circa glorificationem Dei.

XLII. Praxis hujus loci occupatur, *primo* circa *glorificationem* Dei, qui miniſterium in Eccleſia conſtituit, in quo ſplendet gloria: 1. *ſapientiæ*, qua non *immediate* voluit agere cum Eccleſia, (prout potuiſſet, atque etiam ſubinde fecit Gen. II. & III. & XVII. Exod. III. & XX. &c.) quod hic agendi modus, peccatoribus accidat *intolerabilis* Exod. XX. 19. Jeſ. XXXIII. 14. neque per *Angelos* (prout etiam ſubinde fecit Jud. II.— Matth. II. 13. Luc. II. 9.) quod & horum præſentia ac converſatio, hominibus *gravis* ſit & moleſta verſ. 10. Marc. XVI. 5. 6. ſed per homines ὁμοιοπαθεῖς Act. XIV. 15. cum hominibus, *humano* more: in quo etiam 2. ſplendet gloria *humanitatis*, φιλανθρωπίας, gratiæ & beneficentiæ, qua omni tempore, in hunc uſque diem, & tam *liberaliter*, Eccleſiæ ſuæ proſpexit, de paſtoribus ſeu miniſtris, omne

omne genus: *extraordinariis* qui fundamentum ponerent, voce & scripto, infallibilem credendi & vivendi regulam condendo; *ordinariis* qui fundamento extraordinariorum superstruerent. Quâ, sub N. T. comprimis, ministros dedit, qui ei de *spiritualibus* prospicerent: Doctores, *pastores presbyteros*; qui de corporalibus, *diaconos* Jer. III. 15. & VII. 25. Eph. IV. 11. 12. Tandem 3. & gloria *omnipotentiæ*, qua per miseros *homunciones*, quorum *spiritus est in naribus* eorum Jes. II. 22. qui non nisi *vasa lutea* sunt 2 Cor. IV. 7. homines spiritualiter *mortuos* vivificare Eph. II. 5. à peccato & morte ad se convertere, illuminare, & *sortem* inter sanctos conferre voluit Act. XXVI. 18. Occupatur inquam praxis talis ministerii, circa glorificationem Dei, ut hæc omnia agnoscamus *corde*, celebremus *ore*, referamus animo grato, & consilio Dei, per ministerium hominum, conversionem nostram molienti, nunquam obstrepamus Luc. VII. 30.

2. Circa ministerii dignitatem & præstantiam.

XLIII. Occupatur *secundo* praxis, circa *dignitatem* & præstantiam ministerii ecclesiastici. Utpote quod: 1. ipse Deus 2 Cor. V. 18. ipse Christus Eph. IV. 11. pura putâ *gratia*, dedit: quod 2. ipse *Christus*, in diebus carnis gessit Matth. IV. 17. Rom. XV. 8. quod 3. carissimis suis *amicis*, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis commisit Eph. IV. 11. quod 4. dedit, ut occupetur circa hominum *animas*, toto mundo pretiosiores Matth. XVI. 26. Marc. VIII. 37. Psal. XLIX. 9. easque convertendas à *morte ad vitam* Jac. V. 20. Act. XXVI. 18. Quod 3. ministri in hoc sint συνεργοὶ τοῦ θεοῦ 1 Cor. III. 9. Quod proinde 6. Dominus velut *legatos* suos, tanti suo modo, eos æstimet quanti *seipsum* Matth. X. 40. 41. 42. Luc. X. 16. Quos etiam 7. gloriosissimis *nominibus* ac titulis: *Patrum* 2 Reg. II. 12. 1 Cor. IV. 5. *legatorum* 2 Cor. V. 20. Eph. VI. 20. *Episcoporum* Act. XX 28. *Angelorum* Apoc. I. & II. exornet. Quod 8. Paulus, unus è primariis ministris, hujus dignitatis cogitatione, exclamet τίς πρὸς ταῦτα ἱκανός! 2 Cor. II. 16. Quibus etiam 9. Christus sui ministerii, gloriosissimum *præmium* addicit Dan. XII. 3. 2 Tim. IV. 7. 8. Quos, ex his omnibus 10. *duplici honore dignos* pronunciat Apostolus 1 Tim. V. 17. Circa hanc ministerii dignitatem & præstantiam, praxis ad hoc occupatur, ut: α. ab *una* parte ministri sibi sollicitè *caveant*, ne: (1) dignitate functionis suæ inflati, *superbiant* 1 Tim. III. 6. 2 Cor. XII. 7. Gal. VI. 13. seque supra *clerum* extollant 1 Pet. V. 3. sed ex adverso cogitent, se non Dominos; sed *ministros* constitutos esse 1 Cor. III. 5. ne (2) *turpi* conversatione, dignitati & præstantiæ functionis suæ, maculam inurant Jud. vers. 12. Mal. II. 9. Conf. Act. XXIII. 2. 3. quin potius (3) *fidelitate* ac virtute, functionem suam gloriosam *glorificare* magis magisque nitantur Rom. XI. 13. seque suis *reverendos* præstent 1 Tim. IV. 11. 12. Marc. VI. 20. ut β. ab *altera* parte, populus ecclesiasticus, *magnificiat* ministerium & ministros 1 Cor. IV. 1. 1 Thess. V. 12. 13. Rom. X. IX. Phil. II. 29. 30. Deumque veneretur, qui & sibi indulgeat *efficax* verbi ministerium Matth. IX. 37. 38. Luc. X. 2. & semel indultum, *perpetuum* esse jubeat Apoc. II. 5.

Modus.

3. Circa requisita & affectiones ministrorum.

XLIV. Occupatur *tertio*, circa requisita & *affectiones* ministri, quas Apostolus explicat 1 Tim. III. 2--11. Tit. I. 6. 7. 8. 9. Nim. ratione: 1. *doctrinæ*, ut sit διδακτικὸς 1 Tim. III. 2. *tenax fidelis illius sermonis, qui doctrinam facit, ut possit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes convincere* Tit. I. 9. *potens item in Scripturis* Act. XVIII. 24. 25. Hoc est, ut sit instructus: α. ab *una* parte, sufficienti *doctrina* seu peritiâ linguarum, artium, historiæ, Theologiæ dogmaticæ, elenchticæ, exegeticæ, practicæ: β. ab *altera* parte, dono ἑρμηνείας 1 Cor. XII. 14. 26. quo possit *communicare* quæ novit. 2. Ratione *conversationis*, ut sit ἀνεπίλημπτος 1 Tim. III. 2. ἀνέγκλητος Tit. I. 6. 7. non quidem ut sine peccato *omni* Psal. CXLIII. 2. cum Heb. IX. 7. nec ut sit extra calumnias adversariorum: sic enim ne Servator quidem ipse fuit ἀνέγκλητος Matth. XI. 19. Joh. VIII. 48. sed ut *justam* reprehendendi causam, nemini præstet Rom. II. 19--25. exemplo Zachariæ Luc. I. 6. & Pauli Phil. III. 6. Act. XXIV. 13.-- Ratione 3. *œconomiæ*, ut: α. sit *unius uxoris maritus* 1 Tim. III. 2. 2 Tit. I. 6. qui β. *fideles liberos habeat*, non *obnoxios crimini luxus*, aut *contumaciæ*. Ibid. qui γ. suæ domui *bene* præsit 1 Tim. III, 4. 5. adeo ut domum suam faciat *Ecclesiolam*, aliis in exemplum Philem. vers. 1. 2. Ratione 4. *virtutum*, quibus sit: (a) σώφρων *temperans* 1 Tim. III. 2. Tit. I. 8. μὴ πάροινος, Ibid. vers. 7. Jes. XXVIII, 7. & LVI. 1 Conf. Levit. X. 9. (b) κόσμιος *modestus*, ornatus, urbanus, civilis: tam quoad *externa* corporis, mores gestus, vestitum aliaque; quam quoad *interna* spiritus, quo olim spectabat vestitus Sacerdotum κόσμιος Exod. XXVIII. 2. futurus eis monitorium ornatus *interioris* Psal. CXXXII. 9. cum XCIII. 5. & XCV. 14. (4) φιλόξενος *hospitalis* 1 Tim. III. 2. Tit. III. 8. quam virtutem, & in aliis quibusvis, passim Deus commendat Rom. XII. 13. Heb. XIII. 2. 1 Pet. IV. 9. Matth. XXV. 42. (d) φιλάγαθος, *amans boni* Tit. I. 8. non iracundus, non percussor vers. 7. 1. Tim. I. 11. 3. ἄμαχος. Ibid. 2 Tim. II. 24. non clamosus Jes. XLII. 2. 3. Matth. XII. 19. 20. sed *mitis* Gal. VI. 1. qui *malos ferre possit cum patientia* 2 Tim. II. 24. (e) *liberalis*, ἀφιλάργυρος, μὴ αἰσχροκερδὴς; ἀλλ' ἐπιεικὴς 1 Tim. III. 2. Mich. III. 5. II. 12. 2. Pet. II. 3. 14. (f) *humilis*, μὴ αὐθάδης Tit. I. 7. non *inflatus* 1 Tim. III. 6. qui *dominari* velit clero 1 Pet. V. 2. Ratione

tione 5. *maturitatis*, ut non sit νεόφυτος 1 Tim. III. 6. tam ratione *ætatis*, nimium juvenis; quam imprimis ratione *studiorum*, indoctus; qualem, Chrysostomus νεοκατηχήτην appellat. Ratione 6. *extraneorum*, ut tota sua conversatione, so talem præstet, qui *bonum testimonium habeat, etiam apud hos, qui foris* sunt 1 Tim. III. 7. Occupatur autem, circa hæc ministrorum requisita, praxis, in gratiam: A. *Candidatorum*, ἐπισκοπῆς ὀρεγομένων 1 Tim. III. 1. ut in hæc *omnia*, omnes animi nervos intendant, nec ante ad ministerium se *aptos* credant; quam, si hæc *omnia*, quadam saltem mensura, fuerint assecuti. B. *Presbyteriorum*, si quando *vocatione* ministrorum, aut *examinatione* candidatorum, occupandi sunt Tit. I. 5. 6. ut his omnibus probè exquirendis intenti sint, nec admittant, nisi quos tales experti fuerint 1 Tim. III. 9. C. *Ministrorum* ipsorum, ut in his requisitis, se continuò *exerceant*, magis magisque proficere, & aliis se *exemplar* præstare, nitantur 1 Tim. IV. 7. 8. Tit. II. 7. 8.

Quorsum.

4. Circa actus ministerii.

XLV. Occupatur *quarto*, circa actus ministerii: 1. seu magis *communes* & publicos, quales sunt: α. *prædicatio* verbi 2 Tim. IV. 2. de qua §. seq. paulò distinctius. β. *dispensatio* Sacramentorum: Baptismi Matth. XXVIII. 19. S. Cœnæ 1 Cor. XI. 23. Luc. XVII. 29. *Hoc facite* — γ. preces & δοξολογίαι 1 Tim. II. 1. δ. exercitium *disciplinæ* ecclesiasticæ Matth. XVI. 19. Joh. XX. 22. 1 Cor. V. 3. 4. 5. (a) reprehendendo ἀπροσωπολήπτως 1 Tim. IV. 2. & II. 25. Jes. LVIII. 1. Ezech. XIII. 18. & III. 19. Jes. LVI. 10. (b) excitando ad *resipiscentiam* Act. XXVI. 18. 2 Tim. II. 25. 26. (c) orando pro *contumacibus* Luc. XXIII. 34. (d) recipiendo *resipiscentes* 2 Cor. II. 6. 7. (e) excludendo à communione ecclesiastica *contumaces* Matth. XVIII. 17. 1 Cor. V. 11. 2 Thess. III. 14. 2 Joh. vers. 10. Seu 2. magis *privatos*, tam domesticos Act. XX. 20. quam personales 1 Thess. I. 11. Peculiariter versus: (α) *inconversos*, eos adducendo ad *pœnitentiam* Act. XXVI. 18. 2 Tim. II. 25. 26. Matth. IV. 17. (β) *ignaros*, erudiendo Rom. II. 19. 20. & XII. 7. (γ) *debiles*, confirmando Apoc. III. 2. Act. XIV. 22. (δ) *contristatos* ac dejectos animo, consolando & erigendo. 1 Thess. V. 14. & I. 11. Jes. XL. 1. (ε) *ægrotos*, invisendo Matth. XXV. 36. eosque præparando ad mortem Jes. XXXVIII. 1. (ζ) *omnes*, convenienter suæ *ætati* 1 Tim. V. 1. 2. & *statui* ac conditioni, tractando 1 Cor. IX. 19. 20. 21. 22. Matth. VII. 9. In his autem omnibus, minister occupari debet: A. *Fideliter*, ut minister Domino suo inserviens, non *sua*; sed *Domini* sui, quærendo 1 Cor. I. 12. Phil. II. 21. Jes. LVI. 11. Conf. Col. III. 22. 23. 24. B. *Laboriosè* & diligenter 1 Thess. II. 9. & III. 5. 2 Thess. III. 8. 1 Tim. V. 17. non *desidiosè* & negligenter Jes. LVI. 10. Jer. XLVIII. 10.

Quomodo circa omnia ista occupari debeat Minister.

C. *Prudenter* & ἰσχύοντως Col. I. 28. 2 Pet. III. 15. cuilibet suum dispensando 2 Tim. II. 15. 1 Cor. III. 1. 2. Heb. V. 15. Matth. VII. 9. neglectis παρέργοις 2 Tim. II. 11. 14. *necessariis* frequentius & fervidius insistendo Act. XV. 28. Luc. X. 41. 42. D. *Dependenter* in omnibus à Deo, & à Christo Rom. XV. 18. 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. III. 4. 5. 6. nihil *propriis* viribus conando, aut propriis laboribus adscribendo 1 Cor. III. 5. 6. 7. E. *Patienter*, non tantum ferendo *malos* 2 Tim. II. 24. Gal. VI. 1. sed etiam *mala* 1 Cor. IX. 12. 2 Cor. XI. 23. — 29. 2 Tim. I. 8. F. *Ardenter* cum zelo 2 Cor. XI. 2 Act. XXII. 3. G. *Graviter*, mansuetudini, pro re nata, admiscendo *severitatem* 2 Cor. XIII. 1-5. Gal. III. 1. cum IV. 19. 20. 2 Tim. IV. 2. Tit. I. 12. 13.

5. Circa prædicationem verbi.

LXVI. Occupatur *quinto*, & imprimis quidem, circa publicam verbi divini *prædicationem* 2 Tim. IV. 2. Act. V. 42. 2 Cor. V. 18. 19. monetque ministros, ut verbum Dei prædicent: 1. *methodice* 2 Tim. II. 15. certo ordine, non *servato* tantum; sed & auditoribus *manifestato*, ut filum concionis assequi, memoriæ committere, & cum suis repetere possint: sine quo omnis perit usus & efficacia concionis. *Optimam*, seu praxi commodissimam methodum, delineavimus peculiari diatriba, 2. *Perspicue*, ad captum vel *rudissimorum* 1 Cor. XIV. 18. 19. absque *obscuris* ac phaleratis loquendi modis; ad fastum dicentis; non ad ædificationem auditorum spectantibus 1 Cor. II. 4. 5. Sic cum suis Israëlitis Moses egit, imponendo *velum* faciei, cum ad populum vellet loqui Exod. XXXIV. 30. — Huc Servator tam frequens fuit in *parabolis* Matth. XIII. — Sic Apostoli & Euangelistæ, stylo usi sunt *plano*, facili, vulgari. 3. *Fideliter* Matth. XXV. 21. 23. sunt enim ministri *dispensatores*, in quibus non exigitur nisi *fides* in dispensando 1 Cor. IV. 1. 2. qua *totum* Dei consilium auditoribus patefaciant Act. XX. 27. & quidem pro cujusque ætate, statu, conditione, quod etiam est ὀρθοτομεῖν 2 Tim. II. 15. Porro 4. *humiliter*, ut *non seipsos prædicent*; sed *Christum Jesum Dominum*, se verò non aliter quam *servos* 2 Cor. IV. 5. Gal. I. 10. nec *proprium* honorem sectentur; sed *Christi*: exemplo Baptistæ Joh. III. 30. 31. Insuper 5. *prudenter* Prov. XI. 30. Col. I. 9. 28. non *carnali* quidem astutia 2 Cor. I. 12. sed *spirituali*, qua capiendis & lucrifaciendis Christo *animabus*, qualicunque, ita loquar, *pia* fraudulentia sint intenti. Conf. 2 Cor. XII. 16. 17. seipsos *omnibus* ad omnia accommodando, ut *ex omnibus*, aliquos saltem lucrifaciant 1 Cor. IX. 19. 20. 21. 22. Adhæc 6. nihilominus *audacter*, & cum pio *zelo* Act. IV. 20. Jer. XX. 9. Jes. LVIII. 2. lingua accensa à carbone, de altari sumpto Jes. VI. 6. 7. quin potius à Spiritu S. q. *igneæ* Act. II. 3. 4. Etiam 7. *laboriosè* & frequenter 2 Tim. IV. 2.

prædica sermonem, insta tempestivè & intempestivè, ut *abundent in opere Domini* 1 Cor. xv. 58. non *canes muti sint, & somnolenti, jacentes, diligentes dormitare* Jes. lvi. 10. Ezech. xxxiv. 2. 4. Zach. xi. 17. Adhæc 8. *exemplariter* Tit. ii. 7. 1 Pet. v. 3. Matth. v. 16. Conf. Jud. vii. 17. nec sicut *Pharisæi*, qui magna ligabant, & digito non movebant Matth. xxiii. 4. Tandem 9. *caustanter* Act. vi. 4. 1 Tim. iv. 15. 16. & 2 Tim. iii. 14. Act. xxvi. 22.

6. Circa officia Ecclesiæ versus ministros.

XLVII. Occupatur *sexto*, circa officia *Ecclesiæ* versus ministros verbi, nim ut: 1. ministros à Deo ad se missos, *admittant* & recipiant omni promptitudine Phil. ii. 29. Gal. iv. 14. Matth. x. 40. 41. Ut 2. labores quos sibi impendunt, *grato* animo agnoscant 1 Thess. v. 12. Ut 3. *amore* reciproco; amantes animarum suarum pastores, complectantur 2 Cor. xi. 11. cum 1 Thess. v. 12. Ut 4. cum amore *honorem* & reverentiam conjungant 1 Tim. v. 17. eis, tanquam Dei œconomis 1 Cor. iv. 1. legatis 2 Cor. v. 20. *συνεργοῖς* 1 Cor. iii. 6. 9. Angelis Gal. iv. 13. omnem *reverentiam* præstent: quemadmodum Cornelius Petro Act. x. 33. Conf. Jud. xiii. 17. Atque etiam, ut 5. ipsis velut præpositis suis *obsecundent* Heb. xiii. 17. *verbum adhortationis sufferant* vers. 22. Deut. xvii. 10. & officia sibi præstanda, obsequendi animo *exquirant* Act. ii. 37. Ut porro 6. eos adversus quamvis illatam violentiam, *defendant* Rom. xvi. 4. Ut insuper 7. de externis *vivendi mediis*, liberaliter ipsis prospiciant Gal. vi. 6. 1 Cor. ix. 7—12. Ut 8. pro ipsis *orent* Eph. vi. 18. 19. 2 Thess. iii. 1. Act. iv. 14. cum vers. 29. & xii. 5.

7. Circa efficaciam & fructus ministerii.

XLVIII. Occupatur *septimo*, circa *efficaciam* & fructus ministerii, ut horum quisque conetur fieri particeps. Est enim *ministerium reconciliationis* 2 Cor. v. 18. 19. *resipiscentiæ* Act. xxvi. 18. *ædificationis* Eph. iv. 12. in his & similibus est *efficacia* ministerii; horum ergo nisi facti fuerimus *participes*, *frustra* nobis impensum fuerit ministerium Gal. iv. 11. Phil. ii. 16. 1 Thess. iii. 1. frustra gratia 2 Cor. vi. 1. & quam horrendum hoc est judicium! Heb. vi. 7. 8. Jes. v. 2.— Luc. xiii. 6— Matth. xxi. 33. 44. Jes. lv. 11. cum 2 Cor. ii. 16. Quo autem efficaciam ministerii felicius *assequamur*; juvabit: ab *una parte* præcipuas *sterilitatis* causas perspicere: quarum *prima* est, cor *durum* Matth. xiii. 15. Ezech. xxxvi. 26. 27. *peccatis onustum, cupiditatibus variis actum* 2 Tim. iii. 6. Heb. iii. 12. 13. & iv. 2. *secunda* est *Satanas* Matth. xiii. 19. Zach. iii. 1. 2. *tertia*, *Deus* ipse, horrendo quidem; sed justo judicio Jes. vi. 9. Matth. xiii. 14. Marc. iv. 12. Luc. viii. 10. Joh. xii. 37. 38. 39. 40. Rom. xi. 8. *quarta*, *ministri*, aridâ suâ, ac tepidâ ministrandi & agendi ratione Job. xvi. 2. Jes. lvi. 10. Apoc. iii. 1. 2. neglectu *disciplinæ* ecclesiasticæ 1 Cor. v. 5. 6. *exemplo* pravæ conversationis Matth. xxiii. 3. 4. *quinta* est, cujusque *negligentia* & socordia in usu ministerii Jac. i. 23. 24. Matth. xiii. 2. 3. 4. 19. Proinde, si *fructus* ministerii feliciter velimus carpere; in virtute Dei, adnitendum est quovis modo, ut hæ causæ *tollantur*: tum *ab altera parte* juvabit, rationem tenere seu *media*, quibus sub ministerio efficace constituti, ministerii fructus & efficaciam consequamur. Fiet hoc, si: 1. prævia conveniente *præparatione*, actus ministerii, annunciationem verbi, dispensationem Sacramentorum, aliosque subeamus, nim. cum corde: α. *pœnitente* & fideli Heb. iv. 2. 1 Pet. ii. 1. 2. β. curis temporalibus & bioticis *vacuo* Matth. xiii. 7. 22. qui seipsum totum possit eis impendere 1 Tim. iv. 15. γ. *avido*, & quasi sitiente 1 Pet. ii. 2. cum Luc. i. 53. Psal. cxix. 131. δ. *humili* Psal. xxv. 9. 1 Pet. v. 5. ε. *patulo*, & parato quod *recipiat* circa exceptionem, quævis sibi oblata Act. x. 33. Apoc. iii. 20. Psal. lxxxi. 11. 12. Jer. xli. 3. 5. ζ. *obediente* & practico Psal. cxix. 33. 34. Joh. vii. 17. Luc. viii. 15. Ezech. xxxiii. 31. 2 Paral. xxxvi. 13. Heb. iii. 7. 8. η. *fideli*, quod arreptis promissionibus divinis, benedictionem è cœlo fidenter *exspectet* Heb. iv. 2. cum Jes. xlv. 17. atque etiam θ. devotis *precibus* ambiat Prov. ii. 3. 5. Jac. i. 5. Fiet 2. si, quotiescunque actus ministerii circa nos exercentur, nos habeamus: 1. velut coram *Deo* Act. x. 33. Psal. xvi. 8. profunda *submissione* & reverentia Heb. xii. 28. 29. Gen. xxviii. 16. hæc pellet omnem temeritatem Prov. xxii. 1. 2. congregabit vagabundas cogitationes Psal. cxix. 113. studiosos reddet, qui fructus ministerii percipiamus, eique nos conformemus Deut. v. 29. cum 2. fi cum *devotione* animi, intensissimaque diligentia Jes. xxxii. 3. Act. xvi. 14. fi 3. cum *judicio* & discretione Matth. xv. 10. Job. xxi. 11. 1 Cor. ii. 13. 14. fi 4. cum *affectu* prono, ministerium circa nos occupatum, experiamur Act. ii. 41. Psal. cxix. 162. & vers. 16. Fiet tandem 3. si post exceptos ministerii actus: α. eorum *gustum* constanter asservemus Heb. ii. 1. 2. Luc. ii. 51. & viii. 15. β. asservatum *meditemur* ferio Phil. iv. 8. Deut. iv. 39. Ps. cxix. 15. meditatum, continuo ad *praxin* traducamus Deut. v. 1. Psal. cxix. 60. conf. Jac. i. 25.

Causæ ministerii ineffi-cacis & otiosi.

Media quibus ministe-rium redditur efficax.

CA-

CAPUT TERTIUM,

DE

ECCLESIÆ SACRAMENTIS,

Gen. XVII. 11.

Erit in signum fœderis, inter me, & inter vos.

Applicationis medium secundum est in Sacramentis.

I. DIximus *primum* medium, quo fidem Deus excitat, & Ecclesiam colligit; succedit *secundum*, quo excitatam fidem, & collectam Ecclesiam confirmat & obsignat, quod est in *sigillis*, quæ Sacramenta vulgo appellantur. De his agendum nobis, primo *generalius*, tum specialius de singulis. Generalior Sacramentorum natura repræsentatur. Gen. XVII. 11.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *His verbis, instituendo circumcisionem in Sacramentum Ecclesiæ*, Sacramenti generalem naturam, *repræsentat: idque ex partibus suis essentialibus, nim.*

1. Signo, והיה לאות, & erit in signum. והיה, & erit, *scil. non tantum sibi; sed & semini tuo, seu posteritati tuæ, adeoque* institutio *Sacramenti significatur*, לאות, in signum; *& dum instituit insignum, una opera indigitat, in eo esse naturam Sacramenti in genere, quod sint signa fœderis gratiæ: eo quod Sacramenta ordinarie, signa in Scripturis appellentur* Gen. IX. 12. 13. 17. Rom. IV. 11. Exod. XII. 13. *Est autem signum duplex, vel* repræsentans *rem, seu præteritam* ἀναμνησικὸν; *seu præsentem,* διαγνωσικὸν *seu futuram* προγνωσικὸν: *vel* certificans *insuper, & tum demum est* Sacramentum, *à quo* sigillum *appellatur* Rom. IV. 11. *Hinc Sacramenta sunt* signa, *non tantum nude* repræsentantia; *sed etiam* obsignantia. *Nec etiam hic est negligendum, quod Deus circumcisionem dixerit* fœdus *suum* vs. 9. 10. *dum in textu dicit* signum *fœderis, per Metonymiam signati pro signo, significaturus, Sacramenta esse proprie* signa *rei obsignatæ, licet phrasi Sacramentali, etiam sint ipsa res obsignatæ, propter* unionem *illam sacramentalem, qua, qui signis legitime utitur, eadem opera particeps fit rei significatæ: unde panis in S. Cœna appellatur* corpus *Christi*, Luc. XXII. 19. *calix, N.* fœdus *in sanguine Christi* Luc. XXII. 20. *Baptismus*, lavacrum regenerationis Tit. III. 5. *Pascha*, Christus Exod. XIII. 9. *cum* 1 Cor. V. 7. *Ut una opera hic indigitetur, Sacramenti materia & forma, nim.* unio *inter signum & rem significatam.*

2. Significato, fœderis, ברית, *cujus vocis* vim *alibi diximus* lib. III. cap. XII. §. VI. *Intelligitur autem fœdus, non* naturæ *seu legale, utpote quod abrogatum est, propter ejus violationem, saltem respectu eorum, qui sunt sub fœdere gratiæ, proinde hic non indigitatur, nisi fœdus* gratiæ, *per quod Deus voluit esse, Deus Abrahami & seminis sui electi. Interim duæ notantur hujus fœderis partes contrahentes:* inter me & te: *ut significetur, fœdus quod repræsentant & obsignant Sacramenta, non* μονόπλευρον *esse, quod vel ex parte* Dei *solius; vel ex parte* hominum *tantum offeratur; sed* δίπλευρον, *ex utraque parte. Quamvis enim partes hic non sint utrobique* æquales, *& homo non ita sit sui juris, ut possit in fœdus, seu consentire, seu non; unde Deus etiam ab Abrahamo non* exserte *stipulatur consensum: attamen ex natura fœderis, consensum exigit, licet implicitum, ut* libere *stipulata officia præstet, velut* populus spontaneus, *unde tacite, non obloquendo: Abrahamus fœdus sibi oblatum à Deo, admittit. Hinc partes contrahentes exprimuntur: nim.*

A. Deus, inter me, *ut intelligamus, Deum non nude* partem *esse; sed primam; quin non partem tantum, &* primam *quidem, seu independentem; sed fœderis quoque* auctorem, *à quo* fœdus Dei *passim nominatur. Promittebat autem Deus, in hac confœderatione cum Abrahamo peculiariter:* 1. *se fore* Deum *ipsius* vs. 1. 7. 8. *H. e. se, seipsum, & omnia sua, ei beatificando impensurum* Gen. XV. 1. *tum* 2. *se ipsum egregie multiplicaturum, ipsumque Patrem plurimarum gentium facturum* vs. 4. 5. *ex quo Reges complures essent nascituri* vs. 6. *imo Patrem omnium credentium* Rom. IV. 11. *Porro* 3. *se ipsi terram Canaan, idque in æternam possessionem* vs. 8. *scil. in pignus patriæ cœlestis; daturum. Insuper* 4. *se uxorem ejus fœcundaturum, ut ex ea quantumvis nonagenaria filius nascatur, sese in Reges populorum prosundens* vs. 15. 16. *Quin & 5. se Ismaëli, quantumvis impio, benedicturum, scil. quoad temporalia, ut duodecim Principes ex eo nascantur* vs. 20. *Stipulabatur autem: α. Ut se*

agnoſcat & habeat pro Deo omniſufficiente vſ. 1. β. *ut ambulet in conſpectu ſuo, fide & reſipiſcentia.* γ. *ut fœdus ſuum ſervet*, vſ. 9. *religioſe præſtando promiſſa fœderis* δ. *ut ſignum ac ſigillum, conſtanter obſervet* vſ. 11.—15. *Conf. quæ in hanc rem occurrent* lib. VIII. cap. 1. §. XXII.

B. Eccleſia, & inter te, *ſcil. Abrahamum, cui tamen conſtruendum* ſemen *ejus* vſ. 7. cum mere naturale, *excepto ſolo Iſmaële* vſ. 21. *& poſtmodum etiam Eſavo; cum ſuis Edomitis: tum* mere ſpirituale, *omnes ſcil. illi qui* ambulaturi *eſſent* in veſtigiis Patris Abrahæ Rom. IV. 11. 12. 16. 17. Gal. III. 29. *tandem & naturale ac ſpirituale* ſimul. *Conf.* Lib. VIII. cap. 1. §. XX. *Abrahamus equidem Deo nihil condicit ſeu promittit* exſerte, *quod ſe ad omnia ejus poſtulata*, natura *obſtrictum agnoſceret, interim* tacendo *omnia recipit ejus poſtulata: nec etiam quicquam* exſerte *ſtipulatur à Deo, quod fidelem agnoſceret qui promittebat; niſi quod ſtipulabatur, ſeu orabat potius vitam Iſmaëlis* vſ. 18. *Proinde mutuus partium conſenſus, qui eſt de eſſentia fœderis, adfuit: ſed ex parte* Dei explicitus: *ex parte* Abrahami, implicitus.

Pars dogmatica.

Fœdus ſuum cum Eccleſia Deus certiſſimis ſignis & ſigillis, confirmare voluit.

III. Uſitatum ergo eſt apud Deum, fœdus ſuum cum Eccleſia, certis roborare *ſignis* & *ſigillis*. Ita factum deprehenditur: penes fœdus naturæ, confirmatum *duplici* ſigno: arboris *vitæ*, & ſcientiæ *boni* & *mali* Gen. 11. 9. 17. penes fœderis gratiæ: α. primam renovationem cum Noacho & ſuis, *Arcam* Gen. VI. 18. cum 1 Pet. III. 20. & 2 Pet. II. 5. & *Iridem* Gen. IX. 12. 13. 14. 15. 16. pro ſignis fœderis dixit: penes β. fœderis ejuſdem ſecundam renovationem cum Abrahamo, *Circumciſionem* conſtituit Gen. XVII. 9. 10. 11. penes γ. tertiam renovationem cum Iſraële ſub Moſe, circumciſioni junxit *Paſcha* Exod. XII. -- ſacrificia, univerſamque legem *ceremonialem*: penes δ. ſolenne fœderis gratiæ complementum ſub Meſſia, duplex ſignum conſtituit, *Baptiſmum* Matth. XXVIII. 19. cum 1 Pet. III. 21. & S. *Cœnam*, abrogatis circumciſione & paſchate Matth. XXVI. 26. 27. 28. Quin & ε. æternæ collationis, & perfectæ poſſeſſionis, ſignum præſtare voluit in ſabbathiſmo *ſeptimi* diei Heb. IV. 8. 9. 10.

Probatur ſcripturis.

& rationibus.

IV. Rationes hujus conſilii eſſe poſſint: 1. ut ad noſtram *infirmitatem* ſe Deus demitteret: quamvis enim ſolum Dei verbum, nobis ſufficere poſſet, & deberet etiam; voluit tamen *ſigna* & *ſigilla* adjicere, quo promiſſiones fœderis, non tantum *audiremus*; ſed etiam *videremus*; & ſenſibus externis perciperemus Jeſ. VII. 9. 10. 11. & XXXVIII. 7. tum 2. ut per *ſenſibilia* ad *intelligibilia*, ſpiritualia, cœleſtia & æterna nos deduceret. Joh. III. 11. 12. Porro 3. ut, ſicut per *ſenſus externos*, auditum ſimul & viſum, mors & peccatum nos occupaverunt Gen. III. 6. cum Jer. IX. 21. ita per eaſdem *ſenſuum* feneſtras, mortis & peccati remedium propinaret. Denique 4. cum omnis noſtra cognitio, plerumque à *ſenſibus* incipiat; eo quod, ſecundum Philoſophos, nihil ſit in intellectu, quod non ante fuerit in *ſenſibus*; cumque omnis noſtra inſtitutio, quamdiu in hac ſumus imperfectione, per *ſigna* fiat, non ea tantum quæ *auditui* exponuntur; ſed ea etiam quæ *viſui* patent: viſum Deo, in ſpiritualibus etiam, quæ fœdus gratiæ concernunt, ordine ſueto cum Eccleſia agere.

Confirmatio vocis: etymologica,

V. Quo igitur *naturam* horum ſignorum commodius repræſentemus; ordiendum à *voce*. *Sacramentum* communiter *rem ſacram* notat, ſeu uſui ſacro deſtinatam. Auctoribus latinis notabat: 1. *pecuniam* ſive pignus, à litigantibus, apud Pontifices, in loco ſacro depoſitum, quo multabatur qui cauſa cadebat. 2. *Juſjurandum* ritu ſacro peractum: qua notione in re militari frequenter uſurpatur. Apud Scriptores *eccleſiaſticos*, notat quodvis myſterium, quemlibet ritum ſacrum, quo arcana ſpiritualia, velabantur adumbrabanturque: vox à Tertulliano primum uſurpata legitur. Et quatenus ſigilla fœderis peculiariter notat, non *uno* ſenſu ſemper venit: quandoque A. ſolum *elementum* ſacramentale notat Gen. XVII. 11. Rom. IV. 11. quandoque B. totum *complexum* ſacramentale, prout ſignum comprehendit & rem ſignificatam 1 Pet. III. 21. Græcis μυστήριον frequenter dicitur, quo *partim* arcana religionis Chriſtianæ dogmata 1 Tim. III. 16. Eph. V. 32. *partim* ſigna & *ſigilla* fœderis gratiæ deſignabant: tum quod occulta Græcorum ſacra, multiplicibus olim conſtabant ritibus; tum, quod externi illi ritus, arcanam ſignificationem haberent. Scriptura rectius *ſigna fœderis* appellat Gen, IX. 12. 13. & XVII. 11. *ſigilla juſtitiæ fidei* Rom. IV. 11. *ſigna* ſimpliciter Exod. XII. 13. ὑποδείγματα Heb. VIII. 5. & IX. 23. ἀντίτυπα 1 Pet. III. 21. quæ denominationes longe ſignificantiores ſunt, quamvis vulgato jam *ſacramenti* uſui, nolimus obſtrepere.

homonymica. ſynonymica.

Definitio Sacramenti:

VI. Quantum ad *rem*, Sacramentum brevisſime definitur: *ſignum & ſigillum fœderis gratiæ*. Hic: 1. *ſignum* dicitur, h. e. tale quid, quod per immediatam ſui perceptionem, alterius rei cogitationem ciet: ſive cum ea re nexum habeat *naturalem*, ut eſt in ſignis *naturalibus*, v. g. quando fumus, ignem ſignificat præſentem: ſive *moralem* tantum, ex inſtitutione oriundum: & talia demum ſigna ſunt Sacramenta. Cum autem ſigna, vel: α. rem *præteritam* repræſentent, qualia ſunt ἀναμνηστικὰ, memoriæ refricandæ inſervientia Joſ. IV. 6. vel β. *præſentem*, qualia διαγνωστικὰ, Ezech.

XX.

xx. 2. Deut. vi. 8. vel γ. *futuram*, qualia sunt προγυμνικὰ Jes. vii. 11. 14. tenendum, quod in Sacramentis hæc omnia coëant. Nec tantum signum dicitur: sed etiam 2. *sigillum* Rom. iv. 11. quatenus non nude *repræsentat*; sed etiam repræsentando *confirmat*, & promissa obsignat, habetque rationem testimonii divini *secundarii*, quo testimonium illud *primarium*, quod in promissione continetur, respectu nostri specialiter confirmatur. Est denique 3. Sacramentum signum & sigillum, *fœderis gratia* Gen. xvii. 11. Matth. xxvi. 28. cum Exod. xxiv. 8. Idque ab *utraque* parte Gen. xvii. 11. *inter me, & inter vos*, quatenus illis, & *nobis* Deus promissiones suas obsignat; & nos vicissim *Deo*, obsequia nostra. Fœdus etiam obsignat, non *internum* tantum, quod est inter Deum, & quemque verè *fidelem* privatum; sed etiam *externum*, quod est inter Deum & totam quandam societatem: sive *nationalem*, prout fuit sub V. T. scil. inter Deum, & universam nationem Judaicam; sive quomodocunque *ecclesiasticam*, quomodo sub N. T. communionem membrorum Ecclesiæ alicujus particularis obsignant 1 Cor. x. 17.

Materia Sacramenti:

VII. *Materiam* ergo Sacramenti, duo ingrediuntur, signum & res significata. ℵ. *Signum* rursus duplex, nim. α. *repræsentans*, quod est elementum: *visibile* & palpabile, prout patet inductione omnium Sacramentorum ordinariorum, utriusque œconomiæ. 2. *à Deo* institutum, ut docent omnia Sacramenta: quod alias ineptum sit quidvis, ad significandum & obsignandum nobis fœdus gratiæ. β. *applicans*, seu usus elementorum, ritusque illi, quibus, vel *dispensantur* à ministro; vel *accipiuntur* à populo. Duplex istud signum, junctim concurrit ad constitutionem Sacramenti: adeo ut extra *usum*, elementa; nec *ante* nec *post* sint Sacramenta. ב. *Significata* res, spiritualis est & invisibilis, nim. fœdus gratiæ, ejusque, Mediator pariter & beneficia, de quo lib. v. cap. 1. actum est.

Forma Sacramenti est unio Sacramentalis.

VIII. *Forma* autem, est *unio* signi cum re significata: non α. *corporalis*, per contactum & coëxistentiam procurata, qualis est inter duos asseres, glutine constrictos: nec β. *imaginaria*, qualis est inter oculum videntem, & rem visam: nec γ. *spiritualis* propriè, qualis est inter Christum & fidelem: sed δ. *sacramentalis*, qua, licet res significata, in signo non contineatur, & multo minus signum naturaliter sit; virtute tamen institutionis & *promissionis* divinæ, talis est inter signum & signatum nexus *moralis*, ut, qui convenienter institutioni divinæ, accipit signa, simul accipiat rem significatam: ut patet in circumcisione Gen. xvii. 7. 11. in Paschate Exod. xii. 13. in Baptismo Marc. xvi. 16. Gal. iii. 27. Rom. vi. 4. in S. Cœna 1 Cor. x. 16. Præsupponunt istam unionem, phrases omnibus Sacramentis, utriusque œconomiæ, communes; quibus significatum enunciatur de signo, v. g. quando circumcisio dicitur *fœdus* Gen. xvii. 9. 10. ritus paschalis, *sacrificium*, *transitus* Exod. xii. 27. Baptismus, *lavacrum regenerationis* Tit. iii. 5. calix, *novum testamentum* Luc. xxii. 20. petra, *Christus* 1 Cor. x. 4. Fundamenta istius unionis, tria observantur: 1. *Similitudo* & analogia, inter signum & significatum, quæ in omni Sacramento necessario præsupponitur, ut patet inductione. 2. *Institutio* divina, quæ *mandatum* complectitur, quo *officium* hominibus imponitur, utendi elementis ad istum finem sacrum; & *promissionem*, quæ fidem utentibus facit, se non frustra sic usuros. Talis institutio, inductione confirmatur, omnium utriusque testamenti Sacramentorum: ejus verbum, dicitur *consecratio*, *benedictio*, *sanctificatio*, *separatio*. 3. *Usus*, auctoritate divina præscriptus, cujus tanta vis est, ut ejus defectu, huic aut illi, corpore præsenti, & accipienti, illud non sit Sacramentum, quod aliis est maxime efficax. Fundatur hac *unione* sacramentali, sacramentalis phraseologia, qua: (1) signum prædicatur de re significata: ut quando sanctificatio cordis, dicitur circumcisio Rom. ii. 29. (2) res significata de signo, quando v. g. circumcisio dicitur fœdus Gen. xvii. 11. panis, corpus Christi Matth. xxvi. 26. (3) effectum significati enunciatur de signo v. g. quando Baptismo tribuitur regeneratio Tit. iii. 5. (4) proprietas signi, tribuitur rei significatæ, ut quando fractio, quæ competit pani, tribuitur corpori Christi 1 Cor. xi. 24. (5) proprietas rei significatæ, tribuitur signo, ut quando Baptismo externo, tribuitur remissio peccatorum Act. xxii. 16. Quæ phraseologia, in aliis etiam negotiis, non raro usurpatur v. g. Gen. xli. 26. 27. Dan. iv. 20. 21. 22. & vii. 17. 23. 26. Matth. xiii. 37. 38. 39. Apoc. xvii. 9. 12. Ab hac etiam *unione* sacramentali, nec institutionem & promissionem divinam, est mutatio elementorum (non *naturalis* quidem; sed *moralis* seu relativa potius, ratione usus sacri) & conversio qualiscunque *mystica* in res significatas, quam Græci τροπὴν, μεταβολὴν, μετασοίχησιν, μεταπόιησιν, & Latini olim, *transsubstantiationem* appellabant, quatenus substantia supponitur pro substantia, quam in μετουσίαν naturalem, postea q. transsubstantiaverunt.

Hujus fundamentaria.

Hujus consectarium in phraseologia sacramentali.

Auctor Sacramentorum.

IX. *Auctor* Sacramentorum, solus est *Deus*, ut patet: (1) inductione perpetua, Circumcisionis Gen. xvii. 7. 9.—. Paschatis Exod. xii.—baptismi Matth. xxviii. 18. 19. S. Cœnæ 1 Cor. xi. 23. (2) rei ipsius natura, quatenus Deus *solus* beneficia Sacramentis promissa, præstare potest: atque eo etiam (3) quod Sacramenta sint actus religionis maxime solennes, quales, citra dubium,

Administri. bium, ſolus Deus inſtituere poteſt Exod. xx. 18. 19. Jeſ. xix. 13. Matth. xv. 9. Jac. iv. 12. *Adminiſtri* vero, illi *ſoli* ſunt, quibus verbi publice annunciandi poteſtatem fecit Matth. xxviii. 19. 20. qui hinc *diſpenſatores myſteriorum* Dei audiunt 1. Cor. iv. 1. 2. His, licet omnino incumbat *fideliter* adminiſtrare, convenienter præſcripto auctoris, non tamen adſcribenda eſt Sacramenti, vel dignitas, vel efficacia: cum hæc, præſuppoſito legitimo uſu, ex ſola pendeat divina *promiſſione* Matth. iii. ii.

Finis Sacramentorum quintuplex. X. *Finis* Sacramentorum communis, eſt: 1. homini, humano more, per ſenſibilia ſigna, repræſentare & *offerre* (*accipite* Matth. xxvi. 26.) fœdus gratiæ, ejus Mediatorem, omniaque beneficia; invitare ad præſtandam fœderis conditionem, h. e. accipiendum viva fide Chriſtum Matth. xxvi. 26. *accipite, hoc eſt corpus meum*, cum Joh. i. 12. tandem præſtita conditione, obſignare *juſtitiam fidei* Rom. iv. 11. cum Gen. xvii. 11. Fœdus autem iſtud obſignat, non ex parte *Dei* tantum, *ero Deus tuus*; ſed etiam ex parte *noſtri*: *erimus tibi populus* Jer. xxxi. 1. 2 Cor. vi. 18. ſcil. pro natura fœderis, quæ conſiſtit in ὁμολογίᾳ, ſeu conſenſu mutuo. 2. *Conteſtari* communionem ſanctorum, h. e. non unionem tantum, quam cum *Chriſto* habemus ut Capite; ſed communionem inſuper, quam colimus cum *omnibus* illis, qui ejuſdem unionis ſunt conſortes, velut cum membris 1 Cor. x. 16—22. & xii. 12. 13. Hinc 3. *refricare*, imo continuam facere memoriam, fœderis gratiæ, omnium ejus beneficiorum, & communionis ſanctorum Exod. xii. 14. 17. Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 26. Inſuper 4. veræ religionis & Eccleſiæ *teſſeras* præſtare, quibus profiteatur veritatem Chriſtianam, agnoſcaris veræ Eccleſiæ membrum, diſcrimineris ab infidelibus & hæreticis Act. ii. 41. quo etiam ſpectabat olim circumcifio, cum univerſo apparatu ceremoniali, tanquam μεσότοιχον τὸ φραγμὸν Eph. ii. 14. quando infideles, *præputiatos* deſignabant 1 Sam. xvii. 26. 36. Jeſ. lii. 1. & in Eccleſia primitiva, qui Chriſtum profitebantur, & in Eccleſiam recipiebantur, continuo baptizabantur Act. ii. 38. 41. & ix. 18. & x. 48 & xvi. 33. atque etiam, conſtantiam *in doctrina & communione*, conteſtabantur fractione panis Act. ii. 41. Conf. 1. Cor. x. 20. 21. Tandem 5. his omnibus *fidem* confirmare & munire, unaque ſalutem æternam efficaciter promovere Marc. xvi. 16. Act. ii. 38. cum vſ. 40. 1 Pet. iii. 20. 21.

Verbi & Sacramentorum, convenientia & differentia. XI. Ex dictis facili negotio colligi poteſt, *convenientia* & *differentia* verbi & Sacramentorum. Utrobique enim idem repræſentatur gratiæ fœdus, idem ejus Mediator, eadem beneficia: ſed verbum *promittit*; Sacramentum *confirmat* & obſignat Gen. xvii. 11. cum Rom. iv. 11. verbum *generat* fidem; Sacramentum *alit*, nutrit, firmat: verbum *communius* operatur reſpectu quorumvis, ad productionem fidei; Sacramentum *reſtrictius*, ratione fidelium, ad confirmationem fidei productæ: verbum *abſque* Sacramentorum uſu ſervare poteſt; *non* autem uſus Sacramentorum abſque verbo: verbo promiſſiones & beneficia fœderis ſpiritualia, *audimus*; Sacramentis etiam, ſuo modo, *videmus*. Ut Sacramentum non fit niſi verbum *viſibile*, quo & audiendo, & videndo, & contrectando, magis confirmaremur in fide noſtra 1 Joh. i. 1. Pſ. xxxiv. 9.

Sacramentorum distributio. XII. Sunt autem Sacramenta, vel fœderis *operum*, arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali, de quibus ex profeſſo monuimus lib. iii. cap. xii. §. xx. xxi. vel fœderis *gratia*. Hujus Sacramenta ſpectant, vel ad *vetus* Teſtamentum, vel ad *novum*. *Vetus* Teſtamentum Sacramenta habuit: A. Extraordinaria, nim. 1. *Arcam* Gen. vi. 18. *ſtatuam fœdus meum tecum, & ingredieris arcam*, collati cum Heb. xi. 7. & 1 Pet. iii. 20. 21. Eſt enim hic, tum fœdus gratiæ, tum ſymbolum ſignificans & obſignans, *ingredieris arcam*. 2. *Iridem* Gen. ix. 12.—18. Conf. Jeſ. liv. 9. 10. & Apoc. iv. 3. & x. 1. & Ezech. i. 28. 3. *Columnam* igneam & nubeam Exod. xiii. 20. 21. 22. Num. xii. 5. cum 1 Cor. x. 1. 2. & Pſal. cv. 39. porro 4. *Mare rubrum* Exod. xiv. 15.—cum 1 Cor. x. 1. 2. Inſuper 5. *Manna* Exod. xvi. 3.—cum Joh. vi. 31.—36. & 1 Cor. x. 2. 3. Adhæc 6. *aquam ex rupe* Exod. xvii. 2.—8. cum 1 Cor. x. 4. Erant quatuor poſteriora Sacramenta V. T. *ambulatoria* & tranſitoria. B. *Ordinaria* duo: alterum *generationis* ſpiritualis, nim. *Circumciſio* Gen. xvii. alterum *nutritionis*, nim. *Paſcha* Exod. xii. de quibus nos capp. duobus ſequentibus, σὺν θεῷ paulo diſtinctius. *Novum* Teſtamentum, nulla habet *extraordinaria*, ac *duo* tantum *ordinaria*, ordinariis V. T. analoga: Baptiſmum Matth. xxviii. 18. 19. S. Cœnam Matth. xxvi. 26. 27. de quibus per capita duo ſequentia, ſi Deus volet, ex profeſſo. Hujus loci tantum eſt *collatio* Sacramentorum veteris & novi Teſtamenti: quoad 1. *convenientiam*: α. in generali *ſignorum* natura, & relatione ad rem ſignificatam β. in *auctore*, Deo γ. re *ſignificata*, Chriſto cum beneficiis ſuis δ. inſtrumento *applicationis*, quod utrobique fœdus idem obſignent, per fidem noſtram accipiendum. Unde ἀντίτυπα, h. e. ducti ex eodem exemplari typi, eademque forma ſignati, & ſpectantes ad eundem Chriſtum imagines, appellantur 1 Pet. iii. 21. quod latius exſequitur Paulus 1 Cor. x. 1. 2. 3. 4. quoad 2. *Diſcrepantiam*, in accidentalibus & circumſtantialibus conſpicuam; (a) in ſignis & ritibus *externis*, quæ ſub N. T. magis ſunt naturalia & ſimplicia, adeoque minus mutabilia (b) in numero (c) utendi commoditate majore ſub N. quam

Ordinaria. Sacramenta N. T. duo. Collatio Sacramentorum V. & N. Teſtamenti.

quam sub V. T. (d) objecti amplitudine, quod illius, circa solos Abrahamidas fuerint occupata; quando hujus, ad omnes gentes se profundunt (e) significandi claritate & efficacia (f) duratione (g) euangelicâ suavitate; cum V. T. nonnihil rigoris legalis importarent. Ut recte, *pauca pro multis, factis facillima, intellectu augustissima, observatione castissima*, Augustinus appellet N. T. Sacramenta.

Pars Elenchtica.

Quæritur.

1. An vox, Sacramenti, in Ecclesia sit ferenda?

XIII. Quæritur *primo*, an Sacramenti *vox*, in Ecclesia sit ferenda? Sociniani, non tam *vocis*, quam *rei* odio, rejiciunt, ut commodius alia quoque nomina, sibi exitialia. v. g. Trinitatis, personæ, satisfactionis &c. eliminare possint. Anabaptistæ, eo quod sit ἄγραφος, negligunt. Pontificii calumniantur, nos vocem ferre non posse. Reformati, denominationem ἔγγραφον, præferunt quidem Latinæ, vulgo ignotiori; non tamen, vel *rejiciunt*, vel *negligunt*: teste experientia, omnium Theologorum nostrorum, & Scriptorum Ecclesiæ nostræ symbolicorum. Imo nec eliminandam censent, eo quod: α. civitatem ecclesiasticam, longa possessione, obtineat: nec β. ulla justa eliminandi ratio suppetat, atque etiam γ, re salva, circa vocem receptam altercari, prohibitum existiment 2 Tim. II. 16. Nec habent Sociniani & Anabaptistæ, quod in contrarium causentur, quam quod vox sit ἄγραφος. Verum, cum res significata sit ἔγγραφος, & Scriptura, non Latine loquatur; sed Hebraice & Græce; quæstio tota huc veniet: an voces אות, σημεῖον, σφραγὶς, sint reddendæ per *signum*, aut *sigillum*; an per *Sacramentum*? & sic pure philologica fiet.

2. An Sacramentum commodius definiatur, per actionem, quam per signum?

XIV. *Secundo* quæritur, an Sacramentum accuratius definiatur per *actionem*, quam per *signum*? Pontificii & Lutherani, quo commodius obstetricentur suæ transubstantiationi, & consubstantiationi; accuratius per *actionem*, quam per *signum* definiri existimant. Reformati contrarium malunt, eo quod: 1. Scriptura sic statuat Gen. XVII. 11. Rom. IV. 11. 1 Pet. III. 21. Quod 2. actio & signum sint *disparata*, toto genere diversa; proinde, cum Sacramentum, ipsis adversariis consentientibus, definiri possint per *signum*; manet, non posse definiri per *actionem*. Quod 3. actiones illæ, quæ sunt de perfectione aut essentia Sacramenti, illud non ut actiones simpliciter; sed ut actiones significativæ, seu ut signa, ingrediantur. Nec proinde obstat: (1) quod Sacramenta, mediantibus *actionibus* significent: cum hoc commune sit quibusvis signis, quæ propterea non desinunt esse signa: (2) quod Sacramenta extra usum, seu actionem, non sint Sacramenta: hinc enim pessime conficitur, *usum* esse genus in definitione Sacramenti: quod (3) signum sit pars tantum Sacramenti, proinde etiam per *signum* definiri non possit. Resp. *Signum*, materialiter consideratum, aut contradistincte ad significatum; nobis non constituit *genus* Sacramenti: sed *formaliter*, quatenus connotat significatum, & sic non est pars Sacramenti.

3. An Sacramenta, sint nuda signa, & tesseræ professionis Christianæ?

XV. *Tertio* quæritur, an Sacramenta sint *nuda* signa; seu tesseræ professionis Christianæ; an vero *sigilla* obsignantia promissiones divinas? Sociniani & Anabaptistæ, quia, in gratiam liberi arbitrii, infallibilem gratiæ & salutis *certitudinem*, & non recipiunt; statuunt esse *nuda* signa. Pontificii & Lutherani (quia negamus, nos in S. Cœna, corpus & sanguinem Christi, *intra nos* accipere) idem nobis tribuunt; sed per impudentem *calumniam*. Pontificii licet non statuant esse *mera* signa; non tamen admittunt, esse etiam *sigilla*: quia infallibilem salutis *certitudinem* inficiantur. Reformati, licet non credant, rem significatam signis *contineri*, aut cum signis *physice* unum esse; concedunt quidem, esse signa & tesseras professionis (sicut diximus §. x.) sed negant esse *nuda* signa, affirmant asse *sigilla* insuper, rem signatam repræsentantia, offerentia & exhibentia, ex pacto promissionis divinæ. Eo quod: 1. hoc omnibus & singulis tribuatur, utriusque Testamenti, Sacramentis *ordinariis*: Circumcisioni Gen. XVII. 11. cum Rom IV. 11. Paschati Exod. XII. 12. 13. 1 Cor. VII. 7. Baptismo 1 Pet. III. 21. Cœnæ Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24. 25. proinde non *meræ* sunt tesseræ professionis; sed *signacula* alicujus promissionis. Quod 2. Sacramentis tribuantur rei significatæ *nomina* Exod. XII. 11. 1 Cor. X. 4. & XI. 24. *effecta* Act. XXII. 16. Eph. V. 26. Tit. III. 5. *affectiones* 1 Cor. X. 16. & XI. 24. Quod 3. *alia* signa promissioni addita, obsignarint Jud. v. 36. 37.-- Jes. VI. 5. 6. 7. Zach. III. 3. 4. proinde etiam in Sacramentis, signa addita promissionibus, obsignant. Nec obstat, quod: A. fuerint *tesseræ* professionis Christianæ; cum unum non tollat aliud, ut docuimus §. x. Quod B. *sigilla* præstent testimonium *promissioni* alicui, id quod non faciunt Sacramenta: cum tantum constent ritibus externis. Resp. Præstant & Sacramenta, ex pacto & *promissione* divina testimonium, ut docuimus §. x. Quod C. verbum *solum*, proprie confirmet promissiones divinas. Resp. Et verbum &. Sacramenta, confirmant, ut diximus §. x. D Verbum sufficit confirmationi; ergo non Sacramenta. Resp. Verbum sufficit respectu *Dei*; sed non respectu nostri, alias circumcisio non esset sigillum, contra Apostolum Rom. IV. 11. E. Alias falsum aliquando obsignarent, respectu saltem hypocritarum. Resp. α. Interim circumcisio obsignabat Rom. IV. 11. β. Obsignant sub conditione *veræ* fidei. F. Sic notiora essent obsignatis promissionibus.

Argumenta.

Objectiones.

nibus. Resp. Sunt, conjuncta promissionibus, idque respectu nostræ infirmitatis. G. Infantes fidem non habent; proinde ipsis nihil obsignari potest. Resp. Electi habent Spiritum fidei 2 Cor. IV. 13. cum 1 Cor. VII. 14. H. Fides prærequiritur in Sacramento, ergo non obsignatur. Resp. Fides non obsignatur; sed promissiones fidei factæ. Nec etiam valet sequela, quemadmodum in usu conspicillorum: facultas videndi prærequiritur, dum interim visio conspicillis egregiè confirmatur.

4. An Sacramenta N. T. gratiam efficiant ex opere operato?

XVI. *Quarto* quæritur, an Sacramenta N. T. gratiam efficiant ex *opere operato?* Pontificii, quò majorem hiatum faciant, inter Sacramenta V. & N. Testamenti, ac majorem *dignitatem* præstent Sacramentis N. T. eoque facilius enitantur ad dignitatem suorum Sacerdotum, & inde etiam ad papatum; licet cum magna Sententiarum discrepantia, statuunt, Sacramenta V. T. gratiam fecisse, ex opere *operantis* tantum, h. e. ex bona dispositione & intentione accipientium; quando Sacramenta N. T. gratiam producant ex opere *operato*, h. e. ex vi & efficacia ipsius actionis sacramentalis. Lutherani, quamvis ex opere operato, *verbis* negent; attamen, quò commodius obtineant, fideles pariter & infideles, *ex æquo* in S. cœna, accipere verum corpus & sanguinem Christi: eandem efficaciam videntur *reipsa* asserere. In defectu hic peccant Sociniani & Anabaptistæ, quando Sacramenta non volunt esse, nisi nudas tesseras professionis, quos notavimus & refutavimus §. XV. Reformati, efficaciam Sacramenti ad varia referunt: in signis quidem sacramentalibus, pro natura signorum, non agnoscunt, nisi efficaciam *moralem*, quæ consistat, in significando, offerendo, & præstitis præstandis, *obsignando* gratiam significatam: *fidem* habent pro conditione, sine *qua non* vult Deus communicare significatum: *promissionem* divinam, pro fundamento *unionis* sacramentalis, quatenus Deus promisit, se, his qui ex præscripto suo utuntur signis, gratiam significatam infallibiliter collaturum: *Spiritum* S. solam esse causam *physicam*, quæ gratiam significatam conferat: proinde negant Sacramenta, quovis modo, gratiam producere ex *opere operato*. Quia Scriptura: 1. *physicam* efficaciam Sacramentorum, seu collationem rei significatæ, soli tribuit Deo Matth. III. 11. *Ille vos baptizabit Spiritu & igne* Tit. III. 5. *Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* 1 Cor. XII. 13. *per unum Spiritum -- baptizati sumus* -- Conf. Eph. IV. 30. *per quem obsignati estis*, & 2 Cor. I. 21. 22. Quia 2. Sacramentis istam efficaciam *adimi* 1 Pet. III. 21. Rom. IV. 10. 11. 1 Cor. X. 1. 6. Act. I. 5. Quia 3. efficaciam Sacramentorum refert ad talia, quibus non nisi *moralis* competit operatio: e. g. ad *verbum* Eph. V. 26. ad *fidem* Marc. XVI. 16. Quia 4. signa sacramentalia, velut res crassæ & *materiales*, nec *spiritualem* virtutem continere; nec *spiritualem* animæ nostræ substantiam attingere, eique virtutem *spiritualem* introducere; nec in anima virtutem istam spiritualem, *creare* & producere possunt. Quia 5. ex Pontificiorum hypothesi (qua, Sacramenta in momento producunt gratiam) efficacia illa ex *opere operato*, nec primæ consecrationis syllabæ competit, nec succedentibus, nec ultimæ: essent enim reliquæ omnes consecrationis syllabæ, superfluæ: quin & sic, non per *totam* consecrationem: sed per *unam* tantum ejus syllabam, gratia efficeretur. Quia 6. efficaciam illam, Pontificii ab intentione *operantis* seu sacrificantis suspendunt: proinde non ex *opere operato* pendet. 7. Sacramenta sunt *signa* & *sigilla* Rom. IV. 11. Proindè non operantur, nec continent sua significata. 8. Præsupponunt gratiam; ergo non producunt *physice*. 9. Verbi & Sacramentorum eadem est operandi ratio; ast verbum non operatur gratiam physicè, sed solus Spiritus S. ergo nec Sacramenta 10. Gratia Dei non est alligata Sacramentis, quia Deus est agens liberrimum: conferre gratiam virtute physica, soli Deo competit; hinc etiam multi absque Sacramentis, servati sunt, ut latro & alii; dum alii cum Sacramentis damnati leguntur, ut Simon Magus. In contrarium nihilominus causantur: A. Quod Baptismus, nos *salvet* Marc. XVI. 16. 1 Pet. III. 21. *regeneret* Joh. III. 5. 6. Tit. III. 5. Conf. Eph. V. 26. Resp. Utrumque falsum est: Marc. XVI. Baptismus non dicitur *salvare*; sed qui *crediderit* & Baptizatus fuerit, *salvabitur*, scil. à Deo: Joh. III. eon agitur de Baptismo, utpote qui tum temporis, à Christo nondum institutus erat, tanquam ordinarium N. T. Sacramentum: nec Tit. III. Baptismus dicitur *regenerare*; sed *lavacrum* tantum *regenerationis*, quod eam significet & obsignet, quando interim regeneratio ipsa, satis clare Sp. S. tribuitur. De quo cap. seq. plura. B. Quod baptizemur in *remissionem* Act. II. 38. Resp. 1. Non tamen *remittit* Baptismus; nec 2. *remissio* consistit nisi in *ablutione*, seu actione morali. C. Imò quod *abluat* Act. XXII. 16. *Baptizare & ablue peccata tua.* Resp. Hoc est, accipe ablutionem, in *sigillum* remissionis peccatorum. D. Quod *per* impositionem manuum collata sint dona Spiritus S. Act. VIII. 17. 18. 1 Tim. IV. 14. Resp. 1. Impositio manuum non est Sacramentum. 2. *Per* impositionem dona conferebantur, perinde ut *per* manus Apostolorum *miracula* fiebant Act. XIV. 3. h. e. moraliter tantum. E. Sacramenta conferunt quod promittunt. Resp. *Offerunt moraliter* credentibus; sed Deus promittens confert physice, F. Sacramenta conferuntur infantibus, quibus non possunt obsignare, ergo conferunt gratiam. Resp. Obsignant electis infantibus gratiam objective, licet non intelligant, sicut regnum infanti hæredi adscribi potest.

Sententia adversariorum.

& Reformatorum.

Horum rationes.

Illorum objectiones.

XVII. *Quin-*

5. An efficacia Sacramenti pendeat ab intentione ministri?

XVII. *Quinto* quæritur, an ab *intentione* ministri, pendeat efficacia Sacramenti? Pontificii, quamvis efficaciam Sacramentis N. T. tribuant ex *opere operato*; nihilominus, ut magis extollant dignitatem sacrificulorum (utpote à quorum *intentione*, pendeat omne bonum Sacramenti) eoque facilius tandem pertingant ad papatum; affirmant, absque Sacerdotis *intentione* faciendi quod facit Ecclesia, Sacramentum nullam habere efficaciam, quamvis cum maxima sententiarum discrepantia: aliis actualem, aliis habitualem, aliis virtualem intentionem exigentibus. Reformati, quamvis in ministro necessariam agnoscant, piam animi præsentiam & intentionem, ut ea destitutus, *sibi* graviter peccet; non tamen *populo* accipienti Sacramentum, aliam intentionem necessariam statuunt, quam ipsius *operis*, qua, ea publice fiunt, quæ pro Sacramento Christus fieri jussit. Eo quod: 1. Scriptura, ministri intentionem, populo accipienti, necessariam esse, nullibi doceat. Quod 2. efficacia Sacramenti, pendeat à fidelitate Dei promittentis, quæ perfidia ministri, impediri nullo modo potest Rom. III. 3. Quod 3. ex incerta hac ministri intentione, nemo certus esse possit de efficacia Sacramenti, adeoque omnis Sacramenti consolatio cessaret. Addam 4. quod ex hypothesi adversariorum, populus pontificius non possit esse certus, quod Papa suus sit baptizatus, aut legitime ordinatus, adeoque verum caput Ecclesiæ: nec, quod sacrificus in Missa vere transubstantiaverit: adeoque nesciat, an Creatorem adoret, an creaturam. Insuper 5. peccatum personale ministri, non potest derogare communicantibus. Porro 6. verbi efficacia non pendet ab intentione prædicantis: eadem autem est ratio verbi & Sacramenti, quatenus utrobique non est nisi instrumentum Dei *morale*. Objiciunt tamen: A. Verba possunt esse ambigua & incerta; proinde intentio necessaria est, quæ sola possit sensum determinare. Resp. Verba valent *usu*, & ab hoc *determinatur* verborum sensus. B. Sequeretur aliàs, qui lavaret aliquem sanitatis causa, Deum invocando verbis Baptismi, eum baptizare: item, ad lectionem verborum illorum in mensa: *hoc est corpus meum*; totum panem mensæ fore consecratum. Resp. Non sequeretur, quia in his, non tantum intentio *operantis*; sed etiam *operis* abesset, quæ posterior ad Sacramentum omninò requiritur, ut necessaria ad essentiam Sacramenti.

Argumenta.

Objectiones.

6. An Sacramenta N. T. animo imprimant characterem

XVIII. *Sexto* quæritur, an ulla N. T. Sacramenta, animæ *characterem* imprimant indelebilem? Pontificii, nescio quo consilio, solis N. T. Sacramentis tribus, Baptismo, Confirmationi & Ordini, talem characterem vindicant, quæ propterea non sint repetenda: qui fit, non *relatio*; sed *qualitas* absoluta, aptum faciens ad cultum divinum, configurans Christo, & distinguens ab aliis. Reformati negant, quia: 1. Nihil de hoc *charactere* prodit Scriptura. 2. ipsi Pontificii nesciunt, *quid* sit hic character, an qualitas, an relatio realis, an relatio rationis. Quia 3. omnem absurditatem superat, per indelebilitatem hujus characteris: eum qui plene susceptit characterem *bestiæ*, imo qui jam in inferno existit; gestare talem characterem, qui ipsum configuret Christo, qui ipsum distinguat ab aliis. Quia 4. etiam inutilis est & otiosus; neque enim nos discernit apud Deum qui καρδιογνώστης characterе non indiget: neque apud homines, quia spiritualis fertur & occultus. &c. A. Loca Scripturæ, quæ Bellarminus pro hoc charactere notat 2 Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. & IV. 30. & quæ alii addunt ex V. T. Ezech. IX. 4. Jes. LXVI. 18. 19. item Gal. VI. 17. 1. Tim. IV. 14. nil minus spirant quam talem characterem: prout patebit, vel obiter inspicienti textus istos. Si dicant B. Quod Circumcisio impresserit characterem, ac proinde etiam Baptismus, quippe Circumcisio N. T. Col. II. 11. Resp. Non impressit *spiritualem*, quem volunt Pontificii: sed *carnalem*, qualem non agnoscunt Pontificii Gen. XVII. 11. 13. Nec *indelebilem*, cum *præputium* alere potuerint 1 Cor. VII. 18. Neque Baptismus Circumcisioni respondet per *omnia*. C. Servi Dei dicuntur signandi in montibus Apoc. VII. 3. Resp. Non signo *sacramentali*: sed partim spiritus, partim professionis fidei: intùs non extus in *frontibus*. D. Baptismus non aliunde est iterabilis. Resp. Hoc falsum est; sed à *regeneratione*, quæ semel tantum fit, & à remissione peccatorum, quæ simul & semel fit.

Indelebilem. Argumenta. Objectiones.

XIX. *Septimo* quæritur, an eandem *specie* efficaciam, habuerint Sacramenta V. T. quam habent Sacramenta N. T.? Pontificii quo magis extollant statum Ecclesiæ N. T. & deprimant statum V. T. sic distinguunt: 1. Sacramenta V. T. gratiam contulisse dicunt, ex opere *operantis*; quando N. T. efficaciam conferant ex opere *operato*. 2. Illa fuisse *figuras* tantum gratiæ; hæc autem *causas*. Denique 3. illa tantùm ad purificationes *carnis* fecisse, nullas autem promissiones *spirituales* habuisse; prout nostra habeant. Lutherani etiam, quo commodius sustineant, *oralem* carnis Christi manducationem in cœna, adversus insultum Pauli 1 Cor. X. 3. 4. discrimen aliquod *essentiale* inter Sacramenta V. & N. T. admittunt. Reformati, ut in signis sacramentalibus, in modo significandi, in gradu perspicuitatis & efficaciæ, aliisque *circumstantialibus* agnoscunt (juxta ea quæ observavimus §. XII.) ita in *essentialibus* nullum discrimen admittunt. Eo quod: 1. Circumcisio dicatur signum & sigillum *fœderis* gratiæ, ejusque justitiæ quæ est *per fidem* Gen. XVII. 7 — 10. cum Rom. IV. 11. Quod 2 Paulus Col. II. 11. 12. Circumcisioni & Baptismo *idem* tribuat; dum *eandem* gratiam, & Circumcisionis & Baptismi nomine designat. Conf.

7. An Sacramenta V. T. eandem specie gratiam habuerint, quam habent Sacramenta N. T.? Sententia adN. T. rationes. & Reformatorum.

Phill. III. 3. atque idem etiam circa *Pascha* facit 1 Cor. v. 7. 8. Quod 3. 1 Cor. x. 1.—4. veteribus esca potusque *spiritualis* tribuatur; & idem etiam qui nobis suppetit, puta Christus. Quod 4. nomina Sacramentorum veterum, transferantur ad Ecclesiam *novam* Phil. III. 3. Col. II. II. 1 Cor. v. 7.

Illorum objectiones.

Præcipuum, quod pro se obtendunt Pontificii, est, quod: A. Sacramenta vetera, passim appellentur *inutilia*, infirma, egena, umbræ, carnem tantum sanctificantia. Resp. 1. Talia dicuntur *absque* fide & respiscentia accipientibus; non autem *in se*. 2. Talia sunt sub N. T. cum toto cultu ceremoniali, jam *abrogato*; non quod olim talia fuerint. Quod B. vetera fuerint typi & figuræ *novorum* 1 Pet. III. 21. Resp. cum & Sacramenta N. T. sint typi & figuræ rerum *significatarum*; absurdum est, typos typorum, & figuras figurarum fingere. Nec hoc facit Apostolus 1 Pet. III. 21. sed *ejusdem* rei significatæ, puta salutis æternæ, *duos* typos inter se confert, Arcam & Baptismum: quorum hic, quia posterior, atque etiam clarior & illustrior, alterius *ἀντίτυπος* ei appellatur. Quod C. nostra Sacramenta *regenerare* & salvare dicantur, non autem vetera. Resp. Signa sacramentalia N. T. *nullibi* regenerare aut salvare dicuntur, prout docuimus §. XVI.

2. An duobus plura sint N. T. Sacramenta?

XX. *Octavo* quæritur, an *duobus* plura dentur N. T. Sacramenta? Anabaptistæ nonnulli tria numerant, Baptismum, S. Cœnam, & *Lotionem* pedum, quos refutavimus lib. v. cap. XI. §. XXXV. Pontificii *septem* statuunt: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, eaque variis modis inter se conferunt, ratione necessitatis, dignitatis, efficaciæ &c. Reformati *duo* tantum, Baptismum & S. Cœnam. Eo quod: 1. sola *duo* ista, Christus legatur instituisse. Conf. 1 Cor. X. 2. 3. 4. & XII. 13. Quod. 2. adversarii spuria sua *probare* nequeant. Quod 3. antiquitas plura non agnoverit. Quod 4. spuria Pontificiorum Sacramenta laborent in essentialibus: quatenus, aut legitimis *signis*, visibilibus scil. & à Christo institutis, destituuntur: v. g. Pœnitentia (de qua actum lib. VI. cap. IV. §. XXVIII.) Matrimonium &c. aut re *significata*, gratia scil. *justificationis*: v. g. Ordo, Unctio extrema, Matrimonium. Pontificii causam spuriorum suorum Sacramentorum, sic agunt, ut partim singula eorum *rationibus* probare; partim numerum universum, conquisitis *analogiis* probabilem facere conentur; verum adeo jejune, ut refutaturo, nullam omnino molestiam, creatura confidamus.

Pars practica.

Praxis:

1. Explicat in Sacramentis

XXI. Praxis hujus capitis, sese exonerat in contemplationem singularem, singulorum Sacramentorum. *Generaliter* Sacramenta, *primo* nobis explicant, stupendam Dei *φιλανθρωπίαν καὶ συγκατάβασιν*, quâ: 1. non tantum *fœdus* gratiæ, cum miseris *homuncionibus*, imo turpissimis *peccatoribus*, inire, seque ipsis debitorem præstare voluit Gen. XVII. 7. 11. cum Hos. II. 18.— Nec 2. tantum ejus vadem & *expromissorem* dare, proprium & unigenitum suum *filium* Heb. VII. 22. Nec 3. tantum virtute hujus fœderis, ei tot ac tam preciosa *promissa* facere 2 Cor. I. 20. cum 2 Pet. I. 4. Nec 4. omnia ista, *verbo* tantum infallibili addicere Tit. I. 2. Heb. VI. 17. 18. & credenda offerre Heb. XI. 1. sed etiam 5. pro conditione infirmitatis nostræ, omnibus fere *sensibus* nostris externis, haurienda præstare: auditui, visui, gustui, tactui Psal. XLVIII. 9. & XXXIV. 9. Imo, quod magis est, 6. acsi verbum suum nobis non *sufficeret*, *signa* etiam adjicere Joh. IV. 48. Matth. XII. 38. cum Jes. VII. 11. & *sigilla* insuper Rom. IV. 11. Quin & 7. non *unum* tantum qualecunque, sed *plura*: quibus & *generatio* nostra spiritualis, & *nutritio*, constansque conservatio obsignaretur 1 Cor. XII. 13. & X. 2. 3. Et quæ insuper 8. tam *commoda* sint usu, tam *facilia* imo jucunda (si comprimis conferantur cum Sacramentis antiquæ œconomiæ) *aquam* scil. *panem* & vinum 1 Cor. XII. 13. cum Jes. LV. 1. 2. 3. Cant. V. 1. Quanta bone Deus! in his omnibus apparet Dei humanitas & *condescensio*! Et quorsum apparet? nisi ut: A. grato animo *sentiamus* Psal. XXXIV. 9. *celebremus* Psal. CIII. 1—6. cum Matth. XXVI. 30. *referamus* Psal. CXVI. 12. 13. 14. B. Ut cum fide, comprimis circa usum Sacramentorum, omnes *sensus* nostros arrigamus, non tantum *agnoscendis*, sed etiam *percipiendis* beneficiis fœderis gratiæ: utpote quæ in illis, & fidei, & sensibus nostris ad hoc offeruntur Psal. XXXIV. 9.

tis stupendam humanitatem condescensionem Dei.

Quorsum.

XXII. *Secundo*, eadem opera commendant nobis dignitatem & *excellentiam* suam; 1. ab *Institutore*, Deo Gen. XVII. 11. Exod. XII.— Christo *θεανθρώπῳ* 1 Cor. XI. 24. *Rege Regum*, *Domino dominantium* Apoc. XVII. 14. *Domino gloriæ* 1 Cor. II. 8. Tum 2. ab institutionis *fine*, ut instituto-ris ineffabilem amorem, quem morte demonstravit, ad mentem nobis revocaret Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24. 25. Porro 3. ab *usu* & efficacia eorum: nim. significando, offerendo, obsignando; & *fidem*, & omnes *sensus* nostros, exercere & occupare. Etiam 4. à signorum *paucitate*, *commoditate*, facilitate: collata cum asperitate difficultate & preciositate signorum V. T. Conf. Act. XV. 10. cum Matth. XI. 29. Denique 5. à rerum *significatarum*, scil. fœderis gratiæ, ejusque beneficiorum, ineffabili *præstantia* & dignitate: quam §. *præced.* dudum repræsentavimus. Ab his omnibus, aliisque, se Sacramenta commendant, ut: A. ea non *contemnamus*, si elementorum materiam

2. Commendat dignitatem & excellentiam Sacramentorum.

Quorsum.

aspicia-

aſpiciamus vulgarem, eoque *minus* precioſam: neque enim materia; ſed uſus hic ſpectandus, & efficacia. Conf. Rom. 11. 4. B. Neque *negligamus*, cum hæreticis Archonticis veteribus, Swenckfeldianis, Enthuſiaſtis & Perfectiſtis modernis 1 Cor. xi. 25. cum Heb. 11. 3. Neque C. temere aut *perfunctorie* tractemus, precioſiſſima fœderis & amoris ſigilla, monente Apoſtolo 1 Cor. xi. 27. —

3. Suadet uſum Sacramentorum, & legitimum quidem.

XXIII. *Tertio*, ſuadet ex adverſo, Sacramentorum *uſum*, & legitimum quidem. N. *Uſum* ſane, quia: 1. Sacramenta, extra uſum, non ſunt Sacramenta. Quia 2. uſus eorum exſerte *præſcribitur* Act. 11. 38. Luc. xxii. 19. Quia 3. *media* ſunt cum verbo conjuncta; proinde etiam cum verbo uſurpanda Act. 11. 42. Quia 4. tendunt ad confirmationem *fidei*; proinde *accipienda*. Conf. Apoc. 111. 2. Quia 5. ſunt *ſigilla fœderis*, quæ ab omnibus fœderatis conſtanter & religioſe ſunt uſurpanda Gen. xvii. 23. 26. Quia 6. ſunt *inſtituta* Dei, quæ religioſe ſunt ſervanda Deut. x. 13. 3. *Legitimum* uſum: ab uſu enim legitimo, ſeu tali qualem præſcripſit auctor, promiſſio efficaciam ſuſpendit, ut in dogmaticis monuimus. Ad legitimum uſum exigitur: 1. Ut *utens* ſit vere *fœderatus*, cui promiſſio facta ſit Act. 11. 38. 39. ſunt enim Sacramenta, ſigna & ſigilla *fœderis*: ut proinde etiam ſit vera ac *viva fide* præditus Heb. 1v. 2. quia in confirmationem *fidei*, Sacramenta tendunt, adeoque fidem præſupponunt. Ut 2. in legitimum *finem* uſurpentur, v. g. in *memoriam* Chriſti 1 Cor. xi. 23. in commemorationem *mortis* ejus *Ibid.* vſ. 26. in renovationem fœderis, in confirmationem fidei &c. Ut 3. legitimo *modo* uſurpentur; h. e. A. prævia *præparatione* 1 Cor. x. 2. 3. 4. 5. B. juſta diſpoſitione, *intra* ipſum uſum, h. e. cum reverentia, devotione, & animi præſentia, absque fiducia *operis operati* 1 Cor. x. 2. 3. 4. 5. Tandem C. ut promiſſa ſolennis confœderationis, uſu Sacramentorum factæ, fideliter *præſtare*, per omnem vitam adnitamur Pſ. cxvi. 14. 18. De his capp. ſequentibus plura.

CAPUT QUARTUM,

DE

SACRAMENTIS REGENERATIONIS.

Col. 11. 11. 12.

In quo etiam circumciſi eſtis, Circumciſione quæ fit ſine manibus, in exuitione corporis peccatorum carnis, per Circumciſionem Chriſti, conſepulti cum eo per Baptiſmum &c.

Primum utriuſque Teſtamenti Sacramentum ordinarium, eſt regenerationis.

UTriusque Teſtamenti, Sacramenta ordinaria, duo diximus: habuit enim quoque Sacramentum *generationis* ſpiritualis, & *nutritionis*. De ſingulis horum ſingulatim agemus, per totidem capita. Sacramentum *generationis* ſpiritualis, ſeu *regenerationis*, Veteri Teſtamento fuit *Circumciſio*; Novo, *Baptismus*. De quibus conjunctim agemus, (quod ſibi invicem lucem fœnerentur) præeunte Apoſtolo Col. 11. 11. 12.

Pars Exegetica.

Textus exponitur.

II. *Ubi Apoſtolus repræſentat*, & Circumciſionem, & Baptiſmum; *illam velut Baptiſmum Veteris Teſtamenti, hunc ut Circumciſionem Novi T. quod utrobique Sacramentum ſit regenerationis, ſeu introductionis in fœdus gratiæ: & utrumque idem, quoad ſignatum ſeu ſpirituale ſuum. Ut hic habeamus:*

1. Circumciſionem: *penes quam notatur.*

A. Circumcidens *ſpiritualis*, ἐν ᾧ. *Iſta ſi reddantur*, *per* in quo, *ſignificabunt unionem noſtri cum Chriſto, factam fide & Spiritu. Cujus ope, Chriſto circumciſi ſumus, etiam Circumciſione* externa, *quatenus Chriſtus, non tam ſui; quam noſtri cauſa circumciſus fuit: cum præputium ſpirituale reſecandum, h. e. corruptionem auferendam, perſonaliter conſideratus, non habuerit, ac proinde ad noſtram reſecandam, circumcidi voluerit: ſi vero referas* per quem, *quod, ex analogia contextus univerſi, præferendum cenſeo; habebimus, Chriſtum eſſe cauſam Circumciſionis noſtræ* ſpiritualis, *adeoque* circumcidentem; *utpote cujus* merito & efficacia, *Circumciſio cordis, in regeneratione, apud nos peragitur, quippe à quo omnium Sacramentorum, utriusque Teſtamenti, fructus ſalutares, in nos derivantur* Matth. 111. 11. 1 Cor. x. 1.--5. *Prout ſub V. T. Circumciſio ſpiritualis, Deo aſſeritur* Deut. x. 16. & xxx. 6.

B. Circumcisi, vos circumcisi estis. *Non omnes homines* Jer. IX. 26. *nec omnes carnaliter seu extrinsece circumcisi. Ibid. seu qui fidem in Christum* profitentur *tantum* Rom. II. 25--*sed* vos *Colossenses Christiani, quos* cap. I. *describerat* sanctos, fideles, in Christo *existentes, seu cum Christo unitos, licet ortu gentiles.*

C. Circumcisio, περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ. *Occurrere videtur Christianis illis Judaizantibus, qui & Christianis Circumcisionem externam esse necessariam, ac proinde fidelibus Colossensibus insultabant, eo quod in Christo non essent* completi, *ut dixerat Apostolus* vs. 10. *ex eo quod non essent circumcisi: his*, inquam, *occurrere videtur; affirmando, eos omnino esse circumcisos, quamvis non Circumcisione, quæ manibus peragitur. Distinguit ergo, inter Circumcisionem, quæ* manibus *humanis olim procurabatur; & ἀχειροποίητον, quæ sola virtute Christi ac Dei peragitur, prout etiam distinguit* Rom. II. 28. 29. *seu in* externam *& carnalem, &* internam *seu spiritualem, quæ priore illa præfigurabatur. Eodem animo, alibi* Phil. III. 2. 3. *distinguit inter* κατατομὴν Concisionem, *&* περιτομὴν Circumcisionem: βλέπετε κατατομήν: nos enim sumus Circumcisio (περιτομὴ) spiritu Deo servientes (λατρεύοντες) & gloriantes in Christo Jesu.--

D. Circumcisum, *seu Circumcisione resectum: ἐν ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός. Videtur his verbis Apostolus, referre analogiam significati cum signo in Circumcisione. Sicut enim duplex in ea est* signum: repræsentans, *nim.* præputium *carnis, &* applicans, *puta* amputatio *& resectio ejusdem: ita duplex quoque est* significatum, *scil.* 1. præputii, corpus carnis peccatorum 2. amputationis, exuitio *corporis istius; proinde duo hic notantur:*

α. Exuitio, *significatum* amputationis *seu resectionis: ἐν ἀπεκδύσει*, in exuitione. *Estis circumcisi in exuitione peccati: sicut enim in Circumcisione* externa, *per amputationem, cuticula carnis quæ ambit genitale masculinum: ita Circumcisione* interna, *seu spirituali, quasi exuitur corpus carnis. Exuitur autem peccatum; partim quoad* maculam, *regeneratione, conversione, sanctificatione; prout in correlativo fit per Baptismum, quatenus est regeneratio & renovatio Spiritus Sancti: partim quoad* reatum, *remissione peccatorum, sicut in Baptismo per sanguinem Christi. Nec obstat, quod peccatum in circumcisis, & baptizatis etiam* spiritualiter, *adhuc superst: fit enim exuitio, α. quoad* reatum *quidem remissione* perfecta, β. *quoad* maculam, *sanctificatione, inchoata tantum hic, quamquam consummanda posthac γ. in* membris *imperfecte, in* capite *Christo perfecte.*

β. Exuendum: τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς. *Intelligitur significatum* præputii, *cum hac differentia, quod, cum ibidem exuitio facta fuerit particulæ cujusdam corporis, in Baptismo exuatur totum* corpus, *& quidem* peccatorum. Corporis *vocem, nonnulli* proprie *capiunt, ut significetur hujus regenerationis Sacramentum, scil. Baptismus, allusione facta ad* immersionem, *apud quam exuitio omnium vestimentorum requirebatur, unde nata videtur phrasis,* exuere veterem hominem: *alii* tropice *intelligunt, pro* veteri homine, *sive vitiosa natura, quæ à macula,* corpus peccatorum *appellatur, sicut à* reatu *&* pœna, corpus mortis. *Nec obstat, quod addatur;* peccatorum carnis, *cum caro eandem sonet nativam corruptionem: quoniam ab hac* carne, *seu corruptione* originali, *omnia peccata actualia prosiliunt: nisi malis* corpus carnis *dici exegetice, quod* corpus *caro est, quia* corpus *multarum rerum est, quarum nulla* caro *est.*

2. Baptismum, *velut Circumcisioni analogum, cujus traduntur:*

א. Denominatio *duplex:*

α. Analogica, per Circumcisionem Christi. *Sic Baptismus appellatur, quod, ratione significati, idem fuerit cum Circumcisione, unde non abs re Circumcisionem Baptismum diximus V. T. sicut Baptismum Circumcisionem Novi Test.* §. 1. *Quamvis diversa fuerit; tum quoad œconomiam, quatenus illa obtinebat sub V. Oeconomia; hic autem sub Oeconomia N. T. tum quod signa, quæ diversa fuerunt, sub utraque Oeconomia. Dicit ἐν ᾧ. sive præpositionale ἐν, reddatur per* IN, *ut notet unionem nostri cum Christo, & significet communionem Circumcisionis Christi* passivæ, *quatenus ipse pro nobis, & nos in ipso circumcisi sumus: sive per διὰ*, per, *ut significetur, nos merito & efficacia Circumcisionis Christi, quoad rem significatam,* per *Christum circumcisos esse* active, *quod malo: res eodem fere redibit.*

β. Propria, *qua* Baptismus *denominatur, cujus naturam repræsentabimus in* dogmaticis. *Hoc tantum observandum, quod hic per Baptismum non intelligatur tantum, externum ejus* signum; *sed insuper ejus res significata, adeoque totum Sacramenti complexum.*

ב. Partes, *saltem quoad significatum, nim.*

A. Mors & sepultura, συνταφέντες αὐτῷ ἐν βαπτίσματι, consepulti cum eo in Baptismo; *Scil. Christo: sic dicit, quia mors & sepultura Christi, non tantum typus est & exemplar; sed*

etiam

etiam causa, spiritualis mortis & sepulturæ carnis, seu veteris nostri hominis, quæ sepultura Baptismo significatur & obsignatur Rom. VI. 4. *Alludit ad Baptismum, prout tempore Christi & Apostolorum conferri solebat, non per* aspersionem; *sed per* immersionem, *qua baptizandus quasi sepeliebatur in aqua. Quæ sepultura, mortem qualemcunque præsupponebat; sic corpus peccatorum carnis, quasi mortificatur & sepelitur, quando ejus vis & dominium enervatur, & quasi cadaver terra obruitur, ne possit amplius movere, & quoquo velit, hominem impellere. Hoc autem in Baptismo fit: cum in persona Christi, cui per Baptismum inserimur, eoque nobis donantur beneficia mortis Christi: tum in nobis ipsis, non tantum* sacramentaliter; *sed etiam* realiter, *per Spiritum gratiæ, in Baptismo acceptum.*

B. Resurrectio, *seu vivificatio spiritualis:* ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε, in quo etiam coëxcitati estis. *In quo vel* Baptismo; *vel* Christo: & coëxcitati estis, *scil. spiritualiter, à vitiis, quæ* mors *appellantur* Eph. II. 1. 3. Matth. VIII. 22. *ad novam vitam. Perpetua allusione ad Baptismum veterem* immersionis, *quo baptizati, velut sepulti, emergentes quasi resurgebant, & in aliam vitam transibant. His autem duabus partibus conficitur* regeneratio, *quam & Circumcisio olim; & Baptismus nunc, repræsentant & obsignant, quin & conferunt suo modo.*

C. Conditio *his prærequisita,* διὰ τῆς πίστεως, per fidem. *Pendet enim, & unio nostri cum Christo, qua sumus* in eo; *& communio omnium ejus beneficiorum, qua consepelimur & resurgimus cum eo, à* fide Marc. XVI. 16.

D. Causa *principaliter operans, per fidem* operationis Dei. *Seu per fidem,* quam *in vobis operatur Deus* Eph. I. 19. 20. *seu per quam fidem, Deus operatur in vobis apud Baptismum, sepulturam illam & resurrectionem spiritualem. Additur periphrasis illius* ἐνεργείας *divinæ:* qui ipsum, *scil. Jesum* suscitavit è mortuis. *Ut intelligamus spiritualia illa procurari, non viribus, vel Baptismi* externi; *vel nostris propriis; sed infinita illa Dei efficacia, qua Jesum suscitavit è mortuis* Eph. I. 19. 20.

Pars Dogmatica.

Deus, introitum in fœdus gratiæ, qui fit per regenerationem, Circumcisione & Baptismo, suis obsignare voluit.

III. Deus ergo, primum *ingressum* in fœdus gratiæ, seu in regnum suum, qui fit per *regenerationem* Joh. III. 5. suis duplici Sacramento repræsentare & obsignare voluit: nim. 1. sub *veteri* dispensatione per *Circumcisionem*: unde non modo, statim post conditum fœdus gratiæ, *Abrahamo* est præscripta & accepta Gen. XVII. 9. 10. 11. 13. sed etiam ejus *posteris*, mox à nativitate, cum primum ingrederentur regnum Dei, collata fuit Gen. XVII. 12. quod esset signum & sigillum regenerationis Deut. X. 16. Jer. IV. 4. Rom. II. 29. Col. II. 11. Tum 2. sub *nova* dispensatione, per *Baptismum*, unde statim, post receptum professionem Christum, conferebatur Baptismus, perque eum introducebantur baptizati in regnum Christi

Probatur Scripturis, & rationibus.

Act. II. 38, 41. & IX. 18. & XX. 16. quod esset *lavacrum regenerationis* Tit. III. 5. cujus ope in regnum Dei introimus Joh. III. 5. Rationes hujus consilii sunt, ut significaret Deus: (α) nos omnes natura esse *extra* fœdus, extra regnum Dei Eph. II. 12. (β) cum *præputio* corruptionis originalis nasci Psalm. LI. 7. Joh. III. 6. Nec (γ) ab eo posse liberari, absque profusione *sanguinis*: ut patet in Circumcisione, qua sanguis circumcisi profundebatur; & in Baptismo, quo sanguis *expromissoris* substituitur 1 Joh. I. 7. Neque etiam (δ) liberari posse absque *regeneratione* Joh. III. 3. 5.

Quid sit Circumcisio.

IV. Circumcisio igitur, est Sacramentum introductionis in fœdus gratiæ, sub V. Testamento. Hic, dum *Sacramentum* dicimus, omnia illa ipsi asserimus, quæ cap. *præced.* de Sacramentis dicta sunt: dum Sacramentum *introductionis* appellamus; à Paschate distinguimus, quod Sacramentum *nutritionis* erat: & dum *V. Testamenti* addimus, à Baptismo discriminamus.

Partes Circumcisionis.

V. Partes ejus essentiales, sunt: 1. *signum* duplex: α. *repræsentans*, præputium Rom. II. 26. cuticula circa membrum genitale, peculiarem respectum gestans ad generationem: quæ primæ generationi adsit, ac tollenda sit, ut secunda generatio, seu *regeneratio* succedere possit. β. *applicans*, *resectio* præputii, in maribus tantum, femellis censitis maribus 1 Cor. VII. 10. cum Gen. XXXIV. 14. 24. & XVII. 14. 15. quam minister peragit nomine Dei, & circumcidendus admittit: 2. res *significata*: a. *præputii* quidem, est *corruptio* peccati, cum omni suo consectario, reatus & culpæ Levit. XXVI. 41. Rom. II. 25. 26. b. *resectionis* autem, ablatio corruptionis originalis, eatenus saltem, ut non dominetur Rom. II. 29. Act. VII. 51. Col. II. 11. 12. Generale significatum utriusque, est, tum, fœdus gratiæ *internum*, omniaque ejus beneficia Gen. XVII. 1. 2. 10. 11. Matth. XXII. 32. tum *externum* fœdus, seu nationale Gen. XVII. 9. 10.

Causæ Circumcisionis: auctor,

VI. Causa: α. *instituens*, solus erat *Deus*, eo quod, ipse solus potentiam haberet auferendi præputium cordis Deut. XXX. 6. pangendi fœdus gratiæ Gen. XVII. 1. 2. conferendi beneficia istius fœderis Gen. XV. 1. Psal. LXXXIV. 12. & XXXIII. 12. institutionis interim *periodus*, duplex observatur:

altera ab Abrahamo, velut in primis Ecclesiæ incunabulis, cum Abrahamus annum ætatis ageret nonagesimum nonum Gen. XVII. 1. 9. 24. 25. qui coincidit cum anno mundi 2107. hactenus non fuit Sacramentum *catholicum*, toti Ecclesiæ indictum; sed solis Abramidis Gen. XVII. 25. 27. *altera* à Mose, ubi suam consecuta est ἀκμὴν & catholica evasit toti Ecclesiæ Joh. VII. 22. Eph. II. 11. β. *Ministeriales*, sub periodo *ante-Mosaica*, Patriarchæ erant Gen. VII. 23. & XXI. 4. & si qui forte ministrorum ordinariorum vices præstabant, ut primogeniti & Patres familiarum: sub periodo autem *Mosaica*, Sacerdotes I. Macch. II. 46. nec exemplum Zipporæ Exod. IV, 24. 25. ullibi probatur. γ. *Instrumentum* operationis, culter, & culter quidem *acutus*, saltem צר Exod. IV. 25. si non *lapideus* insuper Jos. V. 2. cum Ps. LXXXIX. 44. δ. *Forma* erat *in unione* sacramentali, inter elementum ac ritum externum; & rem significatam, ablationem scil. præputii spiritualis, & in fœdere gratiæ: qua unione, spiritualia illa *significabat* Gen. XVII. 11. *obsignabat* Rom. IV. 11. & *conferebat* suo modo, h. e. sacramentaliter, à quo *fœdus* appellatur Gen. XVII. 10. 13. 14. Act. VII. 8. ε. *Fines* varii observantur: 1. ut Abrahamo & Abramidis, memoriam aleret *præputii spiritualis*, h. e. corruptionis originalis, omniumque ejus consectariorum Deut. X. 16. Jer. IV. 4. & IX. 26. Act. VII. 51. tum 2. ut obsignaret *liberationem* ab hoc præputio spirituali Col. II. 11. Rom. IV. 11. porro 3. ut *tesseram* civitatis, in Ecclesia & Republica judaica præstaret: unde alieni, *præputiati* dicuntur Gen. XXXIV. 15. Ad hæc 4. ut circumcisos, ad observantiam *universa* legis obstringeret Gal. V. 2. 3. 4.

minister, instrumentum, forma, fines.

VII. Ad Circumcisionis περιτομικὰ pertinent: 1. ejus *subjectum* δεικτικὸν, omnes Israëlitæ mares Gen. XVII. 10. cum Jos. V. 4. 7. & qui ad familiam Judæorum spectabant, usque ad *servos*, & servorum natos, exceptis mercenariis Gen. XVII. 26. 27. etiam *proselyti justitiæ* Matth. XXIII. 15. Act. II. 10. Tum 2. statum Circumcisionis *tempus*, *octavus* præcise dies Gen. XVII. 12. & XXI. 4. quod ante illum diem, & puerpera & nati, olim essent habendi pro *impuris* Levit. XII. 2. 3. Conf. Exod. XXII. 30. cum Levit. XXII. 27. forte etiam, quod ante illud tempus, infans perferendis Circumcisionis *doloribus*, non esset par. Tempus illud *anticipare*, nulla causa, quantumvis fontica, licebat: quod *impurum* Deo offerre nefas esset, idque absque ullo infantis non circumcisi, si forte præmoreretur, detrimento: *differre* tamen, ex causa fontica fas fuisse videtur, ex analogia loci Marc. II. 27. Porro 3. sanctio pœnæ *excidii*, in contemtores neglectoresque Gen. XVII. 14. scil. adultos: qui, aut suipsius: aut suorum Circumcisionem neglexissent. Qua pœna, mors significatur, seu: α. *naturalis*, inferenda, non tam per *Magistratum* politicum, quod ejus nullum exitet, vel mandatum, vel exemplum; quam per *Deum* ipsum. Conf. Levit. XVII. 10. & XX. 4. 5. 6. seu β. *politica* & *ecclesiastica*, qua non-circumcisus, tanquam profanus & *non-judæus* habebatur, ac sacris prærogativisque populi Dei, excidebat: seu etiam γ. *æterna*, qua à semine Abrahami, ejusque benedictionibus, exclusus esset, ni resipiscceret Gal. III. 13. 14. eo quod *fœdus* Dei *repudiasset* Gen. XVII. 14.

Circumcisionis circumstantia.

VIII. Succedit *Baptismus* seu βάπτισμα, quod. si etymon spectes, *lotionem*, *ablutionem* notat Marc. VII. 4. Luc. XI. 38. sive *aspersione*, sive potius *immersione*, procuratam Matth. III. 16. conf. Act. VIII. 31. Fuit Baptismus usitatus 1. *Gentilibus*, qui peccata aquis abluebant, & potiora sua mysteria, lotionibus consecrabant: 2. *Judæis*, qui pollutos ad sacra non admittebant, nisi lotos; nec *proselytos* in Ecclesiam & Rempublicam, nisi circumcisos pariter & lotos, postquam scil. solenni examine, prælectos sibi religionis judaicæ articulos, professi fuissent. 3. *Christianis*, qui ritum, antea apud Judæos *humanum* tantum & ecclesiasticum, à Christo *consecratum*, & in Sacramentorum catalogum relatum; pro abrogata Circumcisione usurpant, eoque oblatos in Ecclesiam recipiunt. Sonat autem apud hos Baptismus: α. donorum Spiritus S. collationem: quæ *baptismus flaminis* veteribus dicitur Matth. III. 11. Act. I. 5. 6. calamitates, mortem & martyrium: quæ, Baptismus *sanguinis* alias dicuntur Matth. XX. 22. 23. γ. *doctrinam* fidei, seu Baptismi: quæ Baptismus *luminis* quibusdam appellatur Act. XVIII. 25. δ. Sacramentum *ablutionis*, per aquam procuratæ, quæ Baptismus *fluminis* indigitatur Matth. III. 11.

Quid Baptismus, vocetenus.

IX. Postremus hic Baptismus, est *Sacramentum regenerationis*, *seu introductionis in fœdus gratiæ*, *sub Novo Testamento*. Ut Baptismus commode insigniatur *Circumcisio* N. Testamenti; sicut Circumcisio, *Baptismus* V. Testamenti. *Signum* α. *repræsentans* quidem, seu elementum in Baptismo, est *aqua* Joh. I. 31. 33. Act. VIII. 36. 37. non *ignis*, ut olim hæretici quidam volebant, & aqua *pura* Heb. X. 22. absque ulla salivæ, lactis aliorumque liquorum mixtura; quod *simplex* aqua, commodissima pariter & significantissima sit Heb. X. 22. 23. β. *applicans* autem, *ablutio* Matth. XXIII. 19. Joh. I. 31. 33. Act. VIII. 36. sive illa fiat *immersione* Matth. III. 6. 16. Joh. III. 23. Act. VIII. 38. quæ *sola* Apostolis & primitivæ Ecclesiæ fuit usitata: eo quod non tantum *commodior* esset plagis Orientis calidioribus; sed etiam *significantior* Rom. VI. 3. 4. 5. sive *aspersione*, quæ etiam suo fundamento & *analogia* non destituitur I Pet. I. 2. Heb. X. 22. conf. Jes. LII. 15. & Ezech. XXXVI. 25.

Quid Baptismus quoad rem: ratione Signi,

25. noſtrisque plagis eſt *commodior*. Sive rurſus *trina* illa ſit, ad ſignificandam perſonarum *trinitatem*, quæ uſitata deprehenditur primitivæ Eccleſiæ; ſive *una*, ad repræſentandam eſſentiæ divinæ *unitatem*, quæ apud Hiſpanos recepta erat. Ablutioni γ. accedunt *verba conſecratoria*, quibus aqua, fit aqua *ſacramentalis*: *in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Matth. XXVIII. 19. nec ulla ratio ſuadet dubitare, quin iſta verba, ex præſcripto Chriſti; præſtent *formulam*, apud Baptiſmum conſtanter uſurpandam: cum præſertim, ad tres teſtes cœleſtes videantur alludere, qui nominantur 1 Joh. V. 7. Cui ſaltem non obſtat, quod Baptiſmus legatur ſubinde collatus, *in nomine Jeſu Chriſti* Act. II. 38. & VIII. 16. & XIX. 4. neque enim iſtis locis explicatur *formula* verborum, in ablutione adhibitorum; ſed tantum teſtificatur, eos non tantum in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizatos fuiſſe; ſed etiam ſignatè in nomine *Jeſu Chriſti* Mediatoris, cujus fidem baptizati jam receperant: eo quod tum temporis maxime controverſum eſſet, num *Jeſus* Chriſtus eſſet filius Dei, & verus Meſſias: id quod ſatis clare patet, ex Pauli interrogatione Act. XIX. 3. qua, apud hos, qui profitebantur ſe de Spiritu S. fando quicquam non audiviſſe, inſtat: *in quem igitur baptizati eſtis?* præſupponens, Baptiſmum implicare nominationem & fidem in *Spiritum S.*

Et rei ſignificatæ.

X. *Res ſignificata*, erat, *generaliter* quidem, *fœdus gratiæ* Act. II. 39. *Vobis enim competit promiſſio*, ſcil. illa quæ exſtat Gen. XVII. 7. *fœdus meum pangam, inter me & te, & ſemen tuum poſt te, in generationibus ſuis, ad fœdus æternum, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui*: peculiariter autem, quoad *gradum*, primæ *introductionis*, perinde ac circumciſio. Hinc Servator jubet primo μαθητεύειν, *diſcipulos* ſeu Chriſtianos *facere*, tum baptizare: quæ introductio in fœdus gratiæ, cum non aliter fiat, quam per *regenerationem* Joh. III. 5. Baptiſmus præſtat *lavacrum* ſeu Sacramentum, *regenerationis & renovationis Spiritus S.* Tit. III. 5. Eph. V. 26. Nominatim hic: α. ſignum *repræſentans*, eſt aqua, figurans *Spiritum* S. Act. II. 38. *baptizamini, & accipietis donum Spiritus S.* & cap. XIX. 2. 3. & *ſanguinem* Chriſti Rom. VI. 3. Eph. V. 26. cum 1 Joh. I. 7. Heb. IX. 12. 14. Hinc β. ſignum *applicans*, ablutio: figurans, tum *regenerationem* Tit. III. 5. Eph. V. 26. tum *remiſſionem* peccatorum Act. II. 38. & XXII. 16. quibus duobus, introductio in fœdus gratiæ peragitur Jer. XXXI. 33. 34. Ezech. XXXVI. 25. 26. 27. & γ. ἀναλογία, quam præſupponit *unio* ſacramentalis, varia hic obſervatur, tam reſpectu *Chriſti*, quam reſpectu noſtri: 1. reſpectu *Chriſti*, qui baſis eſt fœderis gratiæ, & *cauſa* regenerationis ac remiſſionis peccatorum, meritoria; quemadmodum enim ablutione, imprimis *immerſione*, aquæ immergimur, in ea paululum commoramur, & tandem emergimus; ita Chriſtus pro nobis, morti immerſus, ſub ejus dominio per triduum commoratus eſt, & tandem reſurrectione emerſit Rom. IV. 25. Tum 2. reſpectu *noſtri*: quemadmodum ablutione, præſertim *immerſione*, aquæ inſerimur: ita & ſanguini & *corpori* Chriſti inſerimur, dum in corpus ejus *myſticum* baptizamur 1 Cor. XII. 13. & ſicut aquam quaſi *induimus*, ita & Chriſtum Gal. III. 26. Rurſus 3. quemadmodum Chriſtus, Baptiſmo *ſanguinis* ſui Matth. XX. 22. mortuus fuit, ſepultus item, & reſurrexit; ita & nos ei inſerti, ſpiritualiter cum eo *morimur* peccato, ſepelimur & reſurgimus Rom. VI. 3. 4. 5. 6. Col. II. 11. 12. 13. Porro 4. quemadmodum aqua *mundatur corpus* 1 Pet. III. 21. ita ſanguine & Spiritu Chriſti, mundatur *anima* 1 Joh. I. 7. Denique 5. ſicut in Baptiſmo *emergimus* ex ſepulchro aquæ, & tranſimus in *novam* quaſi vitam; ita etiam liberati à quavis morte, ſervabimur ad *vitam æternam* Marc. XVI. 16. Nec hæc omnia ſignificantur tantum, per Baptiſmum; ſed etiam *obſignantur*, imo &, ſuo modo, *conferuntur*.

Cauſæ Baptiſmi.

XI. Cauſa Baptiſmi: 1. *inſtituens* α. *principalis* quidem, *Deus* eſt Joh. I. 33. Matth. XXI. 25. Luc. III. 2. 3. & VII. 30. utpote in cujus ſolius poteſtate eſt, *fœdus* gratiæ offerre, conferre, obſignare, item regenerare, & remittere peccata, quæ ſunt Baptiſmi ſignificata: β. *adminiſtra*, Jeſus *Chriſtus*, ut *Mediator* fœderis gratiæ Heb. VII. 22. in quo regeneramur, ſeu *vivificamur* Eph. II. 5. qui peccata nobis condonat Matth. IX. 2. hiſque in fœderis gratiæ communionem nos introducit. Cauſa 2. *diſpenſationis*: α. prima, fuit Johannes, velut prodromus Chriſti, ejus auctoritate baptizans Joh. I. 33. hinc *Baptiſta* dictus: quanquam ab eo Baptiſmus non videatur habuiſſe rationem Sacramenti *ordinarii* N. T. utpote quam accepiſſe demum videtur, ab emiſſione Apoſtolorum Matth. XXVIII. 19. ſaltem non habuit rationem Sacramenti *catholici*, cujus obligatio ſeſe extenderet ad *omnes* Chriſtianos; ſed tantum ad *Judæos*. Interim tamen *idem* fuit, quoad *ſubſtantiam* cum Baptiſmo illo catholico, quem inſtituit Chriſtus: quatenus *idem* fuit utrobique *ritus* Marc. I. 4. eadem utrobique *doctrina* & *promiſſio* Joh. I. 29. 30. Conf. verſ. 34. 36. Matth. III. 11. Conf. Marc. I. 2. Act. II. 38. eadem utriusque auctoritas Joh. I. 33. proinde idem utriusque *ſignificatum*, nim. *reſpiſcentia*, *qua cum regeneratione coincidit*, & *remiſſio peccatorum* Marc. I. 4. Luc. III. 3. 7. 8. proinde *idem* Sacramentum: cum præſertim *Chriſtus*, eodem inaugurari voluerit Matt. III. 13. Quamvis interim in *circumſtantiis* & gradibus efficaciæ, diſcrimen non abnuamus: nim. quatenus Johannis Baptiſmus, Meſſiam

inſtituens.

diſpenſans.

Baptiſmus Johannis collatus cum Baptiſmo Chriſti.

ſiam *manifeſtandum* & ſatisfacturum prædicabat Act. XIX. 4. quem *manifeſtatum*, & qui dudum ſatisfecit, Chriſti Baptiſmus præſupponit: atque inſuper Johannis Baptiſmus, donorum non *tantam* copiam obſignaſſe videtur, quantam *Chriſti* Baptiſmus Act. XIX. 3. 4. β. ſecunda cauſa diſpenſationis, cum Chriſto fuerunt *Apoſtoli*, omnesque legitimi Eccleſiæ *miniſtri*, uſque ad *conſummationem* ſeculorum Matth. XXVIII. 19. 20. (quamvis Jeſus *ipſe*, non baptizaverit Joh. IV. 2. quod ipſius eſſet rem *ſignificatam* conferre Matth. III. 11.) iique *ſoli*: quod non tantùm verbi prædicationem, & Baptiſmi diſpenſationem, Chriſtus *copulaverit* Matth. XXVIII. 19. ſed & hi, procul dubio hoc nomine, *diſpenſatores myſteriorum Dei* (quibus etiam Sacramenta intelliguntur) appellentur 1 Cor. IV. 1. atque inſuper res doceat *ſigilla publica* non eſſe verſanda niſi ab his, qui poteſtatem obtinent. Et quamvis in his, ratione *ſui*, omninò requirantur, legitima *vocatio*, doctrina orthodoxa, & vita pura; non tamen ratione *baptizati*, adeo requiruntur, ut ex unius aut alterius qualicunque *defectu*, Baptiſmus ceſſet, aut minus ſit efficax; cum ex *promiſſione* & fide pendeat ejus efficacia; non autem ex conſtitutione *miniſtri* Matth. III. 11.

Baptiſmus aliorum.

Fines & uſus Baptiſmi.

XII. Ex quibus etiam, nullo negotio colligi poteſt, quid ſtatuendum veniat, de *fine*, uſu & efficacia Baptiſmi: nim. ℵ. eum non: α. penitus tollere *omne* peccatum præcedens, ſaltem quoad *maculam* Act. VIII. 13. 23. nec β. conferre gratiam ex opere operato. Ibid. & Matth. III. 11. 1 Cor. X. 2. 5. nec γ. imprimere *charactérem* quendam indelebilem, de quo cap. *præced.* §. XVIII. nec δ. talem nexum habere aut *unionem*, ſeu ſigni cum ſignificato, ſeu perſonæ cum Sacramento; ut nullum fœderis gratiæ beneficium obtineri queat, abſque ejus *uſu*: cum Deus ſeipſum non adſtrinxerit ullis Sacramentis; quemadmodum nos, pro ſuo imperio adſtrinxit: ſed ב. ſignificare, *obſignare*, & ſuo etiam modo, ſcil. *moraliter* & ſacramentaliter, exhibere: (1) noſtri *συμφυτισμὸν*, inſitionem, unionem & communionem cum Chriſto Gal III. 27. Rom. VI. 3. 4. (2) *regenerationem* Tit. III. 5. 1 Pet. III. 21. (3) juſtificationem & *remiſſionem* peccatorum Act. II. 38. & XXII. 16. Marc. I. 4. Apoc. I. 5. (4) *adoptionem*, ſeu receptionem in familiam Chriſti Gal. III. 26. 27. (5) *ſanctificationem* Rom. VI. 3. 4. Col. II. 11. 12. 13. (6) *reſurrectionem* Rom. VI. 5. 1 Cor. XV. 29. (7) *glorificationem*, ſeu vitam æternam Marc. XVI. 15. 16. 1 Pet. III. 21. Joh. III. 3. 5. (8) publicam *profeſſionem* fidei Chriſtianæ, & totalis noſtri reſignationis Chriſto factæ Rom. VI. 4. Joh. IV. 1. 2. (9) incorporationem in *Eccleſiam*, velut *corpus* Chriſti myſticum 1 Cor. XII. 13. Act. II. 41. (10) ſymbolicam *ſeparationem* noſtri, ab omnibus infidelibus & non baptizatis Act. II. 41.

XIII. Sunt autem baptizandi: 1. ſoli *homines* Matth. XXVIII. 19. qui fœderis gratiæ, regenerationis, remiſſionis peccatorum &c. ſunt capaces: non campanæ aliaque, ſeu *ἄζωα*, ſeu *ἄλογα*. Nec *quivis* homines; ſed: 2. ſoli *fœderati* Act. II. 38. 39. eſt enim Baptiſmus *Circumciſio* Novi Teſtamenti Col. II. 11. 12. quæ procul dubio; ſignum erat fœderis gratiæ Gen. XVII. 10. 11. Quotquot igitur, *judicio charitatis*, modo ullo nitatur juſto *fundamento*, Eccleſia poteſt habere pro fœderatis; illi baptizandi ſunt Act. VIII. 36. 37. Nec 3. ſoli *adulti* (qui abſque prævia confeſſione fidei ſuæ in Patrem, Filium & Spritum Sanctum, admittendi nequaquam ſunt Marc. XVI. 16. Act. VIII. 37.) ſed etiam *infantes*: non *quorumvis*; ſed *fœderatorum* tantum: utpote qui ſoli *ſancti ſunt* 1 Cor. VII. 14. Hi *omnes* ſunt baptizandi, per rationes in *elenchticis* præſtandas: excluſis infantibus, nondum, aut nondum plane natis; quia necdum *diverſa* à parentibus conſtituunt Eccleſiæ membra: nec item *hæreticorum* & *excommunicatorum*; niſi *alter* ex parentibus ſit fœderatus 1 Cor. VII. 14. Cum partubus monſtroſis, ſpuriis, expoſititiis, non nimium ſcrupuloſe agendum eſt, in alterutram partem, ſeu conferendo, ſeu differendo: modo *ingenue* & religioſe, ſecundum conſcientiam noſtram, velut in conſpectu divino, agamus: ſic enim non facile peccabimus, aut in Deum, aut in reverentiam Baptiſmi, aut in commodum non baptizati.

Quinam baptizandi.

XIV. In *affectionibus* & circumſtantialibus Baptiſmi, occurrit: 1. Ejus *neceſſitas*, non tantùm: α. ſimplicis *expedientiæ*, ex inſigni ejus uſu & efficacia *morali* oriunda; ſed etiam β. *mandati* divini Act. II. 38. & XXII. 16. quotieſcunque ſcil. *legitimo* modo & ordine, qui Baptiſmum decet, obtineri *poteſt* 1 Cor. XIV. 40. non tamen γ. *abſoluta*, ſeu talis, ut quis abſque eo ſervari non poſſit; licet per ſe non ſtet, quod non habeat: quia legitima Baptiſmi collatio, communionem fœderis, omniumque ejus beneficiorum eſſentialium *præſupponit*, de quo plura in *elenchticis*. 2. *Unitas*, qua iterari non debet Eph. IV. 5. quia nullibi Servator ait: *quotieſcunque baptizati fueritis*. Idque non ideo quidem, quod *charactérem* indelebilem animæ imprimat; ſed quod Sacramentum ſit *regenerationis* Tit. III. 5. quæ ſemel tantum accidit; nec unquam interrumpitur 1 Joh. II. 19. Porro 3. *locus*, ordinarius quidem, eſt *Eccleſia*: non ob hoc tantùm: α. quod cum præconio *verbi* Baptiſmus conjungatur Matth. XXVIII. 19. nec tantum β. quod magis *reverenter*, & minus perfunctorie in conventu eccleſiaſtico, quam alibi peragatur 1 Cor. XIV. 40. ſed imprimis γ. quod Baptiſmus, ſit Sacramentum *introductionis* in Eccleſiam

Affectiones: neceſſitas.

unitas.

locus.

siam 1 Cor. XII. 13. quæ proinde, nullibi commodius peragitur quam in *Ecclesia*. 4. *Tempus*, recepturis, sive adulti sint, sive infantes, in Scripturis non ita determinatum est, nisi quod accurandum omni religione quibusvis incumbat, ut quamprimum αὐτάκτως fieri potest, impetretur effectus. Act. XXII. 16. & XVI. 33. Tandem 5. *effectus* Baptismi nequaquam est *character* aliquis indelebilis, sicut ostendimus cap. *præced.* §. XVIII.

tempus,

effectus.

Pars elenchtica.

Quæritur: 1. An Circumcisio Judæis obsignaverit beneficia spiritualia?

XV. Quæritur *primo*, an circumcisio Judæis, significaverit & obsignaverit beneficia *spiritualia*? Pontificii, quo magis Baptismus emineat; Circumcisionem statuunt, non fuisse Sacramentum Mosaicum; sed *legis naturæ*: nec Judæis *sequioribus*: sed *soli* Abrahamo præstitisse sigillum *justitiæ fidei*: nec reliquis Judæis fuisse nisi signum, quod essent *filii* Abrahæ; adeoque nihil aliud fuisse, quam *umbram* & figuram Baptismi. Socinianis, quia nullas agnoscunt promissiones *spirituales*, ante Christum; earum etiam *obsignationem*, in Circumcisione factam, negant. Cum his plane colludunt Anabaptistæ. Reformati ex adverso, affirmant, eam significasse & obsignasse beneficia *spiritualia*: quia (1) obsignabat fœdus cum Deo *spirituale*: quo Deus & Abrahamo, & ejus semini obsignabat, se fore *Deum* eorum Gen. XVII. 7. Quia (2) fuit sigillum *justitiæ fidei* Rom. IV. 11. non *soli* Abrahamo; sed omnibus ejus *posteris* fidelibus, ut ad oculum patet, ex universo ejus capitis contextu. Quia (3) *easdem* promissiones significabat & obsignabat, quas Baptismus Act. II. 38. 39. Quia (4) *regenerationem* & conversionem significabat & obsignabat Deut. XXX. 6. & X. 16. Rom. II. 29. conf. Jer. IV. 4. & remissionem peccatorum. Quia (5) Circumcisio *Baptismus* fuit Veteris T. Col. II. 11. 12. Phil. III. 3. Pontificiorum hypotheses sic satis examinavimus cap. *præced.* §. XIX. Socinianorum item & Anabaptistarum lib. V. cap. VI. §. XVIII.

2. An Circumcisio sit usus perpetui?

XVI. Quæritur *secundo*, an Circumcisio sit usus perpetui? Judæi moderni affirmant, atque etiam olim, tempore Pauli, ex Judæis ad Christianismum conversi, cum quibus Apostolis negotium fuit Act. XV. — & in epistolis ad Galatas, Philippenses, Colossenses, & imprimis in epistola ad Hebræos. Muhammédani etiam, Circumcisionem, apud Orientales *civilem* ferme, *religiosam* faciunt. Æthiopes eam cum Baptismo *conjungunt*, ut ejus ope, velut filii credentis Abrahæ, discernantur à reliquis nationibus. Christiani *tres* numerant circumcisionis *periodos*: *necessitatis*, ab Abrahamo usque ad mortem Christi; *licentiæ*, à morte Christi, usque ad tempus διοϱθώσεως Heb. IX. 10. h. e. usque ad honeste *sepultam* synagogam judaicam; & *prohibitionis*; hoc est, postquam ab Apostolis proscriptus & prohibitus fuit, saltem gentilibus Act. XV. — Gal. V. 2. Phil. III. 2. 3. Col. II. 11. 12. eo quod 1. Messiam, ejusque gratiam figurarit, ut *futurum* Heb. IX. 11. & X. 1. Col. II. 17. adeoque Messiam *præsentem abnegaret*. Quod 2. compendium præstaret *totius* legis ceremonialis, & quasi syngrapham obstringentem, ad ejus observationem *universalem* Gal. V. 3. eoque 3. *libertatem* Christianam penitus tolleret Gal. V. 12. Adde 4. quod egregiam præstaret remoram, receptioni religionis Christianæ saltem apud Gentiles. Nec est quod efficacius causentur in contrarium, quam quod dicatur futura in fœdus *æternum* Gen. XVII. 13. Verum *æternum* dicitur fœdus, quoad rem *significatam*, *ero Deus tuus* vs. 7. sed quoad *signum*, non magis *indefinens* dicitur, quam possessio terræ Canaan vs. 8.

3. An Baptismus Johannis, quoad rei substantiam, idem sit cum Baptismo Christi?

XVII. Quæritur *tertio*, an Baptismus Johannis idem sit quoad *essentiam*, cum Baptismo Christi? Pontificii, ut Baptismum Johannis extenuent, nec pro N. T. Sacramento; sed pro nudo *ritu* ac ceremonia, proque *externa* quadam corporis lotione, & inani *signo* habeant; negant: licet saniores in ea communione, *remissionem* peccatorum ipsi tribuant; sed ex opere tantum *operantis*, non autem, sicut Baptismus Christi, ex opere *operato*: nec etiam penes ipsos desunt, qui non *præcepti*, sed *consilii* tantum fuisse doceant, nullamque ejus *necessitatem* agnoscant: omnes in hoc conveniunt, quod Baptismus Johannis, à Baptismo Christi, non *circumstantiis* tantum & gradu distet, sed ipsa etiam *substantia*. Cum crassioribus Pontificiis, hic ex asse colludunt Anabaptistæ. Reformati, ut discrimen *qualecunque* agnoscunt, in *circumstantialibus* & in *gradu* efficaciæ; ita in ipsa utriusque substantia, *identitatem* profitentur, prout ostendimus §. XI. Quibus perperam opponunt adversarii: A. Quod Baptismus *Johannis*, non Deum; sed *Johannem* habuerit auctorem. Resp. Huic Scriptura manifeste obloquitur Luc. III. 2. Joh. I. 33. Matth. XXI. 25. B. Quod *Baptismus pœnitentiæ* appelletur Act. XIII. 24. & XIX. 4. Resp. Et Baptismus Christi, pœnitentiæ *initiatio* dicitur Rom. VI. 4. Quod C. Baptismum *sum*, Johannes à Baptismo *Christi*, distinguat Marc. I. 8. Matth. III. 11. Resp. Distinguit 1. operationem *ministri*, à gratia *Magistri*: distinguit 2. quoad *gradum* efficaciæ; non quoad *ipsam* efficaciam. Quod D. Johannes non legatur baptizasse in nomine *Trinitatis*. Resp. 1. Diversitas *verborum*, non tollit identitatem *essentiæ*. 2. Nullibi dicitur, quod non administraverit in nomine *Trinitatis*. Quin potius 3. ipsum in nomine *Trinitatis* baptizasse, satis innui videtur Act. XIX. 2. 3. 5. Quod E. à Johanne baptizati, *denuo* baptizati dicantur

Act. XIX. 3. 4. 5. Resp. Non dicitur à Johanne baptizatos, à Paulo *rebaptizatos* fuisse; sed Johannem audientes, à Johanne baptizatos, & à Paulo, impositione manuum, *confirmatos* fuisse, donaque Spiritus S. *extraordinaria*, hactenus sibi ignota, accepisse.

4. An ad Baptismi administrationem sufficiat ablutio per simplicem aquam, in nomine Patris Filii & Spiritus S.?

XVIII. Quæritur *quarto*, an ad Baptismi administrationem sufficiat, ablutio per *simplicem* aquam, facta in nomine Patris, Filii & Spiritus S.? Vetus Ecclesia Christiana, post seculum secundum, paulatim à simplicitate apostolicâ degenerans, varios circa Baptismum adoptavit *ritus*, quasi in Sacramenti *ornamentum*, quorum alii aliis magis aut minus erant noxii. Adhibebat inter alios, *chrisma* sacrum, & *crucis* signaculum, quibus baptizandus confirmaretur: item *lac* & *mel*, quibus gustandis quasi infantaretur: porro *candidas vestes*. Quibus non contenta Ecclesia pontificia; *elemento* quidem, *sal* & *sputum* aliaque inquinamenta adjicit, partim *ori* ingerenda; partim *auribus* & naribus allinenda, addita voce, *Ephatah*: tum & infantibus frontem ac pectus *cruce* signat, *exorcismo* satanam expellit, adjungit *cereos*, *obtectionem capitis* baptizati, *lotionem pedum*, *impositionem manuum*, *cum osculo pacis*, aliaque.

Argumenta.

Nonnulla horum, etiam Lutherani probant. Reformati ex adverso, simplicitate apostolicâ contenti, omnia illa corollaria rejiciunt, eo quod 1. Scriptura *ignoret*, nec absque damnata *superstitione* Matth. XV. 9. Col. II. 22. ab hominibus *adjici* possint: cum præsertim 2. Ecclesiæ N. T. à Christo exoneratæ Matth. XI. 28. 29. 30. nova juga imponant Act. XV. 10. & in *libertatem* redactam Gal. V. 1. ad novam *servitutem* revocent, cum numerus ad XXII. ceremonias circa Baptismum, apud Pontificios excreverit. Non addam 3. quod ritibus istis, non *mysticas* tantum significationes; sed peculiarem insuper *efficaciam* spiritualem affingant, quod *magiam* spirat: nec etiam 4. quod phalerata ista illinimenta, *simplicitatem* Christianam & apostolicam, parum deceant: & ad sanctissimi Sacramenti, non *exornationem*; sed *deturpationem* vergant. Nec habent quod in contrarium causentur, nisi loca quædam Scripturæ, quæ ad ritus illos, seu veteres, seu recentiores, alludere videntur Gal. III. 27. 1 Pet. II. 2. Heb. X. 32. & VI. 4. 2 Cor. I. 21. 22. 1 Joh. II. 20. Resp. Hæc loco non ad *ritus* istos alludunt; sed ritus occasione locorum istorum, conficti sunt.

Objectio.

5. An exorcismus in Baptismo sit ferendus?

XIX. Quæritur nominatim *quinto*, an inter ritus baptismales, *exorcismus* ferendus sit? In exorcismo, Exorcista baptizaturus, imperat *satanæ*, ut ab infante baptizando exeat, detque locum Spiritui S. Dicit porro infanti, ut accipiat signum S. *crucis*: in fronte ✠ & in pectore ✠: gemina *precatiuncula* orat, ut Deus hunc infantem suscipiat: denique *adjurat* satanam, in nomine ✠ Patris, ✠ Filii & ✠ Spiritus S. ut exeat, ac recedat ab hoc servo, vel ancillâ Jesu Christi. Exorcismum istum propugnant Pontificii, ut *necessarium*; Lutherani ut *adiaphorum*: quem proinde alii apud ipsos servant; alii negligunt. Reformati, nullo modo ferendum existimant. Eo quod 1. sit ritus ἄγραφος, ac proinde *damnatus* Matth. XV. 9. Col. II. 22. tum 2. *superstitiosus*, quatenus fingitur applicare gratiam baptizatis, &, à multis, non minus *necessarius* & efficax esse creditur, quam ipse Baptismus: porro 3. *magicus*, quatenus vocibus & characteribus vim tribuit pellendi satanam: insuper 4. multis modis *impius*, quatenus α. est *abusus* nominis divini, β. *mendacium*, infantes Ecclesiæ, pro obsessis & arreptitiis falso traducens: γ. *ejectionem* satanæ, Deo propriam, ad homines traducit, δ. *merito* Christi, cui soli competit satanam pellere, derogat: atque etiam ε. ipsi *efficaciæ* Baptismi, quasi ille non sufficiat, obsignandæ illi liberationi à potestate satanæ. Addamus 5. dilemma: infantes fidelium baptizandi, aut dæmonium fugandum *habent*; & sic obsessi erunt & arreptitii, quod Scripturis repugnat Gen. XVII. 7. 10. Marc. X. 14. Act. II. 39. 1 Cor. VII. 14. aut *non* habent, & sic lusus erit; in re sancta ac seria, maximè profanus. Objiciunt tamen: A. quod infantes sint sub potestate satanæ Eph. II. 1. 2. Resp. 1. Sunt per *naturam*; non sunt per *gratiam* fœderis, cujus sigillum in Baptismo expetunt & accipiunt. 2. *Si* essent, non exorcismus; sed *Christus* solus, ipsos liberaret 1 Joh. III. 8. Heb. II. 14. Quod B illustret & *ornet* Baptismum. Resp. 1. Satis illustris & *ornatus* est eis ritibus, quos Christus præscripsit: proinde 2. *obscuratur* potius, & dehonestatur istis phaleris. Quod C. apud Patres fuerit usitatus. Resp. 1. Non exemplis; sed *legibus* vivimus. 2. Patres non exorcizabant *infantes* baptizandos; sed *adultos*, obsessos & arreptitios, qui ad Baptismum adducebantur, durante adhuc in Ecclesia dono *miraculorum*.

Argumenta negativæ.

Objectiones affirmativæ.

6. An Baptismus sit ritus temporarius, nullo Christi præcepto ab Apostolis usurpatus?

XX. Quæritur *sexto*, an Baptismus sit ritus *temporarius*, nullo Christi præcepto, ab Apostolis usurpatus? Sociniani, quia negant, Sacramenta esse sigilla fœderis gratiæ; existimant: α. Baptismum *aquæ* esse tantum *ceremoniam* externam, discriminandis fidelibus ab infidelibus datam, β. non à Christo *mandatum*; sed γ. ab Apostolis *sponte* usurpatum, adeoque δ. *temporarium*, qui ad tempus tantum durarit, aut saltem durare debuerit. Anabaptistæ, ritum *perpetuum* quidem agnoscunt, & *huc* à Christo *institutum*; sed tamen non esse, nisi *discriminandis* fidelibus ab infidelibus destinatum. Reformati Sacramentum, sive testimonium ac sigillum ablutionis *interna* à peccatis, à *Christo* institutum, ex *mandato* divino ab Apostolis usurpatum statuunt, velut Sacramentum

Argumenta. tum *perpetuo* in Ecclesia duraturum. Eo quod 1. significet & obsignet credentibus *regenerationem*, & *remissionem* peccatorum Act. II. 38. Tit. III. 5. Col. II. 11. 12. Rom. VI. 4. à Christo *institutus* sit, idque ad consummationem seculorum usque Matth. XXVIII. 19. 20. Quod 3. Apostoli *in nomine*, h. e. ex mandato, Christi baptizarint Act. II. 38. & VIII. 16. & X. 48. imo aliis quoque præscripserint *Ibid.* 4. Institutus sit in usum Ecclesiæ, omnium seculorum: α. velut medium ordinarium colligendæ Ecclesiæ, & conservandæ ejusdem β. præscriptus Ecclesiæ, non ex *una* gente; sed ex *omnibus* colligendæ Matth. XXVIII. 19. 20. γ. unitas Ecclesiæ, pendeat non minus ex unitate Baptismi; quam ex communione fidei Eph. IV. 5. δ. Baptismus successerit circumcisioni Col. II. 11. qui *sigillum* fuit *justitiæ fidei* Rom. IV. 11. ε. idque usque ad reditum Christi Matth. XXVIII. 20. Quod etiam 5. finis & effecta Baptismi spectent, non tantum ad *infideles* conversos Rom. IV. 3. 4. Gal. III. 27. Tit. III. 5. Nec in Objectiones. contrarium valet: A. quod *regeneratio & remissio* peccatorum, fieri nequeat per Baptismum: eo quod non modo ad animam non pertingat; sed etiam ista beneficia soli verbo relinquat Joh. XVII. 17. 1 Pet. I. 23. Resp. Regeneratio & remissio produci non potest per Baptismum, velut causam *physicam*; potest tamen per eum significari & *obsignari*, atque etiam *suo modo* conferri, velut per causam *moralem*. B. Quod Christus, non Baptismum aquæ; sed *doctrinæ* instituerit Matth. XXVIII. 19. Resp. 1. Necdum probatum est, nec probari potest, dari Baptismum *doctrinæ*. 2. Matth. XXVIII. 19. Baptismus à doctrina exserte distinguitur, C. Quod *libere* usurpatus & omissus fuerit: quia ipsi Apostoli, LXX. discipuli Act. I. 15. & quingenti fratres 1 Cor. XV. 6. baptizati non fuerint. Resp. Ex eo quod Apostolorum aliorumque Baptismus, non *narretur* exserte in Scripturæ compendio, parum solide conficitur, ipsos baptizatos non fuisse. Cum præsertim *omnes* dicamur in unum corpus baptizari 1 Cor. XII. 13. D. Quod fuerit *solis* Appostolis præscriptus Marc. XVI. 17. 20. Resp. Textus tantum dicit Apostolis fuisse præscriptum, atque etiam ab eis fuisse usurpatum; non autem ipsis *solis* fuisse præscriptum, aut ab ipsis *solis* fuisse usurpatum: cum contrarium sequior experientia comprobet 1 Cor. I. 14. 15. 16. Act. VIII. 12. & IX. 18. Imo præscriptus dicatur usque ad *consummationem* seculorum Matth. XXVIII. 19. 20. E. Quod fuerit ἀντίτυπος 1 Pet. III. 21. adeoque cum reliquis typis V. T. abrogatus. Resp. Non dicitur *typus*, seu *umbra* gratiæ alicujus in Christo futuræ, quales abrogatos agnoscimus: sed ἀντίτυπος seu *corpus* umbræ, quod nequaquam abrogatum ullbi dicitur. F. Paulus non fuit missus ad baptizandum 1 Cor. I. 17. Sed ad docendum. Resp. Non *primario* ad baptizandum; non autem, non *simpliciter*, ut patet per vs. 14. 16. G. Baptismus administrandus erat solis *docendis* h. e. infidelibus Matth. XXVIII. 19. Resp. Adulti quivis primò docendi erant, tum baptizandi.

XXI. Quæritur *septimo*, an ex adverso, Baptismus regenerationem & justificationem in se *contineat*, aut *producat* ut instrumentum *physicum*, ex opere operato? Pontificii affirmant, colluduntque eatenus Lutherani, ut statuant, Baptismum esse causam regenerationis *inchoantem*. Reformati utrumque negant. Eo quod 1. sit *signum* & sigillum, pro ratione Sacramentorum; cujus non est operari nisi *significando* & obsignando, non autem *physice* efficiendo. Quod 2. sit natura *materialis*, & virtutis finitæ; cujus proinde non est, effectum *spiritualem*, qui *infinitam* virtutem exigit, producere. Quod 3. regenerationem, cujus ope *ingredimur* in regnum Dei, seu in fœdus gratiæ Joh. III. 5. *præsupponat*, utpote obsignandam Rom. IV. 11. Marc. XVI. 16. Quod 4. Baptismum regeneratio & justificatio non *semper* committetur aut sequatur Act. VIII. 13. 21. Nec adversarios juvat: A. quod regenerari dicamur *aqua & Spiritu* Joh. III. 3. 5. cum per *aquam* ibidem non intelligatur Baptismus *Christi*, utpote qui, agnoscentibus adversariis, tum temporis, necdum fuit institutus; sed per *Hendiadym*, aqua *spiritualis*, seu Spritus S. B. quod appelletur *lavacrum regenerationis* Tit. III 5. ita enim dicitur, quod regenerationem *significet*, offerat & obsignet, & his omnibus suo modo conferat *moraliter*; non autem, quod efficiat *physice* C. quod dicatur *abluere peccata* Act. XXII. 16: si enim per ablutionem illam intelligatur *remissio* seu *absolutio*; non admittit illa causam *physicam*; sed *moralem* tantum ac forensem: si conversio & regeneratio, eodem sensu Baptismo tribuitur, quo *lavacrum regenerationis* appellari diximus.

7. An Baptismus gratiam in se conti-neat, produ-cat, ut instru-mentum physi-cum? Argu-menta, Objec-tiones.

XXII. Quæritur *octavo*, An Baptismus tollat peccata omnia præcedentia, ut non *sint* amplius; an tantum ut non *imputentur*, nec *dominentur*? Pontificii, ut altius extollant Baptismum supra circumcisionem, & habeant, illam justificasse tantum ex opere *operantis*, dum Baptismum, ex opere *operato*; statuunt Baptismum tollere omne peccatum præcedens, cum omni suo corollario, non ut *non sit* amplius: sed *præcedens* tantum, ut sequentia eluenda relinquant suæ pœnitentiæ sacramentali. Reformati existimant Baptismum in baptizandis electis, *moraliter* tollere omne peccatum, quoad *reatum*; & quoad maculam, eo usque tantum, ut non dominetur in baptizatis; non autem, ut prorsus non sit amplius in ipsis. Quia 1. Baptismus non aliter tollit peccatum, quam gratia *justificans* & sanctificans, utpote, cujus signum

8. An Baptis-mus tol-lat pec-cata ut non sint pœnitus; an ut non imputen-tur, & non do-minen-tur in baptizatis?

gnum est ac sigillum : ast gratia *justificans* non tollit nisi reatum, & *sanctificans* non nisi *dominium* Rom. VI. 12. Sic 2. Baptizatus omnis immunis esset ab omni peccato, tam quoad *reatum* ; quam quoad *maculam*, cui constans obloquitur, cum Scriptura ; tum experientia. Cum præsertim 3. concupiscentia prava semper remaneat in baptizatis, etiam post Baptismum Rom. VII. 7. Nec valet in contrarium, quod A. dicamur purgari *lavacro aquæ* Eph. V. 26. Resp. Non *physice*, sed moraliter & *sacramentaliter* tantum, tollendo in electis baptizandis, omnem peccati *reatum*, & ipsum peccatum, eo usque ut non regnet; non autem ut *non sit*. B. Eodem modo Baptismus se habeat ad peccatum, quo circumcisio ad præputium Col. II. 11. 12. quod tollebat penitus. Resp. Eodem modo quoad præputium *cordis*, non *carnis*, ut habet locus citatus. G. Cratia sanctificationis, quam electis obsignant Baptismus, sit incompatibilis cum peccato. Resp. Est incompatibilis cum peccato *regnante* ; sed non cum peccato, quovis gradu, *præsente*.

Objectiones.

XXIII. Quæritur *nono*, an Baptismus ad salutem sit *absolute* necessarius? Sociniani *nullo* modo necessarium; quin potius eliminandum censent. Pontificii, post nonnullos Patres, Ambrosium, Augustinum aliosque Latinos, affirmant: nisi quod *martyres*, & cum desiderio Baptismi morientes, excipiant; infantibusque non baptizatis locum quendam inferni tolerabiliorem, seu *limbum* assignent, in quo à *pœna* sensus immunes sint, interim beatifica Dei *visione*, omnique *gaudio* cassi. Addunt nonnulli, absolutam illam necessitatem incepisse demum post mortem Christi, aut post festum Pentecostes. Lutherani etiam necessitatem Baptismi *absolutam*, suo modo, agnoscunt, quando statuunt eum regenerationis *initium* præstare. Reformati necessitatem, tum *præcepti* divini, tum egregiæ *utilitatis*, agnoscunt contra Socinianos; sed *absolute*, contra Pontificios & Lutheranos, negant. Eo quod 1. gratiam salutarem Deus frequenter contulisse legatur, his qui omni Sacramento *initiationis*, adhucdum erant destituti: v. g. Jacobo Rom. IX. 11. Davidi Psal. LXXI. 6. Jeremiæ Jer. I. 5. Baptist Luc. I. 15. Paulo Gal. I. 15. aliisque, imo & latroni, absque Baptismo in cruce decedenti Luc. XXIII. 43. Cornelio Act. X. 12. 15. 44. 47. dum ex adverso Simoni Mago Baptismus suus hilum non profuit Act. VIII. 13. 20—23. Quod 2. pro natura Sacramentorum *omnium*, Baptismus, fœdus gratiæ, regenerationem & remissionem peccatorum obsignans, gratiam salutarem obsignandam *præsupponat*: unde fidelium liberi, jure natalium, fœderaliter *sancti* dicuntur 1 Cor. VII. 14. Quod 3. infantes saltem, absque sua *culpa*, sine Baptismo decedant. Quod 4. iniquum sit, gratiam Dei externo signo *adstringere*, & q. coërcere. Quod 5. ante octavum circumcisionis diem, olim mortui; salutem nihilominus fuerint consecuti 2 Sam. XII. 23. Quod 6. salus infantis suspenderetur ab arbitrio baptizantis, Sacerdotis, obstetricis &c. Quod 7. Deus neminem posset amare ante Baptismum, cui obloquitur Apostolus Rom. IX. 13. Objiciunt nihilominus A. locum Joh. III. 5. Resp. Locum illum non agere de Baptismo *Christi*, parag. *præced.* monuimus. B. locum Marc. XVI. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur.* Resp. 1. Loquitur de Baptismo gentium, qui solos *adultos* tum temporis spectabat; proinde infantes non concernit: sin minus, omnes infantes à salute secludendi erunt, quia non *credunt*. Nec 2. duorum, fidei scil. & Baptismi copulatio, eandem statim infert utriusque necessitatem, ad consequendam salutem. Conf. Rom. X. 10. Unde 3. commate sequenti, non baptizatorum nulla fit mentio. C. locum. Gen. XVII. 14. non circumcisus *excindetur e populo suo*. Resp. 1. Loquitur de solis *adultis* contemnentibus: *fœdus meum irritum fecit*. Tum 2. adhuc incertum est, an pœna *excidii* mortem temporalem, an æternam significet?

Objectiones.

XXIV. Quæritur *decimo*, an baptizare cuiquam fas sit, quam verbi *præconibus*? Pontificii, & suo modo etiam Lutherani, quia regenerationem, & remissionem peccatorum, Baptismo adtringunt, & hinc ejus *absolutam* necessitatem urgent; *ex officio* quidem & publice, ac præsente Sacerdote; baptizandi potestatem, solis relinquunt *ministris* verbi; his autem absentibus, in casu *necessitatis*, quibusvis, etiam infidelibus & mulierculis, modo formulam teneant, baptizandi facultatem concedunt. Sociniani etiam, quia nihil *mysterii* in Baptismo agnoscunt, quibusvis baptizare largiuntur. Reformati hoc solis relinquunt verbi *ministris*. Quia 1. Christus cum *verbi præconio*, baptizandi potestatem conjunxit Matth. XXVIII. 19. quod autem *Deus conjunxit*, *homo non separet* cap. XIX. 6. Quia 2. ab hoc etiam, verbi ministri, *dispensatores mysteriorum Dei*, audiunt 1 Cor. IV. 1. Quia 3. sunt sigilla *publica* fœderis gratiæ, qualia non quibusvis; sed his tantum, qui potestatem à Principe nacti sunt, versare licet. Quia 4. exemplum *contrarii* in Scripturis non occurrit. Nec in contrarium valet exemplum A. Zipporæ, circumcidentis filium, præsente marito Exod. IV. 25. Resp. 1. Non probatur factum turbatæ mulieris; imprimis præsente marito, ordinario ministro. 2. Etiam *in hoc* dissimilis ratio, inter circumcisionem & Baptismum observanda est. B. Philippi Act. VIII. 12. Ananiæ Act. IX. 18. fratrum cap. X. 48. Resp. 1. Non fuerunt *privati*; sed Euangelistæ aut diaconi, Conf. Act. VI. 5. cum VIII. 5. 12. & XXI. 8. Tum 2. peculiari instinctu & jussu *divino*.

9. An Baptismus ad salutem sit absolutè necessarius?

Argumenta.

10. An baptizare cuiquam fas sit, quam ministris?

Argumenta.

Objectiones.

divino egerunt : quod de Philippo patet Act. VIII. 26. 27. de Anania cap. IX. 10. 11. 15. 17. de fratribus, jussu Petri Act. X. 48. quamvis etiam adhuc ambiguum sit, jusseritne Petrus fratres baptizare Cornelium ; an Cornelium cum suis, jusserit baptismum suscipere à se?

11. An fidelium infantes sint baptizandi ? Rationes affirmativæ.

XXV. Quæritur *undecimo*, an etiam *fidelium infantes* sint baptizandi ? Anabaptistæ negant prohibentque. Sociniani, ubi mollius agunt, *permittunt* quidem, ut ritum *adiaphorum* ; sed non exigunt, ut à Christo *mandatum*, sed *fidelium* tantum ; absque ulla *absoluta* necessitate. Reformati, ex instituto Christi, omnino baptizandos affirmant. Eo quod 1. sint sub *promissione fœderis gratiæ*, quibus Baptismus addicitur Act. II. 38. 39. Quod 2. beneficiorum *fœderis* gratiæ, regenerationis & remissionis peccatorum Jer. XXXI. 33. 34. sint participes. Quod 3. sint membra corporis Christi *mystici*, alias futuri *extra Christum*, *absque Deo*, *absque spe salutis* Eph. II. 11. 12. 13. adeoque sigillo insitionis 1 Cor. XII. 13. Rom. VI. 3. 4. potiri debeant. Quod 4. *sigillum* fœderis gratiæ, sub V. T. spectarit ad *infantes* Gen. XVII. 10. 12. cui sub N. T. successit Baptismus Col. II. 11. 12. Quod 5. Baptismus sit circumcisio N. T. Col. II. 11. 12. sicut circumcisio fuit Baptismus V. T. Quod 6. sint participes Spiritus S. 1 Cor. VII. 14. ut patet in Jeremia Jer. I. 5. in Baptista Luc. I. 15. tales autem baptizandos esse, Petrus manifeste doceat Act. X. 47. Quod 7. fidelium liberi *Deo* generentur Ezech. XVI. 20. ac proinde Deo *sancti* sint fœderaliter 1 Cor. VII. 14.

Objectiones negativæ.

Conf. Jes. XLIX. 22. Objiciunt A. Quod pædobaptismi, *nec mandatum*, nec *exemplum* prostet in Scripturis. Resp. Prostat *mandatum* : quia per Scripturas baptizare jubemur, quotquot *Spiritum* S. acceperunt Act. X. 47. & per easdem Scripturas, *infantes* Spiritum S. accipiunt Luc. I. 15. Jer. I. 5. Et quod, *forte*, ejus *exempla expresse* non prostent ; hinc est, quia Christiani tum temporis non *nascebantur* ; sed prædicatione Euangelii, adhuc erant *faciendi* Matth. XXVIII. 19. μαθητέυσατε —adeoque rarius nascerentur ex Christianis parentibus. Quod B. Baptismus prærequirat *informationem* Matth. XXVIII. 19. quæ in infantes non cadit. Resp. Baptismus *adultorum*, de quo Matth. XXVIII. prærequirit institutionem ; non autem *infantium*. Addam 2. quod τὸ μαθητέυειν, sonet *discipulum* vel Christianum *facere*, seu initiare ; vel instituendo, vel *baptizando*. Quod C. Baptismus, ut fœdus gratiæ obsignet, *fidem* prærequirat. Resp. Prærequirit, in *adultis* quidem, fidem *actualem* ; in infantibus autem *seminali* contentus, non magis actualem requirit quam *circumcisio*. Quod D. cum Circumcisio (juxta nos) idem sit cum Baptismo ; saltem *circumsi* non debeant baptizari. Resp. Est circumcisio idem cum Baptismo, quoad ipsum *fœdus*, quod utrobique obsignatur ; sed non est quoad *dispensationem* fœderis ; quia circumcisio obsignabat fœdus quoad dispensationem V. T. quando Baptismus idem obsignat, quoad dispensationem N. T. id quod evidenter patet in Baptismo Christi. Quod E. cum *unum* tantum sit fœdus gratiæ, id quod perinde ac Baptismus, obsignet S. Cœna : alterutrum dicendum veniat, aut admissa *cœna*, superfluum esse Baptismum ; aut admisso *Baptismo*, superfluam esse S. Cœnam ; aut S. *Cœnam* infantibus perinde conferendam esse, ac Baptismus confertur. Resp. Nihil horum : quia Baptismus fœdus gratiæ obsignat, secundum gradum *initiationis* tantum, quæ in infantes etiam cadit ; S. Cœna autem secundum gradum *nutritionis*, quæ sui explorationem, discretionem corporis Christi prærequirit, adeoque in infantes non quadrat. Quod F. infantes non *intelligant* usum & efficaciam Baptismi. Resp. 1. Nec Circumcisionis usum & efficaciam quondam *intelligebant*. 2. Intelligent suo tempore, se Baptismo fœdus cum Deo contraxisse.

12. An Baptismus legitimus iterandus sit ? Argumenta negativæ.

XXVI. Quæritur *undecimo*, an Baptismus, in nomine SS. Trinitatis *legitime* collatus, unquam sit iterandus ? Olim Cyprianus Episcopus Carthaginensis, post Agrippinum ; quod Baptismus *quorumvis* hæreticorum, ei *nullus* esset ; ab eis baptizatos, denuò baptizandos statuebat. Huic sese opposuit Stephanus Episcopus Romanus, à *quibusvis* hæreticis baptizatos, absque ulla iteratione admittendos statuens. Cum Stephano, quia *absolutam* fingunt Baptismi necessitatem, sentiunt Pontificii & Lutherani : cum Cypriano, Anabaptistæ ; quando non tantum, in infantia quosvis baptizatos, nec tantum ab hæreticis ; sed etiam ab una suorum secta, ad alteram transeuntes, rebaptizant. Reformati, ab *infidelibus* baptizatos ; aut ab his, qui *omnia*, aut *pleraque* fundamentalia, nominatim S. Trinitatem, negant : velut nunquam legitime baptizatos, cum Cypriano, adversus Stephanum & Pontificios, baptizandos, censent : aut à *Schismaticis*, aut *una* tantum atque altera hæresi laborantibus, & in plerisque sanis, baptizatos ; cum Stephano adversus Cyprianum & Anabaptistas, denuò baptizandos negant. Eo quod 1. Scriptura nullibi, sicut de S. Cœna, pronunciet, *quotiescunque baptizati fueritis*. Quod hinc 2. *unum* tantum Baptisma numeretur Eph. IV. 5. Quod 3. *initiatio* seu introductio in fœdus gratiæ, & regeneratio, quas Baptismus obsignat ; *semel* tantum fiant. Quod 4. *Circumcisio*, quæ non erat nisi Baptismus V. T. semel tantum facta fuerit. Quod 5. gratia salutaris, v. g. regeneratio, sit *inamissibilis* 1 Joh. III. 9. 1 Petr. I. 3. 4. 5. Rom. VIII. 1. 33. 34. & XI. 29. Quod 6. Baptismi *semel* accepti, devota memoria sufficiat, ad lapsos ad resipiscentiam revocandos, &

Objectiones affirmativæ.

adversus lapsus confirmandos 1 Cor. VI. 11. Gal. III. 27. In contrarium, duo potissimùm causantur: A. Quod à Johanne semel tincti, à Paulo *rebaptizati* fuerint Act. XIX. 3. 4. 5. Resp. Non dicitur quod à *Paulo rebaptizati* sint: sed quod, qui Johannem audiverint, à *Johanne baptizati*; à Paulo verò, impositione manuum *confirmati* sint, & Spiritum S. acceperint. B. Quod inter 3000, qui baptizati narrantur Act. II. 41. multi fuerint à Johanne dudum baptizati. Resp. Hæc mera conjectura, rationibus adhuc confirmanda est ab Anabaptistis.

Praxis:

Pars practica.

1. Circumcisionem spiritualem nobis commendat.

XXVII. Quantum ad praxin: *primo* circumcisio, quæ significato tenus, plane coincidit cum Baptismo; baptizatis commendat circumcisionem *spiritualem*, de qua Apostolus Rom. II. 28. 29. quam Deus promittit Deut. XXX. 6. Hæc revera nihil aliud est, quam *regeneratio*, renovatio & sanctificatio Baptismi Tit. III. 5. Eph. V. 26. 1 Cor.

In quo illa constat.

VI. 11. seu, ut Apostolus eam describit, *exutio corporis peccatorum carnis*: quod non cuticulam aliquam; sed totum *corpus peccatorum*, quæ à *carne*, seu corruptione originali profluunt, paulatim exuat. Quæ regeneratio ac sanctificatio, in multis congruit, cum circumcisione V. & Baptismo N. T. Nim. (1) Sicut in *circumcisione* corporali, & *Baptismo* externo, infans sese habebat mere *passive*; ita in *spirituali* circumcisione & Baptismo interno, homo se habet mere *passive*: quando Deus hic solus agit Deut. XXX. 6. *circumcidet Jehova* — Matth. III. 11. Tit. III. 5. *renovatio Spiritus* — unde circumcisio ἀχειροποίητος dicitur, Col. II. 11. (2) Sicut in circumcisione *corporali*, præputium *carnis* resecabatur Gen. XVII. 13. ita in circumcisione *spirituali*, universum *corpus* corruptionis, à carne oriundum, paulatim resecatur & abjicitur Col. II. 11. v. g. corruptio *labiorum* Exod. VI. 11. *aurium* Act. VII. 51. totius *cordis* Deut. X. 16. (3) Circumcisio corporalis, perquam *molesta* & dolorifica accidebat circumcisis Gen. XXXIV. 25. & circumcisio spiritualis, non minus *doloris*, contritionis, ac pœnitentiæ, regenitis, & sanctificatis creat Act. II. 37. Jer. XXXI. 19. 2 Cor. VII. 10.. Zach. XII. 10 — 14. (4) In circumcisione corporali, erat *attrna* abjectio præputii, quod moriebatur & computrescebat, nunquam recipiendum: in spirituali item, omnis impietas *æternum* abnegatur Tit. II. 11. 12. vetus homo deponitur Eph. IV. 22. cum omnibus membris suis Col. III. 5 — 9. idque in *perpetuum* 1 Petr. IV. 1. 2. Rom. VI. 2. 2 Petr. II. 20. — (5) Circumcisio corporalis, Judæos circumcisos *segregabat*, à consortio quarumvis aliarum gentium, velut *paries* quidam *intergerimus* Deut. XXXIII. 28. cum Gen. XVII. 14. ira circumcisio spiritualis, circumcisos *separat* ab omni pravo consortio 2 Cor. VI. 14. 17. (6) Circumcisio corporalis, circumcisos *inserebat* Ecclesiæ Israëliticæ: & circumcisio spiritualis seu regeneratio nos *inserit regno* Dei Joh. III. 3. 5. *corpori* Christi mystico 1 Cor. XII. 12. 13. Istam autem circumcisionem *spiritualem* praxis nobis sic commendat; ut adnitamur, non *circumcidi* tantum à Deo, sed etiam *circumcidere* α. *cor* nostrum, seu interiora nostra Deut. X. 16. Jer. IV. 4. purgando illa Jac. IV. 8. β. *aures* nostras, ut audiamus & attendamus verbo Dei Act. VII. 51. cum XVI. 14. γ. *oculos* nostros, ut vanitatibus non attendamus Psal. CXIX. 37. cum Matth. V. 28. δ. *linguam* nostram Eph. IV. 25. Psal. XXXIV. 14. ε. *manus* nostras Jac. IV. 8. Eph. IV. 28. Psal. XXVI. 6. ζ. *pedes* nostros Prov. I. 15. Psal. CXIX. 5. η. *cogitationes* nostras Jer. IV. 14. ϑ. *affectus* & cupiditates nostras Gal. V. 24. ι. *corpus* nostrum, ejusque membra Col. III. 5. Rom. VI. 19. Hæc demum circumcisio A. *cordis* est, *quæ in spiritu* fit, cujus *laus non ex hominibus est*; *sed ex Deo* Rom. II. 29. Absque hac B. Baptismus noster otiosa tantum scena est Rom. II. 25. — 1 Cor. X. 2. 4. &c. imo *concisio* (κατατομὴ Phil. III. 2. 3. quæ excandescentiæ divinæ nos reddit obnoxios Jer. IV. 4. —

Adnitendum, ut non tantum circumcidamur; sed etiam ut circumcidamus &c.

Rationes motivæ.

2. Commendat adultis anhelare sui baptizationem.

Motivæ.

XXVIII. *Secundo*, Baptismus seipsum commendat *adultis* nondum baptizatis, ut quamprimùm fieri commode potest, eum *suscipiant*. Eo quod (1) Spiritus S. hoc *jubeat* Act. II. 38. & XXII. 16. Quod (2) Baptismus sit institutio *Christi* Matth. XXVIII. 19. ut qui Baptismum *contemnit* aut negligit, non hominem contemnat; sed Deum ipsum & Christum Matth. XXI. 25. cum præsertim (3) instituens, sit: α. *potentissimus* Matth. XXVIII. 18. Psal. II. 8. Conf. Heb. XII. 25. 26. β. *sapientissimus* 1 Cor. I. 24. Col. II. 3. γ. *benevolentissimus*, qui mero nostri amore, in commodum nostrum instituit Eph. V. 2. cum vs. 25. 26. Quod (4) ipse Christus Baptismum *expetierit* Matth. III. 13. cui assimilari, nobis per omnia incumbit Joh. XIII. 14. 15. Quod (5) gravissima *promissione* & comminatione adjuncta, Baptismum præscripserit Marc. XVI. 16. Conf. Heb. XII. 25. Quod (6) vita baptizandorum adeo sit *brevis* & evanida, quæ omnem dilationem efficacissime desuadet Jac. IV. 14. Psal. XXXIX. 6. Quod (7) appetitus iste *indicium* sit regenerationis & vitæ spiritualis 1 Petr. II. 2. Quod (8) qui Baptismum contemnunt ac negligunt, *consilium Dei* versus propriam salutem, contemnant Luc. VII. 30. Quod (9) Baptismus tam *utilis* & efficax sit: α. ad confirmationem *fidei* nostræ Rom. IV. 11. β. ad certiorationem *insitionis* nostræ in Christum Gal. III. 27. 1 Cor. XII. 13. Conf. Joh. XV. 2. & Rom. XI. 17. γ. ad obsignationem *confœderationis* nostræ cum Deo Gen.

XVII.

xvii. 9. 10. cum Act. ii. 38. 39. Nec non δ. *remissionis* peccatorum nostrorum Act. ii. 38. & xxii. 16. Eph. v. 26. Rom. iv. 11. denique ε. ad excitandam *sanctificationem* nostram, quoad mortificationem veteris, & vivificationem novi hominis Rom. vi. 3. 4. Col. ii. 11. 12. Quod (11) per Baptismum seperemur ab *infidelibus*, & adjungamur Ecclesiæ Christi Act. ii. 41. 1 Cor. xii. 13. Quod (12) hic præluceant *exempla* conversorum Act. ii. 41. Eunuchi cap. viii. 36. — Pauli cap. xxii. 16. cum cap. xxvi. 19. Verum, cum non sufficiat baptizari; adnitendum ipsis, ut *legitimo* modo Baptismum consequantur: in quam rem, ipsis observanda incumbunt officia nonnulla: A. *Ante* Baptismum sectanda, qualia sunt: ut α. imbuantur in *fundamentalibus* fidei Christianæ Matth. xxviii. 19. Unde nulli *adulti* leguntur baptizati, ante præviam institutionem Act. ii. 41. & viii. 34. 37. & ix. 6. cum vs. 17. 18. & x. 34. cum vs. 48. & xvi. 31. 32. 33. Ut β. seipsos serio *examinent*, num vera ac viva fide sint præditi Act. viii. 37. Marc. xvi. 16. 2 Cor. xiii. 5. absque qua hilum Baptismus ipsis non est profuturus. Conf. Heb. iv. 2. Ut γ. *confiteantur* peccata sua, & ab eis serio resipiscant Matth. iii. 6. 8. Marc. i. 4. Act. xix. 4. Ut δ. fidem suam Deo & Servatori, ad *vitam* Christiano ac baptizato dignam, sancte obstringant 1 Petr. iii. 21. Rom. vi. 2. 3. 4. Matth. iii. 8. hinc in primitivâ Ecclesiâ, baptizandi renunciare jubebantur diabolo, omnibusque operibus ejus. Ut ε. etiam ad sacram *synaxin* sese præparent & accingant Act. ii. 41. cum vs. 46. B. *Sub* Baptismo, seu dum accipiunt; ut cum conveniente attentione & *devotione*, excitatâ & arrectâ fide, spe, resipiscentia, cum profundis suspiriis, suscipiant Act. xxii. 16. & ii. 41. quo Spiritum Sanctum nanciscantur. Luc. xi. 13. — C. *Post* Baptismum, ut a. sese componant ad *preces*, exemplo Christi Luc. iii. 21. non efficaciam tantum Baptismi *expetentes*; sed etiam pro gratiâ confœderationis, remissionis peccatorum, & receptionis in familiam suam, Deo *gratias* agentes. Ut b. piam *lætitiam*, ex obsignatione confœderationis cum S. Trinitate, remissionis peccatorum &c. concipere & excitare conentur: exemplo Eunuchi Act. viii. 39. & commentariensis Act. xvi. 34. Conf. Luc. xv. 6. 7. & vs. 22. 23. 24. Ut c. baptizatus per omnem vitam *memor* sit Baptismi, & confœderationis istius, quam contraxit in Baptismo suo: ac memoriâ istius, sese magis magisque obfirmet, adversus quasvis tentationes satanæ, & illecebras carnis ac mundi Rom. vi. 3. 4. *an ignoratis, quod quotquot baptizati sumus, in Christum Jesum; in mortem ejus baptizati simus? consepulti* &c. Addam etiam d. quotiescunque Baptismum aliis conferri *videt*; sibi devote ad animum revocet Baptismum proprium, & *vota* tum temporis Deo, à, seu pro se, facta: à quo omnis pene fructus & efficacia, imprimis pædobaptismi, pendet.

Quænam officia ipsis incumbant:

α. Sub Baptismo,

γ. Post Baptismum.

XXIX. *Tertio*, parentibus ac susceptoribus commendat *officia*, versus liberos, occasione Baptismi exercenda. Ut nim. 1. statim ab utero illos *Deo consecrent* 1 Sam. i. 28. Conf. Psal. xxii. 11. & Gen. xvii. 18. Ut 2. quam primum commode fieri potest, infantibus suis, fœdus gratiæ, per Baptismum obsignandum *curent*. Hinc olim diem octavum, suo judicio, circumcisioni commodissimum, Deus Sacramento dixit Gen. xvii. 20. cui exacte morigeros se præstiterunt Abrahamus, Zacharias, Maria Luc. i. & ii. quod α. eâ ratione, infantes quasi *in fœdus transeant* Deut. xxix. 10. 11. & β. Sacramentum introductionis, ipsis, ex *promissionis* jure, competat Act. ii. 38. 39. Ut 3. infantibus, circa Baptismum honesta & Christiana *nomina* imponant, ex quibus officii sui commonefieri possint Luc. i. 59—64. & ii. 21. Ut 4. Baptismo infantum suorum, & corpore, & animo *interfint*, eos piis votis precibusque q. in fœdus introducant, Deoque dedicent, & efficaciam Baptismi cœlitus ipsis exorent 1 Sam. i. 28. cum Deut. xxix. 10. 11. Ut 5. Deo jam dedicatos, *educare* studeant, *in eruditione & monitu Domini* Eph. vi. 4. exemplo Abrahami Gen. xviii. 19. Bathsebæ Prov. xxxi. 1. Loïdis & Eunices 2 Tim. i. 5. cum cap. iii. 15. Ut 6. indesinenter ipsis in memoriam revocent: α. quod per Baptismum solemniter Patri, Filio & Spiritu S. consecrati ac *dedicati* sint Matth. xxviii. 19. β. quod Baptismo in *communionem* populi Dei transierint, & cum Abrahami posteris, benedictum semen Gen. xvii. 7. & spirituales Abrahami filii facti sint Rom. iv. 11. cum Gal. iii. 7. 8. 14. Quod proinde γ. velut novitiæ plantæ, vineæ Dei inserti, & ἀπὸ βρέφους, ad sui servitium à Deo *evocati* sint Psal. xcii. 13. — Quod δ. recepti sint in *fœdus gratiæ*, omniaque ejus beneficia promissionesque ipsis per Baptismum sint obsignata Act. ii. 38. 39. Conf. Matth. xix. 14. Quod ε. cum naturâ essent filii *iræ*, mortui peccatis Eph. ii. 3. impuri 1 Cor. vii. 14. sint in Christo loti, *sanctificati* & purificati 1 Cor. vi. 11. Eph. v. 26. Quod ζ. præstito solenni *pignore*, satanæ, mundo, peccato, sibiipsis, *abrenunciaverint*, & SS. Trinitati se addixerint; cui si convenienter non vivant, *perfidi* fiant in Deum Jes. i. 2.

3. Commendat parentibus officia versus liberos, quoad Baptismum præstanda.

XXX. *Quarto*, commendat baptizatis quibusvis officia *communia*, nim. (1) *agnoscere* corruptionem naturæ & peccati, circumcisione resecandam, & Baptismo abluendam, à quo *lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S.* audit Tit. iii. 5. absque qua nemo potest, aut *videre*; aut *introire regnum Dei* Joh. iii. 3. 5. à quâ abluimur *lavacro aquæ in verbo* Eph. v. 26.

4. Commendat officia baptizatis communia.

(2) qua-

(2) *gratias* Deo agere, quod lavacro regenerationis, in sanguine Christi, & Spiritu S. nos purgaverit, purgationemque *obsignaverit* in Baptismo 1 Cor. VI. 11. Hebr. I. 3. Apoc. I. 5. (3) *deponere* magis magisque, *corpus peccatorum carnis* Col. II. 11. 12. *veterem hominem*, cui per Baptismum *mortui* sumus Rom. VI. 2. 3. 5. 6. (4) *ambulare in novitate vitæ* Rom. VI. 4. & in renovatione Spiritus S. Tit. III. 4. (5) colere arctissimam *communionem* cum Ecclesia, cui per Baptismum implantati sumus 1 Cor. XII. 13. Act. II. 41. cum vs. 44. (6) sectari imprimis, arctiorem cum Christo *unionem* spiritualem, quem in Baptismo dudum *induimus* Gal. III. 27. cujus *σύμφυτοι* facti sumus Rom. VI. 5. adeo ut cum eo, *Christus* (scil. *mysticus*) appellemur 1 Cor. XII. 12. (7) perdurare in doctrina *vera*, in quam semel baptizati sumus Act. II. 41. 42. (8) servare *promissa* confœderationis, in Baptismo præstita Gen. XVII. 10. Psal. XXV. 10. & CXIX. 106. quibus Satanæ, peccato mundo, & nobis ipsis, renunciavimus, nosque Deo totos addiximus: prout *Deus* nobis promissa fœderis fideliter servat 2 Cor. I. 20. (9) eniti in *certitudinem* remissionis peccatorum nostrorum, cujus signum & sigillum præstat Baptismus; ut dicamus: MIHI *misericordia facta est* 1 Tim. I. 15. *servavit* NOS, *per lavacrum regenerationis* Tit. III. 5. (10) adspirare ad S. *Synaxin*, ut ejus ope nutriamur & confirmemur in gratia confœderationis Act. II. 41. 42. huc duo ista Sacramenta Paulus conjungit 1 Cor. XII. 13. (11) *servare* fideliter, quæcunque Christus præcepit Matth. XXVIII. 19. perinde ut circumcisio obstringebat ad *omnia* præcepta Dei, constanter servanda Gal. V. 3. Horum officiorum *constans* neglectus prodet nos Baptismi *gratiam* nunquam fuisse consecutos Act. VIII. 13. cum vs. 21. & Baptismum nobis, perinde ac Circumcisionem *carnalem* Judæis, *nihil* esse 1 Cor. VII. 19. Rom. II. 25. 27. 29.

CAPUT QUINTUM,

DE

SACRAMENTIS NUTRITIONIS.

Marc. XIV. 22. 23. 24.

Et edentibus ipsis, cum accepisset Jesus panem & benedixisset, fregit deditque eis, & ait: accipite, edite, hoc est corpus meum &c.

Secundum utriusque Testamenti Sacramentum, est nutritionis spiritualis.

I. DIximus Sacramenta *generationis* spiritualis Circumcisionem & Baptismum, succedunt Sacramenta *nutritionis* spiritualis: *Pascha* sub Veteri, & S. *Cœna* sub Novo Testamento. Utriusque usum Marcus narrat cap. XIV. 22. 23. 24. illius *abrogationem*, & hujus *substitutionem* significando.

Pars Exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus verbis textus, ex professo* S. Cœnæ institutio *repræsentatur, ut Paschati substituta, & penes eam notatur:*

1. Tempus *institutionis:* & illis (*scil. discipulis Christi* vs. 12. 13. 14.) edentibus. *Notandum autem, coiisse hic duplicem, si non triplicem cœnam: primo* ordinariam, *tum* Paschatis vs. 14. *cui etiam interfuit Judas* vers. 20. Matth. XXVI. 23. 25. Luc. XXII. 15. Joh. XIII. 26. 27. *sed accepta buccella discessit* Joh. XIII. 30. *Et postquam comedisset Pascha, illud abrogavit, eique substituit* S. Cœnam. *Ut hic præsupponatur manducatio* Paschatis.
2. Institutor *S. Cœnæ*, Jesus. *Unde Apostolus:* à Domino accepi, quod tradidi vobis 1 Cor. XI. 23. *Neque enim ab alio institui potuit, quam ab eo, qui rem significatam, fœdus gratiæ, suamque carnem, suum sanguinem obsignare & tradere potuit.*
3. Institutio, *S. Cœnæ, quæ distincte explicatur: quoad institutionem seu consecrationem:*

A. Panis *Eucharistici* vs. 22. *penes quem occurrit:*

1. Elementum *consecratum:* Panis, *desumptus à Sacro Paschatis. quo commodius & significantius adhibere non potuit, cum usus sanguinis cum ceremonialibus reliquis V. Test. jam exspirasset. Panis* azymus *quidem, pro ratione istius festi; sed verus tamen, & nutritioni spirituali significandæ commodus.*
2. Actus *consecrantes. Quo nim. panem:*

a. Acce-

α. Accepit *à mensa, & accipiendo, illum à reliquo pane separavit: eoque separationem Christi à quibusvis aliis hominibus, ad munus mediatorium, à Patre, in æterno consilio pacis factam, præfiguravit* Joh. x. 36. *cum* 1 Pet. 1. 20. *Prout ad hoc, in Paschate, agniculus hic ab aliis olim separari debuit* Exod. XII. 6. *Accepit in manum suam,* illum *panem, de quo dixit, quod sit* corpus *suum, proinde non panem, qui* naturaliter *esset corpus suum: sic enim in manum suam accepisset* corpus *suum, quod absonum.*

β. Benedixit, εὐλογήσας vſ. 23. εὐχαριστήσας *de poculo* vſ. 23. *& de pane quoque* Luc. XXII. 17. *Ut* εὐλογεῖν *&* εὐχαριστεῖν, *in hoc negotio, unum velint idemque, & significent* preces, *quibus usum, & efficaciam sacramentalem, pani cœlitus exoravit Servator; sicut manducaturi, cibo* εὐλογοῦμεν *&* εὐχαριστοῦμεν 1 Tim. IV. 4. *Hic insuper notat universum verbum consecrationis, mandato, promissione & precibus integrum, per quod elementa in Sacramentis ab usu communi, in sacrum transeunt, quamvis naturaliter non mutentur.*

γ. Fregit: *partem à parte separavit, ad figurandam mortem suam, qua corpus & animæ ejus, à se invicem divellenda erant, à qua, tota S. Cœnæ administratio,* fractio panis *dicitur* Act. XX. 7. 11. *suoque exemplo nobis præluxit, & præscripsit, ut elementum panis, non nisi* fractum, *communicantibus propinemus.*

δ. Dedit eis, *puta discipulis omnibus, secum accumbentibus, solo Juda excepto, qui accepta bucella, jam tum discesserat* Joh. XIII. 30. *Cæteris* dedit, *hoc est, gratis accipiendum, obtulit,* & panem, *ut* signum *ore manducandum;* & corpus *suum, ut* significatum Luc. XX. 11. 19. *corde comedendum, seu fide* Joh. VI. 47. 48.

ε. Dixit, *quo verbum consecrationis, generalius indigitatum verbo* benedixit, *distinctius explicatur & elementum panis, fit signum & sigillum fœderis gratiæ, ac proinde, juxta naturam fœderis, Christus* stipulatur *officia quædam præstanda &* promittit *beneficia. Ad hoc*

1. Stipulatur *officium duplex:*

A. Accipite, *scil. manibus & ore,* signum *panis; & corde ac* fide corpus *meum, velut* significatum Joh. I. 12.

B. Comedite, *scil. ore* corporis, *panem* naturalem 1 Cor. XI. 26. 28. *& ore* cordis, *panem* spiritualem Joh. VI. 53. 54. *cum* vſ. 63. *Ad hoc ut* uniantur: *ille quidem cum corpore; hic cum anima vestra, & ex* unione *ista, & corpus alatur, roboretur & reficiatur, & anima, ad vitam spiritualem & æternam.*

2. Promittit *beneficium,* hoc est corpus *meum. H. e. si eo modo acceperitis elementum panis; accipietis & comedetis corpus meum, seu* meipsum, *quantus quantus sum, & quicquid habeo, & quicquid possum. Proinde* corpus *hic synecdochice notat* totum *Christum. Hoc accipimus, non tam* naturaliter; *quam* sacramentaliter, *prout circumcisio erat* fœdus Gen. XVII. 10. *cum* Rom. IV. 11. *& calix eucharisticus,* N. Testamentum Luc. XXII. 20. *Copula* EST, *in textu non exprimitur; sed subintelligitur, more hebræo.*

B. Vini, vſ. 23. 24. *Penes quod rursus occurrunt:*

1. Elementum *consecratum,* ποτήριον, *per metonymiam continentis, cum contento suo,* vino, *quod appellatur* γέννημα τῆς ἀμπέλου. Purum *scil. non delibutum aqua, ut pani conjunctum, plenum & integrum nutrimentum* spirituale, *obsignaret.* Vinum, *optimum liquorem, & concoctioni, pariter & exhilarationi commodissimum* Psal. CIV. 14. 15. *ut sanguinem suum, optimum significaret, exhilarandæ animæ sitientis, adminiculum.*

2. Actus *consecrandi, quibus calicem*

α. Accepit, *prout supra panem, eoque segregavit & sanctificavit, ut sit vinum Sacramentale, significans & obsignans sanguinem Christi, ad tollendam sitim spiritualem, proficuum & necessarium. Conf.* Psal. XLII. 2. 3.

β. Benedixit, *scil. sicut panem, consecravit, & aptum qui sitim spiritualem animæ anhelantis levaret, & animam à peccato quasi agonizantem, reduceret sacramentaliter, ut Simsoni factum naturaliter* Jud. XV. 18. 19. *& juveni illi* 1 Sam. XXX. 11. 12.

γ. Distribuit. *Penes quam distributionem, notatur:*

1. Oblatio, dedit ipsis: *quæ implicat, mandatum accipiendi & bibendi.* Dedit, *meræ gratiæ:* ipsis, *scil. discipulis,* omnibus *accumbentibus secum, &* solis, *non aliis quibusvis, quod his omnibus & solis competat communio sanguinis sui, ad remissionem peccatorum* 1 Joh. I. 7.

2. Usus *congruus oblationi:* & biberunt ex eo omnes. Biberunt, *h. e. oblatum acceperunt,*

& convenienter mandato, in usus suos converterunt. Biberunt omnes, *tum præsentes: adeoque non Sacerdotes tantum, ut volunt Pontificii, sicut etiam non solis Sacerdotibus in S. Cœna, est comedendus panis; sed quivis etiam communicantes* 1 Cor. XI. 27. 28.

3. Promissio, *seu* contestatio *potius, qua post usum* signi, *Christus ipsis addicit rem significatam. Ubi occurrit:*

A. Actus *contestandi*, & dixit ipsis, *seu* tum *dixit, postquam scil. omnes, ex mandato suo, signum vini accepissent*; dixit, *seu asseruit confirmavit, eos certiores fecit; scil. juxta ejus πολυτρύλλητον: amen amen* dico *vobis, significat, omnes, qui ex suo præscripto utuntur signis, participes etiam fieri rerum significatarum.*

B. Res contestata: Hoc est sanguis meus *&c. Est hic integra propositio, & in eâ:*

α. Subjectum, τοῦτο, *scil.* ποτήριον. *Connotatur, per metonymiam continentis, vinum poculo contentum, ut agnoscas, Sacramenta non abhorrere à tropis.*

β. Prædicatum; *quo de poculo, seu de vino poculi, tria enunciantur, nim. quod sit:*

1. Sanguis suus, αἷμά μου, *quo synecdochicè, universa ejus mors, omniaque ejus* παθήματα, *ac procurata eis satisfactio, & peccatorum remissio significatur* 1 Joh. 1. 7

2. Novi Testamenti, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Verba sunt insigniter* διακριτικὰ, *ex duplici articulo* discretivo, τὸ τῆς. *Si enim* διαθήκη *reddatur per* fœdus, *prout vox* ברית *communiter reddi solet à* LXX. *Interpretibus; discriminabunt inter fœdus* vetus, *seu fœdus legale, significabuntque fœdus* legale *non habuisse sanguinem, nec eo indiguisse, quod istud fœdus coïerit cum homine adhucdum integro &* ἀθῴῳ; *dum fœdus* novum *seu* euangelicum, *coëat cum homine peccatore, qui cum Deo reconciliari non possit absque sanguine, quod* χωρὶς αἱματεκχυσίας *non accidat remissio* Heb. IX. 22. *si autem per* διαθήκην *intelligatur* Testamentum, *seu dispensatio fœderis* novi *seu gratiæ, tum sanguinem fœderis, qui obtinebat sub V. Testamento, distinguent à sanguine qui est sub* Novo *Testamento, quod illius Testamenti sanguis non fuerit nisi typicus, cujus efficacia non fuit, nisi in præfigurando & significando sanguine Novi Testamenti, qui est sanguis Christi, cujus efficacia est, in vera reconciliatione nostri cum Deo: unde de sanguine illo typico, taurorum & rubræ vaccæ; pronunciat, quod non potuerit purgare conscientiam nostram à peccato* Heb. X. 4. *Porro per* αἷμα *sanguinem, intelligit omnes ejus passiones, ipsamque adeo mortem, effusione sanguinis procuratam, atque etiam ejus satisfactionem, à qua sanguis Filii Dei nos purgare dicitur à peccatis nostris* 1 Joh. 1. 7.

3. *Ille* qui pro multis effunditur. *Notat illum Christi sanguinem nobis hilum non prodesse, nisi* effundatur Heb. IX. 22. *h. est, nisi præstetur in satisfactionem pro nostris peccatis. Dicit insuper sanguinem istum Christi, effusum iri* ἀντὶ, *non* ὑπὲρ *tantum, h. e. non in qualecunque commodum tantum nostrum, prout passiones Pauli dicuntur factæ pro Colossensibus* Col. 1. 22. *sed* vice *seu loco multorum:* ἀντὶ *enim, quotiescunque non notat* oppositionem; *significat substitutionem unius in locum alterius. Addit* ἀντὶ πολλῶν, *ut dicat, istam sanguinis Christi effusionem non esse factam pro* omnibus *& singulis hominibus; nec etiam pro paucis tantum; sed pro* multis.

Pars dogmatica.

Nutritionem spiritualem regenitorum, Deus obsignat duplici Sacramento: Paschate

III. Prout ergo *generationem* spiritualem, quâ in fœdus gratiæ, seu in regnum Christi, *introducimur*, Deus obsignat duplici Sacramento, Circumcisionis & Baptismi: ita *nutritionem* spiritualiter genitorum, duplici item Sacramento obsignat; *Paschate* sub Veteri, & *Cœna* dominica sub Nova œconomia. Singula horum singulatim, sed breviter examinabimus.

IV. *Pascha* פסח 1. proprie *transitum* notat Exod. XII. 13. nonnunquam 2. *agnum* paschalem, signum transitus Exod. XII. 11. 21. Luc. XXII. 7. alibi 3. *festum* Paschatis 2 Reg. XXIII. 21. 22. Luc. XXII. 1. nonnunquam 4. *sacrificia* in eo festo mactari solita Deut. XVI. 2. Joh. XVIII. 28. etiam 5. *Christum* paschatis ceremonialis ἀντίτυπον 1 Cor. V. 7. Quantum ad rem, commodissime dixeris, esse Sacramentum *ordinarium nutritionis spiritualis, sub V. Testamento.* Nec, dum *Sacramentum* dicimus, negatum volumus, fuisse etiam (quoad mactationem agni, αἱματεκχυσίαν & oblationem apud altare) *sacrificium*: unde זבח & θυσία dicitur Deut. XVI. 4. 5. 6. Luc. XXII. 7. sicut quoad ejus

sub Ceteri dispensatione,

ejus convivium ſacrum, *Sacramentum* fuit. Dum *nutritionis* Sacramentum appellamus; diſtinguimus a circumciſione, quæ *generationis* erat. Dum nutritionis Sacramentum *ordinarium* dicimus; à *manna* diſtinguimus, quod *extraordinarium* præſtabat. Dum tandem ad *Vetus* Teſtamentum reſtringimus, à S. *Cœna* diſcriminamus, quæ ſub N. T. nutrit.

Signum in Sacramento Paſchatis: repræſentans & applicans.

V. *Signum* hujus Sacramenti: A. *repræſentans* quidem, *agnus* erat, aut hædus maſculus, anno non major Exod. XII. 5. B. *Applicans* autem erat, in variis ritibus, circa agniculum iſtum obſervandis, quales erant: 1. Quod die *decimo menſis Nisan*, qui à novilunio noſtri Martii incipit, ab ovili ſeparandus, domi aſſervandus, & die XIV. mactandus erat Exod. XII. 3. 6. Quod 2. mactatio illa peragenda erat, *inter duas veſperas* vſ. 6. h. e. inter initium ſacrificii veſpertini, & occaſum Solis. Quod 3. ſanguine ejus conſpergendi erant *poſtes*, & ſuperliminaria domuum Iſraëliticarum, faſciculo hyſſopi vſ. 7. 22. ut eo ſigno Angelus vaſtator agnoſceret domus quas præteriret vſ. 13. 23. Quod 4. ea nocte, Iſraëlitis in Ægypto commorantibus, uſque ad mane, domibus *exire* fas non eſſet vſ. 22. Quod 5. agniculus, die XV. ſtatim ab occaſu Solis, à *circumciſis* duntaxat vſ. 8. 44. & convivarum numero, qui (ſecundum Judæos) non eſſet infra decem, nec ſupra viginti: non crudus, nec aquis coctus; ſed aſſus, una cum capite, cruribus & viſceribus comedendus eſſet. Quod 6. panibus *azymis*, lactucis & herbis *amaris* vſ. 8. ad recentem ſemper memoriam, amariſſimæ afflictionis Ægyptiacæ, à quo & *panis afflictionis* Deut. XVI. 3. dicitur. Quod 7. nocte feſti præcedente, *fermentum* ſumma cura expurgandum, & repertum, non ſine execratione, *exurendum* eſſet vſ. 15. Quod 8. habitu *feſtinantium*, lumbis accinctis, calceis indutis, baculis in manum ſumtis, uſurpandus eſſet vſ. 11. Quod 9. agniculi *nullum os* confringendum eſſet vſ. 46. Quod 10. *ſuperfluum* ex convivio, mane cremandum eſſet vſ. 10. Quod 11. *myſteria* hujus Sacramenti, eadem nocte liberis *explicanda* eſſent Exod. XIII. 8. id quod *Haggadah*, ſive *annuntiatio paſchatis* appellatur. Fuit tamen in ritibus illis, qualiſcunque differentia: non tantum inter paſcha primum, in Ægypto celebratum, & ſequiora; ſed etiam inter paſcha *primarium*, quod menſe Niſan, die decimo quarto ordinariè comedebatur; & *ſecundarium*, quod menſe ſecundo, die decimo quarto, in gratiam eorum qui prori menſe, aut immundi, aut abſentes erant, celebrabatur: quod hic communicantes non obſtringerentur, ad omnis fermenti tam exactam expurgationem; atque etiam, non niſi per unum diem, feſtum agerent.

Res ſignificata.

VI. *Significatum* patet in analogia cum ſignis, quoad hæc potiſſimùm quindecim capita: (1) *Agnus* ſignificabat Chriſtum 1 Cor. v. 7. (2) agnus accipiendus ab *ovili*, monebat Chriſtum, agnum Dei, verum *hominem*, accipiendum ac ſegregandum eſſe ab ovili Dei, quod erat in Iſraële Joh. 1. 29. 14. Jeſ. LIII. 3. 7. Heb. II. 14. 16. (3) agnus *perfectus*, eum dicebat omni peccato deſtitutum, ſanctum & à peccatoribus ſegregatum 1 Pet. 1. 19. Heb. IV. 15. & VII. 26. Jeſ. LIII. 9. (4) Agnus *mactatus & aſſus* repræſentabat Chriſtum mactandum, & æſtum iræ divinæ perpeſſurum Jeſ. LIII. 4. 5. 6. 7. Luc. XXII. 44. (5) agnus mactatus *inter duas veſperas*, die XIV. menſis *Abib*, h. e. inter noſtram tertiam & ſextam pomeridianam; innuebat Chriſtum eo ipſo menſis die prodendum, & ſequenti circa noſtram tertiam, & mundi veſperam ſepeliendum Marc. XIV. 17. & XV. 34. 37. Heb. IX. 28. (6) Quod agno *nullum os* eſſet *confringendum*; præfigurabat Chriſto crucifixo os nullum eſſe confringendum Joh. XIX. 33. 36. (agni ſanguis *aſperſus* poſtibus & ſuperliminaribus domuum Iſraëliticarum; docebat ſanguinem Chriſti aſpergendum eſſe conſcientiis noſtris 1 Pet. 2. Heb. XII. 24. (8) ſanguis agni, ad hoc aſperſus, ut Angelus vaſtator *tranſiret*; dicebat, ſanguinem Chriſti nobis applicatum, nos liberare à poteſtate diaboli, mortis, peccati Heb. II. 14. 15. Apoc. 1. 5. (9) agnus comedendus à *quavis* familia, exprimebat; Chriſtum cuivis fideli applicandum, & ab eo viva fide comedendum eſſe Joh. VI. 35. 51. 53 — 59. (10) *totus* agnus comedendus; monebat totum Chriſtum, ut Prophetam, Sacerdotem ac Regem, fide à nobis recipiendum eſſe 1 Cor. 1. 30. (11) agnus comedendus cum *azymis*; referebat Chriſtum comedendum eſſe, cum azymis *ſinceritatis & veritatis* 1 Cor. V. 7. 8. (12) agnus comedendus cum herbis *amaris*; monſtrabat comedendum eſſe, cum amara reſipiſcentia Matth. XXVI. 75. & X. 38. (13) agnus comedendus, *feſtinanter*, velut à *peregrinantibus*, accinctis lumbis &c. ſignificabat, Chriſtum velut à peregrinantibus, & feſtinantibus ex Ægypto ſpirituali, in patriam cœleſtem; recipiendum eſſe Heb. XI. 13. 16. 1 Pet. II. 11. & 2 Pet. III. 11. 12. (14) agnus comedendus cum *piis colloquiis*, de ſignificatione hujus Sacramenti, de liberatione ex ſervitute Ægyptiaca &c. Exod. XII. 26. 27. notabat, Chriſtum comedendum cum *commemoratione* & annuntiatione mortis ſuæ 1 Cor. XI. 26. Luc. XXII. 19. 20. (15) agnus comedendus, non niſi à *circumciſis*, non autem ab extraneis Exod. XII. 43. 48. figurabat Chriſtum, non niſi à ſpiritualiter circumciſis h. e. à regenitis & converſis participari Rom. II. 29. Col. II. 11. cum 2 Cor. V. 17.

VII. *Inſtitutor* Paſchatis, proculdubio, Deus fuit Cauſæ Exod. XII. 1. *mandans* uſum vſ. 3. — & *promittens* paſcha efficaciam, ſeu tranſitum vaſtatoris *naturalis*, velut tis, au- ctor, ſignum

signum & sigillum liberationis *spiritualis* per Christum vs. 13. cum Heb. 11. 14. Ministri paschatis, in *Ægypto* quidem, erant Patres-familias, aut primogeniti Exod. xii. 3. in *Canaan* autem Patres-familias agnum mactasse; Sacerdotes autem & Levitæ ad altare detulisse, & sanguinem effudisse videntur 2 Paral. xxx. 15. 16. 17. & xxxv. 5. 6. 10. 11. Esd. vi. 20. Matth. xxvi. 28. Prout etiam locus *mactationis* in Ægypto, ædes erant privatorum Exod. xii. 7. in deserto & in Canaan, tabernaculum aut templum, ejusque atrium Deut. xvi. 5. 6. cum Jos. v. 10. Paral. xxxv. 3. 6. Luc. 11. 41. 42. *manducationis* autem, constanter fuerunt ædes privatorum Matth. xxvi. 17. 18. Intendebat paschа: (1) *præstare signum* & medium præservationis, familiarum Israëliticarum, ab ira & destructione divinâ, sæviente in primogenita Ægyptiorum Exod. xii. 12. 13. (2) *alere* per secuturas generationes, perpetuam *memoriam*, liberati Israëlis, à servitute Ægyptiacâ Exod. xii. 14. 40. 41. 42. (3) *exhibere tesseram* & characterem, qui Israëlitas discriminaret ab Ægyptiis Exod. xii. 12. 13. 23. (4) præstare *vinculum* congregationum publicarum Exod. xii. 15. 16. (5) præstare Sacramentum ordinarium *nutritionis* spiritualis; hinc *edendo* occupabatur Exod. xii. 18. (6) præstare vivum *typum* veri ac spiritualis paschatis, *Christi* 1 Cor. v. 7. 8.

minister, Ines.

Nutritionis spiritualis Sacramentum sub N. T. est S. Cœnæ.

VIII. Alterum nutritionis Sacramentum, sub N. T. valens, est S. *Cœna*, quæ originem accepit à sacris paschatis, per substitutionem sui, jam abrogatis. Unde ex ritibus paschatis (de quibus conferri poterit Buxtorffius *Synag. Judaica* cap. xiii.) bene observatis; circumstantialia S. Cœnæ, plurimum lucis accipiunt: v. g. quod *accubuerit*, alter in alterius sinu (quod signum erat quietis ac securitatis) non *steterint*, sicut olim in primo paschate: quod Christus *benedixerit* & *gratias egerit*, distincte super *panem* & *calicem* Marc. xiv. 22. 23. quod dicitur, ipsum *accepisse poculum post cœnam* Luc. xxii. 20. quod *hymnum* cecinerit Matth. xxvi. 30. & quod Apostolus 1 Cor. xi. 26. *annuntiationem* mortis Domini (à quâ Judæi paschа suum *Haggadah*, seu, *declarationem*, seu *manifestationem*, appellabant) præscribit; impris etiam, quod *panem* acceperit, qui Judæis jam olim symbolum & memoriale præstabat, suæ liberationis ex Ægypto: quem filius Dei sanctificaverit in memoriam suæ mortis, & liberationis nostræ è servitute spirituali.

Variæ hujus Sacramenti denominationes.

IX. Variis *nominibus* insignitur, tum ℵ. apud *Scripturam*, cui dicitur: (1) *Cœna Domini* 1 Cor. xi. 20. à Domino vesperi instituta & usurpata (2) εὐλογία, propter Christum & ministros εὐλογίζοντες Matth. xxvi. 26. 1 Cor. x. 16. (3) εὐχαριστία, à Christi & fidelium *gratiarum actionibus* Matth. xxvi. 27. Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 24. (4) *mensa Domini* 1 Cor. x. 21. quod cum Domino convivamus Cant. v. 1. (5) *fractio panis* 1 Cor. x. 16. Act. 11. 42. 46. & xx. 7. 11. (6) *communio* corporis & sanguinis Christi 1 Cor. x. 16. tum ב. apud *Ecclesiasticos*, quibus *convivium*, *alimentum spirituale*, *synaxis*, *mysterium*, *liturgia*, *sacrificium*, atque etiam *Missa* (à catechumenorum prævia dimissione) & aliter nominatur. Quoad *rem*, sacra cœna, non est nisi Sacramentum nutritionis spiritualis, sub N. Testamento. In priore convenit cum paschate, in posteriore differt ab eodem.

Signum duplex: 1. Representans.

X. *Signum* in S. Cœna duplex est: ℵ. *representans*, geminum pro ratione *nutritionis* (cum in Baptismo, qui *purgationem* obsignat, unum sufficiat, scil. aqua): 1. *panis* (pro ratione festi) *azymus* quidem à Christo adhibitus (quod alius in promptu non esset: licet Græci, quia cœnam institutam volunt, die paschа antecedente; *fermentatum* urgeant) sed *verus* tamen & nutritioni commodus: à paschate adoptatus, in quo à Judæis quatuor placentæ panaceæ usurpabantur. 2. poculum *vino* puro refertum, nulla aquâ dilutum, quamvis Pontificii, cum multis Patribus, sed absque solidâ ratione, *aqua* permixtum, à Christo usurpatum existiment. *Utrumque* horum in S. Cœnâ, divinâ prudentiâ & providentia conjunxit Servator: quod α. non modo ad *perfectam* nutritionem requirantur, & sufficiant; sed etiam β. apud *omnes*, per universum orbem, in usu constanter sint, atque insuper semper in promtu: porro quoque γ. post abrogatum in sacris, carnium & sanguinum usum, V. œconomiæ peculiarem; commodiora elementa adhiberi vix possint: ac tandem quod δ. scopum, usum & efficaciam universalem Sacramenti, puta nutritionem spiritualem, & unionem cum Christo mysticam; vix quicquam efficacius repræsentare possit. ב. *Applicans*, quod est in *usu*, & ritibus circa elementa ista adhiberi solitis, absque quibus *Sacramentum* non præstant. In quibus occurit 1 *Minister*, Dei personam præstans, vel ejus œconomus 1 Cor. iv. 1. in primâ cœnâ, *ipse* Servator Jesus, & ab eo, ejusque auctoritate, quivis Ecclesiæ ministri. 2. *sumtio*, quâ, velut apud Judæos in paschate, Christi Pater-familias, *integrum* panem, inter cœnandum manibus prehendit Matth. xxvi. 26. 27. Marc. xiv. 22. & à reliquis separavit. 3. *benedictio* seu consecratio. *Ibid.* non *ordinaria* tantum, ante prandium aut cœnam, apud quosvis usurpari solita 1 Tim. iv. 4. sed *sacramentalis* insuper: usum elementorum communem, in sacramentalem, & sacrum convertens, circa paschа apud Judæos recepta. Hæc *preces* habebat, & gratiarum actionem, & verbum expressum, quibus elementorum mutationem sacramentalem contestabatur, nobisque imitandi officium imponebat. 4. *fractio*. *Ibid.*, à paschate accepta, ubi Pater-familias, peractâ benedictione, panes frangebat, & convivis

2. Applicans.

convivis benedicebat: à qua totum ſacramentum, ſubinde *fractio panis* audit Act. II. 42. I Cor. X. 16. quæ non tantum commodioris diſtributionis; ſed etiam *myſtica* Chriſti fractionis cauſa fiebat I Cor. XI. 16. porro 5. *diſtributio*, itidem à Judæorum paſchate accepta, ubi Pater-familias, poſtquam ipſe deguſtaſſet, aſſeſſoribus porrigebat panem. Chriſti autem diſtributio, duo habebat: A. *mandatum* accipiendi; & certo modo uſurpandi: *accipite, comedite, facite in mei recordationem. B. promiſſionem: hoc eſt corpus meum.* Ac ſi dicat: ſi *ita* feceritis: accipietis *corpus* meum. Prout in *exegeſi* textus indigitavimus. His accedit, ex parte *communicantium* 6. *acceptio*, itidem apud Judæorum paſcha uſitata, ubi quilibet convivarum, porrectum ſibi à Patre-familias panem, manu prehendebat. 7. *manducatio* ex præſcripto Chriſti, à qua efficacia *nutritionis* naturalis pendebat. Quibus, ratione peculiari, peculiariter accedebat. 8. vini *infuſio* (quæ, licet ejus *exſerta* mentio apud Scripturas non accidat: ſatis tamen clarè colligitur, expreſsâ ſanguinis Chriſti *effuſione* Matth. XXVI. 28.) 9 & ejuſdem *potatio* Matth. XXVI. 27. Marc. XIV. 23. itidem ex paſchate adoptata, à qua uſus & *efficacia* vini pendet. 10. *hymnus* euchariſticus Matth. XXVI. 30. itidem à paſchate mutuatus.

Res ſignificata S. Cœnæ.

XI. *Significatum* omnium præcedentium, ut diſtinctius aſſequamur; tenendum generaliter, quod omnia penes hoc Sacramentum, ſint egregie *myſtica*, hoc eſt, rei alicujus ſpiritualis & inviſibilis repræſentativa: (1) Elementa, *panis & vinum* repræſentant *corpus & ſanguinem* Chriſti Matth. XXVI. 26. 28. hoc eſt *totum* Chriſtum Cant. II. 16. quoad corpus pariter & animam; quoad divinam pariter & humanam naturam, imò & quoad omnes ejus opes & *beneficia* I Cor. I. 30. quatenus non tantum cibus eſt, & potus *ſpiritualis* Joh. VI. 41. 50. 53. — ſed etiam ſacrificium pro peccatis noſtris I Cor. V. 7. 8. (2) *Miniſter* diſpenſans, *Deum* refert & Mediatorem, inviſibiliter præſentem, ut convivatorem Cant. V. 2. Matth. XXII. 11. (3) *Sumtio* panis, ejuſque ſegregatio à reliquis panibus, notat Patrem ab *æterno* ſumentem filium ſuum, ſegregantem à reliquis omnibus hominibus, ſanctificantem, & in tempore mittentem in mundum, ut ei præſtet Mediatorem I Petr. I. 20. Joh. X. 36. quo etiam ſpectabat agni paſchalis ſegregatio Exod. XII. 3. 6. & vſ. 21. (4) *Benedictio*, præter jam notata, docebat ipſum eſſe *ſemen* illud benedictum, in quo omnes gentes benedicendæ eſſent Gen. XVIII. 18. cum Gal. III. 8. Eph. I. 3. (5) *Fractio* & *effuſio*, figurabant inſtantem ejus *mortem*, qua anima à corpore laceranda eſſet I Cor. XI. 26. (6) *Diſtributio* innuit ſublationem Chriſti in vocatione: qua Pater filium, & filius ipſum, ſuaque omnia, *offert* viva *fide* recipiendum Apoc. XXII. 17. Jeſ. LV. 1. proinde (7) *Acceptio* fidem notat, qua Chriſtus oblatus nobis prompte veniat *accipiendus* Joh. I. 11. 12. Col. II. 6. (8) *Uſus* elementorum, in *manducatione* panis & *potatione* vini, refert *unionem* cum Chriſto, qua Chriſtus quaſi in ſuccum & ſanguinem convertatur I Cor. XII. 13. qui in nobis *maneat* Joh. XIV. 23. nobis *agglutinetur* I Cor. VI. 17. nobis, & nos viciſſim ei incorporemur Eph. III. 6. ipſeque animam noſtram ſuſtentet, in vita *ſpirituali*, corroboret, reficiat, ad vitam æternam Joh. VI. 32. 33. 34. 35. — Tandem (9) ſignificatum generale, ex prioribus reſultans, eſt *fœdus gratiæ*, quoad gradum *nutritionis*, à quo calix *ſanguis* Chriſti, ſanguis *novi fœderis* dicitur Matth. XXVI. 28. ſeu *novum fœdus in ſanguine* Chriſti Luc. XXII. 20. quando à ſua parte, Pater in filio ſeipſum nobis offert (*dedit ipſis* Matth. XXVI. 26.) ſtipulatur, viva fide accipiamus (*accipe Ibid.*) promittit, *hoc eſt corpus meum*; diſcipuli à ſua parte, accipiendo & præſtando ſtipulata, ὁμολογοῦσι, & ſibi promiſſa reſtipulantur: quibus *fœdus gratiæ* exhauritur.

Unio ſignificati cum ſignificato.

XII. Inter ſignum & ſignificatum hujus Sacramenti, eſt *unio* quædam, cujus ope, qui *legitime* accipit ſignum, eadem opera etiam accipit ſignificatum. Hæc unio docetur phraſeologia ſacramentali, qua panis appellatur *corpus* Chriſti, & vinum *ſanguis* ejus. Ut legitime communicantes, non panem & vinum tantum accipiant ex ſententia Reformatorum, ſicut Pontificii & Lutherani calumniantur; ſed Chriſtum ipſum, quantus quantus eſt, cum omnibus ejus opibus. Non eſt autem hæc unio *a. naturalis*, qua, vel ſignum, ipſum *ſit* ſignificatum, per *tranſſubſtantiationem*, de qua in *elenchticis*; vel ſignatum contineat, per *conſubſtantiationem*, de qua item in *elenchticis*: nec etiam 2. eſt *ſpiritualis*, qualis eſt inter *Chriſtum* & legitime *communicantem*: ſed 3. *ſacramentalis*, quali circumciſio, eſt *fœdus* Gen. XVII. 10. agnus paſchalis, *tranſitus* Exod. XII. 21. (*mactate tranſitum* פסח) Baptiſmus *lavacrum regenerationis* Tit. III. 5. calix, *Novum Teſtamentum* Luc. XXII. 20. & 4. *relativa*, quâ ſignum rem ſignificatam, *repræſentat*, *offert* certis legibus accipiendam, his præſtitis ex *pacto* confert; & collatum tandem obſignant. Fundamentum autem relativæ hujus unionis, à tribus emergit: A. Ab ἀναλογίᾳ & *ſimilitudine*, quæ eſt inter ſignum & ſignificatum, quam duobus paragraphis præcedentibus delineavimus. B. à *promiſſione* Chriſti, quâ accipientibus legitime, addixit ſeipſum: *accipite, comedite, hoc eſt corpus meum* Matth. XXVI. 26. ac ſi dixiſſet: ſi acceperitis & comederitis, modo quem præſcripſi; accipietis corpus & ſanguinem meum. Ab hac *promiſſione*, præcipua univerſi Sacramenti efficacia pendet, utpote per quam cor-

Qualis ſit.

Quæ-nam ejus fundamenta.

pore tenus & anima (ut ut in cœlis exiſtant) divina tenus & humana natura, cum omnibus ſuis opibus, ex pacto noſter ſit, & in bonum noſtrum vergit, & operatur. C. Ab *uſu legitimo*, utpote quem promiſſio *ſtipulatur*, ut promiſſum præſtet. Hinc Servator præſcribit, non tantum accipere panem & vinum, nec tantum edere & bibere; ſed certo modo: *hoc facite in mei recordationem*, commemorabitis mortem meam: & Paulus, *exploret quiſque ſeipſum*, & SIC comedat &c. 1 Cor. xi. 28. 29. Hoc ergo ceſſante legitimo uſu, ceſſat connexio, ſeu unio ſigni cum re ſignificata 1 Cor. x. 3. 4. 5.

Perſonæ circa S. Cœnam occupatæ: 1. auctor, 2. adminiſtri,

XIII. *Perſonæ* circa S. Cœnam occupatæ, ſunt: (1) ipſe Servator *Jeſus*, velut auctor & inſtituor: unde cœna *Domini* conſtanter appellatur 1 Cor. x. 20. 23. 26. 27. 29. (2) *Apoſtoli*, omneſque *ordinarii* miniſtri, velut adminiſtratores, qui à Chriſto poteſtatem adminiſtrandi acceperunt 1 Cor. xi. 23. & hinc etiam adminiſtrarunt 1 Cor. xi. 16. non autem *privati* quivis, prout in vilipendium Sacramenti (in quo nihil *myſterii* ſit) ſtatuunt Sociniani, multo minus *mulierculæ*, ut cum Socinianis exiſtimat Epiſcopius. Eſt enim Sacramentum, ſignum ac *ſigillum* fœderis gratiæ, quod non niſi à conſtitutis ad hoc myſteriorum Dei diſpenſatoribus, adminiſtrari debet 1 Cor. iv. 1.

3. Communicantes: Apoſtoli, excepto Juda.

(3) *Communicantes*, in prima quidem cœna, fuerunt ad minimum Apoſtoli omnes, excluſo ſolo Judâ, utpote qui ante inſtitutam S. Cœnam, accepta *intincta offula* (quæ procul dubio ad ſacra paſchatis, non autem ad S. Cœnam ſpectat) ſibi a Chriſto detectus, *ſtatim exivit* Joh. xiii. 26. cum vſ. 30. Marc. xiv. 20. quando apud omnes extra controverſiam eſt, uſum S. Cœnæ, ſolemnia paſchalia ſecutum fuiſſe Matth. xxvi. 17. 18. cum vſ. 26. Marc. xiv. 14. 20. cum vſ. 22. 23. Nec obſtat, quod Luc. xxii. 21. poſt adminiſtratam cœnam dicatur: *veruntamen ecce, manus prodentis me, mecum eſt in menſa:* cum *metathefis* rerum geſtarum in ſacra cœna, Euangeliſtis non ſit inuſita, conferantur Matth. xxvi. — & Marc. xiv. 22. 23. ubi conſecratio panis præmittitur conſecrationi calicis, cum Luc. xxii. 17. 18. 19. ubi conſecratio vini præmittitur conſecrationi panis: & talem etiam hiſtoriæ metathefin, qua poſt cœnam narratur, quod ante cœnam factum eſt Luc. xxii. 21. neceſſario admittendam eſſe, vel ex hoc patet, quod τὸ *manus mecum in menſa eſt*, Matthæus cap. xxvi. 23. interpretetur: *qui intingit* mecum manum in catino, quod, procul omni dubio, non ad cœnam ſpectat; ſed ad *paſcha*. Non dicam, quod ſi Judæ Chriſtus tradidiſſet ſigillum fœderis gratiæ; quem ſciebat *extra* fœdus eſſe: fœdus gratiæ obſignaſſet, ei quem ſciebat extra fœdus eſſe. Poſt Apoſtolos 4. quivis alii *fideles*; ſed qui *ſeipſos explorare*, & *corpus Domini diſcernere* poſſunt 1 Cor. xi. 28. 29. proinde, nec α. *infantes* quivis, prout per aliquot ſecula apud veteres factum: nec β. *amentes*. Addam γ. nec quiſquam, in quo, vel *judicio charitatis*, nulla veræ gratiæ *indicia* agnoſcere poſſis, qui *indignus* Apoſtolo dicitur 1 Cor. xi. 29. quin δ. nec vere fideles, niſi *præſtitis* præſtandis, h. e. niſi ſeipſos præparaverint, & exploraverint. vſ. 28.

Circumſtantialia: 1. Tempus Cœnæ tempus.

XIV. Quantum ad *circumſtantialia*: 1. *Tempus* quidem, ſeu dies, quo prima cœna fuit celebrata; diſceptatur inter doctos, an nim. ipſo die paſchatis judaici, an die præcedente, S. Cœnam Chriſtus inchoaverit; Baronio, Cloppenburgio, Toleto aliiſque ſtatuentibus *ipſo* paſchatis judaici ordinarii die, inſtitutionem S. Cœnæ accidiſſe: aliis pleriſque, diem *præcedentem* præferentibus, quod die paraſcheves dicatur celebraſſe paſcha, & inſtituiſſe cœnam Joh. xix. 14. & vſ. 31. Quod (2) cap. xviii. 28. dicatur, Judæos noluiſſe *ingredi* prætorium, ne polluerentur, & ut paſcha comedere poſſent. Quod (3) parum ſit probabile, Judæos pœnæ capitali Chriſti vacare voluiſſe in ipſo paſchatis feſto, & quod 4. non minus probabile ſit, Joſephum Arimathæum, ipſum paſchatis diem humationi Chriſti impendere voluiſſe. Omnes interim agnoſcunt, *poſt* manducationem paſchatis, accidiſſe *cœnam*, ſive poſt aliquod interſtitium, ut cenſet Calvinus. Grotius, Salmaſius, ſublatis ſcil. menſis paſchalibus, intercedente, ſeu concione, ſeu precibus Chriſti: aliis verò, *ſtrata* adhuc menſa paſchali: quod ceſſante cœna paſchali, ulterius comedere fas non fuerit. *Hora* non ita certò determinari poteſt, quod cœna paſchalis, pro re nata, protrahi aut contrahi potuerit. Nobis, qui *paſchatis* ſolennibus adſtricti non ſumus; nec *dies*, nec hora immobilis conſtituta eſt: imo præſcriptum, *frequenter* uſurpare beatum hoc convivium 1 Cor. xi. 21. horæ *matutinæ* & jejunæ commodiores accidunt. 2. *Locus*, uſque ad conditas Chriſtianorum *ædes* ſacras, in privatis ædibus fuit Matth. xxvi. 18. Marc. xiv. 13. 14. 15. Luc. xxii. 10. 11. Act. ii. 46. nec propterea tamen, cœna *privata* unquam legitur, ſcil. aſſeſſoribus deſtituta, (ficut Pontificiorum Miſſæ privatæ) 1 Cor. xi. 20. tandem 3. *Inſtrumentum* celebrationis, jam non *altare* præſtat, aut Sacerdos, menſicut ſit apud Pontificios & Lutheranos: quod unum tantum ſub N. T. agnoſcamus *altare* Hebr. xiii. 10. unum *Sacerdotem* Heb. iii. 1. ſed *menſa communis* Matth. xxvi. 20. 1 Cor. x. 21. Tandem 4. cum S. Synaxi, conjungi olim in Eccleſia Apoſtolica & primitiva, ſolebant *Agapæ*, ſeu convivia fraterna, alendæ communioni ſanctorum deſtinata, eaque tempore Apoſtolorum, S. Synaxin antecedebant 1 Cor. xi. 20. quarum abuſum in Corinthiis ibidem, taxat, & reformandum jubet: ſed ſequioribus temporibus S. Synaxin

Circumſtantia. Locus. Inſtrumentum.

ſubſe-

ſubſecutæ ſunt & ab eis S. Cœna, *agapæ*, appellata eſt, quæ conſuetudo adhucdum apud Græcos obtinere fertur, quando dominicà reſurrectionis, poſt S. Synaxin, allatis in Eccleſiam epulis, convivantur, & carmen ſolenne concinunt: noſtro tempore, quod earum nulla neceſſitas apparerent, & multiplex earundem abuſus, exſpirarunt.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An S. Cœna non ſit niſi nudus ritus, nihil beneficii ſpiritualis obſignans?

XV. Quæritur *primo*, an S. Cœna non ſit niſi *nudus* quidam ritus, quo nihil *beneficii* ſpiritualis fidelibus repræſentatur, offertur, confertur & obſignatur; ſed *officium* tantum, rememorandi mortem Chriſti, imponitur? Sociniani, quia in morte Chriſti nullam *ſatisfactionem* pro peccatis: in S. Cœnâ nullam manducationem *ſpiritualem*, carnis & ſanguinis Chriſti, agnoſcunt, quæ nobis offeratur accipienda: nullam item in fidelibus, ſalutis æternæ *certitudinem*, *ſigillis* confirmandam; affirmant, S. Cœnam non eſſe niſi *ritum* quendam, qui mortem Chriſti commemoret, & religionis Chriſtianæ fidem, & charitatem in fratres, profiteatur; proinde etiam in vulgari *quovis* convivio, S. Cœnam, & à *quovis* inſuper, celebrari poſſe. Qui, Anabaptiſtarum etiam, & ex parte plerorumque Remonſtrantium, error eſt. Reformati ex adverſo, ſtatuunt eſſe Sacramentum maxime ſolenne, quo *fœdus* gratiæ, Jeſus Chriſtus fœderis hujus unica baſis, cum omnibus ſuis opibus ſpiritualibus, fidelibus repræſentatur, offertur, confertur & obſignatur; quæ proinde non niſi in *congregatione* fidelium, & à verbi divini *miniſtro*, in memoriam mortis Chriſti, adminiſtrari debeat. Eo quod 1. in S. Cœna, non tantum aliquid imponatur faciendum, *commemorare mortem Chriſti*; ſed etiam aliquid offeratur accipiendum: *accipite*; & tale quid, quod ſacramentaliter ſit *corpus* & ſanguis Chriſti: hoc eſt *corpus meum*; quod eſt *ſanguis novi fœderis* Luc. XXII. 20. Quod 2. in S. Cœna, *communionem* corporis & ſanguinis Chriſti contrahamus 1 Cor. X. 16. 17. 21. & XII. 13. in quâ omnis *vita* noſtra, ſpiritualis pariter & æterna, à Servatore ponitur Joh. VI. 49. — Quod 3. Sacramenta generaliter, non eſſe *nuda* ſigna & teſſeras profeſſionis Chriſtianæ, demonſtraverimus cap. III. hujus lib. §. XV.

2. An in S. Cœna præciſe panis azymus ſit adhibendus?

XVI. Quæritur *ſecundo*, an in S. Cœnâ, præciſe panis *azymus* ſit adhibendus, imo *placentulæ* ſpumoſæ, quas *hoſtias* appellant? Pontificii, in gratiam ſuæ *tranſubſtantiationis*; & Lutherani in gratiam ſuæ *conſubſtantiationis*, quo conſecrandum & conſecratum commodius inſigniant imagine crucifixi, & communicantium ori ingerant; non tantum panem *azymum*; ſed etiam *placentulas* iſtas neceſſarias ſtatuunt. Ex adverſo *Graci*, panem *fermentatum*, neceſſario adhibendum volunt. Reformati, rejectis *hoſtiis*, panem ordinarium, nutriendo aptum, adhibendum docent, non autem præciſe *azymum*, aut etiam *fermentatum*, modo *verus* panis ſit, & ſuperſtitio in utramque partem abſit, ſufficere putant. Quod 1. Chriſtus pane *obvio* fuerit uſus, absque ullo prævio mandato panis præciſe *non-fermentati* Matth. XXVI. 26. Quod 2. nuſquam alibi, vel *præſcribatur* panis infermentatus; vel uſurpatus *legatur*. Quod 3. Scriptura paſſim generaliter mentionem faciat *panis* 1 Cor. X. 16. 17. & XI. 26. 27. 28. Act. II. 42. & XX. 7. nec proſtat diſſimile exemplum. Quod 4. panis adverſariorum azymus, in hoſtiolis, non ſit *verus* panis, *nutriendo* aptus. Quod etiam 5. frangi hæ placentulæ commode non poſſint. Nec valet in contrarium, quod A. Chriſtus uſus fuerit pane *azymo*: quia nec hoſtiolis uſus fuit, nec alium in promptu habebat, quam panem illum paſchalem ac ceremonialem, mox abrogandum. Quod B. prohiberi videatur *fermentum* 1 Cor. V. 7. 8. cum (1) locus non agat de *Sacramento*: nec (2) prohibeat fermentum *proprie* dictum, ſed fermentum *malitiæ & nequitiæ*: prout etiam (3) commendat *ἀζύμους ſinceritatis & veritatis*. Quod C. *ἄζυμος α.* commodius repræſentet *puritatem* Chriſti & fidelium. *β.* minus ſit obnoxius *corruptioni*. *γ.* ſit *nobilior*. *δ.* ſub V. T. figurarit *humanitatem* Chriſti. *ε.* atque etiam triſtitiam & miſeriam *pœnitentiæ*; tandem *ζ.* commodior ſit ad conficiendas *hoſtias*: cum omnia iſta, partim *falſa*, partim adeo ſint inepta ad *probandum*, & futilia, ut propoſuiſſe ſit refutaſſe.

Argumenta negativa.

Objectiones affirmativæ.

3. An panis in S. Cœna neceſſario ſit frangendus?

XVII. Quæritur *tertio*, an panis in S. Cœnâ ſit neceſſario *frangendus*? Pontificii in gratiam *tranſubſtantiationis*, non tam, quod mera accidentia frangi non poſſint; quam quod frangendo, micula corporis Chriſti, procidere in terram, & ſic perire poſſet, *ordinarie* frangendum elementum negant, niſi quod ſacrificulus hoſtiam *magnam* in tres partes confringat. Lutherani, quod in *pane* corpus Chriſti exiſtere dicant, ne forte illud cum pane frangatur, fractionem, ſaltem *non neceſſariam* eſſe, ſtatuunt. Reformati, ſi non ad *eſſentiam*; ſaltem ad *integritatem* Sacramenti, omnino *neceſſariam* docent fractionem panis. Quia 1. Chriſtus non tantum ſuo *exemplo* præluxit Matth. XXVI. 16. ſed imitationem etiam exſerte *præſcripſit*: *Hoc facite. Ibid.* Quia 2. Apoſtoli hoc conſtanter *imitati* ſunt 1 Cor. X. 16. Act. XX. 7. Quia 3. univerſum Sacramentum, ab eâ, ſui *denominationem* geſtat Act. II. 42. Quia 4. peculiarem geſtat *analogiam*, ad ſignificatum Sacramenti, ſcil. ad *mortem* Chriſti annuntiandam 1 Cor. XI. 24. Nec adverſarios juvat: A. quod analogiæ, ſcil. *effuſionis* vini; nulla in Scripturis accidat mentio: cum ſatis clare innuantur in ſignificato

Argumenta affirmativæ.

Objectiones negativæ.

cato Luc. XXII. 20. *qui pro vobis effunditur.* Non dicam, quod elementum quodlibet ſuam habeat *peculiarem* ſignificationem. Quod B. panis frangi debeat, antequam detur; dum nihilominus Chriſtus datus nobis ſit, *antequam* fractus: cum ordo in ſignificatis non idem præciſe ſit, qui eſt in ſignis; atque etiam Chriſtus in ſignificato, crucifixus præſupponatur, antequam nobis offertur. Quod C. inter frangendum, mica panis poſſit effluere in *terram*, & eadem opera perire corpus Chriſti: cum 1. idem fieri poſſit per incuriam Sacerdotis, frangentis hoſtiam majorem. Nec 2. periculum ullum ſubeſt: cum elementa, extra uſum, non ſint Sacramentum. Cum præſertim 3. elementum panis (naturaliter ſaltem) non ſit *corpus* Chriſti.

4. An vinum S. Cœnæ, aqua ſit diluendum?

XVIII. Quæritur *quarto*, an vinum ſacramentale ſit *diluendum aqua?* Pontificii, neſcio, quo conſilio, contra proprias transſubſtantiationis hypotheſes, affirmant. Reformati, licet ſacramentum *tolli* non agnoſcant, ſi vino aqua, ex uſu regionis, admiſceatur: attamen admiſcendum *neceſſario*, aut ex uſu communi, negant. Eo quod 1. conſtanter *vinum* uſurpatum Matth. XXVI. 29. 1 Cor. XI. 28. nec ullibi in Scripturis, *aqua* admixta legatur. Quod 2. multo minus, *præceptum* ullum in hanc rem proſtet, ſine quo nihil agendum in Sacramentis 1 Cor. XI. 23. Quod 3. ipſis transſubſtantiationis *hypotheſibus*, inimica ſit hæc mixtura: cum non aquam; ſed vinum transſubſtantiari, ipſi credant. Nec habent quod obtendant in contrarium; niſi quod A. *uſitatum* fuerit apud Orientales, aquam admiſcere vino: cum Chriſtus, extra ordinem, ſolo potuerit uti vino: atque inſuper probari nequeat, *nunquam* vinum absque aqua potatum fuiſſe. Quod B. ex latere Chriſti profluxerit *ſanguis & aqua* Joh. XIX. 34. & quod venerit per *aquam & ſanguinem* 1 Joh. V. 6. cum 1. nihil hic dicatur de Sacramento, nec 2. vinum & aqua; ſed *ſanguis & aqua* his locis commemorentur. Quod C. mixtura illa, *unio* & communio, inter Chriſtum & fideles ſignificari videatur, utpote in qua. Chriſtus vinum, & fideles aqua ſint: cum & Baptiſmus eandem unionem figuret, licet *ſola* aqua conferatur: & unio panis & vini cum corpore noſtro, eidem noſtræ unioni cum Chriſto figurandæ, ſufficiat.

5. An perinde vinum ac panis, ſingulis communicantibus ſit conferendum?

XIX. Quæritur *quinto*, an *ſingulis* communicantibus, tam *vini*, quam panis elementum ſit conferendum? Pontificii augendæ poteſtatis papalis cauſa, in Concilio Conſtantienſi Ao. Chriſti MCCCCXIV. determinarunt: LICET *Chriſtus, ſub utraque ſpecie — adminiſtraverit;* & LICET *in primitiva Eccleſia reciperetur ſub utraque ſpecie:* TAMEN HOC NON OBSTANTE, *illud à conficientibus, ſub utraque;* & *à laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipi debere. Seſſ.* XIII. & XXX. cui ſe, per varios motus, oppoſuerunt Bohemi *Calixtini*, & in Concilio Tridentino, Imperator, Gallus & Bavarus; ſed fruſtra. Reformati *ſimpliciter* affirmant: Quod 1. Chriſtus *ita* adminiſtraverit Matth. XXVI. 26. Luc. XXVII. 19. 20. Quod 2. Apoſtoli *imitati* ſint Chriſtum 1 Cor. XI. 26. & vſ. 28. *exploret homo*, id eſt, *unusquiſque ſeipſum, & ſic edat — & ſic bibat* — nec detur contrarii, vel mandatum, vel exemplum. Quod 3. Joh. VI. 53. qui locus, ex ſententia Pontificiorum, de S. Cœnâ loquitur: non tantum *edere*; ſed & *bibere* ad ſalutem exigat. Quod 4. *plena* nutritio, quam S. Cœna obſignat, non tantum manducationem; ſed etiam *bibitionem* requirat. Nec adverſarios juvat in contrarium, quod A. nonnunquam panis & fractionis mentio accidat in Scriptura Luc. XXIV. 30. Act. II. 46. &c. Reſp. Non *excluditur* potus; ſed metonymia, Scripturis frequentata, *includitur* uſus potus Luc. XIV. 1. Matth. VI. 11. Quod B. penes poculum, varia videantur imminere *incommoda*, qualia periculum effuſionis, horror abſtemiorum Reſp. 1. His non obſtantibus, Chriſtus, Apoſtoli, & Eccleſia Chriſtiana, uſque ad Concilium Conſtantienſe, utrumque elementum *omnibus* diſpenſavit: cum nominatim *effuſionis* periculum, absque transſubſtantiationis falſa hypotheſi, nullum prorſus ſit: quantum ad vini abſtemios, eadem difficultas circa *panis* abſtemios moveri poſſet; cui variis modis aliter occurri poteſt. Quod C. propter *concomitantiam*, in corpore Chriſti, accipiatur etiam ſanguis. Reſp. 1. Sic *calicis* diſtributio, etiam Sacerdotibus plane *ſuperflua* eſſet. Tum 2. ſanguis Chriſti, non ut vaſis *incluſus*; ſed ut pro *multis effuſus*, in S. Cœna propinatur Luc. XXII. 20. Etiam 3. *bibendo* accipiendus eſt ſanguis Chriſti, non comedendo Matth. XXVI. 27. proinde 4. ex hypotheſi adverſaria, comedens eadem opera *biberet* in S. Cœna, & ad adverſo, bibens *comederet*. Addam 5. quod objectio *transſubſtantiationem* præſupponat, paulo adhinc ex profeſſo refutandam.

Argumenta affirmativæ.

Objectiones negativæ.

6. An conſecratio elementorum fiat pronuntiatione verborum: *hoc enim eſt corpus meum*, eaque tam ſubmiſſa, ut à vulgo audiri non poſſit?

XX. Quæritur *ſexto*, An conſecratio elementorum fiat pronuntiatione verborum: *hoc enim eſt corpus meum*, eaque tam ſubmiſſa, ut à vulgo audiri non poſſit? Pontificii, in gratiam ſuæ transſubſtantiationis, circa conſecrationis formalia, diverſum quidem ſentiunt; ſed, quoad communionem ſententiam, affirmant. Reformati conſecrationem conſtituunt in tota Chriſti inſtituentis actione; ſed imprimis in *benedictione*, qua elementa, ab uſu communi & naturali, evehuntur ad uſum ſacrum: eaque benedictione, claris verbis pronunciata. Quia 1. Chriſtus εὐλογία ſua, elementa conſecravit Marc. XIV. 22. 23. Quia 2. benedixiſſe narratur, antequam verba illa, *hoc eſt corpus meum*, pronuntiaret. Ibid. Quia 3. formalibus conſecrationis: *hoc eſt corpus meum*, converſio ſubſtantialis fieri non potuit, quia Chriſtus afferebat, panem

rem jam tum ESSE corpus ſuum. Quia 4. præſuppoſita transſubſtantiatio non eſt niſi papale figmentum, quod ex profeſſo conficiemus in ſequentibus. Etiam 5. Chriſtus, verba conſecrationis, non demurmuravit, voce accumbentibus inacceſſa; ſed plana, clara. Nec habent quod obtendant, niſi A. ſuum *κόμμα* transſubſtantiationis, tollendum in ſequentibus. Et quod B. demurmuratio inaudibilis vergat in reverentiam Sacramenti: quod eſt falſiſſimum, ut patet propalatione myſteriorum euangelicorum, recitatione Baptismi *&c.*

9. An ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti *localiter* præſens ſit elementis in S. Cœna. Argumenta negantia.

XXI. Quæritur *ſeptimo*, an ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti *localiter* præſens ſit, *elementis* in S. Cœna? Pontificii propter ſuam *transſubſtantiationem*: & Lutherani, propter ſuam *conſubſtantiationem*, affirmant. Reformati, præſentiam Chriſti, quoad *divinam* naturam, agnoſcunt: ſed ipſius *humanæ* naturæ præſentiam negant. Eo quod (1) *Scriptura* præſentiam iſtam, apud elementa ſacramentalia, nullibi *doceat*. Quod (2) Sacramenta ſint ſigna & ſigilla, non *vaſa* gratiæ. Quod (3) Chriſtus panem & vinum ſuis *manibus* geſtarit; non autem *corpus* & ſanguinem ſuum. Quod (4) in *memoriam* ſui abſentis, elementa præſcripſerit capienda Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 14. 25. Quod (5) corpus & ſanguinem ſuum voluerit capiendum, ut *traditum* & crucifixum Luc. XXII. 19. 20. non autem glorioſum & impatibile, ut volunt *ἀντικείμενοι*. Quin (6) *inviſibile*, impalpabile, non-circumſcriptum, quale adverſarii urgent; naturæ *corporis* repugnet. Quod (7) corpus Chriſti *glorioſum*, ore manducari, pati, *ſtomachum* ingredi &c. repugnet. Quod (8) corpus Chriſti, poſtquam ſemel aſcendit in cœlum, ibidem futurum dicatur, *uſque* ad extremum *judicium* Pſal. CX. 1. Act. III. 21. Quod (9) *iſtam* præſentiam ſuam Scripturæ conſtanter negent Joh. XVI. 28. & XII. 8. Heb. VIII. 5. Quod (10) *Baptiſmus* ſanguinis Chriſti *localem* præſentiam non requirat, nec admittat. Quod (11) ad *myſticam* noſtri unionem cum Chriſto, non requiratur corporis Chriſti *præſentia*, vel in ſymbolis; vel in corpore communicantium. Urgent tamen in contrarium A. verba inſtitutionis: *hoc eſt corpus meum* &c. Reſp. Verba iſta non *naturaliter*; ſed *ſacramentaliter*, eſſe intelligenda, ſuo loco demonſtrabimus. B. Urgent Lutherani, communicationem *idiomatum*, ex unione hypoſtatica oriundam, per quam humana natura Chriſti ſit *omnipræſens*. Reſp. *Communicationem* proprietatum inter *naturas* Chriſti; atque etiam omnipræſentiam humanæ naturæ, ſuo loco, ex profeſſo refutavimus lib. V. cap. IV. §. XXIV. & forte ulterius refutabimus. C. *Exaltationem* humanæ naturæ Phil. II. 9. 10. à qua *omnipræſentia* corporis Chriſti, ſeipſam exſerere cœperit. Reſp. Hoc ex profeſſo refutavimus lib. V. cap. XIV. §. X. *D. Omnipotentiam* Dei, qua *poſſit* procurare, ut corpus & ſanguis Chriſti ſymbolis ſacramentalibus ſint præſentia. Reſp. 1. Si *poſſet*, demonſtrandum quod *velit*; 2. ſed non *poteſt*, quia manifeſtiſſimam implicat *contradictionem*, & *παντοπία* & *πολυτοπία* corporis, ut patebit ſuo loco.

Obiectiones affirmantes.

7. An corpus & ſanguis Chriſti à communicantibus ore accipiatur?

XXII. Quæritur *octavo*, an ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, localiter præſens ſit *communicantibus?* ſeu, quod eodem ferme redit, an ipſum corpus & ſanguis Chriſti, à communicantibus *ore* accipiantur? Pontificii & Lutherani, quia ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, ſymbolis *præſentem* ſtatuunt; etiam *communicationibus* præſentem fieri, & ore accipi, credunt. Reformati *communicantibus* Chriſtum præſentem ſtatuunt: (1) per divinam *naturam*, omnibus & ſingulis communicantibus, etiam infidelibus. (2) per *gratiam* divinæ naturæ, ſolis fidelibus 1 Cor. XIII. 13. Matth. XVIII. 20. & XXVIII. 20. (3) quoad *humanam* naturam: partim per *ideam* fidelium intellectui, prout v. g. res intellecta, intellectui præſens eſt, & Sol oculo aſpicientis; partim per *virtutem* & operationem, prout Sol ſublunaribus præſens eſt: ſed quoad ipſam *humanam* naturam, nulli communicanti præſentem eſſe, non agnoſcunt; interim tamen *ipſum* corpus & *ſanguinem* Chriſti, vere fidelibus in S. Cœna accipi credunt, ex pacto & *promiſſione*, qua Deus filium, & filius ſeipſum, ex præſcripto ſuo communicantibus *offert*; & conſequenter, ſe totum quantus quantus eſt, quoad divinam pariter & *humanam* naturam, ac proinde, quoad *corpus* etiam & ſanguinem, confert: adeo ut, licet *corpore* tenus & ſanguine, in cœlis exiſtat, totus tamen *noſter* ſit, & in noſtros uſus *ibidem* exiſtat: prout ſponſa, per conſenſum, ſponſum habet, licet mille paraſangis diſſitum. Qua propter etiam, corpus & ſanguinem ejus, non *oraliter*; ſed *ſpiritualiter*, & ſacramentaliter, à ſolis fidelibus manducari, hoc eſt, per *fidem* & Spiritum S. cum eo *uniri* credunt. Sic autem credunt: (1) Quia ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti ſymbolis non eſt præſens, per ea quæ diximus *parag. præcedent.* atque adeo corpore à nobis accipi non poteſt. (2) Quia *ἀνθρωποφαγία impia* eſt & horrenda: unde Auguſtinus lib. III. de *Doct. Chriſti* c. 16. *locutionem Chriſti*; niſi manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem ejus &c. *cum facinus & flagitium jubere videatur, ſi- guratam eſſe, qua præcipiat paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter & utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Quia (3) *impoſſibilis*, propterea quod ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, utpote *finita*, nec *tota*, nec per *partes*, in tot myriades ſimul communicantium, diſtribui poſſit. Quia (4) *oralis* carnis Chriſti manducatio, ex

Rationes negantes.

ſententia Chriſti Joh. VI. 36. *inutilis* eſt. Quia (5) dentibus *comminuere*, in ſtomachum trajicere &c. ſine quibus oralis manducatio eſſe nequit, *cyclopicum* eſt, & ipſâ Chriſti crucifixione crudelius. Quia (6) ſic Chriſtus in primâ cœnâ, propriam carnem & ſanguinem corporaliter *manducaſſet*. Quia (7) ſi in *prima* cœnâ, ſubſtantiam ſanguinis Chriſti oraliter bibiſſent; Chriſtus *bis* mortuus fuiſſet, ſemel in cœnâ, ſemel in cruce. Quia (8) ſic unio *eſſentialis* noſtrî cum Chriſto, obtingeret: quæ infinitis abſurditatibus eſt obnoxia, ut alibi oſtendimus. Quia (9) corpus Chriſti *glorificatum*, & ſanguis glorificatus, cum inſigni *paſſione* Chriſti, indies manducaretur & biberetur. Quia (10) ab ipſis *infidelibus* indies manducaretur, & ſic infideles cum eo *unirentur*. Quia (11) ſic, per *omnipræſentiam* carnis Chriſti (ex ſententia Lutheranorum) non tantum, in *ordinaria* quorumvis cœnâ, manducaretur; ſed etiam ab ipſis *brutis*: quorſum ergo S. Coena? Nec habent quod obtendant in contrarium, niſi A. *naturalem* præſentiam corporis & ſanguinis, apud elementa, ex verbis inſtitutionis: *hoc eſt corpus meum*: quam *parag. præced.* confecimus. Tum B. quod Chriſtus carnem ſuam appellet *vere* cibum, & ſanguinem ſuum *vere* potum Joh. VI. 55. Reſp. Hoc eſt, corpus & ſanguis meus, *vere* hoc *præſtat* animæ, quod cibus & potus præſtant *corpori*. Conf. Joh. XV. 1.

Objectiones.

XXIII. Quæritur *nono*, an pronunciatione verborum: *hoc eſt corpus meum* &c. elementa *tranſubſtantientur* in corpus & ſanguinem Chriſti? *Tranſubſtantiationis* dogma, velut fundamentum univerſæ religionis ſuæ, jam omnes Pontificii, à definitione Concilii Tridentini, recipiunt *unanimiter*, quamvis circa tranſubſtantiationis *modum*, aliaque circumſtantialia, infinitum à ſe invicem diſſentiant: dum alii fieri volunt, per *annihilationem* elementorum: Bellarminus, *per non-conſervationem* mavult, quæ revera annihilatio eſt, & per hanc, corpus & ſanguinem Chriſti, venire *in locum* elementorum, ſic ut non *producantur ex* elementis; ſed *adducantur e coelo*, ſub ſpecies panis & vini. Alii elementa volunt *tranſmutari* in corpus & ſanguinem Chriſti. Reformati, ut *moralem* elementorum mutationem agnoſcunt; ita *ſubſtantialem*, atque adeo *tranſubſtantiationem* quamvis, negant. Eo quod 1. multis modis repugnet *inſtitutioni* S. Coenæ, utpote quæ α. non dicit, hoc *fiet*, ſeu erit; ſed EST corpus meum, ſcil. *ſacramentaliter*: quæ β. acceptum de mensâ; tam poſt, quam ante conſecrationem, appellat *panem*, *fructum vitis* Matth. XXVI. 26. 27. 29. Marc. XIV. 22. 23. 25. 1 Cor. X. 16. 17. & XI. 23.—28. quæ γ. Chrium corpore *illæſum*, & ſanguine in vaſis ſuis exiſtente, panem accepiſſe, fregiſſe, dediſſe, dicit; quæ δ. quod Chriſtus diſcipulis ſuis dedit, *fregiſſe* narrant: id quod in corpore ſuo; *tum* temporis factum non eſt; nec *jam* in corpore glorificato fieri poteſt; quæ ε. dediſſe narrat, in ſui *commemorationem* — *uſque dum venerit*. Eo quod 2. *naturam* Sacramenti, non uno modo tollat, utpote (a) in quâ *ſignum* ſuperſtes requiritur, ut cum *ſignificato* Sacramentum conſtituat: dum tranſubſtantiatio *ſignum tollit* (b) quæ non magis in *coena* requirit tranſubſtantiationem, quam in *paſchate* Exod. XII. 11. 12. 13. nec (c) magis in coena, quam in *Baptiſmo* Tit. III. 5. Act. II. 38. & XXII. 16. aut etiam (d) in Sacramentis *extraordinariis* S. Coenæ analogis, de quibus 1 Cor. X. 3. 4. Quod 3. omnes de Chriſti corpore & ſtatu, fidei noſtræ *articulos* evertat; quippe qui A. corpus Chriſto tribuunt *verum*, noſtroque analogum, Heb. II. 14. 16. 17. h. e. extenſum, viſibile, palpabile, uno loco circumſcriptum Marc. XVI. 6. Luc. XXIV. 5. 6. 38. 39. 40. qui B. corpus ei aſſerunt; non *ex pane* & vino, virtute vocularum quarundam, à Sacerdote pronunciatarum; ſed *ex Partibus*, ex Judâ, ex lumbis & ſemine Davidis, ex Maria virgine, per ſupranaturalem Spiritus S. operationem, natum Rom. IX. 5. Heb. VII. 14. Act. II. 30. Luc. I. 24. 35. qui C. Chriſto corpus aſſerunt, *non ore* manducandum; ſed *glorificatum* Phil. III. 20. quod aſcendit in Coelum, & ſedet ad dextram Dei, idque tam diu, donec revertatur ad judicandum vivos & mortuos Act. I. 11. & III. 21. Heb. VIII. 4. qui D. unionem & communionem noſtrî cum Chriſto, docent *ſpiritualem* eſſe & myſticam 1 Cor. XII. 13. non *corporalem* aut naturalem, adeoque eſcam & potum ſpiritualem, Chriſtum appellant 1 Cor. X. 3. 4. Conf. Apoc. II. 17. Joh. VI. 35. Eo quod 4. *abſurda* implicet intoleranda: v. g. α. accidens eſſe poſſe *ſine ſubjecto*, β. corpus *humanum*, *ſine* ſuis *proprietatibus*, γ. mutationem fieri in *præexiſtens*, δ. corpus Chriſti *glorificatum*, comedi poſſe, non tantum à *peccatoribus*, impiis, hypocritis; ſed etiam à *brutis*, muribus, aliiſque. Quod proinde 5. contra *fidem* divinam, contra rectam *rationem*, imò contra ipſos *ſenſus* militet, adeoque infra ipſa bruta, hominem dejiciat. Non dicam 6. quod infinitis *quæſtionibus* inextricabilibus torqueat ſui ſenſus aſſertores: v. g. an panis deſinat eſſe panis, per *negativam* annihilationem, an per *poſitivam* Dei operationem? quomodo *vini* converſio fiat, præſertim *aqua* permixti? quali verborum *virtute* fiat, inhærente, an aſſiſtente? an in *principio*, an in *medio*, an in *fine* pronunciationis, tranſubſtantiatio accidat? an corpus Chriſti ad coenam veniat per *creationem*, an per *nativitatem*, an per loci *commutationem*? unde *vermes* ex corruptâ *hoſtia* prognati? &c. Tranſubſtantiationi tamen præſidium quærunt: A. In verbis inſtitutionis: *hoc eſt corpus meum*. Reſp. 1. Non dicit Servator: hoc *fiet*

9. An elementa S. Cœnæ tranſubſtantientur in corpus & ſanguinem Chriſti?

Argumenta negativa: quod α. repugnet inſtitutioni S. Cœnæ.

β. quod repugnet naturæ Sacramentorum.

γ. quod pluribus fidei articulos evertat.

δ. quod abſurdis plurimis laboret.

ε. quod contra fidem, rationem & militet.

Objectiones affirmativæ.

fiet vel *erit* corpus meum: nec, hoc *transsubstantiatum*, est, aut transsubstantiatur, aut *transsubstantiabitur* in corpus meum; sed dicit: *hoc* EST *corpus meum* scil. modo sacramentali. Dicit 2. panem esse corpus suum, non *naturaliter*: h. e. eo modo, qui apud Sacramenta in usu est: quo v.g. circumcisio est *fœdus* Gen. XVII. 10. 11. quo agnus paschalis, *pascha est Jehova* Exod. XII. 11. quo calix est *Novum Testamentum* Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 26. quo *petra erat Christus* 1 Cor. X. 4. Proinde 3. non dicit, *hoc est corpus meum, proprie*; sed figurate: quia *disparatum* de *disparato*, signatum de signo, prædicari non potest in casu *recto* (prout fit apud Sacramenta) nisi *tropice*, ut sensus sit: hic panis quem accepi & fregi, est Sacramentum, seu *signum* & sigillum corporis mei, quo verum *corpus* meum repræsentatur, offertur, recte utentibus confertur & obsignatur. Sive jam tropus ponatur α. in *toto* commatis istius contextu: quod disparatum affirmetur de disparato; sive β. in axiomatis subjecto HOC, ut per illud intelligatur *panis cum corpore*, propter eorundem unionem, non localem, sed sacramentalem; ut mens verborum sit: hoc, quod do vobis hoc signo, est corpus meum: sive γ. in substantivo EST, pro *significat*, sumto: quo sensu non raro venit Matth. I. 23. Gen. XL. 13. 19. & XLI. 26. Matth. XIII. 37. 38. Apoc. I. 20. & XVII. 15. aut pro *simile est*, ut quando Christus de se passim: ego *sum* panis ille, vera vitis, ostium, item Johannes est Elias, Herodes est vulpes: sive δ. in *prædicato*, *corpus meum*, ut sensus sit, hic panis est Sacramentum, *signum* & sigillum, quo significatur, offertur, digne utentibus confertur, & obsignatur corpus meum: in hanc enim propositionis partem, resolutio locutionis tropicæ in propriam, commodissime cadit, prout circumcisio *est* fœdus, commodissime resolvitur in hanc: circumcisio *est signum* & sigillum fœderis Gen. XVII. 10. 11. Et sic *corpus* ponetur pro *signo* corporis Christi, non ut corpus verum & proprium *excludatur* ista sententia; sed ut *includatur* potius, per relationem quam signum habet ad signatum. Cum præsertim in hoc *prædicato*, non unus observetur tropus, videlicet: 1. *Metaphora*, qua unum *simile* pro altero ponitur, cui adhæret & commiscetur *metonymia* adjuncti, quatenus panis non tantum *similis* est corpori Christi; sed etiam, per institutionem Dei, quasi sit *adjunctum* ejus. 2. *Synecdoche* partis pro toto, qua *corpus* Christi ponitur pro *toto* Christo. 3. *Metonymia* subjecti pro adjunctis, qua *Christus* etiam ponitur pro omnibus illis *beneficiis*, quæ à Christo in nos derivantur: parum tamen refert, in qua axiomatis *parte*, tropum constituas. Voluit autem Servator, destinato consilio, *tropica* hac phraseologiâ uti: non tantum quod *recepta* & nota esset apud Judæos, ut jam ante ostendimus; nec tantum quod in celebratione *paschatis* usitata erat, dicente Patre-familias: *hoc est corpus paschatis*; sed potius quod *sacramentalis* esset, apud *omnia* Sacramenta, utriusque dispensationis, usurpata; atque etiam *unionem* sacramentalem signi cum re significatâ, cujus ope, ex promissione divina, legitimè utentibus *signis*, communicatur *res* significata, efficacissime repræsentet. Hactenus *basin*, tam transsubstantiationis, quam consubstantiationis sustulimus. Quærunt B. suæ *transsubstantiationi*, Pontificii, ut & *consubstantiationi* Lutherani, præsidium in *omnipotentia* Dei, qua *possit* Deus transsubstantiare, aut consubstantiare. Resp. 1. A *posse ad esse* non valet sequela. 2. Deus nec *vult*, nec *potest*, quæ *contradictionem* implicant, qualia in transsubstantiatione dudum demonstravimus. Quærunt C. præsidium in loco 1 Cor. XI. 29. per quem, *indigne* comedens, reus sit *corporis* Domini. Resp. Sunt corporis Christi *rei*, non quod ipsum *corpus* in se violent, utpote jam glorificatum; sed quod in *symbolis* & sigillis suis violent. Quærunt D. præsidium in loco Joh. VI. 50—56. quo carnem suam, esse *vere* cibum ac panem dicit Servator. Resp. 1. Hinc potius conficeretur corpus Christi transsubstantiari in *panem*; quam *panem* in *corpus* Christi converti. 2. Non loquitur de *S. Cœna*, tum temporis necdum instituta; sed 3. de manducatione *spirituali*, quæ fit per fidem vers. 33. 35. 1 Cor. X. 3. 4. Heb. XIII. 9. 10 Quærunt E. præsidium in verbis institutionis, *hoc est corpus meum*, quæ *proprie* sint intelligenda, quia sint verba testamenti, & Sacramenti, quæ clara esse debent & perspicua. Resp. 1. Si *proprie* intelligerentur non dicerent tamen, vel *transsubstantiationem*, quia non dicunt, hoc FIET corpus meum, seu transsubstantiabitur in corpus meum; vel *consubstantiationem* quia non dicunt, *in*, *cum* & *sub* hoc pane, est corpus meum: sed hoc EST, procul dubio, ex natura Sacramenti, *sacramentaliter*. Nec dicitur, hoc *est*, naturaliter aut corporaliter: sed sacramentaliter prout fit in omnibus sacramentis. Sed 2. non possunt, citra plurimas absurditates & contradictiones, proprie seu *naturaliter* intelligi, ut docuimus §. XXII. Nec 3. à tropis & figuris, quæ *lumina* orationis appellantur, testamentis & Sacramentis oboritur obscuritas; cum præsertim figuratus ille seu sacramentalis loquendi modus, ex omnibus reliquis Sacramentis aliisque fuerit perspectissimus.

XXIV. Quæritur *decimo*, an S. Cœna *idem* sit Sacramentum cum *Missa*? Pontificii, ne sua Missa, omni Scriptura destituatur, affirmant: Protestantes toto cœlo discrepare docent, quoad 1. *Nomen*, quando S. Cœna nullibi in Scripturis *Missa* appellatur, imo ipsos Pontificios, certa hujus vocis & origo & significatio latet. Sunt qui vocem

10. An S. Cœna idem Sacramentum cum Missa?

Discrepantia

indigitatur, quoad 1. nomen,

esse *Hebraam* volunt Deut. XVI. 10. alii *Latinam* malunt, quæ sonet *missionem*: seu quod ante celebrationem S. Cœnæ, catechumeni *dimitterentur*; hac proclamatione: *ite missa est*; seu quod populus, ad agapas, & S. Cœnæ celebrationem

2. definitionem, necessaria *mitteret*. Quoad 2. *definitionem*, quando enim S. Coena Sacramentum est nutritionis spiritualis sub N. Testamento: missa Pontificiis definitur, externum & proprie dictum Ecclesiæ *sacrificium expiatorium*; quo ipse Dei filius, pro expiandis vivorum ac mortuorum peccatis, aliisque rebus vel impetrandis, vel avertendis, Deo Patri, sub accidentibus panis & vini, per Sacer-

3. numerum, dotem quotidie *offertur*. Quoad 3. *numerum*, quando *unam* tantum tradit S. Scriptura, coenam: *innumeras* fere missarum species, tradunt Pontificii, v. g. ordinarias & extraordinarias: magnas & parvas: inferiores & superiores: publicas & privatas: albas, rubras, nigras &c. (pro colore *paramentorum*, ut vocant) papales, episcopales

4. faciem externam, &c. Quoad 4. *faciem* externam *missæ*, quam succincte repræsentat Sleidanus *Comment. de statu Relig.* lib. XXI. toto coelo *diversam*, imo & *adversam* S. Coenæ. Hæc enim non novit, Sacerdotes, altaria, hostias, sacrificia: non gesticulationes, circumgestationes, non magicos susurros, incantamenta elementorum, non cineres & ossa

5. usum, sub altaribus latentia &c. Quoad 5. *usum*, nullibi enim legitur S. Coena instituta, ad recuperandam valetudinem, impetrandum successum in negotio belli, venationis, mercaturæ &c. quibus

6. ingredientia. destinatur missa. Quoad 6. *ingredientia*, nim. α. *transsubstantiationem*, quæ basin præstat & fundamentum; ea enim cessante (prout cessat per paragraphum præcedentem) in missa non est, nisi *panis* & *vinum*; quæ proinde Pontificiis sunt pro Christo, quibus tribuunt omnia, quæ de Christo in Scripturis enunciantur; per horrendam *blasphemiam*. β. *adorationem*, qua panem & vinum ea religione prosequuntur, quo Deum, quo redemptorem suum; per exsecrandam *idololatriam*. γ. *sacrificationem*, quâ omnem salutis summam quærunt in elevatione panis & vini, utpote qua pro peccatis suis satisfiat, ipsique cum Deo reconcilientur: per turpissimam unici sacrificii Christi, in cruce peracti *abnegationem*, & universæ religionis Christianæ ruinam & exitium. δ. *manducationem oralem*, qua Deum & Christum suum panaceum, quem pro redemptore suo jam adoptarunt, adoraverunt, Deoque pro peccatis suis obtulerunt; *ore* suo devorant: per plus quam cyclopicam *barbariem*: quæ omnia de S. Coena, vel cogitare; plus quam teterrimam *blasphemiam* spirat: & quæ talia sunt, ut Gentilibus maxime barbaris, non modo *scandalum* creent; sed & *horrorem* incutiant. Nec habent quod pro sacerrimo

Objectiones. isthoc sacro obtendant, quam A. *Transsubstantiationem*, quam confecimus parag. præcedente. B. Sacrificium *Melchizedeci* Gen. XIV. 18. quod explosimus lib. v. cap. VII. §. XXIII. C. locum Jes. XXV. 6. *Faciet quoque Jehovah exercituum, omnibus populis, in monte hoc, convivium pinguium, item & medullatorum, & defæcatorum, purgatorum.* Resp. locus iste multis modis *expugnat* missam: loquitur enim 1. de *convivio*, quod *Jehovah* sit facturus *populis*; non autem de *sacrificio*, quod Deo oblaturi sint homines: loquitur 2. de *vino* defæcato, quod in hoc convivio propinaturus sit; quando missa *speciem* tantum vini agnoscit: loquitur 3. de vino, quod Deus propinaturus sit *omnibus populis*; quando missa speciem vini non præstat, nisi paucis *sacrificulis*: locus insuper 4. nihil habet de pane *transsubstantiando* in corpus Christi. Quid igitur? mens loci non alia est, quam, sub allegoria lautissimi convivii, repræsentare plenitudinem gratiæ, quam omnes nationes reperturæ sint in Christo. Conf. Prov. IX. 1. 2. Matth. XXII. — Luc. XIV. — D. Locum Mal. 1. 11. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo incensum & oblatio munda* Resp. 1. Missa non offertur in *omni* loco; sed à paucis sacrificulis, in locis *quibusdam* consecratis. 2. *incensum* etiam non conspicitur in missa. 3. Loquitur de cultu *spirituali* N. T. qui ab *omnibus* fidelibus omni loco offertur. Conf. Rom. XII. 1. Heb. XIII. 15. 1 Pet. II. 5. 7. Apoc. 1. 6. Joh. IV. 21. 23. &c. E. Locum Act. XIII. 2. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν — quæ vox de sacrificatione intelligitur Luc. 1. 23. Resp. Sic & Magistratus esset *Sacerdos* missificus, quod λειτουργὸς dicatur Rom. XIII. 6. etiam Angeli Heb. 1. 7. Sic 2. eleemosynam facere, esset *missam* facere Phil. III. 30. 2 Cor. IX. 12. proinde 3. λειτουργεῖν non est in textu, quam cultum divinum celebrare, in quo sub V. T. etiam erat Sacerdotum sacrificatio. Addunt F. locum Joh. IV. 20. — *Veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate.* Resp. 1. Hic ne γρὸ quidem de *sacrificio*. 2. *Adoratio* universum cultum publicum notat N. T. *nulli* loco adstrictum, sicut in V. Testamento erat adstrictus *Jerosolymis*. Urgent denique G. ex 1 Cor. X. 20. 21. quod *mensa Domini* sit *altare* proprie dictum; sicut *mensa diabolorum* erat altare: ac proinde, sicut mensa diabolorum habebat sua sacrificia, quorum participatione, Gentiles communionem contrahebant cum diabolis; ita mensam seu *altare* Christianorum, suum habere sacrificium, cujus participatione, Christiani accipiant communionem cum Christo. Resp. Per *mensam Domini*, non *altare* proprie dictum intelligitur; sed universa coena dominica, cujus usu, non minus Christiani communionem habent cum corpore & sanguine Christi; quam Gentiles, suis sacrificiis, habent communionem cum diabolis.

XXV. Quæ-

11. An substantia corporis & sanguinis Christi præsens sit in, cum & sub symbolis?

XXV. Quæritur *decimo*; an in S. Coena substantia corporis & sanguinis Christi, sit præsens *in*, *cum & sub pane* ac vino? Sicut Pontificii, substantiam corporis & sanguinis Christi, per *transsubstantiationem* præsentem volunt, sub *speciebus* panis & vini; & sub illis offerri, & adorari: ita Lutherani, per *consubstantiationem*, substantiam corporis & sanguinis Christi *præsentem* statuunt, sub *vero* pane & vino, nec tamen ibidem *offerri*, aut *adorari* debere. Dissident tamen inter se in hoc, quod plerique substantiam carnis & sanguinis Christi velint esse *omnipræsentem*, quos *ubiquitarios* appellant; dum alii in *sola cœna* præsentem admittunt: quos, à Georgio Calixto Professore Helmstadiano, *Calixtinos* designant. Reformati, nec *sub speciebus* panis & vini; nec *sub vero* pane & vino præsentem admittunt; sed τῷ ῥητῷ Christi inhærentes, statuunt panem & vinum esse *ipsum* corpus & sanguinem Christi; sed *sacramentaliter*, non naturaliter: & sic ab omnibus legitime communicantibus *accipi*. Et quamvis ratione *ipsius præsentiæ*, Lutherani cum Pontificiis concordent; in reliquis tamen v. g. adoratione, sacrificatione, cum toto coelo ad ipsis discrepent: agnoscunt Reformati, Lutheranorum errorem, licet satis crassus sit, non esse tamen *fundamentalem* (sicut est Pontificiorum in missa sua) nec talem, qui communionem ecclesiasticam inter se & illos impedire debeat: cum utrobique agnoscatur, quod *omnes*, ex præscripto Christi communicantes, accipiant communionem spiritualem cum toto Christo. Cum autem cardo controversiæ hujus sit in ipsa *præsentia* substantiæ corporis & sanguinis Christi, tum apud *symbola*, tum apud *communicantes*, quam in utramque partem discussimus §. xx. & xxi. non est, quod hac controversia pluribus occupemur.

Praxis:

Pars practica.

1. Commendat dignitatem & præstantiam S. Cœnæ.

XXVI. Praxis hujus loci, *primo* nobis commendat dignitatem & *præstantiam* S. Coenæ: (1) Ab *auctore* 1 Cor. xi. 23. cum Matth. xxvi. 2. & Apoc. xvii. 14. (2) Ex *natura* ipsius *rei*, quatenus non tantum est solenne signum & sigillum foederis gratiæ cum Deo: seu novum foedus in sanguine Christi Luc. xxii. 20. 1 Cor. xi. 25. sed etiam ipsam carnem & sanguinem filii Dei, nobis præstat in nutrimentum spirituale, ad vitam æternam Matth. xxvi. 26. cum Joh. vi. 53. (3) Ab *usu* & utilitate, quatenus Jesum Christum, in quo omnis salus nostra hæret Act. iv. 12. Joh. xiv. 6. cuivis fideli personaliter, non tantum repræsentat; sed etiam *offert*, imo *confert* legitime communicantibus: *accipite, hoc est corpus meum.* Conf. Joh. i. 12. quin & cum Christo *unit*, velut nutrimentum cum nutrito, à quo *communio* corporis & sanguinis Christi appellatur 1 Cor. x. 16. 17. (4) A *modo* præstandi ista omnia: quod in S. Coena Jesus ista præstet, α. puro puto adductus *amore* Cant. v. 1. cum Joh. iii. 16. β. non præclaris, sanctis, dignis; sed *arumnosis*, *miseris pauperibus*, *coecis*, *nudis* Apoc. iii. 17. cum Luc. xiv. 21. Nec γ. paucis talibus; sed omnibus & *singulis* fideliter volentibus Matth. xxvi. 27. cum Jes. lv. 1. 2. Matth. xi. 28. 29. Apoc. xxii. 17. absque ulla differentia Gal. iii. 28. Quod δ. Servator tanta ac talia ipsis offerat & conferat, sub signis tam *obviis*, & paratu tam facilibus, pane & vino. Conf. Jes. lv. 1. 2. Quod ε. ad tantam coenam, missis servis suis, Rex tanta *humanitate* invitet Luc. xiv. 17. Cant. v. 1. Apoc. xxii. 17.

2. Damnat contemtum & neglectum S. Cœnæ.

XXVII. *Secundo*, damnat *contemtum* & neglectum S. Coenæ, in omnibus his, qui per ætatem possunt *discernere corpus Domini.* Quod *rejiciant consilium* Dei versus seipsos Luc. vii. 30. aspernentur *fœdus* Dei, quod *excidio* puniendum Deus jubet Gen. xvii. 14. seipsos excludant à communione Christi 1 Cor. x. 16. 17. unaque opera, à vita spirituali, ac salute æterna Joh. vi. 53—59. Sed quinam hi? Sunt 1. qui *rident*, velut ritum puerilem, aut inanem ceremoniam. Conf. 2 Paral. xxx. 6—10. invitantes ministros contemnunt aut contumelia afficiunt Matth. xxii. 6. Sunt 2. qui non *volunt* venire, quicquid invitet Deus, quicquid jubeat, quicquid promittat Matth. xxii. 3. 5. Ps. lxxxi. 11. 12. Joh. vii. 37. Sunt 3. qui, quæsitis *effugiis*, usum S. Coenæ declinare nituntur, qui A. S. Coenam existimant rem esse *adiaphoram*, à quâ salus non pendeat. His inculcandum *præceptum* divinum, necessitatem imponens Luc. xxii. 19. 1 Cor. xi. 26. quod proinde Christum, pro *Domino* suo, hac ratione non agnoscant Joh. xv. 14. & quamvis ab externis his, in se confideratis, non pendeat salus; pendeat tamen ab his spretis *pœna excidii* Gen. xvii. 14. Num. ix. 13. Luc. xiv. 24. Sunt B. qui præviam fidei *confessionem* publice præstandam, aliaque à communicaturis stipulata, formidant. His ad mentem est revocanda *necessitas* confessionis Matth. x. 32. 33. 1 Pet. iii. 15. Rom. x. 10. Marc. viii. 38. atque insuper inculcandum, *nihil* à se exigi ad communionem S. Coenæ, ad quod, ex legibus communis Christianismi, & ex suscepto Baptismo, dudum non sint obstricti, scil. *respipiscere & credere Euangelio* Marc. i. 15. Sunt C. qui *disciplinæ* ecclesiasticæ seipsos submittere detrectant. His opponendum quod disciplina illa sit divinæ institutionis Matth. xviii. 15. 16. 17. & qui huic se subducit, non *filius* sit; sed *spurius* Heb. xii. 7. 8. quin, si omnino velint immunes esse à censuris disciplinæ, potius sibi caveant à cautis Rom. xiii. 3. Sunt D. qui *contentionibus* & litibus adeo sunt implicati, ut S. Coenam malint, quam illas, deserere.

Effugia negligentium octo:

1.

2.

3.

4.

rere. His oggerendum *consilium* Servatoris Matth. v. 23. 24. Præstare etiam *lites* deserere, quam *communionem* cum Christo 1 Cor. VI. 1—8. fratrique injuriam condonare, quam sigillis amoris divini & fœderis gratiæ orbari. Sunt E. qui lites 5. obtendunt *inter Christianos*, in negotio religionis, tam frequentes, ut vix sciant, cui parti seipsos debeant addicere. His suggerendum, lites illas in Ecclesia, non esse *novas* 1 Cor. XI. 19. cum vs. 28. spiritus esse probandos 1 Joh. IV. 1. 2. 3. imo quidvis explorandum, ut quod bonum est, retineamus 1 Thess. v. 21. saltem propter istas, communionem cum Christo, nequaquam esse deserendam. Sunt F. quos *vita aliorum* communicantium perversa & scandalosa arcet. His succurrendum, ostendendo, quod cuilibet communicaturo, *seipsum*, non alios explorare, Scriptura præscribat 1 Cor. XI. 28. & quod quilibet *proprio* scelere pereat, non alieno Gal. VI. 3. 4. 5. & quod Deus nullibi jubeat, propter *alterius* scelera abstinere à S. Synaxi. Sunt G. qui propter *injurias*, 7. aliunde sibi illatas, abstinent: his ostendendum, quam sit *iniquum*, propter injurias, aliunde sibi illatas, *Deo* & injuriam ac vindictam velle inferre & propriæ *animæ*: saltem Paulum propter injurias, tot ac tantas, sibi illatas 1 Cor. IV. 9. & 2 Cor. IV. 6. & XI. 23.— à S. Cœna nequaquam 8. abstinuisse. Sunt etiam H. qui suam *indignitatem* obtendunt, quod metuant, ne comedendo se *reos* faciant corporis & sanguinis Christi; sibi *exitium* comedant. Hi convincendi sunt, non esse *euangelice* indignos, qui suam indignitatem agnoscunt, sentiunt, deplorant, & ab ea liberari serio gestiunt Matth. XI. 28. 29. Psal. XXXIV. 19. & LI. 9. Luc. XVIII. 13. 14. &c.

3. Vrget, ut S. Cœna religiose fruamur.

XXVIII. *Tertio*, urget ex adverso, ut S. Cœna *religiose* fruamur. Hoc enim 1. *toties* & tam *serio*, imperat Deus, in Scriptura Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 26. 28. Matth. XXVI. 26. 27. Hoc 2. olim, apud Sacramentum analogum *paschatis*, tam solicite inculcabat Deus Exod. XII. 24. cum 1 Cor. V. 7. In hoc 3. præluxerunt *exempla* sanctorum circa pascha Jos. V. 10. 2 Reg. XXIII. 21. 22. Matth. XXVI. 18. 19. Luc. XXII. 15. atque etiam circa ipsam cœnam Act. II. 42. Ad hoc 4. ipse nos obstringit Baptismus noster Act. II. 41. 42. 1 Cor. XII. 13. Ad hoc 5. nos *invitat* præstantia & utilitas S. Cœnæ, quam diximus §. XXV. Nec tamen sufficit *frui* S. Cœna; sed videndum imprimis, ut *religiose* fruamur: alias *indigne* fruituri, corpus Domini *profanaturi*, nobisque manducaturi *judicium*: non *æternum* tantum; sed etiam *temporale* quodvis, ex sententia Apostoli 1 Cor. XI. 27—33. Fruimur autem *religiose*: Si A. *Frequenter*, quoties occasio suppetit. Hoc enim α. *exigit* Servator instituens 1 Cor. XI. 26. *quotiescunque* &c. Hoc β. *præstat* Ecclesia primitiva Act. II. 42. 46. Hoc γ. *requirit* animæ nostræ sustentatio & nutritio spiritualis Joh. VI. 53.— Hoc δ. *extorquet* ipsa rei dignitas, suavitas, utilitas Cant. V. 1. Si B. *Convenienter* suæ naturæ, quod fit: (a) *discernendo corpus Domini* 1 Cor. XI. 29. h. e. caute discriminando *signa* à signatis, corpus Christi à pane, sanguinem à calice, ne monstrosa transubstantiatione, aut consubstantiatione falsi; à *signis* frustra præstolemur, quod à *significato* est conferendum. (b) *uniendo* nihilominus sacramentaliter signum cum significato, panem cum corpore Christi; & vinum cum sanguine ejus 1 Cor. X. 17. ut non *solum* panem & vinum ambiamus in S. Synaxi; sed ipsum potius *corpus* & sanguinem, seu totum Christum anhelemus & consequamur Joh. I. 12. Col. II. 6. cum Psal. XLII. 2. 3. Matth. V. 6. Apoc. XXII. 17. C. *Reverenter* ac devote, pro majestate Sacramenti, ut discernamus panem & vinum, quæ sunt corpus & sanguis Christi, à pane quovis & vino vulgari 1 Cor. XI. 29. Fiet hoc, si α. justâ *præparatione* 1 Cor. XI. 28. β. congruo *affectu* ac dispositione. *Ibid.* ITA *comedat*. γ. analogo studio, & officiis *post* acceptam S. Cœnam, conemur occupari circa S. Cœnam. Verum de his paulo distinctius per sequentia.

Quomodo?

4. Monet ut ad S. Cœnam non properemus absque justa præparatione. Rationes motivæ.

XXIX. *Quarto* monet, ut ad S. Cœnam non properemus, absque justa *præparatione*. Hanc (1) Deus exigit apud *quævis* officia cultus publici Eccl. V. 1. 1 Paral. XV. 13. Psal. L. 23. 1 Sam. XVI. 5. proinde, & magis etiam, apud S. Cœnam. Hanc (2) tanto apparatu *urgebat*, olim apud cœnam typicam scil. pascha, quod per quatuor integros dies, anteqüam mactaretur segregandum erat, ut continuæ meditationi, usui præviæ, ansam præberet Exod. XII. 3. 6. 2 Paral. XXXV. 6. Huc spectabat Judæorum παρασκευὴ τοῦ πάσχα Joh. XIX. 14. 31. quâ quævis fugiebant, *ut possent edere pascha* Joh. XVIII. 28. Hanc (3) Paulus *prærequirit* 1 Cor. XI. 28. *Homo* (id est, quisque) *exploret seipsum*. Hanc (4) postulat ipsa hujus Sacramenti *majestas*: quatenus usu ejus, modo maxime solenni, properamus ad *Deum*, ut cum eo fœdus renovemus, & cum eo accumbamus; talis autem appropinquatio, procul omni dubio, singularem exigit *præparationem* Amos IV. 12. Jac. IV. 8. 2 Paral. XXIX. 31. Hanc (5) stipulatur *efficacia* ipsius Sacramenti, adeo ut, pro ratione præparationis, sese habeat communicatio beneficiorum. Conf. 2 Cor. IX. 6. cum 2 Paral. XXX. 3. Hanc denique (6) dura imponit *necessitas*. Absque hac enim α. accedentes, *rei* fiemus corporis & sanguinis ipsius filii Dei, 1 Cor. XI. 27. quanto scelere! Conf. 2 Sam. III. 28. 29. Psal. LI. 16. Conf. Judam proditorem Matth. XXVII. 4. & Judæos cap. XXVII. 25. β. *vanus* & inutilis nobis fiet usus S. cœnæ, imo Deo *ingratus* 1 Cor. X. 21.

x. 21. & xi. 17. Conf. Hoſ. iv. 19. Jeſ. i. 13. Quin *v.* etiam *noxius*, exemplo Judæ, indigne manducantis agnum paſchalem Joh. xiii. 26. 27. Conf. 1 Cor. x. 21. quatenus profanitas iſta communicanti accerſit, non tantum judicium futuræ condemnationis *æternæ* 1 Cor. xi. 29. ſed etiam præſentium quorumvis malorum *temporalium*. *Ibid.* vſ. 30. imò & horrendæ *ejectionis* Matth. xxii. 11. 12. 13. Requiruntur autem ad præparationem iſtam, hæc potiſſimum quatuor; nim. *primo*, ut in promptu habeas *requiſita* digne communicaturi, qualia ſunt: (1) ut revera ſit *ſub fœdere* gratiæ: eſt enim S. cœna ſignum & ſigillum fœderis gratiæ (Luc. xxii. 20. *Novum fœdus in ſanguine meo*) quod proinde non competit, niſi his qui in fœdus illud dudum introducti ſunt, ac promiſſionis participes, ex analogiâ loci Act. ii. 38. 39. Hinc etiam ad cœnam *typicam*, h. e. ad paſcha, non admittebatur ullus *peregrinus* Exod. xii. 43. aut *præputiatus* vſ. 40. ſicut ſub N. T. non admittitur non-baptizatus Act. ii. 41. 42. (2) Sufficiens *cognitio* Dei, mediatoris, viæ ſalutis, & imprimis etiam eorum, quæ peculiariter concernunt hoc Sacramentum: eo quod, non tantum confœderatus eſſe nequeat, qui omni *cognitione* fundamentalium eſt deſtitutus Jer. xxxi. 33. 34. *Hoc eſt fœdus meum — omnes me cognoſcent, à minimo ad maximum eorum*: ſed etiam *diſcernere corpus* Chriſti, ſeque *explorare* non poſſit 1 Cor. xi. 28. 29. (3) Vera ac ſincera *reſipiſcentia*, quâ communicaturus, ſua peccata, & inde redundantem miſeriam agnoſcat, profunde ſentiat, Deo ſubmiſſe confiteatur, & à peccatis ſeriò abhorreat: eo quod, non tantum cœna *typica* ſeu paſcha, comedi non debuerit abſque *herbis amaris* Exod. xii. 8. ſed & paſcha N. Teſtamenti S. cœna, abſque commemoratione mortis Chriſti 1 Cor. xi. 26. quæ abſque agnitione, ſenſu, confeſſione & deteſtatione peccati, fieri rite nequit. Conf. Zach. xii. 10. Jeſ. liii. 3 — 9. Matth. xxvi. 75. (4) Viva & efficax *fides*, in Deum ut ſummum *finem* noſtrum: & in Chriſtum, ut *mediatorem* unicum: eo quod, abſque hac, Chriſtum, in S. cœna nobis oblatum (Matth. xxvi. 26. *accipite, hoc eſt corpus meum*) non poſſimus *apprehendere* Joh. i. 12. aut comedere ſpiritualiter Joh. vi. 27. cum vſ. 29. item vſ. 32. cum vſ. 35. 47. aut uniri cum eo Eph. iii. 17. (5) Serium & ἀνυπόκριτον *propoſitum*, quo ſancte Deo promittat, eique velut ſigillo obſignet, ſe, per Dei gratiam, quodvis *peccatum*, Deo adverſum, religiose vitaturum, & ex adverſo, cuivis *virtuti* operam daturum. Huc, in præparatione ad cœnam *typicam*, ſeu ad paſcha, tam ſtudiose conquirendum & eliminandum erat fermentum vetus Exod. xii. 15. ut in paſchate N. T. *expurgato fermento veteri, nova maſſa facta, feſtum agamus in azymis ſinceritatis & veritatis* 1 Cor. v. 7. 8. cum præſertim, eâdem operâ non poſſimus eſſe participes *menſæ Domini*, & *menſæ diabolorum* 1 Cor. x. 20. 21. atque etiam communio Chriſti cum Belial, plane ſit ἀσύστατος. *Ibid.* & 2 Cor. v. 15. (6) Fraternus *amor* verſus proximum, quod in S. cœna, ejuſdem cum eo panis, reddamur participes, & eidem corpori myſtico inſeramur 1 Cor. x. 17. & xii. 13. Huc ſpectabant Veterum *agapæ*, de quibus Paulus 1 Cor. xi. 21. 22. & remiſſiò peccatorum quam ſectamur, conſequimurque in uſu S. cœnæ Matth. xxvi. 28. individuo nexu copulata, cum reconciliatione, remiſſione & amore verſus proximum Matth. vi. 12. 14. & xviii. 35. Conf. cap. v. 23. 24. (7) Ardens *deſiderium*, *fames* ac ſitis, renovandi *fœdus* cum Deo, edendi & bibendi corpus & ſanguinem Chriſti, ſeu conſequendi communionem cum Chriſto; quale *deſiderium* in ipſo *Chriſto* obſervatur Luc. xxii. 15. & omninò neceſſarium eſt, ut Chriſtum conſequamur Matth. v. 6. Jeſ. lv. 1. Apoc. xxii. 17. Conf. Pſal. xlii. 2. Hactenus requiſita digne communicaturorum: jam *ſecundo* ad præparationem requiritur, ut ſeriò teipſum *explores*, ſisne hiſce, ſi non ut *decet* majeſtatem Sacramenti; ſaltem quoad qualemcunque *menſuram*, *vere* præditus 1 Cor. xi. 28. *exploret quiſque ſeipſum* 2 Cor. xiii. 5. In quam rem, indubitatæ *notæ* nobis in promptu eſſe debent, ad quas ſingula prædictorum requiſitorum, abſque partium ſtudio, fideliter exigamus. Iſtas ſuis locis ſingulatim præſtamus. Tum *tertio*, ſi defectus noſtros explorando aſſecuti fuerimus, & *precibus*, & *conatibus* in virtute Dei, allaborandum, ut eis velut veſte *nuptiali*, exornati; grati compareamus apud menſam Domini Jer. xxxi. 18. 19. Cant. i. 4. cum Joh. vi. 35. cum vſ. 44. 45. Apoc. xix. 7. Tandem *quarto*, ſi quadam menſurâ, requiſita illa nobis adeſſe comperiamur; excitanda illa ſunt, ut cum *intenſiſſimo* deſiderio, & quaſi cum magnâ *fame* & ſiti appropinquemus ad S. Synaxin, quò modo *Chriſtus* ſe illi accingebat Luc. xxii. 15. quod tali demum Deus promittat ſaturationem Pſal. xxii. 27. & cvii. 9. Jeſ. xliv. 3. Pſal. lxiii. 2. cum vſ. 5. & lxxxi. 10.

Requiſita digne communicaturi.

Explicatio ſui.

Conatus conſequendi requiſita.

XXX. *Quinto* hortatur, ut poſt dictam præparationem, convenienti *modo*, etiam appropinquemus ad menſam Domini. Hinc Apoſtolus 1 Cor. xi. 28. *exploret quiſque ſeipſum; & ſic* (καὶ οὕτως) *comedat*. Eſt enim S. Cœna, ex inſtitutis cultus publici, maxime *ſolenne*, in quibus Deus, non tantum ipſum *actum*, ſed immis etiam convenientem *modum* reſpicit, ut non tantum fiat quod *bonum* eſt; ſed etiam *bene*: v. g. in *auditione* verbi Luc. viii. 18. in *precibus* Joh. xv. 24. &c. Cum præſertim Deus in ſacrâ cœnâ *præſens* ſit, & accumbentes *obſervet* Matth. xxii. 11. Requirit autem hic modus, ut 1. accumba-

5. Hortatur, ut convenienti modo approprinquemus & accumbamus.

mus

Quænam exigat modus ille.

mus cum maximâ *reverentia*. Conf. Prov. XXIII. 1. qua Deum glorificare nitamur *corpore & spiritu* 1 Cor. VI. 20. cogitando, tum infinitam majestatem *Dei* præsentis Conf. Gen. XVIII. 27. 31. tum excellentiam ipsius *operis*, in appropinquando, modo *solennissimo* ad Deum, in renovando *fœdus* cum Deo, in accumbendo *cum* Deo & mediatore Christo, &c. quæ omnia, procul omni dubio, maximam requirunt *reverentiam*. Ut 2. accumbamus cum profundâ *humilitate*, conferendo nostram *indignitatem* ex peccato Ezech. XVI. 3. Job. XVII. 14. cum Luc. XIV. 21. & 2 Sam. IX. 7. 8. Job. VII. 17. cum *infinita* majestate Dei Job. XI. 7. 8. 9. & cum præsentis confœderationis, ac convivii *cœlestis* momento Apoc. III. 20. Luc. XIV. 15. Ut 3. cum devotâ *attentione* accumbamus 1 Cor. X. 15. 17. Conf. Joh. XIII. 7. 12. quâ oculos *corporis* arrigamus *signis* externis; & oculos *mentis*, rebus *significatis*, juxta ea quæ diximus §. XI. Ut 4. accumbamus, animo occupato, circa actualem *renovationem* fœderis cum Deo; quâ ab *una* parte, fœdus gratiæ (*hoc est fœdus novum* Luc. XXII. 20.) fœderis mediatorem (*hoc est corpus meum* Matth. XXVI. 26.) sanguinem fœderis (*Novum Testamentum in sanguine meo* 1 Cor. XI. 25.) cum omnibus suis beneficiis consectariis, à Deo & Mediatore, in S. Cœnâ nobis oblata, actu recipiamus: *accipite* — Matth. XXVI. 26. ab *altera* parte, nos ipsos quanti quanti sumus, Deo stipulanti, *reciprocemus*, satanæ, peccatis & mundo renuntiemus, Deoque totos nos addicamus, ut fœdus διάλυτον evadat Jer. XXXI. 33. Zach. VIII. 8. Heb. VIII. 10. Cant. II. 16. Et sicut Deus suas promissiones, *sigillo* sacramentali, nobis ibidem obsignat; ita & nos vice versa, promissiones *nostras* Deo obsignemus ibidem. Ut 5. accumbamus, cum pia quadam animi *hilaritate* Cant. V. 1. qua, depositâ jam, & præparationi relictâ omni *tristitia*, nos, pro natura conviviorum, in *gaudia* spiritualia totos componamus Neh. IX. 25. 2 Paral. XXX. 21. 22. 23. Psal. XXII. 27. & LXIII. 5. Ut tandem 6. accumbamus renovando *memoriam Christi* Matth. XXVI. 26. & *annunciando mortem Christi*, donec veniat 1 Cor. XI. 26.

6. Accingit nos ad officia, quæ post S. Cœnam nobis incumbunt, expediendæ. Rationes movent.

XXXI. *Sexto*, monet etiam, in *opere operato*, ut loquuntur, non *acquiescamus*; sed ad officia *sequiora*, religiose progrediamur. Observamus enim 1. Christum cum Apostolis, peracta S. Cœna, suis *officiis* seipsum accinxisse, hymnum cecinisse, surrexisse, ad expeditionem officii sui sacerdotalis, morte absolvendi, sese præparasse, proditori & captoribus obviam iviisse Matth. XXVI. 30. — Observamus 2. Hebræos manducato *paschate*, ex præscripto divino, sua officia habuisse, & divina beneficia, quorum memoriam in Sacramento recolebant, ad seros nepotes proferre debuisse Exod. XII. 24. 25. 26. 27. Observamus 3. eosdem Hebræos, *accinctos*, baculis instructos, & ad peregrinandum paratos, pascha comedere debuisse Exod. XII. 11. quo promtitudo ad agendum figurabatur. Observamus 4 Eliam, per Angelum cœlitus cibatum & refectum, *abiisse* secundum verbum Domini, per quadraginta dies 1 Reg. XIX. 5. 6. 7. 8. Observamus 5. Israëlius, post sumptum ordinarium cibum, à Deo fuisse præscripta *officia* Deut. VIII. 10. — multo igitur magis ipsa illa, aliaque officia, nobis incumbunt, post captum cibum hunc *extraordinarium*, tantum ac talem. Quænam autem sunt illa officia? Ipsa ratio suadet, ut A. studiose observemus, quomodo nobiscum *actum* fuerit apud mensam Domini, num *ex voto* successerit sacra illa cœna, num aliquid novi roboris spiritualis, gaudii & consolationis consecuti fuerimus, an secus: tum B. si *postremum* experiamur 1 Cor. X. 3. 4. 5. hæc nobis veniunt agenda: α. exquirenda defectus hujus *causa*, an non satis *præparati* accesserimus, adeoque animam adduxerimus quasi *clausam*? Conf. Psal. LXXXI. 11. 12. 14. 17 an accumbentes, *veste nuptiali*, h. e. ea dispositione, affectu & studiis, quæ Domino conviviatori placere potuissent, forte non fuerimus *exornati*? Conf. Matth. XXII. 11. Tum β. omni opera adnitendum, ut super deprehenso defectu, nos profunde coram Deo *humiliemus*, culpam deprecemur, gratiam expetamus. Conf. Matth. XVIII. 26. Porro γ. precibus, renovata resipiscentia, fide, omnique *conatu* id agendum nobis, ut efficiam S. Cœnæ quasi *retrahamus*, ut, quod *apud* mensam consecuti non sumus, *postliminio* consequamur: quemadmodum Israëlitæ, si quando ex impuritate aliqua ceremoniali, aut alia quavis causa, inepti fuissent, qui *ordinario* die paschate fruerentur; *extraordinarium* addebant: prout monuimus §. V. Nec cogitandum, quod S. Cœna virtutem & efficaciam suam semper exserat in *ipso usus* momento; sed quod, perinde ac Baptismus, post multos nonnunquam annos, suam exserat efficaciam Rom. VI. 3. 4. Conf. Joh. XIII. 4. cum vs. 7. His observatis δ. tenendum etiam, in qualecunque animi solatium, quod, licet *ea beneficia* apud mensam Domini non fuerimus consecuti, quæ exoptabamus, aut non tantam eorum mensuram, quantam desiderabamus: *talia* tamen ac tanta consecuti simus, ut pœnitendum non sit, nos ei adfuisse; quatenus omnia illa officia, absque vita illa spirituali, quam offert & confert S. Cœna, expediri neutiquam possint. Ex adverso C. si observaverimus, *ex voto* nobis successisse S. Synaxin; tum (1) animus cibo spirituali refectus & calefactus, excitandus est, ad submissam *gratitudinem* Psal. XXII. 27. exemplo Christi & Apostolorum, *hymnum* gratitudinis canentium Matth. XXVI. 30. qua gratitudine, q. magnum *hallelujah*, cum convivis paschalibus canamus, ex

Quænam illa sint officia.

Officia præstanda, si ex voto nobis non successerit S. Cœna.

Officia præstanda, si omnino ex voto cesserit nobis S. Cœna.

Psalmo

Psalmo CXIII. usque ad CXIX. prælucente etiam Davide Psal. CXVI. 12. 13. atque insuper *formulam* gratiarum actionis præstante Psal. CIII. 1. 6. Hinc (2) admitendum nobis, ut in beatâ illâ *dispositione*, spirituali illo gaudio, & robore, quod apud mensam Domini consecutus est animus noster, *diu*, &, si pote, constanter conservetur. Exemplo Judæorum 2 Par. XXX. 21. 22. 23. Conf. Matth. XVII. 4. Porro (3) *memoriam* confœderationis nostræ cum Deo, in S. Coena factæ, ubique nobis habeamus *præsentem*: ad hoc, ut ab *una* parte, in rebus quibusvis *adversis*, animum erigamus promissionibus illis divinis, quæ nobis in S. Coena sunt obsignatæ. Conf. Gen. XV. 1. & XVII. 1. 2. ab *altera* parte, in quovis casu, *promissiones* & vota nostra, apud confoederationem S. Coenæ Deo facta, ei religiose solvere conemur Psal. CXVI. 14. 18. Tandem (4) ut per omnem vitam nostram, *renovatione* foederis, in S. Coena factæ, nos ipsos *muniamus*, adversus quosvis insultus satanæ, adversus quasvis tentationes & illecebras ad peccatum. Conf. Gen. XXXIX. 9. Jos. XXIV. 22. cogitando, nos renovatâ confoederatione cum Deo, omnia illa *abjurasse*, quæ Deo sunt adversa; adeoque *perfidos*, imo perjuros fore in ipsum Deum nostrum, si in peccatum consenserimus, & foedus Dei violaverimus. Conf. Deut. XXXI. 16. 17. 18. 20. Hos. VI. 7. cujus perfidiæ poenam observamus in Zedekia Ezech. XVII. 12--21. cum Jer. LII. 9. 10. 11.

XXXII. *Septimo*, horrorem ciet versus *Missam*, S. Coenæ à Pontificiis substitutam. Eo quod (1) *substitutione* illa, horrendum committat *sacrilegium*, quo Ecclesia orbatur excellentissimi sacramenti λειμηλίῳ Rom. II. 22. (2) Illius *transsubstantiatione*, hæresis inaudita foveatur (3) hostiæ adoratione, horrenda idolotatria committatur (4) illius *sacrificatione* & oblatione, turpissima unici sacrificii in cruce peracti *abnegatio* contineatur (5) in præsumpta corporis & sanguinis Christi, *orali* manducatione & potatione, plusquam cyclopica *barbaries* repræsentetur (6) istis omnibus, apud infideles, Religioni Christianæ *maculam* inurat indelebilem, præjudicium item ponat, & *scandalum* immobile. Et, cum in hac missa basis sit & cardo universæ religionis & devotionis *pontificiæ*; hinc agnoscamus, religionem pontificiam (cujus *missa*, omnia quæ de Christo Jesu, in S. pagina proferuntur, refert ad spumosam *placentulam*) non nudam esse hæresin; sed totalem à fide Christiana *apostasiam*. Quamobrem non ipsa tantum missa; sed universa etiam Pontificiorum *religio*, quæ in missa vertitur velut cardine suo, nobis horrori esse debet; quin & quævis ea, quæ cum missa *ullam* habent communionem, qualia sunt *encænia* aliaque, velut quæ immanem ejus idolomaniam, diverso licet gradu, gestant. 7. Ciet horrorem versus Missam.

CAPUT SEXTUM,

DE

ECCLESIÆ DISCIPLINA.

Matth. XVI. 19.

Dabo tibi claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis: & quod solveris in terra, solutum erit in cœlis.

Tertium applicationis medium, disciplina ecclesiastica.

I. PErgimus ad *tertium* applicationis medium, quo Ecclesiam, ministerio verbi collectam, Deus *munit* adversus scandala, nim. *disciplinam ecclesiasticam*; quam *clavibus* regni coelorum, Servator exprimit Matth. XVI. 19.

Pars Exegetica.

II. *Quibus verbis promittitur* donatio potestatis ecclesiasticæ, qua disciplina ecclesiastica exerceatur. *Penes quam notatur:*

Textus exponitur.

1. Donans, ego, *voce involuta verbo* δώσω dabo; *explicite dicta* vers. 18. κἀγὼ & ego, *scil. qui* οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, ædificabo meam Ecclesiam, *cujus erat Ecclesia, qui eam sibi ædificaturus erat, & in ædificationem istam promittebat claves. Qui proinde* Dominus *erat* 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. *qui* clavem habet Davidis Apoc. III. 8. *cui* omnis potestas *competit, potissimum in Ecclesiam, qui est fons ac scaturigo omnis potestatis. Hic promittit, ut intelligamus, potestatem & disciplinam ecclesiasticam, in ministris non esse* αὐτοκρατορικὴν, *qua sibi uti liceat pro suo lubitu,*

nec valere, nisi quatenus à Domino *collata & limitata est* 1 Cor. x. 8. *Interim esse* divinam, *à Domino Jesu oriundam, cui subesse teneantur, quotquot profitentur se esse sub Christo, & qui nolit subesse, eum non agnoscere dominium Christi.*

2. Donatio *futura*, δώσω, dabo: *in futuro, sicut* vs. *præced.* οἰκοδομήσω, *ædificabo.* Promittit *igitur; sed nondum* dat: *seu quod Ecclesia, in quam disciplinam exercerent, necdum ædificata esset: seu quod* omnis potestas, *utpote præmium suæ humiliationis & obedientiæ, ante resurrectionem suam, necdum sibi collata erat* Matth. xxviii. 18. Phil. ii. 8. 9. 10. *seu quod hactenus eam sibi soli servatam vellet, quamdiu scil. suis discipulis adesset velut* Magister. *Interim se certo daturum promittit:* daturum *inquam, scil. ex gratia, ut significaret, disciplinam esse egregium aliquod Ecclesiæ beneficium, adeoque ad Euangelium pertinere.*

3. Donandus tibi, *qui tam præclaram de me edidisti professionem, qui inter eos, quos evocavi, ad annunciationem istius veritatis, primus fuisti, tibi* Petro *dabo, quanquam non* soli, *quod professionem ejus veritatis, non à te* solo *petierim:* sed vos, quam dicitis quod sim vs. 15. *qui præ tuis collegis omnibus, tam promptus fuisti in profitendo, qui omnium tuorum collegarum nomine, respondisti,* tibi dabo, *omnium nomine accipiendum donum; sed qui* omnibus, *suo tempore daturus sum, ut patet* Matth. xviii. 18. Joh. xx. 23. *imo toti Ecclesiæ* Matth. xxviii. 18. *Ne putent Romanenses, tibi* soli *hoc promissum & collatum fuisse.*

4. Donum, claves regni cœlorum. *Alludere possit ad morem Judæorum, apud quos Doctorum inauguratio, traditione clavium peragi solebat, prout fieri videtur* Luc. xi. 52. Claves *symbolice significant* potestatem Jes. xxii. 22. Apoc. iii. 7. *Non equidem* regiam, *prout Pontificii volunt, in gratiam Monarchiæ papalis; quamvis enim Reges habeant potestatem in claves; non tamen habent claves sibi* datas: *sed* ministerialem, *qualis datur promicondis in familia, quando eis* διοίκησιν, *seu gubernationem committunt. Promittit* claves *in plurali numero:* sed quod *non* soli *Petro promittat, sed omnibus etiam Apostolis, ut patet collatione* Joh. xx. 23. *seu quod in* domo *Dei, quæ est Ecclesia militans in terris* 1 Tim. iii. 16. *etiam multæ sint* mansiones, *seu Ecclesiæ particulares: seu quod* usus *clavium duplex sit, aperire & claudere, quæ duo licet in* naturalibus, *una clavi procurentur; in* spiritualibus *tamen, duas claves exigere videntur: seu potius, quod duæ claves Ecclesiæ sint necessariæ, nim. clavis* ordinis, *ut loquuntur, quæ competit soli* ordinatis *verbi divini ministris, qua potestas ipsis suppetit ad verbum Dei* publice *prædicandum, ad Sacramenta dispensanda, qua abusi videntur Scribæ* Luc. xi. 52. *& clavis* regiminis, *quæ non solis verbi ministris, sed insuper presbyteris* gubernantibus 1 Tim. v. 17. *qui ab hoc* κυβερνήσεις *appellantur* 1 Cor. xii. 28. *Et hæc clavis est* disciplinæ *ecclesiastica. Hoc indigitatum Servator vult, quando promissas claves restringit ad* regnum cœlorum, *ut omnem potestatem* temporalem *à suis Ministris secludat* Matth. xx. 25. Luc. xxii. 25. 2 Cor. x. 4. *Dicit* regnum, *in singulari numero, quod Ecclesia, quæ regno illo significatur, saltem* Catholica, *unica tantum sit* Matth. xvi. 18. Heb. xii. 22. 23. *Hanc* regnum *appellat, quod saltem respectu Christi, omnia essentialia regiminis Monarchici observentur, unus Rex* Psal. ii. 6. Zach. ix. 9. cum Joh. xviii. 33. 34. *Interim regnum* cœlorum *dicit, in plurali numero, seu quod, ex phraseologia hebræa, regnum istud sit, non* terrenum Joh. xviii. 36. *sed* cœleste *ac spirituale: sed quod regnum istud Christi, seu Ecclesia* universalis, *in duas partes dispescatur,* triumphantem *&* militantem, *quarum utraque est* cælestis, *nec obstat quod* militans *in terris degat: est enim nihilominus* naturæ *cœlestis &* spiritualis, *à quo passim in Scripturis, Ecclesia* militans, regnum cœlorum *appellatur* Matth. xiii. 24. 31. 33. 44. 45. 52. *Proinde, per claves regni cœlorum, hic non intelligitur, nisi potestas & disciplina ecclesiastica, quam in subsequentibus explicat uberius.*

5. Doni usus, *quicquid* ligaveris — quicquid solveris — *Videri prima fronte possit, magis apposite ad Metaphoram clavium, locutus fuisse, si dixisset: quicquid* clauseris, *& quicquid* aperueris: *sed consulto, hac phraseologia usus videtur, ut ab* una *parte, magis exaggeraret miseram sortem eorum, qui legitima excommunicatione, ab Ecclesia secluſi fuissent, quod non modo ipsis clausum sit regnum cœlorum; sed quod insuper ligati sint* catenis caliginis 2 Pet. ii. 4. Matth. xxii. 13. *ab* altera *parte, beatitudinem eorum, qui legitime solvuntur, quod ipsis* abundantior detur introitus, *in* æternum regnum Domini 2 Pet. i. 11. *Interim duplex* usus *clavium distincte traditur, nim.*

A. Ligandi, *& penes eum:*

1. Usus *conferendus,* ὃ ἐὰν δήσῃς, quicquid ligaveris, *videri possit* 1. *ei conferre* ordinationem, *seu innuere in functionem ecclesiasticam, quod suetum fuerit Judæis, hac aut simili formula, suis conferre ordinationem:* accipe tu potestatem ligare & solvere, *vel,* docere, ligare & solvere, *observante Doct. Lightfoot: sed non videtur hoc sensu dici in Scripturis. Sed*

2. con-

2. *commodius referri possit ad* rem, *quod potestatem habeant docendi & tradendi in Ecclesia, quod ex ejus usu futurum censuerint. Quod hac phraseologia, & in hanc rem, usitata fuerit in Scholis Judæorum, observante eodem Ligthfoot, qui vel myriada exemplorum huc se sistere posse profitetur v. g. Ex Thalmude Hierosolymis.* Jom. Tob. *fol.* 6. quodcunque ego solvo, ille ligat: quodcunque ego ligo, *ille* solvit, *plura ejus generis habet ibidem. Cui succurrere possit:* ὃ ἐὰν, *vel* ὅσα, *atque insuper loca* Matth. v. 17. 19. *Conf.* Rom. III. 31. *Interim* 3. *scopus præcipue respicere videtur* personas, *ut idem dicatur quod* Joh. xx. 23. si cui vos remiseritis peccata, ei remittentur: si cui vos servaveritis, ei servabuntur. *Et sic demum dicent, disciplinæ ecclesiasticæ, legitimas censuras, excommunicationesque, quibus peccata servantur.* Ὃ ἐὰν, *vel ut* Matth. XVIII. 18. *referri possit, seu ad* res, *ad peccata*; *seu ad* personas *indefinite, ut dicat:* quoscunque *ligaveris. Sed* in terra, *non in cœlo, nec in inferno existentes, ut qui terminum suum dudum sunt assecuti.*

2. Efficacia, *seu ratihabitio istius usus:* ἔσται δεδόμενον, ἐν τοῖς οὐρανοῖς, erit ligatum in cœlis. *H. e. quod, vel quem tu, legitima censura ecclesiastica, seu excommunicatione, pronunciaveris, ad æternos carceres damnatum, hoc ita habebitur:* ἐν τοῖς οὐρανοῖς, בשמים in cœlis, *seu apud* Deum: οὐρανοὶ *enim non raro significant* Deum Luc. XV. 18. Dan. IV. 26. Matth. XXIII. 25. *Ut significetur potestas & efficacia legitimæ disciplinæ, & censurarum ecclesiasticarum.*

B. Solvendi, *qui usus ligationi subjungitur, quod* solvi *non possit, qui non ante ligatus fuerit. Ut intelligamus, eam intelligi solutionem, quæ per disciplinam ecclesiasticam, in hactenus ligatum exercetur. Penes istam rursus notatur:*

α. Usus solvendi, *quicquid solveris, scil. remittendo peccata, à reatu condemnatis æternæ*; in terris, *apud homines, cum in cœlis nemo detur ligatus; nec in inferno, à ligatione solvendus.*

β. Efficacia & *ratihabitio*, hoc in cœlis erit solutum, *h. e. in cœlis apud Deum erit remissum, & reus à suis vinculis liberatus.*

Pars Dogmatica.

Est in Ecclesia disciplina, ope facinorosi arceantur & pœnitentes recipiantur. Probatur scripturis,

III. Est ergo, auctore Christo, in Ecclesia *disciplina*, cujus ope facinorosi arceantur, & pœnitentes recipiantur. Huc enim α. dantur *claves*, huc spectat ligatio & solutio, in textu, & Matth. XVIII. 18. 19. Huc β. spectat *remissio* peccatorum & *retentio* Joh. XX. 23. Huc γ. *ejectio* & *receptio* 1 Cor. V. 2. 3. 11. & 2 Cor. II. 6. 7. 8. Huc δ. mandatum subtractionis Rom. XVI. 17. 2 Thess. III. 6. Tit. III. 10. Hanc ε. olim figurabat ejectio è *paradiso*, & abstentio à manducatione *arboris vitæ* Gen. III. 22. 23. 24. Item Caini ejectio à *facie Dei* Gen. IV. 11. 14. Huc ζ. spectabat exclusio *immundorum* à commercio reliquorum Num. XIX. 20. Et η. universa *immundicies* legalis, secludens à consortio purorum Exod. XII. 48. Ezech. XLIV. 7. 9. Levit. XII. 2. 3. Non addemus θ. disciplinam hanc, apud *Judæos* receptam fuisse Joh. IX. 22. & XII. 42. & XVI. 2. & procul dubio, à Judæis in Ecclesiam Christianam, à Christo traductam fuisse.

& rationibus.

IV. Nec ita tantum est; sed esse etiam *debet*. His rationibus, quia 1. cuivis bene ordinatæ *societati* competit potestas separandi incongruos, suique cœtus maculas ac probra: 2. Ecclesia est *regnum* Dei Matth. VI. 10. 13. *Domus* & familia Dei Eph. II. 19. 1 Tim. III. 16. *civitas* Dei Apoc. III. 12. & XI. 2. quæ absque *disciplina* subsistere nequit. 3. Quia semper in Ecclesiâ reperiuntur *scandala* Matth. XVIII. 7. & *zizania* cap. XIII. 27. reperitur *impurum*, segregandum à puro Ezech. XLIV. 5. 23.

Varia disciplinæ nominationes.

V. Significatur variis modis hæc disciplina in Scripturis. Ut enim denominationes hebraicas paululum seponam; significatur per *claves*, de quibus jam ante in *exegesi*, per ἐπιτιμίαν ὑπὸ τῶν πλειόνων, *objurgationem plurium* 2 Cor. II. 6. scil. distinctam ab ordinaria & *privata* quavis increpatione: per ῥάβδον *virgam* 1 Cor. IV. 21. per ἀνάθεμα Gal. I. 8. Rom. IX. 3. cui apud Hebræos respondet חרם, secundum LXX. Interp. Deut. VII. 26. & apud Paulum μαραναθὰ 1 Cor. XVI. 22. quamvis voces istas, non *nudam* designare disciplinam, existimem; sed *gradus* ejus varios connotare, de quo videri poterunt commentatores ad loca ista. Reipsa, nobis hæc disciplina est *personalis applicatio voluntatis divinæ: per censuras, ad scandala, vel cavenda, vel tollenda ex Ecclesia Dei.* Hic nobis disciplina dicitur α. *applicatio voluntatis divinæ:* quod non applicet pœnas *corpore* aut *bursa* luendas; sed *spiritualia* illa reformationis media, quæ Christus dedit Ecclesiæ 2 Cor. X. 4. 5. Dicitur β. *personalis* applicatio: quia fere per censuras ecclesiasticas, intelligitur *voluntatem* Dei applicare, huic aut illi, secus ac fit per communem verbi annunciationem: quæ γ. vergat ad *scandala*, seu præcavenda, seu removenda ab Ecclesia Dei Rom. XVI. 17. & XIV. 13. 1 Cor. V. 6. 7. & *emendationem* salvationemque scandalosi 1 Cor. V. 5.

Ejus definitio.

Ejus auctor.

VI. *Auctor* ejus est α. *Deus*, non tantum *exemplo*, Gen. III. 22. 23. 24. & IV. 11. 14. sed etiam

etiam *mandato*: quo, non *legaliter* duntaxat impuros, à templo & ceremoniis excludendos voluit Exod. XII. 48. Levit. V. 2. 3. Num. IX. 6. 10. & Paral. XXVI. 20. 21. sed *moraliter* etiam tales, ut colligitur ex Esd. X. 7. 8. & sequiore *praxi* Ecclesiæ Judaicæ Joh. XII. 32. 33. 34. & XI. 22. & XVI. 2. β. *Mediator* Matth. XVI. 19. & XVIII. 15. 16. 17. Joh. XX. 23. introductam jam auctoritate *divina*, & usurpatam apud Judæos, traducendo in Ecclesiam Christianam. γ. *Spiritus* S. per Apostolos eam præscribendo 1 Cor. V. 2. 3. 11. Rom. XVI. 17. Ut ab omnibus his, disciplina ecclesiastica sit juris, non *humani* & ecclesiastici; sed *divini*, immutabilis & inalterabilis: à quo etiam, *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, exerceri debet 1 Cor. V. 4.

Quibus potestas hujus disciplinæ sit collata.

VII. Potestatem hujus disciplinæ, Christus *promisit*, *primo* quidem, ordine temporis, Petro Matth. XVI. 19. sed non *soli*; verum postea cunctis Apostolis cap. XVIII. 18. Joh. XX. 24. qui ἐξουσικῶς etiam, h. e. *infallibili* modo, eam dirigere potuerunt 1 Cor. V. 3. 4. tandem *quibusvis* etiam Ecclesiæ ministris Tit. III. 10. imo toti *Ecclesiæ* Matth. XVIII. 17. Non tantum, quod in usum & *commodum* Ecclesiæ data sit 1 Cor. V. 6. 7. sed etiam in Ecclesia *sola* exerceatur, & exerceri debeat. Interim tamen, à persona *singulari*, nulla exerceri debet; sed à *societate* seu presbyterio: unde Servator causas deferri vult ad *Ecclesiam* Matth. XVIII. 18. non sane ad *totam* aliquam congregationem, ut Independentes volunt: quod ab hac parum εὐτάκτως exerceri queat; sed ad Ecclesiam *repræsentativam*, quam Apostolus 1 Tim. IV. 14. *presbyterium* appellat. Hinc ipse etiam Apostolus, non sua *solius*; sed *congregationis* Corinthiacæ auctoritate, incestuosum Corinthium *excommunicari* voluit 1 Cor. V. 3. 4. per quam non, *universam* congregationem, singulaque ejus membra, intelligit (utpote quam, alibi numerosiorem fuisse demonstravimus, quam ut ad disciplinam, in unum congregari potuerit. Conf. cap. 11. hujus lib. §. XXVI.) sed *presbyterium* Corinthiacum, prout olim Sacerdotum erat Leviticorum, *purum ab impuro discernere* Levit. X. 9. 10. Hag. II. 11. 12. Ezech. XLIV. 23. id quod sub. N. T. *synedrio*, selectisque viris tribuitur Luc. XXII. 66. Act. XXII. 7. Nec presbyterium hoc agit, potestate sibi, à *magistratu*, aut à *tota* communitate; sed à Christo *immediate* delegata: cum delegationis utriusque præcedentis γρὺ quidem non exstet in Scriptura: quando *hujus* manifesta testimonia prostant, omnibus illis locis, quibus de disciplina agitur.

Objectum disciplinæ.

VIII. *Objectum* disciplinæ ecclesiasticæ: α. *materiale* quidem, præstat *frater peccans*, h. e. qui se membrum Ecclesiæ *profitetur* Matth. XVIII. 15. 1 Cor. V. 11. & *omnis* quidem talis, cujuscunque ordinis ac dignitatis existat, quatenus scil. *frater* est Matth. XXIII. 8. Col. III. 11. ut pessime illi subducatur *Papa*, ἄνομος ille 2 Thess. II. 8. Non proinde *bruta*, mortui, absentes, inauditi, aut integri populi, & Ecclesiæ, sine discrimine; β. *formale*, præstat *peccator*, impingens: vel *doctrina*, seu in fundamentalia fidei Rom. XVI. 17. Tit. III. 10. 11. 2 Joh. vers. 10. 1 Tim. I. 19. 20. vel *moribus* 1 Cor. V. 11. Matth. XVIII. 15. Gal. I. 8. Est tamen, quo commodius & efficacius disciplinæ gradus, paulo abhinc commemorandi, applicentur; caute discernendum inter peccantes. Sunt in Ecclesia 1. quorum vita & conversatio *alias* satis composita exstitit; qui tamen *in hoc* aut illo peccati genere vivunt, quod ipsi pro peccato non agnoscunt, & de quo, licet sæpius moniti, convicti nondum sunt, quales v. g. qui peccando credunt se *Deo officium* facere Joh. XVI. 2. qualis *Paulus* persequens Ecclesiam 1 Tim. I. 13. De quibus proinde non possis *solide* pronunciare, quod *fœdus* cum Deo rejecerint Psal. L. 16. 17. Sunt 2. qui cætera *inculpati*, enormi quodam peccato, Ecclesiam tali scandalo affecerunt; ut inde *justa* sibi ratio suppetat dubitandi, an *vere* existant sub fœdere gratiæ; ita tamen, ut necdum possit *positive* determinare, ipsos esse extra fœdus gratiæ constitutos: qualis v. g. David, commisso adulterio & homicidio. Sunt 3. qui vitam & conversationem ita trahunt, ut non tantum dubitare possis, num sint sub fœdere gratiæ, cujus signa & sigilla capiuntur in S. Cœnâ, sed etiam, ut *potiores* rationes suppeditent metuendi, quod *non* existant sub fœdere gratiæ, quam sperandi contrarium: nec tamen *sufficientis* adsint rationes, quibus *juridice* pronuncies, ipsos esse constitutos extra fœdus. Sunt denique 4. qui ita vivunt, ut *solide* de ipsis Ecclesia possit determinare: *non est tibi pars, neque sors in isto sermone* Act. VIII. 21. Conf. Job. XXI. 14. 15. Jam, quomodo gradus disciplinæ singulis horum sigillatim sint applicandi, paulo abhinc monstrabimus.

materiale, & formale. Quadruplex delinquentium genus.

IX. Disciplinæ hujus *claves*, in plurali numero, memorat Servator Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. & cum utriusque clavis sit, & claudere & aperire; & ligare & solvere Apoc. III. 8. dispiciendum, quænam illæ sint. Sunt 1. qui clavem *ordinis* numerant, & *jurisdictionis*, sic, ut illa *Sacerdotibus* competat, seu presbyteris; hæc solis Episcopis: sic perperam Pontificii; cum Scriptura discrimen inter presbyterum & Episcopum ignoret, sicut alibi ostendimus; alii rectius clavem *ordinis*, solis *ordinatis* verbi divini ministris relinquunt, & in annunciatione *publica* verbi, ac dispensatione Sacramentorum, illam collocant; clavem autem *jurisdictionis* seu regiminis ecclesiastici, presbyteris *gubernantibus* communem faciunt. 2. Catechesis Palatina clavem *prædicationis* tradit, quâ

Disciplinæ ecclesiasticæ partes.

quâ incredulis & profanis, ira Dei & æterna condemnatio annuncietur; resipiscentibus autem, remissio peccatorum & vita æterna, juxta Joh. III. 10. 36. & clavem *disciplinæ*, strictius ita dictæ, quæ censuris *personalibus* exerceatur. Posterior hæc κυρίως, apud Theologos *disciplina* dicitur, complectiturque

correptiones fraternæ:

α. *Correptiones* fraternas, omni quidem peccato applicandas; sed vario tamen *modo*, pro varietate occulti & noti peccati: sic nimirum, ut in *occultis*, gradus illi veniant observandi, quos Servator præscripsit Matth. XVIII. 15. 16. 17. quando in *notis* seu publicis, gradatio illa, non adeo est necessaria 1 Tim. v. 20. possunt item correptiones istæ, pro re natâ, vel à *privatis* quibusvis exerceri 1 Thess. v. 14. vel à *publico* Ecclesiæ ministro, sive uno, sive pluribus 2 Cor. II. 7. Conf. cap. XII. 20. Tit. III. 10. 11

excommunicationes duæ:

β. *Excommunicationes* duas, quarum (1) *altera* excludit à præcipuis *privilegiis* Christianorum, in quibus primarium est Sacramentum *communionis corporis & sanguinis Christi* 1 Cor. X. 16. egregium illud *sanctum*, quod non est *dandum canibus*, & pretiosa illa *margarita*, quæ non est *objicienda porcis* Matth. VII. 7. Præluxit in hoc *ipse* Deus, quando protoplastos apostatas & indignos excommunicavit à participio *arboris vitæ* Gen. III. 22. 23. quando etiam sacrorum ephoris præscripsit, *impuros* legaliter, donec tales essent, *excommunicare* à participio sacrorum, imprimis manducandi paschatis, prout jam ante docuimus. Et quis ullâ cum ratione credat, impuritatem illam, & excommunicationem *ceremonialem*, non respexisse analogam *moralem*? Si cumprimis expendat, non tantum tenorem totius Epistolæ ad Hebræos; sed figillatim etiam, quæ Apostolus inculcat 1 Cor. v. 7. 8. Consideretur insuper, quod idem Apostolus nolit, ut quisquam accedat *indignus*: eo quod talis seipsum *reum* faciat *corporis & sanguinis Christi* 1 Cor. XI. 29. & quis credat, hujus sceleris cavendi *curam* non competere Ecclesiæ? addam, quod S. Cœna sit *singularis* obsignatio fœderis gratiæ, quæ, citra turpissimum *falsi crimen*, in indignum dispensari non potest. Et hæc excommunicatio *minor* appellatur. Excommunicatio altera 2. excludit ab ipso *Ecclesiæ* consortio, quâ, excommunicatus habetur pro *Ethnico & publicano* Matth. XVIII. 17. 18. Hanc cum magno affectu, Corinthiis Apostolus præscribit 1 Cor. v. imprimis vs. 2. 9. 10. 11. 12. & Thessalonicensibus 2 Thess. III. 14. 15. Proinde, dum excommunicatus excluditur à consortio Ecclesiæ; eadem operâ Ecclesiæ interdicitur *conversatio* cum excommunicato Rom. XVI. 17. 2 Thess. III. 14. 15. non ea quidem, quam communis *hominum* charitas exigit, ne *crudeles* reddamur: sed quam *fraternitas* christiana peculiariter Jubet *fratribus* spiritualibus conferre: sic tamen, ut eos etiam pro *hostibus* necdum habeamus; sed *monendo* saltem, cum eis agamus ut *cum fratribus* 2 Thess. III. 15. ad hoc, ut, si pote, Ecclesiæ lucrifiant: officia negata, Canonistæ hoc versiculo complectuntur:

à S. Cœna:

à consortio Ecclesiæ.

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Atque hæc excommunicatio *major* appellari solet. Hactenus prior clavium potestas, scil. *ligandi*, claudendi, & retinendi peccata: succedit altera nim. solvendi, & remittendi peccata: quâ, non nisi sinceram pœnitentiam *sufficientibus* indiciis, Ecclesiæ probantes, *absolvuntur* à peccatis, admittuntur ad privilegia ecclesiastica, nominatim ad S. *Cœnam*, & recipiuntur in Ecclesiæ *communionem* Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. Joh. XX. 23. 2 Cor. II. 7. 8.

X. Quantum ad *usum*, quo magis circumspectè claves istæ tractarentur: Ecclesiæ Belgicæ hos quasi gradus observant: habent 1. *admonitionem*, non *publicam* tantum & communem, quæ pro concione fit, & primam clavem præstat catechesi Palatinæ; nec *privatam* eam, quam frater fratri privatim impendit; sed *publicam* quidem, quod à personâ *publica* seu verbi divini ministro, sive *solo*, sive cum presbyterio gubernante; ast *privatam* etiam, quod privatim fiat. Qua minister, observando hujus aut illius conservationem, non tantum nulla reperiens *indicia*, quæ suadere possint, illum esse *sub fœdere* gratiæ; sed talia ex adverso, quæ justum *metum* sibi faciant, illum esse *extra* fœdus gratiæ, adeoque *indignum* qui ad S. Cœnam veniat; sic tamen, ut *solide* non possit *concludere*, ipsum certò constitutum esse *extra* fœdus: ipsum serio monet, seipsum excutiat, &, seu resipiscat, seu sponte abstineat, ne *reum* se faciat corporis Christi, & *judicium* sibi attrahat. Hoc disciplinæ gradu utuntur, in primum delinquentium genus, quod notavimus §. VIII. Habent 2. gradum, quo *admittunt* quidem; sed sub *propria sui ipsius* exploratione: quo non *absolute* obsignant communionem fœderis gratiæ, prout circa reliquos ordinarie fit; sed sub dubia sibi *conditione*, si seipsum, post seriam explorationem, *dignum* deprehenderit. Haec revera ipsis est censura ecclesiastica, quam in secundum hominum genus stringunt, quod diximus §. VIII. & forte hos etiam, quos, citra gravissimam Ecclesiae *concussionem*, excludere non possunt: eo quod universam potestatem, quae Ecclesiae data est à Domino, *ad ædificationem*, non autem ad *destructionem*, sibi datam existiment, ex 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. Habent 3. *abstentionem* à S. *Cœna*, qua scandalosos, & qui tale quid commiserunt, quod plus quam suspicionem creare possit, ipsos non esse sub communione *fœderis* gratiae, & quorum factum ac status necdum exploratus est, ob scandalum adhuc manens in Ecclesiâ; pro auctoritate ecclesiastica,

Gradus quatuor circa exercitium disciplinæ in Ecclesiis Belgicis, prudenter exerceri soliti.

1.

2.

3.

siastica, jubent abstinere ab usu S. Coenæ, donec eorum causa examinata & determinata fuerit; sic ut interim habeantur pro membris Ecclesiæ. Habent tandem 4. plenam *excommunicationem*, qua hos, quos argumentis *omni exceptione* majoribus deprehendunt, *extra* communionem foederis gratiæ constitutos esse; non tantum à participio *privilegiorum* ecclesiasticorum, imprimus S. Cœnæ; sed etiam ab universo *consortio Ecclesiæ* secludunt, & quasi satanæ addictos declarant, donec resipiscant. Hæc prudenter observata, non tantum *ædificationi* Ecclesiæ; sed & *conscientiæ* eorum qui claves tractant, atque etiam *dignitati* sigillorum sacrorum, & *saluti* eorum, in quos disciplina stringitur, conducere possunt.

Ratificatio disciplinæ in cœlis.

XI. Verbum addemus, de *ratificatione* exercitæ hujus disciplinæ excommunicationisque. Tenendum ergo 1. quod censuræ & excommunicationis fulmen, *illegitime* vibratum, *brutum* sit Ezech. XIII. 22. Joh. IX. 22. & XVI. 2. Ex adverso 2. *legitime* vibratum, *ratum* sit in cœlo, ex pronunciatione Christi Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. Joh. XX. 23. Adeo ut 3. *legitime* excommunicatus, expers sit *communionis corporis & sanguinis Christi* 1 Cor. X. 16. 21. Conf. Joh. XIII. 8. Atque etiam 4. *extra Christum* constitutus, seclusus à vitâ spirituali & æternâ Joh. VI. 53. 54. Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. Attamen 5. tantisper, *donec resipiscat* Prov. XXVIII. 13. Act. XXVI. 18. quando etiam *recipiendus* est in gremium Ecclesiæ, & admittendus ad omnia *privilegia* ecclesiastica. *Ibid.* & 2 Cor. II. 6. 7. 8. Conf. Luc. XV. 21. 22. 23.

Disciplina Veteris Testamenti: ceremonialis.

XII. Observat hæc disciplina tres fere *periodos*: quarum *prima* fuit sub Veteri Ecclesia, ubi *duplex* in usu deprehenditur fuisse disciplina: א. altera *ceremonialis*, quâ *legaliter* impuri arcebantur, tum a templo & sacris ejus; tum a castris. Idque diversis gradibus, sunt quos arcebat α. ab *omnibus* castris, Dei, Sacerdotum & Israëlis: sic v. g. ob lepram, Miriam Num. XII. 11. 14. 15. Uzziah 2 Paral. XXVI. 20. 21. β. a castris *Dei tantum & Sacerdotum*, sic profluvio sanguinis laborantem, item puerperam γ. a castris Dei *solis*; sic Sacerdotem ob contactum mortui. Quibus omnibus Deus significabat, se populum *sanctum* velle, & *disciplinam* ecclesiasticam amare, cujus ope sanctus sit populus: ב. *altera* disciplina *moralis* erat, ob causas *morales*. Et hæc triplex rursus obtinebat: א. נדוי, quod *separationem* notabat ab *Ecclesia*, eratque *imus* disciplinæ gradus, cui fere respondet *subtractio privata*, de qua Apostolus 2 Thess. III. 6. ב. חרם, quod separationem habebat a *cœtu sacro*, & ejectionem ex *synagoga*, cum maledictis & diris, ex Deut. XXVIII. & aliunde excerptis: cujus mentio fit Joh. IX. 22. & XVI. 2. cui forte respondet pœna *excidii* Gen. XVII. 14. *ejus anima exscindetur a populo suo* (quem variis modis exponunt Judæi, commodissime a Francis. Junio in loc. citatum explicatur: *hic & in futuro seculo, a sanctorum consortio excludetur*, & a Diodato: *sicut ego non habebo eum pro membro populi mei; ita etiam excommunicetur ex Ecclesia.*) Hanc Judæi conficere nituntur ex Jos. VI. 26. Esd. X. 8. & Neh. XIII. 25. C. שמתא, quod aliis est a שמת *excludere*, *excommunicare*, & sic coincidit cum נדוי, aliis compositum videtur ex שם & אתה, ut sonet, *nomen* seu Jehova *venit*, & sic coincidet cum Apostoli Syriaco *μαρὰ ἀθὰ*, 1 Cor. XVI. 22. quod *μαρὰν* Syris *Dominum* notet: & sic *extremam* excommunicationis speciem designabat, qua homo *Deo & hominibus* exsecrabilis pronunciatur, in ipso Domini *adventu*, ad extremum usque judicium: ad quod alludi videtur Mal. IV. 6. & Jud. vs. 14. 15. De his vid. Drusius in *quæst. Hebraicis* lib. 1. q. IX. Quamvis Cornel. Bertramus, de *politia Judaica*, *cherem* & *schamatah*, pro eodem gradu habeat.

& moralis.

Disciplina primitivæ Ecclesiæ Christianæ.

XIII. Disciplina *novæ* Ecclesiæ, vel *apostolicæ* fuit, quam dudum repræsentavimus; vel *sequioris* primitivæ (quam *ἐξομολόγησιν* Tertullianus appellat *de pœnit.* cap. IX.) varios habebat gradus, in gravioribus saltem peccatis, quos ex Gregorii Neocæsarienses *Epist. canonica* Can. XI. *quinque* numerant Theologi: scil. 1. *πρόκλαυσιν* seu *adplorationem*, qua peccator extra portam oratorii, stans, debebat fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. 2. *ἀκρόασιν auditionem*, per quam, intra portam, in porticu (quam *παραθήκας* appellabant) Scripturas *audire* debebat, usque ad preces, quando ipsi cum catechumenis discedendum erat, velut precatione indigno. 3. *ὑπόπτωσιν prostrationem*, quâ, intra primam oratorii partem, peccator, inter catechumenos, non stare, aut considere; sed *humi jacere*, & cum catechumenis egredi debebat. 4. *σύστασιν consistentiam* seu congregationem, qua cum fidelibus consistere licebat, nec cum catechumenis egredi tenebatur. His peractis 5. succedebat *μέθεξις communio*, qua *absolutionem* ecclesiasticam tandem consequebatur, & ad participium Sacramentorum admittebatur. Hinc etiam disciplinæ, pro varietate criminum, productiora, aut contractiora tempora, pœnitentibus assignabant. v. g. fornicationis *ἐπιτίμησις* erat: primo anno a precibus expelli, secundo ad auditionem admitti, tertio admitti ad pœnitentiam, quarto ad congregationem, & sic tandem ad S. Synaxin: homicidæ spontaneo viginti annos assignabant analogice dispensatos. Vid. Basil. Mag. *in Epist. canon. ad Amphilochium.* Cum autem hoc *rigore*, alii sub censuris morerentur, alii ad desperationem; alii ad apostasiam adigerentur; inventæ pro remedio sunt *indulgentiæ*, quibus Episcopus, secundum episcopalem *discretionem*, de gradibus illis nonnihil remittebat. Ex hac porro, tum a pœnitentibus,

Eccle-

Ecclesiæ præstandâ confessione datorum scandalorum, ac satisfactione; accipiendâ item absolutione publicâ, & imperitis indulgentiis: apud Pontificios nati sunt gravissimi errores, de *confessione* auriculari, de *satisfactionibus* Deo præstandis, pro pœnis peccatorum *temporalibus*, de remissione *sacerdotali* potestativâ, de *indulgentiis*, & de *pœnitentia*, ut Ecclesiæ solenni Sacramento: de quibus suis locis agimus.

Pars elenchtica.

Quæritur:

1. An Ecclesiae peculiaris disciplina competat, per dispensationem S. Coenae, administranda?

XIV. Quæritur *primo*, an Ecclesiæ *peculiari* disciplina competat, etiam per S. *Cœnæ dispensationem* exercenda? Post Brunerum Ecclesiastem Heidelbergensem, Thomas Erastus Professor Medicus apud Heidelbergenses, non negavit quidem, disciplinam ecclesiæ deberi; sed tantum 1. disciplinam illam, *suspensione* & *exclusione* à S. Cœnâ exercendam: tum 2. eam à *presbyterio* quodam ecclesiastico, tractandam esse: quod hoc ad Magistratum, si fidelis sit, pertineat. Cum Erasto hactenus faciebant Theologi Tigurini, Bullingerus, Gualterus aliique, quod *præsente* Magistratu fideli, nec *presbyterium* ecclesiasticum, nec *excommunicationem* à S. Cœnâ, necessaria agnoscerent; licet *absente* Magistratu *fideli*, *disciplinam Ecclesiæ* juris divini agnoscerent, quod negabat Erastus. Cum Erasto, apud Anglos faciebat Colemannus quidem cum suis. Erasto, apud Genevenses, *scripto* se opposuit Theod. Beza, apud Heidelbergenses, *voce* & *re*, Theologi contemporanei. Reformati communiter *α. Presbyterium* à Magistratu diversum, *jure divino* statuunt, quod demonstravimus cap. II. hujus libri §. XXV. *β.* Presbyterio potestatem *spiritualem* competere, à potestate Magistratus *civili* diversam, ut monuimus *ibid.* §. XXVIII. & demonstrabimus insuper, ξὺν θεῷ, cap. seq. ut hic quidem nobis nil restet demonstrandum, quam quod disciplina exerceri possit, *suspensione* & *exclusione* à participio S. Cœnæ: id quod dudum præstitimus §. 18. Nec cum suis, Erastus in suis *Thesibus*, earumque vindiciis adversus Bezam, opponit, quam A. quod ejus nullum exstet testimonium in Scriptura, cui respondimus §. IX. Quod B. sub V. T. nemo excluſus legatur a *sacrificiis*, ceremoniis & sacramentis, ob vitia quævis moralia. Resp. 1. Contrarium constat ex Esd. X. 7. 8. Jos. VI. 26. Neh. XIII. 25. item ex Joh. IX. 22. 33. 34. & XI. 22. & XVI. 2. item ex universa *disciplina* judaicâ, *morali* magis, quam ceremoniali, quam delineamus §. XII. Tum 2. Ipsa *ceremonialis* Judæorum disciplina *moralem* figurabat, ut supra ostendimus. C. Quod Baptista, quosvis citra discrimen, Pharisæos, Sadducæos, quos *progeniem viperarum* indigitat, ad suum *Baptismum* admiserit Matt. III. Luc. III. Resp. Non dicitur ipsos *admisisse*, nisi post stipulatam ab ipsis *resipiscentiam* & fidem Conf. Act. II. 41. & VIII. 37. D. Quod Sacramenta, imprimis S. Cœna, sint *incitamenta ad pietatem*; proinde ab his nemo sit arcendus; sed invitandus potius. Resp. Est sane cœna dominica incitamentum ad *pietatem*, ad quam proinde invitandi sunt quivis; sed ut *digne* capiant: ast arcendi etiam abusuri, ne se *reos* faciant *corporis* & sanguinis Christi, sibique comedant *judicium*, auctore Paulo 1 Cor. XI. 28. —

Argumenta.

Objectiones.

2. An potestas clavium Ecclesiasticis competat, ut Judicibus; an ut ministris?

XV. Quæritur *secundo*, an potestas *clavium* Ecclesiasticis competat, ut Dominis & *Judicibus*; an ut ministris tantum? Pontificii, prout universa religionis suæ capita, ad stabiliendum *primatum* & monarchiam Papæ sui dirigunt; ita etiam negotium *clavium*; ac proinde, claves soli Petro datas, ab eo autem ad Pontifices propagandas (de quo cap. *seq.* ξὺν θεῷ, videbimus) Ecclesiasticis competere docent, ut *Dominis* & Judicibus pro tribunali; non autem ut ministris. Eodem etiam vergebat Lud. Molinæus, Petri filius, in suo opere, quod adversus *ædificatores imperii in imperio* inscripsit. Reformati, magisteriali & *dominica* earum potestate, soli Deo & Mediatori reservatâ, *ministerialem* tantum, quæ *annunciando* exerceatur, Ecclesiasticis relinquunt. Eo quod 1. Deus solus, sicut est unicus *Dominus & legislator* Jac. IV. 12. in quem *solum* proprie peccamus Psal. II. 6. unus item supremus *terræ Judex* Gen. XVIII. 25. ita solus proprie peccata possit servare ac remittere, agnoscentibus ipsis Pharisæis Luc. V. 21. Quod 2. Servator sibi soli *clavem Davidis*, sic *aperiendi & claudendi* servet Apoc. III. 7. Quod 3. ipsi Apostoli sibi non vendicent, nisi *annunciationem* remissionis peccatorum Act. XIII. 38. Conf. Luc. XXIV. 47. Nec habent quo efficacius nitantur in contrarium, quam, quod habere *claves*, plus sit quam habere potestatem *ministerialiter annunciandi* Apoc. III. 7. Resp. 1. Aliud est *habere* clavem, scil. *à se*, sicut Servator *habuit*? aliud *accipere datam* sibi ab alio, sicut Ecclesiastici. 2. Tum accipere claves ab alio, ejus *nomine* usurpandas, prout Apostoli acceperunt 1 Cor. V. 4. revera non est aliud, quam *annunciare* ejus nomine sententiam.

3. An Papa potestatem habeat, per indulgentias & Jubilæa dispensandi, de pœnis peccatorum *temporalibus* & purgatorialibus? Pontificii, amplificandæ potestatis, & locupletandi ærarii Pontificii causa, fingunt thesaurum quendam supersluarum satisfactionum, Christi & sanctorum, cujus dispensatio spectet ad Pontificem, qui *auxiliares manus* præbentibus (h. e. *nummos* præstantibus) erogare possit, ad auferendas pœnas *temporales*, ablatâ culpâ adhuc superstites, sive in hac vitâ, sive post hanc vitam in *purgatorio*. Cujus plenaria dispensatio (auctore

XVI. Quæritur *tertio*, an *Papa* Romanus potestatem habeat, per *indulgentias* & Jubilæa dispensandi, de pœnis peccatorum *temporalibus* & purgatorialibus? Pontificii, amplificandæ potestatis, & locupletandi ærarii Pontificii causa, fingunt thesaurum quendam supersluarum satisfactionum, Christi & sanctorum, cujus dispensatio spectet ad Pontificem, qui *auxiliares manus* præbentibus (h. e. *nummos* præstantibus) erogare possit, ad auferendas pœnas *temporales*, ablatâ culpâ adhuc superstites, sive in hac vitâ, sive post hanc vitam in *purgatorio*. Cujus plenaria dispensatio (auctore

torialibus?

(auctore Bonifacio VIII. bipedum nequissimo, κακοζηλίᾳ partim Judaicâ, partim gentili in suis *ludis* sæcularibus) in *Jubilæis* fit. De his indulgentiis, graviter Amesius *Bellarm. Enervat.* lib. VI. c. 1. Ex istâ, inquit indulgentiarum descriptione Bellarminianâ, manifestè apparet, hanc esse compendiariam *summam*, vel sententiam totius fere mysterii *iniquitatis*, & proinde, memorandam fuisse divinam illam providentiam, quâ factum est, ut purgatio stabuli Papæ inceperit ab istarum *indulgentiarum* impugnatione. Nam supponit 1. remissionem *culpæ*, *pœna* remanente. 2. remissionem & culpæ & pœnæ, ab homine, *pro arbitrio* suo factam. 3. Sacramentum *novum* ab homine introductum. 4. summos Pontifices, cum auctoritate *monarchica*, etiam in spiritualium rerum dispensatione. 5. posse Pontifices istos de jure *Dei* remittere ac dispensare. 6. lenitatem & compassionem horum *Pontificum* majorem esse, quam quæ in Sacramentis exhibetur. 7. hæc omnia fieri ex *rationabili* causa, id est, eatenus fieri, quatenus Papæ & ejus assecles prosunt. Certe, si omnia accurate expendantur, *nullum* caput est in tota Theologiâ, quod non læditur per doctrinam *indulgentiarum*. Proinde in hac indulgentiarum causa, Reformatis non incumbit, quam à Pontificiis præstolari *probationem* istarum hypothesium, quibus innititur hæc idulgentiarum mercatura: nim. α. *remissa* culpa, *remanere* pœnam. β. remissa pœna *æterna*, remanere pœnam *temporalem*. γ. dari *thesaurum* quendam *superfluarum* satisfactionum Christi & sanctorum. δ. hujus dispensandi *jus* esse penes Pontificem &c. quâ probatione *deficiente*, corruet sua sponte, moles universa istarum indulgentiarum.

4. An excommunicatio excludat ab officiis humanitatis communis?

XVII. Quæritur *quarto*, an excommunicatio excommunicatos excludat ab *aliis* officiis, quam quæ sunt *communionis* ecclesiasticæ & fraternæ? Anabaptistæ, licet non absque sententiarum differentia, existimant, excommunicatos ab Ecclesia vitandos esse, non tantum quoad officia, quæ *communionem* & familiaritatem ecclesiasticam & fraternam spirant; sed etiam quoad officia α. *communia* comedendi & combibendi; β. *domestica*, conjugum, parentum, liberorum mutua. Cum his, & turpius etiam colludunt Pontificiorum impia *fulmina*, quibus stabiliendæ *omnipotentiæ* papali, Reges ditionibus suis exuunt, populos *sacramento* solvunt, omneque commercium humanum cum excommunicatis interdicunt. Reformati, omnia illa officia versus excommunicatos, quæ familiaritatem spirant, *plus quam communem* & civilem, interdicta censent, reliqua autem permissa.

Argumenta negativæ,

Eo quod 1. excommunicati non deteriori loco sint apud Ecclesiam, quam *Ethnici* Matth. XVIII. 17. cum quibus tamen Judæi conversati leguntur Neh. XIII. 19. Quod etiam 2. non sint deteriori loco, quam *publicani* Matth. XVIII. 17. cum quibus tamen Servator civiliter conversatus legitur Matth. IX. 10. Quod 3. Officia *domestica* inter parentes & liberos prohibere, in Pharisæis *taxet* Servator Matth. XV. 4. 5. & inter conjuges, licet alter *infidelis* sit, Apostolus illa urgeat 1 Cor. VII. 12. 13. 16. item inter subditos & Magistratum, etiam infidelem Rom. XIII. 1. 1 Tim. II. 1. 2. Quod 4. officia *humanitatis* communis cuiquam negare, manifestæ sit *crudelitatis* & barbariei, cui, si quicquam, religio Christiana est inimica. Objiciunt nihilominus; A. Matth. XVIII. 17. *sit tibi ut Ethnicus & publicanus.* Resp. Dudum exemplis Judæorum, & ipsius Christi ostendimus, Christum hic non prohibere conversationem & humanitatem *communem*. B. Rom. XVI. 17. *Declinate ab illis.* Resp. Scil. quoad ea officia, quæ spirant familiaritatem *fraternam*. C. 1 Cor. V. 11. *Ne commisceamini — cum tali ne comedatis.* Resp. Hoc est, ne *agapas*, seu convivia, tanquam cum amico, & *fratre* habeatis, sicut antea: *comedit* cætera cum eis Christus Matth. IX. 10. D. 2. Joh. vers. 10. *Ne ei dicite ave.* Resp. Prohibet officium salutationis, quatenus illud arguebat affectum *fraternum*, & familiaritatem plus quam *civilem*.

Objectiones affirmativæ.

XVIII. Quæritur *quinto*, an potestas excommunicandi competat *toti* alicui *congregationi*, singulisque ejus membris; an soli *presbyterio*? Anabaptistæ, quia presbyterium non agnoscant, *toti* congregationi tribuunt potestatem excommunicandi. Independentes Angli, quamvis presbyterium agnoscant; illud tamen, non *propria* potestate, sibi à Christo facta; sed à tota congregatione, sibi delegata, excommunicare posse, statuunt; proinde singulis Ecclesiæ membris suum hic suffragium tribuunt. Reformati, quamvis agnoscant, claves in *usum* & bonum totius *congregationis* datas esse; *usum* tamen earundem soli Ecclesiæ *repræsentativæ* Matth. XVIII. 17. quam Paulus 1 Tim. IV. 14. *presbyterium* appellat, ex Christi delegatione tribuunt. Verum, cum presbyterii *jus divinum* cap. II. hujus lib. §. XXV. demonstraverimus, & contra Anabaptistas, potestatem gubernationis ecclesiasticæ, presbyterio asserturi simus, si Deus volet, *cap. seq.* residuum hujus controversiæ illuc seponemus.

5. An potestas excommunicandi competat toti congregationi? an soli presbyterio?

XIX. Quæritur *sexto*, an hæretici morte sint plectendi? Pontificii in gratiam potestatis papalis, affirmant absolute, ubi clerici eorum determinaverint aliquem esse hæreticum, illum quovis modo, à Magistratu civili, capite esse plectendum, quo vergit eorum inquisitio, & praxis quotidiana, quod nupera sua persecutione, plusquam barbara, testatissimum fecere in Gallia, Anabaptistæ aliique ex adverso, ut suæ hæresi patrocinentur efficacius; simpliciter negant. Remonstrantes, cum

6. An hæretici morte sint plectendi?

Sententiarum divortia,

rebus

rebus potirentur apud Magistratum civilem, hæreticos à Magistratu coercendos saltem affirmabant: rebus autem eorum declinantibus, *libertatem prophetandi* crepabant, quâ sibi liceret non tantum quidvis *privatim* sentire; sed etiam *publice* propalare & disseminare. Reformati in hoc negotio, admodum circumspectè agendum monent, & conscientiam *nulli* potestati humanæ submittendam esse, lubenter agnoscunt: tum 2. distinguunt inter sentire *intus*, & inter propalare & propagare *extus*: *prius* quidem quavis pœnâ externâ, & multo minus morte, exagitandum negant; *posterius* autem, pœna, quantum fieri potest, mitissimâ coercendum admittunt. Porro 3. inter seductos distinguunt & seducentes seu hæresiarchas: illos mitius corrigendos arbitrantur; hos severius. Insuper 4. distinguunt inter *simplicem* hæresin, & *qualificatam*, quæ cum apertâ blasphemiâ est conjuncta; aut cum publicâ pacis & tranquillitatis perturbatione, causam suæ hæreseos agunt: illam tolerari posse docent; dum hæc, pro re nata, pœnis *criminalibus*, atque etiam, si ita res exigat, morte castigari possit. Tandem 5. distinguunt inter istos hæreticos, quibus, ex causis rationabilibus, professio suæ hæreseos est indulta, & eos, qui absque ullo pacto, libere suas hæreses disseminant: cum illis ex pacto agendum; cum his autem pro re nata. Non addam 6. distinguendum inter hæresin, quæ communi Christianorum consensu pro tali habetur, qualis Atheismus, Socinianismus, & eam quæ ab hoc aut illo, ex qualicunque præjudicio, pro tali habetur: illam castigandam, hanc defendendam docent. His positis, ab *una* parte contra Anabaptistas, Remonstrantes aliosque docent, hæreticos contumaces, blasphemos, qui sanari aliter non possunt, pro re nata puniendos, etiam, si res ita exigat, morte: Quod A. ita velint leges Mosaicæ Deut XIII. 4. Levit. XXIV. 16. B. Exempla Mosis & piorum Regum sub. V. T. C. Cura animarum, quam, ceu nutricius Ecclesiæ, & utriusque tabulæ custos, Magistratus fidelis, suis subditis ex officio debet. Nec huic obstat quod Magistratus potestatem non habeat in animam & conscientiam hominis, in quâ hæresis latet: habet enim nihilominus in linguam & in manus, ut perinde hæresin punire possit, qua suorum anima enecatur, quam latrocinium, quo corpus: ab *altera* parte negant nude seductos vafricie hæreticorum puniendos esse. Quod hoc spiritui lenitatis & mansuetudinis Christianæ repugnet, judicio Christi Luc. IX. 54. Quo etiam vergit locus Matth. XIII. — Et quod in contrario character Antichristi ponatur Apoc. XI. 7. & XIII. 14. & XVII. 6. Nec in contrarium valet exemplum Eliæ 1 Reg. XVIII. 40. & XIX. 1. Et Petri Act. V. 5. 9. Cum motus illi Spiritus heroïci, quibus Prophetæ & Apostolo Deus auctoritatem conciliare voluit, in exemplum praxeos ordinariæ rapi non debeant, ex sententia Servatoris Luc. IX. 54.

Partium rationes.

XX. Quæritur septimo, an Magistratus civilis homines ad fidem cogere debeat? Pontificii, ad augendum regnum & potentiam Papæ, & doctrinâ & praxi affirmant, & comprobarunt nuper crudelitate & tyrannide plusquam Diocletiana in Gallia. Protestantes negant, quod 1. Scriptura nullo alio metu, quam Dei, judiciorum divinorum & æternæ condemnationis, ad fidem & pietatem duci velit 2 Cor. V. 10. Quod 2 Christus & Apostoli, nec præcepto, nec exemplo, ejusmodi coactione nobis præluxerint. Quin 3. contrarium nobis exerte præscribat Apostolus 2 Cor. X. 4. 5. Quia 4. dominium in conscientiam humanam nulli creaturæ competat 2 Cor. I. 24. 1 Pet. V. 2. Quia 5. fides suaderi quidem potest; imperari nequaquam. Et 6. si ab imperio resultet; non fides vera fit, sed hypocrisis. Insuper 7. si potestas præscribendi quid credendum sit, competat Magistratui; tum subditis necessitas incumbet, Magistratui obsequendi, cui obloquitur Apostolus Act. IV. 19. Unde 8. tot tantaque passa est Ecclesia, quovis tempore, ne Magistratui, fidem illicitam & illicite præscribenti obsequeretur. Nec 9. usa unquam legitur auctoritate Constantinorum & Theodosiorum, ad gentiles cogendos ad suscipiendam fidem Christianam, prout Pagani utebantur gladiis Neronum, Maximinorum, Deciorum, Diocletianorum, ad Christianos cogendos ad suam perfidiam. Nec valet in contrarium, quod Magistratus, velut nutritius Ecclesiæ, curare debeat salutem suorum subditorum: cum id fieri debeat mediis per Deum licitis & praescriptis.

7. An Magistratus civilis homines ad fidem cogere debeat?

Rationes utriusque partis adversæ.

Pars practica.

Praxis occupatur.

XXI. Paraxis hujus capitis occupatur circa discipinam ellesiasticam, *primo constituendam* & stabiliendam. Est enim hæc disciplina 1. *clavis* illa *Davidis*, qua Rex Ecclesiæ Christus, in regno suo, claudit & aperit Apoc. III. 7. Est 2. sceptrum ἐυθύτητος Heb. 1. 8. ex Psal. XLV. 7. *sceptrum potentiæ*, quo *emisso*, *dominatur in medio hostium* suorum Psal. CX. 3. sceptrum *aureum* illud, quo recipit in *gratiam* resipiscentes. Conf. Esth. V. 2. & VIII. 4. ac sceptrum *ferreum* illud, quo *confringit* inimicos Psal. II. 9. Est 3. מוסר *castigatio* illa paterna & praeceptoralis Psal. II. 3. Conf. Heb. XII. 5. 6. imo 4. sunt in ea Dei & Christi מוסרות *vincula* Psal. II. 3. quibus q. constringuntur partes regni Christi. Est 5. *jugum* illud suave *Euangelii*, quo Christus resipiscentes recipit & recreat Matth. XI. 29. 30. contradistinctum jugo *legis* intolerabili Act. XV. 10. Est 6. in hac disciplina, *decus* & ornamentum domus & regni Dei: utpote cujus ope *omnia* ἐυτάκτως καὶ ἐυσχημόνως in Ecclesia

1. Circa disciplinam constituendam & stabiliendam.

Rationes motivæ.

geruntur 1 Cor. XIV. 40. quod imprimis gratum eſt in oculis divinis vſ. 33. Eſt 7. ea Eccleſiæ poteſtas, quâ *lupos graves, qui gregi non parcunt* Act. xx. 29. cum 1 Cor. v. 13. arcet; & *vulpeculas quæ vineas corrumpunt, capit* Cant. II. 15. quâ, *hic* quidem, *zizania* ſeu ſcandala tollit per Eccleſiam; ſicut *poſthac* tollet per Angelos Matth. XIII. 38. 39. cum 1 Cor. v. 2. 13. Tangit *cura* iſta, conſtituendæ & ſtabiliendæ diſciplinæ eccleſiaſticæ 1. *Magiſtratus* Chriſtianos, ut & in hoc *vicarios* agant Dei Rom. XIII. 4. 1 Pet. II. 13. 14. & *nutritores* Eccleſiæ Jeſ. XLIX. 23. Hi ſuâ auctoritate ſeculari α. *Eccleſiaſticis* auctores ſint *conſtituendæ* diſciplinæ, exemplo Hiskiæ 2 Paral. XXIX. 3. 5. β. *ſubditis* reliquis, *admittendæ* diſciplinæ, exemplo ejuſdem Hiskiæ, cap. XXXI. 4. γ. externam *ἐφορίαν* & *ἐπισκοπὴν* continuò habeant, tum in Eccleſiaſticos, tum in alios ſuos ſubditos, ne quo modo diſciplina violetur turbeturque, exemplo ejuſdem Hiskiæ & Principum, quamvis in alio negotio 2 Paral. XXXI. 8. 9. 10. Quin & δ. ſuis in exemplum, *ſeipſos* diſciplinæ eccleſiaſticæ promptos ſubmittant Pſal. II. 10. II. exemplo Davidis 2 Sam. XII. 7. cum vſ. 13. & Uzziæ 2. Paral. XXVI. 20. 21. Confer exemplum Eglonis. Jud. III. 20. Imprimis etiam 2. cura conſtituendi diſciplinam, Eccleſiaſticos tangit, & *presbyteria* (quibus gubernatio competit in Eccleſiâ 1 Cor. XII. 28. 1 Tim. v. 17. cum Cap. IV. 14.) quo nim. ejus ope, omnia *decenter & ordine* fiant 1 Cor. XIV. 40. ipſique, cum XXIV. Presbyteris apocalypticis, *coronas* ſuas, h. e. poteſtatem clavium, ſibi à Chriſto factam, *projiciant ad thronum* ejus Apoc. IV. 10.

Tangit iſta cura

β. Magiſtratus

α. Eccleſiaſticos.

XXII. Occupatur *ſecundo* praxis, circa diſciplinam *excercendam*. Quorſum enim poteſtas diſciplinæ, ſi jaceat? & claves, ſi ærugine exedantur? Urget *uſum* diſciplinæ graviſſimis rationibus Apoſtolus 1 Cor. v. — Rom. XVI. 17. 2 Theſſ. III. 6. Tit. III. 10. 2 Joh. vſ. 10. Atque etiam *res ipſa*, motivis rationibus, ut diximus §. *præced.* Nec tamen ſufficit exercere diſciplinam; ſed religiose etiam attendendum, ut exerceatur A. cum *amore*, non livore, ſupercilio, arrogantia & dominandi cupiditate. 2 Theſſ. III. 15. 2 Cor. II. 7. 8. 1 Pet. v. 3. exemplo ipſius Chriſti Apoc. III. 19. B. *ἀπροσωπολήπτως* abſque *præjudicio* 1 Tim. v. 20. 21. Jac. II. 9. (ſcil. ut *Deus*, cujus locum ſupplet Eccleſia, *ἀπροσωπολήπτως κρίνει* 1 Pet. I. 17.) uſque ad Reges, pro re nata, cenſuris pergendo, exemplo Nathanis 2 Sam. XII. 7. Baptiſtæ Matth. XIV. 3. 4. Interim C. *prudenter* & circumſpecte Jud. vſ. 22. 23. caute *diſtinguendo ſanctum & commune, purum & impurum* Ezech. XLIV. 23. Nominatim obſervando (1) *peccatores* v. g. num *intra*, num *extra* Eccleſiam exiſtant 1 Cor. v. 10. 11. (2) *peccata* v. g. an errores ſint, an *hæreſes* Phil. III. 15. 16. an ab *infirmitate* Gal. VI. 1. Num. XV. 27. 30. an à *malitia*, elata manu perpetrata *Ibid.* Pſal. XIX. 13. 14. cum Tit. I. 9. 10. Num talia ſint, quæ peccantem *extra* communionem fœderis conſtitutum, evidenter doceant Pſal. L. 16. ob quæ peccatorem poſſis *excommunicare*; an communis *infirmitatis*, quæ etiam in fœderatos cadunt Pſal. XIX. 13. (3) ipſos diſciplinæ *actus*, ut pro diverſitate peccantium & peccatorum, eam applicemus; caute diſtinguendo, num admonitio *fraterna*, ſeu mere privata, ſeu privato-publica exigatur: an admiſſio quidem; ſed ſub *propria exploratione*, conveniat? an verò ad *ſuſpenſionem* à S. cœna ſit pergendum? an ad ipſam *excommunicationem* ab Eccleſia ſit procedendum, juxta ea, quæ monuimus §. 1. Et ſi ad poſtremum horum omninò cogat neceſſitas, tum α. ſi *unquam*, rariſſime ſaltem, eo perveniamus absque illis *gradibus*, quos Servator præſcripſit Matth. XVIII. 15. 16. 17. β. Ut nunquam excommunicemus, niſi qui cum ſceleribus contumaciam conjunxerint, eisque fœderis gratiae *ſpreti* & abjecti, *convicti* ſint Pſal. I. 16. qui proinde meliores non ſint, quam *Ethnici publicani*: quibus proinde ſigilla fœderis gratiae, non magis quam *ſuibus* & *canibus* conveniant Matth. VII. 6. Tandem γ. ut non *recipiamus* niſi *vere* pœnitentes, & qui ſuae reſipiſcentiae ſufficiens ſpecimen præſtiterint 2 Cor. II. 7. & hos etiam *prompte* & cum prolixo *affectu*. *Ibid.* ſicut Nathan Davidem 2 Sam. XII. 13. & Pater cœleſtis, reſipiſcentem filium prodigum Luc. XV. 18. —

2. Circa diſciplinam excercendam.

XXIII. Occupatur *tertio* circa diſciplinam *admittendam*. Ut. 1. cenſuras & excommunicationes adverſariorum, contra Chriſti canones factas, plinam admittendam. hilum non faciamus Joh. XVI. 1. 2. 3. Matth. X. 17. 21. 22. cum vſ. 28. Joh. IX. 34. ut per eas, à veritate & virtute, latum pedem non dimoveamur, quin ad ejus noſtrique apologiam, magis excitemur, exemplo excommunicati illius cæci, de quo Joh. IX. 22. — imo ad tribunal Dei provocemus, exemplo Davidis Pſal. XXVI. 1. & XLIII. 1. Jobi cap. XXVI. 19. &c. ſed & 2. cenſuras *legitime* ſtrictas α. nequaquam *vilipendamus*; cum eas, ſe in cœlo ratificaturum, promiſerit Chriſtus Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. Joh. XX. 22. 23. cum ad anathema Gal. I. 8. 9. ad anathema *μαραναθὰ* 1 Cor. XVI. 22. imò & ad *traditionem ſatanæ* cap. V. 4. 5. vergant. β. *patienter* admittamus, imò, ut *medicamentum* ſpirituale *avidè* expetamus exemplo Davidis 2 Sam. XII. 7. cum vſ. 13. & Pſal. CXL. 1. 5. Prov. IX. 8. tanquam ſcil. paternam Dei *caſtigationem* Heb. XII. 5. — 12. γ. in uſum & *commodum* noſtrum impendamus, ut ejus ope adducamur (1) ad *agnitionem*, dolorem & pudorem, ex commiſſis peccatis noſtris 2 Cor. II. 7. 2 Theſſ. III. 14. Conf. Pſal. II. 5. Luc. XVIII. 13. (2) ad *confeſſionem*, non *Deo* tantum faciendam Luc. XV. 18. 19. Pſal. II. 6. ſed etiam, pro ſcandalo, *Eccleſiæ*

3. Circa

ſua

seu hominibus 2 Sam. XII. 13. Jac. v. 16. (3) ad *emendationem* 2 Cor. VII. 9. 10. Matth. XVIII. 16. Conf. 1 Tim. I. 20.

4. Occupatur circa disciplinam vitandam.

XXIV. Occupatur *quarto*, circa disciplinam *vitandam*, α. non equidem ei *obnitendo*, eamque supprimendo Psal. L. 17. Luc. XIX. 27. ut potentioribus est in usu, qui, ut tela disciplinæ declinent, eam penitus *supprimere* & exstinguere nituntur Psal. II. 3. Conf. Exod. v. 2. Job XX. 15. Hi sane furorem *Dei* in se concitant Psal. II. 10. 12. & vincula Dei fortius sibi adstringunt Jes. XXVIII. 22. sed β. *cavendo* causas, quibus censuræ disciplinæ ecclesiasticæ concitari solent, quas Apostolus recenset 1 Cor. v. 11. si enim Magistratus secularis gladium declinaturi, quod malum est, *vitamus* Rom. XIII. 3. quidni censuras Ecclesiæ declinaturi, id faciemus? Aut γ. etiam, tempestiva *repsipiscentia*, censuras tempestive *præveniendo* Matth. XVIII. 16. 17. 1 Cor. IV. 21. 2 Cor. XIII. 2. 10.

CAPUT SEPTIMUM,

DE

ECCLESIÆ GUBERNATIONE.

1 Tim. v. 17.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habeantur digni; maxime qui laborant in verbo.

Postremum applicationis medium est gubernatio Ecclesiae. Textus exponitur.

I. ET sic tandem pertingimus ad illud applicationis medium, quo Ecclesia, constituta per ministerium, confirmata per sigilla ecclesiastica, munita & quasi septa per disciplinam Ecclesiæ, *gubernatur* ac dirigitur in fines suos, nim. ad *gubernationem* Ecclesiæ, quam Apostolus indigitat 1 Tim. v. 17.

Pars exegetica:

II. *Quibus verbis* bona gubernatio Ecclesiæ, ejusque præmium *repræsentatur. Notantur hic*

1. Gubernatores, πρεσβύτεροι. *Vox græca respondet hebraicæ* זקן, *utraque* senem *notat, seu* seniorem: *non solum* ætate *talem*; *sed &* dignitate *&* auctoritate *superiorem. Et sic est honoris vocabulum, quo honoratiores & Magistratus in V. T. nuncupabantur, procul dubio, quod ex ætate provectioribus, plerumque peterentur. Inde translatum videtur ad Rectores Ecclesiarum N. T.* Act. II. 30. & XIV. 23. & XV. 2. 6. 22. *sic nomen est* officii, *quod Pontificii, in gratiam sui* sacrificii *missatici, referunt per* priester / sacerdotem: *rectius per* seniores, *sensu comparativo: quoad* officium, *de his dicitur, qui in Ecclesia præsunt, quod plerumque ex* ætate *potioribus adsciscantur* Tit. I. 5. 1 Pet. v. 1. *Utitur autem Spiritus S. voce* πρεσβυτέρων, *non* ἐπισκόπων (*quamvis cætera istæ voces Scripturis sint synonymæ*) *ut omnem ansam Romanensibus præriperet, gubernationem Ecclesiæ, solis Episcopis hierarchicis adstringendæ, cui clarius etiam Apostolus obstrepit* Act. XX. 28. *Sunt autem Presbyteri* duum *generum, eorum scil. qui* laborant in verbo; *& eorum, qui solæ* gubernatione *præsunt. Sive* separatim *considerentur & personaliter; sive* conjunctim *in conventu, à quo* Presbyterii *vox orta est.*

2. Gubernatio, προϊστῶτες, præfecti, *scil. à Christo, idem fere, quod* προϊστάμενοι, *nisi quod illud magis videatur dicere officium; hoc vero* functionem *officii; quanquam hoc loco, ubi* absolute *ponitur, absque relatione ad* rem, *quemadmodum fit* Tit. III. 8. καλῶν ἔργων προϊστᾶσθαι, *videatur sonare actum gubernationis, ut significet* præesse, *Metaphora ducta ab his, qui, in conflictu, militibus præeunt exemplo fortitudinis, pariter & auctoritate mandandi, quod hoc loco colligi videtur, ex adjecto* καλῶς, *quod, si ad* officium *referatur, diceret,* bene præfectos, *non satis apposite ad negotium præsens, cum præsertim, de his potissimum loquatur præfectis,* qui laborant in verbo; *non de* bene *seu legitimè præfectis vocatisque, cum istud præsupponatur in quolibet præfecto. Sed quid est* καλῶς προϊστᾶναι, bene præesse? *Videtur hoc Apostolus explicare* Tit. III. 8. καλῶν ἔργων προϊστᾶσθαι, *præfectum* esse bonis operibus, *ut non tantum notet gubernationem* spiritualem, *quæ vergat ad procuranda bona opera, distinctam à gubernatione* civili, *quæ tantum spectet ad* συμβίωσιν *civilem: sed etiam, ut* modum *gubernandi designet, quem diximus cap. præced. ex professo.*

3. *Gubernationis bonæ* remuneratio, *quæ complectitur ejus*

A. Præmium, διπλῆς τιμῆς ἀξιώσθωσαν, duplici honore digni habeantur. *Addicit hujusmodi præfectis* honorem, *non opes, voluptates; sed honorem* duplicem: *alterum quem habeant, quatenus* præfecti, *quos ea dignitate dignatus est Deus; alterum, quatenus* tales *præfecti sunt, qui* bene præsunt, *qui bona sua gubernatione, se quovis honore dignos præstitere: & hoc duplici honore eas à fidelibus dignos habendos vult. Proinde duo dicit: ut, ab* una *parte* προεστῶτες ὦσι, *se* dignos *præstent honore, neque enim honore affici potest, aut debet, qui honore non est dignus. Præstant autem præfecti isti se honore dignos, α.* Amore *versus gubernandos* 2 Cor. XII. 15. β. Cura *pro animabus eorum* Heb. XIII. 17. Jes. LXII. 6. γ. Profectione Joh. X. II. 12. 13. δ. Gubernatione *per justas ac tolerabiles leges* Matth. XXIII. 4. Jes. X. 1. Matth. XI. 30. ε. Sua *in suos liberaliter impertiendo* Rom. I. 14. &c. *ab* altera *parte, ut qui subsunt suis præfectis, eos debito* honore *afficiant, nec tamen honore* tantum; *sed quovis insuper officio, quod inferioribus, versus suos superiores, Deus præscribit in quinto præcepto, nim.* (1) Reverentia 1 Thess. V. 13. (2) Amore. *Ibid.* (3) Submissione *& obedientia* Heb. XIII. 17. (4) Cura *pro necessitatibus eorum temporalibus* Matth. X. 10. 1 Cor. IX. 11. Phil. IV. 14. 15. 16. (5) Gratitudine 1 Thess. V. 12. &c.

B. Meritum, *vel quasi tale, seu causa hujus honoris meritoria,* μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, maxime qui laborant in sermone & doctrina. *Non unum hic sentiunt interpretes. Sunt qui* A. Ἐξηγητικῶς *interpretantur, sic ut participium non notet, nisi rationem & causam rei, & locus sic resolvatur:* Presbyteri duplici honore digni habeantur, *idque* præcipue; quia laborant *in verbo* ——: *vel, ut* κοπιῶντες, laborem *extraordinarium notet, ob quem præ reliquis sint honorandi. Sunt qui* B. διαιρετικῶς *interpretantur, ut presbyteros à presbyteris distinguant. Sed nec hoc* uno *modo volunt. Alii α. Presbyteros* politicos *distingui volunt à presbyteris* ecclesiasticis, *quod Magistratus apud Judæos, non raro* seniores *appellentur,* seniores Judæ, *aut Israëlis, quibus contradistinguantur* presbyteri Ecclesiæ Jac. V. 14. *quos hic Paulus dicat,* laborare in verbo. *Ut verba huc abeant:* cum omnes seniores etiam Reipublicæ, qui bene præsunt, duplici honore dignandi sint: tum maxime seniores ecclesiastici, qui laborant in verbo. *Aliter β. existimant, qui per priores Presbyteros intelligunt illos, qui prædicationi verbi minus idonei, administrationi Sacramentorum vacabant, & precibus publicis fundendis, & fideles privatim admonebant; & per hac, participes erant præfecturæ & jurisdictionis ecclesiasticæ in populum, ex analogia locorum* Joh. IV. 2. Act. X. 48. & XIX. 5. 6. 1 Cor. I. 17. *Propius accedunt ad veritatem, qui γ. per* priores *Presbyteros intelligunt* Diaconos, *qui seniores &* Presbyteri *appellati fuerint, & in Synagoga erant viri docti: per* posteriores *Episcopos & Presbyteros* docentes, *& utrosque* seniorum *nomine contineri, quia presbyterium, seu senatus ecclesiasticus, ex utroque horum ordine coibat, ut sensus sit: Presbyteri, qui bene præsunt, sive Sacerdotes sive Diaconi, digni habeantur —— maxime autem Sacerdotes, qui, præterquam quod regunt, laborant quoque in verbo: quod in Synodo hierosolymitana,* Diaconi, *qui illius citra dubium pars erant,* seniorum *nomine involvantur* Act. XV. 23. *Alii, meo judicio, veritatem & mentem Apostoli accuratius tangere videntur, qui δ. per priores presbyteros intelligunt eos tantum, qui gubernationi Ecclesiæ cooperantur cum Ministris verbi; præsupposito enim, quod tales dentur in Ecclesia, qui sint* κυβερνήσεις 1 Cor. XII. 28. *quales olim erant sub lege* νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι, *item* προϊστάμενοι & ἡγούμενοι, *qui ab Apostolo videntur distingui ab his, qui in verbo laborant; nihil convenientius videtur, quam ut per* priores *intelligantur illi, qui gubernationi soli præsunt; & per* posteriores, *qui insuper in verbo laborant; cum Doctores, qui non* bene præsunt, *nec cum* diligentia *laborant Apostolus nullibi* ullo *honore dignos censeat, multo minus* duplici. *Neque tamen secluſam velim emphasin vocis* κοπιῶντες, *qua præmium* duplicis *honoris addicatur his, qui multo labore sua præfectura & gubernatione funguntur. Sonat enim* τὸ κοπιᾶν, *non nude* laborare: *suoque officio fungi; sed cum* molestia *& fatigatione fungi, qua quis consumto labore fessus succumbit. Sic* LXX. *Interpp. vocem usurpant* Deut. XXV. 18. 2 Reg. XVII. 2. & XXIII. 10. Jos. XXIV. 13. Ps. VI. 7. Prov. IV. 12. *& alibi: quibus locis, duobus verbis Hebraicis respondet, quorum primum significat, ex labore, itinere, æstu, onere, vel dolore animi, ita exhaustum esse, ut nisi aliunde accidat refocillatio, accidat umbra mortis, quæ & ipso hoc vocabulo notatur* Job. X. 22. *alterum dicit molestiam seu calamitatem, quæ ex facto aliquo oritur* Eccl. X. 15. Matth. XI. 28. *Metaphora sumta à remigatoribus triremium. Adstringit autem Apostolus istud* κοπιᾶν, *tum* verbo, *scil. annunciando; tum* διδασκαλίᾳ, *forte ut unum idemque exegetice dicat duabus vocibus; forte etiam, ut* λόγου *distinguat à* διδασκαλίᾳ, *&* λόγου *ad* pastores *referat, qui verbum annunciant, applicando potissimum ad praxin;* διδασκαλίαν, *ad expositionem quod* Doctores *proprie concernit, juxta distinctionem quam facit* Eph. IV. 11. *utrique horum duplicem addicit honorem.*

Pars

Pars dogmatica.

Datur in Ecclesia peculiaris quaedam gubernatio, à civili diversa.

III. Ex quibus sequitur, divinâ constitutione, in Ecclesia dari *peculiarem* quandam *gubernationem*, à civili diversam. Cum enim, omnium consensu, *quævis* societas gubernationem requirat, cujus ope subsistat; & Ecclesia sit *societas:* procul dubio, suam sibi peculiarem habet gubernationem. Significatur in Scripturis, per (1) κυβερνήσεις 1 Cor. XII. 8. Metaphora à navibus acceptâ, quæ à κυβερνήταις, per κυβέρνησιν diriguntur in portum. Conf. Act. XXVII. 11. Apoc. XVIII. 17. (2) per *claves* Matth. XVI. 19. (מפתח) quæ *potestatem* significant, pro re nata, in domum *admittendi* aut *excludendi*. Conf. Jes. XXII. 23. cum cap. IX. 6. de qua cap. *præced.* Theologis etiam (3) frequenter *politia ecclesiastica* appellatur. Reipsa, gubernatio ista non est, nisi exercitium potestatis *spiritualis*, à Christo capite, derivatæ in præfectos Ecclesiæ, à se constitutos, quo *doctrinam*, *cultum* & *disciplinam* Ecclesiæ, dirigant in Dei gloriam & ædificationem Ecclesiæ. Penes hanc gubernationem sese offert:

Quid sit potestas gubernandi.

IV. Primo *potestas* gubernandi, Græcis ἐξουσία (Matth. XXI. 23. 24. 27. 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. (contradistincta δυνάμει, quæ *potentiam* sonat, seu *robur*) quæ generaliter *jus* sonat, quo quis aliquid sibi arrogare potest, citra injuriam alterius. Occupatur vel α. circa *res*, quâ ex determinatione divinâ, Ecclesia sibi potest de jure arrogare, quæ sint *sua*, v. g. omnes *præfectos* & officiarios suos 1 Cor. XII. 28. Eph. IV. 7. 8. 10. 11. *promissiones* 2 Pet. I. 3. 4. cum 1 Cor. III. 22. *claves* Matth. XVI. 19. β. circa *actiones*, quâ, quæ facit, *jure* facit: v. g. qua non potest *ferre malos* Apoc. II. 2. ut *mulieres loquantur in Ecclesia* 1 Cor. XIV. 34. ut hæreses dissemineutur in Ecclesia Apoc. II. 20. ut ἀτάκτους *moneat* 1 Thess. V. 14. quin *excludat contumaces* Matth. XVIII. 17. 18. 1 Cor. V. 4. 5. 13. & *recipiat pœnitentes* 2 Cor. II. 7. 8. γ. Circa *personas*, v. g. ut eas *reprehendat coram omnibus* 1 Tim. V. 20. *examinet* diaconos cap. III. 10. *ordinet* presbyteros Tit. I. 5. Act. XIV. 23. *utatur* in quosvis *clavibus* Matth. XVIII. 18. 19. 20.

Qualis potestas Ecclesiæ competat.

V. *Secundo*, potestatis ecclesiasticæ *natura* & indoles, per quam est potestas *spiritualis* & ecclesiastica. Est autem, vel α. *improprie*, *externe* & *objective* tantum ecclesiastica, quæ Magistratui fideli, ut *nutritio* Ecclesiæ competit Jes. XLIX. 23. qui curam *externam* gerit Ecclesiæ, ecclesiasticorum & ecclesiasticalium, à qua Constantinus M. seipsum prædicabat Episcopum τῶν ἔξω τῆς ἐκκλησίας Euseb. lib. IV. qualem, sub V. dispensatione, Hiskias, Josias, Asah, Josaphath, David &c. præstiterunt, de qua suo loco plura: vel β. *proprie*, *interne* & *formaliter* spiritualis & ecclesiastica, quæ præfectis Ecclesiæ propria est, per quam Episcopi sunt, τῶν εἴσω ἐκκλησίας 1 Cor. IV. 20. 21. 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. quæ hujus est loci.

Fons & scaturigo potestatis Ecclesiasticæ.

VI. *Tertio*, potestatis hujus, proprie spiritualis, *fons* ac scaturigo est Jesus Christus, ut Mediator seu caput Ecclesiæ Eph. I. 22. 23. cui *omnis potestas* data est Matth. XXVIII. 18. 19. Phil. II. 9. 10. Jes. IX. 6. 7. Luc. I. 32. 33. Joh. V. 22. 27. Apoc. III. 7. A qua ἡγούμενος appellatur Matth. II. 6. *magnus pastor ovium* Heb. XIII. 20. *Pastor & Episcopus animarum* 1 Pet. II. 25. *filius in propria domo* Heb. III. 6. *unicus Doctor* Matth. XXIII. 8. 10. *caput corporis*, *quod est Ecclesia* Col. I. 18. Eph. V. 23. *caput supra omnia in Ecclesia* Eph. I. 22. *unicus noster Dominus* 1 Cor. VIII. 6. *Rex Regum*, *Dominus dominantium* Apocal. XIX. 16. *Dominus omnium* Act. X. 36. *Rex* constitutus à Deo, *super montem sanctitatis*, *Zion* Psal. II. 6. *David Rex* Jer. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. Hos. III. 5. Quam potestatem etiam exercuit, α. rogando Ecclesiæ *leges* Act. I. 2. Jes. XXXIII. 22. unde *lex Christi* Gal. VI. 2. β. præscribendo *statuta*, quibus Ecclesia ædificetur, v. g. annunciationem verbi Matth. X. 7. & XXVIII. 18. 19. 20. administrationem Sacramentorum, Baptismi. *Ibid.* S. Cœnæ 1 Cor. XI. 20. 23. dispensationem disciplinæ Matth. XVI. 19. cum cap. XVIII. 16. 17. 18. γ. constituendo sibi ministros in Ecclesiâ, quorum opera, statuta sua dispensentur & dirigantur Eph. IV. 7. 8. 11. cum 1 Cor. XII. 28. δ. volendo, ut statuta ecclesiastica dispensentur, non in nomine Magistratus, aut ministrorum, aut Ecclesiæ &c. sed in *nomine suo* Act. IV. 17. 18. & XIX. 5. 1 Cor. V. 4. Matth. XVIII. 20.

Regula gubernationis ecclesiasticæ.

VII. *Quarto*, potestatis hujus exercitium, in quo gubernatio consistit, certam habet sibi præscriptam *regulam*, quam sola præstat S. Scriptura 2 Tim. III. 16. 17. *ut homo Dei* (seu præfectus & gubernator Ecclesiae) *sit perfectus*, *ad omne opus bonum* (ἐξηρτισμένος) *perfecte instructus*. Hinc Apostolus, postquam pleraque, circa cultum divinum, disciplinam & gubernationem observatu necessaria, certis quasi *canonibus* repræsentasset in priori epistola ad Timotheum (à quo non inepte *directorium* quoddam gubernationis Ecclesiasticae, ista Epistola appellari possit) subjungit 1 Tim. III. 14. 15. *Hæc tibi scribo — ut noris, quomodo oporteat in domo Dei versari —* & cum magno affectu servanda imperat cap. V. 21. *Obtestor in conspectu Dei, & Domini Jesu Christi, & electorum Angelorum, ut* HÆC SERVES &c. Interim canones gubernationis ecclesiasticae non uno modo prostant in Scriptura: *essentialia* quidem, in ea repræsentantur *explicite*, juxta excerpta *Centuriarum Magdeb.* Cent. I. lib. 2. cap. VII. pag. 407. usque ad 418. *Edit. Basil.* 1624. *circumstantialia*

tialia autem *implicite*, generali canone, ut omnia in Ecclesia fiant εὐσχημόνως καὶ εὐτάκτως 1 Cor. XIV. 40. Proinde, si ab Ecclesia in his circumstantialibus determinata, sint vere consentanea *ordini* ac *decentiæ*; juris divini sunt, ac regulam gubernandi perinde præstant ac illa, quæ ῥητῶς in Scriptura exprimuntur.

Exercitium gubernationis, circa quae occupetur.

VIII. *Quinto*, *actus* hujus exercitii occupantur, *generaliter* quidem, circa omnia & singula instituta Christi, quæ singulatim vix numerari possunt, nominatim (1) circa *preces*, gratiarum actiones & doxologias publicas, quas Apostolus *præscribit* 1 Tim. II. 1. 2. 3. & cap. III. 14. 15. ac *dirigit* 1 Cor. XIV. 14. 15. 16. 17. (2) circa *Psalmodiam*, quam *præscribit* Eph. V. 18. 19. Col. III. 16. & *dirigit*. *Ibid.* & 1 Cor. XIV. 15. 16. (3) circa publicum *verbi ministerium* Act. VI. 4. quod peragitur *α. prælegendo* verbum, quod à Deo præscribitur Deut. XXXI. 11. 12. 14. Jer. XXXVI. 6. Col. III. 16. & apud Ecclesiam usitatum deprehenditur, tum ante Christum Exod. XXIV. 7. Neh. VIII. 18. & IX. 3. & XIII. 1. tum post eundem Act. XIII. 15. 27. & XV. 21. 2 Cor. III. 14. *β. prædicando*, seu publice exponendo: quod mandatur Marc. XVI. 15. Matth. XXVIII. 19. 20. 2 Tim. IV. 1. 2. 1 Cor. IX. 16. 17. & dirigitur, quoad *prædicatores*: quorum *vocatio* exigitur Rom. X. 15. *requisita* explicantur 1 Tim. III. 2—8. Tit. I. 5. 6. 7. 8. 9. & prædicandi *constantia* ac prudentia urgetur 2 Tim. IV. 2. Tit. I. 9. Jer. XXIII. 28. *γ. catechizando*, seu pro captu rudiorum familiariter agendo: quod docetur pariter & dirigitur Heb. V. 12. & VI. 1. 2. 1 Cor. III. 1. 2. Gal. VI. 6. (4) Circa administrationem *Sacramentorum*: *α. Baptismi*, qui injungitur ac dirigitur Joh. I. 33. Matth. XXVIII. 18. 19. 20. *β.* S. Cœnæ 1 Cor. XI. 20. 23.— Matth. XXVI. 26—31. Marc. XIV. 22—27. Luc. XXII. 19. 20. (5) Circa *disciplinam*, & universam clavium jurisdictionem; exercendam: *α.* circa vocationem & ordinationem *ministrorum*, quæ præscribitur & regulatur 1 Tim. IV. 14. Tit. I. 5. 1 Tim. V. 22. Act. XIV. 21. 23. *β.* judicialem conservationem & vindicationem *doctrinæ* in presbyteris, classibus & synodis Act. XV. — unde δόγματα κεκριμένα ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, καὶ πρεσβυτέρων Act. XVI. 4. *γ. reprehensiones* publicas peccatorum, quæ præscribuntur & ordinantur Matth. XVIII. 15. 16. 17. 1 Thess. V. 14. Tit. III. 1. & III. 13. 1 Tim. V. 20. *δ. excommunicationes*, tum à S. Cœnâ; tum ab Ecclesia, quæ præscribuntur & regulantur Matth. XVIII. 17. 18. cum cap. XVI. 19. Joh. XX. 21. 23. 1 Cor. V. 2. 3. 4. 5. 7. 9. 11. 13. *ε. receptiones* pœnitentium, quæ præscribuntur & diriguntur Joh. XX. 23. 2 Cor. II. 6. 7. 8. 9.

Finis gubernationis.

IX. *Sexto*, finis gubernationis, *communis* quidem & supremus, est *gloria* Dei 1 Cor. X. 31. *proprius* autem & subordinatus, est *ædificatio Ecclesiæ*. Ad quam, non *generaliter* tantum, quod ædificans est, universam potestatem gubernandi adstringit Dominus 2 Cor. X. 8. & cap. XIII. 10. sed *singulos* etiam gubernandi actus: v. g. *α. admonitiones* publicas ἀτάκτων Matth. XVIII. 15. 16. ut frater *lucrifiat*. Tit. I. 13. *reprehende* — *ut sint sani in fide* 1 Tim. V. 20. *ut alii metuant*. *β. excommunicationes* 1 Cor. V. 4. 5. *ut caro quidem pereat; sed spiritus servetur* — 1 Tim. I. 20. *ut discant non blasphemare*. *γ. absolutiones* 2 Cor. II. 7. *condonate* — *ne nimio dolore absorbeatur*. *δ.* omnia *officia ecclesiastica* destinantur ad *ædificationem corporis* Eph. IV. 7. 8. 11. 12. 16. 1 Cor. XII. 7. — & XIV. 3. 4. 5. 9. 12. — & sic per omnes gubernationis actus: adeo, ut nihil, quantumcunque speciosum videri queat, cuiquam in Ecclesia permissum sit, quod cedat in detrimentum Ecclesiæ 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. Quid autem sit Ecclesiæ *ædificatio*, perspici non magno negotio potest, cogitatione ædificationis materialis, domus alicujus, aut templi potius, quod Ecclesiæ figuram gessit Ecclesiæ. Sicut enim in ista ædificatione *materiali* 1. requiruntur *architecti* seu ædificatores; ita etiam in hac spirituali, Apostoli & quivis eorum *ordinarii* successores in ministerio, architectos agunt 1 Cor. III. 10. sicut 2. in illa est *fundamentum*, cui innititur, cui omnem soliditatem debet, universum ædificium: ita etiam in hac, Christus præstat fundamentum 1 Cor. III. 11. 1 Pet. II. 4. 6. sicut 3. in illa sunt *lapides* seu materialia: ita in hac *lapides vivos* præstant electi & vere fideles 1 Pet. II. 5. cum 2 Cor. I. 1. sicut 4. in illa est materialium seu lapidum ordinata compages: ita etiam in hac, per vocationem & gubernationem universam, est *coagmentatio sanctorum* — *ad ædificationem corporis Christi* Eph. IV. 12. sicut 5. à compage materialium resultat, aut domus aut templum; ita & à compage spirituali, existit *domus* Dei 1 Tim. III. 15. *templum Dei viventis* Eph. II. 21. cum 1 Cor. III. 9. 16. 17. sicut 6. materialis ædificatio *gradatim* procedit à lapide angulari ad fastigium, ita in spirituali hac, continuus fit progressus, usque ad adventum Christi Eph. IV. 13. *struendo* fundamentum christianismi, in continua adductione hominum, *superstruendo*, per continua additamenta *virtutis ad virtutem* Psal. LXXXIV. 8. 2 Pet. I. 5—8. donec tandem Ecclesia perfecta à Christo sistatur Patri 1 Cor. XV. 24. & introducatur in *domum* ἀχειροποίητον, *quæ æterna est in cœlis* 2 Cor. V. 1.

Quid ædificatio Ecclesiæ.

Potestas gubernandi externa & civilis, circa Ecclesiam, Magistratui, Jes.

X. *Septimo*, subjectum gubernationis διεκτικὸν, diverso modo præstant, tum *Magistratus* civilis, tum præfecti *ecclesiastici*. 1. Magistratui civili, si modo *fidelis* sit, gubernatio competit *externa*, exteriorum Ecclesiæ, quæ licet ab objecto, improprie appellari possit *ecclesiastica*; in se tamen non est nisi civilis. Hæc Magistratui *fideli* competit jure *divino*, quatenus *nutritius* Ecclesiæ appellatur

quæ & quotuplex competat.

Jes. XLIX. 23. & LX. 16. atque etiam *minister* est Ecclesiæ. *Ibid.* vs. 10. & *minister Dei, ad bonum* quorumvis *benefactorum* Rom. XIII. 4. Competit ei nominatim potestas (1) *defendendi* Ecclesiam ejusque membra, ut sub ejus directione, *quietam ac tranquillam vitam ducant, in omni* PIETATE *& honestate* 1 Tim. II. 2. Hac defendendi potestate, sigillatim potest ac debet *α. removere* omnia externa *impedimenta*, quæ veræ religioni, cultui divino, dispensationi *Sacramentorum*, disciplinæ & gubernationi ecclesiasticæ, quovis modo obesse possent, v. g. hæresin, idololatriam, superstitionem, profanitatem, persecutiones, exemplis Josaphathi, Asæ, Hiskiæ, Josiæ aliorumque. Hinc in Regibus Judaicis, adeo celebratur *remotio excelsorum*, aliorumque idolotatriæ monumentorum, v. g. in Asa 2 Paral. XV. 8. 16. in Josaphatho cap. XVII. 3. 4. 6. — 10. in Hiskia cap. XXXI. 1. 2 Reg. XVIII. 4. in Manasse 2 Par. XXXIII. 15. in Josia 2 Reg. XXIII. 8. 13. 19. 20. 24. & ex adverso reprehenditur eorundem *toleratio* 1 Reg. XV. 14. cum 2 Paral. XV. 17. 1 Reg. XXII. 44. & 2 Reg. XII. 3. *β. promovere*, propagare & excitare, tam auctoritate, quam exemplo, publicum exercitium *veræ* religionis. Sic Asa 2 Paral. XV. 9 — 18. sic Josaphath cap. XX. 7. 8. 9. sic Hiskias cap. XXIX. XXX. & XXXI. sic Josias cap. XXXIV. XXXV. Hinc Regi describenda, & continuo versanda erat lex Dei Deut. XVII. 18. 19. 20. *γ. prospicere* Ecclesiæ de quibusvis, sibi ad cultum extrinsece necessariis, v. g. ministris, eorumque sustentaculis, scholis, aliisque, exemplo Davidis *præparationis* materialia, Salomonis, *construentis* inde templum 1 Paral. XXII. — & Hiskiæ, *prospicientis* ejus ministris de alimonia 2 Paral. XXXI. 4. — Competit magistratui 2. potestas *ordinandi*, h. e. A. *reformandi* Ecclesiam; si corrupta fuerit, in cultu, disciplina, gubernatione. Ita Moses Exod. XXXII. — Josua Jos. XXIV. — Asa. 2 Paral. XV. — Josaphath cap. XVII. Hiskia 2 Reg. XVIII. — Josia cap. XXIII. 2 Paral. XXXIV. — B. *convocandi* conventus ecclesiasticos, synodos —: sicut sub v. dispensatione, Magistratus fecerunt, pro re natâ: e.g. David 1 Paral. XIII. 1. 2. Salomo 1 Reg. VIII. 1. Hiskias 2 Paral. XXIX. 4. Josias 2 Reg. XXIII. 1. 2. C. sua auctoritate publice *confirmandi* statuta ab Ecclesia legitime facta, juxta præscriptum verbi divini: sic Josia 2 Paral. XXXIV. 33. Nehemia Neh. XII. 13. — ipse etiam Nebucadnezar, quamvis gentilis Dan. III. 28. 29. D. *curandi* politice, ut ecclesiasticalia ab ecclesiasticis ritè tractentur: sic Hiskias Levitis suum officium commendat 2 Paral. XXIX. 5. 24. & populo cap. XXX. 1. Competit Magistratui 3. potestas *compellendi* quemvis, ad præstandum officium suum, etiam in externis negotiis, quæ religionem concernunt: quin & pertinaciter blasphemos, & ad blasphemiam seducentes, capite puniendi Deut. XIII. 1. — 6. Levit. XXIV. 15. 16. Conf. Dan. III. 29. cum Esd. VII. 26. 27. Quæ tamen potestas Magistratui circa sacra, eâ lege competit, ut non cedat in *detrimentum*; sed in *emolumentum* ejus potestatis, quam Christus suæ Ecclesiæ concessit: quo non vitrici sint; sed *nutricii* Ecclesiæ Jes. XLIX. 23.

Potestas proprie & formaliter ecclesiastica, gubernandi Ecclesiam, soli competit presbyterio.

XI. Sed 2. subjectum potestatis ecclesiasticæ, *proprie & formaliter* ita dictæ, quam repræsentavimus, non Magistratus est; sed *Ecclesia:* nec una quævis in Ecclesia persona; Petrus aut Papa, cum Servator dicat: *quicquid* vos *ligaveritis.* — Matth. XVIII. 18. *cui vos remiseritis.* — Joh. XX. 23. Nec toti etiam congregationi, *singulisque* ejus membris capitatim; cum inter gubernantes & gubernatos, esse debeat discrimen: sed Ecclesiæ *presbyterio*, de quo 1 Tim. IV. 14. quod Servator intelligit, quando causas ecclesiasticas deferri vult ad *Ecclesiam* Matth. XVIII. 17. quod etiam Apostolus intelligit 1 Cor. V. 4. cum Ecclesiam Corinthiacam multo fuisse numerosiorem, quam ut ea in unum congregari potuerit, jam ante docuerimus cap. II. §. XXVI. verum de his plura, si Deus volet, in *elenchticis* occurrent. Ex dictis hactenus.

Forma gubernationis ecclesiasticæ quænam.

XII. *Sexto*, facile agnoscis, quænam sit gubernationis ecclesiasticæ *forma:* nim. 1. nec *monarchica*, quæ stet penes *unum* aliquem hominem, saltem si *ministerialis* intelligatur gubernatio. Nec 2. *democratica*, quæ omnibus & singulis congregationis alicujus membris, seu absque ullo presbyterio *ex æquo* competat; seu cum suo presbyterio *inæqualiter.* sed 3. quasi *aristocratica*, quæ præfectis Ecclesiæ competat, in unum *presbyterium* congregatis, de quo cap. II. plura diximus, & forte in *elenchticis* plura etiam dicemus.

Varia potestatis ecclesiasticæ distributiones.

XIII. Supersunt ergo *septimo*, variæ potestatis ecclesiasticæ *distributiones*, per quas potestas est, vel 1. *suprema αὐτοκρατορικὴ* & independens, quæ soli Deo competit triuni, Patri, Filio, & Spiritui Sancto: quatenus ipse solus in regno suo supremus est Rex Psal. X. 16. & XLV. 5. & XLVII. 3. 8. 9. & CXLV. 18. *unicus legislator, qui potest servare & perdere* Jac. IV. 12. Est 2. suprema quidem; sed *delegata* tamen, quæ competit Christo, ut mediatori & capiti Ecclesiæ, quam Deus in ipsum derivat Psal. II. 6. Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 22. 23. Phil. II. 9. 10. 11. Est 3. *ministerialis;* eaque rursus, vel *α. indirecte*, improprie & objective tantum ecclesiastica, quæ Magistratui *fideli*, ut nutritio Ecclesiæ competit; vel *β. directe*, proprie & formaliter *ecclesiastica*, seu spiritualis, quæ *interiora* templi respicit, sicut prior *exteriora* tantum: hæc Ecclesiæ præfectis & officiariis, à Christo constitutis, competit 1 Cor. IV. 20. 2 Cor. X. 8. & XIII. 10. Eaque rursus vel quibusdam præ-

Præfectis *peculiaris*. v. g. potestas publice annunciandi verbum, dispensandi Sacramenta &c. hæc *potestas ordinis* appellari sano sensu possit, solis eis presbyteris competens, qui in *verbo laborant* 1 Tim. v. 17. 2. vel omnibus Ecclesiæ præfectis *communis*: v. g. dispensandi censuras ecclesiasticas, gubernandi Ecclesiam pro re nata: hæc appellari sano sensu possit potestas *jurisdictionis*, quæ etiam presbyteris gubernantibus, seu κυβερνήσεσι competit 1 Cor. xii. 28. collat. cum Matth. xviii. 17. 18. 1 Cor. v. 4. 5. 7. 11. 12. 13. & 1 Tim. iv. 14.

Pars elenchtica.

Quæritur 1. An nulla Ecclesiæ gubernatio competat Magistratui civili?

XIV. Quæritur *primo*, an Magristratui, quamvis sit *fidelis*, *nulla* omnino competat gubernandi Ecclesiam potestas? Anabaptistæ, quia Magistratus eminentiam cum professione Christiana incompatibilem statuunt; negant. Pontificii, quia omnem potestatem ecclesiasticam ad Papam referunt, itidem negant. Reformati ordinarie distinguunt potestatem, in *proprie* & formaliter ecclesiasticam; & *improprie* ac objective tantum talem, juxta §. v. illam præfectis Ecclesiæ propriam; hanc Magistratui competere statuunt, per ea quæ diximus §. x. Nec habent *Anabaptistæ* quidem, quod objiciant; quam Magistratum cum professione christianismi, ἀσύστατον esse; cui cum Scripturis Jes. xlix. 23. & lx. 10. 16. &c. suo loco obloquemur ex professo: nec *Pontificii*, quam quod cura Ecclesiæ in solum Pontificem, & ab eo in Episcopos, sit derivata: cui nos paulò abhinc ex professo nos opponemus.

2. An omnis gubernatio Ecclesiæ competat Magistratui fideli?

XV. Quæritur *secundo*, an *omnis* gubernatio Ecclesiæ competat Magistratui civili? Affirmabat superiori seculo, Thomas Erastus Medicus Heidelbergensis, negabatque *ullam* gubernandi potestatem, à Scripturis, Ecclesiæ factam esse. Cum eo hactenus faciebant Theologi Tigurini, quod *existenti* Magistratu *fideli*, peculiarem Ecclesiæ gubernationem non esse *necessariam* statuerent. In Britanniâ, quod ejus Rex se caput Ecclesiæ prædicaret, variis modis, in utramque partem, dimicatum est super hac quæstione. In Belgio, Remonstrantes, rebus suis apud Magistratum prævalentibus, affirmabant: succumbentibus autem, negabant. Etiam pseudo-politici quidam, quibus connumerari possit L. Molinæus in *tractat. contra ædificatores imperii in imperio*, *omnem* potestatem gubernandi Ecclesiam, Ecclesiæ abrogant, & ad Magistratum civilem referunt. Reformati communiter negant, Magistratui *omnem* gubernationem competere; sed *intrinsecam*, & proprie dictam ecclesiasticam gubernationem, ad solam Ecclesiam pertinere tradunt. Quia 1. potestas *clavium*, quæ procul omni dubio, ad gubernationem Ecclesiæ pertinet, non *Magistratui*; sed solis præfectis Ecclesiæ data legitur Matth. xvi. 18. 19. & xviii. 18. Joh. xx. 20. — 25. Quia 2. *plena* gubernandi potestas in Ecclesia fuit exercita, cum nullus adhuc daretur Magistratus, qui esset *nutritius* Ecclesiæ: nim. tempore Christi & Apostolorum, nec non tribus primis Ecclesiæ seculis. Quia 3. potestas proprie Ecclesiastica & *spiritualis*, tota natura & specie differt à potestate Magistratus civili, quatenus A. differunt *societatibus* adeo diversis, Republica & Ecclesia: est enim α. Ecclesia regnum, domus, corpus, sponsa Christi; non item Respublica. β. ministri Ecclesiæ, non sunt ministri & officiarii *Magistratus*; sed Dei & *Christi* 1 Cor. iv. 1. Eph. iv. 8. 10. 11. 1 Cor. xii. 28. γ. illique, jure *divino*, constituuntur ab *Ecclesiæ* præfectis Act. vi. 3. 4. & xiv. 23. 1 Tim. iv. 14. cum. Act. xiii. 1. 2. 3. 4. non à *Magistratu* δ. Habent præfecti Ecclesiae *congregationes* diversas à congregationibus politicis: habent sua *presbyteria* 1 Tim. iv. 14. dirigendis spiritualibus, praedicationi verbi, dispensationi Sacramentorum & disciplinae destinata: quando Magistratus habent suas *curias*, fora, tribunalia &c. Insuper ε. si Ecclesia & Respublica non sint societates diversae; tum non posset dari Respublica, quin esset Ecclesia; nec possent dari officiarii Reipublicae, quin essent officiarii Ecclesiae: & Magistratus, ubi non est Ecclesia, non esset Magistratus: tum Respublica, qua Respublica, esset Ecclesia, & vice versa: tum omnia membra Reipublicae forent eadem opera membra Ecclesiae: tum Respublica esset *mysticum Christi corpus*: tum ministri Ecclesiae, forent officiarii Reipublicae. Sunt ergo Ecclesia & Respublica natura & specie diversae societates. Differunt B. *coordinatione* mutua. Prout enim Magistratus civilis *qua* talis nequaquam subordinatur potestati ecclesiasticae; ita etiam presbyterium *qua* tale nequaquam subordinatur Magistratui: potest enim presbyterium actus gubernationis suae, v. g. disciplinam, exercere absque Magistratu 1 Cor. v. 5. Matth. xviii. 17. Tit. iii. 10. imo contra Magistratum Act. iv. 19. 20. potest 2. quae non potest Magistratus, v. g. sacra administrare publice, annunciare verbum, dispensare Sacramenta &c. Tum etiam, sicut presbyterium, in *externis* subest potestati seculari; ita etiam potestas secularis subest presbyterio in *spiritualibus*, quoad censuras ecclesiasticas 2 Sam. xii. 7. Insuper non Magistratus; sed Ecclesia mittit ministros Act. xx. 28. Differunt C. *causis*: α. *efficiente*, quando potestas civilis est à *Deo*, ut *Creatore* aut Domino Rom. xiii. 1. 2. 4. potestas ecclesiastica *à Christo* est, ut Mediatore Matth. xvi. 19. 2 Cor. x. 8. & xiii. 10. β. *materia*, tam *ex* quâ, quam *circa* quam: dum potestas Magistratus consistit in *gladio*; dum Magistratus civilis legitime potest esse in *fœmina*, aut in puero: potestas ecclesiastica, *nequaquam*: dum

Argumenta sententiae negativae.

dum potestas politica occupatur circa *Rempublicam*; ecclesiasticas circa *Ecclesiam. γ. forma:* dum Magistratus judicat secundum leges *humanas*; Ecclesia, secundum *divinas:* dum Magistratus infligit pœnas *temporales*; Ecclesia pœnas *spirituales:* dum Magistratus agit *αὐτοκρατορικῶς*. Ecclesia in *nomine Christi* 1 Cor. v. 4. *δ. fine* : dum Magistratus intendit bonum Reipublicæ *externum*; presbyterium ædificationem Ecclesiæ *internam* 2 Cor. x. 8. & xiii. 10. Quia 4. plurimis *absurdis* obnoxium est, potestatem ecclesiasticam referre ad Magistratum civilem: v.g. (1) confundit officium Magistratus & ministerii (2) Rempublicam cum Ecclesiâ (3) gentilibus, fœminis & pueris, permittit potestatem gubernandi Ecclesiam: quia ethnici, fœminæ, pueri, subsistere possunt Magistratum. Nec habent, quod potentius causentur in contrarium, quam A. quod Moses, David, Salomo, exercuerint potestatem *ecclesiasticam*: sed non cogitant, hoc fuisse non tantum Magistratus; sed etiam Prophetas, adeoque *ἐξόχως* ecclesiasticos. Quod B. Asaph, Josaphath, Josias, Hiskias aliique clavum tenuerint *Ecclesiæ:* cum in *exterioribus* tantum Ecclesiæ, potestatem *civilem* exercuerint, quam Magistratui negandam non esse, dudum demonstravimus. Conf. Voetius, *Polit. Eccl.* lib. 1. Tract. 11. cap. 11. III.

Objectiones affirmativæ.

γ. An suprema gubernandi potestas in Ecclesia, sit penes unum?

XVI. Quæritur *tertio*, an *suprema* gubernandi potestas in Ecclesia, ministerialis saltem, sit penes *unum* quendam? Seu, an Ecclesiæ *totius militantis* gubernatio visibilis, sit *monarchica?* Pontificii simpliciter affirmant, potestatem illam à Christo derivatam esse in Petrum, & ab eo in Episcopos Romanos, ejus successores. Protestantes, gubernationem *magisterialem* soli Christo, Regi & capiti Ecclesiæ suæ, asserunt, & eatenus monarchicam esse fatentur; sed *ministerialem*, ad unum quemvis pertinere negant. Eo quod (1) Christus *solus*, in Scripturis dicatur *Rex* Psal. 11. 6. & *caput* Ecclesiæ suæ Eph. 1. 21. 22. & IV. 15. Col. 1. 18. (2) quod suis Apostolis istam potestatem *abroget* Matth. XXII. 25. 26. Quod (3) in *catalogis* ministrorum Ecclesiæ, nulla unquam mentio fiat hujusmodi *Monarchæ* Eph. IV. 11. Rom. XII. 7. 8. 1 Cor. XII. 28. Quod (4) unus, quivis, non *sufficiat* omnibus Ecclesiis regendis. Quod (5) si Deus talem in Ecclesia constituisset visibilem monarchiam; sine dubio, in T. N. descripsisset, quæ ad hujusmodi regimen & statum requiruntur; prout alia multo minoris momenti, circa regimen Pontificis sub V. T. tam accuratè descripsit. Conf. quæ contra monarchiam Petri & Papæ, ex professo diximus lib. v. cap. VIII. §. XV.

Rationes negativæ.

Objectiones affirmativæ.

Dicunt tamen in contrarium: A. Quod *perfectissima* societati, qualis est Ecclesiæ, conveniat *perfectissima gubernandi* forma, qualis procul dubio sit monarchica. Resp. 1. Propter varietatem regendorum, nullum regimen est *simpliciter* optimum. 2. Nec *omne* optimum Ecclesiæ competit. v. g. *ἀναμαρτησία*, infallibilis gubernatio. 3. Nec *ἀρχὴ* aut *κράτος* ministris Ecclesiæ competit: proinde etiam, nec monarchia, aut democratia &c. 4. Ea gubernandi forma Ecclesiæ optima est, quam Christus instituit. 5. Ecclesia pontificia Gallicana potius *aristocraticam* statuit, quam *monarchicam* gubernationem Ecclesiæ. 6. Sufficit quod monarchica sit, respectu *Christi*. B. Ecclesia *Angelorum*, quæ exemplar est Ecclesiæ hominum Heb. VIII. 5. *unum* habet Angelum, qui omnibus præest, qui olim fuit Lucifer, nunc S. Michaël. Resp. 1. Ecclesia Angelorum Heb. VIII. 5. non dicitur *exemplar* Ecclesiæ hominum. 2. Nec probari potest regimen angelicum esse *monarchicum*. 3. Per Michaëlem Apoc. XII. 7. intelligitur Christus vs. 11. C. Vetus Testamentum, quod figura est Novi Testamenti, formam regiminis, in Pontifice, monarchicam habuit. Resp. (1) V. T. non fuit figura N. T. sed eius ceremonialia umbræ fuerunt *Christi* Col. II. 17. (2) sic etiam unus locus, unum templum, sub N. T. esse deberet (3) nec Pontifex olim fuit *Monarcha* Ecclesiæ, quia non habuit potestatem condendi *novas leges*; neque leges latas solus exsecutioni mandabat (4) forma gubernationis, sicut olim, ita etiam nunc, est *θεοκρατική*, D. Exercitus, ovile, domus, sponsa, quibus Ecclesia comparatur, ab *uno* reguntur. Resp. 1. Ecclesia non est exercitus, ovile, domus, sponsa *Papæ*; sed 2. exercitus, ovile, domus, sponsa *Christi*, qui solus ei cum potestate *propriæ* præest. E. Tempore Christi, Ecclesia universa visibiliter gubernata fuit ab *uno*, scil. Christo: ergo etiam *nunc* ab uno gubernari debet. Resp. 1. Nec Christus in terris se gessit ut *Monarcha*; sed ut *minister* Matth. XX. 28. Luc. XXII. 27. Joh. XIII. 14. Nec 2. minister proprie fuit, nisi *Judæorum*, seu circumcisionis Rom. XV. 8. Nec 3. quicquam habet *ἀτόπου*, eandem Ecclesiam succedive diversam habere regiminis formam. E. Ecclesia non potest *propagari* absque *Monarcha*, qui mittat ministros, prædicaturos verbum. Resp. *Potest*, quia Deus mittit Rom. X. 14. Matth. IX. 38. Luc. IX. 49. 50. G. *Quibus rationibus* probatur, Episcopum præesse debere Parochis; Archiepiscopum Episcopis; Patriarcham Archiepiscopis: eisdem etiam probatur Pontificem præesse debere Archiepiscopis. Resp. Nos assumimus: *nullis* rationibus hoc probari potest: ergo &c. H. Necessum est, ut in rebus fidei, omnes fideles *idem sentiant*: sed hoc esse non potest, nisi *unum* habeant summum Judicem. Resp. 1. *Idem* sentiunt in *fundamentalibus*, absque ullo Pontifice. 2. Nec Pontificii omnes *idem* sentiunt, ne de ipso quidem Pontifice suo. Nec 3. fidei unitas per *imperium* hominis; sed per *obsequium* verbi, per Spiritum S. procuratur

Eph. IV. 3. — 8. Hæc ſunt Argumenta Bellarmini.

4. An poteſtas gubernandi ſit penes ſingula cujusque congregationis membra?

XVIII. Quæritur *quarto*, an ex adverſo, poteſtas gubernandi, *omnibus & ſingulis* Eccleſiæ alicujus particularis membris competat? Brouniſtæ Angeli, rejecto omni *presbyterio*, ſingulis cujusque Eccleſiæ particularis membris, *æqualem* poteſtatem in gubernatione Eccleſiæ tribuunt. Independentes exiſtimant poteſtatem gubernandi, *radicaliter* eſſe penes totam quamque congregationem, & ſingula ejus membra *æqualiter*: & ſi Eccleſia in veritate & *pace* verſetur; totam congregationem præſtare ſubjectum δεικτικὸν *libertatis* eccleſiaſticæ; presbyterium verò *auctoritatis*: *utrumque* horum primum eſſe *ſubjectum* poteſtatis eccleſiaſticæ. Reformati presbyteriales, *in gratiam* quidem *Eccleſiæ*, poteſtatem gubernandi à Chriſto conſtitutam; ſed *ſoli presbyterio* collatam exiſtimant. Eo quod 1. cum *omnis* gubernandi poteſtas à *Chriſto* derivari debeat, velut à capite; nullæ tabulæ, hujus derivationis in *totam* congregationem factæ, adduci poſſint. Quod 2. *toti congregationi*, nullibi in Scripturâ, promiſſus legatur ſpiritus ἡγεμονικὸς, ſeu dona gubernationi neceſſaria 1 Cor. XII. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 1 Tim. III. 5. Quod 3. membra *congregationis* nullibi appellentur κυβερνήσεις, ſicut *præfecti* eccleſiaſtici 1 Cor. XII. 28. προεστῶτες 1 Tim. V. 17. προϊσάμενοι Rom. XII. 28. quin potius eis *contradiſtinguantur*, tanquam *ſubditi* Act. XX. 28. Heb. XIII. 17. 22. 1 Theſſ. V. 12. Quod 4. ex contraria ſententia, horrenda profluant abſurda: v. g. α. quod fundamentum ponat *Democratiæ* & *anarchiæ* eccleſiaſticæ. β. Quod poteſtas annunciandi verbum, diſpenſandi Sacramenta, ordinandi miniſtros, excommunicandi &c. (ut quæ *omnia* ſub poteſtate clavium Matth. XVI. 19. & XVIII. 19. 20. continentur) mulieribus competeret, pueris, fatuis, ſi modo membra ſint Eccleſiæ: γ. quod omnis *differentia* inter gubernantes & gubernandos, eoque ipſo, *omnis* gubernatio, penitus ceſſaret. Nec video, quid in contrarium, ullâ quidem φύσει cauſari poſſint, niſi quod A. Servator poteſtatem gubernandi conferre videatur *Eccleſiæ* Matth. XVIII. 17. 18. ſed non cogitant, per *Eccleſiam* à Chriſto non aliud intelligi, quam quod Paulus appellat *presbyterium* 1 Tim. IV. 14. ſeu præfectos Eccleſiæ: quod alias *actores*, in propria causa, *Judices* a Chriſto conſtituerentur. B. Quod per iſtam præfectorum poteſtatem, Eccleſiæ ſua *libertas* periret aut imminueretur, contra Paulum Gal. V. 1. ſed non cogitant, per iſtam præfectorum poteſtatem, Eccleſiæ libertatem non *tolli aut imminui*; ſed *dirigi*, conſervari & augeri potius.

Rationes partis negativæ.

Rationes partis affirmativæ.

Praxis reſpicit:

Pars practica.

1. Eccleſiam

XIX. Praxis hujus capitis reſpicit *primo* Eccleſiam, ipſoſque ejus præfectos, ut jura Magiſtratus civilis, ut *nutritii* Eccleſiæ, in ejus exterioribus (quod §. X. repræſentavimus) agnoſcant, omnique ſtudio & conatu apud quosvis aſſerere, eiſque inculcare nitantur. Hoc enim 1. *præſcribit Servator*, Eccleſiæ caput & Rex Matth. XXII. 21. ſuoque exemplo præſtat cap. XVII. 27. Hoc 2. *Paulus* inculcat, non uno loco Rom. XIII. 1. 2. 1 Tim. II. 2. & Petrus 1 Pet. II. 13. 14. Hoc 3. cedit in *bonum* Eccleſiæ Rom. XIII. 3. 4. 1 Pet. II. 14. ut *vitam quietam ac tranquillam ducat, in omni pietate & honeſtate* 1 Tim. II. 2. Hoc 4. omninò *neceſſarium* eſt, ut viciſſim Magiſtratus, velut nutrix Jeſ. XLIX. 23. Eccleſiæ *ubera* ſua liberalius porrigat Jeſ. LX. 16. h. e. poteſtatem ſuam, promptius impendat emolumentis Eccleſiæ, eoque *miniſtrum* Eccleſiæ præſtet. Jeſ. LX. 10. Proinde α. quasvis συρράξεις ſeu colliſiones cum Magiſtratu civili quam ſtudioſiſſime evitent Num. XVI. 4. — quod eæ ſemper vergant in *detrimentum* & exitium Eccleſiæ. Interim tamen β. hæc præſtent uſque ad *aras*, quatenus ſcil. Magiſtratus non *hoſtem* agit; ſed *nutritium*, Jeſ. XLIX. 23. & *miniſtrum* Eccleſiæ Jeſ. LX. 10. h. e. quatenus non imperat Deo *adverſa* Act. IV. 19.

ejuſque præfectos, ut Magiſtratui juſta ſi, deliter præſtent.

2. Magiſtratus, ut ſe præbeant nutrities Eccleſiæ.

XX. Praxis *ſecundo*, reſpicit *Magiſtratum* civilem, ut ex adverſo, ſeipſum *nutritium* & miniſtrum præſtet Eccleſiæ, uſu poteſtatis ſuæ circa Eccleſiam, ejuſque *exteriora*, per ea officia, quæ deſignavimus §. X. Cogitando 1. ſe miniſtrum *Dei* eſſe Rom. XIII. 4. qui, ut omnem ſuam poteſtatem, *à Deo* in ſe derivatam, poſſideat Pſal. LXXXII. 6. Rom. XIII. 1. 4. ita Deo regno ejus promte eam impendere debeat: ut, ſicut Deus curat ipſis danda quæ *ſua* ſunt; ipſe viciſſim, ſuâ auctoritate curet *Deo* reddenda, quæ ſua ſunt Matth. XXII. 21. Cogitando 2. ſe *membrum* eſſe Eccleſiæ, qui eodem capite myſtico, eiſdem privilegiis ſpiritualibus fruatur, eodem modo paſcatur, verbo, Sacramentis &c. ac quivis ejus ſubditi. Conf. quæ in hanc rem diximus, hujus lib. cap. I. §. §. XLI. XLII.

3. Præfectos Eccleſiæ, ut benè præſint.

XXI. Praxis reſpicit *tertio*, *præfectos* Eccleſiæ, κυβερνήσεις, ut *bene præſint* 1 Tim. V. 17. ut præſint ἐν σπουδῇ, *cum diligentia* Rom. XII. 8. *in Domino* 1 Theſſ. V. 12. De quo ex profeſſo monuimus, hujus lib. cap. II. §. XLV.

4. Eccleſiam, ut præfectis debita officia præſtent.

XXII. Reſpicit *quarto Eccleſiam*, ſeu hos qui ſubſunt & gubernantur in Eccleſiâ, ut καλῶς προεστῶτας, *duplici honore* dignos cenſeant. Quo uno, omnia illa *officia* comprehenduntur, quæ Eccleſiæ præfectis debentur, ab his qui ſubſunt: de quibus itidem monuimus, libro & capite jam citatis §. XLVII.

THEOLOGIÆ THEORETICO-PRACTICÆ,

LIBER OCTAVUS,

De Diſpenſatione fœderis gratiæ.

CAPUT PRIMUM,

DE

Diſpenſatione ſub Patriarchis.

Eph. 1. 9. 10.

Dum notum fecit nobis arcanum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum, quod propoſuit in ſeſe, ad diſpenſationem plenitudinis temporum, recapitulandi omnia in Chriſto; tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terra, in ipſo.

Summa ac diſtributio impoſterum dicendorum.

I. PArtæ redemptionis *applicationem* diximus, quoad ejus naturam, actus, terminum, beneficia, objectum & media: reſtat ut dicamus breviter, quoad variam ejus *diſpenſationem*, quæ aliis *œconomia fœderis gratiæ* deſignatur, ſuper qua, per aliquot retro annos, in noſtro cumprimis Belgio, multum diſputatum eſt. Nos, ubi breviter fuerimus præfati, de natura hujus diſpenſationis *in genere?* ipſam revocabimus ad quatuor hos periodos, eam ſcil. quæ fuit ſub *Patriarchis*, ſub *Moſe*, ſub *Chriſto*, & ſub *æternitate*; tum *ſingulis* harum, ſuas aſſignabimus peculiares epochas, & epochis curricula, quibus fœdus gratiæ ſolenniori modo renovatum & amplificatum obſervatur. Naturam diſpenſationis, & primam ejus periodum, nim. diſpenſationem ſub *Patriarchis*, hoc capite repræſentabimus, ſtructo contemplationis fundamento, in exegeſi pericopes Eph. 1. 9. 10.

Pars exegetica.

II. *Penes quam, ſepoſita operoſa verborum, ut jacent, diſlocatione, hæc quatuor ſpectabimus, ad rem noſtram apprime facientia: nim.*

1. Beneplacitum *Dei*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, Secundum beneplacitum ſuum, quod præconſtituit in ſeipſo. *Deſcendit εὐδοκία ab εὐδοκέω, circa cujus verbi genuinam ſignificationem, quam varie multi ſe torſerint, tum ex Budæi commentariis; tum ex Eraſmi Annotationibus intelligi poteſt.* Δοκεῖν *valet* ſentire & exiſtimare, & *ab eo*, εὐδοκεῖν approbare, conquieſcere & acquieſcere *in re quadam.* Εὐδοκίας *nomen ſignificat* beneplacitum & benevolentiam. *Vox nunquam uſurpatur in Scripturis de hominibus verſus Deum, bene quidem de benevolo affectu hominum verſus* homines Rom. x. 1. *Sæpius de affectu Dei verſus homines, plerumque de* decreto Dei, *vel quovis, vel benevolo verſus ſuos, Hebræis* רצה *idem fere valet.* Εὐδοκία & εὐδοκεῖν, *ubi abſolute ponitur, id eſt, non addita præpoſitione perſonæ, nomen regente, aut aliqua re ſimili,* decretum *ſignificat, obſervante Beza. Et ſic hoc loco, ſed tale, quod cum affectu* benevolo *verſus homines conjunctum eſt, ſeu decretum* electionis, *ita gratuitum &* liberum, *ut ejus rationem aliquis alteri reddere non teneatur* Luc. xii. 32. Rom. xv. 26. 27. *& alibi. Hujus origo adjicitur:* ἣν προέθετο, quam præconſtituit, *ſeu* præconcepit, *ſcil. ab æterno, velut* normam, *ut fœderis gratiæ; ſic omnis omnino negotii de ſalute noſtra, quod ſignificatum Apoſtolus vult, præmiſſa vocula* κατὰ ſecundum.

2. Arcanum, *ſeu* myſterium voluntatis ſuæ, τὸ μυστήριον τῦ θελήματος αὐτῦ. μυστήριον *vulgata reddit per* Sacramentum, & *ſic Grotius ex Tertulliano. Proprie ſonat* conſilium arcanum. *Intelligi per illud*

potest, vocatio gentium Rom. xv. 25. Eph. III. 9. Col. I. 26. 2 Tim. I. 10. *&c. Hoc loco mysterium* Euangelii Eph. VI. 19. *seu* fœderis gratiæ, *quatenus illud promulgatum in Euangelio, cujus* norma, *procul dubio, est* decretum *electionis*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ. *Est istud* fœdus gratiæ, *æternum arcanum* voluntatis, *seu pura puta* gratiæ *divinæ.*

3. Promulgationem *hujus mysterii, seu fœderis gratiæ:* γνωρίσας ἡμῖν, notum fecit nobis. Γνωρίσας, *scil. arcanum fœderis gratiæ consilium, de peccatore, per mortem filii sui redimendo, quod absconditum fuit à temporibus seculorum h. e. ab* æterno, *quippe quod abdiderat, seu* præstituerat in seipso, *usque ad lapsum peccatoris: quod profundo silentio ab orbe condito involverat, respectu omnium gentilium, usque ad filium manifestatum in carne: quod respectu etiam Judæorum, obvelaverat tot umbris ceremoniarum. Hoc tandem notum fecit, tum voce filii sui, soli Judeæ, tum voce Apostolorum suorum, toti mundo* Matth. XXVIII. 19. *Sic notum fecit* nobis ἡμῖν *h. e. mihi Paulo primum, tum & vobis Ephesiis, per me.*

4. Dispensationem *fœderis gratiæ*: ad dispensationem plenitudinis temporum, *ut in eis* recolligerentur omnia *&c. Est in his*

A. Tempus *dispensationis, seu dispensationi impendendum, nim.* πλήρωμα τῶν καιρῶν. Καιρὸς *Græcis notat, non tempus* quodvis, *sed* oportunum, *aptum negotio,* Marc. I. 13. Matth. XIII. 30. Act. XIV. 7. *Scil. pro ratione temporis, loci aliarumque circumstantiarum, convenientium negotio præsenti. Hinc vulgata & Beza* Eph. VI. 18. *dum tempus* commodum *est nobis. Item* Col. IV. 5. τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι, tempus *oportunum* redimentes. *Ut significetur dispensationem istam factam fuisse pro natura & constitutione temporum, seu pro ætate & captu Ecclesiæ in singulis temporibus. Alibi* πλήρωμα τοῦ χρόνου *memoratur* Gal. IV. 4. *eodem sensu, nisi quod ibidem tempus nativitatis Christi determinate notetur.* Πλήρωμα τῶν καιρῶν plenitudo temporum, *est tempus plenum, quod ad metam suam perductum est* Act. II. 1. Ezech. V. 2. Dan. X. 3. *sonat item* maturitatem *temporis, seu tempus* maturum. *Grotius existimat, respici hic ad hebdomadas Danielis, vel potius ad quatuor Regnorum tempora. Possint ergo, per plenitudinem temporum, duo intelligi:* 1. *tempus adventus Christi* Gal. IV. 4. *ut sic significetur, tempora priora fuisse tempora incompleta, immatura, sub quibus Ecclesia fuerit, quasi sub ætate immatura, sub infantia & adolescentia,* νήπιος Gal. IV. 1. *usque ad adventum Christi, velut ætatem ejus virilem. Sic Apostolus omne tempus gratiæ dispescerit in* non plenum, *seu immaturum, sub quo fuerit Ecclesia ante Christum; &* plenum, *id quod venerit per adventum Christi: quod coincidit cum distributione temporum, in* Vetus *&* Novum *Testamentum.* 2. *universa temporum series, à mundi hujus initio, usque ad ejus exitium, quando omnes* καταντήσωμεν — εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, perveniamus — in virum perfectum (*seu adultum*) in mensuram staturæ plenitudinis Christi Eph. IV. 13. *Utpote per quam* temporum plenitudinem, omnia recapitulata sunt per Christum, seu in Christo.

B. Dispensatio, *seu gubernatio plenitudinis temporum.* Εἰς οἰκονομίαν, ad dispensationem. Οἰκονομία *descendit ab* οἶκος *&* νέμω distribuo. *Et* οἶκος *hic metaphorice notat* Ecclesiam, *quæ exserte appellatur* domus *seu familia* Dei 1 Tim. III. 16. *Huic dum sua necessaria suppeditantur, pro ratione status & ætatis porriguntur, œconomia nascitur, seu* gubernatio *Ecclesiæ; qua beneficia fœderis gratiæ, pro captu ætatis erogantur Ecclesiæ* 1 Cor. IX. 17. Eph. III. 2. Col. I. 25. 1 Tim. I. 4. *Est enim* οἰκονομεῖν, *penum asservatam distribuere in domesticos* Luc. XVI. 2. — *Manet ergo,* οἰκονομίαν *non esse nisi dispensationem promissionum fœderis gratiæ, quæ alio nomine* Testamentum *dicitur, quatenus fit per mortem testatoris Christi, seu futuri, seu præsentis.*

C. Opus *hujus dispensationis* ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς — recapitulare omnia in Christo *&c. Est hic*

N. Actus dispensandi, ἀνακεφαλαιώσασθαι, *est* instaurare, recolligere, recapitulare, *in unam summam seu* κεφάλαιον *religere. Metaphora sumta, vel à Rhetoribus, qui prolixe dicta tandem breviter complectuntur; vel potius à militibus, qui dispersi, ad unum caput colliguntur, sicut* ἀποκεφαλαιῶν, *est caput à corpore separare; ita* ἀνακεφαλαιῶν, *est eidem corpori redunire. Ut* priore *sensu sit omnia quæ sparsim, sub variis umbris & figuris, dicta sunt sub V. T. breviter complecti in Christo: seu potius* posteriore, *omnia dispersa in unum caput denuo colligere Conf.* Jes. XLIII. 6. *Ut notet, tum* unionem *cum Christo; tum* communionem *omnium ejus opum beneficiorumque* 1 Cor. I. 30.

O. Objectum *dispensationis, seu recapitulationis, quod proponitur,* partim collective, *voce* omnia, τὰ πάντα, *seu* omnia illa. *Ut intelligantur,* vel *omnes creaturæ, quæ per peccatum vanitati subjectæ sunt* Rom. VIII. 20. *quæ etiam renovandæ dicuntur, ibid. &* 2 Pet. III. 13. *Hæc autem hoc loco comprehenduntur tantum ex consequenti, & per accidens, non per se; vel*

omnia

omnia τοιρὰ, intellectu *prædita*, *τὰ πάντα*, *pro τὰς πάντας*, *omnia illa*, *quibus autem divulsis & distractis*, *ipse Christus*, *in unum corpus colligendis*, *à Patre missus fuit*: *vel potius*, *omnes* electos, *sive fideles*, *tam ex Judæis*: *quam ex gentibus*, *quos antea dispersos ac dissipatos*, *velut per deserta vanitatis*, *erroris*, *impietatis & idololatriæ*, *innuit à Deo recollectos esse sub uno capite*: partim distributive, *nim. quæ sunt* 1. in cœlis. *Quibus multi*, *per multa sententiarum divortia*, *Angelos intelligunt*, *utpote quorum Christus* caput *sit*, *quos ipse reconciliaverit*, *non quidem Deo*; *sed hominibus*, *a quibus per peccata fuerint alienati*. *Rectius intelliges beatas fidelium mortuorum animas*. *Et quamvis illæ jam tum collectæ fuerint in cœlo*; *non tamen olim dispersæ per peccatum*, *recollectæ*, *& restitutæ sunt*, *nisi per Christum venturum*.

2. Fundamentum *dispensationis*, *ἐν τῷ* Χριστῷ in Christo, *ἐν αὐτῷ* in ipso. *Hoc est*, per *Christum*, *velut auctorem*; sub *Christo*, *velut duce*; in *Christo*, *velut capite*, *ut notetur omnium unio cum Christo*, *velut membrorum cum capite* 1 Cor. XII. 12. 13. *à qua omnis communio beneficiorum in peccatorem redundat* 1 Cor. I. 30. 2 Cor. I. 20.

Pars Dogmatica.

Deus, pro diversa temporum ætate, diverso modo dispensavit gratiæ fœdus.

III. Ex quibus patet, quod Deus, pro diversa temporum ætate, usque ad ejus *πλήρωμα*, mysterium fœderis gratiæ, in Ecclesia promulgaverit, ejusque beneficia diversimode dispensaverit. Hinc *πολυμερῶς per multas partes* (seu distributiones) *καὶ πολυτρόπως variis modis*, *locutus* dicitur, *πάλαι τοῖς πατράσιν olim*, (ab initio, ut refert Syrus) *Patribus* (scil. sub V. T.) quando *ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων*, *ultimis diebus hisce*, scil. N. T. nobis *locutus est in filio*. Heb. I. 1. Scil. ut Paterfamilias, pro diversa domesticorum suorum conditione & ætate, necessaria promit & dispensat. Hujus ergo sapientissimæ dispensationis indolem ut distinctius assequamur, omnemque confusionem, nostro tempori tam familiarem, felicius declinemus; ordo ille, quem in textu Apostolus servat, paulo distinctius repræsentandus nobis veniet.

Circa hanc dispensationem 4. consideranda:

1. Decretum electionis, ut basis & norma.

IV. *Primo* igitur cogitandum hic occurrit, *beneplacitum voluntatis divinæ*, *quod proposuit in sese*. Hoc est decretum æternæ *electionis*, quo Deus sib. proposuit, gloriam suæ *misericordiæ* illustrem facere, per peccatorum quorundam æternam & gratuitam beatificationem Rom. IX. 23. Hoc variis appellationibus in Scripturis quidem designatur: v. g. *ἀμετάθετον τῆς βουλῆς Θεοῦ* Heb. VI. 17. *προορισμὸς* Rom. VIII. 29. 30. Eph. I. 5. *πρόθεσις* Rom. VIII. 28. *ἐκλογὴ* Rom. XI. 5. 7. *βουλὴ τοῦ θελήματος* Eph. I. 11. sed nullibi, quod sciam, electio ista in Scripturis appellatur *testamentum*: eo quod vocem istam, designandæ *dispensationi* fœderis gratiæ, Spiritus S. in Scripturis destinarit. Hoc igitur beneplacitum voluntatis divinæ, hæc *electio*, basis est & norma omnis sequioris negotii de salute peccatoris, à quo Apostolus dicit *arcanum voluntatis*, scil. de salute peccatoris, factum esse *κατὰ τὴν εὐδοκίαν*, *ἣν προέθετο ἐν ἑαυτῷ*. *Secundum beneplacitum illud*, *quod præstituerat in seipso*.

2. Fœdus gratiæ, ut argumentum dispensationis.

V. *Secundo*, cogitandum hic *mysterium voluntatis*, de salvatione peccatoris, seu fœdus gratiæ. Cum enim, propter peccatum, Deo integrum jam non esset beatificare *peccatorem*, ab æterno *consilium pacis* coiit inter Jehovam Patrem & Filium suum Zach. VI. 13. de tollendo peccato: in quo filius *spiritu æterno seipsum obtulit* pro peccatore Heb. IX. 14. *voluntatem* Dei facturus Psal. XL. 8. 9. cum Heb. X. 5. *animam suam* positurus in אשם, seu sacrificium pro peccatis Jes. LIII. 10. eoque universam omnium electorum peccatorum causam, simul & semel in se derivavit, & sic *expromisit*: Pater expromissionem istam filii sui *accepit*, eique viciſſim *præmium* addixit Jes. LIII. 11. ut *videret semen*, *prolongaret dies*, *& in ejus manu voluntas Domini proseperaretur*. Et hinc emersit *fœdus gratiæ*, inter Deum & Christum *mysticum* (h. e. inter ipsum & ejus semen, seu membra) super restitutione peccatoris electi: quo Deus *promittit*, Christo quidem, si voluerit causam peccatorum in se suscipere, animamque suam præstare אשם, seu satisfactionis *precium*; se præstitum pro peccatoribus, *accepturum*, & *opus Domini in manu ejus prosperaturum*; peccatoribus vero electis, se ipsis peccata condonaturum, si se viva *fide*, pro summo *fine* suo, & filium suum, pro unico suo *Mediatore* voluerint recipere: filius pro se quidem *promittit* Deo, se satisfacturum pro peccatoribus, &c. & *restipulatur* sibi promissa à Patre; *peccatores* autem electi in Christo capite *promittunt* stipulata, & *restipulantur* sibi promissam remissionem, & beatitudinem æternam, pro qua promissione futurâ, Christus se vadem præstat & sponsorem. Ex hac *ὁμολογίᾳ*, *reatus* omnium electorum, propter satisfactionem, ex promissione infallibiliter *futuram*, ab ipsis simul & semel *tollitur*, & in Christum derivatur: quando interim reatus iste in *Christo* tantisper *manet*, dum promissam satisfactionem actu præstiterit. Hactenus fœdus gratiæ est *æternum*. Habet hoc fœdus etiam rationem & essentialia *testamenti*: (1) *testatorem* Christum Heb. IX. 14. 18. (2) immutabilem *dispositionem* de futura *hæreditate* æterna Heb. IX. 15. Matth. XXV. 34. (3) *posteritatem*, cui hæreditas destinetur, qui di-

cuntur *hæredes & cohæredes Christi* Rom. VIII. 17. Gal. IV. 7. (4) *tabulas* scriptas, earumque *publicationem* in verbo, huc tradito Rom. XV. 4. ut sit q. *liber testamenti* Exod. XXIV. 7. (5) *ratificationem*, partim *fundamentalem*, in *morte* testatoris Heb. IX. 15—18. partim *instrumentalem*, in *sigillis* utriusque testamenti. Ut non inepte fœdus *testamentale*; & ex adverso, *testamentum* fœderale dici queat. Et *testamentum* quidem est, respectu solius promissionis, quam Deus in fœdere, electis præstat: *fœdus* autem, quatenus conditionem vicissim stipulatur ab eis, ejusque præstandæ promissionem reciprocram ab eis accipit.

5. Fœderis dispensandi promulgatio in Euangelio.

VI. *Tertio* cogitanda hic fœderis hujus notificatio: *notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ* Eph. I. 9. Cum enim, sicut diximus, à peccatoribus electis Deus stipuletur *fidem* in se & Christum, ut sponsorem suum; necessum fuit, ut fœdus istud, cum stipulata sua conditione *notificaretur*, & ad præstandam conditionem à se stipulatam, electi *invitarentur*. Et hoc Deus præstat in *Euangelio*. Quod proinde duo complectitur, nim. 1. *ipsum fœdus* gratiæ, electorum nomine, ab æterno in Christo capite factum, & 2. ejus *promulgationem* notificationemque. Et in hoc est fœdus *temporale*, quatenus coit cum ipsis electis.

4. Fœderis promulgati varia dispensatio, per testamenta duo.

VII. Tandem *quarto*, hic considerandæ venit, fœderis hujus, per πλήρωμα τῶν καιρῶν, diversa *dispensatio*: qua, pro ratione diversæ ætatis Ecclesiæ, *infantilis*, *juvenilis & virilis*; Deus, pro sua sapientia, pacta præstat seu *dispensat*. Hæc autem *dispensatio*, quia bona fœderis, non nisi intercedente *sanguine*, seu typico, seu vero, præstat; *testamentum*, & bona promissa, *hæreditas* appellantur. Proinde testamentum non est, nisi *fœderis gratiæ dispensatio*, quatenus nititur *morte testatoris*; & duo hæc complectitur ipsum *fœdus* gratiæ, & ejus varios dirigendi & exsequendi *modos*: quatenus, & conditio per fœdus à nobis stipulata, fides; & bona fœderis, ad præstitam fidem promissa; Mediatore fœderis nituntur, aut tanquam dudum *præstito*, & solutione facta; aut adhuc *præstando* & satisfacturo. Hinc fœderis gratiæ duo nascuntur *testamenta*, vetus & novum, quibus universum πλήρωμα τῶν καιρῶν exhauritur: plurium enim testamentorum Scriptura nullibi meminit.

Testamentum vetus dispensat fœdus gratiæ, sub Mediatore exhibendo.

VIII. *Vetus* ergo testamentum, quo fœdus gratiæ dispensatur, per Mediatorem adhuc in carne *exhibendum*; ortum cepit à πρωτευαγγελίῳ paradisiaco, immediate post violatum fœdus naturæ Gen. III. 15. duratque usque ad Mediatorem *exhibitum*, & satisfactionem ab eo præstitam. Sub hoc testamento, Ecclesia duobus modis considerari debet, ut *hæres*, & ut *infans* Gal. IV. 1. — Ut hæres fuit *libera*, ut infans, modo quodam *servilis*. *Ibid.*

Veteris testamenti duæ illustres epochæ.

IX. Hujus dispensationis duæ observantur illustres epochæ, (indigitante Apostolo Rom. V. 13. 14.) scil. dispensationis sub *Patriarchis*, & sub *Mose*: quod sub posteriore, egregia facta fuerit dispensationis *alteratio*, de qua suo loco. Utrique tamen epochæ idem fuit gratiæ fœdus, eadem religio & fides, idem cultus, tum *moralis*, tum *ceremonialis*: scil. quoad *essentialia*, quatenus non modo eædem virtutes, & vitia moralia, præscribi, reprehendi & viguisse passim observantur, quæ lege decalogica diriguntur; licet natura, & viva tantum voce, à Patriarchis θεοπνεύστως inculcata: sed etiam idem cultus *ceremonialis*, quoad ipsam ejus *essentiam*. Viguisse enim sub hac epochâ, immolationes & *sacrificia*, exemplis Caini & Abelis, Noachi, Abrahami, Jacobi &c. apud omnes indubitatum est. Atque hæc religionis identitas mihi in causa videtur fuisse, quod Moses in distincta repræsentatione capitum, parcior deprehendatur, eo quod præsupponat, quæ fuerint, eadem esse cum his, quæ jam scripta Israëlitis à se tradantur. Interim sub hac epocha, politia Ecclesiæ videtur fuisse magis *rudis* & *laxa*, velut in *infantia*: tot visibiles *Ecclesiæ*, quot familiæ piorum: *ministerium* perpetuo fere extraordinarium in Patriarchis, nisi quod sub horum ephoriâ, Patres familiarum, & forte etiam *primogeniti*, jus videantur habuisse sacra quædam administrandi, ut ministri *ordinarii*; secundum illam directionem, quam accipiebant à Patriarchis.

Quælibet epocha sua sibi habet peculiaria curricula.

X. Quælibet harum epocharum, rursus sua habuit distincta *curricula*, in quibus fœdus gratiæ, egregie *renovatum* & *amplificatum* observatur. Sic in epochâ Patriarcharum, tria numeramus distincta curricula: 1. à πρωτευαγγελίῳ ad Noachum. 2. à Noacho ad Abrahamum. 3. ab Abrahamo ad Mosen; & in singulis horum, peculiaris quædam constitutio, aut renovatio & amplificatio fœderis gratiæ: quatenus Deo visum, quasi pro annorum convenientia, ab imperfectiore paulatim eniti in perfectius, & primo magis *generaliter*, rudius & obscurius, dein magis *distincte*, clare & perspicue, fœderis hujus mysteria aperire. Omnium enim obscurissime & imperfectissime fœdus gratiæ promulgavit, in prima promissione *seminis muliebris* Gen. III. 15. 16. tum paulo clarius idem potefecit Noacho, addita etiam exserta *fœderis* nominatione & Sacramento. Videsis Gen. IX. 9. 10. 11. 12. & adhuc clarius, super fœdere gratiæ, egit cum Abrahamo, adjecta ei pro sigillo, circumcisione Gen. XVII. 2. 7. 10. prout successu hujus meditationis distinctius apparebit.

Epochæ Patriarchalis tria curricula.

Primum epochæ patriarchalis curriculum, ab Adamo, fœde-

XI. *Primum* ergo, epochæ patriarchalis *curriculum*, fluit à condito mundo, usque ad ejus destructionem sub Noacho. In quo se nobis offert 1. Ecclesiæ *fundatio*, procurata, partim creatione protoplastorum, Adami & Evæ, & IN ipsis, totius Ecclesiæ futuræ Act. XVII. 26. *partim* con-

usque ad Noachum.

fœderatione, quâ in ipsis, velut in communi principio, radice & capite, cum toto genere humano, adhuc futuro, fœdus iniit, omnimodamque beatitudinem promisit, sub conditione perfectae obedientiae, propriis viribus praestandae Gen. II. 16. 17. cum Rom. v. 12. De his, suis locis ex professo egimus. 2. Ecclesiæ *corruptio*, per violationem fœderis recens initi, de quâ Gen. III. — cum Rom. v. 12. — hanc itidem suo loco diximus. 3. Prima Ecclesiæ corruptæ *restauratio*, per constitutionem & promulgationem *fœderis gratiæ* Gen. III. 15. cujus naturam generaliter exegimus, & peculiariter omnia fœderis essentialia in his verbis latere demonstravimus lib. v. cap. I. §. 2. 3.

Quò sensu appellari possit periodus promissionis.

Quibus proinde continetur, non nuda quædam promissio; sed promulgatio *fœderis gratiæ*, utpote quâ Deus non tantum promittit bona fœderis gratiæ; sed & stipulatur conditionem præstandam. Proinde licet hoc curriculum, quin & universa epocha patriarchalis, non inepte dicatur periodus *promissionis*, ab eo, quod *semen mulieris*, seu Mediator fœderis gratiæ; hic *promissus* tantum sit, non *præstitus*: attamen *contradistinctè* ad epocham Mosaicam, ut quæ legem sibi peculiariter habuerit, non recte periodus *promissionis* appellari potest: quia, sicut epocha Mosaica *promissionem* habuit, sibi communem cum epochâ patriarchali; ita & patriarchalis, *legem* seu conditionem fidei, legem item moralem, imò & ceremonialem, sibi communem habuit cum Mosaicâ: licet dispensatio legis, tam moralis, quam ceremonialis, fuerit admodum diversa. Fœdus enim obtinere non potest, ubi non est *promissio* & *stipulatio* mutua.

Status Theologiæ sub fœdere legali.

XII. Antequam autem progrediamur, ad dispensationem fœderis *gratiæ*, operæ pretium erit, quo universalem omnium temporum analogiam & Ecclesiam habeamus in promtu, repræsentare breviter statum Theologiæ, sub fœdere legali, & eo quidem magis, quia Socinus cum suis, ut habeat, hominem cum nulla *justitia originali*, seu cum nullâ rerum theologicarum cognitione fuisse conditum, adeoque nullam quoque peccato perdidisse, ac proinde, nullum quoque dari peccatum originale, liberumque ejus arbitrium, penitus manisse illæsum, ad præstanda, citra ullam regenerationem conversionem, quævis *Spiritualia* sibi à Deo præscripta: statuit eum fuisse quasi infantem, qui nec Deum, nec se, nec uxorem, nec bonum aut malum, quin nec se nudum esse cognoverit, ac proinde quasi fungum, imò quasi atheum oberrasse. Vid. Socin. *de statu primi hominis* cap. IV. p. 1119. & 147. & Smalc. *de vera deitate Filii* cap. VII. pag. 2.

Status generalis.

Operæ pretium inquam erit Theologemata hujus periodi brevibus repræsentare. Habuit ergo sub hac periodo, homo universam Theologiam *naturalem*, quæ nobis impræsens suppetit, omniaque ea ad quæ recta ratio, abstractâ omni revelatione, jam pertingere potest, eo quod dicatur creatus ad *cognitionem*, ad imaginem ejus qui condidit ipsum Col. III. 10. ad cognitionem, non qualemcunque; sed ad imaginem sui Creatoris, seu ad cognitionem Dei & rerum divinarum, in qua nobis consistit Theologia, detractis tantum omnibus illis, quæ respectum gestant ad peccatum præsens, & ad Mediatorem, ejus peccati omniumque ejus corollariorum averruncatorem. Et quanta est ista Theologiæ pars, quæ ope solius naturæ à nobis perspicitur, si cumprimis conferas, primi hominis rationem multo fuisse perspicaciorem nostra, quæ per peccatum obtenebrata fuit. Habuit igitur omnem istam Theologiam, tam quo ad *credenda*; quam quoad *facienda*, idque ut ejus solius ope potuerit consequi vitam æternam. In specie, habuit 1. doctrinam & peritiam vivendi Deo h. e. in gloriam ejus, & secundum voluntatem ejus, juxta πολυθρύλητον: *fac hoc & vives* Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. Rom. X. 5. Sed absque Christo, quo tum temporis necdum indigebat. In hoc autem consistit natura Theologiæ nostræ. Habuit 2. *verbum Dei*, ad quod vitam suam componeret: loquebatur enim ipsi Deus, ac vivendi rationem præscribebat Gen. II. 16. 17. licet non scriptam. Proinde, Theologiam habebat, non *naturalem* tantum; sed insuper *revelatam*, non tantum in præcepto *positivo*, de non manducando fructum arboris prohibitæ; sed etiam in Sanctificatione Sabbathi Gen. II. 2. cum Exod. XX. 8. 9. 10. 11. de conjugio Gen. II. 18. 21. 22. 23. 24. de horticultura. Ibid. vs. 15. aliisque. Habuit 3. *Fidem*, qua non tantum *Deo* sibi loquenti, ut veraci credebat Gen. III. 1. sed etiam *in Deo* fiduciam habebat futurum, ut promissa de vita potiunda obtineret, si obsequeretur Gen. II. 17. Quamvis non in Christum velut Mediatorem, sibi tum temporis necdum necessarium. Habuit 4. cognitionem Dei, ut Creatoris ac Domini sui, infinitum potentis, sapientis, boni, perfecti. Fuit scil. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, non minus φανερὸν ἐν αὐτοῖς, nec minus ei saltem Deus istud ἐφανέρωσε, quam ex cæcatis Philosophis gentilibus; nec minus invisibilia Dei, à creatione mundi, ex factis intelligibilia, scil. æternam ejus potentiam & deitatem, lynceis suis oculis potuit perspicere, quam lippientes illi Philosophi Rom. I. 19. 20. Habuit 5. cognitionem S. S. Trinitatis ex Gen. I. 1. & imprimis ex vs. 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*; & ni habuisset; fuisset sane, pro innocente, atheus, ut qui istas personas, quae verus Deus erant & sunt, non agnoverit, nec coluerit. Habuit 6. cognitionem operum divinorum; nominatim *creationis* jamjam recens factæ Gen. I. — Habuit 7. cognitionem sui ipsius, velut gestantis imaginem Dei, quam Apostolus ponit in cognitione ejus qui creaverat eum, & tali quidem, ad quam nos renovari

Specialis, quoad credendat

vult

sult Col. III. 10. Habuit 8. cognitionem *Providentiæ* divinæ, tam physicæ seu *generalis*, qua observabat, Deum creata omnia conservasse hactenus, & in suos fines destinasse Gen. 1. 14. *sunto luminaria in expanso — ad dividendum inter diem & noctem, & sint in signa temporibus*: quam moralis seu *specialis*, illius quæ occupatur circa *rationales* creaturas, velut tales, qua protoplastis præscribebat officia, idque sub comminatione pœnæ, si illa negligerent, & promissione mercedis, si perfecte præstarent Gen. II. 16. 17. Habuit 9. cognitionem fœderis *legalis*, ex quo sibi certo polliceri poterat vitam æternam, ex quo Deum agnoscebat pro supremo suo Domino, & legislatore, seque ejus subditum, cui obstrictus esset ad obedientiam, toti legi naturali præstandam Gen. II. 16. 17. juxta ea quæ ex professo diximus lib. III. cap. XII. Habuit 10. ex eo cognitionem peccati, quoad ejus naturam & consectaria omnia, reatum & pœnam, atque etiam præmii, vitæ omnimodæ, si obsequeretur legi Gen. II. 17. Habuit 11. cognitionem Sacramentorum, pro naturâ fœderis legalis, & pœnæ *mortis*, in arbore scientiæ boni & mali, si eam violaret; & *mercedis* vitæ, in arbore vitæ, si legem observaret Gen. II. 9. Habuit 12. cognitionem glorificationis, quæ sibi immineret ex obedientia, legi divinæ, præstita, in vita omnimoda naturali, spirituali, æterna, quam tum temporis possidebat, & quæ ei continuanda erat, ex promissione divina, si obsequeretur. Et hæc præcipua sunt hujus periodi θεολογήματα, quæ cognoscenda spectant, deficientibus eis tantum, quæ ad nostram Theologiam pertinent ex peccato & Mediatore, qui peccatum ejusque consectaria averruncaret. Quantum ad ea θεολογήματα, quæ *agenda*, seu observantiam spectabant: habuit 13. cognitionem omnium illorum officiorum generaliter, quæ sibi incumbebant, ex præscripto divino, & præstito dudum, & præstando adhuc, quatenus, ex tenore fœderis gratiæ, Deum agnoscebat pro supremo suo Domino & Legislatore, seque pro subdito ejus, qui ei obstrictus esset, ad universale ejus obsequium, in quo professio erat universalis observantiæ. Habuit 14. cognitionem omnium eorum officiorum, quæ spectant ad Religionem, seu ad *cultum* Dei, illum nominatim, qui fluit ex *natura* Dei, per officia illa, quæ nobis præscribuntur in primo Decalogi præcepto, nim. ut Deum agnosceret, diligeret, in eo spem & fiduciam suam collocaret, ut eum revereretur, ei se submitteret, ei obediret, aliaque id genus, quæ fundamentum habent in existentia & natura Dei, utpote quæ philosophis gentilibus cæcutientibus, nota erant ex dictatura solius rationis Rom. I. 21. & II. 14. 15. Habuit 15. cognitionem cultus alicujus divini *instituti*, qui pendet ex mero præscripto & beneplacito divino, qualis apparet, non tantum in observatione legis positivæ, de non gustando fructu arboris vetitæ; sed etiam in sanctificatione Sabbathi Gen. II. 2. quam procul dubio, sociato cultui debebat impendere. Habuit 16. cognitionem particularem omnium officiorum, quæ ad cultum istum institutum pertinebant, ne scil. sibi cultum aliquem ipse *imaginaretur* aut fingeret per ἐθελοθρησκείαν, proscriptam in secundo præcepto. Habuit 17. cognitionem *modi*, quo circa illa officia cultus instituti occupari deberet, scil. devotione & reverentiâ, utpote quæ natura illorum officiorum exigebat, ex eo quod *nomen* Dei sibi quasi inscriptum gererent, & sanctitatem quandam sibi collatam gestarent. Habuit 18. cognitionem temporis alicujus fixi, quo officia cultus istius instituti peculiariter exerceret, in sanctificatione Sabbathi, quod in hanc rem, Deus sanctificaverat Gen. II. 2. Et sic habuit cognitionem eorum officiorum, quæ ad cultum Dei spectabant, juxta priorem Decalogi tabulam. Quantum ad posteriorem tabulam, habuit 19. cognitionem eorum officiorum, quæ ad *justitiam* spectant, seu relationem gestant ad proximum, quæque ipsi, ex præscripto divino debentur, eo quod non tantum doceat, eum conditum fuisse, cum sanctitate, & *justitia*; sed ipsa illa officia fluant ex *natura* hominis, quatenus gestat imaginem Dei, & justitiam originalem. Ista autem *justitia*, sub hoc statu, se explicatura fuisset 20. primo circa *honorem* proximi, quo dignitatem & excellentiam, quam in eum Deus contulisset, homo agnosceret & convenienter testificaretur, juxta quintum Decalogi præceptum scil. reverentia, amore, obsequio, fidelitate. Fuisse enim futuram sub hac periodo, aliquam hominum & statuum subordinationem, saltem quoad statum *domesticum* (de statu politico & Ecclesiastico, num futura fuisset aliqua subordinatio, cum scriptura hic sileat, nihil possumus certo pronunciare) satis apparet ex subordinatione conjugum inter se, & liberorum versus parentes, ex qua emergunt officia, tum *præfectorum* versus sibi subjectos, in amore, sustentatione, defensione, directione, ex quibus *præfecti* se gerunt ut parentes, & honore dignos; & *subjecti* velut filios. 21. *Secundo* circa *vitam* proximi, eam pro virili conservando & refocillando, juxta sextum præceptum. 22. *Tertio* circa conjugium proximi, illud illibatum præstando, *extus* quidem, absque ullo adulterio, fornicatione aliisque id genus; intus autem absque illis impuris cogitationibus cupiditatibusque, quod appareat, vel ex eo, quod Deus uni marito, unam tantum uxorem sociaverit Gen. II. 18. 21. 23. 24. cum Matth. XIX. 5. 6. 7. Eph. v. 31. ex quo patet, non licuisse homini plus quam unam uxorem appetere. 23. *Quarto* circa hominis *fortunas*, si quæ forte sub hac periodo futura fuisset bonorum proprietas, de quo,

Quoad Faciendia.

quo, silente Scriptura, nihil possumus determinare. 24. *Quinto*, circa veracitatem, qua homo circa proximum se gereret, ingenuè, absque omni dolo, & mendacio, quæ apparet analogice, in conflictu Satanæ cum muliere Gen. III. 1. 2. 3. Tandem 25. circa *ἀυτάρκειαν*, qua homo ita acquiesceret, in sorte sibi à Deo collata, ut hilum proximi perversâ concupiscentia non appeteret, imò proximi bonis non minus gauderet, quam propriis. Sic breviter delineavimus statum Theologiæ, sub periodo integritatis, circa quam Scriptura admodum parca est, non ideo tantum, quod hæc periodus tam brevis fuerit, quippe per paucas tantum horas durans, juxta plurimos, saltem per paucos dies, juxta alios; sed etiam, quod plerorumque horum cognitionem homo habuerit per naturam, qua opus legis gestabat inscriptum cordi suo Rom. II. 14. 15. atque insuper, quod eadem officia homini sub sequiore fœdere *gratiæ* fuerint communia, & hinc per Prophetas & Apostolos distinctius postmodum fuerint explicata. Hactenus status Theologiæ.

Status Ecclesiæ sub integritate.

XIII. Quantum ad statum Ecclesiæ sub hac periodo, si per Ecclesiam, ex suo etymo, intelligas cœtum evocatorum ex mundo; frustrà hîc quæres Ecclesiam, cum Ecclesia & mundus unum prorsus & idem fuerit, & futurus fuisset, si homo in sua integritate perstitisset: si vero per Ecclesiam intelligas consociationem hominum ad cultum publicum; apparere illa videtur, in sanctificatione Sabbathi, quæ cultum sociatum videtur implicare. Saltem ea fuisset immunis ab omni hæresi, schismate, discordia, persecutionibus & id genus aliis, in perfecta unitate fidei, sanctitate morum, & concordia animorum, perdurans, quam si vidisses, repræsentare tibi potuisses Jerosolymam cælestem, e cælo descendentem Apoc. XXI. 1. 2. aut Ecclesiam triumphantem, *μὴ ἔχουτα σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἁγίαν καὶ ἄμωμον* quæ *non habeat maculam aut rugam aut simile quid; sed sanctam & immaculatam* Eph. V. 27.

Ecclesiæ propagatio, sub primo curriculo periodi Patriarchalis.

XIV. Ab hoc igitur diverticulo, in viam redimur, seu ad dispensationem fœderis gratiæ, sub primo curriculo Patriarchali. Incidunt in illud Ecclesiæ natalia, non tantum per creationem; sed etiam per constitutionem fœderis gratiæ, qua semen mulieris discriminabatur a semine serpentino, & facta est istius fœderis promulgatio pariter & dispensatio, suæ ætati congruens, h. e. crassior & rudior, protoplastis tamen, seu ex reliquiis violatæ & deperditæ primævæ sapientiæ; seu ex succedente per regenerationem, ejus renovatione, per novam illuminationem; seu per vivam Creatoris expositionem; seu ex *θεοπνευγίᾳ*, satis procul dubio perspicua, & ad posteros propagabili, & propagata etiam generatione Caini & Abelis, prout ex eorum sacrificiis, seminis promissi calcaneum conterendum figurantibus, atque etiam ex vestitura hominis (juxta plurimos, tam ex antiquis; quam ex recentioribus) per pelles sacrificiorum, videtur colligi posse, ut quæsitis ambagibus ortum sacrificiorum, aliunde quam ab institutione divina, eorumque usum liberum, fingere non teneamur. A nativitate Caini & Abelis, genus humanum mox feceſſit in duas civitates, seminis scil. *muliebris* & serpentini, & utriusque statim etiam sese prodidit implacabilis inimicitia, juxta statutum Dei Gen. III. 15. conatusque seminis serpentini, ad tollendum e medio semen mulieris, quando Cain Abelem fratrem causa sacrificii melioris exstinxit. Cui tamen, in gratiam conservandæ Ecclesiæ, ceu seminis muliebris, Deus confestim substituit Sethum, in cujus familia, Ecclesia & fœdus gratiæ conservaretur proseminareturque.

Series Patriarcharum primi curriculi Patriarchalis.

XV. Sub hac prima fœderis gratiæ dispensatione, viva Patriarcharum voce, clarius procul omni dubio explicata, Ecclesia exegit annos circiter cIↃIccLVI. usque ad diluvium, secundum calculum textus hebræi, hunc excedente editione græca LXX. Interp. per annos Dc. ficut ex adverso deficiente codice Samaritano, per annos omnino cccxLIX. Prælucentibus Ecclesiæ (si Abelem connumeres ab initio, & Noachum antediluvianum a fine) undecim Patriarchis, nisi forte plures fuerint, per universum orbem, a Scriptura non nominati. In nominatis saltem, *primus* est Adamus, omnium mortalium primus, quicquid ogganniat Peirerius Præadamita. Patre Deo non natus; sed creatus ex terra rubra virgine, a quo nomen est consecutus אדם, in quo frustra venantur mysteria, & Caballistæ, & Patres quidam. Illi quidem ex tribus literis, *κατὰ* Notaricon effecerunt Adam, David, Messias; quod spiritus Adami transierit primò in Davidem, tum in Messiam: hi ex quatuor eius græcis literis, effecerunt quatuor mundi plagas, *ἀνατολὴν orientem*, *δύσιν occidentem*, *ἄρκτον septentrionem* & *μεσίμβριαν meridiem*, ex quibus collecta fuerit terra rubra, e qua efformatum est ejus corpus. & in quas propagatione dissem-inandum erat. Productus putatur die postremo Octobris nostri, anno periodi Julianæ 730, saltem die sexto ab orbe condito, post creata reliqua, ut hospitium præhaberet, & alimenta commoda ex creatis dudum, in Paradiso, qui in tractu Hebron, terra & amœnissima & fertilissima: corpore pulcherrimo quidem; sed non giganteo, ut somniant Thalmudistæ, multo minus bicorporeo, ut esset *ἀνδρόγυνος*, ut iidem absque ratione & auctoritate volunt. Corpori Deus insufflavit animam נשמת חיים, spiraculum vitarum omnium, etiam *rationalis*, ut haberet, qui opera creationis posset cognoscere, & Creatoris infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem aliasque perfectiones prædicare, & Creatori gloriam creationis refer-

Primus Adam.

re, ad hoc etiam eundem efformavit ad ſuam imaginem, cognitione, juſtitia & ſanctitate fulgentem, ſaltem, per egregiam ſapientiam, animantibus ſua cuique nomina convenientia impoſuit, ut ſuum in ea dominium profiteretur, & poſt hæc, etiam *fœdus naturæ* cum eo pepigit, violatum turpiter brevi poſt acceptum. Uxorem ei conjugavit, corpore tenus ex ejus dormientis coſta efformatam, ut inde ſuam dependentiam & ſubjectionem verſus maritum colligeret: de efformatione animæ Scriptura tacet, procul dubio, quod eam eodem modo ei collatam præſupponat, quo mariti: hoc, num intra an extra Paradiſum factum fuerit, Scriptura, clare ſaltem, non dicit. Ea appellata fuit primo אישה, *viriſſa*, adjectâ ratione, quod à viro deſumta fuiſſet, tum etiam חוה, quod *mater* futura eſſet *omnium viventium*, quod parum recte ad *ſpiritualiter* viventes quidam reſtringunt, quo ipſo dicere coguntur, quod & mariti mater *ſpiritualis* fuerit, licet ſibi non tantum præexiſtentis corporaliter, & viventis etiam ex fide & regeneratione, *ſpiritualiter*: quod hac repudiata, poſtmodum duxerit *Lilith*, ex qua dæmones prognati fuerint, Judæi absque Scriptura & ratione, fingunt. Eam Deus Adamo dedit, ut ei eſſet *adjutorium* עזר כנגדו, *auxilium e regione ejus*, ſcil. potiſſimum in procreatione ſobolis. Hinc ex ea ſuſcepit gemellos, Cainum primogenitum, poſtea agricolam, & Habelem poſtea paſtorem. Uterque horum; ſed diverſo modo, Deo ſacrificavit: ille e frugibus, quaſi ſacrificium εὐχαριστικὸν, ac ſi peccatum & miſeriam, à qua effuſione ſanguinis liberatur, non agnoſceret: hic, ex pecoribus ſuis mactatis, ut ſe per peccatum, quavis mactatione ſeu morte dignum, ſemen mulieris, pro hac olim mactandum, & ſuam in illud ſemen fidem profiteretur, à quo πλέονα θυσίαν, παρὰ Καὶν, obtuliſſe Deo prædicatur Heb. xi. 4. Quod Cainum adeo habuit male, ut ipſum e medio ſuſtulerit. Vixit Adam annos 930. Gen. v. 5. ſepultus putatur, quamvis citra auctoritatem divinam, in tractu Hebron, ſalutem æternam, procul dubio, adeptus, quod admiſsâ promiſſione ſeminis muliebris contrituri caput ſerpentis, in Meſſiam crediderit. *Secundus* ergo in numero Patriarcharum fuit, quem diximus *Habel*, dictus à *vanitate*, quam in eo agnoverint parentes, hinc הבל, non אבל à *luctu*, appellatus fuit. Ejus ſtudia, ſacrificationem & obitum, dudum notavimus. Caini προσωποχαφίαν & mores ſuo loco habebimus. Hujus ætatem Scriptura non dicit, quod per eum Eccleſia non eſſet propaganda: *Tertius* in Patriarchis fuit Seth, שת à שות *poſuit*, cujus nativitatem & denominationem Scriptura dicit Gen. iv. 25. De ejus indole, moribus, ſtudiis aliisque, Scriptura nihil habet, ſubſtitutus fuit Habeli, per quem Eccleſia propagaretur, anno Adami cxxx. Gen. v. 3. 4. 6. Vixit annos 912. De ejus morte & mandatis ad liberos, nonnihil habent Patricides & Elmacinus, quod liberos per ſanguinem Habelis adjuraverit, ne quisquam eorum de monte ſancto, ad Cainitas deſcenderet, nec cum illis ulla ratione miſcerentur, addunt, filios ipſum ſepeliviſſe in *ſpelunca ſecreta*. *Quartus* Patriarcha fuit Enos, natus anno Sethi cv. Gen. v. 6. Nomen אנוש ſonat *hominem*; ſed miſerum & oblivioſum, diſtinctum ab ארם *vir*, ſcil. egregius. Ejus tempore cœptum dicitur invocari nomen Domini Gen. iv. 26. Videtur ſignificari exordium cultus publici. Perperam autem Hebræi, & inter eos Maimonides, τὸ הוחל reddunt per *profanari* cœpit, ut exordium profanati nominis, ſeu cultus divini, atque peculiariter idololatriæ referant ad tempora Enoſchi, & nominatim ad hunc Patriarcham velut auctorem, quibus hactenus accedit Seldenus, ut ſtatuat his temporibus, negligi cœpiſſe invocationem nominis divini, ſeu cultus publici. *Quintus* Patriarcha exſtitit Cainan. *Sextus*, Malaleel; *Septimus*, Jared: de quibus, præter familiam & ætatem, vix quicquam memorat Scriptura Gen. v. 9. — 21. quippe intendens tantum, propagationem genealogicam Eccleſiæ in familia Sethi, patefacere, licet Cainani Elmacinus tribuat, quod *rexerit populum ſuum*, *regimine pulchro*, & quod Malaleel Jaredum præfecerit filiis ſuis. *Octavus* Patriarcha Enoch, quem ſecluſo Habele, *Septimum* dicit B. Judas Jud. vſ. 14. Nomen חנוך, *conſecraneum*, ſeu conſecratum, puta Deo, notat. Hunc gratis, Jarchius calumniatur, hypocritam fuiſſe, & hinc intempeſtiva morte ſublatum fuiſſe, quamvis alii ex Hebræis, eum Prophetam agnoſcant, & quidem in gradu excelſiore tali, qualis fuerit inter Moſen & Eliam. Saltem Propheta eſt, Judæ Apoſtolo Jud. vſ. 14. 15. quando eum *prophetaſſe* dicit, licet non exprimat, num ſcripto, an voce tantum prophetaverit. Indubitatum eſt equidem, auctoritate Hebræorum Caballiſtarum, Thalmudis; Patrum Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Auguſtini, & etiam modernorum, imprimis Joſephi Scaligeri; exſtitiſſe ſcriptum aliquod ſub nomine Enochi, cujus etiam fragmentum exhibet Scaliger, in notis ad græca Euſebii, exiſtimatque vaticinium Judæ ex eo ſcripto fuiſſe hauſtum: ſed perinde indubitatum videtur, iſtud ſcriptum eſſe ſpurium & pſeudepigraphum: cum vix ulli in mentem venire queat; ſcriptum tanti Prophetæ, tantæque antiquitatis, in canonem non fuiſſe admiſſum, aut admiſſum, incuria Eccleſiæ, ex eodem excidiſſe. Quicquid ſit, ſaltem Propheta fuit, vera fide præditus, & viva etiam, ut ex ea ambulaverit coram Deo, ei gratus, & in præmium, ſurreptus fuerit, non in Paradiſum terreſtrem, ex quo proditurus olim ſit, ut occidatur ab

Secundus Habel.

Tertius Seth.

Quartus Enoſch.

Quintus Cainan. Sextus Malaleel. Septimus Jared. Octavus Enoch.

Nonus Methuſalah.

ab Antichriſto, ut Romanenſes ſomniant, ne ſcil. papa ſit Antichriſtus. *Nonus* in Patriarchis fuit מתושלח *Methuſchelach* Gen. v. 21. 25. Notat, vel *hominem miſſum*, ſeu *mortalem miſſum*, ſeu *mortis miſſile*, *jaculum*. Forte quod corruptiſſimis temporibus natus, à parentibus habitus ſit, quaſi miſſus à Deo, qui mundo mortem, ſibi à diluvio imminentem, inſinuaret. Fuit omnium mortalium μακροβιώτατος, expletis annis 969, ut cum Adamo, cui convixit per annos CCCXLIX. exhauſerit univerſum tempus primi mundi. Mortuus videtur ipſo diluvii anno.

Decimus Lamech.

Decimus in Patriarchis antediluvianis fuit Lamech, Gen. v. 25. 28. Caute diſtinguendus ab impio Thraſone Cainita, ſibi ſynchrono, polygamiæ auctore Gen. IV. 19. Hujus Scriptura non dicit, niſi ortum & nativitatem à Patre Metuſchalecho, anno ætatis ejus CLXXXVII. Gen. v. 25. generationem Noachi hujus anno CLXXXII. factam, & egregium ejus votum gratulatorium, quo ſuæiſti generationi applauſit Gen. v. 29. *Hic nos ſolabitur in opere noſtro, & in dolore manuum noſtrarum, propter terram, cui Deus maledixit*, cujus vim repræſentabimus §. ſeq. & huic denominationem filii ſui adaptavit, quando eum *Noach* appellavit, & obitum, poſtquam annos vixiſſet IↃCCLXXVII. & genuiſſet filios & filias. Fuit tandem ſub hoc curriculo *undecimus* Patriarcha Noachus *antediluvianus*, poſtdiluvianum enim dicemus ſub curriculo ſequente, natus fuit anno Patris Lamechi CLXXXII. Nomen habuit à *conſolatione*, ex voto Parentis, quod ſibi in eo repræſentare videretur Meſſiam, eos liberaturum à maledictione terræ. Filios genuit, anno ætatis quingenteſimo, Semum, Japhetum & Chamum Gen. v. 32. Mundum egregie corruptum, ſerio provocavit ad pœnitentiam, ejus defectui denunciavit exitium, per imminens diluvium, adverſus quod, ſuorum ſaluti proſpecturus, ex mandato & præfiguratione divina, conſtruxit *arcam* תבת, κιβωτὸν, ex lignis *Copher* an עצי גפר lignis *cupreſſinis*, quæ varias habuit contignationes, in uſum variorum animantium, quibus in hunc uſum, competebant varii *nidi* קנים: quam porro illinivit reſina ſeu camphora, ad commenſum corporis humani. Hujus longitudo fuit trecentorum cubitorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta Gen. VI. 15. Ei oſtium fecit à latere, & feneſtras contignationibus commodas. Qui plura deſiderat de ſtructura arcæ, conſulere poterit Temporarium, Torniellum & Buteonem, qui in hoc ex profeſſo fuerunt occupati. Conſtructæ arcæ Noachus, primo familiam ſuam, Eccleſiæ compendium pariter & figuram, immiſit tum animalia, pura & impura, ut ex puris numero excedentibus, abſque diſpendio ſexus, ſibi ſuppeteret materia ad ſacrificia, atque tandem commeatum, cuivis congruum ad ſuſtentationem. Quæ dicuntur Gen. VI. Cui apparatui ſucceſſit ipſum diluvium cap. VII.

Undecimus Noachus.

XVI. Quantum ad ſtatum Theologiæ, ſub hoc curriculo. Habuit illa generaliter univerſam Theologiam *naturalem*, tam *connatam*, in reliquiis ſapientiæ juſtitiæ originalis, quæ ad Gentiles etiam tranſiit, teſte Apoſtolo Rom. I. 19. 20. quam *acquiſitam*, ex contemplatione creaturarum Pſal. XIX. 1. cum quoad *cognoſcenda*; tum quoad facienda: quamvis ab eo, quæ obtinebat ſub ſtatu integritatis, perquam diverſam, 1. quoad perfectionem, quatenus, jam ablata juſtitia originali, mens humana hebetior eſt facta. 2. quod ad vitam æternam conſequendam, jam non amplius ſufficeret, propter peccatum: quod reconciliatoris cognitionem exigit Act. IV. 12. Joh. XIV. 6. interim ſufficientem ad ἀναπολογησίαν homini adducendam. Acceſſit ergo Theologia *ſupernaturalis*, in revelatione *fœderis gratiæ*, cujus θεολογούμενα repræſentavimus lib. v. cap. 1. quod implicabat omnia illa, quæ ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria Gen. III. 15. Habuit peculiariter 1. Artificium vivendi Deo, in quo Theologia nobis conſiſtit, ut patet in Enocho ambulante cum Deo Gen. v. 24. cum Heb. XI. 5. Habuit 2. verbum Dei, ut patet, cum ex colloquiis Dei cum Patriarchis, nominatim Adamo Gen. III. & Noacho Ibid. cap. VI. ut nihil addam de Patriarcharum θεοπνευσίᾳ, quatenus Prophetæ fuerunt, ut patet in Enocho Jud. vſ. 14. adeoque ſancti illi homines, qui loquebantur acti Spiritu S. 2 Pet. I. 21. Huic verbo ſuperſtructa fuit fides eorum divina. Quamvis non habuerit verbum Dei *ſcriptum*. Neque contrarium patet, vel ex fictitiis Sethitarum duabus columnis, quas Joſephus ἀπὸ γραφῆς tradit; vel ex Prophetia Enochi, quæ viva voce tantum exſtitit. Habuit 3. Fidem veram, quæ diſerte tribuitur Habeli Heb. XI. 4. & Enocho vſ. 5. Habuit 4. cognitionem Dei, quocum loquebantur Adamus, Cainus, Noachus, peculiariter eorum ejus attributorum, quæ elucent ex operatione creationis Rom. I. 19. 20. item *gratiæ*, quam expertus dicitur Noachus Gen. VI. 8. & juſtitiæ *vindicativæ*, in punitione protoplaſtorum, Caini & primi mundi. Habuit etiam 5. cognitionem Trinitatis, non modo ex Gen. I. 1. 26. ſed & ex continuata conſtructione, ſeu promiſcua uſurpatione nominum *unitatis* יהוה, & *pluralitatis* אלהים Gen. VI. 3. 5. 6. 7. 8. cum verſ. 11. 12. 13. Ut nihil addam de traditione Adami. Habuit 6. cognitionem operum divinorum, nominatim creationis Gen. I. Item 7. Imaginis divinæ in homine Ibid. 26. quae conſiſtit in *rectitudine* Eccl. VII. 29. ſeu juſtitia originali Eph. IV. 24. Habuit 8. cognitionem providentiae divinae, tam generalis, qua proſpicit citra exceptionem omnibus etiam animalibus Gen. VI. 19. — quam ſpecialis, qua creaturarum rationalium

Status Theologiæ ſub primo curriculo Patriarchali.

curam gerit, docendo, præcipiendo, prohibendo, promittendo, comminando Gen. IV. 9—15. & VI. 3.— Habuit 9. cognitionem fœderis naturæ Gen. 11. 16. 17. de quo, per lib. III. cap. XII. ex professo. Habuit 10. cognitionem violationis hujus fœderis Gen. III. 1.— de qua lib. IV. 1. Item 11. peccati utriusque, originalis Gen. V. 3. & VI. 5. & actualis Gen. IV. 10. 11. & VI. 11. 12. Habuit 12. cognitionem pœnæ & miseriæ, ex peccato oriundæ Gen. III. 13.— & V. 29. Habuit 13. cognitionem fœderis *gratiæ*, sicut diximus. Item 14. Mediatoris hujus, quoad ejus (*α*) personam, quâ futurus esset *homo*, *semen mulieris*, & *Deus*, qui serpenti Satanæ posset conterere caput Gen. III. 15. quo etiam spectare possit illud Evæ Gen. IV. 1. קניתי איש את יהוה, *acquisivi virum Jehovam*, seu virum illum Messiam qui est Jehova, ut coincidat cum איתיאל Prov. XXX. 1. & עמנואל Jes. VII. 14. Quamvis non abnuam, verba textus illius, & sensus alios admittere posse, & perinde etiam commodos, ita ut את sonet *cum* Domino, seu ut ponatur pro מאת *à cum* Domino: saltem, præsuppositio peccato, etiam significationem ferre potest articuli accusativi, *Dominum*, seu acquisivi virum illum, qui est Jehova. (β) ejus *mortem*, ex calcaneo, ei per serpentem, seu semen serpentinum, conterendo. (γ) *efficaciam* mortis, ex contritione capitis, è morte ista secutura, Conf. Heb. II. 14. Rom. XVI. 20. Item ex consolatione illa, quam Lamechus sibi pollicebatur, ex Noacho, velut typo Messiæ Gen. V. 29. *Hic nos solabitur à dolore manuum nostrarum, & à* MALEDICTIONE *terræ.* Et omnium efficacissimè, ex sacrificio Habelis, ex mactatis suis pecudibus, quibus mortem & sanguinem sacrificiorum substituebat suo reatui, ad sui reconciliationem, typicam sane, quæ veram sibi repræsentaret, in sacrificio seminis muliebris, olim contrituri caput serpentis Gen. III. 15. Habuit 14. cognitionem *justificationis* per fidem, ut patet in Habele, quando per *fidem* dicitur *acceptus* fuisse Deo, ut *justus* esset apud ipsum Heb. XI. 4. & Enocho Ibid vs. 5. 6. Habuit 15. cognitionem *adoptionis*, ex eo, quod filii Ecclesiæ, seu Sethitæ dicantur *filii Dei* Gen. VI. 2. Habuit 16. cognitionem *sanctificationis* & respiscentiæ, inculcatæ mundo per Noachum Gen. VI. 3. Habuit 17. cognitionem *glorificationis*, in Enocho, qui absque morte assumptus est in cœlum Gen. V. 24. cum Heb. XI. 5. Habuit 18. cognitionem reditus Christi ad judicandum vivos & mortuos Jud. vs. 14. 15. Habuit 19. cognitionem æternæ condemnationis propter peccata. Ibid. & consequenter oppositæ salvationis. Ex istis 20. habuit cognitionem resurrectionis è mortuis. Habuit 21. cognitionem *Ecclesiæ*, ex *semine mulieris* Gen. III. 15. item ex Sethitis, ceu filiis Dei, contradistinctis Cainitis, ceu filiis hominis Gen. VI. 2. Habuit 22. cognitionem ministerii ecclesiastici, ab Enocho, qui Prophetam egit primo mundo Jud. vers. 14. item à Noacho. qui ex præscripto divino, mundum degenerem provocavit ad pœnitentiam Gen. VI. qui & *præco justitiæ* appellatur 2 Pet. II. 5. Habuit 23. cognitionem qualemcunque Sacramentorum, ex *arca* Gen. VI. 14. cum 1 Pet. III. 20. Habuit 24. cognitionem disciplinæ ecclesiasticæ, in ejectione hominis è paradiso, & seclusione ejus à participio arboris *vitæ* Gen. III. 22. 23. 24. item in excommunicatione expulsioneque Caini, à facie suâ, & à familia Patris seu Adami, in qua tum hærebat Ecclesia Gen. IV. 14. Habuit 25. cognitionem *observantiæ*, h. e. omnium eorum officiorum, quæ homo præstare debebat, cum Deo, tum proximo, quæ Deus ipsi præscribebat, cum in Theologia naturali, tum in revelata, seu immediate Adamo, seu mediantibus Prophetis Enocho & Noacho. Speciatim habuit 26. cognitionem Religionis, seu cultus divini, in eis officiis, quæ Deum immediate respiciunt, secundum priorem Decalogi tabulam; ab hoc Enochus dicitur *ambulasse cum Deo* Gen. V. 24. cum Heb. XI. 5. Nominatim habuit 27. cognitionem cultus Dei *naturalis*, qui primo præcepto continetur, hoc est, omnium eorum officiorum, quæ ex agnitione Dei profiliunt, qualia sunt ut Deum agnosceret, diligeret, velut summum bonum, ut revereretur velut supremum Dominum, ei obsequeretur velut independenti legislatori, ei se submitteret velut creatura suo Creatori, in eo fiduciam collocaret, tanquam fidelissimo in omnibus promissis suis, in ejus voluntate acquiesceret in quavis sorte, velut supremo δεσπότῃ. Sine his enim officiis, non potuisset Deum habere pro Deo, nec cum Deo potuisset ambulare Enochus. Habuit etiam 28. cognitionem cultus alicujus *instituti*, à quo dicitur sub Enoscho cœptum fuisse *invocari nomen Domini* Gen. IV. 26. neque etiam Sabbathum sanctificari potuisset, ex Gen. II. 2. nec est, quod efficacius istud dicere possit, quam sacrificatio Habelis & Caini Gen. IV. 3. 4. Neque etiam dubium esse potest, quin 29. agnoverit, cultum istum institutum convenienter celebrandum esse sanctitati nominis istius divini, cum devotione & reverentiâ, absque quibus in vanum sumitur nomen Domini, juxta tertium Decalogi præceptum. Habuit etiam 30. cognitionem status temporis, quo cultui isti instituto solenniter vacaret, per sanctificationem Sabbathi Gen. II. 2. Habuit 31. cognitionem *justitiæ*, seu eorum officiorum, quæ, ex præscripto divino, proximo debebat. Nominatim *honoris* & reverentiæ, quam proximo, ut superiori debebat Gen. III. 26. & *ipso dominium in te habebit*, quo ipso ordinem superiorum & inferiorum Deus stabilivit, & singulis

ſua officia convenienter aſſignavit. ב. *Humanitatis*, qua anniteretur ad vitam proximi conſervandam & focillandam, a quo fratricidium Caini tam rigide exagitavit Gen. IV. 11. 12. 13. & truculentiam Lamechi, impii Cainitæ. Ibid. cap. IV. 23. ג. *Caſtitatis*, quam ipſa commendat matrimonii inſtitutio, & directio notatis ejus officiis Gen. I. 27. 28. & cap. II. 18. 22 23. 24. cum Matth. XIX. 5. notata ex adverſo atro carbone polygamia Lamechi Gen. IV. 19. ד. *Juſtitiæ diſtributivæ*, cujus fundamentum eſt in diſtinctione & proprietate bonorum, quæ patet in diverſis fratrum Caini & Habelis ſtudiis & ſacrificiis Gen. IV. 2. 3. 4. ex quo reſultat, ſuum cuique dandum & relinquendum eſſe. ה. *Veracitatis*, quæ commendatur deteſtatione mendaciorum ſerpentis Satanæ Gen. III. 1. 3. 4. cum Joh. VIII. 44. Tandem ו. *αὐταρκείας* & *contentationis*, cujus oppoſitum ſcil. prava *concupiſcentia*, velut ſcaturigo omnis peccati, in muliere notatur Gen. III. 6. Sic repræſentavimus fragmentula, rudimenta & prima elementa Theologiæ primi mundi, ex ipſis Scripturæ teſtimoniis, equidem parcius ab illa deſignata; quod non tantum ita conveniret ætati iſtius Eccleſiæ infantilis; ſed quod etiam illa, procul omni dubio, diſtinctius explicata fuerint, viva Patriarcharum voce, & vel maxime ex eo quod eadem fuerit Theologia ſequioris Eccleſiæ, expoſita articulatim per Moſen & Prophetas.

Status Eccleſiæ ſub primo periodi Patriarchalis curriculo.

XVII. Hinc nobis properandum ad *ſtatum* etiam Eccleſiæ, cujus Theologiam ex ſuis ruderibus jam conſtruximus. Fuit ſane, ſi cumprimis mores ejus ſpectes, longe corruptiſſimus, & cum degeneris mundi plane colludens Gen. VI. 2. Exortum etiam ſub hoc curriculo, ſchiſma geminum: alterum univerſale, implacabile, & quaſi æternum, ſcil. inter ſemen *mulieris*, & ſemen ſerpentis, ex quo omnis apoſtaſia, hæreſis, ſchiſma, odium & perſecutio ſequiorum omnium temporum, originem traxit; à quo, non inepte Auguſtinus, omnem hominum familiam, in duas familias diſpeſcit, Dei & Satanæ: alterum *particulare*, inter Sethitas & Cainitas. *Sethitas* Scriptuta videtur appellare *filios Dei* Gen. VI. 2. ſicut Cainitas *filios hominum*. Ibid. Neque enim per illos intelligi poſſunt Angeli, utpote qui, ceu Spiritus, nec generantur, nec generant, judicio Servatoris Luc. XX. 35. 56. Matth. XXII. 30. Quamvis aliter olim, cum Joſepho, Philone, LXX. Interpp. Hebræi, Patres plurimi, cum Græci, tum Latini, &, neſcio qua cauſa, nuper Doct. Druſius. Neque etiam in aſſumtis corporibus generare poſſunt, ut volebat F. Valeſius, Thomas Aquinas I. part. Quæſt. 18. Art. 3. & cum his plerique Scholaſtici, agnoſcente & improbante Peirerio, & ex noſtris Zanchius: eo quod ex uno ſanguine prognatum dicat, *πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων* Act. XVII. 26. indignum etiam videatur, homines naſci ex diabolis. *Πρώτον ψεύδος* videtur fuiſſe, non modo in perperam intellecto loco Gen. VI. 2. ſed etiam in ſpurio & *ψευδεπιγράφῳ* libro Enochi. Nec magis etiam per *filios Dei* intelligi poſſunt filii Magnatum, Judicum & qui *filias hominum*, hoc eſt plebeias duxerint in Matrimonium: ut cenſent Hebræi plurimi, teſte Aben Ezra, & cum illis Seldenus, Mercerus, Wilh. Hen. Vorſtius, quaſi illas vi rapuerint: in hoc enim non fuiſſet illud ſcelus, quod notat textus, nec *rapuiſſe* dicuntur, ſed duxiſſe ſibi uxores. Quinam igitur ſunt *filii Dei* בני אלהים? Sunt Sethi Patriarchæ poſteri, quem Deus pro Habele *poſuerat* Eccleſiæ propagandæ fundamentum, prout non obſcure patet ex tenore textus ſacri: hic enim poſtquam Gen. IV. 26. narraſſet Setho natum fuiſſe Enoſchum, ſub quo cœperit *invocari nomen Domini*, ſeu exerceri cultus divinus; nunquid videtur innuere, fuiſſe hoc hominum genus diverſum à prophanis aliis, & ab hoc, velut ſectatores Dei, appellatos fuiſſe *filios Dei*? In quam ſententiam eunt Maimonides, liber Coſri; Suidas, Auguſtinus, Theodoretus, Patricides Patriarcha Alexandrinus & alii. Horum Sethitarum ſucceſſionem ac *θεολογήματα* jam ante repræſentavimus. Quantum ad Cainitas, videntur illi appellari *homines*, *filii hominum*, contradiſtincte ad *filios Dei*, eo fere modo, quo mundus diſtinguitur ab Eccleſia Rom. XI. 15. Joh. III. 16. Schiſmatis hujus *origo* ſic ſe videtur habuiſſe. Cainus, ob fratricidium excommunicatus à familia paterna, eoque & ab Eccleſia, in terram Nod, item à *facie Dei*, h. e. à gratia ejus ſalutari, maledictus, vagabundus per terram Gen. IV. 14. deſtitutus omni directione, & divina, & paterna, deſtitutus omni verbo divino, ſibi plane relictus; non potuit habere ſibi magis facile, quam prolabi in errores quosvis, & flagitia quævis. Et quamvis forte adhucdum ſibi præſentes habuerit *παραδόσεις* paternas, de ſemine mulieris contriturо ſerpenti caput, item de cultu divino in ſacrificiis: illæ tamen lapſu temporis, paulatim videntur exſpiraſſe, & neglectæ ſaltem, ad filios & nepotes non propagatæ, hinc illæ lachrymæ.

Origo Schiſmatis.

Schiſma inter ſemen mulieris & ſerpentis.

Schiſmatis ergo Patriarcha fuit Cainus filius Adam, poſt ſacrificium, à Deo rejectum, livore fratrem occidens, hinc maledictus & excommunicatus à Deo, profugus in terram Nod, ibidem ſtruendæ urbi futuræ, quaſi ſedi & Metropoli Eccleſiæ ſchiſmaticæ, ſeipſum impendit, eamque Chanochiam, à filio primogenito, inſignivit. Schiſmatis propagator ſecundus fuit חנך *initiatus*, forte quod eum ſibi ſecundum, & in ſchiſmate ſacerdotem, ac ſucceſſorem deſignaret. Tertius, עירד *Irad*, quod Hieronymo eſt *civitatis diſſenſio*. Quartus מחויאל *Mehuiael*. Quintus מתושאל *Methuſchael*. Sextus למך, *Lamech*. Septimus

Hæreſiarchæ hujus Schiſmatis.

יבל *Jabal*. Octavus יובל *Jubal*. Nonus תובלקין *Thubalcain* Gen. IV. 17—25. Quoad Iradum, Mechuiaelem, Methuschalechum, Scriptura nil habet nisi nomina, forte ut successionem in Ecclesia schismatica perinde habeamus, ac in vera. Circa Lamechum narrat ejus polygamiam, inde ortas inter uxores lites, quas ille reprimere conatus fuerit, seu truculento, seu Thrasonico alloquio Gen. IV. 23. *Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermoni meo, quod virum occidi in vulnere meo, & puerum in livore meo. Quod septuplum vindicabitur Cain, & Lamech septuagies septies.* Quod ad occisum à se Cainum *virum*, & Thubalcainum *puerum*, vulgus Hebræorum, cum Orientalibus Patricida, Elmacino, item Lyrano, referunt Pontificii. Suidas in voce Λάμεχ, ad duos fratres sanctos Enochi traducit, additque hunc morem fuisse Cainitarum, ut sanctissimos è Sethitis, persequerentur & occiderent. De *Jabal*, Lamechi ex Ada filio, Scriptura addit, quod fuerit *Pater inhabitantium tentoria & pecuariorum* Genes. IV. 20. De *Jubal*, quod *Pater* fuerit *eorum omnium, qui citharam & organum contrectant.* Ibid. vs. 21. De *Thubalcain*, quod fuerit *malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* Ibid. vs. 22. & quod ejus soror fuerit *Naëma*, quam à Mose peculiariter commemorari volunt Hebræi in Bereschith Rabbah, R. Sal. Jarchi, quod fuerit uxor Noachi. De omnibus his schismaticorum Cainitarum, nil spirituale, cuncta temporalia & carnalia, narrantur, ut ex eorum studiis, eorundem indolem agnoscamus. Ex schismate, ut fit, etiam *hæresis* nata videtur, quam B. Judas significare videtur ὁδῷ τοῦ Καὶν Jud. vs. 11. ὁδὸν enim frequenter significare in Scripturis Religionem seu Theologiam, notum est ex Psal. XXV. 4. Gen. XVIII. 19. Deut. XXXII. 4. Matth. XXII. 16. Act. XXIV. 14. Capita autem hæreseos Cainiticæ determinare, non admodum est proclive, quod Scriptura circa ista admodum existat parca, nec nisi ex Geneseos cap. IV. Heb. XI. & ex Epistola 2 Petri cap. II. & Judæ, quicquam hic certo definiri possit. Certum tamen videtur, sequiores saltem Cainitas, post Cainum 1. nullum habuisse verbum divinum, cum θεοπνευγία per hoc curriculum, non fuerit nisi penes Sethitas. Hinc etiam 2. non habuerunt fidem divinam, utpote quæ non nititur nisi revelatione divina. Nec 3. habuerunt veram obedientiam, ut quæ præsupponit officia sibi divinitus præscripta. Hinc 4. non videntur habuisse cognitionem Trinitatis, quæ haberi nequit aliter quam ex revelatione divina. Et quia 5. sibi relicti, nec nisi ratione corrupta præditi, perinde ac gentiles sequiores, capti admiratione syderum, Solis, Lunæ reliquorumque, proclive ipsis fuisse, ipsis deferre cultum *religiosum*, eoque prolabi in idololatriam: sed quia Scriptura de hoc nihil determinat, non ausim & ego ipsis imputare. Saltem certum est, hinc idololatriam colligi non posse, ut complures volunt, cum Hebræi, tum Christiani, ex Gen. IV. 26. Nec habuerunt Cainitæ 6. fidem in semen mulieris, eique annexa capita: quod ea Patriarchæ hujus hæreseos, satis clare videatur abrogari Heb. XI. 4. Et ipse etiam Cainus sacrificium è frugibus Deo fecerit, magis εὐχαριστικὸν, quam ἱλαστικὸν. Ex defectu veræ fidei 7. cuncta eorum sacrificia, si quæ apud ipsos obtinuerint, & universus eorum cultus divinus, non potuerunt placere Deo, ad justificationem, prout ei placuit sacrificium Habelis Heb. XI. 4. adeoque videntur nullam habuisse gratuitæ justificationis, quæ est ex fide sola in semen mulieris contriturum caput serpentis, cognitionem. Saltem apud ipsos viguit 8. polygamia, ut patet in Lamecho Cainita Gen. IV. 19. Atque insuper 9. corruptissimi mores Gen. VI. 5. Nominatim 10. carnalitas, quæ appareat ex eorum studiis carnalibus, ædificatione urbium, adinveniendis artibus mundanis, pastoritiæ, instrumentorum musicorum, fabrilium in ære & ferro, quæ dudum diximus, deficientibus interim studiis spiritualibus. Hæc igitur est hypotyposis hæreseos Cainiticæ. Nec etiam hic defuerunt persecutiones ecclesiasticæ, ut patet in fratricidio Caini, atque etiam, si Suidæ credimus, in homicidiis Lamechi versus Sethitas Gen. IV. 23. Sublatum fuit hoc Schisma, & exstincta ejus hæresis, per diluvium. Fuit interim sub hoc curriculo Ecclesia per annos cIↃ IↃCLVI.

Capita hæreseos Cainiticæ.

Persecutiones ejusdem.

XVIII. Succedit ergo secundum Periodi Patriarchalis curriculum, à diluvio procurrens ad Abrahamum, per annos CCCLII. circiter, secundum calculum Hebræum. Circa istud considerandaveniunt, *primo* renovatio & amplificatio fœderis gratiæ duplex, *prior* ante diluvium accidit, adeoque ad curriculum præcedens referenda esset; sed ut integram historiam Noachi habeamus in promtu, non divellemus. Circa istam nobis obvia sunt 1. Ejus fundamentum, *gratia* divina Gen. VI. 8. amor διακριτικὸς præ mundo, amor Dei plane gratuitus & indebitus, quo illum, absque ullo merito, aut prævisa dignitate aut operibus, castitate aut similibus, ut volunt Romanenses, delegit, in quem beneficia fœderis gratiæ præ aliis conferret, ex quâ, præteritis aliis, fœdus gratiæ cum ipso pangeret vs. 18. qua ipse cum familia salvus esset, ab exitio diluviali, tum temporali, tum spirituali. 2. *Partes contrahentes*, Deus & Noachus. Ib. Deus inquam, non tantum velut pars; sed etiam velut auctor fœderis, à quo fœdus *meum* dicitur ibidem: tum Noachus, cum familia sua præsente pariter & futura, respectu saltem familiæ Semi, & postmodum etiam respectu Japheti, quem allecturus esset in tentoria Semi. 3. *Argumentum* & materia contractus, quæ erat, tum in promis-

Curriculi Patriarchalis secundi, confœderatio duplex: Prior ante diluvium;

promissione divinâ, de præservando eo, cum universa familiâ, & propter ipsum, velut typum Christi, ab exitio diluvii, cum temporalis, tum spiritualis; & *stipulatione*, ut fide construeret arcam, & in eam ingrederetur ipse, cum universa familia suâ, è quâ tum consistebat Ecclesia, quæ figuram habebat Christi, cujus solius ope conservanda esset Ecclesia 1 Pet. III. 20. Porro 4. *Occasio* confœderationis, erat extrema mundi corruptio, & hinc ei imminens miseria & exitium, cum naturale, tum spirituale Gen. VI. 3. — Proinde intus gratia & misericordia. Porro 5. partes contrahentes, *Deus*, stipulans structuram arcæ, ingressum in eandem, & apparatum sufficientis commeatus, pro incolis arcæ: & promittens præservationem ab exitio diluviali Gen. VI. 14. — *homo* Noachus cum suis, h. e. Ecclesia promittens & præstans stipulata Gen. VII. 5. & stipulans conservationem promissam, quæ involvitur promissioni. Finis hujus confœderationis proximus quidem fuit præservatio ab exitio diluviali (tum Noachi, tum familiæ suæ, h. e. Ecclesiæ, tam præsentis, quam futuræ) corporali pariter & spirituali, eique opposita conservatio in vitâ, non duntaxat corporali; sed etiam spirituali & æterna; remotior autem demonstratio gratiæ versus Noachum & Noachidas, h. e. Ecclesiam. *Posterior* confœderatio cum Noacho & suis, secuta est diluvium Gen. IX. 9. immissum & sublatum: cujus considerandæ veniunt 1. Occasio & causa movens, nimirum mundi & Ecclesiæ præservatæ conservatio ab alio diluvio, ejusque restauratio, cujus causa impellens hic non alia fuit, quam prioris illius confœderationis, nimirum *gratia*, quâ Noacho cum suis, benedixit Gen. IX. 1. 2. Partes contrahentes itidem fuerunt, cum Deus, tum Noachus, cum sua familia, præsente pariter & futura, h. e. cum Ecclesia, & propter eam, cum mundo quoque. Deus quidem *stipulabatur* propagationem generis humani Gen. IX. 1. 7. fugam homicidii vs. 5. 6. abstinentiam a carne viva vs. 4. fidem versus promissa sua, quam confirmaturus, homini pro Sacramento extraordinario præstitit ibidem vs. 12 — 19. *Promittebat* præservationem ab exitio diluviali vs. 11. homo ex adverso, tacite promittebat stipulata, & stipulabatur præstanda sibi promissa, quæ quidem, saltem ex parte hominis, in textu non exprimuntur; interim tamen, ut observavimus circa præcedentes confœderationes omnes, in fœdere naturæ, & euangelico primo, præsupponuntur, ut ex reciproco consensu coalescat fœdus, Sacramento itidis confirmatum.

An in utraque fuerit confœderatio spiritualis?

XIX. Præcipua hujus negotii difficultas est: an in duplici hac confœderatione, fuerit renovatio fœderis *gratiæ*, in Christo fundati. Sunt qui fœdus mere temporale censent, adeoque negant: sunt qui affirmant, sic Rivet. in Gen. VI. *Exercit.* LIII. Pareus *in Gen.* VI. 18. & in cap. IX. vs. 11. Perkinsius *in Heb.* XI. 7. Hen. Ainsworth *in Gen.* VI. 18. &c. cum his statuendum censeo, propter sequentes rationes: *α.* quod *omnes Dei promissiones in Christo sint etiam atque amen* 1 Cor. I. 19. 20. cum 1 Tim. IV. 8. & Gal. III. 17. & Heb. XIII. 8. *β.* Quod Noacho fides tribuatur ab Apostolo, quâ factus fuerit *hæres justitiæ* Heb. XI. 7. *γ.* Quod negotium conservationis à diluvio per arcam, typice à Petro referatur ad Christum & spiritualia 1 Pet. III. 18 — 22. *δ.* Quod ipsa rei natura hoc suadere videatur: quatenus (1) *Noachus* secundum Scripturas, fuit typus Christi Matth. XXIV. 37. 38. 39. Luc. XVII. 26. 27. 1 Pet. III. 20. 21. 22. cujus typi analogiam distinctius repræsentare, non fert spatium (2) *Arca* typus fuit Ecclesiæ, significante Petro 1 Pet. III. 20. 21. (3) *conservatio* à diluvio corporali, typus fuit conservationis à diluvio spirituali 1 Pet. III. 20. 21. (4) *sacrificium* Noachi, typus fuit sacrificii Christi Gen. VIII. 20. 21. cum Eph. V. 2. Nec obstat A. quod fœdus hoc etiam coierit cum maledicendo Chamo; imo & cum toto mundo: cum promissiones divinæ, in gratiam Ecclesiæ, quandoque factæ legantur impiis; tum etiam fideles (cum quibus fœdus contrahitur) tales sunt, vel *actu*, ut credentes; vel *virtute* seu virtualiter, ut electi nondum conversi; vel *professione* seu fœderaliter, ut Simon magus Act. VIII. 13. & hactenus etiam cum Chamo, tum temporis fidem adhuc profitente, fœdus coire potuit. Non addam distinguendum esse inter fœderis dispensationem *externam*, quatenus respicit beneficia *temporalia*; & *internam*, quatenus respicit bona spiritualia: priori modo Chamus potuit esse sub fœdere, quemadmodum etiam postea fuit Ismaël Gen. XVII. 20. Nec obstat B. quod cum brutis etiam coiisse videatur hoc fœdus: cum non *proprie* ac directe videatur coiisse, eo quod proprie cum eis Deus non possit contrahere; sed *indirecte* tantum, & relative ad homines: sicut enim primo in usum hominis omnia condita sunt Gen. I. 26. 27. 28. & postea, propter peccata hominis, destructa per diluvium Gen. VI. — ita etiam, in gratiam Noachi & posteritatis, jam Deus quasi fœdere promittit perpetuam conservationem Jer. XXXIII. 20. Nec obstat C. quod hoc fœdus externam tantum & corporalem conservationem polliceri videatur: cum, sicut diximus, temporalis hæc conservatio typum gesserit spiritualis.

Rationes affirmantes.

Objectiones negantes.

XX. *Secundo* hic considerandæ venit *series* Patriarcharum, sub qua Ecclesia fuit per hoc curriculum. In hac *primus* est Noachus, quasi bifrons, antediluvianus & postdiluvianus, natus Patre Lamech Sethita, circa annum mundi CIↃ LVI. Nomen gessit à *quiete* (à נוח) quam consolatio afflictis afferre solet Gen. V. 29. Fuit vir *justus* & *rectus*

Hujus dispensationis continuatio & progressus.

Patriarchis. 1. Noachus. *rectus coram Deo*, *in suis generationibus* Gen. VI. 9. & VII 1. non tantum *comparate*, pro ratione generationum istarum corruptissimarum, quasi luscus inter cæcos, ut ex Philone calumniantur Judæi; sed *absolute* coram Deo, non obstantibus generationibus & moribus tam corruptis. Quin & aliis auctor seu præco fuit justitiæ 2 Pet. II. 5. Ex præscriptò divino arcam struxit, eam ingressus est cum universâ familiâ, hinc expertus diluvium universale, toti mundo exitiosum, idque per integrum annum, tum ab eo liberatus, Deo sacrificavit hostiam, εὐχαριστικὴν pariter & ἱλαστικὴν, hinc à Deo benedictus, vivendi leges aliquot accepit, vineas plantavit, earumque liquore inebriatus, se suis turpiter prostituit: est a Semo & Japheto filiis verecunde tectus, postquam a Chamo derisus fuisset. Cum evigilasset, in illos benedictionem, in hunc maledictionem pronunciavit, postea, velut universalis terræ Dominus, terram divisisse fertur ab Epiphanio *de Manichæis*, in filios, idque sorte, cuique suâ parte orbis assignata, in urbe Rhinicorura: sed gratis absque ulla auctoritate, aut ratione ista præsupponuntur. Vixit ante diluvium quidem, annos Ioc. post diluvium CCCL. ut universim anni ætatis fuerint IOCCCCL. Gen. IX. 28. 29. Putatur fuisse Gentilium Xisustrus, Prometheus, Deucalion, Ogyges, Bacchus, Janus, de quo nihil habet Scriptura, fides ergo esto penes Auctores, saltem hoc nihil ad nos.

2. Semus. *Secundus* fuit *Semus*, שם *nomen*, quasi virum dicas, *magni nominis*, celebrem ortu quidem, ut videtur filiorum Noachi secundus, aut dignitate primus, non tantum a benedictione paterna; sed potius, quod in ejus familia fuerit propagata Ecclesia. Interim Chamus dicitur Noachi filius *minor* Gen. IX. 24. Ut natura quidem Japhetus videatur fuisse Noachi primogenitus, Semus secundus, Chamus tertius ac *minor*. Quamvis aliter sentiant, tum Hebræi, tum Patres, atque etiam Josephus Scaliger: verum non est, ob quod hic non sequamur auctoritatem Scripturæ. Est in hoc maxime memorabilis benedictio Patris Noachi Gen. IX. 26. 27. qua Semo benedicturus, Deo benedicit, quod *sit* Deus Semi, & *futurus* etiam per generationes ejus, in fœdere gratiæ. Conf. Gen. XVII. 7. 8. ex adverso maledicturus Chamo, ejus filium Canaan Semo addicit in servitutem: atque insuper Japheto vovet dilatationem tentoriorum, quibus Deus inhabitet Psal. CXXXII. 14. vel potius Japhetum pelliceat, ut habitet in tentoriis Semi, h. e. suo tempore, per præconium Euangelii, alliciantur in communionem Ecclesiæ. Ut uno hoc vaticinio figurentur fata, Ecclesiæ V. T. in Semitis, hostium Ecclesiæ, in Cananitis, & Ecclesiæ N. T. in Japhetitis. Vixit annos Ioc. Gen. XI. 10.

3. Arphacsad. 11. *Tertius* Arphacsad, natus Semo anno secundo post diluvium. Ibid. Vixit annos CCCCXXXVIII. Gen. XI. 13. Huic pro filio LXX. Interpp. tribuunt Cainanem, ei natum anno ætatis CXXXV. cum quibus facit Isaacus Vossius, quamvis ignoratum Hebræis, Samaritanis, Berosо, Onkelosо, Josepho, Philoni, Origeni in Hexaplis, Africano, Eusebio: interim & Genealogiæ Lucæ, nescio quo fato, obrepsit Luc. III. 36. 4. Selah. *Quartus* Selah, natus Arphacsado, anno ætatis XXXV. Ibid. Vixit annos CCCCXXXIII. Ibid. cum hoc videtur construenda origo Monarchiæ Assyriacæ. 5. Heber. *Quintus* Heber, natus Selacho, anno mundi CIↃ IↃCCXXIII. Salæ XXX. Gen. XI. 14. Vixit annos CCCCLXVII. vs. 17. Ab eo, & natio & lingua Hebræorum, ortum duxisse videtur, Hebræis quidem libro Cosri, Aben-Ezræ, R. Gedaliah, Kimchio, Abarbaneli aliisque, itemque Eusebio *Præparat. Evangel.* lib. VII. cap. 21. aliis tamen, puta LXX. Interpp. Gen. XIV. 13. Hieronymo, Augustino, Origeni, Theodoreto, Chrysostomo, & ex recentioribus, Erpenio, Seldeno, Ariæ Montano, videretur, & Gentem & linguam sic dictam fuisse a transitu Abrahami ex Ur Chaldæorum, per Mesopotamiam & fluvium Euphratis, in terram Canaan, & hinc dictum fuisse עברי *transitorem* Gen. XIV. 13. quod sibi patere putant. Prior tamen sententia videtur præferenda, ex Gen. X. 21. item Num. XXIV. 24. Quidni duo conjungemus, ut & ab Hebero, & a transitu Abrahami, sic dicta putentur? Ei construitur Semiramis, uxor Nini. 6. Phaleg. *Sextus* fuit Phaleg, Hebero natus anno ætatis XXXIV. Gen. XI. 16. Vixit annos CCXXXIX. vs. 19. sub hoc facta videtur dispersio gentium, si non prior, quæ dici videtur Gen. IX. 19. saltem posterior & magis distincta & solennis, docente hoc, inter alios, doctissimo Samuele Bocharto in suo *Phaleg*. Videtur etiam sub hoc accidisse structura turris Babel, de qua Gen. XI. Postquam nim. fundamenta jecisset Monarchiæ Assyriacæ Nimrodus Gen. X. 8. 9. 10. Successit 7. Regu. *Septimus* Regu, Phalego natus anno ætatis XXX. Gen. XI. 18. Vixit annos CCXXXIX. Ibid. vs. 20. 21. Construunt ei originem regni Sicyoniorum Africanus, Eusebius & Joseph. Scaliger, & Aventinus Tuiscones, Germanorum auctorem, qui anno post diluvium CXXXI. a Patre missus in Europam venerit, stipatus XX. ducibus. Hinc *octavus* fuit 8. Serug. Serug, Regu natus, anno ætatis XXXIII. Gen. XI. 20. Vixit annos CCXXX. Ibid. vs. 22. 23. Et *nonus* 9. Nahor. Nahor, Serugo natus anno ætatis XXX. Gen. XI. 22. Vixit annos CXLVIII. Ibid. vs. 24. 25. Et tandem *decimus* Therah, natus Nahoro, anno ætatis XXIX. Ibid. vs. 24. Vixit annos CCV. Ibid. vs. 32. De gestis posteriorum, Scriptura admodum est parca, quippe succession & propagationi Ecclesiæ potissimum intenta. 10. Therah.

XXI. Quantum ad Theologiam hujus curriculi; eadem procul dubio fuit, quæ superioris curriculi; Status Theologiæ

giæ, ſub ſecundo curriculo Patriarchali.

riculi: neque enim dubium eſt, quin Noachus, conſtans in fide, eam à primo mundo in ſecundum traduxerit. Hinc eam hoc loco præſupponimus. Habuit tamen ſua additamenta, quoad manifeſtationem: *primo* enim audita hic primum fuit *gratiæ* vox, diſcriminantis Noachum cum ſuis, à mundo Gen. VI. 8. qua electi diſcriminantur à reprobis. Conf. 1 Cor. IV. 7. *Secundo*, audita inſuper *fœderis* vox Gen. VI. 18. & cap. IX. 9. procul dubio, fœderis *gratiæ*, quod juxta electionem æternam diſpenſatur, ut in exegeticis monuimus. *Tertio*, audiuntur hic porro partes hujus fœderis contrahentes: nim. *Deus* Gen. IX. 8. & Noachus cum ſuis, & poſteritate. Ibid. vſ. 9. *Quarto*, auditur argumentum contractus præcipuum, in formula fœderis gratiæ, *Jehova Deus Semi* vſ. 26. & præſervatio ab exitio diluvii, tam temporali, quam ſpirituali vſ. 11. cum 1 Pet. III. 20. Heb. XI. 7. *Quinto*, acceſſerunt Sacramenta fœderis, *arca* qua ſervati ſunt Noachus cum ſuis 1 Pet. III. 20. *diluvium* à quo ſervati ſunt ipſe & ſemen ejus, & naturale, & ſpirituale. Ibid. *iris* Gen. IX. 12—16. Acceſſit *ſexto*, fœderis confirmatio per *jusjurandum* Jeſ. LIV. 9. 10. cum Gen. VIII. 21. Atque etiam *ſeptimo*, æternitas hujus fœderis Gen. IX. 9. 12. 16. ne putemus fœdus hoc temporale tantum & evanidum futurum. Accedunt *octavo* promiſſiones temporales Gen. VIII. 22. & IX. 1. 2. 3. 47. quod pietas habeat promiſſionem hujus & futuræ vitæ 1 Tim. IV. 8. Quæ omnia circa priorem confœderationem, non obſervantur. Recurrunt item præcedentis curriculi capita theologica: 1. de Theologia, quæ nobis non eſt, niſi doctrina & artificium vivendi Deo, quam Noachus prodit, ambulando cum Deo Gen. VI. 9. tum 2. de verbo ſeu revelatione divina, qua Noachus gaudebat ex alloquio divino, & annunciata hominibus reſipiſcentia 2 Pet. II. 5. utpote in quo etiam Spiritus Chriſti olim loquebatur 1 Pet. III. 18. 19. Porro 3. de Deo, ejusque attributis, nominatim gratia verſus Noachum & ſuos Gen. VI. 8. & juſtitia vindicativa, verſus mundum, ob impietatem diluvio ſublatum. 4. de Trinitate Gen. XI. 7. Inſuper 5. de creatione & imagine divina. Ibid. cap. IX. 6. porro 6. de providentia divina, cum generali, in curâ verſus conſervationem mundi. cap. IX. 10. 11. tum ſpeciali, verſus homines, quam prodidit in variis præceptis, Noacho, & per eum, hominibus præſtitis cap. IX. 1—4.— Ad hæc 7. de peccato, cum originali Gen. VIII. 21. tum actuali, in mundi corruptis & reprehenſis moribus: quin & pœnæ peccatis competentis, in exitio diluviali, & punita temeritate ac ſuperbia, ædificantium turrim Babilonicam Gen. XI. 7. 8. Nec non 8. de fœdere gratiæ conſtituto Gen. VI. 18. & renovato cap. IX. 9. Hinc 9. de Mediatore ſeu redemptore, cujus figuram hoc curriculum ſecundum habuit in Noacho, conſtruente arcam, eaque ſervante Eccleſiam Heb. XI. 7. in ſacrificatione Gen. VIII. 20. in benedictione cap. IX. 1. ea ſcil. quæ eſt in Chriſto Jeſu Eph. I. 3. Hinc etiam 10. de vocatione *externa*, in Noacho juſtitiæ præcone, provocante mundum ad reſipiſcentiam 2 Pet. II. 5. pariter & *interna*, in *pellectione* Japheti in *tentorio Semi* Gen. IX. 27. Et porro 11. de juſtificatione per fidem, à qua Noachus *juſtus* pronunciatur Gen. VI. 9. ſcil. per fidem Heb. XI. 7. Atque etiam 12. de fide, qua Deo credidit, mandanti ſtructuram arcæ, qua Eccleſia conſervaretur Gen. VI. 22. cum Heb. XI. 7. Et 13. de ſanctificatione, à qua Noachus dicitur תמים, *integer in generationibus ſuis* Gen. VI. 9. Nec non 14. de glorificatione, in liberatione Noachi cum ſuis, à miſeria diluvii, & introductione in novum mundum. Conf. 2 Pet. II. 9. eique contraria condemnatione impii mundi. Ibid. & 1 Pet. III. 19. 20. Item 15. de Eccleſia, quæ non tantum conſiſtebat in familia Noachi; ſed etiam figurabatur per *tentoria Semi* Gen. IX. 27. Etiam 16. de miniſterio eccleſiaſtico, in Noacho, per divinam vocationem, *præcone juſtitiæ* 2 Pet. II. 5. Itidem 17. de Sacramentis, in diluvio, arca & iride, quæ extraordinaria & ambulatoria præſtabant ejus temporis Sacramenta 1 Pet. III. 20. 21. Gen. IX. 12. Ut & 18. de diſciplina eccleſiaſtica, cujus ſpecimen Noachus præſtitit, in maledictione Chami, & benedictione Semi. Ibid. vſ. 25. 26. Quantum inſuper ad *obſervantiam*, recurrunt capita: 19. de *religione* ſeu cultu divino; etiam *naturali*, in ambulatione Noachi cum Deo Gen. VI. 9. pariter & *inſtituto*, in ſacrificatione Gen. VIII. 20. Atque etiam de *juſtitia*, ſeu officiis verſus proximum v. g. 20. de honore verſus ſuperiores, & oppoſito vilipendio, exempla ſuppetunt in filiis Noachi, Semo, Japheto & Chamo Gen. IX. 22. 23. Etiam 21. de humanitate in conſervatione & focillatione vitæ proximi, ut patet, non modo ex cura divina, pro victu Noachidarum ex animantibus, tam terreſtribus, quam aquatilibus Gen. IX. 2. 3. ſed etiam ex legibus, quas adverſus homicidium tulit. Ibid. vſ. 5. 6. Porro 22. de conjugio, ut patet ex præſcripta fœcunditate & propagatione generis humani, per uſum conjugii. Ibid. vſ. 1. 7. huc traductam ex prioribus curriculis Gen. I. 28. & II. 18. 23. Hæc pro ſpecimine adduxiſſe ſufficiat, quo pateat, Theologiam prioris curriculi, à mundo priore traductam fuiſſe à Noacho in mundum poſteriorem.

Teſtamentariæ.

Syſtematicæ.

Septem præcepta Noachidarum hic parum morabimur, niſi quatenus concurrunt cum præceptis Moſaicis Gen. IX. eo quod ad hujus curriculi Theol. non ſpectent, quippe ab Hebræis ſequioribus excogitata, puta à Thalmudiſtis, in Gemara Babilonica *tit. Sanhedrim* cap. VII. fol. 56. & repetita, cum à Maimonide, tum à Moſe Kotſæo, quæ inſuper

Septem Noachidarum præceptæ.

adoptata videntur à Grotio *de Jure Pacis & Belli* lib. 1. cap. 1. 16. 11. Bolducio in Job. XXIII. 12. Schindlero, Schichardo aliisque Chriſtianis, ad quæ etiam juſto volumine commentatus eſt Joh. Seldenus. Horum interim tituli ſic habent: 1. *De judiciis*, על דין. 2. *De maledictione nominis divini*, על ברכה לשם. 3. *De cultu extraneo*, על עבודה זרה. 4. *De homicidio*, על שפיכה דמים. 5. *De turpitudine & concubitu*, על גלוי עריות. 6. *De furto & rapina*, על חנוך. 7. De membro animalis viventis non comedendo על אבר חתי.

Status Eccleſiæ ſub ſecundo curriculo Patriarchali.

XXII. Quantum ad ſtatum Eccleſiæ, ſub hoc curriculo, ſchisma quidem peculiare, inter Sethitas & Cainitas, ſublatum fuit exitio Cainitarum per diluvium: ſed generale tamen, inter ſemen mulieris & ſerpentis, nequaquam exſtinctum eſt, quin & in arcam, & ſequiorem mundum tranſiit, ut patet in impio & maledicto Chamo Gen. IX. 22. 25. 26. Jacta ergo ſub hoc curriculo ſunt fundamenta duplicis ſchismatis, & hæreſeon inde ortarum, quæ tamen hoc tempore non eruperunt in nervum. Nimirum 1. Chamitarum, in eis terris, quas Chamus à diſperſione gentium occupavit, quorum idolomaniam, cultusque rationem, & barbaros mores, ſuo loco penes Reges, Judaicos pariter & Iſraëliticos, forte tangemus. Horum propagatio à Moſe exponitur Gen. X. 6—21. Scil. quatuor Chamo numerantur filii, duo nim. *Mitzraim*, ſive auctor Ægypti, & *Phut*, cui ceſſit tota Africa: reliquis duobus puta Chuſo & Canaani, non contemnenda pars Africæ obtigit. In Africa Mitzraimo obvenit Ægyptus ſuperior & inferior: puta tum Nomi, tum Delta, nec non Thebais, Lyb.—Ægyptii, Marmarica, & Æthiopia occidentalis, tum interior, quæ eſt ſub Ægypto: reliqua pars Africæ tota, Lybia exterior & interior, Africa minor, Numidia & Mauritania Tingitana, Getulia &c. à Phuto ejusque poſteris eſt occupata. In Aſia Chamo obtigit Arabiæ, qua inter ſinum Perſicum & mare Erythræum interjacet, pars magna, & ultra ſinum Perſicum Carmania, nec non pleraque Perſia, à Saphthæis ex Sabthâ migrantibus habitata, ſupra Arabiam verſus Septentrionem Babilonia & pars Chaldææ (ſi modo Nimrodus alienos fines non invaſerit) Palæſtina, Phœnicia tota, pars Cappadociæ prope Trapezuntem, denique quæ poſt Pontum Euxinum ſita eſt, extrema Colchis. De quibus ampliſſime philoſophatur Doct. Boſchartus in ſuo *Phaleg*, & contractius Heideggerus in hiſtoria Patriarcharum Exercit. XXIII. §. 39. Iſtarum igitur nationum cultus & idololatria fundamentum habet in Chamo. Saltem ejus hæreſis, quantum ad terram Canaan, egregie attrita eſt per Joſuam, juxta vaticinium Gen. IX. 25. 27. ſed extincta demum à Davide, ſubactis Philiſtæis & pulſis Jebuſæis. 2. Japhetitarum, quorum familia notatur Gen. X. 2—5. Ipſis tribuenda videtur Europa tota & America, & Aſiæ pars non exigua. Et Europam quidem occuparunt duo tantum Japhethi filii, Thiras & Javan, hujusque filii, Eliſetha, Tharſis, Chithim & Rhodanim. Ab his occupatum eſt, quicquid à mari mediterraneo porrigitur verſus ſeptentrionem, uſque ad Scandiam ſeu Scandinaviam, quam vetus Gothorum Scriptor Jornandes merito vocat *officinas gentium*, *& velut vaginas nationum*, quia eis in locis mirifica eſt hominum fœcunditas. Cæteri Japheti filii ſe diffuderunt in Aſiam, à mari mediterraneo verſus Orientem, ibidem ampliſſimum ſpatium occuparunt, totam pene Aſiam minorem, Armeniæ partem, Mediam, Iberiam, Albaniam, & vaſtiſſimas illas regiones, quæ ſunt verſus Boream, quas olim Scythæ, nunc Tartari obtinent. Denique & ipſa America, ſiquidem non aliis magis, quam Scythis obvia eſt, Japheti hæreditati accumulata fuit. Adeo impleta eſt benedictio & prophetia Noachi, in qua Japheto promiſit, fore ut Deus ipſi habitationem dilatet Gen. IX. 27. Sic Heideggerus *hiſtor. Patriarch. Exercit.* XXIII. §. 18. Quod ſchisma egregie imminutum eſt ſub N. Teſt. per præconium Evangelii, quo Japhetum Deus pellexit in tentoria Semi Gen. IX. 27. Quantum ad res Eccleſiæ, videntur & illæ ſub hoc curriculo in pejus declinaſſe. Audita enim hic primo legitur idololatriæ vox, apud ipſos Semitas Joſ. XXIV. 2. Non ignoro, eſſe viros magnos, cum Hebræos, tum Chriſtianos, veteres pariter & recentiores, qui idololatriæ originem referant ad curriculum ante-diluvianum; ſed nec me latet, eſſe complures perinde magnos, qui ad hoc curriculum ejus originem referant, ſaltem ut diximus, ſub hoc primum exſerte narratur. Num autem illa ceperit ab aſtris? quod eis Deus præfecturam diei & noctis tribuat Gen. I. 15. 16. 17. 18. num ab hominibus egregiis? quales fuerint Nephilim Gen. VI. 4. Item, an cultus idololatricus ceperit ab adoratione ſeu oſculatione? de qua Job. XXXI. 26. Conf. Pſal. II. 12. an ab imaginibus & ſtatuis; an à templis & lucis? Scriptura non determinat, nec video, quibus rationibus auctoritatibusque ſolide determinari queat. Quod autem nonnulli putent, ſub hoc curriculo, ſtructores turris Babilonicæ, in animo habuiſſe, celebrem quendam Senatum conſtituere in Babilone, qui cuſtoliret depoſitum & traditionem verborum quæ tum homines, ut edocti à Noacho, pariter omnes loquebantur; ſic fore ratos, ut genus humanum in Religione concors maneret, ſi nemini liceret quicquam dicere, niſi in nomine Senatus Babilonici, adeoque papatus alicujus fundamenta voluiſſe ponere: id mihi videtur longius petitum, & præjudicatis hypotheſibus inſervire, ſaltem ſolidis argumentis demonſtratum necdum vidi.

vidi, quin laudabile potius consilium, de conservandâ orthodoxia & unitate Ecclesiæ, quod adeo rigorose exagitari non debuerit. Quicquid sit, saltem stulta hominum θεομαχία, quâ divinis judiciis obniti, & fastus inanis, quo sibi nomen parare voluerint, notatur Gen. xi. 2. 3. 4. e quo etiam, si & Semitæ his ædificatoribus interfuerint, deliquium Ecclesiæ, quoad mores, observari possit. Persecutiones hic non ita audiuntur, nisi huc referre velis impii Chami ludibrium in optimum parentem Patriarcham Gen. ix. 22. sed non accidit Religionis causa: aut etiam Nephilim, qui ob hoc narrentur Gen. vi. 4. quippe qui fuerint tyranni & oppressores, tum conscientiæ, tum corporum: aut etiam Nimrodum, qui ab hoc *potens* dicatur *in terra*, *& validus venator*, *in conspectu Domini* Gen. x. 8. 9. aut tandem structores turris Babilonicæ, quos propterea Deus dissipaverit Gen. xi. 6. 7. 8. Verum de his nihil pronunciat Scriptura.

Tertium curriculum epochæ Patriarchalis, ab Abrahamo ad Mosen.

XXIII. *Tertium* curriculum periodi Patriarchalis, profluit ab Abrahamo ad Mosis nativitatem, ut integram Mosis historiam habeamus penes periodum sequentem. Deus enim postquam Abrahamum, filium Therah, ex Ur Chaldæorum evocasset in Canaan, anno ætatis ejus circiter lxxv. (à quibus 430. anni peregrinationis & servitutis Gal. iii. 17. Exod. xii. 41. supputandi veniunt) fœdus gratiæ cum eo stabilivit, in Christo fundatum Neh. ix. 7. 8. Septies quidem legitur Deus Abrahamo solennes præstitisse promissiones: 1. in Ur Chaldæorum; seu Mesopotamia, antequam habitaret in Charan Gen. xii. 1. 2. 3. Tum 2. in Sichem. *Ibid.* vs. 6. 7. Hinc 3. in Canaan, cum ab eo secessisset Lothus Gen. xiii. 14 — 18. Porro 4. post profligatos Reges & liberatum Lothum, per Melchizedecum Gen. xv. — Insuper 5. cum esset annorum nonaginta novem Gen. xvii. — Adhæc 6. in campestribus Mamre cap. xviii. 10. 18. cum cap. xvii. 16. 19. Tandem 7. cum tentasset ipsum, mandato sacrificandi filium Isaacum Gen. xxii. 15 — 20. In septem his promissionibus, tres occurrunt solennes confœderationes: α. immediate post vocationem ex Ur Gen. xii. 1. 2. 3. Conf. Gal. iii. 17. & Act. iii. 25. β. post liberatum Lothum, & acceptam Melchizedeci benedictionem Gen. xv. 18 — γ. cum esset annorum xcix. Gen. xvii. 1. 2. Eædem istæ confœderationes cum Isaaco & Jacobo coiisse intelliguntur Gen. xvii. 7. 9. 10. 19. 21. Unde etiam, substantia tenus, ipsis sæpius renovatæ leguntur.

Confœderationes cum Abrahamo habebant fœdus

XXIV. Circa istas confœderationes, considerandum 1. Quod fuerint solennes renovationes fœderis gratiæ, quod est in Christo. Patet hoc ex eo, quod α. prima revelatio hujus fœderis appelletur annunciatio Euangelii Gal. iii. 8. cum Gen. xii. 3. β. primum vinculum promissionum divinarum appelletur διαθήκη κεκυρωμένη ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν Gal. iii. 17. γ. beneficia harum confœderationum, sint beneficia fœderis gratiæ, quæ Abrahamum ducebant ad Christum, & ad salutem in eo per fidem: sic *semen* fœderatum ipsum ducebat ad Christum Gal. iii. 16. 28. 29. sic *benedictio* propaganda in omnes Gal. iii. 13. 14. Act. iii. 25. 26. Gal. iii. 8. 9. sic *hæreditas* terræ Canaan; à quo *terra Immanuelis* appellatur Jes. viii. 8. Conf. Heb. iv. 1. 9. cum cap. iii. 18. 19. & iv. 6. sic, *ero Deus tuus*, *& seminis tui* Gen. xvii. 7. 8. ducebat ad Christum, absque quo Deus, Deus peccatoris esse nequit 2 Cor. v. 29. Eph. ii. 12. δ. conditio earum *fides*, Gen. xv. 5. 6. Gal. iii. 9. Rom. iv. 11. fuerit conditio fœderis gratiæ. ε. fructus præstitæ conditionis, *justificatio fidei* Gen. xv. 5. 6. cum Rom. iv. — gratiæ in Christo.

Fuerunt non tantum cum Abrahamo, sed etiam cum ejus semine.

XXV. Considerandum 2. quod confœderationes illæ factæ fuerint, non tantum cum Abrahamo; sed etiam cum ejus *semine* Gen. xiii. 16. & xxii. cum A- 15. 16. 17. 18. Gal. iii. 16. Luc. i. 54. 55. Quo intelligitur (a) semen *mere naturale*, quale Ismaël cum sua progenie Gen. xxi. 13. omnes carnales Israëlitæ Joh. viii. 27. Rom. ix. 7. 8. & 11. 28. 29. (b) semen *mere spirituale*, omnes scil. fideles, *qui ambulant vestigiis Patris Abrahæ*, inter gentes Rom. iv. 11. 12. 16. 17. Gal. iii. 29. (c) semen, & naturale & spirituale *simul*, quale erant, ordinarie quidem, *fideles Judæi* Rom. iv. 12. 16. extraordinarie autem ipse *Christus* Matth. i. 1. Heb. ii. 16. Gal. iii. 16. Excluso autem Abrahami semine mere naturali, à participio hujus fœderis Gen. xvii. 19. 20. 21. Rom. ix. 7. 8. Conf. Gen. xxi. 10. 12. Gal. iv. 30. Deus in fœdus admisit α. Isaacum, cum universa ejus posteritate, ad fœdus nationale Gen. xvii. 19. partim quoad *externam* tantum ejus dispensationem Joh. viii. 37. Act. iii. 25. partim quoad *internam* insuper: sic solos Judæos *fideles* admisit Rom. ix. 7. 8. & 11. 28. 29. β. Ejus semen *extraordinarium*, Christum, Gal. iii. 16. 19. γ. semen ejus mere *spirituale*, fideles gentiles Gal. iii. 8. 9. & vs. 29. Rom. iv. 13. 16.

Habuere materia

XXVI. Considerandum 3. quod materia hujus confœderationis habuerit A. ab *una* parte egregias Dei promissiones: se 1. ei ejusque semini *benedicturum* Gen. xiv. 1. 2. 3. Se 2. *multiplicaturum* ei semen Gen. xiii. 14. — — 17. eique datum nomen celeberrimum, quo appellandus sit *Pater* multarum nationum: & hinc pro אברם, *Pater magnus*, appellandum, אברהם, *Patrem magnum multitudinis*; suamque conjugem, pro שרי *Princeps mea*; appellandam שרה *Principem multitudinis*: asperfione literæ ה, ex המון, quod *multitudinem*, copiam dicit Gen. xvii. 1 — 9. 15. 16. 19. 20. 21. Se 3. posteritatem ejus facturum *victoriosam* Gen. xxii. 17. eique subjugaturum

α. promissiones à Deo præstandas.

novem nationes Gen. XII. 6. 7. & XV. 19. 20. 21. Se 4. *atatem* ejus perducturum ad summam *longævitatem* Gen. XV. 15. 18. Se 5. ei & semini suo futurum in *Deum*, æternum Gen. XVII. 7. 8. Se 6. ei futurum in *clypeum* cap. XV. 1. Se 7. ei futurum in *mercedem magnam valde*. Ibid. Ab *altera* parte, B. officia, ab Abrahamo ejusque semine stipulata: ut *ambulent coram Deo* Gen. XVII. 1. 7. 8. 9. tum in *fide*, quam Abrahamus habuit, & exercuit, juxta cum spirituali sua posteritate Heb. XI. 8. 9. Gen. XV. 5. 6. tum in *observantia* & studio bonorum operum, in quo fides est ἐνεργουμένη Gal. V. 6. Rom. XIII. 8. sintque in utroque *perfecti* Gen. XVII. 1. 2. hoc est, absque fuco, *sinceri* Jos. XXIV. 14. 1 Reg. IX. 4. 2 Cor. I. 12. 1 Cor. V. 8.

B. Officia, ab Abrahamo & semine præstanda.

Habuerunt varias & validas confirmationes.

XXVII. Consideranda 4. multiplex *confirmatio* hujus confœderationis Gen. XVII. 19. 21. (הקימותי) Gal. III. 17. facta (1) *promissionibus* Heb. VIII. 6. μεμοθέτηται. (2) typica Melchizedeci *benedictione* Gen. XIV. 18. 19. 20. (3) solenni *jurejurando* Gen. XXII. 15 — 19. Ps. CV. 8. 9. 10. cum Heb. VI. 13. 14. 16. 17. II. (4) solenni ac symbolicâ *confœderandi* formâ ac ritu, qui narratur Gen. XV. 9. — per pecorum dissectionem, per quam figurabatur afflictus status, & Abrahamidarum, & ipsius Christi (5) novo circumcisionis Sacramento Gen. XVII. 10. — quod *signum* & *sigillum justitiæ fidei* Paulus appellat Rom. IV. 11.

Tertii hujus curriculi dispensatio sub VI. Patriarchis:

XXVIII. Fuit sub hac illustri fœderis gratiæ renovatione dispensationeque, Ecclesia per annos CCCCXXX. Exod. XII. 41. Gal. III. 17. si nim. numerentur à profectione Abrahami ex Ur, de quâ Gen. XII. 1. aut per annos CCCC. Gen. XV. 13. Act. VII. 6. si numerentur à nativitate Isaaci: qui anni *peregrinationis & servitutis* appellantur, desinuntque in exitu Israëlis ex Ægypto, sub Mose. Viguerunt his seculis, aut sex aut septem Patriarchæ, si primordia Mosis connumeres. In his *primus* fuit Abraham, Nachori nepos, Therachi filius, frater Nachor & Haran, ex quo Loth prognatus fuit. Nomen à Patre habuit אברם, *Pater magnus*, cui postmodum aspersa est litera ה, ut emergeret אברהם, sive ex tetragrammato Jehova, quasi aliquid sui Deus hac nominis variatione voluerit communicare, ut Hieronymus opinatur: sive potius ex המון, ut Patrem magnum *multitudinum*, seu multarum gentium designaret: quo animo etiam ejus uxorem pro שרי appellat שרה. Natus est in *Ur Chasdim* Gen. XI. 28. seu Chaldæorum, seu *magorum*, forte διακριτικῶς, ut distinguatur ab Ur *Babiloniorum*. Inde cum parente & familia in Charane commoratur. Ibid. vs. 31. & *animas facit* Gen. XII. 5. h. e. acquisivit, seu *brutales*, in pecoribus & pecudibus, seu *humanas*, quod sobolem ibidem sibi procreaverit; seu quod ibidem proselytos fecerit; saltem sodalitium quoddam q. monasticum ibidem erexisse, ut Bouldu-cus vult, nimium est jejunum. Unde colligi possit, hic eum ad tempus aliquod substitisse. Inde, jussu & ampliſſimis Dei promissionibus suffultus, in Cananæam contendit. Ibid. vs. 1. 2. 3. 4. quibus credens, prompte obsecundat vs. 5. primam stationem videtur habuisse, apud *Sichem & Elon Moreh*. Ibid. vs. 6. ubi secunda ei obtigit apparitio Dei vs. 7. apud quam Deum vidit Act. VII. 2. & ipsi promissio facta est, de terra Canaan, ibique struxit altare, præstiturus Deo gratitudinem suam. Huic succesſit secunda statio, in montanis Bethelis occidentalibus, versus Ai. vs. 8. ibique in tentoriis habitavit, quod urbem seu statam habitationem quæreret in cœlo Heb. XI. 9. 10. & invocavit *nomen Domini*, sicut fieri cœperat Gen. IV. 26. seu cultu instituto. Hinc *profectus est eundo & proficiscendo ad meridiem* Gen. XII. 9. & urgente ibidem fame, descendit in Ægyptum, ut ibi peregrinaretur. vs. 10. ibique ipsi rapitur à Pharaone uxor Sara vs. 15. sed gratiosa Dei versus ipsum vigilantia, illibata conservatur, quamvis nec impune Pharaoni, nec absque infirmitate intercedente Abrahami vs. 11. 17. Hinc revertitur in Canaan, & lites componit inter suos & Lothi servos obortos, data Lotho optione, seu ad dextram, seu ad sinistram vellet concedere, rariſſima humanitate, modestia & ἐπιεικείᾳ, versus ipsum, & ætate, & dignitate, & statu, sibi mille parasangis inferiorem Gen. XVIII. 8. 9. ubi Lothus sibi delegit planitiem Jordanis, dum Abrahamus habitavit in campestribus Cananæorum. Hinc tertia Dei apparitio facta est Abrahamo, apud quam Deus ei demonstravit totam terram Canaan, sibi pro hæreditate dandam *in seculum* Ibid. vs. 14 — 18. h. e. usque ad periodum futuræ Reipublicæ Israëliticæ. Sic confirmatus Abrahamus, tabernacula sua promovit, juxta convallem *Mamre*. Ibid. vs. 18. ibi ædificat altare, & fœdus pangit cum tribus Principibus Hebronitis, civile utique, non religiosum Gen. XIV. 13. qui secum perrexerunt ad bellum vs. 24. ceciderunt que exercitum quatuor Regum, qui Sodomam exspoliaverant. Post confectos hos Reges, ipsi quarta accidit apparitio Dei, apud quam ipsum confirmavit adversus metum à peregrinis, quicum cohabitabat Gen. XV. 1. quod sibi futurus esset *clypeus*, & *merces magna valde*. Quam tamen mercedem sic satis declinat Abraham, eo quod expers esset hæredis vs. 2. 3. non tam diffidentia versus promissionem divinam, de semine sibi dando; quam obliqua instantia, de semine illo sibi accelerando, cui Deus annuit, addito etiam signo: *suspice nunc cœlum & numera stellas, si poteris numerare eas; sic erit semen tuum* Gen. XV. 4. 5. addito insuper encomio *fidei* Abrahamicæ, quæ ipsi imputata fuerit ad *justitiam* vs. 6. confirmatæ insuper novo signo vs. 8. — Quo ipsa,

Abrahami historia.

Deus

Deus ei significat: 1. fore ut progenies ejus, in alienâ terra, serviat & affligatur per annos quadringentos, interim 2. gentem illam, cui servitura sit, judicandam à se, ut ab eâ egrediatur semen ejus. Porro 3. ipsum tamen Abrahamum in pace & bona senectute moriturum. Tandem 4. mittendum esse in suam possessionem, *in generatione quartâ*. Post hanc apparitionem, ex Hagare ancillâ suscepit Ismaëlem, quem tandem, ad querimoniam Saræ, jussu divino excluſit à familia Gen. XVI. — & XXI. 9. 10. succeſſit quinta apparitio Dei in Elon Mamre, in qua, nova accidit fœderis renovatio, confirmata ordinario Sacramento circumcisionis Gen. XVII. 1. — 14. Hic habitante Abrahamo, apparent ipsi tres Angeli, è quibus unus appellatur Jehova, ab Abrahamo humaniſſime accepti, ipsi promiſſionem faciunt, filii propediem e Sara naſcituri, & aperiunt inſtans excidium Sodomæ & Gomorrhæ, cui intercedere conatur Abrahamus; ſed fruſtrà Gen. XVIII. — ſuccedente mox everſione Sodomæorum, ſolo Lotho cum ſuis, ab eodem ſervato Gen. XIX. 1. — 26. cujus excidii horrore, Abrahamus ab Elone Mamre, migrat ad *terram meridianam*, advena Geraris Gen. XX. 1. ibique ſibi denuo rapitur ſua Sara, à Rege Abimelecho, qui tamen monitus à Deo, illam marito ſuo illibatam reſtituit. Ibid. Ab hoc tandem Abrahamo naſcitur, toties ſibi & tam magnifice promiſſus Iſaacus, ex conjuge Sara, anno ætatis Abrahami centeſimo, & mox circumciditur, & ablactatur ſuo tempore Gen. XXI. 1. — 8. Interea in Gerar Abrahamus fœdus pangit cum Abimelech, præſente Pichol Principe exercitus Gen. XXI. 32. & nemus plantat in Beerſeba, forte ad cultum divinum, qui tum temporis ullum necdum habuit certum locum, ibique per complures annos habitavit Gen. XXI. 33. His peractis, Deus Abrahamo, apud Geraritas commoranti, ſexta vice apparet, & promiſſionem ſæpius factam, interpoſito juramento, denuo inſtaurat: ſed explorat Abrahami fidem & obedientiam, juſſitque ut filium ſuum unicum ſibi ſacrificaret in regione Moriah, qui patefacto ejus obſequio, liberatur interloquente Angelo Gen. XXII. 1 — 19. Paulo abhinc Sara, nata centum & viginti ſeptem annos, fatis ceſſit in Kireath Arbe, quod plerique Hebræi accidiſſe putant, ex mœrore, quod filium immolandum audiviſſet Gen. XXIII. 1. 2. quam plangit maritus. Ibid. & apud Chethæos intercedit pro jure ſepulchri, rogatque ut ad hoc pro ſe interpellarent apud Ephronem, qui ſibi ſpeluncam Macpelah venderet. Ibid. vſ. 9. atque etiam obtinet vſ. 14. 15. 16. Averſus à maledictis Cananæis, ſuum œconomum Eliezer, ad ſuos in Meſopotamiam mittit, ut Iſaaco ſuo uxorem quæreret, qui Rebeccam Bethuelis filiam reducit Gen. XXIV — Hinc ad nova vota tranſit ipſe Abrahamus cum Cethura cap. XXIV. 1. e qua liberos etiam ſuſcepit vſ. 2. in quos ſuas fortunas, paulò ante obitum ſuum, ſic diſpenſavit, ut Iſaaco hæreditatem, reliquis munera ſeu legata deſignaret vſ. 5. 6. & concubinarum filios ablegavit ad orientem, eos quaſi excommunicans. Poſt hæc tandem moritur Abrahamus vſ. 8. & ſepelitur a filiis, Iſaaco & Iſmaële in ſpelunca Macpelah vſ. 9. Hæc de Abrahamo ex Scripturis tetigiſſe ſufficiet: fabulas enim Hebræorum & Muhammedanorum, nec non ejus ſcripta pſeudepigrapha, qualia ſunt liber *Jezirah* ſeu creationis, de quo liber *Cosri*, & Gemara Cod. *Sanhedrim* & alii, *Apocalypſis Abrahami* Sethianorum, apud Epiphanium & Origenem, & *Aſſumptio Abrahami*, apud Athanaſium *in Synopſi*, non moramur. A Gentilibus etiam ſubinde memoratur, & in ſuo Saturno ejuſque uxore Anobret, ad eum alludi videtur Porphyrio in lib. *περὶ Ἰουδαίων*.

Iſaacî hiſtoria.

XXIX. *Secundus* in curriculo *tertio* patriarchali, fuit *Iſaacus*, ſic dictus a *riſu* Gen. XVII. 17. 19. natus e parentibus Abrahamo & Sara effœtis, anno Abrahami quidem centeſimo; Saræ, nonageſimo. Ibid. Circumciſus ab Abrahamo. Ibid. cap. XXI. 4. lactatus a Matre vſ. 7. ablactatus cum convivio vſ. 8. patitur perſecutionem ab Iſmaële vſ. 9. Uxorem duxit Rebeccam Bethuelis filiam, apud civitatem Nachor ſeu Charan, pronubo Eliezere, anno ætatis quadrageſimo Gen. XXV. 20. lugens parentem, pro ſolatio, divinam benedictionem accipit, apud puteum *Lachai Roi*, apud *puteum videntis me* vſ. 11. Interim ad tempus ſterilis exiſtit Rebecca, per annos omnino viginti, quam ſterilitatem deprecatur Iſaacus vſ. 21. & proinde concipit gemellos, qui in utero materno colliduntur vſ. 22. de quo Mater conqueritur, & Deum conſulit, qui reſpondet: *duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi de viſceribus tuis dividentur: populus autem populo robuſtior, & major ſerviet minori* vſ. 23. quod impletum liquet in Davide Jacobita, Jebuſitas ſeu Eſavitas ſubjugante 2 Sam. VIII. 14. 1 Paral. XVIII. 13. Non obſtante fame, nihilominus jubetur in Canaan ſubſiſtere, & accipit promiſſionem Dei, de benedicendo ipſo, & ſemine ejus Gen. XXVI. 2 — 6. Hinc denuò fame urgente Cananæam, monitus oraculo divino, ne in Ægyptum tranſiret, ad Abimelechum; ad Gerar pergit Regulum Palæſtinæ, ibidem habitat Gen. XXVI. 1. 6. Quem Joſephus eundem illum vult, cum quo Abrahamus olim egerat: quod tamen ex nominis communione, parum ſolide colligit, cum non modo, his temporibus Abimelechorum nomen commune videatur fuiſſe illuſtratus Principibus; ſed etiam temporum ſpatiis non conveniant, quod inter illum & hunc Abimelechum, anni circiter LXXV. fluxerint, cui poſſit addi, quod Abrahami, & Principum illius, hic nulla mentio fiat. Hîc, uxor ejus in diſcrimen pudici-

tiæ adducitur, ex quo sibi vitæ discrimen metuit, eoque uxorem suam sororem esse mentitur, hinc rapitur ab Abimelecho, qui, cum ex lusu Isaaci cum Rebecca prospecto, agnosceret eam esse illius uxorem, ei ob hoc reprehenso uxorem intactam restituit, additâ suis comminatione mortis, qui eam violaret. vs. 11. Hic, quo securior esset adversus urgentem famem, Deus ei benedicit centuplo laborum suorum vs. 12. Hinc, cum ad invidiam usque, invalescerent facultates Isaaci, cui etiam velificaturi, puteos ejus obstruebant Philistæi, nec abnuente Abimelecho; secessit in vallem Gerar vs. 15. 16. 17. Verum nec hic subsistit invidia Philistæorum; sed etiam extra suos limites promota, tum puteos paternos Abrahami, tum à suis effossum *puteum aquæ viventis*, motis etiam ei novis litibus, eripuerunt, unde Isaacus, promotis nonnihil sedibus, novum effodicari curavit puteum, quem Rechoboth insignivit vs. 22. à quo Abimelechus, Achozat & princeps exercitus ejus Pichol, novum fœdus cum eo ambiunt & consequuntur Gen. xxxvi. 28. 29. Hi tandem succedit Isaaci senectus, & caligo oculorum, cap. xxvii. 1. e qua instans sibi fatum conjectans, filiis benedictionem paternam & Patriarchalem, quasi pro testamento impensurus, Esavo primogenito, quem præ Jacobo diligebat, mandat, sibi edulium ex venatione appararet, quo inescatus, ei benedictionem alacrius conferret Gen. xxvii. 3. quam tamen Jacobus, fraudibus Matris suæ Rebeccæ, divinâ procul dubio providentiâ, in se feliciter declinavit vs. 13. quæ in funesta odia & persecutiones postmodum eruperunt, quæ suo loco penes Jacobum, si Deus volet, tangemus. A qua filiis suis superstes, per quadraginta circiter annos, postquam suas sedes ex Beersheba promovisset, versus *Arba* seu Hebron, & cum Jacobo, reverso ex Mesopotamia, vixisset, extremum diem clausit, anno ætatis centesimo & octuagesimo, à filiis Esavo & Jacobo ibidem sepultus Gen. xxxv. 27. 28. 29.

Jacobi historia.

XXX. Hinc igitur ad *tertium* descendimus hujus curriculi Patriarcham, Jacobum. Qui Patre Isaac, & Matre Rebeccâ, cum nasceretur Esavus, ruptâ suâ secundinâ, fratris calcaneum prehendit, quasi primogenituram ei præcepturus Gen. xxv. 26. in quo miraculum non contemnendum, Hebræi observant. Ab hoc prehenso fratris calcaneo, nomen יעקב *Jacob* obtinuit. Ibid. non autem, quod supplantator, seu fraudulentus esset, ut per malevolentiam fingit Esavus Gen. xxvii. 36. cum fraudulenta ista supplantatio in Jacobum, adhucdum in utero materno existentem, cadere non potuerit. Vir *integer* dicitur, & pastoritiam exercuit, eoque *in tabernaculis habitavit* Gen. xxv. 27. quod non satis solide reddit Onkelos משמש בית אלפנא, *ministrum domus doctrinæ*, hinc, eodem sensu Jarchius refert, quod habitaverit in tentorio Semi, & Heberi, doctrinam sibi ibidem paraturus, Matri præ Esavo fuit in deliciis, sicut Esavus Patri. Ibid. vs. 28. Primogenituram ab Esavo emit pulmento, justâ quidem Dei providentiâ; ast non absque fraude aliqua. vs. 29. — quicquid in contrarium, cum Hebræis quibusdam, causentur Romanenses justitiarii. Hinc etiam primogeniti benedictionem, invito licet Patre, adeptus est, à quo Esavus ei mortem destinabat, quam ut declinarent parentes, ipsum in Mesopotamiam ablegant. Qui in hoc itinere dormiens, vidit scalam à terra in cœlum usque porrectam, & in ea Dominum, Angelosque ascendentes ac descendentes, quæ Christum figurabat Gen. xxviii. 11. addita etiam egregia promissione vs. 13. 14. 15. cui Jacobus gratus respondet voto vs. 16. — Prope Charanem Rachelem sibi obviam salutat osculo, seque ei notum facit Gen. xxix. 1. — 12. excipitur hospitio à Labane, eique per septennium servit pro Rachele, cui tamen fraudulenter supponitur ejus soror Lea, unde pro Rachele, novum septennium servituti impendere cogitur vs. 15 — 32. Hic Lea ipsi parit filios quatuor Ruben, Simeon, Levi, Judah: vs. 33. — Ancilla Rachelis Bilha, filios duos Dan & Naphtali: ancilla Leæ Zilpa, Gad & Aser: ipsa Lea, Ischaschar, Zabulon & Dinam: Rachel denique, Joseph & Benjamin. Ut intra septem annos, decem liberis creverit Jacobus Gen. xxx. 1. — 24. Hinc de reditu in patriam agit cum Labane vs. 25. 26. qui hoc novo pacto declinat, addicendo Jacobo omne variegatum, oriundum ex unicoloribus ovibus. vs. 27 — 34. ex quo, mediante artificio Jacobi, egregie invaluit ejus opulentia. vs. 35. — ad invidiam usque fratrum, & malevolentiam Labanis cap. xxxi. 1. 2. unde divino intercedente jussu, discessum meditatur, & consultis uxoribus, clam Labane, discedit vs. 3 — 22. qui proinde ipsum insectatur, per vii. dies vs. 23. sed à Deo prohibetur loqui malum ad Jacobum vs. 24. interim Jacobum assequitur, & cum eo expostulat super variis vs. 25 — 30. quibus modeste satisfacit Jacobus, & seriò protestatur adversus socerum vs. 31 — 42. & post factum solenniter fœdus, & interpositum jusjurandum, tandem placide dimittitur vs. 43. — & a Gilead pergit ad Mahanaim, ibique sibi obvios habet Angelos Gen. xxxii. 1. 2. Hinc legatos mittit ad Esavum fratrem vs. 3. 4. 5. qui ipsi stipatus cccc. militibus occurrit vs. 6. ad cujus occursum se viciſſim præparat, consultatione cum uxoribus, precibus & apparatu munerum, quibus fratrem sibi placaret. Et luctatur cum Angelo Jehova, vincitque, & pro *Jacobo Israel* appellatur, sed læditur in costa, nomenque loco tribuit *Pniel*. vs. 7. — Hinc in Mesopotamiam reversus, subsistit apud urbem

Sichem

Sichem in Cananæa Gen. XXXIII. 18. & altare olim ab Abrahamo ſtructum inſtaurat. vſ. 19. 20. Ibidem agrum emit ab Hemor, forte olim ab Abrahamo emtum pro poſteris ſuis. Interim Hemor matrimonium ambit Dinæ pro filio ſuo, ad hoc cum totâ urbe circumciditur; ſed, dum in doloribus ſunt, tota civitas, à duobus Jacobi filiis, Simeon & Levi, perfide cæditur & diripitur verſ. 25. 26. His acerrime à parente reprehenſis, oraculo divino, à Sichema ſtationem promovet ad Bethel, ibique familiam luſtrat, & Deos alienos removere, & veſtimenta purificare jubet Gen. XXXV. 1—4. ibidemque altare Bethel ædificat, & Deboram nutricem Rachelis, morte amittit. verſ. 5—8. & novum oraculum experitur, eoque ſibi confirmatur benedictio, & denominatio Iſraëlis repetitur verſ. 9—12. Hinc ab eo Deus deceſſit, ipſeque *ritulum lapideum erexit, & libavit ſuper eum libamen & fudit ſuper eum oleum* verſ. 13—18. inde poſt brevem commorationem migrat in terram *Chabrath*. In viâ Rachel, ex difficillimo partu filii, moritur & ſepelitur, cum filium, ipſa *Benoni*; ſed parens Benjamin appellaſſet verſ. 19. 20. Hinc progreſſus, tentoria figit *trans Migdal Eder* verſ. 21. ubi Angeli, poſt natum Chriſtum, paſtoribus apparuiſſe creduntur. Hic Ruben ejus primogenitus inceſtum committit cum Bilha vſ. 22. Hinc tandem pervenit ad Hebron, ubi Pater ejus commorabatur. Hic filius ejus Joſephus à fratribus perfide venditur: ſed in Ægypto ad ſupremum honoris faſtigium evehitur, quo cognito, parens in Ægyptum migrat, & teſtamento condito, ſalutem Domini exſpectans, placide moritur, de quibus in hiſtoria Joſephi, jamjam nobis uberius veniet agendum.

Levi hiſtoria.

XXXI. Hinc hiſtoriam Patriarcharum proſequemur, in familia Levi, ut commodius pertingamus ad Moſen: ſic tamen ut ei conſtruamus hiſtoriam Joſephi, circa quem Scriptura perquam eſt copioſa. Succedat igitur in Patriarchis hujus curriculi *quartus* Levi, tertio natus ex Lea. Nominis etymon dicitur Gen. XXXIX. 34. Cædit cum fratre Simeone Sichemitas cap. XXXIV. 25. 26. pro pœna hujus flagitii, in teſtamento Jacobi, ejus poſteri diſpergendi dicuntur, per totum Iſraëlem Gen. XLIX. 5. 6. 7. Ejus filii fuerunt Gerſom, Cahath & Merari Gen. XLVI. 11. in quos poſtea diſtributa ſunt officia, circa tabernaculum & templum exercenda, ſic ut familiæ Cahath, linea ſacerdotalis fuerit connexa Num. I. 50— & III. 5. — & IV — & XVIII. 3— Hos Deus ſibi adoptavit pro primogenitis totius Iſraelis Num. III. 12. 41. 45. Deut. X. 8. Vixit annos CXXXVII. Exod. VI. 16. Fratres habuit primum *Ruben* dictum ex ראה *vidit*, & בן *filium* Jacobi primogenitum ex Lea quem Pater in teſtamento, primogenituræ movit Gen. XLIX. 4. ex quo etiam ejus poſteritas numero & potentiâ cæteris tribubus ſemper inferior exſtitit. Secundus ejus frater fuit *Simeon*, itidem ex Lea, dictus à שמע *audivit* Gen. XXIX. 33. ſibi ſocius in cædendis Sichemenſibus. Ib. cap. XXXIV. 25. 26. ejus progenies proſtat Exod. VI. 14. Tertius *Judah*, ex Lea, nominis origo dicitur Gen. XXIX. 35. *Hac vice confitebor* ſeu celebrabo *Jehovam*, convenienter cum cap. XLIX. 8. *Judah tu, laudabunt te fratres tui.* Nomotheſian procul dubio, Spiritus S. direxit, quod non tantum ex eo eſſet naſciturus Meſſias; ſed & regiæ dignitatis fundamentum. Ibid. vſ. 10. Ejus matrimonium, filii, inceſtus cum Thamare nuru, tum res ex inceſtu eo conſecutæ, narrantur Gen. XXXVIII.—Quartus ejus frater fuit *Dan*, ex Bilhah Rachelis ancilla natus, nomen nactus eſt à *judicando* Gen. XXX. 5. 6. Cui quintus etiam ſucceſſit ex eadem Matre, *Naphtali*, dictus à *luctando* vſ. 8. Atque etiam ſextus *Gad*, ex Zilpâ Leæ ancillâ, nominatus à *fortuna* felici vſ. 9. 10. 11. & ſeptimus etiam, ex eadem Matre, *Aſer*, dictus à *beatitudine*. vſ. 12. 13. Inſuper octavus ex Leâ Matre, *Iſaſchar*, dictus à *mercede*. vſ. 14—18. Succeſſit nonus, ex eadem Lea, *Zabulon*, quod *portionem optimam* reddit Onkelos & Syrus interpres. vſ. 19. 20. Et decimus etiam ex Rachele, *Joſephus* Gen. XXX. 22. 23. 24. de quo jamjam paulo diſtinctius, & tandem, ex eadem Matre undecimus, Benjamin Gen. XXXV. 16. 17. 18. Matri quidem appellatus *Benoni*, *filius doloris*; aſt Patri *Benjamin*, *filius dextræ*, aliis *filius dierum*. Natus fuit proximè Ephratam Bethlehemi: quo tamen non obſtante, omnes Jacobo nati dicuntur in *Padan Aram* verſ. 26. h. e. Meſopotamiâ, non habita ratione unius excepti, in tanto numero. Τῷ Levi conſtruimus velut po- Joſephi
tentem gentis Iſraëliticæ conſervatorem, ceu alte- hiſtoria.
rum ejus parentem, Joſephum, quamvis ortu inferiorem, Rachelis primogenitum Gen. XXX. 23. ita dictum, quod Mater præſagiret, ei ulteriorem ſobolem ſubrogandam. Ibid. & vſ. 24. Hic quanto parenti magis fuit dilectus, tanto fratribus magis fuit exoſus Gen, XXXVII. 1.—& ex ſomniis myſticis, fratribus magis etiam exagitatus, primo quidem neci ab eiſdem deſtinatur, verſ. 12. benevolentia Rubeni liberatus, mercatoribus Ægyptiis venditur, & in Ægypto Potiphari mancipatus, ejus familiæ præficitur, & ob declinatam Heræ impudicitiam, carceri mancipatur, interim ab eo carceri præficitur, & in eo, ſomnia pincernæ & piſtoris, ſecum incarceratorum, explicat, eventui congrue, & ab hoc, exponendis inſomniis Pharaonis provocatur, hisque pro eventu expoſitis, ex conſilio pro conſervatione Ægypti ſubjuncto, præfigitur toti Ægypto, Regi proximus Gen. XXXIX. 1.— & XLI. 14. ducit porro uxorem cap. XLI. 45. ex qua duos ſuſcepit filios verſ. 50. 51. 52. Proinde univerſam oberrat Ægyptum, collecturus frumen-

ta,

ta, pro annis ſeptem ſterilibus inſtantibus verſ. 46. 47. 48. Ea occaſione, urgente Meſopotamiam fame, fibi accurrunt fratres, primum quidem rigidius ab eo accepti; ſed poſtea benignius, poſtquam ſe ipſis patefeciſſet cap. XLII. 1. & cap. XLIII. item XLIV. Hinc Patrem cum ſuis, ex Meſopotamiâ provocat in Ægyptum cap. XLVI. ipſisque pro ſedibus aſſignat terram Goſen verſ. 31.—ibique ipſis proſpicit de cibo cap. XLVII. 1—12. Patrem ægrotantem inviſit, eique filios ſuos, Ephraimum & Manaſſen offert benedicendos cap. XLVIII. 1—17. qui ei prædicit, ſuos poſteros cum uberrima Dei benedictione longe lateque diſpergendos eſſe cap. XLIX. 22—27. & fatis cedit cap. L. 1. 2. 3. eumque humat in terra Canaan vſ. 4.—ipſumque in via luget vſ. 10. 11. revertitur poſtea in Ægyptum, & fratribus perfidiam, in ſe olim commiſſam, condonat vſ. 13. 14. 15. Moritur anno ætatis CX. vſ. 22. fratres adjurat, qui ſe ſepelirent apud Patres ſuos, in Canaan, in ſpelunca Machelah vſ. 24. 25. 26. Exod. XIII. 19. Hinc igitur ad familiam Levi regredimur, ut commode pertingamus ad Moſen. Fuit ergo in tribus filiis Levi, ſecundus *Kahath*, cui fratres fuerunt Gerſom & Merari Gen. XLVI. 11. Exod. VI. 16. Num. III. 17. Vixit annos CXXXIII. ibid. Ex eo ortum ducunt *Kahathitæ*, qui diſpeſcuntur in ſuas familias, ipſisque committitur cura ſanctuarii Num. III. 27—31. Eorum civitates in diſtributione terræ Canaan dicuntur Joſ. XXI. 20. — Ab hoc tandem prognatus eſt poſtremus hujus curriculi Patriarcha, *Amramus*, primogenitus Kahatho Exod. VI. 18. Num. III. 19. duxit in matrimonio, Patris ſui ſororem Jochebed verſ. 20. quod, necdum rogata lege, de gradibus prohibitis, conſanguinitatis & affinitatis Lexit. XVIII & XX. tolerabilius fuit. Vixit annos CXXXVII. Exod. VI. 19. Ab eo deſcendunt Amramitæ Num. III. 27. 28. Ab hoc prognati ſunt fratres, Moſes & Aaron, de quibus ex profeſſo in ſubſequentibus.

Kahath hiſtoria.

Amrami hiſtoria.

XXXII. Quantum ad ſtatum Religionis ſub hoc curriculo; tenendum quod univerſa præcedentium curriculorum Theologia tranſierit ad Abrahamum, ſi non per Nachorem & Therachum, cum ipſo Abrahamo hactenus idololatras Joſ. XXIV. 2. ſaltem per Semum & Heberum, quorum prior ad Jacobi annum circiter XX. pertigit: poſterior etiam per annos circiter triginta ulterius. Unde Hebræi, nec abnuentibus nonnullis Chriſtianis, volunt Semum & Heberum ſcholas habuiſſe, apud Hebronem, atque illuc etiam interpretantur, quod Jacobus fuerit *vir integer*, *habitans in tabernaculis* Gen. XXV. 27. & per tabernacula intelligunt בית אלפנא *domum doctrinæ*, ſeu ludum literarium, ſic Targum Onkelos & Jarchius, quod Jacobus inhabitaverit tentorium Semi & Heberi, quod ego tamen ſuo loco relinquo, auctoritate divina deſtitutum. Quicquid hujus ſit; ſaltem; ſicut Adamus ſuam Theologiam accepit immediate à Deo, & Methuſalachus cum cæteris, ab Adamo; & Semus cum cæteris, à Methuſalacho: ita Abrahamus, Iſaacus & Jacobus, eam traditione potuerunt habere à Semo & Hebero. Certo certius eſt, Abrahamum ſuam Theologiam ſeu traditione; ſeu immediata revelatione à Deo acceptam, ad ſuos propogaſſe Gen. XVIII. 19. Hinc de Abrahamo dicit Deus, quod *obediverit voci ſuæ, & cuſtodiverit* משמרתו *cuſtodiam ſuam*, *præcepta*, *ſtatuta & leges* Gen. XXVI. 2—6. è quo Hebræi colligunt, Abrahamum ſervaſſe omnes legis partes, etiam eas, quæ ad ceremonias ſpectant. Sed ſupra acceptam traditione Theologiam, egregie illa invaluit ſub hoc curriculo. Si enim *primo* Theologia teſtamentaria, ſeu fœderalis, Theologiam fœderalem obſerves; quot & quanta additamenta illa accepit ſub hoc curriculo! Facta etenim collatione, inter confœderationes præcedentium curriculorum, & hanc tertii, ſi attendas 1. *promulgationem* fœderis; illa, licet ubique fuerit euangelica; attamen ſub *Adamo* ſeſe habuit ad modum tenebricantis adhuc diluculi; ſub *Noacho*, rubeſcentis paululum auroræ; ſed ſub *Abrahamo*, illuceſcentis Solis. Si 2. *auctorem* confœderationum, eundem ubique, *Deum*; ſed qui ſub *Adamo* egit, ut *deſtructor ſerpentis* Gen. III. 15. ſub *Noacho*, ut conſervator Eccleſiæ, pereunte mundo. Ibid. VI. 18. 19. 20. hic cum *Abrahamo* agit, ut *Deus omniſufficiens*. cap. XVII. 1. 2. Si 3. *partes* confœderatas cum Deo: in omnibus quidem Chriſtus & ſemen electum coiit cum Deo: ſub *Adamo* fœdus coiit, ut cum ſemine mulieris, Matre mundi primi; ſub *Noacho*, cum familia Noachi, velut Patre mundi ſecundi: ſed ſub *Abrahamo*, & cum ſemine ejus, velut Patre omnium credentium, Judæorum pariter & gentilium, usque ad mundi exitium Gen. XVII. 7. Gal. III. 16. Rom. IV. 11. 12. 16. Si 4. pergas ad materialia fœderis gratiæ; dum ſub *Adamo*, illud non dicitur obtinuiſſe, niſi ſacrificiis Caini & Abelis, ubi forte coria ſacrificatorum ceſſerunt ſacrificantibus, velut Sacerdotibus iſtius curriculi Gen. III. 15. dum ſub *Noacho*, fuit tantum in diluvio, arca & iride, quoad conſervationem Eccleſiæ à diluvio temporali & ſpirituali Gen. VI. 18. & VIII. 21. 22. & IX. 8—18. ſub *Abrahamo*, Deus exſerte ſtipulabatur *fidem* & obſervantiam Gen. XVII. 1. additis compluribus promiſſis; cum temporalibus, tum ſpiritualibus, ſicut etiam in præcedentibus monuimus §. XXVII. Si 5. procedas ad modum revelandi juſtificationem per fidem; dum ille circa confœderationes præcedentes, ſub *Adamo* & *Noacho*, non fuit revelatus, niſi *implicite* & per conſequentiam: hic ſub *Abrahamo* expreſſe dicitur Gen. XV. 6. Si etiam cogites 6. confirmandi fœderis rationem; dum in *Adamo* non obſervantur niſi ſacri-

Status Theologiæ ſub tertio curriculo Patriarchali.

sacrificia, & vestitus factus ex coriis sacrificatorum, quod tamen probabile tantum est Gen. III. 20. & IV. 4. dum sub *Noacho* accessit iris Gen. IX. 8—18. hic sub *Abrahamo* accesserunt: α. juramentum Jes. LIV. 9. cum Gen. IX. 8—18. β. solemnia fœderationis, per cæsionem animalium, & transitum Dei per segmenta Gen. XV. 8. 9. 10. γ. circumcisio Gen. XVII. δ. Sacramenta ambulatoria, mare rubrum, columna nubea & ignea, manna, aqua è petra, serpens æneus aliaque, quæ ad periodum sequentem Mosaicam referemus. Si tandem 7. fines confœderationum conferas: dum sub *Adamo* finis fuit gloriam suam illustrare, in hominis lapsi restitutione, per semen mulieris Gen. III. 15. dum sub *Noacho*, Ecclesiæ conservationem per arcam, & aquam diluvialem Gen. VI. 18. 19. 20. hic sub *Abrahamo*, per semen benedictum Gen. XIII. 1. 2. 3. & XXII. 17. 18. fuit Theologia *fœderalis*. Succedit *systematica*, quæ hic, non tam parce, à suis ruderibus eruenda est; sed multo copiosius passim affluit: ut ejus θεολογούμενα tangamus tantum, quo pateat, nos non aliud credere, quam quod ab initio fuit: Habuit ergo hoc curriculum 1. Theologiam, velut artificium vivendi Deo, quam ab Abrahamo stipulatur Gen. XVII. 1. *Ambula coram me*, & Jacobus Deo addicit cap. XXVIII. 21. *Eris mihi Deus.* 2. *Verbum Dei*, seu revelationem, in alloquiis Patriarcharum passim obvium, & à Patriarchis ad suas Ecclesias domesticas derivandum. Habuit 3. cognitionem Dei, non tantum in nomine *Jehova*, sed & in אל שדי Gen. XVII. 1. cui omnes divinæ perfectiones implicantur. Etiam 4. Trinitatis, in nomine Elohim, juncto cum singulari Jehova, & figura (secundum complures, cum è veteribus; tum recentioribus Theologis) trium virorum Abrahamo apparentium, cui unus interfluit Jehova Gen. XVIII. Habuit 5. cognitionem decretorum divinorum, electionis & reprobationis, in filiis Abrahami, Ismaële & Isaaco, à se invicem discriminatis, illo reprobato, hoc electo Gen. XVII. 18. 19. 20. cum Rom. IX. 7. 8. & in filiis Isaaci, Jacobo & Esavo Gen. XXVII. cum Mal. I. 2. & Rom. IX. 10. 11. 13. 14. Habuit 6. cognitionem creationis Gen. XIV. 19. & XXIV. 3. 7. Habuit 7. cognitionem providentiæ divinæ Gen. XXII. 8. item in omnibus illis necessariis quibus Patriarchis & eorum semini passim Deus prospexit, necnon in figurâ scalæ, à terra in cœlum protensæ, qua etiam figurabatur cura Dei versus Jacobum peregrinantem Gen. XXVIII. 12. 13. 15. 20. imprimis etiam in conservatione Josephi Gen. L. 20. Habuit item cognitionem providentiæ moralis, in præceptis & promissionibus, passim Patriarchis factis. Habuit 8. cognitionem peccati, & pœnarum condignarum, in excidio Sodomæorum Gen. XIX. 2--26. Habuit 9. cognitionem fœderis gratiæ, Abrahamo, Isaaco & Jacobo toties repetiti & amplificati, ut diximus. Habuit 10. cognitionem Christi Mediatoris & redemptoris in semine benedicto, toties Patriarchis promisso Gen. XVII. 7. cum Gal. III. 16. Rom. IV. 11. 12. 16. Habuit peculiariter 11. cognitionem personæ Christi, cum quoad *humanam* ejus naturam, quâ futurus esset semen Abrahæ, Isaaci & Jacobi; tum quoad divinam ejus naturam, in Angelo Jehovah, apparente Abrahamo Gen. XVIII. & luctante cum Jacobo, à quo locum appellat *Pniel*, additâ ratione, quia Deum vidi Gen. XXXII. 30. & utriusque naturæ junctæ, in scalâ, quæ à terra pertingebat in cœlum, in cujus supremitate Jehova existebat Gen. XXVIII. 12. 17. Habuit 12. cognitionem officii Christi, sacerdotalis & regii, in figurâ Melchizedeci Gen. XIV. 18. cum Heb. VII. 1. 2. 3. Habuit 13. cognitionem mortis Christi, in mactatione sacrificiorum, in transitu Dei per segmenta cap. XV. 9. 10. in mactatione Isaaci filii sui cap. XXII. 2. in ligatione Josephi ad mortem destinati cap. XXXVII. 18. 19. 21. etiam sepulturæ, in eodem Josepho. vs. 20. 22. Habuit 14. cognitionem glorificationis, in ejus resurrectione, cujus figuram habuit in Isaaco morti subducto Gen. XXII. 12. cum Heb. XI. 17. 18. & in Josepho, extracto è carcere Gen. XLI. 14. post tot ærumnas, ad summum gloriæ fastigium evecto, ut Regi proximus esset Gen. XLI. 40—44. Habuit 15. cognitionem redemptionis per Christum, quem figurabant sacrificia Patriarcharum ἱλαστικὰ, & in benedictione, à semine Abrahami, in omnes gentes transitura Gal. III. 13. 14. Eph. I. 3. Habuit 16. cognitionem vocationis, in Abrahamo evocato ex Ur Chaldæorum in Canaan Gen. XII. 1. Item 17. regenerationis & conversionis, in Sacramento circumcisionis cap. XVII. cum Col. II. 11. 12. Tit. III. 5. Porro 18. justificationis per fidem in Christum Gen. XV. 6. cum Rom. IV. 3. 11. Atque etiam 19. adoptionis, in invocatione nominis Dei super Abrahamum, & omnes filios promissionum, & per assignationem hæreditatis terræ Canaan, velut natis ex matre liberâ per gratiam Gal. IV. 26. 28. 31. Porro 20. & sanctificationis, in circumcisione Gen. XVII. quæ universo semini Abrahami, electo quidem, signabat & obsignabat exutionem corporis carnis peccatorum Col. II. 11. Deut. XXX. 6. Rom. II. 28. 29. Nec non 21. glorificationis, quam figurabat terra Canaan, velut pignus patriæ cœlestis atque etiam ros de cœlo, quem Jacobo exoptabat Isaacus Gen. XXVII. 28. Quantum porro 22. ad Ecclesiam, si *universalem* spectes, figurabatur illa, ut sub primâ confœderatione, per semen mulieris; & sub secundâ, per familiam Noachi, servatam & existentem in arca, & universa posteritate electa: si *particularem*, fuit ista in familiis Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Jacobi--Quantum 23. ad ministerium Ecclesiasticum, fuit illud in Patriarchis, qui Prophetæ fuerunt, exem-

Theologia Systematica.

plo Abrahami Gen. xxviii. 7. qui apud suos prophetico docendi munere fungebantur Gen. xviii. 19. quin & Patres familiarum, & primogeniti. Quin & apud exteros notum fuisse officium propheticum, patet ex Gen. xxviii. 7. Quantum 24. ad Sacramenta, habuit Sacramentum ordinarium circumcisionis cap. xvii. cum Rom. iv. 11. Quantum 25. ad disciplinam ecclesiasticam, & ejus vestigium apparet in excommunicatione Ismaelis & Hagaris, propter suam persecutionem Isaaci Gen. xxi. 10. 11. 12. Quantum 26. ad gubernationem Ecclesiæ, patet illa in familiis Patriarcharum, quas ipsi dirigebant, præscribendo illis usum Sacramentorum Gen. xvii. 23.— in reformando apud suos cultum cap. xxxv. 2. 3. 4. Sic oberravimus capita *fidei* seu credenda, sub hoc curriculo: quantum ad *observantiam* seu facienda, obtinuit & hic 27. obedientia generalis Gen. xvii. 4. Esto *integer* תמים *perfectus*, omnibus officiis, cum versus me, tum versus proximum, intentus. Obtinuit 28. Religio, quoad cultum Dei *naturalem*, juxta primum Decalogi præceptum: *ambula in conspectu meo:* Ibid. *eris mihi in Deum* cap. xxviii. 21. excluſa etiam idololatria cap. xxxv. 2. 3. 4. Obtinuit 29. cultus *institutus* seu publicus, juxta secundum præceptum, quod *domus Dei* fuerint in usu, in quibus sacrificabatur Gen. xxviii. 22. & cap. xxxv. 2—8. Obtinuit 30. circa istum singularis reverentia nominis divini, ut patet in Abrahamo Gen. xviii. 31. & cap. xxviii. 17. Sed 31. Sabbathi nulla quidem sub hoc curriculo fit mentio expressa, nisi quod Exod. xvi. 22—30. commemoretur, ut dudum præscriptum, procul dubio Gen. ii. 2. atque etiam usitatum. Cum præsertim dubium esse non possit, dum apud ipsos exstiterunt ædes sacræ, & apud eas cultus publicus, in sacrificationibus, quin istis statum fuerit destinatum tempus, & quodnam tandem probabilius, quam id quod Deus ipse dudum dixerat? A Religione si pergamus ad *justitiam*, seu ea officia quæ proximo debentur, & in eis 32. primo ad *honorem*, apparet ille usitatus, in Abrahamo Gen. xxii. 7. in Isaaco cap. xxii. 7. Jacobo cap. xxxii. 18. 19. 20. & cap. xxxiii. 3. 6. damnantur item ludibria Ismaëlis versus Isaacum cap. xxi. 9. Secundo ad *vitam* 33. in damnatâ cæde Sichemitarum Gen. xxxiv. 15.— in conservatâ vitâ Josephi cap. xxxvii. 19—22. Tertio ad *conjugium* 34. in Patriarchis, ejusque violationem, tentatam in adulterio Abimelechi Gen. xx. 3. 5. 9. & cap. xxvi. 7. 9. 10. 11. item in damnato incestu Rubenis cap. xxxv. 21. & Judæ cap. xxxviii.— Quarto ad fortunas 35. apparet justitia *commutativa*, in commercio Abrahami cum Hetitis, super spelunca Macpela Gen. xxiii. 4—16. item in accusatione & damnatione furti cap. xxxi. 26. 27. 30. 32. Etiam 36. mendacia notantur in Abrahamo cap. xx. 2. & Isaaco cap. xxvi. 7. Tandem 37. *contentatio*, opposita concupiscentiæ, apparet in Jacobo Gen. xxxiii. 11. Habes in his lector specimen qualecunque Theologiæ Systematicæ. Jam si hinc transeamus ad Theologiam *symbolicam*; observabimus, non pauca superioris Systematicæ capita, variis figuris insuper, seu adumbrata, seu illustrata fuisse sub hoc curriculo. Sic v.g. (1) S.S. *Trinitas* compluribus, tam veterum quam recentiorum, figurata videtur *tribus* viris, in quibus *unus* fuit Jehova Gen. xviii. 2. Unde tritum: *tres vidit, unum adoravit.* Sic (2) persona, officia, sacerdotale & regium, beneficium benedictionis Christi, figurabit Melchizedechus Gen. xiv. 18. cum Heb. vii. 1.— ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ Psal. cx. 4. Idem (3) quod sacrificium sui, figuratus fuit, in Isaaco, Patris sui filio, unigenito ex uxore, perdilecto, innocuo, Patri morigero ad mortem, ut sacrificium fuerit Gen. xxii. 1—14. cum Phil. ii. 7. 8. Item (4) in Josepho, à Patre tenerrime dilecto, propterea à fratribus exoso, morti destinato, in foveam projecto, inde extracto, & in summam gloriam elevato, quæ omnia conspicua etiam fuerunt in Christo. Porro (5) in fœdere gratiæ, fundato in mactatione pecorum, per quæ transiit, & Deus & Abrahamus Gen. xv. ut figuraretur consensus Dei & Abrahami in istud fœdus, fundatum in morte Christi. Porro (6) in circumcisione, qua non tantum justitia fidei; sed etiam sanctificatio, propter Christum, per Spiritum S. figurabatur Rom. iv. 11. Adhæc (7) in Isaaco & Ismaële, item in Jacobo & Esavo, prædestinatio, in electione & reprobatione, dicebatur Rom. ix. 7—13. Insuper (8) in Scalâ Jacobi, quâ unio duarum in Christo naturarum, pariter & unio Christi & electorum peccatorum, eorumque reconciliatio significabatur. Nec non (9) in terrâ Canaan, quâ Patria cœlestis, ejusque æterna gloria adumbratur. Tandem (10) in benedictione seminis Abrahami, Isaaci, Jacobi, qua omnimoda benedictio, spiritualis pariter & temporalis, Ecclesiæ addicebatur. Et si quæ p'ura sunt sub hoc curriculo obvia, quorum applicationem, brevitatis necessitate facere non possumus, à commentatoribus repetendam.

Theologia Symbolica.

XXXIII. Examinandus tandem breviter est status Ecclesiæ, sub hoc curriculo. Non est, ut ferme fit, Ecclesia hujus curriculi adeo solicite adstringenda familiis eorum Patriarcharum, qui nominantur in Genesi: observatur enim illa, insuper extra illas familias, v. g. in Melchizedeco Sacerdote & Rege Gen. xiv. Abimelecho pio Ibid. cap. xx. 2.— & cap. xxvi. 8.— Item in Jobo & amicis ejus, sub hoc curriculo, in Arabiâ, inter Idumæos viventibus Gen. xxxvi. 33. & forte per totum orbem dispersa, quamvis ejus Scriptura, in Geneseos tanto historiæ compendio, nullam

Status Ecclesiæ sub tertio curriculo Patriarchali.

lam faciat mentionem, contenta, Ecclesiæ successionem propagationemque repræsentasse. Equidem constantior sub hoc curriculo deprehenditur orthodoxia, sub Patriarchis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Joseph: sed tamen non absque suis nævis. Obrepsit enim ei, à Cainitis licet exstinctis diluvio, Polygamia, in Abrahamo potissimum & Jacobo conspicua, item in Esavo, nec non idololatria, & in familia Jacobi obvia Gen. xxxv. 1—6. ut & in Labanis cap. xxxi. 30. 33. Quid autem fuerint *Theraphim*, Seldenus explicat *De Diis Syris. Syntag.* 1. cap. 2. & Athan. Kirch. OEdip. Ægypt. Tom. 1. p. 258. ut nihil dicam de Esavo, & in moribus etiam ἥττήματα, in mendaciis Abrahami & Isaaci, aliisque observata. Quoad schismata hujus curriculi, mansit magnum, universale & æternum illud, inter semen mulieris & serpentis: mansit item *Chamiticum*, per suas oras disseminatum, ut diximus. Fundatum hic, licet in nervum necdum hoc tempore eruperit, schisma *Ismaeliticum*, quando Ismaelitæ dispersi per terram *Jathreb & Jaman*, auctore Patricide, h. e. Arabiam, ubi est urbs Medina, Muhammedanismo ortum dederunt sub N. T. Ejectus enim Ismael à familia & sacris paternis, itemque à revelatione divina cum Matre Hagare, non potuit non paulatim ruere in perversum Dei cultum. Dicti etiam postea sunt Hagareni, Scythæ, Turcæ. Fundatum insuper hoc curriculo, & eadem etiam ratione, est schisma *Esaviticum*: ab Esavo enim seu Edom, nati sunt Idumæi, in montanis Seir. Hi quidem non semel ab Israelitis bello lacessiti & subjugati sunt, v. g. à Davide 2 Sam. viii. 14 2 Reg. xi. 15. 1 Paral. xviii. 13. Conf. Joseph. Antiq. Jud. lib. vii. cap. 6. ab Amazia Rege 2 Reg. xiv. 7. à Machabæis 1 Machab. v. 65. attriti tamen, & ad circumcisionem aliaque Judæorum sacra compulsi non sunt, nisi ab Hircano Simonis Machabæi filio. Joseph. *Antiq.* lib. xiii. cap. 17. à quo impletum fuit Bileami vaticinium Num. xxiv. 18. ut & Amos ix. 12. Hinc persecutionum etiam specimina præstitit hoc curriculum: cum in Ismaele, Isaaci persecutore Gen. xxi. 9. cum Gal. iv. 29. tum in Esavo, fratrem Jacobum, ob primogenituræ benedictionis a se in illum translationem, primum internecioni devovente Gen. xxvii. 41. & postmodum acerrime prosequente cap. xxxii. 6. 7. Porro in Sodomæis Lothum angentibus cap. xix. 4—9. cum 2 Pet. ii. 6. 7. Tandem in fratribus Josephi, propter insomnia divina, fratrem odio prosequentibus, internecioni devoventibus, & in speluncam projicientibus, & Ismaelitis vendentibus cap. xxxvii. His tamen persecutionibus non connumeramus Philistæorum infectationes in Isaacum cap. xxvi. 14. 16. nec Labanis in Jacobum cap. xxxi. 22. — quia Religionis causa non acciderunt.

Schisma Ismaëliticum.

Schisma Esaviticum seu Idumæum.

Persecutiones.

Pars elenchtica.

Quæritur

XXXIV. Quæritur *primo*, an sub epocha Patriarchali homines servati sint, observatione solius legis *naturæ*, & paucorum præceptorum positivorum, absque ullis promissionibus spiritualibus? Pelagiani olim, & Sociniani nunc, ut & Pontificii, amore arbitrii *independenter* liberi, quo homo possit, quicquid a se Deus exigit, absque ulla Mediatoris satisfactione, absque ulla in Mediatorem fide; affirmant quod quæritur. Reformati eos, juxta fœdus gratiæ, ejusque promissiones spirituales, per Mediatorem, fide in ipsum, servatos statuunt, adeoque negant κεγνόμενον. Eo quod 1. extra *Christum* nulla sit salus Act. iv. 12. Joh. xiv. 6. 1 Tim. ii. 5. Quod 2. *eodem modo* servati dicantur, qui ante Christum vixerunt, ac hi qui post ipsum vivunt Act. xv. 11. Quod 3. Deo *placuerint*, id quod absque fide est *impossibile* Heb. xi. 5. 6. Quod 4. in *dogmaticis* ostenderimus, ipsos habuisse *fœdus gratiæ*, in primâ sua promulgatione Gen. iii. 15. in ejus duplici *renovatione* sub Noacho, & egregia etiam *amplificatione* sub Abrahamo, Isaaco, Jacobo. Conferantur quæ in hanc rem diximus lib. v. cap. 1. §. xxxii.

1. An sub epocha Patriarchali homines servati sint, observatione solius legis naturæ, & paucorum præceptorum positivorum, absque ullis promissionibus spiritualibus?

XXXV. Quæritur *secundo*, an testamentum in Scripturis, sit immutabilis Dei voluntas, de danda fidelibus hæreditate? Celeberrimus Coccejus, quo majus descrimen poneret inter *testamentum* & *fœdus gratiæ*, & commodius negaret, testamentum esse fœdus gratiæ diversimodè *dispensatum*; quo itidem validius obtineret, testamentum *vetus* non esse, nisi voluntatem semini Israelitico dandi hæreditatem terræ Canaan; dum *novum* non sit, nisi voluntas dandi bona novi testamenti, eoque tandem beatitudinem novi testamenti, altius efferret supra beatitudinem V. T. primò *tria* testamenta admisit; nim. 1. Testamentum *universale*, omnibus ævis commune, 2. testamentum *vetus* Israeliticum, de danda Canaan, & 3. testamentum *novum*, de danda etiam gentilibus hæreditate spirituali, seu beneficiis novi testamenti: tum testamentum *universale* definivit, æternam Dei voluntatem, de danda fidelibus hæreditate vitæ æternæ: tandem huic testamento subordinavit *decretum* prædestinationis, *fœdus* gratiæ, & utrumque *testamentum*, vetus ac novum. Reformati, usque ad Cl. Coccejum, decretum *electionis* existimârunt, esse basin universæ redemptionis humanæ, eique subordinarunt *fœdus* gratiæ, velut *normam* exsecutionis decreti electionis: hujusque fœderis *promulgationem* quidem appellarunt *Euangelium*; ast *dispensationem* per effusionem sanguinis, tum fundendi, tum fusi, appellarunt *testamentum*, sicut diximus in *dogmaticis*;

2. An testamentum sit immutabilis Dei voluntas de danda fidelibus hæreditate coelesti?

Argumenta sententiæ negativæ.

ticis: proinde negant, testamentum esse propositum dandi hæreditatem cœlestem. Eo quod 1. propositum dandi hæreditatem cœlestem, nullibi in Scripturis *testamentum* appelletur. Quod 2. propositum dandi hæreditatem *cœlestem* fidelibus, coincidat cum decreto electionis, quod Scriptura constanter distinguit à בְּרִית & *διαθήκη*, quatenus illud ab *æterno* fuisse; dum hoc (in quantum coit cum electis) semper in *tempore* fieri dicitur Gen. XVI. 18. & XVII. 19. 21. Jer. XXXI. 31. 32. 33. Rom. XI. 27. Heb. VIII. 10. nec datur dissimile exemplum. Quod 3. hypothesis contraria, seu novum hoc testamentorum systema, maximam inducat *obscuritatem* & confusionem: quatenus α. pro *duobus* testamentis, quæ Scriptura constanter numerat, vetus scil. & novum Gal. IV. 24. 2 Cor. III. 6. 14. Heb. VIII. 9. hoc systema *tria* numerat; æternum, vetus ac novum: & in his β. testamentum, quod vetere *vetustius* sit, de quo nihil Scriptura: & γ. testamentum *vetustissimum* rursus, idem facit quoad substantiam, cum testamento novo: quatenus hæreditas cœlestis, seu bona *spiritualia*, quæ disponit per *novum* testamentum, reverà coincidunt cum testamento *æterno*. In contrarium tamen causantur: A. quod *testamenti æterni* fiat mentio Heb. XIII. 20. Resp. 1. Adhuc probandum, quod per *διαθήκην αἰώνιον* intelligatur propositum dandi hæreditatem cœlestem: quid si enim 2. per illam intelligatur *fœdus* æternum, quod coiit inter Patrem & Filium *ab* æterno? Quid si etiam intelligatur fœdus in tempore cum fidelibus ictum, in æternum duraturum; ex eo non emerget *testamentum* ab æterno existens. B. Quod Gal. III. 15. 16. 17. mentio fiat *διαθήκης προκεκυρωμένης, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, εἰς Χριστὸν*. Resp. Hic nihil est de *æterno Dei* proposito; sed de fœdere gratiæ, quod Deus cum Abrahamo iniit in tempore, quadringentis annis, ante legem solenniter datam vs. 17. 18. C. Quod Heb. IX. 15. 16. 17. mentio fiat *hæreditatis æternæ*, quæ testamentum æternum præsupponit. Resp. Textus agit de *promissione* æternæ hæreditatis, quæ procul omni dubio in tempore facta est: quam promissionem ipsi etiam fratres, qui Coccejum sequuntur, à voluntate æternâ distinguunt. Tum 2. hæreditas *æterna* est, quod sit *incorruptibilis*, & *immarcessibilis* 1 Pet. I. 4. Etiam 3. per hæreditatem æternam, intelligitur vita æterna, quatenus illa *ab æterno* præparata est in filio, per *fœdus* illud gratiæ, quod coiit inter Patrem & filium ab æterno, non autem præcisè ex *testamento* quovis æterno, quatenus item nobis olim obtinget jure *adoptionis* Rom. VIII. 15. D. Quod detur *æterna* voluntas decernens hæredes; proinde hæc intelligitur per *testamentum*. Resp. Datur æterna *electio*, quâ electis vita æterna decernitur conferenda, jure διαθετικῷ: hinc tamen non sequitur, dari *testamentum* æternum; cum *electionem* ipsi fratres qui Cl. Coccejum sequuntur, non tantum discernant à *testamento*; sed testamento quoque subordinent: nec hinc etiam sequitur hanc *electionem* in Scripturis *testamentum* appellari; cum ad aliud significandum, *testamenti* notionem Scriptura destinaverit. E. Quod testamentum non sit *ipsum* fœdus gratiæ, ac proinde esse non possit aliud, quam voluntas dandi hæreditatem. Resp. Datur tertium, est dispensatio fœderis gratiæ; quæ implicat dispensatum *fœdus*, ut materiam. F. Quod Servator Luc. XXII. 29. *Ego διατίθεμαι vobis regnum, sicut Pater disposuit mihi.* Resp. 1. Hic *æterna διαθήκη* soli Christo asseritur, propter fœdus gratiæ *ab æterno* cum eo initum; nobis autem non est nisi *temporaria*: tum 2. *διατίθεσθαι* etiam sonat, *fœdere* alicui addicere, prout *διαθήκη*, non *testamentum* tantum; sed etiam *fœdus* notat.

Objectiones sententiæ affirmativæ.

XXXVI. Quæritur *tertio*, an vetus testamentum nihil aliud sit, quam voluntas dandi *terram Canaan* Israëli? ut pignus cœlestis patriæ? Sociniani, quia nullas largiuntur V. T. promissiones *spirituales*, dempto pignore, affirmant. Colludunt Pontificii, nisi quod addant terram Canaan ei promissam, ut *figuram* promissionis cœlestis. Idem, quoad rei summam, sensit Arminius Disp. LI. *De Ecclesia* V. T. Celeberrimus Coccejus cum suis, in gratiam novi sui systematis de fœderibus & testamentis, affirmat quidem; sed cum restrictione, quatenus Canaan est *pignus patriæ* cœlestis. Reformati usque ad ipsum, admiserunt quidem propositum & promissionem dandi Israëli terram *Canaan*, eamque etiam pertinuisse ad fœdus gratiæ, quatenus illud renovavit cum Abrahamo & Israële, tanquam scil. ejus ramusculum quendam (prout pietas promissionem habet *hujus & futuræ vitæ* 1 Tim. IV. 18. & benedictiones temporales ad fœdus gratiæ referuntur Hos. II. 18 — hoc modo, promissioni spirituali: *ero Deus tuus, & Deus seminis tui*, subjunxisse Deum, promissionem de *terra Canaan*, in renovatione fœderis gratiæ cum Abrahamo Gen. XVII. 7. 8.) negant autem, propositum & promissionem terræ Canaan præstare peculiare quoddam *fœdus* aut *testamentum*. Eo quod 1. Scriptura nullibi doceat, promissionem terræ Canaan, esse *peculiare* fœdus aut testamentum. Quod 2. promissioni de terra *Canaan*, non competant requisita testamenti, nempe ut ratificetur morte testatoris Heb. IX. 16. mors enim Christi nunquam ratificavit promissionem de terra *Canaan*. Quod 3. Apostolus Gal. III. 17. *testamentum* vetus dicat *κεκυρώμενον εἰς Χριστὸν*, cujus promissio sit *vivificatio & justificatio* vs. 21. per hoc autem non intelligit, vel testamentum *æternum*: quia expressè loquitur de testamento cum *Abrahamo*; nec testamentum *novum* sub Christo, per eandem rationem: ergo intel-

3. An testamentum v. non sit nisi voluntas dandi Canaan, ut pignus patriæ cœlestis à restrictione.

Argumenta sententiæ negativæ.

intelligit teſtamentum *vetus*, niſi *quartum* quoddam velint ſtatuere teſtamentum. Quod 4. ſi teſtamentum *vetus* fuiſſet de ſola terra *Canaan*; fuiſſet, vel de terra illa ſimpliciter, quod Socinianum eſt; vel quatenus *pignus* erat *cœleſtis patriæ*, & ſic coincidet cum teſtamento *generali*, imò & cum teſtamento *novo*: quippe quæ cœleſtem patriam pollicentur; niſi quod *vetus* hoc adjunctum ſibi habuerit nobile *pignus*, quo, dum duo reliqua teſtamenta deſtituuntur, hoc duobus reliquis evadet *perfectius* ac nobilius. Addam 5. ſi poſſeſſio terræ *Canaan*, *exhauſiſſet* teſtamentum vetus; nec *conſtans* fuiſſet, quippe interciſum captivitate Babilonicâ; nec *univerſale* aut commune omnibus fœderatis, utpote cujus nullam habuerint communionem proſelyti, extra Canaan degentes: non dicam, quod *impii* & hypocritæ habuiſſent pignus *patriæ* cœleſtis. Obnituntur tamen fratres his argumentis: A. Ablata hæreditate *Canaan*, *nulla* remanebit hæreditas veteri teſtamento peculiaris, adeoque ceſſabit teſtamentum *vetus*. Reſp. 1. Non *removemus* à teſtamento veteri terram Canaan; ſed ut nobilem ejus *partem* includimus Gen. XVII. 7. 8. tantum negamus, in *ſola* ejus poſſeſſione fuiſſe totum *teſtamentum*. 2. Sic inter teſtamentum *univerſale*, & inter teſtamentum *novum*, ex hypotheſi fratrum, nullum foret diſcrimen, quod utrobique *eadem* ſit hæreditas cœleſtis patriæ. 3. Sufficit, quod ejuſdem hæreditatis, peculiaris veteri teſtamento competat *diſpenſatio*. B. Teſtamenti typici (quale eſt teſtamentum *vetus*) hæreditas quoque *typica* eſt: proinde *Canaan* eſt hæreditas Heb. IX. 15 — Reſp. 1. Eſto terra Canaan *hæreditas*, modo non ſit *ex aſſe*, ſeu tota ac ſola. 2. Sufficit ad teſtamentum typicum, quod hæreditatis ejus *diſpenſatio* ſit typica. C. Terra Canaan fuit Iſraëlis *hæreditaria* poſſeſſio Deut. XII. 11. 12. Pſal. LXVIII. 10. Reſp. Fuit, ſed non *ſola*, quod eſt in quæſtione. D. Teſtamentum Vetus *ſolos* reſpiciebat Judæos; ergo habebat etiam hæreditatem Judæis *propriam*, qualis Canaan. Reſp. Vetus teſtamentum reſpiciebat omnes electos, qui vixerunt à πρωτευαγγελίῳ ad Chriſtum, etiam proſelytos Judæorum, *extra* Canaan viventes, ut paulò abhinc docebimus. E. Vetus teſtamentum, ut *evanidum*, hæreditatem habuit evanidam, qualis ſola terra *Canaan*. Reſp. Habuit hæreditatem *evanidam*, quoad poſſeſſionem terræ Canaan; ſed non *ſolam* evanidam, verum vitam quoque æternam Matth. XXV. 36. 46. F. Chriſtus non eſt mediator V. teſtamenti, ergo non habuit pro hæreditate vitam æternam, cujus ipſe teſtator eſt, proinde *ſolam* terram Canaan. Reſp. 1. Chriſtus non eſt mediator veteris *fœderis*, ſeu fœderis operum; ſed non fuiſſe mediatorem veteris *teſtamenti*, falſiſſimum eſt Heb. XIII. 8. Tum 2. hæreditas cœleſtis involuta erat in pignore terræ Canaan.

Objectiones ſententiæ affirmativæ.

XXXVII. Quæritur *quarto*, an vetus teſtamentum cœperit à Sinai? Celeb. Coccejus, quia vetus teſtamentum vetus dixit; diſpoſitionem de terrâ *Canaan*, quæ præſtita eſt ad Sinai, cogitur affirmare. Nos, quia negavimus §. præced. teſtamentum vetus eſſe diſpoſitionem de terra *Canaan*; negamus quoque teſtamentum vetus *cœpiſſe* à Sinai. Quæſtio igitur, nullo negotio determinatur ex præcedente. Si enim 1. Vetus Teſtamentum non eſt diſpoſitio de terra *Canaan*; quid eſt, niſi diſpenſatio fœderis gratiæ, per mediatorem *venturum*; & hæc cum, conſenſu omnium, obtinuerit *ante* introductionem in Canaan; procul omni dubio, vetus *teſtamentum* obtinuit ante iſtam introductionem. Addam 2. ſi teſtamentum, diverſum à teſtamento generali, & novo, obtinuit quadringentis annis ante legem, tum teſtamentum vetus fuit ante introductionem in Canaan; ſed tale teſtamentum obtinuit ex ſententiâ Pauli Gal. III. 17. Non fuit enim hoc teſtamentum *univerſale* (ex ſententia fratrum) quia illud non quadringentis annis: ſed ab æterno eſt προκεκυρωμένον; neque inſuper illud promiſſionem habebat Canaan, quam Pauli illud habuit Gen. XVII. 7. 8. & multo etiam minus, fuit teſtamentum *novum*, conſentientibus fratribus: niſi ergo *quartum* quoddam velint fabricare teſtamentum; agnoſcendum ipſis, à Paulo intelligi teſtamentum *vetus*, quod obtinuerit ante introductionem in Canaan. Ex quo aliud etiam naſcitur argumentum. 3. Si *ante* introductionem obtinuit teſtamentum aliquod *gratiæ*, diverſum à fratrum teſtamento *univerſali*; tum ante introductionem obtinuit teſtamentum *vetus*: ſed obtinuit: quia α. ſub Noacho tale fuit teſtamentum *gratiæ* Gen. VI. 8. cum verſ. 18. *fuiſſe* hic teſtamentum, ſeu diſpenſationem fœderis gratiæ, docuimus §. XIV. *non* fuiſſe hic fratrum teſtamentum gratiæ *univerſale*, patet; quia habuit promiſſionem de præſervando Noacho ab exitio *diluvii*, item, de non amplius perdendo mundum per diluvium, quas promiſſiones non habet fratrum teſtamentum gratiæ *univerſale*: non addam quod fratrum illud teſtamentum exſtiterit ab *æterno*, nec erectum demum ſit cum Noacho. Quia β. ſub *Abrahamo* fuit tale teſtamentum *gratiæ*, quippe quod promittebat, Deum fore *Deum* Abrahami & ſeminis ſui Gen. XVII. 7. hoc vero fuiſſe diverſum à fratrum teſtamento gratiæ *univerſali*, jamjam demonſtravimus. Obnituntur tamen fratres ſatis ſpeciosè, A. Ex Jer. XXXI. 31. 32. & Heb. VIII. 9. ubi mentio fit teſtamenti alicujus, erecti à Deo *ad Sinai*, quod procul dubio fuit *vetus* teſtamentum. Reſp. Demus ibidem ſermonem eſſe de veteri *teſtamento*, demus item illud ibidem *erectum* dici: ſed negamus dici, illud vetus teſtamentum ad Sinai *cœpiſſe*; neque enim hæc ſynonyma ſunt, *erectum* eſſe & *incepiſſe*: Tum 2. ſi

3. An vetus teſtamentum cœperit à Sinai?

Argumenta ſententiæ negativæ.

Objectiones ſententiæ affirmativæ.

etiam *cœpisse* demus; negamus dici, quod secundum *universam* sui periodum cœperit. Scil. veteris testamenti, duas observavimus illustres *epochas*, in quibus insignis accidit in dispensatione fœderis gratiæ *variatio*: harum prior fluit à προτευαγγελίῳ ad Mosen, sub hac fuisse longe diversissimam testamenti gratiæ *dispensationem*, ipsi agnoscunt fratres: posterior est à Mose ad Christum, sub quâ Deus fœdus gratiæ dispensavit *modo* plane diverso, scil. per tantam typorum & ceremoniarum turbam: & quoad hanc *epocham*, seu quoad hanc peculiarem *dispensandi* rationem, agnoscimus vetus testamentum etiam incepisse à Sinai. Hanc etiam peculiarem epocham, seu dispensandi rationem per sacerdotium Leviticum ceremoniasque, intelligi apud Prophetam per *testamentum* ad Sinai, patet ex cap. VIII. ad Hebræos; imò & ex scopo totius ejus Epistolæ, qui non alius est, quam abrogationem legis *ceremonialis* docere: in quam rem urget, Deum jam sub N. T. bona fœderis gratiæ, regenerationem &c. non amplius, sicut olim sub V. T. velle dispensare, per *sacerdotium Leviticum* & ceremonias typicas; sed se jam absque illis immediate legem suam velle inscribere mentibus eorum, juxta vaticinium Jeremiæ. B. Ex Gal. IV. 24. ubi expresse mentio fit testamenti *montis Sinai*, quod ad servitutem generet. Resp. 1. Per διαθήκην ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, intelligi potest fœdus *operum*, cujus rememoratio per decalogum facta est ad Sinai, tum propter Judæos *reprobos*, à communione testamenti *gratiæ* (ut loquuntur fratres) exclusos; tum propter *electos*, ejus ope ad communionem testamenti *gratiæ* adducendos Gal. III. 24. ut *cap. seq.* docebimus. Sed si 2. per διαθήκην ἀπὸ Σινᾶ, omnino velis intelligere *testamentum*, & quidem *vetus*; dicam sicut ad objectionem præcedentem, intelligi eam veteris testamenti *epocham*, quæ variis ceremoniis onerosis, populum, pro ætate infantili, magis detinuit in servitute Gal. IV. 1. nequaquam autem totam periodum V. T.

5. An periodus gratiæ, à paradiso ad consummationem seculorum, rectè dispescatur in *vetus & novum* testamentum?

XXXVIII. Quæritur *quinto*, an ergo universa periodus fœderis gratiæ, à προτευαγγελίῳ ad consummationem seculorum, rectè dispescatur in *vetus & novum* testamentum? Clariss. Coccejus, quia testamentum *vetus* dicit, non esse nisi dispositionem de terra *Canaan*, ut pignore cœlestis patriæ, ac proinde non obtinuisse ante introductionem Israëlis in Canaan; cogitur etiam statuere, ante *vetus* testamentum obtinuisse periodum quandam, quam *promissionis* periodum designat, à veteri & novo testamento diversam. Nos ex adverso, cum docuerimus, *vetus* testamentum non esse dispositionem de solâ terra *Canaan*; ac proinde, vetus testamentum obtinuisse etiam, ante introductionem Israëlis in Canaan, quin vetus testamentum non esse, nisi *dispositionem* fœderis gratiæ, per Mediatorem *exhibendum*; affirmamus rectè dispesci in duo testamenta: quod, agnoscentibus ipsis fratribus, dispensatio fœderis gratiæ, quatenus Mediatore *exhibendo* nititur; obtinuerit ab ipso προτευαγγελίῳ. Proinde hac quæstione, non est, quod diutius occupemur.

6. An sub epocha Patriarchali, Deus nullam hominibus præscripserit legem, nullum Euangelium?

XXXIX. Quæritur *sexto*, an sub epocha Patriarchali, Deus mundo nil præter *promissionem* testamenti *universalis* dederit; nullam legem moralem, ceremonialem, aut ipsius fidei, nullum item Euangelium: ad hoc ut peccatum *non imputaret*, aut de *libertate* hujus epochæ quicquam deliberet; sed homines tractaret, acsi peccatum non amplius esset in mundo? Clariss. Coccejus, quia 1. universum gratiæ tempus, à προτευαγγελίῳ ad extremum judicium, dispescebat in *tres* periodos, promissionis, legis & euangelii: primæ periodo nil tribuit, præter solam *promissionem*, seu testamentum gratiæ *commune*; secundæ, præter testamentum commune, etiam *legem*; tertiæ, præter testamentum commune, insuper *Euangelium*: rursus 2. quia legis originem referebat ad μοσχοποιΐαν, ante illud tempus, legem nullam potuit agnoscere: tandem 3. quia docebat, usque ad actualem sponsoris solutionem, homines fuisse sub reatu, sub imputatione seu exprobratione peccati, ut nondum sublati, & hinc sub servitute; ne sibi objiceretur epocha *Patriarchalis*, sub quâ eadem libertate gavisi fuerint, quâ nos sub N. T. gaudemus; præoccupat, singulari quadam Dei bonitate, peccatum, quamvis adhuc esset in mundo, & imputari potuisset: *imputatum* tamen non fuisse: adeoque Deum nullam *legem* huic epochæ dare voluisse, ne scil. ejus ope peccatum imputaretur, seu exprobraretur velut necdum sublatum, aut de libertate ejus quicquam delibaretur: his ergo causis quæstionem affirmat. Vid. Cl. Coccei Disput. De *Oecon. temporum*, Auct. & Respondente Wilhelmo Momma §. VI. VII. Conf. D. Wilh. Momma de *statu Eccl.* lib. 1. c. 3. Nos ex adverso, negamus quæstionem, docemusque, sub epocha *Patriarchali*, perinde datam à Deo, & legem & Euangelium, ac sub epocha Mosaica: licet diverso modo & gradu. Eo quod 1. præcepta *moralia* generalia, per hanc epocham, hominibus *exserte* legantur præscripta Gen. IX. 5. 6. & XVII. 1. & XIX. 7. 17. &c. Quod insuper 2. præcepta specialia plurima v. g. de fabricanda arca & annexis Gen. VI. — deserenda patria & familia ab Abrahamo cap. XII. — mactando filio cap. XXII. &c. quin & singula Decalogi præcepta, & per hanc epocham obtinuisse, inductione dudum ostendimus. Eo quod 3. *imputentur* seu reprehendantur peccata Gen. IV. 9. 10. & VI. 2. 3. & XI. 6. Eo quod 4. *puniantur* Gen. IV. 11. 12. & modo etiam plane horrendo, ut patet in diluvio, & eversione Sodomæ. Eo quod 5. etiam præcepta ceremonialia

nialia exserte homini præscripta sint Gen. IX. 4. & XV. 9. 10. & XXII. 2. in his cumprimis, circumcisio Gen. XVII. 10. &c. Non dicam de sacrificationibus Abelis, Noachi aliorumque, quæ, licet exserte præscripta non legantur; tamen ἐθελοθρησκείας non fuisse, ab ipsis fratribus agnoscuntur, ac proinde, à Deo mandatæ præsupponuntur. Eo quod 6. *Euangelium*, saltem *promissionis*, detur Gen. III. 15. & fœdus gratiæ, cum stipulata sua conditione Gen. XVII. 1. 2. Non addam 7. *fidem* in Messiam, ut futurum Gen. XLIX. 18. &c.

Sententiæ affirmativæ fundamenta.

Si in contrarium causentur fratres: A. Non fuisse *exserte* præscriptas leges: occurram 1. modo *præscriptæ* sint 2. & *exserte* præscriptas fuisse, jam demonstravimus. B. saltem non *legi* exserte præscriptas: dicam, multa à Deo per Patriarchas διοπτεύσας, mundo præscripta fuisse, quæ in Geneseos tanto breviloquio non commemorentur. Conf. Gen. VI. 3. cum 1 Pet. III. 19. 20. Quin & exserte præscriptas, jam ante demonstravimus. C. Non fuisse præscriptas, ut *imputarent*, seu commemorarent & exprobrarent peccatum: regeram; omnem legem imputare seu exprobrare peccatum Rom. VII. 7. 13. usque ad ipsam legem naturæ Rom. II. 15. Ne dicam, legem *ceremonialem*, quam sub hac epocha obtinuisse agnoscunt fratres, & nos præscriptam à Deo, demonstravimus; expresse ab Apostolo appellari *chirographum* adversus peccata Col. II. 14. Reliquas hypotheses, quibus suam sententiam superstruunt fratres, v. g. de τειχοτομίᾳ temporum, de lege oriunda ex μεσοποιίᾳ, de servitute quam lex ista adduxit Ecclesiæ; partim examinavimus dudum, partim examinabimus σὺν Θεῷ, capite sequenti.

Praxis.

Pars practica.

XL. Praxis hujus dispensationis respicit, vel *fœdus* gratiæ dispensatum, quam ex professo diximus lib. V. cap. 1. mutatis mutandis, huc traducendam; vel singula hujus epochæ curricula singulatim, quam compendii hujus brevitas excludit; vel universam hanc epocham, quam verbo repræsentabimus. Quod ergo Deus, fœdus gratiæ in Christo, non simul & semel promulgare, nec uno eodemque modo voluerit dispensare, prout potuisset, si visum ita ipsi fuisset; sed gradatim, per varia tempora, intervalla, distantias, quibus convenienter, plenius & planius innotesceret mundo mysterium hujus fœderis, scil. per tot periodos, epochas, curricula, dilatatum, ut dixi-

1. Docet decorem & elegantiam ordinis.

mus: hoc *primo* nos docet, quam in se sit elegans, & quanti apud Deum, rerum ordo; ex adverso quam turpis & exosa Deo, quævis ἀταξία. 1 Cor. XIV. 33. 40. Quod, sicut patefecit in rerum *primo* omnium creatione, per ἑξαήμερον: in simplicibus, à perfectioribus ad imperfectiora; & in compositis, ab imperfectioribus ad perfectiora, continuo progrediendo; Gen. I. — ita & in rerum *secunda* creatione, per filium, juxta fœdus gratiæ procurata, idem demonstrat, in tam pulchra ejusdem fœderis dispensatione; qua per gradus, semper ab imperfectioribus ad perfectiora, pro Ecclesiæ infantia, adolescentia & adulta ætate, progressus observatur: à quo etiam dici possit ברית ערוכה בכל, *fœdus ordinatum in omnibus* 2 Sam. XXIII. 5. Qui ordo, in se tam elegans, Deo tam gratus, & in propria domo, per dispensationem fœderis, quin & ubique, tam accurate servatus: nobis sese commendare debet adeo, ut in domo Dei publica, seu in Ecclesia 1 Tim. III. 15. cum 1 Cor. XIV. 40. & in domo cujusvis privata, & in omni nostro negotio, religiosissime eum imitemur.

XLI. *Secundo*, monstrat nobis ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ, Eph. III. 8. qui anima est & quintessentia fœderis gratiæ; ut qui per tot tempo-

2. Pandit imperscrutabilem thesaurum Christi.

rum periodos, periodorum curricula, per tot mundi secula, & per tot gradus, & quasi per particulas, mortalibus explicari debuerit. In mundi quidem *creatione*, Deus suæ sapientiæ, bonitatis & potentiæ communis thesauros profudit & explicavit, per spatia sex dierum Gen. I. — sed in ejus *recreatione* per Mediatorem, juxta fœdus *gratiæ*, Deus thesaurum *imperscrutabilem Christi*, & πολυποίκιλον σοφίαν fœderis gratiæ, explicat gradatim & particulatim, per sex mille annos. Et quorsum hoc? nisi ut, sicut Deus explicandis mundi operibus sex dies impendit ad hoc, ut nos eis distinctè cogitandis, sex hebdomadis dies impenderemus; ita etiam dispensationes fœderis gratiæ, & thesauros Christi, per tot secula Deus explicuit, ut eis distincte cogitandis, omne tempus vitæ nostræ impenderemus.

XLII. *Tertio*, commendat nobis tenerrimam, & plus quam paternam, Dei curam ac συγκατάβασιν versus Ecclesiam suam, adhucdum in suâ infantia constitutam. Quatenus mysteria fœderis gratiæ in eam simul & semel effundere, tantoque jubare obtundere, non voluit; sed per gradus, juxta varias ejus ætates, prima ejus elementa, absque ulla fœderis mentione, ei instillare à paradiso ad Noachum; tum elementa illa paulo distinctius explicare, per adjectam non tantum confœderationis commemorationem formamque; sed solennem etiam ejus obsignationem, per Sacramentum iridis, à Noacho ad Abrahamum: tandem confœderationem factam, promissis temporalibus plusculum involutam, ad spiritualia distinctius extendere voluit: *ero Deus tuus & semini tui* Gen. XVII. 7. 8. item *ero clypeus tuus & merces tua magna valde* Gen. XV. 1. ab Abrahamo ad Mosen: atque insuper sub universa hac epocha, Ecclesiam suam ejusque veritatem, adversus Cainitas, & Chamitas, imo adversus totum mundum,

3. Commendat plusquam paternam Dei curam Ecclesiam.

dum, ab ea separatum, tam potenter tutatus est. Hanc plus quam paternam Dei curam & providentiam eo commendat, ut & nunc confidentius ei nos committamus.

4. Extollit sortem nostram supra sortem primitivæ hujus Ecclesiæ.

XLIII. *Quarto*, hujus epochæ infantia, micantesque tenebræ, quibus sitim ac desiderium alere & excitare Deus voluit, versus *desiderium gentium* Hag. II. 7. Jes. LXIV. 1. collata cum nostrâ virili ætate, meridianâque luce; nostram commendat & extollit beatitudinem præsentem Luc. X. 23. 24. efficaciissimeque nostrum accendit amorem & gratitudinem versus Deum, erigit, ut accuratius in hac luce coram Deo ambulemus. Conf. Rom. XIII. 11. — monetque, ut, cum adulti simus, nos non geramus, velut νήπιοι, 1 Cor. XIII. 11. *cum essem infans, ut infans loquebar, ut infans cogitabam, ut infans sentiebam: postquam autem factus sum vir; abolevi quæ infantis erant:* &, qui *debebamus pro temporis ratione, Doctores esse, opus habeamus, doceri quæ sunt elementa initii eloquiorum Dei, simusque tales, qui lacte indigeant, non solido cibo; quod, quibus cum lacte res est, rudes sint sermonis justitiæ, & infantes adhuc, cum adultorum sit cibus solidus* Heb. V. 12. 13. 14. Conf. Eph. IV. 14. Nequeetiam in meridianâ luce, quam nobis Deus reservavit, cæcutiamus, aut palpemus Deut. XXVIII. 29. Job. V. 14. Jes. XXIX. 10. 2 Pet. I. 9.

5. Ad confirmandam & munidam fidem.

XLIV. *Quinto*, etiam egregie commendat *antiquitatem* fidei nostræ, si Theologiam trium primorum Ecclesiæ curriculorum diligenter conferamus cum nostra. Inde enim (1) nobis innotescet, nos non aliud credere, quam quod *ab initio fuit* 1 Joh. I. 1. Nec (2) alio modo servari, quam eo quo servati sunt homines, à primis mundi & Ecclesiæ incunabulis Act. XV. 11. καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι. Ex quo (3) egregie confirmamur in fiduciâ nostra, & sancta fidei istius professione. Insuper (4) gloriari possumus in profunda ista antiquitate: si enim Romanenses, ementita sua antiquitate, adeo superbiant, ut in ea notam suæ Ecclesiæ figant, à qua dignoscatur; quidni nos in verâ nostra gloriabimur? quam ab ipso orbis exordio repetimus. Tandem (5) munimur adversus scandalum, tot hæresium, schismatum, persecutionum & flagitiorum, quæ indies Ecclesiæ obrepunt: si cogitemus, eam fuisse ab omni mundo fidem Ecclesiæ, nec minus obnoxiam, hæresibus, schismatibus, persecutionibus, flagitiis fuisse, quam nostra est 1 Cor. XI. 19. Conf. 2 Pet. II. 1. 5. 6. 7. Jud. vs. 7. 11. Cum præsertim, omnia ista valde conducunt, cum explorandæ fidelium fidei & constantiæ 1 Cor. XI. 19. tum prudentiæ, quâ sibi magis accurate caveant, ne ipsis implicentur, cum ab omni ævo Ecclesiam infestarunt.

CAPUT SECUNDUM,

DE

DISPENSATIONE SUB MOSE.

Deut. v. 2.

Jehova Deus noster, excidit fœdus nobiscum, in Horeb.

Sequitur secunda V. T. epocha sub Mose, per tria sua curricula.

I. VEteris Testamenti epocham *primam*, sub Patriarchis, diximus per tria sua curricula: *secunda* sequitur, quæ à Mose fluit ad Messiam. Hujus item tria potissimum numeramus curricula, quibus insignior quædam facta est fœderis gratiæ renovatio amplificatioque: *primum* à Mose pergit ad Davidem, *secundum*, inde ad captivitatem Babilonicam; *tertium* inde ad Messiam. Sub his curriculis, quamvis eadem fuerit fœderis gratiæ dispensatio, & hinc idem testamentum; triplex tamen ejus fuit solennior renovatio, illustratio & amplificatio: hinc sub uno textu Deut. v. 2. tria ista curricula breviter examinabimus.

Pars exegetica.

Textus explicatur.

II. *Qui textus significat* confœderationem Dei & Israëlis, apud Horeb. *Penes quam notantur:*

1. Confœderati, *nim.*

A. Deus, *qui designatur*

1. Dominus יהוה. *Cujus nominis emphasin ex professo explicuimus* lib. II. cap. IV. §. VIII. XII. XIII. *Alibi appellatur* אל Deus fortis, *atque etiam* שדי, sufficiens Gen. XVII. 1. *Ut indigitetur, auctorem hujus confœderationis omnibus modis sufficere, qui per hoc fœdus promissa præstet; cui tuto nos committere possimus, ut qui, non tantum* Deus fortis *sit, &* omni-

omnisufficiens; *sed &* Jehova, *independens, immutabilis & æternus, non in se tantum; sed & in suis promissis.*

2. Deus noster אלהינו, Deus אלהים, *in plurali numero, ut innuatur, tres personas, quarum qualibet Deus est, concurrere ad hanc confœderationem, ex quo ejus sufficientia admodum invalescat, quod nim. tres fœdus pangant, quorum quisque Deus sit, omnipotens, omnisufficiens, immutabilis, adeoque fidelis in promissis. Cæterum nominis vim designavimus* lib. II. cap. IV. §. IX. XIV. XV. *Additur*

3. Noster, *scil. non tantum per creationem, providentiam & quævis beneficia temporalia; sed etiam* confœderationem, *non equidem præteritam; sed per præsentem hanc.*

B. Israël, nobiscum עמנו, *non* nos *cum Deo; sed Deus* nobiscum, *ut significetur, non nos proprio arbitrio, velut qui nostri juris simus; sed Deum hujus confœderationis auctorem esse, pariter & partem confœderatam.* Nos, *quos* vs. *subsequente discriminat solicite, à Patribus præcedentibus:* non cum Patribus nostris, excidit fœdus hoc. *Scil. nec* solis, *nec tam solenniter, eo modo quo* nobiscum. *Ast non interfuerunt plerique eorum, quos Moses alloquitur, confœderationi Sinaicæ, de qua hic sermo est. Resp. Interfuerunt tamen ei complures, tum temporis superstites: tum etiam per* nobiscum *intelligitur populus Israëliticus, cum præteritus; tum præsens & futurus: populus enim durat; quamvis cives moriantur.*

2. Confœderatio, fœdus excidit. *Est hic*

א. Fœdus *productum*, ברית. *Sive hic per* ברית *intelligas* testamentum, *quod ab uno tantum producitur; sive* fœdus, *quod à pluribus; parum refert: cum testamentum, velut fœderis gratia dispensatio, fœdus implicet, ut alibi monuimus. Interim* fœdus *malim, eo quod partes contrahentes nominentur.* Fœdus *autem triplex contractum intelligitur, nim. primo* nationale, *quod cum toto isto populo hic coiit; secundo* legale, *quod in Decalogo renovatum fuit; tandem* gratiæ, *quod in ceremonialibus sancitum est cum solis electis* Psal. L. 5. *de quibus suo loco in* dogmaticis.

ב. Productio *fœderis*, כרת excidit, *quod, cum* ברית *junctum, semper sonat ritum, apud confœderationes, usurpari solitum, quando partes confœderatæ, mutuo consensu, pecora mactabant, per segmenta transibant* Psal. L. 3. Exod. XXIV. 8. *receptum ex* Gen. XV. 9. 10. *quo contestabantur partem in pœnam violationis fœderis, qua cædenda esset pars violans, sicut pecora cædebantur; sed in fœdere divino, peculiariter significabatur, fœdus gratia inter Deum & fideles, non coire, absque sacrificatione Christi, quæ fundamentum esset hujus fœderis, prout cap. præcedenti monuimus. Conf. Graff. in* Dan. IX. exercit. IV.

3. Locus *confœderationis*, בחרב, in Choreb. *A* חרב, exsiccatus fuit, exaruit, *quod Horeb, in quo coiit hoc fœdus, locus esset in deserto* aridus, *aqua destitutus* Deut. VIII. 15. *ut significetur, mundum, in quo fœdus gratiæ pangitur cum fidelibus, locum esse spiritualiter aridum, destitutum aqua cujusvis solatii seu refrigerii: Dicitur alias* Sinai Exod. XIX. 17. *cum* Deut. IV. 10. 11. *quod adjicitur* διακριτικῶς, *ut distinguatur ab omnibus confœderationibus, quæ sub periodo patriarchali factæ sunt cum Patribus, sed nequaquam in Horeb.*

Pars Dogmatica.

Deus ad Sinai, cum Israële fœdus renovavit,

III. Deus ergo, cum Israëlem ex Ægypto, per rubrum mare traduxisset in desertum Horeb, ad montem Sinai, promulgando solenniter legem, *fœdus* cum eo renovavit. Cum enim Israel, jam à servitute Ægyptiaca liberatus, & sui juris factus, *Ecclesiam* nationalem, pariter & *Rempublicam* constitueret; leges necessario exigebat, quarum ope, & Ecclesia & Respublica subsisteret: hinc Deo visum ei certas *leges* præscribere; & quia agebat cum *populo* suo, eâdem operâ *fœdus* cum eo renovare. Naturam hujus confœderationis, quo distinctius assequamur; juvabit considerare sequentes aphorismos:

Promulgando legem,

IV. *Primo*, quod Deus ad Sinai, coram Israële, modo maxime *solenni*, promulgaverit leges *morales*, quæ Israëlitas obligarent ut homines; *ceremoniales*, quæ eos obligarent ut Ecclesiæ membra, & *forenses*, quæ obligarent eos, ut cives Reipublicæ. *Morales* quidem, seu *universales*, omnes homines, omni loco ac tempore obligantes, ad duas tabulas, decem præcepta, & duo summa capita, nim. dilectionem Dei & proximi revocavit: quorum summam, per singula præcepta, repræsentavimus lib. VI. cap. VIII. §. XVI.

1. Moralem,

V. Moralibus Deus adjecit *ceremoniales* חקים, Deut. IV. 1. 13. 14. (quam vocem LXX. Interp. referunt per δικαιώματα Deut. IV. 1. προστάγματα Levit. XXVI. 46. νόμιμον Exod. XXVIII. 34. & N. Testamentum, has leges appellat τὴν λατρείαν Rom. IX. 4. σκίαν τῶν μελλόντων Col. II. 17. Heb. X. 1. ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα Gal. IV. 9.) ut his 1. *disterminaret* Judæos à Gentilibus, eorumque cultu idololatrico Deut. XIV. 1. 2. 3. cum Eph. II. 14. ut

2. Cæremoniam,

2. cultum *judaicum* hujus epochæ, quatenus judaicus erat, dirigeret quoad *externa* potissimum ejus officia, & ab hujus generis εἰθελοθρησκείᾳ, efficacius retraheret Deut. XII. 1. 2.— ut 3. Ecclesia per suam *infantiam*, sub his quasi *tutoribus*, commodius educaretur, & ad suam quasi majorennitatem maturitatemque in Christo, paulatim promoveretur Gal. IV. 1--4. ut 4. typicis hisce exercitiis, magis familiariter (licet sub velo) Messiæ futuri, personam, officia & beneficia, rudiori populo repræsentaret Heb. X. 1. Col. II. 17. & ad Messiam fide recipiendum, adduceret Gal. III. 24. ut 5. & Judæis, & nobis ostenderet, se non tantum *internum*; sed & *externum* cultum præstolari 1 Cor. VI. 20.

Loca sacra.

VI. Dispesci, ex usu suo, commode possunt, in 1. magis *publicas*, quæ concernebant ℵ. *loca* sacra: qualia erant α. *Tabernaculum* Exod. XXV. XXVI. XXVII. cujus partes præstabant, *sanctum sanctorum*, separatum à sancto, per velum; *sanctum*, Sacerdotibus destinatum, & *atrium*. β. *Templum* Salomonis, structum juxta ideam Davidi à Deo repræsentatam 1 Paral. XXVIII. 11. 12. 13. cum 2 Paral. III. 1.— γ. templum Zerubabel, structum soluta captivitate Babylonica Esd. III. 8. & VI. 14. 15. δ. cujus æmulos agebant, templum Heliopolis in Ægypto, & templum Samariæ in monte Garizim. ε. *Synagogæ*, מערי אל Psal. LXXIV. 8. quæ in plerisque templum imitabantur. ζ. *Oratoria*, προσευχαὶ Act. XVI. 13. solis precibus destinata.

Utensilia sacra.

VII. ב. *Utensilia* sacra: α. *Sancti sanctorum* (1) arca Exod. XL. 3. 21. (2) tabulæ fœderis Ibid. vs. 10. (3) propitiatorium Ibid. (4) Cherubim Heb. IX. 3. 4. 5. (5) urna aurea repleta manna, juxta arcam Heb. IX. 4. Exod. XVI. 33. 34. (6) virga Aaronis, juxta arcam Heb. IX. 4. Num. XVII. 10. (7) thuribulum aureum Levit. XVI. 12. 13. Heb. IX. 4. β. *Sancti*: (a) altare aureum suffitus Exod. XXX. 1. —11. & XL. 26. Heb. IX. 8. (b) mensa propositionis Exod. XL. 22. 23. (c) candelabrum aureum Ibid. vs. 24. 25. γ. *Atrii*: 1. altare holocaustomatum Ibid. vs. 29. & 2. lavacrum æneum.

Tempora sacra.

VIII. ג. Tempora sacra: (1) *Diurna* seu horaria, *horæ precum* seu sacrificii jugis, ante-& pomeridianæ Act. III. 1. cum Exod. XXIX. 38. 39. (2) *Hebdomadalia*, Sabbathum, scil. *judaicum*, h. e. dies ille septimus, qui numerabatur à creationis cessatione, & figuram gerebat Messiæ quieturi olim in sepulchro, quod proinde ceremoniale erat Col. II. 16. 17. dum interim Sabbathum quarti præcepti, morale est (3) *Mensirua*, neomeniæ seu calendæ Num. XXVIII. 11.— (4) *Annua*, seu festa: *partim* singulis annis recurrentia, qualia sunt festa α. *Azymorum* seu paschatis, per septem dies, à XV. die mensis *Abid*, continuandum Exod. XII. 14--21. & XXIII. 15. & XXXIV. 18. β. *Septimanarum* seu Pentecostes, quod festum Paschatis sequebatur, post septem hebdomadas, seu quinquagesimus dies, in quem incidebat νομοθεσία Sinaica Exod. XXIII. 16. Levit. XXIII. 15—22. Deut. XVI. 9. 10. 11. Act. II. 1. γ. *Tabernaculorum*, per septem dies, à die XV. mensis septimi celebrandum Levit. XXIII. 34.— Tribus his festis, mares omnes quotannis debebant se sistere coram Domino Jerosolymæ Exod. XXIII. 14. 17. δ. *Tubarum*, die primo mensis septimi celebrandum, Levit. XXIII. 24.-- ε. dies *propitiationis* seu jejunii, decimus mensis septimi Levit. XXIII. 27. *partim* singulis septem annis, quo terra quiescebat ab agriculturâ aliisque Exod. XXIII. 10. 11. Levit. XXV. 2—8. *partim* singulis septies septem annis, quod Jubilæum præstabat Levit. XXV. 8—18.

Personæ sacræ.

IX. ד. Personæ sacræ, quales sunt 1. Pontifex, cujus considerandæ α. vestimenta Exod. XXVIII. 1—40. β. consecratio Exod. XXIX. 1.— γ. functio Exod. XXX. 7. Heb. IX. 7.—2. Sacerdotes, in quibus item notanda A. vestimenta Exod. XXVIII. 40.-- B. consecratio Exod. XXIX. 1.— C. functio Levit. cap. I. II. &c. 3. Levitæ: ex Gershom, Caath, & Merari, per suas classes Num. VIII. 6—23. & IV.— his accensent Nethinæos, è Gibeonitis, Levitarum quasi amanuenses Jos. IX. 23. Naziræos Thren. IV. 7. quales Simson Jud. XIII. 5. Baptista & alii: Rechabitas Jer. XXXV. 5. 6. 7. & primogenitos Exod. XIII. 2.

Res sacræ: cramenta, & sacrificia.

X. ה. Res sacræ, quales sunt, tum *Sacramenta*, de quibus capp. III. IV. V. à nobis actum est: tum *sacrificia*, seu oblationes religiosæ, quibus, ministerio Sacerdotis, res aliqua Deo sacrabatur, & solenni ritu destruebatur, in rei futuræ symbolum. Erant autem (1) *Holocautomata*, ex pecoribus & alitibus, cremanda Levit. I.— quibus accensetur sacrificium *juge*, ante-& post meridianum Exod. XXIX. 38—42. (2) *Libamen* מנחה, ex ἀζώοις & esculentis fere. Quod sacrabatur, vel α. pro totâ congregatione, in agitatione primitiarum Levit. XXIII. 10. & dispositione similarum duarum vs. 17. item XII. panum propositionis cap. XXIV. 5. β. pro privatis personis, v.g. pauperibus, Pontifice, Sacerdotibus &c. (2) Εὐχαριστικὰ שלמים Levit. III.-- (4) *Pro peccatis*, scil. ignorantiæ aut infirmitatis חטאת: Pontificis, congregationis, magistratuum, populi &c. Levit. IV. V. XVI. (5) *Pro reatu*, quod certa quædam peccata malitiosè perpetrata, procurabant, אשם, πλημμέλεια Levit. VII. 1. 2. (6) *Consecratoria* Sacerdotum Levit. VI. 19.— (7) *Purificatoria*, puerperarum, leprosorum, profluvio laborantium, & quovis modo immundorum (8) *Primitiarum*, in hominibus, brutis & frugibus Exod. XXII. 29. 30. (9) *Decimarum*, ex frugibus, fructibus, pecoribus Levit. XXVII. 30—34. His accedit, *tum* unguentum

guentum ſacrum Exod. xxx. 22—34. *tum* incenſum ſacrum. *Ibid.* vſ. — Hactenus leges ceremoniales, magis publicæ.

Ceremonialia magis privata.

XI. 2. Magis *privatæ*, dirigebant privatorum 1. *nutrimenta*, quoad cibos puros & impuros, ſanguinem, ſuffocatum, fructus arboreos &c. 2. *veſtimenta*, de phylacteriis, non permutandis ſexuum indumentis, nec induendis veſtibus ex lino & lanâ permixtis. 3. *pollutiones*, ex variis contractas. 4. *agriculturam*, in arando, ſerendo, metendo &c. Quæ omnia ſingulatim dicere, nimium foret prolixum & operoſum.

Interpretatio & applicatio ceremonialium, quomodo facienda.

XII. In explicatione & applicatione ſingulorum ceremonialium, duo iſta generalia ſunt obſervanda: 1. quod omnia & ſingula ceremonialia ſint σκίαι τῶν μελλόντων Col. II. 17. Heb. X. 1. quod proinde 2. ubi certum fuerit & exploratum, hoc aut illud eſſe naturæ ceremonialis, quicquid ſimilitudinis & analogiæ obſervatum fuerit inter typum & antitypum; cenſeri debeat eſſe ex intentione Spiritus S. Hoc enim fundamento, pleræque typorum applicationes & explicationes nituntur, quæ occurrunt paſſim in N. T. imprimis in Epiſtola ad Hebræos. Quod abſque hac norma, omnium & ſingulorum ceremonialium applicatio, vix ac ne vix quidem fieri poſſit.

Ceremonialia duplicem habent relationem & uſum:

XIII. Cauſe etiam obſervandum, ceremonialia iſta duplicem ſuſtinere σχέσιν: א. alterum *legalem*, quatenus 1. προστάγμασι tot ac tam moleſtis, Iſraëlem fatigabant, ut jugum intolerabile præſtarent Act. xv. 10. quatenus 2. crudeliſſimis pecorum mactationibus, & horrendis eorum exuſtionibus, repræſentabant & exprobrabant Iſraëlitis merita peccatorum ſuorum, imò & obſignabant certo certius exagitanda, vel in ipſis reis, vel in eorum expromiſſore: quatenus 3. denique ſacrificiis iſtis, omnia illa agnoſcere & confiteri cogebantur, & ſic chirographum ſcribebant adverſus ſeipſos Col. II. 14. ב. alteram *euangelicam*, quatenus α. ſacrificiorum mactatione & exuſtione, non tantum repræſentabant Mediatoris futuram mactationem 1 Cor. V. 7. ejuſque flammas infernales Pſal. XVI. 10. cum Act. II. 24. 27. & Matth. XXVI. 37. 38. Quatenus β. ſacrificiorum ſubſtitutione, Deus docuit ſubſtitutionem filii ſui Mediatoris Jeſ. LIII. 4. 5. 6. 7. 10. Quatenus γ. in ſacrificiis Mediatorem ſubſtitutum Iſraelitis obtulit, viva fide recipiendum Exod. XXIV. 5. 6. 7. cum Hoſ. I. 4. 7. Quatenus δ. ipſis legis ceremonialis legalibus, repræſentatione reatus, ipſos adegit ad quærendam liberationem in Meſſiâ futuro Gal. III. 22. 23. 24. Et in his, legis ceremonialis uſus fuit longe præcipuus, a quibus non incommode *Euangelium* Veteris teſtamenti appellari poſſit. Hactenus lex ceremonialis.

legalem, & euangelicam.

Lex judicialis.

XIV. Promulgavit Deus tertiò ad Sinai legem *judicialem*, qua Iſraelis Reſpublica θεοκρατικὴ dirigeretur in forenſibus, velut appendice quodam, ad ſecundam potiſſimum legis moralis tabulam. Appellantur ordinarie משפטים Deut. IV. 14. 45. & VI. 1. & VII. 21. &c. nonnunquam עדות *teſtimonia* 2 Paral. XXXIV. 31. item ἡ νομοθεσία Rom. IX. 4. Variis modis diſpeſcuntur à Theologis A. in leges, quæ concernunt *perſonas*, *res* & *actiones*. B. Quæ dirigunt præfectos pariter & ſubjectos: ſubjectos verſus ſubjectos in Republica: præfectos & ſubjectos in familiis: ſubjectos verſus extraneos & peregrinos. Sic Zanchius *de lege Dei* lib. I. C. X. §. 6. Calvinus in *præfat.* ad IV. poſteriores Pentateuchi libros, ceremonialia pariter & judicialia diſpeſcit, ſecundum analogiam Decalogi: cum quo, ſuo modo facit Joh. Gerard. *loc. comm. de lege forenſi*, *tractat.* III. *cap.* 2. Has leges, *qua tales*, Deus *ſoli* Iſraeli præſcripſit, ad hoc, ut 1. ſe Regem, Judicem & legiſlatorem in Iſraele teſtaretur. 2. Ut eis bene formandam Rempublicam, & quidem θεοκρατικὴν, repræſentaret. Ut 3. ex eis perciperet Iſrael, quanti apud Deum ſit εὐταξία, non tantum in Eccleſia; ſed etiam in Republica & familiis 1 Cor. XIV. 33. 40. Ut 4. ſe virtutis remuneratorem, & vitiorum hoſtem ac vindicem oſtentaret. Ut 5. etiam Eccleſia, ſub tutela legum politicarum, quietam ac tranquillam *vitam ageret*, *in quavis honeſtate & pietate* 1 Tim. II. 2. Ut 6. Magiſtratibus etiam Chriſtianis auctor eſſet, ſubditos ſuos legibus juſtis, & quantum fieri poteſt, his judicialibus congruis, gubernarent. Hactenus νομοθεσία.

Promulgatione legum, Deus fœdus renovavit cum Iſraële ad Sinai.

XV. *Secundo* conſiderandum, quod legis hujus promulgatione, Deus *fœdus* cum Iſraele renovaverit. Hinc νομοθεσία iſta paſſim *foedus* appellatur, α. à *Deo* Exod. XIX. 5. β. a *Moſe* Deut. IV. 13. 24. & V. 2. 3. 4. 5. 6. — 22. & XXIX. 1. & XVII. 2. γ. a renovatâ *Prophetis* Pſal. L. 5. cum Exod. XXIV. — 1 Reg. VIII. 9. cum 2 Paral. VI. 11. 2 Reg. XVIII. 22. Jer. XI. 3. 4. 5. & XXXI. 31. 32. δ. a *Paulo* Rom. IX. 4. 5. Heb. VIII. 9. Eph. II. 11. 12. Atque inſuper omnia requiſita fœderis diſtinctè geſtat: ſunt enim hic 1. partes contrahentes, Deus & Iſrael: ſunt 2. promiſſiones & ſtipulationes mutuæ: eſt 3. conſenſus in promiſſa & ſtipulata; quibus fœdus abſolvitur. Prout paulò abhinc diſtinctius dicemus.

Triplex fœdus cum Iſraële, ad Sinai Deus renovavit,

XVI. *Tertio* expendendum, quale fuerit fœdus, quod cum Iſraele Deus renovavit ad Siani. Tenendum hic, quod, ſicut ad Sinai, triplicem Deus promulgavit legem, judicialem, moralem & ceremonialem: &, ſicut eam promulgavit apud Iſraelem; ut natio erat, populus & Reſpublica, in qua erant, cum reprobi, tum electi: ita triplex renovaverit fœdus; nationale, naturale ſeu operum, & gratioſum ſeu euangelicum: quorum primum dirigebatur legibus potiſſimum judicialibus, ſecundum moralibus, poſtremum ceremonialibus.

1. Fœdus nationale.

XVII. *Primum* ergo fœdus, apud Sinai renovatum, fuit fœdus *nationale*, quod cum universa Republica, & cum *omnibus* ejus civibus, absque discrimine reproborum & electorum, pepigit: cujus mentio passim fit in Pentateucho, v.g. Exod. XIX. 5. Deut. V. 2. 3. & XXIX. 1. & XVII. 2. &c. Sicut enim, statim à violatione fœderis *naturæ*, rejecto Caino cum suâ posteritate, suscepit *Sethum*, in cujus prosapia Ecclesiam conservaret; sicut postea, rejecto *Chamo* & *Japhete*, *Semum* cum suâ posteritate ad hoc selegit; sicut porro, post factam turrim Babilonicam, rejecto mundo, *Heberum* cum suis descendentibus, ad hoc sepositi; sicut insuper, post aliquod tempus, secluſis omnibus hujus stirpis reliquis, seipsum adstrinxit *uni Abrahamo*, ejusque posteritati; sicut dein, sepositis omnibus aliis Abrahami liberis, *Isaacum* cum sua progenie solum admisit; sicut præterea, remoto Esavo cum suis Idumæis, *Jacobum* cum sua posteritate elegit: ita cum his solis, post varia intervalla, apud montem Sinai, modo perquam solenni, fœdus hoc *nationale* renovavit, rejectis scil. totius orbis omnibus aliis nationibus, quos ob hoc appellat, suum *peculium* סגלה Exod. XIX. 4. 5. 6. Deut. VII. 6. & X. 14. 15. & XIV. 2. Psal. CXXXV. 4. Jes. XLI. 8. Hujus ergo fœderis 1. *partes* contrahentes sunt, Deus & universa natio Israelis, absque ullo discrimine reproborum & electorum. 2. *Materia* seu argumentum confœderationis habebat, ab *una* parte, *promissiones* Dei, de dandâ ei terra *Canaan*, quæ lacte & melle diffluere Exod. III. 8. Levit. XX. 24. &c. de conferenda ei quavis benedictione *temporali*, in ea terra Deut. VIII. 7. 8. 9. & XXVIII. 1 — 15. & averruncanda quavis *plaga* Ibid. à vs. 15 — ab *altera* parte *stipulationem*, ut se haberent pro *Deo* suo, & in suis præceptis, statutis & judiciis ambularent, potissimum juxta tenorem legis *forensis* Exod. XIX. 5. imprimis etiam, ut sibi caverent ab *idololatria* Deut. VIII. 11. 19. 20. & εἰδωλοθρησκείᾳ Deut. IV. 1. 2. denique 3. ὁμολογίαν populi, in stipulata à se officia Exod. XIX. 8. Ab hoc fœdere defecerunt Israelitæ Jer. XXXI. 32. quotiescunque ad idola & scelera declinarunt Deut. IV. 23. & hinc etiam à Deo variis *judiciis* horrendis exagitati, à terra Canaan per captivitatem *Babilonicam*, ad tempus excluſi, ac tandem ab ejus possessione æternum dejecti sunt.

2. Fœdus operum.

XVIII. *Secundum* fœdus, apud Sinai cum Israelitis renovatum, fuit fœdus *naturæ* seu operum, quod factum est promulgatione *Decalogi* Deut. IV. 13. 23. Cum enim 1. omnium confessione, Decalogus habet materiam fœderis *operum*, quod cum Adamo coiit in paradiso, atque etiam adjectam *promissionem* vitæ Levit. XVIII. 5. Ezech. XX. 11. 13. Rom. X. 5. Gal. III. 12. quin & *comminationem* Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. quis dubitaret, fuisse hic repetitionem fœderis *operum*? Cum item 2. in Israele plurimi essent profani, hypocritæ & reprobi, quibus cum fœdere gratiæ nihil erat commercii; cum his igitur, ut agnoscerent, quâ causa pereant, repetendum fuit fœdus operum: unde, qui *sub lege sunt*, sub *maledictione* dicuntur esse Gal. III. 10. 11. Cum præsertim 3. *omnes* homines sint, vel sub fœdere operum, vel sub fœdere gratiæ; & qui sub fœdere *operum* sunt, ejus quoque cognitionem habere debeant. Cum etiam 4. ipsi *electi* in Israele, ex postulato fœderis operum, sua peccata, suam maledictionem & miseriam agnoscere debuerint, ut ea adigerentur ad quærendum remedium in *Messia futuro* Gal. III. 24. Rom. X. 4. 5. quis hic negaverit fœdus operum? Addam 5. si in Decalogo non existat repetitio & renovatio fœderis *operum*; ubinam est? & si nullibi est, quo pacto pertingemus ad solidam cognitionem fœderis operum, sub quo multo maxima hominum pars exiſtit. Cavendum interim, ne statuamus, Deum fœdus operum renovasse, eo animo, ut ejus observatione, mortalium *quisquam* vitam consequeretur æternam: hoc enim contracto jam, per primam fœderis operum violationem, reatu *mortis* æternæ; atque insuper contracta totali obsequendi *impotentia*; penitus erat impossibile: sed ut omnes adduceret ad agnitionem *maledictionis*, sibi ob violatum fœdus illud competentis; & inde porro, & *reprobi* redderentur ἀναθεολόγητοι, & *electi*, ad remedium suæ maledictioni quærendum adigerentur, in maledictione Mediatoris Christi.

Quo animo Deus renovare voluerit fœdus operum.

3. Fœdus gratiæ.

XIX. *Tertium* fœdus ad Sinai renovatum, fœdus *gratiæ* fuit, promulgatione legis *ceremonialis* renovatum, unde *fœdus in sacrificiis* dicitur Ps. L. 6. Fuisse enim apud Sinai propalatum fœdus *gratiæ*, indubitatum est 1. ex eo, quod *idem* fœdus renovatum dicatur, quod olim coiit cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo Deut. VII. 11. 22. & XXIX. 10. 11. 12. 13. quin autem hoc *gratiæ* fœdus fuerit, nemo dubitare potest. Quod 2. ceremonialia omnia exsertè dicantur *umbræ*, gratiæ futuræ in Christo Heb. X. 1. Col. II. 16. 17. quâ fœdus *gratiæ* exhauritur. 3. Quod Sacramenta hujus fœderis repræsentent & obsignent fœdus *gratiæ*: *circumcisio* Gen. XVII. 9 — 15. cum Rom. IV. 11. *pascha* Exod. XII. — cum 1 Cor. V. 7. Quod 4. ipsa fœderis gratiæ medulla: *ero ipsis in Deum*, & *ipsi mihi erunt in populum* Jerem. XXXI. 33. cum Hebr. VIII. 10. Ezech. XXXVI. 28. adfuerit fœderi Sinaico Deut. XXIX. 11. 12. 13.

Fœderis Sinaici:

1. Partes contrahentes.

XX. *Triplex* ergo fœdus, apud Sinai renovatum fuit, ex quo, si *unum* fœdus Sinaicum *mixtum* velis statuere; parum repugnabo, modo ejus ingredientia cautè à se invicem distinguas. Tum hujus fœderis considerandæ venient 1. *partes* contrahentes, Deus & Israel Deut. V. 1. & XXIX. 1. 2. 10. 11.

10. 11. 12. 13. omnisque Israelis successio Deut. IV. 12. 13. 23. Psal. L. 6. Ezech. XVI. 8. Jer. XXXI. 31. 32. Heb. VIII. 8. 9. — *Deus* quidem, א. ut α. יהוה Deut. V. 2. Ut β. Israelis *Deus* foederalis. *Ibid. Jehova Deus noster* & XXIX. 12. 13. & IV. 23. Ut γ. Israelis *redemptor* Exod. XIX. 3. 4. 5. 6. Jer. XI. 3. 4. 5. & XXXI. 31. 32. Ut δ. Israelis *sponsus*. *Ibid.* בעלתי, quod sonat *desponsare* sibi Ezech. XVI. 8. *Israel* autem ב. ut (a) *Abrahami semen*, Deo dudum confoederatum Exod. III. 6. Ut populus (b) *redemptus* à Domino Exod. XIX. 3. 4. 5. 6. Ut (c) *desponsatus* ei Jer. XXXI. 31. 32. Ezech. XVI. 8. Ut (d) *hæres* promissionis (quamvis adhucdum *minorennis*) jam paratus, qui partem aliquam hæreditatis suæ aggrediatur Gal. IV. 1. 2. 3. 4. 5. 22. — & III. 23. 24. 25. cum Exod. XIX. XX. XXIV. Hinc 2. *materia* seu argumentum confoederationis: tum א. ex parte *Dei*, qui Israeli promittebat 1. se futurum *Deum* ejus, ac posteritatis suæ Deut. IV, 13. & V. 2. 5. 6. Levit. XXVI. 3 — 12. Jer. XI. 4. 5. Deut. XXIX. 10. 11. 12. 13. Se 2. ipsi daturum *Messiam*, Prophetam, Mediatorem Deut. XVIII. 18. — cum Act. VII. 37. 38. Se 3. per Spiritum suum circumcisurum *corda* eorum Deut. XXX. 6 — 8. cum Rom. II. 29. & Ezech. XI. 19. 20. & XXXVI. 26. 27. Se 4. in eos congesturum quasvis benedictiones *externas* ac temporales v. g. de α. danda terra *Canaan* Exod. XX. 12. Deut. XI. 8 — 13. β. de subjugandis hostibus *Cananæis*, conferendisque eorum possessionibus Deut. XI. 22 — 26. & VI. 18. 19. & VII. 16. — γ. de *longævitate* in Canaan Exod. XX. 20. Deut. V. 16. & XI. 9. 21. δ. de multiplicanda ejus *posteritate* in Canaan Levit. XXVI. 9. Deut. VI. 3. ι. de *exaltando* eo, supra quasvis nationes terræ Levit. XXVI. 3 — 11. Deut. XXVIII. 1 — 15. & XI. 13. 14. 15. ζ. de derivandis quibusvis *maledictionibus*, in hostes & persecutores eorum Deut. XXX. 7. & VII. 15. η. de recolligendis ipsi *respiscentibus*, ab omnibus terræ angulis Deut. XXX. 1 — 6. θ. de nunquam *penitus* abjiciendis aut destruendis eis Levit. XXVI. 42 — 46. ι. de cumulandis in eos variis benedictionibus *spiritualibus*: v. g. a. *adoptionis* Exod. IV. 22. Jerem. XXX. 9. cum Rom. IX. 5. b. *appropriationis* Exod. XIX. 5. c. *regni* sacerdotalis *Ibid.* vs. 6. d. nationis *sanctæ*. *Ibid.* e. *sanctificationis* Deut. XXX. 6. f. *justificationis*, quam cunctis sacrificiis figurabat, imprimis hirci *expiationis* Levit. XVI. 21. 22. & aspersione *sanguinis* Exod. XXIV. 4 — 9. cum Heb. IX. 18. 19. 20. 21. Ps. LI. 7. Porro κ. de struendo sibi inter eos *habitaculo* Deut. XII. 9 — 12. Psal. CXXXII. 13. 14. gratiosaque sua *præsentia* in eo Exod. XXV. 8. & XXIX. 45. Levit. XXVI. 3 — 14. Ps. LXXVI. 2. Exod. XXV. 21 22. Num. VII. 8. 9. λ. de stabiliendo inibi *cultu* suo Deut. XII. 5 — 15. &c. Tum 2. ex parte *Israelis*, à quo Deus stipulabatur, ut (1) esset sibi in *populum* Exod. XIX. 5. 6. (2) ut *servaret* foedus suum *Ibid.* vs. 5. 6. Deut. IV. 13. 23. (3) ut *sincera* & universali obedientia, in viis suis ambularet Exod. XIX. 5. Deut. V. 24. (4) ut, si quando peccatis à Deo declinasset, vera ac sincera *respiscentia* se reclinaret ad ipsum Deut. XXX. 1. 2. 3. Lev. XXVI. 40. 41. 42. &c. Ex quibus etiam 3. apparet *forma* hujus confoederationis: tum *interna*, quæ conficitur *consensu* mutuo, in promissa & stipulata: tum *externa*, quæ consistit in *modo* promulgandi ac dispensandi hanc confoederationem: quatenus peracta est α. cum summa *majestate* Exod. XIX. 16. 17. 18. & XX. 18. & XXXIV. 2. 3. Deut. V. 4. 5. Heb. XII. 18. 19. 20. 21. 2 Cor. III. 7. β. non *viva* tantum voce; sed *Scriptura* insuper Exod. XXIV. 3. 4. ipso etiam Dei *digito* immediate procurata Deut. IV. 13. γ. nec jam amplius, ut cum Ecclesiis *domesticis*, ut sub Patriarchis factum; sed ut cum Ecclesia *nationali*: idque δ. dispensatione, usque ad Messiam, constanter perseveratura Exod. XXI. 16. Levit. XXIV. 8. Num. XVIII. 19. Heb. 8. 1. 2. 11.

2. Argumentum confœderationis.

promissiones Dei.

1. Forma confœderationis.

XXI. Perstitit sub hac dispensatione, Ecclesia Israelitica, absque ulla variatione essentiali, usque ad exhibitum Messiam, per quindecim circiter secula: nim. ab anno mundi bismillesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, quo exitus Israelis accidit ex Ægypto: usque ad ter millesimum, nongentesimum & quadragesimum octavum, quo Messias natus deprehenditur: aut potius ad ter millesimum, nongentesimum quadragesimum quartum, quo morte sua fœdus obsignavit Dan. IX. 24. Quamvis Chronologorum dissidiis: (cum tot fere apud ipsos observentur sententiæ, quot eorum capita:) me nolim admiscere, secutus calculum Calvisii & Helvici. Cum autem interea illustres factæ fuerint, fœderis gratiæ renovationes amplificationesque, & egregiæ vicissitudines factæ fuerint, in Ecclesia pariter & Republica; nos his convenienter, primum periodi Mosaicæ curriculum extendemus usque ad Davidem: sub eo, Ecclesia egit per annos circiter ccccxxvi. intercalato Saulis regno: ut qui, demtis regni sui annis, quos communes habuit, ab una parte cum Samuele, âb altera cum Davide, vix plures habebit quam duos annos, sibi peculiares, utpote qui, anno regni sui secundo, reprobatus à Deo fuit 1 Sam. XIII. 1. cum XVI. 1.

Termi-nus hu-jus cur-riculi.

XXII. Per hos annos, Ecclesia fuit sub *Judicibus* h. e. personis, ex quavis tribu, à Deo singulariter vocatis, ad hoc, ut Israelem ab hostibus suis in libertatem reducerent, & reductum, cum magno Synedrio, gubernarent. In his *primus* fuit Moses, qui, anno ætatis suæ circiter octuagesimo, a Deo vocatus fuit, ut Israelem ex durissimâ Pharaonis servitute liberaret, postquam fidem legationis suæ, apud Pharaonem,

Exegesis hoc curriculum Israel, sub XVI. Judicibus: 1. Mosen. Hujus historiæ

Officia Israelis.

decem horrendis plagis, plus quam teſtatam feciſſet, tandem valida manu Iſraelem, ex Ægypto, per mare rubrum traduxit in deſertum, ibique ad Sinai, legem auſpiciis divinis promulgavit, eaque vagam hactenus Iſraelis liberati multitudinem, in formam Reipublicæ redegit, & Eccleſias hactenus domeſticas ad unam nationalem revocavit: dein, per varios caſus, perduxit ad confinia promiſſæ terræ Canaan, obiitque cis Jordanem, anno ætatis centeſimo & vigeſimo Deut. xxxiv. 7. Natus ergo Moſes eſt, difficillimis Iſraelis temporibus, Patre Amram, Caatho Avo, Levi abavo, Jacobo Tritavo; Matre Jochebethâ Num. xxvi. 58. 59. in Ægypto, ſub Pharaone *Misphragmutos*; ut vocant, natus: ab undis per Pharaonis filiam, mirabiliter ſervatus, Matris propriæ uberibus educatus, in omni Ægyptiorum ſapientia formatus Act. vii. 22. vitam privatam per annos xl. exegit in aulâ regia, & ut Iſraelitam ſervaret, Ægyptium interfecit Exod. ii. 12. qua cauſa, in Medianitidem profugit, Jethronis (qui aliis appellatur Raguel, aliis Hobab, ex Num. x. 29.) Sacerdotis ſeu Satrapzæ, pecudi præfixus, ejus filiam Zipporam accepit in matrimonium, vſ. 15. 16. 17. 21. ex ea ſuſcepit Gerſom. vſ. 22. Hic ab Angelo ſibi loquente ex rubo ardente, vocatur, qui Iſraelem oppreſſum ex Ægypto educeret cap. iii. — Mandato divino obſecundatur, in Ægyptum regreditur, in via, propter filium non circumciſum, ad necem à Deo quæſitus, per Zipporam circumcidentem liberatur, & ab obvio ſibi Aarone excipitur. cap. iv. — Hinc expoſito conſilio & mandato divino, apud primores populi Iſraelitici, Pharaoni ſuadet, qui populum dimitteret ſacrificaturum cap. v. 1. 3. & quum ille, ex hoc etiam aggravaret onera populi, Deoque faſtuosè obſtreperet, decem plagis, quarum *prima* erat ab aqua ſanguinolenta, *ſecunda* a ranis, *tertia* à culicibus, *quarta* a muſcis nocentibus, *quinta* a ſtrage pecoris; *ſexta* ab anthracibus, *ſeptima* a grandine, *octava* a bruchis, *nona* a Solis deliquio, & *decima* tandem a primogenitis occiſis, per univerſam Ægyptum, adeo urget ut populum dimitteret, ſublato cumprimis primogenito ſuo ſucceſſore, a cap. vi. ad cap. xii. Sed brevi pœnitens facti, Iſraelem perſequitur, fortiſſime armatus, uſque ad mare *Erythræum*, confiſus, ſe populum inermem, intra montana utrinque, & a fronte a mari rubro, facili negotio ſuppreſſurum, aut ſaltem retracturum; experitur precibus Moſis & populi, mare diffiſum, populoque tranſitum ſiccum præſtans, adeoque per mare, inſectaturus, a mari cum omnibus copiis ſuis ſuffocatur, projectis ſuorum armis, quibus Iſrael armaretur, ſuæ contumaciæ pœnam experitur. Interim populus, per xlii. ſtationes, ſuam peregrinationem uſque ad Jordanem proſequitur, per varios progreſſus & regreſſus: harum *prima* accidit apud *Rameſes*, anno mundi 2453. ut putatur 15. Aprilis. Hic prima facta eſt celebratio Paſchatis, & rogata eſt lex de primogenitis, Deo dicandis aut redimendis. *Secunda* apud *Succoth* ſeu tentoria, cujus urbis incolas, poſtmodum Gideon, ob negatum ſuis militibus commeatum interemit Jud. viii. 16. *Tertia* Etham: hic nubem primo Iſraeli apparuiſſe, Hieronymus autumat, alii duas numerant, quarum alia noctu ignis ſpeciem Iſraeli præbuerit, alia interdiu populum duxerit & protexerit. *Quarta* apud Pihahoroth, ubi Pharao populum profugum eſt aſſecutus. Hic prima accidit populi *murmuratio* a mari rubro, rupium, & Ægyptiacarum copiarum anguſtiis, nata, cui ſuccurrebat miraculoſa maris exſiccatio, & populi liber tranſitus. *Quinta* apud *Marah*, illam deſerti Marah partem, qua poſt triduanum, in locis aridis iter, populus invenit quidem aquas; ſed amaras, a quibus murmuratio ſecunda facta eſt, cui medebatur lignum, a Moſe eis injectum Exod. xiv. 11. *Sexta* apud Halim, partem deſerti *Sur* ſeu Ætham, xii. aquarum fontibus & lxx. palmis, ſatis amœnum. *Septima* apud ſinum quendam maris rubri, ubi ſuperata maris iſtius diſcrimina populo ad memoriam revocantur. *Octava* apud deſertum *Sin* inter Eli & Sinai, quod attigerunt die xxx. poſt exitum, hic, quod farina conſperſa deficeret, oborta eſt tertia populi murmuratio, cui Deus medebatur coturnicibus veſperi miſſis, & manna mane cum rore demiſſo, quo eos per xl. annos pavit, quod coriandri figuram, & ſapidiſſimos cibos populo repræſentandos, valebat, niſi quod diebus Sabbathi non deflueret Exod. xvi. — *Nona* apud Dapheca. *Decima* apud Ælus. *Undecima* apud Raphidim, ubi ob defectum aquæ, quarta contigit murmuratio, cui ſuccurrebat aqua, è ſaxo, Moſe percutiente, profluens. Præterea Amalekitæ, ex proſapia Eſavi, primi Judæorum hoſtes, virtute Joſuæ, & Moſis precibus, attriti, & ſequioribus, totali excidio ſublati ſunt. Atque inſuper Moſes, Jethronis ſoceri conſilio, ſibi ex populo ſubſtituit tribunos, centuriones, quinquagenarios & Decanos, rebus levioribus præfuturos, gravioribus interim Deo & ſibi reſervatis Exod. xviii. & xviii. Ex quibus nata eſt forma Reipublicæ ariſtocratica, qua ſuprema ejus poteſtas exſtitit penes Sanhedrin. *Duodecima* apud ſolitudinem Sinai, ſeu montem Choreb, in qua per integrum fere annum commoratus eſt populus. Hic legem accepit, modo horrendo, ab ipſo Deo promulgatam, menſe iii. ab exitu anno Mundi 2453. juxta Claviſium die v. Junii noſtri, cumque populus vocem Dei non poſſet ferre, ejus explicatio Moſi ſoli facta eſt Exod. xix. xx. Deinde lxx. ſeniores, conſcenſo monte, Deum viderunt cap. xxiv. Moſes autem, per xl. dies nocteſque abſque

que ullo cibi potusve adminiculo, ibidem commoratus, figuram struendi tabernaculi; duasque legis tabulas, ipsius Dei digito exaratas accepit Exod. xxv. & xxxi. Populus interea, abominandâ idololatriâ, ipso duce Aarone, vitulum in formâ Apis Ægyptiaci confecit, & choreis honoravit. Sed Moses, rem indignatus, tabulas lapideas Dei confregit, cineresque vituli, populo bibendos propinavit, & è populo tria millia per Levitas perimi jussit. Tandem tamen, reconciliato Deo, alias legis tabulas dolavit, aliosque xl. dies, cum Deo colloquens, in monte exegit Exod. xxxiii. & xxxiv. Etiam tabernaculum, anno post exitum secundo, die primo mensis, qui respondet diei xxiii. Martii nostri, Ao. 2454. erexit & consecravit, quod nube diurnâ, igneque nocturno, in præsentiæ divinæ testimonium, porro Judæi illustratum conspexerunt Num. ix. 15. Et cum Aaron, ejusque filii sacrificarent, prima holocausta, sub populi totius conspectu, igne cœlesti absumpta sunt Levit. ix. 24. Tandem Nadab & Abihu Aaronidæ, quod alieno igne sacrificassent, igne à Domino egresso consumti sunt Levit. x. *Decima tertia* apud desertum Pharan, quod primo *Hazerah* seu incensionem, *Gibroth Taraavak*, seu sepulchra concupiscentiæ, ab eventu vocitârunt. Hic quinta & sexta facta fuit murmuratio. Illa ex itineris difficultate; hac ex cibi cœlestis nauseâ, & carnium concupiscentiâ, natâ. Illam ignis Domini; hanc cum magna coturnicum copia, pestis immissa composuit. Hic insuper Spiritus S. extraordinario signo, in lxx. seniores descendit, & supremum Reipublicæ consistorium inauguravit Num. xi. Conf. Sigonium *de Republ. Hebr.* cap. vii. & Galatinum *de arcanis Cathol. ver.* lib. iv. cap. iv. *Decima quarta* apud Haseroth, ubi Aaron & Miriam Mosi, ob Zipporam Æthiopissam, litem moverunt, & Miriam elephantiasi septiduanâ percussa est, dum Aaroni deprecanti culpa remissa est. *Decima quinta* apud Rethma, in deserto Pharan, aliàs Cades-barnea Deut. i. 19. Hinc xii. exploratores in terram Canaan mittuntur, qui robur Palæstinorum inexpugnabile nunciantes, septimam murmurationem excitant, qua vix per Josuam & Calebum sedatâ, ingressus in terram Canaan Patribus negatur, & filiis relinquitur, & exploratores, præter Josuam & Calebum, subitanea morte pereunt. Interim Israelitæ, post pœnitentiam, invito Mose, adversus hostem exercitum ducentes, ab Amalekitis, Amorrhæis & Cananitis, cæduntur Num. xiv. – *Decima sexta* apud Rhimmon Phares, in hunc locum, cum jam essent in ipsis terræ Canaan confiniis Num. xiv. 25. in montana Seir introire, & per xxxviii. annos, in interiore Arabiæ solitudine oberrare coacti sunt, sic tamen, ut per istud tempus, nec vestimenta eorum lacerata, nec calcei attriti fuerint Deut. xxix. 5. His successerunt adhuc sedecim stationes: nim. *Decima septima* apud Libna, *Decima octava* apud Ressa, *Decima nona* apud Ceelath, *Vigesima* apud montem Sepher, *vigesima prima* apud Harada, *vigesima secunda* apud Macheleth, *vigesima tertia* apud Thabath, *vigesima quarta* apud Thara, *vigesima quinta* apud Mithica, *vigesima sexta* apud Hasmona, *vigesima septima* apud Masoroth, *vigesima octava* apud Beneiaacan, *vigesima nona* apud montem Gidgad, *trigesima* apud Jorbatha, *trigesima prima* apud Hebrona, *trigesima secunda* apud Eziongaber, in littore maris rubri, prope Ailoth. i Reg. ix. 26. In his sedecim stationibus, acciderunt ea, quæ narrantur Num. xv. xvi. xvii. xviii. xix. capp. Nim. i. lapidatus est violator Sabbathi. 2. Rebellio Corah Levitæ, Patruelis Mosis & Datham, Abiram & On, Rubenitæ, cum cci. proceribus, Mosi insultantibus de injuste usurpatâ dignitatis politicæ & sacerdotalis administratione, qui, partim terræ hiatu, partim ignis à Deo egressi vehementiâ, absorpti perierunt, eorumque thuribula, in monumentum conjurationis punitæ, altari affixa sunt. 3. Hinc exstitit octava murmuratio, ob cladem rebellibus illatam, quam Mosi & Aaroni imputabant, quam pestis divinitus immissa subito, sublatis 4700. sustulit, universum populum exstinctura, ni Aaron, facto suffitu, iram Dei sedasset. 4. Aaroni dignitas sacerdotii & Pontificatus, virga ejus, unâ nocte, arida, virente, florente & fructus amigdalorum ferente, confirmata, & legibus novis circumscripta est. *Trigesima tertia* apud desertum Zin, in vicinia Cades Num. xxxiii. 36. & xx. 1. quo pertigerunt anno xl. mense primo, post exitum. Hic 1. Miriam, Mosis soror, anno ætatis cxxvi. moritur. 2. nona oritur populi murmuratio, ob defectum aquæ, quam Moses ex petrâ percussa elicuit, & nihilominus, propter admixtam miraculo infidelitatem, sententiam audivit, se cum fratre Aarone, in terram promissam, non introiturum, atque etiam eodem anno quo Miriam occubuerunt. Antea tamen 3. Moses pro impetrando transitu, legatos mittit ad Regem Edomitarum, sed qui responso fastuoso, pariter & manu forti, Israëlitas, per longas ambages, limites regni Idumæi circuire coëgit Deut. ii. 8. 29. Sic etiam fecere Moabitæ Jud. xi. 17. *Trigesima quarta* apud montem *Hor*, quem etiam appellarunt Moserah Deut. x. 6. Hic (1) Aaron montem conscendere, Eleazaro filio pontificatum tradere, & sine ullo morbo prævio, anno ætatis cxxiii. mori jussus, à populo per mensem defletus est Num. xx. 24. (2) Arad Rex Cananæus, Israëlem in fugam egit; sed illi nuncupato voto, de urbibus cum incolis exscindendis, & Regem, & regionem deleverunt, inque perpetuam rei memoriam, locum *Hormah* appel-

appellarunt Num. xxi. 1. *Trigesima quinta* apud Salmonah, per viam maris Saph Num. xxxiii. 41. seu Gadath Deut. x. 7. *Trigesima sexta* apud Jathbath. Hic decima accidit populi murmuratio, ex itineris difficultate nata, serpentum immissione punita, quos presteras vocant, & morsu venenum, sitim mortemque afferre dicunt: sed serpentis ænei, è conto & pertica suspensi, intuitu, modo omnem naturam transcendente, sanantur morituri Num. xxi. 4. *Trigesima septima* apud Oboth. *Trigesima octava* apud Itharim in confinibus Moab Num. xxxiii. 44. *Trigesima nona* apud Dibongad. *Quadragesima* apud Helmondeblathaim prope Arnum fluvium, qui in Arabiâ oriens, per solitudines fertur & Asphaltitidi infunditur. *Quadragesima prima* apud montana Abarim, quorum diversa loca, diversa sortiuntur nomina Num. xxi. 11. Hic 1. ob aquas, fonte mirabiliter erumpentes, Deo gratias egerunt hymno Num. xxi. 18. Hic 2. transitum petiere à Sihon Rege Hesbon, qui ob victoriam paulo ante à Moabitis reportatam superbiens, pacem offerentes bello lacessivit, ideoque cum omnibus suis, cujuscunque sexus & ætatis, trucidatus, ejusque terra, omine auspicato, prima Israëlitarum possessio facta est Num. xxi. 21. Deut. iii. 1. Paulo post Ogo Basanis Regi, qui de gigantibus supererat, & lectum ix. cubitorum longum habebat, bellum illatum est, quod ipsum cum filiis & omnibus subditis peremit, ex quo Israëlitæ lx. ejus urbes, cum opimis spoliis consecuti sunt. Tandem *quadragesima secunda* accidit Israëlitarum statio, apud campestria Moab Num. xxii. 1. & xxxiii. 50.— Hic 1. Balak Rex Moabitarum, cum Midianitis junctus, Bileami pseudo-prophetæ, apud Ammonitas habitantis, maledictiones populi solicitavit: sed ille primum à Deo prohibitus ne iret, postea permissus, in viâ, renitentem stricto gladio Angelum, & increpantem asinam expertus, pro maledictionibus, non nisi benedictiones profudit, atque insuper multa de adventu Christi, & futuris seculis prædixit. Interim Regi consilium suggessit, de mulieribus, ad scortationem & idololatriam Israëlitas solicitaturis, quod cum succesisset, non nisi vulgi magna strage, & principum suspendio, postquam è populo viginti quatuor millia cecidissent, & heroico Pinehæ zelo, quo Zimbrium, cum Cosbiâ Midianitide, in ipsa venere trajecit, tandem sublatum est. 2. Censu populi, iterato instituto, deprehensi sunt, præter 23000. Levitarum millia, 601730. bellatorum millia Num. xxvi. qui numerus, cum priore censu, ferme coincidit. Hic 3. occasione quinque filiarum Zelaphudi, & femellis hæreditatis successio relinquitur, sed ea lege, ut intra suam tribum nubant Num. xxvii. cum xxxvi. Hic 4. conscensus montem Pisga, terram Canaan prospicit, ast ingredi prohibitus, Josuam successorem accipit. Ante tamen 5. Midianitas per Pineham, & ab eo, ex omnibus tribubus collectam 12000. manum, cum quinque Regibus, omnibusque mulieribus, virum passis, servatis solis 32000. virginibus; exstirpat, prædas dividit, magnâ interim ejus parte Deo consecratâ Num. xxxi. Hic 6. Rubenitis, Gaditis & dimidiæ Manassensium tribui, totam Amorræorum & Midianitarum regionem cis Jordanem, certis legibus habitandam tradit Num. xxxiv. Et 7. termini Cananææ præfiniuntur, quique eam Israëlitis distribuant, designantur. Ibid. Porro 8. Levitis xlviii. urbes dispersas per universam Judæam assignat, & in his sex asyla constituit Num. xxxv. Etiam 9. Deuteronomium scribit, fœdus inter Deum & populum renovat, & Israëli cantico, quo fata Ecclesiæ præoccupasse, à nonnullis putatur, valedicit. Et sic tandem 10. moritur, anno ætatis cxx. ac à Deo sepelitur. Prophetarum initiator, Heros eminentissimus, qui, secundum nonnullorum supputationem 173. colloquia cum Deo habuerat, 50. miracula perpetraverat, legis volumine interea, ad latus arcæ depositio, Gentilibus etiam, sub variis nominibus, frequentatissimus, v. g. Strabonis Geogr. lib. vi. Diodori Siculi lib. 2. cap. 5. nec tamen expers calumniarum Justini lib. 36. Taciti lib. v. cap. 2. & seq. Ampliores fuimus circa primum Israëlis Judicem, quod is fuerit, Reipublicæ, Ecclesiæ & Religionis Judaicæ fundator, suo merito celeberrimus.

XXIII. Succedit *secundus*, *Josua*, alias Hosea Num. xiii. 9. Deut. xxxii. 44. sub N. T. *Jesus* Act. vii. 45. Heb. iv. 8. Filius *Nun*, è tribu Ephraim, Mosis famulus, olim missus explorator Num. xiii. 9. Vir Spiritu divino, seu spiritu sapientiæ plenus Num. xxvii. 18. Deut. xxxiv. 9. cum quo Deus erat, sicut fuerat cum Mose Jos. iii. 7. confirmatus alloquio Dei cap. 1.— Mittit duos exploratores, versus Jericho, qui servantur fide meretricis Rahab. cap. ii. quibus reversis, tempore messis, die, ut putatur, decimo primi mensis, populum, per Jordanem mirabiliter exsiccatum, traducit in terram Canaan cap. iii. & in rei memoriam, monumentum xii. lapidum, quos singuli tribuum Principes ex Jordanis alveo sustulerant, in Gilgal erexit. cap. iv. Circumcidit in deserto natos. cap. v. 2.—. Videt Angelum Principem exercituum Domini, vibrantem gladium evaginatum vs. 13.— & Pascha tertium celebrat cap. v. 10. 11. ab hoc cessante mannâ. Ibid. Hinc arcâ aliquoties, cum clangore buccinarum, mœnibus Jerichuntinis circumductâ, urbs ab imis fundamentis corruit, & ejus incolæ omnes, præter Rahabam cum suis, trucidantur cap. vi. 1— Sed propter sacrilegium Achanis, Israël ab Ainitis funditur, verum punito Achane, Deo reconciliatus, & Ainitas exscindit. cap. vii. 6— & viii 1—. 2. Josua.

1— Gibeonitis, fraude eorum circumventus, pacem quidem indulget; sed fraudes interim ulciscitur, eis in perpetuum templi servitium addictis, qui ab hoc *Nethinæi*, seu *deditiii*, appellati sunt. cap. IX. Et cum ob hoc eis obsidione insultaret Adoni-Beseck Jerosolymorum Rex, quatuor Regibus sociatus, Josua, grandine adjutus, Solis ac Lunæ cursum deprecatus, eum cum suis trucidat & victorias novas addens, XXXI. Regulos subegit, & tribubus sorte distribuit, tabernaculumque in Silo erexit. cap. X. ad cap. XIX. Post hæc remittit ad sua trans Jordanem, Rubenitas, Gaditas, & dimidium tribus Manassis, qui altare erigunt, apud littus Jordanis, & propterea bello infestati fuissent, nisi se suspicione liberassent. cap. XXII— Tandem, habitis comitiis, & renovato fœdere cum Deo, supremum diem claudit, annos natus CX. cum præfecturam habuisset annos XVII. Successit ei *tertius* inter Judices, *Othniel*, è tribu Judah, Calebi, ob devictam urbem Debir, gener Jud. I. II. 12. 13. Israelitas, quum à Deo defeciissent, in servitutem Mesopotamiæ Regis, Cusan-Risathaim redactos, liberat. Præfuit annis XL. cap. III. 9. 10. 11. Successit *quartus* Judex, Ehud, è tribu Benjamin, Scævola. Hic, cum Moabitarum Rex Eglon, copiis Ammonitarum & Amalekitarum adjutus, Israelitas iterum deficientes à Deo, in secundam servitutem per octodecim annorum, rapuisset; ex insidiis Eglonem trucidat, copias ejus cædit, & tyrannidem ejus feliciter excutit Jud. III. 15— solent ad hujus tempora referre famem, quâ impulsus Elimelech cum uxore Naomi, in Moabiticas oras concessit, & tandem cum duobus filiis, qui Moabitidas Ophram & Rutham duxerant, fatis cessit: sed Ruth cum Socru Naomi, Judæam ingressa, cum spicas in agro divitis Boazi, consanguinei Elimelechi, paupercula legeret, secundas nuptias feliciores ex lege Mosaica obtinuit, & ex grandævo Boazo, Obedum, Davidis avum peperit Ruth. I. & seq. cap. Tribuuntur ejus præfecturæ, vulgo, LXXX. anni ex Jud. III. 30. & qnamvis de illis egregie dubitetur ex eo, quod tum temporis, hominum ætas decreverit ad LXX. aut LXXX. annos ex Psal. XC. 10. tamen fieri omnino potuit, ut anno XX. aut XXV. rebus admotus, vixerit per annos LXXX. cum hoc observetur in Josepho Patriarcha, qui totidem annis præfuit Ægypto, atque etiam experientia doceat, quod homines, tanto tempore, paulo ultra ordinem illum, quem Deus communiter hominum ætati fixit, vixerint: attamen commodius dici putem, LXXX. istis annis comprehendi XL. annos Samgaris, & sic ab obitu Othnielis, usque ad obitum Samgaris, Israelem habuisse annos LXXX. quietis, nec plus dicitur in textu Jud. III. 33. Intercala ergo XL. his annis, annos Samgaris, qui pedo pastorali DC. Palæstinos confecit Jud. III. 31. Sequitur *quintus* Judex, Barack cum Debora Prophetissa: cum enim jam tertio, propter suam apostasiam à Deo, Israelitæ cecidissent, in jugum vicenarium, sub Cananæorum Rege Jabin, & resipiscerent; Deus ipsis liberandis Deboram, uxorem Lapidoth, quæ Barako fuit auctor, ut Jabinum seu potius Sisseram ejus polemarchum profligaret, & Israelem in suam libertatem restitueret cap. IV. eoque perpetrato, Deo epinicion cecinit. cap. V. & cum Barako præfuit annis XL. Jud. VIII. 28. Sequitur *sextus* Judex Gideon, Pater LXX. filiorum, sub quo Midianitæ cum Amalekitis Israelem, propter scelera sua, in quartam servitutem rapuerant: Deus ipsis resipiscentibus, adeoque liberandis, dedit sextum hunc Judicem, Gideonem, quem, ob aram Baalis, jussu Angeli eversam, Jerubaal nominarunt, qui prodigio roris & velleris confirmatus, exercitu apud aquas probato, cum CCC. viris, tubarum clangore, fictilium strepitu, lampadum fulgore, militumque clamore, hostes adeo terruit, ut strage 135000. occumberent, & Reges eorum quatuor penitus contererentur. Ex quo tamen in cultum Dei peregrinum, cum suæ posteritatis & totius populi ruinâ, incidit capp. VI. VII. VIII. Numerantur à morte Deboræ, usque ad ejus obitum, anni XL. Jud. VIII. 10. Successit ejus ex concubina filius Abimelech *septimus* Judex, qui, præter Jothamum, celeri fuga servatum, LXX. fratribus peremtis, tyrannidem gessit, ipsosque Sichemitas, quorum auxilio præfecturam obtinuerat, exscidit, & tandem in oppugnatione Thebeci, saxo supernè à muliere ictus, corruit, postquam præfuisset annos tres. cap. IX. surrogatus ei est *octavus* Judex, Thola ex tribu Issachar. Hic Israelem judicavit, per annos XXIII. cap. X. 1. 2. Hunc excepit *nonus* Judex Jair, Manassæus, XXX. liberorum Pater, & totidem urbium Dominus, cujus anno XVII. (præfuit autem per annos XXII. Jud. X. 3.) Israel ob peccata, in quintam servitutem Ammonitarum, per XVIII. annos incidit. Ab hac liberavit eum Deus, præmissa pœnitentia, per *decimum* Judicem Jephte, è meretrice natum, ac propterea à fratribus domo paterna motum. Hic, voto temerario facto, de immolando, quod domum feliciter reverso, primum occurrisset, Moabitas, quibus pacem persuadere nequiverat, egregia victoria repressit, & Jephten filiam, quæ prima victorem gratulabunda exceperat, seu immolavit, seu perpetuæ virginitati addixit, circa quod, hic non determinandum, Interpretes contendunt. Et paulo post, Ephraimitas sibi insultantes, postquam occupasset Jordanis vada, & ex pronunciatione vocis *Schibboleth* agnovisset, contundit, trucidatis eorum quadraginta duobus millibus. Præfuit annis sex Jud. XI. & XII. 1—7. Hunc excepit *undecimus* Judex, Ebzan Bethlehemita Pater XXX. filiorum,

3. Othniel.

4. Ehud, cui Samgarem per XL. annos intercalamus:

5. Debora cum Barako.

6. Gideon.

7. Abimelech.

8. Thola.

9. Jair.

10. Jephte.

11. Ebzan

& totidem filiarum, totidemque generorum socer vſ. 8. 9. per annos VII. Jud. XII. 9. Succeſ-
12. Elon. fit *duodecimus* Elon, Sebulonita, per annos X. verſ. 10. 11. 12. Et poſt eum, *decimus tertius*
13. Abdon. Abdon, Pater XL. filiorum, & avus XXX. nepotum, exſtitit filius Hillelis cujusdam, Pirhathonitæ. Præfuit annis VIII. verſ. 31.— Por-
14. Simſon, ro *decimus quartus*, Simſon, matri ſterili ſolenniter promiſſus, ab utero ſacer & Naziræus, Philiſtæos, ſub quibus ſextâ ſervitute, Iſraelitæ per quadraginta annos gemebant, ſi non contrivit; attrivit ſaltem illatis egregiis cladibus: ope CCC. vulpecularum, facibus ardentibus, à caudâ armatarum, eorum ſegetem exurit. Incluſus mœniis Gazæ, noctu ejus portam, cum ſuis vectibus, ſecum in montem adducit, & maxillâ aſini mille Philiſtæos cædit, tandem victus artibus Dalilæ meretricis exoculatur, donec robore cum capillis renovato, cum ad ludum publicum produceretur in ædem, tria hoſtium millia ſecum tollit è medio Jud. XIII. ad XVI. Hunc excepit *decimus quintus*
15. Eli. Eli, qui in filios atheos, avaros & libidinoſos indulgentior, in judicia divina incurrit, ut, cum populus à Philiſtæis cæſus, arcam fœderis in prælium, injuſſu Dei, educeret; non tantum uno die, binos filios Hophni & Pineam, cum triginta millibus Iſraelitarum trucidatos, amitteret: ſed etiam ipſe, cum arcam in poteſtatem hoſtium deveniſſe intelligeret, ſolio excuſſus, animam ſenex XCVIII. annorum exhalaret. Quam tamen arcam, cum Azothi, pro trophæo, in templum & à latere Dagonis hoſtes collocaſſent, ita Deus vindicavit, ut Dagonem primâ nocte proſtraverit: ſecunda, etiam truncatum capite & manibus, ad limen templi projecerit, atque Philiſtæos, non ſolum in podicibus, morbo occulto percuſſerit; ſed & muribus immiſſis ſegetem eorum adeo, ut, volentes nolentes, arcam fœderis, nec absque muneribus, priſtinis ſuis poſſeſſoribus tandem reſtituere coacti fuerint 1 Sam. III. IV. Jam, ſi annos ſingulorum Judicum, usque ad obitum Simſonis, qui librum Judicum claudit, conſtruas, emergent anni 299. & ſi his addas annos 40. Eli usque ad Samuelem, habebis 339. Cui calculo obniti videtur Apoſtolus Act. XIII. 19. 20. quando intra diſtributionem terræ Canaan, & exordium Samuelis, ponit annos circiter 450. Sed *videtur* tantum: quatenus Apoſtolus annos *ſex ſervitutum*, ſub quibus Iſrael gemuiſſe legitur in libro Judicum, qui conficiunt annos CXI. conſtruit cum dictis 339. è quo reſultant 450. dum liber Judicum annos ſervitutum involvit Judicum annis. Nec obſtat, quod hac ratione, annos CXI. Apoſtolus bis numeraret, cum non bis numeret *eodem reſpectu*; ſed primo ut involutos, tum ut evolutos. Sic nodum chronologicum ſolvit Beroaldus & alii. Agmen claudit Judicum *decimus ſextus* Samuel, Le-
16. Samuel. vita, Pontifex pariter & Judex, poſt Elim clavum Reipublicæ Iſraeliticæ, piè, juſtè, prudenter & feliciter tenuit, miraculoſam tempeſtatem adverſus Philiſtæos, precibus impetravit; ſed filii ejus, injuſſu Dei præfecti, ſuâ ἀσωτίᾳ, populum adegerunt, qui Regem ſibi præfigi peterent, atque etiam impetrarent, Saulem Benjaminitam, ipſis quidem Dei auſpiciis electum, & felicem, usque dum mandato divino obſtrepens, Amalekitas exſcindendos ſervaret: aſt poſt hoc, & ob hoc, jure regnandi privatus, & ejus loco, auctoritate divina, ei ſurrogatus eſt David per Samuelem, factum hoc putatur anno ejus ſecundo. Interea per annos decem, juxta Cedrenum, de facto regnum Iſraelis habuit. Hinc regnum ejus conſtruemus præfecturæ Samuelis, ut magis proclivis nobis accidat tranſitus ad Davidem, & in eo ad ſecundam epocham periodi Moſaicæ, ſub qua, ſolennis facta eſt renovatio & amplificatio fœderis gratiæ. Itaque primo breviter repræſentabimus hiſtoriam Samuelis, tum ei ſubjungemus hiſtoriam Saulis. Quantum igitur ad Samuelem, fuit ille Levita, natus Patre Helkanâ, Matre Hannâ, à quo ſic denominatus, Deo conſecratur; 1 Sam. I.— invaleſcit gratiâ apud Deum, pariter & homines, noctu facta Eli, à Deo haurit, & mane ea repræſentat Pontifici. cap. II. II— & cap. III. I— pro Prophetâ recipitur à populo vſ. 19— reformationem cultus divini inſtituit, & pro populo orat apud Mitzpa 1 Sam. VII. 3.— Oppugnatur à Philiſtæis, quos Deus terret egregiâ tempeſtate, ut ab Iſraelitis funderentur, ſic ut tempore Samuelis, nihil valerent adverſus Iſraëlem. Habitat apud Rama, ibidemque altare ſtruit, & monumentum Eben-Ezer erigit inter Mitzpa & Bethear cap. VII.— Conſtituit filios impios Judices in Beerſeba. Hinc populus Regem ſibi expetit, invito Domino, & accipit, expoſitis antea moribus Regum cap. VIII— Benedicit tamen populo, Saulo obviam procedit, & eum ungit Regem cap. IX. & X. Cum Saulo in aciem pergit adverſus Ammonitas apud Jabes Gilead, poſt victoriam regnum confirmat Sauli cap. XI— ſuæque præfecturæ rationes reddit cap. XII. Dum moras nectit Saul, pugnaturus adverſus Philiſtæos, diffluente populo, ſacrificat, ob quod reprehenſus, regno privandus prædicitur, cap. XIII. Interim tamen Saulum mittit adverſus Amalekitas, cum mandato eos exſcindendi cap. XV. quos Saul quidem fundit; ſed tamen eorum Regi & fortunis, prætextu ſat ſpecioſo, parcit, & ob hoc regno exuitur vſ. 10. Interim Agagem Samuel occidit, & Sauli fata luget vſ. 11.— Hinc Davidem inungit. cap. XVI— 14. Moritur & lugetur ab Iſraële apud Rama 1 Sam. XXV. 1. Tribuuntur ejus præfecturæ anni XL. Act. XIII. 21. Huic jam conſtruamus Saulem, miſſis eis, quæ dudum eo tetigimus. Fuit Benjaminita, ſtaturâ pariter

&

& animi dotibus heroicis, egregius, asinabus paternis exquirendis, monstrante Deo, à Samuele Rex inunctus. Victoriis etiam à Moabitis, Ammonitis, Edomitis, Amalekitis reportatis, clarus: sed tamen ob contumaciam rejectus, cum maligno spiritu torqueretur, in Davidem incidit, ejus psalmodia refocillandus, quem tamen ut initio gratum, posteà per invidiam, funesto odio per omnem vitam prosecutus est. Filium habuit Jonathanem, qui tenerrimo amore Davidem deperibat. Adversus Philistæos arma moturus, inops animi, responsis divinis destitutus, Pythonissam Endorensem consulit, ab ea imminentia sua fata intelligit, & ab hostibus fusus, propriis armis perit, ab illis etiam à muris suspensus, & à Jebusinis furtim à suspendio liberatus, à Davide in regio sepulchro humatur.

Theologiæ primæ epochæ Mosaicæ.

XXIV. Quantum ad Theologiam primæ hujus epochæ Mosaicæ; præsupponimus, universam Theologiam, trium præcedentium curriculorum, transisse in hanc epochm, nec tam ab Abrahamo fuisse præoccupatam olim, ut Hebræi censent ex Gen. xxvi. 2—6. sed occupatam potius à Mose fuisse: quorsum enim in Genesi, tam solicitè fuisset repræsentata, nisi ut & sequioribus temporibus inserviret? cum præsertim omnia illa, etiam inculcentur passim a Mose. Ut non addam, Theologiam Mosaicam perstitisse, explicatam & amplificatam a Prophetis, usque ad exhibitum & mortuum Messiam, a quo Apostolus, cum professus fuisset, se annunciasse omne Dei consilium Act. xx. 20. addit, se nihil dixisse extra Mosen & Prophetas. cap. xxvi. 22. Quantum nominatim ad Theologiam *testamentariam*: fuit equidem, idem fœdus *fœdus gratiæ*, huic nostræ epochæ commune, cum tribus præcedentibus quoad *essentialia*; sed *dispensatio* hujus non parum diversa a præcedentibus omnibus. Dum enim (1) in prima dispensatione, auctor fœderis agebat, velut inimicus serpentis & seminis serpentini, destructurus ejus caput per semen mulieris: dum in secunda, ut conservator Ecclesiæ per arcam, in tertia, ut אל שדי, *Deus sufficiens*: in quarta hac agit ut יהוה, qui non tantum *potest* præstare; sed & præstat actu sua promissa, eductione Israelis ex Ægypto, & introductione in Canaan, velut pignus hæreditatis cœlestis Exod. vi. 1. 2. 3. Dum (2) fœderati proponuntur in prima confœderatione, ut *semen mulieris*, h. e. Christus cum suis, seu Christus in suis generalius, in secunda, ut electi in familia Noachi; in tertia, ut electi in semine Abrahami benedicto & benedicendo, adeoque ferè ut electi in *familiis* tantum: in hac quarta proponuntur velut in integra quadam & numerosa *natione*, & quidem, ut solenniter desponsati & fœderati cum Jehova. Dum (3) beneficia fœderis gratiæ, in præcedentibus omnibus, dicta sunt generalius, obscurius & implicatius; in inimicitia, & contritione capitis serpentini; in conservatione Ecclesiæ, & mundi propter Ecclesiam, ab exitio diluviali; in benedictione, multiplicatione, in terra Canaan: hic in quarta, omnia illa multo distinctius, copiosius & dilucidius explicantur, in tot figuris cæremonialibus, sacramentalibus &c. Dum (4) officia a fœderatis stipulata, fides & resipiscentia, in præcedentibus, vel prorsus non nominantur, vel rariſſimè saltem, & semel tantum in Abrahamo, quod fides ei imputata fuerit ad justitiam, & ambulare debuerit cum Deo, & esse perfectus: hic in quarta, eadem copiosius & distinctius, exiguntur, in integro quodam & ordinatissimo systemate legum cæremonialium, atque etiam politicarum & moralium. Dum (5) confœderationes præcedentes factæ sunt, modo magis privato, & cum minore solennitate, hæc quarta accidit magis publicè cum magna majestate ex parte Dei, & cum magno terrore ex parte Israelis Exod. xix. Addam (6) dum præcedentes nullum fere consensum explicitum habuerunt hominum confœderatorum; hæc quarta consensum habuit explicatum Ibid. vſ. 4. 5. cum 8. Quantum secundo ad Theologiam *systematicam* primæ hujus epochæ Mosaicæ, eam per sua capita articulatim repræsentare, sicut per præcedentia curricula periodi patriarchalis fecimus; id non foret nisi magna partem, quatuor posteriorum Pentateuchi librorum, nec non Josuæ, Judicum & Ruth, describere, nec perinde etiam utile. Quamobrem, fundamenta tantum Theologiæ hujus epochæ, illa repræsentabimus breviter, quibus supra priora curricula invaluit. *Primum* horum fuit verbum, ceu non tantum unicum hujus Theologiæ principium, sed compendium etiam. Quamvis enim & priora curricula illud habuerint, quantum satis erat, factum Adamo, Noacho, Abrahamo, aliisque viva Dei voce; nec tamen habuerunt tam familiariter sibi factum, ut in Mose, qui cum Deo agebat, quasi facie ad faciem, velut amicus cum amico Deut. v. 4. saltem nullum præcedentium curriculorum, habuit verbum Dei scriptum, nec cultus regulam tam plenam, & tam *αὐτάρκως* digestam, cui fas non fuerit, hilum adjicere aut detrahere Deut. iv. 11. 12. & xii. 32. cujus etiam transgressionem tam severe ultus, in Nadab & Abihu, ipsis Aaronis filiis, sacrificantibus igne peregrino Levit. x. 1. 2. 3. *Secundum* fundamentum Theologiæ hujus epochæ fuit, hominem coram Deo non justificari, nisi pura puta ejus gratia, propter justitiam, a semine promisso præstandam, & fide sola accipiendam. Quod fundamentum sese distinctius explicabat, in his potissimum sex particulis: nim. (1) Homines hujus gratiæ participes, esse peccatores, miseros, iræ divinæ & maledictioni obnoxios

Theologia testamentaria.

Theologia Systematica.

Deut. xxvi. 5. quo etiam apud sacrificia spectabat pecorum mactatio Col. ii. 14. (2) Beneficia omnia, cum spiritualia, tum temporalia, homini obtingere ex pura putâ Dei gratia, absque ullo meritorum & officiorum intuitu Deut. ix. 4. 5. 6. & cap. vii. 6. 7. 8. 9. & cap. x. 5. (3) Quamvis Deus, in verbo suo, officia præstanda pleniſſime & clariſſime repræsentasset; se tamen viribus spiritualibus, per peccatum, adeo destitutos esse, ut absque gratia Dei, corda vertente, nil omninò possint præstare quod ad salutem conducat Deut. xxix. 4. 5. 6. & xxx. 6. Jos. xxiv. 19. (4) Reconciliationem cum Deo, & peccatorum remissionem, non nisi profusione sanguinum in sacrificiis, procurari & obtineri posse. Id nulla non ceremonialia docuêre; sed imprimis festi expiationis solennia Levit. xvi. unde Apostolus, *omnia* docet *purificari sanguine, secundum legem, & absque sanguinis effusione* nullam *fiere remissionem* Heb. ix. 22. Nec tamen (5) ulla brutorum sacrificia per se idonea fuisse tollendis peccatis, nec alio valuisse; sed tantum repræsentando alio sacrificio, quod solum huc valeret. Conf. Mich. vi. 6. 7. 8. Ps. xl. 7. 8. 9. Porro (6) Pontificem, qui figuram gerebat Messiæ, peccata totius populi laturum Exod. xxviii. 38. *Tertium* fundamentum Theologiæ hujus epochæ habebat, omnia ceremonialia, quantumvis gloriosa, non valitura, ultra certam periodum, post quam loco movenda essent, à novo quodam Propheta excitando, auctoritate legislatoria instructo, quem sub pœnâ excidii, in omnibus audirent Deut. xviii. 16. 17. 18. 19. Conf. Dan. ix. 27. Post hæc quasi fidei fundamenta, hæc epocha, ad cultum divinum, habuit, præter legum quarumvis syntagma nitidissimum, præter itidem stata tempora, locum etiam satis splendidum, in quo officia cultus publici solenniora exercerent, tabernaculum scil. de quo Exod. xxvi. & personas insuper, qui officiis istis præessent, Pontificem, Sacerdotes, Levitas. cap. xxviii. Hæc de Theologia hujus epochæ Systematica, tetigisse sufficerit. Quantum ad Theologiam ejus *symbolicam*, quæ mysteria Regiæ Symbolica. ligionis Judaicæ, pariter & Christianæ, repræsentabat sub variis figuris & typis ceremonialibus, pro ratione status infantilis & juvenilis Ecclesiæ Judaicæ; eam dudum, ὡς ἐν ἐπιτομῇ diximus, hic tantum paulo distinctius applicandam. Tenendum ergo, omnes istas figuras ac typos Christum habuisse, & quæ ipsum concernunt, quasi sub *velo* & sub umbra 2 Cor. iii. 13. 14. 15. 16. Col ii. 9 — 17. Heb. x. 1. 5. quorum omnium finis fuit Christus Rom. x. 4. Proinde omnis analogia & convenientia, quæ observatur inter istos typos, & Christum velut antitypum, nobis conducet ad futuram applicationem. Habet igitur Theologia hæc symbolica 1. *generalius* quidem, figuras, cum extraordinarias; tum ordinarias. In *prioribus*, v. g. salutis *impetratio* & *applicatio*, figurabatur per liberationem Israëlis, è servitute Ægyptiacâ, factam ministerio Mosis, qui ab hoc potissimum, typus Christi fuit Act. vii. 35. 36. Heb. iii. 2. & xi. 24. 25. 26. Item per introductionem in terram Canaan, duce Josuâ Heb. iv. 8. Transitus per mare rubrum, significabat rubrum Christi sanguinem, per quem fideles, ex Ægyptiaca servitute spirituali, salvi transeunt in cœleste Canaan, pereuntibus ipsorum hostibus 1 Cor. x. 1. Columna nubea & ignea, quæ tegebat, illuminabat & ducebat Israëlem, interdiu noctuque; designabat perpetuam fidelium protectionem, illuminationem & deductionem, propter Christum, per Spiritum S. Exod. xiii. 21. Psal. cv. 39. 1 Cor. x. 1. Manna cœleste, & aqua è percussa rupe, carnem figurabat & sanguinem Christi, velut cibum & potum spiritualem Joh. vi. 32. 33. 1 Cor. x. 3. 4. Serpens æneus, cujus aspectu, à serpentibus ignitis lethaliter sauciati Israëlitæ curabantur, spiritualem notabat Christi sanationem Joh. iii. 14. & viii. 28. cum xii. aspectu fidei obtinendam: in *posterioribus*, seu magis *ordinariis*, Sacerdotes, & in his ἐξόχως Pontifex, sacrificia expiatoria, altaria, aliaque vasa huc spectantia, quid umbrabant, nisi Pontificem Christum ejusque sacrificium, nostræ reconciliationi cum Deo impendendum? Heb. v. 1. — & cap. x. 1. — & xiii. 8. 9. 10. Specialius, sacrificia ἱλαστικὰ, oblationes, Pascha quid sibi volebant? quam repræsentare nostri *justificationem*, & remissionem peccatorum, per sacrificationem Christi, & purificationes sanguine & spiritu ejus procurandas Heb. ix. 13. 14. 22. 23. 1 Cor. v. 7. Primogeniti Deo sacrati Exod. xiii. 11 — 16. quid dicebant, nisi adoptionem fidelium, propter primogenitum & unigenitum Christum? Rom. xi. 16. Col. i. 15. tot purificationes Leviticæ, & lotiones carnales, quid sibi volebant, nisi dicere sanctificationem fidelium per aquam puram sanguinis & spiritus Christi? Heb. ix. 13. 14. Joh. iii. 3. 5. 1 Joh. i. 7. Hæreditas terræ Canaan, quorsum spectabat? si non ad figurandam fidelium glorificationem, in patriâ cœlesti, per Christum procuratam Heb. iv. 8. 9. cum Joh. xiv. 2. 3. Jam, si ab his generalioribus, ad specialiora legis ceremonialis, per suas classes descendamus, & *primo* quidem ad personas sacras: Propheta Moses, nunquid Christum monstrabat ut Prophetam? Deut. xviii. 15 — 19. Act. iii. 22. 23. 24. Sacerdotes gregarii, & cum ipsis suo modo reliqui Levitæ, populo docendo, sacrificando, intercedendo, benedicendo, sacris præfecti; nunquid Christum monstrabant, velut Sacerdotem consummatissimum, quoad sacrificationem sui pro nobis, interceſſionem & benedictionem? Ps. cx. 4. Heb. vii. 11 — 23. & cap. iii. 1. Eph. v. 2. &

cap.

cap. 1. 3. Sacerdotum tanta *integritas* Levit. XXI. 17—24. *consecratio* apud totam Ecclesiam Levit. VIII. 3. adhibita lotione Exod. XXXIX. 4. amictu sacro, tunicâ scil. cum baltheo, tiara, femoralibus Exod. XXVIII. 4. 40. 42. 43. & XXIX. 8. 9. sacrificiis peculiaribus, cum applicatione sanguinis arietini, ad auriculam infimam, & pollices dextros. Ibid. vs. 15. 20. 24. 25. conspersio ex oleo sacro, & sanguine altaris vs. 21. Levit. VIII. 30. & mandata eis singularis quædam abstinentia, mundicies & gravitas Levit. XXI. 1—9. nunquid eo tendebat, ut Christi Sacerdotis omnimodam perfectionem & sanctitatem referret? Heb. VII. 26. 27.— Imprimis Sacerdos *maximus*, quoad magnificum suum ornatum, in *amiculo*, *pectorali* nomina duodecim tribuum gerente, *urim* & *thummim*, ex quibus responsa divina dabantur: ejus cidaris cum laminâ aurea, ejusque inscriptio, *Sanctitas Domini*, unctio peculiaris, ingressus anniversarius in sanctum sanctorum, cum alieno sanguine Exod. XXVIII. 2—Levit. VIII. 10. 11. 12. Omnia ista, nunquid præsagiebant egregium Christi decorem & majestatem Psal. XLV. 3. sanctitatem, quo sanctus est Israelis Jes. X. 20. qui sanctificatus est à Patre Joh. X. 36. qui velut in pectore gerit Ecclesiam cura tenerrima Eph. V. 2. 25. qui illuminat omnem electum venientem in hunc mundum, præconio Euangelii Joh. I. 9. qui unctus est Spiritu S. Ps. XLV. 8. qui ingressus est sanctuarium cœleste, cum proprio sanguine? Heb. IX. 24. & X. 19. Primogeniti, cum omnibus suis prærogativis, nunquid Christum significabant Psalm. LXXXIX. 28. Rom. VIII. 29. Col. I. 15. 18. Apoc. I. 5. adducturum suos ad cœtum primogenitorum? Heb. XII. 22. 23. Naziræi item, inter quos Simson, nunquid adumbrabant Nazarenum illum Matth. II. 23. Act. III. 6. Joh. XIX. 19. præcognitum illum ab æterno, eoque segregatum ab omnibus aliis hominibus in Mediatorem 1 Pet. I. 20. electum illum? Jes. XLII. 1. Jam, si à personis Sacris transeas ad loca sacra: tabernaculum, quid figurabat nisi Christum; qui ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν? Joh. I. 14. quid nisi ejus Ecclesiam, velut mobilem & tralatitiam à Judæis ad gentes? Act. XVII. 46. Templum Salomonis, quid nisi Ecclesiam fixam & immobilem, ne portis quidem inferorum superabilem? Matth. XVI. 18. Synagogæ singularum urbium, quid nisi Ecclesias particulares, v. g. septem Ecclesias Asiaticas? Apoc. I. 20. si hinc pergas ad *tempora* sacra ceremonialia: Sabbathum *judaicum*, septimus dies à creatione numerandus, nonne figurabat Christi quietem in sepulchro per Sabbathum illud? & reliqua Judæorum festa, usque ad Jubilæum, nonne figurabant tempus gratiæ seu euangelicum? Jes. LXI. 2. Col. II. 16. 17. si tandem cogitationes promoveas ad *res* & agenda ceremonialia: si ad *Sacramenta* ceremonialia, ad Circumcisionem, quid notabat, nisi circumcisionem Christi, ἀχειροποίητον? Col. II. 11. 12. ad Pascha, quid nisi Christum pro nobis mactatum? 1 Cor. V. 7. si pergas ad sacrificia *propitiatoria*, per tot species, quid dicebant, nisi sacrificium Christi? Jes. LIII. 11. 12. Eph. V. 2. Heb. IX. 14. & X. 5. 10. 14. & *eucharistica*, quo spectabant, nisi ad gratitudinem nostram in Christo testificandam? Rom. XII. 1. 2. Heb. XIII. 15. Hos. XIV. 3. *Altare* Exod. XXIX. 37. Matth. XXIII. 19. quid notabat, nisi divinam Christi naturam, quâ sanctificatum est sacrificium corporis ejus? Heb. XIII. 10. *Ignis* quo absumebatur victima Marc. IX. 49. Levit. II. 13. quid, nisi Spiritum S. per quem Christus seipsum obtulit Deo? Heb. IX. 14. *Sal*, quid, nisi fœdus gratiæ in Christo, incorruptibile & æternum? Conf. Levit. II. 13. Num. XVIII. 19. 2 Paral. XIII. 5. cum Gen. XVII. 13. Hos. II. 18. *Suffitus* sacer Exod. XXX. 34. 35. quid figurabat, nisi intercessionem Christi, & supplicationes fidelium in Christo? Psal. CXLI. 2. Apoc. V. 8. *Oleum* sacrum, quo tabernaculum, ejusque vasa & ministri ungebantur & inaugurabantur Exod. XXX. 25—31. quid notabat, nisi Spiritus S. dona, quo & Christus & Christiani inunguntur inauguranturque? Heb. I. 9. 1 Joh. II. 20. 27. *Aqua expiationis* Num. XIX. 9. quid significabat, nisi sanguinem Christi? 1 Joh. I. 7. Zach. XIII. 1. *Lucernæ* septem, in candelabro aureo Exod. XXV. 31. 37. & XXVII. 20. 21. quid sibi volebant, quam figurare illuminationem per Spiritum & verbum? 2 Pet. I. 19. 21. Eph. V. 8. *Tubæ* argenteæ Num. X. 2. quid dicebant, nisi clangorem Euangelii, Spiritu inflati? Jes. LVIII. 1. Eph. VI. 11—18. Psal. LXXXIX. 16. *Cibi* sacri Levit. VII. 6—10. & VI. 16. 18. 25. 26. & *panes propositionis* Num. XXIV. 5—9. quid notabant, nisi Christi carnem & sanguinem velut nutrimentum spirituale? Psal. XXII. 1. 5. Joh. VI. 33. 35. 48. 50. 51. *Novalia* Levit XIX. 23. 24. 25. quid figurabant, nisi alimenta per peccatum impura esse, donec sanctificentur, fide in Christum & precibus? Tit. I. 15. 1 Tim. IV. 4. 5. Rom. XIV. 6. *Primitiæ* personarum & rerum Deo sacræ Exod. XIII. 2. & XXII. 29. 30. Num. XV. 20. 21. quid notabant, nisi Christum primogenitum Heb. I. 6. in quo prima & primaria nostra Deo addicere nos debemus? Jes. LXVI. 20. 21. Matth. VI. 33. 1 Cor. VI. 20. *Decimæ* Levit. XXVII. 30. Deut. XXVI. 12.— quid volebant, nisi ex fortunis nostris, in cultum divinum & in pauperes, quantum satis, erogandum nobis esse? Gal. VI. 6—9. Jac. II. 13. 15. 16. Heb. XIII. 16, Possemus parilia repræsentare, circa *hircos* apud diem propitiationis Levit. XVI. circa *asyla* Num. XXXV. 9.— circa Bileami vaticinium Num. XXIII. 16—24. circa vellus & rorem Gideonis Jud. VI. 37.— circa rubum ardentem & non consumtum Exod. III. 2. circa Mosen cæden-

tem Ægyptum & liberantem Iſraëlitam. cap. 11. 11. 12. & quæ ſunt hujus generis alia, uſque adeo, ut non admodum difficile futurum exiſtimem, ex hujuſmodi typis ac figuris, univerſam Chriſtianorum Chriſtologiam delineare, ni prolixitudinis metus retraheret. Sub hac epocha, omnis Theologia præcedentis periodi, ſparſim & ἀγεάφως hactenus tradita ſub patriarchis, in ſyſtema eſt redacta, & ſcripto commiſſa, auctore Moſe, quem deſcripſimus. Hic putatur exaraſſe *primo* librum *Jobi*, alii tamen hoc factum malunt ab ipſo Jobo, alii à Salomone, & ſic Chronologia ſcriptionis hujus libri variaret. Proximum tamen veritati videtur, hoc factum a Moſe, omnium primo ſcriptore, ſive in Midianitide, ut nonnullis placet; ſive apud Sinai: vel ante, vel poſt geneſin, circa annum mundi circiter 2452. Jobum nonnulli volunt fuiſſe abnepotem Eſavi, qui *Jobab* appellatur Gen. xxxvi. & vixerit circa annum M. 2330. alii volunt ipſum tertium fuiſſe a Nachore, Abrahami fratre. Quicquid ſit, ſaltem liber ſummatim narrat, Jobi proſperitatem, adverſitatem, & reſtitutionem in proſperitatem: item quo modo ſe geſſerit ſub omni hoc ſtatu. Conf. Cl. Spanhemii *hiſtoriam Jobi*. Scripſit ſecundò Moſes *volumen* legis, חומש, quod poſtmodum a ſequacibus diſtributum eſt in quinque libros, & ab hoc græce appellatum eſt πεντατεύχος, cujus primus *Geneſis* conditus videtur anno ſecundo poſt exitum anno M. 2452. complectitur rerum origines, mundi, peccati, Eccleſiæ Patriarchas, ſub Adamo, Noacho, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Joſepho, uſque ad ingreſſum Iſraelis in Ægyptum incluſive. Secundus, *Exodus* habet egreſſum ejuſdem Iſraelis ex Ægypto, νομοθεσίαν, & ſtructuram tabernaculi, habetque hiſtoriam præter propter, annorum 134. ab exceſſu Joſephi, anno M. 2453. Tertius, *Leviticus*, habet leges potiſſimum eccleſiaſticas, ſeu ceremoniales, unius menſis, ab initio anni ſecundi, poſt exitum. Quartus, *Numeri*, quo hiſtoria continetur annorum circiter 38. uſque ad initium menſis undecimi, anni poſt exitum 40. ab anno M. 2454. uſque ad annum 2492. quo etiam anno liber videtur conſcriptus. Quintus, *Deuteronomium*, continet hiſtoriam ſeſqui-menſis, ab initio menſis 12. anni 40. ſcriptus a Moſe, ſi excipias partem poſteriorem capitis 34. de morte & ſepultura Moſis, quæ a Joſua, aut Eleazaro, aut a quovis alio διορθώσω adjecta videtur. Repoſitis his libris, a Sacerdotibus apud arcam Deut. xxxi. 24. 25. acceſſit ſub hac epocha, liber *Joſuæ*, continens hiſtoriam Iſraelis plantati in terra Canaan, 17. annorum, ſcil. a morte Moſis, uſque ad obitum Joſuæ, cumprimis occupationem & diſtributionem ejuſdem terræ. Conſcriptus videtur, paulo ante mortem Joſuæ, anno M. 2510. ſic ut quæ in fine libri narrantur, adjecta videantur a Samuele. Etiam ſub hac epocha ſcriptus videtur liber *Judicum*, uſque ad Pontificem Eli, annorum 299. qui repræſentat acta Iſraëlis, ſub forma regiminis Ariſtocratica, auctorem habere videtur Samuelem. Succedit libellus Ruth, hiſtoria annorum circiter xi. quorum primum & ultimum, miſſis geſtis intermediis repræſentantur. Refertur a nonnullis ad tempora Ehud; ab aliis ad tempora Deboræ. Scriptus putatur a Samuele anno M. 2880. Agmen claudit liber prior *Samuelis*, conſcriptus, quoad priorem ſui partem, a Samuele 1 Paral. xxix. 29. quoad poſteriorem, a variis. Ibid. Dicit hiſtoriam Eli, Samuelis, Saulis & Davidis. Conf. Doct. Ligthfoot in Harm. V. Teſt.

Libri Canonici Scripturæ, ſub hac epocha conſcripti: Liber Iobi, Pentateuchi, Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis.

XXV. Contemplati ſumus ſtatum *Theologiæ* & Religionis, ſub prima hac epocha Moſaica, reſtat ut tranſeamus ad ſtatum *Eccleſiæ* ſub eadem hac epocha. Sicut ergo populus Iſraeliticus hactenus fuerat, partim ſub poteſtate Patriarcharum ſuorum, partim ſub tyrannide Regum Ægyptiorum, niſi quod ſuos *ſeniores* habuerint, omni poteſtate regiminis & legiſlatoria deſtitutos, ut colligi videtur, ex Exod. iv. 29. & Gen. l. ita ſub Moſe demum conſecutus eſt formam Reipublicæ, & quidem Ariſtocratico-democraticæ, cui primum, per aliquod tempus præfuit ſolus Moſes, uſque dum, conſilio Jethronis Soceri, in conſortium qualecunque regiminis, admiſit ſeniores ex univerſo Iſraele ſelectos Exod. xviii. 4. — poſtmodum a Deo confirmatos Num. xi. 16. Penes hos fuiſſe videtur rerum ſumma, ſub Judicibus, in negotiis præſertim gravioribus, niſi quod urbs quævis, ſaltem amplior, videatur in rebus ſibi peculiaribus, habuiſſe ſuos προεςώτας, ſed ſub Sanhedrim. His, rebus afflictis, & ſub Iſraelis ſervitutibus, Deus conſtituebat Judices, ex quavis tribu, extra ordinem excitatos, qui populum liberarent, eique præeſſent. Sub hac Reipublicæ forma, populus fuit, uſque ad Reges, Deo interim Monarcham præſtante, quo forma regiminis eſſet theocratica 1 Sam. viii. 7. In qua Deus ſuam habuit quaſi Regiam in Sancto Sanctorum, ſuum item gubernium apud arcam fœderis, a qua reſponſa dabat interroganti Pontifici, ſuum quaſi focum & ignem apud altaria Jeſ. xxxi. 9. Ezech. xliii. 15. ſuum cibum in panibus propoſitionis, ſuum cultum in locis ſacris, templo, ſynagogis &c. ſicut inquam ſub Moſe, formam Reipublicæ nactus eſt Iſrael; ita formam Eccleſiæ, ſeu ſtatum ſuum organicum, ſub eodem accepit, quoad cultum publicum, cui Deus præſcribebat leges potiſſimum ceremoniales, conſtituebat miniſterium eccleſiaſticum, addebat locum cultus tabernaculum, & tempora ſtata in Sabbatho & feſtis omne genus. Forma Eccleſiæ erat *nationalis*, ut qui ſubditi eſſent

Status Eccleſiæ ſub prima epocha Moſaica.

Rei-

Reipublicæ, qualescunque seu boni, seu mali; eadem operâ essent membra Ecclesiæ, saltem quoad statum ejus externum, quatenus eandem fidem, eundem cultum profitebantur, licet, quoad statum internum, non essent, nisi vere fideles: quin & *Catholica*, quatenus quotquot apud exteros ejus communionem ambiebant, ut proselyti, ei tenebantur nomen dare. Gubernatio ejus erat Aristocratico-Monarchica, quoniam sub magno Synedrio, à Pontifice dirigebatur, secundum leges sibi à Deo præstitutas, acturis. In Ægypto quidem, populus Israëliticus, auspiciis Josephi, cum Jacobo Patriarchâ, in Gosen secretus ab Ægyptiis habitans, suis legibus, statutis moribus indulgens: *fidem* salvificam aluit Heb. XI. 23. 24. 27. 28. 29. quam etiam significabat, conspergendo postes suos sanguine agni paschalis Exod. XII. 22. eo mortuo etiam, circumcisionem observavit, ut colligendum videtur ex Exod. IV. 25. precibus etiam intentus fuit cap. II. 23. sacrificia desiderabat quidem; sed non mactabat, metu absterritus Ægyptiorum cap. VIII. 26. fugiturus interim Pascha mactavit in Ægypto Exod. XII. — Præter ista, de cultu ejus divino, vix quicquam memoratur. Interim non videntur plane immunes fuisse à sacris Ægyptiorum Ezech. XX. 8. Nec traductus jam per mare rubrum, in desertum, omnibus officiis cultus divini, v. g. circumcisioni, Paschati, satis diligenter se impendit, forte molestiis & impedimentis continuæ peregrinationis impeditus Jos. V. 1 — 12. Quantum ad schismata hujus epochæ, continuatum quidem fuit schisma universale *serpentinum*, cum intra, tum extra Ecclesiam, atque etiam extra eandem, *Chamiticum*, Ismaëliticum, itemque Edomiticum per suas oras, unde passim audiuntur idola gentium, Ammonitarum, Moabitarum, Midianitarum, Philistæorum, ad quæ sub Judicibus etiam declinasse videtur Ecclesia Israëlitica, hoc nomine passim reprehensa & punita variis servitutibus, & resipiscens etiam liberata per Judices datos: intra Ecclesiam autem, superstitibus sibi Mose & Josuâ, satis tenax videtur fuisse Ecclesia, veteris orthodoxiæ, usque adeo, ut cum viderentur tribus Rubenitarum, Gaditarum & Manassæorum, moliri novum quendam cultum, circa altare & sacrificia, impetitæ fuerint hoc nomine, reliquarum tribuum exercitu Jud. XXI. 10. — nisi forte schismati annumerare velis rebellionem Coreh, Dathan & Abiram, ortam non tam à Religionis diversitate; quam quidem à Sacerdotio, quod Moses & Aaron, proprio motu, videbantur adstringere tribui Levitico, sublatam exstinctis auctoribus ejus Num. XVI. 1. — & XXVI. 9. 10. 11. & XXVI. 5. Interim populus Israëliticus se satis proclivem ostendit ad idololatriam Ægyptiacam, quam repræsentare videntur in μοσχοποιίᾳ, de quâ jamjam, quam non dedidicit, nisi post captivitatem Babilonicam. Primam idololatriam populus perpetravit in μοσχοποιίᾳ. Cum enim populus impatiens ejus moræ, quam Moses nectebat in Monte Sinai apud Deum; sibi Deos peteret ab Aarone, impetravit ab eo, ut sibi formaret vitulum, quem coluerunt tripudiis aliisque, ad modum Ægyptiorum, quorum idololatriæ videntur assuevisse in Ægypto. Non videntur equidem peccasse in eo, quod sibi Deos alios expetierint, aut quod existimaverint, Deos esse, qui manu humanâ efformarentur: proclamabant enim festum Jehova, Exod. XXXII. 5. sed quod per vitulum illum vellent colere Jehovam, quem tamen vitulum, Deus habebat, nec abs re, pro *idolo* Act. VII. 40. 41. Ob quod tamen Deus adeo exarsit in populum, ut ei internecionem & excidium comminaretur, & vix nonnihil à Mose placatus, negaret se ei per suas peregrinationes, amplius affuturum, substituto sibi Angelo quodam creato, quod Moses sua intercessione, vix declinare potuit. Videntur hoc suo consilio, oculos habuisse in *Apin* Ægyptiorum, quem in Urbe Memphis, quæ omnium ante Alexandriam fuit clarissima, venerabantur. Hic Apis, an idem fuerit cum Serapi & Osiride, ambigitur. Præter Apin etiam in Heliopoli colebant Μνεύιν, qui habebatur Apis Pater. Ab hoc boves & vitulos, aliaque animalia sacrificare, abominatio dicitur Ægyptiis Exod. VIII. 26. Historia hujus idololatriæ prostat Exod. XXXII. 1. 2. — Secunda Israëlitarum idololatria accidit circa Baal-peor Num. XXV. 2. 3. Deut. IV. 3. Psal. CVI. 28. Hos. IX. 10. Jos. XXII. 17. Fuit Deus Moabitarum; cultus etiam à Midianitis, quorumque insidiis, in eam idololatriam seducti sunt Israëlitæ, consilio Bileami Num. XXXI. 15. 16. Denominationis rationem non uno modo venantur viri docti. Sunt qui idolum ita dictum volunt à Deo, quod esset abominandum. Sonat enim פעה *aperire*, etiam Chaldæis, *carnes comessas egerere*, nudare etiam. Hinc vocis originem deducit Bucerus in Psal. CV. Hebræi, quod cultores ejus se retegerent coram eo. Aliis videtur fuisse Priapus. Vid. Vossius, *de Origine Idolor. lib.* 2. cap. 1. Ejus cultui affingitur esus sacrificiorum mortuorum ex Psal. CVI. 28. Commodius ita dictum videtur idolum; à monte *Peor*, Num. XXIII. 28. Deut. XXXIV. 7. in quo videtur fuisse ejus εἴδωλεῖον Num. XXII. 41. Sic Suidas censet in voce Βελφέγωρ & Theodoretus in Psal. CV. De Baalim suo loco apud Epocham sequentem, distinctius videbimus. Tertia idololatria, commissa videtur à Gideone, Heroë cæterum egregio, qui ex anathematis victoriæ Midianiticæ, struxit & erexit Ephod, sibi ac suæ familiæ in laqueum Jud. VIII. 27. Quanquam videtur fuisse, non tam idololatria, quam ἐθελοθρησκία, seu perversus verum Deum colendi modus. Conf. Levit. XVII. 7. &

XX.

xx. 5. quo modo Iſraelitæ peccaverunt in æneo ſerpente 2 Reg. xviii. 4. Ejuſdem generis fuiſſe videtur quarta hujuſ epochæ idololatria, perpetrata à Micha Ephraimita (ſeu Matre ejus) qui ſibi ex furto fabricavit εἰδώλειον, Ephod, Teraphim, & ſculpta, ejuſque cultui conduxit Levitam Jud. xvii. & xviii. Tot modis, ſicut Eccleſia Iſraelitica ſub hac epocha, exorbitavit in fide; ita etiam in moribus ac flagitiis, ob quæ ſexies ſaltem, data eſt in ſervitutem hoſtium ſuorum: (1) ſub Cuſchan-Riſathaim, per annos octo Iud. iii. 8. (2) ſub Moabitis, per annos octodecim. Ibid. vſ. 14. (3) ſub Iabin per annos xx. cap. iv 3. (4) ſub Midianitis, per annos vii. cap. vi. 1. (5) ſub Ammonitis, per annos xviii. cap. x. 8. (6) ſub Philiſtæis, per annos xl. Iud. xiii. 1. Qui anni ſervitutum connumerati, excludunt annos cxi. Sed ſpecimen flagitii egregii proſtat in Benjaminitis, pellice Levitæ cujuſdam abuſis ad mortem uſque, qui propterea à reliquis tribubus bello impetiti, quamvis ſemel atque iterum victores; tandem tantum non penitus exſtirpati ſunt Iud. xix. xx. xxi. Perſecutiones fidelium ſub hac epochâ, non ita leguntur, niſi ad illas referre velis, non tantum varias inſultationes in Moſen, quibus ipſi lapidationem intentabant; ſed etiam oppreſſiones hoſtium, quas jamjam enarravimus.

Secundum epochæ Moſaicæ curriculum, à Davide ad captivitatem Babilonicam,

XXVI. *Secundum* ergo epochæ Moſaicæ *curriculum*, à Davide pergit uſque ad captivitatem Babilonicam, ſub quo quinta accidit fœderis gratiæ renovatio, cum Davide ejuſque ſemine. Hujus indolem ut dexterius aſſequamur; cogitandum *primo, quod* facta cum Davide fuerit aliqua confœderatio. Hoc indubitatum eſt 1. ex viſione Nathanis Prophetæ facta 2 Sam. vii. 1—8. 1 Paral. xvii. 3—16. tum 2. ipſo Davidis teſtimonio Pſal. lxxxix. 3. 4. 28. 29. 34. 35. 36. & cxxxii. 11. 12. cum 2 Sam. vii. 11. 16. item 2 Sam. xxiii. 5. *Secundo*, quod hæc renovaverit præciſe *fœdus gratiæ*, ex eo patet: α. quia hæc confœderatio nihil ſpirat quod ſit fœderis operum. β. quia, cum hæc confœderatio fieret, David non erat ſub fœdere operum; ſed ſub *fœdere ſacrificiorum* Pſal. l. 5. quod procul dubio fuit fœdus *gratiæ*, per ea quæ diximus ad curriculum *præcedens*. γ. quia hac confœderatione, Davidi in poſteris promiſſus fuit Jeſus Chriſtus, baſis & compendium univerſi fœderis *gratiæ* 2 Sam. vii. 12. 13. Pſal. lxxxix. 3. 4. cum Luc. i. 31. 32. 33. & Act. ii. 30. δ. quia ſub hoc fœdere conſtitutus David deſcribit juſtitiam *fidei* Pſal. xxxii. 1. 2. cum Rom. iv. 1--9. quæ ad fœdus *gratiæ* ſpectat. Tandem ε. quia omnia hujus confœderationis ingredientia talia ſpirant: quæ ſunt fœderis *gratiæ*: quod ut pateat diſtinctius, cogitanda:

Ingredientia hujus confœderationis: 1. Partes contrahentes,

XXVII. *Tertio*, ſingula ejus ingredientia ſigillatim. Nim. (1) *Partes* contrahentes, quæ hic fuerunt ℵ. Deus, ut *Dominus exercituum* 2 Sam. vii. 8. 1 Paral. xvii. 7. ut *Deus & rupes Iſraelis* 2 Sam. xxiii. 3. 4. 5. ut *Pater Davidis & ſeminis* ſui Pſal. lxxxiv. 20. 26. & 2 Sam. vii. 12. 13. 14. ut *Deus* Davidis Pſal. lxxxix. 20. 26. ut *rupes* ſalutis ejus. *Ibid.* & 2. David cum ſemine ſuo. Et α. *David* quidem, tanquam *ſanctus* Dei, Pſal. lxxxix. 19. qualis & *Chriſtus* fuit Pſal. xvi. 10. & *heros* bellicoſus 2 Sam. vii. 4—18. qualis etiam Chriſtus Jeſ. ix. 5. tanquam *electus* Dei Pſal. lxxxix. 3—19. prout etiam Chriſtus 1 Pet. i. 20. tanquam *Rex* habens regnum, eique gubernando idoneus; ſicut etiam Chriſtus Luc. i. 69. Pſal. ii. 6. tanquam *ſervus* Dei Pſal. lxxxix. 3. 20. 1 Sam. xvi. 12. prout etiam Chriſtus Jeſ. liii. 11. & xlii. 1. tanquam *unctus* Domini Pſal. lxxxix. 20. 21— 1 Sam. xvi. 12. ſicut etiam Chriſtus Pſal. xlv. 8. & ii. 6. tanquam *Dei primogenitus*, omnibus præſtantior: ſicut & Chriſtus 1 Cor. xv. 20. Col. i. 18. Apoc. xvii. 12. & xix. 16. 1 Tim. vi. 15. Proinde cum Davide Deus contraxit, velut cum typo Chriſti: Tum β. etiam cum *ſemine* Davidis Deus fœdus iniit. 1 Paral. xvii. 11. (velut cum *filiis Dei* Ibid. verſ. 13.) in quo *immediate* quidem fuit Salomo, aliique Reges Judaici; ſed *mediate* Meſſias, *filius David* Matth. ix. 27. & xxi. 9. & xxii. 41. 42. tanquam ſemen *æternum* 2 Sam. vii. 12. 13. 1 Paral. xvii. 11. 12. 14. Pſal. lxxxix. 3. 4. 34. 35. 36. & cxxxii. 11. 12. quod quidem, *naturaliter* & κατὰ τὶ, conſtanter præſtiterunt poſteri ejus, uſque ad finem hujus curriculi; ſed *myſtice* & ἁπλῶς Meſſias Luc. i. 31. 32. 33. Act. ii. 30. 31. 32.

2. Cauſæ moventes ad contrahendum.

XXVIII. (2) *Cauſa* Deum quaſi *movens* ad confœderationis hujus commercium, fuit A. προηγουμένη quidem, ejus *gratia*, ſeu indebita verſus Davidem & ſemen ejus propenſio, teſte, tum ipſo Deo Pſal. lxxxix. 1. 2. 24. 28. qui gratiam *contulit*; tum Davide, qui *accepit* 2 Sam. vii. 21. 1 Paral. xvii. 17. 19. quæ *ſcaturigo* etiam eſt univerſi fœderis gratiæ Joh. iii. 16. B. προκαταρκτικὴ, ſolus Meſſias Jeſus Chriſtus, ſua ſatisfactione ac merito: quo, ſicut nos omnes; ita & Davidem cum ſemine ſuo, *ſibi gratos fecit*, *in illo dilecto* Eph. i. 6. Hinc David, devoluta à ſe omni *cauſalitate* 2 Sam. vii. 18. 1 Paral. xvii. 16. eum refert ad ſolum Meſſiam, tanquam ad *verbum* Dei ὑποστατικὸν: *propter verbum tuum* &c. 2 Sam. vii. 21. 1 Paral. xvii. 19. & quid per *verbum* illud intelligat, alibi explicatur 1 Paral. xvii. 19. *Domine propter ſervum tuum* — cum Jeſ. xlii. 1. C. *occaſionalis* videtur fuiſſe Davidis propoſitum, ſtruendi *Deo domum* Jeroſolymis 1 Sam. vii. 1. 2. 3. cum 2 Sam. vii. 2—18. & 1 Paral. xvii. 1—16. quod propoſitum adeo fuit acceptum Deo, ut viciſſim ei promiſerit, ædificatio-

tionem domus *ſuæ* æternam *Ibid.* Quæ promiſſio complementum ſuum principale nacta eſt in Meſſia, utpote cujus propoſitum, ſtruendi Deo *domum* ſeu templum, ſpirituale, narratur Heb. III. 3.4.5.6. Matth. XVI. 18.

3. Argumentum confœderationis:

XXIX. (3) *Argumentum* confœderationis, habet ab *una* parte Dei *promiſſiones*, Davidi cum ſuis factas; ab *altera*, *officia* à Davide ſuiſque ſtipulata: collecta, *tum* è viſione Nathanis Prophetæ 2 Sam. VII. 4—18. 1 Paral. XVII. 3--16. *tum* è narrationibus, & expoſitionibus hujus confœderationis Pſal. LXXXIV. & CXXXII. *tum* ex ultimis Davidis, quæ exſtant 2 Sam. XXIII. 1—8. Interim ſingula ſingulatim paulo diſtinctius ſunt oberranda. א. *Promiſſiones* ergo hujus confœderationis divinæ, concernunt 1 ipſum *Davidem*, in quibus eſt a) Subjugatio omnium *hoſtium* ejus 1 Paral. XVII. 10. Pſal. LXXXIX. 20. 22. 23. & CXXXII. 18. 2 Sam. XXIII. 6. quæ complementum ſuum nacta eſt, *literaliter* quidem in Davide 1 Sam. XXV. 28. 2 Sam. V. 10. & VII. 9. 1 Paral. XVII. 8. 2 Sam. XXII. 1— *myſtice* autem in Chriſto, vero Davide myſtico: quando hoſtes ſpirituales, peccatum, ſatanam, infernum, mundum, Antichriſtum ſubegit morte ſua Rom. VIII. 3. Heb. II. 14. 15. Col. II. 13. 14. 15. Eph. IV. 8. 2 Theſſ. II. 8. Joh. XVI. 11. 33. deque iis olim perfecte triumphavit Pſal. CX. 1. 1 Cor. XV. 24. 25. 26. Dan. II. 32—46. (b) *Confirmatio regni* Pſal. LXXXIX. 19—23. impleta, *literaliter* in Davide 2 Sam. V. 7. 9—12. *myſtice* in Chriſto Pſal. II— & XLV. & CX. 1. 2. Jeſ. XLIX. 7—13. (c) *Amplificatio gloriæ*, proſperitatis, potentiæ, & dominii Pſal. LXXXIX. 24. 25. 27. quæ complementum nacta eſt, α. *magna* quidem parte, in Davide 2 Sam. VIII. 2. 3. 5. 13. 14. β. *majore*, in Salomone 2 Paral. I. 1. & VI. 23. 24. 1 Reg. IV. 21. γ. *maxima* in Chriſto Luc. I. 32. 33. Pſal. II. 8. 9. Matth. XXVIII. 18. 19. (d) Se ipſi futurum in *Patrem*, in *Deum*, in *rupem* ſalutis; ipſumque viciſſim ſibi futurum in *primogenitum ſupra Reges terræ* Pſal. LXXXIX. 26. 27. quod impletum cernitur, *literaliter* quidem in Davide, quando *Patrem* ſibi Pſal. XXVII. 10. & *Deum* confœderatum Pſal. XXII. 2. & XXV. 2. XVI. 2. & *rupem ſalutis*, expertus eſt in Jehova Pſal. XVIII. 3. 4. *myſtice* autem in Chriſto, cujus *Pater*, per generationem Heb. I. 5. *Deus*, per æternam confœderationem Matth. XXVII. 46. *rupes ſalutis* fuit Pſal. XXII. 5. 20. 21. (e) *Prorogatio dierum vitæ* 2 Sam. VII. 12. impleta *literaliter* in Davide 1 Paral. XXIX. 27. 28. *myſtice* in Chriſto Jeſ. LIII. 10. cum Rom. VI. 9. (f) *Ædificatio domus* 2 Sam. VII. 11. 1 Paral. XVII. 10. impleta, *literaliter* in Davidis ſemine naturali, inhabitante domum ac thronum ſuum, uſque ad captivitatem Babilonicam, per annos circiter CCCCXXX. aſt *myſtice* in Chriſto Luc. I. 31. 32. 33. Act. II. 30. 37. Dan. II. 34. 35. 44. Hactenus *promiſſiones* Dei, quæ concernunt *ipſum* Davidem: ſuccedunt eæ 2. quæ ad ejus *ſemen* ſpectant, ſe ei α. fore in *Patrem* 2 Sam. VII. 12. 14. 1 Paral. XVII. 11. 13. quod impletum, *immediate* quidem & minus principaliter, in Salomone, aliiſque ejus deſcendentibus ordinariis 1 Paral. XXVI. 6. *mediate* vero & principaliter in Chriſto Heb. I. 5. Luc. I. 30—34. β. Davidis ſemen ſibi ædificaturum domum 2 Sam. VII. 1--cum 1 Paral. XXVIII. 2. 3. 6. & XVII. 12. quod præſtitum, *literaliter* quidem à Salomone 1 Reg. V. VI. VII. VIII. *myſtice* à Chriſto Heb. III. 2--6. γ. ſe ſemini Davidis *regnum* ſtabiliturum in æternum 1 Paral. XVII. 11—14. 2 Sam. VII. 12—17. 1 Paral. XXVIII. 7. Pſal. LXXXIX. 3. 4. 29. 36. 37. & CXXXII. 12. quod, *immediate* quidem & literaliter, præſtitum eſt, in deſcendentibus Davidis, uſque ad captivitatem, per XXII. continuos Reges Judah, & poſt captivitatem, in *gubernatoribus*, quales Zerubabel, de quo ſuo loco: *mediate* & myſtice in Chriſto Rom. I. 3. Luc. I. 31. 32. 33. δ. ſe nunquam *penitus* ab eo retracturum ſuam benevolentiam fœderalem, quantumvis ejus peccatis laceſſitam 2 Sam. VII. 14. 15. Pſal. LXXXIX. 30—38. Conf. Jer. XXX. 10. 11. Jeſ. XXVII. 7. 8. 9. quod impletum, *literaliter* in nepotibus Davidis, paterne quidem ob peccata caſtigatis; ſed nunquam plane rejectis, v. g. in Salomonis idolatria 1 Reg. XI— in Rehabeami truculentia 2 Paral. X— &c. *myſtice* autem, in Davidis ſemine extraordinario, Chriſto, in quo peccata quidem ſeminis Davidici, Deus caſtigavit acerrimè Jeſ. LIII. 4. 5. 6. 1 Pet. II. 24. ſed quem tamen nunquam *penitus* deſeruit Pſal. XVI. 10. 11. cum Act. II. 25—37. Et hæ ſunt promiſſiones fœderis, Davidis ſemini factæ: ſequuntur 3. quæ ſubdi-*Iſraelem* reſpiciunt, cui Deus pollicetur: A. ſe habitaculum ſuum habiturum in Zion, *in æternum* Pſal. CXXXII. 11. 12. 13. 14. h. e. ad *longum* tempus, (Conf. 1 Sam. I. 22. Exod. XXI. 6. Levit. XXV. 13. 28. 40. 41.) uſque ad finem hujus curriculi, aut etiam totius periodi veteris teſtamenti; ſi nim. *perſtiterint* in ſtatutis ſuis, aliàs non 2 Paral. VII. 16. 19—12. quin & abſolute in *Sione myſtica* Pſal. CXXXII. 11. cum Luc. I. 69. B. ſe præſtiturum ipſis tranquillam ac ſecuram habitationem in terra *Canaan* 2 Sam. VII. 10. 11. 1 Paral. XVII. 9. 10. eadem ſcil. lege, quam diximus jamjam. C. ſe in eos cumulaturum quasvis benedictiones: α. *corporales* Pſal. CXXXII. 11—15. β. *ſpirituales*. Ibid. verſ. 16. 2 Paral. VI. 41. Hactenus promiſſiones Dei, Davidi & ſuis factæ: ſuccedunt γ. *officia* ab ipſis ſtipulata Pſal. CXXXII. 11. 12. & LXXXIX. 30—34. Scil. (1) ſervare *fœdus* ſuum: *ſi filii tui ſervaverint fœdus meum*. h. e. ſi conditiones fœderis *gratiæ* præſtiterint, ſi *me* habuerint

ß. promiſſiones divinæ, factæ ipſi Davidi,

ejus ſeminis, ejus ſeminis Iſraëlis,

pro Deo suo Psal. LXXXIX. 26. 27. 2 Sam. VII. 24. 1 Paral. XVII. 13. & XXVIII. 6. 7. 8. 9. si *rupem salutis* viva fide apprehenderint 2 Sam. XXII. 2. cum Deut. XXXII. 15. 31. & Matth. XVI. 18. si constanter & *sincere* obedierint legi meæ 1 Paral. XXVIII. 7. 8. 9. Psal. CXXXII. 11. 12. & LXXXIX. 30. 31. si à peccatis, seriâ *resipiscentia*, se ad me reclinaverint 1 Reg. VIII. 33—54. & IX. 2. 2 Paral. VI. 26—40. & VII. 12. 13. 14. (2) jus & *justitiam* præstare subditis, in gubernando 2 Sam. XXIII. 3.

4. Forma confœderationis.

XXX. (4) *Forma* confœderationis, partim *interna* & essentialis, quæ, pro natura fœderum, in *consensu reciproco* in promissa & stipulata consistit, de qua jam dudum in præcedentibus actum: partim *externa* & huic dispensationi peculiaris. Quæ fuit 1. in manifestatione, non *immediata*; sed *mediata*, per Nathanem Prophetam, qui eam accepit per visionem quandam, occasione propositi Davidis, de ædificanda Deo domo quadam 2 Sam. VII. 1--18. 1 Paral. XVII. 1--16. Psal. LXXXIX. 19.--tum 2. in confirmatione ejusdem, per α. *promissiones* Dei ratificatorias Psal. LXXXIX. 28. 29. 33. 34. 35. per β. solenne *jusjurandum* Ibid. vs. 3. 35. & CXXXII. 11. Conf. Heb. VI. 16. 17. 18. per γ. *repetitiones* varias explicatorias, passim per Scripturas factas, sub utroque testamento 1 Reg. V. 5. & VIII. 15--27. 1 Paral. XXVIII. 2--11. Jer. XXXIII. 19.--Ezech. XXXIV. 23. 24. & XXXVII. 24. 25. Luc. I. 30--33. Act. II. 29. 30. 31. per δ. *complementum*, diversis gradibus procuratum: partim in diebus ipsius *Davidis*; partim in diebus *Salomonis* filii, aliorumque ejus nepotum; partim tandem in ipso *Messia*, filio & semini Davidis mystico ac primario.

Incrementum & prærogativæ hujus curriculi.

XXXI. Ex dictis etiam agnosci potest, qualecunque hujus dispensationis *incrementum*. Quamvis, & fœdus gratiæ, & essentialis ejus dispensatio Mosaica seu typica, uniformis perstiterit usque ad finem suæ periodi; habuit tamen qualemcunque prærogativam, quoad dispensationis modum: quatenus v. g. 1. dispensationis locus solennis, qui antea erat *mobilis* & ambulatorius, nim. tabernaculum, jam *fixus* exstitit & immobilis, in magnifico templo. 2. Sacerdotes, Levitæ, cantores, universumque ministerium leviticum, in statos fixosque ordines, à Davide & Salomone redactum fuit. 3. promissiones hujus confœderationis, utpote Regi & regio semini factæ, magis *regia* sunt, & filium Davidis Messiam, ut *Regem* expressius concernunt. 4. forma etiam regiminis politici, ab aristocraticâ, in monarchicam conversa, plus *majestatis* ac splendoris gessit, quam sub Judicibus.

Series XXII. Regum Judah,

XXXII. Egit sub hac dispensatione Ecclesia, usque ad captivitatem Babilonicam, per annos (si connumeres duos annos Saulis, & annos Davidis ordinaris à tertio anno Saulis, quo hic rejectus, usque ille prima vice unctus fuit 1 Sam. XIII. 1. & XVI. 12.) circiter CCCCLXXXII. sub Regibus (si Salem excludas) XXII. In his *primus* fuit David, à דוד *dilectus*, filius Jesse seu Isai, è tribu Judah 1 Paral. 1. 34. decimus quartus ab Abrahamo Matth. 1. 1—18. natus Bethlehemi, quæ ab eo *civitas* David appellatur Luc. II. 4. Joh. VII. 42. rubicundus facie, pulcher & gratus staturâ 1 Sam. XIX. 12. musicæ peritus, heros bellicosus, prudens, cum quo Dominus erat. *Ibid.* vers. 18. Erat, quantum ad spiritualia, fide, spe, charitate versus Deum & Ecclesiam, zelo, precibus, laudibus &c. tam egregius, ut *vir secundum cor Dei* insigniatur 1 Sam. XIII. 14. Act. XIII. 22. Officio tenus, Propheta & Rex, unctus primâ vice à Samuele, ineunte anno circiter tertio Saulis 1 Sam. XIII. 1. & XVI. 14. tum, post varios casus, secundâ vice, in Hebron, super solam tribum *Judah*, anno ætatis trigesimo 2 Sam. V. 4. & post VII. annos, super totum *Israelem*, ut regnaverit super Judah, per annos VII. & VI. menses: super universum Israelem, per annos XXXII. & VI. menses, adeoque per XL. annos 2 Sam. V. 4. 5. quibus *bella Domini* strenue gessit, omnesque suos hostes subegit: tum propositum concepit templum Domino ædificandi, cujus occasione, Deus per Nathanem Prophetam, cum eo fœdus illud gratiæ renovavit, quod jam explicuimus. In plerisque horum typum gessit Messiæ. Interim etiam suos habuit nævos, quos prodidit potissimum in negotio Uriæ, & numerati populi 1 Reg. XV. 5. 2 Sam. XXIV — ob quos egregie etiam castigatus fuit à Deo, imprimis in liberis, in Thamare stuprata ab Amnone fratre, in Amnone occiso à fratre Absolomo, in Absolomo sibi ipsi rebelli, in Sebâ seditioso, in peste triduana. Floruerunt sub eo psalmodistæ, Hemanes duo, Asaph, Ethan, Jeduthun 1 Paral. XV—*Secundus* fuit Salomo, ab ipso Davide, anno regni XL. sibi substitutus, sublato Adonia æmulo, punitis, ex præscripto Patris, scelerosis, impetrat à Deo sapientiam & opulentiam, supra omnes, tam præcessores 1 Reg. II — quam successores suos. Anno quarto regni sui 1 Reg. VI. 1. juvante Hieramo Tyri Rege 1 Reg. V. 3. aggreditur structuram templi, absolvitque anno regni XI. Componit mille & quinque cantica, aliaque innumera de naturalibus differit, & imprimis Θεοσόφους Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum conscribit. Regnavit per annos XL. 1 Reg. XI. 42. Seductus ab ethnicis uxoribus in idololatriam, resipuisse creditur, ex eo quod librorum Canonicorum auctor fuerit, qui *sancti Dei homines* dicuntur 2 Pet. I. 21. atque etiam quod *Ecclesiasten*, in resipiscentiæ monumentum, sub extremâ sua senectute, exaraverit. *Tertius* Rehabeam, Salomo-

1. Davidis.

2. Salomo.

3. Rehabeam.

Salomonis filius ex uxore Ammonitide. Sua ſuperbia & levitate, ſchiſmati inſanabili anſam præſtitit, quo, in fide perſiſtentibus duabus tantum integris tribubus, Judâ & Benjamine, cum Levitis iſtarum tribuum, reliquæ tribus decem ad Jerobeamum, ſic dirigente Deo, defecerunt, ut hinc ex uno, duo Regna emerſerint, *Judæ* & *Iſraelis*. Retrahendis tamen in obſequium rebellibus Iſraelitis, ſe accingens, monitus à Deo abſtinet 1 Reg. XII. 21. Religionis avitæ negligens, idololatriæ & impudicitiæ indulget, & ob hoc à Seſaco Ægyptio (alii Seſoſtrem appellant) oppugnatus, vaſis aureis templi, pariter & regiæ, exuitur Reg. XIV. 25. 26. Horum regnorum illud impoſterum, ſub XX. Regibus nonnullis piis, pleriſque impiis, a Davide oriundis, utcunque floruit, per annos circiter CCCLXX: hoc vero ſub Regibus ſchiſmaticis & idololatricis XIX. ſed impiis omnibus, viguit per annos circiter CCLVII. Reges *Iudah*, memoriæ cauſa, his qualibuſcunque comprehendemus verſiculis:

Roboam & Abiam, tumque Aſſa, Ioſaphat, Ioram,
Achaſias, Athaliah, Ioas, Amazia, Azariah,
Iotham, Achas, Ezechias, Manaſſe & filius Ammon,
Ioſias, Ioachas, Iojakim, Iojachin, Zedekia.

Reges autem *Iſraelis* ſic habent:

Ierobeam, Nadab, Baeſa, Ellaque, Zamri,
Omri, Achabus, Achaſia, Ioramus, Iehu,
Iochas, Ioas, tum Jeroboam, Zacharias,
Sallum, Menahem, Pekajah, Pekaus, Hoſea.

Iſtos aptè ſibi invicem coördinare, hoc opus, hic labor eſt; accuratiſſime id negotium egiſſe videtur Juſt. Henric. Jungman, in ſuo *Propheta Daniele reſerato* lib. 1. ſect. 2. cap. 1. a pag. 98. ad 144. Conf. Doct. Ligthoof in *Harmonia Veteris Teſt.* nos ſeriem Regum Judah proſequemur, ſuccenturiatis, quantum fieri convenit, Regibus Iſraelis. Regnavit ergo Rehabeam per annos XVII. 1 Reg. XIV. 21. & Jerobeam per annos XXII.

4. Abiam, *Quartus* Abiam, filius Rehabeami, impius, regnavit per III. annos incompletos 1 Reg. XV. 1. 3. Eductis adverſus Jerobeamum in aciem 40000. copias Jerobeami, duplo majores fundit uno die 500000. hoſtes, perimit 2 Paral. XIII. 13 — 21.

5. Aſſa, *Quintus* Aſſa, filius Abiam, pietate & juſtitia celebris, reformator ſtrenuus, confringendo idola, & renovando verum Dei cultum. Confecit millena millia Æthiopum 2 Paral. XIV. 9. — interim nimium tribuens medicis, & auxiliis Benhadadi Syri adverſus Iſraelitas, indignationem divinam incurrit 2 Paral. XVI. regnavit annos XLI. 1 Reg. XV. 9. — Ejus anno ſecundo regnavit Nadab, filius Jerobeami ſuper Iſraelem, ſive pro, ſive cum Patre Jerobeamo, per duos annos 1 Reg. XV. 25. — impius, & trucidatus cum totâ familia a Baeſa, ejus ſucceſſore per annos XXIV. Baeſam in Iſraele excepit Ela, per annos duos, hunc Zimri per dies VII. cui populus ſubſtituit Omri, qui, connumeratis annis Ela & diebus Zimri; regnavit per annos XII. incompletos. *Sextus* Joſaphat, filius Aſſa, piiſſimus & optimus, mittit Prophetas ac levitas, qui populum doceant 2 Par. XVII. — ejus filius gener eſt Achabi, regnat per annos XXV. 1 Reg. XXII. 16. Ingentibus Ammonitarum, Moabitarum, Edomitarum copiis exagitatus, ſolis precibus vicit, hoſtibus ſe invicem crudeliſſime dilaniantibus & conficientibus 2 Par. XX. 1. — Cum eo in Iſraele regnat Achabus, filii ſocer, cum Iſabele uxore, Regis Zidon filia 1 Reg. XVI. impiiſſimus, & ſuperſtitioſiſſimus idololatra, qui Jerobeami vituliſmo adjecit Baaliſmum, templo in honorem Beli ſtructo, eique addictis Sacerdotibus & aris. *Septimus* Joram, Rex impius, occidit fratres ſuos, & quoſdam inſuper optimates ſuos, 2 Paral. XXI. — regnat per annos VIII. 2 Reg. VIII. 17. & Baaliſmum traducit in regnum Judah 2 Paral. XXI. 6. 12. 13. Ab eo defecerunt Edomitæ, & Libnenſes, atque inſuper Arabes Philiſtæis conſociati, ejus regnum & regiam diripuerunt, uxoreſque & omnes ejus liberos, unico vix elapſo, trucidarunt: ipſeque Rex, epiſtola Eliæ Prophetæ monitus, miſere periit, inteſtina per ventrem, biennali dolore effundens. Cum eo in Iſraele Joram Achabi filius, (intercedente per biennium Ahaſia fratre, a quo Moabitæ defecerunt 2 Reg. I. 1. — qui e ſolario prolapſus, pro recuperanda valetudine, non Deum; ſed idola conſuluit, etiam Eliam igne cœleſti in milites ejus armatum, conſtringi voluit, ac propterea e lapſu obiit) cum Joſaphato & Idumæorum Rege, Miſam Regem Moabitarum, profligavit: Syrorum inſidias, monitore Eliſæo, non ſemel evaſit, a Benhadadi obſidione Samariæ, miraculoſe liberatus fuit: ſed ab Haſaele Benhadadi ſucceſſore, fugatus, vulneratus, & a ſuo ſucceſſore Jehu cum XLII. fratribus ſeu cognatis, occiſus eſt. Rebus præfuit per annos XII. *Octavus* Achaſia 2 Paral. XXII. 1. 8. (caute diſtinguendus ab Ahaſia Iſraelis Rege, de quo 1 Reg. XXII. 52.) filius Jorami, qui cum Matre Athalia vidua, regiam Davidis ſtirpem exſtinguere conatur 2 Reg. XI. 1. regnat annos VI. *Ibid.* verſ. 3. Ejus anno circiter tertio, incipit in tre, Iſraele regnare Jehu, exſtirpata penitus familia impii Achabi, & Jeſabele cum idololatria Baalitica: vir ſtrenuus & induſtrius, ſed animo parum ſincero verſus Deum, ab ipſo Deo regno admotus, clavum tenuit per annos XXVIII. 2 Reg. X. 36. *Decimus* Joas, Ahaſiæ filius, Jorami nepos, natu minimus, ſubductus furori Athaliæ, induſtria Jojadæ Pontificis 2 Reg. XI. 4. putatur vulgo primus fuiſſe ex ſtirpe Nathanis, quod ſtirpem

6. Ioſaphat.

7. Ioram.

8. Achaſias.

9. Athalia Mater.

10. Ioas.

Salomonis exstinxerit Athalia: sed perperàm, cum expresè filius Ahasiæ, & nepos Jorami dicatur 2 Paral. XXII. 11. 12. & 1 Paral. III. 11. Se utique pium & religiosum gessit, quam diu Jojada Pontifex vixit, postea defecit à vero cultu 2 Par. XXIV. 17. Regnavit annos XL. 2 Reg. XII. 2. Zachariam Prophetam lapidibus obrui jussit, & pacem ab Hasaële Syro, ingente summa, e templo depromta, redemit, a conjuratis trucidatus, sepulchro regio caruit. σύγχρονος ei fuit Jehu quem diximus, ejusque filius Joachas, per XVII. annos:

11. Amaziah, infeliciſſimus, à Syris miserrime afflictus. *Decimus* Amaziah, pius aliquo modo, vindicans cædem parentis, occidit myriadem Idumæorum adoptatis eorum Diis, vincitur & subigitur à Joâ Israëlis Rege, qui cum Patre annum unum, solus annos XV. præfuit, Benhadadum filium Hasaëlis vicit, & Amaziam Regem Judæ cepit, mœnia Jerosolymorum diruit, regiamque & thesaurum sacrum diripuit, Moabitarum impetum in se feliciter declinavit, & cadaver in sepulchrum Elisæi conjectum, susciatum expertus est. Regnat annos XXIX. 2 Reg. XIV. 2. ei contemporaneus, per annos saltem tredecim, fuit Joas Rex Israëlis, & Jeroboamus secundus, per annos suos priores

12. Uziah. XVI. *Duodecimus* Uziah seu Azariah, pius, strenuus & industrius, vincendo Philistæos, Arabes, Gurbaalitanos, Mennæos; magnam auctoritatem sibi conciliat apud gentes vicinas: sed sacerdotalia invadens, leprâ percussus, & templo motus est. Regnavit annos LII. 2 Reg. XV. 2. Contemporaneum, per annos suos posteriores XXVI. habuit Jeroboamum secundum, Israëlis Regem, Zachariam ejus filium & Sallum per mensem unum, Menahem per annos decem, & Pekaja per annos

13. Jotham, duos 1 Reg. XV. 22. *Decimus tertius* Jotham, pius, felix, Ammonitas sibi tributarios fecit. Sub eo regnavit in Israële, Pekah tribunus, qui occiso Pekaja Domino suo, regnum Israëlis habuit, per

14. Achas, annos XX. 2 Reg. XV. 25. *Decimus-quartus* Achas impius, nihilominus prophetia de Immanuele virginis filio Jes. VII. 14. à Deo erectus fuit anno ante Christum DCCXLIX. Ejus tempore in Israële regnavit Pekah, sub quo Tiglathpilassar, Assyriorum Rex, subacta Galaaditica regione, & quicquid trans Jordanem colitur, vicinaque Galilæa, & tribu Naphtali domita, colonos abstractos in suum regnum traduxit. Nam Pekah ausus erat, societati Rezini Syrorum Regis innixus, incursiones in Judæam facere, & ipsam Jerosolymam obsidere, quin & commissa pugna 120000. Judæorum trucidaverat, & nisi prohibuisset Prophetа Obed 200000. secum in captivitatem abduxisset, ideoque Rex Judæorum Ahas contra Syros & Israelitas Assyriorum Regem evocavit, qui Rezinum, expugnata Damasco, peremit: & Hoseas, per annos XX. à Jothamo 2 Reg. XV. 29. Sub cujus anno IX. obsidione cincta, & anno XII. à Salmanassare Assyriorum Rege expugnata est Samaria, decemque tribus in perpetuam captivitatem abductæ, & in Halah, id est Calchemen Assyriæ, & in Habor, montem non longe inde distantem, & ad fluvium Gosan, qui Mediæ est, item in urbes Medorum, seu Hara (Media enim Hara aliàs dicitur) dispersæ sunt 2 Reg. XVII. 6. & XVIII. 11. Hic subsistiterunt, usque ad solutam captivitatem Babilonicam, sub quâ, multi eorum cum Judæis reversi sunt, reliqui in διασπορᾷ permanentes, partim communionem sacrorum cum Judæis coluerunt, ut patet ex Act. II. 5. Jacob. 1. 1. 1 Pet. 1. 1. partim in paganismum degenerarunt, gentibusque permixti fuerunt, quorum memoria pênitus fuit exstincta, vi horrendæ comminationis, quæ exstat Deut. XXIX. 20. Conferantur de his X. tribubus, Manasse Ben Israel in sua *Spe Israelis*, item Benjamin Tudelensis in *Itinerario*, & imprimis Cl. collega Witzius aliique.

15. Hiskias. *Decimus-quintus* Hiskias, Achasi non tam filius quam, vel privignus, vel frater, vel adoptativus filius, cum eo per biennium, solus per XXVII. annos regnavit. Fuit pietate nemini Regum Judah secundus 2 Reg. XVIII. 5. templum ejusque sacra restauravit, serpentem æneum, a Mose erectum, propter ejus abusum idololatricum, sustulit e medio. Ab obsidione Jerosolymorum per Senacheribum, cæsis ab Angelo 185000. liberatus, in lethalem morbum incidit, à quo miraculose sanatus, apud gratulantes Babiloniorum legatos, in ostentationem inanem prolapsus, eoque nomine, à Jesaia acerrime reprehensus est. Regnavit per annos XXIX. 2 Reg. XVIII. 2. vicit Philistæos, eosque ad Gazam fugavit. *Decimus-*

16. Manasse, *sextus* Manasse, impius, idololatra, augurum & fatidicorum patronus, Prophetarum parricida horrendus: tandem ab Assyriis captus, & Babilonem abductus, pœnitentiam egit, fuoque regno restitutus fuit 2 Paral. XXXIII. 11. verumque Dei cultum, abolitis idolis & altaribus idololatricis, strenue restauravit. *Ibid.* vers. 15. regnavit per annos LV. 2 Reg. XXI. 1. *Decimus-septimus* Amon,

17. Amon, impius, regnat per annos tantum duos 2 Reg. XXI. 19. à suis familiaribus oppressus. *Decimus-*

18. Josias, *octavus* Josias, piissimus & religiosissimus, templum repurgat, inventum librum legis divulgat, & Pascha celebrat magnificentissime. Pharaoni Necho bellum temere & infeliciter infert 2 Reg. XXIII. 29. Regnavit per annos XXXI. 2 Reg. XXII. *Decimus-nonus* Joachas, pro quo Jeremias Sallum

19. Joachas, nominat Jer. XXII. 11. quem Pharao Necho Ægypti Rex, captivum abduxit, & Judæis tributum imperavit 2 Reg. XXXIII. 31. 2 Paral. XXXVI. 1. — sub quo Urias Propheta occisus est Jer. XXVI. 23. regnavit per menses tantum tres, qui anno Josiæ postremo connumerantur. *Vigesimus* Jojakim, impius

20. Jojakim, &

& perfidus, rebellat Regi Babilonico Nabopolaſſari, qui anno decimo ſeptimo filium Nabuchodonoſorem mittit, ad ſubjugandos rebelles Tyrios & Palæſtinos, qui Jechoniam rebellem captum, cum primoribus Judæorum, mittit in Chaldæam Ezech. 1. 2. Ab hac deportatione, numerandi veniunt LXX. captivitatis Babilonicæ anni Jer. XXIX. 10. Juſt. Henr. Jungman. in ſuo *Daniele reſerato* lib. 2. ſect. 1. cap. 6. hos annos præcisè numerat ab anno tertio Jojakimi. Regnavit interim Jojakim per annos XI. 2 Reg. XLV. 1. *Vigeſimus primus* Jojachin, alias Chonia ſeu Jechonia: mox enim poſtquam regnum ei indulſiſſet Rex Babilonius, pœnitentia ductus, quod vereretur, eum memorem injuriarum, Patri ſuo illatarum, populum ad defectionem pellecturum, reverſus eſt, Regem conſtitutum cum Matre ſuâ cepit, cumque eo vaſa & theſauros omnes templi, ac præterea 1800. è primoribus captivos duxit. Ipſe interim Jechonias, poſt XXXVII. captivitatis, ab Evilmerodacho Monarcha Babilonio excarceratus, interque præcipuos Regis amicos numeratus, omnibuſque prælatus eſt 2 Reg. XXV. 27. — Jer. LII. 31. — Agmen ergo claudit, qui menſe tertio abducitur Babilonem. *Vigeſimus ſecundus* Zedekias Jechoniæ Patruus, è Salomonis ſtirpe cum poteſtate ultimus, impius & perjurus in Nabuchodonoſorem, anno regni undecimo obſidetur Jeroſolymis, capta & exciſa urbe capitur, excæcatur, & catenis vinctus, cum optimatibus & præcipua plebe, in Chaldæam deducitur, anno XIX. Nebucadnezaris 2 Reg. XXIV. 11. Jer. LII. 4. 12. relicto Gedaliah, qui ſuperſtiti imæ plebi præeſſet. Qui tamen ab Iſmaele, Regis Ammonitarum emiſſario, ex inſidiis, cum nonnullis ſuorum, ſceleratiſſimè trucidatus eſt: ideoque reliqui alicujus nominis Judæi, in Ægyptum abierunt, cumque id deſuaderet Jeremias Propheta, illum eo ſecum vi traxerunt. Tenendum ergo, quod triplex ſaltem, ſi non quadruplex, facta legatur captivitas Babilonica: 1a. anno III. Jojakimi 2 Reg. XXIV. 1. 2. 3. Dan. 1. 1. 2. 3. anno Nebucadnezaris primo: 2da. anno ejuſdem ſeptimo Jer. LII. 28. & exordio octavi 2 Reg. XXIV. 12. qua myriadem Judæorum abduxit *Ibid.* verſ. 12. 13. 14. hinc 3ia. facta videtur anno ejus XVIII. quando in Babiloniam abduxiſſe videtur Judæos 832. Ezech. XXXIII. 21. denique 4. anno ejus XXIII. per Nebuſaradan Jerem. LII. 30.

21. Jojachin,

22. Zedekiah.

Status Theologiæ ſub ſecunda epocha Moſaica.

XXXIII. Succedit ſtatus Theologiæ, ſub hac epocha. Quantum ad Theologiam *teſtamentariam*: ejus incrementa qualiacunque, tetigimus dudum §. XXX. Quantum ad *Syſtematicam*, eadem illa prorſus eſt cum Moſaica, quam penes epocham præcedentem delineavimus. Quod enim ſub priore epocha, Moſes inculcaverat Deut. IV. 2. *Non addes ad verbum quod tibi præcipio, nec detrahes ab eo* — & cap. XII. 32. quod apud Joſuam Deus renovaverat Joſ. 1. 7. 8. ipſeque Joſua tanto zelo Iſraeli commendaverat ſub priore epocha Joſ. XXIII. 6. id ſub hac epocha proſequuntur David Pſal. 1. 2. & XIX. 8 — 13. & CXIIX. — & CIII. 7. & CXLVII. 19. 20. & paſſim alibi; item Salomo Prov. III. 1. & IV. 2. & VII. 2. & XXVIII. 7. 9. & XXIX. 18. & Jeſaias cap. VIII. 16. 20. & Jeremias cap. XXVI. 4. & Ezechiel cap. XLIII. 11. Daniel cap. IX. 13. cap. IV. 6. Amos cap. II. 4. Zephaniah cap. III. 4. Haggai cap. II. 12. Zacharias cap. VII. 12. & imprimis Malachias, Canonem Sacrum obſignans, cap. IV. 4. Interim Theologia iſta Moſis, egregie explicata, illuſtrata & amplificata obſervatur, cum ſcriptis θεοπνεύστοις ſub hac epocha, tum viva Prophetarum voce, uſque adeo, ut ejus capita articulatim repræſentare, non aliud foret, quam multo maximam omnium Prophetarum partem huc referre. Scriptis inquam Prophetarum, quæ omnia poſt Pentateuchum, Joſuam, librum Judicum, Ruth, partem priorem libri prioris Samuelis, ſub hac epocha conſcripta ſunt, ſic ut (1) pars poſterior libri prioris Samuelis, conſcripta videatur ab obitu Samuelis intra annum M. 2889. uſque ad annum 2929. ſeu ab aliquo e Pontificibus θεοπνεύστῳ, ſeu à pluribus amanuenſibus. Deſcribunt res Davidis. Eodem modo ſtatuendum videtur de duobus libris Regum, qui res Judæ & Iſraelis repræſentant, ſub regno Iſraelis, unito pariter & diviſo: nominatim res Salomonis & quatuor ſequentium Regum, & octo Regum Iſrael, quoad librum priorem per annos circiter 125. dum ſecundus habet res ſedecim Regum Judah, & duodecim Iſraelis, per annos 306. ut & libri duo Paralipomenon, qui res Iſraelis ſcribunt, ab initio mundi, uſque ad captivitatem Babilonicam, qui putantur ſcripti ab Eſdra, aut à Pontifice quovis. Horum interim *prior* habet Chronicon Pentateuchi, Joſuæ, Judicum & utriuſque Samuelis; *poſterior* habet hiſtoriam annorum circiter 492. à Salomone uſque ad reditum à captivitate Babilonica, h. e. ab Ao. M. 2929. ad 3421. (2) libri Jobi ortum & contentum diximus penes epocham præcedentem (3) liber Pſalmorum ſcriptus videtur à diverſis auctoribus, & diverſis etiam temporibus, collectus videtur ab Ezdra, ſi excipias volumen ejus poſtremum, quod tempore Maccabæorum concinnatum videtur. Repræſentat potiſſimum doctrinalia, prophetica & moralia Eccleſiæ. (4) Salomonis Proverbia conſcripta videntur, partim ab ipſo Salomone, uſque ad caput decimum, partim à viris piis θεοπνεύστοις ἀνδράσι, uſque ad cap. XXV. partim à viris Hiskiæ, à cap. XXV. ad XXXI. partim ab Agur quoad capp. XXX. & XXXI. Eccleſiaſtes, deſcribens & repræſentans pœnitentiam Salomonis ab idololatria, rerumque

Ordo conſcriptorum librorum Canonicorum Veteris Teſt.

omnium terrestrium vanitatem, & ejus Canticum Canticorum, sub figurâ nuptiarum Salomonis cum Pharaonis Ægyptii Regis filia, nuptias spirituales Ecclesiæ & animæ cujusvis fidelis cum Christo, scripta circiter anno 2968. Liber (5) Esdræ, ab ipso scriptus, continuat historiam Paralipomenon, ab edicto Cyri de solvenda captivitate Babilonica, usque ad annum IX. Artaxerxis Mnemonis, complectitur res gestas annorum 144. Huic (6) constituitur liber Nehemiæ, velut prioris altera pars, ab ipso, ut videtur, scriptus, qui habet historiam annorum circiter 56. ab anno 19. Artaxerxis Mnemonis, quo Nehemias Jerosolymam venit, usque ad VI. Darii Codomani. (7) liber Esther, conscriptus, vel ab Esdra, vel a Nehemia, vel à Mardochæo, vel, ut Maimonides vult, à Synagoga Magna. Habet durissimum Ecclesiæ Judaicæ discrimen, & ab eo felicissimam liberationem, sub captivitate Babilonica, auspiciis Reginæ Esther. Scriptus putatur circa annum M. circiter 3572. Inter Prophetas, ordine temporis, primus fuisse videtur Jonas, vaticinatus sub Joacho, tempore Sardanapali anno M. circiter 3124. narrat res proprias, suam contumaciam versus missionem divinam ad Ninivitas, ejus vindictam, pœnitentiam & liberationem. (8) Tum Hoseas & Joël, anno M. 3130. & 3140. occupati reprehensione idololatriæ & flagitiorum populi, cum prædictione justæ Dei vindictæ. Secutus videtur (9) Amos, anno M. 3150. itidem occupatus reprehensione idololatriæ & flagitiorum populi Israëlitici. Successit (10) Jesaias anno M. 3180. Michæus anno M. 3188. Habakuk anno M. 3220. Nahum 3238. Zephaniah anno 3316. Omnes occupati, cum repræsentatione mysteriorum euangelicorum; tum reprehensione perversorum morum, Judah pariter & Israëlis. Hinc (11) Jeremias, partim in Prophetia, quâ præter mysteria fœderis gratiæ, notat corruptissimos Ecclesiæ mores, eorumque justam Dei vindictam in captivitate Babilonica anno M. circiter 3320. partim in Threnis anno M. præter propter 3340. quibus deplorat miserabilem Judæorum statum, inde à morte Josiæ Regis Judah. (12) Ezechiel sub captivitate Babilonica, Judæorum flagitia acerrimè reprehendit, admixtis interim promissionibus fœderis gratiæ, scripsisse putatur circa Annum M. 3354. (13) Daniel itidem in captivitate eadem, occupatus potissimum explicandis regiis insomniis, vaticiniisque de fatis Ecclesiæ futuris, scripsisse putatur anno M. 3356. (14) Obadias aliis videtur contemporaneus fuisse Amoso Prophetæ, ac vixisse sub Uzia & Jeroboamo secundo: alii probabilius eum constituunt Jeremiæ, quod uterque vaticinetur adversus Idumæos, & eisdem fere verbis. Sic Junius & Calvinus. (15) Haggæus vixit & scripsit post solutam captivitatem Babilonicam, anno secundo, mense sexto Darii Histaspis, juxta alios rectius Nothi. Judæis ἐγερτήριος est ad structuram templi anno M. circiter 3528. (16) Zacharias, ejusdem argumenti ferè cum Haggæo, & scripsisse etiam putatur, eodem tempore (17) Malachias, agmen claudens Canonis biblici, scripsisse videtur post jam instauratum templum, cum instaurationis nulla apud eum mentio occurrat. Taxat populi sacrilegia circa cultum divinum. Scripsisse videtur circa annum M. circiter 3537. Qui interim distinctiorem desideret tmematum biblicorum compaginationem; consulat Cl. Lightfooti *Harm. Veteris Test.* His scriptis, Theologia Mosaica superioris epochæ, recurrit explicata & amplificata. His nequaquam connumeramus eos, quos *Apocryphos* designant, quia ex professo docuimus; & multa etiam fabulosa, falsa, magica complectuntur, prout spisso volumine demonstravit Doct. Joh. Rainoldus in sua *Censura libb. Apocryphorum*, & per compendium Metaphrastæ Belgæ, in *præfatione* libris istis præmissa. Juvabit interim, & eorum historiam paucis tetigisse. Est in his *primus*, liber Tobiæ, quem à Salmanassare deportatum autumant, eoque cum Nahumo & Habakuko construunt, referuntque ad annum M. 3228. Scriptorem ignorant. Scribit duplicis Tobiæ, senioris & junioris vitam, fortunam & connubium posterioris, cum connexis. *Secundus* est liber Judith, cujus rem gestam referunt ad tempus Mardokempadi seu Merodachi, sic ut ille sit Nabuchodonosor, cujus mentio fit in hoc libro: alii ad Cambysis, aut Darii Histaspis, tempora referunt; alii Josiæ R. Judah temporibus constituunt. Hinc de tempore, ut & compilatore (quamvis hunc nonnulli velint fuisse Eliakimum Pontificem) nil certi possit dici. Habet facinus heroicum Judithæ, decapitantis Holophernem, cum connexis. *Tertius* est Oratio Manassis, ab eo recitata in sua captivitate 2 Paral. XXXIII. 12. connectitur cum anno M. 3260. *Quartus* est Epistola Jeremiæ ad deportandos Babilonem. Illam posuit Baruch, amanuensis Jeremiæ, in extremo libro suo. Refertur ad annum M. 3370. *Quintus* est liber Baruch, scriptus ab ipso, tempore captivitatis, pro epistola missus Babilone ad Judæos superstites in patria, qua peccata confitetur & deprecatur partim; partim suum officium Judæis inculcat. Connectetur cum anno 3340. *Sextus* habet additamenta ad Danielem, nim. 1. Orationem sociorum Danielis in fornace. 2. Historiam Susannæ. 3. Historiam de idolo Bel. Refertur ad annum M. 3590. *Octavus* est liber tertius Esdræ, qui narrat regni & templi Hierosolymitani everssionem & restaurationem. *Nonus* liber quartus Esdræ, qui varia habet, cum de Judæorum rejectione & gentium evocatione, tum visionem & somnium, item de Esdra, & variis Dei judiciis, in mundum ejusque partibus

Historia librorum Apocryphorum.

partibus exercendis. Putantur duo isti libri conscripti à Judæis, exeunte Monarchiâ Persica, circa annum M. præter propter 3590. *Decimus* liber Siracidis, ab ipso, ut videtur, exaratus, qui varia *moralia* complectitur. Vixit, ut ipse testatur in præfatione, tempore Ptolemæi Euergetis, circa annum 3720. *Undecimus* Maccabæorum tertius, ordine temporis primus, habet gesta sub Ao. quarto Antiochi Magni, qui est annus M. 3729. Scriptus putatur à Simone Pontifice, alii tamen existimant, eum, ut & duos sequentes, à Josepho, Sacerdote Hierosolymitano, qui à Vespasiano captus, cum Tito filio ejus, relictus sit Jerosolymæ, & postea Romam venerit. *Duodecimus* est secundus Maccabæorum, recitans res gestas, à fine Seleuci Philopatoris, ad tempora Antiochi Eupatoris, ut sit historia fere annorum 10. ab Ao. M. 3770. ad 3780. Auctor putatur Jason Cyrenæus. *Decimus-tertius* primus fuit Maccabæorum, habet res gestas, sub Antiocho Epiphane, Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Balâ, Demetrio Nicanore, Antiocho Entheo & Sidete, per annos 39. inde ab Ao. M. 3775. ad 3814. Credibile est, ejus auctorem fuisse Hircanum Simonis filium, qui rebus omnibus interfuit, Pontifex post Patrem. Tandem *decimus quartus* sapientia Salomonis, scriptus existimatur à Philone Judæo, qui claruit anno Christi 40. sub Caligula, Ao. M. 3989. Habet varia moralia. His ergo à Canone seclusis, vivâ voce Theologiam Mosaicam explicarunt & applicarunt Prophetæ: Nim. (1) Gad & Nathan, tempore Davidis circa annum M. 2900. circiter. Quibus tamen tribuuntur themata quædam biblica, v. g. pars posterior libri prioris Samuelis, integer secundus Samuelis, &c. (2) Ahias Silonita, Iddo, Semaia, qui floruerunt sub Rehabeam & Jeroboamo primo 2 Paral. IX. 29. 1 Reg. XII. 22. Ao. circiter M. 2970. (3) Propheta quidam anonymus, qui clamavit adversus altare Bethel, & expressit nomen eversoris ejus altaris, Josiam, annis 350. antequam eversio fieret 1 Reg. XIII. 32. (4) Azariah, Jehu, & Hanani, qui floruerunt tempore Asæ Regis Judah, & Baësæ, Regis Israël 2 Paral. XV. 1. & cap. XVI. 7. & XIX. 2. circa annum M. circiter 2990. (5) Elias, tempore Achabi 1 Reg. XVII. 1— circa annum M. circiter 3030. in cœlum assumtus, Ao. M. 3050. Ei tribuitur epistola ad Joramum, Josaphati filium, Achabi generum, cujus argumentum legitur 2 Paral. XXI. 12—16. sed dubitatur, an sit hujus Eliæ, an alius cujusvis. (6) Elisæus Eliæ contemporaneus, pertingit ad tempora Amaziæ Regis Judah 2 Reg. II. 1— (7) Micha, diversus ab eo cujus vaticinium exstat: is enim vixit post 100. annos Mich. I. 1. hic sub Achabo 1 Reg. XXII. 8. Ao. M. circiter 3040. (8) Jehaziel, qui Josaphato Regi victoriam prædicit contra Ammonitas 2 Paral. XX. 14. Ao. M. 3041. (9) Eliezer, vaticinatur adversus Josaphatum R. 2. Paral. XX. 37. circa Annum M. 3050. (10) Zacharias, alius ab eo cujus prophetia exstat. Hic enim vixit sub Uziâ 2 Paral. XXVI. 5. alter sub Monarchiâ Persicâ Zach. I. 1. Vixit ergo hic noster, circa annum M. circiter 3170. (11) Obed, vaticinatur in regno Israelis 2 Paral. XXVIII. 9. circa annum M. 3209. (12) Hulda Prophetissa 2 Paral. XXXIV. 22. circa annum M. 3319. (13) Uzias, occiditur à Jojakimo R. Judah Jer. XXVI. 20. Ao. M. circiter 3340.

Historia Prophetarum, qui non scripserunt.

XXXIV. Degeneravit sub hac epochâ, populus Israeliticus, ab Aristocratiâ, sub qua Deus agebat ejus Monarcham, & forma regiminis erat magis θεοκρατικὴ, in Monarchiam, qua homines Monarchæ quasi successerunt Deo: unde conqueritur: *non tam te deseruerunt, quam me, ne ca ipsis sim in Regem* 1 Sam. VIII. 7. 8. Rationes metamorphoseos erant, partim quod Samuelis filii ejus degeneres & perditissimi, Patri constructi essent, & substruendi olim vs. 1. 2. 3. partim quod populus propenderet in regimen gentium sibi circumjectarum vs. 5. petunt ergo sibi Regem dari à Samuele: annuit quidem Deus petito; sed prævia tamen monitione, de futuris suis fatis & calamitatibus sub hac regiminis formâ, quæ significata vult per משפט המלך vers. 9—19. Inde designavit eis primum Regem Saulum (quem diximus sub epochâ præcedente) in ira sua, brevi rejiciendum. Hinc etiam natæ sunt in Ecclesia, variæ ejus tum corruptionum, tum reformationum vicissitudines, scil. partim ab eorum *ratione status*, ut loquuntur, qui excluſit horrendum & æternum schisma, inter Regnum Judah & Israelis; partim à Regum conjugiis cum gentilibus idololatris, ut videre est in Salomone, Achabo aliisque. Mansit quidem *Theologia* uniformis, cum primis in regno Judah; sed tamen egregias passa est eclipseis in Theologis, non quidem de articulis fidei mutandis, disputatum est ex professo: attamen schismatibus, idololatriâ, & hinc insuper perditissimis moribus, adeo quassata fuerunt Ecclesiæ fundamenta, ut tandem corruerit *penitus*. Hæc nobis hoc paragrapho dicenda veniunt paulo explicatius. Primum ergo schisma idololatricum accidit Ao. M. circiter 2969. in Vitulismo Jeroboami, post excessum Salomonis, sub ejus filio Rehabeamo, qui cum in comitiis, populo res novas molienti; consilio seniorum repudiato, consultoribus adolescentulis usus, durius respondisset, à decem tribubus rejectus, ejusque loco Jeroboamus Ephraimita in Regem allectus fuit. Hic igitur veritus, ne populus Religionis causa, Hierosolymam frequens aditurus, à se alienaretur, duo vitulinâ specie simulacra, alterum Bethele; alterum apud Danam, ex auro erexit, atque Sacerdotes

Status Ecclesiæ, sub secunda epocha Mosaica.

Vitulismus Jeroboami.

dotes ſuo arbitrio conſtituit, feſtumquam ſcenopegias in ſequentem menſem rejecit. Et licet à Propheta diſceret, fore, ut Rex aliquis pius, nomine Joſias, cultum hunc idololatricum aboleret (prout factum etiam, poſt annos 356.) non tamen, vel illis comminationibus, vel brachii ſui extenſi emortui & ſiderati miraculo, ab impietate eſt avocatus. Hiſtoriam erectorum vitulorum, habes 1 Reg. XII. 27—32. & conſilii rationes 2 Paral. XII. 12. 13. 14. Vitulos præciſe Jeroboamum ſelegiſſe ad cultum, quidam voluit ad venerationem familiæ ſuæ conciliandam. Exiſtimant enim Joſepho olim in Ægypto, pro monumento dicatum fuiſſe *Vitulum*, ac proinde illos ſibi Ephraëmitæ & Joſepho, honori futuros: alii vitulos ab Aarone repetunt, ſcil. ut aliquam haberent antiquitatem, pariter & auctoritatem ab Aarone: nec deſunt qui conjiciant, à Cherubim in propitiatorio arcæ, quos volunt formam vitulinam habuiſſe, ad cultum traductos fuiſſe. Hæc eſt *via*, ſeu Theologia, Jeroboami 1 Reg. XV. 34. & XVI. 26. item peccatum Jeroboami cap. XIV. 16. & XV. 30. XVI. 31. Tenendum tamen, animum huic ſchiſmati nequaquam fuiſſe, duos iſtos vitulos ſubſtituere Jehovæ, prout nec Aaroni olim fuit; ſed per vitulos, verum Jehovam colere: Hujus *vituliſmi* nulla unquam legitur facta reformatio, apud Iſraelitas quidem, quamvis *Baaliſmi*, legatur facta ſub & à *Jehu*, qui Baaliſmum & Sacerdotes Baaliticos ſuſtuliſſe legitur, cultus rationes politicæ ex præcedentibus in promtu ſunt 2 Reg. X. 18. 32. Acceſſit ergo Vituliſmo Baaliſmus, priore multo deterior, quod ille peccaret in modo tantum colendi verum Deum, dum hic peccabat circa objectum ipſum cultus, quando vero Iſraëlis Deo, ſi non ſubſtitutus; ſaltem conſtructus, quin etiam prælatus fuit Baal. Hujus Baaliſmi fundamenta dudum jacta fuerant ſub priore epochâ, quando Iſraëlitæ dicuntur coluiſſe Baal-Pehor, Deaſtrum Moabitarum & Ammonitarum Num. XXV. 3. Pſal. CVI. 28. Hoſ. IX. 10. Ioſ. XXII. 17. Recruduit & invaluit ſub Achabo, ſeptimo Iſraelis Rege, ductâ Sidoniorum Regis filia Jeſabel 1 Reg. XVI. 29—33. Hujus idololatriæ natura & cultus paulo preſſius nobis hîc venit repræſentandus. Notandum ergo, Iſraëlitas omnium gentium Deos ſubinde adoptaſſe, dum Helleniſmi, ſeu idololatriæ Europææ ignari fuerunt. A Chaldæis enim Solem acceperunt pro Deo, à Meſopotamiis Theraphim, ab Ægyptiis vitulos, à Moabitis & Ammonitis Baal-Pehor, à Philiſtæis Beel-zebub, à Syris Aſtarthin, à Perſis Thammuz, Deum Damaſcenis anonymum, Rex Achas. Ab his Deus paſſim apud Ieremiam, Hoſeam, Amoſum & Ezechielem, conqueritur, ipſos cum omnibus nationibus, adulterio ſpirituali ſe polluiſſe. Nec tantum omnes iſtos gentium Deos admiſerunt; ſed etiam omnium iſtorum Deorum cultum, quantumcunque ridiculum, ſpurcum, pudendum, abominandum. Soli equos ſacrificabant cum Chaldæis & Perſis, vitulum eremiticum, ſaltationibus & comeſſationibus, prorſus, ut Ægyptii Apim, filios & filias ſuas Deaſtris immolabant cum Ammonitis ac Tyriis, vinum & placentas obtulerunt, quemadmodum Syri ſuæ Aſtartææ ſeu Reginæ Cœli. Verbo dicam, nil tam ineptum aut ridiculum, nil tam infandum aut ſceleſtum, nil tam obſcœnum aut ſtercoreum, ab idololatris peſſimis uſpiam excogitatum fuit, quin illud prætulerint cultui veri Dei, ſanctiſſimo caſtiſſimoque. Hinc tot ac tam probroſis epithetis Deus cultum iſtum paſſim exagitat, quando vicies quidem appellat אלילים Levit. XXVI. 1. quas אל אלים, *nequaquam Dei*, idem quod Ier. II. 11. אלהים לא אלהים *Dei qui non ſunt Dii*, λεγόμενοι θεοὶ 1 Cor. VIII. 5. non φύσει θεοὶ Gal. IV. 8. niſi rectius deducatur ab אלל, ut notet *rem nihili*, ut eſt 1 Cor. VIII. 4. Unde vocem iſtam LXX. Interpp. tot ac tam probroſis paſſim referunt, jam per βδελύγματα, εἴδωλα καφὰ, δαιμόνια, μάταια &c. quando שקוצים *mendacia* Jeſ. XLIV. 20. עצבים *dolores*, *moleſtias* 2 Sam. V. 25. עידים *tormina* Jeſ. XLV. 16. הבלים *vanitates* Ier. XIV. 22. שקצים *abominationes* 2 Reg. XXIII. 24. גלולים, *ſtercora*, *volutabra* Ezech. XXII. 3. Levit. XXVI. 30. Deut. XX. 17. aliiſque pluribus id genus vocibus, per contemtum deſignant. Interim paulo propius nobis eſt accedendum ad Baäliſmum, quoniam ejus tam frequens occurrit mentio in ſcriptis Propheticis, ut videamus, quinam fuerint Baalim, & qualis eorum cultus. בעל *Dominum*, *Herum* ſonat, quod idololatræ ipſis ſerviant velut Dominis ſuis. Quandoque numero *ſingulari* occurrit, Jud. II. 11. quandoque *plurali* cap. X. 6. è quo nonnulli volunt, eſſe nomen *appellativum*, multis diis commune; quando rectius dici videtur, illud multa *ſimulacra* ſignificare, *unius* Dei, cui à variis nationibus, locis, imaginibus, cultibus, varia nomina fuerint tributa: ſic *Baal-Ekron* 2 Reg. I. 2. *Baal-Zebub*, *Dominus Muſca*, *Baal-ſebul*, *Dominus ſtercoris* Βεελσαμήν, quaſi בעל שמים *Dominum cœlorum* dicas, *Baal-berith*, *Dominus fœderis*. Deus autem unus, quem tot nominibus intelligebant & populi Orientales & Iſraelitæ, non fuit niſi *Sol*, cum aſtris ſibi quaſi ſubordinatis, unde ſacrificaſſe dicuntur &c. לבעל לשמש, *Baali Soli*, *Lunæ* & *ſignis* cœli 2 Reg. XXIII. 5. ubi לבעל exegetice dicitur per לשמש, quod patet ex neglecto commate interſtitio. Neque tamen affirmare auſim, idololatras ſemper in animo habuiſſe, colere *Solem*; ſed idola gentium, quibus Sol ſignificatur per Baal, ille, ſeu Sol in Scripturis paſſim indigitatur per Moloc abominationem filiorum Ammon 1 Reg. XI. 7. quem *Baal*

Baaliſmus.

Domi-

Dominum, vocitabant Tyrii, quod, qui Rex eſt, & Dominus ſit. Dicitur alibi *Moloch* Amos v. 26. & *Milcham*, terminatione & ſenſu parumper immutatis 1 Reg. xi. 33. atque etiam *Malchom* Zeph. 1.5. quod LXX. Interpp. reddunt per ἄρχων, quæ vox, & Regem, & Dominum quemvis ſignificat. Idoli hujus, à cultu teterrimo notiſſimi, mentio prima occurrit Levit. xviii. 21. Deut. xviii. 10. 2 Reg. xi. 3. & cap. xiii. 10. Idem procul dubio, cum Baäl, nim. Sol, Saturnus, quem etiam *Adramelech*, *Anamelech* appellitabant. Videri de his uberius poſſit Joh. Gerh. Voſſius *de Idololatria*, Huetius in ſuâ *demonſtratione Euangelica*, & alii. Cultus ei deferebatur, cum *naturalis*, quatenus in eo fidem & ſpem atque etiam charitatem ponebant 1 Reg. xii. 31.32.33. 1 Paral. xiii. 9. item invocationem 1 Reg. xviii. 26. tanquam Dei ſui verſ. 21. etiam per nomen ejus jurabant, velut καθ᾽ ὑποστάσιν Jer. xii. 16. & genuflexionem 1 Reg. xvi. 13. וישתחו לו. Conf. 1 Reg. xix. 18. tum *inſtitutus*, dum ejus imagines colebant, templa ei ſtruebant 1 Reg. xvi. 33. 34. quæ tandem, cum univerſo ſuo choragio, & ſupellectile ſuperſtitioſa, à Jehu diruta fuerunt, & in latrinis diſpoſita 1 Reg. x. 27. Hæc templa ipſis primus ſtruxiſſe obſervatur in Iſraële Achab, quando lucis & altaribus contenti fuerant antiquiores idololatræ, ut apparet ex hiſtoria reformationis Gideonææ Jud. vi. 28. In templo iſto, altaria erant, ad ſacrificia ei offerenda 1 Reg. xvi. 31. & plura etiam in eadem æde 2 Paral. xxiii. 17. Ad idololatriæ hujus apparatum, inſuper ſpectabant luci, cum *naturales*, qualis obſervatur Jud. vi. 28. tum *artificiales* 2 Reg. xxiii. 6. Præterea ad cultum iſtum, magnam habebant Sacerdotum turbam 1 Reg. xviii. 19. qui communiter dicebantur עברי הבעל 2 Reg. ii. 10. in tres claſſes diſtributos quarum prima habebat עברים, *ſervos*, ſtrictius ſic dictos, operis ſervilibus deſtinatos; ſecunda כהנים, *Sacerdotes*, quibus competebat ſacrificia offerre; tertia נביאים, *Prophetas*, quibus competebat docere & vaticinari 1 Reg. x. 19. Appellantur aliter כמרים *atrati* Zeph. i. 4. 2 Reg. xxiii. 5. Hoſ. x. 5. ſeu abatratis veſtibus, ſeu à כמר *flagrare*, ab exuſtulatione infantum de qua jamjam. His præerat ἀρχιερεὺς, qui ſub reformatione Jojadah Regis erat Mathan 2 Reg. xi. 18. Huic idolo omne genus ſacrificii offerebant: oleum, muſtum, frumenta Hoſ. ii. 8. etiam ſuffitum Jer. vii. 9. & xvii. 13. 17. & jumenta 1 Reg. xviii. 26. quæ in hanc rem ſaginabant, ut ex eis ſpecioſiora eſſent ſacrificia, ut Hebræi docent ad Jud. vi. 25. 26. Et quod potiſſimum horrenda ἀνθρωποθυσία, in ſacris Molochi, facta, de quâ Levit. xviii. 21. Deut. xviii. 10. 2 Reg. xi. 3. & xiii. 10. partim vivicomburio infantum, & februâ. Priorem ſolam agnoſcit Joh. Ger. Voſſius de *Idololatria*, & cum eo Maimonides de *Idolol.* cap. 6. 8. *De ſemine tuo*, inquit, ne des ad traducendum *Molocho. Quomodo id fiebat? Accenſo igne magno, acceperunt partem ſui ſeminis* (h. e. filium aliquem aut filiam) quam Sacerdotibus igni ſervientibus tradebant. At Sacerdotes, ubi filium accepiſſent, eum Patri reſtituebant (ut agnoſcas ἰδιολοφησκείαν, *quæ ipſe, ex ſententia ſua, eum per ignem traduceret. Igitur Pater filium, permiſſu Sacerdotum, per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire, donec flammæ quicquid erat, emenſus foret: non enim Molocho eum comburebant; ſed cultus ille tantum in tranſitu conſiſtebat.* Cui reclamare videtur, quod Achas filios ſuos igne combuſſerit 2 Paral. xxviii. 3. idem alios feciſſe teſtatur Jeremias cap. vii. 31. 32. quæ etiam crematio deſcribitur Pſal. cvi. 37. In quam ſententiam, ex Judæis etiam abeunt R. Moſes Gerundenſis, & R. Iſaac Abravaniel. Idololatriam iſtam apud Phœnices uſitatam fuiſſe, nemo dubitat, juxta Ennium:

Pœni ſunt ſoliti ſuos ſacrificare puellos.

Ritum autem infandi hujus ſacrificii, ſic narrant Judæorum Magiſtri. *Fuit*, inquiunt, *Molech, imago concava, habens ſeptem conclavia, unum aperiebant ſimilæ offerendæ; aliud turturibus; tertium ovi; quartum arieti; quintum vitulo; ſextum bovi. Qui vero volebat offerre filium; huic aperiebant ſeptimum conclave. Et facies hujus idoli, erat facies vituli, manus plane diſpoſitæ erant ad recipiendum ab adſtantibus: & ſaltabant interim, quo puer in idolo ſuccenſo cremabatur, percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur.* Alii paulo aliter: *incendebant*, inquiunt, *Chemarim ignem magnum, & accipiebat eorum aliquis partem ſeminis à Patre, & tradebat eam aliis Chemarim, & illi rurſus reddebant filium Patri ſuo, poſtquam ipſis traditus eſſet, ut traduceret eum per ignem, eorum poteſtate. Atque Pater filii, ipſe erat, qui traducebat filium ſuum, vel filiam ſuam, per ignem, accenſum poteſtate Chemarim, tranſireque eum faciebat, ab uno latere ad aliud, per mediam flammam, donec combureretur puer.* Statuam autem æneam, Carthagine Saturno dicatam, cui ignis, ad homines vivos comburendos ſuberat, narrat Diodorus Siculus. Interim tamen, & februæ, ſeu luſtrationi per ignes poſſit eſſe locus. Forſan enim, temporis lapſu, cædium horrendarum pertæſi idololatræ, ad mitius cruciatuum genus deſcenderunt, prout alibi, pro vivis hominibus, eorum ſimulacra obtulerunt. Forte etiam ejusmodi luſtrationes, ſeu καθαρισμὸς igneos, initiationi idololatricæ præmiſerunt: nemo enim rite conſecrari potuit aliquorum idolorum ſacris, niſi tranſiret per multos cruciatuum gradus, in quibus unus erat trajectio per ignem, qua non leviter combuſti & vulnerati erant initiandi. De quibus videri poteſt Greg. Nazianzenus *Orat.*

1. *cont. Julianum*, & Virgilius *Æneid.* xi. item Plinius lib. vii. cap. 2. Cauſam impellentem notat Propheta Micha cap. vi. 6. 7. *An darem primogenitum meum pro defectione mea, fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ?* Locus ſacerrimorum iſtorum ſacrorum, fuit *vallis filii Hinnom.* Locus, inquit Adrichomius in *deſcript. terræ ſanctæ*, in ſuburbanis Hieruſalem verſus orientem, natura amœniſſimus, fontibus Siloë, ac fluxu torrentis Cedron irriguus. De hoc valle vid. Joſuæ xv. 8. poſtea, ab his ſacris, item ab exercitus Aſſyriaci ſub Sennacherībo, apud hunc locum παναλεθρίαν, & à prophanatione ejus, facta à Joſia 2 Reg. xxiii. 10. factus eſt exſecrabilis, imo inferni idea Matth. v. 22. & x. 28. Erat in hoc valle *Thopheth* locus peculiaris, forſan omne illud ſpatium, quod erat intra ſacrorum ſeptum 2 Reg. xxiii. 10. Jer. vii. 31. Dictum à תוף *tympanum*, quod pulſabatur, cum puer in igneo idoli conclavi cremabatur, ne ejus ejulatus audiretur: niſi malis, Thopheth *prodigium* notare, ut Job. xvii. 7. Saltem infernum notat Jeſ. xxx. 33. Molocho *Regi* ſuam conjugabant מלכת השמים *Reginam cœli* Jer. vii. 18. & xliv. 17. 18. 19. 25. Quam putant fuiſſe *Aſtharoth*, *Deam Sidoniorum* 1 Reg. xi. 5. & 33. quæ primo memoratur Jud. ii. 13. & x. 8. 1 Sam. vii. 7. recepta etiam Philiſtæis, omnibusque littus maris accolentibus 1 Sam. xxxi. 10. Hinc oppidum ſynonymum Deut. i. 4. Joſ. ix. 10. forte quod hujus idoli & idololatriæ ſedes exſtiterit. Scriptoribus prophanis eſt *Aſtarte*, Dea Syra famigeratiſſima, item *Atergatis* & *Dirceto.* Judæis figuram habuit ovis fœmellæ; aliis à femoribus ad pedes, figuram piſcis, reliquâ parte fœminæ, à quo nonnullis eſt דגון Philiſtæorum, quem eundem cum *Atergate*, corrupte ſcriptum, pro אדיר דג *Adir dag*, h. e. *magnificus piſcis*, quamvis Cel. Bochartus, Dagonem, Atergatin & Aſtharten malit diverſa fuiſſe numina, juxta Theologiam Phœnicum apud Philonem Biblicum, cui Dagon frater eſt, & Aſtharte uxor Saturni: Græcis Aſtharte eſt Venus, Diana, Juno, Lucina. Intelligitur autem per eam *Luna*, quæ *Regina* cœli eſt, βράσια; ſicut Sol *Rex* eſt. Conf. Gen. i. 16. Inter ſacra ejus fuit abſtinentia à piſcibus. Addebant his, quaſi pro ſatellitio, univerſum *exercitum* cœleſtem 1 Reg. xxii. 19. planetas & reliqua ſydera, quæ מולת appellabant 2 Reg. xxiii. 4. Ut nihil hic addam de *Theraphim*, de quibus 2 Reg. xxiii. 25. Ezech. xxi. 21. Hoſ. iii. 4. Zach. x. 20. De his R. Eliezer ſcriptor antiquiſſimus: *Quid ſunt Theraphim? Mactabant hominem primogenitum, & avellebant caput ejus, & ſaliebant illud ſale & oleo, ſcribebantque ſuper laminam auream, nomen ſpiritus cujusdam immundi, & ponebant illam ſub lingua ejus, poſtea ponebant illud caput ad parietem, & incendebant lampades coram eo, & ſic locutum eſt caput iſtud cum eis. Unde autem probatur, quod Theraphim locuta ſunt? Inde quod dicitur, Theraphim loquuntur vanitatem* Zach. x. 2. Alii tamen paulo aliter. Nil item de אובות *Pythonibus*, nil etiam de auguriis, ſortilegiis & præſtigiatoribus, aliisque ritibus, apud eos frequentatis. Habuerunt item ſibi obſtetricantes pſeudo-Prophetas v. g. Ahab & Zedekia Jer. xxix. 21--24--30. Ex flagitioſiſſimâ hac eorum Theologia, perverſi item (ut fit apud eos, qui verum Deum, ejuſque cognitionem & cultum negligunt) flagitioſiſſimi nati ſunt mores, in cædibus, adulteriis, furtis ac rapinis, mendaciis ac fraudibus, quibus reprehendendis, paſſim occupati fuerunt Prophetæ, cumprimis Jeremias, Ezechiel, Hoſeas & omnes fere alii. Sic ſeſe habuit ſtatus in regno Iſraelis. Nec ei defuêre ſuæ perſecutiones, quarum ſpecimen ſtatim præſtitit Jerobeamus, in Prophetâ ſe fideliter monente adverſus idololatriam 1 Reg. xiii. 1— ſed imprimis Achabus non tantum in Nabotho, quem per uxorem Jezabel Sidoniam, quod, per conſcientiam, ei nollet cedere vineam avitam, mendaciter blaſphemiæ accuſatum, lapidibus enecandum curavit 1 Reg. xxi. 2— nec tantum in Michâ Prophetâ, quem quod ſibi ex voto loqui nollet, incarceravit, poſt reditum ſuum, interficiendum cap. xxii. 5--nec tantum in Eliâ Prophetâ, quem, puro puto odio, ad necem quærebat 1 Reg. xviii. 10. ſed etiam in omnes Prophetas, quos tanta atrocitate perſequebatur, ut Elias quereretur, ſe ſolum ex Prophetis ſuperſtitem relictum eſſe 1 Reg. xix. 10. Imo & in regno Judah, Joaſus Zachariam lapidibus ſuſtulit 2 Paral. xxiv. 21. 22. & Jojakimus Uriam & Jeremiam piè monentes, peſſimè perſecutus eſt Jer. xxvi. 8— Sic ſe habebat ſtatus Eccleſiæ in regno Iſraelis. Judatitæ quidem ſe tenaciores avitæ religionis præſtabant, quod templum, ſacerdotium, & Reges nonnullos pios, ſibi haberent præſentes: ſed tamen ad idololatriam, Vituliſmum, Baäliſmum, & quamvis impietatem, non raro defecerunt, & primo quidem ſub ipſo Salomone 1 Reg. xi. 1—14. tum ſub Rehabeamo 1 Reg. xiv. 22— ſub Joramo Achabi genero, qui Baäliſmum Soceri & uxoris Athaliæ, primus Judatitis adduxit 2 Reg. viii. 18. ſub Ahaſia ejus filio. Ibid. vſ. 26. 27. ſub Athaliâ 2 Paral. xxiv. 7. ſub Joaſo Ibid. vſ. 17. 18. ſub Amaziâ, qui profligatorum à ſe Edomitarum Deos Judatitis obtruſit 2 Paral. xxiv. 14. ſub Achaſo, qui Diis inſuper Damaſcenis ſacrificavit, cum peſſima crudelitate in domum Dei 2 Paral. xxviii. 22—25. ſub Manaſſe, qui cum Baäliſmo ipſam etiam Gentiliſmi barbariem conjunxit: *fecit quod malum erat in oculis Domini, juxta abominationes gentium, quas expulit Dominus à faciebus filiorum Iſraël, ædificavit*

ficavit excelsa, — erexit altaria Baali, fecitque lucum, sicut fecerat Achab — & incurvavit se omni exercitui cœlorum — & exstruxit in ipsa domo Domini &c. 2 Reg. XXI. 2 — 9. sub Joahâ 2 Reg. XXIII. 32. sub Jechoniâ 2 Reg. XXIV. 9. sub Zedekiâ. Ibid. vs. 19. In his tamen pessimis casibus, non defuerunt subinde reformationes Ecclesiæ. Equidem sub regno Israelis, non observatur nisi una, eaque tantum à Baalismo, integro perdurante Vitulismo, procurata à Jehu Rege 2 Reg. X. 18. — Sed sub regno Judah frequentior occurrit: (1) sub Asa, qui monitus ab Azaria Propheta, cultum divinum restaurat, fœdus cum Deo renovat, & ipsam Matrem suam, propter ejus horrendum idolum, deponit, nec tamen excelsa removet 2 Paral. XV. 8 — 10. (2) sub Josaphato 1 Reg. XXII. 43. 44. remotis etiam tandem excelsis 2 Paral. XVII. 3. 4. 6. (3) sub Joaso, qui auctore Jojada Pontifice, & templi, & cultus divini reformationem fecit 2 Reg. XII. 2. — (4) sub Amazia 2 Reg. XIV. 3. 4. (5) sub Uzia, relictis interim excelsis, quibus populus sacrificabat 2 Reg. XV. 3. 4. idem factum sub Jothamo. Ibid. vs. 34. 35. Nisi hæc conservationibus malis accensere, quam reformationibus. Saltem (6) illustris fuit reformatio, sub Hiskia, omnium præcedentium optimo, qui non tantum plene & plane restituit verum veri Dei cultum; sed insuper reliquias cultus Israelitici, seu Vitulismi, sustulit, atque insuper æneum serpentem, ab ipso Mose erectum, cum ejus videret abusum, sustulit 2 Paral. XXIX. 3 — & XII. 20. — & XXX. 1. — 2 Reg. XVIII. 3. — Consimilis fuit (7) sub Manasse filio, qui postquam ab horrenda & plusquam gentili idololatria, in vinculis resipuisset; egregiam instituit Ecclesiæ & cultus divini iustaurationem, relictis interim excelsis 2 Paral. XXXIII. 13 — 17. Postrema fuit (8) sub Josia, qui omnia idola confregit, omnes lucos idololatricos, omnia altaria perversa, omnem impietatem, à Vitulismo Israelitico superstitem, inque altaribus istis, idololatricos Sacerdotes immolavit, & inventam Mosis legem populo prælegi curavit, in fœdus cum Deo, populum allexit, & pascha ritu genuino magnifice celebravit 2 Reg. XXII. 2 — 15. & XXIII. 1 — 24. Ob egregiam cultus & morum corruptionem, quam diximus, apud utramque Ecclesiam, Israeliticam pariter & Judæam, illustria etiam fuerunt judicia divina sub hac epocha: quando non tantum expertæ sunt horrendas clades, ab exteris suis inimicis, quemadmodum olim factum fuerat sub Judicibus; sed etiam mutuas in se invicem lanienas, quibus tandem Israelitica, irreformabilis, plane a Deo repudiata, & in Assyriacas provincias disjecta fuit, juxta comminationes divinas Deut. XXVIII. 50 — 64. Hos. 1. 4. 5. 6. & Judaica etiam post annos aliquot, in LXX. annorum captivitatem Babilonicam, abducta est, de qua suo loco plura. Ex dissipatione Israelitica natum etiam est tertium schisma, nim. *Samaritanismus.* Cum enim ex Babiloniis, Medis & gentibus aliis, quæ Assyriorum Regi parebant, coloniæ deductæ essent, in loca ejectorum Israelitarum, quæ nullâ veri numinis Religione imbutæ erant, leones vastatores eis immisit Deus. Ideoque Rex Assyrius, ejus rei certior factus, quosdam ex captivis Sacerdotibus, qui religionem Judaicam incolas docerent, misit: ab his Judaismus coiit cum Gentilismo, ex quo sequentibus temporibus natus est Samaritanismus 2 Reg. XVII. 23 — 35. Quos inter & Judæos, implacabile schisma & odium natum fuit, usque ad tempora Christi, qui Judæis, inter alia, controversiam moverunt, de genuino cultus divini loco Joh. IV. 20. hujus historia ulterior ad sequentem spectat periodi Mosaicæ epocham.

Reformationes in Ecclesia Israelis & Iudah.

Judicia divina sub hac epocha.

Samaritanismus.

XXXV. Tertium denique, epochæ Mosaicæ, ac postremum universæ periodi veteris testamenti, *curriculum*, fuit circa captivitatem Babilonicam, qua solennis fœderis gratiæ renovatio facta observatur, cum Judæis, seu captivandis, seu captivatis. *Prædicitur* illa Jesaiæ cap. XLII. 6. — & XLIX. 8. — & LIV. 9. 10. & LIX. 21. cum LXI. 8 — & LV. 3. 4. & LVI. 3 — 9. quibus & captivitas, & fœderis hæc renovatio, in solatium afflictorum narratur: *exponitur* Ezech. XXXIII. 21. cum XXXIV. 22 — & XXXVII. 21. — atque etiam Jer. XXXI. 1. 2. 3. cum vs. 36. — Hujus causa q. *movens*, fuisse videtur populi Israelitici status afflictus in Babilone. Quæ in Scripturis triplex observatur: 1. *Literalis*, alias Babel seu *confusio* Gen. XI. 9. in Assyria, structa à Nimrodo Ibid. vs. 3. 4. — in planitie *Sinear* vs. 7. 8. 9. quæ alias *Chaldæa* vs. 28. & *terra Nimrod* Mich. V. 6. *habitaculum iniquitatis* dicitur Zach. V. 11. instaurata à Nebucadnezare Dan. IV. 28. 29. 30. metropolis monarchiæ Babilonicæ. 2. *Mystica*, seu Roma, sedes Antichristi Apoc. XIV. 8. & XVI. 19. & XVIII. 2. 10. 21. sic dicta, propter analogiam cum literali illa Babilone Chaldaica. 3. *Ægyptiaca*, structa, ut nonnulli volunt, ab exulibus seu colonis quibusdam Chaldaicis, nunc *Cayr* seu Cayrus, quæ, secundum nonnullos interpretes, intelligi videtur 1 Pet. V. 12. 13. Prima hujus est loci. Duravit hæc captivitas per annos præcise LXX. Jer. XXV. 11. 12. & XXIX. 10. Conf. Dan. IX. 2. supputandos, à prima. quam diximus, captivatione sub Jojakimo, cujus causæ meritoriæ fuerunt, inter gravissima alia Judæorum scelera, imprimis apostasia à Deo, per varias idolatrias Jer. XXV. 6 — 13. & XXXII. 28. 29. 34. 35. Ezech. XXXVI. 17. 18. 19. usque adeo, ut non nisi totali destructione Jerosolymorum, templi, sacerdotii, reformari potuerit. Ab hujus ergo captivitatis *statu* afflictissimo & miserrimo, Deus ansam captasse videtur, renovandi fœdus gratiæ cum afflictis: ad-

Tertium curriculum epochæ Mosaicæ, à captivitate Babilonica ad Messiam.

Triplex Babilon.

ductus etiam *intrinsece* pura puta *gratia* Ezech. xxxvi. 21. — 32. quibus accedunt merita Mediatoris fœderis gratiæ Jer. xxxiii. 15. 16. & xxiii. 5 — 8. & xxx. 9. Ezech. xxxiv. 23. 24. & xxxvii. 24. 25. fundata in *sanguine fœderis*, *quo vinctos* Israëlis *dimisit e fovea in qua non est aqua* Zach. ix. 11.

Partes confœderatæ.

XXXVI. *Partes* fœderatas hic præstant ℵ. *Deus*, ut unicus *auctor* fœderis, ita & *pars* præcipua Jer. xxxii. 36 — 40. Ezech. xxxiv. 24. 25. & xxxvii. 26. 27. 28. Consideratus, ut α. *Jehova* Dominus Ezech. xxxvii. 19. 26. & xxxiv. 20. 24. 25. ut β. *Deus* Israëlis Jer. xxxii. 36 — 40. ut γ. *redemptor* ejus Jer. xxxii. 37. 40. ב. *Captivi* Judah sub Rege Babilonis, redimendi Ezech. xxxvii. 21 — Jer. xxxii. 36. 37. 40.

Argumentum confœderationis:

XXXVII. Argumentum confœderationis habet A. ab *una* parte, egregias Dei *promissiones*, nim. 1. se daturum redimendis Messiam, ut α. *redemptorem* Jes. xlix. 8 — 18. ut β. *misericordias* David, *stabiles* illas Jes. lv. 3. *Feriam vobiscum fœdus æternum*, *misericordias David stabiles illas*, collat. cum Act. xiii. 34. ut γ. *germen celebre* Ezech. xxxiv. 25. cum vs. 29. *erigam eum eis fœdus pacis — & suscitabo eis germen celebre*, לשם: & quodnam illud sit germen, Jeremias dicit cap. xxxiii. 15. 16. 17. *suscitabo Davidi germen justitiæ — & hoc est nomen quo vocabitur*, יהוה צדקנו, *Jehova justitia nostra.* ut δ. David em, Israëlis pastorem, Principem & Regem *æternum* Ezech. xxxiv. 23. 24. 25. & xxxvii. 24. 25. 26. Jer. xxxiii. 17. 20. 21. 22. 25. 26. Se 2. redempturum Judam è captivitate Babilonica, & restituturum ei patriam suam: quæ redemptio sæpius prædicitur Jes. xlix. 8 — 24. Ezech. xxxvii. 21. 25. 26. & xxxvi. 24. & xxxiv. 11 — 19. 23. 24. 25. Jer. xxxii. 36. 37. 40. 43. 44. & xxxiii. 5 — 15. & xxiv. 5. 6. 7. &c. Ea autem, non solam intelligi liberationem à captivitate *corporali*; sed insuper à *spirituali*, vel ex eo evidens est, quod promissioni de corporali liberatione, frequenter annectantur promissiones de Messia, liberationem illam consummaturo, v. g. Jer. xxiii. 1. 6. & xxxiii. 15. 16. 17 — Conf. Jes. lxi. 1. 2. 3. Luc. iv. 18. — Heb. ix. 12. 14. Adde quod Judæis dispersis promittatur, eos post recollectionem, uniendos esse in *unam* nationem, unumque regnum, sub uno Rege *Davide* (quo procul dubio Messias intelligitur) eorum Rege in æternum Ezech. xxxvii. 21. — Imprimis autem hoc confirmat exactissima analogia, inter liberationem illam *corporalem*, & hanc *spiritualem*, quoad α. *terminum a quo*, quid enim Babel, nisi locus iniquitatis, miseriæ & captivitatis, sepulchri? Zach. v. 8. 11. cum Gen. xi. 2. 3. 4. 5. Psal. cxxxvii. 3. Ezech. xxxvii. 1 — Conf. Eph. ii. 1. 2. 3. Act. xxvi. 18. Tit. iii. 3. Quoad β. *liberationem*, quatenus facta est *revivificatione* quadam Ezech. xxxvii. 1. — Conf. Eph. ii. 1. 2. 3. 4. Col. iii. 1. Quoad γ. liberationis *tempus*, quatenus *fixum*, post lxx. annos: Conf. exhibiti Christi *constitutum* tempus Gal. iv. 4. 5. 6. Dan. ix. 24. Quoad δ. *purgationem* Judæorum ab idolis Ezech. xxxvii. 21. 22. 23. Conf. 1 Cor. vi. 11. Act. xxvi. 18. Quoad ε. *introductionem* Judæorum in patriam *Canaan*, quietem terrenam Ezech. xxxvii. 21. Esd. ii. 1. Conf. 1 Pet. i. 3. 4. Act. xxvi. 18. Se 3. Judæos, jam liberatos à captivitate sua, liberaturum ab omni pollutione *spirituali*, idololatria & transgressione quavis Ezech. xxxvii. 22. 23. 26. & xi. 17. 18. Se 4. *Spiritum* suum daturum in medio eorum, ejusque opera renovaturum cor eorum &c. Ezech. xxxvi. 25. 26. 27. & xi. 17 — 21. Jer. xxiv. 7. & xxxii. 37. — 41. Jes. lix. 20. 21. Quo peculiariter promittitur α. cor *novum* & spiritus novus Ezech. xxxvi. 25. 26. & xi. 19. β. animus *cognoscens* Dominum Jer. xxiv. 5. 6. 7. γ. cor *carneum*, ablato lapideo Ezech. xxxvi. 26. cum vs. 24. 25. & xi. 19. 20. δ. cor *pœnitens* Ezech. xxxvi. 31. & xxxvii. 23. Jer. xxiv. 6. 7. ε. cor *unum* Ezech. xi. 17 — 21. Jer. xxxii. 38. 39. 40. — ζ. *timor* Dei Jer. xxxii. 39. 40. 41. Se 5. ipsis *gratia* sua præsentem fore Ezech. xxxvii. 26 — 29. Se 6. futurum ipsis *in Deum* Jer. xxxii. 37 — 41. & xxiv. 5. 6. 7. Ezech. xxxvii. 26. 27. & xxxiv. 25. 30. 31. & xxxvi. 28. Se 7. talem ipsis futurum in *æternum* Jer. xxxii. 40. — Jes. liv. 10. 11. Et hæ sunt hujus confœderationis *promissiones* divinæ, ab una parte: B. Ab *altera* parte, hæc confœderatio habet *officia* reciproca à Juda stipulata, nim. 1. *Fidem* in Messiam, qua redemptorem; qua *misericordias Davidis stabiles*, Davidem *mysticum*, qua universa promissa spiritualia apprehendant, quæ *siti* spirituali significatur Jes. lv. 1. tum 2. *respirascentiam* à peccatis Jer. xxiv. 5. 6. 7. Ezech. xxxvi. 23 — 33. porro 3. *obedientiam* Deo præstandam Ezech. xxxvii. 24. 26. & xxxvi. 27. & xi. 19. 20. insuper 4. ut sint Deo in *populum* Ezech. xxxvii. 26. 27. & xi. 20. & xxxvi. 28.

1. Promissiones Dei.

Officia stipulata.

Modus confœderationis.

XXXVIII. *Modus* peculiaris confœderandi, non tantum *internus*, qui consistit in *consensu* & obligatione reciproca; sed *externus* etiam, quoad 1. ejus *manifestationem*, qua, non immediate, sicut olim Adamo, Noacho, Abrahamo & Israeli ad Sinai, fœdus obtulit; sed mediantibus Prophetis, Jesaia, Ezechiele, Jeremia. 2. Quoad *sanctionem*, factam α. tam frequenti confœderationis repetitione, apud Iesaiam, Ieremiam & Ezechielem, sicut diximus. β. tot symbolis & similitudinibus illustrantibus, v. g. de duobus corbibus repletis ficubus: partim egregie bonis; partim egregie malis Ier. xxiv. 1. — item de duobus lignis conscriptis, altero pro Iuda, altero pro Ephraim, unitis inter se, ad repræsentandam redunitionem recollectorum Iudæorum & Israelitarum Ezech.

xxxvii.

XXXVII. 15 — porro de aridis ossibus, revivificandis & revivificatis: ad repræsentandam revivificationem captivi, & quasi mortui Israëlis. *Ibid.* vs. 1. — 15. Quoad 3. varias *promissiones*, ratificaturas & confirmaturas infallibilem certitudinem, ob beneficia hujus confœderationis v. g. Ezech. XXXVII. 25. 26. Jes. LV. 3. & LIV. 10. Quoad 4. sacrum & inviolabile *juramentum*, quo Deus fœdus & promissa ejus roboravit Jes. LIV. 5 — 11. Quoad 5. *Administrationem* seu dispensationem, qua, post restitutionem externi sanctuarii, sacerdotii, & cultus levitici, usque ad Messiam continuata est hæc fœderis gratiæ œconomia: quo etiam spectat mysticum Ezechielis templum, de quo Ezech. XL. usque ad finem libri.

Duo consectaria.

XXXIX. Ex dictis duo emergunt: 1. fuisse hic renovationem fœderis, non qualiscunque corporalis; sed *spiritualis*, de liberatione è captivitate spirituali per Messiam: quatenus ejus, & beneficia promissa, & officia stipulata, fuerunt planè euangelica. 2. Habuisse etiam hanc confœderationem, sua incrementa & prærogativas, supra priores omnes, quoad suam dispensationem: quatenus sub eâ (1) Sacerdotes, populus & cultus Dei, magis fuerunt repurgata ab idololatria, quam sub præcedentibus Ezech. XXXVII. 23 — quatenus (2) templum hujus dispensationis, seu templum Zerubabelis, gloriosius fuit, templo Salomonis, propter præsentiam ipsius Messiæ Hag. II. 7. 8. 9. quatenus (3) promissa hujus confœderationis, utpote novo testamento proxima, multo spiritualius manifestantur ac dispensantur, ut patet ex Ezech. XXXVI. & XXXVII. Jer. XXXII. Jes. XLIX. quatenus (4) tempus futuræ passionis Messiæ hic designatur Dan. IX. 24. 25. 26. 27. quatenus (5) sub hac dispensatione exeunte, præcipuum Pascha Christus, sacrificatum 1 Cor. V. 7. & *David* mysticus, Jesus Christus, *Rex Regum & Dominus dominantium*, Ecclesiæ præstitus est: in cujus spirituali, cœlesti & æterno regno, externum Judæ & Israelis regnum absorptum fuit Dan. II. 34. 35. 44. 45.

Prærogativæ hujus dispensationis.

Per hoc curriculum, Ecclesia fuit:

A. sub Monarchia Babilonica.

Series Monarcharum

XL. Sub hoc curriculo, ab exordio captivitatis, usque ad nativitatem Christi, Ecclesia annos exegit circiter quingentenos & octuaginta quinque, per quatuor monarchias, somnio Nebucadnezaris prædictas Dan. II. Scil. annos LXX. captivitatis exegit sub exeunte monarchia Babilonica, reliquos à captivitate, sub monarchia Persica & Græca & primordiis Romanæ, usque ad XLI. Augusti, quo Messias natus est. Sub captivitate quidem, quamvis Judæis permissum fuerit suis moribus vivere, & ad hoc qualicunque suorum regimine frui, sub capitibus tribuum Esd. I. 5. & VIII. 16. & IX. 1. quæ etiam *Seniores populi* appellari videntur Ezech. VIII. 1. & XX. 1. 3. eos tamen sub imperio Monarcharum Babilonicorum stetisse, nemo ambigit. Horum ergo *primus* fuit Nebucadnezar, filius Nabopollassaris, qui anno regni paterni XXVI. Jechoniam abduxit in Babilonem, anno secundo regni proprii, somnium habuit de quatuor monarchiis Dan. II. annoque septimo, Zedekiam abduxit: contemporaneos Prophetas habuit Ezechielem in Babilonia, & in Judæa Jeremiam. Regnavit per annos XXX. *Secundus* fuit ejus filius Evilmerodach, sub quo Jechonias, anno XXVII. captivitatis suæ liberatur, & honorifice ab eo habetur 2 Reg. XXV. 30. Ier. LII. 31. regnavit per annos IV. Huic alii annos tribuunt tantum duos, aut, si ei construas Nericussolassarum, generum, annos VI. subjungunt item ei Labosordachum per menses IX. & huic Nabonnedum, per annos XVII. & hunc esse putant, quem Cyrus regno movit atque ipsum adeo Belzazarem. Conf. Iungman *Dan. referat.* lib. I. sect. 3. cap. I. — Nobis, juxta alios, intercalatis IX. mensibus Labosardachi, esto *tertius* Belzazar, qui inter epulas, manum in pariete suum exitium scribentem vidit, & mense regni IX. à Dario Medo occisus est Dan. V. Qui inde *quartus* fuit in regno, per annos XVII. quo à Cyro victus, Carmaniæ præfectus fuit. Huc referunt Iosuam Pontificem, qui ultra annos CX. præfuerit, sicut & Zerubabelem. Hinc *quintus* fuit Cyrus Persa, Scripturæ *Cores* 2 Paral. XXX. 22. 23. Ies. XL. 28. & XLV. 1. — qui anno XIX. regni, & subacta tota Asiâ; primo Monarchiæ, Iudæorum captivitatem solvit sub Zerubabele 2 Paral. XXXVI. 22. 23. Esdr. I. 1. & II. 1.

Babilonicorum:

1. Nebucadnezar,

2. Evilmerodach,

3. Belzazar,

4. Darius Medus,

7. Cyrus nondum Monarcha.

XLI. Hinc sub eo, à Babilonica ad Persicam monarchiam, Ecclesia Iudaica transiit, eique coexstitit per annos, hinc quidem auspicandos, circiter ducentos, usque ad Alexandrum M. primum Græcorum Monarcham: sub Monarchis Persicis decem, quorum seriem juvat tenere, propter libros Esdræ, Nehemiæ, Esther & Danielis, qui sub his conscripti sunt, & historiam horum temporum repræsentant. In his ergo *primus* fuit Cyrus, qui victo Dario Medo, subjugataque universa Asia monarchiam tenuit per annos tantum duos: sed sub eo, instauratio urbis ac templi rursus impedita fuit, usque ad tempus Darii Histaspis Esd. IV. 5. Huic successit *secundus*, Cambyses ejus filius, qui, secundum Alstedium in *Chronologia* sua, comprehenditur sub nomine Cyri Esd. IV. 5. & Danieli, quod pro Patre absente præesset, *Princeps Persiæ* dicitur Dan. X. 13. Per universum ejus regnum, septem circiter annorum, instauratio templi impedita fuit. Successit *tertius*, Darius Histaspis, qui regnavit per annos circiter XXXVI. (connumeratis quinque mensibus duorum magorum, qui successerunt Cambysi, absque filio decedenti) sub hoc, templi restauratio denuo cœpta est. Huic successit *quartus*, Xerxes, Darii filius ex Atossa Cyri filia susceptus, alias Artaxerxes Magnus, qui Scripturis Ahassuerus est, Estheræ maritus Esther. I. 1.

B. sub Monarchia Persica:

Series Monarcharum Persicorum.

1. Cyrus Monarcha,

2. Cambyses,

3. Darius Hystaspis,

4. Xerxes,

& II. 17. quam Herodotus Ameſtrin appellat. Sub hoc nonnulli denuò ſtructuram templi impediverunt Eſd. IV. 6. Regnavit circiter annos XXI. in quibus duo ſunt, quos cum Patre communes habuit. Huc ergo referenda hiſtoria Eſtheræ, & ultimi ictus, qui nationi Judaicæ videbatur imminere ab Hamane. Secutus eſt *quintus*, Artaxerxes Longimanus, (ſi ei connumeres VII. menſes, quos regnavit Artabanus) regnavit annis XL. Ab hujus anno VII. Funccius, Bucholcerus aliique, ordiuntur LXX. hebdomadas Danielis Dan. IX. 24. quod hinc, uſque ad mortem Chriſti, fluant anni 490. quamvis Scaliger eaſdem ordiatur ab anno primo ſucceſſoris ejus, Darii Nothi. Sub hoc etiam templi & urbis reſtauratio impedita jacuit. Secutus eſt *ſextus*, Darius Nothus (ſi ad ejus annos referas menſes duos Xerxis ſecundi, qui filius fuit Longimani, occiſi a Sogdiano, & hujus etiam menſes VII.) ſpurius Artaxerxis Longimani filius, hujus anno VII. urbis ac templi reſtaurationem perfectam fuiſſe, Scaliger, ex ſerie librorum Eſdræ & Nehemiæ colligit Eſd. VI. 13. 14. 15. Regnavit Darius Nothus annos XIX. vixitque ſub eo Iojakim Pontifex, filius Ioſua. Secutus eſt *ſeptimus*, Artaxerxes Mnemon, ſeu Artaxerxes Magnus, cujus anno VII. Nehemias Ieroſolymam aſcendit Eſd. VII. 1. 7. 8. II. Fuit Nehemiæ Dominus, miſitque Nehemiam pincernam ſuum, anno regni XX. Ieroſolymam, qui urbem reſtauraret Neh. II. 2. — qui inde revertitur in Perſiam Neh. V. 14. Regnavit annis XLIII. Succeſſit *octavus*, Artaxerxes Ochus, tyrannus, a Bagoa cubicularius interfectus, anno regni XXIII. Hunc *nonus* excepit, Darius Arſes, itidem a Bagoa trucidatus, poſtquam regnaſſet annos circiter IV. ſub eo vixit Iaddus Pontifex. Agmen claudit *decimus*, Darius Codomannus, Arſis filius, cujus mentionem facit Nehemias cap. XII. 22. Regnavit annis circiter VI. quando ab Alexandro Macedone captus, & à Beſſo Bactrianorum Gubernatore trucidatus, monarchiam Alexandro reliquit. Per hanc monarchiam Eccleſia Judaica, à Zorobabele ſedecim habuit duces è poſteris Davidis oriundos: puta (1) Zorobabelem, per annos XXXII. (2) Reſam Meſullam, per annos XLVI. (3) Johannem Reſæ filium, per annos XL. (4) Judam Hircanum, annis XIV. (5) Joſephum per annos VII. (6) Semei, per annos XI. (7) Mathatiam cognomento Eli, per annos XII. (8) Maath, ſive Aſarmath, per annos IX. (9) Naggen ſive Nangen, per annos X. (10) Helli ſeu Eli, per annos VIII. (11) Nahum, per annos VII. (12) Amoſum cognomento Sirach, per annos XIV. (13) Matathiam, cognomento Siloah, per annos X. (14) Joſephum minorem, per annos LX. (15) Joh. Hircanum, qui tritavus fuit Chriſti, poſtremus, per annos XVII. a quibus fuit interregnum LXII. annorum, qui anni habentur pro (16) duce. Recenſente Alſtedio, in ſuo *Theſauro Chronologico*.

5. Artaxerxes Longimanus.

6. Darius Nothus.

7. Artaxerxes Mnemon.

8. Artaxerxes Ochus.

9. Darius Arſes.

10. Darius Codomannus.

Duces Iſraelis.

XLII. Reliquum ergo hujus curriculi tempus Eccleſia exegit ſub monarchia Græca, quam Alexander Magnus habuit, per annos tantum duodecim, cui, cum exercitu venienti ad Jeroſolymam, Jaddus Pontifex cum univerſo clero obviam ivit, eumque in urbem introduxit. Poſt Alexandri mortem, Monarchia diſſecta fuit in quatuor regna, juxta prædictionem angelicam Dan. XI. 5. Nim. α. in regnum *Syriæ*, ſub Seleucidis: β. *Aſiæ*, ſub Antigono & Demetrio, ſubjugato a Seleuco Nicanore, genero ſuo: γ. *Macedoniæ*, ſub Perdicca, Caſſandro, Antipatro, Demetrio &c. δ. *Ægypti*, ſub Ptolemæis. Sub hoc curriculo, uſque ad mortem Chriſti, Eccleſia exegit annos circiter tringentos & ſexaginta, per tria regiminis ſecularis intervalla: horum *primum*, poſt aliquot Pontifices, habuit V. Aſſamonæos, Mathatiam Machabæum, Judam, Jonathanem, Simonem & Hircanum: *ſecundum*, Reges ſeptem, uſque ad Herodem Aſcalonitam, Ariſtobulum, Alexandrum Jannæum, Alexandram Reginam, alias Salomen, Hircanum, Ariſtobulum II. Hircanum iterum, & Antigonum: *tertium* Herodes quinque, Herodem Magnum, ſeu Aſcalonitam, Archelaum, Herodis M. filium, Herodem Antipam, Herodem Agrippam, Herodem Agrippam Juniorem ſeu ſecundum. De pleriſque horum paulò diſtinctius philoſophabimur, nec tamen nimium curiose, cum de eis non omnes Scriptores idem eodem modo loquantur.

Sub reſiduo hujus curriculi Græci, regimen Eccleſiæ tria interualla habuit:

XLIII. Intervalla Eccleſiæ duo priora, ſub Monarchia Græca, procurrunt a Mathatia Machabæo, uſque ad Herodem Magnum, ſeu Aſcalonitam, Idumæum, per annos circiter CXXVIII. ſub duplici regiminis forma, nim. poſt Judam Machabæum, qui fuit Pontifex tantum: 1. Sub his, qui Principes erant & Pontifices ſimul, a Jonathane, fratre Judæ, uſque ad Ariſtobulum. 2. Sub his, qui Reges erant & Pontifices ſimul, uſque ad Herodem. Appellatur ergo hoc intervallum a *Machabæis*, ita dictis, ſecundum Franciſcum Junium, a quatuor primordialibus literis, vocum quatuor Exod. XV. 11. מי כמכה באלים יהוה, depictis in vexillis eorum militaribus, hoc modo: מ. כ. ב. י. Aliter *Aſſamonæi*; item *Haſmonæi*, denominatione Arabica, quaſi *præfectos* dicas, ſeu *Antiſtites venerandos*: in quibus *primus* fuit Mathatias Machabæus per annos 3. *ſecundus* Judas Machabæus. Sub quo Antiochus Epiphanes Syriæ Monarcha (de quo vaticinatur Daniel cap. VIII. 9. 23. & XI. 21.) Jeroſolymam occupavit, in templo ſtatuam Jovis Olympii collocavit, Moſis & Prophetarum libros combuſſit, ſacrificium juge, per triennium & ſemeſtre ſuſtulit, & Judæos per atrociſſimas perſecutiones attrivit 1 Mach. I. 23. & 2 Mach. V. VI. VII. — Huic fortiter ſeſe oppoſuit Judas,

Sub Aſſamonæis:

1. Mathathias Machabæus.

2. Judas Machabæus.

Judas, Apollonium Antiochi Archistrategum confecit, templum recuperavit & repurgavit, eaque ratione, seu vivente, seu mortuo Alcimo, Mathatiaque Patre, populum sui juris fecit, indeque Pontificatum sibi acquisivit, & post sexennium præfecturæ, in prælio cecidit. Huic successit *tertius* Jonathas frater, per annos circiter XVIII. Et huic *quartus*, Simon, per annos VIII. Dein *quintus* Johannes Hircanus, per annos XXXI. Hinc *sextus* Aristobulus, Hircani filius, qui misso Principis nomine, se pro Rege gessit: postquam Hircanus Pater Idumæos subegisset, & ad admittendam circumcisionem, rituque Hebræos, adegisset. Ab eo tempore Idumæi cum Judæis coaluerunt, & pro Judæis habiti sunt. Conf. Num. XXIV. 18. 19. & Amos IX. 12. Rem hic crudeliter gessit per unum tantum annum, quando ei successit *septimus*, Alexander Jamnus Hircani filius, Aristobuli frater, per annos XXVII. satis fortunate transactos. Huic successit pro *octavo*, Alexandra Salome, ejus vidua, per annos IX. addicta Pharisæis, in quorum gratiam, Hircanum filium, Pontificem creat: qui postea *nonus*, Matri succedit in regno, quo, juxta cum Pontificatu, ipsum post tres menses exit, *decimus* Aristobulus: sed per annos tantum tres, quando Cnejus Pompejus, Romanorum Proconsul, Jerosolyma capta, ipsum Romam deportat, & Hircano Pontificatus & Principatus titulum, sed absque regno, restituit. Annumeratis Aristobulo Hircani restituti annis, regnaverit annis XXIII. Quando *undecimus*, Antigonus, Aristobuli filius, moto rursus Hircano, regnum occupat per quadriennium, tum ab Antonio securi percutitur. Fuerat interea, anno Aristobuli XV. Antipater Ascalonita Idumæus, Judææ procurator datus, à Iulio Cæsare Romanorum Dictatore.

3. Jonathas,
4. Simon,
5. Hircanus,
6. Aristobulus,
7. Alexander Iamnus,
8. Alexandra Salome,
9. Hircanus,
10. Aristobulus,
11. Antigonus.

Sub Herodibus:

XLIV. Intervallum Ecclesiæ *tertium*, ab Herode Magno, usque ad mortem Christi, numerat annos circiter LXXIII. Sub I Herode Magno, Antipatri Ascalonitæ filio, qui anno Antigoni secundo, ab Augusto Cæsare Romano, Rex Iudææ declaratus, anno regni circiter IV. Ierosolymam occupat, Assamonæorum prosapiam tollit, Aristobulum Pontificem, inter natandum suffocat, ipsumque Hircanum grandævum extinguit. Regnat per annos aliquot. Istorum successionem & historiam satis diligenter persecutus est Christ. Nolde, in sua historia Idumæa. Horum postremo, Messias Iesus, anno Augusti XLI. nascitur, quo regno Herodis Magni, filii *Tetrarchæ* præfiguntur: Archelaus Iudææ; Antipas Galilææ, & Philippus Itureæ: 2. sub Archelao Tetrarcha Iudææ, qui per novem tantum annos regnavit, postea relegato, Iudæa successores accepit procuratores Romanos: Coponium per annos duos; Marcum Ambivium, itidem per annos duos; tum Annium Rufum per annos tres; hinc Valerium Gratum, per annos undecim; porro Pontium Pilatum, per annos decem: cujus anno circiter VII. Iesus Christus mortuus est, & universam periodum veteris testamenti obsignavit, anno scil. Tiberii Cæsaris Romani decimo-nono.

1. Herode Magno.

2. Archelao Tetrarcha Iudææ,

Status Theologiæ sub tertia epocha Mosaica.

XLV. Pergendum jam ad statum Theologiæ, sub tertia hac epocha Mosaica. Quantum ad Theologiam *testamentariam*, cum suis incrementis, eam jam expedivimus breviter. Quantum ad Theologiam *systematicam*, eandem hæc epocha Mosaica professa est quam prima, quam Moses tradiderat, ca. prout patet ex omnibus scriptis sacris, sibi συγχρόνοις. v. g. Jeremiæ, qui passim reprehendit neglectum legis Mosaicæ Jer. XLIV. 10. 23. Ezechielis, qui idem agit cap. v. 5. 6. & XXII. 26. & XLIV. 5. Danielis qui illam à populo neglectam coram Deo confitetur. cap. IX. 10. 11. 13. Esthеræ, apud quam hoc ipsum sic satis prædicat Haman, cap. III. 8. Esdræ, cui passim lex Mosis commendatur, v. g. cap. III. 2. & VII. 6. 10. 12. 14. 23. 25. 26. Nehemiæ, apud quem idem occurrit frequentatissimum, v. g. cap. VIII. 2. 7. 9. 13. 14. Haggæi, qui eandem à Sacerdote quærendam jubet cap. II. 12. Zachariæ, qui jussus à Deo, ejus neglectum taxat cap. VII. 12. Tandem Malachiæ, qui Canonem V. Testamenti obsignans, *mementote*, inquit, *legis Mosis servi mei, quam mandavi ei in Horeb, super omnem Israel, statuta & judicia* Mal. IV. 4. Nec his tantum singularibus testimoniis, patet identitas hujus & Mosaicæ Theologiæ; sed integris etiam illis Scripturæ libris, qui sub hac epocha nati sunt. Nim. (1) Jeremia qui, sicut alter quidam Moses, sua vaticinia per quadraginta annos, impendit reformationi Juditarum, nempe XVIII. Josiæ, undecim Jojakimo, & totidem Zedekiæ; ita posteriora libri sui capita à XXI. usque ad finem, videtur impendisse huic epochæ, ubi mittit epistolas, ad filios captivitatis Babilonicæ jam factæ, ex quibus ex parte cognosci potest Theologia hujus epochæ. (2) Ezechielis, Jeremiæ coætanei, qui eandem causam egit in Babilonia, anno trigesimo, Sacerdotis item, qui anno ætatis circiter trigesimo prophetare cœpit, post inventum exemplar Mosis, qui coincidit cum Ao. Josiæ decimo octavo, ut agnoscamus, eandem Theologiam ipsum docuisse cum Mose. (3) Danielis, regia prosapia nati, qui in Babilonia, captivis Judæis suas prophetias aperuit, nullibi dissentaneus à Mose. (4) Esdræ, qui ipso illo anno, quo Cyrus Persa, decretum suum de reditu Judæorum in patriam dedit, suas supplicationes fertur fudisse, quibus violatam à Judæis legem Mosis confitetur Dan. IX. & legem Mosis, ex professo instauravit, ejusque praxin renovavit. (5) Nehemiæ, qui itidem e prosapia regia Davidis prognatus, tempore Artaxerxis Mnemonis, ejus pincerna, intellecto calamitosissimo suorum popularium statu, permissu Domini sui,

ius

in patriam profectus, cœptam ab Esdra reformationem promovit, secundum eandem legem Mosis. (6) Estheræ, quæ Judæis in Babilonia, ab eo quod juxta legem, ab omnibus aliis populis diversam, procul dubio Mosaicam, in extremum discrimen adductis, liberationem ab ultimo ictu, impetrat. (7) Zachariæ, qui variis vaticiniis, de restauratione Israëlis, potissimum spiritualis sub Christo, occupatus, legem Mosis neglectam conqueritur. cap. VIII. 2. 7. 9. 13. 14. ut observavimus dudum. (8) Haggiæ, qui Judæis jam è Babilone reversis, ἐργοδιώκτης exsistens, restaurationis templi, legem itidem, procul dubio Mosaicam, jubet exigere à Sacerdotibus. cap. II. 12. (9) Malachiæ, qui à nonnullis putatur fuisse Esdras, postquam varias taxasset cultus Mosaici corruptiones; tandem ipsis commendat scripta Mosis cap. IV. 4. Nec his tantum auctoribus & libris, propagata sub hac epocha fuit Theologia Mosaica; sed insuper totus Canon biblicus Veteris Testamenti, in suum ordinem redactus, & à perpetuo corruptionis periculo, sub hac epocha vindicatus dicitur. Non quod integer Canon vetus, excidio Jerosolymorum abolitus, ut nonnulli fabulantur, ab Esdra, instinctu divino, fuerit revocatus; sed quod è voluminibus superstitibus, fuerit restitutus. Rem sic compendiose narrant: Esdram Sacerdotem, post exilium Babilonicum, Synagogam magnam, seu senatum Ecclesiasticum magnum conciviisse, cujus assessores אנשי כנסת הגדולה appellant, cui interfuerint viri θεοπνεύστοι, Prophetæ, Zacharias, Haggæus, Malachias, Nehemias, numero CXX. penes quos fuerit triplex corona, legis, Sacerdotii & regni, quique de religionis summa, pie graviterque deliberaverint, & ut saluti posteritatis consulerent æternum; quicquid heterogeneorum scriptorum, in Canonem S. Scripturæ irrepserat, rejecerint, numerum librorum constituerint, alios legem, alios Prophetas, alios scripta ἁγιόγραφα appellarint, textum in versus suos distinxerint, voces, juxta diversas literas, considerarint, ipsas voces, vocumque literas numerarint, ut sciretur, qui versus, quæ vox, quæ litera, in singulis libris medium occuparet, quæ vox non nisi semel occurreret, quæ sæpius, & quoties, sub hac vel illa forma legerentur, diversas etiam lectiones, sub titulis *Ceri & Cethib*, in marginem conjicerent, idque in hunc finem, ut ne minima quidem mutatio obreperet, quin statim deprehenderetur. Talia, præter Judæos, tradunt Christianorum doctissimi, & Hebraice peritissimi Mart. Raimundus *pug. fid.* part. 2. cap. IV. Pet. Galatinus in *Arcan. Catholica verit.* lib. IV. cap. 6. Bodinus *de Republ.* lib. VI. cap. VIII. Isaac Casaubonus *Exercit.* XIII. 5. Capell. *Vindic. pro Causaub.* lib. III. cap. 2. Cunæus *de Repub. Hebr.* Constant. l'Empereur, in tit. Middoth. cap. V. sect. III. & imprimis etiam Joh. Buxtorfius, in sua Tiberiad. seu Comment. Masoretico. Unum tantum optarim, ut istam Synagogam magnam solide demonstraffent è S. Scripturis. Agnosco, reformationem aliquam factam fuisse, post captivitatem Babilonicam v. g. circa festum Tabernaculorum Neh. VIII. 15. 16. 17. 18. Mixta Judæorum conjugia cum gentilibus, eliminata fuisse, polygamiam reprobasse Mal. II. 14. 15. 16. sed quod talem fecerint reformationem, non satis patet è textu sacro. Addunt alii, puncta vocalia & accentualia, vocibus ac hac Synagogâ fuisse apposita, sive puncta ista literis coæva dicas, sive ab hac Synagoga excogitata. Dum interim alii totum hoc punctationis negotium referunt ad Masorethas Tyberienses. De quibus scripta contendentia conferri possunt, Lud. Cappelli, Joh. Buxtorffii & aliorum. Josephus Scaliger etiam existimat, literas primigenias textus sacri, in gratiam populi, Chaldaicis characteribus adsueti, hic cum Chaldaicis permutatas fuisse, cui tamen alii, non absque justis rationibus, contradicunt, inter quos est Nicol. Fullerus Miscell. Sac. lib. IV. cap. 4. Nec his tantum originalibus, egregie sub hac epocha, illustrata fuit Theologia Mosaica, sed etiam Metaphrasibus & Paraphrasibus, non unâ. Quantum enim ad *Chaldaicas*, referunt ad hanc epocham, Thargumim seu Paraphrases Jonathanis Uzielidis in Pentateuchum & Prophetas, quam nonnulli Judæorum acceptam volunt, immediate post captivitatem Babilonicam, ab ipsis Prophetis, Zachariâ, Haggæo & Malachia, quanquam absque idoneis rationibus, alii tamen doctiores ex ipsis Christianis, Jonathanem istum construunt Sammai & Hilleli, qui vixerunt ante Urbis excidium annis minimum centum, adeoque saltem sub hac epocha. Existimant tamen, diversum ab hoc Uzielide fuisse Jonathanem, Prophetarum Paraphrastem, dum interim alii eundem esse malunt. Saltem textus Sacri mentem plerumque non incommode refert: Onkelosi vero Paraphrasin, quæ textus sacri mentem multo accuratius refert quam Jonathan, adornatam R. Azaria vult tempore Hillelis & Schammai, centum etiam ad minimum annis ante excidium urbis, post quod tempus nugis & næniis liberalius indulserunt Judæi. Per hanc hypothesin, hæc Paraphrasis spectabit ad hanc nostram epocham, licet exeuntem. Sed auctor libri *Jukasin* mavult ipsum fuisse proselytum, quin & sororium Titi Imperatoris, & sic nata fuerit ipso excidii Hierosolymitani tempore, quem tamen expresse rejicit R. Azaria in *Imre Bina*. Alias Paraphrases Chaldaicas, utpote citra dubium post hanc epocham natas, hic non moramur. Quantum autem ad *Græcas* Metaphrases seu versiones, ad hanc epocham referunt non unam. Primo factam quandam volunt, anno circiter M. 3560. eo quod Plato aliique Philosophi Scripturam legerint

Synagoga magna.

Versiones Scripturæ.

legerint Græcè: tum aliam quandam à Judæis adornatam privatâ auctoritate, tempore Ptolemæi Lagi: circa annum M. præter propter 3630: hinc tertiam numerant, publica Ptolemæi Philadelphi auctoritate procuratam, circa annum M. 3699. Hanc tamen, neglecto calculo, accuratius, & Hebræi, & Arabes, & Christiani, eandem putant cum præcedenti, & quam Irenæus, *adversus Hæres.* lib. III. cap. 25. & cum eo Eusebius *histor. Eccles.* lib. v. cap. 8. & Clemens Alexand. *stromat.* lib. I. tribuunt Ptolemæo Lagidi; eam Philadelpho tribuunt fere omnes, seu quod Patri Lagidi, ejus adornandæ, filius Philadelphus auctor exstiterit; seu quod cum Patre regnaverit ad tempus; seu quod, quam Pater Lagides inceperit, filius Philadelphus absolverit. Historiam facti sic narrant. Ptolemæus Philadelphus, seu potius Philobiblius, anno ante Christum natum, 267. Judæorum circiter viginti millia dimisit, templum multis regiis donis, adeoque mensâ aureâ, crateris atque phialis exornavit, sacrumque Bibliorum codicem, indultu Pontificis Eleazari, per LXXII. Interpretes, in Græcam linguam, Alexandriæ transferri curavit, quod Josephus lib. XII. cap. 2. prolixè describit. Figmenta autem, de LXXII. cellulis, quibus inclusi fuerint, & de collatione versionum, à singulis facta, & aliis missis, quæ habet Pseud-Aristæus. Non absimile vero putant, eam factam à Judæis Ægyptiis, idque adeò malè habuisse reliquos Judæos, ut solenni jejunio instituto, Deum deprecati fuerint, qui propter hanc Scripturæ prophanationem, totam gentem non perderet. Judæos, Græcâ hac versione utentes, *Hellenistas* vocant. Vulgatus tamen postea est Græcorum Bibliorum usus, adeò ut etiam Hierosolymis, quin ab ipso Christo & Apostolis passim fuerit admissus. Quæ autem circa eam disputantur de numero interpretum, an LXXII. fuerint, an LXX. an unus aliquis, loco omnium? An item totum codicem V. testamenti, an solum Pentateuchum traduxerint? An porro instinctu Spiritu S. egerint, ac proinde an versio ista sit canonica, aliaque determinare, non est pro hoc compendio, qui interim ista scire avet, consulere poterit Cl. Hottingerum, in *Thesauro Philolog.* lib. I. cap. III. sect. 3. Cel. Isaacus Vossius, & Joh. Morinus Monachus, cum plerisque Pontificiis, suis hypothesibus inservientibus, eam editioni Hebraicæ longe præferendam censent, quibus solidè obnituntur nostri; inter alios Hottingerus cont. Morinum, Ant. Hulsius. Genuinam ejus editionem pollicitus fuit Isaacus Vossius; sed non præstitit, forte, cum reliquâ ejus bibliothecâ, transiit in Academiam Lugduno-Batavam, ibidemque latet. His igitur incrementis, sub hac epochâ, illustrata fuit Theologia Mosaica, & gentilibus etiam innotescere potuit. Quantum denique ad Theologiam *Symbolicam*, non habuit utique hæc epocha novos ritus ecclesiasticos, novos typos ceremoniales, nova sacrificia, nova festa, si forte excipias festum *Purim* Esth. III. 7. & IX. 26. quod etiam fuit, non tam *ecclesiasticum*, quam *politicum*; saltem non *ceremoniale*, ulli mysterio evangelico figurando datum; quam quidem eucharisticum, rememorandæ solenniter liberationi Ecclesiæ, à præsentissimo excidio, etiam apud posteros, injunctum, auctoritate Mardochæi, spiritu prophetico, haud dubie, beati: si itidem excipias quatuor jejunia extraordinaria, in Babilone nata: (1) Mense quarto, in memoriam perruptæ urbis Jer. LII. 7. (2) mense quinto, in memoriam exusti templi 2 Reg. XXV. 8. 9. (3) mense septimo, in memoriam cædis Gedaliæ, & dispersionis Judæorum, qui cum eo erant Jer. XLI. 1. (4) mense decimo Zach. VIII. 19. in memoriam cœptæ obsidionis Jerosolymorum 2 Reg. XXV. 1. Habuit tamen præter novum, saltem instauratum templum, quo immobilis N. Testamenti stabilitas & reformatio indigitata videtur, habuit, inquam, varias *visiones* propheticas, quibus varia mysteria euangelica adumbrata fuerunt. Sicut enim sub exeunte priore epocha, mysterium reprobatæ Ecclesiæ Judaicæ, & evocati gentilismi, significatum fuerat, visione matrimonii fornicarii Hos. I. 2 — explicante Apostolo Rom. IX. 25. 26. sicut item subjugationem Ecclesiæ Judaicæ figuraverat, jugo, cum ligneo, tum ferreo Jer. XXVII. 1 -- & XXVIII. 13. cum Deut. XXVIII. 48. Jes. IX. 3. 4. & X. 27. & XIV. 25. Jer. II. 20. & XXX. 8. Thren. I. 14. Ezech. XXXIV. 27. Nahum. I. 13. ita sub hac epocha, varias Ecclesia habuit visiones propheticas, quibus varia Theologiæ capita, varia Euangelii mysteria figurabantur, v. g. sub Ezechiele *α.* Visionem quatuor animalium & quatuor rotarum Ezech. I. 1 — & cap. III. 1 — quibus fata Ecclesiæ, & providentia divina in eis adumbrabatur. *β.* Visionem gloriæ divinæ, migrantis ab urbe Jerusolyma in montem Olivarum cap. XI. 22 — quæ significabat rejectionem Judæorum. *γ.* Visionem ossium aridorum vivificatorum. Cap. XXXVII. 1 — qua, non tantum liberatio Judæorum e captivitate Babilonica; sed etiam resuscitatio mortuorum significabatur. *δ.* Visionem duorum lignorum, sibi invicem unitorum. Ibid. vs. 15 -- quâ non tantum redunitio Israëlis & Juda, post captivitatem Babilonicam; sed etiam unio Judæorum & gentilium sub N. T. adumbratur. *ε.* Visionem novi templi, & ambulantis in eo gloriæ divinæ. cap. XL. usque ad finem libri, qua glorioſus status Ecclesiæ, non tam Israeliticæ, post solutam captivitatem Babilonicam; quam Christianæ sub Novo Test. efformabatur: & imprimis etiam sub Zacharia, cujus capp. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. complura prædicuntur & præfigurantur de Christo & mysteriis

Theologia Symbolica hujus epochæ.

mysteriis euangelicis, v. g. de tempore adventus ejus: *Rex tuus tibi venit pauper* — cap. IX. 9. de Euangelii initio in *Hadrach* & *Damasco*, de Antiochia in Hamathâ excipiente Euangelium, de introitu Christi in Hierosolymam super asinam, de ipso ad confusionem redigente tres pastores, Pharisæos, Sadducæos, Essæos, de remissione peccatorum, futurâ per sanguinem Christi, de Christo vendendo triginta argenteis, de discipulorum dispersione, de nonnullis Hierosolymitanis, super ipso plangentibus, quem transfoderant, de reliquorum, eorumque urbis & templi excidio, propter incredulitatem, & similia, quæ omnia singulatim repræsentare, explicare & applicare, prolixius foret, quam pro instituto nostro.

Status Ecclesiæ sub tertia hac epocha Mosaica.

XLVI. Status Ecclesiæ, sub hac epocha, considerari trifariam potest, nim. vel sub ejus ingressu, vel progressu, vel egressu. Sub ejus *ingressu* in Babilonem, admodum fuit miser & afflictus, quando urbe, templo, cultuque divino, penitus privata fuit, ut nova Ecclesia, per solutionem captivitatis, e ruderibus Veteris Ecclesiæ emergeret. Habuit interim sibi præsentes & monentes Prophetas, in Judæa quidem Jeremiam, in Babilone Ezechielem, Danielem, Haggæum, Zachariam, Malachiam, Esdram, Nehemiam, Mardochæum. Habuisse interim videntur in ipsâ Babilone, perinde ac olim sub servitute Ægyptiaca, suos seniores populi, in Capitibus tribuum, ut supra monuimus, quin & suam *ἀυτονομίαν* ratione cultus divini, quanquam sub tyrannide Monarcharum Babilonicorum. Nec fieri potuit, quin populus in Babilonia, destitutus omni illo cultu ceremoniali, qui templo affixus erat, destitutus item copia codicum sacrorum, destitutus frequentia monitorum retrahentium, prorueret in detestandam cultus divini negligentiam, & hinc porro in vitam profligatissimam, quo nomine passim acerrime eos reprehendit Ezechiel v. 9. cap. IX. 1. & XI. cujus specimina prostant penes secutam Esdræ & Nehemiæ reformationem circa α. Sanctificationem Sabbathi Neh. XIII. 15 — circa connubia mixta cum Gentilibus. Ibid. vs. 23. Esd. X. 16 — circa polygamiam & divortia Mal. II -- &c. sub *progressu* hujus epochæ, videbantur benigniora fata affulgere Ecclesiæ nim. sub septuaginta septimanis annuis, seu annis 490. de quibus Dan. IX. 25. 26. 27. quæ videntur numerandæ, ab anno secundo Darii Nothi, usque ad excidium templi secundi, juxta loca Hag. I. 1. Zach. I. 1. Esd. IV. 24. & cap. V. 12. Matth. XXIV. 15. Marc. XIII. 14. Luc. XXI. 20. inter se collata. His enim locis exprimitur terminus a quo, vid. edictum Regis efficax, de instauratione templi ac politiæ Judaicæ, & terminus ad quem, puta excidium urbis & gentis. Itaque excidium illud contigit Anno M. 4018. Nam 490. adjectis ad 3528. qui annus est secundus Darii, existit ista summa. Antecedentia edicta nonnunquam sunt interpellata. A primo quidem edicto Cyri, futuræ erant septimanæ septem, seu anni 49. usque ad perfectionem templi & urbis. Inde vero futuræ erant septimanæ sexaginta duæ, usque ad Christum Ducem, qui ducatus confistit, in ejus nativitate, passione, ascensione in cœlum & promulgatione Euangelii. Postremo ultima septimana dividitur in duas medietates, ita ut in alteram ejus incidat excidium politiæ Judaicæ per Romanos. Lætum quidem erat primum edictum Cyri, de instauratione templi & urbis; sed impeditum tamen sæpius, cum artibus hostium circumjacentium; tum ipsa populi Judaici negligentia. Dedidicit quidem populus, per captivitatem Babilonicam, & Vitulismum Jerobeamicum, & Baalismum Achabiticum, omnemque idololatriam, usque adeo, ut cum Herodes Magnus, parasitaturus Romanis, statuam aquilæ præfigeret portis templi, magnifice à se instaurati, licet in finem tantum politicum, adeo suis insultibus exardescerent Judæi, ut volens nolens, eam auferre coactus fuerit. Interea tamen ipsis infestus coexstitit *Samaritanismus*, non tantum, ope suorum asseclarum, instaurationem templi cohibens Neh. II. 10. 19. & cap. IV. 1. 2. 7. 8. & cap. VI. 1 — sed etiam, structo peculiari templo schismatico, in monte *Garizim*, quod factum tempore Alexandri M. quando Manesses, frater Iaddi Pontificis, cum uxorem alienigenam legibus repudiare cogeretur, ad Socerum Sanballatem confugit in Samariam, ibique templum hoc, Hierosolymitano simile, struxit, seque Pontificem ejus, permissu Alexandri M. professus, id animi addidit Samaritanis; ut de loco genuino cultus divini, litem moverent Iudæis Ioh. IV. 20. à quo odium capitale natum est, inter ipsos & Iudæos, & non nisi Scripturam Mosaicam agnoscentes, Davidem, ejusque filium Salomonem, minus recte feciisse dixerunt, quod monte Silone in Ephraim relicto, in Sionem arcam traduxissent. Ioseph. *Antiq.* lib. XII. cap. I. Litem istam postea Alexander Epiphanes pro Iudæis determinavit. Iosephi lib. XIII. cap. 6. Sed qui hactenus se, templo suo superbientes, Ephraimitas, & Dei Israelitici cultores asseruerunt, tempore Antiochi Epiphanis, cum ille Iudæorum sacra evertisset; se non Israelitas, sed Sidonios nominarunt, & templum suum Iovi Xenio, seu hospitali, consecrari, non repugnarunt. Subacti sunt tandem Samaritani, à Ioh. Hircano Rege, qui templum eorum Garizitanum, postquam annis CC. impietatis Samaritanæ officina fuisset, funditus evertit. Ad extremum tandem, uterque populus, cum Samaritanorum, tum Iudæorum, variis agitatus seditionibus, in Romanorum potestatem concessit. Interim etiam hic notandum, eodem tempore, quo templum Garizitanum Iovi Xenio fuit consecratum, *Oniam*,

Oniæ

Oniæ IV. Pontificis filium, cum Judæis seditione pulsis, in Ægypto, permissu Antiochi Epiphanis, in Heliopolitana præfectura, oppidum Hierosolymis simile condidisse, inque eo templum Salomonitico conforme ædificasse, Josephus lib. XII. cap. XV. & XX. cap. 8. quod post CCCXXX. annos, templo Hierosolymitano, à Tito combusto, Paulinus Ægypti Proconsul, claudi jussit, ita ut vestigium cultus divini in eo nullum remaneret. Joseph. *Belli Judaici* lib. VII. Conf. 2. Machab. I. Ut sub una hac epocha, tria obtinuerint templa, nim. præter unum legitimum, duo schismatica. Samaritanismo, sub hac epocha accessit *primo Pharisæismus*, cujus ortum Scaliger quidem in *Elench. Trihær.* cap. 22. à. *Chasidæis* repetit, quo nomine, sub persecutione Antiochi, venerint ii, qui præ reliquis Judæis, constantiores fuerint in fide, quique usque ad tempora Christi, adeo degenerarverint, ut Christus eis hostes expertus non fuerit magis infensos, Josephus saltem eorum primam mentionem facit, circa tempora Jonathæ Assamonæi lib. XIII. Antiq. cap. IX. quem sequitur Burgensis Episcopus, & Spanhemius *Dub. Euang.* part. 3. p. 105. Conf. Drusius, de trib. sect. p. 74. Saltem Hircanus eis primo adhæsit, quamvis postea ad Sadducæos declivis fuerit, quo defuncto, adeo invaluerint potentiâ, ut auxilio Regis Syriæ, Alexandro Regi suo, per sexennium, conscripto milite, ita potenter restiterint, ut roganti; quid vellent à se fieri, responderint uno ore, ut seipsum interficeret, quanquam non impunè, quod multa eorum millia ab Alexandro fuerint interfecta, octingenti etiam crucibus affixi Joseph. lib. XIII. cap. 21. & 22. Viduam autem Alexandram, sibi obsequentem nacti, suas leges recuperarunt, & multo vehementius sævierunt. Nomen habent, non ab interpretatione legis, quasi פרושים, sed à *separatione* פרושים, vel פרישין, *ἀφωρισμένοι*, quales olim fuerunt Naziræi. Hæreseos capita hæc præcipue videntur fuisse: quod libero arbitrio independentem tribuerint *ἀδιαφορίαν* Joseph. de *Bell. Jud.* lib. II. cap. 12. & *Antiq.* lib. XVIII. cap. 2. Quod traditiones & legem *Oralem* asseruerint, quod ipsis passim Servator improperat. Quod *μετεμψύχωσιν* admiserint, qua animæ bonorum transirent in alia corpora; malorum vero, æternum experiantur supplicium. Quod omnem liberorum versus parentes, *σορηὴν* suis votis sustulerint Matth. XV. 15. Marc. VII. 11. Quod vestibus pullatis à plebe discerni voluerint: & si quæ sunt ejus generis alia. Cognomina & quasi species, apud Talmudistas habent septem: *primum* est, Pharisæus *Schicemata*, qui imitatus Sichemitas Gen. XXXIV. circumcisionem admittit, bonis operibus vacat, *σκληραγωγίαν* sectatur, non propter Deum; sed gloriolæ & lucelli causa; *secundum*, Pharisæus *impingens*, qui, specie nimiæ humilitatis, pedes suos non elevat; sed eos, quasi reptaret, ad lapides allidit: *tertium* est eorum, qui *venam secabant* ad parietes, dum oculis conniventibus, ne mulierem aut virginem obviam aspicerent; frontem ad parietes allidebant & sauciabant. *Quartum*, Pharisæus instar pistilli depressus, incurvato nempe & humili corpore incedens. *Quintum* Pharisæus, qui dicebat: *quod debeo, faciam, & amplius* videl. ex *superabundantia. Sextum*, Pharisæus *ex timore pœnarum*, quas lex infligit violatoribus. *Septimum*, Pharisæus *ex amore præmii*, quod videl. pollicetur Lex. Vid. Hotting. *Thesaur. Philolog.* lib. I. cap. I. sect. V. Accessit *secundo Sadducæismus*. Non tam à צדק *justitia* sic dictus, cum Sadducæi moribus exstiterint injustissimi, eoque nomine plebi exosi. Drus. *de trib. sect.* p. 140. quam à *Sadoco* quodam Antigoni discipulo, qui, cum à præceptore didicisset, non esse Deo serviendum ob mercedem; inde conficiebat, præmium ullum obsequentes non manere, proinde nullam dari mortuorum resurrectionem, nullam vitam æternam. Hos Judæi volunt primos fuisse suos hæreticos, forte quod cum Samaritanis eos perperam confundant. Natum volunt tempore Alexandri M. apud templum Garizitanum, scil. ex perversa hypothesi, quod iidem sint cum Samaritanis. Quantum ad hæreseos capita, diffidebant à cæteris Judæis, in externis ritibus, v. g. festo expiationis tribuebant biduum, aliter explicabant præceptum, de *ducenda fratria*, arctius adhærebant ritibus ecclesiasticis, quam Pharisæi. Certo negabant resurrectionem mortuorum, vitam æternam, Angelorum & Spiritus S. existentiam Matth. XXII. 23. Marc. XII. 18. Luc. XX. 27. — Act. IV. 1. 2. — & cap. XXIII. 6. 7. Interim Pharisæorum *δευτερώσεις* rejiciebant, totumque verbum *ἔγγραφον* admittebant, non solum Mosis Pentateuchum, ut volunt, qui eos cum Samaritanis confundunt. Vid. Scalig. *Elench. Trihær.* cap. XVI. Spanh. Dub. Euang. part. 3. p. 3. Drus. de *trib. sect.* lib. III. cap. IX. Sunt, qui cum Sadducæis confundunt Baithosæos, quod nec Judæi, nec Christiani admittunt. Vid. Drus. de trib. sect. lib. III. cap. 4. Accessit *tertio Essæismus*, quem sicut nonnulli perperam confundunt cum Sadducæismo; ita alii cum Baithosismo, qui fuerit condiscipulus Saddoci, ita cum nonnullis Judæis sentit Nicol. Fullerus Miscel. Sacr. lib. 2. cap. III. p. 157. & Manasse Ben Israël. de resurrect. lib. I. cap. VI. Hac ratione secta eandem habuerit originem, cum Sadducæismo, scil. existimans, temporibus Maccabæorum corruptis & afflictis, multos sese abdidisse in speluncas, postea vero, rebus in melius vergentibus, alios ad suas sedes rediisse, alios in suis speluncis & montanis perdurasse, hos Essæos vocitatos fuisse. Quicquid sit, saltem ad hanc epocham spectant.

Pharisæismus.

Saddusæismus.

Essæismus.

Vocis origo Hebræis ignota est, Christianis dubia. Alii enim ab אסא *sanare* derivant; alii à חסיא ὅσιος *sanctus*; alii à חשאי *siluit*, ita ut חשאי sit, qui *seorsim à strepitu agit*. Vid. Full. Misc. lib. IV. cap. 3. Dogmata, ritus, ceremonias eorum, ex Josepho, de Bello Jud. lib. 2. cap. VII. & de *antiq.* lib. XVIII. cap. 2. Philone, in libro πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος. *Omnis studiosus liber*, aliisque colligunt, & ὡς ἐν τύπῳ exhibent Hospinianus de *Monach.* cap. V. Drusius de *trib. sect.* lib. IV. cap. 22. Scaliger *cont. Serrarium* cap. 29. & alii. Capita controversa potissimum occupantur (1) circa abstinentiam, quam ita urgebant, ut corporis curam plane negligerent, per aliquot sæpe dies, ab omni cibo abstinerent, carnibus & vino non vescerentur, usum matrimonii fastidirent, à communi hominum consortio segregati viverent, communionem bonorum commendarent. (2) circa jusjurandum, à quo abhorrebant. (3) circa animarum receptacula, post separationem à corporibus: admittebant equidem earum immortalitatem; sed eam non cœlo aut inferno astringebant, verum terrestribus. Habuerunt interim & sua laudabilia, à quibus Eusebio, Epiphanio, aliisque putantur fuisse Christiani, ac Romanenses, eos sui Monachismi, quasi Patriarchas creant. Quamvis Paulus Apostolus, suppresso nomine, ad eorum placita subinde alludere, eaque pungere, imprimis Col. II. 20. — & alibi videatur, ostendente Chemnitio, in *Exam. Concil. Trid.* part. IV. *de Abstinent.* p. 777. in fol. His accedunt *quarto Karræi*, quos Judæi passim confundunt cum Sadducæis, & sic ortus eorum, cum Sadducæismo construendus esset. Alii tamen rectius eos à Sadducæis discernunt, quod Karraitæ resurrectionem mortuorum, præmia & pœnas, contra Sadducæos agnoscant, quamvis in hoc ὁμοψήφοις, quod Pharisæorum παραδόσεις & omnem legem *oralem*, rejiciant: interim tamen non negant, eos à Sadducæis esse oriundos; sed ab eis, in notatis capitibus secessisse. Vid. Buxtorf. *Lex. Talmud.* p. 2114. Dicti sunt à קרא *legere*, quasi *textuales*, *scripturarii*, *Biblici*. Tanto & tam acerbo odio premuntur à Pharisæis, omnibusque Judæis *Deuterotis*, ut quotidie ipsis imprecentur. Non ergo satis accuratè à Judæis & Pontificiis, hæreticis annumerantur. Rectius sectis Judæorum, sub hac epocha natis. *Quinto* connumeratur dissidium perpetuum inter Hillelianos & Schammæos, ortum aliquot annis ante Christum natum, inter Hillelem & Schammai in Babiloniâ, utrumque Pharisæum. Uterque nomine & discipulis apud suos clarus fuit, de quibus Buxtorf. Lexic. Talmud. pag. 617. & 2440. Controversiarum caput fuit, in diversa expositione legis, & constitutionum Talmudicarum. Dissidium inter eos, quantumvis illud extenuare conentur Judæi, Salmanticenses XVIII. capitibus adstringit, adeo incruduit, ut se invicem ad necem usque persecuti fuerint. Accedunt tandem *sexto* Herodiani, de quibus Matth. XXII. 16. Hos Drusius in *præterit.* pag. 48. vult in digestis Talmudicis dici הורדיות, qui Græci fuerint, ab Herode Magno, Antipatri filio, è deserto in loca habitata traducti, traductori festum fecerint, inque eo lucernas accensas, cum violis coronatis, in fenestris posuerint, atque insuper eum pro Messia habuerint. Verum πάροιμια fuisse istud Cl. Drusii, ostendit Buxtorffius in Lexic. Talmud. p. 631. Proinde vero similius videtur, per Herodianos Matth. XXII. non intelligi, nisi Herodis servos seu aulicos, in hoc tantum à Pharisæis & aliis Judæis diversos, quod existimarent Cæsari censum esse dandum, qui propterea Pharisæis admixti fuerint, ut Christum periculosius fallerent, & in odium Herodis præcipitarent. His ergo Schismatibus, sub hac epocha, exagitata fuit Ecclesia Judaica. Sed nec suis persecutionibus fuit destituta, quarum altera adornata fuit, fraudibus Hamanis Agagæi Amalekitæ, ex posteris ejus, quem olim Samuel obtruncaverat, in Babilonia, sub Xerxe, aliàs Ahasuero. Hic spretam à Mardochæo gloriam suam, quod se coram ipso incurvare noluisset, vindicaturus, non in contemtoris solius; sed universæ insuper nationis Judaicæ exitio; oblata magna nummorum vi, à Xerxe, prætextu quod natio suis legibus addicta, sibi esset periculosa, codicillos obtinuit, quibus natio planè eradicaretur. Et cum per illos, ultimus ictus Judæis immineret, ecce providentia divina, ministerio Mardochæi, & Reginæ Estheræ, excidium istud in proprium Machinatoris caput reclinavit, liberatique Judæi, in æternam rei memoriam, festum *Purim* promulgarunt. De quo Esth. VII. & VIII. Secunda persecutio in Judæa accidit, auctore Antiocho Epiphane, qui exercitum misit sub Apollonio. Hic ipso Sabbathi die, sub specie amicitiæ, Hierosolymam ingressus, tyrannidem cœpit exercere, quantam vix unquam alius. Muros destruxit, arcem in monte Sion condidit, præsidio valido instruxit, ædes diripuit & concremavit, homines necavit, neci subductos vendidit, nova altaria erexit, templum Jovi Olympio consecravit, & Garizitanum Jovi Xenio, Biblia exussit, edictum de una Religione, in omnibus nationibus colenda, promulgavit, & Chasidæos, veræ Religionis assertores, interque eos Eleazarum seniorem, & piam quandam Matronam, cum septem ejus filiis, ob suillæ carnis fastidium, variis suppliciis excarnificavit. De quibus videri potest 2 Macc. VI. VII. & 1 Macc. I. Item Josephus in lib. *de imperio nationis:* Hanc Deus suâ providentia declinavit, excitato Matathia Sacerdote, qui pio zelo, in desertum profugus, collecto ibidem milite, tyrannos adoritur, altaria gentilia destruit, ipso etiam Sabbatho militans

2 Macc.

Karræi.

Dissidium inter Hillel & Schammai.

Herodiani.

Persecutio hudaica. jus epochæ prima.

Persecutio secunda.

1 Macc. II. Moriturus, tertio ex quinque filiis Judæ, belli administrationem committit. Hic post fata parentis, Judæos apostatas, omnesque idololatras ad supplicium rapuit, Apollonium Samariæ præfectum trucidavit, Seronem Cœlesyriæ Satrapam fugavit. Antiochus interim, exacturus tributa, quibus militem aleret, Persidem adiens, Lysiæ regni vicario, in mandatis dedit, Judæos deleret. Ille sub tribus ducibus, Ptolemæo, Nicanore & Gorgiâ, exercitum 47000. in Judæam mittit, eisque subito fugatis, anno sequente, majores copias instruit; sed & has Judas repulit, atque urbe instaurata, temploque lustrato, puræque Religionis cultu adornato, novum altare ædificavit, & Encœnia quotannis celebranda instituit. Deinde cum finitimis Edomæis & Ammonitis, ut & Duce Timotheo feliciter pugnavit 2 Macc. x. partemque exercitus cum Simone fratre, in Galilæam ablegavit 1 Macc. v. Joseph. lib. XII. cap. XI. Interim Antiocho in Perside, animi cruciatibus confecto, vermes viscera corrodunt, ut impiam animam tandem exhalarit. Ejus tamen filius Antiochus Eupator, sub tutela Lysiæ, Bethsuram deditione cepit, & Hierosolymam obsedit 2 Macc. XI. 1 Macc. VI. Sed cum audiret, Philippum quendam sibi regnum usurpare, pace fraudulenter facta, & muro templi solo æquato, atque Menelao Pontifice secum abducto, Alcimum, alienum à Pontificia linea, substituit. Onias autem filius Oniæ III. videns se à sacerdotio secludi, in Ægyptum confugit, atque ibi, in præfecturâ Heliopolitana, templum exstruxit, de quo jam ante diximus. Defuncto Juda Machabæo, Judæi, nemine obnitente, Syrorum petulantiâ, variè sunt exagitati, usque dum Jonathas succederet, & Demetrius Rex Syriæ, ab Alexandro Eupatoris filio, seu vero, seu putativo oppugnatus, Jonathæ, sibi in societatem adscito, contra Alexandrum, potestatem faceret muros Hierosolymitanos instaurandi: sed ab Alexandro, in cujus partes tandem tractus est, stolam Pontificalem tandem impetravit 1 Machab. x. Joseph. lib. XIII. cap. 3. Interea & suas *reformationes* habuit hæc epocha, quarum *prior* διαστάσεως facta est, immediate post solutam captivitatem Babilonicam, auctoribus Esdrâ, Nehemia, Zorobabele, Josua Pontifice, qui templum, urbem, cultum divinum, & Canonem Sacrum, egregie restituerunt, sicut supra diximus: *posterior* sub Machabæis, seu Mathathiâ, Juda, Jonathane Maccabæis, de quibus dudum monuimus. Nil addam de Karæis, quatenus saltem Scripturæ perfectionem & sufficientiam, contra Pharisæorum legem *oralem*, & traditiones ἀγράφους, tueri sunt conati. Tot ergo revolutionibus, cum ecclesiasticis, tum politicis, & Ecclesia, & Respublica Judaica, ad suum *egressum*, ad sua fata properavit. Sublata enim sic satis Theologia Mosaica, saltem destructis ejus fundamentis, per (1) negatam perfectionem Theologiæ scriptæ, eique oppositam à Pharisæis legis oralis, & traditionum necessitatem (2) per quæsitam ab omnibus Schismaticis justitiam, non jam amplius in Messiâ, qui est *Jehova justitia nostra* Jer. XXIII. 6. inque ejus passionibus Jes. LIII. sed in observatione legis, cumprimis *oralis* illius (3) substitutum Theologiæ *Atheismum* à Sadducæis, negantibus animæ immortalitatem, resurrectionem mortuorum, vitam & condemnationem æternam, existentiam spirituum (4) per constructas ei tot superstitiones, tot elementa mundi, *ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris* ab Essæis: subrutis inquam his fundamentis, *Ecclesia* diu stare non potuit, neque etiam *Respublica*, tot intestinis motibus, tot item vicinorum suorum infestationibus, quassata. Ab istis omnibus factum, ut Pompejus, attractus diffidiis inter Aristobulum & fratrem ejus Hircanum, Palæstinam invaserit, causam fratrum contendentium audiverit, & cum Aristobulum omnia fraudibus agere intelligeret, in eum movit, Hierosolymis, partim traditis, partim die Sabbathi, cum Judæi ab armis feriarentur, expugnatis, millibusque duodecim interemptis, templum ingressus quidem est, & quæ alioquin nefas est videre, nisi solis Sacerdotibus, inspexit: sed nihil inde abstulit, gentemque Judaicam rebus secundis elatam, intra veteres terminos contraxit, & Solymas populo Romano fecit stipendiarias, urbesque, quas Judæi sibi in Cœlesyria subjugaverant, illis ademtas, proprio parere Præsidi jussit, secumque Aristobulum duxit in captivitatem: Hircano autem Sacerdotium, sed absque regno, concessit. *Tum primum*, inquit Josephus, *libertatem amisimus, subjecti Romanorum imperio, & regionem de Syris captam reddere coacti sumus, & insuper, plusquam decem millia talentorum, brevi tempore, à nobis Romani exegerunt: & regnum, quo prius Pontificale genus honestabatur, ad plebejos translatum est homines.* Conf. Joseph. *Antiquit.* lib. v. cap. 19. cum lib. I. de *Bell. Jud.* cap. 5. Tacit. lib. XXI. Interim Judæis, circa cultum divinum, relicta est sua αὐτονομία, cum qua, sub legatis Romanis, Gabinio, Crasso, ahisque, item sub Herodibus, per varias vicissitudines cædesque, cum intestinas, tum extraneas, tandem sub Tito Vespasiani Imperatoris filio, eo devenerunt, ut Urbs, templum, omnisque ejus cultus, æternum fuerint sublata, de quo, apud periodum sequentem, uberior dicendi locus occurret.

Reformationes.

Pars elenchtica.

Quæritur.

XLVII. Quæritur *primo*, an legis ceremonialis complures ritus, nonnihil emendatos, quos Deus per Mosen Israëli præscripsit, mutuatus fuerit ab Ægyptiis, ad hoc potissimum, ut eos ab idololatria Ægyptiaca desuefaceret, nisi quod paucos eorum, ad Deum

1. An multa legis ceremonialis remota.

ab Ægyptiis acceperit?

ad mysteria euangelica usurpaverit; Sociniani quidem odio satisfactionis, fidei in satisfactionem Christi, & genuini Euangelii, nullum mysterium euangelicum latuisse, sub cunctis istis ritibus ceremonialibus; sed homines sub V. Testamento, servatos fuisse observatione legis Mosaicæ. Joh. Spencerus Reformatus, paucos tantum rituum ceremonialium, figurasse mysteria euangelica. Ipse autem, in sua *Dissert. de Urim*, & ante eum Joh. Marshamus eques auratus, in suo *Canone Chronologico*, existimarunt, Deum complures ritus ceremoniales, à sacris Ægyptiorum haustos, Israëlitis per Mosen præscripsisse, ad hoc potissimum, ut idololatriæ Ægyptiacæ adsuetos Israelitas retraheret. Reformati hactenus statuunt universam legem, ceremonialem, eo spectasse, ut esset σκία τῶν μελλόντων Col. II. 17. Heb. VIII. 5. & X. 1.— eamque legem non ab Ægyptiis accepisse; sed proprio motu, Israëlitis præscripsisse, quia 1. Legis hujus ab Ægyptiis acceptæ, nulla omnino fit mentio in Scripturis, nec aliunde id sciri possit. 2. Parum è majestate tanti Legislatoris sit, suas leges ab idololatris repetere. 3. Etiam in depreciationem & contemtum istarum legum vergat, esse mutuatas ab idololatris. 4. Hoc parùm facit ad præcipuum legum istarum scopum, qui juxta τοὺς ἀντιλέγοντας fuit, Israelem assuefactum idololatriæ Ægyptiacæ, eis instrumentis ablactare velle, quibus illa maximè foveri poterat, & fovebatur in Ægypto. Pro suâ interim sententiâ, Viri isti docti contendunt, his potissimùm hypothesibus: A. Multam dicunt convenientiam inter Hebræos & Ægyptios, in capitibus Theologiæ, cultus & ceremoniarum, testibus Dione Cassio, Luciano, Plutarcho, Strabone, Diodoro Siculo, Chæremone, Herodoto, Manethone, Sanchuniatone. B. Ista convenientia, cum casu nequaquam fuerit orta; alterutrum dicendum esse: vel quod Ægyptii illam acceperint ab Hebræis; vel quod Hebræi acceperint ab Ægyptiis: prius autem dici non posse, propterea, α. quod Ægyptii, per auctores jam citatos, primi fuerint auctores eorum quæ ad religionem spectant. Tum β. Ægyptii, à sua antiquitatis, sapientiæ & religionis opinione, fastuosiores fuerint, quam ut aliorum placita reciperent. Imprimis γ. quod odio implacabili versus Hebræos adeo fuerint imbuti, ut nulli probabile possit esse, quod sua placita ab eis admittere voluerint. Dum ex adverso δ. Hebræi quorumvis placita in suam religionem facile admiserint. Neque insuper ε. cura ipsis fuit, suam religionem ad alios propagandi. Et si cura ista ipsis & maxime adfuisset, eos hoc non potuisse, quod adeo passim apud omnes populos essent exosi & contemtibiles, ut pro sordibus & rejectamentis haberentur. Addunt C. quamvis Scriptura, de acceptis ab Ægyptiis & sic ad Israëlitas traductis his ritibus, nihil expresse habeat: nihilominus huc alludi Ezech. XX. 25. ubi per *statuta non bona*, nil commodius intelligi possit, quam statuta illa ab Ægyptiis accepta; cui addunt locum ex Act. XIII. 18. quod Deus ἐτροποφόρησε *toleravit eorum mores*, h. e. consuetudines istas Ægyptiis acceptas. Pergunt D. Quod Deus pro sua sapientia, indulgendo vanos istos ritus, Israëlem quidem, vanitatibus istis captum, retrahere voluerit, ne ritibus istis Dæmoni cultum exhiberent: gentes etiam, ritibus istis gentilibus, ad Judæorum religionem provocare voluerit. Tandem E. corradunt, quasi consentientium testimonia, Cyrilli Alexandrini, Chrysostomi, Justini Martyris, Origenis, Hieronymi, Tertulliani, Theodoreti, Isidori Pelusiotæ, H. Grotii, Maimonidis aliorumque. Jam omnibus istis strictim occurremus: (1) Ægyptios omnis religionis primos fuisse auctores, auctores illi gentiles, tanto intervallo, à primis Ægyptiis, pariter & Israëlitis dissiti, ut dicamus, ex vero testari nunquam possunt: saltem ipsis obloquitur universa periodus Patriarchalis, per singula sua curricula, prout suis locis demonstravimus, quæ suam Theologiam ab Ægyptiis haurire non potuit. (2) Convenientia illa inter Hebræorum & Ægyptiorum, non tanta est, quantam crepant Viri docti. Imo (3) quam pro convenientiâ illâ, quam dicere conantur, tam exilis est, ut vix ullam gestet similitudinem. (4) Auctores illi, qui pro ista convenientia citantur, plerique tempore N. T. floruerunt, per bis mille annos, à primis istis Ægyptiis pariter & Israëlitis dissiti, qui proinde de istis, nil solidi repræsentare possunt. v. g. Dion Cassius, tempore Marci Antonini Philosophi, circa annum Christi, circiter 163. Lucianus eodem seculo & post eum, Plutarchus sub Nerva & Trajano, paulo ante præcedentibus, circa annum Christi 97. Strabo tempore Tiberii, A. C. circiter 16. Diodorus Siculus, sub Julio Cæsare & Augusto, adeoque cum Christo nato, Chæremon Ægyptius res Ægyptiacas scripsit, circa tempora Neronis & Trajani, Herodotus omnium historicorum Græcorum qui exstant antiquissimus, tempore Darii Hystaspis, Xerxis & Artaxerxis Longimani, circa annum M. præter propter 3430. Manetho Pontifex Ægyptius, qui ex columnis, & ex scriptis Mercurii Trismegisti, se sua condidisse dicit; vixit sub Ptolemæo Philadelpho, circa A. M. 3670. Sanchuniathon Berutius, qui Phœnicam historiam, lingua Phœnica conscripsit, à Porphyrio, temporibus Semiramidis, à Mosaicis non adeo multum remotis, construitur, cui tamen obloquuntur Scaliger & Vossius. Quicquid sit, saltem secundum Porphyrium quidem, quadringentis circiter annis Mose junior est; secundum Scaligerum & Vossium, multo pluribus. Insuper ejus scripta dudum perierunt, & ex eo, Viri docti vix quicquam pro se addu-

Sententia affirmans.

Reformatorum negans.

Destruuntur.

Partis affirmantis fundamenta.

adducunt. Isti ergo auctores quid solide de temporibus, tanto intervallo a se remotis, testari possunt? Si dicas, potuisse forte ex libris sibi præsentibus, qui nobis absunt: sed nullos saltem habuerunt, his Israëliticis & Ægyptiacis coævos. Proinde (5) convenientia illa, si quam testantur, inter Hebræos & Ægyptios, sua tantum tempora, eisque propiora respicit: quæ non obstat (6) quominus Ægyptii, sapientiæ & sapientum veneratores, suos istos ritus, olim ab Abrahamo, postea à Josepho, porro à Mose, & sapientia & prodigiis sibi venerabili, tum cumprimis, cum leges ferret, tanta sapientia & majestate coruscantes, insuper sub Josuâ, qui tot trophæis, saltem supra contemtum, apud Cananæos & circumjectos populos evexit Israëlitas, ut ab eis ritus Mosaici, etiam ad Ægyptios propagari potuerint, porro sub Davide, cui cum peregrinis nominatim Tyriis 1 Paral. xxii. 4. tantum fuit negotii, ut suorum sacrorum aliquot ad eos propagari potuerint, tandem sub Salomone, qui à sapientia sua, Ægyptiis, sapientiæ adeo avidis, usque adeo non fuit contemtui, ut Ægyptiorum Regi visum fuerit, ei suam filiam in matrimonium tradere, & quin per eam, aliquid Sacrorum ejus, ad Ægyptios propagari potuerit, non absimile videtur. Quantum denique (7) ad auctoritates Virorum Clariss. ex Patribus aliisque, dixerunt pro suâ sententia, prout ipsi etiam Viri Cl. absque idoneis auctoritatibus & argumentis, plerumque etiam non dicunt, quod vellent Viri Cl. nonnunquam etiam plus, quam vellent iidem, quin & non rarò contraria dicunt, quæ articulatius repræsentare, non fert analogia hujus operis, omnia adeo dixit nitidè, plene ac solidè, Celeb. Collega Witzius, in suis *Ægyptiacis*, ut non videam, quid ulterius desiderari queat.

Quæritur. An ex moralis per Mosen lata sub N. T. sit abrogata?

XLVIII. Quæritur *secundo*, an lex moralis per Mosen lata, sub N. T. sit abrogata? Anabaptistæ, quia legem cum fœdere operum, item cum libris V. T. confundunt, simpliciter affirmant. Sociniani, quo commodius tueantur, α. hominem jam justificari operibus quidem, sed non legis; verum Euangelii. β. homines sub V. T. servatos fuisse, absque Christo, absque ulla satisfactione Christi, absque ulla fide in Christum, solâ observatione legis Mosaicæ, γ. Euangelium non esse nisi legem Mosis, prout est à Christo correcta & aucta: statuunt legem, ut a Mose profecta est, inutilem esse ad vitam æternam, quod per Euangelium suum servemur. Antinomi, quia legem simpliciter opponunt gratiæ, ut solâ gratiâ peccatorem servari (suo sensu) obtineant; nonnulli quidem *totaliter & absolute* abrogatam censent; alii non simpliciter, sed tantum ut à Mose lata est, abrogatam volunt. Reformati, legem *forensem* quidem, quatenus peculiariter concernebat Rempublicam Judaicam, cum ipsâ illâ Republicâ abolitam agnoscunt; licet eas leges, quæ Rempublicam ex æquitate naturali dirigunt, adhucdum obtinere velint: legem *ceremonialem*, quia Christum ut futurum præfigurabat, abrogatam statuunt: de lege autem *morali*, diversum loquuntur. Accuratiores, usum ejus *fœderalem* caute distinguunt *à normali*: tum in *fœderali*, triplicem observant vim & efficaciam: α. *justificandi*, hactenus universaliter sublatam esse, omnes recipiunt. β. *condemnandi*, hanc sublatam quidem omnes agnoscunt; sed respectu eorum *tantum*, qui sunt sub fœdere gratiæ. γ. *propellendi* ad Christum, eatenus adhuc obtinere, respectu electorum adhuc convertendorum: quantum ad usum *normalem*, omnes agnoscunt eam obligare, *quatenus* cum lege naturæ coincidit; sed nonnulli abrogatam volunt, quatenus a *Mose* data est: sic præter nonnullos Pontificios v. g. Dom. a Soto, Suaresium, Medinam alioque; e nostris Hieron. Zanchius, Wolf. Musculus; alii abrogatam censent, quatenus dirigebat educationem *infantilem* veteris Eccleſi, quatenus item præscribebat in *secundo* præcepto, cultum ceremonialem, & in quarto præcepto, sanctificationem Sabbathi *Judaici*: alii rectius abrogatam esse, simpliciter negant. Quia 1. lex *naturæ*, quam exhaurit lex moralis, ipsos gentiles obligat Rom. 11. 14. 15. 1 Cor. xi. 14. nec eadem manente, & Dei & hominis natura cui superstructa est, abrogari potest. 2. Quia Moses & Prophetæ, passim explicant, confirmant & urgent, legem moralem Sinaicam, in usum, non tantum *veteris*; sed etiam *novæ* Ecclesiæ. Conf. 1 Cor. x. 5—12. Deut. xxv. 4. cum 1 Cor. ix. 9. 10. 11. 12. & Jes. 11. 2—. Mich. iv. 1—8. &c. Quia 3. Servator expresse testatur, se non venisse, ut tolleret legem (utique moralem) sed impleret Matth. v. 17. 18. 19—Quia 4. Apostoli passim confirmant auctoritatem legis Rom. iii. 31. & vii. 9--& xiii. 8. 9. 10. 1 Cor. xiv. 34. Gal. v. 14. Eph. vi. 1. 2. 3. Jacob. ii. 8. —12. Quia 5. si abrogata esset, vel ideo esset, quod ad tempus tantum data sit, sicut lex ceremonialis Dan. ix. 27. vel quod a Christo abrogata sit: aut neutrum horum de lege morali ostendi potest. Nec est quod objiciant, quam A. fideles sub N. T. non esse *sub lege* Rom. vi. 14. 15. & vii. 6. Gal. iii. 23. 24. & v. 18. Resp. 1 Non sunt sub lege *ceremoniali*, aut *forensi*. 2 Non sunt sub *fœdere* legali; sed euangelco. B. Lex est *litera mortua* 2 Cor. iii. 6. 7. a quo etiam dicimur *mortui* legi Rom. vii. 4. Resp. Per legem intelligitur fœdus *legale*, contradistinctum euangelico vs. 7. 8. C. Lex opponitur *gratiæ* Joh. i. 17. Resp. Hoc est, fœdus *legale* opponitur *fœderi* gratiæ. D. Non possumus *justificari* per legem. Resp. Hinc non sequitur, legem, quoad usum dirigendi, abrogatam esse. E. *Justo* non est constituta lex 1 Tim. i. 9. Resp. 1. Non tantum sub novo; sed etiam

Argumenta sententiæ negativæ.

Objectiones.

Sententiarum divortia.

etiam ſub veteri T. 2. Juſto per Chriſtum, non eſt data lex, ad condemnandum Gal. v. 23. cum præſertim legis vox JC. paſſim veniat, pro legis *ſanctione* ſeu pœnâ.

3. An lex ceremonialis ſit uſus perpetui?

XLIX. Quæritur *tertio*, an lex ceremonialis à Moſe data fuerit, ut eſſet obſervantiæ *perpetuæ*, Judæi, quo commodius rejiciant Jeſum noſtrum, utpote qui legem, à Deo per Moſen tam ſolenniter latam, abrogaverit; affirmant. Conf. Joh. IX. 16. & v. 16. 18. cum quibus ſuper hac quæſtione, acerrime contendebant Apoſtoli Act. xv. & in his cumprimis Paulus, per univerſam ſuam epiſtolam ad *Hebræos* & alibi. Sociniani, quo commodius defendant, Chriſtum correxiſſe legem Moſis; affirmant Chriſtum ſuſtuliſſe legem *ceremonialem*, utpote quæ nihil habeat, quod quicquam myſterii ad Chriſtum, implicet. Anabaptiſtæ cum Socinianis faciunt; eo quod Chriſtus *omnem* legem Moſis abrogaverit. Reformati itidem, uno quidem ore negant *κατάπαυσιν*; ſed aliis tamen rationibus: nim. 1. Quia ejus abrogatio, per *Meſſiam* futura, exſerte prædicta fuerit Dan. IX. 25. unde, lex *non bona* nonnullis appellatur, quod *per ſe* inefficax & inutilis ſit, ad juſtificationem, & ſic Deo etiam ingrata Pſal XL. 7. 8. 9. Quia 2. uſus fuit *typici*, præfigurans Meſſiam, ut *futurum*, beneficiaque Eccleſiæ, in ipſo præſtanda Exod. XXV. 40. cum Heb. VIII. 5. & Col. II. 17. Quia 3. reſtricta fuit ad nationem *Judaicam*, ad terram *Canaan*, ad ejus metropolin Jeroſolymam, ejuſque templum, jam ſublata Gen. XVII. 8. 9. 10. 11. Deut. IV. 5. 14. & VI. 1. & XV. 20. 22. Quia 4. Deus prædicit teſtamentum *perfectius* Jer. XXXI. 31. 32. cum Heb. VIII. 6. 7. 8. 9. quod proinde abrogatione veteris typici, imperfectiori ſubſtituendum eſſet Dan. IX. 25. Nec huic obſtat A. Quod lex *perfecta* dicatur Pſal. XIX. 8. Reſp. 1. Eſt enim perfecta in *ſua* ſpecie, non in *omni*; eum, agnoſcentibus Judæis, moralis ea ſit *perfectior*. 2. Intelligitur lex *moralis*, ut quæ Prophetæ coincidit, cum עדות cum פקודים cum מצוה vſ. 8. 9. quando leges *ceremoniales* חקים fere appellantur. B. Quod obſervanda præſcribatur, לעולם *in æternum* Levit. XXIII. 14. Reſp. עולם non ſemper *abſolutam* æternitatem, nec terminum *indefinentem* ante extremum judicium, notat; ſed indefinentiam tantum intra *certam* periodum Exod. XXI. 6. 1 Sam. I. 22. Pſal. LXI. 5. Jeſ. XXXII. 14. Jer. V. 22. Mal. III. 4. Quod C. Deus ſit immutabilis Mal. III. 6. Reſp. Hinc tamen ejus *opera* non ſunt immutabilia. Quod D. Chriſtus ipſe profiteatur, ſe non veniſſe ut *legem ſolveret* Matth. V. 17. Reſp. Intelligit legem *moralem*, ut patet ex toto contextu. Conf. lib. V. cap. VIII. §. XVIII.

4. An quartum

L. Quæritur *quarto*, an *quartum* decalogi præceptum ſit juris *ceremonialis*, adeoque abrogatum? Sociniani, quo legem Moſis a Chriſto correctam; Anabaptiſtæ, & Antinomi, quo ſublatam commodius obtineant, abrogatum affirmant. Proteſtantes, & in his Reformati quoque, varie ſentiunt, tum de *origine*, tum de *moralitate* quarti præcepti. Nuper Cl. Coccejus, quo validius evinceret, legem moralem eſſe purum putum fœdus *gratiæ*; affirmabat, nominatim *quartum* præceptum, eſſe *ceremoniale* & abrogatum. Reformati accuratiores, triplex Sabbathum diſtinguunt: *Judaicum*, à quiete Dei paradiſiacâ numerandum; *Chriſtianum*, à quiete Chriſti in ſepulchro, ſeu tu, ab ejus reſurrectione oriundum: & *decalogicum*, quod indefinite *iſtum* diem ſeptimum ſanctificare jubet, quem Deus determinaverit. Proinde ut *Judaicum*, præfigurans quietem Chriſti in ſepulchro, ceremoniale & *abrogatum* admittunt; ita *decalogicum*, morale & perpetuum docent. Quia 1. obtinuit in *paradiſo*, cum nullæ adhuc dum obtinerent leges ceremoniales Gen. II. 1. 2. cum Exod. XX. 11. Quia 2. ad Decalogum ſpectat, cujus *ne jota* quidem aut *κεράτιον* Chriſtus ſuſtulit Matth. V. 17. 18. Quia 3. Sabbathum aliquod, (ſeu dies ſeptimus à reſurrectione Chriſti numeratus) auctoribus Apoſtolis, in N. T. obſervatum legitur Act. XX. 7. 1 Cor. XVI. 2. (qui hinc *dies dominicus* audit Apoc. I. 10.) procul dubio ex præſcripto *quarti* præcepti: utpote quod illum diem ſeptimum ſanctificare jubet, quem Deus dixerit. Quia 4. *quartum* præceptum nullibi abrogatum legitur. Et ſi 5. abrogatum eſſet, non jam decem, ſed *novem* tantum præcepta moralia numeraremus. Cauſantur interim in contrarium: A. Quod appelletur *ſignum* Exod. XXXI. 13. 17. Ezech. XX. 12. Reſp. *Signum* dicitur, non *gratiæ* alicujus, *olim* ſub N. T. *futuræ* (qualia ſigna per ceremonias typicas intelligimus) ſed rei alicujus *præſentis*, *quod ego ſim Jehova ſanctificans vos*. B. Quod Sabbatha diſtinguantur à præceptis moralibus, ſeu ab his, *quæ qui præſtiterit vivet in eis* Ezech. XX. 11. 12. atque etiam abrogata dicantur, velut umbræ Col. II. 16. 17. Gal. IV. 9. 10. 11. Reſp. Omnia feſta *Judæorum* abrogata, appellantur *ſabbatha* Exod. XXIII. 24. cum vſ. 35. 36. tum 2. eſto Sabbathum *judaicum*, ceremoniale & abrogatum; non propterea Sabbathum *quarti* præcepti, aut ceremoniale eſt, aut abrogatum. C. Quod Sabbathum *quarti* præcepti *mutatum* ſit à ſeptimo in primum diem, quod non convenit *moralibus*, ceu univerſalibus. Reſp. Nec Sabbathum *quarti* præcepti; nec quicquam in quarto præcepto *mutatum* eſt: quia id non exigit, niſi ut dies *ille ſeptimus* ſanctificetur, quem Deus determinaverit. D. Quod Sabbathum *quarti* præcepti fuerit figura requiei ſpiritualis, per Chriſtum procurandæ, ab operibus legis ceremonialis Heb. IV. 1—12. Reſp. Nil minus in textu apparet,

præceptum ſit juris ceremonialis, adeoque abrogatum?

Sententia negativa explicatur.

& probatur.

Argumenta ſententiæ negativæ.

Argumenta ſententiæ negativæ.

Objectiones ſententiæ affirmativæ.

apparet; quam de requie ab operibus legis *cæremonialis:* sed constanter Sabbathum figura dicitur, requiei *cœlestis* post hanc vitam vs. 11. Quod E. Sabbathum non obtinuerit ante νομοθεσίαν Sinaicam. Resp. Hoc falsum esse patet, tum ex Gen. 11. 2. cum Exod. xx. 11. tum ex Exod. xvi. 22. 23.

5. An decalogus sit purum putum fœdus gratiæ?

LI. Quæritur *quinto*, an decalogus sit purum putum fœdus *gratiæ*? Judæi, Pelagiani, Sociniani & Pontificii, quia justificationem sectantur ex operibus legis *moralis*, universam νομοθεσίαν Sinaicam, & in eâ, Decalogum quoque, ipso facto referunt ad solum fœdus *operum*. Ex adverso Petrus Baro Stempanus, Professor Cantabrigiensis, & nonnulli alii ex Britannis, referunt eandem ad fœdus *gratiæ*: hos, quanquam diversis hypothesibus, sequitur Cel. Coccejus; quia nim. ante μοσχοποιίαν, nihil omninò obtinuisse statuit, præter promissionem *testamenti gratiæ*. Joh. Camero, celeberrimus Theologus, in *disput. de triplici fœdere*, olim Heidelbergæ habita, nec fœdus *operum*, nec fœdus *gratiæ*; sed fœdus quoddam tertium, seu *subserviens*, in νομοθεσίαι agnoscebat. Nos in *dogmaticis* jam ante ostendimus, in universâ νομοθεσίᾳ Sinaica, fuisse renovationem, & fœderis *operum*, quoad decalogum, & fœderis *gratiæ*, quoad legem ceremonialem, atque insuper fœderis *nationalis* & externi, quoad legem judicialem potissimum: à quibus non incommodè fœdus *mixtum* appellari queat. Proinde negamus, decalogum esse fœdus *gratiæ*. Quia 1. in eo fuisse renovationem fœderis *naturæ* seu operum, demonstravimus §. xviii. Quia 2. decalogus, etiam ante idololatriam *vitulinam* fuit lex; proinde non fuit merum fœdus *gratiæ*; lex enim *gratiæ* constanter opponitur Joh. 1. 17. Fuit lex, quia fuit præscriptio officii sub *comminatione* pœnæ Exod. xx. 5. 7. Quia 3. non promittit remissionem *peccatorum*, non offert *Mediatorem* Jesum, ejusque satisfactionem pro peccatis, non stipulatur *fidem* in Mediatorem Jesum. Quia 4. post μοσχοποιίαν non fuit fœdus *gratiæ*, proinde nec ante illam fuit: idem enim utrobique fuit decalogus, non tantum quoad officia, sed etiam quoad *promissiones* & *comminationes*: à quibus Deus dicitur *zelotes*, qui peccata *vindicat* parentum in filiis — & *gratiam* facit diligentibus se, & servantibus præcepta sua Exod. xx. 5. 6. & quænam quæso differentia *realis* inter hæc, & duo corollaria: *fac hoc & vives*, *ac maledictus qui non manserit* &c? Conf. Exod. xxxiv. 6. 7. Tum etiam impossibile est, ut ex *puro* puto fœdere *gratiæ*, fiat vel σχῆμα fœderis operum. 5. Sic ex operibus justificaremur: habet enim, omnium consensu, decalogus bona opera. Obnituntur tamen in contrarium, fratres qui Clariss. Coccejum sequuntur, his argumentis: A. Quod in præfatione, Angelus fœderis gratiæ dicat: *Ego Jehova Deus tuus*, quod ad fœdus gratiæ pertinet. Resp. 1. Quamvis ordinarie hæc formula ad fœdus *gratiæ* spectet; nonnunquam tamen, & ad impios ac hypocritas extenditur Ezech. xx. 19. 20. 21. 22. Nonnunquam 2. ex creatione & providentiâ, ad omnes promiscuè Jer. xxxii. 27. Frequenter 3. *Deus* Israëlis dicitur, ob fœdus *nationale*, quo sibi universum illum populum selegit & appropriavit Exod. xix. 4. 5. 6. Deut. vii. 6. Psal. cxxxv. 4. Jes. xli. 8. &c, Hoc sensu omninò *etiam* capienda est formula illa in Decalogo. Denique 4. si & hic habeat vim fœderis *gratiæ*; nihil obstat, quo minus observantiam legis suæ, Deus apud populum suum urgeat, rationibus motivis à fœdere *gratiæ* petitis. B. Quod decalogus dicatur *liber fœderis*, & Deus, ad illius auditionem, *fœdus* pepigerit cum Israele Exod. xxiv. 7. & xxx. 18. &c. quod, cum non fuerit *legale*, procul dubio fuerit *gratiæ*. Resp. Renovavit fœdus *nationale*, operum & gratiæ, sicut in *dogmaticis* demonstravimus. C. Quod in secundo præcepto promittat *gratiam* חסד. Resp. 1. Etiam fœdus operum, suo modo, promittit *vitam* æternam, ut *gratiam*: non autem ut *meritum* strictè dictum. 2 Esto חסד fœderis *gratiæ*; num, qui urget observantiam legi præstandam, ratione à fœdere *gratiæ* petitâ, eo ipso statim erigit fœdus *gratiæ*? D. Decalogus continet officia hominis fidelis; proinde est formula fœderis *gratiæ*. Resp. Habet usum decalogus, non tantum *fœderalem*; sed etiam *normalem*, sicut diximus: num propterea est purum putum fœdus *gratiæ*? E. In decalogo etiam præcipitur *fides:* sed quod fidem præcipit, est fœdus *gratiæ*. Resp. 1. Fœdus gratiæ propriè non *præcipit*, ut volunt Pelagiani, Sociniani, Pontificii; sed *promittit* tantum ac stipulatur, seu promittit sub *conditione*. 2. Jubet decalogus indefinitè credere in *Deum*; sed non docet definite in *Mediatorem* Jesum esse credendum, quod tamen est de essentiâ fœderis gratiæ.

Argumenta sententiæ negativæ.

Objectiones sententiæ affirmativæ.

6. An sacrificia ante-mosaica fuerint non imperata; sed liberi ritus, quibus omissis, homo mortis reus factus non sit? Sententiarum

LII. Quæritur *sexto*, an sacrificia ante-mosaica, fuerint non *imperata* à Deo; sed *liberi* ritus & exercitia, quæ non spectarint ad commemorandum *reatum*, & expiandum *typice* peccatum; quæ omissa, maledictionis reum nequaquam fecerint? Pelagiani, Sociniani, & Remonstrantes, & suo modo etiam Pontificii, quo facilius obtinerent, homines sub periodo patriarchali, observatione solius legis *naturæ*, absque ullo mediatore, satisfactione, aut fide in Mediatorem, servatos fuisse, affirmant. Judæi legis *cæremonialis* ortum referunt ad μοσχοποιίαν. Vid. Abarbanel in Jer. vi. 22. Cel. Coccejus, quia statuebat, sub periodo *promissionis*, quæ ipsi fluit usque ad μοσχοποιίαν, nihil obtinuisse in Ecclesiâ, præter *promissionem*, seu testamentum *gratiæ*; existimabat, nullam obtinuisse le-

differitas, gem, vel moralem, vel ceremonialem, vel ipsius fidei; ne scil. peccatum *imputaret*, aut de libertate Ecclesiæ illius quicquam delibaret: quin potius, eandem ferè libertatem, excepta παρέσει, ei relinqueret, quæ nobis competit sub N. T. agnoscebat quidem, sacrificia sub Patriarchis à Deo *data*; sed non *imperata* fuisse, adeoque *liberos* fuisse ritus, quorum omissio reatum maledictionis non adduxerit; licet neglectus seu contemptus in idea, peccatum constitueret. Vid. Cel. Coccejus de *Indag. Sabbat.* §. VI. VII. Est inter Viri Cel. discipulos, fucus, qui cum desperet, se præceptoris genuinam sententiam, adversus impetum argumentorum adversariorum, ingenuè posse defendere; suum ovum præceptori supponit, & tum magno hiatu clamat, præceptoris sententiam ingenue non repræsentari: dicit præceptorem concedere. 1. *Patres ante Mosen sacrificia obtulisse.* 2. *obtulisse fide. Cocc. de fœd.* §. 305. 3. *obtulisse Deo auctore & institutore.* 4. *obtulisse Deo institutore*, SINE RIGORE ET NECESSITATE, AC SERVITUTE, POSTEA INTRODUCTA. 5. *Non potuisse sine peccato contemni aut negligi*; ut quæstio remaneat, an EODEM rigore, *necessitate*, ac servitute, quibus Moses sacrificia olim imperârit? Quasi institutio ac præceptum divinum hominibus non imponeret *rigidissimam* observandi necessitatem. Reformati hactenus, quamvis non dicant, tanto *numero*, & per tot *species* obtinuisse, ac postea sub Mose; quod in Ecclesiis domesticis (non nationali) per Patriarchas διοπίνυσς, sibi continuò præsentes, de his pro re nata facile determinari potuerit; statuunt, & sacrificia, quæ sub Patriarchis obtinuerunt, perinde *imperata*, adeoque eodem *rigore* & necessitate observari debuisse, ac postea sub Mose. Quia 1. omnia instituta divina, *imperata* etiam sunt, atque adeo, *omni* rigore & necessitate observari debent, sub pœnâ mortis æternæ: nisi aut peccata venialia, aut consilia Pontificiorum velimus adoptare. Quia 2. diserte *imperata* leguntur sub periodo Patriarchali, imo ad expiationem peccatorum *typicam* Job. XLII. 7. 8. Quia 3. sacrificia pro initiatione Sacerdotum, item sacrificium juge, quæ sub periodo Patriarcharum *imperata*, à Cl. Coccejo agnoscuntur, *ejusdem* sunt naturæ cum reliquis. Quia 4. sacrificiorum turba à Deo designata, Mosique in monte Sinai repræsentata fuit, ante μοσχοποιίαν Exod. XXV. 40. Quia 5. Sacramenta *ceremonialia*, circumcisio & pascha, quorum eadem est natura & ratio ac sacrificiorum; ante μοσχοποιίαν diserte *imperata*, & quidem sub pœnâ gravissimâ excidii, leguntur Gen. XVII. —& Exod. XII. 15. Quia 6. absque *ulla* limitatione temporis, universa legum ceremonialium turba, ab Apostolo χειρόγραφον, ὁ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν appellatur Col. II. 14. Quia 7. si instituta divina dentur, quæ Deus non *imperaverit*, quæque

Sententia Reformatorum communis.

Ejus rationes.

servare aut non servare, integrum relinquat; admittenda venient Pontificiorum consilia. Quia 8. si non omnia peccata, contra instituta divina, afferant reatum maledictionis; tum admittenda erunt peccata Pontificiorum *venialia*. Quia 9. si daremus sacrificia ante idololatriam vitulinam, non EODEM rigore & necessitate à Deo fuisse imperata; manebit, saltem *aliquo* rigore & necessitate fuisse imperata, quod sufficit ad rem. Obnituntur interim in contrarium, quod A. sanctio illa Deut. XX. VII. 26. *execrabilis est, qui non manserit in omnibus*, quæ procul dubio maximum spirat *rigorem*, audita non fuerit ante idololatriam vitulinam. Resp. 1. Suâ naturâ, omne peccatum, etiam levissimum, omni tempore, quia infinitam violat Dei majestatem; reatum confert maledictionis, sive audiatur, sive non audiatur. 2. Quod illa ante μοσχοποιίαν non *legatur*; non probat eam *non* obtinuisse ante illud tempus. B. Quod ante vetus testamentum, seu ante μοσχοποιίαν, non fuerit servitus Mosaica. Resp. 1. Testamentum vetus à πρωτευαγγελίῳ obtinuisse, cap. *præced.* §. XXIX. ex professo demonstravimus. 2. Servitus illa obtinuit, quamdiu *hæres infans* fuit, h. e. à πρωτευαγγελίῳ usque ad Christum: nisi fratres præponere velint statuere, Ecclesiam Patriarchalem *adultam* fuisse, & sub Mose *infantem* factam esse. C. Quod secundum legem Mosis, qui pollutus, non fuisset certis ritibus & oblationibus purificatus, impurus habebatur, imò excidendus e populo: id quod nullibi dictum invenimus sub Patriarchis. Resp. 1. Pollutum, non haberi *impurum* implicat. 2. Illud non obtinuisse sub Patriarchis, qui probabitur? 3. Fac, *hoc* præcise non obtinuisse sub Patriarchis; num inde sequitur, sacrificia illa quæ tum fuerunt instituta, non fuisse *imperata*? fuisse ritus *liberos*? qui non fuerint omni rigore & necessitate observandi? D. Quod tempore Mosis præcipue, Deus instituerit pro peccatis sacrificia, & discrimen fecerit *puri & impuri*. Resp. 1. Instituit tempore Jobi etiam Job. XLII. 7. 8. tum 2. magis & minus non variant speciem. E. Quod per Mosen, Deus Israëli dederit *statuta non bona*, quibus leges ceremoniales intelliguntur Ezech. XX. 25. Resp. Ast data etiam Patriarchis fuisse, licet non *imperata*, Cl. Coccejus cum suis exserte agnoscit. Si instent, *statuta non bona* Ezechieli esse ceremonias *introducentes servitutem*, quales non obtinuerint ante Mosen: probanda ipsis incumbet hæc cauda. F. Quod Deus Jer. VII. 22. testetur, se cum *Patribus* Judæorum, *cum eos educeret ex Ægypto, non locutum fuisse, nec eis mandasse, de rebus holocautomatum & victimarum: sed hanc rem mandasse; audite vocem meam* —— Resp. 1. *Cum* educeret ex Ægypto, Deus ipsis non mandavit sacrificia, ergo *antea* nunquam ipsis imperavit, qui cohæret? Hæc verba 2. *absolute* intelligi non posse, patet: quia

Objectiones in contrarium.

quia ipsi fratres agnoscunt, audita & instituta jam *ante* fuisse sacrificia, quin exterte *imperata* Exod. III. 18. & v. 1. 3. Conf. Job. XLII. 7. 8. ergo *comparate* tantum, ut sensus sit, *non tam* sacrificia, *quam* obedientiam mandatam ipsis tum fuisse.

γ. An lex Sinaica, accessione carminis maledictorii, & onerosæ legis cæremonialis, vim acceperit imputandi reatum, ut adhuc existentem? Rationes sententiæ negativæ.

DIII. Quæritur *septimo*, an lex Sinaica, propter Israëlis μοιχοπολείαν, accessione tum carminis execratorii, *maledictus omnis* &c. tum onerosæ legis cæremonialis; vim acceperit *imputandi* Israelitis, etiam fidelibus, reatum, sibi adhuc incumbentem? Celeb. Coccejus, quia sub periodo *promissionis*, quæ ipsi fluit usque ad μοιχοπολείαν; *nil* admittit præter *promissionem* testamenti gratiæ; nullam legem quæ peccatum, adhuc existens imputaret; post & propter idololatriam vitulinam, vim accepisse vult imputandi peccatum, h. e. commemorandi seu *exprobrandi* reatum peccatorum, adhucdum, ipsis etiam *fidelibus*, incumbentem. Reformati reliqui, huc spectasse idololatriam vitulinam negant. Quia 1. reatus iste, æterna expromissione, à Christo, ab electis crediturisablatus, & in se derivatus fuit, adeo ut perfectam habuerint remissionem: consequenter, ut *ipsis* adhuc inhærens, imputari non potuit. Demonstravimus ista lib. v. c. II. §. IX. & XVIII. & lib. VI. cap. VI. §. XXVII. Quia 2. legis divinæ violatio, etiam *ante* aureum vitulum, habuit *reipsa*, tum carmen illud maledictorium Exod. XX. 5. 7. tum legem *cæremonialem* & sacrificia. v. g. sacrificium juge, etiam ut expiatoria peccatorum Job. XLII. 7. 8. imo & universa legum *cæremonialium* moles, designata & repræsentata erat Mosi, ante aureum vitulum. Quia 3. Scriptura nullibi docet, propter idololatriam vitulinam; aut carmen maledictorium, aut legum cæremonialium jugum, Israeli fuisse impositum. Objiciunt interim A. locum Jer. XXX. 32. Resp. Nihil hic de idololatria *vitulina*, nihil de carmine *maledictorio*, nihil de impositione jugi *cæremonialis*, nihil de *imputatione* reatus, utriusque ope facta: proinde nihil quod ad rem spectet. B. Locum Ezech. XX. 25. 26. Resp. Nihil itidem hic de peccato *vitulino*, quin potius de peccatis aliis v. g. violatione Sabbathorum: nihil de carmine maledictorio: nihil de reatu peccati adhuc *ipsis* incumbente: quin nihil etiam de impositione jugi cæremonialis. Nec per *statuta non bona*, & *judicia in quibus non viverent*, intelligi præcise leges cæremoniales; sed quod significatur vs. 21. horrenda sua judicia, חקים seu decreta ipsis sane *non bona*, & משפטים seu judicia, in. seu sub quibus, nequaquam viverent. C. Quod ministerium V. T. à μοιχοπολείᾳ oriundum; dicatur *ministerium mortis & condemnationis* 2 Cor. III. 7. 9. Resp. 1. Præsupponitur V. T. ortum capere à μοιχοπολείᾳ, cujus contrarium cap. *præced.* §. XXIX. ex professo docuimus. 2. Nulla justa ratio prohibet, quo minus intelligatur ministerium fœderis *operum*. 3. Quid si intelligatur ministerium fœderis *Sinaici*, quatenus illud habuit renovationem fœderis operum, juxta §. XVIII? Quod D. lex *transgressionum causa addita* dicatur Gal. III. 19. Resp. 1. Hic nihil signate de *transgressione* μοιχοπολείας; sed de *transgressionibus*. 2. Nihil item peculiariter de lege *cæremoniali*, ob μοιχοπολείαν additâ: sed de lege *morali* cum cæremoniali, data, ut in agnitionem transgressionum, & inde ad quærendum redemptorem Christum electos deduceret vers. 24. E. Quod lex cæremonialis fuerit *chirographum*, nobis *subcontrarium*, usque ad Christum Col. II. 14. Resp. Fuit 1. non à μοιχοπολείᾳ tantum: nec 2. quod reatum *actualem* ipsis fidelibus adhuc incumbere, testaretur; sed quod reatum *potentialem*, seu intrinsecum peccatorum suorum demeritu, jam ab æterno, per Christum ab ipsis in se derivatum, horrendis spectaculis repræsentaret, ut diximus §. XIII. F. Quod res ipsa loquatur, post μοιχοπολείαν, populo Israelitico fas non fuisse, appropinquare ad Deum, ad altare, ad sanctum sanctorum; nisi per Sacerdotes & Pontificem, nec huic, nisi semel tantum in anno, & certis etiam legibus &c. Resp. 1. Hoc etiam *ante* aureum vitulum non licuit Exod. XIX. 12. 13. tum 2. hoc non est factum, propter reatum *actualem* ei adhuc incumbentem; sed propter *intrinsecum* peccati demeritum, ad significandum, absque Mediatore Christo, nulli fas esse appropinquare ad Deum.

Objectiones sententiæ affirmativæ.

δ. An populus Israeliticus, propter idololatriam vitulinam, e statu libero, quo hactenus gavisus fuerit, conjectus sit in statum servilem? Celeb. Coccejus, quo latius discriminaret periodum *promissionis*, à periodo *legis*, seu veteris testamenti, quam auspicatur ab aureo vitulo; & quo magis beatitudinem Novi Testamenti extolleret supra Vetus T. statuit Patres utriusque periodi prioris, æqualiter quidem fuisse sub reatu; sed quod illis suus reatus non fuerit *imputatus*; conjectus sit his verò, propter suam μοιχολατρείαν fuisse imputatum: ac proinde, non tantum non habuisse ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, nec tam plenam adoptionem, sanctificationem & glorificationem, quam nos sub N. T.; nec eos tantum fuisse, sub qualicunque Dei irâ & maledictione, destitutos tranquilla conscientiâ, & fiducia illâ accedendi ad Deum, qua nos sub N. T.: sed etiam constitutos sub servitute legis & elementorum mundi, sub qualicunque imperio Satanæ, Angelorum, Principum, Seniorum, Sacerdotum, Prophetarum fuisse, velut Deorum λεγομένων: & ex his omnibus, habuisse *spiritum servitutis ad metum*, potius quam spiritum *adoptionis* & libertatis. Reformati reliqui usque ad Virum Cl. quamvis agnoscant, Ecclesiam V. T. (hoc est à πρωτευαγγελίῳ usque ad Messiam) fuisse

δ. An populus Israeliticus, propter idololatriam vitulinam, è statu libero, conjectus sit in statum servilem? Sententiarum differentia.

Sententiæ negativæ rationes.

fuisse sub statu quodam *servili*, & sub *jugo* legis ceremonialis: negant tamen, hoc *tam* fuisse ob *μοσχολατρείαν*; *quam* quod Ecclesia esset adhuc in statu infantili Gal. IV. 1. Negant item, fideles V. T. fuisse sub servitute *reatus*, sub imperio Satanæ, Angelorum, Principum, Seniorum &c. magis quam nos sumus sub N. T. Eo quod 1. reatus eorum, perinde ac noster, æternâ *expromissione*, fuerit traductus in Messiam futurum, sicut ostendimus lib. V. cap. II. §. XI. & XVIII. Quod proinde 2. tam *plenam* habuerint peccatorum suorum remissionem, quam nos, ut ex professo demonstravimus lib. VI. cap. VI. §. XXVII. Quod 3. propter satisfactionem *expromissam*, & ex ea, remissionem *plenam* collatam; perinde liberati fuerint à *metu mortis*; & ab imperio Satanæ, ac nos. Quod 4. eos fuisse sub imperio Angelorum ac hominum, velut *θεῶν λεγομένων*, magis quam nos, probari non possit. Quod 5. conscientiam serenam, gaudium & fiduciam in Deo, passim liberalissime prodant, v. g. Ps. IV. 7. 8. 9. & v. 12. 13. & XVII. 15. & XVIII. 2. 3. & XXIII. — & XXVII. 1. & XXX. 12. 13. & XXXI. 4. 8. & XXXIV. 3. 9. & XXXVI. 8. 9. 10. 11. &c. Habac. IV. 17. 18. 19. &c. Urgent tamen in contrarium: A. *Reatum*, usque ad satisfactionem Christi, fuisse *in mundo* Rom. V. 13. Resp. Fuit quidem; sed *in Christo*, non in electis fidelibus V. T. sicut demonstravimus loco citat. lib. VI. cap. VI. §. XXIX. B. Quod fuerint sub *ira* & excandescentia Dei Dan. VIII. 19. Jes. X. 25. & imprimis cap. LIV. 7. 8. Jer. XXXI. 32. cum Heb. VIII. 9. Resp. Non loquuntur de *tota* periodo veteris T. sed de eâ tantum illius *parte*, qua judicia sua temporalia, in Israëlem & Judam exercuit, eos tradendo hostibus eorum. C. Quod fuerint sub *maledictione* 2 Cor. III. 7. 9. Gal. III. 10—13. Resp. Loquuntur, non signatè de fidelibus V. T. sed de peccatoribus, quamdiu existunt sub fœdere *operum*, extra Christum. D. Quod non habuerint conscientiam *pacatam*, tranquillam & consummatam Heb. IX. 14. & X. 1. 2. 3. Resp. 1. Contrarium jamjam ostendimus. 2. Apostolus tantum vult, conscientiam eorum non potuisse consummari ac tranquillari, *per sacrificia* ceremonialia. F. Quod fuerint sub continuo *mortis metu* Heb. II. 14. 15. Resp. Paulus non aliud vult, quam fideles utriusque testamenti, à metu mortis liberari per *solum* Christum. G. Quod, ob reatum ipsis incumbentem, fuerint sub qualicunque *dominio Satanæ*, saltem accusandi per legem ceremonialem, & intentandi mortem Apoc. XII. 9. 10. Zach. III. 1. — Resp. Fuerunt sub tyrannide Satanæ, perinde ac nos sumus, quatenus & quamdiu fuerunt, *extra Christum* fide apprehensum Act. XXVI. 18. 2 Tim. II. 25. 26. H. Quod fuerint sub dominio Angelorum, velut אלוהים *θεῶν λεγομένων*, *Deorum nuncupativorum* Heb. II. 5. Resp. Non dicit Apostolus, *veterem* mundum fuisse subjectum Angelis; sed mundum *futurum* non Angelis; verum soli Christo fuisse subjectum Matth. XXVIII. 18. I. Quod fuerint sub imperio *Principum*, Sacerdotum, Prophetarum velut Deorem nuncupativorum *terrestrium*, quibus potestas competebat exigendi chirographum, cogendi ad cultum divinum: ad hoc, pro re nata, præter legem scriptam, imponendi nova statuta, pro auctoritate exponendi mysteria fidei & ænigmata Scripturæ, adeo ut fides & obedientia veteris Ecclesiæ, ipsis cum qualicunque servitute, fuerint submittenda, velut Dominis & diis suis Matth. XXIII. 2. 3. 4. 1 Cor. II. 6. *Principum hujus seculi*, cum Psal. LXXXII. 6. & Col. II. 15. Heb. XII. 9. 10. Resp. Loca illa nihil minus spirant, quam quod intendunt fratres. 1. Sedere in cathedra Mosis Matth. XXIII. nihil aliud sibi vult, quam ex officio explicare doctrinam Mosis, ex Mose, & ad mentem Mosis. 2. *Dii* dicuntur *& filii altissimi*, non Seniores, Sacerdotes, & Prophetæ in Ecclesia: sed *Magistratus* in Republica Rom. XIII. 1. 4. 1 Pet. II. 13. Tum 3. *principes hujus seculi* 1 Cor. II. 6. Paulus non intelligit Pontifices, Seniores, Prophetas Judæorum, præteriti seculi V. T. sed Doctores sapientiæ secularis ac mundanæ. Sic 4. potestates & principatus à Christo exuti Col. II. 15. Paulus non intelligit, vel Angelos bonos; vel Sacerdotes & Prophetas Ecclesiæ veteris; sed Angelos malos Conf. Luc. XI. 22. Joh. XIV. 30. Col. I. 13. Heb. II. 14. 1 Joh. III. 8. Tandem 5. per *Patres carnis* Heb. XII. 9. 10. Seniores & Sacerdotes V. T. intelligendos esse, nullis nisi infirmis Viri Cl. hypothesibus, monstrari potest. Potius, agnoscente ipso Cl. Coccejo ad hunc locum, intelligendi parentes *carnales*, ut contradistincti *Patri spirituum*. H. Quod, ex præcedentibus omnibus, habuerint *spiritum servitutis ad metum* Rom. VIII. 15. 2 Tim. I. 7. Resp. Habuerunt sanè, & nos habemus sub N. T. quatenus *spiritus servitutis ad metum*, eam notat Spiritus S. operationem, quæ peccatorem ad Christum adigit, incutiendo ei agnitionem & sensum peccati & miseriæ, item contritionem & humiliationem Act. II. 37. & IX. 4. 5. 6. & XVI. 29. 30. Luc. XVIII. 13. Matth. XI. 28. cum Psal. XXXIV. 19. & LI. 19. Singula horum, quæ peculiares controversias constituerent, penuria spatii, singulatim examinare distinctius hic quidem non possumus.

Objectiones sententiæ affirmativæ.

Pars practica.

Praxis: 1. Nobis commendat studium V. Testamenti,

L V. Praxis capitis præcedentis, mutatis mutandis, huc traduci commode potest. Praxin singulorum hujus epochæ curriculorum, singulatim expedire, necessitas brevitatis prohibet. Universa

ſa epocha, *primo* nobis commendat ſtudium Veteris Teſtamenti Joh. v. 39. 2 Pet. 1. 19. 20. 21. Luc. XXIV. 25. 26. 27. Eo quod 1. Vetus teſtamentum *idem* habeat gratiæ fœdus, quod novum Act. XV. 11. 1 Cor. X. 1—4. Ut recte Novatianus, apud Tertullianum *de Trinit.* cap. IX. & X. moneat, *non alterum in Euangelio Chriſtum exſpectandum fuiſſe, quam hunc à Veteris Teſtamenti literis promiſſum: maxime quum, & quæ de ipſo prædicta ſunt, impleta ſint, & quæ impleta ſunt, ante prædicta ſint.* Quod 2. ſicut *novum* teſtamentum plenum eſt Moſis & Prophetarum; ita *vetus* teſtamentum, plenum ſit Chriſti & Euangelii. Hinc Paulus, ſe nihil extra Moſen & Prophetas dixiſſe teſtatur Act. XXVI. 22. Quod 3. vetus ac novum teſtamentum ſibi invicem ſtabiliant veritatem & auctoritatem: quod item accuratè inter ſe collata, efficaciſſime nos convincant de veritate Euangelii Act. XVII. 11. Joh. v. 39. *Unum* enim idemque præſtant fœdus, ſancitum morte unius ejuſdemque teſtatoris, niſi quod reſpectu diſpenſationis, *duo* ſint teſtamenta: vetus *promittens* teſtatore, typis; novum *præſtans* eundem veritate Col. II. 17. Heb. VIII. 5. & X. 1. Quod 4. nullo modo poſſimus eſſe certi, Jeſum in novo teſtatorem revelatum & exhibitum, eſſe verum Meſſiam, niſi ex requiſitis Meſſiæ, quæ explicat vetus teſtamentum. Quod 5. Judæos nullo modo poſſimus convincere de veritate Meſſiæ noſtri, & univerſi novi teſtamenti, niſi ex collatione veteris teſtamenti Joh. v. 39. Luc. XXIV. 25. 26. 27. Quod 6. *vetus teſtamentum, novi ſit fundamentum, & novum veteris complementum. Novum teſtamentum in veteri lateat; ſicut vetus teſtamentum in novo patet. Novum teſtamentum in veteri ſit velatum; ſicut vetus in novo eſt revelatum —. Ut merito, nec veteris teſtamenti, circa perſonam Chriſti, vacillet auctoritas, dum novi teſtamenti manifeſtatione fulcitur; nec novi teſtamenti, intercepta ſit poteſtas, dum radicibus veteris teſtamenti, ejuſdem nititur veritas.* Ut ſcite Novatianus, apud Tertullianum *de Trinit.* XXV.

2. Repræſentat ſapientiſſimam Dei œconomiam in familiâ ſua.

LVI. Praxis *ſecundo*, nobis repræſentat ſapientiſſimam Dei *œconomiam*, in familiâ ſuâ Iſraëlitică, quam paſſim ex profeſſo laudat Scriptura, v. g. Deut. XXXII. 7—15. Pſal. LXXX. 9—12. Jeſ. v. 1. 2. Ezech. XVI. 2—15. &c. Habuit hæc œconomia 1. potentiſſimam Iſraëlis *conſervationem*, in graviſſimis ejus, & periculoſiſſimis afflictionibus: in Ægypto, in deſerto, in Canaan, in captivitate Babilonică. Habuit 2. liberaliſſimam *ſuſtentationem* in deſerto, per manna Exod. XVI.—Deut. VIII. 3. per coturnices Num. XI. 31. 32. Pſal. CV. 4. per aquam è rupe Exod. XVII. 6. Num. XX. 8—12. Pſal. LXXVIII. 15. 16. 17. 20. & CV. 41. & CXIV. 8. per conſervationem veſtimentorum Deut. XXIX. 5. Habuit 3. ſapientiſſimam *gubernationem*, per leges juſtiſſimas, morales, ceremoniales, forenſes Deut. IV. 8. Exod. XIX. XX. Habuit 4. potentiſſimam *defenſionem*, adverſus hoſtes, tot ac tam potentes. Num. XIII. 29. &c. Ut ex omnibus his perſpiciamus beatitudinem Iſraelis, omniumque eorum, qui ſunt de familiâ Dei, eumque habent pro Deo ſuo Pſal. XXXIII. 12. 18.—

3. Commendat fidem & conſtantiam Dei in ſervandis promiſſis.

LVII. Praxis *tertio* nobis commendat *fidem* & conſtantiam Dei, in ſervandis promiſſis Deut. VIII. 18. Pſal. CV. 8. 10.— & CVI. 45. Qua v. g. promiſſionem ſuam Abrahamo datam, de educenda ejus poſteritate ex Ægypto, eique dandâ terrâ Canaan Gen. XV. 13.— tam accurate præſtitit, ut ipſo illo anno, quem prædixerat, manu forti, ex Ægyppto eduxerit. Item promiſſionem Davidi, ejuſque ſemini præſtitam 2 Sam. VII. 11.—17. 1 Paral. XVII. 11—14. Pſal. LXXXIX. 4. 5. & CXXXII. 11—14. de ſtabiliendo thronum Davidis, in XII. Regibus Judah, ex Davide oriundis, per quinque circiter ſecula. Item promiſſionem Judæis factam, tum ante captivitatem, tùm ſub ea, de conſervandis ipſis ſub duriſſima captivitate, & reducendis ipſis poſt LXX. annos, ad patrios ſuos Lares. Ut in promiſſis divinis, immotum fundamentum Eccleſia Dei, omnesque vere fideles habeant, in quo ſecure, ſub quibusvis anguſtiis, poſſint requieſcere Pſal. XLVI.— Matth. XVI. 18. &c.

4. Ponit nobis oculos ſeveritatem Dei, in exagitandis peccatis populi ſui.

LVIII. *Quarto* etiam ob oculos nobis ponit Dei *ſeveritatem* & ἀπροσωποληψίαν, in exagitandis peccatis, propriæ familiæ ſuæ Amos III. 1. 2. Ponit inquam ob oculos, in (1) *deſerto*, quando, ob frequentatas Iſraëlis murmurationes (jam propter defectum cibi, jam propter defectum potus &c.) item ob rebelliones, idololatriam vitulinam, aliaque ſcelera: jam gladio Exod. XXXII. 27. 28. 29. jam ſerpentibus ignitis Num. XXI. 6. &c. exagitavit. Rurſus (2) in *Canaan*: quando, propter eorum apoſtaſiam à Deo, per idololatricam communionem cum Cananæis, aliaque ſcelera, Iſraëlitas in ſervitutem tradidit: jam Regis Meſopotamiæ, Cuſchan Riſchataim Jud. III. 8. jam Regis Moabitarum, Eglonis *Ibid.* v. 30. jam R. Cananitarum, Jabin Jud. v. 21. jam Regis Midianitarum *Ibid.* cap. VI. 1.— jam Philiſtæorum & Ammonitarum Jud. X. 8.—jam rurſus Philiſtæorum 1 Sam. XXXI.—Porro (3) ſub *Regibus* Saule 1 Sam. VI. 15. & *Davide*, imò in ipſo Davide, ob adulterium cum Bathſebâ, & homicidium in Uriâ, graviſſimis calamitatibus domeſticis, caſtigato: in ſtuprata filia Thamar, per Amnonem fratrem 2 Sam. XIII.— in filii Amnonis trucidatione, per fratrem Abſolomum. *Ibid.* in conjuratione filii Abſolomi adverſus Patrem, ſuique fugâ 2 Sam. XV. ad XVIII. & illius trucidatione, Patri tam acerba. *Ibid.* in fame trienna-

li, propter Saulis tyrannidem in Gibeonitas 2 Sam. XXI.— in triduanâ peſtilentiâ 2 Sam. XXIV. — ob numeratum populum. Sub *Salomone*, cujus idololatriam ac laſciviam caſtigavit per ſchiſma regni, item per Hadad Edomitam, Rezon & Jerobeam, rebelles Reg. XI.— Sub ejus ſucceſſoribus, *Iſraëlis* quidem idololatriam vitulinam, & Baäliticam, aliaque ejus ſcelera, ultus eſt, æternâ abjectione ac diſperſione, in Colchos, Iberos &c. 2 Reg. XVIII—: & *Judæ* inſuper idololatriam variam caſtigavit LXX. annorum duriſſimâ captivitate 2 Reg. XXIV. 11. Jer. LII.— Tandem 4. poſt Chriſtum neglectum ac rejectum, & *hujus* æternâ diſſolutione, per Titum Veſpaſiani filium, prædictam à Chriſto Luc. XIX. 42— Matth. XXIII. 37. 38. Ex his omnibus, aliiſque, ſeveritas & ἀπροσωποληψία Dei, in caſtigandis ſuorum delictis, non poteſt non eſſe manifeſta; ad hoc, ut Deum revereamur, & à peccatis nobis ſolicitè caveamus Jer. VII. 12. 14. & XXVI. 6. 9. Pſ. LXXVIII. 60.

5. Exhibet, vel-ut in ſpeculo miſericordiam Dei, in condonando graviſſima populi ſui peccata.

LIX. *Quinto* etiam nobis exhibet, velut in ſpeculo quodam, *miſericordiam* Dei, in ferendis & condonandis peccatis populi ſui reſipiſcentis. Quam Moſes admodum patheticè repræſentat Exod. XXXIV. 6. 7. & Deus ipſe promittit 2 Sam. VII. 14. 15. Quam abunde præſtitit, tum (1) in *deſerto*, condonando varias Iſraëlis murmurationes, & imprimis idololatriam aurei vituli, ad interceſſionem Moſis Exod. XXXII. 11. 12. 13. 14. tum (2) in *Canaan*, reſipiſcentes Iſraëlitas, ob peccata in ſervitutem hoſtium ſæpius redactos; miſſis Redemptoribus, identidem liberando: tum (3) ſub *Regibus*, item à Philiſtæis aliiſque vicinis hoſtibus, per Samuelem, Saulem, Davidem, Joſaphatum alioſque potenter vindicando: tandem (4) & captivitatem Babilonicam, conſtituto præciſo tempore, ſolvendo, populumque priſtinæ libertati reſtituendo. Quæ miſericordiam divinam eo repræſentant, ut in peccatis non deſperemus; ſed vivâ fide, ſingerâ reſipiſcentiâ, & calidis precibus, refugium poſt peccata, ad illam arripiamus Pſ. XXXII. 2—8.

6. Repræſentat infinitam Dei potentiam, liberandâ & conſervandâ Eccleſiâ ſuâ, ab inſultibus potentiſſimorum hoſtium ſuorum Pſal. LXXVII. 16.

LX. *Sexto*, repræſentat infinitam Dei *potentiam*, in liberandâ & conſervandâ Eccleſiâ ſuâ, ab inſultibus potentiſſimorum hoſtium ſuorum Pſal. LXXVII. 16. Quam oſtendit, in (α) *Ægypto*, decem horrendis plagis, vindicando injurias & perſecutiones, populo ſuo illatas, eoſque traducendo per mare rubrum Exod. VI. 17. Deut. IV. 34. &c. (β) in *deſerto*, ſuſtentando & protegendo Iſraëlem, adverſus graviſſimos caſus, hoſtiumque inſultus, traducendoque per Jordanem, in promiſſam terram Canaan (γ) in *Canaan*, ſubigendo per Joſuam, in gratiam Eccleſiæ ſuæ, tot & tam potentes Reges: eam toties & tam mirabili modo, è ſervitute reſtituendo in libertatem ſuam (δ) ſub Regibus item: imprimis (ε) in captivitate Babilonicâ, Monarcharum animos tam efficaciter flectendo, ad indulgendum Iſraëli reditum in patriam ſuam, & ſuppeditandos etiam tam liberaliter ſumptus, ad reſtaurationem templi & urbis (ζ) temporibus Machabæorum, protritos ab Antiocho Epiphane Iſraëlitas, tam potenter vindicando in libertatem ſuam. Quam ſuam potentiam, eo tot vicibus & modis, Deus tam illuſtrem fecit; ut in rebus quantumvis arctis, animum non abjiciamus; ſed fiduciam noſtram in Jehova, ſalutis noſtræ refugio & rupe unica, habeamus.

7. Repræſentat fata & viciſſitudines Eccleſiæ.

LXI. Tandem *ſeptimo*, hæc potiſſimum epocha, fata & *viciſſitudines* Eccleſiæ pandit: ut nim. per *anguſta* paulatim enitatur ad *auguſta*: ut *prematur* ſæpe, nunquam *opprimatur*: ut ex abyſſo miſeriæ, Dei gratia emergat in faſtigium. Quod itidem, Sole clarius micat, in Iſraëlis fortuna & caſibus adeo ſæpe deploratis, & tantum non deſperatis, in Ægypto, deſerto, Canaan, captivitate Babilonica, oppreſſionibus Antiochi Epiphanis &c. Ad hoc, ut in rebus Eccleſiæ, quantumcunque arctis ac deſperatis, nunquam ſpem emergendi abjiciamus; ſed tempora antiqua nobis ad mentem revocemus Pſal. XXII. 5. 6. & LXXVII. 12. 13.

CA-

CAPUT TERTIUM,
DE
DISPENSATIONE SUB CHRISTO.

Jer. XXXI. 31--35.

Ecce dies veniunt, dixit Jehova, & feriam cum domo Iſraël, & cum domo Judah, teſtamentum novum. Non ſecundum teſtamentum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægipti, quia ipſi irritum fecerunt teſtamentum meum --: ſed iſtud eſt teſtamentum -- dabo legem meam in medio eorum, & in cordibus eorum inſcribam illam &c.

Succedit periodus novi teſtamenti.

I. PEriodum Veteris Teſtamenti, juxta duas epochas, per ſex curricula, examinavimus: ſuccedit periodus *novi* teſtamenti, ſeu diſpenſatio fœderis gratiæ ſub *Chriſto*, duratura uſque ad extremum judicium. Hujus contemplationi fundamentum ſtruemus, in exegeſi verborum quæ proſtant Jer. XXXI. 31—35.

Pars exegetica.

Textus exponitur.

II. *Quibus verbis* promiſſio *continetur de condendo* novo *teſtamento. Penes quam occurrunt:*

1. *Teſtamentum* promiſſum verſ. 31. *Circa quod notatur:*

A. Tempus *teſtamenti condendi*, ecce dies veniunt. Ecce הנה *præmittitur ad erigendam attentionem, velut ad promiſſionem raram, magnique ponderis,* ימים באים. Dies veniunt ימים, dies, *ſeu* anni, *qui diebus integris conſtant apud Hebræos, h. e.* annus dierum Gen. XXIV. 55. *ſeu* tempus *indefinitum* Num. VIII. 17. *Sed* breve, *non tam annis aut menſibus, quam* diebus *numerandum* Pſal. XC. 10. באים veniunt, *eunt, fluunt, notatur tempus* futurum, *quod tamen jam ſit inchoatum, ſcil. tempus N. Teſtamenti, quod nulla intercedente epocha, ſit interrumpendum.*

B. Promiſſio *futuri*, נאם יהוה, dictum Domini, *ſeu promiſſum Domini.* נאם *vox eſt oraculis divinis fere peculiaris. Connotat certitudinem & infallibilitatem rei promiſſæ. Conf.* 1 Tim. I. 15. & III. 1. יהוה, Domini *non meum, aut hominis cujusvis impotentis & fallacis; ſed ejus qui eſt, ut primum* ens; *ita & prima* veritas, *qui &* poteſt *præſtare quod promittit, &* vult, *quia promittit.*

C. Res promiſſa, & excidam cum domo Iſraël, & cum domo Judah fœdus novum. *Eſt in his:*

α. Actus *contrahendi, promiſſus* וכרתי & excidam. כרת, *Gracis redditur; per* ποιέω facio Heb. VIII. 9. συντελέω proficio. *Ibid.* vſ. 8. διατίθημαι vſ. 10. *Notat proprie* amputare, conſcindere, *ſicut ramus amputatur ab arbore* 1 Sam. XXXI. 9. *cum* ברית fœdere *junctum, eſt* icere, *ferire fœdus, paciſci* Gen. XVI. 18. *Fœdus enim facientes, primo jurabant, tum transibant per partes diſſecti pecoris; quaſi dicerent: diſcindatur, dividantur ejus membra, fiat ſicut pecus iſtud, qui pactum violaverit* Jer. XXXIV. 18.

β. Partes *contrahentes hujus fœderis teſtamentarii, nim.*

1. Deus, ego excidam, *idem qui promittit*, dictum Jehovæ. *Jehova* triunus, *Jehova* Pater, *qui fœdus, ſuo tempore, cum peccatoribus redimendis, in æterno electionis decreto, deſignavit: Iehova* filius; *qui vadimonium, pro peccatore redimendo; ſuſcepit: Iehova* Spiritus S. *qui idem, juxta decretum, redimendorum cordibus inſinuat.*

2. Homines, cum domo Iſraël, & cum domo Judah. *Domus* Iſraël, *eſt regnum decem tribuum; domus* Judah, *regnum Davidicum, quæ duæ domus, ſoluta captivitate Babilonica, quadantenus coaluerunt, & plenius etiam ſub N. Teſt. quibus tamen comprehendendi veniunt omnes fideles, etiam ex gentilibus. Conf.* Rom. XI. 17. 25. 26. Gal. IV. 26. *ſcil. ut Iehova* unus *ſit, & nomen ejus, h. e. cultus ejus* unum *ſint* Jer. XIII. 11.

γ. Fœdus *contractum* ברית חדשה. fœdus novum.

δ. Fœdus, ברית *ſubinde notat* teſtamentum, *ſeu conſtitutionem* unius, *de ſuis bonis: ſæpius* fœdus, *conſtitutionem* plurium, *ſicut alibi monuimus. Quæri poſſit, utrum horum, hoc*

loco

loco intelligendum veniat, per τὸ ברית*? Sunt* 1. *qui intelligant* fœdus, *& quidem* operum, *apud Sinai renovatum in decalogo: ſunt qui* 2. *malunt intelligere fœdus* gratiæ *quidem, ſed* nationale, Exod. XIX. 5. 6. *quod Iſraëlitæ violarunt, idololatria, cum* vitulina, *tum* Baalitica, *de quibus, apud periodum præcedentem, nobis fuit negotium. Sunt* 3. *qui fœdus gratiæ internum & particulare, intellectum volunt; ſed quatenus illud ſolenniore modo, diſpenſabatur ritibus ceremonialibus. Satis commode intelligi poteſt* univerſum *fœdus* Sinaicum, *quatenus comprehendebat conſtitutionem fœderis* nationalis, *per leges potiſſimum* forenſes; *renovationem fœderis* operum, *in decalogo: & renovationem fœderis* gratiæ, *in legibus* ceremonialibus. *Nec tamen eſt, quo minus per τὸ* ברית, *etiam intelligamus* teſtamentum: *cum illud non ſit, niſi diſpenſatio fœderis gratiæ, involvens præter fœdus gratiæ, velut ſuum materiale, ejuſdem diſpenſationem, tanquam formale, ut ſit teſtamentum fœderale.*

ב. Novum, חרשה. *Hoc eſt* præclarum, *quo ſenſu ſæpius in utroque Teſtamento, occurrit* canticum novum Pſal. XXXIII. 3. & XL. 4. & XCVI. 1. Apoc. V. 9. novum præceptum Joh. XIII. 34. 1 Joh. II. 7. *ſeu potius* aliud, *diverſum à præcedenti, quo ſenſu plerumque venit, & in hoc negotio* Matth. XXVI. 28, Luc. XXII. 20. Aliud, *non equidem quoad* ſubſtantiam *fœderis gratiæ, quæ per omnia ſecula, una eſt & eadem.* Heb. XIII. 8. *Unde eſt* διαθήκη αἰώνιος. *Ibid.* VI. 20. *ſed quoad* diſpenſationem, *quatenus, quod hucuſque diſpenſatur per varias umbras typicas; olim diſpenſabitur abſque illis.*

ב. *Teſtamentum* rejectum, *antea erectum:* non ſecundum fœdus illud *&c.* VI. 32. *Quod ſcil. olim apud Sinai pepigi cum majoribus veſtris. Notatur penes hoc*

A. Tempus *erecti hujus fœderis, poſtea rejecti*: in die, quo apprehendi manum eorum. In die, *h. e. eo* tempore *circum circa, non præciſe eo* die. Quo apprehendi manum eorum, בידם החזיקי, *ſeu* fortes *reddidi manus eorum, ut* prævalerent. חזק, *vox eſt perquam emphatica, unde* LXX. *Interpp. redditur per* ὑπερκρατεῖν *&* ὑπερισχύειν. *Notat, non tantum vires* conſervare, *quas dudum habes; ſed &* corroborare *ſeu adaugere eaſdem: quibus, volentibus nolentibus hoſtibus eorum Ægyptiis, potuerint egredi.*

B. Finis, *cum erecti fœderis; tum corroboratarum manuum. Scil. eductio eorum ex Ægypto.* להוציא, ad educendum. *Significat, quamvis eorum roborârit manus, eos tamen ſuis viribus non potuiſſe egredi, proinde neceſſum habuiſſe, ut à ſe educerentur.*

C. Everſio *fœderis erecti, duplex:*

1. Altera Iſraëlitarum, quia ipſi irritum fecerunt fœdus meum. הפרי, irritum fecerunt. פור eſt fractus, comminutus, contritus fuit: *à quo* הפיר confregit, diſſipavit, *Metaphorice* irritum fecit, abolevit. *Paulus Græce reddit* καταργεῖν Rom. VI. 6. *quod Latine dici poteſt* abrogare, otioſum, inutile facere Gal. V. 4. *Factum hoc violatione fœderis* nationalis, *ſeu idololatria, cum* vitulina, *tum* Baalitica.

2. Altera Dei, & ego dominatus ſum in eos. בעלתי. *Vox non uno modo redditur, nec eodem ſenſu. Sonat enim aliquando* maritum eſſe, *adamare, velut uxorem, fœdus maritale habere & colere. Sic ſenſus eſſet: quamvis eos adamaverim, velut maritus uxorem, cederetque in exaggerationem violati fœderis, quamvis ego ipſos tenerrime amarem, nihilominus ipſi fœdus illud maritale irritum fecerunt, ſpirituali adulterio, ſeu idololatria ſua: aliquando* dominari, *ſicut maritus dominatur in uxorem, aut etiam ut Dominus in ſervum, duriter ipſum tractando, ſic ſenſus eſſet: tum & ego durius eos habui, mea judicia in eos exercendo, quod factum in deſerto, pariter & in Canaan: tum & ego fœdus meum matrimoniale, ſeu nationale cum ipſis irritum feci: qui ſenſus hic non inconveniens eſt, ſcil. ut rationem præſtaret, quare* novum *fœdus eſſet facturus, quia nim. prius utrinque factum fuiſſet irritum, quod confirmat ſua* ἀξιοπιστία, *addendo & repetendo:* dictum Domini. *Hinc quæri poſſit, an fœdus ſeu teſtamentum illud irritum factum,* cœperit *apud montem Sinai? Reſp. Illud non dicitur in textu; ſed hoc tantum, quod obtinuerit apud Sinai, & ab Iſraële violatum fuerit, quamvis illud cœperit à Paradiſo, ac ſolenniori modo, per farraginem rituum ceremonialium, ibidem ſolennius renovatum & inſtauratum fuerit.*

ג. *Teſtamenti promiſſi* beneficia, *fœderi gratiæ, omnibus quidem temporibus communia; ſed teſtamento* novo, *hactenus propria, quod non tantum liberaliore menſura eſſent ſub eo communicanda; ſed modo etiam peculiari, abſque ullo ceremoniarum typicarum interventu, plane immediate, ut Paulus docet* Heb. VIII. 6— *Explicantur iſta beneficia* VI. 33. 34. *quæ compendii cauſa, ad tria hæc revocabimus, nim.*

א. Regenerationem, *quatenus, latiſſimo ſenſu, omnem dicit operationem Spiritus S. circa* interiora

teriora *fœderatorum*, *ſcil.* regenerationem *ſtrictius ſic dictam*, *qua hactenus ſpiritualiter mortuis, vitæ ſpiritualis primum principium infundit:* converſionem, *qua principium infuſum erigit, ad actum fidei & reſipiſcentiæ*: ſanctificationem, *qua erecta fidei & reſipiſcentiæ fructus protendit. Hanc autem duobus aſtringit textus:*

א. Menti verſ. 33. Dabo legem meam in interiori eorum. *Hic lex quam promittit* תורתי, *notat, cum* univerſam *doctrinam de cognoſcendo & colendo Deo* Pſal. XIX. 8. *tum eam ejus* partem, *quæ* officium *præſcribit, vel faciendo, vel omittendo. Hanc ſe* daturum *promittit*, נתתי, *h. e. pura adductus* gratia *conferam, & quidem* בקרבם in medio eorum, *ſeu in* interioribus *eorum. Hoc eſt, non ſolum per* externam *hominum inſtitutionem, prout explicatur* verſ. 34. Non docebunt ultra quiſque fratrem ſuum *&c. puta* tantum: *nec per ritus tantum externos ac ceremoniales; ſed dabo inſuper legem meam in interioribus eorum, per immediatam* illuminationem *ſpiritus mei, cujus ope ſpiritualia ſpiritualiter cognoſcent & diſcriminabunt* 1 Cor. II. 14.—

ב. Cordi, & ſuper cor eorum ſcribam eam. לבב *frequenter notat quævis* interiora, *exterioribus contradiſtincta* Jon. II. 4. Matth. XII. 30. *& ſic exegeticum erit membri præcedentis. In interioribus, plerumque* voluntatem *& affectus* Jer. III. 15. 2 Reg. X. 15. Matth. XXII. 37. *Cordi* inſcribam, *non, ut olim tabulis* lapideis, *aut* laminæ *aureæ in fronte Pontificis* Exod. XXVIII. 36. *aut* pectorali *ejus Urim & Thummim.* Ibid. 15— *ſed* cordi *ipſi, infundendo ei novam* inclinationem *verſus me & legem meam, futuram illo tempore, ordinarie multo intenſiorem ferventioremque, quam nunc.*

ג. Communionem *cum Deo. Hujus duplex eſt relatio, nim.*

1. Dei *verſus populum*, & ero ipſis in Deum, *ſcil. poſt regenerationem: ſumus enim* natura filii iræ. *Eſt eadem promiſſio, & ejuſdem ſubſtantia fœderis, quæ olim facta eſt Abrahamo ejuſque ſemini fideli* Gen. XVII. 7. *adeo prægnans, ut ea major, nec eſſe, nec cogitari poſſit, quippe qua Deus, ut Deus, ſeipſum totum, quantus quantus eſt, fœderatis addicit. Conf.* Gen. XV. 1. Pſal. LXXIII. 25. 26.

2. Populi *viciſſim, verſus Deum*, & ipſi mihi erunt in populum. *Poſſunt hæc verba intelligi, vel, ut pars promiſſionis divinæ, qua velit eum habere pro populo* ſuo; *vel potius, ut reſtipulatio, ſi nim. ipſi mihi volunt eſſe in populum, ſi ſeipſos volent mihi addicere, ſicut ego volam meipſum ipſis addicere. Hac ratione* fœderis *ratio diſtinctius dicetur, utpote conſenſum exigit, in promiſſa & ſtipulata reciproca.*

ד. Remiſſionem peccatorum, *qua duo promittuntur: qua tamen eodem abeunt:*

A. Propitiatio, quia propitiabor iniquitati eorum. אסלח, propitius ero. סלח *in lege frequenter uſurpatur, de tali remiſſione qua fit poſt oblationem, ſeu poſt interceſſionem Sacerdotis* Levit. IV. 20. 26. 31. & V. 10. 13. 16. 18. *Ut notetur* expiatio *propter ſacrificium prævium, quod cauſæ meritoriæ rationem habeat, remiſſionis. Sic promittitur oblatio & ſatisfactio Chriſti, qui eſt* ἱλασμὸς *&* ἱλαστήριον 1 Joh. II. 2. & IV. 10. Heb. IX. 5. Rom. III. 25. *citra quam, nec obtingit; nec obtingere poteſt remiſſio* עון, *primo quidem* culpam *notat, perverſitatem &* malitiam 1 Sam. XXV. 24. *tum & metonymice* pœnam Jeſ. LIII. 6. Pſal. XXXI. 11. Gen. XIX. 15. *Et priore ſenſu, non peccata levia dicit, quæ ex errore, aut infirmitate oriuntur; ſed quæ ex* προαιρέσει, *deſtinata malitia exiſtunt. Dicitur numero ſingulari* עון, *ſed ſenſu,* collectivo, *ut omne peccatum intelligatur, tam* originale Pſal. LI. 5. *quam* actuale, Num. XXX. 16. *&c.* Eorum, *ſcil. confœderandorum* διακριτικῶς *non omnium & ſingulorum* Joh. XVII. 9. non rogo pro mundo.

B. Condonatio *propter propitiationem, qua reatus & pœna confœderatorum tollitur:* & peccati eorum non recordabor amplius. *Non equidem, quod peccati fidelium hactenus fuerit recordatus: neque enim* videt iniquitatem in Jacob— Num. XXIII. 21. Pſal. CIII. 3. *ſed quod adeo condonet perfecte, & condonaturus ſit, acſi ne memoriam quidem eorum haberet* Pſal. XXV. 7. *Omnia autem hæc beneficia* novi *teſtamenti, non ita adſtringuntur temporibus Chriſti exhibiti, ut à præcedentibus ſecludantur: quis enim auſit dicere, regenerationem, communionem cum Deo, & remiſſionem peccatorum, non obtinuiſſe ante Chriſtum exhibitum? tantum ſignificatur, ea beneficia confœderandis ſub N. T. prorſus alio modo conferenda eſſe, quam hactenus collata fuerint, ſcil. abſque tot moleſtis ſacrificationibus, tam horrendis lanienis, abſque jugo illo ceremoniali* ἀβαστάκτῳ, *docente iſtud Apoſtolo* Heb. VIII. 7— *cum* cap. IX. 1—

Pars Dogmatica.

Septima ac perfectior fœderis gratiæ dispensatio accidit sub novo testamento.

III. Septima igitur & perfectissima fœderis gratiæ dispensatio accidit sub *novo* testamento, fœderis mediatore jam exhibito: ut qui eo tempore *prævaricationem consummaturus*, *peccatum signaturus*, *iniquitatem expiaturus*, & *æternam justitiam adducturus*, hisque omnibus, *fœdus* gratiæ *confirmaturus* prædicitur Dan. IX. 24. 27. Appellatur hæc dispensatio jam 1. *testamentum novum* Jer. XXXI. 31. Heb. VIII. 6. 7. 8. *testamentum* quidem, quia fœdus gratiæ dispensat, κεκυρώμενος

Hujus

sanguine testatoris, non *typico*; sed *vero* Matth. XXVI. 28. Luc. XXII. 20. cum Heb. IX. 16. 17. *novum* autem, non tantum respectu *veteris* antiquati Heb. VIII. 7. nec ideo tantum, quod *præstantissimum* sit, quo sensu *nova* frequenter in

1. Denominatio.

Scripturis præstantiora dicuntur Psal. XXXIII. 3. & XLIV. 6. & XCIV. 1. 1 Joh. II. 7. 8. sed potissimum, quia semper *novum* mansurum est, usque ad consummationem seculorum, nec unquam, sicut prius, antiquandum. Jam 2. *secundum testamentum* dicitur Heb. VIII. 7. respectu prioris abrogati. Jam 3. *melius* testamentum Heb. VIII. 6. & VII. 22. Jam 4. *testamentum æternum* Heb. XIII. 20. 21. quatenus α. hæreditatem præstat, in omnem æternitatem continuandam Heb. VIII. 10. 11. 12. cum Gen. XVII. 7. Quatenus β. duraturum est, usque ad finem seculorum, absque ulla variatione 2 Cor. III. 11.

2. Natura.

IV. Non est autem nobis hoc *testamentum*, nisi postrema hujus seculi, & perfectissima fœderis gratiæ renovatio & dispensatio, quæ nititur suo testatore, jam exhibito, crucifixo, sepulto, suscitato, glorificato, ac sedente ac dextram Dei, indeque effundente, ampliore mensurâ, Spiritum suum, eoque uniente Israëlem cum Judâ, ut cum electis gentilibus, ex omni natione, coalescat unum *corpus* completum.

3. Causæ:

V. Hujus auctor est Deus *triunus*: 1. *Pater*, ut Jehova, œconomicè prima & suprema deitatis persona Jer. XXXI. 31. 33. Quatenus ille suscipit, α. se fore *Deum* fœderalem, in Christo, unico suo filio, omnibus his, qui se, ut supremum *finem*, & filium suum ut *unicum* mediatorem, vivâ fide receperint 2 Cor. VI. 18. Se β. daturum ipsis filium suum, pro sufficientissimo *redemptore* Joh. III. 16. Rom. VIII. 32. qui ipsis sit futurus *sapientia*, *justitia*, *sanctificatio & redemptio* 1 Cor. I. 30. ut in eo sint *consummati* Col. II. 10. Se γ. additurum Spiritum suum Luc. XI. 13. Eph. III. 14. 15. 16. Se δ. futurum justificatorem eorum, his qui in se & filium suum crediderint Rom. III. 24. 25. 26. Se ε. benedicturum ipsis, quavis benedictione spirituali ac cœlesti, in Christo Eph. I. 3. Tit. III. 4. 5. 6. 7— Tum 2. *Filius* Heb. IX. 15. 16. 17. qui hic in se suscipit, se (a) ipsos suo sanguine redempturum Joh. X. 11. 18. Heb. X. 5. 6. 8. 9— Eph. V. 2. Act. XX. 28. 1 Joh. I. 7. eoque (b) ipsos *liberaturum*, è potestate omnium suorum hostium spiritualium, peccati, satanæ &c. reconciliaturumque Patri Act. XXVI. 17. 18. Rom. V. 1. 2. 10. 11. 2 Cor. V. 20. 21. Se (c) *collaturum* ipsis vitam æternam Joh. X. 27. 28. 29. Se (d) ipsis futurum *viam* ad Patrem Joh. XIV. 6. Denique 3. *Spiritus S.* Heb. X. 14. 15. 16. 17. qui hic suscipit, se A. eos *regeneraturum*, conversurum, purgaturum à pollutionibus suis, restituturumque in ipsis imaginem Dei 1 Cor. VI. 11. Joh. III. 3. 5. Tit. III. 5. Gal. V. 22— Se B. ipsos *docturum*, ac ducturum in omni veritate: ut in veritate, secundum Spiritum ambulent Joh. XVI. 13. Rom. VIII. 1. Gal. V. 25. Se C. *roboraturum eos omni robore*, *secundum interiorem hominem* Eph. III. 16. Se D. ipsis θιοθεσίαν, & quævis bona spiritualia, obsignaturum, suo testimonio, sigillo & pignore Rom. VIII. 16. Eph. I. 13. 14. Se E. ipsis, in quavis adversitate, adfuturum παράκλητον, doctorem ac ductorem Joh. XIV. 16. 17. 18. Rom. VIII. 23. 26. 27. Causa quasi *movens*, & promittendi, & adeundi novam hanc fœderis gratiæ dispensationem, fuit (1) *extus*, quidem 1. *miserrimus* & afflictissimus status: tum *Israëlis*, dudum, propter multiplex fœdifragium, idololatriam, aliaque scelera, à Salmanassare dissipati per Assyriæ terras 2 Reg. XVII. 1—24. & XVIII. 9—13. tum *Judæ*, seu abducendi, seu abducti in captivitatem Babilonicam. Huic, pro *consolatione*, Deus novam hanc confœderationem promittit, & in eâ, liberationem ex quavis miseriâ spirituali Jer. XXXI. 31—35. tum 2. veteris testamenti naturalis *imperfectio*, & insufficientia ad salutem Heb. VII. 18. 19. & VIII. 6— Porro 3. *miseria* nostræ spiritualis, ex peccato, quavis morte, irâ Dei, æterno exitio, tanta *gravitas*, ut tolli absque hâc confœderatione, ejusque dispensatione per ipsummet filium Dei, penitus non potuerit. Conferantur loca Rom. V. 12. 13. 14. & VI. 23. & III. 9—20. Eph. II. 1. 2. 3. 2 Tim. II. 25. Gal. III. 10. cum Act. IV. 11. 12. Rom. VIII. 3. 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. 14. Causa autem (2) *intus* movens, non fuit aliqua Dei *justitia*: ex dignitate ullâ, aut merito, seu Israëlitarum, seu Judæorum, & multo etiam minus Gentilium, quasi pro mercede, hanc fœderis gratiæ dispensationem referens; sed pura puta ejus *misericordia* Heb. X. 17. 37.

β. Movens.

VI. Partes contrahentes hujus confœderationis, vel sunt *extremæ*, Deus scil. & homo; vel *media*, contranim. mediator, Deus & homo simul. Inter partes *extremas* 1. *præcipua* Deus est triunus, idem quem auctorem jam ante diximus, & quidem ut *Jehova*, quod Deus ipse *ter* inculcat in confœderatione

3. Partes contrahentes.

deratione Jer. xxxi. 21. 22. 23. Heb. viii. 9. 10.— ad Trinitatem designandam. 2. *Minus* præcipua, α. Domus *Israel* & domus *Juda* Jer. xxxi. 31. Heb. viii. 8. *Israel* quidem, seu *collective* consideratus, pro universo populo Judaico, ex Israele oriundo Psal. xxv. 22. & cxxviii. 6. Jes. i. 3. Matth. viii. 10. Luc. i. 10. Rom. ix. 31. cujus vocis vim habebis Gen. xxxii. 24—30. seu *disjunctive*, qua regnum notat, regno *Juda* contradistinctum Jer. xxxvi. 2. & li. 5. Hos. i. 11. Zach. i. 19. Nonnunquam sensu universaliore, comprehendit *totam* Ecclesiam, prout & Judæos & Gentiles connotat Gal. vi. 16. cui opponitur Israel *secundem carnem* 1 Cor. x. 18. Et hoc quidem sensu *latissimo* capi debet, in negotio hujus confoederationis, scil. ut notet Judæos & Gentiles, in una Ecclesia Christiana *unitos*. Partibus his *extremis*, *medius* intercedit, *mediator novi* foederis 1 Tim. ii. 5. Heb. viii. 6. & ix. 15. & xii. 24. Jesus Christus, Messias, olim *promissus*, jam *exhibitus*. Cujus nomina, personam, officia, status (humiliationis & exaltationis) & redemptionem, satisfactione & merito impetratam, diximus per universum *librum quintum*.

4. Argumentum confœderationis: quoad α. promissa divina; β. officia humana.

VII. Argumentum confoederationis, habet A. ab *una* parte *promissiones* divinas: nim. tres illas, quas in parte *exegetica* dudum numeravimus: 1. *Regenerationem*, conversionem, illuminationem. 2. *Communionem* cum Deo. 3. *Remissionem* peccatorum. Sub quibus comprehenduntur omnia, quæ ad εὐζωίαν καὶ εὐδαιμονίαν, tam hic, quam posthac, usque ad plenissimam perfectissimamque *beatitudinem*, desiderari possint: B. ab *altera* parte, *officia* hominum reciproce stipulata, quæ promissionibus divinis respondent, ac suo modo in his continentur: ad hoc, ut intelligamus, officia per hanc confoederationem, à confoederandis electis stipulata, non exspectari, à *viribus propriis*, sed per ipsam foederis gratiam, præstanda. In his 1. *primum* ac fundamentale, per quod foedus erit, est *fides* vera ac viva. Dum enim Deus *promittit*, sane fidem stipulatur, qua promissio recipiatur: & dum *remissionem* peccatorum promittit; certe *fidem* exigit, qua mediatorem, ejusque satisfactionem & merita apprehendamus, absque qua nulla remissio concipi potest Act. x. 43. Tum 2. secundum est *resipiscentia* Ezech. xxxvi. 31. dum enim peccatorum remissionem promittit; nunquid eorundem *odium* ac fugam stipulatur? Dum se *cor* lapideum ablaturum, & cor carneum ei substituturum promittit; nunquid sensum & poenitentiam veteris contumaciæ requirit? Porro 3. tertium est *conformatio* cum lege sua, in corde & vita; tam quoad intrinsecam *constitutionem*; quam quoad extrinsecam *conversationem*. Dum enim promittit se *legem* suam daturum in interioribus suorum, & cordibus eorum inscripturum; nunquid stipulatur, ut legibus istis se conforment? Cum præsertim in terminis promittat, se curaturum, ut in statutis suis ambulent Ezech. xxxvii. 24. Insuper 4. quartum est, sui totalis *abnegatio*, ac *dedicatio*, Deo præstanda: dum enim promittit, se ipsis fore *in Deum*, nunquid eodem habitu stipulatur, ut ipsi vicissim sibi sint *in populum*, h. e. seipsos abnegent, Deoque resignent? Luc. ix. 23. Denique 5. studium, magisque *cognoscendi* Deum: dum enim hoc exserte promittit, *cognoscent me à minimo usque ad maximum*; nunquid eadem opera, hoc ab ipsis exspectat?

Differentia, ac prærogativæ N. T. præ veteri.

VII. Hæc igitur, cum & testamento veteri suo modo competant; satis docent, novum à veteri non distare in *essentialibus*; sed tantum in *circumstantialibus*, quoad novum, multoque perfectiorem *dispensandi* modum. Quatenus nim. (1) ratificatum est, sanguine & morte Mediatoris *exhibiti*, qui hactenus tantum fuit *exspectatus*. Quando fides fidelium olim fixa erat in Messia *futuro*, seipsum sacrificaturo pro peccatis suorum Jes. liii. 10. 12. Joh. viii. 36. Act. xv. 11. fides N. T. recumbit in Messiâ *præsente*, sacrificio præstito, jamque glorificato Joh. i. 14. Act. xiii. 31—34. Rom. x. 9. 1 Cor. v. 7. 1 Tim. iii. 16. Heb. ix. 11—14. 1 Joh. iv. 2. (2) *Doctrina* Euangelii, plenius, distinctius & *clarius* revelata est sub N. T. quando olim magis *obscure*, confuse & generaliter fuit proposita Mal. iv. 2. Joh. iii. 19. 2 Cor. iii. 18. 2 Pet. i. 19. (3) Promissiones N. T. *pure spirituales* sunt ac coelestes Rom. iii. 25. & v. 1. 2. Eph. i. 3. Heb. viii. 6. quando olim *obvolutæ* erant benedictionibus temporalibus terræ Canaan &c. Gen. xv. 5. 7. 8. & xvii. 2. 7. 8. Ps. cv. 8. 11. Deut. xxviii. 1—14. (4) Cultus N. T. verus est ac *spiritualis*, quando olim *typicus* erat & umbraticus Joh. i. 14. 17. & iv. 21. 23. Gal. iii. 24. 25. & iv. 1—9. & v. 1. 15. Heb. ix. 1—12. & x. 1—10. (5) *Ecclesia* N. T. citra ullum respectum personarum aut locorum, diffusa est per universum orbem terrarum Jes. ii. 2. Jer. iii. 17. Mal. i. 11. Matth. xxviii. 19. Rom. x. 18. & xv. 8—12. Col. i. 23. Apoc. vii. 9. quando olim limitata erat intra unam Judæam, & pauculos proselytos Deut. xxxiii. 4. Psal. lxxvi. 1. 2. & cxlvii. 19. 20. Rom. iii. 1. 2. Eph. iv. 12. (6) *Dona* spiritualia, ampliore mensura & varietate, distribuuntur sub N. T. quam sub veteri Jes. xi. 6. Joël. ii. 28. Joh. vii. 38. 39. Act. ii. 4. 16. 17. 33. 1 Cor. xii. 4—10. 25. (7) *Efficacia* Spiritus, circa usum donorum gratiæ, major observatur sub N. T. quam sub vetere Act. ii. 41. & iv. 4. & viii. 6. 12. & ix. 35. & x. 21. 24. 26. & xix. 20. & xxi. 20. (8) *Continuatio* hujus dispensationis, duratura est, usque ad extremum judicium Matth. xxviii. 18. 19. 20. 1 Cor. xi. 26. Eph. iv. 11. 13. quando præcedens

dispensatio, hac veniente exspiravit Heb. VIII. 7. 8. Tandem (9) *libertas* multo major, jam sub N. T. est, quam olim erat sub V. T. Quatenus hic Ecclesia tractatur, ut *filius majorennis* Gal. IV. 1. 4. 5. dum ibi existebat & tractabatur, ut modo quodam *servus*, sub prædagogia legis ceremonialis, asservata sub jugo Act. XV. 10. 28.

Initium novi testamenti.

IX. *Durationem* hujus periodi, cogitare debemus, quoad ejus terminum *à quo*, seu ingressum, & quoad terminum *ad quem*, seu egressum. Quoad *ingressum*, initium cepit *novum* testamentum, *generalius* quidem, cessante veteri testamento: *dies veniunt* Jer. XXXI. 31. cum Heb. VIII. 7. 8. *specialius* (1) quoad *fundationem*, in nativitate Mediatoris, qua *datus* est mundo Servator Joh. III. 16. qua Deus *manifestatus* est in carne 1 Tim. III. 16. (2) quoad *præparationem*, quando Mediator datus, *manifestari* mundo cœpit, per præconium Johannis Baptistæ prodromi Mal. III. 1. Jes. XL. 3. 3. cum Matth. III. 11. 12. 13. Joh. 1. 6. 7. 8. 27. 29. (3) quoad *sanctionem*, quæ facta est in *morte* Christi, quando Christus exclamavit: *consummatum est* Joh. XIX. 30. scil. *vetus* testamentum, quando *velum scissum* est Matth. XXVII. 51. Marc. XV. 38. cum 2 Cor. III. — quando sigillum *veteris* testamenti Pascha, abrogatum eique subrogatum est sigillum N. T. sacra Cœna Matth. XXVI. 17 — 31. quando sacrificia V. T. Deus rejecit Heb. X. 7 — 11. quando sanguine N. T. consecratum fuit novum testamentum Matth. XXVI. 28. cum Heb. X. 18 — quando ultima testatoris voluntas, *κεκύρωται morte* ejus Heb. IX. 18. 19. 2. quando Euangelii, per universum terrarum orbem annunciandi provinciam, suis Apostolis testator imposuit Matth. XXVIII. 16. 17. 18. 19. 20. Tandem (4) quoad solennem Euangelii, velut testamenti *promulgationem* seu publicationem, factam in die Pentecostes Act. II. 1. 2. 3. 5. —

Duratio novi testamenti.

X. Duratio novi testamenti, quoad terminum *ad quem*, seu egressus; erit adventus Christi ad extremum *judicium*, à quo periodus *æternitatis* exordium capiet. Hujus durationis annos numerare, aut designare, nemo potest Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Interim fatorum ac vicissitudinum capita, per certa intervalla, adeo repræsentat divina Apocalypsis Johanni, ut ad ea universum historiæ filum non ineptè possit revocari. Licet in hoc, Commentatores ad hoc scriptum, non uno modo enitantur. Sunt enim, qui A. parte ejus prophetica, *continuatum* quoddam vaticinium contineri autumant, de futuris Ecclesiæ, usque ad consummationem seculorum: sic ut primò septem *sigilla* successivè aperiantur; tum sub apertura septimi sigilli, septem *tubæ* successive tonantes audiantur; denique sub sonitu septimæ tubæ, septem *phialæ* effundantur in thronum bestiæ. Sic Piscator, Brigtmannus, Napierus. Sunt B. qui septem *sigilla*, cum septem *tubis* faciunt σύζυγα, unum idemque significantia, quæ postea, a capite duodecimo, aliis visionibus apocalypticis clarius repræsententur: sic Pareus. Sunt C. qui in parte prophetica, *duplex* vaticinium contineri autumant; *alterum* de fatis *imperii* Romani, à cap. IV. usque cap. XII. exclusive; *alterum* de revolutionibus *Ecclesiæ* sub imperio, à cap. XII. ad finem libri. Sic Josepho Mede in *clavi Apocalyptica*. Nos in hoc qualicunque diffidio, Judices non sedebimus: sufficiet nobis, omnium consensu, septem illustria *intervalla* numerasse, ad quæ, universa novi testamenti historia commode revocari possit. Non ausim equidem mihi imaginari, futurum, ut in constructione temporum, cum mysteriis apocalypticis, *sigillis*, *tubis* &c. aut mihi satisfaciam, aut lectori, quod tanta hic observetur discrepantia, ut tot fere occurrant sententiæ, quot interpretum capita, usque adeo, ut non tantum doctissimi interpretes aliquot, ab hujus libri expositione abstinere voluerint; sed &, si nasutulum aut sciolum quemvis dicere vellent, quasi in proverbio habuerint; *hic nobis Apocalypsin interpretabitur*: attamen, quia apud tam diversos extra dubium est, apocalypticis istis temporum seriem adumbrari; ut Ecclesiæ N. T. fata ex Scripturis quomodocunque haberemus; aliquid hic tentandum duximus, cum præsertim, si quando aberraverimus, hoc futurum sit absque magno lectoris detrimento, utpote qui nihilominus, res Ecclesiæ habiturus est, sive huic, sive alii mysterio apocalyptico competentes. Proinde, sicut res Ecclesiæ V. T. sex addiximus fœderis gratiæ diversis dispensationibus: ita & res N. T. sex intervallis seu ætatibus apocalypticis adstringemus, sic tamen, ut septimam Ecclesiæ *ætatem æternitati* seponamus, dicendam peculiari capite sequenti. Singulis ætatibus sua verba apocalyptica substruemus.

Prima Nov. Test. ætas.

Prima Ecclesiæ N. T. ætas concurrit cum apertura primi sigilli, Apoc. VI. 1. 2.

XI. Prima ergo N. Testamenti ætas, procul dubio, coincidit cum apertura *primi sigilli*, quæ explicatur Apoc. VI. 1. 2. Hic *sigillum* primum notat Euangelium *impletionis*, quod hactenus absconditum fuit, & Judæis, & Gentibus Rom. XVI. 25. Eph. I. 9. & III. 9. Col. I. 26. 2 Tim. I. 10. Tit. I. 2. Licet Euangelium *promissionis*, Judæis obscurius tamen, sub umbris ceremonialibus & quasi sub velo, notum fuerit. *Resignans* hoc sigillum, est *agnus*, ille qui *tollit peccata mundi* Joh. I. 29. figuratus olim *agno* paschali 1 Cor. V. 7. *Reseratio* sigilli ab agno facta, est revelatio prima ejus Euangelii, facta cum *immediate* à Christo, viva voce annunciante Euangelium Marc. I. 14. tum, *mediate* per suos ministros, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, perque universum ministe-

rium N. T. Eph. IV 11, 12. 13. *Præco* Johannem excitans ad attentionem, primum fuit è quatuor animalibus. *Leo*, qui notat Euangelizantes, & populum erigentes, ut cum Johanne veniant, & videant mysterium revelandum, animo leonino h. e. imperterrito. Hujus leonis *vox* seu boatus, est quasi *tonitru*, percellens audientium animos Jes. xxx. 30. Conf. Psal. CIV. 7. Marc. III. 17. Conf. Apoc. VIII. 5. & XIV. 2. & XIX. 16. In ipsa visione, repræsentatur *equus*, eos notans, quorum ope sessor vicit, h. e. subjugavit sibi hostes Rom. xv. 16. 18. 19. & *albus* quidem, seu candidus equus, qualibus triumphatores vehi solebant: notat puritatem & candorem, inservientium sessori, in suis victoriis 2 Cor. I. 12. *Sessor* insidens equo, vel ipse Christus, ut diximus ex Rom. xv. 16. 18. 19. ministerium dirigens, illudque prosperans; vel omnipotens Dei providentia, sua benedictione illud fœcundans. *Arcus* est instrumentum militare, repente feriens, etiam remota, penetrando ad interiora, hic notat omnia arma *militiæ spiritualis* 2 Cor. x. 5. in quibus, imprimis est verbum euangelicum N. Testamenti, hac ætate natum. *Corona* sessori data, insigne est cum regni; tum victoriæ, in fundatione regni sui, h e. fundatione Ecclesiarum, per Asiam, Africam & Europam, hac ætate procuratam. Hujus *exitus* triplex fuit, alter à Patre per æternam generationem Mich. v. 1. alter à Matre, per nativitatem in tempore, tertius ex Judæa, Hierosolymis in orbem terrarum, per Euangelii præconium: & victoria, exivit *vincens*, scil. satanam, peccatum, mundum Cor. xv. 54. 55. 56. vincens corda Jer. xx. 7. *& ut vincat*, porro, cum Judæorum perfidiam; tum Ethnicorum deastros; tum persecutionem, usque ad extremum judicium. Hæc omnia in subsequentibus uberius recurrent.

Ecclesiæ Christianæ fundatio.

XII. Prima igitur ætas Ecclesiæ N. T. adumbratur apertura primi sigilli apocalyptici. Penes quam occurrit 1. exordium *æræ* Christianæ, cum *veræ*, ducendæ à vero Christi natali; cum *vulgaris*, alias Dionysianæ, secundum computum Dionysii Exigui, Abbatis Romani, qui vixit tempore Justiniani Imp. & cum anno M. 3946. secundum Calvisium aliosque. 2. *Nativitas* Christi, quæ fundamentum est hujus æræ, quando Christus egressus est in carnem, quam *præcesserunt* α. plenitudo temporum Gal. IV. 4. adimpletis LXX. septimanis Dan. IX. 25. sceptro à Juda, cum Herode Idumæo, sublato Gen. XLIX. 10. legislatura Judaica ad breve tempus tantum duratura Joh. XVIII. 31. & XIX. 7. β. *Descriptio* orbis Romani Luc. II. 1. ab Augusto facta per Cyrenium seu Quirinum, ad hanc peculiariter deputatum, unde *prima* dicitur Lucæ. γ. Desponsatio Mariæ cum Josepho, qui fuerunt contribules, ex eadem tribu Judah oriundi, licet non ex eadem familiâ, quando Maria à Davide ortum sumit, per Nathanem filium; Josephus autem per Salomonem. δ. *Denunciatio* euangelica, Mariæ desponsatæ facta, de ejus conceptione & partu Messiæ. *Ipsa* nativitas accidit, regnante Herode Magno Matth. II. anno ejus incerto: regnante itidem Augusto Luc. II. anno itidem ejus dubio, quod diversimode numerentur anni Augusti, proinde, quæ de mense, die & hora nativitatis disputantur, omnia incerta sunt. Reliqua Messiæ, quæ spectant ad ejus denominationem, personam, utramque naturam, earundemque unionem, ejus officia, statum utrumque, humiliationis & exaltationis, ejus nativitatem, vitam, mortem, resurrectionem, ascensionem, sessionem ad dextram Dei, aliaque, ex professo diximus libro hujus Theologiæ *quinto*, hic compendii causa, non repetenda. 3. Fœderis gratiæ septima, ultima, perfectissima, & ad finem usque seculorum duratura *dispensatio*, quam diximus in exegeticis & dogmaticis præcedentibus hujus capitis. 4. Rejectio Ecclesiæ & religionis Judaicæ, eamque secutum urbis ac templi excidium, cum dissipatione gentis, cui ansam præbuerunt varia, nim. Præsidum Romanorum, post Pilatum, Marulli, Cuspii Fadi, Portii Festi, Albini ac tandem Gessii Flori, invisa dominatio: Herodum, Antipæ, Agrippæ, Chalcidis, Agrippæ Junioris, varia molimina, Pontificum factiones, Zelotarum insani & pertinaces motus. Causam præstiterunt, Gessii Flori avara in Judæos crudelitas, hinc Judæorum rebellio in Romanos, porro Zelotarum furores pro libertate Judæorum admissi, Gestii Galli conatus oppositi, Vespasiani à Nerone missi, ad compescendam gentem, res fortiter gestæ, ac tandem Titi, Vespasiani filii, excidium consummantis crudelitas. Quod factum A. Vespasiani secundo, Christi LXX. juxta Scaligerum aliosque, LXXII. juxta Baronium, paulò ante festum Paschatis, cum tota gens in urbem confluxisset. Templum, invito Tito, incensum fuit d. X. Augusti, tota urbs expugnata d. VIII. Septemb. ceciderunt in ea clade, teste Josepho αὐτόπτῃ, cum gladio, tum fame, Judæorum XI. centena millia, capti ac venditi XCVII. millia, præter Judæorum strages præcedentes. Præcesserunt variæ prædictiones Danielis, Amosi, Christi, varia item prodigia. Secuta sunt Vespasiani ac Titi triumphus, de subacta Judæa, templi Oniæ in Ægypto destructio, gentis, per universum orbem dispersio, novique subinde motus. 5. *Plantatio* & substitutio novæ Ecclesiæ Christianæ, per universum terrarum orbem, ad finem usque seculorum disseminandæ, facta per equitem, albo equo insidentem, h. e. Christum ejusque emissarios, de qua distinctius monendum veniet suo loco.

XIII. Fuit sub prima hac ætate Ecclesia, usque Imperatores

Romani, sub prima Ecclesiæ N. T. ætate.

ad obitum omnium Apostolorum, nominatim Johannis Euangelistæ, per annos omnino centum. Quibus exstiterunt duodecim Imperatores Romani, si nim. à fronte excludas VII. annos Julii Cæsaris, qui revera spectant ad Vetus Test. & à calce annos duos aut tres Trajani, quos referemus ad sequentem Ecclesiæ Christianæ ætatem. Nim. I. Octavianus *Augustus*, primus Monarchiæ Romanæ conditor, cujus tempore, pax universalis orbi est restituta, & in signum rei, templum Jani fuit clausum. Hic interim, quanquam inscius, Monarchiæ spirituali Christi obstetricatus est, dum nativitati ejus apud Bethlehem, ansam præbuit. Hujus annos LVI. varie varii ordiuntur, alii à primo ejus consulatu, alii ab ejus triumviratu, alii ab Actiacâ victoria, alii a delato ipsi nomine Augusti. A quo annus aræ Christianæ incertus fit, quamvis plerique nativitatem Christi construant anno ejus XLII. Secundus fuit *Tiberius*, cui Ecclesia coexstitit per annos XXIII. Sic ut ejus anno circiter XXI. competat mors Christi. Tertius C. *Caligula*, monstrum hominis, per annos circiter XIII. cujus anno circiter tertio, P. Pilatus, suæ in Christum perfidiæ, sui ipsius *αὐτοφονίας*, justas pœnas dedit, & Christianorum nomen invaluit Act. XI. 26. Quartus *Claudius*, sub quo, ab Agrippâ sublatus est Jacobus Apostolus Act. XII. 2. & egregia fames fuit, prædicta ab Agabo Prophetâ Act. XI. 21. atque insuper habita est Synodus Hierosolymitana. Quintus D. *Nero*, per annos XIII. sub quo Paulus Romam deductus est, ibidem Euangelio operam dedit, & gladio tyranni sublatus est. Marcus item, juxta Eusebium, sub hoc Euangelium conscripsit & obiit, & prima persecutio generalis accidit. Sextus *Galba* per menses VII. & dies circiter 25. a successore sublatus. Proinde septimus successit *Otho*, per 3. menses, qui tribus adversus Vitellium prælii victor, quarto succubuit, adeoque pacis publicæ, ut ferebat, causâ, seipsum sustulit. Hinc octavus successit *Vitellius*, per 8. menses, à successore Vespasiano prælio victus, ac tandem misere sublatus, ut nonus fuerit *Vespasianus*, per annos novem & menses XI. Hic per Titum filium, post excidium Urbis ac templi, sicut diximus, de subactis Judæis triumphavit, templum pacis dedicavit, inque eo ornamenta templi Hierosolymitani deposuit. Decimus *Titus*, per annos 2. & menses 2. Undecimus ejus frater *Domitianus*, per annos XV. in quibus secunda accidit Christianorum persecutio generalis. Tandem duodecimus *Coccejus Nerva*, per annum, & menses IV. sub quo Johannes Euangelista Ephesi obiisse putatur. Tres hujus ætatis reliquos annos Trajani, ad secundam ætatem seponimus.

Pontifices Romani hujus ætatis.

XIV. His jam construendi sunt Pontifices, seu Episcopi Romani, secundum Pontificios, quatuor: nim. (1) *Petrus*, quem volunt, anno Claudii secundo Romam venisse, ibidem per annos XXV. Pontificatum habuisse, secundum Hieronymum, qui hoc affuit Eusebii Chronico, cum in Græco non habeatur. Nec Lucas in Actis Apostolorum, nec Paulus in Epistolis, suppetente licet commodissimâ occasione, nec universa historiâ, vel tantillum hujus Pontificatus habet. Quin Paulus, cum Romam venit, & cum primoribus Judæorum contulit, Petrum non invenit, saltem de Petro nil memorat Act. XXVIII. 1. — nec in Epistolis suis Româ scriptis, v. g. posteriore ad Timotheum, ad Philemonem &c. salutationes fratrum Romæ existentium dispensans 2 Tim. IV. 21. Philem. vs. 23. 24. &c. ullam Petri facit mentionem. Imo, quicquid de Petro Lucas narrat, id omne in Judæâ gestum, & quidem post illud tempus, quo Romam profectus fingitur, scil. post annum secundum Claudii. Nam conjectus est Hierosolymis in carcerem, ab Agrippa Aristobuli filio, anno Claudii quarto, quo mortuus est Agrippa, teste Eusebio in Chronico, & fatente Valesio *convenire inter omnes*, in *Not. ad Euseb.* lib. 2. cap. 16. Rursus Petrus Hierosolymis fuit tempore Concilii Apostolici Act. XV — anno Christi minimum LI. secundum Baronium, Claudii IX. Sed secundum Valesium serius. Hinc si Antiochiam est profectus, ut volunt, & ibidem per septennium fuit Episcopus; adeo accidentur anni XXV. Pontificatus Romani, ut ei vix pauci anni superfint, usque ad ultimum Neronis. Hoc uno corruit universa Monarchia papalis: si enim, cum Monarchia, ut fingunt, Petro promitteretur Matth. XVI. 18. & cum conferretur etiam ex eorum sententiâ, non fuit Episcopus Romanus; tum etiam Monarchia non est adstricta episcopatui Romano, quin potius, cum post receptam monarchiam, factus fuerit Episcopus Antiochenus; ei potius foret adstringenda monarchia. Ordine in principio sic turbato; non potest non in successoribus primis, minus esse turbatus, quando alii Linum & Cletum putant fuisse, non successores; sed coexistentes ministros, quod tum temporis, discrimen inter Episcopum & Presbyterum, necdum in Ecclesia fuerit receptum: alii Cletum & Anacletum pro eodem habent: alii, post Petrum ponunt Linum, & deinde Cletum: nonnulli Clementi Cletum subjungunt. Nos interim, propter subsequentes successores certiores, ordinem prememus vulgatiorem, Petro substruemus (2) *Linum*, Tuscum, Martyrem, quem instituisse ferunt, ne qua mulier, nisi capite linteis operto, locis sacris adesset. Fertur sedisse annos XI. Ab hoc (3) fuit *Cletus* Romanus, martyr, qui Romæ XXV. presbyteros, in obscurissimo libro de *ritibus pontificiis*, ordinasse dicitur. Huic tribuunt annos XII. Successisse fertur (4) Clemens I. Romanus, itidem

dem martyr, ſcriptis quidem, ſed perditis, clarus. Huic annos tribuunt x. ſic, ut poſtremus pertingat ad annum tertium Trajani, & hactenus ad ætatem ſecundam ſpectet. De his Pontificibus Romanis, & ſecuturis omnibus generaliter, hic in limine juvabit obſervaſſe cum Alſtedio *Chronol.* cap. xxxi. ſub finem, quod Epiſcopi Romani non incommode diſpeſcantur in tres claſſes: *prima* habet paſtores ſimplices ſine mithris, & fere martyres, à Lino uſque ad Sylveſtrum i. h. e. ab Ao. Chriſti lxx. uſque ad annum ejus cccxiv. *Secunda* habet Epiſcopos mithratos, qui non fuerunt peſſimi, traditionibus ſuis tamen ac decretis, Antichriſto magno ſedem parantibus, plusculum fuerunt addicti, à Sylveſtro i. uſque ad Bonifacium iii. id eſt ab Ao. 314. uſque ad Annum 606. *Tertia* continet Papas, vel potius πόπας, conſtituentes corpus Anti-Chriſti magni, inde à Bonifacio iii. ad annum Chriſti 1623. Hæc ultima claſſis ſubdividitur in quinque periodos, puta in quatuor *regna*, & regni *occaſum*. *Primum* regnum, dicitur *beſtia magna*, qua Bonifacius os ſuum aperuit, ut ambitioſa beſtia, duravit à Bonifacio iii. uſque ad Johannem viii. h. e. ab anno Chriſti 606. uſque ad annum 855. *Secundum*, dicitur regnum *meretricis magnæ*, quia Johannes viii. vel potius Johanna, velut lupa ſedit Romæ, hujus ingenium imitati ſunt ſequiores, uſque ad Sylveſtrum ii. anno 999. *Tertium* regnum eſt *draconis* M. inde uſque ad Innocentium iv. Ao. 1243. Nam Sylveſter hic fuit necromanticus, impoſtor, cujus fraudes ſequiores ſunt imitati. *Quartum*, eſt regnum *locuſtarum*, ab Innocentio iv. ſeu ab Ao. 1243. uſque ad Julium ii. Ao. 1503. Appellatur *locuſtarum*, quia varii Monachorum ordines hoc tempore ſunt nati. *Occaſus* Antichriſtiani hujus regni, eſt à Julio ii. Ao. 1503. qui, Petri clave, in Tiberim projecta, exercitu armatus, urbe excedens, dixiſſe fertur: *quia clavis Petri non amplius valet; valeat gladius Pauli*, quo quidem facto, inclinatio hujus regni videtur ſignificata. Cæterum *conceptio* Anti-Chriſti incidit tempore Victoris Epiſcopi Romani, qui temere ac ſuperbe excommunicavit Eccleſias Aſiaticas: *nativitas* & *infantia*, tempore Sylveſtri, ſub quo audita eſt vox in aëre, *hodie venenum infuſum eſt Eccleſiæ*, ſcil. per luculenta illa dona, quibus Conſtantinus M. affecit Eccleſias: *adoleſcentia* tempore Bonifacii iii. qui Primatum à Phocâ Imp. impetravit: *juventus* & robur tyrannicum, cum variis nundinationibus conjunctum, tempore Caroli M. uſque ad Lutherum: ætas denique *ingraveſcens*, inde ad noſtra tempora.

Obſervatio generalis, de Pontificibus Romanis.

XV. Succedit ſtatus Theologiæ ſub hac ætate. Et *fœderalem* quidem Theologiam, diximus in primordio hujus capitis. *Symbolica* non multa habuit: vix enim hic quicquam occurrit, præter Sacramenta duo: Baptiſmum & S. Cœnam, quibus Oeconomia V. T. traducta eſt in Oeconomiam N. T. niſi duobus his conſtruere voles *ordinationem* per impoſitionem manuum Presbyterii, quâ miniſtri eccleſiaſtici inaugurabantur, ipſiſque ſignificabatur legitima vocatio, & donorum neceſſariorum collatio. Quantum ad figuras apocalypticas, illæ non tam doctrinæ Chriſtianæ capita; quam Eccleſiæ fata efformabant. Theologia *Syſtematica* hujus ætatis, ut & ſequentium omnium, eadem fuit ſubſtantiâ tenus cum Theologiâ V. T. omniumque ejus curriculorum & epocharum, ut hinc intelligamus, nos jam non aliud credere, quam quod fuit *in principio*, niſi quod 1. Theologia V. T. adſtricta fuerit Meſſiæ promiſſo & exhibendo; dum Theologia N. T. determinata eſt ad *Jeſum* Chriſtum, velut Meſſiam jam exhibitum, quem ignorabat vetus Theologia. 2. Quod noſtra Theologia excludat omnes figuras typicas V. T. quibus Meſſias adumbratur, ut adhucdum futurus. 3. Quod noſtra, ſua θεολογούμενα, magis clare & diſtinctè repræſentet, remoto velo Moſaico, quo ſub V. T. obvelabantur. 4. Quod Theologia noſtra novis tabulis ſit repræſentata, quas *Novum Teſtamentum* appellamus, ab eo, quod fœdus gratiæ, ejuſque promiſſiones deſcribant, quatenus nititur teſtatore jam mortuo. Harum auctores ſeu amanuenſes fuerunt, partim Apoſtoli; partim Euangeliſtæ, quales Marcus & Lucas, quanquam apud Tertullianum *cont. Marcionem* lib. iv. cap. 5. Marci illud Petro; Lucæ Paulo, quorum iſti fuerunt diſcipuli, adſcriptum fuerit. Alii rurſus, auctores *certi* ἀναμφίλεκτοι; alii *dubii* ἀντιλεγόμενοι, apud Euſeb. lib. iii. cap. 25. Quibus addi poſſit tertium genus, ſcil. *ſpurii*, qui magnâ copiâ olim fuerunt in Eccleſia, v. g. Pſeud-Euangelia, qualia ſunt, Euangelium Ægyptiorum, Thomæ, Matthiæ, Bartholomæi, Barnabæ, duodecim Apoſtolorum, Baſilidis, Apollo aliorumque, ab hæreticis, ſuis erroribus ſubdole patrocinaturis, conficta, de quibus videri poteſt Euſebius, hiſt. Eccl. lib. iii. cap. 19. & Nicephorus, hiſt. Eccl. lib. ii. cap. 46. Inſuper Pſeud-Epiſtolæ apóſtolicæ, item Pſeud-apocalypſes, quæ narrare longum foret, & forte otioſum. In genuinis tabulis, *primus* eſt Matthæus, qui putatur Euangelium ſuum ſcripſiſſe Hieroſolymæ, anno poſt aſcenſionem Chriſti ix. Deſcribit Acta Chriſti, ſed neglecto frequenter temporis ordine. *Secundus* eſt Marcus, qui ſcribendo ſucceſſiſſe fertur Ao. decimo aut undecimo poſt aſcenſionem Chriſti. Eſt epitomator Matthæi, niſi quod ſtudioſior ſit, circa geſtorum tempora. *Tertius* eſt Lucas, qui ſcripſiſſe fertur, circa annum ab aſcenſione Chriſti, circiter decimum quintum, qui res Chriſti ab initio proſequitur, per ſuas circumſtantias, in pleriſque, quantum ad ordinem temporis, Marcum ſecutus. *Quartus* Johan-

Hiſtoria Scriptorum N. T.

Status Theologiæ ſub prima ætate N. T.

Johannes, qui ſcripſiſſe creditur ſuum Euangelium, anno ab aſcenſione Chriſti, trigeſimo, addit ex profeſſo reliquis, acta anni Chriſti primi, in ſuo miniſterio, quoad cætera, res & annos Chriſti, quinque Paſchatis adſtringit. Euangeliis ſuccedunt *Acta Apoſtolorum*, digeſta à Lucâ, usque ad exceſſum Pauli Romæ, Paulo captivato A. C. circiter LX. Neronis XV. à converſione Pauli circiter XXVII. Quantum ad Epiſtolas Pauli, videntur illæ exaratæ, vel *ante* auctoris incarcerationem Romanam; vel ſub eadem: cujus diſtributionis character in eo eſt, quod in quibusdam ſuorum vinculorum nullam faciat mentionem; in aliis ex adverſo eadem memoret: ex quo intelligimus, non eodem illas ordine temporis conſtructas eſſe, quo comparent in noſtris codicibus. *Primo* igitur loco conſcriptæ videntur quæ ad Theſſalonicenſes, miſſæ Athenis per Tychicum, quod eas, occaſione tumultuum Judaicorum, apud Theſſalonicam & Beream Act. XVII. —— videatur ablegaſſe, ut Theſſalonicenſes adverſus eos obfirmaret, cui applaudere videtur ſubſcriptio utriusque Epiſtolæ 1 Theſſ. v. & 2 Theſſ. III. Aliis prior Corinthi ſcripta putatur Ao. XVII. poſt ſui converſionem, qui coincidit cum Claudii Imp. anno IX. aut decimo, à Chriſti vero paſſione XIX. quo, juxta Hieronymum, accidit Synodus Hieroſolymitana. Tum *ſecundo*, ad Theſſalonicenſes poſterior, exarata fere eodem tempore, & miſſa per Tychicum, qua ſcripta in priore Epiſtola, de adventu Chriſti ad extremum judicium, explicat & vindicat. Succedit *tertio*, prior ad Timotheum ſcripta Laodiceæ, miſſa item per Tychicum, cum ſecunda vice reverteretur Hieroſolyma, per Galatiam & Phrygiam Act. XVIII. 23. antequam reverteretur Epheſum Act. XIX. 1. Promittit enim Timotheo, tum Epheſi exiſtenti, ſe brevi affuturum ei 1 Tim. I. 3. & III. 14. quod putatur factum Ao. XIX. poſt ſuam converſionem, Ao. Claudii circiter X. aut XI. & poſt Chriſti mortem XXI. ſecuta videtur *quarto* prior ad Corinthios, miſſa Epheſo, cum ibidem ſubſiſteret Act. XIX. 9. 22. cum 1 Corinth. XVI. 8. quamvis alii ſcriptam malint Philippis, quod indigitari videtur in poſtſcripto Græco 1 Cor. XVI. 5. 6. Ao. Neronis circiter IX. & à morte Chriſti LXIV. à ſui converſione XXX. quo Jeroſolymis in vincula conjectus videtur. Succeſſit non multo poſt, *quinto* poſterior ad Corinthios, miſſa Philippis, quando poſt Demetrii tumultum, Epheſo migraverat in Macedoniam Act. XX. 1. 2. 3. quo ſpectare videtur ſignificatio adventus ſui, per Macedoniam in Græciam 2 Cor. IX. 4. In hoc tranſitu per Macedoniam, Nicopoli, ut poſtſcriptum habet, non procul à Philippis, antequam pertingeret in Græciam, ſcripſiſſe *ſexto* putatur ad Titum, quem Creta evocat Nicopolin, ibidem hiematurus Tit. III. 12. quamvis poſtea propoſitum iſtud mutaverit, & hiemem exegerit in Græcia, forte Corinthi. Unde nonnulli Epiſtolam hanc conditam arbitrantur Epheſi. Poſt hæc *ſeptimo*, ſcripſiſſe videtur egregiam ad Romanos, Corinthi: poſtquam nim. hiemem exegiſſet in Græcia, & propter Judæorum inſidias, per Macedoniam reverſus eſſet in Syriam, ibique collectum depoſuiſſet, & in vincula conjectus fuiſſet, Romam mittendus: unde hæc poſtrema videtur fuiſſe, quam ſcripſit ante ſui incarcerationem Romanam, anno ſuæ converſionis XXX. Chriſti LXIV. Neronis IX. Incarceratio autem iſta duplex fuit, altera *laxior* Act. XXVIII. 16. 20. 30. 31. ſub qua Timotheus libertati reſtitutus fuit, ipſeque libertatis ejuſdem ſpem videtur habuiſſe. Sub hac *octavo*, Epiſtolam ad Hebræos videtur dediſſe, qua ipſis promittit, ſe cum Timotheo, eos viſurum Heb. XIII. 23. altera ejus incarceratio *arctior* fuit, ſub qua, reliquas ſex Epiſtolas videtur condidiſſe, in quibus ſuorum vinculorum facit mentionem. Sub hac ſcripſiſſe videtur; *nono* Epiſtolam ad Galatas, miſſam per Tychicum, quibus ſignificat, ſe *ſtigmata Chriſti geſtare* in corpore ſuo Gal. VI. 17. Porro *decimo* ad Epheſios, itidem per Tychicum miſſam, in qua catenæ ſuæ facit mentionem Eph. VI. 20. Inſuper *undecimo* ad Philippenſes, miſſam per Epaphroditum, qua ſalutem nunciat, ab eis qui ſunt de familia Cæſaris. Adhæc *duodecimo* ad Coloſſenſes, miſſam per Tychicum & Oneſimum, qua memoriam ſuorum vinculorum ipſis commendat Coloſ. IV. 18. Nec non *decimo tertio* ad Philemonem, miſſam per Oneſimum, qua ſe *vinctum ſenem* prædicat Philem. vſ. 9. Quin & ſcripſiſſe creditur, poſt primam ſuam apologiam, qua, deſertus à ſuis, ſe ereptum dicit ex ore Leonis, eoque ſpem conceperat plenariæ liberationis, à qua hoſpitium ſibi parari petit vſ. 22. Tandem *decimo quarto*; nata eſt poſterior ad Timotheum, paulo ante ſuum martyrium 1 Tim. IV. 6. anno XXXV. poſt ſui converſionem, qui coincidit cum anno XIV. Neronis & XXXVII. poſt Chriſtum. Ordinem hunc conſcriptarum epiſtolarum Paulinarum, caute obſervaſſe, ex collatis actis iſtorum temporum, non parum lucis affert argumentis ſingularum epiſtolarum. Confer, poſt complures alios, Theodoretum, Uſſerium, Petavium, Baronium, imprimis Lud. Capellum in *hiſt. Apoſtolorum*. De Epiſtolis Catholicis, Chronologia non tam probabilis eſt. Jacobum Alphæi filium, (qui alias *minor* dicitur, diverſus à *majore*, ab Agrippa ſublato) ferunt, ſuam Epiſtolam ſcripſiſſe Hieroſolymis, ad tribus διασπορᾶς. Petrus itidem, *priorem* ſaltem, non admodum diu à converſione diſperſorum: *poſteriorem* poſt Paulinas ſcripſit 2 Pet. III. 15. morti propinquus cap. I. 14. poſt Petrum & Paulum ſaltem Judas, quod ad hos alludere videa-

videatur vſ. 18. Omnium poſtremus fuit Johannes, qui ſcripſiſſe creditur ſub Nerva Imp. Num prius Euangelium, an tres ſuas Epiſtolas, ambiguum eſt, prout etiam, quo tempore ſuam Apocalypſin exaraverit, niſi quod ea omnium ſcriptorum N. T. poſtremum locum habeat, utpote Canonem univerſum obſignans Apoc. XXII. 18. 19. Omnes hi N. T. libri lingua conſcripti ſunt, orbi communiſſima, Græca ſcil. ſeu Helleniſtica. Niſi quod de Euangeliis Matthæi & Marci, de Epiſtolis Paulinis, ad Romanos & Hebræos, nec non de Epiſtolis Jacobi, Petri ſecunda, & Johannis poſterioribus dubitatum ſit. His libris θεοπνεύστοις, conſtructo cum primis Canone Veteri, exhauritur univerſa Theologia Chriſtiana, non hujus tantum primæ ætatis; ſed univerſæ etiam æræ Chriſtianæ. Quibus tamen nequaquam connumeramus *Symbolum* quod vocant *Apoſtolicum*, ita dictum, ſeu quod ſit Symbolum ſeu teſſera communis ὁμολογίας Chriſtianæ; ſeu quod ſit συμβολὴ & *collatio* articulorum fidei, per ſingulos Apoſtolos facta, cum diſpergendi eſſent, per univerſum terrarum orbem, à quo XII. articulos habeat. Hujus enim traditionis vanitatem arguit, præter ſilentium Lucæ in Actis Apoſtolorum, qui tamen hoc multo minora memorat; etiam, quod per quatuor priora ſecula à nato Chriſto, nihil de hoc Symbolo occurrat, dum interim alia Symbola, Orientalibus uſitata, ſunt obvia. Et multo minus eis accenſemus ſcripta eccleſiaſtica, pleraque, ſi non omnia, pſeudepigrapha, ſine numero ferè, afficta: (1) *Chriſto*, nim. ejus *Epiſtola* reſponſoria ad Abgarum, Edeſſenorum Regulum, reſtitutionem valetudinis ab eo flagitantem. (2) *Apoſtolis*, *Canones Apoſtolici*, ſive LXXXV. ſecundum Græcos; ſive L. ſecundum Latinos; ſive LXXXIII. ſecundum Baronium, de regimine & diſciplina Eccleſiæ, *conſtitutionum Apoſtolicarum* lib. VIII. ſub nomine Clementis Romani, de vita & moribus fidelium. (3) *Euangeliſtis*, v. g. Euangelia Petri, Jacobi Alphæi, Thomæ, Bartholomæi, Thaddæi, Philippi &c. imò & Judæ Iſcariotis, ſecundum Hebræos, Ægyptios, omnium Apoſtolorum. (4) *Actis*, v. g. Acta Pauli & Theclæ, Petri, Andreæ, Philippi, Johannis, Thomæ, Bartholomæi, Thaddæi &c. (5) *Epiſtolis* Paulinis, v. g. ad Laodicenſes, ad Senecam Philoſophum. (6) *Apocalypſi*, v. g. Revelationes Petri, Pauli, Thomæ, Stephani. His accedunt, *prædicationes* & *itinerarium* Petri, *Traditiones* Matthæi, *Aſcenſus* Pauli, *Doctrina* Apoſtolorum. Item *Liturgiæ* Apoſtolicæ: *Matthæi*, quæ eſt Æthiopum; *Marci*, quæ eſt Alexandrinorum; *Petri* quæ Miſſa appellatur; imprimis *Iacobi* Hieroſolymitanorum; *Barnabæ*; duodecim Apoſtolorum; *Clementis* Romani. Afficta ſimiliter (7) Apoſtolicis viris, v. g. Nicodemo, Prochoro, Abdiæ Babil. Dionyſio Areopagetæ, Lino, Clementi Romano, Hermæ &c. Ne quid addam de ſuppoſititiis libris, de *infantia* Chriſti, de *nativitate* ejusdem, de Mariæ *nativitate* & *tranſitu*, de martyrum actis, de Epiſtolâ Mariæ ad Ignatium, & altera ejusdem ad eundem ex Caſſobelis. Tacebo afficta Gentilibus ſcripta, *Abgari* Regis Edeſſenorum ad Chriſtum, *Pilati Epiſtolam* ad Tiberium de morte, reſurrectione & miraculis Chriſti, item *Acta* Pilati, *Lentuli* Hieroſolymorum Præſidis *Epiſtol.* ad Romanos de forma & ſtatura Chriſti, & alteram quandam de doctrina Chriſtianorum, miraculis &c. *Senecæ Epiſtolas* ad Paulum Apoſtolum, operibus ejus adſperſas. His ſuppoſititiis agnoſcendis & diſcriminandis, Celeb. Spanhemius F. octodecim applicat Canones egregios, in ſuâ *Plenior. Indroduct. ad Hiſt. N. T. in* 40. Candidam iſtam Theologiam, cui ceu *equo Candido* inſedit Chriſtus, *vincens* & victurus, quam novis tabulis N. T. hæc ætas repræſentavit; oppugnarunt acerrime, denigrarunt-que I. Gentiles eorumque *Helleniſmus* h. e. idololatria Græcorum & Romanorum, ſub priore epocha natus, quando ſibi efformavit Deos *primi*, *ſecundi ac tertii* ordinis: Deos *conſentes* ſeu ſelectos, & *indigetes*, qui præeſſent, tempori, loco, generationi, ætatibus hominum, morbis, funeri, actionibus, paſſionibus, diſciplinis, œconomiæ, politiæ, agris: efformavit item Deos peregrinos, ſtatuas, ſimulacra ſine fine, ſine modo, ut omnium gentium Deos Romani colerent, ſapientioribus interim in unum erectis. De quibus videri poterit Gerh. Joh. Voſſius, Eduardus Herbertus, Alexand. Roſſ. aliique. Ex qua Deorum turba, hac ætate & ſecuturis, adeo in Chriſtianos ſævierunt Romani, quod πολυθείαν funditus abolerent, quam illi habebant, pro Imperii ſui firmamento. Præter iſtam Deorum Dearumque multitudinem, infinitam fere, Theologia gentilis habuit infandum ſimulacrorum cultum, mortuorum ἀποθέωσιν, animarum μετεμψύχωσιν. Habuit Theologorum, ſeu Philoſophorum ſectas: Pythagoræos, Platonicos, Peripateticos, Stoicos, Epicuræos: habuit *Magos* in Oriente, *Druidas* in Occidente, *Brachmannos* in India, Flamines item, Haruſpices, Augures, Sacerdotes, qui ſua quisque ſacra propugnarunt. Habuerunt ſua feſta, ſpectacula, ludos, in honorem ſuorum iſtorum Numinum, quæ ex primis Chriſtianorum Apologiis ac Diſputationibus intelliguntur. Interim memorabile eſt ſub hac ætate, *Oraculorum* gentilium, agnoſcente Cicerone, Lucano, Juvenali, Plutarcho aliisque, finis. Cujus cauſam Baronius in Apparatu N. XXV. forte non ſatis ſolide, refert ad reſponſum Apollinis Delphici, Auguſto conſulenti datum:

Me puer Hebræus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet &c.

Scriptores Eccleſiaſtici hujus ætatis, plerique pſeudepigrapha.

Hæreſes hujus ætatis.

Oppugnarunt denigrarunt que 2. Judæi craſſiores, qui α. legis ſcriptæ ſufficientiam non agnoſcebant; ſed traditiones non ſcriptas, obſervatu neceſſarias docebant. β. Hominem obſervatione legis, cum moralis tum ceremonialis, coram Deo juſtificari volebant. γ. Legis ceremonialis uſum perpetuum eſſe, & æternum. δ. Meſſiam ſibi miſſum rejiciebant, ejus æternam deitatem, munus mediatorium, veritatem doctrinæ & miraculorum, reſurrectionem, aſcenſionem, omniaque Chriſtiana negabant. 3. Semi-Judæi, qui Euangelium quidem admittebant, & Chriſtum profitebantur; ſed inſuper ceremonias Moſaicas, circumciſionem aliasque omnes, neceſſario obſervandas eſſe urgebant. Cum his negotium fuit Synodo Apoſtolicæ Act. xv. Item Paulo, in Epiſtolis potiſſimum ad Galatas, Coloſſenſes & Hebræos. 4. Hæretici, per complures ſectas: (1) *Simoniani*, à Simone Mago, qui usque ad ſuum Baptismum, fidem Chriſtianam ſimulavit; poſtea profeſſus eſt: *Simonem ipſiſſimum eſſe Meſſiam: apparuiſſe olim in monte Sinai, in perſona Patris: tempore Tiberii, in forma filii, & pro Chriſto crucifixum: carnis reſurrectionem non dari: promiſcuum uſum faminarum, licitum eſſe, & carnales libidines.* Iren. *lib.* 1. *cap.* xx. Epiphan. *hæreſ.* xxi. Hinc & ſuam Helenam ſeu Σελήνην ſibi ubique habuit præſentem. Hic omnium hæreticorum exſtitit Patriarcha. (2) *Menandriani*, à Menandro Simonis diſcipulo, ortu Samaritani, qui præter capita Magiſtri Simonis, tuebantur: *Mundum non eſſe à Deo; ſed ab Angelis factum: ſe Dei virtutem, ad ſalutem hominum miſſum: Chriſtum verum hominem non fuiſſe.* Epiphan. *Hæreſ.* xxii. Euſeb. lib. iii. cap. xxvi. (3) *Nicolaitæ*, de quibus Apoc. ii. 6. dicti à Nicolao quodam, ſive is fuerit *Diaconus* ille de quo Act. vi. qui, ut zelotypiæ ſuſpicionem à ſe amoliretur, uxorem ſuam proſtituerit, juxta Irenæum, Tertullianum, aliosque: ſive alius quivis Nicolaus maleferiatus, ſive prioris nomine abuſi fuerint prophani, ut malunt Clemens Alexandrinus, Theodoretus & alii. Statuebant, *licitas eſſe vagas libidines: & communionem uxorum: fornicantes octavo die pacem accipere: idolothytis veſci, licitum eſſe.* &c. Damnari videntur Apoc. ii. 6. 2 Pet. ii — & in Epiſt. Judæ — *Caiana* hæreſis appellatur à Tertulliano, in *lib. de præſcript.* ex Jud. vſ. 12. ἵνα τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν. (4) *Nazareni* nomen quidem geſtantes, Chriſtianis tum temporis commune; ſed reſtrictiore ſenſu, quatenus eos notabat, quos jam ante *Semi-Judæos* deſignavimus. Poſtmodum Euangelium Matthæi ſolum Hebraice ſcriptum, à ſe varie interpolatum, recepiſſe dicuntur Epiphan. *hæreſ.* xxix. (5) *Philetiani*, ab Hymenæo & *Phileto*, negabant corporum futuram reſurrectionem 2 Tim. ii. 17. 1 Cor. xv. 12. licet myſticam animorum reſurrectionem, per regenerationem & ſanctificationem, videantur agnoviſſe (6) *Cerinthiani*, à Cerintho, qui Petro & Johanni reſtitiſſe dicitur, apud Euſebium & Epiphanium. Senſit, *mundum ab Angelis factum eſſe: Chriſtum fuiſſe merum hominem: legem ceremonialem neceſſario ſervandam eſſe: fore regnum Chriſti terrenum, voluptuoſum, inſtauratis Hieroſolymis* &c. De Cerinthianis vid. Epiphan. hæreſ. xxviii. Ex Irenæo & Euſebio. (7) *Ebionitæ*, qui Origini contr. Celſum lib. 2. appellative dicuntur אביונים *pauperes*, quod homines fere pauperes fuerint ex Judæis: aliis ab Ebione Magiſtro ita vocantur, qui poſt excidium urbis, cum Cerintho & Nazaræis, ſuam hæreſin in Aſiâ, Cypro, Romæ & alibi diſſeminaverit. Statuebat Chriſtum natum Joſepho Patre mortali, quamvis alii ex Virgine, ope Spiritus S. prognatum agnoſcant, unde Euſebio & Origeni in duas claſſes diſpeſcuntur. De eo videri poſſit Epiphanius, Hæreſ. xxx. Origenes cont. Celſ. lib. i.

XVI. Reſtat Status Eccleſiæ ſub hac ætate. Qui habet cum fundationem & propagationem Eccleſiarum; tum fundatarum ſortem & fata. Circa primum occurrunt rurſus, & fundatores ſub Chriſto, his inſidente, velut equo candido. In fundatoribus primum locum obtinet *Johannes* Baptiſta, Chriſti prodromus, viam ipſi paraturus Jeſ. xl. 3. 4. 5. Mal. iii. 1. natus Zachariâ, Sacerdote non Pontifice, ut quidam volunt, & Eliſabetha, ſex circiter menſes ante natum Chriſtum. Hujus habitatio, victus, amictus, concio pœnitentiæ, Baptismus, de Chriſto teſtimonia, incarceratio, decollatio &c. ab Euangeliſtis paſſim narrantur. Suo miniſterio fungi cœpit, anno ætatis circiter trigeſimo, ex lege Num. iv. 3. Johannem ſecuti ſunt duodecim Apoſtoli, quorum nomina proſtant Matth. x. 2. 3. 4. Horum geſta, ex Actis Apoſtolorum tutiſſime hauriuntur. Quæ enim hic ex Scriptoribus eccleſiaſticis dicuntur, adeo ſunt incerta, ut Joſeph. Scaliger non inepte pronunciet, *à fine Actorum Apoſtolicorum, ad tempora Plinii Iunioris, nihil certi haberi in hiſtoria Eccleſiæ*, & Petavius in *Rationario temp. pleraque fabulis & incertis narrationibus aſperſa*, & Godavius Epiſcopus, in Præfat. *hiſt. Eccleſ. omnia fabuloſa eſſe.* Qui tamen defectus, utcunque farciri poterit, ex Epiſtolis Paulinis & Catholicis, ex Fl. Joſepho, Suetonio, Plinio ad Trajanum, Dione Caſſio, Juſtino Mart. Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano, Cypriano, Origene, Euſebio, Epiphanio, aliisque. In his, ordine ſaltem, non poteſtate, *primus* eſt, Petrus, Johannis ſeu Jonæ filius, patria Bethſaidenſis, vocatione piſcator, civis, ut videtur Capernaiticus, uxoratus, à retibus piſcatoriis ad apoſtolatus dignitatem à Chriſto evocatus, non epiſcopatum geſſit, vel Antiochenum per vii. annos; nec Romanum, per xxv. ut fingunt Romanen-

Status Eccleſiæ ſub primâ ejus ætate.

Fundatores Eccleſiæ, Apoſtoli.

manenſes. Fuit indole promptus, magnanimis & imperterritus; ſed tamen non abſque nævis, quos Servator ſubinde notat Matth. XVI. 22. 23. & XXVI. 31. 33. 34. item 51. 52. *Secundus* Andreas Petri frater major, quem Sabel. *Ennead.* VII. l. 4. credit apud Scythas crucifixum eſſe, alii malunt hoc factum fuiſſe Patris urbe Achaiæ. *Tertius* Jacobus, ob vocationem *Major* cognominatus, Zebedæi & Salomes filius, Chriſti conſobrinus, ex piſcatore factus Apoſtolus: dictus etiam Boanerges, filius tonitrui. Ab Herode Agrippa, in gratiam Judæorum decollatus fuit. *Quartus* Johannes, frater Jacobi, Chriſti diſcipulus dilectiſſimus, ſpectator ejus transfigurationis, luctæ, crucis, mortis, reſurrectionis & aſcenſionis, tutor B. Virginis, Apoſtolum egit, non Epiſcopum Epheſinum: ſub Domitiano relegatus fuit in Pathmum. Mortuus videtur Epheſi. *Quintus* Philippus Sympatriota Petri & Andreæ. Circa ejus mortem variant: Euſebius *in Chronicis* exiſtimat, eum Hierapoli, anno Claudii XII. crucifixum fuiſſe; Nauclerus autem Hieroſolymæ, ſub Tito mortuum narrat. *Sextus* Bartholomæus, ſecundum Nicephorum, Hierapoli in crucem actus, miraculose primum evaſit, poſtea iterum ſuſpenſus, periit: Sabellicus eum à Sacrificulis Ethnicis, pelle prius detractâ, interfectum narrat. *Septimus* Thomas, in Indis lancea confoſſus putatur. *Octavus* Matthæus, alias *Levi*, Alphæi filius e telonio ad Apoſtolatum vocatus, Nicephorus vult eum ab Anthropophagis, clavis terræ affixum, periiſſe: alii à Rege Æthiopiæ truncatum malunt. *Nonus* Jacobus *Minor*, Alphæi & Mariæ Cleophæ filius, *Juſtus* item appellatur, & *frater*, ſeu conſobrinus Domini. Apoſtolus fuit, proinde non Epiſcopus Hieroſolymitanus, ut pleriſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis placet. Euſebius lib. 2. c. 1. ex Clemente Alexand. & Egeſippo teſtatur, Judæos ipſum ex pinna templi, ut doctrinam abnegaret, ſtatuiſſe, & cum veritatem nihilominus profeſſus eſſet, lapidibus impetiiſſe, & tandem inſtrumento fullonis peremiſſe. *Decimus* Judas Lebbæus ſeu Thaddæus, frater Jacobi. Quo mortis genere occubuerit, quove loco, incertiſſimum eſt. *Undecimus* Simon Cananæus ſeu Zelotes. Euſebius perperam vult, eum Jacobo in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſiſſe. Volunt ipſum ætate gravem, plurimis diebus cæſum, ſub Trajano Martyrii coronam accepiſſe. *Duodecimus* Judas Iſcariothes, Chriſti Domini ſui proditor, ſui ſuſpendio periit. Huic ſorte ſubrogatus eſt Matthias, de cujus geſtis & obitu, nihil certi habetur. Allectus tandem eſt, vel ſupranumerarius, Paulus, Benjaminita, natus Tharſi in Cilicia, præceptore uſus magno Gamaliele in doctrina Phariſaica, Hieroſolymis informatus, textor opificio, civis Romanus, auctoritate Sacerdotum inſtructus, Eccleſiam Chriſti acerrime eſt perſecutus, & Stephanum, inter alios, falſis teſtibus damnatum, lapidibus obrui curavit. Sed a Deo, modo plane mirabili, in ipſo perſecutionis furore converſus, ſtatim in Synagogâ cœpit docere Euangelium, illudque per ſex fere peregrinationes continuavit, uſque adeo, ut omnia uſque ad Illyricum Euangelio repleverit, donec tandem, propter inſidiantes Judæos, Hieroſolymis captus, & Romam miſſus fuerit, ubi primum, liberiore captivitate uſus, varios ad agnitionem Chriſti perduxit, ac tandem à Nerone decollatus fuit. Paulo conſtruendus Barnabas, qui & ipſe *Apoſtolus* appellatur Act. XIV. 14. Nomine proprio *Joſes*, ſeu, ex pronunciatione Hebræâ *Joſeph*; Fuit Levita, oriundus Cypro, ab Apoſtolis *Barnabas* appellatus, h. e. *filius conſolationis*, aut adhortationis Act. IV. 36. Ante Paulum etiam ad Religionem Chriſtianam converſus, utpote qui Paulum etiam Apoſtolis repræſentavit. cap. IX. 27. Pauli item ſidus & ὁμόψηφος Achates, niſi quod ſemel inter eos orta ſit παροξυσμὸς. cap. XV. 39. Cæterum in confirmandis plantatis Eccleſiis, Pauli σύνεργος, perquam fidelis cap. XIV. 21. abreptus tamen cum Petro, qui cum Judæis, per hypocriſin, colluderet Gal. II. 13. Aſſumto Marco, plantâſſe videtur Eccleſias in Cypro. Ibid. verſ. 39. Apoſtolis ſociati fuerunt *Euangeliſtæ*, quorum officium alibi deſignavimus. Fuerunt Apoſtolorum paraſtatæ, qui ex eorum præſcripto mittebantur, ad Eccleſias plantatas rigandas & confirmandas. In his fuerunt (1) *Marcus*, dictus etiam *Johannes* Act. XII. 12. ejus mater fuit Maria. Ibid. Pater ignoratur, conſobrinus Barnabæ Col. IV. 10. Comes Pauli & Barnabæ, ante παροξυσμὸν, poſtea comes Barnabæ in Cyprum, cujus Paulus, non ſemel, honorificam facit mentionem 2 Tim. IV. 11. Philem. vſ. 24. Col. IV. 10. quem Petrus filium ſuum appellat 1 Pet. V. 13. ſeu, quod ab eo fuerit converſus; ſeu quod ejus exſtiterit comes, unde ſuum Euangelium ſcripſiſſe putatur, vel ex dictatione; vel ſaltem ex auctoritate Petri. Fertur Euangelium prædicaſſe in Ægypto apud Alexandriam, teſte Euſeb. *hiſt. Eccl.* lib. 2. cap. 15. atque etiam Philone Judæo apud Euſebium. Paulo adfuit in ſuis vinculis Romanis. Mortuus eſt, juxta Hieronymum in *Catal. Script. Eccl.* anno VIII. Neronis, & ſepultus Alexandriæ (2) *Lucas*, natus, ſecundum Hieronymum *in Catal.* & Euſebium lib. III. cap. 4. Antiochiæ. Non pictor, ut putat Nicephorus *hiſt. Eccl.* lib. VI. c. 16. niſi forte Metaphorice; ſed Medicus Col. IV. 14. Fuit Pauli fidus & conſtans comes, etiam in vinculis ſuis Romanis. Scripſit Euangelium & Acta Apoſtolorum, quorum hiſtoria pertingit fere ad martyrium Pauli, unde ſcripta videntur Romæ, anno circiter IV. Neronis. Non deſunt, qui putant, quotieſcunque Paulus mentionem facit *Euangelii*

Euangeliſtæ.

sui Rom. 11. 16. non intelligi, nisi Euangelium Lucæ. Mortuum Dorothæus putat Ephesi, Hieronymus sepultum mavult Constantinopoli (3) Philippus, civis Cæsareensis Act. xxi. 8. filias quatuor habens prophetantes, unus è septem Diaconis. cap. vi. 5. Euangelium prædicavit, & miraculis confirmavit Samariæ cap. viii. 5. 6. 7. 12. 26. 27. 29. (4) Stephanus diaconus, *plenus Spiritu S.* Act. vi. 5. miraculis clarus, habita ad senatum Hierosolymitanum, egregia oratione, cum eorum infidelitatem & σκληροκαρδίαν liberius & acrius tetigisset, ejectus ex urbe, & lapidatus, fuit N. T. πρωτομάρτυς Act. viii. — & xiii. 2. (5) Timotheus, natus, ut videtur, Lystræ, in Lycaonia Asiæ, Act. xvi. 1. 2. cum cap. xiv. 6. Patre Græco proselyto, Matre Eunice Judæa, Avia Loide, à teneris, in sacris scripturis versatus, circumcisus à Paulo, in gratiam Judæorum, ab eodem conversus, & impositione manuum presbyterii, minister Euangelii factus, ejusdem in suis peregrinationibus, fidus & præ reliquis charus fuit comes, quem etiam duplici Epistola honoravit, quibus curam Ecclesiæ Ephesinæ ipsi commisit. Quamdiu isti Ecclesiæ præfuerit, & quo mortis genere obierit, non constat. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. x. putant eum, ob acrius vituperatam Dianam Ephesinam, lapidibus & jaculis obrutum fuisse, ejusque ossa, cum reliquiis Andreæ & Lucæ, Constantinopolin traducta fuisse à Constantino, ut Hieronymus tradit *cont. Viligant.* (6) Titus, natione Græcus, non circumcisus, conversus à Paulo, à quo eum *naturalem* suum *filium* appellat, *secundum communem fidem* Tit. 1. 4. etiam *socium*, *cooperarium & fratrem* alibi. Quem plantatis à se Ecclesiis in *Creta* insula, reliquit, in qua vel centum erant urbes, juxta Magdeburgenses *Cent.* 1. lib. 2. cap. x. ac proinde Ecclesiæ amplificandæ, commodissima occasio. Ibidem etiam mortuus & sepultus putatur. Addantur si qui sint alii, v. g. Epaphroditus, Silas, Sylvanus &c. Apostolis Servator conjugavit lxx. discipulos, Ecclesias plantaturos, potissimum per Judæam Luc. x. 1. — Ex quibus postmodum, subinde allecti videntur Euangelistæ. His fundatoribus, sub Christo propagatæ sunt Ecclesiæ rigatæque. Adminicula propagationis fuerunt α. Annunciatio Euangelii, cujus præparatoria fuerunt, β. Mandatum Christi, abeundi per universum orbem terrarum, ut discipulos seu Christianos facerent Matth. x. 1. — & xxviii. 18. 19. γ. Instructio de modo agendi, ibidem & Luc. x. 1. — δ. Efformatio eorum, qua idonei facti sunt, ad negotium sibi demandatum, puta effusio solennis Spiritus S. in die Pentecostis, qua facultatem acceperunt, qua dona ipsis collata sunt, quarumvis linguarum, miraculorum, aliorumque necessariorum ad opus suum Act. ii. 1. — tandem ε. dispersio Apostolorum, abiturorum per universum terrarum orbem, facta, occasione persecutionum Judaicarum, quarum *altera* accidit Act. viii. 1. — post lapidationem Stephani, per Judæam & Samariam, manentibus interim in Judæa Apostolis Euseb. lib. ii. cap. 3. dum interea Euangelium longe lateque prædicaretur, per Paulum, Barnabam & socios, etiam apud Gentes Act. xi. xiii. xiv. xv. ut nomen *Christianorum* discipuli apud Antiochenos consequerentur Act. xi. 26. *altera*, magis catholica dispersio, facta Baronio quidem putatur, postquam Herodes Agrippa Jacobum gladio sustuliisset, & Petrum in vincula conjecisset, anno Christi xl. Claudii 2. ut putat Annalista, cum tamen revera fuerit Claudii iv. Agrippæ ultimus, consentiente Valesio. Hinc nata est traditio, Apostolos, habita Synodo, provincias orbis peragrandi, inter se sorte divisisse, atque etiam Symbolum Apostolorum concepisse. Sed horum nihil est apud Lucam in Actis Apostolorum, imo ex eis constat, Apostolos aliquot post annis subtitisse in Palæstina & Hierosolymis, ibique coiisse in concilium Act. xv. — anno, ut volunt Claudii ix. à quo tandem à se invicem separati videntur, teste Chronico Alexandrino. Certum est, Paulum prædicasse Hierosolymis, usque ad extremam Illyridem, & in Italiam Rom. xv. 19. Jacobum utrumque, fratrem Johannis, & Christi Hierosolymis: Johannem in Judæa & Asia Minore, Ephesi, ut vulgo putatur, mortuum: Petrum quoque Judæis, Asiaticis, Ægyptiis, & Babilone Ægypti, comite Marco 1 Pet. v. 13. quem inde ab anno Claudii iii. in Ægypto sedem habuisse, uno propemodum ore, Veteres volunt. Incerta magis sunt, (vel fatente de multis Baronio) v. g. quæ ex Origene Eusebius refert hist. lib. iii. cap. 1. & passim Veteres, Thomam sorte accepisse Æthiopiam, Parthiam, Indiam: Andream, Scythiam, Thraciam, Muscoviam: Matthæum, Æthiopiam, Abyssinos: Judam Thaddæum, Armeniam. Saltem non pertigerunt in Americam, neque in Africam Meridionalem, neque in insulas innumeras, maris Barbarici, Chinenses, Indici, Athlantici, Hyperborei &c. quæ regiones, altâ idololatriâ, adhucdum sepultæ jacent.

Septuaginta Discipuli.

Fundationis adminicula:

1. Annunciatio Euangelii & ad hoc dispersio Apostolorum.

β. Secundum fundandæ & propagandæ Ecclesiæ adminiculum, fuit regimen Ecclesiæ, per ministros, gemen cum *extraordinarios*, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, qui nunc exspirarunt; tum *ordinarios*, Pastores, Doctores, Presbyteros gubernantes, Diaconos, Presbyteria scil. πρὸς καταρτισμὸν τῶν ἁγίων Eph. iv. 12. de quibus ex professo negotium nobis fuit in Cap. de *Eccles. Minist.* Qui vocabantur consensu Ecclesiarum Act. xiv. 23. & ordinabantur χειροτονίαι, seu impositione manuum Presbyterii 1 Tim. iv. 44. Nulli adhucdum obtinebant Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Ostiarii, Confessores, nullæ item dignitates, Patriarchæ, Primates,

2. Reliqua gimen Ecclesiæ.

mates, Cardinales, Archiepiſcopi, & id genus alia Monarchiæ Papalis fulcra. γ. Diſciplina Eccleſiaſtica, eradicandis zizaniis & ſcandalis neceſſaria, quæ per hanc ætatem, deficiente Magiſtratus Chriſtiani auxilio, cumprimis rigidior eſſe debuit. Hinc correptiones, cenſuræ, animadverſiones Apoſtolicæ, *ordinariæ* & *extraordinariæ*, privatæ & publicæ, *ſpirituales*, fundatæ à Chriſto Matth. XVIII. 15. 16. 17. hic uſitatæ deprehenduntur 1 Cor. v. 3. 4. 5. & *corporales* etiam in Ananiâ, Sapphira Act. v. 1——12. in Elyma Act. XIII. 8——12.

3. Diſciplina eccleſiaſtica.

4. Synodi eccleſiaſticæ.

δ. Conſociatio Eccleſiarum aliqua: cùm *vicinarum*, unius nationis, Palæſtinæ, Aſianæ, Galatianæ, Phrygianæ, & in his Laodicenæ & Coloſſenſis Col. IV. 16. tum *remotiorum*, in Eccleſiis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ 1 Pet. I. 1. ſic Syriacæ & Cilicienſis Act. XV. 41. Quæ cumprimis conſpicua fuit in *Synodis*, quarum hæ ſaltem quatuor, ſub hac ætate obſervantur: *prima*, in quâ Judæ ſurrogatus in Apoſtolatum fuit Matthias, mox ab aſcenſione Chriſti Act. I.—— *Secunda*, in qua conſtituti ſunt VII. Diaconi. cap. VI.—— *Tertia*, in qua actum eſt de lege ceremoniali & libertate Chriſtiana, exceptis quatuor obſervandis ad tempus. Occaſione ſcandali à Judæis Chriſtianizantibus nati, in partibus, Antiochiæ, Syriæ, Ciliciæ Act. XV.—— Anno XIV. poſt converſionem Pauli, Claudii XIII. *Quarta*, ſuper tolerantiâ legalium, uſque ad tempus διορθώσεως, propter infirmiores ex Judæis, præſente adhucdum, & moderante Jacobo Act. XXI. 18. Addunt his alii *quintam* Act. XX. 17. 18. Fingunt & *ſextam*, in qua conditum fuerit *Symbolum* Apoſtolorum, ante diſperſionem Apoſtolorum, & conſtitutæ *traditiones* eccleſiaſticæ, ut vult Baronius Secul. I. Num. XIV. abſque idoneis documentis. Addunt alias, in quibus *Canones* Apoſtolorum, ſeu LXXXV. ſeu L. & *conſtitutiones* Apoſtolicæ, libris VIII. ſub nomine Clementis Romani, de vitâ & moribus fidelium, fuerint efformatæ.

5. Fundatio Eccleſiarum.

His adminiculis fundatæ ſunt Eccleſiæ; hoc ordine: א. *Hieroſolymitana*, & univerſæ Judææ, auctore ipſo Chriſto, & emiſſariis Apoſtolis, primo quidem in communi, tum ſpeciatim à Jacobo Alphæi, qui hinc perperam primus Hieroſolymorum Epiſcopus habetur. ב. Eccleſiæ per *Paleſtinam*, Samariæ, Cæſareæ, Lyddæ, Joppæ Act. VIII. IX. X. Tum per *Syriam*, Antiochiæ, Damaſci &c. Poſt, per vicinam *Arabiam*, in *Cypro* inſula, Tarſi Ciliciæ, *Pergæ* Pamphiliæ, *Iconii* Lycaoniæ, *Lyſtræ* Iſauriæ &c. Tandem Eccleſiæ illuſtriores, ad quas Paulus, Petrus & Johannes in Apocalypſi, epiſtolas dederunt, & quarum in eiſdem Epiſtolis meminerunt, fundatæ, maximam partem, in Aſia, Græcia, Macedonia, Dalmatia, Latio &c. poſt Synodum Hieroſolymitanam Act. XV. ג. *Alexandria* Ægypti & in vicinia, ſeu Marco, ſeu Apoſtolorum fundatore alio. ד. Eccleſiæ apud extremum *Orientem*, in Meſopotamia, Chaldæa, Parthia, Pontho, Bithynia, Media &c. In his, à prima origine, *Primariæ* habitæ ſunt, & poſtea Patriarchales factæ, nim. 1. *Hieroſolymitana*, prima Chriſtianiſmi ſedes, ob glorioſam Chriſti & Apoſtolorum præſentiam. Præferenda etiam Romanæ, licet huic Romanenſes, propter Petri præſentiam, epiſcopatum & mortem, potiorem locum aſſignent. 2. *Antiochena*, in qua primi Doctores floruerunt Barnabas & Paulus, hinc Petrus Gal. II. 11. in qua *Chriſtianorum* etiam natum eſt nomen Act. XI. quæ caput Orientis, potentia, divitiis & magnitudine ampliſſimâ. 3. *Romana*, cui tributa τὰ πρωτεῖα, τὰ πρεσβεῖα, quia caput erat orbis Romani, ſedes Imperii, urbium Princeps: nequaquam autem, quod Mater eſſet omnium Eccleſiarum, nec quod à Petro fuerit fundata: cum ſub Tiberio, juxta Tertul. Apolog. cap. VI. ante præſuppoſitum Petri adventum, Romæ complures exſtiterint Chriſtiani. 4. *Alexandrina*, fundata, ut volunt, à Marco, juxta Chronicon Alexandrinum, & ritualia Græcorum, anno Tiberii XVIII. juxta alios Claudii III. His tamen non minus illuſtres fuerunt Eccleſiæ aliæ, v. g. ſeptem Aſiaticæ Apocalypſeos, *Smyrnenſis* Aſiæ; *Sardenſis* & *Thyatirenſis* Lydiæ; *Pergamenſis* & *Philadelphenſis* Myſiæ; *Laodicena* & *Coloſſenſis* Phrygiæ; *Cæſareënſis* Cappadociæ; *Ancyrana* Galatiæ; *Theſſalonicenſis* & *Philippenſis*, Macedoniæ; *Corinthiaca* Achaiæ; & cumprimis *Epheſina*, Timothei, Pauli & Johannis fundationibus & gubernationibus, nec non urbis gloria, perilluſtris. An vero, ſub prima hac ætate, fundatæ fuerint Eccleſiæ, ſub extremo *Occidente*, & quibus auctoribus; adeo eſt incertum, ut Godavius Epiſcopus in *Præfat. Hiſt. Eccl.* non dubitet pronunciare: *plurimi modernorum, de Eccleſiarum fundatoribus ſcripſere; ſed alii ex cogitatis fabulis, alii ex mala teſtium fide.* Sic eſt, quod in *Britannia* Eccleſias fundaverit, Joſephus Arimathæus cum ſociis; in *Hiſpania* Paulus Rom. XV. 24. in *Gallia* Creſcens, Lucas, Trophimus & Paulus ipſe; in *Germania*, Maternus, Marcianus, Creſcens. Fundatis hoc modo Eccleſiis, non defuerunt fata ſua, plerumque nubila, ſub tot *perſecutionibus*, tot martyriis; oriundis, *partim* ab odio Judæorum, cui Pilatus in crucifixione Chriſti, & Agrippas Act. XII. obſtetricabantur, *partim*, ab ignorantia Gentilium, Chriſtianos perperam confundentium cum tumultuantibus Judæis; Deos ſuos omnes, aras, ſimulacra, à Chriſtianis contemni & proſcribi: *partim* à calumniis, de urbe ab eis incenſa, conſpirationibus eorum nocturnis, manducatione carnis humanæ, promiſcuis ſtupris, infanticidiis: *partim* è deteſtandis, Nicolaitarum, Simonianorum, Carpocratianorum; hæreſibus

6. Perſecutiones hujus ætatis.

resibus ac sceleribus, quæ veris Christianis imputabantur: *partim* à suspicionibus Romanorum, conceptis ex invalescente indies Christianorum multitudine, & afflictis moribus, quibus essent, Imperatorum inimici, legum, naturæ, adeoque generis humani hostes, hinc illæ lacrymæ, hinc Judæorum persecutiones, cum *in Palæstina*, tum *extra* illam, in Syriâ, Asiâ, Macedoniâ, de quibus in Actis Apost. Hinc nominatim 1. *Zelotarum* illa, qua Stephanus obiit, annis aliquot post Christi ascensionem, & quæ secuta est *magna* illa sub Claudio Act. VIII. 1. & IX. 1. 2. & XI. 19. Tum 2. Herodis Agrippæ, atrox cumprimis in Jacobum & Petrum Act. XII. nec deficiente in persecutorem, Dei horrendâ vindictâ. Porro 3. Annæ Pontificis, quâ cum aliis, periit Jacobus Justus frater Domini, filius Alphæi & Cleophæ, seu lapidatus; seu de fastigio templi præceps factus. Hegesip. lib. 2. cap. 23. Tandem 4. magis privatas Judæorum persecutiones, Paulo, Barnabæ, Silæ apud Gentiles motas, v. g. Iconiæ Act. XIV. 19. Philippis, occasione ejecti, ex ancillâ quadam, Pythonis Act. XVI. 22. 23. 24. Thessalonicæ, occasione prædicati Christi Act. XVII. 5. — in Achaiâ, occasione eâdem, coram Gallione Act. XVIII. 12. — Ephesi, occasione impugnatæ Dianæ à Demetrio Act. XIX. 23. — Jerosolymis, occasione profanati, ut putabant, templi, ubi Paulus apprehenditur, occidendus Act. XXI. 27. — Romæ quorsum missus erat sistendus Cæsari, occasione jam dictâ, ubi liberiori primum custodiæ mancipatus, postea à Nerone sublatus fuit Act. XXVIII. — brevitatis studio, ulterius non morabimur, è citatis locis repetendas. Succedunt ergo persecutiones Gentilium publicæ, decem, quarum duæ tantum spectant ad hanc ætatem, harum *prior* accidit sub Nerone: Tiberius enim fertur faviſſe Christianis, teste Tertulliano *in Apologia*, itemque Orosio. Prodierant quidem edicta Claudii in Judæos, etiam Christianis inimica, quod promiscue illi cum Judæis haberentur; sed quæ in nervum necdum erumpebant. Neroniana illa, accidit Imperii ejus anno IX. aut X. Christi LXIII. vel LXIV. aliis LXXVII. Occasio fuit, ab urbe incensa, quod incendiarius Nero Christianis imputabat. Fuit longe crudeliſſima, teste Tacito Annal. lib. XV. cap. XLIV. & ex eo, Sulpicio Severo, pervasit passim ditiones Imperii, Sulpicius histor. lib. 2. Orosius lib. VII. etiam Hispaniam, Baron. ad Ann. LXIX. Num. XLVI. Duravit usque ad annum Neronis XII. Baronio usque ad XIII. *Posterior* sub Domitiano, Neronianâ non inferior, de qua Eusebius in *Chronico*, & hist. lib. III. cap. XIII. item Tertullianus, Sulpicius aliique posteriores. Grassata est passim per Imperium Romanum, quâ relegatus est Johannes in Pathmum, & Flavia Domitilla, Patruelis Domitiani, in Pontiam insulam. Duravit usque ad necem tyranni. Tertia persecutio exstitit apud initium Ulpii Trajani; optimi alias Principis. De hac consuli poterit Plinius Secundus, Eusebius, Sulpicius aliique, circa annum Christi C. Vis autem ejus ad ætatem sequentem explicabitur. Jam sub tot persecutionibus, ac tam diris, quin frequentes fuerint Martyres, nemini dubium esse potest, quamvis plerique in tabulas non fuerint relati, & qui sunt relati, non omnes pari fide relati deprehendantur. Hic igitur certos ab incertis, & de certis, certa a dubiis & fabulosis, caute distinguere, hoc opus est, hic labor. Certi igitur sunt Martyres, quos scriptura monstrat, quales Stephanus πρωτομάρτυς Act. VII. Jacobus Zebedæi, ab Herode Agrippa, gladio sublatus cap. XII. Jacobus frater Domini, lapidatus secundum Josephum *Antiq.* lib. XX. cap. VIII. anno Neronis VII. secundum Baronium, & alios IV. Paulus capite plexus sub Nerone, & Romæ quidem, anno Christi, secundum nonnullos LXIV. alios LXVII. Baronium LXIX. postquam semel liberatus fuisset ex ore Leonis 2 Tim. IV. 17. 18. Petrus, certissime Martyr ex Joh. XXI. 11. dubium tamen, an crucifixus, an decollatus? An Romæ, ut constanter volunt, an Babilone? An eodem anno & die cum Paulo, an diversis. Sic reliquos Apostolos, & viros Apostolicos, Marcum, Lucam, Barnabam, Timotheum, Titum, Linum, Clementem &c. diversis locis ac temporibus, propter Christum, violentâ morte sublatos fuisse, plus est quam probabile: ast ubi, quando, quis moriendi modus, v. g. Petri, Thomæ, Bartholomæi &c. liberius determinatur in Martyrologiis, aliisque scriptis, apocryphis, & creduntur passim, non tantum à Baronio aliisque Pontificiis scriptoribus; sed & à Protestantibus tenacius, quam par est aut probari potest. Fabularum interim, & piarum fraudum, ut loquuntur, nullus hic finis, nullus modus, quibus nec tempus, nec spatium, nec lectorem impendemus. Fuit quidem sub prima hac ætate Apostolica, Ecclesia, comparata cum sequioribus omnibus, purissima & nitidissima, tam ratione doctrinæ, rituum, regiminis ecclesiastici; quam ratione morum: attamen suis maculis & nævis non plane destituta: cum quoad *doctrinæ* orthodoxiam, quæ adulterari cœpit, partim à *Judaismo* conjugando cum Christianismo, super quo negotium fuit, non tantum Synodo Hierosolymitanæ Act. XV. sed & Paulo passim in Epistolis, potissimum ad Galatas, Colossenses & Hebræos: partim à *Philosophia* permiscenda cum Theologia, super quo contendit in Epist. ad Colossenses cap. II. 1. ad Corinthios cap. II. tum quoad *morum* ἀταξίαν, quam in Corinthiis acerrime reprehendit Paulus, notando schismatica eorum principia, quibus, alii à Paulo, alii ab Apollo, alii à Christo se denominabant, vanum

Martyres priores hujus ætatis.

mum-

mundanæ ſapientiæ aucupium, cum vilipendio ſimplicitatis Chriſtianæ; ἀταξίαν circa capillitium, uſum S. Synaxeos & alia. Similes nævos, ſaltem quoad Judaica & ceremonialia, conſtruenda cum Chriſtianis, idem Paulus taxat in Eccleſiis Galatiæ, uſque adeo, ut *amentes* & *faſcinatos* pronunciet: nec leviora Servator notat in ſeptem Eccleſiis Aſiaticis Apoc. II. & III. ut nullo negotio agnoſcas, Eccleſias hujus ætatis non fuiſſe absque maculis.

Secunda Nov. Teſt. ætas.

Secunda Eccleſiæ N. T. ætas concurrit cum apertura ſecundi ſigilli. Apoc. VI. 3. 4.

XVII. Hinc recta deſcendimus, ad ſecundam Eccleſiæ ætatem, quæ figuratur aperturâ ſecundi ſigilli apocalyptici Apoc. VI. 3. 4. *Et cum aperiret ſecundum ſigillum, audivi ſecundum animal; dicens* &c. Eſt hic 1. Sigilli *apertura*; & cum aperuiſſet ſecundum ſigillum. *Sigillum ſecundum* eſt ſtatus Eccleſiæ ſub ſecunda ejus ætate, qui myſterium habet, rationi inacceſſum, ſola Dei revelatione patens: *aperiens* eſt agnus ille, qui ſolus dignus eſt aperire ſeu revelare myſteria, per caput præcedens. 2. Præco ſeu index excitans Johannem ad veniendum & videndum myſterium, animal ſecundum, figuram geſtans *vituli* aut *bovis* ex cap. IV. 7. quo figuratur Eccleſia, ſeu Chriſtiani, ad modum vituli aut bovis ſub hac ætate mactandi. Conf. Pſal. XLIV. 23. Rom. VIII. 36. invitat Johannem ad contemplationem ſuæ σφαγῆς. Porro 3. Emblema objectum: *Et exivit alius equus, & inſidenti ſuper illum, datum eſt tollere pacem de terra*, additur, *& datus eſt ei gladius magnus*. Eſt hic α. *Equus*, animal robuſtum & velox, notat perſecutionum ac tyrannidis atrocitatem & velocitatem, pervadentem quam celerrime, pleraſque terræ partes: & equus *rufus* notans ſanguinis effuſionem, ut apparet ex Græco. 2 Reg. III. 22. cædes, bella, & Eccleſiam martyriis rubentem, ſub Nerone, Trajano, omnibusque fere Imperatoribus, uſque ad Conſtantinum M. β. *Eques* ſeu inſidens huic equo: *& qui inſidebat*. Notare poſſit (1) Chriſtum, qui omnes Eccleſiæ perſecutiones permittit, dirigit, limitat. Conf. Zach. I. 8. Matth. X. 34. Sub Chriſto (2) Angelus, *homicida ab initio* Joh. VIII. 43. *Abaddon* Apoc. IX. 11. *Draco rufus* cap. XII. 3. qui omnis perſecutionis cauſa eſt. (3) Tyranni perſecutores, Imperatores Romani, Nero, Domitianus, Trajanus — γ. *Poteſtas* tyrannis inſidentibus *data*: *& datum eſt ei*, puta à Deo, à Chriſto, qui permiſit perſequendi poteſtatem Joh. XIX. 10. 11. *Pacem tollere*, ſcil. terrenam, qua tum adhuc gaudebat Eccleſia, *de terra*, ſeu de imperio Romano, ſeu de Eccleſia *militante* in terris, contradiſtinctâ Eccleſiæ *triumphanti* in cœlis, quod tum maxime *terræ* vox ſignificat, quando de ærumnis, quæ illam tantum urgent Eccleſiæ partem, quæ in terrâ exiſtit. Sic *homines terræ* dicuntur membra Eccleſiæ Apoc. III. 14. Sic item capitur cap. VII. 1. & XII. 9. & XIV. 16. &c. ſic Matth. X. 34. ubi eadem fere occurrunt: quod Eccleſia, quæ præſtantiſſimam terræ partem conficit; quod perſecutiones magnam terræ partem ab Imperatoribus exagitaverint; non addam quod perſecutiones ab Eccleſia auferant, non pacem ſpiritualem & cœleſtem Joh. XVI. 33. ſed terrenam tantum. Poſſit inſuper per *terram* intelligi Judæa, aut Judæi, qui tantum paſſi ſunt ſub hac ætate, propter ſuas rebelliones ſub Imperatoribus, ut ſub uno Hadriano, plures dicantur periiſſe Judæi, quam ſub Moſe olim egreſſi ſunt ex Ægypto. Tandem δ. *Uſus* poteſtatis ſibi datæ: *ut ſe invicem interficiant*, ſcil. homines, juxta Matth. X. 34. quod in Judæis compertum fuit, quando Zelotæ & ſeditioſi Judæi ſe mutuis & innumeris cædibus confecerunt, ut videre eſt apud Joſephum de Bello Jud. lib. IV. & V. Vel potius de ipſis Imperatoribus, quando in vindictam ſuarum perſecutionum ἀλληλοφαγίας, cædibus & lanienis mutuis, adeo efflagrarunt ſub hac ætate, ut vix alibi, in omni hiſtoria ſimile quid obſervetur, teſtibus Dione Caſſio, Euſebio aliiſque. Et ad hoc tandem, inſidenti datus additur *gladius ingens*.

Imperatores Romani, ſub ſecunda Eccleſiæ N. T. ætate.

XVIII. Incipit hæc ætas Eccleſiæ, cum anno Chriſti nati, vulgari CI. Trajani autem II. aliiſque III. & procurrit uſque ad Conſtantinum M. per annos circiter CCVI. Imperatores hujus ætatis, ceu ſeſſores equi rufi, non omnes eodem modo numerant, nos ordinem ſervabimus Helvici potiſſimum, adnotatis fere, quæ rem Eccleſiæ tangunt. Sic *primus* eſt Ulpius Trajanus, Hiſpanus, ab inſtitutione Plutarchi, Princeps optimus, Poëta & literarum fautor egregius. Sub quo cœpta Chriſtianorum perſecutio, ſed ex informatione Plinii Secundi, Epiſt. lib. X. Epiſt. 97. de moribus Chriſtianorum, remiſſior fuit quam antea. Præfuit annis XIX. quorum III. priores ad præcedentem ætatem ſpectant. Sub hoc ceſſarunt oracula Gentilium, per Plutarchum & Juvenalem, & Judæorum rebellium trucidantur 200000. juxta Dionem & Euſebium. *Secundus*, Ælius Adrianus, itidem Hiſpanus, non illaudatus Princeps, hic multa Judæorum tumultuantium millia cæduntur. Sub hoc quarta accidit perſecutio, inhibita tamen abeo. Equitavit per annos XXI. *Tertius*, Ælius Antoninus Pius, gener Adriani per adoptationem. Prohibuit legi libb. Sibyllinos, quod videtur pro Chriſtianis facere. Sedit annis XIX. Alii XXII. Quidam XXIII. Perſecutionem inhibet Ao. XV. *Quartus* eſt A. Antoninus Philoſophus, gener Antonini Pii, cum L. Anton. Vero, apoplexia extincto. Sub hoc fuit perſecutio V. *Quintus* M. Aurel. Commodus, Antonini Philoſophi filius, impera-

imperavit annis XIII. ſtrangulatus. *Sextus* Helvius Pertinax, per dies 89. Didius Julianus, per d. 66. Clodius Albinus, Peſcennius Niger, Septimius Severus ſimul per annos XVIII. Hic accidit perſecutio VI. *Septimus*, Ant. Baſſianus Caracalla & Anton. Septimius Geta, filii Severi, annis VI. *Octavus*, Opilius Macrinus, cum filio M. Anton. Diadumeniano, per menſes VI. *Nonus*, Antonin. Heliogabalus, per annos IV. *Decimus*, Alexander Severus, Heliogabali conſobrinus, Mammææ filius, per annos XIII. *Undecimus*, Maximini duo, Gordiani, Maxim. Pupienus & Balbinus, per annos VI. Accidit ſub his perſecutio VII. *Duodecimus*, Philippus Arabs, cum filio cognomine. Hic fertur fuiſſe Chriſtianus, contradicente tamen Scaligero, per annos VIII. *Decimus-tertius*, Decius Pannonius, cum filio Hetruſco. Item Vibius Gallus cum filio Voluſiano. Simul per annos III. Facta fuit ſub his VII. perſecutio. *Decimus-quartus*, Licinius Valerianus, cum filio Galieno, per annos ſex. Accidit hic IX. perſecutio. *Decimus-quintus*, Galienus Valeriani filius, poſt Patrem cum fratre Valeriano, & filio Galieno, ſub quibus, diverſis in locis XXX. tyranni ſibi imperium rapiunt. *Decimus-ſextus*, Flav. Claudius per annos duos. *Decimus-ſeptimus*, poſt aliquot dies Quintilii fratris Claudii, Aurelianus, per annos VIII. In quibus ſunt menſes VI. Claud. Taciti, & Floriani fratris ejus. *Decimus-octavus*, Aurel. Probus, quem tres æmuli Imperii, Saturninus, Proculus & Bonoſus, exagitant, per annos VI. *Decimus-nonus*, M. Aurel. Carus, cum duobus filiis, Carino & Numeriano, per annum unum. *Vigeſimus*, Diocletianus, Maximianus, qui anno VI. Galerium Maximinum, & Conſtantium Chlorum, Cæſares adoptant, per annos XX. Sub quibus X. perſecutio accidit.

Epiſcopi Romani ſub ſecunda N. T. ætate.

XIX. His conſtruendi Epiſcopi Romani. In quibus (obſervata incertitudine primorum Epiſcoporum, quam notavimus penes ætatem præcedentem) ordinem receptum ſequemur, juxta quem 1. eſt *Anacletus*, Græcus, martyr. Huic tres decretales epiſtolæ affinguntur, & tribuitur à Platina, quod in barbam & comam leges ſanciverit. Tribuunt ei annos X. Hen. Valeſio tamen aliisque, idem eſt cum Cleto Lini ſucceſſore 2. *Euariſtus*, ex Patre Judæo in Græcia natus, martyr, ex ſententia Platinæ & Damaſi. Affinguntur ei duæ epiſtolæ prætoriæ. Fertur etiam *Titulos*, i. e. ædes ſacras, presbyteris diviſiſſe. Sediſſe putatur annis IX. 3. *Alexander*, Romanus, martyr, trium decretalium epiſtolarum fictitius auctor. Fertur magnam Senatus partem, & Hermetem urbis Præfectum convertiſſe, & miraculis etiam claruiſſe. Addunt ipſum aquam luſtralem cum ſale confeciſſe, & in S. Synaxi aquam vino admiſcuiſſe, uſumque azymorum in eadem conſtituiſſe. Hæc Platina, neſcio qua fide. Sedit per annos X. 4. *Sixtus*, Romanus, martyr, duarum decretalium, & nonnullorum decretorum, fictus auctor. Fertur prohibuiſſe, ſacra vaſa à quoquam tangi, niſi à ſacrorum miniſtris: conſtituiſſe item τριῳδιον in S. Synaxi. Cumque in Gallia, ob frequentes cædes, pauci fidem profiterentur, Peregrinum miſit, qui eos confirmaret in fide. Sedit annis X. 5. *Teleſphorus*, Græcus, unius decretalis epiſtolæ fictitius auctor, quæ jubet, VII. ante Paſcha diebus, à carnibus abſtinere, & Miſſarum ceremonias, variis, ſed imprimis cantione Angelica, auget. Sedit per annos XII. 6. *Hyginus*, Athenienſis, martyr, duabus epiſtolis notatus. Fertur Clerum in ordinem & gradus redegiſſe, unumque patrimum aut matrimam, baptizandis præfeciſſe. Sedit annis IV. 7. *Pius*, Aquilejenſis, cui nonnulli Anicetum præponunt. Fingitur duabus epiſtolis, & compluribus decretis, Epiſcopum ab omni accuſatione, quæ ab auditoribus fieri poſſit, exemiſſe: ſomnio Hermetis ab Angelo moniti edoctus; Paſcha non cum Orientalibus die XIV. celebraſſe, & alia ad diſciplinam eccleſiaſticam Pontificiam ordinaſſe. Sedit per annos IX. 8. *Anicetus*, Syrus, martyr, raſuræ ſphæricæ auctor. Sub hoc & præcedentibus cum nihil ageretur, contra Valentinum & Cerdonem Romæ tumultuantes, & in Paſchatis negotio in orientales, quos Quartadecimanos nominarunt, debaccharentur, Polycarpus Romam venit. Et huic epiſtolam decretalem ſuppoſuerunt. Sedit Anicetus per annos VIII. 9. *Soter*, Campanus, martyr cui duas epiſtolas, & aliquot decreta affingunt, per annos IV. ſedit. 10. *Eleutherius*, fundanus Græcus, cui unam epiſtolam tantum affingunt. Hunc primum volunt ex Epiſcopis Romanis, qui morte naturali deceſſit, quanquam alii & ipſum martyribus accenſent, latiore ſcil. ſenſu quo & illi martyres ſalutantur, qui, licet non *mortem*, aliud tamen cruciamentum pro Chriſto ſuſtinent, hoc modo Baronius, & Martyrologia Vetera, ipſum martyribus connumerant, ad VII. Cal. Junii. Interim liber Pontificalis ipſum inter martyres non habet. Ab hoc, Lucius Britannorum Rex, ad Chriſtianiſmum converſus, Epiſcopos obtinuit. Romæ verò, iterum *templum Pacis* incendio abſumtum eſt, ut & hoc ſignificatum videatur, *pacem de terrâ ſublatam* fuiſſe. Per XV. annos ſedit. 11. Victor, Afer, martyr, quem duabus decretalibus, perperam dignati ſunt. Hic, quam in ſinu fovebat Monarchiam Papalem Eccleſia Romana, primus prodidit, Eccleſias Aſianas, propter Paſchatis feſtum, quartâ decima luna, in quemcunque hebdomadis diem inciderit, hactenus apud ipſos celebratum; dum Europæi iſtud, in diem Dominicum proxime ſequentem conjicerent; excommunicavit, Irenæo ipſum, ob hanc tyrannidem, ſuſtra increpante,

Per

Per VIII. annos ſedit. 12. *Zepherinus*, Romanus, duabus ambitioſis epiſtolis decretalibus, ſtatuto de calicibus vitreis, pro ligneis apud S. Synaxin, adhibendis. Fertur etiam conſtituiſſe, ut omnes puberes S. Cœnâ in Paſchate uterentur. Annis XIX. ſedit. 13. *Calixtus*, Ravennas, martyr, jejunia quatuor temporum inſtituiſſe creditur. Dicunt ipſum, ſub Alexandro, poſt diuturnam famem, & quotidiana verbera, in puteum præcipitatum fuiſſe. Per annos V. ſedit. 14. *Urbanus*, Romanus, martyr ſub Alexandro percuſſus. Præter unam decretalem epiſtolam, quam ipſi affingunt, vaſa argentea, pro vitreis adhibenda decrevit, atque inſuper Eccleſiæ conceſſiſſe fertur, ut prædia poſſideret. Per annos VII. ſedit. 15. *Pontianus*, Romanus, primum exilio, dein martyrio coronatus. Sedit per V. annos, fictus auctor decretalium. Huic auctor Faſciculi temporum, Bergomenſis, teſtatur Cyriacum ſucceſſiſſe, eumque, poſt Epiſcopatum annuum, cum exercitu 11000. virginum, ad martyrium Coloniam profectum fingunt, & ob hoc in numero Epiſcoporum, non recenſeri, quia, & invito Clero, epiſcopatum reliquiſſet, & oblectamentis puellarum invitatus abiiſſet. 16. *Anterus*, Græcus, martyr. Huic Damaſus XII. annos, Platina XI. Volateranus III. Nauclerus I. Baronius octavam anni partem tribuunt. Una ei decretalis adſcribitur. Martyria piorum conſcribi curaſſe, aut in Eccleſia recondidiſſe, ipſum porro martyrio coronatum ferunt. Veriſſime per VI. menſes ſedit. 17. *Fabianus*, Romanus. Huic tres decretales, & aliquot decreta, perperam adſcribunt. Euſebius dicit, ipſum convertiſſe Philippum Imper. & ob gravia peccata, rurſum ab Eccleſiâ arcuiſſe, donec reſipuiſſet. Aſt Philippum fuiſſe Chriſtianum, Scaliger, non abſque rationibus, negat, cum præſertim Euſebius iſtud, ex ſuppoſititiis Origenis literis ad Philippum, hauſiſſe videatur. Per annos XV. ſedit. Poſt eum Epiſcopatus vacavit ultra annum. 18. *Cornelius*, Romanus, martyr, cui duas decretales affingunt. Sedit per unum annum. Huic conſtruitur Novatianus, Papa ſchiſmaticus, & ſchiſma primum eâ occaſione natum, quod Feliciſſimus quidam quæſtionem moviſſet contra Syrianum in Africâ, de non recipiendis lapſis, quam, ex Africa abiens Novatus, Romæ agitavit, curavitque, ut Novatianus Presbyter Cornelio, lapſos poſt pœnitentiam recipienti, ſurrogaretur. Hinc primum ſchiſma natum, & Novatiani in Epiſcopatu ſucceſſores, uſque ad Cœleſtini Pontificis Epiſcopatum permanſerunt, ut ex Socrate Onuphrius habet. 19. *Lucius*, Romanus, exul primum, deinde redux, martyr. Et huic epiſtolæ decretales affignantur, & decreta, nim. ut omni loco, duo Presbyteri cum tribus Diaconis Epiſcopum comitarentur, adeo pedetentim Epiſcopi Romani ad honores & Monarchiam graſſati ſunt. Habuit ſedem per unum tantum annum, quamvis alii ipſi duos tribuant. 20. *Stephanus*, Romanus, martyr ſub Valeriano. Nec ipſe abſque decretalibus & decretis, prætermittitur. Sub hoc recruduit controverſia de lapſis, quos Novatianus negabat eſſe recipiendos. Firmianus omnes ſine diſcrimine, nulla prævia pœnitentia, recipiebat: Orthodoxi media incedebant, & lapſis, ſi pœnitentiam agerent, veniam conceſſerunt; ſed eos officiis eccleſiaſticis indignos cenſebant. Hac occaſione, acerrima controverſia nata eſt, inter Stephanum & Cyprianum ſuper Baptiſmo hæreticorum; nam Novatiani, cum omnes rebaptizarent, ad ſe tranſeuntes, ne Catholici viderentur Novatianorum Baptiſmum approbare, duce Cypriano, etiam qui ex Novatianis ad ſe tranſibant, baptizarunt; ſed Stephanus, armis excommunicationis, errorem Cypriani audaciſſimè inhibuit. 21. *Sixtus* II. Athenienſis, ſuas etiam habuit fictas decretales & decreta, martyr factus eſt ſub Valeriano. Sedit per 2. annos, aliis per unum tantum. 22. *Dionyſius*, Græcus, fictus duarum futilium epiſtolarum auctor. Sedit per annos fere X. aliis per XI. 23. *Felix*, Romanus, martyr ſub Aureliano, duabus putidis epiſtolis perperam donatus. Sedit per annos III. 24. *Eutychianus*, Tuſcus, in quo epiſtolis & decretis ridiculis extollendo, Gratianus & Collector conciliorum, perquam liberales ſunt. Dicitur CCCXLII. martyres ſua manu ſepeliviſſe, & conſtituiſſe, ne quis martyr abſque colobio purpurato, aut dalmatica tunica ſine manticis, ſepeliretur. Sedit per X. annos. 25. *Cajus*, Dalmata, martyr ſub Diocletiano. Una tantum epiſtolâ; ſed ineptiſſimâ, dignatus. Fertur conſtituiſſe, ut Epiſcopus per omnes officiorum gradus adſcenderet. Sedit XIII. annis. 26. *Marcellinus*, Romanus, duabus epiſtolis, in tomis conciliorum oſtentatus, apoſtata primum, dein martyr: eum enim omnes fere Scriptores Eccleſiaſtici, ſub Diocletiano, mortis metu, thus diis adoleviſſe, idque coram Eccleſia primum negaſſe, dein confeſſum, ſe ſponte martyrio objeciſſe dicunt, negante interim Baronio ſacrificationem, ne ſcil. macula inuratur ſanctæ ſedi. Sedem habuit per VIII. annos. 27. *Marcellus*, Romanus, in ſtabulo jumentorum, in quod à Maxentio detruſus fuerat, pædore & labore ſuffocatus. Fingitur duobus decretis, & totidem epiſtolis auctor exſtitiſſe, quarum altera, ipſum Maxentium auſus fuerit alloqui, eique edixerit, ne quis Epiſcopus alibi, quam in legitima Synodo, cauſam dicere cogeretur. Quin & à Baronio dicitur XXV. titulos, ſeu Cardinalatus ordinaſſe, ſeu tot ſacras ædes ſacraſſe, cum VII. tantum hactenus fuerint, à quo Cardinalatui patrocinium fruſtra quærunt. 28. *Euſebius*, Græcus, quem *hiſtoria tripertita*, & *Euſebius* ignorant.

rant. Sed Gratianus & Collector conciliorum, tribus epistolis insulfis, insulsè honorant. Sediſſe fertur per 2. annos. 29. *Milthiades*, quem Platina martyrem factum fuiſſe, ſub Maximino affirmat; Sabellicus negat. Huic etiam nonnulla ſtatuta clericalia affinguntur. Sedit per 111. annos.

Status Theologiæ, ſub ſecundâ ætate N. T.

XX. Theologia hujus ætatis, *de jure* quidem, eadem per omnia fuit, quæ præcedentis ætatis apoſtolicæ. Canone enim N. T. jam obſignato Apoc. XXII. 18. 19. Spiritu item prophetico ac θεοπνευγία, poſt exceſſum Apoſtolorum ablatis; non fuit, nec eſſe potuit novum Dei verbum, quod Eccleſia fide divinâ reciperet: & ſi quid recepiſſet, id damnatum fuiſſet Apoc. XXII. 18. 19. Matth. xv. 9. &c. *De facto* etiam, eadem obtinuit Theologia, quoad *ſubſtantiam* ejus, quatenus Eccleſia, non tantum *generalius*, quando ſufficientiam & perfectionem Scripturæ profeſſa eſt: Juſtin. Mart. in *Paræn. ad Græc.* & *Dialog. cum Tryphone Judæo* pag. 277. edit. Pariſ. *Omnia ad Scripturas referens, & ex eis demonſtrationes inſtituere ſtudens.* Iren. lib. II. III. IV. *adverſ. Hæreſ.* & *adverſ. Hermog.* ex profeſſo, Clem. Alexand. in *Protreptico*, & in *Stromatum* libb. Nihil dicam de Ignatianis Epiſtolis: ſed *ſpecialius* inſuper v. g. Eſſe unum Deum Creatorem; Filium veniſſe in mundum; mortuum eſſe pro peccatis; reſurrexiſſe --; aſcendiſſe --; reverſurum; futuram vitam æternam; bonis operibus eſſe ſtudendum, aliiſque capitibus, non tantum talibus, quæ hodie extra controverſiam ſunt; ſed eis etiam, quæ noſtro tempore diſputantur, v. g. de ſufficientiâ & perfectione Scripturæ, de Trinitate, æternâ deitate filii, ſatisfactione, juſtificatione per fidem ſolam, gratiâ etiam præveniente, Baptiſmo, Euchariſtia aliiſque. Singula horum aliorumque ſingulatim teſtimoniis Scriptorum hujus ætatis confirmare, non hujus Epitomes. Præſtiterunt hoc Magd. *Cent.* II. cap. 3. & III. cap. 4. Fl. Illyricus in *Catal. teſt. Verit.* Hotting. in *hiſt. Eccleſ.* Forbeſ. *in inſtruct.* Bebelius in *antiq. Eccleſ.* Et quotquot controverſias Theologicas tractarunt ex antiquioribus. Saltem hac ætate, quantum ad ſecundum ſeculum, nihil auditum deprehenditur de Papæ Romani œcumenico Pontificatu, Vicariatu Chriſti, infallibilitate; nihil de Romanâ Eccleſiâ ut ſolâ Catholica, capite Eccleſiarum; nihil de purgatorio aut ſatisfactionibus humanis; nihil de transſubſtantiatione & præſentiâ corporali in S. Cœnâ; nihil de ſacrificio Miſſæ pro peccatis viventium & mortuorum; nihil de communione ſub una tantum ſpecie; nihil de Sacramento confirmationis, diſtincto à Baptiſmi illo; nihil de confeſſione auriculari; nihil de cultu & invocatione Mariæ, imaginum, reliquiarum, hoſtiæ conſecratæ; nihil de votis monaſticis; nihil de meritis bonorum operum, & quæ alia hujus generis Pontificii venditant, tanquam traditiones apoſtolicas. Et ſi quæ pro his, ſubinde ex Irenæo aut Tertulliano adducantur, non niſi palam dubia, ſpuria & apocrypha, aut in perverſum ſenſum detorta deprehenduntur. De ritibus Eccleſiaſticis, ſuo loco diſtinctius monebimus. Sic ſe Theologia habuit, ſub primo hujus ætatis ſeculo. Nec ſub ſecundo ejus ſeculo aliter, niſi quod capita ejus non nihil etiam diſtinctius propoſita & vindicata fuerint. Non habuit equidem hæc ætas nova ſcripta θεόπνευστα, è quibus nobis ejus Theologia innoteſceret: habuit tamen, in uſum communem Eccleſiæ, novas Scripturæ θεοπνεύστε metaphraſes: 1. *Syriacam*, quam Marco aſſerunt quidem, ſed abſque ſolido fundamento, eruditorum conſenſu, certius eſt, eam non longe ab Apoſtolicis temporibus natam fuiſſe. Caruit primo Epiſtolis *Catholicis* & *Apocalypſi*, ſed quæ poſtmodum ſuppletæ ſunt. 2. *Latinas* variis, in uſum Eccleſiarum occidentalium, in quibus eminebat, quæ *vetus* dicebatur, *Itala*, *vulgata* & *communis*, emendanda poſtmodum per Hieronymum, ad textum Græcum Origenis. 3. *Græcam* V. T. Nim. α. *Aquila* Pontici, ex Chriſtiano excommunicato Judæi, ſub Adriano facti, quem eundem nonnulli volunt eſſe, cum Onkeloſo Targumiſta atque etiam affinitate Hadriano propinquum. β. *Theodotionis* Epheſii, ſub initiis Commodi Imp. ex hæretico Marcionita, Judæi proſelyti, vel Judaizantis Ebionitæ. Judicio Origenis ex Hebræo fideliſſimè traducta. γ. *Symmachi* Samaritani, ſententia Epiphanii, Judæi proſelyti, Hieronymi vero, Judaizantis Ebionitæ. Ambiguum, num ante Theodotionem, an poſtea ſub Severo Imp. ex Hebræo fuerit concinnata. Hæ verſiones, utcunque bonæ; non tamen animo ſatis bono & ingenuo, videntur adornatæ. Acceſſerunt *Hierichuntina* & *Nicopolitana*, quanquam ſequenti demum ſeculo, in doliis repertæ. Ex iſtis omnibus, ſeculo ſequente, conſtruxit Origenes ſua *Tetrapla*, ſeu quatuor verſiones Græcas, per totidem columnas, παραλλήλως diſpoſitas: tum ſua *Hexapla*, quibus præcedentibus quatuor, duas Hebræas, alteram characteribus Hebræis, alteram Græcis, addidit: tandem ſua *Octapla*, quibus, ſex præcedentibus conſtruxit verſiones Hierichuntinam & Nicopolitanam. His ſcriptis θεοπνεύσεις, quatenus fideliter ſunt repræſentata in verſionibus, continetur & Theologia hujus ætatis. Unde Patres hujus ætatis, Clemens Rom. Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexand. Tertullianus &c. ad has frequenter provocant, velut *fundamentum & columnam veritatis*, quas item *Dominicas & Apoſtolicas traditiones* non rarò appellant, ne putemus eos per traditiones iſtas intelligere, doctrinam præter Scripturas, viva tantum voce traditam. Inſuper Theologia iſta continetur ſcriptis eccleſiaſti-

Verſiones Scripturæ.

Scripta Eccleſiaſtica.

clesiasticis, v. g. *Symbolis*, qualia *Symbolum Apostolicum*, cujus hac ætate, saltem fundamenta vindentur jacta, in usum competentium: Symbolum Orientale, quo usæ videntur Ecclesiæ Orientis ante Synodum Nicænam: item scriptis *apologeticis*, Justini Martyris, Athenagoræ, Tertulliani, quæ integra adhucdum exstant. Porro in scriptis Patrum hujus ætatis, Justini Martyris, Irenæi, Theophili Antioch. Tatiani, Clementis Alexandrini, Tertulliani: fragmentis item Dionysii Corinthii, Melitonis Sardensis, Hegesippi, Polycarpi Smirnensis ad Philippenses Epistola. Quæ omnia obtinuerunt, sub priore seculo hujus ætatis, quibus seculo posteriore accesserunt, cum Symbola & formulæ publicæ, puta Symbolum Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, de quibus Usserius, Vossius, Forbesius & alii: tum Scriptura Patrum, Origenis, Hippoliti, Mart. Minucii Felicis, Cypriani, Gregorii Neocæsar. De quibus suo loco plura. Hoc tamen dictum nequaquam volo, de scriptis spuriis, pseud-epigraphis & apocryphis, quibus hæc ætas fertilissima fuit, qualia sunt, v. g. Dionysii Areopagitæ, carminum *Sibyllinorum* lib. VIII. à Nerone dudum sublati, Ignatii Martyris *Epistolæ*, de quibus dictum jam ante, liber Melitionis Sardensis, *de transitu Mariæ*, seu de *assumptione* illius, Hegesippi lib. v. *de Bello Judaico*, Justini Martyris liber *quæstionum & responsionum ad Orthodoxos*, & *expositio fidei de S. & consubstantiali Trinitate* &c. Theophili Antioch. opus *commentariorum in* IV. *Euangelia*, Clementis Alexandrini *adumbrationes seu commentariola* in 1 Epist. Petri, Judæ & Johannis illas, Terulliani varia, v. g. lib. *de Trinitate*, de *pœnitentia*, Epistola de *cibis Judaicis*, poëmata quædam, cum elenchtica adversus *Marcionem*; tum moralia, *Epistolæ Decretales* Episcoporum Romanorum, de quibus actum jam ante in historia eorundem, usque ad Victorem. Quas omnes, post Magdeburgenses, singulatim expendit, & fictas sexto demum, septimo & sequentibus, docet Dav. Blondellus in *pseud-Isidoro* adversus Turrianum, & apocryphas agnoscunt doctissimi è Pontificiis, Cusanus, Ant. Augustinus, Contius, Petavius, Sirmundus &c. & quandoque ipse Baronius, citatus à Blondello. scil. genuinæ nullæ decretales, ante Siricii epistolas, post annum CCCLXXXV. à quibus collectionem suam incipit Dionysius Exiguus. Conf. Doct. Fratris mei Gerhardi *historiam Iuris Ecclesiastici*. In his ergo genuinis scriptis, rejectis spuriis, genuina re-

Theologia vitiata: 2. Per Gentilcs.

præsentatur hujus ætatis Theologia. Ea vero non leviter & leniter exagitata & labefactata observatur hac ætate: 1. A *Gentilibus*, accrescentibus sub superstitiosis Imperatoribus, Trajano, Adriano, Antonino, Aurelio, Commodo, novis superstitionibus, delubris, numinibus, ludis, agonibus &c. observantibus passim Justino, Athenagora, Tatiano, Theophilo Antioch. Clemente Alexand. Tertulliano, Minucio, Arnobio: Novis item odiis in Christianismum, novis persecutionibus, dicteriis, quibus Christianos Asinicolas, Novellos, Sordidos, Rudes artium, Pauperes, Desperatos, Temerarios, Crucicolas, Sibyllistas, Piscicolas vel Pisculos, ab Acrostychi Sibyllini primordialibus ἰχθὺς h. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς σωτὴρ, passim calumniabantur: sed imprimis etiam scriptis philosophorum, pleraque Christianorum mysteria acerrime impugnabant, qualia fuerunt, *Crescentis* Cynici Philosophi, sub Adriano & Aurelio, cum Justino Martyre commissi non semel, cui Justinus opposuit suam *Apologiam*, structis etiam ejus vitæ insidiis, ac tandem sublatæ. De quo Tatianus, in *Orat. contra Græcos*, & Eusebius *Hist.* lib. IV. cap. 16. Præterea *Luciani* Samosatensis Epicuræi, educati in Scholâ Apollonii Tyanæi, præstigiatoris, in suo *Alexandro*, qui Christum appellat *crucifixum Sophistam*, Trinitâtem ridet, sugillat ejus ascensionem, vitam æternam aliaque capita Christianismi. Quamvis interim Christum appellat μέγαν ἄνδρωπον, & Christianismum false quidem θαυμασὴν σοφίαν. Sed imprimis *Celsus* Epicuræus, vir doctus, suâ versutie & eloquentiâ. Cujus, quæ fuerit in Christum, in Scripturas, maledicentia, vel unus docet Origenes, lib. VIII. *cont. Celsum*, quibus Celsi ἀληθὴς λόγος, pernicioſissimum in Christianos scriptum egregiè refellit. Calumniarum ejus summa est: Christum natum matre adulterâ, hinc à marito rejecta, nec e virginitate natum, nec Dei filium fuisse, quæ ex Græcorum fabulis hausissent Christiani, illum magicis artibus in Ægypto imbutum fuisse, obambulâsse circulatorum more, spectri in modum, suis post mortem apparuisse &c. Christianos vero esse homines magos, usos libris magicis, lascivos, ac perditissimæ vitæ, timidos, seditiosos, hostes Magistratus, ex Platone, Sibyllis, fabulis Græcorum, multa suffuratos, in fœdissimas sectas divisos. Nec æquior Celsus exstitit in Scripturas, historias V. T. pariter & leges Mosaicas, ab Origene luculenter vindicatas. 2. A *Iudæis* spe recuperandæ patriæ, passim tumultuantibus & rebellantibus, per Asiam, Africam, Ægyptum; Palæstinam, Lybiam &c. *Primum* quidem sub Trajani anno XVIII. lanienis in Gentiles sibi cohabitantes, tum apertis bellis, odium sibi concitantibus, quod & in Christianos subinde se exonerabat, donec per Trajani præfectos, terrâ marique funderentur delerenturque. De quibus Dion Cassius, Spartianus, Eusebius, Orosius aliique. *Secundo* sub Adriani anno XVI. Christi CXXXII. quando rebellionis Capite Bar-Chochba, filio stellæ, (sic dicto, per allusionem *stellæ* ex Jacobo orituræ Num. XXIV. quod ex eâ Messiam se ven-

2. Per Judæos.

ditaret, & ſtipulam in ore, accenſam ex ore, quaſi ſtellulas anhelitu ventilatas, vomeret) aperto bello Adriano inſultabant, & per varias ſtrages horrendas, conficerentur, & à Palæſtina proſcriberentur, Hieroſolymæ, *Ælia Capitolina* nomen tribueretur, effigies Adriani marmorea portæ Bethlehemiticæ præfigeretur, cum ſcropha porcelliſque. De quibus plura Scriptores jamjam nominati. Per hanc rebellionem, etiam in Chriſtianos ſubinde debacchati ſunt, quod renuerent eis ſuppetias ferre, donec tandem ad internecionem cæderentur, & Barchochab exſtinctus *Bar-cozba*, filius mendacii appellaretur. Ex profugis etiam *Tryphon* ſeu *Tarphen*, diſputatione Chriſtianis inſultavit, quem *Dialogo cum Tryphone*, Juſtinus Martyr confecit. Interim ex his Judæorum calamitatibus, hoc boni conſecuti ſunt Chriſtiani, quod à fermento Judaico magis fuerint repurgati, nec amplius Epiſcopos ex circumciſione admitterent. Euſeb. hiſt. lib. IV. cap. 6. & Sulpicius Severus lib. 2. Habuere etiam Scholas, alteram *Jafnæ* in Judæa, ante diſperſionem ſub Adriano, minus celebrem; alteram in *Tiberiade*, Galilææ Palæſtinæ, cui poſtremæ præfuit R. *Juda Sanctus*, qui ex ſcedis Judæorum, collegit *Meſchnioth*, ſeu textum Talmudicum, anno Chriſti circiter CXC. Quibus Aben-Ezra, & Elias Levita, addunt opus *Maſorethicum*; contradicente Buxtorffio. Schola Tiberienſis poſtea migravit in Babiloniam, ubi Miſchnaioth acceſſit *Gemara*, ſeu commentarius in R. Judæ Miſchnaioth, abſolutus demum ſeculo VI. ex utroque coaluit Talmud *Babilonicum*, diſtinctum ab Hieroſolymitano, quo ſuas traditiones, legemque *oralem*, adverſus Chriſtianorum Scripturæ ſufficientiam, tueri conantur. Plura de his, Buxtorffius, Lud. Capellus, Conſt. Lempereur aliique. Imprimis autem

§. Per Hæreticos.

3. Theologiam contaminarunt hæretici, quorum alii in S. *Scripturam*, in legem, Prophetas, Apoſtolica ſcripta, eorumque, vel auctoritatem, vel ſufficientiam; alii in *Dei naturam*; alii in *perſonas* Trinitatis; alii in *Chriſti* cumprimis perſonam, deitatem, incarnationem; alii in *creationem* mundi; alii in *hominis* libertatem, alii in divinam *gratiam*; in *juſtificationem* ex gratia; in *ſanctificationem* & bona opera; in *perſeverantiam* ſanctorum; in *Baptiſmum* ejuſque unitatem & uſum; in S. *Cœnam*; in *conjugium*, aliaque Chriſtianiſſimi capita, arietarunt. Nominatim 1. *Saturninus*, Antiochenus, ſub Adriano Imp. circa A. C. 130. è ſchola Simonis & Menandri; omnium turpitudinum ſectator, matrimonii hoſtis, ſeptem Angelis mundi creationem adſcripſit, & ex illis unum nominavit Deum Judæorum, hunc adverſus Patrem Angelorum rebellaſſe, in ejus deſtructionem Chriſtum, putativum tantum hominem veniſſe, ſeipſum vero eſſe ſervatorem verum, ad deſtruendum Judæorum Deum, alioſque Angelos evertendos, qui divinæ poteſtati ſe ſubtraxiſſent. Epiphan. Hæreſ. XXIII. 2. *Baſilides*, Alexandrinus, in Ægypto, ſub Adriano, paulò poſt Saturninum, Deum ſummum & increatum appellabat *Abraxas*, ſomniabat, inde productam fuiſſe mentem primigeniam, mentem genuiſſe λόγον, hunc providentiam, quæ produxerit 365. Angelos, quorum quiſque effinxerit peculiare cœlum, ita ut tot cœli ſint, quot dies anni, ab horum ultimo, hominem. Statuebat præterea, Chriſtum non fuiſſe verè paſſum; ſed ſubſtituiſſe ſibi Simonem Cyrenæum, animam prius peccaſſe, quam in hoc corpus detruſa fuerat, non reſurrecturа corpora, fidem eſſe naturalem, martyria non eſſe ſubeunda. Epiphan. Hæreſ. XXIV. poſt Iren. & Euſebium. Ab hoc *Gnoſtici* eſſe dicuntur apud Euſeb. in *Chron.* & Hieronymum. Hos vero ante Adrianum diſſeminaſſe ſuas hæreſes, contra Dallæum contendit Pearſonius, Vind. Ignat. part. 2. c. VII. 3. *Carpocrates*, Ægyptius, Philoſophus Platonicus, coævus Saturnino & Baſilidi, parens & hic habitus Gnoſticorum, eadem fere prioribus docens, peccando etiam & turpiter vivendo, cœlum conſcendi debere, duos eſſe Deos, quorum alter *malus*, qui peccatis ſit conciliandus, alter *bonus*, qui gratis, abſque intuitu bonorum aut malorum operum, ſervet. Epiphan. *Hæreſ.* XXVII. item Irenæus & Tertullianus. 4. *Valentianus*, Philoſophus in Ægypto, Platonicus & Pythagoricus, in petitione Epiſcopatus rejectus, hinc Hæreſiarcha, à quo Valentiniani: ſparſit ſua delira etiam Romæ, circa A. C. CXLI. ſub Anton. Pio Imp. Gnoſticus omnium ſubtiliſſimus haberi voluit, voluptatibus diffluens, ſtatuebat XXX. *Æones*, quos omnes procedere dicebat, ex conjugio *Bythi* ſeu profundi, velut Patris, & *Siges* ſilentii tanquam Matris, ex horum conjugio νοῦν & ἀλήθειαν, novos conjuges, & ex his λόγον καὶ ζωὴν, genitores reliquorum Æonum, & ſic materiam mundi, ſeu abyſſum & chaos, ex quo Deus emerſerit, qui poſtmodum ex Maria natus ſit, & inter ſemen Cainiticum, & ante & poſt diluvium ſparſum, electos bonos procreaſſe. Epiphan. *Hæreſ.* XXXI. Prodierunt ex Valentinianis quoque *Secundiani*, Valentini placita, vocabulis peregrinis, magis etiam obſcurantes; item *Ptolemiani*, numerum Æonum mutantes & augentes; *Marcitæ*, ſe perfectos appellantes, primi tranſſubſtantiationis auctores; *Colurbaſii*, qui vitam omnium hominum in VII. ſideribus conſiſtere, aſſerebant; *Bardeſianiſtæ*, qui fato, non bonas tantum, ſed & malas actiones, ſimpliciter adſcribebant; *Heracleonitæ*, qui duo principia contraria ſtatuebant, id quod etiam fecerunt *Marcoſii*, qui inſuper morientes unctionibus redimebant; *Ophitæ*, qui ſerpentem protoplaſtorum ſeductorem, Chriſtum

ſum tandem ex virgine natum arbitrati, ſerpentes colebant, nec Euchariſtiam prius ſanctificatam volebant, quam panis & ſanguis, à ſerpente, quem in ciſta alebant, lambendo præguſtatus fuiſſet; *Adamitæ*, qui nudi, ſine ſexus diſcrimine, orabant, nuptias damnabant, & promiſcuè coibant; *Origeniani* (non ab Origene Adamantio; ſed ab alio quovis obſcuriore ſic dicti) qui in profeſſione vitæ monaſticæ, turpiſſima perpetrabant & ſcelus Onani Gen. XXXVIII. 8. perpetrabant. De his Gnoſticis Epiphanius, in genere refert, quod communes uxores habuerint, S. Synaxin promiſcuo concubitu coluerint, dicentes, ſe ſic *dilectionem facere*; quod ſemen maſculinum pro corpore Chriſti comederint, & ſanguinem menſtruum, pro ejus ſanguine biberint, & ſi quæ ſunt hujus generis infanda plura. Ad Gnoſticos, nonnulli referunt *Angelicos*, circa A. C. circiter CCX. exortos, qui Angelos coluerunt, forte Æonibus Valentinianorum dementati. Ex dictis jam 5. percipimus, quinam fuerint *Gnoſtici*, qui à γνώσει ſe denominabant, prout alii ſe *Apoſtolicos*, *Catharos*, *Illuminatos*, vocitabant, à quibus odia & calumniæ Paganorum in veros Chriſtianos nata. Incredibilia de his narrant Veteres, ac præ cæteris Epiphanius, *Hæreſ.* XXIX. & XXX. Sequitur 6. *Hermogenes* quidam, diverſus ab eo, qui dicitur 2 Tim. 1. 15. in Africa tradens inter alia, materiam Deo eſſe coæternam. Adverſus eum ſcripſerunt Theophilus Antioch. & deinceps Tertullianus, jam Montaniſta, lib. *adverſ. Hermog.* 7. *Cerdon*, ex Simonianorum Schola, eodem tempore, quo Valentinus, circa A. C. circiter CLXXX. prodiit, & cum putidas Simonis nugas rideri animadverteret, novis coloribus eas inſtauravit, credens duos contrarios Deos; *alterum* ſuperiorem, bonum, miſericordem, Patrem Chriſti, ante Euangelium ignotum, qui inimicos etiam juberet diligere: *alterum* ſævum & rigidum, qui mundum condiderit, legem tulerit, inimicos non diligere juſſerit. Hac igitur ratione, Cerdon univerſa lege Moſaica, libriſque V. T. repudiatis, ſolum Euangelium recepit, & Chriſti præterea humanitatem, una cum corporum reſurrectione negavit. Epiphan. Hæreſ. XLI. Hinc 8. *Marcion*, Ponticus, Epiſcopi cujuſdam filius, Cerdonis diſcipulus, ob ſtuprum Virgini illatum, à Patre & Eccleſia, S. communione prohibitus. Impiiſſime de duobus principiis, de corpore Chriſti phantaſtico, de repudianda univerſa lege docuit, monachatus principia, damnatis nuptiis jecit, Baptiſmi iterationem inſtituit, μετεμψύχωσιν defendit, longe lateque, per Occidentem, Orientem & Africam ſerpens. Ut à Polycarpo non inepte appellatus fuerit, *Primogenitus Diaboli*, refutatus à Juſtino Martyre, Apologia 2. ad Antoninum, Epiphan. Hæreſ. XLII. *Secundus*, *Ptolemæus*, *Marcus*, *Colorbaſus*, *Heracleon*, omnes fere coævi, ex ſchola Simonis Magi, errores Valentini profeſſi. Epiphan. *Hæreſ.* XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. 9. *Lucianus*, *Apelles*, *Severus*, Marcionis diſcipuli. Epiphan. Hæreſ. XLIII. XLIV. XLV. 10. *Tatianus*, Syrus, Romæ converſus à Juſtino Martyre, quo vivente utilis Eccleſiæ Doctor fuit, poſt ejus obitum, regreſſus in Orientem, Imp. Aurelio, in Valentini & Marcionis hæreſes incidit, à quo *Tatiani* ſeu *Encratitæ*, à profeſſione abſtinentiæ, à nuptiis, vino, carnibus, item *Aquarii*, Hydroparaſtatæ, quod in S. Cœnâ, pro vino aquam uſurparent, Adamum ſervatum negabant. Epiphan. *Hæreſ.* XLVII. 11. *Montanus*, Phryx, è vico Pepuſa, à quo ejus ſectatores, *Phryges*, *Cataphryges*, *Pepuſiani*, item *Quintilliani*, *Spirituales* &c. dicti. Se *paracletum* nominavit, Chriſto præſtantiorem. Circumduxit *Priſcillam* & *Maximillam*, quin & *Quintillam*, quas Prophetiſſas appellabat. Sectatores ejus famoſiores fuerunt, Theodotus, Artemon, Patroclus. Viguit ſub M. Aurelio Commodo, vel, ut exiſtimat Epiphanius, ſub Antonino Pio. Ipſe etiam Tertullianus tandem in ejus errores incidit, ediditque libros, *adverſus Eccleſiam*. Epiphan. *Hæreſ.* XLVIII. 12. *Praxeas*, à quo Praxeani & Patripaſſiani, ex Aſiâ in Italiam traduxit ſuum venenum, ſub finem ſeculi ſecundi. Hujus mentionem facit Tertullianus, in fine libri *de Præſcript. Hæret.* & peculiari libro *adverſ. Praxeam.* Pertæſus nugarum de pluribus diis, cum Noëtho & Sabellio, de quibus ſuo loco, videtur ſenſiſſe unicam tantum eſſe in Deo perſonam, quæ, jam Pater, jam Filius, jam Spiritus S. appelletur, ut perinde Pater paſſus fuerit ac Filius. Proinde exiſtimabat, eandem perſonam, ut Patrem, olim legem tuliſſe; ut Filium, crucifixum, ut Spiritum S. ad Apoſtolos veniſſe. Unde & *Unionitæ* & Monarchici dicti ſunt. 13. Theodorus quidam Byzantinus, Coriarius, ſub finem ſecundi ſeculi, A. C. circiter 167. in Chriſtum blaſphemans, à Victore excommunicatus. Hujus diſcipulus fuit *Artemon*, ſub initium ſeculi ſequentis. De his Tertullianus & Euſebius. Fuerunt etiam 14. ſub hac ætate Sethiani, Floriani, Cainani, Melchideciani, Antitactæ, Ophitæ, &c. de quibus Clem. Alexand. Euſeb. Epiphan. Theodoret. Philaſtrius aliique, quos ſingulatim referre infinitum foret. Plerique cum Gnoſticis ſentiebant. Hi omnes, ſub priore hujus ætatis ſeculo, venena ſua diſſeminarunt: ſub poſteriore ejus ſeculo acceſſerunt: α. Præter *Beryllum* Boſtrorum in Arabia Epiſcopum, ſtatuentem, Chriſtum ſuæ incarnationi non præexſtitiſſe in propriâ eſſentiâ ſeu perſonâ: Præter *Arabicos*, animarum uſque ad reſurrectionem, interitum: *Elceſaos*, Paulum inter alia rejicientes, & abnegationem Chriſti permittentes. Epiphan. *Hæreſ.* XXX. & LIII. Quæ

hæreſes ſimul natæ & exſtinctæ ſunt. β. *Noëtus* Aſianus, & *Sabellius* Afer Pentapolitanus, idem fere docentes, de unius perſonæ divinæ, tribus denominationibus, quod de Praxeâ jam ante monuimus. Euſeb. lib. VII. c. 6. Epiphan. *Hæreſ.* LVII. & LXII. γ. *Nepos*, in Ægypto Epiſcopus, *Chiliaſmum* docuit, cui obluctatus eſt Dionyſius Alexand. apud Euſeb. lib. VII. c. 24. δ. *Paulus* Samoſatenus, Epiſcopus Antiochenus, poſt Demetrianum, ſub Galieno Imp. inclinante ſeculo tertio, ſupparaſitaturus Zenobiæ Imperatrici Orientis, Judaizanti, cætera prudentia, fortitudine, pudicitia & doctrina, egregiæ, negavit æternam Chriſti deitatem, & trinitatem ὑποστάσεων. Euſeb. lib. VII. c. 27. Epiphan. *Hæreſ.* LXV. Antagoniſtas habuit, utrumque Dionyſium Romanum & Alexand. Synodos duas Antiochenas, in poſtrema A. C. CCLXXII. Paulus eſt depoſitus, ſubſtituto *Domno*. ε. Manichæi, nati ſub Aurel. Probo, ante tempora Diocletiani; alii natos putant ſub Aureliano. Epiphan. *Hæreſ.* LXVI. Auctor primus exſtitit Schotianus quidam Saracenus, tum Badda diſcipulus, magus uterque, ac poſtremus in Perſiam profugus, ſervo empto cui nomen Curbici, poſtea hærede Domini ſui facto. Hic Curbicus, Perſa, nomen *Manis* ſeu Manetis adoptavit, Perſicum aliis, aliis Chaldaicum. His auctoribus nata eſt portentoſa & profligatiſſima hæreſium ſentina, conflata maximam partem ex Pythagorica, Gnoſtica & Marcionitica diſciplina. Statuebat Curbicus, ſe Spiritum S. eſſe: duos Deos, illum bonum & lucis, hunc malum & tenebrarum: ex utroque pugnante prodiiſſe mundum; utrumque fruſtratim, in creaturis eſſe diffuſum: Chriſtum, nec Deum, nec hominem, imaginariâ ſpecie mortuum, fuiſſe eum ſerpentem, protoplaſtorum ſeductorem, & animas, non corpora redemiſſe: Solem & Lunam eſſe adorandos: in unoquoque homine eſſe duas animas, bonam & malam, perpetuo pugnantes: conjugia non placere Deo, placere ſcortationes, libidines, non propagandæ ſobolis animo perpetratas: peccatum eſſe ſubſtantiam per ſe viventem: eleemoſynas impendi maligni ſpiritus patrocinio: Baptiſmum nihil prodeſſe: Euchariſtiam cum humano ſemine ſumendam: malum Spiritum legem tuliſſe: carnium eſum, & Magiſtratum, Deo diſplicere. Selegit ſibi XII. Apoſtolos, & LXII. Epiſcopos, quorum operâ remotiſſimas regiones, per Aſiam, Africam & Europam, maxime in Perſia, Arabia & Ægypto infecit. Antagoniſtas præ cæteris habuit: Tryphonem Presbyterum, & Archelaum in confiniis Perſiæ, poſtea Athanaſium, Serapionem, Euſebium Cæſarienſem alioſque. Pertracto etiam in partes ſuas Auguſtino, quo nemo dexterius hæreſin deſcripſit, in *Confeſſionibus*, & libro de *Utilitate credendi*. Cum filium Regis Perſarum Pharnacis enecaſſet, excoriatus fuit, carnibus ejus canibus projectis. Hæretici dicebantur: *Manichæi* ab auctore, *Acouanitæ*, à præceptoris diſcipulo, *Agonitæ*, à pugna, quam ſe depugnare dicebant, adverſus gentem tenebrarum. Conf. de his Epiphanius, *Hæreſ.* LXVI. Cyrillus & Auguſtinus, Theodoretus, hæret. fabul. lib. I. cap. XIX. ζ. *Hieracitæ*, ab Hierace in Ægypto Epiſcopo, de quo Epiphanius *Hæreſ.* LXVII. Dicitur non niſi Monachos & Monachas in communionem admiſiſſe, reſurrectionem carnis negaſſe, infantes à ſalute ob defectum bonorum operum excluſiſſe, Melchizedecum pro Spiritu S. habuiſſe. Conf. Auguſtin. *Hæreſ.* XLVI I. & Hilar. de Trinit. lib. VI. Etiam Monachiſmus, ſub hac ætate, ſuas radices ſpargere & regno Locuſtarum præludere cœpit, de quo apud ætates ſequentes, nobis agendum veniet. Tandem 4. & intra Eccleſiæ viſcera, veritas Theologiæ Chriſtianæ, in capitibus non contemnendis, arrodi cœpit, obſervantibus Centuriatoribus *Magdeburgenſibus*, in *præfat. ad ſecul. ſecund.* Quando A viribus liberi arbitrii, nimium tribui cœpit. Quando B. de juſtificatione, non ſatis clare & diſtincte doceri, & operibus, plus quam debebat, aſſignari cœpit. Quando C. Sanctorum martyria nimium extollebantur, ut ferme pro expiationibus peccatorum haberentur. Quando D. Diabolis Juſtinus affingit, quod amore mulierum lapſi ſint, deceptus loco Gen. VI. 2. Quando E. de homine Irenæus ſenſit, eum initio conditum fuiſſe non perfectum, ac Theophilus, nec mortalem, nec immortalem. Quando F. Papias, Juſtinus & alii exiſtimant, poſt reſurrectionem, corporale regnum, per mille annos, habituros fideles, priuſquam judicium univerſale fiat, aliaque ſimilia. His, cum hæreticorum deliramentis; tum Orthodoxorum nævis, homines ab orthodoxa doctrina alienati, Ethnicorum calumnia, irritati ſunt, & Eccleſia Chriſtiana in contemptum adducta, & truculentiſſimis perſecutionibus exagitata fuit.

Status Eccleſiæ ſub ſecunda hac ætate.

XXI. Quantum ad Statum Eccleſiæ, ſub hac ætate; occurrunt penes eam (1) *Propagatio* Eccleſiæ, talis ac tanta, ut vix orbis habitati angulus fuerit, qui Chriſtianos non haberet, teſtibus Juſtino, Irenæo, Clemente Alexand. Tertulliano, Minucio, Euſebio &c. Nominatim probabile eſt plantatas priore hujus ætatis ſeculo fuiſſe in *Germania*, utpote quarum hic mentio ſit apud Irenæum, adverſ. Hæreſ. lib. I. & Tertul. *adverſ. Iud.* cap. VIII. in *Gallia*, Viennenſis & Lugdunenſis, Epiſcopis Photino & Irenæo, Euſeb. lib. V. cap. 3. in *Britannia*, converſo Lucio Rege, cum conjuge & ſubjectis, de quo Martyrologia Pontificum Rom. vitæ & Chronica Britannica omnia, præter Juſtinum M. Tertullianum, Euſebium &c. in *Hiſpania*, teſte Tertulliano lib. I. *adverſ. Iud.* in Oriente Ægypto, Æthiopia, Arabia, Sarmatia etiam,

1. Propagatio Eccleſiæ.

etiam, Daciâ, Scythia &c. Euseb. hist. lib. v. cap. x. (2) *Propagatores*, nim. Ecclesiarum *Doctores*, præter Johannem Apost. qui A. C. 101. Ephesi defunctus putatur, in Ecclesia α. *Hierosolymitana*, Simon Cleophæ sc. Zelotes, Jacobi frater, quem ad annum ætatis CCX. pertigisse volunt. β. *Alexandrina*, Cerdo, vulgo, quartus à Marco, ab Aniano, post Avilium, tertius Episcopus. γ. *Antiochæna*, Ignatius, mox futurus martyr sub Trajano. δ. *Romana*, juxta multos, Clemens, aliis Anacletus, idem qui Cletus, aliis Euaristus &c. ε. *Athenienſ.*, Publius Quadratus. ζ. *Philippenſi*, Polycarpus. η. *Ephesina* (si Pseud-Ignatio fides) Onesymus. ϑ. *Hierapolitana*, Papias &c. ι. In *Arabia*, (seculo potissimum III.) Origenes, plantans passim Ecclesias, juxta Eusebium. κ. In *Gallia*, circa A. C. CCL. Dionysius Parisiensis, qui passim confunditur cum Areopagita, Gatianus Turonensis, Trophimus Arelatensis, Paulus Narbonensis, Saturninus Tolosanus aliique, apud Gregorium Turonensem Hist. Franc. lib. I. cap. XXVIII. & ex eo Fabrum, Sirmundum, Lanoyum, Marollium & alios. λ. In *Helvetia*; hac ætate πρωτομάρτυρες feruntur, Felix & Regula, quorum historiam dedit Joh. Jac. Ulricus. μ. in *Scotia*, alii de *Hybernia* intelligunt, ubi conversus traditur Donaldus Scotorum Rex A. C. CCIII. Boet. Hist. lib. v. Nil dicam de fabulis, passim conversionibus nationum istarum admixtis, nominatim de Ursula cum suis XI. millibus Virginum. Conf. Usserius *Antiq. Britannicarum* cap. XV. Nihil item de conversis personis, quales Ammonius, Ambrosius, Cyprianus &c. de aulicis, quales illi Alexand. Severi, de Principibus, in quibus feruntur Arabum quidam Principes, conversi opera Origenis, Euseb. lib. II. cap. XIX. Mammæa Augusta, Alexand. Severi Mater, Philippus uterque Impp. Euseb. lib. VI. cap. 21. 34. Ottaculla Severa, Philippi conjunx, quanquam de Philippis dubium hæreat. Addantur, qui sub seculo III. Ecclesiam scriptis propagarunt, quales I. *Origenes* Adamantius, Alexandrinus, circa A. C. CLXXXV. natus Leonida Patre. Huic, ex Eusebii *Historia*, Pamphili *Apologia* & Epiphanio tribuitur stupenda eruditio, indefessus labor, pietas rara, zelus incomparabilis, conversiones variæ, abstinentia supra fidem, in hæreticos, Arabianos, Helcesaitas, Apellitas aliosque, certamina varia, scripta fere innumera, &, si fides Epiphanio *Hæres.* LXIV. sex millia librorum, amissa maximam partem, studium Scripturarum mirandum, earumque interpretandarum gratia, commentationes in plurimas, quibus excipiendis, notarios VII. totidem librarios fertur adhibuisse, in quibus eminent Tetrapla, Hexapla & Octapla, de quibus jam ante ex Euseb. Hist. lib. VI. cap. XVI. dictum. Interim & culpanda in ipso notantur, v. g. sui eviratio, ingenium nimis luxurians, ἀλληγορομανία, errores in doctrina non pauci, & graves, ex Platonica Philosophia cumprimis hausti, de Deo, Trinitate, Angelis, Christi œconomia, libero arbitrio, noviſſimis &c. è quibus luctuosissima sequentibus ætatibus nata certamina de Origene & Origenianis, ut vulgatum de eo fuerit; *ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus.* Habet etiam scripta pseudepigrapha, & interpolata ab amanuensibus. Conf. Huëtius *in Origenianis.* Habuit item suos Antagonistas, Demetrium Alexand. Methodium Martyrem, Eustatium Antiochen. Apollinarem, Theophilum Alexand. Epiphanium, Hieronymum; prout ex adverso, etiam suos hyperaspistas, Gregorium Thaumaturgum, Pamphilum, Eusebium, Didymum Alexand. Ruffinum, Palladium, Joh. Hierosolymit. Chrysostomum, Isidorum &c. 2. *Hippolytus*, Portuensis, postea in Italiâ Episcopus, tandem martyr sub Alexandro Severo Imp. scripta ejus plurima recenset Hieronymus, de *Script. Eccles.* in his non pauca sunt Pseudepigrapha, de quibus Rivetus, Cocus & alii. Saltem genuina est ejus Ἀπόδειξις de *Antichristo.* 3. *Julius Africanus*, Palæstinus, sub Heliogabalo & Alexand. Severo. Edidit *Chronographiam* lib. v. ab orbe condito ad Christum, aliaque. 4. *Gregorius Neocæsarienſis*, alias Thaumaturgus, in Ponto Episcopus, ab Origene conversus, scriptis adversus Paul. Samosatenum, aliisque clarus. Cui tamen affinguntur, *expositio fidei*, adversus Arianos, sermones in *annunciationem Dei genitricis*, forte etiam *Epistola Canonica*, & complura miracula, de quibus Nyssenus *in vita* ejus, Basilius, Theodoretus aliique. 5. *Dionysius* Alexand. Origenis auditor, successor Heracleæ, contemporaneus Thaumaturgi, Cypriani, Dionysii Romani. Scripsit adversus Sabellium, Novatum, Nepotem, Hieracem, Paulum Samosat. Deportatus in exilium sub Valeriano, mortuus sub Galieno. 6. *Methodius*, Olympi & dein Tyri Episcopus, martyr sub Decio, vel Valeriano, aliis sub Diocletiano, orationem edidit adverſ. Origenem de resurrectione, teste Epiphanio *Hæres.* LXIV. & Hieronymo in *Catal.* itidem adverſ. Prophyrium. 7. *Minucius Felix*, causidicus Romanus, medius inter Tertullianum & Cyprianum. Scripsit *Dialogum*, ex quo multa de Christianorum doctrina, ritibus, moribus, disciplina, patent. 8. Cæcilius Cyprianus, conversus à Cæcilio Carthag. Presbytero, Rhetor primo, dein Presbyter, tandem Episcopus Carthaginensis, Tertulliani admirator & imitator, pietate, zelo, laboribus pro Christianismo, disciplinæ studio, actis contra Novatum, styli elegantia, & martyrio celeberrimus. Habet etiam afflicta non pauca, & interpolata etiam in gratiam primatus Papalis, agnoscente Rigaltio. Horum indicem,

post

β. Doctores Ecclesiæ.

γ. Scriptores, seu Patres.

post judicia Erasmi, Pamelii, Bellarmini, Coci, Riveti &c. præstat Nicol. Rigaltius. Addatur Guil. Cave Britannus *in vita* Cypriani. Ejus opera edidit Rigaltius. 8. *Pontius*, Diaconus Carthaginensis, Cypriano Episcopo, cujus *vitam & passionem* edidit, juxta Hieronym. quod scriptum, juxta cum aliis, valde interpolatum jam prostat, adeo ut Rigaltius: *pauca superfunt, quæ præstare possumus sincera?* 9. *Novatianus*, Ecclesiæ Rom. Presbyter, æmulus Cornelii, dein factiosus & schismaticus, & Catharorum primipilus, qui pro impuris Catholicos habebant, quod lapsos admitterent. Multa scripsisse fertur ab Hieronymo in *Catal.* quædam illius tributa Tertulliano, alia Cypriano, cumprimis liber de *Trinitate*, qui hodie exstat. Et quamvis in una deitate, personarum Trinitatem distinguat, adversus Sabellium; tamen de Spiritu S. ut minore Christo & creaturâ, periculose loquitur, idem facit in libello de *cibis Judaicis*, interim libertatem Christianam circa cibos fovet. 10. *Arnobius*, e Numidiâ Afer, Rhetoricam professus, Præceptor Lactantii, exeunte seculo III. sub Diocletiano, & sequente floruit. Scripsit libros VII. *cont. Gentes*, adhucdum Catechumenus, à quo ipsi condonantur errores, v. g. de origine animarum, aut de ratione resurrectionis, ex Origene, Platonicis & Gnosticis. Monet de eo Hieronymus, ut & de Origene, Tertulliano aliisque, in Epist. ad Tranquillinum Tom. II. *sic legendos esse, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria.* Caute distinguendus est ab Arnobio Juniore, qui scripsit seculo v. His, sub posteriore hujus ætatis seculo, supposita, sine numero fere, monstrant Cocus noster, Rivetus, Hottingerus aliique, & è Pontificiis, Erasmus, Possevinus, Sixtus Senensis, & quotquot eorum scripta quam emendatissime ediderunt. Nominatim α. *Zenonis* Veronensium Episcopi, &, ut volunt, sub Galieno Martyris, *sermones de plurimis S. Script. libris*, quos ignoravit Hieronymus. β. *Eusebii Alex.* de *Sanctis colendis homilia.* γ. *Dorothei*, sc. Tyri, seu Episcopi, seu Presbyteri, diversi ab Antiocheno illius, liber de *vita & morte Prophetarum, Apostolorum, discipulorum Christi.* Vid. Blondell. Apolog. pro Hieronym. Sect. III. pag. 104. δ. *Martyrologiorum*, sub Severo, Maximino, Decio, Gallo, Valeriano, Diocletiano, & Maximiano Impp. sequiori demum ætate natorum, quæ ad Apocrypha retulit Gelasius in Concil. Romano: quod Eusebius primo Catalogum Martyrum contexere cœperit, ad cujus imitationem, sed post Hieronymum demum, nata in Occidente Martyrologia, sensim aucta à Bedâ, Floro, Usuardo, Adone ac posterioribus, collecta ex Pseudo-actis innumeris, quæ collegit Surius, ex Sanctorum confictis *vitis, legendis, tabulis* Ecclesiarum, Monasteriorum &c. Conf. Ant. Godavium, in *Præfat.* ad *histor.* suam *Eccles.* ε. *Constitutionum Apostol.* lib. VIII. sub Clementis nomine editarum, seculo III. natarum, ut vult Blondellus, in *præfat.* ad *Apologiam* pro Hieronymo, quas Dallæus noster, & ex eo alii quoque, ad seculum V. referunt. ζ. Idem fere statuendum, de *Canonibus Apostolicis*, quos à Græculo quodam, ex variis Conciliorum Canonibus, seculo V. collectos censet Dallæus, quamvis alii nonnullos eorum, ad seculum III. referant. Propagationis hujus adminicula præstabant η. *Sacra publica*, in conventibus ecclesiasticis, quibus α. Scriptura prælegebatur per ἀναγνώσην, de quo Tertull. *præscript.* cap. XVI. β. preces publicæ, diebus Dominicis ordinarie *stando*, cæteris *de geniculis*, & quidem versus *Orientem*. Orabant, præeunte Præposito, pro recens baptizatis, pœnitentibus, catechumenis, energumenis, Imperatoribus eorumque ministris, pro *mora finis*. Tertull. Apol. c. XXXIX. populo in fine acclamante *Amen*. γ. Hymni canebantur in honorem Dei, etiam moralia complexi, de quo Plinius Epist. ad Trajanum. Hinc ψαλταὶ & ψαλμίσται. δ. Scriptura explicabatur & applicabatur concionibus, quas *Homilias* postea dixere. His præviæ fuerunt preces, lectio Scripturæ, nominatim textus, pro concione explicandi, silentio, vel voce vel manu facto. Concionatores προεστῶτες, apud Justinum, *laici* nunquam, nisi in constituenda adhuc Ecclesia, nec mulieres, quibus datum quidem προφητεύειν seu psallere. ε. Panis & vini Eucharistici *oblatio* à populo, *consecratio* per preces, *distributio* in baptizatos & fideles, cum *commemoratione* mortis Christi. Eucharistiam aliter nominabant, ἀνάμνησιν, κοινωνίαν, συνάξιν, ἀγάπην, *oblationem* etiam Irenæus appellat, respectu panis & vini, à populo collati. Iren. lib. IV. cap. 32. Missæ nomen pro Eucharistia, ignotum hoc seculo. Tempus variat, ordinarie fiebat diebus Dominicis, alicubi etiam feria IV. & VI. finita *statione* seu precibus, imo & quotidie apud nonnullos, eaque deinceps matutino tempore à jejunis, alicubi etiam vesperi, plerumque tamen in cœtibus ante-lucanis, teste Justino Martyre, Tertulliano: ζ. Utriusque elementi usus, *panis* ἐνζύμου nequaquam placentularum, scil. qui in *Agapis* oblatus erat à populo, à quo *oblatæ*: ut supposititia sit, quæ pro ἀζύμοις obtenditur *constitutio* Alexandri I. agnoscente Sirmundo, *Dissert. de azymis*: vinum aqua dilutum, mysterii causa, teste Justino *Apolog.* II. Admissi erant soli *Baptizati* & capaces, vixdum *infantes*, etiam *ægri*, ad quos Symbola deferebantur, nec panis tantum, sed vinum etiam, ut patet ex Justino & Irenæo apud Eusebium: Minister erat *primarius* quidam προεστὼς Episcopus vel Presbyter confecrans; *Secundarius* distribuens, Diaconus, uterque habitu simplici. Unde Tertulliani Apologia *de pallio*, quod pro togâ

Sacrorum publicorum ratio.

togâ assumserat, velut austerioris disciplinæ tesseram, necdum obtinebant vestes Sacerdotales, multo minus Pontificales, sequente demum seculo natæ. Actiones adhibitæ, fuere, partim *administrantium*, puta, *consecratio*, clarâ voce, præviis precibus, præsertim oratione *dominica*, hortationibus ad populum, recitatione verborum institutionis, ut patet ex Justino, Irenæo, Tertulliano &c. *fractio panis*, quod factum nemo negat, quamvis de *necessitate* factum, inficientur cumprimis Ubiquitarii: *distributio* per Diaconum, vel præsidentes ipsos, ut habet Tertullianus: expositio in disco, ut quisque sibi sumeret, Clemens Alexand. *Stromat.* lib. 1. Partim *communicantium* debita *præparatio*, facta precibus: jejunio, eleemosynis, auditione verbi; tum *accubitus*, hinc communio, tandem *gratiarum actio*, eleemosynæ, oscula mutua &c. x. Agapæ, ex reliquiis oblatorum, à populo, quæ Tertulliano sunt *convivium Dominicum*. Hujus origo erat ab epulis sacris Ethnicorum, aut à Christi cœnâ paschali, & â præcepto Christi, de vocandis ad convivium pauperibus Luc. xiv. 13. cedebat enim in usum egenorum. Olim *ante*, deinceps *post* Eucharistiam tempore vespertino, in loco conventuum, ac super sepulchris martyrum, additis colloquiis religiosis, lectione Scripturarum. Finis erat, ut esset symbolum fraternæ charitatis, ut pauperes reficerentur, ut commemoratio fieret mortis Christi, per *fractionem* panis. Sic se habebant sacra eucharistica. Baptismi administratio occupabatur, etiam circa infantes. Iren. lib. II. c. 39. Tert. *de Bapt.* cap. XVIII. adhibitis sponsoribus ἀναδόχοις, qui pro fide infantum fidejuberent. Prærequirebantur *præparatio* in adultis, unde *Catechumeni* in statu κατηχήσεως circa doctrinam & vitam instituta, per Catechetas, quales hac ætate Clemens Alexand. hinc *competentes*, post probationem triennalem, juxta *Const. Apostol.* tandem *fideles* & perfecti. Præcedebant etiam Baptismum, jejunium, cilicium, orationes, fidei confessio, renunciatio diabolo, pompæ & Angelis ejus. Tertull. *de Baptis.* cap. XIX. & *de Coron. Milit.* cap. III. Administrabatur quovis tempore habili, maxime in Sabbatho, seu pervigilio Paschatis & Pentecostes, teste Tertull. Idque in loco *quovis*, in fontibus, fluminibus, ædibus privatis, carceribus, lectis (unde *Grabbatarii*) non tamen super sepulchris Matyrum, nec tamen hoc obtinuit tempore Apostolorum, ut eo rapi debeat locus 1 Cor. xv. 29. Minister Baptismi erat *præpositus*, juxta Justinum Mart. Ignatium, Tertullianum. *Summum Sacerdotem* nominat Septimius de *Bapt.* cap. XVII. i. e. Episcopus ejusque auctoritate Presbyter, Diaconus. Quanquam & *laicis jus esse* dicit, non autem mulieribus, additâ ratione; *quod enim ex æquo accipitur; ex æquo dari potest.* Conferebatur Baptismus, *immersione* nudati corporis trina, dum mulierum pudori consulerent Diaconissæ, nisi quod ægri aspergerentur in lecto, accessit invocatio Trinitatis, ex Ignatio, Justino, Irenæo, Tertulliano. Successerunt *unctio*, Tertull. *de Bapt.* cap. VII. *consignatio*, Idem *de Resurr.* cap. VIII. *impositio* manuum, benedictio, advocatio Spiritus S. preces pro baptizato à tota Ecclesia. Etiam, tempore Tertull. *adverf. Marcion.* lib. I. cap. XIV. gustatio *lactis & mellis*. In Ecclesiis Africanis etiam communio Eucharistica infantis mox à Baptismo. Nondum tamen observantur *exorcismus*, *insufflatio*, *chrismatio*, qualis posteriorum temporum: cereorum tamen usus fuit, unde voces φωτισμὸς, φώτισμα, νεοφώτιστοι, ἡμέρα τῶν φώτων. Habuerunt præterea sacra publica, *collectas* pro egenis, confessoribus, ad metalla damnatis &c. Item *commemorationes martyrum*, post preces publicas, in cœmiteriis, die cujusque emortuali: sua porro *oscula* (dicta *sancta*) *pacis*, *reconciliationis*, *fraternitatis*, Tertulliano *signacula orationis*: insuper *juramentum*, quo se obstringebant, *ne furta* (sunt verba Plinii ad Trajanum) *ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.* Dabant his sacris suis, *stata* tempora, imprimis feriam I. seu diem Dominicum, quem diem *Solis* appellabant. Justin. Apol. II. Sed & aliis diebus convenerunt, magis libere, nim. feria VII. *Sabbathi*, saltem in partibus variis Orientalibus, non tamen ritu Judaico, quemadmodum *Sabbatharii*. Convenerunt etiam feria IV. & VI. quibus proditus Christus & crucifixus, sed tantum usque ad horam IX. nulla erant festa præter Pascha & Pentecosten, horumque vigiliæ. Loca vero sacrorum non jam erant templa, Basilicæ magnificæ, sed ædes privatorum, cænacula, balnea, crytæ, cœmiteria. Sic se habuerunt Christianorum sacra, sub priore hujus ætatis seculo; sub posteriore, pleraque perstiterunt quidem; sed in ritibus potissimum, magis aberratum est à prima simplicitate, v. g. quoad I. *Baptismum* invaluit, quod ille prorogaretur, donec infantes adolevissent, probante hoc admodum Tertulliano: quod illius administratio astringeretur vigiliis Paschatis & Pentecostes: quod ab hæreticis *quibusvis* baptizati, denuo tingerentur in Ecclesia. Quoad 2. *Eucharistiam*, audiuntur ritus missales, vestitus sacerdotalis, *introitus*, *litania*, *hymni* angelici, totiusque *Canonis*, seu ordinis precum & actionum sacerdotalium ortus, teste Walafrido: aqua alicubi pro vino usurpata, conquerente Cypriano Epist. LXIII. Eucharistia etiam infantibus dari cœpta est Epist. LIX. delata ad absentes; *intinctorum* usus, loco utriusque elementi; asservatio elementorum, asportatio, manducatio domi facta, testibus Tertull. & Cypriano: etiam confessio privata in Orientalibus Ecclesiis prærequiri cœpit. Quantum ad defunctos, martyrum *sepultura*, & compositio *reliquiarum*; in communibus cœmiteriis, per co-

piatas seu fossores; adhibita *oratione*, nec sine pompâ colligi cœperunt, eorum *natalitia* celebrata, *annuis diebus dormitionis*, ut loquitur Tertullianus, *oblationes* pro defunctis, in usus pauperum factæ, preces pro omnibus quiescentibus in Christo fusæ, de quibus Tertul. Origen. Cyprianus, falsa hypothesi de *sequestratione* animarum ad diem judicii, & Satanæ in eas machinationibus, nullis interim precibus *ad mortuos*, quamvis opinio adfuerit, defunctos eis juvari. Accessit 2. *Gubernatio* Ecclesiæ, per Episcopos, quibus prærogativa ordinis & προεδρίας tribuebatur, teste Hieronymo Epist. LXXXV. aliisque: dubium tamen, an ubique, an in majoribus tantum Ecclesiis præsederint, à quo *Præsidentes* & *præpositi* audiebant. Tertull. *de pudicit.* cap. XXV. tum per Presbyteros, & Diaconos, qui pauperibus præerant, item per Diaconissas, quarum ministerium etiam circa Baptismum fœminarum occupabatur. Horum *ordinatio* fiebat, cum electione per χειροτονίαν; tum χειροθεσίαν, quæ postea ad Episcopos traducta fuit, adeoque distinctio, inter ordinem & plebem, seu inter Clericos & Laicos recepta fuit: nulla tamen *unctio*, *traditio Euangeliorum*, *patinæ*, *calicis*: *stolæ dalmaticæ*, *pallii* aliaque insignia obtinuerunt, nulli item Subdiaconi, Exorcistæ, Acolythi, Lectores, multo minus gradus *dignitatum*, *Archiepiscoporum*, *Archidiaconorum*, *Archipresbyterorum*, *Metropolitanorum*, *Primatum*, *Exarchorum*, *Abbatum*, *Apocrisiariorum*, *Referendariorum*, *Cardinalium*, multo minus *Oecumenici* Pontificatus &c. mentio occurrit. Regimen erat penes *Episcopos*, *Presbyteros & Diaconos*, coëuntes in πρεσβυτήριον, non ἐπισκόπιον, in urbibus majoribus. Unde nata Concilia, occasione α. *Hæresium*, v. g. Montani, Cataphrygum, quibus se opposuerunt pii Antistites, maximè per Asiam Euseb. lib. v. cap. XVI. β. *Paschatis*, deque ejus, cum *die*, tum jejunio antepaschali. Euseb. lib. IV. cap. XIII. Habita insuper concilia, per *Orientem*, Asiana, Syriaca, Palæstina: per *Occidentem*, Romana & Gallicana potissimum. Euseb. lib. v. cap. XXIII. pleraque sub finem seculi II. Victore, Irenæo Lugdunensi, Theophilo Cæsariensi Palæstinæ, Bacchillo Corinthiorum, Polycrate Ephesiorum, Episcopis. His sententiam dixit Victor contra Quartadecimanos, & secuti alii. Nisi quod Polycrates Ephesiorum Episcopus, in Concilio Asiano, pro Quartadecimanis pronunciarit, datis ad Victorem literis, quibus praxin inde à Johanne Apost. urget, eique pacem suadet. Euseb. IV. cap. 24. quod perperam ad reprobata refertur in tomis Conciliorum. Plura etiam Concilia memorantur, sub seculo hujus ætatis posteriore, seu III. v. g. Iconiense, Asianum & Antiochenum, contra Samosathenum, frequentissima item per Africam, Syriam, Palæstinam, Arabiam, Italiam, Galliam, quod graviores controversiæ ad Concilia deferrentur. Sic 1. *Africana* aliquot, super *Anabaptismo* hæreticorum, super pace lapsis pœnitentibus indulgendâ, super Baptismo infantibus statim à nativitate, etiam ante VIII. diem conferendo, contra negantem hoc Fidum Episcopum. 2. *Arabica*, præsente Origene, contra Beryllum aliosque hæreticos, contra Baptismum, ordinationem &c. Cataphrygum hæreticorum. 3. *Antiochena* tria: primum contra Novatum & Novatianos schismaticos; secundum & tertium contra Samosathenum. 4. Romana aliquot, sub *Cornelio*, super lapsis recipiendis, contra Novatum; sub *Stephano*, super hæreticis redeuntibus non rebaptizandis. Nec parum 3. ad propagationem ædificationemque Ecclesiæ valebat *Disciplina* hujus ætatis, perquam *rigida*, rigidior tamen apud Africanas, quam apud Romanas Ecclesias, mitior interim apud Afros etiam post Decianam persecutionem. Cypr. Epist. LII. Quod ab Ethnicis Magistratibus scelera non ita coercerentur, imprimis idololatria, & ne apud Gentiles ab his male audirent Christiani. Disciplinæ hujus rationem tradunt, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Gregorius Neocæsarienses & alii. Exercebatur in *lapsos*, cum doctrina; tum moribus, v. g. homicidas, adulteros, & idololatras, quæ *principalia* Tertullianus & *summa delicta*; Cyprianus, in libro *de lapsis*, appellat. *Idololatriæ* tamen varii fuere *gradus*, prout alia spontanea, alia coacta & extorta vi tormentorum: alia directa & cum abnegatione Christi conjuncta; alia per participationem quandam, vel etiam cum persecutione fratrum conjuncta; vel si cœnassent in Idolæis &c. Hinc audiebantur *traditores*, qui Ecclesiæ thesauros Impp. prodidissent; *sacrificati*, qui quomodocunque immolassent; *thurificati*, qui thus obtulissent; *libellatici*, qui, vel per se, vel per alios, à Magistratu libellis impetrassent, ne amplius inquirerentur, solutis nummis. Cyprian. Epist. XXXI. Ex his fiebant *excommunicati* ἀφορισμένοι, plurimis apud Tertull. Origenem, Cyprianum, Eusebium, exemplis. Hinc evadebant *Candidati pœnitentiæ*, quæ debebat cum lachrymis peti, quæque *dari* & *accipi* dicebatur, multis negata, etiam subinde moribundis, cumprimis *relapsis*. Ista pœnitentia appellata, communi voce fuit *Exomologesis* confessio, non auricularis utique; sed publica, item *satisfactio*, Canonica sane Ecclesiæ facta, non Deo; nec *sacramentalis* propriè, quanquam Sacramentum dicatur Cypriano *Epist.* XXXI. quod in eâ, interprete Rigaltio, multa *signa*, *mysteria*, *sacramenta*, *vere dolentis & pœnitentis animi apparerent*. quæ paulatim *privata* fieri cœpit, constituto *Pœnitentiario*, viro ἱχεμόθεν. Quæ, labente aut exeunte hac ætate, in quinque gradus abiit, nim. 1. πρόκλαυσιν, extra fores Ecclesiæ, etiam hyberno tempore, unde *hyemantes* dicti, & quidem cum *cilicio & cinere*. Tertull. *de pudic.*

Regimen Ecclesiæ.

Concilia.

Disciplina ecclesiastica.

item

item *de pœnitent.* 2. Ἀκρόασιν *auditionem*, quâ ad conciones admittebantur, in porticu. 3. Ὑπόπτωσιν, proſtrationem intra templi portam cum Catechumenis. 4. Σύστασιν, conſiſtentiam cum fidelibus, quam tandem ſequebatur 5. μίθεξις communio ſeu participatio, Clerici tamen, *ut Laici* tantum admittebantur, h. e. ut communicarent inter Laicos. Dabatur abſolutio in *publico*, ut plurimum in die ſolenni, Dominico Cœnæ antepaſchalis: ægris autem & moribundis in privato: nec niſi ſemel dabatur, non relapſis. Decrevit autem hic rigor non parum per *indulgentias*, ante expletum pœnitentiæ tempus, vel ex cauſa morbi, deſperationis, mortis inſtantis; vel interceſſionis Martyrum aut Confeſſorum, à quibus impetrabantur *libelli pacis*. Concil. *Eliberit.* Can. xxv. in varios abuſus poſtea degenerantes, quando *interceſſiones* illæ in *jus* abierunt; inde inſuper opinio de *meritis* martyrum nata, &, quia ſine delectu quibusvis dabantur, diſciplinæ rigor, inde perquam debilitatus fuit. Cyp. *Epiſt.* xxix. & xxx. Conferebant inſuper ad propagationem ædificationemque Eccleſiæ ¶. Scholæ, hac ætate aperiri cœptæ. Præterquam enim quod Hieronymus de Juſtino dicat, eum ſuas διατριβὰς habuiſſe Romæ, inque eis Creſcentium refutaſſe. Euſeb. lib. iv. cap. 16. & quod Origenes, relictâ Alexandriâ, Cæſareæ, in ſchola, ſive à ſe, ſive ab alio inſtitutâ, Theologiam profeſſus fuerit: celeberrima fuit apud Alexandriam, in qua Pantænus, Clemens Alexand. Origenes docuerunt. Euſeb. lib. v. Interim non leviter quaſſatæ fuerunt Eccleſiæ: partim per *Schiſmata*: 1. *Montani*, qui cum ſua Priſca & Maximilla, prophetiſſis, adſcito Alcibiade, Theodoto aliisque, per Aſiam & Phrygiam, arrogato ſibi chariſmate prophetico, adhuc in Eccleſia vigente, adjunctis vitæ auſterioris, jejuniorum frequentia, martyrii contemtu, intactis cætera fidei & doctrinæ capitibus; plurimos ab Eccleſiæ Catholicæ communione ad ſe abripuit, inter quos & ipſe fuit Tertullianus, donec Montano cum Maximilla mortuo, intercedente Aſianorum Epiſcoporum opera, ſaniores ad Eccleſiæ gremium reverſi ſunt. Euſeb. lib. v. Tum 2. *Victoris* Epiſcopi Romani, fruſtra ob hoc reprehenſi ab Irenæo, & Polycarpo, qui Eccleſias Orientales & Aſianas excommunicavit, propterea quod feſtum Paſchatis, præciſe decima quarta luna, celebrarent, dum ipſe illum, Dominica ſubſequente, cum ſuis Romanis, obſervatum vellet. Euſeb. lib. v. cap. xxiv. Duravit uſque ad Concilium Nicænum, quando interpoſita auctoritate Conſtantini Imp. *Quarta-decimani* Romanis acceſſerunt, aliis interim priſtinum morem ſervantibus. Hæc ſub priore hujus ætatis ſeculo facta ſunt: poſteriore acceſſit ſchiſma 3. *Origeniſtarum*, inter Palæſtinos, Origenis ſectatores, & Demetrium Alexandrinum, duobus Conciliis Origenem damnantem. Euſeb. lib. v. cap. viii. ob varios ejus errores. 4. *Novatianorum*, auctoribus Novato & Novatiano, illo Carthagine, hoc Romæ presbyteris. Et Novatus quidem, abſente in exilio ſuo biennali Cypriano, ſub Decio, cum lapſis communicarat, invita diſciplinâ, invito Cypriano, variorum inſuper facinorum reus, à Cypriano abſtentus fuerat, eoque cum Feliciſſimo Diacono Carthaginenſi, in Cyprianum primo, tum in Eccleſiam Catholicam inſurrexit, inde Romam profugus, ibidem Novatianum Presbyterum invenit, cumque eo ſchiſma molitus eſt. Hinc à factioſis, pro Cornelio Epiſcopus factus, occaſionem ſchiſmatis captavit, à nimia Cornelii facilitate, in lapſis recipiendis, ad libellos Martyrum & Confeſſorum; junctis cum Novato manibus, ſuos ſchiſmaticos, *Catharos* appellavit, & lapſis veniam dandam negavit, perperam in ſubſidium vocato Paulo Heb. vi. & x. à quo Epiſtolæ hujus Canonica auctoritas aliquamdiu Romæ laboravit. Damnati ſunt Conciliis habitis, Carthagine, Romæ, Antiochiæ, determinata diſciplinæ ratione circa lapſos. Euſeb. lib. vi. cap. xliii. & ſeq. Duravit tamen Schiſma, & in Donatiſmum ſe exoneravit. De *Catharorum* hæreſi, videatur Epiphanius *Hæreſ.* lix. item Auguſtinus, Theodoretus & alii. Tandem 5. *Orientale*, inter Eccleſiam Romanam & Orientales Aſianas & Africanas, ſuper Anabaptiſmo hæreticorum. Cum enim Novatiani Catholicos ad ſe tranſeuntes, de novo tingerent; viſum Aſianis & Africanis, cum Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo & Coëpiſcopis ſuis, poſt Agrippinum anteceſſorem, & Firmilianum Cæſarienſem Origenis diſcipulum, Epiſcopos item Galatiæ, Ciliciæ vicinarumque regionum, & Novatianos, omneſque hæriticos, ad Catholicos tranſeuntes, denuo eſſe baptizandos, quod Baptiſmus hæreticorum eſſet invalidus: ex adverſo Stephanus, poſt Cornelium & Lucium Romanus Epiſcopus, ſtatuebat hæreticos, non niſi impoſitione manuum eſſe recipiendos. Res utrinque acta eſt invectivis ac ſcriptis, maxima animorum acrimonia, Stephano excommunicationem etiam, Orientalibus comminante. Et quanquam mitigati deinceps fuerint animi contendentes; attamen Aſiani & Afri in ſua ſententia perſtiterunt. Vid. Euſeb. lib. vii. cap. 5. & Epiſtolæ Cypriani, imprimis ad Stephanum lxxii. & Firmiliani ad Cyprianum, quæ eſt lxxv. Sed magis etiam, Eccleſiæ quaſſatæ fuerunt atrociſſimis perſecutionibus. In quibus *primo* continuata fuit tertia illa, quæ ſub Trajano cœpta erat ætate præcedente, uſque ad annum ejus decimum, qui coincidit cum A. C. cxvii. frigidior paulatim, poſtquam Princeps, Epiſtola Plinii Secundi, ſcil. lib. x. Epiſt. xcvii. de moribus Chriſtianorum innocuis edoctus eſſet. Vid. Tertull. Euſeb. Sulpic. aliique. *Secunda* ſub Hadriano, Euſebio, Oroſio

Scholæ.

Schismata.

Perſecutiones ſub ætate N. T. ſecunda.

Oroſio & aliis appendix tantum præcedentis. Initio, uſque ad IX. aut X. ejus annum, perquam atrox Romæ in Græcia, Aſia, Africa &c. poſtea mitior, edito ad Minutium Fundanum Aſiæ Proconſulem *reſcripto*, quod Juſtinus M. habet in Apol. II. Quod Serenus Granius Aſiæ Præſes, in favorem Chriſtianorum ſcripſiſſet ad Imp. Et quod inſuper Quadratus & Ariſtides, Athenienſis Eccleſiæ Doctores, ſuis *Apologiis*, cum ſcriptis; tum viva voce, apud Imp. Athenis agentem, impetraſſent, ut edicto prohiberet, aut inquiri in Chriſtianos, aut puniri, niſi rei facinorum, aut conſpirationis in Rempublicam deprehenderentur. Etiam hoc tempore in Chriſtianos ſæviit, Judæorum impoſtor *Barchochab*, donec ſupplicio crimen expiaret. Succeſſit *tertia* perſecutio, ſub Antonino Pio, continuata ſub Aurel. Antonino Philoſopho, & Lucio Vero fratribus, poſt A. C. CLX. non ſemper conſciis Principibus, aut edictis eorum; ſed Præſidum & populorum furoribus, quod peſtis, per Aſiam graſſans, terræ motus, prodigia, Chriſtianis imputarentur, & eiſdem infanticidia, cœnæ Thyeſteæ, inceſti concubitus, confeſſione ſervis per vim extortâ, impingerentur. Euſeb. lib. v. cap. I. Graſſata peſtis eſt Romæ, in Italia, Græcia, Aſia, Africa, Gallia, & in hac Viennæ cum primis & Lugduni. Pro Chriſtianis Apologiam edidit Juſtinus M. alteram ad Senatum Romanum; alteram ad Antoninum Pium, & adoptatos *Veriſſimum* Philoſophum, & *Lucium* Verum; quibus additi libelli pro Chriſtianis, à Theophilo Antioch. ad Autolycum, Melitone Sardienſi Epiſcopo, Apollinare Hierapolitano & legatione pro eiſdem Athenagoræ, hodie adhucdum exſtante. Remiſſio perſecutionis cœpit ſub Antonino Pio, qui reſcripto etiam juſſit *delatos* abſolvendos, & *delatores* puniendos, hæc continuata eſt ſub M. Aurelio, occaſione miraculoſæ pluviæ, Chriſtianæ legionis precibus, Romano Exercitui impetratæ, & fulmine in Marcomannos, à quo legio κεραυνοβόλος dicta, à quibus Imperator reſcripto ad Senatum, vetuit accuſari Chriſtianos & tales eſſe permiſit, teſtibus Apollinare, Tertulliano, Euſebio & Marci literis, inſertis Operibus Juſtini: quamvis de veritate horum miraculorum nonnulli ambigant. Acceſſit *quarta* ſub Alexand. Severo, circa A. C. CCIII. Severi X. eo primum Chriſtianis favente, unde filius ejus Antoninus, Chriſtiano lacte educatus fertur à Tertulliano Epiſt. ad Scapulam, deinceps, Chriſtianos ex gentilibus fieri prohibuit. Sæviit per totum orbem Romanum, edicto Principis, imprimis per Syriam, Ægyptum, Thebaidem. Subſecuta eſt *quinta*, ſub Maximino, circa A. C. CCXXXVI. graſſata eſt in Clericos & Eccleſiarum præſides. Et *ſexta* cruentiſſima ſub Decio, circa medium ſeculi tertii, de qua prolixe Cyprianus, Dionyſius Alexand. Euſebius, Sulpicius & alii. Sub hac plurimi exſtiterunt *lapſi*, *apoſtatæ*, *thurificati*, *libellatici* & *traditores*, juxta cum magna martyrum copia, inter quos à nonnullis refertur Origenes Adamantius, aliis interim negantibus. Ex ea nata quoque videtur *vita eremitica*, Chriſtianis in deſerta fugientibus, auctore ejus vitæ Paulo Thebæo, juxta Sulpicium, Hieronymum alioſque. Vid. Cyprian. Dionyſ. Alexand. Euſeb. Sulpic. Oroſius aliique. Hinc *ſeptima*, ſub Valeriano, primum Chriſtianis familiari, poſtea à Magis Ægyptiacis dementato: ſed qui à Sapore Perſa captus, deſignatam ſibi perſecutionem perficere non potuit. Galienus filius ejus, motam perſecutionem edictis removit, quam dein, nec Claudius, nec Quintilius Impp. repetere voluerunt, ut Eccleſia reſpiraverit ſub eorum quoque ſucceſſoribus, per XL. fere annos, quando *octava* agmen claſit, ſub Diocletiano, Maximiano & Maximino, omnium atrociſſima, de qua Euſebius toto lib. VIII. & Lactantius *de mortibus perſecut.* Ferunt, nemini vel vendere, vel emere quicquam fas fuiſſe, nemini molendi, aut aquas hauriendi poteſtatem fuiſſe, niſi prius thurificaſſet, uſque adeo, ut Diocletianus, anno Imperii XIX. edicta conceperit, de eradicandis toto orbe Chriſtianis, de templis eorum deſtruendis, Sacerdotibus in vincula conjiciendis, Magiſtratibus exauctorandis, libris exurendis &c. Et ſicut his ipſe in Oriente ſæviebat; ita Maximianus in Occidente, ut nec regnum fuerit, nec civitas, vicus, prædium, caſa aut angulus, in quibus de Chriſtianis non fuerit diligens inquiſitio & crudelis animadverſio. Primo quidem res agebatur mitius, milites Chriſtiani non ſtatim occidebantur; ſed removebantur, ſervi propoſita libertate ad defectionem invitabantur; ſed paulatim ita invaluit ſævitia, ut ad enumeranda ſupplicia nullus ſermo ſufficiat. Unus menſis, ut habet Marcellinus, ultra 17000. Martyrum enecavit, una Ægyptus 140000. & 70000. in exilium pulſos vidit, urbs quædam Phrygiæ, cujus univerſi cives fidem dudum erant amplexi, ab armatis cincta & ſuccenſa, cum omnibus incolis, maribus, fœminis, ſenibus, pueris conflagravit, templum etiam Nicomediæ, in quo 20000. Chriſtianorum convenerant, in natalitiis Chriſti ſuccenſum eſt, ut nemo vivus evaſerit. Niceph. lib. VIII. cap. 6. Et, licet multi à fide deſciſcerent; pleriſque tamen animus ſtetit, quævis perferendi. Quin igitur, per hanc ætatem, ſub tot ac tam diris perſecutionibus, uberrima exſtiterit, ut apoſtatarum; ita & martyrum ſeges, nulli dubium eſſe poteſt. Miſſis enim, quæ ex Gregorio Turonenſi, Metaphraſta, Legendis, Martyrologiis, à Surio, Lippomanno, Baronio aliiſque colliguntur, incertis & confictis: verius & certius exſtiterunt, qui ab Euſebio aliiſque veteribus narrantur, quales v. g. Ignatius Antiochenus,

Martyres ſub ætate N. T. ſecunda.

chenus, è Syria Romam delatus, beſtiis objiciendus, A. C. CVIII. Clemens Romanus, Cherſonæ in exilio mortuus, Anacletus Epiſc. Rom. Juſtinus Philoſophus, Polycarpus Smirnenſis, Photinus Lugdunenſis, Euſeb. Hiſt. lib. IV. cap. 15. & V. cap. 1. Apollonius Senator Romanus &c. Seculo II. ſub Trajano acceſſerunt ſeculo III. Irenæus Lugdunenſis, Victor Romanus, Perpetua fortiſſima Martyr —— ſub Adriano: Hippolytus Arabs, Porti Epiſcopus, ſub Maximino: plurimi ſub Decio, in quibus varii Epiſcopi, v. g. Fabianus Romanus, fœminæ item, & pueri, catalogum juſtum habes apud Euſeb. lib. VI. cap. 41. 42. Cyprianus Carthaginenſis, capite plexus, Sixtus Roman. cruci affixus, Laurentius Diaconus, in craticula ferrea aſſatus, ſub Valeriano: Lucianus, cui tribuitur editio verſionis Græcæ LXX. Interpp. Mauritius, Legionis Thebææ Dux fortiſſimus, cum univerſa iſta Legione, quod thurificare nollent, juſſu Maximiani, decimata primum, tum deleta penitus: de quo tamen nihil habent Euſebius eoque anteriores, & Græci etiam addunt, Mauritium Apameæ in Syria, ſub Diocletiano occubuiſſe. S. Dorotheam, S. Agnetem, S. Catharinam, S. Georgium, S. Chriſtophorum, & id genus alios fictitios martyres, ſub Diocletiano, narrare nil attinet. Nec parum tandem, ad Eccleſiæ propagationem ædificationemque, conferebat Chriſtianorum in moribus ſimplicitas & innocentia, præſertim ſub hujus ætatis parte anteriore, ſeu ſeculo II. agnita non raro, & teſtificata ab ipſis Gentilibus Impp. v. g. Plinio Secundo, ſicut diximus ex ejus Epiſtola ad Trajanum. A quo factum, ut edictis perſecutiones inhiberent, & Chriſtianos ſuis moribus vivere permitterent. Nominatim eorum Religio verſus Deum, & juſtitia verſus proximum: qua Scripturas aſſidue verſabant, etiam virgines & ancillæ, apud colum & lanam ſedentes, ut eſt apud Tatianum, preces fundebant pro Impp. & Magiſtratibus, eis ſeſe in omnibus, uſque ad aras ſubjicientes, etiam pro inimicis ſuis orabant, ut eſt apud Juſtinum M. ſe invicem *fratres* & *ſorores*, ſuaſque congregationes *fraternitates* appellabant: hoſpitalitati, veracitati, candori, beneficentiæ cumprimis ſtudebant: ægros, afflictos, captivos, pauperes magno affectu paſſim inviſebant, Gentilium ſpectacula & theatrales ludos horrebant: ad impios ſermones, voces blaſphemas, aures obturabant. Irén. lib. III. cap. IX. Euſeb. lib. V. cap. XX. martyrii gloriam ambiebant: in habitu modeſtiam, in victu frugalitatem, in veſtitu ſimplicitatem, in converſatione urbanitatem ſectabantur: parte etiam hujus ætatis poſteriore, ſeu ſeculo III. accedebat, in opulentioribus potiſſimum Eccleſiis, ſingularis, in egenos, viduas, ægros, captivos, morientes munificentia, ut Cyprianus Epiſt. LX. ad Epiſcopos Numidiæ ſcribat, *miſimus ſeſtertium centum millia nummum*, magna item ſacrorum reverentia: ſtudioſe etiam abſtinebant ab omnibus, quæ Gentilium ſuperſtitionem redolerent. Senſim tamen hic à prima ſimplicitate declinatum eſt, & invaſit, cum Clerum, tum plebem Chriſtianam, quoad Epiſcopos ambitio, æmulatio, diſſidia, tyrannis, fraudes, calumniæ, obtrectationes aliaque, de quibus queruntur paſſim Epiſtolæ Cypriani Epiſt. VII. & LXIX. Item Euſeb. Hiſt. libb. VI. VII. & VIII.

Chriſtianorum mores ſub II. ætate.

Ætas Nov. Teſt. tertia.

Tertia Eccleſiæ N. T. ætas conſtruitur Apoc. VI. 5. 6.

XXII. Succedit ætas Eccleſiæ N. T. tertia, procurrens à Conſtantino M. coincidit cum A. C. Vulg. CCCVI. quando ſolus regnare cœpit, ad Phocam Imp. qui coincidit cum A. C. CCCCCCII. ut habeat annos circiter CCXCVI. Hujus ſtatum figurare videtur apertura tertii ſigilli Apoc. VI. 5. 6. quando Eccleſia inſtar equi nigri, denigrari cœpit, cum hæreſibus, Photinianis, Samoſathenianis, Sabellianis, Arrianis, Eunomianis, Macedonianis aliiſque: tum faſtu, avaritiâ, contentionibus Epiſcoporum, ad Monarchiam Eccleſiaſticam, magnis paſſibus graſſantium, à quibus *fames* ſpiritualis in Eccleſia invaluit, conſervato interea *vino* & *oleo*, h. e. doctrina fundamentali in Eccleſia. Verba textus Apocalyptici dicunt

1. Reſignatorem *ſigilli*, *Chriſtum*, *de quo circa præcedentes ætates.*
2. Præconem, *provocantem Johannem ad attentionem*, *tertium* animal, *facie humana* cap. IV. 7. *quæ facies Eccleſiæ notatur, ejectis monſtroſis & plus quam brutalibus prioris hæreſibus: Simonis Magi, Saturnini, Cerinthi, Ebionis, Valentini, Baſilidis &c. faciem magis humanam induere cœpit.*
3. Typum *repræſentatum*, equum nigrum, *notantem Eccleſiam denigratam, cum in doctrina, per varias hæreſes, quas diximus, Photinianorum, Samoſathenianorum &c. tum faſtu & tyrannide Epiſcoporum paſſim invaleſcentem.* Seſſor *equi, Chriſtus, cum* ſtatera *in manu ejus, qua* Scripturam *notat, ceu regulam fidei & morum* Gal. IV. 16. *quam ſuis erroribus palliandis frequenter prætendebant hæretici, & Chriſtus ſeſſor ſua manu tenebat, ſuaque providentia in conſervationem Eccleſiæ dirigebat, ut ad eam doctrina ſalutaris menſuraretur.*
4. Eventum *& ſignificatum typi. Penes quem dicitur*

A. Vox *explicans typum, ſcil. agni qui ſtabat in medio animalium.* Conf. Apoc. V. 6. *qui explicat & dirigit omnes eventus.*

B. Explicatio *vocis ac typi, quæ habet*

α. Commination*em quandam*: chœnix tritici, denario; & tres chœnices hordei, denario. *Hic* chœnix *Suidæ est* ἡμερήσιος τροφὴ, cibarium diurnum. *Capit* chœnix *Budæo* de Asse lib. v. sextarios *duos, seu libras quatuor.* Sextarius, *uncias* XXIV. *seu libras duas.* Denarius, *dictus à numero, qui valet asses* X. *cum dimidio, circiter* X. *cum dimidio nostratium Stuferorum. Erat pretium laboris diurni.* Σῖτος triticum, *panem notat delicatiorum,* κριθὴ hordeum, *cibum pauperum, vel pecudum domesticarum. Ut significetur, tantam fore famem* spiritualem, *ut cibus vix & ne vix quidem valeat, trahendæ ad unum diem vitæ spirituali: cum delicatiorum, h. e. genuinorum Ecclesiæ Doctorum; tum pauperum seu plebejorum.*

β. Limitationem, *in gratiam vere fidelium:* sed οἶνον & vinum, ne læseris. *Hic* oleum & vinum *dicunt fundamentalia Theologiæ, quæ sub hac ætate, utcunque illæsa sint conservanda. Est vero hæc Ecclesiæ & fundamentalium denigratio, non uno modo facta; nec æqualibus gradibus, à Constantino usque ad Phocam, ut in progressu distinctius patebit.*

Imperatores Romani, ætatis terriæ XIX.

XXIII. Exegit hanc ætatem Ecclesia sub Impp. Romanis XIX. In his *primus* fuit Constantinus M. Constantini Chlori, ex Helena Britannica filius. Cum adversus Magnentium militaret, qui non modo militaribus; sed etiam magicis armis pugnabat, deliberans, quem Deum sibi adversus illum deligeret tutelarem; vidit, declinante Sole, supra Solem, signum crucis cum adsperso P. Rho, & adscripto ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc vince*, ad Christianam fidem recipiendam adductus fertur, & victo Magnentio, multa in Christianorum commoda sanxit; multa donaria templis eorum intulit; multis eorum Episcopos reditibus auxit; profana sacrificia interdixit; Oracula, Delphicum & Dodonæum sustulit; Deorum ferias, epulas & solennia publica fieri vetuit; gladiatorum cruenta spectacula, & scorta mascula abrogavit. Interim id quod de donatione Constantini M. Pontificii effutierunt Marsilius Patavinus, Laurent. Valla, Cusanus, Ant. Florentinus & alii, tam futile esse demonstrarunt, ut jam Jesuitas ipsos pudeat, ipsam amplius in scenam proferre. Sua tamen ista profusa in Episcopos munificentia, venenum Ecclesiæ injecit, ut ipsum habet fictæ illius donationis instrumentum, Juri *Canonico* à suis compilatoribus insertum. Interim & Athanasium relegavit. Regnavit per annos XXX. Ejus vitam descripsit Eusebius lib. IV. & *Oratione* in laudem ejus, cum tricennalia celebraret, quæ tamen nonnullis plusculum adulatoria & suspecta sunt. Testamento regnum suum distribuit in tres filios, addicta quidem Constantino Gallia, Hispania & Britannia: Constanti Italia, Africa & Illyrico: Constantio Thraciam, Asiam, Ægyptum & Orientem assignavit. Sic primum schisma inter Orientem & Occidentem fundavit. Athanasium etiam revocavit. *Secundus* ergo fuit Constantinus II. per annos III. in Occidente, Constans per annos XIII. in Italia & Africa: Constantius per annos XXIV. in Oriente, Aranismo perdite favens. Eo tempore plures imperium affectarunt: Magnentius cum duobus fratribus, Decentio & Desiderio, in Occidente: Vetramnius in Pannoniis: Nepotianus in Italia: Sylvanus in Gallia. Constantius etiam Cæsares creavit Gallum, &, qui postea imperavit, Julianum. Cæterum Constantinus, quanquam orthodoxus, rem Christianam parum juvit. Successit *tertius* Julianus, Constantini M. ex sorore nepos, vir doctus; sed à Libanio Rhetore, à Christianâ fide alienatus, primo quidem simulatorem egit egregium, mores Christianos finxit, omnes suis beneficiis sibi devinxit, non solum Episcopos relegatos revocavit; sed & Gentilibus sua templa restituit: mox fastu in Christianos acerbior factus, artibus Libanii, Deos Gentiles colere cœpit, adversus Christum, quem per contumeliam *Galilæum* vocitabat, libros VII. conscripsit, Christianos, & inter eos, Jovianum, Valentinianum & Valentem, postea Imperatores, palatio movit, reditus Ecclesiæ præripuit, in odium Christianorum, Judæis, ut templum & politiam Hierosolymis instaurarent, concessit: sed ut hi divinitus impediti sunt; sic & ipse in Parthicâ expeditione, incerti militis telo trajectus, vicisse tandem Galilæum, exclamare coactus fuit. Ipsum ergo *quartus* excepit, Jovianus, domesticorum Primicerius, militari favore Imperator creatus. Qui, cum Gentilibus se nolle imperare diceret, milites se Christianos esse declararunt: in finibus Bithyniæ, nescio quo modo exstinctus est, postquam regnasset tantum per menses VII. Secutus est *quintus*, Valentinianus, Gratiani Præfecti prætorii filius, ab exercitu Imperator allectus. Hic, cum se plurimis hostibus solum imparem persentisceret, Valentem sibi adjunxit, concessis ei Orientalibus provinciis usque ad Illyricum. Utque ipse fidem orthodoxam professus est, juxta Symbolum Nicænum; ita Valens perfidiæ Arrianæ deditus, Catholicos acerrime divexavit. Valentinianus interim in Occidente, bella cum Germanis & Britannis, varia fortuna traxit, & in expeditione contra Quados exstinctus est. Præfuit per annos XII. Et Valens etiam misera morte periit. Successit *sextus Gratianus*, dudum à Patre Valentiniano sibi constructus, per annos V. in Occidente, cui milites adjunxerunt Valentinianum II. fratrem, per annos

XVI.

XVI. in Italiâ & Africa. Cum hoc in Oriente *septimus* præfuit Theodosius M. Valentimani I. gener, per annos XVII. Hoc tempore diadema sibi imposuerunt Maximus, ejusque filius Victor in Occidente, & Eugenius in Italiâ, alter Julianus, quem Theodosius oppressit, Princeps laudatissimus, pietate ad Constantinum M. moribus & corpore ad Trajanum accedens. Abrogavit Romæ lupanaria, Senatores & cives ad Religionem Christianam inflammavit. Interim irâ præcipitatus, absque prævia causæ examinatione, Thessalonicæ, ex vulgo vago VII. millia trucidari curavit, ob quod ab Ambrosio, per VIII. menses, ab Ecclesiæ communione motus, & post pœnitentiam, receptus fuit. Moriturus, testamento Arcadio filio Orientem legavit, & Occidentem Honorio: huic Stiliconem; illi Rufinum tutorem præfecit, à quo secunda imperii divisio, in Orientale & Occidentale facta est. Nos successionem sectabimur, quoad Orientem, sic tamen ut quantum satis, ei construamus Imperatores & res Occidentis. Successit ergo Theodosio M. *octavus*, Arcadius, cujus tempore imperium affectarunt, Gildo in Africa, Gaines Constantinopoli, Marcus Gratianus, Constantinianus, ejusque filius Constans in Galliâ. In Occidente, Honorius Constantinum Ducem sibi socium elegit. Regnavit Arcadius per XIII. annos; Honorius per XXVII. Arcadio successit *nonus*, Theodosius II. filius, cujus tempore imperium affectarunt, Attalus Romæ, Maximus in Hispaniâ, Jovinus & Sebastianus in Galliâ, Heraclianus in Africâ. In Occidente Honorium secutus est Johannes quidem, per annos II. Valentinianus III. Honorii filius, cum Matre Placidia, per annos XXX. Post hos fuit *decimus*, Martianus cum uxore Pulcheria, Arcadii filia, per annos VII. In Occidente Ancius Maximus, per tres menses, in fuga trucidatus, & Avitus à Gallis creatus, sed à Martiano depositus, regnum habuit per annum unum, cui accessit interregnum itidem per annum unum. In Oriente, Martiano successit *undecimus* Leo Thrax, per annos XVII. In Occidente clavum interea habuit Majoranus, per annos IV. & Severus per totidem, cui interregnum successit II. annorum, & post illud Anthemius gener Martiani, per annum unum. Hinc Olybrius, gener Valeriani III. per unum tantum. Porro Glycerius, & ab eo Julius Nepos, uterque simul per annum. Leoni Thraci in Oriente successit *duodecimus*, Leo Infans, seu secundus, per paucos menses, & huic *decimus tertius*, Zeno Isauricus, gener Leonis, adversus quem Basiliscus, initio mensibus XX. imperium usurpavit. Regnavit annis XVII. In Occidente fuit Romulus Myrmillus Augustulus, per menses X. ab Odoacro Herulorum Rege coactus se regno abdicare. Et sic imperium Occidentis desiit succedentibus per tyrannidum Gothis: Theodorico, Athalarico, Theodato, Vitige, Ildobaldo, Alarico, Totila, Teia, quem Justiniani Dux Narses debellavit anno DLIII. Post Zenonem Isauricum, in Oriente fuit *decimus-quartus* Anastasius, cognomento Dicorus, impensè Eutychianus, & impius persecutor Ecclesiæ. Hujus tempore, Reges Italiæ, Hispaniæ & Africæ fuerunt Arriani: Reges Francorum, Anglorum & Germanorum, pagani, Imperator Eutychianus, & tamen Ecclesia destrui non potuit. Regnavit per annos XXVII. & III. menses. Post hunc fuit *decimus-quartus* Justinus, subulcus in juventa, post faber lignarius, inde miles, tandem Imperator, per annos IX. & menses II. Et porro *decimus-sextus*, Justinianus, Justini è sorore nepos, qui Occidentem Orienti reddidit, compilator Juris civilis Romani. Imperavit per annos XXXVIII. Huic successit *decimus-septimus*, Justinus Junior, Justiniani è sorore nepos, qui Exarchatum Ravennæ constituit, cujus tempore Longobardicum regnum in Gallia Cisalpina ortum est. Regnavit per annos XVI. & menses IX. alii ei tribuunt annos XI. Hinc fuit *decimus-octavus*, Tiberius II. per annos VIII. Regnavit autem per annos IV. cum Justino, & solus per totidem. Et tandem *decimus-nonus*, Mauritius Cappadox, per annos XVI. & menses III. ejus fata à Phoco, servamus ætati sequenti.

XXIV. Imperatoribus istis coexstiterunt Episcopi Romani XXXIII. aliis, qui Felicem II. schismaticum divellunt, ac singulatim numerant XXXIV. Qui per superbiam, ex rebus prosperis & munificentia Cæsarum contractam; de Episcopatu inter se digladiati sunt. In his *primus* est Sylvester A. C. CCCXIV. Hunc ferunt, Constantinum M. lepra, ab flagitia nonnulla percussum, sanasse & baptizasse, & ab eo donationes regnorum, terrarum & aliarum rerum pretiosarum, accepisse. Sabellicus & Platina volunt, ipsum præter multa alia, Chrismatis usum ad signandos baptizandos, & ungendos morientes, instituisse. Antoninus part. 2. hist. tit. IX. cap. I. §. I. addit, eum quartum & sextum diem & Sabbathum jejuniis instituisse observandum; quintum autem q. Dominicum celebrandum. Nicephorus etiam & Metaphrastes fabulantur, Constantinum M. commisisse cum eo aliquot Judæos, ut de Religione disputarent, & Sylvestrum de miraculo edendo sollicitatum, tacita in aurem insusurratione, bovem necasse, & iterum in vitam revocasse, serpentem item, qui quotidie CCC. homines in pastum petierit, interfeciisse. Sedit per annos XXII. *Secundus* Marcus Romanus, vir doctus & gravis, cui duæ Epistolæ, insulsæ & indoctissimæ, in tomis Conciliorum adscribuntur. Præfuit per menses VIII. *Tertius* Julius Rom. fictus duarum Epistolarum, & X. Decretorum auctor. Hic causam Athanasii adversus Eusebianos fideliter egit, & ejus

Episcopi Romani hujus ætatis tertiæ, XXXIII.

ejus ac veritatis causâ, Romæ Synodum coegit, & à Cæsare impetravit, ut Athanasium revocaret. Addunt eum etiam Synodo Sardicæ interfuisse. Sedit annis xv. *Quartus* Liberius, hunc Constantius, quod iteratæ Athanasii damnationi nollet subscribere, in exilium ejecit, Felicemque II. orthodoxum quidem, sed qui Arianos in communionem receperat, substituit: qui tamen ipse, vel ob parrhesiam adversus Constantium, est trucidatus, vel redeunte Liberio, in prædiolum sponte secessit. Fractum enim exilii tædio Liberium rediisse, & Arianismo subscripsisse, testantur Hieronymus, Athanasius, Platina. Sedit universim per annos xv. Sub illo igitur accidit II. Schisma. *Quintus* Damasus Hispanus, elegantis & poëtici ingenii vir: ast cum esset Episcopus eligendus, aliqui Ursicinum Diaconum ordinari curarunt, à quo tumultu excitato CLXXXVII. cadavera, uno die in templo reperta sunt. Cessit tamen Ursicinus, & ex seditione Episcopatus Neapolitani prædam nactus est, Damasus vero, licet deinde inculpate & episcopatum, & vitam gesserit; tamen adulterii accusatus est; sed calumnias ita delevit, ut delatores ex Ecclesia ejicerentur. Sedit annis XVIII. Sub eo schisma tertium fuit. *Sextus* Syricius Romanus. Hic primus Monachos in tribum Clericorum accepit, cum hactenus non nisi laici essent. Hospin. lib. III. *de Orig. Monach.* cap. XII. Idem conjugium Sacerdotum in Occidente improbavit, & constituit, ut maritos quidem ad ordines ecclesiasticos promovere possent; sed consuetudinem conjugalem, post ordinationem ipsis interdixit. *Septimus* Anastasius I. qui jussit, Sacerdotes Euangelium, non sedentes; sed stantibus stantes legere. Sedit IV. annis. *Octavus* Innocentius I. Albanus, XXX. Epistolis, in tomis Conciliorum oneratus. Jejunium Sabbatho denuo constituit, Cataphryges urbe expulit, Pelagium & Cælestinum damnavit, in restituendo Chrysostomo inique expulso, valde laboravit, & ipsum Imperatorem cum conjuge, excommunicavit, & urbem Romam à Gothis diripi vidit. Sedit annos XV. *Nonus* Sozimus Græcus, falsator Canonum Nizænorum, persuadere voluit, ut sibi primatus in Ecclesia concederetur, nec quicquam ratum esse, nisi sua successorumque accederet auctoritas; sed fraus facile detecta fuit, Synodo Carthaginensi animose ei resistente. Sedit uno anno tantum. *Decimus* Bonifacius I. Rom. Hic cum Eulalio Romano in schismate electus fuit, & dum causa in Synodo determinata esset, uterque suspensus, Episcopo Spoletano sacra interim administrante: sed Eulalius ultro reversus ad sacra, Imperatoris auctoritate dejectus, & in Campania Episcopatum consecutus, locum Bonifacio cessit, qui negotium de dominio Romani Episcopi, in Africanas, omnesque alias Ecclesias, impudentius urgere cœpit: sed cum synodus Carthaginensis acta authentico Concilii Nicæni, Constantinopoli afferri curasset, confusus destitit, ut patet ex actis VI. Synod. Carth. Sedit annis V. *Undecimus* Cœlestinus Campanus, veritatis quidem adversus Nestorium, nunc primum Ecclesias turbantem, ut & Pelagianos & Novatianos, assertor strenuus fuit; sed tamen cum synodo Carthaginensi VI. impudentius depugnavit: missis enim legatis jussit, ut Apiario recepto, Carthaginenses Romanæ sedi se submitterent. Renuunt Patres synodi, nec ullam jurisdictionem Papæ in se concessuros, authenticis Concilii Nicæni Canonibus innixi, arguunt, monentque, ne fumosus seculi typhus in Ecclesiam introducatur. Quin & Jerosolymorum Episcopus Polychronius, si quærendus esset primatus, pluribus nominibus, eum suæ, quam Romanæ Ecclesiæ, deberi asseruit. Repressit igitur se Cœlestinus, aliam captaturus occasionem. *Duodecimus* Sixtus III. Rom. ditator quidem Ecclesiæ cognominatus; sed indolis pessimæ. Cum coram Valentiniano Imp. à Basso de adulterio accusaretur, & à parasito quodam aulico diceretur, Pontificem non posse judicari, judicio ad suum arbitrium efformato, tam vehementi excommunicatione Bassum percussit, ut recipi in gratiam non posset, etiamsi pœnitentiam agere vellet. Etiam Polychronium Hierosolymitanum, quem Cœlestinus senserat sibi adversantem, in ambitione primatus, prætextu simoniacarum actionum, inique damnavit & Ecclesia movit, paulo post, deprehensa ejus innocentia, suo loco restitutum. Nec etiam, teste Cuspiniano, erubuit, à Valentiniano Imp. pallium lineum, à solis Impp. gestari solitum, accipere. Sedit per annos VIII. *Decimus tertius* Leo Magnus, Thuscus, cujus scripta, pietate & eruditione referta, adhuc exstant. Sed in ambitione primatus nimium fervidus fuit: missis enim Carthaginensibus, aliis persuadere conatus est Ecclesiam Rom. omnium esse summam, sibique curam omnium Ecclesiarum esse commissam, ideoque Hilarium etiam, Arelatensem Episcopum prohibuit, Episcopos in Gallia ordinare. Apud Attilam Hunnorum, & Genfericum Vandalorum Reges, urbis vastationem deprecatus est. Sedit annis XXI. *Decimus-quartus* Hilarius I. Sardius, pius quidem & liberalis templorum à Barbaris vastatorum reparator; sed & dominationis affectator, imprimis in Ecclesias Hispanicas, obnitente tamen cordatè Sylvano Episcopo. Sedit annis VI. *Decimus-quintus* Simplicius, Tiburtinus, qui Odoacro Lupercalia Romæ exstruenti, animose obstitit. Sedit annis XVI. *Decimus-sextus* Felix III. Romanus, Aacium Constantinopol. Episcopum, qui Johannem Alexandrinum dejecerat, & alios, sine consensu Rom. Ecclesiæ, ab hæresi absolutos receperat, excommunicavit: sed ille minas ejus susque deque habens, viciſſim

nomen

nomen Felicis; ex ſacro albo expunxit. Sedit annis IX. *Decimus-ſeptimus* Gelaſius I. Afer in inſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica occupatus, & ſcriptis celebris fuit: nec occulte & inſidioſe amplius, ſed palam principatum in univerſas Eccleſias, ſibi aſſeruit, præter Acacianos, ipſum etiam Anaſtaſium Imp. eorum fautorem, atque inſuper Vandalos, cum Rege ſuo Ariano, Catholicos perſequente, anathemate percuſſit, teſtibus Platina & Sabellico. Sedit annis IV. *Decimus-octavus* Anaſtaſius II. Rom. Hic quamvis, juxta Platinam, Imperatorem Acacio faventem excommunicaſſet; nihilominus ipſius Acacii cauſam agere cœpit, & morbo ſubito divinitus punitus periit, aut, dum naturæ obtemperaret, in latrinam viſcera effudit. Balæus ipſum Neſtorianam, aut Eutychianam hæreſin amplexum teſtatur. Sedit annis II. *Decimus-nonus* Symmachus, Sardius, cum Laurentio in ſchiſmate electus, à Synodo Ravennæ indictâ, & à Theodorico confirmatus fuit, Laurentio, Nucerino epiſcopatu conceſſo. A nonnullis Clericis, Laurentio poſt quadriennium revocato, Symmachus graviſſimis criminibus oneratus fuit, quamobrem Theodoricus, pulſo utroque Pontifice, Petrum Altinæ Epiſcopum miſit, qui ſacris præeſſet: interim Symmachus, ut confirmaretur, à præcipuo Clero obtinuit; ſic tamen ſæviit contraria factio, ut multæ Moniales, multi Sacerdotes cæderentur, nec quiſquam Romæ tutus eſſet. Quibus turbis, à Fauſto Exconſule ſedatis, Symmachus Manichæos urbe pepulit, eorumque libros cremavit. Interea Schiſma V. fuit. Sedit annis XVI. *Vigeſimus* Hormiſda, Campanus, cum literis moneret Johannem, ut ab Eutychiana hæreſi recederet, reſponſum tulit, Auguſtorum eſſe, non Pontificis regnare, legatis ejus, contra jus gentium, ludibrio habitis, & navi rimoſæ, qua domum irent, impoſitis. Sedit annis IX. *Vigeſimus-primus* Johannes I. Thuſcus, hunc Theodoricus coëgit, qui legatus ad Juſtinum Imp. abiret, nunciaturus, ni vellet omnes Catholicos ex Italiâ ejici; Arianis locum in Eccleſiâ concederet. Re ex voto paractâ, à Theodorico in carcerem conjectus, pœdore & inedia periit, tanquam qui Juſtino conſilia adverſus ſe ſuppeditaſſet. Sedit annis III. *Vigeſimus-ſecundus* Felix IV. Beneventanus, atavus Gregorii Papæ. Sedit annis IV. *Vigeſimus-tertius* Bonifacius II. Rom. qui vivus ſibi ſucceſſorem elegit Vigilium; ſed Senatu reſiſtente & conatu irrito. Æmulum habuit Dioſcorum, cujus mors poſt XXVIII. diem, ſchiſma VI. ſuſtulit. Bonifacius ſedit per annum & dies duos. *Vigeſimus-quartus* Johannes II. Mercurius propter eloquentiam cognominatus. Sedit annis III. *Vigeſimus-quintus* Agapetus I. Romanus, quem Theodatus Rex, iniquus uxoris ſuæ interfector, Conſtantinopolim miſit ad placandum Juſtinianum, quem etiam ab Eutychianiſmo abſtraxit. Sedit annis II. *Vigeſimus-ſextus* Sylverius, Campanus; cui Vigilius Schiſma VII. movet. Sine ſuffragiis Cleri, à Theodato intruſus, cum nollet in gratiam Theodoræ Imp. Juſtiniani uxoris, pulſo Mennâ Epiſcopo Conſtantinop. Anthemium hæreticum reſtituere, per Beliſarium, tanquam qui Gothis urbem voluiſſet prodere, dejectus eſt. In exilio tamen Vigilium, qui à Baliſario factus fuerat Pontifex, excommunicavit. Sedit per annos II. *Vigeſimus-ſeptimus* Vigilius, malis artibus Pontifex factus, à Juſtiniano, poſt multas turbas depoſitus; ſed reſtitutus poſtquam Imperatori ſatisfeciſſet. Sedit annis XVII. *Vegeſimus-octavus* Pelagius, Rom. qui primus afferuit, primatum Eccleſiæ Rom. non à Synodis, aut ab hominibus; ſed ab ipſo Chriſto proveniſſe. Sedit annis V. *Vigeſimus-nonus* Johannes III. Catellinus. Hic contra prædeceſſorem Pelagium ſancivit, neminem dici debere ſummum Sacerdotem, aut univerſalem Epiſcopum, *Diſtinct.* XCIX. *nullus*. Sedit annis XIII. *Trigeſimus* Benedictus I. Bonoſus, Rom. Sedit annis IV. & menſe uno. *Trigeſimus-primus*. Pelagius II. Rom. Longobardis Romam obſidentibus, inſcio Imp. electus, miſit Diaconum, qui ſe excuſaret, ſibique confirmationem ab Imp. pro more impetravit. Sedit annis XIII. menſibus III. *Vigeſimus-ſecundus* Gregorius I. Magnus, Rom. Felicis IV. pronepos, pietate, doctrinâ & ſcriptis clarus, adeo abhorruit à titulo univerſalis Epiſcopi, ut illum blaſphemiam appellaret, quæ adverſetur Euangelio, ſit contra Canones, afficiat Deum & reliquos etiam Epiſcopos injuriâ, Antichriſtum præcurrat. Scripta ejus utiliſſima quidem ſunt; ſed tamen ſuis ſuperſtitioſis non carent. Sedit annis XIII. menſ. VI. d. IX. *Trigeſimus-tertius* Sabinius, Thuſcus, adeo infeſtus Gregorio præceſſori, ut parum abfuerit, quin ejus ſcripta tolleret, ejus liberalitatem verſus fame laborantem Romam, prodigalitatem appellabat. Sedit annis II.

Status Theologiæ ſub tertia N. T. ætate.

XXV. Jam rectâ deſcendemus ad ſtatum Theologiæ ſub hac ætate. Ubi proclive accidet obſervatu, ut annonæ ſpiritualis caritas, tritici & hordei, per tria hujus ætatis ſecula, ſenſim invaluerit, oleo interim & vino, ſic ſatis incolumi: h. e. fundamento Theologiæ adhucdum ſalvo, capita reliqua obnubilata fuerint. Quantum enim ad ætatis hujus ſeculum primum, ſeu quartum ordine, capita Catholica præcedentium ætatum ſeculorumque; ea repetita ac novis teſtibus confirmata obſervantur, v. g. Symbolo Apoſtolico, Veteri Orientali, ab Euſebio in Synodo Nicænâ recitato, juxta Socratem & Theodoretum, Symbolo item Nizæno, Conſtantinopolitanâ & Aquileienſi, quod Ruffinus expoſuit: atque inſuper ex Crilli Hieroſolym. Catecheſibus, quartâ cumprimis & ſeqq. nec non ex Symbolis, ſub nominibus Dama-

Doctrina Catholica Eccleſiæ ſub ſeculo quarto.

ſi, Hieronymi, Ruffini, ſi modo veſtigia Pelagiana excipias. Porro ex Conciliorum canonibus, qui exſtant in Codice Eccleſiæ *univerſæ*, quos illuſtravit Juſtellus, Beveregius aliique, ex Canonibus Concilii Illiberitani, Arelatenſis I. variiſque conſtitutionibus in Codice Theodoſiano, imprimis *titulis* de fide Catholica, de hæreticis lib. XVI. Denique ex ſcriptis Patrum innumeris ferme, v. g. Euſebii, Athanaſii, Hilarii, Baſilii, Ambroſii, Epiphanii, Hieronymi, Chryſoſtomi, de quibus ſuo loco. Nominatim, quoad articulos hodie controverſos, v. g. de *Scripturis*, abſque apocryphis, Machabæorum, Tobiæ, Judith &c. ſufficientibus pro canone fidei & morum: *Trinitate*: æterna & ὁμοσίῳ Chriſti *deitate*, *duabus*, in eo naturis perſonaliter unitis: peccato *Originali*: *juſtificatione* per ſolam fidem, abſque operibus: de fructu & efficacia *mortis* Chriſti, ejuſque ſatisfactione: de *gratia*, & exſtinctis ad bonum ſalutare arbitrii viribus: de S. *Cœna*, velut ſigno corporis & ſanguinis, Chriſti &c. de his aliiſque videri poterunt Cent. Magdeb. *Cent.* IV. Celeb. Spanhemius in *introduct. plen. ad hiſt. Eccl. ſecul.* IV. Chamierus *in Panſtrat.* Pet. Molinæus *in Novit. Papiſ.* Chemnitius in *Exam. Concil. Trident.* & alii: nobis enim, per compendii hujus συμμετρίαν non licet ſingula ſingulatim proferre. Saltem necdum hoc ſeculo nata ſunt θεολογήματα de *purgatorio*, *transſubſtantiatione*, *ſacrificio* miſſatico, *adoratione* ſymbolorum in S. Synaxi, auriculari *confeſſione*, *ſeptem* Sacramentis, theſauro *indulgentiarum*, *Angelo-dulia*, *Mariolatria*, *Ave-Mariis*, *roſariis*, *aqua luſtrali*, *proceſſionibus*, *feſtis* dicatis B. Virgini, Apoſtolis, Joh. Baptiſtæ &c. Nondum audita ſunt iſta hoc ſeculo, nuſquam definita à Patribus, Conciliis &c. Annonæ interim ſpiritualis caritas invaleſcere cœpit I. A *Gentiliſmo*, qui per hoc ſeculum recruduit ſub Juliano Apoſtata, uſque ad Theodoſii M. conſtitutiones, conniventibus ei variis Impp. Chriſtianis poſt eum, A. CCCCLXXXI. de quibus Jac. Godofredus ad Codic. Theodoſii *titul. de pagan.* &c. Propugnantibus etiam Gentiliſmum ſub Juliano, Symmacho, Libanio Sophiſta, Themiſtio, Maximo Philoſophis, ad dignitates ab eo evectis, juvantibus eum inſuper extra imperium Rom. perſecutionibus Saporis Perſæ, à Magis irritati, nec non Iſdegardis, apud Theodoretum lib. V. cap. XXXIV. & Varananis apud Socratem lib. VII. tum 2. à *Judaiſmo*, qui à Juliano poteſtatem nacti, odio Chriſtianiſmi, templum, Rempublicam, ſacra ſua, inſtauraturi, in Chriſtanos, eorumque ædes ſævierunt, relictis etiam à poſterioribus Principibus Chriſtianis, eis ſuis ſacris, feſtis, Sabbathis, Synedriis, ſcholis, additiſque variis immunitatibus &c. Potiſſimum autem 3. ab *hareſi* hujus ſeculi, nim. α. *Ariana*, quam repræſentant, Euſebius, Philoſtorgius & ipſe Arianus; Sulpicius Severus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus & alii. Originem & nomen habuit ab Ario, Lybe, Alexandrinæ Eccleſiæ presbytero, ingenio acri & callido, ſed ambitioſo: qui odio & invidia verſus epiſcopatum Alexandri, curioſius diſputando de SS. Trinitate, eum in ordinem coacturus, eum habita Synodo Alexandriæ A. C. CCCXXII. ab Eccleſia ejecerat. Docere cœpit, Chriſtum Deum eſſe *titulo* tenus, minorem Patre, nec *ejusdem* cum eo eſſentiæ, nec ab æterno exſtitiſſe, quanquam ante mundum conditum, proinde meram *creaturam*, filium Dei per gratiam *adoptationis*, inſtrumentum Patris in creatione mundi: *Spiritum* S. autem, ne Deum quidem eſſe; ſed Chriſti creaturam, ab eo genitam & creatam, cooperantem Patri & filio in creatione mundi, Fautores habuit Conſtantium Imp. in Orientc, & Valentem, cum ab uxore Ariana; tum ab Eudoxio Epiſcopo ſeductum, hinc ab A. C. CCCLXX. perſecutorem virulentiſſimum: inter Epiſcopos inſuper *Euſebium* in Nicomedia Bithyniæ, *Theognidem* Nicææ in Thracia, *Marem* Chalcedonis in Bithynia, *Secundum* Ptolomaidis in Pentapoli Lybiæ, *Theonam* Marmaricæ in Africa, & Meletianæ factionis Epoſcopos in Ægypto. Cauſam ſuam agebant, non tam aperto Marte, ingenue diſputando; quam quidem dolis ac technis, diſſimulando, fictis formulis, & ſimulato quoad rem, conſenſu cum orthodoxis, quaſi de vocibus litigarent, ficta in eos perfidia, in fide inconſtantia, additis calumniis, in aula adulationibus, in præcipuis epiſcopatibus invadendis ambitione, ut patet ex Sulpicio Severo, Socrate, & actis Conciliorum. Nec deerant perſecutiones, potiſſimum in Athanaſium, unicum fere eorum Antagoniſtam ingenuum, in quem immanes cudebant calumnias, ſtupri, adulterii, cædis aliorumque criminum. Similiter in Euſtatium Antiochenum, his varia ſucceſſerunt eorum exilia, depoſitiones, fugæ, excommunicationes, & ſubinde revocationes etiam. His artibus, totum pene terrarum orbem ſuæ hæreſi ſubjugarunt. Nec tamen etiam eis defuerunt ſuæ factiones, nim. *Anomœorum*, fautoribus Aëtio & Eunomio, qui ſuæ ſectæ propriam formulam condiderunt, & poſtea in Synodo Antiochena A. C. CCCLXI. ediderunt, in qua Meletius depoſitus fuit: item *Homouſianorum* ſeu Semi-Arianorum, quorum formula edita fuit in Synodo Ancyrana A. C. CCCLVIII. Principibus Baſilio Ancyrano, Georgio Laodiceno, ipſoque Macedonio poſtea Pneumatomacho: porro *Acacianorum*, qui ὁμοιουσιότητα τῆς οὐσίας in filio rejiciebant, condita formula in Synod. III. Sirmienſi, qua dicunt eum ὅμοιον κατὰ πάντα; Ariminenſi quoque, ubi eum ὅμοιον ſimpliciter dicunt: nec inſuper deerant, qui omnes iſtas voces, perinde ac τὸ ὁμοούσιον rejicientes, ſtatue-

Gentiliſmus hujus ſeculi.

Judaiſmus hujus ſeculi.

Hæreſes hujus ſeculi:

Ariana.

ſtatuerunt, *Patrem filio majorem eſſe, honore, dignitate, deitate:* erant etiam in ſpeciem Catholici, fidem Synodi Nicænæ, per omnia recipientes, ſolo excepto τῷ ὁμοουσίῳ, prout factum in Synodis Antiochena A. C. 341. & 345. Sardicenſi 347. in Caria anno 346. Imo tandem, qui omnes formulas, Antiochenas, Sirmienſem, Sardicenſem, Ancyranam, ſola excepta Nicæna, conjungerent, auctore Euſtathio Sebaſtienſi, in Synodo Photini hæreſis. Sirmienſi II. Ao. 359. β. *Photiniana*, auctore Photino, Sirmienſi in Illyrico, Epiſcopo, auctoritate & ingenio præpotente, qui ſtatuebat, Chriſtum ante ſuam nativitatem ex Maria, non exſtitiſſe, eſſe tantum ψιλὸν ἄνθρωπον, quod jam ante ipſum docuerat Paul. Samoſatenus. Damnatus eſt à variis Synodis, non orthodoxis duntaxat; ſed & Ariana Syrmienſi A. C. 351. Vid. Apollinariſtarum hæreſis. Epiphan. *Hæreſ.* LXXI. Socrat. lib. II. cap. XXVIII. Sozom. lib. I. cap. XIX. γ. Hæreſi Apollinaris, Patris & Filii, ſed hujus potiſſimum, Laodiceæ Syriæ, Epiſcopi, Viri cætera docti & orthodoxi, Arianorum, Porphyrii, & Juliani mallei, ſtatuebat, Chriſtum corpus aſſumſiſſe ſine animâ, quod pro anima ei fuerit deitas, illudque corpus conſubſtantiale fuiſſe deitati, nec ex ſubſtantia Mariæ efformatum. Epiphan. *Hæreſ.* XXVII. Socrat. lib. Macedoniana. II. cap. 46. δ. Hæreſi *Macedonii*, nuper Patriarchæ Conſtantinopolitani. Hic à Conſtantio, in Synodo Conſtantinopol. ſede motus A. 359. ex Homouſiano factus inſuper fuit Pneumatomachus, & negata Spiritus S. deitate, ipſum virtutem Dei aſſerebat *creatam*, miniſtrum Patris & filii, ſicut Angeli etiam reliqui. Epiphan. *Hæreſ.* LXXIV. Damnata eſt hæreſis à variis Synodis, nominatim Conſtantinopolitana I. Oecumenica. Audæanorum. ε. *Audæi*, Syri, Monachi, moribus cætera inculpati. Adſcribebat Deo, humanam figuram, membra, affectus. Unde Anthropomorphitæ dicti. Epiphan. *Hæreſ.* LXX. Theodoret. lib. IV. cap. X. Priſcillianorum. ζ. *Priſcilliani*, Hiſpani, laici. Qui ope Gnoſtici cujuſdam ex Ægypto profugi, Gnoſticorum, Manichæorum, Valentinianorum & Sabellii hæreſes, recoquebat, fatum Aſtrologicum, mendacia item & perjuria, tempore perſecutionum, divortia, abſtinentiam à carnibus & conjugio ſtatuebat. Damnatus fuit in Concilio Cæſar-auguſtano A. CCCLXXXI. Sulpic. Sever. lib. II. Auguſtin. *Hæreſ.* Donatiſtarum ſchiſma & hæreſis. LXX. η. *Donati* à Caſis Nigris in Numidiâ Africæ provincia Epiſcopi, primo quidem ſchiſma, poſt hæreſis. Nata tempore Conſtantini M. impellente Lucilla quadam, factioſiſſima & pecunioſiſſima fœmina excitata odio in Cœcilianum Epiſcopum Carthaginenſem, cui remoto, Majoranum ſubſtituit. Senſiſſe fertur, nullam in orbe dari Eccleſiam veram, præterquam in Africa apud Donatiſtas, ad ſe tranſeuntes, rebaptizandos eſſe. Præter iſta, crimina etiam eorum narrant, Optatus Milevitanus libris VII. *de Schiſmat. Donatiſtarum*, & Auguſtinus, *Hæreſ.* LXIX. Tandem 4. in ipſis etiam Eccleſiæ viſceribus, natæ ſunt, non tantum novæ voces, à Scripturis abludentes, & in perverſa dogmata poſtea degeneraturæ, quales v. g. *merendi*, & meritorum, apud Hieronymum, Damaſum, Ambroſium, Auguſtinum, alioſque, item *ſatisfaciendi* pro peccatis, redimendi peccata, paſſim apud eoſdem obviæ, porro *traditionis, indulgentiarum, pœnitentiæ, confeſſionis, miſſæ, ſacrificii, altaris, ſpecierum panis & vini, dulia, latriæ, quadrageſimæ* &c. Quanquam ſenſu, ab hodierno *Latinorum* diverſiſſimo, ut à plurimis Pontificiorum Antagoniſtis, Chamiero, Molinæo, Chemnitio, Caſaubono, Riveto, Albertino, Uſſerio, Salmaſio, Juſtello, Forbeſio aliiſque demonſtratur. Conf. Spanh. in *introduct.* pleniore hiſt. Eccl. ſeculo quarto: non tantum novis his aliiſque vocibus; ſed novis etiam dogmatibus, v. g. de neceſſitate Euchariſtiæ, de ſtatu animarum poſt mortem in ſpecubus ſubterraneis, de regno Chriſti temporali millenario, de ultimo igne purgatorio, ut nihil dicam, de erroribus cuique Patrum familiaribus, etiam à Pontificiis damnatis, à Theologis paſſim obſervatis. Sub ſeculo hujus Theologia ſub ſeculo quinto. ætatis ſecundo, ſeu *quinto* ordine, perſtitit, incolume *oleum* & *vinum*, ſeu Theologiæ capita *Catolica*, ut patet α. ex publicis ejus formulis, v. g. Capitulis Cyrilli, Symbolo Chalcedonenſi, Leonis Imp. enclytica, Zenonis Henotico, ex actis & Canonibus Conciliorum, univerſalium & particularium, occaſione variarum hæreſium, Pelagianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ, natis, de quibus ſuo loco: item ex ſcriptis Patrum, v. g. Ruffini *expoſitione* Symboli, Auguſtini *Encheiridio* ad Laurentium, & paſſim adverſus hæreſes: ex Leonis Rom. Sermonibus, Epiſtolis: ex Gennadii *de dogmatibus* Eccleſiæ, Cyrilli *de rectâ* ad Chriſtum fide: ex Theodoreti, Socratis, Sozomeni, Scripturarum Canone, de Trinitate, perſona Chriſti, ejuſque officiis, de hominis corruptione, de gratia, de ἀδυναμίᾳ liberi arbitrii, de juſtificatione per ſolam fidem, de reſurrectione carnis, de Euchariſtiæ ſignis, manentibus etiam poſt conſecrationem &c. De quibus videri poſſunt *Cent. Mag.* Cent. V. Flacius in *Catalogo teſt. Verit.* Chamierus, Molinæus, aliique Pontificiorum Antagoniſtæ. Quin ex uno Auguſtino, diſſenſus Theologiæ à moderna Pontificiorum, demonſtrari poteſt, non tantum quoad doctrinam *gratiæ*, prout factum à Janſenio Iprenſi in ſuo *Auguſtino*, & ὁμοψήφοις Janſeniſtis; ſed etiam quoad reliquos articulos, oſtendente Cl. Hottingero ad ſecul. V. cap. V. Item ex Leone Rom. docente Pet. Molinæo *in vita* Leonis & Gregorii I. Nominatim alienum adhucdum fuit hoc ſeculum, à tranſubſtantiatione, corporali præſentia Chriſti

Errores intra Eccleſiam:

in Symbolis, ut docent Mornæus, Blondellus, Albertinus, Voſſius, Dallæus, Larroquius in ſua *hiſt. Euchariſt.* Obrepſit interim annonæ ſpiritualis caritas, *tritici & hordei*, quoad articulos *Theologicos* potiſſimum: (1) per *Gentiles*, quibus non modo ſua ſacra ſacerrima, ſarta fuerunt; licet ſubinde acciſa edictis Imperatorum: nec tantum ſui fautores, Sacerdotes, Philoſophi, Oratores, Proconſules, Præſides, fuerunt, v. g. Optatus Conſtantinopoleos, & Oreſtes Alexandriæ præfides: ſed etiam perſecutores crudeliſſimi, Gothi, Hunni, Barbari, à quibus ſpes eis ſubinde orta inſtaurandi paganiſmi, ſed & inſtitutæ ſunt Chriſtianorum adverſus eos diſputationes, de quibus Oroſius, Cyrillus, Theodoretus, Salvianus, & imprimis Auguſtinus de Civit. Dei lib. XXII. hac occaſione natæ. (2) Per *Iudæos*, excitatis variis in Chriſtianos tumultibus, de quibus Socrates lib. VII. orto inſuper *Cretenſi* impoſtore, ſe Moſen jactante, & per exſiccatum mare, reditum in patriam pollicente. Socrat. lib. VII. cap. 38. abſoluta inſuper *operis* Thalmudici *Gemara*, quam inceperat R. Ashe, & abſolvit R. Joſe, quo Judæorum traditiones aſtruuntur. A. C. CCCCI. ut nihil addam de Scholis, ipſis indultis, ſub Arcadio, Honorio, Theodoſio. De *Cœlicolis*, velut mediis inter Judæos & Chriſtianos, qui Deum colebant ſub nomine cœli, Chriſtianos adigebant ad ſuperſtitiones Judaicas, de novo eos baptizabant, eaque ratione, Judæiſmum cum Chriſtianiſmo permiſcebant, videatur Cel. Spanhemius *Introduct.* pleniore *ad hiſt. Eccleſ.* ſub finem ſeculi v. Porro (3) per *hæreticos* N. *Pelagianos*, à Pelagio, q. tranſmarinos, ſuo nomine *Morgan*, Scoto, aut Anglo-Britanno, monacho, ingenii acuti & facundi, moribuſque honeſti, juxta Auguſtinum, & cum eo, Cœleſtio, ejus diſcipulo ac fautore in Africa A. C. CCCCV. cui præluſit Origenes, & poſtea Ruffinus. Hæreſin hauſit ex Philoſophia, cujus capita exponunt Hieronymus, Auguſtinus, Marius Mercator, edito adverſus eum *Monitorio* ad Theodoſium Juniorem. Negabat peccatum *Originale*, cum *imputatum*, tum *inhærens*: ſtatuebat hominem creatum fuiſſe *mortalem*, nec proinde mortem oriri ex peccato: integras eſſe *liberi arbitrii* vires ad principium cujusvis operis, etiam ſpiritualis ac ſalvifici, item ad progreſſum & perſeverantiam, & quoad velle, & quoad perficere: proinde à Deo eſſe, quod *homines* ſimus; à nobis, quod *juſti*: porro, homines ſub Patriarchis, ſervatos fuiſſe obſervatione legis *naturæ*, ſub Moſe per legem *ſcriptam*, ſub Chriſto per *Euangelium*: & Gentiles opera vere bona abſque gratia poſſe præſtare: dari omnimodam *perfectionem* in hac vitâ: gratiam primo confundebat cum naturæ viribus, poſtea, *moralem* tantum admittebat, quæ legem homini patefaceret & Euangelium, cum *illuminatione* quadam mentis, in adjutorium, ut facilius poſſet, præſtanda: gratiam phyſice moventem, prævenientem & coöperantem, negabat: hominem juſtificari ex meritis, ſi bene utatur libero arbitrio, & mandata Dei cuſtodire conetur: prædeſtinationem ad gratiam & gloriam, eſſe ex prævisis bonis operibus, & recto liberi arbitrii uſu, excepta tamen gratia Apoſtolatus: *prædeſtinationem* ad mortem, nullam dari; ſed præſcientiam tantum peccatorum. Acceſſerunt errores circa *uſum* & efficaciam Baptiſmi, cumprimis in parvulis; de peccatis ignorantiæ, quod peccata non ſint; de *juramento*, quod illicitum ſit; de divitiis à baptizatis abdicandis. Præfidium quærebat in dictis Patrum, ante Auguſtinum, minus accurate & caute loquentium. Propagata fuit ejus hæreſis, in Italia, primo quidem occultius, hinc in Palæſtina, Africa, Gallia, Britannia &c. Antagoniſtas habuit Epiſcopos Romanos, Concilia varia, v. g. Carthaginenſe, Milevitanum, Romanum: inter Patres potiſſimum, Hieronymum, Auguſtinum, Marium Mercatorem, edicta Impp. Honorii, Valentiniani III. Theodoſii Junioris. Hiſtoriam Pelagianam præſtant, ex noſtris, Uſſerius, Latius, Gerh. Joh. Voſſius; ex Pontificiis Janſſenius Iprenſis, atque etiam, affectibus & hypotheſibus ſuis inſervientes, Moliniſtæ, & in Janſſenium iniquior Natalis Alexander, Tomo X. ubi de hæreſi Pelagiana. 2. *Semi-Pelagiani* ſeu Maſſilienſes, paulo poſt in Galliis exorti A. C. CCCCXXX. Quorum fautores fuerunt, Joh. Caſſianus, Chryſoſtomi diſcipulus, Fauſtus, ex Abbate Lirinenſi Reienſis Epiſcopus, Vincentius Lirinenſis, Gennadius Maſſilienſis Presbyter, Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus, & Hilarius Arelatenſis. Accedebant ad Pelagianos, in Capitibus de viribus arbitrii, ſaltem quoad initium boni, fidei, converſionis: de *συνεργία* Dei & hominis, naturæ & gratiæ, de prædeſtinatione ex prævisis, non quidem meritis; ſed tamen conatibus, voluntate & fidei initio: de *univerſali* gratia, quoad voluntatem ſervandi, mortem Chriſti pro omnibus & ſingulis, & vocationem ſingulorum ad ſalutem: de poſſibili apoſtaſia ſanctorum, & perſeverantia ſpeciali privilegio: de prædeſtinatione infantium ex prævisa in ipſis fide. Antagoniſtas habuit, poſt Auguſtinum, Cœleſtinum Papam, Proſperum Aquitanicum, Fulgentium, Primaſium, Cæſarium Arelatenſem, Germanum Antiſſiodorenſem alioſque. Conſtruunt his nonnulli, v. g. Baronius, Spondanus, Petavius, hæreſin quandam *Prædeſtinatianorum*, qui docuerint, nec piis prodeſſe bona opera, ſi ad mortem fuerint prædeſtinati, nec impiis obeſſe mala, ſi ad vitam fuerint prædeſtinati: verum effictam fuiſſe iſtam hæreſin, odio Auguſtini, præter Reformatos, agnoſcunt Janſſenius, Mauguinus, Cabaſſutius aliique.

Gentilismus ſeculi V.

Judæiſmus ſeculi V.

Hæreſes ſeculi V.

Pelagiana.

Semi-Pelagiana.

1. Ne-

Nestoriana. β. *Nestoriana*, nata auctore Nestorio, ex Presbytero Antiocheno, Constantinopoleos Episcopo, fastuoso, severo, antiquitatis rude, teste Socrate, qui occasione Anastasii cujusdam Presbyteri judaizantis, eoque non ferentis, Mariam dici Θεοτόκον; statuit, illam potius dicendam esse χριστοτόκον. Hæreseos capita non uno modo ab omnibus explicantur, nec perinde ingenue; non enim desunt, qui ipsi tribuant, quod, seu duas in Christo *naturas*; seu istarum *unionem* negaverit; quando in modo potius unionis videtur peccasse, statuendo λόγον homini ex Maria nato fuisse conjunctum, ita ut ei inhabitaret velut templo, à quo Christum hominem Θεοφόρον appellabant, ex quo sequebatur personarum in Christo dualitas. Interim catholicam sententiam calumniabantur, quod naturas in Christo confunderet, & Apollinarismum induceret. Damnata hæresis fuit, primum à Cyrillo, habitâ Synodo Alexandriæ A. C. ccccxxx. tum à Cœlestino Papa, porro à Synodo Ephesina A. ccccxxxi. tandem à Theodosio, qui Nestorium postea in Ægyptum relegavit, ubi misere extinctus fuit, juxta Euagrium lib. 1. Habuit tamen & suos fautores, imprimis Theodoretum Cyri Episcopum, scribentem adversus anathematismos Cyrilli, Johan. Antiochenum, odio potissimum Cyrilli, Theodorum Mopsuestæ in Cilicia jam ante Episcopum. Dispersa paulatim fuit hæresis per Syriam, Chaldæam, Assyriam, Mesopotamiam, ubi ejus & hodie observantur reliquiæ.

Eutychiana. γ. *Eutychiana*, auctore Eutychete Archimandrita Constantinopolitano. Hic, Nestorio se acrius opponens, in contrariam hæresin lapsus est, & pro eo, quod ille, pro numero naturarum in Christo, totidem personas numerabat; hic, ex duarum naturarum unione, per confusionem quandam, velut guttulam in Oceanum conjectam, in unam *naturam* abiisse, prædicabat, contrarium Nestorianum esse calumniabatur. Hæreseos socium habuit Dioscorum, Alexandrinum Episcopum, Concilii Ephesini II. λῃστικῆς præsidem. Nata fuit hæresis A. C. ccccLVIII. Damnata autem ab Eusebio, Dorlæi in Phrygia Episcopo, antea Eutycheti familiari, dein etiam à Synodo Constantinopolitana sub Flaviano, eodem anno, in qua etiam frustra monitus, & ambiguis phrasibus Patres fallere conatus, Archimandritæ dignitate, pariter & Ecclesiæ communione motus est, à qua Flaviani damnatione, ad Imperatorem provocans, secunda Synodo Constantinopolitana, denuo damnatus est. Etiam Leonem Episcopum Rom. fallere, frustra tentans, tandem tertio damnatus est à Concilio Chalcedonensi, sub Martiano Imperatore. Approbationem tamen A. ccccLIX. nactus est in Synodo Ephesinâ II. quam λῃστικὴν jam diximus, damnatis in ea Flaviano, Eusebio Dorlæcensi, Theodoreto, velut Nestorianis. Judicium tandem delatum est ad Leonem Rom. ab orthodoxia notum, ad quem ipse Eutyches rem suam dudum detulerat, nequaquam autem velut supremum controversiarum Judicem. Hæresis altissimas radices jecit, in Ægypto, Palæstina, Armenia, Syria, Æthiopia &c. Accesserunt Eutychianorum seditiones in Proterium, Dioscoro substitutum, per Timotheum Ælurum, & Petrum Moggum, Marciano fatis jam functo, cruentæ item cædes & motus gravissimi. Nec suis sectis fuit destituta, in quibus erant *Acephali*, ita dicti, quod suo capite Pet. Moggo, (ut qui Zenonis henotico subscripsisset, nec Concilium Chalcedonense damnaret) rejecto, sine capite oberrarent, quod tandem nacti sunt in Pet. *Gnapheo* primum, tum in *Severo*, unde dicti *Severiani*, & ex his *Jacobitæ*; *Menophysitæ*, *Fulloniani*, à Gnapheo seu Fullone Episcopo Antiocheno, qui primus dixit, *divinitatem* filii crucifixam esse, imo totam *Trinitatem*, cui Gnapheo, ut & Acacio Constantinopolitano, sese opposuit Felix II. A. cccclxxxiv. Quo spectat etiam secta *Armenianorum*, impulsore *Ethanio*, Armenio, qui Concilium Chalcedonense rejecerunt, τριτάγιον Gnaphei retinuerunt, imagines nullas unquam coluerunt, necdum lege sancitas. Tandem etiam (4) intra ipsam Ecclesiam, Theologiæ puritas arrodi cœpit, cum in *doctrina*, tum in *ritibus*. Quando α. Canoni S. additi sunt *nonnulli* libri Apocryphi, necdum omnes A. ccccxix. in Concilio Carthaginensi. β. Imaginum *usus* publicus invaluit, obnitente Epiphanio & Illiberitanis Patribus, & exeunte seculo etiam *cultus*, necdum tamen *lege*, obnitente huic vehementer Augustino, Theodoreto, Euagrio aliisque. Etiam γ. *Invocatio* Sanctorum, nimiaque veneratio Θεοτόκου, praxi non lege, maxime apud Orientales, quanquam adhucdum absque Canonizatione, festorum numero, processionibus, Missis, Litaniis, votis, oblationibus &c. Porro δ. *Reliquiarum* veneratio, fautore etiam Hieronymo, Ambrosio, Paulino Nolano Episc. maxime apud Orientales: quamvis adhucdum absque tanta copia, absque adoratione. Vid. Dallæus de *Cultu religioso*. Insuper ε. *Superstitio*, quod mortui juventur suffragiis viventium, unde sensim natum purgatorium. Etiam ζ. *absoluta necessitas* Baptismi & S. Cœnæ. Ad hæc η. Doctrina de *viribus liberi arbitrii*, non à Pelagio tantum; sed imprudenter etiam à Chrysostomo, Theodoreto aliisque, asserta & fundata. Nec non Θ. *cœlibatus*, non tantum Monachorum & Monialium; sed etiam Episcoporum, Presbyterorum, urgentibus imprimis Episcopis Rom. nominatim Siricio. Præterea ι. varia *superstitio*, invalescens, circa Monachatum in Oriente pariter & Occidente; circa confessionem privatam, necdum tamen *auricularem*; circa jejunium Sabbathi, quatuor

Corruptio Theologiæ, ipsa etiam Eccl. seculi V.

anni temporum, vigiliarum, rogationum: circa litanias: circa varias ceremonias apud Euchariſtiæ ſacra: circa *veſtes* Sacerdotum, Diaconorum, ordinationes Clericorum, conſecrationes cereorum, crucium erectiones &c. Romanis Pontificibus indies adaugentibus ceremonias otioſas, de quarum incremento jam conqueſtus erat Auguſtinus Epiſt. CXIX. ad Januarium. Quantum tandem ad hujus ætatis ſeculum *tertium*, ſeu ſextum ordine, *oleo & vino* h. e. articulis Theologiæ *Catholicis* ſeu fundamentalibus, adhucdum ſatis; egregie invaluit annonæ ſpiritualis, quoad *triticum* & hordeum, ſeu articulos *Theologicos*, caritas. *Oleum* inquam *& vinum*, ſeu doctrina fundamentalis perſtitit, quoad *Principium* fidei, Scripturæ ſufficientiam, quoad articulos de Trinitate, perſona Chriſti, arbitrii impotentia ad ſpiritualia, gratiæ particularitate & efficacia, juſtificatione per fidem, ſanctificationis imperfectione &c. Necdum hic audita transſubſtantiatio &c. Ut patet ex formulis & Symbolis publicis, Apoſtolico, Nicæno, adhucdum valentibus, ut & Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi: ex decretis & Canonibus Synodorum hujus ſeculi, de quibus ſuo loco: ex conſtitutionibus Juſtinianæis: ex ſcriptis Fulgentii, Aviti Viennenſis, Facundi Hermianenſis, Primaſii, Caſſiodori, & imprimis etiam Gregorii M. qui confeſſionem ſuæ fidei, in ſignum mutui conſenſus, miſit pro more ad Cyriacum & Patriarchas cæteros. Conf. Cent. Magd. *Cent.* VI. cap. IV. Flac. Illyricus in Catal. teſt. Verit. lib. VI. in Gregorio, Pet. Molinæus in *vita Greg.* & Theologi paſſim dum has controverſias tractant, nominatim Spanhemius in ſuâ *Introduct. pleniore* ad Hiſt. Eccleſ. ſecul. VI. Interim & annonæ ſpiritualis caritas ſub hoc ſeculo adaucta eſt, non tantum ab *hæreſibus*, ex præcedentibus ſeculis adhucdum ſuperſtitibus & graſſantibus paſſim; ſed à novis etiam, ex Eutychianiſmo prognatis, nim. I. *Aphthartodocitarum*, alias *φανταστας ῶν*, de quibus Euagrius lib. IV. Liberatus in *Breviario*, Nicephorus lib. XVII. & XVIII. & alii. Nati ſunt Alexandriæ, ſub Timotheo ibidem Epiſcopo, Eutychianis & Acephalis addicto, tempore Juſtiniani Imp. Auctore Severo, de quo jam ad ſeculum præcedens diximus, item Juliano Halicarnaſſæo, à quibus ſectæ *Severianorum* & Julianitarum. Ad agitatam enim quæſtionem: num corpus Chriſti, poſt ſui conceptionem, fuerit corruptibile, an incorruptibile? reſpondebat Julianus *incorruptibile*, proinde corpus Chriſti, famem, ſitim, *fatigationes*, affectus, non niſi *ſpecie* tenus, expertum fuiſſe, à quo *φανταστας αὶ* dicti ſunt. His & Juſtinianus Imp. addictus fuit, ſi fides Euagrio & Zonaræ, aliis tamen Euagrium falſi accuſantibus. Obſtitit Aphthartodocitis fortiter Anaſtaſius Antiochenus, alias *Sinaita*, poſt à Juſtino Imp. in exilium miſſus, hujus exſtant Orationes de hoc argumento. 2. *Agnoëtarum*, ſeu *Themiſtianorum*, à Themiſtio Diacono Alexandrino, à quo, hac in parte diſſenſit Timotheus, Epiſcopus. Statuebant Chriſtum *ſimpliciter* ignoraſſe diem judicii, abuſi locis Marc. XIII. 32. Matth. XXIV. 36. ſcil. ex hypotheſi Eutychiana, unam tantum naturam in Chriſto agnoſcebant, eamque *corruptibilem*, ac proinde ignorantiæ obnoxiam. Hæreſin varii debellarunt, imprimis Eulogius Alexandrinus, coævus Gregorii M. cujus ad Eulogium exſtant Epiſtolæ. Conf. Leont. Byzant. *de ſectis.* Liberat. in *Breviario* &c. Sed magis etiam 2. annonæ ſpiritualis caritas intra Eccleſiam procurata, ſuperſtitionum tanta vi, ut hordeum tantum non ſuffocatum fuerit. Præterquam enim, quod ſuperſtitiones, apud ſecula præcedentia hujus ætatis, notatæ, circa invocationem ſanctorum, reliquias &c. de novo acceſſerunt circa templa, ſanctis dedicata, conſecrationes, luminaria, ſatisfactiones pœnales, exorciſmi obſeſſorum, jejunia adventus, rogationum ante aſcenſionem Chriſti, imprimis nova ratio ſacri *officii*, ſeu Canonis Miſſæ, adornata fuit à Gregorio M. diſpoſita per ſingulos anni dies, feſtos & non feſtos, pſalmodiarum, antiphonarum, cantionum, lectionum, geſtuum, habituum, horarum &c. faſſo ipſomet Gregorio in lib. VII. *Epiſt.* ſe in his *ab Apoſtolorum conſuetudine diſceſſiſſe, Apoſtolos ad ipſam ſolummodo Orationem dominicam, oblationis hoſtiam conſecraſſe.* Qui tamen Canon ubique in Occidente nondum receptus fuit. Nam Mediolanenſis Eccleſia, ad tempora Gregorii VII. uſa eſt Canone Ambroſiano, in plurimis diverſo, ab illo Gregorii I. miris hac de re litibus, fictis etiam miraculis, ut prævaleret tandem Gregorianus. Sic Gothi in Hiſpania, & Gallia Narbonenſi, uſi ſunt officio Gothico, quod dicitur *Muſarabum.* Sic & Gallicanæ uſæ ſunt proprio officio, etiam permittente Gregorio lib. XII. *Epiſt.* XXXI. *indict.* VII. Canonis hujus, varie interpolati & aucti, hæ ſunt partes: *præparatio* varia Sacerdotis ſacrificaturi, *introitus* ſeu orationes variæ, hymni, alterni cantus, ſalutatio, collecta, lectiones, graduale ſeu reſponſorium chori: *offertorium* & alia prævia Canoni: *Canon* ipſe, ſecreto dictus à Sacerdote, in quo orationes variæ, conſecratio, elevatio, commemoratio mortuorum, oratio dominica &c. tandem *communio*, hinc *poſt-communio*, & conſummatio Miſſæ. Habebat Ambroſianus Canon, Gregoriani æmulus, hæc verba Sacerdotis: *fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt* FIGURA *corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ambroſ. de *Sacram.* lib. IV. cap. V. Conf. Card. Bonam *Liturg.* lib. I. cap. X. & miraculum, quo prævaluit Gregorianus Canon, habet Duran-

Theologia ſub ſeculo ſexto.

Hæreſes ſeculi ſexti.

Aphthartodocitæ.

Agnoëtæ.

Durandus *Rationali* lib. v. cap. 11. Ut his aliisque, nova ſenſim Chriſtianiſmo inducta fuerit facies, ſuperſtitionem confirmantibus fictis miraculis, reliquiis, apparitionibus, mortuorum interceſſionibus, proceſſionum pompis, reliquiarum præſentia, crucis attactu, monaſticis inſtitutis &c. Pleriſque à Paganis mutuatis, fatentibus Polydoro Virgilio, Frauchetto, Marollio aliisque.

Status Eccleſiæ ſub III. ætate N. Teſt. 1. Sub ſeculo ejus primo, ſeu quarto ordine.

XXVI. Examinavimus rationem Theologiæ, ſub ætate N. Teſt. tertia; ſuccedit ſtatus Eccleſiæ, per tria ſua ſecula, diſtincte conſiderandus. Quantum igitur ad ſeculum hujus ætatis primum, ſeu *quartum* ordine, occurrit penes illud 1. Eccleſiæ *propagatio*. Habebat equidem jam tum univerſus orbis habitatus, per ſuas plagas, Eccleſias Chriſtianas, adeo ut ſuos legatos mitterent ad Synodum Nicænam, teſte Euſebio lib. III. *de vita Conſtant.* M. & poſt eum Socrate, Sozomeno, & imprimis *Cent. Magd.* Cent. v. cap. 11. Acceſſerunt tamen *Indi interiores*, juxta Ruffinum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, ſeu Æthiopes Indorum coloni, ope duorum adoleſcentum laicorum, qui cum Meropio, Regi oblati eidemque accepti, mox ad honores admiſſi, imo & mortuo Rege, ad regni adminiſtrationem, fundamenta jecerunt Chriſtianiſmi, quibus poſtea ſuperſtruxit *Frumentius*, Epiſcopatum apud eos nactus, à quo *Indorum Apoſtolus* appellatus eſt. Acceſſerunt item *Iberiæ* ultra Armenias populi, ope mulieris cujuſdam Chriſtianæ, apud eos captivæ, aliis mulieribus ſe inſinuantis, & ipſi etiam Reginæ, miraculo quodam ſanatæ, tandem Regi, mox cum ſuis Chriſtiano; niſi & commercia cum vicinis Armenis, jam Chriſtianis, eo conduxerunt. Acceſſerunt porro in Europa *Marcomanni*, hodie Moravi, vel Bohemi: opera Reginæ ab Ambroſio Mediolanenſi, converſæ. Acceſſerunt & *Gothi*, trans Iſtrum ab Hunnis expulſi, & in Thracia habitare, à Conſtantio Imp. permiſſi, mox futuri Ariani ſub Valente Imp. Alias converſiones habes apud Magdeburgenſes, loco citato. Propagationis adminicula præſtiterunt (1) Conſtantini M. converſio (quam ſuo loco diximus) ſuis edictis pro libertate Religionis Chriſtianæ; pro inhibendis perſecutionibus, pro exulibus revocandis; pro reſtituendis, quæ à Gentilibus occupatæ fuerant, Chriſtianorum domibus, cœmeteriis, bonis, ſeu Eccleſiarum; ſeu privatorum; pro templis exſtruendis; pro immunitatibus Clericorum; pro dotandis Eccleſiis &c. Euſeb. *Hiſt.* lib x. & de *vita Conſtant. M.* lib. 11. & paſſim in *Codice Theodoſ. lib.* XVI. ſub *titulis*, de *Epiſcopis*, *Eccleſiis*, *Paganis* &c. Accedebant, Gentiliſmi proſcriptio, templorum gentilium, ſeu clauſura, ſeu everſio; ſeu in uſus Chriſtianorum converſio, inſuper Chriſtianorum in aulam admiſſio, templorum Chriſtianorum ſtructuræ, & id genus alia. Cooperabantur propagationi & ædificationi (2) *Patres*, cum induſtria, tum ſcriptis ſuis, v. g. 1. *Euſebius* Cæſareenſis Pamphilius, (diſtinguendus à Nicomedienſi, Emiſeno, Vercellenſi & Samoſatheno, coætaneis.) De quo iniquius judicant Epiphanius & Hieronymus, & magis etiam Baronius, & Maimburgius in ſua *hiſt. Ariana*, eum Arianum calumniantes, quod ejus ſcripta ſuam cauſam nil juvent, imo lædant etiam: ſed ex adverſo eum defendit Henr. Valeſius *diſſert. de vita & ſcriptis Euſebii*, quin & Eccleſia Gallicana inter Sanctos eum numerat. In Athanaſium interim juſto fuit iniquior. Scripſit lib. XIV. de *præparat. Euang.* lib. x. de *demonſt. Euang.* lib. IX. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* lib. x. *de vita Conſtant. Chronicon* & alia. Euſebius *Emiſſenus*, ob Aſtrologiam, per ſeditionem, ab Eccleſia pulſus Arianiſmi ſuſpicione non caruit. Scripſit *Homilias* aliquot. Euſeb. *Samoſathenus*, conſtantiſſimus in fide, habitu militari, paſſim Eccleſias ordinavit. Euſebius *Vercellenſis*, ob ſocietatem cum Athanaſio, in Synodo Mediolanenſi, à Conſtantio in exilium pulſus; Arianiſmum damnavit. Fuerunt adhuc alii Euſebii: *Chalcidenſis*, *Cremonenſis*, *Nicomedienſis*, qui Arianis Euſebianorum nomen fecit. 2. *Athanaſius* Alexandrinus, malleus & odium Arianorum, mortuus ſub Valente Imp. A. C. CCCLXXIII. Vid. Greg. Nazianzeni *Orationem in laudem* ejus. Ejus proſtant opera. 3. *Baſilius* Magnus, ex Presbytero Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, mortuus ſub Gratiano A. CCCLXXVIII. De cujus geſtis, paſſionibus, virtutibus, nævis, videantur Patrologi. Oratione funebri ipſum laudavit Greg. Nazianzenus. Ejus opera duobus tomis ſuperſunt. 4. *Gregorii* duo in Oriente: *Nazianzenus*, Baſilio amicus, poſt XIII. annorum vitam monaſticam, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfectus eſt, quam tamen poſtea ſponte deſeruit, multis orationibus, commentariis aliisque opuſculis clarus fuit. Gregorius item *Emiſſenus*, libris etiam adverſus Arianos, orthodoxam fidem tutatus eſt. Vir interim nimium credulus & ſuperſtitioſus, ſectator Origenis. 5. *Cyrillus* Hieroſolymitanus, in juventute *Catecheſes* ſcripſit. Sede motus ſub Conſtantio, poſt appellationem reſtitutus fuit. Mortuus ſub Theodoſio M. membrum Synodi Conſtantinopolitanæ. 9. *Epiphanius*, Salaminæ vel Conſtantiæ Epiſcopus, eruditus, ſed credulus, proinde in hiſtoricis perſæpe lapſus. Scripſit *Panarium* de LXXX. hæreſibus, *Ancoratum* de præcipuis fidei articulis & alia, nec tamen fabuloſiſſimum librum *de vita & morte Prophetarum*. Infenſiſſimus Origenis adverſarius, hinc etiam Chryſoſtomi. Fertur faviſſe Anthropomorphitis. Obiit ſub Arcadio A. CCCCIII. 7. *Ephrem* Syrus, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, tantæ auctoritatis, ut poſt lectionem Scripturæ, publice ejus ſcripta

Propagatio Eccleſiæ ſub hoc ſeculo.

Conducebant 1. Conſtantini M. geſta pro Eccleſiâ.

2. Patres ſeculi quarti.

ſcripta recitarentur. 8. *Ambroſius* Mediolanenſis Epiſcopus, Theodoſium M. ob crudelitatem in Theſſalonicenſes exercitam, ſacris movit, & poſt pœnitentiam recepit. Ejus opera v. tomis proſtant. Habuit tamen ſuos errores, de Purgatorio, de Angelis corporeis, de ſtatu noviſſimo animarum &c. Infelix etiam quandoque Scripturarum interpres Hieronym. 9 Joh. *Chryſoſtomus*, Patrum facundiſſimus, Archi-Epiſcopus Conſtantinop. A. cccxvii. fautor Origenis, odium Eudoxiæ Imp. & Theophili, pulſus in exilium, Comanis mortuus eſt A. ccccxii. Ejus ſcripta obvia ſunt. His adde 10. quorum ſcripta ſuperſunt, non ita multa, *Amphilochium* Lycaonii Epiſc. *Didymum* Alexand. cœcum à pueritia, *Aſterium*, Amaſeæ Epiſc. diverſum ab Aſterio Ariano. *Euſtathium*, qui acta Synodi Nicænæ edidit; ſed perdita, Epiſc. Antiochenum, ab Arianis ſub Conſtantio pulſum, in Thracia ſepultum; *Melethium* ab Arianis, Euſtathio ſuffectum: ſed magnâ parrheſia, in Synodo Antioch. Ariana, pro *Homouſio* exclamantem, eum ſub Conſtantia, in exilium pepulerunt Ariani; ſed reſtitutus à Gratiano, in Synodo Conſtantinop. obiit: *Paulinum*, Epiſcopum Antiochenum, fortem quidem pro orthodoxia, adverſus Arianos athletam; ſed qui turbis & jurgiis in ea, anſam præbuit non levem: *Hoſium*, Cordubenſem in Hiſpaniâ Epiſcopum, qui in Synodo Nicænâ, pro Athanaſio adverſus Arianos, fortiter quidem ſtetit; ſed centenario major exilio fractus, Arianiſmo ſubſcripſit, quanquam moriturus publice omnes monuit adverſus Arianiſmum, teſte Athanaſio in *Epiſt.* Fuerunt & alii viri clari, v. g. in Eccl. *Alexandrina*, *Apis*, *Macarius*, *Serapion*, *Timotheus*, in Africa *Cacilianus*, Epiſc. Carthagin. Donatiſtarum Antagoniſta: *Optatus*, Milevitanus Epiſc. contra Parmenianum Donatiſtam celebris: *Paphnutius*, in Synodo Nicænâ Clericorum cœlibatui fortiter obſiſtens; de quibus compendii cauſa, plura non dicemus. 11. *Lactantius* Firmianus, Italus, Rhetor & Philoſophus, Arnobii diſcipulus, Chriſtianorum Cicero. Scripſit *Divin. Inſtitut.* libros vii. de *ira Dei*, de *opificio Dei*, de *perſecutoribus.* Tribuuntur tamen ipſi varii errores, v. g. de *perſona & officio Chriſti*, de Spiritu S. quod *ſubſtantia* non ſit, quod homo fragilis à Deo ſit creatus, quod animæ humanæ, ſimul creatæ, in corpora ſua demittantur &c. 12. *Hilarius*, Pictavienſis Epiſc. *tuba Latini ſermonis*, ut Hieronymus ait. Scripſit libb. xii. de *Trinitate* contra Arianos, *Apologiam* triplicem pro ſe, in exilium miſſo. Erravit tamen, Chriſtum, quia Deus eſſet, veros dolores non fuiſſe expertum. 13. *Philaſtrius* Brixienſis Epiſ. mortuus ſub Theodoſio M. librum edidit de *Hæreſibus*; ſed non ſatis judicioſe, judicio Auguſtini. 14. *Hieronymus*, Stridonienſis. Floruit ſub Theodoſio M. Damaſo olim ab Epiſtolis. Presbyter non *Cardinalis.* Trium linguarum peritiâ clarus. Monaſticæ vitæ ſtudioſiſſimus, cumprimis in ſeceſſu ſuo Bethlehemitico, h. e. monaſterio, quod ſibi *Paula Romana*, fœmina pia, in confiniis Bethlehemi ſtruxerat. Odio verſus Origenem, & affectibus, cœlibatui, monachatui, reliquiis &c. pluſculum mancipatus. Obiit A. ccccxx. Sub Theodoſio Juniore. Opera ejus ix. tomis leguntur, quorum quædam parænetica ſunt & paradigmatica; quædam elenchtica & apologetica; reliqua in Scripturam commentarii. Ejus nævos notat Dallæus de *uſu Patrum* cap. iv. Tandem 15. Aurelius *Auguſtinus*, Tagaſtenſis, ex Manichæo Catholicus, ex Presbytero, Hipponis in Numidia Epiſcopus. Linguarum peritia, profanis literis, & Romana eloquentia, Hieronymo inferior: aſt ſacra eruditione, & docendi vi, & in ſolvendis adverſariorum nodis, & in diſputandi promptitudine, & in hæreſibus profligandis (Manichæa, Ariana, Donatiſtica, Pelagiana) & in aſſerenda divina gratia, nemini ſecundus. Libros ejus in x. tomos digeſſit Eraſmus. Habuit & ipſe ſuos in doctrina nævos; de damnatione infantum, abſque Baptiſmo decedentium: de ſtatu animarum ante reſurrectionem: de purgatorio &c. Tandem Hippone, à Vandalis & Gothis obſeſſa, cum precaretur, ut aut obſeſſio, aut ipſe diſſolveretur, obiit A. ccccxxx. Alios ſcriptores Latinos, v. g. *Damaſum* Papam, *Sulpicium* Severum, Aquitanicum, *Iuvencum* Presbyterum, Aurelium *Prudentium*, *Victorinum* Afrum alioſque, brevitatis ſtudio, notaſſe ſufficiet. Juvabant interea Eccleſiæ propagationem ædificationemque 3. Chriſtianorum *ſacra*, ſub hoc ſeculo *quarto*, eadem fere quoad rem cum ſacris ætatis præcedentis, nim. α. *Pſalmodia*, cui acceſſerunt *Pſalmi* Davidici, publice introducti in Eccleſiam quidem Occidentalem, tempore Damaſi; in Orientalem per Flavianum & Dioſcorum Antiochenos, teſtibus Sulpicio Severo, Theodoreto & aliis. β. *Scripturæ* Canonicæ lectio, unde ἀναγνῶσται, à quibus primus gradus erat ad Diaconatum & Presbyteratum. γ. *Homiliæ*, habitæ ex Cathedra, à ſedentibus Epiſcopis & Presbyteris, durantes per horam, ad prælectum textum, vel Pſalmum decantatum. Quæ Monachis & Diaconis necdum concedebantur, quin nec ſeculo ſequente, juxta Chalcedonenſis Synodi Canonem iv. δ. *Preces* publicæ, hinc *miſſio* Catechumenorum, humiliatio & oratio pœnitentium, Sacra Synaxis, oſculum pacis, collectæ, gratiarum actiones, benedictio populi, & dimiſſio. Convocabatur Eccleſia ligni pulſatione, vel præconum voce, campanis necdum obtinentibus. Accedebant his omnibus ritus varii, paulatim in ſuperſtitionem degeneraturi: *Baſilicæ* ſtruebantur Hieroſolymis, Conſtantinopoli templum

3. Sacra Chriſtianorum ſub ſeculo quarto.

plum SS. Apoſtolorum, Bethlehemi, Nicomediæ, Antiochiæ & paſſim, procurante Helena & Conſtantino. Dedicabantur illæ hymnis, addito deinceps *ſtauropegio*. Ignotis adhucdum luſtrationibus, Miſſis, proceſſionibus, litaniis &c. & quidem ſoli Deo aut Chriſto dedicabantur, non B. Virgini aut ſanctis. Quamvis in Apoſtolorum *memoriam*, non cultum, Conſtantinus ſuum ita appellarit templum. Illa imitabantur ad formam Paganorum partim; partim Judæorum, pars *anterior* πρόναος; *media* νάος; *intima* βῆμα, ἱερατεῖον, Latinis *Chorus*, *ambitus* templorum ἔμβολος, humandis fidelibus uſurpatus, absque imaginibus ac ſtatuis, quamquam ſub Conſtantino introductæ fuerint reliquiæ Andreæ, Lucæ, Timothei, ſi fides Idacii *Chronico*, & hiſtoriæ Conſtantinop. Scriptoribus ſeculi ſequentis. *Temporibus* Sacris, ſub præcedente ætate deſignatis, *Sabbathum*, hic ubique fere receptum; feſta item *Theophaniæ* ſeu Epiphaniæ Chriſti in terris apparentis, die VI. Jan. in Oriente, aſt XXV. Decemb. in Occidente, qui mos circa ætatem Chryſoſtomi, apud Orientales etiam invaluit, item Vigiliarum, cum primis *Paſchatis* & *Pentecoſtes*, quibus, circa veſperam, confluebant in Eccleſias, accenſis cereis, ad preces, hym. os, Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacra. *Precibus* etiam, certa de die tempora addicunt Patres Laodiceni Can. XVIII. Sanctorum Sanctarumque feſta adhucdum nulla fuerunt, licet *Martyrum* dies commemoratione celebrarent. Euſeb. de vita Conſtant. M. lib. IV. cap. XXIII. *Jejuniis* acceſſit *quadrageſima* τεσσαρακοστὴ, nec tamen totidem dierum, obſervante Socrate: ſed tamen jam ad plures ſeptimanas. *Laodic. Can.* XLIX. & ſeq. idque varia praxi, Romanis non niſi per hebdomadas tres. *Socrat.* lib. V. cap. XXII. excipiebantur dies *Dominicus* & *Sabbathi*, ſolvebatur jejunium tempore veſpertino, cibo, ſæpe aqua & pane, in quadrageſima. Quoad *Baptiſmum* ritibus prioribus additi ſunt *cerei* accenſi, dati Neophytis, unde Baptiſmus φώτισμα, φωτήριος φωτίσματος &c. dictus fuit, item ſal, ori baptizatorum injiciendus, nec non *lactis*, *mellis* & *vini* guſtatio; porro *unctio* gemina, altera *præcedens*, *ſubſequens* altera, participatio *Euchariſtiæ*: quibus confirmari dicebatur baptizatus, quæ in *Sacramentum* confirmationis, apud Latinos degeneravit; tandem *veſtis candida*, geſtanda per octiduum à baptizato, *oſculum* Neophyto datum, *ablutio* pedum, poſtea ſublata. Quæ myſteria Scriptura ignorat. Erecta etiam ad Baptiſmum ſunt *baptiſteria* lapidea, non in templis; ſed in aquis prope Baſilicas. Nec tamen adhucdum *mulieribus*, laicis non cogente neceſſitate, nec bigamis, nec hæreticis, infidelibus, pueris; quocunque caſu, fas fuit baptizare. Quoad *Euchariſtiam* acceſſerunt ritus varii, reſpectu *loci*, *adminiſtrorum*, *veſtium*, *cantionum*, *orationum*, *lectionum* &c. Interim nullus adhucdum *Canon Miſſaticus*, nullæ Miſſæ privatæ, nullæ lingua ignota, nullæ hoſtiolæ, Sacramenti oſtentatio, circumgeſtatio, adoratio, nulla communio ſub *unâ* ſpecie, occultatio Euchariſtiæ à Catechumenis, elevatio ejusdem &c. Interim varia obtinebat hic communio: *laica*; extra cancellos, Clericis delinquentibus, pro pœna quadam degradationis, data; *peregrina*, inter peregrinos diebus non ordinariis; communio *præſanctificatorum*, abſque conſecratione, quippe dudum facta &c. Quibus perperam Pontificii, Baronius, Bellarminus, aliique, intelligunt domeſticas ac clinicorum, & laicorum ſub una tantum ſpecie. Attamen *Miſſæ* vox hoc ſeculo primum occurrit apud Ambroſium *Epiſt.* XXXIII. (Pſeudo-*decretales* Epiſt. non moramur) dicta procul dubio, à *dimittendis* Catechumenis ante Euchariſtiam, & fidelibus poſt finita ſacra. Minus 4. ad propagationem ædificationemque Eccleſiæ conferebat, nova hujus ſeculi *forma* regiminis Eccleſiaſtici. Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, ſuperioris ætatis, acceſſerunt hoc ſeculo, *ordines* miniſtrantes ὑπηρέται, contradiſtincti ἱερατικοῖς *Sacerdotalibus* ſacrificantibus, *Hypodiaconi*, qui aſtabant portis templorum, obſervaturi ingreſſuros, Canon. IV. *Concil. Carthag. Exorciſtæ*, ter inſufflantes in faciem & aures Neophytorum & Catechumenorum, quos adjurabant, ex Can. VII. *Concil. Conſtantinop.* ſub Theod. M. in Occidente, quum ceſſaret donum ejiciendi dæmones, manſit tamen *nomen*, adeo vile, ut in contumeliam diceretur; *Lectores*, quorum diſtinctus hic ordo evaſit, poſtmodum primus gradus ad Diaconatum, Presbyteratum & Epiſcopatum, ex Canon. X. *Sardicenſi*. *Cantores*, ψαλται κανονικοὶ, jam à Lectoribus diſtincti, ex umbone, poſt alternas cantabant, promiſcue ex fidelibus vel Catechumenis delecti *Socrat.* lib. V. cap. XXII. *Diaconi*, alias *Levitæ*, hic in partem regiminis Eccleſiaſtici venerunt, horum officium fuit inter alia, oblata populi in menſa diſponere, Symbola conſecrata porrigere, deferre, acclamare quando & quibus exeundum, quando flectenda genua, vel canendum, vel audienda lectio, dato ſigno *Orarii*, indicare: *Diaconiſſæ* hoc ſeculo adhuc ſervatæ, allectæ in Clerum impoſitione manuum, *Epiphan. Hæreſ.* LXXIX. eligebantur viduæ aut virgines ætate provectiores; *Presbyteri* promovebantur ex Diaconis; ſed non ante annum ætatis XXV. ex Canon. XI. *Concil. Neocæſariens.* Hieronymus in *Comment. ad Titum*, & in *Epiſt. ad Euagrium* multis contendit, Presbyterum *jure divino* eundem eſſe cum Epiſcopo, *conſuetudine* minorem. Hinc Epiſcopi *thronum* habebant; ſed Presbyteri σύνθρονοι erant: Epiſcopi hoc ſeculo, procul dubio jura habebant præſidendi, conſecrandi, ordinandi, reconciliandi pœnitentes, concedendi

1. Regimen Eccleſiaſticum ſeculi quarti.

dendi indulgentias à rigore disciplinæ; nisi quod absente, vel mandante Episcopo, & Presbyter possit ordinare: *Archidiaconus*, primus Diaconus, hic supra Presbyteros se efferre cœpit, de eo conquerente Hieronymo *Epist. ad Euagrium: Chorepiscopi*, hic primum auditi sunt in Oriente, serius in Occidente, qui vices Episcopi ἐν ταῖς χώραις, in minoribus oppidis, & villis, agebant, ad sublevandos majorum urbium Episcopos, subjecti tamen Episcopo civitatis majoris: *Metropolitani* ex Canonibus Nicænis notissimi, ἐν τῇ μητροπόλει, *in urbe matrice*, prima provinciæ, plerumque majore, Episcopi. Hinc *primæ sedis* Episcopi, *Primates*, quibus jura πρωτοθρίας χειροτονῶν, appellationum & depositionum competebant: *Archiepiscopi*, in pluribus quandoque ejusdem provinciæ Metropolitanis *primi*, & hi summam dignitatem obtinebant, tempore Synodi Nicænæ, cujus Canone VI. & VII. Archiepiscopi hoc ordine numerantur: Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Cæsareensis Palæstinæ &c. qui ἀξίωμα & ἐξουσίαν habebant in omnem provinciam, seu in regiones & Ecclesias *suburbicarias*, quæ scil. erant sub Præfecto urbis principis. A divisione Imperii, in Orientis illud & Occidentis, post conditam Constantinopolin, ceu *novam Romam*, & à constitutis in utroque dignitatibus civilibus, facta distributione, ac sæpe multiplicatione provinciarum, creatione Exarchatuum, Diœcesium seu vicariatuum, Præfecturarum in Imperio utroque: formam politici regiminis imitata est forma Ecclesiastica, & hinc natæ sensim *Archiepiscoporum, Exarchorum, Primatum, Patriarchurum* appellationes, ac tandem dignitates: nata ἀρχοντικία, & officia Ecclesiastica, in majoribus Ecclesiis. Hinc *Exarchi*, ceu Primates Diœcesium, elevati sunt supra Metropolitanos seu Eparchos. Unde planum est illam ἐξοχὴν, unius supra alium, non ab institutione Petri, ut nugantur Pontificii, Baronius, Leo Allatius aliique; sed ab urbium prærogativis oriundam esse, invalescente paulatim Episcoporum Romanorum vi, ex urbis primatu, accedente communi opinione de Roma *Petri sede*, fastu & ambitione. Quod egregie demonstrat & vindicat Celeb. Spanhemius in sua *Introd. plen. ad hist. Ecclesiast.* Plus ad propagationem ædificationemque conferebat 5. concursus & confociatio Ecclesiasticorum in Synodis, ad pellendas hæreses, conservandam concordiam & unitatem fidei, constituendam εὐταξίαν Ecclesiasticam. Fuerunt hic duæ *universales*; *particulares* plurimæ in utroque imperio, per omnes ejus provincias, quarum acta & historiam exhibet Tomus II. *Concil.* & I. quoque ad calcem *edit.* novissimæ. In universalibus *prima* fuit *Nicæna* A. C. CCCXXV. ex communi sententia. Nicæa erat Metropolis Bithyniæ, in medio posita, vicina Nicomediæ & Bizantio. Convocata & procurata, fuit, non ex auctoritate Sylvestri Episcopi Romani, ut vellent Pontificii; sed à Constantino M. Imp. Causæ erant, crescens hæresis *Ariana*, inveterata controversia de die Paschali, tumultus Meletii in Ægypto. Præsentes, post Athanasium erant Episcopi CCCXVIII. secundum Euseb. in *vita* Constant. M. CCL, ex toto orbe Romano. Præside *politico*, Constantino M. Imp. *Ecclesiastico* Hosio, viro, auctoritate, doctrina, ætate, & favore apud Imp. maximo, & ex susceptæ jam ante legatione, diffidii inter Alexandrum & Arium, peritissimo. Inter ejus acta præcipue fuerunt α. damnatio Arianæ hæreseos, & constitutio Filii velut Patri ὁμοούσιον, *geniti non facti*, adeoque *veri Dei*. Subscripserunt plerique Ariani. β. Controversiæ de die Paschatis determinatio, ut jam Orientales cum Romanis consentirent. γ. Compositio schismatis Novatiani. δ. Censura in Meletium, Lycopolis in Thebaide Ægypti Episcopum, qui invaserat in jura Alexandrini, & complures suæ factionis Episcopos, quæ tamen factio, post Synodum, in hæresin abiit, coalescentibus Meletianis cum Arianis. ε. Determinata jura *Metropolitanorum*, in suas cujusque Ecclesias *suburbicarias*, numeratis inter sedes Metropolitanas, *Alexandrina*, Antiochena, Cæsarienſi Palæstinæ, adscripto tantum honore, sedi Hierosolymitanæ. ζ. Disceptatum etiam de cœlibatu Clericorum; sed nihil determinatum, obnitente Paphnutio, Thebaidis in Ægypto superiore, Episcopo. Conditi Canones, juxta Codicem Ecclesiæ universæ, numero XX. juxta Ruffinum XXII. circa ordinem & disciplinam Ecclesiæ, circa *Eunuchos*, *Neophytos*, *Episcopos*, *Clericos*, *Diaconos*, *Catechumenos*, *lapsos* in persecutione &c. Duravit, juxta quosdam, per *sexennium*, juxta alios, per triennium, aliis vix ultra *bimestre* spatium, à Cal. Jul. ad VIII. Cal. Septemb. Confirmata fuit à Constantino, & sequentibus Synodis, universalibus & particularibus, gratis præsupponentibus Pontificiis, Baronio aliisque, confirmationem petitam fuisse à Sylvestro, ut summo capite. Exitum habuit primo *latum*, pulso in exilium Ario cum assecliis, subscribere detrectantibus; postea *luctuosum*, ex dolosa quorundam subscriptione, artibus Eusebii Nicomediensis & Theogonii, simulati Arii palinodia, Constantini credulitate, Athanasii exilio, Constantiæ sororis Augusti seductione, dein & Constantini Imp. per novas & fallaces formulas, & secutas tot in Ecclesia turbas. Succesſit *secunda* universalis, Constantinopolitana I. A. C. CCCLXXXI. Theodosii M. III. Damaso Rom. & Greg. Nazianzeno Constantinop. saltem designato, Episcopis. Convocante Theodosio M. duplici causa, nim. hæresi Macedonii, negante deitatem Spiritus S. tum Greg. Nazianzeni, expetiti ad Episc. Constantinop. Substituentibus autem ei Ægyptiis, duce Timotheo Alexan-

5. Synodi seculi quarti.

Nicæna.

Synodus Constantinopolitana I.

lexandrino, Maximum quendam Cynicum. Aderant Episcopi CL. nec tamen Romanus, nec ejus legati, quamobrem à Pontificiis, pro universali Synodo, non recipitur, quamvis ab ipso Damaso aliisque ita appelletur. Adfuerunt etiam Macedonianæ hæreseos Episcopi XXXVI. à Theodosio evocati. Præsides, seu instar Præsidum subscripserunt, Nectarius Constantinop. tum Timotheus Alexand. Cyrillus Hierosolym. Meletius Antioch. Nectarius autem, post turbas ab Ægyptiis in gratiam Maximi motas, & voluntariam Greg. Nazianzeni abdicationem, communibus suffragiis Synodo, in Episcopatum successit, refragante Damaso cum suis, quamobrem in Nectarium minus æqui sunt Baronius & gregales. Canone ejus I. post rejectionem Maximi, abdicationem Greg. Nazianzeni, & substitutionem Nectarii, confirmata fuit Synodus Nicæna, damnatæ hæreses Anomæorum, Arianorum. Semi-Arianorum, & in specie Pneumatomachorum, quos Semi-Arianis Patres accensent, ut qui tum coaluissent, Canone II. assignati sunt limites singulis Diœcesibus, Alexandrinæ &c. Secundus à Romano honoris locus fuit Constantinopolitano, velut *novæ Romæ* Episcopo, *paribus* cum vetere privilegiis. Tandem in Canonibus reliquis, numero VII. adornatum est *symbolum fidei*, additis ad symbolum Nicænum vocibus aliquot, adversus hæresin Macedonii, à quo symbolum hoc, quandoque Nicænum, quandoque Constantinopolitanum appellatur. His duabus Synodis universalibus subjunguntur multæ particulares, cum orthodoxæ, tum spuriæ, Arianæ & Donatisticæ. In illis, seu ante, seu post Nicænam, fuit *Illiberitana*, Illiberi in Hispania Bætica, habita, paulo ante Constantinum Imperio admotum. Hujus superstant Canones LXXXI. ex quibus Ecclesiastica hujus seculi disciplina egregie illustratur. Memorabiles inter eos cumprimis sunt, Canon XXXIV. pro cereis non accendendis: XXXV. contra vigilias fœminarum: XXXVI. de picturis in Ecclesiis non habendis, unde reprobantur à Baronio ad A. C. LVII. Num. CXIX. & seq. Accedit *Arelatensis* I. indicta à Constantino M. A. CCCXIV. in causa Cæciliani & Donatistarum. Habet Canones XXII. circa Ecclesiæ disciplinam, & damnationem Donatistarum occupatos. Nullæ in hac Episcopi Romani partes: item *Ancyrana* Galatiæ Synodus A. C. CCCXV. *Neocæsarienſis* Ponti Ptolomaici: *Gangrensis* Paphlagoniæ: *Antiochena* Syriæ, Baronio perperam reprobata, quod non exspectaverit sententiam Julii, tum Episcopi Romani: *Laodicena* Phrygiæ Pacatianæ, circa A. C. CCCLX. *Sardicensis* A. C. CCCXVIII. auctoritate Constantii & Constantis indicta, Athanasio favens, non tamen Oecumenica, præsentibus tamen Occidentalibus: *Sirmienses* quædam contra Photinum: *Ariminense* orthodoxum, confirmans τὸ ὁμοούσιον, sub Constantio Imp. Alia *Italica*, *Gallica*, *Hispanica*, &c. Horum acta repeti possunt ex Magd. *Cent.* IV. item ex Tomis *Concil.* II. Fuit etiam *Ariminensis* Ariana: *Sirmienses* plures habitæ contra Photinum, in quibus una orthodoxa A. CCCXLIX. & deinceps. Spuriæ Donatisticæ & Arianæ commemorantur ab Augustino, contra Cresconium Donatistam lib. III. & IV. Tom. VII. habitæ *Carthagine*, *Cabarsussi*, *Cavernis Sisis*, *Bagaiis* &c. Arianæ, in quibus saltem prævaluit factio Ariana, quales *Tyria*, indicta auctoritate Constantini M. in causa Athanasii, per Meletianos, variis accusationibus gravati, & damnati, etiam absentis: *Hierosolymitana*, in qua *Arius* diversus ab hæresiarcha, Arianus tamen supplex, fuit restitutus: *Antiochena* itidem Arianæ, plures memorantur, dubium tamen an quæ habita fuit A. CCCXLI. fuerit Ariana. Ejus saltem Canones XXV. in *Codice Eccles. universa* prostant, & approbati sunt à Chalcedonensibus. Conf. Hilar. *de Synodis.* Alia habita A. CCCXLIV. in speciem orthodoxa quidem, expuncta tamen voce ὁμοουσίου. Socrat. lib. II. cap. XIX. Secutæ *Sirmienses* quatuor, quarum *prima* orthodoxa cont. Photinum A. CCCXLIX. ut diximus, reliquæ Arianæ, quanquam & Antiphotinianæ; altera A. CCCLI. in qua Photinus depositus fuit, cæterum fides Nicæna confirmata, excepto ὁμοουσίῳ; hinc postea subscripsit Liberius Papa; tertia condidit formulam secundam, expunctis ὁμοουσίῳ & ὁμοιουσίῳ, & Patri asserto majore honore, deitate; huic subscripsit decrepitus jam Hosius; quarta Liberius restitutus fuit, postquam subscripsisset formulæ Semi-Arianæ. Tandem *Pseudo-Nicæna* Thraciæ, & *Pseudo-Arminienses*, orthodoxæ opposita, ubi recepta fuit formula Ariana Synodi Sirmiensis, in qua filius ὅμοιος dicitur, expuncto tamen τῷ κατὰ πάντα *per omnia*, quod addiderant Sirmienses. Mittimus *Mediolanensem*, in qua Athanasii depositio confirmata fuit, & obnitentes orthodoxi in exilium pulsi sunt A. CCCLV. *Ancyranam* Semi-Arianam A. CCCLVIII. oppositam factioni Acacii, Valentis, Ursacii, quæ prævaluerat in Synodo Sirmiensi, cui Hosius subscripserat: *Seleucienſem* in Isauriâ, divisam in *Semi-Arianos*, qui filium ὁμοιούσιον prædicabant; & *Acacianos*, qui ne *similitudinem* quidem essentiæ ferebant Socrat. lib. II. cap. XXXIX. Suum etiam ad propagationem & ædificationem Ecclesiæ, confecerant 6. *Scholæ*, velut Ecclesiæ seminaria, passim erectæ auspiciis Imperatorum. Sic *Constantinopolitana* in Thracia, *Athenienſis* in Græcia, *Romana* in Italia, *Alexandrina* in Ægypto, *Massilienſis* in Gallia, devastatæ à *Juliano* Apostata, postmodum restauratæ à Theodosio Juniore, condita etiam *Bononienſis*, per Petronium Episcopum, Constantinopolitana, constitutis tribus Oratoribus, & decem Grammaticis,

Synodus Illiberitana.

Synodus Arelatensis I.

Aliæ aliquot Synodi.

6. Scholæ hujus seculi quarti

in utraque lingua, aucta. Athalaricus insuper, teste Sabellico Enn. VIII. lib. 2. Præceptoribus stipendia constituit. Cantaber Hisp. Rex A. C. CCCLXX. *Cantabrigiensem* in Anglia erexit, excitis ex Athenienſi schola Professoribus. Floruerunt insuper hæ scholæ, *Antiochena* Euseb. lib. VII. cap. XXIX. *Laodicena*, Epiphanio clara, *Nicomediensis*, in qua Lactantius docuit, *Cæsarienſis*, quam frequentarunt Basilius M. & Nazianzenus, *Berythensis* in Phœnicia; *Bannochorensis* in Britannia, ex qua prodiit Pelagius, *Mediolanensis*, in qua Augustinus eloquentiam docuit; *Augustodunensis*, à Constantio reparata, *Trevirensis*, antiquissima totius Germaniæ, nobilitata ab Athanasio exule, Hieronymo & aliis. Præterea Basilius M. & Augustinus, relictis urbibus in monasteria secesserunt, & ex eis, Ecclesiis rogantibus, Episcopos dederunt. Possidon. in *vit. Augustin.* cap. V. Et dissipatis postea per Italiam scholis, per Gothos, libris optimis laceratis, Benedictus Monachus vagantes in Cœnobia collegit, in bonis literis eruditi, & certas vivendi regulas præscripsit, sub inspectione Abbatum seu Archimandritarum. Hospin. *de templ.* lib. III. cap. V. & *de Monach.* lib. IV. cap. XXII. Monasteriis his scholasticis accedebant scholæ apud Cathedrales Ecclesias, sub certo domus & disciplinæ Præfecto, ut & collegia Canonicorum, quæ nihil aliud erant, quam Scholæ Ecclesiasticæ. Sic Episcopi Laodicenses sua habuerunt σεμνεῖα, loca venerabilia & scholas ad studia, liberalissime foverunt. Zuing. *Theat.* volum. XXVI. Huc spectat collegium Bannochorense, in Anglia celeberrimum A. CCCL. Sic monachi antea inutilia mundi pondera, hac ætate degenerarunt; sed in melius; suo tempore degeneraturi denuo; sed rursus in pejus. Cæterum *monachis*, à solitudine dictis, qui aliis nominibus, jam ἀσκηταὶ, jam θεραπευταὶ, postea *Cœnobitæ* appellabantur, originem præstitit *Antonius* quidam Ægyptius, homo illiteratus. Huc succeſſit *Hilarion* Palæstinus, qui ab eremo solitarios in monasteria traxit. Tum *Pachomius*, ex Thebaide Ægypti, cui regula tribuitur ab Angelis accepta. Porro Antonii & Pachomii discipuli *Macarius* uterque, *Senior* qui obiit A. CCCXC. & *Junior*, de quibus in Martyrologiis ad diem XII. & XV. Janu. Hinc ex Ægypto & Palæstina, monachatus per Orientem disperſus fuit, & tandem etiam per Occidentem, ejus admiratoribus, Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Hieronymo, Epiphanio, Ruffino, Siricio Rom. Paulino, Sulpicio Severo aliisque. Agebant hac ætate vitam solitariam, victu parco, veste sordida, tonsura capillorum, precibus & jejuniis assiduis, disciplina austeriore, communi vivendi regula, vitâ cœlibes, studiis mancipati, sub regula ferme Basilii. His nominibus sui admirationem passim obtinuerunt. Nec tamen hactenus, sub moderMonachatus origo & institutio.

nis votis vixerunt, sub rasurâ, mendicitate aliisque superstitionibus. Nec eorum tot familiæ: *Hieronymianorum*, *Augustinianorum*, cum *Eremitarum*, tum *regularium*, ullis probatis documentis demonstrari possunt, quicquid in contrarium moliatur Baronius cum suis. Conf. Hospinian. *de Monachis.* Nec interea defuerunt etiam, quæ propagationem ædificationemque remorarentur, inter quæ sunt 7. *intra* Ecclesiam *schismata*. Nihil dicam de variis contentionibus inter ipsos orthodoxos, v.g. inter Hieronymum & Vigilantium, in causa reliquiarum & cœlibatus Ecclesiasticorum: inter Hieronymum & Augustinum, super dissensu inter Paulum & Petrum Gal. II. fueritne verus, an fimulatus tantum? Nihil etiam de factione Meletii Alexandrini, à Petro Alexand. depositi, ubi, qui à Petro stabant, se Ecclesiam *Catholicam* appellabant; qui à Meletio, se Ecclesiam Martyrum nuncupabant. Epiphan. *Hæres.* LXVIII. Memorandum hic omnino schisma *Donatisticum*, auctore *Donato à Casis Nigris*, in Numidia Africæ Provincia Episcopo, qui (æmulatione in Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, à cujus communione, instigante *Lucilla*, cum Donato Masculitano, Marino, Victore, Purpurio &c. in Africa Episcopis, se subtraxerat, intruso Majorino Episcopo) statuebat, Ecclesiam constare ex solis perfectis: nullibi dari præterquam in Africa apud suos, rebaptizandos qui ad se transirent. Degeneravit postea in hæresin, colludens etiam, juxta Augustinum, cum Arianis. Schisma ex professo descripsit Optatus Milevitanus libris VII. de *Schismate Donatistarum.* Augustinus *Hæres.* LXIX. Extra Ecclesiam 8. obstiterunt propagationi ædificationique *persecutiones.* In his *prima* fuit *Licinii.* A. XIV. secundum Baronium, rectius A. XX. secundum Eusebium in *Chronico*, hinc Cedrenum aliosque, paulo ante Synodum Nicænam, quippe cujus mentio apud eam fit Can. XI. Excitata fuit odio & ira Licinii in Constantinum M. victi ab eo apud Cibalas Pannoniæ, & paulo post A. C. CCCXIV. Thessalonicæ sublati. Sæviit primo diris constitutionibus in Episcopos, Synodos & populum Christianum apud Orientem, hinc atrociſſimis suppliciis. De hac Eusebius lib. X. cap. VIII. & de *vita Constant.* lib. I. cap. XLIX. & seq. postea rursus pax Ecclesiis obtigit, abrogatis Licinii constitutionibus. Succeſſit *secunda* Constantii, nata studio Arianorum & odio Athanasii, intelligenda ex Athanasio Epist. ad solitarios, & Hilario ad Constantium aliisque, quam tamen excusat Nazianzenus, *Orat.* III. & IV. *cont. Julian.* Quanquam ipse Constantius, pro persecutore, imo nec pro Ariano, haberi vellet, delusus ambiguis & speciosis Arianorum formulis, teste ipso Athanasio *Epist. ad Solitarios.* Sæviit passim depositionibus & exiliis, in Episcopos & Presbyteros, quotquot formulæ Pseudo-

7. Schismata seculi IV.

8. Persecutiones seculi IV. A. Licinii.

8. Constantii & Arianorum.

Arimi-

Ariminenſi, & depoſitioni Athanaſii ſubſcribere nollent. Graviſſima *tertia* fuit Juliani, vulgo Apoſtatæ, qui metu Conſtantii, in Lectorum numerum, apud Nicomediam ſe aliquando adſcribi paſſus fuerat, poſt mortem Conſtantii, ab Edeſio, Maximo Epheſio, Priſco, Libanio Magiſtris ſeductus, ſæviit, primo non ſuppliciis; ſed dolis, hinc promiſſis, præmiis, blanditiis, cavillis; porro minis, mulctis, depoſitionibus, exiliis: hinc templa Chriſtianorum clauſa, ſcholæ interdictæ, delubra aperta, idolæa reædificata, Gentiliſmus Chriſtianis ritibus veſtitus, omnia ethnicis luſtrationibus contaminata, libri ab ipſo etiam Imperatore in Chriſtianos ſcripti, blaſphemiæ in Chriſtum, ut fabri filium, Galilæum, eructatæ, Chriſtiani deturbati, oppreſſionibus exhauſti: tandem quoque carceres, flagra, tormenta, & atrociora ſupplicia, cumprimis in Palæſtina, Syria, Ægypto, exemplis apud Theodoretum lib. III. graviora etiam moliturus, ſi bellum Perſicum confeciſſet ex voto, ut eſt apud Ruffinum & Theodoretum. Chriſtianos interim ad conſtantiam animarunt, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, eluſis artibus tyranni. Anno II. Imperii, in expeditione adverſus Saporem Perſam, conto vel ſagitta periit, cum blaſphemia: *viciſti Galilæe.* Theodoret. lib. III. cap. XX. additis etiam in *Solem*, quem pro Deo colebat, iniquis: *Julianum perdidiſti, ſatiare*, ſcil. ſanguine meo, juxta Philoſtorgium, Sozomenum alioſque. Cætera non illaudatus Princeps prædicatur. Vid. præter Ammianum Marcellinum lib. XXV. & Libanius Rhetor, qui ei *funebrem* dixit. Concurrebat *quarta* Saporis Perſæ, qui LXX. annis vixit & præfuit artibus Magorum & Judæorum, in Chriſtianos exacerbatus, edicto morti addixit, quotquot uſpiam Chriſtum profiterentur, adeo ut in Perſide circiter XVI. millia, & præter eos, multitudo innumerabilis alibi ceciderit. Sozomenus lib II. à cap. VIII. ad XII. necquicquam apud ipſum valente Conſtantii Imp. interceſſione pro Chriſtianis. Sozom. lib. VII. cap. XXI. Acceſſit *quinta* Valentis Imp. in *Homouſianos*, gravior etiam illa Conſtantii, excitata impulſu Juſtinæ uxoris Arianæ, & Eudoxii Conſtantinopolitani, à quo baptizatus fuerat Valens, ſub exordia Imperii, habitus antea Catholicus, qualis erat Valentinianus frater, uterque etiam Confeſſor ſub Juliano, teſte Socrate & Theodoreto. Cœpit A. C. CCCLXV. Vagata eſt per Orientem totum, in Scythiam uſque, in Bretannium ejus Epiſcopum, atrociſſima in Ægypto, ſub Lucio Alexandrino Ariano, atrocior & cruentior etiam Juliana. Sævitum in omnem Chriſtianorum ordinem & ſexum. Mira tamen conſtantiæ in martyribus fuerunt exempla, prout crudelitatis in Principe, teſtibus Socrate, Sozomeno, Theodoreto. Pepercit tamen Athanaſio Alexandrino, quod apud eum Orthodoxi prævalerent, item Baſilio Cæſarienſi, Gregorio Nazianzeno, Epiphanio Salaminio: rigidius interim habitis Meletio Antiocheno, Gregorio Nyſſeno, Euſebio Samoſateno, Pelagio Laodiceno, & compluribus aliis Antiſtitibus, monachis etiam mire vexatis. Non addam *ſextam* Iſdigerdis, ejuſque filii *Gororanis*, Perſarum Regum, qui cum Audas Epiſcopus πυρεῖον ſeu Veltæ templum ſubverſſet, nec juſſus illud inſtaurare vellet, omnia templa Chriſtianorum ſubverterunt, & horrendum in modum, in Chriſtianos ſævierunt. *Hiſt. Tripert.* lib. X. cap. XXX. Nec hic addam *ſeptimam* Gothorum, per Italiam, Galliam, adeo in Chriſtianos graſſantium, ut recte Hieronymus in *Epitaph. Nepotiani* ad Heliodorum queratur: *Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaque corpora, his belluis fuere ludibrio? capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, ſubverſæ Eccleſiæ* &c. De his plura ad ſeculum ſeq. Succedit ergo *ſtatus* Eccleſiæ, ſub ſeculo ſecundæ hujus ætatis tertio, ſeu quinto ordine. Et in hoc I. *Propagatio* ejuſdem, quæ provecta fuit ad integras nationes, v. g. α. ad *Hibernos*, ſeu ut Veteres loquuntur, ad Scotos, Theodoſio Juniore imperante, quando illi, ſecundum nonnullos, primum converſi, ſecundum alios, confirmati in fide ſunt, cum à Palladio; tum à Patricio, primis Scotorum Epiſcopis, teſte Uſſerio, *Antiquitatum* Britann. pag. 800. & 840. & ſeq. dum ex adverſo, fides Chriſtiana, in Britannia, ad Paganiſmum rediit, per Pictos, & Scotos, advocatis in auxilium Anglo-Saxonibus ab ulteriori Oceani ripâ, daturis ei nomen *Angliæ*, pulſis Britannis Chriſtianis, ut patet ex Gildæ, Bedæ aliiſque Britannorum hiſtoricis. β. Ad *Burgundiones*, Germaniæ quondam populos, intra Suevum ſeu Viadrum & Viſtulam fluvios, qui poſtea ultra Rhenum effuſi ſunt in Galliam. Converſi ſunt ſub Theodoſio Juniore, quanquam ad fidem Arianam, teſte Socrate. γ. Ad *Francos*, qui fidem Catholicam receperunt, ſub Rege ſuo *Clodovæo*, cujus uxor erat Clotildis Chriſtiana, poſtquam Rex ille votum feciſſet, ſe Chriſtianis acceſſurum, ſi Alemannos viciſſet, de quo fuſe Greg. Turonenſis lib. II. Nihil dicam de converſionibus privatorum, ex Gentiliſmo, Judaiſmo & Arianiſmo, de quibus forte plura ſuo loco. Propagationis & ædificationis adminicula exſtiterunt, κ. *Doctores* Eccleſiæ, qui hoc negotium egerunt, β. Docum viva voce, quales fuerunt, in Eccleſia quidem *Romana* Anaſtaſius, ſucceſſor Siricii; in *Conſtantinopolitana* Chryſoſtomus, ſucceſſor Nectarii; in *Alexandrina* Theophilus; in *Antiochena* Euagrius; in *Hipponenſi* Auguſtinus; in *Salaminenſi* Epiphanius; in *Turonenſi* Martinus, de quo portentoſa narrant nimium creduli, Sulpicius Severus, Gregorius Turonenſis & Legendarii. Præterea

C. Juliani Apoſtatæ.

F. Iſdigerdis & Gororanis.

Status Eccleſiæ ſub ſeculo quinto, & in hac, α. Propagatio ejusdem.

β. Doctores ſeculo V.

D. Saporis Perſæ.

E. Valentis.

terea Patres, seu scriptores Ecclesiastici, nim. 1. post *Epiphanium*, qui obiit hujus seculi anno III. de quo ad seculum præcedens, 2. *Theophilus* Alexandrinus, hostis Origenis cum Epiphanio, hinc etiam Chrysostomo. Hujus pauca supersunt. 3. *Synesius*, Ptolomaidis in Cyrenaicâ Episcopus: variis tamen Platonicis & Pythagoricis erroribus imbutus. Supersunt ejus Epistolæ. 4. *Isidorus* Pelusiota, discipulus & vindex Chrysostomi, monachus & Presbyter, sub Theodosio Juniore. Scriptis Epistolis clarus, quæ elegantiam spirant & pietatem. 5. *Cyrillus* Alexand. Theophili Alexand. successor A. CCCCXIII. doctrina, orthodoxiâ, certaminibus contra Nestorium, auctoritate & scriptis benè multis clarus, secundum Socratem, in omni causa, inter Cyrillum & Orestem Præfectum, Novatianis favens. 6. *Theodoretus* Cyri Episcopus, cum Cyrillo primum in causa Nestorii, tum & cum Dioscoro Alexand. commissus, præsens in utraque Synodo Oecumenica, interpres Scripturæ, historiæ ecclesiasticæ, aliorumque scriptor, caute distinguendus à Theodoreto *Juniore*. 7. *Socrates* Scholasticus, seu causidicus Constantinop. & *Sozomenus* (crediti Novatiani) hist. Ecclesiasticæ Scriptores, circa A. C. CCCCXL. 8. *Basilius* Seleuciensis, membrum Synodi λησρικῆς, postea resipiscens. 9. *Gelasius* Cycicenus, in Palæstina Episcopus, tempore Basilisci Imp. scripsit acta Synodi Nicenæ. 10. *Hesychius*, Presbyter Hierosolymitanus, Flac. Illyrico, in *Catal. Test. verit.* auditor Nazianzeni, in Scripturis multum versatus dicitur. Apud Latinos floruerunt II. *Ruffinus*, Aquileiensis Presbyter, versionibus innumeris è Græco, scriptis etiam propriis, erroribus item Origenianis, inclytus. Floruerunt item in Occidentali Ecclesia & Africana, *Sulpicius* Severus Presbyter, historia Eccl. notus; *Prosper* Aquitanicus; *Paulinus* Nolanus Episcopus; *Gaudentius* Brixianus; Aurelius *Prudentius* Poëta Christianus; *Hilarius* Arelatensis Episcopus; *Salvianus* Massilienſis Presbyter; *Leo* I. Epis. Romanus, *Vigilius* Episcopus Tridentinus; *Vincentius* Lirinensis monachus & Presbyter; Claudianus *Mamertus* Presbyter; *Gennadius* Massilienſis Presbyter; *Eucherius* Lugdunensis; *Sedulius* Presbyter; *Arnobius* Junior; Pet. *Chrysologus*, Ravennensis Episcopus &c. De quibus singulatim dicere, συμμετρία hujus compendii prohibet, si cui placet, consulere potest compilatores de Scriptoribus Ecclesiasticis, cum Pontificios, v. g. Possevinum, Sixtum Sen. Bellarminum, Du Pin; tum Protestantes &c. Minus ad propagationem & ædificationem Ecclesiæ conferebat

γ. Regimen ecclesiasticum sub seculo V.

γ. *Regimen ecclesiasticum*, hic, per suos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Archimandritas, Archipresbyteros, Vicarios &c. fastu intumescens. Nati enim hoc seculo sunt A. *Patriarchæ*, quatenus vox illa restricta fuit ad quinque thronos Patriarchales: Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & honoris causa, Hierosolymitanum: Concil. Chalced. Can. XXVIII. dum hactenus *Patriarchæ* vox, subinde occurrens, non notabat, nisi sensu latiore, *Patrum primos* seu Principes, idem quod Primates, Exarchi, Archiepiscopi. B. *Primates*, seu potius *primos Primatum*, qualis Romanus Episc. haberi volebat. Audita equidem jam sub præced. seculo Primatis vox, sed quatenus idem notabat cum Metropolitano, seu primo provinciæ Episcopo, v. g. in Gallia: nisi quod in Africa duum generum essent Primates, alii Metropoleos; alii qui in Provincia primi essent ordinationis tempore, dicti *primæ sedis*, ut patet ex Canonibus Africanis XIX. XXVIII. &c. item LXXXVI. Postea vox restricta fuit ad capita Nationum, aut plurium provinciarum Exarchos, seu Primates Diœceseῶν. Canon. Chalced. IX. XVII. Hinc in Gallia, Primates Galliæ *Celticæ*, *Belgicæ*, *Aquitanicæ*. Et cum hinc de primatu contentiones frequenter nascerentur, v. g. in Gallia, inter Episcopos, Arelatensem & Viennensem, quorum se Judices dicebant in Occidente, Episcopi Romani, adeoque *Primates primatum* audire voluerunt. C. *Archiepiscopi*, quomodo communiter dictus Alexandrinus, apud Epiphanium, & deinceps Romanus, in actis Ephesinis & Chalcedonensibus, & Exarchi Diœceseων, vel αὐτοκέφαλοι, etiam Metropolitani, sic communiter in Occidente; in Oriente superbiore titulo, sic cognominati sunt omnes Patriarchæ, distincti ab Exarchis & Metropolitanis. D. *Archimandritæ*, sub Episcopis Abbates monasteriorum, ex seculo præcedente. Erant etiam E. *Archipresbyteri*, prout & *Archidiaconi*, scil. ex prioritate ordinationis, item πρωτοπάπαι, πρωτοψάλται, πρωτοκήδικοι. Porro F. *Vicarii* hoc seculo, absente Episcopo, ejus vices obeuntes, juxta Acta Carthaginensia & Chalcedonensia. Accedebant G. *Defensores* pauperum ἔκδικοι. Can. XXII. Chalced. & in Africanis œconomi, administrandis Ecclesiæ bonis dati, item *Referendarii* ἀποχρισιάριοι. Can. XXVI. Chalced. qui de rebus Ecclesiarum referrent, eorumque negotia tractarent. Ista autem officia, cumprimis digniora, ex nutu Principum, seu pro favore in hunc vel illum; seu ex usu Reipublicæ, variis modis ampliata & contracta fuerunt, una provincia in plures subdivisa. Summa tamen auctoritas, summum judicium, hactenus manſit apud Synodos, atque etiam quoad externa, penes Imperatores, convocandi scil. Synodos, confirmandi, appellationes admittendi, Judices de rebus sacris constituendi, leges sanciendi, pœnas decernendi, dignitates disponendi, ut constat ex constitutionibus Arcadii, Honorii, Theodosii, Marciani &c. nec refragantibus etiam Romanis Pontificibus,

tificibus, teſtibus eorum Epiſtolis ad Auguſtos, & Socrate in proëmio lib. v. Nec ulla auctoritate, admiſſa fuit poteſtas univerſalis in omnes Eccleſias Romani Pontificis, quamvis magnis conatibus, & intolerabili faſtu, eo eniterentur. Apud Ammianum Marcell. lib. xxvii. Huc *Innocentius* contendit pro appellationum jure, huc *Soſimus*, per legatos, Sardicenſem de appellationibus Canonem, pro Nicæno, Africanis obtrudere conabatur, idem conantibus Bonifacio, Cœleſtino: quando Africani ex adverſo, ſe *typhum* iſtum in Eccleſiam intrudi, non paſſuros conteſtabantur: Leo i. Petri Cathedram extollere, *univerſalem* quandoque Epiſcopum ſe prædicare ſuſtinebat, cooperantibus ipſa praxi Simplicio, Felice, Gelaſio aliiſque. Plus conferebant ad ædificationem Eccleſiæ, ad pellendas hæreſes, & conſtituendam τάξιν δ. *Concilia* hujus ſeculi v. cum *univerſalia*, tum *particularia*. In illis fuit i. *Epheſinum* i. cujus acta proſtant Tomo Concil. iii. & apud Socratem lib. vii. cap. xxxvii. Epheſi, datis literis ad Cyrillum Alexand. à Theodoſio juniore, delecta abſque prævio conſenſu Cœleſtini Rom. A. C. ccccxxxi. Neſtorio apud Conſtantinopolim, ſubſtituto in locum Sifinnii A. ccccxxviii. Cauſa fuit, invaleſcens Neſtorii hæreſis, damnata dudum à Cœleſtino, in Synodo Rom. A. ccccxxx. mox à Cyrillo, in Synodo Alexand. eodem anno. Interfuerunt ei Epiſcopi cc. aliis plures, ſubſcripturis legatis Romanis, ſtatim ab adventu. Præſidem egit Cyrillus Alexand. Patriarcharum in Oriente primus, idque proprio nomine. Condidit Canones viii. Secundum *Codicem Eccleſiæ Univerſ.* vii. ſecundum codices Vaticanos, quibus conſtitutum, *Mariam eſſe* Θεοτόκον, proinde damnatus & depoſitus pertinaciter obnitens Neſtorius, & Cœleſtius Pelagianus, cum ſectatoribus eorum, conſtitutum præterea, de juribus Eccleſiarum, de Præſulibus Cypri, ut per ſeipſos ordinationes facerent, omnique innovatione Antiocheno interdicta, addito etiam: *ne ſub Sacerdotii prætextu*, κοσμικῆς ἐξουσίας τύφος, *mundanæ poteſtatis faſtus irreperet.* Ex ſeriore adventu Johannis Antiocheni Epiſcopi, natum ſchiſma quoddam in Synodo: Johanne collecto ex ſuis concilio, Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Epheſinum damnante, ſtante à Johannis partibus, Theodoreto Cyri Epiſcopo, viciſſim Johannes cum ſuis damnatus à Synodo: ſed lis compoſita tandem fuit, interveniente Theodoſio. Fuit in Synodis univerſalibus hoc ſeculo ii. *Chalcedonenſis*, de quo tribus partibus agitur *Tomo* iv. *Concil.* Habitum fuit *Chalcedone* urbe Bithyniæ, è regione Byzantii, fruſtra ei expetente locum aliquem in Italia, atque etiam tempus commodius, Leone Epiſcopo Rom. Convocator & Moderator fuit Martianus Imp. præſentibus cxxx. Epiſcopis. Præſide eccleſiaſtico, per legatos Leone Rom. velut Patriarcharum ordine primo; hinc Anatolio Conſtantinopolitano. A. C. ccccli. occaſionem præſtitit, cum hæreſis Eutychetis; tum Dioſcori Alexandrini, in Synodo λῃστρικῇ Epheſina, violentia, qua nova hæreſis ibidem triumpharat. *Actiones* habuit xvi. eisque inſerta acta Pſeudo-Epheſinæ, & Conciliorum hactenus habitorum in cauſa Eutychetis. Actione iii. damnatus & depoſitus fuit Dioſcorus Alexand. Actione v. prodiit, poſt diligens examen, definitio fidei, confirmata fides trium primorum Conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani & Epheſini, damnatata hæreſis Neſtoriana & Eutychiana, addita quatuor adverbia: ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως, quibus unio perſonalis duarum in Chriſto naturarum, fuit declarata. Actione xv. ſanciti ſunt Canones, juxta collectionem Dionyſii Exigui, Iſidori, & Codd. varios Romæ uſurpatos, Canones xxvii. juxta Photium, Balſamonem, Zonaram aliosque collectores Græcos xxviii. dum Canonem xxviii. qui Conſtantinopolitano Archi-Epiſcopo æquales decernit honores & privilegia, velut novæ Romæ, cum veteri Roma; eoque nomine reprobatur à Romanenſibus, quem prolixè & accuratè vindicat Celeb. Spanhemius *introduct. plenior. ad hiſtor. Eccleſiaſt.* Addita Actione xvi. ratione honoris æqualis Conſtantinopolitano delati, quoniam ut in *civilibus*; ita & in *Eccleſiaſticis*, eſſet *nova Roma*, à quo etiam *Exarchi trium Diœceſium*, Ponticæ, Aſianæ, Thracicæ, Conſtantinopolitano, ut Patriarchæ, ſunt ſubjecti. Confirmati inſuper hoc Concilio ſunt Canones, non modo trium præcedentium *univerſalium*; ſed & *particularium*, Ancyrani, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodiceni, natusque eſt *Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ.* Cui poſtea Juſtinianus *Novell.* cxxxi. vim *legum* addidit, qua recipi debeant *ut Scriptura ſacræ*, ac deinceps Gregorius Rom. *ut quatuor Evangelia.* Succeſſus Concilii fuit ex parte felix, ob aſſertam fidem Catholicam & repreſſam hæreſin; ex parte luctuoſus, ob furores Eutychianorum, & turbas excitatas, de quibus forte ſuo loco. Præter hæc univerſalia, fuerunt particularia multa, *nationalia*, *provincialia*, Italica, Gallica, Hiſpanica, Orientalia, imprimis Africana, de quibus in Tomis Concil. ii. iii. & edit. Noviſſ. In quibus celeberrima ſunt Africana, in cauſa Pelagiana & Donatiſtica, ſub Aurelio Carthaginenſi, & Auguſtino Hipponenſi Epiſcopis. Ex iis Conciliis, numero xviii. quorum v. ſpectant ad ſeculum præcedens, reliqua ad hoc ſeculum, uſque ad A. C. ccccix. incluſum, conſtatus eſt *Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ*, in quibus varii notatu digniſſimi, circa ritus & diſciplinam, imprimis contra *appellationes transmarinas*, Can. xcii. & ut nemo

δ. Concilia ſeculi v. 1. Epheſinum 1.

2. Chalcedonenſis, univerſalis ſentia.

Concilia alia quot particularia nota tantur.

mo *Princeps Sacerdotum*, aut *summus Sacerdos*, *Episcopus Episcoporum* diceretur Can. VI. notato postea fastu Romani Episcopi, jam tum se exerente. Præ cæteris etiam memoratu dignæ sunt Epistolæ Concilii Carthaginensis ad Bonifacium & Cœlestinum, Pontifices Rom. in causa *Appellationum*, quibus perstringunt *fumosum seculi typhum*, & fraudem in Nicænis Canonibus supponendis.

Collatio Carthaginens. Nil addam, de *Collatione Carthaginensi* cum Donatistis A. C. CCCCXI. convocatis jussu Honorii, septem utriusque partis: in qua Donatistæ, *forensibus* exceptionibus, ac *præscriptionibus* moratoriis, causæ ipsius cognitionem declinarunt, quibus non obstantibus, sententia Marcellini Judicis, succubuerunt. Vid. *Breviculum* Augustini, Tom. VII.

Henoticum Zenonis Imp. Nil etiam addam, de *Henotico* Zenonis Imperatoris optimi, qui, post amotum Basiliscum, literas dedit *pacificatorias*, pro conciliandis, in Ægypto cumprimis, Catholicis & Eutychianis, impulsu Acacii Constantinopolitani A. C. CCCCLXXXII. In quibus repetita fuit fides orthodoxa, damnati errores Nestorii & Eutychetis, & Concilia universalia confirmata sunt, suppressa mentione Concilii Chalcedonensis, quod nomen ejus invisum esset apud Eutychianos, eisque tot turbarum ansam

2. Turbæ Eutychianæ. præstitisset. Turbarunt autem 6. Ecclesiæ ædificationem motus & turbæ schismaticæ Eutychianorum: 1. in Ecclesia *Alexandrina*, ubi Dioscoro Eutychiano, ab Episcopatu moto, Synodus Chalced. Proterium surrogaverat, quem plebs per seditionem, instigantibus Timotheo Æluro, & Petro Moggo, apud Baptisterium crudelissimè laniaverat, substituto ei Æluro. Leo Imp. circularibus literis, ad Episcopos, Romanum, Constantinopolitanum aliosque, eis auctor est, habitis Synodis, sibi quantocyus referrent, quid tum de Æluro; tum de Synodo Chalcedonensi, quam sublatam factiosi volebant, statuendum: hinc concurrentibus Episcoporum votis, Ælurus Episcopatu movetur, ei Timotheus quidam Salophaciolus, Catholicus substituitur: Ælurus à Basiliscotyranno restituitur: Zenone redeunte ad imperium, Ælurus seipsum veneno tollit: Petrus Moggus, à factione Eutychiana surrogatur, favente Acacio Constantinopolitano; dum Rom. Episcopus Johannem quendam Tabennesiotam præferendum vellet, quippe qui ad Romanum confugerat, & se propter fidem Chalcedonensem ejectum, conquestus fuerat. Johan. ergo Tabennesiotam Imperator, consilio Acacii, movet Episcopatu, Moggum ex adverso, postquam *Henotico* subscripsisset, quanquam fraudulenter, admovet. 2. In Ecclesia *Antiochena* Martyrius Episcopus orthodoxus, ob turbas à Petro Gnapheo concitatas, ubi seipsum sponte abdicarat, Gnapheus seu Fullo, Eutychianus, ejus locum per vim invadit, quem Chalcedonense concilium damnat, & Leo Imp. statione dejicit, & Basiliscus restituit, & ab ipso tandem Imp. sedem recuperat A. CCCCLXXX. Postquam fraudulenter *Henotico* subscripsisset. Ex motibus præcedentibus 3. nata est contentio inter Acacium Constantinopolitanum & Felicem III. Rom. Episcopos, qui Acacium mox proscripsit, prætextu quod cum hæreticis communicasset; revera, quod se primæ sedis Episcopo inconsulto, Moggum & Gnapheum inthronizasset: Acacius ex adverso in Felicem Rom. exarsit. Conf. de his Euagrius lib. II. III. Liberatus in *Breviario*, Nicephorus, &, ex his Blondellus lib. *de primatu*. Efficacius etiam ζ. Ecclesias devastarunt *persecutiones* hujus ζ. Persecutiones seculi quinti. seculi, motæ per magnam orbis Christiani partem, nim. א. per *Italiam*, sub Arcadio & Honorio, Gothis eam passim vastantibus, eisque se admiscente Paganorum multitudine, Ethnicismi restaurationem molientium: accedentibus Vandalis, Africa egressis Genserico Duce, ultra medium seculi. Vid. Socrat. Sozomen. Marcel. Isidor. aliique *de reb. Gothicis*. ב. Per *Hispaniam* sævitum ab Alanis, Gothis, Vandalis, maxime Gunderico eorum Rege Ariano, sub Honorio, & postea à Walia Visi-Gothorum Rege An. CCCCXVII. ג. Per *Galliam*, sævientibus item Vandalis, Gothis, Hunnis, Ecclesiam misere vastantibus, sub Honorio, teste Greg. Turonensi, & aliis Francorum historicis. ד. Per *Africam*, post furores Donatistarum & Circumcellionum, de quibus Augustinus, sævientibus Vandalis, Arianismo addictis, sub Genserico Rege, in Africam trajiciente A. CCCCXXVII. mox futuro universali ejus domitore, dein Hunerico ejus filio & successore, sub quibus innumeri Episcopi suis sedibus pulsi, & omne supplicium genus exercitum fuit, de quibus Victor Uticensis, scriptor coætaneus. ה. Per *Britanniam* Pictis, Scotis, & adversus eos vocatis Anglo-Saxonibus, gentilibus, adeo furentibus, ut Christiani ad montana, aut oppositam continentem fugere cogerentur, teste Beda aliisque. ו. Per *Phrygiam*, *Lydiam* & vicinas oras, sævitum ab Ostro-Gothis, sub Martiano. ט. Per *Germaniam*, ab Alanis, Vandalis, Visi-Gothis. י. Per *Orientem*, sævitum ab Anastasio Imp. Eutychiano, sub finem hujus seculi, postquam orthodoxiam simulasset, pulsis passim orthodoxis. Quin à tot tantisque persecutionibus ת. immensa exstiterit martyrum copia, quis dubitaret? In his nominatim narratur Joh. Chrysostomus, Arianorum odiis exagitatus, Comanis in tristi exilio mortuus. Flavianus Constantinop. ex plagis in Ephesina Synodo λησρικῇ mortuus. Theodoretus Cyri Episcopus, exauthoratus à factione Dioscori Alexand. tanquam Nestorianus esset, postea tamen restitutus. Porterius Alexandrinus, Dioscoro substitutus, apud Baptisterium, crudelissime ab Eutychianis mactatus. Acacius Constantinop. ab

ת. Martyres seculi v.

Episco-

Episcopis Romanis, Simplicio, Felice, & Gelasio exagitatus. Hilarius Arelatensis per Romanos Pontifices, Leonem & successores vexatus. Euphemius & Macedonius, Episcopi Constantinopolitani, per Anastasium Imp. Eutychianis addictum, sedibus moti, teste Euag. lib. III. Niceph. lib. XVI. Quantum denique ad mores hujus seculi, eorum specimen nobis præstat Martyrius Episcopus Antiochenus, qui Episcopatui sponte valedicturus, rationem hanc dabat, quod videret; κλῆρον ἀνυπότακτον, λαὸν ἀπειθῆ, ἐκκλησίαν ἐρρυπωμένην. Apud Theodorum Lect. Supereſt tertia hujus ætatis pars, in seculo ordine sexto, penesquam occurrit *primo* Ecclesiæ propagatio, facta conversione ad fidem Christianam, Regum ac Principum aliquot barbarorum, cum suis subditis, v. g. *Abasgorum*, Corace fluvio, à Colchis separatorum, *Laziorum*, qui Cappadociis & Georgiis sunt, in montanis ad Orientem Euxini: *Zanorum*, qui Laziis sunt finitimi: *Hunnorum* apud Bosphorum &c. Qui sub Justino & Justiniano Christianis accesserunt, teste Marcellino, Procopio, Zonara aliisque. Itidem ex *Germanis* barbaris accesserunt *Boii*, *Suevi*, *Thuringi*. Aventin. in *Annal. Bojorum*. Porro ex *Britannis Anglo-Saxones* A. DXCVIII. Æthelberto Cantuariorum Rege cum gente sua, Augustino Monacho cum sociis in Britanniam missis, per Greg. I. dum hactenus, in solis Walliæ & Cornubiæ partibus, Christiani agerent. Hinc Augustinus ille, primus fuit Archiepiscopus Cantuariensis, ac Synodos habuit. Usserius in *Antiquit.* Britann. Præter istos accessere *Picti*, *Scoti* seu *Albanii*, auctore Columba Monacho, per eundem Usserium. Istæ nationes ex Gentilismo accesserunt: ex Arianismo item, ad orthodoxos transierunt *Sigismundus* Burgundionum Rex A. DXVII. *Theodomirus* Suevorum Rex, in Lusitaniæ & Gallæciæ partibus, suos ab Arianismo ad Catholicam fidem traduxit A. DLXI. sic & *Riccaredus* Visigothorum in Hisp. Rex. A. DLXXXVII. Et *Huldericus* Vandalorum Rex A. DXXII. Isidor. in *Chronico*. Tandem universam Africam, Italiam & Siciliam, liberatam ab Arianismo, Catholicæ fidei restituit Justinianus Imp. per Belisarium & Narsetem. Privatos etiam plurimos ex Gentilismo & Judaismo conversos fuisse, narrant Magdeb. *Cent.* VI. cap. II. ex Paulo Diacono, Sigeberto; item à Manichæismo, Augustinus & Prosper ex Manichæis Catholici. *Secundo* propagatores, seu ædificatores, *cum viva voce* erant, sub initio quidem, in Romana *Symmachus*, successor Anastasii II. superato Antipapa Laurentio, per Synodos, unam atque alteram Romæ A. D. DI. & DII. *Tom.* IV. *Concil.* in Byzantinâ Macedonius: Antiochena Flavianus: Hierosolymitana Helias, mox in exilium mittendi ab Anastasio, ob fidem Chalcedonensem: Alexandrina Joh. Mela orthodoxus recepto *Henotico: tum scriptis*, in quibus fuere Joh. *Maxentius*, monachus, & Presbyter Antiochenus, Scytha. Scripsit pro gratia contra Faustum, & pro monachis Scythis, adversus Hormisdam, *Leontius* Byzantinus; scripsit contra Nestorianos, Acephalos & Origenistas, distinguendus à Leontio Origenistâ. *Euagrius* Scholasticus, à Pontico distinguendus, ex urbe Epiphaniâ Syrus, Continuator historiæ Ecclesiasticæ, Socratis & Theodoreti, à Tiberio ad annum Mauritii XII. pluscul. fabulosus in gratiam Iconolatrarum. *Procopius Gazæus* Rhetor, distinguendus à Procopio Cæsareensi historico. Scripsit Scholia prolixa in varios libros V. T. *Anastasius Sinaita*, Episcopus Antiochenus A. DLXI. Successor Domni. Restitit Acephalis & Aphthartodocetis, & hinc etiam Justiniano Imp. est alter quidam Anast. Sinaita, nonnihil junior, creditus auctor ὁδηγοῦ adversus Acephalos. *Eulogius Alexandrinus*, sub Tiberio II. & Mauritio Impp. Gregorio M. familiaris, ut patet ex variis ejus Epistolis. Scripsit adversus Novatianos, excerpta habet Photius in *Bibliothec.* *Johannes* Cappadox, ex frequenti jejunio dictus *Jejunator*, Antistes Constantinop. Scripsit *libellos pœnitentiales*. *Fulgentius*, Ruspensis Episcopus, discipulus Augustini, sub Trasamundo, cum aliis Episcopis in Sardiniam relegatus. Scripsit de *prædestinatione & gratia*. *Alcimus Avitus*, Archiepiscopus Viennensis, vindex orthodoxæ fidei contra hæreses, imprimis Arianam & Photinianam. Convertit Sigismundum Burgundionum Regem. Prostant ejus *Epistolæ*, *poëmata & fragmenta* varia, edentibus Sirmundo & Baluzio. *Cæsarius Arelatensis* (nam plures sunt Cæsarii) coævus Alcimi, acerrimus Antagonista Fausti & Semi-Pelagianorum, Præses Synodi Arausicanæ II. Prostant ejus *Homil.* XV. edente Baluzio, ei tribuitur Regula ad Monach. & Moniales altera. *Paschasius*, Rom. Eccl. Diaconus. Scriptor libb. de *Spiritu S.* *Felix Ennodius*, Ticinensis seu Papiensis Diaconus, cujus *Epistolas & opuscula* edidit Jac. Sirmundus. *Anicius Manlius Severinus Boëthius*, vir Consularis, excellentis virtutis & eruditionis, doctrinæ de Trinitate & persona Christi assertor strenuus. Obsuspicionem conspirationis cum Justino, in exilium missus à Theodorico Rege, ubi se ipsum erexit Meditationibus, soluta & ligata Oratione, de *Consolatione Philosophiæ*, tandem Theodorici jussu interemptus. *Dionysius Exiguus*, Abbas Romanus, Scytha, utraque lingua peritus, Collector *Canonum*, sub Justino Seniore & Justiniano; auctor æræ Christianæ vulgaris ac deficientis. *Marcellinus Comes*, sub initia Justiniani, Continuator *Chronici* Hieronymiani ad IV. Justiniani Consulat. *Primasius*, Episcopus Adrumetinus in Africa Byzacena, Doctrinæ Augustinianæ

Scriptores Ecclesiastici sub seculo VI.

3. Mores hujus seculi quinti.

Status Ecclesiæ sub seculo VI. 1. Propagatio Eccl. sub seculo VI.

2. Propagatores Ecclesiastæ sub secul. VI.

cum Fulgentio ſectator. Scripſit comment. in Paulum. *Ferrandus Carthaginenſis* Diaconus, Fulgentii diſcipulus, collector & abbreviator Canonum Africanorum. *Facundus Hermianenſis*, in Africa Epiſcopus, cujus libb. XII. ad Juſtinianum, primum edidit Sirmundus. *Vigilius Afer*, diſtinguendus à *Romano* & *Tridentino*, Epiſcopus in Africa, ſcripſit contra Neſtorium & Eutychetem. *Liberatus*, Diaconus Carthaginenſis, ſcripſit *Breviarium* hiſtoriæ Neſtorianæ & Eutychianæ, in quo Vigilium Rom. ad vivum expreſſit. *Marcus Aurelius Caſſiodorus*, Vir Conſularis, natione Gothus, Theodorico & Athalarico Regg. charus, prudentia, eruditione & ſcriptis clarus, quæ condidit in Monaſterio quodam Calabrico à ſe exſtructo. Inter ſcripta ejus eminent libb. XII. *Epiſtolarum*, libb. duo *Inſtitutionum* ad S. Scripturas legendas, *Chronicon* ab orbe condito, *Hiſtoria tripertita*, ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto. *Junilius*, Afer, ſcripſit de *partibus divinæ legis* ad Primaſium. *Gregorius*, Epiſcopus Turonenſis, primus *hiſtoriæ Francorum* ſcriptor libb. X. magna quidem diligentia; ſed impari judicio, & nimia credulitate, ut patet cumprimis in libb. ejus de *miraculis Martyrum*, item de *vita Martini Turonenſis*. *Gregorius* Magnus, ad Papatum Romanum evectus A. DXC. qui acriter reſtitit titulo Epiſcopi univerſalis. Ejus opera nota ſunt, niſi quod dubitetur, an ejus ſint *Dialogi* hodierni *de Vita & miraculis Patrum Italicorum*, ſtylo & argumento à cæteris tam diverſi. Minus ad propagationem ædificationemque Eccleſiæ, *tertio* conferebat *regimen Eccleſiaſticum* hujus ſeculi, magis ad augendum Anteceſſorum faſtum, evertendam Eccleſiæ libertatem, & ſubjugandam fidelium conſcientiam. Fuit equidem regimen, quoad ordines & dignitates eccleſiaſticas, idem cum præcedentis ſeculi, niſi quod acceſſerit novus *Archi-epiſcopatus* ſeu Patriarchatus, auſpiciis Juſtiniani Imp. in Illyrico, Juſtinianæ primæ (quæ antea Lychnidus dicebatur) patria ſua erectus, cui omnem ſubmiſit Diœceſin Dacianam, additis provinciis, Prævalitana & ſecunda Macedonica, cum parte ſecundæ Pannoniæ, quas Macedonicæ ſeu Theſſalonicenſi Diœceſi ſubduxit: niſi item, quod *jura Epiſcopalia*, favore Principum, nominatim Juſtiniani, egregie invaluerint, ampliatis Diœceſibus, confirmatis privilegiis Anteceſſorum, conceſſa Epiſcopis *audientia* Epiſcop. etiam *judicio*, quo ex compromiſſo, de quavis cauſa judicarent, quanquam necdum *forum* proprie dictum. *Novell.* Valentin. Junioris tit. XII. His incrementis inſerviebant officia eccleſiaſtica, jamdum ſub ſeculo præced. nata: *Syncellorum*, *Proto-Syncellorum*, qui proximi erant Patriarchæ, *Defenſorum* ἐκδίκων *Primorum defenſorum*, qui deinceps *Cancellarii* dicti ſunt; *Vice-Dominorum*, *Oeconomorum*, *Sacellariorum*, *Referendariorum*, *Viſitatorum* &c. quos jam ante notavimus, & pluribus deſcribunt Catalogi Eccleſiaſticarum dignitatum & Officialium Eccleſ. Conſtantinop. Sub his jugis, invaluerunt etiam contentiones de *primatu*, inter Romanum & Conſtantinopolitanum Patriarch. utroque urgente prærogativas *Veteris* & *novæ Romæ*; illo parem, hoc ſuperiorem non ferente: ſingulis interim Patriarchis, quoad jurisdictionem, inter ſe *æqualibus*, & inter ſuam Diœceſin αὐτοκεφάλοις. Et *Oecumenici* etiam Patriarchæ titulus, hoc tempore, ab Impp. utrique horum æqualiter tribuebatur; ſed in ſuo Archiepiſcopatu tantum: damnante interim univerſum *Oecumenici* titulum in Eccleſia Romana, poſt Pelagium II. Gregorio I. velut *ſuperbum*, *novum*, *blaſphemum*, *prophanum*, *diabolicum*, *ſtultum*, *frivolum*, *Antichriſtianum* &c. *Epiſt.* lib. IV. Epiſt. 32. 34. & lib. VI. Epiſt. 4. 24. 30. &c. In his tamen, tam turbulentis aquis, ſibi ſuæque dominationi piſcandum affabre duxere Pontifices Romani, cumprimis *Symmachus*, *Hormiſda*, *Johannes*, *Agapetus*, *Vigilius*, *Pelagius*, *Gregorius*, & quod *jure* non poterant, *facto* conſecuturi, Conſtantinopolitano immodeſtius inſultarunt, Vicarios paſſim in Occidente conſtituerunt, Archiepiſcopis imperitarunt, ut ſibi obnoxiis, cauſarum omnium cognitiones & appellationes ad ſe rapuerunt, continuo oggerendo illud: *tu es Petrus*, ut videre eſt cumprimis in *Vitis* Pontificum, in Liberati *Breviario*, in Marcellino, Euagrio, Nicephoro, in *Tomis Concil.* IV. & V. Edit. Noviſſ. & ex his tandem, tam violentis *factis*, *jus* conficiendo. Conf. Celeb. Spanhemius in *Introduct.* plen. ad *hiſt. Eccleſ.* Interim tamen, quod de *facto* volebant & habebant, toto cœlo diverſum etiamnum fuit, ab eo quod hodie habent, ſua jura petebant ab Imperatoribus: *Archiepiſcopi* quidem ſalutabantur; ſed cum reſtrictione *magnæ & almæ Romæ*: Synodos convocabant adhucdum, non Pontifices; ſed Imperatores, Reges, Principes: *electio* Pontificis adhuc erat penes populum, prout *confirmatio* penes Imperatorem: ipſi Pontifices ſe adhuc ſubmittebant Imperatoribus, eosque *Dominos ſuos* ſalutabant: *Cardinales* necdum erant electores Pontificis; ſed fixi tantum Sacerdotes, Presbyteri, Parœciarum Præfecti, in Eccleſiis majoribus: ignota adhucdum jura *Annatarum*, *inveſtiturarum*, *juramenti fidelitatis*, *Legatorum à Latere*, *Internunciorum* apud Reges, *infalibilitatis* Pontificiæ, *diſpenſationum* quarumvis *papalium*, *theſauri indulgentiarum*, *Canonizationum*. Nulla hoc tempore Pontificis *poteſtas temporalis* in provincias, urbes, regna &c. Singula horum demonſtrante Spanhemio loco citato. Acceſſit ordinibus eccleſiaſticis hoc ſeculo, incrementum monachatus, imo ejus *origo* in Occidente, ubi natus ordo *Benedictinorum*,

3. Regimen Eccleſiaſticum, ſub ſeculo VI.

Monachatus incrementum, & origo in Occidente.

norum, A. juxta Baronium DCXXIX. Auctore *Benedicto* Nurſino, Italo, qui bellorum pertæſus, ſparſos hactenus per eremos, monachos collegit in cœnobia, ubi ſingulis ſuæ eſſent cellulæ, votis adſtrinxit, certæque *regulæ*, LXIII. capitibus integræ, cujus inſtituta præcipua erant: quod carnibus & vino adſtinere juſſit: quod ciborum quovis die menſuram conſtituit, libram panis; ſed unciarum XXXIII. & ſemis: ſecularibus negotiis interdixit: opus manuarium injunxit: veſtitos ſomnum capere præcepit: votis paupertatis, obedientiæ & cœlibatus eos addixit; pro veſtitu *cucullam*, ſub qua *tunica* eſſet cum *ſcapulari*, colore veſtitus, cujuſvis arbitrio relicto &c. Cum autem à ſua regula, ad luxum, otia, lautitias & ſecularia degenerarent, reformationes, novæ regulæ & ab his nova nomina nata, v. g. *Cluniacenſium*, *Ciſtertienſium*, *Carthuſianorum*, *Præmonſtratenſium*, *Cœleſtinorum*, *Dominicanorum*. Opibus adeo paulatim invaluerunt, ut non inepte Volaterranus obſervaverit, Benedictum hunc, *regna* non *Cœnobia* poſteris reliquiſſe; nec *pauperibus* pepe-

Benedicti & Benedictinorum.

riſſe *hoſpitia*; ſed *Clericis otium & luxuriam*. Eo-

Congelli & Apoſtolicorum.

dem circiter tempore A. C. DXXX. auctore *Congello* quodam, *Monachiſmus*, *ſub Specie Religionis*, *in Britannia*, *radices*, *vires*, *& incrementa largiſſima cepit*, *ad alias Europæ partes*, *plantaria tranſmittens*, ut loquitur, ex Britannorum Chronicis, Balæus, *Cent.* I. Primum ipſis Cœnobium fuit *Banchorenſe* in Ultonia, hactenus collegium ſeu Academia, ſub Abbate & peculiari Regula, diverſa ab illa Benedicti, quam Regulam Chriſti appellabant, & hinc ordinem ſuum *Apoſtolicum*. Ordinem hunc longe lateque propagarunt ejus diſcipuli, Columbanus & Gallus, per Galliam, Burgundiam, Helvetiam, Germaniam &c. Brendanus item per Hiberniam. Vid. Uſſerius in *Antiq. Britannicis*, ex Balæo, Sigeberto, Ur-

Gregorii M. & Gregorianorum.

ſpergenſi aliiſque. Etiam Gregorius M. antequam adipiſceretur Epiſcopatum Romanum, monachus fuit, & Cœnobia fundavit in Sicilia, in proprio fundo, & Epiſcopatum conſecutus, in ipſis Romæ mœniis, in paterna domo, ſecutus quidem regulam Benedicti; ſed adeo ſevere ſuis interdixit privatas poſſeſſiones, ut cum Juſtus quidam in agro deprehenderetur occultaſſe tres aureos, omni conſolatione morientem privari voluerit, dein corpus in ſterquilinium projici juſſerit cum tribus aureis, addita imprecatione, *pecunia tua tecum ſit in perditione* &c. ut patet ex Greg. Dialogis, qui tamen ejus eſſe, vix creduntur, degenerante paulatim monachatu. Acceſſerunt paſſim cœnobia Monialium, admiſſis inſolubili voto, à ſexto ſæpe & ſeptimo ætatis anno, ut eſt in regula Cæſarii cap. v. ipſis etiam, & parentibus, invitis, in mediis ignibus concupiſcentiæ, ac deſiderio honeſti conjugii. Admiſſi etiam ſunt,

Monialium cœnobia.

qui relictis maritis, ſuas facultates monaſteriis inferre vellent. Unde hujuſmodi monaſteria, infandarum artium officinæ, rearum aſyla, hæreditatum voragines, nec libidinum remedia; ſed fomenta evaſerunt, quæ hoc ſeculo Synodos etiam exercuerunt. *Greg. Turon. hiſt. Franc.* libb. IX. & X. Ut nihil addam de *Stylitarum* ſuperſtitione & Simeone Stylita Juniore, de quo Euagrius hiſt. lib. VI. cap. XXIII. Plus *quarto* ad Eccleſiæ ædificationem & pellendas hæreſes, valebant *Concilia* hujus ſeculi, in quibus fuit Conſtantinopolitanum II. *univerſale* V. A. C. DLI. aliis & verius DLIII. Occaſione Origeniſtarum repullulantiam, in Monachis per Palæſtinam & in nova Laura, ſtatuentibus Duce Leontio & Nonno, *animas conditas fuiſſe*, *antequam corporibus jungerentur*, *& propter peccata cum eis jungi: Sydera anima rationali eſſe prædita: corpora non eadem eſſe reſurrectura*, *qua morte ceciderunt*: *pœnis damnatorum ipſorumque dæmonum fore aliquando finem*, *propter mortem Chriſti* &c. Inſuper occaſionem Synodo præſtiterunt diſputationes de III. Capitulis Synodi Chalced. datæ per Neſtorianos quoſdam, negantes ſcripta Theodori Mopſueſteni & Theodoreti contra Cyrillum, improbrata fuiſſe Synodo Chalcedonenſi; Acephalis ex adverſo, intacta Synodo, eorum damnationem urgentibus: orthodoxis inter ſe contendentibus, pro auctoritate Synodi Chalc. & pro ſeductione Acephalorum. Hinc Juſtinianus Imp. Synodum convocavit, evocato inſuper Vigilio Papa, tum quidem Conſtantinopoli præſente; ſed propter contentionem cum Conſtantinopolitana ſuper *primatu*, Synodi ſeſſionibus intereſſe nolente. Præſes *politicus* pro more erat Imperat. Juſtinianus; *Eccleſiaſticus* autem, non Vigilius, per ſe aut per legatos; ſed Eutychius Conſtantinopolitanus. Habuit Epiſcopos CLXV. In *actis* ejus I. confirmata eſt fides IV. præcedentium Conciliorum universalium. 2. Damnatus Theodorus Mopſueſtenus, poſt lectum ejus Symbolum. Damnata 3. Theodoreti ſcripta ceu impia, addictionis quondam partibus Neſtorii. item Ibæ Epiſtola ad Marim Perſam, ut Neſtoriana. Damnati 4. Origenes, Arius, Macedonius. Succeſſerunt acerrimæ oppoſitiones Vigilii Papæ Rom. cum ante, tum poſt concilium, hinc exilio multati à Juſtiniano: poſtea quæſtio de anathematizatione mortuorum, tandem ſchiſma inter Orientales & Vigilium cum ſuis; imo cum poſtea Concilium approbaſſent, ab illis ipſis ſeceſſionem fecerunt multæ Eccleſiæ Occidentales, per Italiam, Galliam, Hiberniam, ſubſcribere nolentes anathematizationi mortuorum, ut patet ex Epiſtolis Pelagii I. Præter univerſale hoc, ſeculum concilia particularia habuit, innumera fere, nationalia & provincialia: orthodoxa, heterodoxa: in cauſa fidei adverſus hæreſes, & diſciplinæ. Nos ex omnibus,

4. Concilia ſeculi ſexti.

Concilium Conſtantinopolitanum II. univerſale V.

Particularia concilia plurima ſeculi VI.

pro conpendii noſtri ratione, nonnulla ex præcipuis indigitabimus. In *heterodoxis* fuit A. DXII. *Sydonienſe*, ab Anaſtaſio Imp. Acephalorum Patrono, convocatum, contra Flavianum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum orthodoxos. In *Nationalibus* eminet *Africanum* A. DXXXIII. indictum à Juſtiniano Imp. reſtaurandæ diſciplinæ cauſa: *Hiſpanica*, ſub Ariamiro Suevorum R. converſo A. DLXI. ſub Reccaredo Gothorum R. A. DXXXIX. quod eſt Toletanum III. Cauſa fidei adverſus hæreſes habita ſunt concilia: *Conſtantinopolitanum* A. DXXXVI. Sub Menna Patriarcha, quo Anthemius Eutychianus eſt depoſitus, cum nonnulis Acephalis. Menna præſide, ſuo non Agapeti Rom. nomine. Contra *Arianos*, quod jam diximus *Toletanum* III. Contra *Priſcillianiſtas* in Hiſpania pullulantes, *Bracarenſe* II. ſub Ariamiro, nuper converſo A. DLXII. Contra *Pelagianos* & *Semipelagianos*, Fauſtum & Maſſilianenſe in Gallia, *Araufiacum* II. A. DXXIX. ſub Athalarico in Italia, Clodovæo in Gallia. Præſide Cæſario Arelatenſi, præſentibus Alcimo Viennenſi, Fulgentio Ruſpenſi, Proſpero Aquitanico. Conditi ſunt Canones XXV. Et paulo poſt apud Britones, Cambriæ habitum Concilium à Davide, ſedis Menevienſis Metropolitano, contra hæreſin Pelagii A. DXIX. de qua Spelmannus in *Concil. Britan.* Tom. I. Uſſerius in *Antiquit. Britann.* Pleraque autem convocata ſunt, in cauſa Eccleſiaſtici *regiminis* & *diſciplinæ*, aut natorum ſchiſmatum v. g. inter Laurentium & Symmachum &c. aut rituum eccleſiaſticorum. Convocabantur auctoritate Principum, ut in Oriente per Cæſares, in Gallia per Clodovæum & filios, in Burgundia, per Sigiſmundum & ſucceſſores, Romæ per Theodoricum, in Hiſpania per Reges ſuorum temporum. Turbabant Eccleſiæ ædificationem efficacius, intra Eccleſiam quidem, *ſchiſmata*, extra eandem perſecutiones. Quantum ad *ſchiſmata quinto*, ut nihil dicamus de ſchiſmatis inter Papas & Anti-papas, præcedentibus hujus ætatis ſeculis, natis, v. g. inter Liberium & Felicem II. A. 352. inter Damaſum & Urſicinum A. 367. inter Bonifacium I. & Eulalium A. 418. inter Symmachum & Laurentium A. 498. & hoc ſeculo, inter Vigilium & Dioſcorum A. 530. Imprimis hic fundatum fuit magnum ſchiſma inter Orientalem & Occidentalem, impoſterum in nervum eruptorum, occaſione *primatus* & epiſcopatus Oecumenici, quem uterque, & Romanus & Conſtantinopolitanus, ſibi arrogabant. Imprimis quando Vigilius cum multis Occidentalibus, Synodo Conſtantinopolitanæ II. & Oecumenicæ ſubſcribere primum renuebat, & poſtea, cum ſubſcripſiſſent Pontifices Rom. ab ipſis illis ſeceſſionem facerent, multæ Eccleſiæ occidentales, per Italiam, Galliam & Hiberniam, nolentes ſubſcribere, mortuorum anathematizationi, ut patet ex Pelagii I. Epiſtolis. Huc etiam ſpectabant quæſtiones ſchiſmaticæ & otioſæ, hoc ſeculo ventilatæ: nim. 1. An unus de Trinitate, crucifixus in carne, recte dicatur? Affirmantibus Monachis Scythis, Conſtantinopolitanis, duce Joh. Maxentio: negante Hormiſda Pontif. Rom. A. DXVIII. Tum 2. renata quoque quæſtio, de die celebrandi Paſchatis, potiſſimum in Britannia, Scotis adhuc celebrantibus Paſcha more Judaico, XIV. luna; aliis ex adverſo contendentibus, illud celebrandum eſſe, more Romano, ipſa Dominica reſurrectionis: illi ad Johannis Euangeliſtæ praxin; hi ad traditionem Petri & Pauli provocabant. Vid. Uſſerius *Antiq. Britann.* cap. XVII. Forbeſius *Inſtit. hiſt.* cap. XXX. Etiam 3. occaſione primæ quæſtionis, diſceptatum eſt, num perſona Chriſti recte dicatur compoſita, ex divina & humana natura? Affirmabant monachi Scythæ, quos diximus, negante Hormiſda cum ſuis. Et tandem 4. diſputatum, an aliquis mortuus ſit damnandus & anathematizandus? Nata occaſione Theodori Mopſueſteni, Origenis Adamantii, Apollinaris, Neſtorii, in Concilio Oecumenico V. damnatorum? Orientales negabant, quibus primum reſtitit Vigilius negans. Quamvis idem Vigilius, ut Pontificatum conſequeretur, & Sylverium pelleret, edita in gratiam Theodoræ, fidei ſuæ confeſſione, ipſe olim damnaſſet Theodorum &, Theodoretum cum ſuis, juxta Liberatum in *Breviario* cap. XXII. & Concil. Tomum V. Quantum ad perſecutiones *ſexto*, earum prima obvia fuit ab Anaſtaſio Imp. in initio hujus ſeculi, qui in præcipuarum ſedium Epiſcopos orthodoxos ſæviiſſe dicitur, apud Euagrium, Procopium alioſque: hinc tandem fulmine percuſſum periiſſe, tradit Cedrenus, Zonaras & alii. Secunda à *Traſemundo* Vandalorum Rege, per Africam, pellente in exilium Fulgentium cum LX. & amplius Epiſcopis; reſtitutum tamen poſtea, ab Hilderico Traſemundi ſucceſſore A. 522. Euagr. lib. IV. Procop. de *Bello Vandal.* lib. I. Tertia à *Theodorico* Gothorum Rege in Occidente, Principe laudato, ſed Ariano, quæ præter Boethium ac Symmachum ejus ſocerum, ſuſtulit etiam Johannem I. Epiſcopum Romanum. Procop. de *Bello Goth. lib.* I. Quarta ab *Hunnis* per Thraciam, Græciam, ad mœnia Conſtantinopoleos, ſub Juſtiniano Imp. in Chriſtianos graſſantibus. *Procop. de Bello Perſ.* lib. II. Quinta ab *Alemannis* & Francis A. Juſtiniani XXIX. horrendis ſtragibus, per Italiam in Chriſtianos graſſantibus, ei miſſis Ducibus Leuthare & Buccellino cum exercitu LXXII. millium, cum Gothis Arianis ſe jungentibus, in perniciem Eccleſiarum. Agathias Schol. Hiſt. Juſtinianeæ lib. II. Sexta ab *Alboino* X. Longobardorum Rege, in variis Italiæ & Liguriæ partibus, qui voverat ſe deleturum omnes Chri-

3. Schiſmata ſeculi ſexti.

6. Perſecutiones ſeculi ſexti.

Christianos, repressus casu equi miraculoso, cum civitatem Ticinensem ingrederetur. Paul. Diacon. *de Gest. Longob.* lib. II. cap. XXVII. Septima à *Chosroe* Persarum Rege, à Gothis inducto, ut Justiniano bellum inferret, hinc grassante passim per Mesopotamiam, Syriam, Armeniam, Persiam, in Christianos, quasi Deum ipsum Christianorum expugnare vellet. Procop. de *Bello Pers.* In Martyribus hujus seculi, eminet *Hermenegildus*, Leovigildi Visi-Gothorum in Hispania, filius & Regni consors, quem ipse Pater Arianus, ob fidem orthodoxam, in carcerem conjecit, ac securi percussit. Greg. Turon. *Hist.* lib. v. Possis etiam Martyribus connumerare Boëthium & Symmachum socerum, à Theodorico sublatos, quanquam, non tam Religionis, quam impactæ proditionis, causa.

Quarta ætas Nov. Test. sub apertura sigilli quarti.

Quarta N. T. ætas figuratur apertura sigilli quarti Apoc. VI. 7. 8.

XXVII. Quarta N. T. ætas figuratur apertura sigilli quarti, quæ describitur Apoc. VI. 7. 8. *Cumque aperuisset sigillum quartum; audivi vocem quarti animalis, dicentem veni & vide. Tum vide & ecce, equus pallidus, & ejus, qui insidebat ei, nomen erat mors, & infernus sequebatur eam, dataque est eis in quadrantem terræ potestas, trucidandi gladio, & morte, & per terrestres feras.* Est hic rursus

1. Apertor & apertura *sigilli*. Apertor *seu revelator, idem est qui præcedentibus fuerat*, agnus *seu Christus: & sigillum etiam resignatum, mysterium, rationi imperviestigabile, de fatis Ecclesiæ, sub* quarta *sua ætate.*

2. Præco *invitans ad contemplationem rei revelandæ*, animal *quartum*, aquila cap. IV. 7. *avis perspicax, & excelsa petens, inde in prædam devolans, magna celeritate: significat*, partim, *clades Ecclesiæ, ex alto superne affuturas, à cœlesti providentia*; partim *virtutes sub his cladibus, Ecclesiæ & Ecclesiastis perquam necessarias.*

3. Typus, *adumbrans fata hujus ætatis, habens*

A. Equum, *qui notat* Ecclesiam; *sed jam χλωρὸν pallidam, hactenus aut* albam, *ab innocentia & puritate*; *aut* rubram, *à persecutionibus*; *aut* nigram, *ab obscuritate hæresium: jam* pallidam, *ex viridi flavescentem, qualis est graminis marcescentis, aut foliorum deciduorum, tempore Autumni, qui nonnihil viroris habens; sed paulatim albescentis, donec tandem plane exspiret. Significatur Ecclesia, adhucdum aliquid vitæ & vigoris gestans, à fundamentalibus & Catholicis fidei articulis; sed quod adeo sit debilis, ut jam jam plane moriturum videatur.*

B. Sessor *equi seu eques qui mors appellatur, seu mortiferus Ecclesiæ. Intelligi potest, vel* Deus *sua providentia, sapientissima & justissima, permittens ac dirigens istas Ecclesiæ clades, vel* causæ *quævis subordinatæ, permissu divino, inferentes Ecclesiæ calamitates, quales sunt: Antichristus uterque, Occidentalis Papa, & Orientalis Muhammedes, insuper Monachi, sua heterodoxia, pariter ἀσωτίαι.*

C. Pedissequus, *infernus, seu sepulchrum; seu damnationis locus, intelliguntur, Antichristi, hæreses, dissoluta, cum præfectorum; tum ipsius Ecclesiæ, vita & conversatio, passim sub hac ætate obvia, individuo nexu sequens.*

D. Potestas *sessoribus subordinatis, Dei permissu data, penes quam dicitur*

1. Nocumentum, *ἀποκτεῖναι* interficiendi, *non tantum quomodocunque lædendi, quod sub prioribus ætatibus etiam est factum; sed interficiendi, seu vita penitus privandi, non tantum* naturali, *quod, per omnis generis calamitates & persecutiones, per hanc ætatem, ἐξόχως factum observamus; sed etiam* spirituali, *imo & æterna.*

2. Limitatio *istius potestatis, & restrictio ad* quadrantem terræ. *Hic* terra *notare possit, vel πᾶσαν οἰκουμένην, vel potius terram Imperii Romani, cum Orientalem, tum Occidentalem: &* quadrans *ejus, excludit universalitatem, & involvit magnam ejus partem. Ut significetur, Deum interea, sub his calamitatibus, suos in Ecclesia conservaturum; sed tamen magnam ejus partem passurum ut intereat.*

3. Adminicula, *quorum ope, nocumentum istud sit procurandum, puta,*

α. Gladio, *seu bellis civilibus, seu* domesticis, *contentionibus Pontificum, hæreticorum, monachorum, seditionum.*

β. Fame, *cum* corporali, *tum spirituali. Ex defectu commodi nutrimenti, potissimum spiritualis, quod anima suppetit à doctrina salutari, & ab assidua ejus inculcatione, quæ per hanc ætatem, miserrime exularunt.*

γ. Morte, *seu exitiosis & pestiferis morbis, corporalibus pariter & spiritualibus. Tandem*

δ. Feris terrestribus, *quales fuere latrocinia hominum terrestrium, utriusque Antichristi, monachorum* &c.

Breviarium historiæ hujus ætatis.

XXVII. Extendit se quarta hæc Ecclesiæ ætas, à Phoca Imperatore, & Bonifacio III. Papa Rom. usque ad Henricum IV. & Gregorium VII. Papam exclusos, per annos circiter CCCCLVI. Scil. sub adolescentia Antichristi, quo Episcopus Rom. ex sede Ecclesiæ, quæ & Imperii erat, sibi arrogavit eminentiam, non modo supra Coëpiscopos; sed etiam supra Patriarchas, collegas hactenus, quæ etiam ambitio non parum aucta fuit, secessu Imperatoris Constantinopolim, & exemplis Alexandrini & Constantinopolitani. Contentio omnis erat de *primatu* & axiomate *Episcopi œcumenici*, quem hactenus, favore Imperatoris, Constantinopolitanus usurpabat. Intercessit Gregorius I. seu Magnus; sed frustra. Idem apud Phocam egit ejus successor Bonifacius III. cujus favore, cum Imperator putaret, sibi opus esse, ad retinendam Italiam; consensit ut Romana Ecclesia esset caput omnium Ecclesiarum, & Episcopus ejus *Oecumenicus* & universalis diceretur. Hoc initium fuit primatus Romani, à quo ita succrevit auctoritate, potentia & opibus; ut non modo Ecclesiasticam, sed & civilem ad se potestatem traxerit, ac summos Imperatores, atque Reges sibi subjecerit. Eodem pene tempore, emersit Muhammed, ac impia ejus secta, ex Judæorum & Gentilium erroribus conflata, & componendis religionum dissidiis, in speciem accommodata, quæ brevi tempore, longe lateque propagata fuit. Aliquanto post, cum nova Eutychianorum soboles, *Monothelitarum* videlicet, qui contendebant, unicam tantum in Christo voluntatem esse, oriretur; Constantinus IV. Synodum Constantinopoli indixit, quæ est VI. *Oecumenica:* in qua improbato errore firmata est veritas, de duabus in Christo voluntatibus, pro duplicitate naturarum. Successit certamen acre & sanguinolentum, de *imaginibus*, quas Leo III. Imp. è templis deleri jussit; Gregorius III. Pontifex restitui voluit, & Imperatorem recusantem anathemate feriit, Italiamque ab eo alienavit. Successores utriusque nihil remiserunt de infestis studiis & animis. Tandem Irene, cum Constantino VI. ut morem gereret Pontifici, convocatâ Synodo Nicææ, quæ Oecumenica VII. vocatur, imagines restitui jussit, earumque cultum canonibus sancivit, & in Orientis Ecclesias invexit. Sed Carolus, designatus post Imperator Occidentis, Francofurtico egit Antisynodum, quæ decreta Nicænæ damnavit. Idem multas per Germaniam Ecclesias & Episcopatus condidit, instituit lectiones Dominicales, & leges Clero proposuit. Pontificibus autem, exemplo Patris Pipini, tum ipse, tum posteri & successores, plurimum indulserunt, quæ causa fuit plerorumque in Italia bellorum. Hæc ex Hen. Altingii *compendio* hist. Sac. repræsentare visum, ut inde complementum visionis Apocalypticæ ὡς ἐν τύπῳ agnoscas.

XXIX. Quadringentos autem & septuaginta duos circiter annos hujus ætatis Ecclesia exegit, sub Imperatoribus XXXII. A Phoca usque ad Michaëlem VI. qui coëxtiterunt toti Imperio, dum in Occidente, à seculo octavo eis coëxtiterunt XVII. in Occidente, à Carolo Magno usque ad Henricum III. inclusum, quos per compendii nostri συμμετρίαν, tantum fere nominare cogimur. In prioribus *primus* fuit Phocas, Centurio, tum Exarchus sub Mauritio, ab exercitu proclamatus, Dominum & εὐεργέτην optimum occidit, postquam omne ejus semen masculum crudelissime in conspectu ejus sustulisset. Antichristo obstetricatus est, quando Bonifacio III. Episcopo Rom. œcumenici Papæ, etiam præ Constantinopolitano, titulum contulit. Ab Heraclio, amputatis manibus, pedibus, & combusto trunco, sublatus est, postquam tyrannidem habuisset per annos IX. *Secundus*, Heraclius Cappadox, ab exercitu proclamatus, Cosroëm Persam, gloriatum, se non ante positurum arma, quam Deus Persicus, abolita Dei crucifixi Religione passim coleretur, tribus præliis confecit. Regnavit annis XXX. Sub eo ortus est Muhammed Antichristus orientalis. *Tertius* Constantinus IV. Heraclii filius, à Martina Noverca, post quintum Imperii mensem, veneno sublatus est. *Quartus* Heracleonas, Martinæ filius, à Senatu abdicatus, naribus privatus, inque carcerem missus, imperium habuit per sex tantum menses. *Quintus*, Constans II. Constantini IV. filius, Monotheleta, in Sicilia, fraude Andreæ cujusdam, in balneo strangulatus est, cum Imperium habuisset per annos XXVI. *Septimus* Constantinus V. Pagonatus, Constantis filius, cui se initio opposuit Mesentius. Fudit Saracenos & Bulgaros; sed ab his postea fusus, Imperium habuit annis XVII. *Octavus* Justinianus II. Rhinotmetus, tyrannus potius quam Imperator, cum filio Tiberio, Cæsare renunciato, & Leontio, auspiciis Callinici Patriarchæ, ad Imperium evecto, sublatus cum Tiberio filio, per Philippicum Bardanem, imperavit annis XXVI. *Nonus* Philippicus Bardanes, Patricius præcipuæ nobilitatis, Monotheleta, imagines è templis ejecit. Ab Artemio, Secretario primario, oculis & regno privatus, in carcere emarcuit, cum imperium habuisset per annos II. *Decimus*, Artemius, seu Anastasius II. à Theodosio successore Thessalonicæ ad Monachatum damnatus, imperium itidem habuit per annos II. tantum. *Undecimus* Theodosius III. Adramyttenus cognomento, ab exercitu Augustus factus; sed à Leone Isauro motus, imperium tantum habuit per annum. *Duodecimus* Leo III. Isaurus, imagines è templis ejecit, obnitentibus frustra Gregorio II. & III. Imperavit per annos circiter XXV. *Decimus tertius* Constantinus VII. Porphyrogenetus, alias Copronymus, Leonis Iconomachi filius, cui se opposuit Artabasdus Leonis gener, per biennium Constantinopoli regnans, victo

Imperatores hujus ætatis XXXII. Orientales, & XVII. Occidentales.

victo tandem Artabasdo, Anastasium Patriarcham, quod Artabasdo seditionis auctor fuisset, pessime exagitavit, imaginibus, magis etiam quam Pater fuit infensus. Regnavit per annos XXXIV. *Decimus quartus* Leo IV. Prophyrogenetus, Constantini VI. filius, per uxorem Irenen viraginem, regnavit annis V. *Decimus quintus* Constantinus VII. Porphyrogenetus cum Matre Irene, imaginibus perdite addicta, convocavit Synodum Nicænam II. pro imaginibus, quam Romanenses *Oecumenicam* lubenter salutarent. Cæterum mulier fuit imperiosa insuper & crudelis, quamobrem à populo, & exercituum præfectis, quod imperium muliebre ferre amplius non possent, ab imperio per biennium remota fuit, quod tamen postea recuperavit. Quæsiverat, & adepta fuerat filio Constantino, Rotrudin Caroli M. filiam, pro uxore, quod tamen matrimonium, invito filio, postea retractavit, obtrusa ei Maria quadam ex Ameria, quam tamen Constantinus repudiavit, ducta Theodora quadam. Id interim egit Irene, ut filius imperio indignus haberetur, ipsaque eum oculis crudeliter privavit, à quo paulo post fatis cessit, præterea reliquos mariti fratres, adeoque universum Leonis Isauri genus exstinxit, & ad nuptias cum Carolo M. adspiravit, & nova consilia de utroque imperio conjungendo, denuo agitare incepit, quæ cum Proceribus Græcis displiceret; in Lesbum relegata fuit. Interea, quod obstetricaretur Pontifici Romano, à Romanensibus, Sanctis etiam connumeratur. Regnavit autem, cum Filio, per annos VII. & remota per annos II. postmodum restituta rursus cum Filio, & post filium sola, universim per annos XXII. Sub ea Imperium occidentale revivisere cœpit, per Carolum M. eademque opera schisma inter Orientale & Occidentale Imperium cessavit. Nos interim reliquos Imperatores Orientales paucis prosequemur, tum ad Occidentales regrediemur. Fuit ergo *decimus sextus* Imperator Græcus Nicephorus, quem nonnulli Irenes fratrem arbitrantur. Hic fœdus cum Carolo M. certis conditionibus pepigit, eique totum Occidentem, cum magna parte Italiæ, Longobardis erepta, cessit, tandem à Crumno Bulgarorum Rege, trucidatus obiit, post annos Imperii IX. Successerunt ergo *decimo septimo*, Stauratius, Nicephori filius, & Michael I. & Rangabonus Curopalates seu curator Palatii, gener Nicephori, cum filio Theophylacto. Stauratium, quem Pater Augustum dixerat, ob corporis deformitatem & ingenii stoliditatem, in Bizantinum monasterium conjecerunt, suffecto quem diximus Michaële Curopalate, qui & ipse ad monasterium damnatus fuit. Præfuerunt isti per annos II. tantum. Successit *decimus octavus* Leo V. Armenius, itidem imaginum proturbator, in choro Symphoniacorum, per conjurationem trucidatus obiit, postquam præfuisset annis VII. Successit *decimus nonus*, Michaël Thraulus, è carcere, in quem conjectus erat ob conjurationem in Leonem, imperio admotus. Præfuit annis IX. *Vigesimus* Michaël Theophilus, filius Leonis, à justitia commendatus, a dysenteria periit, postquam clavum habuisset per annos XIII. Successit *vigesimus primus* Michaël III. secundi filius, quem & Michelottum vocant, Porphyrogenetum, cum Matre Theodora prudentissima; sed quam ad monasterium damnavit scurra, eversus tandem à Basilio Macedone, cum omnes isti imperium habuissent per annos XXV. Successit *vigesimus secundus*, Basilius Macedo, per annos XXII. Successit *Vigesimus tertius*, Leo VI. filius Basilii, à studio Philosophiæ sapiens dictus, per annos XXV. Et huic *vigesimus quartus*, Alexander, Leonis frater, moribus dissimillimus, in voluptates profusus, sed per menses tantum XIII. Successit *vigesimus quintus*, Constantinus VIII. Leonis sapientis filius haud degener, cum Matre Zoë, Socero Romano Iacopeno, ejusque filiis, Constantino IX. Stephano & Christophoro, & Nepote Romani II. imperium habuit, per annos XLIX. Successit *vigesimus sextus*, Romanus III. Constantini VIII. filius, ignaviissimus, per annos IV. Successit *vigesimus septimus*, Nicephorus II. qui duxit Theophaniam, uxorem Romani III. sublatus consiliis Johannis Zimisces, ubi præfuisset annis VI. Successit *vigesimus octavus*, Johannes Zimisces, gener Romani III. lento veneno à Basilio Eunucho occisus, cum imperasset per annos VI. Successerunt pro *vigesimo nono*, Basilius & Constantinus X. Porphyrogenetus filii Romani III. quibus se oppossuere duo Bardæ, multis expeditionibus clari, per annos IIII. Secuti sunt pro *trigesimo*, Romanus IV. Argyrus gener Constantini X. ejusque uxor Zoë, hunc uxor procaciissima, insidiis adulteri, in balneo, post V. imperii annum suffocavit, superstite Zoë per annos II. adeoque simul per annos VII. Successit *trigesimus primus*, Michaël Calæphatus, Stephani filius, & Michaëlis Paphlagonis è sorore nepos, à Zoë adoptatus, per menses VI. Successit *trigesimus secundus*, Michaël Paphlago, alter maritus Zoë. Hic imperium inique partum æquius administravit, beneficum passim sese præbens. Præfuit per annos VII. Successit *trigesimus tertius*, Constantinus XI. Monomachus, tertius maritus Zoë, quæ & ipsa verius imperavit, per annos XII. Cui tandem successit *trigesima quarta*, Theodora Zoæ Soror, Constantini X. filia, quæ Stratioticum adoptatum purpura induit. Præfuit per annos II. Habuimus Imperatores Orientales hujus ætatis: subjungamus etiam Occidentales XVII. à Carolo Magno, qui imperium suscepit ineunte seculo octavo, regnante in Oriente Irene, quam diximus, usque ad Henricum IV. exclusum. In his ergo (1) est *Carolus* I. M. ad cognomento *Magnus*. Natus Avo Carolo Martello, Patre Pipino Crasso Duce Brabantiæ, & Principe Austra-

Imperatores Occidentales XVII. à Carolo M. ad Henricum IV.

exclusum. Auſtraſiæ. Lucem primum aſpexit Caroloburgi in Bavariâ. Leonem III. Pontificem ejectum reduxit, varios epiſcopatus fundavit, A. C. DCCC. in ipſis Chriſti natalitiis, à populo Romano, Imperator ſalutatus eſt. Perperam igitur Gnathones Papæ, per Leonem III. Imperium ad Germanos tranſlatum garriunt, quod potius triplici jure obtinuit: *belli* ſeu armorum, *ſuffragii* ſeu conſenſus Senatus populique Romani, & *transactionis* cum Imperatoribus Orientalibus, qui omne jus in Occidentem, ei ſponte conceſſerunt, ut uterque Imperator, Auguſti & fratres dicerentur: ille Orientis; hic Occidentis. Fuit Carolus Princeps optimus, pacis & belli artibus inſtructiſſimus. Per Alcuinum Præceptorem imprimis, Religionem conſtituit, ipſe imperium novum legibus æquiſſimis circumſcripſit, grammaticis præceptis, linguam vernaculam incluſit. Imperium habuit per annos XIV. (2) fuit *Ludovicus* I. cognomento *Pius*, Caroli ex Hildegarde filius. Hunc moriturus, teſtamento Imperii hæredem ſcripſit, addito Galliæ, Germaniæ & Hiſpaniæ citerioris regno: Bernhardo ex Pipino nepoti, Italiam addixit, quem poſtea Ludovicus monaſterio mancipavit, eique Lotharium, ex Hermingarde filium, in Italia præfectum ſubſtituit. Dein ad luxum & faſtum Epiſcoporum coërcendum converſus, tantum incurrit eorum odium, ut omnibus viribus, ad illum evertendum contenderent, eoque rem perducerent, ut à propriis filiis, Lothario, Pipino, Ludovico & Carolo, monaſterio includeretur; à quo tamen, per Proceres Germaniæ, liberatus & Imperio reſtitutus fuit. Novos inſultus à filiis, cumprimis à Carolo, declinarunt ejus fata, poſtquam præfuiſſet annis XXVI. Hinc (3) fuit *Lotharius* I. Ludovici filius: ei bella funeſtiſſima interceſſerunt cum fratribus, pariter & hoſtibus. Cum per XV. annos præfuiſſet, in tres filios ſuos regna ſua partitus eſt; Ludovicum II. Imperatorem fecit & Dominum Italiæ: Carolum Regem Galliæ Narbonenſis: Lotharium Lotharingiæ, quæ tamen regna, tandem ad Ludovicum II. devoluta ſunt. Proinde (4) *Ludovicus* II. Lotharii filius. Saracenos è Campania pepulit. Præfuit imperio per annos XX. Succeſſit (5) *Carolus* II. Calvus, Ludovici I. filius, Rex Galliæ, per avaritiam bellis implicitus non neceſſariis, poſt duorum annorum imperium deceſſit. Succeſſit (6) *Ludovicus* II. *Balbus*, filius Caroli, Rex Galliæ; auctore Pontifice, Imperii titulum uſurpavit; ſed vix per biennium. Secutus eſt (7) *Carolus* III. Craſſus, Ludovici I. ex filio Ludovico Rege Germaniæ, nepos. Proceribus dudum dignus videbatur, cui regnum committeretur, paulo tamen poſt, in eorundem odium incidit. Imperium habuit per annos VIII. Succeſſit (8) *Arnulphus*, Caroli Craſſi, ex fratre Carolomanno, nepos, veneno periit, poſtquam præfuiſſet annis XII. Secutus eſt (9) *Ludovicus* III. ultimus ex ſtirpe Caroli M. imperium habuit perturbatiſſimum, quamobrem animi ægritudine mortuus eſt, ubi præfuiſſet annis XII. Succeſſit (10) *Conradus* I. Dux Franconiæ & Haſſiæ, majoribus Procerum votis, præ Carolo Simplice Galliæ Rege, electus; adverſos ſibi Proceres proſcripſit. Moriturus Henricum Aucupem, virum ſapientem & fortem, ſibi ſucceſſorem declaravit. Imperavit annis VIII. Succeſſit (11) quem diximus, *Henricus* I. Auceps, Dux Saxoniæ, Arnulphi ex filia nepos, pluribus bellis victor, deceſſit cum imperium habuiſſet per annos XVII. Eum ſecutus eſt (12) *Otto* I. *Magnus*, inſtaurator Imperii, filius Henrici Aucupis. Johannem XIII. Pontificem Romanum ſede movit, eique Leonem VIII. ſubſtituit, tumultuantes Romanos, urbe captâ, compeſcuit. Multas Eccleſias fundavit. Imperavit annis XXXVII. Succeſſit (13) *Otto* II. Ottonis I. filius, *pallida mors* Saracenorum appellatus, regnum habuit per annos X. Secutus eum fuit (14) *Otto* III. ſecundi filius, dictus *mirabilia mundi*. Conſtituit, ut jus eligendi Imperatorem, excluſis omnibus exteris & peregrinis, per ſolos Germanos exerceretur. Creſcentium Conſulem Romanum, qui Pontificem urbe pepulerat, cum XII. ſeditionis ſociis, juſtis pœnis coërcuit, ſed tertia vice in Italiam reverſus, à Creſcentii uxore, quam deperiit, venenatis chirothecis periit, ubi imperaſſet annis XIX. Succeſſit (15) *Henricus* II. Sanctus, ſeu Claudus, Dux Bavariæ, Henrici Aucupis pronepos. Quia cum Cunigunda uxore vitam cœlibem egit, à Monachis *Sancti* titulum conſecutus eſt. Imperavit annis XXII. Succeſſit (16) *Conradus* II. Saliquus, Dux Franconiæ, qui præfuit annis XV. Ei ſucceſſit tandem (17) *Henricus* III. Niger, Conradi II. filius. Tres Romanos Pontifices uno tempore, in tres monſtroſas factiones abeuntes, depoſuit, & juramento Romanos obſtrinxit, ne, inſcio Imperatore, Papam unquam eligerent, & ſic dignitatem imperatoriam, adverſus tyrannidem Pontificiam, illibatam conſervavit. Imperavit per annos XVII.

XXX. His utriusque Plagæ Orientalis & Occidentalis, Imperatoribus coëxiterunt Pontifices Romani. Nim. (1) *Bonifacius* III. Romanus, hic primus à ſcriptoribus *Papa Oecumenicus* ſalutatur, ſcil. non jam amplius auctoritate propriâ & privatâ; ſed *publica* Imperatoris. Cum enim Phocam Imperatorem, quem Patriarcha Conſtantinopolitanus, ob parricidium in Mauritium Imp. commiſſum, acrius reprehenderat, abſolviſſet, ſceluſque probaſſet; obtinuit conſenſu tyranni, titulum *ſummi Pontificis*, jusque convocandi Synodos, & ſic contentio deſiit, quæ hactenus, inter Romanos & Conſtantinopolitanos Epiſcopos duravit. Sedit tantum per menſes VIII. & 23. dies. Pontifices Romani ætatis N. T. quarta.

(2) *Boni-*

(2) *Bonifacius* IV. Marsus. Sub hoc Romæ celebrata fuit Synodus, in qua promulgatum fuit privilegium Phocæ, de primatu Ecclesiæ Romanæ. Insuper Pantheon, nondum ab idolis repurgatum, à Phoca obtinuit, & S. S. Mariæ, omnibusque Martyribus dedicavit, &, gentilium more, Sanctos mortuos ad cultum prostituit. Sedit annis VII. (3) *Deus dedit* seu Theodatus Rom. forte electus, cum de ejus electione diu non conveniret. Ab hoc cognatio *spiritualis* traxit originem, ne quis eam quam ex Baptismo levasset, aut cum qua infantem suscepisset, duceret. Sedit annis IV. (IV) *Bonifacius* V. Campanus, qui asyla in templis constituit, & Christum pro originali tantum peccato, mortuum dixit. Sedit annis VIII. (5) *Honorius* Campanus. Accusatur à Græcis, quod Monotheletarum hæresi fuerit addictus, & à Synodo Constantinopolitana VI. fuerit damnatus. Sedit annis XII. & V. mensibus. (6) *Severinus* I. Romanus, cum in sumptus militares nihil vellet conferre, thesauris ecclesiasticis ab Exarcho exutus est. Sedit per menses XI. (7) *Johannes* IV. Dalmata, qui multa Christianorum millia, soluto lytro, à Saracenis redemit. Sedit per annum I. & menses IX. (8) *Theodorus* Græcus. Sedit per annos VII. & menses 5. (9) *Martinus* Thuscus, à Constantinop. Imp. Monotheleta in exilium deportatus, & lingua manuque truncatus. Sedit per annos VI. menses III. dies XIII. (10) *Eugenius* I. Romanus. Primum Vicarius abducti Martini, dein Papa. Sedit per annos III. (11) *Vitalianus* Campanus, qui omnia sacra, in omnium Christianorum templis, Latino sermone fieri jussit. Unde quidam existimant, numerum 666. Apoc. XIII. non solum huic tempori; sed etiam isti ordinationi (puta voci λατεῖνος) quadrare. Sedit annis XIV. & 5. Mensibus. (12) *Adeodatus* Romanus, qui prodigiis variis, furores Turcicos nunciantibus, territus, preces publicas adornavit. Sedit annis VII. mensibus 2. (13) *Donus*, vel Dominus Rom. quem primum Vicarium Christi appellarunt, sub quo prima Missa Latina est decantata, juxta Wolph. *Lect. Memor. Cent.* VII. Sedit per annum I. & menses V. (14) *Agatho*, sedit annis IV. Post quos sedes vacavit per annum I. & VI. menses. (15) *Leo* II. Siculus. Sedit per menses X. & dies 18. (16) *Benedictus* II. Rom. Hujus primum tempore, indultum est à Constantino IV. ne confirmatio Pontificis ex aula peteretur; sed ut rata esset electio Cleri, populi & exercitus Romani, sine suffragio Imperatoris aut Exarchi, quod tamen non valuit sequentibus seculis, usque ad Henricum IV. Sedit per annum I. (17) *Johannes* V. Antiochenus. Sedit per annum I. & dies II. (18) *Conon* I. Thrax. Hic incidit schisma VII. Petri Archiepiscopi & Theodori Archipresbyteri, aliis octavum. Sedit Conon per menses XI. & dies 23. (19) *Sergius*, Syrus. Sedit per annos XIII. & menses VIII. Sub eo fuit VIII. aliis IX. schisma, Theodori Archipresbyteri, cum Paschali armis de papatu certantis, & Paschalis Archidiaconi, qui auro papatum ab Exarcho obtinere conatus est; Sergii tempore, Orientalis Ecclesia à Pontifice Romano se separare cœpit. Decrevit etiam in Concilio Constantinopolitano, Conjugium Clericis liberum esse, modo abstinerent ab uxoribus, tempore administrationis mysteriorum. (20) *Johannes* VI. Græcus. Sedit per annos III. & menses II. (21) *Johannes* VII. Græcus. Sedit per annos II. & menses VII. (22) *Sisinnius* I. aliis Sozimus, Syrus. Sedit per dies 20. (23) *Constantinus* I. Syrus. Huic primum Platina, Blondus, Nauclerus dicunt, Justinianum II. osculo pedes salutasse, eoque in superbiam magis erectum, cultum imaginum, anathemate in Philippicum vibrato, statuminasse. Sedit annis VI. & mense I. (24) *Gregorius* II. Syrus, simulator callidus. A Leone Isauro Imp. qui cultum imaginum improbavit, totum fere Occidentem abstraxit, & Francis occasionem dedit occupandæ Italiæ, etiam arma suscepit adversus Eutychium Imp. præfectum, & Longobardos. Sedit per annos XVI. & menses VIII. (25) *Gregorius* III. Syrus. Odia continuavit in Leonem Isauricum, eumque imperio indignum pronunciavit, & ab eo Occidentis partes alienavit, Leo interim excommunicationem Pontificis audiens, ridendo dixit: Idololatra est, ipsemet à Deo excommunicatus. Sedit annis X. mens. IX. & dieb. 12. (26) *Zacharias*, Græcus, qui Regibus Franciæ, Episcopos constituendi potestatem concessit. Chilpericum Franciæ Regem legitimum, in monasterium detrusit, & Pipino diadema Francicum imposuit. Hic incipit schisma IX. aliis X. Bellarmino VIII. per Theophylactum Antipapam. Virgilium Episcopum hæreseos damnavit, quod statueret Antipodas dari. Sedit annis X. & mens. III. (26) *Stephanus* II. tertio die post electionem apoplexia obiit, ac propterea inter Papas, à Platina non numeratur. (27) *Stephanus* III. primus in sella, humeris humanis ad templum portari voluit. Infestatus ab Aistulpho Longobardorum Rege, Pipini opem imploravit & obtinuit, compositio inter eos negotio. Sed Aistulpho, nec sic acquiescente, Pontifex in Galliam profectus, Pipinumque & filios, Carolum & Carolomannum, Reges Galliæ inunxit, reductusque à Francis, victo Aistulpho, universum Exarchatum Ravennensem, cum Ducatu Spoletano & Beneventano, multisque aliis regionibus, quæ Imperatoris Constantinopolitani erant, sub emendicato titulo PATRIMONII PETRI accepit, adeoque inflatus fuit, ut non tantum Pipino & Carolo permitteret, sibi pedes à procumbentibus osculari, & stapedes ab eis velut stratoribus teneri; sed &,

quasi triumphum agens, humeris subeuntium, ad Basilicam Lateranensem portari voluerit. Sic Papa Principum Christianorum Deus terrestris esse cœpit, & mundi Monarchas sibi subditos fecit. Quod si autem nunc primum, à Pipino datum est Papæ, hoc imperium Pontificium, ut loquuntur Viterbiensis & Frisingensis; quid opus erat fingere, à Christo, vel à Petro, vel à Constantino M. id ortum traxisse. Sedit per annos v. & dies XXVIII. (28) *Paulus* I. Rom. frater Stephani III. insignis Pipini adulator. Huc quidam referunt schisma X. per Theophylactum Antipapam, aliis XI. Schisma. Vacat sedes per annum I. Sedit autem Paulus per annos X. & mensem I. (29) *Constantinus* Rom. à Platina aliisque, numero Paparum exclusus, Antipapa vocatur, quod à Fratre Totone Duce Neposino, cum nondum ullis esset initiatus sacris, biduo antequam Paulus moreretur, malis artibus intrusus fuerit, tandem à Romanis ejectus & trucidatus, quum sedisset per mensem I. (30) *Stephanus* IV. Siculus. Hic Mediolanensem Ecclesiam, hactenus liberam, jugo Pontificio subjecit. Philippus Antipapa, die quinto post electionem in Monasterium detrusus est. Sedit Stephanus per annos III. menses 5. & dies 28. (31) *Hadrianus* I. Rom. Pontificatum habuit per annos XXIII. & X. menses, nec quisquam diutius. (32) *Leo* III. Rom. à Romanis, quibus contumeliose habitus & oculis læsus, ac dimissus, ad Carolum profectus, restitutionem obtinuit, se de objectis criminibus juramento purgavit, & in ipsis natalitiis Christi, anno DCCC. Carolum M. cum applausu populi, Imperatorem pronunciavit. Sedit per annos XX. menses 5. (33) *Stephanus* V. Rom. largitionibus mortuo Leoni suffectus est, non exspectato consensu Imperatoris, cui electio Pontificis, decreto Adriani & Leonis, subjecta fuerat. Et Imperator quidem Ludovicus juris sui non admodum tenax fuit, præsertim cum Pontifex, sese excusaturus in Gallias excurreret, & coronis Roma adductis, Ludovicum cum conjuge inauguraret. Reversus Romam, suos Stephanus docuit, paulatim esse infringendam illam Imperatoris potestatem, ac licere Pontificem sine ejus auctoritate eligere; sed electum non oportere consecrari, sine illius assensu, & Legatorum ejus præsentia. Ast sedem non habuit, nisi per v. menses (34) *Paschalis* I. Rom. homo ferus & violentus. Cum & hic absque Imperatoris consensu eligeretur; Ludovicus Majestatem suam læsam dixit: sed purgavit se Paschalis per literas & nuncios, & placato Imperatore, Theodorum Primicerium, & Leonem Nomenclatorem, jus Imperatoris defendentes, oculis & vitâ, subornatis sicariis, privavit, seque Synodo convocata, juramento purgavit, & nihilominus interfectores absolvit, & jure cæsos esse pronunciavit. Sedit per annos VII. menses 3. & dies XVI. (35) *Eugenius* II. schisma XI. aliis XII. excitatum fuit electo Zinzimo Rom. Presbytero Cardinali. Ludovicus molestè ferens schisma Antipaparum, Lotharium filium Romam misit, qui Eugenii electionem confirmavit & Magistratum delegit, qui populo Rom. jus diceret. Eugenius autem, à suis tandem, nescio quam ob causam, oculis & vita privatus est, cum sedisset annis III. mensibus 2. diebus 20. (36) *Valentinus* Rom. post dies XL. obiit. (37) *Gregorius* IV. Rom. toto Pontificatus curriculo, bellicis negotiis implicitus. Noluit prius Pontificatum suscipere, quam electionem Imperator approbasset. Approbatus, Ansgarium Hamburgensibus Archiepiscopum, & in omnia regna Aquilonis, Legatum Pontificium constituit, ut eorum Ecclesias suæ potestati subjiceret. Ipsus ille est, qui, bello à filiis contra Patrem Ludovicum moto, pro concordia fancienda missus, dissensionem parricidialem non amovit; sed contra datam Imperatori fidem, ad castra filiorum transiens, rumorem sparsit, quasi Ludovicum excommunicasset, ideoque optimus Imperator capitur, custodiæ mancipatur, & in monasterium detruditur. Eo vero dignitati à Proceribus restituto, Pontifex vafer, se ad potentiores partes, relictis filiis, reclinavit. Sedit annos XVI. (38) *Sergius* II. Rom. à Platina quidem laudatus; ab aliis, ob ambitionem & avaritiam vituperatus. Antea *os porci* dictus, mutata nominis turpitudine, non exspectato Lotharii Imp. consensu, se passus est ordinari: hinc filium suum Ludovicum Lotharius cum exercitu Romam misit, & sic Romani fidelitatem Imperatori jurarunt, Sergio tandem, post multas contentiones in sede confirmato, qui deinde Ludovicum Regem Longobardorum inunxit. Saracenis paulo ante ejus obitum, Italiam immanissime vastantibus. Sedit per annos III. & mensem I. (39) *Leo* IV. Rom. Saracenos exercitu conscripto, & indulgentiis armato, Italia expulit. Ethelwolfum monachum, ex regiâ stirpe oriundum, sua dispensatione Regem Angliæ fecit, & imperavit, ut in remunerationem sibi quotannis, ex singulis ædibus, nummum argenteum numeraret, quem DENARIUM PETRI vocabant. Sedit annis VIII. mens. 3. dieb. 5. (40) *Johannes* VIII. seu potius Johanna Papissa, antea Gilbertus dicta. Fœminam fuisse, negant Aventinus, Onuphrius, Baronius: affirmant inter innumeros alios, Wolphius Lect. Memor. Cent. IX. à folio 224. ad 239. Magd. *Cent.* IX. cap. X. Illyr. in *Catal. test. verit.* lib. X. Conf. imprimis Celeb. Spanhemii *disquisitio de Papa fœmina.* Res sic narratur. Gilberta nata Moguntiæ ex scorto, quod gravidum Sacrificus quidam ex Anglia secum duxerat: cum virili ingenio esset prædita Gilberta, sexum mentita, cum Monacho quodam amatore, primum Fuldense cœnobium, dein Græciam ingressa est,

eſt, & linguarum uſu, diſputandique ſolertia ſibi comparata, Romæ tandem docuit, ac ſua eruditione, omnium benevolentiam ſibi conciliavit, adeo ut Leoni mortuo, Imperatoris conſenſu, ſubſtitueretur. Deinde, ſive à Cardinali domeſtico; ſive à ſervo, ut Platina habet, impræ̃gnata, cum uterum occultaret, in ſolenni proceſſione, doloribus partus obortis, enixa & exſtincta eſt. Sedit annis II. menſibus 5. dieb. 4. (41) *Benedictus* III. Cum quo fuit ſchiſma XII. aliis XIII. excitatum per Anaſtaſium Rom. Benedictus quidem invitus factus erat Pontifex; ſed cum Imperatoris Legati, cujus conſenſus in electione non fuerat exſpectatus, Anaſtaſium ſubſtituerent; cedere noluit, & tandem populo, Anaſtaſium, tanquam à Leone olim excommunicatum, deteſtante, Legatos ſuæ electioni habuit conſentientes. Sedit aliis per annos II. cum dimidio; aliis per menſes VIII. & dies 16. (42) *Nicolaus* Rom. Hunc, inquit Platina, nolentem in ſolium apoſtolicum collocarunt, & quidem præſente Ludovico Imp. Confirmatus vero, non erubuit, ſe equitem, Imperatore pedite & ſtratore, per mille paſſus in caſtra perduci. Præterea Eccleſiam Ravennatem in perpetuam ſervitutem redegit, Bremenſem cum Hamburgenſi conjunxit: ſeque & ſucceſſores à nullo judicari voluit. Sedit annis IX. menſ. VI. dieb. 10. (43) *Hadrianus* II. Rom. etſi abſque ſuffragio Imperatoris erat deſignatus; attamen tranquillitatis ergo, in ejus electionem conſenſum eſt. Ipſe vero, in Synodo Conſtantinopolitana, imaginum cultum Græcis obtrudere conatus eſt, Ducatum Spoletanum, Duce Lamberto, ob Romam, eo tempore, quo Pontifex eligendus erat, direptam, excommunicato, armis Francorum ſibi ſubjecit, & Lothario, Imperatoris fratri, Romam venienti, talem cœnam adminiſtravit, ex qua ipſe Lotharius poulo poſt in reditu moreretur, & omnes ejus ſatellites, intra annum exſtingueruntur, ut ex Sigeberto Magdeburgenſes teſtantur. Sedit annis circiter V. (44) *Johannes* IX. Rom. Caroli Calvi partes, contra Ludovici filios defendit, eoque ex potione venenata defuncto, cum vellet Caroli filium, Ludovicum Balbum Imperatorem deſignare; à Proceribus in vincula conjectus eſt: ſed ex illis elapſus, & in Galliam fugiens, Ludovicum coronavit, Romamque reverſus, Saracenos ex Italia, armis Principum Chriſtianorum ejecit. Sedit annis X. (45) *Martinus* II. ab Onuphrio Martinus I. vocatus, Gallus, malis artibus Pontificatum adeptus eſt. Sedit per annum I. & dies XX. (46) *Hadrianus* III. quem alii nominant Agapetum, Rom. Hic Carolo Craſſo Imp. bello Normannico occupato, ad Senatum populumque Romanum retulit, ne in creando Pontifice, auctoritas Imperatoris exſpectaretur; ſed Romæ ſemper libera eſſent Cleri & populi ſuffragia. Sedit per annum I. menſ. III. dies 19. (47) *Stephanus* VI. aliis V. Rom. qui videtur etiam Baſilius dici. Sedit annis VI. (48) *Formoſus* I. Portuenſis Epiſcopus. Contra hunc Sergius III. Antipapa excitat ſchiſma XIV. aliis XIII. Hic Formoſus, quia inter eos fuerat, qui Johannem IX. in vincula conjecerant, à Pontifice liberato, omni dignitate privatus, profana indumenta, juramento interpoſito, ſe nunquam Romam; vel ad Epiſcopatum reverſurum, aſſumſit. Sed non ſolum à Martino II. Epiſcopatui eſt reſtitutus; ſed & Stephano defuncto, cum jam Sergius eſſet ordinandus, cum ſuis in templum irrumpens, illo ab altari remoto, conſecratus eſt. Paulo poſt, cum à Saracenis urgeretur, & ab Arnulpho Imp. defendi non poſſet, Guidonem Ducem Spoletanum, Imperatorem Pontificium ſalutavit: aſt mox, cum præſidium Romanis Guido imponeret, deficiens ab eo, Arnulphum Imp. evocavit, à quo etiam Guido fugatus, periit. Sedit annis IV. & 6. menſ. (49) *Bonifacius* VI. Thuſcus, invaſor ſedis, præfuit tantum per dies XXVI. aliis XV. aliis menſ. VI. (50) *Stephanus* VII. aliis VI. Rom. Sedit per menſes II. Hic omnia decreta Formoſi, quia contra juramentum, Romam & Sacerdotium repetiiſſet, irrita pronunciavit, omnes ab eo ordinatos exauctoravit, ipſiuſque cadaver effodi, Pontificalibus indui, & accuſatum ac damnatum iterum ſpoliari, amputatiſque tribus digitis, in Tiberim abjici curavit. *Hoc ſcil. tempore*, ait Baronius, *ad Pontificatum pervenere homines monſtroſi, vita turpiſſimi, moribus perditiſſimi, & undiquaque fœdiſſimi*, & ut Stella ait, *omnis virtus, tam in capite; quam in membris, ex hominum ignavia conſumta fuit.* (51) *Romanus*, Formoſi cauſam iterum approbans, anteceſſoris decreta reſcidit. Sedit per menſes VI. (52) *Theodorus* II. Rom. Et hic Formoſi cauſam egit. Nonnulli ipſi tribuunt dies tantum XX. alii annos VI. (53) *Johannes* X. aliis IX. monachus Benedictinus. Huic ſchiſma XV. movit Sergius III. quod per quinquennium duravit. Formoſi acta in integrum reſtituturus, ſeditioni maximæ cauſam præbuit, & inimicos fugiens, Ravennam conceſſit, ibique Concilio LXXIV. Epiſcoporum coacto, Formoſi decreta rata eſſe cenſuit, decretis Stephani, igni traditis. Sedit aliis per annos IV. aliis per II. tantum. (54) *Benedictus* IV. Rom. Sedit per annos III. & dimidium. (55) *Leo* V. à ſucceſſore in carcerem, poſt XL. dies detruſus eſt. (56) *Chriſtophorus* I. Rom. à ſucceſſore, armata manu Romam occupante, in monaſterium detruſus, & in carcere mortuus eſt, cum ſediſſet per menſes circiter VII. Referunt huc ſchiſma XIV. aliis XV. inter Leonem & Chriſtophorum. (57) *Sergius* III. qui jam bis ſede pulſus erat. Formoſi acta iterum damnavit. Sedit aliis per annos II. aliis per VII.

(58) Anastasius III. Rom. per annos II. (59) *Landus* I. Sabinus, per mensem I. & dies 22. (60) *Johannes* XI. aliis X. Ravennas, Landi, Secundum Balæum, ex adulterio filius. Hic à Meretrice Theodorâ, Adelberti scorto nobili adamatus, & ad stuprum illectus, Pontificatum accepit. Operâ Alberici Marchionis Hetruriæ, Saracenos expulit. Quam victoriam, cum sibi, triumpho urbem ingressus, adscriberet; Ungaros Albericus evocavit, qui gravius quam Saraceni, Italiam afflixerunt. Ideoque Guido Marchio Thusciæ, præfectus rei bellicæ, Pontificem, Maroviæ conjugis libidinosissimæ instinctu, cervicali in os conjecto, suffocat, & alium *Johannem* XII. ei surrogat, quem ex Marociâ adulterâ, Sergius III. genuerat, inter Pontifices nunc nondum numeratum: quia & vi sedem occupavit, & statim à Clero & populo dejectus fuit. Sedit per annos XV. (61) *Leo* VI. Rom. veneno à Marocia sublatus, per menses VII. (62) *Stephanus* VIII. aliis VII. Rom. itidem veneno sublatus. Sedit per annos II. (63) *Johannes* XII. qui antea dejectus fuerat, iterum à Matre adultera Marocia intrusus. Sedit per annos V. (64) *Leo* VII. Rom. Sedit per annos IV. (65) *Stephanus* IX. aliis VIII. primus ex Germanis. Pontificatum iniens, inquit Platina, ita à Romanis vexatus est, ut nil memoria dignum ab eo geri potuerit. Imo in tanta seditione mutilatus, turpiter aliquamdiu vitam duxit, cum ob inhonesta vulnera, in publicum prodire erubesceret. Sedit per annos III. & menses IV. (66) *Marinus* III. à mansuetudine, Platinæ commendatus. Sedit annis III. mensib. III. diebus 13. (67) *Agapetus* II. Rom. Hic adversus Berengarium, qui se Regem Italiæ nominabat Ottonem I. Imp. evocavit, ejusque ope tandem Berengarium regno ejecit. Sedit per annos X. menses III. dies 10. (68) *Johannes* XIII. aliis XII. antea Octavianus, Guidonis & Marociæ filius, monstrum horrendum. Ab adolescentia omnibus probris contaminatus, ut habet Platina, Ottoni I. adversus Berengarium, cum exercitu quinquaginta millium accurrenti, eumque subjuganti, juramento promisit vitam faniorem, & ab eo ingentibus muneribus honoratus est; ast ubi Imperator discessisset, ad ganeam, veneficia aliaque flagitia, mox reversus est, nec tantum contra jusjurandum, Berengarii filium Adelbertum evocavit; sed etiam Constantinopolitanos adversus Ottonem concitavit. Advolat igitur Otto, & Romam, unde aufugerat Johannes, ingressus, cives invenit obsequentissimos, ut & fidelitatem promitterent, & jurarent, se præter consensum Imperatoris, nunquam electuros Pontificem, quin &, Concilio coacto, deponit Johannem, ut qui esset sacrilegus, adulter, duarum sororum incestuosus corruptor, quique ense, galea & lorica armatus, in publicum prodiisset, in diaboli amorem vinum bibisset, in aleæ ludo, Veneris, Jovis aliorumque dæmonum opem expetiisset. Sedit annis circiter IX. (69) *Leo* VII. Rom. ab Ottone coacta Synodo electus est: in cujus tamen locum Romani Benedictum V. elegerunt; sed quos Imperator Otto ferro & flammis coëgit, ut Benedicto dedito, Leoneque recepto, nihil se earum rerum immutaturos jurarent, quas ipse Imperator in re pontificia constituisset. Et Leo Pontifex imperio reddidit quæcunque ab eo alienata fuerant, potestatemque eligendi Pontifices, populo & Clero Romano ademptam, ad Imperatorem transtulit: & ob hoc, à recentioribus Pontificiis, numero Paparum, velut Antipapa, eximitur. Fuit ergo hîc schisma XVI. Sedit per annum & III. menses. (70) *Johannes* XIV. aliis XIII. qui primus fertur campanas baptizasse. Hic Romani, memores jurisjurandi Imperatori facti, miserunt, qui creandi potestatem obtinerent, qui obtinuerunt Johannem hunc; sed cum ipsis non placeret datus, ipsum in vinculis detinuerunt, ferè per annum, verum accelerante Ottone, in dignitatem restitutus est. Sedit per annos VI. menses XI. & dies 5. (71) *Donus* II. vel Domnus, hunc quidam omittunt, & ejus loco collocant Benedictum quendam, & Bonifacium VII. Alii ipsi tribuunt annum I. & menses III. (72) *Benedictus* VI. aliis VII. &, per schisma XVII. Bontifacius VII. Illum hic violenta manu cepit, & in carcere strangulavit. Sed odiis omnium in ipsum exardescentibus, fugere coactus Pontificatum fuit. Spoliatâ igitur, omnibus thesauris suis Ecclesia, Constantinopolin adiit, & post decennium, animis Romanorum, magna auri vi expugnatis, & cum Johannem XIV. fame enecasset, & insepultum abjecisset, scelerum conscientia excruciatus, subitanea morte corruit, Clericique, funepedibus ejus injecto, protraxerunt in viam publicam, ubi lanceis & aculeis est confossus, tandemque, velut homo laicus, sepulturæ traditus. Sedit per annum I. & III. menses. (73) *Benedictus* VII. aliis VIII. qui pro Ottone III. in Imperatorem eligendo, fuit sollicitus. Sedit annis IX. & mense I. (74) *Johannes* XV. aliis XIV. In carcere à Bonifacio VII. Pontificatum per menses IV. recuperante, necatus fuit. Sedit per menses IX (75) *Johannes* XVI. aliis XV. Hunc Baronius cum Johanne sequente, nec forsan sine ratione, confundit; separatim tamen recenset Platina. Ob avaritiam à Clero in carcerem conjectus fuit. Sedit per III. menses (76) *Johannes* XVII. aliis XVI. Hic religionis negotia majori cura tractavit, quam antecessores. Ipsum Crescentius, urbis imperium sibi rapiens, in Hetruriam exulatum secedere coëgit: sed cum Ottonis III. Imp. iram metueret, revocavit, & pedum osculo honoravit. Sedit per annos X. aliis per menses

ſes IV. (77) *Gregorius*, antea Bruno, Dux Sueviæ, cui ſchiſma movet Johannes XVIII. aliis XVII. Bellarmino XIII. In Ottonis gratiam, ut reconciliaretur Creſcentio, cognatus Ottonis, Papa ordinatus eſt: ſed Creſcentius, poſt diſceſſum Cæſaris, cum nonnullis, ægrè ferens, Germanum Eccleſiæ Romanæ præceſſe, pulſo Germano, Græculum quendam, nativitate ſervum, Epiſcopum Placentinum, hominem ambitioſiſſimum & iniquiſſimum, à quo magnum auri pondus acceperat, Pontificatum occupare juſſit, & Johannem XVIII. nominavit. Cinxit ergo Otto urbem longâ obſidione, & intromiſſus, invaſori ſedis oculos eruit, digitos amputavit, eumque ſordidis indutum veſtimentis, aſino imponi juſſit, & è monte Tarpejo præcipitem dedit: Creſcentium vero, vili jumento, vultu ad caudam verſo, naſoque cum auribus abſciſſo, impoſitum, ex patibulo ſuſpendit. Sedit annis VIII. menſes IX. d. 9. (78) Sylveſter II. antea Gerebertus Belga, monachum à teneris egit, & in Hiſpaniam ſtudiorum cauſâ profectus, incidit in librum magicum, fœdereque cum Satanâ, hac conditione, ut ad ſummas dignitates perveniret, inito (hoc enim, quicquid neget Onuphrius, innumeri hiſtorici teſtantur) omnium cum admiratione, juventutem, & inter alios Ottonem III. & Robertum Regem Franciæ, artes liberales docuit, & per æneum caput, quod domi clam habuit, diaboli reſponſa accepit. Præfectus primo eſt Archiepiſcopatui Rhemenſi, dein Ravennati, & tandem Pontifex conſtitutus eſt. Conſuluit aliquando diabolum de felicitatis ſuæ diuturnitate, & hoc reſponſi accepit, finiendam eam eſſe Hieroſolymis, quo nomine cum templum aliquod Romæ vocetur; illud Sylveſter ingreſſus, dæmonum audivit ſtrepitum, & morbo lethali correptus, ſcelus ſuum deploravit, cadaver ejus ad Lateranenſe templum deportatum eſt. Dicitur ab eo tempore, colliſione oſſium, & ſudore per ſepulchrum emiſſo, Pontificum mortem prædixiſſe, narrante inter alios Platinâ. Hic eſt, qui primus belli ſacri ſuaſor extitit, ſecundum Baronium. Sedit annis IV. cum dimidio circiter. (79) *Johannes* XIX. aliis XVIII. à Marchionibus Thuſciæ, abſente Imperatore, creatus, populum ab electione Pontificis excluſit, illâ ſoli Clero conceſſa. Sedit per VI. menſes, (80) *Johannes* XX. aliis XIX. Sedit per annos VI. (81) *Sergius* IV. ſanctiſſimæ vitæ, ſecundum Platinam: Sedit annis II. & VIII. *menſibus* (82) *Benedictus* VIII. aliis VII. Pellitur quidem; ſed mox reſtituitur. Eligitur in ſchiſmate XIX. ἀνώνυμος, forte Gregorius. Huic Henricus II. donavit Epiſcopatum Bambergenſem, ita, ut ſinguli annis equus albus phaleratus, cum C. argenti marcis, ſibi penderetur. Sedit annis XII. (83) *Johannes* XXI. aliis XX. Hunc cum anteceſſore & ſucceſſore, duobus Benedictis, Magdeburgenſes ex Balæo, dicunt, artibus magicis Pontificatum conſcendiſſe. (84) *Benedictus* IX. In ſchiſmate XIX. aliis XX. cum Gregorio VI. & Sylveſtro III. Benedictus puer IX. annorum, à Patre Alberico comite Tuſculano intruſus, mulieres quaſcunque incantationibus ſuis, cœpit in turpes amplexus rapere, & mortuo Conrado Imp. Henricum III. ejus filium ſucceſſione Imperii deturbare conatus, miſitque Coronam Petro Regi Hungariæ, cum hac inſcriptione:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Sed victo Petro, Henricus Imp. Romam properat, quam tres Papæ in diverſum ſcindebant: nam Benedictus, ob ſcelera ejectus fuerat à Sylveſtro Sabinienſi Epiſcopo. Rediens vero ad Papatum, complici ſuo, Gregorio VI. antea Gratiano dicto, Magus Mago, ut Magdeburgenſes loquuntur, vendiderat, ideoque Imperator, tribus illis loco motis, ſubſtituit Clementem II. Sedit Benedictus annis XI. (85) *Clemens* II. Saxo, Epiſcopus Bambergenſis, antea Suidgerus. Hunc, cum ſeditioſis Papis ſubſtituiſſet Henricus, Romanos jurare coëgit, nullum deinceps ſe Pontificem electuros, niſi quem Imperator dediſſet. Clemens vero, cum Imperatorem comitatus, rediret in Germaniam, moritur, ideoque Benedictus IX. reverſus, ſedem per menſes VIII. occupavit. Clemens autem Pontificatum non habuit, niſi per menſes IX. (86) *Damaſus*, Bavarus, antea Poppo, ab Imperatore electus. Hunc veneno ſuſtulit Benedictus IX. & jam quarto invaſit ſedem, eamque VI. menſibus habuit, tandemque, ſecundum Bennonem, in ſylvis à dæmone ſuffocatus, eremitæ, ſub ſpecie urſi, cauda & capite aſinino apparuit, ſe hac ſpecie oberrare indicans, quod in vitâ, ſine ratione & lege vixiſſet, ac plus feritatis quam humanitatis habuiſſet. Sedit interim Damaſus per dies tantum 23. (89) *Leo* IX. antea Bruno. Pro Sancto, miraculis claro, à Platinâ habetur. Coactâ Synodo, Berengarium damnavit. Contra Normannos exercitum ducens, ab Hildebrando captus eſt: ex captivitate vix redux, mortuus eſt. Sedit annis circiter V. Poſt eum ſedes vacavit per annum. (90) *Victor* II. Bavarus, antea Gebhardus, ab Imperatore conſtitutus Papa. Sedit annis II. menſibus III. diebus 13. (91) *Stephanus* IX. Lotharingus, cui ſchiſma XXI. aliis XX. Bellarmino XV. movet Benedictus X. electus & ejectus. Sedit Stephanus annis circiter III. aliis tantum per menſes IX. (92) *Nicolaus* II. Allobrox, antea Gerhardus. Electionem Papæ ad ſolos Cardinales detulit, quod tamen Onuphrius ſucceſſori tribuit, ſedit an. II. menſ. 6. (93) *Alexander* II. à Cardinalibus electus. Huic ſchiſma XXII. movit Honorius, caſtris urbi admotis, primo feliciter militans adverſus Alexandrum; ſed caſtris ſuis tandem exutus, ad Eccleſiam ſuam Parmenſem reverſus eſt. Sedit Alexander annis circiter XI.

Status Theologiæ sub IV. ætate N. T.

XXXI. Succedit ſtatus Theologiæ, ſub *quarta* hac ætate, per tria ejus ſecula, & quod excurrit uſque ad Henricum IV, excluſive. Hic in emblemate apocalyptico occurret *equus*, h. e. Eccleſia, *pallidus* & ægrotans ſpiritualiter, & lethaliter quidem, erat enim ejus ſeſſor *mors*, & talis etiam, quam ſequebatur *infernus*, id eſt, ſpiritualis, contrahenda, ex *fame* ſpirituali, penuria ſeu defectu nutrimenti ſani, quod ſuppetit à doctrina ſana: ex *gladio* etiam ſpirituali, qui animos enecat perverſis doctrinis, hæreſibus, antichriſtianiſmis: ex *morte* h. e. peſte ſpirituali, peſtiferorum ac ſuperſtitioſorum rituum copia: ex *animantibus feris*, Pontificum, monachorum, hæreticorum, Muhammedanorum ferocitate: nec tamen adhuc mortem plenam, niſi quoad *quartam terræ partem*, hoc eſt, inmenſam multitudinem, reliquis tamen ægre adhucdum viventibus. Quo ſignificatur, in multis capitibus, indulgentia divina, conſervatam fuiſſe Theologiam, quoad ſua fundamentalia, quamvis lethaliter, per ſua ſecula palleſcentem. Eſt igiter, quod hic breviter repræſentemus, ab *una parte*, quatenus *ſana* adhucdum perſtiterit; tum quatenus paulatim *pallorem* ſeu corruptionem contraxerit. *Sanitatem* in articulis, de *Scriptura*, de *Deo*, ejus Unitate & Trinitate; de *Chriſto*, ejuſque humana natura, pariter & divina; de *Spiritu S.* de *creatione*, de *præſcientia* Dei; de *prædeſtinatione*; de *Angelis* bonis & malis; de *homine*; de *peccato* etiam Originali; de *juſtificatione* per gratiam Dei in Chriſto per fidem; de *bonis operibus*, oratione; pœnitentia; de *Baptiſmo*; de *cœna* Domini; de *miniſterio* verbi; de *cruce*; de *Antichriſto*; de *traditionibus* humanis; de *votis*; de *monachatu*; de *virginitate*; de *ſcandalo*; de *conjugio*; de *magiſtratu*; de *reſurrectione*; de *extremo judicio*; de *inferno*; de *aſtrologia*. De his capitibus, quæ ſaniora audita ſunt in Eccleſia, per ſeculum ſeptimum, ex coætaneis ſcriptis prolixe referunt Magdeburgenſes *Cent.* VII. cap. IV. Idem faciunt, circa eadem aliaque capita *Cent.* VIII. cap. IV. circa ſeculum octavum, atque inſuper, circa eadem aliaque, penes ſeculum IX. *Cent.* IX. cap. IV. Nec non penes ſeculum X. *Cent.* X. cap. IV. Quæ omnia ſingulatim repræſentare, non fert compendii noſtri συμμετρία. Declinarunt tamen θεολογήματα iſta, magnis paſſibus, per ſingula hujus ætatis ſecula, cum *extra* Eccleſiam; tum *intra* eandem. *Extra* quidem, 1. per *Gentiliſmum*; à quo non tantum paſſa eſt orthodoxia, ſaltem non per ſcripta Gentilia adverſus Chriſtianiſmum. Interim tamen caput ſubinde extulit perſecutionibus, v. g. ſeculo VII. ſub Sapore Perſarum Rege, de qua Sigonius, de *Regn. Ital. lib.* 2. pag. 34. item ſub Edwaldo Cantuariorum Regis filio in Anglia, qui Patri ſubrogatus, à Chriſtiana religione, ſuaſu quorumdam reſilliit, & Epiſcopos à ſua ditione expulit quos tamen ſequenti anno revocavit. De quibus ſuo loco. Etiam ſub ſeculo VIII. Chriſtianiſmo ſe oppoſuerunt, in Gallia quidem *Adelbertus*, in Scotia *Clemens*, etiam *Samſon*, *Sydonius* Archiepiſcopus & D. Virgilius, profeſſione tamen Chriſtiani, & Pontificum potius ſuperſtitioni, eamque Bonifacio, nomine Zachariæ Papæ, promoventi; quam Chriſtianiſmo, addicti. Conf. Balæus, de Script. Britan. pag. 104. In Dania etiam ſeculo X. ineunte, plebs avitæ ſuperſtitionis tenaciſſima, ſuos deaſtros *Thor*, *Othinum* atque inſuper *Friccum*, vel cum ἀνθρωποθυσίᾳ, pertinaciter coluerunt, narrante Olao Worm, in *Monument. Danicis* lib. 1. cap. IV. Magis 2. per *Judaiſmum*, qui non dum taxat ſub Phoca, Antiochiæ, per ſeditionem, multos Chriſtianos jugularunt, ipſumque Anaſtaſium Patriarcham, cadavere ejus in foro combuſto, teſte Zonara p. 64. tum etiam ſub Heraclio, Hieroſolymis A. C. DCXXIX. quos tamen caſtigavit Heraclius Imp. Sigon. de *Reg. Ital.* p. 36. ſed etiam ſuam ſuperſtitionem hoc ſeculo propagavit & propugnavit Schola ſua Pumbedithana, cujus Doctores ſucceſſive narrantur (1) Raf *Channa* (2) Raf *Iſaac*, Scholæ Rector (3) Mar *Rabba*, itidem Rector (4) Raf *Ruſthanaus*, etiam Rector (5) Raf *Huna*, Rector (6) Raf *Chaninai*, Rector Soranus (7) Raf *Chaya*, Meſonæus, ſucceſſor Hunæ in Schola Pumbedithana (8) *Rabia*, Succeſſor R. Chaya (9) Raf *Netrunanus*, Rector item Pumbedithanus. *Zem. David* part. 1. pag. 49. Vid. Hotting. Hiſt. Orient. p. 213. —Sub ſeculo octavo, his ſucceſſerunt in utraque ſua ſchola, Sorana & Pumbedithana: R. *Jacob* in Pumbedith. R. *Juda*, Ibid. R. *Schemuel* in Sorana. R. *Joſeph*, in Pumbedith. R. *Simeon*, R. *Schemuel* in Pumbedith. R. *Acha.* ſub ſeculo IX. R. *Abraham* Pumbedith. Rector. R. *Joſeph*, R. Soranus. R. *Iſaac*, R. Pumbedith. R. *Joſeph* filius Mardochai. R. *Palthui*, Pumbedith. R. *Achai*, Pumbedith. R. *Menachem* & R. *Mattathias*, Rectores Pumbedithani, inter quos magnæ fuerunt contentiones, ſucceſſionem eorumdem ſub ſeculo X. vide in *Zemach David.* part. 1. pag. 51. Dicti *Geonim*, ſeu ſapientes, ortum repetunt à ſeculo decimo. 3. Per *Antichriſtianiſmum Occidentalem* ſub Papatu, qui Antichriſtianiſmus appellatur, non tantum, quod doctrinam ſpargit Chriſto contrariam (vid. Illyr. *Catal. teſt. veritat.* t. 1. p. 6.) ſed & quod ſit ἀντὶ τοῦ Χριστοῦ, *pro* & *loco* Chriſti, omnem ſibi in Eccleſia arrogans poteſtatem. Conceptus equidem fuit, ſub prioribus ætatibus ac ſeculis; aſt natus demum hujus ætatis ſeculo VII. quando Bonifacius III. Papa publica auctoritate, à Phoca Imp. obtinuit titulum *univerſalis Epiſcopi*, prout oſtendimus apud vitam ejus. Hic tamen poteſtatem temporalem in Impp. necdum ſibi arrogavit, multo minus

Judaiſmus ſub ætate quarta.

Gentiliſmus ſub ætate quarta.

Antichriſtianiſmus Occidentalis.

minus *jure* & auctoritate publicâ habuit. Esse autem Romanum Pontificem, Antichristum illum *magnum*, quem Scriptura prædicit futurum; spissis voluminibus, Sole clarius demonstrarunt, Lamb. Danæus de *Antichristo*. Chamierus *Panstrat.* tom. 2. lib. VI. Wittakerus ad *Demonst. Sanderi*, *de Papa Rom.* q. v. Franc. Junius *cont. Bellarmini* lib. III. *de Pontif.* Phil. Mornæus *de Eccles.* cap. IX. & mille alii. Idem etiam historiam Papatus conscripsit, sub titulo *Mysterii iniquitatis*, item Blondellus de *Primatu Ecclesiæ*. 4. Per *Muhammedanismum*, velut Antichristianismum *Orientalem*. Hic natus est A. C. DCXXII. Heraclii Imp. XII. Auctore *Muchammed*, à חמד Græce diceres Ἐράσμιος, Latine Desiderium. Natus est in valle lapidosa apud urbem Mecca, Arabiæ desertæ. Ex nobilissima Koreischitarum familia, Patre Abdalla, Matre Emina: ast cum Patrem, post duos à nativitate menses, amisisset; Avus Adolmuleb, & post eum, Patruus Abutaleb, educationem ejus susceperunt. In juventute & aliqua ætatis virilis parte, camelis heræ præfectus, quam postea in matrimonium duxit, eoque sibi opes comparavit non contemnendas. Anno ætatis XL. cum observaret Christianorum in Religione dissidia, varia in moribus vitia; Judæorum contemptum; Arabum feram & barbaram Religionem, de novis quibusdam adinveniendis sacris cogitare cœpit, quam se, partim à Deo, partim à Gabriele Archangelo, accepisse crepabat, quam, per annos IV. paucis tantum amicis & famulis persuadebat, sed anno XLIV. publice spargebat. Interim Magistratus Meccanus, ob delicta, ipsum urbe pepulit, mox Medinam seu Jathreb, sua jam Religione imbutam, ingreditur, & ab hac ejus fugâ, quæ *Hegira* Arabice dicitur, Muhammedani annos suos numerare solent. Coincidit Epocha ista, cum 16. Julii, anni DCXXII. Medinæ cum aliquamdiu subsistitisset, adeo viribus crevit, ut victis adversariis Koreischitis, incredibili successu regnum ampliaverit. Mortuus est anno ætatis LXIII. aliis LXV. Vid. Cl. Hottingerus in sua *Historia Orientali*. Novam istam Religionem, ut omnes captaret, ex omnium principiis, Christianorum, Judæorum, Gentilium, Saracenorum, Hæreticorum, Nestorianorum, Eutychianorum, conflavit ostendente hoc, in singularibus & propriis cuique capitibus, Hottingero, *Hist. Eccl. secul.* VII. *Sect.* II. usus etiam, cum ipse literarum rudis esset, ministris convenientibus, v. g. Sergio monacho *Nestoriano*, Johanne Antiocheno Ariano, & Bairâ quodam Jacobita, quantum ad Christianos; Pineha & Abilia seu Abdalla, quantum ad Judæos, ac scriptum, quod horum opera excludebat, ALCORANUM appellavit, à legendo dictum; sicut Canon noster, Scriptura. Hujus capita fuse numerant Cl. *Spanhemius Introduct. plen. ad hist. Eccl. secul.* VII. sect. VI. *Hotting. Hist. Eccl.* secul. VII. *Forbes. Inst. hist. lib.* IV. Cent. Magd. Cent. VII. Hoornb. in *summa Controvers.* aliique. In his præcipua sunt: 1. Unam tantum esse Deitatis personam, hinc Christum & Spiritum S. Deum non esse. 2. Christum tantum fuisse Prophetam sanctum, miraculis clarum, qui veram salutis viam docuerit. 3. Christum non fuisse vere crucifixum; sed alium ei similem. 4. Muhammedem esse Dei Apostolum, & Prophetam, Mose & Christo majorem, de quo hic prædixerit ipse Joh. I. 17. & XIV. 16. Tum 5. Alcoranum esse divinæ veritatis scriptum, supra Mosaica, Prophetica & Apostolica, assidue legendum, præterquam ab immundis. 6. Quemlibet in sua Religione servari posse, modo bene vivat. 7. Polygamiam simultaneam esse licitam. 8. Per mensem Ramadam jejunandum esse, interdiu usque ad Solis occasum; noctu licere comedere ac bibere, quantum libeat. 9. Circumcisionem retinendam esse, quæ anno demum ætatis octavo vel tardius administretur, in Ægypto & Syria in fœmellas. Habuerunt tamen & *sectas* suas Muhammedani, numero LXXII. teste Marmolio in sua *Africa* part. I. pag. 422. in quibus *unam* tantum putant, in qua vera salus sit, dum reliquæ ducant ad exitium. Quæ quidem sectæ occupantur, vel circa *jus* successionis in principatu, quando nonnulli hoc tribuebant τῷ *Ali* Muhammedis genero, dum alii illud Socero ejus *Abubeker*, *Omar*, *Othman*, illud jam ante vindicaverant, qui & primi fuerunt Califæ, ante *Ali*, quorum historiam habet Forbesius *Instruct.* lib. IV. cap. XVII. & is ex Leunclavio in *Hist. Muselmannorum*; vel circa Originem & interpretationem Alcorani, cum circa ejus *dogmatica*, seu radices, quæ Deum spectant ejusque attributa: Dei verbum Christum: decretum bonorum malorumque: Prophetiam & Alcoranum ipsum, sitne creatum, an increatum: vel circa ejus *legalia*, ritualia, velut ramos, ubi disputatum inter eos, de licito & illicito Alcorani sensu: de variis, quæ ad preces, jejunia, lotiones, causas forenses seu judicia: accessit divortium, inter Turcas & Persas, circa tegumentum capitis, quod hi quidem vile & *laneum* volebant, inde ab Ismaële *Sophi*, unde Sophini dicti sunt; Turcæ vero *lineum*, multis spiris distinctum gestant, quod *Tulipantum* vocant. Vid. Hotting. *Hist. Orient. lib.* II. *cap.* VII. Et singuli suam sectam propagabant, sicut nostri monachi, jactatione miraculorum, specie sanctitatis, austeritatis, jejuniorum &c. Hotting. ibid. cap. VI. Proinde & suos antagonistas habuit, non tantum Christianos, & Judæos; sed & sectarios istos domesticos. Nec tantum Religio Muhammedana; sed & imperium politicum, brevi tempore, longe lateque propagatum fuit, usque adeo, ut, juxta Erpenium, in *Orat. de Lingua Arabica*, pag. 45. Muhammed

Muhammedanismus.

decennii

decennii ſpatio; totius Arabiæ urbes, provincias & Reſpublicas, ſibi ſubjugarit. Inſuper 5. Theologia vera egregiè corrupta fuit per *hæreſes*. Ut enim nihil dicam de ſuperioribus: Arianis, Pelagianis, Neſtorianis, Severitis, Jacobitis, Acephalis, Agnoëtis &c. hoc ſeculo VII. paſſim per totum Orientem graſſantibus, teſte Nicephoro lib. XVIII. cap. XLVII. & Magdeburgenſibus Cent. VII. nata eſt ſeculo VII. hæreſis *Monothelitarum*, pro pago Eutychianiſmi, de qua Tomi Conciliorum, Paulus Diaconus, Cedrenus, Zonaras &c. auctores extiterunt: *Cyrus* Phaſidis primo, dein Alexandriæ Epiſcopus, & *Sergius* Epiſc. Conſtantinopolitanus, ejusque mox ſucceſſores *Pyrrhus*, *Paulus*, *Petrus*, coactis Conciliabulis. Quod factum ſub Heraclio circa A. C. DCXXIX. tum in nervum erupit, antea iacens intet *Monophyſitas*. Docebant *unam* tantum in Chriſto eſſe *voluntatem*, ſolo Verbo operante per humanam naturam, ut inſtrumentum. Unde verbis quidem, contra Eutychianos aſſerebant, duas eſſe in Chriſto naturas; ſed re ipsâ tollebant, ſublatis operationibus humanæ naturæ. Natus eſt Monothelismus, occaſione colloqui cujusdam, Heraclii Imp. cum Athanaſio quodam Jacobitarum Catholico, cui Patriarchatum Imperator pollicebatur, ſiquidem Chalcedonenſe Concilium reciperet, ubi ſcrupulus fortè accidit, de unâ tantum voluntate & operatione in Chriſto, quod Cyrus & Sergius affirmabant aſſentiente Heraclio. Vid. Forb. *inſtruct. lib. V. cap. I.* Fautores habuit hæreſis Honorium I. Papam Rom. aſſenſum præbentem Cyro & Sergio. Hinc, impulſu Sergii, & auſpiciis Heraclii Imp. promulgata fuit ἔκθεσις, ſeu *expoſitio fidei* A. DCXXXIX. in qua aſſerta fuit hæreſis Monothelitica, quam Sergius Conſtantinopolitanus, ejusque ſucceſſores, ſuo ſuffragio muniverunt. Hæreſi ſe oppoſuerunt, primo quidem Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus, dein Johannes IV. Papa Rom. convocata Synodo Romæ A. DCXL. & damnata ἔκθεσις. Similiter Theodorus, Martinus & ſucceſſores. Cumque Conſtans Imp. Heraclii ex Conſtantino filio nepos, favens Monothelitis ſuaſu Pauli Conſtantinopolitani, *typum* edidiſſet A. C. DCXLVIII. in quo approbatis V. Synodis Oecumenicis, diſputationem omnem prohiberet, de *duabus*, vel *una* voluntate: oppoſuerunt Theodorus Romanus, ſucceſſor Johannis, poſt hunc Martinus Papa, habitis Synodis, & damnato *typo*. Proſtat Typus ille in Concilio Lateranenſi, ſub Martino I. ſect. VI. Tom. VI. *Concil.* congruens cum Honorii Epiſtolis. Damnata tandem fuit hæreſis, in Synodo VI. Conſtantinopolitana. Hæc ſpectant ad ſeculum VII. Sub ſeculo VIII. *primo* magna incrementa fecit *Antichriſtianiſmus papalis*, quando poſt impetratam poteſtatem *ſpiritualem*, etiam *temporali* inhiare cœperunt Pontifices; quando *juramento fidelitatis* ſibi Epiſcopos obſtringebant, cujus formulam habet Baronius ad An. DCCXXIII. Num. 4. quando ſe *dignitatum* eccleſiaſticarum, quales ſunt Abbatum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum &c. diribitores agebant, *Cardinalatu* necdum obtinente: quando dominium *temporale* Johannes VI. vel VII. conſecutus eſt in *Alpes Cottias* ab Ariperto II. Longobardorum Rege, circa A. DCCV. juxta Paulum Diaconum, Anaſtaſium Bilioth. Platinam aliosque, quando Conſtantinus I. Papa, paſſus eſt Juſtinianum II. Imperat. ſibi proſtratum cum *regno in capite*, pedes oſculari, in obſequii argumentum. Baron. ad A. DCCX. num. I. quando Gregorius II. Leonem Iſauricum excommunicavit, & Romanos Italosque à juramento fidelitatis ei facto abſolvit, Romam & Romanum ducatum ſibi aſſeruit, teſtibus Theophane ad ann. XIV. Leonis, Anaſtaſio Biblioth. Paulo Diacono aliisque, aſſentiente Baronio: quando Gregorius III. iterum excommunicato Leoni, Italiæ populos, imo Occidentem totum velut Eccleſiæ hoſti, ad rebellionem excitavit. Baron. ad Ann. DCCXL. aliosque: quando Zacharias Papa regnum Childerico abſtulit, & Pipino donavit, probante Baronio, ad Ann. DCCLI. quando Stephanus II. aliis III. favore Pipini ſibi ſubegit Exarchatum Ravennenſem, & Pentapolin. Baron. ad annos DCCLIII. & DCCLV. alia etiam faſtus Antichriſtiani ſpecimina in eodem repræſentant Magdeburgenſes, Mornæus, Baronius. Hæc aliaque dudum notavimus penes vitas Pontificum. *Secundo*, præter *Muhammediſmum*, ſub hoc ſeculo VII. longè lateque propagatum, cum politicè, tum eccleſiaſticè, obſervante Hottingero *Hiſt. Eccleſ. ſecul.* VIII. ſect. II. præter *Monothelismum* ſuperioris ſeculi, itidem longè latéque proſerpentem; nata hoc ſeculo eſt hæreſis *Iconolatrarum* ſeu Iconodulorum. Quamvis enim, imaginum qualiscunque aſſervatio & veneratio, magis *civilis*, audita fuerit, jamdum ſuperiore ætate; attamen veneratio ſeu cultus religioſus hoc demum ſeculo VIII. A. C. DCCXII. & DCCXIII. quando Synodus Oecumenica VI. contra Monothelitas, etiam imagines Patrum damnaverat, & è porticu S. *Sophiæ*, ubi à Juſtiniano collocatæ fuerant, ejectæ ſint, referentibus ejus Synodi actis, etiam Anaſtaſio, Paulo Diacono, Zonara aliisque; mox tamen Conſtantinus Papa eas non tantum collocavit in porticu S. Petri; ſed etiam earundem venerationem *religioſam* decreto & anathemate in Philippicum Imp. ſanciit. Mox Leo III. Iſauricus, aliàs Iconoclaſta A. DCCXVI. juxta auctores citatos, faventibus imaginibus Germano Conſtantinopolitano, eumque ſecuto Johanne Damaſceno, habita Synodo, quam Græci Σιλέντιον appellant, edicto *adorationem* imaginum damnavit, juſſis imaginibus è ſuperiori loco extra

Hæreſes ſeculi VII.

Monothelitarum hæreſis.

Hæreſis Iconodulorum ſecul. VIII.

extra periculum iconoduliæ, ſuſpendi, tandem etiam e locis ſacris plane ejici, confringi & comburi, Germano inſuper deturbato eique ſuffecto Anaſtaſio: acceſſit quod Gregorius II. Rom. propterea Leonem excommunicaret & regno privaret, habitâ Synodo Romæ A. DCXXVI, mox etiam Gregorius III. Caroli Metelli, adverſus Leonem ſuppetias rogaret, conſentientibus hiſtoricis. Invaluit etiam contentio ſub Conſtantino Copronymo, mortuis jam Leone Iſaurico, Carolo Martello & Gregorio III. Hic A. C. DCCLI. habito Concilio Oecumenico VII. damnavit adorationem imaginum, item Germanum, Georgium, Cyprium, Damaſcenum Iconodulos, ob hoc poſtea reſtitutis imaginibus, variis calumniis probroſis oneratus. Conſtantinum interim ſecutus eſt Leo IV. filius & ſucceſſor, cui uxor fuit perfida Irene. Ex adverſo Gregorium II. & III. imitati ſunt Pontifices ſucceſſores, Zacharias, Stephanus III. Paulus, Stephanus IV. Adrianus I. fautores imaginum, odio Imperatoris Græci, quem etiam hoc nomine exuerunt Exarchatu Ravennenſi. Pentapoli, aliisque Italiæ provinciis, in *patrimonium Petri* convertendis. Gallos interim, Germanos alioſque Occidentales, ab imaginum cultu abhorruiſſe, teſtantur Synodus *Gentiliaci*, habita ſub extrema Pipini Regis, dein Caroli M. *Capitulare* contra imagines, nec non Synodus *Francofurtana* ſub eodem. Reſtituta tandem imaginum ſuperſtitio ab Irene Imperatrice, quæ Iconodulos ſibi conciliatura A. C. DCCLXX. promoto in Archiepiſcopatum Taraſio laico, facta dein conſpiratione cum Adriano I. Rom. Concilium indixit Nicææ, imaginum ſalutationes, oſcula, adorationem, incenſa, cereos, venerationem &c. decrevit. Obſtitit jam adultus Conſtantinus filius, propterea ab Irene Matre oculis & vita crudeliſſime privatus, ejuſque ſucceſſores, Nicephorus Logotheta, Leo Armenus, Michaël Balbus, Theophilus maritus Theodoræ, imprimis etiam Carolus M. & libb. IV. ad Adrianum miſſis, adverſus imaginum cultum, ac Synodum Nicænam Synodo Francofurti habita. Nata itidem hoc ſeculo eſt hæreſis *Felicianorum*, ſeu Adoptionariorum, Auctore, ſeu *Felice* Urgellitano, in Gallia Septimania, ſeu Narbonenſi Epiſcopo; ſeu *Elipando* Toletano Primate A. C. DCCXCI. qui ſaltem conſentientes fuerunt in hæreſi. Statuebant, Chriſtum quidem ſecundum humanam naturam, verum & proprium Dei filium eſſe; ſed *adoptivum* tantum. Unde ſequebatur, in Chriſto duos eſſe filios, adeoque duas perſonas, juxta Neſtorium, ſeu alium & alium, nec Dei filium pro bonis traditum fuiſſe; ſed hominem a Deo aſſumtum &c. quo nomine hæreſis ab orthodoxis damnata eſt, velut Neſtorianiſmi propago. Diſſeminata eſt per Felicem & Elipandum, in Galliam, Hiſpaniam, Italiam. Damnata anteſignano Paulino Forocuſienſi Patriarcha, habita ex provinciis ſuis Synodo A. DCCXCI. quæ Ratisbonenſem anteceſſit, item ab Adriano I. Romano, & à Carolo M. in Synodis Ratisbonenſi & Francofurtana. Natæ hinc poſtmodum contentiones Scholaſticorum, de duplici in Chriſto θεανθράπῳ filiatione, de quo Forbeſius *Inſtruct.* lib. VI. cap. VII. Ad hoc ſeculum VIII. tandem ſpectat origo controverſiarum de *Euchariſtia*, occaſione alterius de imaginibus. Scil. in Concilio Conſtantinopolitano VII. ſub Conſtantino Leonis Iſaurici filio, panis euchariſticus vocatus fuit, *imago* Chriſti, quam ſolam, eamque veram per conſecrationem ſubſtantiæ panis, ſui imaginem, τύπον ἀνάμνησιν, nobis reliquiſſet: negavit ex adverſo Synodus Nycæna II. & cum ea Joh. Damaſcenus, panem afferentes eſſe proprium Chriſti *corpus*, non certe transſubſtantiatione; ſed unione, tum corporea aſſimilatione. Hæc ſpectant ad ſeculum octavum. Seculo IX. magna incrementa cepit *Antichriſtianismus* papalis, quando v. g. Leo III. ſibi arrogavit poteſtatem, accedente conſenſu Romanorum, *conferendi dignitatem imperialem* in Carolum M. quando Stephanus IV. vel V. & mox etiam Paſchalis, papatum admiſerunt abſque conſenſu Imperatoris Ludovici, eoque jugum imperatorium excutere conati ſunt. Aimonius de Geſt. Franc. lib. IV. quando Valentinus Papa, primus admiſit *pedum oſcula* ſibi figi ab *omni ſenatu Romanorum*, ſicut etiam fecit *Leo* IV. quando ſcortum etiam ſub nomine Joh. VIII. ſedem papalem invaſit: quando Nicolaus I. faſtum ac tyrannidem exercuit in Ludovicum II. & Michaëlem Conſtantinop. Impp. in Lotharium Regem aliosque, *ut imperaret Regibus ac tyrannis, acſi Dominus terrarum* ipſe eſſet, verba ſunt Reginonis. Baron. Tom. X. ad An. DCCCLVIII. quando Johannes IX. aliis VIII. clericos jurisdictioni civili ſubtraxit, Carolum Calvum *ad Imperii Romani ſceptra provexit*, ei Romanum Principatum & alia, ſibi ac ſucceſſoribus extorſit, teſte Anaſtaſio, aliiſque ſcriptoribus coætaneis: quando Adrianus III. jus eligendi Pontifices, & inveſtiendi Epiſcopos, Imperatoribus ademit, facto *ſtatim ab initio Pontificatus* decreto, teſte Platina, ut deinceps Pontificis electio eſſet penes *Cleri & populi ſuffragia, non exſpectata Imperatoris auctoritate.* Contra quam pronunciaverant Adrianus I. & Leo IV. anteceſſores ejus Mart. Polonus, Platina &c. quando Formoſus VI. & ſucceſſores, execrandis artibus Pontificatum nacti, adeo graſſati ſunt, ut Baronius ad An. DCCXCVII. ingemiſcat his verbis: *En illa infeliciſſima Romanæ Eccleſiæ tempora & omnium luctuoſiſſima* &c. Intra ipſam Eccleſiam, non leviter etiam adulterata eſt Theologia orthodoxa, per univerſam hanc ætatem, ſingulaque ejus ſecula, quatenus non tantum Pontifices Rom. demonſtrandæ ſuæ poteſta-

Hæreſis Felicianorum ſeu Adoptionariorum ſub ſeculo octavo.

Origo controverſiarum de Euchariſtia.

Incrementa Antichriſtianiſmi papalis ſub ſeculo nono.

Corruptio Theologiæ intra ipſam Eccleſiam.

tis νομοθετικῆς causa, id agebant, ut novis ritibus Ecclesiam obruerent, prout circa vitas eorum jam dudum observavimus: sed etiam superstitio, circa orationes pro defunctis; purgatorium; invocationem Sanctorum; cultum imaginum & reliquiarum: circa erectiones statuarum & crucium; circa cœlibatum Clericorum, monachatum, peregrinationes, jejunia &c. Theologiæ capita non parum labefactavit, seculo VII. Seculo VIII. præter jam dicta, cultus publicus totus fere fuit in cantionibus, Missarum solennibus, consecrationibus, oblationibus, orationibus ad statuas & imagines, precibus ad sanctos, festorum observantia, templorum ornatu &c. ac pro Scriptura, jam fere non nisi obedientia Canonum Ecclesiæ R. & Sedi Apostolicæ præstanda, inculcata est: accesserunt Missæ *privatæ* seu solitariæ, quibus solus Sacerdos communicabat, contradicentibus licet conciliis quibusdam: de abstinentia à certis cibis, novæ leges: novæ peregrinationes ad noviter constructas Ecclesias &c. Seculo IX. inculcari cœperunt traditiones Ecclesiæ Rom. velut Apostolicæ, ab ipso Petro profectæ: Papæ universalis potestas in omnes totius orbis Ecclesias; cœlibatus Clericorum, ut *necessarius*: corporalis Christi præsentia in Eucharistia: vires liberi arbitrii cum annexis. Seculo X. prioribus omnibus, indies egregie invalescentibus, accessit *potestas canonizandi*, seu decernendi hominibus divinos honores, idque *Synodali* decreto, teste Baronio: imaginum adoratio jam in arce collocata, *crucifixi* potissimum & B. *Virginis*, ut in quibus præsidium sit adversus omne malum ingruens: Hagiolatria, sanctis, festis, templis, altaribus, charisteriis, indies nova: nata festa, *omnium Sanctorum*, *omnium animarum*, assumptionis B. Virginis: nova sodalitia, pro juvandis mortuis, juratis Missarum ad certos dies cantionibus, sub vinculo Anathematis, apud Baron. ad An. DCCCCLXXIV. Num. V. campanarum Baptismus: transsubstantiatio, hoc seculo prodigiis adstructa, dum panis transsubstantiatus sanguinem emitteret: quales præstigiæ etiam applicatæ fuerunt, demonstrando purgatorio, & necessitati Missarum pro defunctis.

Status Ecclesiæ, sub ætate quarta N. T. Hic 1. Propagatio Ecclesiæ.

XXXII. Succedit *status Ecclesiæ*, sub ætate quarta N. T. per sua secula, & penes eum, 1. *Propagatio Ecclesiæ*, α. ad *Britannos*, ubi per delatos superiore seculo, in regnum Cantuariense, monachos Laurentium, Mellitum & socios, ablegante Gregorio I. succurrente Bertha Regina, *Ethelbertus*, cum innumera Paganorum multitudine, ad professionem nominis Christiani accessit, idque sponte; *servitium enim Christi voluntarium*, *non coactum esse* volebat Ethelbertus, observante Beda, Hist. Angl. lib. I. cap. XXVI. Hinc natus etiam duplex Archiepiscopatus, alter Cantuariensis, Cantii caput; alter Eboracensis: uterque tamen potestate in suos par. Mox etiam conversi sunt Anglo-Saxonum Reges, Sigebertus vel Sebertus, Orientalium Saxonum Rex, fundaturus Cantabrigiense Gymnasium, dein futurus monachus. Paulo ante Edwinus Nordanhumbrorum Rex, Eboraci à Paulino baptizatus A. DCXXVII. Secutus exemplum Peda Princeps Merciorum, ducta Edwini Regis filia. Accesserunt Australes & Occidentales Saxones, conversi labente seculo, per Wilfridum &c. de quibus ex Anglorum Chronicis, Usserius, Fullerus aliique. β. Ad Frisios, Ultrajectinos, Gelros, ad oram maritimam inter Albim & Rhenum, gentes Anglo-Saxonicæ originis, per Willibrordum & socios, & Wilfridum etiam dejectum Eboracensi episcopatu. γ. Ad Westphalos, Danos, Suevos, Francones &c. instrumentis Willibrordo, Swiberto, Kiliano, futuro primo Wurtzburgensium Episcopo, ex *Chronico* Mariani Scoti. δ. Ad Allemannos & Helvetios, Gallo Hyberno, Columbani discipulo, defuncto Columbano A. DCXV. Gallo A. DCXXV. Trithemius de *Script. Eccles.* Magdeburg. Hospin. Usserius, aliique. Hæc ad seculum VII. spectant. sub seculo VIII. conversio istarum gentium continuata fuit, per *Winfridum* Monachum, qui postea dictus fuit *Bonifacius*, Germanorum Apostolus, & primus Archiepiscopus Moguntinus, de cujus sanctitate, miraculis prolixe loquitur Baronius ad An. DCCXVI. Num. XVII. Hic, sicut multarum conversionum, multorumque Episcopatuum, Moguntini, Salisburgensis, Frisingensis & Cœnobii Fuldensis, Pater fuit: ita etiam multarum superstitionum, juxta traditiones & instituta Ecclesiæ Rom. & utilitates Pontificis Rom. quas se promoturum Gregorio II. juraverat: tum insuper conversiones istæ continuatæ sunt, per Carolum M. qui non tantum *disciplinam* restituit in monasteriis, ut apparet in *Capitularibus* Caroli M. sed etiam *doctrinam* & cultum repurgavit à variis erroribus. Subactis insuper per bellum XXX. annorum, Saxonibus, datisque ibidem variis Scholis, Episcopatibus, multos ad Christianam fidem perduxit, etiam apud Hunnos, Ungaros, Sclavos, testibus Sigeberto, Crantzio aliisque. Hæc ad seculum VIII. pertinent. Sub IX. seculo non tantum continuatæ sunt conversiones, Danorum, Suecorum, Saxonum, operæ Ansgarii monachi, postea Episcopi Hamburgensis: sed etiam conversa gens *Sclavonica*, per Bohemiam, Moraviam, Poloniam & Illyrici provincias occidentales ultra Danubium, instrumentis Cyrillo & Methodio Episcopis, quibus etiam à Nicolao I. permissum est, sacra sua lingua vernacula celebrare. Avent. *Annal. Bojorum* lib. IV. Etiam *Avares*, abjectam fidem denuo admittere coacti sunt, per Carolum M. Sic quoque *Bulgari* ad professionem Christianam revocati sunt. Tandem & ad Indos *Malabares*, Christianum

num nomen pertigit, per *Mar-Thomam* quendam, Neſtorianæ familiæ, eo miſſum à Patriarcha ſuo Babilonio, unde fabulæ de *Thoma Apoſtolo* hic præcone, & à Brachmannis cæſo, juxta rerum Indicarum & Sinenſium Scriptores, Jarricium, Semedum alioſque. Sub initium Seculi IX. Chriſtum quoque admiſiſſe feruntur *Nordmanni* in Galliis A. DCCCXII. Duce *Rollone*, qui poſtea à Baptiſmo dictus fuit *Robertus*, poſtquam hac conditione, à Carolo Simplice Neuſtriam, hodie Nordmanniam, accepiſſet in feudum, Rotomago dudum à ſe occupato A. DCCCCV. Etiam exeunte ſeculo A. DCCCCXC. poſt ætatem IV. Ruſſi ſeu Moſcovitæ dicuntur fidem Chriſtianam amplexi, ſed ſecundum ritus Græcorum, converſi per Epiſcopum & Sacerdotes à Baſilio II. miſſos, qui tandem proprium Patriarcham ſibi elegerunt. Tandem & ſemina Chriſtianiſmi, jamdum ſuperiore ſeculo jacta, apud Polonos, Danos, Norwagos, Livones, conterminas gentes, hoc ſeculo affatim ſuccreverunt. Nec tamen omnes iſtæ converſiones pure Chriſtianæ fuerunt; ſed multis jam ſuperſtitionibus infectæ, & tyrannide Cleri Romani oppreſſæ, Pontificum jugo, cæteriſque traditionibus in Eccleſias adductis. Nec monachi à Pontificibus miſſi, eas procurantes, ſincero Chriſti amore ferebantur; ſed ut Dominatum Romanum perferrent, & ſibi ipſis Epiſcopatum aliaque emolumenta eccleſiaſtica venarentur: attamen nationes converſæ, Chriſto nomen utcunque dederunt. Ad iſtam Eccleſiæ ædificationem, nonnihil ſaltem contulerunt 2. *Scriptores* eccleſiaſtici, rari ſane ſub ſeculo ſeptimo, rariores ſub octavo, rariſſimi ſub decimo: raritatis cauſis oriundis, à calamitatibus Orientis & Africæ, per Saracenos; ab hæreſi Monothelitarum; à myſterio iniquitatis invaleſcente; à ſuperſtitione Occidentalium; à luxu dignitatum; cumprimis ab inertia & ignorantia monachorum. Habuit tamen ſeculum hujus ætatis primum, ordine *ſeptimum*, nonnullos: apud *Orientem* quidem *Anaſtaſium* quendam *Nicænum*, diverſum, cum à Sinaita ſuperioris ſeculi; tum ab Antiocheno hujus ſeculi. Nicæni hujus, proſtant *Quæſtiones & reſponſiones de variis argumentis in Script. S.* editæ à Gretſero Jeſuita: habuit præterea Oriens, *Theophyl. Simocattam*, hiſtoricum Byzantinum, qui res Mauritii Imp. deſcripſit: habuit & *Joh. Philoponum* alias Grammaticum, qui ſcripſit contra Proclum & Severitas, Tritheiſmi tamen & negatæ reſurrectionis ſuſpectus: habuit auctorem *Chronici Alexandrini*, ex vetuſtâ Siciliæ bibliotheca editi, ſub titulo *Faſtorum Siculorum*. His adde *Leontium* in Cypro Epiſcopum, *Sophronium* Hieroſolymitanum; *Antiochum* Sabaitam, monachum, *Georgium* Piſidem, *Maximum* Abbatem, & alios, quos nominaſſe ſuffecerit: apud *Occidentem* claruerunt, *Eligius* Lemovix, Noviomenſis Epiſcopus, ſanctis adſcriptus, libro *de Rectitudine Catholicæ converſationis*, Auguſtino perperam adſcripto: Homilias XVI. ipſi abrogant Aubertinus noſter de *Euchariſt.* lib. III. & Pontificii etiam doctiores, & ad ſecul. IX. trajiciunt: claruit item *Iſidorus* Hiſpalenſis Epiſcopus, diſcipulus Gregorii M. Sub Heraclio Imp. ſcriptis, exegeticis in S. Scripturam, & moralibus clarus. Falſo ipſi collectio *Epiſtolarum Decretalium* adſcribitur. Hildefonſus Toletanus, ſcriptor vitæ Iſidori, & continuationis hiſtor. Eccleſiaſticæ, item de perpetuâ virginitate B. Virginis, contra Judæos & Helvidium: ipſi tribuunt, quod docuerit traditionem de *corporea* aſſumptione B. Virginis, per quam tamen ipſe in ſermonibus ei tributis, non intellexit, niſi *dormitionem* ejuſdem, phraſi tum temporis uſitata, aut tranſitum animæ ejus ad Dominum. Tandem *Beda*, cognomento *Venerabilis*, cœpit inclareſcere A. DCLXXIII. Scripſit in Pentateuchum, in libb. Regum, in Eſdram, Tobiam, Jobum, Pſalmos, Proverbia, Canticum, Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem, Acta, Epiſt. ad Romanos, Epiſtolas Catholicas, Apocalypſin, aliaque VIII. Tomis comprehenſa. Sub ſeculo *octavo* floruerunt, apud *Orientales* quidem, *Germanus* Conſtantinopolitanus Epiſcopus, à Leone Iſaurico, ob pertinacem imaginum defenſionem, in exilium quidem pulſus, ſed nequaquam occiſus, unde perperam martyribus accenſetur A. DCCXXX. multa ſcripſiſſe fertur: exſtant nunc ejus *Theoria rerum ſacrarum*, item tres Epiſtolæ Græcæ, & tres Latinæ; tum Johannes *Damaſcenus*, monachus & Presbyter, ſub Leone Iſaurico, ſcripſit pro Imaginibus, item libb. IV. *de Orthodoxa fide*, in quibus myſteria Chriſtiana, ratiunculis humanis demonſtrando, apud Orientem Scholaſticis præluſit. Addendi *Georgius*, cognomento *Syncellus*, Chronographus ſub Conſtantino Irenes filio: *Nicephorus* Patriarcha, auctor *Breviarii hiſtorici*: *Theophanes* confeſſor, cujus *Chronicon* Anaſtaſius Bibliothecarius continuavit, ſummus fuit Iconolatra: *Theodorus* Studita, Abbas omnes, ut doctrina & eloquentia; ita & Iconolatria ſuperans: apud *Occidentales*, Flaccus *Albinus*, ſeu Alcuinus Britannus, Bedæ diſcipulus, vir doctiſſimus & in Scripturis exercitatiſſimus, præceptor Caroli M. eique chariſſimus, adverſarius Iconolatriæ, multarumque ſuperſtitionum, & Adoptianæ hæreſeos: *Paulinus* Aquileienſis Patriarcha, ſub Carolo M. ſcripſit de *Trinitate*, contra Felicem & Elipandum: *Paulus Warnefridi*, ſeu *Winfridi* filius, Diaconus Aquileienſis, Deſiderii Longobardorum R. ultimi Cancellarius, dein monachus; auctor hiſtoriæ *Longobardicæ*, etiam *miſcellæ*, uſque ad lib. XIII. ingenuus, nec tyrannidi papali, nec Iconolatriæ favens: *Carolus* M. Imp. ſcriptor *Capitularis* ad-

2. Scriptores Eccleſiaſtici ætatis quartæ.

versus imagines. Sub seculo *nono* memorantur, præcipue, *Sedulius Scotus* (distinguendus ab aliis ejusdem nominis, sub seculis præcedentibus) sub Ludovico Pio Imp. Auctor collectaneorum in Matthæum, & omnes Epistolas Pauli: *Rabanus Maurus*, monachus Benedictinus, postea Abbas Fuldensis, tandem Archiepiscopus Moguntinus. Hujus opera VI. Tomis prostant: *Haymo* Anglo-Saxo, monachus Fuldensis, post Abbas, tandem Episcopus Halberstadiensis, sub Lothario Imp. scripsit præter *commentarios* in magnam Scripturæ partem; Epitomen Historiæ S. aliaque. Tribuitur etiam ipsi tractatulus de *corpore & sanguine Christi*; sed perperam: *Amalharii* duo; alter Trevirensis Archiepisc. qui scripsit jussu Caroli M. de ceremoniis Baptismi: alter Metensis Diaconus, hic jussu Ludovici Pii Imp. scripsit de *Officiis Ecclesiasticis* lib. IV. item Epistolas V. Porro *Claudius* Taurinensis Episcopus Hispanus, veritatis propugnator contra tyrannidem & idololatriam Ecclesiæ Rom. quoad imagines, hinc damnatus Baronio: *Agobardus* Lugdunensis Episcopus, scriptor contra Iconolatriam, Hagioduliam, & traditiones Ecclesiæ Rom. dignissimus: *Walafridus Strabo*, monachus, hinc Abbas Augiensis, Rabani Mauri discipulus, scriptor ingenuus, de ritibus & officiis Ecclesiasticis, Baronio *Hagiomachus* nominatur. *Anastasius* Bibliothecarius sub Nicolao I. Adriano II. & Johanne IX. Pontif. Rom. Scripsit inter alia *Vitas* Rom. Pontificum, mirè interpolatas; ejus *Collectanea* edidit Sirmundus: *Hincmarus* Rhemensis Archiepiscopus, Senior, distinguendus à Juniore Laudunensi, suo tempore doctissimus, Antagonista Godeschalci. Scripsit Epistolas, è quibus varia adversus tyrannidem papalem excerpunt nostri. Flacius Illyricus in *Catalogo Test. Verit.* Mornæus & alii: his adde *Paschasium* Radbertum, *Ratramnum*, sive *Bertramum* monachum, *Johannem* Scotum *Erigenam*, *Rhemigium* Lugdunensem, *Servatum* Lupum, Ferrariensem Abbatem, *Eginhartum*, scriptorem Vitæ Caroli M. *Ansegisum* Abbatem, collectorem Capitularium, *Theodulphum* Aurelianensem, *Usuardum* monachum, qui suum Martyrologium inscripsit Carolo Calvo, *Florum* Magistrum Lugdunensem, qui scripsit pro causa Godeschalci, *Adonem* Viennensem, Scriptorem *Chronici* & *Martyrologii*, *Freculphum* Lexoviensem Episcopum, *Chronici* scriptorem, *Christianum Dithmarum*, monachum Corbeiensem, Bedæ discipulum, *Ambrosium* Ansbertum, scriptorem liberrimum in Apocalypsin, *Aimonium* monachum, rerum Francicarum scriptorem, Iconolatriæ adversarium; in Orientali Ecclesia etiam, *Theodorum Studitam*, insignem Iconolatriæ Patronum, quem dudum diximus, *Nicephorum* Patriarcham, Constantinopolitanum, Iconolatram; *Chronographia* compendiosæ scriptorem, ut & *Breviarii* historici, *Metrophanem* Smyrnæum, *Nicetam* Davidem Paphlagonem, *Stylianum* Neocæsareensem, *Photium* Patriarcham Constantinopolitanum, scriptorem Μυριοβίβλῳ seu Bibliothecæ universalis, item Epistolarum, Nomocanonis aliorumque, inexhaustæ doctrinæ & lectionis virum, Papalis tyrannidis & traditionum Romanarum impugnatorem, hinc Baronio & gregalibus exosum, Leonem VI. Imp. cognomento *sapientem*, Basilii Macedonis filium, scriptorem Novellarum ταχτικῶν, βασιλικῶν, qui Photium Patriarcham sede dejecit, substituto ei Stephano fratre, hoc nomine laudatum à Baronio & aliis: hos inquam omnes, ad suum seculum redegisse, compendio nostro sufficerit. Ad seculum X. longe steriliſſimum, spectant: In *Oriente* quidem, sub initium hujus, aut finem superioris seculi, *Theophylactus*, Bulgarorum Archiepiscopus, diligentissimus in Scripturæ & Chrysostomi lectione. Alii interim toto & amplius seculo, juniorem putant: *Oecumenius*, auctor *Catenæ* & Commentariorum in Acta & Epistolas, item Chrysostomi Epitomator, quamquam incertæ ætatis, huc tamen à plurimis relatus: *Simeon Metaphrastes*, à Metaphrasi in vitas sanctorum à se confictas, aut saltem interpolatas, à nonnullis refertur ad seculum XIII. aut XIV. *Nicon* Armenius; sed adulto jam seculo X. Scripsit de *Armeniorum pessima Religione*, addictus Pontificibus Rom. *Saidus*, filius Batrick, hinc Batricides, Patriarcha Alexandrinus Melcita, inde ab A. C. DCCCCXXXIII. Scripsit *Origines* Ecclesiæ Alexandrinæ, & *Annales Ecclesiasticos*, in quibus præter admixtas fabulas, multa sunt, quæ conducunt ad historiam Orientalem ejusque hæresium: *Radulphus Flaviacensis*, monachus, scriptor, ut *Commentariorum*, ita & *Historiæ* Francorum, & brevioris *Chronici*. Est auctor hujus seculi, quamvis quia testatur de Johanna Papissa, à nonnullis Pontificiis, præeunte Blondello ad seculum XII. referatur: *Flodoardus*, Presbyter & Canonicus Rhemensis, hoc seculo scripsit *Chronicon* & *historiam* Antistitum Rhemensium: *Witzinkindus* Corbeiensis in Westphalia monachus. Scripsit de *rebus Saxonum*, & de gestis Ottonis M. aliaque historica: *Luitprandus*, ex Diacono Ticinensi, Cremonensis Episcopus. Scripsit historiam Orientis VI. libb. *Aimonius*, monachus Floriacensis, auctor *historiæ Francorum*, quam inscripsit Abboni Abbati Floriacensi, qui hoc seculo vixit: *Ratherius*, ex monacho Laubiensi, Leodiensis Episcopus, & *Herigerus* Abbas Laubiensis, quos Sigebertus dicit scripsisse in controversia, tum nata de *corpore & sanguine Domini*. Plus etiam ad propagationem ædificationemque Ecclesiæ, contulerunt 3. Assertores veritatis, adversus Antichristianissimum Papalem, variasque ejus aliorumque heterodoxias. 3. Assertores veritatis.

contra Anti-Christianismum Papalem aliosque sub ætate IV. N. T.

rodoxias. Nominatim sub seculo hujus ætatis primo, seu ordine VII. Antichristianismo papali sese opposuerunt, α. tota Ecclesia *Orientalis* seu Constantinopolitana, rejiciendo Pontificatum *Oecumenicum* Episcopi Rom. ejusque decreta v.g. de cœlibatu Clericorum, ut & de *Iconolatria* (saltem per hoc seculum) & aliis. Vid. Canon. *Trullani*, Theodori Græci *Capitula*. β. Ecclesiæ *Britannicæ* & Scoticæ, tenaces priscorum rituum, non admittendo primatum *Oecumenicum* Pontif. Rom. nec cœlibatum Clericorum, nec diem Romanorum Paschalem, aliasque Rom. ceremonias. Vid. Forbes. *Instruct. lib.* III. Beda, Usserius aliique. γ. *Hispanicæ*, ea quæ sibi asserunt Pontifices Rom. pro privilegiis, v. g. convocare Synodos, eis præsidere, eas confirmare, disciplinam reformare, aliaque id genus suis Regibus asserendo, idque variis Synodis Nationalibus v. g. *Toletana* III. δ. *Italicæ*, quando Præsules Ravennenses, Patriarchæ Aquileienses, Episcopi Longobardiæ, Istriæ &c. jugum Pontificium subire detrectarunt. Vid. Mornæi *Myster. iniquitatis*, Magdeburg. & Baronius ipse ad An. DCV. DCXIII. DCXVII. ε. *Waldenses* in tractu Pedemontano, professi simplicitatem Euangelii, absque ulla dependentia à Papa Rom. Vid. Usserius de *Success. Eccles. in Occident.* Balth. Lydii *Waldensia*, Legeri *hist. Waldens.* ζ. *Gallicanæ*, nec hoc, nec sequentibus aliquot seculis, admittendo jugum Pontificium, cultum imaginum, transsubstantiationem, cœlibatum Clericorum, errores Pelagianos &c. Præter publicos hos integrarum Ecclesiarum, veritatis assertores, privati insuper extiterunt plurimi, in capp. de *Scripturarum* sufficientia & necessitate, de *gratia* Dei contra Pelagianos, de Christi unius *satisfactione* & merito; de *justificatione* per solam fidem, de veræ Ecclesiæ *notis*, de communione sub *utraque*, de *natura Sacramentum*, nominatim *Eucharistiæ*. Conferantur Illyricus in *Catal. Test. Verit.* Magdeburg. & Antagonistæ Pontificiorum, quatenus ex antiquitate pugnant, v. g. Chamierus, Wittakerus, Chemnitius &c. Sub seculo ætatis secundo, ordine VIII. A. Extra dubium aut controversiam, continuata est oppositio Ecclesiæ *Orientalis*, in capitibus jam circa præcedens seculum designatis. Præterea B. Synodus Francofurtana in capitibus de *imaginibus* aliisque, testimonium veritati præstitit: atque insuper complures *Gallicanæ* sub Carolomanno, Francorum Principe, dein & sub Carolo M. Synodus item Toletana VIII. decrevit adversus Primatum Pontif. Rom. & adversus cœlibatum Clericorum. Cum primis C. Carolus M. in plerisque capitibus Christianis, veritati testimonium præbuit, cum scriptis v. g. Capitularibus, Epistolis, & Conciliis: commendavit *Scripturarum* lectionem, Doctrinam de *Justificatione* per solam fidem, non ex operibus legis, de cultu religioso, soli Deo relinquendo, de *Eucharistia*, absque transsubstantiatione aut *corporali* Christi præsentia, de *purgatorio*, superstitionibus in imaginum, reliquiarum cultu, confictis in hanc rem passim monachorum miraculis, doctrinam repurgavit ad Scripturarum documenta, item de *pœnitentia*, superstitiosa & inusitata monachorum imposita removit, & pœnitentiam publicam, juxta antiquam Canonum constitutionem reformavit &c. Imo, instituta collatione Christianus Niphanius, in XIV. articulis Religionis Christi spisso volumine ex professo demonstrat, non fuisse Pontificium. D. Veteres Britanni *Quartadecimani* & hoc seculo, obstiterunt tyrannidi papali, Clericorum cœlibatui, superstitiosis monachorum institutis, festis, ritibus, ne ipse Baronius quidem negat, ex Beda, ad An. DCCXXXIV. Num. VII. E. Episcopi & Presbyteri varii, in Francia, Britannia, Germania, v. g. Adelbertus, Sidonius, Clemens, Samso, Mailrosius, Virgilius &c. sese opposuerunt tyrannidi & superstitionibus papalibus. Conf. Clarisse. Spanhemius *Introduct. plen. ad hist. Eccl.* Tom. II. pag. 719. — Sub seculo hujus ætatis tertio, seu IX. Veritati Christianæ testimonium præstiterunt (1) contra *tyrannidem* paparum, in Oriente Photius, Ludovicus Pius capitulis & factis, Lotharius, Carolus Calvus Impp. Pontificum Rom. factum coërcentes. (2) contra *traditiones* humanas, pro Scriptura, faciunt Capitularia sub Carolo M. & Ludovico Pio, ut & scripta Claudii Taurinensis, Rabani, Haymonis aliorumque, quos dudum repræsentavimus. (3) Contra *imaginum adorationem*, testantur decreta & facta Impp. Orientalium, Leonis Armeni, Michaëlis Balbi &c. Synodus *Parisiensis* A. DCCCXXV. Sub Ludovico Imp. probati Doctores & Episcopi in Gallia, Agobardus Lugdunensis, Amalarius Trevirensis, Jonas Aurelianensis &c. Sic satis agnoscente Baronio ad An. DCCXCIV. Num. LV. Item Almalarii vestigiis insistentes Britanni, & Germani illi, qui Synodo Francofurtanæ adhærebant v. g. Walafridus Strabus, in Italia Claudius Taurinensis. (4) Contra Paparum & Cleri Romani *corruptissimos mores*, surrexerunt, varii Principes, Episcopi, Abbates, & Synodi variæ. (5) Contra *peregrinationes* religiosas, *invocationem* Sanctorum, *Missas* quotidianas, horas *Canonicas*, in sacris usum *linguæ ignotæ*, aliaque id genus, luculenta prostant testimonia Synodorum, Capitulorum, Theologorum, v. g. Walafridi, Methodii Illyrici, Rabani Mauri, Hincmari, de quibus jam ante. (6) Contra hæresin *Pelagianam*, & *Semi-Pelagianam* seu Massilienssium, receptas fere in Latina Ecclesia, disputarunt, Godeschalcus, Remigius Lugdunensis & alii. (7) Contra *transsubstantiationem* steterunt, Ratramnus, Rabanus, Erigena & alii. De quibus ex professo, quos

jam ante nominavimus. *Centur.* Magdeb. *Catalog. Teſtium veritatis* Illyrici, Mornæus &c. Sub parte priore ſeculi decimi, uſque ad Henricum IV. Imp. qui tyrannidi papali ſuccubuit; teſtimonium veritati præbuerunt I. Imperatores Rom. quando faſtui & moribus peſſimis Pontificum Rom. ſeſe generoſe oppoſuerunt, v. g. Ludovicus III. Conradus I. Henricus I. Auceps, Otto I. alias Magnus, & jura eligendi, approbandi Pontifices, inveſtiendi Epiſcopos & Clerum, ſibi potenter recuperarunt, adverſus Johannem XIII. Benedictum V. Antipapam, teſtibus Luitprando, Sigeberto, Platina & aliis. Hinc 2. in hac caligine, adverſus Pontificum tyrannidem, Cleri flagitia, ſuperſtitiones craſſas, traditiones inanes; fidei ſubſtantiam aſſeruerunt, de Scripturis, de Deo, Chriſto, gratia, juſtificatione per fidem, confeſſione Deo facienda, pœnitentia vera aliiſque, ipſi quandoque monachi, *Ambroſius* Ansbertus, *Smaragdus* Abbas, *Radelphus* Flaviacenſis, *Aimonius* Flaviacenſis monachus, quando ſcripſerunt adverſus monarchiam Papæ univerſalem, infallibilitatemque, item adverſus indulgentias papales, vires liberi arbitrii, cœlibatum Clericorum, cultum imaginum, communionem ſub una ſpecie &c. item contra transſubſtantiationem, & præſentiam Chriſti corporalem in Euchariſtia, imo & ipſe Gerbertus, doctrinæ hujus temporis Miraculum, præceptor Ottonis III. & Roberti I. Hugonis filii, qui poſtea Papatum habuit. Teſtibus Epiſtolis Gerberti, & actis Concilii Rhemenſis A. DCCCXCII. Conf. Mornæus in *Myſter. iniquit.* Marcus Antonius de Dominis de *Repub. Eccleſ.* part. IV. Addantur Reges Anglorum v. g. Eduardus Ethelſtanus, poſt Alfredum, ſimiliter Galliarum Reges, ſibi aſſerentes contra Pontifices Rom. jura inveſtituræ, poteſtatem νομοθετικὴν, tam in Eccleſiaſticis; quam civilibus, juxta Bedam in calce *Hiſtor. Eccleſ.* & Spelmannum in Tomo I. *Concil.* eoſque qui hiſtoriam Gallicanam hujus temporis conſcripſerunt, item Waldenſes in Pedemontio, de quibus Legerus Hiſt. Valdens. cap. II.

4. Synodi ætatis IV. N.T. Suum inſuper 4. ad ædificationem Eccleſiæ contulerunt Synodi hujus ætatis, & ſub ſeculo quidem VII. duæ *univerſales*, nim. primo VI. ſeu *Conſtantinopolitana* III. A.C. DCLXXX. ſub Conſtantino Pogonato, occaſione hæreſis Monotheliticæ, cui favebat Theodorus Conſtantinop. hinc ſede motus, ſuffecto Georgio, qui Synodo ſubſcripſit, convocante Conſtantino Imp. Agathone per legatos præſente. Locus fuit in Trullo, ſeu Secretario palatii Conſtantinop. Convenerunt eo CCLXXXIX. Epiſcopi. Præſedit Conſtantinus Imp. qui & Synodum confirmavit ſolenni edicto, Act. XVIII. In hac α. probatæ ſunt V. priores Synodi Oecumenicæ. β. Damnata eſt hæreſis Monothelitarum. γ. Anathematizati ſunt, Honorius Papa, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Cyrus Alexandrinus, Macarius Antioch. Act. XVIII. Confirmantibus anathema, nominatim in Honorium, Synodo *Quini-ſexta*, univerſali, paucis poſt annis ſecuta, item Nicæna II. Impp. Conſtantino, Juſtiniano, imo & ipſis Honorii ſucceſſoribus Leone II. Benedicto II. Johanne V. Conone, Adriano I. Papis: hinc ſecundo *Quini-ſexta*, ſic dicta, quod, velut in ſupplementum Synodi V. & VI. fuerit convocata, in quibus nulli Canones decreti fuerant, niſi de regimine, diſciplina, ritibus, moribus Clericorum, monachorum, fidelium. Græcis dicitur *Sexta*, & Trullana. Habita fuit A. C. DCXCI. vel DCXCII. Præſidentibus Sergio Rom. Paulo Conſtantinop. Petro Alexand. Georgio Antioch. Anaſtaſio Hieroſolymit. Epiſcopis. Canones conditi CII. in quibus varii, contra diſciplinam, praxin & auctoritatem Eccleſiæ Romanæ: in his cumprimis memoratu digni ſunt, I. III. XIII. XIX. XXXVI. XXXVIII. LV. LXXXII. &c. Subſcripſerunt, & approbarunt, etiam legati Romani, quamvis ejus Canones recipere noluerit Sergius I. Papa. Sed & approbata eſt à Johanne VII. Papa, à Synodo Nicæna II. Adriano I. Epiſcopo Rom. quamvis ei inſultent Romanenſes, Baronius aliique. Acceſſerunt his univerſalibus, particulares, Nationales & Provinciales plurimæ: Conſtantinopolitanæ, Hieroſolymitanæ, Africanæ, Romanæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Britannicæ, de quibus Tomi Conciliorum. In tanta tamen Synodorum multitudine, paucæ occupatæ fuerunt circa *doctrinam*, editis ſcil. confeſſionibus, ſymbolis & decretis ſynodalibus, his exceptis quæ habitæ fuerunt adverſus Monothelitas alioſque, plures circa *diſciplinam* clericalem & monaſticam, aliaſque ceremonias ſuperſtitioſas; frequentiſſimæ circa vagas Clericorum libidines, & contra *lœlibatus* legem. Sub ſeculo *octavo*, habita fuit *primo* univerſalis VII. ſeu Conſtantinopolitana IV. quæ à Latinis, quod adverſetur ſuis placitis, pro *conciliabulo* ſeu *conventu Satanæ* cenſetur, acta tamen ejus inſerta proſtant Synodo Nicænæ II. Habita fuit A. C. DCCLIV. auſpiciis Conſtantini Copronymi, cum fruſtra univerſalem expetiſſet Leo Iſauricus. Igitur poſt convocatos in Provinciis conventus, coierunt ex toto Imperio Epiſcopi CCCXXXVIII. teſtibus Nicænis & Theophane. In cauſa fuit imaginum & reliquiarum cultus. Hic poſt longum examen, ex *Scriptura* & Patrum teſtimoniis, ut acta loquuntur, I. confirmatæ ſunt ſex priores Synodi univerſales, omniſque fides Catholica, diſtincte enarrata adverſus hæreſes priores. 2. Omnis idololatria, velut à dæmone & Ethnicis profecta. 3. Dictum eſt anathema *Iconolatris*, Xyloiatris, interdicta non tantum omni λατρείᾳ; ſed etiam προσκυνήσει, nominatim etiam *Germano* Conſtantinop,

ſtantinop. *Georgio* Cyprio & Johanni Damaſceno. Secuta hinc eſt ſubverſio imaginum per Orientem. *Secundo* Nicæna II. vulgo Oecumenica VII. ſecundum Latinos & Iconolatras. Hujus acta diu ſepulta fuerunt in Occidente, ob reprobatam eam Synodum, inde à Carolo M. exſtant nunc in Tomis Concil. Coiit A. DCCLXXXVII. aliis ſerius. Intendebat reſtitutionem imaginum in templis, Tarafio Patriarcha Conſtantinop. ea lege in ſedem evecto, ut promoveret Irenes conſilia. Cooperabantur Adriani I. Legati, præſide Tarafio, abſentibus reliquis Orientis Patriarchis. Decretum fuit, imagines non tantum haberi poſſe in uſum *hiſtoricum*; ſed & exponi debere ad cultum *religioſum* in templis, imo exoſculandas, adorandas, cereis, ſuffitu, aliiſque ritibus religioſis, excepta tantum latriâ, ſoli Deo debitâ. Hinc imagines ad hunc uſum, reſtitutæ fuerunt per Orientem. *Tertio* Francofurtana A. C. DCCXCIV. auſpiciis Caroli M. convocatis ex Italia, Gallia, Germania, Britannia, Epiſcopis minimum CCC. Cauſa fuit, partim *indignatio* in Synodum Nicænam II. damnandam Canone II. partim hæreſis *Adoptiana*, dudum Synodis aliquot exploſa. Condidit Canones LVI. à Sirmundo editos, quibus damnavit hæreſin *Adoptianorum*, dudum ſparſam à Felice, Elipando & aſſeclis: damnabat præterea omnimodam adorationem imaginum, adeoque & canones Nicænæ II. quam pro Conciliabulo Græcorum habebat Synodus, quam pro vera Synodo non agnoſcit Baronius cum ſuis, quod ei contradixerit Adrianus Papa. Obtinuerunt inſuper variæ Synodi magis particulares, ut Conſtantinopolitanæ plures, Romanæ, Germanicæ, Gallicæ, Britannicæ, collectæ in Tomis *Concil.* In his memorabiles cumprimis ſunt, *Liptinenſis* in Gallia Belgica, ſub Carolomanno Francorum Principe A. DCCXLIII. pro reformanda Religione & diſciplina, & populo Chriſtiano ad *ſalutem animæ* perducendo: *Sueſſionenſis* in Gallia A. DCCXLIV. Contra Adelbertum & Clementem Scotum, hæreſeos perperam damnatos: *Gentiliacenſis* A. DCCLVII. de proceſſione Spiritus S. ex Patre & filio, & pro retinendo uſu imaginum, præſentibus legatis Græcorum: *Ratisbonenſis* A. DCCXCII. in qua damnata fuit hæreſis Felicianorum: *Romana*, ſub Adriano I. & Carolo Rege A. DCCLXXIV. in qua, accedente Senatusconſulto, Regi confirmatum fuit jus creandi Pontifices, inveſtiendi Archiepiſcopos, Epiſcopos, juxta Gratianum Diſt. LXIII. Mittimus alias ſub Carolo M. indictas, *Wormatiæ*, *Aquisgrani* &c. unde *Capitularia*, ejus Principis nomine edita. Sub ſeculo *nono*, in *Occidente* quidem Synodi fuerunt frequentiſſimæ, *Romanæ*, *Italicæ*, *Germanicæ*, *Gallicæ*, *Britannicæ*, *Hiſpanicæ*, auſpiciis & juſſu pleræque Imperatorum & Regum, quibus etiam ſubmiſerunt ſuos *canones*, *ſupplendos*, *emendandos*, ut ad Carolum M. Synodus Arelatenſis VI. A. DCCCXIII. Intelliguntur Synodi hujus ſeculi, ex *Actis & Canonibus* Conciliorum, collectis à Binnio, Surio, Labbeo aliiſque. Occupantur autem vel circa (α) *doctrinam*, ſic *Pariſina*, ſub Ludovico Pio A. DCCCXXIV. contra Synodum Nicænam II. & adorationem imaginum; ſic complures aliæ contra Pelagianos, de Prædeſtinatione, gratia & libero arbitrio, occaſione Godeſchalci: in nonnullis etiam determinatum eſt, de Proceſſione Spiritus S. ex Patre & Filio, ſic v. g. in Arelatenſi VII. ſub Carolo M. vel (β) circa *diſciplinam & reformationem* Cleri, item emendationem Eccleſiæ, quales pleræque fuerunt, ſub Carolo M., Ludovico Pio, Carolo Calvo Impp. unde *Capitularia* prodierunt: ſub Alfredo Anglorum Rege A. DCCCLXXXVII. Vel (γ) circa *regimen & jurisdictionem*, ſeu lites inter Patriarchas, Metropolitanos, Epiſcopos, Abbates, quales exercuerunt, v. g. Synodos Gallicanas, inter Hincmarum Juniorem *Laudunenſem*, & Hincmarum Seniorem *Rhemenſem* Archiepiſcopos, jura Regia adverſus nepotem, eademque opera & adverſus Pontificem aſſerturum: item inter Hincmarum *Rhemenſem* & *Rolhadum*, Sueſſionenſem Epiſcopum, deponendum ab Hincmaro, & reſtituendum à Nicolao I. Pontifice: inter *Wenilonem* Senonenſem, & Synodum Tullenſem A. DCCCLIX. inter *Bituricenſem* Patriarcham, & Narbonenſem Eccleſiam, in quam iſte ſibi nimiam jurisdictionem arrogabat &c. vel circa *cauſas Imperatorum*, *Regum*, *Principum*, quas Clerus Rom. rapiebat ad ſua tribunalia. v. g. cum in conventu ad *Compendium* A. DCCCXXXIII. Ludovicus Pius pœnitentiæ publicæ addiceretur, deponendo habitu regio: reſtituendus in conventu ad *Theonis* villam, conſenſu Epiſcoporum A. DCCCXXXV. item in cauſa Lotharii, ob repudium Theutbergæ conjugis: in cauſa *Caroli Calvi* A. DCCCLV. in Synodo *Bellovacenſi*: rurſus in cauſa ejuſdem Calvi, adverſus Hadrianum II. invadentem jura ejus, quæ tuebantur Synodi Gallicanæ, imprimis Duriacenſe I. A. DCCCLXXI. Conſimiles aliæ fuerunt in Occidente. In *Oriente* habitæ ſunt tres Synodi Conſtantinopolitanæ, in cauſa Ignatii & Photii: harum *prima*, Ignotii depoſitio & Photii ſubſtitutio confirmata fuit A. DCCCLXI. *Secunda* A. DCCCLXIX. convocata auſpiciis Baſilii Macedonis, Photius indigniſſime remotus, & Ignatius reſtitutus eſt. *Tertia* anno DCCCLXXIX. Photius denuo reſtitutus eſt. Has tres *Oecumenicas* vocant, ſecundam ſolam pro tali recipiunt Latini, & ex adverſo Græci reprobant. Sub ſeculo X. nullæ fuerunt Synodi *Oecumenicæ*; nationales & provinciales plurimæ, cumprimis in Occidente, occupatæ ferme, circa ritus ſuperſtitioſos, lites Epiſcoporum, diſſidentium Romæ Pontificum, & collapſam clericalem diſciplinam: in quibus parum occurrit memoratu dignum; niſi quod

in

in Synodo apud *Troſtejum* in Gallia, pro reformando Clero, Eccleſia dicatur *ædificata* ſupra *Petram*, id eſt, *ſuper confeſſionem Petri*, ut eſt in capitulo ejus XV. item *Rhemenſis* A. DCCCCXCI. in qua Gerbertus & Arnulphus Aurelianenſis Romanam Eccleſiam, cum capite ſuo, *Antichriſti* imaginem referente, ad vivum repræſentarunt. Vid. Magdeb. Illyrici Catal. Teſt. veritatis & alii. 5. Reformationes.

Reformationes etiam 5. ſub corruptiſſima hac ætate, ſubinde tentatæ ſunt, circa Antichriſtianiſmum papalem, circa cultum imaginum, reliquiarum, alioſque abuſus & ſuperſtitiones, circa diſciplinam & perditiſſimos Clericorum mores & alia id genus: cum ab Imperatoribus paſſim, per Orientem à Leone Iſauro, Conſtantinis, Carolo M. Ludovico pio, Ottonibus, Carolo Calvo, Henricis aliiſque; tum à Synodis, prout dudum obſervavimus: ſed plerumque exoptato ſuo ſucceſſu deſtitutis, obnitente nimium potenter Antichriſtianiſmo papali.

6. Scholæ.

Idem fere dicendum 6. de *Scholis*, quæ afflictiſſimis Eccleſiæ rebus ſuccurrere debuiſſent, quæ rarius natæ, ſub hac ætate obſervantur: niſi quod ſub ſeculo VII. narretur, ſchola *Floriacenſis*, à S. Benedicto Monacho appellata, item Cantabrigienſis in Anglia, quam ad A. DCXXXVII. referunt, fundatore Sigeberto Anglo-Saxonum Orientalium Rege. Beda *Hiſt.* lib. III. cap. XVIII. quamvis alii privilegia referant ad Lucium Regem, & Eleutherium Papam; in monaſteriis tamen quibuſdam ſtudium literarum utcunque viguit. Sub ſeculo VIII. orta eſt Academia *Pariſienſis*, auſpice Carolo M. ſuadente Alcuino, primis e Britannia Doctoribus Maroſio & Clemente, monachis: idem Carolus M. in Epiſcopiis & Abbatiis, paſſim ſcholas, vel erexit, vel inſtauravit, imo & in *palatio* Regis, in qua, ſacra doctrina, præter cantum Eccleſiaſticum tradebatur, ut patet ex Alcuini *Epiſtolis*: item ſeculo IX. ſcholæ ſurrexerunt *Cæſaroduni* Turonum in Gallia, cui præfuit Alcuinus: Lugduni, ubi Florus, Agobardus, Remigius, claruerunt; *Corbeia*, ubi Anſgarius, Paſchaſius, Radbertus, Rhatramnus: *Rhemis*, ubi Rhemigius Antiſſiodorenſis, docuerunt: In *Italia* Papienſis, Patavina, Bononienſis, ſuam originem referunt ad Carolum M. in *Germania*, Oſnabrugenſis A. DCCCIV. *Fuldenſis*, *Corbeiana* ad Viſurgim, *Hirſchavienſis* & aliæ: In *Britannia* Oxonienſis ſub Alfredo Rege, exeunte ſeculo. Uſſer. Antiq. Britann. à pag. 340. & ubique *Canonicorum* collegia, apud Cathedrales Eccleſias, *monaſteriaque*, per Germaniam, Galliam, Britanniam, Italiam, quæ ſtudiis deſtinata fuiſſe, dudum monuimus. Conf. Hoſpin. *de Monach.* Tandem Seculo X. omnium ſterliſſimo, vix memorantur ſcholarum origines, niſi quod *Lovanienſis* in Brabantia, hoc tempore dicatur cœpiſſe, ornata privilegiis à Johanne Duce Brabantiæ, atque etiam *Hiſpalenſis* in Hiſpania, quæ erudivit Sylveſtrum II. Papam. Quantum 7. ad *ſchismata*, ea ſub hac ætate non adeo frequentia extiterunt; obſtruente omnium ora, tam in bonis, quam in malis, tyrannide papali. Nihil hic dicam de ſchiſmatibus inter Papas & Antipapas, quæ dudum penes vitas Pontificum, ſic ſatis repræſentavimus: nihil item de contentionibus ſchiſmaticis Epiſcoporum Clericorumque, quæ Synodis paſſim altercandi occaſionem præbuerunt, penes Synodos ſufficienter repræſentata: in nervum hac ætate erupit magnum ſchiſma inter Orientalem Græcorum, & Occidentalem Latinorum Eccleſiam, fundatum ſub præcedentibus ſeculis, prout dudum ſuo loco obſervavimus, adhucdum durans. Excluſum iſtud ſeculo *octavo*, occaſione ſuppetente: I. Ab *Iconodulia*, cui obnitebantur Orientales, ſub Leone Iſaurico, & ſequioribus nonnullis Imperatoribus Orientis; Patrocinabatur Eccleſia Latina in Occidentalibus, niſi quod eis in Oriente acceſſerit Irene, de qua jam ante. Dum Michaël Balbus legatione facta, ad Ludovicum pium A. DCCCXXIII. quam Baronius exhibet ad An. DCCCXXIV. Num. XVII. diſſidium admodum tractaret moderate, petito tantum per Epiſtolam, à Ludovico & Papa, ut *ejicerentur Roma omnes Græci calumniatores*, id eſt, turbones & Iconoduli, qui concordiam impedirent: tum 2. à diſſidio inter *Photium* & *Ignatium*, Patriarchas Conſtantinopolitanos, quando, depoſito Ignatio per Michaëlem Bardam, ſubſtitutus fuit Methodius A. DCCCXLVII. & huic Photius vir incomparabilis: quod adeo male habuit Nicolaus Papa, ut Legatos Conſtantinopolin mitteret pro Ignatio, & Græci coacta Synodo, præſentibus legatis, depoſitionem Ignatii confirmarent: Nicolaus vero, legatos reduces accuſaret, acta Synodi Conſtantinop. reſcinderet; hinc ſublato Michaële, Baſilius Macedo, quem Photius, velut ἀνθρωποφόνον ac λῃστὴν, à communione prohibuerat, cum Hadriano II. Nicolai ſucceſſore, adverſus Photium conſpirare, indicta Synodo Conſtantinopolitana, quam *octavam* Latini vocant, Photium damnare, ſede movere & Ignatium reſtituere cœpit. Perſpectis tamen artibus Rom. Pontificis, mortuo Ignatio, Baſilius ipſe, alia Synodo, Photium reſtituit, probante Johanne IX. Papa, condemnata etiam Synodo priore Conſtantinopolitana *octava*: donec, reverſis legatis, Johannes Papa, acta Synodi iſtius denuo reſcinderet, ob hoc potiſſimum, quod *jurisdictionem* independentem Conſtantinopolitani aſſeruiſſent. Ab eo tempore nova anathemata in Photium cuſa, præcipue ſub ſucceſſoribus Johannis IX. dum interim ſucceſſores Photii ſua jura tuerentur, eoque ſchiſma nequaquam ceſſaret. Sic habent, præter Cedrenum, Zonaram, Tomi quoque Conciliorum, Epiſtolæ Photii, quin & Johannis IX. Papæ. Por-

7. Schiſmata ſub ætate IV. Noſtra.

ro 3. A Bulgaris nuper ad fidem Christianam conversis, quos Nicolaus Papa contendebat suo subesse debere Patriarchatui, ex adverso sibi illos arrogabant Constantinopolitani, eo quod essent, & olim fuissent sub Orientali Diœcesi, decidentibus litem ipsis Bulgaris, quando, perspectâ Latinorum tyrannide, recessere, testibus Platinâ & Byzantinis, & Photius suæ sedi jam restitutus, *Theophylactum* Bulgariæ Episcopum constituit. Insuper 4. à controversia super *Processione Spiritus S.* quæ jam ante decisa fuerat à Synodo Constantinopolitana VIII. præsentibus legatis Johannis IX. instructisque ejus *Commonitorio*, in quo consentiebat Pontifex, *ut penitus tolleretur e Symbolo particula illa* FILIOQUE, quam Latini symbolo addidissent. Et hoc additamentum, per Græcos jam exprobratum fuerat Nicolao Papæ, in *Encyclica* Photii ad Patriarchas, apud Baronium ad An. DCCCLXIII. Hinc nata Græcorum certamina contra Latinos, accedentibus cum primis aliis controversiis, de *Azymis*, de Jejunio *Sabbathi*, de *Purgatorio* &c. Hinc tot in Photii scripta Pontificiorum invectivæ, & quia in ejus restitutionem consenserat Johannes Papa, hinc scil. à mollitie, appellatum fuisse *fœminam*. Nec defuerunt tandem 8. huic Ecclesiæ ætati suæ *persecutiones*. Ut nihil dicam de Pontificum Romanorum insultibus, in hunc aut illum Episcopum, sibi suæque tyrannidi obnitentem, v. g. in Photium, quos jam dudum tetigimus: observantur, sub seculo quidem VII. α. Continuatio persecutionis Persarum sub Cosroë Rege, frustra pro Christianis apud eum per legatos intercedente Heraclio Imp. Vid. Sigon. De Regn. Italiæ lib. II. cap. 34. β. *Edwaldi* illa, Edelberti Cantauriorum apud Anglos, filii ac successoris, qui suasu quorundam à fide Christianâ apud Antiochiam resiliens, passim Episcopos Anglia pepulit, quamvis paulo post revocaverit. γ. *Judæorum*, apud Antiochiam sub Phoca, per seditionem multos Christianos occidentium, ipsumque Patriarcham Anastasium, cadavere ejus in foro combusto, contra quos Phocas exercitum misit, teste Zonara, Sigonio, Elmacino, aliisque. Sub seculo VIII. (1) *Normanni* seu Dani in Angliam irruerunt, eamque crudeliter vastarunt A. DCCXCIII. & DCCXCIV. (2) *Phrisones*, cum iterum Religionem Christianam abjecissent A. DCCLV. Bonifacium & Lullum Episcopos, inter alios *Docomi*, die V. Junii trucidant. (3) *Saxones*, Duce Brunone, Bructuarios, quod Christianismo nomen dedissent A. DCCVIII. afflixerunt, fusique sedibus ejecerunt (4) *Saraceni* in Ægypto, conviciis pariter & suppliciis in Christianos sævierunt, teste Elmacino pag. 64. — ordine enumeratis Præfectis Ægypti, qui de immunitate inter se certarunt. Sub seculo IX. memorantur potissimum persecutiones *Muhammedanorum* in Christianos, per suos Caliphas, v. g. *Mutevacceli* cujusdam, de qua Batricides p. 354. Item *Cordubæ* in Hispania, A. DCCCCLI. per totum annum, & de qua Calvisius ad hunc annum, & anno seq. Abdertahmen Rex Cordubæ, multos Christianos Religionis causa trucidavit, ac tandem, cum die XIV. Sept. aliquot suspendissent, & pendentia eorum cadavera ex arce conspexissent, eadem subjecto igne, cremari jussit; sed priusquam ignis exstinctus esset, ipse etiam subito mortuus est. Genebrardus etiam ad A. DCCCL. tres Arabum persecutiones in Hispania, intra decennium contigisse, quas Eulogius descripsit libb. III. Tandem seculo X. narrantur α. *Saracenorum* persecutiones, per *Apuliam* & *Calabriam* A. DCCCCXXII. Baron. ad hunc annum: item per *Genuam* Liguriæ urbem: item *Saifuddanias* A. DCCCCL. prælio Romanos vicit, & triginta circiter millia occidit, & Episcoporum cepit circiter duo millia. Elmacinus. A. DCCCCLXX. *Avaddaulas* exercitu ingente Romanos in fugam egit. Adduntur etiam β. varia Prutenorum, Bohemorum, Nordmannorum, aliorumque Gentilium in Christianos odia & persecutiones &c.

8. Persecutiones sub ætate IV. N. Test.

XXXIII. Ex prædictis omnibus, jam facile agnoscis, Apocalypseos *equum pallidum*, ejusque sessorem, cui nomen mors, quem sequebatur infernus, cui potestas competebat in quartam terræ partem, eam occidendi, gladio, fame, morte & bestiis terræ, hoc est, omnibus modis statum Ecclesiæ miserrimum. Sub seculo VII. ei insultante duplici Antichristianismo: sub seculo VIII. insuper Saracenis, Longobardis, Hunnis, Schlavis, Venedis &c. præcipuam Europæ partem vastantibus: Pontificum Romanorum tyrannide & superstitione, Ecclesiam subjugantibus: Clericorum porro flagitiis, libidinibus, Simoniis, avaritiis, eam passim deturpantibus: hisque omnibus sub seculo IX. continuatis non tantum; sed auctis insuper, donec tandem seculo X. ad suum fastigium pertingerent, adeo ut Baronius, suique gregales, volentes nolentes fateantur, fuisse jam Ecclesiæ faciem *fœdissimam*, statum *deploratissimum*, Pontifices *Pseudo-Pontifices*, *monstra* hominum, visam tum *abominationem in templo*, *dormiisse* tum in navi Christum, *nemine* excitante, intrusos in Romanam sedem, homines *monstrosos*, *vita turpissimos*, *moribus perditissimos*, *usque quaque fœdissimos*, *omnia Romæ*, *tam sacra*, *quam profana*, *factionibus miscebantur*. Caput imitabantur membra, Cardinales, Episcopi, Presbyteri, Monachi. Flagitiis accedebat ignorantia & superstitio &c. Vid. Baronius ad annos DCCCXCVII. & DCCCC. & DCCC. Num. I in hæc verba erumpens: *Et novum inchoatur seculum, quod sui asperitate ac boni sterilitate* FERREUM, *malique exundantis deformitate* PLUMBEUM, *atque inopiæ Scriptorum, appellari consuevit* OBSCURUM. Et passim insuper seculum, *infelix*, *monstrosum*, *indoctum*, *tempora teterrima*; *pessima*, *infanda*, *quibus*,

Facies Ecclesiæ sub ætate quarta.

quibus, quam indigna, quamque turpia, deformia, execranda, abominanda, coacta est pati S. Apostolica sedes, & quidem *toto hoc ferme seculo.* Huic succinit Genebrardus : *per annos fere* CL. *Pontifices circiter* L. *à virtute majorum prorsus defeciſſe, apoſtaticos, apotacticosve potius quam Apoſtolicos.* Sic se habebat res Ecclesiæ in Occidente ; nec multo melior erat conditio Cleri in Oriente &c.

Ætas N. Testamenti quinta, sub apertura sigilli quinti Apocalyptici.

Apertura quinti Sigilli Apoc. VI. 9. 10, 11.

XXXIV. Succedit *quinta* Ecclesiæ N. Testamenti ætas, continuationis, exspectationis, & consolationis ex imminente jam vindicta, & liberatione Ecclesiæ per reformationem. Ista figurantur apertura *quinti* Sigilli, quæ describitur Apoc. VI. 9. 10. 11. *Cumque aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas eorum, qui mactati fuerunt propter verbum Dei* &c. Est in his verbis,

1. Apertura *sigilli quinti :* & cum aperuisset sigillum quintum. *Scil. Christus agnus, ut observatum in præcedentibus :* cum aperuisset, *seu Enallaga temporis, cum aperiret, seu revelaret fata quintæ ætatis Ecclesiæ.*
2. Sigillum *apertum, seu visio repræsentata emblemate, querulantis Ecclesiæ, de persecutione, & voventis vindictam, seu liberationem, seu reformateonem jam instantem, qua Deus phialas iræ suæ effundat super Thronum Bestiæ. Occurrunt hic*

A. Querulantes *seu viventes : Et* vidi *scil. oculis, non tam corporis quam mentis, ut fit in visionibus exstaticis :* animas, *seu* cadavera, *quo sensu vox* נפש *frequenter venit sub V. T. seu* animas, *immortales martyrum, prout communiter vox usurpatur ; seu* homines *sensu Synecdochico. Videntur autem intelligi animæ, non tantum præcedentium ætatum, qui trucidati sunt propter* verbum *Dei ; sed etiam eorum qui trucidandi adhuc essent, per universam hanc ætatem, adeoque & Waldensium, Albigensium : hæ dicuntur fuisse sub* altari, *allusione ad V. T. sacrificia, seu sanguinem sacrificiorum, qui effundebatur ad pedes altaris : altaris, non tantum* holocaustorum, *quod existebat in atrio, extra sanctum sanctorum, seu extra cœlum ; sed etiam* incensi, *quod erat intra velum, significans cœlum, ut significetur Ecclesiam, cum* militantem, *tum* triumphantem *anhelare* vindictam, *seu reformationem Ecclesiæ. Et quidem* mactatorum, *non alia quavis de causa, sed propter* verbum Dei, & testimonium quod tuebantur, *h. e. propter professionem veritatis Euangelicæ.*

B. Querela *seu votum liberationis :* magna voce dicentes *&c. Est hic*

α. *Querulandi seu vovendi* modus: clamabant voce magna, *seu flagrantissimo desiderio, scil. non* clamando *tantum ; sed &* magna *voce, allusione ad eadem Abelis Protomartyris, cujus sanguis* clamare *dicitur* Gen. IV. 10.

β. Querela, *seu argumentum querelæ :* usque quo Domine, qui sanctus es & verax, non judicas *&c. Queruntur, non ex* impatientia, *nec* vindictæ *cupiditate, sed desiderio liberationis Ecclesiæ, quod ea tardetur. Significatur duratio persecutionis adhuc urgens & liberatio ab eadem, instans sub reformatione ætatis sequentis.*

γ. Exauditio *querelæ seu voti, facta*

1. Re, tum datæ sunt singulis stolæ albæ. *Significatur præmium martyrii, cum in corona martyrii, in hac vita ; tum in beatitudine vitæ futuræ.*
2. Verbis *consolatoriis* : & dictum est eis, *quibus suadetur* patientia, ut requiescerent, *idque ad* paucillum *tempus*, adhuc paululum temporis. *Innuitur continuatio persecutionum sub hac ætate ; sed ad paucillum tempus tantum, quod jam instaret vindicta, seu reformatio, sub ætate proxime sequente. Universo igitur emblemate figuratur α. Continuatio calamitatum Ecclesiæ, sub ætate quinta. β. Votum seu desiderium liberationis sub reformatione sequentis ætatis, & γ. liberationis istius tempus, jamjam instans. Jam, ut ista adimpleta fuerint sub hac ætate, patebit per commentarium subsequentem.*

Imperatores Romani, ætatis quintæ N. T. numero XXI.

XXXV. Exegit hanc ætatem Ecclesia, per annos circiter CCCCXLV. sub Imperatoribus Romanis XXI. In his fuit (1) *Henricus* IV. tertii filius. Puer admotus, imperium habuit admodum turbulentum. Excommunicatur, Hildebrando seu Gregorio VII. supplex, omnia jura sua concedit, & nihilominus, eo consentiente, ei Rudolphus, Dux Sueviæ, pro Imperatore opponitur. Denuo excommunicatur à Gregorio, cui propterea, habitâ Synodo, Clementem III. substituit, & Rudolphum exstinguit. Hinc iterum ei Papa opponit Hermannum Luxelburgium, quo victo Urbanus II. Papa, Conradum filium adversus eum concitavit, & post eum victum, Henricum quoque filium : ex quo paulo post mœrore exstinctus est, postquam imperasset, nonnullis per annos L. aliis LIV. Successit (2) *Henricus* V. quarti filius, qui infandâ impietate Parentem Henr. IV. ab-

ab Imperio remotum, tractavit: hunc postea Paschalis Papa, cum juribus ecclesiasticis nollet renunciare, & Papam refractarium in ordinem cogeret, jam egressum ex Italia, excommunicavit, & ingentes turbas in Germania excitavit. Imperavit annis XVIII. Secutus est (3) *Lotharius* II. cognomento Saxo, Gebhardi Comitis Querfurdi filius. Pontificibus nimium indulsit, inque eorum gratiam, bis exercitum in Italiam duxit. Imperavit annis XIII. Successit (4) *Conradus* III. Suevus, ex Veterum Gibellinorum stemmate oriundus, huic cum Henrico Superbo, Duce Bavariæ & Saxoniæ, ejusque fratre Guelpho, acerrimæ intercesserunt contentiones, è quibus Guelphorum & Gibellinorum factio exorta est. Imperavit annis circiter XV. Secutus est (5) *Fridericus* I. Barbarossa, Conradi III. ex fratre nepos. Alexandrum Pontificem, in dignitatem Imperatoriam, omneque Germanorum imperium, injuriosum fugavit: illi postea Venetiis reconciliatus, excommunicatus, (fertur Papa ei collum calcasse, detortis verbis Psal. XCI. 13. *Super Leonem & Basiliscum calcabis*, quamvis de hujus facti veritate alii dubitent. Vid. Rupert. ad Besoldi cap. XVIII.) in itinere versus Palæstinam periit, cum imperasset annis XXXVIII. Successit (6) *Henricus* VI. Friderici filius, cui Pontifex, cum nonnullis Proceribus, Bertholdum Zaringiæ Ducem substitueret, & ille se statim submitteret, Ottonem VI. Imperavit Henricus VI. annis VII. aliis IX. Successit (7) *Otto* VI. Henrici VI. Filius, per annos X. aliis IX. opponente se ei Philippo. Successit (8) Fridericus II. Henrici VI. filius, Rex Siciliæ, cui oppositus fuit Henricus Lundgravius Misniæ, eligitur anno XIV. Ottonis. Hujus tempore Guelphi & Gibellini dicuntur maximas turbas dedisse in imperio, illis Pontificis; his Cæsaris partes sequentibus. Imperavit annis XXXII. aliis XXXVIII. Post hos interregnum fuit, in quo titulum Imperatoris gesserunt aliquamdiu, Conradus IV. Friderici II. filius, ad quem Electorum originem referunt; sed incertè, & Wilhelmus Comes Hollandiæ, jam ante Friderico II. oppositus, & Richardus etiam Rex Angliæ, & Alphonsus Rex Hispaniæ, ad imperium invitati. Per annos XXIII. Successit (9) *Rudolphus* I. Habspurgensis Comes, stirps Austriacæ familiæ. Sub eo *Siculæ vesperæ* contigerunt, quibus Gallorum octo millia, duarum horarum spatio, miserè trucidata sunt. Imperavit Rudolphus annis circiter XVIII. Successit (10) *Adolphus* Nassoviensis, depositus ab Imperii statibus, manu Alberti successoris occubuit, ubi regnasset annis circiter VI. Successit (11) *Albertus* I. Austriacus, Rudolphi I. filius, interfectus per fratris Rudolphi filium Johannem, imperavit per annos circiter IX. Successit (12) *Henricus* VII. Lutzelburgensis comes, Imperator optimus, à Bernhardino monacho, in Eucharistia, consecrato pane venenis infecto, Beneventi sublatus est, ubi imperium habuisset annis circiter VI. Ab eo interregnum anni I. & 2. mensium, post quod successit (13) *Ludovicus* V. Bavarus, Rudolphi ex filia nepos, per Annos XXXII. & *Fridericus* Pulcher, Alberti filius, inter quos, post varias conflictationes, convenit, ut collegæ essent paris auctoritatis. Quæ conventio Papam adeo malè habuit, ut Imperatores ad bellum denuo concitarit, quo Fridericus philtro exstinctus est, & Ludovicus excommunicatus, à Proceribus ab imperio remotus est, & sic successit (14) *Carolus* IV. Rex Bohemiæ, cui oppositi sunt *Edwardus* Angliæ Rex, *Fridericus* Marchio Misniæ, & *Guntherus* Schwartsburgensis Comes, priores regnum non admiserunt, tertius veneno periit. Carolus IV. Academiæ Pragensis, & aureæ Bullæ auctor exstitit. Imperavit annis XXXII. Successit (15) *Wenceslaus* Rex Bohemiæ, Caroli IV. filius, ingenii hebetis ac sordidi, regni negligens, post annum imperii XXII. ab Electoribus depositus est. Successit (16) *Rupertus* Comes Palatinus, ingenio acer, & corpore parvus, imperavit per annos X. Successit (17) *Jodocus* Marchio Moraviæ, Caroli IV. ex fratre nepos, imperavit per annum circiter. Successit (18) *Sigismundus* Bohemiæ & Hungariæ Rex, Caroli IV. filius alter, omnibus virtutibus illustris, & satis felix, instigatus tamen adversus Hussitas, eorumque Ducem Zisca, non satis feliciter pugnavit. Imperavit annis circiter XXVI. Successit (19) Albertus II. Austriacus, Sigismundi gener, Alberti I. abnepos, imperavit annis II. Successit (20) *Fridericus* III. Alberti I. abnepos, regnum perturbatum habuit annis LIII. Successit (21) *Maximilianus*, Friderici III. filius, judicium Cameræ Imperialis, primus certo loco adstrinxit: istud enim, cum hactenus aulam sequeretur, jam Francofurti substitit, dein à statibus post biennium Wormatiam evocabatur, inde Augustæ post triennium constitutum, postea Noribergæ, tum Ratisbonæ, Spiræ, Esslingæ, donec sedem fixam à Carolo V. consecutum est An. MDXXV. & per ejus excidium à Gallis, jam Wetzlariæ in Wetteravia. Imperavit Maximilianus per annos circiter XXVI.

XXXVI. Concurrunt cum his Imperatoribus Pontifices Romani LXII. à Gregorio usque ad Leonem X. Hoc ordine, (1) *Gregorius* VII. antea Hildebrandus, fabri cujusdam filius, juxta Crantzium, Antipapam habuit Clementem III. ab Imperatore, in schismate XXIII. electum, qui per annos XXI. adversus IV. Antipapas pugnavit, & Castellum S. Angeli obtinuit. Gregorii vitam solito liberius repræsentabimus. Vitam istam Magdeburgenses, & Schardius ex Bennone & aliis, ita describunt, ut dicant, eum monasti-

Pontifices Romani, ætatis quintæ N. T. LXII.

cen primo profeſſum, dein Romam profectum, Magiam didiciſſe, & nonnunquam, arte Satanica, ex manicis ſcintillam excuſſiſſe, & familiaritate cum Gregorio VI. invaſore ſedis contractâ, per veneficia Gerhardi & Brazuti, ſex Pontifices, Clementem II. Damaſum II. Leonem IX. (à quo Cardinalibus adſcriptus fuerat) Victorem II. Stephanum IX. & Nicolaum II. ſuſtuliſſe, nec manus ab ipſo Alexandro II. abſtinuiſſe: tandem Pontificatum, ſine aſſenſu Cleri & populi, per milites adeptum; magno cum orbis Chriſtiani luctu geſſiſſe: conjugium Sacerdotum penitus abrogaſſe: & ne quis Epiſcopatum, aut aliud officium Eccleſiaſticum, ab Imperatore vel Rege accipere poſſit, decreviſſe: è regnis Hiſpaniæ & Hungariæ, tanquam ſibi & Petro in feudum datis, cenſum poſtulaſſe: poteſtatem ſibi imperia dandi & auferendi adſcripſiſſe: Reges atque Imperatorem, ut precario regnantes, flocci feciſſe. Interim Henricus IV. qui expoſtulaverat quidem cum Hildebrando, quod ſe inſcio, ſedem invaſiſſet; ſed tamen humili, audito, hypocritæ reſponſo, ratum ejus Pontificatum fecerat, difficillimis Saxonum bellis implicitus, coram Papa, ab Epiſcopis Saxonicis, multorum ſcelerum, ac imprimis Simoniæ accuſatus. Commodum id accidit Hildebrando, qui ſe à dominio Imperatoris liberare, ſibique contra, eundem ſubjicere conabatur, cum præſertim ſciret, Henricum ampliſſimam Mathildis Duciſſæ Lotharingiæ & Comitiſſæ Italiæ hæreditatem (quam Eccleſia Romana, teſtamento hæres inſtituta, ſub nomine patrimonii Petri, acceperat) duplici nomine repetere, cum quia Mathilden haberet amitam; tum quia Imperator eſſet, ad quem jure feudi, terræ iſtæ redirent. Omnes igitur Epiſcopos, qui dignitatem ab Henrico acceperant, deponit, & ipſum Imperatorem ad cauſam dicendam evocat. Mittit ille Legatos; ſed in carcerem conjiciuntur. Wormatiæ igitur Concilium cogitur, Papa ut compareat citatur & deponitur. Sed ille ex adverſo, Conciliabulo Romæ habito, Henricum excommunicat, proſcribit, regno ſpoliat, ſubditoſque à dato juramento abſolvit. Principes vanâ ſuperſtitione dementati, ni Henricus veniam à Pontifice, ante diem anniverſarium, peteret, minantur defectionem. Ille igitur cum uxore & parvulo filio, hieme aſperrima, laneis indutus veſtibus, Italiam ingreditur, Hildebrandi ludibria, in ſuburbio Canuſii, nudis pedibus, in lachrymabili afflictione, perfert triduum, quarto die coronam (pudeat) pontificiæ poteſtati tradit. Et abſolvitur quidem ab anathemate; ſed cognitione in aliud tempus rejecta, ingrato Henrici ſororio Rudolpho Sueviæ Duci, corona aurea, cum hac inſcriptione mittitur.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Sic bello in Germania conflato, cum Henricus, axioma Imperii, contra Rudolphum defenderet, eumque dextra in prælio truncatum cæderet, denuo excommunicatus eſt: ideoque Synodum Brixienſem indicit, Hildebrandum, Clemente III. ſubſtituto, dignitate exuit, Romam contendit, Papam depoſitum in mole Adriani obſidet. Ille novos Imperatori hoſtes, Hermannum Lotharingiæ Ducem, & Ecbertum Marchionem Miſniæ, excitat; atque ex inſidiis etiam lapides, ſupra trabes templi conſtituit, ut in orantis Imperatoris caput devolverentur: ſed miniſter ſceleris, pondere lapidis, quem juſſu Hildebrandi, ſuper trabes aptaturus erat, tractus decidit & periit. Fugit tandem Hildebrandus Salernum ad Normannos, & in Comitiis Pontificalibus abdicatus, ſive conſcientia ſcelerum, ſive mœrore, aris & focis extorris deceſſit. Sedit annis circiter XII. (2) *Victor* III. Ducis Beneventani filius, Clementi III. oppoſitus. Fertur Platinæ, non ſine ſuſpicione veneni obiiſſe, cum Papatum habuiſſet per annum circiter. (3) *Urbanus* II. Clementi oppoſitus, ob turbas, *Turbanus* dictus. Hic à factione Hildebrandina & Normannis intruſus, inque numerum impiorum, ab Imperatore & majore Procerum parte relatus, exul diu oberravit; ſed telam ab Hildebrando cœptam, ita pertexuit artificioſe, ut Magiſtrum fere ſuperaret, filiumque Henrici Conradum in Patrem denuo excommunicatum excitavit, eique imperium promiſit, ea lege, ut de inveſtituris à Politicis non accipiendis, conſentiret. Regem etiam Galliæ, ob pellicem excommunicavit. Fertur auctor globulorum, quos *Pater noſter* appellant. Sedit annis circiter IX. (4) *Paſchalis* II. antea Reginerus. Antipapas tres habuit, Albertum durante adhuc ſchiſmate XXIII. poſt Clementem III. quando à militibus Paſchalis captus & abdicatus fuit: Theodorum itidem captum & abdicatum: & Sylveſtrum III. itidem poſt paucos menſes pulſum. Antipapas gladio compeſcuit. Henricum & ipſe excommunicavit. Henricum V. in Patrem armavit: ſed Coronam eidem promiſſam, negavit ob uſurpatas Clericorum inveſtituras. Hinc capitur, & inveſtituræ jus Imperatori renovatur. Illo autem ex Italia egreſſo, contra pacem uſu Euchariſtiæ confirmatam, Gregorii VII. decreta confirmat, & Henricum excommunicat. Sedit annis circiter XVIII. (5) *Gelaſius* II. antea Joh. Cajetanus, inſcio Imperatore à Cardinalibus creatus, quos propterea Centius Frangipanis diſturbavit, inauguratus interim Henricum V. excommunicavit: ſed qui ipſum ſede movit, & Gregorium VIII. ſubſtituit. Ut in hoc ſchiſma XXIV. expertus fuerit. Sedit anno I. (6) *Calixtus* II. antea Guido, Epiſc. Viennenſis. Gregorium VIII. contractis copiis cepit, & in Camelo adverſim per urbem duxit. Imperatorem

ſatorem ob Clericorum inveſtituras, excommunicavit, nec abſolvit antequam nonnullas inveſtituras ei cederet. Sedit annis circiter XI. (7) *Honorius* II. antea Lambertus, Epiſcopus Oſtienſis. In ſchiſmate XXV. Cœleſtinum Antipapam habuit; ſed per unum diem tantum. Sedit annis circiter V. (8) *Innocentius* II. antea Gregorius. In ſchiſmate XXVI. Antipapas habuit Anacletum II. eoque mortuo Victorem abdicatum. Sedit annis circiter XIII. (9) *Cœleſtinus*, antea Guido, per menſes circiter VI. (10) *Lucius* II. antea Gerhardus. Sub hoc & ſuperioribus duobus, Senatus Romanus Pontificem ſacra tractare, & decimis contentum vivere jubet: Lucius interim Senatum ex inſidiis oppreſſurus, incerto ictu, lapide percuſſus obiit, cum ſediſſet circiter per annum. (11) *Eugenius* III. antea Bernhardus Piſanus. Confadum Imp. Ludovicum Galliæ Regem, & Ericum Daniæ R. cruce ſignatos, ad bellum ſacrum incitavit. Sedit annis circiter VIII. (12) *Anaſtaſius* IV. fundator CLX. monaſteriorum. Sedit per annum circiter I. (13) *Adrianus* IV. Anglus, antea Nicolaus. Hic Friderico Imperatori, Italiam ingreſſo, ſeu quod ſtapedem ſiniſtrum, pro dextro, quem tenere debebat, prehendiſſet; ſeu quod ab opere ſervili (juxta Baronium) plane abſtinuiſſet, graviter ſuccenſuit. Et poſtea cum miſſo legato, Imperium Germanicum à ſe dependere aſſereret: Proceres & inter eos Otto de Wittelsbach, id injuriam rati, legatum confodiſſent, ni Imperator ipſe prohibuiſſet, qui Romaniſtis regno Teutonico interdixit, interim imperium non à Papa; ſed à Deo pendere demonſtravit: etiam cum exercitu advolavit in Italiam, & cum literas Papæ ſibi metuentis ſupplices vidiſſet, eum ſibi reconciliari paſſus eſt. Sed, cum civitates Italiæ in Imperatorem conſpirarent, illis ſe Papa adjunxit, & cum exſpatiatus, aquam e fonte hauriret; à muſca in os ejus involante, ſuffocatus eſt, cum ſediſſet annis circiter V. (14) *Alexander* IV. ante Rolandus, à XXIV. Cardinalibus electus, in ſchiſmate XXVI. Antipapas habuit Victorem IV. ab adverſa Cardinalium parte etiam ante Alexandrum, electum ab Imperatore in Concilio Papienſi I. Epiſcoporum & plurimorum Abbatum, confirmatum, quem hoc nomine Alexander excommunicavit: & mortuo Victore, Paſchalem Germani fere omnes elegerunt, à quo Alexander, Romam reverſus, univerſam fere Italiam in Imperatorem concitavit. Tandem, pacis cauſa, & cum Alexandro reconciliandus, Imperator ſe ad pedes ejus projecit, & ab eo calcatus fuit, adjectis his verbis: *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, & cum Imperator reſponderet: *non tibi, ſed Petro*, hic regeſſiſſe fertur: *& mihi, & Petro.* Addunt Antipapam tertium, Calixtum III. Hungarum, & quartum etiam, Innocentium III. qui Alexandro impar, ſe ipſum abdicavit. Sedit Alexander annis XXII. (15) *Lucius* III. qui Conſulum nomen Romæ aboliturus, urbe pulſus eſt. Sedit annis circiter IV. (16) *Urbanus* III. Mediolanenſis. Sub quo regnum Hieroſolymitanum deſiit, dictus & ipſe eſt *Turbanus*, quod turbas non parvas dederit in imperio. Sedit annis circiter III. (17) *Gregorius* VIII. Beneventanus, per menſes II. (18) *Clemens* III. Romanus, qui diſſidium quinquagenarium, inter Pontificem & Senatum, compoſuit. Sedit annis circiter III. (19) *Cœleſtinus* III. antea Hiacynthus. Henricum VI. Imp. excommunicavit. Sedit annis circiter VII. (20) *Innocentius* III. Campanus. Mortuo Patri Henrico VI. ne Philippus filius ſuccederet, omnibus modis laboravit. Sedit annis circiter XVIII. (21) *Honorius* III. Rom. Fridericum II. excommunicavit. Sedit annis XI. (11) *Gregorius* IX. Hernicus. Fridericum II. excommunicavit, quod votum Hieroſolymitanæ peregrinationis non ſolveret. Secundo excommunicatus Imperator, copias Romam ducit & vincit, ſuos adverſarios ſevere caſtigat. Sedit Gregorius annis XIV. (23) *Cœleſtinus* IV. ante Ganfredus Caſtellio, per dies XVII. poſt quem ſedes vacat per annum & VIII. menſes, quod Fridericus II. aliquot Cardinales in vincula conjeciſſet (24) *Innocentius* IV. Genuenſis, ex amico Cæſaris, mox ejus hoſtis, ipſum criminibus variis falſo accuſatum excommunicat, imperiali dignitate privat, Anticæſares, Henricum Landgravium, eoque exſtincto, Wilhelmum Hollandiæ Comitem, ei opponit, eum omnibus viribus, immiſſis etiam ſicariis, donec moreretur, impugnavit. Hic Pontifex Cardinales rubris galeris, & equis phaleratis exornavit. Sedit annis XI. & menſ. VI. (25) *Alexander* IV. Campanus. Sedit annis VI. & menſ. VI. (26) *Urbanus* IV. antea Pantaleo, Gallus, ex Patre ſutore veteramentario natus, cujus nil memoratu dignum, in Eccleſiaſticis quidem traditur, niſi quod bellum adverſus Manfredum Siciliæ Regem, quod regnum ſibi arrogabat, evocatis Gallis, ab anteceſſoribus cœptum, continuaverit. Sedit annis III. circiter. (27) *Clemens* IV. Narbonenſis. Sub hoc ſedes vacavit annis II. & IX. menſibus, ob Cardinalium diſcordiam, ad quos, occluſa Camera, in qua de electione Papæ diſputabatur, Spiritus S. non potuerit ingredi, ut, teſte Onuphrio, Johannes Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, publice dicebat. Sedit Clemens annis IV. (28) *Gregorius* X. Vicecomes Placentinus. Ex Aſiana expeditione ad Papatum revocatus, ſanciit, ut Cardinales in electione Papæ, conclavi incluſi non egrediantur, antequam conſenſerint. Sedit annis IV. & menſ. VI. (29) *Innocentius* V. Burgundus, per menſes V. (30) *Hadrianus* V. Genuenſis, die XL. mortuus,

tuus, decretum Gregorii x. de Conclavis occlusione, revocavit. (31) *Johannes* XXII. aliis XXI. Ulyxbonensis, ruina palatii oppressus. Sedit per menses circiter VIII. (32) *Nicolaus* III. antea Joh. Cajetanus, ex familia Ursinorum. Sedit annis III. circiter. (33) *Martinus* IV. Gallus. Sedit annis IV. (34) *Honorius* V. Sedit annis II. Ab eo sedes vacavit per menses X. ob Cardinales electores, repentino morbo correptos. (35) *Nicolaus* IV. Asculanus, per annos IV. à quibus sedes denuo vacavit per biennium. (36) *Cœlestinus* V. antea Petrus Eremita, per dissidia Cardinalium electus: cum ad disciplinam Ecclesiasticos revocare niteretur, in omnium odium incidit, & à successore, per canalem noctu compellatus, putavit se divina voce moneri, ut ad monasterium reverteretur. Sedit per VI. menses. (37) *Bonifacius* VIII. Hernicus, antea Benedictus Cajetanus. Ipsus ille, quem Parisienses publicè nominarunt Epicuræum, homicidam, hæreticum, quique intraverit ut vulpes, regnaverit ut Leo, mortuus ut canis. Edidit Sextum lib. Decretalium, ut Papa à nemine judicaretur, etiamsi innumerabiles animas secum ad infernum duceret. Primus Jubilæum instituit, omnium peccatorum indulgentiam exponens, sub conditione sancti denarii numerandi. Primo die in Pontificalibus inceffit, altero paludamento imperatorio indutus, nonnullis gladium evaginatum præferentibus, acclamari Jussit: *ecce duo gladii.* Tandem à Wilhelmo de Rogareto, consciis Cardinalibus Columnensibus, proditus, omnique thesauro, quem ex Jubilæo corraserat, spoliatus, animi mœrore mortuus est, cum sedisset annis circiter IX. (38) *Benedictus* XI. per menses VI. à quibus sedes vacavit per menses II. (39) *Clemens* V. Gallus, *Clementinarum*, seu septimi Decretalium auctor. Ut reditibus Archiepiscopatus Burdegalensis, quem hactenus gesserat, frueretur; sedem Pontificiam Avenionem in Galliam traduxit, ubi per annos LXXII. permansit, Romæ interim, per tres Cardinales, Senatoria potestate administrata. Sub eo Henricus VII. quod juramentum fidelitatis præstare nollet, Pontifici exosus, à Bernardo monacho Dominicano, venenato pane eucharistico exstinctus est. Sedit annis circiter IX. Ab his sedes denuo vacavit per biennium & IV. menses (40) *Johannes* XXII. aliis XXI. Gallus, qui in thesauro reliquit LVIII. milliones, per annatas aliasque novas artes corrasos. In schismate XXVIII. aliis XXVII. Antipapam habuit Nicolaum V. ex familia Columnensium. Cum de imperio contenderent, Ludovicus V. Bavarus & Fridericus Austriacus; Fridericum primo Johannes reprobavit, mox fovit, & Ludovicum, velut qui injussu Papæ imperium administraret, in Ecclesiam rebellis & schismaticus esset, proscripsit. Ludovicus ex adverso Imperii ordines Ratisbonam convocat, eorumque suffragiis decernit, jus Pontifici nullum esse in Imperatorem: interim à Romanis evocatus, à Johanne coronam petit, sed quæ negatur, proinde Romam petens, à Stephano de Columna coronatur, & Nicolaum V. in sedem pontificiam evehit, qui simulacrum Johannis effictum, adstante Cæsare, cremat, ipsumque hæreticum, tyrannum, & Ecclesiæ pacisque publicæ perturbatorem declarat: Johannes ex adverso, Ludovicum Imp. excommunicat, Antipapam captum abdicat, & Avenione moritur, cum sedisset annis circiter XVIII. (41) *Benedictus* XII. Gallus. Censuras in Imperatorem à Johanne factas confirmat, seque Vicarium Imperii esse contendit, Ludovicum per excommunicationem esse depositum, arbitratus. Ludovicus se Principibus purgat, electum Romanorum Regem, citra Pontificis confirmationem, esse Imperatorem edicit; à Pontifice tamen, aut si ille renuat, ab alio quovis Antistite, ungendum & proclamandum esse judicat, ita ut non juramentum fidelitatis; sed fidelem Ecclesiæ Romanæ defensionem, recompromittat. Præterea, per vacationem Imperii, jus ad Papam devolvi negat: Concilium supra Papam esse decernit. Sedit Benedictus annis VII. & IV. mensibus. (42) *Clemens* VI. Gallus, qui secundum annum Jubilæum; sed quinquagesimum non centesimum celebrat. Ab eo Imperator absolutionem petit, subscripta formula turpissimâ, quam cum Ordines Imperii Francofurti, velut iniquissimam reprobarent; Pontifex curavit Carolum IV. Regem Bohemiæ eligi, qui tamen à paucis Principibus, nisi post mortem Ludovici, receptus fuit: cumque Principes Ludovicum secutos, ab excommunicatione solvere deberet, stipulabatur quidem, ut electionem Imperatoris à se confirmari dicerent, id probantibus Clericis, sed repugnantibus Laicis. Sedit annis circiter X. (43) *Innocentius* VI. Gallus. Sub eo adhuc in Gallia subsistente, Romæ seditiones vigent, quibus XVIII. viri creati sunt, cum summa potestate, quos *Reformatores* appellarunt. Sedit annis circiter X. (44) *Urbanus* V. Gallus, sub quo Wiclephus floret in Anglia. Sedit annis circiter VIII. (45) *Gregorius* XI. Gallus, hortatu Catharinæ Senensis, sedem Pontificiam Avenione Romam reduxit, quod Itali inciperent deficere à sede Apostolica. Sedit annis circiter VIII. Hinc natum schisma XXIX. pessimum durans per totos annos L. inter Papas Romanos & Avenionenses, juxta istud sunt Romæ: (46) *Urbanus* VI. Neapolitanus, ab Italis electus, Romæ sedens, cui adhærebant Itali, Germani, Angli: Antipapa Clemens VII. à Gallis constitutus, cui adhærebant Galli & Scoti: neutri Hispani. Tam acriter à se diffidebant isti Pontifices, ut Urbanus Cardinales Clementi faventes, saccis insutos, in mare demer-

demerſerit, & indulgentiis, promiſſâque vitâ æternâ Anglos invitaret, qui Gallis eorumque Papæ ſe opponerent: ex adverſo autem Clemens, Wenceſlai Imp. legatos, Urbano addictos, cruciatibus inclementiſſime interficeret. Succeſſit Urbano (47) *Bonifacius* IX. Neapolitanus, dum Clementi Benedictus XIII. Hiſpanus, bis pontificatu depoſitus in Conciliis, Piſano & Conſtantienſi, retinens tamen dignitatem uſque ad obitum, per annos XXX. Sub his Huſſi doctrina ſpargi cœpit, qui nundinationibus Jubilæorum, & luxu ſuperbiâque Clericorum offenſus, Papæ obniti auſus fuit, cum præſertim, teſte Platinâ, indulgentiæ plenariæ ita paſſim venum proſtarent, ut jam vileſceret clavium & literarum Apoſtolicarum auctoritas: duplici enim ſub ſe indicto Jubilæo addidit *Annatas*, ſeu penſiones primi anni ex beneficiis eccleſiaſticis, quas tamen ſtatim negavit Anglus, & paulo poſt etiam Gallus. Sedit Bonifacius per annos fere XV. Succeſſit (48) *Innocentius* VII. Sulmonenſis, crudelis adeo in coërcendis Romanis tumultuantibus, ut necatis eorum XI. Viterbium aufugere, & aulicorum ſuorum bona à populo diripienda relinquere coactus fuerit. Sedit duobus circiter annis. (49) *Gregorius* XII. Venetus, in Conſilio Piſano abdicatus, quanquam non paruit. Cum enim Pontificatus ei collatus fuiſſet, eâ lege, ut ſi ex uſu Eccleſiæ foret, ad tollendum ſchiſma diuturnum; pontificatu ſeipſum abdicaret, & promiſſis ſtare nollet, juxta cum Benedicto XIII. Antipapâ, in Concilio Piſano, à Cardinalibus indicto, Papatus abrogaretur, & Alexander II. ſubſtitueretur, faſces ſacros ſponte depoſuit: Benedictus in Hiſpaniam fugit. Concilium autem, damnato Wiclepho Anglo, & exuſtis Huſſo & Hieronymo Pragenſi, Martinum V. eligit, & Clemens VIII. tandem poſt quadriennium, Papatu reſignato, epiſcopatu contentus, ſchiſmati quinquagenario finem impoſuit. Sedit Gregorius annis circiter X. (50) *Alexander* V. obſcuri generis, contra Gregorium & Benedictum XIII. electus, Bononiæ reſedit, juxta Onuphrium & Platinam, perquam munificus. Sedit per annum I. tantum, Gregorio adhucdum vivente. (51) *Johannes* XXIII. aliis XXII. Neapolitanus, in Concilio Conſtantienſi depoſitus fuit, cum ſediſſet annis V. ut ab uno Concilio tres papæ ſede moti fuerint. Poſt Johannem ſedes vacavit per annos II. & menſes VI. (52) *Martinus* V. quem prudentiſſimum Platina prædicat, qui ſua æquitate Clementem VIII. eo adegerit, ut Pontificatum deponeret. Jubilæum quintum, quovis anno trigeſimo recurrens, celebravit. Sedit annis circiter XIII. (53) *Eugenius* IV. Venetus. Hic, per ſchiſma XXX. Antipapam habuit Felicem V. Allobrogem. Eugenius ſtatim inchoavit Concilium Baſileenſe, quod ultra annos XII. aliis XV. duravit. Cum autem in eo reformationem Eccleſiarum inſtitui, annatas damnari, exactiones, quibus Papæ Germanicas Eccleſias exhauriebant, imminui, Bohemis communionem ſub utraque ſpecie concedi, pragmaticam Sanctionem de limitata dignitate eccleſiaſticâ promulgari, & ſe quoque, ut reſponderet velut Concilio inferior, citari videret: omnibus viribus, Concilio alio Ferrariæ indicto, in quo cum Imperatore Conſtantinopolitano, de proceſſione Spiritus S. diſputatum eſt; Baſileenſis Concilii auctoritatem infringere conatus eſt; ſed deponitur ſubſtituto Felice V. cujus tamen electionem ſuſque deque habet. Sedit annis circiter XVI. (54) *Nicolaus* V. aliis VI. Medicus Lucenſis. Jubilæum VI. quinquagenarium, in quo ultra CLX. homines, ponte S. Angeli confracto, perierunt, celebravit. Sedit annis VIII. (55) *Calixtus* III. Hiſpanus, antea Alphonſus Borgia, ſedit annis circiter III. (56) *Pius* II. Senenſis, antea Æneas Sylvius Picolhomineus, multis libris clarus. Olim in Concilio Baſileenſi ſcriba & abbreviator, dein Cancellarius Imperatoris, poſt Epiſcopus, hinc Cardinalis, tandem Papa. Concilium Baſileenſe, quod antea probaverat, reprobavit, inque Concilio Mantuano edixit, ne quis à Pontifice ad Concilium generale provocaret, & Sigismundum Auſtriæ Ducem, cum conjecto in vincula Cuſano Cardinali, ad Concilium provocaſſet, excommunicavit, multosque Germaniæ Proceres bellis implicuit. Interim matrimonium, Clericis magnâ ratione ademptum, majori reſtituendum judicavit, verſus condidit:

Non audet ſtygius Pluto tentare, quod audet
Effrænis monachus: plenaque fraudis anus.

Sedit annis circiter VI. (57) *Paulus* II. Venetus. Vir ſævus & inconſideratus, nec literis, nec moribus clarus, voluptati, luxui & ludis magis, quam rebus arduis deditus, ut Innocentius IV. pileo rubro, ſic veſte coccineâ, Cardinales exornavit, Pomponium Lætum & Platinam, incarceratos torſit. Crucem contra Barbaros, magnis pollicitationibus, fruſtra prædicare juſſit, decimas ab Eccleſiaſticis, per totam Germaniam poſtulavit; ſed quia Imp. Fridericus III. in publicis comitiis ſe fortiter opponebat, irrito ſucceſſu. Sedit annis circiter VII. (58) *Sixtus* IV. Ligur. Habuit Jubilæum VII. Singulis XXV. annis recurrens. Bella geſſit plurima. Sub eo *Inquiſitio Hiſpanica* A. 1478. inſtituitur, contra Mauros & Judæos, ſe pro Chriſtianis gerentes. Sedit annis circiter XIII. (59) *Innocentius* VIII. Genuenſis. Inhiavit, quanquam fruſtrà, regno Neapolitano. Sedit annis circiter VIII. (60) *Alexander* VI. Hiſpanus, antea Rodericus Borgia, ad exitium Italiæ juxta Onuphrium, natus. Ex Jubilæo VIII. 300000. & anno ſequenti, ex tributo ſacro contra Turcas 600000. Coronatorum collegit. Filiam Lucretiam,

tiam, quam ante Pontificatum, Hiſpano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablatam, Johanni Sfortiæ primum, dein & huic raptam, Aloiſio Arragonio, Alphonſi Regis filio notho, quo demum interfecto, Alphonſo Eſtenſi, Ferrariæ Duci, elocavit, de quâ ſic Accius Sannazarius:

Hic jacet in tumulo, Lucretia nomine; ſed re
Thais, Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Et de ipſo etiam Alexandro, idem;

Vendit Alexander Sacramenta, altaria, Chriſtum,
Emerat ille prius, vendere jure poteſt.

Tandem, cum venenis opulentiorum quorumvis in aulâ opibus inhiaret, fatali errore pincernæ, veneno periit, cum ſediſſet annis XI. cum V. menſibus (61) *Pius* III. Senenſis, Pii II. ex ſorore nepos, per dies tantum XXVI. (62) *Julius* II. Ligur, Sixti IV. ex fratre nepos. Miles, ſed infelix, cum Venetis Imperatori Maximiliano, contra datam fidem inſultans, clavi Petri in Tiberim projectâ, dixit: *Quia Clavis Petri amplius non valet; valeat gladius S. Pauli.* Accepta ab Imperatore, Gallorum auxiliis fulto, egregiâ clade, periit, cum ſediſſet annis IX. & menſibus III.

Status Theologiæ, ſub ætate N. T. quinta.

XXXVII. His utriuſque Reipublicæ προεστώτας, jam ſuccedit ſtatus *Theologia*, ſub ætate *quinta*, ſub quâ ἄνομος: *homo peccati*, Antichriſtus ſedit in domo Dei, ſe efferens ſuper omnia quæ Deus appellantur 2 Theſſ. II. 4. 5. Sub quâ Eccleſia fuit velut in deſerto. Si enim Eccleſiam *publicam* ſpectes: in eâ pro Chriſtianiſmo, obtinebat Antichriſtianiſmus ille quem ſub ætate præcedente deſignavimus, niſi quod ille, qui tum adhuc adoleſcebat, & ad ſupremam poteſtatem *Eccleſiaſticam* pertigerat; jam *temporalem* quoque, ei conſtruxerit, adeoque θεολογήματα illa de *ſuprematu* Papæ, tam in *temporalibus*; quam in *ſpiritualibus*; de indulgentiis, cœlibatu Clericorum; de interceſſione, meritis, virtute, cultu Sanctorum demortuorum; de Mariolatria; de reliquiarum virtute, cultu; de adoratione imaginum; de converſione elementorum in Euchariſtia; de Miſſis pro defunctis, laborantibus in purgatorio; de libero arbitrio &c. ac pleraque Antichriſtianiſmi papalis, jam in Eccleſia publicâ prævaluerint: ut jam fruſtrà, ſeu Eccleſiam, ſeu Theologiam Chriſtianam quæras in Eccleſia publicâ: ſi vero Eccleſiam ſpectes in deſerto ſeu clandeſtinam, quâ intelligimus, quotquot veritati teſtimonium præbuerunt, cum adverſus Antichriſtianiſmum papalem, ejuſque uſurpatum primatum univerſalem, in omnes Eccleſias, atque etiam contra ejus poteſtatem temporalem in Imperatores, Reges alioſque Magiſtratus, quales ſeculo XI. extiterunt: integræ Eccleſiæ in ſuis Synodis, nominatim, Synodus Wormatienſis A. M. LXXVI. Brixienſis A. M. LXXX. Moguntina A. M. LXXXV. Romana A. M. LXXXIX. juxta Goldaſtum Tom. III. Præter Eccleſiam Britannicam, in multis defæcatam à ſuperſtitionibus papalibus, ut patet ex Fullero aliiſque. Ut nihil dicam de Orientalibus, quæ conſtanter oblocutæ ſunt tyrannidi & ſuperſtitionibus papalibus in negotio de cultu imaginum, reliquiarum, Sanctorum, Mariolatriâ &c. ut penes ætatem præcedentem dudum obſervavimus. Adde Eccleſiam Leodienſem, excommunicatam à Papâ, quod adhæreret Henrico, in literis ad Paſchalem II. ab eâ datis A. M. CVII. quas referunt Tomi Concil. inter Epiſtolas Paſcalis, quibus monet, non niſi *gladium ſpiritualem* eſſe tractandum Pontifici, contra *novellam traditionem Hildebrandi*: adde etiam Eccleſiam Mediolanenſem, negantem ſe Romano Pontifici ſubjectam eſſe, inque eâ plures etiam extiterunt Clerici conjugati, quæ his nominibus, *ſchiſmatica* audit Baronio: nec omittendæ Eccleſiæ Germanicæ, contra decretum Hildebrandinum & cœlibatum Clericorum, acriter inſurgentes, adeo ut Sacerdotium potius quam uxores deſerere mallent, de quibus, ex Matthæo Pariſienſi Nauclero & aliis, luculenta proſtant documenta in Illyrici *Catal. Teſt. Verit.* Imprimis etiam veritati teſtimonium præbuerunt Eccleſiæ Waldenſes, earumque confeſſiones, Catecheſes, jam A. M. C. ſcriptæ adverſus errores & ſuperſtitiones Eccleſiæ Romanæ, de quibus Legerus, *Hiſt. Valdenſ. lib.* I. capp. III. IV. Atque etiam Berengariani, per Italiam, Britanniam, Galliam, contra Transſubſtantiationem & tyrannidem Antichriſtianiſmi Papalis, quando Eccleſiam Romanam, Eccleſiam malignantium, ſedem Satanæ &c. appellitârunt. Præ cæteris autem hic memorandæ, quæſtiones moribundis proponi ſolitæ, auctore Anſelmo, in *Admonit. pro morirundo*, quas refert Uſſerius *de Succeſſ.* Eccleſ. cap. VII. in quibus nucleus Chriſtianiſmi exprimitur, fiduciâ omni, in ſolâ morte Chriſti collocatâ, omiſſis ſuperſtitionibus. Præter iſtas Eccleſias, veritati teſtimonium dederunt Reges, Principes, v. g. in Gallis Philippus, in Britannia Haraldus Rex, Guilielmus Nordmannus, datis literis ad Gregorium VII. Guilielmus Rufus prioris filius, & Henricus hujus frater & ſucceſſor, de quibus Uſſerius, *de Succeſſ.* cap. VII. Non dicam, Anglorum Reges hoc ſeculo poteſtatem habuiſſe νομοθετικὴν in eccleſiaſticis, ut patet in Canuto, Eduardo Confeſſore, Guilielmo Nordmanno &c. ut patet ex Conciliis Spelmanni. Nec defuerunt viri graves, pii, eruditi, quorum nomina, ſcripta, Theologiam ſaniorem, & effata Antichriſtianæ cauſæ adverſa, ex Sigeberto, Aimonio, Bennone Cardinali, Conrado, Trajectenſi, Abbate Urſpergenſi, aliiſque, prolixe repræſentant Marquard. Freherus *in Collect.* Tom. I. Simon Schardius, in *Syntag. Tractatuum*, & Illyricus in *Catal. Teſt. Verit.* libb. XII. & XIII. Ne dicam excerpta in hanc rem, ex viris laudatis etiam

etiam Baronio, v. g. ex Petro Damiani, Lanfranco, Anſelmo, Ivone Carnutenſi, quæ videri poſſunt apud Uſſerium, Mornæum, Joh. Forbeſium, Albertinum *de Euchariſtia*, Hottingerum, alioſque. Dicta ad ſeculum XI. ſpectant. Sub ſeculo XII. veritati Chriſtianæ applauſerunt, & erroribus ſuperſtitionibuſque Romanis reclamarunt paſſim viri pii, quando urgebant Scripturæ lectionem, ac vim admirandam; quando damnarunt humanas traditiones; quando retinuerunt fundamentum de Chriſti unius merito, de divina gratia, juſtificatione ex fide &c. Teſtimonia ſigillatim, ex Petro Cantoris Pariſienſ. Pet. Blæſenſis; Pet. Lombardi; Pet. Cluniacenſis, Bernardi, Ruperti Tuitienſis, Joh. Sarisberienſis, Hugonis & Richardi à S. Victore, Gratiani &c. colligunt Magdeburgenſes *Cent.* XII. cap. IV. Flacius Illyr. in *Catal.* libb. XIV. XV. Forbeſius in *Inſtruct.* Hottingerus in *Hiſt. Eccleſ.* ad hoc ſeculum. Anſelmi Archiepiſcopi Cantaur. *formulam* interrogandi moribundos, jam notavimus. Peculiariter veritatem Chriſtianam profeſſi ſunt (1) contra tyrannidem Papalem Imperatores, Reges, *Principes ubique gentium*, Genebr. ad ann. 1105. & quotquot Henricianorum nominibus veniunt. Vid. Illyrici *Catal. Teſt. Verit.* lib. XIV. & XV. (2) contra cœlibatum Clericorum, in Bohemia, pii Cœleſtino IV. eundem imperanti ſe opponentes, teſte *hiſtoria Bohemica*: in Germania, teſte Abbate Urſpergenſi: in Anglia, conjugium Clericis permittentibus, Wilhelmo II. Henrico I. Regibus, teſte Matthia Pariſienſi, item in Hybernia, uſque ad Malachiam, Celſi Armachani ſucceſſorem, teſte Bernardo in *Vita Malachiæ* (3) Contra transſubſtantiationem, quæ inter fundamenta eſt, moderni Antichriſtianiſmi, pugnarunt Berengariani, nominatim in Gallia, Honorius Auguſtodunenſis, Franco Abbas Lobienſis, Petrus Abælardus: & hæreticorum nomine diffamati, Petrus Bruſius, Henricus Tholoſanus, Petrus Waldus & Albigenſes, de quibus videantur, Uſſerius de *Succeſſ. Eccleſ. in Occid.* Albertinus *de Euchariſt.* Laroquus de Euchariſt. Hottingerus ad ſecul. XII. cap. XII. in Italia, Arnaldus Brixienſis, diſcipulus Abælardi, Friſingenſis de *Geſt. Frider.* lib. II. cap. XX. in Anglia, ut ex Bulæo Magdeburgenſes. Imprimis autem Theologiæ orthodoxæ teſtimonium præbuerunt, & Antichriſtianiſmum ex profeſſo oppugnarunt Waldenſes, quorum originem admodum diverſe tradunt, nonnulli ad ſeculum VII. alii ad XI. plerique ad XII. alii ad A. MCLX. alii ad MCLXX. alii ad MCLXXX. referunt. Vid. Uſſerius, Forbeſius, Legerus & alii. Auctor fuit Petrus Waldus, Mercator Lugdunenſis prædives, mox Theologus, ex aſſidua Scripturarum lectione, quas etiam in vernaculam dicitur traduxiſſe. Occaſionem impugnandæ Eccleſiæ Romanæ habuit, fœdam ejus corruptionem; Scripturarum ignorantiam, Pontificum tyrannidem, Cleri flagitia, ambitionem, avaritiam, doctrinas damnabiles, cultum idololatricum, ritus ſuperſtitioſos, his adde, mortem ſubitaneam optimatis cujuſdam Lugdunenſis, inter amicorum colloquia, qua territus Waldus, mox ſe ad eleemoſynas & ad cœleſtia converterit. Ab hoc Waldenſes videntur denominati, quanquam alii à Germanico *Waldt*, *ſylva*, quod perſecutionibus fugati, in ſylvas ſe receperint; alii à *valle* quaſi *Vallenſes*, quod in convallibus habitaverint, malunt denominare. Ab urbe auctores *Leoniſtæ*: *pauperes de Lugduno*, aliis nominibus *Albigenſes*, vel Albienſes, ab Albiorum civitate in agro *Toloſano*, item *Toloſani* & *Toloſates*, inſuper à Doctore quodam ſuo Petro Bruſio, *Petro-Bruſiani*, & ab Henrico hujus diſcipulo, *Henriciani*, tandem & per contumeliam, *Turlupini*, *Ariani*, *Manichæi*, *Bulgari*, *Adamitæ*, *Sabbati*, *Anti-Sabbati*, *Lollardi*: item *Picardi*, *Publicani*, *Cathari*, *Perfecti*, *Paſſageri*, *Paſſagini*, *Paterni*, *Humiliati*, quibus iidem ſignificantur, diverſis rationibus. Doctrinam & inſtituta eorum, ex fide Chronicorum, Uſſerius refert, de *Succeſſ. Eccleſ.* cap. VIII. ſcil. recedebant à doctrina & praxi Eccleſiæ Rom. nuncupabant eam *Babilonem*, confuſionis Matrem; coarguebant ex Scripturis ejus tyrannidem, idololatriam, ſuperſtitiones: explicabant Scripturas in Gallicum traductas. Hac luce excitati, numero ita accreverunt, ut ſegreges conventus inſtituerent, primo Lugduni, tum in Toloſana & Narbonenſi Gallia, item in convallibus Pedemontanis, perſecutionibus diſſipati, longe lateque diſſeminati ſunt, per Gallias cæteras, Pedemontium, Angliam, Lombardiam, Apuliam, Calabriam, Helvetiam, Germaniam, Bohemiam, Croatiam, Bulgariam, Poloniam, Dalmatiam &c. Mores eorum ipſi Inquiſitores & adverſarii in his referunt: quod voluerint unum Deum adorari: blaſphemias horruerint, coram hominibus juſte vixerint, in Deum pii, in moribus compoſiti, in veſtibus modeſti, in vita caſti, in cibo parci, in labore manuum & opificiis ſeduli, in verbis veraces, in charitate unanimes, in egenos liberales, in oratione aſſidui. Affinguntur ipſis, per manifeſtam calumniam, peſſima quævis: de inceſtis pollutionibus, uſu mulierum promiſcuo, adoratione barbarum, odio & contemptu Magiſtratuum, hæreſes Arianorum, Manichæorum, rejectio V. Teſtamenti, impugnatio Pædobaptiſmi, juramenti, conjugii, reſurrectionis mortuorum. Vid. Baron. ad ann. MLXXVI. Num. III. & ſeq. Quibus confutandis ſufficiunt eorum confeſſiones, Catecheſes, Dialogi, quorum capita & argumenta repræſentant Magdeburgenſes, *Catalogus Teſt. Verit.* Illyrici, Uſſerius, Legerus, Lydius aliique: accedentibus etiam adverſariorum

teſtimoniis, imprimis Reinerii Monachi Dominicani, Inquiſitoris, libellos duos habes in Catal. Teſt. Verit. lib. xv. quibus concurrunt Æneas Sylvius in *Hiſtor. Bohem.* Balæus *in Centur.* Paulus Perrinus in *Hiſt. Waldenſium*, Thuanus *Hiſt.* lib. VI. &c. Ut, ſi doctrinam eorum, in capitibus fundamentalibus (demptis temporum iſtorum ſcoriis) & in damnatis ab eis, Pontificiorum erroribus, ſuperſtitionibus, idololatria &c. conferas cum noſtrâ Reformatâ; pronunciare cogaris, eſſe eandem. Hoſtes & perſecutores experti ſunt acerrimos in Eccleſiaſticis quidem Alexandrum III. in Concil. *Lateranenſi* III. vulgo generali: Lucium III. in decreto contra hæreticos edito, inſerto *Tom.* X. *Concil.* Clementem III. Cæleſtinum III. & poſtea Innocentium III. ſub quo bellum, contra Albigenſes cruentiſſimum exarſit. Hos ſecuti paſſim ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, monachi, univerſus Clerus, præ cæteris *Dominicus* Hiſpanus, à quo ordo Dominicanorum: & ab his excitati Reges, Principes, Comites, plebes, ferro & flammis in miſeros ſævierunt; teſtibus Perrino, Baronio ad A. MCLXXVIII. &c. Hæc ad ſeculum XII. ſpectant. Sub ſeculo XIII. Theologiæ orthodoxæ obſtetricati ſunt, (1) è *privatis* quidem, Amalaricus Carnotenſis, ipſi Genebrardo, in *Chronol.* ſub initium ſeculi, negans Transſubſtantiationem, Guilielmus Pariſiensis, accuſans Romam, ut *Babilonem*, *Sodomam*, *Ægyptum*, apud Mornæum in *Myſter. iniquitat.* Durantus Vaſco natione, Epiſcopus Mimatenſis in lib. de *Modo celebr. concil. generalis*, perſtringens Romanæ curiæ infamiam, & clamans reformationem, Probus Franciſcanus, Epiſcopus Tullenſis, Suevus, ſub Honorio IV. Oratione invectus in *Romulejos vultures*, & Pontificum *flagitia*, *luxum*, *avaritiam*, *ſuperbiam* &c. apud Aventinum *Annal.* lib. VII. Guilielmus de S. Amore, nomine Pariſienſis Scholæ, lib. de *Pericul. noviſſ. temp.* oppoſito monachorum hypocriſi, ſuperſtitioni, Antichriſtianiſmo, & alii, de quibus *Catal. Teſt. Verit.* Molinæus aliique. (2) è *Publicis*, *Imperatores*, v. g. Philippus Henrici frater obſtitit Innocentio III. Fridericus II. totis fere XXX. annis diriſſimam perſecutionem paſſus ab Honorio III. Gregorio IX. Innocentio IV. apud Goldaſt. in *Conſtit. Imper.* Tom. I. & Pet. de Vineis ejus quondam Cancellarii, *Antichriſtianam*, *apoſtaticam*, *belluoſam*, qualis in Apocalypſi, imaginem in Pontificibus exprimens. Similia fere de Rudolpho Habſpurgico, & Alberto in Bonifacium VIII. proferri poſſent. Conf. quæ penes Impp. & Pontif. dudum obſervavimus: & *Reges*, Galliæ, v. g. Ludovicus IX. auctor *Pragmaticæ ſanctionis*, in edictis contra *uſurpationes* Papæ, apud Goldaſt. & Carolum Molinæum, Philippus III. Mittimus tot in Galliâ Proceres, Comites, Prælatos, doctores &c. quotquot Albigenſium doctrinæ acceſſerunt, cumprimis in Galliâ Toloſanâ & Narbonenſi: in Anglia, v. g. Reges, Proceres, Clerus univerſus, graviſſimique Scriptores, v. g. Richardus I. Henricus III. Edwardus I. &c. juxta Annales Anglorum, Chronica, Antiq. Eccleſ. Matthæum Pariſienſem. Imprimis (3) ex *Eccleſiis*, Albigenſes, Waldenſes, Leoniſtæ, Pauperes de Lugduno, Humiliati, &c. de quibus apud ſeculum præcedens, quibus per calumniam, & dogmata, & mores perverſos affricari, jam ante audivimus. Vid. Mag. Cent. XIII. cap. V. atque etiam doctrinam & mores dudum repræſentavimus, perſecutiones in eos dicturi ſuo loco. Hæc ad ſeculum XIII. ſub ſeculo XIV. quarto hujus ætatis, Theologiæ orthodoxæ operam præſtiterunt adverſus Antichriſtianiſmum papalem: (1) Imperatores ac Reges. Quando v. g. Bonifacius VIII. ad Philippum Pulchrum Francorum ſcripſerat A. MCCCII. inter alia, *ſcire te volumus, quod in temporalibus & ſpiritualibus, nobis ſubes, beneficiorum & prebendarum ad te collatio nulla ſpectet* &c. Reſpondet Philippus: *Philippus Dei gratia, Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice, ſalutem modicam, ſeu nullam: ſciat maxima tua fatuitas, in temporalibus, nos alicui non ſubeſſe. Eccleſiarum & prebendarum collationem ad nos jure regio pertinere* &c. *Secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus. Datum* &c. Quæ mox ſecuta eſt, in conventu ordinum regni, exauthoratio Bonifacii, ut *ſimoniaci*, *hæretici*, *homicidæ*, *uſurarii*, aliorumque criminum rei, decem accuſationis capitibus, cum provocatione ad futurum concilium. Vid. Goldaſtum Tom. III. Pet. de Marca Archiepiſcopum Paris. *in libb. de Sacerdot. & imperio*, alioſque. Quando porro Johannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Pontifices Galli, Ludovico Bavaro exprobrabant, quod injuſſu Paparum, *Imperii titulos & regimen ſuſcepiſſet*, ſibique jus *inveſtiturarum* arrogaſſet: Ludovicus cum Imperii Proceribus, in diverſis conventibus, Epiſtolis & edictis, Papalem Antichriſtianiſmum ad vivum delineant, quod ſit, *divini humaniquejuris conturbatio*, *naturæ legum violatio*, *ſeditionum & diſcordiarum* ſatio, *Romani Imperii deſtructio*; æmulatio *Cæſi*, *Epicuri*, *uſurpatio* eorum, quæ *Dei*, quæ *Chriſti* ſunt, dum *adorari ſe permitteret* Pontifex, *ac pedes ſibi oſculari*; quæ integra exhibet Aventinus *Annal.* lib. VII. Hinc accuſata *nullitas proceſſuum & judiciorum* contra Imperatorem, cum provocatione ad *futurum Concilium*, atque inſuper ſententia *depoſitionis* in Johannem Romæ lata, commemoratis ejus aliorumque Epiſcoporum Romanorum ſacrilegiis, Simoniâ, hæreſi, faſtu, ſceleribus, Reipublicæ & veritati exitioſis. Similia fere memorantur in Angliâ ab Eduardo III. Rege, literis ad Clementem VI. datis A. MCCCXLIII. in

quibus

quibus expoſtulatur : *vineæ progeniem degeneraſſe in labruſcas, ſingulares feras eam depaſcere —— animarum curam negligi, ac mercenarios ſolummodo temporalia bona quærere, Eccleſiarum jura deperire, attenuari devotionem populi* &c. Goldaſt. *Conſtit. Imper.* Tom. III. Paria referre poſſemus de Carolo v. Galliarum Rege, item de Carolo VI. de Johanne Arragonio, Wenceſlao Imperat. Richardo IV. Anglorum Rege, & compluribus aliis, niſi compendii *συμμετρία* prohiberet. Ex dictis ſane clariſſimum eſt, Imperatores & Reges paſſim Antichriſtianiſmo Papali oblocutos fuiſſe, eoque veritati teſtimonia præbuiſſe. Magis (2) Theologiam orthodoxam aſſeruerunt Scriptores illi, qui ex profeſſo reformationem urgebant. v. g. Guilielmus Durantus Mimatenſis Epiſcopus, de *modo celebrandi Concilii generalis*, Nicolaus de Clemangis, de *corrupto Eccleſiæ ſtatu*, Petrus de Aliaco, de *emendanda Eccleſia* &c. Inſuper Dantes Algerius Florentius, in exilio mortuus, Trithemio aliiſque doctis commendatiſſimus: Arnoldus Villanovanus, à Jacobo Arragone legatus ad Clementem v. Pontif. ſcripto non uno, invectus in obtruſos *univerſo populo Chriſtiano errores, in apoſtaſiam univerſalem, in fidem damoniacam*, in *miſſaticas oblationes*, in *ſacrificia pro mortuis*, in *decreta & conſtitutiones papales*, in *monachos & clauſtrales*, ut *adulterantes doctrinam Chriſti*, in *Philoſophiam*, *Theologiæ permixtam*. Vid. Illyr. *in Catal.* Morn. & alii: Johannes de Rupeſciſſa, Trithemio in divinis Scripturis admodum ſtudioſus, ex Scripturis Propheticis & Apocalypſi, oſtendens, exortum Anti-Chriſtum, deſolationem Eccleſiæ, item Pontificum ambitionem, avaritiam. Vid. Froſſard. Chron. Voll. I. & II. Poſſemus his conſtruere, Franciſcum Petrarcham, Hubertinum de Caſali, Joh. Taulerum, Nicolaum Oreſmium, Nicol. Lyranum, Marſilium Patavinum, Michaëlem de Ceſena, Thomam Bradwardinum, Johannem Gerſon & complures alios: ne quid dicam de his, quos hæreticis Romanenſes accenſent, & ideo quidem, quod veritati teſtimonium præbuerint, quales Petrus Johannes Olivi, monachus Minorita, crematus ſub Johanne XXII. Gerhardus Sagarelli, Dulcinius, & alii combuſti, impactis falſo ſceleribus, revera ob impugnatum Antichriſtianiſmum. Hos volunt Patriarchas fuiſſe, *Fratricellorum* per Italiam, & Galliam: *Beguardorum*, & *Beguinarum*, per Germaniam, Belgium &c. qui damnati ſunt à Johanne XXII. propterea, quia in Eccleſiam Romanam, ut *Synagogam Satanæ*, in *Pontificem*, in *Cardinales*, in *Prælatos*, in legem *Cœlibatus*, in *adorationem* Sacramenti aliaque complura, nimis liberè declamarent &c. Conf. Collectanea Baluzii, Tom. I. Omnium maximè (3) Theologiam orthodoxam tutati ſunt, quos dudum memoravimus, Waldenſes, hoc ſeculo, longè lateque diſſeminati, per Galliam, Belgium, Germaniam, Angliam, Italiam, Bohemiam, Illyricanas regiones, Allobroges, uſque adeo ut Spondanus teſtetur, ſub Gregorio XI. Pontifice, *adeo creviſſe hæreticorum* Waldenſium *numerum, ut palam contra Inquiſitores rebellarent*. Hi, cum voce, tum ſcriptis, Antichriſtianiſmum Papalem demonſtrarunt, item abominationem deſolationis in templo natam, ſolutum Satanam; oppugnatis palam primatu Papæ, indulgentiis, diſpenſationibus. Ex adverſo aſſerto unico Chriſti ſacrificio, oppugnarunt Miſſæ ſacrificium, transſubſtantiationem, adorationem hoſtiæ, officia miſſatica, oblationes pro mortuis, purgatorium, & quæ ad hanc claſſem complura ſpectant: tum & injunctas pœnitentias, ſatisfactiones, confeſſionem auricularem, extremam unctionem, cœlibatus legem, & id genus alia: inſuper temerarias Prælatorum excommunicationes, monachorum nequitias, luxum, otia, &c. Tandem & idololatriam omnem deteſtabantur, in cultu creaturarum, Mariæ, Sanctorum, imaginum, reliquiarum &c. Hæc ſumma eſt Doctrinæ Wiclephianæ, quam habitæ diſputationes & confeſſiones, editæ Oxoniæ, Londini, etiam tempore Synodi A. MCCCLXXXII. apud Spelmannum *Tom.* II. tum & ſcripta, quorum indicem habes ſatis longum, apud Balæum *Cent.* VI. non dicam *ἀνέκδοτα*, in Bibliothecis Anglicanis latitantia, manifeſtum faciunt. Waldenſibus ſubſcripſerunt in aſſerenda orthodoxia, Huſſitæ in Bohemia, cum Calixtini, qui tantum urgebant communionem ſub utraque; tum & magis etiam Taboritæ. Conf. Balthaſ. Lydii *Waldenſia*. Non jam ſingulatim dicam Wiclephi doctrinam genuinam, quam non hi modo è Scripturis hauſerit; ſed etiam ex Britannis ſcriptoribus, Beda, Alcuino, Rob. Lincolnienſi, Joh. Bacanthorpio, Rich. Armachano, Guil. Occamo, Thom. Bradwardino &c. Unde fautores etiam habuit Eduardum III. Regem optimum, item Optimates quoſque regni, teſtibus Wiclepho aliàs iniquiſſimis, Thom. Walſingamo, Hen. de Knigthon, Thom. Waldenſi, aliiſque. Ejus doctrina pervaſit omnes Regni provincias, omnemque earundem ordinem & ſexum, ut *impleverint ubique orbem regni*, ut loquitur Knigthonus, quoad defuncto Eduardo III. anno MCCCLXXVIII. Gregorius XI. Papa juberet in Wiclephum *inquiri*, eum *perſonaliter capi*, & *carceribus* mancipari, & proinde ab Epiſcopis in cuſtodiam traderetur, brevi tamen liberandus, irruente in capellam Lambethanam, pia multitudine. Poſt quinquennium nova ei mota perſecutio, a Wilh. Courtenai, pro pallio, Urbano VI. hoc ipſo gratificaturo, habita Synodo Londini, in qua Wiclephi *concluſiones*, quales ipſi volebant, ut hæreticæ damnatæ ſunt, & Richardi II. Regis literæ

Wiclefi hiſtoria.

literæ impetrarentur, quibus, vincula, carceres, supplicia decernebantur in omnes Wiclephitas, quibus & ipse Wiclephus in exilium pulsus, in Bohemiam concessit; sed tandem tamen Ecclesiæ suæ Luterworthensi redditus, literis ad constantiam hortatus est Bohemos, & Hussum etiam, quem *fratrem suum* vocat; *valde dilectum, ignotum quidem de facie*, anno vitæ ultimo An. MCCCLXXXVII. quo placida morte discessit, & sepultus Luterworthæ; sed effossus & crematus, auctore Martino v. Papâ, ministro Rich. Fleming, Lincolniensi Episcopo, Papæ Gnathonibus, apud Synodum Constantiensem ei *octingentas* hæreses falso impingentibus, inter quas v. g. *quamlibet creaturam esse Deum, Deum nihil posse annihilare, cogi aliquando obsequi Dæmoni, omnia ex necessitate absoluta evenire, Christum ex tribus naturis constare.* Verbo addam, ut reformationis Bohemicæ primordia habeas, Johannem Hussum, fortissimum veritatis orthodoxæ testem pariter & Assertorem. Huic præluxerant pridem Waldenses, item Johannes Milicius, Canonicus Pragensis, & Concionator in summo templo, ejusque collega Conradus Stikna, & Milicii vestigia premens Matthias Janovius Pragensis Carolo IV. à confessionibus, qui ob calicem in Eucharistia, populo per Papam subtractum, & voce & calamo, in abusus papales, Concilio tollendos, liberè & ingenuè dixerunt. Fortè etiam in Wiclephum, profugum in Bohemiam, incidit Hussus. Saltem Professor fuit in Academia Pragensi; mox concionator etiam in templo Bethlehemico, tandem Academiæ Rector, Ecclesiæ Romanæ errores oppugnare, & puritatem euangelicam asserere cœpit, nactus paulo post συνεργὸν Hieronymum Pragensem, ex Anglia in patriam reducem, & scripta Wiclephi secum adducentem An. MCCCC. item Jacobellum Bohemum, magni nominis concionatorem, quem belli pro *utraque* specie, auctorem ferunt. Cum igitur Hussus, pro Christo, adversus Antichristum fortiter staret, *Papæ suprematum, purgatorium, suffragia pro mortuis, invocationem sanctorum, cultum imaginum, auricularem confessionem, communionem sub una specie, monachorum ordines, & ejus generis alia* (de quibus Æneas Sylvius, Hist. cap. XXXV. & ipsa etiam Hussi scripta loquuntur) strenuè oppugnaret: in fulmen Alexandri v. Pontificis incidit A. MCCCCIX. Praga discessit, Hieronymo Pragensi, doctrinam Wiclephiticam in schola docente; à Johanne XXIII. Papa Romam citatus est, à quo Hussus *ad Deum & Christum* provocavit: citatus porro ad Synodum Constantiensem, accepto Sigismundi Imp. salvo conductu, accedente Johannis Papæ fide, abiit Constantiam, hic statim in carcerem conjicitur, contra omnem fidem & jus gentium, inauditus, flammis adjudicatur A. MCCCCXV. additis diris: *animam tuam devovemus diabolis inferni.* Eandem sorrem expertus est Hieronymus Pragensis, nisi quod atrocitate carceris, & blanditiis papanorum adductus, retractaverit, ejuraverit pristinam doctrinam, & Hussum jure combustum esse, edixerit: quo mitiorem tantum carcerem consecutus est: ast protractus ex eo, Concilio denuo repræsentatus, XL. articulis accusatus, sibi objecta solide diluit, abjurationem suam priorem detestatus, pœnitentiam palam conteſtatus, fidem pristinam professus, rogo adjudicatus, cum multis ludibriis, lento igne exustulatus est, An. MCCCCXVI. referente Poggio Florentino, Concilii Scriba, cujus narratio prostat in Monumentis Hussi Tom. II. pag. 358. confirmante Ænea Sylvio, *Hist. Bohem.* cap. XXXVI. Hæc solito fusius dicere visum, ut non tantum doctrinam Ecclesiæ videas hujus ætatis; sed martyres sub ara, quasi audias clamantes: *quamdiu non vindicas sanguinem nostrum*, h. e. anhelantes imminentem reformationem, sub qua æstus Dei effundendus esset in sedem Bestiæ. Ista interim Theologia, per hanc ætatem quintam, gradatim per sua secula, egregie est adulterata. Equidem 8. *Gentilismus*, quamvis per universam ætatem, subinde recrudescens, alicubi Ecclesiis magnas clades dederit, v. g. in partibus Ungariæ, seculo XI. post excessum Andreæ Regis, qui sub pœna capitis, ritus paganos prohibuerat, sub Bela succedere, plebs sibi suos ritus restitui petit, & magna etiam in Ecclesiastas crudelitate extorquet; sed mox cædendus à Bela, Baron. An. MLXVI. Item Sclavi deficientes, apud Helmoldum cap. XXIV. Poloni etiam nobiles tumultuantes adversus Christianos, Calvis. *Chronol.* A. 1022. in ipsum tamen Christianismum, scripto aut voce, novos insultus non fecit. 9. Idem fere dicendum de *Judaismo*, qui Christianis aliquando occasionem dedit atrocium persecutionum, seculo XI. ipse tamen in Religionem Christianam novis conatibus multa molitus esse, non memoratur. Quinimo Doctores eorum, multis jactati infortuniis, cum domesticis, tum extraneis; pristinam dignitatem, Scholis eorum in Babilonia abolitis, Geonatu sublato, in Oriente amiserunt omnem: nisi quod studia quædam eorum, in Hispaniam migrarint. Genebrard. A. 1030. Seculo XII. variæ etiam inter eos sectæ observantur & schismata, conflictus item inter Rabanistas & Karræos: Agyrthæ etiam nonnulli, magi & nebulones, sub Messiæ nomine, miseræ genti turpiter imponentes, miraculis etiam confictis fascinantes; sed & justas pœnas luentes. Studiis tamen suis Christianismo parum obfuerunt. Geonatui enim jam sublato, Rabbinatus per ætates suas succedit, ultimus dignitatis Judaicæ apex: Talmudicæ etiam disputationes fervide inter eos continuatæ sunt, Rabbini cum Saracenis & Christianis, quibuscum vivebant, communia tractabant studia, unde tot hoc seculo, in Judæorum scriptis commendantur Theologi, Exegetici, Elenchtici,

lenchtici, Talmudiſtæ, Cabbaliſtæ, Philoſophi &c. Linguarum etiam exoticarum ſtudia apud ipſos vigebant, & augendarum inſuper Bibliothecarum. Tot vero tandem inter ipſos nata ſunt diſſidia & tam virulenta, ut anathematiſmis ſe invicem proſcinderent. Vid. Hotting. *Hiſt. Eccl. ſecul.* XII. Hæc fere apud ipſos continuata deprehenduntur ſub ſecul. XIII. ubi mordicus ſuæ perfidiæ nonnulli adhærebant, eamque miraculis, martyriis, Sanctitatis ſchemate & diſputationibus etiam defendere conabantur: dum ex adverſo Chriſtiani ſcripta Talmudica abolita, & Judæos converti volebant, quod etiam in non paucis ſucceſſit, inter quos Lyranus, & Joſephus quidam. Hotting. Secul. XIII. Seculo XIV. odia ſua in Chriſtianos effuderunt, & experti viciſſim ſunt: benevolentiam tamen ſubinde Chriſtianorum, non vulgarem ſenſerunt. Edidit etiam R. Iſaac Sprot *Lapidem lydium* contra Chriſtianos. Vid. Hotting. ſecul. XIV. 1. *Muhammedaniſmus* hac ætate ingentes fecit progreſſus. Seculo enim XI. Turcæ, Rege Trangolipice, ſubegere Babiloniam, Perſiam, Aſiam, Orientis magnam partem, hinc in Conſtantinopolitanum ſuas copias ducere, Aſiam vaſtare, Byzantio imminere, Conſtantini Monomachi aliorumque Imperatorum Orientalium ignavia, imperii ſui fines proferre cœperunt, quoad Chriſtianorum bello ſacro (de quo ſuo loco) repreſſi ſunt. Seculo XII. per bellum ſacrum, primo quidem detrimenta, per victorias Chriſtianorum, accepit Muhammedaniſmus; ſed poſtea, per Chriſtianorum mutuos livores, deſidiam, impietatem, Saraceni ſub Saladino, Principe multis virtutibus claro, ſua detrimenta ſarciunt, & amiſſa à Chriſtianis recuperant, ipſamque Hieroſolymam ſuo imperio & Religioni reſtituunt. Seculo XIII. per Mamaluchos (Chriſtiani ſunt à Sultanis pretio empti, & ejurato Baptiſmo ad bellica formandi) ſibi Egyptum ſubigunt, & in defendendis propagandiſque ſuis ſacris, zelum ſuum produnt. Seculo XIV. Turcæ, ſub Othomanno Imperatore ſubacta tota Aſia Minore, arma in Europam, & exitium tandem toti Imperio Orientali intulerunt. Sultanus Ægypti dudum Palæſtinam recuperaverat, omnemque Syriam, ejectis Tartaris, qui ſub Caſano, ſeu Chamo Saracenos exegerant, ſubigit. Hinc facta imperii Turcici diverſione, nataque Heptarchia; Oſmanno, ſeu Othomanno, obtigit Bithynia, & mox Phrygia, Galatia, Cappadocia, ac Myſia ab eo ſubactæ, & quicquid ſeu Græci, ſeu Satrapæ Turcici in Natholia & Romania Aſiatica habebant. Dehinc tranſmiſſis in Thraciam octo millibus Turcarum ad Iſtrum uſque, Græcorum regiones infeſtavit, eoque Turcicæ Monarchiæ fundamenta poſuit A. MCCXCVIII. Fatis cedens, imperium transmiſit ad Urchanem filium A. MCCCXXVI. poſt. Pruſam ab Urchane expugnatam, eamque ſedem regni conſtitutam, poſt conditas etiam leges imperii, & inſtitutos Jegnizaros, ſeu Janniſſaros, & Bythiniam à ſuo nomine *Oſmaniam* appellatam, & ſucceſſores *Othomannos*, ſeu *Oſmanidas*. Hinc Urchanes imperium habuit ad A. MCCCLVIII. ducta uxore Theodora Johannis Cantacuzeni filia. Ejus filius Morath, ſeu Amurathes, interceptis variis provinciis, totis XXXI. præfuit, primus Imperatoris titulo ſuperbiit, addita Portæ Othomannicæ Majeſtate, & ex captivis militia Janniſſaria. Hinc Bajazethes, à bellis ſuis *fulmen* appellandus, ad victorias Amurathis, novas indies adjecit ab A. MCCCLXXXVIII. uſque ad A. MCCCXCVI. Cui tamen victoriarum curſum ſufflaminavit Temir, cui pœnas ſuæ tyrannidis dedit ſeculo XV. 1. *Antichriſtianiſmus* papalis, qui ſub ſeculo quidem XI. adeo invaluit, ut auctor *Faſciculi temporum* pronunciet: *tempus efœminatum incepit ab Anno M. in quo fides Chriſtiana valde cœpit deficere: Chriſtianitatis; nec Sacramenta, nec ritus eccleſiaſtici ſervabantur, erat Sacerdos ſicut populus* &c. Item Guil. Tyrius: *in Occidente, & in omni pene terrarum orbe, maxime inter eos qui fideles* (Papæ obnoxii) *dicebantur, fides defecerat, & Domini timor erat de medio ſublatus, perierat de rebus juſtitia* &c. *nec Clerus à populo, vita nobiliore differebat, ſicut populus, ita & Sacerdos. Nam Epiſcopi negligentes facti erant, canes muti, perſonarum acceptores, Simoniacam non declinantes hæreſin, Giezi ſordibus & macula fœdati*, &c. Id quod diſtinctius percipitur e Paparum hujus ſeculi, Magia, Simonia, tyrannide in Imperatores, Reges, & Principes: item ex Cleri infanda corruptione, quam dudum in Vitis Paparum digito tetigimus: porro ex univerſali ſuperſtitione, in neceſſitate ſatisfactionum, pœnitentiarum, ſacrificiorum miſſaticorum; ad hæc in legatis pro redimendis animabus, peregrinationibus ad ſepulchrum, virtute reliquiarum, Sabbatho Mariano, uſu azymorum in Euchariſtia, Sphærulis præcatoriis, in exſtruendis Baſilicis, perquirendis reliquiis, & ſexcentis aliis, quæ diſtinctius repræſentare infinitum foret. Sub ſeculo XII. omnia iſta adeo continuata ſunt, & creverunt, ut jam Antichriſtus, vel natus, vel jamjam naſciturus crederetur, teſte ipſo Baronio, ad ann. MCVI. & Joachimus Abbas Florienſis profiteretur, eum Romæ natum eſſe. Quæ diſtinctius etiam patent, in horrendis Antipaparum ſchiſmatibus: in faſtu Pontificum, aliiſque Antichriſti characteribus: in Cleri univerſali depravatione: in doctrina Antichriſtiana, circa utramque monarchiam papalem, circa Scripturarum lectionem, prohibitam ab Innocentio III. circa Sanctorum interceſſionem, invocationem, reliquiarum cultum religioſum, indulgentiarum nundinationes, purgatorium, Tranſubſtantiationem, communionem ſub una ſpecie,

Muhammedaniſmus ætatis V.

Antichriſtianiſmus papalis ſub ætate quinta.

confessionem auricularem, cœlibatum Clericorum: in ignorantia universali Clericorum, superstitione Principum & populi, flagitiis in omni ordine, civili & ecclesiastico. Ut jam non superesset nisi Christiani *nomen* sub vero Gentilismo. Ut nihil dicam de bellis, quibus penè exhaustus uterque orbis, Orientalis & Occidentalis, ut non immerito Genebrard. *Chronol.* lib. IV. in Alexandro III. *Sub hoc Alexandro, totus tunc orbis Christianus mutuis bellis ferme collidebatur* &c. E quibus omnibus abunde percipies, quam sub seculo XII. Theologia Christiana fuerit adulterata. Sub seculo XIII. eadem recurrunt, & cum multo corollario, utpote in quo Transubstantiatio, in Concilio Lateranensi, sub Innocentio II. A. MCCXV. decreto ecclesiastico est confirmata, & secuta decreta papalia, de *asservanda* Eucharistia, adoranda hostia, instituendo *festo Corporis* Christi; de prohibitione calicis; immaculata conceptione Mariæ, à Franciscanis asserta; de Rosariis; Psalterio B. Virginis; salutatione Angelica, quæ à Dominico ferè invecta sunt. Accessit Euangelium novum, *Euangelium æternum* dictum, auctore, vel Johanne de Parma Monacho Minorita; vel Cyrillo Monacho Carmelita. Quod Euangelium totum erat in eo, ut commendaret prædicatores Monachos nudipedales, eorumque ordines, statuta, regulas: hoc Euangelium longe perfectius esse Euangelo Christi, quippe Euangelium Spiritus S. *æternum*. Et ne cederet in præjudicium & odium fraterculorum istorum; Alexander Papa librum *secreto, & si fieri posset, sine fratrum scandalo*, comburi jussit. Vid. Matth. Parisiensis, ad Ann. MCCLIII. Non dicam alia monstrosa monachorum, circa Trinitatem, locum beatorum, dæmones, Angelos &c. damnata ab Academia Parisiensi. Vid. Matth. Paris. ad Ann. MCCXLIII. Nihil addam de universali corruptione, in *moribus & disciplina* clericali & monachali, quæ sub hoc seculo, magna incrementa fecit. Seculo tandem XIV. prioribus omnibus, nova tyrannidis papalis, in Imperatores, Reges, Principes & populum Christianum, eaque illustrissima, indigitata pridem, cum vitas Pontificum tangeremus, Antichristianismo huic papali accesserunt.

Hæreses ætatis quintæ.

7. Hæreses ætatis quintæ, per sua secula. Sub seculo XI. hæresis de Transubstantiatione, concepta seculo VIII. excusa seculis subsequentibus, adultam suam ætatem nacta est, in concertationibus Berengarii, cum adversariis suis. Fuit Berengarius Turonensis, Archidiaconus Andegavensis Ecclesiæ, Thesaurarius & Scholasticus, judicio Platinæ, doctrinâ & sanctitate insignis. Negabat panem & vinum in Eucharistia, converti in corpus & sanguinem Christi; statuebat ex adverso, *Sacramentalem* præsentiam corporis & sanguinis Christi in symbolis: quam hæresin *sacramentariam* appellant. Antagonistas potentissimos quidem habuit Papas, Leonem IX. sub quo Synodus fuit Romana & Vercellensis, Victorem II. sub quo Synodus Turonensis, præside Hildebrando, in qua ferunt abjurasse Berengarium, convictum scil. à Lanfranco: Nicolaum II. sub quo Concilium Romanum, in quo, morte præsentissima territus ejuravit sententiam suam: tandem Gregorium VII. sub quo variæ rursum in eundem fuere Synodi A. MLXXVIII. & MLXXIX. Tres numerant revocationis formulas; sed illi præscriptas, & per vim extortas, quarum priores duæ asserunt: *panem altaris, post consecrationem, esse verum corpus Christi*, quæ subdolæ videntur Transubstantiationis Patronis, & quod prima habuerit: *corpus Christi posse sensualiter tractari, frangi, dentibus atteri*, apud Gratianum *Can. Ego Berengarius*, Dist. II. de Consecrat. Hîc disputandi materia accidit: an illud fieret in *signo*, seu in accidentibus; an in ipso Christi corpore; in Theologis Antagonistas habuit Lanfrancum, tunc Abbatem Cadomensem, postea Archiepiscopum Cantuariensem, item Ascellinum monachum Benedictinum, qui publice cum eo congressus est, porro Albericum, Diaconum Cassinensem, edito libro, de *Corpore Domini*: Guitmundum, ex monacho Cardinalem, & ejusdem farinæ plures. Hyperaspistas ex adverso sensit multos, & omnem fere Galliam, imo & Italos & Anglos complures, testibus Sigeberto, Malmesburiensi, Matthæo Parisiensi, citatis ab Usserio de *Succeff.* cap. VII. nec non Brunonem, Episcopum Andegavensem. Certe formulam abjurationis postremam, ut metu extortam, sub Gregorio VII. revocavit. Tandem in secessu prope Turones, placide & pie obiit. Post obitum sententia ejus est appellata hæresis *Berengariana, Sacramentaria, dein Petro-Brusiana, Henriciana, Albigensium*, multis illi passim in Rom. Ecclesia adhærentibus. Sub seculo XII. observatur hæresis *Bogomilorum*, in Oriente longe lateque sparsa. Auctor fuit *Basilius* quidam, professione medicus, habitu monachus, teste Euthymio Zygabeno Panopl. Tom. XXIII. Zonara lib. XVIII. capita doctrinæ non uno modo ab omnibus traduntur. Certum omnibus est 1. quod magnam præ se ferret humilitatis & sanctitatis speciem, unde ejus sectatores *Bogomili* dicti videntur, quasi cum Deo conversantes: *Bog* enim Sclavonibus & Bulgaris *Deus* est. 2. Quod Mosaicos libros, & alios quosdam pro Canonicis non receperit, admisso tamen Decalogo, libris Propheticis, IV. Euangeliis, Actis & scriptis Johannis. 3. Quod circa mysterium incarnationis, non senserit cum Ecclesia. 4. Quod de Sacramento Baptismi & Eucharistiæ, nimis contemptim fuerit locutus, itemque de cultu publico in templis. 5. Quod damnarit cultum imaginum & crucis, teste Euthy-

Euthymio. Reliqua de negatâ ſimpliciter Trinitate, de Deo barbato & corporeo, de colendis dæmonibus &c. dubia & à Græculis conficta videntur. Hæreſibus hujus ſeculi inſuper annumerant hæreſin Abælardi, & *Abælardanorum*, auctore Pet. Abælardo, Philoſopho & Theologo celebratiſſimo, damnatam in Synodis, Sueſſionenſi & Senonenſi ſub Calixto II. & Innocentio II. Tribuunt ipſi, quod (1) in capite de *Trinitate* ſenſerit cum Ario, tres gradus ſtatuens Deitatis. (2) In capite de *Perſona* Chriſti, cum Neſtorio (3) de Chriſti ſatisfactione, cum Pelagio: etiam cum eodem, nimium extulerit rationem. Hæc ipſi tribuit Bernardus Claræ-vallenſis. Sed non videntur iſta congruere cum congeſtis paſſim in ipſum elogiis, cum Apologiâ ipſius Abælardi in ſuis Epiſtolis. Odium ipſi conciliavit, quod de Euchariſtia cum Berengario ſentiret. Affingunt ei pœnitentiam & abjurationem; ſed abſque teſtibus. Abælardo adjungunt ejus diſcipulum, Arnaldum de Brixiâ, à quo ſequaces Arnaldiſtæ, tyrannidem, luxum, ſuperbiam & corruptionem Pontificis ac Cleri, palam arguebat. Hinc Romæ crematus. Pervulgata quoque fuit hæreſis Catharorum, corrupte *Cazarorum*, unde *Ketzers* ſeu *Ketters*. Forte reliquiæ Manichæorum, quibus permixti fuerunt Ariani non pauci, quibus Albigenſes cohabitabant, unde eorum errores in hos derivarunt, eoſque Catharos & Publicanos appellarunt. Vid. Uſſerius de Succeſſ. cap. VIII. Addunt inſuper hæreſin *Adamanorum*, ſic dictorum ab impurâ libidine, quam exercuerint in publico. Auctor fuit Tanchelinus quidam, Sacerdos Antwerpienſis, alio nomine dicebatur hæreſis *Longobardorum*, cui Matres, uxores & filii dicuntur fuiſſe communes. De his Magdeb. Genebrardus, Baronius ad Ann. MCXXVI. Num. XII. Accenſetur quoque hæreticis Gilbertus Porretanus, Pictavienſium Epiſcopus, vir Trithemio doctiſſimus, qui non ſatis recte ſenſerit de Trinitate: niſi forte inviſus fuerit, ob rejecta merita humana, teſte Ottone Friſingenſi de Geſt. Frid. Barbaroſſæ lib. I. cap. I. Rectius hæreticis connumeratur *Eudo* quidam, ſeu *Eon*, Britannus, delirans ſe Chriſtum eſſe, venturum ad judicium. Damnatus fuit in Concil. Rhemenſi, Vid. Baronius aliique. Hæreſibus etiam non abs re connumerabis, Theologiam *Scholaſticam*, ſeu Philoſophicam illam, quæ non minus Theologiam orthodoxam vitiavit, quam quævis hæreſis. Auctorem habet Petrum Lombardum Epiſcopum Pariſienſem ab Ann. MCLIX. æmulatione Joh. Damaſceni de *Orthodoxa fide*, edentem libb. IV. *ſententiarum*. Fuit iſtud opus à variis accuſatum variarum hæreſium, etiam ab Alexandro III. Hinc in Concilio Pariſienſi damnatus fuit ejus error, circa *humanitatem Chriſti*, item quod in *aliis fidei articulis ab Eccleſia Catholica deviaſſet*. Poſtea tamen opus iſtud in ſcholis, ipſis Scripturis, ſi non antepoſitum, ſaltem æquatum, unde plauſtra commentariorum in opus illud exarata proſtant. Sanior tamen prima ejus ætas, uſque ad Albertum M. qui ſententiis Patrum, quas congeſſit Lombardus, admiſcuit Philoſophiam, quem ſecutus eſt Thomas Aquinas, Alberti diſcipulus magiſtrum ſuperans. Scholaſticæ Theologiæ conſtruemus *Jus* Canonicum, auctore Gratiano monacho Thuſco, qui *Decretum* compilavit, primam Juris Canonici partem, quo rediguntur in compendium, ſub certis titulis, per *diſtinctiones*, *cauſas*, *quæſtiones*, cumprimis ſtatuta Conciliorum, dicta Patrum, Epiſtolæ & conſtitutiones Romanorum Pontificum, & nonnullæ leges civiles. Confirmatum eſt ab Eugenio III. idque eo lubentius, quod jam prodiiſſet Jus *Juſtinianæum*, in multis cauſæ Papali derogans, de quo plura habet Cl. Frater meus Gerhardus van Maſtricht, in ſua Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici. *Decreto* Gratiani deinceps acceſſerunt Decretalium libri V. juſſu Gregorii IX. ex prioribus collectionibus conſtitutionum Papalium digeſti, circa A. MCCXXX. Auctore Raymundo Catalauno Ordinis Prædicatorum. Et hi libri præſtant ſecundam partem Juris Canonici. Adjectus eſt poſtea liber *ſextus* Decretalium, per Bonifacium VIII. ex noviſſimis conſtitutionibus ſuccedentium Paparum: tum & *Clementinæ*, juſſu Clementis V. digeſtæ; tandem etiam *Extravagantes*, cum ſpeciales Johannis XXII. tum communes aliorum Pontificum, privato ſtudio conjunctæ. Accedunt *Gloſſæ*, cum verborum, tum rerum. Ne quid addamus de *Regulis Cancellariæ* & *Rotæ* Romanæ, item Bullarium.

Sub ſeculo XIII. Hæreſes veri nominis vix occurrunt, niſi quod omnibus qui tyrannidi, erroribus & ſuperſtitionibus papalibus obloquerentur, hæreſeos nota inuratur. Sic v. g. Guil. de S. Amore, ex libro de *Periculis noviſſimorum temporum*, quem oppoſuit monachorum *Euangelio æterno*, aliiſque corruptelis Antichriſtianis, hæreticus dicitur & damnatur: ſic Joachimus Abbas Florienſis, taxans otioſas ſubtilitates Lombardi in negotio Trinitatis, hæreticus eſt, itemque Almaricus Pariſienſis Clericus, quod cum ſuis negaret Corpus Chriſti in Euchariſtiâ, doceret certitudinem ſalutis, improbaret Sanctorum & imaginum cultum religioſum: nec non Arnoldus de Villâ novâ, Hiſpanus, quod in tyrannidem Papalem, libidinem Cleri &c. liberius inveheret: ſimiliter Guil. Avernus Epiſcopus, & Stephanus Templierus Epiſcopus, ob otioſas Scholaſticorum ſubtilitates, in Theologiam perperam quidem introductas, non tamen eo ipſo ſtatim hæreticas. Forte etiam reliquiæ *Nicolaitarum*, *Gnoſticorum*, *Manichæorum*, *Catharorum*, *Arianorum*, alicubi propa-

propagatæ sunt ; quas juste vult hæreticas , proscriptas fuisse , non abnuimus. Sed Albigenses , Waldenses , Wiclefitas , Hussitas, in Catalogum hæreticorum , ullo jure referri , dudum negavimus.

Sub seculo XIII. Hæresibus adscribunt (1) *Beguardos* , per Belgium grassantes , eorumque Duces, Jacobum Justum , Bononatum & Bertholdum de Borbach , qui α. hominem sibi in hac vita , comparare posse summam beatitudinem. β. Naturam intellectualem naturaliter , non per gratiam supernaturalem , esse beatam. γ. Ad quod natura hominem impellat , non esse mortiferum. δ. Hominem in spiritu libertatis constitutum, nulli humanæ obedientiæ se debere subjicere. ε. Eundem nec jejunare, nec orare debere. ζ. Esse imperfecti hominis , se exercere in virtutibus , & bona opera facere. η. Hominem eo perfectionis pertingere, ut non amplius possit proficere. ϑ. Ad eucharisticam corporis elevationem,neminem debere reverentiam ei exhibere. Quibus Bertholdus adjecerit, ι. Christum , sub tormentis , de sua salute dubitasse. Bzovius ad Ann. MCCCX. sect. XII. Gualtherius p. 702. Genebrardus p. 692. (2) *Beguinas*, qui dicerent, se honeste & religiose posse vivere , licet nullis votis obstrictas , neque facultatibus temporalibus se privantes. Gault. p. 703. (3) *Beguinos*, qui sibi persuaserint, eos perfectioni euangelicæ adversari , qui aliquid in commune habeant: Pontificem non posse dispensare in Regula S. Francisci, neque fratribus Minoritis permittere , ut in alium ordinem transeant; Papam, in nullo casu , posse dispensare in voto simplici, nullam sibi incumbere necessitatem respondendi Inquisitoribus, nisi in articulis fidei & Sacramentorum. Gault. (4) *Lollardos*, quos ex Wiclephitis originem habere , quidam contendunt , alii cum ipsis confundunt, Bzovius ad Ann. MCCCLXXXIX. sect. IX. alii Wiclepho priores esse volunt , dictos à Lollardo Walthero , qui Ann. MCCCXXI. Coloniæ fuerit combustus. Docuisse feruntur , Luciferum injuste e cœlo fuisse deturbatum , & aliquando salvandum: Michaëlem omnesque Angelos æternis suppliciis destinandos : B. Virginem à partu virginem esse desiisse : fugere divinos oculos , aut ad minimum ultrices manus, ea scelera , quæ sub terra perpetrantur. Gault. Genebr. (5) *Turlupinos* seu Cynicos , qui docuerint , nil pudere quenquam debere , eorum quæ à natura accepimus ; voce non esse orandum ; sed solo corde eaque libertate , quæ divinis legibus subjecta non sit. Gault. Genebr. Etiam hæreticis accenset Genebrardus pag. 692. (6) *Templarios* , de quibus suo loco. Atque insuper (7) *Wiclephitas* & Wiclephum , cui Thom. Walsingamus , apud Bzovium A. MCCCLXXVII. Sect. V. tribuit, α. Eucharistiam , post consecrationem , non esse verum corpus Christi ; sed ejus figuram. β. Ecclesiam Romanam non esse Caput omnium Ecclesiarum , nec majorem potestatem per Christum datam fuisse Petro , quam cuilibet alii Apostolo. γ. Romanum Pontificem non habere majorem potestatem in Ducibus Ecclesiæ , quam quemcunque alium Sacerdotem : δ. Dominos temporales posse legitime & meritorie auferre bona fortunæ , ab Ecclesia delinquente: ε. Euangelium sufficere , ad regulandum in vita ista , quemlibet Christianum , & quod omnes aliæ Sanctorum regulæ , sub quarum observantiis degunt diversi religiosi , non plus perfectionis addant Euangelio , quam addit albedo parieti. Prolixius hæc tractata habes apud eundem Bzovium ad Ann. 1352. sect. 15. & 1385. sect. 16. Ex nostris , Wiclephianæ doctrinæ compendium habet Illyricus in *Catal. Test. Verit.* lib. XVIII. Tribuunt Wiclepho plusquam ducentos libros à se compositos , quorum Catalogum habet Balæus Cent. VI. Etiam (7) hæreticis perperam annumerant Waldenses , de quibus nos alibi. Insuper complures singulares personas in Catalogum hæreticorum referunt: v. g. Johannem de Poliaco Doctorem Parisiensem , Bartholomæum Janovecium, Barlaamum & Acindynum , Michaelem de Cesena, & Guil. Occamum , Petrum de Cugneriis , Richardum Armachanum, Petrum Johannem —— De quibus plura dicere , nil attinet.

Status Ecclesiæ ætate N. T. quinta

1. Propagatio Ecclesiæ.

XXXVII. Succedit ergo status Ecclesiæ sub ætate v. per sua secula , & penes hunc , 1. *Propagatio* ejusdem ; sub seculo XI. rarior , nisi quod sub Stephanus Hungariæ Rex , ab idololatria gentili, nomen Christianum admiserit uxore Gisla , Henrici Imp. filia, dudum Christiana, plurimum conferente , cum ad Mariti , tum ad subditorum conversionem , Stephanus ille, propter devota sua in Pontificem studia , *Sanctis* etiam adscriptus est. Conf. Baron. Tum etiam hoc seculo Hispania à Saracenis liberata , & Christianis Regibus restituta est virtute Ferdinandi I. seu Magni A. MLXV. A quo Gregorius VII. eo temeritatis pertigit, ut per legatos , Hispanias sibi tributarias vellet : tum quod ante Saracenos, proprii juris fuissent S. Petri ; tum quod Principibus facta esset à Papis potestas, vindicandi eas à Saracenis. Vid. Baron. ad Ann. MLXXIII. Num. XXXII. & seq.

Seculo XII. Nomen Christi admiserunt *Pomerani* , ope Othonis Episcopi Bambergensis , dudum subacti à Boleslao , Poloniæ Rege I. A. M. CXXIV. tum *Livones* , converti ope mercatorum Lubecensium , Meinardo Rigensium Episcopo : porro *Norwegi* , ope legati Pontificii Nicolai Angelici , Cardinalis, postea Papæ Hadriani IV. item *Finlandi* , armis ab Erico Suecorum Rege (qui vulgo *Sanctus* dicitur , ob munificentiam in Clerum) subjugati A. MCL. etiam *Rugii* , itidem bello

bello à Danis ſubacti: addunt converſionem *Magni* Gothorum Regis, Crantz. *in Vandalia* ſua & alii.

Seculo XIII. partim vi armorum, partim artibus Curiæ Romanæ, ſuam Monarchiam amplificaturæ, Barbari quidam, ſaltem Chriſtianum nomen ſuſceperunt, inque eis *Boruſſi* gentiles, converſi per Cruciferos, ſeu ordinis Teutonici milites, ſub Frederico II. Imp. Unde Mariæburgum in Boruſſia, Teutonici ordinis ſedes. Vid. Crantzius, Nauclerus & alii; ſuſceperunt idem Chriſtianum nomen *Tartari*, Scythica gens, alias Mogoles, in ultimum orientem effuſa; Duce *Chingis-Chane*, juxta Haytonem Armenum, Vincentium Bellovacenſem alioſque, in ſuis Chronicis, quamvis in circumſtantiis, adeo ſibi ſint adverſi, ut univerſa hiſtoria aliis inde ſit ſuſpecta: ſuſceperunt porro nomen Chriſtianum Judæi quidam, alii coacte; alii ſponte, inter quos *Nicolaus de Lyra*, Bibliorum interpres, monachus Minorita. Sub ſeculo XIV. vix ulla memoratur Eccleſiæ propagatio, quin ex adverſo attrita & oppreſſa eſt, à Tartaris, Saracenis, Turcis, qui (*Turcæ*) ſub Othomanno Imperatore, ſubacta tota Aſia Minore, ſuppreſſis ibidem Eccleſiis, arma in Europam promovebant, univerſum Imperium Orientale, omneſque ejus Eccleſias, mox ſibi ſubjugaturi.

2. Scriptores Eccleſiaſtici ætatis N. T. quintæ.

2. Propagatores ſeu ædificatores Eccleſiæ, olim præſtare ſolebant *Scriptores Eccleſiaſtici*; ſed hi ſub hac ætate, parum eo contulerunt: juvabit tamen eos noſſe. Præter Scholaſticos non memorandos, Sub ſeculo XI. præcipui fuerunt, in *Oriente*, quidem poſt Theophylactum & Oecumenium, Simeonem Metaphraſten, alioſque dudum ad ſeculum præcedens commemoratos fuerunt *Georgius Cedrenus*, ſub Iſaaco Comneno, auctor *Synopſeos hiſtoricæ* editæ tomis II. in *Corpore Byzantino*, credulus perſæpe nimis & ſuperſtitioſus in cauſis imaginum, reliquiarum & Marioduliæ: ab Orbe condito, ad Ann. circiter MLX. compilator fere Georgii Syncelli & Theophanis, non pari tamen judicio: *Michael Pſellus*, ſub Conſtantino Monomacho, uſque ad extrema Nicephori Botoniatæ, ſeu A. MLXXXI. Scripta ejus, Theologica, Philoſophica, Mathematica, partim inedita, vide apud Leonem Allatium, Lambecium alioſque: *Johannes Scylitza*, ex Protoveſtiario Curopalates, coævus Cedreni, auctor Hiſtoriæ ab obitu Nicephori Logothetæ, uſque ad extrema Nicephori Botoniatæ, ſeu ad Ann. MLXXXI. ejus pleraque leguntur in Cedreno, & in Scylitza, ſuſpicantur plerique Cedrenum plagiarium fuiſſe: ante iſtos vixit *Nilus*, cognomento Doxopatricus Archimandrita: ſcripſit tractatum de V. *Thronis Patriarchalibus*, ad Rogerium Siciliæ Regem, aſſertor fuit cauſæ Græcorum adverſus Latinos, Michaëlem Cerularium, Leonem Achridramum, Petrum Antiochenum: *Johannes Xiphilinus*, Patriarcha Conſtantinop. ſub Conſtantino & Michaële Ducâ. Tribuuntur ei, præter Epitomen librorum Dionis Caſſii, Homiliæ in Dominicalia, aliaque: *Georgius Palamas*, infenſiſſimus Latinis, verius referendus ad ſeculum XIV. *Samuel Marochianus* A. MLXX. ſcripſit de adventu Meſſiæ, ex Arabico traductus proſtat in Bibliotheca M. Patrum Pariſ. Tom. IV. In *Occidente*, plerique vix ſcripſerunt, quam de *Vitis Sanctorum*, quos Roma hoc & præcedente ſeculo venerata eſt, v. g. S. Udalrici Auguſtini, S. Ansgarii Hamburgenſis, S. Odonis Cluniacenſis Abbatis, S. Abbonis Floriacenſis, S. Majoli Cluniacenſis, S. Henrici II. Imperatoris, S. Edmundi Anglorum Regis, S. Oswaldi Northumbriæ Regis, S. Dunſtani Cantuarienſium, S. Emmerani Ratisbonenſis, S. Bernardi Hildeshemienſis, aliorumque, ſcriptores plerumque monachi obſcuriores, apud Balæum, Poſſevinum, Bellarminum alioſque. Addatur *Glaber Radulphus*, ſcriptor hiſtoriæ ab extremis ſeculi X. ad ann. MXLV. *Dithmarus*, Mersburgenſis Epiſcopus, ſcripſit Chronicorum libb. VII. laudatiſſimus Baronio, quia ſcripſit ſuperſtitioſiſſimis temporibus; *Hermannus Contractus*, monachus Augiæ Majoris, auctor brevioris Chronici, ab Adamo ad Ann. MLIV. *Bertholdus*, Presbyter Conſtantienſis, continuator Hermanni uſque ad An. MLXXXIII. *Adomarus* monachus Gallus, ſcripſit Chronicon, à principio Monarchiæ Francicæ, ad An. MXXIX. quo in vivis fuit *Odoramus* monachus in Gallia, ſcripſit res ab Orbe condito, ad A. MXXXIII. Noti præterea ſunt, Lambertus *Schafnaburgenſis*, Monachus Hirſchfeldienſis, ſcripſit hiſtoriam Germanicam ad Ann. MLXXVIII. *Marianus Scotus*, monachus Fuldenſis, dein Moguntinus, ſcripſit Chronicon, ab Orb. condit. ad Ann. MLXXXIII. *Adamus* Canonicus Bremenſis, ſcripſit fideliter res Eccleſiarum Septentrionalium, *Sigebertus* Gemblacenſis monachus, incomparabilis ingenii, Chronicon perduxit ad Ann. MCXII. Baronio & ſuis inviſiſſimus. His accedunt rerum Normannicarum ſcriptores, *Gaufridus* à Malaterra, *Guil. Appul.* aliique: atque etiam in cauſa Berengarii ſcripta bene multa, ſcil. ipſius *Berengarii*, & ejus adverſariorum, *Lanfranci* Cantuarienſis, *Anſelmi*, multis ſcriptis clariſſimi, *Durandi* Thoarnenſis Abbatis, ſcripſit de *Corpore & ſanguine Chriſti*, *Deodwinus* Leodienſis de eodem argumento, *Guitmundus*, ex monacho Cardinalis, de Veritate Corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, *Algerus* Leodienſis, ſcripſit libb. III. ejuſdem argumenti. Hoc æquior exſtitit *Adelmannus*, ex Scholaſtico Leodienſi, Epiſcopus Brixienſis, ſcripſit Epiſtolam ad Berengarium de *Verit. Corporis & ſanguinis Chriſti.* In cauſa

Henrici IV. *Benno* Cardinalis, de *Vita & geſtis Hildebrandi*, præteritus à Baronio, Bellarmino aliiſque. In cauſa Canonum & conſuetudinum Eccleſiæ, *Anſelmus* Lucenſis Epiſcopus, *Deus dedit* Presbyter Cardinalis, *Yvo Carnotenſis*, collegerunt in faſcem Canones. Vid. Cl. Frater Gerhard van Maſtricht, in *Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici*. Nec prætereundi, *Fulbertus* Carnotenſis Epiſcopus, Berengarii præceptor, edidit Epiſtolas, Tom. III. *Biblioth. M. Patrum*, *Petrus Damiani*, ex monacho Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, *Humbertus* Cardinalis, cujus ſcripta habes Tom. IV. M. Patrum. Sub ſeculo XII. ſcriptores Eccleſiaſtici, cum in Occidente, tum in Oriente: in Latinis quidem, plerique fuerunt monachi, vel Abbates, vel Præſules, quorum indices proſtant apud Trithemium, Balæum, Poſſevinum, Magdeburgenſes alioſque. Tractant, alii quidem res *Theologicas* & morales, alii *hiſtorias*, alii Canones & Conſtitutiones Eccleſiaſticas, alii *Legendas* Sanctorum, alii hæreticis adſcripti. Hos ſingulatim repræſentare, compendii noſtri brevitas non permittit: attingendi tamen ſunt, *Rupertus* Tuitienſis Abbas, commentator in Scripturas, eruditus, nec favens Transſubſtantiationi, *Petrus Mauricius*, Cluniacenſis Abbas, venerabilis dictus ob doctrinam & mores, in *Epiſtolis* ingenuus corruptionis Papalis & Clericalis caſtigator, *Bernardus*, ex Ciſtertienſi monacho, Abbas Claræ-vallenſis, Eugenii III. præceptor, fax fulgens in tenebris Papatus, in Scripturis tractandis multus, in meditationibus ſublimis, in doctrina de gratia eximius, in accuſandis Papis, Monachis, Clero univerſo ac ſuperſtitionibus variis, vehemens, ſubcredulus tamen, cumprimis in cauſa Abælardi, atque etiam ſuperſtitioſus, pro more monachatus & temporum, Baronio ad A. MCLIII. fundator CLX. monaſteriorum, canoniſatus ab Alexandro III. *Hugo de S. Victore*, monachus Victorinus, Sectator Auguſtini, commentator ad Scripturas, *Petrus*, *Blaſenſis* patria, ſub Alexandro III. cujus varia exſtant, & inter ea Epiſtolæ, quibus *Babilonem* ſui temporis, ejuſque corruptionem, ſtylo ſublimi perſtringit, *Johannes Sarisberienſis*, Carnotenſis Epiſcopus, Adriano IV. familiaris, in ſuo *Polycratico* & paſſim, tyrannidem Papalem & Clericalem libere caſtigavit, *Joachimus Abbas* Ciſtertienſis, quem Baronius, quia multa ſcripſit in Pontifices, & Antichriſtianiſmum Eccleſiæ, *Pſeudo-Prophetam* nominat. Taceo *Petrum Cantorem*, Pariſienſem, cujus feruntur *Summæ* in Scripturas allegoricæ, *Petrum Collenſem*, *Anſelmum* Havelbergenſem, *Ernolphum*, Epiſcopum Roffenſem, *Petrum Pictavienſem*, alioſque. In hiſtoricis floruerunt *Otto* Friſingenſis Epiſcopus, natus filia Henrici IV. Imp. Chronographus inſignis & ingenuus, ſcriptor rerum Friderici Barbaroſſæ, inviſus Baronio & Papicolis, *Florentius Bavenius*, Vigornienſis monachus, in *Chronico* Sigebertum imitatus ad A. MCXVIII. Inter ſcriptores Anglos, ſunt *Guil. Malmesburienſis*, monachus Benedictinus, hiſtoricus inſignis Balæo & Uſſerio, item *Simeon Dunelmenſis*, *Galfridus Aſaphenſis*, *Rogerius Hovedenus*, *Henricus Huntingtonenſis* & alii. Adde ſcriptores Belli Sacri, v. g. *Guil.* Tyrium Archiepiſcopum in *Geſtis Dei per Francos*. Res *Schlavonicas* ſcripſerunt *Helmoldus* Presbyter orſus à Carolo M. Res *Normannicas*, *Guilielmus Gemiticenſis*, monachus: Res Bohemicas, *Coſmus* Pragenſis. Vitas Sanctorum ſuperioris ſeculi, v. g. *Hugonis* Cluniacenſis, *Hugonis* Grationopolitani; *Anſelmi* Cantuarienſis, *Thomæ* Cantuarienſis, *Bernardi* Claræ-vallenſis &c. ſcripſerunt monachi ſuperſtitioſiſſimi, apud Surium, Baronium alioſque paſſim obvii, innumeri fere. In *Oriente*, cauſam Græcorum adverſus Latinos, tutati ſunt, cumprimis *Johannes Zonaras*, monachus, ſcriptor *Annalium*, ab orbe condito ad Alexium Comnenum, *Euthymius* Zigabenus monachus, ſcripſit *Panopliam* contra hæreſes, aliaque contra Latinos, *Euſtathius* Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, vir doctus, commentatus eſt in Homerum & Dionyſium Periegetem, huic coævus fuit *Johannes Tzetzes*, Scholiaſtes inclytus, *Theodorus Balſamon*, Patriarcha Antiochenus, *expoſitione Canonum* omnium notus; ſed inviſus Baronio & aliis Latinis, *Michael Glycas*, Siculus, ſcripſit hiſtoriam Græcam ab orbe condito. *Conſtantinus Manaſſes*, edidit *Breviarium* hiſtoriæ, ab orbe condito. *Anna Comnena*, Alexii Comneni Imp. filia, deſcripſit res Patris ſui libb. XV. *Johannes Cinnamus*, Annæ continuator uſque ad Alexium Comnenum Juniorem. *Conſtantinus Harmenopulus*, Judex, cujus varia proſtant. *Arſenius* monachus, cujus ſcripta edidit Leunclavius.

Sub ſeculo XIII. ſcripſerunt apud *Occidentem*, præter Scholaſticos, Sententiarios, Summiſtas, Gloſſatores ad decretum, nobis hic prætereundos: *Conradus à Lichtenau*, Abbas Urſpergenſis monaſterii, ſcripſit hiſtoriam à primo Aſſyriorum Rege Belo, uſque ad Fridericum II. i. e. ad A. MCCXXIX. *Matthæus Paris* ſeu Pariſius, S. Albani monachus, ſcripſit hiſtoriam Anglicanam, à Guil. Conqueſtore ad Henrici III. ſeu ad A. MCCLIX. ingenuus & liber in deſcribendâ corruptâ Eccleſiæ Rom. facie, *Martinus Polonus*, ita dictus, ſeu à Patriâ, ſeu ab ejus Archiepiſcopatu Gneſnenſi, ſcripſit *Chronicon* uſque ad ſua tempora, h. e. ad A. MCCLXXXV. in quo res Imperatorum & Pontificum ingenue perſequitur. *Johannes de Voragine*, ex monacho Archiepiſc. Genuenſis, ſcripſit hiſtoriam Lombardicam, ſeu *Legendam Auream*, quæ & *Speculum Sanctorum* dicitur, cujus pudet doctiores e Pontificiis, fertur etiam

etiam Biblia traduxiſſe in linguam Italicam, addidit *Mariale aureum : Vincentius Bellovacenſis*, monachus Burgundus, auctor *Speculi* quadruplicis: doctrinalis, hiſtorialis, naturalis, moralis, ſuperſtitioſiſſimus; *Albertus Stadenſis*, Bambergenſis, forte idem cum Alberto Crantzio, qui ſcripſit *Metropolin*, quæ continet hiſtoriam Eccleſiaſticam, item hiſtoriam Saxonicam & Vandalicam, ſcriptor ingenuus; M. *Paulus Venetus*, ſcripſit res orientales fideliter & ingenue ab Ann. MCCLXXII. *Haytonus Armenius*, monachus, ſcripſit Res Tartarorum, ſed fide monachali; *Alphonſus* X. Caſtiliæ Rex, ſcripſit *Tabulas Alphonſinas*, ab An. MCCLII. *Robertus de Sorbona*, Canonicus Pariſienſis, vix memorandus, niſi quod ab eo collegium Sorbonicum ſuum habeat nomen; *Raymundus Lullus* Catalaunus, à Saracenis in Africa occiſus, nonnullis *Doctor illuminatiſſimus*; ut aliis hæreticus, ſcripſit *Artem Lullianam*, tradendi omnia, per certa nomina, characteres, figuras; *Raymondus Martini*, Catalaunus, itidem, Hebraice & Arabice doctiſſimus, ſcripſit *Pugionem fidei*, contra Judæos & Mauros, quem Pet. Galatinus compilavit, in ſuis de *Arcanis Cathol. verit.* Tacemus, rerum Hiſpanicarum, Gallicarum, Anglicarum, Germanicarum, Hieroſolymitanarum ſcriptores obvios: *Sylveſtrum Giraldum*, *Gervaſium Tilburienſem*, & *Dorovornienſem*, *Rodericum Ximenium*, *Lucam Tudenſem*, *Guil. Nangium*, *Jacobum de Vitriaco*, *Brochardum* & complures alios. Apud *Orientem* hoc ſeculo floruerunt, *Nicephorus Acominatus*, ſeu *Choniates*, ſcripſit Annales ab obitu Alexii Comneni, ſeu ab An. MCXVIII. uſque ad captam à Latinis Conſtantinopolin, ſeu ad A. MCCIV. ſcripſit inſuper *Theſaurum Orthod. Fidei*, adhuc ἀνέκδοτον: *Georgius Acropolita*, magnus Logotheta, legatus à Michaele Imp. ad Concilium Lugdunenſe, Hiſtoriam ſcripſit, à capta per Latinos Conſtantinopoli, ad receptam eandem, ſub Michaele Palæologo A. MCCLXI. *Georgius Pachymeres*, Nicænus, ſub Michaele Palæologo Δικαιόφυλαξ, ſcripſit Hiſtoriam rerum ſub Theodoro Laſcari, & Michaële Palæol. *Johannes Veccus*, Patriarcha Conſtantinop. diu concordiæ cum Latinis reluctatus, tandem ſcripſit pro *unione* cum Latinis, ſalvis tamen ritibus Græcorum: *Georgius Metochita*, Archidiaconus Vecci, edidit Tractatum de Spiritu S. & de concordia cum Latinis. Scriptores contra Latinos, v. g. *Theodorum Laſcaris* Juniorem Imp. *Germanum*, II. *Georgium Cyprium*, *Arſenium*, Patriarchas Conſtantinop. item *Georgium Moſchampar*, Jacobum Jaſiten, *Conſtantinum Acropolitam* Georgii filium, ad ſuum hoc ſeculum revocaſſe ſuffecerit.

Sub ſeculo XIV. ſcripſerunt apud *Occidentem* quidem, *Marſilius de Menandrino*, ſeu *Patavinus*, edidit *Defenſorem Pacis* A. MCCCXXIV. inſcriptum Ludovico Bavaro, quamobrem à Johanne XXII. hæreticis adſcriptus eſt, *Franciſcus Petrarcha*, Florentinus, Canonicus Patavinus, Vir doctiſſimus. Scripſit de *contemptu mundi*, de *vera ſapientia*; *Meditationes in Pſalmos pœnitentiales*, *Epiſtolas familiares*, magnam partem ineditas, ſtylo ſatyrico & aculeato, Babilonem Romanam & Avenionenſem perſtringit: *Hubertus de Caſalis*, monachus, in Scripturis bene verſatus, juxta Trithemium, ſcripſit de *ſeptem Eccleſiæ ſtatibus*, deque hujus reformatione, aliaque contra ſedem Romanam, hinc accuſatus hæreſeos, & damnatus à Johanne XXII. *Johannes Taulerus*, monachus Dominicanus, ſcriptis Germanice concionibus aliiſque practicis notus, veritatis in quamplurimis capitibus, teſtis luculentiſſimus: *Guil. Occam*, monachus Minorita, Nominalium inter Scholaſticos parens, adverſarius Scoti, & Johannis XXII. Pontificis, ſcripſit adverſus ejus Decretales, in duplici cauſa, nim. de omnimoda paupertate Chriſti & Apoſtolorum, hinc & ordinis Minoritici; tum de poteſtate *papali & politica*, pro Ludovico Imp. ad quem cum ſociis confugit, ut ſalvus eſſet à fulminibus Johannis Papæ. Vid. Goldaſtus de *Monarch. Imp. Rom.* Tom. III. *Michael Ceſenas*, Ordinis Minorum Generalis, edidit varios in Scripturam commentarios, paſſim accuſans Antichriſtianiſmum Romanum, & hæreſin Johannis XXII. hinc ab eo hæreſeos damnatus: *Johannes de Pariſiis*, ordinis Dominicani, Doctor Pariſienſis, memorabilis duplici nomine: quod in lib. de *Poteſtate Regia & Papali*, jura Principum tueatur contra Papam, & quod in commentariis ad libb. *ſentent.* pro *Transſubſtantiatione* tueatur *conſubſtantiationem*. Continuator etiam fuit Chronici Naragiaci, uſque ad A. MCCCIV. Scripſiſſe eum inſuper de *Antichriſto*, refert Balæus ad calcem *Cent.* IV. *Nicolaus de Lyra*, ex Judæo Chriſtianus, & Minorita, ſcripſit *Poſtillas* in univerſa Biblia: *Thomas Bradwardinus* Anglus, ex Theologo Oxonienſi, Confeſſarius Eduardi III. item Cancellarius, & Archiepiſcopus Cantuarienſis, obiit A. MCCCL. magnus gratiæ aſſertor, & gratuitæ prædeſtinationis juſtificationiſque, contra ſui ævi Pelagianos. Scripſit libb. *de cauſa Dei*: *Petrus de Alicaco*, Epiſcopus & poſtea Cardinalis Cameracenſis, Carolo VI. Galliarum Regi ab Eleemoſynis & confeſſionibus, ſcripſit de *Emendatione Eccleſiæ* à corruptelis Papalibus, commendavit *Scripturarum* perfectionem, libro edito ſub titulo *Recommendationis Scripturæ*. Conf. Illyricum *in Catalogo*. Alios Scriptores monachos, cauſam Paparum promoventes, ſeu etiam hiſtoricos, ad ſuum hoc ſeculum tantum referimus, inter quos, *Guil. de Nangiaco*: *Albertus de Argentina*: *Johannes de Beka*, Canonicus Ultrajecti-

nus, *Johannes Froſſardus*: *Johannes Vitoduranus* Minorita: *Henricus Knygthon*, Canonicus Anglus: *Simeon Metaphraſtes*, Legendas ſcripſit de vitis Sanctorum fabuloſas. Accedant ſcriptores de Ceremoniis Eccleſiæ Romanæ: *Jacobus Caietanus*, Cardinalis; & *Petrus Amelii*, Senogallienſis Epiſcopus, ut ex eis cognoſcas, ceremonias E. R. in conſecratione Pontificum, Imperatorum, Regum, in Canonizatione Sanctorum: idololatriam in feſtis: hoc etiam ſeculo, adhucdum communicatum fuiſſe *ſub utraque* &c. Apud *Orientem* ſcripſerunt, *Nicephorus Calliſti* filius, ſcripſit hiſtoriam Eccleſ. libb. XVIII. Græca ſæpe fide: *Theodorus Metochites*, magnus Logothetes, ſub Andronico Seniore. Multa ſcripſiſſe fertur, maxima parte inedita, & inter ea, *ſacram hiſtoriam*: *Nicephorus Gregoras*, ſcripſit Hiſtoriam Romanam non ineleganter: *Joh. Cantacuzenus*, ex magno domeſtico Andronici Junioris, tutor filiorum ejus, mox Imperator, dein monachus, Hiſtoricorum hujus ævi fere Princeps. Scripſit Hiſtoriarum libb. IV.

3. Regimen Eccleſiæ, ſub ætate N. T. quinta.

Ad propagationem ædificationemque 3. nil profuit; ſed obfuit potius *Regiminis Eccleſiaſtici* ſtatus, ſub quinta hac ætate, idem fere qui prioris ætatis. Niſi quod ſeculo XI. Pontificiæ tyrannidi, egregie invaleſcenti, acceſſerit 1. *dignitas Cardinalitia*. Auditi quidem Cardinales ſunt, jam tum ſub ſeculis VIII. & IX. Sed Epiſcopis adhuc, dum non multum ſuperiores auctoritate, juxta Genebrardum Chronographiæ lib. IX. aſt ſub hoc ſeculo XI. iſtud ἀξιώμα acceperunt, quo jam eſſent quaſi *Cardines mundi*, aut *Cardini* Papæ, quo cætera moverentur, vicinius adhærentes. Hujus primum exemplum proſtat, ſub Johanne XVIII. quando unum e Cardinalibus in Galliam miſit, qui teſte Glabro, *Romani Pontificis auctoritate aſſumpta*, res perageret: tum ſub Benedicto IX. quando Legati Bohemorum, ſibi *Cardinales* mitti petebant: porro ſub Leone IX. ſub quo primus ſeculi princeps legitur Cardinalis factus, ſcil. Fridericus Lotharingiæ Ducis filius: inſuper ſub Nicolao II. in Concilio Lateranenſi Ann. MLIX. ſtatutum, ut electio Rom. Pontificis in *poteſtate Cardinalium Epiſcoporum eſſet*, qui deinde *Clericos Cardinales* adhiberent, tum *Clerum & populum*; ſed hos tantum in *conſenſum novæ electionis*. Quamvis paulo ante, Romani juraſſent Henrico Imp. nullum ſe Pontificem *electuros* aut *conſecraturos*, niſi ex nutu Principis: adhæc ſub Alexandro II. & Gregorio VII. confirmatum hoc jus Cardinalibus fuit, jamque haberi cœperunt *Collaterales* & *Coadjutores* Papæ, ejuſdemque q. *oculi*, *lucernæ*, *candelabra*, conferendi *cum* VII. *oculis unius lapidis*, nondum tamen *Presbyteri & Diaconi* Cardinales, in hanc ſocietatem admiſſi ſunt. Hinc & legationibus fungi cœperunt, aſt gratis *legati à latere* dicti feruntur. Acceſſerunt 2. novi *monachorum* ordines, ad ſuffocandam potius, quam ad propagandam & ædificandam Eccleſiam nati. Quales ſunt, α. *Humiliatorum*, ſic dictorum quod à Friderico Barbaroſſa, ex Italia in Germaniam traducti, exilii diuturni tædio fracti, albis induti, veniam ab Imperatore petierint, eaque impetrata, ſub Benedicti regula, in clauſtrum conceſſerint, in quo viri ſeorſim à fœminis viverent. Factum hoc An. MXVII. β. *Jejunantes* A. MXXX. Fingebant ſibi cœlitus revelatum eſſe, ut jejunium in pane & aqua, ſingulis feriis ſextis celebrarent. γ. *Vallis umbroſæ* ordo, à loco ſolitario *Vallumbroſa*, inter Camaldulum & Florentiam, ſic dictus, à Joh. Gualberto Florentino inſtitutus A. MXXX. δ. *Grandimontenſes*, ad regulam Benedicti, à Stephano quodam, in aliquo Aquitaniæ monte, ſylvis denſo, inſtitutus ordo, inde dictus fertur, quod fratrem quendam vox cœleſtis ter juberet, adire grandem montem, & ibi Religionem exercere A. MLXXVI. ε. *Carthuſiani*, à Carthuſia ſylva prope Gratianopolin appellatus ordo. Inſtitutus à Brunone Colonienſi, Rhemenſi Canonico, Philoſophiæ Profeſſore Pariſienſi, quod Collega ejus defunctus, cum efferretur, erigens ſeſe, triſti querela exclamaſſet: *juſto Dei judicio accuſatus & damnatus ſum*, quod tamen ipſe Joh. Launoius Pontificius pro fabula habet. Natus ordo A. MLXXX. Hoſpin. de Monach. lib. V. ζ. *Ciſtertienſes*, à loco in Burgundia Ciſtertio, dicti, prodierunt Ann. MXCVIII. Auctore Roberto Abbate, qui ubi videret cum XXI. fratribus reliquorum laſciviam, inde fugerit, & rigidiorem vitam ſub regula Benedicti elegerit, a veſtitu etiam *Griſei* dicti. Et hi poſtea a Bernardo, monaſterii primo Cœnobita, poſt Abbate Claræ-vallenſi; *Bernardini* appellati ſunt, præ reliquis in Europa ordinibus, maximæ dignitatis & opulentiæ; etiam a jurisdictione Epiſcoporum ſe exemtos ferunt. η. Ordo Canonicorum *Regularium*, a *ſecularibus* diſtinctus, nigro pallio & tegmine ſe diſtinguunt. De præcedentiæ jure cum Benedictinis nuper acerrime decertarunt.

Sub ſeculo XII. α. adeo invaluerunt Ciſtertienſes, ut jam A. MCLV. juxta Matthæum Pariſienſem, vel *quingentas* Abbatias numerarent. Nati β. *Præmonſtratenſes* A. MCXX. (poſt Templarios exortos A. MC. de quibus jamjam) dicti a loco *Præmonſtrato*, in Voſago ſylva Diœceſeos Laudunenſis, auctore Norberto, ſub regula Auguſtini, alba veſte, obtentis in hunc finem revelationibus, apud Surium alioſque. γ. Ordines *Militares* & equeſtres, capta jam a Latinis Hieroſolyma. Ubi primus fuit ordo *Hoſpitalariorum*, juxta ſepulchrum Dominicum, ſtructo Xenodochio, a mercatoribus Amalphitanis, excipiendis & fovendis peregrinis, ſpoliatis, defendendis.

contra

contrà Saracenos, addito *Oratorio*, Johanni Eleemosynario (non Euangelistæ) sacrum, unde equites *Johannitæ* dicti, vestibus albis, cruce signatis, qui vero ægrotis, ac nominatim leprosis vacabant, dicti sunt *equites S. Lazari*. Et hi ab exiguis istis initiis, mox ad regiam fere potentiam, armis & donationibus evecti sunt, sub magistris militiæ. In VII. ordines distributi, rursumque in *Sacerdotes*, *Equites & famulantes*, *Rhodii* postea milites, & tandem *Melitenses* ab habitatione, dicti fuerunt. δ. Hunc ordinem imitatus est ordo *Teutonicorum Morianorum*, à nobili quodam Germano, qui Xenodochium condidit Hierosolymis, & mox Oratorium addidit B. Virgini sacrum, qui Hierosolymis pulsi in Boruſſiam migrarunt. Hos mox in Hispania sub Alexandro III. excepit ordo fratrum *S. Jacobi*, sub regula S. Augustini, item ordo militum artis *Calatravæ*, instituente Raimundo Abbate in Navarris de quibus Joh. Mariana de *Rebus Hispanicis*. Hinc ε. nati sunt æmulatione ordines *mendicantes Carmelitarum*, à monte Carmelo dicti A. MCLX. Recollecti ab Aymerico Patriarcha Antiocheno. Qui jactabant, instituti sui auctorem *Eliam* aut *Elisæum*, post Johannem *Baptistam*, & Eliæ revelatam ferebant immaculatam conceptionem B. Mariæ. Secutæ sunt variæ apparitiones B. Virginis, quibus *Scapulare* ordinis institutum fuerit. Reliqui mendicantium ordines, *Dominicanorum*, *Minoritarum*, *& Augustinianorum* Eremitarum, pertinent ad seculum sequens. Porro ζ. *Templarii*, à tempore nativitatis primo loco ponendi, seu fratres *Militiæ templi*, à loco dicti, quod habitarent Hierosolymæ, apud templum Dominicum, ad tutandos peregrinos ab impetu Saracenorum & Turcarum. Vestis eorum candida est cum rubra cruce. Confirmatus eorum ordo fuit, in Concilio Trecensi A. MCXXVIII. exscindendus seculo XIV. Accesserunt tandem η. *Zambonitæ*, seu boni fratres A. MCXC.

Sub seculo XIII. nata fuit monachorum turba, videlicet (1) *Dominicanorum*, alias *Prædicatorum*, quia scil. adversus Albigenses prædicarunt, etiam *Jacobitarum*, à conventu suburbano Parisienſi S. Jacobo sacro, item Fratrum B. Mariæ, ob summam ejus venerationem. Auctor fuit *Dominicus Guſmannus*, Hispanus ingenii, non tam docti, quam cruenti. Sub regula, primo quidem Augustini; sed cui postea novæ accesserunt constitutiones, v. g. *mendicitatis*, *abstinentiæ à carnibus*, *silentii*, *jejunii*. Vestis eorum candida est, super eam pallium nigrum cum scapulari. Etiam ex ordine suo formarunt *milites*, qui persequerentur Albigenses, eorumque fortunas Ecclesiæ vindicarent. Addiderunt *officium inquisitionis*, suo ordini futurum peculiare, atque insuper *Rosarium B. Virginis*, fictis revelationibus ejusdem. Ex eis eliguntur *Magistri S. Palatii*, confessarii in aulis. Tantum eorum fuit incrementum, ut Sabellicus jam tum suo tempore numeraverit 4141. eorum collegia. Publice in Ecclesiis scribebatur, sub Pauli quidem imagine: *per hunc itur ad Christum*; sub Dominici vero: *sed facilius per istum*. Horrendas passim fecerunt Albigensium laniænas. Nati sunt A. MCCV. (2) *Minoritæ*, seu *Chordigeri* & funiferi, Ann. MCCVIII. vix exorti. Auctore Francisco Assisio, quem *Jesum typicum* appellarunt, item *Angelum habentem signum Dei vivi*. Porro *Christi Cancellarium Vexilliferum*, S. literarum plane rudem. Pro regula ipsis est, habitus vilis, tunica sine calceamentis, funis loco cinguli, victus ex solis eleemosinis, aut labore manuum, extrema paupertas, producta jejunia. Familias eorum Hospinianus de Monachis lib. VI. cap. XII. numerat XV. divisi in fratres *Observantiæ* & *Conventuales*, *Minimos*, *Capucinos* &c. Franciscum suum ipsi Johanni Baptistæ præferunt, omnibusque Apostolis. Fraudibus adeo invaluit, ut eorum Generalis aliquando promiserit ccc. millia bellatorum adversus Turcas, teste Sabellio Enn. IX. lib. VI. & IX. Accesserunt (3) *Clarissæ* moniales, à Clara virgine, Francisco familiari, corpus mire excarnificante, inde Divis adscripta ab Alexandro IV. Natus ordo A. MCCXXV. (4) *Vallis Scholarum ordo* A. MCCXVII. adornatus à Professoribus nonnullis Parisienſibus, in Campania (5) *Fratres S. Trinitatis*, seu *Equites de redemptione captivorum* ab infidelibus, ex conquisitis eleemosynis. An. MCCXI. Vestis eorum candida cum cruce. His affinis (6) est ordo *S. Mariæ de Redemptione*, in Hispania natus, auctore Petro Nolasco Gallo. An. MCCXX. circiter (7) *Bethlehemitæ* A. MCCLVII. Ordo in Anglia institutus, vestitu Prædicatorum. (8) *Ordo Bonorum Hominum*, itidem in Anglia natus A. MCCLVIII. Regulæ Augustinianæ, habitus cæruleo (9) *Ordo Flagellantium*, sive *sanguinariæ pœnitentiæ*, natus A. MCCLX. Procedebant in eo viri mulieribus mixti catervatim, & crudeliter se flagellantes. Ordo fanaticus & cruentus aliquando repressus fuit; sed emersit iterum A. MCCCXLIV. & à Carolo IV. ex Germania secedere jussus fuit. (10) *Cœlestini*, Ordo à Petro Murrhone, postea Cœlestino V. Papa, olim Eremita, institutus, à quo nomen obtinet, habitu cæruleo, sub regula Benedicti. A. MCCXC. (11) Ordo *Servitarum*, seu *Servorum Mariæ Virginis*, prope Florentiam in Italia natus, nec sine fictis apparitionibus A. MCCXXXII. aliis A. MCCLXXXII. sequuntur regulam Augustini. Gestant pullam tunicam, cum pallio nigro. His addunt ordines alios. v. g. *Gladiferentes*, seu *cruce gladiatores*, Teutonico ordini insertos A. MCCIV. *Fratres de Armenia*, qui in Angliam venerunt A. MCCLVIII. *Zupphnonnas*, mulieres, quæ comam non detondissent, abrogatas in Concilio Lugdunensi A. MCCLXXIII.

Sub ſeculo XIV. orti ſunt novi Monachorum ordines: α. *Mariæ virginis novi fratres*, diverſi ab ordine *Servitarum*, quem diximus apud ſeculum præcedens, natus A. MCCCIV. β. *Auguſtiniani* Canonici *regulares*, diverſi ab *Eremitis*, quorum origo ſpectat ad An. MCL. tempore Guil. Aquitaniæ Ducis, Bernardi diſcipuli, Vid. Hoſpin. de Monach. lib. VI. cap. 2. Inter quos Auguſtinianos Eremitas & regulares A. MCCCIX. tanta fuit contentio coram Pontifice, num Auguſtini (quamvis hic, nec monachus unquam fuerit; vel regulam monachalem condiderit) habitus niger fuerit an albus? ut relegandi fuerint ad pictores & ſtatuarios. γ. *Equites Caligulæ* ſeu *Charterii*, ab Angliæ Rege, in caſtiſſimæ amaſiæ gratiam inſtituti A. MCCCLI. item *Equites ſtellæ*, à Galliarum Rege inſtituti A. MCCCLI. δ. *Brigittæ* ſeu *Salvatoris ordo*, à Brigitta Regina Sueciæ A. MCCCLX. inſtitutus, conſtans ex viris & fœminis, connexa habitatione; ſed contiguis conventibus. Ex ficta revelatione, regulam ſuam Brigitta appellabat *regulam Salvatoris*, ſub habitu griſeo & laneo, fratribus XII. pro numero Apoſtolorum, ſub uno etiam Confeſſore Generali, cum Abbatiſſa. Vetant quicquam poſſidere: pecuniam tangere: è conventu unquam egredi. Matrem ſecuta eſt filia Catharina, quæ *Catharina Suecica* dicitur, vidua quidem; ſed intacta viro, cum Brigitta, ejuſque VIII. liberis, Sanctis adſcripta. ε. *Hieronymiani* Eremitæ, à D. Hieronymo quidem denominati; ſed vix ante A. MCCCLXV. exorti in Hiſpania. Vid. Hoſpinianus aliique. ζ. *Fratres ſtrictioris Obſervantiæ*, diſtincti à *Conventualibus*, ſub regula Franciſci, ex qua nati ſunt, *Minimi*, *Capucini*, *Collectanei* aliique. Wadding in *Annalibus Minoritarum Tom.* 2. Orti videntur A. MCCCLXV. η. *Jeſuati*, dicti à frequenti uſurpatione nominis Jeſu. Deſiit tandem in *Jeſuitarum* ordinem; ſed plane diverſum. θ. *Ablati* A. MCCCXCIX. linteis albis circumvoluti, collecti à Presbytero quodam Italico, deplorabant rerum humanarum ſtatum, temporum calamitatem, mortalium pravitatem. Sed Bonifacius IX. fraudem veritus, fecit ut cœtus ille hominum confeſtim ſolveretur. ι. *Begardos*, *Fratricellos*, *Baginas & Beguttas*, Minoritici ordinis propagines, quæ ſe & *Sorores pœnitentiæ* appellabant, nominaſſe ſuffecerit. Imprimis hic commemoranda *Templariorum*, quorum ortum diximus apud ſeculum XII. miſeranda & infanda ruina, procurata avaritia, rapacitate & immani crudelitate Philippi IV. Galliarum Regis, & Clementis V. Pontificis Rom. Qui ipſis, exteſtimonio duorum tantum nebulonum, per infandum ſcelus, infanda ſcelera impegerunt, v. g. 1. quod in ipſa proceſſione, oſcularentur Præpoſiti ſui umbilicum & pudenda. 2. Quod Chriſtum, Mariam & Sanctos omnes abnegarent, ordinem ingreſſi. 3. Quod ter imaginem crucifixi conſpuerent. 4. Quod caput idoli, neſcio cujus, fœde conſperſi ſanguine & adipe, infantis utero materno excifi, latriæ cultu adorarent. 5. Quod nefaria & averſa libidine, omnes ſe impune polluerent. 6. Quod rem divinam facientes, conſecrationis verba omitterent. 7. Quod ordinis Magiſtrum peccata omnia eluere poſſe plenaria abſolutione perſuaderentur. Hinc abſque ullo legitimo juris proceſſu, utcunque proteſtantes de ſua innocentia, Templarii omnes, condicta die, per univerſam Galliam, in vincula conjecti A. MCCCVIII. uno item die in Anglia A. MCCCVIII. diriſſimis tormentis ad confeſſionem coacti, agminatim lento igne cremati, nullo veniæ aut miſericordiæ loco, quantumcunque ſuam innocentiam obteſtarentur, & imprimis etiam Ordinis Magiſter Jacobus Mola Burgundus, vi tormentorum primo faſſus Pictavis, coram Pontifice & Rege, exſecranda ſui ordinis, dein Pariſiis ad rogum ductus, revocata priore confeſſione, eaque *impietatis & ſacrilegii* damnata, lento igne exuſtulandus, inter extremas voces, *Clementem* V. *intra quadrageſimum diem ad tremendum Dei tribunal* evocaſſe fertur, intra quem diem, etiam animam ſceleratam exhalavit Clemens. Ut non immerito Papirius Maſſonius, *Annal. Francorum* lib. III. pronunciet: *Templarios*, ſi reſpiciamus, *ad impiam accuſationem*, *& inſontium ſupplicia*, *& everſionis modum*, *fuiſſe injuria everſos*, *Regem certe impium*, *& Pontificem inclementem*; *nec mitiorem ſententiam dicere poſſe lectores.*

Seculo XV. nati feruntur (1) Ordo *Mauricianorum* A. MCCCCIX. (2) *Ambroſiani ad nemus*, ſub regula Auguſtini A. MCCCCXXXIII. Mediolani confirmati. (3) *Equites Lunæ* A. MCCCCLXIV. à Duce Angium privilegia conſecuti. (4) *Equites aurei velleris* A. MCCCCLXXVII. à Philippo Bono Burgundiæ Duce inſtituti. (5) Addamus A. MDVI. natum ordinem *Indianorum*, Carmelitarum propaginem.

Nec monachis multo plus, ad propagationem ædificationemque Eccleſiæ, contulerunt 4. Concilia hujus ætatis per ſua ſecula, niſi quod nonnulla, bonæ cauſæ, adverſus tyrannidem & ſuperſtitiones papales, patrocinata deprehendantur. 4. Concilia ætatis quintæ N. T.

Seculi XI. Concilia occupata ferme fuerant, circa (1) *ritus* eccleſiaſticos, circa jejunia, feſta Aſcenſionis & Pentecoſtes, an expedirent? circa abſtinentiam certis diebus à carnibus & vino, aliiſque ſuperſtitioſis (2) *Cœlibatum Clericorum*, eum acerrime urgente Curia Romana in Concilio Moguntino A. MXLIX. ſub Leone IX. obnitentibus paſſim Eccleſiis, & Clericis, per Germaniam, Britanniam. Illyr. in *Catal. Teſt. Verit.* lib. XIII. (3) *Euchariſtiam* & Transſubſtantiationem, contra Berengarium fuit Concilium Romæ A. ML.

Brionæ

Brionæ, Vercellis, eodem fere tempore rursus Romæ A. MLXXIX. in qua Berengarius recantavit, & in gratiam à Gregorio receptus est. (4) *Electionem* Pontificum, abjudicatam Imperatoribus, in Conciliis, Mantuano A. MLIX. & Romanis variis sub Nicolao & assertam sibi ab Imperatoribus. (5) Causam *Hildebrandi & Henrici* IV. Imp. habita sunt Concilia, Wormatiense A. MLXXVI. & Brixiense A. MLXXX. (6) *Jus investituræ*, à Pontifice usurpatum, contra Simoniacam labem, ut loquuntur: item depositionem Episcoporum, & Paparum usitatam hoc seculo. Huc spectant Concilia, Sutrinum A. MXLVI. Basileense MLXI. (6) *Causam Orientalium* & Michaelis Cerularii contra Leonem IX. (7) *Conjugalia*, *divortia*, *gradus* impedientes matrimonium. (8) *Reformandos mores*, instaurandam disciplinam, & reformandam Ecclesiam, varia passim celebrata sunt Concilia, in Gallia, Britannia, Italia. Vid. *Tom. Concil.* & Chronographi (9) Circa *bellum sacrum* habitum Concilium *Placentiæ*, præsentibus legatis Alexii Comneni, mox etiam *Claramonti*, utraque sub Urbano II. A. MXCV. In postremo actum insuper, contra *conjugia* Sacerdotum, *investituras* Principum, pro jejunio *Sabbathi*, cultu Mariæ, communione *sub utraque* &c.

Seculi XII. Concilia eisdem fere causis fuerunt occupata, nisi quod in Gallia potissimum, habita nonnulla fuerint adversus Albigenses & Waldenses, Abailardum, Arnaldum, Gilbertum Porretanum. In Britannia complura fuerunt Concilia, urgente cumprimis Anselmo Cantuariensi, contra *investituras* laicorum, *conjugia* Sacerdotum: nonnulla nominatim in causa *Thomæ Becketi*, Archiepis. Cantuariensis, involantis jura Henrici II. Anglorum Regis, & propterea depositi A. MCLXIV. atque etiam obtruncati Cantuariæ à militibus A. MCLXX. Nonnullaque quoque habita fuerunt, occasione contentionum de *præcedentia* jure, inter Archiepiscopos, Cantuariensem & Eboracensem, v. g. Westmonasterienſe A. MCLXXVI. in quo Eboracensis sede sua deturbatus, Romam appellavit; dum interim Cantuariensis titulum Primatus Roma obtineret. Memorabilia imprimis sunt tria *Lateranensia*, quæ pro universalibus habent Romanenses. Horum *primum* extitit A. MCXXII. Henrico V. Imp. & Calixto II. Pontifice, vulgo IX. universale, Episcoporum circiter CCC. In hoc *jus investituræ* per annulum & baculum, remissum fuit ab Imperatore, Regalibus tamen sibi reservatis. Condidit Canones XXII. in quibus definitus quoque fuit Clericorum cœlibatus, aliaque. *Secundum* Lateranense fuit A. MCXXXIX. Conrado III. Imp. Innocentio II. Pontifice. Vulgo X. Universale, Episcoporum fere mille. Canones condidit XV. quibus *a.* damnata sunt acta Anacleti II. tanquam Pseudo-pontificis. *b.* Damnatus item Arnaldus de Brixia, discipulus Pet. Abailardi & Petri de Bruis, quod Brusii errores sectaretur. *γ.* Damnatæ sunt investituræ Laicorum, matrimonia Clericorum & Monialium, atque etiam omnis jurisdictio secularis, in Clericos Monachosque. sacrilegium dicitur, & anathemate feritur. Tertium Lateranense fuit A. MCLXXIX. Friderico I. Imp. Alexandro III. Pontif. vulgo XI. Universale, Episcoporum CCLXXX. vel juxta Guil. Tyrium CCC. institutum potissimum, ad prævertenda schismata Antipaparum, & damnandos Albigenses, sub nomine Catharorum. Decreta hic 1. electio Pontificis per solos Cardinales, si duæ modo tertiæ consentirent. 2. Contra Simoniam, focarias Clericorum &c. 3. Damnatio Albigensium, sub horrendis anathematis. Interfuit huic Nectarius Abbas ex Græcis, eorumque causam adversus Latinos fortiter egit. Præter hæc, in *Oriente* etiam habita sunt Concilia quædam, ex nutu Romanorum Pontificum fere, in quibus eminent duo Constantinopolitana: *alterum* sub *Calo-Johanne* Imp. in causa tollendi dissidii, inter Græcos & Latinos, sed frustra: *alterum* sub Manuele Comneno, occasione otiosarum quarundam quæstionum: an recte *Deus incarnatus* dicatur *offerre simul & offerri?* Quo sensu dicatur; *Pater major me est:* An recte tabulæ Catecheticæ *anathema* dicant in *Deum Mochometis*, quem *nec genuisse*, *nec genitum:* sed ὁλόσφυρον, voce obscura, quasi *indissecabilem*, impostor affirmaret?

Seculo XIII. Concilia habet Tomus XI. *Concil.* cum *nationalia*, tum *provincialia*, Angliæ & Galliæ, Germaniæ, Italiæ, eodem fere collimantia: in Gallia cumprimis Narbonensi & Tholosana, ubi, præter Lateranense IV. actum fuit adversus Albigenses, sub Innocentio III. alia adversus hæreses alias, Waldensium, Guil. de S. Amore, trium Magistrorum Parisiensium, Evangelium æternum, aliorumque de quibus jam ante, item de sumenda cruce, ut S. militiæ obtentu, pecuniæ emungerentur. Alia contra papales exactiones, pro juribus regiis, in Anglia præsertim & Gallia. Alia in causis Pontificum contra Imperatores, Regesque & regna, ut Siciliæ, Angliæ, Arragoniæ &c. Alia in causis monachalibus, post novos ordines & lites inde natas, de præcedentia contendentes. Alia in causa jurisdictionis Clericalis, ac disciplinæ. In his memoranda cumprimis *Generalia*, qualia fere *a. Lateranense* IV. sub Innocentio III. habitum A. M. CCXV. vulgo universale XII. Episcoporum CCCCXII. præter Patriarchas Orientales. Causa obtendebatur Hierosolymæ liberatio ab infidelibus, revera collectio nummorum, subactio Albigensium, Angliæ dominium, transsubstantiatio, auricularis confessio aliaque, in articulos fidei convertenda, omni-

omnipotentia papalis. Canones fabricavit LXX. absque prævia deliberatione Patrum, solo Pontificis nutu, juxta Matth. Parisiensem. Duravit ad summum per XX. dies. β. *Lugdunense* I. Innocentio IV. Pontif. A. MXLV. vulgo universale XIII. reclamante Imperatore, absentibus innumeris. In causa potissimum odium fuit in Fridericum II. prævia citatione anathematizandum, & imperatoria dignitate, regnoque Siciliæ exuendum. Tum in eo subsidium decretum Balduino Imp. contra Vatacium Imperatorem Græcum. Decretæ insuper hic expeditiones *cruciatæ* in Palæstinam. Addit Bzovius *Galerum rubrum* hic decretum fuisse Cardinalibus, item Electores VII. Germanici Imperii hic constitutos fuisse, de quibus tamen nihil prostat in actis. Eaque sessionibus III. & Canonibus XVII. γ. *Lugdunense* II. sub Gregorio X. A. MCCLXXIV. vulgo universale XIV. præsente Pontifice, Jacobo Arragoniæ Rege, D. circiter Episcopis & Michaëlis Imp. legatis, præside Bonaventura monacho superstitiosissimo. Causa fuit reductio Græcorum, & Michaëlis Palæologi captata gratia Pontificis. Determinata igitur hic primo est causa Græcorum, præsente Michaëlis legato præcipuo Georgio Acropolita, item Theophane Nicæno, & Germano antea Patriarcha: tum etiam controversia de processione Spiritus S. Additum decretum de Jure *Regalia* Can. XII. seu contra jus regium fruendi reditibus ac bonis Ecclesiarum, monasteriorum & beneficiorum vacantium. Jacobus Arragoniæ Rex, discesserat statim à sessione II. indignatus, sibi tributum annuum imponi.

Seculi XIV. Concilia Nationalia & Provincialia, passim exstiterunt per Galliam, Angliam, Hispaniam, Germaniam & Italiæ partes, in specie Avenionensia, cognoscenda ex *Tomis Conciliorum*, & Spelmanni Tomo II. Nobilissima horum steterunt pro juribus Imperatorum & Regum contra invasiones Pontificum. Nominatim Parisiense A. MCCCII. Ubi decretum prostat contra Bonifacium VIII. *Quod* 1. *sit Simoniacus, & se Simoniam non posse committere dicat.* 2. *Homicida, usurarius, hæreticus, Epicuræus, Religionis contemptor, incestuosus.* 3. *Anglia Regi concesserit omnes decimas, in subsidium belli contra Francum.* 4. *Stipendio allexerit Saracenos, ad invadendam Siciliam*, juxta Goldastum, & ipsum Pet. de Marca, Archiepiscopum Parisinum. Eodem vergit Concilium Romanum A. MCCCXXVIII. de quo Aventinus Annal. lib. VII. deponens Johannem XXII. eique substituens Nicolaum V. enumeratis Johannis criminibus. Non desunt etiam Synodi seu conventus, adversus hæreses ejusdem Johannis XXII. Nec etiam desunt Synodi adversus Papale schisma, inter Romanos & Avenionenses Papas, quas edidit Lucas Dacherius Tom. VI. *Spicilegii*, in quibus est illud Anni MCCCXCIV. illæ Synodi quæ repræsentantur à collectoribus Pontificiis, in eo fere totæ sunt, ut jura conficta Paparum, tueantur adversus quosvis politicos, nisi quod etiam sanciendis superstitionibus, v. g. circa Missas Marianas, abstinentiam carnium in Sabbatho, erigendis novis Confraternitatibus, reliquiis, indulgentiis, distineantur. Quin & sunt, quæ condemnandis Albigensibus, Waldensibus, Wiclephitis, Hussitis se impendunt, in quibus est Synodus Londinensis, in Wiclephum habita A. MCCCLXXXII. Conf. Spelman. Accedunt plurimæ Synodi, in causa *Templariorum* coacta, per Galliam, Angliam &c. A. 1310. ad literas Clementis V. cum adversus eos pleræque, v. g. Parisiensis A. 1310. tum pro eis, ut Ravennensis, Salamantica, Moguntina, eodem anno. Unum tantum restat, quod pro Universali XV. habetur, nim. *Viennense* in Allobrogibus A. 1311. Procurante Clemente V. prætextu quidem decernendæ *reformationis* Ecclesiæ & *disciplinæ*; sed revera evertendis Templariis destinatum, & suadendæ expeditioni in terram Sanctam. Cum autem everfionem Templariorum obtinuisset; de reformatione Ecclesiæ nullæ constitutiones successerunt. Duratio ejus à quibusdam intra annum restringitur, ab aliis ad biennium extenditur. Apud Orientem etiam non defuere Concilia; sed in causis levioris aut nullius momenti, v. g. Constantinopolitanum A. 1341. super otiosis quæstionibus, agitatis inter Gregorium Palamam & Barlaamum, & Acindynum: num lumen Thaborium, in transfiguratione Christi, creatum fuerit, an increatum, ipsaque Dei gloria? Item sitne discrimen inter Θείαν δόσιν & ejus ἐνέργειαν? Secuta alia apud Constantinopolin, de quibus Nilus de Synodis, Joh. Cantacuzenus & alii.

Seculi XV. Concilia memoratu digniffima, fuerunt α. *Pisanum*, A. MCCCCIX. nulla jam auctoritate Pontificis, solâ Cardinalium, accedente consensu Regum Franciæ, Angliæ, Lusitaniæ, Bohemiæ, Roberto tamen Imp. Gregorio addicto dilationem petente: idem interim secundum *communem Pontificiorum* opinionem, legitimum fuit, teste Antonio Florentino. In hoc sede moti sunt Benedictus XIII. & Gregorius XII. velut *notorie schismatici, & notorie hæretici, à fide devii, notoriisque criminibus enormes, perjuri* &c. juxta latam sententiam, sessione XV. suffecto etiam Minorita Cardinali, Petro de Candiâ seu de Tarantasia, dicto Alexandro V. negotio de *reformando Ecclesia, in Capite & in membris*, suspenso ab Alexandro V. in proximum Concilium. Acta hujus concilii habet Dacherius *Spicilegii* Tom. VI. β. *Constantiense* A. MCCCCXIV. per triennium cum dimidio durans, indictum à Johanne XXIII. expetente Sigismundo Imp. Johanne tamen ipso mox depositio Sess. XI. & XII. Obtendebatur depositio nefarii Pontificis Johannis & Antipaparum Benedicti

dicti XIII. & Gregorii XII. item reformatio Ecclesiæ, *tam in Capite, quam in membris*, porro *potestas Conciliorum generalium*, ut *immediate* profecta *à Christo*, & quidem *supra Papam*, eis subjiciendum, etiam in his *quæ pertinent ad fidem*, juxta Sess. IV. & V. insuper exterminanda hæresis, Hussi & Hieronymi Pragensis, Wiclephitarum & Bohemorum: tandem & prohibitio calicis in communione Laicorum. Vera interim ejus convocandi ratio fuit, suppressio nascentis apud Bohemos reformationis, qui calicem sibi petebant, & Sacerdotii elevatio supra laicos. γ. *Senense*, se universale appellans A. MCCCCXXXIII. Martino V. Papâ, Senas à Martino translatum ex causâ pestis. Actum hîc de reformatione Ecclesiæ, item de reducendis ad unionem Græcis. Ast brevi solutum fuit Concilium, reservatis omnibus, loco & tempori oportuniori, nisi quod Martinus in literis suis diceret, se intendere, reformationem *prosequi & finire in omnibus suis membris*, tacens interim de *Capite*. Tom. Concil. XII. δ. *Basileense* universale, indictum Martino V. mox cessuro Eugenio IV. electo ante primam ejus Sessionem MCCCCXXXI. Ejus Acta adsperfit *Fasciculo* suo *rerum expetendarum* Æneas Sylvius, postea Papa. Intendebat 1. *Reformationem generalem Ecclesiæ*, quam decreverant Pisani, Constantienses & Senenses. 2. Confirmationem potestatis Concilii generalis supra Papam: Sess. II. unde statim secuta est dissolutio per Eugenium IV. 3. Abolitionem *Annatarum*, quas introduxissent Pontifices. 4. Confirmationem *Pragmaticæ Sanctionis*, contra usurpata à Pontificibus jura. 5. Illaqueationem *Bohemorum*, & oppressionem *hæreticæ pestis*, Sess. III. inde invitatio ad Synodum, & ad hoc *salvus conductus*. 6. Revocationem *Græcorum* ad unionem cum Latinis. 7. Confirmationem variarum superstitionum, de *immaculata conceptione* Mariæ, de festo ejus *Conceptionis*, item de festo *Visitationis* ejusdem. Sess. XXXVI. & XLIII. Duravit, volente nolente Eugenio cum suis, usque ad A. MCCCCXLIII. & electum Felicem V. transferendum ex decreto in urbem *Lausannam*, prorogato tantum Basileensi conventu, A. MCCCCXLIX. Proscindunt equidem hoc Concilium Papani, velut schismaticum & hæreticum, illudque fœdâ retractatione abolitum cupivit Pius II. antea Æneas Sylvius, & damnavit Lateranense V. Asserit tamen ejus auctoritatem Joh. Launoius Doctor Sorbonicus in *Epistola* ad Ludovicum Maresium, Parisiensem Theologum. ε. *Florentinum*, generale Latinis, indictum invitis Basileensibus ab Eugenio IV. A. MCCCCXXXVII. Prætextu quidem procurandæ *unionis* cum Græcis, quam etiam impetratam falso jactant Romanenses, contradicentibus Laconico Chalcondylâ, Georgio Phransa, aliisque, editis scriptis adversus Synodum Florentinam, ipsisque Græcis, quando Isidorum Rhuthenum in vincula conjecerant, Metrophanem Cyzicenum (cum aliis legatis) ut invasorem, latronem, Matricidam damnârunt in Synodo Hierosolymitana A. MCCCCXLIII. datis etiam querulis literis ad Imperatorem Græcum, quibus ipsum à subdola & mendaci unione, ad antiquam Græcorum fidem revocare studuerunt: vero Eugenii scopo existente, ut Concilium Basileense disturbaret. Capitula hujus Concilii occupantur fermè, circa primatum Papæ, ignem purgatorium, processionem Spiritus S. &c.

Seculi XVI. inchoati, duo successerunt Concilia, sibi invicem adversa, utrumque inter *universalia* relatum, nempe *Pisanum* alterum universale, vulgo *Conciliabulum* A. MDXI. congregantibus Cardinalibus primariis, consensu Maximiliani I. & Ludovici XII. contra Julium II. Pontificem, idque juxta facultatem Cardinalibus datam, ac juramento firmatam ab ipso Julio, *si Concilium generale intra biennium à creatione non indiceret*, quod revera non indixit. Unde Synodus Pisana, inter alia Sess. VIII. A. MDXII. Julium ab *omni administratione Pontificatus, tam in spiritualibus, quam in temporalibus*, suspendit, ac Basileensia decreta confirmavit: alterum Lateranense V. A. MDXII. indictum, à Leone X. continuandum, ubi denuo frustra expetita est reformatio.

Plus 5. ad propagationem & ædificationem Ecclesiæ, sub ætate quintâ contulissent Scholæ, passim apertæ, ni corruptio temporum & Ecclesiæ obstitisset. Eas ordine nativitatis sic repræsentamus: (1) *Montispessulana* in Gallia, fundata à T. Philippo II. Galliarum Rege, A. 1196. (2) *Neapolitana* à Friderico II. privilegiis ornata A. MCCXV. postmodum à diversis, diversis temporibus instaurata. (3) *Patavina*, in odium Honorii Papæ, & contumeliam Bononiensis Academiæ, à Friderico II. erecta, qui illuc privilegia Bononiensium transtulit, Urbano IV. post XL. annos comprobante. Nonnulli tamen hanc à Carolo esse conditam ajunt. Vulgo tamen refertur ad A. MCCXXI. (4) *Ferrariensis*, itidem à Friderico II. in contumeliam Bononiensium instituta, & ab Urbano VIII. comprobata. Hanc tamen Volaterranus dicit Ann. MCCCVI. à Ferrariæ Principe Alberto fundatam. Vulgo refertur ad A. MCCXXI. (5) *Biturienſis* A. MCCXVII. à Ludovico Sancto, & Carolo Ludovici XI. fratre, instituta. (6) *Conimbricensis* in Lusitania A. MCCCLXXIX. à Dionysio VI. Portugalliæ Rege instituta. (7) *Viennensis* A. MCCXXXVII. à Friderico II. fundata, postea A. MCCCLXI. à Rudolpho, & A. MCCCLXVI. ab Alberto III. Austriæ Archiducibus, restaurata, & ab Urbano confirmata. (8) *Perusinæ* in Hetruria A. MCCXC. florere cœpit sub Nicolao VI. Pont. (9) *Aurelianensis* A. MCCCXII. à Philippo Pulchro Galliarum Rege, & Clemente V. adornata. (10) *Avenionensis*, eodem fere anno videtur

5. Scholæ erectæ ætate V. N.

erecta; cum Clemens V. circa hæc tempora, ſedem Româ Avenionem tranſtulerit. (11) *Cadurcenſis* A. MCCXX. à Johanne XXII. Patriâ Cadurco, in Galliâ ſedente, inſtituta. (12) *Piſana* in Hetruria A. MCCCXXXIX. adornata, quam Laurentius Medices, Petri F. renovavit, & nobiliſſimam quondam urbem, in ſolatium veteris libertatis amiſſæ, novo decore recreavit. (12) *Heidelbergenſis* A. MCCCXLVI. à Ruperto Rufo, Electore Palatino, & Duce Bavariæ, ſub Ludovico Bavaro condita, & A. MCCCLXXXVII. confirmata. (14) *Andegavenſis* in Gallia A. MCCCXLVI. à Ludovico Duce Andegavenſi, Rege Siciliæ inſtituta (15) *Pragenſis*, à Carolo IV. fundata A. MCCCLX. Hanc, cum Germani gubernarent; Bohemi à Wenceſlao Caroli filio, obtinuerunt, ut ad modum Pariſinæ Academiæ adminiſtraretur. Quo commoti Germani, uno die ſupra duo millia, Lipſiam commigrarunt, novamque ibidem Academiam condiderunt A. MCCCCIX. Bohemis interim ſua iſta adminiſtratio tam feliciter cecidit, ut ductu Johannis Huſſi, qui in ea facile Princeps fuit, ipſis veritas innoteſceret. (16) *Cracovienſis* in Poloniâ. A. MCCCLXIV. à Caſimiro II. Rege fundata, ab Uladiſlao Jagellone A. MCCCC. locupletata eſt (17) *Senenſis* in Hetruriâ inſtituta à Pio II. mirum in modum aucta eſt. A. MCCCLXXXVII. (18) *Colonienſis* A. MCCCLXXXVIII. Auſpiciis Senatus aperta, privilegia Academica accepit ab Urbano VI. à Thomâ Aquinate & Alberto M. celebratiſſima. (19) *Erfurdiana* in Thuringiâ A. DCL. à Dagoberto Francorum Rege fundata, privilegia Academica accepit à Bonifacio IX. ut Theologici in eâ eſſent Doctores A. MCCCCI. (20) *Herbipolenſis* in Franconiâ A. MCCCCII. à Johanne Epiſcopo fundata, poſteriore ſeculo à Julio Epiſcopo inſtaurata. (21) *Salmantica* in Hiſpaniâ, cum, juxta nonnullos A. MCCXL. fuiſſet inſtituta, A. MCCCCIV. inſtaurata, tanta fecit incrementa, juxta Marianam Rer. Hiſpan. lib. II. ut ſuis temporibus numeraverit ſeptem ſtudioſorum millia. (22) *Lipſienſis* A. MCCCCIX. ex diſſidio inter Bohemos & Germanos nata, à Friderico I. Electore Saxoniæ fuit collecta. (23) *Roſtochienſis* A. MCCCCXV. à Johanne & Alberto, Ducibus Megapolitanis, item à Senatu Roſtochienſi, Profeſſoribus Erfurdiâ vocatis, inſtituta eſt, & poſt quadriennium demum ſuam ἀκμὴν conſecuta eſt; at paulo poſt, tumultu in urbe oborto, Profeſſores Gryphis-Waldiam aufugerunt, inde tamen Roſtochium reverſi, hac lege recepti ſunt, ut abſque ſalario juventutem docerent, quod tamen poſtea ipſis liberaliter eſt ſubminiſtratum. (24) *Cadomenſis* in Normanniâ Galliæ, A. MCCCCXVIII. Ab Henrico V. Anglorum Rege eſt aperta. (25) *Dolana* in Burgundia Ann. MCCCCXXVI. à Philippo Bono, Burgundiæ Duce, eſt fundata, poſt LX. annos demum florere cœpit (26) *Pictavenſis* A. MCCCCXXX. à Carolo VII. Galliarum Rege inſtituta eſt, à Joh. Reuchlino & Longolio clariſſima. (27) *Florentina* A. MCCCCXXXVIII. à Coſmo Medices, in Hetruriâ eſt aperta. (28) *Burdegalenſis* in Aquitania. A. MCCCCXLI. reſcripto Eugenii V. inſtaurata eſt, jam à tempore Hieronymi celebris. (29) *Friburgenſis* in Brisgoiâ Ann. MCCCCL. ab Alberto VI. Archiduce Auſtriæ erecta. (30) *Glaſguenſis* in Scotia A. MCCCCLVI. à Boëthio, ſub Jacobo II. privilegia Academica accepiſſe fertur. (31) *Gryphis-Waldenſis* in Pomerania A. MCCCCLVI. ab Uladiſlao IX. conſilio Henrici Rubenovii Conſulis, fundata, à Friderico III. Imp. & Calixto III. Pontif. confirmata, & à Rubenovio primo Academiæ Rectore, dotata fuit, qui tamen paulo poſt, cum ſe opponeret Pomeraniæ Ducibus, in tumultu occiſus eſt. (32) *Baſileenſis*, A. MCCCCLX. occaſione Concilii Baſileenſis, à Pio II. adornata eſt, dum eodem anno *Veronenſis* ſuam celebritatem nanciſceretur. (33) *Conimbricenſis*, quam nonnulli ad annum MCCLXXIX. referunt, alii ad A. MDXXXXVII. alii tamen ad A. MCCCCLXIX. traducunt. (34) *Ingolſtadiana* in Bavaria A. M. CCCCLXXII. à Georgio, inferioris Bavariæ Duce, novo Collegio aucta, cum jam ante Ludovicus Georgii Pater, ei à Pio II. privilegia A. MCCCCLIX. obtinuiſſet. Nec tamen deſunt qui ejus ortum referunt ad MCCCCX. (35) *Tubingenſis*, in Ducatu Wurtembergico A. MCCCCLXXVII. ab Eberhardo Barbato, primo Wurtembergiæ Duce, adornata eſt. (36) *Hafnienſis* in Dania, A. MCCCCLXXVIII. à Chriſtiano I. Daniæ Rege fundari cœpta, à Johanne ejus filio, auctoritate Sixti IV. aperta, à Chriſtiano III. A. MDXXXIX. & Friderico II. egregie dotata eſt. (37) *Aberdonenſis* in Scotia A. MCCCCLXXX. à Guilielmo Elphinſtoun Epiſcopo Aberdonenſi, ſub Jacobo III. fundata, ut habet Boëthius, Gerh. tamen Mercatori ad Alexandrum Regem, ejuſque ſororem Iſabellam, A. MCCXL. ejus origo refertur. (30) *Moguntina*, A. MCCCCLXXXII. à Diethero Comite Iſenburgico, Archiepiſcopo Moguntino, erecta eſt. (39) *Londinenſis* in Angliâ, A. MCCCCLXXXIX. à Johanne Coleto, ſub Henrico VII. fundata eſt. In ea floruerunt Linakerus, Thom. Morus, Polydorus Virgilius &c. (40) *Wittebergenſis* in Saxoniâ A. MDII. à Friderico Sapiente, Electore Saxoniæ, in perniciem hæreſeos Antichriſtianæ, bono omine aperta eſt. (41) *Francofurtana* ad Viadrum in Marchia A. MDVI. à Joachimo I. Electore Brandeburgico fundata eſt. (42) *Eborenſis* in Luſitaniâ A. MDXV. inſtituta eſt.

Propagationi autem Eccleſiæ, quam ſpecioſiſſime obtendebatur 6. *Bellum Sacrum*, quo nim. terrâ S. pellerentur Saraceni ac Turcæ, Chriſtianorum crum- 6. Bellum Sacrum
myriades à tyrannide crudeliſſimorum hoſtium liberarentur: aſt revera animus iſtius belli erat, ut tot exercitibus, Regibus, Principibus, præeſſent Ponti-

Pontifices Romani ut capita ; ut de causis omnibus, inde emergentibus, Judices se constituerent, ut indulgentiis papalibus majus pretium fœnerarentur ; ut Christianos Principes opibus & potentia emungerent ; ut omnipotentia & Monarchia papalis invalesceret, agnoscentibus Mezeræo aliisque. Quemadmodum sexagies centena millia Christianorum, eo bello successive feruntur absumpta. Bellum istud suadere cœperunt Pontifices, jam tum A. MIII. observante Baronio ad annum istum, Num. VI. postea Gregorio VII. ad expeditionem in Orientem, omnes invitante: persuasit autem seculo demum XI. primum Alexio Comneno, accedente cumprimis sub Urbano II. monachi cujusdam Petri Eremitæ, jactata revelatione divina, & ipso etiam Urbano in Concilio Claromontano Ann. MXCV. exhortante Principes, cum plenissima indulgentiarum promissione. Susceptum igitur est A. MXCVI. ab Hugone Magno, fratre Philippi I. Roberto Normanno, Roberto altero Flandriæ Comite, Raymundo Comite Tolosano, Godefrido Bullionæo Duce inferioris Lotharingiæ, cum fratribus suis Balduino & Eustachio &c. cruce signatis, numeratis ad expeditionem CCC. hominum millibus, ejusdem Duce existente Bullionæo, præcedente Henrico IV. Imperatore fortissimo, qui & primus Hierosolymorum muros conscendit A. MXCIX. a. d. XV. Julii. Primordia ejus admodum læta prima fronte apparebant ; occupatis à Bullionæo Nicæa, hinc Antiochia post longam obsidionem, tum plerisque Asiæ provinciis, factisque magnis & cruentis Saracenorum, Persarum & Turcarum stragibus, tandem & Hierosolyma capta, sicut dictum. Hoc tempore Rex Hierosolymorum proclamatus fuit Bullionæus. Sub regno autem Hierosolymorum fuerunt, *Edessæ* comitatus in regione trans-Euphratensi, Principatus *Antiochenus*, Comitatus *Tripolitanus*, maritima *Phœniciæ*, ac Galilæa pene omnis, Arabum vicinis Regulis eidem factis tributariis. Duravit hoc regnum Hierosolymitanum, sub Principibus Christianis, per annos circiter LXXXVIII. ad A. MCLXXXVII.

Seculo XII. ad bellum sacrum accesserunt adhuc quinque expeditiones : *prima* à Balduino I. post obitum Godefridi fratris, in regnum succedente A. MCI. *Secunda* suadente Paschali II. à Balduino II. Comite Edessano, qui successit Balduino I. A. MCXVIII. Et huic porro successit Hugo Comes Andegavensis, Balduini gener, & alii porro, quibus perpetua bella fuerunt cum Saracenis, & varia etiam fortuna, finibus Christianorum aliquando productis, à Palæstina maritima, ad Euphratem usque. *Tertia*, à Wilhelmo Aquitano, & Hugone M. Philippi Galliarum Regis fratre, novo cum exercitu confusissimo, qui in Asia Minore à Turcis circumventus, Tharsi Ciliciæ defunctus est. *Quarta* suscepta fuit, Ducibus Conrado III. Imp. & Ludovico VII. Galliarum Rege, instigante Eugenio III. & Bernardo Clarævallensi. *Quinta* denique, mox à capta per Saladinum Hierosolyma, urgente Clemente III. Pontif. successore Gregorii VIII. auspiciis Friderici I. Ænobarbi, Regumque Galliæ, Angliæ, Siciliæ, & aliorum plurimorum A. MCLXXXVIII. & MCLXXXIX. Declinârunt autem res Christianorum, cum perditissimis eorum moribus, latrociniis, ebrietate aliisque infandis ; tum dissidiis Latinorum intestinis, quibus se invicem Duces confecerunt, cui potenter cooperabatur, mortuo Balduino IV. sine prole, Balduinus V. prioris nepos impuber, Raymundo Comite Tripolitano, & Guidone de Liciniaco inter se contendentibus, qui maritus fuit Sibyllæ, Matris Balduini, quæ diadema regium Guidoni imposuit, ob quod Raymundus, Saladino Ægypti Sultano, suppetias tulit ad Palæstinam occupandam, ipsamque tandem Hierosolymam A. MLXXXVII. Et restituisset rem postrema expeditio, absque tristi fato Friderici Imp. Conf. G. Neubrigensis. Guil. Tyrius, aliique Belli sacri descriptores, & ex his Magdeburgenses Cent. XII.

Seculo XIII. nova accessit expeditio, decreta in Concilio Lateranensi A. MCCXV. & susceptа sub Honorio III. A. MCCXVII. coëuntibus Germanorum copiis, sub Andrea Hungariæ Rege, sub quo occupata quidem fuit *Damiata* urbs, & terror incussus Coradino Saladini nepoti ; sed mox rursus amissa. Hinc nova successit Friderici II. expeditio A. MCCXXVIII. Gregorio IX. Pontifice. Felix illa quidem, recuperata Hierosolyma totaque Palæstina, pactisque induciis cum Saracenis, & futura forte felicior, si non Fridericus, propter injurias Papæ sibi illatas, retractus fuisset in Europam. Memorantur adhuc aliæ expeditiones, v. g. Theobaldi V. Navarræ Regis, & celebrior etiam sub Ludovico IX. Francorum Rege A. MCCXLVIII. rebus initio satis secundis, nisi captus à Sultano Ægypti, prolibertate Damiatam restituere coactus fuisset. Repetita quidem expeditio ab eodem Ludovico A. MCCLXX. sed successu parum fortunato, quando in obsidione Tunetana, peste exstinctus fuit Ludovicus. Pacem tandem redemerunt Barbari à Carolo Siciliæ Rege, Christianorum classe, non una calamitate afflicta, & mox etiam aliis belli sacri omittendi necessitatibus succedentibus. Tandem Christiani Syria tota ac Palæstina fuerunt ejecti A. MCCXCI. Et hic belli sacri finis fuit. Vera igitur veræ Ecclesiæ propagatio, sub hac ætate, fuit in Albigensibus, Waldensibus, Hussitis, omnibusque illis, quos testes dudum adduximus.

Obstiterunt autem propagationi & ædificationi Ecclesiæ, non tam veræ, quam papalis, præter tyrannidem, hæreses, superstitiones, perditissimos

cum Paparum, tum Clericorum, mores, non pa-
Schismata. rum 6. *Schismata* 1. inter Papas & Antipapas, dudum penes Prosopographiam Pontificum Rom. enumerata 2. magnum illud inter Ecclesiam Græcam & Latinam, oriundum ex prætensa Pontificum universali monarchia, cultu imaginum & reliquiarum, processione Spiritus S. aliisque, jam dudum sub ætate præcedenti, ejusque seculis IX. & X. nominatim sub Photio & Ignatio Archiepiscopis Constantinop. fundatum, quod sub hac ætate, egregia fecit incrementa, quando sub seculo XI. invaluit contentio inter Græcos & Latinos, super *Azymis*, in Eucharistia necessariis, super processione Spiritus S. à *solo* Patre, super jejunio *Sabbathi*, super *suffocato & sanguine*, super *barbis* Sacerdotum, super *jejunio quadragesimali* &c. Occasione duarum epistolarum, Michaëlis Cerularii & Leonis Achridami, contra Latinos, & oppositarum, cum Epistolæ Leonis Romani ad Cerularium & Achridamum; tum ejusdem legationis, ad Patriarcham & Imperatorem Græcos, super titulo *universalis* Episcopi, post quam, & Cerularius & Achridamus, auctoritate Pontificis depositi & excommunicati sunt, cum omnibus dissentientibus ab Ecclesia Romana: cum ex adverso, Cerularius, post discessum legatorum Romanorum, excommunicaret Ecclesiam Romanam, scriptis etiam literis ad Pet. Antiochenum, & Patriarchas reliquos, ut eos à communione Romana abstraheret, atque insuper nomen Papæ è Diptychis eraderet, quod continuatum etiam fuit à successoribus Michaelis Cerularii. A quibus adeo roboratum fuit schisma, ut omnes ad concordiam conatus, sequentibus seculis, irriti fuerint.

Sub seculo XII. accesserunt varia dissidia etiam in *doctrina* v. g. de Deo incarnato, de modo unionis naturæ assumptæ, de modo, quo Pater major est θεωρεῶπω, de incorruptibilitate corporis Christi in Eucharistia: dum interim Latinorum errores, ritus, disciplina, jugumque Papale, Græcis obtruderetur, eorumque Sacerdotes in omnibus eis partibus Orientis, ut in Palæstina, Syria, Arabia, quas Latini occuparant, passim ejicerentur, à quibus schisma adeo accrevit, ut tentata sub hac ætate, non semel redunio in fumum continuo abierit. Equidem tentatam ferunt unionem, sub finem prioris seculi A. MXCVII. Urbano II. Papa, præsente Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, cujus tamen hodie nulla apparent vestigia: & si res ita se habuit, absque ullo successu fuit, teste Wilh. Mamesburiensi. Saltem tentata A. MCXII. sub Paschali II. item sub Innocentio II. A. MDXXXVI. Porro sub Adriano IV. & Alexandro III. Manuele Comneno Legatos in Italiam mittente, ad Concilium Lateranense III. & vicissim alii ab Alexandro III. obnitente cumprimis Nectario Abbate, cum Latinis Romæ fortiter contendente, nihil semper aut parum, ad unionem procuratum fuit, id quod Sole clarius fit, ex compluribus Græcorum in Latinos scriptis, v. g. Theophylacti Bulgari, Euthymii Zygabeni, Johan. Zonaræ monachi, Andronici Camteri aliorumque. Unde natæ etiam sunt diriſſimæ Latinorum in Græcos persecutiones, agnoscente Leone Allatio lib. II. cap. XII. Num. II. dum interim plenis buccis factam unionem falso crepat.

Sub seculo XIII. continuatum est schisma, tam quoad Pontificis *Primatum*, quem fortiter rejecerunt Græci, ut patet ex scriptis eorum contra Primatum Papæ, v. g. Theod. Balsamonis, Barlaami Monachi &c. Nisi quod Joh. Veccus cum suis Archidiaconis, Georgio Metochita, & Constant. Meletiniota, ad Latinos defecerint; quam quoad *doctrinam*, *Transsubstantiationis*, *Purgatorii*, *Cœlibatus Clericorum*, *Processionis Spiritus S.* &c. ut patet ex Græcorum Epistolis ad Innocentium III. & Gregorium IX. Nec tollendis diffidiis quicquam valuerunt adhibita molimina, Innocentii III. scriptis in Orientem Epistolis, Gregorii IX. Epistolis, Colloquiis, Synodo apud Nymphæam Bithyniæ urbem, Innocentii IV. missis in Orientem monachis, & imprimis Gregorii X. captata occasione, quam sibi offerebat Michael Palæologus Imp. causis politicis adductus, eo rem deducentis, ut in Synodo Lugdunensi II. jam concordia videretur coiisse transactione quadam: sed quam mox oppugnarunt & retractarunt Græci, adeo ut & Michaëlem Imp. post aliquot annos morientem, velut Apostatam & proditorem, insepultum projecerint, testibus ipsis Pontificiis.

Sub seculo XIV. natum est schisma teterrimum, quinquaginta annorum, inter Pontifices Romanos & Avenionenses A. MCCCLXXVIII. Romanis Italum Pontificem, Gallis Gallum expetentibus. Hinc Itali sibi Urbanum VI. eligunt, quem Cardinales Galli, velut intrusum excommunicant, & Clementem VII. sibi constituunt. Hinc reciproca exstiterunt, Urbani & Clementis anathemata, & quod hic sanctum pronunciaret, ille profanum duceret, Ecclesia interim dubia, quis esset Simon Petrus, quis Simon Magus, nisi quod uterque, publica beneficiorum ecclesiasticorum venditione, aliisque infandis, se Simonem Magum & Antichristum proderet. His duobus defunctis, Urbano ab Italis suffectus est Bonifacius IX. ab anno MCCCLXXXIX. & à Gallis Clementi suo A. MCCCXCIV. Benedictus XIII. inter quos schisma pari vehementia adeo fuit continuatum, ut irritis omnibus in contrarium conatibus, Carolus VI. Galliarum Rex, tandem neutrum pro Pontifice agnosceret, à quo Benedictus decrevit, Carolum ab Ecclesia movere, cujus sententiæ nihilominus acceſſerunt Arragonius R. Leodienſis Reipublicæ Duces & Comites varii.

Sub seculo XV. in schismate successerunt Bonifacio

facio quidem IX. Romæ A. MCCCCIII. Innocentius VII. & hic Gregorio XII. utrique ; & Benedicto, & Gregorio, à Concilio Pisano depositis, suffectus est Alexander V. quando schismate schismati addito, Ecclesia eodem tempore tres habuit Pontifices, tria capita, de quibus ipse Bellarminus *de Pontif. lib.* IV. *cap.* XIV. pronunciat, *non potuisse facile judicari, quis eorum verus ac legitimus esset Pontifex: cum non deessent singulis doctissimi Patroni.* Alexandro etiam jam defuncto, successit Johannes XXIII. quem porro deposuit Synodus Constantiensis, suffecto ei Martino V. Neque tamen vel sic schisma penitus est sublatum, Cardinalibus nonnullis adhærentibus, Alphonso Terraconensi, & post Benedictum senio confectum, Clementi, hoc nomine inter Antipapas VIII. qui primum abdicavit Pontificatum A. MCCCCXXIX. *sicque demum*, ut Spondanus loquitur, *exstinctum omnino est pestilentissimum omnium ac diutissimum schisma, quod perennaverat annis* LI. *minus* LVI. *diebus.* Schisma adeo Ecclesiæ Romanæ probrosum, ut quem illi *Apostolicum*, hi *apostaticum*, imo & *hæreticum*, *latronem*, *Antichristum*, *filium perditionis*, censerent, ut *etiam doctissimi & conscientiosi viri non valerent discutere, cui esset magis adhærendum*, ut loquuntur Nauclerus, & Wernerus in Fasciculo temporum ad annum MCCCLXXIV. à quo tandem neutri Pontifici, novo quodam schismate adhæsisse, Gallum, Arragonium aliosque, dudum memoravimus. Adde schismate papali omnem Europam intestinis bellis, foventibus Papis & Antipapis, fuisse implicatam, indeque insuper natas Guelphorum & Gibellinorum factiones. Historiam hujus schismatis ex professo scribunt, Theodoricus à Niem, non unius Pontificis scriba, libro de *Schismate universali*, Antoninus *in Chronico*, part. III. aliique.

Nihil jam addam de contentionibus schismaticis inter ordines Monachales, sæpe de lana caprina, sitne V. g vestis alba, an nigra sibi usurpanda? inter Franciscanos & Dominicanos, super immaculata conceptione B. Virginis &c. item inter Scholasticos, nominales, reales, quodlibetistas, inter Thomistas & Scotistas &c.

7. Persecutiones sub ætate N. T. quinta.

Efficacius etiam 7. propagationi Ecclesiæ insultabant diris simæ hujus ætatis *persecutiones. Primo* enim nil dicam de crudelitate infidelium, Saracenorum, Turcarum, in Christianos, qua myriades Christianorum passim, cumprimis per Orientem occubuerunt, quam dudum in præcedentibus tetigimus. *Secundo*, nihil etiam de frequentatis Tartarorum, & in his nominatim Tamerlanis, qui flagellum Dei appellatur, & promovendæ superstitionis Muhammedanæ causa, magnam Christianorum vim sustulerunt. Nihil item *tertio* de crudelissimis Paparum persecutionibus in Imperatores, Reges, Principes, utpote quas in recensione Imperatorum & Pontificum dudum observavimus. Nihil porro *quarto*, de horrenda & injustissima Templariorum eversione, procurata potissimum auspiciis Pontificum Romanorum, sicut jam ante diximus. Juvabit saltem *quinto* notasse, Pontificum Romanorum seculo XI. in *Berengarium* & Berengarianos, sub nominibus *Sacramentariorum*, *Petrobrusianorum*, *Henricianorum* persecutiones: quando Pontifices Leo IX. in Synodo Romana & Vercellensi A. ML. Victor II. in Synodo Turonensi, A. MLV. Nicolaus II. in altera Synodo Romana A. MLIX. decretis, anathematismis, incarcerationibus in Berengarium, etiam absentem, eorumque successores, in Berengarianos grassati. Nec prætereunda est *sexto*, diris sima in *Albigenses* persecutio, sub seculo XIII. quando Innocentius III. data Bulla ad Galliæ Præsules, instituto etiam inquisitionis officio, bellum cruentissimum in eos concitavit: hujus vestigiis postmodum institerunt Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. obstetricantibus sanguinariis eorum consiliis, cum Legatis ad Principes, tum monachis, Arnoldo Abbate Cistertiensi, Dominico Hispano, Fratricellis, quorum Antesignanus fuit Guzmannus, ab Innocentio III. A. MCCV. missus in Galliam, incentor Belli sacri, cui accessit Franciscus Assisius cum suis Franciscanis, quando non tantum colloquiis & disputationibus cum Albigensibus actum, jussu Innocentii III. & promissis indulgentiis *omnium peccatorum, inde a nativitate* A. MCCIX. sed susceptæ in eos est expeditio Francorum, cruce signatorum, qua ultra LX. aut LXX. hominum millia ceciderunt, quæ continuata fuit, auspiciis Philippi II. Galliarum Regis, Duce Simone Monfortio Comite, eoque exstincto, Almerico ejus filio, atque etiam Ludovico, Philippi Galliarum Regis filio primogenito, ipsoque tandem Philippo, exercitu cruce signatorum, cum Raymundo Tolosano Comite, Patre & Filio, & assedis Gasconiæ & Bearniæ Proceribus, itemque Regibus Angliæ & Arragoniæ, qui pro Albigensibus stabant, cum exercitu C. millium pugnantibus, stragesque strenue promoventibus, donec tandem Raimundus, missis ad Honorium Legatis, juramentum obedientiæ deponeret in manus Archiepiscopi Narbonensis A. MCCXXIV. à quo tempore Albigenses dispersi sunt in partes Angliæ, Flandriæ, Picardiæ, Germaniæ, Illyrici, Dalmatiæ, Bulgariæ, Croatiæ &c. prodituris suo tempore, ex eis Wiclephitis, Hussitis, Waldensibus. Bellum istud sacrum in Albigenses, ex professo narrant Robertus Antissiodorensis in *Chronico*, Vincentius in *Speculo*, Paulus Æmilius in Philippo &c. Nec hoc bello tantum in Albigenses sæviit persecutio; sed etiam *edicti*, sub odiosis nominibus *Leonistarum*, *Patarinorum*, *Valdensium*, sub Friderico II. Imp. apud Golda-

ſtum *Conſtit. Imper. Tom.* I. Imo & duplici *ordine monachali*, *Prædicatorum* ſeu Dominicalium, & *Minoritarum*, ad hoc potiſſimum inſtitutis, ut hæreticos iſtos ſcil. profligarent, teſte Antonino Chronici part. II. T. XXIII. & crudeliſſimo tandem *Tribunali inquiſitionis*, quod erexit Innocentius III. confirmârunt Honorius III. Gregorius IX. & ſecuti Pontifices, quâ inquiſitione conſtituti ſunt à Papa delegati, qui per Provincias, in hæreticos inquirerent, ita quidem, ut ſola *delatio*, vel accuſatio hæreſeos, accuſatum traderet brachio ſeculari, nullo beneficio, vel *defenſionis*, vel *appellationis*, in promptu autem *torturis*, quibus delati probarentur, tum *pœnis* & communiſſime illa *vivicomburii*, quibus in ita probatos, aut ultro confeſſos animadverteretur, etiam poſt fidem datam, de gratia illis facienda, ſi confiterentur. Hujus fori Inquiſitor Generalis, in partibus Galliæ Narbonenſis, mox conſtitutus eſt, *Dominicus* ille Hiſpanus, poſt eum Fratres *Dominicani*, qui & hodie præſunt inquiſitioni in Italia & Hiſpania. Etiam *Minoritis* ab initio quidem commiſſa fuit inquiſitio, ex edicto Friderici II. Imp. A. MCCXXV. & ex Bulla Alexandri IV. A. MCCLX. edita à Franciſco Pegna, in *Directorio Inquiſitorum. Canones* de *modo* inquiſitionis, vere antichriſtianos edidit Raymundus de Penna-forti, Ordinis Dominicanorum *Generalis* III. probatos à Gregorio IX. & impoſterum relinquendos ſolis Dominicanis. Horrebit animus legiſſe. Succedat *ſeptima* perſecutio, atrociſſima in Johannem Huſſum (ſub ſeculo XV. ſeu A. MCCCCXV. die VII. Julii) Academiæ Pragenſis Rectorem, quem ad Concilium Conſtantienſe ſui Bohemi nunquam dimiſiſſent, niſi ſalvo conductu, cum Imperatorls Sigiſmundi, ſub dato XVIII. Octob. A. MCCCCXIV. tam de abitu, quam de reditu; tum etiam ipſius Pontificis Johannis XXIII. ſua opinione probe ſecurum. Hic tamen, cum vix appuliſſet Conſtantiæ, mox in carcerem eſt conjectus, & non ſemel in Concilio juridice auditus, ad cineres eſt condemnatus, idque modo contumelioſiſſimo, non tantum ejus corpore; ſed etiam ejus animâ, diris devotis: *animam tuam devovemus diabolis inferni.* Idem fatum perſecutione *octava*, mox ſubiit Hieronymus Pragenſis, & apud idem Concilium Conſtantienſe A. MCCCCXV. a. d. IV. Aprilis, quando innocentiæ ſuæ conſcientia, ſponte ad Concilium perrexit; aſt audita perfidia in Huſſum collegam perpetratâ, mox ſe ſubduxit, petiturus ſalvum conductum Imperatoris & Concilii, ſed fruſtra. Hinc in itinere ſuorum proditione interceptus, & detentus uſque ad intimationem Concilii, in Compedes conjectus, & ſic Conſtantiam abreptus, citatus die XVII. Aprilis, catena ferrea onuſtus in conſeſſu apparuit, turba furentium acclamante: *tollite, exurite.* Hinc accedentibus Colonienſium, Heidelbergenſium, paribus vociferationibus, abſque ullo accuſationum documento, ſtatim in teterrimum fœtidiſſimumque carcerem, in quo dies CCCXL. exegit, conjectus eſt, ſic ut pedibus ferro cinctis, nec conſiſtere poſſet, nec recumbere, ſed *ſolo capite, terram pendulus attingeret; pane & aqua* reficiendus. A quo factum, ut fractus miſeria, accedentibus etiam blandis pollicitationibus, die VII. Septemb. retractaret, quicquid juberent carnifices, addito etiam, quod Huſſus jure combuſtus eſſet, cum abjuratione doctrinæ Wiclephi, & profeſſione eorum quæ Romana Eccleſia traderet, idque interpoſito ſolenni jurejurando, à quo non aliud præmium conſecutus fuit, quam mitigationem qualemcunque carceris, e quo protractus A. MCCCCXVI. novis in eum teſtibus, e Germania & Bohemia accerſitis, die XXV. Maji, XI. articulos accuſationis audivit, nullâ impetrata ad eos reſpondendi facultate; uſque ad XXX. d. Maji, quando mira animi præſentia, ſibi objecta diluit, & in accuſatores retorſit. Hinc abjurationem priorem deteſtatus, & in laudes Wiclephi Huſſique effuſus, ſuam pœnitentiam palam conteſtatus eſt, quod in *ſanctiſſimum virum Huſſum minus fuiſſet juſte locutus*, referente Poggio, qui Synodo fuit à manibus, narratione ad Leonardum Aretinum. Iſta omnia tandem ſecuta ſunt, ſententia decretoria, imprecationes, corona Cacodæmonibus picta, exuitio veſtium, ignis lentus, quo exanimatus eſt. Referente, quem diximus Poggio in *Monumentis Huſſi* Tom. II. à pag. 358. Nec tacendum, quod jamjam moriturus adjecerit hæc verba: *Ego vero, poſt fata mea, veſtris conſcientiis ſtimulum infigo & morſum, ac appello ad celſiſſimum ſimul & juſtiſſimum Judicem, Deum omnipotentem, ut coram eo,* CENTUM ANNIS REVOLUTIS, *reſpondeatis mihi,* poſt quos præcise annos, reformatio Lutheri & Zwinglii accidit, & caſus Babilonis. Simile referunt Huſſi vaticinium: *Hodie torretis anſerem* (Hus) *poſt centum annos Cygnus veniet* (Luther) *quem torrere non poteritis*, referente Stumphio in Hiſt. Concilii Baſileenſis, cui eventus exacte colluſit. Addamus *nonam* hujus ætatis perſecutionem, in Hieronymum *Savonarolam*, cœnobii Dominicani apud Florentinos *Priorem*, doctrinâ & morum ſanctitate commendatiſſimum, juxta eos qui vitam ejus ex profeſſo deſcripſerunt, v. g. Joh. Picum Mirandulanum, Marſilium Ficinum, Franc. Guicciardinum, Phil. Cominæum, Abr. Bzovium & ipſum Dominicanum ab Ann. MCCCCXCII. licet falſa veris aſpergentem. Hic, quod ſuis concionibus in Paparum tyrannidem, nominatim in Alexandri VI. turpitudinem, in *abominationem deſolationis in loco ſancto*, & univerſi Cleri diſſolutiſſimos mores, liberius inveheret: quod Epiſtolis Chriſtianos Principes ad reformationem, eoque ad Synodum Oecumenicam provo-

provocaſſet: quod Nobilium Florentinorum, imprimis & Medicæorum ambitionem coerceret &c. in eorum odium incidit, ut cum Alexandro, in ejus exitium conſpirarent, quibus acceſſit Ordinis ſui Generalis cum Francilcanis. Hinc conficta in eum crimina, hæreſeos, Euthuſiaſmi, libidinum: hinc fulmina Papalia Alexandri, incarceratio, torturæ, quibus fractus cuncta de ſe confeſſus, in carcerem retractus, ibidem pientiſſima in Pſal. LI. ſuſpiria conſcripſit, & tandem, cum duobus ſociis, ignis ſupplicio affectus eſt A. M. CCCCXCVIII. Perſecutionibus non abs re connumeramus *decimo*, bellum Bohemicum ſeu *Huſſiticum*, utpote quod non modo ex diriſſimis in Joh. Huſſum & Hieron. Pragenſem, eſt enatum; ſed etiam millenos Chriſtianos Religionis cauſa abſumpſit. Cum enim Bohemi de perfidia in Huſſum & Pragenſem exercita, cum Patribus Conſtantienſibus expoſtularent, cum Bohemia fere tota doctrinam Huſſi amplecteretur, imo & paſſim doctrina Huſſi proſeminaretur, in Scotiam uſque, ubi Paulus Cravius Bohemus, apud fanum S. Andreæ A. MCCCCXXII. ob Huſſi doctrinam, crematus legitur apud Balæum, cumque ob Martyrium Huſſi & Hieronymi ſui, in auctores monachos, paſſim (ſatisne juſto zelo, jam non dico) ſævirent, & querelas abrepti ſibi in Euchariſtia Calicis adderent, & Martinus V. anathematum excommunicationumque fulmina in Bohemos vibraret, atque inſuper Imperatorem, Reges & Principes, in miſeros ad arma concitaret: factum ut Bohemi, conſervandæ ſibi Religionis, vitæ & fortunarum cauſa, vim vi opponere coacti fuerint, & Joh. Ziskam nobilem Bohemum monoculum, ſibi belli Ducem creare cogerentur, hic autem cum prælio Cæſareanum militem adeo profligaret; accidit ut Huſſitæ in partes ſcinderentur, nim. *Thaboritas*, genuinos Huſſi ſectatores, & Calixtinos, qui tantum communionem urgebant ſub utraque ſpecie, cætera cum Romanenſibus ἀμοψήφως, & ipſe etiam Ziska, artibus & pollicitationibus Sigismundi Imp. in partes Calixtinorum concederet, à quo in reliquos, velut Picardos hæreticos, ſæviri cæptum eſt A. MCCCCXXIII. Aſt peſte non diu poſt, confecto Ziska, tertia acceſſit factio *Orphanorum*, qui privati ſuo Ziska, medii quodammodo exſtiterunt, inter Thaboritas & Calixtinos, horum partes ſuſcipiente Joh. Rochezanâ, Concionatore Pragenſi, ambitioſo & verſipelle, Romanenſibus in omnibus accedente, excepto ſolo calice, inito hac lege pacto cum Sigiſmundo, & Archiepiſcopatus Pragenſis ſpe, inde concepta. Nihil interea proficiente, & Sigismundo ſuis armis, & Martino V. ſuis fulminibus, & cruciatis militibus: ad fraudes ſe converterunt, & Bohemos ad Concilium Baſileenſe invitarunt. A. MCCCCXXXII. promiſſa ipſis plena libertate, cauſam Religionis ſuæ ibidem agendi, addito ſalvo conductu, imo & obſidibus, obligantibus ſeſe ad hoc Imperatore, Brandeburgico & Bavaro. Hinc ad Synodum abiere Bohemi, IV. articulos poſtulaturi, ad legem divinam, & praxin Chriſti, Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ, componendos. *Calixtini* quidem, doctore Rochezana, urgebant tantum communionem *ſub utraque*: *Thaboritæ*, duce Procopio, per Wenceſlaum Oratorem ſuum, petebant corrigenda publica delicta, eaque ratione ſcandala tollenda; *Orphani*, per Udalricum Presbyterum, permittendam liberam verbi divini prædicationem; denique Pet. Payne Wiclephita, ex Anglia profugus, exigebat, ſeculare dominium Clericis eſſe abrogandum. Iſta, ex conſenſu inter Bohemos & Baſileenſes, *Compacta Bohemica* ſunt appellata. Super iſtis, cum per L. dies fruſtra diſceptatum eſſet, & Bohemi, quod ſe circumveniri exiſtimarent, ac proinde diſceſſum pararent; delegati ſunt à Concilio in Bohemiam Oratores, qui Scholaſtica ſubtilitate Bohemos circumducerent, mentem Synodi ſuper prædictis capitibus declaraturi, qua declaratione optimi Thaboritæ ſua ſpe dejecti ſunt, & Calixtinis tandem uſus calicis eſt permiſſus, & ſic pax in ſpeciem ſancita eſt, bello pernicioſior, Rochezana ad Archiepiſcopatum evecto. Hinc Procopio Thaboritarum fortiſſimo Duce, à Mainardo oppreſſo, teloque confoſſo A. MCCCCXXXIV. ſecuta eſt horrenda Thaboritarum ſtrages, quando agminatim horreis incluſi, immiſſo igne, barbare exuſti, & prope deleti ſunt. Reliquiis tamen nonnullis in urbe Thabor, ad tempus ſuperſtitibus, qui deinceps *Zelotarum* & *Picardorum* nomine venerunt, à cæteris Bohemis ſejuncti S. Miniſterio, cœtibus & fidei profeſſione: & hi tandem etiam, à Rochezana, titulari Archiepiſcopo ſeducti, obſeſſa & capta urbe Thabor, æternis carceribus, magnam partem concluſi perierunt A. MCCCCXLIV. Ipſi etiam Calixtini, cum Archiepiſcopo ſuo titulari, pallium archiepiſcopale Roma peterent fruſtra, & apud Concilium ſervanda ſibi compacta urgerent, additis novis poſtulatis, de uſu linguæ vernaculæ inter ſacra, reformatione Academiæ Pragenſis, & totius Eccleſiæ reformatione, cum nihil obtinerent; in odia verſus Papam & monachos reciderunt, ac viciſſim Romanenſes in eorum anathematizationes, ut tandem intelligerent, ſi pacem vellent, quod ad Pontificis nutum ſe componere deberent. Hinc Calixtini, & ipſe etiam Rochezana, denuo in Papam velut Antichriſtum detonare, omniaque e fundamentis Apoſtolicis reformanda, clamare cœperunt, accedente ipſis, poſt Rochezanam, Georgio Podebrachio, poſt fata Laodiſlai Regis, ejus ſucceſſore, ſed qui pacem obtinere non potuit, niſi Papæ obedientiam juraret, & *compactis* renunciaret, & in ſpecie etiam

calicis

calici. Veri interim Confessores, vereque *Orphani*, vel suis sedibus pulsi, vel in carceres conjecti, sero se utrinque oppressos senserunt, nim. a Romanensibus hinc, illinc a Rochezana & Podebrachio. Tum Rochezana consilia agitare cœpit, de concordia cum *Græcis*, missis Constantinopolim legatis, receptoque eorum responso, subscribente Gennadio, postea Patriarcha A. M. CCCCLI. Græce & Latine edito, ex Bibliotheca Caroli IV. Imp. Reliquiæ autem Hussiticæ, quæ se Fratres Bohemos appellabant, intercessione Rochezanæ, à Podebrachio Rege, A. MCCCCLIX. impetrarunt, ut sibi liceret secedere in *ditionem Liticensem*, in montanis Silesiæ proximis, ubi omne genus hominum etiam Calixtini, jam Apostolicæ simplicitati propiores, sua disciplina, ordine & institutis gavisi sunt; donec Podebrachius Rex, adhucdum vivente Rochezana, eos sub probrosis nominibus *Picardorum* & *Adamitarum*, impactis etiam per mendacium, atrociissimis scelleribus, atrocissima persecutione, inde rursus deturbaret, unde per montes, sylvas, latebras, speluncas disjecti, ac ne ibi quidem satis tuti, tandem *Jamnicorum*, id est, *Speluncanorum* nomen consecuti sunt. Postea, cum reliquiis quibusdam *Waldensium*, in confiniis Moraviæ & Austriæ, coaluerunt, & commune Waldensium nomen confessionemque acceperunt. Rationem *disciplinæ & ordinis Ecclesiastici*, juxta & *mores institutaque* eorum, descripsit Joh. Lasitius, Nobilis Polonus, & J. Amos Comenius. Conferantur etiam Balth. Lydii Waldensia, & Æneæ Sylvii Epistola contra Bohemos & Thaboritas, quæ est CXXX. scripta A. MCCCCLI. Jam ex omnibus istis, denuo quasi audies voces Martyrum sub altari, anhelantes vindictam sui sanguinis, sub Reformatione jam imminente, & q. videbis *stolas albas*; h. e. gloriam martyrii, quibus jam tum condecorati sunt, & porro decorandi erunt sub ipsa Reformatione.

Ætas sexta N. Testamenti, sub apertura sexti sigilli Apocalyptici.

Apertura sexti sigilli Apoc. VI. 12.

XXXVIII. Hinc recta pergimus ad ætatem N. Testamenti *Sextam*, scil. reformationis, cujus Fata universa, Deus solus dixerit, nos ea à Carolo V. Imp. & Leone X. Pontif. perducemus ad hæc usque tempora, quam sub Emblemate, aperturæ sexti sigilli, describit Apocalypsis Cap. VI. à vs. 12. ad finem capitis: *Et vidi, & cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræ motus ingens factus est, Sol factus est niger, ut saccus cilicinus, & Luna tota facta est, ut sanguis. Et stellæ* &c.

XXXIX. Est in his verbis *Emblema*, quo *status Ecclesiæ* Johanni repræsentatur, sub *apertura sexti sigilli*, seu ætatis sextæ Novi Testamenti, penes quod occurrit

1. Apertura sigilli, & cum aperuisset sextum sigillum. *Hic* aperiens *idem est* agnus, *qui præcedentia sigilla reseraverat*. Sigillum *itidem est* mysterium, *sextæ ætatis*. Apertura *est hujus status revelatio, humanæ menti inaccessa*.

2. Sigillum apertum, *seu visio emblemate significata, habet tremenda Christi judicia, quibus ultus est sanguinem Martyrum sub altari, anhelantium vindictam sanguinis sui, ut dicitur sub finem hujus sigilli:* Quoniam venit ille dies magnus iræ ipsius vs. 17. *mox futuram sub Reformatione, nominatim in Antichristum Romanum, jamjam, tantum non penitus deturbandum sede sua, ex quo terror panicus, terram seu Imperium Romanum obrepserit, qualis fere futurus est, circa diem extremi judicii. Habet particulatim hoc Emblema*

A. Terræ motum *ingentem*: & terræ motus ingens factus est. *Emblema Scripturis usitatum, ad designandas egregias mutationes* Hag. II. 7. 8. 22. 23. Heb. XII. 26. 27. *quales sub Reformatione passim acciderunt, per universum Imperium Romanum, quando idolum Antichristi & idololatria superstitionisque antichristianæ, proturbatum est ex Ecclesia.*

B. Obscurationem Solis: & Sol niger factus est tanquam saccus cilicinus. *Solet hoc & sequentibus signis prodigiosis describi, non tantum extremum judicium* Matth. XXIV. 29—Marc. XIII. 24. Luc. XXI. 25. *sed etiam gravissima Dei judicia, in hac vita exercita, in destructione* Babilonis Jes. XIII. 9. 10. 13. Ægypti Ezech. XXXII. 7—11. hostium Ecclesiæ Joel III. 14. 15. 16. *quibus, procul omni dubio, mystice regnum Antichristianum passim in Apocalypsi figuratur. Nominatim hic per* Solem, *non incommode intelligi possit Pontifex Romanus, qui hactenus in cœlo externæ Ecclesiæ splenduit, jam per Reformationem adeo denigratus, acsi saccum cilicinum induisset.*

C. Sanguificationem Lunæ: & Luna facta est sicut sanguis. Luna *hic non incommode figurare possit* Imperium Romanum, *quod persecutionibus, sub inducta Reformatione, quasi sanguine obductum est.*

D. Stellarum lapsum: Et stellæ cœli ceciderunt in terram. *Emblema acceptum est ex* Jes. XXXIV. 4. Stellæ *notant ministros Ecclesiæ* Apoc. I. 20. *hoc loco signate adumbrari videntur Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates* &c. *qui hactenus, usque ad reformationem, in cœlo ecclesiastico fulgebant, velut astra, velut luminaria magna, quæ per*

per Reformationem ceciderunt, *h. e. vel ſedibus ſuis moti ſunt; vel priſtinam auctoritatem & dignitatem amiſerunt, eoque velut in terram lapſi ſunt. Id quod illuſtratur emphatica ſimilitudine:* ficut ficus omittit groſſos ſuos, à vehementi vento mota. *Intelligitur motus vehemens, perſecutionum, ſub Reformatione concitandus.* vſ. 13.

E. Cœli recedentis inſtar voluminis convolvendi. *Hic per cœlum intelligi poteſt, Eccleſia externa papalis, obſcuranda & quaſi à viſu receſſura, quemadmodum volumen convolutum, viſum & lectionem fugit.*

F. Montium & omnium inſularum, è loco ſuo motarum. vſ. 14. *Significatur univerſalis mutatio, tam in excelſioribus, quam in depreſſioribus, ſub Reformatione, futura: ubi ſacerrima Antichriſtianiſmi ſacra paſſim ſuis locis & ſedibus ſint movenda. Tandem*

G. Horroris generalis & metus panici, *qui cunctos, imprimis Antichriſtianiſmo addictos, ſub Reformatione ſit perculſurus. Per montes nominatim, non inepte intelliges Imperatores, Reges & Principes, quos Romanus Antichriſtus ſuis ſedibus, vel movit, vel movere conatus eſt. Exemplum eſto in Julio* II. *qui Henrici* IV. *proavum Carolum* IX. *Galliarum Regem, regno Navarreno exuit, & in Sixto* V. *qui Eliſabetham, Angliæ Reginam, regno deturbare conatus fuit. Non addam, quod per ſuos Sophiſtas, minas & blanditias, Reges & Principes à profeſſione veræ Religionis, ad ſua ſacra moverit, ut v. g. patet in Henrico* IV. *Galliarum Rege.* Inſulæ *in aquis, populos notant, Regibus ſubditos* Apoc. XVII. 15. *qui vel a vera fide, ad ſuas ſuperſtitiones, ab Antichriſto moti ſunt, vel ab Antichriſtianiſmo, ad profeſſionem veræ fidei promoti ſunt. Hic horror pathetice deſcribitur.*

1. *Ab* amplitudine objecti *ſeu ſubjecti ſui:* & Reges terræ, & Magnates, & Chiliarchi, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & omnis liber. *Innuitur omne genus hominum, licet non omnes in individuo, occupandos eſſe hoc metu, quod in perſecutionibus papalibus, & ante, & ſub Reformatione patuit.*

2. *Ab* effectis, *quos horror concitabit,*

α. In factis: abſconderunt ſe ipſos in montibus & in petris montium, *utpote quibus a terræ motibus, nos exiſtimamus maxime ſecuros.* Conf. Jeſ. 11. 18. Hoſ. x. 8. Luc. XXIII. 30.

β. In dictis: cadite ſuper nos *&c. Eſt hic*

1. Petitum *deſperatum:* cadite ſuper nos. *Proſopopœia deſumta eſt ex* Hoſ. x. 8. & Luc. XXIII. 30. *Petunt, vel* obumbrari, *ne videantur; vel proteri & annihilari, ne quid ſui remaneat quod puniatur. Significatur horroris magnitudo, acſi jam inſtet extremum judicium, quo impii talia dicturi ſunt.*

2. Ratio *petiti*: quoniam venit dies ille magnus iræ ipſius, & quis poterit ſtare? Dies *ille magnus vindictæ, quo ſanguinem Martyrum ſit ulturus. His omnibus ſi conſtruas etiam, quæ leguntur* Apoc. XIV. à vſ. 1. *uſque ad* 13. *& quæ adduntur ſub clangore tubæ* VI. Cap. IX. à vſ. 13. *uſque ad finem capitis* X. *habebis nitidiſſimam ideam hujus ætatis, habebis* I *horrenda ejus prodigia, v. g. terræ motus, obſcurationem Solis, & cetera quæ dudum vidimus.* 2. *obſignationem ſervorum Dei* 144000. 3. *videbis agnum conſiſtentem in monte Zion; cum* 144000. *obſignatis.* 4. *Audies eos canentes* canticum novum, *novam ſcil. veteris Euangelii promulgationem.* 5. *Videbis porro & audies, Angelum* volitantem per cœlum *eccleſiaſticum, & annunciantem* Euangelium æternum, *ſcil. per Reformatores. Videbis* 6. Lapſum Babilonis, *ex parte ſaltem factum ſub Reformatione.*

Facies Eccleſiæ ſub Reformatione, ſummatim repræſentatur.

XL. Jam ſi hæc convolvamus, nunquid facies Eccleſiæ ſub Reformatione, ſeſe oculis noſtris repræſentabit, ſi modo excipas ea, quæ currente adhucdum hac ætate, implenda ſunt, ſoli Deo perſpecta? Saltem inchoata Reformatione, Antichriſtianiſmus Occidentalis jam ſuam ſenectutem adeptus eſt, & plenam ruinam minatur, cujus hiſtoria ſic ſe ſummatim habet. Promulgatis per Leonem X. Papam indulgentiis, & per nundinatores Tezelium & Sanſonium, paſſim expoſitis, moti rei indignitate, Lutherus per Saxoniam, Zwinglius per Helvetiam, eas publice impugnarunt, ſimul etiam de poteſtate Papæ, de pœnitentia, fide, remiſſione peccatorum, & articulis connexis, controverſiam moverunt. Hæc cum ex ſolo Dei verbo, voce & ſcripto fortiter docerent; plurimi, cum Politici, tum Eccleſiaſtici, ſe ipſis admiſcuerunt, & ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt. Ita paulatim ſtatus rerum Eccleſiaſticarum converſus, inſtitutaque Reformatione ad verbum Dei, doctrina ab erroribus, cultus ab idololatria & ſuperſtitione, regimen eccleſiaſticum, à tyrannide Papali, vindicata fuerunt. Factum id in Germania, Imperii ſede, inde in vicinis regnis, Anglia, Gallia, Dania, Suecia, Polonia, Hungaria, aliiſque proxinciis, ipſaque noſtra in India, utra-

que Orientali & Occidentali. Sed Satanas, veritatis hostis juratus, opus non modo tardare; sed & penitus suffocare, modis omnibus annisus est. Excitatis hominibus fanaticis, qui motis sedibus, invisam redderent universam Reformationem. Produxit Sophistas, qui, partim argutis disputationibus; partim ambiguis conciliationibus, doctrinam Euangelii obruerent, vel corrumperent: quod variis colloquiis, Wormatiæ, Ratisbonæ, Augustæ & alibi tentatum. Distraxit etiam tristi schismate, ex controversia Sacramentaria orto, ipsos renovati Euangelii Doctores. Postremo, accenso bello Smalcaldico, & Concilio Tridentino: illinc quidem armis & atrociſſimis persecutionibus, pios confessores delere; hinc vero novis decretis, ipsam confessionem, diversis formulis, Augustæ & alibi comprehensam, abolere conatus est. Quæ, cum ex sententia non satis fluerent; ipsimet Euangelii hostes pacem Religionis, primo quidem ad tempus tantum, Noribergæ; tum etiam in perpetuum indulgere cœperunt, Augustæ A. MDLV. Quæ tamen à Romanensibus, passim non ulterius servata est, & servatur, quam rebus suis conducit, unde infinitæ turbæ & concussiones continuo nascuntur. Ista omnia explicatius dicenda recurrent in actis hujus ætatis.

Ætatis sextæ N. T. Imperatores Romani Octo.

XLI. Procurrit hæc ætas, ab exordio Imperii Caroli V. seu potius ab anno XXV. Maximiliani I. cum quo coincidit annus V. Leonis X. Pontificis, ac proinde ab A. C. MDXVI. ad aperturam septimi sigilli. Quot secula sit habitura hæc ætas, Deus solus determinare potest, saltem usque ad hæc tempora, numerat annos CLXXX. Sub Imperatoribus Romanis VIII. in quibus *primus* fuit *Carolus* V. Maximiliani ex Philippo filio nepos, Hispaniarum Rex, illiteratus quidem; sed natura sapiens, veritatis orientis, primo quidem impugnator acerrimus, bello cumprimis Schmalcaldico, tandem tamen, cum ejus gustu, ut ferunt, decedens. Auxiliis Leonis X. fugatis Gallis, Insubriam totamque Italiam recuperavit, ipsumque Franciscum eorum Regem, ad Ticinum, ingenti prælio superatum, cepit, sed post anni captivitatem regno suo restituit. Paulo post, conspirantibus in illum Pontifice, Gallo & Venetis, illatis denuo in Italiam armis, ipsam Romam occupavit & diripuit, ipsum etiam Pontificem ad stipendia militibus solvenda adegit. Etiam in Africam victricia arma promovit. Viennam obsidione Turcicâ liberavit. Sub eo bellum rusticum in Thuringiâ, & motus Anabaptistarum, Monasterii inciderunt. Ipse bellum Smalcaldicum, adversus Joh. Fridericum Saxoniæ Electorem & Philippum Hassiæ Landgravium susceptit, eosque cepit; sed, procurante Mauritio Saxone, dimisit, eoque finito Religionis libertatem Protestantibus Germaniæ indulsit transactione Passavienſi. Tandem laborum pertæsus, in Monasterium secessit, ibique fundamenta veræ Religionis hausisse fertur. Sic vivus adhuc Ferdinando fratri, quem jam A. MDXXXI. Regem Romanorum creaverat, Imperatorem dixit, relictis provinciis hæreditariis, Philippo filio. Moritur, postquam præfuisset annis XXXVIII. & VII. mensibus A. MDLVIII. Successit ergo *secundus*, *Ferdinandus*, pacis publicæ amantissimus. Sed Turcas sibi habuit infensissimos, nimisque felices, quibus etiam munitissima quædam Pannoniæ propugnacula cedere coactus fuit. Imperavit annis VI. Secutus eum est *tertius*, Maximilianus II. qui per Lazarum Schwendium plurima à Turcis recuperavit, finibusque suæ Hungariæ, ultra XL. milliaria adjecit. Grumbachianam factionem, armis Augusti, Saxoniæ Electoris, est persecutus, & in Comitiis Ratisbonæ exspiravit, cum regnasset per annos XII. Successit *quartus*, *Rudolphus* II. Maximiliani II. filius. Sub eo Archiepiscopi Colonienses, Salentinus & Gebhardus, ductis uxoribus, Religionem protestanticam amplexi, Archiepiscopatus suos deseruerunt, ille sponte, hic vi dejectus. Sub eo etiam Calendarium Gregorianum, non absque multis turbis, introductum est. Contra Turcas varia fortuna pugnavit. Super Transsylvania ipsi varii motus interceserunt, cum Sigismundo Bathoræo & Botscaio, qui concessam ei à Bathoræo, denuo extorsit, & Religionis libertatem procuravit A. MDCIV. Imperium Rudolphus habuit annis XXXVII. Successit *quintus*, *Matthias*, Belgii Gubernator, Hungarorum Polemarcha adversus Turcas, Hungariæ & Bohemiæ Rex, ab Electoribus, præsentibus XXVII. Principibus, Imperator electus: sub eo bellum Bohemicum sua cepit exordia, per annos VII. & menses II. Imperium habuit turbatum. Successit *sextus*, *Ferdinandus* II. Sub hoc bellum Bohemicum, mox Palatinum & tandem Germanicum continuatum est, de quo forte plura suo loco. Fridericum Palatinum Bohemia pepulit, cum Regibus Daniæ & Sueciæ, bellum varia fortuna gessit, à Gustavo Adolpho Suecorum Rege gravibus cladibus afflictus, Suecos apud Nordlingam profligat, Protestantes persequitur; Galliarum Regi bellum infert. Imperavit per annos circiter XV. Successit *septimus*, *Ferdinandus* III. Secundi filius. Bellum contra Suecos & Gallos continuavit, Imperium in maximis difficultatibus gessit, ac tandem Monasterienſi, Osnabrugenſi & Noribergenſi pace finem diuturno bello Germanico imposuit. Imperavit per annos circiter XII. Secutus tandem est *octavus*, *Leopoldus* Ferdinandi III. filius. Cum Muhammede IV. Turcarum Imperatore bellum gessit, Polonis & Danis contra Suecos, auxilia tulit, amissa Neuheusela & Varadino, Caniſſa frustra obsessa, pacem cum Turcis iniit, Philippi IV. Hispaniarum Regis

filiæ

filiæ desponsatus fuit. Ob fidem Hungaris Protestantibus datam, de securitate Religionis & libertatis suæ, nec satis ingenue servatam, Hungarorum tumultus sibi exortos, Duce eorum Tokelio, expertus est, ex quo atrociſſimum postea bellum Turcicum, hactenus satis feliciter, recuperata totâ fere Hungaria, gerit, hoc ut Deus in propagationem regni sui clementer dirigat, adhucdum anxie præstolamur. Imperavit ab An. cIↃ Ic LVIII. ad hæc nostra tempora.

Pontifices Romani, sub ætate VI. N. T. XXVI.

XLII. Cum his Imperatoribus coincidunt Pontifices Romani XXVI. Nim. (1) *Leo* X. Florentinus, antea Johannes de Medices. Familiæ Medicææ primam celebritatem dederat, Cosmus A. MCCCLXIV. denatus, Petri Pater, avus Laurentii & Juliani, quorum uterque Papam genuit, hic Johannem; ille Leonem X. Fuit Leo vir admodum literatus, & munificentiſſimus, spectaculis potius & deliciis, quam eccleſiaſticis rebus intentus, &, ut Paulus Jovius testatur, nec Sodomiæ infamiâ caruit, imo, ut alii, in concubitu cum puero mortuus est. Cum sumptibus suis non responderent reditus, ad indulgentias ivit, ex quo pestifero conatu, maxima calamitas sedi Pontificiæ, & Reformationi occasio nata est. Pragmaticam Sanctionem, sancitam in Concilio Basileensi, qua Pontifices Concilio generali subjiciebantur, sustulit. Hinc febris eum invasit, quæ ipsi, juxta Onuphrium, suprema fuit. Ipsus est, in quem Accius Sannazarius ita lusit:

Sacra sub extrema, si forte quæritur, hora,
Cur Leo non poterat sumere? Vendiderat.

Et Bembo Cardinali, locum ex Euangelio citanti, respondisse fertur: *O! quantas divitias nobis peperit ista fabula de Christo.* Sedit annis VIII. & III. mensibus. (2) Adrianus VI. Ultrajectinus, sive textoris; sive cerevisiarii filius, qui nomen non mutavit. Emersit ingenio & industria, hinc Lovanii variis honoribus mactatus, tandem Carolo Septenni, Maximiliani nepoti, hæredi Hispaniarum, postea Imperatori, Præceptor datus, gravissimis legationibus functus, Pontificatum maximis difficultatibus implicitum, suscepit, Cardinalibus, in factiones divulsis, Turcis Rhodum occupantibus, Patrimonio Ecclesiæ, prodigalitate Leonis exhausto, Cæsare & Gallo bello inter se contendentibus, vita Clericorum detestanda, reformationem efflagitante, quam cum in publicis Imperii Comitiis promitteret, & ex voto procurare non posset, nec se ad Curiæ Romanæ ingenium satis conformare posset: etiam Protestantium doctrinam ex voto exstirpare non posset, in displicentiam Romanorum prolapsus, senex diem obiit, non sine veneni suspicione. Fertur sæpius professus, miseram esse Pontificum conditionem, quibus deesset juste faciendi facultas, tum etiam, cum maxime vellent. Unde etiam ei pro Epitaphio scripserunt: Hic nihil in vita infelicius duxit, quam quod imperaret. Wolf. Cent. XVI. fol. 191. Tribuunt ipsi eruditionem, parsimoniam nimiam, sanctitatem simulatam, amores mulierum aliaque. Sedit per annum unum & aliquot menses. (3) *Clemens* VII. antea Julius Medices, Florentinus, ex parum certa, neque propalàm legitima uxore natus, teste Onuphrio. Jubilæum IX. celebravit. Româ à Cæsareanis captâ, in arce S. Angeli, per multos menses obsessus hæsit. Tribuunt ei complura vitia, stupra, crudelitatem aliaque, sed quæ naturali sibi gravitate potuerit dissimulare. Ferunt ipsum moriturum dixisse, se propediem certiorem futurum de tribus, de quibus per omnem vitam dubitasset: *an Deus sit? an anima immortalis? an vita alia post hanc vitam.* Sedit annis XI. (4) *Paulus* III. Romanus, antea Alexander Farnesius. Confirmavit Ordinem Jesuiticum. Promulgavit Concilium Tridentinum. Odio persecutus est Interim Germanicum, seu Interreligionem, à Cæsare constitutam. Sororem suam Juliam Alexandro VI. prostituit, eoque Cardinalatum emit, utque spuriis suis ditiones acquireret, legitimos possessores ejecit. Adscribit ei Sleidanus, *Comment.* lib. XXI. ex bello Italico, Simoniam, libidines, necromantiam, incestus, parricidia, & Wolfius insuper, quod cccc. bipedum nequissimos subornârit, qui ignes clanculum in Lutheranorum urbibus alerent, & aquas intoxicarent. Mortuus tandem est, ex animi mœrore, cum Placentiam sibi à Cæsare ereptam, & Parmæ deditionem tentari intelligeret. Sedit annis circiter XV. (5) *Julius* III. Aretinus, antea Johannnes Maria Montanus, in Concilio Tridentino olim præses. Decimo celebravit Jubilæum. Cardinalatum Innocentio adolescenti, quem pro Ganymede, in deliciis habebat, contulit. Impie facetus fuit, adeo ut, cum pavonem sibi in cœnam servari jussum, non videret; illum sibi proferri peteret, vel in contemptum Dei, addito etiam dicterio, sibi hoc licere, cum Deus propter unum pomum, pavone longe vilius, ejecerit protoplastos e Paradiso. Sedit annis circiter V. (6) *Marcellus* II. Thuscus, nomen non mutavit. Et hic legatus fuerat in Concilio Tridentino. Teste Onuphrio, dicebat non posse servari, qui Pontificatum tenerent. Expeditionem in Lutheranos potius, quam in Turcas suasit. Sedit per dies tantum XXI. Secutus est (7) *Paulus* IV. Neapolitanus, antea Johannes Petrus Caraffa, Comes Matalunæ, ex ordine Theatinorum. Episcopatum sibi olim oblatum respuerat, Cardinalatum autem admisit. Inquisitionem acerrime suasit, novosque episcopatus in nostro Belgio adornari curavit. Cum Carolus V. in fanum Justi secessisset, & Imperium in fratrem Ferdinandum traduxisset, & ad hoc Gusmannum Romam misisset, qui diadema à

Pontifice peteret, ipſum per trimeſtre, in conſpectum ſuum non admiſit, Curia Romana diſputante, nemini niſi ſedi Pontificiæ, Imperium conferre, fas eſſe, ipſumque Ferdinandum Imperii incapacem eſſe, ut qui filium Maximilianum non recte educaret, nec Lutheranos exſtirparet, Imperatoris nomen propria auctoritate ſuſcepiſſet, colloquium Wormatienſe ſine ſuo conſenſu aperuiſſet, decretum Pontificale, contra communicantes *ſub utraque*, ſuſpendiſſet. Hinc Guſmannum abſque reſponſo de diademate dimiſit. Ferdinandus autem, Principum Germanorum legitima electione contentus, cum ſibi quod Paulus negaverat, Pius IV. ſponte offerret, animo excelſo reſpuit. Sedit per annos IV. & aliquot menſes. (8) *Pius* IV. Mediolanenſis, antea Johannes Angelus Medices, Inquiſitionem Hiſpanicam paſſim promulgavit. Initium vidit tumultuum Belgicorum, ob exſecutionem Concilii Tridentini, quod continuari curaverat. Sedit annis circiter VI. (9) *Pius* V. Lombardus, antea Michael Chiſterius. Edidit Catechiſmum Romanum, Breviarium & Miſſale, ex decreto Concilii Tridentini. Curiam correxit, meretrices pulſurus, reclamantes habuit Romanos, ut eas in urbis quodam angulo relinquere coactus fuerit. Epitaphium ludicrum ipſi poſitum eſt:

Papa Pius quintus moritur: res mira! tot inter
Pontifices, tantum quinque fuiſſe Pios.

Sedit annis circiter V. (10) *Gregorius* XIII. Bononienſis, antea Hugo. Calendarii correctionem publicavit. Indulgentias quoque proclamari, & gratis accipi juſſit, procul dubio, quod earum vanitatem jam quivis agnoſceret. Sedit annis circiter III. (11) *Sixtus* V. ex Marchia Anconitana, antea Felix Montaltus. Pauperculis parentibus fuit natus. In procuranda juſtitia & quiete publica, rigidus. Bibliothecam Vaticanam condidit, nonnulla etiam Xenodochia, in corradendis nummis adeo aſſiduus, ut feratur in theſauro reliquiſſe ad X. Milliones, impendendos non niſi in eos, qui à ſede Pontificia defecerint. Sedit annis V. & aliquot menſibus. (12. *Urbanus* VII. Rom. antea Joh. Baptiſta de Caſtanea, poſt XIII. dies, ante inaugurationem mortuus. (13) *Gregorius* XIV. Mediolanenſis, antea Nicolaus Sfondrata. Henricum IV. Galliarum Regem excommunicavit; ſed ſupremus Galliæ Senatus diploma papale, velut ſeditioſum & Eccleſiarum Gallicarum libertati repugnans, manibus carnificis lacerari & exuri curavit, ipſumque Papam turbatorem pacis & hoſtem regni Gallicani, proclamavit. Sedit per X. circiter menſes. (14) *Innocentius* IX. Bononienſis, antea Joh. Antonius Fachinetti, egregius æ-rarii & annonæ curator. Sedit per triſmeſtre tantum. (15) *Clemens* VIII. Florentinus, antea Hippolitus Aldobrandinus. Regem Galliæ Henricum IV. ab anathemate ſolvit. Chriſtianos ad concordiam inter ſe, & ad arma in Turcas ſollicitavit. Ferrariam recuperavit. (16) *Leo* XI. Florent. antea Alexander Medices, poſt XXV. diem obiit. (17) *Paulus* V. Rom. antea Camillus Burgeſius, Rudolphum II. Imp. adverſus Turcas, & Ferdinandum II. adverſus Bohemos, ex decimis largiter juvavit. Venetos excommunicavit, quod prohibuiſſent, bona immobilia in perſonas Eccleſiaſticas alienari, ædificia ſacra, abſque conſenſu Senatus erigi, & Clericos facinoroſos judicio civili ſubduci: quam excommunicationem Veneti ſuſque deque habuerunt, Eccleſiaſticos in officio divino perſiſtere juſſerunt, Jeſuitæ, ad ſententiam Papæ, ditionibus Venetorum exceſſerunt. Tandem Galli Regis interventu, à bruto fulmine liberati ſunt Veneti. Sedit annis circiter XVI. (18) *Gregorius* XV. Bononienſis, antea Alexander Ludoviſius. Ignatium Loiolam, Ordinis Jeſuitici fundatorem, cum ſociis, Sanctorum catalogo adſcripſit. Diſputationes ſuper conceptione B. Virginis, ſitne maculata, an immaculata, inhibuit. Sedit annis II. & menſibus VII. (19) *Urbanus* VIII. Florentinus, antea Maphæus Barbarinus. Hic ſpe ſua, quam ex bello Germanico, de evertendis Proteſtantibus, ſuæque Monarchiæ jam acceſſuris, ſe brevi dejectum ſenſit, quando vidit arma in ipſam ſuam Italiam traduci, cum Carolus Gonzaga, Mantuæ & Niverſii Dominus, ab Imperatore bello impeteretur, & univerſa Italia concuteretur. Cum inſignibus, tres geſtaret auratas apes, luſus hos expertus eſt:

Jungit apes clypeo, mella per arma vorat.

Sedit annis XXI. (20) *Innocentius* X. antea Pamphilius. (21) *Alexander* VII. antea Fabius Chiſius, vir ſtrenuus. Sedit annis XI. (22) *Clemens* IX. antea Julius Roſpilioſus, nullo memorabili inſignis. Sedit annis II. (23) *Clemens* X. Creatur A. MDCLXX. antea Æmilius Altieri, annorum circiter LXXX. Sedit annis VII. (24) *Innocentius* XI. antea Benedictus Odeſchalci, vir præ plurimis aliis Pontificibus, vitæ modeſtæ, cum Ludovico XIV. Galliarum Rege ſuper Regalibus contendit, ejuſque faſtum & minas, miſſo Romam Legato Lavardino tantum non armato, prudentia ſic ſatis frangit. Janſeniſtis favens, ſedit annis circiter XII. (25) *Alexander* VIII. Patricius Venetus, antea Petrus Ottoboni, electus, ni fallor, d. VI. Octob. A. MDCLXXXIX. Nimium propenſus in partes Gallicanas. Tandem (26) *Innocentius* XII. Cardinalis Pignatelli, Neapolitanus. Electus A. MDCXCI. in Auguſto. Adhuc ſedet.

XLIII. Hinc recta pergimus ad ſtatum Theologiæ, ſub ætate N. T. Sexta. Ea vero duplex nobis occurrit, cogitanda: *reformanda* ſeu papalis, & *reformata* per Zwinglium, Lutherum alioſque. *Reformanda* papalis, eadem fuit, quæ ætatis ſuperioris, Status Theologiæ, ſub ætate ſexta N. Teſt.

perioris, nisi quod capita ejus antichristiana, disjecta magis, & de quibus hactenus in Ecclesia papali, licebat disputare: jam in corpus quoddam redacta, & per anathemata, in formâ articulorum fidei, omnibus credendorum, fuerint obtrusa, unaque opera, omnis reformationis spes eliminata fuerit, per Concilium Tridentinum, de quo suo loco plura. Hujus igitur, quatenus a reformata diffidet, placita tutius aliunde non cognosces, quam ex Concilio Tridentino, Catechismo Romano, aliisque scriptis, ab ipsis Romanensibus agnitis. *Reformata* autem, nil aliud intelligimus, quam ipsam Scripturæ S. Theologiam, quatenus illa, per Reformatores, Zwinglium, Lutherum aliosque, à fermento antichristiano defæcata fuit. Quæ reformatio tamen, non saltu facta est; sed gradatim. Primò enim impugnata ab ipsis fuit sola indulgentiarum nundinatio, instituta quidem, in Helvetia, auctoritate Leonis x. per Sansonium Mediolanensem A. MDXVI. & in Saxonia per Joh. Tezelium Monachum Dominicanum. Huic conatui Lutheri & Zuinglii, si cessisset Leo, ulterius fortè progressum non fuisset: ast cum scriptis Romam à Luthero humillimis literis, Leo nihilominus Lutherum frustra citaret, & Thomam de Vio Cardinalem Caietanum in Germaniam mitteret, Augustam Vindelicorum A. MDXVIII. ut apud eum Lutherus recantaret, illeque auctoritatem Pontificis Luthero inculcaret; hic se paratum ad revocandum ostenderet, si modo erroris ex Scriptura convinceretur, impugnari insuper cœpit auctoritas Monarchica Pontificis: hinc porro, quod indulgentiæ impugnatæ obstreperent Scripturis, & justificationi per sola merita Christi, per fidem accipiendæ; perrectum est ad articulum de justificatione, Missa aliaque, & cum interea Leo scripta Lutheri Romæ flammis committeret; & hic vicissim Wittembergæ, invitatis solenni programmate studiosis, *Jus Canonicum* & *bullas* papales in ignem conjecit, nulla Cæsaris, Imperii aut Papæ habita ratione, sola armatus Dei fiducia, quod factum A. MDXX. Hinc Carolus v. Imperator, adhuc juvenis, Lutherum à proposito retrahere, postquam frustrà molitus fuisset, ipsum A. MDXXI. Wormatiam ad Comitia Imperialia citavit, quo etiam, cum Caduceatore Imperatoris, perrexit intrepidus, ubi cum bis in consessu, veritatem Euangelicam tutatus fuisset, & cum bona Imperatoris venia discessisset, ab Imperatore & Comitiis proscriptus, auspiciis Friderici Sapientis, in arce Wartberg prope Isenacum, per menses x. latuit, donec inconsulto Electore, ad impugnandum Carolstadium, Wittembergam reversus, à nonnullis, interque eos ab Henrico VIII. Angliæ Rege (qui hinc in consessu Cardinalium, DEFENSORIS FIDEI titulum est consecutus) & Erasmo Roterodamo scriptis impetitus fuit; donec tandem suam Theologiam, in Comitiis Augustanis A. MDXXX. Confessione famigeratissima, per Philippum Melanchtonem conscripta, repræsentaret. Ex ista jam confessione, statum Theologiæ Reformatæ magna parte cognosces. Quanquam nec eam omnibus numeris puram dederit, quippe laborantem in capite de cœna Domini, præterquam quod in ceremoniis papalibus, justo fuerit indulgentior, seu quod e tenebris papalibus vix emergens, earum superstitionem non satis perciperet; seu quod ritus meliores, in tam subita rerum mutatione, sibi non succurrerent; seu quod adhucdum tempori aliquid dandum existimaret: saltem ex his, deplorandum inter Reformatos & Lutheranos schisma, cum natum; tum saltem à Lutheri discipulis fotum fuit. Hunc defectum subodorati, alii puriores confessiones exhibuerunt, in ipsis istis Comitiis, v. g. Zwinglius, & IV. Civitates, quæ Argentinensis appellatur; quæ tamen in ipsis Comitiis non sunt prælectæ. Ex istis puriorem Theologiam perspicies. Nihil hic dicam de aliis Protestantium confessionibus, Helvetica, Basileensi, Gallicana, Anglica, Scoticana, Belgica, Polonica, Saxonica, Wittembergica, Electoris Palatini, Bohemica, de consensu Ecclesiarum Majoris & Minoris Poloniæ & Lithuaniæ, quæ repræsentantur in *Harmonia Confessionum*, de quibus forte suo loco plura. Ex istis abunde innotescet status Theologiæ hujus ætatis.

Theologiam vix reformari cœptam, mox deformarunt, cum hæreses, tum schismata, quorum historiam paucis persequemur. *Primum* impetum in eam fecerunt *Anabaptistæ*. Qui An. MDXXI. perperam intellecta Lutheri & Wittembergensium doctrina de *libertate Christiana*, ductoribus, Nicolao Ciconia illiterato, eruditionem sibi divinitus obtigisse jactante, Marco Stubnero, Martino Cellario, olim Melanchtoni charo, Thoma Munzero Stolbergensi Saxone, non saltem in Pædobaptismum arietarunt; sed etiam sub prætextu Christianæ libertatis, omnem legitimi Magistratus subjectionem excusserunt, & Ecclesiam ex hominibus, omni macula cassis conflaturi, secreta in hunc finem, cum Deo colloquia fingebant, teste Sleidano, Comment. lib. IV. & V. Factio, brevi tempore, tanta fecit incrementa, ut homines Rusticani, negatis Comiti Lupsio suetis servitiis, ad bellum se accingerent, quo tamen à Senatu Imperii tum declinato, A. MDXXV. Plebejorum nonnulli adversus Proceres Ecclesiasticos, per Sueviam, Franconiam, & vicina ad Danubium loca insurgentes, doctrinam Euangelicam pessimis conatibus tuituri, servitutemque à se amolituri, XII. articulis suam causam Magistratui repræsentarunt, sibique in eis satisfieri postularunt. Et quanquam Lutherus variis scriptis à seditione revocare niteretur, tri-

Hæreses ætatis sextæ N. T. I. Anabaptistæ.

pertito tamen agmine, per agrum Ulmenſem, Algoviam & Lacum Brigantinum conſederunt, quos Georgius Truchſeſius Imperator Suecici fœderis, cui præcipui Germaniæ Principes adſcripti fuerunt, aliquot illatis cladibus vix fugavit, diſſipavitque, dum interim in alia Sueviæ parte, alii ruſtici magno numero confluunt, multoſque ex nobilitate, interque eos Ludovicum Comitem Helfenſtenii, crudeliter trucidant, plurimas arces & monaſteria incendunt, Winſpergum, Wurceburgum, & alias urbes capiunt, & exercitu diviſo, partim in agrum Wurtembergicum; partim in Franconiam irrumpunt. Sed utriſque celeriter ſuperveniens Truchſeſius, miſeros ad ſupplicia & funera rapuit. Hæc ipſa tempeſtas deſæviit quoque in plurimis aliis locis, & per omnes fere Germaniæ partes, ad Alpes uſque penetravit. Sed ut in Lotharingia, à Duce, tribus præliis, ultra XVIII. millia cæſa ſunt; ita in aliis regionibus, aut placide res compoſita eſt; aut victoriis, quibus una æſtate, ad L. millia occubuerunt, nonnulli C. millia ſcribunt. Sic furor eſt repreſſus. Interea Munzerus, primum Cygneæ, tum Alſteti, munere eccleſiaſtico functus, quod non Pontificios oppugnaret; ſed & adverſus Lutherum ſcriberet, & legitimo Magiſtratu moto, novos ſubſtituendos doceret, ab utroque loco excluſus eſt, & poſtquam Noribergæ & alibi aliquamdiu latuiſſet; Mulhuſium tandem ſe contulit, ibique plebi tumultuanti ſeſe jungens, Senatu veteri depoſito, novum conſtituit, ſeque ex Senatoribus primarium dixit, monaſteria invaſit, divitum domicilia diripuit, adſtructa bonorum communione, tantam undequaque hominum vim, cum Phifero ſocio corraſit, ut nullius vim jam metuerent, donec Saxoniæ, Brunswigæ & Haſſiæ Principes, ſolis fere cantionibus ſacris, ex perſuaſione Munzeri ſecuros, ad V. millia, nullo negotio conficerent, ipſumque Munzerum ad ſupplicium raperent. Eiſdem furoribus paulo poſt A. MDXXV. ſucceſſerunt Anabaptiſtarum conſimiles. Auctoribus Johanne Bechilio, ſartore Leidenſi, qui prætextu erigendi novi regni Chriſti, in ſuas pertraxit Bernardum Rotmannum, hactenus Proteſtantem Concionatorem, & poſt Knipperum Dolingium, futurum ſibi regni iſtius Regi conſiliarium, cum Johanne Matthæo, primi nominis Propheta, occupata urbe, omnia bona in medium comportari ſub pœna capitis, Bibliaque exuri juſſit, tum Cnipper-Dolingio conſulatu moto, XII. viros, ad formam Iſraëliticæ Reipublicæ conſtituit, hiſque XXVIII. quaſi Apoſtolos conſtruxit, qui vicinos Epiſcopatus ſibi ſubigerent, & pœnitentiam vicinis oppidis annunciarent, quos tamen ad unum omnes poſtea interfecit, donec tandem, urbe ab Epiſcopo & Principibus obſeſſa, & ad extremam penuriam redacta, nonnullos, interque illos unam ex uxoribus Rex fictitius e medio tolleret, & urbe tradita, vivus cum Knipper-Dolingio, in manus obſidentium incideret, & forcipibus ignitis enecaretur, cum jam Rotmannus in obſidione urbis, bipenne periiſſet. Crepabant 1. Enthuſiaſmos, 2. Pœdobaptiſmum oppugnabant, & Anabaptiſmum urgebant. 3. communionem bonorum afferebant, & 4. regnum Chriſti fanaticum, cujus Leidenſis Rex eſſet, inculcabant. Addebant 5. Polygamiam ſimultaneam, cujus exemplum in ſeipſo præſtabat, admiſſis tribus uxoribus. Anabaptiſtæ interim, duum generum obſervantur: *Anglicani* puriores, qui in nullo Religionis capite à Reformatis diſſident, præterquam circa Pædobaptiſmum: *Belgæ* aliique reliqui, qui per varias ſectas ſcinduntur, e quibus alii Sociniſmum rejiciunt, alii apud ſuos diſſeminant. Omnes iſti pleroſque Religionis Chriſtianæ articulos arrodunt, v. g. (1) Baptiſmum à ſuis non collatum repetunt: & Pædobaptiſmum penitus rejiciunt. Unde & *Catabaptiſtæ* appellantur. (2) Vetus Teſtamentum pro regulâ fidei & morum non recipiunt. (3) Chriſtum corpus ſuum non ex ſubſtantia Mariæ accepiſſe; ſed per ipſam, e cœlo detuliſſe. (4) Spiritum S. poſt Chriſti glorificationem demum cœpiſſe (5) Patriarchas V. T. Chriſtum plane ignoraſſe. (6) Regenerationem in hac vita, ſic perfici, ut legem Dei perfecte poſſimus adimplere. (7) Eccleſiæ Miniſterium promiſcue & à Laicis eſſe obeundum. (8) Stipendia à Miniſtris non eſſe accipienda. (9) Sacramenta, nuda tantum eſſe beneficiorum ſpiritualium ſigna. (10) Ob leviora etiam delicta, fratres eſſe excommunicandos. (11) Bellum quodvis, & Magiſtratum politicum, Deo non probari. (12) Bonorum communionem nonnulli urgent. (13) Polygamiam ſimultaneam, & divortia, non minus jam valere, quam olim apud Judæos. Multa etiam dogmata, à Donatiſtis, Eunomianis, Manichæis, Sabellianis, Pelagianis, Novatianis, Catharis aliiſque hæreſiarchis adoptant. Conf. Cl. Frid. Spanhemius Senior in *Diſput. hiſt. de Origine, Progreſſ. & Sect. Anabaptiſtarum.* Secundum impetum in Theologiam Reformatam fecerunt *Pſeud-Enthuſiaſtæ*, ex Anabaptiſtarum Schola fere nati, in quibus fuerunt, *Caſpar Swenckfeld*, Nobilis Sileſius, enthuſiaſmos ſuos in patria primum effundens, & inde relegatus A. MDXXVII. *David Georgius* Delphenſis Belga, ſua ſpargens jam ab A. MDXXVII. ſed clanculum magis, dogmata nefanda congeſſit in *Librum Mirabilium*; ab ejus autem morte, poſt medium ſeculum exactum Baſileenſibus, ad quos e Belgio, mutato nomine, ſe recepit, agnitus, apud eos etiam ſuas exuvias depoſuit. *Henricus Nicolai*, Weſtphalus. eodem fere tempore, plurima delirans *de Charitate*, & univerſali conſenſu Chriſtianorum; in Belgio primum, tum & in Anglia: ab eo dicta eſt ejus ſecta,

2. Enthuſiaſtæ.

ēta, *domus* vel *familia charitatis*. Theophraſtus Paracelſus ab Hohenheim, ex agro Tigurino, Profeſſione Medicus, Chimiæ admirator, portentum in arte Medica, pariter & Theologia, ante medium ſeculi ſuperioris, exſtinctus anno ætatis XLVIII. Sparſit ſua enthuſiaſtica, de ſtatu Adami, de origine Chriſti, de reſurrectione mortuorum & alia, in Helvetia & vicina Alſatia. *Valentinus Weigelius*, Miſnicus, ex Paracelſi fere diſciplina, in Lutheri alias nepotibus, ſectæ fanaticæ, famoſus auctor, circa MDCXII. ſua ſparſit per Miſniam, Haſſiam & alia Germaniæ loca. Ejus ſecta ſe poſtmodum diffudit per varia nomina, natis ex ea *Fratribus roſeæ crucis*. Vid. Hoornbeekius in *Comment. de Weigelianis*, poſt Joh. Crocium in *Antiweigelio*. Horum fanaticorum, cumprimis in Anglia, etiam in Belgio noſtro, non eſt propemodum finis. Et eis commune fere nomen *Enthuſiaſtarum*, vel *Libertinorum*, etiam *Antinomorum*, aut Antitacticorum. Prius à jactatis inſpirationibus; ſecundum à dogmatum, vel vitæ licentia; tertium ab everſis legibus, cum divinis, tum humanis.

§. Sociniani. *Tertium* impetum in Theologiam Reformatam fecerunt *Sociniani*, Samoſatenianorum, Photinianorum, Pelagianorum veterum propago. *Michael* enim *Servetus*, alias Villanovanus, Hiſpanus, Judæorum blaſphemiis in Africa imbutus, myſterio Trinitatis & incarnationis Chriſti infeſtus, horrendas ſuas in illa myſteria cum evomeret blaſphemias, idque pertinaciſſime, judicio Magiſtratus Genevenſis, accedente ſuffragio Helvetiorum, Genevæ exuſtus eſt, A. MDLIII. Non diu poſtea, *Valentinus Gentilis* Italus, Genevam delatus, Tritheiſmum proſeminare cœpit, tres docens eſſentias divinas, pro numero trium perſonarum, ſibi tamen ſubordinatas, ſic ut Pater ſit Eſſentiator, filius & Spiritus S. eſſentiati, ut loquebatur barbare. Palinodiam cecinit coram Judice Genevenſi: aſt mox reverſus ad vomitum, ſupplicium tandem dedit Bernæ Helvetiorum A. M DLXVI. diſſeminato nihilominus ejus veneno, in Helvetia, Polonia, & præcipue Tranſylvania, per Matth. Gribaldum, Georgium Blandratam Medicum, Paulum Alciatum Jurisconſultum, Italos. His coætaneus *Bernhardinus Ochinus*, Senenſis monachus, obnitens deitati & ſatisfactioni Chriſti, præluſit utrique Socino: tum & *Franciſc. Liſmaninus*, Corcyrenſis, Matri Sigiſmundi Poloniæ Regis, à ſacris: hinc & *Pet. Goneſius*, *Gregorius Pauli*; porro & *Franciſc. Davidis*, Superintendens Tranſylvanus, negans inſuper Chriſtum eſſe invocandum, ob quod, ab ipſo etiam Socino incarceratus periit. Ab Ochino potiſſimum virus ſuum hauſit uterque *Socinus*, *Lalius* primum; tum Fauſtus; ſed ſcriptis necdum vulgatis; verum *Fauſto* Socino, ex Alexandro fratre nepoti, in hæreditate relictis. Hic virus e Patrui ſcriptis hauſtum, evomuit, edito primum ſcripto *de Servatore*, tum & aliis, in Poloniæ & Tranſylvaniæ partibus, ſubmiſſis, idque labente ſeculo XVI. Ab his hæreſis denominationem nacta eſt, quanquam & *Samoſateniana*, *Photiniana*, *Ariana*, *Unitaria* & *Antitrinitaria* paſſim appelletur. Proſeminata peſtilentiſſima hæreſis eſt paucillo tempore, ex Poloniæ Tranſylvaniæque partibus, *Alba Julia*, *Varadino*, *Cracovia*, *Sendomiria*, cumprimis à *Racovienſi* Schola, indultu tunc Principum, ipſam etiam Palatinam Eccleſiam & Academiam, ſub Friderico III. Electore optimo, hinc & alias Germaniæ partes infecit, ut patet in *Ruaro*, *Smalcio*, *Volkelio*, *Crellio*, *Wolzogio* &c. Germanis; tandem & in Belgium Britanniamque penetravit, obſtetricante ipſis corrupta ratione, cui noſtra myſteria de Trinitate, unione duarum in Chriſto naturarum, ſatisfactione, reclamarent ſuo judicio. Hæreſis univerſa duplici innititur baſi: Samoſatenianiſmo, & Pelagianiſmo, ex quibus triplex naſcitur ejus κύριος δόξα, *primo* negata Trinitas & ὁμοούσιος Chriſti deitas; *hinc* negata infinita mortis ejus dignitas, qua noſtri loco, plene ex rigore juſtitiæ divinæ, poterit pro noſtris peccatis *ſatisfacere: tandem*, quod viribus liberi arbitrii, à peccato Protoplaſtorum ſic ſatis integris, homo ea omnia poſſit præſtare, quæ Deus ab ipſo exigit, modo gratia Dei mortalis accedat, qua officia ſibi proponantur, & commodis argumentis ſuadeantur; ab his pleraque Religionis capita adeo ſunt intoxicata, ut ad Muhammedaniſmum jam proxime accedant, & vix nomen Chriſtianum ſibi relinquant, niſi quod Muhammedem non agnoſcant, quod per ſingula Chriſtianiſmi capita, ſingulatim demonſtrare longius foret, quam pro noſtro hoc compendio, ſiquis interim hæc particulatim ſibi demonſtrata, videre aveat, eos conſulere poterit, qui Socianiſmum ex profeſſo impugnare ſuſceperunt, v. g. Hoornbeekium in *Socinianiſmo confutato*, Cloppenburgium in Socinianiſmi *Compendiolo confutato*, item in ſuo *Anti-Smalcio*, Mareſium in Hydra Socinianiſmi expugnata alioſque.

Quartum impetum in Theologiam reforma- 4. Jeſuitæ.
tam, faciunt *Jeſuitæ*, ut jam de univerſo Papiſmo ſeu Antichriſtianiſmo, quem voto monaſtico adoptarunt, utpote de quo jam ad ætatem præcedentem, dudum à nobis actum eſt, hic nihil addamus. Ortum debent *Ignatio Loiolæ* Cantabro, qui miles, in defenſione arcis Pompeiopolitanæ, utroque pede vulneratus captuſque, cum annum integrum & amplius decubuiſſet, & Legendas Sanctorum aſſidue legiſſet, cucullum induit, ad ſepulchrum Domini ſe contulit, hinc in Hiſpaniam reverſus, literis operam dedit, publice pœnitentiam inculcavit nulla tamen adhucdum concionandi licentia adeptus, intra decennium, artium Magiſter

creatus,

creatus, ſocios tandem x. nactus eſt, e quibus VII. ut confeſſiones audire poſſent, Sacerdotio ſunt inaugurati: ipſe autem ordo Jeſuiticus, utut Clero contradicente, An. MDXL. à Paulo III. Pontifice confirmatus eſt, hac lege, ne plures quam LX. ſocietati adſcriberentur. Sed, conſiderantibus poſtea Pontificibus, quænam utilitas, ad Eccleſiam Romanam, ab eo redundaret; conditio illa exſpiravit, ut Jeſuitæ jam in certas Provincias diſtributi, vix numerari queant. Subſunt uni *Generali*, velut Papæ. Eorum aliquot quadruplex votum profitentur, tanquam Cardinales, quo præter tria vulgata vota monaſtica, paupertatis, cœlibatus & obedientiæ, Pontifici Romano, obſequium ad evertendos hæreticos jurant. Aliqui eorum tria tantum vota profitentur, qui ſunt velut *Epiſcopi*; alii velut *Coadjutores ſpirituales*, Sacerdotes, Theologiæ, Juris Canonici & Philoſophiæ Doctores; alii Coadjutores temporales, qui victum & amictum præparant: reliqui *Novitii* & Scholaſtici. Vid. Chemnitius, Haſenmullerus aliique hujus Sectæ hiſtorici. Hi, præterquam quod juventutem gratis erudiant; in eo toti ſunt, ut Sedis Rom. auctoritatem fulciant, terras Indorum pervadant, ſub prætextu Chriſtianiſmi propagandi, ut Romanenſem Eccleſiam extendant. Eruditione reliquos monachorum ordines omnes obſcurant. Sed cum non ſemel, Regum vitæ & Rerum publicarum ſaluti, ſuis conſiliis inſidiati deprehenderentur; publicis decretis, Regno Galliarum, & ditione Venetorum, excedere juſſi ſunt, & in Polonia etiam, nunquam non, tanquam turbatores pacis, à regni Proceribus incuſantur. Et quanquam in Gallia denuo recepti ſunt; paucis tamen urbibus ipſis collegia conceduntur. Nunc Viennæ & alibi, quaſi ſorores acceperunt *Jeſuitiſſas*, quæ præter ſexum, linguis & artibus, ſe excolere dicuntur. Opibus & potentia adeo invaluerunt, ut Templarios etiam ſuperent, & reliquis ordinibus invidiæ ſint. In Religione hæc ferè ſibi habent peculiaria: (1) Quod præ reliquis ordinibus, non à *Chriſto*, nec à ſui ordinis fundatore; ſed à *Jeſu* denominari, & *Societas Jeſu* dici aveant, quod nomen à Sorbonâ Pariſienſi, velut *novum*, *ſuperbum*, *ſchiſmaticum*, hæreticum proſcribitur. Tum (2) Semipelagianiſmi, adverſus Dominicanos & Janſeniſtas, acerrimi ſunt propugnatores. (3) In Caſuiſtica, ut quibuſvis placeant, admodum ſunt laxi, teſtibus Arnaldo, Montaltio aliiſque. (4) Etiam novas ſubinde opiniones excludunt, v. g. de peccato Philoſophico, de quo alibi.

5. Lutherani. *Quintum* impetum in Theologiam Reformatam faciunt *Lutherani*, qui ſic ſeipſos nominant à Martino *Luthero*, cujus proſopographiam, reformationem Eccleſiæ ab Antichriſtianiſmo, & excitatum ſchiſma inter Proteſtantes; nos ſuo loco narrabimus. Horum Lutheranorum, alii, adducti auctoritate Lutheri, corporis Chriſti præſentiam in Symbolis S. Cœnæ tuentur, in reliquis fidei capitibus, cum Reformatis ὁμόψηφοι; alii in plurimis inſuper aliis capitibus, ipſi etiam Luthero non agnitis, recedunt à Reformatis, ſchiſmatis tantum excuſandi, fovendi & aggravandi cauſa. Hi, (1) quaſi communi *Chriſtianorum* titulo non contenti, ſe à *Luthero* Lutheranos denominant. (2) Statuunt, corpus Chriſti in elementis S. Cœnæ, eſſentialiter eſſe præſens, & à communicantibus omnibus oraliter manducari. Inſuper (3) Humanæ Chriſti naturæ, per unionem hypoſtaticam, communicata fuiſſe attributa divinæ naturæ, inque eis nominatim omnipræſentiam, quam tamen non recipiunt eorum Calixtini. (4) Impingunt Reformatis, quod, ſi non directe; ſaltem ex obliquo, per legitimam conſequentiam, Deum faciant auctorem peccati. (5) Quod Deus velit omnes & ſingulos ſervari. (6) Quod electio ſit ex fide præviſa. (7) Quod Chriſtus pro omnibus & ſingulis ſit mortuus. (8) Quod vere fideles poſſint totaliter deficere. (9) Quod reprobaverit ex præviſa infidelitate. (10) Quod gratia regenerationis, alligata ſit cæremoniis Baptiſmi. (11) Quod in adminiſtratione Baptiſmi, recte adhibeatur exorciſmus, ipſaque Baptiſmi adminiſtratio, in caſu neceſſitatis, mulieribus etiam competat. (12) Quod fractio panis, in S. Synaxi, ſit ritus indifferens, etiam omittenda. (13) Quod in S. Cœna, loco panis nutritivi, hoſtiola ſit uſurpanda: S. Cœna in altari ſit adminiſtranda: ab adminiſtrantibus albis veſtitibus indutis: & hoſtiola communicantium ori ſit ingerenda. (14) Quod privata & auricularis confeſſio & abſolutio in Eccleſia ſit neceſſaria. (15) Quod ad auditionem nominis *Jeſu*, vel geniculatio, vel apertura capitis, à Deo præſcripta ſit. (16) Quod in templis Chriſtianorum, imagines tolerari poſſint, & organa pneumatica adhiberi debeant. Hiſtoria Schiſmatis ſuo loco accedet.

6. Arminiani. *Sextum* inſultum in Theologiam Reformatam faciunt *Arminiani*. Horum exordia coincidunt cum initio ſeculi XVI. quando Sociniani, miſſis Chriſtoph. Oſtorodo, Goſlarienſi Saxone, & Andrea Voidovio in Belgium noſtrum, ſuam hæreſin diſſeminare cœperunt, quorum quidem conatus, proſcriptis Emiſſariis, & exuſtis ſeductricibus libellis A. MDXCVIII. Ordines ſuppreſſerunt, nec tamen eo ipſo exſtinguere potuerunt è Belgis noſtris pruritum novaturiendi, conceptum ex illatis Socini ſcriptis de prædeſtinatione & libero arbitrio, v. g. *commentario* ejus in cap. VII. ad Romanos, ſub nomine Proſperi Deſidæi, & ex Præfatione in Sebaſt. Caſtalionis *Dialogo* de Prædeſt. *libero arbitrio & fide*, ſub nomine *Felicis Turpionis Urbevetani*, obſtetricantibus Theod. Kemp, & Theod. Coornhert, inter

inter hos fuit Jacobus Arminius, ex Ecclesiaste Amstelodamensi, Professor Theologus in Academia Leidensi, postquam ibidem decessisset Franciscus Junius A. MDCIII. Cui insurrexerunt præter Francii. Gomarum, Synodi Hollandicæ, exhibitis ordinibus Hollandiæ XXXI. excerptis articulis, quibus mox succesſit Arminii *Apologia* & Responsio. Ab hoc *Arminianorum* nomen obtinent. Hic cum decessisset A. MDCIX. ejus assectæ apertius insultarunt Confessioni & Catechesi Belgicæ A. MDCX. apud Ordines urgendo, ut corrigerentur, ut sua sententia sibi permitteretur, & usque ad conventum liberum, fratres se invicem tolerarent. Ab hoc *Remonstrantes* appellantur, eorumque Antagonistæ *Contraremonstrantes*, quibus mox succesſit *Collatio* Hagiensis super v. Articulis A. MDCXI. Accessit Conradus Vorstius, Steinfurtensis, Professor Theologus. Arminio frustra designatus successor, insuper in capite de attributis divinis, aperte cum Socino colludens, & Simon Episcopius, Amstelodamensis, Arminio suffectus A. MDCXII. à quibus schisma egregie diductum est, concurrentibus Joh. Utembogardo, Bertio, Venatore, Grevinchovio, Goulartio, Poppio, Corvino aliisque, Belgio notis. Donec tandem coiit Synodus Dordracena A. MDCXVIII. & MDCXIX. cujus decretis Remonstrantes sua oppoſuerunt *Antisynodalia* A. MDCXX. Ab hoc in segreges cœtus abierunt Remonstrantes, edita etiam Confessione, ejusque Apologiâ, per Simonem Episcopium, ad minimum semi-Socinianâ. Ex dictis, Arminianos vulgo dispescunt in duas Classes: *Quinquarticulanos*, qui in quinque tantum Arminii articulis, à Reformatis abeunt: (1) De causa & objecto prædestinationis. (2) De amplitudine, objecto & efficacia mortis Christi. (3) De viribus liberi arbitrii in statu peccati, deque causa conversionis, ejusque antecedaneis. (4) De modo conversionis, & efficacia gratiæ convertentis. (5) De certitudine perseverantiæ fidelium, aut possibili eorundem totali apostasia: *Apologistæ*, qui cum Apologia Episcopii, magna parte Sociniana, sentiunt, quorum errores per omnes Religionis Christianæ serpunt. Alii tamen eos, paulo distinctius, ad quatuor classes revocant: nim. א. *Quinquarticulanos*, quos descripsimus. Hos strictius *Arminianos* dixeris. ב. *Vorstianos*, qui Conrad. Vorstium, vel ex Socino, vel ex propriis Θεολογοῦντα sectantur, & in plurimis *fundamentalibus*, de Deo, Trinitate, Deitate Christi, veritate satisfactionis Christi, aliisque à veritate Christiana abludunt. ג. *Apologistas* strictiore sensu, qui *confessionem* Remonstrantium, promulgatam A. MDCXXII. & adversus Censuram Professorum Leidensium, ab Episcopio vindicatam A. MDCXXIX. sectantur. ד. Eorum, qui supra nominatos errores, alios insuper, cumprimis ex *Institutionibus* Episcopii, aut *Dissertationibus* Steph. Curcellæi aliisque hauriunt, v. g. de tribus in Trinitate essentiis; de terminis circa Trinitatem apud Theologos usitatis; de peccato Originali; de necessitate cognitionis Christi, justificatione ex operibus, aut fide quatenus est per charitatem efficax, & similibus absque fine propemodum aut modo. Si distinctiorem aves singularum controversiarum statum, poteris consulere obvios Arminianismi Antagonistas, v. g. *Censuram Professorum Leidensium*, Nic. Vedelii *Arcana Arminianismi*, Sam. Rhetorfortis *Examen Arminianismi*, scripta Guil. Tuissi, Amesii aliorumque.

XLIV. Hinc ad statum Ecclesiæ, sub sexta hac N. T. ætate, recta descendimus, penes quam nobis occurrunt, *primo* Ecclesiæ *propagatio* ad hæc usque tempora nostra, cum Papalis; tum Reformatæ. Et Papalis quidem, non admodum magna observatur, nisi quod per monachos & imprimis Jesuitas, nomen Christi delatum fuerit ad Indiæ quasdam partes: sed quæ non tam spectabat ad amplificationem regni Christi, quam quidem ad extensionem regni & monarchiæ Papalis, & ut sibi Monachi, ex ea Archiepiscopatus, Episcopatus, aliasque dignitates ecclesiasticas pararent, unde in recitatiunculis paucorum tantum de articulis Christianis verborum, XII. articulorum fidei, precationis Dominicæ verbis, & in superstitiosis quibusdam Ecclesiæ Romanensis ritibus subsistebat. Quicquid tamen sit, quomodocunque saltem Christus ipsis innotuit. Sic apud *Oram Piscariam*, & nonnullos Ceilanorum Regulos, complures ad suscipiendum Baptismum permoverunt, & præter Goanum Archiepiscopatum, multa Collegia erexerunt, & quidem in duas Provincias distincta, quarum *Goana*, socios CCLXXX. numerat; *Malabrica* CL. Itidem in variis Orientis insulis, Maldivis, Moluccis & aliis, ut & in *regno Ormuzio*, Barbaris Christum dicuntur patefeciſſe. Et in ipso *Chinarum* regno, in duobus Collegiis, & tribus Residentiis, XXX. socios alere, profectique in extremam usque Japoniam, Provinciam ibi suæ sodalitatis CXXX. sociorum constituisse. In *Philippinis* etiam insulis, in Chinensi Japonioque mari detectis, provinciam C. sociorum adornasse, ut observat Miræus in Polit. Eccl. lib. 2. Sed pleraque horum, sola fere nituntur fide monachali & Jesuitica. Propagationem potius Ecclesiæ veræ & Reformatæ contemplabimur, exorsi ab *Indis*, Orientalibus & Occidentalibus, procuratam navigationibus, cum Anglorum, tum Belgarum. Refert enim D. Crescentius Matherus, apud Bostenses in Nova Anglia verbi divini Minister, & Harvardini Collegii, quod est Cantabrigiæ in Nova Anglia, Rector, Epistola quadam inde ad Cl. Collegam D. Leusdenum data d. XII. Julii A. MDCLXXXVII. quod jam ab annis XL. D. Joh.

Status Ecclesiæ, sub ætate N. T. sexta.

1. Propagatio Ecclesiæ.

Elliotus, Ecclesiastes Ripensis Novæ Angliæ quo efficacius Euangelium, apud Barbaros Americanos, eorum linguam didicerit, tota Biblia in istam traduxerit, cujus etiam versionis exemplar ad hanc nostramsi Academiam misit, quod etiam Catechesin Indicam fecerit, & diversos tractatus Theologicos ea lingua ediderit, ex conversis Ecclesiam in oppido *Natik* collegerit, cujus membra non absque lachrymis peccata sua fuerint confessi, Christum professi, & cum suis familiis ad Baptismum admissi, etiam S. Cœnam ipsis, juxta institutum Christi administraverit: accessisse Ecclesias huic adhuc quatuor, ex *Massachutensibus*, quibus præsint Ecclesiastæ Americani, adhuc quinque consimiles in *Marshippang*, item in Colonia *Plimouthensi*, magnam esse Christianorum frequentiam, porro in *Capo-Cod*, adhuc plures, sub præfectis Indis, in sex Ecclesias distributos, addit Ecclesias Estamensem, Nanteckensem & complures alias, earumque sacra, gubernationem Ecclesiasticam graphice delineat. Concludit: *Nonnullorum Epistolæ, de successu Euangelii, apud Indos Orientales, præsertim vero Ceylonenses insulanos, stupenda referunt, quasi trecenties hominum millia Christi nomen & Religionem amplexi essent, & has mirandas conversiones, conatuum ministrorum e Belgio missorum fructus esse.* Alia quadam Epistola, data Columbo XX. Decemb. A. MDC. LXXXIV. D. Herm. Specht, scribit, in regno *Jassanapatnam*, sub quo est *Manaar* (non connumeratis tamen hujus posterioris conversis Christianis) *secundum supputationem ultimam, & Catalogum nobis*, inquit, *traditum, inventi sunt Christiani, centies quadraginta & unum millia, quadringenti & quinquaginta sex* (141456) quorum conversioni præpositi sint quinque Pastores. Idem ille D. Specht, alia quadam Epistola, scripta d. VI. Janu. A. MDCLXXXVIII. Columbo, pergit narrando quod ille numerus conversorum Indorum Christianorum, spatio quatuor fere annorum, circiter quadringentis millibus sit auctus: Regnum, inquit, *Jassanapatnam subjectum soli Belgarum societati Indicæ, habet incolas* 278759. *inter quos sunt Indi Christiani*, 180364. Succedit D. Adrianus de Mey, Ecclesiastes & Præfectus seminarii cujusdam, Epistola in Jassanapatnam, data VI. Novemb. A MDCXC. narrans erectum ibidem seminarium, seque ejus præfectum constitutum, in quo pueri Malabarici erudiantur in lingua Belgica, ut mediante ejus cognitione, redderentur apti, ex quibus olim Magistri, Proponentes & Concionatores creentur: & puerorum etiam hujus Collegii profectus in Religione, idem alia Epistola exponit, data Jassanapatnam XXII. Jan. A. MDCXCII. Insuper D. Franciscus Valentinus Dordracenus Ecclesiastes in Amboina, Epistola inde data IV. Jun. A. MDCLXXXVI. memorat, D. Cornelium van der Sluys Ultrajectinum, pertinaci alacritate, verbo divino pascere, ad triginta millia animarum ethnicarum, & ab Ethnicismo pariter & Muhammedanismo, ad Christum perducere, adeo ut uno eodemque tempore, persæpe centeni infantes baptizentur, paulatim adolescentes, laudanda diligentiæ, ingenii & pietatis documenta præbeant. Subjicit: *Floret hic Religio, florent etiam Gymnasia, adoratur notus inter Ethnicos Deus, relictisque patriis —— Diis, verum Deum, verique Dei cultum, non modo amplectuntur superstitione pleni Amboinenses; sed & ipsi —— Muhammedani, baptizari se petentes, hilari animo ad Christum se conferunt* —— Istas Epistolas, ad se scriptas, publicæ lætitiæ donavit Cl. & conjunctiss. Collega D. Joh. Leusden, ceu specimina & primitias uberioris messis, quam repræsentare posset utraque Societas, Indica Orientalis & Occidentalis, cum nostras Belgica, tum & Anglicana, quarum conatibus sua benedictione affatim aspiret divina gratia. Nos hinc recta pergemus ad Ecclesiæ Reformatæ propagationem in partibus Europæis, exorsi (1) partibus Borealibus *Dania* & *Norwegia*, quæ reformatam fidem susceperunt, sub Friderico I. eorum Rege, ad normam Joh. Bugenhagii A. MDXXXVII. hic VII. Ecclesiarum Superintendentes constituit in Dania, & IV. in Norwegia, qui sacris eorum præessent. Accedit (2) Suecia, sub Gustavo Rege A. MDXXV. seque postea suosque fasces, rejecto Sigismundo Rege, prius Duci Carolo commisit; quam Jesuitas, quos Sigismundus A. MDXCVIII. introducturus erat, reciperet. Porro (3) *Bohemia*, jam tum à temporibus Hussi à Pontifice diffidens, & veritatem agnoscens, sub Rudolpho tandem, qui A. MDCIX. libertatem Religionis, literis, quas vocant Majestaticis, eis concessit. Inter *Picardos* (sic vocant qui Pontificem Antichristum appellant) autem, cum plerique Reformatis accederent, nonnulli Lutheranis, Syncretismus coaluit, quem edita fidei *confessione* declararunt, Tubingæ olim impressa, Cal. Aug. A. MDLVIII. Nunc autem Syncretismus Pontificiis decretis dissolutus est, quæ fata etiam manserunt *Moraviam*, *Styriam* & *Austriam*, Ferdinando Patri in Styria succedente, Protestantibus exercitium suæ Religionis prohibente, omnesque solum vertere jubente. (4) *Polonia* A. MDXXV. Doctores Euangelicos habuit Martinum Glassam, Magistrum studii Cracovienſis, Johannem Selucianum, Samuelem monachum Dominicanum, Johannem Cominium A. MDXLII. Laurentium Prasnisium, Felicem Crucigerum Scebresinum in Ecclesia Niedviedzensi A. MDXLVI. Jacobum Sylvium in Ecclesia Chrenecicensi. A quo tempore adeo invaluit, ut primo Sendomiriæ A. MDLXX. in Synodo generali, consensus in fide fuerit sancitus, ac deinceps in aliis, ac demum Wlodislavienſi generali Synodo

Synodo A. MDLXXXIII. confirmatus. Turbata interim fuit à Fausto Socino, qui Cracoviæ blasphemias suas disseminavit per complures annos, usque ad obitum. (5) *Lithuania* ab An. MDXXXIX. vestigia fidei Reformatæ accepit auctore Abrah. Culva Theol. Doct. qui in urbe Vilnensi Scholam aperuerat, in qua LX. discipulos erudiit. Solennius veritas propagata est A. MDLVIII. quando *fratres unitatis* à Ferdinando I. pulsi e Bohemia, in Majorem Poloniam se receperunt, ibique palam Ecclesiam Confessionis Bohemicæ erexerunt An. MDLIII. paulo post confessionis Augustanæ, atque etiam Helveticæ, per totum regnum Poloniæ Ecclesias Euangelicas, passim aperite cœperunt, à quo & Lithuanis lux reformata affulsit. (6) *Belgium*, statim à cœptâ per Lutherum Reformatione, veritatem admisit, & ob eam mox persecutiones sensit, quando An. MDXXII. integrum Augustinianorum cœnobium, pulsis, captis, variis combustis monachis, destructum fuit, & nominatim Bruxellis, duo Augustiniani, quod liberius in indulgentias dixissent, exusti fuerunt A. MDXXIII. Adhinc adeo invaluit veritas, ut ei Carolus V. novis episcopatibus, missis duobus Inquisitoribus A. MDXXVI. & MDXXIX. ad rogatum Pontificis, & porro diriſſimis persecutionibus, obniti debuerit, e quibus postea diuturnum & funestissimum bellum cum Hispanis natum est, quo fides reformata, in Belgio quidem *Hispanico* sic satis suffocata, in *Fœderato*, per Dei gratiam adhuc floret. (7) *Anglia*, quam Henricus VIII. à Romani Pontificis jugo repente subduxit, occasione divortii Regis à Catharina uxore, quod improbabat Papa Clemens, de quo ut vindictam haberet Rex, publico decreto *primatum Papæ* proscripsit, & se, Ecclesiæ Anglicanæ proximum à Christo caput proclamavit, capitis proposita pœna, si quis Episcopo Romano supremam potestatem assereret: tributum etiam annuum, quod *Denarium Petri* vocabant, eidem negavit, servata nihilominus Romanæ Ecclesiæ doctrina, quam antea calamo adversus Lutherum defenderat, eoque Defensoris Fidei titulum à Papa & Cardinalibus sibi meruerat. Interim hoc ipso Antichristianismi Romani radices succidit, &, volens nolens Reformationis fundamenta posuit. Vid. Burnetus in *Hist. Reformationis Anglicanæ*. Structis ab Henrico VIII. fundamentis, Eduardus VI. plenam reformationem superstruxit, evocatis in hanc rem e Germania Petro Martyre & Martino Bucero, hi negotium Reformationis strenue quidem agunt, & ad umbilicum perduxissent, si non fata Eduardum alterum Josiam, in flore ætatis suæ, Anglicanæ Ecclesiæ subduxissent, & Mariæ Reginæ, infensissimæ Reformationis persecutrici, locum fecissent: sed cum divina clementia, nubecula ista brevi transiisset; Maria extincta An. MDLVIII. Elisabetha quæ successit, *Papismum* tota Anglia denuo profligavit, & Euangelii puritatem restituit, sed fastu Episcopali & ineptis compluribus ac ridiculis ceremoniis, contra consilia Bezæ, omniumque Reformatorum transmarinorum, contaminatam, unde postea lerna malorum, ad nostra usque tempora profluxit. (8) *Scotia* Reformationem admisit, opera cumprimis *Johannis Knoxi*, quem Scoti, ceu Apostolum suum venerantur, de quo videri potest Melchior Adami, in *Vitis Theologorum exterorum*. Scoti interim, sub variis fatis, doctrinæ puritatem cum disciplina Apostolicæ proxima, conjungunt, si quævis alia Ecclesia Reformata, unde etiam quavis alia Ecclesia, ab hæresibus, schismatis & scandalis publicis, magis sunt immunes. (9) *Gallia*. In hac enim A. MDXXIII. duobus in locis Euangelium repurgatum doceri cœpit: Gratianopoli in Delphinatu, per Petrum Sebevillam, & Mildæ, per Jac. Fabrum, Guil. Farellum, Arnold. & Gerhardum Russum, Lutetia, ab Episcopo Guil. Brissoneto, ad veritatem docendam evocatos. Quanquam autem Episcopus in veritate agnita non perstitit, ac Doctores evocatos iterum dimisit; receperunt tamen illi se in alia Galliæ loca, & multas passim condiderunt Ecclesias. Sed Reges Gallicani, etsi nunquam non maximis contentionibus à Pontifice dissidebant, nihilo tamen minus etiam tum, cum oppugnarent Papam, Papatum defenderunt, & Episcopis animadvertendi in Reformatos, potestatem fecerunt. Hinc toties Ecclesiæ Reformatæ martyrum sanguine maduerunt, Henrico II. & Francisco II. pravæ in Gallia inquisitionis auctoribus, non desinentibus sævire in Confessores fidei, usque dum ille, in hastiludio interficeretur; hic aure putrefacta corrueret. Tandem Carolo IV. adhuc sub tutoribus vivente A. MDLXI. pax aliqua, per DECRETUM, ut vocant, JANUARII, concessa fuit Ecclesiis Reformatis, quarum præcipuam Farellus, Viretus & Calvinus Genevæ plantaverant. Quæ tamen pax non raro turbata fuit, quando Guisii Pontificii, adversus Condæum Reformatæ Religionis assertorem, bella ex bellis texuere: donec tandem fors benignior Reformatis adspiraret, cum Henricus III. & IV. libertatem Religionis Hugonottis confirmarent, à quo uterque horum, Jesuiticis sicariorum telis misere interemptus, periit. Nec sic tamen confessores veritatis adversus Papatum eradicari potuerunt. Eorum enim constantia, tam feliciter, varia persecutionum tela sustinuit & elisit, ut ad nostra hæc infelicia tempora, sua Religione gavisi sint, licet difficultatibus implicatissimi. Jesuitæ vero, quorum discipulus Castellus, Henricum IV. fica petierat, jam An. MDXCIV. Collegiis suis exire, & Galliæ regno cedere jussi sunt, qui tamen A. MDCIV. reversi sunt. Interim *Hugonottorum* nomen Reformati consecuti sunt. A. MDLX.

Turoni, ab eo quod apud Portam Hugonis convenire solerent, quamvis non desint, qui malint ita dici, ab ædibus cujusdam Hugonis, in quibus sacra Parisiis facere solerent: aliis etiam magis placet, quod Guisii, à Carolo M. sibi genus adscribentes, odioso nomine, adversarios suos Condæos, originem ex Hugone trahentes, appellaverint *Hugonottos*. (10) *Germania* tandem, quam primo loco dicere debuissemus, hoc ordine pro jugo papali, libertatem Christianam accepit. Eduardus Princeps Frisiæ Orientalis, primus fuit, post inchoatam in Saxonia Reformationem, qui lectis Lutheri scriptis A. MDXX. superstitiones nonnullas abrogavit. Hunc anno sequenti, *Wormatienses*, *Erphurtenses*, *Goslarienses*, *Halberstadienses*, *Hamburgenses* & alii sunt secuti. Omnium tamen primi, monachi Augustiniani Wittembergæ A. MDXXI. Missam privatam, ejusque Canonem abrogarunt, & Academiæ ac Lutheri consensum impetrarunt. Et Lutherus A. MDXXIII. formulam S. Synaxeos, in Electoratu Saxoniæ observandam, præscripsit, privatamque peccatorum confessionem, à Carolstadio abrogatam temere restituit, & post biennium demum, usum linguæ vernaculæ in sacris, introduxit. Ab hoc tempore, passim Moniales habitum superstitiosum deponere, claustris valedicere, ad matrimonium transire, & Ecclesiastæ reformati idem facere cœperunt. Ipso etiam Luthero eis suo exemplo prælucente, quando habitu monachali depositio, Catharinam à Boren monialem, uxorem duxit. Ordinationem Ministrorum, plusculum ad ordinationes Apostolicas revocavit, & primum Georgium Rorarium suo ritu sacris initiavit, visitatione neque à Johanne Electore impetrata, ministros Ecclesiis passim præfecit, ad cujus exemplum, multi Principes se componere cœperunt. Certatim accesserunt, in *Borussia* Albertus, in *Megapoli* Henricus Magni filius, in *Suecia* Gustavus, in *Luneburgo* Ernestus, in *Hassia* Philippus, accurrebant, opera Bugenhagii Pomerani, *Brunswicenses*, *Magdeburgenses*, *Lubeccenses*, *Gottingenses*, atque insuper A. MDXXIX. *Basileenses & Argentinenses*, confractis etiam statuis & imaginibus, ex institutione Zuinglii, & An. MDXXXIV. *Wurtembergenses* sub Ulrico Duce, & *Hildesheimenses*, anno sequenti, *Pomerani* A. MDXXXIX. *Marchiaci* sub Joachimo I. & mortuo Georgio *Lipsienses*, subsecuti sunt *Palatini*, *Megapolitani*, *Transylvani*, & qui non alii: ipsi etiam *Bavari* & *Austriaci* quodammodo è tenebris emerserunt, quando pecuniam in bellum Turcicum collaturi, intercedebant pro libero Religionis exercitio, & calicis communionem impetrabant, eâ tamen lege, ut in reliquis Ecclesiæ Romanensis ritibus, nihil innovaretur. Et *Colonienſibus*, quibus primam lucem debeo, major felicitas affulsit; sed brevi durans: Hermannus enim eorum Archiepiscopus evocavit ex Hassiâ, Melanchtonem, Bucerum, Hedionem & Joh. Pistorium, ut suâ operâ Archiepiscopatum reformarent: & Bonnæ quidem Euangelium repurgatum prædicabatur, cum Gropperus apostata & reliqui ex Academiâ Colonienſi, ad Pontificem & Cæsarem provocarent, & Hermannus à Cæsare & Pontifice in jus vocatus excommunicatusque A. MDXLVII. Adolpho Schaumburgico Archiepiscopatum tradere cogeretur. Eadem Fata manserunt Salentinum Comitem Isenburgicum v. & Gerhardum Trucheſium Archiepiscopos, qui cum, ductis uxoribus, Reformationem Religionis, juxta pacem, utrique Religioni in Imperio datam, meditarentur: ille quidem A. MDLXXVII. sua sponte Episcopatu abiit; hic post sexennium, fulmine papali percussus est, & quamvis ab initio, se bello defendere conaretur; tamen Ernestum Bavarum successorem accipere coactus fuit. *Martisburgenses* An. MDXLIV. acceperant Administratorem Augustum Saxoniæ Ducem, Episcopum vero Georgium Anhaltinum, sacris concionibus celebratissimum. *Naumburgenses* etiam, pro Julio Pflugio Romanistâ acerrimo, Nico. Amsdorffium, nobilem Misnicum, & Theologum eximium, ab ipso Lutheri initiatum, acceperunt. Sed bello Germanico A. MDXLVII. exardescente, Pflugius restitutus est Naumburgi, & Michaël Sidonius Episcopatui Martisburgensi, donec utroque defuncto, Superintendentes constitueret Augustus Saxo. Multas alias civitates dissidium Religionis sollicitas habuit, & inter alias potissimum *Aquisgranum* & *Donawerdam*, quarum illa quidem Reformationem admisit; sed A. MDLXXX. hæc MDCVII. Missam denuo recipere coacta fuit. Singulas autem singularum Ecclesiarum reformationes, quis dixerit cumprimis compendio studens?

Ad propagatores igitur, seu Ecclesiarum ædificatores, sub hac ætate progrediamur, & primo quidem ad puriores seu *Reformatos*, tum ad *Lutheranos* impuriores, tandem & *Pontificios*, quanquam reformationi potius obstiterint, quam profuerint, quibus subjungemus nominatiores ex *fanaticis*. Inter *Reformatos*, nominandus I. *Martinus Lutherus*, Islebii oppido Comitatus Mansveldiæ, Patre Johanne, Matre Margaretha Lindemannâ, honestis parentibus natus A. MCCCCLXXXIII. Primis literis Magdeburgi & Isenaci imbutus, Magister Philosophiæ dictus Erphordiæ A. MDVIII. Mox anno sequenti, monachus Augustinianus, quadriennio post à Friderico Elect. Saxoniæ, Wittembergæ Professioni Theologicæ admotus, Romam ad componenda dissidia quædam, auctoritate publica missus, post reditum A. MDXII. professione suâ fungi cœpit. Reformationis negotium exorsus est A. MDXVII. scriptis pariter & vivâ voce prosecutus, formulam fidei suæ in Comitiis Augu-

Augustanis, Carolo v. exhibuit, & constanter postea propugnavit. Sibi tamen plusculum addictus, in articulo de S. Cœnâ, pertinacius obstitit Carolstadio Collegæ, hinc etiam Helvetiis fundamenta schismatis Lutherani hoc ipso struxit, licet fatis jamjam cessurus, dicatur istud suum ἥττημα, apud Melanchtonem agnovisse, & ab eo monitus, ut aliter se declararet, vel saltem leni quodam scripto, illata Ecclesiæ vulnera utcunque sanaret, professus sit, id se suapte sponte facturum, ni metueret, hoc pacto, universam suam doctrinam suspectam iri. Denatus est Islebii patriâ suâ, sepultus Wittembergæ, funebrem concionem ei dicente Pomerano, & Melanchtone orationem fatalem. Scripta ejus Tomis Jenensibus & Wittembergensibus prostant. (2) *Philippus Melanchton*, Lutheri collega, timidior quidem indole; sed purior doctrinâ, Germanis dicitur *Schwartzerd*, natus Brettæ inferioris Palatinatus oppido, Patre Georgio, Matre Barbara Reuterina An. MCCCCXCVII. Baccalaureus creatus est Heidelbergæ An. MDXI. annos natus XIV. Magister Philosophiæ Tubingæ A. MDXIII. annorum XVII. Consilio Joh. Reuchlini, à Friderico Saxoniæ Electore Wittembergam evocatur A. MDXVIII. docturus linguam Græcam. Luthero in reformatione, fidus fuit παραστάτης. Tradendis linguis, Philosophia & Theologia, tam felix & assiduus exstitit, ut communis Germaniæ præceptor salutetur. In articulo de cœna à Luthero fuit alienior, hoc nomine ab ingratis discipulis variè traductus; in capite autem de gratia & libero arbitrio, puritate vincitur à Luthero, ut patet ex hujus scripto de *servo arbitrio*. Obiit Wittembergæ A. MDLX, ætatis suæ LXIII. (3) *Ulricus Zuinglius*, Helvetius, natus in pago Wildeham A. MCCCCLXXXVII. studiorum rudimenta posuit Basileæ primum, dein Bernæ, hinc Viennæ in Austria, Magister artium renunciatus, Sacerdotium accepit Glaronæ, Euangelium purius prædicare cœpit A. MDXVI. cum Lutheri nomen in istis oris necdum innotuisset, postquam puriorem de Justificatione doctrinam hausisset à Thoma Wittenbachio, Basileensi Theologo A. MDV. ex qua postmodum indulgentias impugnavit. Tigurinæ Ecclesiæ Doctor & Antistes constitutus est An. MDXIX. ubi primus Euangelium annunciavit secundum Euangelium, cum multo Auditorum applausu, illudque propugnavit compluribus scriptis, colloquio etiam publico Marpurgi A. MDXXIX. super negotio de Eucharistia. Bello tandem Helvetico Civili, ministerio castrensi fungens, occubuit. (4) *Joh. Oecolampadius*, Germanis *Hausschein*, Winsbergæ oppido Cheruscorum A. MCCCCLXXXII. natus, artium Baccalaureus, mox & Magister factus Heidelbergæ. Jurisprudentiæ studio seipsum primo impendit Bononiæ, dein sub Joh. Reuchlino, Tubingæ, Philologiæ, hinc trium linguarum peritissimus, Theologus esse maluit, quam Juris consultus. Fuit primo patriæ Ecclesiastes, tum Basileæ, ibidem Doctor renunciatus A. MDXVI. post etiam Augustæ Vindelicorum, tandem, variis jactatus casibus, primus Euangelii repurgati professor, ac summi templi Basileensis Ecclesiastes, ex anthrace obiit, non multis septimanis post Zuinglium suum. (5) *Bertholdus Hallerus*, Helvetius, natus A. 1492. Apud Coloniam Agrippinensem, Baccalaureatu Theologico ornatus, & in patriam reversus, primo Canonicus, tum Concionator electus Bernæ, primus purioris Euangelii amplectendi auctor fuit patriæ, cum Zuinglio collega deceſſit. (6) *Andreas Bodenstein*, à patria Carolstadius, Doct. & Professor Wittembergæ, itidem Canonicus & Archidiaconus, Lutherum Theologiæ Doctorem renunciavit An. 1512. hinc inter primos ibidem, doctrinæ Lutheri adstipulatus, Luthero in Pathmo suo delitescente, Missam privatam primus eliminavit, imagines è templis sustulit, nec non auricularem confessionem, discrimina ciborum, invocationem Sanctorum, Symbola in S. Cœna, laicis in manus dedit, aliosque ritus superstitiosos immutavit: sed hæc se absente facta, Lutherus aliquot concionibus impotenter impugnavit, & quasi non justo ordine suscepta, retractavit & restituit. Hinc utriusque dissensio, quæ in schisma Sacramentarium postea erupit. Tandem Ligeri & Basileæ pro Cathedra & suggestu S. literas docuit. Obiit A. 1541. (7) *Simon Grynæus*, Veringæ Sueviæ oppido natus A. 1493. Melanchtonis condiscipulus, Philosophiæ Magister dictus Viennæ Austriæ. Ob triplicis linguæ, Philosophiæ & Theologiæ veræ peritiam & usum, quas apud Academias Viennensem, Wittembergensem, Basileensem, per complures annos professus est, laudatissimus. Obiit ex peste. (8) *Wolfgangus Fabricius Capito*, Medicinæ, post Theologiæ Doctor, apud Basileenses docendo & disputando, veram doctrinam inculcavit. Fit Concionator & Consiliarius Archiepiscopi Moguntini, clam Euangelio impense faventis, ordini Equestri etiam adscriptus à Carolo v. cum observaret, se apud Moguntinum, quod volebat assequi non posse, Argentoratum concessit, ibique Euangelium docuit, tum & Hagenoæ in Patria. (9) *Paulus Fagius*, Palatinus, apud Tabernas Rhenanas natus, Hebraice peritissimus, Isnæ moderator scholæ, dein Pastor ibidem, hinc Constantia urbe reformatâ, per biennium, apud Argentoratum, pastor exstitit & Doctor Ann. 1544. donec cum Bucero collega, Cantabrigiam Angliæ vix assecutus, ibidem obiit. (10) *Martinus Bucerus*, Selestadii oppido Alsatiæ natus A. 1491. postquam per vicennium integrum, apud Argentinenses, in Ecclesia pariter, & Schola docuisset, Eduardo VI. vocante, in Academia Cantabrigiensi, Theologiam per biennium

profeſſus, ibidem obiit A. 1552. pacis eccleſiaſticæ nimium ſtudioſus. (11) *Sebaſtianus Munſterus*, Theol. & Hebrææ linguæ Profeſſor Baſileenſis, Coſmographus egregius A. 1552. (12) *Conradus Pellicanus*, perſpecta veritate Euangelica, ſolidamque Hebrææ linguæ peritiam adeptus, S. literarum Profeſſor, primum Baſileæ, dein Tiguri. An. 1556. (13) *Petrus Martyr Vermilius*, Florentiæ in Italia natus A. 1500. Patavii totius Philoſophiæ & linguæ Græcæ, Bononii etiam Hebrææ peritiam nactus, Auguſtinianorum ordini, in monaſterio Feſſulano adſcriptus, concionator per Italiam exſtitit famigeratiſſimus, Euangelica luce radiatus, Neapoli primo, tum Lucæ, reformationis fundamenta poſuit: mox Romæ uſtulandus, amicorum ſuaſu, patriæ valedicens, Tigurum primo, inde Baſileam, poſt, procurante Bucero Argentoratum eſt vocatus, quin & cum eo, ab Eduardo VI. ad profeſſionem Oxonienſem excitus, mox ſuccedentibus ibidem perſecutionibus Marianis, Argentorati in priſtinam ſtationem reſtitutus, tandem Tiguri ſenectæ ſuæ portum eſt conſecutus. A. 1562. (14) *Wolfgangus Muſculus*, Argentinæ, dein Auguſtæ Vindelicorum Paſtor, tandem Bernæ S. literarum Profeſſor. A. 1564. (15) *Andreas Gerardus Hyperius*, Hyperis oppido Flandriæ natus A. 1511. Patre Andrea, apud Hyperas Juriſconſulto, Eccleſiæ & Academiæ Marpurgenſis Doctor An. 1563. (16) *Johannes Calvinus*, Novioduni Vermanduorum oppido natus A. 1509. Lutetiæ primum Philoſophiæ, dein Aureliæ & Biturigis, Juriſprudentiæ ac Theologiæ operam dedit, Baſileæ Hebraicis literis ſe totum mancipavit. Italiâ dehinc à limine ſalutatâ, Galliæ ſuæ valedicens, per Allobroges in Germaniam perrecturus, Genevæ præter ſpem, non modo Concionator; ſed & S. literarum Doctor, à Senatu eſt delectus A. 1536. ubi repurgatam Religionem ac diſciplinam, eliminata idololatria papali, cum Guil. Farello & Petro Vireto, conſtituit, cum infinitis difficultatibus, ob quas deinceps, relictâ aliquantiſper urbe, Argentoratum ſeceſſit, ibique Eccleſiam Gallicanam fundavit, reſtitutus demum Genevæ, omnium ſententia, denuo inſtauratam Eccleſiam totos annos XXIII. gubernavit, ſcriptis clariſſimus. Obiit ex phtiſi, vigiliis & immodicis jejuniis laboribuſque contracta A. 1564. ætatis LV. (17) *Guil. Farellus*, in Delphinatu Galliæ, nobili familia natus A. 1489. Inter primos veritatem reformatam Gallos docuit. Baſileæ cum Theologis, Zuinglio, Oecolampadio, Hallero, amicitiam contraxit, A. 1524. in monte Bellicardi, Euangelium Reformatum aliquamdiu & alibi docuit. Genevenſem Eccleſiam cum Vireto reformavit, dein Metim venit A. 1541. ibidem docens, inde digreſſus Novocomi conſedit. Obiit A. 1563. (18) *Victorinus Strigelius*, Ivonis Strigelii Medici filius, Lutheri & Melanchtonis auditor, Theologiam Jenæ docuit, dein Lipſiæ, tandem Heidelbergæ. Obiit A. 1569. (19) *Benedictus Aretius*, Bernenſis, Prof. Logices in Acad. Marpurgenſi, deinde in ſchola patriâ Theologus. A. 1574. (20) *Henricus Bullingerus* Helvetius, Paſtor & Antiſtes Tigurinus, ſuffectus Zuinglio. Obiit An. 1575. (21) *Immanuel Tremellius*, natus Ferrariæ in Italia, Patre Judæo, linguæ Hebrææ doctiſſimus, ejuſque Profeſſor Heidelbergæ, cum Franciſco Junio Biblia traduxit in linguam Latinam. Obiit A. 1580. (22) *Zacharias Urſinus*, Uratiſlavienſis Sileſius, ſcholæ patriæ Rector, hinc Profeſſor Theol. in Acad. Heidelbergenſi, cum Caſp. Oleviano, auctor Catecheſeos Palatinæ. Obiit A. 1583. (23) *Hieronymus Zanchius*, Italus, docuit primum S. literas Argentorati, ſubinde etiam extra ordinem Ariſtotelis Philoſophica, hinc Eccleſiæ Clavennenſis, in confiniis Italiæ paſtor, porro Doct. & Profeſſor Heidelbergenſis, tandem Neoſtadienſis. Obiit A. 1590. (24) *Antonius Sadeel*, ex illuſtri Chandærorum genere natus, primum Lauſannæ, tum Genevæ Paſtor per complures annos. Obiit A. 1591. (25) *Lambertus Danæus*, Aurelianenſis Gallus, primum Eccleſiæ Genevenſis Paſtor, tum Profeſſor Theol. Leidenſis, hinc Gandavi, tandem in Acad. Ortheſiana in regno Navarræ. Obiit A. 1596. (26) *Daniel Toſſanus*, Aurelianenſis Gallus, Eccleſiæ patriæ paſtor, hinc poſt ſuperata varia pericula, Friderico III. Elect. Palatino à concionibus, poſt ejus obitum, in Eccleſia & ſchola Neoſtadienſi docuit, tandem ad Profeſſionem Heidelbergenſem reverſus. Obiit A. 1602. (27) *Theodorus Beza*, Vezeliis Heduorum oppido, nobili genere natus A. 1519. Græcas literas docuit in Acad. Lauſannenſi, atque etiam ſacra, legatus à Reformatis Pariſienſibus, ob Religionem preſſis, in Germaniam A. 1557. Melanchthonem alioſque compellavit, digreſſus Lauſanna, Genevæ cum Calvino docuit, Miniſter factus Eccleſiæ, & ſcholæ primus Rector. Obiit A. 1605. (28) *Amandus Polanus*, Oppariæ Sileſiorum natus, Patre Henrico Polano à Polansdorf, urbis Syndico A. 1561. Literas hauſit Uratiſlavii, Tubingæ, Baſileæ, Baronum quorundam Moravorum, imprimis Zerotinii, Genevæ, Heidelb. in Moravia & alibi Ephorus, ſuaſu Grynæi, Doctor Theologiæ renunciatus eſt Baſileæ, ibidem etiam per ſexennium Profeſſor. Obiit An. 1610. (29) *David Pareus*, Sileſius, Francoſtenii natus A. 1548. Patre Johanne Wænglero. Sed gentilitium nomen Germanicum, à præceptore Hirſchbergæ, ἀπὸ τῆς παρείας, quod Latinis genam, Germanis *Wange* notat, Græcum factum, ipſum *Pareum* nominavit. Fuit diſcipulus Urſini, pictoriæ artis, naturâ duce, peritus. Neceſſariis trium linguarum artiumque præſidiis imbutus, Theologiæ ſe

se applicuit, & A. 1571. in aliquot Palatinatus Ecclesiis Pastor cum fuisset, factus est Professor primarius in Acad. Heidelb. Occupata autem ab Hispanis urbe A. 1621. Anviliam oppidum Bipontinatus Palatini concessit, ibidem devastationem Palatinatus luxit, & totus fuit in poliendo Ursini *Corpore doctrinæ*, seu opere Catechetico; hinc Neustadium transiit, & paulo post Heidelbergam reversus, cum Friderico Electore, hactenus exule, ipso die pentecostes, in templo Spiritus S. Heidelbergensi, & universa Ecclesia, S. Synaxi usus, non multo post placide exspiravit A. 1622. humatus in templo D. Petri, sacello Academiæ. Filios reliquit Philippum, scholæ Neustadiensis, tum Hanovienses Rectorem, & Danielem, viros doctissimos. (30) *Abrahamus Scultetus*, Grunbergæ Silesiorum natus A. 1566. studiorum causa, sese A. 1582. contulit Uratislaviam, mox a Patria conflagrata, domum vocatus, Freistadium oppidum vicinum, ad studia continuanda perrexit, ibidem Abrah. Bucholcerum præceptorem nactus, ad scholam Gorlicensem in Lusatia, vocatus est A. 1585. Hinc Academiam Wittebergensem salutavit A. 1588. collegiis Philosophicis privatim habendis profecit, donec A. 1590. Heidelbergam evocaretur, futurus à Concionibus Friderico IV. Electori, postquam per triennium insignium Theologorum auditor fuisset, & privatim, in Oratoriis, Ethicis & Sphæricis, studiosos informasset, hinc Pitisco, in Ecclesia Francisæana pastor adjunctus A. 1614. tandem Doct. & Professor in Academia renunciatus, Fridericum V. in Bohemiam comitatus est, eoque profligato A. 1621. mox Brettam oppidum Palatinum, hinc Schorndorffium, Ducatus Wurtemburgici, insuper Embdam ad ministerium Ecclesiasticum vocatus A. 1622. ibidem supremum diem clausit A. 1624. ætatis 58. (31) *Johannes Piscator*, Argentoratensis, Theol. Professor apud scholam Herbornensem, natus A. 1546. denatus A. 1625. (32) *Matthias Martinius*, Theologus Herbornensis primum, tum Bremensis. (33) *Joh. Henricus Alstedius*, Philosophus & Theol. Professor Herbornensis, tum Albæ Juliæ in Transylvania. Obiit A. 1638. (34) *Antonius Walæus*, natus A. 1573. Doct. & Professor in Acad. Leidensi. Obiit A. 1639. (35) *Guil. Amesius*, Anglus, Doct. & Professor Franequeranus, obiit Rotherodami. (36) *Franciscus Gomarus*, Flander, Professor primo Leidensis, tum Groninganus. (37) *Henricus Altingius*, Palatinus, Professor Heidelbergensis primo, tum Groninganus. Obiit A. 1644. (38) *Joh. Maccovius*, Polonus, natus Lobseniæ, cursum Philosophicum absolvit Dantisci, sub Bartholomeo Keckermanno, Ephorus Generosorum Sienensium, Pragæ cum Jesuitis, Lublini in Polonia Minore, cum Socinianis sæpius disputavit, in Academiis, Heidelbergensi, Marpurgensi, Wittembergensi, Jenensi, plurimis exercitiis & colloquiis ingenium acuit, donec A. 1613. in Acad. Franequerana, Sibrando Luberto, Doctor Theol. renunciaretur, & mox Professoratum extraordinarium A. 1615. & ordinarium A. 1616. consequeretur. Obiit ibidem A. 1644. funebrem ei dicente Collega Joh. Coccejo. (39) *Andreas Rivetus*, Sammaxentinus Pictavus, natus A. 1571. Theol. Doct. & Professor Lugduni Batavorum. Obiit Bredæ in Brabantia. (40) Ludovicus & Johannes Crocii, fratres, ille Bremensis; hic Marpurgensis, Theologiæ Professores. In nostra Ultrajectina Academia floruerunt. (41) *Gisbertus Voetius*, Heusdanus, in Ecclesia patria pastor, tum in Ultrajectina, Academiam Ultrajectinam inauguravit, Synodi Dordracenæ membrum ultimum superstes, vir famigeratissimus præceptor meus, cujus memoria mihi nunquam non erit in veneratione. Obiit octuagenario major A. 1676. cui ego successi in professione A. 1677. (42) *Carolus Dematius*, Selandus, itidem Præceptor meus Venerandus. (43) *Johannes Hoornbeek*, Harlemensis, Ecclesiastes primo sub Cruce apud Coloniam Agrippinensem, à quo prima Religionis rudimenta Catechetica ibidem hausit, tum Ecclesiastes & Professor Theol. in Ultrajectina nostra, ubi ipsum Præceptorem habui & fautorem benignissimum, Ultrajecto Lugdunum Batavorum abiit, ad professionem pariter & munus Ecclesiasticum, ubi supremum diem clausit. Accedunt (44) *Andreas Essenius*, Theol. & Philosophiæ Doctor, Ecclesiastes & Professor Theologus, Ultrajecti, vocatus A. 1653. Obiit A. 1676. (45) *Franciscus Burmannus*, per biennium circiter, meus in Professione Theol. collega. Obiit A. 1681. In Academia Lugdunensi itidem claruerunt, Jacobus Triglandius, Fridericus Spanhemius Senior, Abrahamus Heidanus, Johannes Coccejus Bremæ natus A. 1603. primo Professor Theologiæ Franequeranus, tum Leidensis, in Hebræa cumprimis Philologia excellentissimus. Adhuc viventes passim per Europam reformatam Theologos posteris describendos relinquo. Pauci sunt quos dixi, & quis omnes diceret, cum primis compendium scribens? Si enim describendi forent, in *Anglia*, Thomas Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus, Johannes Juellus, Guil. Wittakerus, Joh. Rainoldus; in *Scotia*, Rollocus, Malcolmius, Napeirus, Foxius, Forbesius; in *Gallia*, Daniel Chamierus, Augustinus Marloratus, Philippus Mornæus: in *Palatinatu*, Georgius Sohnius, Pantaleon Candidus, Quirinus Renterus, Petrus Pocquinus, Bartholomeus Pitiscus; *Bremæ*, Christophorus Pezelius, Urbanus Pierus; in *Helvetia*, Simon & Thomas Grynæus, Leo Judæ, Conradus Pellicanus, Theodorus Bibliander, Jesias Simplerus, Ludovicus Lavaterus, Rudolphus

Gual-

Gualterus, Joh. Guil. Stuckius, Joh. Henric. Hottingerus, ſi inquam hi omnes, cum infinitis aliis, repræſentandi eſſent, qui finis foret?

Subjiciamus interim celebriores quosdam ex *Lutheranis*, quales, 1. *Jacobus Andreæ*, Waiblingenſis Wurtembergicus, fabri ferrarii filius, hinc Schmidinus dictus, primum Diaconus Stutgardienſis, poſt Tubingenſis, hinc Superintendens Goppingenſis, tandem Præpoſitus Tubingenſis, & Academiæ Cancellarius. Obiit A. 1590. 2. *Joh. Arndius*, Superintendens Lunæburgicus, ſcriptis practicis notiſſimus. 3. *Fridericus Balduinus*, Dreſdenſis, ſuperintendens Wittembergicus, diſputationibus ad Articulos Schmalcaldicos, explicatione Epiſtolarum Paulinarum, Anti-Serario, Anti-Scioppio, Caſibus conſcientiæ aliiſque clarus. Obiit A. 1628. 4. *Joh. Brentius*, Suevus, natus A. 1499. Lutheri παιδαγώγης, ubiquitatis acerrimus Patronus. Halæ Saxonum per annos 26. docuit. Obiit ſeptuagenarius. 5. *Abr. Bucholcerus*, paſtor Sprottavienſis, Croſnenſis & Freiſtatenſis, Chronologus egregius. Obiit A. 1584. 5. *Georgius Calixtus*, Helmſtadienſis Profeſſor acutiſſimus, Harmonia Euangeliſtarum, Compendio Theol. & aliis ſcriptis commendatiſſimus, ubiquitatis hoſtis, pacis amantiſſimus. 6. *Martinus Chemnitius*, Bricenſis Marchita, Theologus Brunsvicenſis, Examine Concilii Tridentini, Harmonia Euangelica, & locis communibus notiſſimus. Obiit A. 1586. 7. *David Chytræus*, Wurtembergicus, ex Academia Wittembergenſi Roſtochium vocatus, Poëta, Hiſtoricus, Philoſophus & Theologus inſignis. Obiit A. 1600. 8. *Georg. Dedekennus*, Paſtor Hamburgenſis, editis Conſiliorum Theologicorum voluminibus celebris. 9. *Henricus Eckhardus*, Theologus Greſſenſis, faſciculo Controverſiarum Calviniſticarum, commentario in Pſalmos aliiſque notus. 10. *Matthias Flacius Illyricus* Albonenſis, Clavi Scripturæ, Catalogo teſtium veritatis, Centuriis Magdeburgenſibus procuratis, aliiſque celeberrimus. Profeſſor primum fuit Wittembergenſis, dein Magdeburgi tempore belli Germanici ſubſtitit, donec Jenam evocaretur. Unde ob contentionem de libero arbitrio, cum Strigelio exortam, Ratisbonam abiit, hinc Antwerpiam evocatus eſt, inde Argentoratum commigravit, & tandem Francofurti ad Mœnum obiit A. 1575. Quia peccatum originale habuit pro ſubſtantia, hinc à Lutheranis, ſchiſmaticis annumeratur. 11. *Joh. Forſterus* Auguſtanus, Theologus Wittembergenſis, Reformator Hennebergenſium, Lutheri in verſione Bibliorum Succenturiator induſtrius, auctor Dictionarii Hebraici. Obiit A. 1556. 12. *Wolfgangus Francius* Voitglandus, Diſputationibus in Auguſtanam Confeſſionem, Anti-Smalcio, libro de Interpretatione Scripturæ, tractatu de ſacrificiis, & ſacra animalium hiſtoria, clariſſimus. Obiit A. 1628. 13. *Joh. Gerardus*, Theologus Jenenſis, locis communibus, continuatione Harmoniæ Euangelicæ, & Schola pietatis, celeberrimus. 14. *Salomo Glaſſius*, Profeſſor Hebrææ linguæ, inde Superintendens Sangerhuſanus, Philologia ſacra & aliis opuſculis commendatiſſimus. 15. *Albertus Grauerus*, Jenenſis Theologus, ex abſurdis abſurdiſſimis Calvinianorum, ipſe abſurdiſſimus. Obiit A. 1617. 16. *Chriſtophorus Helvicus*, Profeſſor Gieſſenſis, Tabulis Chronologicis, Elencho Judaico & Vindicationibus Locorum Scripturæ notiſſimus. 17. *Tilemannus Heſhuſius* Jenenſis primo, tum Regiomontanus, tandem Helmſtadienſis Theologus, quam acriter primo propugnaverat ubiquitatem corporis Chriſti, eam poſtmodum cum Hofmanno Collega, fortiter etiam impugnavit. Obiit A. 1581. 11. *Matthias Hoë*, nobilis Auſtriacus, Paſtor aulicus & Superintendens Dreſdenſis, in Reformatos ſatis iniquus, edito in eos libello XVII. Articulorum; ſed cui ſpiſſis voluminibus Germanice reſpondit Chriſtoph. Maſſonius, alias Becmannus. Edidit præterea Commentarium in Apocalypſin. 19. *Ægidius Hunnius*, ruſtici filius, natus A. 1550. Docuit Marpurgi & Wittembergæ, ſatis item iniquus in Reformatos. Colloquium Ratisbonæ habuit cum Jacobo Gretſero Jeſuita. Obiit A. 1603. 19. *Georgius Major*, Noribergenſis, quem, quod bona opera diceret ad ſalutem neceſſaria, quod ceremonias interimiſticas admitteret, & quod Reformatis faveret, Lutherani Schiſmaticis Adiaphoriſtis connumerant. Opera ejus tribus tomis proſtant. Obiit A. 1574. 20. *Balthaſar Meiſnerus*, Dreſdenſis, natus A. 1587. Theol. Prof. Wittembergenſis, ſcriptis: Philoſophiâ Sobriâ, Anthropologiâ ſacrâ, Chriſtologia, aliiſque de Photinianiſmo, Adiaphoris, celeberrimus. Obiit A. 1628. 21. *Balthaſar Menzerus*, Haſſus, natus A. 1565. Exegeſi Auguſtanæ Confeſſionis, aliiſque ſcriptis eriſticis fere, notiſſimus. Obiit A. 1628. 21. *Philippus Nicolai*, Waldeccenſis, Eccleſiaſtes Hamburgenſis, ſcriptis de fundamento fidei Calvinianæ, de regno Chriſti, de vita æterna, aliiſque ſuis, ut fit, quam commendatiſſimus. Obiit A. 1608. 22. *Andreas Oſiander*, Bavarus, per XVII. annos Concionator, in conventibus Auguſtæ & Ratisbonæ, cum ſe Pontificiis fortiter oppoſuiſſet, propter Interimiſtica diſſidia pulſus, in Boruſſiam pervenit, cum in negotio de Juſtificatione, nova moliretur, ſuorum animadverſiones jure incurrit, & A. 1552. obiit. Ejus filius Lucas Oſiander, Eccleſiaſtes aulicus Wurtembergenſis, Encheiridiis Controverſiarum, & notis in Biblia, ſuis commendatus, obiit A. 1604. 23. *Moſes Pflacherus*, Paſtor Kemptenſis, Analyſi typicâ librorum S. Codicis, aliiſque ſcriptis commendatus. 24. *Chriſtophorus Pelargus*, Sileſius, Superintendens Generalis Marchiæ, &

Pro-

Professor Francofurtanus ad Oderam, à lectione Patrum, Commentario in Genesin, in Damascenum, in Matthæum, Schola item fidei, aliisque scriptis commendatissimus: quod Reformatus esset, suis sordidus, meus aliquando quoad Professionem Theologicam, apud Francofurtensem illam Academiam, Antecessor. 25. *Conradus Schlusselburgius*, Saxo, Pastor primum Wismarienſis, inde Antwerpiensis, tandem Stralsulsensis, ex odio in Calvinianos & Hæresiologia, suis notissimus. 26. *Josua Stegmannus*, Theologus Rintelensis, ex Photinianismo confutato, & libello precationum, notus. 26. *Paulus & Johannes Tarnovii*, Rostochienses Theologi, ille libro de ministerio & commentario in Johannem; hic Commentario in Prophetas minores, & Exercitationibus Biblicis, nominatissimus. Obiit A. 1623. 28. *Michaël Waltherus*, Professor Helmstadiensis, Officina & Harmonia Biblica notissimus. Hos ex compluribus aliis, notiores designavi, aliis suis relictis.

Scriptores Pontificii.

Ex *Pontificiis*, nonnullos etiam subjiciemus, & quis singulos possit? *Tezelium*, *Wimpinam*, *Eccium*, *Prieratem*, *Hogostratum*, *Catarinum*, *Fabrum*, aliosque, qui primi Reformationi se opposuerunt, non commemorabimus. His suffragati, *Johannes Roffensis* Episcopus, alias Fischerus dictus, *Thomas de Vio Caietanus*, *Thomas Morus*, *Jacob. Latomus*, *Emserus*, *Joh. Cochlæus*, *Alb. Pighius* Campensis, scriptis se Luthero opposuerunt. *Erasmus* etiam *Roterodamus*, vir doctissimus, ab initio quidem, nec absque promisso Episcopatu, Luthero insurrexit, scripto de *Libero arbitrio*, cui Lutherus opposuit aureum libellum de *servo* arbitrio, quem etiam adversus ulteriores ejus insultus, vindicavit suo *Hyperaspista*. Ventris causa, in eundem Lutherum scripsit *Reginaldus Polus* Anglus, qui Carolo v. pro bello in Turcas, suasit bellum in Lutheranos. Quibus subjungendus *Hieronym. Alexander & Marinus Caraccioli*, Cardinales, qui Lutheri scripta in Comitiis Wormatiensibus A. 1521. combusserunt, eoque magnam in Germania lanienam concitarunt. His accessit *Cotonus* Jesuita, Confessionarius Regis Galliæ, consulto etiam in suam rem diabolo, Thuan. lib. 132. Item *Possevinus* Jesuita, in Galliam missus à Pio v. Pontif. milites in Protestantes concitaturus: non tantum docuit, hæreticis fidem non esse servandam; sed etiam Proditores & sicarios ubique in eos immisit. Sedem etiam papalem nutantem sustinere conati sunt: *Joh. à Daventria*, *Joh. Clichtovæus*, *Joh. Hofmeisterus*, *Pet. & Dominicus à Soto*, *Andradius*, *Canisius*, *Gropperus*, *Tapperus*, *Stanislaus Hosius*, *Staphylus*, & ejusdem farinæ alii. Nostris temporibus propiores sunt: *Gregorius de Valencia*, *Thom. Stapletonus*, *Costerus*, *Gretserus*, *Cornelius à Lapide*, *Sandæus*, *Christoph. à Castro*, *Maldonatus*, *Salmeron*, *Salazar*, *Barradius*, *Serrarius*, *Estius*, *Bessæus*, *Lorinus*, *Pineda*, *Labata*, *Sanctius*, *Didacus Stella*, *Forerus*, *Coppensteinius* apostata, *Lessius*, *Becanus*, & promachi omnium agillimi, *Rob. Bellarminus*, *Cæsar Baronius*, Cardinales, quorum illum in *Tomis Controversiarum*, nil nisi bella, arma, minas spirare; hunc in *Annalibus*, turrim Babilonicam struere, haud inepte observaveris. Rectius sane *Benedictus Arias* Montanus, sumtibus & auspiciis Philippi II. Hispaniarum Regis, *Biblia Regia*, Hebraice, Chaldaice, Græce, Syriace & Latine, dedit in publicum.

Scripta Fanaticorum.

Fanaticorum scripta subjungere suscipiebamus; sed quorsum fere? Complures eorum notavimus dudum, cum circa hæreses hujus ætatis occuparemur. Satisfaciamus interim promisso, sed breviter. Apud *Enthusiastas* & Libertinos, nominatissimi sunt: *Henricus Nicolaus*, edito *speculo Justitiæ* aliisque opusculis; *David Georgius*, edito *libro Mirabilium*, ejusque *Apologia* ad Annam Comitissam Oldenburgicam, quem detexit Ubbo Emmius; *Sebastianus Franck*, editis Arca Noe, Thesauro agri, Paradoxis, quibus se opposuit Philippus Marnixius Aldegondæ Dominus, *Contra Enthusiastas*; *Caspar Swenkfeld*, cujus opuscula collecta prostant in folio, cui se opposuit Menzerus Disp. Marpurgensium Tom. II. Disp. VII. item Tossanus, Illyricus &c. *Valent. Weigelius* edidit *Postillam* aliaque Germanice, quem confutavit Beckmannus, *contra Socin.* aliique, *Jacob. Behm*, variis scriptis, diversis voluminibus, Germanice & Belgice editis, quem detexit David Gilbertus Ultrajectinus. Apud *Semi-libertinos* sunt Theodorus Coornhert, cujus opera in folio prostant Belgice; *Caspar Coolhaas*, *Hermannus Herberts*, fanatici vix noti. Apud *Anabaptistas*, præter Munzerum & asseclas, præter Johannem Leidensem, cum suis fanaticis, quos jam ante apud hæreses hujus ætatis legimus, notissimi sunt, *Menno Simonis*, à quo Mennonitæ audiunt, qui *librum fundamenti* edidit, veterem A. 1539. & novum A. 1567. item *brevem & claram Confessionem*, ad Joh. à Lasco, nec non *Apologiam adversus Mart. Micronium*: *Theodoricus Philippi*, scripsit *Encheiridium doctrinæ Christianæ*, item de *Excommunicatione*: *Jacob. Outerman*, varia edidit. Plures non coacervabimus, quia lingua Belgica exteris incognita, omnes scripserunt. Nec colloquia cum ipsis publice habita, Francothaliæ, Embdæ, Leovardiæ: qui historiam Anabaptistarum desiderat, Bullingerum consulere poterit & Wigandum, & imprimis Celeb. Spanhemium Seniorem, in Disp. ex professo contra ipsos habitis. Apud *Socinianos* celebriores sunt, *Faustus Socinus*, scripsit *Prælectiones Theologicas*,

contra Wiekum, Volanum, de *Servatore* aliaque: *Valentinus Smalcius*, Minister Racovienſis, ſcripſit de *Divinitate Chriſti*, contra Frantzium, contra Smiglecium: *Joh. Volkelius* de *vera Religione ſcripſit*, cui librum primum de Deo præmiſit Joh. Crellius: *Chriſtophorus Oſtorrodius* ſcripſit *Inſtitutiones Religionis Chriſtianæ*: *Joh. Crellius* ſcripſit de Satisfactione Chriſti. Præterimus brevitatis ſtudio, Jonam Schligtingium, Enjedinum, Moſcorovium, alioſque paſſim obvios. Hiſtoriam Socinianiſmi habet Hoornbeekius, in Apparatu ad *Socinianiſmum confutatum*, & Cloppenburgius in Præfat. *Anti-Smalcii*. Apud *Arminianos* noti ſunt, *Jacob. Arminius*, cujus opera proſtant in quarto. *Conradus Vorſtius*, *Simon Epiſcopius*, *Pet. Bertius*, *Caſpar Grevinchovius*, *Simon Goulartius*, *Stephanus Curcellæus*, aliique obvii.

3. Regimen Eccleſiæ ſub ætate N. T. ſexta.

Habuimus propagatores Eccleſiæ, cum ſuis antagoniſtis, deſtructoribus; hæreticis; ſuccedunt *tertio* propagationis adminicula, in quibus ſunt regimen eccleſiaſticum, Synodi, colloquia, diſputationes, ſcholæ, confeſſiones. *Primo* regimen Eccleſiæ, non uniforme eſt ſub hac ætate ſexta.

1. Regimen Eccleſiæ.

Romanenſibus quidem manſit idem quod erat ſub ætate præcedenti, nimirum *monarchicum*, per Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Suffraganeos, ſub uno Papa. Hoc nihil confert omnino ad Eccleſiæ propagationem ædificationemque, quin potius ad ejuſdem deſtructionem, prout apud præcedentes ætates obſervavimus: Proteſtantibus ſeu Reformatis, non unum omnibus eſt Eccleſiæ regimen. Lutherani quidem Eccleſias ſuas gubernant, per *Conſiſtoria*, Aſſeſſoribus, partim politicis, partim Eccleſiaſticis integra, quibus præeſt *Superintendens*, ſeu *Epiſcopus*, abſque tamen Archiepiſcopis & id genus aliis papalibus; niſi quod ſuos habeant Superintendentes *Generales*: quæ tamen Conſiſtoria cum ſuis Aſſeſſoribus, ſubſunt Principi. Iſtam gubernandi formam Reformatæ Eccleſiæ nonnullæ per Germaniam, Helvetiam, Palatinatum, Haſſiam, ſequuntur. Alibi apud Reformatos regimen variat. In *Anglia* quidem triplex obſervatur regiminis forma: *Sub-Monarchica*, *Hierarchicorum* ſeu Epiſcopalium, per Archiepiſcopos, Epiſcopos alioſque officiales, ſub Rege velut capite. Iſta gubernandi forma *fundata* fuit ab Henrico VIII. qui ſupremam Eccleſiæ poteſtatem, Pontifici Romano ademptam, in ſe derivavit: *conſervata* eadem fuit, ſub Eduardo VI. *confirmata* tandem ſub Eliſabetha & uſitata hactenus a ſucceſſoribus: *Democratica* ſub *Independentibus* ſeu congregationalibus, quibus ſuprema poſt Chriſtum gubernandi poteſtas eſt penes quemque cœtum Eccleſiaſticum, niſi quod à cœtu conſtituatur *Presbyterium*, ſuo nomine, ſua poteſtate gubernans: quamvis nec deſint inter ipſos, qui exiſtiment, rebus Eccleſiæ tranquillis, non eſſe neceſſarium *Presbyterium*, & ſi quando rebus turbatis ſit neceſſarium; tum non habere poteſtatem niſi ſuadendi, aut non admittendi ad communionem: tandem *Ariſtocratica Presbyterianorum*: per *Synedria*, quæ gubernant res cuivis Eccleſiæ peculiares; per *Claſſes*, quæ dirigunt res variarum Eccleſiarum alicujus diſtrictus; per *Synodos*, cum *Provinciales*, quæ moderantur res variarum Claſſium, unius provinciæ; *Nationales*, quæ dirigunt res variarum Synodorum, unius nationis; *Oecumenica*, quæ diſponunt de rebus, omnes Eccleſias concernentibus, ſive in eis coëant omnium Eccleſiarum delegati, per univerſum orbem, qualis Synodus hactenus non exſtitit; ſive variarum ſaltem in orbe, quales tamen apud Anglos, non ita ſunt uſitatæ, eo quod ſuprema poteſtas ibidem ſit penes Regem. In iſtis conventibus delegationes fiunt κατ' ἀναλογίαν, v. g. in *Presbyteriis*, unius Eccleſiæ particularis Presbyteri, niſi quod in negotiis momentoſioribus, v. g. in vocationibus Eccleſiaſtarum, adſciſcantur Diaconi: in *Claſſibus* coëunt deputati Eccleſiarum ſui diſtrictus ſeu diœceſeos, Paſtores & Presbyteri; præſentibus inſuper delegatis aliarum Claſſium ejusdem Provinciæ: in *Synodis Provincialibus* deputati claſſium ſingularum provinciarum, adſunt tamen Correſpondentes aliarum Synodorum ejusdem Nationis. In omnibus iſtis conventibus obtinet *ſubordinatio*, per quam ab inferiori conſeſſu, provocatio fit ad ſuperiorem, à Presbyterio ad Claſſem, à Claſſe ad Synodum &c. Hæc quidem Regiminis forma uſitata eſt apud eas Eccleſias, quæ degunt ſub regimine civili Ariſtocratico v. g. in Belgio, item quæ ſunt ſub regimine civili, à vera fide alieno, v. g. olim in Gallia, niſi quod, ſub variis tamen viciſſitudinibus, ſub regimine monarchico & fideli quidem, etiamnum feliciſſime vigeat in *Scotia*, ſub Potentiſſ. Guil. III. quam felicitatem ei Deus perpetuam eſſe jubeat: viget itidem ſub Sereniſſ. Elect. Brandeburgico, in Eccleſiis Clivenſibus, Marchicis, Juliacenſibus & Montanis, qui degunt, ratione Juliacenſium quidem & Montanarum, ſub Principe Pontificio.

2. Synodi ætatis ſextæ N. T.

In adminiculis propagatæ Eccleſiæ, ſunt *ſecundo Synodi*, quarum tamen aliæ plus, aliæ minus, aliæ nihil contulerunt ad propagationem; aliæ ad deſtructionem ejuſdem. In hoc poſtremo genere, ut inde ordiamur, occurrit Concilium *Tridentinum*, ſæpius ab Imperatore & Germanis (liberum quidem & in Germania habendum) expetitum, toties à Pontifice, quod ab eo ſuæ auctoritati Monarchicæ, & reformationi Curiæ Papalis metueret, declinatum; tandem, ſed his legibus, ut ſibi liceret, non tantum ei per Legatos præſidere: ſed etiam illud ex ſententia ſua dirigere & confirmare, impetratum, & auctoritate ſua convocatum (Imperatore jus ſuum convocandi,

Concil. Tridentinum.

quo tandem Concilium aliquod, componendis motibus Germanicis, à Religione oriundis, idoneum obtineret, seu negligente, seu dissimulante) *Mantuæ*, auspiciis Pauli III. An. 1547. primum, cumque illum locum Dux Mantuanus, suis rationibus politicis declinaret; tandem Vincentiam elegit; sed cum & illius loci solitudinem obtenderet, & Veneti etiam suæ ditionis locum respuerent, alia consilia capienda duxit. Germani A. 1537. Smalcaldiæ, articulos formabant futuro Concilio exhibendos, atque insuper Francofurti colloquium de Religione decernebant An. 1539. Hinc Papa metuens, ne cum dispendio suæ auctoritatis, Religionis negotium componeretur; serio cogitare cœpit de Concilio, & Vincentiam denuo selegit A. 1541. cum autem, ut dictum, Veneti abluderent; Ferrariam, Bononiam, Placentiam, Tridentum Imperatori nominavit, cui Tridentum placuit: sic tandem, dissentientibus licet Protestantibus, Concilium Tridenti coiit A. 1542. Calend. Novemb. Sic ibidem, nomine Imperatoris, se sistunt duo ejus Oratores, Mendoza & Granvillanus, & tres legati Pontificis, cum paucis Episcopis: hi cum in mandatis à Papa haberent, ut lento pede progrederentur; abierunt primo Cæsareani, tum & Pontificii; postquam per VII. continuos menses, prorsus otiosi ibidem hæsissent, donec A. 1545. Legati Pontificii, sed absque mandato quicquam decernendi, denuo adessent, nec hic per IX. menses quicquam actum, quam circa ordinem sedendi, & ut Imperator ad bellum contra Lutheranos excitaretur. Interea Protestantes, in conventu Wormatiæ, cum Ferdinando congregati, improbato tali Concilio, pacem Religionis semel concessam, usque ad Concilium legitimum, sibi confirmari petunt, & scripto insuper profitentur, animum suum à Concilio Tridentino aversum, quod nec *Oecumenicum* esset, Gallis & tribus quartis Germaniæ, in illud non consentientibus; *nec liberum*; nec *bono* Reipubl. Christianæ congregatum; sed solius Papæ; nec *Scripturis* veteribusque Conciliis conforme, hæc omnia accuratissime referente Polano in *Historia Concil. Trid.* Duravit usque ad An. 1564. bis dissolutum, ter convocatum. Sessiones per XXV. annos habuit item XXV. *tribus* primis nihil determinatum fuit circa articulos fidei; *quatuor* succedentibus aliquid tantum; *octava*, prætextu pestis, jussu Papæ, concilium Bononiam transiit A. 1547. *nona & decima*, jubebantur Patres, qui in gratiam Cæsaris Tridenti permanserant, Bononiam abire, sed frustra, quod Cæsar de Bononiensis istius Concilii vitiis publice protestaretur: *Undecima & duodecima* A. 1550. Tridenti Concilium restauratur: *decima tertia & decima quarta*, de Eucharistia decernitur: *decima quinta*, cum legatis Protestantium, de salvo conductu agitur: *decima sexta*, concilium ad biennium A. 1552. dimittitur: *decima septima*, post decennium An. 1562. iterum aperitur: *decima octava*, de conficiendo indice librorum prohibitorum statuitur: *decima nona & vigesima*, nil nisi sessionis prorogatio decernitur: *vigesima prima & vigesima secunda*, de communione sub utraque & sacrificio Missæ, decreta fiunt, hinc, nescio quibus altercationibus, decem integri menses conteruntur: donec *vigesima tertia*, aliquid de Sacramento ordinis, aliquid etiam *vigesima quarta*, de Matrimonio proponeretur. Tandem d. 3. & 4. Decemb. A. 1564. cum ob alias causas, tum ob morbum Pii IV. finis Concilii præcipitatur, & sessione *vigesima quinta*, in biduum protracta, de Purgatorio, Invocatione Sanctorum, cultu imaginum, indulgentiis, ciborum delectu, jejuniis, diebus festis agitur, confectio indicis librorum expurgatorii, Catechismi, Missalis & Breviarii, Pontificis arbitrio relinquitur. In ejus sessionibus, plerumque cum articulis fidei, de Cleri reformatione est actum. Numerus Patrum sic describitur à Casp. Villalpandæo: *Adsunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti & viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum ministri septem, Episcoporum procuratores plurimi.* Interea observatum, in primis sessionibus, ultra XLIII. Patres non adfuisse, in ultima sessione CCLV. decreta subscripsisse. Et Protestantes quidem, ut Concilium reciperent, moniti; causas exponunt, quibus non possint, quibus item ad liberum Concilium toties provocassent, atque iterum, certis tamen legibus, tali Concilio se submittere parati sint. Etiam Rex Galliarum, quamquam Pontificius, contra hoc Concilium, non semel protestatus est, teste Goldasto in *Constitut. Imper.* Innocentio Gentileto, in *Examm. Concil. Trident.* aliisque. Nihil ergo ad propagationem Ecclesiæ contulit hoc Concilium: vere suum, quanquam diverso modo & gradu, contulerunt diversa hujus ætatis colloquia, disputationes, conventus Religionis causa habiti nonnulli, prout nec defuerunt qui nocuerint: ista omnia, juxta cum Synodis, promiscue & breviter repræsentabimus. In his occurrit (1) Colloquium Lutheri cum suis Augustinianis, Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ A. 1518. habitum, in quo XXVIII. Paradoxa de justificatione & libero confutavit. (2) Disputatio *Lipsiensis* Lutheri cum Eccio A. 1519. super indulgentiis, quibus contra Lutheri theses, patrocinabatur Eccius; obnitebantur primo Carolstadius, tum Lutherus per XIV. dies. Acta prostant in Operibus Lutheri Jenensib. Tom. I. pag. 242. (3) *Tigurina* Disputatio Zuinglii cum Pontificiis An. 1523. Cum enim Hugo, Episcopus Constantiensis in Zuinglium tumultuaretur, scriptis LXIX. articulis; Zuinglius non

Colloquia, disputationes & conventus, Religionis causa, habita sub xta-te N T. sexta.

contentus ſcriptis plurimis bonam cauſam egiſſe; ei inſuper publicam diſputationem ſuper LXVII. propoſitionibus offert: ad quam Senatus Tigurinus omnibus Eccleſiarum ſuarum miniſtris diem dicit XXIX. Janu. quo convenirent, ipſumque Conſtantienſem Epiſcopum rogat, ut vel ipſe veniat; vel è ſuis aliquem mittat. Mittitur Joh. Faber, Epiſcopi Vicarius, qui declinata diſputatione, conſulit rem iſtam differendam eſſe ad Concilium, inſtanteque Zuinglio, ſcripto ſe pugnaturum promittit. Nemine igitur ad diſputationem prodeunte; Senatus reformationem Eccleſiæ decernit *Sleidan. Comment.* lib. 4. in fine. (4) Tigurina *ſecunda*, eodem anno, ad quam Eccleſiarum miniſtri confluebant circiter DC. Diſputabatur ex Scripturis, potiſſimum de tollendis è templis imaginibus, & profliganda Miſſa, per tres dies. Acta ejus proſtant in *Oper.* Zuinglii *Tom.* 2. (5) Subſecutæ paſſim plures aliæ diſputationes, Uratiſlaviæ, Brunswigæ, Baſileæ, Magdeburgi, Ulmæ, Oldershemii, Nordæ in Friſia Orientali, aliiſque locis, in quibus Monachi, aut non comparebant, aut turpiter cauſa cadebant. (6) Tigurina *tertia* A. 1524. Zuinglii cum Anabaptiſtis Manzio & Grabelio, ſuper Pædobaptiſmo, per triduum continuata, ad quam Senatus Anabaptiſmum proſcripſit. (7) Acceſſerunt in Helvetia aliæ diſputationes, ab Oecolampadio, Joh. Keſtero, Joach. Vadiano Medico, ipſoque Zuinglio, hoc tempore contra Anabaptiſtas habitæ, brevitatis ſtudio non narrandæ. (8) Joh. Comandri, cum Vicario Epiſcopi Curienſis, & Abbate S. Luciæ A. 1526. ſuper XVIII. theſibus. Vid. Chron. Bullingeri. (9) *Badenſis* eodem anno habita, provocante Eccio Zuinglium in locum intutum, quem cum declinaret Zuinglius, & tamen diſputandum vellent XII. pagi Helvetici; dimicatum eſt Badenæ, inter Oecolampadium, Hallerum, Wiſſenburgium, ex parte reformata: Fabrum vero Eccium, Murnerum & IV. Epiſcoporum legatos, ex parte Pontificia. Videtur ad hoc à pagis ſuſcepta, ut ſui aliquo prætextu, in idololatria Pontificia confirmarentur. (10) *Haſſiaca*, eodem anno à Philippo Landgravio adornata, in qua Franciſ. Lamb. Gallus, & Adamus Crato, ille Latine, hic Germanice, XXIII. propoſitiones contra Pontificios defenderunt, contradicentibus ex Monachis, tribus tantum. (11) *Upſalienſis* in Suecia A. 1527. In qua D. Petrus Gallius ex parte Epiſcoporum Romanenſium, & M. Olaus Petri, vernaculo ſermone congredi juſſi ſunt, & cadentibus cauſa epiſcopalibus, feuda & Regalia regno addicta ſunt. (12) *Bernenſis* An. 1528. In qua ſententiam Reformatam omnes fere Helvetii miniſtri Reformati defendebant, Monachi nonnulli oppugnabant: & cum juſſi eſſent, ex ſolis Scripturis judicium formare; ſacrificuli facile victi ſunt, & Bernates cum vicinis nonnullis Pagis, jugum papale excuſſerunt, & monaſteria in ſcholas converterunt. (13) *Marpurgenſe* colloquium, componendis diſſidiis Sacramentariis, à Philippo Haſſiæ Landgravio adornatum A. 1529. Colloquuntur, ex Wittembergenſibus, Lutherus, J. Jonas, Melanchton: ex Helvetiis, Zuinglius & Oecolampadius, miſit huc Noriberga Oſiandrum, Argentina Bucerum, Hala Suevorum Brentium, Auguſta Agricolam. Et initio quidem, commiſſi ſunt ſeorſim, Lutherus cum Oecolampadio, Melanchton cum Zuinglio, & cum impactos ſibi errores diluerent Helvetii; publica collatione res eo deducta eſt, ut conſenſus capita XIV. utrinque configurarentur, nec controverſia maneret, niſi in articulo de S. Cœna, & pax plene coiiſſet, ſi dextram *fraternitatis*, quam Helvetii Wittembergenſibus offerebant, Lutherus accipere voluiſſet; quanquam dextram *amicitiæ* ipſis reciprocabat. (14) *Danicum* colloquium, eodem anno, ſuper τῷ ῥητῷ in S. Cœna, Flensburgi Holſatorum, habitum inter Melchiorem Hofmannum Reformatum, & Hermannum Teſtium Lutheranum, præſide Chriſtiano Regis filio, Holſatiæ Duce, præſente Joh. Bugenhagio. (15) *Auguſtanum* colloquium Ann. 1530. poſt exhibitam confeſſionem, ubi concordiæ conciliandæ cauſa, ab utraque parte, Pontificia & Proteſtantica, VII. ad colloquium ſegregati ſunt: bini Principes, totidem Juriſconſulti, terni Theologi; ex Proteſtantibus quidem Melanchton, Brentius & Snepfius; ex Pontificiis, Eccius, Wimpina, Cochlæus. Inter hos de nonnullis convenit, Proteſtantibus nimium largientibus. Aſt de Miſſa potiſſimum, de conjugio Clericorum, de S. Cœna ſub utraque ſpecie, de votis monaſticis, de juriſdictione Epiſcoporum, præcipua manebat controverſia, ideoque coarctatus fuit colloquentium numerus, ut terni utrinque congrederentur, Melanchton cum duobus Juriſconſultis, adverſus Eccium, totidem Juriſconſultis ſtipatum. Sed cum neutri cedere vellent, fruſtraneus labor fuit, totaque res ad cognitionem Cæſaris, denuo devolvebatur. (16) *Genevenſis* diſputatio A. 1534. Cum enim ſacrificuli, ex doctrina Reformata de juſtificatione, populum Genevenſem ad ſeditionem concitarent; auctoritate Bernenſium decernitur Diſputatio, de præcipuis Religionis articulis. Congreditur pro parte reformata, Farellus, ſocium nactus Viretum; pro parte Pontificia, Furbitus Doct. Sorbonicus. Vincitur Turbitus, & palinodiam pollicetur; ſed Cathedram conſcendens, cocciſmum Pontificium repetit, quapropter in vincula conjicitur, & novus tumultus excitatur, poſt quem Pontificii, ad Sabaudiæ Ducem confugiunt, & urbem Reformatis relinquunt: in qua iterata Diſputatio habetur, contra juſtificationem per bona opera, à Jacobo Bernardo Cœnobiarcha converſo, adverſus Carolum Sorboniſtam & Chappuſium.

puſium. (17) Succedunt diſputationes VI. Lutheri, adverſus Joh. Iſlebium Agricolam Antinomum, errores ſuos ſpargentem A. 1538. habitæ Wittembergæ, quibus Agricola convictus, publice recantavit, quos tamen poſt Lutheri obitum denuo incruſtavit. (18) *Wormatienſe* Colloquium A. 1541. ubi, poſtquam Pontificii moras prolixas, circa leges, utrique parti præſcribendas nexuiſſent; tandem Melanchton & Eccius congreſſuri, deſignati ſunt, præſentibus multis Theologis. Qui de peccato Originis exorſi, die tertio literis Cæſareis deſiſtere, & actionem ad Ratisbonæ Comitia rejicere, juſſi ſunt. (19) *Ratisbonenſe* colloquium, ex Wormatienſi præcedente natum, ubi ſub præſidio Friderici Palatini & Granvellani, congrediuntur, ex parte Pontificiorum, Julius Pflugius, Eccius & Gropperus; ex Proteſtantibus, Melanchton, Bucerus & Joh. Piſtorius. Ante colloquium Granvellanus, nomine Cæſaris, præcipua capita exhibuit, ſuper quibus diſceptaretur, quod tamen ſcriptum, nec Pontificiis, nec Proteſtantibus ex aſſe ſatisfecit. Hic tamen Melanchton, Miſſam adeo ſolide evertit, ut Eccius contracta febri, colloquium Collegis Pflugio & Groppero relinquere cogeretur, eos interea criminatus, quod ſe decumbente, negotium parum candide agerent. Totius colloquii negotium ad Concilii dijudicationem rejectum eſt. (20) *Ratisbonenſe* colloquium *ſecundum* A. 1546. In quo, auſpiciis Cæſaris, denuo conciliationis & pacis viæ tentantur, & Bucerus cum Petro Malvenda primum, tum Eberh. Billio Carmelita congreſſus, orthodoxiam de juſtificatione ſtrenue defendit. Vix autem cœpto colloquio, Cæſar novas colloquendi leges præſcribit, quarum nonnullæ, cum Proteſtantibus parum placerent; Dux Saxoniæ ſuos Theologos revocavit, & Bucerus, ut geſta referret, ad Landgravium diſceſſit, & ſic colloquium, non ſine indignatione Pontificiorum, diſſolutum fuit. (21) Conventus arcanus Julii Pflugii, Michaëlis Sidonii & Joh. Iſlebii Agricolæ, qui, juſſu Cæſaris A. 1548. librum Interimiſticum, in Comitiis Auguſtanis armatis excluſit. (22) Synodi variæ diœceſanæ & prouinciales, occaſione Formulæ Interimiſticæ, paſſim habitæ, inter quas *Colonienſis* nullum fidei dogma explicuit, ſex tantum decretis diſciplinam aliqualiter correxit; Moguntina cordatius XLVIII. decreta de fide, & LVI. de reformatione edidit, & imaginum cultum, Sanctorumque invocationem improbavit. *Pet. Suav. Hiſt. Concil. Trid. lib.* III. (23) *Oxonienſis* quatriduana diſputatio A. 1549. Qua Petrus Martyr, cum Bernardino Ochino, ab Eduardo VI. ſuperſtitionem Pontificiam abolituro, Argentorato evocatus, cum Smythæo congredi debuiſſet: aſt cum Smithæus ejus vitæ tumultu inſidias ſtrueret, quas auctoritate Vicecancellarii declinavit, diſputatio tum ſuſpenſa, paulo poſt ſucceſſit, cui Smithæus ſe ſubduxit, tres autem Pontificii Doctores plane confuſi ſunt. (24) *Oxonienſis ſecunda* A. 1553. cum Eduardus VI. ex veneno deceſſiſſet, & Maria regnum hæreditarium Johannæ Suffolciæ vi ſubduxiſſet, Miſſamque regno reſtituere niteretur: Thomas Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis, hæreſeos dudum poſtulatus, cum Pontificiis commiſſus eſt, qui tanto cum ſtrepitu, cachinnis, conviciis & exploſionibus, ſuam cauſam egerunt, ut non jam diſputatio; ſed bacchantium tumultus, ſæpe decem & pluribus, agminatim Cranmero inſultantibus, agi videretur: hic tamen mox in carcerem raptus, à carnifice uſtulandus. (25) *Wurtembergica*, inter Joh. à Laſco Polonum (tum temporis A. 1556. in Eccleſia peregrinorum Paſtorem Francofurtanum) & Joh. Brentium, ſed intra privatos parietes, ſuper præſentia corporis Chriſti, in ſymbolis S. Cœnæ, quam Brentius fruſtra conciliare conabatur, cum ſeſſione ejus apud dextram Patris ſui. (26) *Iſenacenſis* conventus, in controverſia Georg. Majoris, de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem: ubi diſputatum inter Strigelium, & Menium. (27) *Wormatienſe ſecundum* colloquium An. 1557. auſpiciis Comitiorum Ratisbonenſium, ſub præſidio Julii Pflug, Epiſcopi Naumburgenſis, habitum: ubi diſputatum fuit de norma judicii in controverſiis Theologicis, quam Pontificii volebant eſſe, in perpetuo Eccleſiæ conſenſu & conſuetudine; Proteſtantes autem in Scriptura. Diſſolutum fuit colloquium, ex diſſenſu inter ipſos Proteſtantes, Jenenſes & alios Theologos Saxonicos. (28) *Vinarienſis* diſputatio A. 1557. habita inter Vict. Strigelium & Flacium Illyricum, de converſione hominis, & viribus liberi arbitrii, ubi Strigelius ſententiam Adiaphoriſtarum defendebat, & Illyricus errorem concepit & propinavit de peccato Originali, quod ipſa ſit hominis ſubſtantia. (26) *Heidelbergenſis* Diſputatio A. 1560. auſpiciis duorum Electorum, Joh. Friderici Saxonis, & Friderici Palatini: contenderunt, Petrus Boquinus cum Thoma Eraſto, ex parte reformata; & Morlinus cum Stœſſelio, ex parte Lutherana, Stœſſelio auctore primario, poſtea in partes reformatas tranſeunte. (30) *Poſſiacenum* colloquium, in Gallia inſtar Nationalis Concilii habitum A. 1561. auſpiciis Caroli IX. Regis Galliæ, concordiam inter Reformatos & Romanenſes tentaturi; in aula Monaſterii Poſſiaceni. Interfuerunt Rex, ejus Mater, frater, ſoror; Rex item & Regina Navarræ, & reliqui Optimates, interque eos Condæus & Admiralius. Ex Pontificiis Antiſtitibus, Cardinalium, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, quinquaginta numerabantur, magna ſtipati Sorboniſtarum corona: ex Proteſtantibus Beza aderat Geneva, & Pet. Martyr Tiguro, à Navarræo Reformatis favente evo-

cati. Sed Beza, de capitibus Religionis, & erroribus Pontificiis, prolixe differens, cum admiſceret, corpus Chriſti tantum diſtare à pane euchariſtico, quantum cœlum à terra, Cardinali Lotharingio, anſam diſſolvendi conventus dudum venanti, ſtomachum adeo movit, ut diſſolutionem hactenus procurarit, ne publice ſaltem, amplius colloquerentur; privatim tamen coram Regina Matre, Rege & Regina Navarræa, diſputari continuatum eſt, inter Card. Lotharingium, Eſpenſæum Sorboniſtam, & Bezam Martyremque, quanquam à Pontificiis admodum turbulente. Tandem, ut non tantum aliqua cum ſpecie conventum penitus hi diſſiparent; ſed & Gallos cum Germanis committerent: Bezæ proponunt, ut ſi colloquium vellet continuatum; Auguſtanam Confeſſionem reciperet: cui Beza prudenter reſpondebat: ſi ipſi etiam Pontificii Auguſtanam Confeſſionem admittere vellent, concordiam brevi confectam fore, cæterum ſe cum Auguſtana Confeſſione, in omnibus facere, negabat. Exitus colloquii fuit: minuitur denuo collocutorum & auditorum numerus, conſcribuntur formulæ de S. Cœna; iſtas nonnulli Pontificiorum recipiunt, alii rejiciunt; & ſic colloquium diſſolvitur. Interim numerus Reformatorum in Gallia, indies invaleſcebat, & conciones paſſim habebantur, cooperante cumprimis quam efficaciſſime, Edicto de libertate Religionis quod JANUARIUM vocant. Cui tamen ſtatim Guiſii & alii ſe oppoſuerunt, donec tandem artibus Navarræum Regem ad apoſtaſiam pertraherent. (31) *Sangermanenſe*, Poſſiaceno annexum fuit, quod Regina Galliæ, de imaginum cultu, Bezam cum Pontificiis congredi juberet, ubi prolixis potius orationibus, quam diſputationibus, res abſque fructu abiit. (32) *Lunæburgenſis* conventus A. 1561. confluentibus undequaque, ex Lubeca, Magdeburgo, Brunswiga, Hamburgo, Brema Theologis, reprobata eſt fides Reformata, niſi quod Paulus ab Eizen Superintendens Hamburgenſis, hoc poſtea improbarit. (33) *Maulbrunenſe* colloquium A. 1564. auſpiciis Friderici Electoris Palatini, & Chriſtophori Ducis Wurtembergici ſuſceptum, inter Boquinum, Dillerum, Olevianum, Dathenum, Urſinum, Xilandrum Reformatos; & Brentium, Snepfium, Jacobum Andreæ, Bidenbachium, Luc. Oſiandrum Lutheranos. Hic diſputatum ab Urſino & Jacobo Andreæ, de omnipræſentia carnis Chriſti. Colloquii epitomen ediderunt Lutherani, ſed quam ſolide confutarunt Reformati. (34) *Altenburgenſe* colloquium A. 1568. Cum enim Theologi Miſnici, tempore *Interreligionis*, juſto plura Pontificiis conceſſiſſent, & adhuc defenderent, bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria: hominis voluntatem in converſione, ſe active habere; & in adiaphoris aliquid Pontificiis concedi poſſe: Thuringi ſe oppoſuerunt: Hinc Auguſtus Elector Saxoniæ, & Joh. Wilh. Dux Saxoniæ, eos Altenburgi commiſerunt. Hic cum ſcriptis pugnaretur, & neutri cederent, & unus de Juſtificatione locus, v. menſium ſpatio, vix abſolveretur; Theologi Miſnici, Eberus, Salmuth, Freihuberus, Cruciger Junior & Henr. Mollerus, confeſſionem ſuam ad Electorem miſerunt, & diſceſſerunt, invitis Thuringis, inde majore animorum diſſenſione enata. (35) *Sendomirienſis* Synodus, ad Theologorum, in Lithuania & Samogitia, partim Helveticæ, partim Bohemicæ, partim Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, diſſenſum tollendum, & Syncretiſmum conciliandum, celebrata A. 1570. quod etiam feliciter ſucceſſit, conſentientibus omnibus, ut in negotio de S. Cœna, ſecundum Auguſtanam Confeſſionem *variatam* doceretur, quod ipſum in Synodo Thorunienſi A. 1595. repetitum & confirmatum fuit. (36) *Francothalenſe* colloquium A. 1571. inter Theologos Palatinos & Anabaptiſtas habitum. (37) *Argentinenſe* colloquium A. 1571. inter Jacobum Andreæ & Flacium Illyricum, ſuper peccato Originis, ſitne ſubſtantia, inſtitutum: ſed Flacio non cedente, diu non ſubſtitit. (38) Secuti ſunt varii conventus, ſuper Lutheranorum *Formulæ Concordiæ*, primo *Torgæ*. Cum enim Lutherani obſervarent, Joh. à Laſco, perſecutionibus Marianis, ex Anglia pulſum, alioſque ex Gallia profugos Reformatos, paſſim veritatem propagare; Brentium etiam in Academia Tubingenſi, & Flacium Illyricum in Jenenſi, non ſatis recte docere; cum itidem experirentur, unionem & concordiam Euangelicorum, h. e. Reformatorum & Lutheranorum, multis Wittembergæ arridere, ſuumque rigorem ſordeſcere paulatim: Auguſto Electori Saxonico, per Principes quoſdam Lutheranos, auctores fuerunt, qui in Theologorum ſuorum doctrinam inquireret. Hic, cum diſſenſus varios ſuorum Theologorum obſervaret, non tantum à Reformatis, ſed & inter ſe invicem, & quod ſui Wittembergenſes ad Corpus Doctrinæ Melanchtonis provocarent, eoque ſe *γνησίως* Lutheranos profiterentur: tandem conventum ſuis Theologis indixit Dreſdæ An. 1571. juſſitque ut ſuam de S. Cœna confeſſionem exhiberent; quam cum Wittembergenſes non darent, ad palatum rigidorum Lutheranorum; indixit Elector A. 1574. Conventum *Torgenſem*, & propoſitis articulis affirmativis & negativis, omnes categorice reſpondere juſſit. Non ſatisfaciebant & iſti articuli, in omnibus rigidioribus Lutheranis, quod in eis adhuc aliquid Calviniani latitaret, ſubſcribebant interim omnes, recuſantibus ſolis Wittembergenſibus Theologis, qui ob hoc protinus Torga Lipſiam adducuntur in carcerem, donec, ſed certis conditionibus ſtipulatis, ſubſcriberent; ſed paulo

poſt

poſt omnes ab officio moti ſunt, nonnulli carceribus concluſi manſernnt, aliis ſponte diſcedentibus. Hinc ſecutus eſt (39) *Lichtenbergenſis* Theologorum conventus A. 1576. in quo deliberaretur, quibus mediis Calvinianorum ſtrophis omnis via præcluderetur, & unanimis conſenſus inter Lutheranos omnes ſtabiliretur. In hoc via ſtrata eſt ad *Formulam concordiæ*. In hanc rem (40) *Torgenſis* conventus ſecundus indictus eſt, in quo adornata eſt DECLARATIO articulorum controverſorum, quæ poſtea FORMULA CONCORDIÆ, item TORGENSIS, denique BERGENSIS, appellata eſt, cui cum occlamarent Wittembergenſes Lutherani; Reformatis addictiores, ipſique etiam nonnulli rigidiores Lutherani: Elector Theologos Jacobum Andreæ, A. Muſculum, M. Chemnitium, N. Selneccerum & D. Chytræum, in cœnobium Bergenſe convocavit, qui *Formulam Concordiæ* reviderent & corrigerent. A quo conventus aliquot habiti ſunt, ad ſubſcriptiones colligendas, in quibus potiſſimum obſervantur *Hertszbergenſe* colloquium A. 1587. item conventus *Langenſalſenſis*, *Schmalcaldenſis*, *Torgenſis tertius*, *Juterbocenſis* &c. In his ſubſcriptores conquiſiti ſunt; uſque ad ludimagiſtros, & impetrati ultra VIII. millia quos Theologos vocabant. Occlamabant tamen multi ex ipſis Lutheranis, interque eos nominatim Pomerani. Mortuo autem Auguſto Electore, ſub ejus ſucceſſore Chriſtiano I. Electoratus Adminiſtratore, Wittembergenſes Reformati, ſua Fata quoad Religionem recuperaſſe videbantur, donec tandem ſub Friderico Wilhelmo, Chriſtiani ſucceſſore A. 1592. iterum rebus potirentur Lutherani, & ſuam *Formulam Concordiæ* reſtitutam viderent, qua etiamnum gaudent. Hæc fata fuerunt Formulæ Concordiæ. (41) *Lindavienſe* colloquium A. 1575. Inter Jacob. Andreæ, & Tobiam Rupium & Sebaldum Schoflerum Flacianos. Actum hic de *peccato originali*, & cum non cederent Flaciani, loco moti ſunt. (42) *Memmingenſis* diſputatio, inter Kleberum Eccleſiaſten Reformatum, & Jac. Andreæ A. 1577. (43) *Iheverenſe* colloquium, auſpiciis Comitis Oldenburgici, inter Herm. Hamelmannum Lutheranum, & Japetum, Quartium alioſque Reformatos, qui ordinationem eccleſiaſticam Saxonicam recipere nolebant. (44) *Quedliburgenſe* colloquium A. 1583. Habitum inter Heshuſium, & Joh. Kirchnerum, ubi diſputatum de omnipræſentia carnis Chriſti, quam negabat Heshuſius, & hinc de Formula Concordiæ, quam reprobabat idem; & ex adverſo aſſerebat Kirchnerus. Utroque ſuæ ſententiæ inhærente, abſque fructu colloquium abiit. (45) *Heidelbergenſis* diſputatio A. 1584. Auſpiciis Joh. Caſimiri, Adminiſtratoris Palatinatus, inter Joh. Jac. Grynæum, Baſilea evocatum, & Theologos ſtudioſoſque Lutheranos, in quo partes Reformatas adeo ſtrenue tutatus eſt Grynæus, ut amotis ſtudioſis Lutheranis, reformata fides Palatinatui reſtitueretur. (46) *Mompelgartenſe colloquium*, in quo, auſpiciis Friderici Ducis Wurtemburgici, Theod. Beza commiſſus fuit cum Jacobo Andreæ, ſuper articulis de S. Cœna, perſona Chriſti, imaginibus, Baptiſmo, prædeſtinatione. Finito colloquio, Beza dextram *fraternitatis* offerebat Jac. Andreæ, ſed quam noſter hic reſpuebat; prout ex adverſo Beza, oblatam ſibi dextram *amicitiæ* non admittebat. Acta colloquii, contra datam fidem, cum à Lutheranis publicata eſſent, parum ingenue, à Reformatis ſincerior editio fuit oppoſita. (47) *Bernenſe* inter Samuelem Huberum, circa gratiam univerſalem Lutheranis faventem; & Abr. Muſculum, Grynæum alioſque Reformatos; ubi Huberus cauſam ita egit, ut ab officio Eccleſiaſtico moveretur, & receptus avide à Lutheranis, ac functioni Eccleſiaſticæ admotus, in Ducatu Wurtembergico, univerſalem inſuper ſalutem cum doceret, à Lutheranis etiam ejectus eſt. (48) *Badenſe* A. 1589. habitum inter Jac. Andreæ, & Joh. Piſtorium Medicum, ex Lutherano primo Reformatum, tum Pontificium Apoſtatam, qui ſolis Scripturis, ſe diſputaturum jactaverat: ſed intra biduum & IV. ejus ſeſſiones, ne unum quidem ſtitit Scripturæ locum, & hinc abrupit. Succeſſerunt (49) Lutheranorum colloquia cum ſuo Hubero, ſuper univerſali electione & ſalute, habita *Ratisbonæ* & *Tubingæ*, poſt quæ Huberus ſua ſtatione Eccleſiaſtica motus fuit. (50) *Neoburgenſe* colloquium A. 1593. circiter, cum enim Johannes Palatinus Dux Bipontinus A. 1588. opera potiſſimum Pantaleonis Candidi, reformationem in ſuis terris ſuſcepiſſet, eiſque Catecheſin Reformatam præſcripſiſſet, & hoc Lutheranos pungeret, Heilbrunnerum & Beutherum miſerunt, qui cum Pantal. Candido congrederentur, ſuper diſtributione Decalogi, & perſona Chriſti, ubi per IX. colloquii ſeſſiones, ita Lutherani ſe geſſerunt, ut Princeps Bipontinus, in fide Reformata confirmatior, cœptam Reformationem gnaviter proferret. (51) *Stetinenſis* Synodus A. 1593. in qua Joh. Frid. Pomeraniæ Dux, furoribus Lutheranorum inductus, Reformatos juſſit, aut Symbolis Lutheranis ſubſcribere, aut locis ſuis cedere. (52) *Keismarcenſis* in Hungaria A. 1595. & *Leutſchovienſis* Synodi, in quibus diſputatum fuit, inter Albert. Grauerum Lutheranum, & Sebaſtianum Lamium Reformatum alioſque. (53) *Ratisbonenſe* colloquium *tertium* A. 1602. inter Hungerum, Gretſerum, Tannerum Pontificios, & Ægid. Hunnium alioſque Lutheranos: diſputatum eſt de *principio fidei*, per XIV. Seſſiones, & colloquium à Pontificis abruptum. (54) *Emdana* Synodus A. 1571. occupata circa ἐνταξίαν regiminis Eccleſiaſtici. (55) *Dordracena* provincialis A. 1574. habita

nomine

nomine Ecclesiarum Suyd-Hollandicarum pariter & Selandicarum, itidem circa εὐταξίαν regiminis Ecclesiastici. (76) *Dordracena* A. 1578. habita nomine Ecclesiarum Suyd-Hollandicarum, Belgicarum pariter & Walonicarum, itidem circa εὐταξίαν regiminis Ecclesiastici. (57) *Medioburgenſis* in Selandia A. 1581. *nationalis*, ubi 69. Canones conditi sunt, circa εὐταξίαν Ecclesiasticam, præside Arnoldo Cornelii, Assessore Isbrando Balkio, Scriba Michaële Paneelio. (58) *Hagienſis* nationalis A. 1586. Præside Jacobo Kimedoncio, Ministro Medioburgensi, Assessore, Arnoldo Cornelii, Scriba Wernero Helmichio, circa ordinem ecclesiasticum. (59) *Hagienſis* itidem A. 1586. Nomine Lyceſtrii Comitis, auctoritate Ordinum Hollandiæ, subscripta à politicis pariter & Ecclesiasticis: Wilhelmo van Suylen à Nyvelt, Johanne van Oldenbarnevelt; Joh. van Banchem, Leonardo Casenbroot, Theodoro Leuwen, Adriano van Weteſtein, Francis. Maelson, Henr. van Corput, Joh. Damio, Arnoldo Cornelii, Johanne Uytenbogaert, Jacobo Arminio, Andrea Castricomio, Guil. Poppio. Habuit Canones XLI. circa ordinem Ecclesiasticum occupatos. (60) *Medioburgenſis* provincialis, coëuntibus IV. classium deputatis A. 1591. circa regimen Ecclesiasticum, addita forma juramenti, à singulis ministris præstandi. Omnium istarum Synodorum Belgicarum acta typis Belgicis prostant. (61) *Dordracena* Synodus Nationalis, cui affuerunt præter Assessores Belgas, Theologi Britanni, Palatini, Hassi, Helvetii & plerarumque partium reformatarum, solis fere exceptis Gallis, quibus interdictum fuit à Rege suo, Dordracum commeare, quamvis interim postea acta Synodi comprobarint. Coiit auctoritate Ordinum Belgii A. 1618. & 1619. super quinque potissimum articulis Remonstrantium: & cum hi decretis Synodi pertinaciter obstreperent, suis officiis moti sunt. Accedat (62) *Collatio* amica, in Gallia: apud Aureliam ejusque suburbium A. 1620. habita, inter Joh. Cameronem Professorem Salmurienſem, & Danielem Tilenum, super gratia potissimum universali, & viribus liberi arbitrii; ubi Camero partes reformatas: Tilenus Arminianas tuebantur. (63) *Weſtmonaſterienſis* Synodus apud Londinum habita A. 1642. auspiciis supremi Senatus Britannici, quem *Parlamentum* appellant, Præside Guil. Tuisso, huc suscepta, ut certa quædam regiminis Ecclesiastici forma determinaretur, quæ tamen obnitentibus Independentibus, ex voto non succesſit. Interim efformata ibidem est egregia fidei confessio, duplex item Catechesis, major & minor, nec non Directorium cultus publici, addito insuper Synodi libello supplici, ad Parlamentum Anglicanum, de regimine Ecclesiastico Presbyteriali. (64) *Edimburgenſis* Scoticana A. 1647. Qua Synodus Westmonasterienſis recepta & comprobata fuit. (65) *Pariſienſe* colloquium A. 1678. inter Jacob. Bossuetum Condomensem Episcopum, & Claudium Ecclesiæ Reformatæ Charentonensis Ministrum. Disputabatur tantum de Ecclesia, à cujus dictaturâ, omnis revelationis auctoritas & sensus, atque adeo tota Religio Christiana, ex sententia Episcopi, pendeat. Acta collationis extant publicè. (66) *Pariſienſis* Synodus A. 1682. Cleri Gallicani, contra Innocentium XI. Pontificem, parasituri Regi suo, eique asserturi, Jus *Regaliorum*, seu fructum vacantium beneficiorum Ecclesiasticorum, unaque viam paraturi, ad universalem Ecclesiarum Gallicanarum Reformatarum eversionem. Comparent igitur VIII. Archiepiscopi, XXIV. Episcopi, & alii qui Clerum constituunt. Condunt IV. propositiones, quæ Papæ abrogant omnem potestatem temporalem: concilium universale extollunt supra Papam: restringunt potestatem Pontificiam: relinquunt Pontifici in rebus fidei *præcipuam* quidem auctoritatem, sed cujus decisiones infallibiles non sint, sine consensu Ecclesiæ. Istæ propositiones auctoritate Regis, in leges abierunt, singulis Episcopis, Professoribus, Doctoribus proponendæ ac recipiendæ.

Complures istarum Synodorum, conventuum, colloquiorum disputationumque, suas in publicum proferebant confessiones, Canones, decreta, quæ suum etiam conferebant ad Ecclesiæ propagationem ædificationemque, quanquam dispari gradu, pro suâ puritate aut impuritate, à quo non deerant etiam, quæ noxiæ existerent, quas breviter recensebimus. (1) Prima fuit Augustana Confessio, concepta, à Philippo Melanchtone, repræsentata in Comitiis Imperii Augustanis; sed, pro ratione temporum, imperfectior, quam ipse etiam Philippus nonnihil postea variavit, cum præsertim *ſpecierum* Pontificiarum faceret mentionem, quas ipsi Lutherani non probant, quando verum panem & vinum S. Cœnæ adesse agnoscunt: interim, quo commodiorem schismatis habeant prætextum; continuo clamant *invariatam* confessionem. Confessioni succesſit mox ejus *Apologia*. Acceſſit purior & magis reformata (2) quatuor Civitatum Argentinensis, Constantiensis, Memmingensis & Lindavienſis, eodem tempore exhibita quidem in Comitiis; sed, publice saltem, non prælecta. (3) *Tigurina* Zuinglii, ad Cæsarem item in Comitiis his missa; sed non prælecta, quod Eccius in ea observaret, Sacramenta gratiam non conferre ex opere operato, & corpus Christi, ore quidem comedi culparet. (4) *Helvetica prior*, A. 1536. conscripta & sequenti anno, conventui Schmalcaldico exhibita. (5) *Schmalcaldica*, certis articulis a Luthero comprehensa A. 1537. quæ Concilio Mantuano exhiberi debuisset. (6) *Interimiſtica*, qua Theologi Saxonici Adiaphoristæ, in certis ceremoniis, & nonnullis etiam de fide loquendi

Confessiones aliaque id genus, extatis sextæ N. T.

quendi modis, Cæsari gratificari nitebantur A. 1549. eoque a constantia fidei, non parum declinarunt. (7) *Magdeburgensis*, quâ eodem anno, ministri Ecclesiarum Magdeburgensium, erroribus interimisticis se opposuerunt. (8) *Saxonica*, à Melanchtone A. 1551. conscripta, ut Concilio Tridentino exhiberetur. (9) *Wurtembergica*, eodem anno, à Joh. Brentio consignata, & sequenti anno, nomine Christophori Ducis Wurtembergici, Concilio Tridentino exhibita, quam postea ab Asoti calumniis, idem Brentius Apologia vindicavit. (10) *Gallicana*, Francisco II. Galliarum Regi A. 1559. & post biennium Carolo IX. exhibita, tandem A. 1566. Latine edita, & A. 1587. typis Germanicis divulgata, ut inde constaret, ob quod dogma, in Galliis, persecutionem tam acrem sustinerent Reformati. (11) *Anglicana* A. 1562. edita. (12) *Helvetica posterior* A. 1566. à Reformatis Sabaudicis, Polonicis, Hungaricis & Scoticis subscripta. (13) *Belgica*, eodem anno edita, & in Synodo Dordracena postmodum confirmata. (14) *Dresdensis* reformata, à Wittembergensibus Theologis A. 1571. edita, quam Jenenses frustra oppugnarunt. (14) *Formula Concordiæ* Lutheranæ, quam supra repræsentavimus. (15) *Bohemica postrema*, ex quatuor prioribus A. 1573. repetita. (16) *Saxonica alia*, ab Ægidio Hunnio, dignoscendis Crypto-Calvinianis, ut loquuntur, conflata. (17) *Pomeranica* A. 1593. à Ducibus Pomeranis adornata, (18) *Westmonasterienſis* A. 1624. cum Catechesi duplici, & Directorio cultus publici, adornata, sicut diximus. (19) *Remonstrantium* A. 1621. conscripta à Simone Episcopio, impugnata à quatuor Professoribus Leidensibus, propugnata per *Apologiam* ab eodem Episcopio, tandem refutata *Antapologia* Jacobi Triglandii. Accedat (20) *Condomensis fidei expositio*, scripta primum quidem in usum Marescalli Turennii, ea scil. convertendi ad Religionem Pontificiam, quæ cum Pontificiis non satisfaceret, correcta prodiit A. 1671. approbata ab Episcopo Rhemensi & IX. Episcopis, Hæc approbatio cum auctori non sufficeret; etiam Sorboniſtis censendam obtulit, & cum hi quoque multa ejus notarent atro carbone, addito quod nimia emollitione doctrinam Ecclesiæ Romanæ perverteret; suppressa prima editione, correxit Condomensis loca à Sorboniſtis notata. Invariatam interim editionem in Anglia edidit D. Stillingflitus. Variata igitur impræsens utimur, sed quæ destituitur approbatione Sorboniſtarum. Quin & Romam missa, plurimis adeo non placuit, ut & ejus refutationem meditarentur. Saltem à Clemente X. Pontif. approbationem obtinet. A Reformatis etiam non semel exagitata fuit, nominatim à Clariſſ. D. Frid. Spanhemio.

Scholæ Nec suis partibus, ad propagationem, saltem conservationem ædificationemque Ecclesiæ, de-

natæ sub fuerunt *scholæ*, passim sub ætate sextâ N. T. natæ, ætate quarum Catalogum, superiori ætate cœptum, sexta continuabimus breviter. (1) *Complutensis* in Hispa- N. T. nia, A. 1517. ipso cœptæ à Luthero reformationis anno, à Francisco Ximenio Archiepiſ. Toletano. Cui construit Elias Reusnerus *Toletanam*, à Francisco Alvaro, & *Hispalensem* à Roderico à S. Æliâ, & *Granatensem*, à Ferdinando Talabrienſi eorum Antistite, erectas. Quæ tamen ab aliis jam ante floruisse dicuntur, imprimis Hispalensis, quæ Sylvestrum II. Pontif. Avicennam & Isidorum aluerit. (2) *Goldbergensis* in Silesia instituta est A. 1520. (3) *Marpurgensis*, à Philippo Landgravio Hassiæ, condita A. 1526. postea confirmata à Carolo V. (4) *Cæsarauguſtana*, in Arragonia, à Carolo V. fundata & A. 1584. instaurata. (5) *Coronensis* in Transsylvania A. 1530. inclaruit per Joh. Hunterum Theologum & Mathematicum. (6) *Lausannensis* in Helvetia inclaruit A. 1530. (7) *Regiomontana* in Borussia, ab Alberto Marchione Brandeburgico introducta, Rectore primo Georgio Sabino. (8) *Genevensis* incepit A. 1535. (9) *Argentinensis* A. 1538. instituitur à Senatu, Joh. Sturmio Rectore. Accipit privilegia quædam à Maximiliano II. Imp. A. 1566. Colophonem privilegiis imponit Ferdinandus II. A. 1621. (10) *Jenensis* in Thuringia, à Joh. Friderico I. Elect. Saxonico fundata A. 1558. (11) *Hafniensis* in Dania, condita à Friderico Rege, A. 1539. instaurata à Christiano II. (12) *Upsaliensis* in Suecia, originis est vetustæ, sed A. 1540. imprimis claruit, sub Jac. Zieglero & Olao Magno (13) *Elbingensis* in Borussia, fundatur ab Alberto Duce A. 1542. (14) *Misnensis*, instituitur à Mauritio Duce Saxoniæ A. 1543. (15) *Stetinensis*, fundatur A. 1543. (16) *Dillingana* in Bavaria, ab Ottone Truchsesio Walburgio, Episcopo Augustano & Cardinali adornata, qui ipse disputavit in scholâ A. 1549. (17) *Ossunensis*, instituta in Illiberico seu regno Granatensi, sub Carolo V. A. 1549. (18) *Grimensis*, instituitur à Mauritio Electore Saxonico A. 1550. (19) *Rhemensis* in Campania, à Carolo Guisio, Cardinali Lotharingo & Archiepiscopo Rhemensi fundata. (20) *Gandiana* in regno Valentiæ A. 1560. (21) *Lauingensis* in superiore Palatinatu, instituitur à Wolfgango Palatino, annuente Ferdinando I. Imp. A. 1560. (22) *Duacensis* in Belgio, instituitur à Philippo II. Rege Hispano A. 1562. (23) *Neuhusana* prope Wormatiam, fundatur à Friderico III. Elect. Palatino A. 1565. (24) *Compostellana* in regno Galliciæ, & *Visontina* in Burgundia, aperiuntur A. 1574. (25) *Altorfiensis* in Norico, a Senatu Noribergensi A. 1575. (29) *Leidensis* in Hollandia, ab Ordinibus & Guilielmo Principe Arausiaco instituta A. 1575. (27) *Helmstadiensis*, in Ducatu Brunsvicensi, à Julio Duce instituta A.

1576. (28) *Claudiopolitana* in Transſylvania, à Gregorio XIII. privilegia accipit A. 1580. (29) *Pontamuſſana* in Lotharingiâ, *Monaſterienſis* in Weſtphalia, *Poſnanienſis* in Polonia, & *Onnatenſis* in Cantabria, inclareſcunt A. 1580. (30) *Franequerana*, ab Ordinibus Friſiæ inſtituta A. 1581. (31) *Herbornenſis* in Wetteraviâ, inſtituta à Johanne Comite Naſſavio A. 1585. (32) *Serveſtana*, inſtituta à Principe Anhaltino A. 1585. (33) *Steinfurtenſis* à Comitibus Benthemienſibus inſtituta A. 1588. (34) *Gieſſena*, à Ludovico Haſſiæ Landgravio erecta, & à Rudolfo confirmata, tranſlatis illuc Marpurgo Profeſſoribus. (35) *Harderovicenſis*, auſpiciis Ordinum Geldriæ inclareſcit A. 1590. (36) *Sedanenſis* in Galliâ inclareſcit A. 1592. (37) *Bremenſis* in Saxonia inferiori, inclareſcit A. 1592. (38) *Dantiſcana* in Boruſſia, inclareſcit A. 1600. (39) *Salmurienſis*, erigitur à Philippo Mornæo, Pleſſiaci Domino A. 1604. (40) *Groningenſis* inſtituitur ab Ordinibus Groninganis A. 1617. (41) *Paderbornenſis* erecta ab Epiſcopo Theodoro A. 1616. (42) *Rintelenſis*, ab Erneſto Comite Schaumburgico ſolenniter inaugurata, & à Ferdinando II. Imp. privilegiis ornata A. 1620. (43) *Ultrajectina* à Senatu Urbano, ex Gymnaſio in Academiam converſa, primis Profeſſoribus Bernardo Schotano Jurisconſulto, Gisberto Voetio SS. Theologiæ Doct. item Mainardo Schotano, itidem Theologo. (44) *Jaffanapatnamum* ſeminarium, in tractu Malabarico, efformandis in linguâ Belgicâ, & præparandis ad S. Miniſterium pueris Malabaricis, auſpiciis D. Commiſſarii à Rhede erectum, præfecto ei Adriano de Mey, V. D. M. A. circiter 1690. An pura ſint ejus generis ſeminaria, & quæ, per utramque Indiam, Orientalem & Occidentalem, Anglicanam pariter & Belgicam, hactenus me latet.

Expeditio Guilielmi III. Principis Arauſiaci in Angliam.

In adminiculis propagatæ, ſaltem conſervatæ Eccleſiæ, omnino memoranda eſt expeditio Guilielmi III. Principis Arauſiaci, in Britanniam: utpote quâ, res Proteſtantica, per univerſam Europam, in præſentiſſimo everſionis diſcrimine, ſtabilita & confirmata fuit. Res ita ſe habet. Suffocaverat Ludovicus XIV. omnes Eccleſias Reformatas, per ſuam Galliam. Succeſſerat in Anglia Carolo II. fratri, Jacobus II. A. 1685. palam Religionem Pontificiam profeſſus. Convenerat inter utrumque, de exſtirpanda *hereſi ſeptentrionali*, intelligebant Religionem Proteſtantium per Europam ſeptentrionalem: iſtud negotium inchoandum eſſe, à Britannia & Belgio. In hanc rem bellum ſuſcipiebat Ludovicus in Palatinatum, & quo propior eſſet Belgio ſubvertendo; id agebat omnibus viribus, ut mortuo Maximiliano Henr. Electori Colonienſi, ſurrogaretur Furſtenbergius Princeps ſibi devotus, intentato etiam Ordinibus Belgii bello, ſi ſe negotio iſti contra Furſtenbergium admiſcerent. Ordines facile animadvertebant, fabam iſtam in ſe cudi, hinc militem marinum conſcribunt. Jacobus interea rem Pontificiam in Anglia, ringente populo, ſtrenue agebat, Jeſuitas, monachos, magna copia evocabat, monaſteria paſſim exſtruebat, Cardinalem Dada Legatum Pontificium, habebat Conſiliarium, militem conſcribebat & Claſſem marinam, quo ſecurius ageret, Parlamentum quod vocant, curabat convocandum, quod plane ſtaret à nutu ſuo, ſuppreſſis omnibus liberæ electionis juribus: libertatem Religionis indulgebat omnibus ſectis, non ad hoc tantum, ut eadem opera Pontificios, contra ſtatuta regni fundamentalia introduceret; ſed etiam partes Reformatas per cuniculos infringeret. Jubet iſtam *conſcientiæ libertatem*, ut vocabat, abrogata TESTA, & pœnalibus in Pontificios legibus, ex omnibus Angliæ ſuggeſtis, ab ipſis Eccleſiarum Reformatarum Miniſtris, ex præſcripto Archiepiſcoporum, Epiſcoporumque proclamari: id cum VII. Epiſcopi, inter quos Cantuarienſis Archiepiſcopus, renuerent, ad hoc Regi ſupplices facti, poſt durum reſponſum, & exactam ab eis ſtrictam obedientiam in carceres compinguntur, donec conſtitutorum Judicum ſententia, cum publico totius populi gaudio, inſontes pronunciati, liberarentur. Accedebat, quo efficacius à ſucceſſione in regnum, ſecluderetur Guilielmus Arauſiacus proximus hæres, qui progreſſus Pontificios denuo ſuffocare poſſet; quod Princeps quidam Walliæ populo obtrudebatur. Interim qui in perverſa iſta conſilia deſcendere nollent, regno pelluntur. Horum magna copia Principem Arauſiacum compellat, ut regni Britannici, olim hæreditatis ſuæ, miſeria tactus, ejus Religioni & libertati ſuccurreret, ad hoc cum vix adductus eſſet, præcipitatis operis, ab Ordinibus Belgicis Claſſis nautica inſtruitur, eaque expeditio ſuſcipitur A. 1688. primo quidem obſtrepentibus ventis adeo ſevere, ut univerſa claſſis cum Principe, undis merſa, à Pontificiis lætabundis proclamaretur, atque etiam deliberaretur de Claſſe domi exarmanda; aſt vero repetita expeditione, aura adeo adſpirabat clementer, ut placidiſſime in Turbay appelleret, ab Anglis vicinis, omnium applauſu exciperetur, commeatu affatim juvaretur, & eundo vires acquireret, adeo copioſe, ut nec miles Jacobi, nec ejus claſſis nautica, ei obniti ſuſtineret: hinc tandem Londini appellit, & tantam experitur omnium benevolentiam, ut Regina à Jacobo in Galliam dimitteretur, ipſeque paulo poſt profugeret in Galliam, hinc Arauſiacus, Rex proclamaretur A. 1689. & XI. Aprilis coronaretur ſolenniter. Interea Jacobus, auxiliis Ludovici in Hiberniam contendit, ibidem ſua fata quæſiturus, ſed fruſtra: victus enim ibidem armis Guilielmi III. Regis, & recuperato univerſo regno, in Galliam remeare cogitur.

cogitur, à quo latrociniis excitatisque in Anglia rebellionibus, suam causam, obnitente sibi perpetuo providentia, desperabundus agit, usque adeo ut & Ludovicus Galliæ Rex, omnibus tentatis, pacem ambire, & in eam rem, suos legatos in Hollandiam mittere cogatur. Sic, per divinam clementiam, res reformata, non in Anglia tantum; sed in universa etiam Europa, feliciter restituta est.

Schismata sub ætate sexta N. Test.

Nec tamen etiam defuerunt remoræ, quibus cursus reformationis sub hac ætate, efficaciſſime impediebatur, in quibus primum locum habent *Schismata*, nim. (1) *Sacramentarium*, inter Reformatos & Lutheranos, natum nimia vehementia fastuque Lutheri, agnoscente Georgio Calixto, Professore Helmstadiensi Lutherano, in suo *Judicio* super hoc negotio publice edito. Vix enim cœpta per Lutherum reformatione, cum ipse adhucdum delitesceret in suo Pathmo, & interea reformationem prosequeretur Carolstadius, Missam privatam abrogaret, imagines è templis ejiceret, aliaque præstaret eo spectantia: Lutherus ægerrime ferens, ista se inconsulto fieri, inscio & invito Electore, prosiliebat è suo Pathmo, aliquot Concionibus invehebatur in Carolstadium, etiam abrogata à Carolstadio superstitiosa restituebat, insuper ab Electore obtinebat, ut sua statione & Wittemberga moveretur, postmodum quoque, cum observaret ipsum præsentiam corporis Christi, in symbolis S. Cœnæ, non agnoscere; extracto è cumena aureo nummo, ipsum in contentionem Sacramentariam, quasi conduxit. Hinc illæ lachrymæ. Ea contentio postea ad Helvetiam propagata fuit, hac potissimum causa, quod non tantum ejectus Carolstadius, ab ipsis reciperetur, & ministerio ecclesiastico admoveretur; sed etiam quod in negotio S. Cœnæ, plane cum ipso sentirent. Hic subtitit contentio, Luthero quidem vivente. Ab ejus obitu, discipuli, nodum in scirpo quærentes, ut schismatis speciosiores causas haberent, alia insuper dissensus capita quæsiverunt, & ad pleraque Religionis capita captarunt, prout suo loco monuimus. Tentata quidem non semel concordia, nominatim à Philippo Hassiæ Landgravio in conventu Marpurgensi, & eo quidem perducta est, ut in nullo capite dissensus maneret, præterquam in negotio S. Cœnæ: & ad umbilicum perducta fuisset, si Lutherus dextram *fraternitatis*, sibi à Zuinglio oblatam, admittere voluisset, recruduit tamen postea contentio. Felicius succesſit in Polonia & Bohemia, fratribus Augustanæ, Helveticæ & Bohemicæ confessionis, coalescentibus in concordiam, ut patet ex Consensu Sendomirienſi A. 1570. & Vulodislavienſi A. 1583. in Synodo Generali. Conferantur, quæ dudum apud hæreses hujus ætatis monuimus. (2) *Arminianum*, cujus ortum, progressum, classes & placita dudum præoccupavimus, cum circa hæreses occuparemur. (3) *Ecclesiasticum*, quo nomine complectar ea dissidia, quæ circa *regimen Ecclesiæ* mota sunt, potissimum in Anglia, per diversas sectas, in quibus occurrit α. *Hierarchica* seu Episcopalis, quæ in servatis plerisque fidei capitibus; in ritibus, & regimine Ecclesiastico, accedebat papatui. *Fundata* fuit sub papatu; *castigata* nonnihil ab Henrico VIII. Angliæ Rege, qui ei abrogabat suprematum Episcopi Romani, eumque in se derivabat, servatis omnibus reliquis Papalibus; *conservata* sub Eduardo VI. cætera Reformatore optimo, quod suo tempore aliter non posset; *confirmata* sub Elisabetha Regina; *stabilita* sub Jacobo I. quod existimaret absque ea, regimen monarchicum in Republica, non posse tutum esse, unde ipsi frequenter in ore erat: *nullus Episcopus, nullus Rex*; *aucta* sub Carolo I. item sub Carolo II. Jacobo II. propendentibus insuper in papatum, cumprimis sub Guil. Laudo, Archiepiscopo Cantuariensi, qui eandem etiam, volentibus nolentibus, obtrudere satagebat Scotis, unde multi motus, & diræ persecutiones natæ sunt. Accedebant ei *Conformistæ*, qui quidem non probabant; interim tamen, declinandis in Ecclesia motibus, persecutionibus ferebant: & hi erant vel *puriores*, quales Perkinsus, Joh. Rainodus, Guil. Wittakerus aliique; vel *impuriores*, qui magis colludebant cum regimine papali, ejusque ceremoniis. β. *Puritana*, alias *Nonconformistica*, eorum qui se acrius opponebant, & regimini Episcopali, & ceremoniis superstitiosis. Hi rursus, odio regiminis episcopalis, & metu persecutionum, in tres partes abeunt, nim. primo *Brounistas*, qui ad exemplum Morelli in Gallia, & Hugonis Grotii in Hollandia, Presbyteriis, Classibus & Synodis, omnem auctoritatem abrogare, & ad singulares quosque cœtus ecclesiasticos traducere satagunt. Nomen obtinent à Brounio quodam, qui sui Separatismi radices posuit in Anglia: hunc excepit quidam Bolton, qui Separatismum exclusit; sed mox publice revocavit, & præ desperatione seipsum suspendit: secutus est Rob. Broun, Ludimagister Southwarkiæ, qui Medioburgi Selandiæ, Ecclesiam separatisticam erexit; sed mox rixis intestinis dissipatam: accessit Barrovius quidam, accerrimus Reformatorum insectator, ab Elisabetha Regina Londini suspensus: hunc excepit Johnsonus quidam, Ecclesiam separatam Amstelodami erigens, quæ per intestina dissidia, in duas partes abiit, quarum altera Ainsworthum; altera Johnsonum sequebatur, quæ tamen sic dissipatæ sunt mutuis contentionibus, ut Ainsworthus in Hiberniam, Johnsonus Embdam discederet, & Ainswortho revertenti Cannius quidam succederet. Hinc animam trahenti Separatismo, succurrebat Robinsonus Ecclesiastes Leidenſis, vir doctus & modestus, qui

ab Amesio & Parkero in viaru est revocatus, eatenus, ut rigidas Separatistarum opiniones mitigaret, & *Semi-Separatismum* quendam fundaret. Et hic demum auctor est *Independentium* modernorum in Veteri & Nova Anglia. Hinc ergo secunda Non-Conformistarum pars nata, *Robinsonianorum* seu *Independentium*, horum pars aliqua, ab Ecclesia Leidensi Robinsoniana decerpta, in Novam Angliam commigravit, quam mox secutus est Cottonus, & alii quidem pii Non-Conformistæ, qui regimen Robinsonianum susceperunt, eoque per literas veteri Angliæ commendato; novum inde Doctorem acceperunt Thomam Goodwinum, virum doctum & pium. Interea, dum Parlamentum Magnum sedet Londini A. 1640. & regimen episcopale abrogat, nec confestim aliud substituit, sub ἀναρχίᾳ Ecclesiastica, colluvies horrendarum opinionum sectarumque, Angliam obruit. Tertia igitur Non-conformistarum pars, est *Presbyterialis*, quæ nunc, Dei gratia, felicissime floret apud Scotos, Genevenses, Belgas fœderatos, & unitas Eccl. Juliacenses, Clivenses, Montanas & Marchicas, & olim etiam Gallicanas, nunc eheu exstinctas. Hausta est ista regiminis Ecclesiastici forma ab ipsis Apostolis, prout suo loco in cap. de *Gubernatione Ecclesiæ*, demonstravimus. Superest tandem quarta quædam pars, & ab Hierarchicis, & à Conformistis, & à Non-Conformistis & à Presbyterialibus diversa, scil. *Erastianorum* seu Colemannianorum. Nata à Thoma Erasto, olim Medico Heidelbergensi An. 1565. adoptata in Anglia à Colemanno quodam, Concionatore Londinensi, qui cum dissentientes observaret, Presbyteriales & Independentes; universum Ecclesiæ regimen transtulit ad Magistratum civilem, qui per *Interimistícos Consiliarios* gubernaret Ecclesiam, cui se fortiter oppossuerunt Scoti, interque eos nominatim G. Gillespy, & Samuel Rheturfortes. Accedat (4) *Labadistícum*, auctore Joh. de Labadie ex-Jesuita Gallo, qui ex Genevensi Ecclesia, ad Medioburgensem delatus, cum turbas ibidem daret, ejectus, primo Amstelodami, nonnullos sibi ὁμοψήφους collegit in unam domum; sed & hic à Magistratu prohibitus, Altenaviam concessit in Holsatiâ, inde Hervordiam in Westphaliâ, tandem Wöwardiam in Frisia Occidentali, ibique Fatis functus, præfecturam suæ Societatis, Joh. Ivon reliquit: illic substitit usque ad A. 1693. quando inter alia, ex defectu mediorum, quibus subsisteret, dissipata est, pauculis tantum cum Ivone congregatis ibidem. (5) *Antinomianum*, cujus tres observamus periodos: primam in *Germania*, auctore Johanne Agricola Islebio, Lutheri olim sympatriota & Antagonista, qui A. 1538. negabat legem Mosis esse docendam in Ecclesia, contra quem Lutherus sex disputationes habuit, quibus cessit quidem Agricola usque ad obitum Lutheri, tum ad vomitum reversus est: hinc etiam auctorem ferunt libri *Interimistici*. Obiit A. 1566. Secundam in *Anglia* Veteri, auctore Joh. Eatono, publicante librum, de *gratuita justificatione per Christum*, in quo huic potissimum insistit errori, *Deum nec velle, nec posse videre ullum peccatum in justificatis*, error post auctoris fata, adeo passim invaluit, ut templa fere replerentur hujusmodi sectariis: nec mirum, facilem enim & expeditissimam pandebat ad cœlum viam, absque ulla resipiscentia, fuga peccatorum, studio virtutum & bonorum operum, abnegatione sui, crucifixione carnis &c. Ex veteri in Novam Angliam traductus, primo occupavit Hutchinsoniam mulierem quandam contumacem, quæ Bostoniæ, prætextu repetendarum concionum Cottoniarum, furores dispersit per totam regionem. Statuebant: legem nullum usum habere in adducendo homine ad Christum: eum justificatum esse antequam credat in Christum, & suæ justificationis sensum tantum habere per fidem: eum justificatum esse in æterno Dei decreto, & actuali satisfactione Christi: nec requiri ullam ulteriorem satisfactionis applicationem per fidem: qui semel testimonium Spiritus S. de sua justificatione nactus sit, ei nunquam dubitandum esse de ea, si vel latro fiat vel adulter: sanctificationem non præbere solidum justificationis indicium: solatium capere ex sensu gratiæ, *legale* est: hypocrita potest habere gratiam, quam Adamus habuit in statu integritatis: gratia sanctificatorum & hypocritarum non differt: omnis gratia in solo Christo est subjective, in nobis nulla: Deus non amat hominem propter ullam sanctitatem, nec odit propter peccatum: peccatum non debet quenquam turbare: Christianus non tenetur precari, nisi Spiritus eum moveat: tota litera Scripturæ, est fœdus operum: nullus Christianus adigendus est ad officia pietatis: neque ad fidem, charitatem, preces, quamdiu non scimus, eum habere Spiritum: homo potest habere omnem gratiam, & tamen carere Christo, & quæ sunt ejus generis cruda & horrenda plura. Tertiam in *Belgio*, quo traductus est Antinomismus, ope hominum quorundam obscurorum v. g. alicujus Verschoor, studiosi Theologiæ, qui cum sibi videretur habere aliquam Hebrææ linguæ peritiam; passim apud Leidam, eam docere cœpit, eo prætextu, hominibus ignaris, absurda illa antinomiana instillans, à quo nomen *Hebræorum* nacti sunt: in Selandia nacti sunt quendam Stroband, concionatorem ruralem, qui à Classe Selandica castigatus, & à D. Hulsio Ecclesiasta Medioburgensi, scripto publico egregie contusus est. Succedunt varii ex Religione motus, qui quidem in cœtus segreges non abierunt, adeoque veri nominis schismata non sunt; sed tamen contentionibus & animorum divortiis ansam præbuerunt, in his numerabimus

rabimus (6) *Universaliſtas* Reformatos fundatore Joh. Camerone, Viro alias Celeberrimo, propagatoribus Moſe Amiraldo Profeſſore Salmurienſi, itidem doctiſſimo, Cameronis diſcipulo, nec non Teſtardo, Dallæo aliiſque in Gallia, à quibus tranſiit in Anglia ad Johannem Goodwin, Rich. Baxterum aliosque; imo & in Germania ad Conradum & Johannem Bergios, Ludovicum Concium, & in Marchia Brandeburgica ad alios plures. Diſtant tamen iſti omnes Reformati ab Univerſaliſtis, Pelagianis, Arminianis, Jeſuitis, Socinianis, Lutheranis, toto cœlo; dum enim hi gratiam univerſalem, talem tradunt, quæ ad omnes & ſingulos æqualiter ſe extendat, quæ omnem electis propriam excludat, cujus efficacia pendeat à viribus liberi arbitrii; illi gratiam *objectivam*, ad quam homo ſe habeat, ut objectum, qualis eſt gratia redemptionis, vocationis, quam ſolam volunt eſſe univerſalem, diſtinguunt à *ſubjectiva*, qualis eſt in regeneratione, ſanctificatione, fide, reſipiſcentia, quam electis peculiarem agnoſcunt: adeoque gratiam univerſalem cum particulari conſtruunt, & ſic quidem, ut univerſalis efficaciam ſuſpendant, non ab hominis arbitrio; ſed à gratia ſuperabundante, quæ operetur, non tantum *poſſe* ſi velis, ſed & *velle* quod potes. (7) *Carteſianos*, dictos à Renato Des Cartes, Gallo Pontificio, qui, cum novam Philoſophiam, quam meditabatur, in patria ſua, non ſatis ſecure & commode excludere poſſet: apud Leidam in Hollandia ſibi ſedem quæſivit, ubi cum Profeſſoribus Theologis pariter & Philoſophis ageret; ſed cum ibidem ſuos experiretur Antagoniſtas, D. Du Bois Eccleſiaſten Gallicanum, Jac. Revium Collegii Belgici Regentem, & imprimis etiam Cel. Voetium in Academia Ultrajectina: in patria etiam Scriptis obniterentur præter ſuos Jeſuitas, Petrus Gaſſendus, Philoſophus: tandem evocatus à Regina Sueciæ, Holmiam contendit, & in reditu obiit. Fuit acutiſſimi ingenii vir, Mathematicus incomparabilis. Non videtur intendiſſe, niſi novam quandam Philoſophiam mundo exhibere, ſatis etiam modeſte hoc ſuum agebat, niſi quod hypotheſes, quibus ſuam iſtam Philoſophiam ſuperſtruebat, Theologiæ viderentur exitioſæ, qualia, de omnibus omnino rebus ſemel eſſe dubitandum: nec quicquam admittendum, quod non clare & diſtincte perceperis; hanc primam eſſe omnis veritatis normam: omnia eruenda nobis eſſe ab innatis *ideis*: mentem noſtram, & omnem etiam ſpiritum, divinum, Angelicum & humanum, non eſſe niſi meram cogitationem: terram moveri, Solem quieſcere, & cum huic Scripturam opponerent Theologi, negotium philoſophicum in contentiones Theologicas degenerare cœpit, uſque adeo ut Ordines Hollandiæ, publico decreto A. MDCLVI. eam in ordinem redigere coacti fuerint. Interim apud ejus diſcipulos, vires continuo acquiſivit eundo. Inventus eſt Amſtelodami Anonymus, qui edita *Exercitatione Paradoxa de Philoſophia infallibili interprete Scripturæ*, Carteſii principia Theologiæ applicabat; refutata à variis, nec eadem ſoliditate. Secutus eſt, qui pro publica diſputatione inaugurali defenderet, Scripturæ divinitatem *non aliunde* nobis innoteſcere, *quam ex ratione*, quæ Diſputatio motus dedit in Academia Franequerana haud leves, inſurgente ei Jurisconſulto Celeb. Ulrico Hubero, & voce & ſcripto: acceſſit huic diſputationi Profeſſor Theologus ejuſdem Academiæ, D. Roël Oratione & Diſp. de *Theol. Rationali*, quibus Philoſophia ipſi eſt *Oraculum divinum*: à quo ad alia quoque graviora delapſus eſt, v. g. *æternam filii generationem conſiſtere in æterna coexiſtentia cum Patre*, cui poſtea conſtruebat, & *in œconomica ejus manifeſtatione in carne*. Item, *mortem fidelium, omneſque eorum afflictiones temporales, eſſe proprii nominis pœnas, pro quibus Chriſtus non ſatisfecerit*. Quæ adeo diſplicuerunt, non tantum Ordinibus Friſicis, ut auctori de his ſilentium imponerent, ipſeque cogeretur admittere, ſe nec directe nec indirecte propagaturum: ſed & omnibus totius Belgii Synodis Provincialibus, ſola excepta Friſica, ut non tantum decretis proſcriberent; ſed & Claſſibus injungerent, Candidatos Miniſterii, ſuper his hypotheſibus, ſolenniter explorarent. Secutus eſt anno hujus ſeculi circiter XCI. Balthaſar Beckerus, Theol. Doct. & Eccleſiaſtes Amſtelodamenſis, qui adductus hypotheſibus Carteſianis, edidit ſuum *Mundum Faſcinatum* Belgice, in quo tuetur, Spiritus creatos ſua virtute non operari extra ſe, ac proinde ſpiritus malignos jam non tentare & ſeducere homines. Magnos clamores per Europam, turbas in Hollandia, & ſcripta adverſaria concitavit iſtud Scriptum, dum Presbyterium Amſtelodamenſe ejus ſcriptum, ut *abominabile* pronunciaret, & ab auctore *ſatisfactionem* exigeret, propoſitis ei An. 1691. d. XXIII. Auguſti, tredecim articulis, quibus ſibi ſatisfaceret, quos etiam prompte admiſit; aſt cum non videret, qua ratione ex hypotheſibus Carteſianis, ſatisfaceret ex art. v. operationibus malignorum ſpirituum, ni Deum facere vellet auctorem earum operationum malignarum, ſi Deus non tantum conſtructionem feciſſet talium cogitationum cum talibus productis; ſed inſuper malignas iſtas operationes produceret, & hinc earundem auctor maneret: hinc difficultas ipſi manſit, circa malignas iſtas operationes, ut ſtatueret, malignos iſtos ſpiritus nihil operari circa creaturas: hinc ſententia ejus ad claſſem Amſtelodamenſem devoluta, apud eam condemnata eſt, & tandem ad Synodum Alkmarianam delata, denuo proſcripta fuit, auctore, & à miniſterio ſuo, & à communione S. Cœnæ moto. Ejus ſententia à

variis varie est impugnata : à Cartesianis quidem v. g. ab Henr. Groenewegen, à Joh. van der Wayen Professore Franequerano prolixissime impugnata, qui operationes malignorum spirituum, ex hypothesibus Cartesianis, non potuerunt explicare; hinc in generalibus tantum subsistiterunt, nil de operationibus malignorum spirituum proferentes: quando ejus Antagonistæ Anti-Cartesiani, in spiritibus, præter cogitationem, insuper observabant vires malignas, quibus operari possent, & ex his malignos spiritus suas operationes producere demonstrabant, & ex hoc non Deum; sed ipsos malignarum istarum operationum auctores remanere, asserebant. (8) *Coccejanos*, quos vocant perperam, à Joh. Coccejo, Bremensi, Theologo Professore, primum Franekerano, tum Lugdunensi-Batavo, viro Celeberrimo & citra dubium longe Doctissimo, cumprimis in literatura Hebræa. Hic sibi in negotio dabat, novam designare fœderum & testamentorum ξύνταξιν, ad hoc ut inde felicitas Ecclesiæ Novi Testamenti immensum invalesceret supra Ecclesiam Veteris Test. Ad hoc urgebat, fideles V. T. mortuos fuisse sub reatu peccatorum, usque dum Christus in cruce pro eorum peccatis solveret, hinc quodammodo sub ira Dei, sub maledictione legis, sub servitute fuisse, prout jam ante in cap. de Justificatione, item cap. præced. de *Dispens. fœderis gratia sub Moso*, uberius monuimus. Excluserat in hanc rem, jam tum Franequeræ, Tractatum de *Fœdere*, & Commentarium *in Ultima Mosis*. Franequera Lugdunum vocato, familiarior amicitia obtigit cum Clariss. D. Abrah. Heidano, qui tum occupabatur in oppugnanda moralitate quarti præcepti. Hinc D. Coccejus invalescere cœpit, suasque hypotheses efficacius propagare. Cumque se opponerent passim Theologi Belgæ, vetus systema fœderum & testamentorum retinentes, interque eos Cl. Gisb. Voetius; nata sunt nomina *Coccejanorum & Voetianorum*. quæ utinam audita nunquam fuissent. Hinc, cumprimis post decessum Celeb. Cocceji A. 1658. ex contentionibus, major concitata est animorum σύρραξις, quam res exigebat. Sententias & animos mitigare conabatur Cl. Joh. Hoornbeekius, edito Irenico A. 1666. sed frustra. A Cartesianismo Cel. Coccejus aversus fuit, postea tamen, in discipulis ejus, ut vis unita fortior esset, coiërunt placita Cartesiana & Coccejana, cum magno Ecclesiæ malo. Poterit de istis Belgii nostri dissidiis, videri Cel. Frid. Spanhemii Fil. Epistola ad Amicum A. 1677. Hæc inter Reformatos observantur, seu schismata; seu motus schismatici.

Schismata Lutheranæ.

Nec Lutheranis etiam defuerunt suæ sectæ, quas etiam breviter repræsentasse, operæ pretium erit. *Primum* igitur Lutheranorum schisma accidit inter Lutherum & Carolstadium, de quo jam ante diximus. *Secundum*, inter Lutherum & Joh. Agricolam Islebium, super Antinomismo A. 1538. De quo etiam dudum monuimus. *Tertium Interimisticum*, quando in formula Interreligionis, jussu Imperatoris A. 1548. per Julium Pflug Episcopum Naumburgensem, Michaëlem Sidonium, & Joh. Agricolam, concepta ut obtineret in Imperio Germanico, usque ad futurum Concilium universale, nec Pontificiis, nec Protestantibus probata; Principes & civitates, qui istud INTERIM admittebant, puriores suos Doctores passim dimittebant: dum alii Cæsari assurgerent, *Adiaphoristæ* inde dicti. *Quartum* Adiaphoristicum, quo Georg. Major cum suis quidem, phrasin Interimisticam, & necessitatem bonorum operum ad salutem, acriter defendebat: Nicol. autem Amsdorffius bona opera ad salutem etiam pernicioſa pronunciabat. *Quintum* Synergisticum, de cooperatione liberi arbitrii in hominis conversione. Quia enim in Melanchtonis scriptis, talia occurrunt, quæ nimium tribuunt viribus liberi arbitrii naturalibus; nonnulli ejus Sectatores, inter quos Victorinus Strigelius, vires arbitrii etiam aliquid ad regenerationem conferre, arbitrantur. *Sextum* Philippicum, auctoritatem Corporis Doctrinæ Philippi Melanchthonis concernens, ad quod Wittembergenses Reformati, ut se Lutheranos comprobarent, frequenter provocabant, velut communis Germaniæ Magistri: cui se opponebant rigidiores Lutherani, ridicule distinguentes inter Melanchthonem publicum & privatum. *Septimum* Osiandrinum, quod Andreas Osiander Professor Regiomontanus excitavit An. 1551. Cum enim Christum, Adamo etiam non lapso, incarnandum doceret, quod ad ejus humanam naturam, velut ad prototypum, Deus hominem efformasset: atque insuper hominem, propter essentialem *divinæ naturæ* Christi justitiam justificari, atque adeo Christum quoad solam divinam naturam, Mediatorem esse doceret; reliquos Lutheranos merito expertus est Antagonistas. *Octavum* Stancaristicum. Cum enim Osiander statueret, Christum, quoad divinam naturam tantum esse Mediatorem: Franciscus Stancarus, Italus Mantuanus, linguæ Hebrææ Professor fastuosissimus, se Collegæ Osiandro oppositurus; tuebatur, Christum secundum humanam naturam tantum esse Mediatorem, ex hypothesibus Pontificiis, & nominatim Petri Lombardi, quem omnibus Theologis Protestantibus præferebat. *Nonum* Flacianum. Cum enim Matth. Flacius Illyricus observaret, Theologos Synergistas nimium extenuare peccati Originalis corruptionem; eis se oppositurus, fervore disputationis eo est delapsus, ut statueret, corruptionem originalem, ipsam esse hominis substantiam: in quo reliquos Lutheranos Antagonistas merito est expertus. *Decimum* Æpinæum, super articulo de descensu Christi ad inferos, inter Theologos Ham-

Hamburgenſes exortum. Cum enim Joh. Æpinus aſſereret, Chriſtum aliquid apud inferos paſſum fuiſſe; reliqui Paſtores Hamburgenſes, Joach. Weſtphalus, Joh. Hogelius, Joh. Botticherus, Joh. Criſpinus, Joh. Stedemannus, ſe ei oppoſuerunt, adoptante Æpini ſententiam, Matth. Flacio Illyrico. *Undecimum* excitavit apud Lutheranos *Formula Concordiæ*, cui, cum ſubſcriberent plerique Lutherani; alii, & nominatim Paulus ab Eizen, Superintendens Lunæburgenſis, abnuebant, quod in Reformatorum condemnationem deſcendere nollent, quo negotium iſtius *Formulæ* non parum impeditum fuit. *Duodecimum* Helmſtadienſe, à Theologis Helmſtadienſibus, & inter eos nominatim Tilemanno Heshuſio concitatum, qui omnipræſentiam carnis Chriſti, adeoque Formulam Concordiæ, non ferebant, & pro ea multipræſentiam Pontificiorum adoptabant, inſuper circa reſurrectionem impiorum diſputabant, num futura ſit virtute meriti Chriſti, nec ne? Schiſma hactenus continuatur in Academia Helmſtadienſi, quoad omnipræſentiam corporis Chriſti, per Georgium Calixtum, ejuſque ſucceſſores. *Decimum tertium* Huberianum, qui electionem & ſalutem omnium & ſingulorum hominum aſſerebat, eaque cauſa miniſterio motus eſt. *Decimum quartum* Ratisbonenſe, cujus auctores exſtiterunt, quinque ejus Eccleſiæ miniſtri, qui A. 1587. non tantum uſuras rodentes; ſed & omnes eos contractus damnabant, ubi aliquid ultra ſortem accipitur: qui cum Theologis Wurtembergenſibus, diverſum inculcantibus, non cederent, ſtatione moti ſunt. *Decimum quintum* Syncretiſticum, de fovenda concordia, potiſſimum cum Reformatis, apud Lubeccenſes natum, ubi Ant. Burchardus quidam, cum in hujuſmodi concordiam conſentire nollet, & Georgium Stampelium, cum Senatu diſſentientem experiretur, loco motus fuit. *Decimum ſextum* Magdeburgenſe, à quibuſdam iſtius Eccleſiæ Theologis motum, qui ſtatuebant, Philoſophiam nullo modo ad Theologiam utilem eſſe; ſed pernicioſam inſuper, propterea impugnari ſcriptis Jacobi Martini. *Decimum ſeptimum* Pietiſticum, à pietate dictum, ejuſque ἀκριβείᾳ, quam alii propugnant, alii oppugnant. Natum videtur, apud Lutheranos ſaltem, occaſione alicujus M. Francken Eccleſiaſtæ pii, zelotæ, qui obſervans corruptiſſimos Eccleſiæ mores, eorum reformationem anhelabat, & praxi propria urgebat, ſuadendo in hanc rem, piorum conventus privatos, εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης Heb. x. 24. Hujus veſtigia legebat Philippus Spenerus, Eccleſiaſtes primo Francofurtenſis ad Mœnum, hinc Superintendens Dreſdenſis, nunc Superintendens Berolinenſis, vir doctus & pius, & complures alii ejuſdem notæ. His ſe opponunt pleræque Academiæ Lutheranæ, & imprimis etiam Joh. Frid. Meierus Doctor & Eccleſiaſtes Hamburgenſis ad D. Jacobum. Non aperto Marte pugnant adverſus pietatem ejuſque ἀκριβειαν; ſed Spenero cum ſuis tribuunt, quod juſto plus bonis operibus aſſerat, regnum Chriſti millenarium tueatur, ſuæ formulæ concordiæ repugnet aliaque, quibus Spenerus modeſte reſpondit. Scripta ſuper hoc negotio collecta utrinque, proſtant Francofurti, Germanice edita.

Jam etiam ad *Pontificios* deſcendemus, quibus ſub ipſa Monarchia papali, non defuerunt ſua *ſchiſmata*, in quibus eſt (1) *Gallicanum*, ſuper ipſo fidei fundamento, ſeu infallibilitate Eccleſiæ, ſitne ea in Concilio univerſali, an in Pontifice Romano? adeoque, an Eccleſiæ Regimen ſit *Monarchicum*, an Ariſtocraticum? Prius Gallicani aſſerunt, poſterius reliqui omnes Pontificii. Præterea Galli, omnem poteſtatem *temporalem* Papæ abrogant, & *ſpiritualem* ita reſtringunt, ut ei *præcipuam* quidem relinquant; aſt non omnem; ſed quæ ſubſit Concilio univerſali. Inſuper ipſi abrogant *Regalia*, ſeu poſſeſſionem vacantium beneficiorum eccleſiaſticorum. Cujus ſpecimen exhibuerunt, in conventu Cleri Gallicani A. 1682. d. VIII. Febr. præſentibus XV. Epiſcopis, cauſam Eccleſiæ Gallicanæ, adverſus Pontificem defendente Petro de Marca, edito ſcripto, de *Concordia ſacerdotii & Imperii*, cujus refutationem Pontifex demandabat Chriſtiano Lupo, accedebat Pontifici Epiſcopus Apamienſis, cujus ſcriptum ſuprema Pariſienſis Curia ſupprimebat, inter Jeſuitas etiam Papæ obnitebatur Maimburgius, hoc nomine à Societate Jeſuitica excluſus, ſed à Galliarum Rege defenſus: donec Alexandro VIII. Innocentii XI. ſucceſſori, utcunque ſatisfaceret Ludovicus XIV. Rex Gallus, retractatis Cleri Gallicani decretis. (2) *Franciſcanum*, ſuper immaculata conceptione B. Virginis, inter Ordines, Dominicanos & Franciſcanos, illis negantibus, his aſſerentibus immaculatam iſtam conceptionem, de quo jam ante ad ætatem præcedentem monuimus. Hæc adeo recruduit ſub hac ætate, ut Philippus Hiſpaniarum Rex, miſſa peculiari legatione ad Pontificem, quam ſpiſſo volumine Waddingus Monachus Hibernus deſcribit, componere non potuerit, vigente ſchiſmate in hodiernum uſque diem, cumprimis in Hiſpania. Quamvis immaculatam iſtam conceptionem, per tot ſecula controverſam, primus definiverit nuper Alexander VIII. Ex hoc natum eſt (3) *Janſeniſticum*, ita dictum à Cornelio Janſenio, Profeſſore primum Lovanienſi, tum Epiſcopo Yprenſi, qui in ſuo *Auguſtino*, edito demum poſt Fata ejus, tuebatur ſaniorem Auguſtini ſententiam, de Gratia & Libero Arbitrio, Reformatis proximam: illi ſe oppoſuerunt *Moliniſtæ*, à Ludovico Molina Jeſuita ſic dicti, cui cuncta Jeſuitarum cohors accedit Pelagianizans. Diſſemina-

Schiſmata Pontificiorum ſub ætate N. T. ſexta.

batur

batur tam potenter paſſim Janſenianiſmus, per Belgium, Galliam, Italiam: ut ei accederet non tantum Academia Lovanienſis; ſed etiam Cardinales, Epiſcopi, uſque ad ipſum etiam Pontificem Innocentium XI. uſque etiam adeo, ut pontifices jam, propter potentiam utriuſque partis, neutram partem auderent condemnare. Hinc Urbanus VIII. A. 1641. utrique parti ſilentium indixit, editâ Bullâ, quâ edictum Pii V. editum A. 1589. repetiit & Paulus V. A. 1611. ſub graviſſimis cenſuris eccleſiaſticis, ut nim. nec ſcriptis, nec vivâ voce, de *materia auxiliorum divinorum* diſputaretur, donec aliud in iſtâ materiâ foret determinatum à ſede Apoſtolicâ: cumque ſuper hoc edicto papali, variæ difficultates, maxime in Academiâ Lovanienſi, moverentur; Urbanus VIII. denuo A. 1644. primum ſuum edictum renovavit, additis etiam literis ad Franciſcum de Melo, Belgii Hiſpanici tum Gubernatorem, & Archiepiſcopum Mechlinienſem, & Cameracenſem, ad Epiſcopum item Antwerpienſem, & Academias Lovanienſem & Duacenam, ut literas papales exſecutioni mandarent: eandemque curam Innocentius X. impoſuit Marchioni de Caſtel Rodrigo, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis etiam Gandavenſi, Brugenſi, Yprenſi, Ruremundano, Tornacenſi, Namurcenſi, Odomarenſi, itemque Academiis. Idem ſtudium inculcavit Sorbonæ Pariſienſi, & Leopoldo Wilhelmo Archiduci Auſtriæ, Epiſcopo Argentoratenſi. Hæ Bullæ promulgatæ inſuper ſunt in Hiſpaniis A. 1644. in Belgio A. 1646. in Burgundia Comitatenſi A. 1648. ea ſeveritate, ut impoſterum nemo ad animarum curam admitteretur, qui poſt ſolennem Concilii Tridentini fidei profeſſionem, non damnaret Janſenii *Auguſtinum*. Verum iſtæ Bullæ ad acriora odia partes accendebant, quod Janſeniſtæ cauſarentur, falſa ſuo Janſenio affingi, ejuſque ſententiam damnari non poſſe, quin ipſe Auguſtinus damnaretur, id quod in Colonienſi & Leodienſi potiſſimum tractu, factum obſervatur. Unde Maximilianus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Epiſcopus Leodienſis, quinque propoſitiones Janſſenianas novo edicto damnavit, & earum defenſores, ut hæreticos & hoſtes orthodoxæ fidei proſcripſit. Damnatæ autem quinque propoſitiones Janſſenianæ ita ſe habebant; 1. *Aliqua Dei præcepta, hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* 2. *Interiori gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur.* 3. *Ad merendum & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* 4. *Semi-Pelagiani admittebant, prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* 5. *Semi-Pelagianum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Quas quidem propoſitiones, novâ Bulla, ut temerarias, impias, blaſphemas, hæreticas, falſas, ſcandaloſas, contumelioſas & divinæ pietati derogantes, Papa Innocentius X. denuo damnavit A. 1653. Præcipuam autem his propoſitionibus invidiam conflabat, quod conſentirent Luthero & Calvino, & quod jam ante in Michaële Bayo, ſub Philippo II. à Pio V. A. 1567. & à Gregorio XIII. A. 1579. damnatæ eſſent: excipiebant Janſſeniſtæ: iſtam doctrinam non eſſe ſuam; eſſe ipſius Auguſtini, eſſe S. Thomæ & Thomiſtarum: reponebant Anti-Janſſeniſtæ, ſufficere infallibilem Pontificis, è Cathedra loquentis, auctoritatem, & in hanc demum reſolvitur ultimo ſententia Anti-Janſeniſtarum. Tandem & Alexander VIII. Innocentii II. Janſſeniſtarum, ut fertur, fautoris, Janſſeniſmum condemnavit, & à Gallorum Rege impetravit, ut Janſſeniſtæ ex toto ejus regno proſcriberentur. Plura de Janſſeniſmo ſi voles, Clariſſ. Collegam Leideckerum conſule, qui iſtud negotium exactiſſime proſecutus eſt in ſua *Hiſtoria Janſſeniſmi*. Ex Janſſeniſtico natum ſuſpicantur (4) *Quietiſticum*, à quo Romanenſes plus etiam ſibi metuiſſe, quam à Lutheraniſmo dicuntur. Ortum habuit à Michaële Molinos, illuſtri loco in Hiſpania oriundo. Hic Theologia myſtica imbutus, in Italiam venit, moribus ad honeſtatem compoſitis A. 1675. Librum edidit ſub titulo *Manuductionis Spiritualis*, à multis Theologis & Epiſcopis approbatum, quo in partes ſuas mox traxit Cardinales, Caſſanatum, Azolinum, Catpegnium, Coloredum, Ciceri & cumprimis Petruccium, atque inſuper Eſtræum Gallum, cui tanta cum Molinoſo fuit familiaritas, ut ad 20000. Epiſtolarum ad ipſum dederit: ipſe etiam Innocentius XI. A. 1676. Pontificatui recens admotus, eum tanti fecit, ut in palatio ſuo ipſi domicilium aſſignaverit. Ei primi ſe oppoſuerunt Jeſuitæ & Dominicani, ejus ſectatores *Quietiſtas* appellabant, & ex ſuis incitabant, Segnerium quendam, qui ſcripto ſub titulo *Concordia laboris & quietis* ei ſe oppoſuit A. 1687. Hinc accuſatoribus Jeſuitis, apud *Inquiſitionis* tribunal raptus, cauſam ſuam ita egit, ut non ſolum abſolveretur; ſed etiam libri ipſius iterato approbarentur, unde plurimum auctoritatis lucrata eſt doctrina Molinoſi, ut Miſſas non amplius frequentarent, nec preces ad Roſarii globulos numerarent. Hinc ejus adverſarii ipſum Judaiſmi aut Muhammedaniſmi ſuſpectum reddere conabantur, ut neceſſum habuerit, eis libellum opponere de *quotidiana Communicatione*. Donec Jeſuitæ Molinoſum, apud Patrem de la Chaiſe, Regis Galli Confeſſarium deferrent, qui Regi ſuo auctor fuit,

fuit, ut mandata ad Cardinalem Eſtræum daret, qui Molinoſum perſequeretur. Hic, forte nolens volens, id effecit, ut ad Inquiſitionis tribunal denuo raperetur, & mox carceri manciparetur A. 1684. à quo res *Quietiſtica* quievit, uſque ad A. 1687. quando Comes Veſpinianus ejuſque Conjux, unâ cum LXX. viris doctrina & pietate claris, mox ad numerum ducentorum accreſcentibus, incarceratus fuit, & miſſis per Italiam circularibus literis, omnia Quietiſtarum conventicula rigidiſſime prohibita ſunt. Inquiſitores interim, uni è medio ſui, in mandatis dant, excerpta quædam ex doctrina Quietiſtarum proferre, quod factum XIX. articulis A. 1687. A quibus condemnatus, cum in templum Minervæ humeris Apparitorum deportaretur, & ſententiam perpetui carceris ibidem acciperet: adſtanti ſibi Sacerdoti dixiſſe fertur: *vale mi Pater, videbimus nos iterum die judicii, & tum manifeſtum fiet, à cujus partibus, meâ, an veſtrâ, veritas ſteterit.* Hæc fata fuerant Molinoſi. Quod ſuâ doctrinâ aut praxi, tam dura fuerit meritus, ego quidem non dixerim. Profitebatur Theologiam Myſticam, quam jam ante ipſum, impune docuerant, Taulerus, Theologia Germanica, Ruisbruchius, Harphius, Bloſius, Cardinalis Bona, imo ipſi etiam Jeſuitæ, v. g. Maximil. Sandæus in ſua *Theologia Myſtica*, editâ A. 1627. Nec tamen auſim diffiteri, phraſin ejus paſſim eſſe obſcuram, pariter & duram, quando tota in eo eſt ejus *Manuductio Spiritualis*, ut ſuadeat, *nihil operando, ſe primum quaſi annihilare, quo recipiatur divinæ gratiæ influxus.* Hinc optima ei pietas eſt, *paſſiva reſignatio cum quiete, imo cum quadam ſenſuum morte myſtica, ut anima abrepta Dei Spiritu, ad ſuum Principium, Deum redire poſſit, in quo fiat perfecta, & quaſi deificata, cum, Deum contemplando, exſpectando, nihil aliud quam quod ipſi placet agendo, occupatur:* eoque enitendum, ut *anima, ſuperato & neglecto mundo, immediate cum Deo uniatur, inque eo ſtatu, per influxum divinum ſit beata? ut nulla creatura, nec ipſa B. Virgo, nec alii Sancti, ipſi ſedeant in corde, quod Deus ſolus iſtud occupare velit.* Interim ex XIX. articulis excerptis adverſariorum, nihil de eo pronunciandum exiſtimo. Nec etiam dubito, quin ejus doctrina, ſi prævaluiſſet, Reformationi noſtræ profutura fuiſſet. (5) *Jeſuiticum* Schiſma dicimus, quod talia tradant Jeſuitæ, quæ ab aliis pleriſque Pontificiis oppugnantur, quando 1. contra Dominicanos & Janſſeniſtas, cum Semi-Pelagianis, in converſione hominis, quoad voluntatem ſaltem, non agnoſcunt niſi gratiam moralem; dum Dominicani cum Janſſeniſtis urgent gratiam phyſicam. De quo nos ſuo loco. Quando 2. omnibus, potentibus imprimis ac locupletioribus parafitaturi, eorum hæreditates venaturi, ad eorum libidines, univerſam ſuam Theologiam *moralem* ſeu caſuiſticam componunt. Cui negotio duplex fere ſubſtruunt fundamentum, primum *probabilitatis*, quâ id licitum putant, quod trium graviorum Theologorum judicio ſaltem non damnetur; unde, conquiſitis in tanto diſſidentium Caſuiſtarum numero, aliquot calculis, protinus in quovis ſcelere, confitentes juvant & abſolvunt: ſecundum *æquivocationis & mentalis reſervationis*, quo dictis quibuſvis fallacibus ſuccurrunt, id quod ante annos non ita multos demonſtravit Ludovicus Montaltius, in ſuis *literis provincialibus de morali & politica Jeſuitarum diſciplina*, & Wilhelmus Wendrockius, Salisburgenſis Theologus, è Gallico in Latinum traducti, & cum *examine Probabilitatis Jeſuiticæ, novorumque Caſuiſtarum*, à Rachelio Helmſtadii edito. Experiuntur in his Antagoniſtas Jeſuitæ, non tantum Janſſeniſtas, Arnaldum alioſque, ſed & reliquos pleroſque Pontificiorum ordines, imo & ipſos Pontifices, à quibus non ſemel condemnati ſunt, prout factum ab Alexandro VII. A. 1666. quando XLIV. hujusmodi propoſitiones, & Innocentius XI. A. 1679. ſexaginta quinque proſcripſit, ſub *pœna excommunicationis ipſo facto.* Conabantur quidem Jeſuitæ, ſuæ iſti Theologiæ morali utcunque ſuccurrere. Cum enim Anonymus quidam, reverà Eſclapeſius natione Hiſpanus, Lovanii A. 1646. ediſſet opuſculum, quo Jeſuitarum iſta moralis Theologia, improbabilitatis, temeritatis & erroris arguebatur; Jeſuitæ eo uſque ad A. 1660. ſpreto; tandem ſubornârunt Amadeum Guimenium Lomarienſem SS. Theol. Profeſſorem (revera P. Moyæ Jeſuitam) qui opuſculum edidit *ſingularia univerſæ fere Theologiæ moralis complectens, adverſus quorundam expoſtulationes contra nonnullas Jeſuitarum opiniones morales*, additâ approbatione R. P. *Franciſci Luiſii a Valentia, Capuccinorum Provinciæ ſanguinis Chriſti, in regnis Valentiæ & Murciæ Provinciis* &c. Verum Sorbona Pariſienſis libellum iſtum, per XXX. Doctores examinatum, condemnavit, tanquam *Anti-Euangelium*, & approbationem Luiſii, per teſtimonium P. Nicolai in Provinciâ Pariſienſi, Capuccinorum Generalis, criminis falſi redarguit, quod hujusmodi Luiſius de Valentiâ, nec provincia talis ſanguinis Chriſti, in rerum naturâ nunquam fuiſſet: quæ quidem cenſura Sorbonenſis ab Alexandro VII. condemnata tum, nihilominus A. 1666. tum ab Inquiſitione ſic ſatis approbata, quando liber Moyæ, inter libros prohibitos relatus: tum ab Innocentio XI. A. 1680. & damnatus, & flammis etiam datus fuit. Conferatur etiam liber ſub titulo *Theatrum Jeſuiticum*, Epiſcopo Malacenſi tributum. Quando 3. novam hæreſin excluſerunt, de *peccato Philoſophico*, quæ multas turbas dedit in regno Pontificio, cui ſe

opponebant plerique Pontificii, & quam damnabant etiam Pontifices. Hujus hiſtoriam tetigimus, ipſam hæreſin examinavimus, cum lib. IV. circa peccatum *actuale* occuparemur. Qui plura deſiderat, adire poterit tractatum Gallice editum Coloniæ A. 1689. titulo Latino: *Nova hæreſis in Theologia morali, denunciata Pontifici, Epiſcopis, Principibus & Mogiſtratibus.* Pro ſchiſmate etiam ſunto (6) *Turbæ*, quas Pontificiis dabat libellus Gandavi editus, & Gallice verſus, ſub titulo: *Monita ſalutaria B. V. Mariæ, ad cultores ſui indiſcretos*, cum approbatione Epiſcopi Myſiæ, Suffraganei Archiepiſcopi Colonienſis, item Epiſcoporum, Gandavenſis, Mechlinienſis, & Theologorum Lovanienſium, qui commendabant opuſculum, velut pium, utile & neceſſarium, ad liberandas plebes, ab erroribus & abuſibus, in quos per ſuperſtitionem eſſent abductæ. Huic ſe oppoſuerunt Hiſpani & Itali, nominatim Jeſuita P. Craſſetius, edito libello Gallico, ſub titulo: *Veritable Devotion envers la Sainčte Vierge*, Pariſiis A. 1679. cum approbatione Provincialis & trium Patrum Jeſuitarum, quo ſuperſtitionem verſus B. Virginem, à *Monitis* caſtigatam, confirmare nititur. Dum interim Innocentius XI. A. 1679. Libellum Mediolani impreſſum ſub hoc titulo: *Officium immaculatæ conceptionis ſanctiſſimæ Virginis, noſtræ Domina, approbatum à ſummo Pontifice Paulo* V. *quo devote illud recitantibus, centum dierum indulgentia promittuntur, ſicut apparet ex Brevi ejus* X. *Julii* A. MDCXV. ſuſtulit, omnibus, cujuscunque ordinis, gradus & conditionis ſint, ſub *graviore* pœna prohibens, *Officium illud apud ſe retinere, legere, imprimere, vel imprimi curare*, cujus pœnæ reus ſit, qui ſtatim, *à decreti illius notitia, illud officium habuerit, nec locorum Ordinariis aut Inquiſitoribus tradiderit.* His tandem accedant (7) *Turbæ* ſchismaticæ, quas Jeſuitæ movebant, editioni Novi Teſtamenti, à Janſſeniſtis ex originalibus Græcis adornatæ, non parum ab editione vulgata diſſentienti. In præfatione editio extollebat excellentiam N. T. ejusque lectionem religioſam commendabat. Adverſus iſtam tumultuabatur Jeſuita Craſſetius, Harduinus Perefixus Archiepiſcopus Pariſienſis, verſionem prohibens, & Maimburgius Jeſuita, aliquot concionibus invectivis, notatis variis locis, quæ Metaphraſtæ peſſime corrupiſſent. His reſpondit Arnaldus, editis Apologeticis A. 1669. Schiſmata Fanaticorum, David-Joriſtarum, Schwenckfeldianorum, Weigelianorum, Antinomorum &c, dudum tetigimus, cum circa hæreſes hujus ætatis occuparemur. Anabaptiſtarum ſectas, ex importunis excommunicationibus, iſtis hominibus nimium familiaribus, natas, ob nimiam eorundem copiam, ſingulatim recenſere, tædioſum foret, nec etiam admodum utile, ſi quis interim aveat ſibi narratas videre, Clariſſ. Spanhemium Seniorem conſulat in diſputationibus ſuis *Anabaptiſticis*, Diſput. prima, ubi ad tres omnino Claſſes revocat.

Perſecutiones ætatis ſextæ N. T.

Agmen claudant *perſecutiones*, indeque nata martyria, quæ non minus quam ſchiſmata obſtiterunt propagationi Eccleſiæ. Eæ vero tam exſtiterunt copioſæ, ſub hac ætate, ut in claſſes coerceri vix poſſint. Conabimur tamen, ut in tres Claſſes conſtringamus, nim. in Pontificias, Lutheranas & Reformatas. Et *Pontificias* quidem primo contemplabimur; ex receptaculis ſeu locis, quibus coëxtiterunt, in Germanicas, Belgicas, Anglicas, Hungaricas, Gallicas &c. In *Germanicis* ergo occurrunt (1) *Lutheri* exagitatio, facta non tantum à Papa ipſum anathemate feriente; ſed etiam à Comitiis Wormatienſibus. Poſtquam enim Thomam de Vio, Cardinalem Cajetanum, Leo X. tempore Comitiorum Auguſtanorum, in Germaniam miſiſſet, ut Lutherum additis cuſtodibus, Romam mitteret ad cauſam dicendam, vel potius ad ſupplicium ſubeundum: poſtquam item Hieronymum Epiſcopum Aſculanum, Auditorem Cameræ, eo miſiſſet, ut & Lutherum evocaret, & Fridericum Electorem Saxonicum commone faceret, ne ejus patrocinium ſuſciperet: & interventu Academiæ Wittembergenſis & Electoris impetratum eſſet, ut in Germaniâ, coram Cajetano cauſam diceret; Lutherus cum eo bis in colloquium venit, & eo perductus eſt, ut promitteret de indulgentiis ſilentium, ſi eidem conditioni adſtringerentur adverſarii. Aſt cum hi non ceſſarent ipſum laceſſere, & Pontifex dignitatem indulgentiarum novo diplomate adſtrueret A. 1518. ipſum Lutherum A. 1520. XVII. Cal. Julii, excommunicationis fulmine percuſſit. Nec hoc tantum, ſed & per Marinum, Alexandrum & Caracciolum ſuos Oratores, apud Carolum V. obtinet, ut reluctante Friderico Electore, fide publica ad Comitia Wormatienſia evocaretur An. 1521. Aſt, cum nec ſcripta ſua retractare, nec à doctrina ſua reſilire vellet, facta quidem ei eſt diſcedendi poteſtas, & ad redeundum datæ tres ſeptimanæ: ſed mox à Carolo, edicto publico proſcriptus eſt, ut in pathmum ſuum, arcem ſcil. Wartburgenſem prope Iſenacum, Electoris conſilio ſecedere, ibique per decem menſes delitescere cogeretur. (2) *Bellum Schmalcaldicum* Religionis cauſa revera ſuſceptum, & hinc perſecutionibus annumerandum. Iſtud Cæſar A. 1547. (ex pacto cum Pontifice, ut qui Concilii cœpti decreta reſpueret, bello cogeretur) ſuſcepit adverſus Saxonem Joh. Fridericum Electorem, & Philippum Haſſiæ Landgravium. Ubi Saxo ad Mulbergam à Cæſare victus, & accepto vulnere in mala, captus fuit, & ad Cæſarem adductus, cum ab eo peteret cuſtodiam Principe dignam, pro reſponſo accepit: *tractaberis pro merito, ſcio quid me deceat.* Condemnaverat

Perſecutiones Germanicæ.

naverat dudum Cæsar Electorem capitis, quanquam Principum intercessione tandem liberatus fuit: Landgravius autem, rebus quasi desperatis, se Imperatori stitit captivum apud Halam Saxonum, & præter opinionem, suasu Ducis Albani, contra datam fidem, perfide detinetur captivus. Horum exemplo omnes Principes Protestantes, omnesque Civitates, Cæsari se submiserunt, ut actum jam videretur de Reformatione. (3) *Bellum Bohemicum*, mox Palatinum, tandem Germanicum universale, Religionis causa susceptum, in religionis exitium destinatum, ope persecutorum ractum, atque adeo persecutionibus omni jure accensendum, cum præsertim hoc bello, per triginta annos, innumerabilis hominum multitudo internecioni data, florentissimis provinciis vastatio adducta, & plus sanguinis fusum, quam Danubius, Rhenus & Albis volvit aquarum. Et quis omnes istas calamitates, quas Ecclesia Reformata peculiariter, per triginta ejus annos pertulit, absque lacrymis possit recensere? Scaturigo ejus fuit, in perfidis Jesuitarum consiliis & conspirationibus, quibus hoc agebant, ut post Carolum v. per Ferdinandum Archiducem Austriæ, posteà Bohemiæ Regem & Germaniæ Imperatorem, bello Ecclesias Protestanticas eradicarent, initio facto à Bohemiâ. Hæc sub Rudolpho II. A. 1609. plenam nacta fuerat Religionis libertatem, per *literas*, ut loquuntur MAJESTATICAS, quibus & successores ad sanctam ejus defensionem & observantiam obstringebantur. Hanc igitur Jesuitæ, per Ferdinandum indies magis magisque violari curant, ut Bohemi cogerentur, contra Ferdinandum, sibi Regem creare Fridericum, Palatinum Electorem A. 1620. Hic ab exercitu Ligistico, mox superatus, & Regno Bohemico, & Palatinatu suo exutus est; prout & Bohemi, sua libertate pariter & orthodoxâ Religione, quâ hactenus gavisi erant. Ex Bohemiâ bellum traductum est in Palatinatum, Heidelbergâ capta A. 1622. totoque Electoratu in potestatem Imperatoris, & Ecclesiâ sub jugum Pontificium redacta. Secuta est universalis gentium & populorum apostasia, ut pauci admodum reperirentur, qui exilium pati quam veritatem abnegare mallent, & jam actum videretur de Ecclesia Reformata, saltem per Germaniam, Jesuitis jam triumphum canentibus, sed ante plenam victoriam. Rebus enim desperatis, Deus Ecclesiæ succurrit, excitato apud ultimum Septentrionem Gustavo Adolpho, Suecorum R. qui velut fulmen quoddam mirabili celeritate, universam victoriis suis Germaniam pervasit, omniaque Jesuitarum consilia, & tot annorum conatus & machinationes repente disjecit, duabus victoriis, ad Lipsiam una, & ad Lutzenam altera, Ligistarum ferociam contudit, ut non modo Protestantium partes emergerent; sed & Pontificiorum de summa rerum periclitaretur. Victorias omnes, quibus Deus Protestantes mactavit, repræsentare, infinitum foret, saltem eo surrexerunt, ut Imperator, ne dum aliena appetit, sua amitteret, de pace cum Protestantibus adeunda, cogitare coactus fuerit, quæ tandem Monasterii Westphalorum successit An. 1648. ubi libertas Religionis per Germaniam, Protestantibus in amplissima forma restituta fuit. Belli hujus Bohemici acta accurate descripsit Alstedius, in suo *Thesauro Chronologico*, titul. LX. Accedat (4) Bellum Germanicum, adhuc urgens. Hoc, quia à Palatinatu cœpit, & Ecclesiis Palatinis cumprimis funestum exstitit, haud inepte *Palatinum* designabimus. Cum enim Caroli Ludovici Electoris Palatini filius, & successor Carolus, absque hærede masculo fatis cessisset, An. 1685. eique Princeps Neoburgicus succederet: Principis Aurelianensis conjunx, Caroli Palatini soror, dotem aut simile quid pro hæreditate deputabat, idque intercedente Ludovico XIV. Rege Gallo, erogari petebat: atque insuper Rex ipse, sumptus quos olim Principi Neoburgico, ut coronam Polonicam consequeretur, subministraverat, jam repeteret, & utrumque ei negaretur à Neoburgico; Palatinatum invasit, A. 1674. Heidelbergam, Manhemium, Francothaliam, Spiram & multo maximam Palatinatus partem, horrenda barbarie devastavit, & Ecclesias Reformatas exstinxit. Istud autem apud Palatinatum non substitit; sed ad universam Germaniam, indicto Imperatori bello, propagatum est: ubi vario Marte adhucdum geritur, cujus exitum præstolamur à negotio Pacificationis, quod impræsens Hagæ Comitis, inque arce Ryswica ei vicina agitur.

Persecutiones Belgicæ.

Jam à superiori Germania, ad inferiorem seu Belgium descendamus, ut & ejus persecutiones repræsentemus, eas autem referemus ad *triplex* bellum: *primum* appellabimus *Hispanicum*, natum ex parte à novis tribus Archiepiscopatibus & episcopatibus, quibus Philippus II. Hispaniarum Rex, ex consilio Pii IV. Pontificis, reformationem in Belgio cohibere conabatur A. 1562. Quos recipere renuebant Frisii & Geldri, item Ordines Brabantini, & Comitem Egmondanum mittebant in Hispaniam, qui sibi hoc obtineret à Philippo Rege: ex parte ab *Inquisitione Hispanica*, adversus Mauros olim instituta, jam suffocandæ reformationi Belgicæ data, cujus leges erant: ut sint Insidiatores ministri: inquisitio fiat in hæreticos; eosque qui eorum sacris adfuerint, aut suspecti sint ab hæresi, vel etiam conscii aliorum hæreticorum, ut qui teneantur eos prodere, si vel Pater aut Mater fuerit; fiat processus absque ulla litis contestatione, ob solam delationem; pœna infligatur amissio vitæ & bonorum omnium. Unde vox erat Pontificia, *tolle*, *crucifige*, *ure*, *seca*, ut habent verba Cardinalis Pallavicini Jesuitæ, vide

Hiſtor. Concil. Trident. lib. XIV. cap. IX. Quodque Paulus IV. æternâ laude dignus ſit, qui inquiſitionis iſtud tam horribilis tribunal primus inſtituiſſet. Vid. Boxhorn. *Hiſtor. univerſal.* pag. 757. & Thuan. in *Præfat. Hiſtoriæ ſuæ.* Iſtam inquiſitionem declinaturus, in Hiſpaniam miſſus erat Comes Egmundanus, cui annuebat Rex quidem; ſed interea Margaritæ Parmenſi Gubernatrici Belgii in mandatis dabat, ſua mandata priora exſecutioni committeret. Gubernatrix cauſatur mandatum regium. Hinc nobiles, inito fœdere jurant, ſe hoc quavis ratione impedituros, libellum ſupplicem ad hoc offerunt Gubernatrici, quos adventantes Comes de Barlamont *Geuſios* h. e. mendicos vocat, à quo nomen iſtud invaluit. Gubernatrix reſpondet, ſe ad Regem hac cauſa ſcripturam, cui Rex iterato regerit, ſibi placere, ut *epiſcopalis*, non Hiſpanica inquiſitio in Belgio locum habeat An. 1566. Interea conciones reformatæ paſſim habentur, ad quod Rex Gubernatrici præſcribit, ne Ordinibus Generalibus conventum permittat; ex adverſo militem conſcribat 3000. equitum & 10000. peditum: etiam à Reformatis paſſim ſtatuæ dejiciuntur, quo territa Gubernatrix permittit, ut conciones habeantur ad tempus, interea callide fœdus Nobilium diſſipat, & aufugientibus pleriſque, alii manentes capiuntur, ſuſpenduntur, & variis modis e medio tolluntur, pars in mœrore, metu, paupertate, vitam trahit. Rex inſuper Ducem Albanum Gubernatrici ſubſtituit, qui mox *Senatum*, quem *ſanguinarium* vocant, inſtituit, Egmundanum & Hornanum Comites incarcerat, Antwerpiæ Caſtellum exſtruit, Senatus interim, horrendum in modum ſævit in eos, qui conciones frequentabant & concionatores hoſpitio excipiebant, ut in ſylvas ſe recipere cogerentur, & Auriacus Princeps Wilhelmus I. cum reliquis Nobilibus & civibus profugis, militem conſcribere cogeretur adverſus Albanum. Interea Egmondanus & Hornanus ab Albano decapitantur Bruxellis. Aſt Auriacus Albani militem fundit, ſuumque per Galliam ducit in Germaniam, ad quæ Albanus, profligatis hoſtibus, ad ſuam crudelitatem revertitur. Geuſii etiam adornatis XI. navibus, ſe mari committunt, à quo *Waatergeuſen* appellantur, Brielam expugnant, etiam Fliſſinga & Noort Hollandia ab Albano deficiunt, Auriacus ſuas copias luſtrat in Geldria &c. Dux Albanus An. 1573. poſtquam gloriatus fuiſſet, ſe carnificis manu, ad 18000. hæreticorum ſuſtuliſſe, revocatur in Hiſpaniam, ſubſtituto ei Ludovico Requeſenio, qui Bruxellis obiit An. 1576. ſuccedente Johanne Auſtriaco, qui fundamenta novi belli jacit. Dum Ordines nummos mittunt ad Joh. Caſimirum Palatinum, quibus militem pro ſe conſcribat. Sub auſpiciis Matthiæ Auſtriaci, exercitum formant qui cum Arauſiaco ſubinde confligit, uſque dum Auſtriacus diem ſuum clauderet prope Namurcum, ſuccedente ei Alexandro Farneſio, Duce Parmenſi, & cum Matthias Auſtriacus Belgio valedixiſſet, Dux Alenzonius, Dux Brabantiæ eligitur, ſed captis compluribus locis, è Belgio diſcedit. Tum Guilielmus Arauſiacus à ſicario interficitur, ſuccedente ei Mauritio, ſub quo induciæ ad XII. annos publicantur A. 1609. & huic Friderico Wilhelmo, uſque dum pax coiret Oſnaburgii in Weſtphalia A. 1648. Hæc fata fuerunt primi belli Belgici, propter noſtros Belgas, paulo diſtinctius dicta. *Secundum* Belgicum appellabimus *Gallicum*, à Ludovico XIV. Galliarum Rege A. 1672. ſuſceptum qui diſſipato triplicato fœdere (*tripelallience*) inter Anglos, Suecos, Batavos & Hiſpanos, conſociatis ſibi Electore Colonienſe & Epiſcopo Monaſterienſe, colludente etiam Carolo II. Anglorum Rege, intra tres menſes A. 1672. ſibi ſubjugat tres integras Provincias, & XIII. Junii Ultrajectum ingreditur, quam tamen, metuens ne ſibi à confœderatis reditus intercluderetur, niſi & aliæ fuerint ejus cauſæ A. 1673. d. XXIII. Novemb. cum omnibus acquiſitis, ſola Graviâ excepta deſerit. Donec tandem A. 1684. pax denuo ſanciretur, inter Conſociatos & Galliarum Regem, Noviomagi. Sed quæ non diu ſubſtitit, locumque fecit *tertio* bello Belgico, quod itidem non abs re *Gallicum* appellaveris, adhucdum durans. Cum enim A. 1688. Elector Colonienſis Maximilianus Henricus fatis ceſſiſſet, & Ludovicus XIV. Principem Furſtenbergium ei ſubſtitutum vellet, ut inde Belgio commodius poſſet inſultare bello, eoque ſubjugato, junctis cum Jacobo II. Angliæ Rege (dudum Reformatos in ſuo regno perſequente) conſiliis, *hæreſin ſeptentrionalem* h. e. Proteſtantes, per univerſam Europam, paulatim exſtirparet, quemadmodum Reformatas Eccleſias in Galliâ dudum ſuffocaverat: Ordinibus Belgii bellum comminabatur, ſi ſe negotiis Colonienſibus admiſcerent. Hi autem, cum perſentiſcerent, in ſuum caput fabam cudi, quaſi ſuæ ſaluti conſulturi, clam militem marinum conſcribunt, quo claſſis nautica armaretur, quæ Principem Arauſiacum Guilielmum III. in Angliam traduceret: Rex Gallus confeſtim bellum denunciavit Belgis, mox etiam Anglis, Hiſpanis & Imperatori Germanico, quod in hunc uſque diem vario Marte geritur, niſi quod miſſis Hagam Comitis, utriuſque partis legatis, Sociatorum Principum & Regis Galli, impræſens de reſtituenda Europæ pace, conſilia agitentur, quibus Deus ſua gratia applaudat. Interim, divina clementia noſtrum Belgium fœderatum ab hoc bello parum detrimenti ſenſit, niſi quod ejus opes, ſumtibus in bellum conferendis, exhauriantur.

Hinc jam recta tranſeundum nobis eſt ad perſecutiones *Anglicanas*. *Primum* quidem ſuſtinuit Anglia

Perſecutiones

Anglicanæ. Anglia ſub Henrico VIII. Hic enim adeò fuit infenſus Reformationi, ut calamum etiam ſtrinxerit in Lutherum, eoque ſibi titulum DEFENSORIS FIDEI meruerit: poſtea quidem, repudiata uxore Catharina, ſubſtitutaque Anna Bolenia, ex qua Eduardus VI. natus eſt, cum ſibi in hoc obſtreperet Pontifex; ejus auctoritatem proſcripſit a regno ſuo, denunciata etiam capitis pœna, ei qui Papam Eccleſiæ Anglicanæ caput prædicaret, negato etiam ei *denario Petri*, eoque fundamenta Reformationis volens nolens jecit; doctrinam tamen papalem ſibi adeo fixam ſervavit; ut ei obloquentes, diriſſime perſequeretur. Ut non inepte Burnetus obſervet in ſua *Hiſtor. Reform. Anglicana*, eodem die ignibus traditos, tum Proteſtantes, tum Papales, qui Regem caput Eccleſiæ nollent agnoſcere, unoque die, & Papam ſuos martyres habuiſſe & Chriſtum. *Secundam* perſecutionem Anglia ſenſit ſub Maria Regina Henrici VIII. filia, cum Eduardo VI. Reformatori in regno ſucceſſiſſet. Hæc quamdiu vixit, variis piorum mortibus Papæ litavit, ipſaque Fagii & Buceri funera cremari curavit, & Thomam Cranmerum Archiepiſcopum Cantuarienſem, quod non tantum Johannæ Suffolciæ; ſed etiam Lutheraniſmo faveret, hæreſeos damnatum, rogo addixiſſet, imo ipſam MM. perſecutione ſuſtuliſſe, refert Dreſſerus. Sed omnino memoranda *tertio Laniena Hibernica* A. 1641. d. XXIII. Octob. facta in Gratiam Urbani VIII. Papæ, quæ pluſquam ducenta Proteſtantium millia paucis menſibus abſumſit, ut nihil tormentorum & mortium reperiri potuerit, quod non furiales iſtæ beſtiæ, ſolo Religionis odio, & quod Papæ gratum officium, internecione Proteſtantium, ſe præſtituros, vitamque æternam, abſque purgatorii flammis, conſecuturos, ut Monachi ſanguinolenti jactabant, crederent. Equidem Carolus Rex, ſuorum ſubditorum ſtragem acerbiſſime deplorare, & in latrones condignam expeditionem meditari videbatur; ea tamen civili bello infeliciter evanuit. Nuncius interim Papæ, Johannes Baptiſta Rinuccinus, ex ea variis artibus, ſibi videbatur polliceri regnum Hibernicum, prætextu juris Apoſtolici, in totum orbem, omniaque ejus regna, ipſis Pontificiis, artes illas in detrimentum Coronæ vergentes, deteſtantibus, prout iſta omnia prolixe exponuntur in *Vindiciis Catholicorum Hibernorum*. Forte etiam ei obſtetricatus, ſaltem patrocinatus eſt Clerus epiſcopalis, nimium certe, ſi non in Papiſmum; ſaltem Arminianiſmum proclivis. Reliquas perſecutiones in Anglia, adverſus Puritanos & Presbyterianos ſuſceptas, nos ad perſecutiones Reformatorum ſeponemus.

Perſecutiones Gallicanæ ſub

Ad perſecutiones ergo *Gallicas* quarto propetamus. Apud quas ſe (1) offert *Merindolenſis* & *Caprarienſis* A. 1545. Erant iſti reliquiæ Waldenſium, ad radices Alpium habitantes, novamque Euangelii lucem, ad quam, doctrinam & ritus, jam dudum Papæ oppoſitos reformaverant, amplexantes. Hic nullius ætatis aut ſexus habita eſt ratio, ad unum fere omnes, decreto Senatus Aquenſis, conſenſu Regis Franciſci I. per Minerium Præſidem Aquenſem, miſere trucidati ſunt, de quo plura habet Sleidanus *Comment. lib.* XVI. Vix iſte furor deferbuerat, cum (2) nonnullis Proteſtantibus, in ſuburbio Sangermano, ſubinde convenientibus, & Pſalmos Davidicos canentibus, & promiſcuam turbam, ipſumque Navarræ Regem, cum Johanna conjuge ejus, in ſuam fidem allicientibus; nuncius Pontificis rem ad Henricum II. Regem defert, qui confeſtim hujuſmodi conventus prohibet, & comperiens, inter ipſos Pariſienſis Curiæ Senatores eſſe, qui Religioni adſtipularentur, conventu Mercuriali habito, conſtitutis Inquiſitoribus, Annam Burgum; Lud. Fabrum, alioſque Senatores regni, in carcerem abripit. Cumque paulo poſt, in haſtiludio, ictu trunci lethaliter vulneratus, obiret, ne oculis ſuis, ut minatus fuerat, Burgum, cremari videret; Franciſcus II. per Inquiſitores, quibuſnam in locis, cætus Reformatorum agerentur, edoctus: viros fœminaſque, conferto agmine, in vincula conjicit, profugorum bona ſub haſta publicat, & ex incarceratis Senatoribus, Burgum ad flammas condemnat: aſt pientiſſima viri morte, magnus numerus Eccleſiæ acceſſit. Hinc quo plures accederent, eo plures & ſubtiliores artes eis prodendis excogitatæ ſunt. Paſſim enim per vicos erectæ imagines, candelis accenſis, ad cultum proſtituebantur, hunc qui eis negabant, ſi non extrema quævis, pugnis cæſi & pedibus conculcati, vix evadere poterant. Coëunt igitur, tantarum calamitatum impatientes, in conjurationem, quæ dicitur *Amboſiana*, adverſus tyrannidem Guiſiorum fratrum, ut qui omnium malorum architecti eſſent, hinc pro libertate Religionis, Duce Condæo, provolant, dum mortuo Henrico II. poſt colloquium Poſſiacenum, libertas tandem Religionis ſancitur, quam cum propugnaret Condæus, & oppugnarent Guiſii, cruenta bella, & immanes perſecutiones paſſim exarſerunt. Quæ bella Thuanus, & perſecutiones Acta martyrum Gallica, abunde deſcribunt, donec tandem in pacis conditiones deſcenderetur, poſtquam Condæus ultimo bello extinctus eſſet. Secuta mox eſt perſecutio (3) plane horrenda A. 1572. Cum enim Hugonottorum Promachum, *Admiralium* Comitem *Caſtilionæum*, ad nuptias quas Henricus Rex Navarræ cum ſorore Caroli IX. Pariſiis celebrabat, evocaſſent, ipſeque de fraude ſecurus adeſſet, immani facinore trucidatur, addunturque funeris comites, ultra decem millia, qui per integrum triduum Pariſiis mactantur. Vidiſſes hic flumina

ætate ſexta N. T.

ſanguine rubentia, plateas cadaveribus diſcerptis oppletas. Vidiſſes à nepotibus avos prodi, à filiis parentes, à ſororibus fratres. Iſta laniena, per alias Galliæ urbes continuata eſt, uſque adeo, ut Carolus Rex literis ad Gregorium Pontificem gloriaretur, ſe paucis diebus, 70000. Proteſtantium ſuſtuliſſe. Erat inter cæſos Pet. Ramus vir in omni eruditionis genere exercitatiſſimus. Et quamquam poſt hæc, ſub Henrico III. & IV. libertas Religionis confirmaretur; recruduerunt tamen ſubinde odia, Eccleſiis Gallicanis infeſtiſſima, à quibus Rupelliani, terrâ marique oppugnati, deditionem facere coacti fuerunt. Obſervant nonnulli, Pontificiorum tyrannide, intra XXX. annos, ab A. 1550. in Galliâ trucidatos fuiſſe XXXIX. Principes: CXLVIII. Comites: CCXXXV. Barones: 147518. Nobiles: 760000. ex vulgo. Declinamus ſtudio brevitatis, intermedias quaſvis Galliæ perſecutiones, ut tandem pertingamus ad omnium longe atrociſſimam, non in Galliâ tantum; ſed univerſo orbe. (4) noſtris temporibus, ſub Ludovico XIV. inſtitutam. Hic enim, quamvis A. 1652. d. XXI. Maji, ſolenni decreto, Edictum *Nannetenſe* & *Nemanſenſe*, Proteſtantibus, quorum fidelitatem toties fuerat expertus, confirmaſſet: nec etiam A. 1656. Cardinalis Mazarini, ſibi ſupplicis interceſſionibus, & L. Gondrini Archiepiſcopi Oratione adduci potuiſſet, ut juratam Proteſtantibus fidem frangeret: nihilominus tandem Ann. 1663. Mariæ Thereſiæ conjugis Hiſpanæ, Hiſpanicæ Inquiſitioni adſuetæ, blandiciis, Cleri etiam precibus, imprimis etiam P. la Chaiſe Jeſuitæ, Confeſſarii ſui, ceſſit. Procul dubio, ut oſtenderet, ſe id poſſe, quod omnes ſui Majores non potuerint; ut gratiam ſibi pararet Curiæ Romanæ, omniumque Pontificiorum; ut cum de Regalibus ſibi jam contendendum eſſet cum Pontifice, ſuſpicionem apud ſuos declinaret, ſe id favore Proteſtantium agere; & jam ut ad Monarchiam facilius & efficacius pertingeret, favore & auxilio omnium Pontificiorum fultus, & ut tandem, ſicut conventum videbatur inter ipſum & Anglorum Regem, hæreſin ſeptentrionalem h. e Proteſtantes per univerſam Europam, funditus exſtirparet. Prohibuit ergo ſub graviſſimis ſuppliciis, ne quis ad Reformatos tranſiret, quaſcunque etiam rationes haberet: ſtatuebat porro, ut omnes relapſorum infantes à Sacerdotibus baptizarentur, ſi vel ipſorum Matres ſemper Reformatæ Religioni adhæſiſſent: admittebat L. Maimburgii Jeſuitæ *Methodum Pacificam*, quam appellat, quâ *auctoritatis* non examinis viâ, in negotio Religionis procedendum ſuadebat, ut qui ad Regis lubitum Religionem ſuam deſerere nollent, continuo rebellionis rei fierent: probabat etiam *Expoſitionem fidei* Epiſcopi Condomenſis, quâ Controverſias Pontificias novo fuco emolliebat: hinc ſcholas & puerorum inſtitutiones Proteſtantibus adimebat: ipſis prohibebat, de Religionis negotio, quenquam compellare: miniſtris item & ſenioribus, quenquam à ſacris Romanenſibus avertere: contra de ſacris Pontificiis, non niſi cum reverentia loqui: dabat puerulis, qui vix ſeptem annos haberent, facultatem Romanam fidem amplectendi, puniendis parentibus, ſi obſiſterent: etiam ut pro apoſtatis haberentur pueri, ſi abnegatæ Religionis pœnitentiam proderent. Everſioni his præluſum eſt totali Eccleſiarum Gallicanarum. Hinc enim immiſſi proteſtantibus ſunt, milites nomine & omine *Dracones*, quibus non aliud in ore erat, quam Rex jubet mutare fidem, ſin minus, quævis ferenda tormenta. Nec dabatur pro fide mori, ne martyrii coronam ferrent, vitam cogebantur ducere, quavis morte duriorem, ut animus fractus corporis cruciatibus, tandem ſuccumberet: imo etiam coactis ad ejurationem, jurandum erat, ſe nullâ vi; ſed ſponte abjuraſſe: porro abhorrentes rapti ſunt ad ſacerrima Miſſæ ſacra: infantes & pueri, avulſi à parentum amplexibus, uxores clauſtris mancipatæ, mariti ad triremes damnati, totaque Gallia in unum carcerem mutata: militibus Draconibus, nihil non petulantiæ & tyrannidis permiſſum, in virgines, in matronas, in pueros, in juvenes, in viros, in ſenes. Et quis Confeſſorum cruciatus, dura & ferrea vincula, fœtentes carceres, ſævas mortes, projecta canibus corpora, ſatis explicaret? Scriptæ inſuper, annuente Rege, literæ encyclicæ ad omnes Epiſcopos A. 1682. ut hæreſin Calvini exſtirparent, commendabantur his encyclicis, Miſſionariis, XVI. Methodi fraudulentæ, munitæ regio diplomate, & quicquid Reformatorum Presbyteria, & quam humili reverentia modeſtiaque, ſupplicarent, pro rebellibus proclamabantur, ut qui imperio Regis Ludovici, & Cleri Gallicani, non paruiſſent. His omnibus tandem pro colophone, ad iteratas Cleri inſtantias acceſſit ſolennis Edicti Nannetenſis abrogatio A. 1685. d. XIV. Julii. Quod nihil hactenus non egiſſent Reformati, quo fidem Romanam denegarent, æquiſſimum eſſe, ut quavis ratione coerceantur. Dabatur à Clero in manus Regis libellus, qui pleraque fidei Romanæ capita quam molliſſime repræſentaret, præteritis horridioribus, adjiciebantur in latere Proteſtantium quorumvis truncata verba, quibus papalis fides, vel explicata, vel impugnata fuerit. Quibus omnibus Rex annuit, hinc omnium Proteſtantium ſcripta, edito per Archiepiſcopum Pariſienſem, eorum catalogo, prohibuit. Et ſic omnes Eccleſiæ Reformatæ, per univerſam Galliam, uno quaſi ictu exſtinctæ ſunt.

Perſecutiones Pedemontanas

Nos ergo hinc ad perſecutiones *Pedemontanas* pergimus. Habebant iſti tres Valles, *Lucernam Peroſam* & *S. Martini*, jam à quingentis annis, fidem

næ ſub ætate ſexta N. T.

fidem reformatam profitentes, prout ex eorum Confeſſionibus eſt conſpicuum. Hinc crebræ adverſus eos motæ ſunt perſecutiones v. g. A. 1206. ſub *Alexandro* III. Papa, poſtea A. 1400, & cruentior A. 1487. ſub *Innocentio* VIII. qui Waldenſibus, omni tormentorum genere eradicandis, mittebat legatum & Commiſſarium ſuum *Albertum de Capitaneis*, ſed fruſtra, Waldenſibus, ſub Duce ſuo *Philippo* VII. ſe fortiter defendentibus. Sed hæc ætatem præcedentem ſpectant. Sub hac ætate accidit *prima* A. 1534. quando *Carolus* Dux eos vi pariter & inſidiis aggreſſus eſt. Perſtitit perſecutio ſub *Franciſco* I. Galliæ Rege, cum Pedemontium ſibi ſubegiſſet, & *Immanuele Philiberto* Sabaudiæ Duce, quam armis adeo declinarunt feliciter, ut nova illis pax obtingeret A. 1560. ſed iterum fracta A. 1565. ſuper quo *Fridericus* III. Pius, Elector Palatinus, per Legatum ſuum *Johannem Junium*, addita egregia Epiſtola ad Sabaudiæ Ducem, expoſtulavit, ſed ſurdis auribus, donec *Carolus Emmanuel* Dux Sabaudus A. 1580. ipſis denuo pacem indulgeret; ita tamen ut perſecutio ſæpius recruduerit, maxime circa A. 1622. & 1632. & 1650. ſed cruentiſſime *ſecunda* A. 1665. Quando *Andreas Gaſtaldus*, nomine Ducis Sabaudi, media hyeme, Reformatos, *Lucerna*, *Lucernetta*, *S. Giovanni*, *La Torre*, *Bubli-cana & Fenile*, *Campiglione*, *Bricheris & S. Secundo* (quæ loca in Majoribus, per complura jam ſecula incoluerant) intra *triduum* migrare juſſit, ſub pœna mortis & confiſcationis omnium bonorum, niſi intra dies XX. Catholici Papiſtæ fierent. Vidiſſes hic miſerabile ſpectaculum, vidiſſes decrepitos, ægrotos, mutilos, per aſpera rupium, nivibus & glacie candidarum, ventis & pluviis ſævientibus, fugientes. Vidiſſes latrones in eorum deſerta habitacula graſſantes, cuncta diruentes, diripientes, & in horridam ſolitudinem convertentes. Quin & A. 1655. die XVII. Aprilis, conſcripto ingenti exercitu, ex toto Pedemontio, additis VI. legionibus Gallicis, Hiberniſque, in Valles *Angrognianum*, *Villarum*, *Bobium*, aliaque Reformatorum loca, impetum fecerunt adeo furioſum, ut flammis & ferro, inauditiſque tormentis, lentis ac dolorificis excarnificationibus, ipſa Diocletiana immenſum ſuperarent: præciſa miſerorum capita, ahenis cocta, devorabant, fœminas diſſecabant, ubera, igne frixa comedebant, amputata naturalia, ardentibus candelis admovebant, ungues candentibus forcipibus evellebant, ſemimortua corpora, caudis beſtiarum alligata, ad mortem per aſpera raptabant, & quid non? Lanienam integro volumine, vix ſatis repræſentante *Samuele Morlando*, uſque adeo, ut deſperabundi, ſuæ ſuorumque vitæ, quin & animarum ſaluti proſpecturi, vim vi opponere cogerentur, & creato ſibi Duce *Joſua Gianavel*, exigua manu, magnas carnificum acies non ſemel funderent, & Marchio Pianezzius, acceptis tot detrimentis, & promiſſis & minis Gianavellum, ad mutandam Religionem, fruſtra pelliceret, ut tandem, non tantum Reformati, ſed & Pontificii miſeria miſerorum tacti, & literis & legatis, pro iis intercedere cogerentur. Helvetiæ enim Cantones reformati, *Tigurini*, *Bernates*, *Glaronenſes*, *Baſileenſes*, *Schafhuſiani*, *Appenzellenſes*, literis, tum apud Sabaudiæ Ducem, tum apud Ordines Belgii, pro ipſis intercedunt, Gabrielem Weis Bernenſem mittunt: Olivarius Cromwel, tum Angliæ Protector, literas dat ad Regem Sueciæ, Franciæ, Daniæ: Ordines Belgii, ad Cantones Helveticos, ſua offerunt auxilia, pecuniæ paſſim colliguntur, quibus miſeri focillarentur. Morlandus Olivarii legatus, miſericordiam libera oratione implorat: addunt in eandem rem Morlando ſuos Oratores, Belgæ quidem *Rudolphum ab Ommeren*, Helvetii, *Salomonem Hirtzel*, *Benedictum Socinum*, *Joh. Jacob. Stockar*, & ipſe Galliarum Rex ſuum *Servientem*: quibus primo negabatur perſecutio, & à Matre Ducis cauſabatur, paterna quædam & lenis caſtigatio, qua immorigeri & rebelles ſubditi in ordinem redigi debuerint, donec tandem imago quædam pacis impetraretur. Acceſſit *tertia* non minus ferox A. 1686. Cal. Febr. quando Regis Galli exemplo & motivis, Pedemontanis Reformatis denuo omnis ſacrorum ſuorum uſus interdicitur, eorum Paſtores proſcribuntur, eorum infantes Pontificiorum ſuperſtitionibus initiandi committuntur, & exulibus ex Gallia, commorandi in vallibus poteſtas adimitur: quando Gallicis Draconibus ad apoſtaſiam coguntur: donec miſeri omnibus lenioribus fruſtra tentatis, & corporum, & fortunarum, & animarum ſaluti, armis proſpicere coguntur, eo ſucceſſu, ut conſultum Duci Sabaudiæ fieret, ipſis facultates ſuas divendendi, & ex ditionibus ſuis exeundi licentiam facere, quam tamen gratiam cum non admitterent Waldenſes, ipſis immiſſi ſunt triplici agmine milites Dracones, qui eos converterent, quibus primo quidem reſiſtebant fortiter; aſt militum & tormentorum bellicorum vi fracti, in fugam ſe dare conſtringebantur, poſtquam uno die XXII. eorum propugnacula in hoſtium manus ceciderunt, dedititii per Pedemontii urbes & arces diſtributi, liberis eorum diſciplinæ Romanæ mancipatis. Nec tamen ſic omnes debellati ſunt, quin reliqui in cavernas & montium abditos receſſus ſe reciperent, quos Sabaudius novo prælio aggreditur, eo ſucceſſu, ut 500. ſe victorum arbitrio committerent, & reliqui in ſuis cavernis, fame fere enecti, plus quam 700. numero, denuo gratiam implorarent. Exules interea in Helvetiam & Belgium ſe receperunt, ibidemque communionis Sanctorum officia tamdiu liberaliſſime experti, uſque

dum

dum Sabaudius Dux arma susciperet in Gallorum ferociam, seque confœderatis Anglis, Cæsareanis, Hispanis associaret, à quo factum, ut interceßione Guilielmi III. Anglorum Regis, suis sedibus tandem restituti fuerint, è quibus Gallorum copiis sibi insultantibus, clades frequentissimas & ingentes intulerunt, remque sui Ducis vehementer juvarunt. Hac libertate etiamnum, per divinam gratiam fruuntur, quamdiu, novit qui omnia novit.

Persecutio Hungarica.

Jam ad Hungariam transeamus, ut ejus *persecutionem* breviter repræsentemus. Promiserat articulus Viennensis, Cæsarem Hungaros in suâ Religione non turbaturum, nec passurum, ut per quoscunque turbaretur. Surrexit tamen A. 1671. G. Barzonius Episcopus Varadiensis, qui scripto publico, cujus ἐπιγραφὴ in terminis hæc erat: *Veritas toti mundo declarata, argumento triplici ostendens, S. Cæsaream Majestatem non obligari tolerare in Hungaria, Lutheranam & Calvinianam sectam.* Discedebat Rakocius Princeps cum Matre suâ, à Reformatis ad Pontificios, & nuptias contrahebat cum Comitis Zerini filiâ. Mox Collegii Patachiensis, suasu Jesuitarum, cum universa juventute, templi aditu curat prohibendos, quin & Ecclesiarum & Scholarum reditus, pacta item & leges intercipit. Queruntur de his apud Rakocium Hungari, sed cum nihil obtinerent, injurias istas ad Cæsarem deferunt. Intercedit Zerinus inter generum suum & Reformatos, cumque ipsis transigit, ut Rakocius, pro interceptis Scholarum & Ecclesiarum proventibus, mille aureos aliaque solveret, quod factum. Interea Zerinus cum suo genero, rebellionis contra Cæsarem accusatur. Cui accusationi scelerique per calumniam implicantur ministri Protestantium, quin & supponuntur literæ Withnedii cujusdam ad Retzerum quendam, & Nicolaum Bethlen, quibus dicatur, plebem per ministros ad rebellionem esse compositam, eamque in procinctu stare, si modo Nobiles præirent. Hinc ministris imputatur, quod populum contra Regem concitarent armarentque, quod rebelles captivos ex præsidii Cæsareani potestate eripuerint, quod Catholicorum infantibus excrementa ministrorum devoranda dederint, & alia id genus; quæ non nisi audaci mendacio constabant. Hinc occupata eorum templa, ministri incarcerati, quidam damnati ad triremes, coactæ ad Romana sacra plebes, nihilque omissum, quod ad Religionis reformatæ exstirpationem, per totum regnum faceret. Erectum quoque Posonii tribunal est, ad quod Protestantes ceu perduellionis rei sunt citati: auditi mox damnantur, in sævos carceres compinguntur, additis tamen promissis, si Religionem suam desererent. Obtruditur ministris, inter Tirnaviam & Posonium ad Judices evocatis libellus, quo ministerii abdicationem, spontaneum exilium, ut mortis rei; vel apostasiam ad Romanenses eligerent: citantur insuper qui aliquo ministerio aut munere fungerentur, objicitur ipsis, *quod totum Hungariæ Romano-Catholicæ statum, ipsumque etiam Regem, idololatriæ insimularent, contra B. Virginem, Sanctos demortuos, eorumque & Christi imagines, in suis concionibus debacchentur, venerabile Sacramentum conculcen, suæ Majestatis hostibus ope & commeatus succurrant, Turcis ad occupandum Hungariæ regnum, viam aperiant, adeoque criminis læsæ divinæ & humanæ Majestatis, capitis & bonorum omnium amittendorum rei sint.* Mox in eos, ceu rebelles, mortis sententia pronunciatur, in carceribus aliquamdiu detinentur, ut metu frangerentur. Respondent fortiores è Reformatis: *se non intelligere, quemadmodum Rex, nondum à juramento solutus, quod Regni statibus præstitisset, sententiam talem per ministros suos promulgare constituerit.* Responsum ipsis, non hic locum esse disputandi. Statim ministris XLI. in carcerem raptis denunciatum est, ad triremes ipsis esse eundum: nec jam amplius subscriptio libellorum ab ipsis exigebatur; sed ad Romana sacra adigebantur, nonnulli eorum in diversis oris carceribus excarnificabantur; alii ad triremes abducebantur, à quibus per Michaelem Ruyterum, Architalassum Belgicum liberati, in Belgium concesserunt, qui fata sua ibidem explicaret. Sub his calamitatibus Hungari perstiterunt, usque ad bellum sociale modernum inchoatum, quod Imperator cum Regibus, Hispano, Anglo, Ordinibus Belgii gerunt, adversus Ludovicum Galliarum Regem: quando Guilielmus III. cum Protestantibus, hoc obtinuerunt apud Imperatorem, ut libertas Religionis sibi restitueretur, quâ etiamnum fruuntur, faxit Deus, ut perpetua sit.

Persecutio Lutherana.

Diximus persecutiones Pontificias, ad *Lutheranam* pergimus, adversus Reformatos Wittembergenses Theologos, quos ipsi *Crypto-Calvinianos* designabant A. 1574. quam dudum tetigimus, apud Synodos colloquia hujus ætatis. Scilicet, cum Theologi Wittembergenses, F. Widebramus Superintendens, Casp. Cruciger, Henr. Mullerus, Christophorus Pezelius, Casp. Peucerus Medicus, gener Melanchtonis, Gregorius Cracovius Jurisconsultus, Johannes Stœssellius Pirnensis Superintendens, in negotio de S. Cœnâ, Melanchtonis sententiam amplexabantur, sed adeo molliter, ut vix & ne vix quidem à rigidorum Lutheranorum sententiâ posses discernere: interim Lutheranismi sui γνησιότητα demonstrabant ex corpore Doctrinæ Philippi Melanchtonis. Hic illi, cum non auderent inficiari, Melanchtonem fuisse γνησίως Lutheranum, distinguebant stulte inter Melanchtonem, *publicum*, & *privatum*, addebant decreto quasi Synodico, quasi hæc esset suorum Crypto-Calvinianorum

nianorum ſententia, Corpus doctrinæ Melanchtonis, non eſſe regulam fidei ſuæ, addebant articulos Torgenſes à probæ apud ſuos fidei homine conditos, exigebant eorum ſubſcriptionem ab omnibus, ſubſcribebant fere omnes, ſed ſoli renuebant Wittembergenſes, hinc ab officiis ſuis removentur, in carceres compinguntur, ad longum tempus in eis detinentur, tandem in exilium mittuntur, additur etiam per multas ambages, *formula Concordiæ*, quam ſupra diximus: obtinet illa uſque ad obitum Mauritii Electoris Saxonici, poſt quem denuo reviviſcit ſententia Wittembergenſium. Ab eo tempore adeo fuerunt pervicaces, ut quamvis ipſis ſæpius offerretur concordia, in Suecia, ope Matthiæ Epiſcopi Streynenſis, in Germania ope Georgii Calixti, Profeſſoris Helmſtadienſis, & ſæpius poſtea, ad eam tamen Theologi ſequiores Lutherani Wittembergenſes & Lipſiaci, Johannes Hulſemannus, Calovius, Botſaccus, Danhauerus, aliique paſſim craſſiores Lutherani, aures obturaverint, & pium opus, Eccleſiis pariter & Rebuſpublicis utiliſſimum, pertinaciter recuſaverint.

Perſecutiones Reformatorum.

Tranſeundum ergo nobis ad *perſecutiones Reformatorum*, ſeu potius *Crypto-Pontificiorum*. Obſervavimus ſupra, Henricum VIII. adimendo monarchicam auctoritatem Pontifici Romano, reformationis fundamentum ſtruxiſſe: Eduardum VI. huic fundamento pleniorem reformationem ſuperſtruxiſſe; attamen regimen Eccleſiæ, & ceremonias papales, quod nimium iſta Pontificios offenſura videbantur, tolerare coactum fuiſſe: Eliſabetham, poſt Mariam ei ſuccedentem, & regimen Epiſcopale, & ceremonias papales, non ſervaſſe tantum & propugnaſſe tantum; ſed & qui & hæc reformata deſiderabant, v. g. Colmannum, Bottonum, Halinghamum, Boltonum & complures alios, eo nomine perſecutam fuiſſe, eos partim in carceres compegiſſe, partim ab officiis removiſſe. Eorum interim aſſeclæ, per univerſum regnum invaleſcentes, *Puritani* dicebantur, quod purius Eccleſiæ regimen, & abrogatas ceremonias papales, ad exemplum Eccleſiæ Apoſtolicæ, aliarumque reformatarum nominatim Eccleſiæ Genevenſis, deſiderarent. Jacobus I. ejus ſucceſſor, quamvis à Pontificio fermento ſerio abhorrens, acrius tamen in eos animadvertit. Sub Carolo I. hujus ſucceſſore, Pontificiis clam favente, res in pejus ruebant. Hic *prima* accidit ſolennis in Reformatos perſecutio, eam excitante Guilielmo Laud, Archiepiſcopo Cantuarienſi, homine ambitioſiſſimo, turbulento, crudeli, qui ſibi in negotio dabat, novas introducere ceremonias, parum à Papiſmo diſcrepatas; ut eis ad plenum Papiſmum viam ſterneret, hinc duriſſime perſequebatur illos, qui ſuis iſtis novis ſe conformare recuſabant: porro Eccleſiam Anglicanam, Scoticanam & Hibernicam, miris modis affligere & opprimere cœpit. Hinc Puritani iſti magno numero, in exteras regiones, nominatim in novam Angliam migrarunt, damnatæ luctu & inedia familiæ innocentiſſimorum hominum, audiebantur in Epiſcopos hujusmodi paſſim voces: Vos imperatis, dominamini, agitis, vexatis, cuncta pro libidine. Libertas, nomen, exiſtimatio omnium noſtrum, cenſuræ veſtræ ſubjacent. Ille cum ſordibus conflictatur, alter inopia contabeſcit, nonnemo in pediculoſo carcere puram animam, inter pedores, Deo reddit. Totæ familiæ, nec ignobiles, à vobis mactatæ, ad pudendam inopiam delapſæ ſunt. Quo tandem in regno immitior dominatio eſt, quam illa Epiſcoporum? Nec bonitati veſtræ imputandum, quod à vita membriſque noſtris ſaginatas manus abſtinetis: optimi principis bonitas eſt, qui bibituro ſanguinem noſtrum furori veſtro frenum injecit. Hæc & complura alia copioſe dicit Joh. Baſtwyk, Πράξεις τῶν ἐπισκόπων, & ex eo conciſius Georgius Hornius in ſua *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, & Commentario de *ſtatu Eccleſiarum Britannicarum moderno*, ſub nomine *Honorii Reggii*. Omnia iſta in Anglia geſta ſunt, auſpiciis illaudati illius Laudi, ſuorumque Epiſcoporum. Nec his contentus, idem iſtud Eccleſiæ regimen, cum *Liturgia* Anglicana & annexis, Eccleſiæ Scoticanæ obtrudere conabatur, è quo cruentiſſima bella civilia nata ſunt, cum in Anglia, tum in Scotia, donec tandem A. 1640. apud Parlamentum, juſtas capitis pœnas cum Comite Staffordio aliiſque daret, & ipſe Carolus I. eis ſuccumberet. Caroli prima veſtigia ſectabatur Carolus II. regno reſtitutus, clam Pontificiis favens, ac proinde quævis in Presbyterianos movens. Donec tandem *poſtrema* ſuccederet perſecutio, ſub Jacobo II. non quidem tam cruenta; ſed magis tamen Eccleſiis Reformatis formidabilis. Hic enim, poſtquam ejurata Reformata fide, palam in caſtra Pontificiorum conceſſiſſet, eoque nomine, à ſucceſſione in regnum, à Parlamentis ſecludendus videbatur, cum ſublato Carolo II. Regno admotus eſſet, univerſam Religionem Reformatam regno expulſurus videbatur, ad hoc ſacrificulos, Jeſuitas, monachos, & omne genus monachos, ipſumque Legatum Pontificis Cardinalem D'Ada evocabat, libertatem Religionis promiſcuam, contra fundamentalia Regni decernebat, eamque ab ipſo Clero, ex pulpito promulgari jubebat, cui cum obniterentur Archiepiſcopus Cantuarienſis cum nonnullis Epiſcopis, eos incarcerari curabat, donec ſententia judiciali, cum magno populi gaudio, liberarentur: porro TESTAM, cum legibus pœnalibus adverſus Pontificios, abrogatas volebat, ad hoc in Parlamentum ſeligendos paſſim eligendos curabat, eos tantum, qui ſibi obſequium univerſale addicerent. Interea Jeſuitis ſcholas, & monaſteria quibuſvis Ordinibus exſtruebat, ſcriptis

in Reformatam fidem debacchari curabat, disputationes cum Reformatis procurabat, ut tandem & vi & fraudibus, ad exemplum Regis Gallicani, Ecclesias uno quasi ictu suffocaret, eisque papalem superstitionem substitueret: quibus magna Nobilium aliorumque copia Guilielmo III. Principi Arausiaco auctores exstiterunt, qui classe marina in Angliam transfretaret, ibidemque rem & Ecclesiæ, & libertatis civilis feliciter restitueret, quod etiam, divina clementia, ex voto successit.

Persecutiones Indianæ duæ.

Pro corollario tandem subjiciemus persecutiones Indianas. Fuit autem duplex potissimum: *Prior* in *Japania*, *altera* in *China*. In Japania quidem, Jesuitæ complures numerant persecutiones, A. 1589. 1595. 1603. 1609. 1614. 1619. 1622. 1623. 1625. 1626. Vid. Dallæus de Object. cult. Relig. lib. 1. cap. 9. & 25. Diriſſima accidit A. 1623. Res ita habet. Ab eo tempore, quo Lusitani Africam, Brasiliam & Indiam: Castiliani Americam & Philippinas insulas, navibus & Coloniis suis frequentabant, fidem quoque papalem proseminabant, constitutis passim templis, omni statuarum genere, ad pompam exornatis. In Orientali India, ut imperii, ita & Ecclesiæ Romanæ sedes Archiepiscopalis erat *Goa*. Inde Jesuitæ, duce Francisco Xaverio in ipsam Japoniam & Chinam penetrarunt, seque à Matheſi potissimum, apud Principes & Philosophos commendarunt, eorum opibus magis, quam animarum saluti inhiantes; interea passim homines baptizarunt, usque adeo, ut ex Japania, fucatam trium Regum legationem ad Gregorium XIII. subornarent, & tandem de imperio occupando, per clientes suos, consilia agitarent. Hoc detectum, exitium omnibus novis Christianis, per totam Japaniam fuit, in quos atrocitate, ultra omnium seculorum memoriam sævitum, donec vel fidem Christianam ejurarent; vel inter tormenta exspirarent, adeo ut nulli jam Christiani in Japania reperiantur, & Jesuitis toto imperio interdictum sit. Initium persecutionum fuit A. 1623. quando decollationibus & crucifixione in Christianos animadversum, inde vivicomburiis & lentis tostionibus, tandem immanissimis excarnificationibus, quæ à condito orbe auditæ sunt, magna & teneræ, & senioris ætatis ad martyrium promtitudine. Numerus peremtorum, A. quidem 1606. fertur habuisse, plus quam quater centena millia, A. 1626. in solâ urbe *Nangasage* accesserunt plusquam quadraginta millia, hinc omnes Christiani circa A. 1628. penitus, vel apostasia, vel internecione, sunt deleti. Historiam narrant Francis. Caronus, in suo *Commentario de Japonia*, & Regnerus Gisberti, singulari relatione. *Altera* persecutio accidit in *China*, ubi Jesuitæ in aula Pekingensi apud Imperatorem *Vanlicum* potentes sua temeritate & improvida fidei Romanæ propagatione A. 1615. Christianis suis horribilem persecutionem attraxerunt. *Bonzii* enim, observantes, lucrum suum à nova Religione imminui, & sacra sua vilescere, non ante destiterunt, quam eos, velut priscæ Religionis eversores, & destructores Astrologiæ Chinensis, in Nankingensi Metropoli, in carceres conjicerent.

Epilogus ad universam historiam Ecclesiasticam.

XLV. Examinavimus fata Ecclesiæ *præterita*, ab Orbis ortu, usque ad annum hunc CIↃ IↃ CXCVII. & imprimis etiam, Novi T. per sex ætates, juxta imaginem sex sigillorum Apocalypticorum, sunt qui septimam quandam ætatem adstruunt, juxta sigillum septimum Apocalypseos, cui construunt 1. descensum quendam Christi e cœlo, diversum ab eo, qui erit ad extremum judicium. 2. Abolitionem Anti-Christi, parvi alicujus diversi à magno quodam, qui per annos duos cum dimidio, grassaturus sit, immediate ante extremum judicium. 3. Universalem Judæorum conversionem. 4. Regnum quoddam Ecclesiæ in terris, pacatum & sanctum, seu per annos præcise mille; seu per tempus qualecunque indefinitum, cui, probabiliter saltem, ipse Christus corporaliter affuturus sit, per tempus qualecunque, post ascensurus denuo in cœlum, cujus item sedes probabiliter futura sit Jerosolyma instauranda, tum & forte resurrecturos martyres, saltem Apostolos præfuturos huic regno. 5. Sub finem hujus regni, impios denuo magna incrementa in terra facturos. Hinc 6. maximam persecutionem adversus Ecclesiam exoriturum esse, quæ probabiliter per annos tres cum dimidio sit duratura. Proinde 7. probabile esse, post regnum illud millenarium, futurum Antichristum quendam majorem, natione Judæum, qui se venditaturus sit pro Messia, & caput præstiturus, in persecutione contra Christianos. Hæc autem dicuntur quidem, ast vereor ne satis solide: commodius mihi videtur, septimam Ecclesiæ ætatem, juxta septimum sigillum, esse periodum *æternitatis*, inchoandam quidem hic, reditu Christi, suscitatione mortuorum, extremo judicio, condemnatione impiorum, justificatione piorum, consummatione seculorum; hinc extendendam, & consummandam in vita æterna, de qua nos ex professo Capite sequenti. Hujus autem sextæ ætatis, quænam adhuc supersint, & tempora, & fata, is solus novit, qui omnia novit. Interim ex *præteritis* Ecclesiæ fatis, *præsentis* Ecclesiæ facies agnosci utcunque potest. Ergo, & Asia, & Africa, & America, longe spatiosissimæ terræ partes, si ea loca excipias, in quæ Lusitani, Castiliani, Angli, Belgæ, qualecunque lumen Euangelii introduxerunt, altis tenebris, cum Gentilismi, tum Muhammedismi, jacent sepultæ: sola fere Europa, omnium longe minima quadrans, Euangelium jactans, in partes & particulas

culas conſcinditur, in quibus omnium ampliſſima *Pontificia*, Antichriſtianiſmum tuetur; *Lutherana* ſequior, vitilitigando cauſis nihili, Reformatos odio pertinaci proſequitur, ſeque ipſam attenuat; *Reformata* tales etiam fovet, qui fidem, Sanctis traditam, faſtidiunt, novis indies inhiant, uſque adeo ut incerti hæreamus, ubinam tandem ſint ſubſtituri, interea ingenuam veræ Theologiæ praxin naſo ſuſpendunt adunco. In omnibus iſtis ſectis, invaleſcit magis magiſque α. *Atheiſmus*, quo nullum Deum, ſeu profeſſione, ſeu re ingenue colimus; vel β. *Opinioniſmus*, quo Deum quidem voce colimus, noſque hujus aut illius ſectæ ſacris aſſociamus, ejus ſacra, templa, aliaque id genus externa obimus; ſpiritu tamen, nil omnino pro Deo agimus; vel γ. *Impietas*, hypocriſis & aperta prophanitas nobis obrepit. Hæc eſt moderna Eccleſiæ facies, niſi quod δ. hic ibi quis lateat, qui Deum ingenue ſectatur, oppido *pauci*, ut ſit *puſillus ille grex*, cui Deus æternam deſtinavit beatitudinem. Proinde, ſi quid ex præteritis liceat conjectari de futuris, alterutrum nobis imminet, vel nova quædam Reformatio, ſi non quoad doctrinam; ſaltem praxin, dura ſane ac dira, quæ plerumque magnam in Eccleſia corruptionem ſecuta obſervatur; vel plenum inſtantis poſtremæ ætatis, CONCLAMATUM eſt, cujus diem & horam quis dixerit, niſi *Spiritus*, qui *ſcrutatur profunda Dei*, quod Deus nobis jubeat eſſe beatum.

Pars Elenchtica.

Quæritur:

1. An novum teſtamentum à veteri differat ſubſtantia, an circumſtantiis tantum?

XLVI. Quæritur *primo*, an Novum teſtamentum à Vet. differat ſubſtantia, an circumſtantiis tantum? Sociniani, quia docent, ſub V. T. homines abſque Chriſto, abſque ſatisfactione pro peccatis, abſque fide in Chriſtum, abſque ullis promiſſionibus ſpiritualibus, remiſſionis peccatorum, aut vitæ æternæ, ſervatos fuiſſe, ſola obſervatione legis, ſeu naturæ, ſeu Moſis; quando ſub N. T. ſerventur per ſolum Euangelium, h. e. per legem Moſis, prout correcta & aucta ſit per Chriſtum; ajunt Novum à Veteri Teſt. diſtare ipſa ſententia. Anabaptiſtæ, quia legem cum veteri, & Euangelium cum novo T. confundunt; idem affirmant quod Sociniani. Lutherani, ex eadem fere conſtitutione, idem dicunt. Cel. Coccejus, quia vetus T. ſtatuit, non eſſe niſi promiſſionem terræ Canaan, ut pignoris patriæ cœleſtis; quando novum ſit promiſſio ipſius patriæ cœleſtis: quo majorem ſtatuat hiatum, inter V. & N. T. itidem affirmat. Communis Reformatorum ſententia habet, non ſubſtantia fœderis ſeu promiſſionis; ſed circumſtantiis tantum diverſæ diſpenſationis differre. Nos rem hujus quæſtionis examinavimus lib. v. cap. VI. §. XXXIII.

2. An N. T. peculiaris ſit plena remiſſio peccatorum?

XLVII. Quæritur *ſecundo*, an novo Teſtamento peculiaris ſit *plena* remiſſio peccatorum (ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν) cum conſectariis? Sociniani quidem promiſſionem remiſſionis peccatorum, peculiarem volunt novo teſtamento: utpote à Chriſto primum excluſam. Cel. Coccejus exiſtimat, quia ſub V. T. necdum fuerit ſatisfactum pro peccatis; hinc fideles iſtius periodi, fuiſſe ſub reatu, nec proinde habuiſſe ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Communis Reformatorum ſententia vult, propter ſatisfactionem, æterna Chriſti expromiſſione, certo futuram; fideles V. T. perinde ac nos ſub N. T. à reatu liberatos, ac proinde ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν conſecutos fuiſſe. Nos hanc controverſiam, ex profeſſo, in utramque partem examinavimus lib. VI. cap. VI. §. XXIX.

3. An VII. epiſtolæ apocalypticæ ſenſum habeant hiſtoricum, an propheticum?

XLVIII. Quæritur *tertio*, an ſeptem epiſtolæ apocalypticæ, ad totidem Eccleſias Aſiaticas, ex *intentione* Spiritus S. ſint hiſtoricæ, an propheticæ, quæ repræſentent fata Eccleſiæ, ſub VII. periodis N. T.? Celeb. Coccejus, quia nimium facilis erat in arripiendis obviis quibuſvis, ad confirmationem placitorum ſuorum, quomodocunque facientibus; quo ſeptem periodos N. T. validius adſtrueret: ſtatuebat etiam, ex *intentione* Spiritus S. has epiſtolas non hiſtoriam ſpirare; ſed *prophetiam*. Communis hactenus Interpretum ſententia fuit: quamquam in his epiſtolis occurrant nonnulla, quæ periodis iſtis adaptari utcunque poſſint; eſſe nihilominus, ex *intentione* Sp. S. non propheticas, ſed hiſtoricas. Quia autem quæſtio non eſt ullius momenti, nos brevitatis neceſſitate, argumentis in utramque partem examinandis, ſuperſedebimus, & probationem ſolidam ab ἀντιλέγουσι adhucdum præſtolabimur.

4. An exſpectandus ſit reditus aliquis Chriſti in terram, ad erigendum regnum millenarium?

XLIX. Quæritur *quarto*, num Chriſtus ante judicium extremum, poſt abolitionem Antichriſti Magni, & Judæorum univerſalem converſionem, deſcenſurus ſit in terram, ut ibidem erigat regnum *millenarium*, plane ſanctum & ab hoſtibus ſecurum, tum denuo aſcenſures in cœlum, donec tandem ſub finem hujus regni, Eccleſia, denuo lapſa in priſtinam ſecuritatem carnalem, à novo quodam minore Antichriſto, Judæo, oppugnata: ſecundo quodam adventu nobis adſit, ad judicandum omnes mortuos, & penitus ſuos liberet ab omni malo? Sententiarum divortia, & argumentorum conflictus, occupavimus lib. v. cap. VIII. §. XIX. Spicilegium hujus ſententiæ, aliquantum diverſæ, hic paucis faciemus. Probabilior nobis videtur ſententia negativa, hactenus apud Reformatos, imo apud quoſvis recepta, propter hæc aliaque argumenta: 1. Quia per conſtantem Scripturarum tenorem, *una* tantum datur Chriſti reverſio in terram Matth. XXV. — 2 Theſſ. I. 7. 8. — nec datur diſſimilis inſtantia. Proinde cum illa ſit futura ad univerſale *judicium*; Argumenta ſententiæ negativæ,

manet aliam esse falsam. Ex quo sequitur 2. cum reditus ille unicus connexus sit cum abolitione Antichristi 2 Thess. 11. 8. frustra, post Antichristum, exspectari in terra statum Ecclesiæ tam pacatum ac tranquillum. Quin & 3. cum, usque ad reditum illum *unum*, Ecclesiæ status prædicatur adeo *malignus*; ut Christus veniens, *fidem* vix sit *reperturus* Luc. XVIII. 8. Conf. 2 Tim. III. 1—6. Matth. XXIV. 12. 24. 37. ubinam igitur erit regnum tam *sanctum*, tam *pacatum?* Non addam 4. quod Scriptura passim Christianorum & Ecclesiæ sortem repræsentet, ut afflictissimam ac miserrimam Act. XIV. 22. Matth. X. 38. & XVI. 24. Luc. XXIV. 26. 2 Tim. III. 12. 1 Cor. XV. 19. &c. Et quam vis dentur intervalla ἀναψύξεως; ea nunquam ad *mille* annos extenduntur. Nec etiam 5. addam, ex hypothesi *mille* horum annorum, tempus adventus Christi ad judicium universale, hominibus notum fore, contra sententiam Christi Marc. XIII. 32. Matth. XXIV. 36. Act. I. 7. Sed imprimis 6. hanc sententiam urget congeries incommodorum: *duplicis* reditus Christi in terram, *duplicis* ascensionis in cælum, *duplicis* resurrectionis mortuorum: *duplicis* judicii cum duplici reditu Chtisti conjuncti, *duplicis* Antichristi: magni & parvi, quo argumenta nostra de Papa Antichristo, si non luxantur; saltem non parum obtunduntur: Christum regnum in terra hactenus vix habuisse &c. Cum præsertim 7. nullum proferatur argumentum solidum, quo regnum illud *millenarium* probetur: prout patet ex objectionibus nullius momenti.

Objectiones sententiæ affirmativæ

Causantur A. præter quatuor Monarchias, à Daniele doceri, & quintam quandam à Christo erigendam Dan. II. 41. 42. cum vs. 39. — 45. & cap. VII. 13. 24. 26. Resp. Quintam Christi Monarchiam ex his locis agnoscimus: verum α. non dicitur eam *post quatuor* illas secuturam; sed ipsis, saltem postremæ, *coextituram* Dan. II. 44. *In diebus Regum istorum, Deus excitabit regnum* — β. Regnum excitandum, non millenarium, sed *æternum* dicitur *Ibid.* Quid igitur? Intelligitur regnum Christi *spirituale*, quo in mediis hostibus Christus esset dominaturus, quod per præconium Euangelii, post sessionem Christi ad dextram Dei, cœptum Psal. CX. 1. 2. 3. quod continuatum, præcipue post Constantinum M. quando paulatim omnes nationes terræ, omniaque regna, nomen dederunt Christo, ejusque imperium summum *professa* sunt. Et huic sane nimium, meo judicio, detrahunt, qui regnum illud Christi coarctant intra *mille* annos. B. Causantur vexatissimum locum Apoc. XX. ubi satanas ligandus dicitur ad *mille annos*, tum solvendus. &c. Resp. Respondimus lib. V. cap. VIII. §. XIX. Causantur C. tot Prophetarum oracula, quibus regnum promittatur Israëli v. g. Jes. II. 2. 3. 8. & cap. XLIII. 1. 2. 3. 14. —23. & cap. XLIX. 13. —item capp. LIV. LXI. LXV. LXVI. Quæ, cum impleta non sint, vel per solutionem captivitatis Babilonicæ, vel post adventum Christi, adhuc implenda restent. Resp. 1. Est Israël secundum *carnem*, & secundum *spiritum*, semen Abrahæ *carnale* & *spirituale* Rom. II. 27. 28. 29. & cap. IX. 4—9. præsupponit objectio, promissiones istas factas esse Israëli secundum *carnem*. 2. Promissiones illæ non spirant regnum *temporale*, vel saltem non solum; sed *spirituale* potius. Proinde promissiones illæ impletæ sunt, *temporaliter* quidem, per & post solutam captivitatem Babilonicam, quando restitutum fuit Israëli regnum, & satis etiam florens, usque ad ortum Messiam; & *spiritualiter* etiam, teste Apostolo Rom. XI. 1—6. quando *parietem interegerinum* sustulit, & ex duobus, *unum* Israëlem mysticum confecit Eph. II. 14. 15. quando una Petri concione, ter mille Judæos ad regnum Christi perduxit Act. II. 41. quod continuatum est ad nostra usque tempora, quin &, forte etiam majori successu, continuabitur usque ad extremum judicium; ut *totus Israel* mysticus ingrediatur in regnum Christi *spirituale*. Causantur etiam D. oracula Prophetarum vetustissima, quæ nec impleta sint, nec impleri possint, nisi in *regno millenario*, v. g. Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis* ——Gen. XII. 3. & XXII. 18. *In semine hoc benedicentur omnes nationes terræ* & cap. XLIX. 10. *ei obedient Gentes*. Resp. Quid non potest præjudicium! Miror (1) negari, Christum serpenti caput contrivisse: contra disertam Pauli affirmationem Heb. II. 14. 15. (2) Semen Christi, h. e. *sanctos*, victoriam in serpentem consecutos esse, *ante* regnum millenarium: contra Paulum Rom. VIII. 37. (3) Omnes gentes, Euangelio ad Christum evocatas, benedictionem in eo fuisse consecutas: contra loca Matth. XXVIII. 19. Col. I. 6. cum Eph. I. 3. (4) Hactenus gentes nondum confluxisse ad Christum: contra loca jam citata Col. I. 6. Matth. XXVIII. 19. & contra experientiam, qua Euangelium annunciatum & receptum est, apud Garamantes & Indos. Proinde hæc objectio non *probat* regnum millenarium; sed *præsupponit*. Causantur E. illa Prophetarum oracula, quæ prædicant, tum *sanctitatem* Ecclesiæ, v. g. Jes. XI. 6. cap. XXXII. 15. 16. & cap. XXXV. 8. 9. 10. & LIV. 13. 14. & LIX. 21. Jer. XXXI. 31. ——35. tum *tranquillitatem* ejusdem Jes. II. 4. & XLIX. 18. 19. & LV. 12. 13. & LX. 19. 20. 21. 22. & LIV. 9. 10. quæ nec impleta sint, nec impleri possint, nisi per regnum *millenarium*. Resp. Sunt impleta partim, partim implenda adhuc, absque ullo tali regno *millenario*. *Sanctitas* enim inchoata, jam tempore Apostolorum competebat Ecclesiæ Rom. I. 7. 1 Cor. I. 1. Eph. I. 1. Phil. I. 1. 1 Pet. I. 2. &c. etiam *tranquillitas*, per intervalla lucida, quæ jam huic, jam illi Ecclesiæ obtigerunt Act. IX. 31.

&

& *spiritualis* conscientiarum tranquillitas Rom. XIV. 17. & v. 1. Ecclesiis passim exoratur à Paulo Phil. IV. 7. Rom. I. 7. 1 Cor. I. 3. &c. *Gratia & pax.* Utraque tandem, & sanctitas & pax, se in gradum perfectum exonerabit, circa adventum Christi ad judicandum vivos & mortuos: quando Christus sibi sistet Ecclesiam *sanctam, non habentem maculam aut rugam, aut tale quid; sed quæ sancta sit & inculpata* Eph. V. 26. 27. quando *saturitas lætitiarum* erit *coram facie* Dei, *in æternum* Psal. XVI. 11. Causantur F. typos quibus regnum *hoc* præfiguratum fuerit, v. g. in exitu Israëlis ex Ægypto, ejusque quiete in Canaan: in quiete Judæorum post captivitatem Babilonicam: item post persecutiones Antiochi Epiphanis, item in VII. Ecclesiis Asiaticis, XII. stellis, VII. candelabris, VII. Spiritibus, VII. lampadibus, VII. sigillis, VII. oculis, VII. cornibus agni, VII. tubis, VII. tonitruis, VII. phialis, &c. Resp. 1. Quidni & in VII. ejus cornibus draconis, item in VII. ejus capitibus, & in VII. ejus coronis? Apoc. XII. 3. & XIII. —— Quid est, si non hoc rationes venari? 2. Omnia illa *præsupponunt* regnum millenarium, quod debebant probare: unde enim patet, fuisse illa typos regni *millenarii*, cujus futuritio negatur? Sed 3. sint etiam typi & figuræ regni alicujus, aperturam VII. sigilli, & buccinationem VII. tubæ futuri; num illud regnum dicitur in *terris* futurum? Nunquid quies & tranquillitas illa potius ad cœlestem Canaan referetur? In figuris G. imprimis urgetur *Sabbathum*, quod post sex operum dies, figuraverit septimæ periodi sub regno millenario, tranquillitatem & sanctitatem. Huc varia præsupponunt: α. historiam creationis, præter sensum suum *literalem*, insuper habere *mysticum*. Sic β. ut septem illi creationis dies, septem figurent Ecclesiæ periodos, quarum (1) fluat ad Abrahamum; (2) inde usque ad Mosen; (3) hinc ad Christum; (4) usque ad orientem Antichristum; (5) usque ad perfectum Antichristum; (6) usque ad exitium Antichristi; (7) usque ad extremum judicium. Tum γ. singulorum dierum operibus quærunt analoga in VII. istis suis periodis. Hinc δ. Sabbathum septimi diei, quo Deus quieverit, quemque sanctificaverit; volunt significare septimam Ecclesiæ periodum, sub qua habitura sit Ecclesia tranquillitatem & sanctitatem in regno millenario. Tandem ε. ne credamus, quietem & sanctitatem illam in cœlo futuram; addunt septimam illam periodum ejusdem speciei esse debere, cujus fuerint præcedentes, quod in æternitatem non congruat: item, quod Sol justitiæ Christus perinde tres periodos post se habere debeat, ac Sol naturalis tres dies habuerit. Resp. Utinam spatium nobis suppeteret, ad retexendum hoc ὕφημα. 1. Quid de Scripturæ sensu *cabalistico* Judæorum, *allegorico* Origenis, *mystico* & symbolico Pontificiorum; senserint & sentiant Reformati; non est quod hic addamus, Scripturæ unum tantum, nim. *literalem* sensum nos recipere lib. I. cap. II. docuimus. 2. Ipsi Pontificii agnoscunt, *Theologiam Symbolicam non esse argumentativam.* (3) Si liceat pro lubitu, sensus hujusmodi *mysticos* & allegoricos Scripturis applicare; quot sensus tandem, & quam contrarios Scriptura, pro ingenio & acumine allegoristarum istorum consequetur? 4. Nominatim in applicatione VII. istarum periodorum, ad VII. creationis diem, ea tantum seligunt sibi, quæ qualemcunque similitudinem præstare possint cum eis, reliqua negligunt. 5. Regnum illud millenarium, quod probari debebat, hæc allegoria *præsupponit.* 6. Quare septima periodus ejusdem præcise *speciei* esse debet cum præcedentibus; interim, quantum ad conclusum, meliora & pacatiora tempora cum istis exoptabimus, & reliqua arcanis divinis connumerabimus, nihil temere determinantes in utramque partem.

Pars Practica.

Praxis.

L. Circa *praxin* hujus periodi, brevitatis necessitate, breviores esse cogimur, missaque singulorum intervallorum hujus dispensationis, peculiari applicatione; hæc tantum duo aut tria notabimus generaliter. *Primo*, ex dictis apparet eminentia dispensationis sub N. Testamento, supra cæteras quæ obtinuit sub V. T. 2. Cor. III. 6. —— Heb. VIII. 6. 7. 8. Si enim observes ejus 1. *inchoationem* factam α. *præparatione* Johannis, prodromi Messiæ, omnibus Prophetis V. Test. excellentioris Matth. XI. 7. 8. 9. 10. 11. imo ipsius Messiæ, maximi Prophetæ, ipso Johanne mille parasangis majoris Joh. III. 29. — quando vetus dispensatio Patriarchis & Mosi ortum suum debet; β. *Sanctione* .. facta ipsissimo sanguine filii Dei, imo Dei ipsius Act. XX. 28. 1 Joh. I. 7. quando V. T. sanctio sanguine taurorum & vitulorum peracta est, qui non erant nisi illius *umbræ* Heb. X. 1. —— γ. *promulgatione*, circa diem Pentecostes; Jerosolymis, in Canaan, præsentibus quasi omnium nationum deputatis Act. II. 1. 2 —— quando prior promulgata est in deserto, extra Canaan, præsentibus solis Israëlitis. Si 2. observes *durationem*: quando prior fœderis gratiæ dispensatio sub V. T. per sex epochas duravit, usque ad adventum Messiæ *miserum*; secunda hæc sub N. T. durabit usque ad adventum Messiæ *glorioſum*: quando illa duravit ad tempus tantum aliquod mundi; hæc durabit usque ad finem ejusdem, & ratione termini *ad quem*, proxime attinget dispensationem *æternitatis.* Si 3. *causas* observes, hæc N. T. dispensatio ἐξόχως S. S. Trinitatem profitetur κ: *Patrem* ut promittentem: *Ego testamentum novum faciam*

1. Monstrat eminentiam dispensationis sub N. T. supra cæteram, quæ obtinebat sub V. T.

Jer. xxi. 3. β. *Filium* proprio ſanguine ſancientem & complentem Heb. ix. 15. 16. 17. γ. *Spiritum S.* notificantem & teſtimonio ſuo confirmantem Heb. x. 14—17. Si etiam 4. conſideres ejus *affectiones*: eſt hæc poſtrema fœderis gratiæ diſpenſatio omnium ſapientiſſima, maxime gratioſa & gratuita &c. Ex quibus omnibus hujus periodi ἐξηχή ad hoc obſervari debet, ut (1) beatitudinem fati & ſortis noſtræ agnoſcamus, quos in talia tempora Deus ſervaverit Luc. x. 23. ut (2) gratos Deo nos impenſius præſtemus Rom. xii. 1. ut (3) congruenter beatis his temporibus nos geramus Rom. xiii. 11. 12. 13. 1 Theſſ. ii. 12. Eph. iv. 1.

Quorſum?

2. Monet, cavendum ab omni mutatione, in doctrina, cultu, Sacramentis & gubernatione Eccleſiæ ſub N. T.

LI. *Secundo* monet hæc periodus, cum habeat immutabilem fœderis gratiæ diſpenſationem, quæ duratura ſit uſque ad conſummationem ſeculorum; ut cane pejus & angue caveamus, 1. omnem mutationem, in doctrina fidei ac fœderis Gal. i. 6—10. 1 Cor. iii. 11. 12. —omnem Judaiſmum, Gentiliſmum, Muhammedaniſmum, Papiſmum, Pelagianiſmum, Socinianiſmum, Anabaptiſmum, Enthuſiaſmum &c. ut pote qui primam hujus diſpenſationis immutabilis conſtitutionem ſecuti ſunt. 2. omnem variationem in cultu & praxi: quod ille Dei cultus, quem Chriſtus in conſtitutione N. T. præſcripſit, ſolus ſit in *ſpiritu & veritate* Joh. iv. 21. 22. 23. Etiam 3. omnem variationem quoad Sacramenta, ſeu ſigilla confœderationis N. T. quia duo illa, & eodem modo, uſque ad finem ſeculorum continuanda, diſerte dixit Chriſtus Matth. xxviii. 19. 20. 1 Cor. xi. 26. Porro 4. omnem alterationem quoad diſciplinam & gubernatores, quod hanc gubernandi formam Chriſtus voluerit obtinere, *uſque dum omnes pervenerimus ad unitatem fidei — in virum perfectum* — Eph. iv. 11. 12. 13. &c.

3. Præſtat efficaciſſimum ſolatium adverſus quaſvis calamitates.

LII. *Tertio* præſtat perfectiſſima fœderis gratiæ diſpenſatio in terris, efficaciſſimum ſolatium & antidotum, adverſus quamvis calamitatem, quæ nos urget cis æternitatem. Hinc Deus Judæos, calamitatibus captivitatis Babilonicæ, ut oſſa, arefactos Ezech. xxxvii. 11. argumento alio efficacius erigere non poteſt, quam promiſſione poſtremæ hujus confœderationis Jer. xxxi. 31. — Eo quod hæc demum (1) exactiſſime tollat fontem quarumvis calamitatum, peccatum ſcil. Rom. v. 12. & vi. 23. cum Jer. xxxi. 24. Zach. xiii. 1. Heb. x. 16. 17. 18. & viii. 12. (2) evidentiſſime, & quaſi digito monſtret univerſalem *Redemptorem*, invitantem ad ſe, quoſvis *oneratos* Matth. xi. 28. 29. & *redemptionem*, per ipſiſſimum ſanguinem filii Dei 1. Joh. i. 7. cum Heb. ii. 14. 15. (3) efficaciſſime nobis conferat Spiritum S. παράκλητον Joh. xvi. 7. & cap. vii. 37. 38. 39. qui inſuper efficaciſſime applicat Chriſtum, unicum fundamentum ſpei & conſolationis, in quavis ἀπορίᾳ noſtra. (4) diſtinctiſſime & efficaciſſime tollit omnes dubitationes & anguſtias animi noſtri. Si enim α. animus turbetur, quod Deus memoriam ſervet omnium peccatorum noſtrorum 1 Reg. xvii. 18. *numeret greſſus, obſervet peccata, obſignet transgreſſiones noſtras* Job. xiv. 16. 17. hinc *acerbiſſima ſcribat adverſus nos* Job. xiii. 26. hæc diſpenſatio reſpondet, quod peccatorum noſtrorum non *recordetur amplius* Jer. xxxi. 34. Heb. viii. 12. proinde afflictiones immiſſas non eſſe niſi paternas caſtigationes Heb. xii. 5. 7. Si β. turbetur eo, quod deſtituatur gratia ſalutari; reſpondet promiſſio hujus diſpenſationis: ego *auferam cor lapideum, & ſubſtituam cor carneum*, ego *legem meam dabo menti, & inſcribam cordi tuo* Jer. xxxi. 33. 34. Heb. viii. 10. Si γ. angatur, ex ignorantia, qua neſciat, quamobrem Deus afflictionibus ſecum contendat, & qua ratione afflictiones Dei convertere debeat in uſus ſuos; ſuccurrit hæc diſpenſatio: *cognoſcent me omnes, dabo legem in mente eorum* Heb. viii. 11. ſuggerit locum Pſ. xciv. 12. Si δ. angat conſcientia imbecillitatis, & metus apoſtaſiæ 1 Sam. xxvii. 1. ſuccurrit cogitatio diſpenſationis: *ero Deus tuus*, & tu eris unus ex fœderato populo meo Heb. viii. 10. *fœdus meum* nunquam *annullabitur* Jer. xxxiii. 21. erit *æternum* Jer. l. 5. Si ε. ex afflictionum acerbitate, excarnificat cogitatio: ſi Deus eſſet Deus meus, aut ſi mecum eſſet, quo modo mihi obvenire poſſent tanta ac talia? Jud. vi. 13. item *quare abſcondis faciem tuam à me, & pro inimico tibi ponis me?* Job. xiii. 24. Reſpondebit hæc diſpenſatio: *montes recedent, & colles nutabunt; ſed miſericordia mea non recedet, & fœdus pacis meæ non movebit ſe* Jeſ. liv. 10. *Num mater obliviſcetur infantis ſui? &c.* Jeſ. xlix. 14. 15. 16. &c. Poteris etiam, omiſſis omittendis, mutatis mutandis, & applicatis applicandis, duarum præcedentium periodorum praxin huc traducere.

Quibus in caſibus.

CA-

CAPUT QUARTUM,

DE

Dispensatione sub æternitate.

Apoc. VII. 1. usque ad Cap. XI.

Et post hæc vidi quatuor Angelos, stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque super mare, neque super omnem arborem, &c.

Succedit tandem dispensatio fœderis gratiæ sub æternitate.

I. EXaminavimus dispensationes fœderis gratiæ, sub Patriarchis, sub Mose & sub Christo: jam non restat, nisi ut progrediamur ad dispensationem ejusdem fœderis sub *æternitate*. Quæ inchoabitur quidem in *hac vita*; sed continuabitur & consummabitur post *hanc vitam*, per septem hos quasi passus; occurret enim 1. Reditus Christi. 2. Abolitio Antichristi. 3. Resuscitatio mortuorum. 4. Extremum judicium. 5. Justificatio & condemnatio hominum. 6. Consummatio seculorum & traditio regni. 7. Vita æterna. Ista omnia, si non diserte narrantur; saltem innuuntur apud aperturam *septimi sigilli*, quæ explicatur à Johanne Apoc. cap. VII. usque ad cap. XI. inclusive. Non exspectabis à nobis Lector, ut ista capita singulatim resolvamus, & septem illos passus eo ordine ex ipsis repræsentemus; latent enim dispersi per totum contextum. Explicari autem statum Ecclesiæ sub *æternitate*, patet ex multis; quando 1. cap. VII. 9. Martyres sub hac ætate dicuntur substitisse coram Throno Dei, & coram agno, vestiti stolis albis, gestantes manibus suis *palmas* victoriæ, celebrantes Deum & Agnum, juxta cum Angelis circa thronum Dei, cum Senioribus & quatuor Animalibus, quæ sane spectant ad statum æternitatis: quando item cap. X 6—dicitur juravisse, quod post hæc non sint futura tempora, quando mysterium Dei sit complendum. His prælibatis nos jam accingemus compendiosæ analysi & exegesi textus.

Pars exegetica.

Textus explicatur,

II. *Habet ergo textus* statum Ecclesiæ sub æternitate, *quoad ejus*

N. Præparationem Cap. VII. *Penes quam occurrunt*

1. Cura *Christi circa electos obsignandos, cohibens quatuor Angelos, apud quatuor angulos terræ, nocituros terræ & mari.* cap. VII. 1. 4. *Significatur, ante ingruentem statum* æternitatis, *& reditum Christi ad judicium, exeunte ætate priori sexta, perniciosissimas in terra futuras turbas, cum à schismatibus & hæresibus; tum à persecutionibus, permittentibus quatuor Angelis, juxta potestatem sibi à Deo datam, quæ cohibendæ ad tempus sint, ut non noceant Electis. Proinde tempora extrema, non futura tam serena, ut sibi plurimi imaginantur, juxta ea quæ Servator prædicit* Matth. XXIV. 5—32. Luc. XVIII. 8. *&* Paulus 2 Tim. III—1.

2. Obsignatio *Electorum* vs. 3—9. ex XII. *in tribubus Israëlis, & promisua innumerabili electorum multitudine. Quibus signum quasi figatur in frontibus, quo ab Angelis internoscantur ad conservationem.*

3. Exornatio *& gloriatio martyrum, tum suscitatorum, juxta cum Angelis, Senioribus & Animalibus.* vs. 9. *ad finem usque, quæ spectant ad vitam & gloriam status* æterni.

2. Exsecutionem, *sub buccinatione septem Angelorum. Penes quam narratur*

A. Reconciliatio *& intercessio Christi, buccinationibus prævia, figurata per* Angelum, *scil fœderis & facierum, stantem apud altare, cum thuribulo, quo, cum suo sacrificio Deo offerebat preces sanctorum, & postea ex igne thuribuli projicientem in terram, ex quo voces, & tonitrua, & fulgetra & terræ motus, hoc est dirissimæ persecutiones, in terra natæ sint.* vs. 5.

B. Buccinationes *ipsæ, septem numero, quibus excidium Antichristi, adventui Christi contemporaneum videtur figurari, per diversos gradus. Harum*

1. Prima *concitavit grandinem, ignem cum sanguine mixtum, quibus* tertia, *h. e. magna terræ pars, & omne fœnum combustum fuerit. Intelliguntur procul dubio dirissimæ persecutiones, prævia diem extremi judicii. Quænam autem, quales & ex quibus causis oriundæ sint, tum demum intelligemus, cum vaticinium adimpletum fuerit.* cap. VIII. 7.

2. Se-

2. Secunda, *ad quam mons ingens & ardens in mare fuit conjectus, ut tertia maris pars in sanguinem fuerit conversa, & tertia viventium pars ensata, & tanta navium pars destructa fuerit. Per* montem, *Scriptura designare solet* Babilonem Jer. LI. 25. Jes. XLIII. 2. *Hæc Antichristi* sedes *est, ex tenore Apocalypseos,* Apoc. XIV. 8. XVI. 19. XVII. 5. &c. *Per* mare *terram ambiens, ejus amplitudinem* Apoc. XVIII. 2. 10. *per* sanguinem, *mactationes: per* mortem, *quamvis destructionem, quæ etiam ad inanimata extenditur v. g.* naves. *Qua ratione ista accomplenda sint, dies docebit.* vs. 8. 9.

3. Tertia, *magnam quandam stellam, ardentem velut lampada, cujus nomen fuerit* Absynthium, *quod amara esset, projecerit in tertiam partem terræ* vs. 11. *Per* stellas, *Scriptura prophetice intelligit* Reges Jes. XIV. 12. & XXXIV. 4. *Quisnam aut sit hic Rex, quo nomine amarus, & quo modo conculcaturus sit tertiam terræ partem, dies impletionis aperiet.*

4. Quarta, *qua tertia Solis, Lunæ & stellarum pars fuerit concussa, adeo ut tertia earum pars fuerit obscurata, ut nec dies splenderet, nec nox, quoad tertiam partem* vs. 12. *videtur significari Majestas urbis Romæ, seu civilis, seu ecclesiastica obtenebranda: ita ut* Sol, *cui quasi consulatus competit in cœlo, notet supremum Pontificis dominium, in civitates & provincias,* Luna & stellæ, *auctoritatem Senatus aliorumque magistratuum subordinatorum jurisdictionem, adeo ut splendorem suum magna parte sint amissura: solet enim Scriptura istis luminaribus, potentiam & imperium regnorum & civitatum adumbrare* Jes. XIII. 10. & LX. 20. Jer. XV. 9. Ezech. XXXII. 7. *Qua autem ratione ista complenda sint, exitus suo tempore probabit. Prædicuntur his successura majora mala, Angelo per cœlum volitante, proclamante adhuc tria* Væ *graviora.*

5. Quinta *describitur* cap. IX. vs. 1—12. *Qua stella quædam magna è cœlo ceciderit in terram, cui data fuerit potestas aperiendi abyssum, è quo prodierit fumus, qui excluserit locustas, harum stupenda quantitas & figura, tædiosa item pungendi potentia, qui habuerint Regem, cujus nomen Hebraice fuerit* Abaddon, *Græce* Apollyon, *sub quibus homines adeo torserint, ut mori quæsiverint, sed frustra. Qua tamen nocendi potestas non uno modo fuerit limitata: nim. partim quoad* personas, *ne Electis nocerent; partim quoad nocendi* genus, *ne occiderent; sed torquerent tantum; partim quoad* durationem, *per quinque menses tantum. Hic per* stellam magnam, *nonnulli intellectum volunt* Muhammedem *aut Muhammedismum: sed perperam, cum ille non spectet septimum sigillum, nec hactenus ceciderit in terram, dum ejus dominium & potentia adhucdum nimium valet. Quid ni intelligamus* Antichristum, *ejusque ruinam è cœlo ecclesiastico? Huic potestas data aperiendi* abyssum *seu infernum, ex quo prodierit* fumus *infernalis doctrina, qui excluserit* locustas, *monachos, aliosque id genus Papæ & papalis superstitionis pararios & promachos: has etiam suum habuisse* Regem *nomine* Abaddon *&* Apollyon, *h. e. Satanam. Interim eorum potentiam nocentem clementi Dei providentia, coarctatam fuisse, ut* viridi *cuivis h. e. Electis non nocerent; sed his tantum,* qui non haberent sigillum Dei in frontibus suis 2 Tim. II. 19. *non etiam* vitam *prorsus adimerent; sed vitam eis relinquerent, ipsa morte duriorem: & ut tandem hæc violentia non duraret ultra* menses quinque Matth. XXIV. *stu* 150. *dies, sive annuos, seu potius naturales, instante jam extremo judicio. Emblema tum demum exacte perspiciemus, cum fuerit adimpletum.*

6. Sexta, *ubi* primo *à Christo imperatur solutio quatuor Angelorum Euphratis, i. e. omnium malignorum Angelorum, ab ipsis quatuor mundi partibus:* vs. 13. 14. tum *hujus mandati exsecutio, qua parati in omnem horam, diem, mensem & annum, ad occidendam tertiam mundi partem,* vs. 15. *ad numerum bis mille centenorum equitum* vs. 16. *quorum armatura, per partes admodum horribilis repræsentatur;* vs. 17. *horum effectus additur, quod tertia pars fumo, & sulphure & igne, prodituro ex oribus eorum, sit peritura, nec tamen ad hæc tanta Dei judicia, reliqui à sceleribus suis se sint conversuri* vs. 18—21. *Hujus emblematis persecutionem, proxime diem judicii antecessuri, dies complementi explicabit.*

7. Septima, *peremtoria, describitur* cap. X. & XI. *quoad ejus*

1. Præparatoria, *satis copiose & distincte repræsentata. scil. exponitur postrema hac buccinatione,* (1) *sub ea abolenda esse omnia hujus mundi regna, adeoque futuram consummationem seculorum.* (2) Mysterium Dei esse finiendum, *quemadmodum* manifestaverit servis suis Prophetis Apoc. X. 7. *Revelaverat enim Danieli quatuor futura summa imperia, sub idea quatuor bestiarum* Dan. II. 31—46. & VII. 2. 10. 28. *ea omnia esse abolenda. Tum* (3) *postquam hoc factum, sub* temporibus & dimidio temporis Dan. VII. 26. 27. *nec extituris* amplius temporibus Apoc. X. 6. regna hujus mundi, futura Domini & Christi

ejus

ejus Apoc. XI. 15. *adeoque Christum cum suis Sanctis regnaturum in æternum. Hæc summa est periodi æternitatis. Juvabit autem ista præparatoria paulo distinctius excutere. Repræsentatur ergo*

α. Adventus *seu descensus è cœlo, potentis alicujus Angeli* cap. X. 1. Et vidi Angelum fortem, descendentem è cœlo. *Et quis Angelus ille fortis? Utique Angelus* Jehova, *Angelus* fœderis, *Angelus* facierum, *quod apparet, per subsequentem ejus* descriptionem, *quæ in nullum alium Angelum quadrare potest: per* actiones, *quæ ipsi assignantur, per hoc & subsequens caput, per paralleliſmum cum Danielis* cap. XII. 7. *ubi describitur.* Vir indutus linteis, qui super aquas fluminis, elevaverit dextram suam & sinistram suam, versus cœlum, juraveritque per viventem in seculum, quod post tempus, tempora, & dimidium temporis *&c. Qui sit* Michaël *Christus, Confer* Dan. XII. 1. 6. 7. *cum* Dan. X. 4. 5. 6. & Apoc. X. 1——7.

β. Figura *ejus perquam gloriosa, quâ sit* Angelus fortis, *ceu* Deus fortis Jes. IX. 6. descendens è cœlo, *scil. ad judicandum vivos & mortuos:* vestitus nube, *quæ emblema est majestatis divinæ* 2 Paral. VI. 1. iridem gestans in capite, *ceu coronam: iridem quoque circa* thronum suum, *symbolum pacis & favoris* Gen. IX. 13. faciem Soli similem, & pedes velut columnas ignis.

γ. Actiones, *quibus* libellum *apertum gesserit manu sua, puta libellum septem sigillorum, hactenus clausorum, jam à se apertum:* pedem dextrum posuerit super mare, & sinistrum super aridum, *utrumque h. e. totum continentem sibi subjecerit* Psal. CX. 1. manum suam elevaverit in cœlum juraveritque, *tempus posthac non futurum, adeoque secula consummanda, mysterium Dei complendum esse, juxta revelationes Prophetis factas: Johanni* libellum *dederit* manducandum, *qui sibi futurus sit* dulcis *quidem* in ore, *nim. ex cognitione omnium fatorum Ecclesiæ, ea eo hausta; &* amarus in ventre, *scil. ex sensu & συμπαθείᾳ tot malorum, hæresium, schismatum, persecutionum, Ecclesiæ, cujus membrum erat, juxta illum, per tot secula imminentium.*

2. Executoria, *in ipso clangore septimi Angeli, quo apud extremum judicium, ab* una *parte, impiis postrema & vehementissima mala sint inferenda; ab* altera, *piis gloriosa gaudia ex sui liberatione ab omnibus malis, & substituenda perfectissima beatitudine. Ubi occurrit*

1. Triumphus *in cœlis, quod jam* regna mundi facta sint Dei & Christi ejus, ipseque sit regnaturus in secula cap. XI. 15.

2. Gratulatio XXIV. *Seniorum,* vs. 16. 17. *quod jam tempus regni hujus, & judiciorum ejus venisset, facta cum prostratione, adoratione & gratiarum actione:* procidebant in facies suas, dicendo: gratias tibi agimus, Deus, qui es, eras, & futurus es, quod potentiam tuam assumpseris, & velut Rex domineris, *quodque tempus iræ, vindictæ & judicii in impios venerit* vs. 18. Et gentes iratæ sunt, & venit ira tua, & tempus mortuorum judicari: *& ex adverso tempus remunerationis piorum;* & dandi mercedem servis tuis Prophetis & Sanctis, & timentibus nomen tuum, & parvulis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.

3. Exsecutio *actualis*

A. In justos, *ipsis conferens beatificam visionem Christi, figuratam per arcam fœderis, constitutam olim in Sancto Sanctorum:* & templum Dei apertum est in Cœlo, & ibi videbatur in ejus templo, arca fœderis.

B. In impios, *Christi & Ecclesiæ hostes, infligens eis horrendas tempestates judiciorum suorum:* Et facta sunt fulgura, & voces & tonitrua, & grando magna vs. 19. *Quibus impiorum tormenta gehennalia exprimuntur.*

Pars Dogmatica.

Postrema & perfectissima fœderis gratiæ dispensatio excurret in æternitatem.

HI. Postrema igitur, ac perfectissima fœderis gratiæ dispensatio, à reditu Mediatoris glorioso, procurret in omnem usque æternitatem. Id quod patet, non tantum per universam hujus septimi sigilli aperturam; sed imprimis etiam per cap. XI. vs. 15. ubi dicitur *regnum* scil. omne, totius *terræ, factum Domini & Christi ejus, qui regnaturus sit in secula seculorum.* Unde non absre *perfectissima* dicitur dispensatio, utpote in qua *mysterium* (fœderis) *Dei.* & vaticinia *Prophetarum complebuntur* Apoc. X. 7. Conf. Dan. IX. 26. 27. & in quam omnes præcedentes utriusque Testamenti dispensationes suam perfectionem exonerabunt. Tum enim (ut nervose Amesius Medul. lib. I. cap. XLI. §. 2——) 1. vocationis finis

vocatis omnibus aderat: vocamur enim ad gloriam *æternam* Dei 1 Pet. v. 10. qua etiam *fidei finis* dicitur contineri 1 Pet. i. 9. Tum 2. redemptionis & justificationis ratio illa, quæ est per effecta, erit completa; cujus ratione fideles, in isthac vita, dicuntur *exspectare redemptionem* Luc. xxi. 18. Rom. viii. 23. Eph. i. 14. Tum 3. adoptati omnes possessionem ipsam hæreditatis adibunt, quo sensu dicuntur fideles in isthac vita *adoptionem suam exspectare* Rom. viii. 23. Tum 4. Dei imago in sanctificatis omnibus perficietur Eph. v. 27. Tum 5. gloria & beatitudo sperata omnimoda perfectione fulgebit, non tantum in anima; sed etiam in ipso corpore Phil. iii. 21. Et quia tum temporis, Ecclesiæ status erit status *perfectionis*, non *ædificationis* amplius; idcirco ministerium, Sacramenta & disciplina, una cum Ecclesiis ipsis institutis, cessabunt, & Ecclesia mystica manebit in immediata communione cum Deo.

Hujus dispensationis septem quasi passus. Horum

IV. Prout autem in *prima* fœderis gratiæ dispensatione sub V. T. sex *curricula* numeravimus: quorum postremum se exonerabat in adventum Mediatoris miserum; prout item in *secunda* sub N. T. septem observavimus *intervalla* apocalyptica, quorum postremum subsistebat in relatione sigilli *septimi*, & in septem buccinationibus septimi sigilli: ita in hac periodo postrema, totidem dicemus quasi *passus*, quibus pertingemus ad *æternitatem*, innumerabilem & infinitam. In his *primus* erit, in adventu Mediatoris, non misero; sed glorioso. Dicitur enim Apoc. vii. *venisse Angelus ab ortu Solis, habens sigillum Dei vivi*, & imprimis etiam cap. x. 1. *descendisse Angelus fortis e cœlo, vestitus nube, & iride super caput ejus*, cujus *facies splenduerit sicut Sol, & pedes fuerint sicut columnæ ignis.* Hinc etiam dicitur Matth. xxv. 31. *cum filius hominis venerit in gloria sua.* Hinc passim (1) *docet* instrumentum confœderationis 1 Thess. iv. 16. Joh. xiv. 2. 28. Act. i. 11. &c. (2) *describit*, quod sit futurus α. *visibilis* Joh. xvi. 15. Apoc. i. 7. & cap. vi. 16. β. cum comitatu omnium sanctorum Angelorum Matth. xxv. 31. 2 Thess. i. 7. Jud. vs. 14. atque etiam sanctorum hominum 1 Thess. iv. 16. γ. cum ineffabili gloriæ fulgore Matth. xvi. 27. & cap. xxiv. 30. & xxv. 31. Apoc. xix. 11. (3) *notat* tempus a. *certum* quidem ac definitum apud *Deum* Act. xvii. 31. b. *propinquum* etiam Heb. x. 37. 1 Pet. iv. 7. c. *nobis* tamen incertum, & indeterminabile Marc. xiii. 32. Matth. xxiv. 42. Act. i. 7. 1 Thess. v. 1. interim d. subito nobis affuturum 2 Pet. iii. 10. Apoc. iii. 3.

Primus erit in adventu mediatoris glorioso.

Secundus erit in abolitione

V. *Secundus* passus hujus dispensationis versus æternitatem, est in *abolitione Antichristi*, cujus plagæ præparatoriæ explicantur per sex Angelorum buccinationes cap. viii. 7. & ix. ubi vs. 1. narratur *stella alicujus e cœlo in terram lapsus.* Ut notandum hic veniat, esse duplicem Antichristi casum: *alterum leviorem*, qui factus est, sub ætate præcedenti, per reformationem, quo multum passim attrita est ejus potestas, ut suo loco diximus: alterum *graviorem* & plenarium, futurum sub reditu Christi ad judicium, licet per diversos gradus præparatorios, juxta buccinationes sex Angelorum, quando sub septima tandem plene concidet. De hoc casu loqui videtur Jesaias Cap. xi. 4. *percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficit impium* illum, quæ verba Apostolus exponit 2 Thess. ii. 8. *Tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus* (ἀναλώσει) *conficiet spiritu oris sui, per apparitionem adventus sui.* Quo etiam respicit Johannes Apoc. xix. 15. *Et destruet illum manifestatione adventus sui.* Confer. Apoc. xviii. 21. & cap. xix. 1. 2. 3. 20. & cap. xx. 10. Anti-christi.

VI. *Tertius* passus hujus dispensationis versus æternitatem erit in *suscitatione mortuorum.* Dicitur enim Apoc. xi. 18. *Et ira tua venit, & tempus mortuorum, ut judicentur.* Hujus infallibilem veritatem docent (1) *testimonia*, tam α. V. T. Jes. xxvi. 19. Job. xix. 25. Dan. xii. 2. Exod. iii. 6. cum Matth. xxii. 31. 32. quam β. N. T. Act. xxiv. 15. Joh. xi. 24. & v. 28. 29. 1 Cor. xv.—(2) *Exempla* 1 Reg. xvii. 22. 23. 2 Reg. iv. 36. Joh. xi. 44. Luc. vii. 14. 15. Matth. xxvii. 52. (3) *Rationes*, tum à *justitia* Dei vindicativa; tum ab ejus *misericordia* 2 Thess. i. 6. 7. Ejus autem *naturam* ut distinctius assequamur, (1) præsupponenda ante omnia, utriusque partis essentialis humanæ, post mortem *existentia*; & *animæ* quidem non modo existentia; sed etiam vita, sensus & immortalitas, ex spiritualitatis simplicitate & indissolubilitate oriunda, quam ex professo demonstravimus lib. iii. cap. ix. §. viii. & xv. *corporis* item, licet vita & sensu cassi, existentia, quoad materiam saltem: quod proinde in morte hominis non accidat nisi partium istarum dissolutio: ac propterea, quod suscitatio non sit, nisi solutarum partium redunitio Ezech. xxxvii. 5. Cujus possibilitatem quidem, & probabilitatem tantum docere potest natura; ast certam ejus futuritionem, non nisi fides. (2) Tenendum, quod ejus causa solus sit *Deus*, & Mediator θεάνθρωπος, per virtutem naturæ omnipotentis Phil. iii. 21. (3) Quod per omnipotentem ejus operationem, resuscitatio ista occupanda sit circa *omnes & singulos* homines, qui fuerunt unquam, sunt ac erunt Joh. v. 28. Apoc. xx. 12. exceptis solis eis, quos adventus Mediatoris deprehenderit in vivis, & qui proinde nunquam mortui sunt 1 Cor. xv. 15. 52. 1 Thess. v. 15. 17. (4) Quod interim, licet omnes suscitandi sint per *Christum*, non una tamen & eadem ratione hoc futurum Tertius passus erit in suscitatione mortuorum.

rum fit: A. *Fidelium* enim resurrectio à Christo procedet ut *Mediatore*, virtute unionis illius quam habent cum Christo, ut *vita sua* Col. III. 4. 1 Thess. IV. 14. & operatione *Spiritus* ejus vivificantis, qui habitat in ipsis Rom. VIII. 11. *infidelium* vero resurrectio, à Christo procurabitur ut *Deo*, per virtutem solius omnipotentiæ suæ, illius quâ justitiam vindicativam exsequitur 2 Thess. I. 6. 7. B. Tum etiam fidelium suscitatio à *vita* Christi procedet, velut à principio; ad vitam fidelium, velut ad fructum & effectum, hinc *resurrectio vitæ* dicitur: quando reproborum suscitatio existet à sententiâ *mortis* & condemnationis, ad ipsam mortem & condemnationem; hinc *resurrectio condemnationis* appellatur Joh. v. 18. 19. (5) Quod corpora quidem *eadem* numero, quæ ceciderunt morte, sint resuscitanda, quoad *essentiam*; sed tamen longe diversa, quoad *qualitates* & affectiones: & *fidelium* quidem corpora *spiritualia* erunt & cœlestia, quoad incorruptibilitatem 1 Cor. XV. 44. cum vs. 48. 50. 53. 54. & gloriam Phil. III. 21. Dan. XII. 2. *infidelium* vero corpora incorruptibilia erunt, in continuâ corruptione & ignominiâ. *Ibid.* Jes. LXVI. 24.

Quartus erit extremum judicium.

VII. *Quartus* passus hujus dispensationis versus æternitatem, erit in suscitatorum *judicio* extremo. De quo Apoc. XI. 18. *Ira tua venit, & tempus mortuorum ut judicentur.* Unde etiam *innumerabilis copia, ex omnibus nationibus, tribubus, populis, linguis, constitisse dicitur coram throno, seu tribunali, & coram agno.* vs. 9. Et hoc judicium docent (1) vaticinia V. T. Jud. vs. 13. 14. Psal. L. 3. Jes. LXVI. 15. Mal. IV. x. Dan. VII. 9. 10. 13. Eccl. XI. 9. (2) prædictiones ipsius Christi Matth. XII. 36. & XXIV. — & XXV. — Luc. XII. 40. & XXI. 34. (3) testimonia Apostolorum Act. X. 42. & XVII. 31. Rom. II. 5. & XIV. 13. 1 Thess. IV. 16. 2 Thess. I. 7. 2 Tim. IV. 8. Heb. IX. 27. 1 Pet. IV. 5. 2 Pet. II. 9. 1 Joh. III. 2. Apoc. XX. 11. 12. (4) rationes α. à justitiâ Dei 2 Thess. I. 6. Luc. XVI. 25. Exod. XXXIV. 7. Eccl. VIII. 13. & XI. 9. β. à testimonio conscientiæ Rom. II. 15. cum cap. I. 32. Act. XXIV. 25. γ. à desiderio fidelium Rom. VIII. 23. Apoc. XXII. 17. 20. *Judicium* in Scripturis, nonnunquam sonat α. pœnas *temporales* impiorum Jer. XXV. 31. Psal. XCIV. 10. nonnunquam β. *castigationes* fidelium 1 Pet. IV. 17. 1 Cor. XI. 31. hoc loco γ. judicium *universale* Matth. XXV. 32. Cujus consideranda 1. *Judex*, Christus ut mediator, imo ut Rex Joh. V. 22. 27. Luc. XXI. 23. 1 Cor. XV. 24. 2 Tim. IV. 1. visibiliter affuturus: *tum* in terrorem impiorum Matth. XXIV. 30. Luc. XXI. 6. Zach. XII. 16. Apoc. VI. 16. *tum* in solatium piorum Luc. XXI. 28. Hinc 2. *judicandi* α. omnes *nationes* Matth. XXV. 32. Act. XVII. 31. Luc. XXI. 35. β. *singuli* homines 2 Cor. V. 10. vivi & mortui Act. X. 42. boni & mali Joh. V. 27. 28. 29. parvi & magni Apoc. XX. 12. γ. etiam diaboli 2 Pet. II. 4. 1 Cor. VI. 3. Porro 3. *tempus*, Deo fixum & immobile Act. XVII. 31. creaturis ignotum Marc. XIII. 32. (scil. ad *securitatem* & socordiam averruncandam Luc. XII. 45. Marc. XIII. 35. ut singulis diebus *parati* simus, ad Judicem excipiendum Heb. III. 13. ut & sanctorum *patientia* aleretur Jac. V. 7. Heb. X. 37. 2 Tim. IV. 8.) interim brevi, *subito* & inopinato affuturum Matth. XXIV. 37. 38. 1 Thess. V. 2. 1 Cor. XV. 52. Luc. XXI. 35. & XII. 46. 1 Thess. V. 3. Insuper 4. *locus* judicii erit in aëre 1 Thess. IV. 17. Apoc. I. 7. 1 Thess. IV. 16. Matth. XXV. 34. Adhæc 5. *causa* judicandæ: omnia *cogitata* Matth. XII. 36. *dicta* Joh. V. 28. 29. *facta* Eccl. XII. 14. 2 Cor. V. 10. *abscondita* cordis Matth. X. 26. Apoc. XX. 12. Præterea 6. *Processus* judicialis quo α. *citabuntur* judicandi; & *coram ipso* congregabuntur omnes *populi* Matth. XXV. 32. Tum β. *segregabuntur*, pro suâ conditione, & *separabit eos, sicut pastor separat oves ab hircis.* Ibid. Hinc γ. *judicabuntur:* & *primo* quidem *oves* à *dextra*; *venite benedicti Patris mei, pro hæreditate accipite regnum, vobis paratum, à jactis mundi fundamentis.* vs. 34. δ. Addentur *rationes* hujus sententiæ, vs. 35. quas modeste declinabunt justificati, & demonstrabit Judex vs. 36. 37. 38. 39. 40. *secundo* in *hircos* à *sinistra*, vs. 41. 42. 43. additis sententiæ condemnatoriæ *rationibus*, quas declinare nitentur condemnati vs. 44. ast refutabuntur à Judice vs. 45. *Tandem exsecutio* succedet utriusque latæ sententiæ vs. 46. de qua nos suo loco. Denique *sententia* pronunciatio, adjectis rationibus, nim. α. *condemnationis* in reprobos & impios, quibus maledictionem æternam dictabit, ob peccata velut causas meritorias Matth. XXV. 41. β. *absolutionis*, propter justitiam Christi, vivâ fide apprehensam, & bonis operibus comprobatam Joh. III. 18. & v. 24. & VI. 40. 47. & XX. 31. cum Matth. XXV. 35 — 41. 7. *Norma* sententiæ, nim. α. *Lex*, quoad condemnandos: seu ἄγραφος vel naturalis, ratione eorum qui absque lege scriptâ vixerunt Rom. II. 15. cum vs. 12. seu ἔγγραφος, ratione eorem, qui sub lege scripta peccarunt. *Ibid.* scil. secundum maledictionem legis Deut. XXVI. 26. Joh. V. 45. β. *Euangelium*, ratione absolvendorum Rom. II. 16. quippe qui non sunt *sub lege*, *sed sub gratia* Rom. VI. 14. contra quos nihil habebit lex 1 Tim. I. 9. Notanda etiam accedant 8. judicii extremi *præsagia*, qualia erunt, (1) *Inundatio* errorum & hæresium Matth. XXIV. 5. (2) Universalis Euangelii *annunciatio*, per universum orbem Matth. XXIV. 14. Marc. XIII. 10. (3) Morum eximia *corruptio*, securitas carnalis, & extrema impietas Matth. XXIV. 12. 38. 39. Luc. XVIII. 1. 2 Tim. III. 1. 2 Pet. III. 3. 4. (4) Atrociissimæ piorum

perſecutiones Matth. XXIV. 9. (5) Horrendæ, bellorum, famis & peſtis *vaſtationes* Matth. XXIV. 6. 7. Marc. XIII. 7, Luc. XXI. 9. (6) Univerſalis fere *apoſtaſia* 2 Theſſ. II. 3. (7) *Abolitio* quartæ Monarchiæ Dan. VII. 8. 9. 10. Et (8) *Antichriſti* 2 Theſſ. II. 8. Denique (9) *obſcuratio* Solis & Lunæ &c. Marc. XIII. 24. 25. Luc. XXI. 25. 28.

Quintus, conſummatio ſeculi.

VIII. *Quintus* ergo paſſus hujus diſpenſationis, erit in *conſummatione ſeculorum*, quam textus dicit, quando cap. X. 1. Angelus fortis, narratur, *pedem dextrum* habuiſſe *ſuper mare*, & *ſiniſtrum ſuper terram*, h. e. ſibi ſubjugaſſe univerſum orbem, hinc *juraſſe*, non fore ab hoc *tempus* amplius vſ. 6. Quod confirmatur etiam Pſal. CII. 27. Heb. I. 10. II. 12. Jeſ. LXVI. 17. 2 Pet. III. 7. 10. 11. 12. 13. *Qui nunc ſunt cœli & terra* —— *repoſiti ſervantur igni* —— *veniet* —— *dies ille Domini, quo cœli cum ſtridore præteribunt, elementa vero æſtuantia ſolventur, terraque & quæ in ea ſunt opera exurentur.* De hac ſeculi *conſummatione*, non una eſt omnium ſententia: ſunt 1. qui *nullam* omnino agnoſcunt, ſeculi ſeu mundi conſummationem, *proprie* dictam; ſed Petrum alioſque *allegorice* ac myſtice loqui de abolitione regni & Reipublicæ Judaicæ, jam à devaſtatione Titi Veſpaſiani imminentis: ita ut *Sol Luna & Stellæ* figurent urbem & templum, ſtatumque civilem & eccleſiaſticum Judæorum; & *terra* figuret vulgus ſeu plebem: per *ignem* autem & combuſtionem, horrendum notetur horum omnium excidium. Scil. pro ingenio horum qui luſibus hujuſmodi allegoricis capiuntur. Alii 2. ex adverſo, *totalem* malunt, cœli, ſi non empyrei, aut etiam ſiderei; ſaltem aërei, atque etiam terræ abolitionem: quod hoc non modo textuum emphaſis videatur indicare; ſed & ratio ſuadere: quoniam poſt extremum judicium, omnia iſta nullum ſint habitura uſum. Aliis 3. media quædam ſententia videtur probabilior; nim. *proprie* dictam quidem ſeculorum conſummationem futuram; ſed non *totalem* eorundem abolitionem, verum emendationem purificationemque, qua per ignem purgantem, *cœli qui jam ſunt*, & *terra*, ſint tranſitura (*παρελεύσονται*,) ut inde *novum cœlum*, *nova terra*, non quoad *ſubſtantiam*; ſed quoad *qualitates*, emergant: (1) quo modo mundus vetus, per aquam diluvii, perierit, ſeu *tranſierit* potius. (2) Huc ſpectare videntur loca quædam Scripturæ Pſ. CII. 21. Heb. I. 12. Jeſ. XXX. 26. & imprimis Rom. VIII. 19. (3) Quod conſummatio ſeculorum ſpectare videatur ad abolitionem *maledictionis*, terræ incumbentis à violatione fœderis naturæ Gen. III. 17. cum Rom. VIII. 19. quæ non *ſubſtantiam* ſpectat; ſed *qualitates*. (4) Quod, ſi verba textus 2 Pet. III. &c. in ſua latitudine ſint intelligenda; *omnes* cœli, *omnis* terra foret abolenda, & ſic, nec *beati* cœlum, nec *damnati* infernum eſſent habituri, in quo æternitatem exigerent, niſi *novam* mundi creationem velimus ſtatuere, quam ignorant Scripturæ. Quantum autem ad *uſum*, reformati cœli ac terræ, circa quem maxima hæret difficultas; quamvis illum certo non poſſemus determinare, dum hic ſumus; ex eo tamen parum ſolide dici poſſet, nullum olim futurum. Quid enim ſi dicamus, reformationem illam facturam, ad perfectionem hujus univerſi, per peccatum tantopere deformati? Quid ſi etiam ſuſpicemur, beatos in cœlis quidem fixum habituros domicilium; quibus tamen prohibendum non ſit, in terram pro re nata diverti. Verum noſtra ſapientiæ divinæ committemus. Cum hac ſeculi conſummatione connectetur.

Sextus, traditio regni.

IX. *Sextus* hujus diſpenſationis paſſus, qui erit in traditione regni, de quâ textus loquitur cap. XI. vſ. 15. dicens *regna mundi* futura, *Domini & Chriſti ejus*, & *Dominus Deus omnipotens*, ut *Rex regnaturus* vſ. 17, quod etiam diſtinctius repræſentat Apoſtolus 1 Cor. XV. 24 —— 29. Qua 1. Chriſtus *regnum* h. e. Eccleſiam, ſeu electos omnes, in quibus regnat, ſiſtet Patri (prout olim Præſides in provincias miſſi, reddebant provincias Cæſari) eique repræſentabit, ut victoriæ ſuæ trophæum, quo in eis plena gloria æternum regnet ac triumphet. Conf. Joh. XVIII. 4. 5. 6. 7. 8. —— Qua 2. abolebit (*καταργήσει*) *α.* omne imperium, poteſtatem & potentiam (*ἀρχὴν, ἐξουσίαν, δύναμιν*) h. e. omnia imperia, regna mundi, ac regimina minora Dan. VII. 14. 47. ut ipſe ſolus ſit *Princeps Regum terræ* 1 Tim. VI. 15. Apoc. I. 5. *β.* principatus angelicos, (Conf. Eph. I. 21.) qui ceſſabunt, quoad *exſecutionem* poteſtatis aut officii circa homines. *γ.* miniſteria & præfecturas in Eccleſia, ut ſolus Deus per ſeipſum, non per homines aut Angelos, ſuam poteſtatem exerceat. *δ.* hoſtes regni Chriſti ſeu Eccleſiæ, in quorum medio nunc dominatur: id eſt diabolum, mundum, peccatum, mortem, imprimis dæmones, de quibus Rom. VIII. 38. Eph. VI. 12. Col. II. 15. Qua 3. *ipſe filius ſubjicietur ei qui ſibi omnia ſubjecit.* Scil. *α.* tum *myſtice* conſideratus, quatenus connotat membra ſua 1 Cor. XII. 12. quæ ſunt ejus q. *πλήρωμα* Eph. I. 23. quando nim. totum Chriſti *corpus myſticum* erit Deo plane ſubjectum, & per omnia obtemperans. *β.* tum *perſonaliter* conſideratus, non equidem ſecundum *divinam* naturam; ſed *partim* quoad *humanam* naturam, juxta quam *ſemper* Patri eſt ſubjectus; *partim* quoad poteſtatem mediatoriam, quando, ceſſante regno ejus *vicario*, quod hic Patri traditurus dicitur, manifeſtabit pleniſſime, quod omnia, quæ per ſe, ut *hominem & Mediatorem*, facta ſint; Dei potentia, auctoritate & nomine facta ſint. Qua denique 4. *Deus* fiet *omnia in omnibus*; hoc eſt, mediatione

&

& mediis adjumentisque præsentibus remotis; Deus triunus, præsentia sua *immediata*, omnibus Sanctorum necessitatibus pleniſſime subveniat, ac virtute & effectu suppleat omnia media, & quæcunque desiderari possint.

Septimus, vita æterna.

X. *Septimus* ac postremus hujus dispensationis passus erit in *vita æterna* Matth. xxv. 46. Hujus alibi (lib. vi. cap. ix.) tres numeravimus periodos: (1) *Inchoationis*, dum in *hac vita* sumus *beati spe* Rom. viii. 24. Hujus ingredientia repræsentavimus. *Ibid.* §. xi. (2) *Progressus*, dum *morte* hanc vitam deserimus Apoc. xiv. 13. hujus item ingredientia notavimus. *Ibid.* §. xiii. (3) *Consummationis*, quæ sequetur *post* hanc vitam, hoc loco paulo distinctius dicenda: 1. Beatitudo, seu perfectio vitæ hujus æternæ, variis modis in Scriptura designatur, quando appellatur *corona justitiæ* 2 Tim. iv. 8. *hæreditas immarcessibilis, incontaminata, quæ nobis servatur in cœlo* 1 Pet. i. 4. *salus & corona gloriæ* cap. v. 4. *regnum Dei* Matth. xxv. 34. *gaudium Domini* vs. 21. *Sinus Abrahæ* Luc. xvi. 22. *paradisus* Luc. xxiii. 44. *domus Patris* Joh. xiv. 2. *regnum cœleste* 2 Tim. iv. 18. *regnum Dei* Act. xiv. 22. *regnum Christi* Apoc. i. 9. *satietas gaudiorum, apud dextram Dei, æterna* Psalm. xvi. 11. ἄνεσις, *relaxatio* 2 Thess. i. 7. *requies* Heb. iv. 9. *gloria* Rom. viii. 22. *sessio in thronis* Apoc. iii. 21. esse *coram throno Dei* cap. vii. 15. sed communissima est denominatio *vitæ æternæ* Joh. iii. 16. Rom. vi. 23. frequenter etiam *beatitudo æterna* Heb. v. 2. Quantum ad rem 2. est status *perfectionis*, qui connotat absentiam omnis mali, & abundantiam omnis boni, quam *beatitudinis* voce communiter exprimunt. Est autem beatitudo duplex: *α. objectiva*, seu *summum bonum*, cujus possessione beati reddimur, quod in diversis posuerunt Philosophi gentiles: alii in bonis *corporis*, alii in bonis *animi*, alii in bonis *fortunæ*; tantâ varietate, ut Varro plus quam trecentas opiniones numeraverit, verissimam sententiam, quæ in *Deo* ipso collocat summum bonum Psal. xvi. 5. 6. & lxxiii. 25. ignorando. *β. formalis*, quam ponunt in *actu* illo, per quem *possessio* summi boni obtinetur: circa quem varie digladiantur, sitne actus aliquis *corporis?* an *intellectus?* an *voluntatis?* cum dicere debuissent, esse actum *totius* hominis; quatenus *totus homo* vivet æternum: potissimum tamen *intellectus*, quo Deum *videbimus facie ad faciem* 1 Cor. xiii. 12. Joh. xvii. 3. & *voluntatis*, qua, Deo ejusque infinita perfectione *fruemur* Psal. xvi. 11. Nominatim vitæ æternæ beatitudo consistet 3. in *α. unione* cum summo bono, qua Deum *possidebimus*, ipseque Deus *noster* fiet: in quo summa est beneficiorum fœderis gratiæ Psal. xxxiii. 12. Apoc. xxi. 3. *β. communicatione* Dei, qua seipsum Deus, quantus est in electos profundet, omnem suam bonitatem, sapientiam, potentiam applicabit eis beatificandis Gen. xvi. 1. Psal. lxxxiv. 12. *γ. fruitione* Dei, qua in unione & communicatione Dei, *exultabimus ineffabili gaudio* Psal. iv. 7. 8. 1 Pet. i. 8. *δ.* suavissima *glorificatione* Dei Apoc. iv. 8. & v. 8. & vii. 10. & xi. 17. His accedet *ε.* elevatio & perfectio *animæ* nostræ, quo possit ex jam dictis, summam beatitudinem delectationemque concipere: quando intellectus perfundetur purissimo *lumine spirituali*, quo Deum possit *videre* Matth. v. 8. 1 Cor. xiii. 12. 1 Joh. iii. 2. in omnibus glorioſissimis ejus proprietatibus: voluntati conferetur perfectissima *propensio* in Deum, ac bonum quodvis spirituale, ut inde suavissimum *gaudium* concipiat: affectus omnes, nunc tam turbulenti, erunt compositissimi. Ex quibus etiam resultabit *ζ.* ut in *spiritibus perfecte justorum* Heb. xii. 23. *sanctitas, absque macula aut ruga, aut simili quovis* Eph. v. 27. purissimaque Dei *imago* Psal. xvii. 15. 1 Joh. iii. 2. 1 Cor. xv. 49. Nec animæ soli; sed & *η. corpori*, cui talis conferetur *α. spiritualitas* 1 Cor. xv. 44. quæ cibo, potu aut conjugio nullo indigebit 1 Cor. vi. 14. Luc. xx. 36. *b.* talis *incorruptibilitas* immortalitasque 1 Cor. xv. 53. *c.* talis *immunitas* ab omni passibilitate, qua nullam sentiet famem, sitim, pœnitentiam, tristitiam, metum, dolorem Apoc. vii. 16. & xxi. 4. *d.* talis *fulgor* Matth. xiii. 43. Dan. xii. 3. *e.* tale *robur* 1 Cor. xv. 45. Apoc. ii. 25. *f.* talis *pulchritudo* 1 Cor. xv. 43. ut non modo Angelis simus futuri *pares* (ἰσάγγελοι) Luc. xx. 36. sed, suo etiam modo, ipsius *Christi* corpori glorioso Phil. iii. 21. Et *θ.* præcedentium omnium beatitudinem augebit *domicilii* præstantia, quæ vix satis à Scripturis repræsentari potest: quando jam *cœlum* appellatur Matth. v. 12. jam *cœlum tertium* 2 Cor. xii. 2. jam *novum cœlum* 2 Pet. iii. 13. jam *nova Jerusalem* Apoc. xxi. 2. jam *tabernaculum Dei* vs. 3. jam *templum Patris* Apoc. iii. 12. jam *sanctuarium* Heb. x. 19. jam *domus ἀχειροποίητος in cœlo* 2 Cor. v. 1. jam *mons Dei* Heb. xii. 22. Psal. xv. 1. jam *civitas Dei* Heb. xii. 22. jam *patria* nostra Heb. xi. 14. &c. Atque insuper *ι. societatis* cœlestis ineffabilis gratia & præstantia, in præsentia & conversatione suavissima, cum *spiritibus perfecte justorum* hominum, cum sanctis *Angelis*, cum Mediatore Jesu, imo cum *Deo* ipso Heb. xii. 22. 23. 23. Matth. viii. 11. Conf. cap. xvii. 3. Tandem *κ.* colophonem addet durationis *æternitas* Matth. xxv. 46. 1 Thess. iv. 17. qua *semper erimus cum Domino*, beatitudineque ista fruemur, *quamdiu* ipse Deus erit. Et quamvis gloria & beatitudo hujus vitæ, *inæqualis* futura sit Dan. xii. 3. 1 Cor. xv. 41. 42. Luc. xix. 17. 19. quatenus & tum Deus cuique retributurus est, *secundum* opera sua Matth. xvi. 27.

2 Cor. v. 10. 1 Cor. III. 8. quisque tamen *tantum* consequetur gloriæ & beatitudinis, quantum sibi perfecte glorificando suffecerit. Et hæc fere sunt, quæ cis vitam illam æternam constituti, de ejus perfectione & natura, assequi & repræsentate valemus. Huic opponetur æterna reproborum *condemnatio*, quâ hic quidem, non saltem condemnationis *sententiam*; sed ejus *exsecutionem* intelligimus, quâ *perdentur qui terram perdiderunt* Apoc. XI. 18. *& ibunt in supplicium æternum* Matth. XXV. 46. Hujus tres alibi (lib. VI. cap. IX.) numeravimus periodos: nim. (1) *Inchoationis* in hac vitâ, de quâ Servator Joh. III. 18 — 36. quam repræsentavimus *loc. citat.* §. XII. (2) *Progressus* in morte naturali, cujus ingredientia enumeravimus, *Ibid.* §. XV. Denique (3) *consummatio*, lib. IV. cap. IV. §. XV. XVI. quæ proprie est hujus loci.

Quæritur:

Pars Elenchtica.

1. An sæpius quam semel Christus reversurus sit?

XI. Quæritur *primo*, an sæpius quam semel Christus reversurus sit? Epicuræi, Sadducæi, Judæi, Athei, Empæctæ, nullum Christi reditum, nullam resurrectionem, judicium, damnationem, aut vitam æternam agnoscunt, quos brevitatis necessitate, impræsens non morabimur. Lutherani, quamvis professione agnoscant reditum Christi ad judicium; quia tamen *humanam* naturam, *omnipræsentiam* divinæ naturæ, tam quoad κτῆσιν, per unionem personalem; quam quoad χρῆσιν, per glorificationem consecutam arbitrantur: si congruenter suis hypothesibus agerent; negare deberent, saltem proprie dictum reditum. Pontificii, ut carnem Christi indies habeant præsentem in Missâ; statuunt ipsum semel tantum *visibiliter*; sæpius autem *invisibiliter* reverti in terram. Sociniani, quia docent ipsum *semel* ascendisse, subjejunio quadragesimali, & inde mox reversum fuisse, duplicem numerant Christi reditum. Chiliastæ seu millenarii, quia statuunt, Christum ad constituendum in terra regnum suum millenarium, saltem ad breve tempus, descensurum esse; hinc *duplicem* item admittunt Christi reditum. Reformati unicum tantum in Scripturis observant reditum, illum scil. qui ad judicandum vivos & mortuos. Nec adversarii in contrarium quicquam producere possunt, quam putidas suas hypotheses, quas suis locis destruximus. Tetigimus etiam hanc quæstionem lib. V. cap. XVI. §. XVII.

2. An resurgere, sit à statu *non-existentiæ* reverti in statum

XII. Quæritur *secundo*, an resurgere sit reverti à statu *non-existentiæ* ad statum *existentiæ*? Sociniani, odio satisfactionis Christi, quo efficaciam resurrectionis magis elevarent supra efficaciam mortis Christi; statuunt hominem morte sua transire in statum *non-existentiæ*, & resurgendo regredi ad statum *existentiæ*: quo autem regressum istum, vix credibilem, demonstraret *possibilem* esse ac *certum*; Christum morte suâ voluisse transire in statum *non-existentiæ*, & inde resurrectione suâ regredi in statum *existentiæ*: proinde respondent affirmando. Reformati, quia morientis utramque partem essentialem supereisse agnoscunt, negant. Diximus istam controversiam lib. V. cap. XII. §. XVIII. & cap. XIII. §. XI. & cap. XV. §. XV. existentiæ?

3. An omnes & singuli homines resurrecturi sint?

XIII. Quæritur *tertio*, an *omnes* & singuli homines resurrecturi olim sint? Gentiles, Sadducæi, Epicuræi, Athei, quibus in Ecclesia quidem accedebant, Hymenæus & Philetus 2 Tim. II. 18. quidam etiam apud Corinthios 1 Cor. XV. 12. postmodum & Simoniani, Saturninus, Basilides, Carpocrates, Gnostici, Valentiniani aliique, *nullam* omnino recipiunt mortuorum resurrectionem. Sociniani, quamvis intensissimo conatu videantur eam recipere, & promissionem de resurrectione & vitâ æternâ, videantur referre ad præcipua capita Euangelii sui, quod Christus primo in mundum introduxerit, cuique comprobandæ suam mortem & resurrectionem destinaverit: attamen, cum mortem constituant in *non existentia*, revera negant resurrectionem; cum, quod non existit ullo modo, non resurgat; sed creetur de novo. Alii à resurrectione excipiunt *infantes*, infideles omnes, & quosvis etiam, in suâ impietate & infidelitate decedentes, & sic alii Sociniani. Reformati ad omnes & singulos mortuos extendunt, & in his, quos dies Domini vivos deprehenderit, *subitaneam mutationem* morti substituunt. Eo quod resurrectionis veritatem ac certitudinem passim tradat Scriptura Job. XIX. 25. Psal. XVI. 9. & XVII. 15. Dan. XII. 2. Hos. XIII. 14. Matth. X. 28. & XII. 40. Luc. XIV. 12. Joh. VI. 39. 40. 44. & XI. 24. 25. Act. XV. 18. & XXIII. 6. & XXIV. 15. Rom. VIII. 11. & XIV. 8. 9. 1 Cor. VI. 14. & XV. — 2 Cor. I. 9. & IV. 14. 1 Thess. IV. 14. Heb. VI. 2. & XI. 19. 1 Pet. I. 3. & IV. 5. Apoc. XI. 18. usque adeo, ut negantes resurrectionem & judicium, pro impiis & Empæctis habeat Scriptura Matth. XXII. 23. — Act. XXIII. 8. & XVII. 18. & XXVI. 23. 24. 1 Cor. XV. 19. 2 Pet. III. 3. Quod 2. eam diserte extendat ad *vivos & mortuos* 1 Pet. IV. 5. ad *justos & injustos* Act. XXVI. 8. Dan. XII. 2. atdeoque ad *omnes* Joh. V. 28. 1 Cor. V. 10. etiam infideles & Gentiles Rom. II. 12. Nec excludendos esse *infantes*; patet ex eo, quod ipsis addicatur *regnum Dei* Marc. X. 14. & quod participes sint *fœderis* gratiæ Gen. XVII. 7. 12. Act. II. 39. quod *sancti* dicantur 1 Cor. VII. 14. Quod 3. cum *omnes* homines peccatores sint Rom. III. 9. 10. adeoque, vel liberati à peccato, vel non; per justitiam Dei videatur necessarium, ut omnes suscitentur, sistendi judicio Dei, ut quisque recipiat pro sua conditione 2 Cor. V. 10. Nec quicquam valent in contrarium objectiunculæ, quod A. restringatur ad *multos* Dan. XII. 1. Resp. Hoc est, væ, Rationes sententiæ affirmativæ.

Rationes sententiæ negativæ.

est ad *multitudinem*, quæ postea dispescitur in justificandos & damnandos. B. quod restringatur ad *fideles* Phil. III. II. Joh. VI. 39. 40. 44. 45. Resp. Intelligitur resurrectio ad *vitam* Joh. V. 28. quam *resurrectionem meliorem* Apostolus appellat Heb. XI. 35. Quod C. resurrectio dicatur fieri per virtutem Christi *mediatoriam* Joh. VI. 39. 40. & per *Spiritum* Christi Rom. VIII. 11. quæ ad impios non spectant. Resp. Ratione *fidelium* peragetur virtute Christi mediatoria, & inhabitantis Spiritus; sed ratione *infidelium*, per virtutem divinæ potentiæ. Quod D. *ratio* ei non uno modo videatur reclamare: cui impossibile videatur, ut corpus putrefactum, crematum, in pulverem redactum ac dispersum, à feris aut ἀνθρωποφάγοις devoratum, restaurari possit. Resp. 1. *Ratio* subjuganda est verbo Dei, & obedientiæ Christi 2. Cor. X. 5. tum 2. opponenda est *infinita* Dei potentia Matth. XXII. 29. Proinde 3. non *recta*; sed *corrupta* tantum ratio repugnat.

4. An eisdem corporibus simus resurrecturi?

XIV. Quæritur *quarto*, an *eisdem* corporibus simus resurrecturi? Fanatici, Swenkfeldiani, Weigeliani, Anabaptistæ & Sociniani, statuunt corpora suscitatorum fore *absque carne* & sanguine, plane spiritualia. Lutherani, in gratiam omnipræsentiæ carnis Christi, existimant eadem quidem corpora fore resuscitanda; sed *invisibilia*, multisque in locis simul præsentia. Reformati *eisdem* corporibus nos resurrecturos, quoad *substantiam*; sed diversis quoad *qualitates*. Quia 1. Scriptura hoc diserte testatur Job. XIX. 25. Psal. XXXIV. 21. Jes. XXVI. 19. Rom. VIII. 11. imprimis 1 Cor. XV. 53. Phil. III. 21. Quia 2. resurrectio est δευτέρα τῦ πεπτωκότος σῶσις: unde sæpius *somnus* appellatur Matth. VIII. 24. Joh. XI. 11. 12. Quia 3. resuscitatio fiet, ut recipiat quisque διὰ σώματος 2 Cor. V. 10. Quia 4. idem corpus quod *peccavit*, puniendum est Gal. VI. 17. Eph. VI. 8. Quia 5. piorum corpora sunt *templa* Dei ac Spiritus S. 1 Cor. III. 16 & VI. 19. 2 Cor. VI. 16. Quia 6. corpus humanum, carne & sanguine destitutum, non est corpus humanum. Objiciunt A. quod beati dicantur futuri ἰσάγγελοι Math. XXII. 30. Luc. XX. 36. Resp. Non quoad identitatem *substantiæ*; sed quoad similitudinem *qualitatum*, scil. incorruptibilitatis. B. Quod, qui in *carne sunt*, Deo non possint placere. Resp. Hoc est; qui cupiditatibus *carnalibus* morem gerunt. C. Quod *caro & sanguis* non ingrediatur regnum Dei 1 Cor. XV. 50. Resp. *Corruptio* carnalis non ingredietur, seu corpora *corruptibilia* Conf. Gal. I. 16. Eph. VI. 12. Heb. II. 14. Quia D. corpora nostra *mutabuntur*. Resp. Quoad *qualitates*, non quoad *substantiam* 1 Cor. IV. 53. Phil. III. 21. Quia E. corpus quod *seminatur*, non *idem* est cum eo, quod crescit 1 Cor. XV. 37. Resp. Sequitur tantum, non *tale* corpus resurrecturum, quale humatum fuerat vs. 53. Quod F. *ventrem* & escam Deus dicatur aboliturus 1 Cor. VI. 13. Resp. Quoad *usum*, non quoad *substantiam*.

Rationes affirmativæ.

Objectiones negativæ.

5. An humana Christi natura, per omnipotentiam communicatam sibi omnipotentiam, mortuos olim suscitatura,

XV. Quæritur *quinto*, an humana Christi natura mortuos sit suscitatura, per omnipotentiam divinæ personæ sibi communicatam? Lutherani, in gratiam manducationis *oralis*, ad quam omnipræsentia carnis Christi exigitur; statuunt subsistentiam divinæ personæ, in unione hypostatica, communicatam esse humanæ naturæ: & quia illa coincidit cum essentia divina; hinc ei etiam communicatam esse essentiam divinam; & quia porro idiomata divina coincidunt cum essentia divina, hinc ei etiam communicata esse idiomata divina, in quibus etiam est omnipotentia, & per hanc sibi communicatam omnipotentiam, humanam naturam olim suscitaturam mortuos. Reformati, licet agnoscant Christum ut θεάνθρωπον suscitaturum, tam quoad humanam, quam quoad divinam naturam: *divina* conferente efficaciam vivificationis Joh. XVII. 24. *humana* vocem & celeusma suscitatorium Joh. V. 28. Matth. XXIV. 31. negant tamen, per unionem hypostaticam, humanæ naturæ communicatam fuisse omnipotentiam divinæ personæ, eaque suscitaturum mortuos. Cardo igitur controversiæ est, in communicatis humanæ naturæ, proprietatibus divinis, quam ex professo examinavimus lib. V. cap. IV. §. XXI. XXIII. XXIV.

6. An electis vitam æternam adjudicaturus sit propter opera, ut meritoria?

XVI. Quæritur *sexto*, an in extremo judicio, Deus electis vitam æternam sit adjudicaturus *propter* bona opera, tanquam causas meritorias? Pontificii affirmant: Reformati, quamvis largiantur, Deum olim pronunciaturum ex operibus, & secundum opera, velut indices fidei, & conditiones prærequisitas *possessioni* ejus vitæ, cujus *jus* solo suo merito acquisivit Servator; negant quæstionem. Examinavimus istam controversiam lib. VI. cap. VI. §. XX. XXI. XXII.

7. An plura duobus futura sint status æterni receptacula?

XVII. Quæritur *septimo*, an plura duobus olim sint futura status æterni *receptacula*? Sententiarum divortia notavimus lib. VI. cap. IX. §. XXI. Pontificii tria aut quatuor numerant: cœlum, infernum, purgatorium & limbum infantium: Reformati duo tantum. Quia 1. Scriptura plura non ostendit. 2. Purgatorium figmentum est, locupletando tantum, ex indulgentiis & pœnitentiis, ærario pontificio serviens, & arenosis nitens fulcris putidarum distinctionum, in reatum culpæ & pœnæ; in peccata mortalia & venialia, atque etiam pœnarum temporalium ab æternis, falso divortio. Quia 3. Limbus infantum, non nisi perversæ hypothesi, de absoluta Baptismi necessitate, alibi ex professo refutata, sustentatur. Argumenta pro purgatorio & limbo infantium, tanti nobis non sunt, ut spatium eis impendamus.

8. An

XVIII. Quæritur *octavo*, an damnatorum mors perinde

damnatorum pœna æternum sit duratura?

perinde sit *æternum* duratura, ac justificatorum vita? Sociniani, quia mortem constituunt in nonexistentiâ; damnatorum mortem *æternam* constituunt in æterna *non-existentia*, quos refutavimus locis §. XII. citatis. Origenes cum suis (quem superiore seculo sequebantur, suo modo, Franciscus Puccius, & Samuel Huberus) statuebat *omnes* damnatos, non homines tantum; sed diabolos etiam, post tempus damnationis, suis peccatis analogum, liberandos & ad salutem traducendos fore: quos rejecimus lib. VI. cap. I. §. XVII.

9. An post extremum judicium, mundus sit annihilandus?

XIX. Quæritur *nono*, an post extremum judicium, mundus sit penitus *annihilandus?* Empædæ omnium temporum, cum Aristotele, & plurimis Judæorum, mundum censent, in eo statu, quo nunc est, duraturum esse in æternum. Lutherani, quo in gratiam omnipræsentiæ Christi, commodius obtineant, existentiam corporis non exigere necessario locum in quo existat; mordicus tuentur, mundum hunc post extremum judicium esse *annihilandum*. Sententiam Reformatorum expositimus §. VIII.

10. An Servator, repræsentato Patri regno, amplius non sit regnaturus?

XX. Quæritur *decimo*, an Servator post extremum judicium, adeo sit traditurus regnum Patri suo, ut ipse *cesset* regnare? Sociniani, quo commodius æternam, ac Patri suo ὁμοούσιον deitatem negent; statuunt, sicut olim *Pater*, constituendo sibi vicarium filium, seipsum suo modo ad tempus, abdicaverit regno; ita etiam vicarium *filium* se post extremum judicium, penitus abdicaturum potestate regnandi. Reformati, quamvis agnoscant, Christum *repræsentato* Patri regno, non regnaturum amplius *eo modo* quo nunc regnat, per verbum, Sacramenta, disciplinam &c. regnaturum tamen cum Patre in omnem æternitatem statuunt: quam sententiam exposuimus §. IX. & olim probavimus lib. V. cap. VIII. §. XVII.

11. An vita æterna sit habitura voluptates carnales?

XXI. Quæritur *undecimo*, an vita æterna sit habitura voluptates *carnales*, comessationum, deliciarum matrimonialium &c.? Muhammedani affirmant, cum quibus colludit sententia vulgi. Reformati, quamvis ad vitam æternam exigant absentiam *omnis mali*, etiam corpus urgentis, & ex adverso præsentiam omnis boni, ejus etiam quod corpus perficit: attamen, negant vitam æternam istas voluptates esse habituram. Quia 1. futuri sumus ἰσάγγελοι Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. Quia 2. Deus aboliturus dicitur & *escam & ventrem* 1 Cor. VI. 13. Quia 3. tum geremus corpora *spiritualia* 1 Cor. XV. 44. quæ non capiuntur terrenis istis ac carnalibus voluptatibus. Quia 4. Apostolus exserte dicit, *regnum Dei* non esse *cibum ac potum*; sed *justitiam*, *pacem & gaudium per Spiritum S.* Rom. XIV. 17. Nec obstat, quod dicamur olim in regno, cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo *accubituri* Matth. VIII. 11. cum hoc non *proprie*; sed *tropice* veniat intelligendum.

Pars Practica.

Praxis.

XXII. Praxin hujus capitis, maxima parte, dudum occupavit caput IX. lib. VI. de *glorificatione*: cum enim glorificatio *inchoata*, à consummatâ non differat nisi gradu; quæcunque circa praxin glorificationis inchoatæ, ibidem dicta sunt, mutatis mutandis, omissis omittendis, & applicatis applicandis, huc traduci, perquam facili negotio possunt. Peculiariter etiam praxin præcipuam resurrectionis diximus lib. V. cap. XV. §. XXX. Conf. lib. II. cap. XI. §. XVIII. Singularem, singulorum ingredientium hujus dispensationis, praxin expedire, brevitatis necessitas prohibet. Universalem tamen hujus dispensationis praxin breviter tangemus. Ea ergo *primo* efficacissimum præstat solatium, in quibusvis casibus adversis. Si enim 1. *reditum* Christi glorioſum contempleris, cum qua plenaria nostri liberatio conjuncta erit; solabitur ea in casu tristissimæ absentiæ Christi, quod α. certo *redituru*s sit Job. XIV. 3. Quod β. revertendo, plene *liberaturus* sit ab omni malo Luc. XXI. 27. 28. Apoc. XXI. 4. Quod γ. tum omnia sit *restituturus* Act. III. 21. Quod δ. tum suos sit æternum *glorificaturus*, vitamque æternam eis collaturus Matth. XXV. 46. Ut ex his omnibus, caput cum fiducia possimus *extollere* cœlum versus Luc. XXI. 28. Si 2. *resurrectionem* contempleris certo futuram, quantum illa præstat solatii, in horrore *mortis* & *putrefactionis*! Joh. XI. 25. Si 3. extremum *judicium* cogites, cum conscientiâ peccatorum, & horrore magni istius diei; quantum solatium suppeditat, sibi ad animum revocare, ipsum Redemptorem, qui seipsum pro nobis tradidit, in quem credidimus, fore Judicem nostrum, nos in judicium condemnationis nequaquam inducturum Joh. III. 16. 17. peccata nostra ne *commemoraturum* quidem Num. XXIII. 21. Jer. XXXI. 34. Si 4. *condemnationem* impiorum expendas; & hæc solatium præstabit, quod ab ea immunes simus futuri Joh. V. 24. Si 5. *consummationem* hujus seculi cogites, quantum solatium præbet cogitare, *novum cœlum*, *novum terram* futuram, in *qua habitet justitia* 2 Pet. III. 13. Si 6. *traditionem* regni mediatorii, quantum solatium, quod tum nos sit stiturus Deo *glorioſos*, *non habentes maculam*, *aut rugam*, *aut tale quid* Eph. V. 27. & quod ab eo tempore simus futuri ubi ipse est Joh. XVII. 24. Si tandem 7. *vitam* æternam contemplemur, *coronam illam justitiæ*, quam Christus daturus est omnibus illis, qui *manifestationem ejus exspectant* 2 Tim. IV. 8. si illud κατ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης 2 Cor. IV. 17. si *satietatem* illam *gaudiorum in facie* Dei, & *jucunditates in dextra* ejus, futuras *æternum* Psal. XVI. 11. & id,

1. Præstat efficacissimum solatium.

quod

quod *oculus nondum vidit, nec auris audivit, nec in cor cujusquam ascendit* 1 Cor. II. 9. quando *omnes lachrymas* nobis *absterget* Apoc. VII. 17. & XXI. 4. quantam, bone Deus! horum & similium cogitatio nobis creabit consolationem. Ex adverso

2. Incutit horrorem & tremorem impiis.

XXIII. *Secundo*, horrorem & tremorem inefabilem incutiet impiis cogitatio 1. *reditus* Christi, *quo patefiet Dominus Jesus de cœlo, cum Angelis potentiæ suæ, cum flammeo incendio inflicturus ultionem his* &c. 2 Thess. I. 7. 8. quando clamabunt impii: *montes* &c. Apoc. VI. 16. Tum 2 *resurrectionis* suæ, quando evigilaturi sunt ex *pulvere, in opprobrium & contumeliam sempiternam* Dan. XII. 2. Porro 3. *judicii* extremi, quando sistentur ante tribunal Christi, ut accipiant pro operibus suis 2 Cor. V. 10. quando Judicem suum, justissimum, omniscium, cujus oculis omnia eorum patent scelera, plane horrendum, contuebuntur sedentem in throno, ut horrendum sibi dicat carmen: *abite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus* Matth. XXV. 41. Hinc 4. *condemnationis* & mortis æternæ, quando conjicientur in *stagnum ignis & sulphuris* Apoc. XXI. 8. ubi *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & futuri sunt opprobrium omni carni* Jes. LXVI. 24. Ad hæc 5. *consummationis seculi*, quando *terram* hanc, qua tantopere delectati diu sunt, videbunt *conflagrantem, & elementa æstuantia ac liquescentia* 2 Pet. III. 10. 11. Insuper 6. *traditionis*, qua regnum suum Christus sistet Patri glorificandum: quando seipsos seclusos experientur ab hoc regno Apoc. XXII. 15. ac Satanæ traditos tortori Matth. XVIII. 34. Tandem 7. *vitæ æternæ*, quando audient sententiam Judicis suavissimam, in justificatos: *Euge serve bone ac fidelis, super pauca fuisti fidelis — ingredere in gaudium Domini tui* Matth. XXV. 21. item, *venite benedicti Patris mei, possidete — vs.* 34. quando sibi ex adverso, intonabitur horrenda sententia: *abite à me maledicti in ignem —* conf. Luc. XVI. 22—26.

3. Commendat varia officia circa statum æternitatis, quoad 1. Animam.

XXIV. *Tertio* commendat varia officia, quæ pertinent ad statum æternitatis, exercenda: 1. versus *animam* tempestive præparandam & efformandam, ad æternitatem beatam Matth. XVI. 26. Cum enim anima α. sua natura sit æterna, & æternitati consecrata, per essentialem sibi spiritualitatem, simplicitatem & immortalitatem Matth. X. 28. Cum item β. primum & primarium sit beatitudinis æternæ subjectum δεικτικὸν Psal. IV. 8. & XVI. 9. Cum porro γ. absque anima, nullo gaudio & beatitudine frui possit corpus. Cum insuper δ. anima primo transeat ad Deum, rationem redditura Eccl. XII. 7. nunquid omnino conveniens est, ut anima ante omnia tempestive adaptetur æternitati? Quid igitur? (1) ante omnia *purificanda* est, ut possit videre Deum Matth. V. 8. tum (2) ablactatam magis magisque à terra & terrenis, cœlo & cœlestibus assuefaciamus Col. III. 1. Phil. III. 21. Matth. VI. 33. imprimis, celebrationi divinæ, quâ olim æternitatem absumemus Apoc. IV. 8. Jes. VI. 3. Nec (3) ulla re, in cœlo & in terra, intensius capiatur, quam unione & communione cum Deo, quâ cœlestis & æterna beatitudo potissimum absolvetur Psal. LXXIII. 25. & IV. 8. & XVI. 5. Hinc 2. versus *corpus*, olim in æternitate sic glorificandum, ut conforme fiat glorioso Christi corpori Phil. III. 21. Ut illud α. tempestive reddatur *templum* Dei ac Spiritus S. 1 Cor. III. 16. 17. & VI. 19. Ut β. corporis nostri membra, velut *Christi*, pura erventur & incontaminata in adventum Christi 1 Cor. VI. 8. 9. 1 Thess. V. 23. Ut γ. *primæ resurrectionis*, in hac vita reddatur particeps Apoc. XX. 6. Denique 3. versus *totum* compositum humanum, ut A. & sæpe, & serio occupemur meditatione *vitæ æternæ* 2 Cor. IV. 17. Ad hoc B. mundum & mundana magis magisque *abnegemus* 2 Cor. IV. 18. quæ *retro sunt oblivisci amur* Phil. III. 14. & ad patriam cœlestem adspiremus Heb. XI. 15. Ut C. hujus devotâ cogitatione *levitatem momentaneæ hujus afflictionis* patienter feramus, utpote quæ in nobis *operetur, excellenter excellens gloriæ pondus æternum* 2 Cor. IV. 17. ut *cum Christo patiamur*, quo & *cum eo vivamus* 2 Tim. II. 11. quin & *gloriemur* in afflictionibus, quod spem operentur Rom. V. 2. 3. Insuper D. ut vitia quævis deponamus, virtutibus operam demus, utpote quæ viam nobis præstabunt, qua *Deum videamus* in pace Heb. XII. 14. memores insuper, quicquam *impuri* non introiturum in regnum Dei Apoc. XXI. 27. Ut E. beatam *æternitatem* avidissime anhelemus Psal. XLII. 2. & LXXXIV. 2. 3. Phil. I. 23. & III. 13. 14. Nec tantum anhelemus: sed etiam F. salutem nostram *conficiamus, cum timore & tremore* Phil. II. 12. quin & *contendamus* (ἀγωνιζόμεθα) *ingredi per angustam portam* Luc. XIII. 24. *versus scopum feramus* (κατὰ σκόπον διώκω) *cœleste bravium* Phil. III. 14. Tandem G. ut viva fide, fiduciam beatæ nostræ resurrectionis indefinenter alamus, cum Jobo. Job. XIX. 25. 26. oculis mentis cælum versus intenti simus Act. VII. 55. 56. Conf. Dan. VI. 10. ἐπιφάνειαν Christi anhelemus 2 Tim. IV. 8. *in nobis ipsis suspirantes, adoptionem exspectemus*, nempe *redemptionem corporum nostrorum* Rom. VIII. 23. & videntes advenientem Judicem Christum, ἀνακύψωμεν, *caput nostrum attollamus, propterea quod redemptio nostri appropinquet* Luc. XXI. 28. interea cum *spiritu & sponsa* Apoc. XXII. 17. 20. *dicamus*:

2. Corpus.

4. Totum compositum humanum.

VENI DOMINE JESU.

PROLOGUS.

ARtificium vivendi Deo, *quod Theologiæ Christianæ notione, dudum designavimus, his omnino duobus conficitur: ut nim. ex spiritualiter mortuis,* vivi *reddamur; tum ut vivi jam,* Deo vivamus. *Prius horum est* in fide; *posterius in* obedientia fidei. Fidei *naturam octo libris hactenus expedivimus: ad* obedientiam fidei *descendimus, eam sic dicturi, ut primo virtutes obedientiæ repræsentemus, eisque opposita vitia, quod negotium* Theologiæ Moralis *appellatione insigniemus: tum virtutum istarum exercitium, in quovis vitæ Christianæ casu subjungemus, sub notione* Theologiæ Asceticæ. *Theologiam* Moralem *libris tribus sic prosequemur, ut* primus *horum, obedientiam Christianam, cum sua norma duplici, affectionibus item & partibus,* generaliter *expediat:* secundus Religionem, *h. e. officia illa quæ Deum immediate spectant:* tertius justitiam, *seu officia versus proximum repræsentet. Horum omnium ideam &* hypotyposin *tantum dare conabimur, seposita omni elaboratione amplificationeque.*

IDEA

IDEA
THEOLOGIÆ MORALIS.
LIBER PRIMUS
De obſervantia fidei in genere.

CAPUT I.
De obedientia fidei & inobedientia.

THeologiæ Moralis theoria *generalis*, occupatur circa obedientiæ naturam, normas, affectiones & partes, circa primum, cogitanda, obedientiæ

1. *Definitio*, per quam non eſt, niſi ea vitæ ſpiritualis pars, quâ Chriſtianus proclivis eſt ad voluntatem Dei præſtandam, cum ſubjectione, per fidem, in gloriam Dei. Hic cogitandum, ab *una* parte, quid ſit obedientia; ab *altera* quid obedientia fidei.
2. *Diſtributio.* Eſt enim obedientia (1) *ſuperſtitioſa*, (2) *hypocritica*, (3) legalis & *mercenaria*, (4) *Fidei*, (5) *imperfecta*, (6) *perfectior.*
3. *Affectiones* hujus obedientiæ nim. (1) *Cognitio* voluntatis divinæ (2) *Humilitas* (3) *Timor* & reverentia Dei (4) *Zelus* & fervor (5) Sinceritas, de quibus ſuo loco diſtinctius.
4. *Notæ* quibus obedientia fidei, ab aliâ quavis dignoſcatur, quales: 1. Superlativa *æſtimatio* voluntatis divinæ. 2. *Cor* ad eam *flexile.* 3. In his etiam quæ nobis ſunt adverſa. 4. idque in omnibus.
5. *Studium* obedientiæ, ubi tenenda:
   1. *Origo* obedientiæ, à gratiâ Dei regenerante, convertente, ſanctificante, item à fide.
   2. *Bona* obedientiæ, ob quæ expetenda, nim. 1. *Æquitas.* 2. *Jucunditas* & ſuavitas. 3. *Utilitas*, in hac & futurâ vita: tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia.
   3. *Adminicula* promovendæ obedientiæ, qualia ſunt, 1. *Preces.* 2. *Excitatio* fidei. 3. Se totum *tradere* directioni *Spiritus* S. 4. *Propoſitum* ſincerum & univerſale præſtandi quæ Deus vult.
6. Oppoſitum ſeu *inobedientia*, cujus tenenda,
   A. *Natura* & varii actus: 1. *Ignorantia* Dei. 2. Ignorantia *voluntatis* divinæ. 3. Ejus *neglectus.* 4. *Contumacia.* 5. *Rebellio.* 6. *Infidelitas.*
   B. *Mala* inobedientiæ, ob quæ fugienda, 1. *Odium*, ira & vindicta Dei. 2. *Comminationes* Dei. 3. *Judicia* Dei. 4. Ipſius inobedientiæ *turpitudo* varia.
   C. *Sanatio* ejuſdem, quæ habet ejus
      א. *Cauſas* tollendas, quales: (1) *Cor durum.* (2) *Ignorantia* Dei & voluntatis ejus. (3) *Φιλαυτία* ſeu concupiſcentia prava. (4) *Amor* rerum terrenarum immoderatus. (5) *Difficultas* & moleſtia obedientiæ.
      ב. *Remedia* cauſis tollendis idonea: 1. *Emollitio* cordis, precibus obtinenda. 2. *Studium*, pellendæ ignorantiæ idoneum. 3. Conſideratio *vanitatis*, quæ eſt in *φιλαυτία* & cupiditatibus carnalibus. 4. Conſideratio *emolumentorum* obedientiæ, & *malorum* inobedientiæ, quâ *moleſtia* obedientiæ mitigatur.

CAPUT II.
De Studio & Neglectu Legis.

NOrma obedientiæ duplex eſt, altera principalis, *lex divina.* Hujus conſideranda,

1. *Natura.* Eſt præſcriptio officii, facta à Deo νομοθέτῃ, ſub comminatione pœnæ in neglectorem.
2. *Diſtributio.* Eſt 1. iſta vel *humana*, vel *divina.* Hæc rurſus 2. *æterna*, juxta quam Deus ipſe gubernat. 3. *temporalis*, quam nobis præſcribit. Porro 4. vel *naturalis* eſt, vel *revelata*, nim. 5. *Ceremonialis.* 6. *Forenſis.* 7. *Moralis.* De quibus lib. VIII. cap. 2.
3. *Obligatio* legis. Circa quam conſideranda, 1. *Ligatio.* 2. *Conceſſio* ſeu permiſſio. 3. *Abrogatio.* 4. *Diſpenſatio.* 5. *Interpretatio.* 6. *Relaxatio.*
4. *Studium* legis, circa quod tenenda ejus,
   א. *Actus*, quales ſunt: 1. Sibi *comparare* legem. 2. *Amare* eandem. 3. Audire. 4. Legere. 5. Meditari. 6. Interpretari. 7. Obſervare.

2. *Bona*, & legis, & ſtudii. Eſt α. *bona* ſeu appetibilis. β. *Perfecta*. γ. *Sancta*. δ. *Deo placens*. ε. *Dulcis* ut mel. ζ. Utilis ad quævis.

2. *Affectiones*, quibus ſtudium fieri debet: 1. *Ingenue*. 2. *Univerſaliter*. 3. *Diligenter*. 4. *Conſtanter*. 5. *Ubique*. 6. *Indefeſſe*.

5. *Neglectus legis*, cujus conſideranda,

A. *Natura*, qua comprehenditur 1. Ἀνομία. 2. *Ignorantia* legis. 3. *Negligentia*. 4. *Contemtus*. 5. *Odium*. 6. *Contumacia*.

B. *Mala* neglectus, 1. *Turpitudo*. 2. *Moleſtia*. 3. *Pernicioſitas*.

C. *Cauſæ* tollendæ, nim. 1. *Ignorantia* legis. 2. Curarum terrenarum *abundantia*. 3. *Sapientia carnis*. 4. Φιλαυτία ejuſque faſtus. 5. *Concupiſcentia*. 6. *Moleſtia* ſtudii.

D. *Remedia*, quibus cauſæ tolluntur, v. g. 1. *Studium* indefeſſum, adverſus ignorantiam. 2. Imminutio curarum temporalium. 3. Φρόνημα τῦ πνέυματος. 4. *Contentatio*, qua cupiditates ſubiguntur. 5. *Amor* Dei & legis, quo moleſtia ſtudii allevatur.

Caput III.

De Cura & Neglectu conſcientiæ.

Minus principalis & ſubordinata obedientiæ norma eſt Conſcientia, circa quam cogitanda veniunt ejus

1. *Natura*. Eſt judicium hominis de ſeipſo, prout ſubjicitur Deo. Eſt *judicium*. Proinde *actus intellectus*, non tam theoretici, quam practici. De *ſemetipſo*, tam quoad actiones, quam quoad ſtatum ſuum. Peragitur hujuſmodi quodam Syllogiſmo practico: qui credit ſervabitur: ego credo: ergo ſervabor. Reſpectu *majoris*, conſcientia dicitur συντήρησις: reſpectu *minoris*, συνείδησις: reſpectu *concluſionis*, κρίσις. Ratione *majoris* eſt *lex*; *minoris* teſtis & liber; *concluſionis*, Judex. Judicat, vel *excuſando* & abſolvendo; vel *accuſando* & condemnando. Ex quo naſcantur *affectus* congrui, partim *abſolutionis*: gaudium & fiducia: partim *accuſationis*, pudor, triſtitia, timor, deſperatio & angor.

2. *Species* conſcientiæ. Eſt 1. vel *naturalis*, vel *illuminata*. 2. *Recta* vel *erronea*. 3. *Certa*, vel *dubia*, *Experrecta* vel *ſcrupuloſa*. 5. *Bona* vel *mala*. 6. *Bona* vel honeſte talis, vel pacate tantum, vel utrinque ſimul. 7. *Mala*, vel moleſte tantum; vel turpiter etiam talis.

3. *Cura* conſcientiæ. Circa quam conſideranda,

A. Actus curandi, nim. (1) *Scrutari* voluntatem Dei. (2) Ei ſe *ſubmittere*. (3) *Attendere* ad facta ſua. (4) Ea *Examinare*. (5) *Admittere* ejus ſententiam, tam condemnationis, quam abſolutionis. (6) Eniti in *affectus* congruos: lætitiam, triſtitiam &c. (7) *Reformare* conſcientiam.

B. *Bona*, ob quæ curanda. Eſt (1) *bona*, *pulchra*, *pura*, *inoffenſa*, ut prædicatur. (2) vitam reddit εὔτακτον. 3. Reddit nos *Deo gratos*. (4) Ciet *tranquillitatem* animi, & fiduciam. (5) In calumniis & perſecutionibus, *gloriationem*. (6) Promtos ad *moriendum*. (7) Securos in extremo *judicio*.

C. *Adminicula* quibus paratur, nim. 1. eam *purgare* per fidem in ſanguine Chriſti. 2. In ſpiritu *ambulare*. 3. Eniti in *teſtimonium* Spiritus S. 4. Alere *reverentiam* Dei. 5. Meditari *legem* ejus. 6. Recognoſcere *vias* ſuas. 7. Renovare fidem & reſipiſcentiam, &c.

4. *Neglectus* conſcientiæ, in quo cogitanda

1. *Vitia* conſcientiæ corrigenda: 1. *Cæcitas*. 2. *Error*. 3. *Dubitatio*. 4. *Torpor*. 5. *Falſitas*. 6. *Hebetudo* vel ſegnities. 7. *Exſtincta* cauterio. 8. *Perturbata*. 9. *Deſperata*. 10. *Polluta*. 11. *Infirma*.

2. *Mala* conſcientiæ malæ, ob quæ fugienda, ex oppoſitis bonæ conſcientiæ bonis facile colligenda. Accedant tamen: 1. Eſt *polluta*. 2. Ciet *contemtum* & abominationem, 3. apud Deum *pudorem*. 4. *Fugam* Dei. 5. Horrorem. 6. Obſtruit viam ad reſipiſcentiam, & reconciliationem cum Deo. 7. Adauget *amaritudinem* in adverſis. 8. Reddit univerſam vitam *duram* & difficilem. 9. *Mortem* item horribilem, 10. *Præludit* tortura *condemnationi* æternæ.

2. *Cauſæ* in ſanatione tollendæ: 1. Naturalis Ἀναισθησία, ſtupor, cœcitas. 2. *Satanas excœcans*. 3. Exundantia *curarum* temporalium. 4. *Amor voluptatum*. 5. *Moleſtia*, ex triſtitia, pudore, metu, horrore, ex ejus condemnatione oritura. 6. *Labor* in curatione.

3. *Remedia*, quibus cauſæ tolluntur, v. g. 1. Ἀναισθησία, precibus pro emollitione, & exercitationibus. 2. *Satana* obnitendum. 3. Curæ minuendæ. 4. Amor cupiditatum frangendus. 5. Triſtitia, pudor, horror, malæ conſcientiæ, *tolluntur* cura bonæ. 6. *Laborem* compenſant, bona bonæ conſcientiæ.

CAPUT IV.

De Scientia & Ignorantia.

AFfectiones obedientiæ, respectu 1. *Intellectus*, 2. *Voluntatis*, 3. *Affectuum*. 4. *Totius* hominis. In *intellectu* requiritur *scientia*, cujus considerandæ veniunt,

1. *Natura*, qua proclives sumus, ad ea cognoscenda, quæ Deus à nobis cognosci vult. *Proclives* inquam, hoc nomine virtus est: ad *cognoscenda*, non præcise *scienda*, ea quæ Deus vult cognosci: sunt enim quæ non vult, *occulta*, circa decreta, prædestinationem, aliaque quæ non revelavit. Sunt tamen ejus cognitionis gradus, quoad *essentialia* & *circumstantialia*, variasque variorum ætates.
2. *Distributio*. Est 1. vel *theoretica*, vel *practica*. 2. Vel *doctrinalis*, vel *experimentalis*. 3. Vel *communis* quibusvis; vel *salutaris* & electis propria. Proinde tenendæ
3. *Notæ*, quibus hæc ab illa discriminetur, v. g. 1. *Salutaris* nititur in quævis revelata, etiam *comminationes*, secus communis. 2. Hæc penetrat ad *cor*; illa volitat tantum in cerebro. 3. Hæc quasi transformat nos in cognitum; illa secus. 4. Hæc *experimentalis* plerumque est; illa *doctrinalis* tantum. 5. Hæc *cor* afficit convenientibus affectibus, gaudio, tristitia &c. illa secus. 6. Hæc cognoscit *ut agat*; illa ut *cognoscat* tantum. 7. Hæc *deprimit*; illa *extollit*. 8. Hæc sibi *applicat* cognita; illa secus. 9. Hæc enititur in cognitionem *ulteriorem*; illa subsistit in cognitis, &c.
4. *Bona* scientiæ, ob quæ expetenda: 1. Est *perfectio* creaturæ intellectualis. 2. Discriminat hominem à brutis. 3. Conciliat voluptatem. 4. Concernit omnes. 5. Est omnibus præscripta. 6. Est judicium electionis. 7. Item fœderis gratiæ. 8. Character cordis boni. 9. Facit hominem constantem in professione veritatis.
5. *Studium* scientiæ requirit, 1. animum addictum *pietati*. 2. Magni eam faciamus. 3. Naturalem nostram ignorantiam agnoscamus. 4. Animum humilem & discendi cupidum. 5. Ardentes preces. 6. Assiduam Scripturarum meditationem. 7. Cognitorum praxin. 8. Consultationes peritorum. 9. Ea maxime scire desideremus, quæ nobis maxime conducunt. 10. Magis magisque proficere.
6. *Ignorantia*. Hujus tenenda:
   A. *Natura*, qua, seu non scimus, quæ scire debebamus, seu non ita, ut debebamus. Estque vel 1. *negativa*, vel privativa. Hæc 2. vel *juris*, vel *facti*. Rursus 3. datur *affectata*. Item 4. *imaginaria*. 5. Mere *theoretica*. 6. *Curiosa*, quâ scire nitimur α. non revelata β. quæ nos non tangunt. γ. quæ captum nostrum excedunt. 7. *Oblivionsa*. 8. Dubitans. 9. *Stultitia*.
   B. *Mala* ignorantiæ, ob quæ fugienda, 1. *Turpitudo*. 2. Infamia, qua nos ad Gentiles dejicit. 3. *Odium* Dei. 4. Obstruit nobis viam ad resipiscentiam. 5. Exponit nos seductionibus. 6. Item vindictæ & judiciis divinis.
   C. *Causæ* tollendæ. 1. Originalis *stupiditas*. 2. Judicium *excœcationis*. 3. *Satanas* excœcans. 4. Neglectus *mediorum*. 5. *Segnities*, qua labores fugimus. 6. Defectus *precum*.
   D. *Remedia*, in his sunt quibus causæ tolluntur: v. g. 1. Originalis stupiditas *totalis*, non tollitur, nisi regeneratione; *partialis* regenitorum, illuminatione Sp. S. *precibus* impetranda. 2. *Satanæ excæcatio*, resistendo & orando. 3. Neglectus mediorum, segnities; opposito studio & oratione &c.

CAPUT V.

De Humilitate & Superbiâ erga Deum.

AFfectio obedientiæ, quoad *voluntatem*, est humilitas, cui opponitur superbia versus Deum. Hujus conderanda,

1. *Natura*. Est *pia* quædam *pusillanimitas*, *qua homo*, *intus pariter & extus*, *se totum prosternit coram Deo*, *ad ejus voluntatem*, *in ejus gloriam*, *præstandam*. *Humilitas* dicitur ab *humo*, *pusillanimitas à* parvitate seu pauperie. *Actus* est *prosternere*, quo defixi sumus; cum in infinitam Dei *perfectionem*; tum in nostri *vilitatem*. Quod fit tum 1. *intus*, *intellectu*, quo sumus ταπεινοφρονες, humiles *mente*; tum *voluntate*, πενεσθαι τῇ καρδίᾳ, *dejecti* contemti, *Affectibus*, quoad *spem*, in adversis humillime exspectantes: *timorem*, paventes ad verbum ejus; *gaudio*, exsultantes cum tremore; admiratione, stupentes beneficentiam divinam versus nos: *extus* etiam, *sermone*, *gestibus*, *oculis*, *habitu*, *conversatione universa*.
2. *Distributio*. Est humilitas 1. versus *homines*, de qua alibi, & versus Deum, de qua hic. 2. *Fucata* in externis tantum. 3. Pusillanimitas *sordida*, opposita *magnanimitati* spirituali, qua non *gloriamur* in Deo. Proinde

3. *Nota*, quibus unam ab alterâ discriminemus, quibus 1. terrena quævis *spernimus* præ spiritualibus. 2. *Difficultates* obvias superamus. 3. *Tentationes* vincimus. 4. Non nobis, sed *publico* vivimus. 5. *Φιλαυτίαν compescimus.* 6. Naturalis nostræ vilitatis *memoriam* alimus. 7. Propriam quamvis excellentiam *subigimus.* 8. Abjectissimis Dei *servitiis* nos indignos reputamus. 9. *Omni verbo* divino nos prompte submittimus. 10. Nostrum *reatum* agnoscimus. 11. *Judicia* divina cum silentio recipimus. 12. *Gratiam* & misericordiam Dei amplificamus. 13. *Vias* Dei imperveſtigabiles miramur. 14. Omnem excellentiam *supra alios*, abnegamus. 15. De nostrâ *tenuitate* abjecte sentimus. 16. In cultu divino, nos *modeste* gerimus.

4. *Bona* humilitatis, ob quæ expetenda, qualia 1. *Æquitas*, comparatione Dei & nostri, perspicua. 2. *Jucunditas*, Deus se deprimentes extollit. 3. *Utilitas*, humilibus confert gratiam. 4. *Necessitas*, superbis enim Deus repugnat.

5. *Adminicula*, quibus assequimur humilitatem: 1. Conferre Dei *excellentiam* cum sua *vilitate.* 2. Cogitare quod sit singulare animæ *ornamentum.* 3. Nos eâ reddi commoda *gratiæ* divinæ receptacula. 4. Esse illam omnium aliarum virtutum quasi *Matrem.* 5. Habere ampliſſimas Dei *promissiones.* 6. Esse eam *necessariam* in quovis *cultu* divino.

6. *Superbia*, cujus cogitanda

1. *Natura*, quâ nos ipsos vel elevamus supra Deum; vel ei nos construimus: seu propriæ excellentiæ, respectu Dei, inordinata affectatio. Quando 1. ea nobis tribuimus quæ Deo soli competunt. 2. Eis quæ per gratiam divinam habemus, coram Deo superbimus. 3. Propriis viribus confidimus. 4. Deo nos non subjicimus. Imo 5. Ei nos opponimus.

2. *Causa* tollendæ: 1. *Ignorantia* Dei & sui. 2. *Φιλαυτία*, illegitimus nostri *amor.* 3. *Affectatio* carnalis ἐξοχῆς. Etiam 4. *fervor* in cupiditates carnales. 5. *Turpitudo* subjectionis. 6. *Contrarietas* inter voluntatem Dei & nostram &c.

3. *Mala* superbiæ, ob quæ vitanda 1. est *turpis* quævis superbia, maxime erga Deum. 2. Ciet *contemtum* & odium Dei. 3. Arcet omnem *gratiam* salutarem. 4. Scaturigo est omnium *peccatorum.* 5. Deus nos deprimet suis indiciis &c.

4. *Remedia*, quibus causæ tolluntur, qualia 1. *Cognitio* Dei & sui. 2. *Φιλαυτίαν* gratia divina subigere. 3. Voluptates carnales spernere. 4. Decorem nostræ subjectionis versus Deum expendere. 5. Cogitare, in subjectione nostri versus Deum, veram nostram excellentiam consistere.

Caput VI.

De Timore & Vilipendio Dei.

Affectiones obedientiæ fidei, ratione *affectuum*, sunt 1. *Timor* Dei, & 2. Zelus. Timoris Dei cogitanda;

1. *Natura.* Est ea *Dei reverentia, qua metuimus, ne quo ipsum offendamus, & ex adverso id agimus, ut ei in omnibus placeamus,* Est *reverentia*, adeoque infinitæ ejus excellentiæ agnitio, ejusque congrua testificatio, & voce, & gestibus, & universa conversatione facta. Est item *metus*, eum offendi quovis peccato. Est tandem *cura* ipsi placendi, idque in omnibus, quo nomine cultus Dei quivis in Scripturis non raro per *timorem* Dei significatur.

2. *Distributio.* Est timor Dei *servilis*, quo Deum offendere metuimus, ob solam ejus *vindictam.* Isque rursus, vel *utilis* ad conversionem, ad quam pœnæ metus solet allicere: est item *noxius*, qui à Deo nos absterret: est tandem *filialis*, qui nos ad Deum allicit, ex amore oriundus, quo filii ingenui parentum offensam metuunt.

3. *Nota* timoris filialis sunt: 1. Serio fugere, quæ in oculis Dei mala sunt. 2. Abstinere etiam à peccatis occultis. 3. Peccata insuper odisse, idque ideo quia Deo adversa sunt. 4. Ex adverso operam dare bonis operibus. 5. Et in his magis magisque ad perfectionem contendere. 6. Nec spe, nec metu ullius creaturæ, aut ullius mali, ab officio abterreri. 7. Verbo Dei aliisque sacris non occupari, nisi cum piâ quadam solicitudine. 8. Nomen Dei, ejusque attributa non usurpare, nisi cum reverentiâ.

4. *Bona*; ob quæ expetendus: 1. *Æquitas*: si enim ulli competat reverentia & timor; saltem Deo Opt. Max. 2. *Securitas*: qui enim Deum timet; non necessum habet, quemquam aut quicquam timere. 3. *Utilitas*; est enim principium sapientiæ salutaris, quin omnis virtutis. 4. *Promissiones* Dei his factæ, qui Deum timent. 5. *Misericordia* Dei in eosdem. 6. *Beneficentia* item.

5. *Media*, quibus juvemur in studio timoris hujus, qualia: 1. Cogitare serio infinitam Dei *majestatem.* 2. Nostram item *corruptionem*, quam natura proclives simus ad peccandum, & Deum offendendum. 3. Quam *turpe* sit, quam *perniciosum*, Deum peccatis offendere. 4. *Deum* esse, omniscien-

niſcientem, omnipræſentem, omnipotentem, & juſtiſſimum peccatorum *vindicem* &c.

6. *Vilipendium* timori oppoſitum. Hujus

A. *Natura*, per quam, aut Deum *prorſus non* timemus, ſuſque deque habemus infinitam Dei Majeſtatem, non curamus peccatis eum irritare, nec de ejus irâ aut benevolentia ſoliciti ſumus, aut non *ita timemus*, ut debebamus: quando metuimus, non offenſam, ſed vindictam: quando ita eum metuimus ut ab ipſo fugiamus: quando pœnam metuimus propterea tantum, quod carni noſtræ ſit moleſta, non autem quod indicium ſit Dei offenſi, irati, vindicis; nec per pœnam à peccando nos abſterreri patimur.

B. *Mala* irreverentiæ divinæ, ex oppoſitis timoris divini bonis facile colligi poſſunt: 1. Ipſa eſt *iniquitas*, eum non timere, qui ſolus fere timeri meretur & debet. 2. *Pœnam* ceu malum timere; & *Deum* juſtiſſimum & optimum non timere. 3. Non timere Deum, cauſa eſt omnis timoris moleſti. 4. Defectus reverentiæ & timoris Dei nos ineptos reddit ad quodvis bonum, virtutem, officium pietatis. 5. Proclives reddit & idoneos ad quodvis ſcelus. 6. Deus ſe timentidum & horrendum ſuis judiciis præſtabit, his qui ſe non timent, hic & 7. poſthac æternis flammis ſe timendum demonſtrabit.

C. *Cauſæ* ejus, tollendæ: 1. *Ignorantia* Majeſtatis divinæ, item juſtitiæ divinæ vindicativæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ & omnipotentiæ. 2. *Imaginatio* propria, qua tanta nobis tribuimus & talia, ut non habeamus, ob quod Deum timeamus. 3. *Præſumptio* & ſpes impunitatis, licet peccemus. 4. *Error*, quo cogitamus, timorem offendendi Deum, & ſtudium conciliandæ benevolentiæ divinæ, vanum eſſe, ad nihil conducens. 5. Perverſæ *cogitationes*, de bonitate, gratiæ, miſericordiæ & beneficentiæ divinæ: Itemque 6. *Satisfactionis* & meriti Chriſti, & hinc gratuitæ juſtificationis. 7. *Abuſus* patientiæ & longanimitatis divinæ, qua ſua judicia mox non effundit in peccatores, &c.

D. *Remedia* nobis ſuppetunt, cum ab eis quibus timor Dei generatur, dudum indicatis; tum ab his, quæ cauſas tollunt vilipendii, & ſingulis earum ſingulatim opponenda ſunt.

CAPUT VII.

De Zelo & Tepiditate.

AFfectio obedientiæ, *ſecunda* in *affectibus* requiſita, eſt *Zelus*, cui opponitur tepiditas. *Zeli* conſideranda

1. *Natura.* Eſt affectio intenſior Deo placendi, & gloriam ejus promovendi. Gradus iſte apparet, *cum* in impugnatione eorum, quæ adverſa ſunt voluntati & gloriæ divinæ: tum in proſecutione eorum, quæ Deo grata ſunt. Hinc ab aliis deſcribitur: *affectio ad vindicandam Dei injuriam*; vel, *ad exterminandos Dei inimicos*: vel, *Zelotypia perſequens ſponſarum Chriſti adulteria, adulteriorumque occaſiones & ſigna*: vel, *amor vehemens, ipſas Chriſti ſponſas arcta cuſtodia à mundo ſecludens.* Implicat amorem & timorem.

2. *Diſtributio.* Eſt 1. Zelus Dei verſus *homines*, ne adulteria ſpiritualia committant, & ut commiſſa vindicet. Eſt 2. Zelus verſus *Deum*, miniſtrorum pro integritate Eccleſiarum, *laudabilis* 2 Cor. XI. 1. 2. Exod. XXXII. 19. Eſt 3. Zelus *tumidus* ad faſtum 2 Reg. X. 16. Eſt 4. Zelus *ſuperſtitioſus* abſque *ſcientiâ* Rom. X. 2. Eſt 5. Zelus pro *doctrinâ* ſeu opinione, ſeu vera, ſeu falſa. Eſt 6. Zelus pro *pietate* & moribus. Eſt tandem 7. genuinus pro Deo, veritate & gloria Dei.

3. *Nota* Zeli juſti & laudabilis, ſi 1. ſit *ſecundum Deum.* 2. Ad præſtandum *omnia* pro *viribus* & ſupra vires. Si 3. *diligens* ſit in officio. 4. Abſque modo, niſi quem Deus figit. 5. *Mitis* in ſuis, & fervens in divinis. 6. Circa ſtudium *bonorum.* 7. In minoribus minor, & majoribus major. 8. Non minor circa *ſe*, quam circa *alios.* 9. Si non poſſit ferre impios. 10. Conjunctus cum *dolore* & *commiſeratione* verſus peccantes. 11. *Conſtans*, ſemper & ubique ſibi ſimilis.

4. *Bona* zeli boni, ob quæ ſectandus 1. eſt bonus & juſtus, Deo competens. Eſt 2. proprietas populi Chriſti. Eſt 3. rebus divinis conveniens. 4. Habet promiſſionem communionis cum Deo in Chriſto Apoc. III. 20. 5. Perficit & Deo grata reddit omnia officia noſtra. 6. Eſt modus congruus conſequendi regnum Dei Matth. XI. 12.

5. *Media* ad promovendum zelum ſunt, 1. devota ponderatio bonorum zeli. 2. Contemplari *fervorem* charitatis & benignitatis Dei verſus nos. 3. Cogitare noſtram *imperfectionem.* 4. *Uſus mediorum*, quæ Deus inſtituit ad gratiam & fervorem generandum. 5. Societas cum eis qui fervent, imprimis cum talibus concionatoribus, qui fervent ore & opere.

6. *Tepiditas*, hujus cogitanda

A. *Natura.* Eſt defectus zeli, aut talis, qui Deo aut rebus divinis congruit, nominatim 1 *Fri-*

gus & gelicidium ſpirituale, quo omnis calor abeſt. 2. *Tepiditas* ſtrictius dicta, quo aliquis calor adeſt; ſed non tantus quantus adeſſe debebat. 3. Fervor *hypocriticus* ad faſtum, non ad rem. 4. *Superſtitioſus*, circa opiniones tantum fervens, abſque juſta *ſcientia* aut diſcretione. 5. Circa vanas ſpeculationes, quæ ad pietatem parum aut nihil conferunt. 6. Satietas ſpiritualis, qua acquieſcimus in eo caloris gradu, quem aſſecuti ſumus.

B. *Mala* tepiditatis ob quæ fugienda, nim. 1. Dedecet Deum & res divinas. 2. Non poteſt conſiſtere cum vera Religione. 3. Ciet averſationem Dei, & horrenda ejus judicia Apoc. III. 19. 4. Defectu zeli peccata & ſcandala, nec in nobis, nec in aliis corriguntur; ſed foventur potius & augentur, per ſecuritatem carnalem. 5. Reddit omnia noſtra officia defectuoſa. 6. Privat nos omnibus bonis & beneficiis zeli, dudum memoratis.

C. *Cauſæ* tepiditatis tollendæ: 1. *Vilipendium* Dei & rerum divinarum, à quo torpet affectus. 2. Defectus *timoris* Dei, unde parum curamus ejus favorem & divinarum rerum poſſeſſionem. 3. Nimius *fervor* verſus terrena. 4. Aut circa *inutiles quæſtiones*, quæ affectus verſus Deum & divina, non calefaciunt. 4. *Præſumptio* ſufficientiæ ejus quam habemus. 5. Segnities, qua non contendimus ulterius. 6. Converſatio familiarior cum tepidis.

D. *Remedia*, ſunt, 1. in cogitatione bonorum, quæ redundant ex zelo. 2. In uſu *mediorum* quibus generatur & augetur zelus. 3. In conſideratione malorum tepiditatis. 4. In his quibus cauſæ tolluntur tepiditatis. V. g. 5. Vilipendium tollitur cogitatione majeſtatis Dei & rerum divinarum. 6. Defectus *timoris* per contraria cap. præced. 7. *Fervor* circa terrena, contemplatione vilitatis & inutilitatis earum. Ut & 7. quæſtionum inutilium *ſteriliras*. 8. *Præſumtio*, collatione eorum, quæ habere neceſſario debemus, cum his quæ habemus. 9. *Segnities*, expendendo præſtantiam, utilitatem &c. zeli. 10. *Converſatio* cum tepidis, fugienda.

CAPUT VIII.

De Sinceritate & Hypocriſii.

AFfectio obedientiæ, quæ *totum* hominem reſpicit, eſt *ſinceritas*, cui opponitur *hypocriſis*. Conſideranda hic ſinceritatis

1. *Natura*, qua tales revera ſumus, idque agimus, quod eſſe aut agere videri volumus. Præſupponimus, quemvis bonum & bene agere, videri velle. Hoc fit 1. quando non *extus* tantum; ſed & præcipue quidem *intus*, tales eſſe conamur. Idque 2. non coram hominibus tantum; ſed & præcipue quidem coram Deo. 3. Dum omnem mixturam corruptionis, aut ſiniſtræ intentionis evitare ſtudemus. 4. Dum nihil omittere ſtudemus, quod requiritur ad perfectionem. 5. Dum præmium boni ſui exſpectat, non ab hominibus; ſed à Deo.

2. *Diſtributio.* Eſt ſinceritas *perfecta*, omnis corruptionis, aut ſiniſtræ intentionis expers, qualis in hac rerum imperfectione non datur: & *imperfectior*, qua id ingenue agimus, ut quantum fieri poteſt, omnis corruptio exulet, idque per diverſos gradus. Poteſt enim ſinceritas cum multa & magna imperfectione conſiſtere. Nec proinde infirmitas cum hypocriſi eſt confundenda.

3. *Notæ* quibus vera ſinceritas innoteſcit: 1. Si lucem verbi divini diligat, ut ex ea opera & ſtatus ejus manifeſta fiant. 2. Si in abſentia ſpectatorum, æque ac in præſentia eorum, in occulto æque, ac in propatulo, boni eſſe ſtudeamus. 3. Si in adverſis perinde ac in ſecundis, tales eſſe nitamur. 4. Si in omnia Dei mandata, minora pariter ac majora, ſe extendat. 5. Si ab omni ſpecie mali nos declinet. 6. Si peccata ſua non tegat, aut excuſet; ſed confiteatur & abrumpat.

4. *Bona* ſinceritatis, ob quæ expetenda. Eſt 1. *anima*, vita, & quinteſſentia omnis virtutis & boni. 2. Omnis Chriſtiani *pax*, gaudium, ſecuritas. 3. Adeo Deo *grata*, ut nihil abſque ea. 4. Cauſa cujusvis benedictionis. 5. Defectus ſinceritatis eſt cor hypocriticum, monſtroſum, cujus mala dicemus jamjam.

5. *Media*, quibus obtinetur cor ſincerum, ſunt: 1. Serio expendere, ab una parte bona cordis ſinceri, ab altera, 2. mala cordis hypocritici. 3. Preces, ut Deus in nobis innovet ſpiritum *purum*. 4. Magis magiſque purgare cor noſtrum, ejuſque defectus emendare. 5. Frequenter & ſerio conſcientiam examinare. Imo 6. ſe Deo ſiſtere examinandum.

6. *Hypocriſis*, cujus examinanda

A. *Natura*, facile conficienda ex oppoſita ſinceritate. Eſt tamen *generaliter* μόρφωσις pietatis, abſque δυνάμει. *Specialius* eſt, diſſimulare malum quod adeſt, & ſimulare bonum quod non adeſt, ad hoc ut fallas, & fallendo, honorem aut lucrum conſequaris. Idque agit corde, ore, re, ipſo etiam cultu divino.

B. *Mala* hypocriſeos. Hypocrita eſt 1. *turpis impoſtor*, qui & Deo, & proximo, & ſibi imponit.

Hinc

Hinc 2. exosus & *fugiendus* omnibus qui tales dici nolunt. 3. *Monstrosus*, duplex gestans cor. 4. Meretrix picta & ficta, sepulchrum comptum extus, intus abominabile. 5. Quem Deus abominatur. Cui 6. væ denunciat Matth. XXIII. 13. 14. Quem 7. sua honoris & lucri spes certo certius fallet Job. VIII. 13. & XXVII. 8.

C. *Causæ* hypocriseos tollendæ: 1. *Satanas*, exemplo pariter & tentatione. 2. Hinc seducta hominis *natura* in hypocrisin proclivis, ut patet in protoplastis. 3. *Ambitio* honoris. 4. *Spes* lucri. 5. *Atheismus*, quo Dei omniscientiam & omnipræsentiam ignorat, eumque velut pro idolo habet.

D. *Cura* difficilis Apoc. III. 16. 17. & molesta, & rara; remedia exigit, qualia 1. consideratio bonorum sinceritatis, & malorum hypocriseos. 2. Observare & obniti causis hypocriseos. 3. Id agere ut convincaris de cordis tui fraudulentia. 4. Frequenter & devote sibi repræsentare Deum, ut qui scrutatur corda & renes, qui nec fallit, nec falli potest, qui in extremo judicio, cordis fraudes palam prostituet, in æternam ignominiam. 5. Indesinenter purgare cor suum, etiam à reliquiis hypocryseos &c.

CAPUT IX.

De Virtute & Vitio.

AB *affectionibus* obedientiæ, ad ejus partes progredimur, nim. *virtutem*, & *opus* virtutis. Primo de *virtute*, cogitanda ejus

1. *Natura.* Est habitus, quo voluntas propendet ad bene agendum. *Habitus* seu propensio, inclinatio, quo lubenter, facile, prompte agimus. Est in *voluntate*; virtutes enim intellectuales non sunt proprii nominis virtutes, quamvis ad virtutem conferant. Vergit in *bonum* morale, & quidem ad bene *agendum*. Ejus forma non est in *mediocritate*; sed in *convenientia* cum sua regula, quam præstant non placita sapientum; sed solum Dei verbum.

2. *Distributio.* Virtutes Scholastici non satis accurate distinguunt: (1) septem *dona* Spiritus S. Ex Jes. XI. 2. (2) *Duodecim fructus* Spiritus S. Gal. v. 22. (3) *Octo beatitudines* ex Matth. v. 3——12. (4) *Charismata* complura, ex 1 Cor. XII. 4—— Nonnunquam eas etiam dispescunt in *humanas* & *heroicas:* in purgatorias, purgatas & exemplares. Sunt 5. virtutes *veræ*; sunt & *personatæ*: illæ conveniunt cum sua regula; hæ fucum tantum gestant virtutum; v. g. δεισιδαιμονία & obedientia, fucata, v. g. *liberalitas* & *prodigalitas*. Sunt & 6. virtutes *naturæ*, sunt & gratiæ διακριτικῆς: illæ ab ἐυφυΐᾳ quadam *naturæ* prosiliunt, quæ in uno major est, quàm in alio, & in Gentiles etiam & irregenitos quandoque cadunt; & *gratiæ*, quæ à gratia regenerante, convertente & sanctificante excluduntur, & electis propriæ sunt. Tandem 7. virtutes secundum legem divinam, accuratissime dispescuntur in *Religionis*, quibus proclives sumus in cultum divinum, juxta *priorem* legis tabulam, de quibus libro *secundo*; & *justitiæ*, quibus proclives sumus ad justa proximo præstanda, secundum *posteriorem* tabulam, de quibus libro tertio. Proinde

3. *Notæ*, quibus veræ gratiæ virtutes tuto discriminentur: 1. Si proveniat à fide, regeneratione, sanctificatione nata. 2. Si non subsistat in *opere*; sed in inclinatione, *propensione*, per gratiam quasi naturali. Si 3. adsit *firmitas* & constantia in exercitio boni. Si 4. adsit delectatio & gaudium in exercitio boni. Si 5. sit *universalis* ad *omnia*, & semper sese extendens simpliciter & absolute.

4. *Bona*, ob quæ expetenda: hominem reddit proclivem & idoneum ad bonum quodvis. 2. Est Deo *grata*, & ita quidem, ut nullum opus ipsi placeat, absque virtute, seu inclinatione interna. Est 3. laudabilis Phil. IV. 8. Est 4. ex promissione divina, ἐχομένη σωτηρίας.

5. *Media*, quibus procreatur & augetur virtus: 1. Fide apprehendere Christum, ut cum eo uniti, ejus vires, vitam, & spiritum, quibus possimus & velimus bonum, ad nos attrahamus. 2. Ut imaginem Christi constanter habeamus ob oculos, in qua est plenitudo omnium virtutum, eique magis magisque configurari nitamur. 3. Ut eis operam demus, quibus virtus promovetur 2 Pet. I. 12. 15. Ut 4. ab eis abstineamus quibus virtus debilitatur, & paulatim exstinguitur. Ut 5. frequenter & studiose nos exerceamus in eis, quæ propria sunt istius virtutis: generatur enim virtutis habitus, sub gratia divina, crebris operationibus. 6. Ut virtutem precibus a Deo flagitemus.

6. *Vitium* oppositum. Cujus spectanda

A. *Natura*, quæ facili negotio ex contraria virtute colligitur. Nim. quo proclives sumus in *malum* morale; aut si in bonum etiam qualecunque, saltem non congruenter legi & voluntati divinæ. Quo etiam spectant virtutes *fucatæ*, quas diximus, quin & suo modo, virtutes *naturæ*, separatæ à gratia.

B. *Mala* vitii, ob quæ fugiendum: 1. Reddit nos aversos à bono. 2. Proclives ad malum, quo

natura rationalis deformatur. 3. Reddit nos ingratos, quin & exosos Deo. Etiam 4. hominibus. 5. Exuit nos eâ pace, gaudio & solatio, quæ ex virtute scaturiunt. 6. Ipsum etiam bonum, quod pro re natâ perpetramus, defectu virtutis, ita vitiari, ut bonum vere non sit.

C. *Causæ* vitiorum obstruendæ: 1. *Nativa* corruptio, quæ est omne vitium. 2. *Tentationes*, Satanæ, mundi, carnis. 3. *Neglectus* exercitii in bonis. 4. *Consuetudo* agendi malum, qua vitii dispositio generatur. 5. Intentum esse in consuetudines aliorum malorum. 6. Concupiscentia & voluptates ex perpetratione malorum.

D. *Remedia*, quibus vitia debilitantur & paulatim eradicantur: 1. Devote *cogitare*, ab unâ parte *bona* virtutis, ab altera *mala* vitii. 2. Adhibere *media*, quibus virtus generatur & augetur. 3. In virtute Dei, *mortificare* nativam corruptionem seu veterem hominem, in quo latent omnia vitia. 4. *Cavere* consuetudinem peccandi. 5. Obniti primis ad peccandum motibus.

CAPUT X.

De Prudentiâ & Imprudentiâ.

PErgimus ad virtutis *affectiones* generales, quæ & ipsæ naturam virtutum habent, suntque *justitia*, *prudentia*, *fortitudo & temperantia*. In his *prima* virtutem ordinat & quasi constituit; *secunda* dirigit & liberam præstat ab errore; *tertia* confirmat adversus incommoda; *quarta* puram facit, & munit adversus oblectamenta seducentia. *Justitia*, sensu latissimo, quatenus notat inclinationem ad agendum juxta suam regulam, suum cuique tribuendo, & Deo & proximo, est virtutis *rectitudo*, & ferme coincidit cum ejus essentia, de qua diximus. Circa *prudentiam* contemplabimur ejus

1. *Naturam*, qua *generaliter* quidem omnes rationis vires intenduntur, ad illud quod rectum est inveniendum, & omnia ejus media recte dirigenda. Complectitur omnium virtutum *intellectualium* vim & perfectionem, quæ non alio nomine virtutes *morales* sunt, quam quod non tantum præscribantur à Deo; sed & voluntatem dirigant in bene agendo. *Specialius* consistit in eis, quæ spectant ad Dei gloriam: nostrumque officium & salutem, ita discernendis, circumspiciendis, penetrandis, ordinandis, ut quantum fieri potest, ad perfectionem promoveantur. Nominatim exigit: 1. Rectum *finem* sibi habere propositum, & in eum contendere. 2. *Media* illa *eligere*, quæ eo faciant. 3. In istis accurate *ambulare*. 4. Omnem *opportunitatem* captare, ad studium istud promovendum. 5. Solicitè *fugere* omnia quæ repugnant. 6. Omnia declinare & præterire, quo hujus scopi reddamur compotes.

2. *Distributio*. Est prudentia 1. *civilis*, bona. 2. *carnalis*, quæ à spiritualibus nos avertit. 3. *callida*, quæ ad *malum* etiam subtiliter nos dirigit. 4. *spiritualis* & Christiana, quæ in spiritualibus conducit, & ad spiritualia perducit. Hujus naturam dudum diximus, eamque à suis æmulis suo loco disterminabimus ulterius.

3. *Bona* ob quæ sectanda. Est 1. *Perfectio* hominem discriminans à bruto, Christianum à politico, callidum à sapiente, carnalem à spirituali. 2. Egregia pars imaginis divinæ Coll. III. 10. Porro 3. *eripit* nos ab omni malo Prov. II. 11. 12—4. *Conducit* ad omne bonum. 5. Est egregium *ornamentum*, nos Deo pariter & hominibus commendans, &c.

4. *Media* quibus obtinetur: 1. Non est aliunde exspectanda, quam à Deo per Spiritus S. illuminationem Jac. III. 15. Hinc 2. ab eo solo precibus est expetenda. 3. Naturalis nostra *fatuitas* in spiritualibus est agnoscenda 2 Cor. I. 10. 11. Porro 4. quærenda est in verbo Dei. Tandem 5. ut omnes ingenii vires, observationes, studia, arrigamus ad spiritualem istam prudentiam obtinendam.

5. *Imprudentia*. Hujus examinanda latissimo sensu,

A. *Natura*. Est, latissimo quidem sensu, id omne intellectus vitium, quo exercitium boni spiritualis obstruitur aut impeditur. Nominatim 1. *stultitia*, qua omnis sapientia turpiter abest. 2. *Simplicitas*, qua aliqua, aut aliquis ejus gradus abest. 3. *Indocilitas*, qua, aut aversi sumus à discendo, aut discendo parum vel nihil proficimus. 2 Tim. III. 17. Porro 4. *astutia*, sapientia in malo, & ad malum. 5. Sapientia *vana*, quæ saltem non *prodest*. 6. *Carnalis*, quæ obest etiam. 7. *Diabolica* insuper, à diabolo oriunda, eique inserviens. 8. Mere *civilis*. 9. In oculis propriis Prov. XVI. 12. & XXVIII. 11.

B. *Nota*, quibus spiritualis prudentia ab alia quavis, cumprimis carnali, discernatur: 1. Cum directe se opponit sapientiæ divinæ, mali aliquid machinando; vel cum fit medium impietatis aut injustitiæ. 2. Cum sapientiam Dei contemnit, susque deque habet. Saltem 3. Si se non submittit, quin pro stultitia habet. 4. Cum in ea fiduciam collocamus, aut 5. in ea gloriamur perperam. 6. Cum à sinceritate & innocentia separata est.

C. *Mala* imprudentiæ, ob quæ fugienda: 1. Privat nos omni bono prudentiæ spiritualis jamjam notato

notato. 2. Item omni bono scientiæ cap. IV. notato. Porro 3. confert omnia mala ignorantiæ. Ibid. 4. Est in se turpis & exosa Deo Jes. XLIV. 18. & XLV. 20. Jer. IV. 22. Ad hæc 5. obstruit nobis omnem occasionem bene agendi Hos. VII. 11. Insuper 6. creat nobis exitium. Ibid. vs. 14. Peculiariter *carnalis sapientia* 7. magis nos alienos reddit à regno Dei, quam simplex stultitia 1 Cor. 1. 26. 27. Etiam 8. *infatuatur* & aboletur à Deo. Ibid. 9. Est serpentina & diabolica. 10. Suos possessores *evertit* Prov. XI. 3. omnemque 11. societatem & vitæ solamen tollit 2 Sam. XVI. 22. 23.

D. *Causa* imprudentiæ, in medicatione tollendæ, notatæ sunt cap. IV. Nim. naturalis cœcitas, Satanas &c.

E. *Remedia.* Conducunt adversus omne genus imprudentiæ: 1. Devota *ponderatio*, ab *una* parte *bonorum* scientiæ & prudentiæ; ab *altera*, *malorum* ignorantiæ & imprudentiæ. 2. Usus mediorum, quibus *prudentia* comparatur. 3. Usus remediorum, quibus causæ ignorantiæ & imprudentiæ tolluntur cap. IV. observatæ.

CAPUT XI.

De Vigilantia & Somnolentia.

AFfinis prudentiæ ejusque velut actuositas est *vigilantia spiritualis*, cui opponitur *somnolentia.* Hujus considerandа

1. *Natura*, qua nil aliud est, quam cauta attentio, qua res aliqua diligenter curatur. Versatur 1. circa *nos ipsos* & cordis nostri constitutionem, quando officio præstando nos accingimus. 2. Circa *officium* quod suscipimus. 3. Circa *futura*, quæ officio imminent, seu bona, seu mala. Primum dici possit objectum *super quod*; secundum, *ad quod*; tertium *cui.*

2, *Distributio*, è dictis nascens, monstrat *triplicem* vigilantiam: 1. Super *cor proprium*, qua ei velut *excubias* ponimus Job. XXXI. 1. Ut observemus & inquiramus in sensus, & cogitationes, α. *ingredientes* per sensus nostros quales sint, unde veniant, quo tendant: ut si noxiæ sint excludantur. β. similiter *exeuntes*, h. e. in omnia nostra cogitata, dicta, facta, quæ ex corde prodeunt, aut modo quovis exsurgunt. 2. Super *officium* ut illud expediatur convenienter suæ regulæ, versus Deum, versus proximum, versus ipsum officium, non tantum in essentialibus; sed & in circumstantialibus. Nominatim 1. quoad *præparationem*, ut res bene expendatur, qualis sit. 2. Quoad *impedimenta*, (sive per se sint res illicitæ, sive alias licitæ) ut è medio tollantur, quo idonei simus ad officium præstandum, ut occasiones captentur ejusdem faciendi, & vitentur contrariæ. 3. *In ipso* officio, ut recto modo fiat. 4. *Post* officium, ne insequente ulla corruptela perdatur, quia facile à superbia alioque potest corrumpi, aut vitiari; vel inconstantia & levitate everti. 5. Circa *futurum*, seu bonum sit, ut recipiatur; seu malum, ut declinetur.

3. *Bona* vigilantiæ, ob quæ appetenda: 1. *Securitas* quæsita, constructa cum periculo, in quo continuo versamur, rei male gerendæ, cum ratione nostri, cum ratione nominis divini, ne profanetur: speciatim 2. ratione infirmitatis carnis nostræ, quæ facile potest aberrare. 3. Ratione hostium spiritualium, diaboli, mundi, qui nobis continuo insidiantur. 4. Ratione ipsius *operis*, quod facile potest deficere, cum in essentialibus; tum in circumstantialibus. 5. Ratione *temporis*, judicii divini, cum universalis, tum particularis, quo nobis reddenda est ratio factorum nostrorum Matth. XXIV. 42. & XXV. 13.

4. *Adminicula* ad vigilantiam exercendam. Conducunt hic 1. *Sobrietas* in usu rerum temporalium 1 Pet. V. 8. gravatur enim cor, non tantum crapula; sed etiam solicitudinibus hujus vitæ. Luc. XXI. 34. 36. Tum 2. frequens cogitatio omnipræsentiæ & inspectionis divinæ, in nos & opera nostra. 3. Consortium eorum, qui possunt nos juvare in ista cura Heb. X. 24. Porro 4. assiduæ preces Matth. XXVI. 41.

5. *Somnolentia* & dormitatio. Hujus expendenda

A. *Natura*, qua non aliud est, quam spiritualis quædam ἀναισθησία, stupor & stupiditas, per quam homo, nec seipsum, nec officia spiritualia, nec imminentia sibi mala & pericula curat. Estque vel *totalis*, quæ vix quicquam distat à morte spirituali, de qua Servator Joh. XII. 40. ex Jes. VI. 1.—— quæ vix cadit nisi in reprobos: & *partialis*, quæ subinde & regenitis, saltem ad tempus obrepit, de qua Eph. V. 14. Ista sumus, ἀναίσθητοι Eph. IV. 19. Nec videmus, nec audimus, nec sentimus spiritualia.

B. *Mala* ob quæ fugienda; 1. Est *stultitia* turpissima, pericula gravissima susque deque habere. Est 2. vel mors spiritualis, vel morti proxima, prout etiam somnus naturalis, imprimis le-

thargia. Est 3. horrendum Dei *judicium*. 4. Excludit *fidem & resipiscentiam*. 5. Vergit ad certissimam *mortem æternam*.

C. *Causæ* in medicatione tollendæ: 1. Excæcatio & induratio divina. 2. Neglectus *lucis*, & obfirmatio sui, adversus oblata media salutis, quibus possis invigilare tibi, officiis & imminentibus periculis. 3. *Intemperantia* & ebrietas spiritualis, obstruens vias ad sensum spiritualem. 4. Delassatio circa mundana. 5. *Securitas* carnalis & amor tranquillitatis carnalis. 6. *Cantilenæ* illecebrarum mundanarum. 7. *Duritiei* & insipientia cordis, quibus adversus quasvis comminationes divinas nos obfirmamus &c.

D. *Remedia*, suppetunt 1. A devota ponderatione *bonorum* vigilantiæ, & *malorum* somnolentiæ. 2. Abusu *mediorum* quibus generatur vigilantia. 3. Ab obstructione causarum, à quibus resultat somnolentia, nim. 4. ut declinare studeamus ea omnia, quibus Deus irritatur ad immittendum spiritum soporis, v. g. 5. neglectum legis & mediorum, quibus Deus nos vult excitare à somnolentia. 6. Nimias delassationes circa mundana, securitatem carnalem, illecebras mundanas studiose vitemus. 7. Adversus duritiem cordis, Deo supplicis simus, ut nos præservet, cor lapideum tollat &c.

CAPUT XII.

De Fortitudine & Infirmitate.

TErtia *affectio* generalis virtutis, est *fortitudo*, quam cogitabimus primo in *genere*, tum in *specie*, quoad distincta ejus officia quædam nobiliora. Circa fortitudinem in genere considerabimus ejus

1. *Naturam*. Est firma perduratio in recte agendo, omnes obvias difficultates ferendo & superando, quæ, vel ex diuturnitate actus qui requiritur; vel ex impedimentis occurrentibus, emergere possunt & solent. Complectitur ergo (1) confidentiam Phil. 1. 14. (2) constantiam Apoc. 11. 26. (3) Patientiam & tolerantiam Heb. x. 36. De quibus nos singulatim occupabimur, per totidem capita.

2. *Distributio*. Est 1. fortitudo *civilis*, politicis considerationibus nata, & in usus civiles contendens. Est 2. *animositas*, qua quis obvia pericula fortiter aggreditur & perfert, conspicua sæpe, non in Gentilibus tantum Heroibus; sed & in brutis, v. g. equo, leone &c. Est 3. *temeritas*, seu audacia qua absque consilio, ratione, fine justo, ruimus in mala. Est 4. fortitudo vere *Christiana*, qua in virtute Dei, propter Deum, ex obedientia ejus, robusti sumus.

3. *Notæ* quibus postrema à præcedentibus discriminanda, sunt 1. dum priores fortitudines oriuntur à natura, aut ab institutione, aut ab exemplis; hæc spiritualis est à gratia. Dum 2. illæ procedunt secundum placita & applausibus aliorum; hæc secundum præscriptum divinum, ut Deo obediat: Dum 3. illæ innituntur in bonum *civile*, aut etiam in gloriam *propriam*; hæc in *gloriam Dei*, bonum proximi, & salutem propriam. Dum 4. illæ absque *fide* exercentur; hæc ex *fide* procedit & cum fide conjuncta est. 5. Dum illa consistunt, ferme in moderatione audaciæ aut spei; hæc potius in moderatione timoris & desperationis. 6. Dum illæ consistunt potissimum in suscipiendis arduis & periculis; hæc potius in subeundis adversis & malis. 7. Illæ quovis alio respectu; hæc virtutis & officii causa, adeoque vera & spiritualis fortitudo, talis est animositas, qua parati sumus ad officium præstandum, quæcunque difficultates occurrant, illo ipso nomine, quia officium est. 8. Dum illa se in pericula conjicit, absque consideratione qualia sint, vel quare subeunda, vel casu implicata, aut necessitate compulsa, non honesta ratione inducta; hæc non nisi prævia prudenti deliberatione.

4. *Bona* fortitudinis, ob quæ expetenda: 1. Sola aptum reddit, ad exercitium virtutis & officii cujusvis. 2. Superat obvias quasvis difficultates, & victrix abit. 3. Utilis est & necessaria, ut α. perseveremus ad finem. β. Hostes spirituales, tot, tam potentes, tam astutos & subtiles, Satanam, mundum & nosipsos, superemus. γ. Officia religionis, tot ac tanta præstemus. δ. In adversis non succumbamus. ε. In precibus perduremus. ζ. Tandem victoriæ coronam consequamur.

5. *Media*, quibus obtinetur spiritualis hæc fortitudo: 1. *Corroboratio* divina 2 Cor. 1. 21. Col. 1. 10. precibus obtinenda. 2. *Fides* in *Christum*, cujus virtute omnia possumus, & facere & pati. 3. *Dependentia* à Deo, qua nihil propriis viribus conamur, omnia in virtute Dei. 4. Fiducia in *promissionibus* divinis. 5. In *præsentia* & assistentia divina in quovis periculo. 6. *Consideratio* exemplorum, in fidelibus omnium temporum, qui difficultates quasvis feliciter superarunt. 7. *Experientia* propria, qua plurimas & gravissimas difficultates, in virtute Dei, dudum superavimus.

6. *Impotentia & infirmitas*. Cujus cogitanda

A. *Natura*, qua aut non possumus plane, aut non nisi difficulter superare difficultates, in exercitio

tio virtutis nobis obvias; aut saltem non eo modo eis obnitimur, quo debebamus. Hinc inter opposita Christianæ fortitudinis sunt: 1. *Impotentia* totalis ad officium quodvis spirituale. Hæc in solos cadit adhuc dum irregenitos. 2. *Infirmitas* regenitorum, qua in exercitiis virtutum sæpius deficiunt, imo in peccata etiam gravissima subinde prolabuntur, periculis obviis cedunt, & ab hostium spiritualium insultibus frequenter vincuntur. 3. *Personata* seu fictitia quævis fortitudo, qualis α. *audacia* & temeritas, qua propriis viribus subinde fortes esse, aut videri volumus, quæ & fidelibus subinde obrepit, v.g. Petro. β. *Animositas* Gentilium, qua propriis viribus nixi, gloriam fortitudinis ambiunt. γ. *Stupiditas*, seu furor potius, qua absque omni justa deliberatione aut ratione, in pericula ruunt, non Dei aut officii præstandi; sed sui & gloriæ causa. δ. *Impotentia* ipsorum & fidelium, qua, licet animi proposito & præparatione, se arment & muniant, adversus omnia quæ suo officio obnituntur; non tamen ex æquo semper parati sunt, ad omnia molestiarum genera sustinenda & superanda, ut patet Jobi cap. 1. & 11.

B. *Mala* infirmitatum, ob quæ fugienda: 1. Reddit nos ineptos ad quævis officia spiritualia. 2. Subjicit nos potestati omnium nostrorum hostium spiritualium. 3. Exponit nos, cumprimis audacia & temeritas, judiciis divinis, quibus nobis subtrahit auxilium suum, ut prolabamur sæpe in turpissima scelera, exemplo Petri. 4. Subducit nobis omnem lætitiam & tranquillitatem, ex re bene gesta oriundam. Ex adverso 5. nos præcipitat in omnem istam augustiam & contumelias, ex peccatis, per istam infirmitatem oriundis, resultantes &c.

C. *Causæ* infirmitatum, per medicationem tollendæ: 1. Corruptio naturalis, & defectus spiritus roborantis, qua *caro*, *infirma*. 2. Ejus *insensibilitas* est & vana præsumptio propriarum virium. 3. *Neglectus mediorum*, quibus corroborari possemus, v.g. verbi divini, precum, Sacramentorum, quæ spectant ad roborationem fidei. 4. Defectus *fidei* in Christum, sine quo nihil possumus, & per quem omnia. 5. *Alienatio* à Christo, per quam nullas vires à Christo attrahere possumus. 6. Morbi quivis spirituales, quibus debilitamur.

D. *Remedia* suppetunt 1. ex devota consideratione bonorum fortitudinis spiritualis. 2. Ab usu mediorum quibus generantur & augentur vires spirituales. 3. Ab obstructione causarum, quibus infirmitas producitur, v.g. 4. Corruptio carnalis per spiritum magis magisque subigenda est. 5. Insensibilitas corrigenda est meditatione nostræ infirmitatis, & experientia quotidianorum lapsuum. 6. Neglectus mediorum pellendus est opposita diligentia. 7. Annitendum in fidem, qua cum Christo uniamur, eoque ejus virium reddamur compotes. 8. Morbi spirituales sanandi, eis medicamentis, quæ suppeditat Scriptura.

CAPUT XIII.

De Confidentia & Timiditate.

IN fortitudine, tres quasi actus numeravimus, in quibus primum locum habet *confidentia*, cui opponitur *timiditas*. De *confidentia*, conderabimus ejus

1. *Naturam*, qua persuasi de felici successu, officium nobis à Deo impositum, alacriter aggredimur. Involvit 1. *fidem* in promissionem divinam de assistentia, corroboratione, adjumento & defensione. 2. *Spem*, qua promissa & credita illa securi exspectamus. Hinc 3. officium alacriter *aggredimur*. Et 4. *mala* adversa *superamus*, scil. α. *difficultates* quæ nobis obnituntur in præstandis officiis. β. *incertitudinem* eventus, ex præstito officio secuturi.

2. *Distributio*. Est 1. confidentia *civilis*, in civilibus v. g. bellicis negotiis requisita, quæ nititur rerum necessariarum præsentia, ejusque persuasione. Est 2. *vana*, quæ propriis viribus, ingenio, robori superstruitur, absque dependentia à Deo. Est 3. *Christiana* & spiritualis, qua quis Deo confisus ad mandatum divinum, se officio alacriter accingit, quæ ex dictis facile dignosci potest à præcedentibus.

3. *Bona* confidentiæ Christianæ. Est 1. argumentum glorioſæ magnanimitatis Christianæ. 2. Justa demonstratio fidei & spei salutaris, utpote quibus superstruitur, & à quibus procreatur. 3. Confert nobis *victoriam* de quibusvis insultantibus difficultatibus. 4. Felicem nobis eventum pollicetur & procurat à Deo. 5. Facit ut nunquam & in nullo pudefiamus. 6. Confirmat animum adversus quosvis angores.

4. *Media* quibus comparatur: 1. *Consideratio* bonorum hujus confidentiæ. 2. *Exercitatio* & confirmatio *fidei* ac *spei*, quibus innititur, & à quibus resultat. 3. Secura *dependentia* à Deo, qui nobis officium imposuit, ejusque bonitate, potentia, fidelitate in promissis. 4. Abnegatio & abdicatio omnis proprii, cui confidentia nostra superstruatur. 5. Fiducialis invocatio Dei, ut præcedentia fœcundet, nosque confirmet.

5. *Timiditas:* oppoſita, cujus conſideranda

A. *Natura.* Eſt illa diffidentia, quæ nos abſterret ab officio, & impedit in ejus exercitio. *Timiditas* caute diſtribuenda eſt à timore. Datur enim 1. timor *bonus*, v. g. Dei, de quo ſuo loco. Datur 2. timor naturalis, quo à malo abhorremus, idque à nobis amoliri nitimur; eſtque homini concreata, etiam in Apoſtolo obſervata 2 Cor. VII. 5. imo in ipſo Servatore Matth. XXVII. 38. 39. Joh. XII. 27. Datur 3. timor *honeſtus*, utilis & neceſſarius, indignationis divinæ, pœnæ & judiciorum, qui nos præſtandis officiis divinis arctius adſtringit: ſed nulla *timiditas* Scripturæ probatur, ſeu timor talis, qui nos abſterreat ab officio, aut impediat in eo. Apoc. XXI. 8.

B. *Mala* timiditatis, ob quæ fugienda: 1. Repugnat *fortitudini* & magnanimitati Chriſtianæ, adeoque probroſa eſt. 2. Conficit hominem continuis angoribus, qui magis ſæpe infeſti & moleſti ſunt, quam ipſa mala, quæ metuimus. 3. Obvias difficultates in præſtando officio reddit inſuperabiles. Eoque 4. ineptos facit ad præſtanda officia. 5. Præcipites nonnunquam dat in turpiſſima flagitia, nominatim in apoſtaſiam. 6. Excludit nos à regno Dei Apoc. XXI. 8.

C. *Cauſæ* timiditatis, in medicatione tollendæ: 1. Injuſta æſtimatio, ſeu nimia *elevatio* difficultatum nobis obviarum. 2. Perverſa *comparatio* difficultatum cum propriis viribus. 3. Φιλαυτία, qua nimium abhorremus ab adverſis, noſtræque cuti metuimus. 5. *Ignorantia* promiſſionum divinarum. 6. Defectus *fidei* & *ſpei*. 7. *Dubitatio* de ſtatus noſtri ratione apud Deum, qua fit ut parum ei fidamus.

D. *Remedia:* 1. Cogitare *bona* confidentiæ Chriſtianæ, & *mala* timiditatis. 2. Exercere *media* quibus promovetur confidentia. 3. Obſtruere cauſas timiditatis, v. g. (1) injuſtam æſtimationem difficultatum, quæ tollit juſtum de eis judicium, quo agnoſcimus, α. eas ſæpe tales eſſe, ut *contemni* mereantur, quales vanorum hominum calumniæ. β. Sæpe *imaginarias* tantum eſſe, quæ poſt exactum judicium ſponte evaneſcunt. γ. Semper tales eſſe, ut cum officii noſtri dignitate, fructu & neceſſitate, recte comparatæ, nihil omnino valeant. (2) Comparatio difficultatum inſtituenda eſt, non cum propriis viribus; ſed cum robore & corroboratione Dei. (3) Φιλαυτία, ſubigenda eſt crucifixione. (4) Defectus *fidei* & *ſpei*, per gratiam Dei, corrigendus eſt exercitatione & precibus. (5) Dubitationes, exploratione & examine, &c.

CAPUT XIV.

De Conſtantia & Levitate.

ACtus fortitudinis ſecundus reſpicit *conſtantiam* in officio, cui opponitur levitas & inconſtantia. Conſtantiæ conſideranda

1. *Natura*, qua perduramus, ſaltem in propoſito præſtandi officium, non obſtantibus quibuſvis avocamentis. Actus ejus eſt *perduratio*; ſaltem in *propoſito*, licet non ſemper reſpondeat eventus ex voto; reſpicit *avocamenta*, ſive illa ſint perſecutiones, ſive moleſtia; ſive jactura cujuſvis voluptatis. Peculiariter complectitur 1. continuationem ſancti propoſiti, & diſpoſitionis ad bene agendum. 2. Studium pergendi & proficiendi in via virtutis. 3. Frequentem iterationem ejuſdem generis actionum, cum fervore. Reſpicit 4. vel *profeſſionem* veritatis, vel *officii* exercitium.

2. *Diſtributio.* Eſt 1. *pertinacia*, ſeu propoſitum perdurandi in malo. Eſt 2. *curioſitas*, ſeu propoſitum perdurandi in his quæ, aut alios ſpectant, aut minus neceſſaria. Eſt 3. vera conſtantia, perſiſtendi in officio, quatenus illud præſcribitur à Deo.

3. *Bona* conſtantiæ, ob quæ expetenda: 1. Eſt honeſtum & *glorioſum* perdurare in bono. Eſt 2. quaſi duplicatum bonum, non tantum bonum facere; ſed etiam in bono perſiſtere. 3. Imitatur ſuo modo, immutabilitatem Dei, & bonorum Angelorum. 4. Abſque ea bonum ceſſat eſſe bonum, adeoque evaneſcit. 5. Merces non promittitur, niſi perdurantibus Apoc. II. 10. adeoque abſque ea, omne bonum præteritum exſtinguitur; fruſtra enim agitur quod non peragitur.

4. *Media* ad conſtantiam procurandam: 1. Serio expendere *bona* conſtantiæ & perſeverantiæ, ut ſincere velimus, tum etiam perficiemus. 2. Toti pendere ab immutabilitate & conſtantia Dei. Item 3. ab ejus promiſſionibus, verbo & juramento confirmatis. 4. Eniti in communionem fœderis gratiæ, quod non tantum ſtipulatur; ſed & promittit conſervationem & conſtantiam fœderatorum, 5. Agnoſcere naturalem arbitrii proprii volubilitatem. 6. Conatus & ſtudium ingenuum, quo mediis ſedulo utimur, quibus ad perſeverantiam formamur, v. g. verbi divini, quod hortatur, Sacramentorum, quæ obſignant & conferunt vires ad conſtantiam &c.

5. *Levitas* & inconſtantia, cujus notanda

A. *Natura*, qua deſiſtimus ab officio, propter obvias difficultates. Complectitur 1. *declinationem*

nem à via recta. 2. *Fatigationem* & languorem in proposito. 3. *Levitatem* desultoriam, qua homo in horas mutatur, & sui dissimilis evadit. Dici possit *puerilitas*, imo & amentia & fascinatio Gal. III. 1. Etiam 4. *pertinaciam*, qua immobiles sumus in malo. 5. *Curiositatem*, qua pertinaces sumus in levioribus.

B. *Mala* hujus levitatis fugienda: Est 1. puerilitas Eph. IV. 14. amentia & fascinatio, ut diximus, quæ virum, & imprimis Christianum, dedecent. 2. Facit hominem proclivem ad apostasiam, tam in doctrina, quam in moribus. 3. Conciliat nobis aversationem à Deo Heb. x. 38. Imo 4. conjicit nos in periculum blasphemiæ in Spiritum S. Heb. VI. 6. Saltem 5. in statum periculosiorem & deteriorem, quam, si viam justitiæ nunquam agnovissemus 2 Pet. II. 21. &c.

C. *Causa* tollendæ: 1. Defectus *radicis*, & gratiæ radicantis. 2. Item *fidei*, qua radicamur, & confirmamur Col. II. 7. Tum 3. *infirmitas judicii*, in bivio nescii quo se vertat, utrum præferat, speciosis item seductorum rationibus facile cedens. 4. *Pseudo-Prophetæ*, extus oves; intus lupi, quoad doctrinam potissimum seducentes Act. XX. 29. 5. Seductores, prava conversatio: colloquia & mores pravi, quoad mores.

D. *Remedia*: 1. Serio ponderare *bona* constantiæ, & *mala* levitatis. 2. Uti mediis, quæ promovent constantiam. 3. Obniti causis levitatis v. g. infirmitati gratiæ confirmantis, & fidei, eis mediis, quæ capite præcedenti observavimus. 4. Cavere Pseudo-Prophetas & seductores &c.

CAPUT XV.

De Patientiâ & Impatientiâ.

TErtius actus fortitudinis, est *patientia* rerum adversarum, cui opponitur *mollities* & impatientia. Patientiæ cogitabimus

1. *Naturam*, qua proclives sumus, ut officio nostro satisfaciamus, quævis adversa perferre. Reddit nos *proclives*, quo nomine virtus est, ad *ferendum*; respicit enim adversa: idque ad officium præstandum, alias non est virtus. Habet objectum triplex: 1. *Deum*, ex cujus arbitrio omnia adversa ordinantur. 2. *Homines*, vel media illa, quæ nobis directe adversantur. 3. *Officium*, quod per molestias rerum adversarum, deserere tentamur, aut etiam peccatum ad quod adversis illis solicitamur. Tria ista conjunguntur in omni fortitudine vera: *confidentia* respicit officii aggressionem, *constantia*, continuationem: *patientia*, ejus defensionem.

2. *Distributionem*. Est 1. patientia *superflua*, qua adversa nobis, quando debito modo possumus, non conamur averruncare, ut v. g. qui Sabbatho, contra hostes arma suscipere nolunt, aut, licet justo modo, fugere recusant. Est 2. patientia *naturalis*, qua ἐυφυΐα quadam, seu longanimitate quadam naturali, perferimus adversa, non propter Deum & officium; sed honoris aliorumque emolumentorum causa. Est 3. patientia imperfectior, quæ subinde malis frangitur, etiam subinde in ipsis regenitis conspicua. Est 4. *perfectior*, qua magno animo perferimus α. adversa *quævis*, etiam *diriissima*. β. *Constanter* usque ad mortem. γ. Etiam cum *gaudio*.

3. *Notæ*, quibus patientia Christiana ab alia quavis discernatur: 1. Si adversa obvia, nec contemnamus penitus; nec eis succumbamus: sed recto judicio pensitata, in virtute Dei, per fidem superare conemur. 2. Si propter obvia adversa, non tantum non deseramus officium; sed ne remittamus quicquam à zelo. 3. Si parati simus perferre ea adversa, quæ non tantum minus sunt molesta; sed formidabilia insuper. 4. Si non inviti: sed sponte, imo & cum gaudio perferamus. 5. Si non alia quavis causa; sed propter Deum & officium nostrum, id faciamus.

4. *Bona* ob quæ expetenda: 1. Est *virtutis* cujusvis ἀκμή, qua non tantum agimus quod rectum est; sed etiam propter eam patimur. 2. Facit ut *animas* proprias *possideamus* Luc. XXI. 19. h. e. in bono statu stabiliamus. 2. *Idoneos* nos reddit, qui *officium* nostrum prompte præstemus. 4. Quodvis adversum *mitigat*, dulce & tolerabile efficit. 5. *Conscientiam serenam* reddit, ut in adversis etiam gaudere, imo & gloriari possimus Rom. V. 3. &c.

5. *Media*, quibus obtinenda, expendere ferio: 1. *Bona* jam notata. 2. Esse *Patrem* qui immittit adversa, non judicem, hostem, vindicem aut peregrinum. 3. Immittere, non in *compensationem* peccatorum; ex ira, odio, aut justitia vindicativa; sed in *castigationem* paternam, ex charitate. 4. Non in *detrimentum*; sed *emolumentum*, ut nobis *cooperentur in bonum*. 5. Immittere, ut exploret & patefaciat virtutes nostras. 6. Imo ut exerceat, excitet & adaugeat virtutes nostras, fidem, spem, perseverantiam, dependentiam, preces &c. 7. Deum præsidere omnibus adversis quæ nobis obveniunt, ea moderari, limitare, dirigere in fines nobis commodos. 8. Omnipotente virtute sua nos roborare, ut nullis succumbamus. 9. Adesse ipsum nobis, nos erepturum pro sua sapientia,

suo

suo tempore, loco, modo. 10. Nos multo plura & graviora peccatis nostris comme ritos esse. 11 Christum millies plura innocentem pro nobis perpessum fuisse. 12. Eoque omne virus, omne malum ab adversis sustuliisse. 13. Comparare *momentaneam levitatem afflictionis cujusvis, cum excellenter excellente, aterno gloria pondere* &c. 2 Cor. IV. 16.

6. *Impatienta* & mollities. Cujus consideranda

A. *Natura* mollitiei spiritualis, qua adeo sumus aversi ab adversis, ut officium malimus negligere, quam adversa perferre. Implicat, quatenus quidem *Deum* respicit, obmurmurationes, quandoque etiam rebellionem; quatenus *homines*, vindictæ cupiditatem; quatenus ipsum *officium*, subductionem, deflexionem à via recta. Peccat, rarius quidem in excessu, patientia superflua & superstitiosa fere; semper fere in defectu patientiæ.

B. *Mala*, ob quæ evitanda: 1. Reddit Christianum effœminatum, cum dedecore. 2. Ineptum ad officium suum. 3. Exponit periculo cujusvis flagitii, apostasiæ &c. 4. Non confidit Deo, ejus potentiæ, bonitati, promissionibus. 5. Non cogitat peccatorum suorum merita. Nec 6. passionum Christi atrocitatem. 7. Adducit nobis gravissima Dei judicia Psal. XCV. 8——8. Excludit à participio gloriæ Christi: qui enim non vult cum ipso pati, cum ipso non regnabit, &c.

C. *Causa* tollendæ: 1. Mollities animi, qua effœminati sumus. 2. Infirmitas spiritus, qua non possumus obniti adversis. 3. Nimius quietis & tranquillitatis carnalis amor & ardor. 4. Defectus fidei, fiduciæ, dependentiæ à Deo, ab omnipotentia, bonitate & promissione divina. 5. Vilipendium, quo Deum, ejus voluntatem, favorem, dependentiam ab eo, & à bonitate, omnipotentia, promissionibus, ab officio nostro, à serenitate, gaudio & gloriatione, ab officii nostri ingenuitate, oriundis; detrudimus infra commoditates propriæ carnis, &c.

D. *Remedia*, quæ suppetunt 1. à devota consideratione omnium *bonorum* patientiæ Christianæ, & *malorum* impatientiæ. 2. Usu *mediorum*, quibus patientia generatur & confirmatur. 3. Obstructione causarum impatientiæ, v. g. α. *Mollitiei*, confirmatione spiritus, per preces, & exercitia patientiæ. β. Quâ nimium quietis & tranquillitatis studium subigimus. γ. Fidem & fiduciam in Deo & promissionibus divinis confirmamus, δ. Deum, ejus voluntatem, &c. supra propriam cornem elevare cenamur.

CAPUT XVI.

De Temperantia & Intemperantia.

INter affectiones virtutis generales, postremum locum habet *temperantia*, cui opponitur intemperantia. De temperantia, consideranda

1. *Natura*, qua sedantur & cohibentur cupiditates illæ omnes, quæ divertunt hominem à recte agendo, quæ proinde virtutem reddit incontaminatam. Appellatur alias *sobrietas*, 1 Pet. I. 13. *mundicies cordis* 1 Tim. IV. 5. item *sinceritas*, quatenus omnis mixturæ pollutionem excludit 1 Cor. I. 12. Munit virtutem, adversus illa, quibus ab officio blande possit abduci. Occupatur 1. versus *blande* quodvis alliciens, quod speciem habet boni *jucundi*, proinde circa bonum utile aut jucundum apparens, seu commoda & utilitates. 2. Versus *amorem*, desiderium & delectationem: idcirco in regendis istis affectibus, circa talia objecta, temperantia proprie distinetur. Et quidem 3. in *regendo* h. e. eorum inordinationem, quoad eorum intensionem, extensionem & modum.

2. *Distributio.* Est 1. temperantia *fucata* & *superstitiosa*, qua propriam carnem quasi odio habemus, eique justa sua, quoad alimentum, vestitum aliaque subtrahimus. Eph. V. 22. Est 2. omnibus numeris *perfecta*, quæ in hac imperfectione non datur: & *imperfecta*, quæ reliquias qualescunque intemperantiæ gestat, mortificandas, comprimendas, & omni conatu semper eradicandas. Est 3. temperantia *naturalis*, ex commodiore naturæ constitutione oriunda, qualis & in Gentilibus & hypocritis quandoque observatur; non propter Deum, aut officium culta; sed ut naturæ satisfiat. Est 4. vere *Christiana*, qua propter voluntatem Dei, & ut officio nostro satisfaciamus, blandimentis obnitimur.

3. *Nota*, quibus hæc à prioribus discriminetur: 1. affectus *carnales* sub rationis & Religionis jugum subigere. 2. Eas cumprimis cupiditates domare, ad quas, vel conditionis nostræ ratione; vel consuetudine prava; vel aliorum exemplo, maxime sumus proclives. Idque 3. non tantum quoad operationes *externas*; sed etiam quoad *internos* affectus inordinatos. 4. Commodorum & voluptatum fruitione non efferri; nec eorum defectu conturbari; sed habere acsi non habeas.

4. *Bona* temperantiæ, ob quæ est expetenda: 1. Dum virtus alia quævis *alium* respicit, ut reddat per-

perfectiorem, v. g. Religio, ut Deum glorificet; justitia, ut proximo quod suum est, tribuat; temperantia, nos *ipsos* nostramque animam & corpus reddit pura, incontaminata, eoque perfectiora. Hinc 2. nos nostraque Deo pariter & hominibus gratiora. 3. A quo σωφροσύνη, apud Apostolum Tit. II. 12. primum locum inter virtutes habet. 4. Omnia nostra bona opera munit, adversus eis insultantes cupiditates, ut expeditius procedant. 5. Ut puriores insuper & incontaminatiores sint. 6. Conscientiam etiam reddit *tranquilliorem*, ut quæ à cupiditatibus maxime turbatur. 7. Reddit nos idoneos, qui Deum mente intueamur Matth. v. 8. Atque etiam 8. qui regnum Dei ingrediamur Apoc. XXI. 27.

V. *Media*, quibus obtinetur, conservatur & augetur: 1. Mundi & mundanorum *amorem*, desiderium & delectationem comprimere & subigere. 2. *Cogitationem* ac sensus avertere à rebus perverse dilectis, ne boni species in illis apparens, incentivum & fomentum præstet cupiditatibus. 3. Caute *attendere* ad ea, in quæ nos natura maxime sumus proclives. 4. *Perpendere* fluxam vanitatem omnium mundanorum. 5. *Occupare* animum rebus honestis, & amorem, desiderium & delectationem, ad spiritualia & divina inclinare. Tandem 6. *bona* temperantiæ devote cogitare.

VI. *Intemperantia*, cujus expendenda est

A. *Natura*, qua animus proclivis est ad obtemperandum voluptatibus, vel cum dispendio virtutis. Occupatur in omnibus istis excessibus, quibus communis ratio inordinationis inest: vel 1. quoad *substantiam*, cum pretiosiora appetimus, quam conveniunt statui nostro; vel quoad *quantitatem*, cum plus appetitus impenditur, quam ratio requirit; vel quoad *qualitatem*, cum nimia curiositas adhibetur, ad cupiditati satisfaciendum; vel quoad *modum*, cum justa decori ratio non habetur; vel quoad *tempus*, cum sæpius, aut alias quam opportet, istis rebus indulgetur. Occupatur, vel α. circa *alimenta*, cibum & potum, in crapulâ & ebrietate, vel β. circa *indumenta*, in fastu; vel γ. circa *connubialia*, in quavis luxuria carnali. Connumeranda ei est quævis abstinentia à licitis *superstitiosa*, de qua Paulus Rom. XIV.—

B. *Mala* intemperantiæ, ob quæ fugienda: 1. hominem quandoque ad bestias detrudit, eisque reddit deteriores. 2. Cupiditates illæ carnales hominem spiritualem maxime dedecent. 3. Avertunt eum à quovis officio, cumprimis spirituali. Etiam 4. omnia ejus officia contaminant & impura reddunt: ut 5. Deo non tantum non placeant; sed abominabilia etiam sint Jes. I. 11—17. Porro 6. nos privant amore & communione cum Deo 1 Joh. II. 15. 16. Et 7. secludunt nos à regno cœlorum Apoc. XXI. 27. &c.

C. *Causæ* tollendæ: 1. Concupiscentia originalis. Rom. VII. 7. Reliquiæ carnis in ipsis etiam fidelibus Rom. VII. 8. Hinc 3. causa per accidens est lex divina. Ibid. 4. Inordinata æstimatio rerum mundanarum, quæ appetitum cient. 5. Illecebræ externæ. 6. Exempla aliorum. 7. Vilipendium bonorum spiritualium. 8. Neglectus & incuria proprii cordis &c.

D. *Remedia*: 1. Consideratio devota *bonorum* temperantiæ, & *malorum* intemperantiæ. 2. *Usus mediorum* quibus temperantia nascitur. 3. *Obstructio causarum*, quibus intemperantia generatur & fovetur, v. g. α. concupiscentia *naturalis* compescitur regeneratione, conversione & sanctificatione. β. Reliquiæ carnis, à regenitis, in virtute Dei magis magisque subigendæ, exercitatione & precibus. γ. Legis divinæ genuina consideratio & usus. δ. Rerum mundanarum fluxibilitas, vanitas & inutilitas expendenda. ε. Illecebræ & exempla prava fugienda. ζ. Rerum spiritualium bonitas, præstantia & expetibilitas investiganda. η. Cordis proprii constitutio caute est observanda.

CAPUT XVII.

De Actione bona & mala.

OBedientiæ Christianæ partem *primam*, scil. *virtutem*, exantlavimus; succedit *secunda*, *actio* virtutis seu bonum *opus*, eique opposita actio *mala*, seu peccatum. Actionis bonæ considerabimus 1. *Naturam.* Est operatio bona, Deo placens ad salutem. *Operatio* inquam, quam hic divulsam nolumus ab *opere*, ut *operatio* bona, & opus bonum hic nobis coincidant. *Bona* dicitur, h. e. *appetibilis*, & bonum *faciens*, non tantum alios, sed ipsum etiam suum possessorem. Additur Deo *placens*, quia fit juxta ejus voluntatem. Et placens etiam ad *salutem*, ex promissione divina, non ex merito, aut alia quavis ratione: est hinc operatio ἐχομένη σωτηρίας Heb. VI. 9. Et Gentilium opera quandoque bona sunt in se, & hactenus etiam Deo placent; sed non *ad salutem.* Et ut sic Deo placeant, requiritur 1. ut à bono *principio* prosiliant, Matth. XII. 21. h. e. α. ut cor adsit, Matth. XV. 8. & cum *cor* passim in Scriptura notet *voluntatem*, & sit *voluntarium*, bonum enim

malum morale est in *voluntate:* virtutes *intellectuales*, quamtumcunque speciosæ: quatenus subsistunt in *intellectu*, non sint virtutes proprie dictæ. Et quidem β. ut cor adsit *regenitum* Joh. III. 6. Adsit γ. *fidele*, & ex *fide* Rom. XIV. 21. Heb. XI. 6. qua Christus apprehendatur, ut ejus sanguine purificentur, & quod eis deficit, suppleatur. 2. Ut in justum *finem* contendant, Zach. VII 5. h. e. α. in *gloriam* Dei, β. *propriam* salutem, γ. *bonum* & ædificationem proximi. 3. Ut proprocedant secundum legitimam *normam*, non secundum dictamen proprium, non futuræ alias obedientia, imo futuræ ἐθελοθρησκίαι, superstitiones damnatæ. 4. Ut in *circumstantiis* omnibus, congruant præscripto divino, quoad locum, tempus, modum: quorum defectu, quæ in se bonæ sunt, frequenter degenerant in malum.

II. *Distributiones.* Sunt 1. operationes *malæ*, de quibus suo loco. 2. Operationes *mediæ*, adiaphoræ, quæ in se, nec mandantur, nec prohibentur in *thesi;* quamvis in *hypothesi*, si modo sint actiones *humanæ*, h. e. à consilio seu deliberatione resultantes, semper aut conveniant cum regula sua, adeoque bonæ sint; aut discrepent, eoque malæ evadant. Et hæ rursus 2. vel in *bonum* sonant, vel in *malum*, ut hominem occidere, hominem servare. Hæ tamen in se consideratæ, sunt adiaphoræ, quæ vel bonæ, vel malæ fiunt, ex suo principio, fine, regula aut circumstantiis. Sunt 3. verè *bonæ* quas describimus. Hæ rursus α. vel cordis, oris, operis. β. Vel Religionis versus Deum; vel justitiæ versus proximum; vel temperantiæ versus nosipsos. Idque secundum præcepta Decalogi, quibus præscribuntur, de quibus nos in progressu distinctius.

III. *Bona* bonorum operum, ob quæ exercenda, sunt 1. *Bona* appetibilia, & bonum facientia, Deo placentia, perfecta Rom. XII. 2. Sunt 2. *honesta* laudabilia Phil. IX. 8. quæ nos commendant, & Deo, & hominibus. 3. Conscientiam reddunt *serenam*, tranquillam, gaudentem, gloriantem. 4. Promissionem habent, hujus & futuri seculi. 4. Præstant viam & *possessionem* ad vitam æternam, cujus *jus* dudum Christus nobis impetravit suo merito. 5. Certum *signum* præstant, gratiæ salutaris, & fidei salvificæ. 6. Conducunt *proximo*, ut eum lucrifaciamus. 7. Sunt absolute necessaria ad salutem Heb. XII. 14. Confer quæ jam ante, circa Obedientiam fidei, cap. I. & circa legem cap. II. circa virtutem cap. IX. in hanc rem monuimus.

IV. *Modus* operandi bonum opus: (neque enim in operationibus *media* requiruntur, nisi quatenus virtutes seu habitus boni, regeneratio, conversio & sanctificatio, huc faciunt) est in eis affectionibus generalibus, quas apud parag. primum designavimus. Requirit insuper actio bona, ut peragatur: 1. *Sincere* ἀνυποκρίτως 2. Cum *fervore*, qui rem divinam decet. 3. *Constanter*, ut absolvamus, sine remissione. Et quæ sunt hujus generis requisita alia, quæ suppetent, à natura actionis cujusque singularis.

V. *Peccatum* (actuale) cujus examinanda

A. *Natura.* Est actionis deviatio a Deo & lege divina, quæ Deo displicet ad pœnam. Hujus naturam, species, generationem, ex professo diximus lib. IV. cap. III. Nec eis adjiciemus, nisi quod perpetrentur; vel 1. *corde*, h. e. partim *cogitationibus* illicitis: partim *desideriis* malorum absentium: partim delectationibus, ex fruitione malorum oriundis: vel 2. *ore*, quando quis perversa, vana, otiosa, falsa loquitur, quæ nihil conferunt ad glorificationem Dei, ædificationem proximi, aut propriam utilitatem; aut justo plura loquitur loquacitate. Vel 3. *opere*, quo cogitata, aut dicta, extus excluduntur.

B. *Mala* peccati, ob quæ vitanda, quæ suppetunt 1. à *turpitudine*, qua peccatorum nitore, honore & *gloria Dei* privant ac vilem faciunt, etiam cessante peccato: à quo peccator est α. *abominabilis* & detestabilis coram Deo, & in gravioribus, etiam coram hominibus. β. *Pudore* perfundi meretur. 2. *A reatu*, quo peccator obligatur ad pœnam omnigenam, corporalem & spiritualem, temporalem & æternam, omneque adeo malum. A quo reatu nascitur α. conscientia prorsus mala, nempe accusans & condemnans juste. β Horror, fuga à præsentia Dei, desperatio. 3. *Pœna* h. e. ipsa illa mala, quæ juxta reatum, Judex infligit; vel *hic*; vel posthac in omnem usque æternitatem. His addenda omnia illa mala, quæ quodvis singulare peccatum pro sua natura excludit. Conf. lib. IV. cap. IV.

C. *Causæ* peccatorum: 1. *Tentationes* satanæ. 2. *Violatio* fœderis naturæ, indeque oriunda corruptio *originalis*, in peccatum quodvis proclivis. 3. *Concupiscentia* & appetitus voluptatis. 4. *Ignorantia* & contemptus, Dei & voluntatis divinæ. 5. Φιλαυτία seu perversus sui amor. 6. *Consuetudo*, quo callus obducitur conscientiæ reclamanti, & facilitas peccandi nascitur. 7. Perversa aliorum *imitatio*. 8. *Spes* impunitatis, & quæ sunt hujus generis complura alia; insuper à singulari singulorum peccatorum natura observanda.

D. *Remedia* adversus peccata suppetunt 1. à devota ponderatione, cum *bonorum*, quæ redundant à bonis actionibus; tum *malorum*, quæ à malis seu peccatis. 2. A *Deo*, ejusque gratia regenerante,

te, convertente, sanctificante, de quibus nos suis locis ex professo. 3. A nobis, qualia sunt α. *habitus* boni seu virtutes, quibus etiam aversi reddimur à contrariis malis. β. *Pœnitentia* à præteritis peccatis. γ. *Sensus* profundus præsentium peccatorum. δ. *Odium* & fuga futurorum. ε. *Fides* in Christum, purgans corda. ζ. *Conatus* & propositum ingenuum, vivendi & agendi secundum Spiritum. η. Declinare quasvis occasiones, pravas conversationes &c. ϑ. *Advigilare*, cordi, sensibus externis, & objectis quibusvis, ne seducamur. ι. *orare* ne ducamur in tentationem: ut adducti muniamur virtute Dei, ad obnitendum fortiter: ut lapsi etiam in peccatum erigamur per gratiam convertentem; & ex seductione ac peccato, cautius imposterum mercari discamus. &c.

IDEA
THEOLOGIÆ MORALIS.
LIBER SECUNDUS
De Religione.

CAPUT I.
De Pietate & Impietate.

OBedientiæ Christianæ exantiavimus naturam, affectiones & partes: jam ad ejus *species*, vel quasi tales progredimur, nim. Religionem & justitiam. *Religio* habebit omnia illa officia, quæ Deo immediate competunt; *justitia*, quæ ex præscriptio divino proximo debentur. Utramque ex ordine divino Decalogi prosequemur. Juxta eum *Religio*, seu cultus Dei duplex est: vel *naturalis*, fluens ex ipsa Dei natura, quem dirigit primum Decalogi præceptum; vel *justitia*, quam prosequuntur tria posteriora, prioris tabulæ præcepta. Officia cultus *naturalis* examinabimus, vel *generalius*; vel *specialius*. Prius fiet hoc capite, sub titulo de *pietate*, cui opponitur impietas. *Pietatis* ergo expendemus

I. *Naturam*. Pietas, strictiore sensu, hic nobis idem valebit, quod Hebræis עבודה *servitus*, Græcis θρησκεία, εὐσεβεία, Latinis *Religio*, seu à *religando*, seu *relegendo*: nec aliud sonabit, quam ea officia, quæ Deo immediate competunt, & quidem ex *natura* ejus, quibus Deum habemus pro Deo nostro, non tantum *ore*; sed & *re*, juxta primum Decalogi præceptum. Proinde respicit *Deum*, ex natura prioris tabulæ, & *naturam* Dei, ex primo præcepto, quo Deum, & ore, & affectu, & re, jubemur habere pro Deo nostro. Peculiariter, ut eum 1. agnoscamus & cognoscamus pro Deo nostro. 2. Ut ei fidem habeamus, velut veraci. 3. Ut in eo fiduciam collocemus, tanquam fideli in promissis suis. 4. Ut eum diligamus, velut summum bonum. 5. Ut eum revereamur, velut omni honore & reverentia dignum. 6. Ut ei obediamus, velut supremo Domino & Legislatori, ut 7. ei nos submittamus, velut supremo Gubernatori. Ista omnia comprehenduntur una voce cultus religiosi, qui Deo competit ut Deo, primo enti, ex omnibus ejus attributis & perfectionibus, independentia, immutabilitate, simplicitate, infinitate, omniscientia, bonitate, gratia, misericordia, omnipotentia, justitia, sanctitate, omnisufficientia, gloria & beatitudine &c. Cum enim Deo, quippe infinitum perfecto, cultu nostro nil possimus conferre perfectionis; sufficit eam perfectionem, quæ in eo est, ingenue agnoscere, & debito modo, & ore & re testificari. Complectitur igitur omnem istum cultum, qui, vel α. ex natura & conditione sua, vel β. ex consuetudine & usu; vel γ. ex mente & intentione deferentis, Deum respicit ut primum principium, & supremum Dominum vitæ. Quæ non sunt futiliter, ut fit à Romanensibus, distinguenda, aut separanda, ut priora illa soli Deo, posteriora etiam creaturis conferantur.

II. *Distributio*. Hic pietate seu cultu religioso, intelligitur 1. quandoque *omne* officium, quod Deo debetur *quomodocunque*, juxta utramque Decalogi tabulam, etiam in proximo, ex ejus præscripto. 2. Quandoque id solum, quod Deo competit *immediate*. Quandoque 3. quod Deo competit ex natura sua, juxta *primum* præceptum. Pessime à Romanensibus dispescitur α. in *Latriam* quæ soli Deo competat, velut primo principio. β. *Duliam*, quæ Angelis & beatis insuper promiscue competat. Et γ. *Hyper-Duliam*, quæ soli B. Virgini sit tribuenda.

III. *Bona* pietatis, ob quæ expetenda: 1. Est omnibus modis *justissimum*, ut Deo pietatis honorem exhibeamus: si enim justum est ut proximo, ex qualicunque relatione ad nos, suum honorem

præstemus; nunquid justissimum est, ut Deo ex *omni* relatione tribuamus, quod suum est? Cum præsertim 2. id *omne* & *solum* sit, quod pro omnibus suis beneficiis, à nobis exspectat, & obtinere potest. 3. *Creator*, à quo id omne, quod sumus, quod habemus, quod possumus, oriundum est, qui nos creavit ad suam gloriam. 4. Creavit nos creaturas *rationales*, ut per nos gloriam reliquorum omnium operum consequeretur; absque ea igitur, per nos omnia frustra creata erunt. Est 5. *Dominus* noster absolutissimus, gubernator & legislator unicus, cujus gloriæ nos omniaque nostra impendere teneamur. Est 6. *benefactor* noster munificentissimus, qui nos cumulat omni benedictione, corporali pariter & spirituali, temporali & æterna. Est 7. *Redemptor* qui nos peccatores ab æterno tanti fecit, ut sanguine proprii & unigeniti filii, liberaverit ab æterno exitio. 8. Si nos ipsum pietate honoraverimus; & ipse nos honorabit. 9. Est primum & primarium præceptum, imo & scaturigo omnis alius officii versus proximum, &c.

IV. *Media*, quibus pietas obtineri & augeri potest: 1. Serio ponderare omnia *bona* ex pietate oriunda. 2. *Cognoscere* & agnoscere Deum, omnesque infinitas ejus perfectiones, ex quibus cultus pietatis ipsi debetur. 3. In operam dare, ut Deus *noster* sit, per fœdus gratiæ: *Ego Jehova Deus tuus*, quod amorem, reverentiam & cultum versus eum excitabit. 4. Adminiculis omnibus sedulo uti, quibus pietas promovetur, v. g. verbo divino, quod toties & tam potenter suadet pietatem: Sacramenta, quibus fides & pietas confirmatur. Imprimis 5. preces adhibeamus, quibus cor obtineatur pium, & vires ad exercitium pietatis. Nec 6. negligamus *consortia* piorum.

V. *Impietatem* seu profanitatem. Cujus cogitanda

A. *Natura*, qua solum verum Deum non agnoscimus, nim. quando 1. vel *nullum* Deum agnoscimus: seu α. *profitendo*, quod factum à Philosophis Atheis, & sic satis etiam ab Epicureis olim; nunc ab Hobbesianis, Spinosistis; seu β. *vivendo*, quando, *vel optamus* nullum esse Deum, scelerum nostrorum conscium aut vindicem; *vel* ita *conversamur*, acsi nullum Deum agnosceremus. Quando 2. *verum* Deum non recipimus, ut fit à *Gentilibus*, atque etiam Judæis modernis, quin & Antitrinitariis quibusvis. Qui, dum Filium & Spiritum S. non recipiunt, verum Deum non agnoscunt. Quando 3. *solum* verum Deum non agnoscimus. Quod rursus fit: A. *profitendo* (1) per *Polytheismum* Gentilem. (2) Per *Tritheismum* Peratarum, & Valentini Gentilis. (3) *Bitheismum* Socinianorum, qui duos *veros* Deos, summum & subordinatum, profitentur. (4) Idololatria *Pontificia*, multiplex: Circa α. β. *virginem* cui *hyperduliam*, β. Angelos, γ. *Sanctos* cœlites, δ. *Imagines*, ε. *Reliquias*, ζ. Sanctos *Chimericos*, qui nunquam exstiterunt in rerum natura, η. *Panem* Eucharisticum, ϑ. *Pontificem*, quem pro vicario Dei, & Christi colunt &c. Quibus omnibus cultum *religiosum* assignant, eoque pro Deis, saltem virtualiter & interpretative habent: B. *vivendo* & conversando, quando ventrem, aurum, honores, voluptates, pro Deo prosequuntur, licet *ore* unum verum Deum profiteantur.

B. *Mala* impietatis, quæ ex professo describit Psalmus XIV. & X. Nominatim 1. omnis *impius* est Atheus. 2. Omnis Atheus est *stultus*. Proinde 3. est *abominabilis*, non tantum Deo; nec tantum piis; sed etiam omnibus qui verum Deum profitentur, nec tamen Athei appellari volunt. Sunt 4. procul à limine omnis Religionis & à Deo Heb. XI. 6. Sunt 5. absque *Christo*, alieni ab Ecclesia, peregrini à fœderibus promissionis, absque spe salutis, absque Deo in mundo Eph. II. 12. Sunt 6. exclusi ab omnis boni promissione & participio 1 Tim. IV. 8.

C. *Causæ* impietatis in medicatione tollendæ: 1. *Naturalis* Dei & cultus divini aversatio. 2. *Ignorantia* Dei, ejusque majestatis, bonitatis, justitiæ remunerativæ & vindicativæ. 3. *Labor* & molestia in exercitio pietatis. 4. *Conversatio* cum impiis. 5. *Vituperium* ex præcisitate, ab impiis imminens. 6. *Metus jacturæ*, opum, voluptatum &c. à stricta pietate, metuenda, &c.

D. *Remedia*: 1. serio expendere *bona* pietatis, & *mala* impietatis. 2. Uti mediis quibus *pietas* excolitur. 3. Tollere *causas* impietatis, v. g. α. naturalem *aversationem*, frangit Dei gratia, regenerans, convertens, sanctificans, precibus Deo extorquenda. β. *Ignorantiam* pellit studium legendi, audiendi, meditandi verbum divinum. γ. *Molestiam* & laborem mitigabit, consideratio ipsius jugi, tam suavis, commodorum ex ea resultantium excellentia, & ipsa assuefactio, crebro exercitio habitum generans, illeque facilitatem & jucunditatem creabit. δ. 6. *Vituperium* compensabit, laus ex Deo Rom. II. 29. a piis omnibus; quin & ipsa pietas, utcunque impiis exosa, reverentiam ei, etiam apud impios conciliat. ε. Metus *jacturæ* cujusvis cessabit, consideratione utilitatis omnimodæ, cujus promissionem habet pietas.

CAPUT II.

De Fide & Incredulitate.

PIetatem contemplati ſumus *generaliter*, jam ad ejus *particularia* deſcendemus. Sunt autem primo virtutes fundamentales, fides, ſpes, charitas. Ex quibus porro naſcuntur aliæ, v. g. auditio verbi divini, & precatio, & ex his juramentum, ſors & communio cum Deo, cui opponitur tentatio Dei. Occurrit igitur primo *fides*, quam hoc loco non examinabimus, quatenus eſt principium vitæ ſpiritualis, prout eam cogitavimus lib. 2. cap. 1. Nec quatenus eſt terminus vocationis, ſic eam habuimus lib. VI. cap. 2. Nec quatenus eſt conditio juſtificationis lib. VI. cap. VI. Sed quatenus eſt *virtus* Theologica, acquieſcens in veracitate & fidelitate Dei, cui opponitur infidelitas. Hujus expendemus

I. *Naturam.* Eſt virtus Theologica, qua nixi divina ἀσφαλείᾳ ſeu infallibilitate, omnibus illis, quæ Deus revelat & imprimis promiſſionibus aſſentimur, ut eis potiamnr. Fertur in *omnia*, & *ſola* quidem ea, quæ Deus revelat: in prædictiones, præcepta & prohibita, in doctrinas quaſvis, in comminationes; ſed potiſſimum in *promiſſiones*. *Fundamentum* fidei divinæ, eſt Dei ἀσφάλεια ſeu *infallibilitas*, cui proinde tuto poſſumus inniti. Hæc, quatenus *omnia* revelata reſpicit promiſcue, *veracitas* appellatur; quatenus autem *promiſſiones* peculiariter, *fidelitas*. Actus quibus in ſua objecta fertur, ſunt 1. *notitia* credendorum. 2. *Affectio* pia verſus Deum, qua plurimum apud nos valet ejus teſtimonium. 3. *Aſſenſus* qui præbetur veritati teſtificatæ. 4. *Acquieſcentia* in Deo, ad illud quod promiſit conſequendum. 5. *Electio* & apprehenſio ejus boni, quod promiſit. Reſpectu primi ac tertii, eſt in *intellectu*; reſpectu reliquorum, in *voluntate*. *Certitudo* ejus quoad *objectum*, eſt maxime firma. Rom. IV. 19. licet quoad *ſubjectum* in quo eſt, aliquando vacillet.

II. *Diſtributionem.* Eſt 1. fides *humana*, qua hominibus aſſentimur, quia & quatenus Deus vult; & *divina*, qua Deo ſoli, propter ſe credimus. Eſt 2. *implicita*, qua revelata credimus in communi quodam *principio*, quod jam eſt, ſola S. Scriptura, non Eccleſia: & *explicita*, qua veritates ſingulatim credimus in ſeipſis. Hæc, licet per diverſos gradus, ad ſalutem neceſſaria eſt, in omnibus fundamentalibus, quæ, per Scripturam, indiſſolubilem habent cum ſalute nexum. Eſt 3. *communis*, quæ in mero aſſenſu ſubſiſtit: & electis *propria*, quæ ad *cor*, ſeu affectus pios deſcendit.

III. *Notæ*, quibus fides humana, opinio, & communis diſcernitur à fide electis propria: 1. Fides divina, nititur *teſtimonio Dei infallibili* 1 Joh. v. 9. 10. non ſic humana & opinio. 2. Semper conjuncta eſt cum pio quodam *affectu* verſus Deum Rom. IV. 20. Inſuper 3. *vincit* mundum & mundana 1 Joh. v. 4. quatenus affectum ciet *tranſcendentalem*, verſus Deum & ſpiritualia. Conf. quæ ex profeſſo in hanc rem diximus lib. 2. cap. 1.

IV. *Bona* fidei, ob quæ expetenda eſt: 1. Eſt *glorioſa* Deo Rom. IV. 20. Etiam 2. glorioſa eſt *credenti*. Ibid. 3. Porro 3. agnoſcit Deum *veracem* eſſe. Hinc 4. credentem Deo *gratum* facit. 5. Et *omnia* ejus officia. 6. Conciliat nobis *unionem* cum Chriſto, ut ſimus *in* eo. Adeoque 7. *communionem* omnium ejus beneficiorum. Speciatim 8. *juſtificationis*, 9. *adoptionis*, 10. *ſanctificationis*, 11. *glorificationis*. 12. *Nihil* poſſumus abſque fide. Et 13. *omnia* per fidem. Confer quæ in hanc rem diximus ex profeſſo, lib. 2. cap. 1. §. XLIV.

V. *Media*, quibus fides acquiritur, conſervatur, augetur 1. uſus *miniſterii*, vivi & efficacis. 2. Contemplatio *veracitatis* & *fidelitatis* divinæ, quibus nec fallere, nec falli poteſt. 3. *Preces*, ut Deus nobis largiatur *ſpiritum* fidei. Conf. Ibid. §. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. &c.

VI. *Incredulitas.* Hujus conſideranda

A. *Natura*, qua generaliter eſt non credere Deo: quod, latiore ſenſu, comprehendit omnia quæ adverſantur fidei, qualia ſunt 1. *ignorantia*. 2. *Opinio*, ſeu aſſenſus incertus, qui revelatis divinis non congruit. 3. *Dubitatio*, in eo qui fidem profitetur, aſſenſum, vel minuens, vel tollens. 4. *Error*, opinionem fidei contrariam ponens. 5. *Hæreſis*, errorem in fundamentalibus fidei cum pertinacia. Et 6. *apoſtaſia*, erroribus fundamentalibus univerſalitatem addens. Conf. lib. 2. cap. 1. §. XXIX.

B. *Mala* incredulitatis, ob quæ fugienda: 1. Eſt *injurioſa* in Deum, ipſum facit *mendacem*: ſpeciatim in ejus veracitatem & fidelitatem, in ejus verbum. 2. Incredulum ineptum facit ad *quævis* pietatis officia. 3. *Mater* eſt omnium *vitiorum*. Imo 4. ipſa *bona* noſtra Deo ingrata facit. 5. *Cauſa* eſt ignorantiæ, apoſtaſiæ, atheiſmi. 6. Conciliat nobis reatum *mortis* omnimodæ. Confer lib. 2. cap. 1. §. XXXII.

C. *Causæ*, in medicatione tollendæ: 1. *Satanas*, ἐνεργῶν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας 2 Cor. IV. 4 Tum 2. *cor malum* infidelitatis Heb. III. 12. Porro 3. *ignorantia*, universalis veracitatis & fidelitatis divinæ. 4. *Sapientia* mundi & carnis. Conf. ibid. §. XXXI.

D. *Remedia* sunt: 1. Devota ponderatio *bonorum* fidei, & *malorum* incredulitatis. Conducunt 2. *media*, quibus fides generatur & alitur. 3. Obniti *causis* incredulitatis, v. g. α. Obniti *Satanæ*, molienti incredulitatem. β. Deprecari à Deo cor *infidele*, eique in virtute ejus obniti. γ. *Ignorantiam* pellere, assidua Scripturarum lectione, aliisque adminiculis. δ. Subigere *sapientiam* mundi & carnis. ε. Fugere *commercium* cum incredulis. Conf. ibid. §. XXXIII.

CAPUT III.

De Professione & Abnegatione fidei.

FIdes est, vel *interna* cordis, de qua hactenus; vel *externa* oris, quæ consistit in professione Rom. X. 10. Cui opponitur abnegatio. Professionis occurrunt

I. *Natura*. Qua veritatem, fide divina agnitam, ore manifestamus, eique testimonium præbemus, in gloriam Dei, & ædificationem aliorum. Requiritur ergo 1. veritatis divinæ *agnitio*: profiteri enim quod non credis revera, non est nisi hypocrisis: & hominem cogere ad profitendum, de quo non est persuasus, licet veritas sit; non est nisi immanis tyrannis. 2. *Constantia* in agnitione veritatis. 3. Hujus *propalatio* & testificatio, quotiescunque eam exigit, seu gloria Dei, seu ædificatio aliorum: alias enim non est necessaria. Idque 4. cum *periculo*, imo & jactura cujusvis honoris, fortunarum, imo ipsiusmet vitæ, in quo *martyrium* consistit. Dirigenda est in gloriam Dei, veritatis propagationem, adeoque in amplificationem Ecclesiæ, & aliorum æternam salutem.

II. *Distributio*. Est 1. *fucata*, absque ingenua agnitione veritatis. 2. *Extorta* vi, absque agnitione veritatis, ad evitanda pericula, jacturas, aut ad venanda quævis emolumenta, honorum, opum, facta. Est 3. *temeraria*, absque ulla necessitate, vel gloriæ divinæ, vel ædificationis proximi, sponte suscepta, ad ostentationem fortitudinis &c. Est 4. *pia*, urgente necessitate, in gloriam Dei, propagationem Ecclesiæ, & ædificationem aliorum suscepta.

III. *Bona* hujus professionis, ob quæ facienda: 1. Deus eam præcepit 1 Pet. III. 15. Tum 2. testimonium præbet Deo & veritati divinæ. 3. Comprobat sinceritatem fidei nostræ, eoque conscientiam tranquillam reddit & hilarem. 4. Egregie confert ad commendationem veritatis, 5. Confirmat spectatores fideles in veritate. 6. Redarguit inimicos veritatis. 7. Facit singulariter ad glorificationem Dei Phil. I. 20. 8. Habet promissionem salutis Matth. X. 23. Hisque nominibus 9. pro re nata perinde necessaria est ad salutem, ac ipsa fides Rom. X. 10.

IV. *Affectiones* confessionis; *media* enim hic non ita desiderantur, nisi forte quæ animum confirment, adversus imminentia ei pericula & calamitates, quæ suppetent à Capp. de fortitudine, constantia & patientia. Affectiones igitur sunt 1. ut *constanter* fiat, semper & ubique, quando necessitas exigit. 2. *Fortiter* & intrepide, absque metu quorumvis adversorum. 3. *Ingenue*, absque ullo sinistro respectu. 4. *Prudenter*, ut circumstantias loci, temporis, personarum observemus, nec temere nos in pericula, aut calamitates conjiciamus. 5. *Pie*, ut nil nisi gloriam Dei, amplificationem Ecclesiæ, & ædificationem aliorum intendamus.

V. *Abnegatio* veritatis agnitæ, cujus consideranda

A. *Natura*, qua veritatem divinam, vel prorsus deserimus; vel non ita profitemur ut debebamus. Implicat igitur 1. vel apostasiam, qua deficimus à veritate; vel 2. *mollitiem* & tepiditatem, qua ea fortitudine, constantia & patientia non profitemur, quam Dei gloria, ipsa veritatis præstantia, & aliorum ædificatio requirit; vel 3. ille animus, ille scopus non adest, qui adesse debebat. 4. Quandoque conjuncta est cum odio & contumacia in veritatem agnitam, tum est blasphemia in Spiritum S.

B. *Mala* abnegationis. 1. *contemtus* Dei, veritatis, Ecclesiæ & proximi. Est 2. *turpis* omnibus modis Christiano. Insuper 3. scandalum præbet, & fidelibus, & hostibus. 4. Habet gravissimas comminationes Marc. VIII. 38. Luc. IX. 26. Etiam 5. gradum struit ad horrendum scelus blasphemiæ in Spiritum S. Heb. VI. 4——9. Adeoque 6. constituit nos, si cum odio & contumacia fiat, extra spem ullius remissionis: & ex adverso 7. conciliat horrendam exspectationem ignis consumentis. Eo quod 8. Spiritum Dei contumelia afficiat, & sanguinem filii Dei conculcet & pro impuro ducat Heb. X. 26——30.

C. *Causæ* abnegationis tollendæ: 1. *Ignorantia* veritatis, qua abnegans non habet radices sufficientes,

cientes. 2. *Vilipendium* Dei, Chriſti, Eccleſiæ, veritatis. Quandoque 3. *odium* veritatis & contumacia, ſaltem 4. *mollities*, qua cuti noſtræ metuimus. 5. *Diffidentia*, in Deo ejuſque gratia corroborativa & defenſiva, item in promiſſionibus divinis. Quandoque 6. *audacia* aut præſumtio, qua propriis viribus nimium tribuimus, & hinc à Deo deferimur, ut patet in Petro. 7. Nimia *æſtimatio* potentiæ hoſtium inſultantium. 8. *Spes* emolumentorum mundanorum, à veritatis abnegatione, imminentium, &c.

D. *Remedia* adverſus abnegationem, ſuppetunt 1. à devota cogitatione *bonorum* confeſſionis, & *malorum* abnegationis. 2. Ab *agnitione* propriæ infirmitatis carnis noſtræ. 3. A prudenti *circumſpectione*, qua convenienter rei, judicamus de imminentibus periculis. 4. A *fiducia* in Deo, qua toti pendemus à gratia Dei confirmante & defendente. 5. A panoplia, quam Paulus commendat Eph. VI. 12. — Peculiariter 6. à *precibus*, ne nos inducat in tentationem; ſed liberet nos à malo. 7. Ut fortiter obnitamur cauſis ex quibus naſci ſolet abnegatio, ſingulis convenienter ſuæ efficaciæ, idque in virtute Dei.

CAPUT IV.

De Spe & Deſperatione.

SEcunda, inter virtutes pietatis fundamentales, eſt *ſpes* divina, cui opponuntur vitia varia. Circa ſpem conſiderabimus

I. *Naturam.* Eſt virtus Chriſtiana, qua propenſi ſumus ad exſpectationem eorum, quæ Deus promiſit. Penes hanc occurrunt cogitanda: 1. *Habitus*, quo propenſos & proclives nos reddit, pro natura virtutis: tum 2. *Objectum*: α. *Formale*, eſt *bonum*, quo diſtat à *deſperatione*: *futurum*, quo differt à *fide*, & *difficile*, ac *probabile*: quæ omnia quadrant in promiſſiones divinas, quibus ſpes innititur; niſi quod, per naturam promiſſionis divinæ, non *probabile*; ſed *certum* ſit. β. *Materiale*, eſt (1) principaliter *Deus* ipſe, nobis conjungendus 1 Pet. 1. 21. (2) Minus principaliter, *omnia* illa bona quibus ad Deum gradatim perducimur 1 Pet. 1. 13. ſive ſpiritualia, ſive temporalia, nobis promiſſa. Cumprimis (3) *vita æterna* 1 Theſſ. v. 8. Tit. III. 5. Porro. (4) *actus* per quem fertur in objectum ſuum, eſt *exſpectatio*, non probabilis & incerta, ſicut in ſpe *humana*; ſed certa, & ex promiſſione Dei immobili, infallibilis; quamvis in *ſperante* ſubinde vacillet. (5) *Fulcrum*, eſt *fides*, quatenus non exſpectat, niſi quod apprehendit, velut ſibi promiſſum. Unde fides & ſpes quoad virtutem non differunt, niſi ratione *præſentis* & *futuri*.

II. *Diſtributionem.* Eſt 1. *humana*, incerta, fallax. 2. *Divina*, immobilis. Hæc 3. eſt *perſonata*, juſto fulcro deſtituta, dicitur *præſumptio*. Et 4. *genuina*, nixa promiſſionibus divinis. Hæc rurſus 5. eſt beatorum *cœlitum*, Angelorum & animarum fidelium, quorum exſpectatio nititur aperta viſione, abſque ullo labore aut contentione, cum perfectione. Et 6. fidelium *in terra*, quæ exſpectat è longinquo, intuetur per promiſſiones, velut per *ſpeculum & anigma* 1 Cor. XIII. 12. cum labore & contentione, & cum imperfectione. Eſt etiam 7. *confirmatior*, quæ fiducia appellatur, & 8. *debilior*, infirmior.

III. *Notas* quibus Chriſtiana exploretur: 1. Innititur ſoli Deo, ejuſque gratuitis promiſſionibus 1 Pet. 1. 13. Etiam 2. innititur ſolidis fundamentis, talibus promiſſionibus, quibus omne bonum addixit, non propriis meritis, viribus, aut *externis* tantum cultus divini officiis Jer. VII. 4. Luc. XVIII. 10. 11. Porro 3. curam generat in omnibus placendi Deo 1 Joh. III. 3. Inſuper 4. ſuadet mediis ordinariis, à Deo præſcriptis, diligenter uti, & ab aliis abſtinere Heb. X. 23. 24. 25. Tandem 5. ab iſtis mediis tamen non pendet; ſed à Deo, vel ſine eis operari valente Eſth. IV. 14. &c.

IV. *Bona* ſpei, ob quæ ambeunda: 1. Eam Deus *exigit*, ut bonis promiſſis quibuſvis potiamur 1 Pet. 1. 13. Pſal. XXXVII. 5. 6. Etiam 2. eſt animæ *confirmatio*, velut *anchora tuta & firma* Heb. VI. 19. qua ipſas *animas* noſtras *poſſidemus* Luc. XXI. 19. Hinc 3. creat *gaudium*, delectationem & gloriationem in Deo Heb. III. 6. 1 Pet. 1. 3. 6. Adhæc 4. animas efficaciter *ſuffulcit*, in *adverſis* quibuſvis. Hinc 5. *patientiam* confirmat & adauget. Porro 6. generat certam *exſpectationem ſalutis* æternæ Tit. III. 7. Rom. V. 2. Etiam 7. ad *ſanctitatis* ſtudium excitat 1 Joh. III. 7.

V. *Media* obtinendæ ſpei Chriſtianæ adhibenda: 1. Serio expendere *bona* ſpei Chriſtianæ, jam memorata. 2. Scrutari promiſſiones divinas. 3. Cogitare univerſalem Dei *veracitatem* & fidelitatem in promiſſis iſtis. 4. Exercere *fidem*, quia ſpes exſpectat credita. 5. Operam dare, ut ſimus *in fœdere gratiæ*, quo omnes promiſſiones nobis applicantur. 6. Et eſſe *in Chriſto*, in quo omnes promiſſiones Dei ſunt etiam & amen 2 Cor. 1. 20. Peculiariter 7. cogitare *eas* promiſſiones, quæ paſ-

ſim

sim fiduciæ in Deo, factæ observantur. 1. Excutere *experientiam*, bonitatis & veracitatis divinæ, quam, vel ipsi in variis necessitatibus; vel fideles quivis experti sunt.

VI. *Desperationem* oppositam. Hujus considerandа

A. *Natura*, eam hic sensu latiore capimus, prout notat omnem defectum spei Christianæ, sive intus *excessu*, ab ea discedat; sive in *defectu*. Et sic desperatio nobis erit: 1. *Fiducia* quævis in hominibus alios, aut in seipso, propriisque meritis, dignitate, viribus, aut in quovis alio, præterquam in Deo & promissionibus divinis. 2. *Præsumptio*, qua speramus absque justo fundamento. 3. *Metus* mali, adversus spei, qua bonum exspectamus. Si nim. sit *immoderatus*, nec fide temperatus, qui per se non opponitur spei, in *peccatore*. Sed maxime ei opponitur. 4. *Desperatio*, strictius ita dicta, quatenus est privatio spei, quæ adesse debebat, & conjuncta est cum sensu istius privationis, & cum apprehensione rei sperandæ, vel saltem nunquam futuræ. Quæ tamen in impiis, hypocritis, diabolis & damnatis, non tam *peccati*, quam *pœnæ* rationem habet, eo quod istis nulla promissio facta sit, nisi quod *peccatum* sit in causa. Tandem 5. & spei ex eventu contrariatur; *pudor faciei* vel confusio Psal. xxv. 2. 3.

B. *Mala* desperationis cujusvis, ob quæ fugienda: 1. *Injuriosa* est in Deum, ejus veracitatem, fidelitatem, gratiam, promissiones. 2. In *nosmetipsos*, privat nos q. animabus nostris & anchora tutissima, in quibusvis nostris miseriis, & fluctuare facit in vastissimis calamitatum fluctibus. 3. Subjicit nos diris simæ *maledictioni*. 4. Privat nos omnibus benedictionibus, quæ promissæ sunt sperantibus in Deum.

C. *Causæ* desperationis in medicatione tollendæ: 1. *Ignorantia* promissionum divinarum. 2. *Dubitatio* de veracitate, fidelitate divina. 3. Nimium defixum esse in *periculorum* & calamitatum nostrarum *copiam* & gravitatem. Item 4. in propriam *infirmitatem*, & 5. *peccata* nostra, quæ nos indignos reddant omni gratia & auxilio divino. Imprimis 6. defectus *fidei*, cui factæ sunt omnes promissiones. 7. Esse *extra* Christum, in quo solo omnes Dei promissiones valent.

D. *Remedia* adversus desperationem adhibenda: 1. Expendere *bona* spei, & *mala* desperationis. 2. Adhibere *media* quibus spes generatur & augetur. 3. Obniti *causis* desperationis, v. g. α. *ignorantiæ*, eis mediis, quibus peritia promissionum comparatur, studio verbi divini. β. *Dubitationibus*, opponendo veracitatem, & fidelitatem Dei, qua, ceu prima, imo ipsa veritas, nec falli, nec fallere potest. γ. Periculorum & calamitatum multitudini & gravitati opponere *omnipotentiam* divinam, quæ eripere potest. δ. Peccatorum multitudini & turpitudini, *misericordiam* Dei in Christo. ε. Defectui *fidei*, preces, ut eam det & adaugeat Deus, item media illa, quibus fides obtineri & confirmari potest, supra indicata lib. 2. cap. 1.

Caput V.

De Charitate & Odio Dei.

TErtia in virtutibus pietatis, est *charitas* erga Deum, cui opponitur odium ejus, latiori sensu. De charitate considerandа

1. *Natura*. Est propensio in Deum, ut summum bonum. Ejus actus est *propensio*, quo nomine distat ab *odio*, quod non est nisi *aversatio*. Respicit *Deum* & quidem *solum*, quo differt à civili quavis. In Deum, ut *bonum*, per quod rursus differt ab *odio*, quod in objectum fertur ut *malum*. Et quidem ut bonum *summum*, quod non fit in quavis alia charitate. In bonum *generaliter*, quatenus est non tantum *appetibile*; sed etiam *communicativum* sui ipsius, h. e. suum possessorem bonum faciens. Cum autem *bonum* considerari possit, vel ut *absens* adhucdum, seu alienum, quo modo infert *desiderium* & concupiscentiam unionis; vel ut *præsens* & *possessum*, sic infert *gaudium* & acquiescentiam, vel ut *charum*, seu dignum cui benefacias, infert *beneficentiam*. Tandem, cum Deus sit *summum* bonum, charitas esse debet *superlativa*, qua Deus amoris ἐξοχὴν habeat supra omnia, adeo ut nihil diligas: α. *Contra* Deum β. Nihil *supra* ipsum. γ. Nihil *juxta* ipsum: sed δ. omnia, ut *ab ipso*, & ε. *ad* ipsum, inque ejus gloriam.

II. *Distributio*. Est 1. *civilis*, versus quævis à Deo diversa. 2. *religiosa*, soli Deo competens. Et hæc, juxta Scholasticos est, vel 3. *naturalis*, quæ Deum respiciat, ut *principium* & *finem naturæ*, sitque homini *naturalis*: quasi homo peccator, naturæ viribus, Deum possit diligere *ut Deum*, seu summum bonum: & 4. *supranaturalis*, quæ in Deum feratur, ut principium & finem *gratiæ*. Est tamen 5. *communis*, quæ *vere* quidem Deum diligit, quoad actum; sed non *ut* Deum, seu summum bonum, cum ὑπεροχῇ. Est tandem 6. *propria* electis & vere fidelibus, ἐχομένη σωτηρίας,

ἐπείας, qui Deum respicit ut summum bonum. Et hic rursus est, vel 7. amor *concupiscentiæ*, qui tendit in unionem cum Deo, vel 8. *acquiescentiæ*, seu complacentiæ, quo acquiescis in omnibus quæ sunt in eo, ut alium, aut aliter, non desiderares. Denique 9. *benevolentiæ*, quo ipsi bona quævis, eique placere, omniaque in ejus gloriam dirigere volumus.

III. *Notæ*, quibus dignoscatur amor Dei *salutaris*, suppetunt 1. à *natura* charitatis, quando Deum diligimus, non tantum, nec tam propter bona nobis communicata; quam *propter se*, quia est *appetibilis*, omnique amore dignus. 2. a *partibus* charitatis, nim. α. amore *concupiscentiæ*, ille salutaris est, qui (1) non Deum tantum desiderat; sed omnia illa *media*, quibus Deus seipsum nobis exhibet. (2) Fugit omnia, quæ separant nos à Deo. (3) Qui desiderat etiam spiritualem unionem & communionem cum Ecclesia, cui suam præsentiam Deus addixit. (4) Serio dolet quamvis obstructionem inter Deum & se. (5) Anhelat *perfectam* fruitionem Dei in vita futura: β. Amore *complacentiæ*, ille salutaris est, qui A. acquiescit, non tantum in *gratia*; sed & *justitia* ejus vindicativa, non tantum in ejus *beneficiis*; sed etiam *judiciis*. B. Intime delectatur unione & communione cum Deo, percepta, per gratiam & operationem Spiritus S. C. *Gaudium* etiam & suavitatem percipit, in exercitiis pietatis, D. & in communione Sanctorum. E. Fastidium ex adverso & abominationem eorum quæ Deo & voluntati ejus adversantur: γ. Amore *benevolentiæ*, ille salutaris est, qui (1) *seipsum* quantus est, cum omnibus quæ habet, & potest, Deo impendit. (2) Fervet circa *gloriam* ejus, atque insuper (3) circa obedientiam præscriptorum. 3. A modo seu *gradu* amoris, ille *salutaris* est, qui Deum rebus omnibus præfert; tum 1. *affectu* seu voluntate, sic ut *affectum* illum nullus affectus versus creaturam quamvis allicere possit eo, ut Deum offendere *velimus*: sic item ut plus valeat apud nos amor Dei, quam cujusvis alterius, adeo, ut in ejus gratiam & gloriam parati simus, vel charissima quævis deserere; Tum 2. *effectu* insuper, qui per omnem vitam & conversationem Deum efficaciter præfert omnibus. 3. Ille amor qui *fortior*, firmior & radicatior est, circa Deum, quam circa alia quævis. Qui 4. tam *tener* est, ut malit jacturam, aut vim quamvis experiri, quam violare voluntatem & gloriam Dei &c.

IV. *Bona* charitatis versus Deum, ob quæ ambeunda: 1. Omnem justitiam superat, Summum Bonum summe diligere. Cum præsertim 2. Deus superlativo amore nos prosecutus sit, quando filium, proprium, unigenitum, dilectissimum, dedit, non *nobis* tantum; sed & *pro nobis* in dirissimam mortem Joh. III. 16. Nec hoc tantum: sed 3. indies quovis *beneficio* prosequitur, non nisi *gratuito* amore ductus. 4. Impetrat nobis *amorem* Dei Psal. LXIX. 132. Prov. VIII. 17. Etiam 5. *protectionem* & *liberationem* à malo, & ut mala etiam nobis *cooperentur* in bonum Psal. XCI. 14. 15. Rom. VIII. 28. Insuper 6. possessionem quarumvis *divitiarum* Prov. VIII. 20. 21. Porro 7. & radix omnis pietatis & obedientiæ salutaris. Ac proinde 8. index certus veræ *fidei* & conscientiæ tranquillæ. Absque qua 9. nulla subsistit *vera* religio, aut cultus divinus, quippe compendium Legis. Tandem 10. est βεβαίωσις salutis & vitæ *æternæ* Jac. I, 12. & II. 5.

V. *Media* quibus obtinetur & promovetur: 1. Devota consideratio *bonorum* charitatis. 2. Id serio agere, ut magis magisque persuadeamur de infinita *bonitate* Dei, non tantum ex *Scriptura*; sed etiam *experientia*, non aliorum tantum; sed & propria Psal. XXXIV. 9. & XXXV. 9. 10. 3. Operam dare excitandæ & promovendæ *fidei*, ex qua nascitur charitas. 4. Id agere, ut simus in *fœdere* gratiæ, adeoque Deus, cum omni sua bonitate *noster*. 5. *Preces*, ut Deus dirigat corda nostra ad amorem sui 2 Thess. III. 5. Tandem 6. suspendere amorem nostri, versus Deum, ab amore Dei *versus nos* 1 Joh. IV. 19.

VI. *Odium* versus Deum, quo, generaliore sensu, complectemur omnia ista, quæ adversantur amori versus Deum. Hujus cogitanda

A. *Natura*. Est aversatio à Deo, qua, aut Deum prorsus non diligimus; aut non ita, ut debebamus, scil. generaliore sensu. Complectitur particulatim 1. *metum* immoderatum, qui cruciatum habet ex præsentia Dei, & formidine pœnæ, ab ipso infligendæ 1 Joh. IV. 18. quem proinde pellit charitas consummata, quatenus metus ille est *horror*, orundus ex apprehensione mali, ob præsentiam Dei, atque adeo opponitur charitati, quæ fertur in Deum, tanquam absolute bonum. 3. *Alienationem* à Deo, quæ à nonnullis dicitur *odium abominationis* Psal. XIV. 3. Joh. III. 20. Sicut enim charitas consistit in affectu unionis; sic alienatio hæc est in disjunctione. 4. *Odium*, quod dicitur *odium inimicitiæ* Joh. XV. 23. 24. 25. Sicut enim charitatis amicitia est *benevolentia*; ita odium hoc est *malevolentia*, quo Deo male cupiunt impii, & vellent, ut vel non esset prorsus; vel saltem non talis, qualis est. 5. Amor hujus *mundi* 1 Joh. II. 15. quia hic mundus cum Deo, & ejus voluntate non consentit vs. 16. sicut enim perfectio charitatis est in eo, ut animus acquiescat in Deo; ita charitati necessario repugnat, ut acquiescat in eo, quod est alienum à Deo.

B. *Mala* odii versus Deum, ob quæ fugiendum 1. est scelus omnium scelerum, omnium scaturigo & compendium. 2. Ciet odium Dei versus osorem: sicut enim amor amorem generat; ita odium, odium. 3. Odium, inquam, *ignis* consumentis, Dei omnipræsentis, omnipotentis. 4. Habet comminationem dirissimorum judiciorum divinorum Exod. xx. 5. Reddit 5. osorem abominabilem Deo & Sanctis Psal. cxxxix. 21. 22. Creat 6. osori æternum & indeclinabile exitium &c.

C. *Causæ* hujus odii tollendæ: 1. *Originalis* naturæ nostræ aversio à Deo. 2. Ignorare, aut non esse persuasum, de bonitate, gratia & misericordia Dei. 3. Cogitatione *nimium* defixum esse in Deum, velut rigidissimum Judicem, neglecta ejus misericordia. 4. Amor inordinatus sui, cupiditatum, & iniquitatum, efficit ut Deum odio habeant impii, tanquam ejus adversarium. Quod his fere gradibus procedit: α. Impii sepsos inordinate diligunt. Hinc β. volunt quod sibi placet, quamvis adversetur legi divinæ. γ. Odio habent legem; quia repugnat suis cupiditatibus. Et δ. Deum ipsum, quia talis legis auctor est.

D. *Remedia* adhibenda: 1. Profunda consideratio *bonorum* amoris divini, & *malorum* odii. 2. Uti istis mediis, quibus amor Dei generatur. 3. Obniti causis odii, v. g. α. originali aversione paulatim medetur, omnipotens Spiritus S. regeneratio, conversio, sanctificatio, precibus impetranda. β. *Ignorantiæ*, medetur studium gustandæ & videndæ benignitatis divinæ. γ. Defixum esse *altero* oculo in justitiam Dei vindicem, *altero* in misericordiam Dei, illam quæ est in Christo Jesu. δ. Serio ponderare peccatorum turpitudinem, perniciositatem, ut inde nascatur odium ejus, eoque exstingui odium versus Deum.

Caput VI.

De Auditione & Neglectu verbi divini.

EX istis tribus pietatis virtutibus, fide, spe & charitate, duplex nascitur actus pietatis, qui spectat ad communionem illam spiritualem, quæ inter Deum & fidelem exercetur, nim. *Auditio verbi*, & *Oratio*. Auditionis, cui opponitur neglectus verbi divini, considerandа

I. *Natura*. Est receptio religiosa verbi divini, ut ei obsequaris. Est *receptio*, sive fiat *audiendo* auribus; sive *legendo* oculis, sive meditando *mente*; sive *narrando*, quovis modo recipiatur. Est *religiosa* receptio, h. e. quæ resultat 1. à *fide*, qua veritatis verbum esse credimus, & convenienter erga illud afficimur Heb. iv. 2. Luc. xxiv. 32. tum 2. à *Spe*, qua tanquam verbum *bonum* & *vitæ* amplectimur, quod Deus promittit, ex eo etiam vitam exspectantes Deut. xxxii. 47. Joh. v. 39. Tandem 3. à *charitate*, qua Deo, in illo verbo seipsum revelanti, ut simpliciter bono, adhæremus. Ab istis omnibus auditio fit *religiosa*, seu cultus divinus, quatenus 1. immediate & directe Deo spiritualem honorem defert: quamvis enim auditionis actus maxime proprie dirigatur ad nostram receptionem verbi divini; quia tamen, in modo recipiendi, conscientias nostras subjicimus Deo; idcirco deferimus ipsi honorem istum potestatis & veracitatis, in cujus agnitione religiosus ejus cultus exercetur. Quatenus 2. directum & immediatum exercitium continet fidei, spei & charitatis, in quibus cultus Dei maxime essentialiter consistit. Respicit *verbum Dei*. Proinde nullum verbum humanum ei debet admisceri, aut eodem modo cum illo proponi, ne hominem colamus, loco Dei. Porro receptio illa duo implicat: α. *Attentionem* mentis seu intellectus, seu inquisitionem, ut sensum verbi assequamur Act. xvi. 14. Jes. lviii. 2. β. *Intentionem* voluntatis nostræ, ut audito & percepto verbo religiose obsequamur. Hinc auditionis ultimus finis esse debet *obsequium*.

II. *Distributio*. Est 1. *humana*, qua verbum Dei audimus, velut verbum hominis prædicantis 1 Thess. ii. 13. Est 2. *vana*, qua verbum Dei audimus, nec ut intelligamus; nec ut faciamus: sed ut cultui Dei externo satisfaciamus, & hinc pro Christianis & religiosis habeamur. Est 3. *otiosa*, qua audimus ad hoc tantum, ut intelligamus, & ex eo, ratiocinari & sermocinari possimus. Est tandem 4. *religiosa*, qua intendimus, non tantum intelligere mentem verbi; sed etiam eidem obsequi.

III. *Notæ*, quibus *religiosa* à præcedentibus omnibus discriminetur, quæ, licet sufficienter pateant ex dictis, nihilominus distinctius percipiuntur, si consideremus 1. *attentionem*, quæ, ut *religiosa* sit, debet α. resultare ex consideratione majestatis Dei, & reverentia ipsi competente, quæ verbis humanis qualibuscunque non competit 1 Thess. ii. 13. Act. x. 33. β. Non verba tantum & sensum verborum haurit; sed obligationem insuper agnoscit, ad audita religiose præstanda Deut. xxxii. 46. 47. Ut γ. fundamentum nostræ attentionis, sit in actu exercito timoris

&

& reverentiæ Dei Jes. 1. 10. Si consideremus 2. *inquisitionem*, quâ non inquiramus aut deliberemus, num verbum auditum sit præstandum, nec ne; quod non caret impietate: sed inquirendum tantum, ut intelligamus, quænam sit voluntas Dei. In hominum quidem verbis inquirendum, sintne bona & observanda, nec ne; sed Dei verbum non est dijudicandum, nisi ut ei, cœca quasi obedientia nos submittamus. Si consideremus 3. *intentionem:* ea ferri debet, nec solum, nec præcipue in *cognitionem*; sed in *praxin* Jac. 1. 22. Et quidem ut voluntatem Dei *omnem* faciamus, sine ulla limitatione, exceptione aut distinctione Deut. v. 33. Jac. 11. 10. Porro 4. ut firma sit intentio & immobilis, exclusa etiam omni cunctatione: nec propriis viribus; sed gratia & potentia Dei.

IV. *Bona* talis auditionis, ob quæ appetenda: 1. Est audiendum verbum *Dei* omnipotentis, verbum *vitæ* & salutis. Est 2. in auditione, cultus Dei *religiosus*, ei quovis jure debitus. Est 3. in ea *exercitium* solenne fidei, spei, charitatis, in quibus *religio* consistit. In ea 4. anima pia dulcissimam *voluptatem* experitur. Est 5. omnibus modis *utilissima: α.* Ut Deus nos vicissim *audiat* & exaudiat in precationibus nostris. *β.* Ut ei fide divina *credamus. γ.* Ut ei *obediamus. δ.* Ut *regulam* tutam habeamus, ad quam universam vitam nostram componamus. *ε.* Ut, & Deo, & proximo, & nobis, suum tribuamus, juxta voluntatem Dei. *ζ.* Ut in viis Dei *secure* ambulemus, absque metu seductionis. Istis omnibus nominibus 6. est absolute *necessaria*, ad salutem æternam, &c.

V. *Modus* audiendi verbum Dei: (media enim, quia in *actione* consistit, hic non ita quæruntur) *Modus* iste ex dictis, penes *naturam* & *notas*, sic satis percipi potest. Requiritur tamen insuper 1. justa *præparatio*, auditioni prævia, in omnibus officiis divinis, solennioribus, necessaria: qua abservamus, *α. Deum*, cujus verbum audiendum, ut convenienter ejus majestati, auditio fiat. *β. Nos ipsos* audituros, quales simus, & esse debemus. *γ.* Ipsam auditionem, ut illa convenienter majestati divinæ, & verbo tali instituatur. 2. Recta *dispositio* inter audiendum, ut fiat A. cum *devotione* congrua. B. cum *attentione* arrectissima. C. Cum *intentione* paratissima obsequendi. 3. *Curæ* exactissima *post* auditionem, qua enitamur 1. *fructum* auditionis consequi. 2. audita religiose præstare. De quibus alibi plura.

VI. *Neglectus* auditionis, quo hic latissimo sensu cogitamus, id omne quod adversatur auditioni. Hujus examinabimus

A. *Naturam*, qua, vel prorsus *non* audimus verbum Dei; vel non *ita* ut debebamus. Comprehendit nominatim 1. *superbiam* versus Deum; qua quis propriam excellentiam sic attendit & affectat, ut non velit subjici verbo divino. Quamvis enim hæc superbia repugnet humilitati omnis obedientiæ Christianæ, in genere, prout libro 1. cap. v. ex professo monuimus: attamen huic religiosæ *auditioni* cumprimis obnititur, quatenus superbus adeo est alienus, qui se submittat verbo audito, vel audiendo, ut suum verbum, suam voluntatem, & sibi, & aliis velit esse, quasi pro verbo divino Jer. XIII. 15. & v. 5. Comprehendit 2. auditionem verbi *humani*, qua conscientiam nostram ita submittimus dictatis hominum, v. g. Pontificis, Principum, ut quasi pro verbo divino nobis sint, quæ ratio est superstitionis, qua homines audimus, loco Dei. Comprehendit 3. auditionem verbi *diabolici*. Quando *α.* Satanam audimus tentantem & seducentem, eique nos submittimus obsequendo. Quando *β.* ipsum *consulimus* ejusque verbum audimus: vel ad occultum aliquod cognoscendum; vel ad auxilium ejus impetrandum, seu ut succurrat necessitatibus nostris, seu ad mirum aliquod perpetrandum. Quod peculiariter fit (1) per *Pythonismum*, ut apparet in Saule; (2) Per *Magiam*, de qua nos suo loco ex professo egimus lib. III. cap. VIII. §. XIV. & XXII. (3) Per *Astrologiam* judiciariam, qua ex astris, ejus ope futura contingentia scisitamur. (4) Per omnes illas artes quibus, vocibus, figuris, & similibus rebus, nullius virtutis, morbos, vel in aliis curare impii satagunt; vel in seipsis suisque, in illum finem talia admittunt. Quibus tamen nequaquam annumeranda sunt, quæ viribus naturæ, per Sympathiam & Antipathiam perpetrantur, quibus experientia applaudit, & in quibus nulla fides exigitur. Universa ista consultatione Satanæ, *fides* qua ipsi creditur, *spes* qua aliquid boni ab eo exspectatur, & *charitas*, qua propter illud bonum communicandum diligitur, in juratum Dei hostem transfertur, ipse religiose colitur, & cum eo fœdus quoddam pangitur. Tandem 4. auditionem illam, qua verbum quidem Dei auditur; sed non eo modo, ea devotione, reverentia, attentione, intentione, subjectione aliisque circumstantiis, quæ Deo & ejus verbo congruunt.

B. *Mala* hujus neglectus, quæ, licet diversis gradibus, omnes ejus species suo modo urgent, ob quæ fugiendus est, sunt: 1. neglectu auditionis verbi sui, Deus ipse negligitur. 2. Negliguntur eadem opera, omnia emolumenta, directio vitæ, solatium in adversis, quæ ex verbo Dei,

ejuſque auditione in nos redundare poſſent. 3. Deus verba eorum in precibus, & adverſis, non audiet, qui verbum ejus audire neglexerint. 4. Eos quibuſvis ſuis judiciis ſubjiciet, qui ſe ejus verbis ſubjicere recuſaverint. 5. Qui ſuperbia ſeipſos *exaltaverint*, adverſus Deum & verbum ſuum, adverſus eos Deus ſeipſum exaltabit, quovis modo in ira ſua; & qui fregerint jugum ejus, eos confringet ipſe ſceptro ferreo Pſal. II. 2. 3. cum vſ. 9. Tandem 6. qui Deo ejuſque verbo negant obſequium; ipſis ille negabit gratiam &c.

C. *Cauſæ*, in medicatione obſtruendæ. Oritur neglectus ille 1. à neglectu ipſius Dei, *qui vos audit, me audit* —— 2. Ab ignorantia verbi divini, quam bonum, quam jucundum, quam utile, quam neceſſarium! &c. 3. Ab exaltatione cordis noſtri, adverſus Deum & voluntatem ejus Jer. XIII. 15. Etiam 4. à Φιλαυτία & inordinato amore voluptatum, opum —— quibus adſervatur verbum Dei. 5. A curarum mundanarum abundantia, per quam verbo divino audiendo, non poſſumus vacare, &c.

D. *Remedia* adhibenda: 1. Devote cogitare, & *bona* verbi divini, ejuſque auditionis, & *mala* neglectus. 2. Eradicare cauſas neglectus, v. g. α. *neglectum* Dei, contemplatione majeſtatis, potentiæ ejus. β. *Ignorantiam*, ſtudio & precibus. γ. *Faſtum*, cogitatione vilitatis, impotentiæ -- propriæ, collatæ cumprimis, cum infinita majeſtate Dei. δ. Φιλαυτίαν, mortificatione & crucifixione carnis. ε. *Curas* mundanas, imminuendo, quod afferant jacturam animæ, &c.

CAPUT VII.

De Precationis Exercitio & Neglectu.

EX pietatis virtutibus fundamentalibus, fide, ſpe & charitate, duo fluunt officia: alterum, quo nos *Deum audimus*, nobis loquentem; alterum, quo nos Deum *alloquimur*, ut nos audiat. Prius horum jam habuimus; poſterius eſt in *precum* exercitio, cui opponitur earum neglectus. Precum conſideranda

I. *Natura.* Eſt deſideriorum voluntatis noſtræ repræſentatio religioſa, coram Deo, ut ab eo exaudiamur. Requiruntur ergo ad precationem, iſta quatuor: 1. Ut adſint *deſideria* voluntatis, abſque quibus externæ noſtræ vociferationes non magis ſunt precationes, quam garrularum picarum voces fictæ. 2. Ut deſideria iſta *repræſententur*, ſine quo non magis ſunt precationes, quam otioſa avarorum impiorum deſideria. 3. Ut iſta repræſentatio fiat modo *religioſo*, citra quem, non magis ſunt precationes, quam civiles petitiones puerorum, quibus petita parentibus repræſentant, ut ea obtineant. 4. Ut eo repræſententur, ut *exaudiamur*. Non equidem, ut *innoteſcant* Deo; eſt enim *omniſcius*: nec ut *moveatur* proprie; eſt enim *immobilis*: ſed ut *exaudiamur*, h. e. id precando obtineamus, quod fide novimus, ipſum nobis promiſiſſe. Illa repræſentatio facienda eſt Deo *ſoli*, quod ipſe *ſolus* nos poſſit *exaudire*, quatenus α. *intime novit*, & cordis deſiderantis conſtitutionem, per ſuam omniſcientiam, & media quibus conferre poſſit deſiderata. Quatenus β. *poteſt* conferre per *omnipotentiam*. Quatenus γ. vult etiam conferre, per *bonitatem* & gratiam. Quatenus tandem δ. *debet* ſuo modo, propter *promiſſiones*, quibus deſiderata nobis addixit. Et cum 5. iſta noſtra deſideria proprie ſint in *voluntate*; & precationes noſtræ *actus* ſint *voluntatis*, ſic tamen, ut & in *intellectu*, multiplex requiratur *attentio*, ad (1) deſideria noſtra, ſintne voluntati & promiſſioni divinæ convenientia. (2) Ad *cor* noſtrum, ſitne recte conſtitutum. (3) Ad *Deum*, ſatiſne religioſe cum eo agamus in precationibus noſtris. (4) Ad *ſcopum* petitionis noſtræ, ſitne *glorificatio* Dei; an *proprium* tantum commodum &c.

II. *Diſtributio.* Sunt 1. precationes *illegitimæ*, in quibus neceſſaria requiſita deſunt, de quibus ſuo loco. Sunt 2. *legitimæ*, quæ congruunt cum voluntate Dei promittentis exauditionem. Rurſus 3. precatio eſt, vel *civilis* ad homines, qua hoc agimus, ut eos *afficiamus*, moveamus & diſponamus, ad petita nobis conferenda, quod in religioſa invocatione non eſt intendendum: quamvis precibus noſtris eam virtutem Scriptura tribuat, ut ſi fieri poſſet, ut Deus moveretur; non alio quam precibus id fieret; unde ſe precibus noſtris *quaſi* affici & moveri, Deus paſſim declarat: & *religioſa*, de qua ſola, hoc loco agimus. Hæc porro ex ſuis ingredientibus eſt 4. vel *confeſſio* noſtræ indigentiæ, miſeriæ & indignitatis, à peccatis oriundæ, de qua nos uberius ſuo loco. Vel 5. *promiſſio* & votum, quo Deum certificamus, nos impetrata, non in commodum tantum *proprium*; ſed in gloriam ejus impenſuros, de quo itidem ſuo loco plura. Porro precatio eſt 6. vel *ejaculatoria*, ubi non penitus, aut non diu vacamus precationi Pſal. CXXIX. 8. Neh. II. 4. Vel 7. *ſtata*, qua continuata ſerie, magis ex profeſſo, nos componimus ad orandum. Utraque rurſus eſt vel 8. *mentalis*, quæ abſque ullo ſigno, ex deſtinato conſilio adjuncto, peragitur ſola voluntate,

tate, mente & affectu 1 Sam. 1. 13. Vel 9. *vocalis*, qua animi desiderium verbis etiam exprimimus Hos. XIV. 2. ad internum affectum repræsentandum, excitandum, continuandum & augendum. Hæc insuper fit, vel 10. in *prosa:* vel 11. in *metro*, cui *cantus* est conjunctus, ad spiritualem quandam delectationem, qua etiam animus detinetur, in meditatione rei cantatæ, quo spectat *Psalmodia*, cum *publica* seu ecclesiastica; tum *privata*. Fit etiam precatio, vel 12. *cum aliis*, ubi præit unus voce, & reliqui sequuntur affectu & fide, quam in fide declarant, vocula *Amen* 1 Cor. XIV. 16. Vel 13. ab *uno solo*, qua intra conclave nostrum, seclusis aliis, animam nostram effundimus coram Deo. Ex speciebus porro, precatio est, vel 14. *petitio*, qua intendimus, bonum quod *nobis* deest, impetrare Matth. VII. 7. Vel 15. *deprecatio*, qua malum urgens, aut insta., conamur amoliri. Huc spectant, cum *querelæ*, quibus dolorem nostrum significamus de malis, quæ nobis per injuriam *hominum* immittuntur, his aliquando admiscentur *imprecationes*, quæ, *ordinarie* quidem, non ulterius sunt licitæ, quam ut habent vim deprecandi, ad malum aliquod gravius removendum, per illud malum, quod ipsis optamus: *extraordinariæ*, in Prophetis fuerunt prædictiones: tum *lamentationes*, de eis malis, quæ à *Deo* nobis immittuntur. Vel 16. *interpellatio* seu interceſſio, qua pro *aliis* oramus. Est tandem 17. *gratiarum actio*, cui adest celebratio Dei, qua oramus, ut beneficia accepta, aut certo accipienda, refluant in Dei gloriam Psal. L. 15. 23. & XCI. 15. Implicat α. *agnitionem mentis*, qua, & *beneficia*, quot, qualia, quanta, quæ acceperimus: *fontem*, ex mera Dei gratia, citra ullum nostrum meritum acceperimus, *perfectiones* Dei in eis conspicuas, bonitatem, potentiam & sapientiam collatoris, mente volvimus. β. *Celebrationem oris*, qua omnia ista, & Deo, & aliis prædicamus, in ampliorem Dei gloriam. Denique 3. *retributionem operis*, qua conamur saltem, Deo in compensationem qualemcunque referre.

III. *Bona* precationis, ob quæ exercenda: 1. Deus passim & tam serio à nobis exigit precationem. 2. Tendit singulariter in glorificationem Dei. 3. Est in precatione suavissimum animæ nostræ commercium cum Deo. 4. Absque precatione, nil vere *boni* impetrare, & nil mali à nobis averruncare possumus. 5. Est in precatione, qualiscunque *omnipotentia*, qua cœlum aperire, Solem sistere, imo Deum ipsum quasi vincere, ejusque furorem compescere possumus: 6. nihil est, quod nos fortiores reddat, & fortius ac exactius juvet, in quavis necessitate, quam precatio Jac. V. 16. Est 7. omnibus modis absolute necessaria 1 Thess. V. 17.

IV. *Modus* precandi: 1. Ut precationis nostræ *regula* sit voluntas Dei 1 Joh. V. 14. nominatim Oratio Dominica Luc. XI. 1. 2. Tum 2. ut in *nomine Christi* precemur Joh. XVI. 23. Porro 3. ut ex *fide* precemur Marc. XI. 24. qua persuasi sumus, quod petimus, Deo gratum esse; qua preces nostras Christo altari aureo imponimus, ut defectus precum nostrarum tegat & suppleat. 4. Ut cum *spe* exspectemus petita, virtute promissionis divinæ. Item 5. cum *charitate*, qua non nobis tantum petita velimus; sed Deo, in ejusque gloriam. Ut 6. in precibus, *cor* sanctum, & *manus* puras, elevemus versus Deum Psal. LXVI. 18. Joh. IX. 31. Ut 7. cum pia *submissione*, à Deo pro sua voluntate nobis polliceamur, nil ei præscribentes Jes. LVII. 15. Luc. XVIII. 13. Ut 8. affectu valido, & desiderio vehementi, versus petita feramur Rom. IV. 18. Ut 9. cum debita *præparatione*, saltem in precibus *statis*, oremus. Considerando α. quis *Deus* sit, quem invocare volumus Gen. XVIII. 27. β. Quænam nobis sint petenda, spiritualia, corporalia, & quo ordine Matth VI. 33. γ. Quænam peccata nobis ante sint deponenda Prov. XV. 8. Thren. III. 42. δ. Cum præmissis suspiriis ejaculatoriis Psal. XIX. 15. Ut 10. *inter* precandum, nos convenienter geramus, attendendo (1) ad *gestus* nostros, ut humilitatem, reverentiam & fiduciam cordis repræsentent Psal. XCV. 6. (2) Ad *verba*, ut sint commoda, & cum magna devotione conjuncta Eccl. V. 1. (3) Ad dudum impetrata *beneficia*, ut ea agnoscamus, & gratitudine Deo referamus Gen. XXXII. 10. (4) Ad cordis *submissionem* versus voluntatem divinam, qua desideria nostra ejus beneplacito subjiciamus 2 Sam. XV. 26. Ut 11. *post* preces commode nos habeamus, α. *inquirendo*, quomodo nos gesserimus inter precandum Psal. CXIX. 39. β. *desiderando* exauditionem Psal. CXIX. 82. γ. continuando precationes constanter, saltem voto tenus Eph. VI. 18.

V. *Adminicula*, quibus *Spiritus* precum excitari possit: 1. Cogitatio bonorum precationis. 2. Nostram miseriam & necessitates agnoscamus & ponderemus 1 Reg. VIII. 38. Porro 3. certis precandi *formulis* nos non adstringamus; sed pro *re nata*, preces efformare studeamus Job. IV. 24. Insuper 4. *obnitamur* segnitiei nostræ ad precandum, ut tum maxime conemur precari, quando minime possumus, aut proclives sumus ad precandum Jes. LXIII. 17. Rom. XV. 30. Tandem 5. observemus prudenter, quonam corporis gestu aut habitu, spiritus precum fervidior reddatur, num stando, an genuflectendo: num in solitudine, an cum aliis validius precemur Matth. XXVI. 36. 39. Et cap. VI. 6.

VI. *Neglectus* precationis, quo hic, latiore sensu, omnes ejus defectus intelligimus. Hujus cogitanda

A. *Natura.* Est defectus precationis, quo, vel prorsus non precamur, vel non ita, ut par est. Proinde neglectus ille 1. vel *prorsus* non precamur, precationem aversamur, saltem non proclives sumus ad precandum. Vel 2. *verum* Deum non invocamus, prout Gentiles, Judæi, Muhammedani, & Sociniani, quando Deum *triunum*, *solum* illum verum Deum, non invocant. Vel 3. præter verum Deum *alios*, ut Pontificii. Vel 4. profitemur quidem nos *solum verum* invocare; sed non eo modo, quo debebamus, quod variis modis fit. Quando α. precatio ponitur in commoda *verborum* constructione & elocutione. β. Pro consuetudine, *formula* quædam memoriæ commissa, statis temporibus, solenniter effunditur. γ. Absque corde, attentione, reverentia, devotione, oratur. δ. Non in nomine *Christi*. ε. Absque fide, spe, charitate, absque submissione, absque Religione oratur. ζ. Absque *præparatione*, conveniente dispositione, pia cessatione oratur, &c.

B. *Mala* hujus neglectus, ob quæ corrigendus: 1. *Omissio* quidem hominem facit profanum Gentilem, Idololatram, Atheum. 2. *Defectus*, diverso gradu, ipsas preces adeo reddit viles & *ingratas* Deo, ut ei sint quasi *latratus* canum Jes. I. 15. Hos. VII. 14. 3. Privat hominem omni *beneficio* precationis. 4. Accendit æstum furoris divini, ut *effundat* judicia sua Jer. X. 25. &c.

C. *Causæ* neglectus in medicatione tollendæ, sunt 1. defectus *Spiritus gratiæ* & precum. 2. *Alienatio* à Deo, per inimicitiam. 3. Defectus *fidei*, *spei & charitatis*, à quibus precatio resultat. 4. Ignorantia *sua*, suæque indigentiæ, miseriæ. 5. Fiducia in *propriis* viribus, sapientia, opibus, amicis. 6. *Diffidentia* à Deo, qui *possit* per omnipotentiam, qui *velit* per gratiam, qui *debeat* per promissiones suas, succurrere suæ indigentiæ.

D. *Remedia* sunt, 1. serio considerare *bona* precationis, & *mala* neglectus. 2. Uti adminiculis, quibus *Spiritus gratiæ* & precum excitari queat. 3. Obniti *causis* neglectus v. g. α. *alienationi*, succurramus reconciliatione nostri cum Deo per Christum. β. *Defectum fidei*, spei & charitatis, supplere nitamur in virtute Dei, exercitationibus & suspiriis. γ. *Ignorantiæ* sui, efficacissime succurret diligens consideratio sui, propriæque impotentiæ, aliorumque qui nobis possent conferre necessaria. δ. *Fiduciam* in Deo eriget consideratio omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis & gratiæ divinæ &c.

CAPUT VIII.

De Confessione & Suppressione peccatorum.

DIximus in quavis precatione, seu expresse, seu tacite requiri, & *confessionem* miseriæ; & *promissionem* gratitudinis. De singulis singulatim. De *confessione*, cui opponitur suppressio peccatorum, consideranda ejus

I. *Natura.* Est peccatorum religiosa & pœnitentialis repræsentatio coram Deo. Occupatur circa *peccata*, cum *propria*; tum & pro re nata, aliorum Dan. IX. 8. Insuper circa peccatorum culpam, reatum, pœnam Psal. XXXII. 5. Sunt porro peccata ista; vel *ignota* nobis, quæ generaliter sunt confitenda Ps. XIX. 13. vel *nota*, quæ specialiter etiam sunt confitenda, pro cujusque natura & gravitate Esd. IX. 14. Est peccatorum istorum talis repræsentatio, quæ implicat 1. agnitionem, 2. sensum ac dolorem, 3. odium, 4. expositionem coram Deo, 5. accusationem & condemnationem nostri, 6. deprecationem. Est porro peccatorum repræsentatio *religiosa*, diversa à *Civili*, quæ coram hominibus quandoque facienda, qualis v. g. à Judice in maleficis exigitur. *Religiosa* autem est quatenus coram *Deo* fit, ex fide, spe, charitate profluens. Est etiam repræsentatio *pœnitentialis*, quo differt à spuria quavis, de qua jamjam; Proinde requisita quævis pœnitentiæ, agnitionem, sensum &c. stipulatur, & à vera pœnitentia resultat, & ad eam vergit.

II. *Distributio.* Est 1. vel *civilis*, quæ hominibus fit, ob civiles causas, & *religiosa*, quam diximus. Est 2. *Sodomitica* & impia Jes. III. 9. Est 3. *Hypocritica*, qualis in Caino, Saule, Achabo, Juda aliisque. 4. Vel *publica*, sive ea fiat α. ab *uno*, publico alicujus nationis aut Ecclesiæ nomine, recensens peccata communia; sive β. ab *uno*, privato nomine ad Ecclesiam, si ea publico scandalo fuerit læsa, fundatur; quæ eo casu in gloriam Dei est necessaria: vel 5. *privata*, aut ad *unum* quendam, à se læsum, facta; aut ad *Deum* solum facienda, ut remissio obtineatur, quæ proinde semper est necessaria.

III. *Bona* confessionis, ab quæ facienda: 1. *Ingenuum* & æquissimum est confiteri injurias, vel *homini*

mini illatas; multo magis *Deo* illatas. 2. Confessione conscientiam exoneramus, ab injuriis Deo per peccata illatis. 2. Suppetunt tot ac tantæ promissiones in Scripturis, his factæ, qui ingenue sua confitentur peccata. 4. Nemo habere spem potest remittendorum sibi peccatorum, aut ullam certitudinem eorundem sibi remissorum, nisi prævia eorundem justa confessione. Proinde 5. securos reddit, ab omnibus pœnis & judiciis, peccatis nostris imminentibus. Hinc 6. exoneratis confessione à peccatis, conscientiam tranquillat, nostramque conversationem cum Deo, velut cum pacato Patre, suaviorem reddit, ut 7. ipsam mortem, & insequens extremum judicium, cum majore parrhesia, possimus præstolari, &c.

IV. *Affectiones* confessionis religiosæ, quibus etiam dignosci potest à fucata quavis & hypocritica, Caini, Saulis &c. Esto 1. quantum fieri potest, maxime *particularis*. Quamvis enim quandoque confessio *generalior* sufficiat 1 Sam. VII. 6. imprimis occultorum nobis peccatorum Psal. XIX. 12. attamen, quo *particularior* est, eo integrior & magis Deo gloriosa & grata: huc enim jubemur α. peccata nostra, etiam *occultiora*, exquirere Thren. III. 40. Job. XXXIV. 31. 32. quemadmodum fit in clientibus, versus suos Advocatos, & in ægrotantibus versus medicos. β. Etiam quo distinctior est confessio; eo magis *nobis* confert ad solatium & tranquillitatem. γ. Vix etiam, cum sufficiente *sensu*, possumus confiteri, si nulla peccata peculiariter habeamus ob oculos, quæ confiteamur Jer. III. 13. Jud. X. 10. 1 Sam. XII. 19. δ. Magis etiam nobis conducit, & leviora nostra delicta, multo magis graviora, nobis ipsis, & Deo repræsentare, exemplo Davidis 1 Sam. XXIV. 5. & Pauli 1 Tim. I. 13. Esto 2. *distinctior*, quoad singulorum peccatorum turpitudinem & detestabilitatem, ex eorum circumstantiis aggravantibus 1 Reg. VIII. 47. 49. 50. Act. XXVI. 10. 11. Dan. IX. 5. 6. Quo magis pendeat à sola Dei gratia commiserante Luc. XV. 21. Dan. IX. 7. Conf. 1 Reg. XI. 32. Esto 3. oriunda à profundo *cordis*, non verbalis tantum & superficialis Esd. IX. 6. Luc. XVIII. 13. Job. XLII. 6. Esto 4. *ingenua*, conjuncta cum *odio*, & proposito deserendi peccata Esd. X. 2. 3. Job. XXXIV. 31. 32. Prov. XXVIII. 13. Esto 5. *filialis*, oriunda ab amore versus Deum, & spe misericordiæ obtinendæ Dan. IX. 9. Esd. X. 2. Luc. XV. 18. Zach. XII. 10. Esto 6. *libera*, non exorta metu pœnæ aut damnationis, qualis fuit in Pharaone, in Bileamo Num. XXII. 34.

V. *Adminicula*, quibus possimus juvari in confessione ista: Sibi parare *cognitionem legis* divinæ, absque qua, nec agnitio, nec confessio obtinere potest Rom. III. 20. Eph. V. 3. Rom. VII. 7. Tum 2. observare & ponderare vias Prov. IV. 26. Psal. CXIX. 59. Ad hoc 3. quotidie seipsum & facta sua ad rationes vocare Psal. IV. 4. Thren. III. 40. Hoc ipsum, non tantum refrænabit impetum peccandi; nec tantum compescet metum *mortis subitaneæ* Marc. XIII. 35. 36. sed & memoriam alet peccatorum confitendorum, omniumque circumstantiarum aggravantium. Insuper 4. refricare sæpius memoriam *veterum* peccatorum, ut & ea Deo confiteamur Deut. IX. 7. Psal. XXV. 7. Tandem 5. *implorare* gratiam & auxilium divinum, quo possimus Job. XIII. 23. Est enim singulare Dei charisma, quod propriis naturæ viribus non habemus. Jac. I. 17. &c.

VI. *Suppressio* peccatorum, cujus tenenda

A. *Natura*. Sensu latiore, nobis hic notat quemvis defectum confessionis religiosæ, quo, vel *prorsus* non confitemur peccata nostra; vel non eo *modo*, quo debebamus. Accidit peculiariter: 1. *negando* peccata, ut Cainus Gen. IV. 9. Tum 2. *tegendo* peccata, abscondendo, ne, vel Deo, vel hominibus innotescant Prov. XXX. 20. Porro 3. *excusando* peccata, eorumque causam in alium traducendo Gen. III. 12. 13. Insuper 4. *extenuando* peccata, eorumque circumstantias, loci, temporis &c. Saltem 5. confitendo absque *fide*, spe, charitate, sicut Cain, Saul, Achab, Judas. Absque 6. odio & *resipiscentia* à peccatis confessis. Insuper 7. non confitendo peccata coram *hominibus*, ubi hoc fieri debebat. Vel 8. *hominibus* potius, quam Deo, idque cum opinione meriti, ut fit in Pontificiorum confessione auriculari. Tandem 9. confitendo absque *humilitate*, cum contumacia, gloriando potius de commissis peccatis Jes. III. 9.

B. *Mala* suppressionis, ob quæ fugienda: 1. Peccatorem privat omnibus *bonis*, ab ingenua confessione oriundis. 2. Est *injuriosa* in Deum, quem peccato læsisti, & in proximum etiam, cui agnitionem & confessionem debes, injuriæ ei illatæ. 3. Adducit justam Dei *vindictam*, & quævis ejus judicia Psal. XXXII. 4. Ponit 4. extra omnem *spem* remissionis. 5. *Turbat* & gravat conscientiam Psal. XXXII. 3. 4. &c.

C. *Causæ* suppressionis tollendæ: 1. *Atheismus*, quo non cogitamus Dei omniscientiam, & ab eo abscondere nitimur scelera nostra Psal. XCIV. 7. Tum 2. *contemtus*, quo ipsum, ejusque vindictam, tanti non facimus, ut necessum arbitremur, ei confiteri peccata nostra. 3. *Ignorantia* & *neglectus* nostri, legis divinæ, & viarum nostrarum, quibus fit, ut non possimus confiteri peccata nostra. 4. *Spes* impunitatis, absque confessione. 5. *Fastus* & pudor, aperiendi turpitudinem

dinem noſtram. 6. Labor & *moleſtia*, quæ eſt in confeſſione, & refricatione memoriæ, commiſſorum ſcelerum &c.

D. *Remedia* ſunt: 1. Devote cogitare *bona* religioſæ confeſſionis, & *mala* ſuppreſſionis. 2. Uti adminiculis iſtis, quibus juvamur in confeſſione. 3. Obniti cauſis, à quibus reſultat ſuppreſſio peccatorum, oppoſitis cuique iſtarum talibus, quæ plurimum valent adverſus iſtas.

CAPUT IX.

De Votorum Uſu & Abuſu.

PRæter confeſſionem noſtræ indigentiæ & miſeriæ, ex peccatis noſtris oriundæ, requiritur in omni pia precatione, ut diximus, promiſſio quædam, omni conatu ea proſequendi, & in illius gloriam impendendi, quæ à Deo petivimus, & impetravimus. Hujus igitur *promiſſionis* uſum, cui opponitur ejus abuſus, hoc capite breviter examinabimus, cogitando ejus

I. *Naturam.* Promiſſio (ſeu *votum* latiore ſenſu) eſt ingenua teſtificatio propoſiti noſtri, de re aliqua Deo grata, præſtanda, in gloriam ejus. Requiritur ergo 1. *Propoſitum*, ſeu determinata voluntas, illud præſtandi, quod Deo promiſimus. 2. Ejus propoſiti *teſtificatio*, qua illud patefacimus. 3. Reſpicit rem Deo *gratam*; ſive illa ſit α. *neceſſaria* & à Deo in terminis præſcripta, ut ſit in confœderationibus noſtris cum Deo, in uſu Sacramentorum, jejuniis aliiſque; ſive β. *libera* ſeu adiaphora, cujus determinatio ex circumſtantiis contingentibus, & electione noſtra pendet. Talis autem electio & promiſſio eſſe debet (1) rei, non *ſimpliciter* neceſſariæ; ſed quæ libere, per Dei gratiam *ordinariam*, præſtari poteſt ad arbitrium noſtrum; (2) neque rei *malæ* ſeu prohibitæ; (3) neque rei *vanæ*, quæ nihil conferre poteſt, ad Dei glorificationem, proximi commodum, aut proprium emolumentum. (4) Facienda eſt *Deo ſoli*, quia eſt actus *religioſus*. Proinde 5. dirigi debet in *gloriam* Dei, velut finem primarium; quamvis juxta eam, etiam ad noſtram aliorumque ædificationem & uſum ordinari poſſit. 6. Naſcitur ex legitimo voto *obligatio* graviſſima: quia *religionis* vinculum in voto continetur. Atque adeo, quod antea liberum fuit: jam propter votum factum eſt aliquo modo cultus Deo debitus. Hujus igitur *violatio*, eſt perfidia verſus Deum.

II. *Diſtributionem.* Eſt promiſſio ſeu votum 1. *Civile*, homini factum, quod tamen, ſi legitimum ſit, ex præſcripto divino, eſt præſtandum, quantum poſſumus. Eſt 2. *impium*, de re prohibita, quale Judæorum Act. XXIII. 12. Eſt 3. *temerarium*, quod nullam habet utilitatem, quale illud Jephtæ. Eſt 4. *ſuperſtitioſum*, qualia ſunt vota *monaſtica*. Eſt 5. *ceremoniale*, quale votum *Nazireatus* &c. quæ vota jam ſub N. T. exſpirarunt. Eſt 6. votum *impoſſibile*, quale illud de perpetua continentia. Eſt 7. vere *religioſum*, voluntati divinæ congruens. Et hoc rurſus 8. vel *ordinarium*, in omni pia precatione, ſeu explicite, ſeu implicite præſtandum. Quatenus petere aliquid à Deo, abſque propoſito illud omni legitimo conatu aſſequendi, & in gloriam Dei dirigendi, de impetratis, Deo gratias agendi &c. non aliud eſt, quam Deum aliquo modo irridere. Eſt 9. *extraordinarium*, quod certis tantum occaſionibus & circumſtantiis ſuſcipitur. Et hoc rurſus 10. vel *neceſſarium*, v. g. in renovationibus fœderis gratiæ cum Deo; in uſu Sacramentorum, in diebus jejunii, aut Euchariſticis. Vel 11. *liberum*, quando v. g. extraordinarium aliquod beneficium à Deo conſecuti ſumus, & hinc ad extraordinariam quandam gratitudinem obſtringimur, aut quando ex voto, nos fortiores futuros exiſtimamus, ad obſiſtendum huic aut illi peccato, ad quod natura procliviores ſumus; aut ad ſtudium hujus aut illius virtutis, à qua nos averſiores perſentiſcimus.

III. *Bona* legitimi voti: 1. Arctius nos adſtringit Deo & officiis divinis: eo quod dudum adſtricti voluntate divina; nos inſuper ſpontanea promiſſione adſtringamus. 2. Viciſſim Deum ejuſque gratiam nobis adſtringit ex promiſſione: ſi enim ſpontanea promiſſione nos noſtraque addicimus Deo; ipſe viciſſim, ſe ſuamque gratiam addicit nobis. 3. Officia noſtra verſus Deum reddit *liberiora*, quando ex libera inſuper promiſſione eadem præſtamus. Atque inſuper 4. *liberaliora*, quando & ea, quæ noſtro arbitrio permiſit, ei addicimus. 5. *Officium* quodvis noſtrum reddit magis *ingenuum*, conſtans & fidele; ſi nim. fiat, non ex ſola neceſſitate; ſed inſuper ex ſpontanea promiſſione &c.

IV. *Modum* vovendi, fiat 1. *ingenue*, animo ſincero, velut Deo, qui ſcrutatur corda ac renes. 2. *prudenter*, ponderando, α. *Deum*, cui vovemus β. *nos ipſos*, noſtraſque vires, num præſtare valeamus, quod vovemus γ. *Res* promittendas, num bonæ ſint, congruentes divinæ voluntati, Dei gloriæ, ædificationi proximi, noſtroque commodo. δ. *Finem* & ſcopum promiſſionis. ε. *Conſtan-*

ter,

ter, saltem quoad propositum præstandi promissum. 4. *Fideliter*, quoad ipsam præstationem, saltem quatenus ea est in viribus nostris, & de jure præstari potest.

V. *Abusu* voti, cujus considerandæ

A. *Natura.* Est neglectus earum conditionum, quæ legitimo voto adesse debebant. Quando vovemus 1. *impia*, à Deo prohibita. 2. *Vana*, quæ nullum usum habent, respectu Dei, proximi, aut nostri. 3. *Superstitiosa*, quæ nullam habent divinam approbationem. 4. Absque *animo* sincero præsente, aut proposito præstandi promissum. 5. *Temere*, absque prævia justa consideratione requisitorum legitimæ promissionis, Dei, nostri, rerum vovendarum. 6. Opinione *meriti*, & operis supererogatorii. Aut 7. ex ἰθελοθρησκείᾳ, ex mera voluntatis propriæ electione. 8. Absque ingenuo *proposito* præstandi promissum.

B. *Mala* illegitimi voti, ob quæ fugiendum: 1. Est ingratum Deo. 2. *Conscientiæ* laqueum injicit. 3. *Inutile* est. 4. *Superstitionem* alit. 5. Infert quandoque *perfidiam.* Etiam 6. ex perperam promissorum neglectu, animi mœrorem, inquietudinem, perfidiam &c.

C. *Causæ* abusus votorum: 1. *Incogitantia*, qua non satis attendimus ad Dei omniscientiam, quæ attendat constitutionem cordis nostri, inter vovendum. 2. *Ignorantia* voluntatis Divinæ, juxta quam vota nostra sunt concipienda, adeoque nescimus, quid vovere conveniat, quid secus. 3. *Superstitio*, qua propriis, aut aliorum placitis, in vovendo indulgemus. 4. *Temeritas*, qua absque prævio judicio, quævis vovemus. 5. *Levitas* & inconstantia in conceptis votis. 6. *Perfidia*, qua non conamur serio præstare quæ promisimus.

D. *Remedia* huic abusui applicanda: 1. Diligens *consideratio*, *bonorum* legitimi, & *malorum* illegitimi voti. 2. Justa mentis *attentio* ad requisita legitimi voti. 3. Serius conatus obnitendi causis illegitimi voti, eis mediis, quæ validissime cuique earum repugnant, &c.

CAPUT X.

De Juramento & Perjurio.

SUnt præterea precationes *extraordinariæ*, certis tantum & justis occasionibus adhibendæ, propter infirmitatem hominum, ex peccato orundam, quo, & facultatem credendi proximo; & ἀξιοπιστίαν perdiderunt, ob quam sibi fides haberi debet. Suntque *juramentum* & *sors*. De his singulatim. Primo de *juramento*, cui, latissimo sensu, opponemus *perjurium*. Juramenti considerandæ

I. *Natura.* Est petitio divini testimonii, ad confirmationem nostri testimonii, conjuncta cum exsecratione nostri, si fallamus. Est 1. *petitio* seu invocatio Dei, & hactenus cultus religiosus, soli Deo competens. 2. Petitio *testimonii* Dei, velut primæ veritatis, & falli, & fallere nescii. Dum ergo istud Dei testimonium petimus, profitemur nos agnoscere, α. Eum esse *omniscium*, cui corda & renes, itemque testimonii nostri conditio pateant. Eum β. esse *Fautorem* veritatis, qui non tantum ipsa *veritas* sit; sed etiam à nobis exigat veritatis eloquium. γ. Eum esse justissimum mendacii *judicem* & vindicem. δ. In cujus potestate sit, nostrum testimonium suo confirmare, & velle etiam pro re nata, quo & pro suo arbitrio. Vergit 3. proprie & *formaliter* in testimonii nostri confirmationem, & hactenus non est cultus religiosus; quamvis *materialiter*, quatenus est *petitio* istius testimonii, sit invocatio Dei, adeoque cultus *religiosus*. Conjunctum est 4. cum *imprecatione*, seu exsecratione nostri, si scientes volentes fallamus Neh. x. 29. 2 Cor. i. 13. Hinc illa jurandi formula passim occurrit in V. T. *sic faciat mihi Deus, & sic pergat facere.* Obligat 5. semper ad testimonii nostri veritatem, nobis perspectam, omnibus istis argumentis, quæ pro infallibilibus haberi consueverunt, quamvis interim ipsa rei veritas non respondeat. Idque etiam in promissione, saltem quoad propositum præsens. Est proinde 6. tale juramentum licitum etiam in N. T. quatenus, non tantum ejus testimonia probata prostant in utroque testamento 2 Cor. i. 23. Apoc. vi. 10. sed etiam nihil implicat, quod Religioni sit adversum, aut quod, ceu *ceremoniale*, in N. T. sit abrogatum. Nec Christus Matth. v. 34. & Jacobus cap. v. 12. prohibet, nisi juramentum temerarium, aut per creaturas factum.

II. *Distributio.* Est 1. *juramentum* ipsius Dei, improprie quidem juramentum, quia superiorem non agnoscit, per quem juret: sed tamen omnem perfectionem gestans nostri juramenti, occasione nostræ *infirmitatis* quandoque necessarium, licet respectu Dei, adhibeatur *ex abundanti* Heb. vi. 13. 17. Quo tamen non spectat *Amen*, quod non est nisi fortis *assseveratio*, in causa justa. Est 2. Juramentum creaturarum. Idque vel α. *assertorium*, de re *præterita*, vel præsente, quatenus illa nobis sufficientibus fundamentis est perspecta, vel β. *promissorium*, sub quo continetur *comminatorium* de re *futura*. Quod obligat tantum, quatenus quis se obligare potest, cum de

jure, tum de *facto*, eoque semper fieri debet de re *licita*, pariter & *possibili*. Licet promissio desinat obligare, quando promissum in solius hominis gratiam factum, remittitur, aut alio quovis modo, ejus fundamentum tollitur. Etiam obligat modo injusto factum, etiam latronibus aut piratis præstitum, quin & metu extortum. Est porro 3. *juramentum*, vel à *nobis* præstitum; vel *aliis* impositum, quod *adjuratio* appellatur Gen. xxiv. 8. qua quis testimonium ab alio exigit, sub fide juramenti Num. v. 21. Matth. xxvi. 63. Competit maxime proprie illis, qui jus habent juramentum aliis imponendi. Est tandem 4. juramentum, vel *simplex* nudis verbis factum; vel *solenne*, quod fit interpositis Symbolis, elevatione digitorum, tactu & osculatione libri &c. Utrumque horum, ejusdem est efficaciæ & valoris, quoad obligationem.

III. *Usus* juramenti, juxta sequentes regulas: 1. Non suscipiatur, nec deferatur, nisi *personis qualificatis*, non pueris, Atheis, profanis, malæ aut suspectæ fidei & famæ hominibus. 2. Fiat prævia sufficiente *ponderatione*, naturæ, dignitatis &c. juramenti. 3. Non suscipiatur, nisi in casu *necessitatis*, non suppetentibus aliis adminiculis manifestandæ veritatis, & terminandorum dissidiorum Exod. xxii. 11. 1 Sam. xx. 17. Ea vero 4. urgente, etiam non declinetur Deut. vi. 13. & x. 20. Cumprimis 5. si exigatur à Magistratu. 6. Præstandum, fiat in *Deo solo*. 7. Cum *Religione*, timore & reverentia summa. 8. In *veritate*, quam ingenuo coneris repræsentare Jer. iv. 2. Etiam 9. in *justitia*. Ibid. cum proposito sincero præstandi, quod juramento promiseris. 10. *Acquiescas* in accepto legitimo juramento, & ab ulteriore litigatione desistas Heb. vi. 16. Et 11. Gratias etiam agas Deo, qui in causis alias desperatis, tam commodum tollendis litibus adminiculum suppeditaverit, quin compellationem sui testimonii eo destinaverit.

IV. *Perjurium*, quo hic amplissima significatione, quemvis abusum juramenti comprehendemus. Hujus considerabimus

A. *Naturam*. Est abusus juramenti, qui multis modis committitur, quando fit 1. à personis *inidoneis*, pueris, infamibus. 2. Absque prævia justa consideratione naturæ & momenti. 3. Absque legitima *necessitate*, temere. 4. In causa *vana*, levioris momenti, aut quæ alio adminiculo determinari potest. 5. Per creaturas *idololatrice*. 6. Absque debita reverentia & timore Dei, quæ congruat religioni jnramenti. 7. *Perjurium*, strictius ita dictum, quando juratur contra mentem. 8. *Perfidia*, quando non juratur cum proposito præstandi quod juramento promissum est: aut quando non adhibetur justus conatus pro virili, præstandi, quod juramento promissum est. 9. *Impietas*, quando conaris præstare quod prohibitum est à Deo: cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, & hujusmodi præstatio duplex inferat peccatum; alterum in promissione iniqua; alterum in præstatione. 10. *Adjuratio iniqua*, qua ad juramenti religionem proximus adigitur, citra justam causam. 11. *Exorcismus*, quo, vel α. *Dæmones* adjuramus, inque eos imperium, absque potestate nobis à Deo facta, exercemus, & religionem juramenti in ipsis agnoscimus, qui in ipsis non est; vel β. res *inanimatas*, quod fit in consecrationibus earum, ad operationes & usus supernaturales, quales sunt, in aqua lustrali, templis, campanis & similibus apud Pontificios, quæ revera non sunt, nisi superstitiosæ incantationes, quasi res illæ obsessæ sint à Dæmone; vel γ. in *Baptismo*, etiam apud veteres nonnullos usitatus, & etiamnum apud Pontificios & Lutheranos quosdam. Tandem 11. Juramentum *inquisitorium*, seu *ex officio*, quo, apud Hierarchicos, in Anglia, olim exquirebantur Presbyteriani: cujus non tantum nullum fundamentum prostat in Scripturis; sed quod insuper pugnat cum ipso *jure naturæ*, quando quis adigitur ad accusandum & prodendum semetipsum.

B. *Mala* perjurii generalis, ob quæ fugiendum: 1. Est *injuriosum* in Deum, ipsumque quasi fautorem facit, & testem falsi & iniqui testimonii. 2. Reddit jurantem *infamem*, etiam in foro Civili, saltem strictius ita dictum, quod jurat falsum. 3. Ipsum exponit justæ *vindictæ*, etiam apud Magistratum civilem. Et multo magis etiam 4. in foro *divino*, & accersit gravissima Dei *judicia*. Imo 5. ista sibi sponte expetit à Deo. Hinc 6. conscientiam egregie vulnerat ac turbat, Deum ad justa judicia provocando. Non addam 7. *turpitudinem*, ab idololatria, Atheismo, superstitione, injuria versus proximum, vanitate, quæ infert quodvis juramentum perversum.

C. *Causas* perversi juramenti, tollendas in medicatione, nim. 1. *Atheismum*, quo parum cogitamus, Deum esse *omniscium*, *veritatem*, & veritatis *fautorem*, justum perjurii *vindicem*. 2. *Fastum*, quo non veremur, ut turpitudinem scelerum nostrorum tegamus, ipsius Dei testimonium perverse advocare. 3. *Avaritiam*, qua, ut fortunis nostris consulamus, in judicio civili, perversum juramentum deponimus. Quandoque 4. *metum pœnæ* in admissis criminibus, quam averruncare nitimur perverso juramento. 5. *Superstitionem*, in exorcismis. 6. *Arrogantiam* imperii in Dæmones, sibi non competentis, &c.

D. *Reme-*

D. *Remedia* ſuppetunt 1. ab attenta conſideratione *malorum* perjurii. 2. Ab obſervatione religioſa, regularum quas pio juramento præfiximus. 3. Ab obſtructione *cauſarum*, à quibus abuſus juramenti reſultat, obnitamur Atheiſmo, faſtui, avaritiæ, metui, ſuperſtitioni, arrogantiæ, eis mediis, quæ adverſus ſingula horum potentiſſime valent.

CAPUT XI.

De Sortis Uſu & Abuſu.

SEcunda precatio *extraordinaria* eſt in *ſorte*, cujus uſum & abuſum breviter narrabimus. Conſideranda hic veniunt ſortis

I. *Natura.* Eſt petitio divini teſtimonii, per determinationem eventus in mera contingentia manifeſtandi, ad controverſiam aliquam dirimendam Prov. XVI. 33. & XVIII. 18. Eſt 1. *petitio*, adeoque invocatio Dei, ſcil. ſua *natura*, licet non ſemper ex intentione ſortientis: hinc, pro natura invocationis, ex fide, ſpe, charitate oriri debet. Reſpicit 2. *providentiam* Dei determinantem, & quidem *extraordinariam*, non quod ea ſemper compelletur: nec Deus eam ſemper exerceat; ſed quod ſua *natura* ad eam habeat reſpectum, quæ non ordinario modo agit. Petitur 3. ut eventus determinetur per *contingentiam*, h. e. per tale quid, quod *per ſe* non habet potentiam, certum eventum determinandi. Et per *meram* quidem contingentiam: ſunt enim varii contingentiæ gradus: alia *ſæpius* contingunt; alia *rarius*; alia, quantum nos intelligimus, *æqualiter* ſe habent in utramque partem, & hæc demum ſunt *mere* contingentia; in cæteris enim locus aliquis relinquitur conjecturæ, ex arte. Non igitur ſortibus præfigenda eſt *Fortuna*, quaſi Dea quædam, ut profani cum Gentilibus ſomniant. Suſcipi debet ſortilegium 4. ad determinationem alicujus *controverſiæ*, unde *judicium* משפט ei tribuitur Prov. XVI. 33. & *dirimere* dicitur *inter fortes* cap. XVIII. 18. Non igitur 5. ſors adhibenda eſt in negotiis *quibuſvis*, non levioribus, aut ludicris; ſed tantum in *neceſſariis* talibus, quæ determinari debent, & alio modo determinari non poſſunt.

II. *Diſtributio.* Eſt 1. ſors *diabolica*, quæ inſtinctu diaboli fit, aut ad diabolum dirigitur, à quo eventus determinetur. 2. *Humana*, quæ ab hominibus pro arbitrio ſuſcipitur, quando ſuam controverſiam caſui, ex utriuſque partis conſenſu ſubjiciunt, citra ullum reſpectum ad providentiam Dei determinaturam. 3. *Divina*, qua Deus compellatur, ut determinet, per contingentiam. Et hæc rurſus eſt, α. vel *divinatoria*, quando forte rei alicujus *occultæ*, ſeu præteritæ: ſeu futuræ cognitionem, ſorte quærimus, illamque prædicere conamur. Quæ non eſt licita, niſi ex ſingulari inſtinctu divino. Vel β. *conſultatoria* de jure, ſitne hoc aut illud licitum nec ne: quæ nunquam licita eſt, cum quid juſtum ſit aut injuſtum, ex ſolo Dei verbo petendum ſit Jeſ. VIII. 20. Vel γ. *diviſoria*, v. g. in hæreditate herciſcunda, & aliis quæ non niſi ſorte determinari poſſunt, ut contentiones ceſſent. Ratione *materialis*, inſtrumentorum, circumſtantiarum, fiebant olim ſortes diverſo modo, vel per globulos, teſſeras, chartulas &c. Quæ conjiciebantur in ſinum, aut urnam, hydriam, aut galeam ———

III. *Uſus* ſortis, ut legitimus ſit, requirit ut fiat 1. *religioſe*: eſt enim precatio, adeoque ex *fide*, qua perſuaſus ſis, ſortilegium tuum placere Deo; *ſpe*, qua eventum exſpectes à Deo, *charitate*, qua pium habeas affectum verſus Deum, qui velit eventum determinare ex veritate, pro natura rei: adeoque habeat omnes conditiones piæ precationis, alibi deſignatas. 2. *circumſpecte*. Eſt enim precatio *extraordinaria*, proinde, accurate attendendum ad cauſam, ſitne juſta, ardua, neceſſaria, quæ ordinariis mediis determinari non poſſit. 3. *legitime*, ut abſit *ſuperſtitio*, ſeu opinio cultus alicujus indebiti. 4. Ut non ſit de *jure*, quippe quod ordinaria inquiſitione, ex Scripturis determinari poteſt. 5. *Ingenue*, abſque fraude, aut animo fallendi proximum. Proinde 6. ut eventus determinetur per *meram* contingentiam, quæ expoſita non ſit probabili conjecturæ, quippe quæ vergit ad fallaciam. 7. Ut vergat in *gloriam* Dei, *commodum* proximi, aut juſtum emolumentum *proprium*. 8. Cum debita *ſubmiſſione*, qua in ſortis determinatione, velut in ſententia Dei, placide acquieſcimus.

IV. *Abuſus* ſortis, cujus expendemus

A. *Naturam.* Eſt *generaliter* in defectu requiſitorum legitimæ ſortis, jamjam determinatorum. *Specialiter* 1. in ſorte *diabolica*, quæ fit inſtinctu diaboli, aut qua Diabolus compellatur, ut ipſe determinet eventum nobis contingentem. 2. In ſortilegio *impio*, quo reſpectus non habetur, ad *providentiam* Dei determinantem; ſed ad merum *caſum*, aut *fortunam* ſortibus præſidentem. 3. In ſorte *temeraria*, quæ paſſim abſque juſta, momentoſa & neceſſaria cauſa fit. 4. In cauſa juris, qua ſufficientia Scripturæ ſic ſatis abnegatur. 5. In cauſa *divinatoria*, qua futurum

contingens expiſcari, & prædicere conamur, abſque ullo inſtinctu divino. 6. *Magica*, Chiromantica, Necromantica, &c. gentilibus olim frequentata. 7. *Luſoria*, qua inter ludendum, hoc fit, quo providentia Dei & extraordinaria quidem compellatur, ſeu cum, ſeu abſque intentione compellantis: eſt enim turpis abuſus precum, quam nulla conquiſita effugia excuſant. 8. *Publica* illa ſortilegia, quæ vulgo Loteryen vocant, quibus ſoluto certo pretio, præmium exponitur, ſortito obtinendum. Quamvis enim ejuſmodi ſortes licitæ fieri poſſint, ſi non tam intendas lucrum, quam *publica* juvare, ſeu politicum, ſeu Eccleſiaſticum: attamen, ſi non niſi *lucrum* intendatur, aut primario ſaltem; jure *divino*, illicitum eſt (quicquid de civili ſit) quia ſors non eſt inter legitimos titulos, quibus dominium impetratur.

B. *Mala* abuſus, ob quæ vitandus. Eſt 1. turpis *abuſus* nominis divini, precum, & providentiæ. Quam 2. ſequetur juſta illa *vindicta* Dei, quam comminatus eſt in tertio præcepto. Et 3. deteſtanda *fraudulentia*, qua proximum tali ſorte fallere conamur. 4. Certo fruſtrabitur exſpectato eventu, recidetque in damnum ſortientis. 5. *Conſcientiam* turbabit, ex impietate & fraudulentia. 6. Aſpernatur commodiſſimum medium, divina bonitate, terminandis litibus, nobis indultum.

C. *Cauſæ* hujus abuſus, tollendæ 1. *ignorantia* naturæ ſortis, ejuſque ſanctitatis, quæ in ea eſt. 2. *Vilipendium* Dei & providentiæ ejus. 3. Defectus amoris verſus *proximum*, quem iniquo ſortilegio conamur fallere. 4. Perverſus *lucri* amor, quod abuſu ſortis quærimus. 5. *Idololatria*, profanitas, Magia, qua Gentiles in ſuis ſortilegiis, *fortunam* pro Dea, Deo ſubſtituebant, vel conſtruebant.

D. *Remedia* tollendo abuſui adhibenda, ſunt 1. ſerio cogitare *bona* legitimæ ſortis, & quanta ſit in eo bonitas divina, quod nobis medium tam commodum tollendis diſſidiis indulſerit; & ex adverſo *mala* abuſus. 2. Ea adhibere media quibus efficaciſſime tolluntur abuſus cauſæ, v.g. α. *Ignorantia* naturæ ſortis tollitur repræſentatione illa quam dudum fecimus. β. Vilipendium Dei & providentiæ ejus, juſta conſideratione majeſtatis, omniſcientiæ, providentiæ ejus. Et ſic porro.

Caput XII.

De Communione cum Deo, & Alienatione ab eo.

AGmen claudit in officiis cultus Dei naturalis, *communio cum Deo*, qua ipſe vult eſſe *Jehova Deus noſter*, & nos viciſſim ipſum *habere* debemus *pro Deo noſtro*. Huic potiſſimum opponitur *tentatio* Dei. Communionis hujus contemplabimur

I. *Naturam*. Eſt mutua illa communicatio inter Deum & hominem, qua, utraque pars ſe ſuumque alteri addicit, fundata ſuper unione. Eſt igitur *communicatio*, qua, quod cætera proprium eſt, commune fit. Id quod *communicatur*, eſt ſe ſuaque, non *ſua* tantum; ſed *ſe*, nec *ſe* tantum; ſed & *ſua*. Iſta communicatio eſt, ſeu eſſe debet, inter *Deum* & *hominem*; quamvis actu non ſit, niſi inter *Deum* & *fideles*: Deus enim ſeipſum addicit fidelibus; *ero Deus tuus*, Deus omniſufficiens, qui omnia, quæ tibi conducunt, aut conducere poſſunt, *in ſe* habet eminenter, in quo proinde omnia habes, quamvis cætera nihil habeas: nec tantum *ſe*, ſed omnia ſua, v. g. ſua *attributa*, ſapientiam, bonitatem, gratiam, omnipotentiam: eatenus ſaltem, ut ea nobis beatificandis impendat, h. e. eorum productio nobis conferat: & ſic etiam ſuis communicat, ea quæ ab iſtis attributis promanare poſſunt, quatenus nim. ipſe judicat ea ſuis conducere: ab altera parte *fidelis*, & *ſeipſum*, corpore tenus & anima, Deo communicat: *eris mihi in populum*: ego tuus ero, ut tu meus ſis: nec ſe tantum; ſed & omnia *ſua*, Deo communicat, h. e. dirigit in gloriam ejus: inſuper quicquid *poteſt* pro Deo, cultum, obedientiam. Iſta communio vigere debet, inter *fidelem* & *verum* Deum tantum, hoc eſt, Patrem, Filium & Spiritum S. qui *unum* & *ſolum* Deum conſtituunt. *Fundamentum* tandem hujus communionis eſt in *unione*: quia enim *uniti* ſumus cum Deo; hinc Deus ſeipſum nobis, & nos viciſſim, nos communicamus Deo. Confer quæ ſupra lib. VI. cap. V.

II. *Diſtributionem*. Eſt 1. *externa*, quæ conſiſtit in profeſſione, qua clamamus: *Domine Domine*; & *interna*; qua revera nos communicamus Deo. Eſt 2. communio inter Deum & integram *ſocietatem* quandam, qualis olim erat inter Deum & populum Iſraëliticum, & in N. T. *eccleſiaſtica* illa, qua Eccleſia vera, eſt Eccleſia Dei, licet ei admixti ſint hypocritæ. Eſt 3. communio *ſingularis*, inter Deum & hominem quemvis vere fidelem, & hæc demum ſalutaris illa eſt, de qua nobis hic eſt negotium. Hæc rurſus 4. vel *conſummata* eſt, poſt hanc vitam demum futura; vel 5. *inchoata* in hac vita. Eſt 6. communio *œconomica*, cum ſingulis Deitatis perſonis: cum Patre, cum Filio, cum Spiritu S. 2 Cor. XIII. 13.

III. *No-*

III. *Notæ*, quibus *externa* illa, ſeu communis nonnullis hypocritis diſcernatur ab *interna*, electis peculiari. Illa quidem generaliter patent ex *natura* hujus communionis: ſpecialius autem, 1. ſi nos *ingenue* tradiderimus Deo: cum enim Deus, ut Deus *noſter* ſit, nihil ſtipuletur, quam ut nos viciſſim ejus ſimus per deditionem noſtri; manet hoc poſito, nos habere communionem ſalutarem cum Deo. 2. Si *ſervemus mandata* ejus 1 Joh. II. 5. & III. 23. 24. alias enim Deum non habemus pro Deo noſtro. 3. Si unionem & communionem cum Deo habeamus in *Chriſto* Joh. I. 3. Porro 4. ſi ambulemus prout *Chriſtus* ambulavit 1 Joh. II. 6. h. e. ſi ita nos habeamus per univerſam vitam noſtram, ut Chriſtus ſe habuit, rectificando vitam, juxta Chriſti vitam, quoad actus ejus *morales*, ſancte, pure, inculpate, humiliter, obedienter, cum zelo, & abnegatione noſtri. Si 5. ſtudioſe vitemus quævis *peccata* Deo exoſa 1 Joh. III. 6. 8. Si 6. Deum ingenue *diligamus* 1 Joh. IV. 16. Si 7. communionem cum Deo colamus, ſecundum ejus verbum 1 Joh. II. 5. & III. 23. 24. alias degeneraturi ad *tentationem* Dei, de qua ſuo loco. Si 8. ambulemus in *luce* 1 Joh. I. 5. 6. 7. non in tenebris ignorantiæ, aut peccatorum quorumvis &c.

IV. *Bona* hujus communionis ob quæ expetenda: 1. Qui Deum habet, *omnia* habet: eſt enim *omniſufficiens* Gen. XVII. 1. Eſt proinde 2. *locupletiſſimus*, vel ſi præter ipſum nihil habeat Pſal. LXXIII. 25. Gen. XXXIII. 11. Porro 3. in adverſis quibuſvis, habet *clypeum* & Solem Pſal. LXXXIV. 12. qui ipſum tueatur & calefaciat exhilarando ſuis promiſſionibus, de defendendo, eripiendo, & cumulando ſuis benedictionibus omnigenis Pſal. XCI. 15. 16. Qui 4. in omnibus laboribus ſuis, futurus ſit *merces ampliſſima* Gen. XV. 1. Ipſa etiam communio 5. ſuaviſſimum præſtabit *ſolatium*, pacem, tranquillitatem & gaudium, in quovis vitæ ſtatu: quid enim ſuavius, quam familiariter converſari cum Deo, ceu filius ingenuus, cum dilecto & diligente Patre? Erit 6. ipſa noſtra *beatitudo* æterna Pſal. XXVIII. 12.

V. *Media*, quibus obtinenda hæc communio, ſunt 1. *Spiritus* Dei 1 Joh. III. 24. qui habitat in nobis Eph. II. 22. eoque nos unit cum Deo, à quo vinculum Spiritus Eph. IV. 3. 4. 6. impetrandus precibus. 2. *Confœderatio* cum Deo, qua Deo promittenti, ſe Deum noſtrum fore, ſi modo nos velimus eſſe de populo ejus, ingenue adſtipulamur. 3. *Unio cum Chriſto*, qui non tantum ipſe Deus eſt; ſed etiam alienatos & diſtractos à Deo, cum ipſo redunit. Proinde 4. *fides viva*, qua Deum recipimus, velut ultimum finem noſtrum, & Chriſtum velut unicum noſtrum Mediatorem, ut cum eo uniamur, & cum eo communionem conſequamur. 5. *Charitas*, qua Deum quærimus, & quaſi attrahimus, eique conglutinamur, & communionem conſequimur: præterquam, quod amor ſua natura, in unionem & communionem feratur. 6. *Amicitia*, ceu amor mutuus, communicationem amoris procurat. 7. *Adhærere* Deo, ne ab ipſo divellamur, ambulando in eiſdem cum eo viis, ſeu præceptorum; ſeu providentiæ. 8. *Conformitas morum* quoad ſanctitatis & juſtitiæ ſtudium: ſimilis enim ſimili gaudet, nec eſt, quod communionem arctiorem reddat, quam ſimilitudo morum.

VI. *Alienatio à Deo*, cujus conſideranda

A. *Natura*. Eſt defectus communionis cum Deo, quo, ſeu prorſus *nullam* communionem colimus cum Deo, ſeu non eo *modo*, quo debebamus. Proinde hac alienatione 1. nullam habemus communionem cum Deo, quatenus *α.* vel *nullum* Deum agnoſcimus, cujus communionem ambiamus; vel *β. alios* ſectamur, quibuſcum communionem habeamus, ſeu loco ipſius; ſeu juxta cum eo, per *adulterium* ſpirituale; vel *γ. unicum* illum *verum* Deum, quem profitemur, non habemus pro Deo *noſtro*; vel *δ. inimicitiam* inſuper & odia cum eo agitamus. 2. Habemus quidem, & exercemus etiam, ſaltem profeſſione tenus; ſed non *juxta*, imo contra præſcriptum Dei: talis communio videtur quæri in *tentatione* Dei Pſal. XCV. 7. 8. *9.* qua modo illicito, experimentum quærimus alicujus perfectionis divinæ, eoque talem communionem cum Deo ſectamur, quæ ei non placet. *Perfectionis* inquam alicujus divinæ, v. g. (1) *potentiæ* Pſal. XXXVIII. 18. 19. dubitando num hoc aut illud poſſit, ipſi terminos præſcribimus, ut ſi hoc aut illud pro noſtro arbitrio faciat, tum habeatur pro omnipotente, cætera non. (2) *Scientiæ*, quando hoc aut illud in occulto facimus, dubitantes & q. exploraturi, num Deus illud ſciat Pſal. XCIV. 7. (3) *Præſentiæ* Exod. XVII. 7. (4) *Providentiæ*, quando media ordinaria à Deo præſcripta negligimus, experturi, num abſque illis, Deus nobis velit proſpicere Matth. IV. 7. (5) *Iræ* & *juſtitiæ* vindicativæ 1 Cor. X. 22. Quando, aut *malum facimus*, experturi, an Deus illud ſit vindicaturus; aut malo nobis à Deo *immiſſo*, contentionibus & obmurmurationibus obſtrepimus 1 Cor. X. 9. 10. Iſtæ tentationes fiunt, vel cum *expreſſa* intentione explorandi Deum, ut in *ſortilegiis* illicitis, & quando præſumitur de Deo, quod ipſe non promiſit; vel cum *tacita* & implicita intentione, quando id agitur, quod *ſua natura* eo tendit,

ut Deus exploretur, licet agens nil tale cogitet. Nominatim, si α. finem intendentes, negligamus ea *media*, quæ Deus præfixit, idque cum in *corporalibus*, si valetudinem expetentes, negligamus seu medicamenta, seu alimenta necessaria: Si β. nos exponamus, in corporalibus pariter & spiritualibus, *periculis* non necessariis. Si γ. *signum* aliquod à Deo expetamus, absque singulari aliqua ratione, inspiratione aut instinctu divino Matth. XVI. 1. Aut δ. oblatum nobis a Deo signum *respuamus* Jes. VII. 11. 12. 13. Tum ε in *spiritualibus*, si *salutem* expetamus neglectis *mediis*.

B. *Mala* hujus alienationis, ob quæ fugienda: 1. Privat nos omni *bono*, quod ex legitima communione cum Deo, nobis polliceri possemus. Insuper 2. nos *hostes* facit Dei: qui enim non cum eo; est adversus eum. Speciatim 3. tentatio Dei nos exponit justæ tentationi *Dei* & *hostium* nostrorum, cum spiritualium; tum corporalium. 4. Frustrabit nos omni *experimento* perfectionis divinæ, ex tentatione quæsito. 5. Est in se gravissimum *scelus* tentare Deum. Quod proinde 6. justissima in nos concitat Dei *judicia*.

C. *Causæ* hujus alienationis tollendæ: 1. *Peccatum*, quod nos disterminat à Deo Jes. LIX. 2. Hinc 2. *inimicitia* & odium Dei, quo ejus viis non delectamur Job. XXI. 14. Porro 3. *amor* sui inordinatus, & propriarum voluptatum, quibus communio cum Deo adversatur 2 Cor. v. 15. Etiam 4. *ignorantia*, qua Deum, communionem cum eo, & beneficia, ex ista communione oriunda, nescimus. 5. *Stupiditas*, qua nil mali, ex ista alienatione oriturum, metuimus. Nominatim *tentatio* Dei resultat 6. ex *infidelitate* & dubitatione, qua tentando experimentum quærens, non satis *fidit* verbo Dei revelato, adeoque novum & illegitimum experiendi modum comminiscitur. 7. *Desperatio*, cum tentans non exspectat Dei promissa, festinatione inordinata, conatur præscribere Deo, quando, & quo modo suæ exspectationi satisfaciat. 8. *Vilipendium* Dei, cum quis, v. g. ludens & jocans, experiri vult, an Deus seipsum manifestare velit ex voto ejus. 9. *Arrogantia* aut superbia, qua nostras voluntates divinæ voluntati subjicere recusantes, voluntatem ejus nostræ libidini subjicere studemus. 10. *Præsumptio*, qua confidimus, Deum hoc aut illud facturum, quod nusquam promisit, aut saltem non promisit, se eo modo, aut eis modis facturum, prout exspectamus.

D. *Remedia* opponenda: 1. Devote cogitare *bona* legitimæ communionis cum Deo, & *mala* alienationis. 2. Ea adhibere *media*, quibus generatur & promovetur communio cum Deo. 3. Obniti *causis* alienationis, pro sua cujusque ratione. Nominatim *tentationi* Dei opponamus α. religiosam *auditionem* verbi divini, illudque fide recipiamus. β. *Spem*, qua promissa divina exspectemus, eo modo, & illo tempore, quibus ipsi placet ea conferre. γ. *Charitatem*, qua tanti faciamus Deum, ut experimenta nulla quæramus, contra ejus placitum. δ. *Submissionem* Deo competentem, qua ejus voluntati nos placide subjicimus. ε. *Dependentiam* à solis ejus promissionibus, qua nihil exspectamus, quod nobis non est promissum.

CAPUT XIII.

De Cultu Dei instituto & Superstitione.

REpræsentavimus officia cultus Dei *naturalis*, juxta primum præceptum Decalogi: succedit cultus Dei *institutus*, cui Decologus tria posteriora primæ tabulæ præcepta impendit. Quæ officia cultus instituti, licet quoad radicem & fundamentum suum, sint juris *naturalis*; quoad tamen particularem determinationem, sunt juris *positivi*, à solo arbitrio divino pendentis. Iste cultus institutus tribus prioris tabulæ præceptis sic dirigitur, ut in *secundo* præcepto determinetur, *quanam* pro genuinis officiis cultus instituti sint admittenda, nim. *ea* & ea *sola* quæ Deus instituit: *tertio*, *modus* quo occupari debemus, circa officia cultus instituti: *quarto*, *tempus* universale ac solenne, quod istis officiis impendere debemus. Itaque juxta secundum præceptum, contemplabimur genuina officia cultus instituti, eisque oppositam superstitionem. Cultus igitur instituti, considerandæ veniunt

I. *Natura*. Est medium, ex voluntate Dei constitutum, ad cultum Dei *naturalem*, exercendum & promovendum. Instituitur iste cultus in *secundo* præcepto, per prohibitionem omnium mediorum oppositorum, quæ ab hominibus sunt excogitata, sub nomine *sculptilis* aut *imaginis*, quæ præcipua sunt hominum instrumenta, cultum divinum depravantia, quæ proinde sunt cultus *imaginarius*: cui per Synecdochen Decalogo perpetuam, involvitur legitimus cultus à Deo institutus. Dicitur cultus *institutus*, quia nititur liberrima Dei *institutione* & beneplacito, dum primi præcepti officia pendent ex *natura* Dei. *Institutus* ille cultus est *medium* exercendi & promovendi cultum *naturalem*, fidem, spem, charitatem &c. His enim honor ille divinus absorbetur, in quo

cultus

cultus *religiosus* consistit. Ad hunc diversas quidem relationes gestant officia cultus instituti, v. g. *effectorum* quatenus producuntur à fide, spe, charitate; *instrumentorum*, quibus officia illa cultus naturalis continentur, & suos actus exerunt; *causarum adjuvantium*, quatenus promoventur, atque etiam diriguntur: attamen *cultus* rationem ab eo maxime proprie habent, quod sint *media*, quibus *naturalis* ille *juvatur*. Sic tamen est *medium* cultus; ut nihilominus sit & ipse *cultus*, quanquam *secundarius*. Hujus *legitimitas* à solo pendet *auctore* suo, ejusque *institutione* Exod. XXIII. 13. Deut. IV. 2. ut nullus sit *genuinus*, nisi hinc oriundus, quod præceptum significatum vult vocibus: *non facies tibi*, conf. Amos. v. 26. Num. XV. 39. Et hinc etiam ab auctore abrogari potest: dum interim viget, perinde obligat, & eadem religione observandus est, qua cultus ipse *naturalis*. Officia cultus hujus *instituti*; perpetua quidem, & velut universalia sunt: solennis *prædicatio* verbi divini, publica *invocatio* nominis Dei, usus *signorum* & sigillorum Gen. IV. 26. His inserviunt, fidelium consociatio in *Ecclesias*; *Ministrorum* constitutio, qui præsint; *disciplina* quædam Ecclesiastica. Virtus *generalis*, omnia ista dirigens, est *obedientia*, strictiore significatione, qua id facimus, quod rectum est in oculis Domini, quamvis alia quædam videri possint rectiora in oculis nostris Deut. XII. 25. 28.

II. *Distributio*. Est 1. vel Veteris T. nim. *ceremonialis*, qui quidem in præcepto secundo non designatur, sicut nec N. T. sed imperatur tamen, quatenus generaliter præscribitur omnis cultus imperatus, qui sub N. T. abrogatus est: vel 2. Novi T. adhucdum observandus. Hic rursus 3. vel *primarius* est, qui *immediate* exercet, & promovet cultum *naturalem*, fidem, spem, charitatem &c. Et 4. *secundarius*, qui respicit *primarium immediate*, & per eum, *naturalem* quoque.

III. *Bona* cultus instituti, ob quæ exercendus: 1. Perinde Deo debetur ac cultus *naturalis*, non tantum, quod illum perinde exigat ac priorem, velut supremus Dominus & legislator; sed etiam quia imperatur à *naturali*, imo & quia adæquatus finis & usus ejus est, ut Deus recte colatur. 2. Est *instrumentum*, quo fides, spes, charitas——suos actus exserunt, & in quibus continentur, adeo ut *naturalis* officia obtinere non possint, ubi deficiunt officia cultus *instituti*. Insuper officia cultus *naturalis*, fides, spes, charitas——juvantur & promoventur officiis cultus instituti. Atque adeo 3. *utiles* sunt nobis, ut Deo *placeamus*. Imo & 4. *necessarii*, ut quavis ejus benedictiones impetremus. Speciatim 5. pollicetur, se nobis *affuturum* sua gratia, in exercitio officiorum cultus instituti Exod. XX. 24. Matth. XVIII. 20.

IV. *Exercitium* cultus instituti requirit, 1. ut fiat *obedientia* ingenua, ideo tantum, quia Deus præscripsit, cum pia subactione propriorum ratiociniorum, quando aliud quidvis nobis videatur convenientius. 2. Ut *pari* religione exerceantur cum fide, spe & charitate divina. 3. Ut ea *sola* habeamus pro officiis genuinis cultus instituti, quæ Deus nobis præscripsit, nihil addendo, vel detrahendo Deut. IV. 2. & XII. 32. Porro 4. ut in eum *finem* exerceamus officia cultus instituti, ut eis juvemur & promoveamur, in fide, spe, charitate, non ex *opere operato*. 5. *Modus* autem exercendi ista officia, ex professo designabitur capite seq.

V. *Superstitio*, cujus consideranda

A. *Natura*. Est cultus *voluntarius*, ab hominibus excogitatus: *imaginarius* & *indebitus*: sive à nobis *ipsis* fuerit excogitatus; sive ab aliis adoptatus. *Indebitus* est, vel ratione 1 *materiæ*, quando talibus Deus colitur, quæ non præscripsit, ut fit in *traditionibus* humanis. Vel 2. ratione *modi* & mensuræ, quomodo circa Sabbathi observationem peccabant Pharisæi Marc. VII. 8. Vel 3. ratione *obligationis*, quando his conamur Deum colere, quæ præscripsit quidem; sed abrogavit postea, quod fit observatione *ceremonialium*, abstinentia à certis cibis, cultu festorum. Peculiariter superstitio adversatur vel α. *auditioni* verbi divini, quod fit in *traditionibus* quibusvis humanis: item in institutione per imagines, tanquam laicorum libros, nec non in *ceremoniis*, quibus mystica aliqua significatio tribuitur. Vel β. *Sacramentis*, quo spectant spuria Pontificiorum Sacramenta, & sacrificium missaticum. Vel γ. *precationi*, quando Deum invocare & colere conamur *per imagines*. Item δ. per ea quæ *idolis* sunt consecrata, *idolothyta* Num. XXXIII. 52. 1 Cor. VIII. 10. 2 Cor. VI. 16. Vel ε. *Ecclesiastico* regimini, quando tales *formas* excogitamus, quas Deus non præscripsit, v. g. in Ecclesiis œcumenicis, provincialibus, diœcesanis, earumque regimine monarchio, democratico, de quibus suo loco lib. VII. cap. VII. Vel ζ. *disciplinæ* Ecclesiasticæ, in pœnis temporalibus &c.

B. *Mala* superstitionis, ob quæ vitanda est: 1. Est cultus & labor *frustraneus* Matth. XV. 9. Est 2. *prohibitus*, adeoque peccaminosus Deut. IV. 2. & XII. 32. Est 3. *idololatricus*, quatenus eo talem fingimus Deum, qui hujusmodi cultu delectetur. Est 4. expers omnis *benedictionis* divinæ Jes. VIII. 20. Est 5. adversus *Christum*, cum quo Christiani mortui sunt Col. II. 20. Constituit *elementa mundi*, extra Ecclesiam Christianam, reddit *mundanos*, adhucdum *viventes* in

in mundo. Ibid. Est 6. *vanus* & ipso usu evanescens. Ibid. 7. *Subjugat* & mancipat suos cultores, è liberis servos faciens. Ibid. 8. *Gravat* conscientiam. Ibid. 9. *Ludificat* suos cultores, specie sapientiæ, humilitatis, ἀφειδίας τοῦ σώματος. Ibid.

C. *Causa* superstitionis tollendæ: 1. *Ignorantia* veri cultus divini. 2. *Sapientia* carnalis, quæ non acquiescit in lege divina, nec ei se subjicit. 3. *Fastus*, quo quis, æmulatione Dei, suus esse vult legislator, aliorumque. 4. *Simulata* pietas, seu hypocrisis, qua plura quam debet, Deo præstare vult. Quandoque etiam 5. opinio *meriti*, aut operis supererogatorii.

D. *Remedia* tollendæ superstitioni adhibenda: 1. Serio cogitare *sufficientiam* cultus à Deo instituti. Etiam 2. *mala* superstitionis. 3. Obniti causis superstitionis, eis mediis, quæ efficacissime adversus quamque earum valent.

CAPUT XIV.

De Cultus instituti Usu & Abusu.

QUænam sint germana cultus instituti officia, *secundum* indicavit Decalogi præceptum: quisnam eorum *usus* & *abusus*, *tertium* determinat. Per *nomen* Dei, hic intelligendus videtur *cultus institutus*, ut fit Act. IX. 15. Deut. XII. 5. Mich. IV. 5. Mal. I. 11. 12. Hujus cum prohibetur abusus, quo illud *sumimus in vanum*, per Synecdochen Decalogo perpetuam, mandatur genuinus ejus usus, cujus consideranda

I. *Natura.* Est modus exercendi officia instituta, convenienter majestati instituentis, & eorum sanctitati relativæ, quoad *circumstantialia.* Est modus *exercendi*: ipsa enim officia præscribuntur in *secundo* præcepto. Respicit officia *instituta:* officia enim *naturalia* v. g. agnitio, dilectio, obsequium, fides, spes, charitas —— non ita certum modum exigunt, atque quidem instituta, v. g. annunciatio & auditio verbi Dei. Luc. VIII. 18. In illis enim Deus magis attendit ad id *quod* fit: in his autem magis modum *quo* fit. Modus iste generaliter debet esse *conveniens*, cum majestati instituentis: tum rerum ipsarum sanctitati relativæ; impressit enim, ut ita dicam, eis *nomen* suum, adeoque *sanctitatem* quandam, eoque sibi consecravit. Conf. Matth. XXII. 20. Illa officia tandem respicit, quoad *circumstantialia*, non quoad *essentialia:* modus enim virtutum & actuum Religionis, in ipsis virtutibus & actibus continetur, & in eisdem præceptis, cum illis directe mandatur: sed *accidentalis* ille modus est in *circumstantiis*, aliquo modo diversis ab ipsis actibus, adeoque separabilis, qui tamen ad ipsos actus, ut Deo grati sint, necessario requiritur, iste demum in *tertio* præcepto singulariter mandatur. Sunt autem istæ circumstantiæ, officiis vel magis *interna*; vel *externa.* *Interna* rursus, vel *antecedentes*, vel *concomitantes*, vel *subsequentes.* *Antecedentes* requirunt justum desiderium, animi excitationem & meditationem eorum, quæ pertinent ad officium illud sacrum tractandum Eccl. V. 1. 2. maxime in officiis *statis* & solennioribus, v. g. precibus talibus, non in *ejaculatoriis.* *Concomitantes* sunt, α. *Reverentia* strictiore sensu, quæ complectitur eorum officiorum justam æstimationem; & timorem nimiæ familiaritatis, quâ indigne à nobis possit tractari: β. *Devotio*, quæ consistit, partim in *animi præsentia*; partim in *promptitudine* & alacritate exercendi; partim in *delectatione*, quam in exercitio experimur: *consequentes* sunt, ut *partim* vim & quasi saporem illorum, in animis nostris retineamus; *partim*, ut finem & fructum eorum conemur obtinere. Hæ sunt circumstantiæ *interna*, *externæ* quæ pertinent ad *ordinem & decorum* 1 Cor. XIV. 40. quoad loca, tempora aliasque ceremonias, quæ quidem determinantur ex generali illa *ordinis* & *decori* regula, ab hominibus; sed tamen, si in ista determinatione error non committatur, sunt *juris divini.*

II. *Distributio.* Modus iste est 1. vel *generalior*, quibusvis officiis communis, quem jamjam repræsentavimus, vel 2. *specialior* singulis officiis, ex peculiari sua natura, magis proprius, v. g. publicæ verbi divini auditioni, precibus, Sacramentis: item circa Ecclesiam, Ministerium, disciplinam &c. observandus. Quos modos suis locis descripsimus.

III. *Bona* usus legitimi, ob quæ observandus. Exigit eum 1. *Majestas* Dei, velut supremi Domini & legislatoris. 2. *sanctitas* officiorum, utpote quibus Deus *nomen* suum imposuit, quæ sibi dedicavit, & suam *Sanctitatem* modo quodam communicavit. 3. *Gratia* ipsorum officiorum, qua Deo grata sunt, utpote qui in eis non tam facta respicit, quam modum faciendi. 4. *Utilitas*, quatenus omnis efficacia, omnium nostrorum officiorum, ad exercendam, fovendam & confirmandam fidem, spem & charitatem, pendet ex legitimo eorundem usu. 5. *Suavitas*, quatenus omne commercium nostrum cum Deo omnisque adeo conscientiæ nostræ serenitas tranquillitasque, in istis nostris officiis, pendet à legitimo isto modo. Hinc 6. absoluta ejus *necessitas.*

IV. *Abusus*

V. *Abuſus* cultus inſtituti. Cujus conſideranda

A. *Natura.* Eſt uſus temerarius nominis divini, in exercitio cultus inſtituti. Quando 1. vel ſine *ullo* fine, ex opere, ut loquuntur, operato, officiis iſtis incumbit, acquieſcens in opere peracto. 2. Vel ſine *juſto* fine, ut eis fidem, ſpem, charitatem exerceat & promoveat. Vel 3. *fruſtra*, h. e. non eo modo, qui requiritur ad finem juſtum, honorem ſcil. Dei. Diſtinctius, abuſus iſte eſt 4. in *acedia*, qua quis res divinas & ſpirituales faſtidit 2 Tim. IV. 3. Quæ opponitur deſiderio illi, quo appetere debemus res ſpirituales 1 Pet. II. 2. Porro 5. *pigritia*, qua quis alacritatem & laborem, ad res divinas requiſitum, refugit Rom. XII. 2. Quæ opponitur animi excitationi, qua res divinæ ſunt proſequendæ Pſal. LVII. 8. 9. Inſuper 6. *neglectus* & contemtus rerum ſacrarum, & earum abuſus ad res leves, ludicras aut turpes, contra reverentiam, quæ ſacris debetur Luc. XIX. 46. Adhæc 7. *torpor* & evagatio mentis in exercitiis cultus, opponitur devotioni, qualis erat in Cornelio. Act. X. 2. Ezech. XXXIII. 31. Etiam 8. *levitas* in uſurpatione, vel nominum & titulorum Dei; vel eorum quæ ſingularem reſpectum habent ad Deum Jer. XXIII. 24. Nec non 9. *oblivio* Jac. I. 24. 25. Tandem 10. *confuſio*, quæ ordini & decoro, in rebus divinis ſervando, opponitur 1 Cor. XIV. 33.

B. *Mala* hujus abuſus, ob quæ vitandus: 1. Eſt turpiſſima divinæ majeſtatis, nominis & cultus ejus *profanatio.* Cui 2. graviſſima judicia ſe inflicturum, indeclinabiliter, comminatur in tertio præcepto. Etiam 3. *temporalia* quævis 1. Paral. XV. 12——16. Porro 4. omnem laborem noſtrum, quem impendimus cultui divino, *vanum* reddit & fruſtraneum, quando nos nomen Dei in vanum ſumimus. Atque inſuper 5. *abominabilem* Deo Jeſ. I. 11——16. Pſal. I. 16. 17. & ſtercoreum, quem ſe nobis in faciem reciprocaturum pronuntiat Mal. II. 3.

C. *Cauſæ* hujus abuſus, in medicatione tollendæ, ſunt: 1. *Imperitia* eorum quæ ad legitimum iſtum uſum requiruntur, eaque non raro *voluntaria* Job. XXI. 14. Tum 2. *independentia* impia, qua ſufficere putant, ſe ipſis officiis obſtrictos eſſe, licet non obſtringatur tot circumſtantiis Jer. XLIV. 16. 17. Porro 3. labor & *moleſtia*, quæ eſt in attentione, & tam ſtricta obſervatione tot circumſtantiarum. 4. Defectus *gratiæ* dirigentis, in tot circumſtantiarum ambagibus &c.

D. *Remedia* adverſus iſtum abuſum, ſuppetunt 1. à devota ponderatione *bonorum* legitimi uſus, & *malorum* abuſus. 2. Obnitamur cauſis, eis adminiculis: quæ adverſus quamque earum ſunt validiſſima, v. g. *imperitiæ* occurrendum ſtudio verbi divini; *independentiæ* impiæ, occurret conſideratio independentiæ, ſoli Deo competentis, qua ipſe ſolus nobis poteſt præſcribere non tantum *officia* præſtanda; ſed & præſtandi *modum*, dum nobis non competit niſi gloria obſequii: *moleſtiam* franges, non tantum cogitatione utilitatis, & neceſſitatis legitimi cultus; ſed & exercitio & aſſuefactione, quæ habitum paulatim adducet: *defectui gratiæ*, efficaciſſime ſuccurrent preces Pſal. CXLIII. 10. &c.

CAPUT XV.

De Sabbathi ſanctificatione & Profanatione.

SEquitur tandem, tempus *univerſale*, ſtatum & ſolenne, cultui, potiſſimum *inſtituto* impendendum. Cultui inquam *inſtituto:* officia enim cultus naturalis non ita requirunt tempus ſolenne; iſtud tempus dicitur *Sabbathum*, hujus præſcribitur *Sanctificatio*, & prohibetur *Profanatio.* Sabbathi igitur cogitanda veniunt

I. *Natura. Tempus* aliquod impendendum eſſe, ipſa dictat *natura*, & ipſa illa præcepta, quæ cultum divinum præſcribunt: Tempus *ſtatum* eidem eſſe impendendum, ipſi etiam Gentiles lumine *naturæ* agnoverunt: illud autem tempus ſtatum, eſſe debere diem *ſeptimum*, juris eſt *moralis*, h. e. *univerſalis* & perpetui; ſed tamen *poſitivi*, h. e. quod à ſolo pendet arbitrio Legiſlatoris. Nec tantum dies *ſeptimus* eſt ſanctificandus, pro arbitrio noſtro, ut poſt dies *ſeptem*, ſanctificemus diem quemvis; ſed *ille* præciſe ſeptimus, quem Deus ipſe determinavit. Ut vi hujus præcepti, & *Judæi* olim obſtricti fuerint, ad ſanctificationem *ſui* diei ſeptimi, quem Deus determinabat numerandum eſſe, à quiete Dei poſt opus creationis, & nos etiam Chriſtiani obligemur ad *noſtrum* diem ſeptimum, numerandum à reſurrectione Chriſti: quia utrique ſuum diem ſeptimum præſcribit: *quartum* enim præceptum, non niſi *generaliter* præſcribit, diem illum ſeptimum eſſe ſanctificandum, quem Deus determinaverit. Id quod indicari videtur, præfixo demonſtrativo, ה in voce השבת, *illud Sabbathum.* Hoc igitur eſt *morale* ſeu univerſale *quarti* præcepti, ut *illum* diem ſeptimum impendamus exercitio cultus poſitivi, quem Deus determinaverit. De quo

tamen non omnes idem sentiunt, sunt qui 1. existimant *omnem* legem Mosaicam sub N. T. esse abrogatam, sic Anabaptistæ, Sociniani, Antinomi & nonnulli è Patribus, v. g. Augustinus, Hesychius aliique. Sunt 2. qui statuunt, *quartum* præceptum esse mere *ceremoniale*, adeoque cum reliquis umbris V. T. abrogatum. Sunt 3. qui volunt, quartum præceptum esse ex parte *morale*, quatenus scil. statum aliquod tempus indicit, cultui instituto impendendum; ex parte *ceremoniale*, quatenus præcise diem *septimum* vult esse impendendum. Reformati 4. communiter volunt, *quartum* præceptum esse *mere Morale*. Quia α. sic est rogatum à Deo, ut nunquam legatur abrogatum. Quia β. etiam in N. T. est ratificatum Matth. v. 17. 18. 19. Quia γ. essentialiter *utile* est, ad exercendum, promovendum cultum Dei publicum, omni tempore, agnoscentibus ipsis adversariis. Porro est *Morale*, quia δ. Decalogo, tabulis lapideis à Deo insertum, ad ejus perpetuitatem indicandam. Quia ε. aliqua diei *septimi* sanctificatio videtur obtinuisse in statu *integritatis* Gen. 11. 2. Et procul dubio, si Protoplasti perstitissent in officio, habituri fuissent aliquem cultum publicum in conventibus, adeoque & certum tempus, & quodnam convenientius, quam dies septimus, quo ipse Deus quievit, & quem sanctificavit?

II. *Distributio.* 1. Sunt *Sabbatha*, omnia scil. Judæorum festa *ceremonialia*, de quibus Apostolus Col. 11. 16. 17. Quæ, cum habuerint *umbras*, ad tempus gratiæ, sub N. T. futurum, juxta cum aliis typis, omnium Christianorum consensu, jam abrogata sunt. 2. Est *Sabbathum* hebdomadarium, quale viguit ab ipso mundi exordio non tantum exemplo Dei, quiescentis post sex dies creationis; sed etiam ab eo *sanctificatum*, h. e. institutum. Et hoc rursus triplex observatur: vel α. *Judaicum*, videl. septimus ille dies, qui numerabatur à quiete Dei post creationem, & hoc etiam videtur præfiguraſſe quietem Christi in sepulchro, eaque cessante, & opere restitutionis per redemtionem peracto, exspiravit, juxta cum reliquis umbraticis statutis. Quod observandum, contra Sabbatharios, cum veteres, per tria fere priora Christianismi secula, qui Sabbathum *Judaicum simul* observabant, cum Sabbatho *Christiano*; & modernos quosdam, qui *pro* Sabbatho Christiano, colunt Judaicum, quales in Anglia exstiterunt nonnulli. Istud Sabbathum Judaicum jam cessat, (1) abrogatione facta sub N. T. (2) *Exspiratione*, præstito ejus antitypo. (3) Substitutione Novi Sabbathi Christiani, qua vetus cessat: quod unus tantum dies septimus in quarto præcepto jubeatur sanctificandus: Vel β. *Christianum*, dies nim. ille septimus, qui numeratur à resurrectione Christi, qui A. ab hoc nominatur *dies Dominicus* Apoc. 1. 10. forte etiam Psal. cxviii. 24. quemadmodum *cœna Domini*. Quo B. cessavit ab opere redemtionis. C. Quo apparuit discipulis in solenni eorum congregatione, eisque benedixit. Quo D. Spiritum S. effudit in discipulos, eo die; non in templo, Religione Pentecostes: sed privatim congregatos, procul dubio religione istius diei. Qui etiam E. usitatus fuit in Ecclesia Apostolica Act. xx. 7. Joh. xx. 19. 26. 1 Cor. xvi. 1. 2. Procul dubio, ab institutione Christi &c. Est tandem 3. Sabbathum *quarti* præcepti, quod indefinite jubet sanctificare *illum* diem septimum, quem Deus determinaverit, adeoque *implicite*, & Judæos obstringebat ad suum Sabbathum; & Christianos ad suum *Dominicum*, quia illis, illum; his hunc diem septimum determinavit.

III. *Sanctificatio* Sabbathi. Quæ peragitur *partim* quiete seu cessatione ab omnibus operibus *nostris* vel propriis: illis scil. quibus lucrum temporale intendimus, aut recreationes, & quibus in genere impediuntur *opera* Dei, qualia sunt opera vocationis nostræ ordinaria, peregrinationes non necessariæ: *partim* exercendo *opus Dei*, h. e. officia cultus potissimum instituti, frequentando sacra, contemplando opus creationis, visitando & consolando afflictos, quibus accensemus opera *necessitatis*, *charitatis*, cum versus bruta; tum versus homines; communis & civilis *honestatis*, v. g. inducere vestimenta, apparare cibum, atque etiam omnia opera *civilia*, quibus excitari, & aptiores reddi possimus ad opus cultus divini, quæ eo ipso evadunt opera divina. Interim *totum* diem exigit, partim publice; partim privatim sanctificandum.

IV. *Bona*, seu motivæ, quibus ad istam sanctificationem excitari debemus: 1. Emphaticum illud *memento*, soli quarto præcepto adjectum. 2. Quod *unum* diem sibi addixerit, & nobis sex indulserit, cum ex adverso sex sibi exigere, & nobis unum relinquere potuisset. 3. Quod exigat quietem, cum durissimum laborem nobis præscribere potuisset. 4. Quod ipse proprio exemplo nobis præluxerit, quiescendo & sanctificando. 5. Quod sanctificationi isti suam benedictionem construxerit: *benedixit* —— *& sanctificavit*: benedictionem inquam, cum spiritualem, tum temporalem. Conf. Exod. xvi. 20——27. Quod 6. eo die totus populus Dei, per universum orbem, se solenniter sistere debeat coram Deo suo, ejus faciem quærere, ejus vocem & præscripta audire, suaque desideria precibus ei repræsentare, in ejus domo & conspectu meditari: hisque omnibus suavissimam nostram communionem cum eo exercere, nec tantum imaginem quandam; sed & primitias & prægustum experiri, beatissimæ nostræ communionis cœlestis. Quod 7. talis

sancti-

sanctificatio, efficaciſſimum medium præſtet, ædificandæ Eccleſiæ, & promovendæ pietatis ἀ χριβείας. Tandem 8. quod figura ſit noſtræ requiei cœleſtis Heb. IV. 9. 10. 11.

V. *Profanatio* Sabbathi. Cujus conſideranda

A. *Natura.* Eſt generaliter defectus eorum officiorum, quæ ad ſanctificationem Sabbathi requiruntur. Qui accidit 1. *negligendo* diem nobis tam ſolenniter & operoſe præſcriptum & commendatum à Deo. 2. Eum ex profeſſo, velut ceremonialem *impugnando* & abrogando. 3. Ei alios dies feſtos *conſtruendo*, v. g. Paſchatis, Pentecoſtes, nativitatis &c. cum Deus nobis unum tantum ſeptimum præſcripſerit ſanctificandum. 4. Diem iſtum *propriis* negotiis *impendendo*. 5. *Non faciendo* opera Domini, nihil agendo, quomodo & bruta eo die quieſcunt. 6. Eum etiam operibus carnis, comeſſationibus & recreationibus carnalibus abſumendo &c.

B. *Mala* hujus profanationis, ob quæ fugienda: 1. Nos privat omnibus illis bonis quæ adfert ſanctificatio. 2. Spernit majeſtatem Dei legiſlatoriam, illumque diem quem tam ſolenniter nobis præſcripſit. 3. Ejus item bonitatem & clementiam, qua nobis ſex dies indulſit; unum tantum ſibi ſervando. Atque etiam 4. *quietem* illam, quam in commoditatem noſtram à nobis exigit, non exigendo à nobis duros labores. Ad hæc 5. Sacramentum ſeu *ſignum* illud tam ſolenne, quod Jehova *Deus noſter ſit*, *qui nos ſanctificat* Ezech. XX. 12. 20. Exod. XXXI. 13. Porro 6. ſuaviſſima illa converſatione cum Deo, qua frui debebamus, in officiis ſanctificationis, eo die. Ab omnibus præcedentibus 7. Deus Sabbathi violationem, aliquando morte *temporali*, vindicandam dixit Num. XV. 32.

C. *Cauſæ* profanationis tollendæ: 1. *Vilipendium* iſtius diei, quatenus non eſt juris naturalis; ſed poſitivi, quem proinde natura non commendat, ſicut reliqua præcepta. 2. *Odium* ejus, ex quo oppugnatio & abrogatio naſcitur. 3. *Superſtitio*, qua non contenti, *uno* illo die, quem Deus ſanctificandum juſſit; alia feſta ei conſtruimus. 4. *Perverſitas* naturalis, qua illa quæ *Deus* vult, *nos* nolumus, & vice verſa: hinc quando Deus vult ut quieſcamus; tum nos volumus operari, & ex adverſo. 5. *Amor lucri* terreni, quo, nec Sabbatho parcimus, eumque negligendum & profanandum ducimus. 6. *Diffidentia* verſus providentiam divinam, quæ poſſit & velit nobis noſtriſque proſpicere, ſi eo die nihil lucrifaciamus. 7. *Inimicitia* cum Deo, qua ab omnibus exercitiis communionis cum eo, abhorremus Ezech. XX. 13. Job. XXI. 14. 15.

D. *Remedia* adverſus iſtam profanationem adhibenda: 1. Sibi ſerio repræſentare *bona* ſanctificationis, *mala* profanationis. 2. Obniti fortiter cauſis ejus, v. g. *Vilipendio* diei, opponamus graviſſimum illud *memento*, cum reliquis motivis & circumſtantiis, quibus hoc præceptum Deus operoſius inculcat quam reliqua; *Odio* Dei medetur conſideratio ſapientiæ & benignitatis divinæ, quæ, non hominem Sabbatho; ſed Sabbathum homini conſecravit, h. e. in commodum ejus. Sic pergendum eſt per reliquas cauſas profanationis, ut quamque oppugnemus & expugnemus, eis remediis, quæ adverſus eas ſunt valentiſſima.

IDEA

THEOLOGIÆ MORALIS.

LIBER TERTIUS,

De Juſtitia & Injuria verſus Proximum.

CAPUT I.

De Juſtitia erga Proximum in genere & Injuria.

RElegionis ſeu cultus divini officia, tum *naturalis*; tum *inſtituti*, exantlavimus; ſuccedunt officia Juſtitiæ erga proximum, cui opponitur *injuria*. Juſtitiæ conſiderabimus

I. *Naturam.* Circa quam cogitanda: 1. *Jus*, à *juſſu* dictum, notat, vel α. *Legem:* vel β. *Actionem* quam Lex præſcribit: vel γ. *Peritiam* legum, juxta vulgatum: *jus eſt ars æqui ac boni:* vel δ. poteſtatem agendi ſecundum legem, ſic dicitur quis ſuo *jure uti.* Cui affine eſt *privilegium*, quod vel lege, vel æquali auctoritate, alicui conceditur. Jus autem eſt, vel A. *divinum*,

cujus Deus est auctor; vel *humanum*, cujus homo est conditor. *Divinum* rursus est, vel *naturale*, quod profluit à *natura*, seu Dei; seu hominis, quatenus gestat imaginem Dei: vel *positivum*, quod profluit à *beneplacito* divino; illud *immutabile*; hoc *mutabile* est: B. *Humanum*, ex sententia Jurisconsultorum, est (1) *naturale*, honeste vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere (2) *Gentium*, seu id quo omnes gentes utuntur; seu quod gentes, communi consensu & consuetudine constituerunt. (3) *civile*, quod quælibet civitas, aut hominum societas sibi constituit. Omne *jus* prostat in Lege *morali*, quoad sua *principia*, ex quibus *conclusiones*, per legitimam consequentiam sunt diducendæ: hæ quo longius distant à suis principiis, eo sunt incertiores & ignotiores, hinc legibus sunt determinandæ: 2. *Justitia*, est *propensio* voluntatis, ad agendum secundum *jus*. Hujus duplex in multis observatio, quarum *una* respicit finem *proximum*, & verba legis obligantis, quæ *justitia* strictissimo sensu dicitur; *altera* finem *remotum*, & legis rationes, quæ *æquitas*, seu *ἐπιείκεια* appellatur. Respicit nobis hoc loco, justitia *proximum*, h. e. omnem illum, sive hominem, sive Angelum, qui nobiscum particeps est, vel esse potest, ejusdem finis & beatitatis Luc. x. 37. 38. & analogice etiam *nosipsos: diliges proximum*, *sicut temetipsum*, juxta tritum: *quod tibi non vis fieri*, *alteri ne feceris:* imo & quadantenus *bruta*, quibus & *sua* Deus addixit, per justitiam ipsis tribuenda.

II. *Distributionem.* Est justitia 1. vel *generalissima*, quæ omne notat officium versus alium, & etiam Religionem connotat, nec est nisi virtutis cujusvis *rectitudo*, imo essentia. Sic eam supra numeravimus inter affectiones generales virtutis: vel 2. *specialissima* quæ respicit, vel meriti, vel accepti quantitatem reciprocandam, sic pauca tantum posterioris tabulæ officia continet, illa scil. quibus par pari refertur: vel 3. *media* quædam, quæ mutuum officium denotat inter eos, qui eodem jure tenentur, quo sensu totius tabulæ secundæ vim exhaurit, & hujus loci est. Hæc rursus est 4. vel *distributiva*, quæ suum cuique *tradit*, per rectam *dijudicationem* rerum & personarum, decentemque *comparationem*, rerum ad res, & personarum ad personas, ut observetur proportio *Geometrica*. Vel 5. *emendatina*, quæ suum cuique *reddit*, estque rursus vel 6. *commutativa*, quæ consistit in æqualitate redditi & accepti, de qua suo loco ex professo: vel 7. *correctiva*, injustitiam aliquam præsupponens corrigendam: sive illa sit 8. *civilis*, corrigens injustitiam *rei*; sive 9. *criminalis*, corrigens injustitiam *personæ*. Ad hanc spectat, cum *vindicta*, qua pœna infligitur ei, qui justitiam violavit, tum *restitutio*, qua alter iterum statuitur in possessionem rei suæ, qua fuit injuste privatus.

III. *Bona* justitiæ, ob quæ est expetenda: 1. Est justitia inter præcipuas *perfectiones Dei*, cui accedimus studio justitiæ, eoque perfectiores reddimur. Est 2. egregia pars *imaginis* divinæ Eph. IV. 24. Est 3. *productrix*, altrix, & *gubernatrix*, *omnis* officii versus proximum. Est 4. *vinculum* & fundamentum omnis societatis *civilis*. Imo & 5. suo modo societatis *Ecclesiasticæ*. Est 6. *stabilimentum* omnis pacis & tranquillitatis in utraque societate civili & Ecclesiastica. Adeoque 7. cornucopia omnis *boni*, & fruitionis ejusdem.

IV. *Injuriam*, seu injustitiam, cujus consideranda

A. *Natura.* Est vitium, quo non propendemus ad suum proximo tribuendum. Quod committitur 1. *προσωπολαψία*, qua unus alteri præfertur, in distributione bonorum debitorum, sine justa ratione. Opponitur justitiæ *distributivæ*. 2. *Furto*, quo injuste rem suam proximo negamus. Repugnat justitiæ *commutativæ*: de qua nos suo loco. 3. Iniquitate *forensi*, qua in *civilibus* perperam huic adjudicatur, quod est alterius. Obnititur *correctivæ civili*. Aut etiam 4. in criminalibus, quando vindicta, vel negligitur, ubi exercenda erat; vel exercetur, ubi cessare debebat, scil. in insontes; vel non exercetur convenienter delictis, seu in excessu, seu in defectu. Opponitur justitiæ *criminali*. 5. Iniqua *detentione*, ejus quod proximo debebat restituere.

B. *Mala injustitiæ*, ob quæ fugienda: 1. Est *fœda*, non tantum coram Deo; sed etiam hominibus, usque adeo, ut ipsi etiam injustissimi, à denominatione injusti abhorreant. 2. Exponit injustum *iræ* divinæ Rom. I. 18. Porro 3. privat hominem formositate & elegantia *imaginis* divinæ, quæ præcipua, si non unica ejus est gloria, qua gratus est Deo & hominibus. 4. Suffocat ipsam *religionem* versus Deum, quia negat proximo quod suum est, ex præscripto Dei. 5. *Turbat*, & quantum in se est, pessundat omnem societatem humanam, tam civilem, quam Ecclesiasticam. 6. Conversationem, imo vitam omnem reddit amaram, & quandoque ipsa morte duriorem &c.

C. *Causæ* injustitiæ, in curatione tollendæ: 1. *Ignorantia* juris divini & humani, qua nescimus, quid proximo debeatur. 2. Perversus *sui ipsius amor*, quo quod nostrum est, tantum sectamur, vel cum dispendio proximi. 3. *Vilipendium* proximi, quo non tanti eum facimus, ut suum ei confe-

conferamus. Imo & 4. vilipendium *Dei*, quo ejus auctoritatem non tanti facimus, ut ex ejus præscripto, non privemus alium suis bonis. Est plerumque 5. *avaritia*, qua, vel nobis arrogamus, quæ sunt proximi, & abrogamus quæ sunt sua. Est etiam quandoque 6. *studium partium* in προσωποληψίᾳ, quando, vel perverso amore hujus, vel odio alterius, injuste pronunciamus in judicio, absolvendo, vel comdemnando.

D. *Remedia* adversus injustitiam adhibenda: 1. Serio ponderare *bona* justitiæ, & *mala* injustitiæ. 2. Obniti *causis*, pro sua cujusque natura & efficacia, v. g. ignorantiæ, amori sui ipsius &c. Istis mediis, quæ efficacissime adversus quamque valent &c.

CAPUT II.

De Charitate & Malevolentia versus Proximum.

JUstitiæ officia omnia semper exercenda sunt, cum respectu ad proximi bonum, & ab eo resultare debent. Hinc *charitatis* nomine designantur Matth. XXII. 29. Marc. XII. 31. Cui opponitur *malevolentia*. *Charitatis* examinanda

I. *Natura*. Est propensio cordis seu voluntatis in proximum. Complectitur amorem *concupiscentiæ*, quo ejus præsentiam & commercium desideramus; *complacentiæ*, quo in eo acquiescimus, ejusque communione delectamur; & *benevolentiæ*, quo bona quævis, corporalia pariter & spiritualia, temporalia & æterna, ipsi cupimus. Prout analogice observamus circa amorem versus Deum, nisi quod in proximo sæpe accedat ratio misericordiæ, quæ circa Deum non habet locum. Objectum hujus charitatis est *proximus*, h. e. α. *omnis* homo, cui possumus aliquod bonum conferre Luc. X. 29. 37. Act. XVII. 26. β. Homo; quatenus capax est *nobiscum beatitudinis* supranaturalis. γ. *Peccator* quidem; sed non quatenus talis est; sub illa enim ratione, non diligendus; sed odio habendus est. Ordo hujus charitatis, talis est, ut cum Deus sit *primo* & maxime & charitate diligendus, atque adeo, sit quasi formalis ratio charitatis erga proximum; proxime post Deum diligamus nosipsos, illa charitate, quæ respicit veram beatitudinem: Deum enim amando, amore unionis; nosipsos immediate amamus, charitate illa summa, quæ respicit beatitudinem nostram spiritualem: alios autem quasi *secundario*, quos nobiscum participes esse volumus ejusdem boni. Inter homines, quamvis nemo à charitate nostra sit excludendus; non tamen idem versus omnes charitatis gradus est observandus. Equidem ratione *boni*, quod proximo debemus velle, nulla est imparitas, quia summum bonum cuique proximo debemus velle, sicut nobis ipsis: nec ratione *affectus*, volendi seu optandi istud bonum, esse etiam debet ulla imparitas intensionis & remissionis: ast ratione *exercitii* & effectorum hujus affectus; imparitas frequentiæ, ordinis & extensionis datur, prout circumstantiarum concursus necessariam facit operationem charitatis. Nam 1. frequentius actum ipsum charitatis elicere debemus erga illos, in quibus frequentius nobis occurrunt *rationes* & causæ dilectionis. 2. Ordo debet observari, secundum *occasionem* quæ præbetur, & actuum ad objecta sua *proportionem*. 3. Extensio ad plura, aut nobiliora effecta, secundum eorum *necessitatem* & dilectorum dignitatem. Amesius Cas. Consc. lib. v. c. VII. Quæst. IV. His generaliter præmissis, inter homines illi magis quam cæteri sunt diligendi, qui propius ad Deum, & in Deo ad nosipsos accedunt Gal. VI. 10. Proinde, cæteris paribus *fideles* magis, quam *infideles*: consanguinei, cæteris paribus, magis quam peregrini: & in consanguineis, illi qui *propius* nobis conjuncti sunt, quam qui remotius: sed pro ratione conjunctionis, qua nobis accedunt: si *corporalis* sit conjunctio, *corporalia* magis ei debentur; si *spiritualis*, magis *spiritualia*, si nim. actus charitatis, circa utrumque, eodem tempore æqualiter versus utrumque non possit exerceri. *Actus* charitatis, varii sunt: *primus* est *intercessio* seu precatio, qua omnia illa, quæ Religio vult, ut ipsi velimus, sive spiritualia sint; sive corporalia, ei expetimus à Deo conferenda, atque insuper gratias agimus pro collatis Matth. V. 44. Rom. I. 8. *Secundus*, boni *operatio*, circa proximum, seu conatus, in ejus bonum immediate tendens, dicitur *dilectio in facto* 1 Joh. III. 18. Ista autem operatio peragitur, vel (1) *moraliter*, in propositione boni ab ipso præstandi, cum motivis convenientibus & adminiculis, quibus ad illud possit perduci: sive *docendo*, si ignarus sit; sive *consolando*, si afflictus sit; sive *reprehendendo*, si aberret à bono; sive *redarguendo*, si errore laboret; sive *explorando*, si suos actus, suumque statum spiritualem nesciat; sive *adhortando*, si segnis sit in exercitio boni: tandem *præludendo exemplo* bono, quo validius excitetur, ad simile præstandum: vel (2) *realiter* efficiendo, quando id præstamus, quod per se tendit in bonum proximi, nulla ejus opera interveniente Heb. XIII. 16.

II. *Distributio* charitatis. Est 1. *carnalis*, spurca, ex mera libidine oriunda, prohibita. 2. *Natura-*

lis στοργὴ, v. g. versus liberos, parentes, qualis etiam in bruta cadit, bona tamen moraliter in hominibus, à cujus defectu, velut *ἄστοργοι* reprehenduntur Gentiles Rom. 1. 31. Est 3. *civilis*, qua ex solis civilibus causis, v. g. cognatione, aut morum similitudine, homines se invicem prosequuntur, bonus quidem; sed non sufficiens in Christiano. Est 4. Christianorum *communis* 2 Pet. 1. 7. qua quosvis prosequuntur, quatenus homines sunt, quæ cum præcedente non raro coincidit. Est 5. *Christiana*, qua proximum prosequuntur, quatenus Christianus est, alias *Φιλαδελφία*. Ibid. Et hæc demum salutaris est.

III. *Notæ*, quibus hæc à reliquis discernitur: 1. Est hæc oriunda ab amore Dei. 2. Vergit ad obedientiam præstandam Deo imperanti. 3. Respicit hominem quatenus *frater* suus est in Christo, secum unitus cum eo. Proinde 4. quatenus imaginem Dei & Christi in eo restauratam observat. 5. Vult ei bona, non tantum corporalia; sed & spiritualia. 6. Ferre potest etiam infirmitates in fratre, &c.

IV. *Bona* Christianæ charitatis, ob quæ expetenda est: 1. Est omnibus modis *justa* Eph. VI. 1. Col. IV. 1. Est 2. *productum* & fructus inseparabilis amoris divini: qui enim Deum diligit, etiam proximum diligit, non tantum, quia hoc Deus exigit à diligentibus se Matth. XXII. 39. sed etiam, quia proximus gestat imaginem Dei. Est 3. *æqualis* charitati divinæ, saltem in æstimatione Dei. Ibid. *Secundum huic est simile* &c. Est 4. indicium *regenerationis* nostræ 1 Joh. V. 1. 2. & eadem opera indicium nostræ communionis cum Deo, cum Christo, cum salute æterna, ut passim dicitur in Epistola priore Johannis. 5. Charitas nostra versus proximum, *causa* est amoris *proximi versus nos*, à quo proinde eadem officia charitatis nobis polliceri possumus, quæ nos ei exhibemus. Est 6. summa, complementum legis, & quasi anima omnium officiorum erga proximum, adeo ut nullum sit genuinum, quod à charitate non resultat Rom. XIII. 10. Gal. V. 14.

V. *Media* acquirendi, & *modus* exercendi charitatem, sunt: 1. Devote expendere *bona* hujus charitatis. 2. Item *amorem Dei* versus fratres spirituales diligendos, sunt *pretiosi* in oculis Dei nunquid erunt in oculis nostris; adeo pretiosi, ut ab *æterno* dilexerit eos, ut unigenitum filium suum ipsis donaverit, ut filius Dei diriſſimam mortem pro eis susceperit. 3. Se *exercere* in *amore Dei*, qui in nobis producat amorem versus proximum. 4. Viva fide eniti in unionem & communionem cum Christo, quo fideles, nostri fratres fiant, & ut fratres à nobis diligantur. Est hic insuper observandus 5. *modus* diligendi proximum, quem, licet ex dictis sic satis possis colligere, paulo distinctius repræsentabimus. Nim. *α.* proximus diligendus est *vere*; corde, non ore, gestibus & apparatu tantum externo quovis, quales actus sunt hypocritarum: sed *β.* non corde tantum; sed & manu & re, seu *opere*, ut sit *dilectio in facto* 1 Joh. III. 18. *γ.* Ut *scaturiat* ex ingenuo amore versus Deum, & obsequio versus ejus mandatum. *δ.* Ut sit *fraternus* in fratres spirituales. *ε.* Ut bona & officia hujus non tantum sint corporalia; sed spiritualia etiam, nec hæc tantum, sed & illa. *ζ.* Ut *prudenter* exerceantur *actus* istius, pro natura conjunctionis, qua nobis proximus est, ut v. g. spiritualia magis in spiritualiter nobis conjunctis, corporalia in corporaliter nobis conjunctis.

VI. *Malevolentia*, cujus explicanda

A. *Natura*, malevolentia, hic latissimo sensu intelligimus, quicquid repugnat amori proximo debito. Et sic generaliter non est, nisi defectus amoris, qui proximo, ex præscripto Dei, competit. Hic accidit, vel 1. absentia amoris, quando adesse debebat; quando inquam *adesse debebat*, neque enim tenemur v. g. incognitos *particulariter* diligere: vel 2. quando insuper cognitum *aversamur*, seu odio prosequimur, quo mallemus ipsum non esse: vel 3. saltem non ita diligimus ut debemus, v. g. *fratrem*, non amore fraterno. Id quod variis modis accidit, quando *α.* ipsi non tantum *bona* ipsi competentia non precamur à Deo; sed insuper *mala* ipsi imprecamur Matth. V. 44. Quando *β.* spiritualia ipsi necessaria non impendimus, quando v. g. ipsum non docemus, consolamur, reprehendimus, adhortamur: quando *γ.* item cum peccatis ejus communicamus, jubendo, consulendo, laudando, participando, defendendo, non repugnando, non manifestando ejus peccatum, ubi manifestari debebat. Quando *δ.* ipsi scandalum præbemus, faciendo vel malum in conspectu ejus; vel saltem adiaphorum, cum ejus incommodo, seu ut contristetur; seu ut imitetur factum nostrum. Scandalum interim *acceptum*, quo proximus offenditur ex *bono* nostro, non est curandum. Quando *ε.* saltem non præstamus, quod per se tendit in bonum ejus. Quando *ζ.* ipsum non amamus, saltem ut *homo* est, gestans imaginem Dei qualemcunque. Quando *η.* eum qui frater est, non amamus *ut fratrem*. Quando *ι.* non sic amamus propter Deum, quia *Deus* hoc *vult*, vel in gloriam Dei. Quando *κ.* non sic amamus, ut *spiritualia* ipsi perinde velimus, ac corporalia.

B. *Mala* hujus malevolentiæ, ob quæ fugienda est, sunt: 1. Non amatur *Deus* summum bonum, imo *laditur*, non obediendo. 2. Non præstatur per injustitiam, quod proximo *debetur*. 3. Non amatur,

amatur, imo *odio* habetur *à Deo*, qui proximo amorem præſcriptum nun præſtat. Nec 4. à *proximo amari* meretur, qui ipſum non amat. Adeoque 5. deſtituitur *omnibus* iſtis *beneficiis*, qui in ipſum redundare potuiſſent & debuiſſent ex amore ſuo & ejus. Imo 6. omnia illa *mala*, quæ proximo quis *imprecatur*, aut quorum *communionem* quovis modo contrahit, & quæ ex *ſcandalo* dato in ipſum concidunt, juſto Dei judicio, in ipſum recident. Saltem 7. non *fruetur* eis *bonis*, quæ ex amore proximi, in ipſum redundare poſſent, &c.

C. *Cauſæ* hujus malevolentiæ tollendæ, præcipue ſunt, 1. *Ignorantia* & contemtus *Dei* jubentis, & *proximi*, quatenus geſtat imaginem Dei, quovis modo: & officiorum, quæ proximo debentur ex amore iſto. 2. Inordinatus amor *ſui*, quo proximum non tanti facimus, ut ipſum amemus. 3. Defectus *communionis Sanctorum*, quo, nec cum Chriſto communionem habemus; nec cum his qui Chriſti, adeoque noſtri fratres ſunt, habemus aut colimus. Quandoque etiam 4. *odium Dei*, quo & hos odio proſequimur, quos ipſe amat, & ideo, quia eos amat. Etiam quandoque 5. *moleſtia*, quam ex eorum increpationibus, monitis ſalutaribus experimur. Nonnunquam 6. *pudor*, quem ex eorum exemplo & caſtigationibus metuimus & experimur.

D. *Remedia* adverſus iſtam malevolentiam, ſuppetunt 1. à devota conſideratione *bonorum* charitatis, & *malorum* malevolentiæ. 2. A *mediis*, quibus procreatur, fovetur & augetur charitas. 3. Ab obſtructione *cauſarum*, à quibus reſultat malevolentia, v. g. ignorantia tollitur iſtis adminiculis, quibus cognitio & reverentia *Dei* præſcribentis amorem proximi, generatur: quibus item ſtatus proximi, & officiorum *proximo* debitorum, obtinetur, v. g. ſtudium verbi divini, & ſic porro per omnes reliquas cauſas, ut eis opponantur remedia efficaciſſima, &c.

CAPUT III.

De Honore & Vilipendio Proximi.

JUſtitia & charitas, juxta quatuor priora ſecundæ tabulæ præcepta, quadruplex reſpicit proximi bonum, ejus honorem, vitam, conjugium & fortunas. Quoniam vero in his quatuor proximus juvari aut lædi poteſt, vel *ore*, vel *corde*; duo adduntur præcepta, quorum prius *linguam* dirigit, poſterius, *cor* reſpicit. In omnibus primum locum habet præceptum de *honore*, quia non tantum proxime accedit ad cultum religioſum ſeu honorem Dei: ſed etiam, quia fundamentum, vinculum & ſepimentum eſt, omnium reliquorum præceptorum poſterioris tabulæ: virtute enim hujus officii, & graduum eorum inter homines, quos reſpicit, in omnibus quieta & tranquilla vita agitur apud homines; honori opponitur vilipendium. Circa honorem proximi conſideranda ejus

I. *Natura*. Honor eſt agnitio alicujus, vel dignitatis, vel excellentiæ, quæ eſt in alio, cum ejuſdem debita teſtificatione. Præſupponit ergo aliquam in honorando, vel *dignitatem*; vel *excellentiam* quæ agnoſcatur: & quo major illa eſt, eo major eſſe debet honor, unde diſtinctio naſcitur, inter *honorem*, *laudem* & *gloriam*: honor agnoſcit dignitatem tantum *vulgarem*; laus *majorem*; gloria, *maximam*. Præſupponit inquam, vel *dignitatem* ſeu bonum quodvis in honorando: quod agnoſcatur, ob quod honoretur. Hinc, quia aliquod bonum in omnibus hominibus reperitur; omnibus etiam honor aliquis competit, non tantum *æqualibus*; ſed etiam inferioribus Rom. XII. 10. 1 Pet. III. 7. & cap. II. 17. vel *excellentiam*, qua, bonitate quis *excellit*, vel ſe, vel alios. Illa excellentia obſervatur; ſeu α. in *ætate*, ob quam ſenes honorari jubentur: ſeu β. in *donis* animi, corporis, aut fortunæ. Seu γ. *poteſtate* alios gubernandi, in qua *juriſdictio* conſiſtit, quæ non unius ſpeciei obſervatur: eſt enim, vel *privata*, mariti in uxorem: Parentum in liberos, Dominorum in ſervos: Ubi *maritalis* poteſtas *æqualitate* quadam eſt delenita; *herilis* mere *imperioſa*; *Paterna* quaſi *mixta*; vel *publica*, ſive ea ſit *Politica*; ſive *eccleſiaſtica*. Ut omnis ſocietas humana, omneque regimen, œconomicum, politicum & Eccleſiaſticum, ſuum fundamentum habeat in quinto præcepto, & ab eo dirigatur. Hujus autem dignitatis & excellentiæ honor requirit, *agnitionem*, & *teſtificationem*, proinde, neque in ſola *externa* obſervantia conſiſtit; neque *interna* ſola; ſed in utraque. Extenditur honor ille ad *Patrem* & *Matrem* ſimul, qui ſunt προεστῶτες in regimine *œconomico*, omnium *primo*, & maxime univerſali; intelliguntur tamen quivis, in *quovis* regimine præfecti, ut & illi jubeantur ſe gerere ut Patres & Matres, verſus ſuos ſubditos, quod alias honorari non poſſint tanquam *Patres*. Interim honor iſte ſynecdochice comprehendit omnia illa officia reciproca, quæ inferiores tenentur præſtare ſuperioribus; & viciſſim, ſuperiores ſuis inferioribus: dum enim inferiores jubentur *honorare* ſuperiores; & ſuperiores jubentur ſe præſtare *honorabiles* ſeu honore dignos: dum etiam inferiores jubentur ſe gerere verſus ſuperiores, tanquam filii; & ſuperiores eadem opera jubentur, ſe gerere verſus inferiores tanquam

quam Patres. Officia ergo *honoris inferiorum* versus superiores, *generalia* quidem sunt: reverentia, dilectio, obsequium, submissio, etiam pro re nata, obedientia, fidelitas, patientia versus eorum correptiones: *specialia* item, versus *potestate* superiores: α. *Subjectio*, seu potestatis istius agnitio; β. *Obedientia*, seu præstatio eorum, quæ præscribuntur, convenienter eorum potestati, quam habent à Deo, adeo, ut, si præscribantur ab eis talia, quæ Deus *prohibet* præstanda; tum toleratio pœnæ, cum injuria præscriptæ, ipsis est loco obedientiæ 1 Pet. II. 19. 20. γ. *Gratitudo* submissa, pro eis donis & bonis, quæ per eorum potestatem communicantur, proportionem habens, ad beneficia communicata, ita tamen, ut in solo *affectu* non subsistat; sed ad conatum pergat congruum, affectum quovis modo & opere manifestandi, eorum *necessitati* succurrendo, sive re; sive opera, sive consilio, si eo indigeant, sive precibus pro eorum salute. δ. *Amicitia* erga quosvis, nobis amore & conjunctione propiores. Officia ex adverso *superiorum* versus inferiores, præcipua sunt: (1) *Protectio*, seu applicatio suæ potestatis, ad defendendum inferiores à *malo*, eos vel urgente; vel ipsis imminente. (2) *Cura*, ut inferioribus prospiciant de necessariis, tam quoad *animam* earumque salutem æternam; quam quoad *corpus* 1 Tim. v. 8. (3) *Rectio*, seu propositio recti boni ab inferioribus præstandi Eph. VI. 4. (4) *Remuneratio*, seu compensatio observationis illius, quæ directioni præstatur 1 Pet. II. 14. (5) *Vindicta*, qua malum referunt, præscripta justa non præstantibus, quæ proprie non aliis competit, quam eis, qui potestate eminent Rom. XIII. 4. 1 Pet. II. 14. Omnia ista officia reciproca diriguntur ab *humilitate*; is enim solus aptus est & proclivis, honorem convenientem præstandi, qui humilis est; h.e. qui ita moderatur existimationem sui, de seipso, ut non velit quicquam honoris sibi exhiberi, quod sibi non congruit, dum interim eum honorem expetere potest, qui sibi, ex præscripto divino, vere competit.

II. *Distributio.* Est 1. honor *religiosus*, qui Deo competit quatenus Deus est, adeoque ei proprius. 2. *civilis*, qui jussu divino hominibus competit, pro ratione ejus dignitatis & excellentiæ, quam Deus ipsis contulit. Est 3. honor *iniquus*, quem sibi arrogant, vel *superiores* versus inferiores, eis præscribendo ea quæ excedunt suam potestatem, seu quæ sunt adversus Deum; vel *inferiores* versus superiores, præstando ea jussa quæ Deo sunt adversa, & ab eo prohibita.

III. *Bona* honoris versus proximum, ob quæ sectandus: 1. Est *primum* præceptum cum promissione, non tantum, quatenus primum præceptum posterioris tabulæ est; sed etiam, quia primum & unicum est in tota lege, quod singularem, & sibi propriam habet promissionem. 2. Proxime accedit officiis religionis ac pietatis, qua Deum ipsum colimus, unde etiam *pietas* appellatur 1 Tim. v. 4. Est 3. fundamentum & vinculum omnis reliquæ justitiæ, quæ debetur proximo, quatenus magistratum fundat, cujus ope omnia officia reliqua procurantur ac diriguntur. Hinc 4. *quieta & tranquilla vita* cum *omni pietate* 1 Tim. II. 2. dependet ab hoc honore, versus superiores. 5. Ipsi addicitur promissio longævitatis & benedictionis, *ut longævus sis, & ut bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus dat tibi* Deut. v. 16. Porro 6. ab eo pendet, omnis *ordo*, omne *decorum*, in omni societate humana, à quo neglecto resultat omnis ἀταξία in conversatione humana. Insuper 7. ab honore versus alios, resultat reciprocus honor versus nos ipsos. Non addam 8. quod qui honorat proximum, eadem opera honoret Deum præscribentem.

IV. *Adminicula*, quibus studium honoris procuratur: 1. Cogitemus devote *bona* hujus honoris. 2. *Auctoritatem* Dei, exigentis eundem. 3. *Justitiam*, quæ exigit, ut eam dignitatem & excellentiam, quæ est in proximo, agnoscamus & testificemur. 4. *Vindictam*, quæ non honorantibus imminet, cum à Deo, tum à Magistratibus, *armatis gladio* in *vindictam* immorigerorum Rom. XIII. 4.

V. *Vilipendium* proximi, cujus consideranda

A. *Natura*, quo hic generaliter intelligimus omnem defectum honorationis, qui proximo competit ex præscripto divino. Qui accidit 1. omnibus eis, quibus læditur *fama* proximi, seu æstimatio, quæ circa eum debet haberi 1 Cor. IV. 13. 2 Cor. VI. 8. Quod fit, vel α. apud *nos ipsos* per *judicium temerarium* Matth. VII. 1. 1 Cor. IV. 3. Vel β. *apud alios* etiam, verbis, factis, gestibus aliisque signis: sive id fiat *directe*, cum intentione lædendi; sive *indirecte*, seu ex *natura rei* ipsius; seu ex *circumstantiis*. 2. *Contumelia*, convitio, derisione quando fama proximi fugillatur ipso *præsente*. 3. *Detractione*, quando hoc fit ipso absente, idque non uno modo: a. Cum *falsum* crimen ipsi *imponitur*. b. Cum crimen *verum* sine justa causa *detegitur*. c. Cum nimis *exaggeratur*. d. Cum *factum* quidem non improbatur; sed *intentio* facientis vituperatur. 4. *Ex obliquo* etiam fit circa bonum proximi, quando α. illud *negatur*. β. *Occultatur*. γ. *Minuitur*. δ. *Frigide* laudatur. Horum omnium *scaturigo* est *superbia*, quæ proinde primarium est vitium quinti præcepti, nec aliud est quam inordinata affectatio propriæ excellentiæ. Est *inordinata* affectatio, ordinata enim non est prohibita, quin potius debita. Ad superbiam spectant:

ſpectant: 1. *Jactantia*, ſuperbia circa bonum vere præſens. 2. *Arrogantia*, qua videri volumus bonum habere, quod revera non habemus. 3. *Inanis gloria*, quam apud alios quærimus. 4. *Ambitio*, quando dignitates inordinate quæruntur. 5. *Præſumtio*, quando aggredimur quod vires noſtras excedit. 6. *Invidia* ſeu triſtitia de bono proximi, quia minuere videtur noſtram excellentiam. 7. *Æmulatio*, ſeu inordinata affectatio ejus boni, quod reperitur in proximo. *Inordinata* inquam; datur enim & *ordinata* & legitima æmulatio, quando v. g. contriſtamur ſuper bono proximi, non quod habeat; ſed quod mala aliqua metuamus, ex eo proventura, vel nobis, vel aliis Prov. XXVIII. 18. quando item contriſtamur ſuper bono proximi, non quod ipſe habeat illud; ſed quod nos non habeamus illud, nobis optandum: quando contriſtamur, quod *indignus* habeat illud, dicitur alias *indignatio*.

B. *Mala* hujus vilipendii, ob quæ fugienda, quæ ſic ſatis colligi poſſunt ex oppoſitis ſuæ virtutis, nim. honoris *bonis*. Nim. 1. eſt violatio ejus officii verſus proximum, quo proxime accedimus ad Religionem, ſeu cultum Dei, qui conſiſtit & abſorbetur *honore*. 2. Proinde contemtus proximi, eſt contemtus Dei ut Legiſlatoris. 3. Uterque contemtus Dei & proximi adfert contemtum ſui; ſicut enim qui Deum honorat, ab eo *honoratur*; ita qui eum contemnit, ab eo *contemnitur*, & contemtibilis fit ab eo. 4. Proximum graviſſime lædit, utpote quem privat eo, quod vitæ ſuæ eſt proximum; honor enim & vita pari paſſu ambulant. 5. Tollit *vinculum* & fundamentum omnis reliquæ juſtitiæ verſus proximum. 6. Sua *natura* infert perturbationem, confuſionem & everſionem ſocietatis humanæ, domeſticæ, politicæ, Eccleſiaſticæ, quippe quæ ſuperſtructa eſt honori, ſeu officiis reciprocis ſuperiorum & inferiorum. Hinc 7. peccatum præſtat gravius, & gravius etiam puniendum, quam quod in ſingularem quendam proximum committitur. 8. Obſtat, quominus *quietam* ac *tranquillam vitam*, *cum omni pietate & veneratione* ducant. 1 Tim. II. 2. Proinde iniquus eſt in Deum, in proximum, in ſeipſum, in religionem, & in vitam humanam. 9. Abſque honore, ſeu officiis reciprocis, inter ſuperiores & inferiores, exſpectari nequit, ut vita hominum ſit conſtans & benedicta, quo nomine longævitatis & benedictionis promiſſionem Deus ſuſpendit ab honore Patris & Matris.

C. *Cauſæ* hujus vilipendii, in curatione tollendæ, potiſſimum ſunt, 1. Vilipendium Dei & legis divinæ præſcribentis. 2. Vilipendium imaginis divinæ, omniſque dignitatis & excellentiæ, quam Deus ſua providentia indulſit proximo. 3. Φιλαυτία, qua ita propriam affectamus excellentiam, ut proximum quovis modo infra nos deprimere nitamur. 4. Defectus *unionis* & communionis cum Chriſto, per fidem & Spiritum S. quo proximum pro fratre non agnoſcimus, & ut talem non colimus. 5. Multiplex, quam diximus *ſuperbia*, qua proprium honorem ita ſectamur, ut alienum ſuſque deque habeamus.

D. *Remedia*, vilipendio huic opponenda, potiſſimum ſunt, 1. Serio *ponderare*, & *bona* honoris verſus proximum, & *mala* vilipendii. 2. Eis *adminiculis* uti, quibus naſcitur honor proximi. 3. Obniti *cauſis*, à quibus oritur vilipendium, eis adminiculis, quæ adverſus quamque ſingulatim ſunt efficaciſſima.

CAPUT IV.

De Humanitate & Homicidio.

SEcundum juſtitiæ officium reſpicit hominis *vitam*, conſervandam, defendendam, focillandam; quod *humanitatis* voce, latiore ſenſu, indigitatur, cui opponitur, generaliore ſenſu, homicidium. Circa *humanitatem* conſideranda veniunt, ejus

I. *Natura*. Eſt virtus qua inclinamur ad vitam proximi, & ejus tranquillitatem, legitimis mediis conſervandam. Reſpicit proprie *vitam humanam*, non *proximi* tantum; ſed & magis quidem *propriam*: cum Deus ſolus ſit Dominus vitæ humanæ, nec ullibi nobis poteſtatem fecerit, eam nobis adimendi: quin & ex obliquo etiam vitam *brutorum*, quam quidem Deus noſtræ poteſtati permiſit; ſed ad *uſum*, non autem ad *abuſum*, aut ad crudelitatem, cum præſertim crudelitas in bruta, non tantum argumentum præſtet naturæ crudelis; ſed etiam ad crudelitatem nos aſſuefaciat. 2. Ut virtus ſit, requiritur *inclinatio* & propenſio, ad vitam humanam, ejuſque tranquillitem conſervandam, omnibus *mediis*; ſed legitimis tamen. Vita autem hominis duplex eſt: *ſpiritualis* & *corporalis*, utramque reſpicit humanitas: *partim* α. *ſubſidium* ferendo; *partim* β. *noxta* depellendo. Hinc officia humanitatis, vel *ſpiritualia* ſunt, quæ ſpectant ad vitam *ſpiritualem* conſervandam & promovendam, ea quidem quoad finem *proximum charitatis*, unde penes caput II. à nobis repræſentata ſunt, quoad finem tamen *remotum*, *vitam* ejus ſpiritualem reſpiciunt,

& hujus loci ſunt, vel *corporalia* quæ vitam hanc corporalem reſpiciunt, per varios gradus, nim. (1) per eas virtutes quibus alieni reddimur ab omni læſione proximi, quales ſunt (a) *Manſuetudo*, quæ moderatur *iram* 1 Cor. XIII. 4. (b) *Patientia*, quæ moderatur iram, par injurias *graves* excitatam Matth. XVIII. 28. (c) *Longanimitas*, quæ eſt continuatio patientiæ, quamvis diu fuerit læſa Prov. XIV. 29. (d) *Placabilitas*, qua injuriam nobis factam facile condonamus Luc. XVII. 3. 4. (2) Per eas virtutes, quibus vitæ conjunctionem fovemus, quales ſunt, α. *Concordia*, qua facile conſentimus cum aliis, in eis quæ bona ſunt Phil. I. 27. β. *Benevolentia*, qua proximo volumus omnia læta 1 Cor. XIII. 4. utraque harum conjunctam habent *comitatem*, *affabilitatem* & æquanimitatem (3) Per eas virtutes, quibus ipſa proximi vita defenditur, promovetur & refocillatur. Tandem 3. humanitas exigit, ut vitam humanam conſervare nitamur *legitimis* mediis, non quovis modo, ut fit, quando v. g. latronem ſubducimus Magiſtratui vindicaturo latrocinia.

II. *Diſtributio.* Eſt humanitas, 1. *perſonata*, ſeu ficta, quæ in externis tantum geſtibus; affabilitate, comitate ſubſiſtit, abſque genuino affectu exercetur, plerumque in converſatione, ſub nomine *complementorum*, nonnunquam etiam, ut internum odium tegatur, qualis fuit in ſalutatione Judæ. 2. Vera quidem, ſed *naturalis* tantum, profluens non à gratia convertente & ſanctificante; ſed ab ἐυκρασίᾳ qualicunque naturæ, qualis etiam in Gentilibus & hypocritis nonnunquam obſervatur. Eſt 3. *civilis*, quæ ob civiles tantum rationes, abſque ullo reſpectu ad voluntatem & gloriam Dei, exercetur; etiam in gentibus & hypocritis nonnunquam conſpicua. Eſt tandem 4. *ſalutaris* ſeu Chriſtiana, quæ, non tantum à gratia ſanctificante proficiſcitur; ſed & propter voluntatem Dei exercetur, & in gloriam ejus, & verum bonum proximi contendit. Et his demum notis, hæc à precedentibus diſcriminatur.

III. *Bona* humanitatis, ob quæ exercenda eſt: 1. Deus eam à nobis *exigit*. 2. Imitatur Φιλανθρωπίαν Dei verſus nos. 3. Reſpicit ipſam *vitam* hominis, ejuſque conſervationem & focillationem. 4. Eſt, Chriſtiana ſaltem, index certus gratiæ convertentis in nobis, à qua tranquillitas animi naſcitur. 5. Humanitas noſtra verſus alios, generat humanitatem aliorum verſus nos. Eſt 6. non uno modo neceſſaria; ratione *juſtitiæ*, cujus impedimenta removet, potiſſimum concordia humanitatis: ratione *charitatis* à qua profluit, quam fovet, promovet & implet: ratione *felicitatis*, tam communis; quam privatæ, quam efficaciſſime promovet humanitas.

IV. *Adminicula*, quibus paramur ad ſtudium humanitatis: 1. Serio cogitare *bona* humanitatis. 2. *Religio* verſus Deum, qua compoſitis affectibus, ejus verbum præſcribens recipimus, & ejus jugo nos ſubjicimus. 3. *Charitas* verſus fratres, qua omnia bona ipſis volumus. 4. *Humilitas*, qua paratiſumus, fratribus nos ſubjicere in eorum bonum. 5. Devota conſideratio Φιλανθρωπίας Dei verſus nos Eph. IV. 32. Col. III. 13. qua reſpexit nos, & ab *æterno*, nos deſtinando ad vitam, & in *tempore*, cum adhucdum eſſemus in peccato, & poſtquam ex eo emerſimus, omnia nobis donando, quæ ad *vitam* & pietatem ſunt neceſſaria 2 Pet. I. 3.

V. *Homicidium*, cujus conſideranda

A. *Natura.* Eſt injuſta hominis occiſio. Eſt *occiſio*, ſic ut ſub ea comprehendatur, non tantum quævis *læſio* corporis humani; ſed & omnis *affectus*, eo ſua natura tendens. Eſt læſio *injuſta.* Eſt enim occiſio: 1. *licita*, quæ v. g. fit mero *caſu*, cui ille cauſam non dedit, dum rei licitæ operam dat, ubi & quando eſt licita, adhibita debita diligentia, alium occidit, non peccat Deut. XIX. 5. Eſt 2. *neceſſaria*, per inculpatam ſui tutelam, abſque vindictæ cupiditate, indeclinabili neceſſitate facta. Eſt 3. *pia*, ex auctoritate Dei 1 Sam. XV. 18. 19. aut legitimi Magiſtratus, legitimo juſſu. Eſt 4. *extorta* per violentiam hoſtium, quod fit in legitimo *bello*, quod à legitimo Magiſtratu, ad neceſſariam defenſionem ſuorum ſubditorum, abſque odio & vindictæ cupiditate, geri debet. Dicitur bellum *defenſivum*: *offenſivum* nunquam licitum, & ſemper homicidium injuſtum eſt: ſola ergo *injuſta* occiſio nobis *homicidium* eſt. Fit autem *injuſta*, quando vel α. non fit *auctoritate* juſta, h. e. publica, vel publicæ æquivalente β. Abſque juſta *cauſa*. γ. Sine *ordine* juſta. δ. Ex *intentione* non juſta, quæ omnia ſic in homicidio requiruntur, ut vel uno horum poſito, injuſtum fiat. Committitur ergo homicidium (1) *craſſa* alicujus cæde, qua ipſi vita penitus adimitur. (2) *Bello* injuſto & offenſivo, quo compluribus ſimul adimitur vita. (3) Quavis mutilatione aliave *læſione*, v. g. verberando, cædendo &c. (4) Omnibus illis *vitiis*, quæ ſua *natura* ſpectant ad occidendum, aut lædendum alium, oppoſitis fere virtutibus illis, quæ apud humanitatem dudum enumeravimus. Suntque vel A. talia, quibus *proclives* reddimur ad lædendum, v. g. *odium*, quo exoſum vellemus non exiſtere; *invidia*, qua ex proſperitate alterius contriſtamur; *iracundia* ſeu inordinata concitatio ad iram, cujus gradus ſunt, irritatio animi, excandeſcentia & furor, *impatientia*, *implacabilitas*: vel

vel B. talia, quæ ad vitæ *conjunctionem* turbandam vergunt. v. g. *discordia*, *dissidium*, *inimicitia*, *malevolentia:* vel C. talia, quibus vita humana immediate *laditur*, ut *savitia*, *crudelitas* aliaque. (5) *Autophonia*, qua quis seipsum vel occidit, vel lædit, quam nulli permittit lex divina, licet casus esse possint, quibus licite teipsum exponas certo *periculo*, ut patet in Simsone; quibus itidem licite te offeras aliis ad mortem Joh. x. 12.

B. *Mala* homicidii, ob quæ fugiendum: 1. Est *universalis* læsio proximi, in omnibus suis bonis, quatenus ipsi adimitur fruitio honoris, conjugii, fortunarum omnium &c. Hinc omnium peccatorum posterioris tabulæ summa & compendium, omnium ἀνομίαν, turpitudinem & reatum absorbens. Est 2. turpissima violatio *imaginis* divinæ Gen. IX. 6. in ipsius Dei πρωτοτύπῳ contumeliam se exonerans. Est 3. *involatio* jurisdictionis divinæ, cui soli jus vitæ necisque humanæ competit. Est 4. auctoritate supremi Domini & legislatoris, per Magistratum, ministrum suum, gladio armatum, puniendum morte reciproca. Proinde 5. est excidium & exitium ipsius homicidæ, quod ipse sibi creat, & hactenus ἀυτοφονία. Imo 6. & à vita *æterna* seclusus, mortique æternæ mancipandus 1 Joh. III. 15. quamvis autem omnia illa mala, in *crassum* homicidium, quo vita proximi penitus extinguitur, ἐξόχως quadrent; in omnem tamen læsionem, quæ in tale homicidium sua natura vergit, κατ' ἀναλογίαν, suo modo quadrant.

C. *Causæ* homicidii in ejus curatione tollendæ: 1. Naturalis *aversio* à Deo per peccatum, ac proinde aversio ab ejus voluntate præcipiente ac prohibente, & ab imagine ejus in proximo. 2. *Ira temeraria*, passio animi, ex injuria, vel opinione injuriæ illatæ, oriunda, quæ semper vergit in detrimentum proximi: sed *temeraria* tantum, datur enim & justa, quæ ingreditur zelum versus gloriam Dei, & commodum proximi, quando *temeraria* peccat, vel in *causa* non justa; vel in modo peccans, vel in *defectu*, quæ dicitur *lentitudo* seu *defectus* justæ iræ, quam exigit vel gloria Dei, vel ipsum proximi commodum, qualis conspicuus fuit in Eli Pontifice; vel in *excessu*, quando quis irascitur, absque justa συμμετρίᾳ. 3. *Excandescentia*, quæ est ira justo *vehementior*. 4. *Odium*, quæ addit nimiam *permanentiam*. 5. Perversus sui ipsius *amor*, qui in *vindictam*, quando quis, pro malo, quod sibi putat illatum, prorumpit in reciprocationem mali.

D. *Remedia* tollendo cuivis homicidio applicanda: 1. Devota consideratio, cum *bonorum* humanitatis; tum *malorum* homicidii & malevolentiæ. 2. *Usus mediorum*, quibus generatur humanitas. 3. *Oppugnatio* & eradicatio *causarum*, à quibus oritur homicidium & quævis læsio versus proximum, v. g. *aversio* à Deo, cogitatione infinitæ bonitatis & misericordiæ, qua morte unigeniti filii sui, nos sibi reconciliare conatus est. Et sic porro singulis causis ea sunt adhibenda, quæ eis expugnandis quam sunt efficaciissima, &c.

CAPUT V.

De Castitate & Luxuria.

JUstitia & charitas tertio occupatur, circa matrimonium proximi, cujus officia dirigit *castitas*, & impedit luxuria. De castitate cogitanda veniunt, ejus

I. *Natura*. Est virtus, qua personæ puritas conservatur, quoad ea, quæ matrimonium spectant. Videndum hic, ab una parte, quid sit marrimonium, ab altera, in quo consistat castitas, occupata circa matrimonialia: 1. Matrimonium est unius viri, cum una fœmina, ex legitimo consensu, individua conjunctio, ad communionem corporum, & societatem vitæ, inter se mutuo. Est inquam, α. *unius viri cum una* fœmina Gen. II. 22. Matth. XIX. 4. 5. Non enim potest perfectio illa amicitiæ, & officii mutui, quæ est conjugalis, haberi, nisi inter unum & unam. β. Oritur à *consensu* mutuo in matrimonium justum, qui matrimonium facit *ratum*. γ. Sed consensus iste debet esse *legitimus*, quorsum requiritur (1) ut *personæ* conjugandæ sint *idoneæ*. Ut sint A. Mas & fœmina. B. Earum *justa distantia* quoad *sanguinem*, convenienter eis gradibus cognationis & affinitatis, qui designantur Levit. XVIII. & XX. & communis ac *perpetui* juris sunt, propter singularem *reverentiam* propriæ carni debitam, cui repugnat consuetudo conjugalis, significata per *detegere nuditatem* alicujus Levit. XI. 6. 7. —— C. Earum item *ætas matura* 1 Cor. VII. 36. sine qua, nec consentire possent in negotium tanti momenti; nec satisfacere scopo præcipuo matrimonii. D. *Parentum* (si modo sint adhucdum in eorum potestate 1 Cor. VII. 36. 37. 38.) aut tutorum consensus, non de *honestate* tantum; sed & de necessitate requisitus. E. Ut ipse etiam partium contrahentium consensus, ex certo & deliberato consilio, sine *coactione*, aut dolo malo profluat.

δ. Spectat ad conjunctionem *individuam*, quia, ex natura rei, eosdem fines habet cum *vita* humana Rom. VII. 1. 2. 3. ex tali voluntate & *institutione* Dei, à quo *Fœdus Dei* appellatur Prov. II. 17. Matth. XIX. 6. ε. Vergit, cum ad *communicationem corporum*, quia in conjugio quæritur primario *semen Dei* Mal. II. 16. tum secundario remedium adversus cupiditates carnis: tum ad *societatem vitæ*, maxime intimam, ad mutuum solatium & auxilium conjugum Gen. II. 24. adeoque non tantum ad propagationem generis humani; sed & ad omnia officia hujus vitæ, eaque *mutua*, quoad summam rei, pari jure, ab utroque conjuge, observanda, servata tamen differentia gradus præcedentiæ, inter virum & uxorem. Hactenus natura matrimonii: succedit 2. *castitas*, quam descripsimus dudum. Constat illa α. *verecundia*, quæ retrahit ab impuritate carnali, dicitur eodem sensu *pudicitia*. Ad hanc spectat, cum *modestia*, qua intra metam continetur cupiditas carnis; tum *gravitas*, qua puritatis decorum observatur: β. *Honestas*, qua castitatis decorum observatur. Utraque harum, & verecundia, & honestas *radicaliter* est in interiore hominis propensione & electione; *significative* in exteriore conversatione.

II. *Distributio*. Est castitas 1. *virginalis*, custodienda à *virgine*, donec honestum contraxerit matrimonium 1 Cor. VII. 34. Tum 2. *conjugalis*, conjugio servanda Tit. II. 15. Tandem 3. *vidualis*, viduis incumbens colenda 1 Tim. v. 7. Eadem quidem est in omnibus his castitas, quoad *essentiam*; tantum quoad *accidentales* quasdam differentias, à diverso hominum statu oriundas, diversæ. Nisi quod insuper, inter virginalem ac vidualem, adeoque *cœlibalem* castitatem, & conjugalem, hoc observetur discriminis, quod *cœlibatur per se* nihil conferat ad castitatem, quando *conjugium*, ex sua natura, puritatem quandam habet, quatenus est institutio Dei, atque insuper ejusdem institutionis virtute, medium jam fit ad puritatem & castitatem conservandam.

III. *Bona* castitatis, ob quæ excolenda est: (1) Est cum emphasi *voluntas* Dei 1 Thess. IV. 3. Appellatur 2. *sanctitas*. Ibid. inter ipsas perfectiones divinas primarium locum obtinens. Hinc 3. inter *laudabilia* numeratur Phil. IV. 8. à qua Jobus gloriatur Job. XXXI. 1. 9. & Anna Prophetissa celebratur Luc. II. 36. Porro 4. *fructibus* Spiritus S. accensetur Gal. v. 22. ex quibus homo *spiritualis* dignoscitur, & ab aliis, & à semetipso. Quam 5. tantopere sibi David expetit conferendam *creatione cordis mundi* Psal. LI. 12. A qua 6. susperditur ipsa beatifica *visio Dei* Heb. XII. 24. Matth. v. 8. Etiam 7. *potens* est, quæ & contumaces Ethnicos alliciat ad fidei Christianæ professionem 1 Pet. III. 1. 2. Tandem 8. plurimum confert, & hinc necessaria est, ad propagationem generis humani, ad fovendum amorem conjugum, ad educationem sobolis, adeoque ad bonum publicum.

IV. *Adminicula* generandæ, conservandæ & augendæ castitatis sunt: 1. Consideratio devota bonorum castitatis. 2. *Cor purum*, creandum à Deo, & impetrandum calidis precibus. 3. *Purificatio* cordis per *sanguinem* filii Dei 1 Joh. 1. 7. Nec non per fidem Act. XV. 9. Etiam 4. per *sanctificationem spiritus* 1 Pet. 1. 2. Porro 5. constans & indefessa exercitatio in verecundia, honestate, modestia & gravitate, de quibus jam ante egimus.

V. *Luxuria*, cujus consideranda

A. *Natura*. Sensu quidem latiore, est vitium, quo quis propendet ad impuritatem, quoad matrimonialia. Apparet 1. in *cœlibatu* impuro Pontificiorum, quando conjugium non tantum damnant, velut statum carnalem, in quo non possimus placere Deo; sed etiam suis sacrificulis prohibent, è quo infandæ impuritates natæ observantur, à quibus velut doctrinam dæmoniorum damnat Apostolus 1 Tim. IV. 1. 3. Tum 2. *Polygamia* simultanea, tolerata quidem *politice* à Deo sub V. T. eatenus ut à Magistratu non puniretur; nunquam tamen probata, aut permissa *ethice*, ut peccatum non esset: cum non sit, nisi turpis violatio legitimi conjugi, repugnans primævæ conjugii institutioni Gen. II. Matth. XIX. 4. 5. 6. Porro 3. *divortium illegitimum*: datur enim & *legitimum*. Est siquidem divortium quoad *thorum* tantum & cohabitationem, quod ex crudelitate conjugum, qua sibi invicem non possunt cohabitare, quandoque licitum: est itidem divortium quoad *vinculum*, quo conjugium tumpitur, ut parti innocenti liceat transire ad alias nuptias, quod fit duplici tantum causa, adulterio & malitiosa desertione, proinde, si absque his causis fiat; sua natura est illicitum. 4. *Concubinatus*, seu conjugium quod ad tempus tantum contrahitur, legitimi conjugii insolubili vinculo repugnans. 5. *Clandestinæ* nuptiæ, quæ, vel sine testibus, vel sine publica celebratione coeunt. Hæ quamvis subinde licitæ esse possint; cum istæ solennitates publicæ non sint de essentia conjugii: attamen cum gravissimas difficultates afferant matrimonio; plerumque saltem illicitæ sunt. 6. *Luxuria*, strictius sic dicta, seu illicitus usus eorum quæ pertinent ad generationem, alias *impuritas*, *mollities*, *cupiditatis mala* Col. III. 5. *lascivia* Rom. XIII. 13. *morbus cupiditatis*. 1 Thess. IV. 3. Specia-

tim

tim 7. *ſcortatio*, ſeu commixtio ſoluti cum ſoluta 1 Cor. VII. 16. Inſuper 8. *ſtuprum*, ſeu violatio mulieris alias honeſtæ. 9. *Fornicatio* proprie dicta, ſeu commixtio cum meretrice. 10. *Adulterium*, cum altera ſaltem perſona peccans, eſt conjugata vel deſponſata. 11. *Inceſtus*, quando commixtio fit cum propinqua carne. 12. *Raptus*, cum vis accedit ad luxuriam. 13. *Concubitus* quivis contra naturam, v. g. maris cum mari pæderaſtia, fœminæ cum fœmina, aut cum brutis. In his adulterium tantum in præcepto exprimitur, quia maxime proprie & eſſentialiter adverſatur conjugio, cujus vinculum & fœdus ſua natura rumpit, cæteris tamen ſynecdochice ſubintellectis.

B. *Mala* luxuriæ, ob quæ vitanda eſt: 1. Reddit hominem *impurum*, turpem, contaminatum, corpore & anima 2 Cor. VII. 1. Proinde 2. *abominabilem*, in conſpectu Dei pariter & hominum Eſd. IX. 11. Eſt 3. plane ἀβέβηλος, cum ſtatu Chriſtiani, quem Deus purgavit ſanguine filii ſui, & Spiritu S. Imo 4. in ſtatum *Gentilium*, qui Deum ignorant, hominem detrudit 1 Theſſ. IV. 5. Atque etiam 5. *brutorum* Jud. VI. 10. Hinc 6. egregie turbat ſerenitatem, & tranquillitatem. ut videre eſt in Davide Pſal. LI. Ut de ſtatu gratiæ non poſſit eſſe perſuaſus, nec converſari cum Deo. 7. Conciliat nobis graviſſima *Dei judicia* Heb. XIII. 4. Etiam 8. pro diverſis ſuis gradibus, graviſſimas pœnas *civiles*, infamiam, & ipſam quandoque *mortem*. 9. Excludit à participio regni cœlorum 1 Cor. VI. 9. 10. & à ſalute æterna Apoc. XXI. 26. 27. &c.

C. *Cauſa* luxuriæ, in ejus curatione tollendæ: 1. *Morbus* cupiditatis 1 Theſſ. IV. 5. *Caro*, unde in *operibus carnis* primum locum habet Gal. V. 19. *cor* impurum 2. impudici *aſpectus*, nutus, oſcula, amplexus, tactus, choreæ, comœdiæ, cantica, geſtus, imagines & ſimilia Job. XXXI. 1. 2 Pet. III. 14. Matth. V. 28. Porro 3. *comeſſationes* & ebrietates Rom. XIII. 13. Hoſ. I. VI. 11. Inſuper 4. *luxus* & *ornatus* laſcivus Prov. VII. 10. Etiam 5. verborum *obſcœnitas* Eph. V. 4. Quæ ad luxuriam ſpectant, non tantum, ut cauſæ; ſed etiam ut ſigna ejus, & effecta & fructus ejuſdem.

D. Remedia adverſus luxuriam ſuppetunt 1. à *conſideratione bonorum* caſtitatis, & *malorum* luxuriæ. 2. Ab eis *adminiculis*, quibus promovetur caſtitas. 3. â *purificatione* cordis, procuranda per purgatorium ſanguinis Chriſti, & ſanctificationem Spiritus S. impetranda *fide*, quæ purgat Act. XV. 9. & ferventes preces Pſal. LI. 12. Porro 4. obſtructione *cauſarum* luxuriæ, per talia remedia, quæ adverſus ſingulas earum ſunt validiſſima

CAPUT VI.

De Juſtitia commutativa & Furto.

JUſtitiæ & charitatis generalioris officia *tertio* ſpectant proximi bona *externa*, quæ diriguntur per juſtitiam *commutativam*, qua accepti & redditi proportio ſervatur, cui opponitur *injuſtitia* commutativa. Juſtitiæ conſideranda

1. *Natura*. Juſtitia commutativa eſt virtus, qua inclinamur ad ſuum proximo tribuendum, in bonis ejus externis. Dicitur 1. *commutativa*, quia potiſſimum occupatur in commutationibus. 2. *Suum* cujuſque dicitur, cujus legitimum habet *dominium*, ſeu jus de re perfecte ſtatuendi, ſecundum leges. Conſiſtit dominium vel in ſolo *uſufructu*, quando proprietas eſt penes alium; vel in utroque ſimul. Proinde exercetur hæc juſtitia in *acquiſitione* & *uſu*. 3. *Acquiritur* dominium juſto *titulo*, nimirum α. *occupatione*, qua res quæ antea nullius erant, & tamen alicujus eſſe poſſunt, aut quæ alicujus fuerunt, & ſponte deſertæ ſunt, apprehenduntur, & primum apprehendenti propria fiunt, quo etiam ſpectat *captivitas*, in bello juſte ſuſcepto. β. *Hæreditas*, vel ſucceſſio in bona alterius, ex ipſius juſta voluntate. γ. *Donatio*, ſeu gratuita boni communicatio. δ. *Merces*, ſeu remuneratio operæ præſtitæ. ε. *Contractus*, ſeu communicatio boni, ex conventione obligante, cujus formulæ ſunt: *do ut des*; vel, *do ut facias*; vel *facio ut facias*; vel, *facio ut des*. Huc ſpectat (1) *emtio*, cum res habetur ex certo pretio. (2) Locatio *conductio*, cum pro certa mercede, uſus rei conceditur. (3) *Mutuum*, cum res accipitur gratis, in eodem genere reddenda. (4) *Commodatum*, cum in eadem ſpecie eſt reſtituenda, cui *pignus* & *depoſitum* poſſunt annumerari. 4. Ut ſuum cuique tribuatur, præſupponitur *diviſio dominiorum*, neceſſaria ad vitandas contentiones; item ut diligentius res à ſuis colantur, & ut magis ordinate tractentur. Nititur jure, non *humano* tantum; ſed & *divino* & naturali. Genere enim humano multiplicato, & iniquitate invaleſcente, pacifica & ſuavis rerum tractatio & fruitio, abſque bonorum diviſione conſiſtere non poteſt. 5. Titulus autem juſtis dominiis acquiritur, ordinarie paratur legitima vitæ occupatione, ſeu vivendi ratione, cui aſtringuntur omnes, præter eos, qui publicis muniis funguntur, aut ad ea ſeſe præparant: iſtæ

autem, quamvis ex natura rei ſpectent ad bonum *commune*, eoque dirigi debeant; ſimul tamen vergunt ad bonum cujuſque *privatum*, in hujus vitæ commodis, vel acquirendis; vel conſervandis Eph. IV. 28. 2 Theſſ. III. II. 12. Quænam autem legitima ſit occupatio; determinat, cum Scriptura, tum cujuſque natura & propenſio, ſub providentia divina. In hanc operari quiſque debet aſſidue, & quidem quod *bonum* eſt Eph. IV. 28. h. e. quod cum voluntate Dei & hominum utilitate conſentit, in quibus operam dare deb t *ſedulitati* & fidei. 5. Rerum dominio, accidit, cum *paupertas*, ſeu defectus neceſſariorum, quæ rationem habet afflictionis aut pœnæ, nullam autem perfectionis Euangelicæ: tum *divitiæ*, ſeu poſſeſſionum abundantia, quæ, non quidem ſunt bona *moralia*; attamen phyſice bona Dei dona Prov. XXII. 4.

II. *Diſtributio.* Juſtitia quidem communicativa, unica eſt, & uniformiter obſervat æqualitatem redditi & accepti: ſed tamen diverſo modo occupatur, circa varios titulos, v. g. aliter circa *occupationem*, aliter circa *hæreditates*, & imprimis circa *contractus* & *mercedes*, quatenus in ſingulis, ſingulares leges ſunt obſervandæ: cujuſque naturæ peculiares. Diſpeſci tamen ex foro ſuo poteſt, in 1. *divinam*, quæ valet in foro *conſcientiæ*, ex largitione divina 1 Cor. III. 21. 22. 23. Quæ ſolis vere fidelibus competit. 2. *civilis*, quæ etiam infidelibus competit ex juſto titulo civili, quamvis coram Deo non ſint, niſi *uſurpatores*. Quæ tamen infidelibus conjunguntur.

III. *Bona* juſtitiæ, ob quæ exercenda: 1. Deus ſupremus rerum omnium Dominus & legiſlator eam exigit à quovis, & quidem peculiari præcepto decalogico, eamque *ſua* bona diſpenſans, ſtipulatur à nobis. 2. Eam ipſe exercet, in omni ſua gubernatione, ſuum cuique tribuens, quamvis nemini debitor ipſe ſit. Eſtque inter præcipuas ejus perfectiones, cui dum aſſimilamur, ad perfectionem ejus accedimus, & perfectiores reddimur. 3. Eam requirit bonum; cum *publicum*, quod ei ſuperſtruitur, velut fundamento, tum *privatum*, ut ſuo quiſque tranquille & ſuaviter fruatur. 4. Ei Deus *benedicit* ut paucula juſti potiora ſint ampliſſimis injuſtorum opibus. 5. Ea efficit, ut noſtris conſcientia ſerena ſuaviter fruamur.

IV. *Adminicula* parandæ & exercendæ juſtititiæ: 1. Expendere devote ejus *bona*. 2. Exercere *pietatem* & obedientiam, verſus Deum largitorem. Item 3. *charitatem* verſus proximum. 4. Studere *ἀυταρκείᾳ*, qua acquieſcamus bis quæ nobis largitus eſt ſupremus omnium Dominus & diſpenſator. 5. Sedulo incumbere negotiis *occupationis*, ſeu vocationis noſtræ, quo neceſſaria nobis acquiramus juſto titulo. 6. *Parſimoniæ*, qua noſtra conſervare debito modo adnitamur, honeſtos tantum & neceſſarios ſumptus faciendo, ut ſuum & proximo conferre poſſemus. Nec non 7. *frugalitati*, qua res noſtras cum utilitate & fruge collocemus, ut ſuppetat à quo proximo ſuum tribuamus. Itidem 8. *liberalitati*, qua proclives ſumus ad noſtra bona, cum aliis, ex voluntate Dei, gratuito communicanda, ad quam ſpectat libera donatio, remiſſio debiti, mutuatio libera, pro re nata. Tandem 9. etiam *miſericordiæ*, qua bonum proximo communicatur, ex commiſeratione calamitatis ejus, quo ſpectat *eleemoſyna*.

V. *Furtum*, juſtitiæ commutativæ oppoſitum, cujus conſideranda

A. *Natura.* Eſt contrectatio injuſta rei alienæ, invito Domino. *Contrectatio* inquam, quæ comprehendit acceptionem, detentionem, damnificationem. *Rei alienæ*, vel quoad proprietatem, vel quoad poſſeſſionem & uſum. *Inuito Domino*: in variis enim caſibus, ex humanitatis jure, Dominus ſupponitur conſentire, in communicationem alicujus partis rerum ſuarum, quamvis ſuum conſenſum non ſit actu teſtatus, & tum ratio furti ceſſat. Committitur autem furtum: vel *palam* ſeu per vim, *furto* ſtrictius ita dicto, *rapina* ſeu latrocinio, quo ſpectat *oppreſſio* & *extorſio*, *peculatus*, quo res communitati debitæ ſubtrahuntur: *annonæ flagellatio*, cum frumentorum, aliarumque rerum emtio & venditio juſto carior redditur, per monopolia & artes ſimiles: vel *clam*, ſub ſpecie juris, per quamvis fraudulentiam, quæ in emtionibus aut venditionibus exercetur, aut in alia quavis illegitima rerum acquiſitione, v. g. in mercibus corruptis, moneta falſata, pondere, ulna, modio, iniquis. Inſuper in artibus futilibus, curioſis, turpibus, quibus nihil confertur ad utilitatem humanam, & quæ contra divinam voluntatem Dei exercentur, & proximus ſuis bonis emungitur, quales ſunt: hiſtrionica, cauponaria, aliæque, quæ tantum ad faſtum & voluptates carnis ſpectant. Furtum, quando in res Deo & cultui divino conſecratas committitur, *ſacrilegium* appellatur.

B. *Mala* furti, ob quæ fugiendum eſt: 1. Furtum in proximum, eſt eadem opera furtum in Deum, qui ſic ſua bona cuique largitur, ut nihilominus ſupremus eorum Dominus maneat. 2. Furtum furem *turpem* reddit & *infamem* apud homines Jeſ. I. 23. Jer. XLVIII. 27. Item 3. *abominabilem*, cujus præſentiam & converſationem honeſtus quiſque horret Pſal. I. 18. Etiam 4. tranquillitatem, & *συμβίωσιν* humanam turbat, amaram reddit & difficilem. 5. Argumentum eſt cordis *impii* Matth. XV. 19. & hominis *perditi* Prov. XXVIII. 24. Illud 6. variis *legibus* Deus à

Magi-

Magiſtratu, pro variis ejus gradibus, puniendum juſſit, v. g. furtum *hominis* Deut. XXIV. 7. Exod. XXI. 16. *pecoris*, Ibid. cap. XXII. 1. 2. 3. 4——7. 9. uſque adeo, ut qui communionem colit cum fure, dicatur vitam ſuam odiſſe Prov. XXIX. 24. Furtum 7. excludit à participio hæreditatis cœleſtis 1 Cor. VI. 10.

C. *Cauſæ* furtum generantes & promoventes, tollendæ: 1. *Defectus timoris* & reverentiæ, verſus Deum prohibentem. Item 2. *charitatis* verſus proximum. 3. Perverſus *amor* ſui & *lucri* terreni. 4. *Otium* & ignavia in negotiis vocationis, anſam proclivem præſtat ad furtum. 5. *Avaritia*, nimis accipiendi & retinendi cupiditas. 6. *Prodigalitas*, immodica rerum noſtrarum profuſio, ut aliorum bona ſectari cogamur. 7. Abuſus *paupertatis* Prov. XXX. 8. 9. Item 8. πολυπραγμοσύνη, qua aliorum negotiis adeo incumbimus, ut propria negligamus, hinc ad inopiam redigamur, & inde ad furtum.

D. *Remedia* adverſus furtum: 1. Cogitare ſerio *bona* juſtitiæ, & *mala* furti. 2. Ea applicare adminicula, quibus *juſtitia* paratur. 3. Obniti ejus cauſis, talibus mediis, quæ adverſus quamque earum ſunt efficaciſſima. Hæc 4. ut conducant, plurimum conferunt preces Prov. XXX. 8. 9.

CAPUT VII.

De Veracitate & Mendacio.

JUſtitiæ & charitatis officia, circa quadruplex bonum proximi, ejus nim. honorem, vitam, conjugium & bona externa, hactenus exantlavimus; quoniam autem in his proximus egregie, aut juvari poteſt, aut lædi, per *linguam*, ejuſque veracitatem aut mendacium; hinc Deus in nono præcepto, veracitatem exigit, cui opponitur mendacium, circa *veracitatem* ergo conſiderabimus, ejus

I. *Naturam*. Eſt virtus, qua proclives ſumus ad loquendum ea quæ cum mente noſtra congruunt. Cum enim *veritas* (à qua *veracitas* deſcendit) triplex obſervetur: 1. Cum id quod dicitur, conſentaneum menti dicentis. 2. Quod conſentaneum eſt *rei*. 3. Quod & menti & rei eſt conſentaneum. *Secunda* harum, maxime proprie in teſtimonio & veracitate ſpectatur: niſi quod *tertia* inſuper requiratur, in eis rebus, quarum certam ſcientiam, vel tenemur habere; vel profitemur nos habere. Fieri ergo poteſt, ut quis loquatur, quod in ſe falſum eſt, & tamen verax ſit: & ex adverſo, ut loquatur quod verum eſt, & tamen verax non ſit, ſi nim. utrobique intendat loqui contra mentem. Veracitas exercetur 1. *loquendo* quod verum eſt, quotieſcunque, aut religio verſus Deum; aut juſtitia & charitas verſus proximum exigit, ut veritati teſtimonium præbeamus. 2. *Tacendo*, quando nec religio, nec juſtitia requirit, ut loquamur, quando prominimus taciturnitatem ſeu ſilentium; aut quando teſtimonium, ſua natura tantum eo vergit, uti proximus lædatur; his caſibus & *taciturnitas*, ad veracitatis virtutem ſpectat. 3. *Aſſerendo* ſeu teſtando, ubi ſemper requiritur ut aſſertum conſentiat menti noſtræ. 4. *Promittendo*, ubi exigitur *veracitas*, per quam promiſſioni adeſt intentio præſtandi quod promittitur; & *fidelitas*, per quam adeſt *conatus* idoneus præſtandi quod promiſſum eſt. In præcepto igitur de veracitate & teſtimonio, *proceſſus* judiciales habent, non tantum *approbationem*; ſed etiam *directionem* ſuam: quod ſcil. judicia ſemper debeant niti *teſtimoniis* idoneis (niſi adſit evidentia illa rei ipſius, quæ teſtimoniis non indiget) vel ſaltem *præſumtionibus* validis & violentis, quæ æquipollent teſtimoniis. Quo tamen veritas teſtimonii clarior ſit, verba ejus interpretanda ſunt ex mente teſtantis, ſi ingenue loquatur; ex adverſo, ex mente ejus cui loquitur, ſi fraudulenter agat.

II. *Diſtributionem*. Eſt veracitas vel 1. *privata* ſeu in converſatione, qua, aut tantum *aſſerimus*, quod verum eſt, vel verum eſſe putamus, aut promittimus inſuper aliquid alii præſtandum: vel 2. *publica* in judicio, quæ peculiariter incumbit, Judici, Aſſeſſoribus, Actori, Reo, Advocatis, Teſtibus, Procuratoribus, Notariis, ut ubique veritati patrocinentur, ſecundum ingenuum dictamen conſcientiæ ſuæ.

III. *Bona* veracitatis, ob quæ expetenda eſt: 1. Deus eſt *verax*, fallere & falli neſcius, prima veritas, ipſa veritas. Hæc eſt fundamentum omnis fidei noſtræ divinæ, in omnibus ſuis dictis, in promiſſionibus, comminationibus: proinde inter præcipuas ejus perfectiones, cui aſſimilamur & accedimus perfectione, per veracitatem. 2. Eſt *laudabilis* in hominibus, vel teſtimonio Gentilium. 3. Eſt fundamentum ſecuritatis proximi in omnibus ſuis bonis, in honore & fama, in vita, in fortunis ejus. Eſt 4. fundamentum omnis *juſtitiæ* in judiciis, quæ obtinere non poſſunt, abſque ſtudio veracitatis. Hinc 5. omnis συμβιώσεως, & tranquillitatis, in omni vitahumana. Eſt 6. argumentum certum noſtræ ſinceritatis, qua id vere ſumus, quod eſſe videri volumus, quoad religionem erga Deum, quod juſtitiam erga proximum, quoad gratiam in nobis ipſis. Speciatim 7. contractus, nullus, nullæ promiſſiones, nulla fides, nullum commercium inter homines; ſubſiſtere poteſt abſque *veracitate*.

IV.

IV. *Media* promovendæ & exercendæ veracitatis: 1. Consideratio *bonorum* veracitatis. 2. *Imitatio* Dei veri, veracis, veritatis, amatoris veracium. 3. Imitatio *Christi*, veri illius testis, qui Euangelium veritatis nobis annunciavit, & ut veritatis ὁδηγὸς præluxit, ipsa via, veritas & vita. 4. *Admiratio* omnimodæ veritatis; quæ prostat in verbo Dei, in Euangelio, in omnibus viis Dei, cui omnis innititur & fides & salus nostra. 5. *Amor* publici, tam civilis, quam Ecclesiastici, cujus incolumitas & salus innititur veracitati. 6. *Precatio*, ut Deus, per Spiritum veritatis, nos deducat in omnem veritatem & veracitatem.

V. *Mendacium* oppositum veracitati, cujus consideranda

A. *Natura.* Est falsum testimonium, seu intentio id asserendi, quod est contra mentem nostram: est enim mentiri, contra mentem ire. Est *testimonium*, quo quis effatum confirmare nititur sua ἀξιοπιστίᾳ. Hinc ironiæ, fabulæ, joci, recitationes etiam falsæ, proprie non sunt mendacia; quia non sunt *testimonia.* Intentio fallendi est quidem admodum familiaris mendacio; sed tamen non est de ipsa ejus essentia, neque necessario ad illud requiritur: quamvis enim quis norit, eum quicum nobis est negotium, non posse falli, si tamen *intentionem* habeat asserendi falsum in dicendo, non minus mentitur, quam si spem haberet fallendi. Etiam intentio per mendacium nocendi proximo, quamvis adaugeat turpitudinem mendacii; tamen non est de ejus essentia, ut patet in his, qui adulationibus, jactationibus, monstrosis fabulis & fictionibus intendunt confirmare, quod sciunt esse falsum. Mendacio igitur accedunt 1. *asseverationes* rei incertæ pro certa, quamvis putemus, eas esse veras. 2. *Taciturnitas* iniqui, qua quis verum non dicit, cum justitia & charitas illud requirunt. Eis autem cessantibus, absque peccato aut mendacio, quis celare potest veritatem, aut partem aliquam ejusdem. Interim tamen 3. *æquivocationes*, amphibologiæ, mentales reservationes, quibus proximum fallere conamur, sunt turpia mendacia. Insuper 4. *subscriptiones*, aut literæ commendatitiæ, contra veritatem notam datæ, mendaciis merito accensentur. Nec non 5. *simulationes* illæ, quæ in factis, aut signis aliis præterquam verbalibus adornantur, mendacii naturam participant, quando fiunt cum intentione fallendi, aut contra religionem & justitiam, cætera licitæ esse possunt, v. g. in stratagematis bellicis Jos. VIII. Etiam 6. mendacium *officiosum*, quod spectat commodum proximi, quatenus repugnat veracitati. 7. *Perfidia*, quæ *mendacium* implicat, quatenus non adest intentio præstandi promissum, & *infidelitatem*, quatenus ei non adest justus conatus præstandi promissum. 8. *Perjurium*, quatenus implicat falsitatem testimonii, licet cætera repugnet religioni versus Deum. Tandem 9. *protestatio temeraria*, seu gravior asseveratio, quam res exigit. Quamvis enim in causis gravioribus protestatio non sit illicita, quando testis certitudinem cognitionis, plus quam simplici assertione, comprobare nititur: quia tamen speciem habet juramenti, & quasi medium est, inter juramentum & simplex testimonium; in communi sermone vitari debet Matth. v. 37.

B. *Mala* mendacii, ob quæ fugiendum est: 1. Est *peccatum* Deo abominabile Psal. v. 7. Prov. VI. 17. 19. & quod ab eo graviter puniri consuevit Prov. XIX. 5. 9. Apoc. XXII. 27. & XXII. 15. Tum 2. proficiscitur ab instinctu diaboli, qui mendax est, & Pater mendacii Joh. VIII. 44. Est 3. pars veteris hominis, ab omnibus fidelibus mortificandi Eph. IV. 25. Insuper 4. *mentem* vitiat, quatenus contra ordinem naturæ, oratio ejus quæ mentis est interpres, & hominem monstrosum reddit, ex duplici corde Psal. XII. 3. Est etiam peculiariter 5. turpis dehonestatio linguæ, quæ in Scripturis vocatur *gloria* hominis Psal. XVI. 9. Est 6. tanta in mendacio *turpitudo* & vilitas, ut vel mendacissimi se ab ejus fama purgare, vel gladio & duellis, cum periculo vitæ propriæ, nonnunquam adnitantur. Porro 7. mendacem omni fide sua spoliat, & ineptum reddit ad quævis officia, cum Christiana: tum civilia, erga homines præstanda. 8. Admodum lædit *majestatem* Dei; ut qui ipsa veritas & amator veracitatis est, & non tantum non potest mentiri, quin & suæ veracitatis imaginem impressit, ab homine constanter conservandam.

C. *Causæ* mendacitatis, in curatione tollendæ, sunt: 1. *Satanas*, primus mendax, pater mendacii & mendacium Joh. VIII. 44. Tum 2. *vilipendium* auctoritatis & veracitis divinæ, prohibentis mendacium, & prælucentis in exercitio veracitatis. 3. *Odium* proximi, quem mendaciis vel fallere & *decipere*; vel *lædere* conantur, in fama, vita, fortunis. 4. Perversus sui *amor*, quo per mendacia, vel famam, vel opes aliaque venantur. 5. *Cor* ad mentiendum sic proclive, ut dum mentiuntur se quandoque mentiri nesciant &c.

D. *Remedia* mendacitati applicanda, sunt: 1. Considerare serio, *bona* veracitatis & *mala* mendacitatis. 2. Ea adhibere media, quibus veracitas procuratur & augetur. 3. Agnoscere *causas* mendacitatis, singulisque earum talia opponere remedia, quæ efficacissime eis obnituntur.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Contentatione & Concupiscentia prava.

JUstitiæ & charitatis versus proximum, officia tandem graviſſime officiuntur *corde* & concupiſcentia. Hinc Deus poſtremum poſterioris tabulæ præceptum impendit *cordis contentationi*, cui opponitur concupiſcentia prava. Contentationis ergo cogitabimus

I. *Naturam.* Eſt virtus, qua cor acquieſcit, in ea ſorte, quam Deus ſibi conceſſit 1 Tim. VI. 6. Heb. XIII. 5. Phil. IV. 11. Præſcribitur in decimo præcepto: non autem proprie *juſtitia originalis*, illa enim non uno aliquo præcepto generaliter præſcribitur; ſed omnibus. Quia tamen, ex omnibus virtutibus poſterioris tabulæ, nulla magis eſt *interna*, nec juſtitiæ originali propior, quam contentatio, adeoque ab hac ad illam contemplandam & quærendam quaſi manuducimur; idcirca non incommode, ex occaſione hujus præcepti, de originali illa juſtitia agi à Theologis conſuevit. Eſt *virtus*, hinc in *corde* ſeu voluntate, quam *proclivem* reddit ad contentationem. Occupatur circa *ſortem* noſtram, ſeu ſtatum illum, in quo nos collocavit divina providentia, qualiſcunque demum ille ſit, ſive amplus, ſive mediocris; ſive tenuis & abjectus, ſaltem juſtus. Complectitur 1. *acquieſcentiam*, qua ita quieſcimus in ſtatu noſtro, ut plura, majora aut meliora, modo injuſto, non deſideremus. 2. *Gaudium* de proſperitate proximi, tanquam de propria Rom. XII. 15. Etiam 3. conatum ingenuum, eandem proſperitatem promovendi, non minus quam propriam.

II. *Diſtributionem.* Eſt 1. *contentatio* ſeu acqueſcentia, in omniſufficientia divina, quæ omnis Religionis & juſtitiæ fons & eſt ſcaturigo perennis, quæ tamen proprie non eſt hujus loci. Eſt 2. *contentatio* particularis in hoc aut illo bono *naturali*, v. g. parentibus, liberis, amicis, fortunis, in aliis deficiens, nec hæc eſt virtus illa, de qua hic agimus. Eſt 3. contentatio ſeu acquieſcentia, in hoc aut illo perfectionis *morali* gradu, ut ulterius non enitamur. Hæc repugnat pietati, quatenus illa ſemper ad majorem ejus gradum contendit. Eſt tandem 4. contentatio in ſua *ſorte*, qualiſcunque illa demum ſit, ex voluntate divina. Hæc eſt quam dudum exegimus.

III. *Bona* hujus contentationis, ob quæ expetenda eſt: 1. Ea *aſſimilamur* Deo, & quidem in infinita ejus beatitudine: eſt enim Deus παναρκὴς, καὶ ἀυτάρκης, אל שדי Gen. XVII. 1. *Omniſufficiens*, *in ſe* & *à ſe* ſufficiens, eoque infinitum beatus. Eſt 2. iſta contentatio noſtra, & *ſcaturigo* omnium officiorum noſtrorum verſus proximum; & *faſtigium* ac perfectio omnis juſtitiæ & charitatis erga eundem. Eſt 3. ingens quæſtus ἐνσέβειαμετ' ἀυταρκείας 1 Tim. VI. 6. Ejus ope 4. *Chriſtiana* charitas *communem* quamvis ſuperat, & ab ea tutiſſime diſcriminatur Conf. Matth. V. 46. —— Eſt 5. ipſa *tranquillitas* animi noſtri, & qualiſcunque in *terris* noſtra beatitudo: imo nulla beatitudo, vel in *cœlis* conſiſtere poteſt, abſque contentatione.

IV. *Media* quibus comparatur & exercetur iſta ἀυτάρκεια, ſunt: 1. Devota ponderatio *bonorum* ejus. 2. Conſideratio *providentiæ* divinæ, quæ ſuum cuique diſtribuit, pro ſuo arbitrio, & nobis, & proximo, cui nec debemus, nec poſſumus cum ſucceſſu obſtrepere. 3. *Fiducia* in omniſufficientia divina, *in qua* omnia habemus ἐξοχῶς; & *à qua* accipere poſſumus, quæ nobis non tantum ſunt neceſſaria; ſed etiam à nobis deſiderari poſſunt Pſal. XXXVII. 4. 5. & XVI. 5. 6. 11. & LXXIII. 25. 26. Proinde 4. id agere, ut Deus ſit *noſter* Deus, *noſter* Pater, *noſter* Paſtor Pſal. XXIII. 1 —— Ad hoc 5. *fœdus* cum eo pangamus, quo *noſter* fiat Gen. XVII. 1. & verſus nos etiam ſit *Deus omniſufficiens*. 6. *Fide* Chriſtum apprehendamus, in quo ſunt omnes gratiæ theſauri, in quo ſimus *conſummati* Col. II. 9. 10. ex cujus *plenitudine* haurire poſſumus χάριν ἀντὶ χάριτος Joh. I. 16. Porro 7. operam ſic dare *ſpiritualibus*, quæ pertinent ad regnum Dei ejuſque juſtitiam, ut, ex promiſſione divina perſuaſi eſſe poſſimus, omnia reliqua neceſſaria nobis, quaſi pro corollario, fore adjicienda Matth. VI. 33. Tandem 8. ea etiam, quæ per divinam clementiam poſſidemus, ſic poſſidere, acſi *non poſſideremus* 2 Cor. VII. 31. h. e. corda noſtra ab eis non ſuſpendere Pſal. LXII. 11.

V. *Concupiſcentiam*, contentationi oppoſitam, cujus conſideranda

A. *Natura.* Eſt vitium, quo plura expetimus, quam Deus nobis indulſit, & aliorum etiam bona. Per eam hic non intelligimus ipſam *facultatem* concupiſcendi & appetendi; neque ejus actus & operationes; eæ enim nobis ſunt naturales, & à Deo concreatæ: neque etiam concupiſcentiam *pravam*, quæ nobis eſt *originalis*, nullo certo præcepto; ſed omnibus prohibitam: neque illam quæ cum *conſenſu* voluntatis, & propoſito conſequendi concupitum, conjuncta eſt; ea enim in omnibus præceptis ſecundæ tabulæ proſcribitur. Sed illam tantum, qua cor primo inſtigatur, ac titillatur deſiderio bonorum, quæ ſunt proximi, quamvis necdum nobis ſit conſtitutum, ea illicitis mediis acquirendi, ſeu motus pravæ concupiſcentiæ *primo primos* 1 Reg. XXI. 2. *Prava*

autem concupiſcentia fit, quando illegitimo modo, & abſque legitimis mediis, bona proximi concupiſcimus. Eſt peculiariter juxta Johannem 1 Joh. 11. 16. (1) Concupiſcentia *carnis*, h. e. eorum quæ ad victum & libidinem ſpectant. (2) *Oculorum*, eorum quæ ad externam *delectationem* & utilitatem ſpectant. (3) *Superbia vitæ*, eorum quæ ad gloriam & pompam hujus mundi vergunt. Pertinet ad eandem (4) *invidia*, qua dolemus proximi proſperitatem Matth. xx. 15. (5) Ἐπιχαιρεκακία, qua lætamur de proximi malis Pſal. lxx. 3. 4. Obad. vſ. 12.

B. *Mala* concupiſcentiæ pravæ, ob quæ fugienda: 1. Injurioſa eſt in divinam *providentiam*, quaſi illa non ſatis, vel juſte; vel ſapienter, bona ſua diſpenſarit. Item 2. in *bonitatem* ejus indebitam, quæ cum nihil omnino boni, & contra quidvis mali in concupiſcentem diſpenſare potuiſſet, nihilominus tantum boni quantum habet, contulerit. Proinde 3. in debitam ei hoc nomine gratitudinem. Porro 4. in *proximum*, cui bona ſibi à Deo collata invidet. Inſuper 5. in *publicum*, cui concupiſcentia omnem ſuam ſecuritatem adimit, cujuſvis mali ſcaturigo exiſtens. 6. In propriam concupiſcentis *tranquillitatem*, ei quarumvis turbarum & inquietudinum cauſam præſtans. 7. Eum cuivis injuriæ in *proximum*, & hinc periculis & pœnis obnoxium reddit.

C. *Cauſæ* in ſanatione tollendæ, ſunt: 1. Concupiſcentia *originalis*, huic *actuali*, ſua natura adeo affinis, ut eam immediate protrudat. 2. Αὐτότης ſeu ἀυτοφιλία, qua adeo nos diligimus ſupra proximum, ut omnia ejus velimus eſſe noſtra. 3. *Odium* proximi, quo ipſi ſua bona invidemus, & in ejus calamitatibus lætamur. 4. *Phariſaiſmus*, per quem ignoramus concupiſcentiam *peccatum* eſſe Rom. vii. 7. quo etiam legis divinæ *ſpiritualitatem* neſcimus, & hinc nobis imaginamur, ſola abſtinentia à *facto* peccati, aut ad ſummum, à concupiſcentia quæ procedit à deliberatione, & cum conſenſu conjuncta eſt, legi ſatisfieri &c.

D. *Remedia* in curatione pravæ concupiſcentiæ applicanda, ſunt, 1. devota ponderatio *bonorum* ἀυταρκείας, & *malorum* concupiſcentiæ. 2. Uſus mediorum, quibus naſcitur & alitur contentatio. 3. Obniti ejus cauſis, v. g. concupiſcentiæ *originali* obnitendum eis mediis, quibus converſio & ſanctificatio Spiritus S. impetratur & promovetur, v. g. precibus & exercitationibus: ἀυτότητι abnegatione ſui ipſius: *odio* proximi, ejus amore, velut qui ſua natura, nobis proximus ſit, imaginem Dei geſtet, & ejuſdem nobiſcum beatitudinis particeps ſit, aut ſaltem eſſe poſſit: *Phariſaiſmo*, ſtudio legis ejuſque ſpiritualitatis Rom. vii. 14. 15.

HYPOTYPOSIS THEOLOGIÆ ASCETICÆ.

De Exercitio Pietatis.

LIBER PRIMUS.

De exercitio pietatis in genere.

PROLOGUS.

IDeam *Theologiæ* moralis, *de virtutibus & vitiis ſingularibus, exantlavimus; jam ad* exercitium *iſtarum virtutum progredimur. Virtutes enim, utut* in ſe & ſua natura, *ſint diſtinctiſſimæ, praxi tamen ſeu exercitio, fiunt conjunctiſſimæ & confuſiſſimæ. In exercitio enim, ratione variorum vitæ Chriſtianæ caſuum; variis modis coëunt, & ſecundum diſtinctam naturæ ſuæ conditionem operantur, ferme ut in praxi medica, medicamenta* ſimplicia *variis modis conjunguntur, ſuamque virtutem exſerunt & conferunt. Doctrinam iſtius compoſitionis, quoad diverſos vitæ Chriſtianæ caſus,* Theologiam aſceticam *appellamus, præeunte Apoſtolo Act.* XXIV. 16. Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ, ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ πρὸς τὺς ἀθρώπυς διαπαντός. In hoc autem me exerceo, inoffenſam conſcientiam habens, apud Deum, & apud homines ſemper, *Alibi* γυμνασίαν 1 *Tim.* IV. 7. Γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς ἐυσέβειαν, ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία --- Exerce autem teipſum ad pietatem: corporalis enim exercitatio ad pauca utilis eſt. *Exemplo item Theologorum, cum* veterum, *v. g. Baſilii in ſuis* Aſceticis, & XXXIV. διατάξεσι, ἀσκητικαῖς; *tum recentiorum, & Reformatorum peculiariter, v. g. Baylii in Tractatu de* Praxi pietatis, *Gulielmi Teelingii, in Tractatu de* præcipuis exercitiis Chriſtianis, *Joh. Gerardi Theologi Lutherani, in Tractatu quem inſcripſit:* Exercitium pietatis quotidianum quadripartitum, *& imprimis etiam Celeb. Gisb. Voetii, in ſuis* ἀσκητικαῖς. *Eam diſpeſcimus in* quatuor *libros: quorum* primus *occupabitur circa praxin pietatis in genere:* ſecundus *circa praxin verſus Deum:* tertius *circa praxin verſus proximum:* quartus *circa nosipſos.*

HYPOTYPOSIS THEOLOGIÆ ASCETICÆ.

LIBER PRIMUS

De praxi pietatis in genere.

CAPUT I.

De Natura praxeos pietatis, & Inertia ſpirituali.

Liber *primus* ergo Theologiæ aſceticæ, occupabitur *primo* circa praxin pietatis, ſic ut repræſentet naturam, cum praxeos *pietatis*, tum & *impietatis*; circa praxin *pietatis*, dicemus ejus *naturam* & *progreſſum*. Circa naturam cogitabimus ejus

I. *Indolem*. Eſt praxis pietatis, ſtudium exercendi quaſvis virtutes Chriſtianas. Per pietatem, hic non intelligimus ea tantum officia quæ Deo debemus, quoad cultum ejus naturalem, juxta primum Decalogi præceptum, in fide, ſpe, charitate, auditione verbi, precatione &c. quo ſenſu eam delineavimus in Idea Theologiæ moralis cap. 1. Nec etiam, quatenus notat omnia officia *Religionis*, quoad integram priorem Decalogi tabulam, in officiis cultus, tam naturalis, quam inſtituti: ſed univerſim omnia officia, quæ ex præſcripto divino nobis incumbunt, cum *immediate*, tum *mediate*, in proximum pariter & nos ipſos. Ita ut exhauriat omnia officia vitæ Chriſtianæ: eſt enim Theologia Chriſtiana, doctrina ſeu artificium vivendi Deo per Chriſtum, ut docuimus Theologiæ noſtræ Theoretico-practicæ lib. 1. cap. 1. Quam proinde hæc tria ingrediuntur: α. ut in *gloriam* Dei dirigantur omnes actus vitæ noſtræ, velut in ſupremum *finem* ejus. β. Ut juxta ejus *voluntatem* procedant, velut ſupremam ejus *regulam*. γ. Ut ab *operatione* Spiritus S. producantur, velut primo ejus *auctore*. Eſt igitur vita Chriſtiana, vel (1) *naturalis*, ab unione corporis & animæ oriunda, cujus omnes actus dirigi debent in gloriam & juxta voluntatem Dei, vel (2) *civilis*, in officiis verſus homines in ſocietate conſideratos.

II. *Bona* praxeos pietatis, ob quæ ſectanda, ſunt: 1. Eſt in ea vita omnium *optima*, ſcil. ſpiritualis, cœleſtis, divina, in qua *naturæ divinæ* ſumus participes. 2. Tendit in præſtantiſſimum *finem* gloriam Dei, ſalutem æternam, commodum quorumvis. 3. Habet *normam* exactiſſimam, tutiſſimam. 4. Profluit à *cauſa* perfectiſſima, à Deo, à Spiritu; à fide ſalvifica. 5. Eſt in ſe *opus* præſtantiſſimum, *juſte* verſus proximum, *ſobrie* verſus nos ipſos, pie verſus Deum vivere Tit. II. 12. Eſt 6. *utilis* ad omnia 1 Tim. IV. 8. Utilis in *hac vita*, promiſſionem habens *hujus vitæ*; utilis *poſt hanc* vitam, in morte, extremo judicio, in omnem uſque æternitatem. Eſt 7. vita *glorioſa*, apud *Deum*, apud *homines* facit venerandum & honorabilem, ducit ad gloriam æternam. Eſt 8. vita *ſuaviſſima*, dulciſſimam animo tranquillitatem concilians in quavis fortuna, quantumvis etiam adverſa. Eſt proinde 9. vita maxime *neceſſaria*, dirigens nos, noſtraque omnia ad ſupremum finem, abſque quo omnia noſtra vaga ſunt & errabunda.

III. *Adminicula*, promovendæ praxi pietatis neceſſaria, ſunt: 1. Ut quis *vita ſpirituali* ſit præditus, qua *poſſit*, quæ ſuppetit à *regeneratione*, antequam homo mortuus eſt in peccato. 2. Ut vita ſpiritualis *regeneratione* collata, gratia ſecunda converſionis excitetur in actum, abſque qua vita collata jacet. 3. Ut virtutes habeat, ſeu veram pietatem exercendam, quæ conferuntur per gratiam *ſanctificationis*. Porro 4 ut per *fidem* ſit in Chriſto, ab quo nihil poſſumus omnino in officiis pietatis. 5. Ut *cognitionem* habeat officiorum pietatis exercendorum: ignoti enim nulla cupido. 6. Ut animum habeat proclivem & promptum exercendæ pietati. 7. Ut ſolicite declinet quævis *impedimenta*, quæ praxin obſtruant, jamjam commemoranda.

IV. *Inertia* ſpiritualis, cujus cogitanda

A. *Natura*. Eſt ſenſu generaliore, defectus praxeos pietatis, qua, vel 1. *nihil* agimus, otioſi in vinea Dei; vel 2. neglecta *vera* praxi, *ore* tantum clamamus: Domine Domine, dum non facimus ejus voluntatem Matth. VII. 21. 22. 23. h. e. tantum *profitemur* pietatem, non autem exercemus; vel 3. tantum *prophetamus*, h. e. cognitionem tantum habemus & quærimus eorum quæ ſpectant ad pietatem, ut eam aliis venditemus, & de ea gloriari poſſimus; vel 4.

μόρ-

μόρφωσιν tantum gestamus, in officiis pietatis externis, δύναμιν ejus abnegantes: vel 5. Officia puræ putæ *naturæ* habemus pro vere spiritualibus.

B. *Mala* hujus inertiæ, ob quæ fugienda est, sunt: 1. Est turpis *ignavia spiritualis*, in homine qui Christianismum profitetur, intolerabilis, Deo pariter & piis omnibus detestanda. 2. Turpis item *delusio*, Dei, hominum, sui ipsius, quibus μόρφωσιν seu vanam *speciem* pro δυνάμει pietatis obtrudere conamur. 3. Omni vera *Religione* destituitur, utpote quæ non est, nisi artificium vivendi Deo per Christum. 4. Argumentum certum præstat, hominis adhucdum spiritualiter mortui, utpote qui nihil operatur spiritualiter bonum. 5. Item fidei *communis* & mortuæ, quæ non est per charitatem efficax, quæque nihil confert ad justificationem & salutem. 6. Privat hominem omni *tranquillitate* & *gaudio* spirituali, quod nascitur ex operationibus pietatis. 7. Excludit hominem ab omnibus promissionibus hujus & futuræ vitæ, utpote quæ soli veræ pietati factæ sunt. 8. Omnes ejus reliquas exercitationes σωματικὰς, quas religioni impendit, reddit cassas & inutiles.

C. *Causæ* hujus inertiæ spiritualis sunt, 1. *defectus* regenerationis, conversionis, sanctificationis, fidei salvificæ &c. 2. Fides *communis* mortua, ἄνεργος, quæ non est per charitatem ἐνεργουμένη. Accedit 3. *pigritia* qua molestos praxeos pietatis labores declinamus. 4. *Error*, quod externa *exercitatio*, σωματικὴ γυμνασία sufficiat ad salutem 1 Tim. IV. 8. & quod proinde *interna* & vere spiritualis exercitatio sit superflua. Insuper 5. immoderata rerum *terrenarum cura* & sollicitudo, per quam nec animus; nec tempus nobis suppetit, ad exercitia veræ pietatis. Quandoque etiam 6. *superbia*, qua contemtum mundi, à præcisa pietatis praxi oriundum, conamur declinare. Tandem 7. *impedimenta*, quæ nobis objiciuntur, à pietatis hostibus, satana, mundo, carne, voluptatibus, quæ tum maxime nobis obnituntur, quando fervidissime pietati operam damus.

D. *Remedia* adversus istam inertiam, suppetent 1. à devota consideratione *bonorum* praxeos pietatis, & *malorum* oppositæ inertiæ. 2. Ab eis adminiculis, quibus promovetur praxis pietatis. 3. Ab obstructione causarum hujus inertiæ, v. g. si sit à defectu regenerationis, per quem nec possit, nec velit; enitatur saltem agnoscere defectum istum, & ex eo miseriam suam præsentem, per quam hactenus exclusus sit à salute æterna, donec, per gratiam regenerationis, ei oboriatur *velle*: si autem apud se experiatur istud velle, persuasus esto se regenitum esse, & qui *velle* istud dederit, daturum etiam & posse & perficere, ex divina συντάξει Phil. II. 12. adeoque istis viribus, quas habet, calidis precibus apud Deum contendat, ut per gratiam conversionis pariter & sanctificationis, jacentes vires erigat ad exercitium: si sit *pigritia* qua molestiam praxeos pietatis nolit subire; cogitet præstantiam, utilitatem, & durissimam necessitatem ejus, ad obtinendum salutem æternam, quæ omnem laborem suum abunde sit compensatura, & sic pergat per omnes inertiæ istius causas, opponendo eis efficacissima sua remedia

CAPUT II.

De Progressu in Praxi pietatis, & Satietate.

IN praxi pietatis requiritur secundo, continuus ejus *progressus* & incrementum, cui opponitur carnalis satietas. Hujus progressus consideranda veniunt

1. *Natura*. Est conatus ingenuus, in praxi pietatis continuo proficiendi. Ad hunc *progressum* requiritur 1. *præsentia* veræ pietatis, in qua proficias. 2. Eiusdem permanentia seu duratio, qua non deficias. 3. Conatus, magis magisque in eadem invalescendi, à virtute in virtutem progrediendi Psal. LXXXIV. addendi *fidei virtutem*, *virtuti cognitionem*, *temperantiam* &c. 2 Pet. I. 5. 6. — obliviscendo *quæ retro* seu impetrata dudum, & contendendo ad ea *quæ à facie* seu adhuc impetranda sunt, & sic enitendo versus perfectionem Phil. III. 12—16. Ad quod exigitur constans & indefessus mediorum usus in virtute Dei: Præsupponit ergo profectus iste (1) *debilitatem* infirmitatemque, in hac rerum imperfectione, vel comparative ad alios, etiam robustissimis familiarem. (2) Saltem *imperfectionem*, à qua continuo pergendum ad perfectiora. (3) *Gradus* varios perfectionis, infantium, adolescentium, & virorum, in perfectione spirituali 1 Joh. II. 12, 13, 14. Et hic respicit, vel α. *gratiam* internam, seu vires, progressu augendas; β. *cognitionem*, sapientiam, & prudentiam, ut in rerum spiritualium spirituali notitia, continua facias incrementa; 2 Pet. III. 18. vel γ. *virtutem* & pietatis officia, ut eis perpetuo invalescas. Idque A. quoad *peccatorum*, corruptionisque naturalis *mortificationem*, ut vitium unum post aliud coneris subigere. B. Quoad *virtutem*, ut α. ab una progrediaris ad aliam, à quo sponsa spiritualis dicitur sponso suo congessisse *nova* & *vetera* Cant. VII. 13. Ut β. in *singulis* novos continuo acquiras gradus, ut v. g. *charitas* reddatur ferventior 1 Pet.

IV. 8. *fides confirmatior*, ut magis magisque *abundemus in opere Domini* Eph. VI. 18. ut *posteriora* nostra *potiora sint prioribus* Apoc. II. 9. Ut c. *fructus* & officia evadant *maturiora* & spiritualiora. Ut d. cor nostrum in vera gratia, fiat *radicatius* in Christo Eph. IV. 15. 2 Pet. III. 17. Ut e. *fructus* Spiritus excludamus *suo tempore* Psal. I. 3. continuata serie & constantia, obviis etiam maximis difficultatibus Rom. XII. 12.

II. *Bona* hujus progressus, ob quæ faciendus, sunt, 1. bonum bono additum, semper sit majus & *præstantius*, cumprimis in spiritualibus. 2. *Laudabile* est in bono proficere, imprimis in pietate. 3. Est indicium *vitæ* & *valetudinis* spiritualis, crescere & invalescere. 4. Ipse Servator noster, ut perfectissimus, dicitur *profecisse sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines* Luc. II. 52. 5. Semper nobis, in hac rerum imperfectione, adest *malum* quod corrigamus, & deest *bonum* in quod enitamur. 6. Auget *suavitatem* & tranquillitatem animi, continuo invalescere in studio pietatis. Est 7. certa nota *beatitudinis*, in *domo Dei habitare*, ipsum *continuo laudare*, à *virtute progredi ad virtutem*, donec *apud Deum in Sione appellamus* Psal. LXXXIV. 5——9.

III. *Adminicula*, quibus progressus in pietate juvari possit: 1. Præsupponitur præsentia *vitæ* spiritualis & virium, per regenerationem collatarum: mortuus enim non potest progressus facere. 2. Ambire gratiam Dei *conservantem* & *corroborantem* absque qua nihil possumus 2 Cor. III. 5. Porro 3. *excitare dona*, nobis collata per conversionem & sanctificationem spiritus 2 Tim. I. 6. idque in virtute Spiritus S. qua omnia possumus Phil. IV. 13 Insuper 4. omnes *occasiones* studiose captare, quibus possimus juvari & proficere in praxi pietatis. Nominatim 5. *exercitiis* cultus externi incumbere, non tantum *constanter*; sed etiam serio, arrectis omnibus viribus nostris Col. III. 23. & ea quidem intentione, ut per ea proficias in pietate. 6. Innitamur *promissionibus* divinis de corroboratione 2 Thess. III. 3. Anhelemus 7. *unionem* nostri cum Christo per fidem, *qui caput est, ex quo totum corpus incrementum capit*——Eph. IV. 15. 16. Insuper 8. viam universæ vitæ ἐυτάκτως instituamus Psal. L. 23. versus scopum collinemus Phil. III. 14. juxta certam regulam Gal. IV. 16. æmulemur χαρίσματα κρείττονα 1 Cor. XII. 31. Ad hæc 9 *precibus* calidis contendamus, ut *infirmitati* nostræ succurrat. Tandem 10. indies *exploremus* rationem profectuum nostrorum.

IV. *Satietas*, studio proficiendi opposita, cujus consideranda

A. *Natura*. Est carnalis acquiescentia in eis bonis, quæ dudum assecuti sumus, aut nos assecutos esse arbitramur, absque conatu proficiendi. Est *acquiescentia*, non *spiritualis* in Deo ejusque gratia 2 Cor. XII. 9. sed *carnalis*, qua se satis habere putant, in eis quæ vel vere habent, puta, aut 1. donis *naturalibus*, sapientia, clementia; aut 2. *civilibus* tantum aut Ecclesiasticis, quæ pro vere spiritualibus habent v. g. in externa religionis professione, usu sacrorum publicorum, auditione verbi, precibus externis, usurpatione Sacramentorum & vita *civiliter* honesta. In quibus ita acquiescunt, ut sibi jam nihil deesse putent, nec proinde ulterius contendant. Cadit α. plerumque in *hypocritas* vera pietate cassos, v. g. in juvenem illum Pharisæum Matth. XIX. 20. *Hæc omnia servavi à juventute mea, quid mihi deest?* in Pharisæum Luc. XVIII. 11. 12. *Gratias tibi ago* &c. in Paulum adhucdum Pharisæum Phil. III. 4. 5. 6. in Ecclesiam Laodicensem Apoc. III. 17. *Dicis dives sum, & ditatus, nec ullius indigeo*, in Judæos omnes Rom. II. 17. 18. 19. 23. 28. Quandoque etiam β. in vere *fideles*; sed infirmos, ut patet ex frequentatis ad eos exhortationibus, ad incrementum & progressus in pietate. Per istam satietatem, saltem hypocritæ, frequenter prorsus *deficiunt*, *naufragium* fidei patiuntur ut Hymenæus Philethus, Demas 1 Tim. I. 19. 20. 2 Tim. IV. 10. ipsisque surripitur, etiam quod videbantur habere: & ipsi etiam *regrediuntur*, seu deficiunt ab eo gradu pietatis, quem antea habebant Apoc. II. 4. 5.

B. *Mala* hujus satietatis, ob quæ fugienda, sunt: 1. Est *argumentum* deficientis *vitæ* spiritualis & regenerationis in hypocritis: mortuus enim non potest invalescere aut operari. Aut saltem 2. vitæ *languescentis* & ægrotantis in *fidelibus*: infantes enim ægrotantes non invalescunt, nec proficiunt. 3. Non *progredi* est *regredi*, ut qui adverso flumine natant, si non proficiunt, deficiunt. 4. Conjicit in *periculum* amittendæ salutis æternæ Matth. V. 20. *nisi enim abundaverit justitia vestra —— non ingrediemini regnum cœlorum*, nec potientur justificatione vera Luc. XVIII. 14. Nec βεβαίου assequuntur 1 Cor. IX. 24. 26. Porro 5. habent fidem *mortuam*, quippe ἄνεργον Jac. II. 20. Nec 6. frui possunt ea conscientiæ *serenitate*, fiducia & gaudio, quæ nascitur ex progressu in pietate 2 Tim. IV. 7. 8. Insuper 7. omnis eorum labor, quem impendunt officiis externis, vanus est & otiosus Jac. II. 14. 20.

C. *Causæ* hujus satietatis, in curatione tollendæ: 1. *Defectus vitæ* spiritualis, quo mortui sunt, aut saltem *languor* & morbus spiritualis. 2. *Fastus* spiritualis: *dives sum* —— Apoc. III. 16. 1 Cor. IV. 8. Porro 3. *ignorantia* ἀκριβείας, quam exigit, & lex, & religio Christiana 1 Joh.

III.

III. 3. Etiam 4. *ignavia*, qua labores fugiunt, quos exigit progreſſus in pietate. 5. Neglectus *nutrimenti* ſpiritualis, cujus ope invalescant 1 Pet. II. 1. 2. Ad hæc 6. *abuſus* cultus externi, quatenus in eo, velut opere operato ſubſiſtunt, nec enituntur, ut perducantur ad cultum internum & ſpiritualem, inque eo proficiant. Quandoque etiam 7. eſt prætextus *humilitatis*, qua in infimo pietatis & ſalutis gradu conſiſtere velint, dum in temporalibus, ad maxima quævis adſpirant.

D. *Remedia* huic ſatietati opponenda, ſunt: 1. Devote conſiderare *bona* progreſſus, & *mala* ſatietatis carnalis. 2. Applicare *adminicula*, quibus promovetur progreſſus in pietate. 3. Obniti *cauſis*, à quibus naſcitur hæc ſatietas, opponendo cuique earum remedia convenientia.

CAPUT III.

De Praxi impietatis, ejuſque Abnegatione.

DIximus praxin *pietatis*; ſuccedit praxis *impietatis*, tam *aperta*, quam *occulta*: cui opponenda eſt ejuſdem *abnegatio*. Conderanda ergo hic veniunt

I. *Natura* proxeos impietatis. Eſt, non tantum non exercere pietatem; ſed & ex adverſo exercere impietatem. Proinde videndum hic, quid ſit *impietas*, quod colligi ſatis poteſt ex eis quæ Cap. præced. de *pietate* diximus, per legem oppoſitorum: quatenus ſcil. notat omnis ἀσωτίας exercitium, contra *pietatem* verſus Deum; *injuſtitiam* verſus proximum, & *intemperantiam* verſus ſeipſum. Qua latitudine occurrit Tit. II. 12. & deſcribitur Cap. III. 3. & copioſiſſime Pſal. I. 16——22. & XIV. 1. 3——7. Nominatim *aperte* impii ſunt: 1. Qui conſtanter *negligunt* cultum divinum, auditionem verbi divini, preces, uſum ſacramentorum, ſanctificationem Sabbathi, exercitia pietatis privata & domeſtica. Qui 2. ſunt dejeratores, perjuri. 3. *Ebrioſi* fornicatores, adulteri. Qui 4. pietatem ejuſque ἀκρίβειαν & pios *derident*, perſequuntur, & ea cauſa, quia pii ſunt. Qui 5. animo deliberato, *negant* fundamentalia Chriſtianiſmi. Qui 6. palam *ignorant* Deum, Chriſtum, viam ſalutis. Quin 7. *profitentur* ſe non velle habere Deum pro *Deo ſuo*, Chriſtum pro *redemptore ſuo*. Qui 8. palam hujus mundi divitias, honores, voluptates aliaque mundana præferunt Deo, Chriſto, ſpiritualibus. Quin 9. quamvis ore profiteantur, ſe Deum habere pro Deo ſuo; nihilominus deliberato animo nolunt deſerere ſcelera ſua. Qui 10. quamvis vivant in apertis ſceleribus, convicti tamen nolunt reformare vitam ſuam, evitare occaſiones ad peccandum. Qui 11. profitentur odium ſuum verſus eos, qui nituntur eos revocare ad reſipiſcentiam. Qui 12. deriſionibus, dicteriis, comminationibus, perſecutionibus--demonſtant odium ſuum adverſus Deum, Chriſtum, Spiritum S. Scripturam. Qui 13. convicti de utilitate & neceſſitate officiorum pietatis, v. g. precum, auditionis verbi &c. tamen nolunt ſe eis impendere. Hi & ſimiles ſunt *aperte* impii. Sunt etiam 14. clam & *occulte* tales, qui extra conſpectum aliorum, operibus impietatis, injuſtitiæ & intemperantiæ, ſeſe dedunt Eph. v. 12. Sunt tandem 15. qui μόρφωσιν habent pietatis, quoad externa ejus officia: aſt δύναμιν ejus abnegant, qui hypocrytarum nomine veniunt, de quibus nos ſupra ex profeſſo egimus in Cap. de ſinceritate & hypocryſi. —— Hactenus *natura* impietatis: *praxis* ejuſdem conſiſtit, non in uno aliquo aut altero actu impietatis, etiam enormioris ſceleris, v. g. ebrietatis, adulterii, homicidii, mendacii, abnegationis Chriſti, contra conſuetudinem ſuam: hoc enim, vel in pientiſſimos quandoque cadit; ſed in conſtanti exercitio.

II. *Mala* praxeos impietatis, ob quæ deteſtanda, ſunt: 1. Impii non alio loco ſunt apud Deum, quam *ſtulti*, *operarii iniquitatis*, *canes*, *ſues*, *lupi*; ita paſſim appellantur in S. pagina. Proinde 2. ſunt putidi, abominabiles coram Deo & hominibus. Adeoque 3. concitant in ſe *iram Dei & cœli* Rom. I. 18. & *odium* Pſal. v. 5. 6. 7. Hinc etiam 4. graviſſima Dei *judicia* Pſal. x. 15. Porro 5. excludunt ſeipſos à participio regni cœlorum Apoc. XXI. 27. Inſuper 6. ſe obnoxios reddunt æternis Gehennæ ſuppliciis Jud. vſ. 7. Tandem 7. ſe ineptos reddunt ad quodvis commercium cum hominibus.

III. *Cauſæ* impietatis tollendæ ſunt, 1. *Originalis* & univerſalis naturæ corruptio. 2. *Atheiſmus*, per quem Deus non eſt in cogitationibus eorum Pſal. XIV. 1. Porro 3. vilipendium *providentiæ* divinæ Pſal. XCIV. 7——12. & X. 11. 13. Inſuper 4. cupiditates carnales, quibus gratificari nituntur Gal. v. 19. 20. Matth. XV. 12. 20. Tandem 5. ἀυτότης ſeu φιλαυτία, omnium ſcelerum ſcaturigo perennis.

IV. *Abnegatio* impietatis, praxi impietatis oppoſita Tit. II. 11. Eſt conatus ingenuus deſerendi omnem impietatem; omniaque ejus ingredientia ſcelera. Hujus *naturam* ex profeſſo repræſentavimus lib.

VI.

VI. cap. VIII. §. XII. *Causas* item §. XII. Porro universum ejus *studium*, motivas, adminicula, modum, signa § XXXIV. Complectitur particulatim, 1. *Vires* quibus postumus abnegare impietatem, *regeneratione* collatas. 2. *Propositum* serium abnegandi impietatem, *conversione* collatum. 3. *Executionem* propositi per *mortificationem* veteris hominis, in *resipiscentia*: tandem 4. *Reformationem* actualem. De quibus duobus postremis nos suo loco pluribus occupabimur.

HYPOTYPOSIS

THEOLOGIÆ ASCETICÆ.

LIBER SECUNDUS

De praxi pietatis erga Deum.

CAPUT I.

De Agnitione & Rejectione Dei.

A Generalioribus Theologiæ Ascеticæ, jam ad ejus specialiora descendimus, nim. ad praxin pietatis versus *Deum*, versus *proximum*, versus *nos ipsos*. Versus Deum, praxis pietatis occupatur his tribus potissimum: agnitione, dilectione, cultu. Hæc expedimus libro *secundo*. Occurrit igitur in praxi pietatis versus *Deum*, primo *agnitio* Dei, cui opponitur ejus *rejectio*. Agnitionis cogitanda veniunt

I. *Natura*. Est ea, non tantum cognoscere Deum, quod sit & qualis; sed etiam eundem recipere & habere pro Deo *suo*. Ingrediuntur ergo eam, 1. *Cognitio*, quoad ejus *existentiam*, quid sit, tum quoad ejus nomina; tum quoad ejus perfectiones, quod sit independens, immutabilis, simplicissimus, infinitus, præsentia seu omnipræsentia, duratione seu æternitate, quoad ejus vitam, intellectum, voluntatem, bonitatem, gratiam, & justitiam, sanctitatem, omnipotentiam, omnisufficientiam &c. De qua cognitione, nos ex professo egimus lib. II. §. XVIII. & XXXI. Tum 2. *Agnitio*, strictius sic dicta, qua eum recipimus, agnoscimus & ipso facto habemus pro Deo *nostro*, eum glorificamus, diligimus, veneramur, fiduciam nostram in eo collocamus, ipsi nos submittimus &c. 3. Ejus *memoriam* semper habemus præsentem.

II. *Bona* hujus agnitionis, ob quæ expetenda, sunt: 1. Est basis & compendium omnis omnino pietatis Heb. XI. 6. Hinc 2. per eam *accedimus* ad Deum, eum quærimus, & remuneratorem experimur. Ibid. Eam 3. exigit ipsa Dei existentia & natura; si enim est Deus, utique cognoscendus, agnoscendus, recipiendus, & pro tali à nobis habendus est. Est 4. certum *indicium* nostræ communionis in fœdere gratiæ, omnibusque ejus promissionibus: *Ero ipsis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum. Agnoscent me, omnes à maximo usque ad minimum. Erunt omnes edocti à Deo.* Eam 5. à nobis exigit *professio* Religionis & pietatis. Atque adeo 6. absoluta *necessitas*.

III. *Adminicula*, quibus comparatur ista Dei agnitio, sunt: 1. *Studium* naturæ & Scripturæ, cujus ope deducimur in cognitionem Dei, ut lib. II. cap. II. §. XXXI. observavimus. 2. *Confœderatio* cum Deo, per quam & *noster* fit, & pro nostro agnosci potest. 3. *Fides* in *Deum*, qua ipsum recipimus, velut summum finem nostrum, ut fiat Deus noster, & eum pro tali agnoscamus. Item 4. in Christum, sine quo nullus nobis patet ad Deum aditus Joh. XIV. 6. Porro 5. Deum continuo habere *ob oculos*, cum in operibus ejus *naturæ*, quæ narrant gloriam ejus Psal XIX. 1. & ex visibilibus deducunt in cognitionem invisibilis ejus potentiæ & Deitatis Rom. I. 19. tum in operibus *gratiæ*, seu beneficiis ejus, tam corporalibus, quam spiritualibus, quibus se non sinit ἀμάρτυρον Act. XIV. 17. 7. Ut eum memoriæ nostræ semper habeamus præsentem.

IV. *Rejectio Dei*, cujus dicenda

A. *Natura*, qua Deum non cognoscimus, aut non agnoscimus pro Deo nostro. Complectitur 1. *ignorantiam* ejus, quod sit, qua Deum non habemus in cogitationibus nostris Psal. X. 4. 11. Aut 2. ignorantiam perfectionum & attributorum ejus. Aut 3. veri Dei, Patris, Filii & Spiritus.

ritus S. Aut 4. non agnoſcimus eum pro Deo *noſtro* Job. XXI. 14. exemplo Pharaonis: *Quis Jehova?* Aut ſaltem 5. Deum noſtrum non *veneramur* Job. XXI. 15. Aut 6. ejus *obliviſcimur* Pſal. IX. 18. & L. 22. Deut. VIII. 11. Aut 7. ipſum *abnegamus* Tit. I. 16.

B. *Mala* hujus rejectionis, ob quæ abominanda eſt. 1. Eſt ſummum *ſcelus*, Deum ſummum bonum, omnis boni fontem, rejicere. Eſt 2. turpiſſima *ignorantia*, eum neſcire, qui ſolus fere ſciri meretur. Eſt 3. abominabilis *contemptus*, eum ſpernere & rejicere, qui ſolus meretur amari, coli, recipi, à quo omne bonum, quod nobis ſuppetit, & eſt oriundum: abſque quo nil omnino nobis adeſſe poteſt. Eum qui eſt ἀντάρκης, & ad omnia nobis ſufficit, rejicere. 4. Deus viciſſim, qui ſe abnegant & rejiciunt, abnegabit & rejiciet ab omni gratia Matth. X. 33. Etiam 5. effundet æſtum furoris & judiciorum, in hos qui ipſum non agnoſcunt Pſal. LXXXIX. 6. 2 Theſſ. I. 8. Pſal. L. 22. Tandem 6. ſunt alienati à Deo per ignorantiam Eph. IV. 18. alienati à fœderibus promiſſionum, ſine ſpe, ſine Deo in mundo. Ibid. cap. II. 12. adeoque miſerrimi.

C. *Cauſæ* hujus rejectionis tollendæ: 1. Originalis averſio à Deo. 2. Atheiſmus. 3. Amor & ſtudium *peccati*, quod nos diſterminat à Deo Col. I. 21. Jeſ. LIX. 2. quandoque 4. Metus vindictæ divinæ ob ſcelera ſua Gen. III. 8. Saltem 5. eſſe extra Chriſtum, proinde inimicum Dei, eum odio proſequi, & hinc rejicere.

D. *Remedia* huic rejectioni applicanda: 1. Serio ponderare *bona* agnitionis Dei, & *mala* rejectionis. 2. Uti *adminiculis*, quibus generatur & promovetur *agnitio Dei*. 3. Obſtruere *cauſas*, à quibus reſultat rejectio, talibus remediis, quæ adverſus quamque earum ſunt validiſſima.

CAPUT II.

De Quæſitione & Fuga Dei.

PRaxis pietatis verſus Deum, occupatur ſecundo circa *dilectionem* Dei, cujus naturam dudum ex profeſſo exegimus, in *Idea Theol. Moralis* lib. II. Cum ejus tres quaſi ſpecies numeravimus, *concupiſcentiam* unionis, *acquieſcentiam* ſeu complacentiam, & *benevolentiam*, & ex his varii reſultent actus, in Scripturis obvii, quibus egregie exercetur pietas verſus Deum: juvabit eos paulo diſtinctius repræſentare. Ab amore *concupiſcentiæ* reſultat *quæſitio* Dei, cui opponitur *fuga* ejus. De quæſitione conſideranda ejus

I. *Natura*. Eſt Deum, ſerio dilectum, ſed quaſi abſentem *gratia* ſua, adhibitis omnibus convenientibus mediis, inveniendi ſtudium, ut cum eo uniamur. Implicat quæſitio generaliter α. amorem verſus quæſitum: β. Quæſiti abſentiam. Hinc γ. deſiderium inveniendi aut recuperandi. δ. Applicationem mediorum, quibus hoc obtineri poſſit. ε. Ad hoc ut quæſitum habeamus, cumque eo conjuncti ſimus. Sic in quæſitione Dei eſt 1. *amor* ingenuus verſus eum, tanquam ſummum bonum, ſibi omnibus modis ſufficiens & neceſſarium. 2. Ejus *abſentia*, non equidem, quoad *eſſentiam*; ſic enim eſt omnibus præſens; ſed quoad *gratiam*, non equidem *omnimodam*, quæ in ſolos cadit adhucdum infideles, quando quærentibus per gratiam divinam adeſt dudum ingenuus amor Dei: verum quoad gratiam ejus, hanc tantum aut illam, in hoc aut illo ſtatu & caſu, aut quoad *ſenſum* gratiæ, quando Deus ſeipſum quaſi ſubducit, deſerit, faciem avertit, abſcondit, ut quaſi fugiſſe videatur, prout in ſpiritualiter deſertis eſt conſpicuum. 3. *Deſiderium* abſentis, ut eum vel *inveniamus* quem hactenus non *ita* habuimus, aut *recuperemus* ſi amiſimus, quod deſiderium, à ſua vehementia, *fames* & *ſitis* paſſim appellatur Pſal. XLII. 1. Jeſ. LV. 1. Apoc. XXII. 17. Porro 4. *applicatio* convenientium *mediorum*, quibus dilectus, abſens, deſideratus inveniatur & recuperetur Luc. XV. 3---10. Sunt autem media quibus Deus quæritur, hæc potiſſimum: *fides* in Chriſtum, *reſipiſcentia* à peccatis, *preces* validæ; *cultus*, & obſequium. Scopus quæſitionis eſt, ut cum eo *uniamur*, ſeu ut ipſum poſſideamus, ut unitus ſeipſum nobis communicet, ſuamque ſapientiam, bonitatem, potentiam, gratiam, aliaſque perfectiones, nobis impendat beandis, ut eis frui poſſimus, delectatione & gaudio inenarrabili. 6. Fructus iſtius quæſitionis, ex promiſſione quæſiti, eſt certa *inventio*, poſſeſſio, fruitio Cant. II. 2 —— 2 Paral. XV. 1.

II. *Diſtributio*. Eſt 1. quæſitio *naturalis*, qua ex ſola contemplatione naturæ quærimus Deum, ſi forte palpando eum poſſimus invenire Act. XVII. 27. Hæc ferme vergit & ſubſiſtit in ſola cognitione Dei, nec ex revelatione procedit, qualis etiam in Gentiles quandoque cadit Rom. I. 19. 21. 22. Nec penetrat ad *gratiam*, aut *glorificationem* Dei. Ibid. Eſt 2. *ſpiritualis* quidem; ſed quæ non contendit, niſi in beneficium *temporale* Joh. VI. 26. Eſt 3. ſpiritualis, quæ *univerſim* contendit ad omnem *gratiam*, in quovis defectu. Eſt 4. *particularis*, qua Deum quærimus, in hoc tantum aut illo caſu, & defectu, ſeu corporali, ſeu ſpirituali, v. g. in caſu *morbi*, quæri-

mus ab eo ſanationem, aut in quavis infirmitate ſpirituali, adverſus hanc aut iſtam infirmitatem, fidei, aut alterius cujuſdam concupiſcentiæ carnalis 2 Cor. XII. 7. 8. Eſt tandem 3. talis qua Deum quærimus, ad *ſenſum* gratiæ, in quavis deſertione ſpirituali Pſal. LXXVII. 3. & LXXXVIII. 10.

III. *Bona* hujus quæſitionis, ob quæ inſtituenda, ſunt: 1. Si quicquam quærendum, ſaltem *ſummum bonum* quærendum, id quod *ſolum* eſt bonum independens Matth. XIX. 17. à quo *omne* bonum. Quod 2. *ſufficit* omni noſtræ neceſſitati, quippe *αὐτάρκης* Gen. XVII. 1. Pſal. LXXIII. 25. Nec 3. ullus quæſitionis labor aut moleſtia utilius impenditur quam quæſitioni Dei, in quo omne bonum eminenter continetur, & à quo omne bonum nobis obtingit. Nec 4. ullus quæſitionis labor fruſtraneus eſt, qui Deo impenditur; dum quævis alia quæſitio, quæ bonis corporalibus impenditur, plerumque caſſa eſt, v. g. quæ opibus, honoribus, voluptatibus tribuitur: quando Deus promiſit, ſe à quærentibus ſe inventum iri 2 Paral. XV. 2. In ipſa illa quæſitione Dei, & inde certa ejus inventione, eſt 5. *poſſeſſio*, communio, fruitio ſummi boni, in qua conſiſtit æternæ noſtræ beatitudinis ſumma. Ab ea porro 6. animæ noſtræ oboritur ſuaviſſimum commercium cum Deo, & ex eo dulciſſima tranquillitas & gaudium inenarrabile. Eſt 7. *gratia* Dei, quam quærendo ſectamur & invenimus, plane ſufficiens 2 Cor. XII. 9. Eſt 8. indicium hominis vere pii Pſal. XXIV. 6.

IV. *Modus* & *adminicula* quærendi & inveniendi, ſunt: 1. Ut eum *tempeſtive* quæramus, dum inveniri poteſt Jeſ. LV. 6. Dum tempus gratiæ adhucdum fulget: datur enim tempus, quo ſe abſcondit, faciem ſuam avertit Pſal. XCV. 7. 11. Dum manus ſuas verſus nos expandit Prov. 1. 20-- Ut 2. ipſum quæramus *primo* ante omnia alia Matth. VI. 33. ſummo *mane* Pſal. V. 4. Inſuper 3. *indeſinenter* Pſal. LXXVII. 3. Ut 4. ipſum quæramus *cito*, nec ulli parcamus labori & moleſtiæ Cant. V. 2-—7. uſque dum ipſum inveniamus. Ibid. 5. adhibeamus omnia iſta *media*, quibus quæritur & invenitur, fidem, reſipiſcentiam, preces, cultum &c. Porro 6. cognitionem & ſenſum nobis paremus, noſtræ miſeriæ & indigentiæ, cui ſuccurrat ejus gratia. Etiam 7. perſuaſionem *omniſufficientiæ*, qua poſſit omnem neceſſitatem noſtram ſupplere, uſque ad perfectam ſatietatem, & ad hoc infinitæ ejus bonitatis, potentiæ, ſapientiæ, gratiæ.

V. *Fuga Dei*, quæſitioni oppoſita. Cujus cogitanda

A. *Natura*. Eſt generaliter, non quærere Deum, aut non eo modo, quo debebamus. Ingrediuntur eam 1. neglectus, ſeu prorſus non quærere, ut debebas, h. e. *α*. non quærere ejus gratiam; ſed cognitionem tantum; *β*. Non quærere apud eum beneficia ſpiritualia; ſed *temporalia* tantum. *γ*. Non quærere ex Scriptura, ſed ex *natura* tantum. 3. *Fugere* inſuper, ſeu ejus præſentiam declinare, ut protoplaſti Gen. III. 8. Aut 4. non quærere eis *mediis*, quibus inveniri vult, fide, reſipiſcentia, precibus, cultu & obſequio. Aut 5. *abigere* etiam Job. XXI. 14. &c. prout facile colligi poteſt ex oppoſita quæſitione.

B. *Mala* hujus fugæ ob quæ abominanda eſt: 1. Fugere Deum, eſt fugere bonum, ſummum, unicum, independens. 2. Eſt ſcelus deteſtandum. Eſt 3. fugere ſalutem propriam. Eſt 4. irritare Deum, ut ſe quærat & inſectetur quovis judicio Pſal. X. 15. Eſt 5. fugere omnem animi veram tranquillitatem & gaudium. Eſt 6. ſibi concitare odium & fugam hominum, utpote quibus non prodeſt; ſed nocet omni perſecutionis genere Pſal. X—

C. *Cauſæ* hujus fugæ obſtruendæ: 1. *Ignorare* Deum Job. XXI. 15. Etiam 2. ignorare ſuam indigentiam. 3. Odium juſtitiæ & ſeveritatis divinæ. 4. Amor peccati & rerum carnalium, ut patet in protoplaſtis. Hinc 5. conſcientia ſui *reatus* ſuæque *turpidinis*, quæ præſentiam Dei ferre non poteſt. Adeoque 6. ſtatus inimicitiæ, qui Deum, veluthoſtem ſuum averſatur. 7. Defectus *fidei* in Chriſtum, qui ipſum reſtituat in gratiam Dei.

D. *Remedia* adverſus iſtam fugam ſuppetunt 1. à conſideratione *bonorum* quæſitionis, & *malorum* fugæ. Ab uſu adminiculorum, quibus promovemur ad quærendum Deum. 3. Studium reconciliationis noſtræ cum Deo per Chriſtum. 4. Ab obſtructione *cauſarum*, à quibus naſcitur fuga Dei, per ea remedia, quæ adverſus ſingulas earum ſunt efficaciſſima.

CAPUT III.

De Complacentia & Diſplicentia in Deo.

ACtus dilectionis ſecundus, poſtquam quæſivit & invenit dilectum, eſt, cum *complacentia*, qua in ejus fruitione quieſcit, huic opponitur *diſplicentia*; tum *converſatio* cum eo. *Complacentiam* hoc capite exigemus, ejuſque conſiderabimus

I. *Natu-*

I. *Naturam*, qua Deum, in omnibus ſuis, aliter nobis non vellemus, quam eſt. Complectitur 1. *acquieſcentiam* cordis, qua animus ita *quieſcit* in perfecta ejus bonitate, ut alia & plura in eo non deſideret. Reſpicit α. ejus *naturam* & *attributa*, ut meliorem, ſapientiorem, potentiorem, non velit, quam eſt, & perinde acquieſcit in ejus juſtitia vindicativa, ac in ejus gratia & miſericordia. β. *Operationes* circa creaturas, cum alias quaſvis, tum nosmetipſos, qualeſcunque, ſive ſint horrenda *judicia*; ſive exoptata *beneficia*, ut in omnibus quieſcamus, & nomini ejus cum Jobo benedicamus. γ. *Providentiam* ejus, in conſervatione & gubernatione rerum omnium, juxta arbitrium voluntatis ſuæ: ſive difficilia, ſive benigna tempora, tempeſtates ſecundas ſive adverſas, diſpenſet in Eccleſiam aut Rempublicam, in omnibus ejus ſapientiam & bonitatem agnoſcamus & prædicemus. δ. *ſortem* propriam, quam nobis aut noſtris diſpicit, ut in qualicunque, etiam *afflictiſſima* & viliſſima, acquieſcamus, manum ori imponamus, nunquam ei obmurmuremus. Non equidem, quod non liceat meliorem deſiderare, ſed quod non liceat eam deſiderare contra voluntatem Dei, bene quidem à voluntate & per voluntatem ejus: ex adverſo, in ſorte *exoptata*, ita quieſcamus in ejus bonitate, ut inde erigamur ad teneriorem ejus amorem, & ſubmiſſam gratitudinem. Complectitur 2. *fiduciam* in eo, qua α. partim de *præſenti* recumbimus & quieſcimus in ejus bonitate, ſapientia. β. Partim de *futuro*, optima quævis nobis ab ipſo pollicemur. 3. *Delectationem* & gaudium, in ejus poſſeſſione & fruitione, omnibuſque illis bonis, quæ nobis contulit. Fundamenta hujus complacentiæ, ſunt A. in infinita ejus *bonitate* & perfectione quam habet *in ſe*, in qua animus noſter ſatis habet & quieſcit. B. In ejus *omniſufficientia* reſpectu *noſtri*, qua omnia illa bona nobis poſſit conferre, quæ non tantum nobis ſunt *neceſſaria*; ſed quovis modo etiam *deſiderabilia*. C. In communione *fœderis gratiæ*, per quod *noſter* eſt, in omni ſua bonitate, potentia, omniſufficientia, nec tantum *poteſt* nobis eſſe omnia in omnibus; ſed *vult* inſuper. D. In ejus *promiſſionibus*, quibus ſe omniaque ſua nobis addixit, ut non tantum *poſſit* bona quævis procurare, & *velit* per ſimplicem gratiam; ſed etiam quaſi *debeat* ex fœdere & promiſſione.

II. *Bona* hujus complacentiæ, quæ eam nobis commendant: 1. Si in quovis *jure poſſumus* aut debemus acquieſcere; ſaltem poſſumus & debemus in Deo, qui ſolus nobis ſufficit in omnibus. 2. Ipſe *ſolus*, per infinitam ſuam bonitatem, poteſt explere & *ſatiare* infinitum animæ noſtræ appetitum & famem. Eſt 3. in iſta acquieſcentia, ſtatus animæ noſtræ ſuaviſſimus ac *beatiſſimus*. Eſt 4. fundamentum omnis *ſecuritatis*, quieſcere in Deo, qui poteſt, vult, & debet ex promiſſione, nobis eſſe omnia in omnibus. 5. Noſtra complacentia in Deo, irritabit viciſſim Dei complacentiam in nobis, ejuſque acquieſcentiam in noſtris defectibus & infirmitatibus. Eſt 6. hæc acquieſcentia, ſeu quieſcentia, ſeu quies noſtra in Deo, Sabbatiſmus ille ſpiritualis, qui fons eſt & ſcaturigo omnis pietatis.

III. *Adminicula*, parandæ, conſervandæ & adaugendæ huic complacentiæ, ſunt: 1. ſerio & frequenter cogitare *bona* hujus complacentiæ, tot ac tanta. 2. *Meditari* infinitam bonitatem, omniſufficientiam & promiſſiones divinas. 3. Id agere, ut Deus iſte, infinitum bonus & omniſufficiens, tuus ſit in Chriſto, per confœderationes, fidem aliaque. 4. Etiam, ut ſeria & conſtanti exploratione tui perſuaſus ſis, eum eſſe *tuum* Deum. 5. Conferre omnia iſta, in quibus complacentiam & acquieſcentiam ſoles habere, ut experiaris eorum imperfectionem, & quantum ſit diſcrimen inter eam quæ in Deo eſt, ab ea, quæ eſt in omnibus iſtis. 6. Obſtruere omnia iſta, quæ complacentiam tuam poſſint turbare, v. g. peccata, acquieſcentiam in mundanis. 7. Conatus experiendi ſuavitatem iſtam, quæ eſt in communione cum Deo: hoc enim potenter alliciet ad ejuſdem continuationem & augmentum.

IV. *Diſplicentiam* oppoſitam, cujus examinanda

A. *Natura*. Eſt generaliter, non tantum defectus complacentiæ in Deo; ſed & contraria diſpoſitio, qua tibi Deus non ſatisfacit, non placet, quæ facile colligi poterit, ex deſcripta complacentiæ natura, per quam non acquieſcis; ſed obmurmuras & oggannis Deo: per quam non recumbis in rebus quibuſvis ab eo diverſis, per quam nullam delectationem & gaudium experiris, in ejus communione fruitioneque: per quam mavis eum tibi abſentem eſſe, aut nullum.

B. *Mala* hujus diſplicentiæ, ob quæ deteſtari debet, 1. Iniquiſſimum ac turpiſſimum eſt, non acquieſcere, nec delectari bono, ſummo, unico, omniſufficientiſſimo. 2. Si in Deo, tali ac tanto bono, non acquieſcis, eoque non delectaris; in quo tandem juſte acquieſces, quo delectaberis? adeoque deſtitutus eris omni vera delectatione ac vitæ ſuavitate. 3. Si tibi Deus non placet; nec tu Deo placebis, adeoque ei exoſus eris. 4. Eſt ſignum hominis qui Deum non habet, aut ſi habet, ſe habere neſcit, proinde hominis athei: Plura hujus generis colliges ex oppoſitione complacentiæ in Deo.

C. *Cauſæ* hujus diſplicentiæ, præcipuæ ſunt, 1. *Ignorantia* Dei, velut boni, & omniſufficientiſſi-

mi. 2. *Conſcientia* peccatorum, per quam Deum cogitant, ut juſtum vindicem, adeoque ſibi inimicum. 3. *Acquieſcentia* & delectatio in rebus hujus *mundi*, Deo exoſis. 4. Defectus communionis cum Deo, per confœderationem, fidem, quo Deus non eſt eorum Deus, quo delectari poſſint. Saltem 5. ignorare aut perſuaſum non eſſe, per inſtitutam ſeriam explorationem, quod Deus *ſuus* Deus ſit. 6. Defectus *experientiæ*, quo nunquam guſtarunt, quam bonus ſit Dominus, nec guſtare conati ſunt.

D. *Remedia* adverſus hanc diſplicentiam, præcipua ſunt: 1. Serio expendere *bona* complacentiæ, & *mala* diſplicentiæ. 2. Operam dare *adminiculis*, quibus naſcitur, alitur & invaleſcit complacentia. 3. Obniti in virtute Dei, *cauſis* à quibus reſultat diſplicentia in Deo, iſtis remediis quæ adverſus quamque earum valent, quam efficaciſſime. 4. Deum fatigare precibus indefeſſis, ut ſeipſum, infinita ſua bonitate & omniſufficientia nobis conſpiciendum præbeat. 5. Exercere fidem in Chriſtum, qua nobis reconcilietur per Chriſtum, ac proinde ut amicus noſter cogitari poſſit.

Caput IV.

De Ambulatione cum Deo, & Aberratione ab eo.

AD complacentiam amoris in Deo, accedit ſecundo *converſatio* cum Deo, cui opponitur *aberratio* ab eo. Converſationis nobis cogitanda veniunt

I. *Natura.* Eſt amica & familiaris converſatio cum Deo. Dicitur in Scripturis etiam, ambulare *coram Deo*, ſeu in conſpectu ejus Gen. XVII. 1. 2 Cor. II. 17. *Poſt Deum* Deut. XIII. 4. in *nomine Dei* Mich. IV. 4. *Spiritu Dei* Gal. V. 15. Implicat 1. *amicitiam* ſeu amorem mutuum inter converſantes amicos, ut Patrem & filium Amoſ. III. 3. Exod. XXXIII. 11. Tum 2. *familiaritatem* ſeu conſuetudinem, qua Deo ſumus *adſueti*, ut amicus amico Job. XXII. 21. Hujus varii obſervantur actus: (1) *Communicatio* reciproca ſecretorum, qua Deus ſuis aperit *occulta* ſua Pſal. XXV. 14. & nos viciſſim ei *corda* noſtra Pſal. XLII. 5. (2) *Conſultatio* amicorum Pſal. LV. 14. à qua Deus *conſiliarius* noſter Jeſ. IX. 6. qui *ducit nos conſilio ſuo* Pſal. LXXII. 38. (3) *Deſiderium unionis* ſeu cohabitationis inter amicos 2 Sam. XIX. 33. & noſtri cum Deo Pſal. XXVII. 4. & LXXXIV. 2. 4. 5. 11. (4) *Confabulatio* familiaris Exod. XXXIII. 11. Gen. XVII. 22. (5) *Viſitatio* reciproca, qua Deus nos inviſit per gratiam Luc. I. 68. & nos viciſſim Deum per reſipiſcentiam & preces Jac. IV. 8. Amoſ. IV. 12. (6) Amica *convivatio* Cant. V. 1. Apoc. III. 20. (7) Amplexus mutui ſeu *oſcula* Cant. I. 1. Pſal. II. 12. Implicat ambulatio iſta (3) *converſationem*, quæ exigit, A. eaſdem cum Deo *calcare vias*, ſeu *juxta* Deum ambulare Deut. XIX. 9. Nim. vias ſanctitatis, bonitatis, veritatis Pſal. XXV. 10. vias *legis* Dei, Exod. XVI. 3. Neh. X. 29. Scil. in præceptis, in judiciis, in ſtatutis Dei Levit. XX. 3. Ezech. XXXVI. 27, h. e. ita intentum eſſe viis Dei, ut citra mandatum ejus, ne tantillum quidem coneris, ne pedem quidem promoveas, ut Iſraelitæ in deſerto, abſque præeunte columna nubea & ignea ſubſiſtebant. B. *Eodem* cum Deo contendere, in eundem collimare ſcopum, nim. ejus gloriam, proximi bonum, & propriarum animarum ſalutem. C. *Greſſus* noſtros cum Deo variare & inflectere, & hoc eſt, *poſt* Deum ambulare Deut. XIII. 4. Vias autem hic intelligimus, non tantum *mandatorum* Pſal. CXIX. 27. ſed etiam *providentiæ*; ut nos ambulemus in viis *gratitudinis:* quando ipſe in viis juſtitiæ & judiciorum ſuorum, & quaſi tergum nobis obvertit, nos in viis pœnitentiæ & reformationis incedamus, & ſic vias noſtras ejus viis accommodemus, quo ei maneamus præſentes. D. Ejus quaſi *manus* prehendere, h. e. inter ambulandum plane ab ejus conſervatione, ductu & roboratione pendere. Implicat *adhærere* Deo, h. e. (a) eum nobis continuo habere *præſentem*, non tam quoad *eſſentiam*, quamvis & hoc neceſſarium, quatenus cogitamus, ipſum nobis ubique præſentem eſſe, nos noſtraque obſervare, ut vel remuneretur bona noſtra, vel puniat mala noſtra; ſed potius quoad gratiam, juſtitiam, ſanctitatem, voluntatem. (b) Eum præſentem *ob oculos* habere Pſal. XVI. & XXVI. 3. in eum oculis noſtris defixum eſſe, (c) ſeſe gerere, tanquam *in conſpectu* ejus, cum timore, reverentia, ſinceritate abſque hypocriſi. Idque (d) *conſtanter* & *continuo*; hoc enim exigit ambulatio, non ſemel tantum atque iterum (e) pedem promovere, donec apud ipſum appellamus in Sione.

II. *Notæ* quibus exploretur ingenua converſatio. Cum enim dentur *multi qui ambulant, ut inimici Chriſti* & Dei Phil. III. 18. Et plures etiam, qui *labiis* appropinquant Deo, ut cum eo ambulent, *corde* ab eo diſſitiſſimi Matth. XV. 8. Alii *nomine* tenus & profeſſione externa tantum, qui reipſa ei ex adverſo ambulant, ut Eſavus voce Jacobæa, Cainus ſua ſacrificatione, Achabus ſimulata humiliatione, Jehu zelo hypocritico &c. neceſſum eſt, ut noſtram converſationem, ſitne ingenua & pia,

pia, curate exploremus, quod innoteſcet his fere notis: 1. Si converſatio noſtra ſit in cœlis, ſeu cœleſtis & ſpiritualis Phil. III. 20. Col. III. 1. 2. eſt enim Deus potiſſimum in cœlis. 2. Si converſemur quaſi *ſupra noſipſos*, abnegato omni φρονήματι σαρκὸς, Deo velut cæci adhæreamus, quocunque præit Gal. 16. 2 Cor. x. 5. hoc enim eſt *per fidem ambulare*, *non per aſpectum* 2 Cor. v. 7. Si 3. in ipſis hujus ſeculi negotiis ſimus *divini*, ad Deum properantes animo cœleſti. Si 4. *amicitiam* noſtram quibuſvis modis & mediis conemur ſartam tectam conſervare, abſtinendo ab his quæ ipſi ſunt *exoſa*, abſque quo non poſſumus converſari cum Deo Amoſ. III. 3. Jeſ. LIX. 2. Si 5. non in quibuſdam tantum; ſed in omnibus Dei mandatis conemu cum Deo ambulare Luc. I. 6. Act. XXIV. 16. Si 6. in *novitate* vitæ ambulemus, *natura* enim abſque Deo, cum diabolo, ſecundum carnem, omnes ambulamus Eph. II. 2. 3. 12. Rom. VI. 4. Gal. VI. 15. 16. Si 7. perinde in *occulto*, ſancte ambulemus cum Deo, ac in *propatulo* Eph. v. 12. (Cum ubique præſentem & videntem habeamus Deum:) nec ut Phariſæi Matth. VI. 1—7. & XXIII. 25. 27. 28. Si 8. *ſemper* & in omnibus εὐχημόνως ambulemus Col. III. 23. quippe Dominum ſemper & ubique nobis habentes præſentem.

III. *Bona* hujus ambulationis, ſuppetunt 1. à *dignitate*; quid enim eſt præſtantius, quam *ſervum* eſſe Regis ſummi, *amicum*, cum quo indies converſeris? Apoc. III. 4. & XIV. 4. Si Moſis facies adeo fulgebat majeſtate Exod. XXXIV. 29. 34. quanto majori anima continuo ambulans cum Deo: 2. à *ſuavitate* Prov. XXVII. 9. Pſal. XXXVI. 8. 9 10. & LXXXIV. 2. 3. 5. 11. Conf. Exod. XXXI. 18. Porro 3. à multiplici & egregia *utilitate*. Conciliat enim α. ſanctam quandam parrheſiam & προσαγωγὴν ad Deum, qualis eſt in converſatione amicorum Eph. III. 12. Heb. IV. 16. Luc. XI. 5. 8. β. *Succeſſum* in παῤῥησίᾳ & exauditionem Pſal. XXXVII. 4. nec enim facile amicus amico juſta petita negat 1 Sam. XX. 4. & 2 Sam. XIX. 18. γ. *Tutelam* & protectionem Pſal. XXIII. 4. Ab amico enim in adverſis exſpectamus, aut commiſerationem, aut auxilium Pſal. CIII. 13. & XCI. 15. δ. Pacem, favorem, tutelam omnium amicorum Dei 1 Cor. III. 22. Uſque ad ipſos Angelos Pſal. XXXIV. 8. Imo & inimicorum noſtrorum Prov. XVI. 7. etiam brutorum Hoſ. II. 18.

IV. *Modus* ambulandi, fiat 1. *ſponte*, ut cum amico, non hoſte aut Judice ſevero Pſal. II. 14. Interim 2. cum *timore* & reverentia, non tantum velut cum *amico*; ſed etiam velut cum *Domino* Pſal. II. 12. Neh. V. 5. Porro 3. *humiliter*, velut cum ſuperiore, non pare Mich. VI. 8. Gen. XVIII. 37. memores infinitæ majeſtatis ejus, quicum converſamur. 4. *Sincere* Gen. XVII. 1. cum *ſimplicitate* cordis Eph. VI. 5. *Circumſpecte*, prudenter, caute, vigilanter Eph. v. 15 Quod via, qua cum Deo ambulamus, ſit anguſta & lubrica, in qua proclive eſt ceſpitare ac labi Hoſ. XIV. 10. Denique 6. *conſtanter*, non uno tantum atque altero gradu; ſed continuato greſſu, quoad terminum fuerimus aſſecuti, ſicut התהלך *itavit*, ſenſu frequentativo Gen. V. 24.

V. *Adminicula*, quibus juvemur & dirigamur in ambulando cum Deo, ſunt: 1. Cum natura ſimus inimici Dei, filii iræ, ut enitamur in reconciliationem cum eo per Chriſtum, quo reddamur ejus amici. Quod fiet α. *fide* Jac. II. 25. Joh. XVI. 27. ea enim recipimus Mediatorem reconciliantem Col. I. 20. 21. 22. Ea recipimus dilectum illum, qui nos gratos reddit Eph. I. 6. abſque quo nil noſtrum placere poteſt Deo Heb. XI. 5. 6. β *Reſipiſcentia:* ſicut enim peccatis *divellimur* à Deo; ita reſipiſcentia *conjungimur* cum eo; ut peccato *recedimus*; ita reſipiſcentia *accedimus* ad eum Jer. III. 1. ei occurrimus Amoſ. IV. 12. peccata noſtra agnoſcimus, Deumque ad remiſſionem quaſi diſponimus Prov. XXVIII 13. γ. *Obſervantia* mandatorum ejus Joh. XV. 14. Hac ei moribus magis magi.que aſſimilamur, & efficaciſſime conglutinamur. Hac à ſordibus noſtris Deo exoſis repurgamur Jer. I. 12. 15. δ. *Amore:* eſt enim amicitia amor mutuus Prov. XVIII. 24. ε. *Precibus:* his enim amicitias quandoque accenſas fuiſſe, compertum eſt 2 Sam. XVIII. 1. Saltem Deus eis quam maxime delectatur Cant. II. 14. Tum 2. partam reconciliationem & amicitiam cum Deo ſtudioſe alamus & foveamus, ne frequenti & diuturna interruptione langueſcat & tandem pereat converſatio. Alemus autem, ſi A. nos dignos præſtemus converſatione cum Deo, ſanctitate vitæ. Si B. amorem amore alamus, excitemus. Si C. frequenter cum inviſamus, cum eo conferamus, ejus vocem audiamus, precibus & ſoliloquiis cum eo confabulemur. D. Si amice converſemur cum his qui ſunt amici Dei. Conf. Matth. XXV. 40. 45. Porro 3. reconciliati jam cum Deo, ἐυτάκτως cum eo ambulemus, quod fiet, obſervatis his regulis: (1) Ambulaturi cum Deo, de *via* recta circumſpiciamus, quam monſtrat non corrupta ratio; ſed verbum Dei: (2) In iſta via, in eundem cum Deo ſcopum contendamus, ſcil. Dei *gloriam* 1 Cor. X. 31. Idque (3) velut per *lineam rectam*, non per vias *curvas* Pſal. CXXV. 15. conſultando cum corrupta carne, propria ſectantes emolumenta Gal. I. 16. ſecundum *carnem* ambulando Rom. VIII. 1. (4) Inter ambulandum, hunc *ordinem* premamus: α. *primo* quæramus *divina* & ſpiritualia Matth. V. 33. β. Singulis diebus, ſuas rei cuique, & *ſpirituali* & *temporali*, *horas* demus Pſal. LV. IV. γ. Singulos dies

cum Deo auſpicemur Pſal. v. 4. Jeſ. xxvi. 9. cum Deo proferamus, cum Deo deponamus precibus matutinis, meridianis, veſpertinis. δ. Singulis diebus ad minimum ſemel nos negotiis temporalibus aliquamdiu *ſubducamus*, ut familiarius cum Deo agamus Matth. vi. 6. ε. Nunquam à Deo *deflectamus ad peccata*, ut in eis ambulemus Pſal. i. 1. Nec ζ. in utrumque latus *claudicemus* 1 Reg. xviii. 21. Deum ſimul quærendo & Mammona Matth. vi. 24. Semper η. attendamus ad *cor* noſtrum, ne, quaſi intorto Deo, exorbitet ad peccatum Act. v. 2. 3. Porro θ. ambulantes, ſemper & ubique præſentem habeamus Chriſtum, ut in nomine ejus, omnia noſtra peragamus Col. iii. 17. Inſuper ι. precibus Deum fatigemus, qui *ſe* nobis oſtendat, & vias ſuas Exod. xxxiii. 18. Pſal. xxv. κ. Chriſtum item, qui via eſt ad Patrem Joh. xiv. 6. requiramus, qui nos traducat ad Deum, ut in eo habeamus *libertatem & aditum cum fiducia* Eph. iii 12. λ. Etiam Spiritum S. ſolicitemus, qui nobis ſit ὁδηγὸς, ducat, roboret Pſal. cxliii. 10. μ. Hiſque fulti, magis magiſque Deo adſueſcamus Job. xxii. 21. à *fide in fidem* Rom. i. 17. à *virtute in virtutem* progrediamur, quoad tandem apud Deum in Sione appellamus Pſal. lxxxiv. 8.

VI. *Aberratio* à Deo, ambulationi oppoſita, cujus conſideranda

A. *Natura*, per quam hic latiſſimo ſenſu intelligimus omnem defectum familiaritatis, conſuetudinis & converſationis cum Deo. Qui accidit 1. quando *Deus* non ambulat cum hominibus: vel α. cum *ſuis* fidelibus, quando ſe ipſis quaſi ſubducit, eos deſerit, nec tam *ſe*, quam *ſenſum* ſui; non tam *gratiam* ſalvificam; quam ejus fructum, ſcil. gaudii, delectationis, conſolationis Jeſ. lv. 7. 8. Unde in *tenebris ambulant & lucem non vident* Jeſ. l. 10. Unde miſerrime querulantur Pſal. xiii. 2. 3. 4. & xliii. 2. & xxx. 8. 9. 10. & lxxv. & lxxxviii. Quando itidem gratia ſalutari eos deſerit quoad hunc aut illum actum, ut in peccata ruant 2 Paral. xxxii. 31. Vel β. cum hoſtibus ſuis, cum quibus nunquam vere ambulavit 1 Sam. xvi. 1. 4. Accidit hic defectus ambulationis cum Deo, 2. quando *homines* non ambulant cum Deo, ſive illi pii ſint; ſed ad tempus tantum Cant. v. 2. 3. 4. ſive *impii*, qui vel (1) *non* ambulant cum Deo; ſed ut *hoſtes* Dei & Chriſti Phil. iii. 18. ἐξ ἐναντίας ex adverſo Levit. xxvi. 23. 27. Vel (2) etiam cum *hoſtibus* Dei, cum Satana, cum mundo Eph. ii. 2. Gen. iii. 1—7. Joh. viii. 44. Vel (3) ſecundum *carnem*, in cupiditatibus & voluptatibus carnalibus Tit. iii. 3. Saltem (4) non ſecundum *canonem* ſibi à Deo præſcriptum Jeſ. viii. 20. Gal. vi. 16. ſed ſecundum φρόνημα τῆς σαρκὸς Rom. vii. 7. Nec (5) *ingenue*, non *corde*; ſed *ore* tantum; ſed officioſis tantum externis, cætera remotiſſimi à Deo. Quin (6) nec deſunt, qui Deum à ſe abigunt Job. xxi. 14. & xxii. 17. Plura hujus generis facile colliges ex natura oppoſitæ ambulationis cum Deo.

B. *Mala* hujus aberrationis à Deo, ob quæ fugienda, ſunt: 1. hoc eſt *errare* Jeſ. liii. 5. exemplo Caini Gen. iv. 12. 16. Hagaris cap. xxi. 14. Tales 2. ſunt *alieni* à Deo Pſal. lviii. 4. *ignorantes* Deum Eph. iv. 18. 2 Theſſ. i. 8. & *ignoti* Deo Matth. vii. 23. Imo *hoſtes* Dei Col. i. 21. Zeph. ii. 1. לא נכספים *non deſiderati*, ἀθεσυγήτους Rom. i. 30. h. e. Deum *odio habentes* Exod. xx. 5. & *exoſi Deo* Pſal. v. 6. 7. Cum ipſis 3. Deus *non ambulat* in gratia; ſed ex *adverſo* in judiciis ſuis Levit. xxvi. 24. 28. Ambulant 4. in *tenebris*, in *erroribus* 1 Joh. i. 6. 2 Pet. ii. 19. in *vanitate* mentis ſuæ Eph. iv. 17. Sunt 5. *alieni à Chriſto*, *à Republica Iſraelis*, ſeu Eccleſia, *à pactis promiſſionum*, *ſpem non habentes*, *Athei in mundo* Eph. ii. 12. Deus 6. eos viciſſim *deſeret* gratia ſua in æternum 2 Paral. xv. 2. exemplo Saulis rejecti. Tandem 7. ſeipſos privant omni illo honore, ſuavitate, & utilitate totuplici & tanta, quæ oritur ex ingenua ambulatione cum Deo, ſicut diximus.

C. *Cauſa* hujus aberrationis, ſunt: 1. *Naturalis* averſio à Deo Pſal. lviii. 4. qua *omnes*, plus minus aberramus à Deo Jeſ. liii. 6. Eſt 2. *ignorantia* Dei & viarum ejus. 3. *Inimicitia* & odium verſus Deum & vias ejus Job. xxi. 14. 15. Eſt 3. *contemtus* Dei & viarum ejus, quo vilior eſt apud nos, quam ut cum eo converſemur. Eſt 4. *amor* mundi & cupiditatum ejus, quibus adverſatur Deus, & viæ ejus. Eſt 5. opinio ſufficientiæ, quam habemus apud nos ipſos, ut Deo non indigeamus Job. xxi. 15. Eſt 6. moleſtia & labor, qui eſt in converſatione cum Deo, & in ejus viis.

D. *Remedia* adverſus eam alienationem, ſunt: 1. Devote ponderare *bona* converſationis cum Deo, & *mala* aberrationis. 2. Uti *adminiculis*, quibus juvemur & promoveamur in converſatione cum Deo. 3. *Obniti* cauſis, à quibus exiſtit ea abalienatio, v. g. naturali alienationi à Deo, medetur gratia converſionis & ſanctificationis, precibus obtinenda; ignorantiæ occurrit ſtudium cognoſcendi Deum ejuſque vias, & ſic porro per omnes cauſas procedendum &c.

CAPUT V.

De Benevolentia & Malevolentia versus Deum.

CHaritas versus Deum tertio exigit *Benevolentiam* versus Deum, cui opponitur Malevolentia; Benevolentiæ considerandа

I. *Natura*, qua Deo bona & grata quævis volumus, & conferre conamur. Complectitur 1. studium omnia nostra dirigendi in ejus *gloriam*, velut supremum scopum nostrum, de quo suo loco ex professo. 2. Nos, omniaque nostra, corpus & animam *dandi* & impendendi in ejus commodum 2 Cor. VIII. 5. Rom. XII. 1. De quo nos Lib. VI. Cap. VIII. §. XXXVI. Tum 3. studium ei in omnibus placendi 2 Cor. V. 9. Hinc 4. studium *virtutis* & bonorum *operum*, quo ei placeamus Eph. II. 10. Tandem 5. *removendi* ab ejus conspectu omnia ista, quæ ei exosa sunt Jes. I. 15. 16. Quod fit, partim *respiscentia* interiore, qua *odium* gestamus versus peccata Deo exosa, & propositum habemus ea removendi à conspectu ejus. Ibid. Partim *reformatione* externa, qua ipso facto, ea removemus à facie ejus. Ibid. De quibus singulatim nobis hic agendum foret, ni brevitatis studium cohiberet.

II. *Bona* hujus benevolentiæ ob quæ concipienda est, sunt: 1. Ipse *bonus* est & optimus, quamobrem congruum est, ut bona quævis ipsi velimus. 2. Ipse nobis beneplacitum seu benevolentiam suam, bona & optima vult, filium suum charissimum nobis donavit, ut ex ejus plenitudine hauriamus gratiam pro gratia Joh. I. 16. Ipse insuper 3. nobis volet & conferet bona quævis, si non ipsi bona quævis voluerimus. Ipse 4. per benevolentiam suam versus nos, voluit & vult *glorificationem* nostram Matth. XXV. 31. 34. nunquid conveniens est, ut & nos vicissim sectemur ejus gloriam? Ipse 5. nobis *dedit*, quæ *ad vitam & pietatem* sunt *necessaria* 2 Pet. I. 3. Nunquid æquum est, ut & nos vicissim, nos & quævis nostra ei reciprocemus? Deus 6. pura puta benevolentia & beneplacito, hominem regeneratione, conversione & sanctificatione, liberat à peccato, non ad hoc tantum ut sibi placeremus; sed ut ipse vicissim nobis placeret, & ut peccata ab ejus conspectu removeremus; nunquid igitur æquissimum est, ut nos removendo peccata nostra, conemur & ipsi placere? Denique 7. benevolentia nostra versus Deum, scaturigo est omnis nostræ pietatis versus ipsum; sicut ejus benevolentia circa nos scaturigo est omnis nostræ beatitudinis.

III. *Adminicula*, generandæ isti benevolentiæ, sunt: 1. Serio expendere *bona* benevolentiæ nostræ versus Deum, imprimis 2. benevolentiam Dei versus nos, qua nos elegit ab æterno Eph. I. 4. 6. nobis filium suum dilectum dedit Joh. III. 16. cum adhuc *inimici* essemus, nos redemit per mortem ejus, cum adhuc impii essemus Rom. V. 6. 7. 8. nos vocavit è tenebris in admirabilem ejus lucem 1 Pet. II. 9. Nos regenuit per Spiritum suum Tit. III. 4. 5. &c. Ista omnia nunquid tantum valebunt apud nos, ut & benevolentiam versus eum in nobis suscitent? 3. Id operam dare, ut ejus *amici* simus, est enim amicorum benevolentia reciproca. 4. *Persuasum* esse de ejus benevolentia versus nos. 5. Cogitare *suavitatem* quæ est in benevolentia reciproca. 6. *Credere* in Christum reconciliatorem, in quo & ipse nobis omnia bona vult & nos vicissim ipsi.

IV. *Malevolentia* opposita. Cujus considerandа

A. *Natura*, quam κατ' ἀντίθεσιν ex opposita *benevolentia* facile perspiciemus. Est nim. defectus, quo non tantum ipsi bona quævis non volumus; sed & mala volumus. Hoc est, 1. non tantum ejus *gloriam* non quærimus; sed etiam in ignominiam ejus vivimus Rom. XI. 24. Tum 2. nos nostraque, corpus & animam, facultates, bona, tantum non volumus ei addicta: sed & ejus hostibus, nostrisque cupiditatibus impendimus. 3. Non tantum non placere ei; sed & displicere Job. XXI. 14. Porro 4. non tantum virtutibus & bonis operibus, quæ ipsi grata sunt, operam non demus, sed & vitiis ei exosis. 5. Non tantum scelera nostra ab ejus conspectu non removemus; sed & accumulamus.

B. *Mala* hujus malevolentiæ, ob quæ fugienda est, sunt: 1. Bona optima non velle, quin & mala, turpissimum est. 2. Si nos bona Deo non volumus, quin ex adverso mala; & ipse nobis non volet bona, quin & mala quævis. 3. Non potest non in ista malevolentia esse conscientia *mala*, turbata, horrens &c. 4. Si nos ei *gloriam* non volumus; ipse nobis æternam ignominiam volet Dan. XII. 2. Si 5. nos ipsi hic per virtutem non volumus placere; nos ipsi vicissim in æternum non placemus. Si 6. nos hic ab ejus conspectu noluerimus removere peccata, ipse in æternum cumulabit in nos sua tormenta.

C. *Causæ* hujus malevolentiæ, sunt: 1. *Sanctitatis* divinæ ἀκρίβεια, ad quam nec possunt, nec volunt se componere. 2. *Justitiæ* ejus rigor, exagitans eorum scelera. 3. *Amor* sui & cupiditarum carnalium,

nalium, cui non convenit cum utroque præcedenti. 4. *Inimicitia* & odium versus Deum, quæ non feret ut bonum ei velimus. 5. *Dissimilitudo* morum inter Deum & ipsos, qua Deus ipsis non placet; nec ipsi bene Deo volunt. Tandem 6. *molestia* & labor, quam requirit conversatio cum eo, ad benevolentiam necessaria.

D. *Remedia* adversus istam malevolentiam, sunt: 1. Considerare *bona* benevolentiæ, & *mala* malevolentiæ istius. 2. Adhibere *adminicula* quibus generatur & alitur benevolentia versus Deum. 3. Obniti *causis*, à quibus existit & subsistit malevolentia, eis remediis, quæ adversus singulas earum sunt efficaciissima.

Caput VI.

De cultu Dei privato in Glorificatione ejus, & Blasphematione ejus.

EXercitium pietatis, quatenus occupatur circa Dei *agnitionem* & *dilectionem*, exantlavimus; restat dicendum illud quod occupatur circa *cultum* ejus, quem sextuplicem observare possumus: 1. *Privatum* & personalem. 2. *Publicum* cum Ecclesia. 3. Domesticum cum familia. 4. *Statum* die dominico. 5. *Occasionalem*, diebus jejunii & eucharisticis. 6. *Quotidianum* de quovis die recte peragendo. Privatus & *personalis* Dei cultus, sic est in ejus *glorificatione*, ut illa sit quoque supremus finis omnis cultus divini, & vitæ nostræ, ei opponitur *blasphematio*, latissimo sensu. Circa Dei *glorificationem* occurrit ejus

I. *Natura*. In hac cultum Dei privatum & personalem collocamus, quem singuli singulatim, & omnes universim Deo habent. Neque enim Deus quicquam à nobis expectat, aut obtinere potest, quam ut agnoscamus, & convenienter testificemur divinam perfectionem quæ ei adest. Ex hoc jam natura hujus glorificationis nobis obvia est, per quam non est, nisi infinitæ perfectionis in Deo agnitio & testificatio. Præsupponit itaque in Deo infinitam *perfectionem* & excellentiam, quæ emergit ex omnibus ejus attributis, & exigit ejus *agnitionem* internam, & *testificationem* externam. De quibus ex professo egimus lib. II. *Theol.* Cap. XXII. §. V. VI. VII. VIII. Speciatim involvit 1. *Fidem* qua agnoscimus & celebramus gloriam *veracitatis* & fidelitatis. 2. *Spem*, qua omnisufficientiæ: 3. *Charitatis*, qua infinitæ *bonitatis*: 4. *Auditionem* verbi ejus, qua independentis & absolutissimi *dominii* in nos: 5. *Precationem*, qua omniscientiæ, omnipotentiæ, gratiæ &c. perfectionis agnoscimus & extollimus, juxta postulatum primi præcepti decalogici. De quo nos ex professo in *Idea Theol. Moralis* lib. II. cap. I.

II. *Bona* hujus glorificationis, quæ moveant nos ad eam, diximus lib. II. Theol. cap. XXII. §. XVI. *Adminicula* etiam, quibus in ea promoveamur. Ibid. §. XVII. Oppositam *blasphemiam* seu maledicentiam §. XV. Hæc igitur impræsens monuisse, & eo lectorem relegasse, ad systematis integritatem, brevitatis causa nobis suffecerit.

Caput VII.

De cultu Dei Publico & Ecclesiastico.

SUccedit praxis pietatis in cultu Dei *publico* & Ecclesiastico, cujus generalia dudum in Idea Theol. *Moralis* lib. II. cap. XIV. præoccupavimus: nec restat, nisi ut ejus ingredientia particularia paulo distinctius, hoc loco, systematis causa examinemus, Nim.

I. *Generaliter*, omnis cultus publicus, & in omnibus suis ingredientibus exigit, ut (1) fiat cum debita *præparatione*, qua cum corde nostro conferamus, illudque præparemus, antequam exercitio nos accingimus Job. XI. 13. (2) Ut fiat cum *reverentia* & timore pio, ne impingamus Heb. XII. 28. Psal. II. 11. (3) Cum *resipiscentia*, absque amore versus peccatum, ut manus repurgemus, & cor nostrum ab omni iniquitate. Psal. CXIX. & XXIV. 4. Job. XI. 14. Alias perdituri omnem laborem cultus nostri. Jes. I. 11——16. Ut (4) peragatur in *nomine Christi* Col. III. 17. Alias nunquam futurus Deo gratus. Ut (5) peragatur in Dei *gloriam* Job. VIII. 5. absque ulla finistra intentione versus propriam gloriam. Ut (6) fiat *toto corde*, omnique ejus promptitudine Matth. XV. 8. ex Jes. XXIX. 13. Col. III. 23. Ut (7) ea sola intentione, ut *ei placeamus*, non hominibus Heb. XII. 28. Rom. II. 29. Et (8) cum *detestatione*, omnium eorum quæ nos possint avocare, aut impedire in cultu nostro.

II. *Specialius* in domo Dei, observandum, (1) ut *omnes*, cujusvis ordinis, nos sistamus ibidem in conspectu Dei Deut. XXXI. 11. 12. Idque (2) cum omni possibili *reverentia* Eccles. V. 1. quod Deus velit

lit *sanctificari* in his qui ad eum appropinquant Levit. x. 3. Et (3) cum intensissimo *zelo* Psal. LXIX. 10. quo domum Dei *præferamus* quibusvis aliis locis Psal. LXXXIV. 5. 11. Quo in ea simus cum suavissima animi *delectatione* Psal. XXVII. 4. Quo alios quoque *invitemus* eo Jes. II. 2. & *doleamus* insuper in aliis, ejus neglectum & contemptum Psal. CXIX. 136. Quo etiam citatissimo affectu festinemus Jes. LX. 8. Zach. VIII. 22. Quo tandem uno animo cum Ecclesia, Deum ibidem colamus Zeph. III. 9.

III. *Specialissime* cultus Ecclesiasticus respicit 1. auditionem verbi, ejusque lectionem. 2. Preces publicas. 3. Psalmodiam. 4. Sacramenta, Baptismum & Cœnam Domini. De singulis horum singulatim, ast breviter:

A. *Auditio* verbi publica, penes quam observanda: 1. Ut fiat cum debita *præparatione*, qua α. omnem *carnalem* sapientiam deponamus 2 Cor. X. 5. *cæca* obedientia audiamus, quasi stulti, ut evadamus audiendo sapientes 1 Cor. III. 18. Deut. XXXIII. 3. Qua β. audiamus animo *mansueto*, placido, tranquillo, omnibus perversis affectibus & distractionibus vacuo Jac. I. 21. Ut 2. audiamus cum justa animi *dispositione*, hoc est, A. *diligenter* arrectis auribus, animique viribus, ut percipiamus ejus mentem, & spiritualiter *dijudicemus*, pulsis omnibus impedimentis, torpore, præjudiciis, vanis cogitationibus, aversione à quibusvis objectis Psal. CXIX. 113. Jes. LV. 3. B. *Prudenter*, ut probemus quænam sit bona Dei voluntas Rom. XII. 2. Ut asservemus memoria Luc. II. 51. ea potissimum quæ in rem *nostram* maxime faciunt. Ut 3. *post* auditum verbum, illud α. *meditemur*, ea cumprimis, quæ nos peculiariter concernunt, ut vim eorum experiamur in corde, pro nostra indigentia Heb. II. 2. Illud β. *observemus*, nec auditores tantum simus otiosi, sed factores Jac. I. 22. 23. Confer quæ in hanc rem diximus Theol. lib. I. cap. II. §. LXX. Et Ideæ Theol. *moralis* lib. II. cap. V.

B. *Precatio* publica, penes quam, præter generalia circa cultum quemvis, observanda: 1. Ut verbis *paucis* concipiantur, absque otiosa πολυλογίᾳ aut βαττολογίᾳ vana repetitione, & affectatione Pharisaica Eccl. V. 1. 2. Ut 2. inter precandum, *cor* sit *elevatum* versus Deum, h. e. Ut fiat α. cum *intelligentia* rerum petendarum 1 Cor. XIV. 15. Joh. IV. 22. 24. β. Absque distractionibus, absque perversis *affectibus* &c. *ira* 1 Tim. II. 8. γ. cum *fervore*, arrectis piis affectibus, pro natura rerum petendarum, non ore tantum; sed & *corde*. δ. Omni precationum *genere*, pro oblatis occasionibus 1 Tim. II. 1. Nec statis tantum temporibus: sed admixtis etiam cuivis negotio ejaculationibus. ε. *Continuo* absque intermissione 1 Thess. V. 17. Eph. VI. 18. ζ. *Instando*, nec fatiscendo, si non continuo exaudiaris Luc. XVIII. 1. Jac. I. 6. η. Cum *gratiarum actione* pro impetratis 1 Thess. V. 11. Col. IV. 2. Conf. quæ diximus in hanc rem Ideæ Theol. *Moralis* lib. II. cap. VII.

C. *Psalmodia*, precationi proxima. Hic observandum, ut *Ecclesia* publice cantanda non permittat, nisi quæ prostant in Scripturis v. g. Psalmos Davidis &c. Et quidem lingua Ecclesiæ familiari, non ignota, Latina: etam ut musicam non permittat fractam aut confragosam, quæ verba percipere non sinit, & ad aurium titillationem facit, non ad veram devotionem & gaudium spirituale quicquam confert: quo etiam vergit usus Organorum pneumaticorum. 2. Ut *quivis* cantans, ad spiritualem cantus *usum* enitatur, nim. α. ad spiritualem animi delectationem Psal. CIV. 33. 34. Ad β. magis distinctam & fixam rerum cantatarum meditationem. Ibid. Ad γ. magis copiosam & amplam pietatis professionem Col. III. 16. Ad δ. majorem ædificationis mutuæ communionem, quatenus nim. cum aliis fit Eph. V. 19. Proinde ε. ad excitandum *cor*, ut psallamus cum gratia corde & ore, utroque psallamus *Domino* Col. III. 16. Ut 3. cantans ad piorum, quorum Psalmos canit, affectum se componat, & eorum personam quasi induat. Ut 4. Psalmos illos historicos, qui ad alios homines & ad alia tempora spectant, ita meditetur, ut & inde spiritualem ædificationem, spem, consolationem percipiat Rom. XV. 4. Ut 5. Psalmos illos, qui continent diras *imprecationes* in hostes Dei, Ecclesiæ, pietatis, ita canat, ut meditetur horrenda Dei *judicia*, in impœnitentium peccata; ut inde succurrat tentationibus, de impiorum prosperitate, & piorum afflictionibus; ut etiam, non *privatis* suis inimicis; sed publicis Ecclesiæ, si converti nequeant, exitium imprecetur ad salutem Ecclesiæ Psal. V. 11. & CXXXIX 19. 20. 21. 22.

D. *Sacramenta* in genere. Circa quæ observandum: 1. Ut administrentur *publice* in Ecclesia, non *privatim* in domibus 1 Cor. XII. 12. Sunt enim, vel *introductio* in Ecclesiam, ut Baptismus, vel educatio & *nutritio* in Ecclesia, ut S. Cœna. 2. Ut administrentur & accipiantur cum conveniente *reverentia* 1 Cor. XI. 21—24. His conjungantur, quæ diximus *Theol.* lib. VII. cap. III. §. XXIII.

E. *Baptismus* in specie. Circa quem observanda, 1. quoad *infantes* baptizandos, ut *tempestive* offerantur ad Baptismum, nec differatur, ad contestandam *æstimationem* hujus Sacramenti, quo Deus se obligat, se futurum *Deum nostrum* & semenis nostri Gen. XVII. 7. Act. II. 39. Tum

2. Quoad *nos ipsos*, ut apud Baptismum aliorum, refricemus *memoriam* proprii Baptismi, ejusque fœderis, quod Deus nobiscum, & nos cum Deo pepigimus, eumque nobis utilem & efficacem reddamus: α. In casu *dubitationum*, potissimum super remissione peccatorum nostrorum & salute nostra, *servat* enim *nos Baptismus*, prout olim Noachum servabat, cum universa familia sua 1 Pet. III. 21. β. In casu *peccatorum*, adversus quæ Baptismus nos *armat*, cogitatione A. *Votorum*, quæ in Baptismo fecimus Deo adversus peccata. B. *Resipiscentiæ*, cujus Sacramentum est Baptismus Matth. III. 6. C. *Mortis* Christi, in cujus communionem baptizamur, ut ejus virtute peccatum mortificemus Rom. VI. 4. 5. γ. In casu *perseverantiæ* nostræ; si circa eam incidat dubitatio, quod in Baptismo Deus nos certos reddat, nos certo resurrecturos cum Christo, ad novam vitam spiritualem hic, & æternam posthac Rom. VI. 10. 11. Gal. III. 27. 1. 29. 1 Pet. III. 21. δ. In casu *aliorum*, ut cum eis *communionem* sanctorum ingenue colamus, quoad amorem fraternum, utpote cum quibus, in unum corpus mysticum baptizati sumus 2 Cor. XII. 13. His conjungantur quæ diximus lib. VII. cap. IV. §. XXVIII. XXIX. XXX.

F. S. *Cœna*, circa quam observanda: 1. Ut capiatur post justam præparationem 1 Cor. XI. 28. Ut 2. *discernamus corpus & sanguinem Domini.* Ibid. vs. 29. Ut. 3. *annunciemus mortem Domini.* Ibid. vs. 26. Ut 4. colamus *communionem* sanctorum, cum quibus in *unum corpus* mysticum baptizati simus 1 Cor. XII. 13. eundem panem, idem vinum participamus. Ut 5. renovemus fœdus nostrum cum Deo, inque eo magis magisque confirmari & nutriri satagamus: est enim *calix* novum fœdus in sanguine Christi Luc. XII. 20. Conf. quæ in hanc rem præoccupavimus Theol. lib. VII. cap. V. §. XVIII.

G. *Eleemosynæ*, circa quas observanda sunt: 1. quoad *collectionem* à *Diaconis*, ut *diligenter* & fideliter colligant, præviis etiam prægnantibus motivis, quibus Ecclesia excitetur ad liberaliter conferendum in egenos 2 Cor. VIII. 1—— Quoad 2. *distributionem*, ut α. citra προσωποληψίαν distribuant Act. VI. 1. Ut β. ex *misericordia* & charitate dispensent eleemosynas Rom. XII. 8. Item γ. cum ἱλαρότητι *hilaritate*, promte, liberaliter, absque coactione. Ibid. Ut δ. *fideliter* agant, nihil in proprios usus convertant Act. V. 1. 2. 2 Cor. VIII. 20. 21. Et ε. *pie* etiam, non tantum *corporali* egestati: sed & *spirituali* succurrere adnitantur, ignaros erudiendo, ignavos excitando, dejectos erigendo, perditos corrigant reprehendendo, quosvis excitent, ad pietatem, patientiam, frugalitatem, parsimoniam. Quoad 3. *collationem*, ut fiat (1) *liberaliter*, pro sua cujusque sorte Act. XI. 29. imo & pro re nata, supra sortem 2 Cor. VIII. 2. 3. Eccl. XI. 2. 3. Luc. XII. 33. Et qui nihil habent, ut suas preces substituant. (2) Absque *hypocrisi* Matth. VI. 1—— pura puta pietate & charitate ducti.

CAPUT VIII.

De Cultu domestico, ejusque Neglectu.

SUccedat tertio cultus *domesticus*, eique oppositus neglectus. Cultus domestici considerandaI. *Natura.* Est ille Dei cultus, qui, ex præscriptio divino, ejusque familiæ Christianæ, peculiaris est. Ex *præscripto* inquam divino, ut patet, cum *exemplis* piarum familiarum, v. g. Adami post lapsum sacrificantis, & sacrificia præscribentis filiis suis, Caino & Abeli, Noachi sacrificantis post diluvium, Abrahami docentis posteros suos Gen. XVIII. 19. Conf. Gen. XIII. 4 & XII. 8. & XXVI. 15. Josuæ Jos. XXIV. 15. Commentariensis Act. XVI. 31. 33. Cornelii. Ibid. cap. X. 2. Tum *præceptis*, quibus orare jubemur: *Pater noster* Matth. VI. 9. sed imprimis eis locis, quibus familiæ Christianorum appellantur *Ecclesiolæ*, seu *Ecclesiæ in domibus* eorum Rom. XVI. 5. Phil. vs. 2. 1 Cor. XVI. 19. Col. IV. 15. Præsupponit cultus domesticus *familiam* Christianam, in qua sint *præfecti*, Pater & Mater, & *subjecti*, filii & servi, qui concurrunt ad constituendam *Ecclesiolam*, in qua Pater habeat rationem *Ministri*, & reliqui membrorum qui omnes sint *in Domino*, seu profiteantur religionem Christianam Rom. XVI. 11. Cultum ipsum domesticum ingrediuntur: 1. Cultus *personalis*, qui consistit in *glorificatione* Dei, qua Deum agnoscant, venerentur, diligant, ei subsint & obediant, ita ut Deus *dominium* habeat, quo familiæ præsit velut summus Imperator, cujus jussa audiant omnes domestici. 2. Cultus *publicus* & Ecclesiasticus, cujus officia suo modo exerceri debent in familiis, v. g. α. *prælectio* & *auditio* verbi divini, quod ea ratione *inhabitet* in eis Col. III. 16. β. Institutio seu *catechisatio* Psal. XXXIV. 12. Gen. XVIII. 12. γ. *Preces* domesticæ: *Pater noster*, fundendæ tempore matutino & vespertino. δ. *Psalmodia*, qua Deus celebretur & glorificetur Col. III. 16. ε. *Sacramenta*, non quidem dispensentur in familiis; sed tamen adigantur domestici, ut religiose utantur in publico; moneantur item, ut sui *baptismi* & votorum suorum memores sint, quotiescunque alios vident baptizari, ut item ad S. Cœnæ participium religiose

ligiose præparent. ζ. *Disciplina* domestica, Ecclesiasticæ analoga, qua in familiam non admittantur, qui Deo nolunt subesse, eumque colere; qua etiam ab ea excludantur, qui sunt incorrigibiles, saltem censuris domesticis apud ipsos instetur. η. Ad hæc omnia, statis quotidie temporibus, *congregationes* ad cultum domesticum, Ecclesiasticis analogæ instituantur, quibus familiæ reddantur *Ecclesiolæ*. Tandem I. *adhortationes*, ut domesticorum quisque suis negotiis, etiam civilibus *religiose* incumbat, scil. ex præscripto divino, ut Deo obedientiam præstent, eoque cultus divini officia evadant.

II. *Bona* cultus domestici, ob quæ exercendus: 1. Deus exigit cultum non tantum *publicum* in templis; sed & *privatum* in domibus, sicut probavimus. 2. Prælucent exempla fidelium, ab omni ætate, sicut diximus. 3. Non tantum *templa*; sed & *domus* Deo dedicandæ sunt Psal. xxx. 1. Porro 4. hac ratione domus nostra sit *Bethel*, *domus Dei* Gen. xiii. 4. In qua α. *habitet*, velut sua. β. Quam *defendat*, velut suam. γ. Cui benedicat 2 Sam. vi. 11. δ. Cui *salutem* conferat Luc. xix. 9. Insuper 4. sunt hujusmodi Ecclesiolæ, seminaria & bases Ecclesiæ publicæ bene constitutæ: neque enim fieri potest, ut, si bene se habeant familiæ, è quibus coalescunt Ecclesiæ, non sint bene constitutæ Ecclesiæ publicæ. Tandem 5. etiam in *temporalibus*, hujusmodi familiis, ex promissione divina, affluet quævis benedictio 1 Tim. iv. 8. Non addam 6. *suavitatem* & tranquillitatem, quam præfecti experientur, ex isto suorum domesticorum cultu domestico, quantam item fidelitatem sibi polliceri possint ex hujusmodi piis domesticis.

III. *Adminicula*, quæ juvare possint istum cultum Dei domesticum: 1. Crebro visitare familiam & domesticos singulos, quales sint, & quomodo se gerant, in officiis suis domesticis. 2. Non ferre in familia nisi pios. 3. Reformare sedulo irrepentes abusus Gen. xxx. 2. Porro 4. frequens & seria admonitio ad domesticos, ut Deo serviant. 5. Exemplum bonum domesticis prælucens Psal. ci. 2. Jes. xxiv. 15. Tandem 6. in consilium & auxilium provocare Proceres Ecclesiæ publicæ, si quando deficiant conatus privati.

IV. *Neglectus* cultus domestici, cujus consideranda

A. *Natura*. Est defectus cultus domestici, quo 1. vel cessant tantum & exulant officia cultus istius, quem facile colliges, ex oppositis cultus officiis: vel 2. insuper impietas, & cultus diaboli, mundi, carnis & carnalium voluptatum, viget in familiis, etiam eorum qui nomen Christi profitentur 2 Tim. ii. 20. 21. 22.

B. *Mala* hujus neglectus, ob quæ vitandus: 1. Familiæ hoc cultu divino destitutæ, non sunt nisi societates Atheorum Psal. xiv. 4. Tum 2. efficit hic defectus, ut pro *Bethel*, fiat *Bethaven*, quemadmodum Gentilium fana idololatrica, stabula porcorum, & impuritatum quarumvis carnalium, à quibus procedit omnis corruptio, cum in Ecclesia; tum in Republica. 3. Suffocat omnem pietatis zelum, & fenestras aperit cuivis profanitati, ebrietati, impuritati &c. exstincto scil. omni timore Domini. 4. Concitat in familias istas quævis Dei judicia, ipsamque maledictionem Jer. x. 25.

C. *Causæ* hujus neglectus sunt: 1. *Profanitas* præfectorum in familiis, qualis enim Rex, talis grex. 2. *Curarum* temporalium multitudo, per quam, nec tempus, nec animus ipsis suppetit, curandi ea quæ Deum spectant ejusque cultum. Accedunt quandoque 3. vanæ *opiniones*, novam lucem prætendentes, per quas hujusmodi exercitia domestica, otiosæ sunt formalitates, quæ repugnent libertati Christianæ, & jugum adducant non necessarium. 4. Cultus istius molestia & labor, dispendium temporis &c.

D. *Remedia*, huic neglectui applicanda, sunt: 1. serio cogitare *bona* hujus cultus, & *mala* neglectus. 2. Ea adhibere *adminicula*, quæ conducunt promovendo huic cultui. 3. Obniti *causis*, hujusmodi mediis, quæ adversus quamvis earum sunt efficaciissima.

Caput IX.

De Cultu quotidiano, ejusque Neglectu.

Succedit *quarto* cultus quotidianus, quem singulis diebus Deo debemus, ejusque neglectus. De cultu quotidiano consideranda

I. *Natura*. Est studium diem quemvis pie transigendi. Exigit officia, vel 1. *toti diei communia*, qualia sunt, α. Quotidie renovare fidem, resipiscentiam, fœdus nostrum cum Deo: Quotidie β. *quærere Deum*, de quo supra vidimus. Quotidie γ. *ambulare* cum Deo. δ. Invocare Deum, eique pro beneficiis præstitis gratias agere: Vel 2. singulis diei *partibus* peculiaria Psal. lv. 18. Diem autem intelligimus *naturalem* xxiv. horarum, qui noctem connotat. Hujus officia spectant ad (1)

Diem recte *auspicandum*, seu sacra *matutina*, qualia sunt, A. Ut quam primum evigilamus, sacrificia nostra matutina Deo offeramus, scil. primitias cogitationum, affectuum, & conatuum nostrorum, eas subducendo carnalibus & mundanis vanitatibus, ac Deo spiritualibus consecrando. exemplo Davidis Psal. CXXXIX. 18. & LXIII. 1. & CXIX. 147. & Ecclesiæ Jes. XXVI. 9. B. Ut *corda* nostra elevemus versus Deum, præcatiuncula, meditatiuncula, suspirio, quo gratias Deo agamus pro custodia nocturna. Ad (2) diem recte inchoatum *continuandum* & proferendum, quo spectant officia: α. Ut *tempestive surgamus* à somno, exemplo Servatoris Marc. I. 35. nec indulgeamus ignaviæ Prov. VI. 9. 10. & XX. 13. quod immoderato somno, vita otiose perdatur, & v. aut VI. aut VII. horæ sufficiant reficiendæ naturæ. Tum β. se accingat sacris *domesticis*, quæ habeant א. *preces* magis solennes cum familia, in quibus gratias agat pro custodia nocturna: eandem expetat instanti diei: provocet ductum & directionem Spiritus S. in omnibus negotiis inchoati diei: benedictionem divinam conferendam, suscipiendis negotiis. ג. Verbi divini prælectionem, expositionem & meditationem, quibus animus expleatur piis cogitationibus, quæ per universum diem paulatim decurrant: quibus animus muniatur adversus imminentes à mundo & mundanis, à Satana, à corruptione carnis, varias tentationes seductionesque. ד. *Psalmodiam*, qua Deus celebretur à bonitate, gratia &c. Hinc γ. se conferat ad negotia vocationis suæ, inque eis operam det, ut ea *pie* peragantur, velut in conspectu divino, & ideo quidem, quia Deus præscripsit, abitura hac ratione in cultum divinum per obedientiam: Ut *fideliter* etiam, absque fraudibus & technis, absque avaritia: Ut *gnaviter*, indefesse, absque otiis: ut non aliud eis intendamus studiosius, quam promovere gloriam Dei, inservire commodis proximi, & post hæc honeste alamus nos ipsos nostrosque, familiam, amicos, atque inde porro suppetat, quod in egenos dispensemus: tandem quoad successum negotiorum nostrorum, unice pendeamus à benedictione divina, quæ etiam obvias difficultates & impedimenta benigne à nobis averruncet. (3) Ad diem recte *concludendum*, quo spectant repetita sacra domestica, quibus Deo gratias agamus, pro sua cura, protectione, directione, benedictione & fœcundatione laborum exeuntis diei: quibus peccata nostra, versus Deum, proximum, nosmetipsos, humiliter agnoscamus & confiteamur, & pro gratiosa eorundem remissione propter Christum, supplices simus: quibus etiam, pro continuatione suæ curæ & protectionis per instantem noctem, ipsum fatigemus, (4) ad noctem etiam, alteram diei naturalis partem, pie & honeste transigendam, quo faciunt hæc potissimum officia: A. Ut in lectulis nostris *colloquamur* cum *cordibus* nostris Psal. IV. 5. quo & noctu nos *erudiant renes* nostri Psal. XVI. 7. Hoc fit *examinatione viarum* nostrarum sub die præterito, scil. quid *boni* præstiterimus erga Deum, erga proximum, erga nos ipsos, quid etiam beneficiorum acceperimus à Deo, ob quæ gratias ipsi referamus: quid item *mali* commiserimus, ut ab eo, nos humiliemus coram Deo, remissionem expetamus & obtineamus. Fit porro clandestinis soliloquiis & meditationibus, quibus terrores nocturnos fugemus, & cogitationum ac curarum terrenarum molestias frangamus, quo & somnus suavior evadet. Tandem cavendo opera *tenebrarum*; quæ noctu plerumque fiunt, comessationes, ebrietates, impuritates, quæ lucem fugiunt Rom. XIII. 12. 13. mores, tenebras perinde splendere Deo ac lucem Psal. CXXXIX. 11. 12.

II. *Bona* hujus cultus quotidiani, ob quæ exercendus est, potissimum sunt: 1. Sic demum, cum Enocho, Noacho justo, Abrahamo amico Dei, ὄντως *ambulabimus* cum Deo. 2. Ipsi *placebimus* Heb. XI. 5. Sic 3. Deus nobiscum fœdus panget Gen. XVII. 1. 2. Sic 4. nobis erit *Deus fortis omnisufficiens*, qui singulis diebus nostri curam habeat, nos velut suos protegat ab omni malo, nobis benedicat. Sic 5. Deum semper & ubique habebimus à *dextris nostris* sua gratia. ut non *vacillemus* Psal. XVI. 8. Denique 6. quotidiana ista conversatione cum Deo, conscientiam habebimus pacatam, hilarem in quovis vitæ statu, in adversis consolationem, in quavis necessitate, προσαγωγὴν cum παῤῥησίᾳ. Conf. bona ilia, quæ circa *ambulationem* cum Deo, dudum observavimus.

III. *Adminicula*, quibus juvemur in cultu hoc quotidiano, sunt: 1. Naturam & bona hujus cultus devote ponderare. 2. *Verbum* Dei continuo ob oculos habere Psal. CXIX. 9. ut sit nobis pro columna ignea & nubea, quæ nos interdiu & noctu dirigat & defendat, ut cum ea stemus, pariter & ambulemus. 3. Itidem *vitam* Christi habere pro cynosura, ut qui universum diem impendit operibus Dei, exorsus etiam ante auroram, hinc porro per totum diem occupatus prædicatione Euangelii, miraculis & precibus Marc. I. 21. — 25. — atque etiam *discipulorum*, qui ejus vestigia presserunt I Cor. XI. 1. Porro 4. per universum diem *advigilare* negotiis nostris Psal. V. 4. Tandem 5. *examinare* vias nostras, cumprimis exeunte die, an & quantum profecerimus in cultu nostro.

IV. Neglectus cultus quotidiani, tam usitatus passim, cujus consideranda veniunt

A. *Natu-*

A. *Natura*, qua, non tantum non impendimus diem cultui divino, eis officiis quæ designavimus penes *naturam* cultus quotidiani: sed etiam eum impendimus, aut nobis ipsis, aut hostibus Dei. Quod fit, quando 1. per universum diem vix unquam cogitamus de Deo, ejusque cultu Psal. x. 4. 11. Aut 2. terrenis emolumentis, honoribus & voluptatibus, nos impendimus, aut 3. noctem saltem, operibus carnalibus, comessationibus, ebrietati, impuritatibus consecramus.

B. *Mala* hujus neglectus, nullo negotio colligi possunt, non tantum ex privatione omnium bonorum, quæ affert cultus quotidianus; sed etiam ex oppositis malis: quibus addi possunt, quæ notavimus in Cap. de *Ambulatione* cum Deo.

C. Causæ hujus neglectus præcipuæ sunt: 1. Non *norunt* Deum quem colant. Nec 2. *diligunt* cum. Proinde 3. non quærunt eum. 4. Seipsos inordinate diligunt, eoque carnalibus, opibus, honoribus, totum diem impendunt. 5. Omnia sua sibi à seipsis pollicentur, proinde otiosum censent, Deum quotidie & tam solicite sectari. 6. Laborem & molestiam cultus quotidiani & continuati istius refugiunt. Conf. quæ habuimus in Cap. de *Ambulatione* cum Deo.

D. *Remedia* suppetunt 1. à consideratione *bonorum* cultus quotidiani; tum *malorum* oppositi neglectus. 2. Ab eis adminiculis, quibus promovetur cultus. Ab obstructione *causarum*, à quibus exitit neglectus.

CAPUT X.

De Cultu Dei in jejunio.

PErgimus ad cultum Dei *occasionalem* peragendum, duplicem: *alterum* occasione gravioris cujusdam judicii divini, vel urgentis dudum; vel imminentis omni probabilitate: *alterum* occasione egregii alicujus beneficii exhibiti. *Prioris* cultum hoc capite enarrabimus, ejusque considerabimus

I. *Naturam*. Est ille Dei cultus, qui peragitur religiose jejunando. *Religiose* inquam: est enim jejunium *civile*, quod suscipitur ob causas civiles, quando v. g. jejunium à Magistratu præscribitur ad parcendum alimentis; est & *medicum*, quod à medicis exigitur ab ægrotis, valetudinis causa: est & *religiosum*, quod religionis causa suscipitur, & ad religionis officia commodius expedienda, de quo nobis impræsens est negotium. Istud nobis est *cultus Dei*, à Deo præscriptus ad ejus glorificationem. A Deo inquam *præscriptus*, alias futurus non cultus Dei, sed ἐθελοθρησκία & superstitio damnata. Præscribitur autem, quoad *jus* quidem, immediate in verbo divino v. g. Joel. 11. quoad *diem* impendendum jejunio, mediantibus hominibus: sic tamen, ut determinatio diei ad jejunium, non pendeat à puro puto hominum arbitrio; sed à judiciis Dei, quibus ipse provocat ad jejunandum, & determinandum commodum tempus, alias non erit cultus divinus: quod potestas conficiendi festa, hominibus nequaquam competat. Cultus autem jejunii religiosus peragitur officiis: partim *generalibus*, quæ cuivis festo legitimo, & nominatim Sabbatho competunt, qualia sunt, auditio verbi divini, preces publicæ, psalmodia, sacramentorum dispensatio, eleemosynarum erogatio, de quibus nos jam ante Cap. VII. hujus libri, ex professo egimus: partim jejunio magis *peculiaribus*. Hæc officia spectant 1. ad *præparationem*, qua α. tempestive expendamus *causas* indicti jejunii, scil. judicia Dei extraordinaria, quænam illa, quanta & qualia sint, eorumque causas provocantes peccata nostra 2 Paral. XX. 3. quorum cogitatione occupari tamdiu debemus, donec *cor* nostrum quasi liquescat. β. Occupationes nostræ *temporales* mature *suspendendæ* sunt, ne eis impediamur in officiis jejunii Levit. XXIII. 28. γ. Id agendum nobis, ut convenienter simus dispositi ad officia in ipso die jejunii expedite peragenda 1 Reg. VIII. 33. δ. Abjicienda nobis omnis fiducia in quibusvis aliis mediis, ut ea subsistat in sola Dei misericordia & potentia 2 Paral. XVI. 9. Ps. LXXI. 16. Spectant 2. ad *ipsum* cultum jejunialem, qualia sunt, א. *humiliatio* nostri coram Deo, super peccatis, & inde oriundis Dei judiciis Joel. 11. 13. Jer. XXXI. 29. Esd. VIII. 21. Quæ respicit partim *corpus*, & jubet (1) abstinere ab omnibus *recreationibus* corporalibus Joel 11. 16. Jes. LVIII. 3. Item (2) ab *omni cibo & potu*, quantum scil. per valetudinem possumus Esd. X. 16. Porro (3) à *vestitu* & apparatu, ad humilitatem minus composito Jes. XXII. 12. partim, præcipue quidem *animam*, per profundam tristitiam, super peccatis & judiciis inde oriundis Joel. 11. 13. Ps. LI. 19. ב. *Reconciliatio cum Deo* super peccatis, quæ judicia divina in nos concitarunt, qua α. peccata ista *agnoscamus*, detestemur, nosque ipsos condemnemus Dan. IX. 5. 1 Cor. XI. 31. β. *Confiteamur* ingenue Esd. IX. 7. Neh. IX. 5. 33. γ. *Renovemus* per fidem amicitiam nostram cum Mediatore Jesu Dan. IX. 17. Rom. III. 25. δ. Sanctis *promissionibus* nos ob-

obſtringamus ad deterenda peccata, & ſtudia virtutum Jeſ. LVIII. 6. Pſal. LXVI. 13. 14. 2. *Invocatio* nominis divini, a qua *dies precum* audit Joel. II. 17. Eſd. VIII. 21. 1 Reg. VIII. 33. 7. Solennis *renovatio fœderis* cum Deo 2 Reg. XXIII. 2. 2 Paral. XV. 12 ——16. Spectant officia jejunialia 3. ad *conjectaria* jejunii, in quibus præcipuum locum habet actualis reformatio. In Eccleſia, Republica, familiis & perſonis ſingulis, conſeſtim inchoanda Neh. IX. 28. Jud. X. 16. Hoc tandem jejunium religioſum, pro ratione judiciorum divinorum, quadruplex numerari poteſt; nim. vel *perſonale*, quando judicia Dei unam aliquam perſonam provocant ad jejunium; vel *domeſticum*, quando judicia extraordinaria *unam* tantum familiam urgent: vel *Eccleſiaſticum*, quando ſingularem quandam Eccleſiam; vel *provinciale* aut nationale, quando provinciam aut nationem urgent judicia divina.

II. *Bona* ob quæ exercendum jejunium religioſum, ſunt: 1. Eſt cultus à Deo *præſcriptus*, ſub calamitatibus Joel. II. —— Eſt 2. cultus omni tempore *uſitatus* à ſanctis, ut patet exemplis, Eſdræ, Nehemiæ aliorumque adductis. 3. Eſt *medium* efficaciſſimum averruncandis quibuſvis calamitatibus extraordinariis, non tantum utiliſſimum; ſed & omnino *neceſſarium*. Eſt 5. *medium* efficaciſſimum reformandis abuſibus Eccleſiæ Eſd. X. 6. Facit 6. ad piam *voluptatem* fidelium Zach. VIII. 1. 2 Cor. VI. 4. 5. Etiam 7. infidelibus jejunium fuit uſitatum, dictamine naturæ Jeſ. LVIII. 3. 4. 5. Dan. VI. 19. Jon. III. 5. 7. Valet etiam quandoque 8. ad impetranda *miracula* Matth. XVII. 21. Impetrat 9. *miniſtros* Eccleſiæ exoptatos Act. XIII. 2. 3. & XIV. 23. Conducit etiam 9. ad cultum divinum 1 Cor. VII. 5.

III. *Modum* jejunandi, quem dudum diximus penes ejus naturam. Cavendum inſuper, 1. ne *cultum* in ipſo jejunio terminemus, utpote quod tantum ſpectat ad qualificandum nos ad cultum divinum. 2. Ne *ſtata* tempora deſtinemus ad jejunia, degeneratura alias in ſuperſtitionem, cum ſit cultus occaſionalis tantum. Ne 3. *acquieſcamus* in jejuniis, abſque remotione peccatorum Jeſ. LVIII. 3. 4. 5. 6. Ne 4. jejunium ſuſcipiatur ad *faſtum* Luc. XLVII. 12. Matth. VI. 16 Zach. VII. 5. Ne 5. ſuſcipiatur cum intentione merendi, ut fit apud Romanenſes. Ne 6. in *delectu* ciborum illud conſtituamus; ſed in totali abſtinentia &c.

CAPUT III.

De Cultu Euchariſtico.

HAbuimus cultum *primum* occaſionalem in jejunio, ſuccedit *ſecundus* euchariſticus, in hilari quadam ſolennitate, Deo ſuppeditante extraordinarium quoddam beneficium. Hujus conſiderabimus

I. *Naturam.* Eſt occaſionalis quidem; ſed ſolennis gratiarum actio, pro beneficio extraordinario, nobis à Deo præſtito. Hujus *jus divinum* patet in probatis ejus exemplis, v. g. Eſth. IX. Exod. XV. Jud. V. Gen. XXI. Tum 1. ejus *occaſio* eſſe debet extraordinaria miraculoſa, & tantum non immediata à Deo. *Ordinaria* enim occaſio ordinariam tantum exigit gratitudinem. Suppetit autem extraordinaria iſta occaſio: vel α. à *malo* quodam miraculoſe, aut præter omnem ſpem, averruncato, ut Iſraëlitis, à perſecutione Pharaonis liberatis Exod. XV. Judæis, à cruentis inſidiis Hamanis Eſth. IX. Iſraëlitis liberatis à tyrannide Jabini Cananitarum Regis, ejus Polemarchi Siſeræ Jud. IV. & V. Vel β. à *beneficio* quodam miraculoſe collato, ut patet in Abrahamo, filium Iſaacum conſecuto Gen. XXI. Porro 3. officium hujus cultus eſt, generaliter quidem *gratiarum* actio, quæ implicat A. collatorum beneficiorum agnitionem, quænam illa, quanta & qualia ſint: quod à pura puta ejus gratia, citra ullum noſtrum meritum fuerint oriunda; quænam Dei virtutes & perfectiones in eis conſpicuæ ſunt, v. g. bonitas, ſapientia, omnipotentia &c. B. *Guſtum* & ſenſum cordis intimum, quo animus inflammatus ſit, & exhilaratus. C. *Enarrationem* apud alios & exaggerationem, qua Deus celebretur & glorificetur. D. *Retributionem* ſeu compenſationem, qua ſaltem conemur ei retribuere, quicquid eſt in viribus noſtris: nos ipſos, corpore tenus & anima, noſtras facultates, opes, univerſam vitam, omneſque ejus actus, impendendo ejus glorificationi, cultui, obſequio: *ſpecialiter*, ea gratiarum actio hic fieri debet modo non ordinario; ſed plane *extraordinario*, intenſiore ſtudio, animique excitatione. Inſuper 4. huic gratiarum actioni conſecrandus eſt peculiaris aliquis *dies*, quo diuturnior & conſtantior ſit, prout factum in feſto *Purim*, Deo illum determinante, per collata extraordinaria beneficia. Qui dies pari ſolennitate cum die Dominico, & eiſdem officiis auditione verbi divini, ad præſentem ſolennitatem ſelecti, precibus euchariſticis, Pſalmodia doxologica, eleemoſynis liberalioribus. Convenit 5. hilaris quædam ſolennitas,

tas, ut fuit in *Purim*, qua liberaliori cibo & potu, cum convivis magis exhilaremur, & promtiores reddamur ad celebrandum Deum: sed tamen usque ad aras, nec quicquam committatur, quod sit adversus temperantiam Christianam, aut quod nos ineptos reddat ad gratiarum actionem. His accedat, ut & ad egenos mittamus munuscula, & particulas ferculorum nostrorum, quibus & ipsi exhilarari, & ad celebrationem nominis divini, aptiores reddi queant.

II. *Bona* cultus eucharistici, ob quæ exercendus, sunt: 1. Illum Deus omni jure stipulatur suis beneficiis, cumprimis extraordinariis Psal. XCI. 15. Illum 2. exigunt ipsa *beneficia* Psal. XCVI. 12. tanta cumprimis & talia. Ille 3. Deum *provocat* ad alia quævis beneficia Psal. XCI. 16. Ac proinde 4. *fiduciam* nostram erigit & alit, in futura quavis necessitate & periculo, qua Deum adeamus cum παῤῥησίᾳ, ut ab ipso nobis polliceamur certum auxilium. 5. Ciet dulcissimum *gustum* beneficiorum divinorum, & ex eo gaudium, non tibi tantum; sed & aliis, cumprimis egenis.

III. *Adminicula*, quibus promoveatur & dirigatur cultus ille eucharisticus, sunt: 1. Serio cogitare ejus *bona*. 2. Beneficium extraordinarium, pro quo gratias agimus, sibi repræsentare per omnes suas circumstantias, illud apud animum nostrum exaggerare, & in id tam diu defixum esse, donec cor incalescat. 3. Congerere alia quævis Dei beneficia, quæ vel *Ecclesia* contulit, ab omni retro ætate, v. g. liberationem familiæ Noachicæ ab undis diluvialibus; Lothi, ab infectatione Sodomæorum; Israelis ab Ægyptiaca servitute &c. vel *nobis ipsis privatim* præstita Psal. CIII. 1. 2. Quo magis invalescat apud nos Dei bonitas, & gratitudo nostra versus eam. 4. Beneficia nobis invicem, cum suis circumstantiis enarrare, extollere, nosque invicem ad studium gratitudinis accendere Psal. CIII. 17 —— Interim 5. solicite cavere, ne hilaris ista solennitas degeneret in voluptates carnales & ἀσωτίαν, qua pro gratiarum actione, Deus dehonestetur, irritetur, & pro beneficiis ulterioribus, ad judicia provocetur. Atque adeo 6. ut omnis nostra exhilaratio externa ingenue & ἀνυποκρίτως intendatur ad augendam charitatem, & gratitudinem nostram versus Deum.

CAPUT XII.

De Examinatione sui ipsius, ejusque Neglectu.

CUltui divino, ut & universo exercitio pietatis, admodum conducit quotidiana examinatio sui ipsius, unde quasi pro corollario, subjungemus quotidianum examen sui ipsius, ut scias, quid profeceris in omnibus. Hujus igitur considerabimus

I. *Naturam.* Est religiosa recognitio & exploratio factorum & status nostri in ordine ad Deum, ut per eam proficiamus in praxi pietatis. Est *religiosa* recognitio, susceptа non civilibus; sed spiritualibus causis. Est *recognitio* & *exploratio*. Proinde implicat 1. *cognitionem* quasi primam, natam accurata attentione ad nos & facta nostra. 2. *Recognitionem*, seu cognitionem quandam secundam, qua ope memoriæ revocamus dudum facta, ut denuo sciamus. 3. *Exploremus* recognita, eaque appendamus hanc, & affricemus lapidi lydio legis divinæ, ut sciamus qualia sint, licita an illicita: bona an mala moraliter, an præmio, an pœna digna. Occupatur igitur examinatio nostra (1) circa *peccata*, seu *actus* malos, sub quibus etiam comprehendimus *vitia* seu *habitus* malos, ut cognoscamus, quot illa sint, quænam, quanta & qualia: sintne talia, ut nos constituant extra *statum gratiæ*, an infirmitates tantum, quæ in regenitos etiam cadunt; an peccata quæ *elata manu* fiunt, per contumaciam, quæ scientes volentes perpetravimus; an peccata *dilecta* seu in deliciis; an exosa, nobis per atrociores tentationes quasi extorta: (2) circa bona opera, sub quibus nobis etiam veniunt *virtutes* seu habitus boni, quod & quænam illa, seu illæ sint: an nobis *vere* adsint, an per fucum tantum seu hypocrisin: si vere, an tales, quæ nos arguant constitutos esse in statu gratiæ, an communes, etiam quibusdam irregenitis. Proinde (3) circa *statum* nostrum, an simus in statu *gratiæ*; an adhuc dum in statu *peccati*. Magis peculiariter examinatio peragi debet α. circa constitutionem *cordis*, sitne illud purum, regenitum; an secus. β. Circa profectus nostros in bono; quotidie magis magisque invalescentes, à virtute in virtutem pergentes; an subsistamus, an regrediamur, aut decrescamus. In his omnibus pro regula examinationis nostræ, esto solum Dei verbum, & ei subordinatum dictamen conscientiæ nostræ. Scopus per universum hoc examinationis negotium esto, ut proficiamus in pietate, h. e. ut, ab *una* parte, magis magisque agnoscamus *peccata* nostra, ea doleamus, detestemur, fugiamus, ob ea nos humiliemus coram Deo, eorum remissionem quæramus & consequamur, & ab eis per sanguinem & Spiritum Christi purgemur: ab *altera* parte promoveamur in bono, in virtute. Tandem *tempus* huic examinationi opportunum, quodvis quidem est; sed imprimis solennius est, v. g. in diebus jejuniorum, S. Cœnæ &c. & utilissimum est *quovis die* circa vesperam, immediate ante somnum, ut inquiramus, quænam *bona* per præ-

teritum diem, gratia Dei, perpetravimus, ut pro eis gratias Deo ſolenniter agamus, ab eis erigamur ad amorem Dei, & ſtudium in eis proficiendi: quænam item *mala*. Ut propter ea nos humiliemus coram Deo, reconciliationem obtineamus apud eum, noſque adverſus ea, in ſequentem diem muniamus & obfirmemus.

II. *Bona* hujus examinationis, ob quæ inſtituenda ſunt: 1. Ea hoc agimus, ut Deo *placeamus*, & placemus etiam. 2. Ut in pietate *proficiamus*. Ut 3. à *peccatis* liberemur & reſipiſcamus. Ut 4. in *virtute* proficiamus. Ut 5. conſcientiam habeamus tranquillam, gaudentem, qua familiariter poſſimus converſari cum Deo, ut Patre noſtro, quod eſt pro cœlo in terra. Eſt proinde 6. omnis veri Chriſtianiſmi promovendi medium, quam maxime efficax & neceſſarium.

III. *Adminicula* quibus juvari poſſumus in hac examinatione, ſunt: Ut *bona* ſeu beneficia hujus examinationis ſerio *ponderemus*. Ut ad nos ipſos noſtraque facta diligenter *attendamus*, quo notitiam habemus, eorum quæ nobis examinanda ſunt. Ut 3. memoriam exerceamus, quæ nobis præterita noſtra fideliter referat. Ut 4. nos exerceamus in cognitione legis divinæ, ad quam univerſa examinatio eſt inſtituenda. Ut 5. fideliter nobiſcum agamus, abſque ſtudio partium, tam in accuſando, quam in abſolvendo. Ut 6. examinatio ſuos fructus aſſequatur, cum ratione *peccatorum*, ad reſipiſcentiam & reformationem; tum ratione *virtutum*, ut eæ magis magiſque invaleſcant.

IV. *Neglectus* examinationis, cujus conſideranda

A. *Natura*. Eſt defectus recognitionis & explorationis deſcriptæ, qui involvit, 1. craſſam ſui ipſius, ſuorumque factorum *ignorantiam*, dum cætera quævis conamur cognoſcere. 2. Supinam *oblivionem* eorum quæ à nobis perpetrata ſunt. 3. Turpem *incuriam* ſtatus noſtri ſpiritualis, & eorum quæ ſalutem noſtram æternam concernant. 4. Defectum *amoris* divini, quo non ſtudemus ipſi placere. 5. *Odium* pietatis, quo non conamur in ejus officiis proficere. 6. Amorem *peccati*, quod nolumus deſerere &c.

B. *Mala* hujus neglectus, ob quæ corrigendus eſt: 1. *Turpiſſimum* eſt, inſtar Lamiarum, foris eſſe lynceum, & domi cæcum, quævis ſcire & ſeipſum, ſuaque facta ignorare. 2. Periculoſiſſimum item & maxime pernicioſum, quævis noſſe & ea quæ æternam noſtram concernunt beatitudinem, noſtrumque ſtatum neſcire. 3. Obſtruit omnem *pietatem*; 4. Generat *præſumptionem* in maxima miſeria, 5. *Stupiditatem* producit conſcientiæ, & ſecuritatem in ſtatu omnium periculoſiſſimo; 6. Peculiariter *reſipiſcentiam* & reformationem, etiam in teterrimis peccatis & flagitiis ſuffocat; 7. Omnem *profectum* in virtute intercludit, eoque 8. omnem *favorem* & benevolentiam Dei verſus nos, à nobis avertit, & ex adverſo ejus odium & diſplicentiam ſubſtituit. Hinc 9. *conſcientiam* generat turbatiſſimam.

C. *Cauſæ* hujus neglectus tollendæ dudum penes ejus naturam præoccupatæ ſunt. Accedant tamen, 1. *incuria* noſtri, eorumque, quæ ad æternum noſtrum bene eſſe, facere poſſint: animæ propriæ, peccatorum, reſipiſcentiæ, virtutis &c. 2. *Ignavia*, qua examinationis laborem & moleſtiam refugimus. 3. *Status* noſtri ſpiritualis κακεξία, qua ab eo recognoſcendo abhorremus, ut mercatores male conſtituti abhorrent à librorum & rationum ſuarum recognitione. 4. Studium *perſeverandi* in peccatis noſtris, quo eorum cognitionem deteſtamur. 5. *Contemptus pietatis*, quo ea quæ ad ejus incrementum vergunt, averſamur. 6. Occupationum *terrenarum copia*, quæ tempus nobis non permittit, quod impendamus huic examinationi.

D. *Remedia* adverſus hunc neglectum, ſuppetunt 1. à devota conſideratione *bonorum* hujus examinationis, & *malorum* neglectus. 2. Uſus adminiculorum, quibus promovetur examinatio. 3. Obſtructio cauſarum, à quibus generatur & fovetur hic neglectus, per ea, quæ adverſus quamque earum ſunt valentiſſima &c.

HY-

HYPOTYPOSIS THEOLOGIÆ ASCETICÆ.

LIBER TERTIUS

De praxi pietatis versus proximum.

CAPUT I.

De solitudinis Usu & Abusu.

HAbuimus exercitium pietatis versus Deum immediate; succedit idem, ex voluntate Dei versus proximum, in quovis casu, quod est in *conversatione* cum eo, ad quam progredimur à *solitudine*, hujus igitur usum & abusum conversationi præmittemus, ejusque considerabimus

I. *Naturam*, per quam nos omni commercio cum hominibus, ad tempus saltem subducimus, ut cum Deo liberius conversemur. *Subducimus*, inquam, nos omni commercio & societati cum hominibus, mandato Christi Matth. VI. 6. ejusdem exemplo Marc. I. 35. & Sanctorum, Isaaci Gen. XXIV. 63. &c. Sed ad *tempus* tantum, non autem in perpetuum, exemplo Eremitarum, qui in ea solitudine singularem quandam perfectionem ponunt; dum interim adversus præceptum Dei, ab omnibus officiis charitatis se justitiæ versus proximum, & reciprocis proximi versus se, subducunt. Nisi singularis quidam Dei instinctus, singularibus causis, eo vocet, quod factum in Johanne *Baptista*, & forte etiam in Rechabitis Jer. XXXV. 6. Num. XXIV. 22. Eaque subductio fiat eo animo tantum, ut *liberius conversemur* cum Deo, quod præsentibus testibus, semper non adeo commode fieri potest. Exigit autem ista *conversatio*, ut 1. Deum observemus in solitudine nostra, tanquam nobis singulariter præsentem Psal. CXXXIX. 1 —14. scil. ut cum eo soli possimus conversari. 2. Ut coram eo intima cordis nostri effundamus peculiariter. 3. Ut soliloquiis animæ nostræ, quasi cum Deo confabulemur, nostramque communionem cum eo excolamus. Porro 4. ut *desideria* cordis occultiora in ejus gremium quasi profundamus. Insuper 5. ut *meditationibus* intentis occupati simus: α. Circa necessitates *Ecclesiæ*, cum spirituales; tum corporales. β. Circa necessitates *domesticas*, in uxoribus, liberis, servis, cumprimis spiritualibus. γ. Circa necessitates personales, v. g. *peccata* nostra, cumprimis occulta, ad quæ maxime sumus proclives, eorum remissionem & debilitationem: *virtutes* hactenus minus apud nos excultas. δ. Circa *benedictiones* quasvis Ecclesiæ, Reipublicæ, domesticis & personis nostris exorandas. Circa ε. negotia vocationis nostræ, ut in eis Deus nos prosperet. ζ. Circa opera Dei, *creationis* & *providentiæ* communis, circa quasvis creaturas, ut ex eis bonitatem, sapientiam, omnipotentiam ejus celebres. η Circa *judicia* Dei, in Ecclesiam, Rempublicam, familiam, personam: ut profunda humiliatione & deprecatione ea averruncemus. ϑ. Circa *beneficia* singularia Ecclesiæ, Reipublicæ, familiæ, & personis nostris, à Deo præstita; ut ob ea gratias convenientes ei referamus, & ex eis amor noster versus eum magis invalescat, ac studiosiores reddamur ad officia quævis pietatis. 1. Circa *quævis obvia* nobis, in communi nostra conversatione cum quibusvis, ut ea Deo repræsentemus, convenienter eorum constitutioni. *Tempus* isti solitudini impendendum non ita determinat Scriptura. Isaacus sibi seligebat tempus *vespertinum*, Gen. XXIV. 63. Servator promiscue, *matutinum* Marc. I. 35. & *vespertinum*, ubi jam suis publicis, prædicationi verbi & miraculis satisfeciſſet Matth. XIV. 23. Marc. XI. 19. Scil. ut laboribus suis benedictionem à Deo impetraret. Proinde attendendum nobis, ut 1. nobis *commodissimum*, & impedimentis minus obnoxium, seligamus. 2. Operam demus, ut saltem *statum* sit, quantum fieri potest, quo constantius sit. 3. Saltem *quotidianum*, ne per sæpius prorogatam, alicnemur à Deo. Ut 4. ab *auditis* concionibus, diebus Sabbathi cum primis quæratur, ad repetendum audita.

II. *Bona* hujus solitudinis, ob quæ quærenda, sunt. Est 1. à Christianis præscripta Matth. VI. 6. Est 2. *commendata* Thren. III. 27. 28. Est 3. perquam *utilis* ad exonerandum cor nostrum coram Deo in occulto. Facit 4. ut *liberius* conversemur cum Deo, amotis scil. impedimentis, avocantibus & impedientibus. Est 5. argumentum *sinceritatis* nostræ, si non in propatulo tantum, ut Pharisæi hypocritæ, cum Deo agere, eique placere adnitamur; sed & in occulto, absque

teſtibus. Deus 6. ſingulariter obſervabit, & rependet nobis cultum iſtum occultum Matth. VI. 6. inque *occulto*, ſapientiam nobis revelabit Pſal. LI. 8.

III. *Modus* impendendi ſolitudinem noſtram: 1. In ſolitudine diligenter attendamus *cogitationibus* noſtris, ne exiſtimemus, eas tum nobis eſſe liberas; ne rebus aliorum plus eas impendamus quam par eſt; nec propriis *terrenis* nimium adſtringamus. 2. Etiam caveamus *ſuſpicari*, plus nobis libertatis ſuppetere ad peccandum, quando ſemoti ſumus à conſortio aliorum, neve cogitemus, Deum ſolos non ita obſervare nos noſtraque Job. XXIV. 15. & XXII. 13. quin in occulto & ſolitudine, nobis noſtriſque, perinde attendere, ac in commercio cum aliis Job. XXXIV. 21. 22. Heb. IV. 13. Ex adverſo 3. magis *circumſpecte* nos geramus in occulto, quam in propatulo: quod in ſolitudine, ſatanas ſuis tentationibus, magis nobis inſultare ſoleat quam in præſentia aliorum, ut patet in negotio cum Eva Gen. III. Inſuper 4. *prudenter* diſpiciamus de *tempore* nobis commodiſſimo ad ſolitudinem, quod minimum expoſitum ſit avocamentis & impedimentis: de *argumento* meditationum noſtrarum in ſolitudine, de perſonarum noſtrarum *aptitudine* ad ſubeundam ſolitudinem. Ut 5. ſolitudinem noſtram abſque fuco, arrigamus converſationi cum Deo, ſoliloquiis, precibus, meditationibus piis. Tandem 6. ut negotiis iſtis incumbamus, arrectis omnibus viribus noſtris, nec deſiſtamus, antequam ſcopum exoptatum obtinuerimus.

IV. *Abuſus* ſolitudinis evitandus, cujus cogitanda

A. *Natura*, per quam ſolitudinem aut negligimus plane, quando ei debebamus vacare; aut eam non impendimus, ſicut fieri debebat. Quod fit 1. eam *non curando*, ut vulgo fit. 2. Inſuper præſentiam Dei, per conſcientiam peccatorum ac turpitudinis noſtræ, fugiendo, noſque ab eo occultando, ſicut protoplaſti poſt lapſum Gen. III. 8. Eam 3. ſectando, ex *vanis* cauſis, ſicut Heliogabalus, ut captaret muſcas, ſaltem non ad converſandum cum Deo. Eam 4. quærendo ex *deſperatione*, ex *tædio*, ad declinandas moleſtias converſationis cum hominibus, aut ex opinione *meriti* alicujus, ut fit à Monachis. Aut etiam 5. ad liberius indulgendum cupiditatibus noſtris, utpote jam remoti à teſtibus Job. XXIV. 15. Ad hæc, cum 6. ſolitudine noſtra, non hominum tantum præſentiam; ſed ipſius etiam Dei, ſecludere conamur, ſaltem à cogitationibus noſtris Job. XXII. 14. Tandem 7. quando ſolitudinem ambimus, dum per naturæ conſtitutionem, ad eam inepti ſumus, ut fit à Melancholicis, & ſpiritualiter deſertis, quibus ſolitudo noxia eſt.

B. *Mala* hujus abuſus, ob quæ fugiendus, ſunt: 1. *Privat* nos omnibus *bonis* & beneficiis piæ ſolitudinis. 2. *Spernit* contumaciter *mandatum* & *exemplum* Chriſti, pariter & Sanctorum, Iſaaci, Petri Act. X. 9. Johannis Apoc I. 10. Porro 3. *alieniores* nos reddit neglectus piæ ſolitudinis à Deo, & viciſſim Deum à nobis. Item 4. ab omni *pietatis* altitura & incremento, quippe quæ egregie fovetur & promovetur pia hac ſolitudine, & exercitio converſationis cum Deo. Unaque 5. nos privat omnibus emolumentis converſationis iſtius, quæ ſuo loco in cap. de *ambulatione cum Deo* deſignavimus. Ex adverſo 6. fovet & auget *vitia*, quibus abuſus ſolitudinis anſam præbere ſolet, v. g. vanis & putidis cogitationibus ac voluptatibus. Saltem 7. nonnullos per naturam ineptos ad ſolitudinem, v. g. melancholicos, & ſpiritualiter deſertos, exponit perniciosiſſimis ſatanæ tentationibus, ut dictum.

C. *Cauſæ* hujus abuſus, potiſſimum ſunt: 1. *Odium* Dei & pietatis, quo Deum remotum à ſe deſiderant Job. XXI. 14. 15. Tum 2. ſtudium *peccati*, quo præſentiam Dei non ferebant protoplaſti, quodque nos diſterminat à Deo Jeſ. LIX. 2. Hinc 3. *Atheiſmus*, quo exiſtimant, Deum ſe ſuaque non videre Job. XXII. 13. Ad hæc 5. nimius *amor* ſocietatis & conſuetudinis cum hominibus impiis. Porro 5. *labor* & moleſtia, quæ eſt in opere hujus piæ ſolitudinis. Etiam 6. *curarum* mundanarum abundantia, quæ tempus ipſis non permittit, quod in piam hanc ſolitudinem impendant.

D. *Remedia* adverſus iſtum neglectum & abuſum ſolitudinis, ſuppetunt 1. à conſideratione devota, cum *bonorum* piæ ſolitudinis; tum *malorum* neglectus & abuſus. 2. Ab *adminiculis*, quibus juvatur ſtudium piæ ſolitudinis. 3. Ab obſtructione *cauſarum*, à quibus reſultat neglectus & abuſus hujus ſolitudinis: ſublata enim cauſa, ceſſat effectus &c.

CAPUT II.

De Converſatione cum proximo, Pia & Impia in genere.

A Solitudine ad *converſationem* deſcendemus, eam contemplaturi, *primo* in *genere*, tum in *ſpecie*; pro variis eorum conditionibus, quicum converſamur. Hic igitur occupabimur circa converſationem piam in genere, cui opponitur impia. Circa piam cogitabimus

I. *Naturam*

I. *Naturam*, per quam est vivere cum proximo, juxta regulas pietatis, justitiæ & charitatis. Est *vivere* cum proximo, eoque respicit omnes actus vitæ, qui attingunt proximum, nominatim *verba* & facta. Ista omnia dirigi debent, juxta *regulam* Gal. VI. 16. Et ista regula *triplex* nobis esse debet ob oculos, ut ad eam componamus dicta & facta nostra: *Prima* est *pietatis*, qua conversationis nostræ supremus scopus est *gloria* Dei, eoque diriguntur omnes ejus actus, ut Deus glorificetur, & caveatur, ne in minimo offendatur, ex postulato prioris tabulæ Decalogi: *secunda* est *justitiæ* qua id agimus, ut proximus habeat quod suum est, quoad 1. *honorem* ex præscripto quinti præcepti. 2. *Vitam* utramque, spiritualem & corporalem, juxta sextum præceptum. 3. *Matrimonium* juxta septimum. 4. Fortunas & bona sua externa, juxta octavum. Idque omne procuretur 5. cum *lingua*, studio veracitatis; tum 6. *corde*, quo ita acquiescamus in sorte nostra, ut non desideremus nisi proximi bona. Quæ omnia distincte repræsentavimus in *Idea Theol. Moralis*, per totum librum secundum: *tertia* est *charitatis*, quæ proximum observat, partim *absolute*, partim sub certa qualitate, aut relatione ad certum statum, sortem aut gradum. Regula charitatis versus proximum *absolute* consideratum, in conversatione exigit: א. Ut *sociis* quicum conversamur, aliquid *boni conferamus*; quod fit 1. *colloquiis amabilibus* & *sale conditis* Col. IV. 6. Prov. X. 21. Si α. utile habeant argumentum, de Deo, de proximo, nobis ipsis aliisque, ædificans. Si β. faciant ad *eruditionem* proximi, excitationem ad bonum; consolationem. Si γ. *modo* conveniente instituantur, suo *tempore* Prov. XXV. 11. item modeste, verecunde, reverenter, humaniter, habita cauta ratione qualitatis eorum, cum quibus conversamur, sint ne pii an impii, ut congrue cum ipsis colloquamur. 2. *Factis*, si conveniant cum *verbo* Dei, velut sua regula, cum constitutione præsentis temporis: si profluant à fide, amore Dei & proximi, ab humilitate, sapientia: si talia sint, ut obvia in conversatione *mala*, *gestibus* & oculis compescamus eam Job. XXIX. 8. aut si hoc ex voto parum succedat, libere & ingenue reprehendamus 1 Tim. V. 20. His aliisque adminiculis, conversantibus nobiscum, aliquid possumus conferre boni. Charitas insuper exigit 2. ut ex conversatione cum aliis, *nobis ipsis* aliquid boni *acquiramus*. Quo spectat, ut A. ex *defectibus* eorum, cum quibus conversamur, emolumenta quæramus: in irregenitorum impietate, propriæ *naturæ* pravitatem *videamus*; Deoque *gratias* agamus, quod per gratiam regenerationis, nos quadantenus ab eo liberaverit: ex *infirmitatibus* regenitorum, discamus proprias agnoscere, & in omnibus à gratia Dei magis pendere. Ut B. ex *virtutibus* eorum, si quidem *irregeniti* sint, ad piam æmulationem excitemur; si *regeniti*, Deum *celebremus* pro gratia ipsis collata, propterea eo impensius *diligamus*, & ad *imitationem* instigemur. Ut C. ex *operibus* Dei versus eos, cum quibus conversamur, propriam utilitatem & ædificationem captemus: v. g. ex operibus *misericordiæ*, versus *impios*, hostes suos, ejus longanimitatem, patientiam & bonitatem agnoscamus; versus *pios* & amicos suos, Deum celebremus, & inde fiduciam versus nos alamus: rursus ex operibus *justitiæ* seu judiciis, in *impiis* quidem rigorem *justitiæ*, in piis ἀπροσωποληψίαν Dei observemus. Ut D. in conversatione, ex aliorum donis & bonis proficere studeamus, v.g. interrogando & conferendo cum sapientioribus, ut discamus. Sic charitas in conversatione absolute observat proximum: *partim* sub certa *qualitate*, statu, relatione quam habent ratione nostri, à quibus in conversatione cum ipsis, peculiaria quædam officia ipsis competunt, quæ in subsequentibus capitibus distinctius repræsentabimus.

II. *Bona* conversationis piæ, ob quæ expetenda est, sunt: 1. Quod vita socia, sua quidem *natura*, sit præstantior solitaria; sed tum maxime, quando est pia, eo quod non tantum per conversationem talem, bonum cujusque transeat ad plures; eoque multiplicetur; sed etiam quasi reflectendo ab uno in alium, invalescat: non dicam, quod potissimum, quod officia charitatis & justitiæ, juxta posteriorem legis tabulam, in conversatione demum, non in vita solitaria, exerceri queant. 2. Quod per *creationem*, Deus hominem voluerit esse animal *socium*, & pronunciaverit non esse bonum, ut homo solus sit, eoque homini uxorem dederit, ut ei adjumento esset, id quod maxime valet de statu integritatis, quando homines perfecte pii erant. Conf. Eccl. IV. 9. 10. Quod 3. per *providentiam* Deus ita constituxerit, ut unus homo alterius opera indigeret, Rex subditorum, & vicissim subditi Regis; divites pauperum, & vice versa, quod non obtinetur, nisi conversatione pia. Quod 4. ex præscripto Christi, in Ecclesia vigere debeat communio sanctorum, qua, velut membra ejusdem corporis mystici, quisque sua bona communicet aliis, quod citra conversationem piam, obtinere non potest. Quod 5. pia tali conversatione, proficui simus & *nobis*, & *proximo*, & *Ecclesiæ*, & Reipublicæ, ut jam ante ostendimus. Usque adeo 6. ut hujusmodi conversatio absolute sit *necessaria*, ad quamvis societatem conservandam & beatificandam. Non addam 7. quod omnis vitæ humanæ suavitas & gaudium pendeat à conversatione pia.

III. *Adminicula*, quibus pia conversatio procuratur, sunt: 1. *Prudentia*, qua non tantum delectum faciamus eorum quos in conversationem nostram admittimus; sed & caute attendamus ad nos, ad ipsos, quos in conversationem admisimus, ut convenienter cujusque conditioni, officia conversationis nostræ dispensemus. 2. *Religio* versus Deum, *charitas* & *justitia* versus proximum, ad piam conversationem quam maxime sunt necessaria. 3. *Propositum* ingenuum, universam conversationem nostram impendendi, non commodis tantum propriis; sed eorum etiam, cum quibus conversamur. 4. Directio *Dei*, in tot casibus, & verbi ipsius velut regulæ unicæ hujus conversationis, precibus obtinenda, omnino adesse debet, quo non tantum vires suppetant ad piam conversationem; sed & animus ac voluntas, & hinc successus.

IV. *Impia* conversatio, piæ opposita, cujus consideranda

A. *Natura*. Est defectus, vel conversationis; vel pietatis in conversatione. Defectus, inquam, *conversationis*, quo ordinarie, citra ullam necessitatem, aut scopum justum, conversationem cum aliis declinamus: aut *pietatis* in conversatione, quando 1. conversatione nostra, nec bonum proprium spirituale; nec aliorum, cum quibus conversamur, intendimus. Ex adverso 2. conversationem sectamur cum profanis, impiis, spretis piis. Et 3. ad hoc, ut voluptates carnis alamus, & erigamus. Quando proinde 4. non tantum non conamur proximo, cum quo conversamur, *prodesse*; sed insuper ei *nocere*, quod fit vel α. *verbis*, lingua ab inferno accensa Jac. III. 6. 8. Verbis *palam impiis*, mendaciis, dejerationibus, calumniis &c. quibus *guttur* redditur *sepulchrum* adapertum Rom. III. 13. Verbis *inutilibus* & vanis, quæ ad nihil conducunt Matth. XII. 36. qualia sunt in *loquacitate* Eccl. v. 2. Prov. XIV. 23. Verbis *intempestivis*, absque judicio, deliberatione & circumspectione debita, eructatis, quando non attendimus, quid, ubi & quibus illa conducant, aut obsint. Verbis *bonis* quidem; sed in perversum finem, v. g. verbis Scripturæ, ad jocandum aut ludendum, aut in opprobrium proximi: β. vel *factis* talibus, quæ, seu A. aperte *voluntati* divinæ repugnant, v. g. quæ superstitiosa sunt; quæ in proximi detrimentum tendunt; quæ impura, lasciva, aut quovis modo bonis moribus perniciosa sunt Phil. II. 3. seu quæ B. *intempestive* perpetrantur, cum scandalo aliorum, licet cætera bona sint, sub prætextu libertatis Christianæ 1 Cor. X. 32. seu quæ C. non mala quidem sunt: sed tamen animo malo fiunt, aut in malum finem vergunt, v. g. ad exacerbandum, aut dehonestandum proximum, item ad extollendum seipsum supra alios Prov. VI. 13. seu quæ D. bona etiam sunt; sed inconveniente modo perpetrantur, quo v. g. nomen Domini, aut ejus Sabbathum profanatur. Quando aliorum conversatione utimur pro *regula*, ad quam nostram conversationem dirigamus Rom. XII. 2. Quando ad aliorum perversam conversationem nos *componimus*, eorumque prava exempla imitamur, & alienorum peccatorum communionem contrahimus Eph. V. 11. Jer. XV. 19. 20. Quando de aliorum perversa conversatione non contristamur Jer. XLII. 17. Quando perversa aliorum facta non reprehendimus, nec eos emendare nitimur 1 Tim. V. 20.

B. *Mala* conversationis impiæ: 1. Est character *cordis* & hominis impii, ejus quippe fructus. Est 2. hominis qui ambulat in consilio impiorum, qui stat in via peccatorum, qui sedet in consessibus derisorum: qui procul est à beatitudine: sicut gluma, quam dispellet ventus judiciorum Dei: qui non stabunt in extremo judicio; quorum via peribit; juxta Psalmum primum. Est 3. non tantum vana & *inutilis*; sed & perniciosa omnibus modis, & tibi, & proximo, & Ecclesiæ & Reipublicæ. Conf. Psal. XI. 3. Est 4. conversatio *inimicorum* Dei, quorum *finis* est *exitium*, quorum *Deus est venter*, & *gloria in confusione* eorum, qui *terrena sapiunt* Phil. III. 19. 20. Talis conversatio 5. quamvis conversationem tristem reddit & amaram &c.

C. *Causæ* conversationis impiæ, potissimum sunt: 1. Defectus *Religionis* versus Deum, à qua omnis charitas & justitia versus proximum profiliat, à qua conversatio appellari debeat pia. Tum 2. *justitiæ*, qua debita conversationis commoda proximo præstare coneris. Item 3. *charitatis* Christianæ, quam præsupponit communio Sanctorum, qua beneficia piæ conversationis fratri fideliter impendas. Etiam 4. abundantia *vanitatum*, qua non nisi voluptates carnis, ex conversatione cum proximo v. g jocando, infectando proximum——captes. Denique 5. ignorantia *regulæ*, ad quam conversationem tuam, ut pia sit, componas.

D. *Remedia* adversus impiam conversationem, suppetunt à pia ponderatione *bonorum* piæ conversationis, & *malorum* impiæ. 2. Ab usu sedulo eorum *adminiculorum*, quibus procuratur & dirigitur pia conversatio. 3. Ab obstructione *causarum*, à quibus procreatur impia conversatio, per ea remedia, quæ adversus quamque earum sunt efficaciissima.

Caput III.

De conviviorum Usu & Abusu.

DIximus piam conversationem in genere; jam ad specialia descendemus, nim. 1. ad conversationem cum *quibusvis*. 2. Ad eandem, cum proximo, certæ *qualitatis*. 3. Certæ relationis aut *conditionis* respectu nostri. 4. Certi *gradus* & ordinis. Cum *quibusvis* conversatio nostra respicit, vel *convivia*, vel commercia. De conviviis hoc capite inquiremus, considerabimusque

I. *Naturam*, per quam convivia nostra verbo divino sint consentanea. Convivia licita esse, patet per experientiam omnium temporum, v. g. in Abrahamo cum ablactaret Isaacum, Jacobo cum Labane socero, Israelitarum in suo Paschate, itemque sacrificiis Judæorum in festo Purim &c. sub Novo Test. in ipso Christo & Apostolis, præsentibus apud nuptias in Cana Galilææ, aliisque conviviis etiam quandoque apud inimicos Pharisæos, in Christianorum Agapis apud S. Cœnam &c. Verum id accurandum, ut verbo divino sint consentanea, quod fit, quando 1. *finis* ac scopus eorum est bonus & honestus, nim. ut charitatem & εὐνοίαν fraternam alamus, unde *Agapæ* dicuntur Jud. vs. 12. Ut nos honeste recreemus Act. XIV. 17. Quando 2. *convivæ* huic fini obtinendo invitantur commodi, pii, & inter eos etiam pauperes Luc. XIV. 13. vel saltem eis particulæ quædam epularum communicantur Job. XXXI. 17. Quando 3. *colloquia* seu discursus convivales honesti sunt, & qui faciunt ad ædificationem Col. IV. 6. Quando 4. apparatus *ciborum* non vergit ad prodigalitatem, aut fastum, luxum — sed ad Christianam hilaritatem Neh. VIII. 11. Quando 5. *conversatio* universa intra sobrietatem & modestiam Christianam subsistit. Quando 6. *tempus* conviviis commodum dispicitur, ut non instituatur diebus *dominicis* aut jejunando destinatis: nec nimium frequenter: nec nimis diu protrahatur. His potissimum probe observatis, convivium sit verbo divino consentaneum & Christianum.

II. *Bona* hujusmodi convivii sunt: 1. Eo charitas, amicitia & benevolentia Christiana *erigitur* & fovetur, novæ item amicitiæ quandoque contrahuntur. 2. *Bonis* Dei donis liberaliter *fruimur*, non ad necessitatem tantum; sed & ad honestam hilaritatem & abundantiam. 3. Eo proinde erigimur ad amorem Dei, ad gratitudinem, τῷ παρέχοντος ἡμῖν πλουσίως πάντα εἰς ἀπόλαυσιν 1 Tim. VI. 17. qui, ut Pater benignus, suam charitatem liberalitatemque versus filios suos patefacit, quod & pro re nata, non tantum eorum hilaritate delectetur; sed ad eam etiam sua bona liberaliter conferat. 4. Eo convivantes se invicem ædificare, & pauperibus sua bona impertiri; eisque exhilarare conantur.

III. *Adminicula*, quorum ope convivia nostra ad hunc modum efformentur, sunt: 1. Conemur Deum nobis repræsentare, ut conviviis nostris præsentem, qui convivas observet, pariter & convivationes Matth. XXII. 11. Psal. CXXXIX. 1. 2. Etiam 2. invitemus Christum, precibus & fide, nostris conviviis præsentem, ut non tantum ea *honore* præsentiæ suæ mactet; sed etiam benedictione & directione Joh. II. 23. Insuper 3. ejus *discipulos*, h. e. non pauperes tantum; sed & Apostolos, seu scripta Apostolorum & Prophetarum, conviviis nostris habere præsentes, quo illa verbo divino fiant consentanea. Ibid. 4. convivarum quisque prudenter attendat, & sibi, & accumbentibus secum, ut ad cujusque statum, ordinem, indigentiam, sua colloquia & conversationem dirigat, quo major accidat ædificatio, & certius obtineantur conviviorum legitimi fines.

IV. *Abusum* conviviorum, cujus cogitanda

A. *Natura*. Est defectus conviviorum, per quem abludunt à regulis verbi divini. Hujus rationem facile colligemus, instituta collatione legitimi usus. Abludunt autem à verbo divino, quoad 1. *finem*, quando tantum attendimus ad appositum cibum & potum, ut carnem & voluptates saginemus Jes. V. 12. Phil. III. 19. Quoad 2. *convivas*, quando absque justo delectu, vel solos homines carnales invitamus, aut citra discrimen, pios & impios, aut divites tantum honoratosque præteritis pauperibus, quando à convivis nimium captantur potiora sedendi loca Luc. XVIII. Prov. XXV. 6. 7. quando convivæ nimium necessitantur ad edendum aut bibendum, v. g. poculis salutis Esth. I. 8. 1 Pet. IV. 3. Quando 3. *colloquia* & discursus conviviales non faciunt, seu ad glorificationem Dei; seu ad ædificationem convivarum: quando nominatim occupantur circa *civilia* tantum ac terrena, nec quicquam habent de rebus *spiritualibus*; quando item circa jocos qui nihil conferunt, nisi ad fovendas & concitandas voluptates carnales; quando insuper *impuri* sunt, qui lasciviam provocent aut opprobrium proximi, per calumnias aut detrectationes, cum absentium, tum præsentium: quando ad rixas & contentiones abeunt: quando lingua

madida ac temulenta, de rebus religionis aut divinis, cætera bonis, confabulamur. Quando 4. *apparatus* ciborum & potuum nimium comparatus est, seu ad fastum; seu ad voluptatem carnalem, adeoque ad prodigalitatem vergit. Quando 5. *tempus* ineptum ad convivia seligitur, v. g. dies Sabbati aut jejuniorum, quando item tempus conviviorum nimium protrahitur, in seram quandoque noctem usque.

B. *Mala* istorum conviviorum potissimum sunt: 1. Quod hujusmodi convivia Christianorum agapis maculas afferant, σπιλάδες Jud. vs. 12. easque contaminent. 2. Quod pro glorificatione Dei, in ejus ignominiam contendant, ejusque beneficentiam, qua indulget nobis convivia, hilaritatem honestam, pro gratiarum actione, contemnant. Quod 3. ædificationem convivarum evertant, eosque ad ἀσωτίαν, voluptates carnales, & ad saginationem ventris, erigant. Ac proinde 4. per hilaritatem *corpoream*, *spiritualem* & genuinam evertant; pro emolumentis, non nisi detrimenta quævis convivis afferant.

C. *Causæ* hujus abusus facile colligi possunt ex adminiculis usus genuini. Nim. quod 1. Deum non cogitent sibi suisque conviviis præsentem esse, ut solent Athei. Nec 2. Christum aveant, suis conviviis interesse, qui eis sua benedictione adspiret. Nec 3. Apostolos & apostolicum verbum, quod sua convivia dirigat. Quod 4. totos se addixerint cupiditatibus & voluptatibus. Quod 5. conviviis istis non interfint, qui conentur eorum exorbitationes reprehendere & corrigere. Quod 6. ab eis penitus exulet charitas Christiana, qua convivarum unus enitatur in ædificationem spiritualem alterius &c.

D. *Remedia* hujus abusus suppetunt 1. à cogitatione devota *bonorum* genuini usus, & *malorum* abusus. 2. Ab observatione *adminiculorum*, quibus convivia redduntur Christiana. 3. Ab obstructione *causarum*, quibus corrumpuntur convivia.

Caput IV.

De Commercio Justo & Injusto.

IN conversatione cum *quibusvis*, habuimus ea quæ observanda sunt in *conviviis*; succedunt ea quæ requiruntur in *commerciis* cum proximo. Sunt autem ea, vel *justa*; vel injusta. De istis agendum venit hoc capite, & consideranda

I. *Natura* justi commercii. Est illud commercium, quo id agimus, ut ea tantum habeamus, quæ omni jure nostra sunt. *Commercii* vox ea latitudine nobis hic venit, ut comprehendat omnem contractum, & eum nominatim, qui est in emptione & venditione. *Nostrum* quod commercio sectamur, id est, cujus legitimum habemus *dominium*, tam quoad *acquisitionem*; quam quoad usum fructum, quæ duo frequenter divelluntur. Addimus quod *omni* jure nostrum est, tam quoad jus *divinum*, quo soli fideles sua possident; quam *civile*, quo infideles etiam ea possident, quæ justo titulo sibi compararunt, puta: *occupatione*, hæreditate, donatione, mercede & contractu, de quibus egimus *Idea Theol. Moralis* lib. III. cap. 1. Hic igitur agendum nobis *primo* de *contractibus* in genere. Est contractus communicatio boni ex conventione obligante, cujus formulæ sunt: *do ut des*; *do ut facias*; *facio ut des*; *facio ut facias*. Ad possessionem ex contractu peculiariter spectant α. *Emtio* & venditio, cum res habetur ex certo pretio. β. *Locatio* & conductio, cum usus rei certa mercede conceditur. γ. *Mutuum*, cum res accipitur gratuito, in eodem *genere* reddenda. δ. *Commodatum*, cum in eadem *specie* est restituenda, cui pignus & depositum possunt connumerari. Jam, ut in his omnibus contractus *justus* sit, exigitur, 1. ut *generaliter* nos geramus, sincere, honeste & velut in conspectu Dei Heb. XIII. 18. 1 Thess. IV. 6. *speciatim*. 2. Ut in *dictis* nostris simus *veraces*, juxta cor nostrum loquentes, *ingenue* absque fuco, æquivocatione aut mentali reservatione. 3. *Fideles* in *promissis*, id conando præstare quod diximus, vel cum dispendio nostro. 4. *Justi* in quavis actione nostra suum cuique tribuendo. 5. *Charitate* præditi & ἐπιεικείᾳ, qua, pro re nata, etiam aliquid remittamus de summo nostro jure. Denique 6. *patientes*, in casu damni aut injuriæ, nobis ab alio illatæ. Hæc in omnibus contractibus, ut justi sint, observanda sunt. In venditionibus & emtionibus, ut justæ sint, hæc peculiariter observanda veniunt: (1) Ut venditor rei venditæ sit legitimus Dominus, & vicissim emtor non emat, nisi ab eo, quem credit esse legitimum Dominum. (2) Ut venditor non vendat, & emtor non emat, nisi quod vendi & emi potest jure, v. g non res sacras, ut fit in Simonia: non corrupta pro integris. (3) Ut in commercium emtionis non veniant, nisi quæ quovis modo conducunt, proximo, Ecclesiæ, Reipublicæ, seu ad necessitatem, seu delectationem, aut ornamentum justum. (4) Ut venditor merces suas exponat pretio æquali, cujus regula commodissima esse possit pretium

cium commune fori, quippe adaptatum circumſtantiis loci, temporis aliiſque. Verbo dicam (5) Ut venditor & emtor, in omni commercio, honeſta utantur ſimplicitate & ingenuitate, qua omnes fraudes & technas ab utraque parte ſtudeant evitare.

II. *Bona* hujuſmodi commercii pii, potiſſimum ſunt: 1. Tale, ſupremus rerum Dominus, cui de rebus ſuis diſponere, nobiſque præſcribere, integrum eſt; à nobis exigit, prohibita omni fraude 1 Theſſ. IV. 6. Tale 2. ſtipulatur *quodvis* jus, naturale, civile, gentium. Tale 3. quivis magiſtratus, ſaltem Chriſtianus, præſcribit ſuis ſubditis, conſtituta etiam, juſta reſtitutione, ab eo aberranti. Tale etiam 4. omnis ſocietatis humanæ ratio. Adeo ut 5. citra illud, nemo ſecurus eſſe poſſit rerum ſuarum Dominus. Tale 6. exigit cujuſque Chriſtiani conſcientia bona & tranquilla. Tandem 7. tali demum, omnis rei noſtræ poſſeſſio ſuavis redditur & jucunda.

III. *Adminicula*, quibus juſtum iſtud commercium fovetur & procuratur, ſunt: 1. *Religio* verſus Deum, qua, ex ejus voluntate & præſcripto, noſtra acquirere & poſſidere conamur. 2. *Juſtitia*, qua ſuum cuique dare nitimur. 3. *Charitas*, qua ſuum proximo ingenue volumus. Tale 4. univerſalis omnis commercii regula dirigit, qua, quod nobis fieri volumus; alteri præſtamus. Eo confert cumprimis 5. ut adnitamur eſſe vere fideles & Chriſtiani, quibus omnia Deus addixit 1 Cor. III. 22. abſque quo nihil, ſaltem quoad forum *divinum* & conſcientiæ, vere noſtrum eſt. Juvat etiam 6. *ἀυτάρκειαν*, qua in ſorte nobis per providentiam divinam addicta, ſic acquieſcimus, ut quæ alterius ſunt, non deſideremus.

IV. *Injuſtum* commercium, juſto oppoſitum, cujus conſideranda

A. *Natura*. Eſt injuſtum *generaliter*, quo *noſtrum* non poſſidemus, quovis modo: ſeu quod à Religione, juſtitia, charitate & bona conſcientia aberrat. *Peculiariter*, quod 1. per mendacia, fraudes aut hypocriſin quamvis agit cum proximo, ejuſque bona in ſe derivare nititur. Quod 2. per injuſtitiam, proximum quovis modo in ſuis fortunis lædit, eaſque ſibi arrogat. 3. Quod venalia exponit, talia quæ nihil conducunt ad bonum, ſeu publicum, ſeu privatum, qualia ſunt quæ ad faſtum, aut carnales voluptates faciunt Jeſ. III. 18. 19. 20--artes hiſtrionicæ, quæ proinde non ſunt *bona* Eph. IV. 28. aut bona ex vanitate parta. Quod 4. ex ſimplicitate & ignorantia emtoris, ſua lucra captat 1 Theſſ. IV. 5. Adhæc 5. quod venditor, ſolutionis moram emtori præſtans, ex eo venditi pretium extollit. Quod 6. egenis uſuram mordentem imponit, quam Scriptura damnat Pſal. XV. 5. Quod 7. perverſis artibus, venalium quarumvis pretia exaggerat v. g. monopoliis, vel unius, vel plurium ſociorum opera. Quod 8. ſpe lucri incerti, in commercio, ſupra vires ſuas, cum alterius periculo negotiatur, ut citius diteſcat Prov. VI. 1. Plura hujus generis facile colliges ex eis quæ apud naturam juſti commercii, dudum obſervavimus.

B. *Mala* injuſti commercii, ob quæ fugiendum, ſunt: 1. Deus abhorret ab omni fraudulentia, perinde ut à ſanguinolentia Pſal. V. 6. Hinc 2. juſtum & ſeverum vindicem ſe ei præbebit. Eſt 3. in injuſtis opibus maledictio quædam, qua in tertium hæredem vix tranſeunt, quin & talis, quæ juſte partis ſeipſam affricat. Sunt etiam 4. fraudulenti & hominibus, imprimis juſtis, abominationi, ut cum eis commercia declinent. Imo 5. fraudulenti ſibi *mortem* quærere dicuntur Prov. XXI. 6. Quin & 6. mendaces ſeu fraudulenti, ſe tormentis Gehennalibus exponunt Apoc. XXI. 8. & XXII. 15. Addam 7. & vindictæ Magiſtratus civilis. Saltem 8. opes injuſte partæ conſcientiæ tranquillitatem tollunt, ut nullo gaudio eis fruantur, occurrentibus ſemper injuriarum Furiis.

C. *Cauſæ* injuſti commercii, præcipue ſunt: 1. *Atheiſmus*, quo præſentiam, omniſcientiam, & juſtitiam vindicativam, à ſuis commerciis removent. 2. *Avaritia* & ſuperflua habendi, & accipiendi cupiditas. 3. *Defectus* Religionis, juſtitiæ & charitatis. 4. *Diffidentia* in divina providentia, quæ ſibi per juſta media proſpiciat. 5. Prava *concupiſcentia*, qua in ſorte, divinitus ſibi indulta, non acquieſcunt. 6. Stulta *imaginatio* & præſumptio, qua Deo benedictionem pravis artibus extorquere & q. ſuffurari nituntur.

D. *Remedia* adverſus injuſtum quodvis commercium, ſuppetunt 1. à ponderatione *bonorum* juſti, & *malorum* injuſti commercii. 2. Ab uſu *adminiculorum*, quibus commercium juſtum redditur. 3. Ab obſtructione *cauſarum*, quibus injuſta commercia procreantur &c.

CAPUT

Caput V.

De Conversatione cum afflictis, per consolationem.

Conversationem cum *quibusvis*, in conviviis & commerciis examinavimus; succedit conversatio cum certæ *qualitatis* hominibus: puta afflictis, lapsis, bonis & malis quibus totidem capita impendemus. Primo cum afflictis eorumque consolatione. Cujus usum pariter & abusum breviter notabimus

I. *Naturam* consolationis, per quam non est, nisi convenienter agere cujusque calamitati, ut ei succurratur. Hic 1. caute distinguendi veniunt *afflicti* à *punitis*, seu afflicti ex *justitia*, à Judice, in compensationem peccatorum, tales sunt adhucdum impii, qui per resipiscentiam & fidem in Christum, necdum sunt reconciliati cum Deo; his nulla competit proprii nominis consolatio, antequam fuerint reconciliati cum Deo Jes. XLVIII. 22. Proinde cum his non aliud agendum, quam ut ad resipiscentiam perducantur, aggravatione peccatorum, & ex eis imminentium Dei judiciorum, usque dum pœnitentiam concipiant, cui tum consolatio subjungi debet: afflicti autem per castigationem Dei paternam, in eorum emolumentum, sunt fideles illi, qui calamitatibus, seu malis tristibus exagitantur. Cum his potissimum nobis hic est negotium. Tum 2. cogitandæ sunt afflictionum species, ut cuique conveniens conferatur consolatio. Sunt autem afflictiones, vel (1) in bonis *fortunæ*, v. g. paupertate, damnis, obitu amicorum, Parentum, liberorum, conjugum: vel (2) in bonis *corporis*, v. g. morbis, deformitate: vel (3) in bonis *animi*, v. g. tristitia & angoribus, ex peccato, ira Dei & imminentibus Dei judiciis, item ex desertionibus spiritualibus. Singulis harum 3. applicandæ sunt peculiares sibi consolationes, quibus mala, vel *tollantur* penitus; vel saltem *alleventur* adeo, ut tolerabiles evadant. In his, ut ex voto succedant, observandæ sunt sequentes regulæ: α. *Inquirendum* in afflictiones, quænam & quales urgeant, quantæ sint, quænam earum causæ, ut fieri solet à Medicis Col. IV. 8. β. Excitanda *compassio*, misericordia, simpathia Job. XIX. 21. & VI. 14. quemadmodum Deus, primo *Pater* est *misericordiarum*, tum *Deus consolationis qui* nos solatur in quavis afflictione 2 Cor. 1. 3. 4. γ. *Succurrendum* est afflictis, pro viribus nostris, ut si pote, mala eorum tollantur Job. XXVI. 2. quemadmodum Deus facit cap. V. 11. δ. Argumentis *consolatoriis*, succurrendum cuique afflicto, pro sua necessitate, ut saltem mitigetur & tolerabilis fiat dolor. Pro sua inquam, cujusque necessitate, v. g. *Primo* in casu *paupertatis*, inculcanda sunt argumenta Christi Matth. VI. à *providentia* divina, quæ omnibus prospicit vs. 26. 28. à *cognitione* Dei, qua ut Pater suorum necessitates novit vs. 32. à *promissionibus* ejus vs. 33. Psal. XXXIV. 9. 10. *Secundo* in casu *mortis* amicorum, inculcanda sunt argumenta Apostoli 1 Thess. IV. 13. ad finem usque. Nim. α & Christum mortuum esse pro suis vs. 14 β. Et hos qui in eo moriuntur cum eo dormire. γ. Eos resuscitandos olim esse gloriose. vs. 15. 16. δ. Futurum ut cum mortuis suis Christo occurrant, redeunti in nubibus vs. 17. ε. Eos tum secum futuros cum Christo, in omnem beatam æternitatem. Ibid. Conf. Joh. XI. 19. 31. & cap. XIV. 1——& XVI——*Tertio* in casu *persecutionum*, inculcanda argumenta Christi Matth. V. 10. 11. 12. & Petri 1 Pet. IV. 12. ad finem v. g. (a) Eos esse *beatos*; (b) *Mercedem* eorum magnam fore in cœlis; (c) Eandem fuisse sortem *Prophetarum*; (d) Argumentum præstare gaudii; (e) Non esse nisi salutares explorationes 1 Pet. IV. 12. (f) Eos participes esse passionum Christi, pariter & gloriæ ipsius vs. 13. (g) Eos *beatos* esse, quod eorum persecutiones non tantum media sint; sed & signa suæ beatitudinis, quodque nullæ eos possint reddere vere miseros vs. 14. (h) Quod persecutiones sibi sint communes, cum quibusvis optimis, nec argumentum ipsis præbeant ignominiæ; sed gloriæ, quod digni habeantur, qui cum & pro Christo patiantur vs. 12. 13. 16 (i) Quod Dei voluntas sit, ut portent crucem Christi patienter vs. 17. (k) Quod sub his persecutionibus tuto possint committere animas suas, Deo fideli Creatori vs. 19. *Quarto* in casu *morborum*. Hic non statim prosiliendum ad consolatoria; sed ægrotans ante *præparandus* est ad *mortem*, nec spes restituendæ valetudinis & continuandæ vitæ, est erigenda, nec metus mortis pellendus. Præparatio ista exigit *meditationem* mortis, examen conscientiæ, de gestis universæ vitæ præteritæ, de agnitione, sensu, pœnitentia peccatorum, eorumque humili & ingenua confessione; exigit *reconciliationem* ægrotantis cum Deo, per fidem, resipiscentiam, preces: exigit sancta *vota*: de vitæ emendatione, si forte Deus annuat restitutionem valetudinis. His procurandis, aliquot distinctæ visitationes prudenter sunt impendendæ, pro re nata, omniaque urgenda repræsentatione mortis forte imminentis, extremi judicii, æternitatis, vitæ & mortis æternæ. His præmissis, quando ægrotus jam præparatus est ad mortem, & fundamentum solidæ consolationis bene jactum; tum progrediendum est ad argumenta consolatoria, eaque

sic

sic instruenda, ut efficaciter obnitantur *causis* angorum ægrotantis, qui resultant 1. à tormentis morborum. 2. A metu mortis instantis. 3. A jactura opum, amicorum, liberorum, conjugum. 4. A periculis, malis, difficultatibus, quæ suis liberis, conjugibus, immineant à morte sua. 5. A conscientia peccatorum suorum. 6. Horrore sepulchri, contabescentiæ, extremi judicii, æterna condemnatione. 7. A tentationibus satanæ, carnis, quandoque & amicorum circumstantium. 8. A desertionibus spiritualibus, aliisque id genus causis, ægrotantem torquentibus, quibus prudenter adaptanda sunt argumenta consolatoria. Ea vero hic singulatim recensere, infinitum foret, suppetent pio & prudenti Medico spirituali, cum ex Scriptura; tum ex ipsa rei obviæ natura. Quando autem reconvaluit ægrotans, tum erigendus est ad gratitudinem, amorem Dei, vitam novam; & adhæc ei inculcanda promissa, in morbis Deo facta. *Quinto* in casu angentium *peccatorum*. Post accuratam inquisitionem, qualis sit *tristitia*, an hujus *mundi*, resultans à comminatione sola *pœnæ*; an *secundum Deum*, producens *pœnitentiam ad salutem* 2 Cor. VII. 8. 9. 10. tum convenienter procedendum, ut *prior* tristitia permutetur in *posteriorem*: si posterior deprehendatur, tum consolatoria adhibenda, quibus mitigetur, quæ suppetent α. ab *utilitate* istius tristitiæ. Ibid. tum β. A *gratia* divinæ magnitudine & libertate, proclivi ad condonandum Psal. CIII. 11. 12. 17. Thren. III. 22. γ. Ab infinito valore satisfactionis & meritorum Christi Heb. VII. 29. δ. A *communi* & *gratiosa* oblatione Christi, ejusque meritorum, omnibus his, qui ingenua fide ipsum volunt recipere Joh. III. 16. Marc. XIV. 15. 16. 2 Cor. V. 19. 20. ε. Ab humanissima *invitatione* Christi, omnium qui onusti sunt, ejusque gratiam desiderant Matth. XI. 28. Jes. LV. 1. Apoc. XXII. 17. ζ. Ab experientia tot sanctorum, qui gratiam consecuti sunt, v. g. Manassis 2 Paral. XXXIII. 2. 3. 11. 12. 13. cum 2 Reg. XXIV. 4. Pauli 1 Tim. 1. 13. 14. 15. Mariæ Magdalenæ Marc. XVI. 9. &c. η. Exemplis eorum, qui è *calice* hoc Dei tam liberaliter biberunt, v. g. Jobi Job. XIII. 24. 26. cap. VII. 15. 20. Asaphi Psal. LXXVII. —— Hemanis Psal. LXXXVIII. —— ipsius Christi Matth. XXVI. 38. ϑ. *Promissionibus* divinis, de sanatione, exhilaratione, illuminatione, pace, gaudio &c. Tandem *sexto*, in casu *desertionum spiritualium*, quæ optimos quosque filiorum Dei exagitarunt, exemplis jam productis, item Davidis &c. Quibus pro solatio applicari debent omnia ista consolatoria, quæ jamjam diximus: atque insuper ista Scripturæ loca, quæ docent, Deum frequenter à suis abscondere faciem & gratiam suam, dum interim eos tenerrimo amore prosequebatur: eam desertionem non fore perpetuam: etiam desiderium gratiæ, veram gratiam esse: consequenter, *gratiam* caute distinguendam esse à sensu ejus. Interim serio monendi sunt, ne in fervore desertionum ac tentationum suarum, obmurmurationibus suis Deum contumelia afficiant, quasi justo durius secum ageret, sicut Jobus fecit: ne animæ propriæ detrimentum afferant, abnegando gratiam Dei, quæ ipsis vere adest, rejiciendo ejus gratiam quam ipsis offert; negligendo media, quibus sensus gratiæ excitari & recuperari queat; ne satanæ, mendaci & homicidæ, tentanti credant, aut locum faciant: ne etiam indulgeant carnis propriæ oggannientibus tumultuationibus &c.

II. *Bona* hujus consolationis afflictorum, hæc potissimum sunt: 1. Est opus gloriosum ipsius Dei 2 Cor. 1. 3. Jes. LI. 3. Psal. CIII. 13. Jes. LXVI. 13. Peculiariter *Patris* 2 Cor. 1. 3. *Filii*. Ibid. vs. 5. Joh. XVI. 20. 22. Jes. LXI. 1. 2. *Spiritus* S. cui hoc ex officio competit, quod sit *consolator* Joh. XIV. 16. 26. & XV. 26. & XVI. 17. Fuit 2. *praxis* fidelium omni tempore, v. g. Jobi Job. IV. 3. 4. Prophetarum Jes. XL. 1. 2. Ipsa etiam *æquitas*. 3. Officium consolationis nobis imponit: dum enim nos in calamitatibus constituti, solatium desideramus ab aliis; nunquid viciſſim aliis eam impertiremur? Cum præsertim vix unquam aliquid desit calamitatis, quod solatium non exigat. 4. Eo nobis Deus *dona* confert, quibus *possimus* solari alios, ut solemur 2 Cor. 1. 4. Eam 5. à nobis exigit *communio* sanctorum, per quam membra sumus ejusdem corporis mystici 2 Cor. XII. 12. ac proinde, quod aliis impertimur solatii, in nos ipsos redundat. Etiam 6. illam nobis extorquere debet miseria & angustia proximi Jes. LIV. 11. Est 7. multis modis *necessaria*: *sustentat* enim proximum, sub calamitatibus mergentem Prov. XVIII. 14. *vivificat* eundem quasi mortuum 1 Thess. III. 8. refocillat & recreat eundem, à calamitatibus quasi onustum, fatigatum, & tantum quandoque non oppressum Psal. XCIV. 19. Matth. XI. 28. 29.

III. *Adminicula* promovendæ tali consolationi, suppetunt 1. à *religione*, obsequio versus Deum, qui eam nobis præscribit Jes. XL. 1. atque etiam ab ejus exemplo cap. XLIX. 13. Tum 2. à *justitia*, qua quod nobis afflictis factum vellemus, alteri conamur præstare. 3. A *misericordia* & συμπαθείᾳ cum aliorum afflictionibus, qua nos in afflictorum locum constituimus Heb. XIII. 3. Porro 4. à *communione* sanctorum, qua afflictum consideramus, velut ejusdem nobiscum corporis mystici membrum, adeoque quod ipsi exhibemus boni, nobis ipsis nos exhibere. 5. Ab *humanitate*, qua verbis modestiam & charitatem spirantibus, sermones nostros consolatorios condimus, ut suavius afficiant animum afflicti Gen. 1. 20. 21. Etiam 6. ab *argumentis* consolatoriis, quibus afflictum

conamur erigere, si illa sint solida & convincentia, petita ex claris Scripturæ verbis, dextre applicatis, quæ maxime afficiunt conscientiam afflicti Rom. xv. 4. Psal. cxix. 50. 81. 93. Porro etiam ab experientia, cum *propria* 2 Cor. 1. 3. 4. tum aliorum quorumvis sanctorum Jac. v. 11. Insuper 7. a *precibus* & suspiriis inter consolandum, ut Deus adspiret consolationi nostræ Col. 11. 1. 2. Tandem 8. à *prudentia*, qua caute discernimus afflictos erigendos, eorumque afflictiones, item argumenta consolatoria cujusque necessitati conformamus.

IV. *Neglectum* officii consolatorii versus afflictos, cujus consideranda

A. *Natura.* Est officium consolationis versus afflictos, vel prorsus non præstare, vel sic præstare ut afflictus nullum omnino levamen aut beneficium inde percipiat. Quod non uno modo fit. Sunt enim 1. qui consolando reprehendunt, erigendo dejiciunt, pro officio, exprobrant peccata. Tales erant amici Jobi Job. xvi. 2. consolatores *miseriæ* עמל. Qui consolando afflictos *fallunt*, decipiunt, dejiciunt, pacem denunciantes his quibus pax non competit 1 Thess. v. 3. ad securitatem formant, & judicia Dei ipsis aggravant. Qui 3. afflictis pro solatio adulantur, intempestive extollendo eorum pietatem, bona opera, merita, ut ab eis solatia quærant, in eis fiduciam habeant, eoque abstrahunt à fiducia in Christum solum collocanda. Qui 4. consolatoriis *ineptis*, se afflictis suspectos reddunt, eoque magis adaugent, quam minuunt eorum angores, quod in negotio desertionum spiritualium, nimium est frequentatum. Qui 5. argumenta consolatoria promiscue spargunt, absque ullo judicio & discretione, quod imperitis consolatoribus usitatissimum est. Qui 6. officium consolationis dispensant cum damno spirituali, afflictorum pariter adstantium, quod frequentatissimum est, in consolatione moribundorum, quando per omnem sæpe vitam impiis, & qui pro talibus apud adstantes noti sunt; tam promte & liberaliter addicitur vita & gaudium æternum, quo non parum, in suis peccatis & carnali securitate, confirmantur auditores, ipseque decumbens efficacissime retrahitur à vera resipiscentia & fide in Christum, inque peccatis suis suaviter decedit. Plures hujus generis abusus facile conficies per collationem eorum, quæ de genuina dispensatione consolationis dudum diximus.

B. *Mala* hujus neglectus facili negotio colligi possunt ex bonis consolationis piæ, jam designatis. Infert præterea, 1. contemtum Dei, cujus præscripto nolis tantum deferre, ut ejus imagini velis succurrere vel consolatione. 2. Σκληροκαρδίαν versus afflictum, qui ejusdem tecum carnis est. 3. *Communionis* sanctorum, & eadem opera communionis cum Christo: qui enim cum Christo unitus est, & communionem ejus beneficiorum habet; eadem opera communionem habet cum ejus membris, eoque sympathiam experitur cum eis. 4. Ingenui affectus versus *sei-psum*, cum ab aliis, sibi afflicto, polliceri non possit, quod aliis negat; saltem indignus est qui experiatur consolationem in suis afflictionibus, & si fortasse experiatur, Deus subtrahet efficaciam consolationi &c.

C. *Causæ* hujus neglectus præcipue sunt: 1. Vilipendium *Dei* ejusque præcepti. 2. Vilipendium *proximi*, quo eum tanti non facimus, ut ei in necessitate constituto, solatio nostro succurramus. 3. Quandoque odium versus proximum, ex quo etiam nascitur ἐπιχαιρεκακία, quo insuper gaudemus in ejus afflictionibus. 4. *Imperitia*, per quam argumenta consolatoria nobis non suppetunt, quibus eum erigamus. 5. *Imprudentia*, qua, si suppetant argumenta, ea commode non possumus instruere, ut juvent proximum, quin etiam ei noceant. Accedit quandoque 6. *labor* & molestia quæ est in consolatione, quem declinare studet.

D. *Remedia* suppetunt à consideratione devota *bonorum* piæ consolationis, & *malorum* neglectus. 2. Ab usu *adminiculorum*, quibus juvatur & promovetur studium Christianæ consolationis. 3. Ab obstructione *causarum*, à quibus generatur neglectus ille &c.

CAPUT VI.

De Reprehensione lapsi, & Communione cum peccatis ejus.

IN officiis, quæ respiciunt proximum, sub certa *qualitate*, succedit secundum, quod eum respicit ut *lapsum*, per Christianam reprehensionem, cujus consideranda

I. *Natura.* Est justa eorum, qui in peccatum ceciderunt, reprehensio, ejusque placida admissio. Proinde duabus partibus universa hæc conversatio absolvitur: nim. *Primo reprehensione*, penes quam cogitanda veniunt, 1. *peccans* reprehendendus, inque eo observandum, ab *una parte*, quinam reprehendendi sint nim. *generaliter* quidem *omnes* qui delinquunt, licet non ab omnibus, nec eodem modo: *specialiter* a. *Superiores*, usque ad Reges & Principes: sic Herodes Tetrarcha reprehendebatur à Baptista Luc. iii. 19. Primores, nobiles & gubernatores in Israële, à Nehemia

Neh.

Neh. v. 7. & xiii. 17. Naaman à ſervis ſuis 2 Reg. v. 13. 14. *Eccleſiaſta*, ſic Archippus à Coloſſenſibus, auctore Paulo Col. iv. 17. Petrus à Paulo Gal. ii. 11. β. *Boni* æque ac mali, ſapientes perinde ac ſtulti Prov. ix. 8. & xix. 25. γ. *Æquales* perinde, ac inæquales Luc. xxiii. 40. δ. *Fratres* Chriſtiani 1 Theſſ. v. 14. vicinii mo & peregrini Gen. xx. 16. & xxi. 25. & xix. 7. ab *altera parte* quinam *non* ſint reprehendendi: non ſtulti & amentes: non empæctæ Prov. ix. 8. non obſtinati obfirmati adverſus reprehenſionem, quod Servator eos *canes* & *ſues* appellet Matth. vii. 6. Prov. ix. 7. non hominem hæreticum, poſt unam atque alteram admonitionem Tit. iii. 10. His enim, ſi reprehenſionem impendas, non tantum oleum perdes & operam Prov. xiii. 1. ſed eos etiam in te concitabis Prov. ix. 7. Tum 2. *peccata* reprehendenda nim. (a) vel *occulta*, vel *manifeſta*; publica vel privata 1 Tim. v. 20. Gal. ii. 14. (b) vel graviora, vel leviora (c) commiſſa, vel ex *ignorantia*, infirmitate, gravi tentatione; vel ex *malitia*, elata manu (d) commiſſa item, vel *ſemel* tantum, aut *raro*, vel *frequenter*, continuatione quadam. (e) Commiſſa denique, vel *ante* ullam reprehenſionem; vel *poſt* factam aut factas reprehenſiones, ſæpius repetita. Quæ omnia ad hoc caute ſunt diſcernenda, ut reprehendendi ratio cuique efficacius adaptetur. Porro 3. *reprehenſio*, quæ fit, A. vel *directe* verbis planis, 2 Sam. xii. 7. 9. 10. *Tu es vir ille mortis*; vel B. *indirecte*, terminis *tectis*, per periphraſes, intimationes & circumlocutiones, ſcil. pro natura & ſtatu reprehendendorum. Sic reprehenſio fit α. aliquando, potius obſecrando, obteſtando, exhortando; quam directe objurgando Gen. xix. 7. *Quæſo fratres, ne committatis tantum malum.* Aliquando β. *inſinuando* ſeipſum, quaſi optando: utinam abſtineres, audires &c. Pſal. lxxxi. 14. Aliquando γ. *figuris*, ſimilitudinibus, comparationibus, in aliena perſona, prout Nathan 2 Sam. xii. 1. 2. 4. 5. & Servator reprehendens Judæos parabolis Matth. xxi. 28——33——36. Aliquando δ. *exemplificatione*, quando peccatum alterius repræſentamus & exaggeramus, ut inde reprehendendus ſuum agnoſcat. Aliquando ε. *nobis ipſis* peccatum alterius tribuendo, ut reprehendendus illud in nobis quaſi videat 1 Cor. iv. 6. aut nosipſos implicamus commiſſo peccato, v. g. ſi ego iſta facerem--quid diceres? Et hæc caute obſervanda, quo efficacius ſtringat reprehenſio. Tandem 4. *regulæ* ipſius reprehenſionis obſervandæ, quibus efficax reddatur reprehenſio ad emendationem reprehenſi. In his *prima* eſto, ut reprehenſio fiat cum α. *ſapientia* Prov. xxv. 12. qua reprehendens diligenter attendat ad ſtatum & conditionem reprehendendi, ad ejus delictum, ad reprehenſionem ſuam, ut omnibus iſtis reprehenſionem prudenter adaptet. β. *Juſtitia*, qua id operam damus, ut non tantum reprehendendum reprehenſionem mereatur, ut peccatum vere adſit; & certo etiam conſtet, & tantum etiam, ut cum reprehenſione tua congruat: ſed etiam, ut ipſe reprehendens immunis ſit ab eodem, aut ſimili vitio Jeſ. xi. 2. 3. 4. Matth. vii. 3. 4. 5. γ. *Fide* ſeu fideliter, cum reſpectu Dei, ut reprehenſio dirigatur in Dei gloriam; tum reſpectu proximi, ut intendas ejus emendationem Prov. xxvii. 6. δ. Cum παῤῥησίᾳ & juſta audacia, qua nec reſpicias perſonam reprehendendi; nec verearis ejus indignationem, iram, odium. *Secunda*, ut reprehendendum ſit *verum* peccatum, ſeu tranſgreſſio legis *divinæ*, aut juſtæ legis *humanæ*: nec grave tantum crimen; ſed levius etiam quodvis delictum Levit. xix. 11. ut certus inſuper ſis, quod vere fuerit commiſſum, nec ex conjectura, ſuſpicione, aut ex mera aliorum relatione reprehendas, quæ fallere poſſint Jeſ. xi. 2. 3. 4. ut ipſa tua reprehenſione reprehendi merearis Joſ. xxii. 16. 1 Sam. i. 14. 15. Marc. x. 13——17. *Tertia*, ut modus reprehendendi conveniat cum expectata emendatione, quod fiet, ſi perfundatur *charitate* fraterna 2 Theſſ. iii. 15. 2 Cor. ii. 4. ſi condita ſit *manſuetudine* ac lenitate Gal. vi. 1. 2 Tim. ii. 25. ſi *conſtans* ſit, quamdiu emendatio ſperari poteſt 2 Pet. i. 13. *Quarta*, ut reprehenſio inſtructa ſit argumentis ſolidis efficacibus & convincentibus, è Scriptura petitis, quo feriant conſcientiam reprehendendi Zeph. ii. 5. 2 Tim. iii. 16. *Quinta*, ut reprehenſio non ſuſcipiatur abſque precibus, ſi non ſtatis ſemper; ſaltem ejaculatoriis, ut Deus dirigat reprehendentem, & adſpiret reprehenſioni Pſal. xxxvii. 5. Neque etiam finiatur abſque eiſdem. *Sexta*, ut reprehenſio prudenter accommodetur ad qualitatem, ſtatum, temperamentum, relationem, reprehendendi, atque inſuper fiat tempore oportuno. *Septima*, ut caute attendatur ad qualitatem delicti reprehendendi, ſitne occultum, an manifeſtum: grave, an leve: ex infirmitate aut ignorantia, an ex malitia, ut pro his omnibus reprehenſio adaptetur. Hactenus prima pars converſationis cum lapſis, ea nim. quæ eſt in *reprehenſione*: ſuccedit ſecunda, quæ eſt in reprehenſionis *admiſſione*, penes quam requiritur, ut fiat א. cum *humilitate* & condeſcenſione, qua placide audias reprehenſionem, etiam ab inferiore factam Job. xxxi. 13. 1 Sam. xxv. 32. 33. ב. Cum *gratiarum actione* Pſal. cxli. 5. ג. Cum *patientia*, abſque obmurmuratione Heb. xiii. 22. ד. Cum *obſequio*, ut emendes delictum reprehenſum.

II. *Bona* converſationis hujus cum lapſis, ſpectant, ab *una* quidem *parte* ad *reprehenſionem*, qua reprehendens 1. ſatisfacit Deo ejuſque mandato Levit. xix. 17. Matth. xviii. 15. Tum 2. proxi-

mum, quantum est in se, liberat à *peccato*, à morte, à Gehenna ignis æterni Jac. v. 20. Matth. xxviii. 15. quin & à gravissimis Dei *judiciis* temporalibus Luc. xix. 41—45. Porro 3. aliis etiam *metum* incutit peccandi, eoque a peccato retrahit 1 Tim. v. 20. stertentes excitat, quasi à lethargia in peccatis 2 Sam. xii. 7. Joh. iv. 18. imo spiritualiter mortuos, velut in vitam revocat Prov. xv. 31. Insuper 4. est *medium* efficax ad generandam & augendam *sapientiam* Prov. xxix. 15. & xix. 25. Etiam 5. reprehendenti apud ipsum reprehensum, pium saltem, gratiam conciliat Prov. ix. 8. & xxviii. 23 — Est 6. opus in se præstantissimum *oleum pretiosum* Psal. cxli. 5. *margarita*, non objicienda porcis Matth. vii. 6. quo Deus amorem versus filios suos exercet Apoc. iii. 19. Heb. xii. 5. Joh. xvi. 8. Tandem 7. satisfacit conscientiæ reprehendentis, si pereat etiam reprehensus Ezech. iii. 18. eamque liberat ab exitio: ab *altera* parte, ad reprehensionis *admissionem* promptam; 1. enim est indicium *cordis* ingenui, admittere justam reprehensionem, ut patet in Davide admittente reprehensionem, ut Nathanis. Atque 2. obtinente ab eodem *gratiam*, qua admittebatur ad negotia regiminis 1 Reg. i. 23. 27. atque etiam postea Gad Propheta 2 Sam. xxiv. 11—15. quam etiam apud eum obtinebat, & quivis juste reprehendens obtinet apud reprehensum Psal. cxli. 5. atque insuper Abigail 1 Sam. xxv. 32. 33. 34. Est item 3. signum *sapientiæ* Prov. xv. 5. 31. 32. Proinde 4. cedit in reprehensi *honorem* cap. xiii. 18. Atque insuper 5. *emendationem* & utilitatem. Nec non 6. *solatium*, quod reprehensio sit medicina animæ 1 Sam. xxv. 30. 31.

III. *Adminicula* adornandæ & recipiendæ reprehensionis, sunt, à parte *reprehensionis* quidem, ut reprehensuro adsit 1. *Prudentia* sufficiens, qua reprehensionis commoda argumenta in promtu habeat non tantum; sed etiam ea pro ratione personarum reprehendendarum, aliarumque circumstantiarum, applicare & dirigere possit, à qua multum pendet successus reprehensionis. 2. *Justitia*, qua immunis sit ab eisdem & aliis delictis, quibus reprehensio à reprehenso in reprehensorem retorqueri & declinari possit, unde David justum requirit qui se reprehendat Psal. cxli. 5. Conf. Matth. vii. 5. Porro 3. *fidelitas*, qua non imperandi & insultandi pruritu; sed amore versus gloriam Dei & reprehensi bonum, reprehendat Prov. xxvii. 6. Insuper 4. *libertas*, qua, nulla reprehendendi auctoritate, potentia, odio, ira aut vindicta; nullo item metu cujusvis incommodi, absterreatur ab officio reprehensionis. 5. *Charitas* versus reprehendendum, ejusque emendationem, quæ & reprehendendo perspicua sit, quod citra eam vix & ne vix quidem admissurus sit reprehensionem, quamvis justissimam. 6. *Misericordia* versus reprehensi infirmitates, peccata, incommoda, quæ impellant ad instituendam reprehensionem Gal. vi. 1. Adhæc 7. *mansuetudo* & lenitas in reprehendendo, qua, absque odio, ira, amaritudine, occupetur in reprehendendo: quod hujusmodi perversæ passiones *non operentur justitiam Dei* Jac. i. 20. nec reprehensio sit oppugnatio 2 Tim. i. 24. 25. Tandem 8. *reverentia*, qua reprehendendi honos & respectus in reprehendendo conservetur: à *parte admissionis* & admittentis, ut reprehensio cum fructu abeat, adminicula suppetunt (1) ab *amore* sui suæque salutis, ut salubriter reprehendentem ingenue audiat, & audiendo peccata, eorumque pœnas à se avertat. (2) A *sapientia*, qua reprehensionis naturam, argumentorum reprehensoriorum pondus, usum & beneficia, assequatur. (3) Ab *obedientia*, qua reprehensioni, velut emendationis divino medio, obsequatur, aures præbeat. Tandem (4) Ἐπιείκεια, cor molle ac tractabile, qua reprehensioni cedat.

IV. *Communio* cum aliorum peccatis, opposita reprehensioni Eph. v. 3. 11. Hujus examinanda

A. *Natura*, per quam, negligendo debitam reprehensionem, aliorum peccata, cum suo reatu, in nos derivamus. Contrahitur ista communio 1. simplici *neglectu*, seu non reprehendendo, quando debebamus reprehendere Eph. v. 7. 11. Tum 2. aliis *actionibus*, quæ non raro reprehensioni substituuntur, v. g. α. *scandalo* dato, quando seu malum; seu adiaphorum committimus, quo alius ad idem perpetrandum invitatur & adducitur. β. *Jussione*, quando quis sua auctoritate & potentia alii peccandi necessitatem imponit. γ. *Consilio*, quando peccatum saltem suadet, aut dirigit in peccando. δ. *Consensu*, quo saltem non abnuit, ut peccatum committatur. ε. *Laudatione* peccati commissi, ejus defensione, palliatione, imminutione, excusatione. ζ. *Permissione*, quando illud non impedit, ubi poterat & debebat. η. *Silentio*, quando illud non manifestat, cum utiliter indicari posset. θ. *Auxilio*, quando juvat peccantem. ι. *Lentitudine*, quando pulvillos consuit cubitis peccantium, eis pacem pollicetur, aut justo frigidius reprehendit. κ. *Indulgentia*, quando non punit, ubi punire debebat, aut leviore pœna, quam par est. His omnibus, non tantum aliena *culpa* suscipitur; sed etiam ejus reatus & pœna.

B. *Mala* hujus communionis seu neglectus præcipua sunt: 1. Nos privamus omnibus beneficiis, quæ reprehensioni debitæ dudum addiximus. 2. *Deum* offendimus, ejusque iram & odium in

nos

nos concitamus. 3. Proximum lædimus, inque peccato confirmamus, ejusque pœnas aggravamus. 4. Conscientiam propriam turbamus. 5. Quasi non satis esset, propriis peccatis onustum esse, etiam aliorum peccata in nos derivamus. 6. Et eo ipso proprium reatum adaugemus, nosque divinis judiciis obnoxios facimus.

C. *Causæ* hujus communionis & neglectus sunt, ex parte quidem non *reprehendentis*, 1. naturalis *aversio* ab hoc reprehensionis officio. 2. *Ignorantia*, qua non sumus periti, qui hoc officium recte expediamus. 3. Defectus *amoris*, cum versus propriam animæ salutem; tum versus proximi. 4. *Reatus* proprius, quo, vel ejusdem, vel aliorum peccatorum culpam gerimus, adeoque veremur, ne in propriam ignominiam reprehensio in nos retorqueatur. 5. *Perfidia* in Deum pariter & proximum. 6. Perversus *metus* indignationis, odii, iræ, aliorumque malorum, quæ à libera reprehensione, à reprehenso nobis immineant: ex *parte* autem *reprehendendi*, causæ præcipuæ sunt, 1. *amor* peccati & cupiditatum carnalium, quas adeo habent in deliciis, ut non modo eas deserere nolint; sed etiam tangi & reprehendi doleant. 2. *Fiducia impunitatis*, etiam absque emendatione. 3. *Atheismus*, quo, vel Deum ignorare peccata sua; vel non curare, adeoque nec puniturum, sibi persuadent Psal. x. 11. & xciv. 7. Etiam 4. *fastus*, quo reprehensionem in sui ignominiam vergere credunt. 5. *Vilipendium* reprehendentis. 6. *Neglectus* salutis propriæ, & æternæ, & temporalis, &c.

D. *Remedia*, adversus istam communionem, suppetunt 1. à devota cogitatione *bonorum*, Christianæ reprehensionis, & *malorum* neglectæ ejusdem, & communionis cum aliorum peccatis: 3. Ab obstructione *causarum*, quibus generatur iste neglectus &c.

Caput VII.

De Conversatione cum bonis, per amorem & amicitiam.

HAbuimus conversationem cum proximo, respectu certæ *qualitatis*, eam quæ respicit *afflictos*, per consolationem, & *lapsos*, per reprehensionem; succedit conversatio cum *bonis*, per amorem & amicitiam. Hujus contemplabimur

I. *Naturam*, per quam cum bonis bene agimus, h. e. cum ipsis conversamur in charitate & amicitia. Per bonos hic intelligimus, vere *pios*, seu quos pro talibus habere tenemur, cujuscunque sint status, conditionis & ordinis. Conversatio cum his stipulatur 1. *amorem*, & fraternum quidem, cujus officia *generaliter* examinavimus *Idea Theol. moralis* lib. III. cap. II. Nimirum α. officia illa, quibus alieni reddimur ab omni ejus *læsione*, qualia sunt mansuetudo, patientia, longanimitas, placabilitas. β. Ea officia, quæ vitæ conjunctionem, seu conversationem fovent, puta, concordiam, benevolentiam, quæ conjunctam habeat comitatem, affabilitatem & æquanimitatem. γ. Officia illa, quibus incolumitas ejus defenditur, promovetur & refocillatur. Ista hoc loco tetigisse sufficerit: *specialiter* conversatio cum bonis exigit (1) *affectum* versus eos *fraternum*, qui non remissior sit versus eos, quam versus fratres *naturales* Eph. IV. 32. Rom. XII. 10. (2) *Admissionem* eorum in conversationem nostram, absque contemtu sortis eorum vilioris, absque *obmurmuratione* 1 Pet. IV. 9. eo modo, quo Christus eos & nos recipit, absque ullo respectu ad dignitatem, aut meritum nostrum. (3) *Portationem* onerum, si quibus graventur, ut *legem Christi adimpleamus* Gal. VI. 2. sive onera illa sint *interna*, infirmitates, imperfectiones, tentationes; sive *externa*, seu afflictiones qualescunque. (4) *Observationem* eorum, *ad excitationem amoris & bonorum operum* Heb. X. 24. *Observationem* inquam, qua attendamus ad eorum statum, defectus, infirmitates, dona &c. ut his omnibus congruenter cum eis agamus: & *excitationem* ad bona opera, adhortatione, exemplo, aliisque huc valentibus omni modo. (5) *Fidelitatem*, per quam, omne quod *cum* eis agimus, aut *pro* eis, ingenue & absque fuco, perinde contendat in eorum emolumentum, ac in nostrum proprium, aut in fratrum 3 Joh. vs. 5. (6) *Communicationem* donorum & bonorum nostrorum, in eorum usum & commodum, tam corporale, quam spirituale 1 Pet. IV. 10. 1. Cor. XIV. 26. Præter hunc amorem ejusque officia, conversatio cum bonis stipulatur 2. *amicitiam*, quæ cum bonis quidem est colenda; sed non omnibus, verum cum quibusdam, ex pluribus prudenter selectis, qualis fuit inter Davidem & Jonathanem. Est autem amicitia, amor mutuus, seu reciprocus, nec coire potest nisi inter plures, qui sibi officia amoris reciprocant, eosque *bonos* tantum, alias degeneratura in societatem malignantium, aut etiam conjurationem. *Actus* ejus præcipui sunt, 1. *Communicatio*, qua amicus cum amico conversans, ei abditissima sua velut in sinum effundit, unde amici, *viri secreti* appellantur Job. XIV. 19. Psal. LV. 14. 15. eaque reciproca. 2. *Consultatio* in rebus ambiguis. Ibid. Prov. XXVII. 2. Porro 3. *desiderium* mutuæ præsentiæ & societatis 2 Sam.

XIX. 33. 3. *Coambulatio* & in ea confabulatio mutua Amos. III. 3. Insuper 4. *visitatio* familiaris, qualis inter Elisabetham & Mariam obtinebat Luc. I. 40. Etiam 5. *convivatio* amica Psal. XLI. 9. Tandem 6. *amplexus* mutui, oscula charitatis, salutationes, aliaque id genus signa amoris mutui, ut inter Davidem & Jonathanem 1 Sam. XX. 45. item Davidem & Barcilæum 2 Sam. XIX. 39.

II. *Bona* hujus conversationis cum bonis, coacervat Psalmus CXXXIII. Est 1. mire *pulchra* vs. 1. הנה מא סוב *ecce quam bonum* seu pulchrum est! scil. propter συμμετρίαν & harmoniam, καλὸν θέαμα. Est 2. admodum *jucunda*: *quam jucundum*, dulce, suave, conversari cum fratre, in amore & concordia! Psal. LV. 15. scil. ut *oleum optimum* המוב שמן, fragantissimum oleum, quo inungebatur Aaron, item Reges, quo convivas olim solebant inungere, ut exhilararent, non tantum unctos: sed & circumstantes: ita bonorum conversatio &c. Est 3. *utilissima*, fœcundans quævis, cum spiritualia; tum corporalia, sicut *ros Hermonim* vs. 3. Imitatur 4. nostram conversationem cum Deo, imo & conversationem Dei nobiscum. Confer lib. II. de ambulatione nostra cum Deo. Habet 4. promissionem *benedictionis* divinæ vs. 3. Deus enim mandat &c. Est 5. omnino *necessaria*, & Ecclesiæ, & Reipublicæ, & bonis omnibus, ut bene boni cum bonis conversentur: huc enim omnes leges, cum sacræ; tum civiles contendunt.

III. *Adminicula* promovendæ huic conversationi, suppetunt 1. *generaliter* ab *amore* mutuo bonorum, ab eis potissimum officiis, quæ nos alienos præstant ab omni læsione proximi, qualia sunt, mansuetudo, patientia, longanimitas, condonatio injuriarum: item ab eis, quibus conjunctio vitæ fovetur, concordia, benevolentia, comitate, affabilitate, æquanimitate, etiam ab eis, quibus proximi bona defendi, promoveri & refocillari, jam dudum diximus: *specialiter* 2. ab eo, ut *boni* simus quo & boni delectentur nobis, & nos ipsis: neque enim est, quod efficacius conciliet amicitiam, quam similitudo morum. 3. Ut simus ὁμόψηφοι opinionibus, studiis, quantum scil. ad *necessaria* Rom. XV. 5. 6. dum in non necessariis, mutuas infirmitates toleramus 1 Cor. I. 10. Phil. II. 1. 2. 3. Tum 4. studiose sectemur, quæ ad pacem faciunt Eph. IV. 2. 3. 4. Psal. XXXIV. 15. Insuper 5. ut tegamus per charitatem aliorum *infirmitates* 1 Pet. IV. 8. Prov. X. 10. Tandem 6. ut etiam pro re nata, confiteamur alii aliis peccata Jac. V. 16. id quod iram efficacissime frangit.

CAPUT VIII.

De Conversatione cum malis & inimicis.

SUccedit in genere conversationis cum hominibus certæ *qualitatis*, conversatio cum *malis* & cum inimicis, qui respectu bonorum semper mali sunt, aut malam causam tuentur. Hujus consideranda

I. *Natura*, per quam, conversationem nostram cum malis, ita instituimus, ut vergat in eorum commodum. Quod fit 1. declinando, quantum per religionem, justitiam & charitatem fieri potest, omnem non necessariam familiaritatem & conversationem cum eis Psal. I. 1. 1 Cor. VI. 17. II. Prov. XXIII. 20. & IV. 14. ad hoc ut pudefiant 1 Thess. III. 14. Tum 2. enitendo in ejus *emendationem*, quod fiet α. *generaliter* prudenti & amica reprehensione, quam descripsimus *capite præced.* β. *Specialiter*, si coneris immunis esse, vel à *suspicione* ejusdem aut similis peccati, alias omnes tui conatus in cassum erunt, quod impiis in more sit, continuo retorquere sibi objecta. Si γ. circa res religionis, cum errante aut hæretico occupatus, non nisi *reverenter* & cum timore sacra tractes: neque enim est quod magis profanos confirmet in perversis suis opinionibus, quam temerariæ & profanæ contentiones 1 Pet. III. 17. Prov. XXIV. 26. Si δ. cum mansuetudine, humanitate & modestia cum eo agas, ut persuasus sit, te, non livore, aut dominandi cupiditate; sed pietate versus Deum, & puro amore versus ejus salutem, sic cum eo agere. Si ε. non indulgeas nimiæ credulitati, ut ex incertis rumoribus, aut vana suspicione, ejus vitia taxes. Neque ζ. nimis facilis sis ad conversationem cum eis impiis qui sunt *extra* Ecclesiam 1 Cor. V. 13. Quin & η. magis intentus sis propriis, quam aliorum negotiis, tua cures placide 1 Thess. IV. 11. 12. sic declinaturus varias occasiones contendendi ac disceptandi temere cum malis. 3. *Condonandi*, si nim. cum quo agis, agnoscat quod te *injuria* quavis affecerit, tum enim, ex præscripto Christi, ea injuria condonanda ei est Matth. XVIII. 21. 22. Quod alias à Deo non consequamur remissionem peccatorum nostrorum: atque insuper æquissimum sit, ut nos condonemus, cum Deus nobis tot ac tanta condonaverit, & condonet indies. Condonandæ autem ei sunt injuriæ, non ore tantum; sed corde quoque Matth. XVIII. 35. penitus obliviscendo injuriam illatam, scil. quemadmodum Deus nobis condonat peccata nostra Matth. VI. 12. Jer. XXXI. 34. Idque non semel

tantum

tantum aut ſepties; ſed ſeptuagies ſepties. 4. *Reconciliando*, ſi inimicitia ſit *privata* inter privatos, aut ſi inimicitia teneat ab utraque parte, aut ſi eadem obtineat ab alterutra parte, quæ non agnoſcit, ſe ei anſam præſtitiſſe. Tum redintegratio tentanda, cum ab utraque parte, ſi incertum ſit, à qua parte inimicitia ortum habuerit, aut, ſi ab una tantum exſtiterit inimicitia; tum ei quærenda primo reconciliatio: ſi pars offendens offenſam non agnoſcat, nec reconciliationem quærat; tum pars offenſa condeſcendere debeat, quo reconciliatio obtineatur. Hic autem requiritur, α. ut pars utraque ſe reconciliabilem præſtet, quærendo reconciliationem. β. Ut pars offenſa, quæſitam à parte offendente, poſt agnitam offenſionem, & petitam remiſſionem, promte admittat. γ. Ut pars offenſa etiam, pro re nata, condeſcendendo, & à ſtricto jure ſuo aliquid remittendo; reconciliationem omni modo ſectetur. δ. Ut facta reconciliatione, omnem memoriam priſtinæ inimicitiæ, aut illatæ injuriæ deponant, ſibique invicem quodvis amicitiæ officium conferant. 5. Obſervando ἐπιείκειαν Chriſtianam, ſi quando ad *proceſſum* judicialem inimicitia pertigerit, prout etiam apud Chriſtianos, legitime fieri quandoque poteſt Exod. XVIII. 14. 15. 16. Rom. XIII. 4. Tum obſervanda eſt ἐπιείκεια, (1) ut non facile ad proceſſum veniatur, in caſu meræ *injuriæ*, utpote quæ condonanda eſt. (2) In caſu autem illati aut imminentis damni in bonis externis, ad proceſſum non deſcendatur, niſi quando quævis alia fruſtra tentata ſunt: eſt enim proceſſus quaſi bellum aliquod privatum, cui declinando, quævis tentanda ſunt. (3) Ut ad proceſſum non prorumpamus, ex leviori quavis cauſa; ſed ex gravi tantum 1 Cor. VI. 2. 7. (4) Ne inter procedendum, proximi damnum ullo modo intendamus; ſed hoc tantum, ut *jus* noſtrum tantum obtineamus. (5) Ut nihilominus animum amicum, imo & officia amicitiæ, verſus invicem exerceamus. (6) Ut inter procedendum, nos ſententiæ judiciali placide ſubmittamus, & abſque omni vindictæ cupiditate in ea acquieſcamus 2 Paral. XIX. 6. Prov. XVI. 10. Tandem 6. *belligerando*, ſi inimicitia publica ſit. Hic ante omnia, variæ bellorum ſpecies caute ſunt tenendæ; eſt α. bellum *offenſivum*, quod non intendit, niſi læſionem, ut ex ea tibi aliquod emolumentum pares: hoc bellum, non obſtante quovis prætextu illicitum, nec aliud quam latrocinium eſt. β. Bellum *defenſivum*, quod non intendit, niſi ſui ſuorumque conſervationem: hoc omnino licitum eſt, obſervatis obſervandis, quod ſeipſum ſuoſque adverſus aggreſſionem defendere, cuivis juri conſentaneum ſit. γ. Et bellum *vindicativum*, quo ab illatis ſibi aut ſuis malis, Magiſtratus ab inferentibus, juſtas pœnas exigit: & hoc licitum eſt pro re nata. Bellum ab utraque parte juſtum eſſe nunquam poteſt; poteſt tamen ab utraque parte injuſtum eſſe. Ut igitur ab una ſaltem parte juſtum ſit, exigitur A. ut juſta ſit ejus *cauſa*, h. e. non levior quævis injuria; ſed atrox, quod bellum ſit inter mala triſtia atrociſſimum: neque atrox etiam ſufficit, niſi quævis antea tentaveris ei declinando Deut. XX. Jud. XX. B. Ut juſta geratur *auctoritate*, h. e. publica aut publicæ æquipollente, & ſuprema quidem: niſi in caſu puræ defenſionis neceſſariæ. C. Juſta *intentio*, qua bellum eo intendatur, ut æqua pax obtineatur: neque ex perverſo affectu, ira, odio ſuſcipiatur. D. Juſtus agendi *modus*, quo non tantum generaliter nihil agatur contra legem Dei; ſed nihil etiam, quod non ſit neceſſarium, ad juſtum finem belli obtinendum. E. Ut innocentibus, quantum fieri poteſt, parcatur. F. Ut bello operam nemo addicat, quod injuſtum cenſet, proinde abſque debita ejus exploratione. G. Ut ἀταξία bellis familiaris, apud milites, quantum fieri poteſt, evitetur.

II. *Bona* Chriſtianæ converſationis cum malis, 1. *generaliter* ſunt, quod egregie conducat ad emendationem mali, qua lucrificetur Deo, ejuſque anima ſervetur æternum. Hactenus etiam 2. ad glorificationem Dei. Inſuper 3. ad tranquillitatem & gaudium conſcientiæ; *ſpecialiter* N. *evitatio* converſationis non neceſſariæ aut utilis, quod eam α. Deus exigat Prov. IV. 14. 15. & IX. 6. 2 Theſſ. III. 6. 1 Cor. V. 11. 2 Cor. VI. 14. β. Converſatio cum malis non neceſſaria, periculum præſentiſſimum adducat ſeductionis, etiam optimis Pſal. CXLI. 4. γ. Etiam communionis cum eorum peccatis. Inſuper δ. juſtam aliis ciet ſuſpicionem, & te malum eſſe: noſcitur enim ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. Adhæc ε. in anguſtiam te conjicit, ut vel Deum offendas; non ſatis libere malos reprehendendo; vel malos ſi reprehendas ut par, eoque tibi concites eorum odia, iras, inſidias, infectiones, ut patet in Lothi converſatione cum Sodomitis. Non addam ζ. quod Deus ſubinde bonos affligat cum malis, ſi cumprimis eorum familiaritatem declinare noluit Apoc. XVIII. 4. ג. *Condonatio* & reconciliatio cum inimico, hoc habet, quod (1) nos aſſimilet Deo & Chriſto, qui nobis tot tantaque condonarunt, qui nos ſibi reconciliavit per ſanguinem unigeniti filii ſui, quodque nos aſſimilet ei, in hac *præcipua* ejus perfectione Matth. V. 44. cum vſ. 4. 8. *Eſtote perfecti ſicut* —— (2) Conciliat nobis condonationem & reconciliationem cum Deo, qui citra eam non vult nobis condonare Matth. XVIII. Etiam (3) non certos reddit impetratæ dudum condonationis, eoque conſcientiam inde reddit pacatam ac tranquillam. Inſuper (4) novum nobis conciliat amicum, ejuſque benevolentiam & officia reciproca. ד. *Proceſſum* judicialem & *bellum*,

lum, in casu extremæ necessitatis, suadet potissimum amor versus nos nostrosque, si modo secundum moderamen inculpatæ tutelæ, aliasque leges, dudum datas, suscipiatur.

III. *Adminicula* bonæ istius conversationis cum malis, suppetunt 1. à *reverentia* versus voluntatem Dei exigentem. 2. Ab amore versus *proximum* malum, ut emendetur ac servetur æternum. 3. Ab amore versus *nosipsos*, tam quoad spiritualia, quam corporalia: quatenus nobis propitium reddit, & Deum & proximum. Conducit etiam 4. si sectemur conversationem cum *bonis*: quod ea, non tantum desuescamus à conversatione cum malis, sed etiam peritiam consequamur conversandi cum malis. Adminicula, quæ peculiariter nos forment ad condonationem, & ad reconciliationem; suppetent, cum à cogitatione *bonorum*, quæ singulas sequuntur; tum à diligenti contemplatione *naturæ* earundem.

Caput IX.

De Conversatione mutua inter superiores, inferiores & æquales.

ET sic tandem pertingimus ad eam conversationem, quæ proximum observat, sub certo ordine & *relatione*, superioris, inferioris aut æqualis. Officia igitur, pro ratione *relationis*, quam sustinent ad se invicem, varia sunt, v. g. Mariti ad conjugem, & vice versa; item parentum ad liberos, Dominorum ad servos, & viciſſim &c. Singula horum singulis capitibus expedienda forent; ast quia brevitatis studium hoc non permittit, omnia conjunctim hoc uno capite expediemus, ac dicemus;

I. *Naturam*, per quam hæc conversatio exigit, ut ad relationem cuique peculiarem, caute attendamus, & pro cujusque relatione, cuivis officia nostra dispensemus. Respiciunt autem istæ relationes statum, vel

א. *Æqualem*, qui eadem exigit officia ab utraque parte, nim. officia communis justitiæ, charitatis, nominatim *honoris*, quo dignitas cuique competens, agnoscitur & testificatur. Est enim in quovis homine aliqua *dignitas*, per quam ad minimum *homo* est, & imaginem divinam gerit, licet ea in uno major existat quam in alio, in uno æqualium, major v. g. sapientia, justitia, quæ ex præscripto divino pariter & ex natura rei, est agnoscenda & testificanda pro re nata, ore & opere Rom. XII. 10. 1 Pet. III. 7. & cap. II. 17. Eph. V. 2.

ב. *Inæqualem*, inter superiores & inferiores, quoad statum

α. *Oeconomicum* inter domesticos, ubi potestas maritalis vergit ad *æqualem*, ubi officia inter maritum & uxorem, quoad essentiam sunt æqualia; ita tamen, ut differentia illa gradus, inter maritum & uxorem, qua vir præest, uxor obsequitur, in omnibus istis observetur 1 Pet. III. 7. 1 Cor. XI. 8. 9. 10. sunt enim maritus & uxor, una *caro*, adeoque œconomice, unus homo. Hinc sibi mutuam benevolentiam præstare tenentur 1 Cor. VII. 2. 9. Peculiariter hic notanda officia

A. *Mariti* versus uxorem, quatenus ejus caput est, nim. 1. ut se gerat versus uxorem, velut ejus *caput* Eph. v. 23. velut *Dominum* Gen. XVIII. 12. Ut 2. eam diligat, velut propriam carnem, velut alteram sui partem Eph. v. 25. Ut 3. eam *dirigat*, cum prudentia & æquanimitate, velut Dominus. Ut 4. eam *defendat*, velut proprium corpus. Ut ei 5. *prospiciat* de necessariis, non tantum sibi; sed & toti familiæ: ad hoc panem lucretur in sudore faciei suæ Gen. III. 19. Ut 6. ei, velut imbecilliori vasi, suum *honorem* præstet 1 Pet. III. 7. nec se ei amarum præbeat Col. III. 19. Huc cogitet, α. se Dominum esse & caput uxoris, cui talia competunt. β. Uxorem esse suam *carnem*, alteram sui ipsius partem. γ. Se *Christianum* esse, cui competat, vestigia Christi & in hoc premere Eph. v. 22. 23. qui Ecclesiam, ut sponsam suam dilexit. Ibid. δ. Quicquid uxori præstat, hoc sibi præstare, ac toti suæ familiæ. ε. Eam hoc pacto, sibi commodius futuram in auxilium & obsequentiorem, cum magna sui, & corporis, & animi voluptate, pace, tranquillitate.

B. *Uxoris* versus maritum, nim. 1. ut eum *veneretur*, velut caput & Dominum. 2. Ei *subsit*, ejus præscripta bona placide audiat & admittat, non dominetur, sed sileat. Ut 3. in rem familiarem fideliter *attendat*, sua cuique domesticorum pensa prudenter distribuat Prov. XXXI. 13. 15. Ut 4. marito fidelis sit, quoad *pudicitiam*. Ut 5. eidem in omnibus *adjutorium* præstet, & placere studeat. Quo autem promtior sit ad ista officia, cogitet,

(1) vo-

(1) Voluntatem & *ordinationem* Dei. (2) Statum & *relationem* ad maritum velut ad caput ſuum. (3) *Benevolentiam*, quam ſibi iſtis officiis paratura ſit apud maritum. (4) *Beneficia*, quæ collatura ſit in univerſam familiam & œconomiam (5) *Dulcitiem* & ſuavitatem, quæ inde oboritura ſit vitæ conjugali. (6) *Spem converſationis* & emendationis proximi, per ſanctum exemplum 1 Pet. III. 1. (7) Exempla ſanctarum uxorum, Saræ aliarumque. Ibid. vſ. 1——7.

C. *Parentum* verſus liberos, quæ reſpiciunt liberorum vitam, 1. *naturalem* ut eos educent 1 Tim. v. 10. Ruth. IV. 11. ut Matres natos, ſi fieri poteſt, propriis uberibus alant Gen. XXI. 7. Luc. XI. 27. Tum 2. *civilem*, ut ipſis α. de ſufficiente & commodo *alimento* & *indumento* proſpiciant Matth. VII. 9. β. De honeſta vitæ *occupatione* eis tempeſtive conſulant Prov. XXII. 6. ipſis ad hoc magiſtros quærant honeſtos & peritos, à quibus ad artificium, pariter & bonos mores formari queant. Item γ. de honeſto *conjugio* Jer. XXIX. 6. 1 Cor. VII. 26. 38. 39. Tandem 3. *ſpiritualem* Eph. VI. 4. Deut. VI. 6. 7. Ut tempeſtive dedicentur Deo per Baptiſmum Gen. XVII. 20. Ut adhibitis omnibus mediis efficaciſſimis, v. g. inſtitutionibus, monitis, exemplis, precibus, cultu Dei publico, privatis catechizationibus &c. efformentur ad veram pietatem. Ad iſta officia Parentes permovere & promovere debent (1) *Auctoritas* Dei, quæ præſcripſit ea, ejuſque gloria, eis egregie propaganda & promovenda Pſal. XXII. 31. & VIII. 3. (2) *Juſtitia*, quam cuivis proximo, imprimis liberis, ſibi proximis, velut ſui partibus, debent. (3) *Charitas* naturalis, στοργή, quam non ethnici tantum; ſed ipſa bruta quoque, ſuis natis præſtant, & multo magis homines Chriſtiani; quam etiam certius demonſtrare non poſſunt, quam dictis officiis. (4) *Solatium* & gaudium proprium, quod concipient ex liberis bene educatis Prov. X. 1. & XXIII. 25. (5) *Benedictiones*, etiam temporales, quas à pia educatione liberorum ſuorum, in omni caſu, exſpectare à Deo poſſunt 1 Tim. IV. 8. Pſal. CXXVIII. 1. (6) *Officia pietatis*, quæ à pie educatis liberis, ſibi olim in ſenectute, polliceri poſſunt. (7) *Signum* gratiæ ſalutaris, Parentibus ſuppetet, à pia educatione liberorum ſuorum. (8) *Spes* Eccleſiæ & Reipublicæ multum fulcitur pia liberorum educatione. Juvabunt etiam & promovebunt ſucceſſum officiorum, ſi Parentes A. tueantur *auctoritatem* ſuam paternam, ne flacceſcat apud liberos, nimia *indulgentia*. B. Liberis in pietate præluceant ſuis *exemplis*. C. Scholis eos tempeſtive committant & Eccleſiis. D. *Precibus* fervidis eos aſſidue commendent Deo, ut ipſe ſuis officiis adſpiret ſua benedictione: nec tamen, ſi ſucceſſus non ſtatim reſpondeat ex voto, vel flacceſcant in officio; vel animum deſpondeant.

D. *Liberorum* verſus Parentes officia exigunt 1. generaliter *honorem*, ex præſcripto quinti præcepti, quo non niſi reverenter eos compellent, eos audiant Job. XXIX. 21. Gen. XLIX. 2. quo nihil omnino committant, quod vergit in eorum vilipendium Prov. XXIII. 21. quo, adverſus obtrectatores quoſvis, honorem eorum pro virili defendant, quod horrendum ſit peccatum, parentum contemptum ferre Prov. XXX. 17. Deut. XXVII. 6. Tum 2. *obedientiam* Eph. VI. 1. Col. III. 20. qua *mandata* Parentum prompte audiant, ac cito ac fideliter exſequantur Prov. II. 1. 1 Sam. XVII. 17. qua *inſtitutiones* placide admittant Prov. I. 8. & XIII. 1. non ogganniant: qua eorum *caſtigationes* patienter ferant Heb. XII. 9. Prov. XXIX. 17. Porro 3. *gratitudinem* 1 Tim. V. 4. Gen. XLIX. 11. 12. qua ipſis conentur eſſe in *gaudium* Prov. XV. 10. Gen. XLIV. 30. 31. 32. 33. id omne cavendo, quod eorum triſtitiam cieat: qua *compenſationem* præſtitorum beneficiorum, quavis occaſione, intendant 1 Sam. XXII. 3. 4. Ruth. II. 18. qua parentum honeſtam funerationem procurent, eorum debita ſolvant, quantum poſſunt Gen. XXV. 9. & XXXV. 22. Denique 4. *patientiam*, qua eorum infirmitates placide ferant Prov. XXIII. 22. Gen. IX. 22. Eo quod cuncta illa (1) Deo *placeant* Col. III. 20. (2) *Juſta* etiam ſint in ſe Eph. VI. 1. Quod (3) hoc pacto benedictiones parentum ſibi comparent. (4) Neglectu ſuorum officiorum, maledictionem divinam ſibi concitent, & graviſſima ejus judicia Deut. XXVII. 6. Prov. XXX. 17. Quod (5) iſta officia cedant in proprium honorem & emolumentum &c.

E. *Dominorum* verſus ſervos, officia exigunt, ut 1. non niſi *bona*, juſta, rationi conſentanea *præſcribant*, nec dominium in eos exerceant cum truculentia Levit. XXV. 43. Eph. VI. 9. Exod. I. 13. 14. Ut 2. ſervos & ancillas placide reprehendant & corrigant, ſi committunt quod malum eſt 2 Reg. V. 26. Prov. XXIX. 9. Ut 3. ipſis in ſuis infirmitatibus, morbis ſuccurrant Matth. VIII. 6. 1 Sam. XXX. 13. Ut 4. attendant eorum animabus, & æternæ eorum ſaluti, eoque, non tantum privatim erudiant pro virili in rebus religionis; ſed & publicorum ſacrorum, imprimis diebus Sabbathi, uſum permittant & commendent Deut.

v. 14. Act. x. 33. Et ut hæc efficacius possint, (1) non admittant in familiam, nisi honestos & pios Psal. ci. 6. Act. x. 7. (2) Mercedem admissis ipsis addictam, fideliter solvant, & in omnibus, pro Christiana ἐπιεικείᾳ cum ipsis agant Prov. xxxi. 15. & xxvii. 27. Eph. vi. 9. (3) *Licentiam* nimiam agendi pro lubitu, nunquam ipsis permittant Prov. xxix. 21. & xxx. 22. eoque suam auctoritatem tueantur. Adeoque (4) *correctiones* necessarias non negligant. Huc (5) cogitent serio, sibi de istis officiis, præstandam aliquando esse rationem supremo Domino, & suo, & eorum Col. iv. 1. Eph. vi. 9.

F. *Servorum* & ancillarum, versus Dominos & Dominas suas, nim. 1. Ut eis se *subjiciant*, quavis reverentia & timore 1 Pet. ii. 18. Eph. vi. 5. Ut 2. eis debitam *reverentiam* absque ullo vilipendio ubique præstent 1 Tim. vi. 2. 2 Reg. ii. 16. Ut 3. *obedientiam* debitam ipsis adhibeant, prompte præstando bona sibi præscripta Eph. vi. 5. Col. iii. 22. Ut 4. *fidelitatem* suam ubique, *verbis* pariter & *factis* patefaciant Tit. ii. 10. Prov. xi. 13. Gen. xxxi. 38. 39. id omni cura observando, quod spectat in commodum rei familiaris. Idque 5. non in eorum tantum *præsentia*, μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλείαις, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι; ἀλλ' ἐν ἁπλότητι καρδίας, *non in oculorum servitiis, quasi hominibus placentes*—Col. iii. 22. Et quo hæc officia promptius præstent, cogitandum ipsis, α. quod hoc ipso, non hominibus tantum; sed & Deo & Christo serviant; ejusque doctrinam exornent Tit. ii. 10. si cumprimis præstent, ideo præcise, quia sic Deus vult, quo obedientia divina, & religionis officia fiunt Coll. iii. 23. β. Quod à Deo mercedem certo certius olim sint consecuturi. Ibid. vs. 24. Eph. vi. 7. Quod γ. benevolentiam Dominorum suorum eo sibi paraturi Matth. viii. 6. 8. 9.

β. *Politicum*; qui habet officia

1. *Magistratus*, versus 1. *seipsos*, ut α. veram *fidem* habeant & profiteantur ingenue Jes. xlix. 23. Ezech. xlvi. 10. Ut β. *vitam* ducant *piam*, non legibus tantum *civilibus*; sed & *divinis* consentaneam Psal. cxix. 128. Exod. xviii. 21. subditis in exemplum. Ut γ. *regimen* suum dirigant ad præscriptum legum divinarum 1 Reg. ii. 3. Deut. xvii. 18. 19. Versus 2. *Ecclesiam*, ut (1) *curam* gerant cultus divini publici, qua ei de commodis locis, temporibus, prospiciatur: imprimis de sanctificatione Sabbathi Neh. xiii. 19. 2 Reg. xi. 7. 1 Tim. ii. 2. (2) *Auctoritatem* suam impendant, ut subditi sui ad cultum divinum adigantur 2 Paral. xxxiv. 33. Esd. vii. 26. (3) Ut ad *ministerium* Ecclesiasticum evocentur, & evocati commode sustententur, viri idonei, docti, pii 2 Paral. xix. 7. (4) Ut ipsi cultui divino, suis in exemplum, assidue & reverenter interfint Ezech. xlvi. 10. Psal. cxxii. 1. & lxxxiv. 11. Versus 3. *hæreses* & profanitates, ut sua auctoritate, omni modo legitimo, compescant & obstruant 2 Paral. xxxiv. 33. 2 Reg. xviii. 4. Prov. xx. 8. Nec tamen quemquam ad professionem veræ religionis cogant, licet interim sua potestate, errantibus auctores esse possint, ut mediis utantur, quorum ope ad veram fidem pertingant 2 Paral. xxxiv. 33. 2 Reg. xxiii. 3. Nominatim vigilent adversus *Papatum*, quia non tantum *idololatriæ* & *superstitionis* compendium est, cui intercedere debet magistratus fidelis Jes. ix. 8. sed & suo regimini politico, sua tyrannide & regicidiis est exitiosus Apoc. xvii. 6. & xviii. 24. Versus 4. *subditos* suos, nim. ut A. eos sincere *diligant*, prout Patres solent filios. Ut B. eis *prospiciant* de necessariis quibusvis, tam spiritualibus; quam temporalibus. Ut C. eos *defendant* adversus quasvis injurias, damna &c. Ut D. eos *regant* legibus justis & æquis. Ut E. non nisi bonos & idoneos officiis admoveant Psal. ci. 6. Exod. xviii. 21. F. *Impiis* sua auctoritate potenter obnitantur Psal. ci. 4. 7. 8. Job. xxix. 17. Ut G. *justitiam* omnibus absque studio partium, exerceant Levit. xix. 17. Exod. xxiii. 3. Prov. xvi. 12. Ut H. *curent* ea, quibus subditi sui *tranquillam* & pacatam vitam cum omni pietate ducant, mala puniendo 1 Tim. ii. 2. Rom. xiii. 4. Et quo hæc omnia promptius agant; cogitandum ipsis, (1) se omnem suam dignitatem auctoritatemque à Deo possidere, eique rerum gestarum rationes esse redditurum Rom. xiii. 1. (2) Se *Patres* esse suorum subditorum, eoque affectum paternum versus eos repræsentare debere. Nec (3) absque eis officiis *dignos* esse, qui suam stationem obtineant, aut à suis honorentur convenienter. Se (4) suorum officiorum neglectu, Reipublicæ, pro salute, exitium procurare, ejusque rodentem conscientiam sibi contrahere &c. Et quo possint etiam istis suis officiis feliciter fungi; suoque regimine exoptatum successum conciliare; conducent hæc adminicula, si α. verbum Dei, velut sui regiminis tutissimam normam, sibi ob oculos habeant Jos. i. 8. Psal. cxix. 24. si β. non propriis viribus, aut sapientiæ innitantur; sed solis Dei auxiliis Psal. cxxxiii. 16. Jer. xvii. 5. Psal. cxxiii. 2. Si proinde γ. à perversis consiliis & mediis sibi solicite caveant Psal. cxxv. 5.

& ix.

& IX. 17. Si δ. *impios* eradicare ſatagant, ob quos Reſpublica punitur Pſal. CI. 8. Hoſ. IV. 1. 2. Si ε. ad clavum non eligantur, niſi viri pii, honeſti, prudentes & qui procul ſunt ab avaritia Exod. XVIII. 21. Aut, ſi magiſtratus ſit ſucceſſivus, ζ. Id accuretur, ut ſucceſſurus tempeſtive ac diligenter efformetur ad pietatem, prudentiam ac virtutem Prov. XXXI. 1——

2. *Subditorum* verſus Magiſtratum, ut 1. ei debitum *honorem* & reverentiam præſtent, nec male de eis loquantur Rom. XIII. 7. Jud. vſ. 8. Ut 2. obedientiam & ſubmiſſionem, in omnibus quæ juſta ſunt, ei non ſubtrahant Rom. XIII. 1 Tim. III. 1. Act. IV. 19. Dan. III. 18. Ut 3. *fidelitatem* ei ſervent, juxta juramentum ei præſtitum, etiam adverſus ei imminentia pericula moneant Pſal. CI. 6. Jud. XI. 10. & XVI. 2. Ut 4. *tributa* & vectigalia fideliter ipſis perſolvant Rom. XIII. 7. Matth. XXII. 21. Ut 5. ei in defendenda Republica, ſuis fortunis, viribus & ipſo etiam ſanguine, pro re nata, efficaciter ſuccurrant Jud. V. 18. Ut 6. *preces* ſuas pro ejus & Reipublicæ ſalute ac proſperitate, ipſi non ſubtrahant 1 Tim. II. 1. 2. Jer. XXIX. 7. Et ut hæc officia promptius expediant, ſerio cogitanda, quæ Apoſtolus in hanc rem coacervat Rom. XIII. Nim. α. eſſe hanc Dei *voluntatem* vſ. 1. β. Non eſſe Magiſtratum niſi *à Deo*. Ibid. γ. ut qui ei obnititur; obnitatur Deo ejuſque διαταγῇ vſ. 2. Proinde δ. ſibi ipſi *judicium* attrahat. Ibid. ε. Magiſtratum conſtitutum eſſe ad *metum*, non *bonis* operibus vſ. 3. Sed ζ. *malis* tantum. Ibid. Ex adverſo η. *laudem* & præmia imminere bonis operibus. Ibid. Eſſe θ. Magiſtratum Dei *miniſtrum* vſ. 4. Et quidem ι. *tibi in bonum*. Ibid. Aſt κ. ſi malum feceris, in juſtum *vindicem*. Ibid. Ad hoc λ. *gladio* armatum eſſe à Deo. Ibid. Proinde μ. *neceſſarium* eſſe, ei ſubjici, non propter *pœnam* tantum; ſed & propter *conſcientiam* vſ. 5.

γ. *Eccleſiaſticum*, qui habet officia

א. *Præfectorum* verſus auditores, nim.

1. *Paſtorum* verſus oves. Ut 1. in omnibus partibus miniſterii ſui, ſe *præſtent*, *fideles*, laborioſos, conſtantes, prudentes Col. IV. 16. 2 Tim. IV. 2. Luc. IX. 62. Ut 2. prudenter *diſtinguant bonos* à *malis*, ut cuique convenienter ſuo ſtatui, media ſalutis poſſint diſpenſare Jer. XV. 19. & XXIII. 14. 15. 17. Ezech. XIII. 18. 22. Ut 3. in converſatione cum ſuis auditoribus, quantum fieri poteſt, *pacem ſectentur* Mal. II. 6. Act. II. 1. Ut 4. præſtando, quæ alios docent, ſuo exemplo ſuis præluceant 1 Tim. IV. 12. 1 Pet. V. 3. Matth. XXIII. 3. 4. Plura hujus generis habes Theol. lib. VII. cap. 2. §. XLIV. XLV.

2. *Presbyterorum* gubernantium, ut 1. præ reliquis Eccleſiæ membris, *vitæ* ſint probatæ ac piæ Act. XX. 28. 1 Pet. V. 3. 1 Tim. III. 1——5. Ut 2. *curam* gerant Eccleſiæ ac ſingulorum ejus membrorum, quin & Paſtorum Act. XX. 28. 1 Cor. XII. 28. Ut 3. omnibus negotiis Eccleſiæ, quæ ſpectant ad ejus bonum, etiam viſitationi ægrorum, ſe gnaviter impendant Jac. V. 14. Ut 4. concionatoribus ſint ab *auxiliis* (ſicut olim Levitæ Sacerdotibus, à quo etiam in primitiva Eccleſia *Levitæ* appellabantur) eorumque honori & famæ pro virili patrocinentur 1 Tim. V. 17. 1 Theſſ. V. 13.

3. *Diaconorum*. Ut 1. ſibi *ſuæque vitæ* attendant, quo ſint *honeſti*——1 Tim. III. 8. Act. VI. 3. Attendant 2. *pauperibus*, ut cuique ſuccurrant pro *ſua indigentia*, non ratione corporis tantum; ſed etiam animæ. Ut 3. eleemoſynas *colligant fideliter* Act. V. 34. Et 4. diſpenſent ἐν ἁπλότητι Rom. XII. 8. De quibus & alibi diximus.

ב. *Auditorum* & ſubjectorum verſus præfectos, imprimis Eccleſiaſtas, ut 1. conentur Eccleſiæ *proſpicere* de paſtoribus & anteceſſoribus, qui ſint α. probatæ *vitæ* 1 Tim. III. 2. 3. β. *Docti* & διδακτικοὶ Tit. I. 9. 1 Tim. 2. γ. *Famæ* honeſtæ, non apud eos tantum, qui ſunt *intra* Eccleſiam; ſed & *extra* eam 1 Tim. III. 7. & IV. 12. δ. *Zelotes* ac fervidi pro ſuorum ſalute 2 Tim. IV. 2. Apoc. III. 15. Ut tales habeant in promtu ſemper, 2. advigilare debent ſcholis ac ſeminariis, in quibus efformentur à teneris 2 Tim. III. 15. ex eis *evocent* probatiſſimos, nec id aganr abſque præviis jejuniis ac *precibus* Matth. IX. 38. Act. XIV. 23. Ut 3. evocatis *præfectis*, imprimis Paſtoribus, debita *officia* fideliter præſtent, quæ dudum repræſentavimus lib. VII. cap. 2. §. XLVII.

II. *Bona* ſeu rationes motivas hujus converſationis, inter ſuperiores & inferiores, cuique ordini magis *peculiares*, ſuis locis, pro re nata, adſperſimus, magis *generales* repeti poſſunt ex *Theol. morali* lib. III. cap. III. de *honore* proximi, ſub quo omnia hujus generis comprehenduntur.

III. *Adminicula* etiam *particularia* cuivis ordini ſubinde conſtruximus; *generaliora* quoque ex loco jamjam citato conferri poterunt.

HYPOTYPOSIS THEOLOGIÆ ASCETICÆ.

LIBER QUARTUS

De praxi pietatis versus semetipsum.

CAPUT I.

De certa vitæ occupatione & otio.

SIc tandem pertingimus ad exercitium pietatis versus nos ipsos, quod ex præscripto divino, ea continet officia, quæ nobis ipsis debemus. Ea vero respiciunt, vel *vitam*, vel *mortem* nostram. Vitam autem hic intelligimus, non *spiritualem*, qua Deo vivimus, per Christum, quam ex professo diximus *Theologiæ* nostræ lib. I. cap. I. quæ Deum respicit proprie & immediate, quam etiam habuimus in *Idea Theol. Moralis* lib. II. cap. I. sub titulo *pietatis*, cum qua coincidit: sed vitam *temporalem*, qua nobis vivimus, secundum voluntatem Dei. Eam hoc libro examinabimus, primo *generalius*; tum *specialius*, quatenus respicit, cum *secunda*; tum adversa. In *generali* contemplatione, occupabimur I. circa certum vitæ *genus*, & *occupationem*, seu vocationem. 2. Circa ejus *sustentationem*, per *cibum* & potum. 3. Circa ejus *defensionem*, ab injuriis cœli, per *vestitum*. 4. Circa ejus *refocillationem*, per recreationes. A primo exordiemur, scil. à certo vitæ genere seu *occupatione*, cui opponitur *otium*. Occupationis hujus contemplabimur

I. *Naturam*, qua homo quilibet, ex voluntate divina, ordinarie tenetur ad certum aliquod vitæ genus, quo agat quod *bonum* est, & sibi & aliis conducat. Dicitur *occupatio* certi vitæ generis: item *vocatio*, quod per providentiam divinam, eo quasi *vocemur*, non equidem eo sensu, quo ad fidem & respiscentiam, aut ad ministerium ecclesiasticum, à Deo *vocamur*; sed quod non absque nutu divino, suum cuique vivendi genus assignetur. Hujusmodi occupatione quilibet homo ex mandato Dei obstrictus est, quia 1. hæc est Dei *ordinatio* & voluntas Gen. II. 15. & III. 19. 1 Pet. IV. 10. 1 Thess. IV. 11. Quia 2. ad hoc Deus cuilibet suum contulit talentum, quod sine peccato non potest defodi Matth. XXV. 3. Quia 3. legitima occupatione, multa otii mala, cupiditates, curiositates vanæ aliaque declinantur 2 Thess. III. 11. Quilibet inquam homo huic obstrictus est; sed *ordinarie*, quando nim. ei vires & dona necessaria Deus eo suppeditavit: proinde non pueri, non amentes, non absque culpa impotentes, pauperes, mendici: nec qui amplioribus officiis sunt admoti, aut ad ea sese præparent. In suo isto vitæ genere, quisque agere debet quod *bonum* est Eph. IV. 28. hoc est, quod cum voluntate Dei & hominum utilitate congruit. Ea igitur vocatio *bona* est, quæ in Scripturis, vel manifeste approbatur; vel ex analogia alius vocationis ibidem probatæ, colligitur: quæ occupatur circa tale, quod utile est humano generi, & famæ honestæ servit Phil. IV. 8. Ut per hoc omnes artes otiosæ, inutiles, vanæ, noxiæ, suo loco designandæ, excludantur. Ad quam autem vocationis speciem quisque semetipsum applicare debeat, per providentiæ divinæ nutum, & quasi vocationem, nobis innotescit, *partim* ex dotibus & inclinationibus naturæ internis 1 Pet. IV. 10. *partim* ex circumstantiis *externis*, quibus in hanc potius vivendi rationem, quam in aliam, aliquis determinatur; *partim* ex prudenti directione, parentum, tutorum, aliorumque sapientum. Honesta jam occupatio selecta honeste etiam est exercenda: quorsum requiritur (1) *Peritia* sufficiens, qua ea quæ spectant ad tuam occupationem, satis habeas perspecta Prov. XIV. 8. (2) *Attentio* ad officia propria, magis quam aliena 2 Thess. III. 11. 1 Tim. V. 13. 1 Pet. IV. 15. (3) *Diligentia* in negotiis obeundis Prov. XXI. 5. & XXVII. 23. 24. (4) *Prudentia*, in opportunitate commoda observanda & recte utenda Prov. X. 5. & XXI. 5. (5) *Fortitudo* & constantia, in superandis difficultatibus obviis Prov. XV. 19. & XX. 4. (6) Ἐπιείκεια in moderanda lucri cupiditate, & cura de successu optato 1 Tim. VI. 9. Matth. VI. 34. Prov. XXVIII. 20. 22. (7) Religiosa *sanctificatio* omnium laborum nostrorum 1 Tim. IV. 4. 5. Psal. XC. 17. Successus autem istius occupationis, etiam *pia*, cum non semper idem sit ex voluntate Dei; quandoque ad divitias abeat, quandoque ad paupertatem: id agendum generaliter, ut I. eum committamus providen-

videntiæ divinæ, perſuaſi, eum melius noviſſe, quid nobis conducat, quid ſecus. Ut 2. divitias non nimis anxie ſectemur ex vocatione noſtra. Nec 3. nimium afficiamur paupertate, noſtra ſorte, quam Deus decernit, placide acquieſcentes. Et ſi ad *divitias* abeat; caveamus ſedulo, ne α. animus ex eis intumeſcat; Nec β. in eis fiduciam collocemus, multo minus γ. eis abutamur, in contumeliam Dei, aut damnum & vilipendium proximi. Quin potius δ. in eis agnoſcamus divinam benedictionem. Ex ea ε. erigamur ad reciprocum Dei amorem. Atque etiam ad gratitudinem, qua ζ. divitias noſtras impendamus glorificationi Dei. Eaſque η. diſpenſemus ex præſcripto ejus abſque ſuperbia. θ. Cum eis adnitamur divites fieri in bonis operibus. Aſt ſi ex adverſo delinat in *paupertatem* 1 Sam. 11. 7. Prov. XXII. 2. Job. 1. 21. Tum id agendum, ut A. non nimium inde *affligamur*, tum etiam, cum obſervamus, impiis ſua omnia ex ſententia cadere Pſal. XXXVII. 1. Prov. X. 15. Nec B. Deo *obmurmuremus* Job. 1. 21. Heb. X. 33. Jud. vſ. 16. Ut C. ad *invidiam* verſus eos, quibus ex voto ſua vocatio cadit, non excitemur Pſal. XXXVII. 1. Prov. XVIII. 23. Ut D. nunquam inclinemur ad *perverſa media*, quibus ſtatus noſter miſerior in meliorem commutetur, quin potius duriorem patienter feramus Jac. V. 21. Interim E. nos ſub paupertate erigamus, his ac ſimilibus cogitationibus: α. Eſſe eam nobis *à Deo* addictam Job. 1. 21. Pſal. CXIX. 57. β. Nos peccatis noſtris, non niſi *peſſimæ* ſortis *reatum* nobis contraxiſſe, uſque ad infelicitatem gehennalem Mich. VII. 9. Rom. III. 19. Et γ. *optimos* quoſvis, uſque ad ipſum filium Dei, paupertatem duriſſimam expertos fuiſſe Luc. XVI. 21. Et δ. opes *terrenas* non eſſe niſi vanitatem, inanes umbras 1 Cor. VII. 31. Nec ε. divitias terrenas *argumentum* ſolidum præſtare, electionis & favoris divini, aut gratiæ ſalutaris, quod frequenter diſpenſentur in impios Jer. XX. 1. Job. XXI. 7. Pſal. LXXIII. 7. Quod proinde ζ. ſufficiat poſſidere opes *ſpirituales*, vel cum paupertate corporali Jac. II. 5. Quin θ. nec divitias ſemper eſſe ex *benedictione* Dei: ſed perſæpe ex ejus *ira* oriundas.

II. *Bona* legitimæ occupationis hæc fere ſunt: 1. Satisfacit *Deo* ejuſque *ordinationi*, & benevolentiam ac benedictionem ejus nobis comparat. 2. ſatisfacit *conſcientiæ*, ut *quieta* ſit & pacata 1 Theſſ. IV. 11. Satisfacit 3. *proximo*, in cujus utilitatem vergit, quatenus non tantum operatur quod *bonum* eſt; ſed etiam procurat, unde egenis ſuccurrere poſſit Eph. IV. 28. Satisfacit 4. *propriæ* neceſſitati, ut ex ea te & familiam ſuſtentes 1 Theſſ. IV. 12. Facit 5. ut *proprium* panem comedamus, & poſſideamus quæ *noſtra* ſunt Pſal. CXXVIII. 2. Procurat nobis benedictionem & *felicitatem*. Ibid. Tollit 6. vitæ *tædium* ab otio & ἀνεργείᾳ oriundum. 7. Immunes præſtat ab omnibus eis *malis*, quæ ab otio habent ortum.

III. *Adminicula*, quibus in exercitio hujus occupationis juvari poſſis, ſuppetunt 1. *à fide*, qua perſuaſus ſis, vocationem tuam legitimam, & voluntati divinæ conſentaneam eſſe; qua tibi polliceri, ex divina promiſſione, poſſis benedictionem Dei: qua item obſervare poſſis modum exercendi vocationem tuam, ex præſcripto divino: qua præoccupare & declinare poſſis adverſa quæ apud exercitium vocationis tuæ tibi obventura ſint. 2. à *diligentia*, qua negotia vocationis, toto corde & arrectis omnibus viribus tuis expedias Eccl. IX. 10. Col. III. 23. qua in iſta expeditione, ſuperatis quibuſvis difficultatibus obviis, conſtanter perſiſtas: qua etiam, pro re nata, negotia tua ad tempus ſeponas Eccl. IV. 8. qua inſuper non nimium ſuſcipias, quod vires tuas excedat, quodque negotia cultus divini impediat. 3. A *juſtitia*, qua tibi ſolicite caveas ab omnibus ſiniſtris artibus, quantumvis occultis, quibus proximus tua vocatione lædatur Job. XV. 34. qua caveas, tibi expetere quæ tua non ſunt Heb. II. 6. qua proximo injuſte ademptum, ei non ingenue reſtituas Luc. XIX. 8. qua non propria tantum commoda ſecteris; ſed & ea quæ ſunt proximi Phil. II. 4. 1 Pet. IV. 10. Tandem 4. *prudentia*, qua *propria* negotia agamus, non aliena 1 Pet. IV. 15. qua ſalutaria aliorum conſilia, in expeditione vocationis noſtræ, audiamus & admittamus Prov. I. 4. Jeſ. XXXII. 4. qua diligenter exquiramus, quibus mediis vocatio noſtra feliciter procedere poſſit Prov. XXIV. 17. qua etiam adverſa cogites, quæ in exercitio vocationis tuæ, intercurrere poſſint Prov. XXII. 3.

IV. *Otium* vocationi adverſum, cujus conſideranda

A. *Natura*. Eo, latiſſima ſignificatione, id omne hic intelligemus, quod occupationi noſtræ, quocunque modo, eſt adverſarium. Et ſic nobis nihil aliud eſt, quam defectus, quo vel omni occupatione carent; vel legitima; vel in legitima non legitime occupantur. Vel inquam, 1. *omni* occupatione carent, quamvis viribus ac donis ſufficienter ſint inſtructi: quales ſunt validi mendici, Monachi, aut alio quovis modo otioſi. 2. Vel *legitima*, quales illi, qui talem occupationem ſectantur, quæ nihil boni & utilitatis confert in alios, ut caupones illi, qui non inſerviunt neceſſitati peregrinorum; ſed intemperantiæ vicinorum, ut inhoneſtam vitam agant: item qui artes ridiculas, joculares, ſcurriles exercent: etiam qui occaſiones captant, ſua commoda, ex aliorum incommodis quærendi, ut trapezitæ ac vulgares fœneratores. Vel 3. in legitima vocatione, non *legiti-*

mo modo verſantur, qui ſunt ἀλλοτριεπίσκοποι, aut πολυπράγμονες, aliorum negotiis potius intenti ſunt, quam propriis: qui ignavi ſunt ac deſides; qui aliorum tantum opibus inhiant, per fas & nefas; qui deſultorie, ab una vocatione in aliam tranſeunt: qui non niſi ſua captant, non aliorum commoda: qui in exercitio vocationis ſuæ, Deum ejuſque directionem non habent ob oculos, qui omnem proſperitatem vocationis ſuæ, à ſeipſis, à propriis donis, diligentia, prudentia aliiſque ſuſpendunt & exſpectant: qui tempora cultui divino deſtinata, Sabbathum, dies jejuniorum, ſuis occupationibus impendunt, aut alio quovis modo, in rem ſuam nimium intenti ſunt; qui vocationem ſuſcipiunt, cujus aut nullam, aut non ſufficientem habent peritiam; qui abſque ulla prudentia, aut circumſpectione, vocationis ſuæ negotia tractant; qui doloſe & fraudulenter in ſua vocatione occupantur &c.

B. *Mala* hujus otii præcipua ſunt: 1. Talentum ſuum, quod Deus eis contulit, defodiunt turpiter, ejus rationes Domino ſuo reddituri, & defoſſi pœnas juſtas daturi Matth. xxv. 3. Tum 2. iners otium plurimorum vitiorum Mater eſt & nutricula, præcipue malarum cogitationum, cupiditatum, curioſitatum & perverſarum machinationum 2 Theſſ. III. 11. Sunt 3. inutilia terræ pondera. 4. Indigni pane quem comedunt. Ibid. vſ. 10. Et 5. velut fures alienum panem devorant. Ibid. vſ. 12. Etiam 6. ſe ineptos faciunt, qui ſuorum & egenorum neceſſitatibus ſuccurrant. 7. Sibi paupertatem ac vitam abjectam & miſerabilem creant, & ad turpem mendicitatem diſponunt. 8. Conſcientiæ ſuæ tranquillitatem violant. 9. Veros pauperes non raro ſibi competentibus eleemoſynis ſpoliant. 10. Se Diaboli variis tentationibus, ad furta aliaque ſcelera exponunt. 11. Artibus ineptis, proximum ſuis bonis privant. 12. Ordinationi divinæ ſeſe exponunt. Et 13. ſibi ſuiſque exitium creant.

C. *Cauſas* otium iſtud provocantes, per oppoſitionem, facile colliges ex adminiculis, quibus promovetur & dirigitur exercitium legitimæ vocationis, ſcil. 1. Imperitiam. 2. Ignaviam. 3. Perfidiam. 4. Imprudentiam. 5. Mollitiem laboris impatientem. 6. Vanitatem. 7. Defectum charitatis, verſus Deum, proximum ac propriam ſalutem. 8. Defectum fidei, converſionis, directionis Spiritus S. &c.

D. *Remedia* adverſus omne genus otii ſuppetent 1. à devota conſideratione, cum *bonorum* legitimæ occupationis: tum *malorum* otii. 2. Ab eis *adminiculis*, quibus promovetur & dirigitur ſtudium legitimæ vocationis. 3. Ab *obſtructione cauſarum*, à quibus otium naſcitur & promovetur, per remedia cuique oppoſita &c.

CAPUT II.

De alimentorum Uſu & Abuſu.

CIrca vitæ *temporalis* contemplationem *generalem*, primum expedivimus, ſcil. certum ejus genus, ſeu occupationem; jam ſecundum ſuccedit, nim. ejus vitæ *ſuſtentatio* per *alimenta*. Horum uſum & abuſum examinabimus hoc capite, contemplaturi uſus

I. *Naturam*, per quam, τὸ πρεπὸν Chriſtianum, quoad alimenta (adde & medicamenta) in quotidianis noſtris menſis, curate obſervetur. *Obſervetur* inquam, non quod animus omnibus regulis ſecuturis ſemper diſtincte debeat eſſe arrectus; ſed quod menſæ noſtræ, ſua natura, ſemper tales eſſe debeant, ut in regulas iſtas nunquam impingant, & quantum fieri poteſt, eas diſtincte habeat ob oculos. Πρεπὸν autem iſtud exigit, ut 1. *generaliter* alimenta noſtra, ex præſcripto Chriſti, repetamus à *manu Dei: panem* quotidianum *da* nobis, h. e. ut à Deo vires expetamus & aptitudinem, quibus panem nobis lucremur: qua acquiſito benedictionem ſuam impertiatur, ut alimentationi ſufficit: vivit enim homo, non ex pane ſolo; ſed ex omni *verbo* benedictionis, quod prodit ex *ore Domini*. Idque 2. *quotidie* precibus noſtris à Deo expetamus, quotidie velut mendici, ejus fores pulſemus; Etiam 3. panem proprium, *noſtrum* manducare fatagamus, non *alienum* quovis modo. Et 4. in *pane* etiam neceſſario acquieſcamus, non ſuperflua aut delicatula ambiamus. Ut 5. eum non *nobis* tantum & noſtris; ſed aliis inſuper expetamus, h. e. illum non nobis tantum exoremus, atque etiam, pro re nata, impertiamur. *Specialiter*, ut 6. *ante* menſas noſtras, alimenta *ſanctificentur* verbo ac precibus 1 Tim. IV. 3. 4. 5. Ut, quæ per peccata noſtra jam nobis ſunt *impura* Tit. I. 15. propter Chriſtum, fide apprehenſum *purificentur* & ſanctificentur à Deo per *verbum* ſuum, noſtraſque *preces*, exemplo Pauli Act. XXVII. 34. 35. atque ipſius etiam Servatoris Marc. VI. 41. Matth. XXVI. 26. Luc. XXIV. 30. 31. Quo ſpectant prævia quædam ſuſpiria, quibus Dei *bonitatem* & Deo & nobis repræſentemus, quæ cuncta nobis liberaliter indulgeat ad fruendum 1 Tim. VI. 17. item noſtram *indignitatem* ex peccato: etiam cibum *ſpiritualem*

anima-

animabus noſtris expetamus Joh. VI. 27. nec non, quod omnia noſtra alimenta non ſint niſi panis, quem Deus, ceu Pater cœleſtis, ſuis filiis gratioſe communicet. Tum 7. *in ipſis menſis* noſtris, donis Dei fruamur cum *temperantia* & ſobrietate, ad ſedandam famem, alendas & reſtaurandas vires, quibus & Deo, & nobis, & aliis inſerviamus. *Temperantia* iſta reſpicit, ab *una parte* 8. *alimenta* ipſa, ne peccent, vel in *quantitate*; vel in qualitate. Et ih *quantitate* quidem, ne peccent, ſeu in *defectu*, quo naturæ, quod neceſſarium eſt, ſubtrahitur, avaritia aut ſuperſtitione; ſeu in *exceſſu*, quando plus cibi aut potus ſumitur, quam natura exigit. *Quantum* autem cujuſque ſibi exigat natura, cum plus exigat hujus quam alterius; non legibus determinari poteſt; ſed ipſa cujuſvis natura determinari debet: niſi quod cuivis obſervandum veniat, quantum ſibi ordinarie ſufficiat, & ut, ex quavis κακοχυμίᾳ nimium appetenti ſtomacho non ſatisfaciat: neque etiam peccetur in *qualitate* alimentorum, ut pro ordinariis quidem menſis, non inhietur, ab *una* parte, adeo lautis & opiparis, ut ſtatum & ſortem noſtram excedant: ab *altera* autem adeo vilibus, ut aut ſorditiem, aut avaritiam ſpirent. Hactenus temperantia circa ipſa *alimenta*; ſuccedunt ab *altera* parte obſervanda, circa *uſum* alimentorum, ut 9. perpetuo attendamus ad ſtatum, vocationem ac ſortem noſtram, ne vel in exceſſu, vel defectu peccemus; item ad *tempora*, ut diſtinguamus inter *ordinarias* menſas, & *extraordinarias* in conviviis, in quibus plus licet: inſuper ad *hoſpitalitatem*, tantopere in Scripturis commendatam, ut ea quovis modo violetur, aut ad ſorditiem ac avaritiam vergat: porro ad pauperes & egenos, ne noſtris menſis, illi priventur portione ſibi competente. Etiam 10. ut in definita nobis per providentiam divinam, portione, quantumvis vili, placide acquieſcamus, non obmurmuremus. Ut 11. noſtris alimentis fruamur cum hilaritate, qua bonitatem divinam in eis quaſi guſtemus Pſal. CIV. 15. & XXXIV. 9. Ut 12. inter uſum donorum divinorum, diſcurſus non feramus, niſi pios & honeſtos. Ut 13. poſt menſas noſtras, Deo gratias agamus, ipſiuſque beneficentiam modo competente celebremus Deut. VIII. 10. Pſal. XVII. 27. Eadem officia, mutatis mutandis, 14. obſervari debent, circa *medicamenta*, quibus vita & valetudo, aut amiſſa reſtituitur; aut præſens conſervatur: atque hæc ſibi exigunt, magis particulariter, ut α. ea non ſpernamus, uti fit à delicatioribus; nec ex adverſo β. ab eis nimium pendeamus; ſed à benedictione divina. Ut proinde γ. ea non admittamus, abſque precibus: & δ. recuperata eorum ope valetudine, Deo debitas gratias referamus.

II. *Bona* legitimi uſus alimentorum, præcipua ſunt 1. ea, ex divina conſtitutione & benedictione, faciunt ad *vitam* & *valetudinem* conſervandam. Etiam 2. ad reſtaurandas vires, quibus Deo & proximo poſſimus inſervire. In quibus 3. Deus nobis patefacit ſuam bonitatem, amorem, curam paternam, ut ex eis ipſum celebremus, ipſum viciſſim filialiter amemus, ut accuremus, quo & ipſe reciproce à nobis colatur, & ipſi pro donis ſuis gratiam referamus. Quibus Deus 4. ſe nobis *non ſinit ἀμάρτυρον*, *nobis benefaciendo è cœlo*, *pluvias dando & fructifera tempora*, *implendo alimentis & hilaritate corda noſtra* Act. XIV. 17. Ad hoc, ut 5. ſe quæramus, &, vel palpando inveniamus. Ibid. cap. XVII. 26. 27.

III. *Adminicula* legitimo alimentorum uſui ſuppetant 1. à *pietate*, qua Deum benigniſſimum largitorem agnoſcimus, pariter ac directorem legitimi uſus, ad cujus præſcripta nos ſolicite componamus. 2. A *prudentia*, qua obſervanda circa alimentorum uſum, caute dijudicamus. 3. *A temperantia* & ſobrietate, qua, nec in defectu, nec in qualitate alimentorum noſtrorum, nec in uſurpatione eorundem, impingamus. 4. A legitimo *amore* noſtri, quo naturæ juſta ſua conferamus, nec eam obruamus nimia quantitate. 5. Ab amore *proximi*, quo & ipſe ſuum ex alimentis noſtris conſequatur. Proinde 6. etiam à *liberalitate*, qua nec hoſpitalitatis & amicitiæ obliviſcamur. 7. A *parſimonia* & frugalitate, qua nobis ſuppetant neceſſaria alimenta.

IV. *Abuſus* alimentorum, oppoſitus uſui legitimo, cujus conſideranda

A. *Natura*, quam ex oppoſito legitimo uſu, jam deſcripto, facile colliges, ſcil. abuſus eſt, quando πρέπον Chriſtianum, circa alimenta violatur. Quod fit, *generaliter* quidem, 1. in *defectu*, quando naturæ alimenta, vel *ſufficientia*, vel *idonea* ſubducuntur, per avaritiam aut ſorditiem: 2. In *exceſſu* inordinatio invenitur, α. quoad *ſubſtantiam*, quando pretioſiora appetuntur, quam conveniunt ſtatui, aut ſorti. Quoad *quantitatem*, cum plus conſumitur, quam ratio requirit. β. Quoad *qualitatem*, cum nimia curioſitas adhibetur ad cupiditati ſatisfaciendum. Quoad *modum*, cum decori juſta ratio non habetur, aut amicitiæ & hoſpitalitatis. γ. Quoad *tempora*, cum vel frequentiores menſæ habentur, quam vel natura, vel ratio permittit; vel aliis temporibus quam oportet: *ſpecialiter* autem (1) *Voracitate*, qua plus *cibi* appetitur quam natura fert, qualis eſt in appetitu canino, qui morbus quidem eſt medicamentis curandus; ſed tamen ideam præſtat voracitatis, quamvis vitium non ſit morale. (2) *Gula*, qua pretioſior & delicatior cibus appetitur, quam ratio ſtatus ac ſors exigit. (3) *Ebrietate*, qua tantum *potus* admittitur, ut *ratio* impediatur,

pediatur, ad officia ſua Deo, proximo & ſibi ipſi commodè præſtanda. Peccato longe frequentatiſſimo, & paſſim apud Scripturas damnato Prov. XXIII. 30. 31. 32. Jeſ. V. 11. Eph. V. 18. Qua ebrioſus ſeipſum contemtui aliorum exponit: qua ſeipſum ineptum reddit ad quaſvis actiones honeſtas: qua ſeipſum exponit periculo omnis fere generis peccatorum, dum adimit ſibi facultatem vitandi quævis turpiſſima: imo & periculo mortis ſubitaneæ, qua in peccatis decedat ſeque judicio divino ſiſtat; cum mentis impos, ſeipſum ſervare nequeat: qua imaginem Dei ita deformat, aliquo modo ſeipſum abjiciat ad beſtias: qua etiam ſuo corpori, famæ, conditioni, opibus, egregia incommoda accerſit: qua huic peccato aſſuefactus, ſe quodammodo inſanabilem reddit, vix enim ebrioſus ſanatus obſervatur (4) *Impietate*, qua, ruptis omnibus repagulis legis divinæ, ipſiuſque naturæ, adeo indulgetur carni ejuſque cupiditatibus, ut nullus habeatur reſpectus ad benignum largitorem alimentorum: proinde abſque ulla prævia ſanctificatione, quæ fit per verbum divinum, & per preces, deglutiantur bona Dei dona: abſque ulla gratiarum actione, finitis menſis, ea abſorbeantur.

B. *Mala* hujus abuſus præcipua ſunt: 1. Eo *temnitur Deus*, benigniſſimus largitor omnium donorum iſtorum, ejuſque leges moderantes uſum iſtorum. 2. *Aggravatur cor*, & deprimitur quo minus ſe elevare poſſit verſus Deum, & officia quæ & ei, & nobis, & proximo debentur. 3. *Corrumpitur* intemperantis corpus, adimpletur crudis humoribus, à quibus varii reſultant morbi, qui diſponunt paulatim ad ipſam mortem. 4. *Atteruntur fortunæ*, quibus & te, & familiam honeſte alas, & ad paupertatem redigit. 5. *Ineptum reddit*, qui proximo egeno ſuccurras. 6. Facit ut venter tibi fiat *Deus*. 7. Ad *bruta*, imo infra ea detrudit: cum inter ea dentur, quæ ab intemperantia abhorreant. 8. Exponit præſentiſſimo *periculo*, ut à die Domini ſubito obruaris.

C. *Cauſæ* abuſus iſtius ſunt: 1. *Atheiſmus*, quo Deum non agnoſcis Dominum & largitorem alimentorum tuorum, teque ipſum velut Dominum independentem eorum ei ſubſtituis. 2. *Intemperantia*, qua cupiditates voracitatis, gulæ & ebrietatis, non potes reprimere. 3. *Defectus regenerationis*, converſionis, ſanctificationis, quibus cupiditates carnis ſpiritui ſubjiciantur. 4. *Ignorantia* aut contemtus vitæ melioris, ſpiritualis, æternæ, adeoque voluptatibus corporis tantum ſatisfacere ſtudes.

D. *Remedia* ſuppetunt 1. à devota cogitatione *bonorum* legitimi uſus alimentorum, & *malorum* abuſus. 2. Ab eis *adminiculis* quibus procreatur & dirigitur legitimus alimentorum uſus. 3. Ab oppugnatione & expugnatione *cauſarum*, à quibus naſcitur abuſus. Conf. Caput de *conviviis*.

CAPUT III.

De veſtitus Uſu & Abuſu.

IN praxi pietatis circa nosipſos, quoad *vitam* noſtram generaliter conſideratam; expendimus *vitæ genus*, in vocatione certa occupandum, tum ejuſdem *conſervationem* per alimenta: ſuccedit tertio ejuſdem *defenſio*, adverſus injurias cœli, aëris, & tempeſtatum, per *veſtitum*, cujus examinabimus

I. *Uſum*, per quem veſtimenta uſurpamus, in eos fines, & eo modo, quem Deus præſcripſit. Ut uſus reſpectum habeat 1. ad *fines* veſtimentorum, nim. α. *nuditatem* corporis humani, à peccato turpem, & turpibus cupiditatibus anſam præbentem, obtegendam Gen. III. β. Ad *corpus* noſtrum, adverſus injurias cœli, tempeſtates, frigus, æſtum, pluvias &c. homini poſt lapſum inſultantes, defendendum. γ. Ad *ordinum* inter homines, varios gradus, ſuperiorum & inferiorum deſignandos. δ. Ad corporis humani, per peccatum, jam inhoneſtioris, qualemcunque exornationem. 2. Ad *modum* utendi veſtimentis, qui his potiſſimum dirigitur regulis generalibus: (1) Ut quiſque *attendat* ad *ſtatum*, vocationem, qualitatem & ſortem ſuam; quo his omnibus ſua veſtimenta attemperet Matth. XI. 8. Pſal. XLV. 10. Ut (2) *temporum* rationem habeat; poſſunt enim temporibus feriatis, & conventuum, veſtes adhiberi elegantiores, quam aliis quibuſvis profanis Matth. XXII. 11. Apoc. XIX. 8. Pſal. XLV. 10. 15. ut (3) *externa* illa non neceſſaria, & otioſa *ornamenta* circumcidantur Jeſ. III. 20—ut 19. 21. 22. ut (4) hujus mundi *formis*, ſi quidem illa ad *ſcandalum* vergant, nunquam nos conformemus Rom. XII. 2. ſi vero ſunt *indifferentes*, eas non niſi tarde admodum admittamus 1 Theſſ. V. 22. ut (5) in ambiguis *ductum* audiamus & conſilia *peritorum*, & anteceſſorum in Eccleſia Heb. XIII. 17. Ut proinde (6) in dubiis ſemper ſequamur partem *tutiorem*, ac malimus aliquantum ſubſidere *infra* ſtatum noſtrum; quam nos elevare ſupra eundem quod hoc magis vergat ad Chriſtianam humilitatem 1 Pet. II. 4. 1 Tim. II. 9. Ut interim

terim. (7) Non existimemus, Christianis simpliciter prohibitum esse, vestibus uti pretiosioribus, cum & eæ à Deo creatæ sint Hag. II. 9. Matth. VI. 29. Nec tamen (8) etiam locupletiores ac superiores in hoc nimium sibi indulgeant Luc. XVI. 19.

II. *Bona* hujus usus, ob quæ ambeundus est, hæc potissimum sunt: 1. Ille demum congruit cum legibus, & finibus vestimentorum, à Deo præscriptis. 2. Arguit modestiam Christianam 1 Pet. III. 4. 1 Tim. IV. 9. Eoque 3. conciliat nobis *honorem* illum verum, quem homines mundani sibi quærunt, ex vestitu *luxurioso:* quod audiant modesti, qui, cum plura possint; nihilominus intra terminos modestiæ Christianæ subsistant. Subinde & 4. sua ista modestia, alios ad eandem, quin & ad professionem religionis Christianæ provocare possint 1 Pet. III. 1. Etiam 5. ostendunt, se aliquid habere, quod præstantius sit, quoque modeste superbire possint, quemadmodum sponsa Christi, quæ tota pulchra erat *intus*. Et quo 6. spirituali suo sponso Christo pulchri & accepti esse possint, nimirum modesto & *mansueto spiritu*, qui pretiosus est coram eo. Non addam 7. quod hujusmodi modestus habitus non parum juvet rem familiarem, quatenus non tantos sumtus exigit, quantos fastuosus aliorum.

III. *Adminicula*, quibus juvari possis, in tali vestium usu, suppetunt 1. à *pietate* & obsequio versus Deum, qui istis legibus nobis indulsit usum vestimentorum. 2. A *conscientia* nostræ *vilitatis*, ex peccato contractæ, qua nobis nulla suppetit ratio, à vestitu superbiendi coram Deo, aut hominibus. 3. A *temperantia* Christiana, quæ cupiditates carnis moderatur, etiam circa vestitum. 4. Ab *humilitate*, quæ ex vestitu pretiosiore, non sectatur honorem, sibi non competentem. 5. A *magnanimitate*, & indole magis generosa & spirituali, à qua, per externum vestitus apparatum, non ita facile ab officio dimovetur, quam magis carnales. Prout etiam Magnates, quanquam magnanimitate civili, apparatu viliore quam sui ministri, incedunt: habent enim alia, à quibus se honorabiles præstent.

IV. *Abusum* vestimentorum, cujus expendemus

A. *Naturam*, quam ex opposito usu, non magno negotio, colliges. Nominatim in his fere & similibus observatur 1. quando vestitus, *vocationem*, statum ac sortem excedit Luc. XVI. 19. Jes. III. 16. Quando 2. vanitates in vestitu nimium intense quæruntur, absque ullo respectu ad vires suas, aut ad scandala inde resultantia 1 Pet. III. 3. Jes. III. 23. Quando 3. *novis* vestimentorum modulis, etiam peregrinis, nimium inhiatur Zeph. I. 8. Jes. II. 6. Quando 4. apparatus vestium talis est, ut cor *fastuosum*, vanum & mundanum patefaciat Jes. III. 16.

B. *Mala* hujus abusus, in his potissimum sunt: 1. Est turpis *abusus* donorum Dei, cum in hunc finem, vestimenta nobis à Deo non dentur Hos. II. 8. Gen. III. 17. Rom. VIII. 20. Est 2. *indicium* hominis carnalis, superbi, luxurioši, impuri Prov. VII. 10. Jer. IV. 30. Est 3. perquam scandalosus Christianismo, quod apud eum leges toto cœlo diverse profitent 1 Tim. II. 9. 1 Pet. III. 3. 4. Deus 4. *judicia* gravissima sua denunciat huic abusui Jes. III 24. Zeph. I. 8. Etiam 5. hominem *abjectum* & vilem reddit prudentioribus & magis Christianis. Adeoque 6. fastuosos sua honoris & æstimationis *spe* fallit.

C. *Causæ* hujus abusus præcipuæ sunt: 1. *Defectus pietatis*, quo non tantum Deo deferre volunt, ut in externis illis, tantillis, ad ejus placita se componant. 2. *Vanitas mentis*, qua rebus tam nihili homo abripitur. 3. *Fastus* & superbia, qua suam excellentiam externo ipso apparatu manifestare nititur. 4. *Inopia* internorum, spiritualium & meliorum bonorum, qua in externis illis, suum honorem quærere cogitur.

D. *Remedia* more solito suppetunt 1. à devota ponderatione, cum *bonorum* genuini usus, tum *malorum* abusus vestimentorum. 2. Ab *adminiculis*, quibus promovetur Christianus eorundem usus. 3. Ab obstructione *causarum*, à quibus resultat abusus, per opposita cuique remedia efficaciissima.

CAPUT IV.

De recreationum Usu & Abusu.

IN exercitiis pietatis, versus nos ipsos, generalioribus quidem, pertingimus tandem ad vitæ hujus refocillationem, per *recreationes:* harum examinabimus, cum usum, tum abusum. Circa *usum* earundem cogitabimus ejus

I. *Naturam*, per quam, rebus, natura potissimum adiaphoris, sic utimur, ut vires, negotiis magis gravibus & feriis attritas aut obtusas, restaurare & acuere nitamur. quo aptiores reddamur officiis nostris, versus Deum pariter & proximum, commodius expediendis. Præsupponimus Deum suis

honeſtas recreationes indulgere Eccleſ. XI. 9. Quod ſuis *ſuppeditet abunde omnia ad ἀπόλαυσιν refocillationem* 1 Tim. VI. 17. Quo ſpectant menſæ ſuorum ordinariæ, quibus, ceu *paſtor* bonus, ſuas oviculas *recubare facit in paſcuis graminoſis*, & *calicem* eorum *abundare facit* Pſal. XXIII. 2. 5. Eodem ſpectant convivia eorum, apud ipſas ſacrificationes, etiam in locis cultus publici, item in diebus eucharisticis, ut patet in Judæorum feſto Purim. Huc *vinum* dat, *ad exhilarandum cor hominis*, *ut nitere faciat faciem ejus oleo*, & *panem ut ſuſtentet* —— Pſal. CIV. 15. Finis autem iſtarum recreationum eſſe debet, non obſtetricari cupiditatibus carnis, nec fallere tempus; ſed vires, negotiis gravioribus obtuſas, inſtaurare, refocillare, quo promtior regrediaris ad negotia. Suppetunt autem nobis recreationes tales honeſtæ 1. à menſis noſtris ordinariis, ſicut jamjam diximus, quippe quæ ſic moderari debent, ut eis vires refocillentur, non opprimantur. Conf. *Caput* hujus libri tertium. 2. A *conviviis* extraordinariis, ut jamjam monuimus. 3. A *converſatione* & confabulationibus hilarioribus cum amicis, ut diximus libro præced. De *Converſatione cum amicis*. 4. A *luſu*, ſed honeſto, utpote quo à negotiis gravioribus, ad tempus breve, avocamur, ut vires reficiantur, & ad negotia alacrius revertantur, ut fit, v. g. in luſu ſchachico. 5. *Cantionibus* honeſtis, pſalmodiis aliiſque, quibus ad hilaritatem animus egregie erigitur. *Regulæ* in omnibus noſtris recreationibus obſervandæ, ſunto: (1) Ut ipſæ recreationes non ſint, niſi ſua natura honeſtæ, ſaltem adiaphoræ, non prohibitæ. Ut (2) ſua natura faciant ad fines honeſtos, nim. ut reficiantur vires, & alacriores reddantur ad negotia graviora. Ut (3) *tempus*, non nimium frequens, nec diuturnum, eis impendatur, quo tempus negotiis dandum, eoque redimendum, nobis otioſe non pereat Eph. v. 16. Ut (4) recreationibus noſtris exhilarati, accendamur ad gratiarum actiones 1 Cor. X. 30. ad celebrationem bonitatis divinæ, quæ nobis hæc otia facit. (5) recreationibus non indulgeamus, tum quando ad luctum, ſuis judiciis, Deus nos evocat Jeſ. XXII. 12. Joel. II. 12. 13. 16. Nec diebus Sabbathi, quieti & recreationi ſpirituali impendendis Jeſ. LVIII. 13. Ut 6. *ſpiritum* noſtrum totum non *profundamus* in iſtas recreationes Prov. XXIX. 11. quippe quibus aliæ ſuppetunt recreationes ſpirituales Rom. XIV. 17. Ut 7. recreationibus noſtris frænum non laxemus carni, & cupiditatibus carnalibus Gal. V. 13.

II. *Bona* legitimi hujus recreationum uſus, ob quæ exercendus eſt, ſunt, 1. Eis *vires* exhauſtæ & obtuſæ eriguntur & refocillantur. Eis 2. magis idonei reddimur ad negotia noſtra, quibus Deo inſerviamus, nobis & proximo. 3. Ab eis nobis occaſio ſuppetit agnoſcendi benignitatem Dei, qui nobis eas tam liberaliter indulget. 4. Eæ nos magis accendunt, ad reciprocum amorem Dei, ad gratitudinem, ad cultum ejus, ad ſpem & fiduciam in eo collocandam. Eis 5. animus, non tantum manuducitur, ad quærendas recreationes ſpirituales, quibus lætemur in Domino Phil. IV. 4. ſed ipſa etiam temporalia ac terrena nobis redduntur ſuaviora: quippe in quibus quaſi *guſtamus & videmus*, *quam bonus ſit Dominus*, Pſal. XXXIV. 9. & XXXVI. 8. 9. 10. Quæque nobis ſunt, velut pignora amoris divini, in quo omnis rerum ſuavitas & dulcedo conſiſtit. *Adminicula* autem, quibus promoveatur & dirigatur hic recreationum legitimus uſus, ſuppetunt ab eis regulis, quas jam ante enarravimus.

III. *Abuſus* recreationum, cujus conſideranda

A. *Natura*, quam per oppoſitionem, abſque negotio conficies, *generaliter* quidem, ex deſcripto legitimo recreationum uſu: *ſpecialiter* abuſus recreationum, in his potiſſimum eſt, in *comeſſationibus* & compotationibus, quibus cor aggravatur, & vires opprimuntur, de quibus ſuo loco diximus in cap. *De Conviviis*. 2. In *ſcurrilibus*, ſtultis & impudicis *confabulationibus* Eph. V. 4. Etiam 3. in *cantilenis* obſcœnis, & intempeſtivis Pſalmodiis Amoſ. VI. 5. Porro 4. in *ſaltationibus* & choreis laſcivis, quibus omnia noſtra membra profunduntur ad libidinem & luxuriam. Inſuper in 5. *Comœdiis*, quibus homines otioſi accenduntur ad laſciviam, & alia quævis peſſima. Inſuper 6. in lectione *librorum* impudicorum & vanorum. 7. *In luſu prohibito*, in alea, taxillis & ſimilibus, in quibus fors dominatur, & providentia Dei extraordinaria impie compellatur; ac nomen Dei turpiſſime profanatur. Quibus 8. *tempora*, aut ſacra, aut profana, v. g. Pontificiorum Bacchanalia, feſta trium Regum &c. recreationibus impenduntur, & cum eorum idololatria & ſuperſtitionibus colluditur. Quibus item 9. nimium temporis recreationibus abſumitur &c.

B. *Mala* hujus abuſus, præcipua ſunt: 1. Dei *benignitas* quæ nobis honeſtas quaſvis recreationes indulget, ſpernitur, bonaque ejus dona temperantur. 2. *Ira*, odium, judicia ejus in nos concitantur Hoſ. II. 10. Porro 3. *conſcientia* violatur. 4. Nos *ineptos* reddimus ad negotia quævis graviora, cultus divini, & commoda proximi. 5. *Tempus* vitæ noſtræ turpiter dilapidamus. 6. *Ipſas* noſtras recreationes, turpes & *amaras* reddimus. 7. Ad Gentilium & Epicuræorum *ἀσωτίαν* nos projicimus. 8. *Ventrem* noſtrum quaſi pro Deo veneramur. 9. Corruptæ *carni*

pa-

patrocinamur, quam debebamus mortificare. 10. Præsentissimo periculo nos exponimus, qui à die Domini subito obruamur. Qui 11. cum divite epulone, in æternas flammas conjiciamur Luc. XVI. 23. &c.

C. *Causæ* hujus abusus præcipuæ sunt: 1. *Constitutio carnalis*, hominem in carnales cogitationes & recreationes, totum profundens Prov. XXIX. 11. Tum 2. *ἀνομία* carnalis, qua homo legem divinam susque deque habens, non habet quod cupiditates compescat, & recreationes dirigat Rom. VIII. 7. Etiam 3. *defectus gratiæ* corrigentis, refrænantis, dirigentis, quo sibi permittuntur, & suis cupiditatibus traduntur & mancipantur Rom. I. 24. Ad hæc 4. *exempla* aliorum mundanorum, quibus se conformare nituntur Rom. XII. 2. Nec non 5. defectus prudentiæ, ignorantia & fastidium recreationum spiritualium, à quo in carnales se totos profundunt.

D. *Remedia*, juxta topica communia, suppetunt 1. à cogitatione *bonorum*, legitimi recreationum usus, & *malorum* abusus. 2. Ab *adminiculis*, quibus promovetur & dirigitur usus. 3. Ab obstructione *causarum*, à quibus procedit abusus, &c.

CAPUT V.

De prosperitatis Usu & Abusu.

PRaxin pietatis versus nos ipsos, quoad *vitam*, contemplati sumus in suis *generalioribus*; jam ad *specialiora* descendemus. Versatur vita nostra in statu, vel *prosperitatis*, vel *adversitatis*. De singulis horum singulatim videbimus, exorsi à *prosperitate*, cujus cogitanda, cum *natura* generalis; tum *fundamentum*, in mundo & mundanis: tum *species*. *Naturam* prosperitatis sectabimur hoc capite, quoad ejus usum & abusum. Penes *usum*, examinabimus ejus

I. *Naturam*, qua rebus ex voto cadentibus fruimur, ex amore, benedictione & præscripto voluntatis divinæ. Videndum hic 1. *quid prosperitas*, cum *generaliter*. Consistit in eo, quod res ex voto nostro procedat, quoad valetudinem, pacem, vocationem, copiam, libertatem, amicitiam, honorem, commoditates, in personis propriis, uxoribus, liberis, amicis, domibus, omnibusque quæ pertinent ad hujus vitæ statum felicem & beatum Deut. XXVIII. 3—15. Levit. XXVI. 3—14. *Specialiter* quoad (1) *tranquillitatem animi.* (2) *Εὐχυμίαν corporis.* (3) *Honestatem* nominis ac famæ. (4) *Pacem* & quietem cum proximis; 2. *Quotuplex* sit, nim. *vel benedicta* piorum & fidelium; *vel maledicta* impiorum & infidelium Deut. XXVIII. 8. cum vs. 16. & Levit. XXVI. 4. cum 16—Psal. XXXVII. 3. 4. cum 14. 22. 29. 34. Porro 3. *quis* usus prosperitatis; nim. Ut ea fruamur, *α. in amore* Dei, in benedictione, & juxta voluntatem ejus. *β.* Ut caveamus solicite, ne prosperitas nobis præstet occasionem peccandi, quorsum, per naturæ nostræ corruptionem, nimium eheu, sumus proclives. Item *γ.* ut in prosperitate nostra non obliviscamur Dei Deut. VI. 10. 11. & VIII. 10. 11. Hos. XIII. 6. acsi ea à nobis, nostraque prudentia, viribus, industria, meritis, oriunda sit, quod sane turpissimum, & ei exitiosum est. *δ.* Ne per prosperitatem nostram seducamur, ad superbiam, securitatem, *ἀσωτίαν*, & contemtum spiritualium & cœlestium Exod. V. 2. Jes. X. 8. Psal. X. 10. & LXXIII. 6. 9. 2 Sam. XXIV. 1. Psal. XXX. 6. Imprimis *ε.* ne sub prosperitate, reddamur negligentes in cultu divino Luc. X. 41. 42. Jer. XXII. 21. Ut *ζ.* nos in prosperitate muniamus adversus tentationes, quibus in ea maxime sumus obnoxii; quod in eis, subtilissime nobis insidietur satanas 1 Tim. VI. 9. Matth. IV. 9. Ut proinde terrenis utamur sic, ut non abutamur 1 Cor. VII. 31. Ut *η.* res prosperas non nimis magni faciamus, nec affectu nimium intento quæramus, majore quam spiritualia & cœlestia Matth. VI. 33. Ex adverso, *θ.* ut temporali prosperitate utamur, pro adminiculo, quo manuducamur ad spiritualia, & in eis adjuvemur; ut pote quæ sit motiva efficacissima ad gratitudinem, amorem Psal. CXVI. 12. & cultum divinum. Ut 2. ea utamur in bonum publicum, Ecclesiæ, Reipublicæ, & vicinorum nostrorum 1 Tim. VI. 17. 18. 19. Ut *ι.* rebus secundis hic utamur, *ut peregrini*, nequaquam ut *cives* Heb. XI. 9. 13. & XIII. 14. quo corda nostra magis magisque ablactentur à terrenis, & cœlestibus adsuescant Phil. III. 20. Luc. XVI. 9. Proinde *κ.* corda nostra rebus prosperis nunquam appendamus, neu fiduciam nostram in eis collocemus Psal. LXII. 11.

II. *Bona* hujus usus legitimi, præcipua sunt, quod 1. per talem usum, res omnes secundæ, sua natura adiaphoræ, evadant moraliter bonæ. 2. Veræ benedictiones Dei. 3. Signa gratiæ & amoris divini. 4. Quod nos promoveant ad meliora, spiritualia, cælestia. Quod 5. nos accendant ad amorem Dei reciprocum. Quod 6. omnem suavitatem quibusvis bonis terrenis concilient. Quod 7. conscientiam tranquillam reddant, qua cum *παῤῥησίᾳ* & filiali familiaritate, conversemur cum Deo, omniaque bona nobis ab eo polliceamur imposterum. Quod 8. ex tali usu nostro rerum

prosperarum, & proximi, & Ecclesia & Respublica, suum consecuturi emolumentum; & nos vice versa, eorum benevolentiam, preces & benedictiones.

III. *Adminicula*, quæ huc promovere possunt, hæc potissimum sunt: 1. Ut serio expendamus gratuitum ei amorem, qui nobis, ex peccato indignis, & non nisi pessima demerentibus, tot bona indulget. Ut 2. ex adverso contemplemur aliorum, etiam charissimorum Dei filiorum, sortem afflictissimam, quibus mundus non est dignus. Ut 3. non habeamus res terrenas pro sorte nostra, in qua nobis acquiescendum veniat Luc. XVI. 25. sed pro primitiis tantum, plenæ ac cœlestis messis futuræ. Ut proinde 4. semper parati simus, ad nutum divinum, quamvis prosperitatem prompte deserere & abdicare. Ut 5. caveamus, ne inter utendum rebus nostris secundis, nos conformemus mundo & mundanis, quæ nos ad suum abusum abripiant.

IV. *Abusum* prosperitatis, cujus observanda

A. *Natura*, qua rebus secundis fruimur, ex placito corruptæ carnis, cum dispendio honoris divini. Hujus modos absque negotio, per oppositionem, colliges ex descripto *usu* prosperitatis. In his tamen præcipui sunt: 1. Prosperitati terrenæ, seu rebus secundis *appendere* cor, h. e. nimium amorem, curam, acquirendi & conservandi studium, nimiam ex eis experiri delectationem, sicut Demas 2 Tim. IV. 14. & rusticus ille dives Luc. XII. 19. Tum 2. ex rebus prosperis *fastum* concipere, cum adversus *Deum* Deut. XXXII. 15. *Sacrificare sagenæ propriæ, & suffire reti suæ* Hab. 1. 16. eas à propriis viribus repetendo & suspendendo: tum adversus *proximum*, ei insultando Psal. XXXVII. 35. Porro 3. prosperitatem impendere *carni* & voluptatibus carnalibus, hisque ventrem saginare, sicut dives epulo Luc. XVI. 19. Insuper 4. prosperitate à *Deo abstrahi*, ejusque cultu, ejus oblivisci Deut. VIII. 10. 11. Et 5. à *beneficentia* versus egenos, ut epulo, item Sodomitæ & Israëlitæ Ezech. XVI. 49. Amos. VI. 6. Etiam 6. in temporali *prosperitate*, velut in beatitudine sua, sic *acquiescere*, ut nec spiritualem hic; nec æternam posthac, desideres aut quæras Luc. XII. 19. &c.

B. *Mala* hujus abusus, præcipue sunt: 1. ipsam benedictionem convertit in maledictionem Psal. LXIX. 23. Job. XVIII. 8. Tum 2. Deo, ejus beneficentiæ & voluntati, obstrepit: eoque 3. iram & odium provocat, qua ademptæ prosperitati quasvis calamitates substituat. 4. Conscientiam violat, omnemque cuivis prosperitati suavitatem adimit, eique amaritudinem substituit. 5. Exponit judicio divino, ut rationes reddamus, spretæ benignitatis divinæ, & bonorum ejus. 6. Cruciatibus æternis nos cum epulone, obnoxios facit. Non addam 7. quod nos, omnibus officiis, versus Deum, & nos ipsos, ineptos præstet, & ad veram seu spiritualem animæ prosperitatem, viam nobis obstruat.

C. *Causæ* hujus abusus, præcipuæ sunt, 1. *Carnalitas*, & inordinatus ventris & voluptatum terrenarum *amor*. 2. *Neglectus* normæ dirigentis in usu prosperitatis. 3. *Defectus* gratiæ sanctificantis ac dirigentis. 4. *Incuria*, qua status prosperi lubricitatem, & seductionem, non observamus. 5. *Mundus* & exempla mundanorum seducentium, quibus nos conformare nimium solemus. 6. *Satanas*, qui nobis, in rebus prosperis, nimium insidiatur.

D. *Remedia*, huic abusui applicanda, & hic suppetunt 1. à cogitatione *bonorum* legitimi usus, & *malorum* abusus. 2. Ab usu *adminiculorum*, quibus usus genuinus promovetur & dirigitur. 3. Ab obstructione *causarum*, à quibus nascitur abusus, per oppositaque cuique sua remedia.

CAPUT VI.

De mundi & mundanorum Usu & Abusu.

SUccedit *fundamentum* prosperitatis, mundus & mundana, cujus contemplanda veniunt, cum usus, tum abusus. Usus quidem examinabimus

1. *Naturam*, per quam non est nisi, mundo & mundanis uti convenienter suæ naturæ, & voluntati divinæ. Proinde hic nobis expendendum 1. *quid* sit mundus. Sonat ille in Scripturis, aliquando α complexum hujus universi, seu τὸ πᾶν creatum, hoc sensu, ejus naturam explicavimus lib. III. *Theol. Theoret.-practicæ*, cap. VI. Theorem. primo. β. Aliquando significat *homines* in hoc universo, quandoque *electos* contradistinctos Gentilismo Joh. III. 16. plerumque profanos infideles, extra Ecclesiam constitutos Joh. XVII. 9. quos passim Scriptura appellat *mundanos*, ψυχικοὺς, *naturales* 1 Cor. II. 14. Jud. vers. 10. Tandem γ. res mundanas, quatenus opponuntur spiritualibus, quatenus in competitionem veniunt cum Deo, quatenus nobis ansam præbent, ad earundem abusum 1 Joh II. 4. Jac. IV. 4. Tum 2. quid sit *usus* legitimus mundi, nimirum ut conveniens sit naturæ ejus & voluntati divinæ: huc requiritur, ut *significata* mundi caute observemus, & ad ea nos componamus.

namus. Et *primo* quidem, quatenus mundus notat τὸ πᾶν, universitatem creaturarum, usus hæc potissimum à nobis exigit officia: A. Ut ex eo Creatorem glorificemus, efficaciter repræsentando, ejus sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, passim in eo obviam, ut diximus *Theol. Theoretico-pract.* lib. III. cap. VI. §. XIX. B. ut ei gratias agamus, quod mundum & mundana in gratiam nostri creaverit, ut monuimus. Ibid. §. XXI. Ut C. *detestemur peccatum*, quod opificio tanto ac tali, tantam adduxit ἀταξίαν & deformitatem, per §. XXII. Ut D. hinc nobis *caveamus* ab immoderato ejus *amore*, per §. XXIII. Ut E. fugiamus ejus *abusum*, per §. XXIV. Ut F. operam demus ejus genuino *usui*, quem descripsimus ibid. Tum *secundo*, quatenus notat homines *mundanos*, carnales, naturales, usus ejus exigit potissimum officia: (1) Ut ejus *miseriam* agnoscamus, quam Apostolus describit Eph. II. 12. Ut (2) ejus *vafritiem*, subtilitatem, in decipiendo & seducendo, diligenter observemus. Ut (3) nobis caveamus ab ejus *illecebris*, blanditiis, falsis promissionibus, quibus ad peccandum pellicere studet, quo eas solicite declinemus. Ut (4) ejus persecutiones aut comminationes, non sic horreamus, ut inde ad peccandum instigemur. Denique *tertio*, quatenus mundus notat *res mundanas*; usus exigit hæc officia, ut ℵ. ejus *vanitatem* nobis serio repræsentemus, ex professo dicendam capite seq. Hinc ב. ut mundana contemnamus. Porro ג. ut ea magis magisque in virtute Dei *subigamus*, vincamus 1 Joh. v. 5. Ad hoc ד. mundum *crucifigamus* Gal. VI. 14. Non equidem, quatenus est creatura Dei, eoque bonus; sed quatenus est *inimicus* Deo ejusque legibus: quatenus adversatur animæ nostræ, eamque provocat ad cupiditates carnales: quatenus se nobis venditat, pro bono à Deo independente, quod ab ejus voluntate ac directione non pendeat, ut ejus præscripta, inter utendum, audire non teneamur; quatenus proinde eo utimur, non tanquam *dono* Dei, quod ab ejus manibus accipiamus; sed ut nostro peculio, quod nobis ipsis, nostris studiis comparaverimus, quodque pro lubitu nostro usurpare possimus: quando bona mundana nostris affectibus & studiis Divinis præferimus, & supra Deum diligimus: quando saltem mundana *perinde* diligimus, ac Deum, eique velut à latere collocamus, nec ipsi subjicimus: quando etiam ea Deo opponimus, ut eis abutamur contra voluntatem ejus: quando mundo & mundanis non utimur *pro Deo*, ut per ea quasi manuducamur, ad divina ac spiritualia, ut ex eis Deum glorificemus, eum diligamus, eique gratias agamus. His modis, mundus & mundana crucifigenda. Quod fit 1. Dum *inimicitiam* inter ea & Deum ingenue agnoscimus Jac. IV. 4. 1 Joh. II. 4. adeo ut amici Dei & mundi simul esse nunquam possimus. Dum 2. profundam gestamus & radicatam apprehensionem, vanitatis, indignitatis, & insufficientiæ, quibus absque Deo, prodesse nullo modo possint Matth. XVI. 16. qua non sint nisi σχύβαλα 1 Cor. VII. 31. Dum eum 3. nobis quasi pro mortuo & crucifixo habemus Gal. VI. 14. imo quasi pro nihilo Jes. XL. 17. Psal. LXII. 9. Job. VI. 21. Dum 4. nimiam ejus æstimationem reprimimus, nostras cogitationes & affectus, amorem, desideria, exspectationes, delectationes &c. ab eo magis magisque cohibemus, refrænamus. Dum 5. nostros labores, nostraque studia, acquirendis mundanis non nimium anxie impendimus. Dum 6. ex eorum jactura, non nimium affligimur. Dum 7. mundum & mundana non habemus pro supremo *fine & scopo* nostro; sed ad potiora dirigimus pro mediis.

II. *Bona* hujus usus præcipua sunt: 1. Per eam, mundus & mundana, *bona* nobis redduntur, & conducibilia. 2. Per eum etiam *nostra* fiunt 1 Cor. III. 11. 22. Ejus ope 3. per mundana & terrena, ad *cœlestia* & spiritualia deducimur. Etiam 4. *pignora* nobis sunt divini amoris, gratiæ & benedictionis. Proinde 5. ejus ope mundus & mundana, utcunque per peccatum maledictioni obnoxia, nobis dulcescunt. Sic 6. vitam, valetudinem & quamvis nostram prosperitatem, egregie juvabunt. Per eam 7. dominium, nobis olim collatum apud creationem, & peccato perditum, non parum redintegratur, ut non servi simus; sed Domini mundi & mundanorum. Et sic etiam 8. nos promovebunt, ad possessionem mundi futuri & cœlestis.

III. *Adminicula* promovendi hujus usus, sunt: 1. Mundum & mundana quærere velut media ad celsiora, nequaquam autem propter se, ut in eis acquiescas. 2. Non nimium avide inhiare rebus mundanis, acsi in eis sit felicitatis nostræ summa Prov. XXIII. 4. & XXVIII. 20. 1 Tim. VI. 9. ex adverso animum gerere, quantum fieri potest, liberum & indifferentem in rebus mundanis Job. I. 21. Jac. I. 9. 10. 1 Cor. VII. 31. Tum 3. applicare sibi per fidem, *crucem* Christi, ut ejus ope crucifigas mundum Gal. VI. 14. ab ea capiendo, & argumenta motiva, & vires efficaciamque. 4. *Subigere carnem* Gal. V. 24. ut pote à qua, omnis mundanorum abusus originem habet. 5. Mentem occupatam habere cœlestibus ac spiritualibus, ut non suppetat sibi otium ad mundana captanda. 6. Perspectum habere genuinum usum ac finem rerum mundanarum, ad quem destinatæ à Deo sunt, ut ad eum te accurate componas. 7. Observare rerum mundanarum & prosperitatis *lubricitatem*, ne per eam ad abusum seducaris. 8. Operam dare, ut ex *calamitatibus* & adversis etiam, proficias in subigendo mundo & mundanis. 9. In omnibus continuo ob oculos habere Scripturam dirigentem

& exempla Christi ac Sanctorum prælucentia. 10. Deum fatigare precibus, qui nos servet à mundo, qui nos dirigat in usu ejusdem.

IV. *Abusum* mundi & mundanorum, cujus cogitanda

A. *Natura*, quam nullo negotio colliges ex eis quæ circa usum diximus. Est nim. mundo & mundanis frui, eo modo qui nec suæ naturæ, nec voluntati divinæ congruit. Quod fit, quando 1. *Creaturam* habemus velut *absque Creatore*, h. e. mundi hujus machinam pulcherrimam aspicimus, non observato ejus δημιεργῷ, absque ejus glorificatione, amore &c. Psal. XIX. 1. Quando 2. à mundo, seu mundanis hominibus, ad mundana, eorumque abusum, seu pellici illecebris; seu pelli persecutionibus, nos patimur. Quando 3. res mundanas α. *majoris facimus* quam par est, eis cor apponimus, & in eo supremum locum eis assignamus. β. Intensiore conatu & labore quærimus, quam meretur, scil. vel *neglectis* spiritualibus, vel saltem *supra* eas Matth. VI. 33. Joh. VI. 26. 27. Quando γ. mundo & mundanis *servimus*, velut Dominis nostris Matth. VI. 24. ab eis victi ceu mancipia. Quando δ. eis fruimur: vel *absque* Deo; vel *supra* Deum, vel *juxta* Deum, vel *contra* Deum, ut supra diximus uberius. Quando ε. seposita voluntatis divinæ norma & directione, in usu mundanorum, solam carnis dictaturam sequimur.

B. *Mala* hujus abusus inter alia sunt: 1. Res longe præstantissimas & utilissimas nobis reddit *vanas* prorsus & inutiles. Imo 2. & *noxias*, ut quæ nobis damnum adferunt animæ, & æternæ felicitatis. Insuper 3. *inimicitiam* Dei nobis conciliat Jac. IV. 4. Et 4. justam ejus vindictam provocat, ut temeratarum rerum suarum rationes simus reddituri Matth. XVIII. 23. 34. 35. Porro 5. nos detrudit in classem hominum mundanorum, ψυχικῶν, qui sunt *inimici crucis Christi, quorum finis est exitium, quorum Deus venter* est, *quorum gloria est in dedecore suo, qui terrena sapiunt* Phil. III. 18. 19. Etiam dum hic sumus, 6. bona Dei *dona* nobis convertit in spinas, in laqueos, qui conscientiam torqueant, pariter & captivam ducant.

C. *Causæ* hujus abusus sunt 1. *Inimicitia* cum Deo, qua bonis ejus abutimur, cum ejus ingratia. 2. Intrinseca *carnalitas*, à qua omnis mundanorum usus *carnalis* redditur, & in abusum convertitur. 3. Externa mundanorum *facies fucata*, qua in sui admirationem, amorem superlativum, eoque ad abusum pelliciunt. 4. *Exempla* tot aliorum, quin omnium mundanorum, quibus complacere, nosque conformare nitimur. 5. *Cæcitas* naturalis, qua vanitatem & insufficientiam mundanorum non perspicimus, & talia in eis perspicere nobis videmur, quæ ei revera non competunt. 6. Defectus *normæ* & gratiæ dirigentis.

D. *Remedia* adversus hunc abusum, petenda sunt 1. à consideratione *bonorum* legitimi usus, & *malorum* abusus. 2. Ab *adminiculis*, quibus juvatur & dirigitur usus. 3. Ab obstructione *causarum*, quibus nascitur abusus.

CAPUT VIII.

De rerum humanarum Vanitate.

IN statu prospero, & mundanorum usu pariter & abusu, multum confert vanitatis mundi, & rerum omnium humanarum contemplatio, quamobrem hoc caput ei impendemus, consideraturi eorum

I. *Naturam*, per quam & mundo, & cum primis rebus omnibus, per peccatum, adest universalis ineptitudo, ut jam non sufficiant nobis, ad usum illum, quem Deus ipsis ab initio concreavit. Hic igitur observanda est 1. *vanitas*, per quam non habent, quod nobis conducat, aut sufficiat, cum ad terrenam; tum ad spiritualem beatitudinem. Ea vero observatur (1) *generaliter* in hoc universo seu mundo. In hanc rem præsupponendum, quod Deus condiderit omnia *valde bona*, h. e. quo sufficerent homini ad suum usum: tum *universalem*, scilicet ad provocandum hominem, ad Dei glorificationem, amorem & gratitudinem, & sic deducerent ad *spiritualia*: tum *particularem*, quo & in temporalibus sufficerent ad hominis vitam, alimenta, delectationem &c. Istam bonitatem periisse peccato, & succesisse *vanitatem*, per quam α. nullam jam habent *proportionem* cum hominis *anima*, ut pote quæ *spiritualis* est, & infinitum gestat appetitum, adeoque satiari non potest ullo objecto corporali finito, quin non alio, quam infinito bono, scil. Deo. β. Nec ullam *efficaciam* intrinsecam, ut cuncta sint quasi mortua in se, nec possint operari, nisi in virtute suæ causæ principis, Dei, pro natura cujusvis instrumenti Marc. XI. 20. Etiam γ. omnia vana esse, quoad suam *durationem*, quatenus omnia *pereunt* Psal. CII. 27. Nec δ. jam valere nisi ad *vexationem* spiritus, quem vulnerant, q. obducunt, fallunt in sua exspectatione. Quæ vexatio peculiariter observatur in rerum mundanarum *acquisitione*, per varios labores & molestias: *conservatione* sub vario timore amissionis: *multiplicatione*, conjuncta cum variis angustiis; *dimissione*, cum urgenti-

gentibus doloribus conjuncta; *specialiter* ista vanitas conspicitur in rebus & *bonis* humanis, nim. A. *Animi*, cum quoad *intellectum*, in *cognitione* & sapientia rerum naturalium, civilium, Ecclesiasticarum: scil. quo major est cognitio; quo majus onus in ejus usu & applicatione: quo major invidia, suspicio, contradictio. Quin & in ipsa cognitione, vanitas multiplex observatur, in scientiarum omnium incertitudine, confusione, perplexitate: in laboribus corporis pariter & animi, qui requiruntur in eis acquirendis: in variis dubiis, erroribus, hæsitationibus, quæ comitantur, vel perfectissimam cognitionem, in operosis instrumentis & laboribus, quæ requiruntur ad ejus acquisitionem: in vilipendio, quo laborat apud ignaros, post exantlatos omnes labores. Tum quoad *voluntatem*, in *virtutibus moralibus*, & bonis, in quibus, & Gentiles & hypocritæ suam gloriam sectantur. Harum *vanitas* est, quod generaliter destituantur eo quod præ se ferunt, scil. vera *virtute*, ac proinde inania sint, nec habeant nisi meram ejus umbram. Quod *specialiter* in eo apparet, quia destituuntur omnibus veræ virtutis & boni operis affectionibus, quatenus non profluunt à corde regenito, quicquid autem *à carne est*, *caro* est. Nec β. à *corde* fideli, quoniam absque Christo, fide apprehenso, nihil possumus; scil. quod vere bonum sit, Deoque placeat ad salutem Joh. xv. 5. Nec γ. à cultu religioso versus Deum. Nec δ. à charitate versus Deum, proximum & propriam salutem. Nec ε. à vera Dei cognitione. Nec ζ. à sincera obedientia, juxta ejus legem & voluntatem. Neque η. conjuncta sunt cum humilitate. Nec ϑ. contendant in Dei gloriam, aut proximi commodum &c. Proinde non sunt veri nominis virtutes & bona opera. *Vanitas* observatur B. in bonis *corporis* humani, nim. (a) in *valetudine*, utpote quæ non est nisi donum commune, quod etiam cadit in reprobos, imo & in bruta: nec est, nisi momentanea & incerta, insuper est imperfecta, & variis infirmitatibus plena: est variis abusibus exposita, quibus ansam præbet variis sceleribus: tandem varia damna affert animæ, quæ plerumque sanior est sub morbis, quam sub valetudine: securitatem carnalem generat, resipiscentiam obstruit, meditationem mortis supprimit: morbos spirituales generat, ad cupiditates carnales erigit. Ex quibus omnibus, magis plerumque nocet, quam prodest, consequenter *vana* est. (b) In *robore* corporis, sub quo est agilitas, velocitas, & promptitudo ad operandam. Et hoc *vanum* est, quia & in bruta cadit, leonem, aprum aliaque, quibus majus etiam competit robur, quam homini: est etiam momentaneum, paulatim decrescit: occasionem præstat vanæ fiduciæ & gloriationi aliisque peccatis: non raro cum magna debilitate animi conjunctum: nec illud alicujus est momenti. Job. xxxvi. 19. Psal. cxlvii. 10. nec robustum liberare potest in casu necessitatis. Psal. xxxiii. 16. Proinde vanum est. (c) In *pulchritudine*, quæ absque pulchritudine animæ spirituali, prorsus *vana* est, quia est donum commune, quod etiam in pessimos cadit, v. g. Absolomum, imo in bruta quædam, v. g. cygnum &c. allicit ad fastum & superbiam, aliaque peccata: est evanida & momentanea Psal. xxxix. 12. spernitur à Deo 1 Sam. xvi. 7. seducit ad impudicitiam Prov. xxxi. 30. potior est in oculis aliorum, quam in propriis &c. Proinde *vana*. Vanitas observatur C. in bonis *fortunæ*, puta (α) in *divitiis* & opibus, utpote in quibus nulla est bonitas moralis: quæ etiam in pessimos plerumque cadunt: ansam præbent terrenis vitiis: sunt escæ satanæ quibus captivos ducit: sunt spinæ quæ torqueant non tantum; sed & incrementa gratiæ salutaris suffocent: quæ viam ad beatitudinem æternam, reddant admodum lubricam, difficilem & incertam. His aliisque nominibus *vana* sunt. (β) In *honoribus*, gloria, nominis celebritate, præcedentia, favoribus Principum. Ista omnia, si abstrahas à suo fundamento, dignitate, excellentia, virtute &c. sunt extra nos: sunt in arbitrio aliorum, qui raro meritissimos honore competente mactant: sunt evanida, momentanea: ambiri absque conscientiæ læsione, obtineri à multitudine, in tot capita divisa, vix possunt; saltem non nisi cum magno labore, molestia, periculo: reddunt hominem ambitiosum, & hinc vilem etiam. His aliisque nominibus, & honores, ex quocunque capite, sapientiæ, virtutis &c. ambiantur, vani sunt. (γ) In *nobilitate* ortus & majorum. Hujus Deus nullam habet rationem 1 Cor. i. 16. 28. eam indifferenter in reprobos & electos dispensat: eam & Christus, utcunque regio sanguine natus, constanter sprevit, seipsum filium hominis appellando: est momentanea & concidens, saltem cum vita nostra: est inutilis, separata ab heroicis majorum virtutibus, quibus fuit commerita: erigit plerumque ad fastum, otium, contemptum virtutis & religionis: à virtute separata, hominem magis vilem reddit & contemptum. Est proinde carnalis nobilitas, *vana*. (δ) In *auctoritate*, muneribus publicis: quibus enim auctoritas competit regendi alios; eis plerumque deest potestas regendi seipsos: non liberat hominem à malis Psal. xxxiii. 16. quin exponit potius aliorum odiis, invidiæ, insidiis, periculis: est plerumque conjuncta cum fastu, tyrannide, injustitia, oppressionibus aliisque compluribus vitiis: inique usurpata, hominem exponit regidissimæ vindictæ divinæ, ejusque maledictionem aggravat Job. xii. 19. 21. ut patet in Pharaone, Nebucadnezare, aliisque. Quare & auctoritas ac potestas mundana *vana*

est

est. Imo & (ε) in ipsa eminentia *regia*, quoniam scatet turbis, curis, quas impendat sibi ipsi; quas impendat subditis gubernandis: honos regius maximum est onus, turbulentis ac violentis affectibus, qui extrinsecus a nemine compescuntur & limitantur, vehementissime vexatur: periculis plurimis & gravissimis est expositus: ingratitutidini, odiis, insidiis, cum subditorum, tum hostium: plurimis & gravissimis rationibus, Reges ac Principes, coram tribunali divino, subjicit: ansam præbet plurimis vitiis, impietati, ἀσωτίᾳ, fastui, crudelitati, licentiæ carnali: hinc dirissimis judiciis observantur, Reges ac Principes exigitati. Ab his omnibus, & *vanitas* est in *regnis*. (7) In *ornamentis* corporis, vestitu splendido & pretioso, pigmentis faciorum aliisque homogeneis, in quibus multiplex & ingens vanitas observatur: si enim vestitus usum observes, est α. obtegere & munire corpus, adversus injurias tempestatum; nunquid idem possunt vestes viliores? si β. *ornamentum* ejusdem, & honorem inde orirundum; quid conferre possunt ad honorem *animæ*, partis nostri potioris? Si γ. *distinctionem* ordinum & statuum; quid eo conferunt vestimenta, si non aliud intrinsecum adsit, quod distinguat? Porro, quid honoris accipi potest ab excrementis brutorum, ovium aut insectorum? Digniores sunt vestes laneæ, quæ ab ovibus capiuntur, communiores, quam sericæ, pretiosiores, quæ ab insectis accipiuntur? Hinc personæ excellentiores, Reges & Principes, viliori plerumque vestimento utuntur, quam sui famuli. Insuper pretiosior vestitus atterit fortunas ac depauperat, & reliqua omnia analogice requirit pretiosiora, & quantas curas ac molestias affert acquirendis his sumptibus: neque excessus in vestitu, honorem conciliat; sed vilipendium potius: neque virtuosos plus commendat, quam vilior; forma decet neglecta virum: arguit hominem destitutum melioribus, à quibus honoretur: quantum temporis sibi etiam exigit hujusmodi apparatus? Etiam invidiam concitat aliorum: Dei præscripta transgreditur: suum istum fastum *exteriorem* plerumque tegere & excusare conantur, prætextu interioris humilitatis: nec raro lasciviam prodit, & aliorum provocat: etiam bono *publico* nocet excessus iste, unde publicis legibus subinde refrænandus fuit: atque insuper divinis judiciis castigatus observatur Jes. 11. 11. 12. Zeph. 1. 8. Quid igitur *realitatis* est in vestitu pretiosiore? Tandem (η) in *voluptatibus* carnalibus, in quibus tantum ponunt carnales. Sunt communes piis & impiis, imo copiosius observantur in impiis, quam in piis Psal. XVII. 14. & LXXIII. 3——10. Luc. XVI. 19. Attingunt & afficiunt corpus tantum, illudque saginant, ad animam non pertingunt: argumentum præstant hominis mundani, carnalis, irregeniti; excludunt à cœlesti felicitate: ad iram Deum provocant. Quid igitur est rei bonæ, in voluptatibus carnalibus? Hæc breviter circa vanitatem mundi, & rerum humanarum tetigisse, impræsens sufficiet.

II. *Usus*, seu officia circa istam rerum vanitatem observanda sunt: 1. *Agnitio*, exquisitio & ponderatio, universalis istius mundi & rerum humanarum vanitatis. 2. Discriminatio *bonitatis* intrinsecæ, saltem naturalis, quatenus res istæ sunt oriundæ à Deo, ad hoc ut eis *utamur*, non abutamur. 3. Agnitio *peccati*, quod rebus omnibus tantam adduxit vanitatem, ut super eo, nos profunde humiliemus, coram Deo, ejusque remedium quæramus in Christo. 4. *Concemtus*, quatenus vana sunt. Saltem 5. *fiduciam* in eis non ponamus, quippe vanis, inutilibus ac fallacibus. Ut 6. *vanitatem* istam, quantum fieri potest, castigemus, emendemus, corrigamus & reprimamus, in interiora mentis nostræ, res istas non admittendo, *oculos* mentis avertendo, *ne aspiciant vanitatem* Psal. CXIX. 77. armando nos, adversus vanitatem mundi & mundanorum: ea sanctificando, verbo ac precibus: mentem nostram elevando, supra hunc mundum & mundana, versus cœlum, cœlestia ac spiritualia, utpote quæ sunt supra vanitatem, constantia & immobilia: ut sectemur, traducendo ea ad usus pios. Ut tandem 7. ea *abnegemus*, quatenus in competitionem cum Deo contendunt, ejus voluntati obsistunt, & ad ἀυτότητα fovendam & satiandam vergunt. De qua abnegatione, ex professo diximus lib. VI. Cap. VIII. §. XXXIV. His adminiculis, vanitatem rerum mundanarum, & vexationem spiritus, ab eis oriundam, frangemus, & creaturis suaviter utemur.

CAPUT VIII.

De crucis Tolerantia & Abusu.

HAbuimus exercitium pietatis in *vita* hominis, quoad statum ejus secundum; succedit idem quoad statum adversum. Ubi dicendum veniet 1. de *natura* crucis seu rerum adversarum, in genere; tum de *ortu* ejus, à tentationibus; tandem de *speciebus* ejus. Primo de crucis usu & abusu. Illius considerandа

I. *Natura*, per quam crucis usus non est, nisi adversa hujus vitæ generose & fortiter sustinere. Per cru-

crucem igitur hic intelligimus, quodvis nobis in hac vita adversum, quamvis afflictionem aut malum, seu quoad corpus, seu quoad animam, seu quoad fortunam, de quibus distincte nobis est agendum suo loco. *Usus* autem omnium adversorum, in hoc est, ut generose & fortiter quodvis sustineamus. Quo requiritur 1. ut nos tempestive *præparemus* & obfirmemus, adversus futuras afflictiones. Quod fit (1) *præstolando* afflictiones, velut certo nobis imminentes Act. xx. 22. 23. ea non summovendo per vanam securitatem Psal. xxx. 7. (2) *Addiscendo* primam Christianismi regulam, de *abnegatione* sui ipsius Matth. xvi. 26. subacta enim φιλαυτία, nihil facilius est, quam quævis sustinere adversa. (3) *Humiliando* nos ipsos sub potenti Dei manu, quo parati simus, qualia & quantacunque mala admittere Psal. xxxix. 10. (4) *Prospiciendo* nobis tempestive, de spirituali tranquillitate animi, cujus ope adversa quævis futura possumus superare Jer. xvii. 17. Phil. iv. 6. 7. Rom. v. 1. (5) *Studendo*, ut magis magisque persuadeamur de omnisufficientia Dei Gen. xvii. 1. quæ nobis sufficere possit, adversus quævis imminentia mala, cujus robore, quævis sustinere & superare valeamus Phil. iv. 13. quæ nobis in omnibus sit affutura. (6) *Operam dando*, ut omnem præsentem nostram prosperitatem possideamus, *velut à Deo* nobis collatam, quam pro nutu ejus, etiam promte deseramus Job. 1. (7) Nos ipsos cum omnibus nostris, *resignando* Deo: ut ab ejus dispositione omnia pendeant, ac minus turberis, si traditum sibi Deus auferat. (8) Nobis tempestive *prospiciendo*, de his quæ conducant, succurrendis, & mitigandis ingruentibus calamitatibus, nim. de argumentis *consolatoriis*, *experientiis* in necessitatibus præteritis, *promissionibus* divinis de auxilio præstando, quantum satis est, ad emergendum. (9) *Erigendo* & confirmando multiplicem Dei *gratiam*, dudum nobis collatam, fidem, fortitudinem, patientiam, dependentiam à Deo, aliamque, qua possis subsistere adversus calamitates, quæ olim ingruant. Tandem (10) *attendendo* ad exemplum Christi & omnium Sanctorum, qui diriissima quævis tam fortiter sustinuerit: iram Dei & maledictiones legis pro nobis tam patienter susceperit: idque pro peccatoribus, tantaque promtitudine perpessus fuerit, ad hoc, ut suis in omnibus adversis succurreret, eis exemplo suo præluceret: quamque ex perpessionibus, fortiter ab ipsis susceptis, glorificetur: cujus vestigia Sancti per omnia tempora, tanta tolerantia, presserint. His adminiculis præparatus animus 2. ipsis afflictionibus jam urgentibus, fortiter susciplendis & perferendis, se accingat, ab *una parte*, fugiendo ea, quæ te debilitare queant, in portandis urgentibus afflictionibus, nim. α. *Dissimulationem* gratiæ & roboris qua dudum præditus sis, ut non sis pauper, quando revera dives es Prov. xiii. 17. β. *Pudorem* perversum, quo te pudeat ejus status, in quem Deus te conjecit, ut te, ex conformitate cum filio suo, honore afficeret 1 Pet. iv. 16. γ. *Impatientiam*, qua non fatigeris ex immissis tibi calamitatibus, ejusque voluntati obstrepas Prov. iii. 11. δ. *Dejectionem*, qua sub calamitatibus, non vivas ex fide, aut amorem Dei tibi dubium facias. ε. *Fiduciam* in terrenis amicis, aliisque mediis liberaturis te, ex urgentibus adversis, quo à Deo solo pendeas, qui possit & velit tibi, pro re nata, succurrere. ζ. Nimias *curas* & perplexitates, quibus vias tuas non committas Deo, inque eo fiduciam tuam colloces. η. *Terrores* à subito oborientibus tibi calamitatibus, quibus nimium concutiaris ab ingruentibus malis, quibus infirmitatem fidei prodas, ex adverso tibi propone immutabilitatem amoris & promissionum divinarum Prov. iii. 25. Ab *altera parte*, sectando sub calamitatibus, ea quæ efficaciter succurrere possint, nim. (a) *Preces*, ut Deus tibi succurrat, te roboret, fulciat, ne succumbas, atque etiam, pro sua benignitate, liberet Psal. l. 15. Jac. v. 13. (b) *Patientiam* & acquiescentiam, in ejus sapientissima voluntate & providentia Jac. i. 4. 1 Pet. iii. 15. (c) *Prudentiam*, qua noris, ut te gerere debeas in calamitatibus, quibus item mediis eis succurrere possis Jac. i. 5. (d) *Fiduciam* in Deo, qua onera tua conjicias in ejus humeros Jac. i. 7. 8. Nah. i. 7. Psal. xxvii. 14. & xxxvii. 7. (e) *Obedientiam*, qua ejus voluntati te totum submittas Heb. v. 8. te ipsum judices, tuaque ex peccato merita agnoscas Job. xxxvi. 8. 9. constans maneas sub tuis calamitatibus, persistas in ejus viis Psal. xxxvii. 34. Tandem 3. adnitendo, ut ex urgentibus malis, bonum aliquod tibi compares; ut ex eis A. invalescat fervor *precum* Jes. xxvi. 16. Ut B. erigatur *fortitudo* & patientia tua, prout fieri solet per oppositionem contrariorum. Ut C. per ea magis magisque arceamur à peccatis Hos. ii. 6. ut nobis sint quasi sepimenta adversus ea. Ut D. gratia *latens* in corde, per ea magis magisque in *apricum* perducatur, & in exercitium promoveatur Psal. cxix. 67. Hos. ii. 7. Ut F. *corruptiones* cordis magis magisque mortificentur Jes. xxvii. 9. Sunt enim paternæ Dei castigationes, quibus peccata declinentur & corrigantur Apoc. iii. 19. Ut G. ex eis magis magisque conformeris Christo Phil. iii. 10. Rom. viii. 29. Ut H. sub afflictionibus, Deus in nobis glorificetur, ex suppeditatis viribus, ex victoria &c. Ut I. per afflictiones excitemur, ad sectandam quietem cœlestem Heb. iv. 9. 10. 11. & per leves & momentaneas hujus vitæ afflictiones, perducamur ad æternum gloriæ pondus 2 Cor. iv. 17. 18. Rom. viii. 18.

II. *Bona* hujus usus ac tolerantiæ, ob quæ exercenda, sunt: 1. Est inter prima Christianismi officia Luc. IX. 23. Jac. I. 4. Tum 2. est indicium amoris divini Apoc. III. 19. Heb. XII. 6. Porro 3. nos conformes reddit Deo Rom. IX. 22. & Christo Heb. XII. 2. 3. Est 4. donum Dei Phil. I. 24. Est 5. multis modis *utilis*, ad refrænandas corruptiones nostras, ad excitanda gratiæ dona, quæ §. præced. indigitavimus. Est 6. omnibus modis *necessaria*, ad superandas tot difficultates, quæ nobis obviæ sunt, apud professionem Christianismi nostri. 7. Extenuat amaritudinem, quæ est in omnibus afflictionibus nostris, easque tolerabiles, imo dulces reddit calamitates. 8. Viam *parant* qua ingrediamur in regnum Dei Act. XIV. 22. 2 Tim. III. 12. prout Christo pararunt Luc. XXIV. 26.

III. *Adminicula*, quæ juvent in tolerantia crucis, suppetunt 1. ab exercitio *dependentiæ* à Deo, qui cuique suas decernit, & immittit afflictiones. 2. A *confœderatione* cum Deo, qua immittens sit Deus noster, nobis ex fœdere obstrictus ad quodvis auxilium. 3. A *rememoratione* frequenti istius confœderationis, qua persuasus sis & maneas, ab amico confœderato, tibi obvenire omnia, quæ obveniunt. 4. Ab *exercitio* fortitudinis, patientiæ, fiduciæ in Deo. 4. *Ab applicatione* argumentorum consolatorium, quæ tibi prostant in Scripturis. 6. A *precibus*, quibus divina potentia, bonitate, juxta promissiones suas, omnia obtineas, quæ circa afflictiones erunt necessaria. Conf. quæ de fortitudine, patientia, constantia, dudum habuimus, in *Idea Theol. Moral.* lib. I.

CAPUT IX.

De tentationum Usu & Abusu.

EXaminavimus crucis seu adversorum *naturam*; succedunt *causæ* seu *tentationes*, quæ tamen & ipsæ afflictiones sunt gravissimæ. Harum usum & abusum contemplabimur, quoad

I. *Naturam* & usum, per quam nos fortiter & dextre gerimus apud tentationes. Observandum hic 1. *quid* sit tentatio? Sonat aliquando idem, quod *exploratio* seu *experimentatio*, qua cognitio alicujus rei interior quæritur, vel sibi, vel aliis. Sic Deus hominem tentat, non ut sibi; sed ut aliis innotescat, ut patet in tentatione Abrahami, & Israëlis; sic satanas tentat, ut sibi innotescat status, vires & fortitudo aut debilitas tentati: aliquando tentatio idem notat quod *impugnatio* seu bellum, sic satanas tentat, ut seducat & dejiciat; homo Deum, ut offendat &c. 2. *Quotuplex* sit tentatio? Est tentatio (1) *Dei*, qua homines tentat seu explorat, ad hoc, ut innotescat, vel virtus, vel vitium, quod latet in ipsis; non sibi tentanti, sed vel tentatis ipsis, vel aliis hominibus, prout patet in tentationibus, quas diximus in Abrahamo, in Israëlitis aliisque. Et hæc tentatio vergit in bonum hominis. (2) *Hominis*, qua explorat aut impugnat α. vel *Deum*, quando experimentum quærit, alicujus perfectionis divinæ, mediis aut modo illicito, plerumque ab infidelitate proficiscens, de qua nos alibi ex professo egimus. Vel β. *proximum*, ejus robur aut infirmitatem, virtutem aut vitium cogniturus, non raro ut ad peccata pelliceat: Sic Eva Adamum tentabat: vel γ. *seipsum*, ut sibi innotescat, quid valeant humeri, quid ferre recusent, quod fit ab eis, qui in pericula se temere conjiciunt, cum spiritualia, tum temporalia, sic Petrus Christum captum sequens in palatium Pontificis. (3) *Satanæ*, qua homines tentat ad malum, ut videre est in tentationibus protoplastorum & Servatoris. Istarum tentationum animus est, primo quidem investigare statum, vires, animum & virtutem tentati, tum ut ipsum, pro natura status & virium, aggrediatur, seducat, vincat & adducat ad peccandum, hinc ad exitium. Sunt tamen (4) & tentationes *mixtæ*, quando, & homo & Deus, & satanas, diverso scopo & modo, cooperantur in tentatione. 3. *Quis usus* tentationum, seu quæ officia sint exercenda, circa tentationes, quæ pro variis objectis, varia sunt, scil. 1. circa tentationes *Dei*, officia hominis sunt: ut attendat ad verba & actiones Dei tentantis ut eorum mentem ac scopum percipiat: ut perceptis se prudenter accommodet & attemperet: ut præscriptis præstandis, promtissime se accingat, qualiacunque ea tandem fuerint, sive grata sive dura, quæ omnia discuntur ab exemplo Abrahami Gen. XII. 2. Circa tentationes *hominis*, cum illas quæ occupantur circa *Deum*, tum illas quæ versantur circa *proximum*; tum versus *nos ipsos*, vix aliud observandum est, quam ut illas quam studiosissime evitemus, prout circa *Deum* quidem, monuimus in *Idea Theol. moralis* lib. II. peculiari capite de *Tentatione Dei*; nisi quod circa tentationes aliorum, item circa tentationes versus nos ipsos, hoc addendum veniat, ut nobis non noceant, h. e. ad peccandum inducant. Maximum negotium occurrit circa 3. *Satanæ* tentationes, quibus comprehendimus illas quæ à satanæ ministris, mundo & carne propria versus nos adornantur, ut ad peccata pelliceant. Satanam seducendo versus eos occupari; hic quidem præsupponimus, alibi *Theol. Theoretico-practica* lib. III. cap. XIII. §. potissimum XXII. demonstratum. Circa istas nobis observanda sunt hæc officia: 1. ut

accu-

accurate perſpectum habeamus, quæ ſit *natura* tentationis ſatanicæ, ad peccandum. Scil. non eſt niſi argumentatio ſophiſtica, qua ſub ſpecie veri & boni, nos abducere conatur, ad falſum & malum: quam hæc tria communiter ingrediuntur: (a) *Bonum* quod offert, repræſentat, velut *magnum* & egregium; *eritis ſicut Elohim* Gen. III. (b) *Malum* quod latet in herba, occultat & abſcondit: *nequaquam moriemini.* Ibid. (c) *Medium*, quo obtineatur bonum promiſſum oggerit, velut *facile*; tantum *comedite.* Ibid. Prout alibi diximus *Theol. Theoretico-pract.* lib. IV. cap. I. §. X. Tum 2. tenendum, quod ſatanas nos non ſeducat, abſque noſtro conſenſu: neque enim nos *cogere* poteſt ad peccandum; neque ſeductio ejus, immediatam & directam habet efficaciam, qua in nobis voluntatem noſtram determinet ad peccandum, idque ad hoc tenendum, ne peccatum ejus tentatione natum, à nobis, in ſolum ſatanam derivemus. Quid igitur? Hoc agit ab *una parte*, ut *mentem* avertat à cogitatione Dei & boni, eique ſubſtituat ſubitaneas cogitationes, motus primos, deſtitutos omni prævia deliberatione: hos enim motus primo-primos, vera eſſe peccata contra Romanenſes alioſque, alibi demonſtravimus: tum ab *altera parte*, ut *voluntatem* & concupiſcentiam excitet & alliciat, objecta eſca, ſicut piſcatores piſces. Hinc concupiſcentia, ſeductione ſatanæ excitata, propria cauſa eſt peccati, teſte Jacobo Epiſt. cap. I. 13. 14. 15. Proinde 3. ut motus concupiſcentiæ primo-primos caute obſervemus, eoſque apud tentationes declinare ſtudeamus, quod his ſalvis, omnis tentationis efficacia pereat. Porro 4. tentationibus declinandis diſtincte intenti ſimus: (1) *Ante* earum adventum, quo præveniantur, ac declinentur, quo ſpectat, A. ut nobis caveamus à *ſuperbia*, quæ plerumque præcedere ſoletlapſum, à qua Philoſophi gentiles ſuis paſſionibus traditi dicuntur Rom. I. 21. 22. & ex adverſo humiles ambulemus, in conſpectu divino. Item B. *ſecuritate* carnali, quando enim exiſtimamus, nullum periculum imminere; tum maximum adeſt, ut apparet in protoplaſtis, in Petro aliiſque. Proinde vigilandum. Inſuper C. ut caveamus abuſum gratiæ & bonorum Pſal. XXX. 7. 8. quod juſtum ſit apud Deum, ut abutentes tentationibus permittat. D. ut aliorum qualiumcunque lapſus qualeſcunque, caute obſervemus pro exemplis, quo aliorum periculis cautius diſcamus mercari, ne in eaſdem tentationes incidamus, memores tantundem corruptionis, nobis natura adeſſe, ac illis, v. g. protoplaſtorum, Noachi, Lothi, Davidis, Salomonis, Petri aliorumque. E. Ut ſolicite vitemus omnem tentationis & peccati anſam & occaſionem: facit enim occaſio furem, eaque ratione nos ipſos tentamus ad peccandum, & ſatanam provocamus, qui nobis in hoc ſuccurrat, & Deum qui nos deſerat. F. Ut arma noſtra, adverſus ſatanam ejuſque tentationes, ſemper habeamus in promptu, quod non facile aggrediatur, quos videt paratos, qui ſibi fortiter obnitantur, & promptius aggrediatur, quos videt inermes (2) *Sub* ipſa tentatione, ut in uſus noſtros eam prudenter convertamus, quod fiet, α. ſi perſuadeamur, tentationes nobis à Deo immitti, ut humiliemur, ob peccata commiſſa: ſeu ut ea magis fugiamus impoſterum. β. Si cogitemus hanc eſſe communem omnium *Sanctorum ſortem*, ut ſubſint tentationibus, nec eis nos eſſe potiores. Conf. Heb. XII. 8. Si γ. in tentationibus agnoſcamus *providentiam* divinam, quæ tentationes non raro permittit, ut peccata declinet. Si δ. ſerio enitamur in *uſum mediorum*, quibus urgens tentatio averruncetur, qualia media ſunt: (1) Ut in tentationibus, quantum poſſimus, declinemus omnem *diſputationem* cum tentante, qua ſeducti olim ſunt protoplaſti; ſed indignabundi, mox abigamus ſatanam, cum Servatore Matth. IV. Apage *ſatana.* (b) Nec mox *fugam* moliamur, aut arma noſtra abjiciamus, hoc enim erigit ſatanam ad inſiſtendum validius. Ex adverſo (c) ſimus inſtructi *fide*, qua ignita ſatanæ tela extinguamus Eph. VI. 16. qua victoriam conſecutus eſt Servator Matth. IV. qua promiſſiones divinas in promptu habemus, fiduciam habemus in eis, robur captamus à Chriſto, qua ſtamus adverſus ſatanam. (d) Fortiter *reſiſtamus* in virtute Dei 1 Pet. V. 9. Jac. IV. 7. Eph. VI. 14. uſque ad *ſanguinem* Heb. XII. 4. nec deſiſtamus, antequam ruant tentationes, & concidat peccatum. (e) Non negligamus *preces* Marc. XIV. 68. quo Deus adſit, roboret, educat è tentatione, victoriam largiatur. (f) Satanæ ejuſque tentationibus opponamus *verbum Dei*, lectum, auditum, digeſtum, velut *gladium* ſpiritualem Eph. VI. 17. nobis ad animum vocemus prohibitiones, adverſus peccata, comminationes, promiſſiones. (g) Etiam nos ipſos *erigamus* & confirmemus, cogitando eſſe in his tentationibus præcipuam militiæ Chriſtianæ partem Eph. VI. 12. ſuppetere nobis egregium Archiſtrategum, qui nobis præluxerit, in omnibus tentatus ſicut nos, qui proinde nobis poſſit & velit ſuccurrere Heb. II. 18. (h) Adhibeamus in conſilium & auxilium fidelem quendam, peritum & exercitatum medicum ſpiritualem. Tandem (3) fugato jam ſatana, ceſſante tentatione 1. cavendum ab *inſidiis* ſatanæ, qui non raro ſimulat ſe victum eſſe, quando non niſi vires colligit, ut novum conflictum inſtruat; videndum ergo, an peccatum vere ſit ſubactum. 2. Standum nihilominus ſemper in excubiis, adverſus novos inſultus, quod ſatanas, etiam victus nunquam ceſſet penitus, atque inſuper intra nos, præſentem habeamus concupiſcentiam pravam. 3. Non negligenda eſt gratiarum actio, pro

præstita nobis victoria, *agnoscendo* intus gratiam & auxilium Dei, *prædicando* extus voce, & quantum fieri potest, *compensando* opere, per omnem vitam. 4. Captandi etiam ex præterita tentatione fructus, quibus magis agnoscamus stratagemata satanæ, corruptionem carnis, proclivitatem lapsus &c.

II. *Solatium* in tentationibus, suppetit ab his potissimum argumentis consolatoriis, quibus eadem opera, continentur *bona* legitimi usus, seu militiæ hujus spiritualis: 1. Quod tentationes istæ sint pars militiæ nostræ, ad quam vocamur ab Apostolo Eph. VI. 12 — cui nomen diximus in Baptismo, sub religione sanctissimi voti ac Sacramenti. 2. Quod belli Ducem & Imperatorem hic habeamus, exercitatissimum, fortissimum, prudentissimum Apoc. XII. 7. eumque nobis præsentissimum, qui hortatur, ut pugnemus fortiter, juvat ut vincamus, deficientes sublevat, & vincentes coronat. 3. Quod ex ductu & imperio Dei pendeat, etiam ipsarum tentationum directio Matth. VI. 13. 2 Thess. II. 11. Matth. IV. 1. Porro 4. quod Deus exitum polliceatur felicem 1 Cor. XVI. 13. Rom. XVI. 20. Etiam 5. quod & Christus tentatus fuerit, tentationes vicerit, & suis succurrat Heb. II. 18. & IV. 15. Col. 2. 15. Insuper 6. quod pugna ista sit cum satana ejusque affectis, mundo & carne Eph. VI. 12 — Quod 7. magna fit differentia inter *tentationem* & ejus *malum*, & tentatio sit opus satanæ; & malum fortiter declinari à nobis debeat, & possit in virtute Dei Eph. VI. 12 —— Quod 8. victoria sit gloriosissima, quæ *βραβεῖον* sibi promissam habeat coronam æternam 2 Tim. IV. 7. 8. Interim, ut solatio isto ex voto fruamur, necessum est, ut exploratione certi simus, quod pugnando victoriam vere simus adepti, cujus victoriæ certitudo his patet indiciis. (1) Cavendum solicite, ut ex manente animi perturbatione, in tentationibus cumprimis fœdioribus, non mox conficiamus, nos victos esse tentatione: cum ista perturbatio argumentum potius sit qualiscunque victoriæ, quia indicium est animi, à peccato abhorrentis, dum tranquillitas & securitas arguit aliquem consensum, ut patet collatione Ananiæ, quiescentis sub tentatione Act. v. 3. 8. cum Paulo admodum turbato 2 Cor. XII. 7. 8. Nisi forte perturbatio talis sit, ut perturbatum à Deo absterreat, quod à corruptione carnis, & à tentatione vincente, ortum habet. (2) Tentationis prævalentis certum indicium est, peccati illius, ad quod tentati sumus, admissio, sive illa plena sit, sive in consensu qualicunque, aut delectatione voluntatis subsistat Jac. I. 14. 15. idque magis, si delectatio ista sit *morosa*, ut loquuntur, h. e. persistat aliquamdiu, nec mox repellatur. Tum etiam (3) hominis victi argumentum certum est, si tentatio ex ipsa carnis ejus curruptione sit oriunda, quamvis à satana accendatur & inflammetur Jac. I. 14. Gen. VIII. 21. Si vero à satana solo sit oriunda: tum quidem est horrenda: sed non tentati culpa: verum tentantis solius malitia. Tum autem tentantis solius vitium est, cum voluntas tentati, à tentationis scelere ingenue abhorret, & ipsi tentationi fortiter obnititur, nec tentationem apud se commorari patitur. Ut patet exemplo Christi Matth. IV. & Pauli 2 Cor. XII. dum etiam efficacissimis precibus, eam à se averruncare studet. 2 Cor. XII. 7. 8. 9. Jac. IV. 8.

III. *Adminicula*, quibus animus tentati juvari potest in usu tentationum, & exoptati solatii feliciter commone fieri, sunt: 1. Tentationes omnes, quæ ad peccata solicitant, in hostium omnium numero habere 1 Pet. II. 11. Tum 2. in odio & abominatione habere suggestiones ipsas, quæ ducunt ad peccatum Rom. VII. 15. Porro 3. sese diligenter armare, adversus hostes illos spirituales Eph. VI. Etiam 4. eis arrectis omnibus viribus obsistere Jac. IV. 7. 1 Pet. V. 9. Interea 5. non propriis viribus quicquam tribuere; sed soli divino auxilio, illudque à Deo flagitare Matth. VI. 13, Insuper 6. in fœdis tentationibus, nullam disputationem, deliberationemque admittere; sed in mera detestatione & rejectione subsistere Matth. IV. 10. Ad hæc 7. omnes occasiones illas, quæ tentationem istam promovere possint, studiose fugere. Nec non 8. suggestiones molestas, quam maxima vi potest, repellere & extinguere Eph. VI. 16. aliquando etiam contemnere, cum post omnia tentata, non desinunt esse molestæ. Præterea 9. si sæpius repulsæ, usque & usque recurrant, meminisse, invicti militis esse, non solum impetum hostis sustinere semel atque iterum; sed etiam, diuturnæ obsidionis moram ac tædium devorare. Tentationum etiam divinarum 10. mentem ac scopum caute observare, eique obtemperare, ne ex eis nos ipsos lædamus, sicut Abrahamus Gen. XXII. Etiam 11. tentationes humanas, sive per illecebras, sive per persecutiones nobis insidientur: diligenter observare, ne lædamur. Nec 12. proprias nostri tentationes negligere, ut eis indulgeamus.

IV. *Abusum* tentationum, cujus videnda

A. *Natura*, perquam, circa tentationes sic versamur, ut ex eis lædamur. Quod fit, si 1. ex eis nimium terrorem, angorem & animi perturbationem concipiamus, cum neglectu fiduciæ nostræ, in Dei præsentia & auxilio, & subinde etiam cum horrore Dei Psal. LXXVII. 4. 5. Si 2. per carnis nostræ corruptionem, tentationibus non attendimus, ut nobis insciis obrepant. Si 3. cum tentatoribus, tentationibusque colludamus. Si 4. ipsis, ut par est, non obnitamur. Si

5. eis

ſi eis etiam ſuccumbamus, quod ipſis etiam fidelibus non raro uſu venit, v. g. Davidi, Petro aliiſque. Si 6. nos tentationibus *vinci* patiamur, ut arma abjiciamus, in tentatoris poteſtatem ac *dominium* concedamus, ut ejus voluntati obſequamur, nos voluptatibus carnis plane demus, quod ſolorum eſt reproborum.

B. *Mala* hujus neglectus, in his præcipue ſunt: 1. Quod eo vergant, ut nos à *Deo*, ejus favore & amicitia abſtrahant. Ut nos 2. *mancipia* ſatanæ, mundi & propriarum cupiditatum faciant. Ut 3. nos omni bono ac virtute privent, & in quævis ſcelera præcipites faciant. Ut 4. in numerum *ignavorum* & ingloriorum militum detrudant. Ut tandem 5. in plenam ſatanæ, tortoris immaniſſimi, communionem præcipites dent. Non addam, ut & hic 6. nos omni conſcientiæ ſerenitate privent.

C. *Cauſæ* hujus abuſus fere ſunt 1. *ignorantia*, per quam naturam militiæ ſpiritualis, & ſtrata gemata ſatanæ neſcimus. 2. Naturalis *infirmitas* & deſidia, per quam pugnandi moleſtias averſamur. 3. *Amor peccati*, per quem tentationibus, ad voluptates & emolumenta temporalia, facile cedimus. 4. *Neglectus armaturæ* ſpiritualis, cujus *ope*, adverſus tentationes omne genus, ſtemus. 5. *Socordia*, qua, inter pugnandum, nobis ipſis non ſatis attendimus, propriam debilitatem non ſentimus, aut ſatanæ, ejuſque aſſeclarum, potentiam, ſubtilitates, aut hoſtium copiam, nimium horremus. 6. *Amicitia* cum tentationibus, ſatana, mundo & carne propria, per quam in arenam cum ipſis deſcendere, renuimus &c.

D. *Remedia* adverſus abuſum tentationum, petenda ſunt, 1. à conſideratione *bonorum* legitimi uſus; & *malorum* abuſus. 2. Ab *adminiculis*, quibus uſus tentationum genuinus promovetur & dirigitur. 3. Ab obſtructione *cauſarum* abuſus, per ſua contraria.

CAPUT X.

De Cruce corporali, ejuſque Solatio.

SIc ad crucis *ſpecies* recta deſcendimus. Eſt enim, vel *externa*, quæ corpus proprie afficit; vel *interna*, quæ animam. De ſingulis ordine diſpiciemus, exorſi ab *externa*, ejus conſideraturi

1. *Naturam.* Eſt illa afflictio, quæ corpus immediate afficit, indeque ad animum penetrat, ut ei moleſtiam, dolorem, & inquietudinem conciliet. Ad *animum* utique pertingit: ſed non niſi mediante corpore: quævis enim afflictio animum afficit dolore & moleſtia: quod omnis dolor ac triſtitia in animo ſedeat. Has autem afflictiones *primo* generalius diſpeſcemus in ſuas claſſes, ut ex eis conſolatoria diſtinctius & efficacius colligamus. Sunt ergo 1. afflictiones, quæ nobis inferuntur ab hominibus, juſtitiæ cauſa Matth. v. 10. propter Chriſtum & Euangelium ejus Marc. x. 29. regni Dei cauſa Luc. xviii. 29. Illæ proprie perſecutiones, ſtrictiore voce, *crux* appellantur, quia ſimilitudinem habent, & participationem quandam crucis Chriſti Phil. iii. 10. Sunt 2. afflictiones, quæ à Deo immediate immittuntur, ad nos probandos ac tentandos Exod. xv. 25. Deut. viii. 2. 10. Iſtæ proprie dicuntur *probationes*. Sunt 3. afflictiones, quæ *caſtigationes* paternæ dicuntur Job. xxxvi. 9. 10. Heb. xii. 6. ut à peccatis vel retrahat, vel abigat. Sunt 4. *mixtæ* quædam, ſic in perſecutionibus probantur ſemper, & ſæpius etiam caſtigantur fideles; ſed probationes tamen & caſtigationes frequenter exiſtunt, abſque perſecutionibus: quandoque tamen ſic concurrunt, ut unius generis ratio in uno magis appareat, quam in aliis. *Secundo* ſpecialius. Hic occurrunt (1) *perſecutiones*, ſeu ea mala, quæ nobis ab hominibus infliguntur, propter juſtitiam, vel in *fama*, calumniis, & dicteriis omne genus, quæ honorem lædunt; vel in *fortunis*, quæ nos privant his, quæ ad hujus vitæ commodam fruitionem faciunt, vel in *corpore*, quæ illud quibuſvis moleſtiis ac tormentis afficiunt; vel nominatim in *incarcerationibus*, quæ corpus ſua libertate ſpoliant; vel in *morte*, quæ nos ipſa vita temporali, per varios modos & gradus, crudeliter privant. Hinc *confeſſiones*, quæ ad mortem non pertingunt, & in aliis quibuſvis inſectationibus ſubſiſtunt, & *martyria*, quibus ipſa vita nobis adimitur. (2) *Morbi* omne genus, quibus ſanitate, egregio Dei dono, corpus exuitur, & ad ſuas operationes ineptum redditur, quales ſunt febres, peſtes &c. A quibus horrendi cruciatus, diverſo gradu, quos animus perſentiſcit. (3) *Senectus*, qua vires naturales paulatim attenuantur; *animus* triſtitia, curis & angoribus adimpletur, *corpus* omni hilaritate & vitæ hujus ſuavitate exuitur, ut non inepte, ſenectus ipſa morbus appelletur. (4) *Deformitas*, ex vitiis corporis & membrorum reſultans, qua corpus ſibi conveniente pulchritudine & elegantia deſtituitur, ac vilius & abjectius apud alios redditur, qualis deformitas ex cœcitate, ſurditate, membrorum perverſa diſpoſitione aliiſque naſcitur. (5) Moleſtia *vocationis* noſtræ, à tot laboribus, curis, ſucceſſu minus proſpe-

ro, objectis nobis aliunde impedimentis & infectationibus, quæ vitam nobis perfæpe difficilem reddunt & acerbam. (6) *Calamitates publicæ*, bella, fames, peſtis, annonæ caritas & ſimilia, quibus, ceu flagellis divinis, juxta cum aliis; peſſime exagitamur. (7) *Paupertas*, qua mediis externis, ad hanc vitam commode ſuſtentandam, deſtituimur, & in magnas anguſtias conjicimur. (8) Amicorum dulciſſimorum, à quorum præſentia, magna vitæ noſtræ ſuavitas dependet, *jactura*. (9) *Vilipendium*, ſeu defectus honoris, qui nobis ab aliis debetur. Hæ præcipuæ ſunt afflictionum externarum ſpecies, quas tetigiſſe ſufficiet.

II. *Argumenta conſolatoria*, his omnibus opponenda, ſunt: 1. Quod afflictionum iſtarum tentatio non ſit niſi *humana* 1 Cor. x. 13. ipſis fidelibus admodum familiaris, dum ſunt in hoc mundo 1 Pet. v. 9. Tum 2. quod à divina *providentia* ſic pendeant & dirigantur, ut ne capillus quidem capitis nobis perire poſſit, abſque illa Matth. x. 30. Luc. xxi. 18. Quod 3. à paterno etiam Dei *amore*, fidelibus immittantur Heb. xii. 6. Quod 4. Chriſtus ipſe atrociſſima ſuſtinuerit, ut nobis poſſet ſuccurrere Heb. iii. 18. & iv. 15. Quod 5. Deus ſuis *promiſerit*, ſe ipſis in ſuis calamitatibus *affuturum*, vires ipſis ſuppeditaturum, quibus diriſſima quævis poſſint perferre, ac tandem felicem etiam exitum calamitatibus præſtiturum 1 Cor. x. 13. Quod 6. afflictionum *tempus* ſit perquam breve 2 Cor. iv. 17. 1 Pet. v. 10. Quod 7. afflictionum fructus fidelibus ſit perquam ſalutaris: omnis enim caſtigatio fructum tranquillum juſtitiæ parit, his, qui per eam fuerint exercitati. Ames. *Caſ. Conſcient.* lib. ii. cap. xvi. ſunt hæ conſolationum fontes generales, cuique afflictioni peculiares recenſere, infinitum foret, ſuppetent etiam ex peculiari cujuſque natura, ejuſque diligenti contemplatione.

III. *Adminicula*, quorum ope afflictus, vera iſta & ſolida conſolatione potiatur, ſunt: 1. *Agnoſcat manum Dei* affligentis Jeſ. xxvi. 11. Job. iv. 6. Amoſ. 3. 6. Eſt enim in hoc fundamentum omnis patientiæ 1 Sam. iii. 18. Pſal. xxxix. 10. & omnium fructuum ſalutarium, qui ab afflictionibus naſcuntur Jeſ. ix. 12. Tum 2. *perſcrutetur* vias ſuas, ut agnoſcat peccata ſua Thren. iii. 39. 40. Job. xxxvi. 9. 10. Sunt enim iſta fons & fundamentum omnium afflictionum Rom. v. 12. Porro 3. *ſubmittat* ſe ipſum in conſpectu Domini, potenti ejus manui Jac. iv. 10. 1 Pet. v. 10. 2 Sam. xv. 20. Alias temnitur ejus caſtigatio, & proditur ſecuritas & præſidentia vana Prov. iii. 11. Etiam 4. humili *reſipiſcentia* Dei faciem & gratiam quærat Thren. iii. 41. 42. Amoſ. iv. 12. Hoſ. vi. 1. Quod optime fit, mox poſt commiſſum peccatum; ſaltem fiat poſt injectum aliquem pœnæ metum: ſed tum omnino, quando ira Dei nos aliquo modo occupavit. Ad hæc 5. operam det; ut ex afflictionibus *proficiat* in omni parte novæ obedientiæ Heb. xii. 10. Job. xxxvi. 10. Jeſ. xxvi. 9. Interim 6. ſibi caveat à mollitie, impatientia & obmurmurationibus. Atque etiam 7. ab illicitis mediis, quibus emergat, his enim nihil proficiunt. Sed 8. patienter exſpectet illum exitum, quem Deus præſtiterit 1 Cor. x. 13. Jac. v. 7. 8. 11. &c.

Caput VI.

De confuſis & melancholicis terroribus.

AB *externis* afflictionibus, quæ corpus immediate afficiunt, ad *internas*, quæ *animam* magis immediate affligunt, recta deſcendimus, in quibus præcipue ſunt 1. confuſi & melancholici *terrores*; tum 2. *Suggeſtiones* blaſphemæ. 3. *Deſertiones* ſpirituales. Denique 4. varii generis *dubitationes*. De ſingulis ſingulatim nobis eſt agendum, exorſis à confuſis & melancholicis terroribus, quorum examinanda

I. *Natura*, per quam non ſunt, niſi angores animi, qui ex divina diſpenſatione, & ſatanæ ſuggeſtionibus, abutentis humorum noſtrorum κακιξίαις, hos maxime exigant, qui recens peccatis ſuis valedixerunt, & ad pietatis proſeſſionem ſe accinxerunt. Sunt iſti terrores duum generum: 1. prorſus ἄλογοι, omni *ratione* deſtituti, quando territus ipſe neſcit, ex quibus cauſis angatur, quibus Chriſtianus adhucdum debilis, & recens ſpiritualiter natus, ſecum deliberat, quid ſibi agendum, an ad vomitum ſibi ſit revertendum, quo ab iſtis terroribus liberetur, & priſtina tranquillitate, ac delectationibus mundi liberius fruatur; cui etiam non raro amici carnales, ſuorum exemplo territi, ita obſtetricantur, ut eos à commercio ſpiritualium ſecludant, & profanorum commercia ipſis ſubſtituant: an potius in ſuſcepto pietatis propoſito ſibi ſit perdurandum: Aut 2. λογικοὶ, qui rationes aliquas habent, aut ſaltem venantur, quales ipſis ſuppetunt, v. g. à *metu* vano ſe ad necem ab aliis quæri: à *blaſphemia* in Spiritum S. à ſe commiſſa, à ſuggeſtionibus blaſphemis, quæ ſua ſint peccata. Sunt fidelibus & electis, cum infidelibus & reprobis communes.

Iſtos

istos exercent & confirmant in pietate; ut perdurent: hos à professione & evanido proposito, ad vomitum reclinant.

II. *Causæ* horum terrorum, sunt: 1. In sapientissima Dei providentia, ut discernantur vere conversi, à personatis. 2. In perversis humoribus, & καχεξίᾳ sanguinis, quod vel ex eo patet, quia remedia spiritualia sola, persæpe applicata, frustra fuisse, compertum est, dum corporalibus insuper adhibitis, terrores cesserunt. 3. *Spiritualis* imbecillitas, quod vel ex eo colligitur, quia sola corporalia remedia, ipsis tollendis, non sufficiebant. Proinde 4. conjunctio perversorum humorum, cum spirituali debilitate & καχεξίᾳ. Unde terrrores isti, junctis corporalibus & spiritualibus remediis, terrores feliciter sublatos fuisse, res ipsa persæpe docuit. 5. Tentationes satanæ, & corporali, & spirituali morbo, admixtæ, qui recens regenitos, vel saltem in speciem tales, ad vomitum retrahere satagit: ferme sicut olim Pharao Israelitas fugientibus insistebat, ut eos retraheret. Colludit etiam 6. *conversio*, vel fucata; vel non satis roborata. Atque insuper 7. studium nimium tranquillitatis, & amor voluptatum carnalium, cum qualicunque amore pietatis, conjuncta: unde velut inter sacrum & saxum hærent, sitne sibi redeundum ad pristina peccata: an perdurandum in inchoata conversione. Suum etiam hic conferunt 8. homines carnales & amici corporales, huc perverse adnitentes, ut ad pristinam tranquillitatem, territos restaurent: eoque spirituales, rectiora suadentes, à territis abigant.

III. *Remedia* tollendis terroribus conducentia, suppetunt 1. à providentia divina, quæ terrorem tollat aut mitiget, calidis precibus, ad hoc quasi flectenda, exemplo Pauli 2 Cor. XII. 8. *Super hoc ter Deum invocavi*, h. e. persæpe, & Servatoris Matth. XXVI. 39. *Pater, abeat à me calix iste.* 2. Quantum ad perversos humores, & sanguinis intemperiem, corrigenda est, ope Medici cujusdam periti, medicamentis temporalibus. 3. Quantum ad debilitatem *spiritualem*, corrigenda illa est, remediis *spiritualibus*, suppeditandis à fideli quodam, & in spirituali militia versato, medico spirituali. 4. Satanæ tentanti fortiter obnitendum, armatura Christiana, quam Apostolus commendat Eph. VI. 12 — Interim 5. cavendum, ne propriis viribus quicquam tribuamus; sed à virtute Dei, toti pendeamus. Etiam 6. aures obturandæ, adversus solicitationes mundanorum & amicorum carnalium, avocantium à suscepta pietatis ἀκριβείᾳ. 7. Studium nimium tranquillitatis & voluptatum, abnegandum & frangendum, devota cogitatione, militiæ Christianæ, ad quam legibus Christi evocamur: obtinuisse etiam in optimis quibusvis, v. g. Paulo, Christo aliisque. Conducit etiam egregie 8. assiduus *usus*, istorum mediorum, quibus fides & resipiscentia invalescant, & vires spirituales incrementa accipiant. Insuper 9. ut cogitationes, de morte sibi afferenda, & de admissa à se blasphemia in Spiritum S. fortiter abigat, succurrente ad hoc medico spirituali & suggestionum blasphemarum indolem, dextre conetur intelligere. De quibus jamjam ex professo.

CAPUT XII.

De Suggestionibus blasphemis.

JAm ad *secundum* in afflictionibus animæ internis, properamus, quod in suggestionibus blasphemis consistit, harum cogitaturi

I. *Naturam*, sunt tentationes satanæ, quibus menti, etiam pientissimorum, obtrudit cogitationes, adversus majestatem Dei, sufficientiam Christi; Spiritum S. Scripturæ veritatem & auctoritatem, ut pro suis peccatis illas habeant, eis vehementissime conturbentur, ab officiis cultus divini, seu avocentur, seu debilitentur. Est in his suggestionibus, judicio virorum doctorum ac piorum, σκόλοψ ille, & colaphismi satanæ, quibus Paulum adeo excarnificavit, ut super ipsis ter, hoc est, sæpissime Deo supplex esset 2 Cor. XII. Nec desunt qui existiment, tentationibus Christi, fuisse hujus generis, quippe quas satanas, non tam voce extus auribus Christo, quam intus animo oggesserit, quasque magno animi horrore exceperit, & ingenti impetu detorserit Matth. IV. Sunt autem istæ suggestiones duum generum: 1. tales quæ aliquod habent fundamentum, aut captant, cum quibus colludit plus minus, corrupta *caro*; oriundæ quandoque saltem, α. à nimia prosperitate, qua pinguefactus homo, insultat & recalcitrat benignissimo suo Domino. Quandoque β. ab adversorum nimia copia & atrocitate, ut justitiam ac misericordiam Dei, non tantum dubiam faciat; sed aperte etiam neget, ut videre est in Jobo. Quandoque γ. ab offensa quadam adversus Deum, ejusque verbum, aut opera. δ. A suscepta, v. g. ex verbi simplicitate, Euangelii stultitia, iniqua providentiæ ejus dispensatione, beneficiorum aut judiciorum &c. ε. A quibus tum emergunt cogitationes, non esse Deum; aut si sit, non esse providentiam particularem, qua singulis prospiciat: singu-

singulis prospiciat; aut non justum esse, apud dispensationem judiciorum suorum, πρωτοπολήπτην &c. Sunt tales, quæ omni ratione destituuntur, stultæ, brutæ, quæ omnem rationem percellunt, nec alio fere spectant, quam ut horrorem incutiant, quibus homines, non tam civiliter honesti, aut peccatores vulgares sunt obnoxii; quam vere, & quandoque etiam egregie pii, exagitantur, ad hoc tantum, ut conturbentur, excarnificentur, & in officiis cultus divini fatigentur. Sunt quidem in his suggestionibus horrenda scelera; sed nequaquam in tentatis, quippe qui ab eis abhorrent; verum in tentante solo.

II. *Consolatoria*, quibus in his angustiis, animus sustineri potest, sunt: 1. Quod injecta ista blasphema, non sint producta carnis & peccata propria: sed satanæ, si nimirum animus ab eis abhorreat; quod patet ex eo, quia α. enormiora & detestabiliora sunt, quam ut ab homine vel civili, & multo minus pio, excludi possint. Quia β. non post præviam deliberationem; sed subito homini oboriuntur, obstrepente corde, adeoque à satana phantasiæ obtruduntur. Quia γ. ipsi naturæ repugnant. 2. Quod hæc communis sit optimorum etiam Christianorum sors, hujusmodi insultus satanæ sustinere, quin & ipsius Christi Matth. IV. Porro 3. quod ex conflictu pateat, hominem tentatum, non esse mancipatum satanæ. 4. Id à quo ingenue abhorret, & cui fortiter obnititur, non esse suum peccatum. Quin potius 5. esse durissimam crucem, sibi portatu longe molestissimam. 6. Si queruletur ac suspicetur afflictus, forte sua culpa, ex negligentia sibi obvenire istas tentationes, justo Dei judicio, forte etiam consensum aliquem suum, cogitationibus blasphemis accessisse, regeri poterit, esse hoc usitatissimum, ut sicut carnales sua peccata excusant & extenuant; ita pii in angustiis constituti, sua accusent & exaggerent: & si pessimum largiamur, à propria culpa, Deum satanæ frænum laxasse, atque insuper propriam carnem teterrimis istis quadantenus collusisse: modo impræsens pœniteat; nec amplius colludat, quin horreat eas: Deum esse infinitum misericordem, qui propter istam peccata remittat &c.

III. *Adminicula*, quibus liberetur ab infernalibus his cogitationibus, sunt: 1. *Preces* frequentatæ ac ferventes 2 Cor. XII. 8. Matth. XXVI. 39. Tum 2. si non cessent cogitationes teterrimæ; contestetur ingenue & humiliter coram Deo, suam innocentiam, ingenuam suam aversionem ac detestationem earundem. 3. Non nimium sunt æstimandæ suggestiones istæ, ut ab eis mens distrahatur, & ab officiis suis, versus Deum & proximum, abstrahatur, aut in eis disturbetur & impediatur: quin potius, cum vilipendio & abominatione abigendæ sunt, exemplo Christi Matth. IV. 10. & sub placida submissione ad voluntatem Dei ferendæ Matth. XXXVI. 39. 42. Si 4. exagitatus sua officia versus Deum & proximum, expedire ex voto nequeat; non tamen prorsus ab eis desistat: quin faciat quod & quantum potest, pendulus semper à bonitate & auxilio Dei. 5. Non multum volvat & revolvat cogitationes istas; sed ut primum oboriuntur, arrectis omnibus viribus suis, in virtute Dei, elevato versus ipsum animo, mox ignita satanæ tela extinguere conetur Eph. VI. 16. Insuper 6. caveat sibi cane pejus & angue, à *solitudine* & *otio*, & hoc quidem fallere conetur, *partim* operibus religiosis, precibus, Scripturarum lectione, meditationibus; *partim* expediendis negotiis vocationis suæ: illam, puta solitudinem, piorum consortio & colloquiis, compensare studeat: Tandem 7. si adhibitis omnibus, successus liberationis ex voto non procedat, cavendum à nimium intensis contentionibus, cum eis, quemadmodum nobis usu venire solet, quando intempestive allatramur à canibus; potius cogitando, esse eas non tua, sed satanæ peccata, & in negotiis suis expediendis progrediatur.

Caput XIII.

De Desertionibus spiritualibus.

Succedit in afflictionibus internis, *tertia*, quæ est in *desertione spirituali*. Hujus considerandæ

I. *Natura*, per quam Deus, suis dilectissimis etiam, frequenter subducit non tam ipsam suam *gratiam*; quam gratiæ *sensum*, ex quo magna in desertis nascitur anxietas. Non uno modo designatur ista desertio apud Scripturas: dicitur, *abscondere* faciem, *tergum obvertere*, *rejicere* aliquem in ira sua; *abigere* à facie &c. Deserit autem Deus homines, 1. Vel quoad *gratiam* ipsam, quando eam subtrahit, nonnunquam *communem* tantum, quomodo Saulem deseruit, ipsumque tradidit maligno spiritui 1 Sam. XVI. 14. & cap. XXVIII. 15. nonnunquam *salutarem* quidem, sed ad tempus tantum, in hoc aut illo casu. Sic Hiskiam deseruit 2 Paral. XXXII. 31. Vel 2. quoad *sensum* gratiæ tantum. Hoc sensu desertionem divinam jam definivimus. Sic deserti nobis sunt, qui, destituti certitudine gratiæ divinæ & salutis, in tenebris ambulant, variarum angustiarum.

Has

Has tria hæc fere ingrediuntur: α. Solidis & immotis characteribus salutis æternæ, quibus vere prædíti sunt, v. g. fidei, spei, charitatis, resipiscentiæ &c. non satis fidant, de eorum ingenuitate cespitent. E quo sequitur β. quod se ipsos à communione omnium salutarium Dei promissionum, utpote solis vere fidelibus addictarum, secludant, de sua salute desperent &c. ex quo γ. non possunt non promanare ingentes animi angustiæ, ac tenebræ spirituales. Causæ hujus desertionis, tres fere numerantur, quarum *prima* est *ignorantia* multiplex, qua intellectus deserti, aut *debilior* est *in se*, quam ut solida salutis fundamenta agnoscat, & dignoscat: quando ipsi offunduntur *nebulæ spirituales*, per quæ visu suo non possint penetrare, quales sunt (1) *Errores*, quibus arenosa salutis κριτήρια pro solidis habet & immotis, v. g. usum officiorum cultus externi, morum civilitas &c. Aut (2) genuinas salutis notas, quibus vere præditus est, non *agnoscit*, v. g. veram naturam fidei salvificæ, resipiscentiæ &c. *Secunda infirmitas* deserti, qua α. non potest se ipsum absque studio partium, explorare. Qua β. characteres gratiæ, sibi vere præsentes, non potest percipere. Qua γ. eosdem à spuriis & personatis non potest discriminare. Qua δ. ex præmissis in syllogismo practico, non potest inferre conclusionem. Est enim medium unicum, cujus ope pertingitur ad certitudinem salutis, & ex ea, ad ingenuam animi tranquillitatem, in hoc aut simili syllogismo: Qui vera & viva fide, in Deum & mediatorem, præditus est: ille certo est in statu gratiæ, & salutis æternæ: Ego vera ista fide sum præditus: Ergo &c. Hic deserto aqua hæret: vel circa *propositionem*, quando ignorat; seu fidei salvificæ naturam; seu promissionem divinam, qua fidei salutem certo addixit; seu promissionis immotam certitudinem: vel circa *assumptionem*, quando, *aut* nullam fidem in se percipit; aut si quam percipit, non potest discernere à communi & fucata quavis: vel circa *conclusionem*, quando ex præmissis, licet sibi constent, non potest inferre conclusionem. *Tertia* est *eclipsis* spiritualis, gemina: *altera* quasi *solaris*, quando Sol gratiæ, Deus suos radios cohibet, suam faciem avertit, h. e. lumen spirituale non affundit menti spiritualiter deserti, à quo mens obscura redditur, adeo ut Solem justitiæ, in sua gratia versus se, non possit contueri: *altera* quasi *lunaris*, per quam, velut ex interposita terra, inter visum deserti, & ejus lunam, h. e. characteres gratiæ, ut visus ad illos non possit pertingere, quod fit per obstructiones voluptatum terrenarum, aliorumque peccatorum, eorum cumprimis, quæ deserto sunt quasi in deliciis, à relapsibus & recidivis, in eadem & similia peccata, quibus gratia salutaris vere præsens, cui certitudinem salutis tuto posset superstruere, adeo obscuratur, ut desertus eam non possit, videre, agnoscere & discriminare, ut nesciat, an *ulla* gratia vera sibi vere adsit, & si quæ adsit, an sit salutaris, cui salutem suam tuto possit committere. Quibus omnibus, haud raro accedit *ignavia* & pigritia, qua explorationis labores nolunt subire.

II. *Cura* desertionum spiritualium, quæ absolvitur his summatim duobus: *primo* sedulo cavendis: 1. *Impatientia*, qua Deo obmurmures, prout à Job. VII. 15. tum 2. *Festinatione*, qua etiam prohibita quæras emergendi media, ex tuis angustiis, sicut Saul 1 Sam. XVI. 14. 17. *Secundo* religiose observandis, nim. ut naturam morbi tui spiritualis, dextre perspectam habeas, te coram Deo profunde humilies; ut gratiam divinam, quæ est in Christo Jesu, esurias & sitias Matth. v. 6. Jes. LV. 1. Apoc. XXII. 17. His præmissis, te curationi accingas, in qua (1) naturam & causam morbi tui diligenter exquiras, juxta ea quæ §. præced. observavimus. (2) Tum eis convenienter remedia applices, *vel* solide eas refellendo, si falsæ aut sophisticæ sint, v. g. si angaris ex commissa blasphemia in Spiritum S. Vel si veræ sint, in virtute Dei amolie ndo seu tollendo, v. g. si ab ignorantia, imbecillitate, ignavia, peccatis quæ tibi sunt in deliciis, tua angustia resultet, contrariis eas impugnando, & expugnando: vel si tolli non possint, ut, quando ab aversione faciei divinæ resultat, quæ in tua potestate non est, tum nihilominus constans Deo adhæreas Jes. L. 10. ejus faciem calidissimis votis insequaris, tum tempus auxilii & liberationis patienter ac placide exspectes, usque dum hora liberationis advenerit, interea animam tuam possideas & sustentes anchora fidei. Hæc summa curationis.

III. *Argumenta consolatoria*, quibus animus afflicti, sub sua desertione fulciatur, ne flaccescat aut concidat desperatione, quæ suppetent à devota ponderatione, 1. infinitæ Dei misericordiæ, de qua Psal. CIII. 14. 17. Jer. XXXI. 20. Thren. III. 14. Tum 2. pleniſſimæ *sufficientiæ* & abundantiæ gratiæ, quæ est in Christo Jesu Joh. I. 17. qua servare potest εἰς τὸ παντελὲς Heb. VII. 25. infiniti *valoris*, qui est in ejus passionibus & morte. indifferentis & generalis invitationis ad communionem ejus gratiæ, quæ est in Christo Matth. XI. 28. 29. 30. Porro 3. *causarum*, quibus adductus in eas desertiones injiciat, scil. eas non promanare ab ejus ira & odio, qua te ipsa gratia privet, sed ut sensum ejus tantum, idque ad breve tempus, subducat, & ut hinc tenerius tui commiſereatur Jes. LIV. 6. 7. 8. Insuper 4. non eo animo immittere, ut detrimentum afferant animæ; sed ut

emolumentum potius, ut fidem, ſpem, charitatem, patientiam, preces, aliaque ſpiritualia, alant, excitent, promoveant. Adhæc 5. exemplorum ſanctiſſimorum nubis, qui ſui in his ſpiritualibus deſertionibus ſint prodromi & comites, v. g. Jobi, Davidis, Aſaphi, Hemanis, & ipſius Servatoris Jeſu &c.

CAPUT XIV.

De Dubitationibus varii generis.

SUccedant tandem in afflictionibus *internis*, quarto loco dubitationes variæ, quibus fideles, dum in hac conſiſtunt imperfectione, perquam exercentur, pariter & exagitantur. Harum præcipua capita κατὰ πλάθος repræſentare, eorumque tollendi & abigendi modos & media ſubjicere, conſtitutum quidem, jam ante habebamus; ait brevitatis ſtudio, & quod iſtud negotium, per capita Theologiæ noſtræ, apud uſus exploratorios, paſſim præoccupaverimus, ſententiam mutabimus, ac duo tantum faciemus:

I. Monebimus dubitationes iſtas qualeſcunque, non aliis adminiculis, certius & efficacius tolli, quam fideli & accurata exploratione, qua α. exploratam habeas naturam ejus, circa quod tibi dubitatio hæret, & quibus indiciis verum à fucato, certo ac infallibiliter dignoſci queat. Tum β. te ipſum ingenue, & citra ſtudium partium, excutias, ut tibi conſtet certis indiciis, an ea tibi ſint præſentia: ſi ſint, eorum adminiculo, dubitationes pelle: ſi autem abſint, operam da in virtute Dei, exercitatione ac precibus, ut earum compos reddaris. Porro γ. ex deprehenſis in te notis & characteribus, earum rerum circa quas dubitatio occupatur, dubitationes abigas, & ad piam tranquillitatem, animum tuum componas. Hoc primum eſt, quod hic faciendnm. Tum

II. Recenſebimus capita circa quæ, piorum dubitationes potiſſimum agitantur, eiſque fontes conſtruemus, quibus per certa ſigna, in fideli exploratione, dubitationes tolli poſſint. Occupantur ergo fidelium dubitationes (1) circa *amorem* Dei, quando verentur, ſe eo deſtitutos, ſub ejus ira & odio hærere. Cui occurrendum eſt, ſeria exploratione, quam diximus *Theol.* noſtræ *Theoretico-practica* lib. II. cap. VII. §. XL. (2) Circa *electionem*, quando metuunt, ſe ab ea præteritos, inter reprobos numerandos eſſe, quibus explorationem oppoſuimus *Theologiæ* ejuſdem lib. III. cap. III. §. XXIII. & cap. IV. §. XXI. (3) Circa *redemptionem*, quando putant eam ad ſe nequaquam pertinere, cui oppoſuimus exploration lib. V. C. XVIII. §. XLVIII. (4) Circa *vocationem*; quando dubitant; num vocatio *efficax* ſibi unquam obtigerit: cui occurrit exploratio lib. VI. cap. II. §. XXIII. (5) Circa *fidem*, num qua præditi ſunt, ſit vere *ſalvifica*; cui medetur exploratio lib. II. cap. I. §. XXXIV--XLIV. (6) Circa *reſipiſcentiam*, num ſibi adſit ulla; & ſi quæ adſit, ſit vera ac ſalutaris; cui ſuccurrere poſſit deſcripta reſipiſcentia lib. VI. cap. IV. §. XVIII——XXV. & adjectus uſus reprehenſorius §. XXXV. (7) Circa *unionem cum Chriſto*; num ejus vere ſimus participes: juvabit adverſus iſtam exploratio quæ extat lib. V. cap. V. XXIV. (8) Circa *juſtificationem* & remiſſionem peccatorum; num ea nobis vere obtigerit: ſuccurret adverſus eam, exploratio lib. VI. cap. VI. §. XXXIII. (9) Circa *adoptionem*, num filius Dei ſit vere; juvabit adverſus eam exploratio lib. VI. cap. VII. §. XXXIII. ubi notæ & obſtructiones adſperguntur. (10) Circa *ſanctificationem*, nunquid ſua ſit fucata; cui medetur exploratio, penes quam fucata quadruplex numeratur, eique opponuntur *indicia* genuinæ lib. VI. cap. VIII. §. XXXII. (11) Circa *blaſphemiam in Spiritum* S. à ſe commiſſam: adverſus quam dubitationem, munire poteſt, ejus natura & ingredientia, recte percepta, quæ deſcribuntur lib. IV. cap. III. §. XVII. (12) Circa *glorificationem* ac ſalutem æternam, num ejus unquam ſimus futuri participes: cui ſuccurrit exploratio lib. VI. cap. IX. §. XXV. Hinc (13) circa *certitudinem* ſalutis, num vera ſit quæ ſibi adeſt, num mera *præſumptio*: ſuccurret lib. VI. cap. IX. §. XXVI. (14) Circa *perſeverantiam* ſuam, num adverſus tot tentationes, perſecutiones alioſque inſultus, perſtiturus ſit in ſtatu gratiæ: juvabunt adverſus eam, quæ de conſervatione & corroboratione Dei obſervavimus lib. VI. cap. IX. §. VII. & VIII. Sunt complures aliæ dubitationes, quæ fideles ſolent excarnificare; ſed quas ſingulatim expedire, infinitum foret, poterunt ex monſtratis dudum fontibus generalibus, magnam partem tolli aut allevari.

CAPUT XV.

De Officiis pietatis circa mortem.

EXegimus exercitia pietatis, verſus Deum, verſus proximum, verſus nos ipſos, quoad *vitam*, in ſtatu proſpero pariter & adverſo; nec reſtat niſi ut tranſeamus ad officia pietatis circa *mortem*

occu-

occupanda, ut ſicut Theologia noſtra incepit à vita ſpirituali, ita deſinat in morte corporali, ut per eam tranſeamus in vitam æternam. Hujus ἐυθανασίας cogitanda nobis

I. *Natura*, per quam non eſt, niſi ſtudium, bene beatéque moriendi. Quod his fere quatuor abſolvitur, 1. *Meditatione* mortis, qua cum per omnem vitam noſtram, extra morbum conſtituti; tum ſub morbo, morte jam velut appropinquante, animo devote volvimus α. *Naturam*, & ingenium mortis, qua non eſt niſi miſera vitæ privatio, ex ſeparatione partium eſſentialium, corporis & animæ, nata per comminationem divinam, ex peccato protoplaſtorum Rom. v. 12. adeoque horrenda imago irati juſtiſſimi numinis. β. *Certitudinem* ejus, per quam prorſus & plane indeclinabilis eſt, & aliis, & nobis ipſis. γ. *Incertitudinem* temporis, & ambiguitatem modi, quibus nos aſſecutura ſit, talem ſane, ut ne per horam, tibi polliceri poſſis vitam certam. δ. *Conſectaria* ejus, extremum judicium, ſtatum æternitatis, vel in flammis vel in gloria tranſigendum. ε. *Correctorium* mortis, quod eſt in morte Chriſti, quæ morti noſtræ ſuum aculeum ademit. His aliiſque deſtinetur *meditatio*. 2. *Contemtu* mortis, qui tamen, non ſine grano ſalis eſt admittendus: in ſe quidem, & ſimpliciter conſiderata, mors nequaquam eſt contemnenda, quippe quæ ſua natura horrendum eſt judicium Dei, verſus peccata, noſtra merita & iram divinam repræſentans: atque inſuper, natura ſua, aditus eſt, ad æternam & irreparabilem noſtri ſeparationem à Deo ſummo bono: ita ut, vel deſperatæ *ſecuritatis*; vel affectatæ cujuſdam ſapientiæ & fortitudinis effectum ſit, contemtum mortis eodem modo profiteri cum Gentilibus quibuſdam hoc nomine laudatis: contemni tamen poteſt ac debet, comparatione inſtituta, inter mortem, & egregia illa, quæ fidelibus exſtant poſt mortem præparata Heb. XII. 2. 1 Cor. XV. 55. 56. 57. Nec hoc tantum; ſed hactenus etiam ambiri ac deſiderari poteſt à fidelibus 2 Cor. v. 1. 2. Phil. 1. 21. 23. quanquam deſiderio moderato, & voluntati divinæ ſubmiſſo. Talis autem mortis contemtus, tale ejus deſiderium, procurandum eſt, cogitando, (1) Chriſtum ſua morte, mortis noſtræ *robur* aboleviſſe Heb. II. 14. ejus *aculeum* abſtuliſſe 1 Cor. XV. 56. 57. (2) Eſſe hunc unum mortis Chriſti finem, ut liberaret nos à metu mortis, velut à gravi ſervitute Heb. II. 15. (3) Nos nulla morte ſeparari poſſe à charitate Dei & Chriſti Rom. VIII. 35— (4) Propter Chriſtum, & vitam fidelium, & mortem, in oculis Dei *pretioſam* eſſe Pſal. LXXII. 14. & CXVI. 15. (5) Tot tantaque *mala*, à quibus fideles per mortem liberantur, v. g. à peccatis, tot miſeriis, quæ peccatum conſequuntur. (6) Æterna *felicitas*, ad quam per mortem pertingitur. (7) *Vanitas* eorum omnium, quæ per hanc mortem deſeruntur Eccl. II. 18. &c. 3. *Præparatione* ad mortem, cujus rationem & modum in ſeptem capitibus, in Chriſto velut exactiſſimo exemplari delineavimus lib. v. cap. XI. §. XXXIX. cui brevitatis ſtudio, impræſens nihil adjiciemus. 4. Ipſa bene beatéque moriendi *ratione*, cujus exemplar itidem nobis ſuppetit in morte Chriſti, prout monſtravimus diſtincte lib. v. cap. XII. §. XLI.

II. *Bona* hujus ἐυθανασίας, hæc fere ſunt: 1. Facit ut *in Domino moriamur* Apoc. XIV. 13. h. e. *uniti* cum Domino Jeſu: una cum eo, ut ipſo moriente, & nos moriamur, ut ejus mors, noſtra ſit, & viciſſim noſtra, ejus: proinde facit, ut *Domino moriamur* Rom. XIV. 7. 8. ut in morte noſtra, morti Chriſti *conformes* ſimus: σύμφυτοι τῷ ὁμοιώματι τῆς θανάτου αὐτοῦ. Rom. VI. 5. Tum 2. liberat nos à plurimis ac graviſſimis malis: à peccato, à tot *miſeriis* quæ peccatum conſequuntur Jeſ. LVII. 1. 2. 5. tantis perſæpe, ut propter eas mors deſideretur: à tentationibus ſatanæ Apoc. XII. 8. à mundi & carnis impugnatione & vexatione Apoc. XIV. 13. Porro 3. confert nobis multiplex & egregium *bonum*: per mortem enim gratia Dei perficietur in nobis 1 Cor. XII. 10. erimus cum Deo 2 Cor. v. 8. cum Chriſto & ſpiritibus beatis Phil. 1. 3. vitæ cœleſtis, firmo & immutabili ſtatu perfruemur 2 Cor. v. 1. Heb. XI. 10. 16. Luc. XVI. 9. Inſuper faciet, ut mors ipſa nobis *via* ſit ad *vitam* immortalem. Etiam 5. ut moriendo ſuaviter *obdormiamus*, quieſcamus in cubiculo Jeſ. LVII. 2. 6. 1 Theſſ. IV. 13. 14. Ad hæc 6. indubitatam ſpem nobis conciliabit, beatæ reſurrectionis: *ſi enim una planta cum Chriſto facti ſimus, aſſimilatione mortis ipſius: etiam in reſurrectione erimus* Rom. VI. 5. Poſt eam 7. nobis procurabit, ut in judicio extremo, imperterriti ſtemus, coram Judice Chriſto, ut abſolutionem conſequamur. Et 8. introducamur in exoptatiſſimum conſortium, cum Chriſto, cum beatis Angelis, cumque omnibus cœlitibus. Utque 9. regnum adipiſcamur, nobis paratum à jactis mundi fundamentis Matth. XXV. 34. 36. Atque ita 10. *Glorificationis* noſtræ, cujus primitias conſecuti ſumus in hac vita, per traductionem è ſtatu mortis in ſtatum vitæ: cujus progreſſum & incrementum nacti ſumus in morte, qua *beati* ſunt, qui *in Domino moriuntur* Apoc. XIV. 13. plenam meſſem conſequemur. Tandem 11. ab omni iſta miſeria, cui mors, impiis exordium præſtat, quæque in æternis flammis deſinet, plene liberabimur.

III. *Adminicula*, quibus juvemur & promoveamur, ad hanc ἐυθανασίαν, ſuppetunt in his fere ſequentibus: 1. Ut in eo toti ſimus, ut fides & fiducia noſtra ſpecialis in Deum per Chriſtum, ſit maxi-

me vivida ac firma Luc. 11. 28. 29. 30. 2 Tim. 1. 12. 1 Joh. v. 4. Tum 2. ut conemur curam habere, quo conſcientiam ſemper habeamus puram & ſine offenſa Act. xxiv. 15. 16. Heb. x. 22. Hinc 3. ut cum iſta fide & conſcientia, exſpectemus adventum Domini; noſque geramus, ut municipes cœli decet Phil. 111. 10. 2 Pet. 111. 12. Ut 4. horam mortis noſtræ, velut propinquam & imminentem, nobis proponamus Pſal. xc. 12. Jeſ. xxviii. 15. 2 Tim. iv. 6. Ut 5. nos in hoc aſſidue exerceamus, quo mundum & mundana tempeſtive abnegemus & deſeramus 1 Cor. vii. 29. 30. 31. Gal. vi. 14. Ut 6. nobis mortem ipſam familiarem reddamus ejus frequenti meditatione, & quaſi indies moriamur 1 Cor. xv. 31. Ut 7. eo contendamus, ut quo magis externus noſter homo vergit ad corruptionem; eo magis internus renovetur 2 Cor. iv. 16. Ut 8. non tam mortem ipſam, quam Dei gratiam, & in morte ipſa, & in eis, quæ mortem ſequuntur, obſervemus 2 Tim. iv. 8. Ut 9. cum obſequio, animam noſtram commendemus fidelitati divinæ 1 Pet. iv. 12. Luc. xxiii. 46. Ut tandem 10. accuremus, qui præſentes nobis habeamus, fideles & peritos paraſtatas, cum primis Eccleſiaſtas, qui ad beatam *ἐυθανασίαν*, ſuis precibus pariter & conſiliis ac ſolatiis juvent Jac. v. 14. 15. Ameſ. Caſ. conſcient. lib. 2. cap. xvii. Quæſt. iv. Hæc beata mors, univerſæ noſtræ Theologiæ, quam à *vita* ſpirituali ſumus auſpicati, atque inſuper *naturalis*, per divinam gratiam in Chriſto Jeſu, eſto noſter ſcopus ac

FINIS.

DE

DE

Optima concionandi Methodo

PARALIPOMENA.

In usum Theologiæ Theoretico-Practicæ.

I. EDideram Ao. hujus seculi LXXXI. à. VII. Decemb. Disputationes in usum, jamjam Præfatio
prodituræ Theologiæ Theoretico-Practicæ, easque præmiseram Theologiæ isti. Non equidem fastu; neque enim, quod lubens & ingenue fateor, quicquam habent, quod à doctrina & eruditione, se cuiquam, nec huic præsertim seculo delicatissimo, commendare, ullamque laudem impetrare possit: sed ut methodum secuturæ istius Theologiæ, ὡς ἐν ἐπιτομῇ, repræsentarem, & lectores ei paulatim assuefacerem. Eam vero OPTIMAM designabam. Non quod mihi imaginarer, à me, quod mediocriter bonum esset, & multo minus *optimum*, proficisci posse: neque enim mea methodus est; sed quam, non modo viri magni, Perkinsus, Amesius in Medulla, Oliv. Boules, Gulielmus Saldenus in nitidissimo suo *Ecclesiaste*, & imprimis Celeb. Hoornbekius in sex aut septem disputationibus, de *Ratione concionandi*, & complures alii, dudum excluserant: sed etiam universa Britannorum natio, ut non addam nostram Ultrajectum, quin omnes praxi, & practicis addictiores, per omnem orbem, cum magno Ecclesiæ bono, feliciter observabant, ut eam, nulla cum specie, pro mea venditare potuerim. *Optimam* igitur appellabam, quod cum aliis quibusvis collata; maxime videretur operari ad ædificationem Ecclesiæ: utpote quam, per septendecim annos functionis meæ ecclesiasticæ, expertus essem, non mihi tantum meditaturo, commodissimam; sed etiam Auditoribus meis facillimam expeditissimamque, cum inter catechumenos non deessent, qui ope ejus, concionum mearum filum commode repræsentare possent, & Auditores palam profiterentur, se tantundem saltem utilitatis percipere ex istis repetitionibus, ac ex ipsis concionibus. Nec hoc tantum; sed & Ecclesia nostra Ultrajectina, ejus usu, supra reliquas caput extulit:

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Ut nihil addam de Ecclesiis Britannicis, quæ sub ejus usu, quam accuratissime floruerunt. Rationes etiam sententiæ meæ, sub finem methodi istius tetigi, quatuor; sed tetigi tantum, uberius dicendas, si modo spatii brevitas ferret. Nim. *primo* conducit Ecclesiastæ meditaturo, ut pauculis ejus præceptis, sed catholicis, cogitationes suas adstringat, earumque ope dicendorum copiam exquirat, ex qua postmodum seligat, quæ Ecclesiæ fuerint utilissima: neque enim quicquam cogitari potest, ad concionem spectans, quod ad ejus topica referri non possit, quin nec quicquam inter legendum apud alios occurrere potest, utcunque confusum, quod ad ejus leges, ceu rationem, ceu notam, ceu motivum, medium, modum &c. revocare non possis: *Secundo Auditoribus*, qui huic methodo assuefacti, concionis filum commode assequi, memoriæ committere, & cum suis domi repetere poterunt, absque quibus, monente prudenter Amesio, omnis perit usus concionis: *Tertio dicendis* ipsis conducit, quæ suum ordinem, suumque locum, ubique obtinebunt, qui ordo & dicendis nitorem & elegantiam conciliabit, dictis connectet, & ex eo perspicuitatem fœnerabitur. Sed imprimis *quarto* praxi pietatis conducit, quæ anima est concionis, ut ejus ope, virtutes & vitia aliaque ex ipsis fundamentis, & per omnia sua essentialia repræsententur. A quo observatum deprehenditur: ut quamdiu in usu fuit hæc methodus, apud Britannos, nostrosque Ultrajectinos, praxis quam felicissime floreret, & indies scripta practica excluderentur: dum ex adverso, cum methodus ista exspiraret, paulatim praxeos ἀνεῖδεια deferbuerit, & pro eo, quod olim unus Amstelodamensis typographus, nescio quot scripta practica, ex Anglicano idiomate, Belgis nostris repræsentarit, uno atque altero anno; jam compluribus annis, vix unum scriptum practicum, sese proferat. Quibus omnibus methodi brevitas accedit, quæ præcepta pauca habet, & catholica, quæ omni argumento commode applicari possunt, quæ memoriæ semper sint præsentia, quæ meditaturum dirigant, & Auditores juvent. Neque enim eorum institutum probare unquam potui, qui spissa condunt de ratione concionandi volumina, quibus evolvendis legendisque; tantundem temporis exigant studiosi, quantum justo Theologiæ syntagmati: quibus memoriæ committendis, plus etiam, & ad praxin traducendis; atque insuper textui applicandis, adeo fatigentur, ut omnis methodi curam, tandem delassati, abjiciant: qui insuper verborum expositioni integras horas adeo impendunt,

pendunt, ut Auditores jejunos & famelicos, absque ulla praxi, absque ullo desiderato animæ pabulo, calva excusatione temporis præterlapsi, dimittere cogantur, modo hoc unum sibi habeant, quod doctam & elegantem concionem præstiterint: qui tandem ad singulas textus voces, sic commentantur, ut nullum argumentum, seu theoreticum; seu practicum, pro sua dignitate elaborare queant, cum magno dispendio & Auditorum, & praxeos ipsius. Dixi ergo, & dico eam methodum, quæ brevissima est, modo plena sit & ἄρτιος, modo præcepta catholica habeat, quæ omni argumento ecclesiastico applicari possint, & dicam porro, eam *optimam* esse, donec argumentis contrarii convictus fuero, quibus, prout cedere, ingenue paratus sum; ita & *optimam* tueri, contra quemvis, sum proclivis. His igitur prælibatis παραλειπόμενα de optima concionandi methodo, olim systemati præmissa, jam subjungam, absque ulla additione, ne in eandem scyllam, quam in aliis monstravi, ipsus incidam: dicturus de *partibus* concionis, & *partium* partibus argumentisque, de *regulis* item, quibus in singulis partibus dirigamur, & de *affectibus*, qui in singulis veniant movendi, omnia tandem in *exemplum* illustraturus una enarratione textus Coll. III. 1.

Concionis partes. II. *In concione itaque quatuor occurrunt observanda*: inventio, dispositio, elaboratio & elocutio, *quæ sibi invicem auxiliares manus fideliter porrigunt.*

Inventio duplex. III. *Inventio*, vel est argumenti ad populum dicendi: vel textus argumento commodi.

Argumentum *dicendum*, *ab Ecclesiæ conditione*, *nec non à tempore*, *loco*, *aliisque à dicturo religiosè observatis*, *suppetet*; *in cujus delectu videndum*,

1. *Ut non quæratur soli dicturo obvium*, *familiare*, *commodum*; *aut*
2. *Quod auræ vulgari conciliandæ aptum natum videatur*: *sed quod Ecclesiæ ædificandæ* (*quod universa concioni cynosuram præstet*) *convenientissimum existit.*

Exempli causa, observans in Ecclesia sua, nimium hujus mundi studium, pietatisque spiritualis tepiditatem, argumentum sucipiat de *conversatione cœlesti.*

Textus *argumento selecto commodus*, *capiatur*

1. *E solis Scripturæ libris canonicis*, *quæ conscientiam efficacissime feriunt.*
2. *Nec nimium prolixus*, *ne prolixiori verborum explicatione*, *argumento tempus præripiatur.*
3. *Nec nimium brevis*, *ne minus perspicue & plene suum argumentum dicat*, *atque etiam affectatæ brevitatis suspicionem Auditoribus generet.*

Exempli causa, argumento selecto de conversatione cœlesti, subsruatur textus Coll. III. 1. Itaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est, sedens ad dextram Dei.

Dispositio concionis ejusque leges. IV. *Dispositio* est, qua inventa aut invenienda, in gratiam, tum intellectus, tum memoriæ, in ordinem rei analogum rediguntur. Cujus hæ sunto regulæ:

1. *Absit* confusio, *qua nullus ordo servatur.*
2. *Item* ordo κυπτικὸς, *quo servatur quidem*; *sed usque adeo occultatus*, *ut nullus appareat*, *populo*, *non alio quam ut Orator evadat Ecclesiastes*, *cujus sit artem celare.*
3. Inconstantia, *qua singulis concionibus singularem ordinem sectatur*, *quo fit*, *ut Auditores*, *cum primis rudiores*, *ejus methodo non possint adsuescere*, *& concionis contenta memoria excipere*, *sine quo*, *observante Amesio*, *omnis perit concionis fructus.*
4. *Juvabit in hanc rem*, *connexionum transitionumque* formulas *Auditoribus patefacere nisi auditorii provectioris delicatioris ve ratio*, *ad nauseam declinandam*, *diversum quid suadeat. Quanquam & hic rudiorum*, *qui maximum plerumque numerum præstant*, *ratio veniat habenda*, *cum eruditiores facilius ad captum rudiorum*, *quam vice versa rudiores ad captum eruditorum*, *sese componere queant.*

Exordii investigatio. V. *Elaboratio* circa singulares concionis partes, partiumque ingredientia sigillatim distinetur, in quibus *primo* occurrit *exordium*, ipsis Oratoribus orationis pars minus capitalis, adeoque à præstantissimis artificibus sæpius neglectum. Est tamen utile, tum ad præparationem Auditorum, qua vires ingenii & memoriæ paulatim colligant ad audiendum; tum ad attentionem provocandam, quod fit explicatione majestatis, necessitatis & utilitatis argumenti dicendi.

Exordium varie à variis instrui *consuevit*, *mihi multis rationibus maxime satisfacit*, *quod petitur à textus* cohærentia.

Vel cum rebus, *in syntagmate Theologico*, *ejus materiam proxime seu præcedentibus seu subsequentibus. Id quod tum imprimis venit agendum*, *cum textus est abruptus*, *& cum contexto nullam ostentat connexionem*, *quod Proverbiis & Ecclesiastis cum primis est familiare.*

Vel

Vel à verbis *in contextu, seu præcedentibus, seu subsequentibus.*

Utrumque horum perficitur,

Partim theseos *alicuius appositæ investigatione, ejusque probatione, facta dicto aliquo Scripturæ, & confirmatione per solidam quandam & evidentem rationem;*

Partim ejusdem traductione ad hypothesin, *quæ connexionem dudum investigatam exprimat.*

Obsservatis his potissimum exordii *regulis:* Leges exordii.

1. Non sit, vel *tumidum*, ut fastus suspicionem in limine moveat; vel *humile*, ne excitandæ attentioni ineptum accidat.
2. Nec *longe petitum*, aut *longum*, ne animum auditorii, per exordium suspensi, exspectatione argumenti dicendi, nimium fatiget, & attentio flaccescat, in limine.
3. Nec *alienum* à textu, aut ab argumento, quod hoc ineptum sit ad præparandum, & ad provocandam attentionem.
4. Nec textui aut argumento *intrinsecum* & essentiale, ne materiam præripiat, aut postmodum otiose repetendam, aut suo loco cum damno negligendam.
5. Quare utilissimum duxerim, pro exordio brevem instruere & nervosam *totius Capitis* analysin, à quo textus est resecatus, quod hac ratione auditorium, non tantum cohærentiam textus facilius assequatur; sed etiam summam hauriat integri alicujus capitis.

Affectus *in exordio, quamvis non debeant esse adeo fervidi, ut quidem in argumento; nec tamen etiam prorsus nulli, cum animus Auditorum veniat præparandus, &* attentio *erigenda, quod absque omnibus affectibus vix impetrabitur, illi ergo affectus in exordio sunt admittendi, qui in* attentione *possunt obtinere, quales omnia illa provocant, quæ argumenti imminentis majestatem, necessitatem, utilitatem pandunt.* Affectus exordii.

Exempli causa, circa locum Col. III. 1. in investigatione exordii, observetur hæc connexio: postquam capitibus *præcedentibus* doctrinæ capita dixisset Apostolus; jam ad praxeos capita sese accingit Sit igitur.

Thesis, Ecclesiastæ non tantum capita doctrinæ sunt dicenda; sed etiam praxeos. Est enim Scriptura utilis, non tantum ad doctrinam, sed etiam ad redargutionem & correctionem &c. 2 Tim. III. 16. Et Religio Christiana, *doctrina est secundum pietatem* 1 Tim. VI. 3. Cum præsertim Auditorum salus, perinde, & magis etiam, à praxi suspendatur à Servatore, quam à cognitione Joh. XIII. 17.

Hypothesis: hoc consilio Apostolus, postquam dixisset capita doctrinæ, ad praxin progreditur in textu nostro.

Aut, si à connexione cum subsequentibus *malis instruere exordium, eadem methodo observabis, Apostolum praxin Christianam explicaturum Colossensibus, fundamentum negotii ponere in conversatione cœlesti; ut*

Thesis *sit: conversatio cœlestis basis est & fundamentum omnis officii Christiani, quod probetur Scriptura; & confirmetur ratione, modo quem diximus, &*

Hypothesis: *hinc Apostolus officia Christiana explicaturus, orditur à conversatione cœlesti.*

VI. Succedit *secundo* summa seu *contentum* textus, quo nimirum totum nobis suppetat, postea in partes commode dispescendum. Circa quod observandum Contentum textus.

1. *Ut* exhauriat *textum, & partibus conficiendis sit adæquatum, easque nec excedat, nec ab eis excedatur.*
2. *Ut investigatum commodo* titulo *insigniatur; per quem v. g. sit consolatio quædam, aut reprehensio, aut adhortatio; quo facto, commodius profluent textus partes, ut patet per singula Theologiæ nostræ capita.*

Exempli *causa: habet textus gravissimam Apostoli adhortationem de conversatione cœlesti.*

VII. Succedit *tertio* textus *expositio*, quæ duo concludit: Analysis & expositio textus, eaque leges.

1. *Analysin*, qua contentum in suas partes partiumque membra dislocatur, quo singulorum efficacia magis fiat conspicua. Circa quam observetur,
   A. *Ut partes immediatæ contento sint* adæquatæ, *illudque plene exhauriant; mediatæ autem non tanta solennitate auditorio oggerantur, h. e. non tam per numeros, quam per paraphrasin; ne minutissimis sectionibus nimium gravetur memoria.*
   B. *Partes immediatæ*, substantivis *nominibus contento analogis exprimantur, non autem particulis* interrogatoriis, per *quis, quid, quare, quomodo, quando, aliisque, prout in singulis Theologiæ nostræ capitibus monstravimus.*
   C. *Partes non sint* otiosæ.

2. *Exe-*

2. *Exegesin* partibus admixtam, quæ obvias obscuritates, controversias textuales, latentes ἐνεργείας producat, & expediat, quantum satis est. In quam rem observandum,
   A. *Ut obscuritates & controversiæ textuales* non quærantur *studio*; *sed* obviæ *sint*, *adeo ut justis rationibus suspicari possis*, *Auditores præstolari earum expeditionem*, *quæ proinde citra dispendium ædificationis declinari non possit.*
   B. *Ut per satis* clara *& perspicua*, *non nitatur explicare Ecclesiastes*, *eo*, *non tantum argumento tempus surrepturus*; *sed etiam textum declarando magis obscuraturus*, *quin Scripturam perpetuæ obscuritatis damnaturus.*
   C. *Mensuram itaque sufficientis explicationis capiat à* propositio argumento, *cui fundamentum struere nitetur textus explicatio*, *quod proinde ubi factum*, *explicationi satisfactum est.*
   D. *Tandem partes explicatæ* complicentur *rursus*, *paraphrasi quadam*, *ut commodius emergat argumentum doctrinale.*

Exegeseos *adminicula* repetantur
1. Ab analogia *fidei.*
2. Ab analogia *contextus.*
3. Ab *extrinsecis* textui, tum philologicis, tum philosophicis, tum historicis.
4. A *Commentatoribus* præstantissimis, cum criticis & verbalibus; tum analyticis ac realibus, Calvino, Piscatore, Polo &c.

Affectus exegeseos. Affectus *hic non adeo sint vehementes*, *nec fere moveantur*, *nisi qui ex convictione nascuntur*, *puta*, *tum* amor *veritatis divinæ*; *tum* odium *falsitatum*, *detorsionum*, *παρερμηνειῶν quarumvis. Hisitaque movendis conducit*, *quicquid solide aptum natum est convincere*, *h. e. quicquid solide & evidenter dicitur.*

Exempli causa. In exhortatione textus Col. III. 1. quatuor partes obviæ sunt.
1. *Fundamentum* exhortationis: *Si enim una cum Christo resurrexistis.* Indigitatur, tum *unio* cum Christo; tum *communio*, & mortis, & resurrectionis ac vitæ ipsius Vers. 3. Rom. VI. 5.
2. *Officium* fundamento superstructum: Ζητεῖτε τὰ ἄνω. Ζητεῖτε seu in *indicativo*, *quæritis*, *ut* significetur *indoles* & praxis eorum, qui resurrexerunt cum Christo, quid faciant: seu in *imperativo*, *quærite*, ut officium eorum exprimat: ni malis utrumque conjungere, quod quærant, & quærere etiam debeant: τὰ ἄνω h. e. cœlestia: ut officium præscriptum sit, cœlestis conversatio in terris agenda.
3. Motiva duplex implicita.
   A. Quod Christus ibidem sit, omnis amoris ac desiderii sui α καὶ ω.
   B. Quod ibidem sedeat ad dextram Dei, h. e. in gloria, non autem in miseria, & qui proin glorificare olim possit & velit humile nostrum corpus Phil. III. 21.
4. Nexus officii individuus cum suo fundamento, in vocibus: εἰ οὖν: quod si igitur.

Ut sensus sit: quod si antecedens illud, *vos resurrexisse cum Christo*, *verum est*, *seu vos unitos esse cum Christo*, *& communionem mortis & vitæ habere in eo*; *tum verum quoque*, *vos quærere quæ superna sunt*; *aut si consequens verum non sit*, *nec antecedens esse.*

Argumenti doctrinalis partes quinque. VIII. Succedit *quarto* argumentum concionis doctrinale, è textu confectum, penes, quod occurrunt
A. Ejus *investigatio & propositio*, *in qua duo observanda:*
   1. *Ut certo sit in textu*, *aut per invictam consequentiam inde producatur*, *quo non quodvis dicat verbum Dei Ecclesiastes: sed hoc præcise quod est in textu suo.*
   2. *Ut hoc etiam evidens sit auditorio suo*, *adeoque eductionis seu consequentiæ ratio*, *plana reddatur*, *ut non possint ambigere Auditores*, *quin doctrina sit in textu.*
B. Ejus *probatio*, facta locis parallelis aut ἰσοδυναμοῦσι, ac hoc ut auditorium magis sit persuasum, esse hanc constantem ac perpetuam Dei sententiam. In qua observandum
   1. *Ut solide conficiat probandum.*
   2. *Ut non nude tantum citentur probatura*; *sed etiam breviter & nervose applicentur probando.*
   3. *Ut tamen non vexentur textus*, *quæsita nimia probationis evidentia.*
   4. *Ut citra necessitatem non coacerventur parallela*, *dicendique tempus præripiant*, *duo aut tria ordinarie possint sufficere*, *quod in duorum aut trium testium ore sit omnis veritas.*
B. Ejus *confirmatio* per rationes, quibus probatum insuper evidentiam nanciscitur, quæ testimoniis juncta, admodum convincit: Sunt autem

1. *Solidæ & evidentes, aptæ natæ quæ nolentes convincant.*
2. *Caute discriminentur à motivis, quæ ad praxin spectant, cum quibus magnam sæpe fortiuntur affinitatem. Differunt autem, quod illæ spectent ad* intellectum *convincendum de veritate; hæ ad* voluntatem *movendam ad officium. Et si quando, in argumentis practicis non possis satis discriminare, cavendum saltem, ut bis non dicas idem.*
3. *Petuntur istæ rationes, vel ex natura & affectionibus* subjecti *in argumento nostro, quæ nexum habent certum cum prædicato ejus; vel ex natura & affectionibus* prædicati, *quæ pariter fortiuntur nexum cum ejus subjecto, vel ex utriusque immediata* cohærentia. *Ut nihil dicam de topicis logicis: à causa, effectis, subjecto, adjunctis, consentaneis, dissentaneis &c.*

D. Ejus *vindicatio*, si quando scrupulis & objectionibus sit obnoxia observatio nostra, quæ
1. *Ut brevitatis studio non sunt quærendæ; ita*
2. *Obviæ, breviter & nervose solvendæ.*

E. Ejus *explicatio*, qua, seu utriusque argumenti pars, subjectum & prædicatum; seu capitalior saltem, per suas partes, ingredientiaque, distincte repræsententur, quo majestas & ubertas suscepti argumenti clarius perspiciatur. Ubi
1. *Caute distinguenda explicatio* verbalis *ab hac* reali, *quod illa ulterius non enitatur, quam assequi genuinum textus* sensum literalem; *hæc autem* naturam rei *verbis significatæ: quanquam non ignorem, hæc passim confundi, rectius tamen discriminantur, ut quodque suum locum obtineat.*
2. *Cavendum ut, cumprimis in argumentis plusculum theoreticis, non digrediamur ad* locos communes (*nisi forte conciones sint catechetica*) *sed opposita tantum seligamus.*
3. *Cavendum denique, ne nimium & hic simus* copiosi, *& applicationi, quæ anima est concionis, tempus præripiamus.*

Scopus universæ doctrinæ, cum non sit nisi convictio mentis, & cognitio veritatis quæ secundum pietatem est; non alii *affectus* hic moveri possunt, nisi qui hinc originem ducunt, puta *amor* veritatis, & *detestatio falsitatis*, reliqui enim in applicatione produntur.

Exemplum *horum omnium, circa textum* Col. III. 1. *sic habet:*

Sit doctrina: *quoquot uniti sunt cum Christo, & communionem mortis & vitæ Christi obtinent; ii conversationem degunt cœlestem.*

Dicit enim Apostolus, qui resurrexerint cum Christo, eos quærere superna: & qui cum Christo resurrexerunt, sane non alii sunt, quam qui cum eo uniti, cum eo mortui sunt, ac resurrexerunt à morte.

1. Idem alibi dicit. v. g. Eph. II. 1. 5. 6. Ubi cum Christo vivificati, & cum eo suscitati, adeoque cum eo uniti, & communionem vitæ spiritualis consecuti, dicuntur positi cum ipso ἐν ἐπουρανίοις, *in cœlestibus*, quo, quid obstat quo minus intelligatur conversatio cœlestis?
2. Rursus Rom. VI. 5. ubi σύμφυτοι τῷ Χριστῷ, uniti sicut rami cum radice, eoque ὁμοιωθέντες assimilati ei, tam quoad mortem, quam quoad resurrectionem; dicuntur vers. 11. *vivere Deo in Christo.* Istud autem quo tandem distat à conversatione cœlesti?
3. Adde Phil. III. 9. se cum Christo unitum ejusque justitiæ participem, dicit obliviscí quæ retro sint, procul dubio terrena, & contendere ad ea quæ à fronte sint, versus scopum ferri, ad palmam τῆς ἄνω κλήσεως & quid si non hoc, est conversationem suam in cœlis habere? Nec sibi hoc tantum tribuit; sed quotquot secum τέλειοι (vers. 15.) sint, quod secum πολίτευμα habeant in cœlis Vers. 20.

Nec desunt hujus rationes.

Primo enim, quotquot cum Christo qui è cœlis est 1 Cor. XV. 47. *uniti sunt, per generationem spiritualem ac cœlestem, cœlestem indolem acceperunt, quæ cœlestia sectatur; ii procul dubio conversationem degunt cœlestem.*

Secundo, quotquot vocatione cœlesti tincti sunt, ii versus scopum cœlestem feruntur, h. e. cœlestem degunt conversationem Phli. III. 14. *Jam, quotquot uniti sunt cum Christo, vocatione illa cœlesti tincti sunt, quoniam hujusmodi vocatio unica causa est hujus unionis. &c.*

Tertio, quotquot cum Christo uniti sunt, hi præcipuos thesauros suos in cœlis habent Matth. VI. 21. 22. *eorum proinde & animus, & cogitatio, & studium in cœlis est.*

Si dicas; interim, & qui cum Christo uniti sunt, perinde ac quivis, homines sunt, corpore & anima constant, in terris sunt, ac terrenis utuntur; proinde & cura ipsis competit rerum terrenarum: unde & Patriarchæ, Abrahamus, Isaacus, Jacobus; & Prophetæ, Samuel, David, Salomo, & fideles Novi Testam. Josephus Arimathias, Cornelius Centurio &c. terrena leguntur curasse, adeoque conversationem degisse terrenam:

Occurram: Utique habuerunt, & habere licet curam terrenorum, modo 1. non abſque cura cœleſtium Pſal. x. 4. Nec 2. potior ſit cura terrenorum Matth. VI. 33. 34. Nec 3. adverſetur curæ cœleſtium eamque extinguat Rom. XIII. 14. Nec 4. terrena curentur propter ſe, ſed propter cœleſtia, ut traducamur per terrena ad cœleſtia, divites reddamur in Deo boniſque operibus 1 Tim. VI. 17. 18.

Porro argumentum hactenus aſſertum duo dicit:

1. Hos *qui* cum Chriſto ſunt uniti, *& communionem cum eo habent, tum in morte* verſ. 3. *tum in reſurrectione, de quibus particulatim brevitatis ſtudio non dicemus.*
2. *Eorum* converſationem cœleſtem, *quæ*
   - A. *In* genere *non aliud eſt, quam* vitam *cœleſtem hic in terris agere, ut* gloriam *cœleſtem olim conſequamur in cœlis*
   - B. *In* ſpecie *requirit*
     1. Animum *cœleſtem h. e. indole* ſpirituali, *quæ ſpiritualia ſapiat* Rom. VIII. 6. 7. *cœleſti ac* divina *præditum* 2 Pet. I. 4. *qualis nim. his competit qui in cœlis ſunt.*
     2. Scopum *cœleſtem, ſcil. quem* cœleſtis *monſtrat* vocatio Phil. III. 14. *quem beati cœlites ſectantur.*
     3. Occupationes *animi cœleſtes, tam intellectus, cœleſtia* cogitare, *meditari,* φρονεῖν Rom. VIII. 6. *quam voluntatis,* quærere, *ſectari* Col. III. 1. 2. *qualibus cœlites diſtinentur.*
     4. Normam *occupationum cœleſtem* Matth. VI. 10. *qua non* ſecundum carnem, *aut exempla hujus mundi vivimus; ſed* ſecundum ſpiritum Rom. VIII. 1. & XII. 3. *ſecundum quam cœlites vivunt.*
     5. Societatem *cœleſtem, cum cœleſtibus* Pſal. XVI. 3. (*non cum mundanis*) *qualem olim in cœlis habebimus.*
     6. Studium *cœleſte, quo ea lubenter agimus quæ in cœlo aguntur.* V. g. *Deum* videre *h. e.* cognoſcere 1 Cor. XIII. 12. Joh. XVII. 3. frui *Deo, gaudere & delectari eo* Pſal. XVI. 11. glorificare *Deum* Jeſ. VI. 3. &c.

Uſus informatorii leges.

IX. *Quinto applicatio* argumenti enarrati duplex, *dogmatica* quæ veritatem argumenti reſpicit; & *practica* quæ bonitatem ejuſdem. *Dogmatica* rurſus, vel *veritatem* ſectatur aliam, argumento noſtro *ſtabiliendam*; vel *falſitatem* ejus ope *refellendam.* E priori naſcitur uſus *informatorius,* quo argumentum dogmaticum uſurpatur ad aliud quoddam religionis dogma confirmandum. Cujus hæ ſunto præcipuæ leges: eſto

1. *Hic uſus rarior imo rariſſimus, nec fere niſi evidenti neceſſitate, aut egregia utilitate nobis extortus: quod tempus breve ſit, & argumenti applicatio magis neceſſaria & utilis, ac proinde quavis arripere, videatur ſpirare dicentis inopiam*
2. *Veritas confirmanda ſit momentoſa, & efficacia confirmationis ſolida & evidens.*

Scopus hujus uſus, eſt *convictio* & eruditio auditorum, proinde affectus qui hinc reſultant, aut huc ſpectant, hic movendi ſunt, de quibus jam ante dictum §. V. VII. VIII.

Exempli cauſa *in textu: ſi uniti cum Chriſto converſationem degunt cœleſtem; tum fides, & bonorum operum ſtudium divelli non poſſunt. Ratio eſt quia fides, unio communioque cum Chriſto divelli non poſſunt. Unde Chriſtus nobis factus dicitur non tantum* juſtificatio; *ſed etiam* ſanctificatio 1 Cor. I. 30. *ipſeque* ſe ipſum pro nobis dediſſe *dicitur, ut* nos liberaret ab omni injuſtitia, *ſibique* nos purgaret populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum, Tit. II. 14.

Uſus elenchtici ingredientia & leges.

X. *Sexto*, à falſitate refellenda naſcitur uſus *elenchticus* ſeu refutatorius, qui tria concludit:

- A. Statum *controverſiæ legitime formatum, ne aërem fruſtra quatiamus, aut operoſe impugnemus quod non controvertitur.*
- B. Κατασκεύασιν, *qua veritas ſtabiliatur* (a) *Scripturis* (b) *rationibus &* (c) *conſenſu antiquitatis, imprimis adverſus eos qui ab hoc conſenſu videri volunt pendere.*
- C. Ἀνασκεύασιν, *qua adverſariorum objectiones retundantur.*

Leges hic ſunto,

1. Controverſiæ citra neceſſitatem, cum diſpendio temporis, non *quæruntor.*
2. Nec tamen è contrario, ubi Eccleſiæ ab illis imminet periculum, adeoque auditores armandi ſunt, *negliguntor.*
3. *Sepulta* non refodiuntor, nec ignotæ panduntor, ne refellendo doceantur.
4. Argumentis & ſolutionibus non utamur niſi *ſolidis*, quæ convincere volentem nolentem apta nata ſint.

5. Non

5. Non simus nimium *operosi* in hoc negotio, ne praxis suspendatur aut excludatur.
6. Operam demus, ut & elenchus, quantum fieri potest, *practice* tractetur, h. e. ut & veritatis propugnandæ, & falsitatis refellendæ emphasis & ἐνέργεια manifestetur ad pietatem, & ad salutem æternam, aut promovendam, aut impediendam.

Exempli causa: *in argumento* Col. III. 1. *Si uniti cum Christo ejusque mortis & resurrectionis participes, non possunt non conversationem degere coelestem, tum strenue Orthodoxos calumniantur, qui clamant doctrinam eorum de justificatione per fidem solam, socordiæ & securitati carnali velificare.*

Qui enim fide salvifica sunt imbuti, illi cum Christo uniti sunt, & communionem obtinent mortis pariter & resurrectionis ejus, & hi tandem non possunt non conversationem degere coelestem.

Hinc, qui in Christo *sunt*, multos fructus ferre *dicuntur* Joh. XV. 5. & *qui* cum eo crucifixi *sunt, non ipsos* vivere, *aut sibi; sed Christum in ipsis* Gal. II. 20. &c.

Si dicant: *fide tamen sola* excludi *bona opera; respondebimus, excludi quidem* à justificatione; *sed non excludi ab* exercitio, *aut à salute. Et nisi excluderentur à* justificatione, *nos excluderent à* participio *Christi* Gal. v. 4. *unaque opera à participio salutis* Rom. x. 3.

XI. Succedit *septimo*, applicatio *practica*, quæ vel *malum* respicit; cum *triste*, cui obnititur usus παρακλητικὸς *consolatorius*; tum *turpe*, cui medetur usus νουθετικὸς, *reprehensorius*, seu (qui coincidit) *admonitorius*: vel *bonum*, seu *explorandum*, quo facit usus πειρασικὸς *exploratorius*; vel *excitandum*, quo vergit παραινετικὸς *adhortatorius*. Singulos horum singulatim prosequemur. *Primus* ergo in praxi esto *consolatorius*, quo malum angens vel *tollitur*, vel *mitigatur*. Usus consolatorii ingredientia, leges & affectus.

Hunc usum tria possint ingredi:

1. *Mala* recensenda, quibus mederi possit argumentum nostrum dogmaticum: spiritualia, corporalia &c.
2. *Argumenta consolatoria*, quæ singulis malis præstare possit nostrum argumentum.
3. *Objectiones*, quibus argumenta illa consolatoria retundere, & obtundere adniti solet mens anxia, præoccupandæ & tollendæ.

Moderantur usum hunc sequentes canones:

A. *Consolationi in praxi* primum *arbitror esse dandum locum, non tam quod piorum afflictorum, prima nobis & præcipua debeat esse cura; quam ne ultimo loco posita, præcedentis praxeos acumen & efficaciam obtundat.*

B. Rarior *reliquis usibus practicis, sit consolatio, quod spiritualiter afflicti, rariores in quavis Ecclesia existant, & his qui sunt, argumenta consolatoria, privatim commodius applicari queant.*

C. *Argumenta consolatoria* non promiscue *profunduntor; ne ab impiis arrepta, perperam usurpentur, in sui indurationem ac perniciem* Matth. VII. 6. *sed caute discriminentur ab aliis quibus consolatio dicitur.*

Affectus qui in consolatione dominantur, sunt, ratione dicentis quidem, *amor* versus afflictum, & *dolor* de ejus afflictione, seu commiseratio: ratione afflicti inque eo erigendi, sunt *spes* & patientia, quæ movetur demonstrando: 1. vel quod urget, revera malum non esse; vel 2. si sit, non tantum esse; vel 3. si grave sit, non tamen perpetuo, vel etiam diu duraturum; etiam 4. habiturum ex paterna Dei providentia suos usus, qui dolorem abunde compensare possint; insuper 5. justo Dei judicio peccatis nostris multo graviora deberi; 6. declinari ejus ope æternos cruciatus, &c.

Exempli causa. *Possit ex argumento dicto, his quorum conversatio est in coelis, in variis casibus varia suppetere consolatio.*

A. *Generaliter in* omni *malo, quale & quantumque sit, quod tales liberi sint ab* omni malo. *Sicue enim qui cum Christo uniti sunt, coelestem degunt conversationem; ita & qui cœlestem degunt conversationem, uniti sunt cum Christo, adeoquo* in eo; *proinde, judicio Pauli*, nulla jam amplius in eis est condemnatio Rom. VIII. 1.

B. *Specialiter, in quovis* defectu; *quia cum Christo unitis*, in eo *suppetit quod hauriant gratiam pro gratia* Joh. I. 14. 16. *adeo ut* in eo sint consummati Col. I. 28. & II. 10. *utpote qui ipsis est* omnia in omnibus Col. III. 11.

C. *In* angoribus *peccati, quia uniti cum Christo*, cum eo mortui sunt, & vita *eorum* cum Christo abscondita est in Deo Col. III. 3. una cum eo crucifixi sunt, & vivunt *eoque immunes à reatu* Gal. II. 20.

D. *In* egestate *terrena, quatenus* 1. *qui conversationem degunt coelestem; Deum quoque reverentur, qualibus nulla penuria promittitur* Psal. XXXIV. 10. 11. *quatenus* 2. *in quavis egestate* potior ipsis est substantia in cœlis Heb. X. 34. Psal. LXXIII. 25.

E. *In ipsa* morte, *quatenus* (1) *non modo, qui conversationem habent in coelis,* & non spectant visibilia; sed invisibilia, *persuasi sunt, ubi* terrenum hoc *suum* tabernaculum destructum fuerit, se habere domicilium ἀχειροποίητον in cœlis 2 Cor. IV. 18. & V. 1. *sed etiam* (2) *sciunt,* sicuti assimilati ei fuerint quoad mortem, ita quoque assimilandos ei quoad resurrectionem Rom. VI. 5. *imo* (3) conversationem habentes in cœlis, *inde* exspectant Dominum Jesum, qui humilia sua corpora glorificet &c. Phil. III. 21.

Si dicant: 1. *Interim tot urgeor tantisque malis,* intus & extus. *Respondeo:* (a) *Nec tot tantisque quantis Christus, cui uniti sunt* Matth. XXVI. 37. 38. *nec* (b) *tot forte tantisque quantis Paulus* 2 Cor. XI. 23. *Imo* (c) *& hoc tibi pro argumento est, quod* spes *tua non sit concluſa intra* hanc vitam 1 Cor. XV. 19. *h. e. quod conversatio tua in cœlo.*

Si dicant: 2. *Si modo vere conversatio mea esset in coelis. Resp.* (a) *Saltem serio velis ac desideres esse, proinde est, ac satiaberis* Apoc. XXII. 17. Jes. LV. 1. *Interim* (b) *te ipsum appende eis notis, quas paulo abhinc dicemus.*

Usus reprehensorii ingredientia.

XII. Succedit *octavo,* malo tristi, malum turpe, cui *reprehensio* medetur, aliis nominibus, pro diverso tractandi modo, jam *admonitio,* jam *querela* designata. Ingrediuntur eam

1. Mala reprehendenda, *seu* habitus *sint, qui* vitia *appellantur*; *seu* operationes, *quæ mala* opera *designantur, ordine recensenda.*
2. Argumenta reprehensoria, *quæ potissimum suppetunt,*
   A. *Vel à* turpitudine *reprehendendorum, quatenus illa adversantur legi, rationi rectæ, consuetudini bonæ &c.*
   B. *Vel à* comminationibus *divinis, quibus mala denunciantur malis istis.*
   C. *Vel à* judiciis, *quibus denunciata etiam inflicta leguntur.*
3. Remedia, seu malorum *causæ,* per emendationem tollendæ. V. g. *ignorantia, & cœcitas mentis; perversa inclinatio, habitusque voluntatis, pravæ consuetudines & exempla aliorum &c.*

Affectus.

Affectus suscitandi, hic potissimum sunt 1. *pudor* ex turpitudine mali reprehensi oriundus. 2. *Metus* ex communicatione pœnarum. 3. *Odium* ac detestatio ex utroque; & ex comminationibus, & ex judiciorum divinorum contemplatione emergens.

Exemplum *esto in textu: Doctrina dicta notat hos:*

1. *Quorum conversatio tantum abest à coelis, ut in ipso sit* inferno; *eorum scil. qui vitiis infernalibus indulgent, odiis, imprecationibus, blasphemiis, invidiis, seu quocunque modo palam impii sunt; quo nomine Judas dicitur* abiisse in suum locum Act. I. 25.
2. *Quorum conversatio saltem est* in terris, *quos textus notat* sequenti *versiculo, qui terrenis, opibus, honoribus, voluptatibus se totos impendunt* Phil. III. 19. 1 Joh. II. 16.
3. *Quorum conversatio, nec in coelis est, nec penitus in inferno; sed qui* velut in medio *suspensi sunt, nec vere pii, nec prorsus impii; sed ab utroque participant, quales hypocritæ* 2 Tim. III. 5.
4. *Quorum saltem conversatio non est* cum Deo, *cœlitibus, aut cœlestibus.* V. g. *qui non delectantur exercitiis cœlitum, cognitione, celebratione, fruitione Dei &c.* Job. XXI. 14. 15.

Isti omnes

A. *Ut alieni sunt à coelis & cœlestibus* Eph. II. 12. *ita innolem produnt terrenam, infernalem, diabolicam* Joh. VIII. 44. *Utpote in quibus* Deus hujus seculi operatur Eph. II. 2.

B. *Sunt secluſi ab* unione *cum Christo, utpote in quibus non est* Spiritus Christi Rom. VIII. 9. 14. & Christus non vivit Gal. II. 19.

C. *Nec* communionem *habent cum beneficiis Christi: cum ejus* morte, *utpote cujus* hostes sunt Phil. III. 18. *nec cum ejus* resurrectione; *utpote adhucdum* mortui in peccatis Eph. II. 1. 3. 5. *proinde nec cum ejus justificatione, glorificatione &c.*

D. *Tandem quotquot coelo ac cœlestibus non delectantur, justo Dei judicio, in locum suæ indoli, suis cupiditatibus, suis studiis analogum, cum Juda ablegabuntur* Act. I. 25.

Malis istis ut medeamur, necessum est inquirere in causas *quæ tollantur, quales,*

1. *Mentis* cœcitas, *quæ spiritualia, divina, cœlestia, non cognoscit, prout sunt in se; sed pro stultitia habet* 1 Cor. II. 15. & 1. 23.
2. Cordis *aversio à cœlestibus, & propensio ad terrena, qua non sapimus nisi carnalia* Rom. VIII. 5. 6. 7. Phil. III. 19.
3. *Nimia terrenorum* cura *ac solicitudo, qua animus gravatur ac deorsum deprimitur* Luc. XXI. 34. *& quævis spiritualia & cœlestia suffocantur* Matth. XIII. 22.

4. In-

5. Incredulitas, *qua ea quæ de Deo, de spiritualium ac coelestium præstantia, de coelestis gloriæ pondere, in Scripturis pronunciantur, non satis credimus; unde monet Apostolus*, ne quando in *nobis* sit cor improbum & infidele, ad deficiendum à Deo vivo Heb. III. 12.
5. *Perversa hujus mundi* exempla, *passim nobis obversantia, & efficacissime allicientia* 1 Joh. v. 19. Rom. XII. 2.

XIII. Succedit *nono* usus *exploratorius*, quo, seu virtutem aut vitium; seu bonum aut malum opus; seu gratiæ aut peccati statum vestigamus, quo conscientia in virtute, bono opere & statu gratiæ, tranquillari, gaudere, gloriari & confirmari: contra in vitio, peccato & statu peccati constituta, salutari sensu, metu, cura tangi, & à statu peccati ad statum gratiæ allici & pertrahi possit. Usus exploratorii ingredientia: Motivæ, signa & affectus.

Hujus itaque tria fere sunt ingredientia:

1. *Argumenta motiva, quibus conscientia ad molestissimum & difficillimum explorationis laborem erigi possit, quæ à duobus potissimum suppetunt:*
   A. *Ab affinitate, quam exploranda habent cum æmulis quibusdam, qui per fucum eorum naturam imitantur & mentiuntur: unde seductionis periculum maxime proclive accidit.*
   B. *A præstantia, utilitate, necessitate certitudinis, quam exploratione sectamur, & à facilitate negotii qua certitudinem assequimur, à consectariis partæ per explorationem certitudinis, pace, tranquillitate, gaudio, gloriatione spirituali &c. item à periculositate, & pernicionsitate, fallaciæ & erroris in negotio tanti momenti, carnali scil. securitate, obduratione, confirmatione in malo, & æterno tandem exitio.*
2. *Signa*, quibus veritatem in exploratione quæsitam, certo & infallibiliter assequamur. Circa quæ
   A. Caute observandum, quod exploratur, sitne *virtus* aut vitium, bonum aut malum *opus*; an vero *status* hominis spiritualis coram Deo, peccati an gratiæ: diversa hæc diversis quoque indiciis investigari debent.
   B. In virtutibus ac vitiis, bonis item ac malis operibus, duplex item caute est discriminanda *veritas*, scil. *physica*, sitne quoad essentiam vere nobis præsens virtus aut vitium. V.g. verus aliquis amor Dei. Quæ agnoscitur, partim ex causis, effectis, adjunctis, in qua proinde investiganda, non tantum est difficultatis ac negotii: & moralis seu *spiritualis*, sitne virtus, cujus præsentiam assecuti sumus, *communis* an salvifica, & vitium tale, quod à *statu gratiæ* secludat, nec ne. Hoc sane non tam proclive est certo discriminare, nec tot suppetunt ac tam evidentia discriminis indicia. Proinde
   C. In discriminatione *status*, aut virtutis vel vitii, quod statum prodat, lente procedendum, ne sine causa, ex *altera* parte piorum conscientias in dubitationes & angustias deducamus, è quibus postea non adeo facile possimus educere: ex *altera* hypocritas etiam confirmemus & obduremus in carnali securitate sua. Quare
   D. In exploratione, *status* aut virtutis ac vitii quæ statum prodant, non alia proferantur signa, quam *certa*, catholica, reciproca, Scripturæ consensu probe munita.
   E. Nec tamen prorsus inutiliter etiam, imprimis in investigatione & discriminatione virtutum ac vitiorum, ea adhibentur signa, quæ ab una tantum parte arguunt, scil. vel *negative tantum*, ut qui hæc aut illa non habeat, non sit etiam virtute aut vitio hoc aut illo præditus; vel *affirmative tantum*, ut qui hæc aut illa ostentat, citra dubium sit præditus, licet non vice versa.
3. Finis *explorationis, ut facta investigatione, confirmentur virtute salutari præditi, & in statu gratiæ eo ipso deprehensi: contra qui vitiis laborant, exitialibus potissimum, ad solitudinem, metum, & curam emendationis pertrahantur.*

Affectus in exploratione movendi, sunt primo *metus* fallaciæ ac deceptionis, qui moveri possit inculcatione *momenti*, quod fallacia habere possit, in turbanda conscientiæ pace, tranquillitate, gaudio, & in impedienda conversione & salute æterna: secundo *amor* & *desiderium* certiorandi ἐνέξιας status nostri spiritualis, quod itidem erigitur consideratione præstantiæ & utilitatis, in concilianda conscientiæ tranquillitate, gloriatione, & alacritate in quovis exercitio spirituali: tertio *audacia* & conatus applicandi quævis studia & labores, quo assequamur certitudinem boni status nostri: qua faciet certitudo successus per Dei gratiam, facilitas mediorum, collata cum momento certitudinis, quæ exploratione quæritur.

Exempli causa: *si quotquot uniti sunt cum Christo, & communionem obtinent mortis & resurrectionis ejus, conversationem suam habent in coelis; est profecto quod nos ipsos serio exploremus, sitne penes nos* conversatio cœlestis. *Ubi*

1. Motivæ *sunt:*
   A. *Quod absque hac exploratione non possimus esse certi, nos esse unitos cum Christo, ejusque mortis & resurrectionis participes. Et quæ tandem nobis possit adesse solida conscientia pax, absque hujus rei certitudine?* Conf. Rom. v. 1. 2. 3.
   B. *Quod etiam hic tam facilis sit ac proclivis error, cum non desint qui pro cœlesti conversatione, sibi applaudunt in civili & honesta qualicunque, ut videre est in Pharisæo* Luc. XVIII. 11. 12. *& Ecclesia Laodicena* Apoc. III. 17.
2. Signa, *satis quidem superque colligi possint, ex ipsa argumenti doctrinalis explicatione, quæ exstat* §. VIII. *attamen pro exemplo addemus:*
   A. *Cujus conversatio est in cœlis, cujus eo ipso & thesaurus & animus est ibidem; ille aspernatur terrena* Matth. VI. 19. 20. 21. Conf. Heb. XI. 24. 25. 26. *eaque quasi pedibus calcare novit* Apoc. XII. 1.
   B. *Cujus conversatio in cœlis est; ille se in terris pro peregrino habet* Heb. XI. 8. 9. 10. Psal. XXXIX. 13. Heb. XIII. 14. *Omnemque in terris fortunam æquo animo ferre potest* Phil. IV. 11. 12. 13. *collat. cum* Cap. III. 20. *potest direptiones bonorum terrenorum, potest potissimas quasvis afflictiones, usque ad dirissimam mortem, æquo animo subire* Hebr. X. 34. 2 Cor. IV. 17. 18.
   C. *Qui mortem ipsam potest susque deque habere, imo etiam ambire, desiderio cœlestium, ejus conversatio procul dubio est in cœlis* 2 Cor. IV. 18. *Et cum* cap. V. 1—5. Apoc. XXII. 17. Psal. XLII. 2. 3. *Quamvis hoc non sit reciprocum.*
   D. *Quotquot conversationem habent in cœlis, ii mundum vincunt* 1 Joh. V. 4. 5. *utique non tam extra, quam intra se, h. e. Deum & Mediatorem, spiritualia & cœlestia, quibusvis terrenis, opibus, voluptatibus, honoribus præferunt, & vice versa* Matth. X. 37. 38. 39. & VI. 19. 20. 21. *Collat. cum* vers. 33.

Usus adhortatorii ingredientia & affectus.

XIV. Succedit *decimo* usus *adhortatorius*, quo argumentum doctrinale accuratur, ad excitandum studium virtutis aut boni alicujus operis. Hunc quatuor possint ingredi:

1. *Officium quod suadetur, virtus aut bonum opus; suis actibus, aut objectis particulatim delineandum.*
2. *Argumenta quibus suadetur officium, ex Oratorum topicis; ab honesto, jucundo, utili, necessario, facili, à contrarii turpitudine, pernicioſitate &c. capienda.*
3. *Media quibus officium obtineri possit, si nim.* virtus *sit quod suadetur. Quæ petuntur à causis, tum* principalibus, *tum* instrumentalibus, *tam* externis, *ut Spiritus S. operatione, exercitatione, lectione verbi, auditione ejusdem, conversatione cum piis, precibus aliisque, quæ communia sunt, & passim obvia: quam* internis, *quæ ex officii ipsius quod suadetur, natura & indole investigantur, qualia potissimum hic quærenda sunt.*
4. *Modus quo officium exercendum, si bonum* opus *sit quod suadetur, v. g. Scripturæ lectio, ubi non media; sed* modus *agendi quæritur. Suppetet iste ex affectionibus seu adjunctis boni istius operis. V. g. quod sit sincere, gnaviter, constanter, ubique, versus quosvis &c. exercendum.*
5. *Observandum tamen, esse quæ sub termino* actionis *seu boni operis proponuntur, dum interim habitum seu* artificium *intendunt, quale in exemplo nostro præstat* conversatio cœlestis. *Atque adeo hic, velut circa virtutem, quærenda adminicula, quibus artificii illius facultatem nobis aliisque comparemus.*

Affectus in exhortatione movendi, præcipui sunt, *amor* & *desiderium* virtutis aut boni operis, quos exaggerata officii præstantia, suavitas, utilitas: *spes* & *audacia*, quos consequendi certitudo & facilitas: *metus* quem utilitas & necessitas officii, collata cum ejus carentia ciere possit.

Exempli causa. *Si quotquot cum Christo uniti sunt, & cum eo communionem obtinent mortis ac vitæ, conversationem degunt cœlestem; tum sane nobis qui profitemur ac desideramus, esse uniti cum Christo, & communionem habere cum ipso, omnibus modis adnitendum, conversationem habeamus in cœlis.*

Motivæ possint esse:

A. *Profitemur enim nos,* (1) *unitos esse cum Christo, nos esse in eo, ejus ut capitis membra, ejus qui è cœlo venit* Joh. VI. 41. *qui* Dominus est è cœlo 1 Cor. XV. 47. *cœlestem vitam agit; nobis igitur nunquid convenit, eandem cum capite vitam agere? Membra Christi cœlestis, an membra hujus mundi, aut inferni,* scorti *faciemus? Conf.* 1 Cor. VI. 15. *profitemur* (2) *nos cum eo mortuos, nostramque* vitam cum eo sepultam esse in Deo Col. III. 3. *nos cum eo* crucifixos esse & vivere, *imo* Christum in *nobis* vivere Gal. II. 20. *eoque* crucifixum *nobis* mundum, *& nos vicissim* mundo Gal. VI. 14. *procul dubio ad hoc, ut sicut ipse morte sua vitam terrenam abdicavit, ut cœlestem auspicaretur; ita & nos cum eo mortui terrenis, vivamus*

vamus cæleſtibus Conf. Rom. VI. 10. 11. (3) *Nos cum eo* reſurrexiſſe, *procul dubio ad hoc, ut pro terrena cæleſtem impoſterum degeremus vitam. Imo* (4) *nos cum Chriſto ſuſcitatos, poſitos dudum cum eo* in cæleſtibus Eph. II. 6. *His igitur omnibus, nunquid convenientiſſimum eſt, ut vitam degamus cœleſtem?*

2. *Et quid ſuavius etiam cogitari poſſit, quam in cœlis vivere, cum* Chriſto, *cujus* jugum *vel hic adeo* ſuave *eſt* Matth. XI. 30. *cum* Deo, *cujus* regnum non eſca eſt & potus; ſed pax & gaudium in Spiritu S. Rom. XIV. 17. *Et ſi in Cœlis vivere, non ſit ſuaviter & beate vivere, quid tandem eſſet?*

3. *Porro efficaciſſima eſt cæleſtis converſatio* (a) *ad* pietatem *provocandam, ſcil. dum continuo intenti ſumus in cœlum & cœleſtia* Phil III. 14. (b) *Ad tentationes Satanæ detorquendas, quando animis ſumus in cœlo, cœleſtibus ineſcati deliciis, imo ſatiati, quid* ſiliquis *peccatorum, hujuſque mundi caperemur? Conf.* Luc. XV. 16. *occupatos graviſſimis cœli negotiis, quid avocaret ad terrena, futilia, puerilia?* (c) *Ad tollendam aut mitigandam qualis-aut quantacunque afflictionis amaritudinem, cogitare* quietem quæ nobis eſt ſepoſita *in cœlis* Hebr. IV. 9. 10. & XII. 2.

4. *Tandem qui hic noc incipit vitam cœleſtem, an poſthac continuabit? Conf.* I Joh. III. 15. Joh. III. 36. *Qui hic non delectatur cœleſtibus; an poſthac delectabitur? Imo qui hic vitam degit terreſtrem, carnalem, infernalem, an poſthac unquam potiretur vita ſpirituali, divina, cœleſti?*

B. Quo igitur expeditiores reddamur ad converſationem cœleſtem:

1. Simus *frequentes* in contemplatione cœleſtis beatitudinis, & eorum quæ huc faciunt Col. III. 1. ignoti enim nulla cupido.
2. Simus Deo *ſupplices*, qui nobis per Spiritum, ſpiritualem ac cœleſtem indolem & propenſionem conferat. Conf. Joh. III. 5. qui nobis *benedicat cœleſtibus donis in Chriſto Jeſu* Eph. I. 3. imo qui nos & hic *ponat* in *cœleſtibus cum Chriſto* Eph. II. 6.
3. *Aſſueſcamus* cœleſti, & converſationi, continuatis exercitiis cœleſtibus. v. g. contemplationi, glorificationi divinæ, ſabbatiſmo cœleſti, &c. deſueſcamus mundo & mundanis.
4. Ambiamus *conſortium cœleſte*, quali olim potiemur in cœlis Heb. XII. 23. quo ejus ope erigamur & formemur ad vitam ac converſationem cœleſtem. Conf. Heb. X. 24. 25.

C. *Et ſi etiam* modum *deſideres cœleſtis hujus converſationis?*

1. *Sit* ingenua, *ſincera, non fucata, quæ extus formam cœleſtem mentiatur, intus terrena ſit, imo infernalis* I Tit. I. 7.
2. *Sit* conſtans *& perpetua* Gal. III. 3.
3. *Sit* ubique *cœleſtis, non tantum publice; ſed etiam privatim: nec præſentibus tantum piis & cœleſtibus; ſed etiam impiis, hypocritis & mundanis.*
4. *Sit* univerſalis: *h. e. cœleſtis non tantum in cœleſtibus, in cultu divino; ſed etiam in terreſtribus noſtris negotiis, ſic ut* (a) *in terreſtribus ſemper poſſimus agnoſcere aliquid ſpirituale. v. g. in cibi ac potus dulcitie, dulcitiem convivii cœleſtis* Matth. VII. 11. *in claritate Solis ſyderei, claritatem Solis juſtitiæ. &c.* (b) *Ut per terreſtria deduci conemur ad cœleſtia, &c.*

XV. Habes igitur concionis partes omnes, partiumque ſingularum ingredientia, regulas, affectus & exemplum unum, in quo non tam materiam; quam formam referre conati ſumus: tria hic obſervanda: Cautiones aliquot.

1. *Omnes textus non admittere omnes ac ſingulas harum partium. Sic uſus informatorius; item refutatorius, imo forte nec conſolatorius, adeo commodus eſt textui noſtro, atque quidem tres poſteriores.*
2. *Nec etiam, ſi forte textus omnes admittat, admittit ſemper, vel tempus, vel auditorii ratio: proinde delectus prudentiæ Eccleſiaſtis hic committendus eſt.*
3. *Nec in ſingulis partibus omnia admitti poſſunt ingredientia, nec ſi poſſent, debent ſemper. Nec quæ admittuntur eodem conatu & prolixitate admitti debent, quod unum alio quandoque utilius accidat Auditorio.*

XVI. Textus *prolixiores*, quantum ad rei ſummam, eodem modo poſſunt ac debent enarrari. Sic nim. ut Textus prolixiores quomodo tractandi, doctrinæ,

1. Vel ſecundum leges explicationis textualis, breviter exponatur, tum ſcopus textus totius accurate inveſtigetur, hinc unum argumentum doctrinale conficiatur, tum omnia quæ ſunt in textu, ad ſuum locum referantur, ſic unum referatur, ad confirmationem aut expoſitionem

doctrinæ, alterum ad ingredientia consolationis, aut reprehensionis, aut explorationis, aut exhortationis: quod fieri perquam utiliter posse, ego in plerisque Dominicalibus constanter observavi; sed non absque labore.

2. Vel si hoc nolis, possis textum, brevi analysi & exegesi expedire, secundum prædictas explicationis textualis leges: eoque facto, præcipuas ejus doctrinas producere, & ex eis unam aut alteram, quæ maxime conduxerit Ecclesiæ, & per eas partes, quæ maxime spectent ad ædificationem, persequi.

3. Vel singulis textus partibus, suas admiscere observationes, aut applicationes, selectis ex omnibus partibus, utilissimis & maxime necessariis Ecclesiæ: qui modus receptissimus est.

Elocutionis.

XVII. *Hactenus inventionem, dispositionem & elaborationem diximus; restat elocutio, quæ tria ista complectitur:*

1. Stylus.

1. *Stylum, qui esse debet*

A. *Purus quantum fieri potest, ab omnibus vocibus exoticis, ac terminis artium, ut ab omnibus omnia percipi possint. Neque enim Deus, cujus personam Ecclesiastes sustinet, quicquam frustra dictum vult.*

B. *Non sit tumidus, aulicus, sesquipedalis; aut etiam nimium vulgaris & abjectus, ut sordeat; sed masculus ac spiritualis.*

C. *Clarus & perspicuus, rebus, secundum suum momentum exprimendis, commodus.*

2. Vox.

2. Vocem, quæ esse debet

A. Sonora, distincta; toti auditorio satisfaciendo sufficiens; nec etiam nimium tarda, aut nimium velox.

B. Rebus & affectibus adaptata, proinde (1) nec nimium elata, nec nimium depressa; sed mediocris, ut pro re nata elevari ac deprimi possit. (2) Non monotonos, seu per totam concionem uno tono oberrans; seu variato quidem; sed post aliquot commata ac periodos, in idem recidens: qua monotonia plurimum decedit gratiæ & efficaciæ concionis.

3. Gestus.

3. *Gestus, quos esse decet*

1. *Nec nimium affectuosus, nec nimium placidos.*

2. *Nec histrionicos, risum potius, quam pios affectus movere idoneos.*

3. *Spirituales, rebus quæ pronunciantur, affectibus qui moveri intenduntur, adaptatos.*

Quibus rationibus hæc optima sit methodus.

XVIII. Hæc tandem concionandi methodus est, quam existimamus non simpliciter *bonam*: (quod aliis etiam quibusvis, pro diversa ratione Ecclesiarum, locorum, temporum, nolim abrogatum) sed *optimam*

1. Ratione *Ecclesiastis*, qui ejus ope, quævis sibi, tam inter meditandum, quam legendum obvia, utcunque confusa, in suum locum referre, pariter & memoriæ committere poterit.

2. Ratione *Auditorum*, qui dicta ac dicenda commodius prosequi, memoriæ committere, rememorare, & secum, aut cum suis repetere poterunt, à quo omnis fere concionis efficacia suspenditur.

3. Ratione *dicendorum*, quæ cuncta qualiacunque sint, aut apud quosvis occurrant, ad ejus topica nullo negotio revocari possunt.

4. Imprimis ratione *praxeos*, quæ hujus ope, ex ipsis fundamentis, secundum omnes sui partes, aptissime instrui & adornari potest, comprobantibus rem, tot Anglorum pariter & Belgarum scriptis πραχτικωτάτοις, beneficio hujus methodi adornatis.

FINIS.

IN

INDEX

Locorum Scripturæ præcipuorum,

Ubi literæ a. & b. columnam notant, primam & ſecundam, à ſiniſtra verſus dextram.

Cap.	Vers.	Pag.
	Geneseos.	
I.	1.	237.a.&311.312.
	2.	264.b.&317.a.&335.b. &597.
	3.	335.b.
	6.	335.b.
	7.	319.
	9.	336.a.
	12.	336.a.
	14.	336.a.
	24.	336.b.
	25.	96.b.
	26.	90.b.&236.a.b.&365. 366. 367.
	28.	375.a.
	31.	322.a.
II.	1.	340.b.
	7.	368.b.369.a.&371.b.
	8.	381.a.
	9.	419.b.
	16.	413.414.415.&419.b.
	17.	418.a.b.
	19.	369.a.
III.	1.&ſeqq.	427---430.&431.b.
	8.	432.b.
	14.&ſeqq.	433.b.
	15.	489---492.&508.a. &972.a.&1188.b.
	17.	421.b.
	19.	383.b.
	22.	336.a.b.
	24.	341.a.
IV.	1.	972.a.
	22.	974.a.
	23.	974.a.
	26.	114.a.&970.b.
V.	24.	127.b.
VI.	2.	344.b.345.a.&388.a.& 973.a.b.
	6.	148.a.
	9.	845.b.&976.a.
VIII.	21.	453.b.&468.b.
IX.	4.	373.a.
	5.	461.a.
	27.	976.a.
X.	6.&ſeqq.	978.a.
XI.	7.	236.a.b.
	28.	980.a.
XII.	3.	1188.b.
	5.	980.a.
XIV.	18.	565.a.b.&570.b.
XV.	1.	176.b.&810.b.
	2.	980.b.
	9.	980.a.&993.
XVII.	1.	175.a.&209.a.&219. 220.&224.a.b.&403. b.&980.a.&1268.
	8.	980.b.
	10.	872.a.
	11.	907.
	13.	921.b.
	14.	918.a.b.&924.a.b.&950.a.b.
XVIII.	1.	77.b.&99.a.
	2.	350.a.
	10.	346.b.
	21.	148.a.
	23.	646.a.
	32.	400.b.
XIX.	24.	236.b.237.b.
XXII.	1.	459.
	2.	408.a.
	12.	148.a.
XXV.	27.	982.a.&984.a.
XXVI.	1.	981.b.
	5.	984.b.
XXVIII.	12.	351.b.
XLIX.	10.	491.&532.a.&603. a.&1188.b.

INDEX

Cap.	Vers.	Pag.
EXODI.		
II.	14.	89.a.
III.	2.	89.a.
	5.	79.b.
	6.	351.a.
	14.	76.& 80.a.
	15.	85.
IV.	25.	924.b.
XI.	2.	408.a.
XII.	3.	931.a.
	14.	558.a.
XVII.	16.	27.a.b.
XVIII.	26.	36.b.
XIX.	15.	903.a.
XX.	2.	1033.b.
	5.	195.a.b.& 212.b.
	6.	1033.b.
	7.	91.b.
	11.	319.320.
	12.	400.a.b.
XXIV.	7.	1033.b.
	12.	27.a.
XXXI.	13.	1032.b.
XXXII.	5.	89.b.
	33.	297.b.& 719.& 860.b.
XXXIII.	11.	77.b.
	18.	92.
	20.	77.a.
	23.	92.
XXXIV.	6.	177.178.& 183.b.& 726.a.
	27.	27.a.
XXXVII.	9.	340.
XL.	35.	597.
LEVITICI.		
VI.	18.	558.a.
XII.	2.	603.a.
XVI.	21.	821.b.
XIX.	2.	201.202.
	31.	361.a.
XX.	15.	461.a.
XXIII.	14.	1032.a.
NUMERI.		
IX.	19.	178.
X.	35.	89.b.
XIV.	42.	124.a.
XVI.	13.	169.a.
XIX.	2.	739.

Cap.	Vers.	Pag.
DEUTERONOMII.		
IV.	24.	200.a.
	26.	408.b.
V.	2.	992.993.
VI.	4.	111.112.
X.	16.	765.a.b.
XVIII.	10.	360.b.
	15.	552.b.553.a.& 554.555. & 557.b.558.a.
XIX.	6.	657.b.
	17.	89.b.
XXI.	23.	545.a.& 661.a.
XXIV.	16.	719.b.
XXVII.	26.	1034.b.
XXIX.	29.	162.b.
XXX.	15.	743.b.
	16.	404.405.406.
	19.	481.a.
XXXII.	17.	354.b.
JOSUÆ.		
XXIV.	19.	202.a.
JUDICUM.		
III.	30.	1001.a.
X.	6.	1016.b.
XI.	24.	90.b.
XVII.	3.	89.b.
I. SAMUELIS.		
VII.	6.	469.b.
XVI.	1.	576.
XXIII.	11.	149.a.
XXVIII.	15.	362.a.
II. SAMUELIS.		
VII.	4.& seqq.	1009.a.b.
	21.	1008.b.
XXIII.	3.	585.b.
	5.	2.a.& 498.b.499.a.
XXIX.	1.	398.b.
	25.	400.b.
I. REGUM.		
IV.	32.	37.b.
XI.	1.	861.a.

Cap.	Vers.	Pag.
XV.	5.	845.b.
XVIII.	40.	953.a.

II. Regum.

II.	24.	88.a.
XX.	1.	400.b.
XXIII.	5.	1016.b.1017.a.

I. Paralipom.

XXIX.	29.	37.b.

II. Paralipom.

V.	8.	597.
IX.	29.	37.b.
XXIII.	1.&seqq.	581.a.
XXVI.	20.	580.b.

Nehemiæ.

VI.	6.	266.b.

Jobi.

I.	6.	329.a.
XI.	7.	77.a.&79.a.b.
XIV.	1.	141.b
	7.	374.a.
XIX.	25.	139.b.140.a.&513.a.
XXVI.	7.	332.b.
XL.	10.	362.b.
XLII.	5.	77.b.

Psalmorum.

II.	6.	575.576.
	7.	250.251.252.&403.b.
	12	57.a.&260.b.&298.a.& 585.a.b.
IV.	7.	176.b.
V.	6.	198.a.&307.a.b.
VIII.	2.	695.b.
	4.	329.b.
	6.	384.a.
X.	4.	7.b.
XVI.	9.	658.659.&664.b.&665.a.
	11.	231.
XVIII.	2.	174.&178.&223.b.
	27.	171.b.
XIX.	1.	5.b.
	4.	187.a.
	5.	19.a.
	8.	1032.a.
XXIII.	4.	126.b.
XXV.	6.	146.a.
XXXIII.	12.	67.b.&507.b.
XXXIV.	9.	99.b.
XL.	7.	512.b.
XLV.	8.	90.b.236.b.237.a.& 526.b.
XLIX.	13.	433.a.
LI.	14.	266.a.b.&827.b.
LV.	20.	128.a.
	24.	500.b.
LXII.	13.	810.b.
LXVIII.	19.	135.
LXIX.	29.	297.b.&860.b.
LXXII.	17.	253.b.
LXXIII.	3	195.a.
	25.	222.b.
LXXXI.	14.	148.a.&164.a.&408.b. &767.a.
LXXXII.	1.	509.a.
LXXXIV.	12.	176.b.
LXXXVI.	11.	852.b.
LXXXVIII.	5.	660.a.
LXXXIX.	24.&seqq.	583.b.
XC.	2.	127.128.
	4.	133.a.
XCIX.	7.	197.a.
C.	3.	318.a.
CIV.	7.	336.a.
CVI.	38.	448.a.&454.a.
CX.	1.	237.a.
	2.	705.b.
	4.	552.b.553.a.&562.—565. &572.a.
CXV.	3.	156.
CXIX.	68.	176.a.
	105.	22.a.
	137.	192.193.
CXXXII.	11.	1009.a.b.
CXXXIII.	1.	1294.
CXXXV.	3.	177.a.b
	5.	117.
CXXXIX.	7.&seqq.	121.122.&124.b.
CXLV.	3.	117.
	17.	203.a.b.

Proverbiorum.

II.	17.	1252.
VIII.	15.	586.b.
	22.	253.b.
	31.	541.a.
XVI.	4.	221.a.
	33.	1235.
XVII.	17.	257.b.
XX.	8.	744.a.
XXIII.	26.	852.a.b.
XXVII.	1.	257.b.
XXX.	1.	675.b.

Ecclesiastis.

I.	2.	222.b.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	18.	374. a.
IX.	1.	744. a.
	5.	374. a.
XII.	7.	479. b.

Canticorum.

II.	13.	352. b.
IV.	7.	845.
VII.	13.	1261.
VIII.	5.	257. b. 258. a.

Jesaiæ.

I.	1.	408. a.
II.	2.	515. a. & 875. b. & 1188. a. b.
	22.	141. b.
IV.	2.	148. a.
	4.	164. a. b. & 767. a.
	16.	199. a.
VI.	1.	77. b.
	2.	79. b. 341. a. & 350. b.
	3.	202. a. & 204. a. & 244. a.
	6.	340.
	8.	236. a. b.
	10.	393. a.
VII.	9.	55. b.
	14.	514. b. & 602. b. 603. a. b.
IX.	5.	518. a. & 537. a. & 600. a. & 611. a. & 681. b.
	6.	580. a.
	7.	603. a.
X.	25.	1036. a.
XI.	4.	1194. b.
	6.	1188. b.
XXV.	6.	940. b.
XXVIII.	15.	360. b.
XXXV.	2.	226. b.
XXXVIII.	3.	465. b.
XL.	3.	890. b.
	13.	143. 144.
	18.	99. b.
XLI.	14.	529. a.
XLII.	8.	87. b. & 225. 226.
XLIII.	7.	311.
LIII.	2.	621. a.
	9.	660. b.
	10.	494. a.
	11.	589.
	12.	721. a.
LIV.	1. & seqq.	1188. a. b.
	7.	1036. a.
LXIII.	9.	514. b.
LXVI.	24.	452. a.

Jeremiæ.

VII.	22.	1034. b.
XII.	1.	195. a.
XVII.	7.	57. a.
XVIII.	11.	278. b. 279. a.
XXIII.	6.	258. b. & 516. b.
XXVI.	3.	141. a.
XXXI.	18.	774—776.
	22.	602. b. & 604. a. b.
	31. & seqq.	1039-1041. 1042. a. & 1043. a. & 1188. b.
	32.	1035. a. 1036. a.
	34.	817. b.
XXXIII.	16.	89. b.

Threnorum.

III.	25.	115. b.

Ezechielis.

I.	18.	400. b.
IX.	3.	881. b.
XIV.	9.	398. b.
XVIII.	20.	212. b. & 434. a. & 448. b.
	22.	813. a.
	23.	154. a. b. & 742. b.
	24.	767. b. & 860. b.
	31.	765. a. b.
XX.	12.	1032. b.
	25.	1034. b. 1035. a.
XXI.	3.	395. b.
XXXIII.	11.	167. a. & 214. b. & 296. a.
XXXIV.	2.	903. b.
XL.	1. & seqq.	579. b.

Danielis.

II.	44.	1188. a.
VI.	21.	346. b.
VII.	1. & seqq.	902. b.
VIII.	16.	341. a.
IX.	17.	237. a.
	24.	552. b.
X.	13.	349. a.
	21.	341. a.
XI.	28.	498. b.
	31.	902. a.
XII.	1.	1198. b.
	3.	808. a.

Hoseæ.

I.	7.	237. a.
VI.	7.	420. b.
XII.	6.	86.
XIII.	9.	307. a.

Joelis.

II.	11.	789. a.
	13.	765. b.

Jonæ.

III.	4.	500. b.

Cap.	Vers.	Pag.
IV.	11.	448.a.&454.a.
	MICHÆ.	
IV.	11.	445.a.
V.	1.	132.b.&253.b.&527.a.
VII.	9.	197.a.
	HAGGÆI.	
II.	12.	36.b.
	ZACHARIÆ.	
III.	1.	1036.a.
	9.	629.a.&817.a.
VI.	12.	515.a.&552.b.
	13.	238.b.&493.b.&495.b.
IX.	11.	660.a.
XII.	10.	760.b.
XIV.	4.	697.a.b.
	MALACHIÆ.	
I.	11.	570.a.&940.b.
II.	7.	36.b.
III.	1.	514.b.
IV.	5.	515.a.
	MATTHÆI.	
I.	18.	602.a.&609.a.
	25.	600.a.
II.	1.&seqq.	601.a.&618.a.
	11.	613.a.
	18.	644.b.
III.	3.	619.a.
	6.	783.b.
	7.	951.a.
	11.	921.b.
	16.	237.a.
	17.	288.b.&629.a.
IV.	1.&seqq.	619.a.&624.a.b.626.a.&633.a.b.&1319.
	17.	557.b.
V.	8.	99.b.
	10.&seqq.	1288.
	12.	810.b.
	17.	625.b.&1032.a.
	18.	22.a.
	21.	506.b.
	22.	466.b.
	29.	456.a.
	34.	32.a.&1233.
	38.	32.a.
	39.	626.a.
	43.	558.b.
	45.	191.b.
	48.	224.b.&845.b.
VI.	9.	203.b.&206.b.
	13.	209.
	26.&seqq.	1288.
	33.	16.b.585.a.
VII.	3.	466.b.
	21.	1260.
VIII.	2.	210.b.
	4.	620.b.
	11.	1200.a.
IX.	6.	672.b.
X.	2.	900.a.
	7.	903.b.
	9.	879.b.
	34.	625.b.
XI.	14.	625.b.
	21.	149.a.&297.b.
	29.	466.a.
	30.	746.a.
XII.	31.	462.b.
XIII.	21.	860.b.
	40.	663.a.
	45.	701.a.
XIV.	1.	375.a.
XV.	17.	625.b.
XVI.	14.	375.a.
	18.	431.a.&899.b.
	19.	36.b.&784.a.&945—847.&957.a
	24.	506.b.&837.a.b.&850.a.b.
XVIII.	4.	99.b.
	10.	349.a.
	17.	36.b.&893.b.&952.b.
	18.	900.b.&948.a.&962.a.
	20.	246.a.&672.b.
	27.	726.a.
	32.	646.b.
XIX.	8.	626.a.
	9.	32.a.
	12.	410.a.
	17.	170.&173.a.b.&811.a.
	21.	879.b.
	22.	626.a.
XX.	28.	710.711.
XXII.	5.	743.a.
	21.	200.b.
	38.	345.a.&1199.
	37.	839.b.
XXIII.	2.	36.b.&1036.b.
	10.	892.b.
	37.	164.a.b.&214.a.&743.a&767.a.
XXIV.	14.	902.a.
XXV.	29.	753.a.
	32.	1195.b.
	35.	810.b.
XXVI.	26.	696.b.&939.a.b.

Cap.	Vers.	Pag.
	28.	623.a.&817.b.&818.a.&833.b.
	49.	654.b.
	64.	545.a.
XXVII.	3.	783.b.
	26.&seqq.	635—639.
	29.	654.b.
XXVIII.	1.	677.
	2.	682.a.
	3.	683.b.
	18.	216.a.&545.b.
	19.	23.a.&237.a.&582.a.&919.a.&923.a.b.&925.a.
	20.	546.a.&696.a.

Marci.

I.	1.	559.a.
VI.	3.	618.b.
IX.	23.	466.a.
X.	14.	448.b.
XII.	34.	753.a.
XIV.	22.	928—930.
XV.	25.	638.
XVI.	5.	345.a.
	9.	676.677.
	15.	752.b.
	16.	912.b.&923.a.924.b.
	17.	362.b.

Lucæ.

I.	6.	465.b.&845.b.
	27.	598.a.
	32.	580.a.
	34.	604.b.
	35.	256.b.&266.a.&549.a.&596.597.&598.b.&607.b.
	36.	605.b.
	48.	598.a.
II.	10.	612.b.
	14.	227.b.&601.b.
	15.	611.b.612.a.
	21.&seqq.	617.a.b.
	40.&seqq.	618.b.&630.b.631.
III.	21.	267.a.
	23.	605.a.b.
	36.	976.b.
VI.	32.	481.a.
VII.	30.	164.a.b.
IX.	23.	844.b.
XX.	35.	479.b.
XXI.	19.	1215.
XXII.	21.	934.a.
	29.	493.988.b.
	53.	662.a.
XXIV.	13.&seqq.	686.a.b.687.a.b.
	27.	35.a.
	30.	936.b.
	42.	682.b.
	44.	20.a.

Cap.	Vers.	Pag.

Johannis.

I.	1.	512.b.672.a.
	3.	316.a.
	11.	50.51.
	12.	50.51.&292.
	14.	109.&535.536.
	17.	558.b.&1031.b.
	29.	729.a.
	50.	55.b.
II.	4.	627.b.
	25.	672.b.
III.	5.	478.b.&757.758.&769.a.&912.b.&923.b.
	6.	761.a.
	8.	266.a.
	13.	542.b.&557.b.
	16.	279.b.&295.b.&517.a.&518.a.&547.a.&726.a.
	30.	545.b.
IV.	20.	940.b.
	24.	98.&101.a.&105.a.
V.	26.	83.a.&134.135.&140.b.&545.a.
	27.	545.a.
VI.	29.	260.b.
	38.	557.b.
	39.	1199.a.
	45.	504.b.
	50.	542.b.
	51.	609.a.
	53.&seqq.	544.b.&796.a.&939.b.
	55.	938.a.
VIII.	7.	626.a.
	44.	355.a.&363.a.b.
IX.	2.	197.&448.b.
	41.	468.a.
X.	35.	258.b.
	36.	256.b.
XII.	32.	670.b.
XIII.	5.	629.b.
	17.	6.a.
	34.	558.b.&626.a.
XIV.	6.	553.b.
	16.	263.b.
	26.	261.262.263.
	28.	258.b.
XV.	26.	268.a.
XVI.	12.	38.a.
	13.	266.b.
	14.	266.b.
	28.	557.b.
XVII.	3.	6.a.&248.b.&259.a.
	5.	229.a.&545.a.&582.b.
	17.	206.a.
	21.	116.b.&245.a.b.

Cap.	Vers.	Pag.
XIX.	13.	636.
	20.	34. b.
XX.	1.	677.
	19.	682. b.
	22.	264. a. & 266. a.
	23.	783. a.
	25.	682. b.
XXI.	15.	897. b.
	16.	36. b.
	17.	581. b.

ACTORUM.

I.	3.	680. b.
	11.	691. 692. & 697. a. & 699. a.
II.	1.	706. a.
	2.	266. a.
	24.	681. b.
	26.	258. b.
	27.	663. a.
	32.	673. a.
	38.	453. a. & 812. b.
	46.	936. b.
IV.	32.	879. b.
V.	3.	270. b.
	5.	953. a.
	9.	98. b.
VII.	51.	270. & 462. b. & 767. a.
	52.	89. a.
	55.	703.
	56.	100 b. & 696. a.
VIII.	4.	896. b.
	12.	924. b.
	16.	919. a.
	17.	912. b.
	31.	35. a.
IX.	17.	696. a.
	18.	924. b.
X.	2.	753. b.
	34.	8. a.
	35.	845. b.
	48.	924. b. 925. b.
XII.	15.	349. a.
XIII.	1.	940. b.
	20.	1002. a.
	32.	256. b. & 644. b.
	38.	818. a.
XIV.	17.	187. a.
XV.	1. & seqq.	895. a.
	7.	36. b. & 900. a.
	26.	522. 523.
XVI.	18.	362. b. & 528. b.
XVII.	27.	99. b. & 752. b.
XIX.	2.	267. a.
	5.	922. a. & 926. a.
XX.	28.	109. b.

Cap.	Vers.	Pag.
	33.	903. b.
XXII.	16.	769. a. & 912. b. 923. b.
XXVI.	18.	785. a.
XXVII.	20.	400. b.

EPIST. AD ROM.

I.	3.	580. a.
	4.	258. a. & 682. a.
	5.	811. a.
	9.	303. a.
	16.	753. b.
	17.	876. b.
	19.	187. a. & 752. b.
	20.	99. a. & 317. a.
	21.	173. a.
II.	6.	810. b.
	14.	481. a.
	16.	1052. a.
	28.	926. a.
III.	4.	152. 153.
	21.	811. b.
	22. & seqq.	799--802.
	24.	185. b. & 808. b. & 819. a.
	25.	807. a. & 818. a. b.
	27.	421. a. & 813. a.
IV.	3.	811. a.
	16.	498. b. 499. a.
	17.	313. a.
V.	1. & seqq.	819. b.
	12.	371. b. & 416. b. 417. & a. & 424. a. & 430. a. & 441. 442. 443. & 445. a.
	13.	1036. a.
	14.	453. b. & 495. b.
	18.	517. a. & 647. a. & 729. b.
VI.	3.	769. a.
	4.	683. & 689. b. 690. a.
	5.	690. b.
	11.	13. b.
	12.	1031. b.
	13.	861. a. b.
VII.	4.	1031. b.
	11.	266. a. & 453. b.
	12.	203. b.
	14.	843. a.
	19.	450. b.
	24.	472. 473.
VIII.	1.	451. a. & 466. b.
	2.	761. a.
	3.	541. b.
	4.	717. a.
	11.	199. a.
	14.	269. b.
	15.	1036. a.
	16.	826. a. & 830. a.

Cap.	Vers.	Pag.
	20.	325.b.
	26.	267.a. & 567.a.b.
	29.	287.a. & 296.a.
	30.	855.857.
	38.	57.a.
IX.	5.	232.a.
	11.	724.a.
	22.	281.282. & 309.b.
X.	7.	663.a.
	17.	62.a.
XI.	11.	195.a.
	23.	297.b.
	32.	295.b.
	33.	142.143.144.
	36.	268.a. & 388.389.
XII.	2.	765.a.
	6.	8.b.
XIII.	1.	1299.
XIV.	7.	102.b.
	15.	729.b.
XV.	4.	35.b. & 39.b.
XVI.	17.	952.b.
	25.	559.a.

I. Ad Corinth.

I.	17.	923.a.b.
	30.	516.b. & 553.b. & 789.790.
II.	6.	1036.b.
	7.	10.b.
III.	12.	466.b.
	16.	264.b.
V.	3.	948.a.
	7.	931.b. & 935.b.
	9.	37.b.
	11.	952.b.
VI.	11.	834.b.
	13.	695.a. & 1199.b.
	15.	796.a.
	20.	229.b.
VII.	5.	903.a.
	14.	448.a. & 454.a.
	26.	410.b.
	31.	326.b. & 700.a.
VIII.	4.	88.a.
	6.	248.b. & 259.a.
	11.	729.a.
IX.	9.	35.b.
	18.	510.a.b.
	27.	297.b.
X.	2.	237.b.
	11.	35.b.
	20.	940.b.
XI.	24.	933.a.
	29.	939.b. & 942.b.
	34.	38.a.
XII.	8.	957.a.

Cap.	Vers.	Pag.
XIII.	2.	56.a.
	4.	266.a.
	12.	77.b. & 99.b.
XIV.	3.	897.a.
XV.	2.	753.b.
	3.	38.a.
	19.	195.a.
	20.	681.b. & 691.a.
	23.	479.b.
	24.	582.a. & 1196.b.
	28.	258.a.
	29.	1065.a.
	37.	1199.a.
	42.	142.a.
	45.	383.b.
	47.	542.b. & 609.b. & 695.a.
	50.	695.a. & 1199.a.
XVI.	22.	950.b.

II. Ad Corinth.

I.	21.	858.a.
III.	6.	31.a.93.b. & 1035.a. & 1036.a.
	8.	227.a.
	18.	230.a.
IV.	10.	615.616. & 634.a.b.
	17.	811.a.
	18.	134.a.b.
V.	1.	157.a.
	7.	64.a.
	15.	17.a. & 729.a.
	17.	465.b.
	18.	248.a. & 716.a. & 723.a.
	19.	729.a.
	21.	195.a.b. 721.a. 811.b.
VI.	1.	191.b.
VIII.	5.	217.b.
	9.	592.b. & 593.b.
IX.	7.	481.a.
	8.	224.b.
X.	5.	56.a.
XII.	7.	457.a. 1319.
XIII.	1.	34.b.
	13.	235.236.

Ad Galatas.

II.	9.	36.b.
	19.	140.a.b.
	20.	63.b.64.a.b. & 690.a.b.
		837.a. & 839.a.
III.	10.	1036.a.
	16.	979.b.
	17.	493.b. & 988.a.
	19.	239.a. & 1035.b.
	23.	1031.b.
	24.	54.b.

Cap.	Vers.	Pag.
	27.	669. a.
IV.	6.	726. a.
	10.	932. b.
	19.	513. b. 514. a. b. 515. a. b.
	24.	35. b. & 420. b. 421. a. & 890. a.
V.	6.	713. a.
	17.	350. a. *.
	24.	356. a. *. & 556. b. & 744. b.
VI.	2.	1193.
	14.	1209.

Ad Ephes.

I.	3.	694. b.
	4.	269. a. b.
	5.	288. b.
	6.	298. a.
	9.	863. 864.
	10.	417. a. *.
	11.	272. 273. & 276. a. & 293. b.
	14.	757. a.
	17.	31. a.
	20.	581. b. & 602---604.
II.	1.	822. b.
	2.	358. a.
	3.	353. b. *.
	5.	661. a. b.
	8.	745. a.
	16.	621. b. & 717. b.
	20.	21. a. b.
III.	4.	290. 291. 292.
	9.	459. a.
	11.	278. a.
	14.	246. 247.
	20.	208. 209.
IV.	4.	116. b.
	9.	563. a.
	10.	446. a. & 596. a.
	11.	785. 786. & 792. a.
	12.	858. b.
	22.	736. a. b.
	24.	207. b. & 734. b. & 738. b.
	28.	1154.
	30.	270. b.
V.	14.	589. a.
	25.	766.
	26.	824. a.
	30.	362. b. *. & 696. a.
VI.	7.	168. a. b.
	12.	329. a.

Ad Philipp.

I.	9.	12. a.
	27.	196. b. & 784. b.
II.	6. & seqq.	487---490. & 492. b. 493. a. 494. a. b. 495. a. b.
	7	441. b. & 443. a. & 544. b.
	9.	427. b. & 441. a. & 468. 469.
	12.	298. a. & 711. a.
III.	9.	721. a.
	10.	1586. a.
	11.	113. b. & 1099. a.
	15.	366. a. *.
	19.	335. a.
	20.	329. b. & 331. b. & 600. b.
IV.	13.	366. a. *. & 746. a.

Ad Coloss.

I.	16.	316. a. & 348. a.
	18.	581. a.
	20.	417. a. *.
II.	9.	243. a. & 443. b.
	10.	417. a. *. & 440. b.
	11.	813. b. & 815---817. & 824. a.
	14.	621. b. & 717. a. & 895. a. & 935. b.
	15.	350. b. & 597. b. & 936. b.
	17.	350. b. & 932. b.
	20.	1139.
III.	1.	588. b.
	5.	744. b.
IV.	16.	37. b.

1. Ad Thessalon.

IV.	13. & seqq.	1188.
V.	11.	796. b.
	19.	362. b. *.
	23.	732. 733.

2. Ad Thessalon.

I.	5.	710. b.
	7.	196. b. & 346. b. & 711. a.
II.	3.	800. b. 801. a. & 802. a.
	4.	802. b.
	7.	802. a.

1. Ad Timoth.

I.	9.	931. b.
	11.	227. b.
	13.	368. a. *.
	17.	99. a. & 150. a.
	19.	298. a. & 761. a.
II.	4.	154. a. b. & 165. a. & 167. a. & 187. a. & 214. b. & 296. a. & 546. a.
	5.	416. a. *. & 417. b. *.
	6.	417. a. *. & 629. a.
	14.	330. b. *.
III.	1.	796. b.
	2.	745. b. & 834. b.
	6.	354 b.
	15.	32. b.
	16.	440. b. & 444. a. & 448. a. b.
IV.	1.	801. a.
	14.	793. b.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	17.	786. & 855. 856.
	19.	799. b.
VI.	2.	1. 2. & 5. b. & 9. a.
	16.	77. a. & 141. a.
	17.	328. b.
	20.	38. a.

2. Ad Timoth.

I.	6.	797. b.
	10.	459. a.
	12.	64. b.
	13.	38. a. & 47.
II.	4.	803. a.
	13.	8. b.
	17.	761. a.
	19.	310. b.
	21.	310. b.
III.	8.	38. b.
	15.	19. b.
	16.	17. 18. & 35. b.
	17.	22. b.
IV.	8.	57. a. & 711. a.
	10.	761. a.

Ad Titum.

I.	5.	797. b. & 799. b.
	8.	803. a.
II.	11.	652. b.
III.	5.	353. a. *. & 669. a. & 812. b. & 823. b.

Ad Hebræos.

I.	1.	457. b. & 865. a.
	4.	285. b.
	5.	256. b.
	7.	339. 340. & 742. b.
II.	5.	350. b. & 936. b.
	7.	350. b.
	15.	936. a.
	16.	443. a.
III.	1.	450. 451. & 453. a. & 472. b. & 474. a.
	11.	35. b.
IV.	3.	35. b.
	10.	932. b. 933. a.
V.	2.	469 b.
	9.	469. a.
	14.	9. b.
VI.	4. & seqq.	363. b. 364. a. b. *. & 382. a. *. & 760. b.
	6.	547. a. & 555. b. 556. a.
	10.	196. b.
VII.	3.	258. a. & 464. 465.
	16.	465. & 469. a.
	22.	402. a. b. *.
	26.	469. a.
VIII.	4.	469. a.
	9.	889. b. 890. a.
	10.	404. b. *.
IX.	8.	459. a. & 596. b.
	15.	401. b. *. & 409. 410. *. & 413. a. *. & 888. a.
	28.	529. a. & 716. b. & 717. b.
X.	1.	936. a.
	2.	716. b.
	3.	716. b.
	18.	718. b.
	24.	1193.
	25. & seqq.	363. b. 364. a. *.
	26.	760. b.
	29.	363. & a. *. 547. b. & 629. a.
XI.	1.	714. a.
	3.	144. b. & 313. b. & 317. a.
	4.	56. b.
	6.	65. 66. & 296. a.
XII.	9.	936. b.
	14.	56. b.
	22.	417. a. *.
XIII.	20.	888. a. & 242. a.

Epist. Jacobi.

I.	13. & seqq.	358. 359. 360. *. & 365. a. *.
	14.	348. a. *. & 366. b. *.
	17.	107. 108.
II.	13.	182. a.
	14. & seqq.	711. a. & 713. a.
	26.	56. b.
V.	12.	133.
	16.	470. b. & 684. a.

1 Petri.

I.	2.	296. a. & 637--639.
	4.	444. a.
	17.	711. a.
II.	9.	298. a. & 647. 648. & 654. a.
	24.	716. b.
III.	18.	563. a.
	21.	669. a. & 814. a. & 823. a.
IV.	12. & seqq.	1188.
V.	13.	951. b.

2 Petri.

I.	4.	695. b.
	10.	297. a. b. & 298. b.
	13.	39. b.
	20.	21. b. & 32. b.
II.	1.	547. a. & 629. a. & 760. b.
	4.	353.
	19.	377. a. *.
III.	9.	165. a. b. & 166. a.
	16.	34. b. 35. a.

LOCORUM SCRIPTURÆ.

Cap.	Vers.	Pag.
	I. Johannis.	
I.	3.	267. b.
	5.	105. b.
	6.	1137.
II.	1.	466. b. & 598. a
	2.	629. a.
	6.	421. b. *. & 1137.
	7.	458. b.
	15.	326. a. & 600. a.
	16.	340. a. *. & 1158.
	22.	802. b.
III.	1.	723. 724. 725. a.
	2.	726. b.
	9.	366. a. *. & 661. b. & 745. b.
IV.	3.	271. b. & 801. a. & 802. a.
	13.	267. a.
	18.	1125.
V.	3.	366. a. *. & 746. a.
	4.	1121.
	6.	836. a.
	7.	237. a.
	16.	367. a. *.
	18.	353.
	2. Johannis.	
I.	10.	852. b.
	12.	38. b.
	Judæ.	
I.	4.	301. 302. 303. & 310. b.
	9.	352. 353. 354.
	9.	341. a.
	11.	874. a.
	14.	870. b.
	Apocalypseos.	
I.	2.	5. a.
	7.	419. b.
	8.	87. a.
	10.	579. a. & 596. a.
II.	6.	950. a.
III.	5.	297. b.
	7.	851. b.
	18.	408. b.
IV.	9.	609. a.
VI.	1.	944. b. 945. a.
	3.	955. a. b.
	5.	969. 970.
	7.	993.
	9.	1014.
	12. & seqq.	1044. 1045.
VII.	1. ad cap. 11. incl.	1091—1093.
	3.	813. b.
VIII.	3.	349. b.
XI.	3.	802. a.
	8.	802. b.
XII.	4.	355. a.
	7.	341. a.
	9.	337. a. *.
XIII.	8.	840. a.
	11.	801. b. & 802. b.
XVII.	5. & seqq.	801. b.
XX.	1. & seqq.	483. a. b.
	14.	418. a.
XXI.	10.	328. a.
	14.	328. a.
XXII.	11.	708. a.
	12.	710. b.
	17.	267. a. & 643. b.
	18.	33. a.
	19.	297. b. & 760. b.

FINIS.

INDEX

Rerum & Verborum

In utrumque volumen.

NB. *Repeto monitum, indici præcedenti præfixum. Literæ a. & b. post numeros, designant columnas, à sinistra versus dextram.*

A.

Aronis acta, historiæ Mosis aspersa sunt. 897. b.
Abelardi & Abelardanorum historia. 1027. a.
Abelis prosopographia. 870. a.
Aberratio à Deo. Ejus natura & ingredientia varia; mala septem; causæ sex; remedia quatuor. 1170.
Abiah, Regis Judah, historia. 911. a.
Abnegatio fidei. Ejus natura in quatuor; mala octo; causæ septem; remedia tria. 1122.
Abnegatio sui ipsius. Quid phrasis. 737. a. Quidres, in octo capitibus. ibid.
Abnegatio impietatis, quid sit. 1163.
Abnegationis sui ipsius studium: Motivæ, adminicula, modus, signa. 750. a.
Abrahami historia. 880. a.
Accedere Deo, quid 66.
Acceptilatione, Christus nequaquam satisfecit. Contra Socin. & Vorstium docetur. 618. b.
Acetum Christo porrectum, quale. 537.
Achasi, Regis Judah, historia. 912. a.
Actiones Christi, quibus legibus imitandæ. 521. b.
Actionis bonæ, seu boni operis, natura & requisita quatuor; distributio triplex; bona septem; modus ejusque requisita tria. 1117.
Actionis malæ, seu peccati actualis, natura & subjectum triplex; causæ octo; mala tria; remedia tria. 1118.
Actuale peccatum procreatur ab Originali: probatur Scripturis & rationibus. 360. a. *. Quo sensu actuale dicatur. 360. b. *. Quid sit. ibid. non cadit in bruta, nec infantes sed adolescentes & adultos omnes. 361. a. *. Est peccatum, vel per se, vel per accidens. 361. b. *. Omissionis, vel commissionis. ibid. Adversus, vel Deum, vel proximum, vel nos ipsos. ibid. vel internum, vel externum. ibid. Ex ignorantia, vel malitia. 362. a. *. Vel majus, vel minus. ibid. Vastans conscientiam, vel non. ibid. Remissibile & irremissibile. 362. b. *. in Spiritum S. 362. b. *. Genitura peccati. 365. a. *.
Adad, qui Deus dicatur Philoni Judæo. 171.
Adami prosopographia. 869. b.
Adolescentia Christi, ejus disputatio cum Judæis. 518. b.
Adolescentia Christi, religiosa & civilis. 518. b.
Adolescentia & juventus Christi, adolescentibus exemplar præstat, imitandum in variis, quamobrem. 530. b.
Adonai, quot modis punctetur. 88. b.
Adoptio filiorum probatur. 724. a. Vocis explicatio. ibid. Quid sit. 724. b. Est declaratio. 725. a. Ejus causæ. ibid. Objectum. ibid. Fundamenta. ibid. Terminus ad quem. 725. b. Differentiæ inter divinam & humanam, quatuor. ibid. Consectaria: denominatio gloriosa. 726. a. Spiritus adoptionis. ibid. Hæreditas cœlestis. ibid. Conformitas cum filio naturali. 726. b. Dominium & usus omnium creaturarum. ibid. Libertas Christiana. ibid.
Adoptio, etiam competebat fidelibus Veteris Test. Contra Coccejum, probatur & vindicatur. 727. a.
Adoptio ostendit (1) beatitudinem adoptatorum, ex quinque fontibus. Usus horum. 728. b. (2) Et miseriam non adoptatorum, quinam illi & quænam eorum miseria. 729. b. (3) Jubet nos ipsos exploremus, simusne filii Dei. Motivæ, notæ, obstructiones. ibid. (4) Accendit studium acquirendi adoptionem. Motivæ, modus acquirendi. 730. b. (5) Suadet, ut adoptionis gratiam in usus nostros convertamus. In quibus casibus. 731. a. (6) Hortatur ad officia filialia versus Patrem, quænam illa, & quare præstanda. 731. b.
Adventus Christi glorioſus probatur. 1094. a.
Ædificatio Ecclesiæ, comparatur ædificationi domus. 858. b.
Æonum Valentini historia. 114. b.
Æquitas credendi, unde. 61. b.
Æra Christianæ Exordium. 945. a.

Ætas prima N. T. figurata ſigillo primo apocalyptico. 944. b. per unum ſeculum, uſque ad annum primum Trajani. Habuit Eccleſiæ Chriſtianæ fundationem. 945. Chriſti nativitatem. ibid. Rejectionem Judæorum. 945. b. Subſtitutionem Eccleſiæ Chriſtianæ. ibid. Imperatores duodecim. ibid. Pontifices quatuor. 946. Theologiæ ſtatum, Symbolicæ & Syſtematicæ. 947. a. Originem librorum Novi Teſt. ibid. Et Scriptorum eccleſiaſticorum. 949. a. Hæreſes ſeptem. 949. b. Fundatores Eccleſiæ, Apoſtolos, horum hiſtoria. 950. b. & Euangeliſtas. 951. b. Septuaginta diſcipulos. 952. a. Diſperſionem Apoſtolorum per orbem. ibid. Regimen Eccleſiæ. 952. b. Diſciplinam Eccleſiaſticam. 653. a. Synodos ſex. ibid. Diſſeminationem Eccleſiæ. ibid. Perſecutiones, cum publicas, tum privatas. 253. b. Martyria. 954. b.

Ætas ſecunda N. T. figurata ſigillo ſecundo apocalyptico, hujus exegeſis. 955. a. à Trajani anno ſecundo, uſque ad Conſtantinum M. per annos ducentos & ſex. 955. b. adeoque per duo ſecula: Habuit Imperatores R. viginti. ibid. Pontifices R. viginti novem, quorum hiſtoria proſtat. 956. a. Ejus Theologia. 958. a. Verſiones Scripturæ. 958. b. Gentiliſmi ſtatus. 959. a. & Judaiſmi. 959. b. Hæreticorum, ſub ſeculo quidem ſecundo, tredecim: ſub ſeculo tertio, ſex: quorum hiſtoria traditur. 960. a. — Propagatio Eccleſiæ. 962. a. Doctores. 963. a. Scriptores. ibid. Regimen Eccleſiæ. 966. a. Synodi. ibid. Diſciplina. 966. b. Scholæ. 967. a. Schiſmata. ibid. Perſecutiones. 967. b. Martyres. 968. b. Mores Chriſtianorum. 969. b.

Ætas tertia N. T. figurata ſigillo tertio apocalyptico, ejus exegeſis. 969. Profluit à Conſtantini anno ſexto, uſque ad Phocam, h. e. annum ſexcenteſimum ſecundum. 969. Habuit Imperatores Rom. novendecim. 970. a. Pontif. Rom. triginta tres. 671. b. Doctrina Eccleſiæ, ſub ſeculo ejus primo, ſeu quarto. 973. b. Ejus ſeculi Gentiliſmus. 974. a. Judaiſmus. ibid. Hæreſes: Arii. 974. b. Photini. 975. a. Apollinaris. ibid. Macedonii. ibid. Audæanorum. ibid. Donatiſtarum. ibid. Errores inter Eccleſiam. 975. b. Theologiæ ſtatus, ſub ſeculo quinto. ibid. Ejus Gentiliſmus. 976. a. Judaiſmus. ibid. Hæreſes: Pelagianiſmus. ibid. Semipelagianiſmus. 976. b. Eutychianiſmus. 977. a. Errores intra Eccleſiam. 977. b. Theologiæ ſtatus, ſub ſeculo ſexto. 978. a. Ejus hæreſes: Aphthartodocetarum. ibid. Agnoëtarum. 978. b. Propagatio Eccleſiæ, ſub ſeculo quarto, ope Conſtantini M. 979. a. Patres ſeculi quarti. 979. b. Regimen Eccleſiæ, ſeculi quarti. 981. b. Synodi ſeculi quarti. 982. a. Monachatus ſeculi quarti. 984. a. Schiſma ſeculi quarti. 984. b. Perſecutiones. ibid. Eccleſiæ ſtatus, ſub ſeculo quinto. 985. b. Propagatio ſub ſeculo quinto. ibid. Doctores ſeculi quinti. ibid. Regimen Eccleſiæ. 986. a. Synodi ſeculi quinti. 987. a. Turbæ Eutychianæ. 988. a. Perſecutiones ſeculi quinti. 988. b. Martyres ſeculi quinti. ibid. Mores Chriſtianorum, ſub ſeculo quinto. 989. a. Eccleſiæ propagatio ſub ſeculo ſexto. 989. a. Propagatores ejuſdem. ibid. Scriptores hujus ſeculi. 989. b. Ejuſdem Regimen eccleſiaſticum. 990. a. Monachorum incrementa. 991. a. Ejuſdem Synodi. 991. b. Ejuſdem Schiſmata. 992. a. Perſecutiones ejuſdem. 992. b.

Ætas N. T. *quarta* figurata ſigillo apocalyptico quarto; cujus exegeſis. 993. Breviarium hiſtoriæ hujus ætatis. 994. a. Habet annos quadringentos quinquaginta ſex, uſque ad Michaëlem ſextum. 994. b. Quibus coëxſtiterunt Imperatores Romani: toti quidem Imperio, triginta duo: & Occidentali, à Carolo M. ad Henricum tertium ſeptendecim. ibid. Pontifices Rom. nonaginta tres. 996. b. Theologiæ ſtatus ſub ætate quarta, applicatione ſigilli quarti. 1002. a. Gentiliſmus ſub ætate quarta. ibid. Judaiſmus ejuſdem. 1002. b. Antichriſtianiſmus occidentalis. ibid. Muhammedaniſmus. 1003. a. Hæreſes ſeculi ſeptimi. 1004. a. Origo controverſiæ de Euchariſtia. 1005. b. Incrementa Antichriſtianiſmi papalis, ſub ſeculo nono. ibid. Corruptio Theologiæ, intra ipſam Eccleſiam. ibid. Eccleſiæ propagatio, ſub ætate quarta. 1006. a. Scriptores eccleſiaſtici ætatis quartæ. 1007. a. Aſſertores veritatis, contra Papatum, ſub eadem. 1009. a. Synodi ætatis quartæ. 1010. a. Reformationes. 1012. a. Scholæ. ibid. Schiſmata. 1012. b. Perſecutiones. 1013. a. Facies Eccleſiæ ſub ætate quarta. 1013. b.

Ætas Eccleſiæ N. T. *quinta*, figurata ſigillo quinto apocalyptico, hujus exegeſis. 1014. Exegit ſub hac ætate Eccleſia, annos quadringentos & quatuordecim. 1014. a. Habuit Imperatores Rom. viginti & unum, ab Henrico quarto, ad Maximilianum incluſum. ibid. Pontifices Rom. ſexaginta duos, à Gregorio ſeptimo, ad Julium ſecundum. 1015. b. — Theologiæ ſtatus ſub quinta N. T. ætate. 1020. a. Ejus defenſores varii ordinis. ibid. — Gentiliſmus ætatis quintæ. 1024. b. Judaiſmus ejus. ibid. Muhammedaniſmus ejus. 1025. a. Antichriſtianiſmus ejus papalis. 1025. b. Hæreſes ætatis quintæ. 1026. a. Propagatio Eccleſiæ ſub hac ætate. 1028. b. Scriptores eccleſiaſtici hujus ætatis. 1029. a. Regimen Eccleſiæ hujus ætatis. 1032. a. Synodi ætatis quintæ.

quintæ. 1034. b. Scholæ hujus ætatis. 1037. b. Propagatio Ecclesiæ facta, per bellum Sacrum. 1038. b. Persecutiones hujus ætatis. 1041. a.
Ætas sexta N. T. figurata sigillo sexto apocalyptico, hujus exegesis. 1044. Ecclesiæ facies sub Reformatione. 1045. a. Imperatores R. octo. 1046. a. Pontifices Rom. viginti sex. 1047. a. Theologiæ status. 1048. b. Propagatio Ecclesiæ. 1053. b. Propagatores Ecclesiæ, 1056. b. Scriptores Reformati. ibid. Scriptores Lutherani. 1060. a. Scriptores Pontificii. 1061. a. Scriptores fanatici. 1061. b. Regimen Ecclesiæ, Pontificium, Lutheranum, Reformatum. 1062. a. Synodi. 1062. b. Colloquia & conventus religiosi. 1063. b. Confessiones, aliaque id genus. 1068. b. Scholæ. 1069. a. Schismata. 1071. a. Schismata Lutherana. 1074. a. Schismata Pontificia. 1075. b. Persecutiones Germanicæ. 1078. b. Belgicæ. 1079. b. Anglicanæ. 1080. b. Gallicanæ. 1081. Pedemontanæ. 1082. b. Hungaricæ. 1084. a. Lutheranæ. 1084. b. Reformatorum. 1085. a. Indianæ. 1086. a. Epilogus historiæ Ecclesiasticæ. 1086. b.
Æternitas Dei, omnibus temporum differentiis coëxistit. 130. a.
Æternitas absoluta Deo competit. Probatur Scripturis & rationibus. 128. a. b. & 129. a. & soli quidem. ibid. Explicatur. 129. b. Quid Boëthio. ibid.
Æternitas absoluta soli Deo est propria. 131. b.
Æternitas Dei, excitat ad ejus celebrationem. 133. a. Monstrat rerum omnium vanitatem. ibid. Præstat solatium. 133. b. Retrahit à peccatis. ibid. Invitat ad studium beatæ æternitatis. ibid.
Æternitatem absolutam, Helleniстæ gentiles suis Diis abrogabant. 130. b.
Æternitatem absolutam, excludere successionem, contra Vorstium & Socinianos, probatur. 131. a. & vindicatur. 131. b.
Æternum esse, quod ante tempus fuit, contra Vorstium probatur, & vindicatur. 132. a. b.
Affectus in Deo, quid sint, & quinam. 161. b.
Affectus proprie Deo non competunt. Probatur & vindicatur. 166. b. & 167. a.
Afflictiones justificatorum, non immittuntur à justitia Dei. Probatur & vindicatur. 196. b.
Agapæ Christianorum, sub ætate secunda N. T. seu sub seculo secundo & tertio. 965. a.
Agnitio Dei. Ejus natura & ingredientia tria; bona sex; adminicula septem. 1164.
Agnoëtarum hæresis. 978. b.
Albigenses eorumque varia nomina. 1022. b.
Albigensium persecutio. 1041. b.
Alcoran non est scriptum *divinum.* 26. a.
Alienationis à Deo, natura & ingredientia varia; mala sex: causæ novem; remedia tria. 1137.
Alimentorum usus natura & officia varia; bona legitimi usus quinque; adminicula septem. 1202.
Alimentorum abusus natura & vitia varia; mala octo; causæ quatuor; remedia tria. 1203.
Amaziæ, Regis Judah, historia. 912. a.
Ambrosius. 980. a.
Ambulationis cum Deo, natura & ingredientia varia; notæ octo; bona varia; modus ambulandi in sex; adminicula varia. 1168.
Amen, quænam notet. 389.
Amen, quid & quod significet. 657.
Amicitia, quid, & quinam ejus actus. 1193.
Amor Dei, quod, quid, ejus ingredientia. 179. a. Hujus objecta; circa creaturas triplex. 179. b.
Amor Dei solus, absque satisfactione, non sufficit redimendo peccatori. Probatur & vindicatur. 185. a. b.
Amor Dei Patris œconomicus, quis. 236.
Amor Dei, quo elegit, non evincit, Deum elegisse ex fide prævisa. Probatur. 185. b.
Amor Scripturæ, in quibus consistat. 40. b. *Motivæ.* 41. a. *Affectiones* hujus amoris. 412. b. *Media* quibus accenditur iste amor. 42. a.
Amoris divini affectiones sex. 180. a.
Amrami Patriarchæ historia. 884. a.
Anabaptistarum historia & placita. 1049. b.
Angeli & animæ nostræ, quo modo sint Spiritus. 105. a.
Angelorum doctrina, pandit gloriam Dei. 350. b. imitationem Angelorum. Ibid. beatitudinem fidelium. 351. a. custodiam eorum quærendam. 351. b. cavendum abusum Angelorum. ibid. Miseriam infidelium. 352. a.
Angelorum malorum doctrina, declarat gloriam Dei. 362. b. miseriam eorum qui sunt sub potestate eorum. 363. a. monet cavendum à peccatis eorum, quibus & quare. ibid. imprimis, ut non induamus imaginem eorum, quænam illa, & quibus rationibus. ibid. Etiam ab artibus & studiis eorum, quibus & quare, 363. b. hortatur, ut tentationibus eorum resistamus, quare, quibus mediis. 364. a. consolatur adversus eorum insultus. 364. b.
Angelos dari, contra varios probatur & vindicatur. 343. a. Creatos fuisse, non ante primum creationis principium. Sententiarum varietas. Probatur & vindicatur. 343. b. Esse substantias immateriales, contra varios, probatur, & vindicatur. 344. b. Non esse meras cogitationes, probatur & vindicatur. 345. a. Operari propriis viribus extra se. Sententiarum discrepantia. Probatur & vindicatur. 345. b. —— Esse in loco. 346. b. Eis competere motum. 347. a. Eorum ordines, qui sint, deter-

determinari nequit. Sententiarum varietas. Probatur & vindicatur. 347. —— Tutelares non dari. Sententiarum varietas. Probatur & vindicatur. 348. b. Non esse eos Mediatores, probatur & vindicatur. 349. b. Nec eis competere cultum religiosum, contra varios probatur & vindicatur. ibid. Eos non habuisse dominium in Ecclesiam Veteris Testamenti. Sententiarum collatio. Probatur & vindicatur. 350. a.

Angelos, seu spiritus *malignos* dari. 354. a. eorum variæ denominationes. ibid. apostasia. 354. b. cujus Deus non fuit auctor. 355. a. lapsus eorum, locus & tempus, modus. ibid. consequens duplex. 355. b. Eorum affectiones. ibid. Potentia. 356. a. peculiariter in hominum corpus & animam. ibid. in apparitionibus seu spectris. ibid. in magia. ibid. in obsessionibus 377. a. seductionibus. ibid. Remedia. ibid.

Angelos malos dari, contra varios, probatur & vindicatur. 357. a. eos esse spiritus, post sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 357. b. esse eos creatos, & quatenus, post varias sententias, probatur & vindicatur. 358. a. Eos suis viribus operari extra se, post sententiarum discrepantias, contra Bekkerum probatur & vindicatur. 358. b. —— Posse eos procurare artes magicas, post explicationem, probatur & vindicatur, contra varios. 360. a. —— Non esse in eorum potestate, corpora fidelium, contra Pontificios probatur & vindicatur. 362. a. eis pellendis non esse applicanda remedia externa, contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid.

Angelos dari, Scriptura certum, natura probabile tantum est. 340. a. creati sunt primo die. 340. b. eorum variæ appellationes & ambiguitates. ib. Sunt substantiæ spirituales. 341. b. eorum vita: intellectus. ibid. loquela. 341. b. voluntas. ibid. Sunt spiritus completi. 342. a. eorum bonitas, potentia, locus, duratio 342. a. numerus, ordo, ministerium, apparitiones. 342. b. cultus. 343. a.

Anima Christi, qui redemptionis pretium dicatur 611.

Anima humana est substantia. 368. a. immaterialis, incompleta, est vegetativa, sensitiva & rationalis, cui competit intellectus, voluntas & arbitrium liberum. 368. b. & loquela. 369. a. affectiones, unitas. 369. a. immaterialitas. 369. b. unio corporis & animæ. ib. origo animæ rationalis. 370. a. Præstantia. 370. b.

Animarum receptacula, post hanc vitam, duo tantum sunt. Contra Pontif. docetur. 761. b. & 1099. b.

Antichristi abolitio docetur. 1094. a.

Antichristianismi papalis incrementa, sub seculo nono. 1005. b.

Antichristianismus sub ætate quinta N. T. 1025. b.

Antichristus magnus, est Papa. Contra Pontif. Probatur & vindicatur. 800. b——

Antinomianum schisma. 1072. a.

Antiochi Epiphanis persecutio Judæorum. Ejus historia. 928. b.

Aphthartodocetarum hæresis. 978. a.

Apocryphi libri, non pertinent ad Scripturam. 33. a.

Apocryphorum librorum ortus & historia. 914. b.

Apollinaris hæresis. 975. a.

Apostoli vox, unde & quare Christo tribuatur. 451.

Apostoli vox, quid notet. 785.

Apostolorum functio & prærogativæ. 791. a.

Apostolorum omnium historia. 950. b. eorum dispersio. 952. a.

Applicatio redemptionis, non est universalis. Contra varios, probatur & vindicatur. 642. a. A redemptione divelli non potest. Contra varios, probatur & vindicatur. 642. b. Non pendet à libero arbitrio, contra Pelagianissantes, probatur & vindicatur. 643. a. Nec à solâ gratia morali. Contra eosdem. 643. b.

Applicatio redemtionis, ratione nostri, non pendet ab alio, quam à fide. 643. b. Applicationis sibi factæ, fidelis potest esse certus, contra Pelagianissantes, probatur & vindicatur. ibid.

Applicatio peculiaris non est ipsa fides. 56. b. Potest referri, vel ad intellectum, vel ad voluntatem. ibid. Non est secludenda à fide. ibid.

Applicatio redemtionis, ad redemtionem omnino necessaria est. Probatur Scripturis & rationibus. 639. a. Quid sit. 639. b. Ejus causa, tota Trinitas. 640. a. Actus ejus *primus* est designatio redimendorum. ibid. *Secundus*, præscriptio conditionum. ibid. *tertius* sanctificatio redimendorum. Hujus actus tres. 640. b. Fundamentum, unio cum Christo. ibid. Beneficia applicanda. ibid. Objectum. 641. a. Media quatuor. ibid. Modus applicandi, diversus quoad Testamenta. 641. b. Applicatio quatenus ab ipsis fidelibus est peragenda. ib. Est etiam in persuasione speciali. 642. a.

Applicatio redemptionis, commendat (a) Deum, ceu inchoatorem & consummatorem salutis nostræ, quomodo, & quorsum. 644. b. (b) beatitudinem eorum, qui ejus sunt participes, quomodo, & quorsum. 645. a. (c) Invitat ad studium applicationis. Motivæ, modus. 645. b. (d) Excitat ad applicationem *activam*, quæ sibi exigit quatuor 646. a.

Arbor vitæ & scientiæ boni & mali, quales. 381. a.

Arelatensis prima Synodus. 983. a.

Ariana hæresis ejus historia. 974. b.

Ariani Christum negabant ab æterno exstitisse; at-

attamen ante mundum. 130. b.
Aristoteles fertur ſtatuiſſe, mundum fuiſſe ab æterno. 131. b.
Arminius (Jacobus) 1062. a.
Arminiani, quid de ſimplicitate ſentiant. 105. a.
Arminianorum hiſtoria. 1052. b.
Arminianum Schiſma. 1071. a.
Arphacſadi protopographia. 876. a.
Aſah, Regis Judah, hiſtoria. 911. a.
Aſcenſio Chriſti, localis & viſibilis, probatur Scripturis & rationibus. 593. a. Quid ſit quoad aſcendentem. ibid. Aſcenſionis ingredientia. ibid. Affectiones. 593. b. Tempus. ibid. Fines ac fructus. 594. a. Vera fuit. Contra hæreticos quoſdam veteres, & Judæos, probatur & vindicatur. 594. a. Facta ipſo corpore quo reſurrexit. Contra Socin. probatur & vindicatur. 594. b. Cœlum in quod aſcendit, locus fuit definitus. Contra Luther. probatur & vindicatur. 595. a. Ejus corpus, poſt aſcenſionem, non eſt in terris. Contra Luther. & Pontif. probatur & vindicatur. 596. b. aſcendit ſolus. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 596. b. Non aſcendit, ut Sacerdos fieret. Contra Socin. docetur. ibid. Nec ſæpius quam ſemel. Contra Luther. & Pontif. docetur. 597. a.
Aſcenſio Chriſti (a) invitat ad ſui contemplationem, quot modis. 597. a. (b) Ut aſcendenti gratulemur, quare & quot modis. 597. b. (c) Præſtat ſolatium, ejus fundamenta, & caſus. 598. a. (d) Excitat, ut exquiramus, num & pro nobis aſcenderit. Ejus indicia. 598. b. (e) Ut conemur experiri vim aſcenſionis Chriſti. Quænam illa vis, quibus motivis, & quomodo. 599. a. (f) Ut mundum deſeramus, quid hoc, & quare. 599. b. (g) Ut aſcendamus cum eo ſpiritualiter, in quibus, quamobrem, quibus mediis. 600. b. (h) Damnat eos qui nolunt eum ſequi in cœlum, quinam illi, & quænam eorum miſeria, quænam hujus cauſæ. 601. b. (i) Præſtat pignus futuræ aſcenſionis, quot modis, & quibus. 602. a.
Aſcitas Dei facit ad ſolatium, quibus in caſibus, & quibus argumentis. 83. b. Reprehendit quos & quibus argumentis. 84. a.
Aſperſio ſanguinis, legalis, quotuplex, & quid. 638.
Aſſertores veritatis, contra Papatum, ſub ætate N. T. quarta. 1008. b.
Aſſumens, in incarnatione, non fuit natura; ſed perſona, & una quidem, eaque præciſe ſecunda Trinitatis. 437. b. 440 b
Aſſumtio humanæ noſtræ naturæ, repræſentat amorem Dei Patris, & Filii erga nos, quorſum. 446. a. Et profundam Mediatoris humiliationem, & quorſum 446. b. Egregiam noſtri exaltationem. 447. a. Curam Chriſti, plus quam fraternam verſus ſuos, ad ſolatium eorum. ibid. Movet in nobis juſtam ſolicitudinem, qua nos exploremus. Motivæ, ſigna. 447. b. Deſuadet varios abuſus. Quoſnam & quibus rationibus. 447. b. Accendit varias virtutes. 448. a.
Aſſumtum in incarnatione, non fuit perſona humana; ſed natura, omni perſonalitate, tam propria, quam communicata, penitus deſtituta: fuit natura vera, noſtræ ſimilis, excepto peccato. 438. a. 442. b.
Aſtrologia, qui dicatur. 68. a.
Aſtrorum ſitus, futura contingentia non præſagit. 337. b.
Athanaſius. 979. b.
Athei Philoſophi dicebantur, qui polytheiſmum impugnabant. 113. b.
Atheiſmus, quid, quotuplex. 71. b. quare fugiendus. 73. a. ejus remedia. 73. b. cauſæ. ibid.
Atheiſtica opiniones. 73. b.
Attributa Dei, quid ſint, voce tenus & re. 93. a. Omnia non ſunt, niſi unus actus. 93. b. Eorum ingenium explicatur. 10. regulis. 93. b. & 94. a. b. Eorum diſtributio. ibid. Non differunt, cum ab eſſentia; tum inter ſe, niſi ratione ratiocinata. ibid. Ei competunt *vere*. 94. a. in concreto pariter & abſtracto. ibid. Et per *prius* etiam, quoad *rem*: per *poſterius* quoad *nomina* ibid. Nulli ſunt eorum *gradus* in eo; licet quoad objecta. ibid. Nulla item contrarietas intrinſeca. ibid. Sunt perfectiones. ibid. Virtualiter, eminenter & formaliter. ibid. Idque velut in eſſe ſecundo. 94. b. Incommunicabilia, ne veſtigium quidem habent in creaturis. ibid. Communicabilia, analogice tantum creaturis competunt. ibid. Diſtributiones eorum variæ. ibid. præſtantiſſima quæ. 95. a. An & quatenus ſint cognitu neceſſaria. 96. a.
Attributa Dei, in communicabilia & incommunicabilia recte diſtribuuntur. 96. b. Quid hic Lutherani, Carteſiani & Reformati. ibid.
Attributorum divinorum copia, facit ad cognitionem, glorificationem & reverentiam Dei. 97. a. Eſt fundamentum fidei, fiduciæ, precum aliarumque virtutum. Arguit beatitudinem noſtram in Deo. 97. b.
Auctor peccati, per hypotheſes Reformatorum, non eſt Deus, probatur & vindicatur. 105. b.
Auctoritas Scripturæ, non pendet à teſtimonio Eccleſiæ. 32. b.
Auctoritas divina Scripturæ, hominibus accurate eſt inculcanda. *Motivæ* 39. b. *Modus* inculcandi. 40.
Audæanorum ſeu Anthropomorphitarum hæreſis. 975. a.
Auditio Scripturæ, *quod*, *quare* & quomodo ſit inſtituenda. 43. a.

Auditio verbi publica. Ejus obſervanda. 1273.
Auditionis verbi divini natura ejuſque obſervanda varia; diſtributio quadruplex; bona ſex; modus & requiſita tria. 1226.
Auditorum officia verſus Paſtores. 1299.
Auguſtana confeſſio, cum ſua apologiâ. 1168. b.
Auguſtinus. 1080. b.

B.

Baaliſmi, hiſtoria, propagatio ſub variis gentibus, adeoque Baalim varii narrantur. 1016. a. ---- Idololatria varia, etiam ad Iſraëlitas propagata. Ibid.
Babilon triplex. 1019. b.
Baptiſmi Chriſti convenientia, probatur & vindicatur. 623. a.
Baptiſmi Johannis & Chriſti collatio. 919. b.
Baptiſmi praxis (1) ſuadet adultis, anhelare ſui Baptiſmum. Motivis novem. Officiis obſervandis: ante Baptiſmum, ſub Baptiſmo, poſt Baptiſmum. 926. b. (2) Commendat officia, circa liberos, quænam, & quare. 927. b. Item (3) Baptizatis communia, quænam. Ibid.
Baptiſmi vox. 918. b. Quid ſit. Ibid. ratione ſigni. Ibid. & rei ſignificatæ. 919. a. Cauſæ: inſtituens, diſpenſans primus Johannes Baptiſta, cujus Baptiſmus confertur. 919. b. Apoſtoli aliique. 920. a. Fines. Ibid. Baptizandi, quinam. 920. b. Affectiones: neceſſitas, unitas, locus, tempus, effectus. Ibid.
Baptiſmus. Ejus obſervanda. 1273.
Baptiſmus Johannis, idem fuit cum Baptiſmo Chriſti. Contra Pontif. & Anabaptiſtas, probatur & vindicatur. 921. b. In Baptiſmo ſufficit ablutio per ſimplicem aquam. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. 922. a. Non admittit exorciſmum. Contra Pontif. & Lutheran. probatur & vindicatur. Ibid. Non eſt ritus temporarius, abſque præcepto Chriſti, ab Apoſtolis uſurpatus. Contra Socin. probatur & vindicatur. 922. b. Regenerationem & juſtificationem non continet ut inſtrumentum; nec producit ex opere operato. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. 923. b. Non tollit peccatum penitus. Contra Pontif. probatur & vindicatur. Ibid. Non eſt ad ſalutem abſolute neceſſarius. Contra varios, probatur & vindicatur. 924. a. Etiam fidelium infantibus. eſt conferendus. Contra varios, probatur & vindicatur. 925. a. Et quidem ſemel tantum. Contra varios probatur & vindicatur. 952. b.
Barbariſmus, Scytiſmus, Helleniſmus, quid 113. b.
Baronius Cardinalis. 1161. b.
Beatitudinem Dei ingenue non agnoverunt Gentiles. 233. a. Nec qui beatitudinem in quovis, quam in Deo quærunt. ibid. Eam ſuis hypotheſibus turbant Pelagiani. 233. b.
Beatitudo Dei, in quibus conſiſtat. 232. b. Difficultates adverſus eam tolluntur. ibid.
Beatitudo Dei ſuppeditat argumentum glorificationis. 233. b. Notat dementiam peccati. 234. a. & ſtultitiam eorum, qui extra Deum, beatitudinem quærunt. Ibid. Allicit ad beatitudinem in Deo quærendam, motivæ, media. Ibid. Conducit ad ſolatium, quibus caſibus & conditionibus. 234. b.
Beatitudo in genere, quid ſit. 232. a.
Beatus eſt Deus, & omnis beatitudinis ſcaturigo, probatur Scripturis & rationibus. 232. a.
Beda Venerabilis. 1107. a.
Bidellus (Joh.) ſtatuebat Spiritum S. eſſe perſonam creatam, Principem Angelorum. 266. a.
Begnardorum placita. 1128. a.
Begninorum placita. 1128. a.
Bekkeri motus. 1173. b.
Belgica confeſſio. 1169. a.
Bellarminus Cardin. 1161. b.
Bella Belligica tria (1) ſub Philippo ſecundo, Hiſp. Rege. 1179. b. (2) Suſceptum à Ludovico XIV. Gallorum Rege. 1180. b. (3) ab eodem. ibid.
Belli leges. 1296.
Belli Sacri Hiſtoria. 1138. b. ----
Bellum Bohemicum, ſub ætate quinta N. T. 1143. a.
Bellum Bohemicum. 1179. a.
Bellum Germanicum. 1179. b.
Bellum Smalcaldicum. 1178. b.
Benedictio Chriſto, quod & qualis competat. 567. a.
Benedictus Narſinus, auctor Benedictini ordinis. 1091. a.
Beneplaciti vox explicatur. 963.
Benevolentiæ erga Deum, natura & ingredientia quinque; bona ſeptem; adminicula ſex. 1271.
Benevolus Dei affectus verſus creaturas, probatur & declaratur. 178. a.
Berengarii hiſtoria. 1126. a.
Bezæ (Theodori) hiſtoria. 1158. b.
Blaſphematio Dei indicatur. 1272.
Boëthius: vir conſularis. 1089. b.
Bohemica confeſſio. 1169. a.
Bonifacius tertius, Papa. 1096. b.
Bonitas Dei, quid ſit. 172. a. eſt intrinſeca. ibid. & extrinſeca. ibid. Quomodo tranſeat ad creaturas, & quot modis. 172. a. b.
Bonitas Dei non exigit, ut velit omnes & ſingulos ſervari. 173. b.
Bonitas Dei excitat ad ejus amorem. Ejus actus, affectiones & motivæ. 174. b. Ad bonum quodvis quærendum in Deo. 175. a. Ad mali cu-

jusvis remedium quærendum in bonitate Dei. 175. b. Ad cognoscendam peccati malitiam. 175. b. Ad imitationem bonitatis divinæ. Motivæ, media. 176. a. Ad quærendam in Deo beatitudinem. Modus, motivæ, media. 176. b. Ad glorificandum Deum: quorsum. 176. a. b.

Bonitate Dei abutuntur, qui Christum se bonum esse negare, affirmant. 173. a.

Bonitatem Dei non arrodunt Reformati, per suam reprobationem. 174. a.

Bonum in genere, quid sit. 171. b.

Bonum summum, esse Deum qui negant; reapse Deum negant. 172. b.

Bonus, quomodo Deus solus sit. 170.

Bonus, vere & summe solus est Deus. Probatur Scripturis & rationibus. 171. a. vindicatur. 171. b.

Buceri historia. 1157. b.

Burmanni historia. 1159. b.

Bythus & Sige Valentinianorum. 115. a.

C.

Abbala non est divinæ auctoritatis. 28. a.

Cabalistarum emanationes. 95. a.

Cabalistis רוּחַ, est inter nomina Dei. 80. a.

Calixtus (Georgius) 1160. a.

Calliditas, quomodo serpenti tribuatur in tentatione prima. 428. Item quomodo omnibus aliis animantibus dicatur callidior. ibid. quare mulierem selegit pro instrumento. ibid. Quare mulier, ex loquela bruti territa, non declinaverit commercium cum serpente. ibid. Quare serpens in primo tentationis insultu, tot ambiguitatibus ludat. 329. a. Muljer in tentatione, quare corruperit præceptum Dei. ibid.

Calvini historia. 1158. a.

Canonizatio Sanctorum papalis derogat sanctitati Dei, probatur & vindicatur. 204. b.

Captivitas Babilonica triplex ostenditur. 1013. a.

Carbonaria fides. 55. b.

Cardinales necdum electores Pontificis. 1090. b.

Cardinalium historia. 1132. a.

Cardinalitas in fidelitate, qualis. 58. b.

Carnium manducatio, an obtinuerit ante lapsum. 367. a.

Caro, quomodo & quare humana Christi natura appelletur. 536.

Caro & Spiritus in sanctificatis, quid. 842. b. eorum lucta. 843. a.

Caro & Spiritus in lucta spirituali, non in inferiore tantum sunt animæ parte, sed etiam in superiore. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 846. a.

Caroli M. historia. 1095. a.

Caroli V. historia. 1146. a.

Carološtadii historia. 1157. b.

Carolus M. in multis testis veritatis contra Papatum. 1109. a.

Cartesianorum motus. 1173. b.

Cartesianorum mundi infinitas possibilis saltem. 119. a. Non sunt vera corpora. 119. b.

Carthaginensis collatio. 1088. a.

Castitatis natura explicatur in variis; distributio triplex; bona octo; adminicula quinque. 1251.

Catharini (Ambrosii) peculiaris sententia de prædestinatione. 855.

Causarum subordinatio demonstrat esse Deum. 66. a.

Ceremonialem legem Christus Propheta abrogare debuit. Contra Judæos probatur & vindicatur. 558. a. Non tamen *omnem* legem abrogare debuit. Contra Antinomos, probatur & vindicatur. ibid.

Ceremonialis legis denominationes variæ. 993. b. ejus fines. ibid. Partes, loca, utensilia, tempora, personas & res sacras. 994. a-----

Ceremonialium legum explicandi & applicandi regulæ. 995. a. Earum duplex relatio, legalis & Euangelica. ibid.

Ceremonialium Christi observatio, circumcisionis, Paschatis rationes. 622. b.

Chalcedonensis Synodus tertia. 1087. a.

Chamitici schismatis propagatio, longe lateque facta. 978. a.

Charitatis erga Deum natura & modus quintuplex; distributio octuplex; notæ variæ; bona decem; media sex. 1224.

Charitatis erga proximum natura in variis explicatur; distributio quintuplex; Notæ sex; bona sex; media acquirendi quatuor; modus exercendi in sex. 1245.

Christi Baptismus. 619. a.

Christi fuga in Ægyptum & reditus. 618. a.

Christi nativitas. 945. a.

Christi nomen, idem quod Messias, utrumque ab ungendo. 525. b.

Christi prædicatio, quæ habuerit, & quare tot parabolas. 619. b.

Christi tentatio. 619. a.

Christiani appellatio, ubi nata, & quare, & quare Christi discipulis tribuatur. 526. b.

Christiani denominatio facit ad gloriam nostram. 532. b. præstat solatium, in quibus, & quibus argumentis. 533. a. Reprehendit varios. ibid. hortatur ad varia officia. 533. b.

Christus, non debuit esse Rex temporalis. Contra Judæos, probatur & vindicatur. 579. a. Non est Rex tantum subordinatus & dependens. Contra Socin. explicatur. 579. b. Nec in terris, vel de jure, vel de facto, fuit Rex temporalis. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 579. b. Christus solus est Rex Ecclesiæ. Contra

tra Pontif. probatur & vindicatur. 581. a. Non eſt factus aſcenſione ſua Rex. Contra Socin. probatur & vindicatur. 581. b.
Chriſtus in cœlum non aſcendit, ut de Euangelio edoceretur. Contra Socinianos, probatur & vindicatur. 557. b.
Chriſtus à primo conceptionis momento non fuit viator ſimul & comprehenſor. Contra Pontif. & Lutheranos, docetur. 609. b.
Chryſoſtomus. 1010. a.
Circumciſio Chriſti, ut fœdus obſignaret. 117. a.
Circumciſio Chriſti, vel myſtica eſt, vel perſonalis. 915.
Circumciſio, vel externa eſt, vel interna. 916.
Circumciſio, quid. 917. a. ejus partes 917. b. auctor, miniſter, inſtrumentum, finis. ibid. circumſtantialia. 918. a.
Circumciſio olim obſignabat beneficia ſpiritualia. Contra Pontif. Socin. & Anabaptiſtas probatur & vindicatur. 921. a. Non eſt uſus perpetui. Poſt ſententiarum collationem, probatur & vindicatur. ibid.
Circumciſio ſpiritualis, nobis eſt obeunda. Quæ conſiſtit in ſex capp. Eaque non paſſiva tantum; ſed & activa, in octo capitibus. Et quamobrem. 926. a.
Claſſicalis miniſtrorum, ſeu diœceſanus ſub N. T. eſt juris divini. 893. b.
Claves regni cœlorum, quid ſint ſymbolice. 946.
Clemens VIII. Papa, atheus. 83. a.
Clementia Dei probatur & explicatur. 184. b.
Clericorum appellatio, miniſtris Eccleſiaſticis non eſt peculiaris. Contra Pontif. probatur. 896. a.
Coagmentatio corporis, quid. 886.
Coccei (Joh.) hiſtoria. 1159. b.
Coccejani motus. 1174. a.
Cœli creati ſunt à Deo. 326. b.
Cœli empyrei denominationes. 327. b. cauſæ. ibid. affectiones. 328. a.
Cœlorum naturalium cauſæ. 326. b. eorundem magnitudo, figura, motus. 327. a.
Cœlorum praxis invitat ad contemplationem eorundem. 329. a. commendat beatitudinem electorum. 329. b. ſolatium præſtat municipibus cœli. 330. a. indicia eorum quibus præparatum eſt cœlum. 330. b. notat ſocordiam eorum qui cœli poſſeſſionem decoquunt. ibid. excitat ad quærendum cœlum, motivæ, media. 331. a. ſuadet converſationem cœleſtem, quid illa, motivæ. 331. b.
Cœlum demonſtrat exiſtentiam Dei. 58. a.
Cœlum in creatione, quid. 312.
Cœlum & terra, in creatione, quid. 311.
Cœlum empyreum non eſt ubique. Contra Ubiquetiſtas, probatur & vindicatur. 328. b.
Cœlum empyreum creatum eſſe, probatur & vindicatur. 318. b.
Cœlum empyreum eſt finitum. 329. a.
Cœna Domini, non eſt nudus ritus, nil ſpirituale obſignans. Contra Socin. Anabapt. & Remonſt. probatur & vindicatur. 935. a. In ea non requiritur præciſe panis azymus. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. ibid. Panis in cœna eſt frangendus, contra Pontif. & Lutheranos, probatur & vindicatur. 935. b. Vinum non eſt diluendum a qua. Contra Pontif. probatur & vindicatur 936. a. Utrumque elementum omnibus communicantibus eſt impertiendum. Contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. verba conſecrationis, ſic ſunt pronuncianda, ut audiri poſſint. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 936. b. Subſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, non adeſt localiter elementis. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. 937. a. Corpus & ſanguis Chriſti à communicantibus non accipitur ore. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. 937. b. Elementa non transſubſtantiantur in corpus & ſanguinem Chriſti. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 938. a. Miſſa toto cœlo differt à cœnâ. Contra Pontif. demonſtratur 939. b. Corpus & ſanguis Chriſti, non eſt in, cum & ſub elementis. Contra Luther. docetur. 941. a.
Cœna dominica, apud eam obſervanda. 1274.
Cœnæ dominicæ origo. 932. a. Variæ denominationes, cum ſcripturariæ; tum eccleſiaſticæ. ib. Ejus ſigna, repræſentantia, & applicantia. 932. b. Significata. 933. a. Unio ſigni cum ſignificatis, qualis, fundamentum triplex. 933. b. Perſonæ circa eam occupatæ: auctor, miniſtri, communicantes. 934. a. Ejus circumſtantialia, tempus, locus, inſtrumentum. 934. b.
Cœnæ dominicæ praxis (1) commendat ejus præſtantiam in variis 941. a. (2) Reprehendit ejus neglectum. Hujus varia effugia, quæ obſtruuntur. 941. b. (3) Urget, ut S. cœna religioſe fruamur. Quamobrem, quomodo. 942. a. (4) Cum juſta præparatione. Motivæ, modus, ad quem ſpectant: requiſita communicantium, exploratio & conatus conſequendi requiſita 942. b. (5) Ut modo conveniente appropinquemus ad S. cœnam, qui ſex potiſſimum exigit. 943. b. (6) Exigit officia poſt communionem obſervanda. Motivæ, quænam illa. 944. a. (7) Ciet horrorem verſus miſſam, quibus rationibus. 845. b.
Cœna S. Chriſtus ſe ipſum non ſacrificavit. Contra Pontif. probatur. 571. a.
Cœna triplex coſens. 926.
Cognitio Dei multis modis eſt neceſſaria. 69. b. Quotuplex ſit. 70. a. Eſt comprehenſiva, & appre-

apprehenſiva. ibid. Eſt Patriæ & viæ. ibid. Eſt naturalis & revelata: illa vel congenita, vel acquiſita. ibid. Hæc, vel communis, vel electis propria. ibid. Adminicula ad cognitionem Dei: tres viæ. 70. b.

Cognitio Dei exploranda, quibus indiciis. 74. b. Practica indicia, theoretica item. ibid.

Cognoſcendi Deum *ſtudium*, ejus quinque obſervanda. 75. a.

Colloquia de Scripturis, *quare* ſint inſtituenda, *à quibus*, *impedimenta*, *adminicula*, *modus*. 46. a.

Colloquia & conventus eccleſiaſtici, ſub ætate ſexta N. T. 1163. b.

Colloquia in Helvetiâ habita. 1163. b. Marpurgi. 1164. b. Auguſtæ Vindel. ubi exhibita Confeſſio Auguſtana. ibid. Genevenſe. ibid. Ratisbonenſia duo. 1165. a. Oxonienſia duo. ibid. Poſſiacenum 1165. b. Maulbrunnenſe. 1166. a. Francothalenſe. 1166. b. Mompelgartenſe. 1167. b. Bernenſe. ibid.

Commercii juſti natura & officia varia; bona ſeptem; adminicula ſex. 1286.

Commercii injuſti natura & vitia octo; mala octo; cauſæ ſex; remedia tria. 1287.

Communio bonorum in Eccleſiâ non requiritur. Contra varios, probatur & vindicatur. 879. a.

Communio Sanctorum, qualis, ejuſque actus. 869. b. Inter veras Eccleſias foveri debet. Contra Socin. & Lutheranos, determinatur & probatur. 879. a. Officia communionis. 884. a.

Communio fœderis gratiæ temporalis, vel totalis eſt, vel partialis. 500 b.

Communio cum peccatis aliorum. Ejus natura, ingredientia & vitia varia; mala ſex; cauſæ ſex; remedia tria. 1292.

Communionis cum Deo, natura & ingredientia varia; diſtributio ſextuplex; bona ſex; media octo. 1236.

Complacentia in Deo. Ejus natura & ingredientia varia; bona ſex; adminicula ſeptem. 1266.

Compoſitio quædam *extraordinaria* in perſona Mediatoris, eſt admittenda. 104. a.

Conceptio Chriſti à virgine, abſque extraordinaria Dei operatione, fieri non potuit. Contra Jeſuitas nonnullos, probatur & vindicatur. 602. b.

Conceptionis Chriſti principium *paſſivum* fuit, virgo, è tribu Juda, deſponſata, pia, quanquam non abſque peccato, Maria nomine 598. a. *activum*, fuit tota Trinitas, peculiariter Spiritus S. ejus ſextuplex operatio. 599. a. tempus. 599. b.

Conceptus noſter de Deo, inter precandum qualis eſſe debeat.

Concionandi optima methodus, poſt præfatiunculam, explicatur, & partes ac partium ingredientia, ſingularum inveſtigatio, leges & affectus apud ſingulas, monſtrantur, & geſtuum ac ſtyli ratio ſubjungitur. 1325.

Concupiſcentia, etiam in baptizatis, eſt peccatum, contra Pontif. probatur & vindicatur. 450. b.

Concupiſcentiæ natura & ſpecies tres; mala ſeptem; cauſæ quatuor; remedia tria. 1257.

Condomenſis Epiſcopi expoſitio fidei. 1169. a.

Condonatio injuriarum, qualis eſſe debeat; ejus bona tria. 1294. 1295.

Confeſſio auricularis non eſt neceſſaria. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 783. b.

Confeſſio peccatorum. Ejus natura & obſervanda varia; diſtributio quintuplex; bona ſeptem; affectiones ſex; adminicula quinque. 1230.

Confeſſiones fidei, ſub ætate ſexta N. T. Nominatim, Auguſtana, cum ſua Apologiâ. Quatuor civitatum, Argentinenſis, Conſtantienſis &c. Tigurina Zwinglii &c. 1168. b.

Confidentiæ natura & ingredientia quatuor; diſtributio triplex; bona ſex; media quinque. 1213.

Confœderatio, ſeu renovatio fœderis gratiæ, duplex: ante & poſt diluvium. Utraque fuit ſpiritualis, quod probatur & vindicatur. 974. b.

Confœderationibus agere cum hominibus, uſitatum Deo. 415. a. quare ibid. prima confœderatio. 415. b.

Conſcientia teſtatur Deum eſſe. 68. b.

Conſcientiæ natura; ſpecies ſeptem; cura in tribus. 1204.

Conſcientiæ neglectus: vitia conſcientiæ undecim; mala vitioſæ conſcientiæ decem; cauſæ ſex; remedia ſex. 1204.

Conſeſſuum miniſtrorum eccleſiaſticorum, convocatio, conſtitutio, poteſtas, ſubordinatio. 895. b.

Conſolationis afflictorum natura & officia varia; bona octo; adminicula octo. 1288.

Conſolationis neglectus natura & vitia ſex: mala quatuor; cauſæ ſex; remedia tria. 1290.

Conſtantiæ natura & ingredientia quatuor; diſtributio triplex; bona quinque; media ſex. 1214.

Conſtantini M. hiſtoria. 1070. a. Ejus geſta pro Eccleſia. 1079. a.

Conſtantinopolitana Synodus prima. 1082. b.

Conſtantinopolitana Synodus ſecunda. 1291. b.

Conſubſtantiatio Luther. impugnatur. 941. a.

Contemtus Scripturæ. 42. a.

Contentationis natura & actus tres; diſtributio quadruplex; bona quinque; media octo. 1257.

Contumacia in infidelitate, qualis. 58. b.

Converſari & ambulare cum Deo quid. 210.

Converſatio cum bonis, per amorem & amicitiam. Ejus natura, ingredientia & officia varia; bona quinque; adminicula ſex. 1293.

Converſatio cum malis & inimicis. Ejus natura & officia varia; bona varia; adminicula quatuor. 1294.
Converſatio inter ſuperiores, inferiores & æquales, in ſtatu domeſtico, politico & eccleſiaſtico; ejus bona, & adminicula indigitantur. 1296.
Converſationis piæ cum proximo, natura, ingredientia & officia varia; bona ſeptem, adminicula quatuor. 1283.
Converſationis impiæ cum proximo, natura, ingredientia & vitia varia; mala quinque; cauſæ quinque; remedia tria. 1284.
Converſio, occupatur excitando vitam in regeneratione collatam. Contra Pelagianos, Socin. & Pontif. docetur. 781. b. Operatione Dei phyſicâ, occupatur etiam circa voluntatem. Contra eoſdem. 782. a.
Converſio (1) format regenitos ad abſolutam dependentiam à gratiâ, quare & quomodo. 784. b. (2) Monet reſipiſcentiam à fide non eſſe divellendam. ibid. (3) Ut in converſione noſtrâ non aquieſcamus, priuſquam ad receptionem Chriſti pertigerimus. 758. a.
Converſione, actus vitæ ſpiritualis primus, regeneratione collatus, ad ſecundos promoveri debet, probatur. 776. a. Vocis homonymia. 776. b. Quid res. 777. a. Cauſa. ibid. Objectum. ibid. Actus ejus *moralis*. ibid. & *phyſicus*. 777. b. Operatur, inſtituendo, convincendo, ſenſum peccati excitando. 778. a. idque circa varia. ibid. Ex quibus naſcitur contritio. 778. b. humiliatio. 779. a. deſperatio ſalutaris. ibid. quorſum tria illa requirantur. ibid. Cavenda hic quædam. 779. b. Converſio occupata circa voluntatem. 780. a. ejus termini duo. ibid. quorum prior fides eſt. ibid. poſterior reſipiſcentia. 780. b. Eſt converſio, inchoata, continuata & renovata. 781. b.
Conviviorum uſus natura & officia varia; bona quatuor; adminicula quatuor. 1285.
Conviviorum abuſus natura in vitiis quinque; mala quatuor; cauſæ ſex; remedia tria. 1285.
Corah, Dathan & Abiram rebellant. 999. b.
Corporis Chriſti efformatio, non eſt facta in momento. Contra Scholaſticos, probatur & vindicatur. 608. a.
Corpus, ſitne Deus, membris præditus, quomodo, & quomodo non. 100. a. An ſaltem ſit corpus ſubtile. 100. b.
Corpus, quot ſignificet. 833.
Creandi virtus communicari nequit. Contra varios probatur & vindicatur. 315. b.
Creando Deus, ſingulis diebus non impendit integras viginti quatuor horas. Contra Carteſianos demonſtratur. 322. b.
Creare, facere, formare, ut diſtinguantur. 311.
Creatio definitur. 313. a. ejus actio eſt juſſio, quâ tria continentur. ibid. producit ex nihilo; quomodo. ibid. Ejus cauſa ſolus Deus, quare 313. b. abſque cauſâ inſtrumentali. 314. a. eſt tota Trinitas, & ſingulæ ejus perſonæ. ibid. abſque ulla fatigatione. 314. b. cœpit cum tempore. ibid. quo modo citius creare potuerit. ibid. quâ anni tempeſtate. ibid. creavit omnia valde bona. 315. a.
Creatio invitat ad cognoſcendum Deum, quod ſit, qualis, quis, & noſter. 317. a. ad glorificandum Deum, quot modis. 317. b. ad colendum eum. 318. a. ad timendum eum. ibid. ad fiduciam in eo collocandam. 318. b. ad ſolatium capiendum ex creatione, rationes quibus. ibid.
Creatio datur. Variæ ſententiæ. 315. b.
Creatio non fuit, nec eſſe potuit ab æterno. Contra varios probatur & vindicatur. 316. a.
Creatio quinque poſteriorum dierum, non conſiſtebat in converſatione ſubtilis materiæ & motus, contra Carteſianos docetur. 323. b.
Creatione Deus omnia ex nihilo produxit valde bona, probatur Scripturis & rationibus. 312. a.
Creationis creatura non poteſt eſſe inſtrumentum. 316. a.
Creationis vocis Synonyma. 312. b.
Creaturæ potius non *ſunt*, quam ſunt. 87. a.
Creavit Deus per ſex dies, quomodo. 319.
Credere quot modis fiat. 66. Eſt neceſſarium. ibid. Quæ credenda. ibid.
Crucifixio, quid. 637.
Crucis tolerantia. Ubi crucis natura, & officia varia traduntur; bona tolerantiæ octo, adminicula ſex. 1312.
Crucis corporalis natura & ſpecies novem; argumenta conſolatoria ſex; adminicula ſeptem. 1317.
Cultus Dei publici, *generalis*, requiſita octo; *ſpecialioris* in domo Dei officia; *ſpecialiſſimi*, in quatuor ſolennioribus ejus officiis. 1272.
Cultus inſtituti natura in variis repræſentatur; diſtributio quadruplex; bona quinque; exercitium in quinque. 1238.
Cura conſcientiæ; actus curandi ſeptuplex; bona curæ ſeptem; adminicula ſeptem. 1204.
Curioſitas Iſraëlitarum circa nomen Dei eſſentiale. 76. Reprehenditur. 76. a.
Curriculum tertium epochæ Moſaicæ, à Babilonicâ captivitate, ad Chriſtum. 1019. b.
Cyrillus Hieroſolymitanus. 1079. b.

D.

Damnatorum pœna in æternum eſt duratura. Contra varios docetur. 1200. a.
David Joris. 1161. b.
Davidis hiſtoria. 1010. b.
Deboræ Prophetiſſæ acta. 1010. b.

Decalogus, non eſt fœdus gratiæ, poſt ſententiarum divortia, probatur & vindicatur. 1033. a.
Decreta Dei omnia ſunt æterna. Contra Pelagianos probatur & vindicatur. 278. a.
Decretum Deo competere, probatur Scripturis & rationibus. 275. a. Quid ſit. ibid. Tria connotat. 275. b. cauſa eſt omnis futuritionis. ib. Ejus q. norma eſt conſilium. ibid. Eſt æternum. 276. a. liberrimum. ibid. ſapientiſſimum. ibid. abſolutum & immutabile. ibid. Ejus objectum. 276. b. quatenus unum & multiplex. ibid. Ordo decretorum. 277. a. Eſt, vel efficiens, vel permittens. ibid.
Decretum Dei eſt ipſe Deus. Variæ ſententiæ. 277. a. Probatur & vindicatur. 277. b.
Decretum Dei non pendet à conditione. Sententiarum varietas. Contra Pelagianiſſantes probatur. 278. a.
Decretum congruum ad circumſtantes, non datur. Contra Pelagianiſſantes probatur & vindicatur. 297. a.
Decretum antecedens & generale, non datur. Contra Remonſtrantes & Jeſuitas, probatur & vindicatur. 279. b.
Decretum mutabile non datur. Contra Pelagianiſſantes, probatur & vindicatur. 280. a.
Decretum Dei commendat dominii divini majeſtatem. 280. a. monet cavendum à peccatis. 280. b. decretum Dei in uſus noſtros convertamus. ibid.
Dedicatio Chriſti in templo, qualis & quorſum. 617. b.
Dedicatio ſui, Deo præſtanda. Hic, quæ dedicanda, quid dedicatio, quamobrem & quo modo inſtituenda. 852. a.
Deficere è ſtatu gratiæ, vere fidelis, nec totaliter, nec finaliter poteſt. Contra Pelagianiſſantes omnes, atque etiam Luther. Probatur & vindicatur. 860. a.
Deficere quatenus poſſit vere fidelis. 857. b.
Definiri Deus non poteſt. Quid hic Scotus, Vorſtius, Cartefiani? 78. b. Quamobrem non poſſit definiri. 78. b.
Definitio & deſcriptio Dei, ut differant. 78. b. Objectiones. ibid.
Dei omnia idem ſunt, in ſenſu identico, non formali. 82. a.
Dei vox, unde. 88. a.
Dei nomen Chriſto competit, ut Deo ſummo. Contra Socinianos, probatur. 529. b.
Deiſta, qui. 73. a.
Deorum Gentilium numerus & diſtributio 113. b.
Deſcenſus Chriſti ad inferos articulus olim non fuit in Symbolo apoſtolico, & quomodo ei tandem obrepſerit, oſtenditur. 660. a. Probatur tamen Scripturis & rationibus. ibid. Quid ſit, ſententiarum varietas. 669. b. Eſt triplex. ibid.
Deſcenſus Chriſti, non fuit demonſtratio ejus non-exiſtentiæ. Contra Socinianos, probatur. 662. a. Non fuit localis. Poſt ſententiarum varietatem, contra Pontif. & Lutheran. probatur & vindicatur. 662. b.
Deſcenſus Chriſti ad inferos, præſtat argumentum gratitudinis. Ejus motivæ & officia 664. a. Etiam ſolatii, quibus caſibus, & conditionibus. 664. b. Monet, nos ipſos non elevemus cœlum verſus. Rationes 665. a. Ad quadruplex officium inſtigat. 668. b.
Deſcenſus animæ Chriſti, in ſtatum infernalem, probatur & explicatur. 661. b. Non eſt primus gradus exaltationis. 673. a.
Deſcenſus totius humanæ naturæ Chriſti, quis. 662. a.
Deſertionum ſpiritualium natura & ſpecies variæ: cura, ubi cavenda & obſervanda; argumenta conſolatoria quinque. 1320.
Deſperationis natura in tribus; mala quatuor; cauſæ ſeptem; remedia tria. 1224.
Deum ſpiritum eſſe probatur Scripturis & rationibus. 98. a. & b. Quo ſenſu. 99. a. Quænam ejus ingredientia & affectiones. ibid.
Deus ſibi præbet teſtimonium. 66. a.
Deus ὁ ὤν, ſeu *τὸ ὄν*, *αὐτοτελὴς* quo modo. 80. a.
Deus non eſt à ſe *poſitive*; ſed *negative* tantum, quod probatur quinque argumentis, & vindicatur à tribus objectionibus. 82. b. & 83. a.
Deus per eſſentiam omnibus creaturis eſt præſens. Contra Vorſtium, Socinianos & Carteſianos probatur 123. b. Objectiones. 124. a.
Deus non eſt, quicquid non vivit vitam rationalem. Contra Gentiles probatur. 136. b.
Diaconi & Diaconiſſæ, quales. 892. b.
Diaconorum officia. 1299.
Dieiprimi opera, chaos & lux primigenia, hæc quid ſint. 335. a.
Dieiſecundi opera, expanſum & meteora. 336. a.
Diei tertii opera ſunt fundatio terræ, conſtitutio marium & fluviorum, terræ exornatio, exterior & interior. 336. a.
Diei quarti opus, luminaria cæleſtia, eorum uſus. 336. a.
Diei quinti opus, animantia aquatilia. 336. b.
Diei ſexti opera, animantia terreſtria & homo. 336. b.
Diei dominica inſtitutio divina & obligatio docetur 1242.
Diffidentia in infidelitate, quotuplex. 58. a.
Diffidentia, ut differat à fide minore. 60. a.
Dionyſius Exiguus. 1089. b.
Diſciplina eccleſiaſtica competit Eccleſiæ. Probatur Scripturis & rationibus. 947. a. Ejus denominatio varia & definitio. 947. b. Auctor, Deus triunus. ibid. Quibus competat. 948. a.

& in quos, ubi quadruplex notatur delinquentium genus. ibid. Ejus partes. 948. b. Excommunicationes duæ. 949. a. Gradus quatuor in exercitio obſervandi. 949. b. Ratificatio diſciplinæ. 950. a. Veteris T. diſciplina, ceremonialis & moralis. ibid. Novi T. vel apoſtolica eſt, vel eccleſiaſtica, cujus gradus quinque. 950. b.

Diſciplina Eccleſiæ propria, etiam diſpenſatione S. Cœnæ exercenda, datur. Contra Eraſtum & Eraſtianos notatos, probatur & vindicatur. 951. a. Non tamen judicialis; ſed miniſterialis tantum. Contra Pont. Probatur & vindicatur. 951. b.

Diſciplina Eccleſiæ ſub ſeculo primo N. T. 1053. a.

Diſciplina ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo ac tertio. 1060. b.

Diſciplinæ eccleſiaſticæ praxis, occupatur circa diſciplinam (1) conſtituendam, & ſtabiliendam. Hic Motivæ & perſonæ politicæ, & eccleſiaſticæ, quas hoc tangit. 953. b. (2) Exercendam. Motivæ, modus. 954. a. (3) Admittendam, quo modo. 954. b. (4) Vitandam, 955. a.

Diſpenſatio fœderis gratiæ temporalis, eſt teſtamentum. Ejus ingredientia & natura. 501. b.

Diſpenſatio fœderis gratiæ, pro ratione temporum, varia fuit. 965. a. Circa eam, caute diſtinguenda ſunt, electio æterna, fœdus gratiæ, ejus promulgatio per Euangelium, & diſpenſatio ipſa. ibid.

Diſpenſatio fœderis gratiæ, omnium perfectiſſima, à reditu Chriſti ad judicium, procurret in omnem æternitatem, probatur. 1193. a.

Diſpenſatio ſub æternitate (1) præſtat ſolatium, ſeptem argumentis. 1200. b. (2) Incutit horrorem impiis, ex variis. 1201. a. (3) Commendat varia officia circa ſtatum æternitatis, quoad corpus, quoad animam, quoad totum hominem. ibid.

Diſpenſationis Moſaicæ praxis (1) commendat ſtudium Veteris Teſt. rationibus quinque. 1036. b. (2) Repræſentat ſapientiſſimam Dei œconomiam, in familia ſua. 1037. a. (3) Commendat fidem & conſtantiam Dei, in ſervandis promiſſis. 1037. b. (4) Ponit ob oculos ſeveritatem Dei, in exagitandis familiæ ſuæ peccatis, in variis. 1037. b. (5) Et miſericordiam ejus, in condonandis populi ſui peccatis. 1038. a. (6) Et infinitam ejus potentiam, in liberanda & conſervanda Eccleſia ſua. 1038. b. Et Fata & viciſſitudines Eccleſiæ. ibid.

Diſpenſationis fœderis gratiæ ſub Chriſto praxis (1) commendat eminentiam N. T. præ Vet. in quatuor Capp. & quorſum. 1189. b. (2) Monet cavendum eſſe à mutationibus quibuſvis in Religione. 1190. a. (3) Præſtat ſolatium, in quibus caſibus. ibid.

Diſciplina in Deo. Ejus natura; mala quatuor; cauſæ ſex; remedia quinque. 1267.

Divina natura, in unione hypoſtatica, non fuit communicata humanæ naturæ. Contra Lutheranos probatur & vindicatur. 543. b.

Doctores, qui. 889.

Doctores Eccleſiæ, ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1063.

Doctorum N. T. memorabilia. 892. a.

Domeſtici cultus divini natura & ingredientia varia; bona ſex; adminicula ſex. 1274.

Domeſtici cultus neglectus natura; mala quatuor; cauſæ quatuor; remedia tria. 1275.

Domini noſtri denominatio in Chriſto præſtat argumentum glorificationis, conſolationis, reprehenſionis. 434. a. b. & adhortationis, officia, modus, motivæ. 535. a.

Dominicanorum ordo. 1133. a.

Dominium Chriſti triplex. 236.

Dominorum officia verſus ſervos. 1297.

Dominus, quare Mediator dicatur. à duplici ejus dominio. 527. a. Dominus noſter à quo dicatur. 527. b.

Dona infinita, per unionem perſonalem, non ſunt communicata humanæ Chriſti naturæ. Contra Luther. Probatur & vindicatur. 545. a.

Donatiſtarum Schiſma. 1075. a.

Dubitare de Deo, nunquam licet. 70. b.

Dubitatio Carteſianorum de Deo. 71. a. Univerſalis illicita item de rebus fidei. ibid. De Deo nunquam dubitandum. 71. b.

Dubitationes variæ. Ubi monita quatuor; ſpecies quatuordecim, quarum remedia aliunde petenda monſtrantur. 1322.

Durationis menſura triplex. 130. a.

E.

Ecce, ſeu *videte*, quid notet. 823.

Eccleſia, objectum unicum eſt omnium Dei donorum ſalutarium, probatur Scripturis & rationibus. 866. a. Vocis conſideratio, quoad etymologiam, homonymiam & ſynonymiam. ibid. Quid ſit. 865. b. Cauſæ, principales & miniſteriales. 868. a. Membra ejus quinam, ibid. Forma ejus, fides. 1068. b. Affectiones tres. 869. a. Eſt triumphans & militans. ibid. Militantis forma eſſentialis & accidentalis. 869. b. Affectiones quatuor. 870. a. Eſt Veteris & Novi Teſt. 870. b. Eccleſiæ particularis auctor. 871. a. Membra ejus. ibid. Vinculum, confœderatio. 871. b. quorſum illa. 872. a. Notæ ejus. ibid.

Eccleſia, non eſt una quævis perſona, v. g. Papa. Contra Pontif. docetur. 872. b. Ejus membra, quod & quatenus ſoli ſint fideles, contra varios docetur. 873. a. Recte diſpeſcitur

tur, in triumphantem & militantem. Contra Socin. Anabaptiſtas & Pontif. docetur. ibid. Ad Eccleſiæ Catholiciſmum, non requiritur membrorum unio cum Papa. Contra Pontif. docetur. ibid. Romana non eſt vera Eccleſia. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 873. b. Reformata, non eſt ſchiſmatica. Contra Pontif. docetur. 874. a. Ea ortum non habuit à Zuinglio, Luthero &c. Ubinam fuerit, ante eos. 874. b. Eccleſia non ſemper fuit conſpicua Contra Pontif. probatur. 875. a. Eccleſia militans, non poteſt tota deficere. Contra Pontif. Socin. Remonſtrant. probatur & vindicatur. 875. a. Eccleſia Veteris Teſt. eadem fuit, quoad eſſentiam, cum Novi Teſt. Eccleſia. 876. a. Quilibet Chriſtianus tenetur ſe adjungere veræ Eccleſiæ. Contra Fanaticos & Socin. probatur. 876. b. adeoque diſcernere veram à falſa. Contra Socin. probatur. ibid. Profeſſio veræ fidei eſt genuina nota Eccleſiæ. Contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. Quod eâ plures non dentur. Poſt Pontificiorum diverſas ſententias, quindecim Bellarmini rejiciuntur, ut ſpuriæ, adimuntur Pontificiis, & aſſeruntur Reformatis. 877. a. —— Juvat Eccleſias veras, communionem inter ſe colere. Contra peccantes in defectu Socinianos, & in exceſſu Lutheranos, determinatur & probatur. 879. a.

Eccleſiæ praxis jubet (1) inquirere in veram Eccleſiam. Motivæ, notæ. 880. a. (2) Veræ ſe aſſociare. Motivæ, modus. ibid. (3) Explorare, num ſimus viva Eccleſiæ membra. Motivæ, notæ. 880. b. (4) Amare veram Eccleſiam. Amoris officia, quæ, motivæ. 881. a. (5) Ædificare Eccleſiam. Motivæ, perſonæ quibus hoc incumbit, adminicula novem. 882. a. —— (6) Reformare eandem. Quibus hoc incumbat. 883. a. (7) Propagare Eccleſiam. Motivæ, media. 883. b. (8) Fovere unitatem Eccleſiæ, Motivæ, media. 884. a. (9) Commendat officia communionis Sanctorum. Hic cavenda, & obſervanda. ibid.

Eccleſiæ ſtatus, ſub ſtatu integritatis. 969. a.

Eccleſiæ ſtatus, ſub curriculo ſecundo Patriarchali. 978. a.

Eccleſiæ ſtatus, ſub tertio curriculo Patriarchali. 986. b.

Eccleſiæ ſtatus, ſub epochæ Moſaicæ curriculo primo. 1006. b. Forma regiminis. 1007. a. Schiſmata. ibid.

Eccleſiæ ſtatus, ſub epochæ Moſaicæ curriculo ſecundo. 1015. b.

Eccleſiæ ſtatus, ſub epochæ Moſaicæ curriculo tertio fuit ſub Monarchis Babilonicis quinque: Nebucadnezare, Evilmerodacho, Belzazare, Dario Medio, Cyro: ſub Monarchis Perſicis, decem: ſub Ducibus ſedecim: ſub Aſſamonæis undecim: ſub Herodibus duobus. Quorum hiſtoria pertexitur. 1021. a. ——

Eccleſiæ ſtatus ſub epochæ Moſaicæ curriculo tertio. 1026. a. ſub ejus ingreſſu in Babilonem. 1026. a. progreſſu. ibid. egreſſu. 1029. a.

Eccleſiæ facies, ſub ætate quartâ N. T. 1113. b.

Eccleſiæ ſtatus corruptiſſimus ſub Antichriſto, per ætatem quintam N. T. 1120. a.

Eccleſiæ ſtatus, ſub ætate quintâ N. T. 1128. b.

Eccleſiæ ſtatus, ſub ætate ſexta N. T. 1153. b.

Eccleſiaſtici Scriptores, pleriſque pſeudepigraphi. 1049. a.

Eccleſiaſticum ſchiſma, hierarchicum. 1171. b.

Edictum Nanetenſe & Nemanſenſe abrogatum in Gallia, & Eccleſia Reformata ibidem ſuffocata. 1182. a.

Editiones Scripturæ non ſunt authenticæ, niſi in linguis *Originalibus*. 33. a. Originales, Hebrææ & Græcæ, non ſunt corruptæ. 33. b.

Efficientia Dei, ejus gloriam pandit. 274. b. impietatem reprehendit. ibid. ſolamen præſtat. ibid. fiduciam erigit. ibid. Deo nos adſtringit. ibid.

Effigiari, an Deus poſſit & debeat, & quare non. Objectiones. 101. a.

Ehejeh & Jach, unde Jach; an ſit nomen diverſum à Jehova. 88. b.

El, unde; quomodo differat ab *Elohim*. 88. a.

El in Deo quid notet. 219.

Electio, una tantum eſt, multiplex Arminianorum impugnatur. 294. b.

Electio univerſalis non datur, ſententiarum varietas. 295. a. probatur & vindicatur. 295. b.

Electio non eſt ex prævisis. Sententiarum varietas. 296. a. vindicatur. ibid.

Electio ad gloriam, perinde eſt abſoluta, ac ad gratiam. Sententiarum varietas. 296. a. probatur & vindicatur. 297. a.

Electio pandit gloriam, poteſtatis, miſericordiæ, ſapientiæ divinæ, quorſum. 298. a. Accendit, ut nobis comparemus certitudinem ſui, motivæ & ſigna duum generum. 298. b. Et ad gratitudinem, hujus argumenta & modus. 299. a. & ad ſtudium ſanctitatis, motivæ, modus. 299. b. Suppeditat argumentum conſolationis, rationes. 300. a. & exemplum imitationis. 300. b. & Scopulos hic evitandos. ibid.

Electionem dari probatur. 293. a. quid ſit. ibid. Ejus ingredientia, actus quatuor. ibid. Objectum quale. 293. b. quod ſit, totus Chriſtus myſticus. ibid. Chriſtus quomodo ingrediatur electionem. ibid. non ut electionis cauſa movens. 294. a. Beneplacitum ſolum ejus movens. ibid. finis. ib. Eſt æterna. ibid. abſoluta. ibid. ejus certitudo, apud Deum & nos. 294. a.

Electionis fundamentum, non eſt Chriſtus. 296. b. pro-

b. probatur & vindicatur. ibid.
Electorum numerus est invariabilis: sententiarum varietas. 296. b. probatur & vindicatur. ibid.
Electus, suæ electionis potest esse certus. probatur & vindicatur. 297. b.
Eleemosynæ. Earum observanda. 1274.
Eli Pontificis acta. 1002. a.
Eliberitana Synodus. 1083. a.
Elohim, unde non 87. b. unde vere. 88. a. Est Hebræis nomen indicii. ibid. Idem variis modis scribunt Hebræi. ibid. Non est nomen officii; sed essentiæ. 82. b. significat pluralitatem personarum. 90. a.
Elohim solum, in demonstratione Trinitatis contra adversarios, non est urgendum. 237. a.
Elohim. Judæorum exceptiones, contra ejus pluralitatem personarum. 365.
Enochi prosopographia. 970. b.
Enoschi prosopographia. 970. b.
Ens absolute primum, quo sensu Deus sit. 81. a.
Enthusiastarum historia. 1150. b.
Ephesina Synodus prima. 1087. a.
Epilogus ad historiam Ecclesiasticam. 1186. b.
Epiphanius. 1079. b.
Episcopus, jure divino, non differt à Presbytero. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 898. b.
Epistolæ septem apocalypticæ sensum habent historicum; non Propheticum. Docetur. 1187. b.
Erasmus Rotherod. 1161. a.
Erastianum Schisma. 1172. a.
Essæismi ortus & placita. 1027. b.
Essentia Dei, quibus vocibus in Scriptura designetur; quo sensu ὁ ὤν. 81. a.
Essentia Dei, in se, invisibilis est. 93. a. Innotescit tamen per attributa. ibid.
Essentia eadem numero, in Trinitate, omnibus personis competit. Sententiarum divortia. 240. a. Essentiæ identitas probatur. ibid. & vindicatur. 240. b.
Essentiæ divinæ imperveſtigabilitas, probatur, confirmatur rationibus. 77. a. & b. positivus conceptus ejus non datur. 77. b.
Essentiæ vox, Deo competit. Objectiones. 81. b. Non consistit in mera cogitatione. 82. a. probatur & vindicatur. ibid.
Euangelistæ, qui. 885. & 891. b.
Euangelistarum singulorum historia. 1051. b.
Euangelium quid. 500. b. opponitur legi. 501. a. eidem subordinatur lex. ibid. Est duplex, promissionis & impletionis. 501. b.
Euangelium etiam obtinuit sub Veteri Test. post collationem sententiarum, probatur & vindicatur. 505. b.
Euangelium omne, Christus non primus annunciavit. Contra Socin. Probatur & vindicatur. 559. a.
Eucharisticæ controversiæ origo. 1105. b.
Eucharistici cultus divini natura, jus, & officia; bona quinque; adminicula quinque. 1278.
Eusebii, plures. 1079. b.
Eutychianæ turbæ. 1088. a.
Eutychianorum hæresis. 1077. a.
Exaltatio Christi, ostendit individuum humiliationis & exaltationis nexum. Hujus fundamentum, usus solatii, casus & fundamenta. 673. b. Reprehendit eos, qui exaltatum deprimunt, quinam illi, argumenta reprehensoria. 674. a. præstat fundamentum fiduciæ, gloriationis & adorationis. 674. b. Etiam humiliationis. Ejus motiva & ingredientia. 675. a. Invitat ad glorificationem, cordis, oris, operis, linguæ. 675. b.
Exaltatione, caro Christi, non est ejusdem essentiæ & virtutis cum divina persona. Contra Lutheranos, probatur & vindicatur. 672. a. Nec per eam accepit usum proprietatum divinarum. Contra Luther. probatur & vindicatur. 672. b. Est exaltatus etiam quoad divinam naturam. Contra Luth. explicatur & vindicatur. ibid.
Exaltatione sua, Christi humana natura non accepit, nisi dona finita. 673. a.
Exaltatus est Christus ad summam gloriam. Probatur Scripturis & rationibus. 670. a. Exaltatio Christi, ejusque ingredientia sex. 670. b. secundum utramque ejus naturam, quo modo. 671. a. Ejus causæ: meritoria, conferens, agnoscentes. 671. b. Ejus gradus. ibid.
Examinationis sui ipsius neglectus: natura & ingredientia sex; mala novem; causæ sex; remedia tria. 1280.
Excæcatio & induratio, quomodo procedat. 393. a.
Excidii pœna quæ. 918. a.
Exclamatio Christi in cruce. 639.
Excommunicatio non excludit ab officiis humanitatis. Contra Anabapt. & Pontif. probatur & vindicatur. 952. a. Potestas excommunicandi non competit toti congregationi. Contra Independentes docetur. 952. b.
Existentia Dei, est fundamentum Religionis 66. a. Demonstratur rationibus octo. 66. —— & testimonio triplici, conscientiæ, mundi, Dei. 66. b.
Exitus Israëlis ex Ægypto, & peregrinatio ejus in deserto, per quadraginta duas stationes. 998. a.
Exorcismus apud Baptismum, non est ferendus. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. 922. a.
Expeditio Guilielmi III. Principis Arausiaci, nunc Britanniæ Regis, in Angliam. 1170. a.
Exploranda fidei motivæ. 59. b.
Exploratio fidei. 59 b.
Extraordinarii Ministerii usus. 788. a. Veteris Test. 889. b. Et Novi Test. quales. 890. b.

F.

Fallere Deus non potest. Contra Cartesianos probatur & vindicatur. 155. a. b.
Familia Dei, cœlestis & terrestris est. 247.
Felicianorum hæresis. 1105. a.
Femur percutere, quid. 776.
Fidei divinæ non potest subesse falsum. 57. b. & 154. b.
Fidei utilitates. 60. b. ejus acquirendi modus. 62. b. ejus conservatio, motiva, media. 63. a. est augenda, quare, & quibus mediis. 63. ejus accrescentis & decrescentis signa. 93. b. ejus obstructiones. 65. a. 65. b. ejus vita & usus, qualis & quare sectanda. 64. a.
Fidei actus *salvificus*, consistit in receptione Mediatoris. 782. b.
Fidei natura & actus quinque; distributio triplex; notæ tres; bona tredecim; media tria. 1221.
Fidem quomodo producat Deus. 62. a.
Fides, est vel *humana* vel *divina*: divina rursus vel *historica*, vel *miraculorum*, vel *temporalis*; vel *salvifica*. 51. b.
Fides actus est, Deum & Christum *recipere* 52. a. Est *seminalis*, *habitualis* & *actualis*. ibid. Est actus *animæ totius*, singularum ejus *facultatum*. ibid. Fides in *intellectu*: in *voluntate*. ib. in *affectibus*. 52. b. Ejus actus salvificus est *recipere*. ibid. *Quid* sit recipere. ibid. Ejus *synonyma*. 53. a. Fidei *objectum*, quid *non*: *quid*. ibid. Est *Deus* ut finis, & *Christus* ut Mediator. ibid. Ut Propheta, Sacerdos & Rex. ibid. Non ut *Redemptor* tantum; sed & *Dominus* ibid. *Modus* recipiendi, est in prærogativâ præ aliis. ibid. Finis & fructus fidei sunt, unio & communio cum Christo. ibid. Gradus fidei. 53. a.
Fides non in intellectu tantum. 54. b.
Fides, sensu philosophico & Theologico. 51. b. 55. b.
Fides quatenus sit opus. 56. a.
Fides non est *obedientia* mandatorum Christi. 56. a.
Fides non consistit in solâ fiduciâ voluntatis. 57. a.
Fides vera & spuria, magna & parva. 60. a. communis, qui distet à salutari. 60. b. minima, qui differat, tum ab infidelitate, tum à communi. 60. b.
Fides Dei, quid notet. 152.
Figura hominis, Deum sibi repræsentare non licet, quare, objectiones. 101. a.
Filii œconomia in Trinitate, argumentum præstat glorificationis. 259. b. Accendit ad ejus desiderium. ib. Commendat sufficientiam Filii ad redemptionem. 260. a. Allicit ad osculandum Filium. 260. b. Ad eum magnificiendum. 261. a. b. Ad fidem in Filium. ibid. Absterret à peccatis in filium. 261. b.
Filii Dei, & filii hominum. Gen. VI. 2. 973. a.
Filius in œconomia Trinitatis secundum locum habet. 252. a. b. Filius quid, nomine & re tenus. 253. a. Ejus personalitas. ibid. Discrimen à Patre & Spiritu S. ibid. Ejus generatio æterna. 253. b. Ejus deitas probatur, a divinis nominibus. ibid. attributis. ibid. operationibus. ibid. cultu. ibid. Officium œconomicum. 255. a. attributa œconomica. ibid. Administrationis œconomicæ periodus. ibid.
Filius est filius ex generatione æterna. Divortia sententiarum. 255. a. probatur. 256. a. vindicatur. 256. b.
Filius est Deus à se, Explicatur. 259. a. Adversus Pontificios & Remonstrantes, probatur, & vindicatur. 259. a. b.
Filius Dei, quare verbum appelletur. 536.
Filius hominis, quare Christus appelletur. 711.
Flacius Illyricus. 1160. a.
Fœdus, quid voce tenus. 415. b. quid re tenus in genere. 416. a. Fœdus Dei quotuplex. Fœdus *naturæ*, ejus denominatio. 416. b. Quid fit. 416. b. coiit cum Adamo primo, non autem cum secundo, quare non. ibid. in Adamo, cum omnibus posteris ejus. 417. a. Auctor hujus fœderis est Deus solus. ibid. Forma consensus reciprocus. ibid. Vita hoc fœdere promissa, quotuplex. 417. b. Mors item quotuplex denunciata inobedienti 418. a. quo modo fuerit ipso transgressionis die inflicta. 418. b. Obedientia hoc fœdere stipulata, qualis. ibid. ejus norma lex duplex. 419. a. præstiturus obedientiam, erat perfectus. ibid. Sacramentum primum hujus fœderis, arbor vitæ. 419. b. Secundum arbor scientiæ boni & mali, unde dicatur, & quibus rationibus priori adjecta. ibid. --- Fœdus hoc, quatenus antiquatum, quatenus non. 420. a.
Fœdus naturæ, quod detur, probatur & vindicatur. 420. b. coiit cum universo genere humano, contra Pelagianos & Socinianos probatur & vindicatur. 421. b. promisit spiritualia, contra Socin. probatur & vindicatur. 422. a. Vita obedienti promissa transitura fuisset ad posteros. 423. a. & quomodo. ibid. Obedientiæ moralis, quare hic nulla fiat mentio. 423. b. obedientiam quare adstrinxerit uni legi positivæ. 424. a. lex de non manducanda arbore, fuit moralis ibid. Sacramenta hujus fœderis. duo tantum fuerunt, quod probatur & vindicatur. 424. b.
Fœdus naturæ, patefacit dominium & condescensionem Dei. 425. b. elevationem hominis ib. Turpitudinem apostasiæ. 426. a. Necessitatem repetendi jus legis violatæ, per Christum. ibid.

ibid. & præſtandi impoſterum jus legis violatæ. ibid.
Fœdus gratiæ ſuper reſtitutione peccatoris pepigiſſe, probatur Scripturis. 492. a. nominatim ex Gen. III. 15. docetur. 493. a. & rationibus. ibid.
Fœdus gratiæ aternum, inter Patrem & Filium dari, probatur & vindicatur. 493. b. Quid ſit. 494. a. Eſt pactum œconomicum. 494. b. Partes ejus, ſunt tres perſonæ Trinitatis. ibid. Argumentum confœderationis, eſt in promiſſionibus & ſtipulationibus reciprocis, Patris & Filii. ibid. Forma conſiſtit in conſenſu mutuo. 495. b.
Fœdus gratiæ temporale. Ejus fundamentum eſt fœdus æternum. 495. b. denominationes. 496. a. Deſcriptio. ibid. Partes contrahentes ſunt: *Deus* ibid. & electi. 496. b. Argumentum confœderationis, Dei promiſſa & ſtipulata. ibid. & reciproca electorum. 497. a. Forma eſt conſenſus mutuus. ibid. Conditionatum, quatenus non ſit, quatenus ſit. 497. b. Conditiones ejus quæ. 498. a. Omnibus & ſingulis hominibus, nec offertur, nec confertur. 498. b. Eſt gratuitum. ibid. Sanctum. ibid. Ordinatum. ibid. Firmum. 499. a. Æternum. ibid. Collatio cum fœdere operum, quoad convenientiam. ibid. quoad differentiam. ibid. in octo capp. 499 b.
Fœderis gratiæ temporalis conſectaria quatuor. 500. a.
Fœdus gratiæ non eſt univerſale, poſt collationem ſententiarum, probatur & vindicatur. 503. b. Non ſtipulatur à nobis bona opera propria, contra Pontif. & Socinianos, probatur & vindicatur. 504. b. Nec fidem, ut propriis viribus præſtandam, contra Pelagianos & Semi-Pelagianos quoſvis, probatur & vindicatur. 505. a.
Fœdus gratiæ non promulgatur in Decalogo, poſt collationem ſententiarum, probatur & vindicatur. 506. a. Non differt à fœdere naturæ, ſolis gradibus accidentalibus, poſt collationem ſententiarum, probatur & vindicatur. 506. b.
Fœdus gratiæ, nos abripit in ſui admirationem, quot modis & quorſum. 507. a. Oſtendit varia Dei attributa, ad ejus glorificationem. ibid. Commendat beatitudinem fœderatorum. 507. b. Hortatur, ut nos exploremus, ſimuſne fœderis gratiæ participes, notæ 508. a. Item, ut enitamur in ejus participium. 508. b. Et ut fœdus contractum religioſè ſervemus. Hîc, an & quatenus violari poſſit. ibid. Et ad renovationem fœderis. 509. a. ut illud in uſus noſtros convertamus. 509. b.
Fœdus gratiæ cum Abrahamo, involvebat quinque. 907.
Fœdus mixtum Deus cum Iſraële coiit apud Sinai. Hujus partes contrahentes, argumentum confœderationis, promiſſa & ſtipulata reciproca, & conſenſus partium. 996. b. hinc fœdus operum & gratiæ tum ſimul renovavit, ad ſuos fines. ibid.
Fœdus cum Davide renovatum, fuit gratiæ fœdus. 1008. a. Hujus partes contrahentes. 1008. b. Cauſæ moventes. ibid. Argumentum confœderationis, quoad promiſſiones divinas, & Davidi, & ejus ſemini, & ejus ſubditis factas. 1009. a. quoad ſtipulata à Davide & ſuis officia. 1009. b. Forma confœderationis. 1010. a. Incrementum hujus diſpenſationis. ibid. Series viginti duorum Regum in Judah, quibus conſtruuntur Reges Iſraëlis. ibid.
Fœderis gratiæ renovatio, ſub epochæ Moſaicæ, curriculo tertio. Ejus partes contrahentes. 1020. a. Argumentum, in promiſſionibus & ſtipulationibus reciprocis. 1020. a. Modus confœderationis, internus in conſenſu reciproco; & externus, in quinque conſpicuus. 1020. b. Prærogativæ hujus confœderationis quinque. 1021. a.
Forma Dei in Chriſto, quid ſit. Variæ ſententiæ. Non accidentalem notat; ſed ipſam deitatis eſſentiam, quod probatur & vindicatur. 588. & 592. b.
Forma ſervi in Chriſto, quid ſit, ſecundum varios. 589.
Formula concordiæ. 1169. a.
Fortitudinis natura in tribus; diſtributio quadruplex; notæ octo, bona varia, media ſeptem. 1212.
Franciſcanum Schiſma Pontificiorum. 1175. b.
Franciſcus Junius ab Atheiſmo converſus. 74. a.
Fructus fidei. 53. b.
Fuga Dei. Ejus natura & ingredientiâ quinque; mala ſex; cauſæ ſex: remedia quatuor. 1266.
Fundatio Eccleſiarum, ſub ſeculo primo N. T. Nominatim Hieroſolymitanæ, Palæſtinarum, Alexandrinæ, Antiochena, Romanæ, Apocalypticarum, aliarumque. 1053. a.
Fundatio Eccleſiarum, ſub ætate ſecundâ N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 962. b.
Furtum. Ejus natura & ſpecies variæ; mala ſeptem; cauſæ octo; remedia quatuor. 1254.

G.

Gallicana confeſſio. 1169. a.
Gallicanum Schiſma Pontificiorum 1175. b.
Generatio æterna Filii Dei, non conſiſtit in ejus coëxiſtentiâ cum Patre, nec in ejus incarnatione. 256. b. & 257. a. b. & 258. a. b.
Gentiliſmi ſtatus, ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo

culo secundo & tertio. 1059. a.
Gentilismus ætatis quintæ N. T. 1124. b.
Gideonis Judicis gesta. 1001. b.
Gloria quid. 389.
Gloriam divinam ingrediuntur, *eminentia.* 226. b. *fulgor.* ibid. ejusdem *agnitio* & æstimatio. 227. a. *celebratio.* ibid. Quæ est in cultu ejus religioso. 227. b.
Gloriam Dei variis modis obscurant Sociniani. 227. b. Etiam Pelagiani veteres & novi. 228. a. Et Pontificii, quod probatur. ibid. Et Lutherani. 228. b.
Gloria & majestas Dei, format ad humilitatem. 229. a. Retrahit a profanatione Dei. ibid. provocat ad glorificationem Dei, quid illa, motivæ. 229. b. Monstrat qua ratione enitendum ad gloriam Dei. 230. a. Movet appetitum gloriæ æternæ, quid ista, unde, & media. ibidem. præstat solatium in ignominia. 230. b.
Glorificatio finis est omnium reliquorum Dei beneficiorum. 856. a. Quid sit, voce tenus. ibid. & re. 856. b. Ejus tres periodi: *prima* est in hac *vita*, qua complectitur (α) Traductionem hominis in statum gratiæ. 857. a. (β). Conservationem traducti, quatenus tamen possit deficere. 857. b. (γ) Corroborationem. 858. a. (δ) Obsignationem, ex parte Dei, pariter & nostri. ibid. (ε) Communicationem bonorum spiritualium. 858. b. E quibus omnibus fluunt, consolatio, apprehensio amoris divini, amicitia cum Deo, pax omnimoda, gaudium, experientia benignitatis divinæ. Huic opponitur condemnatio inchoata. 859. a. *Secunda* periodus est in morte fidelis, quoad corpus, & quoad animam. ibid. duo præsupponens. 859. b. Condemnatio in morte. ibid. *Tertia*, in extremo judicio. 860. a. eique opposita condemnatio. ibid.
Glorificatio (1) commendat beatitudinem glorificandorum, in undecim capitibus, & quorsum. 862. a. (2) Præstat solatium, in quibus casibus, & quibus argumentis. 862. b. (3) Explicat miseriam non glorificatorum, in quibus casibus, & quibus argumentis. 863. a. (4) Instigat, ut enitamur ad glorificationem, motivæ, adminicula. 863. b. (5) Monstrat beatitudinem eorum, qui in Domino moriuntur, in quibus, & quorsum. 864. a. (6) Inculcat bene moriendi studium: dum adhucsani sumus, & dum mors appropinquat. 864. b.
Glorificationi num includatur sanctificatio. 856.
Glorificationis Dei natura & ingredientia quinque; bona; adminicula monstrantur. 1272.
Gnosticorum Æones. 95. a.
Golgotha, quid. 637.
Gradus fidei. 54. a.
Gratia in Deo, quod, quid sit, voce tenus & re. 180. a. b.
Gratia Dei, universalis quæ & qualis. 180. b. Communis, quæ & qualis. 187. a. Electis propria, quid & qualis, 181. a. Ejus oppositæ: natura, meritum iræ. 181. b.
Gratia Dei, non æqualiter se extendit ad omnes & singulos. Sententiarum divortia, & argumenta negantia. 186. a. b.
Gratia superabundans, non restituit omnibus & singulis vires ad bonum spirituale. Contra Universaliastas reformatos, & divortia sententiarum, probatur & vindicatur. 482. a.
Gratia divinæ studium, occupatur circa *comparandam* eam. Hujus motivæ & media. 189. b. *Conservandam.* 190. a. *Explorandam*, motivæ, notæ. 160. b. *Usurpandam.* 191. a. *Imitandam.* 191. b. *Celebrandam.* 191. b.
Gratiam electionis enervant, qui electionem suspendunt à fide prævisâ. 188. a.
Gratiam justificationis enervant, qui eam suspendunt à bonis operibus. 188. b.
Gregorius M. Pontifex, hostis Episcopi universalis. 1073. b.
Gregorius M. auctor Ordinis Gregorianorum. 1091. a.
Gregorius septimus, seu Hildebrandus, Henricum IV. excommunicat. 1114. a. & 1115. b.
Gubernandi Ecclesiam potestas, in terris, non est monarchica. Probatur & vindicatur, contra Pontif. 951. a. Nec Democratica. Contra Brounistas, probatur & vindicatur. 962. a.
Gubernatio peculiaris, Ecclesiæ competit. Probatur. 957. a. Potestas gubernandi, quid sit. ibid. Qualis Ecclesiæ competat. ibid. Ejus scaturigo. 957. b. Ejus regula. ibid. Exercitium ejus, in quinque occupatum. 958. a. Finis ædificatio Ecclesiæ, quid illa. 958. b. Potestas *externa*, Magistratui competens, in quibus consistat. ib. *Interna*, soli Presbyterio competit. 959. b. Forma regiminis, quæ. ibid. Potestatis ecclesiasticæ distributio varia. ibid.
Gubernationis Ecclesiæ praxis, respicit (1) Ecclesiæ Præfectos, ut Magistratui justa fideliter præstent, quare, quomodo. 962. a. (2) Magistratus, ut se præstent Ecclesiæ nutritios. 962. b. (3) Præfectos Ecclesiæ, ut bene præsint. ibid. (4) Ecclesiam, ut qui bene præsunt, duplici honore dignos habeant. ibid.

H.

Hæreses seculi primi N. T. septem: Hellenismus, Judaismus crassus, Christianismus judaissans, Simonianorum, Menandrianorum, Nicolaitarum, Nazarenorum, Philethianorum, Cerinthianorum, Ebionitarum.

rum. Horum omnium historia & placita. 1049. b. & 1050. a. b.
Hæreses sub ætate secunda N. T. seu seculo secundo & tertio. 1060. a.
Hæreses ætatis quintæ N. T. 1126. a.
Hæreses ætatis sextæ N. T. 1149. b.
Hæretici, an & quatenus morte sint puniendi, per varias sententias & hypotheses, determinatur. 952. b.
Hamanis persecutio Ecclesiæ Judaicæ. 1028. b.
Heberi prosopographia. 976. b.
Hebræorum motus in Belgio. 1173. b.
Helleniſmus quis. 114. a. ejus causæ. ibid.
Helvetica confessio. 1169. a.
Henricus quartus Imp. 1114. a.
Herodiani, qui, eorumque placita. 1028.
Herodis persecutio Christi. 618. a.
Hexaëmeri praxis a duobus oritur. 338. a. b.
Hieronymus. 1080. a.
Hilarius. 1080. a.
Hillelis & Schammai, Doctorum Judaicorum dissidia. 1028. a.
Hiskiæ, Regis Judah, historia. 1012. b.
Homicidium. Ejus natura explicatur in variis; mala sex; causæ quinque, remedia tria. 1250.
Homines omnes originem habent ab uno Adamo. Post varias sententias, probatur & vindicatur. 370. a. --- Hominis animam non esse meram cogitationem, contra Cartesianos, probatur & vindicatur. 372. a. Per unionem cum corpore, hominem vivere, probatur & vindicatur. 372. b. Esse unam tantum in quovis animam probatur & vindicatur. 373. a. Esse immortalem, post varias sententias probatur & vindicatur. 373. b. ——— Non dormire post mortem hominis, contra Anabaptistas & Socinianos, probatur & vindicatur. 374. b. Nec in aliud corpus digredi, contra varios, probatur & vindicatur. 374. b. Esse ab immediata Dei creatione, post collationem sententiarum, probatur & vindicatur. 375. a.
Hominis creatio invitat ad cognitionem nostri, qualis ea, & parandi media. 376. a. ad gratitudinem, quare & quomodo. 376. b. ad deplorandam miseriam nostram præsentem, qualis & quomodo. 377. a. ad repetendam pristinam nostram præstantiam, quamobrem, & quibus mediis. 377. b. ad non profanandam per peccatum, creaturam præstantissimam, id quot modis fiat. 378. a.
Homo, non uno modo demonstrat existentiam Dei. 66. a.
Homo, qui peccatum introduxit, quis fuerit. Variæ sententiæ. 441.
Homo, singulari modo a Deo creatus est. 367. a. quorsum creatus. 367. b. efformatio corporis. 368. a. & animæ. 368. a.
Honoris erga proximum, natura in variis explicatur; distributio triplex; bona octo; adminicula quatuor. 1247.
Hoornbekii historia. 1159. b.
Horæ canonicæ, Christianæ. 16. b.
Humana Christi natura, nostræ fuit consubstantialis. Contra varios hæreticos veteres probatur & vindicatur. 541. b. Non est omnipræsens, probatur & vindicatur. 545. b.
Humanitatis erga proximum, natura explicatur in variis; distributio quadruplex; bona sex; adminicula quinque. 1249.
Humiliatio Christi usque ad mortem probatur Scripturis & rationibus. 590. a. Est ea facta quoad naturam utramque, etiam divinam; quamvis modo diverso. 588. a. Hoc probatur contra Pontif. & Lutheranos. 591. a. 592. a. Apparet ea in Christi conceptione, nativitate, vita, morte, sepultura, descensu ad inferos. ibid.
Humiliatio Christi, commendat ejus gratiam: in quibus, & in quem usum. 493. b. Præstat solatium, in quibus casibus, quibus argumentis, quibus legibus. 594. a. Reprehendit fastum quorum, & quibus argumentis. ibid. Hortatur ad humilitatem. Hujus officia, motivæ, media. 594. b. Excitat ad Christi humiliati exaltationem. Hujus officia & motivæ. 595. b.
Humilitatis erga Deum natura; distributio triplex; notæ sedecim; bona quatuor; adminicula sex. 1206.
Huſſi historia. 1124. a. ejus persecutio. 1142. a.
Hypocriſis. Ejus natura; mala septem; causæ quinque; remedia quinque. 1208.

I.

Jacobi Patriarchæ historia. 982. a.
Jacobi Andreæ historia. 1160. a.
Jaffanapatenſe seminarium Scholastic um ibid.
Janſeniſticum schisma. 1175. b.
Iconodulorum hæresis, seculo octavo. 1104. b.
Idea quid sit. 71. b. Idea Dei Cartesiana, num detur; an ex ea Dei existentia colligi possit. 72. a.
Idea in Deo, quid. 144. b. Quomodo differat in Deo & creaturis. 145. a. Quomodo una & multiplex in Deo. ibid. Varia ejus nomina. ibid.
Idiomata divina, in unione personali, non sunt communicata humanæ naturæ. Contra Luther. probatur & vindicatur. 544. b.
Idololatria demonstrat esse Deum. 69. a.
Idololatriæ origo, sub secundo curriculo patriarchali. 978. b.
Idololatria Israëlitarum in vitulo aureo. 1007. a.

Ægyptiorum, in Api, Serapi, Oſiride, Mneni. 1007. b. Rurſus Iſraëlitarum in Baal-Peor, ejus origo. ibid. Gideonis in ſuo Ephod. ibid. Michæ Ephraimitæ. 1008. a.
Idololatria Iſraëlitarum vitulina eos non conjecit in ſtatum ſervitutis. Contra Coccejum probatur & vindicatur. 1035. b.
Jehova vox, unde & quare Deo tribuatur. 86. b. vox tres temporum differentias connotat. 87. a. vox eſt ineffabilis. 87. a. Uſurpatur vel eſſentialiter, vel perſonaliter. ibid. Meris conſtat literis quieſcentibus, quare. 87. a. Quæ notet in Deo. 87. a. b. Eſt nomen Deo propriiſſimum. 87. b. Quatenus tamen commune. ibid.
Jehovæ nomen pronunciari poteſt ac licet. 87. a. & 88. b. Non eſt mirificum. ibid. Proprium eſſe Deo probatur. 89. a.
Jehovæ nomen Chriſto competit, contra Judæos & Socinianos probatur. 529. a.
Jejunium. Ejus natura, ſpecies & officia; bona novem; modus celebrandi illud, in ſex. 1277.
Jejunium Chriſti, quadrageſimale, non imitandum nobis. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 623. b.
Jephthæ acta. 1001. b.
Jeſus nomen, ejus derivationes rejectæ & receptæ. 524. a. Quot modis Mediator dicatur Jeſus, ſeu Salvator. 525. b.
Jeſu nomen, in pronuntiatione, non exigit genuflexionem corporalem, contra Pontif. & Lutheranos, probatur & vindicatur. 527. b. Non licet ſe ipſum denominare, a nomine Jeſu, contra Jeſuitas probatur & vindicatur. 528. a. Jeſum non ingenue profitentur, qui ſalutem alibi quærunt, vel ex toto, vel ex parte, contra varios, probatur. 528. b.
Jeſu nomen, abſterret a ſextuplici ejus abuſu, eorum mala. 531. a. Commendat nominatum, quot modis, & quorſum. 532. a. Præſtat ſolatium, adverſus quæ mala, & quibus. ibid. Excitat ad officia, nominato præſtanda, motivæ. 532. b.
Jeſuitæ ſtatuunt, præter Deum aliquid potuiſſe ab æterno eſſe. 132. a. Reformati negant, quibus rationibus. ibid. Objectio. ibid.
Jeſuitarum hiſtoria. 1151. b.
Jeſuitarum ſchiſma. 1177. a. turbæ, ſuper Janſeniſmo. ibid. ſuper moralibus Jeſuitarum. ibid. ſuper peccato philoſophico. 1177. b. ſuper veneratione B. Virginis. 1178. a. ſuper nova verſione N. T. ibid.
Ignorantia Dei, quotuplex, quare fugienda. 74. b. ejus cauſæ. ibid.
Ignorantia rerum ſacrarum: natura in novem; mala quinque, cauſæ ſex; remedia tria. 1205.
Imaginum ortus & cultus. 114. a.
Imago Dei in homine, præcipua ejus eſt præſtantia. 378. a. finis creationis noſtræ ad imaginem Dei. 378. b. Quid ſit, nomine & re tenus. ibid. quo modo homini competat. 379. a. ejus definitio. ibid. Conſiſtit in corporis & animæ conformitate cum Deo. 372. b. in facultatibus animæ. ibid. nominatim in intellectu, voluntate & affectibus. ibid. potiſſimum in juſtitiâ originali. 380. a. in immortalitate. 380. b. & dominio. ibid. in felicitare paradiſiaca. 381. a. Quatenus ſuperſit, & perdita ſit. 381. b.
Imago Dei, non ipſa fuit hominis ſubſtantia, probatur & vindicatur. 382. a. Habuit juſtitiam originalem, quod contra Socinianos, probatur & vindicatur. 382. b. Habuit item immortalitatem, vindicatur. 383. b.
Imago Dei, nos deducit in cognitionem Dei, quot modis, & qualis cognitio illa. 384. b. Et in cognitionem noſtrî, duplici reſpectu; qualis iſta cognito. 385. b. Format ad gratitudinem, motiva, modus in triplici officiorum genere. 386. a. —— ad pœnitentiam, ob amiſſam imaginem, quare, & quomodo. 387. a. ad ſtudium recuperandæ imaginis, motivæ, quo modo illa reſtituatur à Deo, & recipiatur a nobis. 387. b.
Immenſitas Dei probatur teſtimoniis & rationibus. 122. a. explicatur. 122. b. quomodo ſit in ſpatio & loco. 123. a.
Immortalitas Dei, probatur Scripturis & rationibus. 140. b. Declaratur. 141. a. Sugillatur hypotheſibus Anthropomorphitarum, Vorſtii & Socinianorum. 141. a.
Immortalitas Dei, facit ad ejus glorificationem. 141. a. Ad noſtrî humiliationem. 141. b. Ad conſolationem. ibid. Ad ſtudium beatæ immortalitatis. Hujus media. 142. a. b.
Immutabilem eſſe Deum, quoad *locum*, probatur & vindicatur, adverſus Vorſtium & Socinianos. 110. a.
Immutabilitas omnimoda, Deo eique ſoli competit, quod probatur Scripturis & rationibus, tum explicatur. 108. a. b.
Immutabilitas Dei, facit ad ejus glorificationem. 110. b. Ad vilipendium creaturarum. ibid. Ad deteſtationem peccati. ibid. Ad ſolatium fidelium. 111. a. Ad fugam levitatis. ibid. Ad ſtudium conſtantiæ. 111. b.
Immutabilitatem voluntatis divinæ, negant Pelagiani & Pelagianiſſantes. 109. a. Objectiones. ibid. a. b.
Impatientia, natura; mala ſeptem; cauſæ quinque; remedia tria. 1216.
Imperatores Rom. ſeculi primi N. Teſtamenti, duodecim. 1045. b.
Imperatores Rom. ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio, viginti. 1055. a.

Imperatores Rom. ſub ætate quinta N. T. viginti & unus. 1114. a.
Imperatores Rom. ſub ætate ſexta N. T. octo. 1146. a.
Imperveſtigabile, quid. 143.
Impietatis natura in variis; mala ſex; cauſæ ſex; remedia tria. 1220.
Impietatis praxis. Ejus natura, impii quinam; quindecim eorum ſpecies; mala ſeptem; cauſæ quinque; remedia tria. 1293.
Imprudentiæ natura in novem; notæ ſex; mala undecim; cauſæ; remedia tria. 1210.
Imputatum peccatum originale. 444. b. imputationis fundamentum. ibid. ejuſdem veritas demonſtratur. 445. a.
Imputatum peccatum originale dari, contra Pelag. Socin. Remonſt. vindicatur. 448. a.
Incarnandus non fuiſſet Filius Dei, ſi peccatum non accidiſſet, poſt ſententiarum divortia, probatur & vindicatur. 541. a.
Incarnatio Filii Dei facta eſt, modo plane extraordinario. Probatur Scripturis & rationibus. 597. a.
Incarnatio activa, toti Trinitati eſt communis, paſſiva, ſecundæ perſonæ propria. 501. b. Ab hac Spiritus S. non recte dicitur Pater Chriſti. Contra Socin. probatur & vindicatur. 602. a.
Incarnatio Chriſti, confirmat fidem noſtram de Meſſia, jam exhibito, & teſtimoniis, & circumſtantiis. 609. b. Urget, ut incarnationis myſterium perveſtigemus, quare & quorſum. 610. a. Ut Deum glorificemus. 610. b. Ut ei gratias agamus, quare & quomodo. ibid. Ut exploremus, ſitne nobis incarnatus. Motivæ, ſigna. 611. b. Ut natum quæramus. Motivæ, modus. ibid. Ut venientem Chriſtum ad nos, recipiamus, quare, quo modo. 612. a. Ut recepto delectemur. Motivæ, media. 612. b. Ut nato officia præſtemus, quæ 613. a. Ut ſpiritualiter Chriſtum concipiamus. Quo modo, quibus motivis. 613. b. Ut Chriſto pariamus filios ſpirituales. 615. a.
Incredulitatis natura & ingredientia ſex; mala ſex; cauſæ quatuor; remedia tria. 1221.
Indepedentia Dei, probatur Scripturis & rationibus. 80. a. -- Ab ea pleraque Dei attributa emanant. 80. b.
Independentiæ & aſeitatis *ſtudium*, in quibus conſiſtat, & quare exercendum. 84. a. & b.
Indulgentiæ papales, & Jubilæa; deſcribuntur & impugnantur. 951. b.
Ineffigiabilitas Dei, qualis. 99. b.
Inertiæ ſpiritualis natura in quinque; mala octo; cauſæ ſeptem, remedia tria. 1260.
Infantia, ſeu educatio Chriſti, parentibus exemplar præſtat imitandum, quoad corporalia & ſpiritualia, quare. 629. b.
Infernus qualis. 328. b. & 333. b.
Influxus providentiæ, quid & qualis. 390. b & 395. b.
Infidelitas multis modis injurioſa in Deum, Chriſtum & divina. 59. a.
Infidelitatis natura. 57. b. Ingredientia ſex. 58. a. gradus. 58. b. cauſæ. ibid. mala. 59. a. remedia. ibid.
Infinitum, quot modis dicatur. 118. a.
Infinitas Dei quoad eſſentiam, probatur Scripturis & rationibus, & explicatur. 117. a. b. & 118. a. b.
Infinitas Dei format ad modeſtiam. 120. a. Ad glorificationem Dei, quare, quo modo. 120. b. Arcet Dei vilipendium. 120. b. Erigit ad humilitatem. ibid. Et ad magnanimitatem. 121. a. Motivæ & adminicula. 122. a. b.
Infinitatem eſſentiæ divinæ negant Anthropomorphitæ, Vorſtius, Sociniani. Eorum rationes. 118. b. ea non conſiſtit in eo, quod omnia ſimul cogitet, ut Carteſiani volunt. 119. b. Probatur & vindicatur. 119. b. & 120. a. eſt incommunicabilis. Contra Lutheranos probatur & vindicatur. 120. a.
Infirmitas & impotentia. Ejus natura in variis; mala quinque; cauſæ ſex; remedia octo. 1212.
Inhærens peccatum originale, demonſtratur. 445. a. Quid ſit. 445. b. Eſt totius naturæ depravatio. ibid. Ejus partes. 446. a. Ejus propagatio, quid non, & quid. ibid.
Inhærens peccatum originale dari, poſt ſententiarum collationem, vindicatur. 448. b. Illud non conſiſtit in ſola juſtitiæ originalis privatione. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 449. b. Ejus corruptio, non eſt in ſola animæ parte inferiori, contra Pontif. probatur & vindicatur. 450. a. Concupiſcentia etiam in baptizatis, eſt peccatum, contra Pontif. probatur & vindicatur. 450. b. Non eſt peccatum leve, contra Pontif. probatur & vindicatur. 451. b. Non meretur ſolam pœnam damni; ſed & ſenſus, contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. Maria etiam peccato originali fuit obnoxia, contra pleroſque Pontif. probatur & vindicatur. 452. a. Per Baptiſmum non liberamur penitus à corruptione originali, contra Pontif. probatur & vindicatur. 452. b. Non eſt ipſa hominis ſubſtantia, contra Flacianos, probatur & vindicatur. 453. a. Non propagatur per imitationem, contra varios probatur & vindicatur. 453. b. Nec per traducem ſeminalem, poſt ſententiarum collationem, probatur & vindicatur. 454. a.
Injuria verſus proximum. Ejus natura in quatuor; mala ſex; cauſæ ſex; remedia duo. 1244.

Injuria Christo à militum cohorte illatæ. 636.
Innocentem Deus, salva justitia, non potest *punire* quidem; sed tamen *affligere* in temporalibus, probatur & vindicatur. 197. a.
Inobedientiæ natura, & actus quinque, mala, sanatio quæ fit, cum tollendo ejus causas quinque; tum applicando remedia quatuor. 1203.
Inquisitionis Hispanicæ origo & leges. 1142. a.
Integritas seu perfectio, quid. 220.
Intellectum Deo competere, probatur Scripturis & rationibus. 144. a. quid illa sit. 144. b. ejus independentia, simplicitas, immutabilitas, æternitas, infinitas. 145. b. ejus virtus est sapientia. 146. b. quid illa sit in Deo. ibid. ejus objecta. ibid.
Intellectus Dei sese extendit ad omnia & singula. Probatur Scripturis & rationibus. 147. a. Non intelligit ratiocinando. Contra Anthropomorphitas, Vorstium & Socinianos probatur. 147. b. Occupatur etiam circa futura contingentia & libera, contra Socinianos probatur & vindicatur. 147. b.
Intelligere in creaturis, quomodo fiat. 144. b.
Intemperantiæ natura, occupatur circa quantitatem & qualitatem, in variis; mala septem; causæ octo; remedia tria. 1217.
Intercessio pro nobis, soli Christo competit. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 570. a.
Intercessionis Christi natura, periodi & affectiones. 566. b. ——
Interimistica confessio. 1168. b.
Interpretatio Scripturæ, *quare* & quibus mediis sit instituenda. 43. b. 44. a.
Invisibilitas Dei, qualis. 99. a. Ut visus fuerit Deus, & videndus olim. ibid.
Joachimi, Regis Judah, historia. 1012. b. sub eo captivitas Babilonica prima. 1013. a.
Joasi, Regis Judah, historia. 1011. b.
Johannes Baptista, Christi prodromus, in quibus. 619. a.
Joh. de Beka, Canonicus Ultrajectinus. 1131. a.
Joh. Gerardus. 1160. b.
Joh. Taulerus. 1131. b.
Johannis Baptistæ ministerium quale. 890. b.
Jojakimi, Regis Judah, historia. 1013. a. sub eo secunda fuit captivitas Babilonica. ibid.
Josaphati, Regis Judah, historia. 1011. b.
Josephi Patriarchæ, historia. 983. b.
Josuæ historia. 1000. b.
Irregenitus non potest non repugnare Spiritui S. Contra Lutheranos probatur & vindicatur. 187. b.
Irrespiscentia fugienda, quare, ejus fontes, prætextus. 785. a.
Isaaci historia. 981. b.
Isidorus Pelusiota. 1086. a.
Judæorum rejectio. 1045. b.
Judaismi status, sub ætate secunda N. T. seu seculo secundo & tertio. 1059. b.
Judaismus ætatis quintæ N. T. 1124. b.
Judex controversiarum infallibilis & visibilis, in terra non datur. 36. a.
Judicia Dei in Ecclesiam, sub epochæ Mosaicæ curriculo secundo. 1019. a.
Judicialium legum natura, distributiones, usus. 995. b.
Judicii vox quid 1 Sam. VIII. 9. an jus, an consuetudinem notet. 193.
Judiciorum divinorum severitas, causæ meritoriæ, fines, species, nominatim publica, affectiones. 183. a. b.
Judicium in libero arbitrio, non est actus voluntatis; sed intellectus, contra Cartesianos, probatur & vindicatur. 382. b.
Judicium extremum probatur & vindicatur. 1195. a.
Judicum Israëliticorum historia, ab Othniële, usque ad Samuëlem inclusum pertexitur. 1001. a. —
Juliani Imperatoris apostatæ historia. 1085. a.
Juramenti natura & ingredientia sex; distributio quadruplex; usus juxta regulas undecim. 1233.
Juramento, quare confirmatum fuerit Christi sacerdotium. 562.
Jus Canonicum, compilatore primo Gratiano Monacho. 1127. b.
Justificatio fit, propter justitiam Christi, fide apprehensam. Probatur Scripturis & rationibus. 802. a. Vocis consideratio. 802. b. Definitio. 803. a. Causa, Deus triunus. ibid. Justificandi actio. 803. b. Objectum. ibid. Causa movens. 804. a. Meritoria. ibid. Qua Christi justitia justificemur. 804. b. Ea nobis appropriatur, donatione & imputatione. 805. a. item fide, & sola quidem. 805. b. Ubi tres justificationis periodi. ibid. Fides, quomodo in justificationem *non* influat. 806. a. quo item. 806. b. Ejus absolutio à reatu. ibid. Est, & quomodo uniformis sub utroque Testamento. 807. b.
Justificatio, non notat interiorem hominis mutationem. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 807. a. Ejus gratia excludit meritum humanum quodvis, non autem Christi. Prius contra Pontif. Posterius contra Socinianos, probatur & vindicatur. 808. a. Fit ob solam justitiam Christi, post sententiarum divortia, probatur. 808. b. Non semper prærequirit bona opera, post sententiarum varietatem, probatur & vindicatur. 809. b. —— Non tamen propter Christi justitiam *essentialem*. Contra Osiandrum probatur. 811. a. Nec propter passivam

passivam tantum. Contra Piscatorem, ostenditur. 811. b. Justitia Christi, nostra fit per imputationem, post sententiarum varietatem, contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. Fit per fidem solam, post sententiarum varietatem, contra Pontif. probatur & vindicatur. 812. b. Justificans fides non consistit in persuasione particulari, post sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 813. a. Ista fides in justificationem influit ut ejus conditio, post sententiarum varietatem, ostenditur. 814. a. Est uniformis sub utroque Testamento, post sententiarum varietatem, contra Coccejum, probatur & vindicatur. ibid.

Justificatio (1) spectandam præbet gloriam Dei, quoad ejus justitiam & misericordiam, ac Mediatoris, quorsum. 818. b. (2) & beatitudinem justificatorum. In quibus ea consistat, & quorsum. 819. a. (3) & miseriam non justificatorum. Quinam illi, quæ eorum miseria, quorsum. 820. a. (4) Monet, ut nos exploremus, an simus justificati. Motivæ, signa. 820. b. (5) Ut ad justificationem enitamur. Motivæ, media. 821. a. (6) Ut evitemus justificationis abusus, in quatuor capitibus. 821. b. (7) Præstat solatium, in quibus casibus, quibus argumentis. 822. a. (8) Provocat ad gratitudinem. Motivæ, modus. 822. b.

Justitiam Deo competere probatur Scripturis & rationibus. 193. a. Quid sit. 193. b. Quotuplex. ibid. *Retribuens* triplex. 194. a. *Vindicativa*, ejusque egressus necessitas. ibid.

Justitia Deo an & quomodo competat. 194. b. non pendet ab ejus voluntate. Contra Cartesianos probatur. 195. b. non obstat, quo minus hominem quandoque obliget ad impossibile. 195. b. non tenetur remunerare hominum obedientiam. Probatur & vindicatur. 196. a. peccatum non potest non punire. Probatur & vindicatur. 198. a. b.

Justitia Dei, facit ad *glorificationem* ejus. 199. a. Ad *contritionem* & humiliationem nostri. 199. b. Ad quærendam *satisfactionem* Christi. ibid. Ad *reverentiam* Dei. 200. a. Retrahit a *peccando*. ibid. Ad studium *justitiæ*, in quibus & quibus motivis. 200. b. Ad *solatium* in quibusvis adversis. 200. b.

Justitia originalis homini fuit naturalis, contra Pontif. probatur & vindicatur. 383. b.

Justitia commutativa natura explicatur in variis; distributio duplex; bona quinque; adminicula novem. 1253.

Justitiæ erga proximum natura explicatur in variis; distributio in novem; bona septem. 1243.

K.

Kahath Patriarchæ historia. 984. a.
Karrai, qui. 1028. a.

L.

Labadistarum schisma. 1172. a.
Lactantius. 1080. a.
Lamechi prosopographia. 971. a.
Laniena Hibernica. 1181. a.
Laniena Parisiensis. 1181. b.
Lapsus protoplastorum. Vide integrum caput primum libri tertii, de *violatione fœderis naturæ*.
Lectio Scripturæ etiam vulgo competit. 34. b.
Lectio Scripturæ, *qualis*, *quamobrem* & quomodo sit necessaria. 42. b.
Legem naturalem Christus non correxit & auxit. Contra Socinianos, probatur & vindicatur. 558. b.
Legenda aurea, seu speculum Sanctorum Joh. de Voragine. 1130. b.
Legis promulgatione apud Sinai, Deus fœdus renovavit cum Israële. 995. b. & triplex quidem: nationale, operum & gratiæ. ibid.
Legis ceremonialis ortus non est ab Ægyptiis. Contra Joh. Spencerum & Marshamum, probatur & vindicatur. 1029. b.
Legis divinæ natura, distributiones septem, obligationis affectiones sex, studium. 1203.
Legis neglectus natura quintuplex, mala tria; causæ quinque; remedia quinque. 1104.
Leo X. Papa. Disputatio atheistica coram eo habita. 73. b.
Leo X. Pontifex. 1147. a.
Leopoldi Imp. historia. 1146. a.
Levi Patriarchæ historia. 983. a.
Levitarum memorabilia. 790.
Levitatis & inconstantiæ natura & ingredientia quinque; mala quinque; causæ quinque; remedia quatuor. 1214.
Lex æterna Dei, quæ. 194. b.
Lex ceremonialis non est usus perpetui. Contra Judæos, & Christianos Judaissantes, probatur & vindicatur. 1032. a.
Lex moralis. Ejus analysis, & singulorum ejus præceptorum, virtutes generales, & vitia opposita. 839. b.
Lex moralis Mosaica; sub N. T. non est abrogata, post sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 1031. a.
Lex Sinaica, per accessionem carminis maledictorii, & ceremoniarum turbam, non accepit vim imputandi peccata. Contra Coccejum, probatur & vindicatur. 1035. a.

Liber vitæ, quid & quotuplex. 294. b.
Liberi arbitri vires breviter explicantur. 449. a. & 475. a. Ejus vires ad bonum, quales. 475. b.
Liberorum officia versus Parentes. 1297.
Libertas Christiana, non eximit nos à jurisdictione civili. Contra Anabaptistas, docetur. 827. b. Per eam conscientia non pendet ab alio, quam à Deo, post sententiarum varietatem, docetur. ibid. Per eam conscientia non est astringenda constitutionibus humanis. Contra Pontif. & Lutheranos docetur. 828. a.
Liberum arbitrium, non excludit certitudinem eventus, contra Pelagianissantes quosvis, probatur & vindicatur. 480. a. Non consistit in mera indifferentiâ, & quidem independenti. Contra Pelagianos & Pelagianissantes quosvis, probatur & vindicatur. 480. b. Ei ante regenerationem, non competunt vires ad bonum spirituale. Contra Pelagianos & Pelagianissantes quosvis, probatur & vindicatur. 481. a. Non potest non repugnare Spiritui S. regenerationem molienti Contra Lutheranos, probatur & vindicatur. 481. b.
Ligare & solvere, Judæis olim formula inaugurationis ad doctoratum. 946.
Lightfoot observatio in Joh. v. 6. 134.
Literæ majusculæ in vocibus, Hebræis sunt emphaticæ. 112.
Loca ceremonialia: Tabernaculum, templum: Salomonis, Zorobabelis, Heliopolitanum, Garizim: Synagogæ, Oratoria. 994. a.
Lollardorum placita. 1128. a.
Lotio pedum à Christo facta, non fuit Sacramentum. Contra Anabaptistas, probatur & vindicatur. 629. a
Lucta spiritus adversus carnem, discriminatur à lucta carnis cum carne. Urgetur motivis, monstratur genuina pugnandi ratio. 853. a.--
Ludibria Christo crucifixo illata à vulgo, primoribus & latronibus. 638.
Lutheranorum historia. 1152. a.
Lutheri historia. 1156. b.
Lux primigenia non fuit accidens sine subjecto. 337. a.
Lux, quotuplex in Scripturis. 748. Ea *admirabilis* dicitur, quot modis. ibid.
Luxuria natura apparet in tredecim; mala novem; causæ quinque; remedia quatuor. 1252.

M.

Macedoniana hæresis. 1075. a.
Magdeburgensis confessio. 1167. 1169. a.
Magistratus suos subditos ad fidem cogere non debet. Contra Pontif. probatur & vindicatur 683. b. Ei aliqua competit Ecclesiæ gubernatio. Contra Pontif. & Anabapt. docetur. 960. a. Non tamen omnis. Contra Erastianos, probatur & vindicatur. ibid.
Magistratus officia versus subditos. 1298.
Magnus est Deus, sine quantitate. 117.
Magorum visitatio Christi. 617. b.
Majestas & gloria quædam, Deo peculiaris est. Probatur Scripturis & rationibus. 226. a.
Malevolentiæ versus Deum, natura & ingredientia quinque; mala sex; causæ sex; remedia tria. 1271.
Malum Deum qui cum Manichæis fingunt, delirant. 172. b.
Manasse, Regis Judah, historia. 1012. b.
Manichæorum Deus bonus & malus. 114. b. itidem. 130. b.
Marci caput XVI. nonnulli expungunt, vel ex toto; vel ex parte, pessime. 677.
Maria virgo etiam fuit sub peccato originali. 452. a. Virgo fuit, non ex voto. Contra Pontif. docetur. 604. b. Non fuit oriunda ex tribu Levi. Probatur & vindicatur. 605. a. Non fuit immunis ab omni peccato. Contra plerosque Pontif. probatur & vindicatur. 605. b. Ex contaminata tamen, Christus incontaminatus natus fuit. Quomodo, post varias sententias, declaratur. 606. a. Fuit Deipara, non tamen adoranda. Declaratur sententia Pontificiorum & Reform. 606. b.
Mariti officia versus uxorem. 1296.
Martyres; sub seculo primo N. T. 1054. b.
Martyres, sub ætate secunda N. T. seu seculo secundo & tertio. 1068. b.
Martyres seculi quinti. 1088. b.
Media ad fidem generalia. 62. a.
Mediatoriam provinciam Filius non potuit non suscipere, aut deponere. Contra Remonstrantes, probatur & vindicatur. 503. a.
Mediator fœderi gratiæ fuit necessarius, & talis quidem, qui esset verus idoneus & sufficiens. 511. a. Quid sit. 511. b. Præsupponit partem offensam; Deum, Theologice, & œconomice Patrem. 511. b. Medium, inter personas offensas, & partes diffidentes. 512. a. Idoneus, & sufficiens mediator tria exigit. ibid. Fungitur mediatorio munere, spondendo, non fidejubendo; sed expromittendo. 512. b. nunciando. ibid. placando. 513. a. ratificando fœdus gratiæ. ibid. intercedendo. ibid. Complectitur tres functiones munus mediatorium. 513. b. Jesus solus est Mediator. ibid. Et quà Deus & homo. ibid. Quamobrem esse debuerit Deus, quamobrem homo, quamobrem in una persona. 537. a. Quod fuerit Deus ab æterno. Variæ sententiæ. 540. a.

Mediator Jesus est, non annunciando tantum. Contra Socinianos probatur & vindicatur. 514. a. Non fidejubendo proprie; sed expromittendo. ibid. Messias olim promissus esse debuit Mediator. Contra Judæos & Muhammedanos, probatur & vindicatur. 514. b. Præter Jesum non dantur alii Mediatores, ne quidem interceßione tenus. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 515. a. Est Mediator secundum utramque naturam, post sententiarum collationem, probatur & vindicatur. 515. b. Est Mediator etiam secundum humanam naturam, contra Osiandrum, probatur & vindicatur. 516. a. Nec tamen omnium & singulorum, contra varios, probatur & vindicatur. 516. b. Nec ullorum Angelorum. 517. a. Fuit etiam Mediator sub Veteri Test. sed quatenus. 517. b. Non est qua Mediator adorandus. ibid. Illud munus triplici functione, Prophetica, sacerdotali & regia constabat. Probatur Scripturis & rationibus sex. 552. a.

Mediatorium munus explicat gloriam variorum Dei attributorum, quorsum. 518. a. & abdita pleraque Euangelii mysteria. ibid. Stimulat ad gratitudinem, motivæ, officia. 518. b. Præstat solatium, quibus, & adversus quæ mala. 519. a. Declarat miseriam eorum qui Mediatore destituuntur, quinam isti & quanta eorum miseria. 519. b. Suadet explorationem nostri, motivis & signis. 520. b. Excitat ad Mediatorem recipiendum, motivis, modo. ibid. ad imitationem Mediatoris. 521. b. Hujus muneris trinitas, ostendit sufficientiam Mediatoris, & quorsum 553. a. Solatur in casu quovis adverso. 553. b. Suadet officia quædam, erga Mediatorem. ibid.

Meditatio Scripturæ, *quid* sit. 44. b. *quod* & *quare* & *quomodo* fit instituenda. 45. a.

Melanchtonis historia. 1157. a.

Melancholici & confusi terrores. Earum natura; species; causæ octo; remedia novem. 1318.

Melchizedek, quis & qualis. 564.

Melchizedek non sacrificavit panem & vinum. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 570. b.

Mendacii natura & species novem; mala octo; causæ quinque; remedia tria. 1256.

Mendax, quo sensu omnis homo. 153.

Menno Simons. 1161. b.

Meritum ex congruo & condigno, quid. 196. a. derogat sanctitati Dei. 205. a.

Meritum Christi, quod & quot modis competat ejus redemtorio. 716. b.

Messias, an debuerit esse Salvator spiritualis. Contra Judæos, probatur. 528. b. Non debuit esse Rex tantum. Contra Judæos, probatur & vindicatur. 552. a. b. Est Propheta, quod probatur, & quare. 555. a. Solus, quod fuerit Propheta ille magnus. Contra Muhammedanos. 557. a. Non Papa. ibid. Etiam sub Vet. Test. Christus fuit Propheta. ibid. Nasci debuit è virgine. Contra Judæos probatur & vindicatur. 602. b. Debuit pati & mori. Contra Judæorum duplicem Messiam, probatur & vindicatur. 644. b.

Methusala prosopographia. 971. a.

Ministerii ecclesiastici praxis exigit (1) Glorificationem, sapientiæ, humanitatis, omnipotentiæ divinæ, & quorsum. 903. b. (2) Commendat Ministerii dignitatem, in quibus, modus. 904. a. (3) Monstrat affectiones ministrorum, quas, & quorsum. 904. b. (4) Et actus ministeriales, quos, & quomodo administrandos. 905. a. (5) Prædicationem verbi divini, quo modo faciendam. 905. b. (6) Commendat Ecclesiæ officia versus ministros octo. 906. a. (7) Et efficaciam ministerii, ut ejus conemur fieri participes. Inefficax unde. Media quibus redditur efficax. ibid.

Ministerio hominum, Christus voluit Ecclesiam ædificandam. Probatur Scripturis & rationibus. 887. a. Ministerium unde dicatur. ibid. Quid sit. 887. b. Ejus origo. ibid. Est vel extraordinarium, vel ordinarium, discrimen inter ea. 888. a.

Ministerium ecclesiasticum N. T. non recte dispescitur in ordines & dignitates. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 898. a.

Ministris ecclesiasticis N. T. non competit potestas conficiendi & offerendi corpus Christi. Contra Pontif. 896. a. Non est iis prohibitum matrimonium. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 902. b. Nec stipendium sumere. Contra Anabaptistas, probatur & vindicatur. 903. a.

Ministrorum ecclesiasticorum consessus sub V. T. in eorum Sanhedrin, Presbyteriis, Synagogis. 893. a.

Minoritarum ordo. 1133. b.

Miracula demonstrant Deum esse. 68. b.

Miracula Christi, eorum natura. 619. b. qualia perpetravit. 620. a. quorsum. ibid. quare propalari vetuerit. 620. b. perpetravit per se, & per alios, quâ differentiâ. 621. a.

Miracula Christi vera fuerunt. Contra Judæos, probatur & vindicatur. 626. b.

Miseria peccati, quæ & quanta. 476. b.

Misericordia, quod Deo competat, probatur Scripturis & rationibus. 181. b. vindicatur. 182. b. Quid sit, ejus operationes. 182. a. & affectiones. 182. b.

Misericordia divina abutuntur, qui statuunt, non homines tantum singulos; sed & diabolum

lum olim esse salvandos. Probatur & vindicatur. 188. b. & 189. a.
Missa Pontif. impugnatur. 939. b. Horror versus eam. 945. b.
Molestia circa essentiam Dei suadetur Scripturis & rationibus. 79. b. ejus media. ibid.
Moloch est Sol, ejus varia nomina. 114. a.
Monachatus origo & instituta. 1084. a.
Monachi non recte annumerantur ministris Ecclesiæ. Contra Pontif. 898. b.
Monachorum incrementum, & origo in occidente. 1091. a.
Monachorum ordines nati, ætate quintâ. N. T. 1132. b.
Monialium cœnobia, sub seculo sexto. 1091. a.
Monothelitharum hæresis. 1104. a.
Moralia & spiritualia, in quibus differant. 772. a.
Mores Christianorum, sub ætate secundâ N. T. seu seculo secundo & tertio. 1069. a.
Moriendi bene studium, docetur. 864. b.
Mors corporalis non est totalis morientis abolitio, contra Socin. nonnullos probatur & vindicatur. 479. a.
Mors naturalis fidelibus glorificandis non est pœna. Contra Pontificios, & Rationalistam, docetur. 861. a.
Mors in fœdere naturæ denunciata quæ & quotuplex. 518. a.
Mors Christi *spiritualis*, non eadem cum nostrâ; sed ei analoga & æquivalens, quinque particulis integra. 641. b.
Mors Christi *æterna*, quod & quatenus ab eo fuerit suscepta. 642. a.
Mortem crucis, Christum sustinuisse, probatur Scripturis & rationibus. 639. a. ejus necessitas. ibid. Quid sit & quod nostræ sit æquivalens. ibid. Fuit triplex. 640. a.
Mortis Christi *naturalis* præparatoria. 640. a. actus quatuor. 640. b. Fuit eadem cum morte nostrâ, quoad inchoationem, passiones & consummationem. 640. b. Ejus causa principalis Deus est, meritoria homines. 642. b. Fructus, novem. 643. a. Horum fundamentum in duobus. ibid. Nec tamen pro omnibus & singulis, quanquam pro quibusvis. 643. b.
Mortis naturalis natura & officia circa eam, nim. meditatio, contemtus, præparatio, & ipsa bene-moriendi ratio; bona ἐνθανασίας undecim; adminicula decem. 1322.
Mortificatio veteris hominis. Hic, quid vetus homo, quid ejus mortificatio. 836. b. Ejus causæ; principalis, meritoria, exemplaris, instrumentalis. ibid.
Mortificatio carnis exercenda, quibus motivis, in quibus consistat, quæ cavenda, quis ordo tenendus, quibus à fucatâ sit discriminanda. 848. b.
Mortificationes Papatus, examinantur & rejiciuntur. 844. a.
Mosaica epochæ terminus. 997. b. & curriculum primum, sub Judicibus sedecim. ibid.
Mosaica epochæ curriculum secundum à Davide ad captivitatem Babilonicam. 1008. a.
Moses quatenus in functione prophetica assimiletur Christo. 555.
Mosis historia. 997. b.
Muhammed non fuit Propheta. 26. a.
Muhammedanismus ætatis quintæ N. T. 1125. a.
Muhammedis & Muhammedanismi historia. 1103. a.
Mundi denominatio. 320. b. ejus partes & materia. 321. a. partium nexus. ibid. Est unus tantum. 321. b. Est finitus, & certæ figuræ. ibid. & mutabilis. ibid. Creatus est bonus & perfectus. 322. a. intra sex dies. ibid. propter hominem. 322. b.
Mundi creatio, & conservatio demonstrat existentiam Dei. 67. b. etiam gubernatio. 68. a.
Mundi contemplatio suadet agnitionem & glorificationem Creatoris, 325. a. gratitudinem versus eundem. ibid. detestationem peccati. 325. b. fugiendum amorem mundi immoderatum. 326. a. ut non abutamur mundo. ibid.
Mundi & mundanorum usus natura, ingredientia & regulæ; bona octo; adminicula decem. 1308.
Mundi & mundanorum abusus natura & vitia; mala sex; causæ sex; remedia tria. 1310.
Mundus infinitus, nec est, nec esse potest, quod probatur & vindicatur. 119. a. b. creatum esse, probatur Scripturis & rationibus. 320. a. non potest esse infinitus mole. 323. plures esse possunt, probatur & vindicatur. 324. a. propter hominem creatus est contra Cartesianos, probatur & vindicatur. 324. b.
Mundus non est annihilandus post extremum judicium. Contra varios, docetur. 1200. a.

N.

NAdab & Abihu, ob sacrificatum ignem peregrinum, igne cœlesti pereunt. 999. a.
Nares longi in Deo, notant ejus longanimitatem & patientiam. 178.
Nationale fœdus cum Israële. Ejus ingredientia. 996.
Nativitas Christi, prædicta, præfigurata, præstita. 599. b. Ejus causæ, Deus & Maria. ibid. Natus fuit, filius & puer, pro duplici ejus naturâ. Ipsa nativitas vera fuit, mirabilis & miserabilis. 500. a. Ejus tempus. 500. b. locus. ibid. circumstantialia. ibid. Confectaria

ria glorioſa. 601. a. Fines. 501. b. effectus. ibid.
Natus eſt Chriſtus ex ſubſtantiâ Mariæ. Contra Anabaptiſtas, probatur & vindicatur. 609. a.
Nazianzenus. 1079. b.
Neceſſitas Scripturæ, num ſit agnoſcenda. 38. b.
Neceſſitas fidei qualis. 62. a.
Neglectus auditionis verbi divini natura, ingredientia quatuor; mala ſex; cauſæ quinque; remedia duo. 1227.
Neglectus precationis natura, in quatuor potiſſimum; mala quatuor; cauſæ ſex; remedia tria. 1230.
Neſtorianorum hæreſis. 1077. a.
Nicæna Synodus. 1082. a.
Noachi proſopographia. 971. a. & 976. a.
Noachidarum ſeptem præcepta. 977. b.
Noluntas in Deo, quid, objectum, actus ſeu averſatio. 161. a.
Nomen Deo competit proprie, quod probatur. 86. a. Quid ſignificet. 86. b. Quotuplex ſit. ibid. Nomina, quoad *vocem*, per prius competunt creaturis; quoad *ſignificatum*, per poſterius. 86. b.
Nomina Dei provocant ad cognitionem Dei. 90. b. Item ad glorificationem ejus. 91. a.
Nomina Mediatoris in genere, invitant ad eum cognoſcendum, motivæ, modus. 530. a. Ad eum diſcernendum à quibuſvis aliis. 430. b. Ad glorificandum eum, motivæ, modus. ibid. Explicant ejus omniſufficientiam, quorſum. 531. a. Aliunt memoriam Mediatoris. ibid.
Nominis Vir, idem Hebræis ac celebris. 91.
Nominum divinorum diſtributio. 70. b.
Nominum Chriſti magna copia. 523. a. quorſum ea ſpectet. ibid. Quid ſignificent. 523. b. Diſpeſcuntur generaliter. 524. a. & ſpecialiter in octo claſſes. ibid.
Non-conformiſticum, Brouniſticum, Independenticum Schiſma. 1171. b.
Non-repugnantia Lutheranorum explicatur & refellitur. 187. b.
Norma interpretandi Scripturas, infallibilis non datur præter Scripturas. 35. b.
Notitia ingreditur fidem. 55. b. à ſcientiâ differt. ibid.
Novum Teſtamentum, à veteri differt, non ſubſtantiâ; ſed circumſtantiis tantum. Contra varios docetur. 1187. a.

O.

Obedientæ fidei definitio, diſtributio, affectiones, notæ, ſtudium, ubi ejus origo, bona, adminicula. 1203.
Oblationis Chriſti requiſita & fines. 566. b.
Obſcura non eſt Scriptura. 34. b.
Obſervatio ſeu praxis Scripturæ, *quod*, *quare* & *qualis* neceſſaria. 46. b.
Obtulit Chriſtus ſe ipſum; ſed non pro ſe ipſo. Contra Socin. probatur & vindicatur. 569. b. Et ſe ipſum ſemel tantum. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 570. a.
Obumbratio Spiritus S. in conceptione Chriſti quid. 597.
Occaſionibus fortuitis, an Scriptura ſit exarata. 39. a.
Occupationis vitæ, ſeu vocationis natura, ingredientia & officia varia; bona ſeptem; adminicula quatuor. 1300.
Odium, quod & quid in Deo. 180. a.
Odium Dei. Ejus natura, complectitur quatuor; mala quinque; cauſæ quatuor; remedia tria. 1225.
Oecolampadii hiſtoria. 1157. a.
Oeconomia fœderis gratiæ, quid in Scripturis. 964.
Oeconomia perſonarum in Trinitate explicatur. 238. b. œconomica earum officia. ibid. œconomica inter eas gubernandi viciſſitudo. 239. a. b. attributa œconomica. ibid. œconomicus in perſonas cultus & peccata. 239. b.
Officia œconomica Patri debita: honor. 249. a. Submiſſio. 249. b. Quæ ipſi competunt ut Creatori. ibid. Ut Legiſlatori. ibid. Ut Patri. ibid. Filialis dependentia. 250. a. Argumentum ſolatii. ibid. Invitat paternitas, ut adoptionem ab eâ quæramus. 250. b.
Omnipræſentia eſſentiæ, virtutis & operationis, quo ordine concipienda. 124. a. Quid Carteſiani. ibid. Quid Reformati, quibus rationibus. Objectiones. 124. b. 125. a. b. Infinitudinem ejus concipere non poſſumus, abſque ſpatiis ſupracœleſtibus. Variæ ſententiæ. 125. a.
Omnipræſentia Dei præſtat ſolatium, quibus caſibus, argumentis & obſervatis. 126. b. Ad reverentiam D. i. ibid. Ad ſinceritatem. 127. a. Ad ambulandum cum Deo. 127. b.
Omniſcientia Dei probatur Scripturis & rationibus. 145. b. Ejus objecta. 146. a.
Omniſcientia Dei conducit ad glorificationem Dei. 150. a. Ad humiliationem noſtri. 150. b. Ad modeſtiam. ibid. Ad deteſtationem peccati. 151. a. Ad ſtudium ſinceritatis. ibid. Ad fiduciam & conſolationem. 151. b. Ad ſtudium ſcientiæ ſpiritualis. ibid. ejus media. 152. b.
Omniſufficientia Dei, probatur Scripturis & rationibus, ac vindicatur. 220. a. b. & 221. a. Explicatur. ibid.
Operationes Dei externæ, quomodo ab omnibus per-

personis simul, & à singulis singulatim procedant. 273. b. Distributio earundem. 274. a. Controversiæ circa easdem. ibid.
Operatur Deus omnia in omnibus. 273. a. quomodo. ibid. quæ. 273. b.
Operum bonorum requisita. 839. a. Norma, lex Dei. 839. b. Necessitas. 841. b. Usus. 842. a.
Operum bonorum studium ad salutem est necessarium, post sententiarum varietatem, probatur & vindicatur. 844. b. Non tamen ad justificationem, contra Pontif. alioque. 845. a.
Ordinarium ministerium, unde sic dicatur. 888. b. Ejus vocatio qualis. ibid. Veteris Test. ministri, qui. 889. b. Et Novi Test. 892. a.
Origenis tetrapla, hexapla & octapla. 1058. b.
Originale peccatum in genere, datur, post varias sententias, probatur & vindicatur. 447. b.
Originalis peccati ortus. 444. a. denominatio varia. 444. b.
Originalis peccati inhærentis, agnoscendum est malum, universale, inseparabile, contagiosum, fœcundum. 454. b. Ut super eo nos profunde humiliemus. 455. a. Ut liberationem ab eo quæramus, quare & quibus mediis. 455. b. Ut corruptioni nativæ obnitamur, modus & media. 456. a. Ut miremur gratiam Dei, seu refrænantem, seu convertentem, & conservantem. 456. b. Ut adversus illud vigilemus, cum timore. 457. a. Ut infantes infectos conemur liberare, quare, & quibus mediis. 457. b.
Origo fidei. 54. b.
Osiander (Andreas & Lucas) 1160. b.
Otium. Ejus natura & vitia; mala tredecim, causæ octo; remedia tria. 1301.

P.

Papa est Antichristus, contra Pontif. probatur & vindicatur. 900. b. —
Papæ non competit regia potestas temporalis in Ecclesiam. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 580. a. b.
Paracletus, quid & unde. 262.
Paradisus non amplius superest. 384. a.
Parai (Davidis) historia. 1158. b.
Parentum officia versus liberos. 1297.
Pascha. Vox quid. 930. a. Quid fit. 930. b. Ejus signum, repræsentans, & applicans, describitur. 931. a. Res significata, describitur in quindecim. ib. Ejus causæ: auctor, ministri, fines. 931. b.
Passiones Christi, etiam ante trihorium ejus postremum, fuerunt satisfactoriæ. Adversus quendam Reformatum, probatur & vindicatur. 628. a.
Passiones Christi exemplar nobis præbent quoad patientiam, fiduciam & prudentiam. 633. a.
Passionis & mortis Christi praxis, commendat meditationem ejusdem. Motivæ, quæ in ea expendenda, & quorsum. 647. b. & beatitudinem eorum, qui communionem habent passionis Christi; quinam illi, & quænam eorum beatitudo. 649. a. — Ostendit miseriam eorum, qui sunt inimici crucis Christi; quinam illi, quanta eorum miseria, quæ remedia. 650. a. Suadet inquiramus, an pro nobis sit mortuus. Motivæ, signa. 651. a. Præstat solatium, in quibus casibus & argumentis. 651. b. Excitat, ut cum Christo patiamur: quæ, quare, quomodo. 652. a. Ut virtutes Christi in passione conspicuas imitemur, quænam illæ. 653. a. Commendat charitatem Patris & Filii, & quorsum. 653. b. Pungit corda ad pœnitentiam. Motivæ, modus. 655. a. Absterret, ne iterum crucifigamus Christum. Quibus peccatis hoc fiat, quibus rationibus cavendum, & quibus adminiculis. 655. b. Instigat ad crucifigendum peccata: actus, & motivæ. 656. a. — Præstat exemplar bene moriendi, in quibus. 658. a.
Passus est Christus, à quibus, & qualia. 621. a.
Passus est Christus in anima, ejusque parte superiore, & immediate. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 627. b. 642. b. 645. a. Ut homo tantum; non ut Deus. 642. b. Passus est *vere*, contra hæreticos Veteres, Muhammedanos, & hypotheses Lutheranorum, probatur & vindicatur. 643. b. Non est per mortem redactus in statum non existentiæ. Contra Socin. probatur & vindicatur. 644. a. Sustinuit pœnas gehennales, contra Socinianos & Arminianos probatur. 645. b. Non tamen, ex sententia Calvini, desperavit. Contra calumnias Pontif. & Luther. probatur. ibid. Mortuus est, ut Deus & homo, diversa ratione. Contra Nestorianos, Pontificios, Stancarum & Lutheranos, probatur. 646. b. Passus est loco nostri. Contra Socinianos, probatur & vindicatur. 646. a. Debuit præcise mortem pati. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 646. b. Quod passus est, æquivalens fuit omnium electorum pœnis. 646. b. Nec tamen pro omnibus & singulis. Post divortia sententiarum probatur & vindicatur. 647. a.
Pastores, qui. 885.
Pastorum ecclesiasticorum memorabilia. 892. a.
Pastorum officia versus auditores. 119.
Pater primum locum habet in Trinitate. 247. a. Ejus deitas. ibid. personalitas. ibid. distinctio à reliquis personis. ibid. officium œconomicum. 247. b. attributa œconomica. 248. a. admini-

miniſtratio ante legem. ibid.

Pater quomodo Deus appelletur œconomice. 236.

Pater, Filius & Spiritus S. in Trinitate diſtinguuntur ut perſonæ. Divortia ſententiarum. 240. b. probatur & vindicatur. 241. b. Patri ſoli non competit deitas, probatur & vindicatur. 248. a. Ab æterno genuit Filium. Contra Socinianos, probatur & vindicatur. 248. b. A Filio & Spiritu S. non differt realiter. 249. a.

Patientia Dei & longanimitas, quid, quinam ejus actus. 183. b. Rationes. 148. a. Deo competit. ibid.

Patientia natura, occupatur circa objectum triplex; diſtributio quadruplex; notæ quinque; bona quinque; media duodecim. 1215.

Patriarcha V. T. qui. 889. a.

Patriarchalis epochæ, ſub V. Teſt. tria curricula: primum ab Adamo ad Noachum; ſecundum, inde uſque ad Abrahamum; tertium, inde uſque ad Moſen. 966. b. Primi curriculi contenta. ibid. Quo ſenſu recte dicatur periodus *promiſſionis*. 967.

Patriarchalis Eccleſiæ, ſub primo ejus curriculo, propagatio. 969. a. Sub undecim Patriarchis. 969. b.

Patriarchalis curriculi ſecundi propagatio, ſub decem Patriarchis. 975. b.

Patriarchalis epochæ curriculum tertium, ab Abrahamo ad Moſen. 979. a. Habuit ſeptem renovationes fœderis gratiæ. ibid. Omnes fundatas in Chriſto. ibid. Factas non tantum cum Abrahamo; ſed etiam cum ejus ſemine, varii generis. 979. b. Quæ habuerunt promiſſiones & ſtipulationes reciprocas. ibid. & confirmationes varias. 980. a. Habuit Patriarchas ſex. ibid.

Patriarchalis epocha. homines non ſervavit obſervatione legis naturæ. Contra Pelag. Socin. Pontif. probatur. 987. b. habuit omne genus legum: probatur & vindicatur. 990. b.

Patriarchalis epocha praxis (1) docet elegantiam ordinis. 991. a. (2) Pandit imperveſtigabilem theſaurum Chriſti. 991. b. (3) Commendat curam Dei verſus Eccleſiam. ibid. (4) Extollit ſortem noſtram, ſupra ſortem Eccleſiæ Patriarchalis. 992. a.

Patri paſſiani, Deum mutabilem ſtatuebant, eorum rationes refelluntur. 109. b. Quibus quodammodo accedunt Lutherani. ibid.

Pax, quotuplex. 832.

Peccata graviſſima in piis etiam, & qua cum differentia ab impiis. 843. a.

Peccati denominatio varia. 443. a. natura. ibid. cauſa. 443. b. conſequens triplex; turpitudo. ibid. reatus. 444. a. pœna. ibid.

Peccati actualis praxis exigit ejus cognitionem, quid, quotuplex, quantum ſit. 469. a. ſenſum & dolorem. 469. b. confeſſionem. ibid. odium & deteſtationem. ibid. fugam. 470. a. conatum impetrandi liberationem ab eo ibid. & remiſſionem. 470. b. & mortificandi illud. ibid. & gratias agendi pro liberatione ab eo. 471. a. evitandi peculiaria quædam peccata. 471. b.

Peccati in Spiritum S. vox, ſynonyma, ſpecies, in quibus ſola blaſphemia in Spiritum S. eſt irremiſſibil s. 463 a. Hæc quid non ſit. ibid. ejus ingredientia. 463. b. Eſt apoſtaſia. ibid. hypocritæ. ibid. Ejus proprietates. 464. a. Apoſtaſiæ termini, à quo & ad quem. ibid. Cauſa ſeu radix irremiſſibilitatis. 464. b. commiſſum eſſe, vel à nobis, vel ab aliis, non facile admittendum eſt. ibid.

Peccatum conſiſtit in ſolâ injuſtitia, poſt ſententiarum collationem, probatur & vindicatur. 446. b. Ad ejus productionem non requiritur prævia voluntas; poſt diverſas ſententias, probatur & vindicatur. 447. a

Peccatum Adami, unum tantum nobis imputatur. 442.

Peccatum actuale, nemo in hac vita penitus poteſt evitare, poſt ſententiarum varietatem, probatur & vindicatur. 465. a. Etiam motus concupiſcentiæ primo primus, eſt peccatum, contra Pontif. probatur & vindicatur. 466. a. Non datur peccatum per ſe veniale, contra Pontif. probatur & vindicatur. 466. b. Non datur peccatum philoſophicum, contra Jeſuitas, explicatur, probatur & vindicatur. 467. a. Peccatum actuale non cadit in infantes, contra Carteſianos & Lutheranos, probatur & vindicatur. 468. a. Deus non eſt auctor peccati actualis. 468. b.

Pelagiana hæreſis. 1076. a.

Perfectio omnimoda an Scripturæ competat. 37. a.

Perfectio & omniſufficientia Dei arguit rerum omnium vanitatem. 222. b. Reprehendit neglectum perfectionis & omniſufficientiæ divinæ. 223. a. Fundamentum præſtat omnis ſolatii. 223. b. Excitat ſtudium variarum virtutum. 223. b. Allicit ut cum Deo ambulemus, quid hoc, & quare. 224. a. Accendit ſtudium confœderationis cum Deo. 224. b. Exemplar præbet ad imitationem perfectionis & omniſufficientiæ divinæ. 224. b.

Perfectio & imperfectio ſanctitatis in hac vitâ, quid & quotuplex. 842. a.

Perfectionem & omniſufficientiam Dei ſubruunt Pelagiani. 222. a. etiam Sociniani. ibid.

Perfectionis & omniſufficientiæ divinæ origo, ab attributis & perſonis divinis. 221. b.

Periodus gratiæ omnis recte diſpeſcitur in Vetus

Vetus & Novum Teſtamentum. Contra Coccejum docetur. 990.a.
Perjurii, ſeu abuſus juramenti, in undecim caſibus; mala ſeptem; cauſæ ſex; remedia tria. 1234.
Perſecutio in Lutherum. 1178.b.
Perſecutio Hungarica. 1184.a.
Perſecutiones curriculi tertii Patriarchalis. 987.a.
Perſecutiones, ſub epochæ Moſaicæ curriculo tertio, duæ; prior ſub Hamane. 1028.b. poſterior ſub Antiocho Epiphane. ibid.
Perſecutiones, ſub ſeculo primo N. T. tum publicæ, tum privatæ. 1053.b.
Perſecutiones, ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1067.b.
Perſecutiones ſeculi quarti. 1084.b.
Perſecutiones ſeculi quinti. 1088.b.
Perſecutiones ſeculi ſexti. 1092.b.
Perſecutiones ſub ætate quartâ N. T. 1113.a.
Perſecutiones ſub ætate quintâ N. T. 1141.a.
Perſecutiones, ſub ætate ſextâ N. T. Germanicæ. 1178.b. Belgicæ. 1179.b. Anglicæ. 1180.b. Gallicanæ. 1181.a. Pedemontanæ. 1182.b. Hungaricæ. 1184.a. Lutheranæ. 1184.b. Reformatorum. 1185.a.
Perſecutiones Anglicanæ, tres: (1) Sub Henrico VIII. 1180.b. (2) Sub Mariâ Regina. 1181.a. (3) Hibernicum. ibid.
Perſecutiones Gallicanæ, quatuor: (1) Merindolenſis. 1181.a. (2) Sangermanenſis. 1181.b. (3) Pariſienſis. ibid. (4) Ludovici XIV. 1182.a.
Perſecutiones Pedemontanæ variæ. 1182.b.
Perſecutiones Lutheranorum in Reformatos Wittebergenſes. 1184.b.
Perſecutiones Reformatorum in Anglia, in Puritanos. 1185.a. Laudi Archi-Epiſcopi Cantuarienſis. ibid. ſub Jacobo II. Rege. 1185.b.
Perſecutiones Indianæ. 1186.a.
Perſona Chriſti duabus naturis conſtat, probatur Scripturis & rationibus. 436.a. —— Unio earundem. 437.a.
Perſonæ ceremoniales: Pontifex, Sacerdotes, Levitæ, Nethinæi, Naziræi. 994.b.
Perſonarum communio in Trinitate, in quibus conſiſtat. 237.b. Earundem diſtinctio ab eſſentiâ, qualis. 238.a. Earundem diſtinctio inter ſe, ſcopuli hic declinandi. ibid. Qualis ſit. ibid.
Perſuaſio fidei particularis, ejus ortus ex fide, ingredientia, non eſt ipſa fides. 64.b. ——
Pet. Martyris Vermilii hiſtoria. 1158.a.
Phalegi proſopographia. 976.b.
Phariſaiſmi, ortus & ſectæ. 1027.a.
Philo Judæus, quid per Dei gloriam intelligat. 92.
Philoſophicum peccatum Jeſuitarum, quid ſit, argumenta quibus concidit, & objectiones. 467.a.
Phocas Imperator. 1094.b.
Photini hæreſis. 1075.a.
Pietatis natura in ſeptem, diſtributio triplex; bona novem; media ſex. 1218.
Pietiſtica contentio. 1175.a.
Plagæ Ægyptiacæ decem recenſentur. 998.a.
Plato agnovit nomen Jehova. 87.b.
Plenitudo temporum, quid in Scripturâ. 964.
Pluralitas Deo tribuitur, non ſtylo magnatum. 236.b.
Pœna ſequitur peccatum. 473.b. Quid. ſit. 474.a. Afflictiones fidelium non ſunt pœnæ. 474.a. Pœna generaliter eſt mors. 474.b. Illa quid & quotuplex ſit. ibid. Spiritualis mors. ibid. Corporalis mors eſt pœna. ibid. ejus moderatio qualis. 476.a. Æterna mors, ejuſque ingredientia. ibid.
Pœna temporalis ab æternâ, in peccati merito, divelli nequeunt. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 478.a. In pœna æterna, pars damni & ſenſus, divelli nequeunt, contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. Pœna peccati etiam eſt mors ſpiritualis. Contra Pelag. Socinianos, & quadantenus etiam Lutheranos, probatur & vindicatur. 478.b. Etiam mors corporalis eſt pœna. 479.a.
Pœnitentia non eſt Sacramentum. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 782.b. Non abſolvitur contritione, confeſſione ſatisfactione, Contra Pontif. probatur. 783.a.
Pœnitentia fucata, quouſque poſſit pertingere, ubinam ſubſiſtat. 787.a.
Polytheiſmus Gentilium qualis. 113.b. ejus origo. 114.a. Argumenta adverſus eum. 114.b.
Polytheiſmus hæreticorum, Marcionis aliorumque. 114.b. ——
Polytheiſmus Pontificiorum. 115.b.
Polytheiſmus Socinianorum. 115.b.
Pomeranica confeſſio. 1169.a.
Pontifex V. T. Ejus memorabilia. 889.b.
Pontifex V. T. non ſolus fuit typus ſacerdotii Chriſti; ſed etiam gregarii ſacerdotes. Contra Socinianos, probatur & vindicatur. 569.a.
Pontifex, quis Romanis fuerit, & Judæis. 351.
Pontif. Romani, ſeculi primi N. T. quatuor. 1046.a. circa eos obſervatio generalis. 1047.a.
Pontif. Rom. ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio, viginti novem. 1056.a.
Pontifices Rom. ſub ætate ſexta N. T. viginti ſex. 1147.a.
Pontificii cultu religioſo Deos habent non viventes. Probatur & vindicatur. 137.a.
Poſitivus Dei conceptus nobis non datur. 77.b. Reformati quid. ibid. Objectiones Carteſianæ; 78.a.
Poſſibilitas rerum non pendet à voluntate; ſed à potentia Dei, nec cognoſcitur ab eo, ex decreto;

creto; sed ex natura sua. Contra Cartesianos probatur & vindicatur. 149. a. b.
Possibilitatis radix quæ. 211. a.
Potentia passiva, non cadit in Deum. 113. a.
Potentia Dei, quid. 210. b. extendit se ad possibilia omnia. ibid. vel absoluta est, vel ordinata. 211. a. Ejus affectiones. ibid.
Potentia Dei infinita est in se, non quoad nos tantum. Contra Socinianos probatur & vindicatur. 213. a. non omnia facit quæ potest. Adversus Semi-Pelagianos & Lutheranos, probatur & vindicatur. 213. a. —— non potest facere contradictoria ulla. Contra Cartesianos, probatur & vindicatur. 214. b. non potest producere corpus mole infinitum, probatur & vindicatur. 215. a. 216. a. non potest fallere, si velit. 215. b. communicari nequit. Contra Lutheranos probatur & vindicatur. 215. b.
Potentiæ vox, quid notet. 208.
Potestas Dei, æqualibus inæqualia potest decernere. Probatur & vindicatur. 112. a.
Potestas & potentia, qui differant in creaturis: nonnunquam divelluntur. 208.
Potestas & potentia illimitata Deo competunt, quod probatur Scripturis & rationibus. 209. a.
Potestas Dei, quid. 209. b. Ejus *fundamentum* ac *tituli*. 209. b. Ejus *objecta*. 210. a. *actus* & *affectiones*. ibid.
Potestas Dei, peccata parentum potest punire in filiis, probatur & vindicatur. 212. b.
Potestas & potentia Dei, exigit ut eam agnoscamus. 216. b. Format ad patientiam. 217. a. Ad abnegationem sui. ibid. Ad resignationem sui, qualem & quibus adminiculis. ibid. Ad submissionem versus Deum. 218. a. Ad reverentiam, & fugam peccati. 218. b. Ad fiduciam in Deo. ibid. Ad glorificationem ejus. ibid.
Potestatis divinæ fundamentum est in sola ejus deitate. Contra Remonstrantes probatur & vindicatur. 211. b.
Pra-Adamita Peirerii. 371. a.
Præcognitio, in electionis negotio, quid. 737.
Prædestinatio, personarum est, non status, probatur & vindicatur. 287. a. Non fit ex prævisis. Sententiarum varietas. Probatur & vindicatur. 288. a. b. Ordo ejus, juxta Arminianos examinatur. 289. a.
Prædestinatio monstrat, potestatem, independentiam & sapientiam Dei. 289. a. scopulos sex, circa se vitandos. 289. b. curam status nostri æterni. 290. a.
Prædestinationem dari, probatur Scripturis & rationibus. 283. a. Vocis ambiguitas. ibid. Quid sit. 283. b. Tria connotat, propositum finis, conceptum & intentionem mediorum. 283. b. & 284. a. Ejus objectum, creaturæ rationales. ibid. consideratæ diverso respectu, ut creabiles & labiles, & ut creati ac lapsi. ibid. Aliæ de objecto prædestinationis sententiæ. 285. a. Ejus æternitas. 285. a. independentia. ibid. immutabilitas. ibid. certitudo. ibid. est absoluta. 285. b. libertas. ibid. sapientia. ibid. ordo, juxta intentionem & exsecutionem. 285. b. Angelorum & hominum prædestinatio, in quibus conveniat, & discrepet. 286. a. Partes prædestinationis. ibid.
Prædicata à Christo, vera fuerunt. Contra Judæos, vindicatur. 625. a.
Prædicatio verbi divini, qualis esse debeat, ostenditur in novem. 905. b.
Prædictiones arguunt esse Deum. 68. b.
Præfectorum ecclesiasticorum, & subjectorum officia reciproca, notantur. 956. Docentes & gubernantes. ibid.
Præparatio Christi ad mortem, quæ habuerit. 622. b.
Præscripti ad judicium quot modis dicantur. 302.
Præsentia divinæ diversi modi. 123. a.
Præsumtio, qui differat à fide magna. 60. a.
Prætorium Pilati, quod fuerit. 635.
Praxis pietatis. Ejus natura & ingredientia; bona novem; adminicula septem. 1260.
Precatio publica. Ejus observanda. 1273.
Preces spirituales, quæ. 103. b.
Precium redemtionis, seu redemtorium, quod à Christo sit præstitum. 714. b. Quodnam illud, nim. Justitia Christi, non essentialis, divinæ & humanæ naturæ; sed parta: tam activa; quam passiva. ibid. reatui nostro exacte æquivalens. 715. b. Præstitum est Deo Judici 716. a.
Precum natura & requisita quinque; distributio multiplex: bona septem; modus precandi in multis; adminicula quinque. 1228.
Presbyteri vox, quid. 955.
Presbyteri gubernantes, qui. 892. b.
Presbyterii consessus, sub N. T. est juris divini. 893. b.
Presbyterorum gubernantium officia. 1299.
Principatus, auctoritates, potentiæ, dominia, quid notent Eph. 1. 21. dicitur. 703.
Principium in creatione quid. 311.
Priscillianorum hæresis. 1075. a.
Privatis an competat Scripturæ interpretatio, & quatenus. 37. a.
Processus judiciales leges. 1295.
Procrastinatio resipiscentiæ fugienda, quare, ejus causæ removendæ. 787. b.
Profanatio nominis divini. 91. b. quare fugienda, quot modis fiat. ibid.
Profanatio Sabbathi. Ejus natura sextuplex; mala septem; causæ septem; remedia duo. 1243.

Profectus in ſanctitatis ſtudio. Motivæ, adminicula. 855. a.
Profeſſio fidei. Ejus natura & requiſita quatuor; diſtributio quadruplex; affectiones quinque. 1222.
Progreſſus in praxi pietatis, natura & ingredientia varia; bona ſeptem; adminicula decem. 1261.
Promulgatio fœderis gratiæ temporalis fit in Euangelio. Hoc quæ notet. 500. b.
Promulgatio fœderis gratiæ, quid in Scripturis. 964.
Propagatio Eccleſiæ ſub ſeculo ſexto. 1089.
Propagatio Eccleſiæ, ſub ætate N. T. quarta. 1106.
Propagatio Eccleſiæ ſub ætate quinta N. T. rarior. 1128. b.
Propagatio Eccleſiæ, ſub ætate ſexta N. T. 1153. b. apud Indos per Jeſuitas. ibid. per Reformatos, Anglos & Belgas. ibid.
Propagatio Eccleſiæ reformatæ per Europam: Daniam, Sueciam, Bohemiam, Poloniam, Lithuaniam, Belgium, Angliam, Scotiam, Galliam, Germaniam. 1153. b. ——
Propagatores Eccleſiæ ſub ſeculo ſexto. 1089. a.
Propagatores Eccleſiæ ſub ætate N. T. ſextâ; Reformati 1156. b. Lutherani. 1160. a.
Propheta, voce tenus, quid Hebræis, & quis ipſis, ille Moſi promiſſus. 550. Chriſtianis quis ille. ibid. & 557. a.
Propheta, quis in genere, & qualis fuerit Chriſtus. 555. b. Quomodo ſuam propheticam functionem expediverit, etiam ſub V. Teſt. docendo. 556. a. & prædicando, per ſe, & per ſuos miniſtros. ibid. Etiam illuminando. 556. b. & quos. ibid. Propheticæ functionis virtutes. ibid.
Prophetæ, qui. 887. b. N. Teſt. Prophetæ & Prophetiſſæ. 885. 891. b.
Prophetarum, qui non ſcripſerunt, hiſtoria. 1015. a.
Prophetica Chriſti functio oſtendit & glorificat Dei gratiam donantis hunc Prophetam, quo modo. 559. a. Agnoſcit Chriſtum pro Propheta. 559. b. Recipit eundem pro tali: quo modo, & quibus rationibus. ibid. Audiendum monet eundem. Motivæ; modus 560. a. Docet attendendum ejus dictis: quamobrem, quibus & quomodo. ibid. & recipiendos etiam ejus emiſſarios, motivæ, modus. 560. b. Monet Eccleſiaſticos, ut Chriſtum Prophetam imitentur: quibus officiis, quomodo, quibus motivis. ibid. Jubet quosvis prophetare: quibus officiis & adminiculis. 561. b. Præſtat ſolatium: in quibus caſibus, & quibus argumentis. ibid.
Propugnatores veritatis, ſub ætate N. T. quintâ, cum Reges ac Magiſtratus & Synodi, tum perſonæ ſingulares: tam in Oriente, quam in Occidente. 1120. a. 1122. a. & 1122. b.
Proſperitatis uſus. Ejus natura, ingredientia & leges; bona octo; adminicula quinque. 1307.
Proſperitatis abuſus: natura & vitia; mala ſeptem; cauſæ ſex; remedia tria. 1308.
Proſternere ſe coram Deo, quid. 98. a.
Providentiam dari probatur Scripturis, rationibus, Gentilium teſtimoniis. 390. a. ejus vox. ibid. & definitio. ibid. Ejus actus generalis eſt *proſpicere*. 390. b. ſeu particulariter, *conſervatio*, quod, quare, ſit neceſſaria. 390. a. ei opponitur deſtructio & annihilatio. ibid. continet inſuper *influxum*; quis ille & qualis. ibid. & *gubernationem*, qualis illa. 391. a. Ejus objecta, omnia & ſingula. ibid. animata & inanimata. 391. b. & homines peculiariter electos. ibid. neceſſaria & contingentia. 392. a. etiam libera. ibid. operationes hominis morales, bonas pariter & malas. 392. b. Nec tamen eſt auctor peccati. ibid. Ut peculiariter occupetur circa peccatum generaliter. ibid. Ut nominatim circa excœcationem & indurationem. 393. a. Ut peccata peccatis puniat. ibid. Ejus idea eſt conſilium voluntatis. 393. b. Eſt immediata, vel mediata. ibid. quomodo mediis utatur. ibid. Eſt etiam ordinaria. 394. a. & extraordinaria, à quâ miracula. ibid. Eſt communis & rationalibus propria. 394. b.
Providentiam omnibus & ſingulis proſpicientem dari, poſt ſententiarum collationem, probatur & vindicatur. 394. b. —— Influxum ejus omnes cauſas phyſice prædeterminare, poſt ſententiarum collationem, probatur & vindicatur. 395. b. Talis influxus non tollit rerum contingentiam, poſt ſententiarum collationem, reformata exponitur. 396. a. Nec tollit aut lædit arbitrii libertatem. Reformata ſententia explicatur, probatur & vindicatur. 397. a. Nec Deum facit auctorem peccati. Poſt ſententiarum collationem, reformata exponitur, probatur & vindicatur. 398. a. —— Non datur influxus generalis, determinandus à creaturis, poſt collationem ſententiarum, reformata explicatur, probatur & vindicatur. 398. b. —— Circa peccatum non occupatur otioſa permiſſione, poſt ſententiarum collationem, reformata probatur & vindicatur. 399. b. Providentia cuique immobilem conſtituit terminum vitæ, probatur & vindicatur. 400. a.
Providentia Dei explicat gloriam, ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, ſanctitatis, juſtitiæ, poteſtatis divinæ, & quorſum. 400. b. Abſterret à vario ſui abuſu. 401. a. Provocat ad obſer-

obſervandos providentiæ motus, verſus quoſvis nominatim Eccleſiam. 401. b. Verſus quemque ſingulatim, quoad animam pariter & corpus. 402. a. Monet omnem proſperitatem noſtram eſſe à Deo, quorſum. ibid. Nec non adverſa quævis, quod animum confirmat. 402. b. Suadet dependentiam à Deo, modus, motivæ. 403. a. & ambulationem cum Deo. ibid. Præſtat ſolatium in quibuſvis adverſis. 403. b. Nominatim in perſecutionibus Eccleſiæ. 404. a.

Providentia Dei ſpecialis circa creaturas rationales probatur. 407. a. Appellatur moralis, quo ſenſu. ibid. Occupatur circa veritatem revelandam, item circa bonum & malum morale, circa adiaphora. 407. b. item diſpenſando circa ea quæ ſunt juris poſitivi. 408. a. Circa præcepta & prohibita, verſatur: docendo, urgendo, conſulendo, obteſtando, vovendo, exſequendo: quomodo ita inter ſe differant. 408. b. Hujus norma eſt Scriptura. ibid. Reſpicit Angelos & homines, quâ diverſitate. 409. a. Gubernat, cum per ſe, tum per alios. ibid.

Providentia ſpeciali, non ſolâ, Deus occupatur circa liberum arbitrium; poſt ſententiarum collationem, reformata probatur. 409. b. In eâ non dantur conſilia, à præceptis realiter diverſa, quod contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. Nec in eâ datur votum inefficax. 410. b. Nec ejus alia norma datur, quam Scriptura. ibid.

Providentia ſpecialis commendat nobis Deum velut gubernatorem & Regem. 411. a. Suadet nobis promtiſſimam ſubmiſſionem. ibid. Et obedientiam, motivæ, modus. 411. b. Confirmat fiduciam noſtram in gubernatore. 412. a. Incutit timorem & reverentiam, verſus eundem. ib. Hortatur gubernatores quoſvis ad ſua officia verſus ſupremum gubernatorem ſuum. ibid. Dirigit ſubditos in obſequiis verſus gubernatores ſuos. 412. b.

Prudentia natura & requiſita ſex; diſtributio quadruplex; bona quinque; media quinque. 1210.

Pſalmodia. Ejus obſervanda. 1273.

Q.

Quæſtio Dei. Ejus natura, & ingredientia ſex; diſtributio quintuplex; bona octo; modus & adminicula in ſeptem. 1265.

Quartum Decalogi præceptum non eſt juris cæremonialis. Contra varios probatur & vindicatur. 1032. b.

Quatuor civitatum, Argentinenſis &c. confeſſio. 1168. b.

Quietiſticum Schiſma. 1176. a.

Quotidiani Dei cultus natura & ingredientia varia; bona ſex; adminicula quinque. 1275.

Quotidiani cultus divini neglectus natura & ingredientia tria; mala; cauſæ ſex; remedia tria. 1276.

R.

Raimundus Lullus, auctor artis Lullianæ. 1131. a.

Ratio quatenus *captivanda*. 56. a.

Ratio humana non eſt infallibilis norma interpretandi Scripturas. 31. a.

Ratio ſtatus, atheiſticus. 74. a.

Rationaliſtarum motus. 1173. b.

Reatus culpæ non differt à reatu pœnæ. 477. b. Contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid.

Reatus noſter quot modis tollatur. 713. b.

Recapitulare, quid. 964.

Recipere Deum & Chriſtum, quid & quale. 52. b.

Non recipere, quid. 58. a.

Reconciliatio per Chriſtum, quid & quotuplex. 716. a.

Reconciliatio, qualis & quænam ejus officia. 1295.

Recreationum uſus. Ejus natura & leges variæ; bona quinque; adminicula. 1305.

Recreationum abuſus; natura & vitia varia; mala undecim; cauſæ quinque; remedia tria. 1306.

Rectitudo curvitati oppoſita, quid. 193.

Redemtio noſtri facta eſt per ſubſtitutionem Redemtoris in noſtrum locum, probatur. 712. a. Ejus fundamentum. ibid. Quid ſit, nomine tenus, & re. 712. b. Ejus cauſa ſolus Deus, quomodo hic conſiderandus. ibid. Actus Dei puniens unum pro alio, qualis. 713. a. Cauſa redemtionis ſecunda, eſt Mediator, & cauſæ impellentes. 713. b. Reatus in redemtione, quot modis tollatur. 713. b.

Redemtio per Chriſtum vere datur. Contra infideles, Gentiles, Muhammedanos, Judæos, probatur. 717. b. Non conſiſtit in hoc ſolo, quod obedientibus ſibi, vitam æternam promittat, contra Socin. docetur. 718. a. Objectum, non omnes, ſed ſui. 717. a. Fructus, novem. 717. b.

Redemtio Chriſti (a) commendat religionem reformatam, præ reliquis omnibus. 730. b. (b) Et immenſam Dei gloriam, in quibus rationibus, & quorſum. 731. a. (c) Nominatim gloriam Redemtoris, in quibus, & quorſum. 732. b. (d) Et beatitudinem redemtorum, ex quinque capitibus. 733. a. (e) Repræſentat miſeriam non-redemtorum, quænam illa, qui non-redemti, quænam ejus cauſæ. 732. b. (f) Jubet inquirere, num & nos redemti; motivæ, ſigna. 734. a. Ut eni-

tamur in communionem redemtionis Christi. Motivæ, media. 734. b. (g) Præstat solatium. Argumenta consolatoria, & casus in quibus. 735. a. (h) Inculcat officia, post redemtionem observanda, octo. 735. b.

Reditus Christi in terram, exspectandus non est, ante extremum judicium. Contra varios, probatur & vindicatur. 1187. b. 1198. a.

Reformata Religio admissa primum in Suecia. 1154. b. in Dania. ibid. in Belgio. 1155. a. per Angliam. ibid. per Scotiam. 1155. b. per Galliam. ibid. per Germaniam. 1156. b.

Reformatio Ecclesiæ per Lutherum cœpta. 1149. a.

Reformationes sub epochæ Mosaicæ curriculo secundo. 1017. a.

Reformationes Ecclesiæ, altera sub Esdra. 1029. a. altera sub Machabæis. ibid.

Reformationes sub ætate quarta N. T. 1112. a.

Regeneratio, ut ex aquâ & Spiritu fiat. 758.

Regeneratio non consistit in emendatione morum. Contra Pelagianos & Socinianos, probatur & vindicatur. 764. a. Non pendet à libero arbitrio, post sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 764. b. Non est actio Dei moralis; sed physica. Contra sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 765. a. Actio ejus physica, etiam voluntatem immediate attingit, post sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 765. b. Est irresistibilis, post sententiarum varietatem, probatur & vindicatur. 766. b. Non admittit præparationem, contra Pelagianos &. Pelagianissantes, docetur. 767. a. Non est amissibilis, contra eosdem, probatur & vindicatur. ibid. Nec est universalis, post sententiarum varietatem, probatur & vindicatur. 767. b. Non est alligata Baptismo, post sententiarum varietatem, probatur & vindicatur. 768. a.—

Regeneratio (1) docet, quantæ molis sit peccatorem traducere ad vitam, & quorsum. 1069. b. (2) Explicat beatitudinem regenitorum, in quibus, & quorsum. 770. a. (3) & miseriam irregenitorum, in quibus sitam, quorsum. 770. b. (4) Monet, non esse acquiescendum in quovis, absque regeneratione, quare, & quænam illa in quibus non acquiescendum. 771. a. (5) Ut exploremus nos, an simus regeniti. Indicia. Rationes justæ dubitandi de suâ regeneratione. 772. b. (6) Ut enitamur in aliorum regenerationem. Motivæ, modus, impedimenta removenda. 773. a. (7) Ut incumbamus officiis, regenerationi congruis. Quænam illa. 774. a.

Regenerationis necessitas, probatur Scripturis & rationibus. 759. a. Vocis ambiguitas & synonyma. 759. b. Quid sit. 760. a. Ejus causæ. ibid. Regenerandi quinam. ibid. Actus regenerandi, qualis. 760. b. Terminus regenerationis, seu productum, appellatur jam gratia. ibid. jam Spiritus. 761. a. jam vita. ibid. jam semen Dei. 761. b. jam nova creatura, item cor novum & spiritus novus. ibid. Occupatur circa intellectum, illuminando. ibid. circa voluntatem. 762. a. circa facultates inferiores. 762. Confert vitæ spiritualis actum tantum primum. ibid. Affectiones ejus. ad eam homo se habet mere passive. 763. a. Non admittit præparationem, quatenus. ibid. Est irresistibilis, quo modo. 763. b. & inamissibilis. ibid. & imperfecta. ibid.

Regenerationis sinceritas. Justæ rationes de eâ dubitandi. 773. a.

Regenerationis Sacramentis, scil. Circumcisione & Baptismo, Deus introitum in fœdus gratiæ obsignat. Probatur Scripturis & rationibus. 917. a.

Regia functionis Christi veritas. 577. a. natura. ibid. Regalia septem. 577. b. Administratio regni, tum essentialis, tum mediatorii quoad periodum currentem. 578. a. & futuram. 578. b. Regni hujus affectiones quinque. ibid.

Regimen Dei, an omnimodo justum sit. Rationes dubitandi & decidendi. 194. b.

Regimen Ecclesiæ, sub seculo primo N. T. 1052. b.

Regimen Ecclesiæ, sub ætate secundâ N. T. seu sub seculo secundo & tertio. 1066. a.

Regimen Ecclesiæ, sub ætate N. T. quinta. 1132. a.

Regimen Ecclesiasticum sub ætate sextâ N. T. apud Pontificios. 1162. a. apud Lutheranos, ibid. apud Reformatos, non uniforme. ibid.

Regni, à Christo Patri tradendi, natura explicatur. 1196. b.

Regnum Christi, æternum erit. Contra Socin. explicatur, probatur & vindicatur. 582. a. Uniforme futurum erit, usque ad extremum judicium. Post divortia sententiarum, probatur & vindicatur. 582. b.

Regnum Christi, explicat gloriam Regis sui, variis similitudinibus, quoad tria potissimum capita, & quorsum. 583. b. Et beatitudinem subditorum ejus, in quo illa consistat, & quorsum cogitanda. 584. a. Et miseriam eorum, qui ab eo sunt alieni; quinam illi, quanta eorum miseria, quænam remedia. 584. b. Excitat ad quærendum regnum Christi: in quo, quibus actibus, & quibus motivis illud quærendum. 585. a. Et ad officia Regi convenientia, quænam illa, & quamobrem præstanda. 585. a. Movet Reges & Principes ad imitationem Regis Christi, quoad justitiam, personæ, vocationis, regiminis, protectionis, gubernationis: quoad pietatem, in octo capitibus exercendam. Motivæ. 585. b. — Et quosvis, ut Regem Christum imitentur:

in

in quibus, & quibus motivis. 587. a. Suppeditat solatium: in quibus casibus, & quibus argumentis. 587. b.
Regnum Christi æternum erit. Contra Socin. probatur. 1200. a.
Rehabeami historia. 1010. b. Et sub eo natum schisma duplex, politicum & ecclesiasticum. 1011. a.
Rejectio Dei. Ejus natura in septem; mala sex; causæ quinque; remedia tria. 1264.
Religionis ruina, sub egressu curriculi tertii, in quatuor potissimum ejus capitibus. 1029. a.
Remissio peccatorum plena, non est peculiaris Novo Test. Contra Coccejum docetur. 1187. b.
Remonstrantica confessio. 1169. a.
Reprehensionis lapsi natura, ingredientia & officia varia; admissionis bona sex; adminicula reprehensionis octo, & admissionis quatuor. 1290.
Reprobatio etiam est species prædestinationis. Sententiarum collatio. Probatur & vindicatur. 286. b. & 287. a. b.
Reprobatio personalis æterna datur. Sententiarum varietas. 305. a. probatur & vindicatur. 305. b. & 306. a. b. Actus est, non solius intellectus, sed & voluntatis. 306. b. Causa ejus non est peccatum, probatur & vindicatur. 306. b. — Eâ, homo proprie non prædestinatur ad peccatum, aut exitium. 307. b. Objectum ejus quodnam, etiam infantes. Sententiarum varietas. Explicatur. 307. b. Est absoluta. 308. a. Est immutabilis. Probatur & vindicatur. 308. a.
Reprobatio pandit gloriam potestatis, justitiæ, & sapientiæ divinæ. 308. a. Monet non esse accusandum Deum. 309. a. Amplificat misericordiam Dei versus electos. 309. b. Monet abstinendum à persuasione reprobationis sui & aliorum, quare. 310. a. Hortatur, ut salutem nostram conficiamus cum timore & tremore ibid. Ut caveamus nobis à peccatis reproborum. 310. b.
Reprobationem dari, probatur Scripturis & rationibus. 303. a. Quid sit. 303. b. Ejus actus quatuor. 304. a. Objectum quodnam. 304. b. Causæ ejus, principalis & movens. ibid. Est absoluta, quatenus. 305. a. & immutabilis. ibid.
Res ceremoniales: Sacramenta, sacrificia, varii generis. 994. b.
Resipiscentiæ vox. 780. b. Natura & ingredientia. ibid. Incipit ab intellectu. ibid. Radicatur in voluntate. ibid. Operatur in affectibus. 781. a. Ostentat se in externis. ibid. Definit in odio peccati & proposito deferendi illud. 781. b.
Resipiscentiæ veræ studium. Ejus motivæ, adminicula, requisita, periodi. 788. a. —
Respublica, earumque leges demonstrant esse Deum. 68. b.
Resurrectio Christi tertio die post sepulturam. Probatur Scripturis & rationibus. 677. a. ejus natura & ingredientia. 678. b. Corpus resurgens quale. ibid. Causæ, principalis & ministræ. ibid. Tempus: tertius dies post sepulturam, quare. 679. a. Primus hebdomadis, quare. ibid. Summum mane, quare. 679. b. Affectiones quatuor. ibid. Ejus fines, cum respectu Christi; tum respectu Christianorum. 680. a. Post resurrectionem, conversatio ejus cum discipulis per XL. dies. 680. b.
Resurrectio Christi vera est. Contra Judæos probatur. 680. b. Non est reversio, à statu non-existentiæ, ad statum existentiæ. Contra Socinianos probatur & vindicatur. 681. a. Facta est virtute divinæ naturæ. Contra Socinianos probatur & vindicatur. 681. b. Resurgens non transiit per saxum. Contra Lutheranos, probatur & vindicatur. 682. a. Resurrexit corpore glorificato. Contra Socin. probatur & vindicatur. 682. b. Non est plus momenti in ejus resurrectione, quam in morte Christi. Contra Socin. asseritur. 682. b. In resurrectionis memoriam, non est præscribendum festum. 683. a.
Resurrectio Christi α. præstat fundamentum fidei nostræ, quot modis, & quorsum. 683. a. Et β. glorificationis divinæ, quot modis, & quorsum. 683. b. γ. Excitat, ut gratulemur resurgenti, quibus argumentis, quo modo. 684. a. δ. Præstat solatium, quibus casibus, & argumentis. 684. b. ε. Incutit terrorem hostibus, quinam illi, & quibus argumentis. 685. a. ζ. Jubet explorare nos ipsos, num pro nobis resurrexit. Indicia. 685. b. η. Accendit desiderium, ut vim resurrectionis Christi quæramus, in resurrectione nostrâ spirituali, per conversionem, quatuor gradibus præparatoriis, ejus ambages & actus septem, consectaria octo, motivas quatuor, & modum agendi quadruplicem. 686. a. — θ. Ut resurrectioni Christi magis magisque assimilemur, quibus particulis, motivis, mediis. 688. a. ι. Ut cum Christo transeamus in novam vitam, in quibus particulis. 689. b. κ. Ut exspectemus nostri resurrectionem, cui Christi resurrectio præstat exemplum, causam & pignus, modus exspectandi. 690. b.
Resurrectio à mortuis, omnium & singulorum erit. Contra varios probatur & vindicatur. 1198. b. Eadem fiet eisdem corporibus. Contra varios probatur & vindicatur. 1199. a. Eadem non fiet, per humanam Christi naturam, contra Luther. docetur. 1199. b.
Riveti (Andreæ) historia. 1159. b.
Rubor faciei pudorem notat, qualem. 776.
Ruth quo tempore vixerit. 1001. a.

S.

Sabaismus & Helleniſmus quid. 113. b. Ejus origo. 114. a.

Sabbathi natura & moralitas, contra varios probatur; diſtributio varia; ſanctificatio quibus officiis peragatur; bona ſeu motivæ ſeptem. 1241.

Sacerdos, Chriſtus veri & proprii nominis, fuit. Contra Socinianos, probatur & vindicatur. 568. a. Etiam in terris. Contra eoſdem, probatur & vindicatur. 568. b.

Sacerdotem dici Meſſiam, Pſal. cx. 4. Judæi veteres agnoſcebant; moderni negant. 736. Sacerdos Hebræis quis, & quod Meſſias ſit ſacerdos. ibid.

Sacerdotes V. T. Eorum memorabilia. 890. a.

Sacerdotii Chriſti veritas. 565. a. quinam ejus typi fuerint. ibid. Ejus neceſſitas. 566. a. actus primus, *oblatio*, ejus requiſita & fines. 566. b. Secundus, *interceſſio*, ejus periodi, inchoationis & conſummationis. 567. a. affectiones quinque. ibid. Diſcrimen inter Chriſti & Spiritus S. interceſſionem. ibid. Tertius, *benedictio*. 567. b. Quid in genere. ibid. Chriſti eſt ſpiritualis & temporalis. ibid.

Sacerdotium Chriſti patefacit peccati deteſtabilitatem, & quorſum. 571. a. & conflictum juſtitiæ & miſericordiæ divinæ, & quorſum. 571. b. Movet ad gratitudinem, motivæ, & officia ejus. ibid. Hortatur ad ſui contemplationem. Ejus motivæ, ingredientia & modus. 572. b. Suadet uſum oblationis Chriſti, in quibus caſibus, ob quas rationes, & modum quo. 572. b. Item interceſſionis, hujus beneficia, fundamentum & media participationis. 573. a. Etiam benedictionis, caſus in quibus, & modus conſequendi. 573. b. Suadet explorationem, an & noſter ſit Sacerdos. Motivæ & indicia. 574. a. Commendat officia Sacerdoti reciprocanda, motivæ, & quænam illa. 574. b. Hortatur, ut nos præſtemus Sacerdotes, quamobrem, quomodo, officia ſacerdotalia, & actus. 575. a.

Sacramenta nutritionis ſpiritualis, duo: Paſcha V. T. & cœna Domini N. T. 930. a.

Sacramenta in genere, (1) repræſentant humanitatem & condeſcenſionem Dei, & quorſum. 914. a. (2) Commendant dignitatem & excellentiam Sacramentorum, in quibus, & quorſum. 914. b. (3) Suadent Sacramentorum uſum, in quibus, & legitimum, ejus requiſita. 915. a.

Sacramenta in genere. Eorum obſervanda. 1273.

Sacramentarium Schiſma. 1171. a.

Sacramenti vox in Eccleſiâ ferenda eſt. 911. a. Sacramentum definiendum eſt, non tam per actum; quam per ſignum. ibid. Sacramenta non ſunt nuda ſigna, poſt ſententiarum collationem, probatur & vindicatur. 911. b. Sacramenta N. T. gratiam efficiunt, non ex opere operato. Poſt ſententiarum collationem, contra Pontif. probatur & vindicatur. 912. a. Eorum efficacia non pendet ab intentione miniſtri. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 913. a. Non imprimunt animo characterem indelebilem. Contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid. Sacramenta V. T. eandem ſpecie efficaciam habent, quam N. T. Contra Pontif. & Luther. probatur & vindicatur. 913. b. Sacramenta N. T. duo tantum ſunt. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 914. a.

Sacramentorum ſigillis, Deus fœdus gratiæ ſuis obſignare voluit. Probatur Scripturis & rationibus. 908. a. Vocis Sacramenti, etymologia, homonymia, & ſynonymia. 909. b. Definitio Sacramenti. ibid. Materia Sacramenti duplex. 909. a. Forma eſt unio Sacramentalis, qualis illa. Ejus fundamenta. Conſectarium phraſeologia Sacramentalis. 909. a. Auctor Sacramentorum. 909. b. & adminiſtri. 910. a. Finis Sacramentorum quintuplex. ibid. Sacramentorum cum verbo collatio, quoad convenientiam & differentiam. ibid. Diſtributio in Veteris & Novi Teſt. Sacramenta. 910. b. Horum collatio. ibid.

Sacrificia Ante-Moſaica, non fuerunt liberi ritus, poſt ſententiarum divortia, probatur & vindicatur. 1033. b.

Sacrorum publicorum ratio ſub ætate ſecundâ N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1064. b.

Sadduceiſmi ortus & placita. 1027. b.

Salomonis hiſtoria. 1010. b.

Samaritaniſmi ortus & hiſtoria. 1019. b.

Samuelis hiſtoria. 1002. a.

Sanctificatio nominis divini, ejus ingredientia. 91. b.

Sanctificatio noſtri, probatur Scripturis & rationibus. 833. a. Vocis conſideratio. 834. a. Diſtinguitur à variis. 834. b. Quid ſit. ibid. Sanctitas quid. ibid. Sanctificatio quid. 835. a. Sanctificationis cauſæ. ibid. Ejus objecta: homo, ejuſque intellectus, voluntas, conſcientia, affectus, memoria, corpus. ibid. Ordo ſanctificationis, circa iſta objecta. 835. b. Ejus partes duæ. 836. a.

Sanctificatio novos habitus bonos voluntati confert, poſt ſententiarum diſcrepantiam, contra Pelagianos & Socinianos probatur & vindicatur. 843. b. hic non poteſt eſſe perfecta. Contra varios, probatur & vindicatur. 845. b.

Sanctificatio (1) ſuadet ſtudium ſanctimoniæ. Mo-

Motivæ, adminicula. 846. b. (4) Et explorandi noſtram ſanctificationem. Diſcrimen inter fucatam & genuinam in variis. 847. b.
Sanctiſſimus & ſua ſanctitas, nullus homo appellari debet. 204. a.
Sanctitatis vox quid notet. 201. Studium ejus, quid. 202. *Sanctitas* Dei probatur Scripturis & rationibus. 202. a. quid ſit in genere. 202. b. Sanctitas Dei quid. 203. a. quot modis eam Deus prodat. ibid. Quomodo Deo competat. 203. b.
Sanctitas Dei excitat, ut *ſanctificari* adnitamur à Deo. 206. a. Ut *ſanctificemus* Deum, motivæ, media. 206. b. Ut abhorreamus ab omni *profanitate*. 207. a. Ut *ſanctitati* operam demus. ibid. Ut *exploremus* ſanctitatem noſtram, notæ. 207. b. Ad *conſolationem*. ibid. ad *glorificationem* Dei. 208. b.
Sanctus, voce tenus, quid. 550.
Sanedrim, qualis olim conſeſſus. 893. a.
Sanguis, quid & quæ notet. 739.
Sapientia, ſcientia & mens, in Deo, quomodo differant. 143.
Satanas cauſa infidelitatis, quot modis. 58. b.
Satietas ſpiritualis: natura & ingredientia; mala ſeptem; cauſæ ſeptem; remedia tria. 1262.
Satisfactio, quid voce & re tenus. 714. a. Ejus ingredientia. ibid. Nim. innocentia ſatisfacientis. ibid. Subſtitutio ejuſdem. ibid. Redemptorium. 714. b. reconciliatio. 716. a.
Satisfactio Chriſti, probatur. 716. a. ejuſdem neceſſitas ex variis capitibus. ibid.
Satisfactio Chriſti, ad redemptionem omnino fuit neceſſaria, poſt ſententiarum divortia, probatur & vindicatur. 726. a. Non juſtificamur per juſtitiam Chriſti eſſentialem, ſeu divinæ; ſeu humanæ naturæ. Contra Oſiandrum docetur. 726. b. Satisfactione iſta, non plus præſtitit, quam nobis erat neceſſarium. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 727. a. Ea ſuſtulit omnem reatum noſtrum. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 727. b. Non pro aliis ſatisfecit, quam pro electis. Poſt ſententiarum divortia, probatur & vindicatur. 728. a. Satisfaciendo etiam ſuis meruit bona. Contra Socin. probatur & vindicatur. 729. b. Meruit, non tantum vitam æternam; ſed etiam omnia eo neceſſaria. Contra Remonſtrantes, probatur & vindicatur. 730. a. Chriſtus ſolus ſuis meruit jus vitæ æternæ. Contra Pontif. probatur & vindicatur. ibid.
Satisfactio humana non requiritur in pœnitentiâ. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 784. a.
Saxonica confeſſio. 1169. a.
Scepticorum nomina varia. 70. b.
Schaddai unde. 88. a.
Schaddai, vocis etymon. 219.
Schem Hammephoraſch, non eſt mirificum. 88. b.
Scheol, quid. 122.
Schiſma Iſmaëliticum. 987. a.
Schiſma Eſaviticum ſeu Idumæum. 987. a.
Schiſma inter ſemen ſerpentis & mulieris. 973. a.
Schiſma inter Cainitas & Sethitas. 973. a. Ejus origo. 973. b. Hæreſiarchæ. ibid. Capita hæreſeos. 974. a. Perſecutiones. 974. b.
Schiſma inter Græcos & Latinos. 1140. a.
Schiſma Pontificium, quinquaginta annorum, inter Gallicanos & Romanos Pontifices. 1140. b.
Schiſmata, ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1067. a.
Schiſmata ſeculi quarti. 1084. b.
Schiſmata ſeculi ſexti. 1092. a.
Schiſmata ſub ætate quarta N. T. 1112. b.
Schiſmata ſub ætate quinta N. T. 1140. a.
Schiſmata ætatis ſextæ N. T. 1171. a.
Schiſmata Lutherana, ſeptendecim. 1175. a.
Schiſmata Pontificia, ſub ætate N. T. ſextâ, ſeptem. 1175. b.
Schola Judæorum Pumbeditana. 1102. b.
Scholæ, ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1067. a.
Scholæ ſeculi quarti. 1083. b.
Scholæ ætatis quartæ N. T. 1112. a.
Scholæ apertæ, ſub ætate quintâ N. T. quadraginta duæ. 1137. b.
Scholæ, ſub ætate ſextâ N. T. quadraginta quatuor. 1169. a.
Scholaſtica Theologia, ſub ætate quinta, N T. 1127. a.
Scientia media, Jeſuitarum & Remonſtrantium, quid, & unde dicatur. 148. a. Refellitur. 148. b. vindicatur. 149. a.
Scientiæ Dei diſtributio varia. 147. a. Eſt, vel naturalis circa poſſibilia; vel libera, circa futura. ibid.
Scientiæ rerum obſervandarum natura; diſtributiones tres; notæ novem; bona novem; ſtudium in novem. 1205.
Scientiæ ſacræ ſtudium requirit novem. 1205.
Scripta eccleſiaſtica, ſub ætate N. T. ſecunda ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1058. b.
Scriptores, ſub ætate ſecunda N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1063. a.
Scriptores eccleſiaſtici ſub ſeculo ſexto. 1089. b.
Scriptores eccleſiaſtici, ſub ætate N. T. quarta. 1107. a.
Scriptores eccleſiaſtici ætatis quintæ N. T. 1129. a.
Scriptores Pontificii, ſub ætate ſexta N. T. 1161. a.
Fanatici. 1161. b.
Scriptura Sacra, quod ſit perfecta regula; ſeu princi-

principium Theologiæ, probatur & confirmatur. 19. a. Ejus *denominatio.* 19. b. Synonyma. 20. a. *Partes Canonicæ.* 20. a. Apocryphæ. 20. a. Editiones *authentica.* 20. b. Vernaculæ. 21. a. *Origo* 21. a. *Auctoritas.* 21. b. *veritas.* 22. a. *Integritas, ſanctitas, perſpicuitas, perfectio.* 22. a. *Efficacia.* 23. a. Ejus *veritas univerſalis* demonſtratur. 23. b. Ejus divina *auctoritas.* 24. a. *Integritas.* 25. b.

Scriptura libri, conſcripti ſub epochæ Moſaicæ curriculo primo, ſcil. Jobi, Pentateuchi, Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis. 1006. a.

Scriptura libri conſcripti, ſub epochæ Moſaicæ ſecundo curriculo. 1013. b. puta: Samuelis pars poſterior: libri Regum; uterque Paralipomenon: Pſalmi: Salomonis libri: Eſdræ: Nehemiæ: Eſther: Hoſeas: Joël: Amos: Jeſaïas: Michah: Habakuk: Nahum: Zephaniah: Jeremias: Ezechiel: Daniel: Obadias: Haggæus: Zacharias: Malachias. Horum omnium ortus & hiſtoria explicatur. 1013. b.—

Scriptura verſiones, ſub ætate ſecundâ N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio. 1058. b.

Sculteti hiſtoria. 1159. a.

Se ipſum nihil producere poteſt. 66. b.

Seculorum conſummatio probatur & explicatur. 1196. a.

Secundo creationis diei quare non addatur ſueta benedictio. 337. b.

Semen Abrahami triplex. 908.

Semi proſopographia. 976. a.

Semi-Pelagianorum hæreſis. 1076. b.

Senatus eccleſiaſticus in Babilone, tempore ſtructæ turris Babilonicæ non fuit. 978. b.

Senectus Chriſti, ſenibus exemplar præparationis ad mortem, in ſeptem particulis. 632. b.

Senſus Scripturæ unicus tantum eſt. 35.

Septimanæ ſeptuaginta Danielis. Unde numerandæ. 1026. a.

Sepultura Chriſti, probatur. 660. a. Ejus circumſtantiæ, temporis, auctoris, modi, loci, monumenti, durationis. 660. b. Fines. 661. a.

Sepultura triduo, Chriſtus nihilominus fuit verus homo. Poſt varietatem ſententiarum, probatur & vindicatur. 663. a.

Sepultura Chriſti, confirmat fidem noſtram. 665. b. Adverſus horrores ſepulchri. Quibus argumentis, & requiſitis. ibid. Inſtigat ad ſpiritualem peccatorum ſepulturam, quibus actibus & adminiculis. 666. b. Ut fideles pro Chriſto mortuos ſepeliamus. Motivæ. 667. a. Præſtat ſolatium in ſpiritualibus deſertionibus. Argumenta conſolatoria, & conditiones. 667. b.

Serpens tentator, quis fuerit, ſecundum varios. 427. Non fuiſſe imaginem ſerpentis; ſed ſatanam per ſerpentem loquentem, probatur. ibid.

Servitus Iſraëlitarum ſub Judicibus ſextuplex. 1008. a.

Servorum officia verſus Dominos. 1298.

Seſſio Chriſti ad dextram Dei probatur Scripturis & rationibus. 704. a. Quid phraſis, ubi difficultas quædam tollitur. 704. b. Quid res, ejusque ingredientia octo. 705. a.—— Sedet ad dextram, quoad utramque naturam. 706. b. Circumſtantiæ loci & temporis. 707. a.

Seſſio Chriſti, non facit ipſum filium Dei. Contra Socin. & Armin. probatur & vindicatur. 707. a. Non infert uſum attributorum divinorum, humanæ Chriſti naturæ communicatorum. Contra Luther. docetur. 707. b. Etiam ſecundum divinam naturam, ſedet ad dextram, contra Luther. 708. a. Eſt per eam, ſolus caput Eccleſiæ, contrà Pontif. ibid. A ſeſſione ad dextram, non eſt adorandus quà homo, contra Luther. ibid. Eſt corpore tenus in cœlo tantum, contra Luther. ibid.

Seſſio Chriſti ad dextram, præſtat (a) Argumentum glorificationis. Motivæ, modus. 708. a. & (b) Solatii, in quibus caſibus. 709. a. (c) Incutit terrorem hoſtibus, quinam illi, & quo modo. ibid. (d) Excitat, ut cum Chriſto pugnemus contra hoſtes ejus, quinam illi, & quare. 709. b. Et (e) ut ſedenti juſta præſtemus officia, quænam illa, & quare. ibid.

Sethi proſopographia. 970. a.

Simeonis benedictio. 617. b.

Similitudo hominis, in humiliatione Chriſti, non excludit veram ejus humanitatem. 589.

Simon Cyrenæus, quis. 637.

Simonianorum, Menandritarum aliorumque hæreticorum turpes ſententiæ. 301.

Simplicitas Dei, probatur Scripturis & rationibus. 103. b. Excludit omnem omnino compoſitionem. 104. a.

Simplicitas Dei *omnimoda*, probatur & vindicatur. 104. b. & 105. a. b.

Simplicitas Dei, fundamentum eſt omnis perfectionis divinæ, & imperfectionis creatæ. 105. b. Quorſum tenendum. 106. a. Docet in eo ſolo nobis eſſe acquieſcendum. 106. a. Monet, eum ſimplici corde eſſe colendum. Hoc quid ſit, & quamobrem agendum. 106. b. Hortatur ad contentationem. 107. a.

Simplicitate cordis, converſandum cum proximo. 106. b.

Simſonis acta. 1002. a.

Sinceritatis natura in quinque; diſtributio; notæ ſex; bona quinque; media ſex. 1208.

Sion, mons, quid proprie & myſtice, quomodo mons ſanctitatis appelletur. 576.

Smalcaldica confeſſio. 1168. b.

Sociniani, Remonſtrantes & Carteſiani, pauca tantum Dei attributa, cognitu neceſſaria volunt,

lunt, & quare. 95. a. Quare plura ſint cognitu neceſſaria. ibid.
Socinianorum hiſtoria. 1141. a.
Socinus (Fauſtus) 1161. b.
Socrates Scholaſticus. 1086. a.
Sol & aſtra non ſunt à ſe. 69. a.
Sol immotus non ſtat in cœlo. 337. b.
Solitudinis uſus natura, ingredientia & officia; bona ſex; modus in ſex. 1281.
Solitudinis abuſus natura in ſeptem; mala ſeptem: cauſæ ſex; remedia tria. 1282.
Somnolentia ſpiritualis. Ejus natura, duplex: mala quinque; cauſæ ſex: remedia ſeptem. 1211.
Sortis, natura & ingredientia quinque; diſtributio varia; uſus ejuſque requiſita octo. 1235.
Sortis abuſus, natura octuplex; mala ſex: cauſæ quinque; remedia tria. 1235.
Spatia imaginaria Scholaſticorum, quæ. 119. a.
Spatia non ſunt vere extenſa. 119. b. nec vera entia. 123. a. Qui diſtent à vacuo. ibid.
Spatia ſupra-cœleſtia, non ſunt vera corpora. Contra Carteſianos probatur. 125. b. Objectiones. 126. a.
Spatia temporalia cogitare, confert ad concipiendam Dei æternitatem. 130. a.
Spei divinæ natura, & obſervanda quatuor; notæ quinque; bona ſeptem; media octo. 1223.
Spiritu & veritate orare, quid ſit. 102. a.
Spiritualis Dei cultus, quis, quare debeatur. 103. a.
Spiritum eſſe Deum proprie, negant Antropomorphitæ, Patres nonnulli, Sociniani & Carteſiani. Affirmant Reformati, quare. 99. b. Objectiones. 100. a.
Spiritum ſuum purgare, à quo, quare, & quibus modis, debeamus. 102. b.
Spiritum ſuum Deo addicere, quid & quare. 102. b.
Spiritus vox quomodo Deo competat & creaturis. 98. a.
Spiritus Deus, in *Spiritu* eſt colendus. 102. a. Qui hoc non faciant. ibid.
Spiritus privatus Enthuſiaſtarum rejicitur. 30. b.
Spiritus S. quomodo & Spiritus & Spiritus Sanctus appelletur. 262. In œconomiâ Trinitatis tertius eſt. 263. a. Ejus denominatio. ibid. Perſona eſt: probatur. 263. b. Eſt perſona diſtincta à reliquis. ibid. Eſt perſona divina, ex divinis nominibus. 264. a. attributis. ibid. operationibus. ibid. cultu. 264. b.
Spiritus S. officium œconomicum. 164. b. actus œconomici, docere, ſanctificare. ibid. conſolari. 265. a. attributa œconomica. ibid. periodus œconomiæ. ibid.
Spiritus S. eſt perſona. Contra Socinianos vindicatur. 265. a. b. Quid Valentinus Gentilis; quid Judæi, quid Joh. Bidellus. 266. a. Objectiones ejus. 266. b. Ejus adoratio fundamentum habet in Scripturâ, probatur & vindicatur. 267. a. Adoratio S. S. quare rarius occurrat in Scripturâ. 267. b. Etiam à filio procedit. Quid hic Græci. 267. b. probatur & vindicatur. 268. a.
Spiritus S. poſt obſignatum Canonem, fideles non docet infallibiliter. Contra Enthuſiaſtas probatur. 268. b. Quatenus amitti poſſit. 269.
Spiritus S. praxis ſuadet, ut enitamur ad S. S. conſequendum. 268. b. Ad eum conſervandum, media quibus. 269. a. Ad ductum ejus ſequendum, quo modo. 269. b. Ad explorandum S. S. notæ. 270. a. Ad cavendum peccata in Sp. S. quare & quomodo. 270. b. Ad fugiendos quosvis Sp. ei adverſos. 271. a.
Spiritus S. operatio in conceptione Chriſti. 596. & 597.
Spiritus S. à ſuis operationibus circa conceptionem Chriſti, non recte dicitur Pater Chriſti. Contra Socinianos probatur & vindicatur. 607. a.
Spiritus S. effuſio *extraordinaria*. Ejus tempus, modus, efficacia. 605. b. & *ordinaria*, explicatur in tribus. 707. b.
Spiritus S. teſtimonium, quid & quale. 730. a.
Sponſio Chriſti æterna, habuit rationem, non fidejuſſionis; ſed expromiſſionis, contra D. Cocceji diſcipulos probatur & vindicatur. 502. a.
Status peccati. 476. b. Ejus ingredientia: abſentia juſtitiæ originalis & univerſalis. ibid. Servitus ſpiritualis, quotuplex. 477. a. Reatus omnimodus. 477. b. Impotentia totalis. ibid.
Status peccati, reprehendit ſecuritatem carnalem, qualis illa, ejus cauſæ. 485. b. Excitat cognitionem ſtatus peccati. Motivæ, delineatur ſtatus peccati. 486. a. Requirit ſenſum miſeriæ, ex peccato, motivæ, quid ſenſus iſte, ejus cauſæ. 486. b. Item piam deſperationem, qualis illa, motivæ & media. 487. a. Etiam deſiderium liberationis, motivæ, media. 488. a. Porro, gratitudinem pro liberatione. 488. b. Officia quædam liberatorum. ibid.
Studium Scripturæ, quid ſit. 42. *quod*, *quare* & *quomodo* neceſſarium. 42. b.
Studium legis: ejus actus ſeptem, bona ſex, affectiones ſex. 1203.
Subditorum officia verſus Magiſtratum. 1299.
Subordinatio cauſarum infinita dari non poteſt. 66. b.
Subſtitutio Chriſti in locum noſtrum, prob. 714. a.
Subſtitutio Chriſti in locum noſtrum, facta eſt in ſatis-

satisfactione. Contra Socin. probatur & vindicatur. 719. a. Facta est pro electorum peccatis, tantum quoad reatum, non quoad maculam. Contra Antinomos probatur & vindicatur. 719. b. Per istam substitutionem, Christus proprie non est factus peccator, mendax, ebriosus. Contra Antinomos docetur. 720. b. Substitutos nobis pœnas nostras cœpit portare, mox ab incarnatione suâ, & absolvere cum morte & sepulturâ. Contra eosdem Antinomos probatur & vindicatur. 721. a. Nec substitutio Christi in locum nostrum, cum ab æterno; tum in cruce facta, hominem immediate liberat à reatu; sed intercedente fide. Adversus eosdem Antinomos, probatur & vindicatur. 722. a. Nec electi, ex hac substitutione, nunquam non justificati, dici possunt. Contra eosdem probatur & vindicater. 723. a. Electus post hanc substitutionem, nihilominus vere peccat. Contra eosdem, probatur & vindicatur. 723. a. Substitutione ista, Christus non tantum homines Deo; sed etiam Deum hominibus reconciliavit. Contra Socin. probatur & vindicatur. 723. b.

Suggestionum blasphemicarum natura & species; argumenta consolatoria sex, adminicula septem. 1319.

Sulpicius Severus. 1086. a.

Superbia erga Deum. Ejus natura & actus quintuplex; causæ sex; mala quinque; remedia quinque. 1206.

Superstitionis natura in variis; mala novem; causa quintuplex; remedia tria. 1239.

Suppressionis peccatorum natura in novem; mala quinque; causæ sex; remedia tria. 1231.

Suscitatio mortuorum explicatur. 1194. b.

Synagoga, quæ olim. 893. a.

Synagoga magnæ historia. 1024. a.

Synodi Ecclesiæ, ætatis primæ, sub seculo primo N. T. 1053. a.

Synodi sub ætate secunda N. T. seu seculo secundo ac tertio. 1066. a.

Synodi seculi sexti. 1091. b.

Synodi ætatis quartæ N. T. 1110. a.

Synodi ætatis quintæ N. T. 1134. b.

Synodi Basileënsis historia. 1137. a.

Synodi sub ætate sexta N. T. 1162. b.

Synodos generales convocare, eisque præsidere, con competit Papæ. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 900. a.

Synodus Dordracena. 1167. b. Nationalis. 1168. a. Westmonasterienfis. ibid. Edimburgensis. ibid. Parisiensis. 1168. b.

Synodus est, vel provincialis, vel nationalis, vel œcumenica. 894. b. ejus jus divinum. 895. a.

T.

Temeritas & audacia, qui differat à fide magna. 60. a.

Temperantia natura, occupatur versus tria; distributio quadruplex; notæ quatuor; bona octo, media sex. 1216.

Templariorum ordo. 1133. a. eorum excidium. 1134. a.

Templi Hierosolymitani destructio. 1045. b.

Templum Garizim. Ejus historia. 1026. b. Et Heliopolitani. 1027. a.

Tempora ceremonialia: diurna, hebdomadalia, menstrua, annua, scil. festa: azymorum, septimanarum &c. 994. a.

Tempus & materia, non fuerunt ab æterno. 316. b.

Tenebræ, quot notent in Scriptura. 748.

Tenebrarum in morte Christi, initium & natura. 638.

Tentatio Dei, seu versus Deum, qualis & quotuplex. 1237.

Tentatio Christi, non parabolice; sed historice narratur. Contra Bekkerum probatur & vindicatur. 623. b.

Tentationes Christi, ostendunt quibus tentationibus simus obnoxii, & qua ratione eis obnitendum. 633. a.

Tentationum usus. Earum natura, species; usus earundem quoad species suas; nominatim satanicarum natura, & officia circa eas varia; solatium in eis, à variis suppetens; adminicula in tentationibus duodecim. 1314.

Tentationum abusus. Ejus natura & vitia sex; mala sex; causæ sex; remedia tria. 1316.

Tepiditas spiritualis. Ejus natura in sex; mala sex; causæ quinque; remedia novem. 1207.

Terminus vitæ humanæ immobilis. 500. a.

Terra in creatione, Hebræis undé dicatur. 312.

Terra creata est. 332. a. unde dicatur, & quorsum creata sit. 332. b. Ejus situs, magnitudo, figurà, sustentaculum. 332. b. partes essentiales. 333. a.

Terra non movetur circa solem, contra Copernicum & Cartesium probatur. 333. b. non est planeta. 334. a.

Terræ contemplatio majestatem Dei pandit. 334. a. & amplitudinem regni divini. 334. b. Monet, ne simus terreni, quid hoc, & quare non. ibid.

Testamenti Veteris, duæ epochæ; sub Patriarchis, & sub Mose. Harum convenientia & differentia. 966. a.

Testamenti Novi denominatio, natura, causæ, efficientes. 1042. a. moventes. 1042. b. Fœderis gratiæ in eo contenti, partes contrahentes. 1042. b. Argumentum confœderationis, quoad promissa & stipulata. 1043. a. Prærogativæ, præ Vet. T. 1043. b. Ejus initium. 1044. a. duratio. ib. Ejus septem ætates, pro numero septem sigillorum apocalypticorum. 1044. b.

Teſtamenti Novi ſcriptorum origo & hiſtoria 1047. b.
Teſtamentum Vetus, nec abrogatum, nec minoris eſt auctoritatis quam *Novum*. 31. b.
Teſtamentum Novum, eſt ſcriptum univerſaliter *verum*. 28. b. & *divinum*. 29. a.
Teſtamentum fœderis gratiæ, quid. 866. a. Eſt vetus & novum. ibid.
Teſtamentum divinum, non eſt Dei voluntas, de danda hæreditate cœleſti. Contra Coccejum, probatur & vindicatur. 987. b.
Teſtamentum Vetus, non eſt voluntas Dei, de dandâ terra Canaan, velut pignore patriæ cœleſtis. Contra Coccejum probatur & vindicatur. 988. b. Non cœpit à Sinai. Contra Coccejum probatur & vindicatur. 989. b.
Tetratheitæ qui. 115. a.
Teutonicorum ordo. 1133. a.
Thaboritarum & Calixtinorum in Bohemia hiſtoria. 1143. a.
Thalmud non eſt ſcriptum *divinum*. 27. b.
Thalmudis origo. 1060. a.
Theologia moralis quid ſit. 1202.
Theologia Aſcetica quid ſit. 1250.
Theologiæ methodus quæ & qualis. 1. a. Hujus neglectus ejuſque incommoda. 4. a. uſus & commoda. 4. a. *Quod* detur. 4. b. Vox, ejus origo. 4. b. Synonyma. 5. a. Homonyma. 5. b. *Naturalis*, ejus partes. 5. b. uſus quadruplex. 5. b. abuſus triplex. 6. a. *Theoretico-practica*, quomodo dicatur. 6. a. *Falſa* quotuplex. 6. a. *Gentilis*. 6. a. *Naturalis*, connata & acquiſita, *quod* detur, probatur & vindicatur. 7. a. Non ſufficit ad ſalutem. 7. b. *Scholaſtica*, ejus origo, uſus & abuſus. 8. a. *Chriſtiana* exploranda, quare & quibus ſignis. 8. b. *Falſa* fugienda, à quibus, quamobrem, & quibus mediis. 9. a. *Vera*, cognoſcenda, cognitionis gradus, qualitas. 9. b. quibus competat, quamobrem. 10. a. Comparandæ media. 10. b. Theologiæ *ſtudium* Academicum, quale. 11. a. Theologiæ *practicæ*, ſtudium, notæ, motivæ 11. b. media. 12. a. Theologia *Chriſtiana*, eſt doctrina vivendi Deo per Chriſtum. 12. a. Eſt *peculiaris* diſciplina. 12. b. Quare doctrina appelletur. 13. a. Ejus objectum eſt *vivere Deo*. 13. a. Ejus fines. 14. a. Qualis *habitus*. 14. b. Sitne theoretico-practicus. 15. a. Non eſt mere theoreticus. 15. b. Eſt ea *exploranda*. 15. b.
Theologiæ partes ſunt, fides & obſervantia, quod probatur, confirmatur, vindicatur & applicatur. 47. 48. 49.
Theologiæ ſtatus, ſub fœdere legali, cum generalis. 967. a. tum ſpecialis: quoad credenda. 967. b. & facienda. 968. a.
Theologiæ ſtatus, quoad credenda pariter & facienda. 971. b.
Theologiæ ſtatus, ſub ſecundo curriculo Patriarchali; teſtamentariæ, ſyſtematicæ, moralis. 976. b.
Theologiæ ſtatus, ſub curriculo tertio Patriarchali, fœderalis, moralis & ſymbolicæ. 984. a.
Theologiæ ſtatus, ſub epochæ Moſaicæ curriculo primo. 1003. a. Teſtamentariæ. ibid. Syſtematicæ. 1003. b. Symbolicæ ac ceremonialis. 1004. a.
Theologiæ ſtatus, ſub epochæ Moſaicæ curriculo ſecundo. 1013. a.
Theologiæ ſtatus, ſub epochæ Moſaicæ curriculo tertio. 1022. b. Peculiariter teſtamentariæ. 1023. a. Syſtematicæ identitas probatur, cum prophetarum teſtimoniis ſingularibus; tum integris libris, hoc curriculo conditis. 1023. b.
Theologiæ Symbolicæ, ſub epochæ Moſaicæ curriculo tertio, ſtatus. 1025. b.
Theologiæ ſtatus, ſub ætate ſecundâ N. T. ſeu ſeculo ſecundo & tertio, tam de jure; quam de facto. 1058. a.
Theologiæ ſtatus, tam Pontificiæ, quam Reformatæ, ſub ætate ſextâ N. T. 1148. b.
Thom. Bradwardinus. 1131. b.
Tigurina confeſſio Zwinglii. 1168. b.
Timiditas. Ejus natura triplex; mala ſex; cauſæ ſeptem; remedia quinque. 1214.
Timoris Dei natura; diſtributio; notæ octo; bona ſex; media quatuor. 1206.
Traditiones præter Scripturam, an ſint admittendæ. 37. b.
Transmutatio παραλλαγὴ, unde. Eſt vox aſtronomica. 107.
Transſubſtantiatio Pontif. impugnatur. 938. a.
Tremellii hiſtoria. 1158. b.
Tridentinum Concilium, ejus hiſtoria. 1162. b.
Triformiani qui. 115. a.
Trinitatis termini aliquot explicantur. 237. b.
Trinitas, quod ſit dogma Scripturæ. 241. a. vindicatur. 241. b. Creditu neceſſaria eſt, probatur & vindicatur. 242. a. Rationibus naturalibus demonſtrari non poteſt. Contra nonnullos Carteſianos probatur & vindicatur. 242. b.
Trinitas monſtrat atheiſmum Antitrinitariorum. 244. a. Suppeditat argumentum glorificationis divinæ. ibid. Commendat hominis præſtantiam. 244. b. Urget ſtudium communionis cum Trinitate. 245. a. Item cultum Trinitatis. 245. b. Deſuadet peccatum. ibid. Invitat ad communionem ſanctorum. ibid.
Triplex fuit, non duplex, functio Chriſti mediatoria. Contra Socinianos. 553. a.
Tritheiſmi hiſtoria. 115. a.
Triunum eſſe Deum, probatur Scripturis. 236. a. confirmatur rationibus Scripturariis. 237. a.

excluduntur rationes naturales. 237. b.
Turris Babilonica, quo tempore ſtructa fuerit. 976. b.
Typorum ceremonialium diſtincta applicatio. 1004. a.—

V.

Valentini Gentilis tritheiſmus. 115. a.
Valentinus Gentilis tria entia æterna ſtatuebat ſubordinata. 130. b.
Vaninus atheus 73. b.
Vanitas rerum humanarum, quoad bona animi, corporis & fortunæ, diſtincte repræſentatur. 1310. Reſp. bonorum animi; ſapientiæ, virtutis &c. exponitur. 1311. Reſp. bonorum corporis: valetudinis, roboris, pulchritudinis. ibid. Quoad bona fortunæ: Divitiarum, honorum, nobilitatis, auctoritatis. ibid.
Vanitatis rerum humanarum uſus, in officiis ſeptem. 1312.
Ubiquitas non eſt communicata humanæ Chriſti naturæ, contra Ubiquetiſtas probatur & vindicatur. 126. a.
Veracitas & fides Dei, probatur Scripturis & rationibus. 153. a.
Veracitati divinæ non inſidiantur Reformati, ut calumniantur eorum inimici. Probatur & vindicatur. 154. a. b.
Veracitati divinæ innititur verbi divini infallibilitas. 155. b. Et fidei noſtræ analyſis. ibid. Et omnis cultus divinus. 156. a. Et ſolida conſolatio. ibid. Et fuga peccati. ibid. Nominatim falſiloquii. 156. b. Et ſtudium veracitatis. ibid.
Veracitatis natura in variis; diſtributio duplex; bona ſeptem; media ſex. 1255.
Verbum quomodo caro factum dicatur. 536.
Veritas quotuplex. 153. a.
Veritas Dei, quid & quotuplex. 153. b. Ejus contraria. ibid.
Vernacula Scripturarum editiones utiles ſunt & neceſſariæ. 34. a.
Verſionum Scripturæ, ſub epochæ Moſaicæ curriculo tertio, ador natarum hiſtoria. 1024. b.
Veſtitus uſus. Ejus natura & officia; bona ſeptem; adminicula quinque. 1304.
Veſtitus abuſus. Ejus natura & vitia quatuor; mala ſex; cauſæ quatuor; remedia tria. 1305.
Via Dei Rabbinis ſunt proprietates ejus. 92.
Victor Pontifex, turbat Eccleſias propter Paſcha. 1056. b. & 1067. a.
Vigilantia ſpiritualis natura occupatur circa tria; diſtributio triplex; bona quinque; media quatuor. 1211.
Vilipendium Dei. Ejus natura; mala ſeptem; cauſæ ſeptem; remedia. 1207.
Vilipendium proximi. Ejus ingredientia ſeu vitia ſeptem; mala novem; cauſæ quinque; remedia tria. 1248.
Vindicta Deo competit. Probatur Scripturis & rationibus, ejus modus. 184. a. b.
Violatio fœderis naturæ, non concernit ſolos protoplaſtos, contra Pelagianos & Socinianos, probatur & vindicatur. 433. b. Per iſtam violationem Deus non eſt auctor peccati, vindicatur. 434. a. Homo libere peccavit. 434. b. Serpens ſeducens, qualis fuerit. ibid. Narratio ſeductionis protoplaſtorum, non eſt allegorica; ſed hiſtorica. Beckeri ſententia & difficultates, prob. & diluuntur. 435. a.—
Violatio fœderis naturæ, ſeu lapſus, explicat ejus gravitatem. 437. b. & juſtitiam punitionis. 438. a. & miſeriæ noſtræ ex lapſu oriundæ. 438. b. Monet, ut nobis caveamus à præſumptione & faſtu, adminicula quibus. 439. a. Et ab inſidiis Satanæ, quare, & quænam ejus ſtrophæ. ibid. Item ab illecebris mundi. 440. a. Etiam ab omnibus ingredientibus hujus fœdifragii, ejus gradibus & peccatis, nominatim à fœdifragio. ibid. Hortatur, ut fœdus noſtrum cum Deo, impoſterum diligentius ſervare nitamur. 440. b. Ad agnoſcendam & celebrandam ſapientiam & bonitatem Dei, quæ hinc anſam captavit ſubſtituendo fœderi gratiæ. ibid.
Violavit homo fœdus naturæ. 430. violationis iſtius ſynonyma. ibid. gradus violationis. ibid. Motus primus verſus violationem. 430. b. Violationis cauſa fuit, non Deus. 431. a. Homo integer, quomodo potuerit peccare. ibid. Mulier quomodo ſeduxerit maritum. ibid. Serpentis tentatio, in quibus conſiſtat. 431. b. Non tamen fuit abſque numine. ibid. quomodo illud hic fuerit occupatum. 432. a. Lapſus omnes poſteros concernit. ibid. Tempus lapſus, quod fuerit. ibid. Sententiarum varietas. ibid. Gravitas lapſus. 433. a. uter conjugum hic gravius peccarit. ibid. Violationis pœna, cum reſpectu ſerpentis, tum mulieris, tum mariti, tum utriuſque. ibid.
Virilis Chriſti ætas, Eccleſiaſtis exemplar præſtat in variis. 631. b.
Virtus in Deo, quid in genere & in ſpecie. 162. a.
Virtus Dei, quo ſenſu dicatur Spiritus S. 596.
Virtutes Chriſti, pietas, juſtitia, temperantia. 522. a.
Virtutis natura; diſtributio ſeptuplex; notæ ſex; bona quatuor; media ſex. 1209.
Viſcera in Deo, notant ejus amorem, qualem. 178.
Viſio Dei ſymbolica. 77. b.
Vita quid & quotuplex. 135. b.

Vita

Vita Deo & ſingulis perſonis tribuitur, quare. 135. a. b.
Vita, qualis Deo competat. 136. a. Ut vita Dei & creaturarum differat. 136. a. Ut differat à ſua cogitatione & intellectu. 136. a.
Vita Dei, quod & quomodo differat ab ejus intellectu & voluntate, explicatur contra Socinianos & Carteſianos. 137. b. & vindicatur. 138. a. Cum creaturarum vita convenit, non æquivoce ſolo nomine; nec univoce; ſed analogice. Probatur & vindicatur. 138. a. b. & 139. a.
Vita Dei, nobis præſtat argumentum glorificationis. 139. a. Gratitudinis. ibid. Reprehenſionis. ibid. Conſolationis. ibid. Vivendi Deo. 140. b.
Vita Chriſti triplex. 617. a. Ejus periodi. ibid.
Vita Chriſti univerſa, omnes excitat ad imitationem. 634. a.
Vita hominis in paradiſo, religioſa & civilis. 381. b.
Vita in fœdere naturæ promiſſa quotuplex. 417. b.
Vita æternæ ingredientia repræſentantur. 1197. a.
Vita æterna non erit in voluptatibus carnalibus. Contra Muhammedanos probatur. 1200. a.
Vitam quomodo Filius acceperit à Patre. 135.
Vitii natura; mala ſex; cauſæ ſex; remedia quinque. 1169.
Vituli aurei efformatio in deſerto. 999. a.
Vituliſmi Jerobeami hiſtoria. 1015. b.
Vivere Deo quid ſit. 15. a. quænam huc requirantur. 16. a. quamobrem Deo vivendum. 16. b. ejus modus & media. 17. a.
Vivificatio novi hominis. Quid novus homo. Quid ejus vivificatio. 838. b. Ejus cauſæ: principalis, exemplaris, inſtrumentalis. ibid. Productæ virtutes & bona opera. 839. a.
Vivificatio novi hominis, in quibus conſiſtat, quibus motivis, & adminiculis ſit exercenda. 851. b.
Vixit Chriſtus, non tam ſibi, quam nobis, probatur Scripturis & rationibus. 616. a.
Ultrajectina Schola. 1170. a.
Unctio ceremonialis, quid, & quibus olim competebat. 526. a. qua diverſitate Mediatori tribuatur. ibid. Quid in Mediatore ſignificet. 526. b. officium cui unctus eſt. ibid. dona unctione collata. ibid.
Unio perſonalis naturarum in Chriſto, quid & qualis, juxta quatuor Veterum adverbia. 538. a.
Unio duarum naturarum in Chriſto, vera & perſonalis datur, contra omnes Antitrinitarios, probatur & vindicatur. 542. b. Non conſiſtit in eo, quod ſubſiſtentia perſonæ divinæ communicata fuerit humanæ naturæ. Contra Luther. probatur & vindicatur. 543. a.
Unio duarum naturarum in Chriſto, compoſitionem extraordinariam infert. 546. a.
Unio perſonalis in Chriſto, præſtat argumentum admirationis, in variis ejus myſteriis. 548. a. & virtutum divinarum. 548. b. & modeſtiæ in nobis. 549. a. Etiam fundamentum fidei & fiduciæ noſtræ in Mediatore. ibid. nec non acquieſcentiæ in eodem. ibid. Invitat ad ſtudium unitatis & concordiæ. ibid. Ad gratitudinem: motivæ, modus. 549. b.
Unio cum Chriſto, fundamentum eſt omnis communionis beneficiorum ejus, probatur Scripturis & rationibus. 790. a. Ejus denominatio varia. 791. b. & ſimilitudines. ibid. Quid ſit. ibid. Qualis ejus relatio ad Chriſtum. ibid. Ea quomodo non procuretur. 792. a. quomodo item. ibid. Ejus vincula duo, ſpiritus & fides. 792. b. Eſt realis, quomodo. ibid. totalis. 793. a. indiſſolubilis. 793. b. ſpiritualis & myſtica. ibid. Circa eam cavenda tria. ibid. nim. unio eſſentiæ. 794. a. perſonarum. ibid. & corporum. ibid. Ejus conſectaria, nim. poſſeſſio Chriſti. ibid. Communicatio vitæ, gratiæ, roboris, ſpiritus. 794. b. Communio Sanctorum. ibid. participium benedictionum, juſtificationis, adoptionis, ſanctificationis, glorificationis. ibid.
Unio cum Chriſto, non ita fit, ut Deus in homine incarnetur, aut homo deificetur. Contra varios probatur & vindicatur. 795. a. Nec per eam divina Chriſti eſſentia nobiſcum coaleſcit in unam eſſentiam aut perſonam. Contra Oſiandrum, probatur. 795. b. Non eſt corporalis. Contra Pontif. & Lutheranos, probatur & vindicatur. 795. b.
Unio cum Chriſto, (1) commendat excellentiam unitorum, & quorſum. 796. a. (2) Præſtat ſolatium unitis, in quibus caſibus. 796. b. (3) Monet, ut nos exploremus, ſimusne uniti cum Chriſto. Indicia, & explorandi adminicula. ibid. (4) Excitat, ut enitamur in iſtam unionem. Motivæ, media. 797. a. (5) Item ad fovendam iſtam unionem. Cavendæ ſex ejus obſtructiones. 798. a. (6) Hortatur, ut uniti cum eo, ex eo trahamus ſpiritum, gratiam, robur. Motivæ, media. 798. b.
Unitas Dei, probatur teſtimoniis & rationibus. 112. a. b. explicatur. 113. a. vindicatur. ibid.
Unitas Dei facit ad tranquillitatem animi. 115. b. Ad deteſtationem idololatriæ. 116. a. Ut animum Deo uni adſtringamus. ibid. Ut unitati & concordiæ ſtudeamus: quare, quibus mediis. 116. a. b.
Unitio duarum naturarum in Chriſto, explicatur, quoad ſuas denominationes & partes. 538. a. Ea non arguit totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, nec divinam perſonam fuiſſe

mutatam, nec novam quandam subsistentiam fuisse productam. 539. a. Ejus consectaria quatuor: communio naturarum in personâ, gratia unionis in humanâ naturâ, communio proprietatum, utriusque naturæ, in personâ. 539. a. b. communio apotelesmatum in operationibus mediatoriis. 540. a.

Universalis Episcopus, jure divino, non datur. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 899. b.

Universaliarum Reformatorum sententia de gratia universali 186. b.

Universaliticum Schisma, apud Reformatos. 1173. a.

Vocatio supercœlestis, quæ. 551.

Vocatio primus actus applicationis, probatur Scripturis & rationibus. 749. b. Quid sit. ibid. Occupatur (1) circa intellectum, quot modis. 750. a. (2) Voluntatem. ibid. (3) Ipsam receptionem. ibid. Est externa verbi, legis & Euangelii. ibid. Et interna, spiritus, vel electis propria, vel communis. 750. b. Causæ. ibid. fines. 751. a. termini, à quo, & ad quem. ibid. Est, vel *universalis*; vel communis. 751. b. Vel electis propria. 752. a.

Vocatio ad Christum, non est universalis. Contra Pelagianos, & Pelagianissantes, probatur. & vindicatur. 752. a. Ejus efficacia, non pendet aliunde, quam à gratia, post sententiarum divortia, probatur & vindicatur. 752. b. Jam non peragitur absque verbo externo. Contra Enthusiastas, probatur & vindicatur. 753. b.

Vocatio ad Christum, commendat (a) Virtutes vocantis, quasnam & quorsum. 754. a. & (b) beatitudinem vocatorum, ex quibus capitibus, & quorsum. 754. b. (c) Repræsentat miseriam non-vocatorum. Quinam illi, & quæ eorum miseria. 755. a. (d) Jubet explorare, num vocationis salutaris simus facti participes. Motivæ. signa. 755. b. (e) Excitat amorem participii. Motivæ, qualis. 756. a. (f) Hortatur ad officia vocationi congrua. Quænam illa, quare & quo modo præstanda. ibid.

Vocatio ministrorum ordinaria, qualis. 888. b.

Vocatio ad munus ecclesiasticum, in ministro est necessaria. Contra Socin. Anabapt. Remonstrant. probatur & vindicatur. 896. b. Competit soli Ecclesiæ, contra varios, probatur & vindicatur. 897. a. In Ecclesiâ reformatâ, est legitima Ministrorum vocatio. Contra Pontif. probatur & vindicatur. 897. b.

Voetii (Gisberti) historia. 1159. b.

Volitio Dei antecedens & consequens, quatenus ferenda, quatenus non. 164. a.

Volitio à conditione creaturarum pendens, in Deo non datur. Quod adversus omnes non-Reformatos, prob. & vindicatur. 163. a. b. & 164. a. b.

Voluntas Dei, propositi & præcepti. Ejus usus. 142. b.

Voluntas Deo competit: probatur Scripturis & rationibus. 158. a. quid non sit. 159. a. quid sit. ibid. Ejus independentia, cum quatuor corollariis ejus. ibid. Ejus simplicitas. 159. b. immutabilitas. 160. a. æternitas. ibid. infinitas. ibid. libertas concludit indifferentiam, qualem. 160. b. & consilium. ibid.

Voluntas occulta & revelata, quid. 162. b.

Voluntas signi & beneplaciti, explicatur. 162. b.

Voluntas absoluta & conditionata, quatenus admittenda, & rejicienda. 162. b.

Voluntas decernens in Deo non vult, omnes & singulos salvari. Probatur. 165. a. b.

Voluntas Dei, non est causa omnis boni & mali moralis. Contra Cartesianos probatur & vindicatur. 165. b. & 166. a. b.

Voluntas Dei, omnis praxeos fundamentum est. 167. a. b. Ostendit imperii divini perfectionem. ibid. Compescit responsationes in negotio prædestinationis. 167. b. Reprimit peccandi voluntatem. 168. a. Suadet abnegationem propriæ voluntatis. ibid. Format ad humilitatem & æquanimitatem. 168. b. Et ad conformandam voluntatem nostram cum divinâ. Motivæ & media. 168. b. Ad consolationem & patientiam. 169. b.

Voluntas humana, quid. 158. a. Ejus actus. 158. b. objectum. ibid.

Voluntatis, ultimum judicium intellectus practici, quatenus sequatur, quatenus non, post divortia sententiarum, sententia Reformatorum ordinaria, prob. & vindicatur. 483. b.

Voluntatis divinæ universalis efficacia. 160. b.

Voluntatis Dei arcanum, quid apud Scripturas, peculiariter notat fœdus gratiæ. 964.

Vorstio & Socinianis essentia & virtus Dei differunt realiter. 95. b.

Votorum usus: natura voti, ejusque requisita sex: distributio in undecim; bona legitimi voti quinque; modus vovendi in quatuor. 1232.

Votorum abusus. Ejus natura in septem: mala sex; causæ sex; remedia tria. 1233.

Ursini (Zachariæ) historia. 1158. b.

Usiæ, Regis Judah, historia. 1012. a.

Utensilia ceremonialia: Sancti Sanctorum, Sancti, atrii. 994. a.

Utero clauso, Christus non est natus. Contra Pontif. & Lutheranos, probatur. 608. b.

Uxoris officia versus maritum. 1296.

W.

Waldenses & Pet. Waldus, horum historia. 1121. a.

Weigelius. 1161. b.

Weſtmonaſterienſis confeſſio, cum catecheſi duplici, & directorio cultus publici. 1169. a.
Wiclephi hiſtoria. 1123. b.
Wiclephiſtis afficta placita. 1128. a.
Wurtembergica confeſſio. 1169. a.

Z.

Zanchii hiſtoria. 1158. b.
Zebaoth, quare Deo tribuatur. 88. b.
Zedekiæ, Regis Judah, hiſtoria. 1013. ſub eo tertia fuit captivitas Babilonica. ibid.
Zeli natura; diſtributio ſeptuplex; notæ octo; bona ſex; media quinque. 1207.
Zenonis Imp. Henoticum. 1088. a.
Ziska Bohemorum belli Dux. 1143. a.
Zwinglii hiſtoria. 1157. a.

FINIS.

John ©

In the beginning God created the heaven & earth